TESTAMENTI VETERIS

BIBLIA SACRA,

SIVE,

LIBRI CANONICI

Priscæ Iudæorum Ecclesiæ
à Deo traditi,

Latini recèns ex Hebræo facti, brevibúsque
Scholiis illustrati ab Immanuele Tre-
mellio & Francisco Junio.

ACCESSERUNT LIBRI QUI VULGO
dicuntur Apocryphi, Latinè redditi, & notis quibusdam
aucti à Francisco Iunio. Multo omnes quàm antè emen-
datiùs editi & aucti locis innumeris: quibus etiam ad-
junximus Novi Testamenti libros ex sermone
Syro ab eodem Tremellio, & ex Græco
à Theodoro Beza in Latinum
versos, notísque itidem
illustratos.

SECUNDA CURA FRAN-
CISCI JUNII.

LONDINI,
Impensis Guliel. N.

An. Dom. 1593.

UMI

B47
1593

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO D. FRIDERICO IIII.

Comiti Palatino ad Rhenum, Electoralis dignitatis & Palatinatus hæredi, Bavariæ Duci, Domino meo clementissimo, S. P.

PRIMITIAS LABORIS NOSTRI, *Illustrissime Princeps, ante annos fermè tredecim Friderico III. Principi Illustrissimo, avo T. C. obtulimus. Obtulimus autem, quia auctor fuerat & caput instituti nostri, quia merebatur pietas illius, & quia virtuti illius spectatæ debebatur. Ex eo tempore non destiterunt viri boni & sacrarum literarum amantes quidam sermone, scriptis, precibus contendere, ut quod à me interdum amplius de locis quibusdam dici animadvertebant, aut a se moneri posse judicabant, id huic secundo labori deputarem, operamq; tandem darem. Inprimis autem instabant & urgebant illi, quod libros Mosis atq; historicos, duas primas veteris Testamenti partes, non satis copiosè notis ad captum multorum illustratas fuisse à nobis ostenderent. Obsequutus sum illorum voluntati: quo in officio præstando fateor me incrementum eruditionis percepisse cùm meæ operæ, tum alienis subsidiis benedicente Domino: pios verò pariter spero & confido accessionem aliquam, eamq; (nisi me animus fallit) non contemnendam experturos. Nam & eos libros maximè, de quibus rogabar, locupletiores tralatione & interpretatione sua, & alios qui pleni multis videbantur esse, studio novo effeci pleniores. Hoc autem quicquid est quod avo tuo dicavimus, recognitum T. C. & commendo patrocinio tuo, quia avi illius (quanti viri, Deus bone!) hæres legitimus es, quia meretur illud tuum in pietatem studium, & quia indoli debetur tuæ. Tuam itaq; C. humiliter demissèq; rogo & oro, ut studium meum gratiosè probes tanquam à Deo inditum, laborem accipias ut Deo sacrum, rem denique ipsam religiosè ac indesinenter colas, ut divinam ortu, argumento, & fructu. Vale.*

Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi C. T. quàm diutissimè servet incolumem, te suo Spiritu æterno regat, & omni benedictione ornet augeatq; cumulatissimè. Heidelbergæ pridie Kal. Apriles 1587.

T. C. servus addictissimus
Franciscus Junius.

937735

ILLUSTRISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINCIPI ET DOMINO, D. FRIderico III. Comiti Palatino ad Rhenum, Sacri Romani Imperii *Electori primario, Bavariæ Duci, Domino nostro clementissimo,* gratiam & pacem à Domino.

QUUM PRIMUM AD HOC OPUS ELABORANdum venimus, illustrissime Princeps, non dubitavimus fore permultos, qui sive aliorum admiratione traducti, sive nostri fastidio alióve præjudicato abrepti institutum hoc nostrum abjecturi sint. Sed quia bonam causam judiciis ejusmodi anteponendam novimus, ac non adversantium animorum causâ aut perfidè aut ignaviter deserendam; inprimis verò spem facit verbo suo Dominus fore ut si quę benè dicta sunt, tandem aliquando sub horam undecimam forte aut desinentem diem benè accipiantur: freti Dei promissionibus, auctoritate T. C. bonorum votis, & exspectatione omnium, nunc demùm laboris nostri specimen in lucem edimus: quod faustum felixq; sit Ecclesiæ Christi à Deo Patre & Domino Jesu Christo. Magnum profectò, magnum præjudicium faciunt hoc eodem argumento scripti cùm Patrum, tum nostrorum hominum libri, quorum nos ipsi officiosam fidem & diligentiam summopere admiramur in evolvendis & explicandis Bibliis: majus eorum simplicitas, qui rivis illorum operâ ductis ita acquiescunt, ut vix uno aut altero anno fontes ipsos Veteris & Novi Testamenti investigent & consulant: maximum verò omnium, qui aut aliquam sui opinionem imbiberunt, aut malè de aliena fide studioq; cogitantes quidlibet quamvis salutare futurum averiantur. Ac in primo quidem genere fideles multos conquiescere longè tutius judicamus, quàm si extra oleas (quod ajunt) vagandi licentiam præfidentiùs sibi assumserint: quia tam multa piè, doctè, prudenter, ac modestè dicta sunt ab iis qui præcesserunt nobis, ut eorum nomine personas & scripta in pretio habeamus, vitia quæ occurrunt (prout labi, errare, decipi, humanum est) cum bonis quæ protulerunt illi comparata, officiosè contegamus. Quid enim tam iniquum esset quàm omissis bonis enumerare mala, quibus scriptores invidiosè & nefariè obruantur? Isti suis laudibus ac meritissimis per nos fruantur licet: quorum nomine immortales Deo gratias agimus, quòd ex infirmis hisce ac fictilibus vasis placuit illa seligere & sanctificare ad gloriam ipsius tanto cum fructu tantaq; laude promovendam. In altero autem illo genere paulò amplius desiderare cogimur. Quum enim præclarè secum agi existimant, si de rivulo humanitùs ducto sorbeant ubi fons præ foribus est, nihil mirum est si miseri justo Dei judicio tandem eò adducuntur, ut palustri ulva implicentur & sordibus inquinentur: quas etsi suo ipsi torpore contrahunt, tamen ut ab aliis arreptas mordicùs deinde retinendas putant. At quanto meliùs veteres ex doctrina Johannis ad libros sacræ scripturæ adhibendam fidem, and sua scripta judicium afferri postulârunt! viderunt illi hoc pacto esse imperitiæ multorum & simplicitati consulendum, nequando sibi suisve aut ullius hominis scriptis divinus honor tribueretur: quem nemo sibi sine atrocissima blasphemia arrogare potest, nemo alteri sine insania tribuere. Tertium verò genus ut ebriosum planè ac nauseans, seriò ex animo oramus ut expergefaciat Dominus: quod alioqui nunquam huc adduxerimus, ut Christum nobis adfuisse credat, infirmitatem nostram sublevasse, animosq; nostros sua gloriosa luce ad illustrationem doctrinæ suæ perfudisse. Certè Deus Opt. Max. voluntates nostras (ut ita dicamus) ad hoc institutum animavit: & nos quoq; coram illo Christianis omnibus sine cujusquam offensa breviter & perspicuè fidem officiumq; nostrum erga Deum, T. C. & totam Ecclesiam vicissim testari voluimus. Quod ut meliùs cognoscatur, paucis (si placet) de causa formaq; hujus translationis, & de tota Lege apud T. C. disseremus.

Causa hujus translationis est duplex, altera communis omnium, altera singularis. Communis causa quæ nos ad hoc opus suscipiendũ adduxit, ea ipsa est qua Patres olim & homines nostri hac nostra memoria usi sunt. Illi enim quum Ecclesiam benè & solidè institui cuperent, nihil tam necessariũ & utile ad vetus Testamentũ fore judicabant, quàm ut cum Hebræis fontibus omnia compararentur, & ex iis hauriretur veritas, & aliqua una translatio cum Hebræo textu conformata in Ecclesia sua invalesceret. Cumq; ab eo labore propter varias & graves occupationes quibus tum distinebantur, & propter ignorationem sermonis Hebraici abstinuerint, alii ad interpretationem LXX confugiebant, alii hinc inde ex multorum interpretationibus corradebant quicquid aut ad scopum auctoris, aut ad præsentem usum videbant pertinere. Nam quod illi ad sermones suos ferè quasque interpretationes obvias præsentis ædificationis causâ rapiendo non satis ad firmitatem doctrinæ attenderunt (quum idem plerumq; unum locum in varias sententias & interpretationes omisso scopo traduxerit) utut præposterum est, in ea tamen ætate fuit tolerandum: cùm quia hominum in linguis exercitatorum penuria laborabat, tum vel maximè quia boni illi Ecclesiastæ cuiq; potiùs tenuissimo è plebe ruditer, quàm doctis solidè operam dabant de-industria. Unus Hieronymus magis præmonstrauit viam,

quàm

937735

quàm aliquid dignum tanto hiatu præstitit. Quapropter ipse quoq; & Augustinus infinitis locis desiderium suum super hac re abundè exposuerunt. Utcunq; enim varias interpretationes laudent: eò tandem recidunt, Veteris instrumenti veritatem ex Hebræis exemplaribus, Novi verò è Græcis eruendam esse: ne multa, si populariter dicendum fuit, suas translationes vulgatas; sin limatè ac firmè, Hebræum textum adhibendum fuisse docent. Substituit quidem Augustinus LXX interpretationem, eamq; mirificè effert: quia neque melius videbat ut Hebraici sermonis expers, neq; religiosum existimabat ab eorum interpretatione discedere. Quod si quis hodiè vulgatam Græcam hac auctoritate donaverit, faciet næ intelligendo ut nihil intelligat. Quis enim tot inepeias in tantorum (si credimus) hominum animos tanto consensu incidisse credat quales singulis paginis offenduntur? tot corruptos locos? tot additos? tot amissos? quis denique eosdem esse cum antiquis exemplaribus putet, qui eos ipsos locos quos Euangelistæ, Apostoli & alii Patres de verbo ad verbum adduxerunt cum libris nostris contulerit? Extant septem loquutionis libri ab Augustino scripti: in quibus quotusquisq; est locus cui benè cum libris nostris convenit? Quare quum illorum consensu libri Hebræorum omnibus anteponendi sint, Græci aut non iidem, aut certè omnium sint corruptissimi: optimè homines nostros de Repub. Christiana meritos esse confirmamus, qui studium suum, operam, laborem atque industriam contulerunt ut Ecclesiam Christi augerent renovatis & interpolatis translationibus Scripturæ, quibus utrumque quoad ejus fieri posset legentium oculis exhiberetur, genuinus sensus, & familiaris ad usum nostrum accommodatio. Maximas illis agimus & habemus gratias, quòd tam piè atque studiosè in hoc genus operis incumbentes toti Ecclesiæ bonum, nobis subsidium non mediocre attulerunt: quippe quum ædificatio Ecclesiæ & institutio studiosa illud ex parte consequendi & investigandi causam dederit, quod boni illi Patres vehementer expetebant. Jam verò si nos communem operam nostram studuimus in eadem re consumere, rebusq; interdum corruptis puritatem, obscuris lucem, benè inventis confirmationem adhibere: pios omneis oratos per nomen Jesu Christi & obsecratos volumus, ut ne quæ exempla diligentiæ ab omnibus uno ore dilaudata sunt, ea imitandi nobis intercludant viam. De nullius nomine scientes detrahimus: tantùm accessionem opellę nostræ fore Ecclesiæ utilem putavimus, & si aberit à legentium animis morositas atq; αὐθάδεια, confidimus in Domino fructum aliquem ex studio hoc & labore nostro ad Christianos omneis perventurum. Hæc ergo prima fuit causa instituti nostri, veterum optatis confirmata & hominum nostrorum exemplis: quæ tamen si vidissemus omnibus ubiq; posse satisfacere, lubenter quidem certè labore isto supersedissemus. Huc verò altera causa accessit, quæ nos privatim attingit, & jam inde ab opere cœpto vehementer exstimulat. Ea est bonorum de nobis exspectatio & judicium nostræ quorum desiderium ut pro modulo nostro saltem ex parte expleamus, tutius tandem visum est Deo duce & succurrentibus piorum precibus rem periclitari, quàm ab illis accusari diffidentiæ inertiæve nomine. Periclitari autem? imò Deo nos laboremq; nostrum certa cum fiducia venturæ ad Ecclesiam benedictionis ex labore nostro cõmittere. Nos enim quicquid egimus in hoc instituto, bona fide (ita nos Deus amet) bona conscientia egimus: non alienam operam contemnentes, non aliorum beneficiis (quæ admiramur) invidentes, nemini præjudicati quicquam afferentes, sed simplice animo sententiam nostram, prout cum verbo Dei convenientiorem esse sensimus, adducentes: etiamq; in posterum eos qui piè & fraternè commodius aliquid dicent audituri, fraternoq; animo exosculaturi. Quid ergo? dixerit quispiam, vos aut illorum bonorum quos prædicatis expectatione dignum, aut Ecclesiæ utile supra quàm quod à majoribus dictum est, aliquid prolaturos arbitraremini? Uno verbo satisfactum vellemus, si placidè acciperent: nos ab omni contentione ac comparatione (ut ferè odio invidiaq; plena est) abhorrere, ac proinde malle ab ipsis judicari si quid benè & utiliter scripsimus, quàm ipsi in nos fœtidissimam illam molestiam invidiosissimamq; suscipere. Recepimus nos piè, breviter, dilucidè, ac modestè sententiam nostrã allaturos. Illi se vicissim à nobis exorari sinant: unum petimus quod nemini bono molestum esse potest, ut priùs legant, deinde judicent, ita laborem nostrum conveniente honore, nos verò benevolentia (quam ipsis æquè ex animo exhibemus) & charitate prosequantur. Deniq; idem flagitamus quod olim bonus ille senex: Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat nobiscum: ubi pariter hæsitat, quærat nobiscum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad nos: ubi nostrum, revocet nos. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est, Quærite faciem ejus semper. Ne quis tamen hac ratione sibi minimè satisfactum putet, ad alterum caput nostra se convertet oratio: nam forma translationis quam sequuti sumus, quæstionem totam explanabit. Constat apud omnes nihil æquè bono interpreti ex usu esse, quàm ut rem propositam intelligentia consequatur, & eam appositè reddat: Rei verò intelligentiam non tantùm ex serie & continuatione argumentorum, sed etiam ex verborum natura petendam esse. Dolet nobis, quòd aliquid gravius ad excusationem nostram factiq; nostri probationem dicendum est: sed tamen levissimam duntaxat interpretandi partem verbi gratia attingemus, quam in superiorum interpretum libris locis non paucis desiderari comperimus. Regula est γραμματικώτατον, singularem vocum naturam, constructionem earum, & interpunctionem observandam esse. Ac multa antehac fuerunt præter vocum naturam formamq; reddita, voces detortæ, res constructæ aliæ ab aliis distractæ, earum interpunctiones quasi quædam sententiarum sepes avulsæ, denique multa advecta incommoda: quæ si nostrâ operâ saltem aliqua ex parte amoveri possint, omne punctum (quod ille ait) tulisse nobis videbimur. Ut autem nihil amplius de alieno labore cogamur dicere, ad formam nostram descendemus. Ad rectam intelligentiam rerum obtinendam, naturam singularum vocum expendimus, constructionem ex similium locorum comparatione, quàm maximè fieri potuit, observavimus, interpunctiones Hebreas non ut ociosas (quod vulgus opinatur) sed plurimùm ad rem facientes retinuimus quanta commoditate potuimus, deniq; sermonis & argumentorum seriem accuratè exploravimus, ut evidentior esset illorum cohærentia. In quibus omnibus aptè & accomodatè reddendis, etiam Hebraici sermonis ordinem, ut per Latinam linguam licuit, servavimus, nisi aliud evidentia loci postularet. Hebraismos singulares & ἰδιωτισμοὺς, quàm ut mutari possent, Patrum exemplo religiosè retinuimus, alios Latinè quàm optimè per nos fieri potuit expressimus in contextu, Hebræarum vocum interpretationem de verbo ad verbum margini apponentes, Barbarismos fugimus: denique innixi sumus ut Mosche Latinus Christianum orbem personet, idq; eodem argumento, quo civium suorum & gentilium aures dum vixit personabat. Hæc voluimus, in hoc laboravimus, ad hoc contendimus pro facultate quam nobis Deus indidit: impari quidem conatu (quis enim rem tantam aptè & accommodatè ad materiam & usum illius ubiq; tractare possit?) sed tamen qui Deo & hominibus piis speramus non improbabitur. Superest tertium caput de quo nos apud T. C. acturos promisimus. Indignum esse hoc opus judicant multi, in quo transferendo toties laboretur, & nos quoq; operam ludere qui veteribus & obsoletis rebus novè dicendis incumbimus. Verùm Deus bone quàm falluntur illi! quàm procul à vero absunt qui veritatem absq; principiis veritatis commodè putant innotescere! Utinam verò illius dicti quo Augustinus utitur meminissent: Ecclesiæ Christi, quæ mater nostra est omnium, duo ubera esse, Vetus & Novum Testamentum, ex quibus pii & fideles Dei partus in dies alimentum sugunt, educantur, & adolescunt in Christo. Nunquam committerent, ut singularis ista divinæ beneficentiæ pla-

naq; testificatio ignoratione, incuria, aut ignavia ulla concideret. Sed quid opus est nos singulas veteris testamenti laudes percurrere? auctoritatem confirmare? usum commonstrare? stabilitatem minutim expendere? Quæ neq; hujus loci est explicare, neque instituti nostri. Ad Legem veniamus, de qua nobis sermo primùm institutus est. Legem vocamus ex Christi ipsius magistri nostri auctoritate doctorúmque hominum consensu, hos quinque libros quos conscripsit Mosche. Quæ obsecro auctoritas, quis usus ad hujus auctoritatem usúmque posset accedere? Auctoritatem nobis satis erit duobus argumentis ostendere: quæ illi quidem oppugnando minimè convellent, sed potiùs omnino labefactabunt auctoritatem illam, quam protervè sibi ex Dei ipsius (si Deo placet) spoliis aucupantur. Primùm enim, unde meliùs potest cuique rei quàm ab ipsius auctore, conciliari auctoritas? At hujus Legis auctor est Deus Pater in Filio per Spiritum sanctum: ad cujus præsentiam cœlū exarsit, intremuit terra, Mosche exhorruit, Jisraëlitæ perterrefacti sunt, dejecta denique omnia quæ suas vires cum hujus viribus ausa unquam sunt committere. Deinde quo & quali instrumento usus est Deus ad exponendam in Lege voluntatem suam? nónne Mosche sacratissimo viro Dei ac Propheta, cui non fuit similis in populo Dei, quicum Deus facie ad faciem loquutus est, & qui fuit servus fidelis in tota domo ejus? hæc testimonia qui tentat convellere sua auctoritate, aut convulsa esse existimat, indignus certè est cui auctoritas ulla tribuatur, aut habeatur fides. Nugæ, deliria, somnia, furores sunt, quæcumque Manichæi & alii omnes ad auctoritatem istam obruendam insanè congesserunt. Quid ergo? nónne Lex inveterata & abolita est? nonne fœdus Novum in locum veteris suffectum? mendaciíne aut vanitatis ullius Apostolus ad Hebræos tenebitur? Absit: non feremus Apostolo qui hanc orationem habuit suam veritatem adimi: sed ea lege ut Christo quoque sua constet dicenti, non venit abolerem sed ut implerem Legem: quos locos Bernardus alicubi optimè comparavit. Itaque ad ipsum Legis, id est, totius Pentateuchi statum veniamus, ut eo commodiùs quid abolitum, quídve stabile sit, intelligatur. Legem Moschis notum est ex duobus summis capitibus constare, factorum & juris. Ac historiam quidem factorum rerúmque gestarum sive à Deo in Ecclesia extráque Ecclesiam, sive à rebus creatis, in summa ortum Ecclesiæ, & prima illa vestigia benignitatis Dei in creatione adumbrata, in fœdere expressa, in operibus demonstrata quis nisi infantis intercidere patiatur? Sed de rebus ad jus pertinentibus gravior quæstio est: de quibus quia propriè statuuntur leges, eæq; præcipuum locum in his libris & in Vetere Ecclesia summam auctoritatem obtinent, Legis nomine hi libri appellati sunt. Nunc ergo angustiore paulò significatione accipiamus Legem pro ea quæ (ut ait Tullius) scripto sancit quod vult jubendo aut vetando. Sanè utralibet significatione accipiamus, latiore illa, sive hac angustiore, certum est eam totam à singulari illa Lege profluxisse, quam Patres legem communem & immutabilem Dei nominârunt, Cicero summam rationem insitam in natura, &c. quasi dicat Legem scriptam Legis naturæ partum esse, Legem verò naturalem Legis Dei qui ordinavit naturam. Quod si ita est, quid obsecro nisi cum summa ratione, cum natura, & cum Deo pugnat, qui oppugnat Legem? Sed quia Legis opera (ut Augustin. in epistol. ad Galat. scribit) bipertita sunt, partim in sacramentis, partim in moribus posita: scitè omnino distinguendum est quid ex natura, quídve ad naturam in Lege accesserit. Ex lege naturæ sunt hec, imperare, vetare, punire, permittere, hoc est, leges morum, & legum propagula. Sacramenta (ut ipsum fœdus, quod est Sacramentorum fundamentum) in accessionibus numerantur. Prioris generis membra quisquis negat, ut taceamus tot leges naturæ inde à creatione usque ad traditionem Legis imperatas atque observatas, viderit qua fronte Deo Legislatori adimat quod omnium civilium legum commune est. Legis virtus (inquit Modestinus) hæc est, imperare, vetare, punire, permittere: quæ (malùm) dementia est, sublato horum officiorum uno aut altero Legem Dei facere [illegible]? Præterea Deus ipse, lex & veritas immutabilis legum, non tantùm verbo suo ita se adumbravit boni auctorem & mali vindicem, sed etiam operibus: quis autem minus verbo quàm operibus inesse putet? quod sufficit [illegible] ad hominem perfectum reddendum & comparatum ad omne opus bonum. Item regula justi & injusti in Deo atque in lege ejus eadem est & semper immutabilis: Justum autem peræquè est puniri mala, ac imperari bona aut vetari mala: ergo pœnarum quoque jus est immutabile. Ampliùs dicemus, Quorum causæ æternæ sunt, eorum quoque jus est æternum & immutabile: Est ergo æternum & immutabile jus in singulis hisce capitibus. Neque tamen hæc ita accipi volumus, ut hac ratione pœnas Legis, singulas inquam cautiones & formulas earum, quæ ad leges judiciales moresq; pertinent, accuratè præcipiamus observari: Nequaquam: sed jus ipsum & substantiam legum omneis omnino servare Deus omni loco imperat, singulares verò formulas & cautiones quæ in personis, rebus, locis, aliisq; circumstantiis sunt positæ liberas reliquit, modò nihil de jure ipsius, de substantia Legis, de æquitate derogetur. Sunt enim istæ formulæ accessiones Legis, ac proinde ex Rerumpub. personarum, temporum, locorumq; natura, forma & constitutione mutabiles. Quæ quidem omnia ita concessit Deus utenda mutandáve bonorum arbitratu, ut nihil decedat de naturæ jure: quamobrem inter permissiones ponenda sunt. Verbi gratia: Publicum liberatorem ducemq; populo dederat Deus, & Rempub. Jisraëlitarum instituerat: permittente Lege in Monarchiam abiit: neutrum à Lege naturæ discrepat, sed optimum est (si benè adhibebitur) ad eam conservandam vinculum atque sepimentum. In privatis judiciis capitales quidem causas planè definivit: aliis verò [illegible] quasdam regulas juris circumposuit, ut ii qui juri dicundo præsunt cætera quæ tendunt ad eamdem utilitatem vel interpretatione vel certa jurisdictione suppleant: itaq; jus definivit, ut factorum singula momenta voluerit à judicibus explorari, & pro occasionibus circumstantiisq; judicari ad normam Legis. Ejusmodi sunt leges de damno mulieri gravidæ illato, de pauperie quam fecit quadrupes, Exod. 21. & aliæ quamplurimæ. Postremò documentorum quæ in judicialibus illis Legibus tradita sunt alia omnium temporum sunt, alia totius temporis quo in terra promissa versati sunt Jisraëlitæ, alia Monarchiæ consistentis, alia Oligarchiæ, alia denique ambulatoriæ illius Jisraëlitarum Reipub. quum ex Ægypto profecti Cenaanæam peterent: cujusmodi sunt castrorum ordines Numer. 2. & paxilli usus, Deuter. 23. 9. Horum verò omnium substantiam & æquitatem inviolatam servandam esse res ipsa loquitur, & Apostolus convenienter postremis duobus locis omnia honestè & ex ordine fieri in Ecclesia jubet. Quòd si horum quæ Apostolus præcipit fontes ex Lege sunt, multo magis justi & injusti ratio ex illa depromenda est. Nec refert quod objiciunt quidam, nihil horum in novo Testamento adduci à Christo aut Apostolis ejus. Primùm enim ut omittam falsitatem istius cavilli quæ ex multis locis deprehendi potest, sciunt adeoq; testis est ipsorum animus & conscientia, Christum non fuisse aut adulteræ damnandæ, aut familiæ herciscundæ judicem datum aut vocatum à Deo: ipsum quoque, cujus nos imitatores esse oportet, justitiam omnem implevisse, ideoq; tum ex ipsius ore tum ex Apostolorum scriptis, idem jus morale ad sanctificationem præscribi in novo Testamento ac jubebat Vetus: denique Christum non ita graviter aut sæpe de judiciorum statu contendisse, quia ne ipsi quidem Pharisæi de eo ambigebant, quod pervicacissima & contumacissima assentatorum turba ad deliniienda Principum ora ferè sibi arrogavit. Iam verò demus istis hominibus judiciales leges etiam in re hac corruisse: quò tandem res deventura est? Conferamus omneis rationes ad judicia benè constituenda, & summam illam rationem insitam in natura aliquando tandem investigemus. An illi ex unius hominis quamvis consultissimi, consilii, arbitrii, populi,

tempo-

temporis, denique omnium simul hominum rationibus eruent? Minimè verò, sed maximam evertendis ac everrendis Rebuspub. fenestram aperient: alius ajet, alius negabit, alius deliberandum censebit. Nos verò qui aliquam in natura, totam in Deo judiciorum normam sitam agnoscimus, quanto meliùs iis regulis juris acquiescemus, quas ne illi quidem à Deo profectas esse negaverint qui eas abdicant? Currant illi præcipites in sua illa volubili & lubrica hominum ratione, & populari auræ acclament plausibiliter: nobiscum optimè agetur, si vestigiis illis hærebimus quæ in his libris impressit certissima ac constantissima Dei sapientia, per quam Reges regnant & Principes decernunt justitiam. In sacramentis verò sive ceremoniis longè dissimilis ratio est. Primùm enim ceremoniæ non sunt naturæ, sed gratiæ & fœderis, quod etsi unicum est, varias tamen formas pro dispensatione Dei induit: deinde non sunt res bonæ ex se, sed signa rerum comprehensarum fœdere ex institutione Dei; neque ubique gentium, aut inde à creatione mundi: sed loco definito, certo tempore, & in suum tempus erant constitutæ: postremò non propter se datæ, sed ad perpetui fœderis obligationem, gratam præteriti præsentisq; beneficii recordationem, professionem officii nostri, & figurationem venturi corporis in Christo, in quo fœdus ictum est & omnia consummata. Ex quibus omnibus conficitur, jus quidem morum ac fœderis perpetuum esse, signa verò formas & ceremonias, etiam quæ legibus moralibus & judicialibus commixtæ sunt (ut ita dicamus) ambulatorias. Hîc verò admirabilis est adversariorum oscitantia. Nam Apostolum ad Hebræos uno loco de sacerdotio Christi agere (quod totum in Vetere populo fuit ceremoniis adumbratum) in altero de forma testificandi exhibendiq; fœderis res ipsa loquitur. Atqui non sumus, inquiunt, sub Lege, sed sub gratia. Mirum non videre illos, neque animadvertere, ubicumque lex opponitur gratiæ, considerari legem nudam à gratia, id est, legem illam peccati nostri indicem inflammatricem & vindicem, nostrûmq; omnium carnificem: gratiâ verò non justitiam Dei quam Lex commonstrat, sed peccatum nostrum aboleri in Christo, ut peccato mortui vivamus Deo in Lege Christi, hoc est, in sanctimonia, charitate, & pace per fidem ipsius: in summa non legem justi & injusti, sed vim Legis nos alioqui cum peccatis nostris pessumdaturam averti. Christus profectò sibi ipse constat, neque idem implet Legem & abolet. Itaque formulas illas legis in circumstantiis positas & ceremonias ex ipsius quoque Legis testimonio intercidisse concedimus: sed sacrosanctam illam doctrinam, magistram vitæ, speculum justitiæ Dei, indicem peccati nostri, prænunciam & testem gratiæ cujus complementum est Christus, illam omnino retinemus in Ecclesia Dei. Quæ quum ita sint, primùm oramus Deum sanctissimæ hujus doctrinæ fontem, ut veritatem suam Vetere Novoq; Testamento explicatam suorum animis inscribat, & ab ingenii humani sordibus æterna Spiritus sui virtute vindicet in Christo: deinde verò Christianos omneis quibus pietas & salus est cordi, ne aut nos ad ostentum in opere tam necessario lusisse existiment, aut seipsos tempus in eo legendo inaniter consumturos. Infiniti sunt thesauri, qui se ultrò piorum animis in hac scriptione versantibus offerunt. Nihil gravius de miseria nostra, nihil altius de misericordia Dei prædicari potest, quàm quæ hic breviter à Mosche dicta, à nobis quàm commodissimè & convenientissimè fieri potuit exposita sunt. Tuam verò C. Illustrissime Princeps, pro ea pietate quam tecum prolixè communicavit Deus scriptionum hujusmodi studiosissimam, scripti hujus nostri vindicem & assertorem appellamus. Nam cui meliùs opus Moschis Principis in populo Dei humanissimi & consultissimi tribuamus, quàm tibi? qui tuum illum pietatis æstum quo magis excitas, eo magis exsultas, qui ad æqui & boni scientiam comparandam, justitiam colendam, augendam sanctificationem, pacem continendam, tuendam denique Dei auctoritatem pro administratione quæ tibi commissa est animum advertis, cujus auctoritas nos ad istud opus aggrediendum provocavit, & adjuvit beneficentia.

Quæsumus itaque à T. C. ut illo spectato zelo erga Dei gloriam & Scripturam gloriæ illius administram in dies magis exardescens, hoc divinum opus nostrâ operâ (nisi nos animus fallit) aliquanto limatius humaniter excipias, ut pignus fidei animiq; nostri erga T. C. studiosissimi: ut nos eo confidentiùs tua auctoritate freti & bonorum votis, reliquis operibus, quorum altera pars jam propè beneficio Dei confecta est, pergamus incumbere. Vale Princeps Illustrissime.

Dominus T.C. quàm diutissimè incolumem servet, tibi adsit, te suo Spiritu regat, & omni benedictionum genere ornet cumulatissimè. Iterum vale.

T. C. servi addictissimi
Immanuel Tremellius,
Franciscus Junius.

Lectori salutem in Christo Iesu.

ETSI IN HAC LIBRORUM SACRORUM VERSIONE, *partim à Tremellio & Iunio, partim à Theodoro Beza facta, & in eorundem etiam Annotationibus & interpretationibus plurima ex Hebrao, Graco, & Syro tum benè conuersa, tum acutè conjecta & exposita videantur: multa tamen admixta vidimus, qua humanum ingenium sapiunt, adeò vt illud occurrat, Bonum etiam quandoque dormitare Homerum. Sed cùm maximo quorundam sumptu & labore libros istos apud nos excusos, & propè ad vmbilicum perductos audivissemus, adeò vt sine maxima ipsorum jactura res inchoata omitti non posset: ne Operis totius editio alioqui impediretur; illud te admonendum putavimus, multa esse tum in versione, tum in annotationibus, qua non usquequaque probantur. Sed si versionem illorum vt Paraphrasin, & annotationes eorum vt hominum opiniones legeris, & ipse etiam versionem & annotationes hasce ad fontes Scripturarum, & veterum Patrum (Scripturis consentientem) sententiam contuleris: poteris emolumentum ex horum laboribus, etiam sine admixto damno, percipere. Hac igitur omnia divinâ statera expende, & quod bonum est, elige. Vale.*

¶ Libri primæ partis.

Genesis.	Numeri.
Exodus.	Deuteronomium.
Leviticus.	

PRIMUS

PRIMUS LIBER MOSCHIS, SIVE GENESIS.

PRIMUS *liber Pentateuchi, ortum mundi & Ecclesia Dei describit: doctrinamq; hujus religionem, progressus, & mirificam bis mille trecentorum sexaginta octo annorum gubernationem ad obitum Josephi usque ordine pertexit.*

		Anni	
	A condito Adamo ad Schetum,	130	Genes. 5.
A nato	Scheto ad Enoschum	105	
	Enoscho ad Kenanem	90	
	Kenane ad Mahalaleelem	70	
	Mahalaleele ad Jeredum	65	
	Jeredo ad Chanocum	162	
	Chanoço ad Methuschelachū	65	
	Methuschelacho ad Lemecū	187	
	Lemeco ad Noachum	182	
	Noacho ad Schemum	502	Gen. 11.
	Schemo ad Arpacschadum	100	
	Arpacschado ad Schelachum	35	

A nato	Schelacho ad Heberum	30	Gen. 11.
	Hebero ad Pelegum	34	
	Pelego ad Rehu	30	
	Rehu ad Scherugum	32	
	Scherugo ad Nachorem	30	
	Nachore ad Therachum	29	
	Theracho ad Abramum	130	
	Abramo ad Jitzchakum	100	Gen. 21.
	Jitzchako ad Jahakobum	60	Gen. 25.
	Jahakob vixit annos	147	Gen. 47.
	A morte Jahako bi ad mortem Josephi	53	Gen. 50.

CAPUT PRIMUM.

Creatio universitatis vel totius mundi, sex diebus absoluta.

IN ‖ principio[2] creavit[3] Deus,[4] cælum & terram.
2 [5] Terra autem erat [6] res informis & inanis, tenebræque *erant* in superficie[7] abyssi: &[8] Spiritus Dei [9] incubabat superficiei [10] aquarum.
3 ‖ [11] Tum [12] dixit Deus, esto[13] lux: & fuit lux.
4 [14] Viditq; Deus lucē hanc [a] esse bonā: & distinctionē fecit Deus inter hāc lucē [b] & tenebras:
5 Lucemque Deus [15] vocavit diem, tenebras
verò vocavit noctem: [16] sic fuit vespera & fuit mane [17] diei primi.
6 ‖ Deinde dixit Deus, esto [18] expansum inter aquas; ut sit [19] distinguens inter [c] aquas unas & alteras.
7 [20] Fecit ergo Deus hoc expansum; quod distinguit inter has aquas quæ *sunt* [d] ab infera expansi istius, & aquas illas quæ *sunt* [e] a regione supera expansi: & fuit ita.
8 Expansum autem hoc Deus [21] vocavit [22] cælum: sic fuit vespera, & fuit mane diei secundi.
9 ‖ Posteà dixit Deus, [23] confluant aquæ istæ [f] *quæ* sub hoc cælo *sunt* [24] in locum unum, & conspicua sit [25] arida: & fuit ita.
10 Aridam autem [26] vocavit Deus terram, [g] singula verò aquarum conceptacula vocavit [27] ma-

[2] Puta universitatis rerum: id est, ἐν ἀρχῇ τῷ χρονικῷ χρόνῳ, ut Basilius optimè interpretatur. ‖ *infrà* 2.4. *Psal.*33.6.& 136.5. *Jerme.*10.12.& 51.15. *Act.*14.15. & 17.24. *Hebr.*11.3. [2] ex nihilo fecit, & quidē potentissimè ac magnificentissimè: nam hęc propria est Hebręi verbi significatio.

[3] unus essentia, personæ tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: ut Hebræa voce ostenditur. Sic deinceps in creationis historia oportet accipi, nisi quum adhibetur aliqua determinatio ad personarum relationem inter se pertinens. [4] i. tum extimum illum hujus universitatis ambitum, cum supercælestibus incolis illius & spiritalibus formis atque intelligentiis, infrà 2.1. Ijob.38.7. Joannis 1.3. Colos.1.16. tum materiam illam primam, ex qua terra, & res omnes cælestes ac terrestres factæ sunt. Quamobrem cæli & terræ nominibus articulus Hebræus præfixus legitur. [5] Expositā materiā, narratur στέρησις sive privatio Physica illius, id est, materiæ illius constitutio apta recipiendæ formæ, antequàm Deus formam imponeret: cujus materiæ partes ὕστερον πρότερον ex Hebræorum usu percurruntur. [6] formâ, potentiâ, efficacitate carens, & ornatu suo. [7] aquarum terræ supernatantium, ac rudis illius & inconditæ molis quam involvebant & fermentabant aquæ; nam hæc universitas propter stupendam ἀχανμοσύνην abyssus dicitur vel chaos metaphoricé. q. d. cælum ipsum nondum erat lucidum, ac proinde hæc universitas intus & foris carebat omni luce. vide Psalm. 104.6. [8] Tertia illa persona Deitatis a Deo Patre & Filio procedens. Non enim hic aër est aut ventus quia nondum formati erant: non ille mundi spiritus quem finxerunt Pythagorei (nam hic inesse mundo, nō incubare diceretur) sed ipse sanctus Dei Spiritus materiam modò creatam fovens, qui idem essentiā unus est cum Patre & Filio æternus Deus, ut infrà 6.3. & 41.38. & alibi [9] verbum translatum ab avibus pullitiei suæ incubantibus: quo significatur materiam illam fuisse a Spiritu Dei servatam & fotam formationis ergô, ut foventur pulli ab incubantibus matribus; quamvis spirituali & planè inenarrabili, non autem corporali modo. [10] in materiæ illius superficie (ut Basilius loquitur) supernatantium, & summā illius materiæ cutem sic fermentantium, ut aquea esse videretur: ut Psa.104.6. & 2.Pet.3.5. 2.Cor.4.6. [11] Jam narratur constitutio & usus elementorum versibus octo, prout ea dispescuit & ordinavit Deus; primùm quidem ignis in summa extimâque sede, tum aëris & aquæ in mediana, postremò terræ in intima. [12] id est, æterni decreti sui exsequutionē hoc demum tempore produci jussit dispensatione sua, & produxit ad esse, ut loquuntur vulgò. [13] ab igne elementari in sua sede locato proficiscens, aëremque permeans. Nam ab effectorum ordinatione naturalis causæ ordinatio intelligenda est: est autem ignis αὐγοειδής. [14] id est, de luce recèns edita cognovit; & quod intus ab æterno vidit, prout artifex in arte videt, hoc foris probavit in opere: ac proinde disposuit ordinem, & de eo sanxit naturæ legem. humanitus dictum, ut sequentia ferè omnia attributa Deo. [a] *Heb. quòd bona sit: trajectio, ut infrà sæpe.* [b] *Heb. & inter tenebras: pleonasmus Hebraicus; sic deinceps.* [15] id est, statuit, ut dum lux illa obtinet, sit naturalis dies; reliquum verò temporis deputetur nocti.

[16] id est, hoc pacto & in his operibus hæ singulæ civilis diei partes consumtæ atque transactæ sunt. Dicuntur autem vespera & manè synecdochicè: nam principium noctis & diei pro tota nocte dieq; ponitur. Tenebras verò seu vesperam diei & luci anteponit Moses, tum quia tenebræ priores fuerunt tempore, V. 2. quam in sententiam rogatus Thales respondit noctem unam fuisse priorem die, apud Laërtium; tum quia ex Scripturæ sacræ ratione, quam populi nō pauci sequuti sunt, nocte inchoatur civilis dies. [17] puta civilis (νυχθήμερον Græci vocant) qui ex his tamquam partibus fuit constitutus. ‖ *Psal.*104.5.& 136.6.& 148.4. [18] i. spatium vastissimum & mediana illa regio cis æthera & ignis elementum posita, aëris densioris & aquarum sedes. [19] i. aquarum superiorum ab inferioribus διακρινόν, ut exponitur evidenter sequente v. [c] *Heb. inter aquas aquis.* [20] verbo potente suo, ut suprà V.3. sic deinceps. Heb. 1.2. [d] *Heb. de sup. exp.* [e] *Heb. de super. exp.* [21] ut suprà V.5. [22] qua significatione in Scripturis synecdochicè volucres, cataractæ, nubes, ros cæli, & pleraque alia appellantur. Tul. libro 1. Tuscul. cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventiq; coguntur, quod & humidum & caliginosum est, &c. Plinius lib.2. nat. hist. cap.38. hoc cælum appellavere majores quod alio nomine aëra, omne quod inani simile vitalem hunc spiritum fundit. Aliud est ergo cælum, extremum illud universitatis corpus cætera ambitu suo circumplectens omnia, ut arguté docet Aristoteles lib.4. cap.5. φυσικῆς ἀκροάσεως: aliud verò hoc cælum, ut Latini autores illi discretionis ergô appellarunt. ‖ *Ijob.*38.8. *Psa.*33.7.& 104.6. [23] i. recto & æquabili cursu contendant & collineent, ut ita dicamus. Nusquam enim hoc verbum nisi de aquis legitur; idq; eâdem ratione quâ Grammatici æquor dictum volunt, & aquam ex eo dictam putavit Varro, quòd æqua summa sit. [f] *Heb. de sub expan. ut* V.7. [24] id est, in assignatum sibi alveum & conceptaculum singulæ: Syllepsis, ut docet vox *maria*, proximè sequente v. [25] terra exundantibus aquis liberata: siccum appellat Maro, & Græci ξηρὰν. [26] stabilivit verbo, ut suprà V.5. [g] *Heb. confluxum (ut a confluendo vocavit Livius Andronicus apud Nonium) i. conceptaculum sive conceptelam, ut loquitur Front. lib. 1. de aquæ d.* [27] ex Hebræi sermonis usu, ut 1. Reg. 8.8. Sic Nicander in Theriacis,

Τὰς δ' ἐπὶ Σειρήνεσσι ῥοαῖς ... ἁλμυρὸν
Οἶδμα πόντου χεύμασι: & Virgilius Æneidos libro primo,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare præruptum.

Ideóque Latini prisci Tuscos veteres Phœnicum posteros imitati Atrianorum paludes septem maria vocaverunt, teste Plinio lib.3. nat. hist. cap.16.

ria: [28] ut vidit Deus id *eſſe* bonum.
11 Iterũ dixit Deus, [29] herbaſcat terra [h] [30] herbulas, [31] herbas ſementanteis ſemen, arbores [32]
fructiferas [33] edentes fructum [i] in ſpecies ſuas, in
quibus ſuum *ſit* ſemen [34] ſuper terram: & fuit ita.
12 Nam produxit terra herbulas, herbas ſementantes ſemen in ſpecies ſuas, & arbores edentes fructum in quibus ſemen ſuum *eſt* in ſpecies ſuas: & [35] vidit Deus id eſſe bonum.
13 Sic fuit veſpera, & fuit mane diei tertii.
14 ‖ Pòſt dixit Deus, ſunto luminaria [36] in expanſo cæli, [37] ad diſtinctionem faciendum inter [38] diem & noctem: ut [39] ſint in ſigna cùm [40] tempeſtatibus, tum [41] diebus & annis:
15 Síntque in [42] luminaria in expanſo cæli, ad afferendum lucem ſuper terram: & fuit ita.
16 Fecit enim Deus duo illa luminaria [43] magna: luminare [44] majus ad [45] præfecturam diei, & [46] luminare minus ad præfecturam noctis, atque ſtellas:
17 Et collocavit ea Deus in expanſo cæli, [47] ad afferendum lucem ſuper terram,
18 Et ad præſidendum diei ac nocti, & ad diſtinctionem faciendum inter lucem hanc & tenebras: [48] vidítque Deus id eſſe bonum.
19 Sic fuit veſpera, & fuit mane diei quarti.
20 Poſteà dixit Deus, [k] abundè progignunto aquæ [l] [49] reptilia animantia: & [m] [50] volucres volanto [51] ſupra terram, [52] ſuperficiem verſus expanſi cælorum.
21 Et [53] creavit Deus [54] cetos maximos: & animantia omnia repentia quæ abundè progenuerunt aquæ in ſpecies ipſorum, omneíſque volucres [n] alatas in ſpecies ſuas: vidítque Deus id eſſe bonum:
22 Et [55] benedixit eis Deus, dicendo: [56] fœtificate, ac [57] augeſcite, & implete [58] aquas per maria, & volucres [59] augeſcunto in terra.
23 Sic fuit veſpera, & fuit mane, diei quinti.
24 Deinde dixit Deus, producat terra [60] animantia in ſpecies ipſorum, pecudes, & reptilia, beſtiáſque [o] terrenas in ſpecies ſuas: & fuit ita.
25 Fecit enim Deus beſtias terrenas in ſpecies ſuas, & pecudes in ſpecies ſuas, omniáque [61] reptilia [p] terræ in ſpecies ſuas: & vidit Deus id eſſe bonum.
26 Poſteà [62] dixit Deus, ‖ [63] faciamus [64] hominem [65] ad imaginem noſtram, [66] ſecundùm ſimilitudinem noſtram: [67] qui dominentur in piſces maris, & in volucreis cæli, & in pecudes, & in univerſam terram, [68] atque in omnia reptilia reptantia ſuper terram.
27 Itaque [69] creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, [70] ad imaginem, *inquam*, Dei creavit eum: ‖ [71] marem & fœminam creavit eos.
28 Deinde [72] benedixit eis Deus; & [73] dixit eis Deus, fœtificate, ac augeſcite & implete terram, eámque ſubjicite: & dominamini in piſces maris, & in volucres cæli, & in omnes beſtias reptantes ſuper terram.
29 Prætereà dixit Deus, ‖ [74] ecce dedi vobis omneis herbas [75] ſementantes ſemen quæ *ſunt* in ſuperficie totius terræ, omnéſque arbores in quibus eſt fructus [q] arboreus, ſementanteis ſemen:

[n] *Heb. alæ: ut infrà* ℣.30.
[55] id eſt, verbo ſuo naturalem potẽtiam eis ad fœcunditatẽ indidit: quod ſequentibus verbis expreſſit Deus.
[56] id eſt, fœtus conſimiles vobis progignite, quocunque tandem modo ex lege naturæ provenerint, ἐν τῷ ζωοτοκεῖν, ἢ ὠοτοκεῖν, ἢ σκωληκοτοκεῖν, & ſi qua ſunt ejuſmodi. Hic autem primùm res creatas compellat Deus, quia hæ primæ ſunt animantes ab ipſo conditæ: antè verò perſona tertia uſus eſt.
[57] numero: id eſt, multiplicamini. Atq; hunc effectus ſequitur, *implete*, &c.
[58] id eſt, has inferiores aquas per maria, lacus, & alveos diſtributas.
[59] itidémq; fœtificanto & implento regionem ſuam, ut ſuperiore membro: ſynecdoche. [60] hoc genus eſt, quod in tres ſpecies diſtribuitur ſequentibus: nam animantium alia ſunt pecorini generis atq; manſueti, alia reptilis, alia feri ſylveſtriſque. [o] *Heb. terræ: ſic deinceps.* [61] ſive humilia. Sic autem appellantur, tum quia ſoli ita ſunt æquata ut tellure ſummâ natare videantur: tum quia ſub terra pleruмque latêre ſolent. Vox autem, *omnia*, ζευγματικῶς omnibus membris accommodari debet: quamquam de reptilibus nominatim hoc loco exprimitur, ut intelligamus ne in hoc quidem genere viliſſimo ullam eſſe ſpeciem quæ Deum non habeat autorem. [p] *Heb. humi.* [62] non Angeli dixerunt (quod Saturnilianos impiè confinxiſſe docet Epiphanius) ſed tres perſonæ deitatis in unitate eſſentiæ, dixerunt inter ſe: vel potius Pater dixit Filio in unitate Spiritus. vide Socratem Eccleſiaſticæ hiſto. lib. 2. cap. 19. & 30. ‖ *infr.* 5.1. *&* 9.6. *Epheſ.* 4.24. *Coloſſ.* 3.10. [63] Neque hic univerſitatem rerum compellat Deus, neque Angelos Deóſque minorum gentium (ut ità loquamur) neque principia naturæ, neq; elementa rerum, neque has inferiores formas: nam creationis gloriam ſibi ſoli ſervat, nec alteri eam conceſſurus eſt. Neq; verò honoris causâ de ſe hoc pacto loquitur: nam iſte mos loquendi ἐναλλακτικὸς non ita antiquus eſt aut in prima perſona apud Hebræos uſitatus, ut docet Abben Hezra in Geneſ. 29.26. Sed Pater dicit Filio aut perſonæ divinæ ſermonem habent inter ſe, quæ unus ſunt eſſentiâ Deus. Atque in hunc modum oportet intelligi verba Cyrilli in graviſſima illa diſputatione de hoc loco lib. 1. contra Julianum. Eſt itaque hic non obſcurum ſanctæ & ὁμοουσίου Trinitatis teſtimonium, quod oſtendit verſus 27. comparatio. [64] marem & fœminam: eſt enim hîc ſpeciei nomen, ut oſtenditur hoc ℣. plurali verbo, *dominentur*, exponitúrque ſequente verſu, & infrà 5. 2. [65] puta naturâ animæ, qualitatibus, atque attributis. Naturâ, nam eſſentia æterna & ſpiritualis eſt: qualitatibus, nam homo ſecundùm Deum fuerat conditus ad juſtitiam & ſanctimoniam veritatis: attributis denique, nam in rebus iſtis inferioribus principatum obtinet, velut quamdam principatus divini imaginem. vide Epheſ. 4. 24. & Coloſ. 3. 10. [66] Exegeſis eſt imaginis: quamobrem ſequente ℣. & infrà 5. 1. & 9. 6. alterum tantùm ponitur. [67] vir puta & uxor cum poſteris: nam hoc in totam ſpeciem beneficium fuit. [68] hæc verba ad incrementum pertinent. q. d. etiam in ea ipſa imperium homines exerceant ad quæ minimè omnium videtur imperium perferri poſſe, quia in cavernis latent. [69] ut ſuprà in verſum 21. vide infrà 2. 7. & ſequentibus. [70] hac repetitione Moſes de induſtria uſus eſt, ut antecedentis pronominis ambiguitas ſublata eſſet: nam Hebræa vox ſonat, ipſius. Nos autem commodè pronomine reciproco ambiguitatem in vertendo tollimus. ‖ *infrà* 5. 2. *Matth.* 19. 4. [71] hos conjungit ambos, tum quia uterque ad imaginem Dei creatus eſt (etſi hæc poſterior, & ille prior, infrà 2.7. & 18.) tum quia benedictio propagationis, quæ ſtatim ſubjungitur, ad utrumque conjunctim pertinet. [72] ut ſuprà in verſ. 22. [73] id eſt, prout vim intus indiderat, ſic palàm mandatum dedit eis curandæ propagationis, & dominationis exercendæ. vide ſuprà 22. & 26. ‖ *infrà* 9.3. [74] adverbium demonſtrandi, & præteritum verbum adhibentur à Deo, ut hominem doceat, quaſi feciſſet jamdiu, ſe antè ei cibum, quàm creatus eſſet, præparaſſe. [75] id eſt, ſativas, & labore culturâque hominis proventuras, ut ſuprà 11. vide infrà 2.15. [q] *Heb. arboris ſive ligni.*

[28] i. poſtquàm divina cognitione ſua probavit factum. nam cognitio humanitus decreto præit, & utraque Deo humanitus tribuitur, verſu 4. & 5. ſed hìc per hyſteroſin. Nunc igitur demum opus die ſecũdo cœptum Deus approbaviſſe dicitur: eadémq; ratione approbatio expanſi ad diem ſecundum cõſtituti in diẽ quartum rejicitur, ℣. 18. & materia creata die primo, hac approbatione caret.
[29] id eſt, producat, ſynecdochicè, ut exponitur ſequente ℣. Atque hactenus ſimplicium corporum, id eſt, elementorum conſtitutio: deinceps agetur de compoſitis, primùm quidem inanimis, ad verſum 20. uſq;: deinde verò animatis, reliquo cap. Priùs autem inanimæ terreſtres formæ quàm cæleſtes creatæ ſunt, ut eo ampliùs eluceſcat admirabilis Dei potentia ſine mediis ullis operata in fovendis rebus, ut perſtringit Moſes infrà 2.5. quemadmodum lucem quoque ſine inſtrumentis ipſius conſervavit a die primo. [h] *Heb. herbulam, herbam ſementantem ſemen, arborem fructus facientem fructum in ſpeciem ipſius. Enallage.* [30] id eſt, herbas inſativas & voluntarias: nimirum ut ſemper in promptu eſſet animantibus brutis quo veſcerentur, infrà v.30. [31] id eſt, ſativas & provenientes culturâ (nam hæc duo ſunt herbarum genera, ſativa, & inſativa) quæ velut novos partus ad ſpeciei ſuæ conſervationem & propagationem afferant: nam quodcunque unum ex altero oritur, id ſemen alterius in Scripturis appellatur. [32] id eſt, potentia naturali prædita ad afferendum fructum. [33] id eſt, jamque onuſtas & ornatas fructu ad uſum hominis præſentiſſimum, ut argumento ſunt Dei & Moſis verba, infrà ℣.29. & 2.16. & 3. toto cap. [i] *vel ſecundùm ſp. ſ.* [34] id eſt, quo ſemine producto naturalis harum formarum ſpecies cõſervetur in terra, propagetúrque. [35] ut ſuprà ℣.4. & 10. ac proinde rebus cognitis ſtabilivit de eis naturæ legem: paralepſis. ‖ *Pſal.* 136.7. [36] id eſt, ſupra nubes, in ſuperiore expanſi parte quam dixerunt æthera. [37] triplex luminarium uſus: primus, diſtinctio lucis a tenebris vel diei naturalis a nocte, ut verſu 18: ſecundus, certarum rerum ſignificatio, ſive communis luminarium omnium (nam omnia diſpeſcunt tempeſtates anni ſuis ſignificationibus, ut Ijob 9.9. & 38.31. & Hamos 5.8.) ſive Solis & Lunæ ſingularis ea ſit, ut qui diei naturali noctíque præſident, & dies civileis, menſes annóſque diſterminant: tertius, quòd de ſuperiore loco non ſolùm oſtendunt lucem, ſed etiam demittunt in terras & communicant efficacitatem ſuam: quæ tria per ὕστερον Hebræis frequentiſſimam v.17. & 18. repetuntur. [38] naturalem. [39] id eſt, ſignificent tempeſtates, &c. periphraſis frequentiſſima. [40] quas non modò Solis & Lunæ, ſed omnium etiam fixarum in firmamento ſtellarum converſatio ſignificat. [41] quos Sol & Luna ſuo ambitu ſignificant quodam ſingulari modo. [42] id eſt, velut lychnuchi ſunto de die & nocte, lucis δοχεῖα, ut Damaſcenus vocat, ſive (ut Baſilius) ὀχήματα, id eſt, conceptacula, capſi aut vehicula lucem apportantia, quam ignis antè αὐτομάτως & citra ullius inſtrumenti ſubſidium effundebat. [43] i. majora ſtellis reliquis, non corpore quidem ipſorum, ſed partim uſu & adminiſtratione ipſorum, partimque ſpecie ſua & opinione noſtra: nam, ait Baſilius, μικροῦ ἡ ὄψις ἡμῶν γενομένη μικρὰ ἐποίησε νομίζεσθαι τὰ ὁρώμενα, τὸ οἰκεῖον πάθος τοῖς ὁρατοῖς ἐπιφέρουσα. [44] reipſa & miniſterio ſeu operatione quàm ſit Luna: id eſt, Solem. [45] qua Sol naturalem illuſtrat diem, ut Luna noctem. [46] id eſt, Lunam, quam Præfecturæ ſuæ nomine Phœnices Ἀστροάρχην nominant, ut refert Herodianus lib.5. [47] miniſterio ſuo. [48] ut ſuprà ℣.4. & 10. & 12. [k] *Heb. modo reptilium progignunto, i. copioſiſſimè: ſic* ℣. *ſeq.* [l] *Heb. reptile, animam viventem: periphraſis animantis. ſic deinceps.* [49] id eſt, νηκτά, nantes aquarum incolas appellat Tullius Tuſcul.5. [m] *Heb. volucris volato.* [50] medianam regionem elementorum incolentes: quamobrem eodem die cum piſcibus creati ſunt. [51] ex qua orti ſunt, infra 2.19. [52] id eſt, per hoc cælum quod nobis eſt proximum. [53] i. ex materia quidem priùs creata fecit, ſed fecit magnificè: quod Hebræo verbo propriè ſignificari diximus in verſum 1. [54] id eſt, animantes ſtupenda vaſtitate & anguineâ ſpecie monſtra quæ inveniuntur in utroque genere: ut ſunt dracones in volucribus, & in aquaticis balænæ, priſtes, &c. nam quæcunque anguinâ formâ ſunt, Hebræi appellant hac voce, ut Græci a corporis inflexione [illegible].

men:

r vel vobis cibo futuræ sunt. s Heb. omnem viriditatem herbæ. t vel in cibum. 76 id est, tum homo, tam animantes cæteræ acquieverunt victu quem sibi præstituit Deus, ille culturæ, hæ servitutis conditione positâ. 77 tam universitatem rerum, quàm individua singula. 78 singula quidem seorsim essentiâ & proprietatibus naturæ suæ pro modulo ipsarum erant bonitate præditæ: omnia verò simul ea symmetriâ & perfectione erant constituta, ut perfectior nulla excogitari possit. 79 Pronomine hic tantum præfixo, *diei illius sexti*, fortasse designatur hunc illum fuisse diem, quo Deus constituerat homine absoluto (cujus causâ creaverat reliqua) finem creandi facere. Etsi haud scio an articulus He potiùs sit euphonicus, quia sine hoc futura fuisset aspera concursatio literarũ quę affines sunt pronunciatione, ut infrà 2.2. & 3.

men: r vestræ ad comedendum erunt.
30 Omnibus autem bestiis terræ, & omnibus
volucribus cæli, omnibúsque reptantibus super
terram, in quibus *est* anima vivens, *dedi* s omnes
herbas virides t ad comedendum: 76 & fuit ita.
31 Tum inspexit Deus 77 quicquid fecerat,
ecce autem 78 bonum *erat* valde: sic fuit vespera
& fuit mane 79 diei sexti.

CAPUT II.

Dies septimus quieti à Deo consecratus, opificium hominis in creatione, & prima sancti conjugii describitur institutio.

1 Transitio ad historiæ enarrationem diei septimi. a Exod. 20.11. & 31.17. Deut. 5.14. 2 i. quæcunque supra cælum, in cælo, & inde à terræ centro ad convexam usque cæli apsidem ordinata exstant: quibus omnibus in cælo & terra cohonestatur Deus, sicut imperator numeris suis & exercitibus, vide suprà 1.1.

1 ITaque 1 a perfecti sunt cæli & terra, 2 om-
nísque exercitus illorum.
2 Quum autem 3 perfecisset Deus 4 die septi-
mo opus suum quod fecerat, b 5 quievit ipso die
septimo ab omni opere suo quod fecerat:
3 Et 6 benedixit Deus diei septimo, & 7 sancti-
ficavit ipsum: quum in eo quievisset ab omni ope-
re suo, quod creaverat Deus, faciendo.
4 8 ISTAE sunt 9 generationes cæli & terræ,
10 quando creata sunt: 11 qua die 12 Jehova
Deus 13 fecit terram & cælum:
5 14 Et omnem stirpem agri, *qui* 15 nondum fu-
isset futurus in terra, omnémq; herbam agri, *quæ*
nondum fuisset oritura: 16 quum non demisisset
Jehova Deus pluviam super terram, & nullus
homo *fuisset* ad colendum terram,
6 At vapor 17 ascendens è terra: qui irrigaret
universam superficiem terræ:
7 18 Finxit verò Jehova Deus a hominem
19 b de pulvere terræ, 20 sufflavítque in narcis
ipsius halitum vitæ: 21 c sic factus est homo c ani-
ma vivens.
8 22 Ornaverat autem plantis Jehova Deus
23 hortum in 24 Hedene 25 ab Oriente: 26 ubi
collocavit hominem illum quem finxerat:
9 Fecerátq; Jehova Deus ut germinaret d 27 è
terra illa quævis arbor desiderabilis ad aspectũ,
& bona ad cibum: 28 arbor quoque vitæ e in hor-
to illo, & 29 arbor scientiæ boni & mali.
10 30 Fluvius autem f 31 procedit ex Hedene
32 ad irrigandum hunc hortum: & 33 inde sese
dividit, g fertúrque in 34 quatuor capita.
11 Primi nomen *est* 35 Pischon: hic *est* h qui al-
luit totam regionem 36 Chavilæ, 37 ubi *est* aurũ,

3 id est, perfectum haberet atque contineret. 4 nempe ex quo dispensatione sua opus creationis inceperat secundum æternum beneplacitum voluntatis suæ. b Hebr. 4.4. 5 id est, inde ab hoc die destitit ab omni opificio porro faciendo, vel creatione nova: non autem a sustentatione, conservatione, & propagatione, quibus in rebus etiamnũ sine labore operatur Deus providentiâ suâ & potente verbo, Joan. 5.17. 6 id est, licet jam hic dies æquè cum aliis benedictus esset naturæ lege, singularem tamen ipsi præ aliis benedictionem contulit Deus, quæ sequentibus exponitur, eóque pacto creationem totam stabilivit. 7 id est, singularem ipsi præ aliis diebus sanctimoniam indidit facto, institutione, & virtute sua: ac proinde eum haberi sanctum, & in sanctis solum rebus consumi voluit. His autem causis duæ aliæ postea accesserunt: una civilis, ad humanitatem spectans, ut quiescat servus tuus & ancilla tua sicut tu, Deut. 5.20. altera ceremonialis, ad solennem commemorationem mirificæ liberationis ex AEgypto. 8 nempe quas hactenus recensuimus, & quæ verbis proximè sequentibus in tria genera vel modos distinguuntur. 9 id est, ortus seu origines, quarum autor fuit & effector Deus. 10 id est, materia universitatis facta ex nihilo fuit, suprà 1. 1. Hic primus generationis modus, quem κτίσιν vocant. 11 i. quum materiam illam creatam ordinavit & faciem ornavit illius. Hic secundus generationis modus, ποίησις, factus sive factura, quæ hoc versu & sequentibus duobus exponitur. 12 Hic primus locus est, ubi nomen Jehovæ legitur, absoluto puta, creationis opere: ut demonstret Moses hunc illum esse perfecti operis autorem perfectissimum. 13 id est, tum his duabus extremitatibus τοῦ παντός, tum aliis rebus interjectis faciem formámque indidit, constitutâ atque ordinatâ elementorum sede: ut narratum est suprà 1. 3. & sequentibus. Inverso autem ordine terra & cælum nominantur, quia terrę factus anteivit factũ cæli: nam terra die creationis tertio, cælum quarto perfectum est. 14 itémque res omneis compositas, quas exinde fecit Deus in cælo & terra, synecdochicè: hîc enim Moses creationis ordinem persequens meminit stirpium herbarúmque præ aliis, tum quia hæ primæ fuerunt formæ ex materia simplice elementorum tertio die constitutæ, sup. 1. 11. tum quia illustrissimum exstitit in creandis illis potentiæ divinæ testimonium. Non enim provenire solent illæ, nisi & irrigantes pluviæ, & humana cultura, & humectantes vapores accesserint: hæc autem omnia disertè Moses ante procreationem stirpium etiam insativorum negat extitisse, ut solo Dei potente verbo prognatos fuisse agnoscamus. Aliter quidem vertunt alii, & variè: sed nos studuimus cum rei veritate perspicuitatem conjungere. 15 id est, quamvis justissimis naturæ temporibus descendissent pluviæ, vapores ascendissent, culturam homines adhibuissent, Sol calefecisset, Luna humectavisset, aër perspiravisset, cætera denique omnia unà operam suam contulissent: frustrà fuissent omnia, nisi Deus creavisset stirpes verbo potente suo, & adhuc eadem sua vi recrearet foverétque, non has solùm formas sed etiam apta his continendis & propagandis media.

16 hæc sunt præcedentis vocis apta necesse est in hanc sententiam: hæc omnia fecit Jehova Deus, quum ne tenuissimæ quidem herbulæ non dico vestigia, sed media ulla quamvis exigua in hac universitate comparerent. Deinceps enim sequitur mediorum, quæ ad stirpes herbásq; sunt opus, enumeratio certissima, hoc & sequente vers. pluvia, cultura & vapor. 17 id est, qui nunc solet ascẽdere ex naturæ lege. Conjunctionem autem disjunctivè accipi est usitatissimum, ut Exod. 21.15. 18 hic tertius generationis modus, πλάσις, figuratio & figularis factura, qua Deus usus dicitur primùm in effingendo viro, hoc vers. deinde in muliere, versu 22. atque hac ratione commendatur opificii divini in creando homine admirabilitas: humanitus dictum. a Vel Adamum. 19 puta humanum illius corpus, ex elementari materia compositum fictúmque: synecdoche. b Heb. pulverem de humo. 20 humanitus dictum, pro eo quod est, virtute sui æterni Spiritus sine ulla materia elementari animam vitalem (quæ forma est à natura simplex) illi elementari corpori inspiravit, ut eo tamquam organo suo uteretur. 21 id est, quum virtute Dei sua anima corpori adunata in unitatem personæ, factum est, ut terrea illa statua animata viveret, princépsque species in animantibus haberetur. c 1. Cor. 15.45. c Heb. in animam viventem. 22 Παρέκβασις exponens quod & quale domicilium fuerit homini per gratiam Dei præparatum, ad V. 15. usque. 23 Græcis παράδεισον; sive (ut corruptè vulgus scribit) παράδισον, qui modò hortus Hedenis à loco dictus est, ut V. 15. & infrà 3. 24. modò hortus Jehovæ, ut infrà 13.10. & Jeschah. 51.3. modò hortus Dei, ut Jechezk. 28.13. & 31. 15. & 16. 24 significat quidem hæc vox delicias sive deliciarum locum: sed hic tamen proprium esse nomen ab amœnitate dictum ostendit partim Moses hoc vers. & 10. quum hortum in Hedene consitum fuisse dicit, partimque Prophetæ 2. Reg. 19.12. Jeschah. 7. 12. & Jechezk 27. & 28. Regionem autem esse hanc in Chaldæa seu Babylonia sitam, mox in Chorographia ostendemus. 25 sive habita ratione Moschis dum hæc scriberet, Jisraëlitarúmque versantium in deserto: sive (quod magis probo) ratione Hedenis, q. d. in tractu Orientali regionis illius. 26 quemadmodum finitâ parecbasi narratur infrà vers. 15. d Heb. de humo. 27 id est, illius horti, ut altera parte versus innuitur. 28 non reipsa per se, sed sacramentali significatione Christi, in quo vita erat, Joan. 1. 4. & qui vita est nostra, Colos. 3. 4. e Heb. in medio horti illius. 29 sive experientiæ boni & mali. Sic metonymicè ab eventu dicitur, quia homo post esum illius vetitum à Domino (ut narratur infrà vers. 16. & 17.) sciturus & experturus erat quantum bonum amisisset, & in quantum ruisset malum per suam ipsius (ut Epiphanius contra Ophitas loquitur) παρακοήν. His itaque duobus signis, uno imperato, altero vetito, informabatur homo tum de mutabili natura sua, ut sibi à se metueret, tum de immutabili constantia Dei, ut studiosissimè adhæreret Deo, séque in fide & obsequio illius contineret. 30 Narratio est hyperbatica, 5. versibus descriptionem continens situs commodissimi, qui fuit habitationis homini attributæ. Est autem hic fluvius Euphrates, ut posteà demonstrabimus. f Heb. exit. 31 non oritur quidem (nam Euphratis ortus in Caranitide Armeniæ majoris præfectura est, ubi Pue perath, id est, profusio Euphratis appellatur, non autem Pyxirates, ut legitur apud Strabonem, & Plinium lib. 5. natur. hist. cap. 24. sub radicibus montis quem Capoten accolæ nominant) sed delapsus per varios anfractus Hedenem usque procedit quatuor alveis sive capitibus, prout deinceps ostenditur. Quamobrem *procedit* potiùs quàm *exit*, maluimus interpretari causâ evidentiæ. 32 non alluendo solùm, sed etiam opplendo Hedenis agrum, ut narratur Ecclesiastici 24. 28. 33 nempe inde ab Hedene, in quem exundare solet. g Heb. & est in q. c. 34 id est, fluenta quatuor, quæ totidem ostiis sive capitibus ab uno Euphratis alveo proficiscuntur. Caput autem aquæ (ait Ulpianus l. 1. §. caput aquæ. ff. de aqua quotid. & æst.) illud est unde aqua nascitur: si ex fonte nascatur, ipse fons: si ex flumine vel lacu, prima incilia vel principia fossarum quibus aquæ ex flumine vel lacu primùm in rivum compelli solent. 35 alveus Euphratis qui Basilius dicitur, & in Tigrin delapsus ei suum nomen adimebat olim: qua ex re factum est ut hic Euphratis alveus sub Apamea cum Tigri junctus, ab incolis Pasitigris vel potiùs Pisotigris appellaretur, non de nomine Pasinis vel Spasinis Sogdonaco nati (ut plerique dixerunt,) sed à Pischone Euphratis alveo, cujus nomen cum Tigri fuit compositum. h Heb. qui circuit, id est, longo viarum flexu per totam regionis longitudinem delabitur, sic deinceps. 36 id est, Susianes; quæ posteà apud Geographos, de nomine Schuschan vel Susorum metropoleos & civitatis regiæ, dicta est Susiane, vide infrà 10.7. 37 quemadmodum testantur de Susiane Strabo, Plinius libr. 6. natural. histor. capite 27. & Solinus capite 68. Polyhistoris.

12 Et aurum illius regionis præstans: ibidem
est [38] Bdellium, & [39] lapis Sardonyx.
13 Nomen verò [40] fluvii secundi *est* [41] Gichon:
hic *est* qui alluit totam [42] regionem Cuschi.
14 Et nomen tertii fluvii, [43] Chiddekel, hic *est*
[i] qui labitur ad Orientem [k] Assyriam versus: flu-
vius autem quartus est [l] [44] Euphrates.

[38] Bedolach Hebraicè arbor est quam Dioscorides libro 1. propius ad vocem Hebræam accedens Bdolchon vocat, corruptè bolchon. Hebræi lapidem esse ajunt pretiosum atque durissimum quem Arabes vocant Elmas, id est, adamantem. Sed quia nomen lapidis hic ei non præponitur, ut posteà Sardonychi: prætereáque adamas diverso nomine in Scripturis appellatur, ut Exod.28.18. nobis omnino placet prior interpretatio. [39] id est, gemma. [40] id est, fluenti ex Euphrate proficiscentis, ut antè versu 10. fuit expositum. [41] primus Euphratis alveus, qui accolarum sermone dicitur Nahar-sares. [42] id est, Arabiam desertam Chaldææ junctam. Cuschi enim appellatione tres Arabiæ, Aethiopia utraque, & totus meridianus tractus continetur: vide infrà 10.7. [43] superior Euphratis alveus in Tigrin ad Seleuciam & Ctesiphontem influens (quem manu fuisse factum veteres putaverunt) & pertendens Apameam usque, ubi Tigrin fluvium diximus nomen suum olim amisisse. Hæc ita se habere monstrant tum nomen Diglito corruptè positum pro Hidclito (ut testatur Plinius lib. 6. nat. hist. cap. 27.) tum sequentia Mosis verba, quum ait fluere ab Oriente contra Assyriam, quam prætervectus Tigris in Euphratem influit sub Apamea. [i] *Heb. qui it.* [k] *Heb. Aschur, i. Assyria: sic inf. 4. 16.* [l] *Heb. Perath.* [44] medianus ejus alveus, qui Babylonem & Otrin permeat. Quia in hujus loci explicatione & accommodatione interpretes desudaverunt plurimùm, & adhuc discrepant; non erit (speramus) inutile, si nos quoque sine cujusquam præjudicio sententiam nostram, quam veritati credimus respondere, breviter afferamus. Primùm igitur qui & Hedenem & hortum sive παράδεισον extra hunc mundum statuerunt, eos cum suis allegoriis in argumento hoc omittemus, quia ipsorum sententia disertis Moschis verbis, historiæque fide, & Methodii scripto contra Origenistas apud Epiphanium refellitur. Secunda interpretatio eorum est, qui non Hedenem solùm, sed hortum quoquè ipsum diffundunt in mundo latissimè per Asiam fermè totam & Africam, aut (si qui fortè angustiùs) per Syriam, Arabiámque, & Mesopotamiam: ac proinde quum hæc latifundia Adamo custodienda colendáque tribuunt, non vident se & naturam rerum, & communis nostri parentis commodum convellere; cujus exemplo docuit nos Deus naturam parvo contentam esse, & bene Maronem monuisse, laudato ingentia rura, Exiguum colito. Tertia eorum est, qui Hedenem putant fuisse regionem Damasci in Syria, hortúmque in ea statuunt, ubi opidum fuit Paradisus ab omnibus priscis scriptoribus appellatum. Sed huic interpretationi neque cum verbis Mosis (uteunque circumagantur) neque cum Hedenis situ, qui in Scripturis alibi exponitur, convenire potest. Quarta eorum est qui Hedenem includunt Mesopotamiâ, & quidem ea parte Mesopotamiæ quæ Babylonia seu Chaldæa dicitur: sed mutatam Hedenis regionem, dimotos fluvios, totámq; rerũ naturę vel universitatis faciem diversam ex diluvio factam fuisse putant. Quæ certè opinio si accipitur, magis incerta Hedenis sedes quàm fluviorum futura est: quę duo tamen hoc loco Spiritus sanctus voluit circumscribere. Deinde quid illud est quod ait Moses, rupisse fontes sese, sive erupisse & retinacula sua atque obices perrupisse? quid illud, fontes occlusos esse? Omnino demonstrat illis verbis Moses rem aliter habere, quũ dicit, ruperunt se fontes, id est, diffiderunt, & dehiscentes aquis aperuerunt viam: & quum verbo contrario utitur, occlusi sunt fontes abyssi, id est, obstructi denuò suis obicibus. Atque his verbis opinioni isti janua præcluditur. Quinta eorum est interpretatio ad veritatẽ proximè accedens, qui Hedenem viderunt regionem esse sitam in Babylonia, & nobilissimos fluvios Euphratem & Tigrin hîc notari animadverterunt: quam sententiam olim sequuti sumus. Sed in eo tum aberravimus a Mose atque á veritate per imprudentiam, quòd hęc fluenta quatuor, quæ tam religiosè definit Moses, duobus solùm alveis tribuimus. Restat igitur, ut quod de hoc loco videtur nobis, id bona fide exponamus. Tria hîc nobis ordine videntur enarranda, Heden regio, fluenta regionem hanc irrigantia, & Hedenici horti situs. Heden delicias sonat amœnitatémque Hebræo sermone: unde nomen regioni fuit impositum. Hanc regionem esse Mesopotamiæ seu Babyloniæ (nam olim Mesopotamiæ appellatione continebatur Babylonia) demonstrant ista, Mosis circumscriptio, plurium Scripturæ locorum comparatio, & natura loci. Etenim de natura loci convenit inter omneis historicos, feracissimum & amœnissimum non solùm totius Orientis agrum, sed terrarum orbis esse Babylonicũ, quà ab Euphrate & Tigri irrigatur. Resudat (ait Curtius) toto ferè solo humor qui ex utroque amne manat per aquarũ venas, & solo Babylonico felicitatẽ affert maximam, quam Plinii verbis exponemus: Babylone, inquit, segetes bis secant, tertiò depascunt: alioquin folia tantùm fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fœnore messes reddit exilitas soli: verùm diligentioribus cum centesimo quinquagesimo. Neque est cura difficilis quàm diutissimè aqua rigandi, ut præpinguis & densa ubertas diluatur, &c. id est, tam pinguis & uber est hujus soli gleba, ut fluviorum exundatione sit opus ad densam illam ubertatẽ diluendam, atq; evehendam fæcunditatem soli, non autem invehendam, ut falsò apud Solinum legitur. Limum enim Euphrates Tigrísque non invehunt, sicut in AEgypto Nilus; sed abstergent rarefaciúntque solum: quod alioquin adeò est fermentatum, ut nec terra ipsa herbas soleat gignere. Hæc Plinius ex Theophrasto libro 8. de plantis, & ex suorum oculorum fide. Plurium autem Scripturæ locorum comparatione confirmatur institutum nostrum. Nam ut locos illos taceamus, quibus

Genes. 7. 11.

Genes. 8. 2.

Libr. 18 nat. hist. cap. 17.

Solin. cap. 50.

celebrata est Hedenis amœnitas, ut Jeschah. 51.3. & Jechezk. 28.13. & 31. 16. aut negotiationis commoditas, potentiáque, ut Jechezk. 27.23. ubi inter Mesopotamienses numeratur Heden: at sola certè legationis illius ad Chizkijam missæ verba rem explanant luculentissimè, quum Hedenitas qui erant in Thelasser potuisse negat Assyriorum copiis obsistere, 2. Reg. 19. 12. & Jeschah. 17.12. Sic enim Hedenitas Mesopotamiæ διακρίνοντες legati Regis pronuntiabant, ne quis fortè de Hedene Syriæ Calesacciperet dictum, cujus mentio est Hamos 1.5. Omnium autem certissima est illa descriptio quæ hîc a Mose ponitur adeò accuratè, ut ipsum dicas in rem præsentem venisse, omniáque fluenta exploravisse ad delineandum tempio Hedenis situm. Est autem Heden non tota quidem Babylonia, sed pars Babyloniæ. Treis partes habet Babylonia, si Ptolemæum sequimur scriptorem diligentissimum; summam Auranitida ad Euphratem fluvium, conterminam Mesopotamiæ; mediam, Chaldæam, junctam desertæ Arabiæ; tertiam & infimam, Merodaciam (Amordaciam corruptè vocat) quæ supernè Strophis, infernè sinu Persico terminatur. Harum posteriores duæ nihil ad Hedenem pertinent, cùm neque adeò sint fertiles, neque ad fines pertingant Assyriæ, ut facit Heden, vers. 14. Est ergo Heden Auranitis regio, ac potiùs (nisi me conjectura fallit) Audanitis dicta apud Ptolemæum: sed littera δ posteà mendosè inversa est, ut pro αὐδανῖτις in eo loco ἡ αὐρανῖτις legeretur. Tantùm in eo discrimen est, quòd Seleuciam totámque insulam, quam circumlambit Euphrates, Græci & Latini Geographi non Chaldææ seu Babyloniæ, ut Scriptura, sed Mesopotamiæ tribuerunt; ídque de ea causa quam pòst dicturi sumus. Nunc videamus fluenta regionem hanc irrigantia. Sanè quæcunque probati autores de Euphratis & Tigris positione tradiderunt, ea cum hac descriptione Mosis optimam habent convenientiam. Primùm enim qui procedit ex Hedene fluvius est unicus, ℣.10. qui Euphrates in Scriptura dicitur, ut Genes. 15.18. Deut. 1.7. & alibi passim. Deinde huic fluvio non duo aut tres solũ, sed quatuor alvei tribuuntur ab iis qui diligentiùs rem exposuerunt. Nam Mela quidem, Plinius, Solinus, alii negligentiùs videntur perscripsisse duo solum Euphratis alveos, propterea quòd alios aquęductus magis quam naturaleis alveos esse putaverunt, aut disperire illos per Chaldææ solitudines. Ex Curtio autem, Herodoto, Diodoro Siculo & Dione constat Euphratis partem suo ostio in sinum Persicum influere: ex Ptolemæo verò & Ammiano Marcellino tres seorsim extare Euphratis alveos: quartum denique probat historicorum omnium veterum recentiúmque confessio. Quamobrem alveorum istorum ordinem, quo Euphrates per eos labitur, percurremus. Primus alveus est Nahar-sares, id est diductum flumen, sive (ut Ptolemæus vocat) Baar-sares, id est, alveus fossatúmve deductum atque distractum: qui Straboni corruptè dicitur Mahar-sares, Ammiano corruptiùs Marsias, Abydeno apud Eusebium lib. 9. præpar. Evang. Ἀκρακανὸς, quia in paludes abit exundantes ranis, quas Akrukan Chaldæi vocant, Plinio denique Narragas, pro eo quod est Nahar-ragaz, id est, dimotus & derivatus fluvius. Atque hoc flumen proptereà diductum sive divulsum appellatur (id enim sonat *Sares* Chaldæorum linguâ) quòd in paludes Chaldaicas universum ducitur, derivatúmque huc illuc in eis disperit atque consumitur. Secundus alveus est *Perath*, quemadmodum ab Hebræis atque incolis appellatur, vulgò Euphrates, Babylonem & Otrin permeans, suóque ostio in sinum olim Persicum influens donec eum præclusere Orcheni & accolæ rigantes agros, adeò ut jam non nisi per Tigrin feratur in mare, ut ait Plinius & Dio Nicæus in Trajano: quam in sententiam illud Ammiani oportet accipi, ad Teredona post jacturas multiplices pelago misceri Euphratem, id est, post derivationes innumeras, quibus eum accolæ minuunt quam plurimum, aut in universum perdunt. Tertius alveus est Nahar-malca, id est, flumen regium, quem Ptolemęus nominat βασίλειον, Abydenus Ἀρμακάλην per metathesin (regium fluvium exponit Ammianus) quòd alveum hunc studio operáque regum fuisse ductum putaret vulgus. Quam in sententiam Plinius, Sunt qui tradunt, inquit, Euphratem Gobaris præfecti opere deductum, ubi eum diximus findi (nempe ad vicum Massicen) ne præcipite cursu Babyloniam infestaret: ab Assyriis verò universis appellatum Armalchar (legendum ex Ammiano, appellatur Nahar-malca) quod significat regium flumen. De hoc autem opere Ammianus lib. 23. & 24. copiosissimè. Quartus alveus deputatur Tigri, videlicet is qui supra Seleuciam in Tigrin delabitur: cujus alvei constitutionem exprimunt commodissimè hęc Ammiani verba. Animatus hujuscemodi primitiis miles ad vicum Macepracta pervenit (me autore legendum Maja-prakta, id est, aquarum divisio: Plinius Massicen, i. protractionem vocat) in quo semiruta muri vestigia videbantur: qui priscis temporibus in spatia longa protentus munire ab externis incursibus Assyriam dicebatur. Hinc pars fluminis scinditur, largis aquarum agminibus ducens ad tractus Babylonios interiores, usui agris futura & civitatibus circumjectis; alia Nahar-malca nomine (quod fluvius regum interpretatur) Ctesiphonta prætermeat. Et eodem libro, Ventum est hinc ad fossile flumen, Nahar-malca nomine (quod amnis regum interpretatur) tunc aridum. Id antehac Trajanus, posteáque Severus, egesto solo fodi in modum canalis amplissimi studio curaverat summo, ut aquis illuc ab Euphrate transfusis naves ad Tigridem commearent: tutissimúmque ad omnia visum est eadem loca purgari, quæ quondam similia Persæ timentes mole saxorum obruêre multorum: hácque valle purgata, avulsis cataractis undarum multitudine stadiis xxx. repulsa classis secura in alveum ejecta est Tigridis, &c. Nec obscurè hunc Ptolemæus vocat flumen per Seleuciam profluens, in descriptione Mesopotamiæ, his verbis, ἡ τοῦ Εὐφράτου θέσις, καθ' ἣν σχίζεται εἴς τε τὸν διὰ Βαβυλῶνος ῥέοντα, καὶ τὸν διὰ Σελευκείας, ὧν ὁ μεταξὺ καλεῖται Βασίλειος ποταμὸς, &c.

Mela lib. 3. c. 8.

Plin. lib. 5. nat. hist. cap. 26.

Solin. cap. 50.

Lib. 6. nat. hist. cap. 27.

Lib. 23.

Lib. 6. nat. hist. cap. 26.

Lib. 24.

Ex

Ex quibus locis omnibus id apertè constat, a probatissimis quibusque autoribus Euphrati duos, tres, quatuor alveos liberè tributos esse: Duos, quum præcipua illius fluenta spectarent, Babylonium, & Basilium sive regium, quod posteà duobus ostiis Tigrin petit, ad Seleuciam, & ad Mesenen sive Apameam: Treis, quum Nahar-sarem duobus illis adjungerent; & regium flumen, quamvis duobus alveis distinctum, pro uno ducerent, aut etiam Mesopotamiæ, non Babyloniæ esse judicarent: Quatuor deniq;, quum fluminis illius regii alveos duos distinguerent. In hunc modum treis recenset Ptolemæus in descriptione Babyloniæ, dicens, διαῤῥέουσι δὲ τὴν χώραν ὅ τε Βασίλειος ποταμὸς, καὶ ὁ διὰ τῆς Βαβυλῶνος ῥέων, καὶ ὁ χαλδαϊκὸς Βααρσάρης ὅς τῷ μὲν Εὐφράτῃ συμβάλλει, &c. & Ammianus, Perfluunt autem, inquit, has easdem terras, potiores ante alios amnes ii quos prædiximus, & Marsias (tu meo periculo lege Nahar-sares) & flumen regium, & Euphrates cunctis excellens: qui tripartitus navigabilis per omneis est rivos, insulásque circumfluens, & arva cultorum industriâ diligentius rigans, vomeri & arbustis gignendis habilia facit. Quibus verbis ostendit evidentissimè, cur mediano rivo nomen Euphratis semper fuerit attributum, aliis vero nomina singularia. Jam verò agedum, hæc quo pacto cum narratione Mosis conveniant, expendamus. Pischon (nam ab Orientali termino facit initium Mosche de Geographorum consuetudine) est Nahar-malca, βασίλειος, vel flumen regium, quà sub Apameam in Tigrin delabitur, eique suum nomen adimit, in sinum usque Persicum delatus cum Tigri. Est autem a maxima feracitate soli quam affert, nominatus. Gichon, Hedenis ab Occidente terminus, ex eo dictus est, quòd exundat facilè atq; huc illuc deducitur. Est autem in Scriptura duplex: unus in Judæa alluens Jeruschalaima, 1. Reg. 1.33. & 2. Chron. 32.30. & 33.14. qui ad nominis sui explicationem torrens quoque inundans appellatur, 2. Chron. 32.4. alter Hedenem irrigans, quo de hic agitur: nempe Nahar-sares, sive Baar-sares primus Euphratis alveus Hedenem a Chaldæa reliqua disterminans Occidentem versus, & in Chaldaica palude dispereiens. Chiddekel, Hedenis a Septentrione terminus, propriè quidem significat Tigrin; hic autem synecdochicè denotat superiorem Nahar-malcæ vel Basilii alveum, qui supra Seleuciam influit in Tigrin & nomen ejus mutuatur: quem alveum prisci Geographi manufactum fuisse rati non retulerunt inter Euphratis alveos; sed potius insulam quam Euphrates cum Tigri efficit a Seleucia Apameam usque, Mesopotamiæ ac non Babyloniæ tribuerunt, ut antè diximus. Quartus medium Hedenem dissecans, qui Babylonem urbem influebat secabatque mediam, ex communi sacræ Scripturæ usu & constantissimo autorum omnium testimonio, κατ' ἐξοχὴν Euphratis nomen obtinet: quod nomen (ut superiora Euphratis duo) propter ubertatem agri fuit impositum; quemadmodum non obscurè innuit autor Ecclesiastici 24. 28. & sequentibus. Atque hic quidem Hedenis situs, qui mea sententia tam manifestus est, & documentis certis confirmatus, ut a nemine in dubium vocari possit: hæc fluenta Hedenem circumstantia. De horto verò quid dicturi sumus? hoc enim postremum restat nobis explicandum. Equidem cùm Hedenem esse regionem demonstraverimus non extra terrarum orbem, non in amplissima aliqua illius parte, ac ne in tota quidem Mesopotamia sitam; sed in aliqua certa Babyloniæ parte, quam circumscripsit Moses studiosissimè: non possumus horti illius sedem aut terrestris paradisi usquam in terris nisi in Hedene agnoscere: cúmque hortus non Heden, sed in Hedene sit (nam ita loquitur Moses) omnino hortum in aliqua Hedenis parte constitui necesse est. Ut ita statuamus, faciunt ipsa Mosis verba: qui non solùm hortum in Hedene appellat, & quidem ab Oriente Hedenis locat, versu 8. verumetiam fluvium illum narrat ex Hedene procedere ad irrigandum hortum, vers. 10. quæcumque autem historica vel chorographica postea subnectuntur, ea non hortum, sed Hedenem totum videntur definire. Fuit igitur Hedenis hortus non in ea parte Hedenis quæ cis Babylonem est, sed in Orientali parte trans Babylonem situs secundùm Basilium & Tigrin fluvium, ubi fertilissimus est totius Orientis ager. Quod autem spatium horti, quæ sedes illius, cùm Mosche amplius non definiverit; hoc certè nos divinare nec volumus, nec possumus; sed in terminis (ut loquuntur) Scripturæ ultrò religioséque subsistimus.

Lib. 5. Geogra.
Lib. 23.

15 [45] Accipiens itaque Jehova Deus [46] hominem; collocavit ipsum in horto Hedenis, [47] ad colendum eum & [48] ad custodiendum eum:
16 Interdixítque Jehova Deus [49] homini, dicendo: [m] [50] de fructu quidem omnis arboris hujus horti [n] liberè comedes:
17 [51] De fructu verò arboris scientiæ boni & mali, [52] de isto ne comedas: nam [53] quo die comederis de eo, [o] utique [54] moriturus es.
18 [55] Dixerat autem Jehova Deus, non *est* bonum esse hominem [56] solum: faciam ei auxilium [p] [57] commodum ipsi.
19 Nam quum formavisset Jehova Deus é terra omneis bestias agri, omnéiq; [58] volucres cæli, & [59] adduxisset ad Adamum [60] ut videret [q] quî vocaret singulas (etenim quocunque nomine vocavit illas Adam, animantem quamque; [61] id nomen ejus *est*.)
20 Vocavissétque Adam nominibus pecudem quamlibet, & volucrem cæli, omnémq; bestiam agri: [r] non aderat Adamo auxilium [62] cómodum.
21 Quapropter [s] injecit Jehova Deus soporem altum in Adamum, [63] quo obdormivit: & [64] desumtâ unâ de costis ejus, [65] inclusit carnem [t] pro illa.
22 [66] Exstruxítque Jehova Deus [u] ex costa illa, quam sumserat de Adamo, mulierem: eámque [67] adduxit ad Adamum.
23 Tum [68] dixit Adam: ‖ [69] hac *demum* vice adest [70] os ex ossibus meis, & caro ex carne mea: [71] hæc vocabitur [72] vira, eo quòd hæc ex viro desumta est.
24 ‖ [73] Idcircò [74] relicturus est vir patrem suum & matrem suam: & [75] adhærebit uxori suæ,

[45] id est, à natali solo, ubi creatus fuerat de pulvere terræ, infrà 3. 23. eum aliò transferens. Ἀνάβασις est sive regressio ad sermonem illú qui fuit intercisus inde ab 8. versu. [46] marem & fœminam, ut suprà 1. 27. hoc enim est speciei nomen. [47] proscissione, irrigatione, satione, & si qua sunt ejusmodi: vide suprà in 1. 29. [48] in cultura & dignitate, quam ex cultura acceperit: quæ omnia unica voce optimè complectitur Josephus dicens ἐκέλευσεν τῶν φυτῶν ἐπιμελεῖσθαι. [49] viro & mulieri, ut modò diximus, & ipsa mulier agnoscit, infrà 3.2. & 3. [m] *Heb. de omni ligno seu arbore: metonymia, sic deinceps. vide infrà* 3. 2. [50] munifica omnium rerum copia fit homini ante singulare interdictum sequentis vers. διὰ προθεραπείας. [n] *Heb. comedendo comedes.* [51] exceptio singularis, cujus argumenta sumuntur a proprio, & ab accidente: Proprio, quòd arbor esset scientiæ boni & mali, ex Dei mandato fugienda: Accidente, quòd mors gustantibus superventura esset justo judicio Dei propter ipsorum παρακοήν. [52] hac rei præsentis demonstratione omnis dubitandi causa præripitur. [53] id est, quum primùm transgressus fueris mandatum meum, non acquiescens iis quæ tibi sunt exposita.

[o] *Heb. moriendo morituru es.* [54] sive (ut Symmachus reddit) mortalis eris, id est, subjectus morti & legibus illius, infinitas corporis & animi ærumnas & cruciatus senties sequuturæ mortis prænuncios, denique jam in mortis corporeæ & spiritualis potestate eris peccato tuo. [55] nempe antequàm hominem in hortum introduceret, fructúq; arboris illius ipsi interdiceret. Hæc autem ut ita accipiamus, faciunt duo maximè: tum quòd singulas animátes Adamo Deus dicitur adduxisse versu 19. quæ certè in hortum minimè intromissæ sunt: tum quòd mulier sibi quoque interdictum fuisse agnoscit infrà 3. 2. quod interdictum potiùs alioqui fuisset negaturus Satan quàm cavillaturus, nisi id fœmina suis auribus audivisset. [56] id est, conjuge destitutum, cùm animantes cæteræ conjugatæ sint. [p] *Heb. quasi coram se ipse sit: sic vers.* 20. [57] id est, naturali specie, & forma ἀνάλογον, juris vocationísque consors, & omnium officiorum particeps, quod sit tamquam alter ipse. [58] vide suprà in 1. 20. [59] nimirum tradens homini imperium in animantia, & mittens eum in possessionem illorum, ac propterea sistens illa coram homine, ut sisti solent subditi novo Principi inaugurando, & accipiendis mandatis ejus. [60] videlicet Adam, quibus nominibus singulas animantium formas appellaret pro imperio suo & conditione ipsarum, si quid eis in posterum foret mandato opus. Atque hoc certissimum est, ait Chrysostomus, sapientiæ quæ homini inerat documentum, quòd non solùm sui ipsius, sed etiam rerum creatarum cognitione fuit præditus ad salutarem illam Dei notitiam accedente. [q] *Heb. quid vocaret ei: sic deinceps.* [61] nimirum quod apud nos Heberi posteros servatur incorruptâ linguâ, inquit Moses. [r] *al. Adamo non invenerat.* [62] ut suprà 18. [s] *Heb fecit cadere.* [63] ac proinde fuit doloris expers, & facti inscius naturaliter: fuit enim quædam velut ecstasis hæc soporis vehementia. vide Epiphanium κατὰ ὠριγενιανῶν. [64] ad eum finem quem Adam posteà actus Spiritu Dei prophetavit vers. 23. [65] id est, vacuum locum replevit carne, & obducta cute occlusit. [t] *vel loco illius.* [66] id est, finxit quidem è costa, vt virum è terra finxerat suprà 7. sed latiore corpore, & tamquam cellis formatis in utero ad commoditatem fœtus. Sic in muliere quoque commendatur opificii admirabilitas. [u] *Heb. costam illam, quam s. d. A. in mulierem.* [67] id est, stitit & exhibuit ei fœminam ut capiti, quam jungeret ei uxorem: ita fuit conjugium inter duos ex facto divinitus institutum. [68] prophetavit actus Dei Spiritu. ‖ *1. Cor.* 11. 8. *Ephes.* 5. 31. [69] q. d. nunc demum singulare mihi auxilium adest singulari quadam forma & ratione a Deo attributum: quod auxilium ego altera illa vice, antequàm indormivissem, desideraveram, ut dictum est suprà vers. 20. [70] id est, carnis & sanguinis necessitudine conjunctissima fœmina, ut Gen. 29. 14. adeóque naturâ, jure, vocatione, officióq; una cum viro suo. [71] Jam agnita muliere pro autoritate mulieri nomen imponit Adam: quo nomine designatur non natura solùm, verumetiam officium, ut ipsa virum adjuvet, sitque tamquam alter ipse: cujus officii (ut posteà demonstrat Adam) fundamentum & vinculum potentissimum est naturæ unitas. [72] hoc vocabulo utendum fuit, quia omnino huic loco significatione & forma convenit: ut quàm proximè conspicua esset quodammodo Hebræarum dictionum conjugatio, & causa nominis impositi planiùs intelligeretur. Nam ut a viro desumta est, ita nomen obtinuit vira à viri nomine derivatum, & sexus totius in specie humana commune. Alioquin hujus mulieris proprium fuit nomen Chavva, infrà 3. 20. Hoc autem nomine *viræ* prisci Latini utebantur, ut Festus autor est, & fœminas quas nunc appellamus dicebant viras, id est, ἀνδρίδας, ut interpretatur Symmachus. Sic enim Romæ usus obtinebat, ut Querquetulanæ viræ ipso adhuc Varronis tempore dicerentur, quibus sacellum erat in Esquilina regione ad Querquetulanam portam. ‖ *Matth.* 19. 5. *Marc.* 10. 7. [73] Hæc verba sunt Adami, ut putat Epiphanius contra Ptolemaitas: vel Mosis, quibus demonstrat divini instituti finem, doctrinam proponens Ecclesiæ in omneis ætates duraturam. Rationalis autem hæc particula duas causas complectitur: unam, quòd uxor est pars viri, ideóque ei naturâ conjunctissima: alteram, quòd Dei instituto in matrimonium tradita viro suo. [74] id est, omissâ parentum familiâ dabit se in familiam propriam quam administret, singularémque uxoris curam geret & familiæ suæ, quam ab uxore propagabit. Atque hæc prout dicuntur, sic etiam κατὰ τὸ ῥητὸν oportet accipi. [75] agglutinatus puta & Dei & naturæ lege. Nam vir cum uxore corpore & animo tenetur esse conjunctissimus, quia caro una sunt, éstque penes alterum eorum jus in corpus alterius, 1. Corinth. 7. 3. & 4.

‖ 1. *Cor.*6.16.

‖ erúntque in carnem unam.
25 [76] Erant autem illi ambo nudi, Adám &
uxor ejus: ac non erubescebant.

[76] sensus est, rebus ita stantibus ut creatæ fuerant, sive ante lapsum, neque insalubre fuit neque inhonestum, quod posteà propter peccatum & valetudini adversum & probrosum effectum est. Tum enim amicti erant, ait Chrysostomus, admirabili gloria, & quidem longè majore quàm ut vestitus ullus eam ornare posset, omniáque hominis valetudini, commoditati, utilitati, honori, & voluntati ancillabantur: denique sic erant in terris homines ut in cælis Angeli; immunes a rerum istarum, quibus jam homo circumfluit, solicitudine. Parasceve ad sequentem historiam.

CAPUT III.

Homo à serpente diabolo deceptus desciscit à Deo, & imaginem ejus labefactat: hujus in Christo instaurandæ promissum post inflictas pœnas peccato accipit, & ex horto Hedenis ejicitur.

1 Serpens [1] ‖ autem erat [2] astutus, [3] *astutior*
quavis bestia agri, quam fecerat Jehova
Deus: [4] ille dixit mulieri, [5] etiámne edixisse De-
um, ne comedatis [6] ex omni [a] fructu arborum hu-
jus horti?
2 Tum dixit mulier serpenti illi, [7] de fructu *qui-*
dem arborum hujus horti comedemus:
3 At de fructu arboris istius quæ *est* in [b] horto
hoc; dixit Deus, ne comedatis ex isto, [8] neque
attingatis eum: [9] ne moriamini.
4 Dixit verò serpens ille mulieri, [c] [10] non uti-
que moriemini:
5 [11] Novit enim Deus, [12] quo die comederitis
ex eo, [13] aperturos se oculos vestros: & vos fore
sicut Deos, scientes boni & mali.
6 Quum ergo [14] [d] videretur mulieri bonum es-
se fructum arboris illius in cibum, & [e] gratissi-
mam *esse* illam oculis, ac desiderabilem esse arbo-
ris fructum ad habendum intelligentiam, accepit
de fructu ejus & comedit: etiamq; dedit *comeden-*
dum viro suo secum, qui comedit.
7 Tunc [15] aperuerunt sese oculi amborum, no-
veruntque se nudos esse: & [16] consutis [f] foliis fi-
culneis fecerunt sibi subligacula.
8 Deinde audiverunt [17] vocem Jehovæ Dei
itantem per hortum ipsum [18] ad ventum illius
diei: quare abscondit se Adam & uxor ejus [g] à fa-
cie Jehovæ Dei, [h] inter arbores illius horti.
9 [19] Inclamavit autem Jehova Deus Adamum:
& dixit ei, [20] ubi es?
10 Qui dixit, [21] vocem tuam audiebam in hoc
horto: extimui autem, eo quòd nudus sim, & ab-
scondi me.
11 Dixit verò *Deus*, quis indicavit tibi nudum
esse te? [22] an de fructu illius arboris, de quo in-
terdixeram tibi ne comedas ex eo, comederis?
12 Cui dixit Adam: mulier ista quam posuisti
mecum, ipsa dedit mihi de fructu illius arboris, &
comedi.
13 Tum dixit Jehova Deus mulieri, [23] quid
hoc *est quod* fecisti? dixit autem mulier, serpens
iste seduxit me, & comedi.
14 Quapropter dixit Jehova Deus serpenti il-
li, [24] cùm feceris istud, maledictus esto præ omni
jumento, & præ omni bestia agri: super ventrem
tuum ito, & pulverem comedito omnibus diebus
vitæ tuæ.
15 Præterea inimicitiam pono inter te [i] & mu-
lierem hanc, similiterq; inter [25] semen tuum &
[26] semen hujus: hoc [27] conteret tibi caput, tu au-
tem conteres huic calcaneum.
16 Mulieri dixit, ‖ [k] admodum multiplico [28]
dolorem tuum, etiam conceptus tui, in dolore [29]
paries liberos: [30] quin ‖ erga virum tuum appeti-
tus tuus *esto*, & [31] ipse præesto tibi.
17 Adamo verò dixit, quia auscultavisti voci
uxoris tuæ; & comedisti de fructu arboris illius
quo interdixeram tibi, dicendo, ne comedas ex
isto: [32] maledicta *esto* [l] terra propter te, cum do-
lore comedito [m] proventum ejus omnibus diebus
vitæ tuæ:
18 *Eá*que [33] spinam & [34] carduum proferto tibi,
tu verò comedito herbam [35] agri;
19 [36] In sudore vultus tui vescitor [n] cibo, donec
[37] revertaris in humum, ‖ cùm ex ea desumtus

[1] Instrumentum diaboli ad decipiendum Chavvam: quapropter diabolus Ecclesiæ Christi insidians, serpens antiquus dicitur metonymicè. Apo.12.9. & 20.2.
‖ 2.*Cor.*11.3.
[2] ut Matt.10.16.
[3] ac proinde technis diaboli accommodatior: nam in hortum potuit optimè omnium irrepere, viri conspectum fugere, specie tenuitatis & innocentiæ fœminam fallere, & post factum erepere, quum primùm videretur. [4] diabolus puta in serpente: licet Moses propter populi ruditatem mentionem diaboli omittat, rémque solùm aspectabilem (ut Chavvæ esse videbatur) nominet synecdochicè, ut Levit.17.7. sicut antè ob eamdem causam omisit expressam Angelorum creationem & diabolorum lapsum, de quibus postea Ecclesiæ jam adultæ multa in vetere & novo testamento scripta sunt adeò sanctè & religiosè, ut nulla Judæorũ idololatriæ, nulla prophanorum curiositati fenestra aperta sit. [5] Paralepsis est: nam Moses ex longiore diaboli ad mulierem sermone id tantùm refert quo id obtinuit quod moliebatur. Videtur enim ex multis rationibus, quibus persuadere voluit non ita amari a Deo homines ut putabant, sed odio esse & bono ipsorum invideri, hanc afferre maximè, quòd esu illius fructus prohibuisset a quo pendebat maximum hominis bonum, videlicet cognitio boni & mali. [6] tortuosus serpens a figura dictionis (ut vocant) fallaciam struit: nam *ex omni* modò significat ex ullo, modò autem ex quovis. q. d. hoc fructu ademto tam facit quàm si adimeret omnia: veruntamen quum libertatem ademit promiscue vescendi quocunque velletis, omnino videtur vobis dedisse verbo tenus dominium rerum omnium, quod magnificè prædicavit suprà 1.28. & sequentibus [a] *Hebr. arbore: ut suprà 2.16. sic deinceps.* [7] ad utrumq; fallaciæ membrum respondet Chavva, ut partes Dei tueatur & resistat diabolo: & tandem statuit id sibi durũ aut molestum non esse, quòd maxima sibi copia & varietate arborum & fructuum concessa Deus unum duntaxat exceperit [b] *Heb. medio hujus horti.* [8] q. d. adeò graviter prohibuit esu illius, ut ne attingi quidem a nobis oporteat. [9] hic cœpisse videtur mulier labascere, quum voci certitudinem significanti substituit dubitandi particulam. [c] *Heb. non moriendo moriemini: vide sup. in* 2.18. [10] Cavet Satanas veteratoriè ne id apertiùs negando quod Deus dixerat occasionem præbeat abrumpendi colloquii, & aberret a fine sibi proposito. Ideóque verba Dei relinquens suo loco, & accipiens exceptionem fœminæ, ex illa dubitandi particula infert non esse certum quòd mors sequutura sit, si de fructu vetito comedat: non enim dicit, moriendo non moriemini, id est, utique non moriemini (quod ex diametro pugnaret cum verbis Dei suprà 2.17.) sed inverso vocum ordine tantùm negat mortis certitudinem. [11] aliam fuisse persuadet Satanas interdicti causam, eámque certam, quæ non hominem sed Deum ipsum attingeret, sumtam ex sophistica nominis quod Deus imposuerat arbori interpretatione: videlicet si eo fructu vescerentur, socios Dei & ipsi æquales fore in boni & mali cognitione: hanc certam causam Deum reticuisse, & alteram incertam proposuisse, ut suo periculo ampliùs deterrerentur. [12] præsenti periculo quod Deus adduxerat dicens, quo die comederis, &c. suprà 2.17. præsentem utilitatem opponit. [13] metaphora, cujus sequitur explicatio, vos fore sicut Deos, quamvis explicatio falsa dicti verissimi, ut ostenditur v. 7. [14] i. judicio suo, diaboli ratiocinatione, oculorúmque suorum fide mulier statueret, &c. [d] *Heb. videret mulier.* [e] *Heb. desiderium esse in oculis: substantivum pro adjectivo superlativi gradus, ut infrà 11.34. & 13.10.*

[15] id est, experientia & conscientiæ sensu, quorum retendisset colloquium serpentis ignorerunt: nimirum ut toti corporis & animi bonis nudarentur.
[16] ut nuditati corporis sui providerent: de nuditate animi cõsilium nullum.
[f] *vel ramis ficus, ut infrà* 8.11.
[17] id est, levem quendam sonũ, ac velut strepitum advenientis Dei.
[18] id est, vento illius diei, quum subinde resflaret, vocem ad aures illorum reportante.
[g] *vel mea* *ȝ*.
[h] *Heb. in medio arborum.* 1.6.
[19] de nomine appellavit, ut servum aut clientem suum.
[20] hac interrogatione hominẽ expergefacit, ad sese revocat, & viam sequenti confabulationi sternit humano more: sic infrà 4.9. & Numer. 22.9.
[21] timoris & occultationis suæ duas causas falsas attingit, verámque reticet: nam etiam ante peccatum nudus erat, & Deum loquentem audiverat, nec timuerat tamen, aut se absconderat. Vera autem causa est peccatum, cujus sua conscientia ipsum accusabat, & judicis injiciebat metum. [22] q. d. conscientiam tuam appello an istę sint causæ quas attulisti, ac non potiùs hæc quam omisisti. [23] q.d. quale, & quantum flagitium commisisti 5 quæ & offendisti, & offensioni fuisti viro tuo, 1. Tim.2.14. [24] hic Deus statim ad ferendam sententiam venit, quia nullus est diabolo aut transferendi crimen ad excusationem, aut resipiscendi locus: itaque judicium indicitur partim in serpentem velut administrum, partimque in diabolum velut autorem peccati, singulis versibus. [i] *Heb. & inter mul. h. sic deinceps.* [25] id est, eos quos in malitia tua & impietate genueris. [26] quod fœmina virgo concepit in utero ex Spiritu sancto, a viro intacta, infrà 49.10. Jeschah. 7.14. & Matth.1.22. quemadmodum Cyprianus accipit lib. 2. adversus Judæos, cap.8. [27] id est, multo gravius in Ecclesia per Christum accipies damnum quàm sis allaturus: nam Christus semen mulieris dominus gloriæ te contriturus est sub pedibus suorum velociter, Rom.16.20. ‖ 1.*Tim.* 2.14. [k] *Heb. multiplicando multiplicabo: ut sup.* v.4. [28] id est, inde a conceptu dolore conjuncta erunt gestatio, partus, educatio, & cura liberorum: quam ad functionem obeundam viro jungeris, 1.Tim. 2.15. [29] educabísque, synecdoche: ut infrà 25.19. & 50.23. [30] id est, cum lege naturę, tum infirmitatis tuæ conscientiã dominium viri appetito, idque cum dolore, id est, anxia mente atque solicita. Nam illud, *cum dolore*, ἀπὸ κοινοῦ ad membra singula pertinet. ‖ 1. *Cor.*14.34. [31] & tu subdita ipsi esto, 1.Cor.14.34. & Ephes.5.22. [32] id est, infesta maledictionibus, quatenus ad usum tuum spectat, ut versiculo sequente exponitur [l] *Heb. humum, ut vers.*23. [m] *Heb. eam: metonymia.* [33] i. etiam post multos labores tuos, nec copia nec qualitate proventus satisfacito expectationi aut necessitati tuæ. [34] ulmum sylvestrem malim sequutus Arabas, ut Hosche. 10.8. quem eadem voce appellari Serapio testis est. [35] non hujus horti *fructus*, sed reliquę terrę, cujus proventu etiam vescuntur bestię. [36] i. quodcunq; sequaris vitę genus, laboriosa & ærumnosa esto vita tua: synecdoche. [n] *Heb. pane: synecdoche.* [37] i. moriaris: periphrasis emphatica. ‖ *sup.*2.7.

fueris:

fueris : nam pulvis es,& in pulverem reverteris.
20 [38] Vocavit autem Adam nomen uxoris ſuæ
[39] Chavvam : eo quòd ipſa mater *ſit* omnium *hominum* viventium :
21 Fecítq; Jehova Deus Adamo & uxori ejus
tunicas [o] pelliceas,quibus veſtivit eos.
22 Et [40] dixit Jehova Deus, [41] ecce homo eſt
ne ſicut [42] unus ex nobis, cognoſcendo bonum &
malum ? nunc igitur [43] *videndum* ne extendens
manum ſuam [44] accipiat etiam de fructu arboris
vitæ,[45] ut comedat victurus in ſeculum.
23 Emiſit itaque eum Jehova Deus ex horto
Hedenis, ad colendum [p] terram [‖] illam ex qua
deſumtus fuerat :
24 Quumq; expuliſſet hominem ; inſtituit [46] à
parte anteriore horti Hedenis [47] Cerubos, [48]
flammamque gladii ſeſe vibrantis, ad cuſtodiendum viam *quæ ferebat* ad arborem vitæ.

[38] quum propagationis divinā benedictionem in ſua ſpecie prorogatum iri deinceps quoq; cognoviſſet. [39] id eſt, viventem & viventiū hominum genus conſervantem : hoc autem non ſpeciei cōmune, ut ſuprà 2.23. ſed propriū eſt perſonę nomen. [o] *Heb. pellis.* [40] non ironia, ſed communicatione hac in os objurgans hominem, quem antè conſolatus eſt promiſſionibus, verſu 15. & confirmata benedictione, verſ.20. & datis veſtibus, *V*. 21. paterno ſtudio & miſericordia. [41] his verbis comparat Deus conditionem hominis præteritam cum præſente per membra anantapódota, in hunc ſenſum : ecce homo fuerat ſicut unus e nobis, conditus ad imaginem noſtram, ſuprà 1.26. bonúmque & malum cognoſcebat ; quod bonum eſt, ſciens & obtinens; quod malum, ſciens & abſtinens : ac proinde fuerat in hujus horti poſſeſſionem miſſus; & his fidei, obſequii, vitæque documentis circummunitus, ut in poſſeſſione boni & fuga mali permaneret. Nunc autem, quum abjecta & deleta noſtra imagine amiſit bonum,& malum amplexus eſt, quid aſſequutus eſt miſer ? Id verò nos videmus, & ſecum ipſe eſt conſcius. Quamobrem videndum nobis eſt,ne immittens manum ſuam, &c. De hoc autem orationis *ἀνανταποδότου* genere vide in Proverb.1.7. [42] ut ſuprà, 1.26. evidentiſſimum S. Triados teſtimonium. [43] elliptica oratio Atticis perfamiliaris: qualis ſolet eſſe hominum qui aliquo ſtudio valde commoti ſunt, aut affecti perturbatione ; ut Moſes Deum proponit *ἀνθρωποπαθῶς*: ſic infrà 11.4. & 42.4. & Act.5.39. & 2.Cor.8.7. [44] atque indignè accipiens prophanet ſacramentum cæleſtis vitæ, & judicium ſibi comedat, ut Paulus loquitur 1.Cor. 11.29. [45] hæc ad conſilium hominis peccatoris reſpiciunt, non ad eventum rei. Non enim hoc dicit Deus, fore ut homo recipiat vitam ſi de hoc fructu comederit, tanquam ſi vitalis aut vivifica potentia in arbore illa reſediſſet : ſed hominem hypocritam daturum operam, ut hac ſpecie, tanquam ex opere operato,ſibi vitam ſpondeat imaginetúrque, non ſine gravi in Deum contumelia. [p] *Heb. humum.* [‖] *ſup*.2.15. [46] id eſt, quacunque patebat aditus in hortum Hedenis. [47] id eſt,Angelos: nam ad captum populi Moſes orationem ſuam accommodat, cui Cerubini gloriæ in tabernaculo noti erant ; inviſibiles verò angeli non item. [48] vel mucronem gladii: ſed flammeum gladium malumus, quia nuſquam Hebræa vox niſi pro flamma ſumitur. Itaque ſignificatur ignis inflammans locum hominémque abſterrens ab illius aditu. Vide Baſilium homil. in ſanctum baptiſma. Hoc autem ſi cui loco adſcribi poteſt (quod ego quidem nec velim, nec poſſim confirmare) is eſſe videbitur cujus meminit Plinius lib.2.nat.hiſt. cap. 106. Campus inquit, Babyloniæ flagrat quadam veluti piſcina, jugeri magnitudine. Sed docti viderint : nos quidem *ἐπέχομεν*.

CAPUT IIII.

Kajin & Hebel amplexi diverſum vitæ genus Deo offerunt: inde natâ invidiâ hunc occidit ille, & feverè à Deo plectitur. Fratricidæ progenies ſtudiáq; perſtringuntur, & ſeminis electi principia enarrantur.

1 DEinde Adam [1] cognovit Chavvam uxorem ſuam : quæ ubi concepit & peperit
[2] Kajinum, dixit, acquiſivi virum [3] *à* Jehova.
2 Poſteà pergens parere, *peperit* fratrem ipſius,
Hebelum : fuítque Hebel paſtor [4] gregis,& Kajin
fuit agricola.
3 Fuit autem [a] poſt dies multos, quum obtulit
Kajin de fructu [b] terræ munus Jehovæ:
4 Et ipſe quoque Hebel obtulit [5] de primogenitis gregis ſui & [6] de [c] adipe eorum : [7] reſpexitq;
Jehova ad Hebelum & ad munus ejus ;
5 Ad Kajinum verò & ad munus ejus non reſpexit : quapropter accenſa eſt *ira* [d] Kajini valde,
& [8] cecidit vultus ejus.
6 Tum dixit Jehova Kajino, [9] quare accenſa
eſt *ira* [e] tua ? & quare cecidit vultus tuus ?
7 [10] Nonne ſi bene egeris, remiſſio ; ſi verò non
bene egeris, [11] præ foribus *eſt* [12] peccatum [13] excubans ? at [14] erga te *eſt* appetitus illius, & tu
præes illi.
8 Pòſt [15] colloquebatur Kajin cū Hebelo fratre
ſuo: [‖] [f] evenit autē quū eſſent in agro, ut inſurgēs
Kajin in Hebelum fratrē ſuū [16] interficeret eum.
9 Quamobrem dixit Jehova Kajino, ubi *eſt*
Hebel frater tuus ? qui dixit, non novi, an cuſtos
ego *ſum* [17] fratris mei ?
10 Dixit verò *Deus*, quid feciſti ? *ecce* vocem
[18] ſanguinum fratris tui, me ab ipſa humo [19] inclamantium.
11 Nunc itaque tu [20] maledictus *eſto* : [21] *exſul*
ab iſta terra, quæ [22] aperuit os ſuum ad excipiendum [g] ſanguinem fratris tui e manu tua.
12 [23] Quum humum ipſam colueris, ne pergito
edere [24] vim ſuam tibi : [25] vagus & infeſtus agitationibus eſto in terra.
13 Tum Kajin dixit Jehovæ, major *eſt* [h] pœna
mea quàm ut ſuſtinere *poſſim*.
14 En, [26] expellis me hodie a ſuperficie iſtius
terræ, ut [27] a facie tua abſcondam me : cúmque
vagus ſim & infeſtus agitationibus in terra, [28] ſi
[i] nullus fuerit qui me inveniat, interficiet me.
15 Dixit verò Jehova illi, [29] propterea quiſquis
interfecerit Kajinum, [30] ſeptuplo vindicator: [31] &
impoſuit Jehova Kajino ſignum, ne eum cæderet
ullus qui foret inventurus eum.
16 Egreſſus itaque eſt Kajin a facie Jehovæ: &
concedit in terra [32] Nodi, ad Orientem [k] Hedenem verſus :
17 Et cognovit Kajin [33] uxorem ſuam, quę concepit & peperit Chanocum : quamobrē [l] [34] ſtudebat ædificare civitatem, & vocavit nomen ci-

[1] *συμῶς λέγει*, quo Scriptura honeſtè coitum ſolet innuere : quo uſi ſunt Menander apud Hermogenem tomo 4. de inventione, Ovidius, Papinianus, alii: ſic infrà *V*. 17.& 25. [2] id eſt, acquiſitum, *παρωνύμως* a ſequente verbo. [3] ellipſis eſt particulæ, ut infrà 44.4. & Deut. 34.1. niſi fortè, ut Hieronymus, interpretemur *σὺν Θεῷ*. [4] minorum pecudum, ſive opilio, ſive caprarius : nam Jubal univerſè pecoris alendi artem fecit, & inſtituit pecuaria infrà *V*.20. [a] *Heb. a fine dierum, i. δι' ἡμερῶν, ut loquitur Marc*.2.1. [b] *Heb. humi : ſic verſ*.11. *&* 14. [5] id eſt, rem legitimam modo legitimo, per religioſam fidem, Hebr. 11.4. [6] id eſt, iiſq; pinguiſſimis : hypallage Rhetorum. [c] *vel adipibus.* [7] id eſt, non averſatus eſt, ſed approbavit favens & acceptum habuit : humanitus dictum a Principum conſuetudine. Viſibilem autem fuiſſe hanc approbationem oportet, cùm quia eam animadvertit Kajin, tum quia dicit Apoſtolus Deum perhibuiſſe teſtimonium de donis Hebeli, Heb. 11.4. fortaſſe igne cælitus demiſſo, aut alia aliqua divina extra ordinem ſignificatione.

[d] *Heb. Kajino.* [8] ut ſolet animus indicari vultu : nam abdicato ſacrificio ſuo ſe abdicatum videbat Kajin. [9] vide ſuprà in 3.9. [e] *Heb. tibi.* [10] hoc interrogandi genus vehementiſſimam deſignat affirmationem, ut Jehoſchu. 1.9. ſenſus eſt, attende ad te, ſi ſapis : nam reſipiſcenti remiſſio malorū operum tuorum, ut vocantur 1. Joan.3.12. pertinaci ſupplicium imminet. [11] id eſt, proximum eſt ac præſentiſſimum : ſic *ἐπὶ θύραις* Matt. 24.33. [12] pœna peccati, metonymicè : ut iniquitas infrà *V*.13. atq; hanc metonymiam in Hebræo textu indicat generis enallage. [13] elegans metaphora, ut Deut. 29.19. [14] i. & naturæ lege, quia junior eſt te ; & animo, quia frater ; & vocatione, quia tibi ſubjectus ; te colit Hebel : quamobrem indignum eſt te hoc animo in illum eſſe. [15] diſſimulans odium & invidiam ſuam, ut inopinantem opprimeret. [‖] *Matth*.23.35. 1. *Joan*.3.12. *Judæ* 11. [f] *Heb. fuit : ſic infrà* 6.1. *&* 7.10. [16] lapide, fuſte, gladio, aut armis conſimilibus vide infrà in *V*. 22. [17] qui debet me obſervare, non ego illum : ſuprà *V*. 7. protervum reſponſum cordis *ἀμεταμελήτου*. [18] id eſt, ſanguinis cæde fuſi & huc illuc diſſilientis ex ictu : nam plurale ſanguinis nomen Hebræis ferè pro cęde cruenta accipitur. Sic Græcorum *αἷμα* pro cæde metonymicè. Matth. 23.30. & 35. & 27. 24. Latinúmque ſanguis apud Ulpianum l. ulti. ff. de prævaricator. [19] vindictam poſcentium, velut clara voce : quò ſpectabat Apoſtolus Hebr. 12.24. & Epiphanius *κατὰ Σαμαρειτῶν* hinc eleganter confirmat reſurrectionem carnis. [20] proinde excluſus a Deo & Eccleſia : quò ſpectant Kajini verba, a facie tua abſcondam me. *V*. 14. [21] ellipſis, quam demonſtrat propoſitio *ἀσύνετας*, & explet Kajin verſu 14. [22] metaphora, qua inhumanitas Kajini exaggeratur per comparationem terræ cum manu ſanguinaria illius. [g] *Heb. ſanguines.* [23] tertia pœna : q. d. ipſa quoque terra futura eſt pœnæ, quam infligo tibi, miniſtra. [24] id eſt, fructum quem vi ſua profert : metonymia. [25] quarta pœna, corporis & animi inſtabilitas ex terroribus diris conſcientiæ. [h] *Hebr. iniquitas : metonymia.* [26] ſecundum membrum ſententiæ Dei exaggerat hypocrita primo loco, & primum ſecundo. [27] id eſt, te ut maledictus fugiam : vide in *V*. 11. [28] id eſt, hominum injuriis & animantium omnium violentiæ ero expoſitus; adeò ut qui primus obviam mihi futurus eſt, interficiat me. [i] *Heb. omnis : ſic ſeq. verſu.* [29] quia hæc pœna Kajino inflicta fuit tum ad homicidium ejus ulciſcendum, tum ad exemplum in poſteritatem (quæ tunc fuit infrequens) ſtatuendum, ut omnes exemplo ejus abſterrerentur ab effundendo ſanguine : Deus per paralepſin annuit Kajino poſtulatum ſuum, & per graviſſimæ pœnæ denunciationem cavet, nequis temerè in cædem illius auſit prorumpere. [30] Kajin : q. d. ſupplicium de interfectore ejus multo gravius ſumitor, quàm ſit de eo ſumtum. Numerus finitus pro infinito, ut Ijob 5. 19. & Prover.9.1. & 24.16. [31] id eſt, aliquam notam impreſſit ei, qua adducebantur omnes ut ab eo homine abſtinerent. Alii per hypallagen vertunt, poſuit Kajinum in ſignum, id eſt, ut exemplo eſſet. Verùm friget, exemplóque caret hæc interpretatio. [32] id eſt, agitationis & vexationis : hanc Nomadum eſſe puto in deſerta Arabia, Babyloniæ contermina, quæ regio reſpectu Cenahanæ ſita eſt ab Oriente Hedenem verſus. [k] *Heb. Hedenis : ut ſup.* 2. 14. [33] cujus nomen fuiſſe Schavem ex Leptogeneſi Epiphanius contra Sethianos narrat. [l] *Heb. erat ædificans civit.* [34] hoc eſt, cœperat quidem ſummo ſtudio & contentione ; ſed vi maledictionis Dei ſubinde ad errandum impulſus, intermittere opus cogebatur.

vitatis

vitatis illius [m] de nomine filii sui Chanoc.

18 Deinde Chanoco natus est Hirad, & Hirad genuit Mechujaële: Mechujaël verò genuit Methuschaëlem, & Methuschaël genuit Lemecum.

19 Assumsit autē sibi [35] Lemec uxores duas: prioris nomen fuit Hada, & nomen secundæ Tzilla.

20 Peperítque Hada Jabalum: hic fuit [36] [n] autor habitantium in tentoriis, & [o] pecuariæ.

21 Noméng; fratris ejus *fuit* Jubal: hic fuit autor [p] omnium tractantium [37] citharā & organon.

22 Tzilla verò ipsa quoq; peperit Thubal-Kajinum, qui [38] [q] erudivit omnē fabrum [r] ærarium & ferrariū: sororémq; Thubal-Kajini, [39] Nahamam.

23 [40] Tum dixit Lemec suis uxoribus, ô Hada & Tzilla [41] audite vocem meam, uxores Lemeci auribus percipite sermonem meum: nam [42] virum interfecero ad vulnus meum, etiam [s] adolescentem [43] ad tumicem meum.

24 [44] Cùm septuplo sit vindicandus Kajin, utique Lemec septuagies septies *tanto*.

25 ‖ Cognovit autē denuò Adam uxorē suam, quæ peperit filiū, & [45] vocavit nomē ejus [46] Schethum: nam reposuit mihi Deus, [47] *inquit*, [48] semē alterum pro Hebelo, quū ipsum interfecit Kajin.

26 ‖ Sed & ipsi Schetho genitus est filius, cujus nomen vocavit [49] Enoschum: [50] tunc [51] cœptum est [t] invocari nomen Jehovæ.

[m] *Heb. secundum nomen f.*
[35] primus digamus, & corruptor legitimi conjugii, de cujus institutione sup. 2.24.
[36] id est, inventor & doctor, qui primus pastores docuit sua tuguriola in chiramaxiis sive arcuniis (ut apud Festum lego pro arcuma arcuniam) statuere, pecora in greges distribuere, &c. vide sup. in ℣. 2.
[n] *Heb. pater: ut sequente vers.*
[o] *Heb. pecoris.*
[p] *Heb. omnis prehendentis citb. i. pulsantis, metaleptice.*
[37] his nominibus synecdochicè cōprehendit Moses omnia instrumenta musica; tum ψιλαγμα, quæ Aristoxenus apud Athenæū lib. 4. Dipnosophist. ἔντατα nominat; tum πνευματικά sive ἐμπνευστα, quæ digitis ventóve moventur. [38] i. artem inventam ad cōmoditatem cædendi ligna, sacrificia, &c. excoluit ornavítque. Quamobrem non video cur tantopere in ea quæstione laboretur, quo instrumento Kajin Hebelum occiderit: cum agriculturæ jam antè operam dedisset Kajin, quæ sine ferramentis non potuit, saltem ex quo terra maledicta est, exerceri. [q] *Heb. acuit: metaphora.* [r] *Heb. ærü & ferri.* [39] id est, amœnam, speciosámque: hic enim jam invaluerat insana ambitio formæ. [40] omissis aliis interpretationibus brevitatis gratiâ, hæc videtur loci sententia. Lemec duas uxores duxerat, ℣. 19. hæ autem uni viro junctæ æmulæ appellantur 1. Schemu. 1.6. & mutuas ferè inter se exercent inimicitias, Gen. 30. & Levit. 18. 18. quibus altera angit alteram, & utraque obtundit virum: prout his versibus elegantissimis Euripides docet in Andromache, οὐδὲ γὰρ καλὸν

Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν
Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες, ἀνάλαν κύπριν
Στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλη. & gravissimè Seneca in Hercule Oetæo act. 2. figuravit. Accessit quòd natis utrique prolibus, & artibus per eas inventis & cultis, insolentiores istæ fœminæ effectæ sunt, adeò ut Lemeci aures sua æmulatione & altercationibus oppleverint, animúmque senis fatigaverint. Ab his occasionibus videntur profecta Lemeci verba silentium imperantis, Thrasonicè minantis, &c. [41] q. d. plus satis aliorum sermones auditis, qui nobis has turbas excitant, estisque mihi molestæ: tempus est audiatis mihi, &c. [42] id est, siquis mihi porrò negotium facesserit, quisquis tandem ille sit, strenuò indicaturus sum, sive prudens, sive imprudens, sive magnus sive parvus, sive gravem sive levem injuriam fecerit. [s] *Heb. natum.* [43] id est, si me vel leviter quisquam offenderit, ut quum baculi percussione tumidi livores in cute nascuntur, quos prisci Latini tumices appellabant. Gradatio vehementissima. [44] id est, utut grave supplicium occisori Kajini interminetur Deus, ego longè gravissimo afficiam eum qui me offenderit. ‖ *infrà* 5.3. [45] id est, causa fuit cur hoc nomen filio vir imposuerit, ut suprà in nominando Kajino ℣. 1. [46] id est, repositum, ut exponunt sequentia. [47] ellipsis frequens, ut infrà 20.11. & 1. Reg. 20.34. & 1. Macb. 10.20. [48] filium unum: singulariter dictum, ac non sylleptice, ut infrà 21.13. & 28.8. quò respexit Apostolus Gal. 3.16. ‖ *infrà* 5.6. [49] i. mortalem, infestum ærumnis doloribúsque. [50] post Enoschum natum. [51] alii, cœptum est vocare de nomine Jehovæ: id est, (ut Lutherus vertit) prædicare atque profiteri nomen ejus; & pios in Ecclesia ex nomine Dei distinguere. Sensus est, Adam, & Scheth (in cujus posteris mansura erat Ecclesia) ubi corruptos a Kajinitis reliqui mundi mores ex conversatione imbibi a suis posse animadverterunt, & labefactari Dei cultum cujus fuerunt administri; inde ab eo tempore suos in corpus Ecclesiæ contraxerunt, eodem alios prædicatione verbi provocarunt, sanctis precibus & exercitamentis pietatis ab impietate & injustitia palàm grassante eos vindicarunt (quod unicum est piorum in desperatis & conclamatis rebus perfugium) religiosáque hac observatione nomen sibi comparaverunt & appellationem filiorum Dei. Est igitur hæc loquutio (utrovis modo accipias) synecdochica, eáque κατά τι dicta. Nam priùs quidem invocavit Adam, sed in familia: tunc verò invocarunt multi, sed in Ecclesiam, velut in caulam, recepti a mundi peccantis & seducentis consortio. Hanc interpretationem probamus planè; ut infrà 12. 8. & 13. 4. & Abben Hezra verissimo fundamento defendit adversus omnium Judæorum explicationem, dicens si esset ex profanandi significatione, futurum fuisse ut nomen (non autem verbum) cum particula Hebræa cohæreret. De hac autem corruptione publica (cujus exemplum in Lemeco adduxit Moses) vide infrà in 5.22. & 6.1. nam tota recensio capitis 5. a Mosche hyperbaticè inseritur, & finis hujus cap. ad continuationem historiæ est cum principio 6. capitis conjungendus. [t] *Heb. invocare.*

CAPUT V.

Catalogus filiorum Schethi chronicus ad Noachum & Schemum usque.

1 HIc [1] liber *est* generationum Adami: ‖ quo die creavit Deus hominem, ‖ ad similitudinem [a] suam fecit ipsum.

2 ‖ Marem & fœminam creavit eos: ac benedixit eis, vocavítque nomen eorum hominem, quo die creati sunt.

3 Adam autem vixerat triginta & centum annos, quum ‖ genuit *filium* [a] ad similitudinem suam, ad imaginem suam, [3] vocavítque nomen illius Schethum.

4 Fuerúntque dies Adam, postquàm genuit Schethum, octingentorum annorum: quibus genuit [4] filios & filias.

5 Sic fuerunt omnes dies Adami, quibus vixit, [b] nongentorū triginta annorum: ac mortuus est.

6 Scheth autem vixerat centum quinque annos, ‖ quum [5] genuit Enoschum:

7 Vixit verò Scheth, postquàm genuit Enoschum, octingentis septem annis: quibus genuit filios & filias.

8 Sic fuerunt omnes dies Schethi, nongentorum duodecim annorum: ac mortuus est.

9 Vixerat autem Enosch nonaginta annos, quum ‖ genuit Kenanem.

10 Vixit verò Enosch, postquàm genuit Kenanem, octingentis quindecim annis: quibus genuit filios & filias.

11 Sic fuerunt omnes dies Enoschi, nongentorum quinque annorum: ac mortuus est.

12 Vixerat autem Kenan septuaginta annos, quum genuit Mahalaleelem:

13 Vixit verò Kenan, postquàm genuit Mahalaleelem, octingentis quadraginta annis: quibus genuit filios & filias.

14 Sic fuerunt omnes dies Kenanis, nongentorum decem annorum: ac mortuus est.

15 Vixerat autem Mahalaleel sexagintaquinque annos, quum genuit Jeredum.

16 Vixit verò Mahalaleel, postquàm genuit Jeredum, octingentis triginta annis: quibus genuit filios & filias.

17 Sic fuerunt omnes dies Mahalaleelis, octingentorum nonagintaquinque annorum: ac mortuus est.

18 Vixerat autem Jered centum sexaginta duos annos, quum ‖ genuit Chanocum:

19 Vixit verò Jered, postquàm genuit Chanocum, octingentis annis: quibus genuit filios & filias.

20 Sic fuerunt omnes dies Jeredi, nongentorum sexaginta duorum annorum: ac mortuus est.

21 Vixerat autem Chanoc sexaginta quinque annos, quum genuit Methuschelachum:

22 [6] Ambulavítque indesinenter Chanoc secundùm Deum, postquàm genuit Methuschelachū, trecentis annis: quibus genuit filios & filias.

23 Sic fuerunt omnes dies Chanoci, trecentorum sexaginta quinque annorum:

24 Quúmque indesinenter ambulavisset Chanoc secundùm Deum, ‖ [7] non exstitit *ampliùs*, quia [8] assumpsit eum Deus.

[1] id est, volumen catalogū seu recensionem generis sancti continens, ut Nechem. 7.5. & Mat. 1. 1. ut libellus Ciceroni dicitur, & Græcis βίβλος.
‖ *sup.* 1.26. 1. *Chron.* 1.1.
‖ *suprà* 1.26. & *infrà* 9.6.
[a] *Heb. Dei.*
‖ *sup.* 1.28.
‖ *sup.* 4.25.
[2] non ad illam puram Dei imaginem, secundū quā a Deo creatus fuerat (nam fuerāt deformata) sed ad illam imaginem quæ tum in Adamo & Chavva uxore fuit, puta corruptā quidem ex peccato sup. 3. veruntamen imbutam gratiæ federisq; Dei promissionibus, & virtute Spiritus sanctificantis piorum semen ex promissione Dei. Totum autem illud spatiū a cæde Hebelis ad Schethum Adā sine liberis traduxit, ut a Deo & fides ejus in exspectatione seminis, & patientia in grassante Kajinitarum, id est, reliqui mundi impietate injustitiáque probaretur.
[3] occasione per uxorem data suprà 4. 25.
[4] filios novem, & filias duas: si Leptogenesi creditur quam adducit Epiphanius.
[b] *Heb. nongentorum annorum & triginta annorū: Pleonasmus in numeris frequens, toto cap.*
‖ *sup.* 4.26.
[5] ex uxore, quam illa Leptogenesis Hazuram vocat.
‖ 1. *Chron.* 1. 2.
‖ 1. *Chron.* 1.3. *Judæ* 14.
[6] id est, non est sequutus malitiam sui seculi, aut corrupto Dei cultu cum cæteris depravatus; sed certa fide, cordis integritate, & vitæ innocentia Deum coluit ex præscripto ejus, eúmque ducem sequutus est: vide Heb. 11. 5. Eccles. 44.16. & 49.15. & Sapient. 4. 11. ‖ *Heb.* 11.5. [7] id est disparuit sublatus ex hominum conspectu, nec fuit inventus. [8] id est, recepit ad se, & ab hominum consortio transtulit. Rara quidem loquutio; sed tamen etiam in historia de raptu Elijæ, 2. Reg. 2.9. & de morte uxoris Jechezkelis Prophetæ, Jechezk. 24. 17. & in Jonæ sermone legitur, Jon. 4.3.

25 Vixerat

25 Vixerat autem Methuschelach centum oc-
toginta septem annis, quum genuit Lemecum:
26 Vixit verò Methuschelach, postquam genu-
it Lemecum, septingentis octoginta duobus an-
nis: quibus genuit filios & filias.
27 Sic fuerunt omnes dies Methuschelachi,
nongentorum sexaginta novem annorum: ac
mortuus est.
28 Vixerat autem Lemec centum octoginta
duos annos, quum [b] genuit filium:
29 Vocavitq; nomen ejus [9] Noachum, dicen-
do: hic consolabitur nos [10] de labore nostro, &
[11] de dolore manuum nostrarum, [12] [c] de maledi-
ctione qua maledixit Jehova terræ.
30 Vixit verò Lemec, postquam genuit Noa-
chum, quingentis nonaginta quinque annis: qui-
bus genuit filios & filias:
31 Sic fuerunt omnes dies Lemeci septingen-
torum septuaginta septem annorum: ac mor-
tuus est.
32 Quum autem fuisset Noach [d] natus quin-
gentos annos; [13] genuit Noach [14] Schemum,
Chamum, & Jephetum.

[b] 1. Chron. 1. 4. [9] id est, quietum, vel quiete recreantem & afferentem consolationem: vide infra 30. 20. [10] quo adversus impietatē & injustitiā hominū dimicamus in fide & patientia: [11] id est, opere laboriosissimo, cujus necessitatem subivimus propter communem illam omnium hominum depravationem, tum propter singulare seculi nostri scelus. [12] quæ intulit antecedentia mala. [c] Heb. de humo, quod maledixit ei Jehova: trajectio.

[d] *Heb. filius quingentorum annorum.* [13] id est, cœpit gignere eo demum anno, ut accipitur infra 11. 26. nam omneis eodem anno non esse natos docetur infra 11. 10. & alibi. [14] hic, quamvis Jephetho natu minor, primo tamen loco nominatur passim, quia dignitate primus fuit tanquam Dei filius, infrà 9. 26. & proximè ad sanctum genus pertinens. Nam triplex est capitum in Scriptura numerandorum ordo, naturalis, personalis, atque historicus. Naturalis, quum liberi eo ordine quo fuerunt editi numerantur, ut 1. Chron. 3. 1. Personalis, quum ii qui dignitate superant ponuntur primo loco, ut hic & infrà 48. 20. Historicus verò, quum ejus nomen postremo loco ponitur (sive primus natura, sive dignitate ille sit) a quo historia proximè inceptura est, ut infrà 28. 5. & 1. Chron. 3. 5. & Matthæi 1. 2. atque has duas causas Scriptura non rarò solet conjungere, ut infrà 10. 1. & 11. 27. De fratrum autem istorum ordine atque genitura vide infrà in 10. 21.

CAPUT VI.

Deus sceleribus suorum ex mundi impii conversatione offensus, Noachum diluvii venturi admonet: arcamque delineat & fabricari jubet, ubi reliquiæ ex diluvio conserventur.

1 EVenit [1] [a] autem [2] quum cœpissent [3] homi-
nes multiplicari in superficie [b] terræ, &
filiæ genitæ essent illis:
2 Ut videntes [4] filii Dei [5] filias hominum [6] [c] bo-
na forma esse, acciperent sibi [7] a quibusvis mulie-
res quas eligebant.
3 Quapropter [8] dixit Jehova, [9] non discepta-
bit [10] Spiritus meus pro hominibus [11] istis in se-
culum, eo quòd etiam isti [12] caro sint: itaq; dies
[d] hominis futuri sunt, [13] centum viginti annorū.
4 [14] Gigantes erant in terra *diebus* illis; [15] ac
etiam *fuerunt* posteà, quibus diebus [16] congredie-
bantur filii Dei cum filiabus hominum, quæ *libe-*
ros pariebant illis: [17] ii *sunt* potentissimi illi,
[e] qui *fuerunt* [18] jam olim viri celeberrimi.
5 Quum itaque videret Jehova [19] augescere
malitiam hominis in terra, & [f] omne figmentum
ac cogitationes cordis ejus, tantummodò malum
esse [f] omni tempore:
6 [20] Pœnituit Jehovam quòd fecisset homi-
nem in terra, & [21] doluit [g] apud animum suum:
7 [22] Dixitque Jehova, delebo hominem quem
creavi, de superficie [h] terræ, [i] tum hominem [23]
tum jumenta reptiliáque & volucres cæli: nam
pœnitet me quòd fecerim ea.
8 Sed Noach [24] invenit gratiā in oculis Jehovæ.
9 Hæ sunt generationes Noachi, *qui* Noach,
vir justus, integer erat [25] in ætatibus suis; [26] se-
cundùm Deum indesinenter ambulabat Noach.
10 [27] Genuit igitur Noach tres filios: Sche-
mum, Chamum, & Jephetum.
11 [28] Quumque terra corrupta esset [29] coram
Deo ipso, & impleta esset terra [30] violentiā:
12 Aspiciens Deus terram, ut ecce corrupta
erat; quia corruperat [31] omnis caro [32] viam su-
am super terram.
13 [33] Dixit Deus Noacho, finis universæ carnis
advenit coram me, quia plena est terra violentia
[k] ab istis: quamobrem ecce ego [l] perditurus sum
[34] istos cum *reliqua* terra.
14 [35] Fac tibi [36] arcam è lignis [37] Gopher, [m]
[38] mansionum *multarum* facito arcam: & picato
eam intrinsecus & extrinsecus pice.
15 Atque hæc *forma* qua facies eam: trecento-
rum [n] [39] cubitorum *esto* longitudo arcæ, quin-
quaginta cubitorum latitudo ejus, & triginta cu-
bitorum altitudo ejus.
16 [o] [40] Clarum lumen efficito arcæ, & [41] in [p]
cubiti

[1] Regreditur Moses ad historiam quam interposito cap. 5. abruperat: hæc autem diu cœpta sunt fieri antequam Noacho nascerentur filii, ut apparet ex versu 3. [a] Heb. fuit: ut sup. 4. 8. [2] inde à temporibus Schethi & Enoschi, sup. 4. 26. [3] à Deo & Ecclesia ejus alieni, ut ostenditur sequente versu: nam sanctum Schethi genus tardiùs & rariùs quàm gens Kajini fuit propagatum, quæ longo tempore præcesserat, & polygamia utebatur, sup 4. [b] *Heb. humi: ut V. 7.* [4] i. qui religionis puræ pietatisq; sectatores videri volebant, eamq; profitebantur: præsertim ex Schethi & Enoschi posteris: sic Hosche. 3. 10. [5] i. eorum quibus nulla fuit pietas & religio cordi: prout tum affectum erat humanum genus exceptis paucculis: sic oportere accipi demonstrat vox antithetos filiorum Dei. [6] quam insaniam notavimus suprà 4. 22. [c] *Heb. quòd bonæ forma essent: trajectio, ut sup.* 1. 4. [7] i. modò forma placuisset, uxores sibi adjungebant, nulla fidei aut pietatis ratione habita, seque intrudebant temerè in conjugia & infidelium necessitudines. [8] i. Noacho revelavit consilium suum. [9] i. non libet diutius mecum agitare quid sim facturus hominibus istis: jam enim stat sententia, nisi intra constitutum tempus resipiscant post interminationes meas, de quibus etiam infrà vers. 7. & seq. me funditus eos deleturum: quia nihil nisi carnem sapiunt etiam ii qui filii Dei haberi volunt. [10] ut sup. 1. 2. nam exacerbabant isti Spiritum gratiæ. Heb. 10. 28. [11] qui in Ecclesiæ membris haberi volunt. [12] i. omnino depravati, ac proinde non magis ad regnum Dei & Ecclesiam pertinent, quàm Kajin & posteri ejus: quapropter omnes communi nomine vocantur caro, infrà vers. 12. [d] *Heb. ejus.* [13] q. d. hoc spatium mundo præfinio, quo elapso nisi resipuerint homines, diluvium immittam. [14] i. impii defectores, & audacissimi ac sceleratissimi apostatæ Deū protervè oppugnantes Gigantū more: Metaphora. nam alioqui Gigantes propriè dicuntur qui sunt procero & immani corpore, Num. 13. 33. Diebus autē illis quibus consiliū suū explicavit Deus. [15] i. homines isti nihilo sunt meliores facti præmonitione Dei, quæ narratur seq. [16] promiscuè, ut vers. 2. dictum.

[17] puta Gigantes (hæc enim sunt illius nominis exegetica) ii ergo illi sunt, qui artibus numeróque suo autoritatem sibi apud omneis à celebritatémque conciliaverunt, suprà 4. quibus rationibus adducti filii Dei primùm se illis adjunxerunt, quibus postea misere fuerunt mancipati. [e] *Heb. qui a seculo fuerunt, viri nominis.* [18] inde a Kajini & Lemeci tempore, suprà 4. 19. [19] & re & numero & atrocitate criminum. [f] *infrà 8. 21.* [f] *Heb. totum diei vel diem.* [20] dictum ἀνθρωποπαθῶς, pro eo quod est, hominem quem priùs creaverat delere statuit, tamquam si pœnituisset facti: Ubi enim legitur (inquit Augustinus lib. 17. de civit. Dei, cap. 7.) quòd pœniteat eum, mutatio rerum significatur, immutabili præscientia manente divina. Aristoteles, Ethic. Nicom. 7. c. ult. [illegible Greek] ... [21] displicuit vehementissimè: dictū item ἀνθρωποπαθῶς. [g] *Heb. in corde suo.* [22] per Noachum præconē justitiæ suæ, & alios Patres, ut 1. Petr. 3. 19. & 2. Pet. 2. 5. [h] *Heb. humi.* [i] *Heb. ab homine usque ad bestiam, usque ad reptile, & usque ad volucrem cæli.* [23] ad pœnam hominis cujus fuit in ista omnia, ad exemplum, & ad gravitatem peccati demonstrandam, quo & vanitati & exitio subjecta sunt. [24] i. sola Dei misericordia & liberis auctus post gravissimam hanc denunciationem [illegible] tempore servatus est, versib. seq. [25] inter homines sui seculi, quos [illegible] depravatissimos, & in omnia scelera projectissimos. [26] vide suprà [illegible] 5. 24. [27] [illegible] sermonis instituti, principio versus 9. quem Moses [illegible] ciderat laudatione Noachi. [28] i. quùm tanta esset hominum corruptio, ut terram quoq; ipsam inficeret: sic interpretamur ex seq. versu. [29] i. palàm, protervè, impudentérque, abjecta omni non solùm hominum, sed etiam numinis divini reverentia: ut inf. 10. 9. & 13. 13. [30] i. justi & æqui oppressione gravissima: nam illi justitiæ opponitur cujus meminit sup. vers. 9. [31] i. homo: ut Levit. 13. 18. Jeschah. 49. 5. & aliis locis frequenter. [32] i. vitam, studia, & mores: nam hæc vita ubique profectioni comparatur, ut suprà vers. 9. [33] nimirum elapsis annis aliquot, quum post omneis gravissimas denunciationes minásque propheticas nihil vidit in mundo resipiscentiæ. [k] *Hebr. a facie illorum.* [l] *Heb. corrumpam.* [34] de quibus sup. vers. 3. & seq. [35] videlicet tu cum filiis operisque tuis: jam enim filios susceperat Noach, quorum genitura de promissionum minarúmque Dei veritate ampliùs erat confirmatus. [36] id est, navigium tectum, sive constratam navem, à forma arcæ ac potiùs alvei: ut appellatur Exod. 2. 3. & 5. [37] hæc vox alibi non legitur: est autem cedri species, fortè cedrelate cariem non sentiens, de qua Plinius lib. 13. natur. hist. cap. 15. vide Josephum lib. 1. ἀρχαιολογ. Cyrillum lib. 1. contra Julianum, Epiphanium κατὰ Νωεμιανῶν, & Hieronymum. [m] *Heb. nidorum: ut Ijob. 29. 18. & Habak. 2. 4.* [38] i. septis vel seclusoriis multis distinguito eam in unaquaq; contignatione, quæ Græci appellant [illegible] Hebræorum exemplo. [n] *Heb. cubiti: sic deinceps.* [39] e quibus si 300. cubitos longitudinis per 50. latitudinis multiplicaveris, comperies quasi 15000. cubitorum fuisse τὸ [illegible], id est, aream vel planum pedem uniuscujusque contignationis: spatium amplissimum. [o] *Heb. splendorem, sive meridianum ut Hieronymus.* [40] i. fac ut arca fenestrata sit luculentissimè: quamobrem Symmachus Hebræam vocem per τὸ διαφανὲς interpretatus est. [41] i. arcam sic extruito, ut suprà illos 30. cubitos altitudinis assurgat ad justam altitudinem fastigium tecti: idq; formā (opinor) [illegible] sive [illegible], aquis pluviis arcendis, & ventis depellendis cōvenientissimā: subgrunda verò ex omni parte in cubitum unum projecta extet promineátque ad abercendas ab arca fenestrisq; illius pluvias. Nam quod vulgo verba hæc ad fenestram referuntur, id repugnat vocum generibus: ut illud taceamus, arcæ descriptionem imperfectam fore, quod Chrysostomus & Augustinus lib. 12. contra Faustum Manich. cap. 16, animadverterunt. [p] *Heb. cubitum.*

q Heb. eam sup.
r Heb. corrumpendum.
42 animantes terrestreis & aërias: nam pisces exegesi sequente excluduntur.
s Heb. de sub cælo.
43 cui nomen fuisse Barthenon scribit Epiphanius χαλὲ γυναικῶν: quum Noriæ sive Pyrrhæ nomen repudiat, quod probabant Gnostici.
t Heb. omni vivente: sylleptice: sic sequentia.
44 extra aquam. suprà vers. 17. & infrà 7.22.
45 non definit hac voce Deus numerum animalium quæ in arcam oportuit recipi, de quo infrà 7.2. & 3. sed conjuga esse declarat oportere ad speciei conservationem, ut finis versus explicat. 46 meo instinctu, & sua sponte, ut olim stiterat Adamo Deus, sup. 2.19. sic non erit opus venatione vel aucupio. 47 ex naturæ & creationis lege attributus sup. 1.29. & 30. nam hæc altera erat futura creatio quodammodo, in qua feræ innocente victu usæ sunt, & vixerunt innocentes. u Heb. & recipe.

cubiti longitudinem consummato q ejus tectum
supernè, ostiúmque arcæ in latere ipsius ponito:
infimarum, secundanarum, & tertianarum *mansionum* facito eam.
17 *De* me enim, ecce ego adducturus sum a-
quas diluvio super terram, ad r perdendum 42
omnem carnem in qua *est* spiritus vitalis s sub
cælo: quicquid *est* in terra, exspirabit.
18 Stabilio autem fedus meum tecum; ut in-
grediaris in arcam, tu, & filii tui, cum 43 uxore
tua, uxoribúsque filiorum tuorum tecum:
19 Prætereà de t omnibus 44 viventibus, de om-
ni carne, de omnibus *inquam* 45 bina introducas
in arcam, quæ in vita conserves tecum: mas &
fœmina futura sunt.
20 Ex volucribus in species suas, & ex jumentis
in species suas, ex omnibus reptilibus humi in
species suas; ex omnibus bina 46 ventura sunt ad
te, ut in vita conserves *ipsa*.
21 Tu ergo accipe tibi de omni cibo 47 qui co-
meditur, u receptúmque asserva penes te; ut sit
tibi & illis ad comedendum.
22 Quod fecit Noach: secundùm omnia quæ
præceperat ipsi Deus, sic fecit.

CAPUT VII.

Diluvium universale describitur, & reliquiarum ex hominibus animantibúsque in arca conservatio: luculentissimum justitiæ, misericordiæ, & providentiæ Dei testimonium.

1 die undecimo secundi mensis, quum exstructa esset arca, & elapsi illi 120. anni quos Deus præfiniverat suprà 6.3.
‖ Matth. 24.38. Luc. 17.26. 1. Pet. 3.20. 2. Pet. 2.5.
2 ex paucis animabus, i. octo cōstituta, ut colligitur ex hac historia 1. Petr. 3. 20.
a Heb. domus.
3 justitia syncera fidei morigeræ, quæ sola coram Deo justitia censetur probaturque. Rom. 2. 29.
4 inter homines ætatis istius: vide sup. 6.9. & 1. Pet. 3.19.
5 id est, quibusvis, ex quovis genere.
b Heb. omni pecude munda: sic deinceps.
c aptis ad sacrificia: nam discrimen hoc fuerat divinitus Patribus revelatum. 7 ut quarum usus futurus erat post diluvium major ad cibum & sacrificia: quod autem ad terna mundarum paria animantem septimam adjicit, pertinet ad subministrationem illius sacrificii quod mox a diluvio faciendum erat, ut legitur factum infrà 8.20. c Heb. septem septem: repetita numeralia cardinalia pro distributivis, ut ℣. 3. sic duos duas, id est, binas. d Heb. virum & uxorem ejus: sic deinceps. 8 mundarum puta: nam ellipsis supplenda est ἀσυλλήπτως ex secundo ℣. e Heb. ad dies a. 9 definentes vel finitos, sic enim Latinè solent: id est, die ipso septimo, ut exponitur ℣. 10. f Heb. humi: sic ℣. 8. & 23. g Heb. filius sexcentorum annorum.

1 POsteà 1 ‖ dixit Jehova Noacho, ingredere
tu & 2 universa a familia tua in arcam hanc:
te enim perspexi justum 3 corā me 4 in ætate hac.
2 Ex 5 b omnibus pecudibus 6 mundis accipito
7 c septenas tibi, d marem & fœminam ejus: ex
iis verò bestiis quæ non *sunt* mundæ binas, ma-
rem & fœminam ejus.
3 Similiter ex volucribus cæli 8 septenas, ma-
rem & fœminam ejus; ad conservandum in vita
semen *eorum* in superficie totius terræ.
4 Nam e 9 ante dies adhuc septem, ego pluvi-
am demissurus sum super terram quadraginta
dies & quadraginta noctes: ut deleam omne cor-
pus vivens quod feci, e superficie f terræ.
5 Quod fecit Noach, secundùm omnia quæ
præceperat ei Jehova.
6 Noach autem g natus *erat* sexcentos annos;
quum diluvium illud fuit, aquis *exundantibus* su-
per terram:
7 Et ingressus est Noach, & filii ejus, & uxor
ejus, & uxores filiorum ejus cum eo in arcam;
propter aquas diluvii.
8 Ex pecudibus mundis, & ex bestiis quæ non
sunt mundæ, & ex volucribus, denique omnibus
quæ reptant super terram,
9 Bina ingressa sunt ad Noachum in arcam,
mas & fœmina: quemadmodum præceperat De-
us Noacho.

h Heb. fuit autem ipso illo die septimo.
10 ut inciperent esse; quod est Latinis exsistere.
11 qui annus fuit a condito orbe 1656. ex capite quinto.
i Heb. sexcentesimi anni vitæ N.
12 nempe veluti perruptis obthuraculis, quæ eas continebant, ut sub terra exundarent aquis. Sic Moses duos aquarum ortus explicat qui sequuntur ad nos; abyssum fontentem fontibus ad refundendas aquas, & nubes exundantes imbre. Vide in Ecclesiasten 1.7.
13 id est, specus nubium (ut vocat Plinius) aquas e cælo vehementiâ summâ eructarunt tamquam sublatis obthuraculis: sic infra 8.2.
14 id est, quocúmque modo alatæ sint, membranis aut pennis.
15 observavit & oblivit omnibus ingressis.
16 civiles, comprehensis noctibus, ut sup. ℣. 4.
k Heb. desuper terram.
l Heb. valde valde.
17 ut Deus pronuntiaverat sup. 6.13. & hujus ca. ℣. 4.
m Heb. in volucri, & in pecude, & in bestia, & in omni reptili, q. r.
18 etiam sublatis istorum vestigiis.

10 h Evenit autem ipso die septimo, ut aquæ
diluvii 10 exsisterent super terram.
11 11 Anno i sexcentesimo vitæ Noachi, men-
se secundo, decimo septimo die hujus mensis;
hoc ipso die 12 diffiderunt se omnes fontes abyssi
magnæ, & 13 cataractæ cæli se aperuerunt;
12 Ut esset imber ille super terram, quadragin-
ta dies, & quadraginta noctes.
13 Eodem ipso die, *quum* ingressus esset No-
ach, & Schem & Cham & Jepheth filii Noachi,
uxórq; Noachi, & tres uxores filiorum ejus cum
ipsis in arcam:
14 Ipsi & quævis bestia in speciem suam, &
quævis pecudes in speciem suam, & quævis repti-
lia reptantia super terram in speciē suam; & vo-
lucres quævis in speciem suam, omnes aves 14 cu-
juscunque alæ,
15 (Venerant enim ad Noachum in arcam, bi-
na ex omni carne in qua *erat* spiratio vitæ,
16 Et quæ venerunt, mas & fœmina ex omni
carne ingressa erant sicut præceperat ipsi Noacho
Deus) 15 occlusit Jehova pro eo.
17 Sic fuit diluvium hoc 16 quadraginta dies
super terram: *quo* primùm ita creverunt aquæ, ut
sustulerint arcam & elevaretur k e terra.
18 Deinde invalescentibus aquis & crescenti-
bus admodum super terram; ambulavit arca in
superficie aquarum:
19 Tandem invalescentibus aquis l quàm plu-
rimum super terram; operti sunt omnes montes
altissimi qui *sunt* sub universo cælo.
20 Quindecim cubitis sursum versus invalue-
runt aquæ; postquàm operti fuerunt montes illi.
21 17 Exspiravit itaque omnis caro quæ repta-
bat super terram, m volucrium, pecudúmque, &
bestiarum, & omnium reptilium quæ repunt su-
per terram: & omnis homo.
22 Omne cujus in naribus halitus *erat* spirati-
onis vitæ, ex universis quæ *degunt* in sicco, mor-
tuum est:
23 Et 18 deletum est omne corpus vivens quod
erat in superficie terræ, n tum homines, tum pe-
cudes, reptilia & volucres cæli, deleta inquam
sunt e terra: sed superstes ‖ relictus est tantum-
modò Noach, & quæ cum eo *fuerunt* in arca.
24 19 Prævaluerunt autem aquæ illæ super ter-
ram, centum quinquaginta diebus.

n Heb. ab homine usq; ad pecudem, usq; ad reptile, & usque ad volucrem c. ‖ 2. Pet. 2.5. 19 id est, sua copia; & impetu aquæ conturbaverunt omnia in toto orbe ad diem usque decimum septimum mensis septimi: quo desiit arca fluitare, infrà 8.3. & 4.

CAPUT VIII.

Exsiccatâ ex diluvio terrâ, Noach cum suis mandato Dei ex arca exit, & sacrificans agit Deo gratias: quam gratiarum actionem accipiens Deus instaurat naturæ leges.

1 id est, pro eo quod mundi oblitus esse, aut curam abjecisse illius videbatur, statuit hoc demum tempore præstare promissionē factam ex federe, suprà 6. 18. ut Noach & reliqui intelligerent ipsum suorū non oblivisci: sic infrà 9. 15. & Exod. 6.4. a Heb. omnis bestiæ, &c. sic deinceps. 2 exactis illis quadraginta diebus imbris, de quibus supr. 7.17. nam ab hoc eodem tempore incipiunt illi 150. dies qui numerantur sup. 7.24. 3 id est, quiescerent, ut exponitur sequente versu: nam quum prius ita exundabant quasi furerent, testatam faciebant iram Dei gravissimam. 4 aut omnibus ad tempus; aut non omnibus quidem, sed iis solum qui ad exsequendum judicium Dei præter naturam perruperant sua obthuracula. 5 ne deinceps descendens effluxum aquarum impediret.

1 REcordatus 1 autem Deus est Noachi, &
a omnium bestiarum, omniúmque pecu-
dū quę *erant* cum ipso in arca: & 2 transmisit De-
us ventum super terram, ut 3 sedarentur aquæ.
2 Occlusis 4 fontibus abyssi & cataractis cæli,
cohibitóque 5 imbre e cælo.

[b] Heb. eundo & redeundo: vel abeundo & recedendo. simile infr. V.5.& 7.& 12.9. & 26.13.& 1. Schemu.14.19.& 17.12.
[c] Hebr. a fine cent. ut sup.4.3. & infr.6.
6 a cœpto diluvio post dies 110. quàm aquæ sedatæ fuerant: nam hoc spatio toto prævaluerunt aquæ, supr. 7.24.
7 desiverit fluitare.
8 id est, 151. die a diluvio cœpto.
9 id est, majoris Armeniæ Caspio mari junctæ, quę imminet Assyriæ & Mesopotamię, Jeschah. 37.38. & Jerm. 51.26. Montem verò cui insedit arca vel potius regionem montanam totam in Armenia sitam Chaldæus Paraphrastes appellat Kardu, quos montes Q. Curtius Cordæos vocat paulùm deflexo nomine, Ptolemæus verò τὸ γορδιαῖον; ubi sunt populi supra Minnith vel

3 Sic recedentibus aquis e superficie terrę, [b] & *quidem* indesinenter recedentibus; defecerunt aquæ [c] 6 exactis centum quinquaginta diebus:

4 Adeò ut 7 requieverit arca mense septimo, 8 decimo septimo die ejus mensis, super *uno* montium 9 Ararati.

5 Deinde quum [d] pergerent aquæ deficere ad mensem usq; decimũ; ipso mense decimo, primo die illius mensis 10 cõspecti sunt vertices montiũ.

6 Fuit autẽ 11 exactis quadraginta diebus, quũ aperuit Noach 12 fenestram arcæ quam fecerat.

7 Et emisit 13 corvum: qui [e] indesinenter 14 ibat & redibat, [f] usque dum exaruissent aquæ ex superficie terræ.

8 Quamobrem 15 emisit columbam a se, ut videret an [g] esset levata aquis superficies terræ.

9 Sed quum non inveniret columba hæc 16 quietis locum plantæ pedis sui, reversa est ad eum in arcam, quia erant aquæ in superficie totius 17 terræ illius: *Noach* verò emissa manu sua recepit eam, & intromisit eam ad se in arcam.

10 Itaq; exspectavit adhuc septem dies alios; [h] iterúmque emisit columbam illam ex arca:

11 Et venit ad eum columba illa 18 tempore vespertino, ecce autem [i] folium olivæ decerptum in ore illius: sic cognovit Noach levatam esse aquis superficiem terræ.

12 Deinde quum exspectavisset adhuc septem dies alios; emisit columbam illam, quæ non [k] est denuò reversa ampliùs.

13 Fuitque 19 uno & sexcentesimo anno, *mense* primo, *die* primo mensis, 20 siccatis aquis illis e superficie terrę; quum 21 removens Noach operculum arcæ circumspiceret, ecce autem siccata erat superficies [l] terræ.

14 Mense autem secundo, vicesimo septimo die illius mensis; exaruerat terra.

Minyada habitantes, quos Epiphanius Καρδυίας vocat, alii Gordiæos, Gordienos, vel Gordenos, Berossus etiam Cordyæos. In hoc autem tractu mons unus est præcelsus nomine Λυβάρ, teste Epiphanio libro 1. contra hæreses, hoc est, ἀποβατήριος τόπος, descensionis locus, unde in omneis partes descenditur, ut interpretatur Josephus lib. 1 ἀρχαιολογίας, cap. 4. quod nomen a situ, fortè etiam ab euentu hujus historiæ fuit impositum. Nam Lubar sive Lubaris sermone Armenio atque Ægyptio est ἀποβατικὸν sive ἀποβατήριον, ut Josephus ipse testis est, locus editissimus ex quo descẽditur, ex verbo Labar, descendere: unde Labra Ægyptiis dicitur tota παρεμβολὴ quæ uni Synagogæ subest (inquit Epiphanius κατὰ Ἀρειομανιτῶν) & Lubra synagoga loco editiore sita: atque exinde Lubratenu vel Lubratenum ad Synagogam Ægyptiorum pertinentes, Act. 6. qui Libertini vulgo appellantur. Hinc quoque nomen labarum, signum pensile quod præferebatur Regibus & Imperatoribus ex Armeniorum & Persarum usu, quia exemtile erat, & de conto suo (ut ita dicamus) descendebat amovebatúrque commodè. Sic vocant Tertullianus in Apologetico, Arnobius, & Prudentius lib. 1. contra Symmachum. Græcorum alii dixerunt λάβαρον, ut Eusebius lib. 1. de vita Constantini; alii λάβουρον, ut Sozomenus lib. 1. historiæ Ecclesiast. cap. 4. & lib. 9. c. 4. Quamobrẽ id in transcursu notari opus est, corrupta esse apud Josephũ Nicolai Damasceni verba, & ex Epiphanio legendum esse in hunc modum, ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Λύβαρις λεγόμενον, &c. non autẽ Baris. [d] *Heb. essent eundo & deficiendo.* 10 a Noacho de arca huc illuc prospectante. 11 i. die 11. mensis 11. qui quadragesimus est a principio decimi mensis. 12 unam e fenestris: nam alioqui fenestratũ erat opus arcæ, sup. 6.16. 13 ut videret an levata esset aquis superficies terrę, ex sequente V. Corvum autem prę alia volucri videtur emisisse, quòd cicuratus non facilè obliviscitur stationis suæ; sed eam solet repetere. [e] *Heb. exibat exeundo & redeundo.* 14 ad arcam, quamvis ad Noachum in arcam minimè. [f] *Heb. usque ad exsiccationem aq.* 15 die septimo ex quo emissus fuerat corvus, ut colligitur ex V. 10. Columbam autem elegit Noach, quia non leviter fallit fidem conjugii, sed maturè studioséq; ad nidum & communem domum revertitur. [g] *Heb. levata essent aquæ de super terra, ut V. 11.* 16 siccum in propinqua regione. 17 adjacentis: nam alioqui jamdiu conspicua erant longinquorum montium cacumina, suprà vers. 2. [h] *Heb. adjecit initere: ut infrà vers. 12. & 21.* 18 nam hæc tunc quietis locum, non autem pabulum invenerat. [i] *vel ramum: ut supra 3.7. & Nechem. 8.16. sic* 1.2.2. *viruisse* θαλλὸν *docet August. Loquutio. lib. 1.* [k] *Heb. adjecit reverti.* 19 nimirum ætatis Noachi, ut colligitur ex V. 11. cap. præcedentis. 20 ita quidem ut terræ superficies conspicua esset; veruntamen adhuc mollior & magis uliginosa, quàm ut posset hominum aut graviorũ animalium corpora sustinere. Ideóq; Noach de exitu nondũ cogitat, aut illum Deus exire jubet. 21 aperturã in tecto faciẽs remoto exsectóve uno aut altero tabulato operculi, ut e summo tecto huc illuc faciliùs circumspiceret: synec. [l] *Heb. humi.*

15 Tunc edixit Deus Noacho, dicendo,

16 Egredere ex arca hac, tu, & uxor tua, & filii tui, uxorésq; filiorum tuorum tecum.

17 Omneis bestias quæ *sunt* tecum ex omni [m] carnis genere, ex volucribus, & ex jumentis, & ex omnibus reptilibus quæ reptant super terram, tecum educito: [l] ut 22 abundè progignant in terra, fœtificéntque, & augescant super terram.

18 Egressus itaque est Noach, & filii ejus, & uxor ejus, uxorésq; filiorum ejus cum eo.

19 Omnes bestiæ, omnia reptilia, omnésq; volucres, quæcunque reptant super terram; [n] per genera sua ex arca egressa sunt.

20 Posteà 23 exstruxit Noach altare Jehovæ, & accipiens ex omnibus mundis pecudibus, & ex omnibus volucribus 24 mundis, obtulit holocausta in altari illo.

21 Quúmq; 25 odoratus esset Jehova odorem illum [o] gratum; dixit Jehova [p] cum animo suo, 26 non [q] iterum maledicturus sum ampliùs terræ propter hominem, eo quòd [l] figmentum cordis hominis *sit* malum a pueritia ipsius: [r] iterúmque non percutiam ampliùs omnia viventia, quemadmodum feci.

22 27 Deinceps [s] quamdiu erit terra; sementis & messis, frigúsque & æstus, & æstas & hiems, diésq; & nox non cessabunt.

[m] *Heb. carne.*
[l] *infra 9.1. & 7.*
22 renovatã creationis lege, quæ lata fuerat sup. 1.22. & 28.
[n] *Heb. in familias suas, i. non confusè.*
23 gratias habens Deo, beneficium acceptum prædicans, se & familiam expians, ut Ijob. 1.5. denique illius cultum in posteritatem statuens.
24 vide supr. in 7.2.
25 dictum ἀνθρωποπαθῶς, pro eo quod est sacrificium illud acceptum habuit. Dicitur autem illè quietis odor, eo quòd Deum priùs iratum propter hominum peccata placat, facitque ut ira ejus conquiescat, non holocausti nidor virtute sua; sed æternum illud sacrificium Christi omnibus his ceremoniis olim adumbratum sacramentali significatione. [o] *Hebr. quietis.* [p] *Heb. in corde suo.* 26 id est, terram diluvio ampliùs non perdam: nam reliquas maledictiones terræ, de quibus supr. 3.17. & 4.12. & 5.29. neque tum abstulit, neque adhuc sunt ablatæ; ut docet experientia. [q] *Hebr. adjiciam maledicere amplius humo props. h.* [l] *sup. 6.5.* [r] *Heb. & non adjiciam percutere.* 27 hic rerum naturam diluvio corruptam instaurat Deus, ab ordinariis hominum occupationibus, & conversatione cæli. [s] *Heb. omnibus diebus terræ.*

CAPUT IX.

Deus reliquias benedictione consolatur & humanarum legum instauratione, metumq; diluvii adimit fœdere. Noach verò infirmitate lapsus occasionem ex re gesta moribusq; filiorum cepit, ut quæ singulis eventura sint procul in futurum prænunciet.

1 PRæterea 1 benedixit Deus Noacho & filiis ejus: & [l] dixit eis, 2 fœtificate, & augescite; ac replete terram.

2 Et timor vestri terrorq; vestri insesto [a] omnibus bestiis terræ omnibusq; volucribus cæli: [b] tum omnia quæ calcant humum, tum omnes pisces maris 3 in manum vestram traditi sunt.

3 4 Omne reptile, 5 quod *quidem* vivum est, vobis [c] ad comedendum esto: [l] 6 ut viridem herbam *illius*, sic illa omnia dedi vobis.

4 7 Verumtamen [l] carnem cum [d] sanguine ipsius, *qui* anima *est* ipsius, ne comeditote.

5 8 Quinetiam sanguinem vestrum, 9 animarum vestrarum, 10 reposcam; 11 [e] ab omni bestia reposcam illum; adeoq; de manu ipsius hominis, de manu 12 cujusque fratris ipsius, reposcam ani-

1 ipsi & posteris benedictionem confirmavit quã in creatione cõtulerat, sup. 1.28.
[l] *sup. 8.17.*
2 Leges naturales de propagatione, & de autoritate humani generis, hoc & seq. versu.
[a] *Heb. omni bestiæ &c. sic deinceps.*
[b] *Heb. in omni quod calcat humum, & in omnibus piscibus m.*
3 per quam fuerunt in vita conservata, ut Deus præceperat, suprà 6.19. & 20. 4 Legum naturalium accessio ad subsidium hominis instituta. Reptile autem hic appellatur omne animantium genus, præter hominem, cujus causã facta est hæc accessio. 5 id est, excepto morticino & consimilibus, quæ caventur naturæ & ceremoniali lege. [c] *vel cibo.* [l] *suprà* 1.29. 6 q. d. illis tam liberè vesci poteris, quàm illa tuo vescuntur gramine, sup. 1.30. Est autem in his verbis ellipsis analogica membri antithesi, quam ex eodem loco supplevimus. 7 hic ceremoniales leges secundo loco. [l] *Levit. 17.14.* [d] *Heb. anima ejus sanguine ejus: hypallage.* 8 hic demum leges feruntur politicæ, atque instaurantur. 9 i. qui sanguis fusus fuerit ad necem vestram præter naturæ jura. 10 persequar & puniam sanguinarium, ut Psalm. 9.13. 11 q. d. adeò mihi chara est humana vita, ut ne brutis quidem parci velim, si quando hominem occiderint: sic Exod. 21.28. [e] *Heb. de manu omnis bestiæ: catachresis.* 12 exaggeratio, qua omneis homines sine ulla exceptione absterret ab homicidio subjunctã causã æquissima, quòd omnes inter se fratres sint, & nefas sit eos qui tam arcto vinculo inter se conjuncti sunt mutuis cædibus sese conficere.

mam hominis.
6 [g] [13] Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor: [14] quoniam [f]
ad imaginem suam hominem fecit Deus.
7 Vos ergo fœtificate & augescite: progignite abunde in terra, atque in ea augescite.
8 Deinde alloquutus est Deus Noachum & filios ejus cum eo, dicendo.
9 [15] *De* me autem, [g] ecce ego stabilio fedus meum vobiscum; & cum semine vestro [g] sequuturo
vos,
10 [16] Et cum omnibus [h] animantibus quæ vobiscum *sunt*, [i] de genere volucrium, pecudum, & omnium bestiarum terræ vobiscum; tum omnibus egressis ex arca, tum omnibus bestiis terræ:
11 Stabilio igitur fedus meum vobiscum, quòd non exscindetur ampliùs omnis [17] caro ab aquis diluvii; neque futurum est ampliùs diluvium ad perdendam terram.
12 Dixitque Deus, hoc *est* signum illius federis quod ego dispono inter me [k] & vos omnemque animantem quæ *est* vobiscum; in *omneis* ætates seculi.
13 Arcum meum disposui in nube, qui sit in signum federis inter me & [18] terram.
14 Ita futurum est, quum nube terram obnubilavero, ut conspicuus sit arcus ille in nube:
15 Et [19] recordabor federis mei quod *est* inter me & vos, omnemque animantem ex omni carne: & non erunt deinceps aquæ in diluvium, ad perdendum omnem carnem.
16 Nam quum erit arcus ille in nube, aspiciam ad illum, recordaturus federis [l] [20] perpetui inter Deum & omnem animantem *initi*, ex omni carne quæ *fuerit* super terram.
17 Denique dixit Noacho Deus; [21] hoc illud *est* signum federis quod statui inter me & omnem carnem quæ *est* super terram.
18 [22] Erant autem filii Noachi qui egressi sunt ex arca, Schem, & Cham, & Jepheth: [23] Cham verò is pater *est* Cenahanis.
19 Tres isti *erant* filii Noachi; & ab istis respersa est *incolis* universa terra.
20 Quum autem [24] cœpisset Noach vir [m] agriculturæ deditus, plantavit vineam:
21 Et bibens de [n] vino illius inebriatus est, [25]
retexitque se in medio tentorii sui.
22 [26] Respiciens verò Cham pater Cenahanis
[27] nuditatem patris sui, indicavit duobus fratribus suis foris.
23 Tum accepit [28] Schem cum Jepheto pallium ejus, quod imposuerunt suo amborum humero, & accedentes retrorsum texerunt eo nuditatem patris sui; facie sua, inquam, retrorsum, adeò ut nuditatem patris sui non respexerint.
24 Sed quũ evigilasset Noach e vino suo, [29] rescivit quid fecisset ipsi filius suus [30] minimus:
25 Et [31] dixit, [32] maledictus *erit* Cenahan; [33]
servus servorum erit fratribus suis.
26 Præterea dixit, benedictus Jehova [34] Deus
Schemi; eritq; Cenahan servus [35] illis.
27 [36] Alliciet Deus Jephethum, ut habitet [37] in
tentoriis Schemi: eritq; Cenahan servus eis,
28 Vixit autem Noach post diluvium [o] [38] trecentis quinquaginta annis.
29 Sic fuerunt omnes dies Noachi, nongentorũ quinquaginta annorum: posteà mortuus est.

[g] *Matth.26.52.* [13] id est, sive homo, sive bestia hominem interfecerit, occisorem istum volo per hominem autoritate Dei instructum morte multari. Atq; hæc *νομοφυλάκων* institutio. [14] hæc ratio ad utrumque pertinet: nēpe oportere ut de homicidâ sumatur ultio, & ut homo sumat eam autoritate Dei. [g] *sup.1.26.* [f] *Heb. ad imaginem Dei fecit hominem, vide sup. 2.20.* [15] q.d. hactenus quæ sint vestræ partes in propagatione hominum & conservatione audivistis: jam verò quid ego ad eum finem facturus sim exponam, ut homines de hoc beneficio meo in posterum cōfirmentur: nam federis nomen quamvis dispositionem & rem constitutam etiam citra contractum Hebræis notare solet. [g] *Jeschah.54.9.* [g] *Heb. post vos.* [16] i. federis hujus vobiscum initi ipsæ etiam bestiæ percepturæ sunt cōmodum. [h] *Heb. anima viventes: sic deinceps.* [i] *Heb. in volucri, in pecude, & in omni bestia terræ: ab omnibus egressis ex arca ad omnem bestiam terræ.* [17] id est, corpus animatum movens & sentiens: sic deinceps. [k] *Heb. & inter vos & inter omnē an. sic deinceps.* [18] i. incolas terræ, ut infrà 41.57. & Jechezk.14.13. metonymia. [19] sic seq. versu: vide sup. in 8.1. [l] *Heb. seculi.* [20] i. in perpetuum sanciti, ut demonstratum est sup.8.21. & Jeschah.54.9. [21] conclusio, qua signum federis quasi digito commonstrat Deus. [22] Metabasis ad duas sequentes historias. [23] hoc membrum eo adjicitur, cùm ut via pateat ad sequentem historiam, tum ut confirmati hoc divino monito Jisraelitæ alacriores efficerentur ad suscipiendam expeditionem in terram quam ipsis Deus jam olim adjudicaverat, & a consortio illius gentis quàm religiosissimè abstinerent: sic versu 25. Sic prolepticè hic versus ad proximè sequentem historiam pertinet, versus autem sequens ad historiam capitis 10. [24] nimirum agrum colere, ut se in vocatione Dei occuparet senex. [m] *Heb.* [illegible] [n] *Heb. vino illo: sed ita accipitur articulus, ut* ℣*.23. sic Matth.9. 20. & 28. & 17.25. & alibi.* [25] ut ebrius & oppressus vino, sic accipiendum innuit Hebræi verbi conjugatio: Nam quod Abben Hezra per Cenahanem fuisse retectum putat, id probatione indiget. [26] fortè certior de hac re factus a Cenahane filio, ut Hebræorum quidam putaverunt. [27] id est, pudenda, *κατὰ σεμνὸν λόγον*, ut Levit.18. & alibi passim. Vide simile sup.4.1. [28] cùm ex hoc vocum ordine, tum ex divina illa benedictione per Noachum pronunciata, Schemum hujus sancti consilii, piiq; officii autorem fuisse conjicimus. De hac autem pia verecundia lege Ambros. lib.1. offic. cap.18. [29] ex re præsente edoctus, aut aliorum sermone.

[30] natu: vide infrà in 10.21. [31] per Spiritum Dei, non humana perturbatione raptus, quamvis occasione data humanitus. [32] hîc illa tantùm commemorat Mosche, quę certa aliqua ratione ad populum Dei (cujus causa hæc fuerunt scripta) pertinebant: ideóque omissis reliquis filiis Chami, de quibus infrà 10.6. & seq. singularem tantùm Cenahanis mentionem facit, propter causam quam modò in versum 18. attigimus: nisi forte quod antè perstrinximus Cenahan puerulus hujus impietatis primus autor dicatur fuisse, re ad Chamum parentem delatâ: quod mihi est verisimile. [33] id est, maxima vilissimaque servitute addictus suis fratribus. Sic Hebræorum idiotismo sanctum sanctorum pro sanctissimo, Exod. 26. 33. Rex regum & Dominus dominorum pro summo Rege dominóque ponitur, Hezræ 7.12. Deuter. 10.17. & alibi. [34] in cujus posteris fuit benedictum genus Jisraëlitarum, & Ecclesia Dei. [35] fratribus suis, quorum antè meminit. [36] id est, erit tandem ut virtute Spiritus Dei posteritas Jephethi alliciatur ad Dei ejusdem cultum cum posteritate Schemi, & Gentes Jisraëlitis cooptentur. [37] id est, in Ecclesia, quæ per illud tempus in tentoriis oberrabat. [o] *Heb. tribus centum anni, & quinquaginta anni. vide sup.5.5.* [38] quibus hic pius vir Dei cum varia impietate injustitiáq; mundi coactus est conflictari: quod ex 2. sequentibus capitibus constat evidentissimè.

CAPUT X.

Filiorum Noachi propagatio, & ab illis omnium gentium origo describitur.

1 ISTę sunt autem generationes filiorum Noachi, Schemi, Chami, & [1] Jepheti: quibus filii post illud diluvium nati sunt.

[1] Recepta ferè ab omnibus est interpretatio, originem omnium gentium hîc a Mose explicari, ac proinde certò definiri earum gentium numerum, singulísque stationes suas & linguas differentes tribui. Ac prius quidem illud agnoscimus, origines posterioris vel instaurati mundi hoc loco enarrari: sed posteriora duo probare non possumus. Quamobrem primùm de numero, posteà de sedibus istorum in genere dicturi sumus, & tandem in singularem explicationem ingressuri. Numerum igitur capitum ex quibus totidē gentes, familiæ, regiones, & linguę putantur profluxisse, Arnobius in Psal.104. Epiphanius cōtra Sethianos, Hieronymus Hebręos sequutus, & Augustinus lib. 16. de civit. Dei, c.3. tradunt esse duorũ & septuaginta: quindecim de Japheth, ait Augustinus, triginta unus de Cham, viginti septē de Sem, fiunt septuaginta tres: unde septuaginta duas fuisse gentes posteà colligit. Aliter numerat Epiphanius, cujus locum (quia corruptus est) sic restituimus: [illegible] Hinc autem nata est in recensendis numeris differentia, quòd in Chami genere Epiphanius posuit Pelischthæos, quos Augustinus sustulit; in Schemi verò generatione Epiphanius cum Hebero Pelegum, cum posteris verò Joktanem meritò comprehendit, quos Augustino placuit divellere. Sed tamen omnino Jephethi recensio capitum est quindecim: Chami, exceptis Pelischthæis, exstant capita triginta duo, aut etiam triginta tria, si hos adjeceris: Schemi verò viginti septem. De numero itaque convenit. At singulas gentes, regiones, linguas a singulis profluxisse, & per singulos fuisse distinctas, nullá mihi ratione probari potest. Quin potius aliter se habere omnia confirmant duæ rationes istæ. Prior est a fine hujus historiæ. Hoc enim proprium Mosis consilium non fuit, ut singularum gentium, regionum, & linguarum ortus progressionésque singulis capitibus istis tribueret, aut ipsorum familiis (nam quis nescit ex familiis vicos, civitates, pagos, regiones, gentes propagari?) aut ut totius mundi propagationem curiosis mentibus perscriberet, quod non est officium sacræ historiæ, ut Apostolus ad Timotheum non obscurè indicat. Sed potiùs ad hoc faciendum quatuor videntur fines ipsum adduxisse. Nam ita visum est Spiritui sancto vim benedictionis divinæ ostendere, tam brevi spatio multiplicantis humanum genus in tantum numerum; tum etiam severitatem judiciorum Dei disperdentis consilia eorum qui sibi adversantur, & autores ipsos: præterea Jisraëlitas de agnatione propinquarum gentium certiores facere & de hæreditate ad ipsos perventura ex maledictis gentibus: postremò autem piis omnibus viam commodiorem sternere ad historiæ Ecclesiasticæ & Scripturæ sacræ intelligentiam, & errorum somniorúmque humanorum in hoc argumento confutationem. Posterior autem ratio est ab historia ipsius forma. Nam ponuntur quidem [illegible] (ut Epiphanius vocat) septuaginta duo: hos autem si quis affirmet seorsim privatis sedibus habitavisse, & aliò a se ablegavisse posteritatem suam, [illegible] quisque [illegible] est? Præterea divisæ fuisse dicuntur regiones singulæ terrarum per familias gentium secundùm linguas ipsarum, id est, [illegible] gens ex familiis pluribus, & [illegible] terra ex regionibus variis constituisse, [illegible] in terram familiæ plures confluxerant, [illegible] pro commoditate linguæ conjunxerunt. Tum gens Cenahanis (ut alias taceamus) [illegible] in recensione hac describitur, finésque angusti ejus exponuntur accuratissimè: quos [illegible] unica lingua fuisse usos (plebejas enim dialectos hîc non moramur)

&

& Scriptura docet, & ratio analogiæ. Denique gentes alias maximas, regionibus, terris, & linguis distinctas aut reticeri planè, aut una solùm appellatione designari & perstringi constat, cùm tamen unica illa quamvis angusta Cenahanæa tam accuratè perscribatur. Quamobrem probabile minimè videri potest eundem fuisse terrarum, gentium, linguarúmque numerum; tanquam si illi ipsi patres Schem, Cham, & Jepheth, ne terra quidem, aut gente, aut lingua cum suis posteris communicavissent, aut eorum alter cum altero. Jam verò de sede istorum videamus paucis. Alii totum orbem terrarum fuisse istorum sedem putant, alii tractum amplissimum quamvis non universum orbem, alii angustiorem mundi partem ac velut primos aditus qui horum posteris in reliquas mundi plagas patuerunt. Totum orbem terrarum fuisse communem istorum ex jure sedem agnoscimus ex cap. 1.28. & 9.2. suprà: sed tamen non continuò sequitur illos ipsos in totum orbem (ut ita dicamus) avolavisse, ut ex facto singulas ejus partes obtinerent. Nam a posteris quidem jam possidentur omnes: verùm quàm multæ ex eo tempore insulæ regionésque repertæ sint nemo est qui nesciat. Cujus generis meminit Aristoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, & Seneca in Medea sub finem, & Lusitani memoriâ nostrâ maximas a se inventas gloriantur. Quapropter plerisq; visum est ab his capitibus non omneis quidem terras fuisse habitatas, sed fines tamen amplissimos, prout in singulari interpretatione ostendemus. Sed huic quoque interpretationi (ut alia faciamus missa) adversantur consilium Mosis ac potiùs Spiritus sancti quod antè exposuimus, & accuratæ illæ circumscriptiones quibus utitur Moses V. 19 & 30. Nobis itaq; probatur magis ultima sententia, omnibus expensis: hic nempe recenseri angustiorum finium incolas, qui aut propinqui fuerunt populo Dei, aut ad historiã illius videntur pertinere: idq; unam ob causam maximè, quòd sacra historia hîc agitur: cujus ea natura est ut res mundi omittat de industria, aut siquid Ecclesiasticæ historiæ causa opus est adjici, eas res perstringat cursim quæ ad Ecclesiam propriè non videntur pertinere, quatenus id Dei gloria & lux Scripturæ desiderat. Hæc autẽ ita se habere, ex singulari explicatione ostendemus. Etsi hoc ipsum quod dicimus, disertis verbis à Mose V. 5. ostenditur, & aliis quoq; locis ἀναλόγως est adhibenda hæc interpretatio, capita quidẽ illa quæ hîc nominantur in certos tractus abivisse, & fuisse alios ab aliis dissitos: sed ab his capitibus prognatos alios esse qui terras & regiones distinctas susceperunt incolendas, séque procedente tempore secundùm familias suas in habitationes certas contulerunt, quarum proprietatem in suos hęredes transmitterent. Nunc ad singularem interpretationem transeamus. [1] hic quidem primogenitus a natura fuit: sed tamen postremus hoc loco nominatur, ut suprà 5.32. quia ab hoc incipit proximè sequens narratio, & a Schemo desitura est, ad quem tota historia maximè respicit.

[a] 1. *Chron.* 1.5.
[2] hi omnes Borealem tractum plurimùm obtinuerunt

2 [a] [2] Filii Jephethi, [3] Gomer, & [4] Magog, & [5] Madai, [6] Javánque, & [7] Thubal; & Meschec, & [8] Thiras.

supra Babyloniam, Syriam, & mare mediterraneum, ut singulari explicatione ostenditur. [3] qui Septemtrionalem tractum obtinuit præ fratribus suis ocidentem versus, ut tum ex liberorum sedibus cognoscitur seq. versu & Jechezk. 38.6. tum ex Cimmeriorum appellatione, a quibus interiorem Asiæ partem fuisse posteà possessam narrat Herodotus lib. 4. id est (ut Josephus tradit) Galatiam, &c. quum à suo solo interventu Scytharum pulsi profugissent. Hinc Cimmerii montes supra Albaniam, & in Phrygia opidum Cimmeris, & Cimmerius Bosporus, & in ultimo ipsius ostio Cimmerium opidum, quod anteà Cerberion fuisse vocatum dicit Plinius lib. 6. natur. hist. cap. 6. Etsi mihi quidem videtur in eo loco deceptus Plinius vocis homonymia. Nam duplex fuit Cimmerium: unum Tauricæ Chersonesi, trans fretum, in ipso ore Bospori, ut loquitur Pomponius Mela lib. 1. Geograph. cap. 21. alterum juxtà lacum Avernum quondam in Campaniæ agro, cujus meminit idem Plinius lib. 3. cap. 5. Cerberion autem non illud Tauricæ fuit appellatum, sed hoc Campaniense propter insalubritatem loci quam efficiebat Avernus gravissimo odore aquæ sulphureæ, donec Octavius Augustus cædi opacam sylvam, & mare in Lucrinum & Avernum lacum immitti jussit; quo facto salubriores effecti sunt. Suetonius, & Servius. Qui autem Cimmerii antè vocabantur, iidem Cimbri degenerante nomine fuerunt appellati. Josephus Galatiam Gomero tribuit, dicens Galatas Gomaræos primùm fuisse dictos: Jerosolymitanus Africam: quo autore, aut qua ratione, non satis video. [4] Scytharum sive Sarmatarum autor, quos antè Magogas scribit Josephus nominatos esse, ut Jechezk. 38. 2. & 39.6. Itaque ab eo tempore quo Asiam populati sunt & obtinuerunt Scythæ, non modò Scythopolis in Cæle Syria, sed etiam Hierapolis (quam alii Callinicen, alii Bambyca dixerunt) a Syris fuit appellata Magog, teste Plinio lib. 5. natur hist, cap. 23. ubi prodigiosa Adargate, Græcis autem Darceto dicta colebatur: sic enim restituendus locus. Huic Hierosolymitanus sedem Germaniæ tribuit. [5] Medorum pater, 2. Reg. 17. 6. & 18. 11. Jeschaħ. 13. 17. & 21. 2. Jerme. 25. 25. & 51. 11. & 28. & apud Danielem passim. [6] Ionum, Græcorúmque autor, ex Scripturæ locis. Dan. 8. 21. & Joël. 3. 6. ex liberorum sede V. 4. & veterum consensione, Josephi lib. 1. Antiquitatum Judaic. cap. 7. Epiphanii contra Sethianos, & aliorum. Atque hac eadem ratione ductus Jerosolymitanus exponit Macedonas, penes quos Græciæ principatus fuit. [7] Thessalorum autorem Epiphanius vocat: quo argumento nescio. Iberos olim Thobelos fuisse dictos Josephus testis est, Iberiæ puta & Albaniæ incolas, ubi Thabilaca opidum a Ptolemæo recensetur. Sunt ergo Iberi & Albani a Thubale; ut a Mescheco Cappadoces, quos olim Meschinos fuisse vocatos Josephus ait, signúmque priscæ illius appellationis apud hos exstare Mazacam urbem, quam Tyberius Cæsar Cappadocia in formam provinciæ redacta vocavit Cæsaream, ubi floruit Basilius magnus. Etsi haud scio an etiam Mazaces cum his intelligendi sint, populi Sarmatiæ Asiaticæ, quorum meminit Plinius lib. 6. natur. hist. cap. 7. superiores Albanis, jaculandi peritia commendatissimi: sed ea tamen lege ut a Mazacibus Africanis sive (ut Ammianus vocat) Mazicibus distinguantur. His enim fuit nomen inditum ab adducendo arcu Hebræa origine, id est, a verbo *Maschac* tetendit, non ab hoc Meschec proprio nomine. Junguntur autem ferè in Scripturis Thubalis & Meschecci nomina, ut Jechezk. 27. 13. & 32. 26. & 38. 3. & 39. 1. Atque hinc Mossyni Plinio lib. 6. natur. hist. cap. 4. Themiscyrenarum gentium in Cappadocia, quos Epiphanius vocat Mossynæcos, & Mela lib. 1. Geograph. cap. 21. & Moschicus mons in Armenia Cappadociam versus.

3 Filii autem Gomeri, [9] Aschcenaz, & [10] [a] Riphath, & [11] Thogarma.
4 Filii verò Javanis, [12] Elischa, & [13] [b] Tharschisch; [14] Cittim, & [15] [c] Dodanim.
5 [16] Ab his [17] divisæ sunt *posteà* regiones gentium per terras [18] earum, [d] cuique [19] secundùm linguam suam; [20] secundùm familias ipsarum [21] in gentibus suis.
6 Filii autem [22] Cham; [23] Cusch, & [24] Mitzrajim, & [25] [e] Put, & [26] Cenahan.
7 Et filii Cuschi, [27] Seba, & [28] Chavila, &

[8] hic consensione omnium autor est Thracum accolentium Pontum Euxinum atque Propontidem, quem Thraces Odrysum nominantes pro Deo habuerunt. Jerosolymitanus Turcos interpretatur; & R. Schelomo Jarchi exponit Paras, id est, Persam, ridiculè. [9] Pater incolentium Asiam, Pontum, & Bithyniam, ubi lacus est & fluvius Ascanius, & frequentatum nomen Ascanii. Hinc Ascaniæ maris Aegæi insulæ, & Ascania Phrygiæ locus emporio celebris apud Plinium libro 5. natural. hist. cap. 32. Jerosolymitanus exponit Asiam, rectè mea sententia ex Jirme 51. 27. Josephus Alchanazas olim fuisse dictos ait quos jam Græci Rheginos vocant: quo autore argumentóve, nescio. [10] Paphlagonum autor, qui olim (si Josepho credimus) Riphathæi. Hinc Riphæi montes, & Arimphæi populi per epenthesin literæ m ad euphoniam dicti Plinio libro 6. natural. hist. cap. 7. & Solino cap. 27. itémque Amazones degenerante vocabulo dictæ fuerunt Aeorpatæ apud Herodotum in Melpomene, ex Scytharum gentibus. Caspias gentes Epiphanius, Jerosolymitanus Paraphrastes Barcenos, sive (ut interpretantur alii) Phrygios seu Phrygas huic assignavit. [a] *Diphath.* 1. *Chron.* 1. 6. [11] populorum Armeniæ minoris autor, quorum Reges Tygranes corrupta voce, & opida Tygranokertæ vocata sunt, Jechezk. 27. 13. & 38. 6. Jerosolymitanus incolam Barbariæ fuisse putat, Josephus Tygrammanes a Græcis Phrygas olim fuisse vocatos arbitratur: quarum interpretationum neutram adhuc probare possum. [12] Aeliszæorum, id est, Aeolum purpura celebratorum autor, Jechezk. 27. 7. Jerosolymitanus Hellados, id est, Græciæ autorem putat. [13] incola Ciliciæ, qua Syriæ jungitur: unde celeberrima Ciliciæ metropolis Tarsus fuit appellata, patria Pauli Apostoli, Actor. 21. 39. & 22. 3. [b] *Tharschischa*, 1. *Chron.* 1. 7. [14] Cetidis in Cilicia incolæ & exterioris Ciliciæ, Numer. 24. 24. Jeschaħ. 23. 1. Jirme. 2. 10. & 1. Machab. 1. 1. Jerosolymitanus interpretatur Italiam ex falsa quorumdam Scripturæ locorum intelligentia, Josephus & Epiphanius κατὰ ἐπέκτασιν Cyprios, unde Cetium in Cypro opidum. Sed hos ab incolis Cetidis nomen duxisse puto, qui posteà in Cyprum migraverunt, & opidum extruxerunt. [15] Rhodii & Dodæi, a quibus vi maris insulam Rhodum separatam fuisse putant nonnulli, deinde verò e mari repentè emersisse; unde Græcis ἀνάδοτος primùm dicebatur quasi ἐκ ἄλι δοτή, non autem Ophiusa ut vulgo apud Plinium legitur lib. 5. natur. hist. cap. 31. Sic interpretor cum plerisque ex 1. Chron. 1. 7. quamquam Jerosolymitanus interpretatur Dudaniam, Dodonam fortè, aut potiùs Dudinos populos Illyridos, quorum meminit Plinius libro 3. natural. hist. cap. 21. sed mihi non videtur. [c] *Rodanim*, 1. *Chron.* 1. 7. [16] & ipsorum posteris, synecdochicè. [17] ac proinde separatim cultæ atque habitatæ. [18] gentium puta, quæ familias complures ab uno autore fusas complectuntur, quas in familias ac veluti tribus regiones terrarum divisæ sunt. [d] *Heb. viro.* [19] hæc enim post demum facta sunt quam linguarum confusio Babylone oborta est, infrà 11. anticipatio. [20] id est, quum dividerentur linguæ, hoc tamen levamen concessit Deus, quod eadem lingua in unaquaque familia aut etiam pluribus permansit: nam divisio linguarum in causa fuit, cur familiæ aliæ ab aliis sese disjungerent; ut contrà linguæ convenientia, sive affinitas in una familia pluribúsve, effecit ut eodem commigrarent & sedes conjunctas inter se deligerent. [21] in quas familiæ quàm plurimæ excreverunt. [22] qui meridianum tractum possedit plurimùm, eóque deduxit posteros: nimirum Asiam & Africam inde a Babylonia. Hinc enim tentoria Chami pro Aegypti habitationibus, Psalm. 78. 51. & terra Chami pro AEgypto dicitur, Psalm. 105. 23. & 27. & 106. 22. & Chemmis opidum magnum Thebaicæ, itémq; insula apud Herodotum in Euterpe. [23] qui Arabibus AEthiopibúsque nomen dedit. 2. Reg. 19. 9. Jirm. 13. 23. & alibi passim: hanc nostram interpretationem confirmat posterorum sedes, sequente V. [24] auctor AEgyptiorum, Scriptura teste, & omnibus consentientibus. [25] Libyæ, regionúmque ulteriorum incola, ubi olim Phuthæi incolæ vocabantur, & fluvius est Put a majore Atlante ducentis passuum millibus distans, teste Plinio libro 5. natural. histor. cap. 1. quem fluvium Phthuth appellat Ptolemæus. Epiphanius verò κατὰ Σαβαῖον huic attribuit τὴν τῶν Ἀξωμιτῶν χώραν, regionem Axumitarum sive (ut Vopiscus in Aureliano vocat) Axomitarum trans AEgyptum apud Troglodytas, quorum contermini sunt Homeritæ: atque ex eo loco alterum ejusdem auctoris opus est emendari libri 1. tomo 1. ubi Put (quem Φοὺδ nominat) cepisse dicit τὰ Ἀξωμιτανὰ μέρη, pro eo quod est Ἀξωμῖτις. [e] *Pul, Jeschaħ.* 66. 19. [26] cujus sedes & posteri accuratè describuntur infrà vers. 15. & sequentibus. [27] Arabiam desertam incolentium auctor, Psalm. 72. 10. & Jeschaħ. 43. 3. Sabæorum Josephus credidit in AEthiopia. [28] id est, fossilis regio, ora maritima ac veluti frons Susianes inferioris in Persidem, de qua suprà 2. 11. &

infrà 25.18. Ab hac Chavila Plinius lib.6.natur. hist.cap. 27.& Solinus cap. 68. duxisse videntur corruptum Babytaces nomen. Huic Getuliam Josephus tribuit: probare nequeo. Omnino tamen cavendum est, ne hic Chavila cum eo confundatur cujus mentio est infrà V.29.

[29] Sabbetha,& [30] Rahma,& [31] Sabtheca: filii verò Rahmæ, [32] Scheba,& [33] Dedan.
8 Prætereà Cusch genuit [34] Nimrodum: iste cœpit [35] potens esse in terra.
9 Iste fuit [36] potens venatione [37] coram Jehova: propterea [38] dici solet, tamquam Nimrod [39] potens venatione coram Jehova.
10 [40] Erat enim principium regni ejus [41] Babel,& [42] Erec, & [43] Accad, & [44] Calne; in terra [45] Schinharis:
11 E terra hac [46] processit *in* Assyriam: ubi ædificavit [47] Nineven, & [48] Rechobothas urbem, & [49] Celachum,

[29] imæ regionis in Arabia felice incola, ubi erat urbs Sabbatha sexaginta templa muris includens apud Atramitas, quam urbem Plinius vocat Sobotalem lib.6. natur. hist. cap.28. Hunc Josephus Astabarorum auctorem dicit exstitisse, quos olim Græci dixerunt Sabbathenos. Sunt autem Astabari populi Aethiopiæ ortum Nili versus. Hoc verò in transcursu monendum est, non Astabaros, sed Ascabaros, vel potiùs Chascaboræos nominari populos istos oportere; utpotè a Nili quem accolunt appellatione dictos. Dicitur autem Nilus in AEthiopia tribus nominibus: Chascapúsch, id est, e tenebris profluens: tum quà Meroen alluit, lævo alveo Chasca-bóra sive Chasca-vóra, fons aut rivus e tenebris aquas fundens; dextero autem alveo, Chasca-tzaphes, id est, e tenebris exundans, quia Nilus in tenebris subterraneis antè mersus in AEthiopia, quasi redivivus emergit in istis partibus. Quarum vocum proprietas mirificè a Geographis in linguas exteras transferentibus corrupta est, Strabone, Mela lib. 1. cap.9. Plin.lib.5.nat.hist.cap.9. Ptolemæo in Geographicis, & Solino cap.41. quum Astapum, Astaboram, Astusapem, & Astosabā appellarunt. [30] auctor populorum felicis Arabiæ, Jechezk. 27. 22. ubi Regamam Ptolemæus ponit, nempe mutato Hebræorum Hajin in g, ut ferè factum est. Sic enim Singaras, dicitur ex Schinhar infrà V.10. sic ex Hamora, Hazza, Henahe, Mehara dictæ sunt Gomorrha, Gaza, Ingine, Magora, & alia id genus innumera. Hic verò & in sequentibus Josephus est corruptissimus: Sed illi tamen cum Epiphanio (cujus item corruptus locus est) convenire puto: nempe ex Regama literis transpositis appellatam fuisse τὴν γαραμῶν χώραν, in Libya Garamantum agrum: sed me in primis Jechezkelis locus deterret ab hac interpretatione. [31] populorum in Arabia felice pater qui Sachalitæ dicuntur ad sinum Persicum διὰ συγκοπῆς apud Ptolemæum, ut conjectura est. [32] regionis Australis incola, auro, thure, & aromatibus abundantis in AEthiopia, 1.Reg.10.1. Jescha. 10. 6. Jechezk. 27. 22. ubi Reginæ Kandak, Candacæ, sive Candaces dicebantur, Act.8.27. Strabo lib. 17. Geograph. & Plin.lib.6.natur.hist.cap.29. [33] superioris tractus in Arabia felice incola: ut apparet tum ex mercibus quarum meminit Jechezk. 27.15. & 38.13. tum ex propinquitate Rahmæ. His autem cognomines sunt aliæ regiones duæ (ut suis locis observabimus) dictæ a Scheba & Dedane Abrahami posteris ex Ketura, & in Arabia deserta sitæ, infrà 25.3. [34] quem Græci, teste Epiphanio, Zoroastrem esse putaverunt falsò, eo quòd a rebellione in Deum, id est, ἀπὸ τῆς γονείας putarent dictum. Belum postea fuisse dictum magis existimaverim, quod nonnullis posteà video placuisse. [35] id est, potentiam sibi usurpare post divisionem linguarū in omneis homines terræ. [36] i. abutens potentia in hominibus infestandis, & comparanda sibi tyrannidis amplitudine, ut venatores & aucupes affectant prædam: elegans metaphora, ut Eccles.9.16. Lamen.3.52. & 4.18. [37] ut sup.6.11. [38] i. tyrannis ejus in proverbium abiit. [39] hoc quidem de ferarum venatione & aucupio accipi potest: sed præcedentibus & sequentibus est accommodatius, si de imperio violento (ut ante diximus) accipitur. [40] i. primum in Chaldæa & Mesopotamia regnabat, ubi singula hæc opida sita sunt. [41] vide inf.11.9. [42] Edessa vetus ad Euphratem, non autem illa mediterranea quæ pòst dicta est Antiochia: sic interpretatur Jerosolymitanus, cúmque sequutus Hieronymus: sed quid si Arecham in Susiana dixeris? non probo. [43] Nisibis Mesopotamiæ, in ea parte illius sita quā Geographi Acabenē corruptè pro Accadene dixerunt de metropoleos istius & stativorū nomine. Netzebin enim dicûtur stationarii, & inde Nisibis: ex Jerosolymitano Paraphraste. [44] opidū Callinisum, munimentum robustū & commercandi opimitate gratissimū, inquit Ammianus lib.23. a commoditate & perfectione habitationis dictum hic, & Hamos 6.2. alii Agrani esse putant, opidum maximum Euphrati impositum, quod diruêre Persæ, ut ait Plin.lib.6.natur.hist. cap.26. Seleuciam Hieronymus, Ctesiphontem Jerosolymitanus vertit: sed opidum hoc trans tygritanū est, quod huic loco non satis cōvenit. [45] i. Mesopotamiæ & Chaldææ (nam hæc olim comprehensa fuit nomine Mesopotamiæ) ubi est mons Singaras imminens Mesopotamię, & ab eo dictum opidum Singara, vide suprà in V.7. [46] sive Nimrod ipse (quod ego quidē malim) sive posterorū aliquis suæ tyrānidis fines ampliavit. [47] Assyrię urbem clarissimā quondā, Tygri impositā, ait Plin.lib.6.nat.hist.cap.13. quā Ptolemæus Ninum vocat lib.6. Geograph. cap.1. Lucanus autē lib.3. Ninon Græca terminatione. [48] Orobam ad Tygrin, ut Ptolemæus nominat, quapropter etiā Rechobothæ fluminis appellantur inf.36.37. LXX. exponunt Roobothas, urbem autem adjecit Moses, ne quis Rechobóth appellativè acciperet (sunt enim Rechobóth Hebræis plateæ amplæ) quod Jerosolymitanus faciens de plateis Nineves interpretatus est. Apud Epiphanium corruptè legitur, θειράς, pro eo quod est ῥωβὼθ εἶρ, ex Hebręis vocibus conjunctis [49] Calacines regionis in Assyria metropolin supra Adiabenem, unde fuit inditum regioni nomen. Harjatham exponit Jerosolymitanus, quam Ptolemæus (opinor) Artagigartam vocat, pro eo quod est Arjathi-kartam urbem Tygri in Armenia majore ad fines Assyriæ impositam: Epiphanius Λάσεν. Nobis neutrum probatur.

12 Et [50] Resenum inter Nineven & Celachū: [51] illa est urbs illa maxima.
13 Mitzrajim autē genuit [52] Ludæos, & [53] Hanamæos, & [54] Lahabæos, & [55] Naphthuchæos,
14 [56] Pathrosæos quoque, & [57] Casluchæos, [58] unde egressi sunt Pelichthæi, & [59] Caphthoræos.
15 Cenanan verò genuit [60] Tzidonem primogenitum suum, & [61] Chethum:
16 [62] Jebusæum quoque, & [63] Emoræum, & [64] Girgaschæum,
17 Et [65] Chivvæum, & [66] Harkæum, [67] Sinæúmque,
18 Et [68] Arvadæum, & [69] Tzemaræum, & [70] Chamathæum: [71] posteáque sparserunt sese familiæ Cenahanæorum.
19 [72] Fuitque terminus Cenahanæorum a Tzidone, quà venis [73] Gerarum [74] Hazzam usque: & Hazza quà venis [75] Sedomum & Hamoram, Admámque, & Tzebojima, Leschahum usque.
20 [76] Isti sunt filii Chami in familias suas secundùm linguas suas; in terris ipsorum per gentes suas.
21 Deniq; [77] ipsi quoq; Schemo edita est *proles*; [78]

[50] Resainam opidum junioris Gordiani monumenta nobile in Mesopotamia esse putant, alii in Susianes agro Arsianem; de quibus Ammianus lib.23. Epiphanius λόσεν de sui temporis, opinor, appellatione: Jerosolymitanus Thelassarum, de quo vide in 2. Reg. 19.12. Nos aut Bessaram, aut potius Belcianem esse conjicimus, quā in eo situ retulit Ptolemæus.

[51] nimirum Nineve; nam relativum pronomen ad antecedens longinquius pertinet, vide Jonæ 3. & 4. sic infrà 19.13. & 1. Schemu.7. 17. Sic etiam Marc.2.13. & 2.Thess.2.9. [52] Gentilia sunt hæc, non autem propria nomina: nempe Ludęi a Ludo, cujus mentio est Jeschah.66.19. Hanamæi à Hanamo, &c. Atque horum sedes sibi ignotas esse Josephus confitetur, quia (inquit) bello AEthiopico AEgyptus sic fuit afflicta, ut ne ipsa quidem priscorum nominū vestigia superfuerint. Nos tamen, siquid aut ex Scripturæ locis, aut ex vestigiis nominum, aut ex aliorū testimoniis indagare possumus, afferemus. Ludæi ergo, Jerosolymitano teste, sunt Mareoticæ præfecturæ in AEgypto incolæ. [53] Pentapolitas sive Cyrenæos, ex Paraphraste Jerosolymitano. [54] Libyas. [55] AEthiopas sub AEgypto, quorum metropolis, vel solum potius in eo tractu opidum est Napata Ptolemæo, & Plinio lib.6. nat.hist. cap.29. [56] Phaurusios Ptolemæo, Pharusios Plinio, dictos ab ipsorum auctore pathros, de quo Jeschah.11.11. Pelusios exponit Jerosolymitanus: sed ut assentiar vetat historia Exodi. [57] Cassiotidis ad ingressum AEgypti incolas. [58] i. a quibus coloni in tractum propinquum migraverunt, qui vulgò Palæstina dicitur. Atque hic quidem trajectionem anteà esse putavimus ex Deut.2.23. Jirm.47.4. & Hamos 9.7. sed illa mihi nunc videtur esse durior, & ad locorum istorum interpretationem minimè necessaria. hæc enim dicuntur synecdochicè judicio meo, in hanc sententiā: Caphthoræos ad Casluchæos, id est Casiotas venisse: nam illac iter est petentibus Palæstinam: inde utrosque conjunctis viribus, sed principibus auctoribúsq; Caphthoræis in Palæstinam proximam irrupisse. [59] Sethroitidos præfecturæ incolas, eorúmque finitimos. Jerosolymitanus & Hieronymus quare exponant Cappadocas non video. [60] Sidonis conditorem in Phœnicia. [61] a quo dicti fuerunt Citthæi, ab Oriente siti Euphratem versus, Jehoschu. 1. 4. [62] conditorem Jebusi, quæ posteà Jeruschalaima, Jehoschu. 18. 28. [63] Baschanis & Gilhadis incolam, Deuter. 2. & alibi [64] sive Gergesenum, Matth. 8. 21. trans Jardenem ad lacum Tyberiados, ubi fuit opidum Gerasa Ptolemæo, quod Josephus Gesaram, alii Gelasam vel Galasam vocant in Decapolitana regione: Plinius libro 5. natural. histor. cap. 18. [65] cujus in agro Gibhonitæ habitabant, Jehoschu. 9. 19. Tripolitanum Phœniciæ exponit Jerosolymitanus, pro eo quod est incolas regionis subjectæ Libano, Jehoschu. 11. 3. & Judic. 3. 3. & alibi. [66] incolam Harkæ in Phœnicia ad radices Libani. Arcam nominant Geographi, urbem præcipuam in sua Tetrarchia. [67] Caparorsæ incolam (inquit Jerosolymitanus) quam Ptolemæus in Idumæa non procul a Jebuso collocat Meridiem versus. [68] a quo sunt Aradi & Antaradi incolæ, navali peritia nobiles & virtute bellica, Jechezk. 27. 8. & 11. [69] auctorem eorum qui incolebant Tzemarajima, Jehoschu. 18. 22. & tractum universum usque ad montem Tzemarajimorum, de quo 2. Chron. 13. 4. Jerosolymitanus autem Paraphrastes pro Emissanis accipit, sive (ut Plinius vocat) Hemisenis in Cœle Syria. [70] incolam regionis Chamathæ, quæ porrenditur a Libano ad desertam usque Arabiam, cujus metropolis est Amathus olim dicta, aut etiam Cadytis Herodoto in Euterpe & Thalia. Hæc Jerosolymitano fuit Antiochia. [71] nempe quàm Cenahan maledictus in hunc tractum deduxit familiam suam. [72] Quia hæc Jisraëlitis scribebat Moses, quibus regio Cenahanis divinitus fuit destinata: jam singulari studio definit terminos illius tractus quem tum Cenahanæi occupabant. Nam Tzidon & Hazza civitates maritimæ designant Occidentales angulos a Septemtrione ad Meridiem; Sedom verò cum civitatibus reliquis, & Leschah sive (ut Hieronymus interpretatur) Callirrhoē, angulos Orientales a Meridie Septemtrionem versus contra Moabitarum & Hammonitarum agrum. [73] regionem Palæstinæ quæ posteà dicta est Salutaris, teste Hieronymo; olim regnum discretum a Palæstinæ Satrapiis: sic infrà 20.1. 26.1. [74] quæ vulgo Gaza Pelischthæorum Satrapia, Jehoschu. 13. 3. & 1. Schemue. 6. 17. [75] de quibus videndum infrà 14. & 19. [76] epilogus ut suprà V. 5. [77] similis planè loquutio legitur suprà 4. 26. [78] id est, communi parenti nostro & Hebræorum omnium qui nomen duxerunt ab Hebero, de quo infrà V. 24. quamobrem etiam simplice Hebræorum nomine a Bilhamo designantur, Numer. 24. 24. proprio nomine ex Hebræorum usu suffecto in locum patronymici.

patri

79 heterationem accentuum fidémque historię sequuti sic exposuimus. Nam quum Noach quingentesimo demum ætatis anno gignere cœperit, suprà 5.32. sexcentesimo sit diluvium expertus, sup.7.1. sexcentesimo secundo, id est, altero post diluviũ anno Schem Arpacschadum agens centesimũ annum genuerit, infrà 11.10. omnino hunc constat non fuisse natu maximum. Cham autem disertè minimus natu fuisse dicitur sup.9.24. Necessariò itaque de Jephetho locum hunc sic oportuit accipere: ut natus 500.

patri omnium filiorum Heberi [79] fratri Jephethi *natu* maximi.

22 ‖ Filii Schem, [80] Helam, & [81] Aschur, & [82] Arpacschad, & [83] Lud, & [84] Aram.

23 Filii autem Arami; [85] Hutz, & [86] Chul, & [87] Gether, & [88] f Mesch.

24 ‖ Arpacschad verò genuit Schelachum, & Schelach genuit Heberum:

25 At Hebero editi sunt duo filii, *quorum* unius nomen *est* [89] Peleg, quia [90] diebus hujus fuit divisa terra, nomen verò fratris hujus Joktan.

26 [91] Joktan autem genuit Almodadum, & Schelephũ; & Chatzar-mavethum, & Jerachũ,

27 Et Hadoramum, Uxalémque, & Diklam,

28 Et Hobalem, & Abimaëlem, & Schebam,

29 Et Ophirum, & Chavilam, & Jobabum: hi *fuerunt* omnes filii Joktanis.

30 Fuítq; horum habitatio [92] a Mescha; quà venis [93] Sepharum, *ad* [94] montes Orientis usque.

31 Isti sunt filii Schemi in familias suas secundùm linguas suas; in terris ipsorum per gentes suas.

32 Hæ familiæ filiorum Noachi, secundùm generationes ipsorum in gentes suas, atque [95] ex his sese diviserunt gentes in terra post diluvium illud.

annos Jephethum, natus 502. annos Schemum, natus eo plureis annos Chamum genuerit. Cur autem hic frater Jephethi appelletur excluso Chamo, id ex illa Noachi historia cognoscendum est quæ habetur suprà 9.23. & seq. ‖ 1.*Chron*.1.17. [80] a quo sunt Elimæi (ut Josephus nominat) sive Elamitæ intus in superiore parte Persidis. [81] qui Assyriæ nomẽ dedit, ut sup. V.11. [82] a quo per aphæresin Caschdim, id est, Chaldæos dictos volunt. [83] a quo Lydi. [84] a quo Aramæi, id est, Syri. Atque hinc factum est ut Scythæ ex Asia Syriáque reversi in suas sedes, ab antiquis dicti sint Aramæi, teste Plinio libro 6. natur. hist. cap.17. [85] populorum auctor in Trachonitide, quam etiam Bathanæam Ptolemæus vocat. Hinc Ausanitis regio sub Palmyrene sita dicitur a LXX. nimirum inter Palestinam & Cœlen Syriam ad latus Chamathæ. [86] Palmyrenas solitudines ad Euphratem usque obtinens, ubi opidum Cholle a Ptolemæo ponitur. Huic Josephus tribuit Armeniam: quod mihi quidem videri non potest probabile. [87] incolens medium Syriæ tractum supra Palmyrenas solitudines; nimirum Casiotida & Seleucidem, ubi opidum Gindarus a Ptolemæo nominatur per epenthesin literæ n. & incolæ Gindareni Plinio lib.5. nat. hist. cap.23. Huic Josephus assignat Bactrianam, quo jure nescio: nisi fortè Bactra pro Begatra, id est, loco vel sede Gether accipiendum esse putaverit. [88] incolens summum tractum Syriæ inter Ciliciam Mesopotamiámque ad illam usque partem Amani montis, quam vocant Masium. Nam quòd huic maritimum Susianes tractum vallúmque Pasinis Josephus tribuit, id nimis procul est ab Aramo dissitum. f *Meschec*.1. ‖ 1.*Chron*.1.17. *infrà* 11.2. [89] id est, divisio, ut mox sequitur. [90] id est, quo tempore natus est: nam alioqui cæteri eodem tempore vixerunt, sed non eodem sunt nati. [91] hujus posterorum sedes a nobis pervestigari distinctè non potuerunt, aut ex scriptis aliorum erui: si hoc exceperis, quòd Chatzar-mavethum Epiphanius contra Sethianos scribit fuisse Arabum patrem. Quapropter omnia hæc in medio placet relinquere. [92] id est, regione illa quæ subest monti Masio, quæ pars est Amani montis: nam & Masius & Mescha regio duxerunt nomen ab illo Mesch, cujus mentio est sup. V.23. [93] Sippharam Ptolemæo, opidum situm ad Euphratem in Mesopotamia. [94] i. montana Chaldææ, quæ Euphratem excipiunt, & ab Arabia deserta Chaldæam dirimunt: hi enim hoc in loco dicuntur montes Orientis, ut Numer. 23.11. [95] puta capitibus atque familiis; ut dictum est suprà in versum 5. & 18.

CAPUT XI.

Homines cupiditate gloriæ & separationis metu conspirantes, urbem turrímq; maximam incipiunt ædificare: quod cœptum confusione linguarum & familiis per orbem disjectis avertit Deus. Posteritas Schemi ad Abramum usque: migratio ejus ex vocatione Dei, & mors Therachi patris exponitur.

1 Fuerat [1] enim universa [a] terra [2] sermone uno, & [3] verbis [b] eisdem *usa*.

[1] Moses per hysterosin causas & initium explicat historiæ quæ superiore cap. continetur: quod genus hysteroseon in antegressarum causarum narrationibus est frequentissimum: ut infr. V.33. & 1.Schem.1.17. & Matt.1.18. & 14.3. [2] i. incolæ terræ metonymicè, ut suprà 9.13. a *Heb. labio: sic V.7. & 9.* [3] hæc sunt antecedentis Hebraismi exegetica, *labii unius*: quamobrem non ampliùs deinceps in hoc capite repetuntur. Atq; hanc Hebræam fuisse linguam consensione omnium ostenditur, & Augustinus argumentis probat lib.16. de civit. Dei cap.11. b *Heb. unis.*

2 c Evenit autem, quum [4] ab Oriente profecti essent; ut invenientes convallem in terra [5] Schinharis considérent illic:

3 Dicerentq; d alter alteri, agedum, formemus lateres, & e excoquamus optimè: sic fuerunt eis lateres pro [6] lapidibus, & [7] bitumen illius fuit eis pro inerito.

4 Nam [8] dixerant, agedum, exstruamus nobis [9] urbem & turrim, cujus fastigium *assurgat* [10] in cælum, ut nobis faciamus nomen: [11] *videamus* ne dispergamur in superficiem totius terræ.

5 [12] Descendit verò Jehova ad videndum urbem illam & turrim, quam exstruebant [13] filii hominum:

6 Dixitq; Jehova, en [14] populum unum, quibus omnibus sermo *est* unicus, atque [15] hoc *est quod* f isti cœperunt facere: jam autem non præcideretur istis g quicquam eorum quæ cogitaverunt facere?

7 [16] Agedum, descendamus, & [17] confundamus ibi sermonem eorum; ut non intelligant alter sermonem alterius.

8 Sic dispersit illos Jehova inde in superficiem totius terræ: & desiverunt exstruere urbem illam.

9 Propterea vocavit *quisque* nomen illius [18] Babel, quòd ibi confudisset Jehova sermonem totius terræ: & inde Jehova dispersit eos in superficiem totius terræ.

10 [19] Hæ *sunt* generationes Schemi. ‖ Schem h natus *erat* centum annos, quum genuit Arpacschadum: [20] biennio post diluvium.

11 Vixítq; Schem, postquàm genuit Arpacschadum, quingentis annis; quibus genuit filios & filias.

12 Arpacschad autem vixerat triginta quinq; annis, quum genuit Schelachum.

13 Vixítq; Arpacschad, postquã genuit Schelachum, quadringentis tribus annis: quibus genuit filios & filias.

14 Schelach autem vixerat triginta annis, quum genuit Heberum:

15 Vixítq; Schelach, postquam genuit Heberum, quadringentis tribus annis; quibus genuit filios & filias.

16 Heber autem vixerat triginta quatuor annis, quum genuit Pelegum:

17 Vixítq; Heber, postquam genuit Pelegum, quadringentis triginta annis: quibus genuit filios & filias.

18 Peleg autem vixerat triginta annis, quum genuit Rehu:

19 Vixítque Peleg, postquam genuit Rehu, ducentis novem annis: quibus genuit filios & filias.

20 Rehu autem vixerat triginta duobus annis, quum genuit Serugum:

21 Vixítq; Rehu, postquam genuit Serugum, ducentis septem annis; quibus genuit filios & filias.

c *Heb. fuit: ut sup.4.8.* [4] nempe quum ex montibus Ararati (ubi arca substitisse dicitur sup.8.4.) Assyriam Adiabenam primùm petivissent: unde regressus fuit in Babyloniã Occidentem versus. [5] Mesopotamiæ, cujus pars fuit Babylonia: nam quod Jerosolymitanus hic exponit Pontum, in eo aberrat à vero, & a se ipse dissidet. vide suprà in 10.10. d *Heb. vir ad amicum: sic V.7.* e *Hebr. comburamus ad combustionem.* [6] quorum penuria est in campo Babylonis, ait Curtius lib.5. [7] convallis, id est, Babylonicum, ex fluvio cui nomen est Is, ut Herodotus in Clione refert. Bitumen, ait Plinius libr.35. nat. hist. cap.15. calcis usum præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. [8] inter se deliberaverunt. [9] e quibus urbem a Semiramide, turrim a Belo exstructam esse fabulati sunt historici, & Jovi Belo sacram fuisse tradiderunt. Hanc autem turrim sive Beli templum memoria sua adhuc duravisse testis est Plinius libr.6. nat. hist. cap.26. [10] hyperbole, qua altitudo maxima significatur, ut Deut.1.28. & 9.1. aut qualibet amplitudo, ut Jehosch. 8.12. Sic etiam Jeschah. 14. 14. Matth.11.23. & Luc.10.15.

[11] ellipsis, de qua sup.3.22. [12] humanitus dictum, ut sup.6.5 & 8.21. & infrà V.7. tamquam siqui Princeps de arce aut solio suo descenderet, cogniturus & quæstionem habiturus accuratissimè antequàm sententiam ferat. Vide super loquutione hac Basilium homil. in Psalm. 7. [13] impii, qui filiis Dei opponuntur, ut sup.6.2. [14] nempe qui duobus istis fretus hoc opus machinatus est, quòd unam communem habuerit habitationem & linguam. [15] id est, huc usque opus suum perduxerunt: itaque tempus est ut illorum conatus impediam. f *Heb. incipere illorum facere.* g *Heb. omne.* [16] re cognita sententiam fert his verbis Jehova Deus unus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ut exponitur V.8. & 9. vide suprà in 26. [17] itaque efficiamus confusione hac ut opus intermittatur, & homines dispergantur. [18] i. advenit confusio, vel in ea confusio est, voce composita: cujusmodi compositio habetur infrà 30.11. & alibi. [19] hactenus varia posteritas Schemi & habitationes ipsius, in fine cap. 10. hîc autem recenset Moses filios Dei ad historiæ fidem, temporũ seriem, Ecclesiæ cõtinuationem, & Christi genus cognoscendum. ‖ *sup.* 10.22. 1.*Chron*.1.17. h *Heb. filius centum annor.* [20] Vide sup. in 5.32. & 10.21.

22 Serug autem vixerat triginta annis, quum genuit Nachorem:

23 Vixítq; Serug postquàm genuit Nachorem, ducentis annis; quibus genuit filios & filias.

24 Nachor autem vixerat viginti novem annis, quum genuit Therachum:

25 Vixítq; Nachor, postquàm genuit Therachum, centum novemdecim annis; quibus genuit filios & filias.

26 ℓ Therach autem vixerat septuaginta annis; quum [21] genuit [22] Abramum, [23] Nachorem, & Haranem.

27 Atque hæ generationes Therachi. Therach genuit Abramum, Nachorem, & Haranem: Haran verò genuit Lotum.

28 Posteà mortuus est Haran [24] in conspectu Therachi patris sui; in [i] solo natali suo, [25] Ure Chaldæorum *opido*.

29 [k] Duxerunt quoq; Abram & Nachor uxores sibi, noménque uxoris Abrami *fuit* Sarai; nomen verò uxoris Nachoris, [26] Milca, [27] filia Haranis patris Milcæ & patris [28] Jiscæ.

30 Erátque Sarai sterilis: *ideóque* nulla *erat* ipsi proles.

31 [29] Assumsit autem Therach [30] Abramum filium suum & Lotum filium Harenis [l] nepotem suum, & Saraïn nurum suam uxorem Abrami filii sui: & [31] egressi unà *opido* Chaldæorum Ure ad proficiscendum in regionem Cenahanis pervenerunt [32] Charanem usque, & [33] consederunt illic.

32 Quúmq; fuissent dies Therachi [34] ducẽtorũ quinq; annorũ, mortuus est Therach Charane.

CAPUT XII.

33 ℓ [35] Dixerat enim Jehova Abramo, [m] abi a terra tua, & a cognatione tua, atque a [36] familia patris tui; in eam terram [37] quam ostendam tibi.

34 Et [38] efficiam te [n] patrem gentis magnæ, ac [39] benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum: Adeóq; *tam* [40] esto benedictioni.

35 [41] Nam benedicam iis qui benedicent tibi, & qui maledixerit tibi eum exsecrabor: & ℓ [42] benedictæ erunt in te omnes familiæ [o] terræ.

ℓ *Jehosch.24.2. 1.Chron.1.26.* [21] id est, primùm cœpit gignere: nam diverso tempore fuerunt geniti, ut mox demonstrabimus: sic suprà 5.32. [22] hic primus in Therachi filiis nominatur, ut Dei filius; quia de hoc præcipuè sermo deinceps habendus est. Quamquam non continuò sequitur Abramum fuisse natu maximum, sicut etiam de Schemo observatum est sup. 10.21. Abram enim (ut ex cap. 12.1. colligitur) tum demum natus est, quum pater ageret annũ 130. siquidem pater anno ætatis 205. Charane mortuus est infr. V.32. quo anno Abrã natus fuisse dicitur annos 75. infrà 12.1. ac proinde Abram fratre primogenito Harane minor fuit annis sexaginta. [23] vide sup. in 5.32. Horum autem fit mentio propter sequentes historias: ut intelligatur quã ratione Lot ad Abramum attinuerit, & de familia uxorum Jitzchaki & Jahacobi constet. [24] id est, vivo & præsente patre, ut Numer.3.4. [i] *Heb. terra cognationis suæ: ut V.33.* [25] sic appellat Ammianus lib.25. & suo tempore castellum fuisse dicit: alii historici Orchoën dixerunt: unde tertia Chaldæorum disciplina fuit Orchoëna dicta, teste Plinio lib.6. natur. hist. cap.26. qui locus fœdissimè corruptus est. [k] *Heb. cepit.* [26] avia Ribkæ, quæ uxor fuit Jitzchaki, infrà 22.23. proavia Rachelis & Leæ, infrà 29. [27] nimirum utraque & Sarai & Milca: prout hanc vocem *Xro nostrũ* Hieronymus & Hebræorum plerique conjiciunt duobus membris aptari oportere: Sarai enim & Milcam fuisse Haranis filias, Sarai verò alterum fuisse nomen Jiscæ, atque hanc ex naturæ ordine secundo loco in sequent. nominari: qua de re vide ampliùs infrà in 20.12. Hinc autem, nimirum ex eo tempore quo Haran vita defunctus dicitur, & ex ætate Loti filii ipsius colligimus Haranem fuisse natu in filiis Therachi maximum, quum hujus filia legatur fuisse apta quæ matrimonio jungeretur Nachori fratri ipsius. Hanc enim explicationem postulat locorum Scripturæ comparatio, & Augustinus jam olim annotavit optime Quæstionum super Gen. cap.25. [28] id est, Sarai, ut modò ex conjectura diximus. [29] nimirum postquam Deus Abramum vocaverat, infrà V.33. & 15.7. & Act.7. resciscensque ex filio Therach in eam vocationem fide consenserat: sunt enim hæc per anticipationem dicta. [30] & vocationi Dei, & paterno ductui simul obsequentem. Nachoris autem (quem tamen in Mesopotamiam quoque profectum fuisse constat ex cap.24.10. infrà.) hic nulla mentio, quia non vocanti Deo obsequutus, sed abeuntem patrem prosequutus est: quapropter etiam substitit in Mesopotamia, neque ulterius cum familia reliqua profectus est. [l] *Heb. filium filii sui.* [31] Therach & familia quam duxit. Atque hinc incipiunt illi 430. anni, quibus exactis Jisraëlitæ fuisse educti ex Aegypto leguntur, Exod.12.41. & quos Paulus Galat. 3.17. ait intervenisse inter promissionem factam & legem traditam. [32] id est, Carras (ut Geographi vocant) clade Crassi nobiles. [33] quasi annos 5. qui inter vocationem Abrami discedentis Ure & profectionem Charane intercesserunt. dicitur enim Abram infrà 12.1. fuisse annos 75. natus quum inde exiret. [34] e quibus si annos 75. Abrami exeuntis Charane detraxeris, supererunt 130. anni: quot annos vixisse Therachum oportuit quum Abramum gigneret, ut suprà in versum 26. ostendimus. ℓ *Jehoschu.24.3. Nechem.9.7. Act.7.3.* [35] jam superioris profectionis causa, mandatum Dei, exponitur per hysterosin Hebræis frequentissimam, ut suprà in V.1. observavimus. Quamobrem tres hosce versus cum antecedentibus visum est conjungere: vide infrà 15.7. & Act.7.2. & 3. [m] *Heb. vade tibi: pleonasmus.* [36] quæ jam tota ruerat in communem idololatriam, Jehosch.24.2. [37] indefinita promissio, sed quam deinceps per gradus circumscribit Deus.

[38] Evangelicæ promissiones, quarum primam interpretamur ex cap.17.3. & 4. infrà. [n] *Heb. in gentem magnam.* [39] rebus corporalibus & spiritualibus, ut enarratur Rom.4.11. &c. [40] id est, summè benedictus, & ita quidem benedictus, ut per te benedictio mea in alios derivetur: quod bonum exponitur sequenti versu. Similis auxesis est suprà 3.6. & alibi passim. [41] quasi dicat, commissa est tibi & profusa in te tanta benedictio, ut propter eam sim communes amicos & inimicos tecum habiturus. ℓ *infrà 18.18. & 22.18.* [42] id est, tibi per fidem in Christum insito, fient participes harum promissionum benedictionúmq; tecum, Act.3.25. & Gal.3.8. ut Augustinus lib.16. & 17. explicavit. [o] *Heb. humi.*

CAPUT XII.

Abram ex vocatione Dei ingressus Cenahanæam propter famem in Aegyptum migrat: ubi uxor eripitur ipsi, post restituitur cum muneribus intacta: & fide publica incolumes ex Aegypto dimittuntur.

1 Deinde profectus est Abram *Charane*, sicut edixerat ei Jehova, & Lot cum eo profectus est: [1] *erat* autem Abram [a] natus septuagintaquinque annos, quum proficisceretur Charane.

2 Assumsit enim Abram Saraïn uxorem suam, & Lotum filium fratris sui, cum universis facultatibus suis quas comparaverant & animis quas [b] acquisiverant Charane; & profecti ut abirent in regionem Cenahanis, tandem pervenerunt [c] in eam.

3 Et transivit Abram per regionẽ illam ad locũ usque [2] Schecemi ad [d] planitiem usque [3] Moræ: *erat* autem [4] Cenahanæus tunc in regione illa.

4 Quamobrem apparuit Jehova Abramo, & dixit, semini tuo daturus sum regionem hanc: ℓ *Abram* verò exstruxit ibi altare Jehovæ qui apparuerat ipsi.

5 Posteà resigens inde ad [e] montana profectus est, versus Orientalem tractum [5] Beth-elis, & tetendit tentorium suum: Beth-el ab [f] Occidente, & Hai ab Oriente *erat ipsi*, quum illic Jehovę ędificaret altare, & invocaret nomen Jehovæ.

6 Deinde profectus est Abram [g] indesinenter pergendo, in [6] meridianum tractum.

7 Erat autem fames in regione illa: quapropter descendit Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur illic, quia gravis *erat* fames in regione illa.

8 ℓ Fuitq; quum [h] propè esset ut ingrederetur Ægyptum; ut [7] diceret Sarai uxori suæ, ecce [8] nunc novi mulierem pulcram aspectu esse te:

9 Itaque [i] eventurum est, quum te viderint Ægyptii dixeríntque, hæc uxor *est* illius; ut me interficiant, te verò in vita servent.

10 Dic quæso [9] sororem meam *esse* te; ut bene sit mihi propter te, & [l] vivam ego causa tua.

11 Sic autem evenit ingresso Abramo in Ægyptum: quum viderent Ægyptii mulierem illam, pulcram esse valde.

12 Nam visa ea [10] Principes Parhonis, laudaverunt eam apud Parhonem: & [11] capta mulier illa *in* Parhonis domum *perducta* est:

[1] Vide sup. in 11.26. & 32. [a] *Heb. filius quinque annorum & septuaginta anni.* [b] *Heb. fecerant: ut Deut.8.17. & 18.* [c] *Heb. in terram Cenahanis.* [2] i. ubi posteà fuit urbs Schecem, de qua infr. 33.18. [d] *Heb. Elon.* [3] ut Deut.11.30. More autem putatur esse proprium aut possessoris qui sub hæc tempora vixerit, aut loci de nomine possessoris sui. [4] i. nihil minus in speciem videbat Abram quàm quod ipsi fuerat à Deo promissum; & tamen certa id percipiebat fide, ut patrem credentium decuit. ℓ *infr.13.4.* [e] *Heb. montem.* [5] per anticipationem dictum: nam tunc appellabatur Lux infr. 28.19. [f] *Heb. mari: quod respectu Cenahanææ situm est Occidentem versus.* [g] *Heb. eundo & proficiscendo: vide sup. in 8.3.* [6] Cenahanææ, qui spectat Ægyptum: qua ratione factum est, ut invadente fame in Aegyptum potiùs quàm aliò migraverit sequente V. ℓ *infrà 20.15.* [h] *Heb. appropinquasset veniendo, vel ad veniendum in AEg.* [7] utens consilio prudentiáque carnis & sanguinis. [8] puta quum meridianas istas fœminas contemplor, & se cum illis comparo. [i] *Heb. erit: ut sup.4.8. & infrà V.11.* [9] ut quæ avitum communem cum ipso habuerit: vide sup.11.29. & infrà 20.12. Non petit autem Abram ab uxore sua ut mentiatur ajens falsum, aut verum negans, sed tantùm ut veri partem dicens partemq; reticens ipsum a periculo quod impendere sibi putabat liberet. [l] *Heb. vivat anima mea: synecdoche, ut Numer. 23.14.* [10] leones aulici, Principum gratiam maleficiis aucupantes. [11] id est, παραληφθεῖσα εἰς τὸν οἶκον Φαραώ, ut loquitur Matthæus 4.5. & 8. & 27.27. Metalepsis, quam pro natura cujusq; loci judicio nostro supplevimus: nam perducendi verbum superiore includitur, ut peregrina syntaxis indicat. Sic infrà 43.33. & 34. & Exod.18.12. & 25.2. & 27.20. & alibi passim.

13 Qui

12 nam his etiam modis, id est, hominum infidelium opera implet præstátque Deus promissiones suas quæ habentur sup. 11.34.
13 eum ut ulcisceretur violentū raptum Sarai, tum etiam ut morbo (quem tempestivè immisit Deus) impediti, evidentibúsque Dei flagellis consternati non possent domestici consilio aut opera adjuvare Parhonis scelus, aut ipse Parho explere suam libidinem; quod hujus versus vocibus manifestò indicatur.

13 Qui Abramo [12] benefecit propter illam; adeò ut fuerint ei oves, bovésque & asini, servi quoque & ancillæ, asinæque & cameli.
14 Sed [13] affecit Jehova plagis magnis Parhonem, & familiam ejus, [m] propter Sarain uxorem Abrami.
15 Quamobrem accersivit Parho Abramum & dixit, [14] quid hoc *est quod* fecisti mihi? quare non indicaveras mihi uxorem tuam *esse* hanc?
16 [15] Quare dixisti, soror mea est? adeò ut [n] ducturus eam mihi fuerim uxorem: jam itaque ecce uxorem tuam, recipe *eam* & abi.
17 Tunc dedit mandata de eo Parho *certis* hominibus: qui [16] dimiserunt eum, & uxorem ejus, & quicquid *erat* ei.

[m] *Heb. super re Sarai uxoris Ab.* [14] hic culpam totam in Abramum rejiciens Parho prædicat se omnino ab ea alienum esse; non reputans Deo perspectas esse planè sordidas cogitationes suas, neque id expendens quàm tyrannicè potestate sua abusus sit, & se inhumaniter erga peregrinos gesserit. [15] ad hæc interrogata non respondet Abram, ut fecit infrà cap. 20. quia Rex iratus dum uxorem restitueret abire Abramum jubet, non autē responsum expetit: nam hæc increpantis ad probationem & excusationem sui, ac non sciscitantis studio cognoscendi, aut interrogantis verba sunt. [n] *Heb. accepturus.* [16] i. discedentem prosequuti sunt, & mandato ac fide publica instructum extra fines AEgypti deduxerunt. Sic infrà 18.16. & Exod. 18.27.

CAPUT XIII.

Abram & Lot unà in Cenahanæam revertuntur: ubi quum eadem regio pecori utrinsque alendo non esset satis, separantur alter ab altero. Posteà Abramo terræ & posteritatis numerosæ promissio a Deo renovatur.

[1] Cenahanæa puta, a quo tractu antè descenderat sup. 12.6.
[2] rebus tum antè partis sup. 12. tum donatis a Rege, 12.13.
[3] i. sibi commodis & cognitis, ut quibus in AEgyptum antè descenderat.
[a] *Heb. & Beth-elem usque.*
[b] *Hebr. in principio.*
[c] *Hebr. & inter Hajum, sic deinceps.*
[l] *sup. 12.4.*
[4] i. domestici multi: Synecdoche. Hæc autem disertè dicuntur de Loto Abrami consanguineo, amico, & peregrinationum illius comite, ut cōmendetur veritas illius promissionis Dei, qua se dixerat amicum fore amicis Abrami, sup. 11.35. & benedictas in ipso futuras omnes familias terræ. Nam hoc spectant illa Mosis verba, *qui ibat cum Abramo.*

1 ASCENDIT itaque Abram ex Ægypto, ipse & uxor ipsius, & quicquid *erat* ipsi, Lot quoque cum ipso in [1] meridianum tractum.
2 (Erat autem Abram [2] gravis valde, pecore, argento, & auro)
3 Et ivit [3] suis itineribus a Meridiano tractu [a] Beth-elem usque; ad locum usq; illum, ubi fuerat tentoriū ipsius [b] antè, inter Beth-elem [c] & Hajū:
4 Ad [l] locum illius altaris quod fecerat illic priùs: & ibi invocavit Abram nomen Jehovæ.
5 Quin etiam Loto qui ibat cum Abramo, erant greges & armenta & [4] tentoria.
6 Itaque non ferebat eos terra illa ut habitarent [d] simul: nam erant facultates eorum multæ, adeò ut [5] non possent habitare simul,
7 Essétque contentio inter [e] pecuarios Abrami & pecuarios Loti: [6] Cenahanæus enim atque Perizzæus tunc habitabat in terra illa.
8 Dixit ergo Abram Loto, ne quæso sit contentio inter me & te, aut inter pastores meos & pastores tuos: nam [7] viri fratres sumus.
9 [8] Nónne universa hæc terra [f] tibi [9] est exposita? separa te quæso [g] a me: quod [10] si sinistram *versus discesseris*, dexteram petam; si tu autem dexteram *versus*, sinistram petam.
10 Quum ita Lot sublatis oculis suis aspiceret totam [h] planitiem Jardenis, totam [i] irriguā esse: [11] similem horto Jehovæ, similem terræ Ægypti *esse totam*, [12] quà venis Tzoharem, [13] antequam perdidisset Jehova Sedomum & Hamoram:
11 Elegit sibi Lot totam illam planitiem Jardenis, & profectus est Lot orientem versus: & separaverunt se [k] alter ab altero.
12 Abram habitavit [14] in regione Cenahanis; Lot verò habitavit in civitatibus planitiei illius, movens tentoria [15] Sedomum usque:
13 [16] Quamvis [l] Sedomitæ *essent* mali & peccatores [17] in Jehovam valde.
14 Jehova autem edixit Abramo, postquam sese Lot separavisset ab eo, attolle [18] nunc oculos tuos, & circumspice ab isto loco ubi es, ad Septentrionem, & ad Meridiem, & ad Orientem, & [m] Occidentem versus.
15 Nam [l] totam hanc regionem [19] quam vides tibi daturus sum; & [20] semini tuo usq; in seculū:
16 Et disponam semen tuum, *ut sit numerosum* [21] sicut pulvis terræ: quem si poterit [n] quisquam numerare, [22] pulverem *inquam* terræ, etiam numerari poterit semen tuum.
17 Surge, perambula regionem hanc in longitudinem ipsius, & in latitudinem ipsius: nam tibi daturus sum eam.
18 Movit ergò Abram tentoria, veniénsque habitavit in [23] [o] planitie Mamræ, quæ *est* ad Chebronem: & ibi [24] exstruxit altare Jehovæ.

[d] *Heb. simul ei, id est, alter cum altero: sic infr. 22.19. & 36.7. & Exod. 19.8. & alibi.* [5] nimirum ex penuria pascui ad tam numerosos greges. [e] *Heb. pastores gregis Abrami & inter pastores gregis Loti.* [6] hoc est, gentes istæ, ut quæ regionem jam olim obtinebant, meliorem pascuorum partem suo pecori retinebant: ex quo fiebat ut Abram & Lot peregrini hospitésq; novi ex pascuorum penuria laborarent, eorúmq; pecuarii de pascuorum commoditate inter se contenderent. [7] i. tum singulare jus sanguinis & religionis communis inter nos, tum ipsa humanitas procurare inter nos pacem & coli jubent, maximè verò incolarum istorum ratio: qui si a nobis exemplo ullo aut contentionis specie offenduntur, malè cùm de nobis tum de religione & cultu Dei sensuri sunt. [8] hæ interrogationes Hebrææ vehementissimam efficiunt affirmationem, tanquam si auditor coràm in rem præsentem duceretur manu, & ad oculi jactum assensurus esset, sic infrà 20.5. Exod. 14.12. Jehosch. 1.9. & 10.13. & Judic. 4.6. & 14. & 1. Schemu. 20.37. & 1. Reg. 12.41. & alibi passim. [f] *Hebr. est coram te: sic infrà 20.15. & 34.10.* [9] subaudi, a me, quasi dicat, equidem nolim tibi impedimento esse: concede quam in partem voles, per me licet. Sic bonus senex pacis studio de suo jure & autoritate cedit, & prudenter videt ne quid homo senior ac velut curator in fraudem junioris Loti & quasi pupilli sui fecisse putaretur ad utilitatē suam.

[g] *Heb. de super me, vel de mecum.*
[10] hoc est, per me tua est optio: utcunque feceris acquiescam, & sorte ea quam mihi feceris reliquam contentus ero.
[h] *Heb. cicar.*
[i] *Heb. irrigatio-nis: ut sup. 3.6.*
[11] id est, amœnitate & feracitate soli cum istis comparandam: nam alioqui cultura AEgypti longè est laboriosior, ut exponit Moses Deut. 11.10. De horto autem Jehovæ vide sup. 2. & Jeschah. 5.3. Jechezk. 28.13. & 31.15. & 36.35. De AEgypto verò Jechezk. 29. & 30. & 31. ut nihil a Geographis & autoribus exteris adducamus.
[12] Synchysis est verborum hoc loco perobscura, ut Jehoschua. 24.26. quam evidentiæ causa mutavimus. Tzohar autem sic dicitur per anticipationem: tum enim dicebatur Belah, infrà 14.2. & 19.21. [13] cujus funesti excidii historiā vide infrà cap. 19. [k] *Heb. vir de cum fratre suo.* [14] id est, omissis Perizzæorum montibus, quò suos greges anteà præ multitudine diffundere ambo cogebantur, continuit se Abram in locis campestribus quæ Cenahanæus possidebat. [15] ubi sedem fixit tandem, infrà 14.12. & 19.1. [16] sensus est, ita loci commoditate allectus est, ut summa improbitate gentis non potuerit deterreri quominus habitationem cum ista gente sibi deligeret. [l] *Heb. viri Sedomi.* [17] i. obfirmatissimè & pertinacissimè non hominibus solùm, sed Deo quoq; ipsi resistentes: vide sup. in 16.21. [18] nempe quum tu ultrò cessisti filio fratris tui, quem modestissimè participem tecum esse voluisti mearum promissionum, & cui primas in deligenda habitatione officiosè detulisti. [m] *Heb. mare: ut suprà 12.5.* [l] *supr. 12.4. infrà 15.18.* [19] & quam etiam perambulaturus es, synecdoche ex vers. 17. [20] puta Christo, ut optimè exponit Apostolus Galat. 3.16. Nam terram Deus Abramo dedit ut sacramentale signum promissionum & spiritualis gratiæ: posteà verò tum de filio promissionis, id est Christo (in quo omnes promissiones Dei sunt etiam & amen 2. Cor. 1.20.) æternaque veritate ejus hoc versu agitur; tum de filiis secundum carnem ex Abramo gignendis, sequente versu, & in Christo secundùm gratiam regignendis, ad quos secundum carnem aspectabile illud sacramentum terræ promissæ erat perventurum, sed tamen ex conditione quæ est Deut. 4.25. & 26. nam neque istud tempus quo Abrami semen non possedit regionem illam huic promissioni opponi potest, neque illi septuaginta captivitatis anni, quibus a Babyloniis possessa est. Semen itaque hoc versu accipiendum est ἰδιαστικῶς, sequente verò συλληπτικῶς, quod justa promissionum ratio postulat, & ipse dicendi modus. Non enim fuisset Moses repetiturus nomen seminis, sed relativo usurus solùm sequente vers. [21] hyperbole: quam ὑπερβολικῶς sive κατὰ συγχώρησιν dici ostendunt sequentia omnia. [n] *Heb. vir.* [22] Pleonasmus est antecedentis conjuncti relativo suo ad tollendam omnem amphiboliam: ut Exod. 2.6. & Proverb. 5.22. & alibi passim. [23] diversa a planitie Moræ, de qua sup. 12.13. huic enim plana loca fuerunt complura montibus collibusque inter se distincta, illi planities unica duobus montibus definita: hæc Schecemo in agro Ephrajimi, illa Chebroni in tribu Jehudæ conjuncta est. Huic autem nomen est inditum a possessore, de quo infrà 14.13. & 24. [o] *Heb. Elone planitiebus.* [24] vide suprà in 12.4.

CAPUT XIIII.

Locum captivum in direptione Sedomi abductum liberat Abram: victoriæ nomine à regibus honore afficitur: Deum victoriæ autorem decimis oblatis colit: & nihil sibi de præda retinet, sed unicuique res suas restituit, & sociis belli relinqui curat quod ex jure est.

1 FUIT autem, temporibus Amrapheli Regis [1] Schinharis, Arjoci Regis [2] Ellasaris, Ce-

[1] De Schinhare & Helamo, vide sup. 10.10. & 22.
[2] i. Susianes superioris ad Assyriam pertinentis: unde nomen habet. Pontum exponit Hieronymus; quo argumento, non satis video.

dor-lahomeri Regis Helami, & Tidhalis Regis
[3] Gentium,
2 Quum gererent [a] *isti* bellum contra Beraum Regem Sedomi, & contra Birschahum Re-
gem Hamoræ, Schineabum Regem Admæ, &
Schemeeberum Regem Tzebojimorum, Re-
gémque Belahi, [4] *quæ jam dicitur* Tzohar.
3 Omnes hi junxerunt *copias* ad [5] vallem Sid-
dimorum, *quæ jam est* mare [b] salsum.
4 Duodecim annos servierant Cedor-laho-
mero, [c] tertiodecimo autem anno rebellarant.
5 Quapropter [d] decimoquarto anno veniens
Cedor-lahomer, & Reges qui *erant* cum ipso, per-
cusserant [6] Raphæos [7] Haschterothis Karnaji-
morum, & Zuzæos Hami, & Emæos in planitie
ad [8] Kirjathajima,
6 [9] Choræos quoq; in monte suo Sehire, usque
ad planitiem [10] Paranis quæ secundùm deser-
tum *est*.
7 Inde [11] reversi venerant [12] Hen mischpatum
(ipsum *jam dicitur* [13] Kadesch) & ceciderant
[e] omneis incolas agri, *qui nunc est* [14] Hamaleki-
tarum, etiámque Emoræum illum qui habitabat
[15] Chatzatzone thamaris:
8 Quùm procedens Rex Sedomi, & Rex Ha-
moræ & Rex Admæ, & Rex Tzebojimorum, &
Rex Belahi, quæ *est* Tzohar, [f] instructi inierunt
contra eos prælium in valle Siddimorum,
9 *Nempe* contra Cedor-lahomerum Regé He-
lami, & Tidhalem Regem Gentium, & Amra-
phelum Regem Schinharis, & Arjocum Regem
Ellasaris: quatuor hi reges *inierunt* prælium
contra illos quinque.
10 Vallis autem Siddimorum [g] referta erat pu-
teis bituminis, itaque fugientes Rex Sedomi &
Hamoræ [h] se dejecerunt illuc: residui verò pro-
fugerunt in montanum tractum.
11 Et accipientes illi omneis facultates Sedo-
mi & Hamoræ, omnémq; commeatum horum,
ut abirent:
12 Ceperunt quoque Lotum filium fratris A-
brami cum facultatibus ejus, & abierunt: nam
ipse habitabat Sedomi.
13 Venit autem quidam qui evaserat ut nunci-
aret Abramo [16] Hebræo, habitanti in planitie
Mamræ Emoræi fratris Eschcolis & fratris Ha-
neri, qui erant [i] federati Abrami.
14 Quum itaque audisset Abram captivum ab-
duci [k] agnatum suum, [l] armavit [m] vernas suos
[17] instructos a se trecentos octodecim, & perse-
quutus est *Reges illos* [18] Danem usque.
15 Ubi [19] [n] distribuens se invasit eos noctu, ip-
se cum servis suis, ac cæcîdit eos: & persequutus
est eos [20] Chobam usque, quæ à sinistra [21] Dam-
mescheko *sita est*.
16 Sic reducebat omnes facultates illas: etiám-
que Lotum agnatum suum cum facultatibus ejus
reducebat, & mulieres quoque ac populum.
17 Quare egressus est Rex Sedomi obviam
Abramo, postquam rediit [o] a cæde Cedor-laho-
meri & eorum Regum qui fuerant cum eo: ad
vallem Schavæ quæ *jam dicitur* [22] vallis Regis.
18 [p] [23] Malci-tzedek autem Rex Schalemi [24]
proferens panem & vinum: prout hic [25] erat Sa-
cerdos Deo forti excelso,
19 Benedixerat illi, dicens: Benedictus Abram
Deo forti excelso, possessori cæli & terræ:
20 Et benedictus *Deus* fortis excelsus, qui tra-
didit hostes tuos in manum tuam: dabatque ei
Abram decimam de *rebus* omnibus.
21 [26] Quapropter dixit Rex Sedomi Abramo,
[27] da mihi [q] animas, facultates verò tibi accipe.
22 Dixit verò Abram Sedomi Regi; [r] [28] Juravi
elata manu mea ad Jehovam Deum fortem ex-
celsum, possessorem cæli & terræ,
23 [29] *Dira mihi imprecans* si [s] [30] vel filum vel cor-
rigiam calceamenti *accepero*, si inquam accepero
de re ulla quæ *sit* tua: ut non dicas, ego ditavi
Abramum.
24 [31] Penes me nihil futurũ est; tantùm quod
isti [32] pueri comederunt, & pars [33] horum virorũ
qui profecti sunt mecũ, *ipsorum esto*: Haner, Esch-
col, & Mamre, illi accipiunto partem suam.

[3] finitimos tractus Septemtrionem versus incolentium. [a] *Ellipsis relativi.* [4] vide infrà 9.20. & seq. [5] ubi erant sitæ Sedom & reliquæ civitates: quibus eversis facta est mare salsum, quod etiam mare mortuum & lacus Asphaltites dicitur. [b] *Heb. salis.* [c] *Heb. tredecim anno: Enallage nominis cardinalis pro ordinali: ut vers. seq.* [d] *Heb. quatuordecim anno cum ellipsi præpositionis, ut Exod.* 20. 11. [6] populos ex posteris Cenahanis, infr. 15.20. [7] sive Haschterothis simpliciter, Jehoschu. 13.31. [8] de quibus Numer. 32.37. & Jehoschu. 13.19. [9] incolas Sehiris, antequam à posteris Hesavi occuparetur: Deut. 2.22. [10] civitatis móntisque nomen, historicis Pharana: Num. 13.1. & Deut. 33.2. [11] *iidem exquisitu vis*, cursum reflectentes, à Meridie puta Aquilonem versus. [12] id est, fontem judicii: a severissimo illo judicio, quod contra Moschem & Aharonem pronunciavit Deus, Num. 20.12. [13] posteà verò dictum fuit Rekam, ut exponit Onkelos Chaldæus Paraphrastes hic, & Num. 13.27. itémque Paraphrastes alter Psalm. 29.8. testatúrque Epiphanius χατὰ Μελχισεδεκιανῶν. [e] *Heb. totum agrum: metonymia.* [14] anticipatio: vide infrà 36.12. [15] sive Hengedi: historicis Engadda, opidum ad mare mortuũ, 2. Chron. 20.2. [f] *Heb. ordinaverunt in eos metalepsis.* [g] *Heb. putei putei bituminis: cujusmodi substantivorum anadiplosis vim multitudinem exprimens: ut Exod.* 8.10. *Judic.* 5.30. *Jirme.* 2.13. [h] *Heb. ceciderunt: sic infrà* 24.64. [16] ex posteris Heberi, suprà 10.21. [i] *Hebr. domini federis Abr.* [k] *Heb. fratrem.* [l] *Heb. fecit ut evaginarent instructi sui, i. comparavit ad pugnam capessendam.* [m] *Hebr. natos domi suæ: ut infrà* 15.3. [17] tùm de jure hujus expeditionis, tum de religione informatos. [18] locum ubi fons Jardenis est, ad radices Libani in termino septemtrionali terræ Jisraelitarum: sub quo posteà opidum fuit, primùm Lajisch sive Leschem, deinde Dan, tum Cæsarea Paneadis a fonte, postmodum Cæsarea Philippi de nomine illius Tetrarchæ qui maximis operibus excoluit eam, postremò Neronia per Agrippam Regem ad Neronis Imperatoris honorem appellatum: de quo Jehoschu. 19.47. & Judic. 18. [19] id est, suas & federatorum copias. [n] *Heb. distribuit se contra eos.* [20] Opoton in Phœnicia. [21] Damasco, unde regio Damascena.

[o] *Heb. à cædendo.* [22] non procul à Jeruschalaimis, 2. Schemu. 18.18. [p] *Hebr.* 7.1. [23] regulus Cenahanæus, sedem habens Schalemi, quæ posteà Jeruschalajima, Psal. 76.3. [24] id est, exiens Abramo obviam adduxerat commeatum: nusquã enim verbum Hebræum legitur pro offerendi verbo. [25] causam ostendit humanitatis ergà Abramum, benedictionis quà illum & Deum prosequutus est, ac postremò decimarum quas obtulit Abram. [26] nempe quum videret ille de præda decimas Malci-tzedeko dari, metuerétque ut recuperaret res suas. [27] q.d. saltem mihi restitue partem eorum quæ ad me pertinebant; reliquam si ita videbitur, servato tibi. Aliter accipit Chrysostomus, tamquam si reliquam partem Rex Sedomi Abramo donaret gratiarum ergô. Sed illud, judicio meo, magis cum ingrata illius hominis mente & sanctissimo Abrami responso convenit. [q] *Hebr. animam: Enallage numeri, id est, homines mihi subditos, qui in tuam potestatem venerant.* [r] *Heb. extuli manum meam: synecdoche.* [28] id est, quum ad bellum profecturus Dei auxilium implorarem, juramento me obstrinxi: synecdoche signi & rei significatæ. [29] Aposiopesis in juramentis usitatissima, ut infrà 21.23. [s] *Heb. à filo & usque ad corrigiam calcei: ut sup.* 13.3. [30] Proverbialis formula de rebus vilissimis & nullius pretii: a quibus qui se abstenturum dicit, confirmat multò magis a majoribus & pretiosioribus sibi temperaturum esse. [31] sic infrà 41.16. [32] servi atque administri, quorum meminit vers. 14. & seq. ut 2. Macbæ. 8.28. Sic enim Macedonum Regum administros pueros regios appellari scribit Livius lib. 45. & Paulus Jurecos. interpretatur in titulo de verb. signif. [33] auxiliarium, quorum duces posteà nominantur, ut suprà v. 13.

CAPUT XV.

Deus Abramo nondum liberos habenti adhibitis symbolis superiores promissiones confirmat de sua protectione & posteritate numerosa, quam post definitum 400. annorum tempus se in promissæ terræ possessionem missurum pollicetur, & testatur federe.

1 HIs [a] rebus transactis, fuit sermo Jehovæ
cum Abramo per visionem dicendo: ne
timeas Abram, ego [1] clypeus *sum* tibi, [a] merces
tua ampla *est* valde.
2 Cui dixit Abram, Domine [3] Jehovi, [4] quid
dares mihi, cùm ego [5] incedam liberis carens; &
[b] is cui relinquetur domus mea *sit* Dammaske-
nus Eliehezer iste?
3 Ampliùs dixit Abram, en mihi non dedisti
semen: ecce itaque [c] verna meus, is hæres meus
futurus est.
4 Ecce autem sermonem Jehovæ ad illum, di-
cendo, iste non erit tuus hæres: sed qui prodibit
[d] e visceribus tuis, is hæres tuus futurus est.

[a] *Heb. post hæc verba, vel hæc res.* [1] defensor tuus ab hostium odio, invidia, impetu, & violentia. [2] q.d. etsi rei a te gestæ fructum neque tibi ipse servasti, neque oblatum accepisti; contrà populi pio tuo ergà se officio abutuntur ad lusificandum te: tamen apud me reposita est tibi felicitatis merces. Hæc ita accipienda esse ostendit Abrami responsio. [3] id est, Jehova: sed illud pathetic[um] est: quapropter illo in patheticis orationibus precibusque vehementissimis, tanquam singultiens, usus est Abram hic & versu 8. itémque Moses Deuter. 3.24. & 9.26. & Jechezkel Propheta passim. [4] q.d. quorsum dares, & quid istud mihi proderit, si prole caream? [5] id est, vitam transigam & vitæ ad mortem properans. [b] *Heb. filius derelictionis domus meæ, id est, hæres ex testamento, ac (ut Jurecoss. loquuntur) non filius.* [c] *Heb. filius domus meæ, ut suprà* 14.14. [d] id est, ex te nascetur: synecdoche.

5 [7] Deinde quum eduxisset eum, dixit, [g] intuere nunc cælum versus, & numera ipsas stellas, si poteris numerare eas: sic, inquit ei, futurum est semen tuum.

6 Tunc [g] credidit Abram Jehovæ, qui imputavit ei illud [8] in justitiam.

7 [9] Dixerat etiam ei; [10] Ego *sum* Jehova, qui eduxi te Ure Chaldæorum, ut dem tibi terram hanc quam possideas jure hæreditario.

8 Quúmque dixisset Abram; [11] Domine Jehovi, quo agnoscam me hæreditario jure possessurum eam?

9 Edixerat ei, [d] sumens offer [12] mihi vitulam triennem, & capram triennem, & arietem triennem; turturémque cum pullo columbarum.

10 Abram itaq; sumsa offerens ei omnia hæc, quum dissecuisset ea per medium, posuerat dimidiatam [e] cujusque partem e regione suæ alterius; aves verò non dissecuerat.

11 Descendentibus autem volucribus in cadavera hæc, [f] [13] arcuerat eas Abram:

12 Donec fuit inclinante Sole, quum altus sopor [g] Abramum occuparet: ecce autem terror & tenebræ magnæ occupaverunt eum:

13 Dixitq; *Jehova* Abramo, [g] [h] scito certò peregrinos fore posteros tuos in [14] terra [i] aliena, & ejus *incolis* [15] servituros, qui affligent ipsos: idque [16] quadringentos annos:

14 Atque etiam in gente illam cui servierint, me [17] judicia exerciturum esse; & posteà [18] egressuros ipsos [19] cum facultatibus magnis:

15 Ac te quidem [20] abiturum ad patres tuos [21] cum pace, sepultum iri in [22] canitie bona:

16 [23] [k] *Ipsos* verò ætate quarta huc reversuros: non enim cõpleta est iniquitas [24] Emoræi adhuc.

17 Fuit autem condito jam sole, quum cæca nox esset: & ecce fumantem furnum, & ardentem lampada, [25] transeuntem inter segmenta illa.

18 Hoc die pepigit Jehova cum Abramo fedus, dicendo; Semini tuo [26] dedi terram hanc, [l] ab flumine AEgypti ad flumen illud usq; magnum, flumen Euphratis:

19 *Terram* [27] Kenæorum, Kenizzæorúmque, & Kadmonæorum,

20 Et Citthæorum, & Perizzæorum, Raphæorúmque,

21 Et Emoræorum, & Cenahanæorum, Girgaschæorúmque, & Jebusæorum.

7 postquam multum cum Abramo per visionē colloquutus esset, usque dum non advenisset, de qua infrà v. 17. Promissioni autem de semine, per hysterosin temporis interseritur symbolũ ipsius hoc versu: postea verò distinctè quoque promissio hæreditatis futurarumque rerum prædictio suo signo conjuncta, & fœdere confirmata ex ordine temporis exponitur.
[g] Rom. 4. 18.
[g] Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. Jacob. 2. 23.
8 sic reddimus ex Psal. 106. 31. & Rom. 4. 9. hoc est, cum quamvis justitia carentem pro justo habuit, numeravitque in justitiæ loco, quòd promissiones firma fide amplexus est.
9 nempe quum mercedem ejus valde amplam esse prædicavisset: nam hoc alterum est mercedis genus à Deo, quòd non hæredes solùm, sed hæreditatem quoq; amplissimam cælestis & spiritualis hæreditatis symbolũ daturus esset. [10] Exordiũ in promissionibus frequens ad faciendam de illis fidem, a natura Dei, quæ ex se est, & aliis dat esse. [11] non infidelitate negat, sed fideli studio suam fidẽ cõfirmari petit: ut faciebat Gidhon Judic. 6. 37. & Rex Chizkija 2. Reg. 20. 8. [d] *Heb. sume mihi: metalepsis, ut sup. 12. 12. sic v. seq.* [12] usurpaturo ista ad promissiones confirmandas. De hoc ritu Jer. 34. 18. & nonnihil apud prophanos quoq; auctores legitur. [e] *Heb. viri partē e regione amici sui: ut sup. 11. 3.* [f] *Heb. difflaverat.* [13] i. ventulo facto eos propulerat. [g] *Heb. in Abramum inciderat: sic deinceps.* [h] *Act. 7. 6.* [h] *Heb. sciendo scito quòd semen tuum &c.* [14] Cenahanæa, & AEgypto. [i] *Heb. non sua.* [15] eorum imperio subditos fore. [16] hic numerus incipit a nato Jitzchako, ex quo Abram consecutus est promissionis semen: & præcisè impletur quum Jisraëlitæ ex AEgypto educuntur, ut optimè Augustinus docet quæst. 47. in Exodum. [17] i. puniturum. [18] a servitute quâ ab AEgyptiis premebantur. [19] vide Exod. 3. 21. & 12. 36. [20] periphrasis mortis: quod alibi dicitur aggregari ad populos suos, ut infrà 25. 8. [21] non afflictus sub alieno imperio, ut posteri. [22] i. diuturna senectute, in qua satur dierum, divitiarum, gloriæ, præsentiúmq; benedictionum omnium futurus es: sic enim hæc phrasis explicatur 1. Chro. 29. 28. [23] i. quartos ab ingredientibus in AEgyptum, prout factum est: Caleb enim quartus fuit a Jehuda qui in AEgyptum descenderat, & filii Moschis & Aharonis ex tribu Levi quarti fuerunt a Kehatho, qui inter descendẽtes in AEgyptũ numerantur, infr. 46. 11. Sed quũ tota illa ætas paucuslis exceptis occubuerit in deserto, jam cum Augustino statuimus ætatis nomẽ potius ad successionẽ temporum, quàm ad numerum generationum pertinere, in hanc sententiam: ætatem ordinariam hominis esse annorũ fermè septuaginta, ut ait Moses Psal. 90. 10. futurum autem, ut quarta pòst ætate quàm in AEgyptum descenderint, in terram promissam revertantur. Nam in AEgypto cõmorati sunt annos 210. quibus tres ætates continentur: pòst verò, annis demum 40. ætate quarta, desertum emensi sunt, pedémq; posuerunt in possessionem terræ. Alii ætatem accipiunt pro seculo centenario: sed aliud est ætas, aliud seculum: deinde verò non jam seculum quartum, sed principium quinti futurum esset. Nam anno primo post quadringentesimum a nato Jitzchako Jisraëlitæ ex AEgypto egressi sunt. Illam verò ætatis humanæ circumscriptionem homines quoque profani tenuerunt: ut Solon apud Herodotum in Clione fecisse legitur. [k] *Heb. ætatem verò quartam: metonymia.* [24] i. Cenahanæorum quos in fine cap. enumerat: Synecdoche. [25] videlicet furnum & lampada, quæ duo partes inter se contrahentes fedus sanctissimo mysterio figurabant: ut moris erat iis qui promissa externis symbolis confirmabant, ut Jirme. 34. 18. & 19. [26] hoc est, inviolabili decreto adjudicavi, etsi exsequutionem in quadringentesimum annum differo.

[l] Sup. 12. 7. & 13. 15. [27] ut Num. 34. 3. & a Schichore fluvio in finibus Idumææ, palæstinæ, & AEgypti, & distermi nante Arabiam ab AEgypto: sic enim legimus illius nomen Jos. ... hos hæc a ... complementum sub Davide & Schelomone vide 2. Sam. 8. & 1. Reg. 9. & 2. Chron. 9. [28] hi ad Meridiem fuerunt siti, Kenizzæi (ut conjicio) ad Septemtrionem, Kadmonæi ad Orientem; sic termini promissæ terræ hoc versu exponuntur, præterquàm a mari, quod claudebat Occidentalem tractum.

CAPUT XVI.

Sarai desiderio seminis benedicti, Abramo ancillam suam jungit; quæ ex hera gravida heram spernit, ab eáque repressa fugit: sed promissionibus Dei revocata, ad heram ex officio redit, & hero parit Jischmaëlem.

1 Sarai autem uxor Abrami non pariebat ei [1] liberos: (sed erat ipsi ancilla Aegyptia, cujus nomen Hagar.)

2 Dixit ergo Sarai Abramo, Ecce [1] nunc, [2] occlusit me Jehova ne parerem, nunc congredere cum ancilla mea, fortassis liberos consequar ex ea: & auscultavit Abram voci Sarai.

3 [3] Accipiens enim Sarai uxor Abrami Hagaram Aegyptiam ancillam suam, [a] exactis decem annis ex quo habitabat Abram in regione Cenahanis, quum tradidisset eam Abramo viro suo, *ut esset* ei pro uxore:

4 Congressus est Abram cum Hagara, quæ concepit: quúmque videret se concepisse, levis habita est hera ejus in oculis ejus.

5 Quapropter dixit Sarai Abramo, [4] [b] Injuria *quæ fit* mihi, in te *recidet*; ego posui ancillam meam in sinum tuum, quæ quum vidit se concepisse, levis habita sum in oculis ejus; [5] judicabit Jehova inter me & [c] te.

6 Dixit autem Abram uxori suæ Sarai, ecce ancilla tua in manu tua, fac ei quod *videtur* bonum in oculis suis: itaque affligit eam Sarai, adeò ut profugeret a conspectu ipsius.

7 Sed inveniens eam [6] Angelus Jehovæ ad fontem aquarum in deserto, ad fontem illum *qui est* in via [7] Schurem *versus*,

8 Dixit, Hagar ancilla Sarai, [8] unde advenis, & quò itura es? quæ dixit, a conspectu Sarai heræ meæ fugio.

9 Tum dixit ei Angelus Jehovæ, Revertere ad heram tuam; & te patere affligi sub manibus ejus.

10 Iterum dixit ei Angelus Jehovæ, [d] valde multiplicabo semen tuum: adeò ut non possit numerari præ multitudine.

11 Præterea dixit ei Angelus Jehovæ, ecce tu prægnans es, & [e] propediem paritura filium: nomen verò illius vocabis [9] Jischmaëlem, eo quòd attendit Jehova ad afflictionem tuam.

12 Ipse autem erit [f] [10] ferus homo, [11] cujus manus feretur contra omneis, & manus omnium contra eum: & [12] coram omnibus fratribus suis habitabit.

13 Tum vocavit Hagar nomen Jehovæ alloquentis ipsam, tu *es* fortis *Deus* visionis: dicebat

1 qua nunc ætate sum (erat enim 75. annos nata) intelligo Deum voluisse mihi sterilitatē afferre.
2 id est, uterum meum, ut infrà 20. 18. Synecdoche.
3 proinde quasi ducens in domũ viri, & statuens παλλακίδα, de qua in caput 4. diximus.
[a] *Heb. a fine decem annorum.*
4 Expostulatio, hæc nata ex eo videtur, quòd Abram ancillæ insolentiam non corrigeret.
[b] *Heb. injuria mei super te: constructa vox passiva significatione, ut infrà 41. 51.*
5 i. judicis partes aget, nisi tu tuas egeris pro autoritate & officio tuo.
[c] *Heb. inter te.*
6 Christus Angelus federis & gratiæ; qui idem Jehova est, diciturque, versu 13. & ut Jehova pro autoritate loquitur, versu 10.
7 versus Aegyptum, unde oriunda erat: vide Exod. 15. 22.
8 vide suprà 3. 9. annot.
[d] *Heb. multiplicãdo multiplicabo.*
[e] *Vox Hebræa ex duobus temporibus composita a participio passivo futurũ tempus significat, hic*

[d] *Jud. 13. 7.* [9] id est, attendit Deus fortis. [f] *Heb. onager homo: metaphora.* [10] bellicosum & formidabilis, de quo vide Genes. 21. 20. [11] i. posteritas ejus bellum movebit omnibus, & bello vicissim ab omnibus petetur. [12] hoc est, tantus erit gentis numerus ac potentia, ut latissimam regionem sit occupatura, & terminos suos ad omnium fratrum suorum fines productura: vide infrà 25. 17.

enim

enim, etiámne [13] hîc jam video [14] g post videntem me?

14 Idcircò vocat *quisque* puteum illum, puteum [15] h Lachai,roi: ecce *est* inter [16] Kadeschum & Beredum.

15 Peperit itaque Hagar Abramo filium; vocavitque Abram nomen filii sui quem peperit Hagar Jischmaëlem.

16 Erat autem Abram natus octoginta sex annos, quum pareret Hagar i ipsi Jischmaëlem.

[11] id est, locum hunc aspicio & visus [illegible] synecdoche, unius [illegible] sufficientia vitæ [illegible] vita, cui similis est Exod. 24. 11. & 33. 20. & Schem. 24. 28. Mirantur enim se post Dei visionem vivere quia a conspectu Dei aut Angeli mortem secuturam putabant, ut infrà 32.30. & Judic. 13.23. [14] id est, post quam Angelus, cui nota eram, mihi apparuit. g *vel post* visionem *videntis me?* [15] Separantur hæc duo distinctionis nota; dicet unius rei sint nomina, quia diversa respiciunt: nam puteum viventis vocat respectu sui quia viva remansit post Angeli conspectum; videntis verò, respectu Angeli, propter beneficium sibi in ea apparitione collatum. h *i. viventis, videntis me.* [16] sive Kadeschum barneah, unde exploratores missi: Num. 32.8. & Deut. 1.19. i *Heb. Abramo, vide sup. 12.1.*

CAPUT XVII.

Deus cum Abramo fedus in semine Jitzchaki ex Sarai nasciturí iniens, signum Circumcisionis instituit, utriusque conjugis nomen mutat, & priori filio in gratiam patris se adfore pollicetur: quod fedus Abraham fide & obedientia amplexus, sibi suisque omnibus apponit signum federis imperatum.

1 Quum autem Abram a natus esset nonaginta novem annos; apparuit Jehova Abramo, & dixit ei, [1] Ego *sum Deus* fortis b omnipotens, indesinenter [2] ambula coram me, & esto integer.

2 Et disponam fedus meum inter me c & te: & [3] multiplicabo te quàm-plurimum.

3 Tum [4] procidente Abramo super faciem suam; [5] loquutus est cum ipso Deus, dicendo:

4 [6] De me, ecce fedus meum tecum: quòd d pater futurus es [7] multitudinis gentium.

5 Itaque non vocabitur ampliùs nomen tuum Abram: sed erit nomen tuum [8] Abraham, quia patrem multitudinis gentium [9] constitui te:

6 Fœcundabo enim te e quam-plurimùm, efficiens tibi [10] gentes multas; & Reges prodibunt ex te.

7 Stabilio autem fedus meum inter me, f & te, ac semen tuum post te per ætates suas, g ut fedus sit [11] perpetuum: [12] me esse tibi h Deum, & semini tuo post te:

8 [13] Daturúmq; tibi & semini tuo post te terrã [14] peregrinationum tuarum, universam terram Cenahanis, in possessionem [15] perpetuam; [16] ut sim illis Deus.

9 Deinde Abrahamo dixit Deus, [17] tu ergo fedus meum servato, tu *inquam* & semen tuum post te per ætates suas.

10 Hoc *est* [18] fedus meum [19] inter me, & vos & semen tuum post te, quod servabitis; i ut circumcidatur vobis [20] omnis mas.

11 Circumcidetis igitur carnem præputii vestri, l ut sit l signum federis inter me & vos.

12 l Natus autem [21] dies octo vobis circumcidetur omnis mas per ætates vestras; natus domi, & m emtus pecuniâ de quibuscunq; alienigenis; qui non *erit* ex semine tuo;

13 n Omnino circumciditor natus domi tuæ, & emtus pecunia tua: sic erit fedus meum in carne vestra, in fedus [22] perpetuum.

14 Præputiatus autem mas qui non [23] circumciderit carnem præputii sui, utique [24] exscindetur o homo ille e populis suis: *nam* irritum fecit fedus meum.

15 Prætereà dixit Deus Abrahamo, p *quod ad* Sarai uxorem tuam, ne voces nomen ejus Sarai: [25] nam Sara nomen ejus *est*.

16 Nam ita benedicam ei, ut etiam dem tibi ex ea filium: ita, inquam, benedicam ei ut q mater sit multarum gentium, Reges populorum ex ea futuri sunt.

17 Tum [26] procidens Abraham super faciem suam risit: dixitq; in r animo suo, [27] an nato centum annos nascetur *proles*? an etiam Saræ? an nata nonaginta annos pariet?

18 Pòst dixit Abraham Deo, [28] utinam Jischmaël [29] vivat coram te.

19 Cui dixit Deus, [30] imò s Sara uxor tua paritura est tibi filiũ, cujus vocabis nomen Jitzchakum: stabiliámque fedus meum cum eo, f ut sit fedus perpetuum semini ejus post eum.

a *Heb. filius nonaginta anni & novem annorum: sic inf. 12.*
[1] quia res amplissimas Abrahamo sponsurus erat Deus, piámque fidem & obedientiam stipulaturus ab iis qui continebantur federe; orditur Deus a propositione potentiæ & sufficientiæ suæ, quibus bona promissa præstat, depellit mala adversantia, & homines in eis positos confirmat & consolatur Deus.
b *Heb. Schaddai, i. qui sum sufficiens.*
[2] id est, teipsum curæ meæ protectionique cõmitte, ac statue actionum cogitationúmque tuarum omnium me esse arbitrum: sic infrà 48. 15. & Psalm. 116.9. vide supra 5. 22. & infrà 24. 40. c *Heb. & inter te: & multiplicabo te valde valde.* [3] vide suprà 11. 34. [4] non solùm quòd divinæ majestatis præsentia perterrefieret, ut de Mosche legitur Exod. 3. 6. & alibi passim in vetere & novo Testamento; aut quòd ex officio honorem exhiberet majestati Dei, ut synecdochicè accipitur Levit. 9. 24. sed potiùs quòd gratias Deo ageret de beneficio federis oblato, hac corporis sui inclinatione gratum animum suum significans, ut infrà vers. 17. [5] postquam erexit eum, ut ex vers. 17. colligitur, ubi rursus procidisse legitur. [6] hæc vox minimè [illegible], sed oppositionem demonstrat hujus versus & 9. quibus versibus duo federis membra inter se relata principium habent. d *Heb. in patrem: ut suprà 11. 34.* [7] id est, multarum gentium, ut interpretatur Apostolus Rom. 4. 17. adductis verbis sequentis versus. [8] priori nomini insita est aspiratio, unde vox Hebræa incipit multitudinem significans, veluti symbolum veritatem promissionis obsignans. [9] id est, ratum reddere inviolabili decreto, ut suprà 15. 18. e *Heb. valde valde, & dabo tibi.* [10] duodecim tribus, Edomæos, Jischmaëlitas, Keturæ natos: nam ex his multæ gentes ortæ sunt, Regésque profluxerunt. f *Heb. & inter te ac inter sem.* g *Heb. in fedus seculi.* [11] hoc est, in Christo (sive ad Christum sola fide, sive etiam carne pertineant) quod ad substantiam perpetuò continuandum, etsi mutabilibus symbolis. [12] id est, dominum & possessorem tuum singulari quodam modo: quo sim effecturus te in Spiritus communicatione mei, justitiæ meæ, bonorum omnium, denique cælestis vitæ participem. h *Heb. in Deum, ut suprà 4. & infrà 8.* [13] suprà 13. 15. & 15. 18. quam promissionem federe confirmat.

[14] quà nunc erras ac sum (erat enim 75. annorum natus) intelligo Deum volunte mihi stabilitate asserere.

[14] quò meo jussu venisti, & ex Aegypto repetisti, cujus longitudinem & latitudinem perlustrasti, & in qua etiamnum ut peregrinus habitas. [15] re quidem & veritate sacramenti in perpetuum duraturã: symbolo verò & sacramento ipsius, prout symbolorum perpetuitas potest consistere, indefinitam ex voluntate Dei, donec symbolorum veritas & complementum advenerit semper duraturum. Sic enim res indefinitæ tropicè appellantur: ut est in illo versu Horatii, *Serviet æternùm, quia parvo nesciet uti:* Et Terentius in Eunucho, *At nunc dehinc spero æternã inter nos gratiam Fore.* sic Tullius lib. 12. epist. 14. & 16. ad Attic. & siqua sunt ejusmodi. Aeternum ergo [illegible] accipitur, rerum creatarum respectu. Non enim potest, ait Augustinus, in æternum servire is cujus ipsa vita qua servit æterna esse non potest: sed nobis illud demum est perpetuum, quod non possimus infringere. [16] id est, tum ut me opere cum præstem erga illos quem fore denunciavi federe, tum ut illi percepto hoc beneficiorum fructu agnoscant me & profiteantur Deum. [17] altera pars federis, restipulatio. [18] metonymicè pro federis symbolo, ut infrà 13. ut versus sequens explicat: nam mane symbolum non est, sed fedus obsignat, & promissionem adjunctam habet justitiæ fidei, & remissionis peccatorum in Christo Jesu per sanguinem ejus. [19] id est, pignus mearum promissionum erga vos, & vestri officii erga me. i *Heb. circumcidi vobis omnem marem.* [20] quia vir est caput mulieris, a quo generatio pendet, eique tribuitur, ideò dum in carnali genere Abrahami mansit fedus, voluit Deus symbolum maribus tantùm insculpi, licet utriusque sexus fedus esset: Quum autem gentes quoque spirituali generatione adoptatæ sunt, sublato illo signo, substitutum est alterum expressius; & utrique sexui commune, idque sine sanguine, ut eo meliùs exprimeretur beneficiũ Christi, ejúsq; in omneis applicatio. k *Act. 7. 8. Ro. 4. 11.* l *Heb. in signum.* l *Lev. 12. 3. Luc. 2. 21.* [21] tum quia diebus septẽ omnis partus impurus erat ex sanguine, & octavo demum purus habebatur, ut Exod. 22. 30. Levit. 12. 3. & alibi: tum quia sacramentum hoc fuit diei illius octavi, quo Dominus Jesus Christus resurrexit ad justificationem nostram, postquam in similitudine carnis peccati peccatum condemnavisset: ut scribit ad Fidum Cyprianus libro tertio epistol. decima, Ambrosius, &c. m *Heb. emtio pecuniæ.* n *Heb. circumcidendo circumciditor.* [22] ut suprà 7. [23] i. præputiatus mas si adultus circumcisionem negliget, aut a parentibus neglectam approbabit. [24] i. hic & in futuro seculo a sanctorum consortio excludetur: quod ex similium locorum comparatione colligimus. o *Heb. anima illa.* p *vel Sarai uxor tua ne vocet nomen suum Sarai:* [25] additâ eâdem literâ quæ nomini Abrahami accessit, ut idem esset utrobiq; earundem promissionum symbolũ: quod confirmatur 1. Pet. 3. 6. & forma nominis ex Chaldæo ad Hebræam formã revocata. q *Heb. ut sit in gentes.* [26] gratias agendo, ut risus non dubitationis vel incredulitatis, sed lætitiæ indiciũ est: non enim reprehenditur ut risus Saræ, infr. 18. 12. & Onkelos verbũ risit interpretatur gavisus est. r *Heb. corde.* [27] interrogatio divinam potentiam cum sua & uxoris impotentia cõparantis, admirantis, & suspicientis, ut docet Apostolus Rom. 4. 17. [28] q. d. sufficit mihi quòd Jischmaëlem filium habeo: nihil ampliùs expeto, quã ut per te superstes maneat. [29] i. tuo præsidio servetur incolumis, & in promissa felicitate fratri conjungatur, hanc fuisse Abrahami mentem ex Dei responso patet. [30] q. d. favorẽ quidem utriq; præstabo; sed cum filio Saræ, non cum altero, fedus continuaturus sum. Paralepsis in adversativis orationibus frequens, ut infrà 42. 21. s *infrà 18. 10. & 21. 2.* f *Heb. in fedus seculi: ut sup. 7.*

[31] suprà 16. 10.
[t] Heb. valde valdeque sup. 6.
[||] infrà. 25. 12.
[32] complementum vide infrà 25. 11. & seq.
[u] Heb. ponam eum in gentem magnam.
[33] spirituale, præter corporales benedictiones ei cum Jischmaĥele communes.
[34] id est, ascendens disparuit: nam apparuisse, id est, aspectabili forma visum fuisse legimus suprà 1.
[35] a tempore quo jussum Dei exsequutus est, a personis in quibus id fecit, ab ipsius & filii ætate, & ab eo quod aliorum ministerio abstinens, ipsum mandatum Dei præstitit, fides & obedientia Abrahami commendatur. [x] Heb. in viris domus Abrahami: ut infrà 27. vide suprà 12. 1. [y] Heb. filius nonaginta & novem anni: sic vers. seq. [36] quamvis perincommodè illud accideret, ut omnes simul in dolore essent.

20 De Jischmaĥele quidē exaudivi te; ecce [31] benedixi ei, ut fecundem eum augeámque eum [t] quàm plurimùm: [||] [32] duodecim principes generabit, & [u] efficiam eum patrem gentis magnę.

21 [33] Fedus verò meum stabiliam cum Jitzchako; quem pariet tibi Sara hoc eodem tempore, anno altero.

22 Quum autem absolvisset colloqui cum eo, [34] ascendit ab Abrahamo Deus.

23 [35] Tunc accepit Abraham Jischmaĥelem filium suum, omneisq; natos domi suæ, & quemcumque emerat pecuniā sua, unumquemque marem e domesticis suis: & [x] circumcidit carnē præputii illorum eo ipso die, quemadmodum loquutus fuerat cum ipso Deus.

24 Erat autem Abraham [y] natus nonaginta novem annos, quum circumcideretur carne prę-putii sui:

25 Jischmaĥel verò filius ejus natus tredecim annos, quum circumcideretur carne præputii sui.

26 [36] Eodem ipso die circumcisus est Abraham, & Jischmaĥel filius ejus:

27 Omnésque domestici ejus, natus domi, & emtus pecuniā ex alienigena; circumcisi sunt cum eo.

CAPUT XVIII.

Abraham Angelos humanā formā iter facientes ad se invitat: & convivio excipit: qui promissione de nascituro Jitzchako in gratiam Saræ repetita, consilium Dei de urbium eversione ad divinæ gratiæ erga eum testificationem, & posterorum utilitatem retegunt: Abraham verò pro illis sedulò apud Deum deprecatur.

[a] Heb. quum æstus diei esset, id est, sub meridiem.
[1] id est, sub meridiem: quod tempus jam olim fuisse constat prādio & quieti datum: unde fuit meridiari ambiguè Latinis dictū, pro eo quod est aut cibum aut somnum capere, & apud Terentium Adelphis ἀνόητος ille Demea dicens introducitur, præter hæc meridie ipso faciam ut stipulam colligat.
[2] Hospitalitatis Abrahami præclarum exemplum, quod singulis ferè vocibus amplificatur.

1 APparuit porrò ei Jehova in planitie Mamræ, quùm sederet ipse ad ostium tentorii sui, [a] [1] æstuante die.

2 [2] Quum enim sublatis oculis suis aspexisset, ecce [3] tres viros sistentes se coram eo: [||] quos videns accurrit obviam eis ex ostio tentorii sui, & [4] incurvavit se in terram *honorem exhibens*:

3 Et dixit; [5] Domini mei, si nunc [6] inveni gratiam in oculis tuis, ne quæso prætereas [b] a servo tuo.

4 Sumetur [7] jam parum aquę, inde [8] lavate pedes vestros; atque [9] innitimini sub ista arbore.

5 Interim accipiens *afferam* frustum panis, & [c] reficite animum vestrum, posteà progrediemini, quandoquidem transitis præter servum vestrum. Qui dixerunt, ita facito ut loquutus es.

6 Itaque festinavit Abraham in tentorium ad Saram; & dixit, festina, tria [10] sata, farinam [d] similagineam depse, & fac [11] placentas.

[3] non ut erant, sed ut putabantur esse: nescius enim Angelos excepit, Heb. 13. 2. [||] Heb. 13. 2. [4] honorem exhibens, qui civiliter exhiberi solebat hominibus honore dignis. [5] omneis primùm simul appellat, tamquam e longinquo: deinde verò ut venerunt propiùs, singulos sigillatim prensat, rogat, & invitat, singulari numero nisi fortè speciatim eum compellaverit, quem herum esse aliorum comitum ex specie judicabat. [6] si hac gratiā dignum me esse judicas. [b] Heb. de cum s. [7] q. d. sine ulla mora quæ vobis iter facientibus sit molesta. [8] i. pedes luto, sudore, ac pulvere inquinatos mundate, fessósque ex itinere lotione recreate, ut commodiùs capiatis cibum. [c] Heb. sustentate cor vestrum, ut Judic. 19. 5. & 8. [9] q. d. non parabo sumtuosam mensam, sed frugaliter vos excipiam rustico more, quò vos præsentis arboris hoc æstu invitat commoditas. [10] Sea, modius Rom. tertia pars Ephæ, Hebræā mensurā capiebat 6. cabos, cabus 4. logos, logus 6. communia ova gallinacea. Est autem sententia ἀσύνδετος & concisa valde, significans sedulitatem Abrahami ad excipiendos hospites, sicut & munerum distributio. [d] Heb. simila vel similaginis.

7 Ad armentum verò cucurrit Abraham; & accipiens [e] lactentem *vitulum* tenerum & bonum dedit *ferendum* ad puerum, qui festinavit [f] apparare eum.

8 Deinde accepto butyro & lacte vitulóque lactente quē apparaverat, apposuit illa corā eis: & ipse adstabat eis sub illa arbore comedētibus.

9 Dicentibus autem, [12] ubi *est* Sara uxor tua? dixit *Abraham*, ecce in [13] tentorio illo *est*.

10 Et dixit *Jehova*, [g] Certè [||] revertar ad te [14] quum vigebit hoc ipsum tempus, ecce autem filius erit Saræ uxori ituæ: Sara verò audiebat *ab* ostio tētorii sui, quod *erat* [h] post tentoriū [15] illius.

11 Abraham autem & Sara senes *erant*, [16] vergentes [i] ætate: desierat esse Saræ [17] [k] secundùm consuetudinem mulierum.

12 Quapropter ridebat Sara, [l] apud se dicendo; postquam vetula facta sum, [18] foret mihi voluptas? deinde [||] dominus meus senex est.

13 Tum dixit [19] Jehova Abrahamo, Quid ita risit Sara, dicendo, [20] an etiam verè paritura essem, quum ego consenui?

14 [21] An potest occultari a Jehova [m] quicquam? hac tempestate revertar ad te, quum hoc tempus vigebit, & Saræ *erit* filius.

15 Mentiens verò Sara quum negaret dicendo, non risi, quia [22] timebat; *Jehova* dixit, nequaquam *ita est*, nam risisti.

16 Posteà surgentes inde viri illi [23] prospectabant Sedomum versus: Abraham verò ibat cum eis, dimissurus eos.

17 Dixit autem Jehova, [24] occultém ne ego ab Abrahamo, quod sum facturus?

18 [25] Cum Abraham [n] prorsus futurus sit gentis magnæ ac potentis [||] pater; & [||] in eo benedicendæ sint omnes gentes terræ?

19 Nam [26] agnovi eum, ut quum præceperit filiis suis & [o] familiæ suæ post se, etiam observent [27] viam Jehovæ exercendo [28] justitiam & jus: [p] útque pręstet Jehova Abrahamo id quod [q] promisit ei.

20 Dixit ergo Jehova, [29] Clamor [30] Sedomi & Hamoræ cùm multus sit, & peccatum istorum cùm grave sit valde:

21 [31] Descendam nunc, & videbo, an secundū

[11] quia citiùs parantur, & apponuntur recētes.
[e] Heb. filium armenti seu bovis: periphrasis vituli subrumi seq. V.
[f] Heb. facere: ut seq. vers.
[12] ut fides Abrahami obsignetur, & Saræ augeatur, seipsos patefaciunt Angeli nomen hujus exprimendo: ita enim declarant sibi notum esse eum & uxorem ejus.
[13] nimirum Saræ, ut apparet ex sequente versu.
[g] Heb. revertendo revertar ad te hoc tempore vivente.
[||] sup. 17. 19. infrà 21. 1.
[14] hęc interpretatio confirmatur vers. 14. Vox enim viventis, alioquin propria animalium, ita tempori tribuitur, ut alibi structuræ, 1. Chron. 11. 9. & lapidibus, Nechem. 4. 2.
[h] Heb. post illud.
[15] puta Abrahami: sic enim matresfam. olim tentoria sua seorsim a patribus fam. habuerūt, ut in Grçcanicis ædificiis Andron & Gynæconitis discernuntur apud Vitruv. lib. 6. archit. cap. 10. vide inf. 23. 1.
[16] translatio a Sole occumbente ad homines appropinquātes morti: ideò additur vox ætate. [i] Heb. diebus. [17] ac proinde nulla erat naturalis in ea cōcipiendi facultas. Rom. 4. 19. [k] Heb. consuetudo secundùm mulieres: Hypallage. [l] Heb. in medio sui. [18] i. an ex liberis conceptis, in lucem editis, atq; educatis recrearer unquam? diffidentis verba, quæ reprehendēs exponit Deus, seq. V. [||] 1. Pet. 3. 6. [19] jam hic Jehovam vocat, quia se Dei angelum esse demonstraverat sup. 9. [20] non verba, sed sententiam refert. [21] id est, non potest Sara risum suum celare Deum, licet tantùm internus esset. [m] Heb. verbum. [22] tamquam si hoc pacto indecenter prodivisse in conspectum hospitū diceretur, quod modestissima antiquitas judicabat turpe; aut immodestè eis & sermonibus eorum arrisisse. [23] iter eò facturi. [24] humanitus dictum. Singulæ autem ferè voces sunt a Mosche distinguentibus notis insignitæ, ut totidem circumstantiæ personarum & factorum expendantur: ut ipse minutatim versibus seq. explicat. [25] tria hic ponuntur argumenta, propter quæ Deus Abrahamo statuit exponere consilium suum: primum ex comparatione majoris, si res tantas cum eo communicatas volui, cur non etiam hanc? hoc vers. secundum a fine proximo, ut hac premonitione confirmatus Abraham instet amplius apud suos, & sui incumbant religiosiùs in viis Domini observandis: tertium, a fine summo, ut jam verbo & opere præstare ex facto (quod ajunt) incipiat Deus promissiones factas suprà 15. 14. [n] Heb. existendo erit in gentem magnam & potentem. [||] suprà 11. 34. & infr. 22. 18. [||] suprà 11. 35. [26] nimirum datis illis promissionibus hæredum & benedictionis æternę, de quibus præcedente versu. Hunc versum, mutata antecedente explicatione, in hunc modum reddimus quam simplicissimè. [o] Heb. domui suæ. [27] id est, vivendi rationem, quam homini præscribit ut in ea ambulet: frequens metaphora. [28] quicquid Deus ab homine requirit, sive ad primam sive ad secundam tabulam pertineat. [p] Heb. ad faciendum ut eveniat. [q] Heb. dixit de eo. [29] & antecedentia scelera clamoris causæ: Metalepsis in hac voce frequens, ut Jeschaĥjæ 5. 7. [30] & aliarum urbium planitiei: synecdoche. [31] humanitus dictum. tertium autem exemplum est moderationis in summo judice, qui adhibet examen, antequàm ad pœnas sumendas veniat: sicut in diluvio & linguarum divisione fecerat: quam rem optimè Basilius homilia in Psalm 32. illustravit.

[r] clamorem

r clamorem iſtius qui pervenit ad me, omnino faciant: ſin autem minùs, cognoſcam.

22 Itaque reſpicientes aliorſum inde [32] viri illi abibant Sedomum verſus: ipſe verò Abraham ſtetit adhuc coram Jehova.

23 Et [33] accedens Abraham dixit, an etiam perimes juſtum cum ſ injuſto?

24 Sunt fortaſſis quinquaginta juſti in t civitate iſta: an etiam perimes, ac non parces iſti loco propter illos quinquaginta juſtos qui *fuerint* in ea?

25 Abſit tibi u ut facias tale quippiam, morti tradendo juſtum cum injuſto, ut ita ſit juſto ſicut injuſto: abſit tibi; an judex totius terrę non exerceret jus?

26 Cui dixit Jehova, ſi invenirem Sedomi quinquaginta juſtos in civitate ipſa, parcerem etiam toti illi loco propter eos.

27 Abraham verò ſubjecit, dicens; Ecce nunc cuperem alloqui Dominum, tametſi ego *ſim* pulvis & cinis.

28 Fortaſſis quinquaginta illos juſtos deficiẽt quinque, an perditurus es propter hos quinque totam civitatem iſtam? dixit, non perderem, ſi invenirem ibi quadraginta quinque.

29 Deinde pergenti denuò alloqui eum ac dicenti, fortaſſis invenientur ibi quadraginta; dixit, non eſſem facturus propter hos quadraginta.

30 Poſteà dicenti, ne quæſo accendatur *ira* Domini ſi loquar, fortaſſis invenientur ibi triginta: dixit *Jehova*, non eſſem facturus, ſi invenirem ibi triginta.

31 Rurſus dicenti, ecce nunc cuperem alloqui Dominum, fortaſſis invenientur ibi viginti: dixit, non eſſem perditurus propter illos viginti.

32 Poſtremò dicenti, ne quæſo accendatur *ira* Domini, ſi loquar tantùm hac vice, fortaſſis invenientur ibi decem: dixit, non eſſem perditurus propter illos decem.

33 [34] Tunc abiit Jehova, poſtquam abſolviſſet alloqui Abrahamum: Abraham verò reverſus eſt in locum ſuum.

r *Heb. conſumtionis: verbalia enim ſæpe conjugatis ſuis verbis includuntur: alioqui nullo argumento niteretur ſupplicatio Abrahami: infrà 23. & ſeq.*

32 Angeli virili ſpecie duo: tertius enim eſt Jehova, coram quo Abrahã ſtabat: quod oſtenditur infrà 19.1.

33 id eſt, propius ſe admovens, ut pro urbibus intercederet, quod verbo ſtãdi ſignificatur hìc & infr. 19.27.

ſ *Heb. improbo? ſic deinceps, ut poſtulat antithesis.*

t *Hebr. in medio civitatis iſtius.*

u *Heb. à faciendo ſecundum verbũ iſtud.*

34 nimirum ab Abrahamo tamquam Sedomum profecturus.

CAPUT XIX.

Sedomæorum ſcelus, Loti & filiarum ejus liberatio, Sedomi vicinarúmque civitatum everſio, filiarum Loti (ex quibus duæ gentes Moabitarum & Hammonitarum ortæ ſunt) ſceleratum conſilium & factum deſcribitur.

1 PErvenientibus autem [1] duobus illis Angelis Sedomum veſpere, Lot ſedebat ad portam Sedomi: quos quum videret Lot, ſurgens *ivit* eis obviam, & incurvavit ſe a vultu *demiſſo* in terram *honorem exhibens.*

2 ‖ Et dixit, Ecce [2] nunc domini mei, divertite quæſo in domum ſervi veſtri, atque pernoctate, & lavate pedes veſtros, deinde ſurgentes mane abibitis viam veſtram: *illi* autem dixerunt, [3] non *faciemus*, nam in platea ipſa ſumus pernoctaturi.

3 Sed quum inſtitiſſet apud eos valde divertentes, ad eum ingreſſi ſunt domum ejus: qui fecit eis cõvivium, & [4] infermentatos panes coxit, atque comederunt.

4 Nondum cubaverant: quum b cives illi, Sedomitæ, obſederunt domum illam æquè pueri atque ſenes: univerſus populus ab extremitate *civitatis una ad alteram.*

5 Et inclamaverunt Lotum dicẽtes ei, ubi ſunt viri illi qui ingreſſi ſunt ad te hac nocte? fac prodeant illi ad nos, ut [5] cognoſcamus eos.

6 Ad quos egreſſus Lot ad oſtium, quum januam clauſiſſet poſt ſe,

7 Dixit; ne quæſo, fratres mei, faciatis malũ.

8 [6] Ecce jam duas filias c meas quæ non cognoverunt virum, jam producam illas ad vos, & facite illis prout bonum *videbitur* in oculis veſtris: tantummodò viris iſtis ne faciatis quicquam, quandoquidem venerunt in umbram d tabulati mei.

9 Tum dixerunt illi, [7] ſecede illuc: deinde dixerunt, ‖ [8] hic unus venit ad hoſpitandũ & e [9] judicem indeſinenter agit: nunc plus tibi quàm illis faciemus mali: [10] inſtiterúntque in virum illum, in Lotum valde, & acceſſerunt ut effringerent januam.

10 Quapropter emittentes [11] viri illi manum ſuam, intròduxerunt Lotum ad ſe domum; & januam occluſerunt.

11 ‖ Viros verò illos qui erant ad oſtium domus percuſſerunt [12] ſubito ſcotomate f cùm minimum, tum etiam maximum: adeò ut defeſſi ſunt *laborando* ad inveniendum oſtium.

12 Tum edixerunt viri illi Loto, quis præterea hìc tibi eſt? *ſive* gener, ſive filii tui, ſive filiæ tuæ, denique quicunque tibi *juncti ſunt* in hac civitate: cura exeant ex iſto loco.

13 Nos enim g perdituri mox ſumus locum hunc: eo quòd magnus eſt [13] clamor iſtorum in conſpectu Jehovæ, miſitque nos Jehova ad perdendum *civitatem* iſtam.

14 Egreſſus itaque Lot alloquutus eſt generos ſuos qui brevi fuerant ducturi filias ſuas, dixítq;, ſurgite, egredimini e loco iſto, quia mox perditurus eſt [14] Jehova civitatem iſtam: ſed fuit *habitus* tanquam jocabundus in oculis generorum ſuorum.

15 Quum autem aſcenderet aurora, urgebant Angeli ipſi Lotum, dicendo: ſurge, aſſumens uxorem tuam & duas filias tuas quæ adſunt *abi*, ne perimaris in h pœna civitatis iſtius.

16 Cunctabatur autem; quapropter ‖ prehenderunt viri illi manum ejus & manum uxoris ejus, manúſque duarum filiarum ejus, i propterea quòd Jehova clementer amplectebatur eum: ut educerent eum, & collocarent eum extra civitatem ipſam.

17 Fuítque dum educerent eos foras, ut *Jehova* diceret, Eripe te [15] ad l vitam tuam *attendens*, [16] ne intuere poſt te, neque conſiſtas in tota hac planitie: ad montem illum *fuga* eripe te, ne perimaris.

18 Lot verò dicebat eis: [17] ne quæſo Domine.

19 [18] Ecce nunc invenit gratiam ſervus tuus in oculis tuis; quum amplificaſti benignitatem tuam quam exercuiſti erga me, incolumem ſervando vitam meam: ego autem non poſſum *fuga* me eripere ad montem illum, ne quod me aſ-

1 De quibus ſuprà 18.22.

a *Heb. naribus d.*

‖ *Hebr.* 13.2.

2 quum nox inſtet.

3 q. d. nolumus tibi moleſti eſſe: nam habemus quæ agamus nocte per plateam. ut ergo hominum ſpecie apparebant, ſic hominum more civiliter agebant.

4 ut maturè comederent, & ſe ad quietem cõponerent: vide ſuprà 18.6.

b *Heb. viri civitatis illius, viri Sedomi circumdederunt ſe contra domum illam a puero & uſque ad ſenem.*

5 adeò deplorati erant, ut abjecto omni pudore turpiſſimum ſui flagitioſiſſimúmque animum palam profiterentur: atque hinc dicta in vulgo Sodomia.

6 tanta erat olim hoſpitalitatis reverentia, ut ſuorum hoſpitũ incolumitatem ſuis etiam damnis redimerent. Nec tamen propterea probari, aut in exemplũ trahi poteſt quod hìc Lot, aut Judic. 19.24. Euphratæus ille facit, quia facienda non ſunt mala ut eveniant bona.

c *Heb. mihi.*

d. *Heb. tigni mei.*

7 tantiſper dum de eo quod propoſuiſti deliberabimus.

‖ 2. *Pet.* 2.8.

8 indignum judicantes ut ab inquilino leges acciperent, in priore propoſito pergunt, & graviora, niſi ceſſerit, interminantur.

e *Heb. judicando judicat.*

9 i. perpetuus eſt cenſor morum & vitæ noſtrę, moroſus & faſtidioſus nobis: vide 2. Pet. 2.8. nam hęc eſt Hebraiſmi hujus ſignificatio.

10 propoſitis minis, ſi hoſpitũ copiam non faceret.

11 Angeli, de quibus ſup. 1.

‖ *Sap.* 19.16.

12 Hebræa vox, teſte A. Hezra, hìc & 2. Reg. 6. 18. non tantum oculorum, ſed etiam mentis tenebras cęcitatémq; deſignat, tãquam ſi oculos ſpinæ injectę perfoderent: ac proinde in plurali ſolùm numero legitur. f *Heb. a parvo & uſq; ad magnum, ut ſup. verſ. 4. ſic 1. Schemu. 5.9. & 30.2. & 19.* g *Heb. perdentes: nam præſens paulò poſt futuri ſignificationem habet, ut* ℣. 14. [13] ut ſuprà 18.20. [14] cujus meminit præcedente verſ. jam enim Chriſtus humana ſpecie aderat, quem Lot deprecari cœpit ℣. 19. h *Heb. iniquitate, ut ſup.* 4.13. ‖ *Sap.* 10.6. i *Heb. propter clementiam Jehovæ erga eum.* [15] Sic olim anima pro vita dicebatur [illegible]. Herodotus Clione, τὸν δὲ Ἀρίονα ... χρήματα μὲν σφι ... ψυχὴν δὲ παραιτεόμενον. Juvenalis, Summum crede nefas animam præferre pudori, & ſimilia. Hoc verò in ſcripturis eſt frequentiſſimum. l *Heb. animã.* [16] q. d. celerrimè fuge: duo enim prohibet quæ fugam retardant, neque tantùm Loto, ſed etiam reliquis, ut docet ℣. 26. unũ eſt, ne retroſpiciat ullus, ut faciunt ii qui habitationis priſtinæ recordatione deſiderióq; cõmoventur: alterum, ne pedem in ulla planitiei parte ad conſiſtendũ figat. [17] cogar continuo curſu ad montem illum remotiorem difficilémque contendere. [18] Jam ad Jehovam ſolum convertitur Loti oratio, ut diximus in ℣. 17.

m Heb. *propinquam ad fugi.*
19 quasi dicat, tu ipse vides rem non esse tanti de qua dubitem orare te pro salute mea, adeò sum confirmatus de benignitate tua. Sic Hebræorum interrogationes summam denotant certitudinem, ut diximus suprà 13.9.
n Heb. *vivat anima mea.*
o Heb. *suscipio personam tuam etiam ad hoc verb.*
20 quasi dicat, consilium Dei immutabile est de vobis ex incendio eripiendis, ac proinde ante incendium in tuto collocandis: sic autem loquitur Christus secundum corpus humanum *οἰκονομικῶς* assumtum ad historiæ hujus *οἰκονομίας*.
p Heb. *verbum.*
21 ut suprà 16. 14.
22 id est, exiguam: alluditur enim ad verba Loti suprà vers. 20.
23 id est, ab aurora ad ortum Solis ejusdem diei iter confecit, quod erat inter Sedomum & Tzohiarem: quo emenso incendium sequutum est, ut Angelus dixerat vers. 22.
24 Christus Sapientia Dei, & potentia Dei, 1. Cor. 1. 24.
‖ *Deut.* 29. 23. *Jeschah.* 13. 19. *Jirme.* 50. 40. *Jechezk.* 16. 49. *Hosche.* 11. 8. 2. *Pet.* 2. 6. *Juda* 7.

sequatur malum, & moriar.
20 Ecce nunc civitatem istam m propinquitate sua commodam ad fugiendum illuc, quæ est *res* perexigua: *fuga* eripiam me quæso illuc (19 nónne res perexigua est?) & n vivam.
21 Cui dixit ille, Ecce o rationem habeo tui etiam in hac re: ut non subvertam civitatem istam quam dixisti.
22 Festina, *fuga* te eripe illuc, 20 non enim potero facere p quicquam usque-dum perveneris illuc: propterea 21 vocavit *quisque* nomen illius civitatis 22 Tzohiarem.
23 23 Sole prodeunte super terram, quum Lot ingrederetur Tzohiarem:
24 24 ‖ Jehova demisit super Sedomum & super Hamoram, pluviam sulphuris & ignis; 25 a Jehova e cælis:
25 Subvertítque 26 civitates ipsas & planitiem illam totam; omneísque incolas illarum civitatum, & 27 fœtum terræ:
26 Sed ‖ quum intueretur uxor ejus 28 ulteriùs post eum, 29 q statua salis effecta est.
27 Mane surgens autem Abraham eodem matutino, *abiit* in locum illum, ubi 30 steterat coram Jehova;
28 Prospectánsque r Sedomum & Hamoram versus, & totam regionem versus illius planitiei: vidit quum ecce ascenderet fumus illius regionis tanquam fumus fornacis calcariæ.
29 Fuit itaque quum perderet Deus civitates illius planitiei, ut 31 recordaretur Deus Abrahami: ideóque emisit Lotum e medio illius subversionis, quũ subverteret civitates illas apud quas habitaverat Lot.
30 Lot verò ascendens Tzohiare, consedit in monte illo, & duæ filiæ ejus cum eo, (quia metuebat habitare Tzohiare) & consedit in spelunca quadam ipse cum duabus filiabus suis.
31 Dixit autem primogenita s minori *natu*, pater noster senex *est*: nec quisquam *superest* in hac terra, qui congrediatur nobiscum, secundùm consuetudinem totius terræ.
32 Agedum, demus bibendum patri nostro 32 vinum, & cubemus cum eo; ut in vita t servemus ex patre nostro semen.
33 Quum itaq; dedissent bibendum patri suo vinum in nocte illa: accedens primogenita cubavit cum patre suo, qui non agnovit dum cubaret illa aut dum exurgeret.
34 Postridie verò u evenit ut diceret primogenita minori *natu*, ecce cubavi præterita nocte cum patre meo: demus ei bibendũ vinum etiam hac nocte, deinde veni, concumbe cum eo, ut servemus ex patre nostro semen.
35 Quumq; dedissent bibendũ etiam in nocte illa patri suo vinum; 33 surgens minor *natu* cubavit cum eo, qui non agnovit dum cubaret illa, aut dum exsurgeret.
36 Ita conceperunt duæ filiæ Loti ex patre suo.
37 Peperítque primogenita filium, & vocavit nomen ejus 34 Moabum: is *est* pater 35 Moabitarum 36 in hunc usque diem.
38 Et ipsa quoque minor *natu* peperit filium, & vocavit nomen ejus 37 Ben-hammi: ipse *est* pater Hammonitarum in hunc usque diem.

34 id est, a patre genitum, puta ex incesto illo filiæ cum Loto patre concubitu.
35 quia hi duo fuerant duorum populorum autores, qui Jisraëlitis futuri erant vicini, & de quibus certæ leges ferendæ, & historiæ scribendæ erant: ideò Mosche hæc de illis scribit, ut origine cognitâ, meliùs eorum ratio, quæ scribuntur de illis, intelligeretur. 36 quasi dicat, nostro adhuc tempore manent impermixti, & sua nomina retinent a parente suo. 37 id est, filium populi mei, non autem ex populo isto maledicto procreatum.

CAPUT XX.

Abraham ad urbem regiam Abimeleci migrat: ubi uxore ei adempta rex divinitus objurgatus, punitus, eámque reddere jussus, eam inviolatam marito cum amplis muneribus restituit; cujus precibus ipse cum suis sanitatem recuperat.

1 ex planitie Mamreæ, ubi habitabat, sup. 18. 1.
2 in deserto Bear-schebahi, ut appellatur infrà 21. 32. & seq. De Geraro autem vide suprà in 10. 19.
a Heb. *& inter Sch.*
3 quo autem consilio, hic & cap. 12. ostenditur suprà.
4 hæc vulgo recepta interpretatio: sed haud scio an melius ita reddi hic locus possit, *quum dixisset Abraham præter Saram uxorem suam*, i. præterquam quod dicebat Sara hunc fratrem suum esse: sic oratio futura est *ἀνανταπόδοτος*, & his duobus testimoniis consentientibus Abimelec crediderit. Hanc sententiam esse docet Abimelec versu 5. & videtur eò spectare propria Hebrææ particulæ significatio.
b Heb. *mor-*

1 PRofectus autem 1 inde Abraham ad regionem Meridianam, ut habitaret a inter Kadeschum a & Schurem; hospitatus est Gerari.
2 Ubi 3 quum dixisset Abraham 4 de Sara uxore sua, soror mea est; mittens Abimelec rex Gerari *homines*, accepit Saram.
3 Sed venit Deus ad Abimelecum in somnio nocturno: & dixit ei, Ecce b tu 5 illico moriturus es propter hanc mulierem quam accepisti, cùm sit c marito juncta.
4 Abimelec autem 6 non accesserat ad eam: quapropter dixit, Domine, 7 an gentem etiam justam interficeres?
5 Nonne ipse dixit mihi, soror mea est? & illa ipsa quoque dixit, frater meus est? 8 cum integritate cordis mei & munditia manuum mearum feceram istud.
6 Tum dixit ei Deus in somnio, tum ego sciebam cum integritate cordis tui te fecisse istud, tum etiam cohibui ego te ne peccares in me: idcircò non d sivi te attingere eam.
7 Nunc itaque restitue uxorem illius viri, 9 propheta enim est, quúmque oraverit pro te, 10 vivito: quòd si non restitueris, scito te e omnino moriturum, te *inquam*, & *eos* omnes qui tui *sunt*.
8 Mane itaque surgens Abimelec matutino ipso, quum vocavisset omneis servos suos, proloquutus est omnia verba hæc f ipsis audientibus: timuerúntque viri illi valde.
9 Deinde vocans Abimelec Abrahamum dixit ei, quid fecisti nobis? aut quid peccavi in te, quòd induxisti super me & super regnum meum

25 a Deo Patre, qui filio suo omne judicium dedit, Joan. 5. 22. sic Patres orthodoxi interpretati sunt, & Marcus Arethusius sanctè in Sirmiensi Concilio exposuit apud Socratem lib. 2. hist. Eccles. cap. 30 26 quæ nominantur Deuter. 29. 23. duæ verò quæ hic reticentur Hosche 11. 8. 27 id est, quidquid oritur e terra. ‖ *Luc.* 17. 32. 28 contra mandatum Angeli suprà vers. 17. Lot enim mulieres sequebatur, ut eas urgeret. 29 non tantùm mutata in materiam salis, sed firmam & durabilem, quod utrumque indicatur voce salis: ut Numer. 5. 11. fedus perpetuum fedus salis dicitur, quia sal a corruptione vendicat. *ἱστόρηκα δ' αὐτήν* (ait Josephus *ἀρχαιολογίας* primo) ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει. q *Heb. fuit statua.* 30 suprà 18. 22. r *Heb. in faciem Sedomi & Hamoræ, & in totam faciem reg.* 31 ut suprà 12. 3. promiserat se fore beneficum erga benedicentes ei, & amicos ejus, inter quos Lot postremus non erat. s *Heb. parvæ: sic vers.* 34. 32 quod Lotum credibile est secum Tzohiare aut domo exportasse, & de commeatu reliquo ad illud tempus quo in spelunca futurus erat prospexisse. t *Heb. vivificemus: sic vers.* 34. u *Heb. fuit.* 33 nimirum e loco ubi cum sorore cubabat nocte: nam spectabant singula ad circumveniendum Lotum.

mortuus: ut suprà 19. 13. 5 sub conditione, nisi mulierem hanc restitueas, infrà 7: nam conditionalis est interminatio. c *Heb. maritata marito.* 6 divinitus impeditus morbo, qui apparitionem præcessit, ut liquet ex fine cap. 7 Nam etsi Deus Abimelecum alloquens populi non meminit; plagæ tamen, quibus populum cum Rege castigavit, efficiebant ut populo quoque suo metueret; ideóque illum culpa primum liberat, deinde seipsum excusat. 8 id est, bona fide & conscientia, quasi dicat, nec animum habui malum, nec factum (quod synecdochicè manibus tribuitur) turpe existimavi, aut humanitus reprehendendum fore. d *Heb. tradidi te ut attingeres.* 9 mihi charus, quem si offendas, me offenderis: & quia Propheta est, uxorem suam scit a te intactam esse, ac proinde eâ restitutâ acquiescet. 10 quasi dicat, sententiam mortis latam rescindens remitto te in possessionem vitæ, quum primum hic mihi exposuerit te sibi satisfecisse, ut infrà vers. 17. e *Heb. moriendo morituram.* f *Heb. in auribus eorum.*

noxam

noxam magnam? opera quæ non sunt facienda
fecisti adversum me.
10 Præterea dixit Abimelec Abrahamo, [11]
quid videbatur tibi, quum faceres rem hanc?
11 Cui dixit Abraham, *feci* quia dicebam,
duntaxat vacuitas reverentiæ Dei *est* in loco
isto: quare occident me causâ uxoris meæ.
12 [12] Sed etiam revera soror mea *est* filia patris mei, non autem filia matris meæ: mihi verò
[g] nupta est.
13 ‖ Fuit autem quum [h] faceret Deus ut errarem e domo patris mei; ut dicerem ei, hæc
esto benignitas tua quam exerceas erga me;
ad quemcumque locum pervenerimus, dicito de
me, frater meus est.
14 Tunc [13] accipiens Abimelec greges &
armenta & servos & ancillas, dedit Abrahamo;
& restituit ei Saram uxorem ejus.
15 Dixitque Abimelec Abrahamo, ecce regio
mea [i] tibi exposita est: in [l] *loco* qui tibi videbitur
commodus habita.
16 Saræ verò dixit, ecce dedi mille *siclos*
argenteos fratri tuo, ecce is [14] tibi *est* operimentum oculorum apud omneis qui tecum
futuri sunt: atque [15] hæc omnia, ut erudita
sis.
17 Quum itaque orasset Abraham Deum, curavit Deus Abimelecum, & uxorem ejus & ancillas ejus, ut [16] parerent.
18 Nam planè [m] [17] occluserat Jehova omnem
vulvam familiæ Abimeleci; causâ Saræ, uxoris
Abrahami.

[11] quasi dicat, quum nihil præcesserit a nobis quod te eò moveret, quid te movet ut hoc consilium caperes?
[12] hinc confirmant Hebræi Saram eandem esse quæ suprà 11.29. nominatur Jisca filia Haranis. Haranem enim (ut qui annos 50. ante Abramum natus sit) ex altera matre natum esse dicunt, ideóque Abrahamum hîc vocare eam filiam patris sui, non autem matris. Nepotes verò filios avorum dici pervulgatum est, ut Jithronis filiæ dicuntur filiæ Rehuelis, Exod 2.17. & 20.
[g] Heb. in uxorem fuit.
‖ sup. 12.8.
[h] Hebr. errare facerent Deus: ut infrà 35.7 & 2. Schem. 7.23. plurale verbum cum Dei nomine ad indicandum S. Triados mysterium. [13] ut iratum sibi placaret, injuriámq; illatam compensaret. [i] Hebr. coram te: ut suprà 13.9. [l] Heb. in bono loco in oculis tuis. [14] Periphrasis mariti, tum a jure quod in uxorem habet, & ab officio illius protegendæ: tum ab officio uxorum in viros synecdochicè explicato, ut revereantur viros Ephes. 5.9. & 28. & 33. iisque subjectæ sint. nam in subjectionis signum velatur uxor, infrà 24.65. & 1. Corinth. 11. Simile est expandere alam vestimenti, Ruth. 3.9. & Jeschahjæ 4.1. [15] id est, quæcunque hactenus gesta sunt, inquit, & quæ jam dico tibi, ea huc spectant omnia, ut erudita sis, caveásque in posterum ne unquam dissimules hunc esse maritum tuum. Sic Abrahamo (qui ex facto non emendaverat hanc imprudentiam suam antegressi periculi experientia, sup. 12.8.) Deus infidelem præceptorem & doctorem veritatis obtulit. [16] hæ videlicet, ille autem non moreretur: quod fuerat interminatus Deus suprà vers. 3. Ellipsis analogica. [m] Heb. occludendo occluserat. [17] vide infrà 29.31.

CAPUT XXI.

Dominus constituto tempore largitur Abrahamo Jitzchakum: quem Abraham octavo die circumcidit: Hagaram cum Jischmaheele filio instinctu Saræ Deique jussu ablegat: a Rege Abimeleco ad fœdus invitatus acquiescit, & ab eo puteum sibi vi ademptum recuperat.

1 Posteà [1] ‖ [a] visitavit Jehova Saram quemadmodum dixerat, fecitque Jehova Saræ
quemadmodum loquutus fuerat.
2 ‖ Concepit enim & peperit Sara Abrahamo
filium senectuti ejus, eâ ipsâ tempestate quam
dixerat Deus.
3 Vocavitque Abraham nomen filii sui qui
natus est ipsi, quem peperit ipsi Sara, [3] Jitzchakum:
4 Et circumcidit Abraham Jitzchakum filium
suum [a] natum octo dies; ‖ sicut [4] præceperat ei
Deus.
5 *Erat* autem Abraham natus centum annos,
quum nasceretur ei Jitzchak filius ejus.
6 Dixit verò Sara, [5] risum fecit mihi Deus:
[6] quisquis audiet, arridebit mihi.
7 Præterea dixit, [7] quis fuisset dicturus Abrahamo [b], *certò* lactabit [8] filios Sara? cùm tamen
pepererim filium [9] senectuti ejus.
8 Quum autem crevisset infans ut depelleretur a lacte: fecit Abraham convivium magnum, quo die a lacte pellebatur Jitzchak.
9 Et videns Sara filium Hagaræ AEgyptiæ,
quem pepererat Abrahamo *Hagar*, [10] irridentem,
10 Dixit Abrahamo, ejice ancillam istam
& filium ejus: [11] non enim futurus est hæres
filius ancillæ istius cum filio meo, cum Jitzchako.
11 Mala autem videbatur hæc res valde in
oculis Abrahami, propter filium suum.
12 Sed [12] edixit Deus Abrahamo, ne malum
videatur in oculis tuis de puero hoc & de ancilla tua, quicquid indixerit tibi Sara, ausculta
voci ejus: nam ‖ in Jitzchako [13] vocabitur tibi
semen.
13 ‖ Attamen etiam filium ancillæ hujus [c] efficiam patrem gentis *magnæ*, quia [14] semen tuum est.
14 Quum ergo mane surrexisset Abraham eodem matutino, accipiens [15] panem & utrem aquæ allatum ad Hagaram tradidit, imponens
humero ejus, puerúmque ipsum, ac dimisit eam:
itaque profecta vagabatur per desertum *quod dicitur* Beer-schebahi.
15 Sed deficiente aqua ex utre, [16] abjecit puerum [17] sub [d] unam arborum:
16 Abiénsque [e] subsedit e regione, procul abscedendo [18] ut qui jaculantur arcu: dicebat enim, ne videam quum morietur puer: subsidénsque e regione, voce sublata flebat.
17 Audivit autem Deus vocem ipsius pueri:
quapropter inclamans Angelus Dei Hagaram
e cælo, dixit ei, quid tibi *est* Hagar? ne timeas; [f]
attendit enim Deus ad vocem ipsius pueri [19] in
loco ubi est.
18 Surge, tolle puerum istum, & apprehende
manu tua ipsum: nam patrem gentis magnæ efficiam ipsum.
19 Tum [20] aperuit Deus oculos illius, ut videret puteum aquæ: & abiens *illa* implevit utrem
suum aqua, & dedit bibendum puero.
20 Deinde [21] adfuit Deus isti puero ita ut creverit: [22] habitabat autem in deserto, erátque [23]
jaculator arcitenens.
21 Et habitanti in deserto Paranis; assumsit
ei mater ejus uxorem, e terra Aegypti.
22 Evenit autem [24] illo tempore, ut alloqueretur Abimelec & Picol princeps militiæ ejus
Abrahamum, dicendo; [25] Deus tecum *est* in omnibus quæ facis.
23 Nunc itaque jura mihi per Deum hîc,

[1] quàm recuperata uxore eò pervenit quò volebat.
‖ sup. 17.19. & 18.10. & 14.
[2] hinc sumenda frequentissimæ hujus phraseos explicatio: est enim visitare exsequi promissum bonum, vel denuntiatum malū.
‖ Gal. 4.23. Heb. 11.11.
[3] ex mandato Dei suprà. 17.19.
[a] Heb. filium octo dierum.
‖ sup. 17.10.
[4] sup. 17.12. hic primus octavo die circumcisus legitur. [5] non ampliùs diffidentis verba sunt ut suprà 18.12. sed prædicantis beneficium Dei.
[6] i. hoc nuncio audito pius quisque sic afficietur; ut mecum exsultet gaudio: ut Lucæ 1.14.
[7] quasi dicat, contra omnium opinionem factum est, ut hac ætate mater nutrixq; fierem: ideò dicitur Rom. 4.18. Abraham sub spe cōtra spem credidisse.
[b] Heb. lactavit.
[8] indefinitè dictum. vide infrà 46.7.
[9] i. Abrahamo seni, ut versu 2. hypallage: sed hoc est ἰμφατικώτερον.
[10] Certum est ex Gal. 4.29. eam fuisse irrisionem, quæ cum Jitzchaki persequutione conjuncta esset.
[11] Hæc causa ostendit persequutionē illam ab affectatione hæreditatis natam esse: cúmq; Jischmahel adhuc puer non suo instinctu, sed a matre instructus id facere videretur, ideò petit Sara ut uterque ejiciatur.
[12] noctu, ut ostendit vers. 14.
‖ Rom. 9.7. Heb. 11.18.
[13] id est, Jitzchak erit & reputabitur legitimus tuus hæres, ad quem promissiones tibi factæ derivabuntur.
‖ sup. 16. 10. & 17. 20.
[c] Heb. disponam in gentem: sic vers. 18.
[14] ex carne, non autem ex promissione, ut Jitzchak. vide Roman. 9.6. & seq. [15] Synecdoche: commemorantur enim tantùm, quæ iter facientibus per deserta loca sunt necessaria. [16] animo videlicet puerum, quem non portabat ulnis, tanquam moribundum deferens: quamobrem in sequentibus prostratum extulisse, & manu tantùm prehendisse ac non portasse dicitur vers. 18.17. [17] ne Solis ardore conficeretur, sed quietius vitam in umbra finiret. [d] Heb. unum fruticum. [e] Heb. sedit sibi. pleonasmus. [18] id est, quantum sagittarii a scopo abesse solent. [f] Heb. audivit. [19] quasi dicat, licet a paterna domo exulans, in deserto versetur, rebus ad vitam necessariis destitutus, non tamen eum dereliqui, sed ejus etiam hîc rationem habeo. Sic fidem hujus mulierculæ fulcit de promissione suprà 16.10. & factam Abrahamo præstat suprà 17.20. [20] id est, effecit ut videret fontem vicinum, quem anteà, quamvis apertis esset oculis, non videbat: sic Lucæ 24.31. [21] favore quòd ad externa prosequutus est, ut promissiones factas præstaret. [22] ut prædixerat Angelus suprà 16.12. ipse erit ferus homo. [23] id est, bellicosus synecdochicè; ut Angelus ibidem prædixerat. [24] quum adhuc Abraham habitaret inter Kadeschum & Schurem. [25] quasi dicat, tibi in omnibus favet: quod nos monet, ut tuam amicitiam expetamus.

26 dira

[26] aposiopesis, ut sup.14.23.
[27] regio est siticulosa, ut apparet ex historia Hagaræ,& Deut. 11.10. quamobrem non debet levieulum videri id de quo Abraham Regem interpellabat.
[28] ut testaretur nihil ampliùs offensionis animo suo herere,se excusationem accipere, & in traditione hac beneficia accepta grato animo agnoscere:nam fœdera quum ineuntur, non raro in utramq; partem fiunt munerationes,ut Diomedis & Glauci exemplum apud Homerum ostendit.
g *Heb.solas illas: ut V.seq.& infrà 43.32.*
[29] nam negotium hoc de puteo, diversum erat ab altero de ineundo federe.
[30] id est,muneris hujus acceptio testetur te mihi sine controversia cedere hujus putei quem effodi usu atque dominio. [31] i.puteum juramenti,ut infr.26.33. [32] ut qui statuerat diu ibi commorari,quod sequens versus ostendit. h *Heb.seculi.* i *Heb.velamnû.*

[26] *dira tibi imprecans,* si mentitus fueris mihi, aut
filio meo, aut nepoti meo; fore ut benignitatem
parem huic quam exercui erga te, exerceas erga
me,& erga regionem hanc in qua peregrinaris.
24 Cui dixit Abraham,ego jurabo.
25 Reprehendit verò Abraham Abimelecum;
[27] propter puteum aquæ illum, quem vi occupaverant servi Abimeleci:
26 Cui Abimelec,nescio quis fecerit rem hanc,
inquit: quinetiam neque tu indicaveris mihi,neque etiam ego audiveram præterquàm hodie.
27 Et accipiens Abraham greges & armenta
[28] dedit Abimeleco: pepigerúntque ambo ipsi
fedus.
28 Statuerat autem Abraham septem agnas
gregis g [29] seorsim.
29 Quamobrem Abimelec Abrahamo dixit,
quorsum isthic septem agnæ istæ, quas statuisti
seorsim?
30 Et ille, quia, inquit, has septem agnas acceptururus es e manu mea: [30] quo sit mihi *istud* in
testimonium me fodisse puteum hunc.
31 Idcircò vocavit *quisque* locum illum [31] Beer-
schebah,quia ibi juraverunt ambo.
32 Quúmq; pepigissent fœdus ad Beer-scheba;
surgens Abimelec & Picol princeps militiæ
ejus,reversi sunt in regionem Pelischthæorum.
33 [32] Plantavit verò *Abraham* nemus ad Beer-
schebah, & inuocavit illic nomen Jehovæ *Dei*
fortis h æterni.
34 Peregrinatus enim est Abraham in regione
Pelischthæorum i diebus multis.

CAPUT XXII.

Abraham ex oraculo Jitzchakum filium immolandum abducit: jugulaturus facere divinitus prohibetur,& arietem ejus loco mactat.quo facto Deus obedientiam ejus probans,promissiones de hæreditate & de Christo juramento confirmat. Postremò nuncius Abrahamo affertur de nata Ribka futura Jitzchaki uxore in familia fratris.

[1] q.d.postquam Abraham tot promissiones a Deo in Jitzchako acceperat, & tot benedictiones, ut earum fructus,gustaverat; nunc demum ei proponitur quod videbatur ex diametro pugnare cum promissionibus, quarum fundamentum erat Christus ex Jitzchako nasciturus.
a *Heb.post hæc, ut infr.V.20.*
[2] examini eum subjecit,ut palàm fieret qua fide erga se præditus esset.

1 EVenit autem [1] his a rebus transactis, ut
Deus ipse [2] tentaret Abrahamum: ‖ nam
dixit ei,*heus* Abraham; cui *ille*,ecce me,inquit.
2 Et dixit *Deus*, [3] assume nunc filium tuum,
[4] unicum tuum, [5] quem diligis, Jitzchakum, &
b abi in regionem [6] Morijæ: & offer eum ibi in
holocaustum,super [7] uno illorum montium quem
dixero tibi.
3 Mane itaque surgens Abraham, eodem matutino, instravit [8] asinum suum, & assumsit duos
pueros suos secum & Jitzchakum filium suum:
& fissis lignis c ad holocaustum,surrexit abiturus
in locum illum quem dixerat ei Deus.
4 Tertio die attollens Abraham oculos suos,
vidit locum illum e-longinquo:
5 Edixítq; Abraham pueris suis,vos d consistite
hîc cum asino, ego verò & hic puer ibimus eousque; quúq; e adoraverimus, [9] revertemur ad vos:

‖ *Hebr.*11.17. [3] tot sunt fere distinctiones emphaticæ quot verba ad exaggerandam mandati gravitatem, fidémque Abrahami & obedientiam: vide sup.in 18.17. [4] post amandatum Jischmahelem, cúmq; unum legitimè ex uxore natum. [5] pro altero. b *Heb.abi tibi: pleonasmus,ut sup.*11.33. [6] anticipatio; nam nominis causa ponitur infrà V.14. Est autem hęc regio ubi sita sunt Jeruschalajima.2.Chron.3.1. [7] nam montosa est regio,Psal.125.2. [8] ad ferenda ligna, V.6. c *Heb.ad holocaustum: sic V.6.* d *Heb.considete vobis: pleonasmus, ut suprà* 2. e *Heb. incurvaverimus nos. synecdoche.* [9] fide reputabat Deum posse Jitzchakum a mortuis suscitare, Heb.11.19. itaque nesciens formam rei futuræ,prophetavit.

6 Et accipiens Abraham ligna ad holocaustum, imposuit Jitzchako filio suo, accepit verò
in manum suam ignem & [10] cultrum: sic abibant
ambo simul.
7 [11] Alloquens autem Jitzchak Abrahamum
patrem suum dicebat,mi pater,qui dixit, ecce me
fili mi: tum dixit *Jitzchak*,ecce ignem & ligna,at
ubi *est* parva pecus ad holocaustum?
8 Cui dixit Abraham, Deus ipse prospiciet sibi
f de parva pecude ad holocaustum,fili mi: quum
abirent ambo simul.
9 Ut autem pervenerunt ad locum illum quem
dixerat ei Deus,exstructo ibi altari Abraham disposuit ligna: posteà ‖ colligans artubus Jitzchakum filium suum, imposuit eum altari supra ipsa
ligna:
10 Et immittens Abraham manum suam, accepit cultrum ad jugulandum filium suum.
11 Inclamans verò eum [12] Angelus Jehovæ e
cælo,dixit, [13] Abraham Abraham: qui dixit,ecce
me.
12 Tum dixit *Angelus*,ne immittas manum tuã
in puerum hunc; nec facias ei quicquam: nunc
enim [14] expertus sum timentem Dei esse te,cùm
non subtraxeris filium tuum,unicum tuum,a me.
13 Quum autem Abraham sublatis oculis suis
aspiceret, ecce arietem qui [15] retrorsum detinebatur in perplexitate *veprium* cornibus suis: abiens itaque Abraham accepit arietem illum, obtulítq; eum in holocaustum loco filii sui.
14 [16] Propterea vocavit Abraham nomen loci
illius, Jehova providebit: *ex* quo g dici solet hodie, [17] in monte Jehovæ providebitur.
15 Inclamavit porro Angelus Jehovę Abrahamum secundò,e cælo:
16 Ac dixit,Per meipsum juro,dictum Jehovę:
h quandoquidem fecisti rem hanc, & non subtraxisti filium tuum,unicum tuum:
17 i Me prolixè benedicturum tibi & cumulatissimè multiplicaturum [18] semen tuum, *ut sit numero* sicut stellæ cæli, & sicut arena quæ *est* in litore maris: & hæreditario jure possessurum semen tuum [19] portam inimicorum suorum,
18 ‖ Et [20] benedictas fore in semine tuo omnes
gentes terræ: k quandoquidem auscultasti voci
meæ.
19 Deinde reverso Abrahamo ad pueros suos,
surgentes abierunt simul in Beer-schebah: habitabat enim Abraham in Beer-schebah.
20 Evenítq; his rebus transactis, ut nunciaretur Abrahamo,dicendo: ecce peperit ipsa quoq;
Milca filios Nachori fratri tuo:
21 Hutzum primogenitum ipsius, & [21] Buzum
fratrem ejus, & Kemuelem patrem Arami,
22 Cesedúmq;, & Chazonem, & Pildaschum,
& Jidlaphum; etiámque Bethuelem:
23 Bethuel autem genuit [22] Ribkam:octo istos
peperit Milca Nachori fratri Abrahami.
24 Concubina verò [23] illius uxor,cui nomen *est*
Reüma, peperit igitur illa quoq; Thebachum, &
Gachamum,& Tachaschum,& Mahacam.

[10] cædendis victimis comparatum; qui secespita olim dicebatur a secandis cespitibus: nam ex cespite fiebãt aræ. Suetonius in Tyberio.
[11] hęc colloquii narratio plurimùm ad ostendendam Abrahami πληροφορίαν & constantiam facit.
f *Heb.parvam pecudem: ut V.14.*
‖ *Jacob.2.21.*
[12] Christus sermo æternus Patris,qui idem appellatur Deus, V.12.itémque Jehova, V.16. ut sup.16.& 18. & 19.
[13] anadiplosis festinationem in vocante ostendit,& declarat eum in ipso articulo a filii cæde retractum esse, quo fuerat mactaturus.
[14] humanitus dictum.
[15] videtur vox Angeli a tergo Abrahami insonuisse; ad quam cùm se convertisset, aries ille oculis ejus oblatus est.
[16] comparans cum eventu responsionem suã ad filiũ sup. V.8.
g *Heb.dicitur.*
[17] q.d. ex eo quod ibi Abrahamo contigit, proverbium manavit,quo in rebus perplexis, quarum nullus cernitur exitus, ad Dei providẽtiam recurritur, dicendo,in monte Jehovæ providebitur, hoc est, suo tempore & loco, ut olim factum est.
h *Heb. quòd quãdoquidem, &c. Pleonasmus in hyperbatis frequens.*
i *Heb.quòd benedicendo benedicã tibi,& multiplicãdo multiplicabo.*
[18] illud de quo dictũ est, in Jitzchako vocabitur tibi semen,suprà 21.12. [19] robur, potentiam, & imperium: nam munitiones & propugnacula in portis collocari solebant, & ibidẽ jus a magistratibus dici,ut passim in Scripturis apparet. ‖ *sup.*12.3.& 18.18, *infr.*26.4. [20] id est,fide se agnoscent in semine tuo, quod est Christus,esse benedictas. k *Heb. pro eo quòd: ut infr.*26.5. [21] hujus nominis & Arami vestigia servabantur in Mesopotamia Constantii Cæsaris temporibus, ut meminit Ammianus libro 18. quum prope castella Romana venisset *Persa*, quorum unum Reman, alterum Buzan appellatur, perfugarum indicio didicit multorum opes illic translatas servari, ut in munimentis præcelsis & fidis,&c. [22] cujus causâ hanc genealogiam superioribus adjecit Mosche, ut viam sibi muniret ad narrationem cap.24. [23] Nachoris puta, qui justæ uxori superinduxit alteram contra justi conjugii leges.Hanc Jurecoss. concubinam uxorem dixerunt,ut ab uxore justa & a prostibula distinguerent.

CAPUT XXIII.

Saræ ætas & mors, Abrahami planctus, loci ad ſepulturam emtio, & ſepultura illius deſcribitur.

1 Fuit autem vita Saræ [a] centum viginti ſeptem annorum; *hi* anni vitæ Saræ.

2 Pòſt mortua eſt Sara in urbe Arbaħ (ea *jam dicitur* Chebron) in regione Cenaħanis: & [1] ingreſſus eſt Abraham ad lugendum propter Saram, & ad deflendum eam.

3 Surgens verò Abraham *quum abiviſſet* a facie mortui ſui, alloquutus eſt filios Chethi, dicendo,

4 [2] Peregrinus & inquilinus ſum apud vos: date mihi poſſeſſionem ſepulchri apud vos, ut ſepeliã mortuum meum *ſublatum* e conſpectu meo.

5 Reſponderunt autem filii Chethi Abrahamo, dicendo ei,

6 [3] Audi nos domine mi, [4] princeps Dei, tu [b] inter nos, in lectiſſimo ſepulcrorum noſtrorũ ſepeli mortuum tuum: nemo ex nobis ſepulcrum ſuum occludet tibi, quo minus tuum mortuũ ſepelias.

7 Tum aſſurgens Abraham incurvavit ſe coram populo ejus regionis *honorem exhibens*, coram filiis Chethi:

8 Et loquutus eſt cum eis, dicendo: ſi eſt in animo vobis ut ſepeliam mortuum meum *ſublatum* a conſpectu meo; auſcultate mihi, & intercedite [c] pro me apud Hephronem filium Tzocharis:

9 Ut det mihi ſpeluncam [5] Macpelæ [d] *loci* ſui, quæ *eſt* in extremitate agri ipſius; [e] juſtâ pecuniâ det illam mihi inter vos, in poſſeſſionẽ ſepulcri.

10 Hephron autem [6] ſedebat inter filios Chethi: reſpondit verò Hephron Chitthęus Abrahamo, [f] audientibus filiis Chethi, omnibus ingredientibus portam civitatis ſuæ, dicendo,

11 Nequaquam, domine mi, audi me: [7] agrum illum dederim tibi, & ſpeluncam quæ in eo *eſt*, ipſam tibi dederim: [g] pręſentibus popularibus meis dederim eam tibi, ſepeli mortuum tuum.

12 Tunc incurvavit ſe Abraham coram populo regionis illius *honorem habens*:

13 Et alloquutus eſt Hephronem audiente populo regionis illius, dicendo, [8] ſed ſi tu *is es*, quęſo audi me: [9] [h] do pretium agri illius, accipe a me: tum ſepeliam mortuum meum illic.

14 Reſpondit autem Hephron Abrahamo, dicendo ei,

15 Domine mi audi me, terra quadringentorum *ſiclorum* argenti, [10] inter me [i] & te, [11] quid eſt? tuum ergo mortuum ſepeli.

16 Auſcultavit itaque Abraham Hephroni; & appendit Abraham Hephroni argentum illud, quod [k] indicaverat audientibus filiis Chethi: quadringentos [12] *ſiclos* argenti [13] commeantis ad

[a] *Heb. centum annorum & viginti annorum & ſeptem annorum.*
[1] in tentorium Saræ: ita enim ſimul habitabant, ut ſua tentoria ſeparata haberent, ſicut oſtendimus ſuprà in 18.10. & apparet ex fine cap. ſeq.
[2] ita benevolentiam ſibi conciliat, & neceſſitatem ſuæ petitionis oſtendit.
[3] hæc Chitthęorum verba ſunt, cum ſigillatim privato nomine, tum cõmuniter publico reſpondentium ad petitionem Abrahami: quamobrem numero permutato dicunt, Audi nos domine mi, &c.
[4] id eſt, quem nos licet nihil inter nos poſſidentem Dei beneficiis eximiè ornatum agnoſcimus: ſic Abimelec ſup. 21.22. Deus eſt tecum.
[b] *Heb. in medio noſtri, in delectu ſep.*
[c] *Heb. mihi.*
[5] nomen proprium eſt loci, ut apparet ex Hebræa conſtructione, infrà 17. & 19.
[d] *Heb. qui* eſt *ipſius.*
[e] *Heb. pleno argento: ut 1. Chron. 21.22. & 24. quod explicatur infrà* ✝.26.
[6] id eſt, unus erat ex illo conſeſſu apud quem agebat Abrahã.
[f] *Heb. in auribus filiorum, ut infrà* 13.16.
[7] i. ager ille tuus eſto, & eo perinde utitor ac ſi dono tibi datus eſſet: in me nulla erit mora. [g] *Heb. in oculis filiorum populi mei, ſic infrà* 18. [8] nam viri nomen audiverat Abraham, ſed neque de facie noverat, neque adeſſe putabat. Eſt autem ſi, poſitum pro quandoquidem, ut apud Græcos εἰ pro ἐπεὶ, Act. 4.9. ſic infr. 43.11. [9] videtur his verbis Abraham præſentis pecuniæ amplius obtuliſſe quam erat juſta agri æſtimatio: quamobrem id modeſtiſſimè humaniſſiméque recuſat Hephron ſequentib. [h] *Heb. argentum.* [10] ut inter amicos (cujuſmodi ſumus) æſtimari ſolet. [i] *Heb. & inter te.* [11] q.d. leviuſculum eſt quàm ut propterea mortuum ſepelire differas. [k] *Heb. loquutus fuerat.* [12] Siclus in lege eſt duplex: Communis, jam ante latam legem in rebus politicis receptus, & ſacer, ad res ſacras inſtitutus lege, altero duplo major. Erat autem ſacer 20. gerarum, Exod. 30.13. & Jechezkel. 45.12. gera, 16. granorum hordei. Continet ergo communis ſiclus (de quo hîc Moſchen agere veriſimile eſt, cùm de emtione rei non ſacræ ante Legem ſacta quæritur) 10. geras, id eſt, 160. grana hordei. Efficiunt autem 160. grana ſcrupulos noſtrates ſex, & duos trientes, ſive duas drachmas & grana 16. Sic 400. ſicli argentei efficiunt centum undecim uncias argenti, duos ſcrupulos, & duos trientes ſcrupuli. Quamobrem quum juſtum thalleri pondus unciale ſit, cõmunem ſiclum (quamvis paulo majorem) quadrante thalleri deinceps ad rotundationem numeri æſtimabimus. [13] i. ea quantitate & qualitate, ut etiam inter ipſos mercatores (qui in expendendo numiſmatum pretio ſunt diligentiſſimi) tranſlatitium & receptum eſſe poſſet.

mercatorem quemvis.

17 [14] Ita [l] ceſſit ager Hephronis qui *eſt* Macpelæ, quæ *eſt* e-regione Mamræ; ager cum ſpelunca ipſa quæ in eo *eſt*, omníq; arbore quæ in agro *erat*, quod *denique erat* in toto termino ejus circumquaque,

18 Abrahamo in poſſeſſionem præſentibus filiis Chethi, omnibus ingredientibus portam civitatis ejus.

19 Poſteà demum ſepelivit Abraham Saram uxorem ſuam, *elatam* in ſpeluncam agri Macpelæ e-regione Mamræ, ea *jam dicitur* Chebron, in regione Cenaħanis:

20 Quum ceſſiſſet ager ille & ſpelunca quæ *eſt* in eo, Abrahamo in poſſeſſionem ſepulcri; a filiis Chethi *emtus*.

[14] His verſibus locum emtum, venditorem, teſtes, & alias circumſtantias accuratè, & fuſiore quàm ſolet ſtylo, proponit Moſche, idq; verbis deſumtis ex publicis emtionis tabulis, in quas omnia exactè referri ſolent: ut perpetuum eſſet documentũ poſteris Abrahami de legitima illius loci poſſeſſione.
[l] *Heb. ſurrexit vel ſtetit: ut* ✝.20.

CAPUT XXIIII.

Abraham filio de uxore proſpiciens, famulum jurejurando obſtrictum ad eam quærendam amandat: qui in Meſopotamiam Deo duce profectus, Ribkam Jitzchaki conſanguineam ei uxorem obtinet: Jitzchak verò eam uxorem accipit.

1 Abraham autem erat [1] ſenex, vergens ętate; benedixerátq; Jehova Abrahamo [2] in *rebus* omnibus:

2 Quum edixit Abraham ſervo ſuo [a] vetuſtiſſimo domeſticorum ſuorum, qui præerat omnibus quæ *erant* ipſius, [3] pone nunc manum tuam ſub femore meo:

3 Ut jurejurando obſtringam te per Jehovam Deum cæli, Deúmq; terræ; te non accepturum uxorem filio meo ex filiabus iſtorum [4] Cenaħanæorum, [b] inter quos habito:

4 Sed te in [5] regionem meam & ad [6] cognationem meam profecturum, & accepturum uxorem filio meo Jitzchako.

5 Dixit autem ille ſervus ei, fortaſſis nolet mulier illa [c] ſequi me in regionem hanc: an [d] verò [7] reducam filium tuum in regionem illam ex qua egreſſus es?

6 Cui edixit Abraham, [e] cave tibi ne reducas filium meum illuc.

7 Jehova Deus cæli, qui aſſumſit me e domo patris mei, & e terra cognationis meæ; quíque loquutus eſt mihi, & qui juravit mihi dicendo, ſemini tuo dabo regionem hanc: is mittet [8] Angelum ſuum ante te, ut accipias uxorem filio meo inde.

8 [9] Quòd ſi nolet mulier illa ſequi te, tum inſons eris ab adjuratione hac mea: tantummodò filium meum ne reducas illuc.

9 Ponens itaque ſervus ille manum ſuam ſub femore Abrahami domini ſui juravit ei ſuper [f] hac re.

10 Deinde accepit ſervus ille decem camelos e camelis domini ſui, profecturus, ut qui omneis opes domini ſui *habebat* in manu ſua: ſurgénſque profectus eſt in [10] Syriam [g] interamnem [11] ad civitatem Nachoris.

11 Tum curavit [12] ut flecterent genua cameli extra civitatem ipſam, juxta puteum aquæ; tem-

[1] natus 140. annos, ut colligitur ex 25.20. ideò tempus videbat eſſe conſulendi filio.
[2] vita, opibus, prole, & gloria, ut ſuprà 11.34. itémq; liberis, ſup. 16. & 21. & infr. 25.
[a] *Heb. ſeni domus ſuæ.*
[3] ut fecit Jaħakobo Joſeph, infrà 47.9. Ritus olim uſitatus in juramentis, quæ ſuperiores a domeſticis exigebant: eum adhuc apud Aethiopas & Indos ſervari Aben Hezra dicit.
[4] qui ſunt a Deo rejecti, a federe excluſi, & exitio deſtinati, ſupr. 9.25. & 15.16.
[b] *Heb. in cuju medio.*
[5] Meſopotamiam, ut pòſt exprimitur ✝.10.
[6] de qua Abraham jam ante audiverat, ſup. 22.20.
[c] *Heb. ire poſt me: & ſic deinceps.*
[d] *Heb. reducendo reducam.*
[7] id eſt, reverſus eò abducam filium tuum? metalepſis Hebraica.
[e] *Heb. ſervato tibi.*
[8] Chriſtum, qui idem appellatur Jehova, infrà ✝.27. & 48. [9] ipſe quidem erat certus de providentia Dei, ſed ut ſervo ſollicitè ne quid temere juret caventi ſatisfaciat, ita reſpondet. [f] *Heb. verbo iſto.* [10] quam omnes autores a ſitu ipſius inter duos amnes Euphratem & Tigrin dixerunt Meſopotamiam, Lampridius in Alexandro Severo Interamnanam terram appellavit. Hæc enim olim pars fuit Syriæ, ut teſtis eſt Plinius lib. 5. natur. hiſt. cap. 12. & Pomponius Mela lib. 1. cap. 11. [g] *Heb. duorum fluviorum, id eſt, Meſopotamiam, quæ inter Tigrin & Euphratem ſita eſt.* [11] non Urem Chaldæorum, ubi natus erat; ſed Charanem Meſopotamiæ, in qua habitabat, ut ex 28. cap. liquet. [12] id eſt, quieſcerent pro Arabicorum camelorum natura,

pore

pore [b] vespertino; quo tempore *mulieres aquam*
haurientes exire solent:
12 Et dixit, ô Jehova Deus Abrahami Domini
mei, fac quæso ut obveniat mihi hodie; & exerce
benignitatem *hanc* [12] erga dominum meum A-
brahamum.
13 Ecce ego consisto juxta fontem hunc aquę,
dum filiæ virorum civitatis istius egredientur ad
hauriendum aquam.
14 [14] Siqua puella erit, quum dixero ipsi, Incli-
na quæso hydriam tuam, ut bibam, quæ dicat,
bibe, etiámq; camelis tuis bibendum dabo: hanc
præstitueris servo tuo Jitzchako, & in hac expe-
riar te exercere benignitatem erga dominum
meum.
15 [i] Evenit autem id ipsum, antequam absol-
visset loqui; ecce enim Ribkam egredientem, quę
nata fuerat Bethueli filio Milcæ uxoris Nacho-
ris fratris Abrahami: cum hydria sua humero
suo imposita.
16 (Puella autem ista erat formâ bonâ valde,
virgo, quam vir non cognoverat) quæ descendit
ad fontem illum, & impleta hydria sua ascen-
debat.
17 Accurrit ergo servus ille obviam ei; & dixit,
sine me sorbere quęso parum aquę ex hydria tua.
18 Et illa, bibe, inquit, domine mi: [l] festinan-
térq; demittens hydriam suam super manum su-
am, bibendum dedit ei.
19 Quúmque absolvisset dare bibendum ei;
dixit, etiam camelis tuis hauriam, usque dum ab-
solverint bibere.
20 Festinans itaque deplevit hydriam suam,
fundendo in aqualiculũ, & cucurrit denuò ad pu-
teũ ut hauriret; hausitq; omnibus camelis ejus.
21 Intereà vir ille [15] stupebat super ea, tacitus
observans ut cognosceret utrùm secundasset Deus
viam suam, néc ne.
22 Factum est autem quum absolvissent cameli
bibere, ut accipiens vir ille *imponeret* [16] *naso ejus*
monile aureum, cujus pondus *erat* dimidii [17] sicli:
& duas armillas imponeret manibus ejus, qua-
rum pondus *erat* aureorum [18] decem.
23 Postquàm dixisset, cujus filia *es* tu? indica
quæso mihi: éstne in domo patris tui nobis ad
pernoctandum locus?
24 Et illa dixisset ei, filia sum Bethuelis; filii
Milcæ, quem peperit *hæc* Nachori.
25 Dixisset quoque, tum straminis, tum pabuli
multum *est* penes nos; tum ad pernoctandum
locus.
26 Tum inclinans verticem vir ille *adoravit*, se
incurvans Jehovæ.
27 Dixítque, Benedictus *sit* Jehova Deus do-
mini mei Abrahami, qui [19] non dereliquit benig-
nitatem suam & fidem suam, [m] quin *exerceret eam*
erga dominum meum: me, me *inquam* [20] hac eâ-
dem viâ deduxit Jehova in domum agnatorum
domini mei.
28 Itaque currens puella nunciavit in domo
matris suæ, [n] ut *se* habebant ista.
29 Ribkæ autem *erat* frater, cui nomen Laban:
cucurrit ergo Laban ad virum illum foras ad fon-
tem.
30 Hoc verò factum est, quum vidisset monile
illud, & armillas impositas manibus sororis suæ,

[b] *Heb. vespere. tempore exeundi haurientes.*
[13] cujus res, non mea agitur.
[14] Rei eventus declarat non superstitiosa divinatione, sed divino instinctu motum fuisse servum, ut sibi signum hoc proponeret ad fidẽ suam cõfirmandam. Simile est de Jonathane & Armigero, 1. Schem. 14.9. & 10. Simile etiam quod de Gidhone legitur Judic. 7.13. & seq. nisi quòd expressè Gidhoni dicitur a Deo propositum, hîc non exprimitur.
[i] *Heb. fuit: ut infrà 41.13. & 1. Schem. 4.1.*
[l] *Heb. festinavit ut demitteret: sic infr. 20 festinavit, ut depleret: item V.46.*
[15] ad divinæ providentiæ καὶ οἰκονομίας considerationem, quum eventus omninò proposito signo responderet.
[16] Elegantissimum genus ellipseos, quod in Grammatica nostra diximus analogicum, quia ex altero membro deprehenditur suppleri aliquid ἀναλόγως oportere: ut suppletur V.47. Ejusmodi ellipseos exempla in Pindarum a Demetrio Triclino afferuntur. Sic enim Homerus, σῖτον καὶ οἶνον ἰδόντες. Item Euripid. Μηδ᾽ αἷμά μου δέξαιτο χεὶρ ἐμὸν τινός. Μὴ λαμπρὸς αἰθὴρ, nimirum τὸ πνεῦμά μου, spiritum meum. Et Pindarus Olymp. 2. ὅρμινοι τῶν χεῖρας ἀναπλέκοντι καὶ στεφάνοις: nimirum capita. Virgilius Aeneid.
Ipse Quirinali lituo, parvâque sedebat
Succinctus trabea: & similia.

[17] vide supr. 23.16. [18] supple siclorum: nam ubicunque auro & argento (quæ nomina, ut & reliquorum metallorum, apud Hebræos plurali carent) numeralia nomina juncta leguntur, pro siclis ejusdem metalli usurpantur. [19] i. continenter prosequutus est, Liptotes. [m] *Heb. a domino meo peregrina verbi constructio ostendit supplendum esse verbum cui conveniat.* [20] benignitatis & fidei, ut V.48. q. d. tam benignè mecum egit atq; fideliter, quàm egisset cum domino meo, si hoc iter ipse suscepisset. [n] *Heb. secundùm verba ista.*

& quum audiisset verba Ribkæ sororis suæ dicen-
tis, ita alloquutus est me vir ille; igitur venit ad
virum illum; qui ecce adstabat camelis prope
fontem:
31 Et dixit *Laban*, ingredere [21] benedicte [o] a Je-
hova: quare maneres foris? nam ego expedivi
domum, & locus *est* pro camelis istis:
32 Et ingresso viro illo domum, solvit camelos:
dedítque stramen & pabulum camelis, & aquam
[22] ad lavandum pedes illius, pedésq; virorum qui
erant cum illo.
33 Sed quum apponeretur illi ut comederet,
dixit, non comedam usquedum eloquutus fuero
[p] res meas: cui dixit *Laban*, loquere.
34 Tum dixit, Servus Abrahami ego *sum*.
35 Jehova autem benedixit Domino meo val-
de, adeò ut magnus effectus sit: dedit enim ei gre-
ges & armenta, & argentum & aurum, servósque
& ancillas, & camelos & asinos.
36 Præthereà peperit *Sara* uxor domini mei fi-
lium domino meo, [q] [23] postquàm senuit ipsa: de-
dítq; *dominus meus* illi [r] quicquid habet.
37 Jurejurando autem obstrinxit me Domi-
nus meus dicendo, ne accipias filio meo uxorem
e filiabus Cenahanæorum, in quorum ego regio-
ne habito.
38 *Dira tibi imprecare*, nisi ad domum patris mei
proficiscaris & ad familiam meam; ut accipias
uxorem filio meo.
39 Quum autem dixissem domino meo, for-
tassis mulier illa non est sequutura me:
40 Dixit *ille* mihi; Jehova, in cujus conspectu
indesinenter ambulavi, mittet Angelum suum
tecum, & secundabit viam tuam, ut accipias
uxorem filio meo e familia mea, & e domo pa-
tris mei.
41 Tunc insons eris ab exsecratione mea, quũ
veneris ad familiam meam: etsi non dabunt tibi,
tamen eris insons ab exsecratione mea.
42 Veniens ergo hodie ad fontem istum; dixi,
Jehova Deus domini mei Abrahami, si tu nunc
[s] secundare pergis viam meam per quam ego
ambulo:
43 Ecce ego consisto juxta fontem hunc aquę:
si qua virgo erit mox egressura ad hauriendum
aquam, quæ ubi dixero ipsi, da mihi quæso biben-
dum parum aquæ ex hydria tua,
44 Respondeat mihi, cùm tu bibe, tum etiam
camelis tuis hauriam; ea ipsa *sit* uxor, quam præ-
stituit Jehova filio domini mei.
45 Ego nondum absolveram loqui [t] cum ani-
mo meo, quum ecce Ribka egressa est *habens* hy-
driam suam super humerum suum, descendénsq;
ad fontem hausit: dixi autem ei, da mihi biben-
dum quæso;
46 Illa verò festinanter demittens hydriam su-
am a se dixit, bibe, etiámque camelis tuis biben-
dum dabo: & postquàm biberam, etiam camelis
meis bibendum dedit.
47 Quare rogavi eam dicens, filia cujus es? &
illa, filia, inquit, Bethuelis filii Nachoris, quem
peperit ei Milca: & imposui monile istud naso
ejus, & armillas manibus ejus:
48 Et inclinato vertice *adoravi* incurvans me
Jehovæ; ac benedixi Jehovæ Deo domini mei
Abrahami, quòd duxisset me per viam [u] veram,
ad accipiendum filiam fratris domini mei pro fi-
lio ipsius.
49 Nunc igitur si estis porrò exercituri [24] beni-
gnitatem & fidem erga dominum meum, indica-
te mihi: sin autem minus, indicate mihi, ut con-
vertam me [25] ad dexteram vel ad sinistram.

[21] vide infrà 26.29.
[o] *Heb. Jehovæ.*
[22] vide suprà in 18.4.
[p] *Heb. verba mea.*
[q] *Heb. post senectutem suam.*
[23] præter naturæ ordinem & exspectationem omnium: summi favoris indicium, & spem certam faciens de felici filii successu.
[r] *Heb. omne quod est ipsi.*
[s] *Heb. si es secundans: vide suprà 4.17.*
[t] *Heb. ad cor meum.*
[u] *Heb. veritatis, vel fidei.*
[24] postulatum concedendo, & bona fide præstando officium quod debetis consanguineo vestro.
[25] id est, aliò deflectam: opponuntur enim ista rectæ viæ: proverbialis formula; ut Num. 20.17. & 22.26. & Deuter. 2.27. & alibi.

50 Cui respondens [26] Laban & Bethuel dixe-
runt, a Jehova profecta est hæc res: non possu-
mus eloqui tibi [27] malum aut bonum.
51 Ecce Ribka [x] tibi exposita *est*, accipe & abi;
sitque uxor filio domini tui, quemadmodum lo-
quutus est Jehova.
52 Itaque factum est, quum audivisset servus
Abrahami verba eorum, ut *adorans* incurvaret se
Jehovæ ad terram *usque*:
53 Et depromens servus ille instrumenta ar-
gentea & instrumenta aurea ac vestes, traderet
Ribkæ; similiter [28] res pretiosas daret fratri ejus
& matri ejus.
54 Deinde comederunt & biberunt ipse & viri
illi qui cum ipso *erant*, ac pernoctaverunt: quum
autem *postero* mane surrexissent, dixit *servus ille*,
dimittite me ad dominum meum.
55 Dicente verò fratre ipsius *Ribkæ* & matre
ipsius, Resideat hæc puella nobiscum *aliquot* dies,
saltem [y] decem; posteà abitura est:
56 *Ille* dixit eis, ne remoremini me, quum Je-
hova secundaverit viam meam: dimittite me ut
abeam ad dominum meum.
57 Tunc dixerunt, advocemus puellam ipsam;
& interrogemus [29] os ejus:
58 Et advocantes Ribkam dixerunt ei, [z] visne
proficisci cum hoc viro? quæ dixit, proficiscar.
59 Dimittentes itaque Ribkam [30] sororem su-
am & [31] nutricem ejus; cum servo Abrahami ac
viris ejus:
60 Benedixerunt Ribkæ, dicentes ei, tu soror
nostra, [a] mater esto mille myriadum; & hære-
ditario jure possideat semen tuum [32] portam [b]
inimicorum suorum.
61 Surgens verò Ribka & puellæ ejus insede-
runt camelis ut sequerentur virum illum: accep-
táque servus ille Ribkâ abiit.
62 Jitzchak autem veniebat ex ambulatione
ad puteum [33] Lachai roi: (nam ipse habitabat in
regione meridiana *Cenaanææ*:)
63 Quò egressus erat Jitzchak ad [c] meditan-
dum in agro, appetente vespera: quumq; subla-
tis oculis suis respiceret, ecce camelos venientes.
64 Ribka verò sublatis oculis suis quum vide-
ret Jitzchakum, [d] dejecit se de camelo:
65 Quũ illa dixisset servo, quisnã est vir ille qui
ambulat in agro obviã nobis? servúsq; dixisset, is
est dominus meus: & accepto peplo [34] operuit se.
66 Tunc enarravit servus ille Jitzchako [e] om-
neis res quas fecerat.
67 Et introducens eam Jitzchak in [35] tentori-
um illud *quod fuerat* Saræ matris suę, accepit Rib-
kam ut esset sibi uxor, & amavit eam: sic consola-
tus est se Jitzchak [36] post *obitum* matris suæ.

[26] filius hic in assensu præbendo patri præponitur, quia familiam paternam gubernabat (fortassis valetudinarius erat pater) & quia prudentia valebat in administratione rei familiaris, ut apparet ex cap. 28. & sequentibus, in historia rerũ cum Jaħakobo gestarum: quare nulla deinceps fit patris mentio. [27] i. quicquam planè: sic infrà 31. 24. & 29. proverbiale loquendi genus, eadem ratione ortũ qua illud alterum proximè præcedens ℣. 49. [x] *Heb. coram te.* [28] de fructibus terræ præstantissimis; quos significat hæc vox, ubicunque legitur: ut 2. Chron. 21. 3. & 32. 23. & Hezræ 1. 6. [y] *Heb. decadem dierum.* [29] i. ejus consensum non de nuptiis, sed de subita hac profectione: ut sequens versus docet. [z] *Heb. és ne profectura.* [30] i. sanguine junctam: erat enim tantùm Labanis soror. [31] Deboram, de qua infrà 35. 8. [a] *Heb. esto in mille myriadas.* [32] vide sup. 22. 17. annot. [b] *Heb. osorum.* [33] de quo sup. 16. 13. [c] *vel orandum.* [d] *Heb. decidit sponte, ut sup.* 24. 10. [34] in pudoris & subjectionis signum: vide annot. sup. 20. 16. [e] *Heb. omnia verba q.* [35] vide suprà in 18. 10. & 23. 2. [36] ex quo tertius annus agebatur, necdum tamen dolorem ejus deposuerat.

CAPUT XXV.

Abraham ex novo conjugio liberos suscipit, quos cum muneribus a Jitzchako dimittit: deinde mortuus, a duobus filiis sepelitur, Jischmaħelis ætas, mors, gens, & termini illius describuntur. Jitzchak geminos suscipit, quorum prior posteriori jus primogenitorum vili pretio vendit.

PErgens [a] [1] verò Abraham accepit [2] uxorem,
cujus nomen Ketura.

2 Quæ peperit ei [3] Zimranem, & Jokschanem,
& Medanem, & Midjanem; Jischbakum quoque,
& Schuachum.
3 Jokschan autem genuit [4] Schebam & Deda-
nem: filii verò Dedanis fuerunt [5] Aschurim, &
Letuschim, & Leummim.
4 Filii autem Midjanis Hepha, & Hepher, &
Chanoc, & Abidaħ, & Edaħa: omnes hi *fuerunt*
filii Keturæ.
5 [6] Dederat autem Abraham quicquid *erat* si-
bi, Jitzchako:
6 Filiis verò [7] concubinarum uxorum [b] quas
habuit, dedit Abraham dona: ac dimisit eos a
Jitzchako filio suo, dum adhuc viveret, Orien-
tem versus, [8] ad regionem Orientalem *incolendam*.
7 [c] Hoc autẽ *est* tempus annorũ vitæ Abraha-
mi, quibus vixit, [9] centũ septuaginta quinq; anni.
8 Posteà exspirans mortuus est Abraham [10] in
canitie bona, [d] senio satur: & [11] aggregatus est
ad [e] populareis suos.
9 Nam sepeliverunt eum Jitzchak & Jischma-
ħel filii ejus *elatum* in speluncam Macpelæ, in a-
grum Hephronis filii Tzocharis Chitthæi, qui *est*
e regione Mamræ,
10 Agrum, *inquam*, illum quem emerat Abra-
ham a filiis Chethi; ibi sepultus est Abraham
cum Sara uxore sua.
11 Fuitque post mortem Abrahami, ut [12] bene-
diceret Deus Jitzchako filio ejus: habitabat au-
tem Jitzchak juxta puteum [13] Lachai roi.
12 [14] Atque hæ *sunt* generationes Jischmaħe-
lis filii Abrahami; quem peperit Hagar Ægyptia
ancilla Saræ Abrahamo.
13 Hæc, inquam, nomina filiorum Jischmaħe-
lis [f] de nominibus ipsorum *quæ imposita sunt* ge-
nerationibus ipsorum: primogenitus Jischma-
ħelis [15] Nebajoth, tũ Kedar, & Adbeel, & Mibsan,
14 Et Mischmaħ, & Duma, & Massa,
15 Chadar, & Thema, Jethur, Naphisch, &
Kedma.
16 Hi fuerunt filii Jischmaħelis, & hæc nomina
eorum [g] indita villis & castellis ipsorum, duode-
cim principes per nationes suas:
17 Hi autem *sunt* anni vitæ Jischmaħelis, cen-
tum triginta septẽ anni: deinde exspirans mor-
tuus est, & aggregatus ad populareis suos:
18 Qui habitaverũt a [16] Chavila Schurem usq;

[a] *Heb. & adjecit Abraham & accepit.* [1] post obitum puta uxoris Saræ: ut qui vegeto corpore effectus esset per benedictionẽ Dei, sup. 17. 17. nam vivẽte Sara concubinam uxorem, præter Hagaram, non fuisse Abrahamo, neq; filiũ ex altera præter Jischmaħelem, & pietas Abrahami, & contradictio Saræ, & tota superior historia docet, sup. 16. & 17. 18. & 23. 2. quamobrẽ postea Jitzchak & Jischmaħel solum Abrahamũ dicuntur sepelivisse, ℣. 9. [2] puta ex facto & jure conjunctam ipsi, quamvis non essent ex æquo futuri hæredes cum Jitzchako illius filii, ℣. 6.

[3] qui omnes Arabiæ fuerunt incolæ, & Syriæ huic conterminæ: unde vestigia exstant apud Geographos, sed corruptis vocibus. Verbi gratia, videtur a Zimrane dicta regia Zaaram, ac potiùs Zamran felicis Arabiæ in Cinædocolpitarum regione: a Jokschane, Catanii Palmyrenes Syriæ contermini, in quorum finibus opidum Casamam Ptolemæus annumerat Palmyrenæ Syriæ, lib. 5. Geograph. a Medane, Madiama opidum in finibus felicis Arabiæ, pro eo quod est Madania: a Midjane, Madianitis in finibus Petrææ Arabiæ: a Jischbako, Scabiosa Laodicea in Laodicene Syriæ: a Schuacho, Saccæi incolentes Orientalem tractum Syriæ ad Batanæam: a Scheba, Sabe in Arabiâ deserta: a Dedane, Adada in Palmyrene Syriæ: & sic deinceps. [4] de quibus vide sup. in 10. 7. [5] Hæc nomina etsi pluralia terminatione, numero tamen singularia & significatione sunt propria, ut Muppim, Chuppim, & Chuschim, infr. 46. 21. & 23. [6] nam unicus erat ex justa uxore, sup. 22. 2. & temporalium spiritualiúmq; promissionum divinitus, antequàm nasceretur, hæres institutus, sup. 15. 4. [7] Hagaræ puta & Keturæ: etsi Ketura non concubina, sed uxor disertè appellatur ℣. 1. Est igitur synecdoche. [b] *Heb. quæ fuerunt Abrahamo, ut sup.* 12. 1. [8] ubi est Arabia utraque. [c] *Heb. hi autem sunt dies annor. v. A. q. v. centum anni & sep. anni, & quinque anni sic* ℣. 17. [9] ita vixit peregrinus 105. annos, & nepotes reliquit 15. annorum. [10] ut promissum fuerat sup. 15. 15. [d] *Heb. senex & satur.* [11] i. reliquis ante ipsum mortuis adjunctus: quod item dicitur de Jischmaħele, inf. 17. sic sup. 15. 15. & Act. 13. 36. [e] *Heb populos, sic* ℣. 17. [12] ei confirmaret benedictiones parenti factas, sup. 17. 19. [13] suprà 16. 13. & 24. 62. [14] sequentibus ostendit fidem Dei in servandis iis quæ promiserat sup. 16. 10. & 12. [f] *Heb. cum nominibus suis in generationes suas.* [15] hinc Nabathæi in Petræa, & in felice Arabia Napathæi dicti: a Kedare, Kedareni apud Lampridium, Cedræi Plinio, in Arabia Petræa: ab Adbeele, Adubeni quos Agubenos Ptolemæus vocat, juxta felicem Arabiam: a Mibsamo, Mnasæmanenses ad montem Zamatham in felice: a Mischmaħo Raabeni Orchenis juncti non procul a sinu Persico in deserta, ubi collocatur opidũ Zagmais Ptolemæo: a Duma, Dumæi inter Adubenos & Raabenos, ubi opidum Dumætha: a Massa, Masani supra Raabenos siti: a Chadare, Athritæ prope Napathæos: a Thema, Thæmanæi ad montes felicis Arabiæ, ubi opidum Thæma: a Jeture, Ituræi in Syriæ Cœles & Arabiæ desertæ finibus, id est in Trachonitide & Bætarrena vel Batanæa regione, ut scribit Plinius lib. 5. nat. hist. cap. 23. a Naphischo, Nubei Arabes ad Libanum montem pertingentes, Plinio lib. 6. cap. 28. unde est opidum apud Nicetam appellatum *βαμπυλαι*. i. Naphisæorum locus Berthæam versus, pro eo quod est *βανηφισ* ex Syrorum usu. a Kadma Kadmonæi, qui posteà de communi ignis cultu cum Babyloniis finitimis Aesitæ sunt appellati per corruptionem Hebrææ vocis. [g] *Heb. in villas ipsorum, & in castella ipsorum.* [16] vide sup. in 10. 7. hic autem circumscribitur amplissimus Jischmaħelitarum terminus: nam Chavila & Schur anguli Meridiani sunt: Assyria terminum Septemtrionalem statuit.

quod *desertum est* e regione Ægypti, *& inde* usque
qua venis in Assyriam; ex adverso omnium fra-
trum suorum [17] accidit *ei habitatio.*
19 Hæ verò *sunt* generationes Jitzchaki, filii
Abrahami: Abraham genuit Jitzchakum.
20 Erat autem Jitzchak [b] natus quadraginta
annos, quum acciperet Ribkan filiam Bethuelis
Syri, ex [18] Padane Syriæ; [19] sororem Labanis
Syri [i] uxorem sibi.
21 Posteà supplex Jitzchak oravit Jehovã [20] ob
uxorem suam, eo quòd sterilis *esset*: & exoratus
est illi Jehova, ita ut conceperit Ribka uxor ejus.
22 Quúmq; [21] inter se conquassarent filii ejus
[k] in ea, dixit, [22] si sic *est*, quare hac *conditione sum*
ego? itaque abiit [23] ad consulendum Jehovam.
23 Jehova autem dixit ei, [24] duæ gentes *sunt* in
ventre tuo, & duæ nationes, *editæ* ex visceribus
tuis separabuntur, quarum [l] natio una [25] robu-
stior erit altera, & major seruiet minori.
24 Completis itaq; diebus ejus ad pariendum,
ecce geminos in ventre ejus.
25 Prodiit autem prior rufus totus similis togæ
villosæ: ideò vocarunt *omnes* nomen ejus [26] He-
saum.
26 Posteà verò prodiit frater ejus, cujus manus
tenebat calcaneum Hesaui; ideò vocat *quisque*
nomen ejus [27] Jaħakobum. Erat autem Jitzchak
natus sexaginta annos, quum *Ribka* pareret eos.
27 Deinde quum crevissent isti pueri, fuit He-
sau vir peritus venationis, vir [m] agrestis: Jaħa-
kob verò vir integer, habitabat [28] in tentoriis.
28 Amabat itaque Jitzchak Hesaum, quia ve-
natio *grata erat* in ore ipsius: Ribka verò amabat
Jaħakobum.
29 [29] Coquente autem Jaħakobo [n] jusculum;
veniebat Hesau ex agro, ut erat fessus:
30 Et dixit Hesau Jaħakobo, sine me haurire
quæso de isto *edulio* [o] admodum rufo, nam fessus
sum: idcircò vocavit *quisque* nomẽ ejus [30] Edomũ.
31 Dicenti verò Jaħakobo, vende jam hodie
tuum jus primogenitorum mihi:
32 Dixit Hesau, ecce ego [31] [p] propero ad mor-
tem: quorsum ergo jus primogenitorum mihi?
33 Et dicente Jaħakobo, jura mihi jam hodie,
juravit ei: sic vendidit jus suum primogenitorum
Jaħakobo.
34 Jaħakob verò dedit Hesauo panem & jus-
culum e lentibus, qui [32] comedit ac bibit, deinde

[17] hic ab interpretatione R. D. K. (quam priùs amplectebamur) discedimus, quia hanc ellipsim esse simpliciorem judicamus. [h] *Heb. filius quadrag. annorum: sic V.26.* [18] i. parte Mesopotamiæ, quam Ptolemæus vocat Ancobaritida a Cebare fluvio (Geographi Chaboram, vel Chaborram vocant, Ammianus Aboram) qui in Euphratem labens regionem dissecat. Hujus appellationis vestigium certum est nomen Aphadana apud Ptolemæum duobus opidis attributum, quorum unum ad Euphratem, alterum ad Chaboram est situm. [19] hic propter historiam Jaħakobi (cujus socer fuit) nominatur. [i] *Heb. in uxorem:* [20] id est, ea præsente & unà cum illa. [21] vel irruerent alter in alterum; non naturali & ordinario, sed extraordinario & singulari quodam motu, ex quo mater affecta est. [k] *Heb. in medio ejus.* [22] i. si gravida sum, prout mihi tum vir meus ex oraculo ausus est confirmare, tum ego quoque hactenus judicavi, quare jam intus concutior his modis? nam hæc mihi potiùs malè habentis uteri, quàm fœtum gestantis videntur esse. Idcircò Jehovam posteà seorsim à viro consulit, & responsum impetrat. [23] per aliquem Prophetam, fortasse socerum, qui idem dicitur Propheta suprà 20.7. [24] duarum gentium autores inter se diffidentes, quorum dissidium in posteris ipsorum continuabitur. [l] *Heb. natio præ natione robusta erit.* [25] i. ea quæ ex minore nascetur victoriam obtinebit conjunctam federis continuatione: in quo præter Christum & vitæ cælestis hæreditatem, hujus quoque vitæ benedictiones comprehendebantur. Quamobrem rectè adducitur hic locus ab Apostolo Rom. 9.12. & victoria hæc gratuitæ electioni Dei, unico promissionum ejus federisq; fundamento, in Christo attribuitur. [26] i. perfectum ornatúmque: nam perfectior pueris, id est, instructus pilis, in lucem venerat. [27] i. manu tenentem calcaneum: nam ex manu & calcaneo nomen est compositum. Sed gratia paronomasiæ in vertendo perit. [m] *Heb. agri.* [28] pecuariam & rem domesticam exercens: ideò tentoriis in plurali scribit. q.d. vel domi erat, vel apud greges: ut sup. 4.20. Jubal degentiũ in tentoriis autor fuisse dicitur. [29] hoc puerorum quidem & ridiculum videtur factum; sed tamen quum jam ea ætate essent, ut Hesau venationem & ad lassitudinem usque exerceret, non temere a Mosche describitur: divinæ enim voluntati, qua major minori subjectus est, inservit, ut etiam benedictio a patre decepto in minorem collata, infrà 27.29. atque hoc tandem completum est sub Davide, 2. Schemu. 8.14. [n] *Heb. coctionem, ut V.34.* [o] *Heb. ruso ruso: anadiplosis loco superlativi.* [30] id est, rufum. [31] q.d. feras venando pericula mortis quotidie subeo, & brevi fore persuasum habeo ut ab illis intercam: ita non modò juris, sed etiam vitæ præsentis (quam pluris facio) curam omnem abjicio: quòd si ab illis discerpar, quid proderit mihi jus primogeniti? Sic profanus Hesau sacrum Dei jus abjicit: vide Heb. 12.16. [p] *vado ad moriendum.* [32] hac congerie impœnitentia Hesaui describitur, qui neque vilitate pretii a tantæ rei venditione est deterritus, neque inter comedendum aut postquam comedisset, ulla ratione resipuit.

surgens abiit: sic contemsit Hesau jus ipsum pri-
mogenitorum.

CAPUT XXVI.

Jitzchak fame pulsus in Aegyptum cogitat: sed monitus a Deo Gerari subsistit: ubi etsi de promissionibus patri factis confirmatus est, tamen metu uxorem suam fingit sororem esse: quo nomine a Rege objurgatus quidem, sed publico edicto confirmatus est. Deinde quum Dei beneficio opulentior effectus, injuria Pelischthæorum gravius premeretur, in Beerschebam secessit, ubi Dei oraculo denuò confirmatus, & a Rege Gerari in fedus ascitus est.

1 FUit autem fames in ea regione, præter fa-
mem illam priorem quæ fuerat [a] tempore
Abrahami: quapropter profectus est Jitzchak ad
Abimelecum Regẽ Pelischthæorum [1] Gerarum.
2 Apparuit autem ei Jehova, & dixit, [2] ne de-
scendas in Ægyptum; sed habita in ea regione
quam dixero tibi.
3 Peregrinare in hac regione, & ero tecum ac
benedicam tibi: nam tibi & semini tuo dabo om-
neis regiones istas, & præstabo [3] juramentum
illud quod juravi Abrahamo patri tuo.
4 Multiplicabo enim semen tuum, *ut sit numero*
sicut stellæ cæli, & dabo semini tuo omnes regio-
nes istas: & [l] benedictas se reputabunt in semine
tuo omnes gentes terræ:
5 [b] Propterea quòd auscultavit Abraham voci
meæ; & observavit [4] observationem meam, præ-
cepta mea, statuta mea, & leges meas.
6 Consedit itaque Jitzchak Gerari.
7 Ubi rogantibus viris loci illius de uxore ip-
sius, dicebat, soror mea est: nam metuebat dice-
re, uxor mea *est*, ne occîdant me (*inquiens*) viri
hujus loci propter Ribkam, quòd [c] bonâ formâ
sit.
8 Fuit autem quum [d] multos dies ibi transegis-
set, ut prospectaret Abimelec Rex Pelischthæo-
rum per fenestram: quúmq; respiceret, ecce Jitz-
chakum colludentem cum Ribka uxore sua.
9 Quapropter vocans Abimelec Jitzchakum
dixit, omnino ecce uxor tua est hæc; & quomodo
dixisti, soror mea est? cui dixit Jitzchak, *feci*, quia
dicebam, *cavendum* ne moriar propter eam.
10 Tum dixit Abimelec, quid hoc *est quod* fecisti
nobis? parum *abfuit* quin concubuerit unus ex
hoc populo cum uxore tua; & [e] nos [5] in reatum
induxeris.
11 Præcepitq; Abimelec toti populo suo, edi-
cendo; qui tetigerit hunc virum aut uxorem ejus,
[f] omnino morte plectetur.
12 Serens autem Jitzchak in terra illa [g] adep-
tus est eodem anno centuplas mensuras: adeò
benedicebat ei Jehova.
13 Sic crescebat vir ille; & [h] progrediebatur in-
desinenter crescẽdo, usque-dum crevisset valde.
14 Fuit enim ipsi possessio gregum, & possessio
armentorum, & famulitium magnum: quamob-
rem Pelischthæi inviderunt ei.
15 Et omnes puteos quos foderant servi patris
ejus tempore Abrahami patris ejus; occluserunt
Pelischthæi, implentes eos pulvere:
16 Et Abimelec indixit Jitzchako; discede a
nobis, nam multò potentior nobis factus es.
17 Itaque discessit inde Jitzchak; & [6] castris
positis in valle Gerari, consedit illic.
18 [l] Refodit autem Jitzchak puteos aquarum
quos foderant *servi* tempore Abrahami patris
sui, quósq; occluserant Pelischthæi post mortem

[a] *Heb. diebus, suprà 12.7.* [1] vide suprà 19. 19. & 20.1. [2] ut patris exemplo cogitabas, suprà 12.8. [3] quod te præsente in monte præstitum est ubi fueras immolandus, sup. 22.17. [l] *sup. 22.18.* [b] *Heb. pro eo quod: ut sup. 22.28.* [4] hoc generis nomen est, cujus tres voces quæ sequuntur sunt veluti species: qua congerie vocum, diligens & sincera Abrahami in omnibus obedientia commendatur. [c] *Heb. bona aspectu.* [d] *Heb. prorogati essent ei ibi dies.* [e] *Heb. induxeris super nos reatum.* [5] id est, conjecisses nos in peccatum, cujus pœna fuisset nobis subeunda; Hebræa enim vox significat reatum, & reatus pœnam. [f] *Heb. moriendo morte plectetur.* [g] *Heb. invenit.* [h] *Heb. ibat eundo & crescendo: ut suprà 8.3.* [6] ut infrà 33.18. [l] *Heb. reversus est ut foderet.*

7 i.ubi natæ,& quæ perennis fluat: ut loquitur Varro lib.1.de re rust.cap.11.
8 i. litem sive molestiam.
9 id est,odium, inimicitias,vel contradictionē.
10 vide sup.12.5. & 13.18.
11 i.dilatationes,vel ampla & lata spatia.
12 id est,fecit ut commodè habitemus.
13 qua eò pervenit: apparuit autem,ut tristem de injuriis acceptis cōsolaretur, & juberet subsistere.
14 sic declarat Deus se eodem favore filium prosequi, quo Abrahamum fuerat prosequutus: ad quem similiter petendi federis causa venerat Abimelec, suprà 21.
l Heb. *perspiciendo perspeximus: vide suprà 2.16. & 17.*
15 vide suprà 21.22.
16 quamobrem Hebraicè dicitur exsecratio συνωμοσία, ut sup.24.43.
m *Heb.exsecratio.*
17 i.juramentum exsecratione conjunctum, qua sibi malè precatur jurans, si juramentum violet: summa federis erat,ne alter noceret alteri.
18 his verbis objectum odium diluunt,& petitionis suæ æquitatem ostendunt: quâ eadem ratione usi sunt suprà 21.25.

Abrahami: & indidit eis nomina, secundum nomina quæ indiderat eis pater ipsius.
19 Et fodientes servi Jitzchaki in ea valle, in-
venerunt ibi puteum [7] viventis aquæ.
20 Sed contenderunt pastores Gerari cum pa-
storibus Jitzchaki,dicendo, nostra *est* aqua hæc:
quamobrem vocavit nomen putei illius [8] Hesek,
quia sponte litem moverant cum ipso.
21 Deinde quum fodissent puteum alterum,
contenderunt etiam propter illum: quamobrem
vocavit nomen ejus [9] Sitnam.
22 [10] Refigens verò inde tentorium quum ef-
fodisset puteum alium, non contenderunt prop-
ter eum: quapropter vocavit nomen ejus [11] Re-
chobothas: jam enim, inquit, [12] dilatavit Jeho-
va nobis *terminos*, ut fructuosi simus in hac re-
gione.
23 Posteà inde ascendit in Beer-schebah.
24 Ubi apparuit ei Jehova [13] illa ipsa nocte, &
dixit, Ego sum Deus Abrahami patris tui: ne ti-
meas, nam ego *sum* tecum, & benedicam tibi &
multiplicabo semen tuum propter Abrahamum
servum meum.
25 Exstructo itaq; illic altari invocavit nomen
Jehovæ, tetenditq; ibi tentorium suum: & fode-
runt ibi servi Jitzchaki puteum.
26 [14] Abimelec autem profectus est ad eum
Geraro; cum Achuzatho amico suo, & Picole
principe exercitus sui:
27 Et dixit eis Jitzchak, cur venistis ad me?
cùm vos oderitis me,& dimiseritis me a vobis?
28 Qui dixerunt, [l] certò perspeximus [15] esse
Jehovam tecum; ideò diximus, sit nunc [16] [m] jus-
jurandum inter nos, *hoc est*, inter nos & te: pan-
gamus itaque fedus tecum.
29 *Dira tibi imprecare* [17] si nos affeceris malo,
[18] quemadmodum [19] non tetigimus te, & quem-
admodum te [20] duntaxat bono affecimus, dimi-
simúsq; te [21] cum pace. [22] Ut tu nunc [n] a Jehova
benedictus *es*.
30 Quum itaque fecisset eis convivium,come-
dissentque & bibissent,
31 Surgentes mane juraverunt [o] alter alteri:
deduxítque eos Jitzchak, & abierunt ab eo cum
pace.
32 Fuit autem eo ipso die, ut venientes servi
Jitzchaki nunciarent ei de [23] puteo illo quem fo-
derant: dicerentq; ei,invenimus aquam.
33 Et vocavit illum [24] Schibhah: idcircò no-
men civitatis illius est [25] Beer-schebah, ad hunc
usque diem.

19 nam ita edicto caverat suprà ℣.11. 20 hospitio excipientes, & ad participanda commoda regionis nostræ admittentes. 21 id est,salvis personis,rebúsq; tuis omnibus. 22 vide hominis æquitatem,qui non solùm agnoscit a Jehova benedictiones Jitzchako obvenisse, verumetiam fidem sibi dari per nomen illius postulat,accommodans sese religioni illius,ut fecit Laban infrà 31.53. Est autem hæc honorifica appellatio illius temporis,quâ etiam Laban servum Abrahami appellavit suprà 24.31. n *Heb. benedictus Jehovæ.* o *Heb.vir fratri suo.* 23 de quo sup.℣.25. 24 id est, juramentum. 25 i.puteum juramenti: aliud est autem quod narratur sup. 21.hîc enim civitatis,illic regionis & tractus totius agitur appellatio.

CAPUT XXVII.

Hesau Cenahhanæas uxores parentibus invisas ducit: hunc senex Jitzchak & oculis captus venatum mittit, benedicturus ei post allatam prædam: minor filius astu matris cum vestitu majoris & edulio suppositus,benedictionem imprudente patre surripit; & Deo autore obtinet. Quare cùm major minorem odio capitali prosequeretur, mater consilium de ablegando filio,callidè ipsi maritóque proponit.

1 QUum [1] autem esset Hesau [a] natus qua-
draginta annos, duxit uxorem [2] Jehudi-
tham filiam Beeri Chitthæi; & Basmatham fili-
am Elonis Chitthæi:
2 Quæ fuerunt [3] [b] amarissimæ animis Jitz-
chaki & Ribkæ.

CAPUT XXVII.

3 Deinde fuit quum senuisset Jitzchak, & cali-
garent oculi ejus adeò ut non videret; ut vocans
Hesaum filium suum majorem,diceret ei, fili mi;
atque *hic* illi,ecce me, inquit:
4 Tum dixit *ille*,ecce nunc senui; non novi di-
em mortis meæ.
5 Jam itaque sume quæso instrumenta tua,
pharetram tuam, & arcum tuum; exiénsque in
agrum,venare mihi venationem:
6 Et [c] para mihi cupedias quemadmodum di-
ligo, & adfer ad me ut comedam: & [4] benedicet
tibi anima mea ante quàm moriar.
7 (Ribka verò audiebat quum alloqueretur
Jitzchak Hesaum filium suum.) abiit ergo He-
sau in agrum, ad venandum venationem quam
afferret.
8 Intereà Ribka alloquuta est Jahakobum fili-
um suum,dicendo: ecce, audivi patrem tuum lo-
quentem cum Hesauo fratre tuo,dicendo,
9 Affer mihi venationem,& para mihi cupedi-
as,quas comedam; pòst benedicam tibi [5] coram
Jehova,priusquàm moriar.
10 Nunc itaque fili mi, ausculta voci meæ; rei
quam ego præcipio tibi.
11 [6] Abi nunc ad gregem, & [d] acceptos inde
adfer mihi duos hœdos lactentes optimos; ut
ex eis parem cupedias patri tuo,quemadmodum
diligit.
12 Sic affer ad patrem tuum, & comedet: ut
benedicat tibi antequàm moriatur.
13 Sed dixit Jahakob Ribkæ matri suæ, En He-
sau frater meus, vir pilosus est, ego verò *sum* vir
[e] glaber:
14 Fortassis palpabit me pater meus,& [f] vide-
bor in oculis ejus tanquam [7] planus: sic adducam
super me maledictionem, non autem benedicti-
onem.
15 Cui dixit mater ejus, [8] super me *adveniat*
maledictio tua, fili mi: tantùm ausculta voci
meæ,& abi,accipe,*adfer* ad me.
16 Abiens ergo accepit, & attulit matri suæ:
paravítq; mater ejus cupedias, quemadmodum
diligebat pater ejus.
17 Deinde acceptis Ribka vestimentis Hesaui
filii sui majoris [g] desideratissimis,quæ *erant* apud
se domi; induit Jahakobum filium suum mino-
rem,
18 Pellibúsq; hœdorum lactentium induit ma-
nus ejus,& glabritiem colli ejus:
19 Et posuit cupedias illas quas paraverat,
cum pane; in manu Jahakobi filii sui.
20 Sic veniens ad patrem suum dixit,pater mi:
quo dicente,ecce me,quis *es* tu,fili mi?
21 Dixit Jahakob patri suo, ego *sum* Hesau pri-
mogenitus tuus,feci quemadmodum edixisti mi-
hi: surge nunc, [9] sede & comede de venatione
mea,ut benedicat mihi anima tua.
22 Dixit verò Jitzchak filio suo, [10] quàm jam
[h] citò invenisti, fili mi? *& ille, certè*, inquit; quia

1 Duos hos versus, quia ad sequentem historiam pertinent, huic capiti conjunximus. vide inf.℣.48. & 28.8.
a *Heb. filius 40. annorum.*
2 vide infr. 36.2.
3 i.acerbissimæ & molestissimæ: metaphora, ut Exod. 1.13. & alibi passim.
b *Heb. amaritudo spiritus Jitzchako & Ribkæ: vide infrà vers. ultimo & 28.8.*
c *Heb. fac: sic deinceps.*
4 i.paternarum benedictionum promissionúmq; hæreditatem in te ut primogenitum trāsmittam: sic naturalis ordinis privatique studii potiùs rationem habet quàm oraculi, de quo suprà 25.23.
5 q.d. quæ testamentaria benedictio rata futura est a Domino.
6 antequàm frater cum præda revertatur.
d *Heb. accipe mihi inde duos hædos caprarum: sic vers.38.*
e *Heb. levis, i. levi cute.*
f *Heb. ero.*
7 i.seductor artificiosus, atque veterator summus alios in errorem inducens.
8 de divino oraculo confirmata, maledictionem audacter in se derivat a qua filius metuebat.
g *Heb. desideriorum, i. omnino pretiosus.*
9 nam prisci patres sedendo primùm, non accumbendo sumebant cibum: quam consuetudinem heroibus fuisse olim Homerus testis est, ut observavit Athenæus lib. dipnosophistar.& ex Duride Samio, Hegesandro Delpho, & autoribus aliis ostendit.
10 duæ causæ explicantur, quæ senem moverunt ut fraudem subesse suspicaretur: una est citò allatus cibus, altera vocis dissimilitudo. Priorem diluit Jahakob adductâ Dei providentiâ: altera (quia plus pater tactui & odoratui quàm auditui, Deo ita disponente, tribuebat) quum Jahakobum palpasset,& olfecisset vestimenta ejus,sublata est. h *Heb. festinasti inveniendo.*

fecit

fecit Jehova Deus tuus ut obveniret mihi.

23 Tum dixit Jitzchak Jahakobo, accede nunc ut palpem te, fili mi; túne is *es?* filius meus Hesau, necne?

24 Accessit ergo Jahakob ad Jitzchakum patrem suum, qui palpavit eum; & dixit, hæc vox vox *est* Jahakobi, at hæ manus *sunt* manus Hesaui.

25 Non tamen agnovit eum, eò quòd essent manus ejus similes manibus Hesaui fratris ejus, pilosæ: quare benedixit ei.

26 Quum enim dicenti, tu is *es?* filius meus Hesau? respondisset Jahakob, sum;

27 Dixit, admove mihi, & comedam de venatione filii mei, ut benedicat tibi anima mea; & admovente eo *cibum* comedit, vinúmque afferente bibit.

28 Posteà edixit ei Jitzchak pater ejus; accede nunc & osculare me, fili mi.

29 Accedente igitur eo & osculante illum, odoratus *Jitzchak* odorem vestimentorum ejus, benedixit ei: ac dixit, [11] vide odor filii mei cui benedixit Jehova, *est* sicut odor agri.

30 [12] Det itaque Deus ipse tibi de rore cæli, [i] [13] variáque pinguedine terræ, & copiam frumenti ac musti.

31 [14] Serviant tibi populi, & incurvent se tibi nationes honorem exhibentes, [15] esto herus fratribus tuis, & incurvent se tibi filii matris tuæ: [16] maledicentium tibi quisque maledictus *esto*, & qui benedixerit tibi, esto benedictus.

32 Fuit autem quum absolvisset Jitzchak benedicere Jahakobo; fuit, inquam, [k] vix dum egresso prorsus Jahakobo a facie Jitzchaki patris sui: ut Hesau rediret a venatione sua.

33 Itaque paravit ipse quoque cupedias, & attulit patri suo: dixitque patri suo, surgat pater meus, & comedat de venatione filii sui, ut benedicat mihi anima tua.

34 Dicente verò ei Jitzchako patre ejus, quis *es* tu? dixit, ego *sum* filius tuus, primogenitus tuus, Hesau.

35 Tunc [17] contremuit Jitzchak tremore magno admodum; & dixit, quis, ubinam ille *est* qui venatus venationem attulit mihi, de qua tota comedi, antequàm venires, & cui benedixi? etiam benedictus erit.

36 Audiens autem Hesau verba patris sui exclamavit clamore magno & amaro admodum: dixítque patri suo, benedic mihi, mihi quoque, pater mi.

37 Qui dixit, venit frater tuus [18] per fraudem, & abstulit benedictionem tuam.

38 Quapropter dixit *Hesau*, an quia [m] vocatum est nomen ejus Jahakob, supplantaverit me jam secundò? primogeniti jus meum [19] abstulerat, & ecce modò abstulit [20] benedictionem meam: deinde dixit, án non penes te reservasti mihi benedictionem?

39 Respondens autem Jitzchak dixit Hesauo, en, herum constitui eum tibi, & [21] omneis fratres ejus tradidi ei [n] servos, frumento quoq; ac musto [22] fulcivi eum: tibi igitur jam quid facerem, fili mi?

40 Dicebat verò Hesau patri suo, an benedictio unica tibi est, pater mi? benedic mihi, mihi quoque, pater mi: & sublata Hesau voce sua [23] flebat.

41 Respondens itaq; Jitzchak pater ejus dixit ei: ecce [o] præpinguis soli [24] *erit* habitatio tua, & [p] rore cæli perfusa superne.

42 Sed [25] gladio tuo vives, & fratri tuo servies: [26] erit tamen [27] quum planxeris, ut [q] rumpendo excutias jugum ejus e collo tuo.

43 Intestino autẽ odio prosequutus est Hesau Jahakobum propter istam benedictionem qua benedixerat ei pater ejus: & dixit Hesau [r] cum animo suo, appropinquant dies luctus patris mei, tunc occidam Jahakobum fratrem meum.

44 Cúmque [s] nunciata essent Ribkæ verba Hesaui filii sui majoris, mittens vocavit Jahakobum filium suum minorem, dixítque ei, ecce [28] Hesau frater tuus se mox consolaturus esset de te, occidendo te.

45 Nunc itaque fili mi, ausculta voci meæ; & surgens [t] fuga te eripe ad Labanem fratrem meum Charanem:

46 Ut habites cum eo dies [u] paucissimos, usque-dum avertatur excandescentia fratris tui:

47 Dum adversâ irâ fratris tui a te, oblitus fuerit ejus quod fecisti ipsi, posteà [29] mittens recipiam te inde: quare orbarer etiam utroque vestrum die uno?

48 Jitzchako verò dixit Ribka, [30] tædet me vitæ meæ propter [x] Chitthæas, si accipiet Jahakob uxorem de Chitthæis quales istæ *sunt*, de filiabus regionis istius, quorsum mihi vita?

[11] Ἐμπλοκὴ verborum, quam mutato ordine fecimus planiorem. Sensus est: quum filium osculans odorem vestimentorum Hesaui (quę non pædorem caulæ, sed agrorum odoramenta redolebant) sensit, omni dubitatione sublata eum existimavit esse Hesaum, ac proinde ei benedixit. Etsi haud scio an hæc interpretatio sine traiectione verborum servari possit, in hunc modum: odor filii mei est sicut odor agri cui benedixit Jehova, id est, agri optimi, ubertimi, odoratissimi: quo indicio nunc demum agnosco hunc meum esse primogenitum, qui agros solet perlustrare; non autem, ut Jahakob, hærere in tentoriis. [12] & bene precatur filio vota animi sui proferens, & prophetico Spiritu promissiones Dei denunciat: quare Hebræa verba utrumq; continent, det, vel dabit, & sic sequentia. [i] Heb. pinguedinibúsque. [13] confer cum Deut. 8.8. [14] hæc partim Jehoschuahi, partim Davidis sequentiúmque Regum temporibus effecta sunt. [15] hic jus primogeniti imprudens confirmat pater. [16] benedictiones paternas huic tradit hæreditatis jure, de quibus suprà 12.3. [k] *Heb. tantum exeundo exiverat.* [17] quo velut fræno injecto cohibet eum Deus ne benedictionem revocet, sed verbis sequentibus confirmare cogit. quamobrem Græci verterunt ἐξέστη, ut Augustinus optimè observavit: vide inf. 31.42. [18] ut se excuset, fratrem accusat non admodum prudenter. [m] *Heb. vocavit.* [19] imò ipse interposito juramento sciens ac prudens vendiderat, sup. 25.33. [20] atqui ad eum pertinebat, ut cui primogenitorum jure cessisset. [21] id est, totam posteritatem tuam. [n] *Heb. in servos.* [22] circumquaque munivi, corúmque copiam ei addixi. [23] vide Heb. 12.17.

[o] *Heb pinguedinum terræ.* [24] hoc est, regionem habebis non prorsus sterilem, sed ex parte fructiferam. [p] *Heb. a rore cæli s.* [25] vitam inquietam ages, & fines tuos armis tueri cogeris. [26] ut evenit sub Joramo 2. Reg. 8. [27] id est, duram, molestam, & lamentabilem servitutem aliquamdiu pertuleris, ad cujus gravitatem coactus fueris ingemere: synecdoche, vide 2. Schem. 8.13. Ad gravem illam (opinor) calamitatem respexit Deus, de qua 2. Reg. 3.27. quum filius Regis Edomæorum captus a Moabitarum Rege fuit Kircharescheth in holocaustum oblatus: unde indignatio gravis, ac non multo pòst defectio consequuta est. Sic usus servatur antecedentis particulæ, & propria verbi Hebræi ratio, ut legitur Psal. 55.3 ut illud taceamus, quòd magis propheticam illam autoritatem redolet, si hoc antecedens liberationis signum dixeris prænunciari. [q] *Heb. rumpas.* [r] *Heb. in corde suo.* [s] *Heb. indicatum est R. verba H.* [28] prudenter Hesaui consilium reticet, tantùm quod metuit filio minori proponit, ut quàm minimè fieri possit, fratrum animi exacerbentur. [t] *Heb. fugendo.* [u] *Heb. annos, ut infrà 29.20.* [29] fortè Deboram nutricem suam cui confidebat, & comitatum aliquem: vide sup. 24.59. & infrà 35.8. [30] astuta ratione non tantùm copiam discedendi a patre impetrat filio, sed etiam patri persuadet ut eum à se ableget, de conjugio in cognatione sua sibi prospecturum. [x] *Heb. filias Chethi; nimirum uxores Hesaui de quibus suprà 26.34. & 27.2.*

CAPUT XXVIII.

Jitzchak Jahakobum in Mesopotamiam mittens ut ex sua cognatione uxorem ducat, eum contra exsilii molestias divina benedictione solatur: cujus animum sibi prioribus nuptiis infensum reconciliaturus Hesau, filiam Jischmahelis prioribus superinducit. Deus Jahakobo paternas benedictiones confirmat, favorémq; suum promittit: ad cujus testimonium erecto lapide Jahakob loci nomen mutat, & votum Deo nuncupat.

Vocans itaque Jitzchak Jahakobum ut [1] benediceret ei; præcepit ei ac dixit ei, ne accipito uxorem de filiabus Cenahanæorum.

2 [2] Surge, abi [3] in Padanem Syriæ in domum Bethuelis [a] avi materni tui, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Labanis [b] avunculi tui.

3 *Deus* autem fortis [4] omnipotens benedicat tibi, fructuosúmque te reddat ac multiplicet te; ut [c] *pater* sis cœtui populorum.

4 Détque tibi benedictionem Abrahami, tibi *inquam* & semini tuo tecum; ut hæreditario jure possideas terram peregrinationũ tuarum, quam Deus dedit Abrahamo.

5 Sic dimisit Jitzchak Jahakobum ut abiret in Padanem Syriæ, ad Labanem filium Bethuelis Syrum, fratrẽ Ribkæ matris Jahakobi, [5] & Hesaui.

6 Videns autẽ Hesau Jitzchakum benedixisse Jahakobo, & dimisisse eum in Padanem Syriæ ad

[1] i. benedictiones quas priùs deceptus contulerat, Jahakobo peregrè profecturo, sciens & prudens confirmaret. [2] non dubium est quin Jitzchak uxoris consilio tum demum acquieverit quum oraculo Dei fuit approbatum: præsertim memoria tenens quàm sollicitè cavisset pater ne in Mesopotamiam ipse duceretur supra 24. nam hoc benedictionibus promissionibúsque Dei quæ Jahakobo in itinere fiunt, eventu usq; ostenditur. [3] vide sup. in 25.20 [a] *Heb patris matris tuæ.* [b] *Heb. fratris matris tuæ.* [4] vide sup. 12.33. & 17.1. & seq. [c] *Heb sis in cœtum: sic sup. 11.34. & 17.4. & seq.* [5] hæc verba transitum comparant ad proximè sequentem historiam Hebræo more, quem annotavimus sup. 5.32.

accipiendum

accipiendum sibi inde uxorem: quumque ei be-
nediceret, interdixisse ei dicendo, ne accipias ux-
orem de filiabus Cenahanæorum,
7 Jahakobum verò auscultantem patri suo ac
matri suæ, abiisse in Padanem Syriæ:
8 Videns quoq; Hesau malas videri filias Ce-
nahanæorum in oculis Jitzchaki patris sui:
9 Abivit Hesau ad [d] Jischmahelitas; & acce-
pit Machalatham filiam Jischmahelis filii Abra-
hami, sororem [6] Nebajothi, præter *superiores* uxo-
res suas, uxorem sibi.
10 Verùm Jahakob profectus e Beer-schebah,
ut iret Charanem,
11 Incidit in quendam locum, ubi pernoctavit
[7] quia occiderat Sol, & accipiens de lapidibus il-
lius loci disposuit [e] cervical sibi: ita cubavit in
eo loco.
12 Eóque somniante, [8] ecce scalam constitu-
tam in terra, cujus [f] summitas pertingebat ad
cælum: & ecce Angelos Dei ascendentes & des-
cendentes per eam.
13 Ecce autem Jehovam stantem supra eam,
qui dixit, [9] ego *sum* Jehova Deus Abrahami pa-
tris tui, & Deus Jitzchaki: hanc ipsam terram in
qua tu cubas, tibi dabo [10] & semini tuo:
14 Erítque semen tuum *numero* [11] sicut pulvis
terræ, adeò ut erumpas *multitudine* in [g] Occiden-
tem, & in Orientem, & in Septemtrionem, & in
Meridiem: & [12] benedicentur in te omnes fami-
liæ terræ, id est, in semine tuo.
15 Ecce autem ego *sum* tecum, ut servem te
quocunque iveris, & reducam te in hanc ipsam
terram: non enim deseram te [13] [h] usque-dum
perfecero quæ eloquutus sum tibi.
16 Quum itaque evigilaret Jahakob a somno
suo; dixit, certè [14] *est* Jehova in hoc loco: atta-
men ego nesciveram.
17 [15] Posteà ductus reverentia, dixit, quàm re-
verendus *est* hic locus! nihil *est* hic *locus* nisi [16] do-
mus Dei, & hæc porta cæli *est*.
18 Et mane surgens Jahakob eodem matuti-
no, accepit illos [i] lapides quos disposuerat pro
cervicali sibi, & disposuit eos *in* statuam; & effu-
dit [17] oleum in summitatem ejus.
19 Vocavítque nomen loci illius [18] Beth-elem:
siquidem Luz *erat* nomen civitatis illius antè.
20 Præterea vovit Jahakob votum dicendo:
[19] Quum fuerit Deus mecum, & servaverit me in
via ista qua ego profecturus sum, dederítque mihi
panem ad comedendum, & vestimentum ad in-
duendum.
21 Reversúsque fuero [k] prosperè ad domum
patris mei, [20] denique fuerit mihi Jehova Deus;
22 Tum [21] hæc strues lapidum quam disposui in
statuam, erit [22] domus Dei: & quicquid dederis
mihi, ejus decimas omnino sum daturus tibi.

[d] *Heb. Jischmahelem: sed is jam anteà mortuus erat suprà 25.17. Nomina autem propria pro gentilibus ferè usurpantur.*
[6] primogeniti Jischmahelis. suprà 25.13.
[7] ideò non poterat pervenire Luzum, & in agro sub dio cubare coactus est.
[e] *Heb. cervicalia sua.*
[8] Visioni huic convenit cum promissionibus Dei: nam scalà, Jahakobi iter designat: Angeli ascendentes, abeuntis sũt custodes, sicut descendentes, redeuntis. Deus summitatem scalæ obtinet, quia rem totam moderatur, cujus providentiâ Jahakob a parentibus abstrahitur, in itinere ducitur, apud socerum conservatur, atque reducitur. hanc interpretationem affert Deus ipse vers. 15. Quum enim se Jahakobo adfuturum cúmque non deserturum dicit, satis declarat quorsum in summitate scalæ sit, & Angelos adhibuerit.
[f] *Heb. caput: sic infrà* ℣.18.
[9] hic confirmatur a Deo benedictio Jitzchaki suprà facta ℣. 3. & 4.
[10] ut sup. 13.15. annot.
[11] ut sup. Abrahamo 13.14. & seq.
[g] *Heb. mare, ut sup.* 12.5.
[12] ut sup. 11.35.
[13] i. nunquam te derelinquam: sunt enim æternæ promissiones Dei in Christo. 1.Tim.4.8.
[h] *Heb. usque quo quum: pleonasmus.* [14] hoc est, singulari quadam ratione Deus, qui alioqui ubiq; est, hîc se esse declarat signo. [15] nimirum quàm bene experrectus esset, & cùm de imprudente adventu suo, tum de reverenda præsentia Dei (quæ insperanti revelabatur) apud se cogitavisset: quæ ratiocinatio affecit ipsum loci reverentia, ut explicat sequentibus. [16] locus dignus qui consecretur precibus fundendis Deo: idem quoq; sensus est verborum sequentium. [i] *Heb. lapidem pro lapidum strue hîc & inf.* ℣.22 *ut ostendit* ℣. 11. [17] veluti consecrationis signum, non ab eo excogitatum, sed a patre avóq; acceptum, & divinitus institutum. Hæc ceremonia deinde sub Lege in rerum personarúmq; consecrationibus ex Dei mandato in usu fuit Exodi 29. nam ita erat Ecclesiæ infantia & pueritia exercenda, donec exhiberetur Christus. [18] i. domum Dei fortis: vide in Hosche.4.15. [19] non est particula conditionalis, sed temporis adverbium, ut sup. ℣.15. & infr. 38.9. nam de promissionibus sibi factis minimè ambigit, quas propè ad verbum repetit, & adverbium certitudinis, quo utitur suprà 16. eum non dubitasse docet. [k] *Heb. in pace.* [20] finis iste versiculi cohæret cum reliqua parte ejus, votum verò seorsim in sequente versu exprimitur. Similem loquutionem vide sup. 17. 8. unde Jahakob hanc voti formulam sumsit. [21] id est, locus in quo statuam e lapidibus erexi: Metonymia. [22] ut suprà ℣.17.

CAPUT XXIX.

Jahakob in familiam Labanis receptus, & Rachelæ amore correptus septennii servitutem pro ea paciscitur: deinde in nuptiis per fraudem Leâ suppositâ, alterum septennium paciscitur, ut Rachele potiatur. Et quia hanc præ illa amat, hæc sterilis divinitus, illa quatuor filiorum mater redditur.

1 DEinde [1] sublatis Jahakob pedibus suis, per-
rexit in [2] regionem [a] Orientalem.
2 Quum autem circumspiceret, ecce puteum
in quodam agro; & ecce ibidem tres greges pe-
cudum recubantes juxta illum, quia de illo puteo
[b] adaquabantur greges; & lapidem magnum su-
per os illius putei.
3 Congregari enim solebant illuc omnes gre-
ges, & devolventes *pastores* lapidem illum ab ore
illius putei adaquabant pecudes: posteà repone-
bant eumdem lapidem super os putei in locum
suum.
4 Tum dicenti illis Jahakobo, fratres mei, un-
de estis? dixerunt, ex Charane sumus.
5 Et ille eis, nostísne, inquit, Labanem filium
Nachoris? qui dixerunt, novimus.
6 Deinde dixit eis, an ei [c] rectè *est*? qui dixe-
runt, rectè, & ecce Rachelam filiam ejus adveni-
entem cum pecudibus.
7 Tunc dixit, en adhuc dies [d] multus *est*, nec
tempus congregandi pecoris; adaquate has pe-
cudes, & [e] abeuntes pascite.
8 Illi autem dixerunt, [3] non possumus; usque-
dum congregati fuerint omnes greges, & devol-
verint *pastores* istum lapidem ab ore putei: tum
adaquabimus pecudes.
9 Ipso adhuc loquente cum illis: advénit Ra-
chel cum pecudibus quæ *erant* patris sui; nam [4]
pascebat illa.
10 Fuítque quum videret Jahakob Rachelam
filiam Labanis [f] avunculi sui, & pecudes Laba-
nis avunculi sui [5] *advenisse*: ut accedens Jahakob
[6] devolveret lapidem illum ab ore putei, & ada-
quaret pecudes Labanis avunculi sui.
11 Quumque [7] osculatus Jahakob Rachelam,
sublata voce sua [8] flevisset,
12 Indicavit Jahakob Rachelæ se [g] cognatum
esse patris ipsius, & se esse Ribkæ filium, illa verò
cucurrit, ut nunciaret patri suo.
13 Fuit itaque quum audiret Laban [h] nuncium
de Jahakobo filio sororis suæ, ut accurrens obvi-
am ei amplexaretur atque oscularetur eum, in-
troducerétque eum in domum suam: tunc enar-
ravit Labani [9] omnes res istas.
14 Et dixit ei Laban, [10] profectò [11] os meum &
caro mea *es*: sic mansit apud eum [i] mensem inte-
grum.
15 Deinde dixit Laban Jahakobo, an quia cog-
natus meus es, ideò gratis mihi serviturus esses?
indica mihi quæ merces tua *futura sit*.
16 *Erant* autem Labani duę filiæ; nomen majo-

[1] id est, non invitus ac pedes trahens, sed alacris reliquum iter confecit, divino oraculo confirmatus.
[2] Mesopotamiam, quæ Cenahanæa est Orientalis.
[a] *Heb. filiorum Orientis.*
[b] *Heb. adaquabant.*
[c] *Heb. pax.*
[d] *Heb. magnum.*
[e] *Heb. abite & pascite.*
[3] propter lapidis magnitudinem vires nostras superantem.
[4] i. gregem agebat & observabat in pascuis; sive ab ipsa ordinariè fuisse factum, sive hoc tempore mandatum ipsi intelligas.
[f] *Heb. fratris matris suæ, & sic deinceps, ut sup.* 28. 2.
[5] ellipsis est verbi, quod necesse est repeti e præcedente versu: cui ellipsi persimilis exstat Mat. 2. 10. *ἰδόντες δὲ τὸν ἀστέρα*, nimirum *ἐλθόντα ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον*, &c.
[6] suam operam in devolvendo lapide cum pastoribus conferret. Sic insperato officio animum Rachelæ devinciebat sibi, antequàm innotesceret. Hæc enim antè fuisse gesta, quàm gentem suam Rachelæ exponeret, omnino probo.
[7] pro temporis & loci consuetudine.
[8] præ gaudio, quòd tam commodè cognatũ nactus esset.
[g] *Heb. fratrem: ut sup.* 24 27. *& inf.* 15. [h] *Heb. auditionem Jahakobi.* [9] id est, quid inter fratrem & ipsum accidisset, cur profectionem hanc suscepisset, & quomodo in itinere oraculo confirmatus esset. Hæc oportebat Labani innotescere, ne quid adversi de subito ejus adventu suspicaretur: præsertim cùm nudum ferè videret ac sine comitatu: qui anteà famulum avi camelis, hominibus, auro, & argento instructum exceperat, sup. 24. [10] Laban aut exclamatione satis sibi affirmat factum, aut honestè rogat ne pluribus utatur Jahakob apud se ad probandum factum suum q. d. quid multis opus est? missa fac ista, obsecro: nam os meum & caro mea es: hoc commune vinculum tanti est apud me, ut alia omnia de quibus videris laborare, aut esse nihil, aut nihil ad me pertinere putem. Sic paralepsis futura est, ut suprà 3.1. [11] id est, mihi consanguineus: necessitudinis periphrasis, ut Gen. 2.23. & Judic. 9. 2. [i] *Heb. mensem dierum, id est, quot dies requiruntur ad constituendum mensem: Hypallage, pro dies mensis.*

ris

majoris Lea, & nomen minoris Rachel:

17 *Eranique* oculi Leæ [k] teneri; fed Rachel erat [l] pulcra forma & pulcra afpectu:

18 Amans itaque Jaħakob Rachelam dixit, Serviam tibi feptem annos [12] pro Rachela filia tua minore.

19 Cui dixit Laban, melius fuerit me tradere eam tibi, quàm ut tradam eam viro alteri: mane apud me.

20 [13] Ita fervivit Jaħakob pro Rachela feptem annos, [14] qui vifi funt in oculis ejus tanquam dies [m] paucifsimi, propterea quòd amabat eam.

21 Quum autē Labani dixiffet Jaħakob, Cedò uxorem meam, quoniam [15] completi funt dies mei; [16] ut congrediar cum ea:

22 Congregatis Laban [17] omnibus viris illius loci, fecerat convivium.

23 Sed fuerat vefpere, ut [18] accipiens Leam filiam fuam, introduceret eam ad illum: qui congreffus eft cum ea:

24 Dederat autem illi Laban Zilpam ancillam fuam, *ut effet* Leæ filiæ fuæ ancilla.

25 Quapropter fuerat mane, quum ecce ifta *agnofceretur* Lea; ut diceret *Jaħakob* Labani, quid hoc *eft quod* fecifti mihi? nónne pro Rachela [n] fervio apud te? quare igitur decepifti me?

26 Cui dixit Laban, [19] non ita fieri folet in loco noftro; ut detur minor *natu* ante primogenitam.

27 Comple feptimanam [20] hujus: tum [21] dabimus tibi etiam illam pro fervitute qua fervies apud me adhuc feptem annos alteros.

28 Quum itaque fic faciens Jaħakob complevifset feptimanam hujus: dedit Laban ei Rachelam filiam fuam, *ut effet* ei uxor.

29 Dedírque Laban Rachelę filiæ fuæ Bilham ancillam fuam, *ut effet* ei ancilla.

30 Itaque & congreffus eft Jaħakob cum Rachela, & amavit Rachelam præ Lea; fervivítq; apud illum, feptem annos prætereà alteros.

31 [22] Videns autem Jehova [23] exofam effe Leam, aperuit vulvam ejus: at Rachel *erat* fterilis.

32 Nam concepit Lea & peperit filium, cujus vocavit nomen [24] Reübenem: dicebat enim, *fic vocandus eft* eò quòd refpexit Jehova ad afflictionē meam, nunc enim me amabit me vir meus.

33 Poftea iterum concepit, peperítque filium; & dixit, quia audivit Jehova me effe exofam, ideò dedit mihi etiam hunc: itaque vocavit nomen ejus [25] Schimħonem.

34 Deinde concepit rurfus, peperítque filium, & dixit, [26] nunc demum fe adjunget mihi vir meus, cùm filios treis ipfi pepererim: idcircò [27] *ille* vocavit nomen ejus [28] Levin.

k *Heb. debiles.*
l *Heb. pulcra forma, & pulcra afpectu.*
12 i. fi des Rachelam: non enim ita fervitutem pacifcebatur, ut conjugiū differetur ufque ad exactum feptennium.
13 hic verfus dicitur *ἀνακεφαλαίωσις*. hiftoria enim hujus feptēnii minutatim deinceps exponitur. Hoc moneri opus fuit, ne quis fervitutis tempus præcurriffe conjugio putet.
14 *i. quæ* feptennis fervitus Jaħakobo perbrevis eft vifa, nec molefta unquā fuit, cùm Rachela uxore potiretur.
m *Heb. uni, ut fuprà* 27.46.
15 i. uxori maturus fum plus fatis: agebat enim annum quafi 76. quum pro uxore pacifceretur: quod colligitur fi ex 130. annis quos natus erat quum fifteretur Parħoni infrà. 47.9. quadraginta anni ętatis Jofephi detrahantur, & quatuordecim anni fervitutis Jaħakobi pro uxoribus, fub quorū finem Jofeph natus eft, inf. 30.25.
16 non ut abducat, quia fervitutem debet; fed ut dum fervit, ea uxore utatur.
17 i. quàm plurimis iifque neceffariis & amicis, ut ex ℣. 27. cognofcitur. fic enim alibi frequenter univerfalis particula reftringitur, ut infrà 41.58. & 2. Regum 8.9. & in novo Teftamento fæpe.
18 pro Rachela: nam fponfæ in mariti fui thalamum velatæ & fine lumine ducebantur, ut pudori earum cōfuleretur: ea fuit in prifca ætate integritas morum atque modeftia.
n *Heb. fervivi.*
19 Loci confuetudinem poft nuptias obducit, quæ in contractu fponfaliū fuerat exprimenda.
20 Leę videlicet; nam hęc ne repudietur, Laban alteram deamatam offert. Senfus eft, patere nuptiarum convivium feptemdiale jam cœptū abfolvi, Leam apud te retinendo, poftea optatā quoq; habebis. Nuptialis autem convivii feptem dierum exemplum eft in Schimfchone, Judic. 14.15. & 17.
21 ego, uxor, & amici elocabimus: aut, (fi cui magis placet A. Ezrę interpretatio) dabitur tibi etiam ifta, non incommoda interpretatione.
22 hic quoq; verfus eft *ἀνακεφαλαίωσις*, cujus hiftoria deinceps hoc & fequente cap. exponitur.
23 i. minùs amatam, ut apparet ex præcedente verfu: *κατά τι* dictum, ut infrà ℣. 33. & Deut. 21.15. & Matth. 6.24. & Lucæ 14.26.
24 i. *filium* videntis vel refpicientis ad afflictionem. Compofitum nomen ex corruptis vocibus, ut fequentia omnia.
25 i. *filium* audientis, vel audientis afflictionem, ut fuprà.
26 i. conjunctior mihi pofthac erit vir meus, ut impenfius me amabit quàm antehac, ternūm liberorum matrem.
27 Jaħakob, fumens occafionem ex Leæ uxoris verbis (quę aliis impofuiffe nomina legitur) ut eam folaretur, & de ftudio fuo cōfirmaret.
28 i. *filium* adhęfionis meę.

35 Pòft concepit denuò, pariénfque filium dixit, celebrabo hac vice Jehovam, idcircò vocavit ejus nomen [29] Jehudam: tum verò deftitit parere.

CAPUT XXX.

Rachel & Lea æmulatione ancillas fuas Jaħakobo tradunt fuo loco parituras, qui octonis adhuc liberis fufceptis, dimiffionem in patriam fecundo fervitutis feptennio exacto petit: fed nova pactione foceri detentus, mercedem duabus artibus divinitus multam & præftantem confequitur, adeò ut pecoris efficiatur ditiffimus.

1 Quum autem videret Rachel fe non parere Jaħakobo, æmulata eft Rachel forori fuæ, dixítque Jaħakobo, [1] cedò mihi liberos, fin minus, [a] [2] morior.

2 Sed accenfa eft ira Jaħakobi in Rachelam: adeo ut diceret, [3] an loco Dei *fum* ego? qui prohibuit a te fructum ventris.

3 Quapropter dixit *Rachel*, [4] ecce ancillam meam: Bilham congredere cum ea, ut [5] pariat fuper genua mea, & liberos confequar ego quoque ex ea:

4 Dedítque ei Bilham ancillam fuam pro uxore: & congreffus eft cum ea Jaħakob.

5 Ita concepit Bilha, & peperit Jaħakobo filium.

6 Tunc dixit Rachel, caufam meam egit Deus, etiámque exaudivit vocem meam, dans mihi filium: idcircò vocavit nomen ejus [6] Danem.

7 Deinde concepit iterum, peperítque Bilha ancilla Rachelę; filium fecundum Jaħakobo:

8 Et dixit Rachel, [7] Luctationibus [b] divinis luctata fum cum forore mea, etiámque valui; quapropter vocavit nomen ejus [8] Naphthalim.

9 Videns autem Lea fe deftitiffe parere; fimiliter accepit Zilpam ancillam fuam, & dedit eam Jaħakobo pro uxore.

10 Peperítque Zilpa ancilla Leæ, Jaħakobo filium:

11 Ideóque dixit Lea, [9] venit turma: & vocavit nomen ejus [10] Gadem.

12 Iterum pariente Zilpa ancilla Leæ, filium fecundum Jaħakobo:

13 Dixit Lea, [c] [11] beatè *eft* mihi, nam beatam prædicabunt me [d] mulieres; idcirco vocavit nomen ejus [12] Afcherem.

14 [13] Quum autem abiens Reüben [e] temporibus meffis triticeæ, inveniffet [14] amabiles *flores* in agro, eófq; attuliffet ad Leam matrem fuam: dixit Rachel Leæ, da quęfo mihi de *floribus* amabilibus filii tui.

15 *Hæc* autem illi, an parum videtur, inquit, te recepiffe virum meum? an etiam capias flores filii mei amabiles? cui dixit Rachel, propterea cubet ille tecum hac nocte pro amabilibus *floribus* filii tui.

29 i. *filium* celebrationis Jehovę: quò alludit Jaħakob inf. 49.8.
1 dolore excæcata, fuæ fterilitatis culpam in maritum rejicit. at longè melius Jitzchak ad preces convertitur. fup. 25.21.
a *Hebr. mortua fum: ut fup.* 20.3.
2 i. actum eft de me, ut fup. 20.3.
3 q. d. poffémne ego mihi arrogare quod folius Dei eft? ipfe te fterilē reddidit, & folus poteft fœcundare: fic infrà 50.19.
4 exemplo Saræ, fup. 16.2.
5 i. partus ejus excipiā gremio, & tanquam meos habeam: ut infrà 50.23. Hebraica metalepfis.
6 i. caufam agētis, jus dicentis, vel judicium exercentis *filium*.
7 i. maximis atq; ampliffimis: ut montes Dei. Pfa. 36.7. & civitas magno Deo, Jonæ 3.4. q. d. quædam luctæ fpecies inter nos fuit, qua foror ne mater fierem nitebatur, ego verò contrà ut fierem: fed æqualis evafi tandē fufceptis per ancillam liberis.
b *Heb. Dei: ut Jonæ 3.3. Pfal. 36.7. & alibi.*
8 i. luctationis, vel luctæ meæ *filium*.
9 hoc eft, qui aliis quos prius peperi junctus, efficies turmam.
10 i. turmarium, vel turmæ *filiū*.
c *Heb. cum beatitate mea.*
11 i. quod fit fauftum & felix. Senfus eft, beatitudinis laudē inter mulieres confequar, jam fex filiorū mater facta.
d *Heb. filiæ.*
12 i. beantem, vel beantis *filium*.
13 Hæc puerilis in fpeciē hiftoria oftendit non minorē fuiffe in Lea æmulationem propter amorē quo fibi præferebatur Rachel, quàm in Rachela propter fœcunditatē Leę: adde quòd hac occafione Lea, quæ aliquamdiu deftiterat parere, rurfum concepit ac peperit, idq; ex fororis ipfius confenfu.
e *Heb. diebus meffis tritici.*
14 Hebræam vocem etiā Hebræi interpretes exponunt mandragoras, quidam gelfeminū, alii violas, alii philtra five amatoria, alii lilia: adeò incerta eft fignificatio vocis, quæ tantùm hîc & Cantic. 7.13. legitur. Nos autē Reübenis pueritiā fpectantes (quam non virtute, fed fpecie motam fuiffe conftat) & odorem gratum eis attributum Cantic. 7. (qui nihil ad mandragoras pertinet, contrà enim Jabroch in Arabibus ab hirquino odore appellatur) poftremo tempus præcox (quo neque gelfeminum, neque mandragoræ maturæ funt) eò adducimur, ut amabiles omneis floreis elegantia & odore, eófque humiles, hac voce intelligamus. Quibus optimē convenit Hebræa vox ab amando ducta.

16 Redeunte itaque Jaĥakabo ex agro vespe-
re, egrediens Lea obviam ei dixit, congressurus
es mecum, nam [f] omnino mercede conduxi te
pro amabilibus *floribus* filii mei: cubavítque cum
ea nocte illa.
17 Deus verò exaudivit Leam: concepit enim
peperítque Jaĥakobo filium quintum:
18 Et dixit Lea, [15] Deus reddidit mercedem
meam, [16] postquàm dedi ancillam meam viro
meo: ideóq; vocavit nomen ejus [17] Jissacarem.
19 Deinde concepit rursus Lea, peperítque fi-
lium sextum Jaĥakabo:
20 Et dixit Lea, donavit me Deus, me *inquam*
donatione bona; nunc tandem cohabitabit me-
cum vir meus, quia peperi ei sex filios: ideircò
vocavit nomen illius [18] Zebulunem.
21 Postremò verò peperit filiam, & vocavit
nomen ejus [19] Dinam.
22 Recordatus autem est Rachelæ Deus: &
exaudiens eam Deus aperuit vulvam ejus.
23 Concepit enim peperítque filium: & dixit,
recepit Deus [20] opprobrium meum.
24 Vocavitque nomen illius [21] Josephum, di-
cendo; addat mihi Jehova filium alterum:
25 Fuit autem quum peperisset Rachel Jose-
phū; [22] ut diceret Jaĥakob Labani, dimitte me,
ut abeam in locum meum & ad regionē meam.
26 Da uxores meas pro quibus servivi tibi, &
natos meos, ut abeam: tu enim [23] nosti [g] qua ser-
vitute servivi tibi.
27 Dixit verò ei Laban, [24] si nunc inveni grati-
am in oculis tuis ([25] experimento didici, ut be-
nedixerit mihi Jehova tuâ causâ.)
28 Dixit igitur; [h] definitam mercedem tuam
impone mihi, & dabo.
29 Cui Jaĥakob, tu novisti, inquit, quomodo
servierim tibi; & quale fuerit pecus tuū apud me.
30 Nam exiguum quod erat tibi [i] [26] ante ad-
ventum meum, id erupit in multitudinem, quia
benedixit Jehova tibi ad *illatum* pedem meum:
jam verò quando rem facturus sum ego similiter
pro familia mea?
31 Dicenti verò *Labani*, quid dabo tibi? dixit
Jaĥakob, [27] ne dederis mihi quicquam, si factu-
rus es mihi [28] rem hanc, [k] iterum pascam gre-
gem tuum, *atque* custodiam.
32 [29] Transeunte me per universum gregem
tuum hodie, remove inde [30] omnem parvam pe-
cudem punctulis respersam, & latis maculis in-
terstinctam, omnémq; parvam pecudem fuscam
inter oves, & latis maculis interstinctam ac pun-
ctulis respersam inter capras: ut *talium posthac* sit
merces mea.
33 [31] Sic attestabitur mihi justitia mea [l] in
posterum coram te, quum accedes ad *inspicien-
dum* mercedem meam: [32] quicquid non punctu-
lis respersum, & latis maculis interstinctum, aut
præterea fuscum inter oves fuerit apud me, id fur-
tivum *esto*.
34 Cui dixit Laban, [33] en: ô utinam, sit [m]
quemadmodum dixisti.
35 Quum itaque removisset *Laban* eodem die
hircos varios cruribus & latis maculis interstin-
ctos, omnesque capras punctulis respersas, &
latis maculis interstinctas, omne in quo *erat* alba
nota, præterea omne fuscum inter oves, tradidit
ea in manum filiorum suorum.
36 Interposuítque iter trium dierum inter se [n]
& Jaĥakobum: pavítq; Jaĥakob pecudes Laba-
nis residuas.
37 [34] Accepit autem sibi Jaĥakob baculos ex
[35] alba populo virentes, [36] corylóque, & [37] plata-
no: & decorticavit in eis spatia decorticationis
alba, [o] denudando alburnum quod *erat* in baculis
illis.
38 Posteà baculos illos quos *ita* decorticave-
rat, collocabat in canalibus & in aquaticulis:
quum venirent pecudes ad bibendum, e regio-
ne pecudum *collocabat*, ut incalescerent venien-
tes ad bibendum.
39 Ita incalescebant pecudes ad baculos illos:
pariebántque pecudes *partus* varios cruribus,
punctulis respersos, & latis maculis interstin-
ctos.
40 Deinde [38] hos agnos separabat Jaĥakob,
obvertebátque ora pecudum, [p] pecudum *inquam*
Labanis, ad varias cruribus & ad omneis fuscas:
sibi autem collocabat greges [q] seorsim, [39] nec ob-
vertebat eas versus pecudes Labanis.
41 [r] Evenit autem [40] quandocunq; incalesce-
bant pecudes compactæ corpore; ut poneret Ja-
ĥakob virgas illas [41] ante oculos istarum pecu-
dum in canalibus: ut incalescerent ipsæ ad ba-
culos illos:
42 Sed quum serò coibant pecudes, non pone-
ret: sic erant [42] serotinæ Labanis, compactę ve-
rò *corpore*, Jaĥakobi.
43 Itaque erupit vir ille *in multitudinem* quàm
plurimûm: fuerúntque ei greges multi, ancillæ-
que & servi & cameli & asini.

[f] *Heb. conducendo conduxi.*
[15] i. mercedem quam dederam Rachelæ, abundè cōpensavit.
[16] i. etiam tum filium largitus, quum de partu desperans, ancillam meam viro meo exposueram.
[17] i. filium qui merces est, vel mercedem viri.
[18] i. donum cohabitationis, donatum filium ad conciliandam cohabitationem viri.
[19] cujus meminit propter historiam quę scribitur infrà 34.
[20] sterilitatis, quæ apud veteres probrosa erat: nam maledictio reputabatur, ut contrà filiorum procreatio, benedictio Dei: sic Jeschah. 3.28.
[21] i. *filium* auferentis probrū, & alterū addituri.
[22] finito videlicet altero servitutis septennio, quum nihil amplius socero deberet.
[23] i. scis pactæ servitutis annos exactos esse.
[g] *Hebr. servitutem meam, qua serv.*
[24] Concisa est oratio deprecātis, & Jaĥakobū a discedēdi proposito revocātis: vide suprà 18. 3.
[25] laudans præteritā Jaĥakobi diligentiam, conatur eum diutiùs retinere: sic accipitur hoc verbum infrà 44. 5. & 15. & 1. Reg. 20.33.
[h] *Hebr. defige mercedem tuam super me.*
[i] *Heb. ante me, ut infrà* 32.3.
[26] q. d. jam nonagenarius sum, tempus est ut familiæ meæ prospiciam. [27] i. nullā mercedem quæ abs te pendeat: sed quicquid divina providentia mihi constituerit mercedis loco, id mihi finito. Mavult enim a liberalitate Dei, quàm ab avaro socero pēdêre. [28] quam mox proponam. [k] *Heb. revertar pascam.* [29] hunc locum optimè ac evidentissimè Hieronymus exponit his verbis: vis, inquit Jacob, me servire tibi etiam alios septem annos? fac quod postulo. Separa omneis discolores & varias tam oveis quàm capras, & trade in manus filiorū tuorum; rursúmq; ex utróq; grege alba & nigra pecora, id est, unius coloris da mihi servanda. Si quid igitur ex albis & nigris, quę unius coloris sunt, variū natum fuerit, meum erit: si quid verò unius coloris, tuum. Rem non difficilē postulo. Tecum facit natura pecorum, ut alba ex albis, & nigra nascantur ex nigris: mecum erit justitia mea, dum Deus humilitatē meam & laborem respiciet. Hęc Hieronymus. [30] tum mares & fœminas jam maturas, tum tenellos earum fœtus: synecdoche. [31] i. apparebit me non retinuisse mihi quicquam, quod ad me non pertineat. [l] *Heb. cras: pars temporis proxima pro toto. Synecdoche: ut infr.* 31.2. [32] summa est, ego tibi versicolores & fuscas abducendas tradam, tu mihi unicolores albas tantùm custodiendas: posteà quicquid ex his varii coloris aut fuscum nascetur, mea esto merces: quicquid non fuerit ejusmodi si invenietur penes me, id mihi ut furtum adscribito.

[33] tria sunt mēbra inter se distincta: *En*, est hominis rem propositam expendentis, ut ad eam respōdeat: *ô utinam*, apud seipsum probantis rem a genero propositam: *sit secundum verbum tuum*, respondentis, planè cōsentientis atque contrahentis.
[m] *Hebr. secundum verbum tuum.*
[n] *Heb. & inter J.*
[34] hæc à Jaĥakobo jussu Dei facta, eúmque divinitus locupletatum esse ostenditur infrà 31.9. & seq.
[35] quam Græci ad exemplum Hebræorum λεύκην vocant: Galli (inquit R. Solomo) *tremble*, sed hæc populus nigra est: alii acer album putant.
[36] nucis speciē: nam Hebræum vocabulum nomen generis est.
[37] alii castaneam vertunt: Onkelos Delub, quo nomine Arabes platanum designare solent, arborē amplitudine commendabilem, Jechezk. 31. 15. teste Plinio lib. 15. natur. hist. cap. 7. [o] *Heb. denudatione alburni.* [38] versicolores & fuscos ut antecederēt; alii verò subsequentes, dum in progressu coibant, eorum intuitu similes conciperent. [p] *Heb. in pecudibus.* [q] *Heb. sibi solis: ut sup.* 21.28. [39] ne conspectu unicolorum conciperent unicolores. [r] *Heb. fuit.* [40] i. in priore admissura, qua robustiores tantùm appetunt mares. [41] ut quæ ex robustioribus nascebantur, sua essent merces. [42] quas cordas sive chordas Latini vocant, Varrone & Plinio testibus.

CAPUT XXXI.

Jaĥakob ex animadversa Labanis & filiorum invidia anxius, divinitus redire in patriam jubetur: & re tota uxoribus exposita, clam socero cum familia discedit. Laban cum cognatis eum in itinere assequitur: & a violentia quidem Dei monitu abstinet, sed graviter tamen clandestino discessu generi reprehenso, furti eum insimulat: tandem verò post multas ultrò citróque expostulationes, probata defensione generi, & fœdere pacis inito, discedit.

1 Sed quum audivisset Jaĥakob verba [1] filio-
rum Labanis, dicentium, accepit Jaĥa-
kob quicquid *erat* patris nostri: & ex eo quod
erat patris nostri, acquisivit omnem istam glo-
riam:
2 Vidissétque Jaĥakob vultum Labanis, quòd
ecce non erat erga ipsum sicut [b] anteà:
3 Denique edixisset Jehova Jaĥakobo, rever-
tere

[1] custodientium gregem patris sui, ut dictum est sup. 30.35.
[b] *Heb. heri & nudiustertium. synecdoche frequēs, qua pars proxima temporis pro toto sumitur: sic infrà vers. 5.*

tere in regionem [q] patrum tuorum & ad cognationem tuam, & [3] ero tecum:

4 Mittens Jaĥakob accersivit Rachelam & Leam, [4] in agrum ad gregem suum:

5 Et dixit eis, video ego vultû patris vestri non esse erga me sicut anteà: tum Deus patris mei [5] fuit apud me.

6 Atqui vos nostis, omni facultate mea *me* servivisse patri vestro:

7 Patrem autem vestrum illusisse mihi & mutasse mercedem meam [c] [6] decies; [7] quamvis non [d] permiserit ei Deus ut damno afficeret me:

8 [8] Quum ita diceret, punctulis respersorum *esto* merces tua, tum peperisse pecudes omneis punctulis respersos fœtus: quum verò sic diceret, variorum cruribus *esto* merces tua, tum peperisse omneis pecudes varios cruribus:

9 [9] Itaque eripuisse Deum pecus patris vestri, & tradidisse mihi.

10 [10] Fuit enim quo tempore incalescunt pecudes, ut attollens oculos meos viderem per somnium; ecce autem hircos istos qui pecudes ineunt varios cruribus, punctulis respersos, & *quasi* grandine guttatos.

11 Dixit autem mihi [11] Angelus Dei ipsius per somnium, Jaĥakob, cui dixi, ecce me:

12 Et *ille*, attolle nunc, inquit, oculos tuos, & respice hircos omneis istos qui ineunt pecudes, *sunt* cruribus varii, punctulis respersi, & *quasi* grandine guttati: nam [12] vidi quicquid Laban facit tibi.

13 Ego *sum Deus* ille fortis, [13] *Deus* Beth-elis, ubi unxisti statuam, ubi vovisti mihi [14] votum: [15] nunc surge, exi e regione hac, & redi in regionem cognationis tuæ.

14 Tunc respondens Rachel & Lea, dixerunt ei, [16] an adhuc nobis *est futura* pars & hæreditas in domo patris nostri?

15 Nonne extraneæ reputatæ fuimus [e] ab ipso, quum venderet nos? [17] etiam ne [f] exederit indesinenter pecuniam nostram?

16 Nam omnes hæ divitiæ quas eripuit Deus *transferens* a patre nostro, nostræ *sunt* & filiorum nostrorum: quare nunc quicquid Deus edixit tibi fac.

17 [18] Surgens itaque Jaĥakob, sublatos filios suos & uxores suas imposuit camelis:

18 Et abduxit universum pecus suum, omnésque facultates suas quas comparaverat, pecus acquisitionis suæ, quæ comparaverat in Padane Syriæ, ut proficisceretur ad Jirzchakum patrem suum in regionem Cenaĥanis.

19 Laban autem abierat ad tondendum oves suas; itaque furata est Rachel [19] imagines quæ *erant* patris sui;

20 [g] Jaĥakob verò surripiens se [20] furtim fefellit animum Labanis Syri, eo quòd non indicavisset ei *quisquam* ipsum aufugere.

21 Sic fugit ipse cum omnibus quæ habebat, & surgens trajecit [21] flumen ipsum: [h] obversâque facie contendit ad montem Gilĥadis.

22 Sed quum renunciatum esset Labani [22] die tertio, fugere Jaĥakobum,

23 Assumens [i] cognatos suos secum, persequutus est eum itinere septem dierum: & assequutus est eum in monte Gilĥadis.

24 Veniens autem Deus ad Labanem Syrum in somnio nocturno; dixerat ei, [23] cave tibi ne loquaris cum Jaĥakobo [k] [24] sive bonum sive malum.

25 Itaq; assequutus Laban Jaĥakobum; prout Jaĥakob fixerat tentorium suum in monte illo, sic Laban fixit cum cognatis suis in monte Gilĥadis.

26 Tum dixit Laban Jaĥakobo, [25] quid fecisti quòd furtim surripiens te, fefellisti animum meum? & abduxisti filias meas quasi [l] mancipatas armis?

27 Cur [m] clam fugisti, & furtim surripuisti te a me? neque indicasti mihi, ut dimitterem te cum lætitia, & cum canticis, instructus tympano, & cithara?

28 Neq; permisisti mihi ut oscularer filios meos & filias meas? nunc *verò* [n] stultè fecisti.

29 Esset in potestate manus meæ malo vos afficere: sed Deus patris vestri hesterna nocte alloquutus est me, dicendo, cave tibi ne loquaris cum Jaĥakobo sive bonum sive malum.

30 Nunc autem *esto*, [o] omnino abieris, quia summo desiderio tenebaris *eundi* in domum patris tui: quare furatus es Deos meos?

31 Respondens verò Jaĥakob dixit Labani; *clam fugi* [26] quia timui; dicebam enim, *videndum esse mihi*, ne vi abriperes filias tuas a me.

32 [27] Apud quem inveneris Deos tuos, non est victurus; coram cognatis nostris recognosce quid tuum *sit* apud me, & recipe tibi: non enim sciebat Jaĥakob Rachelam furatam esse illos.

33 Ingressus itaque Laban in tentorium Jaĥakobi, & in tentorium Leæ, & in tentorium duarum ancillarum, non invenit eos: egrediens autem e tentorio Leæ, venit in tentorium Rachelæ:

34 (Rachel verò acceptas imagines illas posuerat in clitellis cameli sui, sedebátque super illas *imagines*:) & contrectavit Laban totum tentorium illius, ac non invenit.

35 Dixit enim patri suo Rachel, ne [p] displiceat in oculis domini mei, quòd non possum [q] assurgere tibi, quia *secundùm* consuetudinem mulierum *est* mihi: perscrutatus itaque non invenit imagines suas.

36 Tunc accensa est *ira* Jaĥakobi, adeò ut jurgaretur cum Labane: loquutus enim Jaĥakob Labani dixit, [r] quid *est* quod ego amoverim? quod peccatum meum, quòd insectatus es me fervidè?

37 Quandoquidem contrectasti omnia supellectilia mea, [28] quid invenisti ex omnibus supellectilibus domus tuæ? pone hîc coram cognatis meis & cognatis tuis: ut dijudicent inter utrumque nostrûm.

38 Hic *est* vigesimus annus *ex quo* fui tecum, oves tuæ, & capræ tuæ non abortiverunt; & arietes gregis tui non comedi.

39 [29] Discerptam *pecudem* non retuli ad te, ego

[2] qua donati sunt divinitus.
[3] id est, beneficus ero erga te, ut ipse Jaĥakob explicat inf. 32.9.
[4] ne gregis curam relinqueret, & ut omnia liberius uxoribus exponeret.
[5] id est, apparuit mihi jubens me discedere, ut exprimitur infrà vers. 13.
[c] Heb. *decadem vicium, id est sæpius, ut infr. ℣.41. & Num. 14.22. & Ijob. 19.3.*
[6] i. bis fermè quotannis: nam ibi fuit Jaĥakob a tempore contractus sexennium, infrà vers. 41.
[7] q. d. etsi animus erat nocendi, & facta animo respondebant, omnia tamen Deus in commodum meum convertit.
[d] *Heb. dederit.*
[8] hæc suprà reticuit Mosche, quia hic fuissent repetenda: ex quibus apparet contractum illum de quo suprà 30.34. a Labane sæpius mutatum esse, Jaĥakobum verò pacis studio mutationem illam pertulisse.
[9] id est, non mea fraude, sed divinitus factum ut e grege patris vestri ditescerem.
[10] id est, divinitus præmonebar, in ipsa pecudum admissura, cujus coloris essent nascituri fœtus, ut intelligerem me ditari beneficio Dei: hinc profectum, quòd Jaĥakob in una admissura coëuntibus virgas proponebat, in altera verò minimè.
[11] i. Deus ipse, ut patet ex ℣.13
[12] id est, rationem habui injuriæ quam a Labane pateris, & pro mea justitia lucrum quod sperat ex mercede tua obventurum, tibi attribuo [13] qui illic tibi perpetuum præsidium, reditúmque in patriam promisi, suprà 28.15. [14] gratiarum actionis & decimarum, ibidem. [15] sine mora: hæc causa fuit subiti discessus Jaĥakobi. [16] i. nulla spes futuri commodi apud patrem nos diutius detinere debet: non enim nobis, sed sibi ex nobis emolumentum quærit, ut omnino demonstravit, quum nos tanquam alienas vendidit, pretii loco accipiens servitutem tuam. [e] *Heb. ipsi.* [17] q. d. cùm talem expertæ simus, an sinemus pergere donec exederit quod habemus beneficio Dei? [f] *Heb. ederit edendo.* [18] i. post uxorum cõsensum se ad discessum expediens, ut 1. Schemu. 17.48. [19] i. deos penates Labanis, ut ex ℣.30. apparet. [g] *Heb. & furatus est Jaĥakob a corde Labanis: sic inf. 26. & 27. Eclipsis de qua sup. 4.1. nam verbû est actionis ἀμεταβάτου: alioqui activum hac consecutione significaret, devinxit sibi animû Labanis, ut 2. Schemu. 15.6.* [20] sibi ab eo metuẽs, inf. ℣.31. Sic autẽ accipiunt Græci κλοπὴν, & Latini furtû. Plautus Bacchidibus, Aedepol fecisti furtû in ætate malû, Quum isthæc flagitia me celavisti, & patrem.

[21] Euphratem, qui medius est inter Mesopotamiam & Cenaĥanæam.
[h] *Heb. posuit vultum suum versus montem: simile vide Luc. 9.51. & 53.*
[22] quot dierum Labanis greges a statione Jaĥakobi aberant.
[i] *Heb. fratres: sic deinceps.*
[23] hinc intelligitur prohibitioni gravem comminationem fuisse junctam.
[k] *Heb. a bono ad malum usque ut infrà 29.*
[24] κατά τι, respectu finis propter quem Laban persequebatur eum: q. d. neque blanditiis neque asperitate & minis revocare eũ nititor. ideò Laban hujus rei nullam apud Jaĥakobum mentionem facit, ab omni tamẽ colloquio non abstinet.
[25] bipartita est expostulatio: primùm Jaĥakobum mercenarium Labanis eo inscio aufugisse, & filias ejus & nepotes eo non præmonito abduxisse, secundò Deos suos abstulisse.
[l] *Heb. captivas gladio.*
[m] *Heb. abscondidisti te fugiendo, vel latuisti.*
[n] *Heb. stultè egisti sic faciendo.*
[o] *Heb. abeundo abieris, quia desiderando desiderabas.*
[26] sic paucis cãdidè ad prius expostulationis caput respondet.
[27] ad secundum caput respondet, mortis sententiam in autorem furti pronuntians, & omnia pervestigandi copiam faciens: ita neque se neque alium se conscio Deos Labanis abstulisse probat.
[p] *sic accipitur hac locutio infrà 45.5. & 1. Schem. 15.11.*
[q] *Heb. surgere a facie tua.*
[r] *Heb. quæ est amotio mea?* [28] hæc interpretatio mihi quidem videtur ἰμφατικωτέρα. [29] insignia duritiæ Labanis argumenta, qui a genero suo contra jus & fas res sine culpa ipsius interversas repetiverit: vide Exod. 22.10. & 13.

illud

[30] de mercede suprà vers.7.& 8. sic suam fidem cum Labanis perfidia comparat.
[31] imperfecta oratio est: sive eam Jahakob interruperit, ἀποσιώπησιν adhibens ne quid in socerum pronunciaret gravius: sive Laban astutè anteverterit, ut sese purgaret antè quàm innotuisset omnibus Jahakobi αἰτίγκλημα.
[32] id est, Deus: alludit ad pavorem illum, quo quasi fræno cohibuit Jitzchakum, ne collatam in Jahakobum benedictionem revocaret: suprà 27.33.
[33] suprà vers.24.
[34] hic Laban se cum rationibus Jahakobi, tum domesticorum respectu frangi declarat, nec posse Jahakobo damnum afferre profitetur, quin seipsum lædat: quare missis contentionibus, de ineundo amicitiæ federe loquitur.
[s] *Heb. & inter te: sic deinc.*
[35] consentiens videlicet in fedus: quod Mosche brevitatis causâ reticet, quia hoc facto satis ostenditur ut federis consectario: Paralepsis.
[t] *Heb. lapidem, ut erigeret eum in statuam. Enallage numeri, ut suprà* 28.18. *quod confirmat vers.*51.
[36] ut procul cerneretur federis

illud luebam, de manu mea reposcebas illam; furto mihi sublatam interdiu, furtóque mihi sublatam noctu.

40 Fui quum interdiu absumeret me æstus, & gelu noctu, profugerétque somnus meus ab oculis meis.

41 Hic *fuit* mihi vigesimus annus in domo tua; servivi tibi quatuordecim annos pro duabus filiabus tuis, & sex annos pro grege tuo. [30] immutasti autem mercedem meam decies.

42 [31] Nisi Deus patris mei, Deus Abrahami & [32] pavor Jitzchaki adfuisset mihi, quia nunc vacuum fuisses dimissurus me: *nisi* afflictionem meam & laborem manuum mearum respexisset Deus quum [33] reprehendit *te* hesterna nocte.

43 Respondens verò Laban dixit Jahakobo, [34] hæ filię *sunt* filię meę, & hi filii *sunt* mei, & hoc pecus pecus meum, deniq; quicquid vides meũ est: filiabus autem meis istis quid facturus essem hodie, aut filiis earum quos pepererunt?

44 Nunc itaq; age, pangamus fedus ego & tu: quod sit testimonio inter me [s] & te.

45 [35] Accepit ergo Jahakob [t] lapides, ut erigeret ex eis [36] statuam.

46 Et dixit Jahakob [37] cognatis suis, colligite lapides, & illi acceptis lapidibus fecerunt cumulum; [38] posteà comederunt super illum cumulum:

47 Quem appellavit Laban [39] Jegarem sahaduthæ, Jahakob verò appellavit [40] Galhedem.

48 Dixerat enim Laban, hic cumulus *sit* testis inter me & te hodie; idcircò vocavit *Jahakob* nomen ejus Galhedem:

49 Etiámque [41] Mitzpam, quia dixerat Laban, speculetur Jehova inter me & te; quando [42] absconditi erimus [u] alter ab altero.

50 Si afflixeris filias meas, & si assumseris mulieres præter filias meas, [43] nemo homo *futurus est* [x] inter nos: vide, Deus testis inter me & te *futurus est*.

51 Præterea dixit Laban Jahakobo; ecce cumulum hunc, & ecce statuam istam, quam [44] jeci inter me & te.

52 [45] Testis cumulus iste, & testis statua illa *est*: [46] sive ego *prætergrediar*, me non prætergressurum ad te cumulum hunc, sive tu *prætergrediaris*, te non prætergressurum ad me cumulum hunc & statuam illam, ad malum.

53 [47] Deus Abrahami & Dii Nachoris judicent inter nos, [48] Dii patris eorum: sed juravit Jahakob [49] per pavorem patris sui Jitzchaki.

54 Tunc mactavit Jahakob [50] animalia in monte illo, & invitavit cognatos suos ad comedendum cibum: qui ubi comederunt cibum, pernoctaverunt in eodem monte.

55 Deinde mane surrexit Laban postero matutino, & osculatus [51] filios suos ac filias suas benedixit eis: abiénsque reversus est Laban in locum suum.

sibi initi monimentum. [37] qui iidem sunt cognati Labanis suprà ℣.32.& 37. [38] quum jam fedus iniissent, infrà ℣.54. [39] i. cumulum testimonii Syra appellatione. [40] id est, cumulum testimonii Hebræa appellatione, ut suis quoq; posteris documento esset. [41] i. speculam: atq; hinc fortasse Mitzpa Gilhadis appellatur, Judic.11.29. [42] i. aberimus alter ab alterius conspectu. [u] *Heb. vir a socio suo.* [43] hoc est, non ab hominibus, sed a Deo cognoscitor transgressi federis culpa, & supplicium sumitor. [x] *Heb. nobiscum.* [44] id est, ex conjectis lapidibus erexi. [45] i. testimoniale signum atque documentum. [46] Ellipsis elegans, quam & tota verborum comprehensio supplendam docet ut fecimus, & prosodica accentuum ratio. Sic Ijob 27.14.& alibi passim. [47] verbosus est admodum Laban in urgenda federis observatione, quia generum suâ ulnâ metiebatur, conscientiâ præteritorum in Jahakobũ malefactorũ pressus. [48] quos non tantùm avus meus coluit Abrahami frater, sed etiã Therach pater utriusque: Sic superstitionẽ suam ab antiquitate cõmendat, quam damnat Deus Jehosch.24.2. & obliquè defectionem Abrahami perstringit. [49] ut suprà ℣.42. [50] videlicet ad convivium συμποσιακόν: nam hæc ad sacrificia referri primùm nihil opus est, secundò verò absurdum est, cùm bona fide Jahakob Labanem ad sacrum epulum cum omnibus cognatis invitare & admittere non potuerit. Nam etsi Moses socerum suum admisit Exod. 18. fecit quia jam conversum ad Deum esse ex sermonibus & ratione ipsius intellexerat. Hebræa autẽ vox non habet solam sacrificandi, sed etiam mactandi significationem, ut 1. Schemu. 28.24. & 1. Reg. 19.21. & alibi passim, quemadmodum accipitur τὸ θύειν Græcorum, Matth.22.4.& Joan.10.10. sed hoc significatũ generale est, illud κατ' ἐξοχήν.

[51] Jahakobum, & nepotes, ut vocavit suprà ℣.43. de filiabus judicium idem.

CAPUT XXXII.

Jahakob ab Angelis confirmatus, fratrem de adventu suo certiorem facit, quem audiens sibi obviam cum copiis adventare vehementer timet: ideòque suis in duas acies distributis, Dei auxilium implorat, fratri munera præmittit, fortíque cum Angelo lucta & secundi nominis impositione iterum de divino præsidio confirmatur.

1 JAhakob verò abiit itinere suo, [1] venerúntq; ei obviam Angeli Dei.

2 Dixítque Jahakob quum videret eos, [a] acies Dei hæc *est*: quapropter vocavit nomen loci illius [2] Machanajima.

3 Posteà Jahakob misit nuncios [3] ante se ad Hesauum fratrem suum in regionem [4] Sehiris, [5] agrum Edomæorum:

4 Mandavítque eis dicendo, sic dicetis [6] domino meo Hesauo: sic ait servus tuus Jahakob, apud Labanem peregrinus fui, & moratus sum usque adhuc.

5 Sunt autem mihi boves, & asini, greges, servíque, & ancillæ: [7] itaque misi nuntiatum *tibi* domino meo, ut inveniam gratiam in oculis tuis.

6 Sed quum reversi nuncii illi ad Jahakobum essent, dicendo; venimus ad fratrem tuum, ad Hesauum, qui etiam procedit obviam tibi, & quadringenti viri cum eo:

7 Timuit Jahakob valde, & [b] fuit anxius: quamobrem distribuit populum illum qui *erat* secum, & greges & armenta, & camelos in duas acies.

8 Dicebat enim, si invaserit Hesau aciem unã, & cæciderit eam, erit saltem acies illa quæ relicta fuerit, [c] salva.

9 Et dixit Jahakob, [8] ô Deus [9] patris mei Abrahami, & Deus patris mei Jitzchaki; Jehova [10] qui edixisti mihi, revertere in regionem tuam, & ad cognationem tuam, & beneficus sum futurus erga te:

10 [11] [d] Impar sum omnibus his beneficiis, totíque illi fidei quam præstitisti servo tuo: etenim cum [12] baculo meo solùm transiveram Jardenem istum, nunc autem in duas acies dominus effectus sum.

11 Eripe me quæso e manu fatris mei, e manu Hesaui: nam timeo ab ipso ne veniens cædat me & [13] matrem cum liberis:

12 Tu autem dixisti, [e] omnino beneficus sum futurus erga te, reddámque semen tuum *numerosum* ut arenam maris, quæ numerari non potest præ multitudine.

13 Deinde pernoctans ibi nocte illa, accepit

[1] ut illorum adventu de divino præsidio & protectione ampliùs confirmaretur.
[a] *Heb. castra: sic deinceps.*
[2] i. duæ acies, vel bina castra: nam ibi ipsius & Angelorum exercitus conjuncti erant, & eos contemplabatur Jahakob.
[3] i. ante adventum suum: vide infr.36.6.
[4] vide suprà 14. 6. annot.
[5] Edom enim, id est, Hesau jam eò migraverat, infr.36.6. & agrũ occupaverat, Deut.2.21.
[6] hac dimissione collatum in se divinitus honorẽ dominiúmq; non rejicit, sed patienter exspectans divinę voluntatis exsequutionẽ, intra naturæ fines se continet, & fratrem tanquam majorem reveretur: quod item erga Schaûlem facit David, 1. Schemu.24.7. & 9.& toto cap.25.
[7] q. d. nolui te inscio pertransire, ne aliqua suspicione abrumpatur illa benevolentia, quam mihi a te servare studeo.
[b] *Heb. angustia, vel anxietas fuit ei.*

[c] *Heb. in evasionẽ vel liberationẽ.* [8] ad consiliũ quod præsens metus suaserat, precationem subjungit his 4. versib. [9] a quo promissionum quas Abrahamo dederas, hæreditatem ad me detulisti. [10] cujus singulari jussu & vocatione in hoc iter ingressus sum. [11] i. fateor me indignum fuisse cui tot beneficia cõferres, nedũ eo me dignũ judicem quod petiturus sum. [d] *Heb. minor sum.* [12] quo adjumento viatores levari solent in difficilibus & longinquis profectionibus: unde nomen Hebræum a levando habet. Græci eadem ratione *βακτηρίας* & *ῥάβδον* vocant. Nam pro tenuiore virga non oportere accipi ostendunt loci Num.22.27.& 1.Schemu.17.43. [13] id est, ad internecionem, promiscuè, sine ullo sexus ætatísve discrimine: proverbialis loquutio, ut Hosche. 10. 14. [e] *Heb. benefaciendo benefaciam tibi.*

ex eo quod veniebat sibi [14] ad manum, munus offerendum Hesauo fratri suo,

14 Capras ducentas, cum hircis viginti, oves ducentas cum arietibus viginti.

15 Camelos *fœminas* lactantes cum pullis earum triginta, vaccas quadraginta cum juvencis decem, asinas viginti cum asellis decem.

16 Quúmq; traderet in manum servorum suorum [f] quemque gregem seorsim; edixit servis suis, transite *torrentem* ante me, & [15] spatium interponite inter [g] gregem unum & alterum.

17 Præcepítque [16] primo, dicendo; quum occurrerit tibi Hesau frater meus, & interrogaverit te dicendo, cujus es? & quò abis? & cujus *sunt* ista quæ antecedunt te?

18 Tum dices, *sum* servi tui Jaĥakobi, hoc *est* præmissum munus domino meo Hesauo; ecce autem ipsum quoque subsequentem nos.

19 Idem præcepit tum [17] secundo, tum [18] tertio, tum [19] omnibus *aliis* prosequentibus greges illos, dicendo; [h] in hanc sententiam alloquimini Hesauum, quum inveneritis eum:

20 Sed dicetis etiam, ecce Jaĥakobum servum tuum subsequentem nos: dicebat enim *Jaĥakob*, placabo [20] vultum ejus hoc munere quod procedit ante me, ut posteà aspiciam vultum ejus, fortassis [21] suscipiet vultum meum.

21 Sic transivit *torrentem* munus illud ante ipsum: & ipse verò pernoctavit ea nocte in acie sua.

22 Deinde surgens ea ipsa nocte, accepit duas uxores suas, cum duabus ancillis suis, & undecim natos suos; & trajecit vadum Jabboki,

23 Iísque acceptis & transmissis trans torrentem illum, transmisit etiam quicquid erat ipsi.

24 Sed quum [22] reliquus esset Jaĥakob; solus [23] quidam luctatus est [24] cum eo, donec aurora ascenderet.

25 Qui cùm videret se non prævalere ei, [25] læsit acetabulum femoris ejus: ita [26] pendebat acetabulum femoris Jaĥakobi, quando luctabatur cum eo.

26 Deinde dixit, dimitte me, nam ascendit aurora: cui Jaĥakob, non dimittam, inquit, te, quàm [27] quum benedixeris mihi.

27 Quamobrem dixit ei, [28] quod est nomen tuum? qui dixit, Jaĥakob.

28 Tum dixit *Angelus*, [29] non Jaĥakob *solùm* dicetur ampliùs nomen tuum, sed [30] Jisraël: nam ut principem te geris apud Angelos & apud homines, & potentiâ vales.

[14] quia nox & antevertendi fratrem studium habere delectũ non permittebant. alii exponunt de eo quod venerat in manum ipsius, id est, quod habebat in potestate sua: alii denique de eo pecore quod sequebatur ipsum dominum & ducem. Nam ductus & pastoritia administratio interdũ pede, ut sup. 30. 30. interdum manu, ut sup. 30.35. & infr. v.16. interdũ etiam virga, ut Levit. 27. 32. & Psal. 23.4. figurantur. Hoc postremum probo.

[f] *Heb. gregem gregem.*

[15] ut occasione Hesauo data muneris recognoscendi, servos interrogandi & Jaĥakobi submissionem audiendi, paulatim ejus ferocia mitigaretur: hoc enim consilium fuisse testatur Mosche infrà v. 20.

[g] *Heb. gregem & gregem.*

[16] i. caprario, ex versu 14.

[17] opilioni, ex versu 14.

[18] camelolatæ sive camelario (ut in pandectis appellatur) ex vers. 15.

[19] nempe bubulco & agasoni.

[h] *Heb. secundùm verbum hoc.*

[20] i. iram quæ proditur vultu: metonymia.

[21] i. personam, synecdoche. [22] trans torrentem Jabboki, id est, quum jam omnia præmisisset, & solus agmen clauderet. [23] Christus, federis Angelus, ut sequentia docent, & Hosche. 12.5. formam autem humanam assumsit ad luctandum. [24] quo præexercitamento, Deus voluit Jaĥakobum metu liberare ab adventu fratris, & fidem ejus de præsidio divino confirmare, dum ei robur subministrat etiam cum Angelo luctandi. [25] id est, commissuram, compagem, sive juncturam ossis sacri atque coxendicis ita compressit graviter, ut ex contusione quadam hebesceret, synecdochicè. Hoc verò læsionis genus cùm nullis humanorum lacertorum viribus inter luctandum fieri possit, optimè sensit Jaĥakob divinum aliquid esse. [26] i. hac contusione gravissima impediebatur Jaĥakob ne firmiùs insisteret suo pedi, aut onus sui corporis (quod per cotylas vel acetabula ossis sacri incumbit coxendicibus & adhæret eis compage sua) in femur illud imponeret: sed latus illud corporis quasi pendens sustinebat doloris gravioris metu. Quòd itaq; læsus est, documentum fuit Dei præsentis & probantis servum suum: quòd autem læsus succubuit in certamine, documentum fuit Dei perficientis virtutem suam in humana infirmitate illius, ut non succumberet, aut in futurum animũ abjiceret. [27] hæc petitio demonstrat Jaĥakobum jam tum intellexisse eum non hominem, ut formâ videbatur, sed Angelum esse, quum ab eo aliquanto majore sibi benedici petit. [28] interrogat de nomine, non quòd ignoraret, sed quia benedictionis roborisque suppeditati perpetuum documentum positurus erat mutato nomine. [29] Ellipsis in hujusmodi orationibus frequens, quæ [illegible] Non enunciantur: ut 1 Schem. 8. 7. & alibi sæpe. [30] id est, princeps Dei fortis, principalem potentiam à Deo omnipotente consequutus, adeò ut cum Angelis & hominibus committi possis: quod beneficium antehàc cum Labane, nunc mecum in lucta expertus, mox cum Hesauo experturus es: prout ostendunt sequentia.

29 Roganti Jaĥakobo & dicenti, indica quæso nomen tuum, dixit, [31] quorsum verò rogas de nomine meo? & illic benedixit ei.

30 Quapropter vocavit Jaĥakob nomen illius loci [32] Penielem: nam Deum, *inquit*, vidi [i] hisce oculis in os, & [33] erepta est anima mea.

31 Exoriebatur autem Sol ipsi quando prætergressus est Penuelem: & ipse claudicabat super femur suum.

32 Idcircò non comedunt filii Jisraëlis [34] [k] nervos mutuos qui *sunt* ad acetabulum femoris, in diem usque hunc; quia læserat *Angelus* mutuos nervos ad acetabulum femoris Jaĥakobi.

[31] petitionem Jaĥakobi repellit, cùm quia nihil utilitatis inde fuisset consequuturum, tum ut dissimulato humano nomine, Jaĥakobi animum supra homines attolleret.

[32] sive Penuelem, v. 31. id est, locum aspectus Dei fortis, vel aspectæ & visæ faciei ejus, ex verbis seq. [i] *Heb. facie ad faciem.* [33] gratulatur sibi quòd quum Angelum ac potiùs Deum ipsum viderit, tamen non sit mortuus: ut sup. 16.13. Cujus rei causam vide suprà in 3.10. annot. [34] sive mutuatos, id est, quos cotyla vel acetabulũ ossis sacri transmittit in coxam, tamquam si mutuos illi concederet. Hanc interpretationem maximè probamus omnium: primùm quia acetabulum ipsum præ duritie (nam osseum est) nullis lacertis lædi potest, ac ne ipsi quidem nervi, qui profundè sub acetabulo (maximè autem ad femina) in carne latent: deinde quia fieri vix potest, ut unus aliquis nervus solus in ea parte lacertorum impressione contundatur: præterea quia brevi pòst tẽpore Jaĥakob incolumis in Schecemitarum agrũ dicitur pervenisse, inf. 33.18. postremò quia sic adhuc est Judæorum usus, qui legitimorũ animaliũ coxam gustare non solent, sed Christianis & aliis, ubicunq; locorũ sint, divendere. [k] *Heb. nervum mutuationis: Enallage.*

CAPUT XXXIII.

Hesau Jaĥakobo fratre benignè excepto munera precibus victus accipit, se cum suis itineris comitem offert, eóque renuente discedit. Jaĥakob verò Succothis Schecemum pervenit: ubi emto agro commoratus altare exstruit, & Deo gratias agit.

1 Quum autem Jaĥakob sublatis oculis suis respiceret, ecce Hesauum venientem & quadringentos viros cum eo: quamobrem distribuit natos juxta Leam & juxta Rachelem, & juxta duas ancillas suas:

2 Collocavitq; ancillas & natos earum primo *loco*, deinde Leam & natos ejus posteriores, Rachelam verò & Josephum postremos.

3 Ipse autem transivit ante eos, & incurvavit se in terram [a] [1] septies, donec accederet ad fratrem usque suum.

4 Sed accurrens Hesau obviam ei, amplexatus est eum, & [b] ruens in collum ejus [2] deosculatus est eum: ita fleverunt.

5 Deinde Hesau sublatis oculis suis videns mulieres illas & natos illos, dixit, [3] qui *sunt* isti tibi? dixit verò *Jaĥakob*, hi *sunt* nati, quos largitus est servo tuo gratiosè Deus.

6 [4] Tum accedentes ancillæ, ipsæ cum natis suis, incurvaverunt se *honorem exhibentes*.

7 Deinde accedens etiam Lea & nati ejus incurvaverunt se: postremò verò [5] jussus accedere Joseph & Rachel incurvaverunt se,

8 Dixit autem *Hesau*, [6] quæ tibi *est* tota acies illa cui occurri; & *ille, misi*, inquit, inventurus gratiam in oculis domini mei.

9 Dicenti verò Hesauo, est mihi satis, [7] mi frater, esto tibi quod tuum *est*;

10 Dixit Jaĥakob, [8] ne quæso, si nunc inveni gratiam in oculis tuis, jam accepturus es munus meum de manu mea: quandoquidem [9] aspexi faciem tuam ac si faciem Dei aspexissem, adeò placidè excepisti me, *ne quæso recuses*.

[a] *Heb. septem vicibus.*

[1] numerus certus pro incerto, ut innuunt sequentia, donec ap. &c.

[b] *Heb. cadens.*

[2] diu multúmque ex animo: quod indicatur cùm punctis Hebrææ voci impositis, tum etiam sequente signo, quum flevisse uterque dicitur.

[3] id est, quid ad te attinent? amica hac interrogatione numerosam sobolem gratulatur fratri.

[4] quum frater excepisset fratrem, & finito colloquio, oculi Hesaui in illas (quæ tunc substiterant) conversi essent. [5] parvulus enim 6. annorum erat, ideo nihil nisi à matre jussus faciebat: & quia præcedebat matrem, nominatur prior. [6] hoc quidem ex servis audiverat, sed ex Jaĥakobi responsione munera concessa recusandi occasionem captat. [7] quasi dicat meus animus fraternus est erga te etiam sine muneribus. [8] Ellipsis est vocis contrariæ, quam in fine versus subsequenti supplevimus. Sic infra v. 15. & 49.4. & Prov. [illegible] Jirmo. 18. 15. & 1. Tim. 4.3. [9] id est, conspectus tui placidi vultus mihi est certum divinæ gratiæ indicium, ac si ipsam Dei faciem benignè me intuentem contemplarer.

11 Accipe quæso [c] donum me um quod adductum est ad te, cùm gratiosè mih i sit largitus Deus, cúmque *sit* mihi [d] ex omnibus: & ita institit apud eum ut tandem acceperit.

12 Posteà dicente Hesauo, proficiscamur & pergamus; nam ego præibo tibi:

13 Dixit *Jaħakob*, Dominus meus novit hos natos esse teneros, & gregis atque armenti lactantes *fœminas* incumbere mihi; quas si pulsaverint *agentes pecuarii vel* diem unum, [10] moriturum totum gregem.

14 Transeat quæso Dominus meus ante servum suum: ego autem præbebo me ducem [e] leniter pro commoditate mea ducendis rebus istis quę antecedūt me, & ducendis his natis, [11] usquedum venero ad dominum meum in Seħirem.

15 Tandem dixit Hesau, constituam quæso tecum *aliquot* e populo hoc qui mecum *est*: & *ille*, quorsum hoc? inquit, [12] inveniam gratiam in oculis domini mei, *ne constituat quemquam.*

16 Revertit itaque eodem ipso die Hesau itinere suo, Seħirem versus.

17 Jaħakob verò profectus est Succothas, ubi exstruxit sibi [13] domum: pecori autem suo fecit tuguria, idcircò vocavit nomen illius loci [14] Succoth.

18 Deinde venit Jaħakob [15] incolumis ad civitatem Schecemum, quæ *est* in regione Cenaħanis, quum veniret ex Padane Syriæ, & [16] castra posuit ad aspectum civitatis illius.

19 Emítque portionem illius agri in quo tetenderat tentorium suum, [f] a filiis Chamoris patris Schecemi, [17] centum [g] numis:

20 Et [18] statuit ibi altare; quod appellavit *altare Dei* fortis Dei Jisraëlis.

[c] *Heb. benedictionem, id est, munus ex benevolentia profectum, ut 1. Schemu. 25.27.*
[d] *Heb. omne.*
[10] id est, tenellos gregis, tum ex nimio labore, tum ex lactis inopia, quod in fœminis exhaurit labor. Synecdoche frequentissima.
[e] *Heb. sensim pedi hujus operis. sed pro re usurpatur, ut Exodi 22.8. & 36.6. metonymia.*
[11] etsi nusquam eò venisse legitur: sed hæc dicuntur ὑποθετικῶς.
[12] id est, annue petitioni meæ, videlicet ne quem transmittas: sic inf. 34.11.
[13] stationis vel commorationis, non habitationis ergô.
[14] i. tuguria, a tegendo dicta, est autem hic locus trans Jardenem situs, non procul ab eo, Judic. 8.
[15] rebus integris, nullum in itinere passus incommodum, ut posteà Schecemi accidit: quod consultò videtur addidisse Mosche, ut ostenderet completum esse quod Angelus post luctam Jaħakobo dixerat suprà 32.28. [16] id est, tentoria fixit aliquamdiu ibi moraturus & Deo gratias acturus. Sic suprà 26.17. [f] *Hebr. de manu filiorum Chamor.* [17] signatis nota pecudum: unde & pecunia Latinis dicta. Si cui tamen placebit de pecudibus intelligere ex prisca illa permutationis lege, non reluctabor. Legitur præterea hæc vox Jehoschu. 24.32. & Ijob. 42. 11. éstque Arabum & veterum Cenaħanæorum propria. [g] *Heb. pecudibus, vel agnis.* [18] id est, priùs ab Abramo exstructum sup. 12.6. deinde verò ab incolis profanatum denuò consecravit.

CAPUT XXXIIII.

Jaħakobo ad Schecemum commorante, Dina in urbem digressa, rapitur a filio principis atque vitiatur: quod flagitium fratres puellæ clam patre sævissimè ulciscuntur fraude: quamobrem graviter a patre reprehensi, acceptæ injuriæ exaggeratione excusant factum.

1 EGressa autem est Dina filia Leæ quam pepererat Jaħakobo, ut spectaret puellas [a] regionis illius:

2 Sed quum vidisset eam Schecem filius Chamoris Chivvæi principis [a] in regione illa; rapuit eam, & concumbens cum ea [b] compressit eam;

3 Adhæsítque animus ejus ad Dinam filiam Jaħakobi; adeò ut deamaret puellam, & [1] loqueretur [c] *quæ erant* puellæ cordi:

4 Et alloquutus est Schecem Chamorem patrem suum, dicendo: Accipe mihi [d] puellam hanc in uxorem.

5 Intereà Jaħakob audiverat [e] Dinam filiam suam ab illo viciatam esse, dum ipsius filii in agro *essent* cum pecore suo: [2] siluit tamen Jaħakob, donec advenissent.

6 Prodiit verò Chamor pater Schecemi ad Jaħakobum, ut alloqueretur eum.

7 Venerúntq; filii Jaħakobi ex agro quum audivissent, & dolore affecti sunt homines illi: adeò ut accensa fuerit *ira* ipsorum valde; quòd flagitium fecisset, concumbendo cum filia Jaħakobi, cujusmodi non sit faciendum:

8 Itaque colloquutus est cum eis Chamor, dicendo; [3] Schecemi filii illius mei animus amore propendet in filiam vestram, date ipsam quæso [f] uxorem illi:

9 Et affinitatem inite nobiscum; filias vestras date nobis, & filias nostras accipite vobis:

10 Denique nobiscum manete: nam hæc regio [g] exposita vobis futura est, inhabitate & negotiamini ea, & possessores vos ipsi in ea constituite.

11 Præterea dixit Schecem patri [h] puellæ & fratribus ejus, [4] Inveniam gratiam in oculis vestris; & quod mihi indixeritis dabo,

12 [i] *Quamvis* magnam valde imponite mihi dotem *solvendam* & donum, & dabo prout indixeritis mihi; tantùm date mihi puellam ipsam in uxorem:

13 Responderunt verò filii Jaħakobi [5] per fraudem Schecemo & Chamori patri ejus, quum alloquerentur eos; quòd vitiavisset Dinam sororem ipsorum:

14 Et [6] dixerunt eis, non possumus facere rem istam, dare sororem nostram viro *cui est* præputium: nam ipsum *præputium est* probrosum nobis.

15 Verumtamen [k] hac lege acquiescemus vobis; si eritis sicut nos, & circumcisus fuerit vobis omnis mas;

16 Tunc dabimus filias nostras vobis, & filias vestras accipiemus nobis; habitabimúsque vobiscum & [l] conveniemus in populum unum:

17 Quòd si non auscultabitis nobis ut circumcidamini; recipientes puellam nostrā abibimus.

18 Quum itaque bona *viderentur* verba eorum in oculis Chamoris & in oculis Schecemi filii Chamoris:

19 Non distulit ipse adolescens rem istam facere, quia deamabat filiam Jaħakobi (*erat* autem hic honoratissimus omnium [m] domesticorum patris sui.)

20 Sed abiit Chamor & Schecem filius ejus [7] ad portam civitatis suæ; & alloquuti sunt [n] cives suos, dicendo:

21 [8] Homines isti pacis colentes sunt apud nos, ut habitent in hac regione, & negotientur ea, atque hæc regio ([9] ecce ampla spatiis est) exposita est eis; filias eorum accipiemus nobis uxores, & filias nostras dabimus eis.

22 Verumtamen hac *lege* acquiescent nobis homines isti ut habitent nobiscum, ut conveniamus in populum unum; si circumcisus fuerit nobis omnis mas, quemadmodum ipsi circumcisi sunt.

23 [10] Pecus eorum & possessio eorum, & omnia jumenta eorum [11] nonne nostra *futura* sunt? tantùm acquiescamus eis, ut nobiscum habitent.

24 Auscultaverunt itaque Chamori & Schecemo filio ejus omnes [12] egredientes porta civitatis ejus; & circumcisi sunt omnes mares, omnes egredientes porta civitatis ejus.

25 Evenit autem [13] die tertio quum essent [o] in dolore illi, ut accipientes duo filii Jaħakobi [14] Schimħon & Levi fratres Dinæ quisque gladium suum, invaderent civitatem illam [15] securè: ubi

[a] *Heb. terræ illius.*
[b] *Heb. afflixit.*
[1] i. accommodaret sermonem suum ad animum puellæ, & ad gratiam ejus diceret faceretque omnia, ut eam consolaretur & ad amorem sui perduceret: sic Jeschaħ. 40.1. & Hosche 2.13.
[c] *Heb. ad cor vel secundum cor puellæ. Jeschah. 40.1. & Hosche. 2.13.*
[d] *Hebr. natam.*
[e] *Hebr. quod vitiavisset Dinam filiam suam.* [2] id est, dolorem continuit, neque respondit, donec cum filiis revertentibus consilia communicasset.

[3] Ex oratione Chamoris Mosche id tantùm refert quod ad præsens institutum facit: ideò inducit statim ex abrupto amorē filii commendantem erga puellam, ejúsque nuptias petentem filio.
[f] *Heb. in uxorem.*
[g] *Heb. est coram vobis; ut infrà vers. 21. sic suprà 13.9. & 20.15.*
[h] *Heb. ejus.*
[4] vide sup. 33.15.
[i] *Heb. ampliate super me dotem.*
[5] sic una voce Spiritus Dei damnat, quod posteà copiosius damnavit Jaħakob. infrà 49.5. & sequentibus.
[6] responsum tripertitum est: primùm enim affinitatem cōtrahi posse negant cum preputiatis, eo quòd ipsis probrosum est præputium: deinde ostendunt hac ratione obstaculum tolli posse, si circumcidantur: tertiò quid sint facturi si propositam conditionem Schecemitæ non admittant.
[k] *vel in hac re, quam videlicet proposuistis nobis: sic infrà 22.*
[l] *Heb. erimus.*
[m] *Heb. domus.*
[7] quò solebant cives convenire, & ibi publica negotia transigere, ut nunc in curiis: vide suprà 23. 10.
[n] *Heb. viros civitatis suæ.*
[8] confer hæc cum V. 9. & 10.
[9] id est, nobis est spatiosior quàm ut eam possimus colere soli.
[10] ab utili dicuntur circumcisionis conditionem leniunt.
[11] vide sup. in 13.9.
[12] periphrasis civium, qui item dicuntur ingredientes portam civitatis suæ, suprà 23.10.
[13] qui vulneratis ex sententia medicorum est criticus.

[o] *Heb. dolentes.* [14] fratres Dinę ex utroq; parēte, & reliquis seniores præter Reubenē, quē mitioris ingenii fuisse minúsq; sanguinariū docet historia Josephi inf. 37 nec verisimile est eos solos fuisse, sed soli ut facinoris autores nominātur, sicut inf. 49.7. & sup. V. 43. [15] *ἀμεριμνήτως* nā & cives securè agebāt, nihil hostile a familia Jaħakobi metuentes, & filii Jaħakobi securè ingressi sunt nihil sibi a graviter decūbentibus metuētes: sed illud magis probamus.

marem

marem quemque occiderunt.
26 Chamorem quoque & Schecemum filium
ejus occiderunt acie gladii, & accepta Dina e
domo Schecemi, abiverunt.
27 *Deinde* [16] filii Jaħakobi supervenientes con-
fossis deprædati sunt civitatem ipsam, [17] eo quòd
[p] vitium inde fuisset oblatum sorori ipsorum.
28 Greges eorum & armenta eorum, asinósq;
eorum: tam quod *erat* in civitate, quàm quod *erat*
in agro acceperunt.
29 Universas quoque opes eorum, & omnes
parvulos eorum, uxorésq; eorum captivas abdu-
xerunt & deprædati sunt; denique quicquid *erat*
in domo qualibet.
30 [18] Quamobrem dixit Jaħakob Schimħoni
& Levi, [19] perturbastis me; qui fecistis ut [20] fœ-
team apud incolas regionis hujus, apud Cena-
ħanæum & apud Perizzæum: nam cùm ego *sim*
[q] hominibus paucis *instructus*, si congregaverint
se adversum me, cæsuri sunt me, & exscindar ego
& familia mea.
31 Illi verò dixerunt, an tanquam cum scorto
ageret *quisquam* cum sorore nostra?

[16] ex homicidis fiunt prædones, sicut David ex adultero homicida: sic usuvenit illis qui frænum laxant affectibus.
[17] Mimesis est elegantissima filiorum Jaħakobi in Schecemitas irruentium, & causam facti sui cum perturbatione animi exprimentium.
[p] *Heb. vitiavissent sororem ips.*
[18] hinc apparet Jaħakobum neque consilii istius fuisse conscium, neque in exsequutionē consensisse: quod planiùs testatur infrà 49.5. & seq.
[19] Metaphora qua Jaħakob queritur se priùs tranquillè inter incolas agentem, jam filiorum scelere, cùm in animo tum in rationibus suis perturbatum esse, & nova consilia inire coactum. [20] id est, æquè sim odiosus & invisus ac res fœtidæ hominibus: metaphora frequens: ut Exod.5.vers.21.
[q] *Hebr. homines numeri, id est, facilè numerabiles: Hypallage, pro numerus hominum. Sic Deut. 4.27. & 33.6. & alibi.*

CAPUT XXXV.

Jaħakob jussu Dei Beth-elem proficiscitur lustratâ familia: ubi votum persolvit, nutricem matris sepelit, & priorum benedictionum confirmationem accipit. Quo inde profecto, Rachel in itinere ex Binjaminis partu moritur, & uxor à filio Reübene stupratur: tandem cum uxoribus & filiis ad patrem pervenit, quem mortuum ipse & frater Chebrone sepeliunt.

1 EDixit autem Deus Jaħakobo, surge ascē-
de Beth-elem, & conside ibi: & fac ibi al-
tare *Deo* illi forti qui apparuit tibi [1] quum fuge-
res [a] metu Hesaui fratris tui.
2 Quapropter edixit Jaħakob familiæ suæ &
omnibus qui *erant* secum, [2] removete Deos alieni
populi qui *sunt* inter vos, & mundate vos ac [3] mu-
tate vestimenta vestra.
3 [4] Postea surgentes ascendemus Beth-elem,
ut faciam ibi [5] altare *Deo* illi forti, qui exaudit me
in die angustiæ meæ, [6] & adfuit mihi in via illa
quâ profectus sum.
4 [b] Afferentes itaq; dederunt Jaħakobo om-
neis Deos alieni *populi*, qui *erant* [7] in manu sua, &
[8] inaureis quæ *erant* in auribus suis, [9] abscondítq;
ea Jaħakob sub [10] illa quercu quæ prope Schece-
mum *est*.
5 Deinde profecti sunt (nam inerat [11] terror
Dei civitatibus illis quæ circumstabant ipsos,
adeò ut non persequerentur [c] abeuntes filios Ja-
ħakobi)
6 Pervenítq; Jaħakob [12] Luzū (quæ *civitas est*
in regione Cenaħanis, eáq; *jam dicitur* Beth-el)
ipse & cunctus populus qui *erat* cum ipso.
7 Et [13] exstruxit ibi altare *Deo* forti Beth-elis

[1] hoc est, non minus periclitareris.
[a] *Heb. a facie, ut infr. vers. 7.*
[2] bipertita est Jaħakobi concio: primùm enim quicquid detestabile est Deo: ac in primis idololatriam, procul a suis amoveri jubet; deinde in fide instituens ad sanctificationem præparat.
[3] externa professione abnegationem vestri, internámq; mutationē & renovationē testantes.
[4] exhortationis superioris causa.
[5] in quo eucharisticas victimas offeram Deo, inf. ℣.14. & votum persolvam.
[6] deducendo, reducendo, fræmúmq; fratri, socero, finitimisq; Schecemi injiciendo, ne me ullo pacto læderent. [b] *Hebr. dederunt ad Jaħ.* [7] id est, quos penes se in sua potestate habebant. [8] tum ne posthac eas ut superstitionis insignia gestarent, tum ne in posterum ad novos Deos conflandos materia essent ac irritamentum. [9] tota familia locum ignorante, ut præsens malum tolleretur, & a futuro caveretur. [10] cujus mentio est Jehoschu.24.26. & Judic. 9.6. [11] divinitus immissus & maximus: humanitus enim nequaquam fuisset timendum illis, qui numero, potentia, peritiáque locorum & viarum longè erant superiores. [c] *Heb. post filios, id est, vestigiis eorum insistterent.* [12] vide suprà 28.19. [13] ut mandaverat Deus suprà 1.

prout vocaverat locum illum: eo quòd illic se ipsi
[d] revelavisset Deus, quū fugeret metu fratris sui.
8 Mortua autem est Debora [14] nutrix Ribkæ,
ac sepulta infra Beth-elem sub quadam quercu:
ideò vocavit *Jaħakob* nomen illius [15] Allon ba-
cuth.
9 [16] Tum apparuit Deus Jaħakobo rursus in
reditu ejus ex Padane Syriæ, & benedixit ei.
10 Nam dixit ei Deus, nomen tuum *est* Jaħa-
kob: non vocabitur deinceps nomen tuum *solùm*
Jaħakob, sed Jisraël *quoq;* erit nomen tuum: ideò
[17] vocavit Jaħakob nomen suum Jisraëlem.
11 Prętereà dixit ei Deus, [18] Ego *sum Deus* for-
tis [e] omnipotens, fructuosus esto & multiplica-
tor, gens imò cœtus gentium esto ex te: etiam
reges e lumbis tuis prodeunto.
12 Regionem verò hanc quam dedi Abraha-
mo & Jitzchako, [19] tibi daturus sum: id est, semi-
ni tuo post te dabo regionem hanc.
13 Posteà [20] ascendit ab illo Deus, in ipso loco
ubi loquutus fuerat cum illo.
14 [21] Statuit autem Jaħakob statuam in eodem
loco ubi loquutus est *Deus* cum ipso, statuam la-
pideam, [22] inspersitq; eam [f] liquore, & perfudit
eam oleo.
15 Quamobrem vocavit Jaħakob Beth-elem,
nomen illius loci ubi loquutus est cum ipso Deus.
16 Deinde quum profectis Beth-ele superesset
adhuc [23] [g] exiguum spatium itineris *conficiendum*
ut pervenirent Ephratam; pariens Rachel [h] dif-
ficiliore partu utebatur.
17 Fuit verò quum difficili ampliùs partu ute-
retur; ut diceret ei obstetrix, ne timeas, [24] nam
etiam hic tibi filius *est*.
18 Exeunte itaque anima illius, quum morere-
tur, [i] accidit ut vocaret nomen ejus [25] Ben-oni:
sed pater ejus vocavit eum [26] Binjaminem.
19 Sic mortua est Rachel; sepultâque in via
spectante Ephratam, ea *jam est* Bethlechem:
20 Statuitq; Jaħakob statuam super sepulcrum
ejus: ea *dicitur* statua sepulcri Rachelæ [27] in hunc
usque diem.
21 Deinde profectus Jisraël, tetendit tentori-
um suum ultra turrim Hederis.
22 Evenit autem quum habitaret Jisraël in re-
gione illa, ut abiens Reüben concumberet cum
Bilha concubina uxore patris sui: quod [28] audivit
Jisraël: [29] erant autem filii Jaħakobi duodecim.
23 Filii Leæ, [30] primogenitus Jaħakobi, Reü-
ben, posteà Schimħon, & Levi, & Jehuda, & Jissa-
car, & Zebulun.
24 Filii Rachelæ, Joseph, & Binjamin.

[d] *Heb. revelaverat se ipsi D. vide sup. 20.13.*
[14] quæ ipsi adjuncta fuerat suprà 24.59. videtur autem postquam Ribkam deduxisset ad Jitzchakum, reversa esse in Mesopotamiam; jam verò desiderio revisendi Ribkam filium ejus prosequuta esse, aut certè venisse illuc cū nunciis a Ribka missis, quorum illa spem filio fecerat supr.27.47. quando cōsilium dabat petendi Mesopotamiam.
[15] i. quercum fletus: nam ibi luxerunt eam & defleverūt mortem ejus.
[16] hac visione Deus obsequium Jaħakobi probat, & benedictiones novúmque nomen ab Angelo impositum confirmat, de quibus suprà 28. & 32.
[17] i. palam est professus nomē sibi a Deo impositum, & promissa ac benedictiones testatus suis; quas benedictiones priùs animo continuerat sanctè observans opus Dei, donec oportunitas a Deo exhiberetur. Hujus sanctæ modestiæ exempla sunt in Davide, Elisabetha, & Maria virgine matre Domini.
[18] hic promittit Deus quæ pater Jaħakobo precabatur quum eum a se dimitteret suprà 28.3. & 4. ideò iisdem ferè vocibus utitur. [e] *Heb. Schaddai, id est, sufficiens: vide sup.17.1.* [19] non Hesauo: nā Jaħakob solus cum suis posteris apertè paternarū avitarúmq; promissionum hæres instituitur. [20] ut sup.17.22. [21] priùs quidem statuerat sup.28.18. sed jam aut eversum ab incolis profanatúmq; restituit, aut curavit ampliùs. Priorem magis interpretationem probo. [22] i. votum suum, de quo sup.28.22. ibi persolvit & obtulit Deo, cujus causa Deus altare exstrui jusserat supr. ℣.1. Synecdoche. pars oblationis pro toto. [f] *Heb. resspersionem, id est, liquorem qui spargitur.* [23] ita exponendam esse vocem evincitur ex 2.Reg.5.19. [g] *Heb. planum vel campus terræ.* [h] *Heb. dura fuit in partu suo.* [24] q.d. a doloribus partus ita te consolare, quòd alterum filium quem a Deo optabas addi sup.30.24. jam consequeris. [i] *Heb. fuit: sic ℣.22.* [25] id est, filium doloris vel luctus mei: sive activa significatione, sive passiva acceperis. [26] id est, filium dexteræ, id est, æquè charum & dilectum ut homini est dextera: vel filium quem ad dexteram semper habiturus sum, nec passurus inde amoveri. [27] atque etiam in Schaulis tempus, 1.Schemu.10.2. [28] hoc disertè additur, ut planiùs intelligātur quæ Jaħakob Reübeni dicit infrà 49.℣.2.3. & 4. & appareat quàm justè primogeniti jure privatus sit: ut meminit 1. Chron.5.1. [29] nato jam Binjamine ultimo Jaħakobi filio numerus eorum recensetur, quia duodecim tribuum (quarum posteà frequens fit mentio) autores fuerunt: commodè verò duabus historiis superioribus subjicitur, ut causæ intelligantur ex quibus primogeniti præminentia, non Reübenis, Schimħonis, aut Levi fuit: sed ad Josephum & Jehudam, ut primos præcipuarum uxorum filios, translata est: de quibus vide 1.Chron. 5.1. & 2. [30] a natura, etsi præstantiam suo scelere amisit.

[k] *Heb. quod genitum est.*
[31] etsi Binjamin in itinere est natus, majoris tamen partis ratione dicuntur Padane editi: quare aut Binjaminem Padane cōceptum fuisse dicendum est, aut intelligendum de omnibus excepto Binjamine: quod genus syne cdoches in narrationibus planis receptum est, ut infrà 46.15.& Exod 12.40. & Joan.20.24.& 1.Cor.15.5. Augustino interprete.

25 Filii autem Bilhę quę ancilla fuit Rachelę,
Dan,& Naphthali.
26 Filii verò Zilpæ, quæ fuit ancilla Leæ, Gad,
& Ascher: hi filii Jaħakobi, [k] qui editi sunt ei
[31] in Padane Syriæ.
27 Tandem pervenit Jaħakob ad Jitzchakum
patrem suum Mamrem, in urbem Arbaħ; ea *jam*
est Chebron, ubi peregrinus fuerat Abraham &
Jitzchak:
28 Fuerunt autem dies Jitzchaki, centum octoginta annorum.
29 Quum itaque [32] expirans Jitzchak mortuus esset, aggregatúsque [33] ad populos suos senex
& satur diebus, sepeliverunt eum Hesau & Jaħakob filii ejus.

[32] etsi Jitzchaki mors statim post Jaħakobi reditum describitur, tamen diu posteà contigit, quum jam Joseph fuisset a fratrib. venditus, & ultra xij. annos captivus. Est itaque hîc anticipatio. [33] ut sup. 25.8.

CAPUT XXXVI.

Hesaui conjugia & discessus a Cenaħanæa, genus Edomæorum & Choræorum ducum: Reges Choræorum & duces Edomæi qui ante Jisraëliticæ Reipub, exordium rerum potiti sunt, recensentur.

[1] totum hoc caput non quidem *παρέργως*, sed hyperbaticè tamen a Mosche insertum est ad illustrandam historiam populi Dei: cujusmodi narrationes interjectas vidimus sup. toto capite 5.& parte capitis 11.
[2] hujus agnominis causam vide supr. 25.29.
[3] quæ etiam suprà 27.1. Basemath dicitur: binominis enim fuit.
[4] hoc nomine non recensetur inter uxores Hesaui, suprà 27.1.& 28.9. quare aut alia ab illis diversa est, aut eadem quæ sup. 27. Jehudith filia Beeri nominatur, ita ut ipsa æquè ac pater fuerit binominis: quemadmodum Regis Abisæ mater 1. Reg.15.2. Maħaca filia Abischalomi dicitur, alibi verò Micaja filia Urielis, 2.Chron.13.2.& alia quamplurima.

1 HÆ [1] autem *sunt* generationes Hesaui, idē
est [2] Edom.
2 Hesau acceperat uxores suas e filiabus Cenaħanæorum, [3] Hadam filiam Elonis Chitthæi,
& [4] Aholibamam filiam Hanæ, filiam [5] Tzibħonis Chivvæi:
3 Deinde [6] Basematham filiam Jischmaħelis;
[7] sororem Nebajothi:
4 Peperit autem Hada Hesauo Eliphazum,
Basematha verò peperit Reħuelem:
5 Et Aholibama peperit Jeħuschum, Jaħlamum, & [8] Korachum: isti *sunt* filii Hesaui, qui editi sunt ei in regione Cenaħanis.
6 [9] Assumserat autem Hesau uxores suas & filios suos & filias suas, omneísque [a] domesticos
suos; pecus quoque suum & omnia jumenta sua,
denique omnem possessionem suam quam acquisiverat in regione Cenaħanis: & abierat in
regionem *Seħiris* [10] [b] ante adventum Jaħakobi
fratris sui.
7 Erant enim [11] eorum facultates ampliores
quam ut habitarent simul; neque poterat terra
peregrinationum eorum ferre eos propter pecora eorum.
8 Habitabat ergo Hesau in monte Seħiris:
Hesau is *est* Edom.
9 Hæ autem *sunt* generationes Hesaui, patris
Edomæorum [12] in monte Seħiris.
10 Hæc nomina posterorum Hesaui; Eliphaz
filius Hadæ uxoris Hesaui, Reħuel filius Basemathæ uxoris Hesaui.
11 Filii autem Eliphazi *sunt*; Theman, Omar,
[13] Tzepho, & Gaħtham, & Kenaz.
12 [14] Thimnaħ verò *fuit* concubina uxor Eliphazi filii Hesaui, qui peperit Eliphazo [15] Hamalekum: hi [16] filii Hadæ uxoris Hesaui:
13 Hi verò filii Reħuelis, Nachath, & Zerach,
Schamma, & Mizza: hi *sunt* filii Basemathæ uxoris Hesaui.
14 Hi denique filii Aholibamæ filiæ Hanæ, filiæ Tzibħonis, uxoris Hesaui: peperit enim Hesauo Jeħuschum, & Jaħlamum, & Korachum.
15 Hi *sunt* duces filiorum Hesaui. filiorum Eliphazi, qui fuit Hesaui primogenitus; dux Theman, dux Omar, dux Tzepho, dux Kenaz,
16 Dux [17] Korach, dux Gaħtam, dux Hamalek; hi duces Eliphazi in regione Edomææ, hi
filii Hadæ.
17 Hi autem *duces* filiorum Reħuelis filii Hesaui, dux Nachath, dux Zerach, dux Schamma,
dux Mizza; hi duces Reħuele orti in regione Edomææ, hi filii Basemathæ uxoris Hesaui.
18 Hi denique *duces* filiorum Aholibamæ uxoris Hesaui, dux Jeħusch, dux Jaħlam, dux Korach: hi duces nati Aholibama filia Hanæ, uxore Hesaui.
19 Isti *sunt* filii Hesaui, & isti [c] duces ex eis; is
est Edom.
20 [18] Hi *sunt* filii Seħiris [19] Choræi, incolentes
eam regionem; Lotan, & Schobal, & Tzibħon,
& Hana,
21 Et [20] Dischon, & Etzer, & Dischan: hi duces
Choræorum filii Seħiris, in regione Edomæa.
22 Fuerunt autem filii Lotanis, Chori & [21] Heman; sororq; Lotanis [22] Thimnaħ.
23 Hi verò filii Schobalis, [23] Halvan, & Manachath, & Hebal, [24] Schepho, & Onam.
24 Et hi filii Tzibħonis, cùm Aja, tum Hana: is
est Hana qui [25] invenit mulos in deserto, quum
pasceret asinos Tzibħoni patri suo.
25 Hi autem filii Hanæ, Dischon; [26] Aholibama quoque filia Hanæ,
26 Et hi filii [27] Dischanis; [28] Chemdan, & Eschban, & Jithran, & Ceran.
27 Hi *quoque* filii Etzeris; Bilhan, & Zaħavan,
& [29] Hakan.
28 Item hi filii Dischanis, Hutz, & Aran.
29 Hi duces Choræorum, dux Lotan, dux
Schobal, dux Tzibħon, dux Hana.
30 Dux Dischon, dux Etzer, dux Dischan; hi
duces Choræorum [d] per ducatus eorum, in regione Seħiris.
31 [30] Hi autem *sunt* Reges qui regnaverunt in
regione Edomææ, antequàm regnaret [31] Rex filiis Jisraëlis.
32 Primùm regnavit in Edomæa Belaħ filius
Beħoris, [32] cujus civitas *fuit* nomine Dinhaba.
33 Mortuo autem Belaħ, regnavit pro eo Jobab filius Zerachi e [33] Botzra.
34 Item mortuo Jobabo, regnavit pro eo Chuscham ex regione [34] Themanæorum.
35 Item mortuo Chuschamo; regnavit pro eo
[35] Hadad filius Bedadi, qui cæcidit Midjanitas
in agro Moabitarum: cujus civitas nomine *erat*
[36] Havith.
36 Itē mortuo Hadado, regnavit pro eo Samla e Masreka.

[5] avi nomen ad discretionem additur, ne alterius Hanæ filia putaretur, qui Tzibħonis frater fuit, ℣.20. [6] hæc quoque binominis fuit: vocatur enim Machalath supr. 28.9. [7] id est, ex eadem matre: de hoc supr. 25.13. [8] cujus mentio est infr. 14.& 18. [9] hæc plusquamperfecto reddi oportere ostendit Mosche supr. 32.3. & 33.14.& 16. [a] *Heb. animas domus suæ.* [10] sic exponimus evidentiæ causa: nam faciem vel conspectum pro adventu metonymicè non rarò legimus: ut sup. 30.30.& 32.3.& infr. 46.28. [b] *Heb. a conspectu Jaħ.* [11] id est, Jitzchaki patris & Hesaui ipsius, qui ambo in regione Cenaħanis peregrini erant. [12] id est, nepotes, qui nati sunt ei jam habitanti Seħiris montem. Confer cum hoc catalogo, 1.Chron.1. [13] qui etiam appellatur Tzephi, 1.Chron 1.35. [14] soror Lotanis, inf. ℣.22. ex hoc loco explicandus alter 1.Chron.1.36.

[15] illorum Hamalekitarū autor qui Exod.17.14. a Domino sunt excidio destinati: vide Deut.24. annot.
[16] i. nepotes, vel posteri, ut ℣.10. sic deinceps.
[17] hic in filiorū catalogo omissus est, fortassis quia nepos fuit ex aliquo filiorum: sed tamen distinguendus a Koracho filio Aholibamæ, de quo ℣.14.& 18.
[c] *Heb. duces eorū.*
[18] horum recensio fit propter affinitatem quam Hesau & Eliphaz cum eis contraxerunt: qua occasione factū est ut cum eis habitarent, & imperio tandem eis succederent.
[19] ut supr. 14.6. hanc autem eandem gentem Chivvæam dici apparet ex collatione ℣.2.& 21. hujus capitis.
[20] qui & Dischan, infr. ℣.26.
[21] qui & Homam 1.Chron. 1.39.
[22] de quo sup. in ℣.12.
[23] qui idem appellatur Haljan, 1.Chron. 1.40.
[24] qui & Schephi, ibidem.
[25] id est, artem excogitavit, qua ex admissura asini & equæ muli procrearentur.
[26] de qua sup. 2.& 5.
[27] sive Dischonis, ut sup. ℣.21.
[28] sive Chamran, ut appellatur 1. Chron. 1. 41. d, mutato in r, ut Dodanim, Rodanim, supr. 10.4. & 1.Chron. 1.7. Riphath, Diphath, sup. 10.3. & 1.Chron. 1.6.& similia multa.
[29] sive Jaħakā, 1.Chron. 1.42.
[d] *Heb. in ducibus eorum vel secundùm duces eorum.*
[30] q.d. ad hanc usq; ætatem nostram, quum nōdum Jisraëlitæ ab Aegyptiorū servitute liberati proprium haberent gubernatorem administrationémq; liberam quæ me gubernatore cœpit, octo isti in Edomæa regnarunt. [31] i. gubernator unicus & ordinarius, Mosche, ut Deut. 33.5. Judic. 17.6.& 1.Schem. 21.12. [32] hi omnes ex diversis locis oriundi fuerunt: unde colligitur eos non jure successionis, sed vel electione, vel tyrannide ad gubernationem pervenisse, quod indicaverat Jitzchaki vaticinium, gladio tuo vives, sup. 27.42. [33] Edomæorum metropoli, cujus meminit Jeschaħ. 34.6.& 63.1. Ptolemæo Bostra. [34] a Themane Eliphazi filio, prout appellantur Jirme. 49.7.& 20. Hamos 1.12.& Baruc. 3.22 & 23. [35] qui etiam Hadar, 1.Chron. 1.46. vide in ℣.26. [36] vel Hajith, 1.Chron. 1.46.

37 Item mortuo Samla, regnavit pro eo Schaül ex Rechobothis [e] ad [37] flumen fitis.

38 Item mortuo Schaüle, regnavit pro eo Bahal-chanan filius Hacboris.

39 Item mortuo Bahal-chanane filio Hacboris, regnavit pro eo [38] Hadar, cujus civitas nomine *erat* [39] Pahu: nomen verò uxoris ejus Mehetabeel, *quæ erat* filia Matredis, [f] Me-zahabensis.

40 Atque hæc *sunt* nomina ducum Hesaui secundùm familias suas per loca sua, de nominibus illorum: dux [40] Thimnah, dux [41] Halva, dux Jetheth,

41 Dux Aholibama, dux Ela, dux Pinon,

42 Dux Kenaz, dux Theman, dux Mibtzar,

43 Dux Magdiel, dux Hiran: hi *fuerunt* duces Edomo nati secundùm habitationes suas in regione possessionis suæ, hic *fuit* Hesau autor Edomæorum.

e Heb. fluminis. 37 vide suprà in 10.11. 38 vel Hadad, 1.Chron. 1.50. 39 vel Pahi, ibidem. Quod autem hujus uxor Mezahabensis appellatur, ex nomine urbis profectum est cui nomen Hebraicè est Mezahab, Syrè Me-dehab, id est, aquæ aureæ: quam Medavam Ptolemæus vocat. f Heb. filia Mezahab. 40 & Aholibama vers.41. nomina virorum sunt hic, quæ suprà eodem capite mulieribus sunt attributa. 41 qui & Halja, 1.Chron.1.51.

CAPUT XXXVII.

Joseph adolescens fratrum vitia patri retegens, divinitus paternæ familiæ princeps futurus præmōstratur: sed fratrum odium invidiámq; tantam suscipit, ut occasione oblata primùm in necem, deinde in venditionem ejus conspirent: qua ratione in Aegyptum abductus Satrapæ Aegyptii mancipium efficitur.

1 Ittaque [1] habitavit Jahakob in regione [2] peregrinationum patris sui, in regione Cenahanis.

2 [3] Illæ *sunt* generationes Jahakobi; Joseph [a] natus septemdecim annos degebat pascens cū fratribus suis gregem (erat enim [4] puer) cum filiis Bilhæ & cum filiis Zilpæ uxorum patris sui: [5] referebátque Joseph famam eorum malam ad patrem ipsorum.

3 Jisraël autem diligebat Josephum præ omnibus filiis suis, eo quòd [b] [6] filius esset ipsi in senectute natus, fecerátq; ei tunicam versicolorē:

4 Videntes verò fratres ejus [c] a patre suo diligi eum præ omnibus fratribus ipsius, oderant eum; adeò ut non possent alloqui eum [d] placidè.

5 Præterea quum somniaverat Joseph *aliquod* somnium, narrabat *illud* fratribus suis: quamobrem [e] magis adhuc oderant eum.

6 Nam dixit eis; audite nunc somnium hoc, quod somniavi:

7 [7] Ecce ergo nobis colligantibus segetum fasces in quodam agro, ecce inquam surgebat fascis meus, etiámq; stabat: ecce autem circuibant fasces vestri, & incurvabant se fasci meo *honorem exhibentes*.

8 Tum dixerunt ei fratres ejus, ergó ne [f] planè regnaturus es super nos, aut planè dominaturus nobis? quare adhuc magis oderunt eum propter somnia ejus, & propter verba ejus.

9 Deinde quum somniasset adhuc somnium alterum, narravit illud fratribus suis, & dixit, ecce somniavi adhuc somnium, ecce autem ipse Sol & Luna stellæque undecim incurvabant se *honorem habentes* mihi.

10 Narrabat autem patri suo, & fratribus suis; sed [8] increpans eum pater ejus dicebat ei, quod

1 Regressio est ad sermonem intermissum inde a fine capitis 35. 2 ut sup.17.8. & 28.4.& 36.7. 3 nempe quæ suprà fuerunt sub finem capitis 35. expositæ. a Heb. filii 17. annorum. 4 non tantùm ætate, sed etiam ministerio; cujus ratione Jehoschuah ætate maturus, puer Moschis Exod. 33.11.& Gichazi puer Elischahi 2.Reg.4.12. dicitur. q.d. patri fratribúsque ministrabat, & utrisq; pro mediastino erat. 5 tres causæ fraterni in eum odii ex ordine recensentur, delatio maleactæ vitæ apud patrem, patris amor singularis erga eum, & somnia ejus de principatu futuro. b Heb. filium senectutis esset ip. 6 natus enim erat Jahakobo jam 91. annum agenti. sic etiam nominatur Binjamin, inf.44.20. c Hebr. quòd eum diligeret pater ipsor. d Hebr. ad pacem, id est, placidis verbis. e Hebr. addiderunt adhuc odisse eum: ut infrà vers. 8. 7 vide hujus somnii complementum infr.42.6. ut sequentis, cap.46. f Heb. regnando regnabis, &c. dominando dominaberis. 8 astutè coram fratribus, quorum animos sciebat in Josephum exacerbatos esse; nam re vera ipse rem observabat. V. seq. in hac reprehensione somnium ita interpretatur, ut fratrum invidiam minuat argumento ἐξ ἀδυνάτου ἢ ἀπίστου, q.d. ergo resurrectura esset mater tua: etsi hoc in una ex Jahakobi uxoribus noverca Josephi impletum est, infrà 46.

nam *est* hoc somniū quod somniasti? an [g] omnino venturi sumus ego & mater tua & fratres tui, ut incurvemus nos in terram *habituri honorē* tibi?

11 Invidebant itaque ei fratres ejus: pater verò ejus [9] observabat rem ipsam.

12 Quum autem abiissent fratres ejus ad pascendum gregem patris sui apud Schecemum,

13 Dixit Jisraël Josepho, Nónne fratres tui pascunt apud Schecemum? adesdum ut mittam te ad eos: qui dixit ei, ecce me.

14 Deinde dixit ei Jahakob, i nūc, [h] cognosce de incolumitate fratrum tuorum, & de incolumitate gregis, & refer ad me aliquid: sic quum dimisisset eum e valle Chebronis, abiit *in* Schecemū versus.

15 Invenit autem eum vir quidam, quum ecce erraret per agrum; & interrogavit eum vir ille, dicendo, quid quæris?

16 Qui dixit, fratres meos quæro; indica quæso mihi, ubinam illi pascant.

17 Dixit verò vir ille, profecti sunt hinc, nā audivi dicentes, eamus Dothajina: insequutus igitur Joseph fratres suos invenit eos [10] Dothanis.

18 Illi autem viderūt eum e-longinquo; quúmque nondum accessisset ad ipsos, machinati fuerunt contra eum ut morti traderent eum.

19 Dixerunt enim [i] alter alteri, ecce [11] dominus somniorum iste advenit.

20 [12] Nunc igitur agite interficiamus eum, & injiciamus eum in unam ex cisternis istis, postea dicemus, bestia mala devoravit eum: tandem videbimus quid futura sint somnia ejus.

21 Sed quum audiret Reüben, [13] eripuit eum e manibus illorum; [14] dicens, non percutiemus eum [l] lethaliter.

22 Nam dixit eis Reüben, [15] ne effundite sanguinem; injicite eum in cisternam istam, quæ *est* in hoc deserto, & manum ne immittite in eum: ut eriperet eum e manu illorum, eúmque reduceret ad patrem suum.

23 Itaque accidit, quum advenisset Joseph ad fratres suos; ut Josephum [16] tunicam suam, tunicam illam versicolorem, [m] qua erat indutus, juberent exuere.

24 Et assumentes eum projicerent in cisternam illam: cisterna autem illa vacua *erat*, non *erat* aqua in ea.

25 Deinde sedebant ad comedendum cibum; quum sublatis oculis suis viderunt, ecce autem cœtum commeantium [17] Jischmahelitarum venientem ex [18] Gilhade: quorum cameli ferebant [19] myxaria, & opobalsamum, & ladanum; pergentes ut deportarent *ea* in Ægyptum:

26 Dixitque Jehuda fratribus suis, [20] quid lucri futurum est, quum interfecerimus fratrem nostrum, & occultaverimus sanguinem ejus?

27 Agite vendamus eum Jischmahelitis istis, & manus nostra ne sit infesta ei, quia frater noster, [21] caro nostra est: cui auscultaverunt fratres ejus.

28 Itaque transeuntibus [n] quibusdam [22] Mid-

g Heb. veniendo veniemus. 9 cum animo suo, ut Luc. 2.19. h Heb. vide pacē. 10 sive Dothajinis, cujus loci mentio est 2.Regum 6.13. i Heb. vir ad fratrem suum. 11 id est, qui sibi futuram in nos dominationem somniat. 12 tam citò de tanto scelere perpetrando concludunt, quia aliis aliorum animi ex præcedentibus colloquiis erant cogniti. 13 id est, novo consilio ejus cædem impedivit. 14 apud se, ut sup.11.3. l Heb. anima, id est, ne adimamus ei vitam. 15 callidè Reüben a genere cædis tantùm deterret fratres, etsi revera illius vitæ consulebat. 16 de qua suprà vers.3. cur exuerent vide infrà vers.31. & seq. quomodo autem intereà Joseph se erga fratres gereret, exponitur inf.42.22. m Heb. quæ erat super eum. 17 Jischmahelitæ hic, Midjanitæ vers.28. & Medanæi V. 36. omnes Arabiam incolebāt, ideóque Onkelos exponit Arabas, ut Judic.8.24. & quia cœtus iste mercatorum ex variis constabat, Mosche illum variis nominibus exprimit. 18 unde in Aegyptum euntibus illac iter erat: Gilhade autem mercatorum emporium erat, ut Jirmejæ 8.22.& 22.6. & alibi ostenditur. 19 hanc vocē & duas sequentes variè admodū accipiunt interpretes: nos in tanta varietate, quod probabilius visum est, elegimus. Myxaria Arabibus dicuntur Nuketa teste Aegineta, Aëtio, Psello, & Actuario, voce proximè ad Hebraicū Necoth accedente: opobalsamū cum R.D.K. interpretati sumus: Ledum verò vel Ladanum, Onkelon Chaldæū & Arabas secuti: nam quod Hebræi Lot vocant, Chaldeus Letum, Arabes Laten vel Laden nominant. 20 Jehuda divina providentia ductus, fratribus suadet sine cæde & cū lucro posse tria illa mala vitari quorum causâ Josephum oderant, si mercatoribus vænum detur: sic enim fore ut a patre (apud quem ipsos accusabat, & cui præ cæteris dilectus erat) abstrahatur, & servitutem subeat loco sperati dominatus. 21 i. perinde erit si eum morti tradamus, ac si nobis ipsis vim inferremus. n Heb. viris. 22 qui propter confusam cum Jischmahelitis habitationem etiam Jischmahelitæ appellantur, hic & Judic.8.24. quamvis Abrahami posteri ex Ketura, non ex Hagara essent, supr.25.2. Midjanitæ ergo hi fuerunt genere, Jischmahelitæ habitatione: quo modo dicti sunt Cerethæi, 2.Schemu.9.4 Urija Chitthæus, 2.Schemu.11.3. Itthai Gitthæus, 2.Schemu.15.19. & alia quamplurima.

janitis mercatoribus extrahentes sustulerunt Jo-
sephum ex ipsa cisterna, vendiderúntque Jose-
phum Jischmaħelitis viginti [23] *siclis* argenteis: qui
deduxerunt Josephum in Ægyptum.
29 [24] Reverso autem Reübene [25] ad ipsam ci-
sternam, ecce non *erat* Joseph in ea cisterna: &
[26] laceravit vestimenta sua.
30 Quamobrem reversus ad fratres suos dixit;
puer ille non adest, ego verò [27] quorsum iturus
sum ego?
31 Tum acceperunt tunicam Josephi: & jugu-
lantes hircum [o] lactentem intinxerunt tunicam
illam sanguine ejus.
32 Posteà miserunt tunicam illam versicolo-
rem, & curantes ut ferretur ad patrē suum dixe-
runt, hanc invenimus: agnosce nunc utrùm hæc
tunica filii tui *sit* néc ne.
33 Ille verò agnoscens eam dixit, tunica filii
mei *est*, bestia mala devoravit eum: [p] omnino
discerptus est Joseph.
34 Laceránsque Jaħakob vestimenta sua, im-
posuit [28] cilicium lumbis suis; luxítque propter
filium suum diebus multis.
35 Et quamvis surrexissent omnes filii ejus
omnésque [29] filiæ ejus ad consolandum eum, re-
nuit consolationem admittere, dicens, *non faci-
am*, nam [30] descensurus sum ad filium meum lu-
gens in sepulcrum: flevit etiam illū [31] pater ejus.
36 Medanæi autem [32] vendiderunt illum *ab-
ductum* in Ægyptum; Potiphari aulico Parħonis,
præfecto [33] satellitum.

[23] vide suprà 23.16.
[24] aberat enim quum acciperetur Jehudæ consilium, & perficeretur.
[25] ut Josephum extractum reduceret, suprà vers. 22.
[26] ut veteribus erat in more, quum triste aliquid accidebat, ut infrà vers. 34. & Num. 14.6. & Ijob. 1. 20. & Matth. 26. 65. quod exemplo Priami, Hecubæ, & Andromachæ lugentium Hectorem ostendit Homerus Iliados χ. & alii.
[27] i. quò me vertam? videtur enim patris iram præ aliis metuisse, tum quia illi ut seniori major pueri cura incumbebat, tum quia formidabat ne infensiorem sibi patrem redderet quem jam offenderat suprà 35.22.
[o] Heb. caprarum.
[p] Heb discerpendo discerptus. [28] i. vestem vilem & sine ornatu lugentium more: nam vox Hebræa, teste R. D. K. non tantùm saccum formatum, sed ejus materiam & omne involucrū vile significat. [29] i. filia, nurus, neptes. [30] id est, tantus est hic luctus, ut me ad mortis usq; articulum prosequuturus sit, & citò in sepulcrum detrusurus. [31] Jitzchak pater Jaħakobi: nam a vendito Josepho quasi 12. annos vixit. vide suprà in 35.29. [32] elliptica constructio per metalepsin elegantissimam, Hebræis frequentissima, & Græcis non ignota. Pausanias in Corinthiacis de Laide, ἀφικομένην δὲ ἐς Κόρινθον ὑπερβάλλειν κάλλει τὰς τότε ἑταίρας, &c. [33] Hebræa vox communis laniis, cocis & satellitibus, significat mactatores: quia illi animalia ad cibum, hi verò sontes in supplicium mactabant. Hinc duo illi Parħonis aulici huic custodiendi traduntur, cujus erat damnatos plectere, inf. 40.3. & Rex Babyloniæ Jeruschalaimis captis ac Rege abducto, suum mactatorum sive satellitum præfectum eò misit, ut capitalem suam sententiam in reliquias populi ipsámque civitatem exsequeretur. 2. Regum ultimo. Hi Latinè quæstores rerum capitalium dici possunt, non autem ἀρχιμάγειροι, ut verterunt Græci.

CAPUT XXXVIII.

Jehuda Christi progenitor, ex Cenaħanæa uxore treis filios suscipit; duobus senioribus eamdem uxorem successivè conjungit, quibus mortuis tertium adhuc immaturum nurui fraudulenter promittens eam in paternam domum remittit: quod quum suo tempore non præstitisset, nurus simulato habitu ex Jehuda concipit & parit.

1 EVenit [1] [a] autem [2] per illud tempus, quum
descendisset Jehuda *profectus* a fratribus
suis; ut diverteret ad [b] quemdam Hadullamæ-
um, cujus nomen *erat* Chira,
2 Et videns ibi Jehuda filiam cujusdam Cena-
ħanæi cui nomen *erat* Schuaħ; duceret eam *uxo-
rem*, & congrederetur cum ea.
3 Itaque concipiens illa [3] peperit filium, cujus
nomen *Jehuda* vocavit Herum,
4 Deinde concipiens iterum peperit *illa* fili-
um, cujus nomen vocavit Onanem.
5 Pòst rursus peperit præterea filium, cujus
nomen *illa* vocavit Schelam: erat autem Jehuda
[4] Cezibi, quum hunc illa pareret.
6 Accepit autem Jehuda uxorem Hero primo-
genito suo, cujus nomen *fuit* Thamar.
7 Sed factum est, quum Her primogenitus Je-
hudæ malus *visus* esset in oculis Jehovæ; ut mor-
ti traderet eum Jehova.
8 Tum edixit Jehuda Onani, congredere cum
uxore fratris tui, & [5] fratris nomine duc eam: sic
[6] exsuscita semen fratri tuo.
9 [7] Sciebat autem Onan non fore suum [8] semen
illud: ideò evenit, siquando congressurus erat
cum uxore fratris sui, ut [9] corrumperet *semen ef-
fundens* in terrā, ne suppeditaret semen fratri suo.
10 Sed malum visum est in oculis Jehovę quod
faciebat iste; & morti tradidit etiam istum.
11 Quamobrem dixit Jehuda Thamaræ nurui
suæ, mane vidua in domo patris tui, donec ado-
leverit Schela filius meus, dicebat enim, *viden-
dum* ne moriatur hic quoque sicut fratres ejus: sic
abiens Thamar manebat in domo patris sui.
12 [10] Quum autem dies [c] multi elapsi essent,
mortua est filia Schuħæ, uxor Jehudæ: & Jehuda
se consolaturus ascendit ad tonsores gregis sui,
ipse cum Chira amico suo Hadullamæo [11]
Thimnam.
13 Quod ut renunciatum est Thamaræ dicen-
do; ecce socer tuus ascendit Thimnam ad ton-
dendum gregem suum:
14 [12] Deponens *illa* vestes viduitatis suæ a se,
[13] operuit se peplo & [14] obtexit se, consedítque in
[d] bivio quod *est* in via Thimnam versus: videbat
enim adolevisse Schelam, se verò non fuisse da-
tam ei uxorem.
15 Videns autem eam Jehuda [15] existimavit
eam esse scortum; [16] operuerat enim faciem suā.
16 Divertens itaque ad eam in viam illam, dix-
it, age quæso, congrediar tecum, non enim no-
verat nurum suam esse: quæ dixit, [17] quid dabis
mihi ut congrediaris mecum?
17 Et ille, ego, inquit, missurus sum hœdum [e]
lactentem e grege: cui dixit illa, *acquiesco* si des
pignus donec miseris illum.
18 Tum dixit *ille*, quodnam *est* pignus quod
dem tibi? & illa, sigillum tuum, inquit, sudarium
tuum, & scipio tuus qui *est* in manu tua: itaque
dans ei [18] congressus est cum ea, & concepit ea
ex illo.
19 Deinde surgens [19] *Thamar* abiit, deposuít-
que peplum suum a se; ac induit vestes viduitatis
suæ.
20 Misit autem Jehuda hœdum lactentem il-
lum per amicum suum Hadullamæum illum, ut
reciperet pignus suum e manu istius mulieris;
sed non invenit eam:

[1] Hujus historiæ (quæ tota est παρένθεσις, ut suprà fuisse monuimus capita 5. & 36.) aliquam partem necesse est ante Josephi venditionem contigisse: cùm enim tantùm 22. anni inter venditionem Josephi & descensum Jaħakobi cum familia in AEgyptum numerentur, non potuit tam brevi spatio Jehuda uxorem ducere, ternos liberos tollere, uxorem unam duobus successivè conjungere, tertii conjugium ultra tempus differre, filios ex nuru suscipere, & illorum unus duos filios gignere ante descensum in AEgyptum: quod ait disertè Moses infrà 46.12. Contigit ergo ante venditionem Josephi, saltem usque ad tempus quo Her primus Jehudæ filius decimum annum agebat. [a] Heb. evenit. [2] quo Jaħakob ad patrem suum Jitzchakum redierat, Jehuda annum 17. agente, sup. 35.27. [b] Heb. virum: sic seq. ꝟ. [3] eodem anno 17. Jehudæ ut credibile est.

[4] quod aliàs dicitur Aczib, Jehosch. 19.28. & Judic. 1.31.
[5] hic primùm legitur uxor fratris unius sine liberis mortui alteri tradita ad excitandum mortui semen: quam consuetudinem deinde Lege confirmavit Deus, Deut. 25.5. Fratris autem, puta germani. Etsi Hebræi hanc vocē non solùm de germano fratre, verumetiam de agnato & necessario quolibet intelligi (ut Ruthæ historia docet) ac proinde successuro in fratris locum intelligi putant oportere; aut certe (quod magis puto) legem illam ἀναλόγως interpretati sunt.
[6] id est, procrea liberos, quorum primus pro mortui filio habeatur: quam interpretationem docet Mosche Deut. 25.6.
[7] quia non erat jus a Jehuda recens investum, sed mos jamdiu receptus, ac proinde juveni Onani cognitus: aut quia sic inter partes ineundo priore conjugio convenerat.
[8] ut suprà 4.25. & proximè præcedente versu.
[9] turpissima audacia, quę ne inter gentes quidē facilè nominata est; sed a Gnosticis olim & prioribus Origenianis, Epiphanio teste, usurpata.
[10] quibus videlicet creverat Schela (erat enim quasi 16. annorum) & ipsa diutius quàm anteà exspectarat. [c] Heb. multiplicati essent. [11] opidum tribus Jehudæ, Jehosch. 15.57. sicut Aczib. & Hadullam: nam vicina erant. [12] duabus de causis Thamar fraudulentum hoc consilium init: prior est jus receptum, ut mortuo proximus semen excitet, proximóque cessante ex ordine necessitudinis alius succedat, ut ex Ruth 3. constat: posterior, promissio soceri suo tempore non præstita. [13] pro capitis tegmine viduis usitato sumsit matronale. [14] id est, faciem suam, ut sequente versiculo. Synecdoche. [d] Heb. in porta oculorum. periphrasis bivii quo oculis quodammodo aperitur janua, ut illorum intuitus huc illuc ferri possit. [15] eo quod more impudicarum mulierum in bivio sederet, quo nomine priscis Latinis prostibula ac prosedæ, a prostando & prosedendo fuerunt dictæ. Proverb. 7. 12. & 9. 14. & Jechezkel. 16. 24. & 25. [16] altera causa cur scortum esse putet, quia de facie cognosci non vult. [17] mercedem specie, sed reipsa cautionem quærit, quasi ex eo conceperit, certis indiciis id probare possit. [e] Heb. caprarum: sic ꝟ. 20. [18] agens quasi 34. annum: nam in Aegyptum venit 50. ætatis anno, quum jam Perets Jehudæ ex hoc congressu filius pater duorum filiorum esset, infrà 46.12. [19] non exspectato hœdo, quia seminis non mercedis causa socerum admiserat.

21 Quúmque

21 Quúmque rogaret viros loci [f] ubi illa fuerat, dicendo, ubinam *eſt* meretrix illa, *quæ* erat in [g] iſto bivio ad hanc viam? dixerunt, non fuit hîc *ulla* meretrix.

22 Quamobrem reverſus ad Jehudam dixit, non inveni eam: quin etiam homines illius loci dixerunt, non fuit hîc *ulla* meretrix.

23 Et dixit Jehuda, [h] acceptum retineat ſibi, [20] ne ſimus contemtui: ecce miſeram hœdum iſtum, tu autem non inveniſti eam.

24 [i] Accidit verò, quum menſis quaſi tertius ageretur, ut nunciaretur Jehudę dicẽdo, ſcortata eſt Thamar nurus tua, etiámque ecce gravida *eſt* ex ſcortatione: quare dicebat Jehuda, [21] educite eam [22] ut comburatur.

25 Educebatur illa, quum *hominem* miſit ipſa ad ſocerum ſuum qui diceret; ex viro cujus hæc *ſunt*, ego ſum gravida: dicebátque, recognoſce quæſo cujus *ſint* iſta, ſigillum, ſudariúmque, & ſcipio iſte.

26 Quæ agnoſcens Jehuda dixit, [23] juſtior eſt me, quandoquidem *uxorem* non dedi eam Schelæ filio meo: [24] neque [k] ampliùs deinceps cognovit eam.

27 Fuit demum quo tempore pariebat illa (ecce autem gemellos in ventre ejus.)

28 Fuit, inquam, quum illa pareret, ut *eorum unus* exſeruerit manum: & acceptum obſtetrix [25] coccineum *filum* dibaphum alligavit manui ejus, dicendo, hic prodierit primùm.

29 Sed fuit quum *hic* retraxiſſet manum ſuam, & ecce prodiret frater ejus, ut diceret illa, quàm perrupiſti! [26] [l] tua *eſt* eruptio: ideò vocavit *quiſque* nomen ejus [27] Peretzum.

30 Poſteà verò prodivit frater ejus; ad cujus manum *erat* illud dibaphum: & vocavit *quiſque* [28] Zerachum nomen ejus.

f *Heb. illius.* g *Heb. duobus oculis iſtis.* h *Heb. accipiat ſibi.* 20 id eſt, ne re divulgata famæ jacturam faciamus: nam infamis erat ſcortatio etiam inter homines ignorantes Dei. i *Heb. fuit verò quaſi tertio menſe.* 21 ad judices in portam. 22 non decernit, quia judex non eſt; ſed ex regionis conſuetudine ſupplicium ejus urget, atque irrogat, abs qua in filii perſona ſe læſum arbitratur. 23 quaſi dicat, graviùs peccavi, qui facta ei ſpe conjugii deluſi eam, quàm ea quæ fraudantem circumvenit. 24 quia inceſtus eſt. k *Heb. adjecit ultrà cognoſcere.* 25 ad diſcernendum (ut putabat obſtetrix) primogenitum. De vocabulo autem Hebræo vide in Exod. 25.4 26 hoc eſt, tibi convenit a ruptura nomen, quale eſt Peretz, quia fratrem antevertens prior erupiſti. l *Heb. ſuper te eſt ruptura.* 27 id eſt, rupturæ, vel eruptionis *filium.* 28 id eſt, ortus filium, quòd prior exortus eſſet.

CAPUT XXXIX.

Joſeph in ſervitutem redactus tantam heri ſui gratiam conciliat benedictione Dei, ut totam domus adminiſtrationem ei committat: & licet ab hera calumnioſe traductus in ſummum heri odium veniat, miſeréque in carcerem compingatur, tamen rurſus Dei beneficio aliquam heri gratiam promeritus a cuſtode vinctis præficitur.

1 JOſeph [1] igitur deductus fuerat in Ægyptum: emeratq; eum Potiphar aulicus Parhonis, præfectus ſatellitum, vir Ægyptius, e manu Jiſchmaelitarum illorum qui deduxerant eum illuc.

2 Adfuit autem Jehova Joſepho, ut [a] rebus ſecundis uteretur; dum fuit in domo [b] domini ſui Ægyptii.

3 Quum itaque videret Dominus ejus Jehovam adeſſe ei, & omnia quę ipſe faciebat Jehovam ſecundare in manu ejus:

4 Invenit Joſeph gratiam in oculis ejus, adeò ut [2] miniſtraret ei: poſtremò pręfecit eum domui ſuæ, & quicquid *erat* ſibi, tradidit in manum ejus.

5 Fuitque [c] ex quo præfecerat eum domui ſuę & omnibus quæ *erant* ſibi, ut benediceret Jehova domui illius Ægyptii propter Joſephum: inerat enim benedictio Jehovæ omnibus quæ *erant* ei domi & rure.

1 Regreſſio ad hiſtoriam cap. 37 ut totus hic verſus indicat ex pura epanalepſi conſtans: vide ſup. 37.36. a *Heb. vir eſſet ſecundans.* b *Heb. dominorum ſuorum.* 2 tres gradus deſcribit Moſche ſervitutis Joſephi: primò fuit conſervus pari conditione cum cæteris, ſecundò cubicularius domini, tertiò præfectus ædibus & omnibus facultatibus ejus domi & rure. c *Heb. ex tunc quum præf.*

6 [3] Quapropter relinquebat omnia quæ *erant* ſibi in manu Joſephi, neque cognoſcebat cum eo de re ulla [4] præterquàm de cibo quo veſcebatur ipſe; erat autem Joſeph pulcer formâ & pulcer aſpectu.

7 Accidit itaque [d] his rebus geſtis, ut [5] attolleret uxor domini ejus oculos ſuos in Joſephum; & diceret, concumbe mecum.

8 Qui renuens dicebat uxori domini ſui, en dominus meus non cognoſcit mecum quid *fiat* in hac domo, ſed quicquid *eſt* ipſi, tradidit in manum meam:

9 [6] Ne ipſe quidem *eſt* me major in hac domo, non enim ſubtraxit a me quicquam præter te, quatenus uxor ejus es: [7] quomodo ergo facerem malum hoc maximum, & peccarem in Deum?

10 Sic erat, quum alloqueretur ipſa Joſephum [e] quotidie: non acquieſcebat ei ut cubaret juxta eam, *aut* ut [8] eſſet cum ea.

11 Evenit autem die quodam ejuſmodi, quum veniſſet *Joſeph* domum ad faciendum opus ſuum; ut non eſſet quiſquam ex [f] domeſticis ibi intus.

12 Tum illa prehendit eum veſte ejus, dicendo, cõcumbe mecum: ſed *is* relicta veſte ſua in manu ejus, fugiens egreſſus eſt foras.

13 Fuit ergo quum illa videret eum reliquiſſe veſtem ſuam in manu ipſius; & fugiſſe foras;

14 Ut [9] inclamaret domeſticos ſuos, & loqueretur eis dicendo, [10] videte, [11] adduxit [12] nobis virum [13] Hebræum ad illudendum nobis: acceſſerat ad me ut concumberet mecum, ſed inclamavi voce magna.

15 Itaque accidit quum audiret ille me ſublata voce mea inclamantem, ut relicta veſte ſua juxta me, fugeret & foras diſceſſerit.

16 Depoſuit autem veſtem illius penes ſe, donec veniret dominus illius domum ſuam.

17 Tunc alloquuta eſt eum hujuſmodi verbis, dicendo; acceſſerat ad me ſervus iſte, Hebræus iſte quem adduxiſti nobis, ut illuderet mihi:

18 Accidit autem, quum ſublata voce mea inclamarem; ut relinquens veſtem ſuam juxta me, profugerit foras.

19 Fuit verò, quum audiret dominus illius verba uxoris ſuæ, quibus alloquebatur ipſum dicendo, [g] omnino hæc fecit mihi ſervus tuus; ut accenderetur ira ejus.

20 Quamobrem rapiens dominus Joſephi eum, tradidit ipſum *abducendum* [h] in rotundam turrim, in [14] locum ubi vincti Regis captivi *erant*: ut eſſet ibi Joſeph in rotunda turri.

21 Sed adfuit Jehova Joſepho, extendens in eum benignitatem; & [i] effecit eum gratioſum in oculis [15] præfecti turri.

22 Itaq; pręfectus turri [k] credidit Joſepho omneis vinctos qui *erant* in turri: & quicquid facere ſolent ibi, id faciebat ipſe.

23 Præfectus turri non inſpiciebat in rem ullam planè quæ *eſſet* in manu Joſephi, eo quòd Jehova adeſſet ipſi: nam quæ faciebat ipſe, Jehova ſecundabat.

3 id eſt, poſt quam adminiſtratio ejus hero probata eſt, immunem eum fecit a rationibus reddendis, adeò illius probitati confidebat. d *Heb. poſt hæc.* 4 i. nihil erat ſolicitus, genio tãtum indulgebat: proverbiale dictum de eo qui rei domeſticæ curam totam alteri committit. d *Heb. poſt hæc res* 5 præter decorum pudicæ fœminæ. 6 hyberpole ad amplificationẽ elegantiſſima, q. d. quid dico tradidiſſe omnia in manũ mihi? imò tam mihi confidit, ut me ſibi nõ adæquaverit ſolùm, ſed etiam planè antepoſuerit in adminiſtratione rei familiaris ſuæ. κατὰ τὸ ῥητόν. 7 q. d. fidem meam, cui dominus meus omnia cõmiſit, perfidè violarem, & in Deum conjugii autorem aſſertorémque peccarem. e *Heb. die die.* 8 aliquantiſper conſiſteret & colloqueretur. f *Heb. viris domus, ut infrà 14. ſic ſup. 17. 23. & 27.* 9 ut marito facilius perſuaderet, quum apud eum Joſephum eſſet accuſatura. 10 palliũ oſtentans loquitur. 11 indignationem adverſus maritum tangit, cujus nomen propterea reticet. 12 ita ſervorum animos in Joſephum inflammat. 13 generis meminit ut Joſephum magis odioſum reddat, & jure de marito conqueri videatur: erant enim Hebræi Ægyptiis præ cæteris abominabiles, inf. 43.32. g *Heb ſecundùm verba hæc.* h *Heb. in locum rotundi carceris, periphraſis turris: ſic deinceps.* 14 id eſt, carcerem duriſſimũ, quo detrudebantur ſontes qui regem offenderant, ut evidentiùs declaratur Pſal. 105. 18. quamobrem ſcriptura foveam vocat infrà 40.15. & 41.14. 15 id eſt, cuſtodis carcerarii. Videtur autem Potiphar fuiſſe (ut Jurecoſſ. loquuntur) Commentarienſis regius; hic autem Præfectus, Potiparis adminiſter, & fidei commiſſarius cuſtos: eſt autem veriſimile Joſephum huic rem totam ſicut habebat explicaſſe, quod apud dominum non licuerat; itaque factum eſſe, ut etiam Joſephi dominus de innocentia ejus perſuaſus, ei paulatim faveret: quod confirmatur infrà 40.4. i *Heb. dedit gratiam ejus hypallage, pro dederit ei gratiam, id eſt conciliaverit.* k *Heb. tradidit in manum Joſephi.*

CAPUT

CAPUT XL.

Joseph in carcere Satrapis Regis a domino suo præficitur, quorum somnia interpretatus Deo duce convenienter eventui, viam sibi ad libertatem dignitatémque maximam eodem autore sternit.

1 Fuit autem [a] his rebus gestis, quum pecca-
verunt a poculis regis & coquus; in do-
minum suum, in Regem Ægypti.
2 Effervescens itaque Parho contra duos auli-
cos suos; contra præfectum a poculis & contra
præfectum coquis,
3 Tradidit eos in custodiam *abducendos*, in do-
mum præfecti satellitum, in [b] rotundam turrim;
in locum ubi Joseph vinctus erat.
4 Et commisit præfectus satellitum Josephum
cum eis, qui ministraret eis: fuerúntque in cu-
stodia *per multos* dies.
5 Somniaverunt autem somnium uterque il-
lorum, quisq; somnium suum nocte [c] eadem [1] [d]
conveniens interpretationi somnii quod somni-
avit quisque; a poculis ille & coquus qui *fuerant*
Regis Ægypti, qui vincti *erant* in rotunda illa
turri.
6 Quum itaque venisset ad eos Joseph mane;
respiciens eos animadvertit quòd ecce [2] mœsti
essent:
7 Et interrogavit Satrapas Parhonis qui secū
erant in custodia, *in* domo domini sui, dicendo;
quare vultus vestri [e] afflicti *sunt* hodie?
8 Qui dixerunt ei, somniū somniavimus quis-
que, sed [3] nemo *est* qui interpretetur illud: dixit
verò eis Joseph, [4] an non Deo *sunt* interpretati-
ones? narrate quæso mihi *illa*.
9 Narravit ergo præfectus a poculis somnium
suum Josepho; & dixit ei, in somnio meo, quum
[5] ecce vitis coram me *esset*.
10 [6] Qua in vite tres *erant* palmites: ea tum
quasi germinavit, [f] erupit flos ejus, maturas bo-
tri ejus [g] protulerunt uvas.
11 Erat autem poculum Parhonis in manu
mea: accipiens itaque illas maturas uvas expri-
mebam eas in poculum Parhonis, & porrige-
bam poculum ipsum in Parhonis manum.
12 Cui dixit Joseph, hęc *est* interpretatio ejus;
tres illi palmites tres *dies* [7] sunt.
13 [h] Quum adhuc tertius futurus est dies,
[8] recensebit [i] te Parho, idque restituendo te in
[k] statum tuum, porrigésque poculum Parhonis
in manum ejus: secundum rationem pristinam,
quum esses a poculis ejus.
14 Quòd si memor eris mei apud te quum be-
ne erit tibi, tunc exerceas quæso erga me benig-
nitatem: aut mentionem facias mei apud Par-
honem, & facias ut exeam ex ista domo.

[a] *Heb. post verba ista.* [b] *Heb. locum rotundi carceris, ut suprà 41.11.* [c] *Heb. una, ut infrà 39.20.* [1] i. somnium eventui respondens quē prędixit sua interpretatione Joseph infrà V.22. sic infrà 41.11. & 12. [d] *Heb. quisque secundùm interpretationē somnii sui.* [2] ut solent divinitus immissa somnia graviter eos afficere quibus immittūtur: sic turbatus est Parho infr. 41. 8. & Rex Babyloniæ Danie. 2. & Abimelec suprà 20.8. [e] *Heb. mali.* [3] i. neq; est hîc ariolus, neque captivis nobis adeundi illos copia conceditur pro AEgyptiorū consuetudine. [4] ab ariolis animum eorū avocat, & ad exspectandam a Deo interpretationē, ut somniorū autore, comparat; postremò quia se dono interpretandi divinitus instructum esse sentit, spem illis interpretationis facit. [5] Hypotyposis somniis ordinaria, quia somniantibus res de quibus somniant præsentes esse videntur. [6] ut quod ex naturæ ordine multis mensibus fit, somnianti uno momento objicitur: ita asyndeta & compendiosa admodum oratione narrat. [f] *ascendit.* [g] *Heb. coxerunt: sic Joël 3.13.* [7] id est, significant: categoricè enunciat Joseph sententiam somnii, quia ut Propheta, non ut conjector loquitur. [h] *Heb. cùm adhuc tres dies.* [8] quum familiam & servitia omnia lustrabit, te numerabit quoque in illorum catalogo. Obscuritatem hoc loco facit loquutionis ambiguitas. Hanc ego ex prisca numerandi ratione interpretor. Olim officiorum nomina in albo sive abaco inscripta erant: secundùm ea fiebant foramina in abaco, quæ in foramina indebantur clavi capitati sive paxilli, quibus solebat informari & ante oculos haberi expedita ratio dierum, mensium, annorum, officiorum, actionum, servitiorum, pecuniæ attributæ vel numeratæ, & similium. Sic annalem clavum fuisse depactum a Pontifice maximo autor est Festus: sic diribitores, qui distribuendo Cæsarum donativo inter milites præerant, si quibus dederant, annotabant clavis impactis in abacum; & inde clavarii a Tacito appellantur: Sic alia multa. Hunc clavum Hebræi vocant caput; foramen abaci, basin. Itaque tollere caput, nihil est aliud, quàm per clavos servitia recensere, sive retineantur, sive eximantur, ut versu 19. [i] *Heb. caput tuum.* [k] *Heb. basin tuam, id est, locum vel sedem: translatio a vasis domesticis ad domestica hominum officia: ut infrà 41. 13.*

15 Etenim [l] omnino per plagium surreptus
sum e terra Hebręorum: quinetiam [9] hîc non fe-
ci quicquam cur [m] ponerer in ista fovea.
16 Quum autem videret præfectus coquis
cum [n] bonam interpretationem attulisse; dixit
Josepho, mihi quoque in somnio meo; quum ex-
ce tria canistra [o] crebris foraminibus super ca-
put meum *essent*,
17 In canistro autem supremo strues esset e
quolibet cibo Parhonis, opere coquinario; tum
volucres [10] comedebant ea e canistro illo *quod
erat* supra caput meum.
18 Cui respondens Joseph dixit, hæc *est* inter-
pretatio ejus: tria canistra illa, tres dies sunt.
19 Quum adhuc tertius *futurus est* dies, re-
censens Parho te faciet [11] ne sit *deinceps recensio*
tui, & suspendet te de ligno: comedéntque vo-
lucres carnem tuam *ablatam* ex te.
20 Id autem factum est ipso die tertio, [12] quo
die editus fuerat Parho, quum faceret convi-
vium omnibus servis suis: recensuit enim præ-
fectum a poculis & præfectum coquis inter ser-
vos suos.
21 Et restituit præfectum a poculis in suum
poculi ministrandi munus; ut porrigeret pocu-
lum in manum Parhonis:
22 Præfectum verò coquis suspendit: quemad-
modum interpretatus fuerat eis Joseph.
23 Non est autem præfectus a poculis recor-
datus Josephi; sed [13] oblivioni tradidit eum.

[l] *Heb. furando furto ablatus sum.* [9] ex quo in AEgyptum adductus sum. [m] *Heb. ponerent me.* [n] *Heb. bonam interpretationem esse.* [o] *Hebr. foraminosi operis.* [10] rostra foraminibus in canistrum immittentes. [11] id est, jubebit nomen tuum e catalogo servorum suorum expungi, & clavum eximi: non enim probatur hæc interpretatio, auferet caput tuum a te; quia non capite truncatus, sed suspensus fuit, vide in versum 13. [12] qui dies appellabatur Tumta, ut apud Herodotum in Calliope oportet legi: cujus verba (quia ad hunc locum pertinent) adducemus. Ea sic habent, φυλάξασα δὲ Ἄμηστρις τὸν ἀνδρα τὸν ἑαυτῆς Ξέρξην βασιλήιον δεῖπνον προτιθέμενον (τοῦτο δὲ τὸ δεῖπνον παρασκευάζεται ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἡμέρῃ τῇ ἐγένετο βασιλεύς· οὔνομα δὲ τῷ δείπνῳ τούτῳ Περσιστὶ μὲν τυκτά (lege me autore τυμτά) κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν, τέλειον· τότε καὶ τὴν κεφαλὴν σμῆται μοῦνος βασιλεύς, καὶ Πέρσας δωρέεται) ταύτην δὲ τὴν ἡμέραν φυλάξασα ἡ Ἄμηστρις, &c. Qui plura de hoc argumento cupiet cognoscere, legat Athenæum Dipnosophist lib. 4. [13] per biennium totum infrà 41.1.

CAPUT XLI.

Parho somniorum suorum interpretationem a suis sapientibus minimè consequutus, Josephum audita peritia ejus e carcere accersit, interpretationémque & consilium optimum contra famem venturam accipit: quo nomine Joseph ex omnium procerum consensu regno præfectus est: posteà uxore ex clarissima familia ducta, duos filios suscipit ante famis initium: & sua industria tantum annonæ colligit, ut famis tempore totam AEgyptum sublevet, aliísque regionibus alimentum suppeditet.

1 Fuit autem [a] exacto [1] justo biennii tempo-
re; quum Parho somniaret quòd ecce
stabat juxta [2] rivum quendam:
2 Ecce autem ex illo rivo ascendentes septem
vaccas pulcras specie, & pingues carne; quæ pas-
cebant in ulva:
3 Deinde ecce septem vaccas alias ascenden-
tes post eas ex illo rivo, [b] deformes specie & te-
nues carne, quæ stabant juxta vaccas illas ad ri-
pam ipsius rivi.
4 Sed devorarunt istæ vaccæ deformes specie
& tenues carne septem illas vaccas pulcras spe-
cie & pingues; tunc evigilavit Parho.
5 Redormiscens verò somniavit secundò: ec-
ce autem septem spicas assurgentes culmo uno,
pingues & bonâ *formâ*:
6 Deinde ecce septem spicas tenues & adustas
Euro, provenientes post eas.
7 Sed deglutiverunt istæ spicæ tenues septem
illas spicas pingues & plenas: quumq; evigilavit
Parho,

[a] *Heb. a fine duorum annorum dierum: vide suprà in 29.14.* [1] ex quo somnia captivis interpretatus erat Joseph. [2] ex Nilo ductū, cui peculiare est hoc nomen inditum eo quòd irrigat olera & inundat terram, qua de causa etiam Tigridi fluvio uno in loco tribuitur, Daniel. 12.5. [b] *Heb. Malæ.*

Parho, [3] ecce somnium.

8 Quamobrem factum est ipso mane, quum [4] consternatus esset animus ejus, ut mittens accerseret omnes magos Ægypti, & omnes sapientes ejus: quibus enarravit Parho somnium suum *utrumque*, sed nemo *fuit* qui interpretaretur ea Parhoni.

9 Tunc alloquutus est præfectus a poculis Parhonem, dicendo; [5] peccata mea ego recordaturus sum hodie.

10 [6] Parho effervescens contra servos suos, tradiderat me in custodiam in domo præfecti satellitum, me & præfectum coquis.

11 Somniaveramus autem somnium nocte [c] eadem ego & ille; [d] convenienter interpretationi somnii quod habuit quisq; somniaveramus.

12 Erat autem ibi nobiscum puer Hebræus servus præfecti satellitum, cui ut narravimus, somnia nostra interpretatus est nobis: cuiq; [e] convenienter somnio suo interpretatus est.

13 Evenit enim, ut sicut interpretatus est nobis ita esset: me restituit *Parho* in [f] statum meum, illum verò suspendit.

14 Mittens itaque Parho accersivit Josephum, qui [g] celeriter eductus est ex illa fovea: posteà quum [7] abrasisset caput & mutasset vestes suas, venit ad Parhonem:

15 Tunc Parho dixit Josepho, somnium somniavi, & nemo *est* qui interpretetur illud; ego autem audivi de te dicentem, te *esse* intelligentem somnii ut interpreteris illud.

16 Respondit verò Joseph Parhoni dicendo, [8] non *est* penes me: Deus [h] respondendo enunciabit [9] prosperitatem Parhonis.

17 Dixit itaque Parho Josepho; in somnio meo, ecce me adstante ripæ cujusdam rivi,

18 Ecce, inquam, ex illo rivo ascendentes septem vaccas pingues carne & pulcras forma; quæ pascebant in ulva.

19 Deinde ecce septem vaccas alias ascendentes post eas macilentas, & [i] malâ formâ admodum, & exhaustas carne: non vidi illis deformitate similes in tota terra Ægypti.

20 Sed devorarunt hæ vaccæ exhaustæ & malâ formâ, septem illas vaccas priores pingues:

21 Et quamvis pervenissent in ventrem istarum, non animadvertebatur illas venisse in ventrem istarum, adeò *manebat* species istarum mala sicut anteà: tum evigilavi.

22 Iterum videbam in somnio meo: ecce autem spicas septem quæ assurgebant culmo uno, plenas & bonâ *formâ*:

23 Deinde ecce septem spicas graciles, tenues, adustas Euro; provenientes post eas.

24 Sed deglutiverunt spicæ illæ tenues septem illas spicas bona *formâ*: atque hæc dixi Magis, sed nemo *fuit* qui exponeret mihi.

25 Tunc dixit Joseph Parhoni, somnium Parhonis [10] unum est: [11] id quod Deus ille facturus est, exponit Parhoni.

26 Septem illæ vaccæ bonâ *formâ*, septem anni sunt, & septem illæ spicæ bonâ formâ, septem anni sunt: somnium unum est.

27 Septem verò vaccæ istæ exhaustæ & malâ *formâ* ascendentes post illas, septem anni erunt, & septem spicæ exhaustæ, adustæ Euro: *hi* erunt septem anni famis.

28 Hoc *est* verbum quo alloquebar Parhonem: quod Deus ipse facturus est, ostendit Parhoni.

29 [12] Ecce septem anni venturi sunt, saturitatis magnæ in tota terra Ægypti.

30 Sed exsurgent septem anni famis post illos, quibus [13] oblivioni tradetur tota ista saturitas in terra Ægypti: consumet enim fames ista hanc terram.

31 Neque animadvertetur saturitas illa in hac terra propter ipsam famem *eventuram* posteà: eò quòd gravis futura sit valde.

32 [14] Quòd autem iteratum est somnium apud Parhonem bis; *factum est*, quia stata est hæc res a Deo ipso, & [k] festinanter facturus est illam Deus.

33 [15] Nunc ergo provideat Parho *de* viro prudente & sapiente; quem constituat super terram Ægypti.

34 [l] Incumbat in hanc rem Parho, & præficiat præfectos huic terræ: ut [16] recipiat quintam *proventuũ* terræ Ægypti septẽ illis annis saturitatis:

35 Qui colligant omne cibarium istorum annorũ bonorum qui adveniunt; & congerant cõmeatum [17] sub manu Parhonis: omne cibarium per civitates singulas, & [18] asservent:

36 Ut sit illud cibarium in depositum [m] pro incolis hujus terræ ad septem annos illos famis, qui futuri sunt in terra Ægypti; ac non exscindatur [19] terra hæc fame illa.

37 Quum autem bona *videretur* hæc res in oculis Parhonis, & in oculis omnium servorum ejus:

38 Dixit Parho servis suis; an invenire possimus huic parem virum, in quo [20] spiritus Dei *sit*?

39 Deinde Parho dixit Josepho, quandoquidem nota fecit Deus tibi [21] omnia hæc; nemo *est* prudens & sapiens sicut tu.

40 Tu præeris domui meæ, & [22] [n] ad os te osculabitur universus populus meus: tantummodò hoc solio major te futurus sum.

41 Amplius Josepho dixit Parho; [23] vide, constituo te super universam terram Ægypti;

42 Detrahénsque Parho annulum suum e manu sua, indidit illum in manum Josephi: jussitque ipsum induere vestes xylinas, & apposuit torquem aureum collo ejus:

43 Et jussit eum insidere currui secundario, qui *secundus* à se futurus esset, ut proclamarent *præcones* ante eum flectenda esse genua; constituisse enim eum super universam terram Ægypti.

44 Denique Parho Josepho dixit, [24] ego *sum* Parho: attamen sine te [25] non attollet quisquam manum suam aut pedem suum in universa terra Ægypti.

45 Vocavit autem Parho nomen Josephi [26] Tzophnathpahaneach, deditque ei Asenathan filiam Potipherahi [27] Præsidis [28] Oniorum

[3] i. abeunte somno non evanuit somnium, ut naturalia evanescunt: sed adhuc illius animo præsens erat, adeò ut graviter eum consternaret.
[4] vide supr. 40, 6.
[5] insinuatio, qua ad Regis benevolentiam retinendã suam captivitatem justam pronũciat, & beneficium Regis in sui liberatione prædicat.
[6] non personæ sed dignitatis nomen. q. d. Regia majestas: ideò illud in tertia persona usurpat.
[c] *Heb. una, ut suprà 40.5.*
[d] *Heb. vir secundùm interpretationem somnii sui somniaveramus.*
[e] *Heb. secundum somnium suum.*
[f] *Heb. basin, ut suprà 40.13.*
[g] *Hebr. fecerunt ut curreret.*
[7] nempe incultus & horrens ac veluti luctuosus compareret coram Rege: quod lege & more cavebatur: ut infr. 50.4. & Ester 4.2.
[8] modestè Regis animum in se defixum ad Deum attollit, cujus solius sapientiæ est præstare quod Rex petebat, ut Daniel 2. Eadem particula usus est Abrã sup. 14. 24. & ita exposuit Symmachus.
[h] *Heb. respondebis pacem.*
[9] id est, quod faustum sit & felix Parhoni.
[i] *Heb. malæ forma.*
[10] significatione, licet bis & sub diversis imaginibus oblatum sit.
[11] quasi dicat, hoc somnium est a Deo, qui res providet, earúmque est autor.
[12] planiùs interpretatur somnium, & ad regnum AEgypti accommodat.

[13] i. nullum ejus vestigium apparebit, sed suâ inopiâ fertilium annorum recordationẽ adimet, ut ℣. seq. hoc designabant in somnio vaccæ & spicæ tenues, quæ pinguibus absorptis nihilo pinguiores apparebant vers. 21.
[14] ex repetitione duo colligit, certitudinem & celeritatem rei futuræ: tertiam consultò apud regem infidelẽ omittit, quæ est ut torpentes excitet eorumque stuporem excutiat, quod etiam pleriq; communi sermone facere solent.
[k] *Heb. festinat facere.*
[15] Altera pars sermonis Josephi de usu somnii, in qua plus quàm Parho expectaret præstat, non temeritate sed Spiritu Dei ductus: qui hac occasione Josephum ad principatum evexit & sua oracula implevit, sup. 37.7. & 9.
[l] *Heb. faciat P.*
[16] justo pretio compararet: non enim cõsulebat Joseph ut in rem alienam Rex injustè involaret, sed ut eam justè emeret quàm justè suo tempore venditurus esset. Nam quod restabat AEgyptiis, id erat satis unde & alimoniæ suæ & aliis difficultatibus rerum consulerent. [17] in apothecas Regis. [18] i. non antè distrahãt quàm urgebit necessitas: ut inf. ℣. 55. Joseph fecisse legitur. [m] *Heb. huic terræ* [19] populus hujus terræ: metonymia, ut sup. 6.11. [20] ut sup. 1.2. nam Josephum piè tum de Deo, tum de multis rebus aliis coram Rege loquutum esse vel sequens versus indicat. [21] somniorum interpretationem, & consilium contra venturã famem. [22] i. hoc subjectionis symbolo dominum te agnoscet atque profitebitur: sic 1. Schem. 10.1. & 1. Reg. 19. 18. Psal. 2.12. & Hosche. 13.2. [n] *Heb. ad os suum.* [23] quia jam Josephũ adhibitis externis signis in summam AEgypti præfecturam evehit, utitur verbo vide. [24] i. mihi quidem reservo dignitatem regiam, tibi verò tantam autoritatem tribuo, ut te inconsulto vel nolente nihil a quoquam fiat in toto regno meo. [25] proverbiale dictum, i. nihil aggredietur sive tentabit quisquã. [26] i. [illegible], ait Josephus: vel cui occulta revelantur, ait Onkelos: vel occultorum interpretem aut revelatorem, ut alii, vel servatorem mundi, de sententia veterum ex Hieronymo. Secundam probo. [27] Hebræam vocem fatemur sæpe significare Sacerdotem, propria tamen sua significatione latiùs adhuc patet: significat enim primarium ministrum in ministerio honorabilium Jiob. 12. 19. ideò Davidis quoque filiis tribuitur 2. Schem. 9.4. quod exponitur 1. Chron. 18. 17. Sacerdotibus autem deinde attributum est, quatenus Levitarum respectu fuerunt primarii ministri Dei. Quare nos latam vocis significationem retinuimus, adducti Paraphrastæ Chaldæi autoritate, Josephi ab idololatriæ communione alienissimi pietate, & ejusdem exemplo, cùm ipse ut Minister Regis, familiáq; paterna fuerit regiis sumtibus educata, infrà 47. 11. [28] oppidum est AEgypti, præfecturæ Heliopolitanæ metropolis, Onii Ptolomæo.

* uxorem:

* uxorem: quando egressus est Joseph ad *obeundam* terram Ægypti.

46 Erátq; Joseph natus triginta annos, quum stetit coram Parhone Rege Ægypti; egressúsq; Joseph a conspectu Parhonis, [29] obivit universam terram Ægypti.

47 Produxit verò terra septem illis annis saturitatis, [30] manipulatim.

48 Collegit itaque septem annis omne cibarium, quæcunque *erant* in terra Ægypti, reposuítque per civitates cibarium: cibarium agri cujusque civitatis, qui circumstat ipsam, reposuit in [p] ea.

49 Sic congessit Joseph commeatum multum valde, instar arenæ maris; adeò ut desierit numerare, eo quòd *esset* innumerus.

50 Josepho autem nati sunt duo filii, quum nondum advenisset *ullus* annus famis; quos peperit ei Asenath filia Potipherahi Præsidis Oniorum:

51 Vocavítque Joseph nomen primogeniti [31] Manaschem: nam facit Deus, *inquit*, [32] ut obliviscar omnem laborem meum, etiam *illum qui fuit* a tota familia patris mei.

52 Nomen autem secundi vocavit [33] [q] Ephrajimum; quia me, *inquit*, fructuosum reddidit Deus in terra afflictionis meæ.

53 Sed absolutis septem illis annis saturitatis, quæ fuit in terra Ægypti;

54 Ubi cœperunt septem illi anni famis venire, quemadmodum prædixerat Joseph; fuit fames [34] in omnibus regionibus *finitimis*, in tota verò terra Ægypti erat cibus.

55 Tandem verò quum tota terra Ægypti ex fame laboraret, inclamavit populus Parhonem cibi causâ: sed dixit Parho omnibus Ægyptiis, ite ad Josephum, quod indixerit vobis facite.

56 Et quia fames illa erat in universa superficie illius terræ, aperuit Joseph omnia *promtuaria* in quibus commeatus erat; vendidítque Ægyptiis, quum invaluisset fames in terra Ægypti.

57 [35] Prætereà cujusque regionis *populi* veniebant in Ægyptum ad Josephum, ut emerent; eo quòd invaluisset fames in unaquaque regione.

CAPUT XLII.

Josephi fratres AEgyptum pro annona petunt, ubi a Josepho dissimulante agniti, callidè explorationis insimulantur, & in carcerem conjecti, non priùs dimittuntur, quàm dato obside hærentẽ domi fratrem minimum se stituros promittant: dimissi unà cum annona illius pretium manticis ipsorum jussu Josephi inditum imprudentes domum referunt, patri quicquid acciderat narrant, & minimi fratris sistendi necessitatem persuadere conantur frustrà.

1 Quum [1] itaque videret Jahakob esse annonam in Ægypto; dixit Jahakob filiis suis, quare [2] aspicitis alter in alterum?

2 Ecce, inquit, audivi esse annonam in Ægypto: descendite illuc, & comparantes *apportate* nobis inde, ut [3] vivamus ac non moriamur.

3 Descenderunt itaque fratres Josephi decem, ad comparandum commeatum *& apportandum* ex Ægypto.

4 (Binjaminem autem fratrem Josephi non mittebat Jahakob cum fratribus ejus; quia dicebat, [4] *videndum* ne obveniat ei exitium.)

5 Et venerunt filii Jisraëlis ad comparandum *annonam* inter alios advenientes; quia erat eadem fames in terra Cenahanis.

6 Joseph autem is qui imperium habebat in ea regione, idem *erat* qui curabat vendi *annonam* toti populo terræ: advenientes itaq; fratres Josephi [5] incurvaverunt se vultu *demisso* in terram, ei *honorem exhibentes*.

7 Ac Joseph *quidem* videns fratres suos, agnovit eos: sed alienum se fingens eis, alloquutus est eos [6] [a] duriter, & dixit eis, unde advenitis? cui dixerunt, e regione Cenahanis ad comparandum cibarium.

8 Agnovit ergo Joseph fratres suos, licet ipsi non agnoscerent eum.

9 Et recordatus Joseph illorum somniorum quæ somniaverat de eis; [7] dixit eis, exploratores estis, ad inspiciendum [b] nudas partes hujus terræ venistis.

10 Qui dixerunt ei, non, domine mi: &, servi tui venerunt ad comparandum cibarium.

11 [8] Nos omnes filii unius viri sumus: probi sumus, nunquam fuerunt servi tui exploratores.

12 Hic autem dixit illis, nequaquam, nam ad inspiciendum nudas partes hujus terræ venistis.

13 [9] Tandem dicentibus, duodecim fratres fuimus servi tui, filii viri unius in regione Cenahanis: quorum ecce minimus *est* cum patre nostro hodie, unus verò [10] non superest:

14 Dixit illis Joseph, [11] hoc illud *est* quo alloquutus sum vos dicendo, exploratores estis.

15 Hac re probabimini: [c] [12] ita vivat Parho, ut [13] exibitis hinc, nisi quum advenerit huc frater vester minimus.

16 Mittite ex vobis unum qui recipiens *adducat* fratrem vestrum; vos autem vincti estote, ut probentur verba vestra an veritas *sit* penes vos: sin autem minus, ita vivat Parho, *ut* [14] *probatum fuerit* vos exploratores esse.

17 Itaque contraxit eos in custodiam tribus diebus.

18 Posteà dixit eis Joseph die illorum tertio, hoc facite [15] & vivite; [16] Deum illum ego timeo:

19 Si probi estis, frater unus ex vobis [d] vinctus maneat in loco custodię vestræ: vos autem abite, exportate annonam, & [e] si cujus rei fame tenentur familiæ vestræ.

20 Deinde fratrem vestrum minimum adducite ad me, ut vera probentur verba vestra, & non moriamini: & illi [17] fecerunt ita.

21 Tum [18] dicebant alter alteri, [19] imo rei sumus de fratre nostro, qui videbamus angustiam animæ ejus quum deprecaretur nos, nec tamen

[o] *Heb. in uxorē.* [29] de curatoribus annonæ, apothecis, & curationis ac administrationis legibus prospecturus. [30] Hyperbole, ad maximum proventum significandum, ut V. 49. q.d. ex uno grano integer manipulus colligebatur. [p] *Heb. medio ejus.* [31] i. *filium*, qui oblivionem affert, ut exponunt sequentia. [32] hoc est, præsente felicitate ademit mihi molestam illorum temporum recordationem, maximè quibus tam indignè a fratribus meis domesticis patris mei tractatus sum: sic sup. vers. 30. [33] i. fructuosum effectum, vel fructuosi effecti *filium*. [q] *Heb. i. fructuosum effectum.* [34] divinâ providentiâ videlicet, ut hac occasione Jahakob cum familia in AEgyptum descenderet, & cõplerentur cùm Josephi somnia sup. 37. tum res Abrahamo prædictę supr. 15.13. [35] Proparasceve est ad sequẽtem historiã de filiis Jahakobi.

[1] ex reportantibus Cenahanęis atq; narrãtibus. [2] ut inopes consilii solent, cunctabundi, & qui rei alicujus curam in alios rejiciunt. [3] i. vitæ nostræ consulamus ne moriamur, ut inf. 18. Pleonasmus Hebraicus ad rei evidentiam, aut certitudinem, aut amplificationem pertinens. Hic autem amplificationis est, ut inf. 43.8. & Deut. 33.6. & Joan. 1.20. & 5.24.

[4] ut sup. 3.22. Sollicitus autem est de Binjamine, tanquam de minino, solo superstite ex charissima conjuge, & senectutis filio: ut V. 38. [5] ita cœperunt imprudẽtes implere, quod somniis Josephi prænunciabatur suprà 37. [6] ut hac veluti quęstione extorqueat, quod ab illis cupit cognoscere. [a] *Heb. dura: sic infrà V. 30. infrà 44.19.* [7] ac simulata accusatione lõgioris cum fratribus colloquii occasionem captat, ut quod cupit expiscetur. [b] *Heb. nuditatem, id est, nuda a defensione & munitione loca: metaphora, sic inf. V. 12.* [8] quasi dicat, quum exploratio sit capitalis, non fuisset pater eodem momento tot filios in tantum periculum conjecturus. [9] hinc ab illis Joseph de superstite patre & fratre, & quid de se putent intelligit. [10] i. mortuus est, ut eos intellexisse apparet ex verbis Reũbenis inf. V. 22. & Jehudæ infrà 44.20. [11] q. d. confirmor in priore mea opinione de vobis, eo quòd prius vos decem esse dixistis vers. 11. nunc autem duorum aliorum mentionem facitis: itaq; vobis in respondendo minimè constatis. [c] *Heb. vita Parhonis.* [12] affirmationis genus apud nationes omnes pias & impias receptum olim, ut 1. Schemu. 1. 26. & 17.55. & alibi. Sic eum qui in re pecuniaria per genium Principis pejeravit, rescripsit Imperator fustibus castigatum dimitti, & ita ei superindici oportere, [illegible] Autor est Ulpianus sub finem l. 13. ff. de jurejurando. [13] sub. omnes, ut ex V. proximè sequente apparet. [14] i. hoc indicio confirmatum: ellipsis, quam ex præcedentibus verbis impleri oportuit. [15] i. vitæ vestræ consulite, ut V. 2. [16] verum Deum timeo, ideóque nolo familias vestras insontes famem vestrâ causâ diutius sustinere, aut vobis (si vos purgabitis) injuriam facere. [d] *Heb. vincitur.* [e] *Heb. famem familiarum vestrarum, id est, quod & quantum familiis vestris ad famem levandam opus est: sic V. 33.* [17] abeuntes annonam abduxerunt. [18] absente interprete, priùs quàm inde discederent: fortasse etiam quum durissimam illam conditionem de novem retinendis proponens eos in custodiam intruderet, ut deinde ex eorum verbis animo ipsorum cognito Joseph leniorem multò conditionem proposuerit. [19] sensus est, videmur quidem nobis immeritò hac angustia affici & innocentes opprimi: Non ita est, quinimò rei sumus, &c. Paralepsis frequens in adversativis orationum membris, ut sup. 17.19. hæc autem fratrum angustia conscientiam sceleris admissi excitat, pœnitentiam, & justi judicii Dei confessionem extorquet, & Josephum de fratrum erga se animo certiorem facit.

men

men auscultavimus : idcircò angustia hæc obvenit nobis.
22 Et respondebat eis Reüben, dicendo, [20] nónne alloquebar vos dicendo, ne peccetis in istum adolescentem? sed non auscultastis: ideò etiam [21] sanguis ejus ecce reposcitur.
23 Ipsi autem nesciebant Josephum intelligere, eo quòd interpres *fueras* inter eos.
24 [22] Sed divertens *Joseph* ab illis, flevit: deinde reversus ad eos alloquutus est eos, & accipiens ex eis [23] Schimhonem, vinxit eum ante oculos ipsorum.
25 Et præcepit Joseph ut implerent *ministri* instrumenta eorum commeatu, restituendo insuper pecuniam eorum cuique in saccum suum, & dando illis viaticum ad iter: curavit denique agi cum illis rectè.
26 [f] Imponentes itaque annonam suam asinis suis, abierunt inde.
27 Aperiens autem illorum unus saccum suum ut daret pabulum asino suo in quodam diversorio; quum videret pecuniam suam quæ ecce *erat* in ore [24] manticæ suæ:
28 Dixit fratribus suis, restituta est pecunia mea, [25] etiámq; ecce *illam* in mantica mea: quãobrem [g] defecit animus illorum, & exterriti sunt, dicendo alter alteri, [26] quid hoc *est quod* fecit nobis Deus?
29 Sed ubi venerunt ad Jahakobum patrem suum in regionem Cenahanis, [27] enunciaverunt ei omnia quæ acciderant sibi, dicendo.
30 Loquutus est vir ille, dominus ejus terræ, nobiscum duriter: & [h] excepit nos tanquam exploratores illius terræ.
31 Quum verò dixissemus ei; probi sumus, nunquam fuimus exploratores,
32 Duodecim fratres fuimus filii patris nostri; unus non superest, & minimus hodie *est* cum patre nostro in regione Cenahanis:
33 Dixit nobis vir ille dominus ejus terræ, hac *re* cognoscam vos esse probos: fratrem [i] ex vobis unum relinquite apud me, & id cujus fame tenentur familiæ vestræ accipite atque abite.
34 Posteà adducite fratrem vestrum minimũ ad me, ut cognoscam vos non exploratores, sed probos esse: fratrem vestrum reddam vobis, & [28] hac terra negotiari poteritis.
35 [k] Accidit autem ipsis evacuantibus saccos suos, ut ecce cuique fasciculus pecuniæ suæ in sacco suo *esset*: quamobrem videntes fasciculos pecuniæ suæ, ipsi & pater ipsorum [29] timuerunt.
36 Dixítque illis Jahakob pater ipsorum, [30] me orbatis: Joseph non superest, & Schimhon non superest, & Binjaminem interciperetis? [31] contra me sunt hæc omnia.
37 Sed alloquutus est Reüben patrem suum, dicendo, [32] hos duos filios meos morti tradito si non reduxero eum ad te: trade illum in manum meam, & ego reducam illum ad te.
38 Et ille, non descendet, inquit, filius meus vobiscum: nam [33] hujus frater [34] mortuus est, atque hic [35] solus est relictus, cui si obvenerit exitium in hoc itinere quod estis obituri, sic demiseritis [36] canitiem meam mœrore in sepulcrum.

[20] suprà 37.29. [21] mors immatura vestro crudeli facto accelerata: cum enim jam mortuum esse putabant. [22] fratrum confessione, & Reübenis reprehensione motus. [23] maximum natu ex iis qui in ipsius venditionem consenserant, ideò autem Reübenem excipit quia absuerat, & improbabat factum, suprà 37. 29. & hic vers. 22. Etsi id alia specie videtur curavisse, nempe ut fratribus suis tanquam primogenitus dux esset Reüben, qui aliis ad suos redeuntibus prospecturus esset. Atq; hoc ipsum quoque probabile est a Josepho pronunciatum esse. f *Heb. tollentes suprà asinos.* [24] id est, pabularis sacci, non autem annonarii. [25] id est, præter viaticum. g *Heb. exivit cor ill.* [26] non quærunt causam, sed mirantur factum, cujus Deum autorem agnoscunt, ut in rebus insperatis ferè fit. [27] ut causam intelligeret detenti Schimhonis, & diuturnæ ipsorum moræ, necessitatémq; mittendi Binjaminem. h *Hebr. disposuit.* i *Heb. vestrum.* [28] ut sup. 30. 10. k *Heb. Fuit.* [29] ut suprà vers. 28. verebantur enim ne ad priorem accusationem accusatio furti adderetur, ut infrà 43. 18. [30] q. d. Binjamine me orbatum reputo, si illum abducetis; méque in hoc confirmat quod ante Josepho & jam Schimhoni accidit: nam his verbis eum Josephi mortem & Schimhonis absentiam non planè exprobrare filiis vel inde apparet quòd filii nihil ei respondent. [31] id est, me onerant mœrore, & mihi mortem accelerant, ut vers. 38. [32] nam quatuor fuerunt, qui nominantur infrà 46. 9. [33] ex eadem matre, id est, Joseph. [34] sic enim persuasus fuit, quum vestem Josephi videret suprà 37. 32. [35] ex illa eadem matre. [36] id est, me jam canum dolore mori cogeretis: Hypallage, ut suprà 4. 4.

CAPUT XLIII.

Jahakob fame coactus, Binjaminem & reliquos filios prima pecunia & duplice altera, muneribúsque instructos, ad Josephum pro annona remittit: a quo humaniter lauto convivio, restituto obside, excipiuntur, & donantur muneribus.

1 INterea fames illa ingravescebat in terra.
2 Fuit ergo absolventibus ipsis comedere annonam illam quam attulerant ex Ægypto; ut ediceret eis pater ipsorum, redite, comparate nobis paulum cibarii.
3 Jehuda verò alloquutus est eum dicendo; [1] [a] seriò contestatus est nos vir ille dicendo, non estis visuri faciem meam [b] nisi frater vester adfuerit vobiscum.
4 Si missurus es fratrem nostrum nobiscum, descendemus & comparabimus tibi cibarium.
5 Quòd si non missurus es, [2] non descendemus; nam vir ille dixit nobis, non estis visuri faciem meam nisi frater vester adfuerit vobiscum.
6 Tum dixit Jisraël, quare malo affecistis me? quod indicastis viro illi an vobis adhuc *esset* frater?
7 Qui dixerunt, [c] diligenter percunctatus est vir ille de nobis & de cognatione nostra, dicendo, an adhuc pater vester vivit? an *est* vobis frater? & indicavimus ei ‖ [3] [d] pro ratione verborum istorum: [e] poteramúsne ullo pacto cognoscere dicturum illum fuisse, facite ut descendat frater vester?
8 Posteà dixit Jehuda Jisraëli patri suo, mitte [4] puerum hunc mecum, & surgentes abibimus: ut vivamus, ac non moriamur, & nos, & tu, & parvuli nostri.
9 Ego spondeo pro eo, de manu mea reposcito eum: si non reduxero eũ ad te & stitero eum corã te, [5] omnino peccavero in te omnibus diebus.
10 Etenim nisi cunctati fuissemus, [f] jam reversi fuissemus bis *in* hoc *tempore*.
11 Dixit ergo eis Jisraël pater ipsorum, si ita jam *faciendum est*, id facite; accipite de [g] laudatissimis rebus hujus regionis in vasis vestris, & deferte ad virum illum munus: parum [6] opobalsami & parum mellis, myxaria & ladanum, [7] nuces terebinthinas, & amygdalas.
12 Pecuniæ quoque [8] duplum accipite in manu vestra: pecuniam verò illam quæ restituta fuit in ore manticarum vestrarum [h] acceptam referte in manu vestra; forrassis [9] error est.
13 Fratrem quoque vestrum accipite; & surgite, redite ad virum illum.
14 *Deus* autem fortis omnipotens det vobis *consequi* misericordiam coram viro illo, ut dimittat vobis fratrem vestrũ alterum & Benjaminẽ: ego verò [10] quum orbatus fuero, orbatus fuero.
15 Tum homines isti accepto munere illo, duploque pecuniæ accepto in manu suâ cum Binjamine; surgentes descenderunt in Ægyptum, steterúntque in conspectu Josephi.
16 Videns autem Joseph cum eis Binjaminẽ; dixit ei qui præerat domui suæ, duc homines istos intrò: & macta [i] animalia & para, mecum enim comedent homines isti [11] meridie.
17 Fecitq; vir ille sicut edixerat Joseph: & introduxit vir ille homines istos in domũ Josephi.

[1] id est, promissionem a nobis exigit non revertendi ad se, nisi Binjaminem abducamus. a *Heb. contestando contestatus.* b *Heb. sine fratre vestro vobiscum: sic deinceps.* [2] i. non possumus sine promissi violatione & periculo descendere: vide 44. 26. c *Hebr. percunctando percunctatus.* ‖ *sup. 42. 2.* [3] id est, prout ejus interrogationes requirebant. d *Heb. secundum verba ista.* e *Heb. an cognoscendo cognituri eramus.* [4] Binjaminem: de hac autem pueri appellatione vide suprà in 21. 15. [5] i. reus apud te sim fidei non præstitæ, quandiu vixero; metalepsis Hebraica, ut 1. Reg. 1. 21. f *Heb. etenim reversi. anaphora emphatica.* g *Heb. de laude: abstractum pro concreto superlativi gradus: ut suprà 3. 6.* [6] de his vide suprà 37. 25. [7] fidem historiæ, ex Theophrasto sequuti, & Arabicam ejus appellationem sic vertimus: Terebinthus enim Hebraicè & Arabicè est Boten, & viridem significat, qualis est terebinthus arbore & fructu. [8] invaluerat enim fames, vers. 1. ideóque annonæ pretium auctum erat. h *Heb. accipite.* [9] quo in manticis vestris relicta est. [10] verba sunt viri se & rerum suarum eventũ committentis voluntati Dei: similis phrasis est Ester 4. 16. quum periero. i *Hebr. mactationem, id est, animalia quæ mactari solent ad convivium.* [11] hoc enim priscis temporibus fuit justum ordinariúmq; tempus prandii. Athenæus lib. 1. Diphosoph. δεῖπνον δὲ μεσημβρινὸν, ὃ ἡμεῖς ἄριστον. vide in Dan. 6. 11.

18 Sed [12] timuerunt homines isti, quum ducerentur in Josephi domum; quia dicebant, de causa illius pecuniæ quæ reposita fuit in manticis nostris priùs, nos introducimur: ut [13] volutetur supra nos, & irruat in nos, mancipétque nos *sibi* servos & asinos nostros.

19 Et [14] accedentes ad virum illum qui præerat domui Josephi, alloquuti sunt eum [15] in ostio domus ipsius,

20 [16] Dixerúntque, [17] *attende* ad me, domine mi: tantummodò descenderamus anteà ad comparandum cibarium.

21 Accidit autem [18] quum venissemus in diversorium quoddam, ut aperientibus nobis manticas nostras, ecce pecunia cujusque *esset* in ore manticæ suę, pecunia nostra secundùm pondus suum: eam itaq; [19] retulimus in manibus nostris.

22 Præterea pecuniam alteram descendentes attulimus in manibus nostris ad comparandum cibarium: nescimus quis reposuerit pecuniam nostram in manticis nostris.

23 Et *ille*, [20] pax, inquit, *sit* vobis, ne timeatis, Deus vester & Deus patris vestri dedit vobis thesaurũ in manticis vestris, pecunia vestra pervenit ad me: & eduxit ad eos Schimhonem.

24 Introduxit igitur vir ille homines istos in domum Josephi: quúmque dedisset aquam ut [21] lavarent pedes suos, dedit quoque pabulum asinis ipsorum.

25 Intereà parabant munus suum, dum veniret Joseph sub meridiem; ut audierunt se ibi sumturos cibum.

26 Quum verò Joseph advenisset domum, attulerunt ad eum munus illud quod [22] *habebant* in manu sua intrò: & *honorem exhibuerunt* illi [23] incurvantes se in terram.

27 Et ille rogans eos [k] de prosperitate dixit, an [l] prosperè est patri vestro, seni illi quem dicebatis? an adhuc vivit?

28 Qui dixerunt, prosperè est servo tuo patri nostro, is adhuc vivit: & inclinato vertice incurvaverunt se *honorem exhibentes*.

29 Posteà sublatis oculis suis cõtemplatus Binjaminem fratrem suum filium matris suæ; dixit, híccine *est* frater ille vester minimus quẽ dixeratis mihi? & dixit, Deus gratiosus esto tibi, fili mi.

30 Joseph autem, quia ęstuabant viscera misericordię ipsius erga fratrem suum, festinavit quęrere ubi fleret; & ingressus quoddam cubiculum flevit in eo.

31 Posteà lota facie sua egressus; [24] continebat se, & dixit, apponite [m] cibum.

32 Itaq; apposuerunt [25] ei [n] seorsim, & illis seorsim: Ægyptiis verò comedentibus apud eum seorsim, [26] non enim poterant Ægyptii sumere cum Hebræis cibum, quia [27] abominationi id est in Ægypto.

33 Sederunt autem coram eo, primogenitus secundùm primogenituram suam, & qui minor *erat* secundùm [o] minorem ætatem suam; adeò ut [p] mirabundi *respicerent* [28] homines illi alter ad alterũ.

34 Et accipiens fercula de eo quod *erat appositum* in conspectu suo, *mittebat Joseph* ad eos, [29] majúsque fuit ferculum Binjaminis quàm fercula singulorum illorum quinduplo: sic [q] convivati sunt & affatim biberunt cum eo.

[12] ne in vincula ducerentur, quasi furtim prioris annonæ pretium secum detulissent. [13] Metaphora duplex, a corporibus magnæ & ponderosæ molis, quæ rotando devolvuntur, & a rebus altis, quę quò sunt altiores eo graviore impetu decidunt, q. d. quum nullam legitimã occasionem habeat in nos irruendi, prætextu hujus pecuniæ eam captat. [14] priùs se purgaturi quàm accusentur furti. [15] i. antequàm introirent: sciebant enim suum fuisse carcerem, & ibi detineri fratrem. [16] per unum aliquem ex ipsis, ut mox sequentia ostendunt. [17] ellipsis pathetica, recepta in orationibus vehementissimis, ut infrà 44. 18. & 1. Schemu. 4.26. & quatuor prætereà locis, quos annotant Massoritæ. [18] quia compendio utuntur, non accuratè omnia ut contigerant narrant: nam unus in diversorio, reliqui domi pecuniam restitutam invenerant, suprà 42. 27. & 35. [19] ad testificandum innocentiam nostrã. [20] id est, tranquillo sitis animo. [21] vide suprà in 18. 4. [22] quisque aliquam partem offerendam, ut inter se distribuerant. [23] prout figuratum fuerat somnio manipulorum, suprà 37.7. [k] *Heb. pacem.* [l] *Heb. an pax, ut v. seq.*

[24] a lacrymis, ut infra 45.1. [m] *Heb. panem, sic vers. sequent.* [25] prout ejus dignitas postulabat. [n] *Heb. soli ipsi & illis solis, &c.* [26] hæc non fuit causa cur Josepho seorsim apponeretur (qui enim illius imperio regebantur, cum eo cibum sumere honori habuissent) sed cur fratres Josephi communi cum AEgyptiis *mensa* non uterentur. [27] hic causa non exprimitur, sed ex collatione cap. 46. vers. 34. & Exod. 8. 26. constat illos abhorruisse a vita pastoritia, & ab iis qui bubus aut aliis animantibus, quæ pro diis colebant, vescebantur, aut ea sacrificabant. [o] *Heb. parvitatem.* [p] *Heb. mirarentur homines illi alter ad alterum: peregrina constructio juxta ellipseos, ut v. seq.* [28] fratres Josephi, videntes sibi Josephi jussu pro ætate cujusque loca designari, ac si cum ipsis vixisset Joseph, ætatémque ipsorum compertam haberet.

[29] quemadmodum prisci illi patres honoratissimos quosque viros, aut sibi amicissimos & charissimos solebant γεραίρειν, ut Athenæus docet lib. 1. Dipnosoph. exemplis compluribus. Sic honoris causa faciebat Schemuel Regi, 1. Schemu. 9. 23. & sequent. amicitiæ verò, hic faciebat Joseph, itémq; Elkanna, 1. Schemu. 1. 5. ut nonnullis visum est interpretari. [q] *biberunt, synecdochè pro convivati, sicut etiam comedendi verbum frequenter: sic Ester. 3. 15. & 7. 1.*

CAPUT XLIIII.

Joseph poculum mandato suo in mantica Binjaminis clam fratribus abditum, ut sublatum furto, ab ipsis abeuntibus repetit: qui furti crimẽ ex ante actis diluentes se inquisitioni submittunt, mortémq; in se & servitutem decernunt si comperiantur. Itaq; invento penes Binjaminem poculo ad Josephum reducti se in servitutem dedunt: quod recusante illo, & solius deprehensi servitute contento, Jehuda se in illius vicem mancipari supplex petit.

1 DEinde præcepit *Joseph* ei qui præerat domui suæ, dicendo; imple manticas hominum istorum cibario, quantum poterunt ferre: & repone pecuniam cujusque in ore manticæ suæ:

2 [1] Scyphum verò meum, scyphum argenteum ponito in ore manticæ minimi, & pecuniam annonæ ejus: itaque fecit secundùm verbum Josephi quod loquutus fuerat.

3 *Posterum* mane illuxerat, quando homines isti dimissi sunt, ipsi cum asinis suis.

4 Ipsi egressi civitate illa non longè abscesserant, quũ Joseph dixit ei qui præerat domui suæ, surge, persequere homines istos: & ubi assequutus fueris eos, dices eis, cur rependitis malum pro bono?

5 Nónne ille est in quo solet dominus meus bibere? &, nonne ipse [a] experimẽto [2] certò didicerit per illũ *quales sitis*? malè egistis quod fecistis *illud*.

6 Assequutus itaque est eos, & alloquutus verbis ejusmodi.

7 Ii verò dixerunt illi, quare loquitur dominus meus talia verba? [b] [3] absit servis tuis, ut faciant rem ejusmodi.

8 [4] En pecuniam quam inveneramus in ore manticarum nostrarum retulimus ad te e regione Cenahanis: quomodo ergo furati essemus e domo domini tui argentum vel aurum?

9 [5] Apud quẽ ex servis tuis reperietur, is moriturus est: quinetiã [6] nos erimus domino meo servi.

10 Qui dixit, [7] jam etiam [c] prout loquuti estis, [8] sic esto: apud quem reperietur, is esto mihi servus, vos autem estote [9] innoxii.

11 Itaq; festinaverunt dimittere quisq; manticam suam in terram; & aperuerunt quisque manticam suam.

12 Et ille scrutatus est, a maximo incipiens & in minimo desinens: inventus autem est scyphus ille in mantica Binjaminis.

13 Tunc [10] laceraverunt vestimenta sua; quúmque imposuisset onus quisque asino suo reversi

[1] i. profundum altúmque poculum, unde apud Hebræos nomẽ habet, ut etiam apud Græcos κῦρος, σκῦφος, vel σκύπφος. Attici teste Philemone apud Athenæum lib. 11. appellãt κύμβιον. [a] *Heb. experiendo experiens discet, sic vers. 15.* [2] i. hoc demum facto innotescunt domino meo fraudes vestræ quibus ei hactenus conati estis illudere. Qui hæc ad divinationem referunt, Josephum sine causa magno crimine gravant, ac si domũ cognoscendi arcana a Deo acceptum obscuraret, & gloriam in se transferret, quod nec coram Parhone quidẽ quum recens ex carcere venit fecerat, sup. 41. 16. & vocibus vim faciunt, cùm hic, tum ubi a Josepho repetuntur inf. v. 15. vide supr. 30. 27. [b] *Heb. absit furtis tuis a faciendo, pro absit a servis tuis facere: Hypallage ferè perpetua in hac locutione, sic inf. v. 17.* [3] q. d. ii sumus quibus non debeat hujusmodi crimen objici. [4] q. d. factum nostrũ precedens huic quod objicis contrariũ nos abunde purgat. [5] q. d. hæc tertia esto probatio nostri, quod bona conscientia freti ultrò nos inquisitioni & supplicio subjicimus. [6] ut furti (si deprehendetur) conscii. [7] ad ea quę proposuerant respondens, inquisitionem quidem ipsorum etiam judicio rectam & æquam admittit; de supplicio verò mitius statuit, sola deprehensi furis servitute contentus. [c] *Heb. secundum verba vestra.* [8] i. habeatur quæstio. [9] i. ab omni pœna supplicióque liberi, quicunq; e vobis non fuerint comperti culpæ. Duplex figura: vos, id est, reliqui e vobis, synecdochicè innoxii, id est, soluti pœna quæ tenentur noxii, per metalepsin Hebræis frequentissimam. Sic contrà peccatores dicuntur, quorum vita in periculum non secus adducitur quàm si in peccatum ipsi incidissent, 1. Reg. 1. 21. [10] vide suprà 37. 29.

sunt in civitatem illam.

14 Venit itaque Jehuda cum fratribus suis in domum Josephi, [11] quum ipse adhuc esset illic: & [12] prociderunt ante faciem ejus in terram.

15 Dixit autem eis Joseph, [13] quodnam est facinus istud quod fecistis? an ignorabatis virum cujusmodi ego *sum*, [14] certò posse experimento discere?

16 Tum dixit Jehuda, [15] quid diceremus domino meo? quid eloqueremur? aut quo purgaremus nos? [16] Deus ipse deprehendit iniquitatem servorũ tuorum, [17] ecce nos servos domino meo, tam nos quàm eum in cujus manu inventus est scyphus ille:

17 Et *ille*, [18] absit mihi, inquit, ut faciam hoc: vir ille in cujus manu inventus est scyphus, is *esto* mihi servus, vos autem ascendite [19] cum pace ad patrem vestrum.

18 Sed [20] accedens ad eum Jehuda dixit, [d] *Attende* ad me domine mi: loquatur quæso, servus tuus verbum [e] audiente domino meo, nec accendatur ira tua in servum tuum: [21] nam [f] *tu es* perinde ac Parho.

19 [22] Dominus meus interrogaverat servos suos, dicendo; éstne vobis pater aut frater?

20 Diximus verò domino meo, est nobis pater senex & natus senectutis *frater* minimus: frater autem ejus mortuus est, & relictus est ipse solus ex matre sua, ideò pater ejus deamat ipsum.

21 Dixisti servis tuis, facite ut descendat ad me; & [g] oculis meis [23] intuear illum.

22 Et [24] quamvis diceremus domino meo, non poterit [25] puer ille relinquere patrem suum: simul ac reliquerit patrem suum, morietur pater;

23 Dixisti servis tuis, nisi descenderit frater vester minimus vobiscum, non [h] amplius deinceps videbitis faciem meam.

24 Fuítque quum ascendissemus ad servum tuum patrem meum; ut nunciaremus ei verba domini mei.

25 Posteà dicente patre nostro; revertimini, comparate nobis parum cibarii:

26 Diximus, non possumus descendere; sed si fuerit frater noster minimus nobiscum, descendemus, quia non possumus videre faciem illius viri, si frater hic noster minimus non fuerit nobiscum.

27 Dixit autem servus tuus pater meus nobis, vos novistis duos peperisse mihi uxorem meam:

28 Digresso autem priore a me, dixisse me, [26] profectò [i] omnino discerptus fuerit: nec vidisse eum hactenus.

29 Quòd si abduxeritis hunc quoque a facie mea, & obvenerit ei exitium, deduxeritis canitiem meam in sepulcrum malo.

30 [27] Nunc igitur quum venero ad servum tuum patrem meum, si hic puer non fuerit nobiscum; prout [28] anima illius animæ hujus devincta est:

31 [29] Accidet ut moriatur, quum puerum hunc non adesse viderit; sic deduxerint servi tui canitiem servi tui patris nostri mœrore in sepulcrum.

32 [30] Cùm servus tuus spoponderit pro hoc puero *abducturus* a patre meo, dicendo; nisi reduxero eum ad te, utique peccavero in patrem meum omnibus diebus:

33 Ideò nunc maneat quæso servus tuus loco hujus pueri, servus domino meo: hic autem puer ascendat cum fratribus suis.

34 (Nam [31] quomodo ascenderem ad patrem meum, cum hic puer non erit mecum?) ne videam illud malum quod deprehensurum est patrem meum.

[11] præfecti reditum expectans. [12] nihil dum loquentes: animi enim consternatio ex furto deprehenso verba illis intercipiebat. [13] ita peccatum exaggerat, ut suprà 3.13. [14] id est, rationes excogitare, quibus certò cognoscat quod cognitu erat difficile: ut suprà vers.5. [15] pathetica insinuatio ex abrupto per *κολοβωσιν*, quam Tullius communicationem vocat, huic argumento convenientissimam. [16] quasi exserto in cælos digito, sensus est, fatemur hac ratione Deum nostra in ipsum peccata ulcisci: ubi videtur tacitè sceleratam fratris venditionem innuere, ut sup. 42. 21. & 22. [17] ut suprà v.9. [18] quasi dicat, mihi satis erit supplicium de sonte sumsisse, ut suprà vers. 10. [19] sine ullo damno. [20] vide suprà 18.23. [d] *Heb. vide suprà 43.20.* [e] *Heb. in auribus domini.* [21] rationem reddit cur ejus iram deprecetur, quia autoritate eum agnoscit Parhoni parem. [f] *Heb. sicut tu, sicut Parhô.* [22] Narratio, cujus finis est, ut Josephum ad misericordiam de patre capiendam flectat: ideò copiosè Binjaminis historiam explicat, & artificiosè quæ exorsa fuissent futura dissimulat. [g] *Heb. ponam oculum meum super illum: nimirum ut ita vos probem: sup. 42.15.* [23] i. oportet me intueri ipsum: quod si non fecero, hac re probatum fuerit vos exploratores esse; ut sup. 42.16. [24] hæc anteà brevitatis causa cap. 42. Moses omiserat, quia hîc fuissent repetenda. [25] vide sup. in 21.15. [h] *addere tollere*, [i. e.] sic intelligit Joseph patre de sui amittendi ratione & facinore fratrũ ignorare. [i] *Heb. discerpendo discerptus.* [27] Propositionis pars prior, narratio eventus hypothetica, quid fiet si detineatur Binjamin; [28] propter impensum amorem illius vita ab hujus vita pendet. [29] hoc est paternæ mortis autores habebimur, & spectatores erimus. [30] Petitio, altera pars propositionis, se apud patrem pro puero fide jussisse, ac proinde vadimonium suum offerre, ut liberetur puer.

[31] id est, qua fronte? Confutatio per prolepsin vel anticipationem: ut ferè est hominum ad finem patheticè contendentium.

CAPUT XLV.

Joseph oratione Jehudæ permotus, se fratribus patefacit, eósque sceleris in se recordatione consternatos, proposità divinâ providentiâ erigit: deinde jussu Regis eos curribus, commeatu, muneribúsq; instructos remittit ad patrem familiámque totam celeriter adducendam: quibus nuncium hunc referentibus, pater non nisi multis verbis & visis curribus fidem habet.

1 Quare quum non posset Joseph se [1] continere coram omnibus adstantibus sibi, exclamavit, [2] facite ut exeat [a] quisque a me: sic non remansit quisquam cum eo, quando se cognoscendum præbuit Joseph fratribus suis:

2 Tunc edidit vocem suam cum fletu, adeò ut audierint [3] Ægyptii, [4] audierit etiam familia Parhonis:

3 Et dixit Joseph fratribus suis, ego *sum* Joseph, an adhuc pater meus vivit? sed non poterant fratres ejus respondere ei, quia perturbati erant [5] ex conspectu ejus.

4 Quapropter dixit Joseph fratribus suis, [6] accedite quæso ad me, & accesserunt: tum dixit, ego *sum* Joseph frater vester, quem [7] vendidistis *deducendum* in Ægyptum.

5 [8] Sed nunc ne vos dolore crucietis, neq; displiceat in oculis vestris, quòd vendidistis me *adducendum* huc: nam [9] victus causâ misit me Deus ante vos.

6 Jam enim biennium fames *est* [b] in terra: *supersunt* autem adhuc quinque anni, quibus non erit aratio aut messis.

7 Misit itaque me Deus ante vos, [c] ut efficiat vos superstites in hac terra; & ut in vita conservet vos, [10] liberatione maxima.

8 Nunc itaque nequaquam vos *estis*, *qui* misistis me huc, sed Deus ipse: qui constituit me [11] patrem apud Parhonem, & dominum toti familiæ ejus præfectúmque in universa terra Ægypti.

9 [12] Festinate, & ascendite ad patrem meum; & dicite ei, sic ait filius tuus Joseph, constituit me Deus dominum toti Ægypto: descende ad me, ne subsistito:

10 Ut habites in terra [13] Goschenis, & sis vicinus mihi tu & filii tui, & filii filiorum tuorum; gregésque tui & armenta tua & omnia quæ *sunt* tibi.

[1] quin se lacrymis & verbis fratribus declararet præ commoti animi vehementia; sic suprà 43.31. [2] ne quid de sui venditione resciscerétur, fratrum honori consulebat. [a] *Heb. omnis vir.* [3] jussi exire quum nondum abessent procul. [4] ex sermone aliorum, ut infrà vers.16. [5] conscientia sceleris sui potentiâque Josephi eos consternante, facultatémque loquendi eis adimente. [6] ita jubet erecturus eos, & benevolum animum amplexu ostensurus, ut infrà vers.14. [7] Hebræa metalepsis est, quam indicat constructio, ut suprà 12.12. & 37.36. [8] quasi dicat, ne tantopere afficimini peccati vestri sensu, quin ad providentiam Dei respiciatis mihi & vobis hoc pacto consulentis. [9] id est, ut vobis a me in tanta summa rerum difficultate de iis quæ ad victum sunt prospiceretur, v. 6. & 7. [b] *Heb. in medio terræ.* [c] *Heb. ad ponendum in vobis residuum. Hypallage, pro ad ponendum vos in residuum.* [10] a periculo maximo, idq; ratione mirabili. [11] i. præcipuum & summum doctorem, qui viam exposui Regi salutaris hujus administrationis, ut suprà 41.33. quapropter effecit ut tam me primarium principem & secundum a Rege: confer cum 41.40. sup. [12] ut patri sollicitudo de vobis adimatur, læto de me nuncio exhilaretur, vobis omnibus prospiciatur, meúmq; desiderium videndi patris expleatur. [13] regione pascua & fertilissima totius Ægypti Cenahanææ vicina, nec multum ab Oniis regia urbe & Josephi domicilio dissita: quam Thebaidem fuisse dictam existimaverunt quidam, ut Hieronymus testis est. Ego potiùs Heliopolitanum & Aphroditopolitanum esse Nomum ex conjecturis certis esse putaverim. Suadet autem ut eo veniat, ab itineris brevitate, a soli quod habitaturus est fertilitate, a sui vicinitate, ab alimentorum commoditate, & a summa paupertate quæ ei totique familiæ alioquin erat eventura.

11 Et te sustentem ibi, quia adhuc quinque annos *futura est* fames : ne paupertate consumaris tu,& familia tua,& omnia quæ *sunt* tibi.

12 [14] Ecce autem [15] oculi vestri vident, & oculi fratris mei Binjaminis; [16] os meum *ipsum esse* quod alloquitur vos.

13 Nunciabitis igitur patri meo omnem gloriam meam in Ægypto, & quæcunque vidistis : ac festinantes deducetis huc patrem meum.

14 Tum ruens in collum Binjaminis fratris sui flebat : Binjamin quoque flebat ad collum ejus.

15 Osculatúsque omnes fratres suos flebat super eos: [17] posteà demum loquuti sunt fratres ejus cum eo.

16 Quum itaque [d] rumor iste auditus esset in domo Parhonis dicendo, venerunt fratres Josephi, bonum visum est in oculis Parhonis, & in oculis servorum ejus.

17 Edixítque Parho Josepho, dic fratribus tuis,hoc facite : onerate jumenta vestra, & [e] abeuntes redite in regionem Cenahanis.

18 Inde assumite patrem vestrum & familias vestras, & redite ad me : & daturus sum vobis [f] quod est præstantissimum *in terra* Ægypti, ita vescimini [18] pinguedine hujus terræ.

19 [19] Tu autem *Joseph* mandato instructus es, hoc facite : [21] sumite vobis e terra Ægypti plaustra pro parvulis vestris & pro uxoribus vestris,& deportantes patrem vestrum redite.

20 At [g] oculum vestrum ne tædeat propter supellectilia vestra :nam quod est præstantissimum in universa terra Ægypti vestrum est.

21 Facientibus ergo sic filiis Jisraëlis, dedit eis Joseph plaustra [h] ex mandato Parhonis ; dedit etiam eis viaticum ad illud iter.

22 Ac eis quidem omnibus donavit viritim [i] mutandas vestes; Binjamini verò dedit trecentos *siclos* argenteos, & quinque vestes mutandas :

23 Patri autem suo misit [21] [k] consimiliter, decem asinos portantes de rebus præstantissimis Ægypti ; & decem asinas portantes commeatum,panis & opsonii patri suo ad iter illud.

24 Tandem verò quum dimitteret fratres suos ut abirent ; edixit eis, [22] ne commoveamini in hoc itinere.

25 Sic ascendentes ex Ægypto; venerunt in regionem Cenahanis ad Jahakobum patrē suum.

26 Cui quum renunciarent dicendo, adhuc Joseph vivit, & ipsum præesse universæ terræ Ægypti: [23] defecit [l] animus ejus, quia non credebat eis.

27 Sed quum eloquuti essent apud eum omnia verba Josephi quibus erat alloquutus ipsos, vidissetque plaustra quæ miserat Joseph ad deportandum ipsum ; [24] revixit spiritus Jahakobi patris eorum :

28 Et dixit Jisraël, [25] sufficit, adhuc Joseph filius meus vivit : ibo & videbo eum antequam moriar.

[14] Confirmatio a præsente visu & auditu.
[15] q.d.non audita,sed visa referetis.
[16] ac non interpretis, ut quū nondum a vobis cognosci vellem.
[17] quū recreati signis illis benevolentiæ & antegressa illa perturbatione liberati, de qua supr. v. 3. aliquā sumsissent fiduciam.
[d] *Heb. vox ista aud.*
[e] *Heb. ite.*
[f] *Heb. præstantiam terræ, ut infrà 20. vide suprà 3.6.*
[18] i. selectissimis fructibus ejus, qui sunt argumento pinguedinis terræ: metonymia.
[19] q.d. tanta a me autoritate instructus es, ut sine ampliore mandato hæc facere possis.
[20] hoc est, tuis non tantùm liberam in regno meo habitationem concedo, sed etiam volo liberales sumtus ad iter communicare.
[g] *Heb. oculus vester non parcat: id est, quum oculos vestros conjicietis in supellectilia vestra, ne vos tædeat illa relinquere:* Synecdoche.
[h] *Heb. secundùm os P.*
[i] *Heb. mutationes vestium, pro vestibus mutatoriis: Hypallage.*
[21] nempe & pecuniam & vestes ad mutationem, ut de Binjamine dictum est præcedente versu, & viaticum insuper commodum.
[k] *Heb. sicut hoc.*
[22] dum se quisque purgare volens crimen venditionis meæ in alios rejiciet.
[23] ad filii memoriam dolore renovato deliquium animi passus est. [l] *Heb. cor.* [24] recreatus est & recepit vires tanquam ex mortis angustiis in vitam rediens. [25] q.d. non quæro de gloria ejus, nec tanti ampla munera quanti vitam ejus æstimo ; hunc nuncium reliquis omnibus antepono.

CAPUT XLVI.

Jahakob oblatis victimis divinitus confirmatur, cum familia omnibusque facultatibus in Aegyptum descendens, Jehudam ad Josephum præmittit : Joseph patrem obviàm profectus excipit : quo recreato familiæ ejus fratribusque consilium proponit, de prudenti responso ad interrogata Regis, ut optatam regionem consequantur.

1 PRofectus itaque Jisraël cum omnibus quæ *erant* ipsi venit in [1] Beer-schebah ; ubi mactavit [2] victimas Deo patris sui Jitzchaki.

2 Et alloquens Deus Jisraëlem in visionibus nocturnis,dixit,Jahakob, Jahakob : quo dicente, ecce me,

3 Dixit, Ego *sum Deus* ille fortis, Deus patris tui : [3] ne timeas a descensu in Ægyptum : nam [a] [4] patrem gentis magnæ efficiam te ibi.

4 Ego [5] descendam tecum in Ægyptum,& ego faciam ut [6] ascendas, [7] similiter ascendendo *tecum* : [8] & Joseph imponet manum suam oculis tuis.

5 Surrexit ergo Jahakob *profecturus* e Beer-schebah : deportaverúntque filii Jisraëlis Jahakobum patrem suum,parvulosque suos,& uxores suas plaustris, quæ miserat Parho ad deportandum eum.

6 Assumserunt quoque pecora sua,& facultates suas quas comparaverant in regione Cenahanis,& pervenerunt in Ægyptum; Jahakob & universum semen ejus cum eo :

7 Filios suos & filios filiorum suorum secum, [9] filias suas & filias filiorum suorum, denique totum semen suum ; deduxit secum in Ægyptum.

8 Hæc autem *sunt* nomina [b] Jisraëlitarum venientium in Ægyptum , Jahakob & filii ejus : [10] primogenitus Jahakobi, Reüben.

9 Filii autem Reübenis ; Chanoc, & Pallu, & Chetzron,& Carmi.

10 Et filii Schimhonis, [11] Jemuel, & Jamin, & Ohad,& [12] Jacin,& [13] Tzochar ; Schaül quoque filius cujusdam [14] Cenahanitidis.

11 Et filii Levi; [15] Gerschon,Kehath,& Merari.

12 Et filii Jehudæ, Her, & Onan, & Schela, & Peretz cum Zeracho : etsi mortuus erat Her & Onan in regione Cenahanis, sed erant filii Peretzi, Chetzron,& Chamul.

13 Et filii Jissacaris ; Tholah, & [16] Puva, & [17] Job,& Schimron.

14 Et filii Zebulunis; Sered,& Elon,& Jachleel.

15 Hi *sunt* [18] filii Leæ, quos pepererat Jahakobo in Padane Syriæ, & unà Dina filia ejus : omnes [19] animæ, [20] *ipse*, filii ejus, filiæque ejus, triginta tres.

16 Et filii Gadis, [21] Tziphjon,& Chaggi,Schuni,& [22] Etzbon ; Heri,& [23] Arodi,& Areeli.

17 Et filii Ascheris, Jimna, & Jischva,& Jischvi, & Berihah, & Serach soror eorum : filii autem Berihæ, Cheber,& Malciel.

18 Hi *sunt* filii Zilpæ, quam dederat Laban Leæ filiæ suæ: & illa peperit istos Jahakobo, sexdecim animas.

19 Filii Rachelæ [24] uxoris Jahakobi, Joseph, & Binjamin.

20 Nati autem sunt Josepho in terra Ægypti ; quos peperit ei Asenath filia Potipherahi Præsidis Oniorum ; Menasche & Ephrajim.

21 Et filii Binjaminis, Belah,& Becer, & Asch-

[1] suprà 21.14.& 26.23. quà iter erat Chebrone proficiscenti in Aegyptum.
[2] tum gratias agens de invento Josepho filiisque restitutis, tū etiam Deum orans & consulens de profectione sua.
[3] regionē hanc in pignus cælestis hæreditatis semini tuo promissam deserere ad tempus, & in regionē migrare ubi avus tuus inhumaniter exceptus est: ita efficit Deus ut vaticiniū de quo suprà 15.13. impleatur.
[a] *Heb. in gentem magnam d. spo- nam.*
[4] q.d. non impediet migratio hæc promissum incrementum suprà 35.11. sed contrà illa ipsa est commoratio, in qua potentissimè benedicam tibi, & multiplicabo semen tuū.
[5] i. dux tuus ero, & te continuo favore prosequar: humanitus dictum. Sic jacitè visionis recordatur Deus de qua sup. 28.
[6] tu quidē mortuus, sed superstites posteri: nā Jahakobi cadaver in Cenahanæam reportatū est : & huc respexisse videtur, quū Josephum juramento obstrinxit ut id faceret, infrà 47.29.& 30.
[7] i. te reducendo, & solito favore prosequendo, ut promiserat supr. 15.13.
[8] sic confirmatur Jahakobo nuncius de Josepho superstite, & mors quieta Josepho adhuc vivente ac præsente promittitur.
[9] [illegible] dictum, ut suprà [illegible] q.d. quotquot filias nurus, & nepotes habuit, secum abduxit : nam unam tantùm filiam, unámque neptem habuisse legitur infrà v. 16. & 17. [b] *Heb. filiorum Jisraëlis.* [10] ut sup. 35.23. [11] qui etiam dicitur Nemuel, 1. Chron. 4.24. [12] qui & Jarib, ibid. [13] qui & Zerach, per mutationem trajectionémque litterarum, ut infrà sæpe, Num. 26.17. [14] hæc nominatim exprimuntur, ut intelligamus reliquos Schimhonis, aliorúmque Patriarcharum liberos non esse natos ex matribus generis maledicti, excepto Schela filio Jehudæ, de quo inf. v. 12. & sup. 38. [15] qui & Gerschom, 1. Chron 6.22. [16] qui etiam Pua, 1. Chron. 7.1. & alibi familia extant. [17] qui & Jaschub, Num. 26.24. [18] etiam nepotes : at filii tantùm nati sunt in Padane Syriæ, nepotes verò postquam inde discessissent. [19] id est, personæ, ut in sequentibus. [20] perspicuitatis causa addimus, quia numerus 33. non completur nisi adnumerato Jahakobo. [21] qui & Tzephon, Num. 26.15. [22] qui etiam dicitur Ozni, Num. 26.16. [23] qui etiam Arod, Num. 26.17. [24] hæc enim ratione sanctā atque legitimā verè uxor illius fuit propter primum contractum quem ille cum Labane iniit, suprà [illegible]

bel, Gera, & Nahaman, [25]Echi & Rosch; [26] Muppim, & [27] Chuppim, & Ard.

22 Hi *sunt* filii Rachelæ, qui editi sunt Jahakobo; omnes animæ quatuordecim:

23 [28] Filii autem Danis [29] Chuschim.

24 Et filii Naphthali; Jachtzeel, & Guni, & Jetzer, & Schillem.

25 Hi *sunt* filii Bilhę, quam dederat Laban Rachelæ filiæ suæ: & *illa* peperit istos Jahakobo; omnes animæ septem.

26 Omnes animæ quę ingressæ sunt *cum* Jahakobo in Ægyptum, [30] egressi e femore ejus, exceptis uxoribus filiorum Jahakobi; omnes animæ [31] sexaginta sex *erant*.

27 Filii autem Josephi qui editi sunt ei in Ægypto, *sunt* animæ duæ: sic omnes animæ familię Jahakobi, quæ venit in Ægyptum, *sunt* [32] septuaginta.

28 Jehudam autem miserat ante se ad Josephum, qui præmoneret *eum* [c] ut veniret obviam sibi in Goschenem: ut convenirent in terram Goschenis.

29 [33] Jungens itaque Joseph currum suum ascendit obviam Jisraëli patri suo in Goschenem: quúmque *Joseph* [34] se aspiciendum obtulisset ei, irruit *Jahakob* in collum ejus, flevítque ad collum ejus diu.

30 Et dixit Jisraël Josepho, moriar hac vice: quandoquidem vidi faciem tuam, [35] quum tu adhuc vivis:

31 Deinde dixit Joseph fratribus suis & familię patris sui, ascendam ut renunciem Parhoni: sed dicam ei, fratres mei & familia patris mei quæ *erat* in regione Cenahanis venerunt ad me:

32 *Sunt* autem homines isti pastores gregis, nam homines [d] pecuarii *semper* fuerunt: gregésq; suos & armenta sua & quæcunque *erant* eis adduxerunt.

33 Erit autem quum vocaverit vos Parho; ut dicat, quæ *sunt* [36] opera vestra?

34 Tunc dicetis, homines pecuarii fuerunt servi tui ab adolescentia nostra; tum nos tum majores nostri; ut habitetis in terra Goschenis, quia [37] abominationi *est* Ægypto omnis pastor gregis.

[25] qui idem appellatus est Achiram, Num. 26.38.
[26] qui etiam dicitur Schephuphā, Num. 26.39.
[27] qui & Chupham, ibidem.
[28] indefinitè dictum, ut suprà V.7.
[29] qui & Schucham, Num. 26.43.
[30] i. geniti ab eo. Hebraismus frequens, διόπι ὁ μηρὸς σύμβολόν ἐστι τῆς κατὰ γένεσιν ἐνεργείας, inquit Basilius in Psalmum 44.
[31] non comprehenso Jahakobo, nam cum illo venisse dicuntur.
[32] Generalis summa Jahakobum, Josephum, & duos ejus filios comprehendens. Quod autē Act. 7.14. septuaginta quinque numerantur prę ter Jahakobum, fit quia Stephanus non eos qui re ipsa cum Jahakobo descenderunt, sed & matres eorum quatuor uxores Jahakobi, & duos filios Jehudæ licet ante defunctos comprehendit, id est, quotquot hîc personæ de nomine recensentur: ut doceat ad quantum in summa numerum familia Jahakobi, antequàm descenderet in Aegyptum, pervenisset: sive (ut dicamus brevius) non refert Stephanus numerum proficiscentium, sed summam eorum quos hîc nominatim Moses enumeravit: sic enim legerunt, exposuerúntq; orthodoxi Patres per ellipsin articuli in Græco sermone frequentissimam, ut in Parallelis sacris ampliùs docuimus. Quare planior esset locus, si hoc modo legeretur, τὰν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, nimirum συνεσταμένην ἢ συγγεγραμμένην, constantem aut conscriptam ex animabus septuaginta quinque: quot hîc disertè excepto Jahakobo nominantur. [c] *Heb. ante faciem suam: vide suprà 36.6.* [33] i. jungi per administros curans, ut sup. 40.22. [34] tum ut pater senex oculis debilior propiùs se aspiceret, tum ut si quod adhuc de ipso dubium hærebat in animo ejus, eximeret. [35] q.d. jam impleri potest quod mihi promisit Deus, suprà V.4. [d] *Heb. pecoris: sic deinceps.* [36] id est, vitæ genera quæ sequimini, & in quibus vos exercetis. [37] vide suprà 43.32.

CAPUT XLVII.

Joseph suorum adventu significato aliquot fratres & patrem in Regis conspectum adducit: qui sermone cū illis habito terram commodam in regione Goschenis concedit: ubi quietè a Josepho sustentantur. quum intereà omnes Aegyptii exceptis Præsidibus tanta penuria laborarent, ut agros, jumenta, deniq; suam libertatem venderent, & a suis sedibus abducti se culturos agros Regis certis conditionibus reciperent. Postremò Jahakob morti vicinus Josephum juramento obstringit fore ut ipsum inhumet in regione Cenahanis.

1 VEniens ergo Joseph nunciavit Parhoni; ac dixit, pater meus & fratres mei cum gregibus suis, & armentis suis, & omnibus quæ *sunt* ipsorum advenerunt ex regione Cenahanis: ecce autem ipsos in terra Goschenis.

2 Et partem fratrum suorum assumens, quinq; *videlicet* homines; stitit eos coram Parhone.

3 Tum dixit Parho fratribus ejus, [1] quæ *sunt* opera vestra? qui dixerunt Parhoni, pastor gregis *est quisque* servorum tuorum, tum nos, tum [2] majores nostri.

4 Dixerunt insuper Parhoni, ad hospitandum in hac terra venimus, eo quòd non *esset* pascuum gregibus quos *habent* servi tui, gravis enim *est* hęc fames in regione Cenahanis: nunc itaque habitent quæsumus servi tui in terra Goschenis.

5 Quamobrem alloquutus est Parho Josephum, dicendo; pater tuus & fratres tui [3] venerunt ad te.

6 Terra Ægypti [a] exposita est tibi, in optimo *loco* hujus terræ colloca patrem tuum & fratres tuos; habitent in terra Goschenis: quod si noveris, & sint inter eos homines [b] strenui, hos constitues magistros pecuariæ super *illos* qui *sunt* mihi.

7 Adducens quoque Joseph Jahakobum patrem suum, statuit eum coram Parhone; & [4] benedixit Jahakob Parhoni.

8 Tum dixit Parho Jahakobo, quot *sunt* dies annorum vitę tuæ?

9 Dixit verò Jahakob Parhoni, dies annorum [5] peregrinationum mearum *sunt* centum triginta annorum: [6] pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ, neque attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum, [c] quibus diebus illi peregrinati sunt.

10 Quúmque benedixisset Jahakob Parhoni, egressus est a conspectu Parhonis.

11 Collocans itaque Joseph patrem suum & fratres suos; dedit eis possessionem in terra Ægypti in optimo *loco* ejus terræ, in regione [7] Rahmesesi: quemadmodum præceperat Parho.

12 Sustentavítq; Joseph patrem suum, & fratres suos, & universam familiam patris sui; [8] cibo *quasi* in os parvulorum *indito*.

13 Quum autem cibus non esset in tota terra, eo quòd gravis *erat* fames illa valde; [9] furebat terra Ægypti & regio Cenahanis propter famem istam.

14 Et collegit Joseph totam pecuniam quæ inveniebatur in terra Ægypti & in regione Cenahanis pro annona quam illi comparaverant: intulítque Joseph pecuniam illam in [10] domum Parhonis.

15 Absumta itaque pecunia sua e terra Ægypti & e regione Cenahanis; conveniebant omnes Ægyptii ad Josephum, dicendo, dato nobis cibum, cur enim moreremur [11] coram te? *dato*, nam defecit pecunia.

16 Dixit verò Joseph, date pecora vestra, & dabo vobis cibum pro pecoribus vestris; si defecit pecunia.

17 Adducentibus itaque pecora sua ad Josephum; dedit eis Joseph cibum pro equis, & pro [d] possesso grege & pro possesso armento, & pro asinis: ita fecit ut transigerent cum cibo isto pro omnibus pecoribus suis [12] annum illum.

18 Sed quum absolutus esset annus ille; redeuntes ad eum [13] anno [e] altero dixerunt ei, Celare non possumus dominum meum, sed *necesse habemus dicere* absumtam esse pecuniam, & possessum pecus ad dominum meum *pervenisse*: non est re-

[1] quo consilio apparet ex versu 6.
[2] quo consilio hæc addantur ostendit supra 46.34.
[3] nempe hospitatum in hac terra hoc difficili & molesto tempore fiducia tui: Respicit enim Parho ad postulatum ipsorum quod proposuit Moses præcedente versu.
[a] *Heb. coram te est: ut infr. V.18. sic suprà 13.9. & 20.15. & 34.10.*
[b] *Heb. roboris.*
[4] salutando eum, ut infra 10. & 1. Schem. 5.5.
[5] id est, quibus annis mihi sæpe fuit peregrinandum, ut in fine versus: Est autem terrena hæc peregrinatio alterius spiritualis index, qua peregrinamur a Domino, Hebr. 11. 13.
[6] q.d. pręproperà est canities mea quia vires meæ curis laboribúsque maximis, & gravissimis molestiarum molibus oppressæ ac exhaustæ sunt.
[c] *Heb. in diebus peregrinationum illorum.*
[7] Heliopoleos in terra Goschenis, ubi Jisraëlitę habitarunt, infrà 27.
[8] id est, patremfam. agebat, cuique pro numero familiæ suæ prospiciens, & quidem commodissimè.
[9] id est, Aegyptii tumultuabantur anno 3. famis, mentem illis adimente fame.
[10] id est, ærarium Regis.
[11] cùm sit in manu tua remedium, ut inf. 19.
[d] *Heb. possessione gregis & possessione armenti, ut V. 18. Hypallage Rhetorum.*
[12] qui sextus erat ab ineunte fame.
[13] nimirum ex quo post absumtam omnem pecuniam suam cœperant Aegyptii pecora sua annona commutare. Fuit autem hic annus septimus iniens quo sementem Joseph dedit Aegyptiis. [e] *Heb. secundo.*

liquum [f] quod exponamus domino meo, præter [g] corpora noſtra & agros noſtros.

19 Quare moreremur ante oculos tuos? tum nos, tum agros noſtros *exponimus*, eme nos & agros noſtros pro cibo: & ſimus nos cum agris noſtris ſervi ParƗoni, & dato ſemen, ut vivamus ac non moriamur, & agri ipſi [14] non deſolentur.

20 Emit itaque Joſeph totum agrum Ægypti ParƗoni, quum venderent Ægyptii quiſque agrũ ſuum, eo quòd invaluiſſet ſupra eos hæc fames: ſic [h] ceſſit terra ipſa ParƗoni.

21 Ipſum verò populum [15] tranſtulit [16] in certas civitates; ab *una* extremitate limitis Ægypti uſque ad *alteram* extremitatem ejus:

22 Tantummodò agros [17] Præſidum non emit: nam portio attributa erat Præſidibus a ParƗone, comedebántq; portionem ſuam quam attribuerat ipſis ParƗo, [18] idcircò non vendiderunt agros ſuos.

23 Edixit autem Joſeph populo, en, emi hodie vos & agros veſtros ParƗoni: [19] ecce vobis ſementem, ut ſeratis agros:

24 Sed quod erit in proventibus, *ejus* dabitis quintam ParƗoni: quatuor autem partes erunt veſtræ ad ſementem agri, & ad cibum veſtrum, & eorum quæ *pertinent* ad familias veſtras, & ad cibum parvulorum veſtrorum.

25 Qui dixerunt, conſervaſti nobis vitam: [20] inveniamus gratiam in oculis domini mei, ut ſimus ſervi ParƗoni.

26 Itaque ſancivit Joſeph illud in ſtatutum ad diem uſque hunc de agris Ægypti, ut [i] ParƗoni tenerentur de quinta: tantummodò agri Præſidum [l] ſolùm non ceſſerunt ParƗoni.

27 Habitantes verò Jiſraëlitæ in terra Ægypti in regione Goſchenis; [21] conſtituerunt ſe poſſeſſores in ea, fœtificarúntque & aucti ſunt valde.

28 Vixítque JaƗakob in terra Ægypti ſeptemdecim annos: ita fuerunt dies JaƗakobi, anni vitę ejus, centum quadraginta ſeptem anni.

29 Quum autem propè eſſent dies Jiſraëlis ut moreretur; accerſens filium ſuum Joſephum dixit ei, ſi nunc inveni gratiam in oculis tuis, [22] pone quæſo manum tuam ſub femore meo: [23] prout exercuiſti erga me benignitatem & fidem, [24] ne quæſo ſepelito me in Ægypto.

30 Sed ubi occubuero cum patribus meis, reportabis me ex Ægypto, & ſepelies me in ſepulcro eorum: qui dixit, ego faciam ſecundùm verbum tuum.

31 Dicente verò *Jiſraële*, jura mihi, juravit ei; tunc [25] incurvavit ſe Jiſraël ad [m] cervical lecti ſui.

[f] *Heb. coram domino, ſuprà 9.* [g] *Heb. corpus noſtrum & terram noſtrã: Enallage.* [14] id eſt, deinceps inculti non jaceant ampliùs. [h] *Heb. fuit, ut* ✠.26. [15] ut jus proprietatis ab illis ParƗoni plenè acquireretur. [16] ut ſingulis pro Regis imperio aſſignabantur, non pro illorum voluntate, ſedes. [17] id eſt, officialium, eorum qui in aliquo munere erant apud Regem: nam vel ipſius Joſephi exemplum oſtendit regiis pręfectis & familiis eorum ex Regis apothecis & promtuariis fuiſſe proſpectum: alioqui non fuiſſent paſſi Aegyptii familiam JaƗakobi (quę jam Joſephi familia habebatur) Regiis ſumtibus ſuſtentari. Quod autem quidam hęc ad Sacerdotes reſtringunt (qui communi jure cum officialibus & adminiſtris Regis ex lege regni utebantur, teſte Diodoro lib. 1.) fundamento & probatione caret: vide ſuprà 41.45. [18] quia non cogebantur victum emere, quem regis Quæſtores ſuppeditabant. [19] nam hęc poſtremo anno famis contigerunt. [20] q.d. quod ad locationem agrorum quam proponis, oramus ut id noſtrâ cauſâ efficias apud ParƗonem, quò ejus emphyteutæ, id eſt, perpetuarii coloni eſſe poſſimus. [i] *Heb. ParƗoni ad quintam.* [l] *Heb. ſolorum.* [21] quod ad habitationem & paſcua, ut petierant ✠.4. [22] vide ſuprà 24.2. [23] ab officiorum antè præſtitorum exemplo & recordatione argumentatur. [24] Hoc non ſuâ ſed ſuorum cauſâ petit, ut etiam mortuus eos doceat non eſſe animum eorum Aegypto affigendum, ſed intendendum ad promiſſam terram, ut cæleſtis hæreditatis ſymbolum: & ut patrum ſepulturam poſteris allectamentum & certum poſſeſſionis pignus eſſe confirmaret. Eodem ſpectaſſe Joſephum apparet infrà 50.21. & 25. & Act. 7. [25] baculi quem ſenex in manu habebat ſummitate nixus, & ita cõpoſitus, ut inſiſtens lecto ſuóq; ſcipione fultus commodiùs ſeſe erigere & ſedere poſſet. Heb. 11.21. non ut Joſepho honorem exhiberet de impetrata poſtulatione ſua, ſed ut gratias ageret Deo: qui intus Spiritu, foris juramento filii futurum confirmabat, ut impleretur id quod non tam ſuâ quàm ſuorum cauſa petierat, Heb. ibidem. vide infrà 49.33. [m] *Heb. caput.*

CAPUT XLVIII.

JaƗakob ægrotus nepotes ex Joſepho cooptans, hæredes promiſſionis divinæ ejuſq; pignoris (CenaƗanææ) inſtituit filiorum gradu, terrenum jus primogenitorum a Reübene in Joſephum transferens: eiſq; benedicit, minorem majori divino inſtinctu præponens.

1 Accidit [a] autem his rebus geſtis, quum dixiſſet [1] *quiſpiam* Joſepho, ecce pater tuus ægrotat: ut aſſumtis duobus filiis ſuis ſecum, Menaſche & Ephrajimo, *adveniret*.

2 Quod quum renunciaſſet *ille* JaƗakobo, dicens, ecce filius tuus Joſeph venit ad te; confirmavit ſe Jiſraël ut ſederet ſuper lectum ſuum.

3 Et dixit JaƗakob Joſepho, [2] *Deus* fortis omnipotens apparuit mihi ‖ Luzi in regione CenaƗanis, & [3] benedixit mihi:

4 Dicens mihi, ecce [4] ego fœcundabo te & augebo te, [b] patrémq; efficiam te [5] cœtus populorum: & dabo terram hanc ſemini tuo poſt te, poſſeſſionem [c] perpetuam.

5 [6] Nunc itaque duo filii tui qui nati ſunt tibi in terra Ægypti ante adventum meum ad te in Ægyptum, [7] mei ſunt: Ephrajim & Menaſche, tanquam Reüben & SchimƗon, [8] ſunto mei.

6 Progenies autem tua, *ſi* quos genueris poſt eos, [9] tui ſunto: [10] de nomine fratrum ſuorum vocantor, in poſſeſſione ipſorum.

7 [11] Ego verò, quum redirem ex Padane, mortua eſt apud me Rachel ‖ in regione CenaƗanis in itinere, [12] quum adhuc *ſupereſſet* exiguum ſpatium terræ ad perveniendum Ephratham: & ſepelivi eam in via [d] ad Ephratham, ea *jam eſt* Bethlechem.

8 Sed [13] videns Jiſraël filios Joſephi, dixit, qui *ſunt* iſti?

9 Dicente verò Joſepho patri ſuo, filii mei ſunt, quos dedit mihi Deus hîc: dixit, aſſumens quæſo *admove* eos mihi, & [14] benedicam eis.

10 Oculi enim Jiſraëlis graves erant pre ſenio, non poterat cernere: ſic poſtquàm eos admoviſſet illi, oſculatus eſt eos & amplexatus eos.

11 Tum dixit Jiſraël Joſepho, me viſurum faciem tuam non judicaveram: ſed ecce, fecit Deus ut viderem etiam ſemen tuum.

12 Deinde [15] abducens illos Joſeph a genibus [16] ejus, incurvavit ſe in faciem ſuam ad terram uſque *honorem exhibens*,

13 Et aſſumtos *diſpoſuit* Joſeph illos ambos; Ephrajimum [17] ad dexteram ſuam a ſiniſtra Jiſraëlis, Menaſchen verò ad ſiniſtram ſuam a dextera Jiſraëlis: ſic *illos* admovit ei.

[a] *Heb. fuit autem poſt res iſtas.* [1] nuncius a familia JaƗakobi miſſus, per quem JaƗakob fit poſtea de adventu Joſephi certior, 2. verſu. [2] Propoſitio prima promiſſionis & vocationis Dei qua Joſephum & filios ab Aegypto ad promiſſam hæreditatem avocat. ‖ *ſup.* 28.19. & 35.6. [3] patris & avi benedictiones confirmavit: quod ideò commemorat, ut intelligat Joſeph (cujus filios in promiſſionum participationem aſſumturus eſt) eas penes JaƗakobum reſidere. [4] duo mihi promiſit Deus, poſteritatem numeroſam, & hæreditatem amplam; ac ita cõtulit ut penes me ſit facultas cooptandi filios tuos in communionem earum. [b] *Heb. & ponam te in cœtum pop.* [5] vide ſupra 28.3. [c] *Heb. ſeculi.* [6] accommodatio prioris membri quod in ſuis benedictionibus Deus promiſerat: nempe heredum multiplicatio Joſepho attributa, ex ſuperiore jure. [7] non ut nepotes ex filio, ſed ut mei ipſius filii. [8] in hæreditate hereiſcunda uterq; cum reliquis filiis meis ex ęquo partem accipito. [9] filii tui & nepotes mei cenſentor. [10] Ephrajimi & Menaſchis, id eſt, horum alteri accenſentor, tribubúsq; Ephrajimi & Menaſchis, quaſi appendices alterutrius populi, commiſcentor. Sic terrenum jus primogenitorum a Reübene ad Joſephum transfert, quod ad hæredum multiplicationem, 1. Chron. 5.1. & 2. cujus rei cauſam vide infrà 49.3. & 4. Hinc autem apparet jus primogenitorum de duplice portione hæreditatis (de qua lex habetur Deut. 21.17.) ante latam legem obtinuiſſe; ſicut obtinuit ſabbathum, circumciſio, ſeminíſq; fraterni ſuſcitatio. [11] Accommodatio poſterioris membri quod benedicens Deus promiſerat, nempe hæreditatis in Joſephi poſteros dividendæ. Hic autem exponuntur duo: primum, cauſa benedictionis illius & duplæ hæreditatis in Joſephum collatæ, videlicet quòd primogenitus ex juſta uxore eſſet: alterum, deſignatio primariæ hæreditatis ad Ephrajimum perventuræ, quam deſignationem jam olim feciſſe Rachel morte & ſepultura ſua videbatur. Hæc autem accommodatio a JaƗakobo ſene & oculis fermè capto interrupta fuit, quum adſtantes alios Joſepho ex improviſo animadvertit, quos eſſe Joſephi filios neſciebat: quamobrem ex abrupto Joſephum rogat, qui ſunt iſti? ſequente verſu. Sed poſteá demum quàm filiis benedixit per Spiritũ Dei, regreditur ad hæreditatis deſignationem, duobus verſib. ultimis. ‖ *ſupr.* 35.19. [12] hæc dicit ut planè declaret quàm religiosè caverit ne commiſceretur cum idololatris, quũ non longè ab opido exiſtens, uxorẽ in via potius quàm in opido cum infidelibus ſepelierit, quia non poterat ad majorum ſepulcrum deportare: itaque in ſeipſo ſtatuit exemplũ Joſepho & filiis pietatis conſervandæ. [d] *Heb. Ephratha.* [13] nam pręſentes non perceperat, & de ipſis tanquam abſentibus loquebatur. [14] i. benedictionem, quã modò pronunciabam velut de abſentibus, in præſentes conferam. [15] ut eos mox benedicendos ordine JaƗakoko ſiſteret. [16] JaƗakobi, ut cum bona ejus venia liberos ſubtraheret, alio ordine eos collocaturus: ſic deprecata eſt Abigajil Davidem incurvatione, 1. Schemu. 25.24. [17] videtur ex verbis JaƗakobi ✠.5. ac fortaſſis amplexibus animadvertiſſe Joſeph JaƗakobum magis ad Ephrajimum quàm ad Menaſchen inclinare quod ex ignoratione fieri ratus eos patri hoc ordine benedicendos offert.

14 [18] Sed

[18] poſthabito naturæ ordine, neque tam avi quàm miniſtri Dei perſonã ſuſtinens; qui dona ſua prout vult ſine reſpectu naturæ confert. [19] in his filiis ejus, verſ. 16. [20] qui continẽter duxit illos, & quem illi ſequuti ſunt: ſic Pſ. 116. 9. [21] cum eadem ab hoc Angelo petat quæ a Deo ipſo petiit, eúmque pari honore dignetur; nõ poteſt Angelus ſimpliciter, id eſt, creatus ſpiritus eſſe: neque ad alium accõmodari quàm ad Chriſtum, qui dicitur Mal. 3. 1. angelus federis: quemadmodum Angelus Exo. 14. 19. idem dicitur Jehova Exo. 13. 21. & 14. 24. ut ſuprà 31. 11. Chriſti autem mentionem hic facit, quia illius federis cum Patribus ad noſtram cum Deo reconciliationẽ icti, Chriſtus autor, mediator & conſervator eſt, ſolúsque bona in ſedere

14 [18] Sed extendens Jiſraël dexteram ſuam, ut
imponeret capiti Ephrajimi (quamvis eſſet *natu*
minor) & ſiniſtram ſuam capiti Menaſchis; cog-
noſcebat *palpando* manibus ſuis Menaſchen eſſe
primogenitum:
15 Benedicebátq; [19] Joſepho dicẽs; Deus ille,
[20] ante cujus conſpectũ indeſinenter ambularunt
patres mei Abraham & Jitzchak, Deus ille qui
paſcit me ex quo *die* ſum uſque in diem hunc,
16 [21] Angelus ille qui vendicat me ab omni
malo, benedicat pueris iſtis; & [22] vocetur in eis
nomen meum & nomen patrum meorum Abra-
hami & Jitzchaki: & [e] tanquam piſces multi-
plicentur in [23] hac terra.
17 Quum autem videret Joſeph patrem ſuum
impoſiturum eſſe manum dexteram ſuam capiti
Ephrajimi, malum viſum eſt illud in oculis ejus:
quare ſuſtinuit manum patris ſui, ut averteret e-
am a capite Ephrajimi ad caput Menaſchis.
18 Dixítq; Joſeph patri ſuo, non ita pater mi:
quum iſte *ſit* primogenitus, impone dexteram
tuam capiti iſtius.
19 Renuit verò pater ejus dicens, novi fili mi,
novi, tum [f] pater *unius* populi iſte, tum etiam ma-
gnus futurus eſt: veruntamen frater ejus *natu* mi-
nor [24] major erit iſto, & ſemen illius erit magna
[g] multitudo gentium.
20 Itaque benedixit eis die illo, dicendo, [25] [h] te
propoſito benedicent Jiſraëlitę dicendo, conſtituat
te Deus ſicut Ephrajimum & ſicut Menaſchen:
ſic poſuit Ephrajimum ante Menaſchen.
21 Deinde [26] Jiſraël dixit Joſepho, [27] ecce ego
[i] brevi moriturus ſum: erítq; Deus vobiſcum, &
reducet vos in regionem patrum veſtrorum.
22 Ego itaque do tibi [l] [28] partem unam ſupra
fratres tuos; quam [29] cepi e manu Emoręi [30] gla-
dio meo & arcu meo.

promiſſa confert, & mala contraria depellit. [22] id eſt, mei & majorũ meorum filii vocantor eodem gradu quo reliqui filii. [e] *Heb. fiant ut piſces in multitudine in medio hujus terræ.* [23] ſecundùm promiſſionem ſup. 46. 3. [f] *Heb. in populum.* [24] q.d. divinum decretum in causã eſt cur ita faciam. [g] *Heb. plenitudo: ſic Jeſcha.* 31. 4. [25] ſenſus eſt, adeò conſpicua erit Dei gratia in filiis tuis, ut beneprecandi exempla Jiſraëlitæ ſint inde ſumturi, illaque benedictio in proverbium abitura: quales ſunt formulæ Ruth. 4. 11. & 12. [h] *Heb. in te.* [26] regrediens ad ſecundum promiſſionis membrum, & applicationem illius, quæ fuerat interrupta inde a verſu 7. [27] id eſt, ne putetis has promiſſiones vobis a me moribundo eſſe, ut ſunt hæreditates terrenæ quas parentes liberis relinquunt, & hi mortuis illis adeunt: ſed ſunt a Deo, qui vos in poſſeſſionem miſſurus eſt, in cujus fidei perpetuam proteſtationem meum corpus eò deferri moriturus juſſi, ſuprà 47. 29. [i] *Heb. morior.* [l] *Heb. humerum vel dorſum.* [28] Prophetica loquutio elegantiſſima, qua ex ambiguo ſic portionem hæreditatis aſſignat Jaħakob Ephrajimo & Menaſchi Joſephi filiis, ut eadem appellatione deſignet ſortis illius nomen: Nam Hebræum *Schecem* & appellativum eſt, humerum, dorſum, vel metaphoricè montanum tractum ſignificans; & proprium Schecemi, urbis regionísque ad Joſephi poſteros pertinentis. Ὑπαλλαγή. [29] hoc eſt, nondum re ſed fide poſſidens, ac omnino de promiſſione Dei confirmatus, perinde de ea diſpono ac ſi jam poſſiderem. [30] id eſt, armis: ita deſignat fore ut poſteri ſui vi armata promiſſam terram acquirant, Deo ipſos armante & inimicos debilitante: ſic Pſal. 44. 6. ſynecdoche.

CAPUT XLIX.

Jaħakob moriturus, divini Spiritus inſtinctu præterita filiorum flagitia caſtigat, ſingulis eventura prædicit, ac benedicit eis: deniq; de ſepultura ultimam ſuã voluntatẽ repetens moritur.

[1] Ex his verbis apparet eum filios convocaſſe non tam teſtamenti condendi causã, quàm ut depoſitum apud ſe divinũ oraculum eis exponeret: ideò aſſumit novum orationis genus, Sancto Spiritu linguam ejus agente, & in ipſo ut in aliis Prophetis, loquente. Hinc frequentes ſub diverſis verbis anaphoræ, hinc ſententiæ ſolito cõtractiores & obſcuriores, hinc perpetuæ metaphorę & comparationes. Inſtruit autem ſuos de ſingulari Dei erga ipſos providentia, ut qui ipſorum poſteris, antequàm ſint, hęreditatem & vitæ conditionem in qua ſibi ſerrituri ſunt conſtituerit: inprimis autem filium deſignat ex quo ſemen illud benedictum (quod antea fuerat promiſſum) erat naſciturum; quod non modò ipſorum, ſed omniũ etiam gentium perfectæ felicitatis fons & origo futurum ſit. [a] *Heb. in conſequentia temporum.* [2] puta deinceps eventuris, uſquedum exhibeatur Chriſtus in temporum plenitudine.

1 DEinde convocavit Jaħakob filios ſuos; &
dixit, colligimini, [1] ut prænunciẽ vobis id
quod eventurũ eſt vobis [a] [2] ſequẽtibus tẽporibus.
2 Congregamini & audite filii Jaħakobi; at-
tendite, inquam, ad Jiſraëlem patrem veſtrum.
3 Tu Reüben, [3] primogenitus meus *fuiſti*, [4] vis
mea, & principium potentiæ meæ; [5] excellentia
dignitatis, & excellentia roboris:
4 Rapiditate, [6] aquarum inſtar *ruens* ne excel-
las, quia [7] aſcendiſti cubilia patris tui: tunc pro-
fanaſti *ea*, [8] ſtratum meum aſcendit.
5 Schimħon & Levi, [9] fratres: inſtrumenta vio-
lentiæ, [10] conventionibus ipſorum.
6 [11] In arcanum eorum [12] ne ingreditor anima
mea; [13] in cœtum eorum ne adunator gloria
mea: quia pro ira ſua occiderunt [b] viros, & pro
arbitrio ſuo avulſerunt boves.
7 [14] Maledicta ira eorum, quia vehemens, &
furor eorum, quia [c] ſævus fuit: diſpertio eos per
Jaħakobi, & diſpergo eos per Jiſraëlis *poſteros*.
8 [15] Jehuda, te, te *inquã* celebrabunt fratres tui,
[16] manu tua impoſita çervici hoſtiũ tuorũ: [17] in-
curvabunt ſe tibi *honorem exhibentes* filii patris tui.
9 [18] Catule leonis Jehuda, a præda fili mi a-
ſcendiſti: in crura ſe demiſerit, cubuerit tamquã
leo, & tamquam immanis leo, quis illum ſuſcitet?
10 [19] Non deſiſtet [20] tribus a Jehuda, neque

[3] naturę ordine, ut ſuprà 35. 23. [4] id eſt, primus effectus naturalium virium mearum, ut ſequentib. explicatur. [5] id eſt, excellentiſſimus dignitate & robore: Hypallage Rhetorum, de qua ſuprà 3. 6. Duas attingit prærogativas, quæ ejus ut primogeniti fuiſſent futuræ, niſi ſe inceſtu commaculaſſet: una dignitatis, qua fratres ſibi ſubjectos habuiſſet, poſteà in Jehudam Chriſti progenitorem tranſlata: altera roboris ex dupla hæreditate, quam ſuprà cap. 48 in Joſephum tranſtulimus planiùs hiſtoria tota exponitur 1. Chron. 5. [6] hoc eſt, ut aquæ in ſublimi non conſiſtunt, ſed magna rapiditate ad inferiora feruntur & ſponte diffluunt: ſic tu ne in hac excellentia maneas, ſed illico in cõmunem cum reliquis filiis gradum deſcendas. [7] ſic declarat Jaħakob inceſtũ Reübenis fuiſſe privationis iſtius cauſam. [8] hac apoſtrophe reliquis filiis juſtam eſſe oſtẽdit privationis cauſam, & hujus pœnæ exemplo omneis alios a peccatis abſterret: deniq; tranſitum facit ad ſequentem maledictionis locum, quem in perſona tertia totum enunciat. [9] non tam germanitatẽ reſpicit & cõmunes utrique parentes, quàm ſimile in utroq; ingenium & communẽ in facinus contra Schecemitas conſpirationem: de qua ſuprà 34. alioquin Reüben, Jehuda, Jiſſacar, & Zebulun æquè eorum fratres dicerentur. [10] hoc eſt, pactionibus illis, quibus cum Schecemitis convenerant, perfidè abuſi ſunt, ut ſeipſos tanquam arma & inſtrumenta ſiſterent injuſtitię & iniquitati ad perpetrandã violentiam. [11] i. conſilium; quod quia ſecretò iniri ſolet, hoc nomine appellatur, ut Jirme. 15. 17. & alibi. [12] q.d. hoc facere videreris, ſi illorum factũ ſilentio & impunitũ præterires: ideóq; ut illud animo deteſtor, ita etiam reipſa puniam. [13] Repetitio gradatim deteſtationẽ auget: nam cœtus plus eſt quàm arcanum, adunari quàm ingredi, & prędicare lingua factum atq; extollere, plus eſt quàm ſi animi ſtudiũ diſſimulabitur; & impudentię majoris documentum, ut oſtendit Paulus Rom. 1. 32. Gloria autẽ ſignificat linguã metonymicè, quia gloriationis eſt inſtrumentum: eodémq; modo accipitur Pſa. 16. 9. & 30. 13. [b] *Heb. virum, bovem, per enallagen.* [14] Jam exemplũ in eos ſtatuit, ipſis poſteriſq; futurũ ſalutare: itaq; ſapienter cavet, ne poſteri exemplũ progenitorũ ſequuti facilè in ſcelus aliquod conſpirare poſſent, eãdẽ ratione qua ante Deus mundo proſpexerat ſup. 11. 7. huc adde, quòd eorum noxiæ par pœna inſtituitur: nam quia conſilio & viribus in perpetrando ſcelere ſeſe conjunxerant, ita hac demũ pœna ſeparantur, ut non tantùm hujus poſteri a poſteris alterius, ſed etiã unius poſteri alii ab aliis ſeparentur. Schimħoni enim poſſeſſio non continua, ut reliquis fratribus, ſed poſſeſſioni Jehudæ intermixta aſſignata eſt, Jehoſc. 19. & quidẽ adeò anguſta, ut novas ſedes armis ſibi coactus ſit quęrere, 1. Chron. 4. poſteris verò Levi habitatio per omnes tribus deſignata, Jehoſch. 21. [c] *Heb. durus f.* [15] Occaſione ipſius nominis de ejus dignitate vaticinatur, eúmq; divino decreto mittit in poſſeſſionẽ prioris illius juris quod ad primogenitũ pertinebat: de quo ſup. V. 3. [16] i. eo glorioſus eris, quòd hoſtes cæſos fugatóſq; cõprehendes, & plenam de eis victoriam conſequeris: quod primùm quidẽ ex parte impletum legimus Judic. 1. & ſub Davide, 2. Schem. 8. deinde verò in Chriſto perfectiſſimè tandẽ implebitur, quũ Dominus omneis inimicos ejus ſcabellũ pedum ejus poſuerit, Pſalm. 110. 1. [17] hoc eſt, regia dignitas in populo Dei penes te erit, propter quam tibi reliquę omnes tribus honorẽ delaturæ ſunt: ut Davidis & Schelomonis temporibus factum eſt. [18] Quod prius dixit, jam ad majorem certitudinẽ allegoricè repetit, & figuris illuſtrat, ut Jehudæ ſtatum quaſi oculis filiorum ſpectandum ſubjiciat: ideò confert eum cum leunculo & leone per gradationem, inimicos verò cum præda quam invadit, ſuperat, & reportat in locum ſuum victor. [19] ſenſus eſt, & tribulis ratio, & regia illa & judicialis autoritas (quæ ſignificatur ſceptro metonymicè) in tribu Jehudæ conſtantiſſimè futura eſt. Ac paulo quidẽ antè convelletur propemodum tribus & tota tribus ratio, quæ ad illa uſq; tempora præ cæteris perſcripta fuit: & regnum quoque eripietur ei, quàm Chriſtus Rex & ſervator humani generis (qui lux eſt gentium) in hanc lucem venerit: nam hujus adventum proximum violenta illa ademtio præſignificabit, quum trucidabitur Jehuda, & auferetur ſceptrum. Sed nulla tamen violentia tanta futura eſt, quin Chriſtus adventu ſuo ſit eam perrupturus, regnúmq; Jehudæ patris ſui recepturus, adeóq; amplificaturus potentiſſimè in omnes gentes, adeò ut ſceptro ipſius præſtent obedientiam. Hoc igitur proximum ſignum futurum eſt, & certiſſimum adventus Chriſti prænuncium, quòd tribus Jehudæ affligetur graviſſimè, & regno ſuo dynaſtiſq; orbabitur: ſed remedium mox ſucceſſurum eſt in Chriſto. De hujus autem prophetiæ interpretatione atque complemento, Philo, Joſephus, Hegeſippus, Euſebius, lib. de præparat. & demonſtrat. Evangel. Epiphanius contra Nazoræos, Cyprianus, Hieronymus, alii conſulendi ſunt. [20] i. certa ſeries gentis, ejúſq; perſcriptio accurata.

[21] Legislator [22] e medio pedum ejus; usquedum
venturus erit [23] [d] filius ejus, [24] & *erit* ei obedien-
tia populorum.
11 [25] Ligans ad vitem asellum suum, & ad ge-
nerosam vitem pullum asinæ suæ; [26] lavat in vi-
no vestimentum suum,& in [e] succo uvarum ope-
rimentum suum.
12 [27] Rubicundus oculis ex vino, & [28] albus
dentibus ex lacte.
13 [29] Zebulun ad portum marium habitabit;
ipse *inquam* ad portum navium, latúsq; ejus ver-
sus Tzidonem *erit*.
14 [30] Jissacar asinus [f] ossibus valens; cubans
inter duas sarcinas:
15 [31] Quum videns quietem *rem* bonam esse,&
terrā suam esse amœnam; inclinaverit humerum
suum ad bajulādum,& factus fuerit [g] tributarius.
16 [32] Dan judicabit populum suum, tamquam
unā tribuum Israëlis.
17 [33] Erit Dan *ut* serpens juxta viam, [34] acon-
tias juxta semitam: [35] qui mordet calces equi,&
per quem decidit sessor ejus retrorsum.
18 [36] In salutem tuam exspecto Jehovam.
19 Gad, [37] turma turmatim populabitur eum:
sed ipse populabitur *alios* tandem.
20 Ex Aschero [58] pinguis *exstabit* cibus ejus,&
ipse præbebit delicias [h] regias.
21 [39] Naphthali, *est* cerva emissa: [40] qui pro-
fert verba [i] elegantia.
22 [k] [41] Ramus fœcundus Joseph, ramus fœ-
cundus secus fontem: *duobus* ramis *suis* [42] proce-
dit ultra murum.
23 [43] Quamvis amaritudine affecerint eum &
jaculati sint, quamvis intestino odio prosequuti
sint eum [l] sagittarii:
24 Tamen permansit in robore arcus ejus, ro-
boratáq; sunt brachia manuum ejus; [44] a mani-
bus robusti *Dei* Jaħakobi, [45] unde *fuit* pastor *&*
lapis Jisraëlis:
25 [46] A forti *Deo* patris tui qui adjuvaturus est
te, & ab omnipotente, qui benedicturus est tibi
benedictionibus cælorum supernè,benedictioni-
bus [47] abyssi subjacentis; benedictionibus [48] ube-
rum & vulvæ.
26 [49] Benedictiones patris tui,validæ sunt cum
benedictionibus progenitorum meorum, [50] usq;
ad finem collium seculi; [51] *hæ* adsunto capiti Jo-
sephi,& vertici [52] separati inter fratres suos.
27 [53] Binjamin, lupus qui discerpit, [54] mane
comedit prædam; & ad vesperam dividit spo-
lium.
28 Omnes istæ *sunt* [55] tribus Jisraëlis duode-
cim: & hoc *est* quod eloquutus est eis pater ea-
rum quum benediceret eis, [56] earum cuique pro-
ut benedictioni ipsius convenit benedicens.
29 Deinde præcepit eis ac edixit eis, me [57] ag-
gregato ad populum meum, sepelite me cum pa-
tribus meis; *efferentes* in speluncam illam quę *est*
in agro Hephronis Chitthæi,
30 [58] In eam speluncam quæ *est* in agro [||] Mac-
pelæ,qui *est* e-regione Mamræ in terra Cenaħa-
nis: quam emit Abraham cum ipso agro ab He-
phrone Chitthæo in possessionem sepulchri.

[21] i.regia autoritas,metonymicè, ut antè diximus,nam legislator idē est quod princeps & dynasta imperium & dominationē obtinens. [22] i.quin semper aliquis sit ex posteris a Jehuda genitis atque educatis. Similis loquutio est Deut.28.57. sumta a parentibus, ad quorum pedes educantur liberi: quemadmodū etiam ad genua dicuntur educari, infrà 50.23. [23] Christus, semen mulieris, ex secundis editus sine virili operatione. [d] *Heb.secunda ejus.* [24] i.ei obedient gentes,eum suū principem & servatorem agnoscentes. [25] Jam de terrena hæreditate tribus Jehudæ vaticinatur allegoricè. Sensus est, ejus regio futura est vitifera, adeò ut quemadmodum alibi rustici jumenta sua ad vepres & arbusta ligant,sic posteri Jehudæ prę copia & firmitate vitium etiā ad pręstantissimas ea ligaturi sint. [26] h.e.vini copiā tantā abundabit,ut eo possit uti ad vestes lavandas aquæ loco: hyperbolicæ sunt locutiones. [e] *Heb.sanguine.* [27] ejus vini præstantiam describit ab effectu: solet enim præstans vinum oculos bibentiū rubicundos efficere,ut Prov.23.29. cui est rubedo oculorum? [28] id est,abundabit quoq; bonis pascuis, ac proinde copia lactis affluet. [29] q.d. maritimam obtinebit regionem atque portuosam: hujus rei complementum vide Jehosch.19.a V.10.ad V.15. Pergit autem hic Mosche eodem ordine recensere ea quæ fuerunt filiis Leæ prophetata, usque ad V.16.tum de filiis ancillarū agit,usq; ad V.22.de filiis verò Rachelæ postremo loco. [30] asino eum comparat robustissimo quidem,sed natura segni,adeò ut sarcinas graves sibi impositas segnitie quadam ferat,& non excutiat. [f] *Heb.ossis.* [31] Similitudinis qua modò usus est amplior circumscriptio vel accommodatio: Sensus est,quietis studio & agri amœnitate captus, licet robustissimus sit, nihil præclari geret; sed domi desidens,ignaviter sibi tributa indici patietur: idem quoq; vaticinatus est Mosche Deut.33.18. quum eum in tentoriis suis oblectari dixit: vide Judic.5.16. [g] *Heb.tributo serviens.* [32] Alludit ad nomen ejus a judicando desumtum,ut supr.30.6.paulùm diversa ratione. Sensus est, licet Dan filius sit ancillæ, ac proinde ex jure & lege conditione sua inferior illis quos modò recordatus sum; principatum tamen aliquem nihilominus obtinebit inter fratres suos, divinitus sublato discrimine inter filios herarum atque ancillarum. Quod autem hîc nominatim Dani attribuitur, quia primus inter filios ancillarum a Jaħakobo recensetur, æquè per analogiam de unoquoque ancillarum filio est accipiendum, quia omneis spiritu prophetico natalibus restitutos volebat: quæ verò peculiariter ad tribum Danis pertinent, statim subjungit Jaħakob. [33] posteros Danis cum serpente comparat,qui furtim,astu,& per insidias hominibus nocet: eos enim his rationibus fuisse usos testantur historiæ Sacræ,quum astu Lajischum occuparunt,Judic.18. & quum Schimschon astu, ac nunquā aperto Marte Pelischthæis nocuit,Judic.14.usq; ad caput 17. quamobrem etiam cum leonis catulo,qui repentè exsilit e Baschane,cōparatur per Moschem,Deut.33.22. [34] sive(ut Lucanus vocat)jaculus,serpentis genus subiens arbores, & ex ramis earum se vi maxima vibrans, cujus meminit Plinius lib.8.natur. hist.cap.23. nam inde apud Hebræos nomen habet. [35] id est, qui ab omni parte hostes fraudibus infestaturus est,ut serpens infernè calcem equi, jaculus supernè sessorē petit. [36] Sensus est,graviter opprimeris,adeóq; graviter ut non nisi divinitus ab oppressionibus servari possis: quod futurum certa spe amplector.Duobus autem nominibus ea tribus inprimis salute opus habuit: primùm quod ad terrenam hæreditatē attinet: nam ab Emoræis eam tribū valde fuisse pressam legimus Judic.1.34. eámque postremam inter tribus ad hæreditatem suam, ac potiùs habitationem magnis laboribus pervenisse, Jehoschu.19.47.& Judic.18. deinde quod ad religionem; quia hæc prima a puritate illius defecisse legitur, & idola publicè coluisse, Judicum ibidem. [37] hîc quoque alludit ad nomen Gadis,ut supr.30.11. Sensus est,principio hostes tibi erunt infesti, sed tandem victor evades Dei protectione fretus, Deut.33.21. Hammonitas autem videtur intelligere, itémque Hagarenos, Jeturæos,Naphischanos,& alios,quos hæc tribus habuit finitimos. De quibus quantopere fuerint ei infesti, & quomodo tandem Gad evaserit victor, apparet ex Judic.10.& 11. (nam ad illam historiam alludere videtur Jaħakob.) & 1.Chron.5. [38] hoc est, regio Ascheritanæ tribus copiam rerum præstantissimarum efferet & regibus dignarum: eodem quoque spectat Mosche Deut.33.24.quum dicit eum pedem suum oleo intingere. Eventum autem vaticinio respondisse apparet ex Jehosch.19.ubi regio Ascheri attribuitur olei aliarúmq; rerum optimarum feracissima.

[h] *Heb.regiis.* [39] videtur Jaħakob innuere id quod de hac tribu scribitur Judic.4.cap. & tribus sequentibus: q.d.erit hæc tribus animi promtitudine & celeritate ad gerendum bellum, quod sibi Deus commiserit, comparanda cum cerva a venatoribus dimissa. [40] q.d. neque tamen hæc tribus temere bella susceptura, sed pacis & concordiæ sermonibus, erga omneis usura est sorte sua contenta: quò etiam Mosche spectavit in benedictione ejus, Deut.33.23. [i] *Heb.elegantia.* [k] *Heb.filius fœcunde.* [41] Josephum (ex cujus posteritate duas tribus constituit, ut sup.48.5.)cum bifido ramo cōparat, id est,geminam ex se propaginē efferente & velut perenni fonte benedictionibus irrigato. [42] omnia hæc allegoricè: id est, adeò in latitudinem & altitudinem excrescet,ut murum superet juxta quem situs est. q.d.uttaque ejus tribus sese longè latéque diffundet: cujus rei complementum vide Jehoschu. 16.17. [43] Nunc primum speciatim de Josepho agit sub metaphora jaculatorum & scopi: q.d. illi quidem Josepho adversantes (ut fratres, hera ejus, dominus, & tumultuantes præ fame Aegyptii) collimando ad eum velut scopum perdere eum conati sunt, ipse verò arcu similiter instructus conatibus eorum restitit, & invictus mansit: arcus autem & robur ejus fuit gratia Dei, providentia, & immutabile decretum de amplificando Josepho. [l] *Heb.domini sagittarum.* [44] humanitus dictum. [45] id est,a Deo ipso evectus est eo-usque, ut victum Aegyptiis & aliis gentibus suppeditaverit, fuerítque Jisraëlitis lapis persugii. [46] nunc docet quod suprà 48.4.attigerat, nimirum a Josepho in filios favorem illum Dei propagatum iri: eo quòd regionem sunt consequuturi fœcunditate soli, roris pluviæque abundantia, & aëris clementia præstantem, ubi & terræ nascentia feliciter proventura, & jam viventia prosperè actura sint. [47] id est, fontium, rivorum, & pinguedinis soli. [48] id est,liberorum & pecudum copiā: Metonymiæ sunt. [49] i.omnes hæ benedictiones simul adunatę,vel meæ benedictiones per benedictiones majorum meorum auctæ atque confirmatæ. [50] i. non temporales tantùm, sed æternæ: conjungit enim spirituales promissiones cum terrenis, quia hæ illarum erant figuræ: periphrasis est perpetuitatis,non dissimilis illi quæ habetur Psalmo 72.vers.5.7.& 17. Psalm.89.37. & 38. item Matthæi 5.18. & alibi passim. [51] id est,perfunduntο Josephum,ut abundè fiat earum particeps. [52] id est,ejus quem Deus e numero fratrum separans ad principatum evexit, ut populi sui servator esset, & jure primogenitorum exornavit. [53] conditionem & ingenium Binjaminitarum præmonstrat tale futurum, ut cum lupo prædam rapiente, lacerante, vorante, & suis catulis distribuente comparari possint: nam,& historiæ quæ de Binjaminitis leguntur Judicum 19 usque ad finem, & 1.Schemuelis a cap.9.usque ad 15. eos tales ingenio fuisse ostendunt: & conditio ipsorum fuisse ejusmodi eo demonstratur,quòd finitimis bellis semper fuerunt occupati, sive contra Cenaħaneos incolas,Judic.1.sive contra Jisraëlitas ipsos,præsertim ex quo regnum temporibus Davidis & Schelomonis divisum est, ut libris Schemuelis, Regum, Chronicorúmque exponitur. [54] id est, totos dies: Synecdoche. [55] tribuum mentionem facit Mosche,antequam Jisraëlitæ in tribus distincti essent,ut ostendat hæc Jaħakobi vaticinia non tam ad personas duodecim filiorum,quàm ad totas tribus ex illis orituras pertinere: nam licet tres priores a vers.3. ad vers.7. nullam prorsus benedictionem a patre accepisse videantur,acceperunt tamen ipsi quoque: tum quia hæreditatem inter fratres suos & habitationem habuerunt, tum etiam quia in divino federe fuerunt comprehensi. [56] id est,omnino prout suæ benedictiones ipsis acciderunt,& deinceps accident: nam eæ fuerunt a sancto Spiritu pronunciatę. [57] vide suprà 25.8.annot. [58] vide suprà 23.9. [||] *sup.*23.16.

31 [59] Ibi

31 [59] Ibi ſepelierunt *majores* Abrahamum & Sa-
ram uxorem ejus, ibi ſepelierunt Jitzchakum &
Ribkam uxorem ejus, ibique ſepelivi Leam:
32 *In* poſſeſſione agri illius & ſpeluncæ quę *eſt*
in eo *emta* a filiis Chethi.
33 Quúmque abſolviſſet Jahakob præcipere
filiis ſuis, [60] recepit pedes ſuos in lectum ſuum:
ita expiravit & aggregatus eſt ad populos ſuos.

59 hæc commemorat, ut efficaciùs illorum animos ab AEgypto, ubi erant, ad promiſſam terrã revocet, ut Joſepho nominatim fecerat ſuprà 48. 7. De Ribkæ autem & Leæ morte atque ſepultura, nihil uſquam alibi legitur. 60 hinc apparet eum, quum Dei præconem benedicens filiis ageret, pedibus demiſſis in lecto conſediſſe; ut ſaltem ea ratione (quia ſtare præ imbecillitate non poterat) honorem Dei verbo quod pronunciabat exhiberet, ut annotavimus ſuprà 47. 31. Sic legimus obſervatum infrà Num. 23. 22. Judic. 3. 20. & 2. Regum 23. 2. & 2. Chron. 34. 31. & Nechemjæ 8. 6.

CAPUT L.

Jahakob mortuus Joſephi juſſu aromatibus conditur, diu ab AEgyptiis defletur, & regis permiſſu a Joſepho & fratribus in Cenahanæam delatus ſepelitur. Joſeph fratres de commiſſo in ſe facinore ſollicitos benignè conſolatur, eíſque neceſſaria omnia promittit: poſtremò viſis ex ſe abnepotibus, quum de transferendis ſuis oſſibus præcepiſſet, moritur: ejúſque corpus aromatibus conditum aſſervatur.

1 TUnc ruens Joſeph ſuper faciem patris
ſui; flevit ſuper eum, & oſculatus eſt
eum.
2 Quúmq; præcepiſſet Joſeph ſervis ſuis me-
dicis, ut [1] aromatibus condirent patrem ſuum;
aromatibus condierunt medici, Jiſaëlem.
3 Et impletis ei [2] quadraginta diebus (nam ita
impleri ſolent dies eorum qui aromatibus condi-
untur,) fleverunt eum Ægyptii [3] ſeptuaginta di-
ebus:
4 Poſtquàm autem prætcriiſſent dies fletus
ejus, alloquutus eſt Joſeph [4] familiam Parhonis,
dicendo; ſi nunc inveni gratiam in oculis veſtris,
loquimini quæſo [a] apud Parhonem, dicendo,
5 Pater meus adjuravit me dicendo, ecce ego.
[b] brevi moriturus ſum; in ſepulcro meo [5] quod
fodi mihi in regione Cenahanis, ibi ſepelito me:
nunc itaque aſcendam quæſo; ut ſepeliam pa-
trem meum, deinde revertar.
6 Cui dixit Parho, aſcende & ſepeli patrem tu-
um; quemadmodum adjuravit te.
7 Aſcendit itaque Joſeph ad ſepeliendum pa-
trem ſuum: aſcenderúntque cum eo [6] omnes ſer-
vi Parhonis, [7] Seniores familiæ ejus, & Seniores
omnes terræ Ægypti:
8 Pręterea tota familia Joſephi, & fratres ejus,
ac familia patris ejus: tantùmodò parvulos ſuos
& greges ſuos & armenta ſua reliquerunt in ter-
ra Goſchenis.
9 Denique aſcenderunt cum eo tum currus,
tum equites; adeò ut eſſet exercitus ille [c] nu-
meroſus valde.
10 Quum autem veniſſent uſque ad aream
quandam [d] ſeptam cynoſbatis, quæ *eſt* ad va-
dum Jardenis, planxerunt ibi planctu magno &
gravi valde: [e] inſtituit enim patri ſuo luctum [8]
ſeptem diebus.
11 Quapropter videns incola ejus regionis, *po-
pulus* Cenahanæus luctum illum in area illa ſep-
ta cynoſbatis, dicebant, luctus gravis hic *eſt*
Ægypto: idcircò vocavit nomen illius *areæ*, *a-
ream* lugentis Ægyptii, quæ *eſt* ad vadum Jarde-
nis.
12 Facientes ergo filii ejus ei, [f] præciſè quem-
admodum præceperat eis,
13 Extulerunt eum filii ejus in regionem Ce-
nahanis, & ſepeliverunt eum in ſpelunca agri
Macpelæ; quæ agrum emerat Abraham in poſ-
ſeſſionem ſepulcri ab Hephrone Chitthæo, e re-
gione Mamræ.
14 Deinde reverſus eſt Joſeph in Ægyptum,
ipſe & fratres ejus, & omnes qui aſcenderant cũ
eo ad ſepeliendum patrem ejus; poſtquàm ſepe-
liviſſet patrem ſuum.
15 Videntes autem fratres Joſephi mortuum
eſſe patrem ſuum, dicebant, fortaſſis inteſtino
odio proſequitur nos Joſeph; & [g] omnino re-
pendet nobis totum illud malum quod intuli-
mus ipſi.
16 Ideóq; amandarunt aliquos ad Joſephum,
qui dicerent; [9] pater tuus [10] præcepit ante mor-
tem ſuam, dicendo,
17 Ita dicetis Joſepho, obſecro, condona nunc
defectionem [11] fratrum tuorum & peccatum eo-
rum, quòd malum intulerunt tibi, nunc inquam
condona quæſo defectionem [12] ſervorum Dei
patris tui: ſed flebat Joſeph [13] quum illi alloque-
rentur ſe.
18 [14] Deinde adeuntes etiam fratres ejus pro-
ciderunt ante faciem ejus; ac dixerunt, ecce nos
[h] tibi ſervos.
19 Dixit verò eis Joſeph, ne timeatis: nam [15]
an loco Dei *ſum* ego?
20 Vos quidem cogitaveratis contra me ma-
lum: *ſed* Deus cogitavit illud in bonum *converte-
re*, ut faceret ſicut *eſt* die hoc, conſervando in vi-
tà populum multum.
21 Nunc itaque [16] ne timeatis, ego ſuſtentabo
vos & parvulos veſtros; ita conſolatus eſt eos, &
loquutus [i] quæ *erant* eis cordi.
22 Sic habitavit Joſeph in Ægypto, ipſe cum
familia patris ſui: vixítque Joſeph centum de-
cem annos.
23 [17] Et vidit Joſeph ab Ephrajimo *natos* ab-
nepôtes: etiam filii Maciris filii Menaſchis nati
ſunt, *& educati* [18] ſuper genua Joſephi.
24 Tum dixit Joſeph fratribus ſuis, ego brevi
moriturus ſum: [19] Deus autem [k] omnino viſita-
bit vos, & faciet ut aſcendatis ex hac terra in re-
gionem illam quam [l] juramento dedit Abraha-
mo, Jitzchako, & Jahakobo.
25 Adjuravítque Joſeph filios Jiſraëlis dicen-
do; omnino viſitabit Deus vos, *adjuro* ut depor-
tetis oſſa mea hinc.
26 Deinde mortuus eſt Joſeph natus centum
decem annos; & poſtquàm eum condiviſſent *me-
dici* aromatibus, in quadam arca [20] repoſitus eſt
in Ægypto.

1 ex regionis more, ut & ſequentia: de quo more apud AEgyptios perpetuo vide Herodotum lib. 2. & Plinium lib. 11. natur. hiſt. cap. 27. hunc autem morem Jiſraëlitæ ſecum in promiſſam terram detulerunt, quo in regum illuſtriúmque virorum cadavera uſi ſunt: ut 2. Chro. 16. 14. & 21. 16. & in Evãgelica hiſtoria de ſepultura Chriſti.
2 videlicet ut conditturæ vis ad omnes cadaveris partes penetraret.
3 decies ſeptenario dierum numero, qui religioſus olim habebatur, ut inf. verſ. 10.
4 non quòd e gratia regis excidiſſet, ſed quia pullatus erat & verſabatur in luctu ipſe cum tota cognatione ſua: ideò AEgyptiis utitur interceſſoribus. non enim ſolebant pullati apparere coram Rege, Eſter 4. 2. ut annotavimus ſuprà in 41. 14. a *Hebr. in aures Parhonis, ſuprà* 47. 29. b *Hebr. morior: ut ſuprà* 48. 21. *& infrà* 24. 5 frequenter in uſu fuit, ut homines dum vivebant ſibi ſepulcra pararent, ut apparet ex 2. Chron. 16. 14. Jeſchahjæ 22. 16. & Matth. 27. 60. idem feciſſe Jahakobum hic commemorare voluit Joſeph, ne Jahakob odio regionis inductus de ſe transferendo ſtatuiſſe AEgyptiis videretur; ſed potiùs quòd religione familiaris ſepulcri teneretur: quæ religio apud omneis ex jure gentium inviolata manſit quamdiutiſſimè. Se verò excuſat Joſeph propter juramentum patri ſuo præſtitum: quam excuſationem probavit Parho, ſequente verſu. 6 id eſt, aulicorum bona pars: ſynecdoche. 7 id eſt, primates, ut ſenatores, conſiliarii, præfecti. c *Hebr. gravu.* d *Heb. cynosbati, ut infrà* 11.

e *Heb. fecit.*
8 qui numerus ferè ſervatus eſt faciendis juſtis, Eccleſiaſt. 22. 13. ſicut de Severo narrat Herodianus lib. 4. & de Grumbatæ filio Ammianus lib. 19.
f *Hebr ſic, quemadmodum, ſuprà* 49. 29.
g *Heb. rependendo rependet.*
9 quod a Joſepho petunt, tribus argumentis exorare conantur: primum eſt patris voluntas atque precatio.
10 nobis videlicet ut ſuis verbis tecum ageremus.
11 ſecundum argumentum a fraterna ſanguinis neceſſitudine.
12 tertium argumentum a communi religione.
13 nam ut inſtructi argumentis venerant, ita haud dubiè præmeditatam habebant orationem, ut re & verbis Joſephum permoverent; ut illud mittamus, quòd non poterat pius Joſephi animus ſola facti commemoratione non graviter affici.
14 quum videlicet intellexiſſent quid ab interceſſoribus factum.
h *Hebr. in ſervos.*
15 vide ſuprà annot. 30. 2. ſenſus eſt, non eſt meum mutare divinum decretum, & vobis nocere quibus Deus prodeſſe voluit: ſervi Dei eſtis, ut ſuprà verſ. 17. & ego ſum: quapropter ejus conſilium utrique ſpectemus, ut ſequentibus verbis exponitur.
16 a metu vindictæ eos liberat hac concluſione, & incertam ſpem continuandæ beneficentiæ erigit. i *Hebr. ſecundum cor eorum: vide ſuprà* 34. 3. 17 hic incipit apparere quod Jahakob prædixerat ſuprà 48. 19. Ephrajimum fore majorem fratre. 18 id eſt, excepti gremio Joſephi, ut parvuli ſolent. vide ſuprà in 3. 16. & 30. 3. & 49. 10. 19 reſpicit promiſſionem factam Abrahamo ſuprà 15. 14. & renovatam avo ſuo Jitzchako ſuprà 26. 13. ac poſtremò etiam redintegratam & confirmatam Jahakobo patri ſuo, ſuprà 46. 5. k *Hebr. viſitando viſitabit, ut* 25. l *Heb. juravit, ut verſ.* 25. 20 ut a migrantibus deportaretur Schecemum: vide Jehoſchu. 24. 32.

SECUN-

SECUNDUS LIBER MOSCHIS, SIVE EXODUS.

Secundus *liber Pentateuchi duram populi Dei servitutem, admirandam liberationem, divinæ Legis promulgationem, denique res centum quadraginta duorum annorum spatio à morte Josephi usque ad erectum tabernaculum gestas complectitur.*

A morte Josephi ad nativitatem Moschis	ann. 60.
A nato Mosche ad exitum ex AEgypto	ann. 81. *Exod.* 7.10.
Ab exitu ex AEgypto ad erectum tabernaculum.	ann. 1. *Exod.* 40.17.

CAPUT PRIMUM.

AEgyptii sibi a Jisraëlitis numero & viribus auctis metuunt, ideòque novi Regis consilium sequentes dura eos servitute premunt, eorúmque masculos infantes tum privatim tum publicè tollendos esse e medio decernunt.

1 Atque [1] hæc *quidem sunt* nomina fi-
liorum Jisraëlis qui venerant in
Ægyptum (venerant *autem* cum
Jaħakobo, quisq; cum familia sua)
2 Reüben, Schimħon, Levi, & Jehuda,
3 Jissacar, Zebulun, & Binjamin,
4 [2] Dan, & Naphthali, Gad, & Ascher.
5 Erántque omnes animæ, [3] egressi e femore
Jaħakobi, septuaginta animæ; [4] cum Josepho *qui*
erat in Ægypto.
6 Mortuus autem est Joseph, omnésq; fratres
ejus, & [5] tota ætas illa:
7 Et filii Jisraëlis fœtificaverunt, & [a] abundè
progenuerunt, atq; adaucti sunt & corroborati
quã plurimũ; adeò ut terra illa impleretur ipsis:
8 Quapropter exsistens Rex novus super Æ-
gyptum, qui [6] non agnoscebat Josephum,
9 Dixit populo suo; ecce populus [b] Jisraëlita-
rum numerosior & potentior *fit* nobis.
10 Agedum, sapienter nos geramus adversus il-
lum; ne augescat, [c] eveniátque siquando incide-
rint [d] *occasiones* belli ut [7] adjungat se ipse quoque
inimicis nostris, vel pugnet contra nos, vel as-
cendat ex hac terra.
11 Constituerunt itaque super eum [8] præfec-
tos angariis, qui [9] affligerent eum oneribus suis:
& ædificavit *populus Jisraëlis* urbes armamenta-
riorum Parħoni, [10] Pithomum & [11] Raħamsesum.
12 Sed prout affligebant eum, ita augescebat
& ita erumpebat [e] *in multitudinem*; adeò ut distæ-
deret *AEgyptios* propter filios Jisraëlis:
13 [12] Coëgerunt itaque Ægyptii filios Jisraëlis
servire per sævitiam,
14 Et amaram affecerunt vitam eorum servi-
tute dura, *occupantes* in luto, & in lateribus, & in
omni servitute rustica; [13] [f] præter omnem servi-
tutem ipsorum quam exigebant ab iis per sæviti-
am *domi*.
15 Præterea alloquens Rex Ægypti [14] illas quæ
obstetricabantur Hebræis, quarum uni nomen
erat Schiphra, nomen verò alteri Puħa.
16 Edixit, obstetricando *mulieribus* Hebræis,
quum inspicietis in sellas parturientium: si filius
fuerit, *edico* ut enecetis illũ, sin filia fuerit, vt vivat.
17 [15] Sed timuerunt obstetrices illæ Deum ip-
sum, neq; fecerunt quemadmodum edixerat eis
Rex Ægypti: nam vivos conservabant natos.
18 Vocante autem Rege Ægypti obstetrices
illas, & dicente eis, quare fecistis rem hanc? nam
vivos conservastis natos:
19 [16] Dixerunt obstetrices illæ Parħoni, quia
Hebreæ non *sunt* sicut mulieres Ægyptiæ: sunt
enim vividæ, quum nondum venit ad ipsas ulla
obstetrix, jam pepererunt.
20 Idcircò benefecit Deus obstetricibus illis;
quum augeretur populus ille, & corroborarentur
valde.
21 Deinde factum est, quia timebant illæ ob-
stetrices Deum; & domos [17] *natis* illis [g] statue-
bat Deus:
22 [18] Ut præciperet Parħo toti populo suo, edi-
cendo; omnem horum filium qui nascetur in ri-
vum ipsum projicite, omnem verò horum filiam
vivam conservate.

[1] quod priùs scripserat Gen. 46. hîc repetit Mosche, primùm ut illustrius appareat complementum promissionis factæ Jaħakobo, ibidem: deinde ut intelligatur occasio, qua moti sunt AEgyptii ut cõtra Jisraëlitas consilia inirent, quæ pòst describuntur.
[2] hîc ancillarum filii sunt postremo loco positi.
[3] ut disertè excipiat uxores Jaħakobi atque filiorũ, sicut nominatim excepit Genes. 46.26.
[4] & natis ex eo: synecdoche.
[5] adnumeratis etiã AEgyptiis.
[a] *Heb. in morem reptilium, ut Gen.* 1. 20 & 8.17.
[6] vel ignorans (natus videlicet & ad regnum evectus post mortem Josephi) vel oblitus, quẽadmodum a Dario factũ legitur Ester. 6. vel de industria & voluntariè memoriam abjiciens. [b] *Heb. filiorum Jisraëlis.* [c] *Heb. fitq.* [d] *Heb. Ellipsis conjugati, ut Genes.* 18.21. [7] triplex metus est ab Jisraëlitis: primus, ut transfugiant ad hostes, si qui exstiterint: secundus, ne rebellent ipsi, & suo Marte sine aliis insurgant in AEgyptios: tertius, ne deficiant, seq; ex servitute AEgyptiorum eximant. [8] qui non una, sed multis rationibus extraordinariis servilia ab eis officia extorquebant. [9] ut vires eorum frangerent: sic imprudentes implent quod Deus Abrahamo prædixerat Gen. 15.13. [10] alii Tanin, alii opidum maximum Buto vel Butonem, vel Butum, vel Butin contra ostium Nili Sebennyticum, opidum æde & oraculo Latonæ celebre, Herodotus in Euterpe. Ego Patumon opidum esse puto, Arabiæ Petrææ attributum in finibus AEgypti, quò fossa a Nilo ad rubrum mare ferens perducta est: & hanc fossam opus esse Jisraëlitarum, cujus principem autorem fuisse Neconem scribit falsò Herodotus ibidem. Consulatur locus: nam quia longior est, etsi lectu dignissimus ad horum verborum intelligentiam, de industria omittimus. [11] id est, Pelusium, diversum a Raħamseso, de quo Genes. 47.11. [e] *Ellipsis Genes.* 30.30. & 43. [12] declarat angarias quibus ampliùs presserunt eos.

[13] hoc est, præter servitutem, eámq; rigidissimam, quam in privatis suis negotiis ab eis exigebant. Ellipsis antitheti.
[f] *Heb. cum omni servitute, qua serviebant* sibi *per eos.*
[14] plures quidẽ fuisse in tanto populo verisimile est: sed hæ duæ reliquis videntur fuisse præfectæ: alioquin nihil potuisset Rex hoc mandato efficere.
[15] Responsi nulla fit mẽtio, quia Rex non exegit ab eis respõsum aut fidem, sed satis habuit imperasse. Timuerunt autẽ Deũ, ac non Regem obstetrices istæ, quum inhumano Regis edicto minimè paruerunt.
[16] Certum est ex ℣. 17. obstetrices infantibus vitam conservasse, quia timebant Deum: jam verò quod Regi respondent, si verũ est (quod magis probamus) Hebrææ de mandato Regis aut verbo aut alia significatione certiores factæ antè pariebant quàm eas vocarent: sin autẽ falsum, callidè verũ tegũt metu Regis, & causam a se in matres infantum derivant, gravius malũ minore redimentes: Nam vivos conservare natos (inquit Augustinus) opus fuit misericordiæ: at pro vita sua mentitas esse opus fuit infirmitatis, quã Deus gratia condonat, homines verò non nisi ingrati & protervi possunt ad exemplũ imitationis sibi proponere. Idẽ quoq; judiciũ de Rachaba facimus Jehoschu. 2. & de Davide fugiente. 1. Schẽ. 21. [17] nimirum Jisraëlitis: id est, ita illis aderat ut ad justam ætatem pervenirent, & familias ex se procrearent. [g] *Heb. faciebat.* [18] Sensus est cùm neq; labores & molestiæ procreationem liberorum minuerent, neque obstetrices clam natos eorum tollerent, in apertam tyrannidem prorupit, & immane de submergendis pueris decretum promulgavit.

CAPUT II.

Moschis nativitas, admirabilis in summo discrimine cõservatio, educatio, exsilium, & conjugium ejus describitur: deinde mors Parħonis, Jisraëlitarum gemitus, Deiq; erga eos clementia ac fides commemoratur.

Abiens

1 ABiens autem [1] quidam ex familia Levi; duxerat [2] filiam Levi,

2 Concepítque mulier illa & peperit filium: & videns eum esse [3] [a] bonâ *formâ*, abscondit eum tribus mensibus.

3 Sed [4] quum non posset ampliùs efficere ut esset absconditus; [5] accipiens ei arcam scirpeam oblivit illam bitumine & pice: & positum in ea puerulum exposuit [6] in alga [7] juxta ripam cujusdam rivi:

4 Stiterat autem sese illius soror procul, cognitura quid fieret illo:

5 Quum [8] descendit filia Parħonis ut lavaret se ad rivum illum, puellis ejus deambulantibus secundùm rivum; & videns arcam illam in media alga, misit ancillam suam quæ accepit eam.

6 Aperiens itaque vidit ipsum puerulum, ecce autem puer flebat: & miserta illius dixit, ex natis Hebræorum istorum *est* hic.

7 Tunc dixit soror illius filiæ Parħonis; an ibo vocatum tibi mulierem nutricem ex Hebræis, quæ lactet tibi hunc puerulum?

8 Dicente verò filia Parħonis illi, i, abiens illa adolescentula vocavit matrem ipsius puerulí.

9 Cui dixit filia Parħonis, abduc puerulũ hunc & lactato eum mihi, & ego dabo mercedem tuam: [9] sic accipiens mulier illa puerulum, lactavit eum:

10 Quum autem crevisset ille puerulus, adduxit eum ad filiam Parħonis, cui erat filii loco: vocavítque nomen ejus [10] Moschen, dicens, ex aquis enim extraxi eum.

11 Fuit autem diebus illis quum crevisset Mosche, ut [11] exiret ad [12] fratres suos & aspiceret onera eorum: & videret quemdã Ægyptium percutientem virum Hebræum e fratribus suis;

12 Quapropter ut respiciens huc illuc vidit neminem adesse; [13] cæcidit Ægyptium illum, & abscondit eum in arena.

13 Deinde exiens die postero, quum ecce duo viri Hebræi contenderent; dixit, [14] iniquo: cur cædis proximum tuum?

14 Qui dixit, quis constituit te [b] virum [15] principem & judicem super nos? an me interfecturus loqueris, ut interfecisti illum Ægyptium? idcirco timuit Mosche, & dixit, profectò innotuit res ista.

15 Audiens verò Parħo [16] rem istam, quærebat ut interficeret Moschen: sed fugit Mosche metu Parħonis, ut habitaret in terra Midjanis, & [17] sedit ad quemdam puteum.

16 [18] Præsidi autem Midjanitarum septem *erant* filiæ: quæ advenientes hauriebant *aquam* & implebant aqualiculos illius *putei*, ut adaquarent greges patris sui.

[1] cujus nomen est Ħamram, uxoris verò Jocebed, infrà 6.20 & Num.26.59. [2] ex ipso Levi genitam, Num. 26.58. ideò infrà 6.20. mariti amita dicitur. fuit enim Ħamram Kehathi filius, & uxor ejus Jocebed Kehathi soror, infrà 6.18. quod matrimonii genus deinde interdictum est lege, Levit.18.12. priùs tum in sancti generis paucitate, tum in confusione publica toleratum. [3] hoc est, divinitus venustum, Act.7.20. & Heb. 11.23. quod præter naturalem στοργὴν reddebat matrem diligentiorem ad vitam ejus procurandum, & filiam quoq; Parħonis movit ut eum inventum curaret sibi educandum, & pro filio haberet. [a] *Heb. bonum: ut Gen.6.2.* [4] tum propter diligentem inquisitionem a Rege institutã, tũ propter vicinos AEgyptios: mixti enim habitabant, ut inf. 3.22. [5] sperabat enim hac ratione sine parentum periculo servatum iri: hoc autem consilium divinitus fuisse immissum eventus ipse declarat & certissimè confirmat Apostolus Heb.11.23. [6] ne nimis undis & ventis agitaretur. [7] ut eo faciliùs ab aliquo reciperetur. [8] alio quidem consilio, sed tamen Deo impulsore, ut expositum infantulum reciperet. [9] ita divinitus filius matri curandus datur citra utriusque periculum. [10] id est, extractum, eductúmve. Monion tamen AEgyptiacè fuisse dictum confirmat Abben Ħezra qui lingua Hebræa appellatur Mosche, eóque nomine a veteribus historiographis appellatum. Sed ille ut fallatur metuimus: nam Monios AEgyptiis sententia nostra est Rex ille Menes, cujus Ħerodotus, Diodorus Siculus, alii meminerunt. [11] interna vocatione Dei, in dies recognoscens fratres suos, & ad futuram liberationem se comparans, Act.7.22. [12] Jisraëlitas, e quorum genere erat. [13] id est, occidit jam quadragenarius, nec temere, sed certò persuasus de vocatione sua, Act.7. 25. [14] id est, ei qui causam agebat malam: nimirum ut ad pacem eos compelleret, Act. 7. 26. [b] *Heb. in virum p.* [15] nempe ut me reprehendas, & ad supplicium de me sumendum principis judicisque officio accingi videaris: non enim intelligebant Deum per manum ipsius velle salutem dare, Actor. 7. 25. [16] hujus exprobrationem de cæde a Mosche commissa, Actor.7 vers. 29. [17] ex longiore fuga in tuto se recreans. [18] vide in Genes. 41. 45.

17 Supervenientibus verò pastoribus quibusdam & abigentibus [19] eos; surgens Mosche [c] defendit eas, & adaquavit greges [20] eorum.

18 Quum itaq; rediisset ad Reħuelem [21] patrẽ suum, dixit, quare tam [d] citò rediistis hodie?

19 Quæ dixerunt, quidam Ægyptius eripuit nos e manu pastorum: etiámque [e] abundè hausit nobis & adaquavit greges.

20 Tum dixit filiabus suis, at ubi ille *est*? quamobrem [22] jam reliquistis virum illum? vocate eum ut sumat cibum.

21 Acquievit tandem Mosche ut maneret cum hoc viro: qui dedit Tzipporam [23] filiam suam Moschi *uxorem*.

22 Qúmque peperisset filium, vocavit *Mosche* nomen ejus [24] Gerschomum: dicebat enim, peregrinus sum, in terram alienam *pulsus*.

23 Fuit autem diebus illis, [25] qui multi *fuerunt*, quum [26] mortuus esset Rex Ægypti, ut suspirarent filii Jisraëlis [27] prę servitute illa & vociferarentur: & [28] eorum clamor de servitute illa ascendit ad Deum ipsum.

24 Quamobrem ut [29] audivit Deus gemitum eorum; recordatus est Deus ‖ federis sui cum Abrahamo, cum Jitzchako, & cum Jaħakobo,

25 [30] Respexítq; Deus filios Jisraëlis, & [31] cognovit Deus.

[19] qui filiabus Jithronis greges observantibus ministrabant. [c] *Heb. servavit eas.* [20] id est, omnium, puellarum & pastorum. [21] id est, avum, ut apparet ex Num.10.29. Hebręis enim ut nepotes nomine filiorum, ita nomine patrum avi & majores continentur: sic neptes dicuntur filiæ, vers.20. [d] *Heb. festinasti redire.* [e] *Heb. hauriendo hausit.* [22] hac hora, quum serum sit & advenerit vespera. [23] neptem suam ex Jithrone filio, infrà 3.1. [24] id est, peregrinum expulsum vel ejectum: composita voce ex peregrini Hebræa appellatione, & verbo quod est ejicere. [25] quadraginta ferè anni: tamdiu enim Moschem apud socerum mansisse apparet ex collatione Act. 7.23. cum Exod.7.9. quod disertè exprimitur Act.7.30. [26] ac proinde liber esset Moschi in AEgyptum reditus, infrà 4.19. [27] quæ etiam illo Rege mortuo durabat. [28] gravis enim afflictio sensum peccatorum, præsertim verò nefariæ illius idololatriæ quam exprobrat Jechezkel 20. 8. (quæ eis erant afflictionis causa) in eis excitavit, & ad implorandã Dei misericordiam movit: vide Num.20.16. [29] humanitus dictum ex judiciorum formula. ‖ *Gen.15.14. & 26.13. & 46.5.* [30] illos recognoscens ad fedus suum pertinere, ut federatorum filios. [31] de causa, & statuit quod proximo capite explicat, & sequentibus exsequitur.

CAPUT III.

Mosche expressè a Deo vocatur liberator populi; de ratione qua apud Regem & Jisraëlitas agat instruitur: & de voluntate Dei contra AEgyptum, ac felice legationis eventu præmonetur.

1 MOsche enim pascebat gregem [1] Jithronis soceri sui Præsidis Midjanitarum; quum abducto grege illo post quoddam desertum, venit ad [2] montem ipsum Dei in [3] Chorebum.

2 Tunc apparuit Angelus Jehovæ ei in flamma ignis e medio cujusdam rubi: cúmque aspiceret, ecce [4] rubus ille ardebat igne, nec tamen rubus consumebatur.

3 Itaque dicebat Mosche, divertam nunc ut videam visionem istam magnam; quare non [5] comburatur rubus iste.

4 Videns autem [6] Jehova ipsum divertere ad aspiciendum; inclamavit eum Deus e medio illius rubi, dicens, Mosche Mosche, qui dixit, ecce me.

5 Tum dixit *Deus*, [7] ne appropinques huc: [8] extrahe calceamenta tua a pedibus tuis, nam locus in quo stas, [9] terra [a] sancta est.

[1] sive Chobabi Numer.10. 29. & Judic.4. 11. filii Reħuelis, ut suprà annotatum est 2.18. [2] ità dictum, cùm propter visionem hanc, tum etiam quia in eum descendit Deus legem laturus populo, infrà 19. [3] id est, siccum & aridum: nomen tractus montani in quo erat Sinai, infrà 18 & 19. [4] figura Moschis afflicti exsulis, & Ecclesiæ Jisraëlitarum in AEgypto, tamquam in fornace catinóve probatæ, sed non consumtæ: ut sequentibus exponitur, & Deuter. 4.20. [5] id est, absumatur. [6] Christus Angelus Jehovæ, vers. 1. vide in Geneseos 48.16. [7] nimirum propiùs: quasi dicat, consiste in loco tuo. [8] idem mandatur Jehoschu, 6.3. Simplicissima hujus ceremoniæ ratio videtur esse, ut pedum nuditas religionem animo incuteret, & foris testatam faceret; vide Levit. 16.2. [9] ob præsentiam Dei sanctificantem, qua abeunte, loci sanctitas tollebatur. [a] *Heb. sanctitatis.*

6 Deinde

[10] ita se a fictitiis diis discernit, federisque cum patribus initi memoriam renovat, vnde pendet populi, quæ hic agitur, liberatio.
[11] & Jisraëlitarũ omnium, quorũ nomine compello te, ut qui earundem promissionum hæredes futuri sint.
[12] duæ sunt hujus timoris causæ, conscientia mali nostri, exemplo Adami & Petri, Genes. 3. 10 & Lucæ 5.8. & majestatis Dei sublimitas, ad cujus præsentiam Angeli ipsi faciem obvelãt, Jescha. 6.2.
[b] Heb. *videndo vidi.*
[c] Heb. *dolores ejus.*
[13] id est, jam adsum: humanitus dictum, ut Genes. 11.7.
[14] secundùm promissionem, Genes. 15.14. & 46.4.
[15] ex promissione, Genes. 13.15.
[16] i. commendabilẽ copia præstantiáque proventuum: hyperbolica synecdoche.
[17] hæc generalis appellatio, cujus species ex parte deinceps recensentur: vide Genes. 10.15.
[18] Finis præsentis visionis atq; colloquii, ut Mosche denuò divinitus se jam jam ad populum Dei liberandũ vocari intelligat.
[19] Prima objectio Moschis, qua provinciam detrectat a persona sua, & a negotii gravitate.
[20] unico responso utramque difficultatem tollit, quasi dicat, sufficientia tua erit a me, cui nihil est nimis arduum.
[21] id est, hæc ipsa visio rationem naturæ superans. alii aliter exponunt, sed hoc videtur simplicissimum.
[22] finem ostendit hujus liberationis quem spectat Deus, ut liberatos a servitute terrena devinciat ut sibi serviant: quod futurum promittit designato & præfinito loco, ubi rationem declaraturus est qua sibi serviant.
[23] Altera objectio, qua ne de nomine quidem mittentis posse Jisraëlitas a se confirmari queritur. q. d. esto sanè, sim ego confirmatus: at non propterea Jisraëlitæ cõfirmati sermone meo futuri sunt.
[24] hoc nomine se cognoscendum proponit ab æterna essentia sua, qua ab omnibus quæ sunt in cælo, terra & infra terram discernitur: quod explicatur Heb. 13. 8. & Apoc. 1.8. qui est, fuit & futurus est, heri & hodie in perpetuum. Sic instruit Moschen, ut vocationis & missionis suæ fidem apud Jisraëlitas comparet, prædicando æternitatem mittentis conjunctam omnipotentia. Hebræum autem Eheje tanquã proprium retinuimus, quia ut proprium nomen eodem ver. paulò post subjicitur.
[25] id est, ὁ ὢν αἰώνιος naturâ mea, & omnium quæ sunt effector: vide infrà in 6. 2.
[26] hoc quoque nomen essentiæ proprium denotat æternitatem illius, & originem ac vim efficiendi ut sint quæcunque sunt: nam Deus (ut Scholasticorum vocibus utamur) efficienter, formaliter, & finaliter causa est omnium. hoc autem subjungit præcedenti, quia usitatius & magis notum est.
[27] nimirum quòd me dixi esse Eheje, Jehovam, & Deum patrum vestrorum.
[d] Hebr. *ætatem ætatis.*
[28] vocatum instruit qua ratione obiturus sit legationem.
[29] officio, ut passim in Scripturis accipitur, hoc est, iis qui vel gubernatione vel doctrina reliquis præsunt. hi primùm fuerunt conveniendi, ut per eos multitudo compararetur ad divina mandata utiliter a Mosche audienda, & ut Parhonem nomine Dei totiúsque populi convenirent: sic infrà 12. 21. & 19. 7.
[e] Hebr. *visitando visitavi vos, & id quod, &c.*
[30] id est, propter veritatem promissionum mearum jam id statuo efficere, & his verbis obstringo fidem meam.
[f] Hebr. *faciam ut ascendatis.*

6 Deinde dixit, [10] Ego *sum* Deus [11] patris tui, Deus Abrahami, Deus Jitzchaki, & Deus Jahakobi: abscondit verò Mosche faciem suam, [12] quia timebat, ne intueretur Deum.

7 Et dixit Jehova, [b] probè vidi afflictionem populi mei qui *est* in Ægypto; & clamorem eorum ab exactoribus ejus audivi, quia cognovi [c] dolores ei *allatos.*

8 Ideò [13] descendi ut [14] liberem eum e manu Ægyptiorum, & educam eum e terra illa; in regionem [15] bonam & amplam, in regionem [16] affluentem lacte & melle: in locum [17] Cenahanæi, & Chitthæi, & Emoræi, & Perizzæi, & Chivvæi, & Jebusæi.

9 [18] Nunc itaque, ecce clamor filiorum Jisraëlis pervenit ad me; atque etiam vidi oppressionem, qua Ægyptii opprimunt eos:

10 Nunc inquam adesdum, ut mittam te ad Parhonem: deinde educito populum meum filios Jisraëlis ex Ægypto.

11 Sed dixit Mosche Deo, [19] quis *sum* ego, ut eam ad Parhonem; & ut educam filios Jisraëlis ex Ægypto?

12 *Cui ille, fac,* inquit, nam [20] ero tecum, & [21] hoc ipsum *esto* tibi signum, quòd ego miserim te: quum eduxeris populum illum ex Ægypto, [22] servietis Deo juxta hunc montem.

13 Dixit autem Mosche Deo, ecce, me veniente ad filios Jisraelis; quum dixero eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos: si dicerent mihi, quod *est* nomen ejus? [23] quid dicerem illis?

14 Dixit itaque Jehova Moschi, [24] Eheje, [25] qui sum: dixítque, ita dices filiis Jisraëlis, Eheje misit me ad vos.

15 Edixítque iterum Deus Moschi, sic dicito filiis Jisraëlis; [26] Jehova Deus patrum vestrorum, Deus Abrahami, Deus Jitzchaki, & Deus Jahakobi misit me ad vos: [27] hoc *est* nomen meũ in seculũ, & hoc memoriale meum [d] in omnem ætatẽ.

16 [28] I, & congregatis [29] Senioribus Jisraëlis dices eis, Jehova Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abrahami, Jitzchaki, & Jahakobi, dicendo; [e] omnino rationem habeo vestri, & ejus quod fit vobis in Ægypto.

17 [30] Quapropter dico, [f] deducam vos ex afflictione Ægypti; in regionem Cenahanæi, & Chitthæi, & Emoræi, & Perizzæi, & Chivvæi, & Jebusæi: in regionem affluentem lacte & melle.

18 Sic auscultabunt voci tuæ: deinde accedens tu & Seniores Jisraëlis ad Regem Ægypti, dicetis ei, Jehova Deus Hebręorum [31] obviam factus est nobis, nunc itaque [g] abire nobis liceat quæsumus [32] itinere trium dierum in [33] illud desertum, ut sacrificemus Jehovæ Deo nostro.

19 Ego autem [34] novi non esse vobis permissurum Regem Ægypti ut abeatis, ne quidem manu forti *pressum:*

20 Sed quum extendens manum meam percussero Ægyptum omnibus [35] mirabilibus meis quæ facturus sum [h] in ea; posteà demum dimittet vos.

21 [i] Reddam verò gratiosum populum illum in oculis Ægyptiorum: sic fiet quum abibitis, *ut* non abeatis vacui.

22 [36] Petet enim unaquæque a vicina sua & ab hospita domus suæ instrumenta argentea & instrumenta aurea & vestimenta: quæ imponentes filiis vestris & filiabus vestris spoliabitis Ægyptũ.

[31] Paralepsis; reticet enim quid qua ratione mandaverit; supplendum tamẽ ex petitione sequente, & infrà 5. 3. q. d. nobis nihil de hac re cogitantibus Deus noster obviam factus severè mandavit, ut hinc exiremus ei sacrificatum, cessantibúsque interminatus est pestem aut gladium.
[g] Heb. *abeamus.*
[32] nullum est in petitione mendacium: sed partem consilii sui Deus tyranno aperit, ut fiat inexcusabilis, & justitia ipsius elucescat tum in perdendo Parhone, tum in liberando populo ab injusta illius tyrannide: partem celat, quia liberrimus est, ut Deut. 2.28. Sic Schemuelem instruit 1. Schemu. 16. 2. & 3. & loquitur Paulus Act. 23.6.
[33] Chorebi, vers. 1.
[34] hac prædictione præmunit eos, ne repulsam insperatò passi animum abjicerent.
[35] decem plagis, quæ sequentibus cap. explicantur.
[h] Heb. *in medio ejus.*
[i] Heb. *dabo verò gratiam hujus populi.*
[36] nec vitiosa fraus, nec furtum hic intervenit: nam Deus rerum omnium dominus, pro voluntate sua, rerum suarum usum quibus vult concedit, & in quos vult transfert: his autem convenit cum promissione facta Abrahamo Genes. 15. 14. Quòd si quis hujus facti justitiam nosse desideret, tria observanda sunt: unum, hoc esse mandatum Dei (inquit Augustinus) de quo non judicandum, sed cui obtemperandum fuit: ille enim optimè novit omnium quàm justè mandet, ad servum verò pertinet obedienter facere quod justus Dominus mandat. Alterum quòd Deus hoc velut pretium mercedémque adjudicavit populo pro exactionibus & servitute durissima quam illic pertulerat. suprà 1.13. ut AEgyptus pretium fuit expugnatæ Tyri, Jechezk. 30.2. Tertium, quòd ipsi AEgyptii abjecta rerum suarum cura Jisraëlitis eas permiserunt, id solùm pretii petentes ut loco cederent, infra 11.8. & 12.31. tamquam si hoc pretio animas suas redemissent. vide in Genes. 31.10.

CAPUT IIII.

Mosche rursus impositum sibi munus diversis subterfugiis detrectat; tandem miraculis, opis divinæ promissione, objurgatione, adjunctione fratris illud suscipit: deinde uxorem liberósque reducens ad socerum, propter neglectam filii circumcisionem a Deo sistitur, nec nisi illo circumciso dimittitur: tum impetrata a socero venia, cum fratre legationem prodigiis apud Jisraëlitas confirmatam obit.

1 Tunc [1] respondens Mosche dixit, at [2] ecce non credituri sunt mihi, neque auscultaturi voci meæ: nam dicent, non apparuit tibi Jehova.

2 Dixit autem ei Jehova, [3] quidnam est in manu tua? eóque dicente, baculus,

3 [4] Dixit, abjice eum in terram, quúmque abjecisset eum in terram, [a] conversus est in serpentem: fugiebátque Mosche [b] metu ejus.

4 Posteà [5] dixit Jehova Moschi, extendens manum tuam [6] prehende caudam ejus: quúmq;

[1] Tertia objectio, a persona sua corúmque ad quos mittitur; se non esse ita rationibus & autoritate instructum ut fidem apud eos conciliet vocationi suæ.
[2] q.d. jam mihi videre videor illorum ἀπιστίας; cùm neque antehac intellexerint te manu mea salutem ipsis dare voluisse, suprà 2. 11. Actor. 7. 25. neque revertenti ad se homini profugo & pastori egentissimo credituros sit verisimile.
[3] a rebus præsentibus & infirmissimis argumentum sumit evincendæ infidelitatis Deus. quasi dicat ipsa arma pastoritia quæ manu geris docebunt eos fidem: nam infirmitas Dei validior est quàm homines, 1. Corinth. 1. 25. Sunt autem tria hæc signa documenta plagarum quas meretur infidelitas & avertit fides resipiscentium.
[4] quæ coram illis edenda erant ad illos de Moschis vocatione confirmandos, eadem hic fieri jubet Deus ad confirmandum Moschen.
[a] Hebr. *fuit in serpentem: sic deinceps.*
[b] Hebr. *a facie ejus*
[5] efficiatur, metu eum liberans, & a fuga revocans.
[6] nam eodem baculo alia signa erant edenda, ut vers. 17.

extensa

extensa manu sua prehendisset eum, conversus
est in baculum in manu ejus.
5 [7] Ut credant, *inquit*, apparuisse tibi Jehovam
Deum patrum suorum; Deum Abrahami, Deum
Jitzchaki, & Deum Jahakobi.
6 Deinde rursus dicente Jehova ei, infer nunc
manum tuam in sinum tuum, intulit manum su-
am in sinum suum: quúmque eduxisset eam, ec-
ce manus ejus leprosa, [8] *erat alba* sicut nix.
7 Dicente verò, refer manum tuam in sinum
tuum, retulit manum suam in sinum suum: quúm-
que eduxit eam e sinu suo, ecce [9] restituta est ut
reliqua caro ejus.
8 [10] Hoc fiet, *inquit*, si non crediderint tibi, ne-
que auscultaverint voci *&* signo priori; ut cre-
dant voci *&* signo alteri.
9 Erit quoque, si non crediderint etiam duobus
signis istis & non auscultaverint voci tuæ, si acci-
piens de aquis alicujus rivi effundas *in* aridam;
ut [c] convertantur aquæ illæ quas acceperis e ri-
vo, convertantur inquam in sanguinem in ipsa
arida.
10 Dixit verò Mosche Jehovæ, *attende* ad me
Domine; [11] non sum vir [d] facundus, neque [e] un-
quam anteà fui, ne quidem [12] ex quo loquutus es
cum servo tuo: sed [f] impedito ore & impedita
lingua sum.
11 Tum dixit Jehova illi, [13] quis statuit os ho-
mini? aut quis statuere potest mutum aut sur-
dum, aut [g] sensibus valentem, aut cæcum? nónne
ego *qui sum* Jehova?
12 Nunc itaque i; & ego adero ori tuo, & do-
cebo te quæ loquuturus es.
13 Dicente autem *illo*, *attende* ad me Domine;
[14] mitte quæso [h] per eum *quem* missurus es:
14 Accensus irâ Jehova contra Moschen, dix-
it, [15] annon Aharonem [16] Levitam fratrem tu-
um, hunc scio [i] omnino valere eloquio? adeóque
ecce ipse prodit obviam tibi, & quando videbit
te, lætabitur [k] cum animo suo.
15 Quando alloquutus fueris eum, & [17] inseru-
eris hæc verba in ore ejus; tum ego adero ori tuo
& ori ejus, & docebo vos quæ facturi estis.
16 Nam alloquetur ipse pro te populũ: fietq; ut
ipse sit tibi [l 18] vice oris, tu verò sis ei [19] vice Dei.
17 Baculum autem istum accipito in manu tuâ;
quo edas [20] signa illa.
18 Abiens igitur Mosche reversus est ad [21] Je-
therum socerum suum, dixitque ei, eam quæso, &
revertar ad fratres meos qui *sunt* in Ægypto, ut
videam an adhuc vivant: & dixit Jithro Moschi,
abi cum pace.
19 [22] Edixitque Jehova Moschi apud Midjani-
tas, i, revertere in Ægyptum; mortui enim sunt
[23] omnes homines illi qui quærebant animã tuã:
20 Itaque accipiens Mosche uxorem suam &
filios suos, [24] imposuit eos asino, ut reverteretur
in terram Ægypti: accepitque Mosche [25] bacu-
lum Dei in manu sua.
21 Tum edixit Jehova Moschi; quandoquidẽ
proficisceris ut revertaris in Ægyptum, [26] vide ut
omnia illa prodigia quæ posuero in manu tua,
facias coram Parhone: sed ego [27] obfirmabo cor
ejus, ut [m] nolit dimittere populum illum.
22 [28] Tandem dices Parhoni: sic dicit Jehova,
[29 n] filius meus, [30] primogenitus meus est Jisraël.
23 Sed quum edicerem tibi, dimitte filium me-
um ut serviat mihi, renuisti dimittere eum: ecce
ego interfecturus sum filium tuum, [31] primoge-
nitum tuum.
(24 [n] Evenit autem in [32] illo itinere, in diverso-
rio quodam; ut [33] occurreret ipsi *Moschi* Jehova
velut quærens morte afficere eum.
25 Sed accipiens Tzippora [o] *cultrum* acutum,
amputavit præputium filii sui, & admovit pedi-
bus [34] illius: nam, inquit illa, [35] sponsus sangui-
num es mihi:
26 Sic destitit *Jehova* ab illo: [36] dixerat autem
tunc sponsum sanguinũ, propter circumcisiones.)
27 [37] Edixit item Jehova Aharoni, abi obviam
Moschi in desertum: qui abiens occurrit ei juxta
[38] montem Dei, & osculatus est eum.
28 Tum retulit Mosche Aharoni omnia nego-
tia Jehovæ *ad* quæ mittebat se; & omnia signa
illa quæ præceperat sibi.
29 Abiens itaque Mosche & Aharon; congre-
gaverunt omnes Seniores filiorum Jisraëlis.
30 Proloquente autem Aharone omnia verba
illa quæ eloquutus fuerat Jehova Moschi, & edẽ-
te *Mosche* signa illa ante oculos ipsius populi;
31 Credidit populus: & postquàm audiverunt
Jehovam [39] visitasse filios Jisraëlis, & vidisse af-
flictionem ipsorum, vertice inclinato incurvave-
runt se *adorantes eum*.

[7] finis istius miraculorum doni. [8] species lepræ est omnium deterrima, quæ cutem aspergit albis maculis nivem referentibus: vide Num. 12.10. [9] in hoc positum est miraculum, quòd subitò & affecta est manus, & curata morbo incurabili. [10] hæc in subsidium prioris miraculi. [c] *Heb. sint aqua il. sic deinceps.* [11] Quarta objectio a persona sua, se ineptum esse propter impeditum sermonem. [d] *Heb. verborum.* [e] *Heb. etiam ab heri, etiam a nudius tertius.* [12] q. d. si me ad gravissimã hanc functionem vocas, saltem hoc tempore fuerã informandus potentia tua: quamobrem etiam quod & quando tempestivum erit, se respondet Deus effecturum vers. sequentibus. [f] *Heb. gravis ore & gravis linguæ.* [13] Rationem Moschis confutat Deus a potentia sua, quæ donis ornat quos vult, & quos vult spoliat. [g] *Hebræa vox significat auditu valentem & visu, cui præcedens & sequens privativè opponuntur.* [14] Quinta objectio, deprecatio muneris a tenuitate sua, Dei mittentis majestate, & negotii gravitate. [h] *Heb. per manum illius quem. manus commune muliarium actionum instrumentum sæpe adhibetur ad instrumentum significandum, etiam ubi nihil opus est administratione manus: Synecdoche, ut infrà 9. 35.* [15] q. d. quorsum tot quæris subterfugia? quasi non sit tibi futurus ad manum vir eloquentiã valens & tibi conjunctissimus Aharon germanus frater. [16] discretionis causâ, quoniam alii quoq; Aharones vocabantur. [i] *Heb. quod eloquendo eloquitur ipse.* [k] *Heb. in corde suo.* [17] id est, de mandatis quæ a me acceperis, & iis quæ dicenda erunt, eum instruxeris. [l] *Heb. in os, tu verò sis ei in Deum.* [18] id est, interpres tuus apud populum & Regem. [19] hoc est, personam meam apud illum geres, exponens ei voluntatem meam: vide infrà 7. 1. [20] de quibus infrà 7. & sequentibus. [21] qui frequentiùs dictus est Jithro, peregrina terminatione, ut suprà 3. 1. & hoc ipso versu. [22] nempe iterum confirmans illud mandatum quod in deserto dederat. [23] tum Rex qui Moschen quærebat ut eum interficeret, suprà 2. 15. tum vindices hominis occisi: vide suprà 2. 23. [24] puta animo deducendi in Ægyptum familiam suam: sed interveniente illa historia quæ posteà refertur vers. 24. & sequentibus, familia substitit, donec ad Moschen ex Ægypto redeuntem a Jithrone socero reducta est, infrà 18. 2. & sequentibus.

[25] de quo suprà v. 4. & 17. Dei autem appellatur, quia illum edendis signis Deus instituerat, suprà 5. & 17. sic infrà 17. 9. [26] præmonet, ut suprà 3. 19. [27] non tantùm permittendo, sed etiam meo Spiritu eum destituendo, consilia & actiones ejus in finem mihi propositum dirigendo, & quibuscunque modis usurus sum ejus malitiam exacerbando. Sic Deus causa est obfirmationis, Parho peccati. [m] *Heb. non dimittat.* [28] vide infrà 11. 1. & 12. 29. [29] quasi dicat, est mihi jus paternum in populum hunc, ut non possis eum nisi tyrannicè detinere. [n] *Luc.* 1. 54. [30] summè mihi dilectus in unigenito, dilectionis filio. [31] omnium hominum & animantium in Ægypto quæ ad te pertinent, infrà 12. 29. [n] *Heb. fuit.* [32] Ægyptum versus. [33] id est, ejusmodi impetum in eum faceret, ut ipse & uxor ejus intelligerent causam iræ divinæ esse neglectam circumcisionem filii: nam indignè ferebat Deus Ecclesiam suam curari ab eo homine qui non bene præesset domui suæ, 1. Tim. 3. 5. aut prius ad exsequendum opus Dei accedere, quam omnis mas ipsius circumcisus esset, familiáq; expurgata, infrà 12. 48. denique præputium inferre in Ecclesiam suam. [o] *Qui lapidem acutum exponunt, vocis ambiguitate falluntur: quia sic accipitur Jechezkel. 3. 9. pro cultro verò acuto, Jehoschua 5. 2. & 3. Psal. 89. 44. nam familiam & quidem pastores, destitutos fuisse cultro tam necessario ad multa instrumento non est verisimile: quo instructos fuisset similiter uti lapide.* [34] Moschis, in quem irata invehitur, & ægrè ferens quòd sibi necesse fuerit mariti causâ filiolo sua manu vulnus infligere. [35] i. te sponsum meum mihi sanguine filii cogor redimere: adeò nunc demum agnosco sanguinariam istam legem & circumcisam, quâ aut tuus morte, aut filiorum tuorum sanguis circumcisione fundendus est. Sic indignata Tzippora propter vulnus filii non est virum suum ulterius prosequuta, & Mosche dimisit eam ad parentem ipsius, infrà 18. 2. [36] verba Moschis, quibus declarat uxorem se sponsum sanguinum vocasse, quia filius circumcidi oportebat: quod Midjanitidi de voluntate Dei non satis instructæ ingratum erat. [37] antequam Mosche in Ægyptum perveniret. [38] Chorebum, ut suprà 3. 1. quum Mosche relicta uxore & liberis profecturus in Ægyptum, eò pervenisset. [39] rationem eorum habuisse, & promissam Abrahamo liberationem Genes. 15. 13. jam præstare statuisse.

CAPUT V.

Mosche & Aharon legatione sua Regi exposita, ut seditionis capita, cum objurgatione repelluntur: graviores labores Jisraëlitis præter diurnum pensum imponuntur: cujus causâ operum Curatores cæsi quum frustra apud Parhonem questi essent, cum Mosche & Aharone expostulant, & Mosche cum Deo: a quo placidè exauditur & confirmatur Mosche.

1 POsteà [1] verò accedentes [2] Mosche & Aha-
ron dixerunt Parhoni: ita ait Jehova Deus

[1] quum priore legationis parte apud Jisraëlitas functi sunt. [2] cum aliquo adjuncto comitatu, ut ex sequentibus manifestum est.

Jisraëlis, dimitte populum meum ut festum cele-
brent mihi in deserto.
2 Dicenti autem Parħoni, [3] quis *est* Jehova,
cujus voci auscultem dimittendo Jisraëlem? non
novi Jehovam, ideo etiam Jisraëlem non dimit-
tam.
3 Dixerunt, Deus ipse Hebræorum [4] obviam
factus est nobis: [a] liceat quæsumus nobis abire
itinere tridui in illud desertum, ut sacrificemus
Jehovæ Deo nostro, ne occurrens [5] nos *cedat* pe-
ste aut gladio.
4 Tum dixit eis rex Ægypti, Mosche & Aha-
ron, quare abstrahitis populum hunc ab operi-
bus suis? [6] abite ad onera vestra.
5 Dicebat enim Parħo, en multus nunc *est* po-
pulus hujus terræ: & cessare faceretis eos ab ope-
ribus suis?
6 Deinde præcepit Parħo eodem die; [7] illis
qui exactores agebant in populum, & moderato-
ribus ejus, dicendo,
7 Ne pergatis dare huic populo stramen ad fa-
ciendos lateres suos, sicut [b] antea; ipsi eant ut
conquirant sibi stramen:
8 Summam verò laterum quam ipsi faciebant
anteà imponite eis, ne minuite ex ea: nam desi-
des sunt, idcircò clamant ipsi dicendo, [8] abea-
mus, sacrificemus Deo nostro.
9 [9] Aggravetur hæc servitus super homines
istos, & operentur in ea; neque attendunto [10]
verbis [c] falsis.
10 Egressi itaque exactores ipsi populi & mo-
deratores ejus alloquuti sunt populum ipsum di-
cendo: ita ait Parħo, ego [11] non sum daturus vo-
bis stramen.
11 Vos ite, accipite vobis stramen, undecunq;
inveneritis: etsi non deminutum est de servitute
vestra quicquam.
12 Ita dispersus est populus ipse per totam ter-
ram Ægypti, ad conquirendum stipulam pro
stramine.
13 Exactores autem urgebant dicendo; persi-
cite opera vestra, [d] pensum diei die suo, ut quum
adesset stramen:
14 Et cædebantur [12] moderatores filiorum
Jisraëlis, quos illis præfecerant exactores Par-
ħonis, dicendo; quare non perfecistis, demen-
sum vestrum faciendo lateres sicut anteà, [13] nec
heri nec hodie?
15 Quamobrem accedentes moderatores fi-
liorum Jisraëlis, clamaverunt ad Parħonem, di-
cendo; quare facis ita servis tuis?
16 Stramen non datur servis tuis, lateres au-
tem, inquiunt nobis, perficite: ecce itaque cæ-
duntur servi tui, culpa verò *est* [14] populi tui.
17 Qui dixit: desides estis, desides: idcircò vos
dicitis, abeamus sacrificemus Jehovæ.
18 Nunc itaque abite servite, stramen autem
non dabitur vobis: summam tamen laterum
datote.
19 Quum autem moderatores filiorum Jisra-
ëlis viderent se [15] *loco* malo esse, dicente *Rege*; ne
deminuite de lateribus vestris, demensum diei
die suo *date*.
20 Incidentes in Moschen & Aharonem qui
stabant e regione ipsorum; quum exirent a Par-
ħone:
21 Dixerunt illis [e] Cognoscat Jehova de vo-
bis & judicet: qui [16] fecistis ut fœteat odor no-
ster [17] ante oculos Parħonis & ante oculos servo-
rum ejus, [18] tradendo gladium in manum eorum
ad interficiendum nos:

[3] ejusmodi responsum prædixerat Deus suprà 3.19.
[4] vide suprà 3.18.
[a] *Heb. ibimus quæsumus.*
[5] omneis videlicet, tam AEgyptios, quam Jisraëlitas.
[6] his verbis cõpellat Parħo Jisraëlitas omneis qui aderant, ut ostendunt verba sequentis versus.
[7] id est, tum AEgyptiis, qui exactores erant instituti; tum Jisraëlitis qui moderatores, ut infrà V.14.
[b] *Heb heri nudiu tertius, ut suprà 4.10. & infrà V. 8. & 14.*
[8] sic rebellionem Jisraëlitis exprobrat Parħo, omisso verbo quæsumus, vt V. 17.
[9] ita auget tyrannidem ex obfirmatione cordis, de qua suprà 4.21.
[10] sic Rex impius insignit verbum Dei: ut Psal. 2.3.
[c] *Heb. falsitatis.*
[11] i. non sinam dari.
[d] *Heb. rem.*
[12] hine apparet moderatores Jisraëlitas fuisse, ab exactoribus AEgyptiis urgendo operi præfectos; a quibus deinde totius operis ratio deposcebatur, & in quos nisi præstitum esset animadvertebatur.
[13] quasi dicat, neglecto bidui opere.
[14] id est, AEgyptiorum, qui stramen non suppeditant, & pristinum tamen laterum numerũ a nobis in diem exigunt.
[15] i. pessimè secum agi, & cum suis popularibus.
[e] *Heb. videat.*
[16] hoc est, exosos nos reddidistis: vide Genes. 34.29.
[17] hoc est, quàm longe nos vidẽt, aversantur nos.
[18] q. d. vos autores istius in nos odii, arbitris ipsis AEgyptiis, & quasi nostri homicidæ estis.

22 [19] Reversus itaque Mosche ad Jehovam
dixit; Domine, quare [20] malo affecisti populum
hunc? [21] quamobrem jam misisti me?
23 Nam ex quo veni ad Parħonem & loquu-
tus sum nomine tuo, malo affecit populum hunc:
& [f] prorsus non liberasti populum tuum.

CAPUT VI.

24 Dixit verò Jehova Moschi, nunc videbis
quid facturus sim Parħoni: nam [22] per manum
fortem *coactus* dimittet eos, & per manum for-
tem expellet eos e terra sua.

[19] relicta multitudine secedens, ut privatim cum Deo expostularet.
[20] graviore quàm tum fuit quum non misisses me.
[21] quasi dicat, an ut malo populum tuum ampliùs afficeres? præsta quæso promissionem, & exhibe veritatem tuam.

[f] *Heb. liberando non liberasti, id est, nullum adhuc liberationis vestigium impressisti: vide de hac formula in Gen. 3.4.* [22] id est, tam duram experietur & sentiet manum meam, ut non modò dimittere, sed etiam vi expellere vos compellatur: vide complementum infrà 12. 33.

CAPUT VI.

Mosche cum amplioribus mandatis ad Jisraëlitas remissus duriore servitute pressos nihil efficit: quamobrem Parħonem iterum convenire jussus metu ejusdem eventus detrectat. Deinde suum, fratrisque genus describit.

1 ALloquens autem Deus Moschen, dixit ei,
[1] ego *sum* Jehova.
2 [2] Apparueram quidẽ Abrahamo, Jitzchako,
& Jaħakobo nomine [3] *Dei* fortis omnipotentis:
at nomine meo Jehova [4] non cognitus sum illis.
3 Itaque etiam prout [5] stabiliveram fedus me-
um cum illis, me daturum illis terram Cenaħa-
nis; terram peregrinationum ipsorum, in qua
peregrinabantur:
4 [6] Etiam ego audivi gemitum filiorum Jisraë-
lis quos Ægyptii servire cogunt: & [7] recordor
federis mei.
5 Idcircò dic filiis Jisraëlis, ego *sum* Jehova;
itaque eximam vos [a] ne subjecti sitis oneribus
Ægyptiorum, & eripiam vos a servitute eorum;
redimámque vos [8] brachio exserto & [9] judiciis
magnis.
6 [10] Et assumens vos mihi in populum, ero vo-
bis [b] Deus: sic experiemini me esse Jehovam
Deum vestrum eximentem vos ne subjecti sitis
oneribus Aegyptiorum.
7 Deniq; introducam vos in eam terram quam
[11] sublata manu mea *juravi* me daturum Abra-
hamo, Jitzchako, & Jaħakobo: & dabo eam vo-
bis [12] *in* hæreditatem, [13] ego *sum* Jehova.
8 Hæc ita eloquutus est Mosche filiis Jisraëlis;
sed non attenderunt ad Moschen [14] præ angustia
spiritus & præ servitute dura.
9 Alloquutus item est Jehova Moschen, di-
cendo,
10 I, alloquere Parħonem Regem Aegypti; ut
dimittat filios Jisraëlis e terra sua.
11 Sed loquutus est Mosche coram Jehova, di-
cendo: [15] en filii Jisraëlis non attenderunt ad

[1] vide in Gen. 15.7. sic inf. V.5. & 7. & alibi passim.
[2] hanc patefactionem qua se nunc filiis Jisraëlis statuit patefacere per comparationem, illi longè præfert qua se patribus patefecit: nam patribus facta revelatio promissiones habuit, hæc promissorum exhibitionem erat habitura.
[3] q. d. promissa amplexi sunt fide, freti majestatis meæ omnipotentia & omni-sufficientia.
[4] hoc est, non præbui me eis cognoscendum promissionum complemento: non quòd Jehovæ nomen ignoraverint, aut ipse hoc nomine suas promissiones non obsignaverit (nam disertè se nominat Abrahamo & Jaħakobo Genes. 15.7. & 28.13. & Jitzchak invocat nomen Jehovæ Gen. 26.25.) sed quia nondum faciebat ut promissa existerent, quod designatur nomine Jehova. Significat enim existentẽ per se, ex quo, in quo, per quem, & propter quẽ sunt quæcunq; sunt, ut sup. 3.15. [5] etiam definiens cõplementi tempus, Gen. 15.13. [6] q. d. tertia causa accedit præsens Jisraëlitarum miseria, quę me movet ut eorum rationem habeam. [7] ut Gen. 8.1. humanitus dictum. [a] *Heb. de sub oneribus, ut V. 6.* [8] i. potentissime: humanitus dictũ, quod proximè sequẽtia explicant. [9] plagis, quibus judicia mea in AEgyptios exercebo. [10] finis liberationis, ut sup. 3.12. [b] *Heb. in Deum.* [11] ut Gen. 14.22. [12] firma possessione, ut quæ hæreditario jure possidentur. [13] ut sup. V. 1. & 2. [14] graviore quàm anteà, ut suprà 5.9. & 23. unde factum, ut Moschi ad eos remisso non attenderint: sed potiùs eo repulso servitutem AEgyptiam propositę libertati prætulerint, infrà 14.12. [15] Rursus tergiversatur ab exemplo Jisraëlitarum argumentans per comparationem minoris, q. d. si Jisraëlitæ, qui te Deum suum profitentur & quorum hîc salus agitur, me repulerunt; quid impius Parħo, qui ex hujus populi dimissione maximum damnum acciperet?

me,

me, quomodo ergo attenderet ad me Parħo, qui sum [16] præputiatus labiis?

12 Tamen alloquutus est Jehova Moschen & Aharonem; & [17] mandata dedit eis ad filios Jisraëlis & ad Parħonem Regem Ægypti: ad educendum filios Jisraëlis e terra Ægypti.

13 [18] Hi *sunt* primarii familiarum paternarum ipsorum: ‖ filii Reübenis, primogeniti Jisraëlis, Chanoc, & Pallu, Chetzron, & Carmi, hę *sunt* familiæ Reübenis.

14 Et filii Schimħonis, Jemuel, & Jamin, & Ohad, & Jacin, & Tzochar, & Schaül filius cujusdam Cenaħanitidis: hæ *sunt* familiæ Schimħonis.

15 Hæc autem *sunt* nomina filiorum Levi per generationes suas, Gerschon, & Kehath, & Merari: anni verò vitæ Levi, *fuerunt* centum triginta septem anni.

16 Filii Gerschonis, Libni & Schimħi per familias suas.

17 Filii verò Kehathi, Hamram, & Jitzehar, & Chebron, & Huzziel: anni autem vitæ Kehathi, *fuerunt* centum triginta anni:

18 Filii verò Merari, Machli & Muschi, hę *sunt* familiæ Leviticę *tribus* per generationes suas.

19 Accepit autem Hamram Jocebedam [19] amitam suam sibi in uxorem, quæ peperit ei Aharonem & Moschen: anni verò vitæ Hamrami *fuerunt* centum triginta septem anni.

20 [20] Filii verò Jitzeharis; Korach, & Nepheg, & Zicri.

21 Et filii Huzzielis; Mischaël, & Eltzaphan, & Sithri.

22 Posteà accepit Aharon Elischebaħ [21] filiam Hamminadabi sororem Nachaschonis sibi in uxorem: quæ peperit ei Nadabum, & Abihu, & Elħazarem, & Ithamarem.

23 Filii autem Korachi, Assir, & Elkana, & Abiasaph: hæ *sunt* familiæ *gentis* Korachææ.

24 Elħazar quoque filius Aharonis accepit sibi unam de filiabus Putielis, [c] *ut esset* sibi uxor, quæ peperit ei Pinchasum: hi *sunt* primarii patres Levitarum per familias suas.

25 Hic ille Aharon & Mosche; quibus edixit Jehova, educite filios Jisraëlis e terra Ægypti [22] per exercitus suos.

26 Ipsi iidem *sunt* qui alloquuti sunt Parħonem Regem Ægypti, ad educendum filios Jisraëlis ex Ægypto: *hic* ille *est* Mosche & Aharon.

[16] id est, balbus: balbis enim multæ superfluæ syllabæ excidunt, quæ velut præputium essent amputandæ ut purus efficeretur sermo.
[17] cap. seq.
[18] Digressio ad finem usque capitis, qua Mosche suum & fratris genus describens docet ex quo & quoto Jaħakobi filio sint nati, & quibus parentibus: quæ ad pleniorem cognitionem historiæ pertinent. Ordine autem a seniore Jaħakobi filio incipit, donec ad eum veniat ex quo descendit: ac illos quidem leviter percurrit, eos tantùm nominans qui cum Jaħakobo descenderāt, Gen. 46. in suo verò genere non tantùm posteros Levi commemorat qui cum Jaħakobo descenderant, sed ulterius pergit donec ad se & fratrem suum perveniat.
‖ Gen. 46.9.
[19] id est, filiam Levi, ut sup. 2.1.
[20] hic videretur fuisse Moschi subsistendum: sed tamen pergit recensere Leviticum genus, quia aliorū quoque notitia ad sequentes historias erat necessaria: ut Korachi Numer. 16. Mischaëlis & Eltzaphanis, Levit. 10.4. filiorū Korachi, Num. 26.11. & in Psalmis passim, Nadabi & Abihu, Levit. 10. Elħazaris, Num. 20. Ithamaris, 2. Regum 2. & Pinchasi, Num. 25. [21] e tribu Jehudæ, ad quam pertinuit Hamminadab, Num. 1.7. & alibi. [c] *Heb. sibi in uxorem.* [22] id est, catervatim, pro ratione locorum ubi habitaverant & unde ejiciebantur: nondum enim constituta fuerat respub. & in tribus distincta.

CAPUT VII.

Deus Moschen urgens ut altera legationis parte fungatur, eum cum fratre contra obstinationem Regis præmunitum & signis instructum ad Parħonem remittit: tum Rex præstigiis ad signum serpentis obstinatior factus, plaga aquarum in sanguinem versarum percutitur, nec tamen a pertinacia desistit Magorum fascino excæcatus.

1 Fuit [1] ergo, qua die alloquutus est Jehova Moschen in terra Ægypti,

2 Quum alloqueretur Jehova Moschen dicendo, [2] ego *sum* Jehova: eloquere apud Parħonem Regē Ægypti omnia quæ sum eloquuturus tibi:

3 Ut diceret Mosche coram Jehova; en, ego *sum* [3] præputiatus labiis, quomodo ergo attenderet ad me Parħo?

[1] hos tres versus historiæ series ostendit ad 7. cap. pertinere. Hic enim regressio est ad historiam quæ fuerat intermissa suprà 6.12. qua in regressione Deus tergiversationi Moschis respondens, mandato repetito eum ad alteram muneris sui partem fungendam detrudit.

CAPUT VII.

4 Tum dixit Jehova Moschi, [4] vide, constitueram te vice Dei Parħoni; Aharonem verò fratrem tuum, ut esset [a] interpres tuus.

5 Tu [5] loquitor quæcunque præcepero tibi: Aharon verò frater tuus alloquitor Parħonem, ut dimittat filios Jisraëlis e terra sua.

6 Ego verò [6] obdurabo cor Parħonis; [7] ut multiplicem signa mea & prodigia mea in terra Ægypti:

7 Neque auscultabit vobis Parħo, quum apposuero [8] manum meam ad Ægyptum: sed educam [9] exercitus meos, populum meum, filios Jisraëlis e terra Ægypti [10] judiciis magnis.

8 Et experientur Ægyptii me esse Jehovam, quum extendero manum meam adversus Ægyptum: nam educam filios Jisraëlis e medio ipsorum.

9 Fecit ergo Mosche & Aharon: [11] quemadmodum præceperat Jehova eis, sic fecerūnt.

10 Mosche autem [b] natus *erat* octoginta annos, & Aharon natus octoginta tres annos; quū alloquerentur Parħonem.

11 Alloquutus enim est Jehova Moschen & Aharonem, dicendo:

12 [12] Quum alloquetur vos Parħo dicendo, edite vobis prodigium; ubi edixeris Aharoni, accipe baculum [13] tuum & projice coram Parħone, [c] vertetur in [14] draconem.

13 Veniens itaq; Mosche & Aharon ad Parħonem, fecerunt ita ut pręceperat Jehova: projecit enim Aharon baculum suum coram Parħone & coram servis ejus, & conversus est in draconem.

14 Tum vocavit etiam Parħo [15] sapientes & præstigiatores; ut facerent ipsi quoque Magi Ægyptii suis incantationibus [16] similiter.

15 Et projecerunt [17] quisque baculum suum, & conversi sunt *baculi* in dracones: sed [18] deglutivit baculus Aharonis baculos eorum.

16 Attamen obfirmatum est cor Parħonis, ita ut non auscultaret illis; quemadmodum ‖ prædixerat Jehova.

17 Deinde edixit Jehova Moschi, [19] aggravatum est cor Parħonis; renuit dimittere populum hunc:

18 [20] I ad Parħonem hoc mane, ecce egreditur ad aquam, ut consistas e-regione ejus ad ripam ipsius rivi: baculum verò qui versus fuerat in serpentem accipe in manū tua:

19 Et dices ei, Jehova Deus Hebræorum miserat me ad te ut dicerem, dimitte populum meum ut serviat mihi in deserto: sed ecce non auscultavisti adhuc.

20 Ita ait Jehova, hac *re* experieris [21] me esse Jehovam: ecce ego percussurus sum baculo hoc

[2] confutat objectionem Moschis a constantia & efficacitate sua. q.d. consilium non muto, nam Jehova sum: repulsa verò Jisraëlitarū, Parħonis ve pertinacia liberationem populi nō impediet aut remorabitur; nam facio ut etiam quæ non sunt existant.
[3] ab insufficientia sua deprecatur: vide supra 6.11.
[4] q.d. jam huic incommodo remedium adhibui, supr. 4.16.
[a] *Heb. propheta.*
[5] Aharoni, ut suprà 4.15.
[6] ut sup. 4.21.
[7] hanc conjunctionem sic accipiendam apparet ex 9.10. infrà.
[8] id est, plagas inflictas manu; metonymicè. Humanitus dictum & attributū Deo, ut passim.
[9] vide suprà in 6.25.
[10] vide suprà in 6.5.
[11] vide Gen. 6.22. hæc autem per prolepsin continent quęcunque infrà usque ad cap. 12. describuntur.
[b] *Heb. filius octoginta annorum, sic deinceps.*
[12] iisdem signis jubet probare Parħoni vocationem suam, quibus populo probaverant: vide suprà cap. 4.
[13] i. baculum quem tu in manu habes: nam alioqui fuerat Moschis baculus, sup. 4.2. itēmque baculus Dei appellatur sup. 4.20. sic deinceps.
[c] *Heb. eris in dr. sic deinceps.*
[14] id est, serpentem, ut ℣. 18.
[15] vide Gen. 41.8.
[16] in speciem, ac non reipsa: nam oculos Aegyptiorum mentésque præstinguebant. [17] duos nominat Apostolus 2. Tim. 3.8. fortè præcipuos inter adversarios Moschis, quorum etiam Hebræi meminerunt in Talmud, de oblationibus cap. 9. [18] ut baculis amissis & præstigiis evanescentibus, Mosche & Aharon victores manerent, & Parħo fieret inexcusabilis. Appellatur autem virga serpens effectus ex virga, per metonymiam. ‖ *supr. 6.* [19] i. qui prius difficilis erat ad populum dimittendum, jam difficilior effectus est, opere meo quasi pondere accedente, ut difficiliùs quàm antè moveatur, vide infrà 8, 15. [20] hoc enim vel nocte vel summo diluculo edixisse videtur. q.d. sine mora hoc ipso mane mandatum exsequere. [21] quem ignorare dixisti, sup. 5.2. Jam quia verbis & signis particularib. apud eum nihil præstabatur, ad plagas venitur, quarū hęc prima est. Ostendit autem se Jehovam esse non tantùm infligendo, sed etiā prænunciando plagas, quas prænunciatas ne ipse quidē Parħo possit effugere

qui *est* in manu mea superficiem aquæ quæ *est* in hoc rivo, & convertetur in sanguinem:

21 Et pisces qui *sunt* in quovis rivo morientur, adeò fœteat rivus quisque: & [22] defetiscentur Ægyptii aquam ex rivo quovis bibituri.

22 Dixit ergo Jehova Moschi, [23] edic Aharoni, accipe baculum tuum, & extende manum tuam [24] *operaturam* in aquas Ægyptiorum, in [25] flumina earum, in [26] rivos earum, & in [27] stagna earum, denique in omnem congregationem aquarum illorum, ut convertantur in sanguinem: eritque sanguis in tota terra Ægyptiorum, etiam [d] in [28] *vasis* ligneis & in lapideis.

23 Fecerunt itaque sic Mosche & Aharon; ut præceperat Jehova, & sublato baculo suo *Aharon* percussit aquam quæ *erat* in eo rivo ante oculos Parhonis & ante oculos servorum ejus: & conversæ sunt omnes aquæ quæ *erant* in unoquoque rivo in sanguinem;

24 Et piscibus qui erant in unoquoq; rivo mortuis, fœtuit unusquisque rivus, adeò ut non potuerint Ægyptii bibere aquam ex ullo rivo; erat enim sanguis ille per universam terram Ægyptiorum.

25 Sed, [29] fecerunt similiter Magi Ægypti incantationibus suis: quapropter obfirmatum est cor Parhonis, adeò ut non auscultaret eis; quemadmodum prædixerat Jehova.

26 Avertens enim se Parho rediit domum suã; [e] nec adjecit animum suum [30] etiam ad istud;

27 Tum effodientes omnes Ægyptii *quærebant* circa rivum quemque aquam ad bibendum: quia non poterant bibere ex aqua ullius rivi.

28 [31] Ita completum est septiduum, postquam [32] percussit Jehova rivum illum.

[21] hinc collige Jisraëlitis non fuisse ademtum aquarum usum, ut fodere sicut AEgyptii cogerentur. [23] nam per Aharonem denunciabantur & edebantur miracula, suprà ℣. 4. & 13. itaque quod vers. 18. Moschi mandatum est ut baculum in manu acciperet, fuit ut Aharoni traderetur. [24] non enim eum jubet percutere omneis aquas AEgypti, sed eam quæ præsens erat percutiendo, divinam maledictionem inde in omnes aquas diffusam intrepidè testatam facere percussionis signo; Synecdoche. [25] fluenta, brachia, & ostia Nili. [26] colliquias & aquæductus arte humanâ paratos. [27] aquas resides ad lina maceranda, aquationem, & alios usus humanos. [d] *Heb. in lignis & in lapidibus.* [28] ut solent aquæ per domos asservari ad privatos usus. [29] ut suprà ℣. 14. Aquas autem sumserunt e fossis quas cogebantur AEgyptii potus causa fodere, de quibus ℣. 27. aut ex Jisraëlitarũ hic illic habitantium sedibus: vide inf. 8. 22. nam alioqui solus Nilus Aegypto potũ præbet, teste Plinio lib. 6. nat. hist. cap. 29. [e] *Heb. apposuit cor.* [30] ut neq; adjecerat animum ad baculum serpente commutatum, ℣. 14. [31] id est, postquam ita percussæ sunt aquæ, mutatæ in sanguinem manserunt totum septiduum, quo duravit labor AEgyptiorum in effodendis aquis. [32] id est, Aharone percutiente in sanguinem convertit.

CAPUT VIII.

Parhoni populum Dei pertinaciter detinenti secunda, tertia, & quarta plaga ranarum, pediculorum, ferociúmque animalium colluviei denunciata immittitur: qui nihilominùs licet verbis aliter præ se ferat, in pristina pertinacia persistit.

1 DEinde edixit Jehova Moschi, i ad Parhonem: & dices ei, ita ait Jehova, dimitte populum meum ut serviant mihi.

2 Quòd si tu renues dimittere, ecce ego verberaturus sum totam oram tuam ranis.

3 Nam abundè producet rivus quisque ranas, quæ ascendentes ingredientur domum tuam, & conclave cubilis tui, & in lectum tuum: in [a] domos quoque servorum tuorum & in *domos* populi tui, etiam in furnos tuos & in mactras tuas.

4 Sic [1] contra te, & contra populum tuum, & contra omneis servos tuos; hæ ranæ ascensuræ sunt.

5 Dixítq; Jehova Moschi, edic Aharoni, extende manum tuam cum baculo tuo [2] *operaturam* in ipsa flumina, in rivos, & in stagna: ita fac ut ascendant ranæ super terram Ægyptiorum.

6 Itaque extendit Aharon manum suam *operaturam* in aquas Ægyptiorum; & ascendentes ranæ operuerunt terram Ægyptiorum.

[a] *Heb. domum.*

[1] contra Jisraëlitas verò minimè: ut docet plagarum omnium analogia, infrà 21. & 22. & alibi.

[2] vide suprà 7. 22.

7 Sed fecerunt [3] similiter Magi ipsi incantationibus suis: fecerunt enim ut ascenderent ranæ super [4] terram Ægyptiorum.

8 Accersens autem Parho Moschen & Aharonem, dixit, supplices orate Jehovam, ut amoveat ranas istas a me & a populo meo: & dimittam hunc populum ut sacrificent Jehovæ.

9 Dixit verò Mosche Parhoni, [5] gloriam assume supra me: [b] [6] intra quod *tempus* supplex orabo ipsum pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo, ut exscindat ranas istas a te & a domibus tuis? tantùm in unoquoque rivo relinquantur?

10 Quo dicente, intra crastinum: dixit *Mosche*, secundùm verbum tuum *fiet*, ut [7] experiaris neminem esse parem Jehovæ Deo nostro.

11 Tunc recedent istæ ranæ a te, & a domibus tuis, & a servis tuis, & a populo tuo; tantùm in unoquoque rivo [8] relinquentur.

12 Sic exivit Mosche & Aharon a Parhone: inclamavítque Mosche Jehovam propter illas ranas quas imposuerat Parhoni.

13 Fecit autem Jehova secundùm sermonem Moschis; nam mortuæ sunt ranæ e domibus, & ex [9] vivariis & ex agris ipsis.

14 Quas colligebant *AEgyptii* [c] acervatim, adeò ut fœteret ipsa terra.

15 Sed ubi vidit Parho [‖] aliquam esse respirationem, [10] aggravans cor suum non auscultavit eis; quemadmodum prædixerat Jehova.

16 Quamobrem dixit Jehova Moschi; edic Aharoni, extende baculum tuum, & percute pulverem terræ: ut [d] convertatur in pediculos per totam terram Ægyptiorum.

17 *Illis* sic facientibus, quum extendens Aharon manum suam cum baculo suo percussisset pulverem terræ, exstitítque pediculorum copia in hominibus & in jumentis: [11] totus pulvis terræ erant pediculi in universa terra Ægyptiorum.

18 [e] Laborantes verò [12] similiter magi incantationibus suis ut producerent pediculos, [13] non potuerunt: sic fuit illa pediculorum multitudo in hominibus & in jumentis.

19 Et quamvis dicerent Magi Parhoni, [14] digitus Dei hic *est*; obfirmatum tamen est cor Parhonis ut non auscultaret illis, quemadmodum prædixerat Jehova.

20 Deinde edixit Jehova Moschi, maturè surge hoc mane, & te siste coram Parhone, ecce egreditur ad aquam: ut dicas ei, ita ait Jehova, dimitte populum meum ut serviant mihi.

21 Nam nisi dimittas populum meum; ecce ego immissurus sum in te & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas quamdam [15] colluviem *animalium*: adeò ut impleantur domus Ægyptiorum illa colluvie *animalium*, atque etiam tellus ipsa [16] super quam illi sunt.

22 Sed excipiam in die illo terram Goschenis in qua populus meus moratur, [17] ut non sit ibi colluvies *animalium*: quò cognoscas [‖] me Jehovam esse [18] in medio hujus terræ.

[3] vide suprà 7. 14. [4] i. eam Aegypti partem aliquam quæ nondum ranis fuerat infestata: ut exempli causa, si AEgyptii concesserunt in Jisraëlitarum habitationem. Synecdoche. [5] quasi dicat, etsi non debetur tibi hæc gloria, ut præscribas mihi tempus quo ranas a te auferri vis, per me tamen assumas licet: sic autem loquitur non sibi quidem præfidens, sed certo Dei testimonio in fide confirmatus: & simul obiter pungit Parhonem, qui frustra in suis Magis gloriatus erat. Duobus præterea locis hæc loquutio (idque hoc sensu) legitur, Judic. 7. 2. & Jescha. 10. 14. [b] *Heb. ad quando.* [6] q. d. præscribo tempus quantumvis sit exiguum, ut illustrior sit divina virtus. [7] ac proinde sias inexcusabilis. [8] ut ibi erant ante immissam plagam. [9] id est, tum ex agris seclusis ubi aluntur bestiæ, tum ex patentibus campis. [c] *Hebr. acervos acervos, id est, per multos acervos, vide in Genes. 14. 10.* [‖] *sup. 7. 6.* [10] id est, seipsum in pertinacia confirmans statuit se præbere inexorabilem: vide suprà 7. 17. [d] *Heb sit in p. sic deinceps.* [11] id est, ubique in eo regno fuerunt pediculi pulveri terræ commixti: hyperbole. [e] *Heb. facientes.*

[12] ut antè, sanguineis aquis effectis, & ranis eductis, fecerant. [13] nempe sic constituente Dei providentia, ut cùm Magi tum diaboli ipsi fracti potentia Dei, adversus obfirmatum Parhonis animum testimonio essent. [14] virtus Dei non humana industria facit hoc: sic horum confessione Parho fit inexcusabilis, ut 1. Schemu. 6. 9. [15] damnum afferentium: illis enim corrumpebatur terra, & AEgyptii absumebantur infrà vers. 24. Psalm. 78. 45. alioqui non fuisset plaga. [16] id est, ubicunque futuri sunt AEgyptii: sic accipiendum demonstrat versus sequentis exceptio. [17] ne dæmonibus quidem & Magis enitentibus: ut ante fecerant, quum duas illas priores plagas imitarentur. [‖] *sup. 5. 2. & 7. 20.* [18] id est, auctorem plagarum quibus hæc terra afficitur.

23 Sic ponam [f] redemtionis indicium inter
populum meum [g] & populum tuum: in crasti-
num futurum est signum hoc.
24 Sic igitur faciente Jehova, advenit colluvi-
es *animalium* [19] gravis in domum Parhonis & do-
mum servorum ejus; adeò ut in tota regione Æ-
gyptiorum corrumperetur terra ab ista colluvie
animalium.
25 Tunc accersens Parho Moschem & Aha-
ronem; dixit, ite, sacrificate Deo vestro in hac
terra.
26 Dixit verò Mosche, non convenit sic face-
re, quia [h] quod abominationi est Ægyptiis [20] *for-
tassis* sacrificaturi sumus Jehovæ Deo nostro:
[21] ecce *si* sacrificaremus id quod est abominationi
Ægyptiis ante oculos eorum, nónne lapidaturi
essent nos?
27 [22] Itinere tridui liceat nobis ire in desertũ;
ut sacrificemus Jehovæ Deo nostro; quemad-
modum edixerit nobis.
28 Dicenti autem Parhoni, ego dimittam vos
ut sacrificetis Jehovę Deo vestro in deserto, tan-
tummodò [i] nullo pacto ne longiùs abeatis: sup-
plices orate [23] pro me,
29 Dixit Mosche, ecce ego mox egressus abs
te supplex orabo Jehovam ut recedat hæc collu-
vies *animalium* a Parhone, a servis ejus, & a popu-
lo ejus cras: tantummodò ne [24] pergat Parho
illudere, non dimittendo populum istum ad sa-
crificandum Jehovæ.
30 Egressus ergo Mosche a Parhone, supplex
oravit Jehovam:
31 Fecitq; Jehova secundùm verbum Moschis,
ut recederet colluvies ista *animalium* a Parhone, a
servis ejus, & a populo ejus: ne unum quidem re-
lictum est.
32 Attamen [25] aggravavit Parho cor suum eti-
am hac vice, neque dimisit populum hunc.

f *Heb. redemtionem: sic circumcisio fœdus & signum dicitur Gen. 17. parva pecus Pesach infr. 12. arca fœderis Deus, Psal. 24. & alibi: Synecdoche.* g *Heb. & inter pop.* [19] numerosa, ut Gen. 13. 2. & 50. 9. h *Heb. abominationem Aegyptiorum: sic seq.* [20] verbum hoc dubitantis esse apparet ex eo quòd apertè dicit se ignorare quibus rebus futurum est ut serviant Jehovæ, infrà vers. 27. & 10. 26. [21] ratio: Aegyptii non tantùm a sacrificiis, verum etiam a cæde quarumdam rerum abhorrent: ideóq; gravissimum nobis periculum ab Aegyptiis immineret. Sic autem Aegyptii (inquit Augustinus) abominabantur sacrificia Jisraëlitarum, ut iniqui vitam justorum. [22] concludit a mandato Dei minimè discedendum, ut suprà 5. 3. i *Hebr. elongando ne elongetis vos eundo.* [23] ut amoveatur hæc plaga, ut suprà vers. 8. [24] ut cœpit in ranarum plaga, suprà vers. 15. [25] ut suprà vers. 15.

CAPUT IX.

Parhoni obsirmato tres aliæ graviores plagæ, pestis, ulcera, & grando, denũciatæ immittuntur, quarum tertiâ illi extorquetur, qualiscunque sui peccati & suorum, ac justitiæ Dei confessio: sed tamen ad obstinatum suum ingenium redit.

1 DEinde edixit Jehova Moschi, i ad Par-
honem, ut dicas ei, ita ait Jehova Deus
Hebræorum, dimitte populum meum ut serviant
mihi.
2 Nam si tu renues dimittere, & adhuc vi deti-
nebis eos:
3 Ecce [1] manus Jehovæ futura est in pecus tu-
um quod *erit* in agro, in equos, in asinos, in came-
los, in armenta, & in greges; peste gravi valde.
4 Discrimen autem ponet Jehova inter pecus
Jisraëlitarum [a] & pecus Ægyptiorum: non enim
morietur ex omnibus *quæ sunt* filiorum Jisraëlis
quicquam.
5 Constituítque Jehova certum tempus di-
cendo, cras facturus est Jehova rem istam in hac
terra.
6 Fecit itaque Jehova rem illam postero die,
adeò ut [2] moreretur [3] omne pecus Ægyptiorum:
de pecore verò filiorum Jisraëlis ne unum qui-
dem moriebatur.
7 Et quamvis mittens Parho *observaret* quòd
ecce nõ moriebatur e pecore Jisraëlitarum [b] vel
unum; tamen aggravatum est cor Parhonis, ne-
que dimisit populum.
8 [4] Quapropter edixit Jehova Moschi & Aha-
roni; sumite vobis [c] plenos pugnos vestros fa-
villa fornacis: quam spargat Mosche cęlum ver-
sus ante oculos Parhonis:
9 Et erit in [5] pulvisculum *spargentem sese* per
omnem terram Ægypti: [d] fietq; super homines
& super jumẽta ulcus [e] erumpens * in* pustulis
in tota terra Ægyptiorum.
10 Accepta itaque favilla cujusdam fornacis
steterunt coram Parhone, sparsitq; illam Mosche
versus cælum: sic fuit ulcus, pustulæ multæ, *qui-
bus* erumpebat in hominibus & jumentis;
11 Adeò ut non possent ipsi Magi consistere co-
ram Moscheo propter illud ulcus: erat enim ulcus
illud in ipsis Magis, ut in [6] omnibus Ægyptiis.
12 Sed obfirmavit Jehova cor Parhonis, ut
[7] non auscultaret eis, quemadmodum [f] prædixe-
rat Jehova Moschi.
13 Deinde edixit Jehova Moschi, maturè sur-
gens hoc mane te siste coram Parhone: et dicas
ei, ita ait Jehova Deus Hebræorum, dimitte po-
pulum meum ut serviant mihi.
14 Quoniam [8] hac vice ego immissurus sum
[9] omneis plagas meas [10] in cor tuum, & in servos
tuos, & in populum tuum; ut experiaris non esse
parem mihi in universa terra.
15 Modò enim *quum* extendi manum meam,
[11] percussissem etiam te & populum tuum peste
illa; sic fuisses excisus de terra.
16 Verumtamen propterea feci ut restares, ut
[12] ostendam *in* te virtutem meam: & ut [13] [f] enar-
retur nomen meum in tota terra.
17 Adhuc tu teipsum extollis in populum me-
um, ut non dimittas eos?
18 Ecce ego demittam pluviam sub hoc tem-
pus cras, & grandinem gravem valde; cui par
non fuit in Ægypto ex quo die fundata fuit us-
queadhuc.
19 Nunc itaque [g] mitte [14] congregatum pecus
tuum & quicquid *est* tibi in agro: quicunque ho-
mo aut jumentum invenietur in agro, neque re-
ceptus fuerit in domum, simul ac descenderit su-
per eos hæc grando, morientur.
20 Quisquis ex servis Parhonis timuit verbum
Jehovæ; fecit ut confugerent servi sui, & pecus
suum in domos:
21 Quisquis verò non adjecit [h] animum suum
ad verbum Jehovæ; reliquit quoque servos suos,
& pecus suum in agro.
22 Edixit ergo Jehova Moschi, extende [15] ma-
num tuam versus cælum, ut sit grando in tota
terra Ægyptiorum, super homines, & super ju-
menta, & super omneis herbas agri *quæ sunt* in
terra Ægyptiorum.
23 Itaq; extendit Mosche baculum suum ver-
sus cælum; & Jehova edidit [16] sonos & grandi-
nem, adeò ut obiret ignis per terram: & demisit
Jehova Deus pluviam cum grandine super ter-
ram Ægyptiorum.
24 Fuitq; grando, in qua permistus ignis [i] sese
accendebat; *grando* gravis admodum, cui par non
exstitit in tota terra Ægypti, ex quo fuit gentis
illius:

[1] vis maxima & efficacitas judiciorum ejus (ut finis versus explicat) sine ministerio humano immissa, ut meliùs agnoscas tanti mali causam. a *Heb. & inter pec.* [2] i. conficeretur peste. [3] sed non totum: nam pars in aliud judicium fuit reservata, infrà V. 19. sic infrà V. 25. & 10. 5. quamobrem, *exstabat*, V. 25. reddidimus. b *Heb. ad unum usque.*

[4] hæc plaga, sicut & tertia suprà 8. 16. & nona infrà 10. 20. sine denunciatione immissa est. c *Heb. plenitudinem pugnorum vestrorum.* [5] id est, non subsidebit, sed velut flos tenuissimus pulveris huc illuc volitabit, & diffundetur per totam Aegyptum. d *Heb. erit in ulcus florens, vel pullulans: sic vers. 10.* [6] nondum maturum, quo tempore dolorem affert gravissimum, atque non unum in uno quoque, sed multa. e *Heb. inter Aegypt.* [7] ac ne Deum quidem ipsum deprecaretur. f *sup. 4. 21.* [8] puta si renues populum meum dimittere, &c. ut supra vers. 2. [9] reliquas, quibus ad dimittendum populum cogendus es. [10] i. ita graviter & altè, ut tuum ipsius cor transverberent, non leviter pungant velut extremam cutem. [11] nam pecus tantùm percusserat V. 3. & 5. Reddit autem rationem cur eadem plaga homines non percusserit. [12] ita intelligendum esse ostendit Mosche infrà 14. 17. & 28. & Apostolus Roman. 9. 17. cujusmodi reperiuntur multa. Duo autem hic ponuntur fines cur improbos conservet Deus; unus est gloria Dei, alter, bonorum exercitatio & institutio ab exemplo improbitatis illorum: & severitatis Dei. [13] nimirum à populo meo, ut docet Mosche inf. 10. 2. Apostolus autem activum passivè reddidit, evidentiæ & sensus rationem habens, quia duo illa sunt ἀντίστροφα. f *Heb. enarret: impersonaliter.* g *Heb. mitte, congrega.* [14] duabus de causis hoc indicit, tum ut eum evincat sua beneficentia cum ingrato ejus animo certans, tum ut magnitudinem futuræ grandinis amplificet. q. d. si unquam rebus tuis in agro metuendum fuit, jam certè est. h *Heb. cor.* [15] tenentem baculum, ut apparet ex sequente versu. [16] id est, tonitrua, ut infrà 19. 16. i *Hebr. qui se accipiebat in medio illius grand.*

25 Cecidítque illa grando in tota terra Æ-
gyptiorum quicquid *exstabat* in agro, [k] tam ho-
mines quàm jumenta; omnem quoque herbam
agri læsit illa grando, & omnem arborem agri
fregit.
26 Tantummodò in terra Goschenis, ubi *erant*
filii Jisraëlis; non fuit grando.
27 Quapropter [17] quum misisset Parho *qui ob-
servarent*, accersivit Moschen & Aharonem, &
dixit eis, [18] peccavi hac vice: Jehova justissi-
mus, ego verò & populus meus improbissimi *su-
mus*.
28 Supplices orate Jehovam (nam satis *est*)
ne pergant esse soni Dei & grando: tum dimit-
tam vos, & non [l] ultrà manebitis.
29 Dixit verò ei Mosche, quum egressus hac
civitate expandero manus meas ad Jehovam;
soni illi cessabunt & grando non erit ampliùs, ut
experiaris Jehovæ esse terram hanc.
30 Tu autem & servi tui; novi quòd [19] nondum
timebitis ob præsentiam Jehovæ Dei.
31 Linum autem & hordeum læsum erat; quia
[m] hordeo spica *erat* mutica, & lino culmus:
32 Triticum verò & zea non erant læsa, eo
quòd [n] latentia erant *sub terra*.
33 Itaque Mosche a Parhone egressus urbe,
expandit manus suas ad Jehovam: cessaverúnt-
que soni illi & grando, & pluvia non est effusa in
terram.
34 Parho autem videns cessasse pluviam illam
& grandinem & sonos, perrexit peccare: aggra-
vavit enim cor suum, ipse & servi ejus.
35 Adeò ut obfirmatus suo corde Parho non
dimiserit filios Jisraëlis: quemadmodum [20] præ-
dixerat Jehova [o] per Moschen.

[k] Heb. ab homine & usque ad jumenta.
[17] sic intelligi oportere demonstrat versus 7. suprà, & accentuum distinguentium ratio.
[18] id est, nunc demum cogor fateri me peccasse, & Jehovæ justitiam, mihi verò ac meis improbitatem tribuere.
[l] Heb. addetis manere.
[19] ut confirmatur eventu versu 35.
[m] Heb. hordeum erat culmus, & linum calamus.
[n] Heb. obscura, id est, nondum prodierant.
[20] utrumque, cessationem plagæ & pertinaciam Parhonis, suprà vers. 29. & 30.
[o] Heb. per manum Moschis: vide suprà 4.13.

CAPUT X.

Mosche plenius a Deo de pertinacia Parhonis monitus & confirmatus, unam ei plagam denunciat, duas immittit, locustarum & tenebrarum: quarum priore in confessionem peccati, altera verò in gravissimas contra Moschen minas erumpit.

1 DEinde edixit Jehova Moschi, i ad Parho-
nem: [1] nam ego aggravavi cor ejus &
[2] cor servorum ejus, ut edam signa mea hæc in
medio [a] Ægyptii.
2 Et ut enarres [b] audiente filio tuo & filio filii
tui, quæ præclarè gessero in Ægyptios, & signa
mea quæ edidero in eis: [3] ita cognoscatis me
esse Jehovam.
3 Itaque venit Mosche & Aharon ad Parho-
nem; & dixerunt ei, sic ait Jehova Deus Hebræ-
orum, quousque renuis [4] abjicere te ob præsen-
tiam meam? dimitte populum meum, ut serviant
mihi.
4 Nam si tu renues dimittere populum meum,
ecce ego inducturus sum cras locustas in oram
tuam:
5 Quæ operient [c] superficiem terræ, ita ut
non possit *quisquam* videre terram: absuméntq; [5]
residuum quod evasit, quod relictum est vobis a
grandine, & absument omnem arborem, quic-
quid oritur vobis ex agro:
6 Præterea implebunt domos tuas, domósq;
omnium servorum tuorum, denique domos om-
nium Ægyptiorum; qualeis non viderunt patres
tui, aut patres patrum tuorum, a die quo exstite-
runt per terram usque in diem hunc: deinde a-
vertens se exibat a Parhone.
7 Tum dixerunt servi Parhonis ei, quousque
erit iste nobis [6] in laqueum? [7] dimitte homines
istos ut serviant Jehovæ Deo suo: an nondum
cognoscis periisse Ægyptum?
8 Itaque reductus est Mosche & Aharon ad
Parhonem; qui dixit eis, [d] ite servitum Jehovæ
Deo vestro: [8] [e] quinam *sunt* illi qui abituri sunt?
9 Dicente verò Mosche, cum pueris nostris &
cum senibus nostris abeundum est nobis; cum
filiis nostris & cum filiabus nostris, cum gregi-
bus nostris & cum armentis nostris abeundum
est nobis; quia festum Jehovæ [9] nobis *indictum
est*.
10 Dixit eis, [10] Ita sit Jehova vobiscum, ut sum
dimissurus vos & parvulos vestros: videte *versari*
[11] malum ante faciem vestram.
11 Non ita *fiet*, ite nunc qui viri *estis* & servite
Jehovæ, nam [12] id vos postulabatis: sic [13] expulit
eos [f] Parho à facie sua.
12 Tunc edixit Jehova Moschi, extende ma-
num tuam contra terram Ægyptiorum pro lo-
custis, ut ascendant super terram Ægyptiorum:
& absument omnem herbam ejus terræ, quicquid
grando illa reliqui fecit.
13 Extendente ergo Mosche baculum suum
contra terram Ægyptiorũ Jehova adduxit [14] [g]
Eurum in eam terram toto die illo & tota illa
nocte; mane erat, quum Eurus ille apportavit
locustas.
14 Et ascendentes locustæ illæ super univer-
sam terram Ægyptiorum, resederunt in ora tota
Ægyptiorum: [h] numerosæ valde, ante quas non
fuerant sic locustæ pares istis, & [15] post quas non
sunt futuræ sic.
15 Operiebant enim superficiem totius terræ
illorum, ita ut obscuraretur terra; absumebántq;
omnem herbam terræ illorum, & omnem fruc-
tum cujusvis arboris, quicquid residuum fecerat
grando illa: neque residua facta est ulla viriditas
in ulla arbore aut in herba agri per totam terram
Ægyptiorum.
16 Quapropter festinavit Parho accersere
Moschen & Aharonem; dixítque, [16] peccavi in
Jehovam Deum vestrum & [17] in vos.
17 Sed nunc; condona quæso peccatum me-
um [18] tantùm hac vice, & supplices orate Jeho-
vam Deum vestrum, ut amoveat a me tantum-
modò [19] mortem istam.
18 Quamobrem *ille* egressus a Parhone, quum
supplex orasset Jehovam,
19 [i] Immisit ex adverso Jehova ventum [k] Oc-
cidentalem vehementem valde, qui exportans
locustas illas [20] defixit eas in [21] mare algosum: nõ
relicta est locusta una in ora tota Ægyptiorum.
20 Sed [22] obfirmavit Jehova cor Parhonis, ita
ut non dimitteret filios Jisraëlis.
21 Deinde edixit Jehova Moschi, extende ma-
num tuã versus cælum, ut sint tenebræ super ter-
ram Ægyptiorum, & [23] *quivis* palpet tenebras.

[1] ætiologia est cur Moschen ad Parhonem reverti sit opus: quia ne hilum quidem profecit hactenus, ita disponente Dei providentiâ.
[2] id est, quod hactenus fuerat obfirmatum; horum verò posteà fractum atque convictum est, infrà vers. 7. & sequentibus.
[a] Heb. ejus.
[b] Heb. in auribus filii tui, & filii, &c.
[3] finis summus, quò duo præcedentes referuntur.
[4] id est, meis ferulis emendari, & te obsequio meo submittere. [c] Heb. oculum, ut etiam infrà vers. 15. & Numer. 11.7. metonymia. [5] triticum & zeam, de quibus suprà 9.32, & reliqua a grandine relicta.
[6] jam enim aliquoties a Mosche ictu haud secus sibi ab eo metuunt, quàm aves a laqueo.
[7] videlicet concedens quod petunt.
[d] Heb. ite servite, ut infrà V. 24.
[8] q.d. non omnibus sum concessurus, sed quibusdam tantum, qui explicantur V. 11. eósque nominatim volo cognoscere.
[e] Heb. quis & quis abituri.
[9] subaudi omnibus; nam hæc est superiorum ratio.
[10] id est, propitius vobis adsit. q.d. non dimittã ut peritis: sed dum se illis malè precari putat, imprudens bene precatur.
[11] interminatur malũ & præsens esse denunciat, nisi porrò sibi molestiam afferre desinant.
[12] q.d. vos ab initio non ampliùs postulabatis.
[13] sic enim fore prædixerat Deus suprà vers. 1.
[f] Hebr. a facie Parhonis: ut Genes. 9.6. & alibi.
[14] in illis regionibus vehementissimum, adeò ut maximas naves diffringat Psal. 48.8. quamobrem eo mare rubrum Jisraëlitis pervium reddidit Deus, infrà 14.21.
[g] Heb. ventum Orientalem.
[h] Heb. graves.
[15] i. nunquam erunt usquam: nam ut taceamus multas simul fuisse species Psa. 78.46. & 105.34. tanta fuit earum copia & amplitudo, ut aspectum terræ adimeret. Quod autem describitur Joël. 1.2.3. & 4. alia ratione fuit incomparabile, tum quòd aliæ species aliis successerunt, tum quia per aliquot annos flagellum duravit. [16] ex flagelli acerbitate, non detestatione peccati in hanc vocem erumpit: quare sublato flagello statim ad ingenium redit. [17] delendo vos sæpe, & a conspectu meo extrudendo. [18] q.d. nisi promissum cõstanter præstabo, ne deinceps parcas. [19] i. mortiferam hanc plagam, & alimenta omnia exedentem: metonymia. [i] Heb. convertit. [k] Heb. maris, vide Gen. 12.5. [20] i. magno impetu dejecit, ut ibi suffocarentur ac non emergerent. [21] i. Erythræum sive rubrum: ita ipsum Scripturæ vocant passim, quòd in eo alga plus quàm in aliis nascatur: vide Plin. lib. 13. nat. hist. cap. ultimo. [22] ut Moschi prædixerat supr. V. 1. [23] præ earum densitate: hyperbole, qua designantur solito longè densiores tenebræ, etiam densitate sua lucem quam ars hominum accendit exstinguentes: ut declarant sequentes V.

22 Extendente

²⁴ densitas enim aëris tenebrosi etiam ignem impediebat ne lucē subministraret eis.
¹ *Heb. vir fratrem suum.*
²⁵ post triduanas tenebras, inductus a consiliariis suis qui tunc adfuerunt, ut ostenditur infrà 11.8.
²⁶ pignori, ut de vestro reditu certiores simus.
²⁷ id est, quibus generibus, & quo numero animalium.
ᵐ *Heb. ne addas intueri: sic* ℣. 29.
²⁸ non approbat quod Parho dicit: sed ei insultat, & idipsum quod dicebat Parho eventurum quidem, at longè aliter quàm putabat

22 Extendente itaque Mosche manum suam
versus cælum; exstiterunt tenebræ caliginosæ in
terra tota Ægyptiorum tribus diebus.
23 ²⁴ Non videbant ¹ alter alterum, neque surgebant
ullus a loco suo tribus diebus: at omnibus
filiis Jisraëlis erat lux in habitationibus ipsorum.
24 ²⁵ Deinde accersivit Parho Moschen, ac
dixit, abite, servite Jehovæ, tantùm greges vestri
& armenta vestra ²⁶ sistuntor: etiam parvuli vestri
abeunto vobiscum.
25 Sed dixit Mosche, cùm tu permissurus es in
manu nostra victimas & holocausta; quæ faciamus
Jehovæ Deo nostro:
26 Tum etiam pecora nostra eant oportet nobiscum,
non relinquetur *vel* ungula, quia ex eis
accepturi sumus ut serviamus Jehovæ Deo nostro:
nos autem ignoramus ²⁷ quo colere nos
oportebit Jehovam, donec pervenerimus illuc.
27 Obfirmavit verò Jehova cor Parhonis, adeò
ut nollet dimittere eos.
28 Nam dixit ei Parho, apage a me: cave tibi,
ᵐ ne deinceps intuetor faciem meam, nam quo
die intuitus fueris faciem meam, morieris.
29 Cui dixit Mosche, ²⁸ rectè loquutus es: non
amplius deinceps intuebor faciem tuam.

dicens, vim extremæ plagæ (quam mox denunciaturus est) ei prænunciat, atque huc spectat quod ait Apostolus Moschen per fidem reliquisse AEgyptum, quum nihil timeret iram Regis, Heb. 11.27. quia zelo Dei accensus, internóq; divini Spiritus testimonio fretus compellat pro autoritate Regem.

CAPUT XI.

Mosche ad Parhonem non ampliùs rediturus, postremam ipsi plagam de primogenitorum nece Dei mandato denunciat, & vehementi ira commotus discedit.

¹ prædixerat quidem de plaga suprà 4.23. de missione & spoliis sup. 3.20. & sequentibus, sed eadem repetierat Deus antequàm postremò ad Parhonem rediret Mosche: quapropter dicit, *adhuc plagam unam.* Est autem hæc ætiologia, cur Mosche tanta præfidentia Parhonem compellaverit fretus autoritate, promissione, & mādato Dei. Atque hæc ætiologia per hysterosin a Mosche exponitur de more Hebræorum, ut Genes. 11. 1. & 33. quapropter hosce treis versus parenthesi inclusimus.

1 (Dixerat ¹ enim Jehova Moschi, adhuc
plagam unam inducam super Parhonem
& super Ægyptios, postmodùm dimittet
vos hinc: quum dimittet, ad unum ² ᵃ celeriter
expellet vos hinc.
2 Loquere nunc ᵇ audiente hoc populo; ut petant
quisque ab ³ amico suo, & quæque ab amica
sua, instrumenta argentea, & instrumenta aurea.
3 ᶜ Reddiderátque Jehova gratiosum populum
illum in oculis Ægyptiorum: ⁴ etiam virum
illum Moschen, magnum valde in terra Ægypti
ante oculos servorum Parhonis & ante oculos ⁵
ipsius populi.)
4 ⁶ Prætereà dixit Mosche, ita ait Jehova; circiter
medium hujus noctis ego egressurus sum
per medium Ægyptiorum:
5 Et morietur omne primogenitum in terra
Ægyptiorum, ᵈ tum primogenitus Parhonis qui
sessurus erat super thronum ejus, tum ⁷ primogenitus
ancillæ quæ *est* ⁸ post molas: etiam omne
primogenitum jumenti.
6 Itaque erit clamor magnus in tota terra Ægyptiorum;
ᵈ cujusmodi non fuit *editus*, & cujusmodi
non deinceps erit.

² infrà 12.31. & sequentibus. ᵃ *Heb. expellendo expelles.* ᵇ *Heb. in auribus populi.* ³ AEgyptio & AEgyptia, suprà 3.22. ᶜ *Heb. dederat gratiam illius populi, ut suprà* 3.21. ⁴ quasi dicat, hinc factum est ut nihil contra ipsum Parho tentaverit. ⁵ AEgyptii. ⁶ regressio ad sermonem Moschis cum Parhone, qui fuerat intermissus inde a fine capitis 10. ᵈ *Hebr. a primogenito Parh. q. s. e. s. t. e. usque ad primogenitum an.* ⁷ id est, infimus: per ancillam enim intelligit mancipium infimæ servitutis: vide infrà 12.29. ⁸ trusatiles; quas qui circumagunt, non præcedunt sed sequuntur, brachiis & toto corpore obnixè trudentes.

7 At contra omneis filios Jisraëlis ⁹ non movebit
canis linguam suam, contra ᵉ ullum hominem
aut jumentum: ut cognoscatis quantum
discrimen ponat Jehova inter Ægyptios ᶠ & Jisraëlitas.
8 Tunc descendent omnes ¹⁰ servi tui isti ad
me, & incurvantes se *honorem habebunt* mihi dicendo,
exi tu & totus iste populus ᵍ qui tua vestigia
sequitur, & posteà ¹¹ exibo: sic exivit a Parhone,
ʰ accensus ira.
9 ¹² Dixerat autem Jehova Moschi, non auscultabit
vobis Parho, ut multiplicem ¹³ prodigia
mea in terra Ægypti:
10 Itaque Mosche & Aharone edentibus illa
ipsa prodigia omnia coram Parhone; obduravit
Jehova cor Parhonis, adeò ut non dimiserit filios
Jisraëlis e terra sua.

⁹ quasi dicat, tanta erit quies & tranquillitas, ut ne canis quidem (qui minimo alioqui strepitu excitari solet) sit oblatraturus: proverbiale dictum, ut Jehoschu. 10. 24.
ᵉ *Heb. ab homine ad bestiam.*
ᶠ *Heb. & inter Jisr.*
¹⁰ consiliarii & ministri, ut annotavimus sup. 10. 24.
ᵍ *Heb. qui est in pedibus tuis: pes pro vestigio ponitur, ut Judic.* 4. 10. *& alibi.* ¹¹ ex AEgypto ego & totus populus meus, synecdochicè. ʰ *Heb. cum accensione iræ, ut* 1. *Schem.* 20. 34. ¹² Conclusio superiorum quinque capitum, evenisse ut Deus prædixerat suprà 3.9. & sequentibus cap. Moschen verò & Aharonem sicut Deus præceperat fecisse. ¹³ videlicet quibus & populum meum terream, & discrimine posito informem in pietate cæsis AEgyptiis: hoc enim planè est opus Dei, bene utentis malitia cordis AEgyptiorum; non autem Parhonis opus malè abutentis patientia Dei, ut Augustinus loquitur.

CAPUT XII.

Deus mox populum suum educturus, novam anni rationem, Paschalis victimæ sacramentum, & azymorum ritum instituit: Jisraëlitarum domos victimæ sanguine notatas præterfilit: AEgyptios primogenitis eorum interemtis cogit ut omneis Jisraëlitas cum suis facultatibus & ipsorum spoliis quàm citissimè dimittant: eductósque Jisraëlitas ad secundam stationem perducit.

1 Alloquutus ¹ autem fuerat Jehova Moschen
& Aharonem, in terra Ægypti, dicendo,
2 ² Hic mensis vobis principium mensium; primus
ille *esto* vobis inter menses ³ cujusque anni.
3 Alloquimini totam congregationem Jisraëlis:
dicendo, in ipso decimo *die* mensis hujus; ut
accipiant sibi quisque parvam pecudem pro ⁴ familia
paterna, parvam pecudem pro ⁵ quaque familia.
4 Si verò minor fuerit aliqua familia, quàm ut
sit ᵃ par edendæ parvæ pecudi, accipiet ipse *paterfamiliâs*
& vicinus ejus qui proximus *est* domui
ejus *parvam pecudem* pro numero animarum: quisque
⁶ ᵇ pro ratione cibi sui numerabitis ad ipsam
parvam pecudem *comedendam.*

¹ ante triduanas tenebras, ut evincit ℣. 6. nam Pesach ex grege seligunt quatriduo antequàm mactetur: quod facere non potuissent, nisi interhoc mandatū seponendi Pascha, & Paschatis tempus inf. vers. 28. quatriduum intercessisset, triduum tenebrarum, & dies sequens, quo Mosche cum Parhone postremò loquutus, cædem primogenitorū proxima nocte futuram denunciavit: suprà 10. 11. Id autem a Mosche consilio certo factum est, ut materiæ potius quàm temporis ratio haberetur. Nam superiore capite historiam plagarum absolvit fermè, hoc verò capite historia Paschatis uno contextu percurritur. ² qui appellatur Abib, infrà 13.4. & Martio nostro plurimum respondet. ³ sacri videlicet, hoc est, ad redemptionem & rationem festorum pertinentis: nam respectu jubilæi, intermissionis terræ, atque proventuum, hoc est, civilis anni aliud erat initium, nimirum a septimo mense, ut apparet infrà 23.11. & 16. & 34. 22. & Levit. 25. 9. Erat autem uterque annus tam civilis quam sacer cælestis, & AEquinoctialis vel distinctus per AEquinoctia: nam civilis annus ab Autumnali æquinoctio ducebat principium, quum Sol in Libra ageret: sacer verò ab AEquinoctio verno, quod Sole tenente octavam partē Arietis inire solet, ut ostendit Mosche inf. 34.22. Hanc rem definiemus Josephi verbis libro ἀρχαιολογίας α. in narratione diluvii: quem locum ideò adducimus, quia hactenus mendo non caruit, ut curetur & cōmodiùs intelligatur judicio meo. Sic igitur ille, Συνέβη δὲ τοῦτο τὸ πάθος κατὰ τὸ ἑξακοσιοστὸν ἔτος ἤδη Νώχου. τῆς ἀρχῆς ἐν μηνὶ δευτέρῳ Δίῳ μὲν ὑπὸ Μακεδόνων λεγομένῳ, Μαρσουάνῃ δὲ ὑπὸ Ἑβραίων. οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες. Μωυσῆς δὲ τὸν Νισὰν (ὅς ἐστι Ξανθικὸς) μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισεν, κατὰ τοῦτον ἐξ Αἰγύπτου τοὺς Ἑβραίους προαγαγών. οὗτος δ' αὐτῷ καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς εἰς τὸ θεῖον τιμὰς ἦρχεν· ἐπὶ μέντοι γε πράσεις καὶ ὠνὰς καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε. ⁴ i. tota alicujus hominis cognatione, quæ in multas familias ferè distributa est. ⁵ quæ sufficiet ad totā pecudem eadē noctē edendā. ᵃ *Heb. superior parva pecude.* ⁶ i. singuli patresfam. pro numero suorum domesticorum, & ratione victus eorum, ut infrà 16. 17. ᵇ *Heb. secundum [illegible] comedere suum,*

5 Parva pecus integra, mascula, [7] [c] annicula
esto vobis: *ea* ex ovibus aut ex capris accipitote.
6 [8] Sitque apud vos in custodia, usque ad deci-
mumquartum diem hujus mensis: quo [9] jugula-
bunt eam totus cœtus congregationis Jisraëlis
inter [10] duas vesperas.
7 Deinde accipientes ex ipsius sanguine, [11] im-
ponent duobus postibus & superliminari, in do-
mibus illis [12] in quibus esuri sunt ipsam.
8 Comedent verò carnem illius ea ipsa nocte:
eam assam igne, & azymos panes [13] cum *herbis*
amaris comeduntò.
9 Ne comedatis ex ea [14] crudum *quicquam*, aut
coctile coctum in aquâ; sed assum igne, [15] caput
ejus cum cruribus ejus, & cum intestinis ejus.
10 Neq; reliquum faciatis ex ea *quicquam* [16] in
matutinum usque: [17] quod autem reliquum fue-
rit ex ea usque mane, [18] igne comburitote.
11 [19] Ita verò comedite eam, lumbis vestris
succinctis, calceamentis vestris ad pedes vestros,
& baculo vestro in manu vestra: sed comedetis
eam cum festinatione, [d] Pascha est Jehovæ.
12 Transiturus enim sum per terram Ægypti
ea ipsa nocte; & percussurus omne primogeni-
tum in terra Ægypti, [e] tum homines, tum etiam
jumenta: & in [20] omneis Deos Ægyptiorum ex-
erciturus judicia, ego Jehova.
13 Erit autem sanguis ille [21] pro vobis in sig-
num super illas domos ubi eritis, ut videns san-
guinem illum transeam præter vos: sic non erit
in vobis plaga [f] exitialis, quum cædam *primoge-
nita* in terra Ægypti.
14 [22] Quamobrē erit dies iste vobis in [23] mo-
nimentum, ut celebretis ipsum *diem* festum Jeho-
væ: per ætates vestras statuto [g] [24] perpetuo cele-
brate ipsum.
15 [25] Septem dies panes azymos comeditote,

7 qua annum non excesserit, etiamsi præcisè annum minimè complevisset: nā apta incipiebat esse inde ab octavo die: vide inf. 23, 19.
c Heb. *filium anni*.
8 seponitor a reliquo grege penes vos.
9 quisq; suam.
10 i. duas vespertini temporis extremitates, quarum prior ad finem diei inclinantis pertinet, ut apparet ex ℣. 18. posterior ad principium noctis, quó sequens dies inire dicitur Gen. 1. 5. Hoc ut melius intelligatur, sic paucis habendum est. Dies tam civiles quàm naturales Hebræi in quadrantes distribuebant. Civilis, τὸ νυχθήμερον habuit 4. mischmaróth sive vigilias, vesperā, mane, & Tzahorájim, i. claræ lucis vigilias duas, ascendentis & descendentis solis. Naturalis verò ἡμέρα, vel lucis tēpus (ut etiā noctis spatium) quatuor item partibus constitit: prima fuit ἕως, diluculū & lux iniens: secunda & tertia μέσον ἡμέρ. Tzahorájim, habens duo κόμματα παtentis lucis; unum ab hora tertia ad sextam, alterum a sexta ad nonam, quo tempore Sol procedit in robore suo, ut loquitur Debora Judic. 5. 31. quarta deniq; δειλὴ vespera, ab hora nona (qua oblationes vespertinæ incipiebant offerri) ad noctem usque. Atq; hæ duæ fuerunt vesperæ, una, diei inclinantis a nona; altera, noctis ineuntis, ab hora diei ultima. [11] causam vide infrà ℣. 13. nam temporarium hoc mandatum fuit illius tantùm Paschatis, quod ante redemtionem celebrarunt. [12] nam intra illas ea nocte se continere jubentur, infr. ℣. 22. [13] ut Numer. 9. 11. in monimentum amaræ servitutis, quā ab Aegyptiis pressi fuerant, supr. 1. 14. [14] aut crudum, aut non satis coctum; nam utrumque vox Hebræa significat. [15] i. integrum assatum, non autē per partes: nam ne tum quidē quum assata erat, per partes foras efferri sinebat, inf. ℣. 46. [16] nam ad primā noctem illius festi hæc ceremonia pertinebat, inf. ℣. 42. [17] sive ex carne ipsa, sive ex pelle, ossibus, extis, &c. [18] ne ad alios usus præterquàm institutū fuit adhibeantur. [19] q. d. sic estote ad iter illud comparati ut sequentib. jubetur. hæc enim quatuor ad istud tātùm Pascha pertinent, quod in Aegypto celebrarunt: quapropter in institutione anniversarii ritus Paschatis inf. 14. & seq. & Num. 9. neq; hæc repetuntur, neq; sanguinis aspergendi mandatum, de quo sup. ℣. 7. neque egrediendi interdictum, quod habetur inf. ℣. 22. ac proinde Christū in celebratione Paschatis discumbentē, & post esum ejus in hortum exeuntē (ut Evangelistæ tradunt) minimè contra Legem venisse constat. [d] *Heb. Pesach, i. transitus, & sic deinceps: pro pecude adhibita ad significandum transitum.* [e] *Heb. ab homine usque ad jum.* [20] judiciis meis declarando quàm vani sint, fallaces, & omni facultate opis ferendæ destituti: sic Num. 33. 4. [21] ut vos promissi mei admonitos in fide corroboret, & mihi testetur vos promissiones meas fide amplexos esse. [f] *Heb. in exitium.* [22] hic demum in futurum jubet anniversariū Pascha celebrari. [23] redēptionis vestræ a Deo acceptæ, & grati erga ipsum animi vestri. [g] *Heb. seculi, sic inf.* ℣. 17. [24] in Christo, qui Legis est cōplementum, & harum umbrarū corpus, Rom. 10. 4. Heb. 10. 1. & Col. 2. 17. in hac autem & in omnibus aliis legalibus ceremoniis, perpetuitas ista non longiùs quàm usq; ad Christū extenditur, vide in Gen. 17. 8. [25] Hebræi uno ore tantundē spatii dicunt intercessisse inter profectionē Jisraëlitarū ex Aegypto, & Aegyptiorum submersionē; ideóq; mandatū fuisse ut primus & ultimus dies præ cæteris celebraretur: quia dicitur infr. 14. 30. Jehova eo die quo submersi sunt Aegyptii, servasse Jisraëlitas e manu Aegyptiorum. atq; hæc sententia verisimilis est, tum quia quemadmodū primo die in esu Paschatis fuit sancta convocatio, sic submersis Aegyptiis per convocationē sanctam cantico Moschis Deus celebratus est, tum quia itinerum rationi cum hac sententia optimè convenit: nam Succothas decimo quinto venerunt, Ethamum decimo septimo, ad fauces Chirothanim decimo octavo (ubi jussu Dei substiterunt exspectantes adventum hostium) die vigesimo occurrit Parhonis exercitus, nocte verò sequente Jisraëlitæ trajiciunt mare & isti submerguntur.

verumtamen ipso die primo [h] *jam* amoveritis ve-
tus fermentum e domibus vestris: nam quisquis
comederit fermentatum a die illorum primo us-
que ad septimum diem, utique [26] exscindetur illa
ipsa anima ex Jisraële.
16 In primo autem illorum die [27] convocatio
sancta, similiter die septimo convocatio sancta
esto vobis: nullum opus fiat in eis, verumtamen
quod comedendum erit unicuique animæ, [28] il-
lud solum [i] parabitur vobis.
17 Observabitis igitur *diem* ipsum azymorum;
quum eodem ipso die eduxero exercitus vestros
e terra Ægypti: observabitis inquam illum ipsum
diem per ætates vestras statuto perpetuo.
18 Primo ipso *mense*, quartodecimo ejus men-
sis, [29] vespere comeditote azymos; usque ad diē
vigesimum primum ejusdem mensis vespere.
19 Septem dies vetus fermentum ne reperitor
in [30] domibus vestris: nam quisquis comederit
fermentatum, utique exscindetur illa ipsa anima
ex congregatione Jisraëlis, [k] tam [31] peregrini,
quàm indigenæ ipsius regionis.
20 Nihil fermentati comeditote: in omnibus
habitationibus vestris [32] comeditote *panes* azy-
mos.
21 Convocatis itaque Mosche omnibus [33] Se-
nioribus Jisraëlis, edixit eis; [34] extrahite, & acci-
pite vobis parvam pecudem per familias vestras,
deinde jugulate ipsum Pascha.
22 [35] Tum acceptum fasciculum [36] hyssopi in-
tingetis in sanguine ipsius qui *erit* in pelvi, &
admovebitis superliminari duobus postibus de
sanguine illo qui *erit* in pelvi: vos autem ne exi-
tote ullus e porta domus suæ ad matutinum us-
que.
23 Procedens enim Jehova ad percutiendum
Ægyptum; quum viderit sanguinem illum in su-
perliminari & in duobus postibus: transibit Je-
hova præter portam illam, nec sinet interfecto-
rem ipsum ingredi domos vestras ad percutien-
dum.
24 Observate autem [37] rem hanc, pro statuto
tibi & filiis tuis usque in seculum.
25 Erit itaque [38] quum veneritis in terram il-
lam quam daturus est Jehova vobis, quemadmo-
dum dixit; ut observetis hunc ipsum cultum.
26 Et erit, [39] quando dicent filii vestri vobis;
quid hic cultus vobis *designat*?
27 Ut dicatis, victima paschatis est Jehovæ,
qui transiens præter domos filiorum Jisraëlis in
Ægypto quum cæderet Ægyptios, familias no-
stras eripuit: tunc verticem [40] inclinavit populus

[h] *Heb. feceritis ut cesset: ita autem accipiendum esse ostenditur inf.* 23. 18. & 34. 25.
[26] vide Genes. 17. 14.
[27] id est, populus a reliquis hujus vitæ negotiis vacans conveniet, ut sacris incumbat.
[28] sicut etiam licebat diebus festis pentecostes, buccinarū, & tabernaculorum: in sabbatho verò hoc quoque prohibebatur, inf. 16. 5. & 23. & 29. & 35. 3.
[i] *Heb. fiet: ut infra* ℣. 39.
[29] i. antequàm ineat prima noctis vigilia, unde civilis dies incipit Gen. 1. ideò festa omnia in Lege mandata a vespere incipiebant.
[30] i. toto termino tuo, infr. 13. 7. Synecdoche.
[k] *Heb. in peregrino, & in indigena.*
[31] i. ad confusionem vitandam, alienigenæ inter Jisraëlitas versantes, quod ad externam vivendi rationem, seipsos populo Dei accommodent, alioquin ne tolerantor: ideò nec Sabbatho operari, nec azymorum tempore eis permittebat fermentato vesci, & contra venientes excludi jussit Deus.
[32] causam vide Deut. 16. 3.
[33] per quos toti populo res indiceretur, ut dictū est supr. 3. 16.
[34] die videlicet decimo: id est, habito delectu a reliquis segregate pecudem, qualis describitur supr. ℣. 5. [35] hoc singulare item est mandatum, ut ℣. 11. & innuit ætiologia seq. ℣. [36] vocem hanc Hebræi interpretantur origanum sive id quod Arabes vocant Tzahtar: Græci & Latini hyssopum, nos aliquando muscum. Sed jam non pudet me ab Immanuelis Tremelii interpretatione, cum bona sanctæ illius animæ venia, discedere, & veritati palmam tribuere. Hebræum Ezob, & Tzahtar Arabum primò & per se latæ sunt significationis: nam & hyssopum, & omnia origani genera, & thymbram, & thymum, & saturejam complectitur utrumque, velut affinitate juncta. Sed κατ' ἐξοχὴν accipiuntur angustius. Nam quia Ezob ad fluxus, tussim, duritias, collectiones, & manantia ulcera utilis est, quæ indicantur etymo; speciatim hac voce hyssopus designatur quæ principatum in eo genere obtinet; Tzahtar verò saturejam sonat, quasi minimam in suo genere. Huc me adducit autoritas Apostoli Heb. 9. 19. qui ἐν τοῖς καθολικοῖς legitimorum rituum nominat hyssopum, respiciens ad eam legem quæ est Num. 19. Nec obstat quòd 1. Reg. 4. 33. cedro opponitur & parietinas amare dicitur: nam oppositio fit rerum ὁμογενῶν, ac non genere differentium. Est autem genus commune utriusque, planta in scapum assurgens vel caulescens: quo in genere certum est maximam cedrum ferè, Saturejam minimā appellari. [37] non ceremonias illas Paschatis in Aegypto peculiares, de quibus sup. ℣. 7. 11. & 22. sed reliquā institutionē anniversarii Paschatis atq; azymorum. [38] nam in deserto unum tantùm Pascha jussu Dei celebrasse leguntur anno secundo ab exitu ex Aegypto, Num. 9. [39] Sacræ actioni doctrinam annectit, ut cap. 13. nam sine ea actio vana & inutilis esset. [40] ita fidem & obedientiā suam testificatus est,

ipse & incurvaverunt se *honorem exhibentes.*
28 Abeuntes igitur id fecerunt filii Jisraëlis;
quemadmodum præceperat Jehova per Mos-
chen & Aharonem, sic fecerunt.
29 Fuit autem [41] sub mediam noctem, ut Jeho-
va cæderet omnem primogenitũ in terra Ægyp-
ti; [l] tum primogenitum Parhonis qui sessurus e-
rat super thronum ejus, quàm primogenitum [42]
captivi qui *erat* in [m] ergastulo: & omne primo-
genitum jumentorum.
30 Quapropter surrexit Parho nocte, ipse &
omnes servi ejus, omnes denique Ægyptii, & ex-
stitit clamor magnus in Ægypto; eo quòd nulla
erat domus ubi non *esset* [43] mortuus.
31 [44] Inclamabátque Moschen & Aharonem
noctu, dicens, surgite, exite e medio populi mei,
tum vos tum filii Jisraëlis; & abite, servite Jeho-
væ, sicut loquuti estis.
32 Greges quoque vestros & armenta vestra
accipite, [45] quemadmodum loquuti estis, ac abi-
te: ut [46] benedicatis etiam mihi.
33 Etiam Ægyptii [47] vehementer instabant
apud populum festinando dimittere eos e sua re-
gione; dicebant enim, nos omnes [n] jamjam mo-
rituri sumus.
34 Itaque accepit ipse populus massam suam,
nondum fermentatam; mactris suis super hu-
merum suum *quisque* circumligatis ad vestes su-
as.
35 Filii autem Jisraëlis fecerant secundùm e-
dictum Moschis: petierant [ll] enim ab Ægyptiis
instrumenta argentea, & instrumenta aurea, &
vestes:
36 Et Jehova [o] reddiderat gratiosum populum
hunc ante oculos Ægyptiorum, adeò ut dede-
rint eis petentibus: ita [48] spoliaverunt Ægyp-
tios.
37 Profectíque sunt filii Jisraëlis [49] Rahme-
seso [50] Succothas; [51] ad sexcenta millia peditum,
virorum, præter parvulos.
38 Quinetiam [52] miscellanea turba multa as-
cendit cum eis; greges quoque & armenta, pos-
sessio gravis valde.
39 [53] Tunc coxerunt e massa illa, quam [54] extu-
lerant ex Ægypto, placëtas azymas, quum non-
dum fermentata esset: nam [55] expulsi ab Ægyp-
tiis, non potuerant cunctari, etiámque viaticum
non comparaverant sibi.
40 Incolatus autem [56] Jisraëlitarum, quo com-
morati sunt [57] in Ægypto, *fuit* [58] quadringento-
rum triginta annorum.
41 Fuit verò exactis quadringentis triginta
annis; fuit, inquam, eodem ipso die, *ut* egrede-
rentur omnes exercitus Jehovæ e terra Ægyp-
ti.
42 Nox [p] plurimùm observanda est Jehovæ,
qua eduxit eos e terra Ægypti: hæc est illa nox
Jehovæ, plurimùm observanda omnibus Jisraëli-
tis per ætates suas.

[41] prout denunciaverat suprà 11.4.
[l] *Heb. a primogenito Parh. sessuro sup. i.e. usque ad primog.*
[42] id est, servi & ancillæ, ut suprà 11.5. nam ex captivis fiebant servi, qui molas trudebant interdiu; noctu verò ab ergastulariis in carcere foveísque vincti tenebantur: vide de Schimschone, Judi. 16.22.
[m] *Heb. loco foveæ.*
[43] aliquis sive primogenitus, sive primarius loco primogeniti.
[44] ipse, & per omneis servos suos, etiam orando ut discederent, suprà 11.8.
[45] id est, sine exceptione, ut postulavistis, suprà 10.25.
[46] id est, impetretis mihi hujus plagæ finem.
[47] omnia Jisraëlitis concedentes, modò exirent, & vitam suam prece precióque redimentes, ut hoc versu & sequentibus exponitur.
[n] *Heb. mortui sumus.*
[ll] *suprà 3.21. & 11.2.*
[o] *Heb. dederat gratiam hujus populi, ut sup. 3.2.*
[48] ut promiserat Deus Moschi suprà 3.23. & diu antè Abrahamo, Genes. 15.14.
[49] de quo Genes. 47.11.
[50] id est, in tuguria tumultuaria, quæ Latini trichilas & umbras vocant, vulgus tabernacula: a quibus hic locus sortitus est nomen: vide Levit. 23.43.
[51] ut Jahakobo promiserat Deus Genes. 46.3. & narratur suprà 1.12. [52] diversarum gentium, quæ miraculis territæ sese Jisraëlitis adjunxerant, de qua etiam Num. 11.4. [53] quum pervenissent Succothas, versu 37. [54] suprà vers. 34. [55] ut promiserat Deus suprà 6.1. & 11.1. [56] id est, non tantùm posterorum Jahakobi, sed ipsius quoque Jahakobi, patris, & avi, ex quo tempore Ure Chaldæorum vocatus est: tum enim cœpit incola esse Jisraël, & incolatus duravit usque ad exitum ex AEgypto: Synecdoche, ut Genes. 35.26. tempus autem itineris ad terram promissam, itidem synecdochicè possessioni terræ annumeratur. [57] & aliis peregrinationum locis, in terra non sua; Synecdoche, quam videntes LXX. adjecerunt, καὶ ἐν γῇ Χαναάν: & Augustinus quæst. 47. in Exod. sic reddit, Incolatus autem filiorum Jisraël, quem incoluerunt in terra AEgypti & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni 430. vide Galat. 3.17. [58] vide in Genes. 11.35. [p] *Heb. observationum, ut paulò post hoc versu.*

43 Quamobrem edixit Jehova Moschi & A-
haroni, hoc *esto* statutum ipsius Paschatis: nullus
[59] alienigena vescitor illo.
44 [60] Omnis verò servus cujusque, [q] emtus pe-
cunia; quum [61] circumcideris eum, tum vescitor
illo.
45 [62] Inquilinus, aut mercenarius ne vescitor
illo.
46 [63] In eadem domo editor, ne efferto ex ulla
domo de carne illius foras: & [64] os ne confrin-
gatis in illo.
47 Tota congregatio Jisraëlis faciunto illud.
48 Quòd si peregrinabitur apud te peregrinus,
qui [r] facere voluerit Pascha Jehovæ; circumci-
ditor ei [65] omnis mas, tum demum accedito ad
faciendum ipsum, & esto sicut ipse indigena ter-
ræ: at nullus præputiatus vescitor illo.
49 [66] Lex eadem esto indigenæ ipsi, & peregri-
no huic qui peregrinatur inter vos.
50 Quod fecerunt omnes filii Jisraëlis: quem-
admodum præceperat Jehova per Moschen &
per Aharonem, sic fecerunt.
51 Fuit autem [67] hoc, eodem ipso die, *quo* edux-
it Jehova filios Jisraëlis e terra Ægypti per exer-
citus suos.

[59] id est, quinetiam qui ex liberatis ab AEgypto natus est, neque ad redemptionem futurã per Christum (cujus illa umbra fuerunt) pertinet.
[60] exceptio superioris legis.
[q] *Heb. emtio pecuniæ ut Genes. 17.13.*
[61] hoc est, ita institueris, ut sinceri justitiam prehendat, & circumcisione (quæ sigillum ejus est) obsignari & in populum Dei referri voluerit: Synecdoche.
[62] tantùm hoc est, fide non imbutus, ac proinde incircumcisus.
[63] populi, qui ante dispersus collectionem figurat, & contrarium vetat. [64] quia Pesach figura fuit Christi, cui hoc accommodatur, Joan. 19.33. & 36. [r] *Hebr. feceris Pesach.* [65] id est, ipse, & quicunque mas ad eum pertinet. [66] id est, iisdem legibus tenentor: quibus præstitis, nullo discrimine ab Jisraëlitis genere discernuntor. [67] id est, Paschatis primi celebratio, & anniversaria institutio, toto hoc cap.

CAPUT XIII.

Mosche mandata Dei de annuo Paschatis ritu & primogenitorum consecratione accepta populo proponit, eorumque memoriam ad posteros propagari jubet: deinde quà & quomodo ad tertiam stationem ductu Dei pervenerint.

1 AL loquutus quoque est Jehova Moschen,
dicendo,
2 [1] Consecra mihi omne primogenitum, quic-
quid aperit vulvam ullam [a] apud Jisraëlitas, ex
hominibus & ex jumentis: [2] meum *enim* est.
3 Edixit itaq; Mosche populo, mementote diei
hujus, quo egressi estis ex Ægypto e [3] domo ser-
vorum, quòd [b] robusta manu eduxerit vos Jeho-
va illinc: ne ergo comeditor fermentatum.
4 Hodie vos exitis; in mense [4] Abib.
5 Idcircò futurum est, quum introduxerit te
Jehova in regionem Cenahanæi, & Chittihæi, &
Emoræi, & Chivvæi, & [5] Jebusæi, quam juravit
majoribus tuis se daturum tibi, terram affluen-
tem lacte & melle: ut [c] obeas [6] cultum istum hoc
mense.
6 Septem diebus comedito panes azymos: eti-
am die septimo, *die* festo Jehovæ.
7 *Panes* azymi comeduntor septem illis die-
bus: neque conspicitor apud te fermentatum
quicquam, neque conspicitor apud te vetus fer-
mentum in toto termino tuo.
8 Et annunciabis filio tuo die illo, dicendo; [7]
propter hoc fecit *ista* Jehova mihi, quum exirem
ex Ægypto:
9 Ut [8] sit tibi in signum [9] ad manum tuam, & in
monimentum inter oculos tuos, ut sit doctrina

[1] mandato videlicet, i. jubeo mihi consecrari & meum fore deinceps pronunciato, vers. 1. & seq.
[a] *Hebr. in filiis Jisraëlis.*
[2] causam vide infrà vers. 15.
[3] id est, ergastulo, sive loco foveæ, suprà 12.29. cui AEgyptus comparatur, quòd in ea Jisraëlitæ dura servitute exercebantur, ut servi in ergastulis solent, suprà 1.14.
[b] *Heb. robore manus: sic infrà vers. 14.16.*
[4] i. calami cum spica: nam ibi hordeum jam spicam efferre solet: vide Levit. 10.10. & 15.
[5] & aliorum qui hic subintelliguntur synecdochicè.
[c] *Heb. colas cultum.*
[6] qui docetur versibus seq. [7] i. in hunc finem omnia hæc beneficia præstitit, ut ipsum tam beneficum grato animo colam & prædicem. [8] i. repetas quotannis hanc actionẽ, ut memoriam Dei & liberationis ab eo conserves, doctrinámq; ad posteritatem propages. [9] i. quod in promptu habeas quasi manibus palpandum, oculis continenter spectandum, & ad omneis usus recolendum: hyperbole ex hominum more sumta, ut etiam Jeschah. 49.16.

Jehovæ

Jehovæ in ore tuo: quia manu forti eduxit te Je-
hova ex Ægypto.
10 Observabis itaque statutum hoc, [10] consti-
tuto tempore suo; [d] quotannis.
11 Itaque erit quum introduxerit te Jehova in
regionem Cenahanæi, quemadmodum juravit
tibi ac majoribus tuis; dederítque eam tibi,
12 Ut [e] emancipes quicquid aperit vulvam, Je-
hovæ; etiam quicunque aperuerit *vulvam*, fœtus
jumentorum eorum quæ tua erunt, masculos, Je-
hovæ.
13 Sed omnem [11] asinum aperientem *vulvam*,
parva pecude redimito; quòd si non redimes [12]
decollabis ipsum; omnem verò primogenitum
humanum ex filiis tuis, [13] redimito.
14 Eritque quum interrogaverit te filius tuus
[f] in posterum, dicendo, quid hoc *sibi vult?* ut di-
cas ei, robusta manu eduxit nos Jehova ex Æ-
gypto e domo servorum.
15 Fuit enim, quum durum se præbuisset Par-
ho in dimittendis nobis, ut occiderit Jehova om-
ne primogenitum in terra Ægypti, [g] tum primo-
genitum hominum, tum primogenitum jumen-
torum: idcircò ego macto Jehovæ [14] ex omni *be-
stia* aperiente vulvam masculos, omnem verò
primogenitum filiorum meorum redimo.
16 Quod erit pro signo ad manum tuam, &
pro frontalibus inter oculos tuos; manu robusta
eduxisse nos Jehovam ex Ægypto.
17 Fuit autem, quum dimisisset Parho popu-
lum; ut non duceret eos Deus viâ regionis Pe-
lischthæorum, quòd propinqua esset: [15] dicebat
enim Deus, [16] *videndum* ne pœniteat hunc popu-
lum, quum viderint bellum, & revertantur in
Ægyptum;
18 Sed circumduceret Deus populum viâ ipsâ
[17] deserti, *ad* [18] mare algosum: [h] militari autem
ordine ascendebāt filii Jisraëlis e terra Ægypti.
19 Acceperat verò Mosche [19] ossa Josephi se-
cum: nam [i] jurejurando obstrinxerat filios Jisra-
ëlis dicēdo, omnino visitabit Deus vos, *adjuro* ut
tunc deportetis ossa mea hinc vobiscum.
20 Profecta itaque [20] Succothis; castrametati
sunt [21] Ethami, in fine ipsius deserti.
21 [22] Jehova verò antecedebat eos interdiu [23]
in columna nubis, ad deducendum eos [24] viâ illâ,
& noctu in columna ignis, ad afferendum eis lu-
cem; ut progrederentur interdiu ac noctu:
22 Non amovit columnam illam nubis inter-
diu, aut columnam illam ignis noctu; *a* conspectu
ipsius populi.

[10] de quo suprà 12.
[d] *Heb. de diebus ad annum.*
[e] *Heb. facies ut transeat omnem aperitionem e tua potestate, ut deinceps Domini sit.*
[11] quodvis jumentum ineptū sacrificiis per analogiam: hanc autem speciem nominat, quia major ejus quā aliarum copia illis regionibus erat: synecdoche.
[12] ne quod Domini est adhiberetur ad profanos usus.
[13] quando & quanti, docetur Numer. 18. 16. quod de Christo factum est Lucæ 2. 22.
[f] *Heb. cras: synecdoche.*
[g] *Heb. a primogenito hominum ad primoge.*
[14] apto ad sacrificium: nam de ineptis dictum est vers. 13. Est autem hic Ellipsis analogica nominis, bestia: ut monstrat sequētis membri comparatio.
[15] demonstrans exemplo suo omnia prudenter fieri debere quę consilio rectè fieri possunt ad evitanda adversa, etiā quum Deus apertissimè adjutor est, inquit Augustinus. Hujus argumenti similia exempla vide Num. 10. 29. & Deut. 1. 22.
[16] ellipsis, ut Gen. 3. 22.
[17] nempe Ethami, ut appellatur infrà vers. 20. & Numer. 33. 8. [18] de quo suprà 10. 19. nam si rectà fuissent profecti, ad mare potiùs mediterraneum, quàm ad rubrum declinassent. [h] *Heb. quini, nam plerumque quini procedebant milites: Catachresis.* [19] & reliquorum Patriarcharum, ut docet Stephanus Act. 7. 16. horum verò nominatim meminit propter juramentum illud quo obstricti fuerant. [i] *Heb. adjurando adjuraverat fi. J. d. visitando visitabit D. Genes.* 50. 25. [20] suprà 12. 37. [21] qui locus nomen deserto dedit, quod eousque etiam protenditur qua Jisraëlitæ fecerunt iter a trajecto mari, Num. 33. 8. atque hinc compositè dicta fuit Pithom vel Patomus quasi os Ethami dicas, suprà 1. 11. [22] Christus, qui & Angelus Dei vocatur, infrà 14. 19. vide 1. Cor. 10. [23] utriusq; columnę commune erat, ut populo dux itineris esset: peculiare autem columnę quidem nubis, ut ab æstu & cæli injuria protegeret, Psa. 105. 39. alterius verò quod hic describitur. [24] qua divertendum erat, sup. ℣. 18.

CAPUT XIIII.

Deus AEgyptios in mare submersurus, suósque liberaturus, Jisraëlitis mandat ut Parhonem cum exercitu ad se stratagemate pelliciant: qui eventum oraculo prorsus respondentem videntes Deum ampliùs reverentur, & Moschi ministro fidem habent.

1 Alloquutus autem est Jehova Moschen,
dicendo,
2 Alloquere filios Jisraëlis; [1] ut divertant, & ca-
strametentur [a] ante [2] fauces *montium* Chirotha-
rum, inter Migdolum & inter mare: ante Bahal-
tzephonem, e-regione ejus castrametamini ad
mare.
3 Dicet autem Parho de filiis Jisraëlis, per-
plexi *sunt* isti in hac regione; conclusit eos [3] de-
sertum illud.
4 Et [4] obfirmabo cor Parhonis, ut persequatur
eos; quò glorificer in Parhone & omnibus copiis
ejus, experiantúrque [5] Ægyptii me esse Jeho-
vam: & fecerunt ita.
5 Nam quum nunciatum esset Regi Ægypti [6]
fugere populum hunc; [7] mutatus est [b] animus
Parhonis & servorum ejus erga populum hunc,
adeò ut dicerent, quid hoc *est quod* fecimus? quòd
dimisimus Jisraëlitas ne servirent nobis?
6 Junxit itaque currum suum, & populum su-
um assumens secum,
7 Assumsit sexcentos currus delecti *militis*, & [8]
omneis currus Ægypti: quibus omnibus præe-
rant duces.
8 Obfirmaverat enim Jehova cor Parhonis
Regis Aegypti, ut persequeretur filios Jisraëlis:
quum filii Jisraëlis procederent [9] sublata manu.
9 Ita persequentes eos Aegyptii assequuti sunt
eos castra habentes ad mare omnes [c] equites ci-
siarii Parhonis, & equites ejus, & [10] copiæ ejus;
ad fauces *montium* Chirotharū, ante Bahal-tze-
phonem.
10 Et admovit *castra* Parho: sublatis verò filii
Jisraëlis oculis suis *aspicientes*, ecce autem Aegy-
ptium profectum post ipsos, timuerunt valde, &
[11] clamaverunt filii Jisraëlis ad Jehovam.
11 Dixerúntque Moschi, an propterea quòd
nulla prorsus *sint* sepulcra in Aegypto, [d] abduxi-
sti nos ut moreremur in hoc deserto? quid hoc *est*
quod fecisti nobis, educendo nos ex Aegypto?
12 [f] An non hic ille sermo *est*, quo alloqueba-
mur te in Aegypto, dicendo, desiste a nobis, ut
serviamus Aegyptiis? nam melius fuisset nobis
servire Aegyptiis, quàm nos mori in hoc deserto.
13 Edixit autem Mosche ipsi populo, ne time-
atis; [12] consistite & spectate [13] salutem Jehovę,
quam edet vobis hodie: nam quos vidistis Aegy-
ptios hodie, non pergetis videre eos posthac us-
que in seculum.
14 Jehova pugnabit pro vobis; vos ergo [14] [e]
quiescite.
15 Dixit verò Jehova Moschi, [15] quid clamas
ad me? alloquere filios Jisraëlis, ut proficiscātur.
16 Sed tu attolle baculum tuum, & extensa
manu tua versus ipsum mare [16] finde ipsum; ut
ingrediantur filii Jisraëlis per medium maris in
ipsa arida.
17 De me autem, ecce ego obfirmo cor Ae-
gyptiorum ut ingrediantur post illos; & glorifi-
cabor in Parhone, & in omnibus copiis ejus, in
curribus ejus, & in equitibus ejus:
18 Et experientur Aegyptii me esse Jehovam;
quum glorificabor in Parhone, in curribus ejus,
& in equitibus ejus.
19 Tum profectus [17] Angelus ipse Dei, qui

[1] causam ostendit sup. 13. 17. hac autem prædicit quomodo hanc aberrationem accepturi sint Aegyptii, & quid inde eventurū sit.
[2] q. d. in loco iniquo, in faucibus montium inter duo munita loca non procul a mari; ut hac specie allecti Aegyptii Jisraëlitas aggrediantur, spe retrahendi eos ad pristinā servitutem.
[a] *Heb. os ipsarum Chirotarum, sic deinceps.*
[3] Ethami, de quo suprà 13. 20. quasi dicat, deserti horriditate perterriti, huc illuc aberrando tandem montiū angustiis se incluserunt.
[4] vide suprà in 4. 21.
[5] tam ii qui submergebantur, quàm superstites reliqui.
[6] magnis itineribus die & nocte contendere, quod Aegyptii sui metu fieri existimabant.
[7] ita ut de Jisraëlitis, quos priùs a se dimiserant, retrahendis ad servitutem cogitarent.
[b] *Heb. cor.*
[8] quos potuit in illa celeritate colligere: hi autem erant [*] superstites ex illa clade quam Deus importavisse legitur sup. 9. 19. & seq.
[9] non ut fugitivi trepidè manibus remissis, sed securè, instructā acie, ut dimissi, sup 13. 18. sic Num. 15. 38.
[c] *Heb. equum, currum, abstracta pro concretis: sic infrà 23. syllepsis.*
[10] pedestres, puta, ut docet antithesis.
[11] animo & corpore anxii propter hostem propinquū ejularūt potiùs quā invocarūt fide; quod ex sequentibus querimoniis apparet, quas contra Moschē miscent. [d] *Heb. cepisti nos.* [f] *sup. 6. 8.* [e] *Heb. silete.* [12] ne commoveamini ac fluctuetis animo, sed spe firma opem domini exspectate. [13] victoriam & liberationem, 1. Schem. 14. 46. & 19. 5. [14] ac non reclamate, ut modò fecistis: sup. ℣. 10. [15] non reprehendit simpliciter quòd orat, sed quòd non exsequitur mandatum acceptum suprà ℣. 2. ideóque illud rursus urget in fine versus: sic 1. Schem. 16. 1. & Joan. 20. 17. clamabat autem Mosche in silentio vocis coram Deo corde. [16] nempe signo tenus: hoc enim effecit Deus omnipotentia sua, quod per gratiam & servis suis & signis quadam tenus solet tribuere, per synecdochem: vide inf. vers. 21. [17] vide suprà 13. 21.

antecedebat

antecedebat castra Jisraëlitarum, ivit a tergo
eorum: & profecta columna illa nubis a conspe-
ctu eorum, stabat a tergo eorum.
20 Procedénsque inter castra Ægyptiorum,
[f] & castra Jisraëlitarum *illis* quidem fuit tene-
bræ nubes illa, *his* verò illustravit noctem ipsam;
adeò ut non appropinquaverit alter ad alterum
tota illa nocte.
21 Quum autem extendisset Mosche manum
suam versus illud mare; abigens Jehova mare ip-
sum Euro vehemente tota illa nocte, redegit
mare in siccum: & diffidit se aqua illius.
22 Sic procedebant filii Jisraëlis in medio
maris per ipsam aridam; quum aquæ essent eis
murus a dextra eorum & a sinistra eorum.
23 Persequentes quoq; Ægyptii procedebant
post eos, totus equitatus Parhonis, cisiarii ejus,
& equites ejus, [18] in medium illius maris.
24 Fuit autem in [19] vigilia matutina, quum [20]
prospectaret Jehova ad castra Ægyptii in colū-
na ignis & nubis; ut funderet castra Ægyptiorū,
25 [21] Ablatisque rotis curruum ejus duceret
cum [g] tardè: quamobrem dicebat Ægyptius, fu-
giam a conspectu Jisraëlitarum, nam Jehova
pugnat pro eis contra Ægyptium.
26 Tum dixit Jehova Moschi, extende manum
tuam versus ipsum mare; ut revertantur aquę ip-
sius super Ægyptium, super currus ejus, & super
equites ejus.
27 Extendente itaque Mosche manum suam
versus ipsum mare, reversum est mare ipsum ap-
petente mane ad vim suam, Aegyptii autem fu-
gerunt [22] obviam mari: Sic [23] excussit Jehova
Aegyptium in medium maris.
28 Nam [24] revertentibus aquis illis, & operi-
entibus illorum currus & equites cum omnibus
copiis Parhonis, qui processerant post eos in ip-
sum mare; [g] non est relictus ex eis [h] vel unus.
29 [25] Intereà filii Jisraëlis ibant per aridam in
medio ipsius maris; & erant aquæ illæ eis murus
a dextera eorum & a sinistra eorum.
30 Ita [26] servavit Jehova in die illo Jisraëlitas
e manu Aegyptiorum; viderúntque Jisraëlitæ
Aegyptios morientes, [27] in litore maris.
31 Quum autem vidissent Jisraëlitæ [i] opus il-
lud maximum, quod edidit Jehova contra Ae-
gyptios, timuerunt populus ipse Jehovam; credi-
derúntque Jehovæ & Moschi servo ejus.

[f] Heb. & inter ea.
[18] procul a litore illius sinus.
[19] vide suprà in 12.6.
[20] immittens tonitrua, fulgura, & procellas, infrà 15. & Psal. 77.18. & 19.
[21] quum immissis aquis terra fermentesceret, quæ tenaciter hærebat rotis & pedibus, ut frustrà de fuga cogitarent, Judith. 9.7. & 8.
[g] Hebr. cum gravitate.
[22] nam quocunque se convertebant, irruentes aquæ excipiebant eos.
[23] dejiciens eum ex curribus & equis.
[24] nempe a suis illis cumulis, in quos ut murus fuerant aggestæ, sup. vers. 22. quasi dicat, irrupit in AEgyptios aquarum pars, hoc ✠. & adhuc secundum filios Jisraëlis constitit altera, vers. seq. quæ res ad commendationem miraculi hujus pertinet non mediocriter.
[g] Psal. 106.11.
[h] Heb. ad unum usque.
[25] nam nondum omnes Jisraëlitæ transierant, quum submergerentur Aegyptii: ut ostenditur infrà 15.9.
[26] id est, prorsus liberavit: vide suprà in 12.15. [27] id est, Jisraëlitæ trajecto mari e litore hostes suos morientes spectarunt: vel potiùs hostium mortuorum cadavera ejecta in litus, ubi aliquantisper substiterunt: hoc enim accentuum ratio videtur confirmare. [i] Heb. manum illam magnam: metonymia.

CAPUT XV.

Mosche cum Jisraëlitis Deum victoriæ autorem cantico celebrat, idémq; Maria & fœminæ tympanis faciunt. Posteà relicto mari, per tridui iter aquæ penuriâ laborantes ad quintam stationem perveniunt: ubi Deum tentanti populo amaræ aquæ a Mosche dulces redduntur ligno injecto & populus in futurum eruditur.

1 TUnc canens Mosche & filii Jisraëlis can-
ticum istud Jehovæ, loquuti sunt dicen-
do; [1] Cantabo Jehovę, eo quòd [a] [2] admodum ex-
celluit, equum & sessorem ejus dejecit in mare.
2 [3] Robur meum & [4] carmen Jah, qui fuit mihi
saluti: hic *est Deus* fortis meus, [5] cui habitacu-
lum decorum ponam, Deum patris mei quem
exaltabo.
3 Jehova *est* [b] bellicosissimus, nomen ejus est
[6] Jehova.
4 [7] Currus Parhonis & copias ejus præcipita-
vit in mare; delectúsque præfectorum ejus de-
mersi sunt in mare algosum.
5 [8] Abyssi operuerunt eos, descenderunt in
profunda [9] velut lapis.
6 [10] Dextera tua, ô Jehova, [11] magnificat se
mihi virtute illa: dextera tua, Jehova, confrin-
gis hostem:
7 Et magnitudine excellentiæ tuæ subvertis
insurgentes *contra* te: furorem tuum immittis, [12]
consumit eos tamquam *ignis* stipulam.
8 Quum [13] flatu narium tuarum coacervatæ
sunt aquæ, constiterunt velut cumulus fluida:
[14] concreverunt abyssi [c] in intima parte maris:
9 [15] Dixerat hostis, persequar, assequar, divi-
dam prædam: explebitur eis anima mea, exse-
ram gladium meum, asseret eos in hæreditatem
manus mea.
10 Flavisti vento tuo, operuit eos mare: pro-
funda petierunt tamquam plumbum, in [d] aquis
validis,
11 Quis *est* sicut tu inter fortissimos, Jehova?
quis *est* sicut tu [e] magnificus sanctitate? reveren-
dus laudibus? mirificus?
12 Extendisti dexteram tuam, [16] deglutivit
eos terra.
13 Deducis benignitate tua populum quem
redemisti: commodè ducis robore tuo ad [17] de-
corum habitaculum sanctitatis tuæ.
14 [18] Ut audierint populi, commovebuntur:
dolor corripiet incolas Pelischthææ.
15. Tunc turbabuntur duces Edomæorum, for-
tissimi Moabitarum, corripiet eos tremor: [19] dif-
fluent omnes incolæ Cenahanææ.
16 Irruet super eos formido magna & pavor,
magnitudine brachii tui [20] conticescent *immoti*
tamquam lapis; donec pertransierit populus tu-
us Jehova, donec pertransierit populus quem [21]
acquisivisti.
17 Introduces eos, & [22] plantabis eos in [23]
monte possessionis tuæ, loco *quem* ad habitati-
onem tuam operatus es Jehova: sanctuario, ô
Domine, *quod* stabiliverunt manus tuæ.
18 [24] Jehova regnabit [e] in omnia secula.
19 Quum procederet equitatus Parhonis in
curribus ejus & equitibus ejus per ipsum mare,
reduxit Jehova super eos aquas illas maris; filii
autem Jisraëlis iverunt in arida per medium
ejusdem maris.
20 Accepit quoque Prophetissa Mirjam soror
Aharonis tympanū in manu sua; & egressæ sunt
omnes fœminę post eā cū tympanis & cū fistulis.
21 Sic [25] illis autem respondebat Mirjam;
Cantate Jehovæ, eo quòd admodum excelluit,
equum & sessorem ejus dejecit in mare.
22 Deinde proficisci jussit Mosche Jisraëlitas
a mari algoso, ut progrederentur in desertum
Schuris: euntésque triduo per [26] illud desertum,
non inveniebant aquam.

[1] Exordium ab ipsa propositione rei quam cantaturus est.
[a] Heb. excellendo excelluit.
[2] q. d. hac liberatione, illustri excellentiæ suæ documento, amplam nobis materiā se laudandi suppeditavit. [3] quo e tanti tyranni manibus ereptus sum. [4] subjectum, argumentum carminis mei, metonymia: sic Psalmo 118.14. [5] i. constituam gentem ipsius, & cultum in habitatione promissa constabiliam.
[b] Heb. vir belli, id est, magnus bellator, ut Jesch. 42.13.
[6] per se existens: vide suprà in 3.15. & 6.2.
[7] Narratio, superiori historiæ conjungenda, qua explicat Mosche quod vers. 1. per prolepsin dixit.
[8] hoc est, densæ illæ aquarum congeries, quæ Jisraëlitis cesserāt, & tantisper constiterant dum omnes AEgyptii in mare descendissent.
[9] q. d. nihil eis profuit natandi peritia, ut altera similitudine plumbi ostenditur vers. 10.
[10] ut infrà ✠. 12. apostrophe ad Deum; narrationis ἐργασία usque ad ✠. 14.
[11] i. tu per teipsum, & sine alieno subsidio, ostēdis esse potentissimum.
[12] iram Dei cum igne comparat, hostes cum stipula, quæ ignem facilè cōcipit & statim consumitur, ut Jescha. 5.24.
[13] Euro vehemente divinitus immisso, sup. 14. 21. quo eodem posteà, velut diffractis obicibus erumpentes aquę fuerunt profusæ, vers. 10.
[14] ut aquæ congelatæ, constiterunt.
[c] Heb. in corde maris.
[15] conformatio præfidentis hostium consilii victoriam sibi promittentium.
[d] Periphrasis fluctuum, quæ explicatur Psal. 93.4.
[16] alveum maris, quò descenderunt submersi AEgyptii, faucibus terræ cōparat, ut Jona. 2.6.
[17] idest, terram promissam.
[18] tertia pars cantici, propositio prophetica, ex argumento præsentis beneficii. [19] ut Jehoschu. 2.9. & sequentibus: & 4.25. & 6.4. [20] Cenahanæi: nam ita fuerunt consternati, ut Jisraëlitis Jardenem transituris non auderent sese objicere. [21] id est, vindicavisti a servitute AEgyptiorum ut tibi serviat, sup. ✠. 13. & infrà 19.4. & sequentibus. [22] i. firmam eis habitationē concedes, ut Psal. 44.3. & 80.9. [23] montosa Cenahanæa, quam eis daturus, cum ipsis habitaturus, præsentiâque tua sanctificaturus ac stabiliturus es. sic Deut. 11.11. & 1. Mach. 10.70. [24] Conclusio cantici. [e] Heb. in seculum & seculum. [25] viris, ita ut alternis canerent, mulieribus eundem versum, qui primus est cantici, ἐπῳδικῶς repetentibus, tantùm mutata personâ numeróque verbi. [26] Ethami, de quo suprà 13.20. ut probatur ex collatione Num. 33.8. cum hoc versu.

23 Inde pervenientes Maram, non potuerunt
bibere aquas e Mara, eo quòd amaræ essent: id-
circò *quisque* vocat nomen ejus *loci* [27] Maram.
24 Tunc murmuravit populus contra Mos-
chen, dicendo, quid bibemus?
25 Sed quum inclamasset *Mosche* Jehovam, o-
stendit Jehova ei lignum, quo injecto in aquas
illas, [28] dulces factæ sunt aquæ: ibi imposuit ei
statutum & judicium, postquam ibi [29] tentavit
ipsum *Deus*:
26 Dixit enim, si [f] sedulò attendens ad vocem
Jehovæ Dei tui, quod rectum videtur in oculis
ejus feceris, & si aurem accommodans ad præ-
cepta ejus, observaveris omnia statuta ejus;
nullum morbum quem imposui Ægypto, im-
ponam tibi, sed ego Jehova ero [30] curator
tuus.

[27] i. amarum. Est autem hic ipse locus quem fontes amaros vocavit Plin. lib. 6. natur. hist. c. 29. qui locus ad hujus profectionis intelligentiam maximè pertinet.
[28] ad præsentē necessitatem populi, non quòd posteà dulces remanserint.
[29] i. explorans ipsorum fidem & obedientiam, fecit ut ipsi proderent quales essent: sic infrà 16.5. & Deut. 8.2. & 16. & 13.4. [f] *Heb. attendendo attendas*
[30] tùm præsentium malorum medicinam faciens, tum imminentia futuráq; præcavens & avertens omnia. Sic enim accipi oportere demonstrat hypothesis, tum a præsente aquarum mutatarum exemplo, tum a præteriti contra AEgyptum judicii recordatione.

CAPUT XVI.

Jisraëlitæ ad sextam stationem aquosam pervenientes castris positis recreantur: inde ad octavam per desertum progressi rursus ob cibi penuriam murmurant in Deum, ducibúsque suis quòd ipsos eduxerint ex AEgypto exprobrant: quare Deus cælitus cibum demittit, quo per quadraginta profectionis annos deinceps aluntur.

1 DEinceps venerunt Elima, ubi *erant* duo-
decim fontes aquarum & septuaginta
palmæ: & castra metati sunt ibi ad aquas illas.

CAPUT XVI.

2 Profecti verò Elimis, venerunt tota congre-
gatio filiorum Jisraëlis [1] in desertum Sinis, quod
est inter Elima & inter Sinai; quintodecimo die
mensis secundi ab exitu eorum ex Ægypto.
3 Tunc murmurarunt tota congregatio filio-
rum Jisraëlis contra Moschen & contra Aharo-
nem, [2] in deserto illo:
4 Dixerúntq; eis filii Jisraëlis, [a] utinam mor-
tui fuissemus [3] manu Jehovæ in terra Ægypti,
quum assidentes ollæ carnis comederemus pa-
nem ad saturitatem: nam eduxistis nos in deser-
tum istud, ut mortem afferretis toti huic cœtui
fame.
5 Dixit verò Jehova Moschi, ecce, ego faciam
ut pluat vobis panis ex ipso cælo: quare egredie-
tur hic populus, & collecturi sunt [b] demensum
cujusque diei quotidie, ut [4] tentem eum, utrùm [5]
ambulaturus sit in lege mea, nécne:
6 Erit autem unoquoque die sexto, ut [6] parent
quod intulerint: *hoc* verò futurum est duplum su-
prà quàm collegerint [c] quotidie.
7 Dixit ergo Mosche & Aharon omnibus filiis
Jisraëlis; vespere, jam tum cognoscetis [7] Jeho-
vam eduxisse vos e terra Ægypti:
8 Mane quoque, quum [8] videritis gloriam [9] Je-
hovæ, quandoquidem audit murmurationes ve-
stras contra Jehovam: nos enim quid *sumus*, ut
murmuretis [10] contra nos?

[1] stationem octavam: omittitur autem hic septima ad mare algosum, ad sinum AElaniticum, de qua Num 33.10.
[2] per quod deducendi erant, & cujus asperitate terrebātur, nam & commeatus deerat, & aqua nulla est in toto illo tractu, præterquam Koryos fluminis (a quo discesserant) Elimis orti & mox in mare rubrum influentis.
[a] *Heb. quis concederet nos mortuos esse?*
[3] qua AEgyptii cæsi sunt.
[b] *Heb. rem diei die suo.*
[4] vide suprà in 15.25.
[5] i. vitam transacturus ex præscripto meo.
[6] coquant illud totum quod collegerint pro arbitrio suo, ad usum hujus & sequentis diei, ut explicatur infrà vers. 24.
[c] *Heb. die die: geminatum nomen pro adverbio.*
[7] non autem nos fuisse; quod exprobrastis suprà vers. 4. [8] ut infrà factum est V. 11. [9] Angeli fœderis, Christi, in columna & nube ambulantis; qui murmurationes audit coram, quas populus in Jehovā, id est, in Deum patrem effutiverat. [10] tamquam si eduxissemus vos ipsi e terra AEgypti: quod opus fuit miserentis Dei.

9 Dixítque Mosche, *cognoscetis*, quum dederit
vobis Jehova hoc vespere carnem ad edendum,
& panem ipso mane ut saturemini, quandoqui-
dem audit [11] Jehova murmurationes vestras,
quibus murmuratis contra se: nos enim quid *su-
mus*? non *sunt* contra nos murmurationes vestræ,
sed contra Jehovam.
10 Deinde dixit Mosche Aharoni, edic toti cō-
gregationi filiorum Jisraëlis, appropinquate [12]
ante conspectum Jehovæ: nam audivit murmu-
rationes vestras.
11 Fuítque alloquuto Aharone totam congre-
gationem filiorum Jisraëlis, quum se convertis-
sent ad [13] ipsum desertum, ut ecce gloria Jehovæ
appareret in ipsa nube.
12 Et alloquutus est Jehova Mosché, dicendo,
13 Audivi murmurationes filiorū Jisraëlis; al-
loquere eos dicendo, inter has [14] duas vesperas
comedetis carnē, & ipso mane saturabimini pa-
ne: ita cognoscetis me esse Jehovam Deum ve-
strum.
14 Fuit itaque eodem vespere, ut ascendentes
coturnices tegerent castra; mane verò, fuit [d]
stratus ros circa ipsa castra.
15 Quúmque se [e] elevasset stratus ille ros; ecce
in superficie ipsius deserti tenue *quiddam* rotun-
dum, tenue *inquam* sicut ipsa pruina super terrā.
16 Quod videntes filii Jisraëlis dicebant [f] al-
ter alteri, [15] [g] man est, non enim sciebant quid
esset: dixit verò Mosche eis, hic *est* panis ille
quem dat vobis Jehova ad comedendum.
17 Hoc *est* verbum quod præcepit Jehova, col-
ligite ex eo quisq; pro ratione [16] cibi sui: [17] *men-
suram* Homer [h] in singula capita, *pro* numero ani-
marum vestrarum, quisq; pro iis qui *sunt* in ten-
torio suo accipite.
18 Et fecerunt sic filii Jisraëlis: [18] collegerunt
enim [i] alii plus, alii minus.
19 Post [19] metiebantur mensura Homer, ita ut
non abundaret qui plus collegerat, & qui minùs,
non laboraret penuria: quisque pro ratione cibi
sui [20] colligebant.
20 Sed quamvis Mosche edixisset eis, nemo
reliquum faciat ex eo usque in crastinum,
21 [21] Non auscultantes Moschi reliquum fece-
runt [k] quidam ex eo in crastinum, quod produx-
it vermes, fœtuítque: quapropter efferbuit con-
tra eos Mosche.
22 Sic colligebant illum [l] quovis mane, quisq;
pro ratione cibi sui; nam [22] incalescente Sole, li-
quescebat.
23 Fuit autem ipso die sexto, quum colligerent
cibum duplum, binas mēsuras Homer in unum-
quemque; & venientes omnes duces congrega-
tionis renunciarunt Moschi.
24 Qui dixit eis, illud *est* quod edixit Jehova,
[23] quies, sabbathum sanctum *est* Jehovæ cras:
quod cocturi essetis, [24] coquite *hodie*, & quod elix-
aturi essetis, elixate, quicquid autem [25] abundat,
deponite vobis [m] asservandum usque in crasti-
num.
25 Quum itaque deposuissent usque in crasti-
num, sicut præceperat Mosche; non fœtuit, nec
ullus vermis in eo fuit.
26 [26] Dixítque Mosche, comedite illud [27] ho-
die, nam sabbathum hujus diei *est* Jehovæ: hodie
non invenietis illum *cibum* in agro.

[11] Deus trinus in unitate personæ.
[12] versus columnam populo præeuntem in deserto præsentiæ divinæ symbolū, inf. V. 11.
[13] cui impendebat columna populum per ipsum deductura.
[14] vide suprà in 12.6.
[d] *Heb. stratum rorē, ut vers. 15.*
[e] *id est, dissolutum abusset.*
[f] *Heb. vir ad fratrem suum.*
[15] cibus aptus ad comedendū ut colligitur, sine alio hominis labore: hoc autem generali nomine vocant, quia ejus speciem ignorabant: vide Sapientiæ 16.20.
[g] *id est. cibus præparatus.*
[16] familiæ suæ, ut suprà 12.4.
[17] decimam Ephæ, inf. V. 37.
[h] *Heb. in craniū: synecdoche.*
[18] antequàm Sol incalesceret, infra V. 22.
[i] *Heb. qui multum & qui parum agebat* colligendo.
[19] ab omnibus collectum & in commune comportatum adhibita mensura distribuebant patresfam. ita accuratè ut nulli plus aut minus quàm opus esset darent. 2. Cor. 8.15.
[20] demensum sibi recipiebant, & distribuebant in suos.
[21] vel ex curiositate, vel ex diffidentia demensi partem reservarunt.
[k] *Heb. viri.*
[l] *Heb. in mane ipso, in mane ipso sic infrà 36. 3. & Jechezkel. 46. 14. & 16.*
[22] id est, calefaciente: metonymicus sermo, non enim incalescit, sed calefacit Sol.
[23] hoc generale est festorum nomen, sequens verò, singulare diei sabbathi.
[24] ut suprà vers. 6. [25] die sexto, supra ordinarium demensum cujusque diei, nimirum dimidium duplæ quam collegerant vers. 6. [m] *Heb. ad asservationem & sic deinceps.* [26] vespera puta ineuntis sabbathi. [27] Jam statuit quid sit faciendum non tantum eo die, sed singulis sabbathis, quamdiu durabit man, & causas in fine vers. indicat.

27 Sex

27 Sex diebus colligetis eum, die verò septimo,
sabbatho, non erit.
28 Fuit autem [28] ipso die septimo, quum exi-
vissent *aliqui* de populo ad colligendum; sed non
invenerunt.
29 Quamobrem [29] dixit Jehova Moschi, quo-
usque renuitis observare mandata mea, & leges
meas?
30 [30] Considerate, quia Jehova dedit vobis ip-
sum sabbathum; idcircò idem dat vobis quovis
die sexto cibum bidui: manete quisque in loco
suo, [31] ne exeat ullus e loco suo die septimo.
31 Sic quiescebant populus die septimo.
32 Vocavit autem domus Jisraëlis nomen ejus
Man: quod erat quasi semen coriandri, album, &
[32] ejus sapor velut [33] epichyti [a] ex melle.
33 [34] Dixit etiam Mosche, hoc *est* verbū quod
præcepit Jehova, plena *mensura* Homer [*] asser-
vanda est ex eo per ætates vestras: ut videant
panem illum, quo vos cibaverim in hoc deserto,
postquam eduxi vos e terra Ægypti.
34 Quare edixit Mosche Aharoni, accipe [35] ur-
nam unam, & repone illic plenam *mensuram* Ho-
mer man: & colloca ipsam [36] ante conspectum
Jehovæ asservandam per ætates vestras.
35 Quemadmodum præcepit Jehova Moschi,
sic collocavit eam Aharon [37] coram testimonio
ipso asservandam.
36 Filii autem Jisraëlis vescebantur man isto
quadraginta annis, donec venirent in regionem
habitabilem: hoc *inquam*, man vescebantur, [‖] do-
nec pervenirent ad extremitatem regionis Ce-
naħanææ.
37 Homer autem, [38] decima est Ephæ.

[28] nempe quū eluxisset mane diei sabbathi. [29] mandavit populo dicenda quæ sequuntur. [30] Tres ponuntur sabbathi observandi causæ: prima, finis creationis, ut Gen. 2. altera, liberatio a servitute Aegypti, Deut. 5. 15. tertia, liberalitas Dei in sexto, & cessatio man in septimo die, quam hic commemorat Mosche: quamvis & alias duas intelligat verbo præterito, dedit, de quibus infrà 20.11. [31] ad man colligendum, aut aliud opus faciendum: alioquin mandatum erat ut exirēt ad cōvocationē sanctam, Levit. 23. 3. [32] crudi: quòd enim coquebatur, fiebat ut coctione diversos sapores acquireret, Sapient. 16.21. [33] sive attanitę: sic enim istud placentarum genus appellari docet Athenæus lib. 14. Dipnosoph. Nichocare, Pamphilo, & Hipponacte testibus: nec abludit multū ab Hebræa appellatione. [a] *Heb. in melle.* [34] hic & 2. sequentes V. dicuntur per prolepsin: ut 1. Schem. 17. 54. facta enim sunt jam erecto tabernaculo exstructâq; arca, ante quam asservabantur man & virga Aharonis, de qua Num. 17. 10. hic enim voluit Mosche totam historiam de Man contexere, ut apparet infrà V. 36. [*] *Hebr. in asservationem: sic versu sequenti.* [35] auream, Heb. 9. 4. quicquid Hebræi dicant de materia ejus. [36] in aditu sacrarii, ubi suprà arcam inter Cerubinos Dei majestas erat. [37] arca & tabulis Legis: sic enim vocantur infrà 25. 16. & 21. & alibi frequenter. [‖] *Jehoschu.* 5. 11. [38] Homer, aridorum mensura, capit cotylas septem cum quinta parte, sive chœnices duos cum dimidio quintâ minus: unde colligitur quanta sit capacitas Ephæ, & quàm largiter Deus Jisraëlitas aluerit tam longo tempore: nam chœnix olim demensum erat diurnum mancipiis attributum.

CAPUT XVII.

Jisraëlitæ ad undecimam stationem progressi, ibique sitis impatientia in murmura & tentationes contrà Deum & Moschen effusi, cùm aquæ copiam, tum victoriam contra Hamalekitas consequuntur, mandatum de perdenda gente illa accipiunt, & altare in perpetuam hujus rei memoriam exstruunt.

1 DEinde profecti sunt tota congregatio fi-
liorum Jisraëlis a deserto Sinis [1] itine-
ribus suis [a] ex præstituto Jehovæ; & castra me-
tati sunt Rephidimis, ubi non erat aqua quam
populus biberet.
2 Quapropter contendens populus cum Mo-
sche, dicebant, [2] date nobis aquam ut bibamus:
quibus dixit Mosche, quid contenditis mecum?
[3] quid tentatis Jehovam?
3 Sed quum sitiens ibi populus esset aquæ,
& murmuraret populus ipse contra Moschen;
dixit, quare jam fecisti ut ascenderemus ex Æ-
gypto? *an* ad mortem afferendum mihi, filiis me-
is, & pecori meo siti?
4 Quamobrem inclamavit Mosche Jehovam
dicendo, quid faciam populo huic? [4] adhuc pau-
lisper, tum essent lapidaturi me.
5 Edixit verò Jehova Moschi, [5] transi ante po-
pulū hunc, & accipe tecū [6] de Senioribus Jisraë-
lis: baculūmq; tuum, quo [7] percusseras rivum illū,
accipe in manum tuam, quum eris abiturus.
6 Ecce me stante coram te ibi super illam rupē
in Chorebo: ubi percusseris rupem ipsam, proce-
dent ex ea aquæ ut bibat hic populus: [8] fecitque
sic Mosche ante oculos Seniorum Jisraëlis.
7 [9] Vocavit autem nomen illius loci [10] Massan
& Meribah; propterea quòd contenderant filii
Jisraëlis, & propterea quòd tentaverant Jeho-
vam dicendo, éstne Jehova [b] inter nos, an non?
8 Sed [11] venientibus Hamalekitis, ut pugna-
rent contra Jisraëlitas, [12] Rephidima,
9 Edixit Mosche Jehoschuħæ, delige nobis
homines, & [c] procede pugnatum contra Hama-
lekitas: cras, me consistente in vertice istius col-
lis cum [13] baculo Dei in manu mea.
10 Fecit itaque Jehoschuaħ quemadmodum
dixerat ei Mosche pugnando contra Hamaleki-
tas: Mosche verò, Aharon, & Chur ascenderunt
verticem illius collis.
11 Erátq; quum attollebat Mosche [14] manum
suam, ut prævalerent Jisraëlitæ; quum verò qui-
eti dabat manū suam, prævalerent Hamalekitæ.
12 Quamobrem *quum* [15] manus Moschis gra-
ves *essent*, acceptum lapidem supposuerunt ei, ut
insideret illi: Aharon verò & Chur sustentabant
manus ejus, hinc unus & illinc alter, fuítq; utra-
que manus ejus [d] firma usque ad occasum Solis.
13 Sic fregit Jehoschuaħ Hamalekum, & po-
pulum ejus acie gladii.
14 Posteà edixit Jehova Moschi, inscribe hoc,
monimentum [16] libro, & [17] insere ipsum in aures
Jehoschuħæ: me [e] omnino deleturum esse me-
moriam Hamalekitarum [18] e terra sub cælo.
15 Tunc exstruxit Mosche altare; cujus voca-
vit nomen, [19] Jehovæ vexilli mei;
16 Et dixit, quia [20] manus *Hamaleki fuit* contra
solium Jah, bellum Jehovæ in Hamalekum *erit*;
de ætate *in* ætatem.

[1] nam duas habuerunt stationes a deserto Sinis Rephidima, de quibus Numer. 33. 12. & 13. [a] *Heb. secundum os Jehova: metonymia.* [2] tu & frater, qui nos adduxistis. [3] quid vestra incredulitate Deum provocatis, ut vobis edat potentiæ suæ præsentiæque signa? sic explicatur infrà vers. 7. [4] i. si adhuc paulisper differas eis consulere, metuendū est ne vocer ab illis in discrimē vitæ. [5] i. castra moveant Chorebum versus, & tu eis præcedas cum senioribus. [6] ut & spectatores sint miraculi, & idonei testes in populo. [7] per Aharonē: vide suprà 7. 20. & 22. [8] etsi non omnia statim: nā intercessit prælium in Hamalekitas, qui profectionis momento supervenerunt: sunt ergo hæc per prolepsin dicta. [9] Mosche. [10] i. tentationē, & cōtentionem, de altera Meriba seu cōtentione vide Num. 20. [b] *Heb. in medio nostri.* [11] quum se Jisraëlitæ ad profectionē accingerent in Chorebum. [12] ut eos a tergo adorirentur, Deut. 25. 17. & 18 [c] *Heb. procede, pugna.* [13] de quo vide suprà in 4. 20. & 7. 12. [14] cū baculo ut solēt vexilliferi. [15] quibus alternis baculum tenebat. [d] *Heb. firmitas, abstractum pro concreto.* [16] tuis commētariis de rebus istis: ut inf. 34. 27. & Deut. 31. 9. & 22. [17] i. de eo instrue Jehoschuħam, qui tuus olim successor futurus est. [e] *Heb. delendo deleturum.* [18] ubivis terrarū fuerint, quàm latè patet cælum. [19] i. qui per me populo suo in cōflictu isto vexillum erexit, & in perpetuū erigit. [20] i. quia tam impiè protervèque se gessit Hamalek tamquam soliū Dei subruiturus cum populo ejus, violentia sua, & quamvis non provocatus non potuit cōquiescere quin populū persequeretur indignissimè, & aciem extremā infestaret ejus; & quidem eo tempore quo populus ad spectandam Dei gloriam erat convocatus: idcirco bellum ἄσπονδον huic genti denunciat Deus & populo suo inimicitias æternas imperat, vide Deut. 25. 17.

CAPUT XVIII.

Jithro de successu legationis generi & Jisraëlitarum liberatione certior factus, filiā apud se cum duobus liberis dimissam ad eum reducit: genero & populo beneficium Dei gratulatus, suam in Deum fidē & pietatem verbis factísq; protestatur: Tunc a genero Senioribúsq; populi humaniter exceptus, dato prudenti & salutari pro repub. consilio domum revertitur.

1 AUdiens autem Jithro Præses Midjanita-
rum socer Moschis quæcunque fecerat
Deus Moschi & Jisraëli populo suo; eduxisse Je-
hovam Jisraëlem ex Ægypto:
2 Assumsit Jithro socer Moschis Tzipporam
uxorē Moschis; [a] postquàm [1] remisit eam *Mosche*;
3 Duósque filios ejus: quorum unius nomen
erat Gerschom, quia dixerat *Mosche*, peregrinus
sum, in terram alienam *pulsus*.
4 Nomen verò alterius [‖] [2] Elihezer, *quia dixe-
rat*, nam Deus patris mei [b] auxilio *fuit* mihi, qui
eripuit me e gladio Parħonis:
5 Et venit Jithro socer Moschis cum filiis ejus

[a] *Heb. post missiones ejus, sed hoc nomen plurale est tantùm.* [1] vide suprà in 4. 25. [‖] *Exod.* 2. 22. [2] i. auxilium Dei fortis mei, vel Deus fortis mihi auxilium, ut interpretantur sequentia. [b] *Heb. in auxilio meo.*

&

& cum uxore ejus ad Moschen; in desertum illud ubi is castra habebat, *ad* [3] montem Dei:

6 [4] Dixítque Moschi, ego socer tuus Jithro venio ad te; uxor quoque tua, & duo filii ejus cum ea.

7 Tunc processit Mosche obviam socero suo, & incurvans se osculatus est eum, rogarúntque [c] alter alterum de prosperitate: posteà ingressi sunt in tentorium ipsius.

8 Ubi enarravit Mosche socero suo quęcunque fecerat Jehova Parhoni & Ægyptiis propter Jisraëlem, omnésque molestias [d] quæ obvenerant ipsis in via illa, unde eripuerat eos Jehova.

9 Et lætatus Jithro super omnibus illis beneficiis quibus affecerat Jehova Jisraëlem, quòd eripuisset eum e manu Ægyptiorum;

10 Dixit Jithro; benedictus *sit* Jehova qui eripuit vos e manu Ægyptiorum, & e manu Parhonis: qui eripuit hunc populum [e] ne subjectus esset manui Ægyptiorum.

11 Nunc agnosco magnum esse Jehovam præ omnibus diis; [5] ea ipsa re qua superbiunt, superiorem *esse* illis.

12 [6] Acceptúmque *obtulit* Jithro socer Moschis holocaustum & victimas Deo: & venit Aharon & omnes Seniores Jisraëlis ad comedendum cibum cum socero Moschis [6] coram Deo ipso.

13 Fuit autem postero die, [7] sedente Mosche ad judicandum populum; quum adstaret populus ipse Moschi, a mane illius *diei* usque ad vesperam.

14 Ut aspiciens socer Moschis quicquid ipse faciebat populo; diceret, quid hoc *est quod* facis huic populo? cur sedes tu solus, & totus hic populus sistit se coram te a mane usque ad vesperam?

15 Tum dixit Mosche socero suo; nam venit ad me hic populus ad [8] consulendum Deum.

16 [9] Quum est inter illos negotium, venit *quisque* ad me ut judicem inter [f] utrumque: & nota facio statuta Dei & leges ejus.

17 Dixit verò socer Moschis ei; non *est* bona hæc res, [10] qualem tu facis.

18 [g] Omnino decides, cùm tu, tum populus hic qui *est* tecum; nam [11] gravis *est* hæc res supra te, non poteris eam præstare solus.

19 *At* nunc ausculta voci meæ, consulam tibi, [12] & erit Deus tecum: esto tu pro hoc populo erga Deum ipsum, ut tu referas eorum [13] res ad Deum;

20 Et commonefaciens eos de statutis ac legibus ejus; notam facias ei viam ipsam per quam ambulaturi sunt, & opus ipsum quod sunt facturi.

21 Tu autē provideto ex toto hoc populo, [14] *& curato eligi* viros [15] [h] strenuos, timentes Dei, viros [16] [i] veraces, osores turpis lucri: quos constituas super eos, [17] præfectos millenis, præfectos centenis, præfectos quinquagenis, & decuriones.

22 Ut judicent populum hunc [18] omni tempo-

[3] Chorebum, suprà 3.1.
[4] per nuncios quos præmisit dicendū curavit.
[c] *Hebr. vir amicum suum de pace, ut Gen.41.27.*
[d] *Hebr. quæ invenerant eos.*
[e] *Hebr. de sub manu, ut sup. 6.5.*
[5] i. omni gloria & virtute, quàm gloriosè de suis idolis gentes prædicare solent: hæc autem bifariam exponi possunt: universè, Deum superiorem esse omnibus potestate præditis, & res ipsas de quibus gloriantur, pro arbitrio moderari: vel specia-tim de historia Ægypti accipi, ut ex hypothesi ipsa eruatur thesis.
[6] qui se in nube pro more spectādum exhibebat: hęc autem oportet numerari in sacrificiis eucharisticis, Deut. 12. 7. & 27.7. nam epulum fuisse sacrum loquutio ostendit: vide in Genes.31.54.
[7] i. judicia exercente, & negotia publica moderante, ut docent sequentia.
[8] de rebus publicis tum ad religionem & cultum Dei, tum ad res civiles pertinentibus: sic 1. Schemu. 9.9.
[9] in rebus civilibus & privatis causis: altera causa.
[f] *Heb. virum & proximum ejus.*
[10] non enim rem, sed rationem improbat qua utebatur Mosche, ut sequentia ostendunt.
[g] *Heb. decidendo decides.*
[11] Ætiologia est ex parte ἀναπταπόδοτος, q.d. & tu gravitate oneris conficieris, & populus exspectando defatiscens damnum accipiet. [12] bene erit tibi, Genes.31.3. & 39.2. [13] puta si fuerint ejusmodi quæ a te non possint explicari, nisi Deum ampliùs consulueris. [14] sic accipiendū ostendit Mosche Deut.1. [15] i. fortes, & constantia animi præditos, qui solo Dei timore non variis affectibus ferantur. [h] *Heb. roboris, ut V.25.* [16] rationem tantùm veritatis habentes, ideóq; a turpi lucro abhorrentes, inf.23.8. Deut.16.19. [i] *Heb. veritatis.* [17] nimirum sexcentos in sexcēta millia, centenis præfectos sexies mille, quinquagenis duodecies mille, denis sexagies mille. Hi itaq; Præfecti cum numero, tum etiā munere distinguuntur ab illis septuaginta, de quibus Num. 11.16. Numero, quia hi longè plures fuerunt quàm illi: munere verò, quia penes illos, veluti Senatum quemdam, fuit consilium publicū atq; autoritas; penes hos autem, velut centumviros, potęstas judiciorum fuit, quemadmodum ostendit locorum comparatio. vide Deut. 1.9. & seq. [18] etiam quo tempore apud Deum occupatus es, aut in consilia publica incumbis.

re; sítque ut omnem rem quæ magna *erit* referant ad te, omnem verò rem quæ parva *erit* judicent ipsi: sic [k] alleva te *onere* ut ferant tecum.

23 Quúmque feceris hanc rem, & [19] præceperit tibi Deus, poteris consistere; etiámque totus populus hic ad locū suum [20] redibit [21] cum pace.

24 Auscultans itaque Mosche voci soceri sui, fecit quicquid dixerat.

25 Eligens enim Mosche viros strenuos ex toto Jisraële, constituit eos primores in populo; præfectos millenis, præfectos centenis, pręfectos quinquagenis, & decuriones:

26 Qui judicarunt populum ipsum omni tempore: rem quæ difficilis *erat* referebant ad Moschen, rem verò quæ parva *erat* judicabant ipsi.

27 Posteà deduxit Mosche socerum suum, [22] qui [l] rediit in regionem suam.

[k] *Heb. leva de super te.*
[19] hoc meum consilium approbans.
[20] non coactus exspectare a mane usque ad vesperam, ut suprà vers.14.
[21] compositis litibus.
[22] vide in Num. 10.29. & sequentibus.
[l] *Heb. abiit sibi.*

CAPUT XIX.

Jisraëlitis castra in duodecima statione ex adverso Sinai habentibus, Deus per Moschen significat, se fedus cum eis renovare, eos sibi legibus obstringere, observantésque amore prosequi velle: Quibus annuentibus triduum ad se comparandos indicit, omnibúsque (excepto Mosche & Aharone) montis accessu interdicit: Postremò in montem cum majestate summa, cernentibus omnibus ac trepidantibus, descendit.

1 IN [1] novilunio tertio ex quo exiverunt filii Jisraëlis e terra Ægypti; eo ipso die pervenerunt *in* desertum Sinai.

2 Quum itaque profecti Rephidimis venissent in desertum Sinai, & castra haberent in illo deserto (castra autem fecerant ibi Jisraëlitæ e-regione ipsius montis,)

3 Mosche ascendit ad Deum: clamavítque ad eum Jehova ex ipso monte, dicendo, sic dicito familiæ Jahakobi, & enunciato filiis Jisraëlis:

4 [2] Vos vidistis quæ fecerim Ægyptiis; ut sustulerim vos *quasi* [3] alis aquilarum, & adduxerim vos [4] ad me.

5 Nunc itaque, si [a] sedulo attendetis voci meæ & servabitis fedus meum; utique eritis mihi peculium præ omnibus aliis populis, nam [5] mea *est* tota terra:

6 Vósque eritis mihi [g] regnum [b] sacerdotale, & gens sancta: hæc *sunt* verba illa quibus alloquêris filios Jisraëlis.

7 Veniens itaque Mosche vocavit [6] Seniores populi; & proposuit eis omnia hæc verba quæ præceperat ei Jehova:

8 Cui [7] respondentes totus ipse populus unà, dixerunt, quicquid dixerit Jehova, faciemus: retulítque Mosche verba populi ad Jehovam.

9 Tunc dixit Jehova Moschi, ecce ego venturus sum ad te in [e] densa hac nube; ut audiat hic populus quum alloquar te, etiámque tibi fidant in seculum: postquàm renunciasset Mosche Jehovæ verba illa populi.

10 Et edixit Jehova Moschi, ito ad ipsum populum, ut [8] sanctifices eos hodie & cras; & lavent vestimenta sua:

[1] id est, die 47. a Paschate: nam inde ad finem mensis primi dies fuerunt 16. dies secundi mensis fuerunt triginta: his autem annumeratur dies tertii mensis primus.
[2] Recentis beneficii commemoratione fedus invitat.
[3] id est, brevissimo tempore vos a durissima servitute liberans, huc incolumes extra omnem teli jactum summa fide paternóque studio transtuli, ut aquila pullos: sic Deut.32.11.
[4] ut mihi servi sitis, meísque legibus vivatis.
[a] *Hebr. attendendo attendatis.*
[5] id est, omnes populi terræ, metonymia. quasi dicat, etsi pro meo jure possum aliquem alium populum quem singulari ratione prosequar, ex omnibus deligere; vos tamen præ cæteris omnibus hac prærogativa ornabo. [g] 1. *Petr.* 2. 5. & 9. [b] *Hebr. sacerdotum.* [6] vide suprà in 3.16. [7] quum Seniores eis proposuissent verba Dei accepta a Mosche. [e] *Heb. in densitate hujus nubis, vide infrà vers.* 16. [8] jubeas se sanctificare, lavando vestimenta sua, hoc ver. & abstinendo ab uxore vers. 15. quibus ceremoniis designatur purgatio ab internis sordibus præteritis, & studium absolutum informandi corpus & animum suum ad sanctè percipiendam Legem, ut vers.11.

11 Ut

11 Ut sint parati in [9] diem tertium; nam ipso die tertio descensurus est Jehova ante oculos totius populi hujus, super montem Sinai.

12 Pones autem [10] terminum huic populo circumquaque, dicendo, cavete vobis ne ascendatis in hunc montem, attingatísve finem ejus: [c] quicquid tetigerit hunc montem, [d] omnino morte afficitor.

13 [11] Ne attingito illud ulla manus, sed lapidibus obruitor, aut [e] jaculando conficitor, sive jumentum sive homo *fuerit*, ne vivito: quum [12] tractim sonuerit cornu, ea ascendere poterunt in ipsum montem.

14 Descendit ergo Mosche ex monte illo ad populum: [13] sanctificavítque populum, ut lavarent vestimenta sua;

15 Edicens populo, estote parati in diem ipsum tertium, [14] ne accedite *ullus* ad uxorem.

16 Fuit verò [15] die illo tertio, quum [f] cœpisset mane, ut essent soni & fulgura & nubes [g] densæ super illum montem, sonitúsque tubæ [16] vehemens valde: adeò ut trepidaret totus ipse populus qui *erat* [17] in castris.

17 Eduxit Mosche [18] populum obviam [19] Deo ipsi e castris suis: qui constiterunt [20] ad imum illius montis.

18 [21] Mons autem Sinai fumabat totus, propterea quòd descendebat super eum Jehova in [22] ipso igne: emitténsque fumum suum, [23] tamquam fumum fornacis, tremebat totus ille mons valde.

19 Quúmque sonus ille tubæ pergeret & invalesceret valde; [24] Mosche loquebatur, Deus verò ipsi respondebat [25] voce.

20 Tum descendit Jehova super montem Sinai ad ipsum verticem montis: vocavítq; Jehova Moschen ad ipsum verticem montis, & ascendit Mosche.

21 Edixítque Jehova Moschi, descende, contestare hunc populum: ne perrumpant *terminum, ascendendo* ad Jehovam [h] videndi animo, ut *non* cadant ex eo multi:

22 Etiámq; ipsi [26] sacrorum administri, qui ad Jehovam appropinquant [27] seipsos sanctificanto: ut non irrumpat in eos Jehova.

23 Dixit autem Mosche Jehovæ, [28] non poterit *quisquam* hujus populi ascendere montem Sinai; quòd tu contestatus es nos dicendo, terminum pone huic monti, ut sanctifices illum?

24 Et [i] respondit ei Jehova, [29] abi descende, ut ascendas tu & Aharon tecum: ipsi verò sacrorum administri & populus ne perrumpunto *terminum* ascendendo ad Jehovam, ut non irrumpat in eos.

25 Descendit ergo Mosche ad populum, atque *hæc* retulit eis.

[9] id est, quinquagesimum a Paschate, qui vulgo dicitur Pentecoste: hoc enim die Legem populo dedit Deus.
[10] primùm ut rudis populus affectus sensu majestatis Dei Legislatoris amplius eum revereretur, studiosiúsque caveret ne ejus mandata transgrederetur, infrà 20.20. deinde ut infirmitati populi consuleretur, qui propiùs majestatem ejus ferre non potuisset, infrà 20.19. & Heb. 12.20.
[c] Hebr. 10.28.
[d] *Heb. moriendo ut moriatur fiat.*
[11] id est, quicquid attigerit montem adeò exsecrabile esto, ut nulla manus ipsum attingat, sed jaculis vel lapidibus interimitor.
[e] *Heb. jaculando jaculator.*
[12] id est, audietur *διάτονος* sive continens unius toni sonus: q.d. erit huic interdicto locus donec istud audiatur: quod in extremis ferè cantionibus observatur; & ex communi usu voluit cognosci Deus a populo, quando religio loci illius esset desitura, discedente Domino, & sacram hanc actionem terminante per signū ejusmodi.
[13] jussit sanctificari, ut vers. 10.
[14] id est, omnino vacate vobis informandis, ideóque ne ad uxores quidem vestras accedite. [15] Pentecostes, ut diximus in versum 11. [f] *Hebr. esset, id est, cœpisset esse, ut Genes. 5.32.* [g] *Heb. graves.* [16] sed tamen paulatim invalescens, infrà vers. 19. quo pacto confirmabatur populus ad vocem Dei, qua alioqui consternatus fuisset, audiendam. [17] etsi procul a monte: castra enim metaverat ex adverso montis, suprà vers. 2. [18] priùs confirmatum, ut infrà 20.20. [19] nempe ut vocem ipsius exaudirent propiùs, & ad pangendum fedus compararentur. [20] in ipso termino sibi præscripto versu 12. [21] quum pervenissent illi ad imum montis. [22] quo circumdabatur Deus, & mons conflagrabat, Deuter. 4.11. [23] densum & atrum: ideò Deuter. 4.11. vocatur tenebræ, nubes & caligo. [24] nusquam in Vetere Testamento legitur quid sit loquutus: sed Apostolus ad Hebræos 12.21. id exprimit dicens adeò fuisse terribile visum quod apparebat, ut Mosche diceret, expavefactus sum & tremebundus. [25] id est, placidis verbis timorem ei eximens, eum confirmavit. [h] *Heb. ad videndum.* [26] id est, primogeniti, quos sibi Dominus consecraverat suprà 13.2. Numer. 8.16. & seq. hi enim administrarunt sacra donec Levitæ in eorum locum assumerentur: vide infrà 24.5. [27] id est, suæ ipsorum sanctificationi consulunto, a curiosis studiis accedendi propiùs abstinento, & cavento ne terminum prætergressi sese contaminent: sic interpretamur ex versu 24. [28] quum purè interdixisset Deus, ne ullus ex toto populo ad montem accederet, quærit Mosche an se vel alium aliquem exceptum velit: cui respondens Deus se ipsum cum fratre ex interdicto excipit. [i] *Heb. dixit ad eum.* [29] interdictum populo denunciaturus.

CAPUT XX.

Deus promulgat Decalogum terribili voce: qua territi omnes procurant, ut Deus per Moschen ipsos alloquatur: itaque eos per illum admonet de certis capitibus ad duo prima Decalogi præcepta pertinentibus.

1 Tum eloquutus est Deus omnia hæc verba, [1] dicendo,

2 [‖] [2] Ego *sum* Jehova Deus tuus; qui eduxi te e terra Ægypti, e domo servorum:

3 Ne esto tibi *ullus* [3] Deorum alienorum [4] ante faciem meam:

4 Ne facito tibi [5] sculptile, aut ullam imaginem *eorum* quæ *sunt* in cælis suprà, aut quæ in terra infrà; aut quæ in aquis infra terram:

5 Ne incurvans te *honorem exhibeto* eis, neque colito ea: [6] nam ego, Jehova Deus tuus *Deus* fortis zelotes *sum*, [7] visitans iniquitatem patrum in filios, in [a] nepotes, & in abnepotes, in [8] eos qui odio prosequuntur me;

6 Exercens verò benignitatem in millesimos, *a patribus*, qui diligunt me & qui observant mandata mea.

7 Ne assumito nomen Jehovæ Dei tui [b] [9] in vanum: nam [c] non relinquet impunem Jehova eum qui assumserit nomen suum in vanum.

8 Recordare diei sabbathi, ut [10] sanctifices illum:

9 Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum:

10 Dies verò septimus [11] sabbathum *est* Jehovæ Deo tuo: ne facito [12] ullum opus tu, aut filius tuus, aut filia tua, servus tuus, aut ancilla tua, aut jumentum tuum, aut peregrinus tuus qui *est* intra [13] portas tuas.

11 Nam sex diebus perfecit Jehova cælum ipsum, & terram, mare, & quicquid *est* in eis, quievit verò die illo septimo: [14] idcircò benedixit Je-

[1] nimirum ut deinceps referuntur, & in tabulis pòst exarata sunt: nam quod aliter a Mosche quædam Deut. 5. recitantur, id Mosche ut enarrator fecit & interpres legis.
[‖] *Deut.* 5.11.
[2] prooemium Legis exponens juris divini in imperando fundamentum, nostrique in obsequendo officii; tum a majestate ipsius, tum a gratia federis & beneficiorum ejus; cui prooemio præceptum primum est conjunctissimum. Ex beneficiis autem unicum recordatur Deus, liberationem ex Aegypto: cùm quia manifestissimum est in eo creationis, conservationis, & administrationis documentum, tum quia spiritalis est gratiæ & redemtionis symbolum. [3] puta qui putantur & vocantur Dii: solet enim Scriptura *ἀνθρωπίνως* loqui, atque humanitus: vide Deuter. 32.21. & 1. Schem. 12.21. & 1. Corinth. 8.4. & 5. [4] id est, nec sine me, nec mecum, ut vers. 23. nam si facto vel cogitatione adhibetur Deus, ante faciem ejus est, cui etiam intima cordium sunt explicata. [5] sive ad me, sive ad falsos Deos repræsentandos. q.d. ne confingito aut quærito Deum pro arbitratu & imaginatione tua, quem colas prout commentus fueris; sed ab omnibus mediis repræsentandi illum abstineto; vide infrà vers. 22. & Deut. 4. [6] Aetiologia mandati & interdicti superioris a natura Dei: Zelotes est ac potentissimus; ideóque cùm severè animadvertens in idololatras, tum in eos summè beneficus qui fidem servant in spirituali illo conjugio, cujus contractus describitur suprà 19.4. & sequentibus. [7] non quamvis iniquitatem, sed qua spirituale conjugium dissolvitur, quam adeò severè punit, ut non tantùm eum comprehendat qui illam commisit, sed etiam posteros ut meretricios partus: ejus enim qui a federe propter hanc causam exclusus est, exclusi quoque sunt filii; sicut eorum qui sunt in federe filii ad fedus pertinent: vide Hosche. 1. & 2. & Jechezkel. 16. & 23. [a] *Hebr. tertianos & quartanos, nimirum ab ipsis patribus generationis ordine.* [8] id est, qui ab amore mei deflectentes perfidè mecum agunt. sic oportere accipi Grammatica vocum ratio evincit manifestissimè. [b] *Hebr. in ullum vanum.* [9] id est, ulla causa, re, aut ratione vana, vel mendace: quæ omnia formula Hebræa significantur. [c] *Hebr. non declarabit innocentem, pro declarabit nocentem, id est, puniet: nam pœna est criminis consectaria: Metalepsis.* [10] celebres, habens pro sancto & consecrato cultui Dei. [11] totum consumendum in cultu Dei tui. [12] servile & mechanicum, ne in messe quidem & vindemia, quale concessum est sex reliquis diebus, infrà 34.21. Levitici 23.3. [13] terminos jurisdictionis tuæ: metaphora a portis, quibus opida terminantur: vide in Genes. 34.20. [14] his tribus de causis: ut diem illum impendas in cultum Dei tui: ut ne continuis laboribus te aut tuos fatiges, infrà 23.12. Deuter. 5.14. & ut perpetuò recorderis operum & quietis Dei in creatione. Additur quarta causa Deuter. 5.15. perpetua memoria liberationis a servitute Aegypti.

hova diei sabbathi, & sanctificavit illum.
12 Honora patrem tuum, & matrem tuam; ut [15] prolongent dies tuos super terrã illam, quam Jehova Deus tuus dat tibi.
13 Ne occidito.
14 [16] Ne scortator.
15 Ne furator.
16 Ne proferto contra proximum tuum testimonium [d] falsum.
17 [17] Ne concupiscito domum proximi tui: ne concupiscito uxorem proximi tui, aut servum ejus, aut ancillam ejus, aut bovem ejus, aut asinum ejus, denique quicquid *est* proximi tui.
18 Ipse autem populus totus [e] percipiebant illos sonos, & fulgetra & sonum tubæ, montémq; ipsum fumantem: percipiénsq; populus, [18] commoti sunt *loco*, & steterunt procul.
19 [19] Dixerunt itaque Moschi, [20] loquere tu nobiscum, & audiemus: sed ne loquatur nobiscum Deus, ut non moriamur.
20 Edixit verò Mosche populo ipsi, ne timeatis; nam ut [21] tentaret vos, venit Deus ipse, & ut sit timor ejus ante faciem vestram, [22] ne peccetis.
21 [23] Stabat ergo populus ipse procul; Mosche verò accessit ad [24] illam caliginem ubi *erat* Deus.
22 Tunc edixit Jehova Moschi, sic dicito filiis Jisraëlis; [25] vos vidistis, [26] ex cælis me loquutum esse vobiscum.
23 Ne facite *Deos* [27] mecum: [28] Deos argenteos, aut Deos aureos ne facite vobis.
24 [29] Altare [30] terreum facito mihi; ut sacrifices super ipsum holocausta tua, eucharisteria tua, greges tuos, & armenta tua: quocunque in loco jubebo celebrari memoriam nominis mei, & veniens ad te, benedicam tibi.
25 Quòd si altare ex lapidibus facies mihi, ne exstruito *ex* eis [31] cæsis: nam quum-primùm cælum tuum extuleris super ipsos, [32] profanaveris ipsos.
26 Neque ascendito [33] per [34] gradus ad altare meum; ut non detegantur pudenda tua ad illud.

[15] pater & mater honorem sibi ex mandato Dei delatum approbantes, ac benedicentes tibi: quo sensu alii alios servare dicuntur 1.Tim.4.16. Jacob.5.20. & recipere in æterna tabernacula, Luc.16.9. vide Ecclesiastici 3. verbum enim hoc ubique transitivum est. Etsi haud scio an præstet hoc verbum accipi impersonaliter, prolongent, pro eo quod est prolongentur, ex Hebræorum usu frequentissimo, ut Ijob.7.3. & alibi passim. Hanc interpretationem, velut simpliciorem, magis probo. [16] qui vertunt, ne committas adulterium, præceptum nimis restringunt: significat enim vox omne scortationis genus, ut Ijob.24.15. & Jirmejæ 3.9. & summæ inter Hebræos doctores autoritatis Abben Hezra ita interpretatur. [d] *Hebr. falsitatis.* [17] hoc versu unicum præceptum est, etsi Deut. 5. in duos versus distinguitur: quamobrem ibi incipitur ab uxore proximi, quæ hic secundo loco ponitur: quòd si duo præcepta essent, incertum esset utrum alteri antecedat. [e] *Heb. videbant: synecdoche.* [18] longius a monte retrocedendo propter summam animi sui consternationem: accesserant enim ad imum montis, supr.19.17. [19] per tribunos & seniores suos, Deut. 5.23. [20] effectus ejus quod promiserat Deus supr.19.9. Hujus autem figuræ veritatem & usum explicat Mosche, Deut.18. [21] ut sup.15.25. [22] sed humiliati ipsius legi vos subjiciatis. [23] reversus ad sua tabernacula. Deut.5. 30. [24] fumum densum & nubem, de quibus sup.19.16. & 18. [25] i. estis mihi vos ipsi testes, vocem quidem sonúmque verborum a vobis auditum esse; at nullam similitudinem fuisse animadversam, præterquàm vocem, Deut.4.12. hoc interdicti sequentis αἴτιον. [26] nam etsi ignis, nubes, fumus, & sonus tubæ in monte percepta sunt, vox tamen Dei loquentis e cælis edebatur, Deut.4.36. & Nechemjæ 9.13. nam cælum thronus ejus est & terra scabellum pedum ejus, Jeschah.66.1. [27] explicatio 1. mandati. [28] explicatio 2. mandati: synecdoche, quia nobilissimis materiis rejectis, aliæ omnes repudiatæ intelliguntur: ut Psal.115. [29] q.d. his tantùm abjectis mediis in cultu meo utitor, quocunque vos deducam, donec fixum cultui meo locum designavero: præceptum enim temporarium est ab initio profectionis per desertum usque ad structuram templi; ut illa indicant, quocunque in loco jub. &c. posteà verò altare sacrificiorum fuit æneum, 1.Reg.8.64. [30] e terra vel lapidibus incultum fieri voluit, ut post temporarium ejus usum, aut laberetur per se, aut destrueretur, & ne elegantiæ aut religionis nomine conservatum posteris offensioni esset. [31] sive figuratis, sive affabrefactis & dolatis: quorum alterum ad superstitionem solùm, alterum etiam ad ornatum, utrumque verò ad durationem pertinet: quamobrem tumultuariè tantùm & tumultuarios incultósq; lapides & rudes sivit comportari Deus. [32] non quòd cælum sit ipsum per se vitiosum; sed quòd venitur contra mandatum Dei, id affert vitium. [33] honestatis ratio in Ecclesia non est temporaria, sed etiam post designatum cultui locum duratura. sic Romani quoq; idololatræ Dialibus suis Flaminicis caverant, ne scalas, nisi quæ Grçeæ dicebãtur, plus tribus gradibus ascenderent, teste Gellio lib.10. cap.15. [34] alioqui molli & acclivi ascensu accedebatur, ut ea quæ gerebãtur essent oculis omnium exposita: ideóq; altare trium cubitorũ fuit altitudine, infr.27.1. Schelomonis verò altare cubitorum decem, 2.Chron.4.1. vide Levit.9.22.

CAPUT XXI.

Hebræorum in Hebræos dominium circumscribitur: & in homicidas, vim facientes, aut maledicentes parentibus, damnóq; afficientes proximum aut jumentum ejus, leges & pœnæ statuuntur.

1 HÆc autem *sunt* [1] judicia illa, quæ propones eis.
2 [2] [a] Quum emeris [3] servum Hebræum, sex annis serviet: septimo autem, exibit in libertatem gratis:
3 Si *solus* corpore suo venit, corpore suo exibit: [4] si maritus uxoris est, exibit quoque uxor ejus cum eo.
4 Si dominus ejus dederit ei [5] uxorem, pepererítque illi filios aut filias; uxor ipsa cum natis suis erit domini ipsius, ille verò exibit *solus* corpore suo.
5 Quòd si [a] ingenuè dixerit ille servus, amo dominum meum, uxorem meam, & filios meos; [b] nolo exire liber:
6 Tum sistens eum dominus ejus [6] coram magistratibus ipsis, sistet eum ad [7] januam suam aut ad alterutrum postem: ubi perforabit dominus ejus aurem ejus subula, sic serviet ei [8] in seculum.
7 QUUM autem vendiderit quis filiam suam [c] ut sit ancilla; ne exito [9] ut hi servi exeunt.
8 Si mala videbitur in oculis domini sui, ita ut non desponset eam sibi, [10] nec curet eam redimi: *alicui e* populo extero ne jus habeto vendendi eam, [11] perfidè agendo cum ea.
9 Quòd si filio suo desponset eam, [12] secundùm jus ipsum puellarum facito ei.
10 Si alteram [13] acceperit sibi; alimentum ejus, operimentum ejus, & habitationem ejus ne diminuito.
11 Quòd si [14] tria ista non fecerit ei, tum exito gratis absque pecunia.
12 [15] Qui percutit quemquam ita ut moriatur, [d] omnino [16] morte plectitor.
13 Siqui tamen non quçsiverit, sed [17] Deus ipse

[1] id est, præcepta officiáq; tum politica, usque ad versum 10. capitis 23. tum Ecclesiastica & ceremonialia, sed communia tantùm & ad pios omneis promiscuè pertinentia, inde ad versum 20. ejusdem cap. [2] Leges quædam de jure personarum, quæ partem habent ceremoniæ pro ratione populi & terræ, partémque συγχωρητικήν: quamobrem quicquid in ea ceremoniale est, id sublatum esse Apostolus ostendit passim: vide infrà in vers.11. [a] *Deut.* 15.12. [3] sive is paupertate pressus se aut liberos venderet, ut infrà vers.7. & Deut. 15.12. sive ab aliis furti nomine venderetur, ex lege infrà 22.3. [4] aut si pater liberorum est quos nexu secum obliget, similiter exeunto: synecdoche, quam partim analogia juris, partim sequentes vers. ostendunt. [5] alienigenam videlicet ut sibi pararet servos: nam ancillam Jisraëlitidem non poterat dominus dare nuptui jure dominii, ex lege infrà V.7. hanc autẽ deseri facilè permittit Deus, quia connubium istud Deo fuit ingratum, qui genus sanctum cum profano nolebat commisceri, ut clarius apparet ex lege Deut.21.10. [a] *Heb. dicendo dixerit.* [b] *Heb. non exibo.* [6] ut publicè profiteatur se liberrima voluntate & certo consilio suam libertatem sibi abjudicare. [7] quidam ad publicam portam referunt; sed hoc verbis & significationi hujus ceremoniæ visum est accommodatius. [8] usque ad jubilæi annum, Levit.25.39. [c] *Heb. in ancillam.* [9] de quibus superiore lege: finis est, ut puellarum honestati consulatur, & nunquam capite vacent. Summa, patris jus omne in filiam perire, venditione emancipatam in domini familiam transire, dominum teneri aut eam ducere aut eam collocare filio: si neutra ratione ei consultum velit, non posse alienigenæ eam vendere, sed agnatis faciendam esse potestatem ejus redimendæ. [10] puta ab agnatione ipsius, cui incumbit redemtionis munus. [11] id est, legem Dei violando, qua hoc disertè cavetur si filia Hebræa emitur, ut Levit.25. hac enim sese obstrinxerat, quum puellam emeret. [12] ut ingenua puella nuptui dator: suppeditata veste, dote constituta, & conjugali consuetudine observata. [13] i. sive dominus sive filius ejus alteram uxorem non autem hanc si duxerit, ne ut cum abjecta ancilla exterâve agito; sed digne, honeste, & liberaliter ei, velut ingenuæ, de tribus istis prospicito. Hanc interpretationem aliis præfero: & verò præferendam esse animadvertent ii qui alterum conjugium reputabunt iniri non posse, quin de maritali consuetudine detrahatur: quod prohibetur sequente versu. [14] id est, alimentum, vestem, habitationémque liberalẽ ei non tribuerit, uxore ducta; sed illiberaliter duritérve egerit. Hactenus leges συγχωρητικαί de personarum jure: nolebat enim Deus suos quos a servitute vendicaverat, beneficium hoc prostituere, & se rursus servituti dedere, sed tolerabat factum. [15] datâ operâ, ex antithesi V. seq. [d] *Heb. moriendo ut moriatur fiat, & sic deinceps: qua anaphora adhibentur, ut juris exsequendi necessitas inviolabilis ostendatur: veniaq; danda interdictum.* [16] hoc est, magistratus meam hanc legem exsequitor, nec ullo studio aut affectu peccatis indulgeto. [17] tantùm; nolente videlicet ac imprudente homine: q. d. si alter alterum occiderit præter consilium & factum suum: etsi hoc nunquam accidit sine providentia ipsa certóque consilio Dei.

objecerit

objecerit manui ejus; [18] constituam tibi locum quò ille confugiat.

14 Quum autem quis [19] arrogaverit contra proximum suum occidere eum astu; *etiam* [20] ab altari meo rapito eum ad mortem.

15 ITEM [21] qui percutit patrem suum aut matrem suam, omnino morte plectitor.

16 Item [d] plagiarius, sive vendiderit hominem, sive deprehensus fuerit in manu ejus, omnino morte plectitor.

17 ITEM qui maledicit patri suo aut matri suæ, omnino morte plectitor.

18 ITEM quum altercantibus hominibus percusserit [e] unus alterum lapide aut pugno; ita ut non mortuus sit, sed [f] decumbat in lecto;

19 Si surgens ambulaverit foras nixus scipione suo, tum [22] [g] impunis erit percussor: tantummodò [23] cessationem ejus reddito, & [h] plenam curationem ejus præstato.

20 ITEM quum percusserit quispiam [24] servum suum aut ancillam suam virga, ita ut moriatur [25] sub manu ipsius; [i] omnino vindicator:

21 Sed si diem unum aut biduum superstes fuerit; ne vindicator, nam [26] pecunia ejus est.

22 ITEM certantibus hominibus, si [k] percusserit *unus* illorum mulierem gravidam, ita ut [l] ejiciatur fœtus ejus, nec tamen sit [27] exitium: [m] omnino [28] mulctator prout imposuerit ei maritus ipse mulieris, & [29] per judices dato.

23 Sin autem exitium sit, tum [30] reddes [31] [n] vitam pro vita.

24 Oculum pro oculo, dentem pro dente; manum pro manu, pedem pro pede;

25 Ustionem pro ustione, vulnus pro vulnere; [32] tumicem pro tumice.

26 ITEM quum percusserit quis oculū [33] servi sui aut oculū ancillæ suæ, ita ut corruperit eum; in libertatem dimittito eum pro oculo ejus:

27 Et si dentem servi sui aut dentem ancillæ suæ [o] excusserit; in libertatem dimittito eum pro dente ejus:

28 ITEM quum [34] cornu ferierit bos aliquis virum aut mulierem, ita ut moriatur: [p] omnino lapidator bos ille, [35] neque comeditor caro ejus, dominus verò bovis illius *erit* [36] innocens.

29 Quòd si bos petulcus fuerit [q] anteà, & quāvis denunciatum fuerit testibus adhibitis domino ejus, non asservaverit eum, itaque interfecerit [37] virum aut mulierem: bos ille [38] lapidator, etiámq; [39] dominus ejus morte plectitor.

[18] videtur in deserto fuisse tabernaculum perfugii locus ubi altare Dei erat, ex ℣. seq. sed post adventū in terrā civitates constitutæ sunt, de quibus Num. 35. Deut. 19. Jehoschu. 20. idq; duabus de caussis: una, ut eò se reciperent qui longè a magistratu aberant, donec de causa sua cognoscerentur, ne a vindice opprimerentur: altera, ut ibi cognita causa usq; ad mortem summi sacerdotis tutò habitarent. [19] aut occiderit, aut conatus sit occidere, Deut. 19. 19. [20] id est, nullus ei esto perfugii locus: sic jussit Schelomoh, 1. Reg. 2. 25. & 28. & 2. Reg. 11. 15. [21] etiamsi non sequatur mors, aut grave corporis damnum. [d] *Heb. fur hominis sive vendiderit eum.* Deut. 24. 7. [e] *Heb. vir proximum suum.* [f] *Heb. cadat in cubile.* [22] ne occiditor. [g] *Heb. innocens esto, hoc est, declaratur, ut sup. 20. 7.* [23] damnū quod accepit cessando ab opere suo. [h] *Heb. curando bene curato.* [24] alienigenā; cum fratribus enim lenius agendum erat, Levit. 25. 38. [25] i. sub plagis, dum cæditur, ex antithesi ℣. 21.

[i] *Heb. vindicando vindicator.* [26] emtus pecunia, metonymia. q. d. ipse satis grave de se suppliciū sumsit, pretium emtionis suæ perdendo. [k] *Heb. percusserint.* [l] *Heb. exeant nati ejus.* [27] mulieris aut fœtus, personæ totius, aut alicujus partis in ea corruptio. [m] *Heb. mulctando mulctator.* [28] pœna arbitraria: nam præter voluntatem mulierem sibi occurrentem concussit. [29] tum ut materiam contentionis & privatæ ultionis præcidant, tum ut statum sit quod eorum interventu transactum fuerit. [30] apostrophe ad judicem, ut causa cognita, de talionis aut compensationis lege statuat bona fide: quam rem a Scribis & Pharisæis non fuisse intellectā demonstrat Christus Matt. 5. 38, ac proinde privatæ ultionis licentiam indignissimam apud Judæos exundasse. De talione autem quæstionē eruditam vide apud Gell. lib. 20. noctium Attic. cap. 1. [31] nam etsi imprudens matrem aut fœtū privarit vita, consilii tamen & occasionis ratio habenda est: consilium autem fuit vitam proximi petere, qua occasione vita privavit istum. Est autem hic talionis exemplum, de qua etiam Levit. 24. 20. & Deut. 19. 19. alia exempla habentur. [n] *Hebr. animam pro anima, anima pro vita, ut infr. vers. 30. metonymia.* [32] i. collectionem sanguinis ex contusione tumescentem, ut supr. 4. 23. [33] alienigenæ ut supra ℣. 20. nam Hebræi non erant cædendi; alioquin illatum eis damnum retaliabatur ex Levit. 24. 19. [o] *Heb. fecerit ut cadat.* [34] i. si quadrupes pauperiem fecerit: synecdochicè. [p] *Heb. lapidando lapidator.* [35] a vobis, neque edenda exteris proponitor; ut alioqui morticina caro illis dari poterat in cibum, Deut. 14. 21. Sic commendatur vita hominis, & res ei adversantes detestationi sunt, ut Genes. 9. 5. [36] si vitium non præsciverat, ex versu seq. [q] *Heb. ab heri & nudiustertius, sic infr. ℣. 36.* [37] Jisraëlitam puta etiam servum; aut etiam liberum alienigenam: ex antithesi vers. 32. [38] nec ejus caro comeditor, ex vers. 28. [39] ut latæ culpæ reus, cum non caverit ne per suum bovem hoc damnum afferretus.

30 [40] Si redemtionis pretium [41] impositum fuerit ei; tum dato pretium redemtionis vitæ suæ, omnino prout impositum fuerit ei.

31 Sive filium cornu petierit; sive filiam cornu petierit; secundùm hoc jus fiat eo.

32 Si [42] servum cornu petierit bos ille aut ancillam; [43] triginta argenteos siclos dato domino ejus, & bos ille lapidator.

33 ITEM quum retexerit quis foveam, aut quum foderit quis foveam, deinde non operuerit illam; itaque ceciderit illuc [44] bos aut asinus:

34 [45] Dominus ille foveæ rependito, [46] pecuniam restituito domino illius; quod autem mortuum fuerit, ejus esto.

35 ITEM si ferierit [r] bos unius bovem alterius ita ut moriatur; tum vendito eo qui vivit partiuntur pecuniam pretii ejus, & similiter mortuum partientur.

36 Aut *si* indicatum est bovem petulcum fuisse anteà, nec tamen asservaverit eum dominus ejus: [s] omnino rependito bovem pro illo bove, qui autem mortuus fuerit, ejus esto:

[40] si causa cognita judicabitur non esse in eo latam culpam, sed aliqua occasione levior esse videbitur, mulcta irrogabitur ultimi supplicii loco. [41] de sententia & autoritate judicum, qui causam cognoverint, ut suprà in vers. 23. [42] alienigenam, ut suprà ℣. 20. & 26. [43] i. septem uncias argenti cū semuncia, sive totidem thalleros: siclus enim communis quadrantem pendebat unciæ. [44] aut denique ullū animal domesticum quod erit proximi tui, ut supr. ℣. 28. [45] qui aperuit, aut in causa fuit cur aperiretur apertáve relinqueretur, quamvis non sit possessor ejus: nam in eo residet occasio damni. [46] quanti æstimabitur damnum. [r] *Heb. bos viri bovem proximi ejus.* [s] *Heb. rependendo rependito.*

CAPUT XXII.

Leges de furibus, damno ex depastione aut incendio, deposito, rerum amotarum, conducti, commodati, de stupro virgini oblato, de scortilega, de nefariam libidinem exercente, de idololatra, de vi, usura, pignore, de honore magistratui habendo, de primitiis, & sanctimonia.

1 SI quis furatus bovem aut parvam pecudē mactaverit aut vendiderit eam, [1] quinque boves rependito pro uno bove, & quatuor *pecudes* gregis pro una pecude.

2 Si in [2] effossione deprehendatur fur *de nocte*, & percussus moriatur; [a] reus cædis ne esto *percussor*:

3 Si Sol ortus fuerit [3] ei, cædis [4] reus esto: *fur verò* [b] omnino rependito, si non *est* ei, vendetur pro furto suo.

4 Sin autem [c] totum furtum deprehensum fuerit [5] in manu ejus, sive bos, sive asinus, sive parva pecus, viventes; [6] duplum rependito.

5 Si quis depascens agrum aut vineam immiserit pecus suum quod pascat in agro alterius; optimo agri sui, & optimo vineæ suæ rependito.

6 Si egressus ignis invenerit spinas, absumatúrque meta frumenti aut ipsa seges, aut aliquis ager; omnino rependito is qui [d] fecit ut incendium esset.

7 Si quis dederit proximo pecuniam aut supellectilia ad servandum, & id furto ablatum fuerit e domo illius: si deprehendetur fur ipse, rependito duplum:

8 Si non deprehendetur fur ille, tunc sistetur dominus illius domus coram ipsis magistratibus; [7] *jurejurando se purgaturus*, [8] si non extendit manum suam in [e] rem proximi sui.

[1] nam in hoc damnum majus, & audacia major est, in sequente verò minor: ideóq; inæquales pœnæ. [2] nocturna, ex antithesi vers. 3. nocturni enim effractores habentur pro homicidis, tamquam si insidiarentur vitæ. [a] *Heb. ne sunto illi sanguines: sic vers. 3.* [3] furi & percussori, hoc est, deprehendatur in ipso furto post ortum Solis. [4] percussor: ne liceto ei furem occidere, sed ea compensatione habeto satis quæ imperatur sequente versu. Quòd si iste vim afferre voluerit, jam non amplius furis conditione est; sed plagiarii, homicidæ, aut nocturni effractoris loco: id est, uno verbo, capitale facinus est, ac proinde vi, ut nocturnus effractor, repelli potest. [b] *Hebr. rependendo rependito: sic deinceps.* [c] *Heb. deprehendendo deprehensum fuerit in manu ejus furtum a bove usque ad asinum, usque ad parvam pecud.* [5] si non mactaverit aut vendiderit; sed servet apud se. [6] id est, alterum tantùm, quia idem reddit quod furatus erat: sic vers. 7. [d] *Heb. incendit incendium.* [7] sic accipiendum ex vers. 11. [8] ut ea tamquam sua utatur, aut suam faciat. [e] *Heb. opus ut Genes. 33. 14. & infrà vers. 11.*

9 De omni negotio [9] rerum amotarum, de
bove, de asino, de parva pecude, de vestimento,
de omni re amissa, quum dixerit *ejus dominus* [10]
illum ipsum esse, ad ipsos magistratus venito
negotium amborum: [11] quem condemnabunt
magistratus, rependito duplum proximo suo:
10 Si dederit quispiam proximo suo [12] *ex conducto* asinum, aut bovem, aut parvam pecudem,
aut ullum jumentum ad servandum; mortuum
autem, vel fractum *aliquid*, vel vi abductum fuerit, nemine vidente:
11 Juramentum Jehovæ esto inter utrosque,
quo se purget reddens [13] si non extendit manum
suam in rem proximi: quod ubi [14] acceperit dominus [f] rei, ille ne rependito.
12 Quòd si furto ablatum fuerit illi, rependito
domino ejus.
13 Si [g] omnino discerptum est, afferto [15] illius
aliquid, in testimonium: quod discerptum est, ne
rependito.
14 Item quum quis quid a proximo suo acceperit *commodatò*, quod corrumpatur aut moriatur; *si* dominus ejus *rei* non adfuerit ei, omnino
rependito:
15 Si dominus ejus adfuerit ei, ne rependito:
Si mercede conductum est, [16] venerit pro mercede sua.
16 Item si quis pellexerit virginem quæ non
est desponsata, & cubayerit cum ea; [h] omnino
constituens ei dotem *accipiat eam* in uxorem:
17 Si [i] planè renuet pater ejus eam dare illi;
pecuniam pendito, [17] prout *est* dos virginum.
18 [18] Praestigiatricem ne sinito vivere.
19 [19] Quisquis cubat cum jumento, [k] omnino morte plectitor.
20 Qui sacrificat Diis aliis [20] ut anathema
perditor: præterquàm *qui sacrificat* Jehovæ soli.
21 Item peregrino vim ne facito, nec opprimito eum: nam peregrini fuistis in terra Ægypti.
22 Nullam viduam aut orphanum affligitote.
23 Siqua afflictione afflixeris eum (nam si [l]
tantillum clamet ad me, [m] utique exauditurus
sum clamorem ejus,)
24 Tum accensa ira mea occidam vos gladio:
sic erunt uxores vestræ viduæ, & liberi vestri orphani.
25 Si pecuniam mutuam dederis populo meo,
pauperi ipsi qui *est* tecum, ne esto ei tamquam
fœnerator; ne imponite ei [21] [n] usuram.
26 Si [o] pignore ullo acceperis vestem proximi
tui; dum inclinat Sol, restituito illam ei.
27 Nam id solum operimentum ejus est; illud
est vestimentum ejus ad cutem ejus *tegendam*: in
quo cubaret? alioquin erit, quum inclamabit me
ut exaudiam, quia clemens sum.
28 [22] Magistratus ne exsecrator: & principi in populo tuo ne maledicito.
29 [p] Frugum tuarum maturarum, & liquoris tui *primitias* ne differto *dare*: primogenitum
filiorum tuorum dato mihi.
30 Sic facito bove tuo *&* pecore tuo: septem

[9] quæ quocunque pacto interversæ fuerint, & proprio domino perierint: sic Gen.31.36.
[10] rerum amotarum reum.
[11] sive depositarius evictus, sive depositor falsò accusans.
[12] hoc addidimus evidentiæ causâ, quia diversam esse hanc legem a præcedente ostendit pœna: & factum Jahakobi Gen. 31.39. Hebræorúmque autoritas ita accipiendam confirmant.
[13] ut suprà versu 8.
[14] prout illi tenetur dominus acquiescere, ut finis sit litigii.
[f] *Hebr. ejus: relativum ad antecedens remotum.*
[g] *Hebr. discerpendo discerptum.*
[15] prout etiam ex luporum, leonum, ursorúmque faucibus recuperatam interdum fuisse particulam prædæ exponit Hamos 3.12.
[16] id est, ejus usum mercede conduxerat, cujus abusu præsens dominus poterat interdicere: ideóque domino suo perierit.
[h] *Heb. dotando dotans.*
[i] *Heb. renuendo renuet.*
[17] vide in Deut. 22.29.
[18] & præstigiatorem & omnem artis nefariæ exercitorem, Levit.19.26. & Deuter. 18. 10. sed præstigiatrix hîc potius nominatur synecdochicè, tum quia procliviores sunt ad hoc scelus ex infirmitate mulieres, tum quia sic visum est Deo ostendere, ne infirmiori quidem sexui in hac causa (utcunque ab hominibus extenuari soleat) parcendū esse. [19] hîc quoque synecdoche est: omnes enim nefariæ libidines per analogiam prohibentur: vide Levit.18.22. & 20.15. [k] *Hebr. moriendo ut moriatur fiat: vide suprà* 21.12. [20] vide Deuter.13. & 17.2. [l] *Heb. clamando clamet.* [m] *Heb. exaudiendo exaudio.* [21] sive rodens lucrum & exedens, quod Hebræa vox sonat. Sic Bernardus optime in præceptis familiaribus, Quid est, inquit, usura? venenum patrimonii. [n] *Hebr. morsum.* [o] *Hebr. pignerando pigneraberis.* [22] Deos, Dei ipsius agentes vicem, penes quos est administratio civilis vel ecclesiastica, teste Apostolo Actor.23.5. [p] *Heb. plenitudinem tuam, & lacrymam tuam.*

dies esto cum matre sua, die autem octavo dato
illud mihi.
31 Item homines [q] sancti eritis mihi: ideóq;
carnem in agro discerptam ne comeditote, cani
projicite illam.

CAPUT XXIII.

Leges de injuriis, afficiendo beneficiis inimico, judiciis, intermissione culturæ, sabbathis, & festis anniversariis, idololatriâ & idolis, cultu veri Dei, fœdere cum Cenahanæis & eorum diis non ineundo, & habitatione cum illis non communicanda.

1 Ne [1] efferto rumorem mendacii; [2] ne apponito manum tuam cum improbo, [a] agendo testem injustum.
2 Ne [b] insistito vestigiis [3] potentiorum ad mala: neque loquitor de lite, declinando post potentiores ad pervertendum *eam*.
3 [4] Attamen pauperem ne honorato in lite
ejus.
4 [l] Si offenderis bovem inimici tui, aut asinum ejus errantem; [c] omnino reducito eum ad
illum.
5 [l] Si videris asinum osoris tui succumbentem
oneri suo [5] dum [d] abstines a deponendo *onere* illius; omnino [6] deponito cum eo *onus*.
6 [7] Ne pervertito judicium egentis tui, in lite
ejus:
7 [8] A verbo mendacii procul abesto; & innocentem ac justum [9] ne occidito, quia non absolvam [10] improbum:
8 Et munus ne accipito, nam munus ipsum
excæcat [11] oculatos, & pervertit verba justorum:
9 Et [12] peregrinum ne opprimito: vos enim
experti estis [e] affectum peregrini, quum peregrini fuistis in terra Ægypti.
10 Item sex annis conseres terram tuam; &
colliges proventum ejus:
11 Septimo autem quoq; intermittito eam, &
relinquito eam incultam, ut [13] comedant [14] egentes e populo tuo, residuum verò eorum comedant [15] bestiæ agrestes: sic facito vineæ tuæ *&*
oliveto tuo.
12 Sex diebus facies opera tua, die autem ipso
septimo cessato; ut quiescat bos tuus & asinus
tuus, & [f] recreetur filius ancillæ tuæ & peregrinus.
13 Et in omnibus quæ edixero vobis [g] continetote vos: nomen autem deorum alienorum
ne [16] recordamini, [17] ne auditor in ore tuo.
14 [l] Tribus vicibus feriator mihi quotannis.
15 Festum azymorum observato; septem dies
comedito azymos, quemadmodum [l] præcepi
tibi, constituto tempore, ipso mense abib, quia in
eo egressus es ex Ægypto: & ne *ulli* comparento
coram me [18] vacui:
16 Item [19] festum *anniversarium* messis, primitiarum laborum tuorum quas severis in agro

[q] *Heb. sanctitatis.*
[1] ne falsi rumoris autor vel adjutor esto: sic Levit.19.6.
[2] ne consociator aut consento operam cum illo, consentiendo aut juvando eum ad malum: synecdoche.
[a] *Heb. ut sis testis injuriæ.*
[b] *Heb. esto post potiores.*
[3] sic interpretamur ex antithesi sequentis versus. deinde si multos vel multitudinem interpretaberis, hoc quoque comprehenditur *πολλοὺς ἀκολουθεῖν*: nam multitudo, quamvis obnitentes, numero suo facilè abripit. Confer Exod.19.15.
[4] q.d. cavendum a duobus extremis injustitiæ, ne privatus aut potentioribus plus æquo tribuas, aut misericordiæ specie plus tenuibus faveas: sic Levit. 19.15.
[l] *Deut.*22.1.
[c] *Heb. reducendo reducito.*
[l] *Deut.*22.4.
[5] id est, dum cessas, aut aliud agis.
[d] *Heb. illi: relinquendo relinquito cum illo.*
[6] nempe ut levatum onere jumentum surrigatur.
[7] de judiciis versus quatuor: vide Deut.16.19.
[8] admittendo, vel pronuntiando.

[9] ne fretus autoritate tua injuria ulla afficito: synecdoche. [10] ne judicē quidem, qui improbè judicando litem suam fecerit. [11] sapientes metaphoricè, Deuter.16.19. [12] hîc magistratibus feruntur leges, ut Deut.24.17. privatis verò de eodem argumento suprà 22.21. & Levit.19.33. [e] *Heb. animam.* [13] nempe voluntarium fructum & insativum illius. [14] sub. tecum & cum tuis, communi jure, Levit.25.6. & 7. [15] nimirum potiùs quam ut colligas. [f] *Heb. respires.* [g] *Heb. custodite vos.* [16] imò potius efficite ut eorum memoria pereat. Deuter.12.3. [17] sive in juramentis, sive in sermone familiari: vide exemplum Psalm. 16.4. & promissionem Hosche. 2.17. [l] *Deut.*16.16. [l] *sup.*12.43. *&* 13.3. [18] sed pro eo quod habent afferento, Deuteron. 16.17. [19] Pentecostes, quo incipiebat segetum messis, Deuter. 16.19.

tuo: festúmque [20] collectionis in exitu cujusque anni, quum collegeris labores tuos ex agro.

17 [21] Tribus vicibus quotannis; compareto omnis mas tuus in conspectu domini Jehovæ.

18 Ne mactando *fundito* sanguinem sacrificii mei [22] cum fermentato: neque pernoctato [23] adeps [h] sacrificii festi mei usque mane.

19 [24] Prima *quæque*, primitias terrę tuæ afferto *in* domum Jehovæ Dei tui: [25] ne coquito hœdum in lacte matris suæ.

20 [26] Ecce, ego mitto [27] angelum ante te, ad servandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparavi.

21 Cave tibi ob pręsentiam ejus, & [28] auscultа voci ejus, ne exacerbes eum: quia non feret defectionem vestram, quia [29] nomen meum est [i] in eo.

22 Nam si seduló auscultaveris voci ejus, & feceris omnia quæ edicam: planè inimicabor inimicos tuos, & hostiliter agam cum hostibus tuis.

23 Quum iverit angelus meus ante te; & introduxerit te in *terram* Emoræi, & Chitthæi, & Perizzæi, & Cenahanæi, & Chivvæi, & Jebusæi: & excidero eum:

24 Ne incurvando te *honorem habeto* diis eorum, neque colito eos, neque facito secundùm opera eorum: sed [k] omnino demolitor eos, & omnino perfringito statuas eorum:

25 Sic coletis Jehovam Deum vestrum, qui benedicet pani tuo & aquæ tuæ: & amovebo *quemvis* morbum e medio tui:

26 Nō erit abortiens, aut [g] sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum complebò.

27 Terrorem mei pręmittam ante faciem tuam, & fundam quemlibet populum in quos venies: & [l] omnium inimicorum tuorum exponam tibi cervicem:

28 Mittam inquam *terrorem mei* [30] *tamquam* crabronem ante te; qui expellet Chivvæum, Cenahanæum, & [31] Chitthæum a conspectu tuo.

29 Non expellam eum a conspectu tuo anno uno; ne sit terra ipsa desolata & potentior sit bestia agrestis te:

30 [m] Paulatim expellam eum a conspectu tuo; usque dum [32] fœtaveris, ut possideas terram illam.

31 [33] Et ponam terminum tuum a mari algoso usque ad mare Pelischthæorum, & [34] a deserto usque ad illud flumen *Euphratis*: nam dabo in manum vestram habitatores [l] illius terræ, ut expellas eos a facie tua.

32 [l] Ne pangito cum iis, & cum diis eorum fedus.

33 Ne habitanto in terra tua, ut non inducant te ad peccandum in me: [35] nam serviturus esses diis illorum, [36] nam *id* esset tibi in tendiculam.

[20] sive tabernaculorū, Deut. 16.13. ubi etiam vide quare collectionis dicatur. [21] ut suprà versu 14. [22] habens adhuc fermentum apud te. sed illud removeto ante Pascha: vide infrà 34.25. [23] pars aliqua Paschalis sacrificii, vide ibidem. [h] *Heb. festi mei: synecdoche, ut Psal.* 118.27. [24] primitias personarum, animaliúmque supr. 13. & rerum omnium, ut sunt primi arborum fructus, Levitici 19.23. [25] ne sacrificii primitiarúmve nomine offerto ullam pecudem quum adhuc est lactea, id est, antequàm septiduum excesserit, quo *apud* matrem relinqui jubetur, sup. 22. 30. & Levit. 22. 28. sic infrà 34. 26. nam etiam in cibis privatis, illius tamquam immaturi usus damnatur, Deuter. 14.21. [26] conclusio præceptorum omnium ad naturale jus & civile pertinentium, per repetitionem primi & secundi præcepti quod Lege imperavit Deus. [27] non creatū, sed æternum sermonem Christum, quem suprà 13.21. nominavit Jehovam. [28] nam etiam veteri populo Christus a Patre magister datus est, licet illustrius Novo Testamento patefactus, 1.Pet.1.11. [29] id est, ego sum in illo, & ille in me, denique ego & ille unum sumus, Joan. 10.30. & 38. nam idem Jehova est, ac nō creatus angelus. [i] *Heb. in medio ejus.* [k] *Heb. demoliendo demolitor, & perfringendo perfringito.* [l] *sup.* 15.26. [l] *Heb. dabo omnes inimicos tuos versus te cervice, id est, in fugam dabo.* [30] quod superiore versu promisit illustrat similitudine: q.d. animi eorum immissis aculeis terroris fodicabuntur, ita ut vobis cedere cogantur. sic Jehoschu. 24.12. [31] cæterósq; memoratos suprà ℣.23. [m] *Heb. parum parum.* [32] id est, numero auctus fueris: synecdoche. [33] hujus promissionis complementum sub Davide & Schelomone vide 2. Schemu. 8. & 10. & 1. Regum 4.21. & 2. Chron. 9.27. [34] Schuris, quod Aegyptum spectat. [l] *infrà* 34.32. [l] *Deut.* 7. [35] Ratio redditur ὑποθετικῶς ab eventuris malis; quorum species quæ gravissima est priore loco ponitur, falsorum puta deorum cultus: deinde verò eventus certissimè consequuturus ex antecedente malo, nempe quòd malis omnibus in universum irretirentur & iis intercepti justo Dei judicio corruerent. [36] nimirum fedus cum illis, affinitas, habitatio communis, & conversatio, sic autem explicatur hic locus Deut. 16.

CAPUT XXIIII.

Mosche leges populo propositurus mandato Dei descendit, quibus assentiente populo fedus inter Deum populúmque pangit: tum omnibus constitutis quæ ad rempub. administrandam se absente pertinebant, solus evocatur ad Deum, apud quem quadraginta dies noctésque manet.

1 Edixit autem Moschi, [1] ascende [a] versus Jehovam tu & Aharon, Nadab & Abihu, & septuaginta e Senioribus Jisraëlis: & incurvantes vos e longinquo honorem exhibete.

2 Deinde accedet Mosche solus ad Jehovam, isti verò ne accedunto: populus quoque [3] ne ascendunto cum eo.

3 Veniens ergo Mosche quum enarravisset populo omnia verba Jehovæ & omnia [4] illa jura: respondit populus una voce, dixerúntq;, [5] omnia hæc verba quæ edixit Jehova faciemus:

4 Itaque scripsit Mosche omnia verba Jehovæ, & surgens mane exstruxit [6] altare sub ipso monte; & duodecim statuas pro duodecim tribubus Jisraëlis.

5 Posteà misit [7] pueros filiorum Jisraëlis, qui obtulerunt [8] holocausta, & sacrificaverunt sacrificia eucharistica Jehovæ, juvencos.

6 Et accipiens Mosche dimidium sanguinis illorum, posuit in crateribus: dimidium verò sanguinis sparsit super [9] altare illud.

7 Quúmque acceptum [10] librum illum federis legisset [a] audiente populo; & dixissent *illi*, quicquid edixerit Jehova, faciemus & auscultabimus:

8 Accipiens Mosche [11] reliquum sanguinem, sparsit [12] super ipsum populum: ac dixit, ecce [13] sanguis illius federis quod pepigit Jehova vobiscum, secundùm [14] omnia verba hæc.

9 Deinde ascēdit Mosche & Aharon, Nabab & Abihu, & septuaginta e senioribus Jisraëlis,

10 Aspexerúntque [15] Deum Jisraëlis; & sub pedibus ejus velut opus [b] pavimentatum sapphiro, & velut corpus ipsum cæli nitore.

11 Tamen in [16] selectos filiorum Jisraëlis [17] non extendit manum suam: sed postquam intuiti essent Deum ipsum, [18] comederunt & biberunt.

12 Tum edixit Jehova Moschi, ascende ad me in hunc montem, & [19] esto ibi; & dabo tibi tabulas lapideas, id est, legem ac præcepta quæ scripsi ad docendum eos.

13 Quare surrexit Mosche [20] cum Jehoschuha ministro suo, & ascendit Mosche ad montem Dei:

14 Senioribus autem illis edixit, [c] sedentes [21] nos *exspectate* hîc, usque dum revertamur ad vos: ecce autem Aharon & Chur vobiscum, [d] qui habebit [22] aliquid dicendum, accedat eos.

[1] sub. postquàm superiora jura populo proposueris, & audito ejus consensu fedus cum eis meo nomine pepigeris: quæ narrantur infrà a ℣.3. ad 9. nam idem mandatum repetitur infr. ℣.12. [a] nam illis deinde subsistendū erat, infr. ℣.14. [3] in castris manento. [4] comprehensa superioribus 4. capitibus. [5] ut sup. 19.8. & infr. ℣. 7. nondū enim noverant τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου. [6] partium fedus inter se ineuntium signa: sic Gen. 31.45. [7] administros, primogenitos Jisraëlitarum, qui ante sacerdotium institutū fuerunt sacrorū administri & ad Deum pertinuerunt, sup. 13. 2. vide sup. in 19.22. [8] prius expiatoria, deinde eucharistica. [9] quod Deum repræsentabat fedus cum populo ineuntem, ut modò dictum est in vers. 4. [10] in quo continebantur promissiones Dei, & stipulationes sive leges per quas populus officii sui erga Deum ex federe monebatur: de quo supr. ℣.4. [a] *Heb. in auribus populi.* [11] servatum in crateribus, ℣.6.

[12] id est, duodecim illas statuas repræsentantes duodecim tribus Jisraëlis, de quibus supr. ℣.4. aut etiam super Seniores populi, qui propterea manus sacrificiis jubentur loco populi imponere passim, ut Levit. 4.15. & Deut. 21.2. metonymia: nam singulos e populo sanguine aspergi nimis laboriosum fuisset Moschi, neque sanguis ipse ad tantam multitudinem aspergendam potuisset sufficere. [13] signum veteris federis, adumbrans sanguinem Christi quo sancitum est novum, Luc. 22.20. Marc. 14.24. [14] conditiones a Deo propositas, & a vobis acceptas. [15] signa præsentiæ ejus, de quibus ℣.15. & 16. synecdoche. [b] *Heb structuræ lapideæ sapphiri.* [16] quos Deos seorsim adduci jusserat, supr. ℣.1. & 9. [17] non affecit eos ullo malo, quia non temerè, sed Dei jussu accesserant. [18] vivi & incolumes manserunt: quam incolumitatem his vitæ actionibus exprimit Mosche synecdochicè: simile vide Gen. 16.13. [19] maneto, donec te propiùs vocem, infr. ℣.16. [20] qui exspectans Moschen ulteriùs substitit, ut docetur infr. 32.17. [c] *Heb sedete nobis hîc.* [21] me & Jehoschuham. [d] *Hebr. qui dominus verborum erit.* [22] sive consilio, sive litis diremtione opus sit.

15 Et ascendit Mosche montem illum (operiebat autem nubes montem illum,

16 Habitabat enim gloria Jehovæ in monte Sinai) & operuit eum nubes illa sex diebus: postea [23] inclamavit Moschen die septimo e medio ipsius nubis.

17 [e] Species autem gloriæ Jehovæ *erat* tamquam ignis consumens in summitate illius montis; [24] ante oculos filiorum Jisraëlis.

18 Ita ingressus Mosche in medium ipsius nubis ascendit montem: [25] fuitque Mosche in ipso monte quadraginta dies & quadraginta noctes.

[23] ut solus veniret, suprà vers. 2. nam Jehoschuha posteà non aderat Moschi, quum Jehova alloqueretur eum, ut apparet infrà ex 32.17.
[e] *Heb. visum, vel aspectus.*
[24] qui in castris manserant: non enim videbant illam speciem, quam visam fuisse legimus ab iis qui cum Mosche ascenderant, suprà ✠.10.
[25] cibum non comedens, nec aquam bibens, ut ipse docet verbis evidentissimis, Deut.9.9.

CAPUT XXV.

Deus Moschen jubet Jisraëlitis indicere materias sponte ab ipsis offerendas, ex quibus sibi tabernaculum exstruatur, ut ibi visibili symbolo præsentiæ suæ habitet: & arcæ, mensæ, lychnuchi cum instrumentis suis materiam, mensuram, & formam describit.

1 TUm alloquutus est Jehova Moschen dicendo,

2 Edic filiis Jisraëlis, ut accipientes [a] *offerant* mihi oblationem: ab omni viro cujus [b] animus sponte moverit eum, [1] accipite oblationem [c] mihi.

3 Hæc autem *est* oblatio illa, quam accipietis ab eis: aurum, & argentum, & æs;

4 Et [d] hyacinthina, & purpurea, & coccinea dibapha, [2] & linum xylinum, & *lana* capratum;

5 Pelles etiam arietum rubefactæ, & pelles melium, & [3] ligna cedrorum lectissimarum:

6 Oleum ad [4] luminare; odoramenta ad [5] oleum unctionis, & ad [6] suffitum aromata,

7 Lapides [7] sardonyches & lapides [8] insitivi; pro [9] amiculo, & pro pectorali sacro:

8 Ut faciant mihi [10] sacrarium, & habitem inter eos.

9 Omnino prout ostendo [11] tibi structuram ipsius tabernaculi, & structuram omnium instrumentorum ejus; sic ergo curate fieri.

10 PRIMUM facturi sunt arcam e lignis cedrorum lectissimarum; longitudine sua duûm cubitorum cum dimidio, & sesquicubiti latitudine sua, similitérque sesquicubiti altitudine sua.

11 Et obducens eam auro puro, intrinsecus & extrinsecus obduces eam: faciésque super eam [12] [e] limbum aureum circumquaque.

12 Et fundens ei quatuor annulos aureos, indes *eos* quatuor impagibus ejus; ut duo annuli sint in latere ejus uno; & duo annuli in latere ejus altero.

13 Facies quoque vectes e lignis cedrorum lectissimarum, & obduces eos auro:

14 Et induces vectes illos in annulos ad latera illius arcæ, ad ferendum eis arcam illam.

15 In annulis illius arcæ [13] sunto vectes illi, ne [f] amoventor inde.

16 Deinde collocabis in ea arca; [14] testimonium ipsum quod daturus sum tibi;

17 Faciésque [15] operculum propitiatorium *ex* auro puro, duorum cubitorum cum dimidio longitudine sua, & sesquicubiti latitudine sua.

18 Et facies duos [16] Cerubinos aureos; [17] continente opere facito eos, e duabus extremitatibus operculi ipsius propitiatorii.

19 Fac autem Cerubinum unum ex extremitate *una* hinc, & Cerubinum alterum ex *altera* extremitate inde: ex operculo propitiatorio facitote Cerubinos in duabus extremitatibus ejus.

20 Sintque Cerubini illi passis alis suis sursum versus, obtegentes alis suis operculum illud propitiatorium, & faciebus suis obversis [g] unius ad alterum: [18] versus ipsum operculum propitiatorium sunto facies Cerubinorum.

21 Impones autem operculum hoc propitiatorium arcæ ipsi [19] supernè, [20] postquàm in arca posueris testimonium illud quod daturus sum tibi:

22 Ubi conveniam tecum; & [21] loquar tecum e superiore parte operculi propitiatorii, e medio duorum Cerubinorum qui *erunt* super arcam illam testimonii: quæcunque præcepero tibi *referenda* filiis Jisraëlis.

23 ITEM facies mensam e lignis cedrorum lectissimarum; duûm cubitorum longitudine sua, & unius cubiti latitudine sua, & sesquicubiti altitudine sua.

24 Et obduces eam auro puro, faciésque ei limbum aureum circumquaque.

25 Facies quoque [22] ei tæniam palmarem circumquaque; & facies [23] limbum aureum ad tæniam ejus circumquaque.

26 Tum facies ei quatuor annulos aureos; quos indes quatuor ejus angulis, qui *erunt* in quatuor pedibus ejus.

27 [24] E regione illius tæniæ sunto ipsi annuli, [h] ut sint sedes vectibus ad portandum arcam.

28 Facies autem vectes istos e lignis cedrorum lectissimarum, quos obduces auro; ut portetur eis hæc mensa.

29 Præterea facies [25] scutulas ejus, & [26] acerras ejus, & [27] scutellas ejus, & [28] scopulas ejus, quibus [29] tegetur; ex auro, *inquam*, puro facies illas.

30 Et [30] impones huic mensæ panem [31] faciei, ante faciem meam jugiter.

31 ITEM facies lychnuchum *ex* auro puro: opere [32] continente fiat lychnuchus ille, scapus ejus, & rami ejus, lances ejus, mala oblonga ejus, & [33] calyculi ejus ex eo sunto.

32 Sex autem rami egredientes *sunto* e lateribus ejus; tres rami lychnuchi e latere ejus uno, & tres rami lychnuchi e latere ejus altero.

33 Tres lances, speciem amygdalæ referentia in uno ramo *sunto* malum oblongum & calyculus; & tres lances, speciem amygdalæ referentia in uno ramo malum oblongum & calyculus: sic *esto* sex illis ramis prodituris e [34] lychnucho ipso.

34 In ipso verò lychnucho quatuor *sunto* lances; amygdalæ speciem referentibus malis oblongis [35] ejus, & calyculis ejus:

35 Malum autem oblongum sub duobus ramis ex eo *prodeuntibus*, & malum oblongum sub

[a] *Eclipsis verbi conjugati, quam peregrina constructio indicat: sic infrà 27.20. & sup. 18.12. & Genes. 12.12. & 43.33. & 34.*
[b] *Heb. cor.*
[1] tu & quos nominavi tibi suprà 24.1.
[c] *Heb. meam.*
[d] *Heb. hyacinthi, & purpuræ, & vermis dibaphi: abstracta pro concretis.*
[2] vulgò byssum: sed alia est byssi apud Hebræos appellatio: quamobrem nos ita vertimus adducti verbis Herodoti lib.1. & Plinii lib.18. natur. hist. cap.1.
[3] genus cedri, fortassis proprium illius regionis: nam nusquã alibi quàm in hac historia, & Deut. 10.3. legitur. ξύλα ἄσηπτα vertit Epiphanius κατὰ ἀποσυλικῶν. semel singulare nomen legitur Jeschah. 41.19.
[4] lychnuchi, de quo infrà vers. 37. & 27.20.
[5] de quo infrà 30.23.
[6] de quo infrà 30.34.
[7] vide Genes. 2.12. [8] gemmæ insitivæ, de quibus infrà 28.17. [9] Vestibus sacerdotalibus, de quibus infrà 28. [10] tabernaculum Deo sacrum. [11] id est, ante oculos tuos, non autem per somnium; ut docetur infrà vers. 40. & Hebr. 8.5. [12] ab exteriore parte, quo tegatur operculi propitiatorii cum arca commissura, ut apparet ex comparatione vers. 17. [e] *vel loricam auream.* [13] id est, manento, ut suprà 24.12. vide in 1. Reg. 8.8. [f] *Hebr. recedunto.* [14] tabulas lapideas cum decem præceptis, ut suprà 16.35. quæ infrà 31.18. & 32.15. dicuntur tabulæ testimonii.

[15] Verbum primitivum duo significat, expiare & illinere sive linimento tegere: quare nos duas significationes unà conjunximus.
[16] absolutè humanas, sed alatas imagines: vide in Genes. 3.24. vestitos autem pingimus, ex lege suprà 20.26.
[17] non exemtilibus mobilibusve partibus, sed firmiter cohærentibus: sic infrà vers. 31. & 36.
[g] *Hebr. viri ad fratrem suum.*
[18] id est, vultu operculum versus demisso.
[19] non suprà elatum, sed inditum in os arcæ.
[20] non enim postea licebat eam aperire: ideóq; antequàm operculum fieri juberet, testimonium in arca poni jussit, sup. ✠.16.
[21] vide Num. 7.89.
[22] summitati pedum ejus, quo amota mensa pedes cohærerent.
[23] sub mensa, ne vacillaret ea aut de trapezophoro depelleretur.
[24] proximè infra fasciam.
[h] *Heb. pro domibus vectibus.*
[25] formandis panibus, ut essent magnitudine formáq; similes, totidẽ numero quot panes: vide Levit. 24.5.
[26] thuris conceptacula, quæ veteres acceptharias dicebant, ut cum thure panibus singulis imponerentur, Lev. 24.7.
[27] scutularum tegmina, quibus circumcludebantur panes ut servarentur puri: unde Num. 4.7. vocantur scutellæ tegminis: atque ita exponit R. Jehuda antiquissimus Hebræorũ scriptor.
[28] repurgandæ mensæ instrumenta, ut docet etymon. [29] i. insternetur mensa. [30] quovis sabbatho recentes, Levit. 24.8. [31] non quòd faciem haberent; sed quia ante faciem Dei erant, ut sequẽtia explicant. [32] ut sup. ✠.18. [33] vox Hebræa cõmuniter significat calathos, calyculos, & alabastros, sive flores apertos, semiapertos, vel clausos: sed ita reddimus, quia amygdalina specie fuisse dicuntur infrà ✠.33. [34] lychnuchi scapo, ut seq. ✠. synecdoche. [35] nimirum lychnuchi, quasi dicat, ramorũ & scapi summitas formã eãdem esto.

duobus

duobus ramis ex eo *prodeuntibus*, & malum ob-
longum sub duobus ramis ex eo *prodeuntibus*; *ni-
mirum* sub sex illis ramis prodituris ex lychnucho
ipso.
36 Mala oblonga [h] ramorum, & rami eorum
ex eo sunto: totus *esto* continentis operis ejus-
dem, *ex* auro puro.
37 Facies item lucernas ejus septem; ut [36] ac-
cendat *sacerdos* lucernas ejus, ad lucem præben-
dum [i] ab omni parte ejus:
38 Et [37] forcipes ejus, & [38] trullas ejus *ex* auro
puro.
39 [39] Talento auri puri faciat illum, cum om-
nibus instrumentis istis.
40 Vide igitur, & fac: ex [40] structura istorum, [k]
quæ tibi exhibita est videnda in hoc monte.

[h] *Heb. eorum.* [36] hæc propria est verbi significatio quum de lumine agitur, ut Num. 1.2. & 3. Nominativum autem hoc loco addimus ex ipso Mosche inf. 27. 21. & Levit. 24. 3. [i] *Heb. ad transitum faciei ejus, id est, ultra citráq; se.* [37] instrumenta ad emungendas lucernas. [38] instrumenta ad purgandum lucernas a decidentibus sordibus. [39] sacro, quod duplo majus erat communi: continebat enim 120. libras, commune tantùm sexaginta. Libram autem auri si æstimes, ut ferè fit, coronatis aureis 100. erit summa lychnuchi & instrumentorum ejus, 12000. coronatorum. [40] id est, typum sive formam oculis Moschis a Deo monstratam imitare, cujus structuræ vel formæ hoc Moschis opus fuit *ἀντίτυπον*, ut docet Apostolus Heb. 8. 5. & 9. 24. [k] *Heb. quam factum est ut tu videres, ut infrà 26. 30.*

CAPUT XXVI.

Tabernaculi, tentorii, operimenti ejus, & tabulati ad ea sustentanda ratio præscribitur: mandatúrque Moschi, ut sacratiorem partem velo ante arcam appenso ab altera tabernaculi parte separet: in hac verò mensam ad Septemtrionale latus, & lychnuchum ad Meridianum disponat.

1 IPsum verò tabernaculum facito decem au-
læorum; *e* xylino [a] internexo, & hyacin-
thino, & purpureo, & coccineo dibapho, [b] Cheru-
binis *referta* opere [1] artificiosissimo facito ea.
2 Longitudo aulæi unius cujusq; vicenûm oc-
tonûm cubitorum, & latitudo quaternûm cubito-
rum, cujusque aulæi: mensura eadem omnibus
his aulæis *esto*.
3 Quinque aulæa sunto [2] conjuncta [c] unum ad
alterum, & quinque aulæa conjuncta unum ad
alterum.
4 Facies itaque loramenta hyacinthina in ora
aulæi primi [3] ad extremitatem in commissura: &
similiter facies in ora cujusvis aulæi ulteriore in
commissura secunda.
5 Quinquaginta loramenta facito in aulæo
primo; & quinquagena loramenta facito in ex-
tremitate cujusque aulæi, quæ *est* in commissu-
ra secunda: continentia hæc loramenta unum
aulæum cum altero.
6 Et facies quinquaginta ansulas aureas: ut
conjungas aulæa illa alterum alteri *inditis lora-
mentis* in ansulas illorum, & [4] sit ipsum tabernacu-
lum unum.
7 DEINDE facies aulæa *e lana* caprina; *ut sint*
pro tentorio super tabernaculum: undecim au-
læa facito ista,
8 Longitudo aulæi uniuscujusque tricenûm cu-
bitorum, & latitudo quaternûm cubitorum: au-
læi uniuscujusque mensura eadem *esto* undecim
aulæis.

[a] *Heb. contortuplicato, ut loquitur Plautus, i. duobus aut pluribus filis in modum cordæ contortis.* [b] *Heb. Cerubos.* [1] id est, Barbaricario, ut Imperatores vocant, sive (ut prisci Latini loquebantur) biface, id est *διαφανέστερος* & utrinque eamdem speciem referente: quod colligitur ex mediano velo separante sanctum a sancto sanctorum, de quo vers. 31. [2] loramentis & ansulis, de quibus vers. seq. nam exemtilia fuisse ac non consuta ostendit statuendi ea deponendíque cōmoditas, de qua in ℣. 21. in utraque autem compage primum aulæum nullas habebat ansulas, aut postremum loramenta: ita manebant quina aulæa conjuncta, quorum priora priorem, posteriora posteriorem tabernaculi partem efficiebant: neque ansulis & loramentis hæ duæ partes inter se continebantur. sic autē divisa esse oportuit instrumenta tabernaculi, ut consarcinari commodè ac transportari possent: prout legitur Num. 3. & amplius observatum est infrà in ℣. 28. At in stante Repub. regnóve Jisraëlitarum hæc ratio sublata fuit. [c] *Heb. fœmina ad sororem suam: sic deinceps.* [3] id est, in ora secunda aulæi, qua cum secundo erat committendū: quapropter ansulas quibus indita fuerunt loramenta, in ora prima cujusq; aulæi fuisse factas intelligimus ex analogia, in vers. 6. [4] hoc est, ita posterior aulæorum ordo priori admoveatur, ut nullum sit inter duos ordines spacium: quod speciem redderet duorum tabernaculorum.

9 Et [5] conjunges quinque horum aulæorum
seorsim, & sex horum aulæorum seorsim: [6] con-
duplicabísque aulæum sextum e-regione [d] ante-
rioris partis ipsius tentorii.
10 Facies itaque quinquaginta, [7] loramenta ad
oram aulæi primi [8] ulteriorem in ipsa commissu-
ra: & quinquagena loramenta ad oram cujusvis
aulæi commissuræ secundæ.
11 Facies quoque [9] ansulas æreas quinquage-
nas; ut inseras ansulas in loramenta, conjungás-
que ipsum tentorium, ut sit unum.
12 [10] Redundans autem, quod superfluum *erit*
in aulæis tentorii: dimidium illud [11] aulæi quod
superfluum erit, redundato versus posteriorem
partem tabernaculi:
13 Cubitus quoque unus hinc, & cubitus unus
inde, ex eo quod superfluum erit in longitudi-
nem aulæorum ipsius tentorii; esto redundans
ad latera ipsa tabernaculi hinc & inde, [12] ad te-
gendum ipsum.
14 FACIES prætereà [13] tegmen ipsi tentorio
e pellibus arietum rubefactis; & operimentum e
pellibus melium supernè.
15 ITEM facies asseres ipsi tabernaculo; *e* lig-
nis lectissimarum cedrorum [e] arrectarios.
16 Decem cubitorum *esto* longitudo cujusque
asseris; sesquicubiti verò latitudo asseris unius-
cujusque.
17 Duo cardines *sunto* asseri unicuique, [14]
[f] scalari forma compositi, unus cum altero: sic
facito omnibus asseribus istis tabernaculi.
18 Facies autem asseres istos huic tabernacu-
lo: viginti asseres ad plagam Australem dex-
trorsum:
19 Quadraginta verò stylobatas argenteos fa-
cies sub viginti asseribus illis *ponendos*; duos sty-
lobatas sub assere uno [15] ad duos cardines ejus;
& duos stylobatas sub assere altero ad duos car-
dines ejus.
20 Item lateri tabernaculi secundo ad plagam
Aquilonalem, viginti asseres,.
21 Cum quadraginta stylobatis eorum argen-
teis; duobus stylobatis sub assere uno, & duobus
stylobatis sub assere altero.
22 [16] Angulis verò ipsis tabernaculi ad occi-
dentem, facito sex asseres;
23 Prætereà duos asseres facito in antas ipsas
angulares tabernaculi, in utroque angulo:
24 Qui sint [17] gemelliparæ infernè; [18] pari-
térque sint gemelliparæ ad verticem [19] illius, [20]
inditi annulo uno: sic esto duobus illis, *qui* pro
duabus antis angularibus futuri sunt.
25 Sic erunt octo asseres cum stylobatis suis
argenteis, sexdecim stylobatis; duobus stylobatis
sub assere uno, & duobus stylobatis sub assere al-
tero.
26 Facies etiam transtilla e lignis cedrorum
lectissimarum quinque pro asseribus unius late-
ris ipsius tabernaculi,

[5] loramentis & ansulis, ut vers. sequentibus. [6] hoc est, ita imponito tabernaculo hæc secundaria aulæa, ut dimidio ejus (id est, duobus cubitis) quod secundo ordine primum est, contegatur dimidium quinti aulæi quod in prioribus ordinibus tentorii & tabernaculi est ultimum. [d] *Heb. faciei.* [7] non xylina, ut aulæorum præcedentium, sup. vers. 4. sed e lana caprina: quemadmodum ex ansularum analogia, sequente versu cum Augustino colligimus. [8] citerior enim sive prior, qua tabernaculum terminabatur, nullo opus habebat loramento, quia cum nullo erat committenda: vide suprà in vers. 3. [9] collocandas in priore ora cujusque aulæi, demto primo, ut cum proximè antecedente conjungeretur. [10] supra mensuram aulæorum tabernaculi in longitudinem & latitudinē ejus: superabantur enim aulæa tabernaculi ab aulæis tentorii quatuor cubitis sua latitudine in longitudinem tabernaculi, & duobus cubitis sua longitudine in latitudinem ejus. [11] postremi omnium ad posteriorem sive occidentalem partē tabernaculi. [12] nam densitas asserum, transtillorum annulorúmque prominentia, & stylobatæ postulabant ut tentorium quo tegebantur latius esset: quamobrem aulæa ejus aucta sunt duobus cubitis in longitudinem. [13] arietinum inferius, superius verò e pellibus melium: quæ duo fuisse disparata est verisimilius propter eam causam quam attigimus suprà in vers. 3. sic infrà 36. 18. [e] *Hebr. stantes.* [14] æqualiter distantes, ut scalarum gradus æqualibus spatiis inter se distant. [f] *Hebr. denticulati infernè.* [15] excipiendos: nam singuli stylobatæ singula habuerunt cava, in quæ cardines asserum immitterentur. [16] id est, lateri toti ab angulo uno ad alterum: synecdoche. [17] id est, quasi matres tabulæ geminos ex se tabulatorum ordines consocianto, nempe in longitudinem latitudinémque tabernaculi: continebant enim asseres arrectarios tabernaculi utrinque, summitate transtillorum in annulos suos transmissa, totúmque aulæorum pondus sustinebant. [18] æqua & continente forma. [19] nimirum anguli. [20] uno infernè, & uno supernè, in quem insertis suis denticulis tabulæ antariæ constringebantur.

27 Et quinque transtilla pro asseribus secundi
lateris ipsius tabernaculi; & quinque transtilla
pro asseribus lateris ipsius tabernaculi ad utrum-
que angulum *pertingentia* Occidentem versus:
28 Ita ut transtillum medianum *sit* [21] in medio
ipso asserum, transcurrens ab uno extremo ad
alterum.
29 Illos verò asseres obducito auro, annulósq;
eorum facito ex auro, *ut sint* sedes transtillis ip-
sis: obduces quoque ipsa transtilla auro.
30 Sic[22] eriges tabernaculum illud; secundùm
justam constitutionem ejus, [g] quæ tibi exhibita
est videnda in hoc monte.
31 DEINDE facies velum *ex* hyacinthino, &
purpureo, & coccineo dibapho, & xylino inter-
nexo; opere artificiosissimo faciet illud Cerubi-
nis *refertum artifex*.
32 Et [h] appendes hoc ad quatuor columnas e
cedris lectissimis obductas auro, uncis earum
aureis; impositas quatuor stylobatis argenteis:
33 Et collocato hoc velo [23] illarum ansularum
loco; inferes illuc intra hoc velum arcam testi-
monii: ut distinctionem faciat vobis illud velum
inter sanctum [i] & sanctum sanctorum.
34 Indes autem operculum propitiatorium ipsi
arcæ testimonii, in sancto sanctorum:
35 Et pones mensam extra illud velum, & ly-
chnuchũ e-regione ipsius mensę, ad latus unum
tabernaculi versus meridiem, mensam autem
collocabis ad latus Aquilonale.
36 FACIES quoque tegumentum portæ hu-
jus tentorii *ex* hyacinthino, & purpureo & cocci-
neo dibapho, & xylino internexo; opere Phry-
giano.
37 Et facies pro hoc tegumento quinque co-
lumnas *e* cedris lectissimis, [24] quas obduces au-
ro, uncis earum aureis: & fundes illis quinque
stylobatas æneos.

[21] Hebræi omnes quos legere licuit, hoc transtillum per mediam asserum densitatẽ transmissum dicunt: nos contrà ex textu ipso colligimus medium asserum non ratione densitatis, sed longitudinis eorum dici; ut sit sensus, medianũ transtillum annulis immittendum esse, qui precisè in media longitudine asserum sint collocati: alioqui aut spissos in infinitũ asseres fuisse oportet (quod minimè credibile est, cùm gestatorium & ambulatorium hoc tabernaculum fuerit, cujus tota compages ab octo bobus quatuor plaustris vehebatur, Num. 3. 36. & 7. 8.) aut mirum in modum debilitatos, ac planè tanto oneri ferendo impares; neq; verò istud transtillum opus fuisset inaurari, ut vers. 29. præcipitur.
[22] & depones commodè, ut profectionum stationúmque vestrarum postulabit ratio. [g] *ut suprà* 25. 40. [h] *dato, id est ponito*. [23] i. ubi quinque posteriora aulæa (si cum prioribus fuissent conjungenda) ansulas fuissent habitura: ita apparet sanctum sanctorum cœpisse ubi desinebat anterioris tabernaculi longitudo, quæ erat viginti cubitorum. [i] *Heb. & inter sanctum s.* [24] id est, epistylia & zonas earum, infrà 36. 38. Synecdoche.

CAPUT XXVII.

Altare ad sacrificia; atriúmque tabernaculi pars exterior; exstruendum Moschi præscribitur: & de lucernis lychnuchi, quomodo fovendæ, quando & a quibus aptandæ accendendæque sint statuitur.

1 ITem facies altare *e* lignis cedrorum lectis-
simarum: quinq; cubitorum longitudine, &
quinq; cubitorum latitudine, [1] quadratum sit al-
tare illud, & [2] trium cubitorum altitudine sua.
2 Facies autẽ [a] illi cornua super quatuor an-
gulis ejus, [3] ex ipso sunto cornua ejus: & [4] obdu-
ces illud ære.
3 Facies etiã lebetes ejus ad excipiendos ci-
neres ejus, & palas ejus, & crateras ejus, & fusci-
nulas ejus, & forcipes ejus: [b] omnia instrumenta
ejus facito ex ære.
4 Et facies ei [5] cribrũ opus [6] reticulatum ære-
um: faciésq; [7] secundùm illud reticulum quatuor
annulos æreos, in quatuor extremitatibus istius
altaris.

[1] superiore sua area, etsi altitudo aliis duabus mensuris non respondet.
[2] vide sup. in 20. 26. est enim hæc altitudo tanta, ut nemo homo potuisset altari commode sine clivulo ministrare; quum in quaternos cubitos, eósq; communeis, sit justa hominis dimensio.
[a] *Heb. cornua ejus. Enallage forma.* [3] id est, ipsi solidè hærẽto sursum versus, ut ostendit Jechezkel 43. 16. nam ad ea bestiæ sacrificandæ ligabantur, Psal. 118. 27. [4] extrinsecus & intrinsecus, ut nihil lignorum cernatur. [b] *Heb. ad omnia inst. e. facito æs: sic* ℣. 19. [5] e lamina ærea pertusa parvis foraminibus, quibus cinis & sacrificiorum sanguis ad imam altaris partem decideret: quòd si ampliora fuissent foramina, potuissent quoque ligna, carbones, aut carnes eò decidere. [6] foraminosum ut rete: metonymia. [7] hoc est, ad illam altaris altitudinem annulos extrinsecus infigito ad quam cribrum oportet consistere.

5 Et [8] pones illud [9] sub ambitu ipso altaris in-
fernè, ita ut sit reticulum ad medium illius al-
taris.
6 Facies etiã vectes huic altari, vectes e lig-
nis cedrorum lectissimarum: & obduces eos ære:
7 Inducentúrque vectes hujus *altaris* [10] in
annulos: ut sint vectes isti in duobus lateribus il-
lius altaris, quum portabitur.
8 [c] Cavum e tabulis facito illud: quemad-
modum ostendit tibi *Dominus* in hoc monte, *sic*
faciunto.
9 ITEM facies atrium istius tabernaculi: ad
plagam meridianam dextrorsum, tapetes [11] o-
cellatos atrii [12] e xylino internexo, centum cu-
bitorum longitudine, in latus unum;
10 Columnásque ejus viginti, & stylobatas
earum viginti æreos, uncos columnarum & [13]
fascias illarum argenteas:
11 Similiter ad plagam Aquilonalem in lon-
gitudinem, tapetes ocellatos centum *cubitorum*
longitudine; columnas ejus viginti, & stylobatas
earum viginti æreos, uncos columnarum & fas-
cias illarum argenteas:
12 Latitudinis verò ipsius atrii ad plagam
occidentalem, tapetes ocellatos quinquaginta
cubitorum; columnas eorum decem, & styloba-
tas earum decem.
13 Similiter latitudo ejusdem atrii ad plagã
anteriorem Orientem versus, *erit quidem* quin-
quaginta cubitorum:
14 Sed in quindecim cubitos tapetes ocellati
in uno latere *sunto*; columnæ eorum tres, & sty-
lobatæ illarum tres:
15 Similiter in latere altero *in* quindecim *cu-
bitos* tapetes ocellati *sunto*; columnæ eorum tres,
& stylobatæ illarum tres.
16 Denique in porta ipsa atrii tegumentum
esto viginti cubitorum *ex* hyacinthino, & purpu-
reo, & coccineo dibapho, & xylino internexo o-
pere Phrygiano: columnæ eorum quatuor, &
stylobatæ illarum quatuor.
17 Omnes columnę istæ atrii circumquaque
redimitæ fasciis argenteis, unci eorum argentei;
illæ verò & stylobatæ illarum ænei.
18 Longitudo istius atrii centum cubitorum,
& latitudo [d] quinquaginta ex omni parte, altitu-
do verò quinq; cubitorum, [14] e xylino internexo:
columnæ verò, & stylobatæ illarum ænei.
19 Omnia instrumenta ipsius tabernaculi [15]
ad totum ministerium ejus; tum omnes paxilli
ejus, tum omnes paxilli ipsius atrii, ex ære *sunto*.
20 ITEM tu præcipito filiis Jisraëlis, ut acci-
pientes *afferant* ad te oleum olivæ purum, [16] tu-
sum, pro luminari, ad accendendum [17] lucernam
[e] quotidie.
21 In tentorio conventus extra illud velum,
quod *erit* versus ipsum testimoniũ, aptato illam
Aharon aut filii ejus, *ut luceat* a vespera usq; ma-
nè coram Jehova: statutum perpetuum *esto* ge-
nerationibus eorum, a filiis Jisraëlis [18] *obser-
vandum*.

[8] in cavo altaris.
[9] hoc est, intra quadratum illũ altaris ambitum qui definitus est sup. vers. 1. ita ut ambitus omni ex parte cribrũ supertegat.
[10] de quibus suprà ℣. 4. nam his extrinsecus indebantur vectes, horum verò ancones ærei in altare inditi cribrũ reticulatum intus sustinebant.
[c] *Heb. cavum tabularum, id est, tabulatum farctura vacuũ.*
[11] textu, ac non pictura tantùm.
[12] unicolores.
[13] i. omnes orbes ac velut cingula quibus erant columnæ atrii velut redimitæ, iisque tapetes alligabantur.
[d] *Heb. quinquaginta in quinquaginta.*
[14] si faciem exteriorem spectes, ubi continui tapetes apparebant: nam columnæ intus erant, pondus taperum sustinentes.
[15] erigendi & deponendi, ut sunt clavi, mallei, forcipes, ligones.
[16] tudicula, ut sit purius, non prælo expressum: nam ut prima unda præli est laudatissima, sic primam undam præli superat ea quæ tudiculis solùm extunditur.
[17] id est, lychnuchum instructum lucernis suis.
[e] *Heb. jugiter: etsi tantum a vespere ad mane accensas mansisse constat ex 30. 8. inf. & Levit. 24. 3. & 1. Schem. 3. 3. Catachresis.*
[18] nimirum ut ab his accendatur, ab illis verò oleum subministretur: nam hoc (ut alia ministeria quæ extra sanctum sanctorum obibantur) non solius Aharonis, sed etiam filiorum erat; quamobrem indefinitè suprà 25. 37. lucernas accendi jussit.

CAPUT XXVIII.

Deus sacerdotum ornamenta præscribit: pro Aharone quidem, amiculũ, pectorale continens Urim & Tummim, pallium, bracteam coronariam, & cidarin; pro filiis, tiaras; pro utrisq; verò tunicas, baltheos, & femoralia: quibus illi suo munere in sancto loco functuri induantur.

TU

1 TU autem jube accedere ad te Aharonem fratrem tuum cum filiis suis secum, e medio filiorum Jisraëlis, ut sacerdotio fungatur mihi; Aharoné, Nadabum, & Abihu, Elhazarem, & Ithamarem filios Aharonis:

2 Ut facias vestes [a] sacras Aharoni fratri tuo, ad gloriam & ad ornatum.

3 Quapropter tu edicito omnibus [1] [b] industriis, cujuscunque replevero animum spiritu sapientiæ; ut faciant vestes Aharonis, ad consecrandum eum quò sacerdotio fungatur mihi.

4 Hæ autem *sunt* illæ vestes quas facturi sunt, pectorale sacrum, & amiculum, & pallium, & tunica [c] tessellata, cidaris, & baltheus: facturi sunt inquam *has* vestes sacras Aharoni fratri tuo & filiis ejus, ut *quisq; eorũ* sacerdotio fungatur mihi.

5 Ideóque [2] illi accipiunto [3] aurum illud, & hyacinthina, & purpurea, & coccinea dibapha, & *nativum* illud xylinum.

6 PRIMÙM facturi sunt [4] amiculum illud; *ex* auro, hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo, opere artificiosissimo.

7 Duo [5] humeralia conjungentia sunto illi in [6] duabus extremitatibus, quibus conjungatur.

8 [7] Cingula quoque amictus ejus [8] quæ in ipso *erit*, prout opus ejus fuerit, ex ipso esto; *ex* auro, hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo.

9 Tum accipiens duos lapides Sardonychas, insculpes eis nomina filiorum Jisraëlis.

10 Sex e nominibus eorum uno istorum lapidum; & nomina illa sex quæ supererint, istorum lapidum altero, [d] prout illi nati sunt.

11 Opere artificis lapidarii; [9] sculpturis *tanquam* sigilli [e] insculpes duobus istis lapidibus nomina filiorum Jisraëlis: circumclusos fundis aureis aptato illos.

12 Et impones duos istos lapides humeralibus illius amiculi, lapides monimenti pro filiis Jisraëlis, ut portet Aharon nomina eorum coram Jehova super duos humeros suos in monimentum.

13 Facies itaque fundas ex auro.

14 Et duas catenas auri puri æquabiles facere curabis illos opere tortili: apponésque illas catenas tortiles ad fundas.

15 ITEM facies sacrũ [10] pectorale juris opere artificiosissimo, sicut opus amiculi facito illud: *ex* auro, hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo facito illud.

16 Quadratum esto, duplicatum: spithamæ unius longitudine sua, & spithamæ unius latitudine sua.

17 Et inseres ei [f] insitivos lapides, lapides ordinibus quatuor: ORDO, pyropus, topazius, & smaragdus, hic ordo primus.

18 Hic autem ordo secundus, chrysoprasus, sapphyrus, & adamas.

19 Et hic ordo tertius, cyanus, & achates, & amethystus:

20 Hic denique quartus ordo, beryllus thalassius, & sardius, & jaspis: impacti fundis aureis sunto insitionibus suis.

21 Hi autem lapides sunto cum nominibus filiorum Jisraëlis duodecim, secundùm nomina eorum: sculpturis *tanquam* sigilli secundum cujusque nomen sunto pro duodecim tribubus.

22 Et aptabis ad illud pectorale sacrum catenas [g] æquabiles, opere tortili; *ex* auro puro:

23 Factísq; pro illo sacro pectorali duobus annulis aureis; pones duos illos annulos in duabus extremitatibus pectoralis illius sacri.

24 Tunc indes duas illas *catenas* tortiles aureas duobus istis annulis, in extremitatibus pectoralis illius sacri:

25 Duas verò alias extremitates illarum duarum tortilium *catenarum* indes duabus illis fundis; apponésque humeralibus ipsis amiculi, versus anteriorem partem [11] ejus.

26 Facies quoque duos annulos aureos, & indes eos [12] duabus extremitatibus illius sacri pectoralis; [13] intrinsecus, in ora ejus quæ *erit* secus amiculum.

27 Similiter facies duos annulos aureos; quos indes duobus [14] humeralibus ipsius amiculi infernè, versus anteriorem partem ejus, e regione *alterius* commissuræ ejus: [15] a superiore parte cingulæ ipsius amiculi.

28 Ita attollunto pectorale illud sacrum annulis suis ad annulos illos amiculi vitta hyacinthina, ut incumbat ipsi cingulæ amiculi; neq; separator pectorale hoc sacrum ab illo amiculo:

29 Ut portet Aharon nomina filiorum Jisraëlis in sacro illo pectorali juris supra cor suum, quum ingredietur in sanctum; in monimentum coram Jehova jugiter:

30 Deinde pones in sacro illo pectorali juris [16] Urim & Tummim, quæ sint supra cor Aharonis quum ingredietur coram Jehova: sic portabit Aharon jus filiorum Jisraëlis supra cor suum coram Jehova jugiter:

31 ITEM facies [17] pallium ipsius amiculi, totum hyacinthinum:

32 [18] In cujus medio [19] sit [h] os *transmittendo* capiti ejus: limbus esto ori illius circumquaque opere [i] textili, velut os loricæ esto illi, ne laceretur.

33 Et facies in fimbriis ejus malogranata hyacinthina, & purpurea, & coccinea dibapha, in fimbriis ejus circumquaque; & tintinnabula aurea inter illa circumquaque:

34 Tintinnabulum aureum, deinde malogranatum, tintinnabulum aureum, deinde malogranatum; in fimbriis illius pallii circumquaque.

35 Hoc erit super Aharonem quum ministrabit: [20] ut audiatur sonus ejus, [21] quum ingredietur ipsum sanctum coram Jehova, & quum egredietur, neque moriatur.

36 ITEM facies bracteam ex auro puro: & insculpes ei sculpturis *tanquam* sigilli SANCTITAS JEHOVAE.

37 Quam appones cum vitta hyacinthina, ita ut sit super ipsam cidarin: e regione anterioris partis ipsius cidaris esto.

38 Sic erit super frontem Aharonis; ut [22] auferat Aharon iniquitatem rerum sacrarum quas consecraverint filii Jisraëlis, omnium domorum, rerum consecratarum ab illis: erit inquam super frontem illius jugiter, [k] ut sit benevolentia erga illos coram Jehova.

39 ITEM tessellatam facies tunicam illam e xylino, faciésq; cidarin e xylino: baltheum verò

[a] *Heb. sanctitatis: sic deinceps.*
[1] de quibus vide infrà 31.3.
[b] *Hebr. sapientibus corde, quorum replevero illud spiritu sap.*
[c] *Heb. tessella.*
[2] industrii artifices, de quibus vers. 3.
[3] id est, de auro illo synecdochicè: nempe ut hæc quoque sacerdotalia ornamenta ex eo, præter superiora faciant.
[4] ornamentum humerale a lumbis ad summos humeros pertingens, summi Sacerdotis tãtum; quatuor alas in quatuor extremitatibus habens: quarum superiores super humeros flexæ pectorale catenulis aureis sustinebant, inferiores verò ad latera Sacerdotis flexæ per annulos inferiori pectoralis parti conjungebantur. Confer hæc cum cap. 39. infr.
[5] id est, superiores alæ sive cingula.
[6] dextera & sinistra.
[7] id est, inferiores alæ.
[8] discretionis causa, ne hæ cingulæ pro baltheo accipiantur: erat enim baltheus separatus, istæ verò amiculo continentes.
[d] *Heb. secundum nativitates illorum.*
[9] id est, cujusmodi cælaturis signatorii annuli sculpi solent.
[e] *Heb. insculpito duos lapides illos super nomina, &c. Hypallage.*
[10] hæc veluti anterior pars amiculi, qua sacerdotis pectus tegebatur, quatuor annulis aureis ex quatuor suis angulis vitta hyacinthina alis amiculi (de quibus suprà) alligabatur: juris autem dicitur, quia eo induebatur summus Sacerdos consulentibus Deum de jure responsurus, Numer. 27. 21. Hezræ 2. 62. & Nechemjæ 7. 65.
[f] *Hebr. implementum lapidum.* [g] *Heb. æquabilitatis.*

[11] summi Sacerdotis, cujus tegebat pectus.
[12] nimirum inferioribus.
[13] in posteriore pectoralis parte, ut commissura annulorum lateret sub angulis ejus, & pectorale insideret cingulis amiculi, quoties constringebantur: infrà vers. 28.
[14] id est, παραμασχαλίοις, subaxillaribus, duabus cingulis inferioribus, quæ etiam humerales dicuntur & a Trebellio Pollione in D. Claudio vocantur subarmalia: catachresis.
[15] nam ita commodiùs sub interiore pectoralis parte vitta constringebatur, cùm extremitas cingulæ ei subjiceretur ut superiore versu.
[16] quæ & qualia fuerint non constat: Certum autem est non numerari inter ea quæ artificibus commissa sunt facienda, sed Moschi soli a Deo data ut ea sacro pectorali inderet: prout fecisse legimus Levit. 8. 8. ac propterea fortasse supra vers. 16. jussit Deus pectorale fieri duplicatum, ut Urim & Tummim intus reponerentur, & ab utraque parte laterent.
[17] cui immediatè amiculum imponebatur.
[18] tam longitudinis quàm latitudinis, ut æquè penderet ab anteriore & posteriore parte: erat autem a lateribus apertum, & sine manicis.
[19] in quod indito capite pallium humeris imponitur. Hoc autem prisci Latini vocabant luram, Græci περιστόμιον: hi, quia nihil aliud est quàm os & apertura ambiens id quod intromittitur: illi verò, quia loro aliquo plurimùm circumstringi apertura ejusmodi & firmari solet, ut hoc in versu dicitur. [h] *Hebr. ut capitis.* [i] *Hebr. textoris.* [20] pulsante ea crurum motu, nam eousque protendebatur pallium. [21] id est, quum administrabit, & munere suo fungetur, ut Numer. 27. 17. Deuter. 31. 2. & 1. Chron. 27. 1. & 2. Chron. 1. 10. Act. 1. 21. [22] non in persona sua, sed in summo Pontifice Christo, quem typicè referebat: notantur enim hic duo beneficia solius Christi, remissio peccatorum, & reconciliatio æternáque benevolentia, quæ vers. eodem subjicitur. [k] *Heb. in benevolentiam.*

facito

facito opere Phrygiano.

40 Filiis autem Aharonis facies [23] tunicas,& facies eis baltheos : tiaras quoque facies eis ad gloriam & ad ornatum.

41 Deinde indues illis Aharonem fratrem tuum & filios ejus cum eo: & ungens eos [l] consecrabis ministerium eorum, ac sanctificabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi.

42 Fac quoque eis femoralia linea [24] ad tegendum [m] carnem nudam : a lumbis usque ad *ima* femina sunto.

43 Hæc erunt super Aharonem & super filios ejus, quum ingredientur tentorium conventus, aut quum accedent ipsum altare ad ministrandum in sancto, ne ferentes [n] iniquitatis pœnam moriantur,statuto [25] [o] perpetuo ei & semini ejus post eum.

CAPUT XXIX.

Deus legem de consecratione sacerdotum, & portione eis eroganda ex eucharisticis Jisraëlitarum sancit. Jugia sacrificia matutina vespertinaque instituit : & sua præsentia se populum, locum, ministros, & cultum sanctificaturum pollicetur.

1 Hoc autem illud *est* quod facies eis, sanctificando eos ut sacerdotio fungantur mihi: accipe juvencum unum [a] subrumum & arietes duos [1] integros:

2 Et [2] panes azymos, collyráque azymas mistas oleo, & lagana azyma uncta oleo ; *e* simila tritici facito ea.

3 Positísq; iis in canistro uno, admovebis ea in ipso canistro; cum juvenco illo & duobus arietibus.

4 Tum jubebis Aharonē & filios ejus accedere ad portā tentorii cōventus; & lavabis eos [3] aqua.

5 Deinde accipiens vestimenta [4] illa indues Aharonem tunica, & pallio amiculi, amiculóque, ac pectorali sacro; quę accinges per cingulum amiculi:

6 Et imposita cidari capiti ejus; aptabis [5] coronamentum sanctum super illam cidarin:

7 Acceptúmque [6] oleum unctionis fundes super caput ejus: sic unxeris eum.

8 Posteà filios ejus jubens accedere, indues eos tunicis :

9 Et cingens eos baltheo, Aharonem & filios ejus, [7] alligabis [8] eis tiaras, ut sit eis sacerdotium decreto perpetuo: sic [b] consecraveris ministerium Aharonis & ministerium filiorum ejus.

10 Tum admovebis juvencum illum ante tentorium conventus ; [10] nitente Aharone & filiis ejus manibus suis super caput illius juvenci :

11 Et jugulabis juvencum illum coram Jehova, *ad* ostium tentorii conventus.

12 Deinde accipiens de sanguine illius juvēci, impones cornibus altaris digito tuo: totū autem reliquum sanguinem effundito versus fundamentum altaris.

13 Accipiens quoque totum adipem qui operit intestina ; & reticulum *quod est* super jecur, ambósque renes ejus, & adipem qui *erit* super illos; adolebis super illud altare.

14 Carnem verò illius juvenci, & pellem ejus, fimúmque ejus igne comburito extra castra: [11] [c] oblatio est pro peccato.

15 Posteà arietum illorum unum accipito ; super caput cujus arietis nitentur Aharon & filii ejus manibus suis:

16 Jugulatóque ariete isto ; accipiens sanguinem ejus insperges altari circumquaque :

17 Arietem verò ipsum divides in membra sua; qúumque laveris intestina ejus & crura ejus, appones membris ejus & capiti ejus.

18 Sic adolebis arietem istum totum in ipso altari, [12] holocaustum est Jehovæ: odor [d] gratus, igne absumendum sacrificium Jehovę est.

19 Accipies quoque arietem illorum alterum, nitente Aharone & filiis ejus manibus suis super caput illius arietis :

20 Jugulatóq; ariete isto, accipiens sanguinem ejus impones infimæ auriculę Aharonis, & infimę auriculę filiorum ejus dexteræ, & pollici manus eorum dexterę, pollicique pedis eorum dexteri: insperges verò reliquum sanguinem altari ipsi circumquaque.

21 Tum accipiens de illo sanguine qui *erit* super altare & de oleo illo unctionis; insperges Aharonem & vestimenta ejus, filiósque ejus & vestimenta filiorum ejus cum eo ; ita sanctus erit ipse vestimentáque ejus, atque filii ejus & vestimenta filiorum ejus cum eo.

22 Deinde accipiens ex isto ariete adipem cum cauda, adipem quoque tegentem intestina, & reticulum jecoris, ambósque renes, & adipem qui *erit* super eos, & armum dexterum (nam [13] aries [e] consecrationum est)

23 [14] Tractam quoq; panis unam, & collyram panis oleosi unam, laganúmque unum; ex canistro illo azymorum quod erit coram Jehova :

24 Impones hæc omnia manibus Aharonis, manibúsque filiorum ejus; [15] & agitabis illa agitatione coram Jehova.

25 Posteà accipiens illa e manu eorum, adolebis in ipso altari super holocaustum ; in odorem gratum coram Jehova, sacrificium est igne absumendum Jehovæ.

26 Accipiens verò pectus ipsum ex ariete consecrationum qui *erit* pro Aharone, quum agitaveris illud agitatione coram Jehova ; [16] tibi in partem cessurum est.

27 Sic ubi sanctificaveris pectus illud agitationis [17] armúmq; [18] elationis, quod agitatur, & qui elevatur ex ariete consecrationū, ex *eo qui fuerit* pro Aharone, & ex *iis* qui *fuerint* pro filiis ejus:

28 Utrumq; futurum est Aharonis & filiorū ejus statuto perpetuo a filiis Jisraëlis, quia est elatio: quum erit elatio a filiis Jisraëlis ex sacrificiis eucharisticis eorum, elatio eorum Jehovæ *erit*.

29 Vestes autem sacræ quæ *fuerint* Aharonis, sunto filiorum ejus post eum, [19] ad ungendum indutos eis, & ad consecrandum in eis ministerium illorum.

30 Septem dies induito eas qui sacerdos *fuerit* pro eo ex filiis ejus; qui ingressurus erit in tentorium conventus ad ministrandum in sancto.

31 Arietem autem istum consecrationum accipiens, coques carnem ejus [20] in loco sancto:

32 Et comedito Aharon & filii ejus carnem istius arietis, & panem illum qui *erit* in canistro; *ad* portam tentorii conventus:

33 Comedunto, *inquam*, ista ii pro quibus expiatio facta fuerit, ad consecrandum ministeriū eorum, ad sanctificandum eos: [21] extraneus autem ne comedito, nam res sancta sunt.

34 Quòd si reliquum fiet de ista carne consecrationum, aut de pane isto, usque mane ; tum combures quod reliquum factum fuerit igne, ne comeditor, nam res sancta est.

35 Faciens itaque Aharoni & filiis ejus sic, secundùm omnia quæ præcepi tibi; septem diebus consecrato ministerium eorum.

36 Juvencum verò pro peccato parabis quolibet

[23] quæ etiam in historiis sacris vocātur amicula, ut 1.Schem.2.18. & 28. & 14.3. 22.18.
[l] *Hebr. impleto manum eorum, pro consecrato, ut infrà 32.29.*
[24] honestatis ratio statuitur, ut suprà 20.26.
[m] *Heb. carnem nuditatis.*
[n] Heb. *iniquitatem, ut Gen.4.13.*
[25] vide in Gen. 17.8.
[o] *Heb. seculi.*
[a] *Hebr. filium bovis, id est, nondum depulsum a lacte.*
[1] omni vitio carentes, ut sup.12.5. Levit.22.20.
[2] placentas sine oleo infrà ỽ.23 & Levit.8.26.
[3] non quavis, sed ex labro sancto, infrà 30.18.
[4] de quibus cap. 28. ut nominatim subjiciuntur.
[5] bracteam auream, de qua suprà 28.36. ut explicat Mosche Levit.8.9.
[6] de quo infrà 30.22.
[7] nam de tiara pēdebat duplex vitta cum offendice tiaram constringente.
[8] filiis Aharonis: nam pater loco tiaræ habebat cidarin, ut dictum est vers.6. vide sup. 28.40.
[b] *Heb. impleveris manum, ut suprà 28.41. quemadmodum aries impletionum dicitur infrà vers.22. sic deinceps.*
[10] quasi se ipsi sisterent & sacrificarent Jehovæ (sic deinceps in sacrificiis omnibus) non in sese, verùm in persona Christi, velut *ἀντιτύπου τῆς ἀρχετύπου* sacrificii.
[11] ac proinde comburenda extra castra, Levit.4.
[c] *Hebr. peccatum est: metonymia.*

[12] totum pro ritu adolendum Deo, Levit.1. quod genus Latini prisci prodigam hostiam nominabant.
[d] *Heb. quietis, id est, oblatio grata: ut Gen.8.21 sic deinceps.*
[13] & hic ritus requiritur in isto sacrificiorum genere, Levit. 7.18.
[e] *Hebr. impletionum: vide sup. ỽ. 9. sic deinceps.*
[14] sic vocat Cato quam vulgus tortam: Delii ex Hebræa voce dixerunt *κόλλυβα*, teste Semo lib.2. Deliados apud Athenæum lib.14. Dipnosoph. qui locus est corruptissimus.
[15] a dextera in sinistram, & contrà.
[16] ut qui Aharonem & filios consecrans summi sacerdotis munus obis.
[17] de quo suprà vers.22. Est autē hæc institutio ad sacerdotes Aharonis posteros pertinens: agit enim de sacerdotum jure, ut Levit.7.18. & 10.14.
[18] id est, sursum extollendum, antequam comedatur.
[19] id est, ut quum ungendi fuerint & consecrandi successores, induantur illis, quemadmodum Aharon & filii ejus: statuit enim perpetuam rationem consecrandi sacerdotes: puta summos quidem sacerdotes ungi, cæteros verò in posterum sine unctione consecrari ad sacerdotium oportere: vide infrà in 30.30. & 40.15.
[20] in porta tentorii conventus, ubi coquenda & comedenda erat, infrà vers.32. & Levit 8.31.
[21] qui ex familia Aharonis non est.

libet die [22] ad expiationes, & [23] peccato inspergés altare expiationem faciendo in eo; [24] postquàm unxeris illud ad sanctificandum illud.

37 Septem diebus expiato super illo altari, ut sanctifices illud: sic erit illud altare res [25] sancta sanctarum, [26] quicquid tetigerit altare illud sanctum esto.

38 Hoc quoque *est* quod [f] offeres in isto altari; agni anniculi bini uno quoque die jugiter.

39 Horum agnum unum offerto mane; & agnum alterum offerto [27] inter duas vesperas:

40 Præterea [28] decimam Ephæ similæ, mistæ quartâ [29] hinis olei tusi, & libamen quartam hinis vini; in priorem agnum.

41 Agnum verò alterum offerto inter duas vesperas; secundum oblationem matutinam, & secundum libamen ejus facito ei, in odorem gratum, sacrificium igne absumendum Jehovæ.

42 Holocaustum juge *esto* generationibus vestris, [30] intra portam tentorii conventus coram Jehova, [31] ubi conveniam vobiscum [32] alloquendo te ibi.

43 Conveniam autem illuc cum filiis Jisraëlis; ut [33] sanctificetur [34] gloriâ meâ:

44 Et [35] sanctificabo tentorium conventus & altare ipsum; Aharonem etiam & filios ejus sanctificabo, ut sacerdotio fungantur mihi:

45 Et habitabo [g] inter filios Jisraëlis; ac ero illis [h] Deus:

46 Experienturque me esse Jehovam Deum suum, qui eduxi ipsos e terra Ægypti, ut habitem inter ipsos: ego *sum* Jehova Deus ipsorum.

[22] Aharonis, filiorum, & altaris. [23] sanguine sacrificii pro peccato, Levit. 8.15. synecdoche. [24] ut mandatur infrà 30.28. & 40.10. vide Levit. 8.11. [25] sanctissima, vide Gen. 9.25. & infrà 30.32. [26] hoc est, adeò sanctum esto, ut quidvis contactu ejus sanctificetur: huc respicit Christus Pharisæos redarguens, Matth. 23.18. [f] Heb. facies, & sic deinceps. [27] vide suprà 12.6. [28] Homerem, de quo suprà 16.37. [29] mensuræ liquidorum tantum capientis quantum 72. ovorum gallinaceorum testæ: est ergo quarta hinis quantum capiunt 18. ovorum testæ, id est, dimidium congii. [30] nam in ea tabernaculi parte collocandum erat altare, & offerenda sacrificia: vide infrà 40.29. [31] nimirum e tentorio conventus, cujus etymon hoc versu ostenditur. [32] quasi dicat, per te filios Jisraëlis conveniam. [33] Jisraëlitarum quisque. [34] id est, per me, non per unctionem, aspersionem, aut quidvis aliud: nam externa illa omnia adhibebatur, ut veræ sanctificationis symbola. [35] singularis est explicatio promissionis illius, quam generatim proposuit Deus antecedente versu. [g] Heb. in medio, ut vers. sequent. [h] Heb. in Deum.

CAPUT XXX.

Altare suffitus, usus & locus ejus: semisicli argentei capitatio maribus vigesimum annum attingentibus superantibúsque ad tabernaculi exstructionem imperata: unguenti suffitúsque sacri confectura & usus præscribitur.

1 FAcies item altare, [1] thymiaterium suffitus, e lignis cedrorum lectissimarum facito illud.

2 *Unius* cubiti longitudine sua, & cubiti latitudine sua, quadratum esto, & duorum cubitorum altitudine sua: [2] ex ipso cornua ejus *sunto*.

3 Et obduces illud auro puro, [3] tectum ejus, & latera structuræ ejus circumquaque, & cornua ejus: faciésque ei limbum aureum circumquaque.

4 Deinde binos annulos aureos faciens ei, infra limbum ejus juxta binos angulos ejus, aptato eos ad duo latera ejus, quod erit [4] in sedes vectibus, ad portandum illud eis.

5 Facies autem ipsos vectes e lignis cedrorum lectissimarum, & obduces eos auro.

6 Et pones illud ante velum quod *erit* ante arcam testimonii; e regione operculi propitiatorii illius quod *erit* supra testimonium, quò conventurus sum tecum:

7 Ut adoleat super illud Aharon suffitum aromatum, [a] unoquoque mane, quum aptaverit lucernas, adoleat illum;

8 Similiter quum accenderit Aharon lucernas inter duas vesperas, adoleat illum; suffitus jugis coram Jehova per generationes vestras *esto*.

9 Ne offeratis in eo suffitum [5] exterum, aut [6] holocaustum, aut oblationem: neque libamen libatote super illud.

10 Tantùm expiationem faciet Aharon super cornua ejus semel [7] quotannis: e sanguine [b] sacrificii pro peccato *diei* expiationum semel quotannis expiationem faciet in eo per generationes vestras, res sancta sanctarum est Jehovæ.

11 PRAETEREA alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

12 [8] Quum recensebis summam filiorum Jisraëlis per numerandos eorum; tum dabunt quisque [9] redemturam [c] vitæ suæ Jehovæ, numerando eos: ut non sit in eis plaga quum numerabis eos.

13 Hoc danto [10] quisquis transit in numeratos, dimidium sicli [11] prout est siclus sacer; ([12] viginti obolorum *est* hic siclus) dimidium sicli oblationem Jehovæ.

14 Quisquis transit in numeratos a nato viginti annos & suprà; dato oblationem Jehovæ.

15 Qui dives est, ne augeto, & qui tenuis est, ne diminuito de dimidio sicli; dando oblationē Jehovæ, ad expiandum animas vestras.

16 Accipiens autem pecuniam istam expiationum a filiis Jisraëlis, repones eam [13] ad ministerium tentorii conventus: eritque pro filiis Jisraëlis in monimentum coram Jehova, ad expiandum animas vestras.

17 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

18 Facies etiam labrum æneum, & scapum ejus æneum ad lavandum: & pones illud inter tentorium conventus [d] & [14] ipsum altare, ac pones ibi aquam:

19 Ut lavent Aharon & filii ejus ex eo, manus suas & pedes suos.

20 Quum erunt ingressuri tentorium conventus, lavanto aquâ ut non moriantur; aut quum erunt accessuri ad ipsum altare ad ministrandum, ut adoleant sacrificium igne absumendum Jehovæ:

21 Lavabunt, inquam, manus suas & pedes suos ut non moriantur: hoc esto illis statutum perpetuum, ipsi *Aharoni* & semini ejus per generationes eorum.

[1] a quotidiano usu ejus, etsi ibidem semel quotannis, & aliàs in certis peccatorum generibus aspersione sanguinis fiebat expiatio, infrà vers. 10. Levit. 4.7. [2] vide suprà 27.2. [3] arcam, summam ejus partem. [4] ut suprà 25.27. [a] Heb. mane mane. [5] id est, aliunde prolatum, aut quocunque modo diversum ab eo quod imperatum est infrà vers. 34. & sequentibus. [6] nam ad hæc fuit institutum altare suprà 27.1. [7] die expiationum, decimo mensis septimi, Levit. 16.18. & 23.27. [b] Heb. peccati metonymia. [8] Hebræi ferè omnes hoc mādatum non temporarium, sed perpetuum fuisse putant; ut ex collecta compararentur holocausta quotidiana, sacrificia in dies festos, & reliquæ oblationes pro toto cœtu: sed quia nusquam de anniversaria collecta legitur, verisimilius videtur mandatum fuisse Moschi ut semel tantùm fieret: primùm a fine, nam hæc capitatio ad expiationem populi recens ex Aegypto educti imperata est: secundò a verbis exemplóque Moschis, qui neque hoc statutum perpetuum vocat ut cætera omnia, neque deinceps repetiisse legitur, ne tum quidem quum iteratò & tertiò populum recensuit, Num. 1. & 26. tertiò ab exemplo successorum omnium, qui nusquam leguntur hanc capitationem imperasse (Legitur quidem Joasch 2. Chron. 24. exemplum Moschis adhibuisse, ut extraordinariæ necessitati extraordinariâ collectâ consuleret: sed quod ibi scribitur, de anno in annum, &c. non ad pensitationem, ut vulgò putatur, sed ad assiduam templi instaurationem pertinet, ut quæ non esset unius anni opus: ut illud taceamus quod diversum fuit collectæ genus; ut apparet ex eo quod cunctabatur Jojada eam colligere, & quod deinde tanquam voluntaria oblatio in arcam sive cippum Ecclesiæ ab unoquoque pro arbitrio suo conjecta est.) Postremò ab hujus collectæ usu: nam pecunia hæc in monimentum statuenda dicitur vers. 16. hoc est in ministerium tabernaculi quod manebat, non autem in res quæ consumuntur (qualia sacrificia erant) impendenda: ac propterea Nechemja legis studiosissimus observator Jisraëlitis postliminio reversis non Legis autoritate, sed ipsa æquitate fretus ad illum usum trientem sicli indixit Nechemjæ 10.32. quod minimè omnium facturus erat si hac lege caveri intellexisset. [9] pecuniam, quam offerri ab iis necesse est, si vitam salvam esse volunt: ideò sequitur, ut non sit in eis plaga. [c] Hebr. animæ suæ. [10] a cœtu numerandorum ad cœtum numeratorum: dabatur enim a singulis transeuntibus dimidius siclus. [11] duplo major communi. [12] est autem obolus tantum argenti quantum pendunt 16. grana ordei: itaque hic semisiclus pendebat 160. integer verò siclus 320. grana ordei. [13] quod speciatim exprimitur infrà 38.25. [d] Heb. & inter ips. a. [14] holocausti, de quo suprà 27.1. nam thymiaterium de quo V. 1. intra tentorium conventus ante velum sanctuarii erat collocandum, vers. 6. quamobrem huic loco accommodari non potest.

22 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

23 Tu autem accipe [15] tibi [16] aromatum præstantissimum; myrrhæ ingenuæ quingenta [e] *pondo*, & cinnamomi odorati dimidium ejus, ducenta quinquaginta: & calami odorati ducēta quinquaginta:

24 Et casiæ quingenta, prout est pondus sacrum; & olei olivæ [17] hinem:

25 Et parabis [f] ex illo oleum unctionis sacræ, unguentum [18] unguentariæ operæ [19] unguentarii: oleum unctionis sacræ esto.

26 Eóque unges tentorium conventus; & arcam ipsam testimonii.

27 Mensámq; illam cum omnibus instrumentis ejus, & lychnuchum ac instrumenta ejus; & altare ipsum suffitus.

28 Altare quoque holocausti, & omnia instrumenta ejus; labrúmque & scapum ejus:

29 Ut sanctifices illa, sintque res [20] sancta sanctarum: quicquid tetigerit illa sanctum esto.

30 Aharonem quoq; & [21] filios ejus ungito: ita sanctificaveris eos, ut sacerdotio fungantur mihi.

31 Filios verò Jisraëlis alloquitor, dicendo; oleum unctionis sanctæ esto hoc [22] mihi per generationes vestras.

32 Carnem hominis ne *quisquam eo* ungito, aut secundùm confecturam ejus ne facitote simile ei: [23] res sancta est, res sancta esto vobis.

33 Quisquis conficiet simile ei, aut quisquis imponet ex eo rei exteræ; propterea [24] exscindetur e populis suis.

34 ITEM edixit Jehova Moschi, accipe tibi aromata, stacten & [g] onychem & galbanum, [h] [25] nardi folia cum spicis & thus purum: [26] *unumquodque* solum cum *altero* solo esto.

35 Et parabis ex eo suffitum, pigmentum opus pigmentarii, [27] salitum, purum, [i] sanctum.

36 Contundénsque [28] ex eo minutim, pones ex eo [29] coram ipso testimonio in tentorio conventus quo conventurus sum tecum: res sancta sanctarum esto vobis.

37 At secundùm hujus suffitus quem feceris confecturam ne facitote vobis: [30] res sancta esto tibi, Jehovæ *est*.

38 Quisquis fecerit ei similem ad odorandum eam; utique exscindetur e populis suis.

[15] Pleonasmus frequens, ut sup. 21.33. & infrà v. 34. & 34.1. [16] vel speciem omnium præstantissimam, hoc est balsamum omnibus, ut Plinius loquitur odoribus prælatum, quod ideò Arabibus dicitur Belsamin, quasi dicas, dominium obtinens inter aromata: vel uniuscujusque generis, quod subjungitur, quicquid est præstantissimum: harum prior interpretatio magis placeret, si huic quoque aromati, ut sequentibus, certum pondus adscriptū esset, aut si in Cenaanæa fuissent Jisraëlitæ. [e] *Eclipsis, quam supplevimus ex Onkelo Chaldæo.* [17] bicongium: vide sup. 29.40. [f] *Hebr. illud, oleum: appositio, ut infrà* vers. 35. [18] id est, artificiosissimè paratum. [19] non tyronis, sed periti artificis. [20] sanctissima per se, & alias sanctificans: vide Gen. 9.25. [21] tantum videlicet: nam inferiores omnes Sacerdotes & qui post illud tempus sequuti sunt, non ampliùs fuerunt uncti; sed horum unctione totus ordo fuit consecratus: vide inf. 40.15. [22] soli, ut ad nullos alios usus adhibeatur, aut fiat. [23] quasi dicat, ut res sancta est mea institutione, ita vobis esto observatione. [24] vide Gen. 17.14. [g] *vulgò blattam Byzantiam.* [h] *Heb. aromata.* [25] tribus modis istud ab Hebræis redditur: quidam hoc modo, stacten & onychem & galbanum *hæc* aromata, & thus, &c. alii & galbanum illa aromata & thus, respicientes ad ea quæ nominata sunt in superiore confectura vers. 23. alii nardum interpretantur, ut nos fecimus: nardus enim, teste Plinio lib. 12. natur. hist. cap. 12. præcipuus est in unguentis odoratis, ideóque generis nomen *κατ' ἐξοχὴν* obtinet. obtinet autem in plurali, quia non tantùm spica sua, sed etiam foliis celebratur gemina dote, ut idem loquitur. [26] id est, odoramentum & suffitus iste non *ὑγρὸς*, puta aqua oleo, aut liquore ullo prætereà conspersum & maceratum esto; sed xerium esto sive diapasma, ut appellant medici. Quamobrem ut hæc odoramenta sicca inter se coalescerent, stacten jussit adhiberi Deus. [27] ex simplice vocis etymo: etsi alii exponunt commixtum, condensatum, fermentatum, metaphoricè. [i] *Hebr. sanctitatis.* [28] ex pastillis unguentariis ejus; qui non toti friabantur & contundebantur, sed tantum quotidie quantum absumendum erat. [29] in altari suffitus, sive thymiaterio, de quo vers. 1. [30] vide sup. ver. 30.

CAPUT XXXI.

Deus præcipuos tabernaculi curatores facultate a se instructos designat: & ne licere putent operi illi sacro in Sabbatho incumbere, præceptum de ejus observatione mortis pœna adjuncta repetit.

1 DEinde alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

2 [1] Vide, nominatim vocavi; [§] Betzaleelem filium Uri filii Churis e tribu Jehudæ:

3 Quem [2] implevi Spiritu Dei; peritia, & intelligentia, notitiáque, & omni arte,

4 Excogitandi [a] res industriè inventas, & operandi in auro & in argento & in ære;

5 Et artificio gemmario inserendi, & artificio lignario; operandi opus quodlibet.

6 Prætereà ego ecce addidi ei Aholiabum filium Achisamaci e tribu Danis, & [3] animo cujusq; [b] industrii indidi peritiam: ut faciant quæcunq; præcepi tibi.

7 Tentoriū conventus, & arcam [4] pro testimonio ipso, & operculum propitiatorium quod *erit* super eam, & omnia instrumenta ipsa tentorii.

8 Mensámque cum instrumentis ejus, & lychnuchum [5] purum cum omnibus instrumentis ejus; & altare suffitus:

9 Et altare holocausti cum omnibus instrumentis ejus; labrúmque & scapum ejus:

10 Et [6] vestes ministerii; & vestes sacras Aharonis sacerdotis, ac vestes filiorum ejus [7] ad fungendum sacerdotio:

11 Denique oleum unctionis & suffitum, aromatum pro sanctuario: secundùm omnia quæ præcepi tibi faciunto.

12 Prætereà edixit Jehova Moschi, dicendo,

13 Tu autem alloquere filios Jisraëlis dicendo, [8] verumtamen sabbatha mea servatote: nam [9] signum est inter me & vos per generationes vestras, ad cognoscendum me Jehovam esse qui sanctifico vos.

14 Observabitis ergo sabbathum, quia res sancta est vobis: profanantium illud *quisque* [c] omnino morti traditor, nam quicunque fecerit in eo opus, utique [10] exscindetur anima illa e medio populorum suorum.

15 Sex diebus fiet opus; at [§] die quovis septimo sabbathum requies *est*, res sancta Jehovæ: quisquis fecerit opus die ullo sabbathi, omnino morti traditor.

16 Observabunt itaq; filii Jisraëlis sabbathum ipsum; celebrando sabbathum per generationes suas, federe [d] perpetuo.

17 Inter me & filios Jisraëlis signum est in perpetuum: quia sex diebus fecit Jehova cælum & terram, die autem septimo quievit & [e] [11] recreavit se.

18 Tandem quum absolveret alloqui eum in monte Sinai, dedit Moschi duas illas tabulas testimonii; tabulas lapideas scriptas [12] digito Dei.

[1] considera, ut scias cui erit hoc opus committendum. [§] 1. *Chron.* 2.20. [2] divinis donis quæ sequuntur instruxi. [a] *Hebr. cogitationes: metonymia.* [3] præter duos superiores qui fuerunt præcipui curatores operis: vide inf. 36.1. [b] *Heb. sapientis corde.* [4] continendos: vide suprà 25.16. sic infrà 39.37. [5] ex auro puro, suprà 25.31. [6] stragulas, hoc est, aulæa & vela tabernaculum vestientia suprà 26. & infrà 36. & involucra quibus tegebatur mensa, arca, altare, & reliqua instrumenta sacra, quum deportanda erant. Num. 4. sic infrà 35.19. ac proptereà etiam nominatim distinguitur materia sua, infrà 39.1. nam dicuntur quidē hæc fuisse coloria ut cætera omnia, sed e xylino minimè: quod ibidem ostendit membrorum comparatio, v. 1. & 41. [7] quibus utentur quum fungendum erit sacerdotio. [8] quasi dicat, tanti volo fieri sabbatha mea, ut ne hoc opus quidem, quamvis sacrum, in eis fieri velim. [9] documentum commune inter nos; mei, ut creatoris & sanctificantis; vestri autem, ut qui creati estis, & sanctificati; ideo subjungit, ad cognoscendum, quasi dicat, quod observari jubeo, ut ejus observatione hæc cognoscatis: & cùm ipsi discatis per singula sabbatha doctrinam meam, tum aliis studium hoc vestrum testatum faciatis. [c] *Hebr. moriendo morti traditor, ut infrà vers. 15.* [10] vide Gen. 17. 14. [§] *sup.* 16.26. [d] *Hebr. seculi.* [e] *Hebr. respiravit, ut sup.* 23.12. [11] humanitus dictum. [12] non artificio humano, sed divinitus sculptas, ut 32.16. nam secundas de quibus infrà 34.1. paravit Mosche.

CAPUT XXXII.

Jisraëlitæ Mosche tardante vitulum sibi Dei loco conflantes, iram divinam gravissimè contra se provocant: quæ demum mitigata revertens Mosche, eos verbis & factis severè castigat.

1 QUum autem videret [1] populus admodùm differre Moschen descendere ex

[1] magna pars populi synecdoche: nam illi quos Mosche armavit contra idololatras vers. 26. non sunt in idololatris numerandi, teste Apostolo ipso 1. Cor. 10.7.

ipso

ipso monte, congregatus populus ad Aharo-
nem, dixerunt ei, [a] age, fac nobis deos, qui an-
teeant nobis, jam enim Mosche viro illo, qui
eduxit nos e terra Ægypti, quid factum sit igno-
ramus:
2 Et dixit eis Aharon, rumpentes detrahite
inaureis aureas [2] quæ *sunt* in auribus uxorum
vestrarum, filiorum vestrorum, filiarúmq; vestra-
rum; & afferte ad me.
3 Rumpentes ergo detraxerunt sibi [3] totus
ille populus inaureis aureas, quæ *erant* in auribus
suis; & attulerunt ad Aharonem.
4 Qui acceptum e manu eorum formavit
illud cælo, quum fecisset [b] ex eo vitulum fusilem:
tum dixerunt, hi *sunt* dii tui Jisraël, qui eduxe-
runt te e terra Ægypti.
5 Quod videns Aharon, exstruxit altare co-
ram eo; proclamavítq; Aharon dicendo, festum
Jehovæ cras *esto*.
6 Surgentes itaque postridie mane, obtule-
runt holocausta, & applicarunt eucharisteria:
sedítq; populus ad edendum & bibendum, dein-
de surrexerunt [4] ad [c] ludendum.
7 Edixit verò Jehova Moschi; abi descende,
nam [5] corrupit *se* populus tuus, quem eduxisti e
terra Ægypti:
8 Recesserunt [6] celeriter ab ea via quam
præcepi illis, fecerunt sibi vitulum fusilem: & in-
curvantes se sacrificaverunt [7] ei, ac dixerunt, hi
sunt dii tui Jisraël, qui eduxerunt te e terra Æ-
gypti.
9 Dixit etiam Jehova Moschi; [8] vidi popu-
lum istum, quòd ecce populus [d] [9] dura cervice est.
10 Nunc igitur [10] sine me, ut accensâ irâ con-
sumam eos: efficiam verò te in gentem magnã:
11 Quamobrem deprecatus est Mosche fa-
ciem *iratam* Jehovæ Dei sui; & dixit, [11] quare
Jehova accenderetur ira tua in populum tuum,
quem eduxisti e terra Ægypti, virtute magna &
manu forti?
12 Quare loquerëtur Ægyptii, dicendo, ma-
lo *animo* eduxit eos, ut occideret eos in istis mon-
tibus, & consumeret eos e superficie terræ? con-
verte te ne accendatur ira tua, & pœniteat te
istius mali *quod proposuisti* contra populum tu-
um.
13 Recordare Abrahami, Jitzchaki, & Jisraë-
lis, servorum tuorum, te juravisse eis per te; &
promisisse eis, multiplicabo semen vestrum tam-
quam stellas cæli: & totam hanc terram quam
promisi dabo semini vestro, ut possideant in se-
culum.
14 Tum [12] pœnituit Jehovam, istius mali quod
facturum se dixerat populo suo:
15 Et Mosche revertens descendit de monte
illo cum duabus tabulis testimonii in manu sua;
tabulis scriptis a binis paginis suis, hinc & inde
scriptis.
16 [f] Erántq; tabulæ istæ [13] opus Dei, & scrip-
tura scriptura Dei erat, insculpta tabulis.
17 Audiens autem Jehoschuah sonum ipsum
populi dum vociferaretur; dicebat Moschi, [14] so-
num bellicum in castris *audio*:
18 Qui dixit, non *est* sonus [e] quo strenui cla-
mant, neque *est* sonus quo debiles clamant: so-
num [15] cantantium ego audio.

[a] *Heb. surge.* [2] nempe ex Aegyptiorum usu & consuetudine, ut Judic. 8.24. [3] de quo versu 1. [b] *Heb. illud vitulum fusionis, pro adjectivo conjugato, ut infrà vers. 8.* [4] saltationes puta & choros agitando coram vitulo cum cantu, infrà 18. & 19. quamobrem παίζειν vertit Apostolus 1. Cor. 10.7. [c] *vel, ridendum.* [5] idololatriâ suâ sibi exitium comparavit, effecitque ut non amplius habeatur pro populo meo: sic Deut. 32.5. [6] post initum fœdus, & promulgatum decalogum. [7] non mihi, licet verbo aliter præ se ferant, suprà vers. 5. [8] q.d. memoria repetens res ejus gestas ab exitu ex Aegypto, & cum facto hoc comparans, indomitum esse statuo. [d] *Heb. durus.* [9] metaphora a juvencis refractariis. [10] q.d. si me siveris neque precibus averteris iram meam, consumam eos etiam Aharonem ipsum fratrem tuum, Deut. 9.20. humanitus dictum. Non enim his verbis mandat aut jubet Deus; sed Moschen admonet, quid ipsum a supplicio de illis sumendo revocet: adeò est magni & efficax justi deprecatio, Jacob. 5.16. [11] tribus argumentis deprecatur iram Dei: primum est a beneficiis antè collatis, quæ irrita essent si populus consumeretur: secundum a gloria Dei quã hostes obscurarent: tertium a promissionibus factis patribus, quarum fidem constare oporteat. [12] ut Genes. 6.6. id est, non consumsit (ut interminatus fuerat suprà vers. 10.) momento uno: sed distulit donec vidisset Mosche & expertus esset quid eo populo fieri possit. [f] *sup.* 31.18. [13] vide sup. 31.18. [14] nesciebat enim quid in castris gereretur, quia in monte substiterat sup. 24.13. [e] *Heb. clamandi strenuitatem, neq; sonus clamandi debilitatem, sonum cantandi.* [15] post crapulam coram vitulo ludentium, vers. 6.

19 Fuitque quum appropinquans ad castra
videret vitulum illum & choros; ut accendere-
tur ira Moschis, & abjiciens e manibus suis tabu-
las [16] frangeret eas sub ipso monte.
20 Deinde accipiens vitulum illum quem fe-
cerant [17] exussit igne, commolúitque donec mi-
nutus esset: dispergénsque in superficiem aqua-
rum, [18] jussit bibere filios Jisraëlis.
21 Dixítque Mosche Aharoni, quid fecit tibi
populus iste; quòd induxeris super eum pecca-
tum maximum?
22 Cui dixit Aharon, ne accẽdatur ira domi-
ni mei; tu nosti populum hunc [g] in malo jacere.
23 Nam dixerunt mihi, fac nobis Deos qui
anteeant nobis: jam enim Mosche viro illo, qui
eduxit nos e terra Ægypti quid factum sit igno-
ramus:
24 Et dixi eis, cui *est* aurum? rumpentes ita-
que detraxerunt sibi, & dederunt mihi: quod ubi
conjeci in ignem, prodiit vitulus iste.
25 Quum ergo videret Mosche populum esse
[19] nudatum; quòd [20] nudasset eum Aharon ad
ignominiam subeundam [21] ab *inimicis* qui insur-
recturi fuissent in eos:
26 Subsistens Mosche [22] in porta castrorum,
edixit, quisquis *est* Jehovæ, ad me *aggregator*: sic
aggregati sunt ad eum [23] omnes filii Levi.
27 Dixítque illis, sic ait Jehova Deus Jisra-
ëlis, apponite quisque gladium suum femori
suo: transite & redite per castra de porta in por-
tam, & occidite quisque [24] fratrem suum, &
quisque amicum suum, & quisque propinquum
suum.
28 Quod fecerunt filii Levi secundùm edic-
tum Moschis; & ceciderunt de populo illo, eo
ipso die, ad tria millia virorum:
29 [25] Dicebat enim Mosche, [h] consecrate mi-
nisterium vestrum hodie Jehovę, quum quis [26] fi-
lio suo, aut fratri suo aderat: &, inditurus est vo-
bis hodie benedictionem.
30 Fuit autem [27] postridie, quum dixisset Mo-
sche populo, vos peccastis peccato maximo: nũc
itaque ascendam ad Jehovam, [28] fortè expiatio-
nem faciam pro peccato vestro:
31 Ut reversus Mosche ad Jehovam [29] dice-
ret, obsecro, peccavit populus iste peccato maxi-
mo, quòd fecerunt sibi deos aureos.
32 Attamen nunc an condonaturus es pec-
catum eorum? nam si non *ita est*, [30] dele me nunc
de libro tuo quem scripsisti.
33 Dixit verò Jehova Moschi, eum qui pec-
caverit mihi, [31] delerem de libro meo.

[16] zelo sanctissimo, & duce Spiritu Dei: vide Deut. 9.17. [17] deformavit liquefaciens igne: omnia hæc ad detestationem idololatriæ. [18] Hieronymus ad Fabiolam, ut disceret, inquit, populus contemnere id quod consumi videbat, comminui, & in secessum projici: adeóq; ut hoc velut symbolo palàm agnosceret a se non immeritò maledictionem suam epotandã & exhauriendam esse, nisi misereretur Deus: secundùm analogiam illius legis quæ habetur Num. 5. [g] *Heb. quòd in malo est: simile 1. Joan. 5.19.* [19] gratia & præsidio Dei, quem adeò graviter offenderat. [20] præstando quod petebant, eósque in errore confirmando, vers. 4. & 5. unde gravis in eum ira sequuta est, Deut. 9.20. [21] ut posteà evenit ab Hamalekitis, Numer. 14.45. [22] quum in tentorium extra castra se reciperet, infrà 33.8. [23] non quidem omnes Levitæ, sed omnes qui aggregati sunt Levitæ erant, videlicet qui domi manentes se in idololatriam non projecerant; hoc enim nomine commendantur Deuter. 33.9. alioquin ex iis multi in idololatriam cum Aharone lapsi erant, ut apparet ex versu 29. & Deuter. 33. [24] q.d. nemini parcite, sed obvium quemque sine acceptione personarum (ut loquuntur) occidite. [25] Aetiologia alacritatis Levitarum, quòd a Mosche didicerant rem fore Deo gratissimam, sibique ac toti populo salutarem: & in ipso actu inflammabantur vehementissimis acclamationibus, celeusmatis, & promissionibus ejus, quum singularem sanctimoniam ipsis & benedictionem divinam pronunciaret. [h] *Heb. implete manum vestram: ut suprà 28.41. & 29.9.* [26] ut suprà vers. 27. [27] quàm strages edita est. [28] non dubitantis est, sed sollicitudinem exacuentis, gravitatem peccati ostendentis, & tamen aliqua gratiæ Dei exspectatione erigentis, ut Jehoschu. 14.12. & 2. Schemu. 14.7. [29] deprecans, quo in argumento persitit illo 40. dierum spatio, quo rursum jejunus in monte mansit Deuter. 9.18. Est autem Paralepsis, qua reticens Mosche alias rationes quibus ad impetrandam populo veniam utebatur, colloquii finem duntaxat exprimit quo ipse erupit, quum nihil aliis præstitisset. [30] ne habeas me in tuorum numero, quos ad salutem prædestinasti: metaphora. Ac securus quidem hoc dixit, ait Augustinus; veruntamen advertendum est quantum malum in illo peccato Mosche perspexerit, quod tanta cæde credidit expiandum, suóque ipsius (si potuisset fieri) excidio, & quantum decessurum de gloria Dei putaverit. q.d. nullus sum, nihili meipsum salutémq; meam facio præ gloria tua, quæ omnino cum hujus populi salute conjuncta est. [31] Concessione inhibet ardens Moschis studium erga idololatras: q.d. si ut dicis illum mihi delendum esset, pro summa mea justitia eum delerem qui peccavit.

34 [32] Sed nunc abi deduc populum istum [33]
quod dixi tibi, ecce [34] angelus meus præibit tibi:
& [35] quo die [36] visitaturus sum, utiq; visitaturus
sum adversus eos peccatum ipsorum.
35 Itaque percussit Jehova populum istum,
propter *id* quod fecerat illi vitulo quem fecit A-
haron.

[32] indignantis verba: esto sanè, inquit Deus: nunc quidem non occidam; sed duriùs tamen cùm istis agam in posterum, neque impunè eos abire sinam. Intereà verò tu deduc: nam ego statui ab illis discedere, atque e medio illorum tollere aspectabilem præsentiam meam, infrà 33.1. [33] infrà 33. 2. & 3. nam illa sunt hujus loci exegetica. [34] de quo suprà 23. 20. [35] quasi dicat, etsi nunc tua intercessione manum retraho, alio tamen tempore eos propter hoc peccatum castigabo, quum me aliis peccatis irritaverint. [36] id est, alio tempore quoties novi peccati occasione populum puniebat, punivit quoque hujus peccati nomine.

CAPUT XXXIII.

Populus iræ divinæ sensu ad resipiscentiam permotus etiam externis signis eam declarat: eique precibus Moschis tandem impetratur, ut Deus se iterum apud illos habitaturum spondeat.

1 EDixit [1] igitur Jehova Moschi, abi ascen-
de hinc tu & populus iste quem eduxisti e
terra Ægypti; in terram quam juramento pro-
misi Abrahamo, Jitzchako, & Jahakobo, dicen-
do, semini tuo dabo illam:
2 [2] Et mittam ante [3] te Angelum; quo ex-
pellam Cenahanæum, Emoræum, & Chitthæ-
um & Perizzæum, & Chivvæum, & Jebusæum:
3 In terram affluentē lacte & melle: nam [4]
non ascendam in medio tui, quia populus [5] durus
cervice es, [6] ne consumam te in hoc itinere.
4 Et audiens populus [7] verbum malum istud
luctui se dederunt; & [8] non imposuerunt ullus su-
um ornamentum sibi:
5 Quia edixerit Jehova Moschi, edic filiis
Jisraëlis, vos *estis* populus durus cervice, uno mo-
mento, si ascendero in medio tui, consumsero te:
nunc itaque depone ornamentum tuum a te, [9] &
cognoscam quid sim facturus te:
6 Sed spoliaverunt se filii Jisraëlis quisque
ornamento suo, [10] *procul* a monte Chorebo.
7 Mosche verò [11] acceptum tentorium su-
um tetendit sibi extra castra [12] procul receden-
do a castris, [13] vocavítque illud tentorium con-
ventus: erat enim ut quisquis consulturus erat
Jehovam, exiret versus tentorium conventus
quod *erat* extra castra.
8 Fuit autem [14] quum prodibat Mosche in
tentorium illud, [15] ut surgentes totus populus
staret quisque ad ostium tentorii sui; sic intue-
bantur tergum Moschis donec ingrederetur in
tentorium illud.
9 Fuit verò, quum ingrederetur Mosche in
tentorium illud, ut descendens columna illa nu-
bis consisteret *ad* ostium illius tentorii; sic [16] lo-
queretur cum Mosche.
10 Quamobrem videns totus populus co-
lumnam illam nubis consistentē *ad* ostium illius
tentorii; surgebat totus populus ut incurvantes
se *ad* ostium tentorii sui *honorem exhiberent*.

[1] quum ad precationem Moschis suprà 32.31. Deum pœnituisset ejus mali, quod vers. 10. fuerat interminatus, vitámq; Jisraëlitis (quos volebat perdere) interventu Moschis indulsisset.
[2] hæc disertè repetit Deus quæ antè promiserat, suprà 23.20. q. d. hoc tantùm faciam: cætera verò quę tum faciebam & quæ inde ab eo tempore dixi, revocata & infecta volo.
[3] Apostrophe ad populum, ut ostendunt verba sequentis versus.
[4] i. nolo pósthac signo aspectabili eos ducere, aut inter eos vissibiliter residere, ut facturum dixeram.
[5] suprà 32.9.
[6] quia non possum peccatis connivere, suprà 23. 21.
[7] Deum gravissimè indignatū de populi excidio cogitasse, aliquantulum precatione Moschis mitigatum pœnitentiam publicam imperasse, & suam præsentiam aspectabilē subtrahere. [8] depositis pretiosis ornamentis, cilicio & cinere operti lugubri habitu incedebant. [9] ut Genes. 18.21. ratione habita resipiscentiæ tuæ certius aliquid statuam. [10] quasi publicè profitentes se præsentia Dei indignos esse in Chorebo habitantis. [11] nam Deo nullum adhuc erectum fuerat, ac ne populo quidem imperatum. facit autem hoc Mosche ut populi peccatum ante oculos ejus exaggeret, & ne si in populo maneat colloquio Dei privetur, & plenæ reconciliationis actio abrumpatur, quandoquidem se Deus a castris subduxerat, suprà V. 3. denique ut cùm suam ipsius, ut servi fidelis in tota domo Dei, tum domini sui indignationē symbolo exprimeret. [12] forte ad millesimum cubitum, aut eo ampliùs: ut credibile est ex analogia, Num. 35.5. [13] promulgavit omnibus qui Deum consulerent eorsum esse veniendum; unde nomen consequutum est tentorii conventus. [14] oraturus pro populo Deum, ut iram plagásque suas cohiberet, de quibus suprà 32.25. & seq. [15] boni, qui Moschen pro ipsis intercessurum ita prosequebantur. [16] Jehova e columna videlicet: synecdoche, quæ exponitur infrà V. 11.

11 Alloquebatur autem Jehova Moschen [17]
facie ad faciem, quemadmodum alloqui solet
quis amicum suum: redeunte verò ad castra *Mo-
sche* cum ministro suo Jehoschuha filio Nunis [18]
[b] puero, [19] non recedebat e medio illius tentorii.
12 Tum dixit Mosche Jehovæ, vide, [20] tu edi-
cis mihi, deduc populum hunc, intereà tu [21] non
indicasti mihi quæ missurus fuisti mecum: tu ta-
men dixisti, [22] agnosco te nominatim, atque eti-
am invenisti gratiam in oculis meis.
13 Nunc ergo, si modò inveni gratiam in ocu-
lis tuis, [23] indica mihi quæso vias tuas, & [24] ag-
noscam te ut inveniam gratiam in oculis tuis:
considera etiam gentem hanc populum tuum
esse.
14 Quo dicente; [25] facies mea præcederet,
ut quietem darem tibi?
15 Dixit ei *Mosche*, si facies tua non præce-
det, ne jubeto nos hinc discedere.
16 Nam quánam re cognoscetur jam invenis-
se gratiam in oculis tuis me & populum tuum?
nónne quum ibis nobiscum? ita separabimur ego
& populus tuus ab omni populo qui *est* in super-
ficie terræ.
17 Dixit itaque Jehova Moschi, etiam hanc
rem quam dixisti faciam: quia gratiam invenisti
in oculis meis, & agnovi te nominatim.
18 Ampliùs dicenti *Moschi*, [26] fac quæso vi-
deam [27] gloriam tuam:
19 Dixit, ego faciam ut transeat [28] tota boni-
tas mea ante faciem tuam, & inclamabo nomi-
natim Jehova ante faciem tuam: sed [29] gratio-
sus ero [30] cui fuero gratiosus, & miserebor cujus
misertus fuero:
20 At [31] non posses, inquit, videre faciem me-
am; quia non potest me homo videre, & [32] vi-
vere.
21 Posteà dixit Jehova, ecce locum apud me:
consistes igitur super istam rupem.
22 Erit autem quum transibit gloria mea, ut
ponam te in cavitate ipsa rupis; & [33] obtegam te
manu mea donec transivero:
23 Sed quum amovero manum meam, vide-
bis [34] posteriora mea; [35] facies autem mea vide-
ri non potest.

[17] id est, admodum familiariter, ut sequentia exprimunt: aliọ, qui non percipitur corporis sensu natura divina, quæ invisibilis ubique tota est & nullo continetur loco, ut sequens docet historia, maximè verò V. 18. & 23. vide Num. 12. 6.
[18] id est, famulo, ut Gen. 37.2. & 41. 12. erat enim tum quasi 53. annos natus.
[b] *Heb.* ministerio *pueri: Ellipsis conjugati, ut sup. Genes.* 18.21. & 37. 21.
[19] Jehova scilicet, qui planè denunciaverat se non futurum in medio populi, suprà vers. 3.
[20] suprà V. 1.
[21] i. nihil dicis de colūna ignis & nubis quibus hactenus duxeras nos, aut de tabernaculo ubi promiseras habitaturam gloriam tuam: sed quod interminatus es suprà V. 3. jam reipsa præstas, quòd hic consistens omnino a castris abstines, V. 11.
[22] approbo te, & habeo rationem tui: ut Deus infrà vers. 7. repetit.
[23] id est, ostende te fore ducem nostrum, omissa illa interminatione tua vers. 3. [24] id est, reipsa experiar & sentiam te præsentem esse. [24] id est, ut porrò, quoties erit opus, te accedam exorémque coràm, ut ante fecimus. [25] aspectabilis præsentia mea, quasi dicat, visne ita fieri? statui enim tibi gratificari. [26] id est, promissionem tuam confirma hoc signo aspectabili. [27] ipsissimam majestatem tuam ab imaginibus nudam, ad majorem mei confirmationem. [28] id est, gloria, ut vers. 18. & 22. [29] opere & communicatione mei. [30] æterno decreto meo: & sic sequentia. quasi dicat, neque omnino neque omnibus hoc tribuo, sed quibus, quando, & quantum decretum est ab æterno: sic respondet Christus filiis Zebedæi, Matth. 20. 23. Hunc locum Apostolus Rom. 9. 15. a singulari causa ad universalem optimè accommodat: nam etiam hypothesin hanc thesi confirmat Deus. [31] altera recusationis causa petentis personæ imbecillitas. [32] in hac mortali vita: nam sicuti est, ait Augustinus, videri Deus in illa tantùm vita potest, ubi ut vivatur est huic vitæ mortali moriendum: sic Joan. 1. 18. [33] humanitus dictū; id est, velabo tibi oculos, ne videas gloriam meam, quam humanus aspectus non fert. [34] aliquam gloriæ meæ imperfectam imaginem: quæ notitia specularis vel ænigmatica cum ea comparatur qua quis hominem ex dorso, non autem de facie agnoscit: vide 1. Cor. 13. 9. ad finem usque. [35] ipsissima majestas mea retecta, ut suprà vers. 20.

CAPUT XXXIIII.

Deus populo infensus esse desinens novas tabulas lapideas dolari, & in montem ad se afferri jubet, fœdus cum populo certis conditionibus renovat, legémque tabulis inscribi curat.

1 DIxit autem Jehova Moschi, dola [1] tibi duas tabulas lapideas [2] similes illis prioribus; ut inscribam istis tabulis eadem verba quæ fuerant in tabulis illis prioribus quas fregisti:

2 Et [3] esto paratus in crastinum mane; ut ascendas ipso mane in montem Sinai, & sistaris mihi illic [4] in vertice istius montis.

3 Sed ne quisquam ascendito tecum, etiámq; ne quisquam ‖ conspicitor in toto isto monte: etiam pecudes aut armenta ne pascunto e regione istius montis.

4 Quum igitur dolasset duas tabulas lapideas similes illis prioribus, surgens Mosche ipso mane ascendit in montem Sinai, quemadmodum præceperat Jehova ipsi: acceptis in manu sua duabus tabulis lapideis.

5 Tum descendens [5] Jehova in ipsa nube constitit cum eo ibi; [6] inclamavítque nominatim, Jehova.

6 ‖ Transiens enim Jehova ante faciem ejus, inclamavit; [7] Jehova, Jehova, *Deus* fortis, misericors, & gratiosus: longanimis, & multus benignitate ac fide:

7 Custodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem & defectionem & peccatum: & *qui* [a] ullo pacto non absolvit *sontem*, visitans iniquitatem patrum in filios, & in filios filiorum, in nepotes & in abnepotes.

8 Festinans autem Mosche; inclinato vertice in terram, incurvavit se *honorem habiturus:*

9 Et dixit, si nunc inveni gratiam in oculis tuis Domine, eat quæso Dominus [8] in medio nostri: [9] quia populus durus cervice est, ideò condones iniquitatem nostram & peccatum nostrum, & compares nos in hæreditatem.

10 Qui dixit, ecce ego [10] pango fedus; coram toto populo tuo facturus sum [11] mirabilia, quæ non fuerunt patrata in tota terra & in omnibus gentibus: adeò ut videat totus hic populus (in cujus medio es) opus Jehovæ reverendum esse, quod ego facturus sum [12] tecum.

11 [b] Observa id quod ego præcipio tibi hodie: ecce ego expulsurus sum a facie tua Emoræum, & Cenahanæum, & Chitthæum, & Perizzæum, & Chivvæum, & Jebusæum.

12 [13] Cave tibi, ne pangas fedus cum habitatore illius terræ ad quam venturus es; ut non sit [14] in laqueum in medio tui:

13 Sed altaria eorum demolimini, & statuas eorum frangitote; ac lucos eorum succiditote.

14 Nam non convenit te incurvatum honorē exhibere Deo alieno; Jehovæ enim nomen *est* zelotes, Deus fortis zelotes est.

15 ‖ *Cave tibi inquam* ne pangas fedus cum habitatore illius terræ: *ne* quum scortabitur sectando Deos suos & sacrificabit Diis suis, invitet te, & comedas de sacrificio ejus:

16 Et accipias de filiabus ejus pro filiis tuis; scortantésque filiæ ejus [c] sectando Deos suos, efficiant ut scortentur filii tui sectando Deos ipsarum.

17 [15] Deos [d] fusiles ne facito tibi.

18 ‖ [16] Festum azymorum observato; septem dies vescitor azymis, quemadmodum præcepi tibi, constituto tempore, ipso mense Abib: quia ipso mense Abib egressus es ex Ægypto.

19 ‖ Omne *masculum* aperiens vulvam, meum

1 ut supr. 30.23. & inf. 27.
2 forma & amplitudine.
3 id est, hodie illas expedi, ut cras mane ascendas.
4 in ea rupe, de qua supr. 33.21. & 22.
‖ *Sup.* 19.12.
5 ut monstrabat nubes ipsa, aspectabile signum præsentiæ ejus.
6 ut promiserat suprà 33.25.
‖ *Sup.* 20.5.
7 hac anaphora Mosche magis præsentia divina majestatis afficitur, ut se statim ad reverentiam humilitatémque componat, ut fecisse dicitur infr. vers. 8.
a *Heb. absolvendo non absolvit, subaud., non absolvendum. q.d. ita misericors, ut maneat justus.*
8 ut supra 29.43. & sequentibus.
9 tres redduntur causæ hujus petitionis: prima, a conditione populi, quum durus sit populus, tali moderatore eget: secunda, a natura Dei, qualem prædicaverat supr. vers. 6. & 7. tertia, a beneficiis præteritis, & federe, quo populum in hæreditatem asciverat, renovando, ut antè Deus nō obscurè spoponderat.
10 acquiesco petitioni tuæ, & fedus redintegro ea lege quam mox exprimam.
11 comprehendit omnia, quę in gratiam illius populi cùm toto illo itinere, tum in possessione & conservatione terræ promissæ facturus erat: de quibus vers. 11. & 24.
12 i. adhibito ministerio tuo: sic 1. Cor. 3.9. & 15.10.
b *Heb observa tibi, id est, ut tibi bono sit.*
13 conditiones federis quæ a populo requiruntur.
14 ut sup. 23.33. & V. 15. & 16. hic. ‖ *Sup.* 20.5. c *Heb post Deos: sic deinceps.* 15 species pro genere, sumta occasione a vitulo quem fuderat Aharon, supr. 32. synecdoche. d *Heb. fusuræ vel fusionis.* ‖ *sup.* 23.15. 16 federis ceremoniæ & exercitia repetuntur, de quibus supr. 23. ‖ *Sup.* 13.2. *&* 12.

est: quare totius pecoris tui masculum separator, aperiens vulvam bovis aut parvæ pecudis.

20 [e] Asinæ autem aperientem vulvam [17] redimes parva pecude, quod si non redimes ipsum, decollabis: omnem primogenitum filiorum tuorum redimito, neque comparento *ulli* coram me vacui.

21 Sex diebus operaberis, die autem septimo cessato: [18] in ipsa aratione, & in messe cessato.

22 Etiam festum septimanarum [f] feriator tibi, *festum* primitiarum messis triticeæ: & festum collectionis [19] revolutionem cujusque anni.

23 Tribus vicibus quotannis; comparento omnis ‖ mas tuus ante conspectum domini Jehovæ Dei Jisraëlis.

24 Nam [20] ejiciam gentes a conspectu tuo, & dilatabo terminum tuum: [21] neque concupiscet quisquam terram tuam, quum ascendes compariturus ante conspectum Jehovæ Dei tui ternis vicibus quotannis.

25 ‖ Ne jugulando *fundito* cum fermentato sanguinem sacrificii mei: neque pernoctato usq; mane sacrificium festi Paschatis.

26 Prima quæque, primitias terræ tuæ afferto in domum Jehovæ Dei tui: ne coquito hœdum in lacte matris suæ.

27 Tum edixit Jehova Moschi, [22] scribe tibi verba hæc: quia [g] ex præstituto horum verborum pango tecum fedus, & cum Jisraële.

28 Itaque fuit ibi cum Jehova quadraginta dies & quadraginta noctes, cibum non comedit, & aquam non bibit: [23] inscripsitq; *Jehova* tabulis verba federis hujus, decem illa verba.

29 Fuit verò descendente Mosche e monte Sinai, quum essent duæ illæ tabulæ testimonii in manu Moschis, descendendo ex monte illo; [24] ut ignoraret Mosche splendidam esse factam cutem faciei suæ, quum ille loqueretur secum.

30 Videns autem Aharon & omnes filii Jisraëlis Moschen, quòd ecce splendida facta esset cutis faciei ejus; timebant accedere ad eum:

31 Sed revocante eos Mosche, reversi sunt ad illum Aharon & omnes principes in eo cœtu: & alloquutus est eos Mosche.

32 Posteà demum accesserunt omnes filii Jisraëlis; quibus præcepit omnia quæ loquutus fuerat Jehova secum in monte Sinai.

33 Donec verò absolvisset Mosche loqui cum eis, [25] imposuit faciei suæ velamen.

34 Quum autem veniret Mosche in conspectum Jehovæ ad loquendum cum eo, amovebat illud velamen donec exiret: egressus verò *sic* eloquebatur filiis Jisraëlis id quod mandatum erat sibi.

35 [26] Respiciebant enim filii Jisraëlis in faciem Moschis, quòd splendida facta esset cutis faciei Moschis: quapropter reponebat Mosche velamen illud super faciem suam, donec rediret loquutum cum eo.

CAPUT XXXV.

Mosche sabbathi observatione inculcata oblationem indicit: eáque collata a populo, artifices divinitus vocatos nominat.

1 COngregavit [1] ergo Mosche totum cœtum filiorum Jisraëlis, & dixit eis; hæ *sunt* illę res quas præcepit Jehova ut faciatis.

2 [2] ‖ Sex diebus fiet opus; die autē septimo, esto

e *Heb. asini genere epiceno.*
17 nempe pro illa æstimatione quæ habetur Levit. 27.6.
18 i. tempora oportunissima, atque in rebus humanæ vitæ summè necessariis opus intermittito, ut sabbathum serves, supr. 31.13.
f *Heb facito.*
19 i. annum civilem ineuntem, respectu proventuum, Jubilæi & remissionis terræ: vide suprà in 12.2.
‖ *supr.* 23. *Deut.* 16.16.
20 i. iis modis, qui exponuntur hoc versu, efficiam, ut securus quisque mas è suis finibus adventare possit citra periculum habitationis suæ.
21 q.d. vicinos ita frangam corpore & animo, ut ne cogitare quidem ausint de tuis finibus invadendis, sic Deut. 2.10.
‖ *supr.* 23.18.
22 videlicet in libro legis authentico, ut suprà 17.14.
g *Heb secundùm os: metonymia frequens.*
23 nimirum Jehova, non autem Mosche: sic enim ipse dixerat suprà vers. 1.
24 vide 2. Cor. 3.
25 hujus interpretationis autorem Apostolum sequuti sumus 2. Cor. 3.7. idque ex sequentium verborum fide, quæ Abben Hezra quoque observavit.
26 id est, sic afficiebantur contuitu illius, ut timerent propiùs eum accedere, neque ad ea quæ agebantur attenderent.

1 suprà 34.32.
2 Jisraëlitis oblationem & artificibus opus imperaturus, mandatum de sabbatho repetit, ea de causa quam attigimus suprà 31.13. ‖ *Levitici* 23.3.

vobis *dies* sanctus, sabbathum quietis, Jehovæ: quisquis fecerit in eo opus, morte plectitor.

3 [3] Ne accenditote ignem in ullis habitationibus vestris, die sabbathi.

> [3] eo die cultui meo tantum incumbite, ac ne cibos quidem vobis necessarios parate: vide suprà 16.24.

4 Præterea alloquutus est Mosche totum cœtum filiorum Jisraëlis, dicendo; hæc *est* illa res quam præcepit Jehova, dicendo:

5 ‖ Accipite ex *iis quæ* penes vos *sunt* oblationē Jehovæ, cujuscunque [a] animus sponte moverit eum afferto hanc oblationem Jehovæ: aurum, & argentum, & æs;

> ‖ sup. 25.1.
> [a] Heb. *cor, sic deinceps.*

6 Et hyacinthina, & purpurea, & coccinea dibapha, & linum xylinum, & *lanam* caprarum:

7 Et pelles arietum rubefactas, pellésq; melium, & ligna cedrorum lectissimarum:

8 Et oleum ad luminare; odóramentáque ad oleum unctionis, & ad suffitum aromata illa:

9 Et lapides sardonychas, & lapides [b] insitivos; pro ipso amiculo, & pectorali sacro.

> [b] *Heb. impletionum, sic vers. 27.*

10 [4] [c] Industrius autem ex vobis quisque; veniunto ut faciant quicquid præcepit Jehova:

> [4] vide sup. 31.6.
> [c] *Heb. sapiens corde: sic deinceps.*

11 [5] Tabernaculum, [6] tentorium ejus & [7] tegmen ejus; ansulas ejus & asseres ejus, transtilla ejus, columnas ejus & stylobatas ejus:

> [5] intestina aulæa videlicet, de quibus suprà 26.1.
> [6] aulæa e lana caprina, de quibus suprà 26.7.
> [7] de quo suprà 26.14. ut de cæteris quæ hoc versu continentur.

12 Arcam ipsam, vectésque ejus, cum operculo propitiatorio, & velum [8] tegumenti:

> [8] quo obtegebatur ingressus in sanctuarium.

13 Mensam, & vectes ejus, & omnia instrumenta ejus; & panis faciei *instrumenta,*

14 Lychnuchúmque luminaris, & instrumenta ejus, ac lucernas ejus; & oleum luminaris:

15 Item altare suffitus & vectes ejus, & oleum unctionis, & suffitum aromaticum: & [9] tegmentum portæ ad portam tabernaculi:

> [9] quo obtegebatur ingressus tabernaculi.

16 Altare holocausti & cribrum æneum quod illi *erit,* vectes ejus, & omnia instrumenta ejus; labrum & scapum ejus.

17 Tapetes ocellatos atrii, columnas ejus, & stylobatas ejus; & [10] tegmentum portæ atrii:

> [10] quo obtegebatur ingressus atrii, de quo suprà 27.16.

18 Paxillos tabernaculi, & paxillos atrii, cum funibus suis.

19 [11] Vestes ministerii ad ministrandum in sancto; vestes sanctas Aharonis sacerdotis, & vestes filiorum ejus ad fungendum sacerdotio.

> [11] vide, suprà 31. 10.

20 Posteà egressi sunt totus cœtus filiorum Jisraëlis, a conspectu Moschis:

21 Et reversi sunt quisque quem [12] extulit animus ejus; & quemcunque spiritus ejus sponte movit, attulerunt oblationem Jehovæ, ad opus tentorii conventus, & ad totum [13] ministerium ejus, & ad vestes sanctas.

> [12] id est, excitavit ut non coactè sed liberaliter id faceret, ut planius sequentibus explicatur.
> [13] id est, vasa & instrumenta sacra.

22 Venerunt itaque viri cum mulieribus: [d] quemcunque sponte movit animus afferebant fibulas, & monilia, & annulos, [14] singulásque pendulas, omnia instrumenta aurea, & quisquis [e] obtulit, *offerebat* oblationem auri Jehovæ.

> [d] *Heb. omnis voluntarius corde.*
> [14] id est, bullatas cingulas & appendices earum, quæ a mulieribus gestari solent: sic interpretamur Hebræam vocem hic, & Num. 31. 50.
> [e] *Heb. agitavit: species pro genere, synecdoche, ut infrà 38. 24. & 29. & Num. 8.11.*

23 Item unusquisque quicquid præstò *fuit* penes se, hyacinthinum, aut purpureum, aut coccineum dibaphum, & linum xylinum, & *lanam* caprarum; pellésque arietum rubefactas, & pelles melium afferebant.

24 Quisquis offerebat, oblationē argenti aut æris attulerunt *in* oblationem Jehovæ: & penes quoscunque præstò *erant* ligna cedrorum lectissimarum pro toto opere illius ministerii, attulerunt.

25 Præterea singulæ mulieres industriæ neverunt manibus suis; attulerúntque netum hyacinthinum, & purpureum, & coccineum dibaphum, & xylinum.

26 Omnes etiā mulieres quas extulit animus earum *ad nendum* industriè, neverunt *lanam* caprarum.

27 Principes verò attulerunt lapides sardonychas & lapides insitivos, pro amiculo & pectorali sacro:

28 Et odoramentum & oleum, pro luminari & pro oleo unctionis, & pro suffitu aromata.

29 Omnes viri & mulieres, quos sponte movit animus ipsorum, ad afferendum pro toto illo opere quod præceperat Jehova fieri, per Moschen: attulerunt filii Jisraëlis voluntariam oblationem Jehovæ.

30 ‖ Tum dixit Mosche filiis Jisraëlis, videte, vocavit Jehova nominatim; Betzaleelem filium Uri filii Churis, e tribu Jehudæ:

> ‖ *suprà 31.5.*

31 [15] (quem implevit spiritu Dei, peritia, intelligentia, & notitia, & omni arte,

> [15] hos versus hyperbaticè accipi oportere docent distinctiones superioris versus, & 31. capitis cum loco hoc comparatio.

32 Tum ut excogitet res industriè inventas, & operetur in auro & in argento & in ære;

33 Et in artificio gemmario ad inserendum, & in artificio lignario; operando opus quodlibet [f] ingeniosissimum:

> [f] *Heb. excogitationis.*

34 Tum animo ejus indidit ut docere possit) *vocavit, inquam,* ipsum & Aholiabum filium Achisamaci e tribu Danis:

35 Implevit eos industria animi, ad faciendum omne opus fabri, & opificis artificiosissimi; phrygionísque, & textoris, hyacinthinis, & purpureis, & coccineis dibaphis, & xylino; facturos omne opus, & excogitaturos res industriè inventas.

CAPUT XXXVI.

36 [16] Faciet itaque totum opus *ad* ministerium sanctuarii Betzaleel & Aholiab, & omnis vir industrius, quibus indidit Jehova peritiam, & intelligentiam ut sciant facere; secundùm omnia quæ præcepit Jehova.

> [16] hunc versum ad præcedentia pertinere, atque ita interpretandum esse, adeò grammaticum est ut nihil suprà.

CAPUT XXXVI.

Artifices vocati ex oblata materia tabernaculum, operimenta, vela, asseres, columnas, stylobatásque faciunt: & quia antè oblata materia satis erat, cavetur ne quid amplius ad hoc opus populus conferat.

1 VOcavit ergo Mosche Betzaleelem & Aholiabum; & omnem virum [a] industrium cujus [b] animo indiderat Jehova peritiam: quemcunque extulerat animus ipsius, ut accederet ad opus illud, ad faciendum illud.

> [a] *Heb. sapientem corde; sic deinceps.*
> [b] *Heb. cordi.*

2 Qui quum accepissent a conspectu Moschis omnem illam oblationem quam attulerant filii Jisraëlis pro opere ministratorio sanctuarii ad faciendum illud; tamen adhuc *illi* afferebant ad eum voluntariam oblationem [c] unoquoque mane.

> [c] *Heb. mane mane.*

3 Quapropter venientes periti illi omnes qui faciebant totum opus sanctuarii; [d] quisque ab opere suo quod ipsi faciebant:

> [d] *Heb. vir vir.*

4 Alloquuti sunt Moschen dicendo, excedunt populus afferendo: plus satis *est* hujus administrationis, pro illo opere quod præcepit Jehova faciendum.

5 Tum præcepit Mosche ut [e] proclamaretur in castris, dicendo; ullus aut ulla ne faciunto deinceps opus ad oblationem sanctuarii: sic cohibitus est populus ne afferret.

> [e] *Heb. fecerunt ut transiret vox.*

6 Nam illius [f] rei erat satis illis pro toto hoc opere ad faciendum illud; [g] adeóque superabat.

> [f] *Heb. operis, ut Genes. 33.14.*
> [g] *Heb. & super esse.*

7 Fecerunt itaque industrius quisque inter facientes hoc opus, tabernaculum illud *e* decem aulæis; xylino internexo, & hyacinthino, &

> *Confer hæc omnia cum mandato Dei suprà 26.*

purpureo,

purpureo, & coccineo dibapho, Cerubinis *referta*, opere artificiosissimo fecit ea.

8 Longitudo aulæi uniuscujusque viginti octo cubitorum, & latitudo quatuor cubitorum cujusque aulæi ; mensura eadem *fuit* omnibus his aulæis.

9 Et conjunxit quinque aulæa unum ad alterum ; & quinque aulæa conjunxit unum ad alterum.

10 Nam fecit loramenta hyacinthina in ora aulæi primi ad extremitatem in commissura ; similiter fecit in ora cujusvis aulæi ulteriore, in commissura secunda.

11 Quinquaginta loramenta fecit in aulæo primo; & quinquagena loramenta fecit in extremitate cujusque aulæi quæ *erat* in commissura secunda : continuerunt hæc loramenta *aulæa* unum cum altero.

12 Factisque quinquagenis ansulis aureis, conjunxit ista aulæa alterum alteri *inditis loramentis* in ipsas ansulas, ut esset tabernaculum unum.

13 Item fecit aulæa e *lana* caprina, ad tentorium super ipsum tabernaculum; undecim aulæa fecit illa.

14 Longitudo aulæi unius triginta cubitorum, & quatuor cubitorum latitudo aulæi uniuscujusque; mensura eadem *fuit* undecim auleis.

15 Conjunxitque horum aulæorum quinque seorsim, & sex horum aulæorum seorsim.

16 Faciens enim loramenta quinquaginta *aptavit* oræ aulæi ulteriori in commissura secunda; & quinquagena loramenta aptavit oræ aulæi cujusque commissura secunda.

17 Similiter fecit ansulas æreas quinquagenas; ad conjungendum ipsum tentorium, ut esset unum.

18 Præterea fecit tegmen ipsi tentorio *e* pellibus arietum rubefactis ; & tegmen *e* pellibus melium superne.

19 Item fecit asseres huic tabernaculo e lignis cedrorum lectissimarum, arrectarios.

20 Denûm cubitorum longitudo asseris ; sesquicubiti verò latitudo asseris uniuscujusque :

21 Binos cardines asseri unicuique scalari forma compositos unum ad alterum : sic fecit omnibus asseribus ipsius tabernaculi.

22 Fecit autē asseres istos huic tabernaculo : viginti asseres ad plagam australem dextrorsum:

23 Et quadraginta stylobatas argenteos fecit sub viginti illis asseribus; duos stylobatas sub assere uno ad duos cardines ejus : & duos stylobatas sub assere altero ad duos cardines ejus.

24 Similiter in latere tabernaculi secundo ad plagam Aquilonalem fecit viginti asseres :

25 Et quadraginta stylobatas eorum argenteos, duos stylobatas sub assere uno, & duos stylobatas sub assere altero.

26 Angulis autem ipsius tabernaculi ad Occidentem, fecit sex asseres :

27 Duos præterea asseres fecit ad antas angulares ipsi tabernaculo, in utroque angulo :

28 Qui erant gemellisparæ infernè, pariterq; erant gemellisparæ ad verticem suum inditi annulo uno : sic fecit utrique illorum pro duabus antis illis angularibus.

29 Sic erant octo asseres, & stylobatæ eorum argentei sexdecim stylobatæ : g bini stylobatæ sub assere unoquoque.

g *Heb. duo stylobatæ, duo stylobatæ.*

30 Fecit etiam transtilla e lignis cedrorum lectissimarum : quinque pro asseribus primi lateris ipsius tabernaculi,

31 Et quinque transtilla pro asseribus secundi lateris tabernaculi, & quinque transtilla pro asseribus tabernaculi, ad utrumque angulum *pertinentia* occidentem versus.

32 Fecit autem transtillum horum medianum, quod transcurreret in medio ipsorum asserum, ab uno extremo ad alterum.

33 Asseres verò ipsos obduxit auro, & annulos eorum fecit ex auro, *qui essent* sedes ipsis transtillis, obduxit quoque ipsa transtilla auro.

34 Item fecit velum illud ex hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo, opere artificiosissimo fecit illud Cerubinis *refertum*.

35 Et factis ei quatuor columnis e cedris lectissimis obduxit eas auro, uncis earum aureis, fudítque eis quatuor stylobatas argenteos,

36 Item fecit tegumentum portæ ipsi tentorii ex hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo, opere phrygiano :

37 Et columnas ejus quinque & uncos earū (obduxit tamen earum [h] epistylia, horúmq; fascias auro) & stylobatas earum quinque ex ære.

h *Heb. capita, id est, capitella.*

CAPUT XXXVII.

Betzaleel arcam, mensam, lychnuchum, thymiaterium, cum instrumentis ipsorum, oleum quoque unctionis, & suffitum aromaticum conficit.

1 ITem fecit Betzaleel arcam illam *e* lignis cedrorum lectissimarum : duûm cubitorum cum dimidio longitudine sua, ac sesquicubiti latitudine sua, & sesquicubiti altitudine sua.

Confer hæc cum mandato Dei supra 25.

2 Eáque obducta auro puro intrinsecus & extrinsecus ; fecit ei limbum aureum circumquaque.

3 Et fudit ei quatuor annulos aureos ad quatuor impages ejus ; ita ut duo annuli *essent* in latere ejus uno, & duo annuli in latere ejus altero.

4 Fecit quoque vectes *e* lignis cedrorum lectissimarum, quos obduxit auro :

5 Et induxit vectes illos in annulos ad latera illius arcæ ; ad ferendum arcam illam.

6 Deinde fecit operculum propitiatoriū *ex* auro puro ; duûm cubitorum cum dimidio longitudine sua, & sesquicubiti latitudine sua.

7 Fecit etiam duos Cerubinos aureos ; continente opere fecit eos, e duabus extremitatibus ipsius operculi propitiatorii :

8 Cerubinum unū ab extremitate *una* hinc, & Cerubinum alterum ab extremitate *altera* inde : ex operculo propitiatorio fecit Cerubinos istos in duabus extremitatibus ejus :

9 Ita ut essent Cerubini illi passis alis sursum, obtegentes alis suis operculum ipsum propitiatorium, & facie sua *obversa* unius ad alterum, versus ipsum operculum propitiatorium facies Cerubinorum essent.

10 Item fecit mensam illam e lignis cedrorum lectissimarum : duûm cubitorum longitudine sua, & *unius* cubiti latitudine sua, & sesquicubiti altitudine sua :

11 Et obduxit eam auro puro ; fecitq; ei limbum aureum circumquaque.

12 Facta quoque ei tænia palmari circumquaque, fecit limbum aureum tæniæ ejus circumquaque.

13 Et fudit ei quatuor annulos aureos ; inditq; annulos ipsos in quatuor angulos qui *erant* in quatuor pedibus ejus.

14 E-regione ipsius tæniæ fuerunt illi annuli, sedes vectibus ad portandam mensam.

15 Fecitque vectes ipsos *e* lignis cedrorum lectissimarum, & obduxit eos auro; ad portandum mensam.

16 Fecit quoque instrumenta illa quæ imponerentur mensæ, scutulas ejus, & acerras ejus, & scopulas ejus, & scutellas quibus tegeretur; *ex* auro puro.

17 Item fecit lychnuchum illum *ex* auro puro: continente opere fecit lychnuchum illum, scapus ejus & *quisq;* ramus ejus, lances ejus, mala oblonga ejus, & calyculi ejus ex ipso erant.

18 Sex autem rami egredientes e lateribus ejus; tres rami lychnuchi e latere ejus uno, & tres rami lychnuchi e latere ejus altero:

19 Tres lances, speciem amygdalæ referentia in uno ramo malum oblongum, & calyculus: & tres lances, speciem amygdalæ referentia in uno ramo malum oblongum, & calyculus: similiter sex illis ramis qui prodibant e lychnucho illo.

20 In ipso verò lychnuchi *scapo* quatuor lances; amygdalæ speciem referentia mala oblonga ejus & calyculi ejus:

21 Nempe malum oblongum sub duobus ramis ex eo *prodeuntibus*, & malum oblongum sub duobus ramis ex eo *prodeuntibus*, & malum oblongum sub duobus ramis ex eo *prodeuntibus*; sex illos ramos prodeunteis ex ipso:

22 Mala oblonga eorum & rami eorum ex ipso erant: totus ille continente opere uno *fuit* ex auro puro.

23 Et fecit lucernas ejus septem; & forcipes ejus, & trullas ejus *ex* auro puro.

24 Talento auri puri fecit illum, & omnia instrumenta illius.

Confer hęc cum mandato Dei suprà 30.

25 Item fecit altare ipsum suffitus *e* lignis cedrorum lectissimarum: unius cubiti longitudine sua, & unius cubiti latitudine sua, quadratum, & duûm cubitorum altitudine sua, ex ipso erant cornua ejus.

26 Et obduxit illud auro puro, tectum ejus, lateráq; ejus circumquaque, & cornua ejus; fecítq; ei limbum aureum circumquaque.

27 Et binos annulos aureos fecit ei infra limbum ejus juxta binos angulos ejus, in duobus lateribus ejus; ut *essent* sedes vectibus ad portandum illud eis.

28 Fecit autem vectes ipsos *e* lignis cedrorum lectissimarum, quos obduxit auro.

29 Fecit quoque oleum ipsum unctionis sanctum, & suffitum aromaticum purum; opere pigmentarii.

CAPUT XXXVIII.

Betzaleel altare holocausti, labrum, atriúmque cum ipsorum instrumentis facit: metallorum ad opus sacrum oblatorum summa, & quid ex unoquoque factum sit, ostenditur.

Confer cum mandato Dei suprà 27.1.

1 Item fecit altare holocausti e lignis cedrorum lectissimarum: quinque cubitorum longitudine sua, & quinque cubitorum latitudine sua, quadratum, & trium cubitorum altitudine sua.

2 Factísque cornibus ejus, super quatuor angulos ejus (ex ipso fuerunt cornua ejus) obduxit illud ære.

3 Fecit etiam omnia instrumenta ipsius altaris, lebetes, & palas, & crateras, & fuscinulas, & forcipes; omnia instrumenta ipsius fecit ex ære.

4 Et fecit illi altari cribrum opere reticulato æreo; sub ambitu illius ab ima parte usque ad medium illius.

5 Et fundens quatuor annulos indidit quatuor extremitatibus illius ad cribrum æreum; *ut essent* sedes vectibus illius.

6 Fecítq; vectes illos e lignis cedrorum lectissimarum, quos obduxit ære.

7 Et induxit illos vectes in annulos ipsos in lateribus illius altaris ad portandum illud eis: cavum ex tabulis fecit illud.

8 Item fecit labrum illud chalybeum, & scapum ejus chalybeum; [1] e speculis mulierum turmatim convenientium, quę turmatim conveniebant *ad* portam tentorii conventus.

[1] oblatis a mulieribus, quæ studio pietatis turmatim accurrebant ad offerendum Deo: sic accipitur verbum 1.Shemu. 2.22.

9 Item fecit illud atrium: ad plagam meridianam dextrorsum, tapetes ocellatos illius atrii e xylino internexo, centum cubitorum,

10 Columnas eorum viginti, & stylobatas earum viginti æneos; uncos illarum columnarum fasciásque illarum argenteas:

11 Similiter ad plagam Aquilonalem, centum cubitorum, columnas eorum viginti & stylobatas earum viginti æneos; uncos columnarum fasciásq; illarum argenteas:

12 Ad plagam verò occidentalem, tapetes ocellatos *in* quinquaginta cubitos, columnas eorum decem, & stylobatas illarum decem; uncos columnarum fasciásque illarum argenteas:

13 Et ad plagam anteriorem orientem versus, quinquaginta cubitorum.

14 Tapetes ocellatos *in* quindecim cubitos ab uno latere; columnas eorum tres, & stylobatas illarum tres,

15 Et a latere altero, hinc & inde ad portam ipsius atrii, tapetes ocellatos *in* quindecim cubitos; columnas eorum tres & stylobatas illarum tres.

16 Omnes tapetes ocellatos ipsius atrii circumquaque e xylino internexo;

17 Et stylobatas ad istas columnas æneos; uncos columnarum cum fasciis earum argenteos, & obductionem epistyliorum earum ex argento: erant enim omnes columnæ atrii redimitæ fasciis argenteis.

18 Tegumentū autem portæ ipsius atrii opere phrygiano, *ex* hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo; cujus longitudo viginti cubitorum, altitudo verò in latitudine *tegumenti* quinque cubitorum, e-regione tapetium ocellatorum cujusque atrii:

19 Et columnas eorum quatuor cum stylobatis earum quatuor æneis; uncos earum argenteos, & obductionem epistyliorum earum cum fasciis earum ex argento:

20 Omnes autem paxillos ad tabernaculum & ad atrium circumquaque æneos.

21 [2] Ista *sunt* numerata [3] ipsius tabernaculi, tabernaculi testimonii, quæ numerata sunt [a] ex præstituto Moschis; *ad* ministerium [4] Levitarum [b] opera Ithamaris filii Aharonis sacerdotis.

22 E quibus Betzaleel filius Uri filii Churis e tribu Jehudæ, fecit omnia quæ præceperat Jehova Moschi;

23 Et cum eo Aholiab filius Achisamaci de tribu Danis, faber & ingeniosus artifex; phrygióque in hyacinthino & in purpureo, & in coccineo dibapho, & in xylino.

24 Totum illud aurum quod factū est ad istud opus in toto opere sanctuarii: fuit inquam, aurum [c] oblationis, [5] viginti novem talenta, septingenti

[2] quæ numerare incipit ℣.23.
[3] ad conficiendum tabernaculum & res ad ipsum pertinentes, synecdochè.
[a] *Heb. secundùm os.*
[4] totius gentis Leviticæ, quæ posteà in Levitas & Sacerdotes distributa est.
[b] *Heb. per manum.*
[c] *Heb. agitationis, ut infr.* ℣.29. *vide supr* 35.22.
[5] auri summa superat pretium quinquies centies sexagies mille quadringentorum quinquaginta thallerorum: nam talentum fuit 3000. siclorum.

c argenti summa superat pretium centies nonagies bis mille octingentorum octoginta septem thalleorum cum dimidio: siquidem dimidius thallerus sacrū siclum efficit, id est, argenti fermè semunciam: vide justam rationem in Genes.23.16.

d *Heb. in cranium.*

7 qui numerus fuisse ostenditur Num.1.46.

genti triginta sicli, prout *est* siclus sacer.

25 Item argentum numeratorum e cœtu, c centum talenta; cum mille septingentis septuaginta quinque siclis, prout *est* siclus sacer.

26 Didrachma d in singula capita, dimidium sicli prout *est* siclus sacer; in quemque transeuntem ad numeratos a nato viginti annos & deinceps, in 7 sexcentos ter mille quingentos quinquaginta.

27 Cujus argenti fuerunt centum talenta ad fundendum stylobatas sanctuarii & stylobatas veli; centum stylobatæ in centum talenta, talentum in stylobatam:

28 *Ex* mille verò septingentis septuaginta quinque *siclis*, fecit uncos *singulis* columnis; & obduxit epistylia earum, redimivítque eas fasciis.

29 Item æs oblationis septuaginta taletorū; & bis mille quadringentorum siclorum *pondere*.

30 Ex quo fecit stylobatas portæ tentorii conventus, & altare æneum, & cribrum æneum quod ei *est*; & omnia instrumenta illius altaris:

31 Stylobatas quoque ipsos atrii circumquaque, & stylobatas portæ ipsius atrii: omnes præterea paxillos tabernaculi, & omneis paxillos atrii circumquaque.

CAPUT XXXIX.

Quæ e xylino, auro & gemmis facienda erant, nimirum amiculum, pectorale sacrum, pallium, tunica, cidaris, tiaræ, baltheus, femoralia, & bractea ad Moschen afferuntur.

Confer cum cap. 28. suprà.

1 ITem ex illis hyacinthinis & purpureis & coccineis dibaphis fecerunt vestes ministerii; ad ministrandum in sancto: fecerunt quoque vestes sacras quæ *essent* Aharonis, sicut præceperat Jehova Moschi.

2 Fecit itaque amiculum illud; *ex* auro, hyacinthino & purpureo & coccineo dibapho & xylino internexo.

3 Ductis enim bracteis illius auri, sciderat *artifex* filamenta; a ad inserendum inter hyacinthina ipsa, & inter purpurea, & inter coccinea dibapha, & inter illud xylinum; opere artificiosissimo.

a *Heb. ad faciendum in medio hyacinth. &c.*

4 Humeralia fecerunt ei conjungentia; *ut* duabus extremitatibus ejus conjungeretur.

5 Et cingula amictus ejus quæ in eo *erat*, prout *erat* opus ejus, ex ipso fuit; *ex* auro, hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo: quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

6 Quúmq; aptassent lapides illos sardonychas circunclusos fūdis aureis, insculptos sculpturis tāquā sigilli, de nominibus filiorū Jisraëlis:

7 Imposuit eos humeralibus hujus amiculi, *ut essent* lapides monimenti pro filiis Jisraëlis; quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

8 Item fecit sacrum illud pectorale opere artificiosissimo, sicut opus amiculi; *ex* auro, hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & xylino internexo.

9 Quadratum fuit duplicatum, *sic* fecerunt pectorale illud sacrum, spithamæ longitudine sua & spithamæ latitudine sua, duplicatum.

10 Inseruerúntque ei quatuor ordines lapidum. ORDO. pyropum, topazium, & smaragdum, hunc ordinem primum:

11 Et hunc ordinem secundum; chrysoprasum, sapphirum, & adamantem.

12 Hunc quoque ordinem tertium, cyanum, achatem, & amethystum.

13 Hunc denique quartum ordinem, beryllum thalassium, sardium, & jaspidem: circumclusos fundis aureis insitionibus suis.

14 Hi ergo lapides cum nominibus filiorum Jisraëlis erant duodecim de nominibus eorum, *&* sculpturę *tanquam* sigilli pro duodecim tribubus, unaquaque de nomine ipsius.

15 Et fecerunt in isto pectorali sacro, catenas æquabiles opere tortili, *ex* auro puro.

16 Factísque duabus fundis aureis, & duobus annulis aureis, posuerunt duos illos annulos in duabus extremitatibus pectoralis illius sacri.

17 Indiderúntque duas illas *catenas* tortiles aureas duobus istis annulis, in extremitatibus illius pectoralis sacri:

18 Duas verò *alias* extremitates istarum duarum tortilium catenarum apponentes duabus illis fundis, indiderunt humeralibus ipsius amiculi, *ut esset* ante faciem ejus.

19 Fecerunt quoque duos annulos aureos, quos apposuerunt duabus extremitatibus pectoralis illius sacri, intrinsecus, in ora ejus quæ *est* ad latus ipsius amiculi.

20 Similiter fecerunt duos annulos aureos, quos apposuerunt duobus humeralibus illius amiculi infernè ante faciem ejus, e regione *alterius* commissuræ ejus: a superiore parte cingulæ ipsius amiculi.

21 Ita sustulerunt pectorale illud sacrum annulis suis ad annulos illius amiculi vitta hyacinthina, ut esset super cingulā ipsius amiculi, neque separaretur pectorale illud sacrū ab ipso amiculo: quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

22 Item fecit pallium illud amiculi, opere textili; totum hyacinthinum:

23 Os verò illius pallii in medio ejus velut os loricæ; limbum ori ejus circumquaque, ne laceraretur.

24 Et fecerunt in fimbriis illius pallii malogranata hyacinthina, & purpurea, & coccinea dibapha; *filis* internexis.

25 Factísque tintinnabulis ex auro puro; posuerunt tintinnabula hæc inter malogranata, in fimbriis ipsius pallii circumquaque inter malogranata illa.

26 Tintinnabulum deinde malogranatum, tintinnabulum deinde malogranatum in fimbriis illius pallii circumquaque; ad ministrandum, quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

27 Item fecerunt tunicas illas e xylino, opere textili; Aharoni & filiis ejus:

28 Et cidarin illam e xylino, & b tiaras illas ornamentorum e xylino; & femoralia linea e xylino internexo.

b *Heb. ornamenta tiararum: hypallage.*

29 Et baltheum illum e xylino internexo, & hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, opere Phrygiano: quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

30 Item fecerūt bracteā coronamenti sancti *ex* auro puro; cui inscripserūt inscriptionē sculpturis *tanquam* sigilli, SANCTITAS JEHOVAE.

31 Et indiderunt ei vittam hyacinthinā, imponendo eam cidari ipsi supernè: quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

32 Absoluto itaque toto opere tabernaculi, tentorii conventus; quum facientes filii Jisraëlis, secundùm omnia quæ præceperat Jehova Moschi, sic fecissent:

33 Attulerunt tabernaculū illud ad Moschen, tentoriū ipsum, & omnia instrumenta ejus, ansulas ejus, asseres ejus, transtilla ejus, columnásque ejus

ejus,& stylobatas ejus:

34 Et operimentum e pellibus arietum rubefactis, & operimentum e pellibus melium: & velum tegumenti:

35 Arcam ipsam testimonii,& vectes ejus; & operculum illius propitiatorium:

36 Mensam cum omnibus instrumentis ejus, & panis faciei *instrumenta*;

37 Lychnuchum illum [1] purum, lucernas ejus lucernas [c] aptandas, & omnia instrumenta ejus & oleum luminaris:

[1] ex auro puro, ut suprà 31.8. synecdoche.
[c] *Heb.aptationis.*

38 Et altare aureum & oleum unctionis & suffitum aromaticum & tegumentum portę ipsius tentorii:

39 Altare æneum,& cribrum æneum quod ei *est*, vectes ejus, & omnia instrumenta ejus; labrum & scapum ejus:

40 Tapetes ocellatos atrii, columnas ejus & stylobatas ejus,& tegumentum ad portam atrii, funes ejus & paxillos ejus, deniq; omnia instrumenta ministratoria ipsius tabernaculi, pro tentorio conventus:

41 [2] Vestes ministerii ad ministrandũ in sanctuario, vestes sacras pro Aharone sacerdote, & vestes filiorum ejus ad fungendum sacerdotio:

[2] vide suprà 31. 10.

42 Secundùm omnia quæ præceperat Jehova Moschi, sic fecerant filii Jisraëlis totum illud opus.

43 Quúmque videret Mosche totum illud opus, ecce fecerant illud, *&* quemadmodum prçceperat Jehova sic fecerant: quapropter benedixit [3] eis Mosche.

[3] qui obtulerant,& qui ex rebus oblatis ea quæ mandaverat Deus perfecerant.

CAPUT XL.

Erigendi tabernaculi mandatum & exsequutio, divina approbatio per aspectabilem descensum gloriæ Dei, & profectionum ratio describitur.

1 Alloquutus autem fuerat Jehova Moschen, dicendo,

2 [a] Tempore mensis primi, primo die ejus mensis; erigito tabernaculum, tentorium conventus:

3 Et pones ibi arcam ipsam testimonii, & obteges eam arcam [1] illo velo.

4 Deinde inferes mensam,& ordinabis [b] quę ordinari oportet in ea: inferes quoque lychnuchum illum,& accendes lucernas ejus:

5 Et pones altare illud aureum ad suffitum, coram arca ipsa testimonii: tunc appones [2] tegumentum portæ ipsi tabernaculo.

6 Posteà pones altare holocausti; ante portam tabernaculi tentorii conventus.

7 Pones verò labrum inter tentorium conventus [c] & altare istud, ubi ponas aquam.

8 Postremò pones atrium circumquaque, & appones [3] tegumentum portæ ipsi atrii.

[a] *Hebr.die, synecdoche.*
[1] quo definitur sanctum sanctorum intima pars tabernaculi.
[b] *Hebr.cujus dispones dispositionẽ, id est, res ex mandato disponendas suprà 25.29.*
[2] quo sanctum altera tabernaculi pars definitur.
[c] *Heb.& inter altare: sic ℣.30.*
[3] quo terminatur atrium extima pars ac velut sepes tabernaculi, quæ sine tecto erat.

9 Tunc accepto oleo unctionis unges tabernaculum ipsum & quicquid *erit* in eo; sic sanctificabis ipsum & omnia instrumenta ejus, ut sit res sancta:

10 Unges quoque altare holocausti & omnia instrumenta ejus; sic sanctificabis ipsum altare, ut sit altare illud res sancta sanctarum:

11 Unges etiam labrum ipsum, & scapum ejus; sic sanctificabis ipsum.

12 Deinde jubens accedere Aharonem & filios ejus ad portam tentorii conventus; lavabis eos aqua:

13 Et induto Aharone vestibus sacris, ungens eum sanctificabis eum, ut sacerdotio fungatur mihi:

14 Filios verò ejus jubebis accedere, induésque eos tunicis,

15 Et unges eos quemadmodum unxeris patrem eorum, ut sacerdotio fungantur mihi: sic fiet ut sit illis hæc unctio eorum [4] in sacerdotium [d] perpetuum, per generationes eorum.

16 Quod fecit Mosche, secundùm omnia quæ præceperat ei Jehova, sic fecit.

17 Fuit enim ipso mense primo anno [5] secundo, primo die mensis, *ut* erigeretur tabernaculum.

[4] videlicet ut non esset opus unctionem repetere ad consecrandum eorum posteros in sacerdotes: ungebantur enim posteà summi sacerdotes tantùm, quamobrẽ hi soli dicuntur uncti, Levit.4.3. vide suprà 29.29. & 30. 30. itemq; Levit.21.10. atq; hoc sensu Aristobulus de gente sacerdotum unctorum fuisse dicitur, 2.Macbęo, 1.10.
[d] *Heb.seculi.*
[5] ab exitu ex Aegypto.

18 Nam erexit Mosche tabernaculum, positísque stylobatis ejus imposuit asseres ejus,& apposuit transtilla ejus, ac erexit columnas ejus.

19 Deinde expandit tentorium in tabernaculo ipso, cui imposuit tegmen ipsius tentorii supernè, quẽadmodũ præceperat Jehova Moschi.

20 Acceptumque ponens testimonium in arca illa, apposuit vectes arcæ,& imposuit operculum propitiatorium arcæ illi supernè:

21 Posteà intulit arcam in tabernaculum; & apposuit velum tegmenti, ut obtegeret arcam ipsam testimonii: quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

22 Item posuit mensam in tentorio conventus, in latere tabernaculi Aquilonem versus, extra velum illud:

23 Eamque instruxit instructione panis coram Jehova, quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

24 Similiter posuit lychnuchum in tentorio conventus e-regione illius mensæ, in latere altero tabernaculi Meridiem versus:

25 Et accendit lucernas ejus coram Jehova, quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

26 Posuit etiam altare aureum in tentorio conventus; ante velum ipsum:

27 Et adolevit in eo suffitum aromaticum; quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

28 Apposuitque tegmentum portæ, ipsi tabernaculo:

29 Item altare holocausti posuit *ad* portam tabernaculi, tentorii conventus: & obtulit in eo holocaustum & munus, quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

30 Et posuit labrũ inter tentorium cõventus & altare istud, ubi posuit aquam ad lavandum:

31 Laveruntq; ex eo [6] Mosche [7] deinde Aharon & filii ejus; manus suas & pedes suos.

32 Quum ingressuri erant in tentorium conventus,& quum accessuri erant ad ipsum altare, lavaturi erant; quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

33 Denique erecto atrio ipso circa tabernaculum & altare illud, apposuit tegumentum portæ ipsius atrii: sic absolvit Mosche opus illud.

34 Tunc operuit [8] nubes illa tentorium conventus,& gloria Jehovæ [9] implevit tabernaculũ:

35 Adeò ut non posset Mosche ingredi in tentorium conventus, quum incubuisset illi nubes: nam gloria Jehovæ implebat ipsum tabernaculum.

36 Quum autem sustollebatur nubes illa e tabernaculo, proficiscebantur filii Jisraëlis; [10] in omnibus profectionibus suis.

37 Sin autem non sustollebatur nubes illa; neque ipsi proficiscebantur, usque ad diem quo sustollebatur illa.

38 [11] Nubes enim Jehovæ *erat* super ipsum tabernaculum interdiu, ignis verò in ea noctu; in oculis totius domus Jisraëlis, omnibus profectionibus eorum.

[6] quum ingrederetur sacerdotis munus obiturus, usque dum Aharonem & filios plenè consecravisset,& omnia sibi imperata in tabernaculo effecisset.
[7] quoties illi sacerdotio fungẽdum erat.
[8] de qua suprà 13.21.& alibi sæpe.
[9] singulari quadam ratione & aspectabili symbolo, quamprimùm eò Jehova quasi descenderet.
[10] id est, ubicunque essent, hoc signo intelligebant sibi proficiscendum esse.
[11] vide suprà 13.21.& 22.

TER-

TERTIUS LIBER MOSCHIS, SIVE LEVITICUS.

TERTIUS *liber Pentateuchi continet quæ memorabilia in populo Dei dicta & facta fuerunt mense uno; puta ab initio anni secundi post exitum ex Ægypto, erecto jam tabernaculo, usque ad principium secundi mensis ejusdem anni: in primis autem id genus legum quod ad ceremonias pertinet.*

CAPUT PRIMUM.

Lex de voluntario holocausto, ex quibus generibus animalium, & quo ritu sit offerendum.

1 INCLAMAVIT [1] autem Moschen; deinde alloquutus est Jehova cum e tentorio conventus, dicendo,

2 Alloquere filios Jisraëlis & edicito eis, [a] quisque quum offeret e vobis [2] oblationem Jehovæ; ex jumentis, *hoc est* [3] ex bobus, aut ex ovibus sive capris offertote oblationem vestram.

3 Si holocaustum *erit* oblatio ejus e bobus, [b] maris integri offerto illam: ad portam tentorii conventus offerto illam: pro voluntate sua coram Jehova.

4 Et [4] nitetur manu sua super caput holocausti sui; ut [5] sit acceptum pro ipso ad expiandum ipsum:

5 Quando [6] jugulabit *Sacerdos* [c] subrumũ illũ *juvencum* coram Jehova; & offerentes filii Aharonis sacerdotes sanguinem illius, spargent sanguinem illum circumquaque super illud altare quod *est ad* portam tentorii conventus.

6 Deinde [7] nudans *pelle* illud holocaustum, dividet illud in [8] membra sua.

7 Tunc cõponentes filii Aharonis sacerdotes [9] ignẽ super altari, struẽt ligna super ignẽ illũ.

8 Posteà disponent filii Aharonis sacerdotes membra illa cum capite & intestinis; super illa ligna quæ *fuerint* apposita igni, qui *est* super altare illud:

9 [10] Quum exta ejus & [11] crura ejus laverit aqua: sic adolebit sacerdos ea omnia in illo altari, holocaustum, sacrificium igne absumtum, odoris grati Jehovæ.

10 QUOD si e grege oblationem suam, ex ovibus aut ex capris *offeres* in holocaustum; maris integri offerto eam.

11 Jugulabítq; illam ad latus illius altaris [12] versus Aquilonem [13] coram Jehova: & spargent filii Aharonis sacerdotes sanguinem ejus super altare illud circumquaque.

12 Dividétq; illa in membra sua cum capite ejus & intestinis ejus; & disponet ea sacerdos super illa ligna quæ *fuerint* apposita igni, qui *est* super illud altare:

13 Quum exta cruráque laverit aqua: sic offerens sacerdos ea omnia adolebit in ipso altari, holocaustum est, sacrificium igne absumtum, odoris grati Jehovæ.

14 SIN AUTEM ex aliqua volucri holocaustum oblationem suam *offeras* Jehovæ; tum offeret [14] e turturibus, aut e pullis columbæ oblationem suam:

15 Quam admovens sacerdos ad ipsum altare, ungue secabit caput ejus, adolebitque in illo altari; quum expressus fuerit sanguis ejus ad parietem ipsum altaris.

16 Deinde amovens ingluviem ejus cum [15] sordibus ejus; projiciet eam juxta altare illud [16] orientem versus, [17] ad locum cineris.

17 Findet autem ipsam cum alis, non [18] separabit *eas*; sic adolebit eam sacerdos in ipso altari super ea ligna quæ *fuerint* apposita igni: holocaustum est, sacrificium igne absumtum, odoris grati Jehovæ.

[1] foris manentem, quia præ gloria Dei implente tabernaculum non potuit Mosche ingredi tentoriũ, Exod. 40. 34. inclamavit autem, ut vocem suam e tabernaculo sonantẽ, & leges ferentem de sacrificiis attentè audiret.
[a] Heb. homo.
[2] voluntariam, ut ostendit finis vers. 3.
[3] inter animalia terrestria hę tres solæ species sacrificiis aptæ erant. Secundam autem vocẽ interpretamur πλεοναστικῶς evidentię causa, quia has duas species propriè complectitur, ut exponit Mosche inf. vers. 10.
[b] Heb. marem integrum per appositionem, ut V. 10.
[4] vide in Exod. 29. 10.
[5] offerenti acceptũ feratur a Deo atq; imputetur, tamquam legitimum & gratum sacrificium: vide inf. 7. 8.
[6] videlicet sacerdos, non autẽ is qui offert, ut in sequentibus sacrificiis omnibus accipiendũ esse docet mandatũ Dei Exod. 29. 10. & sequentibus, & Moschis ipsius exemplum, inf. 8. 15. Hinc enim principium ducunt Sacerdotis partes. [c] Heb. filium bovis. [7] videlicet sacerdos ἱεροθυτῶν, ut apparet ex 2. Chro. 29. 34. nam de ministerio sacerdotum loqui jam cœpit Mosche in præcedente versu. [8] videlicet caput, adipem, intestina, & crura, ut distribuuntur posteà V. 8. & seq. [9] illum videlicet qui cælitus demissus est quum in eo primũ offerretur, inf. 9. 24. & qui posteà ex Dei mãdato semper alendus in eo altari ad res sacras, inf. 6. 5. & 6. [10] nã hæc quoq; lota cum reliquis holocausti partibus erant igne consumenda: unde holocaustum & sacrificium igne absumtum dicitur Exod. 29. 18. & hic passim. [11] cum adjuncto ipsorum ambitu, quem a pendendo Latini prisci vocabant penem, quasi appendicem, ut est in Glossario vetere. Exta autem hic reddimus, & versu praeced. intestina, ex vocũ etymologia, & autorũ usu. [12] quod etiam de priore ἀναλογικῶς intelligendum est sup. V. 5. [13] id est, ad portam tentorii conventus, suprà vers. 3.

[14] quæ duę tantùm species volucrium aptæ erant cõmunibus sacrificiis, pręter aviculam in oblatione pro leproso, inf. 14.
[15] visceribus, quæ transmissas ab ingluvie sordes excipiunt: synecdoche.
[16] longissimè a sancto sanctorũ, ad reverentiam majestatis Dei.
[17] in quo is qui purgabat altare cineres primùm collocabat, ut posteà efferentur extra castra: quod docetur inf. 4. 12. & 6. 3. & 4. & 8. 17.
[18] a reliquo trunco videlicet: hoc enim præcedentium verborum est exegeticum.

CAPUT II.

Lex de munere voluntario rerum inanimarum crudarum, torrefactarum, frixarum, elixarum, & primitiarum, cum interdicto miscendi fermenti aut mellis, & mandato de adhibendo sale.

1 CUjusvis autem animæ, quum offeret oblationem [1] muneris Jehovæ, e simila esto oblatio; cui superfundet oleum & imponet thus.

2 Sic afferet illud ad *aliquem* filiorum Aharonis, sacerdotum; qui accipiet inde plenum pugillum suum e simila ejus *muneris* & ex oleo ejus cum toto thure ejus: adolebítque sacerdos suffimentum memoriale ejus in ipso altari, munus igne absumtum odoris grati Jehovæ.

3 Quod autem remanserit ex isto munere, *esto* Aharonis & filiorum ejus: res sancta sanctarum *est* ex igne absũmtis Jehovæ.

4 Quòd si offeres oblationem muneris, coctum *aliquid* furno; *sunto* e simila collyræ azymæ mixtæ oleo, aut lagana azyma uncta oleo.

[1] donum intellige ex rebus inanimatis ad oblationem aptis: In hoc autem cap. de voluntariis tantùm agitur, in tribus quidẽ primis versibus de crudo munere, in cæteris verò de aliis muneribus quæ in furno obthurato coquuntur, aut in testu, aut in obtecto vase, depresso & humili, vel profundo. Atque hæc de munere odoris grati, ut dicitur versu 9. hoc enim secus fieri oportuit, si quando munus fuit memoriam iniquitatis revocans, ut Numer. 5. 15. legimus, quod oleo & thure carere oportuit.

5 QUOD

5 QUÒD ſi munus ad ſartaginem coctum *ſit*
oblatio tua, *e* ſimila azyma mixta oleo eſto.
6 Frangendo illam in fruſta, poſtquam effu-
deris ſuper eam oleum: munus eſt.
7 SIN AUTEM munus [2] cacabi ſit oblatio tua,
e ſimila cum oleo conficitor.
8 Tum afferes munus ipſum quod fuerit con-
fectum, [3] ex iſtis Jehovæ: cóque oblato ſacerdo-
ti, admovebit *ſacerdos* illud ad altare:
9 Et tollens ſacerdos de munere iſto [4] ſuffimẽ-
tum memoriale ejus, adolebit in altari illo; igne
abſumtum, munus odoris grati Jehovæ.
10 Quod autem remanſerit ex iſto munere,
eſto [5] Aharonis aut filiorum ejus: res ſancta ſan-
ctarum ex igne abſumtis Jehovæ.
11 [6] NULLUM munus quod offeretis Jehovæ
conficitor fermentatũ: nam ex nullo fermento,
& ex nullo [7] melle adolebitis, igne abſumendum
munus Jehovæ.
12 *In* oblatione *quidem* primitiarum offeretis
ea *fermentata* Jehovæ: ſed ad hoc altare ne [a] of-
feruntor in odorem gratum.
13 [8] Omnem autem oblationem muneris tui
ſale ſalito; [9] neque ceſſare ſinito ſalem federis
Dei tui a munere tuo: cum omni oblatione tua
offerto ſalem.
14 QUÒD ſi offeras munus primitiarum Je-
hovæ; ariſtas recentes toſtas igne, [b] quod con-
tuſum fuerit e ſpicis virentibus, offerto munus
primitiarum tuarum:
15 Cui addes oleum, & impones thus: mu-
nus eſt.
16 Sic adolebit ſacerdos memoriale ſuffimen-
tum ejus ex [c] eo contuſo, & ex oleo ejus cum to-
to thure ejus: munus igne abſumtum *eſt* Jehovę.

[2] profundi vaſis, in quo res coquuntur liquore merſæ. [3] toſtis, frixis, aut elixatis. [4] partem illam quam pugillo a ſacerdote accipi juſſit, ut Deo igne abſumatur, ſup. verſ. 2. [5] id eſt, ſacerdotis illius qui munus obtulerit, ut oſtenditur infrà toto cap. 6. [6] voluntarium: nam in euchariſticis ſacrificiis collyræ fermentatę adhibebantur, infrà 7.13. & in primitiarũ oblatione duo panes fermentati efferebantur, de quibus infrà 23.20. & proximè ſequente verſu. [7] nam mel quoque fermentandi vim habet, teſte Abben Hezra. [a] Heb. aſcendũto. [8] mandatum eſt univerſale: ex quo admonet Chriſtus Marc. 9.49. ut ad æternam & incorruptam federis obſervationem ſanctitatémque comparemur, oblationum exemplo quæ ſine ſale ingratæ erant. [9] id eſt, in te ipſo ſemper habeto fedus meum quo velut ſale conditus ſis: oblationes enim hominum alienorum a federe, abominationi ſunt mihi. Tranſlata loquutio a ſenſibus ad animum. [b] *Hebr. contuſionem ſpicæ virentiũ, id eſt, ex ariſtis grana torrefacta & tuſa: metonymia.* [c] *Hebr. contuſione ejus ut ſuprà verſ. 14.*

CAPUT III.

Lex de ſacrificiis privatorum euchariſticis, ex tribus quadrupedum generibus.

1 QUòd ſi ſacrificium [a] euchariſticum ob-
latio ejus *erit*; quum ex bobus offert
ſive marem ſive fœminam, integram offerto eam
coram Jehova.
2 Et nitente *illo* manu ſua ſuper caput oblatio-
nis ſuæ, mactabit eam *Sacerdos ad* portam tento-
rii conventus: fundéntq; filii Aharonis ſacerdo-
tes ſanguinem illius ſuper ipſum altare circum-
quaque.
3 Poſteà offeret *ſacerdos* de ſacrificio hoc eu-
chariſtico igne abſumendum Jehovę, adipem il-
lum qui operit exta, & totum illum adipem qui
adhæret extis:
4 Præterea ambos renes ejus, & adipem qui
erit ſuper illos *&* qui ad ilia, & reticulum quod
erit ſuper jecur, cum renibus auferet illud:
5 Et adolebunt filii Aharonis in eo altari, [b]
pro ratione holocauſti, quum *erit* ſuper illa lig-
na quę *fuerint* impoſita igni: igne abſumtum odo-
ris grati Jehovæ.
6 QUÒD ſi e [1] grege *erit* oblatio ejus in ſacri-
ficium euchariſticum Jehovæ, marem aut fœmi-
nam, integram offerto eam.
7 Si ovem offert hic oblationem ſuam, tum of-
feret illam coram Jehova;

[a] *Heb. euchariſtiarum, q.d. retributionum.*
[b] *Heb. ſecundum holocauſtum.*
[1] videlicet ovium aut caprarũ, de quibus deinceps ordine agitur: vide ſuprà in 1.2.

8 Et nitente *illo* manu ſua ſuper caput oblati-
onis ſuę, jugulabit eam coram tentorio conven-
tus: ſpargéntque filii Aharonis ſanguinem ejus
ſuper ipſum altare circumquaque.
9 Poſteà offeret de ſacrificio hoc euchariſtico
igne abſumendum Jehovæ, adipem ejus, [2] cau-
dam ipſam integram, quam ad orthopygium au-
feret: & adipem illum qui operit exta, & totum
illum adipem qui adhæret extis:
10 Præterea ambos renes ejus, & adipem qui
erit ſuper illos *&* qui ad ilia, & reticulum *quod erit*
ſuper jecur, cum renibus auferet illud:
11 Et adolebit ſacerdos in eo altari: cibus *eſt*
igne abſumtus Jehovæ.
12 SIN AUTEM capra *erit* oblatio ejus, tum
offeret illam coram Jehova:
13 Et nitente *illo* manu ſua ſuper caput ejus, ju-
gulabit eam coram tentorio conventus: ſpar-
géntque filii Aharonis ſanguinem ejus ſuper ip-
ſum altare circumquaque.
14 Poſteà offeret de ea oblationem ſuam, igne
abſumendũ Jehovę, adipem illum qui operit in-
teſtina, & totum adipem qui adhęret inteſtinis:
15 Præterea ambos renes ejus, & adipem qui
erit ſuper illos *&* qui ad ilia, & reticulum *quod erit*
ſuper jecur, cum renibus auferet illud:
16 Et adolebit ſacerdos in eo altari: cibus igne
abſumtus in odorem gratum, [3] omnis adeps Je-
hovæ *eſt*.
17 Statuto perpetuo per generationes veſtras,
[4] in omnibus habitationibus veſtris, nullum adi-
pem, & nullum ſanguinem comeditote.

[2] i. offam penitam, ut veteres in ſacrificiis ſuis appellabant. Caudam verò Deus nominatim excipit in hoc ſacrificiorũ genere, non autẽ in bobus & capris: quia Syriæ ovibus (ut ait Plin. lib. 8. natur. hiſtor. cap. 48.) cubitales ſunt caudæ, pluримúmque in ea parte pinguis eſt & lanicii. [3] hoc quoque mandatum generale eſt, ut in omnibus victimarũ generibus adeps nec afferenti nec offerẽti cedat, ſed Deo ſit ſacer. Eſt autem adeps non quodvis pingue, ſed muſculorum extremitatibus aut membranis hęrẽs, qui frigore concretus durus & fragilis eſt. [4] hoc eſt, quum animalia mactatis, ſive in publico ad ſacrificia, ſive in veſtris habitationibus ad privatos veſtros & communeis uſus, hac lege vobis in univerſum eſu ſanguinis interdico, e quibuſcunque ſit animalibus, aptis vel ineptis ad ſacrificia: vide 1. Schemn. 14.33. Adipis verò eſus prohibetur ex iis tantum generibus quæ homo legitimè offerre poteſt, ut oſtenditur infrà 7.13. & ſequentibus.

CAPUT IIII.

Lex de ſacrificiis pro peccatis errore commiſſis a ſummo ſacerdote, Eccleſia, Principe, & privato e vulgo.

1 ITem alloquutus eſt Jehova Moſchen, di-
cendo,
2 Alloquere filios Jiſraëlis, dicendo, [a] quiſque
quum peccaverit per errorẽ præter omnia man-
data Dei *peccatis* quæ non ſunt facienda: & fece-
rit præter unum ex illis:
3 Si ſacerdos ille qui [1] unctus eſt, peccaverit [2]
in reatum populi, tum offeret propter peccatum
ſuum quo peccavit, juvencum [b] ſubrumum inte-
grum Jehovæ, in [3] peccatum.
4 Adductóque juvenco illo ad portam tentorii
conventus coram Jehova, nitetur manu ſua ſu-
per caput ipſius juvenci, & jugulabit juvencum
illum coram Jehova:
5 Deinde accipiens ipſe ſacerdos unctus de
ſanguine illius juvenci, inferet eum in tentorium
conventus;
6 Et intinget ſacerdos ipſe digitum ſuum ſan-
guine illius; aſpergétq; de ſanguine illo [4] ſeptem
vicibus coram Jehova, ante velum ſanctuarii:
7 Ponet quoq; ſacerdos de ſanguine illo ſuper
cornua altaris ſuffitus aromatici coram Jehova,
quod *eſt* in tentorio conventus; totum verò *reli-
quum* ſanguinem juvenci effundet verſus funda-
mentum altaris holocauſti, quod *eſt ad* portam
tentorii conventus:
8 Præterea totum adipem illius juvenci pro
peccato auferet ab eo; adipem qui operit exta,
& totum adipem qui adhæret extis,
9 Ambóſq; renes, & adipem qui *erit* ſuper illos

[a] *Heb. anima.* [1] i. ſummus: nam is ſolus poſteà ungebatur: vide in Exod. 40.15. [2] i. populum inducens in reatũ, ſive doctrina, ſive exemplo materiam ei præbens peccandi: ſimilis loquutio eſt 1. Chro. 21.3. [b] *Heb. filium bovis, & ſic deinc.* [3] hoſtiam pro peccato, ſic in ſequentibus: metonymia. [4] quibus ſignificatur perfectiſſimum pretium agni immaculati Chriſti; ac propterea eædem obſervantur in omnibus illis oblationibus quarũ ſanguis inferebatur ante velum, ut infrà v. 17. & 16.14.

&

& qui ad ilia; & reticulum *quod erit* super jecur, cum renibus auferet illud,

10 Sicut aufertur [5] ex bove sacrificii [c] eucharistici: & adolebit sacerdos in altari holocausti.

11 Pellem verò juvenci illius, & totam carnem ejus cum capite ejus & cum cruribus ejus; extáque ejus, & fimum ejus,

12 Denique totum illum juvencum efferet extra castra ad locum mundum, ad locum [d] [6] ubi effunditur cinis, & comburet eum super ligna igne: in loco ubi effunditur cinis comburitor.

13 Quòd si totus cœtus filiorum Jisraëlis erraverint, & abdita sit res ab oculis ipsius Ecclesiæ; fecerintque [e] aliquid præter ullum præceptorum Jehovæ, eorum quæ non sunt facienda, ita ut rei sint:

14 Quum innotuerit peccatum quo peccaverint contra *mandatum* illud; tunc offerent Ecclesia juvencum subrumum in peccatum, adducéntque eum ante tentorium conventus:

15 Nitentibúsque [7] Senioribus ipsis cœtus manibus suis super caput illius juvenci coram Jehova; & jugulabit *sacerdos* juvencum illum coram Jehova;

16 Deinde inferet sacerdos ipse unctus de sanguine illius juvenci, in tentorium conventus:

17 Et intingendo sacerdos ipse digitum suum *accipiet* de illo sanguine; aspergetque septem vicibus coram Jehova ante velum ipsum:

18 De eodem verò sanguine ponet super cornua illius altaris quod *est* coram Jehova, quod *est* in tentorio conventus; totum verò reliquum sanguinem effundet versus fundamentum altaris holocausti quod *est ad* portam tentorii conventus:

19 Præterea totum adipem illius auferens ex illo, adolebit in isto altari.

20 Denique faciet juvenco illo quemadmodum facit juvenco pro peccato suo, sic facito eo: ita expiabit eos sacerdos ille, & remittetur eis.

21 Efferet verò juvencum illum extra castra, & comburet illum quemadmodum comburit juvencum illum [8] priorem: peccatum Ecclesiæ est.

22 Quum princeps peccaverit, & fecerit aliquid præter ullum mandatorum Jehovæ Dei sui, eorum quę non sunt facienda, per errorem ita ut reus sit:

23 Ubi notum factum fuerit peccatum ejus quo peccavit contra illud; tunc adducet oblationem suam, hircum [f] lactentem marem integrum.

24 Et nitente *illo* manu sua super caput illius hirci, jugulabit *sacerdos* illum in loco ubi jugulat [9] holocaustum ipsum coram Jehova: peccatum est.

25 Deinde accipiés sacerdos ipse de sanguine istius peccati digito suo, ponet super cornua altaris holocausti: *reliquum* verò sanguinem effundet versus fundamentum altaris holocausti.

26 Præterea totum adipem ejus adoleto in isto altari, sicut adipem sacrificii [10] eucharistici: ita expiabit eum sacerdos a peccato ejus, & remittetur ei.

27 Quòd si unus [g] quispiam peccaverit per errorem [11] ex [h] vulgo; faciendo aliquid præter mandata Jehovæ eorum quę non sunt facienda, ita ut sit reus:

28 Quum notum factum fuerit ei peccatum ejus quo peccavit; tum adducet oblationem suam capram lactentem integram, fœminam, pro peccato suo quo peccavit:

29 Et nitente *illo* manu sua super caput istius peccati, jugulabit *Sacerdos* peccatum istud in loco holocausti.

30 Deinde accipiens Sacerdos de sanguine ejus digito suo, ponet super cornua altaris holocausti; totum verò sanguinem *reliquum* effundet versus fundamentum istius altaris.

31 Præterea totum ejus adipem auferens, sicut aufertur e sacrificio eucharistico adeps; adolebit eum sacerdos in ipso altari, in odorem gratum Jehovæ: sic expiabit eum Sacerdos, & remittetur ei.

32 Sin autem ovem adducet oblationem suam pro peccato, fœminã integrã adducito eam.

33 Et nitente *illo* manu sua super caput illius peccati, jugulabit illam pro peccato in loco ubi jugulat sacerdos holocaustum ipsum:

34 Deinde accipiens sacerdos de sanguine illius peccati digito suo, ponet super cornua altaris holocausti; totum verò sanguinem *reliquum* effundet versus fundamentum illius altaris.

35 Præterea totum ejus adipem auferens, sicut aufertur adeps ovis e sacrificio eucharistico; adolebit [12] eos Sacerdos in altari illo [i] prout [13] igne consumenda adolentur Jehovæ: ita expiabit eum sacerdos a peccato ejus quo peccavit, & remittetur ei.

CAPUT V.

Leges de dissimulante blasphemiam proximi, de immundo ex immundorum contactu, de temere jurante, de eo qui res sacras imminuit per errorem sive facti sive juris, & de eo qui de-industria mentitur proximo post illatum damnum.

1 Item quum peccaverit [a] quispiam, & audierit vocem blasphemiæ, cujus ipse [1] testis sit, sive viderit sive [2] cognoverit, si non [3] indicet, utique [4] feret iniquitatem ejus.

2 Aut quum quispiam tetigerit [5] rem ullam immundam, aut cadaver feræ immundæ, aut cadaver jumenti immundi, aut cadaver reptilis immundi: [6] etsi abditum fuit ab eo, ipse tamen immundus est & reus.

3 Aut quum tegiterit immunditiam hominis, [7] secundùm omnem immunditiam ejus qua fit immundus; sive abditum fuerit ab eo, sive ipse noverit, reus tamen est.

4 Aut quum quispiam juraverit [8] effutiendo labiis suis se malè aut bene facturum, secundùm omnia quæ effutire solet homo juramento, & [9] abditum fuerit ab eo; deinde cognoverit se reum esse unius ex istis:

5 Tum erit, quia reus est unius ex istis; ut id [10] confiteatur in quo peccavit:

6 Et adducet [11] reatum suum Jehovæ propter peccatum suum quo peccavit, fœminam [b] lactentem ovem, aut capram lactentem in reatum: ita expiabit eum Sacerdos a peccato suo.

7 Quod si nõ adipiscatur [12] manus ejus [c] quod

---

[5] vide sup. 3. 3.
[c] *Heb. eucharistiarum, ut suprà 3. 1. & sic deinceps.*
[d] *Hebr. effusionis cinerum.*
[6] deportatus e loco sacro: nam extra castra ultimã cinerariam esse oportebat a priore distinguendam cujus meminit suprà 1. 16.
[e] *Heb. unam.*
[7] cum suo ipsorum videlicet, tum etiam populi totius nomine.
[8] pro peccato suo, sup. v. 12.
[f] *Heb. caprarum: sic vers. 28.*
[9] juge, de quo Exod. 29. 38. sic vocatur ϰατ' ἐξοχὴν passim, ut infrà vers. 33.
[10] de quo suprà 3. 5. & sequentibus.
[g] *Heb. anima.*
[11] sive Jisraëlita sit, sive alienigena in populum Dei receptus atque cooptatus, ex lege quæ habetur Exod. 12. 49. & Numer. 15. 15.
[h] *Hebr. de populo terræ.*
[12] adipes tam holocausti quàm sacrificii eucharistici.
[i] *Hebr. secundum igna consumenda Jehovæ.*
[13] id est, ut sint holocausta. Nam sacrificiis pro peccato semper adjungebantur holocausta, sive partes ejusdem sacrificii ad holocaustum adhiberentur exceptæ, sive aliud quid in holocaustum offeretur. sic sup. 3. 5. & inf. 5. 12. & passim.
[a] *Hebr. anima; sic deinceps.*
[1] Plerique omnes de eo legem hanc accipiunt, qui testimonium a se in judicio sub religione jurisjurandi petitum ex veritate non præstat: sed quia adjunctæ leges omnes de peccante per ignorantiam & de privatis peccatis loquuntur, communisque omnibus imperatur oblatio: præterea quia falsitatis illius cùm in judicio tum extra judicium pronuntiatæ lex ponitur inf. vers. 20. & sequentibus: potiùs de eo hîc videtur agi, qui non corrigit proximum blasphemantem, sed de industria vel imprudentia peccatum ejus dissimulat. est itaque hic lex de correctione proximi, ut infrà 19. 17. [2] auditione. [3] ei qui peccavit, fraternè eum admonendo. [4] id est, illius peccati reus erit. [5] de qua infrà 11. & sequentibus cap. & Deuter. 14. [6] id est, etiam ignorans contactu horum polluitur. [7] cujus genera explicantur infrà 11. 12. 13. 15. & 17. capitibus. [8] temerè proferendo ac perturbato animo: quale fuit juramentum Davidis contra Nabalem 1. Schemu. 25. 22. [9] ex animi perturbatione. [10] coram Domino in loco sacro. [11] oblationem pro reatu, ut vers. 7. & 15. nam rerum nomina cùm symbolis earum communicantur metonymicè: sic etiam peccatum vers. 7. & sup. 4. 3. [b] *Heb. e grege ovem aut capram e capris: sic deinceps.* [12] i. ipse manu aut facultate sua, cujus instrumentum est manus: hypallage, sic deinceps. [c] *Hebr. sufficientiam pervæ pecudis: sic vers. 11.*

satis

satis erit pro parva pecude *comparanda*, tunc adferet reatum suum quo peccavit, duos turtures aut duos pullos columbæ Jehovæ: unum in peccatum, & alterum in holocaustum:

8 Et afferet eos ad Sacerdotem, qui offeret eum qui *est* in peccatum priùs; & ungue secabit caput ejus e-regione cervicis ejus ita ut non [13] separet:

9 Et asperget de sanguine illius peccati super parietem altaris, quod verò remanserit de illo sanguine exprimetur versus fundamentum illius altaris: peccatum est:

10 Ex altero autem conficiet holocaustum [14] pro more; ita expiabit eum Sacerdos a peccato ejus quo peccavit, & remittetur ei.

11 Quòd si non assequatur manus ejus duos turtures aut duos pullos columbæ; tunc adferet oblationem suam qui peccavit, [15] decimam Ephæ similæ in peccatum: [16] ne addito ei oleum, neq; imponito ei thus; quia peccatum est.

12 Quam ubi attulerit ad Sacerdotem, accipiet ex ea Sacerdos plenum pugillum suum *in* suffimentum memoriale ejus, & adolebit in ipso altari pro ratione igne absumendorum Jehovæ: peccatum est.

13 Ita expiabit eum Sacerdos a peccato suo quo peccavit de aliquo ex istis, & remittetur ei: erit autem *reliquum* Sacerdotis, [17] sicut muneris *reliquum*.

14 ‖ PRAETEREA alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

15 Quum quispiam [18] fefellerit falsitate aliqua & peccaverit per errorem *minuens* e rebus sacris Jehovæ; tunc afferet reatum suum Jehovæ, arietem integrum lactentem [19] cum æstimatione tua, [d] siclis argenteis prout est siclus sacer, pro reatu.

16 Sic quod peccavit *minuens* e re sacra rependito, & quintam partem ejus superaddito ei quam det Sacerdoti: ita Sacerdos expiabit eum per arietem illum reatus, & remittetur ei.

17 QUÒD si quispiam quando peccavit, [20] fecit præter ullum mandatorum Jehovæ eorum quæ non sunt facienda; & nescivit se reum fieri, laturúmque iniquitatem suam:

18 Adducet arietem integrum lactentem cum æstimatione tua pro reatu ad Sacerdotem: ita expiabit eum Sacerdos ab errore suo quo erravit quum ipse nesciret, & remittetur ei.

19 Reatus est, [e] omnino reũ se fecit Jehovæ.

CAPUT VI.

20 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

21 Quum quispiam peccaverit & fefellerit falsitate [21] contra Jehovam; mentitus contra proximum suum de deposito, aut de [f] societate, aut de rapto, aut *de dolo quo* fraudavit proximum suum:

22 Sive inventa re illa mentitus erit de illa: aut juraverit de mendacio; de aliqua re ex omnibus quas facere potest homo peccando in eis:

23 Tum erit quia peccavit & reus est; ut restituat [22] rapinam ipsam quam rapuit, aut ipsam [g] rem dolo interversam, aut depositum ipsum quod apud se depositum fuerat: aut ipsam rem amissam quam invenit:

24 Aut de quocunque juraverit mendaciter, [23] rependat illud [h] quanti fuerit, & quintam ejus superaddito ei: [24] ei cujus est dato illud

[13] caput a reliquo corpore, ut suprà 1.17.
[14] de quo suprà 1.14.
[15] Homerem: vide Exod.16.37.
[16] oblatio enim pro peccato condimento & odoramento, id est, oleo & thure carebat.
[17] de quo suprà 2.3.
‖ *infrà* 22.14.
[18] imprudens videlicet atque deceptus quasi obducto pallio: quod verbi etymo ostenditur. sic vers. 21. & alibi.
[19] id est, cum tanta pecunia quanti tu Sacerdos æstimaveris damnum sacris ab eo illatum, ut explicatur vers. 16. 18. & 25. vide plura de hac lege infrà 22.14.
[d] *Heb. argento siclorum: hypallage.*
[20] id est, non minuit quidem ut in superiore lege, sed in rem sacram alia ratione peccavit.
[e] *Heb. reum faciendo reum se fecit.*
[21] nam etiam contra proximum prolatum, contra Jehovam est, qui unus ad hæc contractuum bonæ fidei genera testis adhiberi solet, & in civili actione qualibet, sic exaggeratur peccatũ mendacii.
[f] *Heb. compositione manus, videlicet cujusque societatem cum altero ineuntis: Synecdoche, dexteras jungendi ritus pro consociatione, ut Jirme. 50. 15. & Galat. 2. 9. quanquam potest latius accipi pro omni negotiorum gestione, procuratione, & aliis bonæ fidei administrationibus, ubi quis manum apponit ad rem proximi.*
[22] si exstabit.
[g] *Heb. fraudem quia fraudavit.*
[23] si illud ipsum non potest redhiberi, quia non exstat, aut deterius factum est.
[h] *Heb. secundum caput ejus, id est, summã vel sortẽ.*
[24] id est, aut domino rei, aut ipsius vindici: nempe suo hæredi atque legitimo, ut Num. 5.

[25] quo die [i] reus peractus est:

25 Deinde reatum suum afferto Jehovæ, arietem integrum lactentem cum æstimatione tua, in reatum, ad Sacerdotem.

26 Ita expiabit eum Sacerdos coram Jehova, & remittetur ei, pro aliquo ex omnibus quæ fecerit, [k] reatum obeundo in eo.

[25] id est, restitutionem ne differto, sed eodem tempore quo reconciliabitur Deo, proximo satisfacito. sic Matth. 5.23. hoc autem supplicium levius est supplicio furti, de quo Exod. 22. 4. quia furto plus inest audaciæ quam huic facto: nam furtum a certo & deliberato consilio proficiscitur, ut voluntario: hîc verò de mendacio imprudente agitur, involuntario, & per errorem pronunciato, ut Numer. 5. [i] *Heb. reatus fuit.* [k] *Heb. in reatu in eo.*

CAPUT VI.

Ritus superiorum sacrificiorum fusius explicatur, holocausti, muneris omnium communis, muneris sacerdotum quum initiantur, sacrificiique pro peccato & pro reatu.

1 ITem [1] alloquutus est Jehova Moschen dicendo,

2 Præcipe Aharoni & filiis ejus dicendo, hæc *esto* lex [2] ipsius holocausti: [3] ipsum [a] offertur in adustionem *quæ fit* in altari tota nocte usque mane, ubi ignis ipse altaris [b] alendus est.

3 Indutus verò Sacerdos [4] vestimento suo lineo, & femoralibus lineis superindutis [5] carni suæ; tollet cinerem ubi consumpserit ignis holocaustum in isto altari; & ponet illum [6] secus ipsum altare:

4 Deinde nudans se vestibus [7] suis induet vestes alias; efferétque cinerem ipsum extra castra [8] in locum mundum.

5 Ignis autem *qui est* super altare alitor in eo, ne exstinguitor, sed facito Sacerdos ut ardeant ligna super illud [c] quolibet mane: ut disponat super illud unumquodque holocaustum, & adoleat super illud adipes eucharisticorum.

6 Ignis jugiter alitor in eo altari, ne exstinguitor.

7 HAEC autem *esto* lex [9] ipsius muneris: offerto illud *aliquis* filiorum Aharonis coram Jehova ante idem altare:

8 Et tollens ex eo pugillo suo, de simila illius muneris & de oleo ejus, totúmque thus illud quod *erit* in eo munere, adolebit *in* altari, odor gratus est, suffimentum memoriale ejus Jehovæ.

9 Quod autem remanserit ex eo, comedent Aharon & filii ejus: azymis *factis* comeditor in loco sancto, in atrio tentorii conventus comedunto illud.

10 Ne coquitor fermentatum, dedi illud *ut sit* pars eorum ex meis igne absumtis: res sancta sanctarum est, sicut [10] peccatum & sicut reatus ipse.

11 Omnis mas ex filiis Aharonis comedet illud, statuto perpetuo per generationes vestras de igne absumtis Jehovæ: quicquid tetigerit [11] ea, [12] sacrum esto.

12 ITEM alloquutus est Jehova Moschen dicendo,

13 Hæc *esto* oblatio Aharonis & filiorum ejus, quam offerent Jehovæ [13] [d] semper, quo tempore ungetur eorum aliquis, [14] decima Ephæ similæ munus; dimidium ejus mane, & dimidium ejus vespere.

14 In sartagine cùm oleo parator, [15] bullatum

[1] plerique hoc caput incipientes a V. 20. superioris cap. non viderunt ibi de privato quoque peccato agi, hîc verò præcepta generalia de sacrificiorum ritu: quamobrem nos cum veteres Hebræos, tum argumentum sequuti aliter distinximus.
[2] sive jugis, Exod. 29 38. sive privati ac voluntarii, suprà 1. sive lege imperati.
[3] i. totum consumitur igne, unde nomen habet; cujus etymon ostendit Mosche.
[a] *Heb. ascendit.*
[b] *Heb fiet ut urat.*
[4] tunica, de qua Exod. 28. 39. & 40.
[5] pudendis partibus: euphemismus synecdochicus, ut infrà 15.3.
[6] orientem versus, suprà 1.16.
[7] ministerialibus, de quibus V. 3.
[8] de quo suprà 4.12.
[c] *Heb. mane mane.*
[9] de quo sup. 2.
[10] sacrificium pro peccato & reatu, ut infrà passim: vide suprà 5. 6.
[11] nempe manus, peccatum, reatum, denique res sancta sanctarum, de quibus vers. 10.
[12] ne ad alios usus adhibetor, sed aut frangitor, aut antè lavator, infrà vers. 20. & 21. [13] id est, quotiescunq; ipse aut filiorum aliquis ungetur loco ipsius ad fungendum sacerdotio summo: vide suprà in 4.3. sic accipiendum esse commonstrat versus sequens. [d] *Heb. jugiter.* [14] vide Exod. 16.37. [15] ita coctum ut in bullas tumuerit.

afferto illud; [e] [16] cocta muneris frusta, offerto odorem gratum Jehovæ.

15 Similiter sacerdos ille e filiis ejus, qui unctus fuerit pro eo, facito idem, statuto perpetuo, Jehovæ prorsus adoletor.

16 Sic esto omni munere integro sacerdotis, ne comeditor.

17 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

18 Alloquere Aharonem & filios ejus dicendo, hæc *esto* lex peccati: in loco [17] ubi jugulari solet holocaustum, jugulator peccatum coram Jehova, res sancta sanctarum est.

19 Sacerdos ille qui [f] offert peccatum illud [18] comedet ipsum: in loco sacro comeditor, in atrio tentorii conventus.

20 Quicquid tetigerit carnem illius, [19] sanctum esto; & quum quis asperserit de sanguine illius super ullum vestimentum, illud vestimentum super quod asperserit lavato [20] in loco sancto.

21 Et vas testaceum in quo coctum fuerit frangitor: quòd si in vase æneo coctum fuerit, tum defricabitur & immergetur in aquam.

22 Omnis mas in sacerdotibus comedere poterit illud: res sancta sanctarum est.

23 Sed omne peccatum, [21] de cujus sanguine aliquid illatum fuerit in tentorium conventus ad expiandum in sancto, ne comeditor, igne comburitor.

CAPUT VII.

24 ITEM hæc *esto* lex ipsius [22] reatus, res sancta sanctarum est.

25 In loco in quo jugulare solent holocaustum ipsum, jugulanto reatum: sanguinem autem ejus [23] spargito super altare circumquaque.

26 Totum verò adipem ejus offerto ex eo, caudam & adipem illum qui operit exta:

27 Ambósque renes & adipem qui *erit* super illos, *&* qui ad ilia, & reticulum *quod erit* super jecur, cum renibus auferet illud:

28 Et adolebit illa sacerdos in ipso altari, igne absumendum Jehovæ, reatus est.

29 Omnis mas e sacerdotibus comedere potest illum: in loco sancto comeditor, res sancta sanctarum est.

30 Prorsus sicut peccato, sic reatui, lex eadem *esto* utrisque: sacerdotis illius qui eo expiationem fecerit, ipsius esto.

31 Sacerdos autem quum offert holocaustum alicujus; pellis holocausti quod obtulerit, illius sacerdotis esto.

32 Item omne munus quod coquitur in furno, & quicquid paratur in cacabo aut in sartagine; sacerdotis qui offert illud, illius esto:

33 Similiter omne [24] munus mixtum oleo, vel [25] aridum, omnium filiorum Aharonis esto [26] [g] unius sicut alterius.

e *cocturas muneris frustorum.*
[16] id est, mamphulas (ut Lucilius apud Festũ vocat) ac potiùs manphulas, a verbo *Naphal*, quod est cadere, appellatas. Est autem manphula delicati panis Syriaci genus, quod in clibano antequàm decoquatur in carbones ciner émq; decidit. Id Hebræi sic vocãt periphrasticè, q.d. coctum munus frustulẽtum, per hypallagen Rhetoricã.
[17] sup. 1. 3. & 5.
f *Heb. facit.*
[18] quod licebit comedere; nam quædam comedere nefas erat quæ excipiuntur infrà 23.
[19] ut suprà in vers. 11.
[20] ubi immunditiam contraxit: nam hoc ad sacerdotes ministrantes pertinet.
[21] hujusmodi sunt sacrificia pro errore summi Sacerdotis & Ecclesiæ, de quibus suprà 4. & anniversaria diei expiationum, infrà 16.
[22] de quo suprà 5. toto cap.
[23] puta Sacerdos, ut suprà 1. 5.
[24] de quo suprà 2.
[25] id est, oleo carens, suffitu, atque libamine. Ejusmodi autem sunt munera pro peccato, supra 5. 11. &c. itémque munus zelotypiæ, de quo Num. 5.
[26] id est, omnium ex æquo.
g *Heb. viri sicut fratris sui.*

CAPUT VII.

Lex de eucharistico sacrificio trium generum, gratulatorio, votivo & voluntario; de adipe & sanguine omni vitando, & de jure sacerdotum in omneis res quæ offerebantur.

1 ITem [1] hæc *esto* lex sacrificii eucharistici, quod *quis* offeret Jehovæ.

[1] Hebræos sequuti ita distinximus: nam leges de reatu & de peccato cohærere ostendit versus 25. hujus capitis, & 30. versus præcedentis cap. Est autem hæc lex distincta sacrificiorum oblationúmque, de quibus suprà cap. 3.

2 Si pro gratiarum actione offeret ipsum; tunc offeret cum ipso sacrificio gratiarum actionis collyras azymas mistas oleo, & lagana azyma uncta oleo: *sunto* autem hæ collyræ mistæ oleo, e simila bullatæ.

3 Præter collyras [2] panem fermentatum offerto in oblationem suam; cum sacrificio gratiarum actionis, eucharistico suo.

4 Et offeret ex ea panem *unum* ex tota oblatione Jehovæ in elationem: sacerdotis qui sparget sanguinem eucharisticorum, ipsius esto.

5 Caro autem sacrificii gratiarum actionis, eucharistici ejus, die oblationis ejus comeditor; nemo relinquito ex illa quicquam usque mane.

6 Si verò votivum, aut voluntarium *erit* sacrificium oblationis ejus, quo die offeret sacrificium suum, comeditor: & postero die similiter quod remanserit ex eo comeditor.

7 Quod autem *diutius* remanebit e carne illius sacrificii; ipso die tertio igne comburitor.

8 Nam si [a] quicquam comedetur de carne sacrificii eucharistici ejus die tertio, non erit acceptum; ei qui obtulit illud, [3] non imputabitur, [4] res abominabilis esto: quamobrem [b] is qui comederit ex ea, iniquitatem suam ferto.

9 Et horum caro quæ tetigerit ullam rem immundam ne comeditor, igne comburitor: quod autem *ad* carnem *reliquam*, [5] quisquis mundus est comedere poterit [c] illam.

10 [d] Quisquis autem comederit carnem e sacrificio eucharistico [6] quod *est* Jehovæ, [7] cum immunditia sua in se; utique [8] exscindetur [e] homo ille e populis suis.

11 Quum autem quis tetigerit ullam rem [9] immundam, sive [f] immundum hominem, sive jumentum immundum, sive quicquid *est* abominatio immunda, deinde comederit de carne sacrificii eucharistici quod *est* Jehovæ, utique exscindetur homo ille e populis suis.

12 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

13 Alloquere filios Jisraëlis dicendo; nullum adipem [10] bovis, aut ovis, aut capræ comeditote.

14 Adeps quidem cadaveris, & adeps [11] discerpti adhiberi poterit ad omne opus, sed omnino ne comeditote eum.

15 Nam quisquis comederit adipem ex iis jumentis e quibus offert *homo* igne absumendum; utique exscindetur homo ille qui comederit e populis suis.

16 Similiter nullum sanguinem comedite in ullis habitationibus vestris; ullius volucris, aut ullius bestiæ.

17 Quisquis homo comederit ullum sanguinem, utique exscindetur homo ille e populis suis.

18 PRAETEREA alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

19 Alloquere filios Jisraëlis, dicendo: qui offert sacrificium suum eucharisticum Jehovæ, [12] afferto oblationem suam Jehovæ [13] de sacrificio suo eucharistico.

20 Manus ejus adferunto igne absumenda Jehovæ: ipsum adipem impositum pectori adferto, *&* pectus ad agitandum ipsum agitatione coram Jehova.

21 Tum adolebit sacerdos adipem illum in ipso altari; pectus verò ipsum erit Aharonis & filiorum ejus.

22 Armum etiam dextrum date *in* elationem sacerdoti, ex vestris sacrificiis eucharisticis.

[2] indicem præcogitatæ oblationis, ac non tumultuarii & repentini consilii; vide sup. in 2. 11.
[a] *Heb. comedendo comed.*
[3] tanquam sacrificium eucharisticum legitimè oblatum.
[4] vox Hebræa propriè significat carnem quæ vetustate fit deterior in odore vel speciem.
[b] *Hebr. anima quæ com.*
[5] e sacerdotibus, de quorum munditia & impuritate infrà 21. & 22. & ex offerentibus.
[c] *Heb. carnem: antecedens pro relativo.*
[d] *Hebr. anima quæ.*
[6] quod ex superioribus causis ingratum non est, sed acceptum Deo.
[7] priusquam ab ea sit purgatus, ut imperatur infrà 21. & 22. est autem sequens versus huic subjectus ἀπὸ κοινοῦ.
[8] vide in Gen. 17. 14.
[e] *Heb. anima illa: sic deinceps.*
[9] de quo infrà a cap. 11. ad 15. & cap. 17.
[f] *Heb. immunditiam hominis. Hypallage.*
[10] id est, ne eorum quidẽ animalium (ut diximus sp. in 3. 17.) quæ sacrificiis apta sunt: nam aliorum quæ comedere fas erat, de quibus infrà 11. & Deut. 14. adipe non interdicebatur.
[11] etiam e jumentorum genere apto sacrificiis.
[12] ipse, non per alium afferendum curato, quod declarat vers. sequens.
[13] eas partes quæ vel Deo adolendæ erant, vel sacerdotibus cessuræ.

23 Illius filiis Aharonis qui obtulerit sanguinem & adipem illum eucharisticorum; ipsius esto armus hic dexter in partem.

24 Nam pectus ipsum agitationis, armúmque elationis excepi a filiis Jisraëlis e sacrificiis eucharisticis eorum,& dedi ea Aharoni sacerdoti & filiis ejus statuto perpetuo, a filiis Jisraëlis *accipienda in partem.*

25 Hæc *est pars* [14] unctionis Aharonis & unctionis filiorum ejus ex igne absumendis Jehovæ; qua [15] die jussit eos accedere ad sacerdotio fungendum Jehovæ:

26 Quam præcepit Jehova [g] dari eis, quo die [16] unxit eos, a filiis Jisraëlis; statuto perpetuo per generationes eorum.

27 [17] Hæc *est* lex de holocausto ipso, de munere, & de peccato, & de reatu; item de consecrationibus, ac de sacrificio eucharistico:

28 Quam præcepit Jehova Moschi in monte Sinai, quo die præcepit ipse *Jehova* filiis Jisraëlis ut offerant sacrificia sua ipsi in deserto Sinai.

14 id est, sacerdotis uncti: hypallage.
15 a tempore septidui illius, quo sacerdotes uncti & consecrati fuerint: quod vers. seq. exponitur.
g *Heb. addandum eis.*
16 Mosche, vel Deus per Moschen.
17 epilogus omnium superiorum a principio libri.

CAPUT VIII.

Consecratio rerum & personarum ad Dei cultum pertinentium, prout mandatum fuerat Exod.29. & 30.

1 Item alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

2 [1] Accipe Aharonem & filios ejus cum eo, vestésque illas, & oleum ipsum unctionis; juvencum quoque ipsum peccati, ac duos arietes, canistrúmque illum azymorum.

3 Et totum hunc cœtum convoca, ad portam tentorii conventus.

4 Quæ fecit Mosche sicut præceperat Jehova ei, & congregatus est cœtus ipse ad portam tentorii conventus.

5 Tunc dixit Mosche cœtui; [2] hæc *est* res illa, quam præcepit Jehova facere.

6 Jubens ergo Mosche [3] accedere Aharonem & filios ejus; lavit eos aqua.

7 Deinde imponens ei tunicam accinxit eum baltheo, inductóque ei pallio imposuit ei amiculum: & accingens illud cingula amiculi, eum amicivit illo:

8 Et apposuit ei pectorale sacrum; indidítque pectorali sacro Urim & Tummim:

9 Posteà imposita cidari capiti ejus; imposuit cidari e-regione faciei ejus bracteam auream, coronamentum sacrum, sicut [‖] præceperat Jehova Moschi.

10 Quúmq; accipiens Mosche oleum unctionis [4] unxisset tabernaculum ipsum, & quicquid in eo erat; ut sanctificaret illa;

11 Et aspergens eo altare ipsum septem vicibus, unxisset ipsum altare, & omnia instrumenta ejus, & labrum, & scapum ejus, ad sanctificandum ea:

12 Effundens de illo oleo unctionis super caput Aharonis, unxit eum ad sanctificandú eum.

13 Similiter jussit Mosche accedere filios Aharonis, & induens eos tunicis cinxit eos baltheo, alligavítque eis tiaras, sicut præceperat Jehova Moschi.

14 Deinde admovit juvencum illum peccati, nitente Aharone & filiis ejus manibus suis super caput illius juvenci peccati:

15 Quem quum jugulasset, acceptum Mosche sanguinem illius posuit super cornua altaris circumquaque digito suo, & expiavit altare: *reliquum* verò sanguinem effudit versus fundamentum altaris, & sanctificavit ipsum ad expiandum in eo.

1 id est, jube tecum ad portam tentorii conventus illos accedere, & alia afferri & adduci ad te: Hebræa synecdoche, ac venustissima.
2 quam mox facturus sum, & vos spectaturi. sic anticipat vel occupat Mosche criminationem, qua posteà in ipsum usus est sceleratus Korach, Numer. 16. factúmque suum probat ab autoritate præcipientis Dei.
3 puta ad labrum: de quo vide Exod.40. 30.
‖ *Exod.* 28.
4 ex Dei mandato, Exod. 30. 26.

16 Posteà accipiens totum illum adipem qui *est* super exta, & reticulum jecoris, ambósque renes & adipem eorum, adolevit Mosche in ipso altari:

17 *Reliquum* verò juvencum, id est, pellem ejus,& carnem ejus,& fimum ejus combussit igne extra castra; quemadmodum ‖ præceperat Jehova Moschi. ‖ *Exod.* 29.

18 Deinde admovit arietem holocausti; nitentibus Aharone & filiis ejus manibus suis super caput illius arietis:

19 Quem quum jugulasset; sparsit Mosche sanguinem ejus super altare circumquaque:

20 Et diviso ariete in membra sua; adolevit Mosche caput, & membra, & intestina;

21 Postquàm exta & crura ejus lavisset aqua: sic adolevit Mosche totum arietem hunc in eo altari, holocaustum fuit in odorem gratum, igne absumtum Jehovæ, quemadmodum præcepit Jehova Moschi.

22 Deinde admovit arietem illorum alterum, arietem consecrationum; nitentibus Aharone & filiis ejus manibus suis super caput illius arietis:

23 Quem quum jugulasset, accipiens Mosche de sanguine ejus imposuit [a] infimæ auriculæ Aharonis dexteræ; & pollici manus ejus dexteræ, & pollici pedis ejus dexteri: a *Heb. molliculæ.*

24 Similiter jubens accedere filios Aharonis imposuit Mosche de illo sanguine infimæ auriculæ eorum dexteræ, & pollici manus eorum dexteræ, ac pollici pedis eorum dexteri; deinde sparsit Mosche *reliquum* sanguinem super illud altare circumquaque:

25 Qúmque accepisset illius adipem & caudam totúmque adipem qui *erat* super exta; & reticulum jecoris, ambósque renes, & adipem eorum, armúmque dexterum;

26 De canistro verò illo azymorum quod *erat* coram Jehova, accepisset collyram unam azymam, & collyram panis cum oleo unam, & laganum unum; apposuit adipibus illis armóque dextero;

27 Et imponens hæc omnia manibus Aharonis, & manibus filiorum ejus; agitavit illa agitatione coram Jehova:

28 Posteà accepta Mosche illa e manibus eorum, adolevit in illo altari super ipsum holocaustum: consecrationes fuerunt in odorem gratum, igne absumta fuerunt Jehovæ.

29 Accepit autem Mosche pectus illius, quod agitavit agitatione coram Jehova: ex illo ariete consecrationú Moschi [b] cessit in partem, quemadmodum præceperat Jehova Moschi. b *Heb. fuit.*

30 Tunc accipiens Mosche de illo oleo unctionis, & de sanguine isto qui *erat* super altare; aspersit Aharonem, vestes ejus & filios ejus, & vestes filiorum ejus cum eo: sic sanctificavit Aharonem & vestes ejus, filiósque ejus & vestes filiorum ejus cum eo.

31 Posteà edixit Mosche Aharoni & filiis ejus, coquite istam carnem *ad* portam tentorii conventus; & ibi comedite eam, panémq; istum qui *est* in canistro consecrationum: quemadmodum præcepi dicendo, Aharon & filii ejus comedunto [5] illud:

32 ‖ Quod autem [6] reliquum fiet de ista carne, aut de isto pane; igne comburite.

33 Sed extra portam tentorii conventus ne exite septem diebus, usque ad diem complementi, diebus consecrationum vestrarum: nam septem

5 reliquum carnis & panis ex canistro.
‖ *Exod.* 29. 34.
6 usque in postérum mane.

c Heb. implebit Jehova manum veſtram.
7 exſequitur per me.
8 id eſt, tantummodò vacate cultui Dei, operámque date veſtræ ipſorum conſecrationi, atque ab aliis omnibus ſtudiis & occupationibus fide optima

ſeptem diebus c conſecrabit Jehova miniſterium
veſtrum.
34 Sicut 7 facit die hoc, præceperat Jehova
facere ad expiandum vos.
35 Quapropter 8 *ad* portam tentorii conven-
tus manete interdiu & noctu ſeptem diebus, ut
obſervetis 9 obſervationem Jehovæ; ac non mo-
riamini: ſic enim juſſus ſum.
36 Quod fecit Aharon & filii ejus, ſecundùm
omnia verba quæ præceperat Jehova d per Mo-
ſchen.

abſtinete. Phraſis Hebræorum, pro eo quod eſt potiùs manete illic, quàm ut aliis rebus incumbatis. Hoc autem genus noëmatum in Scripturis eſt frequentiſſimum. Sic infrà 10.7. 9 id eſt, legem hanc quam a vobis obſervari jubet, mortem denuncians ſi tranſgrediamini. d *Hebr. per manum Moſchis, id eſt, miniſterium: metonymia.*

CAPUT IX.

Aharon primo die a conſecratione, primùm pro ſe, deinde pro toto populo ſacrificia & munera offert: quibus igne e cælo abſumtis, miniſterium ſacerdotum populo divinitus comprobatur.

1 proximè ſequente ſeptiduum conſecrationis: ut apparet ex lege ſucceſſoribus lata, Exod. 29.30. & ſequentibus.
2 nimirum convocatos ad eum finem quem attigimus ſupr. 8.5.
a *Heb. filium bovis.*
b *Heb. caprarum.*
c *Heb. filios anni.*
3 e ſimila, ut ſuprà 2.
4 in atrio tabernaculi.
5 de qua infrà verſ. 23. & 24.

1 FUit autem 1 die octavo, *quo* convocavit
Moſche Aharonem & filios ejus; ac 2 Se-
niores Jiſraëlis:
2 Ut ediceret Aharoni, accipe tibi vitulum
a ſubrumum in peccatum, & arietem in holo-
cauſtum integros, & offer coram Jehova:
3 Filios verò Jiſraëlis alloquitor dicendo,
accipite hircum b lactentem in peccatum, vitu-
lúmque & agnum c anniculos integros in holo-
cauſtum:
4 Et bovem, & arietem in euchariſtica, ad
ſacrificandum coram Jehova, 3 munúsq; mixtũ
oleo: nam hodie Jehova apparituruſ eſt vobis.
5 Accipientes ergo quæ præceperat Moſche
adduxerunt ante tentorium conventus, & acce-
dentes totus cœtus ſteterunt 4 coram Jehovâ.
6 Tum dixit Moſche, hanc rem quam præ-
cepit Jehova facitote, & apparebit vobis 5 gloria
Jehovæ.
7 Edixit Moſche Aharoni, accede ad hoc
altare, & para peccatum tuum, & holocauſtum
tuum, expiationem facturus pro te & 6 pro po-
pulo hoc: deinde para oblationem ipſius populi,
& expiationem fac pro eis, quemadmodum præ-
cepit Jehova.
8 Accedens itaque Aharon ad altare, jugu-
lavit illum vitulum qui *erat* pro ſe:
9 Et admoventibus filiis Aharonis ſangui-
nem illius ad eum, intingens digitum ſuum in
illo ſanguine, poſuit ſuper cornua illius altaris:
reliquum verò ſanguinem effudit verſus funda-
mentum altaris.
10 Adipem autem, & renes, & reticulum
d jecoris ex peccato ipſo adolevit in eo altari;
quemadmodum præceperat Jehova Moſchi:
11 7 Carnem verò, & pellem ejus; combuſſit
igne extra caſtra.
12 Deinde jugulavit ſuum holocauſtum; cui
porrigentibus filiis Aharonis ſanguinem illius,
ſparſit eum in illo altari circumquaque:
13 Similiter holocauſtum porrigentibus ei
per membra illius, & caput illius; quæ adoleret
in ipſo altari,
14 Poſtquàm lavit exta, & ambò crura illi-
us; adolevit *ea* cum *reliquo* holocauſto in illo
altari.
15 Poſteà obtulit oblationem populi: pri-
mùm accepit hircum peccati qui *erat* pro popu-
lo, quo jugulato paravit eum pro peccato, ritu ſui
8 prioris:
16 Deinde obtulit holocauſtum ipſum; &
paravit illud 9 pro ritu:
17 Obtulit quoque 10 munus illius; & im-
plens manum ſuam illo, adolevit in ipſo altari:
11 præter holocauſtum matutinum.
18 Quúmq; jugulaſſet bovem, & arietem, *in*
ſacrificium euchariſticum quod *erat* pro populo:
porrigentibus ei filiis Aharonis ſanguinem illo-
rum, ſparſit eum in ipſo altari circumquaque:
19 *Porrigentes* deinde adipes ex illo bove; &
ex illo ariete caudam, & *adipem* operientem ex-
ta, & renes, & reticulum jecoris,
20 Impoſuerunt illos adipes ad ipſa pectora:
& adolevit adipes in ipſo altari.
21 Pectora verò ipſa & armum illorum dex-
terum agitavit Aharon agitatione coram Jeho-
va, quemadmodum præceperat Moſche.
22 Tum attollens Aharon manus ſuas verſus
populum 12 benedixit eis; ac 13 deſcendit e pa-
rato illo peccato, holocauſtóq;, & euchariſtico.
23 Poſteà venit Moſche cum Aharone 14 in
tentorium conventus, egreſſiq; 15 benedixerunt
populo, quum apparuiſſet gloria Jehovæ toti po-
pulo.
24 Exiens enim ignis a conſpectu Jehovæ,
conſumſit in illo altari holocauſtum ipſum, & a-
dipes: quod videns totus populus, acclamave-
runt, & 16 prociderunt ſuper faciem ſuam.

6 id eſt, hac ratione fias idoneus ad faciendum pro illo expiationem.
d *Heb. e jecore.*
7 denique totum juvencum reliquum pro ritu iſtius ſacrificii ſupr. 4.51. ſynecdoche.
8 de quo ſuprà verſ. 2. & 8.
9 holocauſti ſuprà 1.
10 omni holocauſto conjunctum ex lege, ſup. 6. & 7.
11 juge cum munere ſuo, ſynecdochicè: nam hoc nulla ex cauſa intermittebatur, ſed reliqua præcedebat. Exodi 29.38.
12 ex formula præſcripta Numer. 6.
13 nimirum e clivulo in circuitum altaris aſſurgente: vide in Exod. 20.26.
e *Heb. a faciendo peccatum illud, &c.*
14 ut ibi Aharonem de reliquo miniſterio exercendo inſtitueret.
15 benedictione enunciata eum peractis ſacris dimittentes.

16 id eſt, adoraverunt humiliter: ſynecdoche uſitatiſſima ſigni, & rei quam oſtendit ſignum. Quòd autem Moſche ignem a conſpectu Jehovæ narrat prodiviſſe: id aut de ſanctuario eſt intelligendum, ubi tunc primùm Deus ſtatuit aſpectabile præſentiæ ſuæ documentum nube oblata & immiſſo igne; aut etiam de cælo, quę ſedes eſt ampliſſima & thronus Dei viventis. Sed magis placet nobis prior interpretatio. vide infrà 10.2.

CAPUT X.

Filii Aharonis ſeniores duo munus ſuum tranſgreſſi, divinitus morte plectuntur: quorum luctu interdicto, occaſione neglecti ab aliis officii præcipitur ut a vino & inebriante potu abſtineant: lex fertur de eſu ſacrorum, & Aharonis excuſatio Moſchi approbatur.

1 SEd 1 accipientes filii Aharonis Nabab &
Abihu quiſque thuribulum ſuum, indito
eis igni impoſuerunt ſuffitum eis: 2 ut offerrent
coram Jehova ignem alienum, 3 quod non præ-
ceperat eis.
2 Quapropter exiens ignis 4 a conſpectu Je-
hovæ, a exanimavit eos, ita mortui ſunt 5 coram
Jehova:
3 Tum dixit Moſche Aharoni, illud *eſt* 6
quod loquutus erat Jehova dicendo, 7 in pro-
pinquis meis 8 ſanctificabor, & 9 ante conſpec-
tum totius populi glorificabor: ſed 10 conticuit
Aharon.
4 Et vocavit Moſche Miſchaëlem & Eltza-
phanem filios 11 Huzzielis patrui Aharonis; edi-
xítque eis, accedite, ſublatos deportate fratres
veſtros a conſpectu ſanctuarii extra caſtra:
5 Qui acceſſerunt, ſublatóſque tunicis eo-
rum deportaverunt eos extra caſtra, ſicut edix-
erat Moſche.

1 q.d. hoc temerario filiorum Aharonis facto alii perturbati ad functionem ſuam non ſatis attenderunt, unde Moſchi eos reprehendendi oblata eſt occaſio infr. V.16.
2 ſive oblaturi, i. animo offerendi, &c. coram Jehova in loco ſacro: quapropter illi ſeſe jàmq; in oſtium ſanctuarii inferebant, niſi Deus exanimaviſſet ipſos, V.2.
3 duo fecerunt contra mandatũ Dei, quòd igne extero uſi ſunt, (vide ſup. in 1.7.) & quòd locũ ſacrum ingrediebantur, quò ne ſummo quidem ſacerdoti licebat niſi certis legibus, certóq; tempore: vide monitum a Deo hac occaſione factum infr. 16.2. 4 vel e cælo, ut ſup. 9.24. vel ab altari holocauſti, quod erat in conſpectu Jehovæ. a *Heb. devoravit eos: ſed hoc ad vitæ tantum ademtionem refertur: nam corpora & veſtes integra manſerunt, infrà V.4. & 5. ſynecdoche.* 5 ibidem ſubita morte. 6 ſup. 8.35. 7 ſacerdotibus, quibus ſolis licuit in tabernaculum propiùs ad Deum accedere. 8 exercendo judicia mea coram populo in peccantes. 9 q.d. eos qui publicè peccaverint ſtatuam in publicum exemplum atq; documentum ſeveriſſimæ & [illegible] juſtitiæ meæ, ut timeant cæteri. 10 hortatu Moſchis divinæ voluntati acquievit. 11 qui fuit frater Hamrami patris Aharonis & Moſchis, Exod. 6.18. Num. 3.19.

6 Edixit verò Mosche Aharoni, & Elhazari,
& Ithamari filiis ejus, capita vestra [12] ne nudate,
neque vestimenta vestra discindite, ut non mo-
riamini, & cōtra totum hunc cœtum efferveſcat
Jehova: ſed fratres veſtri, tota familia Jiſraëlis
deflebunt hoc incendiū quod incendit Jehova.
7 [13] Neque a porta tentorii conventus exite
ne moriamini, [14] nam oleum unctionis Jehovæ
ſuper vos *eſt*: qui fecerunt ſecundùm verbum
Moſchis.
8 Et alloquutus eſt Jehova Aharonē, dicendo,
9 Vinum aut potum inebriantem ne bibito tu
aut filii tui tecum, quando ingreſſuri eſtis [15] ten-
torium conventus, ut non moriamini: ſtatuto
[b] perpetuo per generationes veſtras:
10 [16] Cum ad diſcernendum inter [17] ſacrum
[c] & profanum, atque inter [18] mundum & immun-
dum,
11 Tum ad docendum filios Jiſraëlis omnia
illa ſtatuta, quæ edixerit Jehova eis [d] per Moſ-
chen.
12 Edixit autem Moſche Aharoni, & Elha-
zari & Ithamari filiis ejus qui reliqui erant; ac-
cipite munus iſtud quod reliquum eſt ex igne
abſumtis Jehovæ, & comedite illud *cum* azymis
prope hoc altare: quia res ſancta ſanctarum eſt.
13 Ideò comedetis illud in loco ſacro, quia
demenſum tuum & demenſum filiorum tuorum
eſt ex igne abſumendis Jehovæ: [19] ſic enim juſ-
ſus ſum.
14 Pectus autem agitationis & armum elati-
onis comedetis [20] in loco mundo, tu, & filii tui, &
filiæ tuæ tecum: quia *in* demenſum tuum & de-
menſum filiorum tuorum data ſunt ex ſacrificiis
euchariſticis filiorum Jiſraëlis.
15 Armum elationis & pectus agitationis,
cum igne abſumendis adipibus afferent ad agi-
tandum agitatione coram Jehova: eritque tibi
& filiis tuis tecum *in* demenſum perpetuum,
quemadmodum præcepit Jehova.
16 Hircum autem illum peccati [e] accuratè
perquiſivit Moſche, ſed ecce [21] exuſtus erat: qua-
propter [22] efferbuit contra Elhazarem & contra
Ithamarem filios Aharonis qui reliqui erant, di-
cendo,
17 Quamobrem non comediſtis peccatum
hoc in loco ſancto? nam res ſancta ſanctarum
eſt: at illud dederat vobis *Jehova* [23] ad ferendum
iniquitatem hujus cœtus, expiationem faciendo
pro eis coram Jehova.
18 En, non eſt illatus ſanguis ejus in ſanctua-
rium intrinſecus: [f] omnino comedere illud te-
nemini in *loco* ſancto, [24] ſicut præceperam.
19 Tum dixit Aharon Moſchi, ecce, hodie
[25] obtulerunt peccatum ſuum & holocauſtum ſu-
um coram Jehova, [26] acciderunt autem mihi res
ejuſmodi: [27] ſi comediſſem peccatum hodie, an
bonum videretur in oculis Jehovæ?
20 Quod quum audivit Moſche, [28] bonum
viſum eſt in oculis ejus.

[12] luctui ne vacate, ſynecdoche: erat enim hoc ſignum cōmune luctus, ut infrà 13.45.
[13] hę duę leges repetuntur infrà 21.10. & univerſè ſummis ſacerdotibus accommodantur, non tantùm miniſterii tempore aut recens unctis (ut hîc) ſed toto vitę curriculo obſervandæ: vide ſuprà 8.35.
[14] i. a Deo conſecrati eſtis, recens adhuc eſt oleum in vobis, & in ipſa actione ſacra verſamini.
[15] i. locum ſanctum: non enim cuivis Sacerdoti licebat ingredi ſanctuarium, ut diximus ſuprà in verſum 1. ſynecdoche.
[b] *Heb. ſeculi.*
[16] q. d. duabus de cauſis interdixit potu qui perturbat mentem: primùm ut judicare poſſent, & ſibi in adminiſtratione ſua conſtare, deinde ne turbata mente ſecus doceant quàm convenit.
[17] de quibus generibus antè cautum eſt lege inde à libro Exodi.
[c] *Heb. & inter prof. ſic deinceps.*
[18] de quibus agitur infrà 11. & ſequentibus.
[d] *Heb. per manum Moſchis.*
[19] ſuprà 2.3. & 6.3.
[20] in caſtris: quia non tantùm mares, ſed etiam fœminæ ex iis comedebant, ſuprà 7. verſ. 4. 9. 21. & ſeq.
[e] *Heb. perquirendo perquiſiviſſet.*
[21] vide in V. 1.
[22] quia non attenderant miniſterio ſuo.
[23] ut a cœtu eam in vos transferatis & recipiatis expiandam: ſic infrà 16. 21. & 22. [f] *Hebr. comedendo comedetis.* [24] ſuprà 6.13. [25] totus cœtus. [26] id eſt, ego quoque non ſatis attendi ad officium mihi imperatum lege, ſed per imprudentiam peccavi ut filii mei ſuperſtites: ejuſdem negligentiæ & perturbationis reus ſum. [27] id eſt, gratúmne ei foret, ſi ego adhuc in peccato hærens, peccatum populi expiandum in me tranſtuliſſem? [28] approbavit judicium fratris, ad cujus quæſtionem ex mandato Dei reſpondetur infrà cap. 16.

CAPUT XI.

Leges de diſcernendis omne genus animantibus mundis ab immundis, ratione cibi, vel contactus.

1 ITem alloquutus eſt Jehova [1] Moſchen &
Aharonem, edicendo eis:
2 Alloquimini filios Jiſraëlis, dicendo: hæc
ſunt animalia quæ vos comedetis, ex omnibus
beſtiis quæ *ſunt* ſuper terram.
3 Quicquid habet ungulam ſciſſam & biſi-
datum eſt fiſſura ungularum, [2] revocans ruminis
cibum ex quavis beſtia; illud comedetis.
4 Verumtamen hoc ne comeditote, ex revo-
cantibus *cibum* ruminis, aut ex habentibus ſciſ-
ſam ungulam ſolùm: camelum, quia revocat qui-
dem *cibum* ruminis, ſed ſciſſam ungulam non ha-
bet, immundus eſt vobis:
5 Et [3] murem montanum quia revocat qui-
dem *cibum* ruminis, ſed ungulam ſciſſam non ha-
bet; immundus eſt vobis:
6 Et leporem, quia revocat quidem *cibum*
ruminis, ſed ungulam ſciſſam non habet; im-
mundus eſt vobis:
7 Et ſuem, quia habet quidem ſciſſam un-
gulam, & biſidata eſt fiſſura ungulæ, ſed ruminis
cibum non ruminat; immunda eſt vobis.
8 De carne iſtorum ne comedite, & cadaver
eorum ne tangite, [4] immunda *ſunt* vobis.
9 Hoc comedetis ex omnibus quæ *ſunt* in
aquis: omne quod habet [5] pinnas & ſquamas in
aquis, tum per maria, tum in fluminibus, illa co-
medetis.
10 Quicquid verò non habet [6] pinnas aut
ſquamas tum per maria tum in fluminibus, ex
omni reptili aquatico, denique [7] ex omni [a] ani-
mante quæ *ſit* in aquis; abominationi ſunt vobis.
11 Itaque abominationi ſunto vobis: de car-
ne eorum ne comedatis, ſed cadaver eorum a-
bominemini.
12 Quicquid non habet pinnas aut ſquamas
in aquis, abominationi eſto vobis.
13 ISTA autem abominamini ex volatilibus,
ne comeduntor, abominationi ſunt: [8] aquilam,
& [9] oſſifragam, & [10] haliæetum.
14 Et [11] milvum, & [12] picam ſecundùm ſpe-
ciem ſuam,
15 Omnem corvum ſecundùm ſpeciem ſuam,
16 Et [b] ululam, & [13] hirundinem, & æſalo-
nem; & accipitrem ſecundùm ſpeciem ſuam:
17 Et bubonem, & mergum, & noctuam:
18 Et [14] monedulam, & [15] plateam, & [16] me-
ropem:
19 Et ciconiam, ardeam ſecundùm ſpeciem
ſuam; & attagenem, & veſpertilionem.
20 OMNE reptile volucre ambulans quatuor
pedibus, abominationi eſto vobis.
21 Verumtamen hoc comedetis ex omni
reptili volucri quod ambulat quatuor *pedibus*;
[17] quod non habet crura ſupra pedes ſuos, qui-
bus ſaliat ſuper terram.
22 Ex illis comedetis iſta, [18] locuſtam ſecun-

[1] illum quidem, quia legiſlator erat; hunc verò, quia ſacerdos, quem oportebat diſcernere inter ſacrum & profanum, mundum & immundū, ut ſupr. 10.10.
[2] q. d. quibus hæc duo ſimul inſunt, biſidati pedes & ruminatio, legitimè comeduntur.
[3] Hieronymus ad Suniam & Fretelam ſcribens. Omnes, inquit, χοιρογρύλλιους tranſtulerunt, ſoli LXX. lepores. Sciendum eſt autem animal eſſe non majus hericio, habens ſimilitudinem muris & urſi: unde & in Palæſtina ἀρκο-μῦς dicitur, & magna eſt in iſtis regionibus hujus generis abundantia, ſemperq; in cavernis petrarum & terræ foveis habitare cōſuerunt. Hanc interpretationē vulgatę præferimus, tum propter horum teſtimonia quæ laudat Hieronymus, tum etiam propterea quòd cuniculus, etſi propriis notis diſtinctus a lepore, eſt tamen in leporino genere, de quo ſequente verſu.
[4] ac proinde eos impurantia qui iſta fecerint.
[5] conjunctim, ut ſuprà de ungula & ruminatione.
[6] quod deſtituitur alterutro, aut utroque.
[7] ut aquatilium multæ ſpecies ſunt teſtaceæ, cartilagineæ, pedibus præditæ, &c.
[a] *Heb. anima vivente.*

[8] in his vertendis doctiſſimos Hebræorū interpretes ſequuti ſumus: a quibus quū diſcedimus, cauſam exponemus paucis. [9] nomen habet a diſtribuendo, quod huic animanti ſic tribuit Plin. lib. 10. nat. hiſt. cap. 3. ejectos ab aquilis cognatū genus oſſifragæ excipiunt & educant cū ſuis. [10] a firmitate, nam hæc avis adeò firma eſt oculorū acie, ut intueatur adverſum Solē. [11] a volatus forma. [12] ſic vertimus ex etymo vocis: eſt autē in hoc genere cornix Ijob. 28.7. qui huic avi præſtantiſſimā oculorū aciem proverbiali forma tribuit, ut Latini cornicum oculos celebrarunt. [b] *Heb. filiā ululæ.* [13] hoc & duo ſequentia ex R. Jehuda. [14] ex R. Schelomone, & R. D. K. [15] a vomitu: vide Plin. lib. 10. natur. hiſt. cap. 40. [16] ab amore: nam genitores ſuos reconditos paſcit, Plin. lib. 10. cap. 33. [17] cujus crura ſunt obverſa & pedes varicati: huic enim generi pedes non ſubſunt cruribus. [18] hæc inſectorum genera, quamvis re ſunt notiſſima, tamē obſcuras habent appellationes, excepta prima. Nos tamen ſingulas interpretati ſumus ex vocum etymologia, & hiſtoriarum comparatione: nam in oriente locuſtæ, bombyces, ſcarabæi, & cicadæ fuerunt cibo, etſi non omnes fuerunt, ut hac determinatione oſtēndit Moſche, ſecundùm ſpeciem ſuam. Ariſtoteles, Plinius, Aelianus, Solinus, alii. Et de Joanne Baptiſta exemplum extat Matth. 3. Marc. 1.

dùm ſpeciem ſuam,& bombycem ſecundùm ſpe-
ciem ſuam; & cantharum ſecundùm ſpeciem ſu-
am,& cicadam ſecundùm ſpeciem ſuam.
23 Omne verò reptile volatile quatuor ha-
bens pedes,abominationi eſto vobis.
24 [19] His autem polluemini: quiſquis teti-
gerit cadaver horum, immundus erit uſque ad
veſperam:
25 Et quiſquis portaverit de cadavere ho-
rum, lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit
uſque ad veſperam.
26 *Cadavera* omnis beſtiæ quæ [20] ſciſſam qui-
dem habet ungulam, ſed fiſſura non *eſt* biſidata,
aut *cibum* ruminis non revocat, immunda ſunt
vobis: quicunque tetigerit ea,immundus erit:
27 Similiter omnis incedentis ſuper [c] mar-
culos ſuos ex omni animante [d] quadrupede,im-
munda ſunt vobis: quiſquis tetigerit cadaver eo-
rum,immundus erit uſque ad veſperam.
28 Quare qui portaverit cadavera eorum,la-
vabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad
veſperam: immunda ſunt vobis.
29 Item hoc vobis immundum *eſt* ex reptili-
bus quæ reptant ſuper terram: muſtella, & mus,
& [21] teſtudo ſecundùm ſpeciem ſuam:
30 Et attelabus, & lacerta, & ſtellio; & cha-
mæleon,& glis.
31 Iſta [22] immunda ſunt vobis ex omnibus
reptilibus: quiſquis tetigerit illa poſt mortem il-
lorum,immundus erit uſque ad veſperam.
32 Et res omnis ſuper quam *aliquod* eorum
poſt mortem ſuam ceciderit, immunda erit, ex
quocunque *ſit genere* inſtrumentorum, ligno,aut
veſte, aut pelle, aut ſacco, denique inſtrumento
quolibet eorum quibus fit aliquod opus: in aquã
inferetur,& immundum erit uſque ad veſperam,
deinde mundum futurum eſt.
33 [23] In quodcunque autem vas teſtaceum
aliquid illorum ceciderit, omne quod intra ip-
ſum fuerit, immundum erit, ipſum verò fran-
gite.
34 Cuicunque cibo qui comeditur superve-
nerit [24] aqua, immundus eſto: & omnis potus
qui bibi ſolet, in quocunque vaſe, immundus
eſto.
35 Similiter ſuper quodcunque ceciderit de
cadavere illorum, immundum eſto; furnus &
teſtus minuitor, immundi ſunt: ideò immundi
ſunto vobis.
36 Verumtamen fons aut ciſterna, congre-
gatio aquarum [25] erit munda: ſed quod tetigit
cadaver eorum,immundum eſto.
37 Quòd ſi ceciderit de cadavere eorum ſu-
per aliquod ſemen ſativum quod ſeminari ſolet;
mundum erit.
38 Sed ſi impoſitâ aquâ ſemini, ceciderit de
cadavere illorum ſuper ipſum; immundum eſto
vobis.
39 Item ſi moriatur ex beſtiis *aliqua* quæ vo-
bis *eſt* cibo; qui tetigerit cadaver ejus, immun-
dus eſto uſque ad veſperam.
40 Qui autem comederit de cadavere ejus,
lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque
ad veſperam: ſimiliter qui aſportaverit cadaver
ejus,lavabit veſtimenta ſua,& immundus erit uſ-
que ad veſperam.
41 Item omne reptile quod reptat ſuper ter-
ram; abominationi eſto,ne comeditor.
42 Quicquid [26] it ſuper ventrem,& quicquid
it quatuor *pedibus*, & quicquid numeroſius *eſt* pe-
dibus ex omni reptili quod reptat ſuper terram;
ne comedite ea,nam abominationi ſunt.

[19] hinc uſque ad verſ.41. digreſſio eſt, qua explicatur non tam quid impurũ eſt, quàm quid impurum facit. Eſt autem bipertita: docetur enim primum ex cadaveris immundorum contactu, ſecundò ex morticini etiam mundorum animantium tactu vel cibo hominem impurari.
[20] tantùm ex una parte, ſuperiore vel inferiore pedis.
[c] Heb.manus,id eſt, pedes digitatos inſtar manuum.
[d] Heb.incedente ſuper quatuor pedes.
[21] Nomen huic animãti & plauſtro tecto commune eſt, quia hoc animal putaminibus ſuis tectum repræſentat camerati plauſtri.
[22] tum eſu, tum etiam contactu cadaveris, ut exponunt verba ſequentia.
[23] vide infrà 15.12.
[24] illa impurata.
[25] id eſt, non erit minuenda, ſed purganda aqua re illa unde impuritatem contraxit.
[26] ſerpit.

43 Ne abominabiles redditote [e] vos ipſos
ullo reptili quod reptat; neque polluitote vos il-
lis, [27] ut ſitis polluti illis.
44 Nam [28] ego Jehova *ſum* Deus veſter; ut
ſanctificetis vos, & ſitis ſancti, quia ego ſanctus
ſum: ne ergo polluite vos ipſos ullo reptili, quod
reptat ſuper terram.
45 Nam ego *ſum* Jehova qui [29] educo vos e
terra Ægypti, ut ſim vobis [f] Deus: ut ſitis ſancti,
quia ſanctus ego ſum.
46 [30] Hæc *eſt* lex *de* beſtiis & volatilibus &
omni animante quæ repit in aquis; denique de
omni anima quæ reptat ſuper terram:
47 Ad diſcernendum inter immundum &
mundum; atque inter animal quod comeditur
& animal quod non comeditur.

[e] Hebr. animas veſtras, ut v.44.
[27] id eſt, ut mũditiam & ſanctimoniam quam lege impero, ultrò negligatis.
[28] q.d. a me eſt electio veſtra & vocatio ad ſanctificationem, 1. Theſſal.4.
[29] jam inde ab eductione ex Aegypto in cœpto erga vos beneficio pergo.
[f] Heb. in Deum.
[30] Epilogus capitis, ſummatim repetens rerum diſtinguendarũ genera hyſteron proteron, ſeq. v.

CAPUT XII.

Lex de impuritate mulieris puerperæ, & de tempore ac ratione purgationis ejus.

1 ALloquutus etiam eſt Jehova Moſchen,
dicendo:
2 Alloquere filios Jiſraëlis dicendo, Mulier
quum edit ſemen, ſi pepererit maſculum, ut im-
munda eſſe ſolet ſeptem dies, [1] ſecundùm dies,
[a] quibus [2] ſeparatur languore ſuo,immunda eſto.
3 Die autem [3] octavo, circumciditor caro
præputii ejus.
4 Deinde triginta tres dies maneto [4] in [b]
ſanguinis purgatione: nullam rem ſacram tan-
gito, & ad [5] ſanctuarium ne venito, donec com-
pleti fuerint dies purgationis ſuæ.
5 Quòd ſi fœminam pepererit, tunc impura
erit duabus hebdomadibus, [6] ſecundùm *impurita-
tem* ſeparationis ſuæ: deinde ſexaginta ſex dies
maneto in purgatione ſanguinis.
6 Quum autem impleti fuerint dies purga-
tionis ejus, a filio aut a filia, afferto agnum [c] an-
niculum in holocauſtum, & pullum columbæ aut
turturem in peccatum: ad portam tentorii con-
ventus, ſacerdoti.
7 Qui offerens illum coram Jehova expia-
tionem faciet pro ea, ſic purgata erit a [7] profluvio
ſanguinis ſui: hæc *eſto* lex puerperæ a mare aut
a fœmina.
8 Quòd ſi non [d] aſſequatur manus ejus quan-
tum ſatis eſt pro parva pecude, tum accipiet du-
os turtures aut duos pullos columbæ, unum in
holocauſtum, & alterum in [8] peccatum: & expi-
ationem faciet pro ea ſacerdos, ſic munda erit.

[1] ut ſeptiduum immunda eſt ex purgatione ſua menſtrua naturæ ordine, infr.15.19. ita a puerperio immunda eſto.
[a] Heb ſeparationis languoris ejus.
[2] a reliquis hominibus tamquã immunda, ibid.
[3] etſi lex circũciſionis diu antè lata fuit, videtur tamen Deus hoc conſilio in diem octavum illam rejeciſſe, propter ſeptiduum quo impura eſt mater,& impurat partum.
[4] quo tempore non amplius ab hominum conſortio, ſed a rebus ſacris abſtinebat: ſanguis enim μετωνυμικῶς pro impuritate ex eo accipitur.
[b] Heb. ſanguinibus purgationis: *hypallage,& ſic deinceps.* [5] id eſt, locum ſanctum, ubi populus Dei ſacros cœtus habere ſolet, quod atrium populi Scriptura vocat: proinde multò minùs alias ſancti loci partes ingreſſura eſt. [6] id eſt, eadem impuritatis lege, ut ſuprà verſ.2. [c] *Heb. filium anni ſui.* [7] impuritate, quam ex profluvio contraxerat. [d] *Heb. inveniat manus ejus ſufficientiam parvæ pecudis: ut ſuprà 5.7.* [8] prout in peccato a parentibus concipitur,& a matribus fovetur fœtus, Pſal.51.7. quod quidem ſancta θεοτόκος virgo Maria fecit non ſingularis alicujus peccati conſcientia Lucæ 2.22. non dicis cauſa ex Legis conſuetudine, ut legi in ſpeciem ſatisfaceret; non per hypocriſin obtulit ea quæ imperabat Lex: ſed alioqui naturalis ſuæ vitioſitatis conſcia, eam confeſſa & deprecata eſt ſanctiſſimè coram Deo in Eccleſia ejus.

CAPUT XIII.

De ſignis ad lepram: de lepra hominum per ſe, aut ex ulcere, aut ex adustione: de porrigine, varo, & calvitio: de leproſi ſeparatione: de lepra rerum lanearum, linearum, & pellicearum, atque ratione qua de his omnibus ſacerdotes erant cognituri.

1 PRæterea alloquutus eſt Jehova [1] Moſchen
& Aharonem, dicendo,

[1] vide ſuprà 11.1.

2 Homo quum erit in cute carnis ejus tumor, aut abſceſſus, aut papula, quorum aliquid erit in cute carnis ejus *vergens* ad plagam lepræ: tum adducetur ad Aharonem ſacerdotem, aut ad unum e filiis ejus ſacerdotibus.

3 Quúmq; inſpexerit ſacerdos ipſe plagam illam in cute carnis ejus, ſi pilus in plaga illa mutatus fuerit *in* [a] album, & ſpecies illius plagæ [3] profundior fuerit cute carnis ejus, plaga lepræ eſt: quum ergo eam *eſſe* viderit ſacerdos, [a] immundum illum pronunciabit.

4 Quòd ſi papula alba erit in cute carnis illius, & profundior non erit ſpecies ejus ipſa cute, neque pilus ejus mutatus erit *in* album: tum [4] recludet ſacerdos [b] plaga illa *affectum* ſeptem diebus:

5 Poſteà inſpiciet eam idem ſacerdos die ſeptimo; ſi ecce plaga illa conſtiterit [c] judicio ejus, nec diffuderit ſe plaga illa in ipſam cutem: tunc recludet eum ipſe ſacerdos ſeptem diebus ſecundò.

6 Deinde inſpiciet eam idem ſacerdos ſeptimo die ſecundò; ſi ecce contracta eſt plaga illa, neque diffudit ſe plaga illa in ipſa cute: tum [d] mundum pronunciabit eum ſacerdos, abſceſſus eſt, itaque lavabit veſtimenta ſua, & mundus erit.

7 Sin autem [e] omnino diffuderit ſe abſceſſus ille in cute ejus, poſtquam oſtenſus fuerit ſacerdoti ipſi ad purgationem ſui, & oſtenſus fuerit ſecundò ſacerdoti:

8 Si videbit ſacerdos, quòd ecce diffudit ſe abſceſſus ille in cute ejus; tunc pronunciabit illum immundum ſacerdos ipſe, lepra eſt.

9 Plaga lepræ ſi erit in homine, adducetur ille ad ſacerdotem:

10 Si autem viderit ſacerdos ille, quòd ecce tumor albus *eſt* in cute, & ipſa mutavit pilum in album; etiam ſi *aliqua* ſanitas carnis vivæ *ſit* in tumore illo:

11 Lepra inveterata eſt in cute carnis ejus, ideò immundũ pronunciabit eum ſacerdos ille: ne igitur recludito eum, immundus enim eſt.

12 Quòd ſi [f] omnino efflorescet illa lepra in cute ejus, retegétque illa lepra totam cutem plaga *affecti* a capite ejus uſque ad pedes ejus; [g] quacunque inſpicient oculi ſacerdotis.

13 Si viderit ſacerdos ipſe, quòd ecce texit lepra illa totam carnem ejus, tum mundum declarabit plaga illa *affectum*: tota mutata eſt *in* albam, mundus eſt *igitur*.

14 Sed qua die apparebit [5] in ea caro viva, immunda erit.

15 Quum itaque inſpexerit ille ſacerdos carnem iſtam vivam, immundum pronunciabit illum: caro illa viva immunda eſt, lepra eſt.

16 Aut quum verſa fuerit caro illa viva & mutata *in* albam, tum veniet ad ſacerdotem:

17 Si autem inſpiciens eum ſacerdos ille videbit, quòd ecce verſa fuerit plaga illa in albam; tum pronunciabit mundum ſacerdos illum plaga *affectum*, mundus eſt.

18 Item caro, quum fuerit in ipſa cute ejus ulcus; ſi ſanata eſt,

19 Deinde oboritur in loco ipſius ulceris tumor albus, aut papula alba ſubrubida; tum oſtendetur ſacerdoti.

20 Si autem viderit ſacerdos ille, quod ecce ſpecies ejus *eſt* depreſſior ipſa cute, & pilus ejus mutatus *in* album; tum immundum pronunciabit eum ſacerdos, plaga lepræ eſt, ulcere effloruit.

21 Quòd ſi quum inſpiciet eam ſacerdos, ecce non *eſt* in ea pilus albus, neque depreſſior eſt ipſa cute, ſed eſt contracta; tunc recludet eum ſacerdos ſeptem diebus.

22 Poſtea ſi omnino diffuderit ſe per ipſam cutem; tum ſacerdos pronunciabit eum immundum, plaga eſt.

23 Sin autem in loco ſuo conſtiterit papula illa, nec ſe diffuderit, cicatrix illius ulceris eſt: ideò mundum pronunciabit eum ſacerdos.

24 Item caro, quum fuerit in cute ejus aduſtio ignis; ſi erit [h] pars ſanata ab illa aduſtione, papula alba, ſubrubida, aut alba *tantùm*:

25 Quum inſpiciet eam ſacerdos, ſi ecce mutatus eſt pilus *in* album in ipſa papula, & ſpecies ejus eſt profundior ipſa cute, lepra eſt, in aduſtione effloruit: quapropter immundum pronunciabit eum ſacerdos, plaga lepræ eſt.

26 Quòd ſi quum aſpiciet eam ſacerdos, ecce non erit in papula pilus albus, neque depreſſior erit ipſa cute, ſed ipſa contracta *erit*; tunc recludet eum ſacerdos ſeptem diebus.

27 Deinde aſpiciet eam ſacerdos die ſeptimo: ſi omnino ſe diffuderit per cutem, tum ſacerdos pronunciabit eum immundum, plaga lepræ eſt.

28 Sin autem in loco ſuo conſtiterit papula illa, nec diffuderit ſe per cutem, ſed contracta fuerit, tumor illius aduſtionis eſt: quapropter mundum pronunciabit eum ſacerdos, nam cicatrix illius aduſtionis eſt.

29 Item quum in viro aut muliere erit plaga; in capite, vel in barba;

30 Inſpiciente ſacerdote plagam illam, ſi ecce ſpecies ejus profundior *eſt* ipſa cute, & in ea *eſt* pilus fulvus tenuis: tum immundum pronunciabit eum ſacerdos, porrigo eſt, lepra capitis aut barbæ eſt.

31 Inſpiciente verò ſacerdote plagam illam porriginis, ſi ecce ſpecies ejus profundior non *erit* ipſa cute, & pilus [6] nigricans non *erit* in ea: tum recludet ſacerdos *affectum* plaga porriginis ſeptem diebus.

32 Deinde inſpiciet ſacerdos plagam illam die ſeptimo; ſi ecce non diffudit ſe porrigo illa, neque factus eſt in ea pilus fulvus; neque ſpecies ipſa porriginis profundior *eſt* ipſa cute:

33 Tunc radet ille ſe, porriginem verò ipſam ne radito: & recludet ſacerdos porrigine illa *affectum* ſeptem diebus ſecundò.

34 Inſpiciente autem ſacerdote porriginem illam die ſeptimo, ſi ecce non diffudit ſe porrigo illa per cutem, & ſpecies ejus non *eſt* profundior ipſa cute: tunc mundum pronunciabit eum ſacerdos, & quum laverit veſtimenta ſua mundus erit.

35 Sin omnino diffudit ſe porrigo illa per ipſam cutem; poſt mundationem ejus;

36 Tunc inſpiciente eum ſacerdote, ſi ecce diffudit ſe porrigo illa per ipſam cutem: ne inquirito ſacerdos de pilo illo fulvo, immundus eſt.

37 Quòd ſi judicio ejus conſtitit porrigo illa, & pilus nigricans effloruit in ea, ſanata eſt porrigo illa, mundus eſt: quapropter mundum pronunciabit eum ſacerdos.

38 Item quum erunt in cute carnis viri aut mulieris papulæ, papulæ albæ:

39 Tunc inſpiciet ſacerdos, ſi ecce in cute carnis eorum papulæ erunt contractæ albæ; phlyzaciũ eſt, *quod* effloruit in cute, mundus eſt.

40 Item quum alicujus caput glabrum fiet; calvus eſt, mundus eſt.

41 Et

---

[a] qui verus eſt color graviſſimæ lepræ Aegyptiæ, & index illius certiſſimus, ut diximus in Exodo 4.6. & tota hæc narratio commonſtrat.

[3] alterum indicium lepræ, quòd cutem contrahit & inæquabilem facit elephantiaſis, tamquam ſi frigeretur ex ſanguine inflammato aduſta cutis: ut oſtendit antitheſis verſibus 4. ſequentibus: ſic deinceps ℣.10. & 19. & 24. &c.

[a] *Heb. impurato illum, & ſic deinceps.*

[4] id eſt, ſeorſim recludi curabit, videlicet ut ampliùs adhuc probetur plaga: ſic deinceps.

[b] *Heb. virum plaga ſic deinceps.*

[c] *Heb. in oculis ejus: nam pro ſpecie cum accipitur ſingulare eſt, ut inf. ℣.37. & 55.*

[d] *Heb. mundato, & ſic deinceps.*

[e] *Heb. diffundendo diffuderit ſe: ſic verſ.22. & 35.*

[f] *Heb. efflorescendo efflorescet.*

[g] *Heb. ad omnem aſpectum oculorũ ſacerdotis.*

[5] id eſt, in plaga conſpicietur viva caro intermixta illi carni quę mutata fuerat in album: nam varietas colorum indicium eſt lepræ, ut contra unus color ſanitatis, paſſim hoc cap.

[h] *Heb. ſanitas illius aduſtionis.*

[6] qui color capilli eſt ſanitatis index in hac porrigine, ut infrà ℣.37. contra verò fulvus indicium mali, ſuprà verſ.30.

41 Et si *tantùm* [7] ex parte faciei ejus glabrescet caput ejus; recalvaster est, mundus est.

[7] a vertice ad frontem & tempora.

42 Quum autem erit in ipso loco calvo aut in recalvo plaga alba subrubida; lepra efflorescens est in loco calvo aut recalvo ejus.

43 Quare inspiciente eum sacerdote, si ecce tumor illius plagæ albus subrubidus *erit* in loco calvo aut recalvo ejus; secundùm speciem lepræ [i] in cute carnis:

44 Homo leprosus est, immundus est: [k] omnino immundum pronunciabit eum sacerdos, in capite ejus *est* lepra ejus.

[i] Heb. *cutis.*
[k] Heb. *impurando impurato.*

45 LEPROSI autem in quo plaga ista est, [8] vestimenta sunto scissa, & caput ejus esto retectum, & [l] mystacem oblevato; & immundus immundus clamato.

[8] quum videlicet immundus declaratus, a reliquorum consortio emittetur.
[l] *qui priscis Latinis dicebatur tittex.*

46 Omnibus diebus quibus ea plaga in ipso fuerit, immundus habetor, immundus est; solus habitato, extra castra habitatio ejus *esto.*

47 ITEM quum erit in aliqua veste plaga lepræ, in veste lanea, aut in veste linea:

48 Aut in trama, aut in licio lineis laneísve; aut in pelle, aut in quovis opere pelliceo.

49 Erítque plaga illa subviridis aut subrubida in aliqua veste, aut in pelle, aut in trama, aut in licio, aut in ullo instrumento pelliceo, plaga lepræ est: ostendetur itaq; sacerdoti:

50 Quúmque inspexerit sacerdos plagam illam, recludet illud *affectum* plaga septem diebus.

51 Deinde inspiciente *eo* plagam illam die septimo, quum diffuderit se plaga illa in ea veste, aut in trama, aut in licio, aut in pelle, ad quodcunque opus aptata sit pellis illa; lepra [9] dolorifica *est* plaga illa, res immunda est.

[9] dolore & damno eos affectura qui utentur ipsis.

52 Quamobrem comburet vestem illam, aut tramam, aut licium e lana sive e lino, aut omne illud instrumentum pelliceum in quo erit plaga ista: nam lepra dolorifica est, igne comburitor.

53 Quòd si inspiciente sacerdote; ecce non diffudit se plaga illa in ea veste aut in trama, aut in licio; aut in ullo instrumento pelliceo:

54 Tunc præcipiet sacerdos ut lavent id in quo *est* plaga illa; deinde recludes id septem diebus secundò.

55 Inspiciente autem sacerdote ubi ablutum fuerit illud plaga *affectum*, si ecce non mutaverit plaga illa colorem suum, etiam si plaga illa non diffudit se, res immunda est, igne cōburito eam: res est diminuens, [m] exteriore aut interiore parte ejus.

[m] *Heb. loco calvo & recalvo ejus: quod aliis ita accipi placet, sive res trita sit, sive nova.*

56 Quòd si inspiciente sacerdote; ecce contracta est plaga illa postquam id lavatum est; tum rumpet illud ab ea veste, aut ab ea pelle, aut a trama, aut a licio.

57 Sin apparebit adhuc in ea veste, aut in trama, aut in licio, aut in quocunque instrumento pelliceo, reflorescens est *lepra*: igne comburito illud, in quocunque *est* plaga ista.

58 Illa autem vestis, aut trama, aut licium, aut quodcunq; instrumentum pelliceum, quum laveris, si recesserit ab eis plaga ista, tunc lavabitur secundò, & mundum erit.

59 Hæc *esto* lex plagę lepræ, vestis laneę, aut linea, aut tramæ, aut licii, aut cujuscunque instrumenti pellicei: ad [n] pronunciandum illud mundum aut immundum.

[n] *Heb. mundandum illud, aut impurandum illud.*

CAPUT XIIII.

De ritu observando quum sanatus a lepra in cœtum est recipiendus: & de lepra ædium cognoscenda & purganda.

1 PRęterea alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

2 Hæc esto lex leprosi, [1] die purgationis ejus: ut adducatur [2] sacerdotem versus.

3 Exibit autem sacerdos ipse extra castra: inspiciétque sacerdos, si ecce sanata est plaga illa lepræ a leproso.

[1] quo tempore pronunciandus est purgatus.
[2] propius, ne sacerdos cogatur procul a castris discedere.

4 Tunc præcipiet sacerdos ut accipiat *quispiam* pro eo qui purgandus erit, duas [3] aviculas vivas mundas, & lignum cedrinum, & dibaphum coccineum, & hyssopum.

[3] sive (ut Hebræi interpretātur) passeres: nomen enim generis & speciei cōmune est: nos generis significationem prætulimus, prout accipitur Gen. 15.10.

5 Deinde præcipiet sacerdos ut iugulet aviculam unam; *sanguinem fundens* in vas testaceum super aquam vivam.

6 Aviculam *verò* vivam accipiet, lignumque cedrinum, & dibaphum coccineum, & hyssopum: & intinget illa simul cum avicula viva in aviculæ sanguinem jugulatæ super aquam vivam.

7 Ita asperget eum qui purgandus erit a lepra septem vicibus: & pronuncians eum mundum, dimittet aviculam vivam in superficiem agri.

8 Tum qui purgandus est, abluens vestimenta sua & radens totum pilum suum lavabitur aqua ut mundus sit, & posteà veniet in castra: sed emanebit extra tentorium suum [4] septem dies.

[4] vide Num. 12. 14. hujus rei exemplum in Mirjamo sorore Moschis.

9 Erítq; die septimo *ut* radat totum pilum suum, caput suum, & barbam suam, superciliáque oculorum suorum, denique totum pilum suum abradat: & ablutis vestimentis suis lavabit carnem suam aqua, ut sit mundus.

10 Die autem octavo accipito [5] duos agnos integros, & [6] agnam unam [a] anniculā integram; & tres decimas *Epha* similę *in* munus mistę oleo, & sextarium unum olei.

[5] unum puta reatus, alterum holocausti, infrà vers. 12. & 19.
[6] pro peccato, vers. 19.
[a] *Heb. filiam anni sui.*

11 Sacerdos autem ille qui purgat, statuet virum istum qui purgatur, unà cum istis; coram Jehova *ad* ostium tentorii conventus.

12 Et acceptum sacerdos ille agnum unum offeret in reatum simul cum illo sextario olei, & agitabit illa agitatione coram Jehova.

13 Deinde jugulabit agnum illum in loco ubi jugulare solet peccatum & holocaustum, in loco sancto: nam sicut peccatum, *sic* reatus ipse *est* sacerdotis, res sancta sanctarum est.

14 Tum accipiens sacerdos de illo sanguine reatus, imponet sacerdos infimæ auriculæ dexteræ ejus qui purgatur; & pollici manus ejus dexteræ, ac pollici pedis ejus dexteri.

15 Similiter accipiens sacerdos de sextario illo olei, infundet *unus* sacerdos manui sinistræ [b] alterius:

[b] *Heb. sacerdotis: sic vers. 26.*

16 Et intincto sacerdos digito suo dextero, *accipiens* de oleo illo quod *erit* in manu sua sinistra; asperget de illo oleo digito suo septem vicibus coram Jehova.

17 De residuo autem illius olei quod *erit* in manu sua, imponet sacerdos infimæ auriculæ dexteræ ejus qui purgatur, & pollici manus ejus dexteræ, ac pollici pedis ejus dexteri, [7] super ipsum sanguinem reatus:

[7] id est, in eadem parte, quæ prius sanguine reatus aspersa fuit: ut dicitur evidentiùs infrà vers. 28. vide suprà vers. 14.

18 Quod autem remanserit de illo oleo quod *erit* super manum sacerdotis, imponet capiti ejus qui purgatur: sic expiationem faciet pro eo sacerdos coram Jehova.

19 Tum parans sacerdos peccatum expiationem faciet pro eo qui purgatur ab immunditia sua; postremò autem jugulabit holocaustum:

20 Et

20 Et offeret ſacerdos holocauſtum illud & munus ejus in altari: ſic quum expiationem fecerit pro eo ſacerdos, mundus erit.

21 Quòd ſi [8] tenuis ſit, [9] neque aſſequatur *iſta* manus ejus, tum accipiet agnum unum *in* reatum ad agitationem, quo expiationem faciat *ſacerdos* pro eo: & decimã *Ephæ* unam ſimilæ miſtæ oleo in munus, atque ſextarium olei:

[8] in re tenui, pauper.
[9] ſic infrà verſ. 22. 30. & 32. vide ſuprà in 5. 11.

22 Et duos turtures aut duos pullos columbæ, quæ aſſequi poterit manus ejus, ut ſit unum *in* peccatum, & alterum *in* holocauſtum.

23 Quæ afferet die octavo purgationis ſuæ ſacerdoti, ad portam tentorii conventus, coram Jehova.

24 Tunc accipiet ſacerdos agnum reatus, & ſextarium olei, agitabítque illa ſacerdos agitatione coram Jehova.

25 Deinde jugulabit agnum reatus, & accipiens ſacerdos de ſanguine illius reatus, imponet infimæ auriculæ dexteræ ejus qui purgatur: & pollici manus ejus dexteræ, ac pollici pedis ejus dexteri.

26 De oleo quoque effundet ſacerdos, ſuper manum ſuam ſiniſtram:

27 Et aſperget ſacerdos digito ſuo dextero de illo oleo quod *erit* in manu ſua ſiniſtra; ſeptem vicibus coram Jehova.

28 Poſteà imponet ſacerdos de illo oleo quod *erit* in manu ſua, infimæ auriculæ ejus qui purgatur dexteræ, & pollici manus ejus dexteræ ac pollici pedis ejus dexteri; [10] in loco ſanguinis reatus ipſius.

[10] ut ſuprà 17.

29 Quod autem remanſerit ex illo, quod *erit* in manu ſacerdotis, imponet capiti ejus qui purgatur; ad expiationem faciendam pro eo coram Jehova.

30 Deinde parabit unum ex turturibus illis aut e pullis columbæ, ex *eis* quæ aſſequi potuerit manus ejus.

31 Prout aſſequuta fuerit manus ejus, unum *in* peccatum & alterum *in* holocauſtum, cum ſuo munere: ſic expiationem faciet ſacerdos pro eo qui purgatur coram Jehova.

32 Iſta *eſto* lex *ejus* in quo *erit* plaga lepræ; cujus manus aſſequi [11] *illa* non potuerit in purgatione ſui.

[11] quæ primo loco mandata ſunt ad purgationem lepræ verſ. 10.

33 ALLOQUUTUS quoque eſt Jehova Moſchen & Aharonem, dicendo:

34 Quum perveneritis in terram Cenaanis, quam ego daturus ſum vobis in poſſeſſionem; ſi indidero plagam lepræ *alicui* domui regionis [c] quam poſſidebitis:

[c] Heb. *poſſeſſionis veſtræ.*

35 Tunc veniens is cujus *eſt* domus illa, indicabit ſacerdoti, dicendo; velut plaga *eſſe* mihi videtur domi.

36 Et præcipiet ſacerdos ut [12] expediant domum illam, ante quàm veniat ſacerdos ad aſpiciendum plagam illam, ut non polluatur quicquid *eſt* in ea domo: poſtmodùm verò adveniet ſacerdos ad aſpiciendum domum illam.

[12] nempe dominus & domeſtici ipſius.

37 Inſpiciens autem plagam illam, ſi ecce plaga illa in parietibus illius domus *conſtat* foſſulis ſubviridibus aut ſubrubidis; quarum ſpecies *ſit* depreſſior ipſo pariete:

38 Egredietur ſacerdos illa domo ad januam ipſius domus, & recludet [d] eam ſeptem diebus.

[d] Heb. *domum ipſam.*

39 Poſteà redibit ſacerdos die ſeptimo: ſi autem viderit, quòd ecce diffudit ſe plaga illa per parietes illius domus,

40 Tunc præcipiet ſacerdos, ut eruant lapides illos in quibus *erit* plaga iſta: & projicient eos extra civitatem in locum immundum.

41 Domum autem nudabit tectorio intrinſecus circumquaque: & effundet pulverem illum quem detraxerint, extra civitatem in locum immundum.

42 Deinde acceptos lapides alios inducet in locum illorum lapidum; ſimiliter pulvere alio accepto ipſam domum inducturus eſt.

43 Quòd ſi rediens eadem plaga effloreſcet in iſta domo, poſtquam eruit lapides illius, & poſtquam detraxit *pulverem* ex ea domo, & poſtquam induxit:

44 Tunc adveniens ſacerdos ſi videat quòd ecce diffuderit ſe plaga hæc per domum illam; lepra [13] dolorifica eſt in ea domo, immunda eſt.

[13] ut ſuprà 13. 51.

45 Quapropter deſtruet domum illam, lapides ejus, & ligna ejus, omnémque pulverem illius domus; & educet extra ipſam civitatem in locum immundum.

46 Qui autem ingreſſus fuerit domum illam [e] ullo dierum *quibus* recluſit eam; immundus erit uſque ad veſperam,

[e] Heb. *omnibus diebus.*

47 Et qui cubaverit in ea domo, lavato veſtimenta ſua: ſimiliter qui comederit in ea domo lavato veſtimenta ſua.

48 Sin autem [f] omnino ingreſſus ſacerdos viderit, quòd ecce non diffudit ſe plaga illa per domum, poſtquam inducta eſt domus illa: tunc mundam pronunciabit ſacerdos domum illam, quia ſanata eſt plaga.

[f] Heb. *ingrediendo ingreſſo.*

49 Itaque accipiet ad expurgandum domum illam, duas aviculas; item lignum cedrinum, & dibaphum coccineum, & hyſſopum:

50 Et jugulans aviculam unam, *ſanguinémque* infundens vaſi fictili ſuper aquam vivam,

51 Accipiet lignum illud cedrinum, & hyſſopum, & dibaphum coccineum, aviculámque alteram vivam; & intinget in ſanguine aviculæ jugulatæ, & in aqua viva: aſpergétq; domum illam ſeptem vicibus.

52 Sic quum mundaverit domum illam ſanguine illius aviculæ, & aqua viva, avicula quoque altera viva, lignóque cedrino, & hyſſopo, & dibapho coccineo:

53 Dimittet alteram aviculam vivam extra civitatem in ſuperficiem agri: ſic expiationem fecerit pro domo illa, & erit munda.

54 [14] Iſta *eſt* lex; de omni plaga lepræ, & de porrigine,

[14] Epilogus duorum capitum præcedentium.

55 De lepra quoque veſtimenti, & de *lepra* domus,

56 Item de tumore, & de abſceſſu, & de papula:

57 Ad docendum qua die quis immundus ſit, & qua die quis ſit mundus: iſta *eſt* lex lepræ.

CAPUT XV.

Lex de immunditia viri gonorrhœa laborantis, de eo qui proprio ſemine ſe inficit, de muliere ordinarium vel extra ordinem fluxum patiente, & de ratione purgationis illorum.

1 ITem alloquutus eſt Jehova Moſchen & Aharonem, dicendo:

2 Alloquimini filios Jiſraëlis: edicentes eis, [a] unuſquiſque quum eſt gonorrhœa affectus a carne ſua, profluvio ſuo immundus eſt.

[a] Heb. *vir vir.*

3 Hæc autem eſto immunditia ejus in profluvio

fluvio

fluvio ejus: si salivaverit [2] caro ejus profluvium ejus, aut obstruxerit se caro ejus a profluvio ejus, immunditia ejus est.

4 Omne cubile cui incubuerit gonorrhœa affectus, immundum esto: & omne instrumentum cui insederit, immundum esto.

5 Et quisquis tetigerit cubile ejus; ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus *erit* usque ad vesperam.

6 Item qui insederit instrumento ulli cui insedit gonorrhœa affectus; ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus *erit* usque ad vesperam.

7 Item qui tetigerit [2] carnem gonorrhœa affecti; ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus *erit* usque ad vesperam.

8 Item quum despuerit gonorrhœa affectus in *aliquem* mundum, is ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus *erit* usque ad vesperam.

9 Item omne sedile, cui insidens vehetur gonorrhœa affectus, immundum esto.

10 Item quisquis tetigerit rem ullam quę substrata fuerit ei, immundus esto ad vesperam: qui itaque portaverit illa, ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus *erit* usque ad vesperam.

11 Item quemcunque tetigerit gonorrhœa affectus, manibus suis non immersis in aquam; is ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus *erit* usque ad vesperam.

12 Item [3] vas testaceum quod tetigerit affectus gonorrhœa, frangitor: omne verò vas ligneum immergitor in aquam.

13 Quum autem mundabitur affectus gonorrhœa a profluvio suo, primùm numerabit sibi septem dies ad purgationem sui, & abluet vestimenta sua; deinde lavabit carnem suam aqua viva, ut sit mundus:

14 Deniq; die octavo accipiet sibi duos turtures, aut duos pullos columbæ: veniénsque coram Jehova ad portam tentorii conventus, dabit illos Sacerdoti.

15 Quorum parabit Sacerdos unum *in* peccatum, & alterum *in* holocaustū: sic expiationem faciet pro eo Sacerdos coram Jehova a profluvio ejus.

16 Item quisque quum exibit ex eo [b] [4] concubitus semen; is lavabit aqua totam carnem suam, & immundus *erit* usque ad vesperam:

17 Et super quocunque panno, aut quacunque pelle fuerit concubitus semen; id abluetur aqua & immundum *erit* usque ad vesperam:

18 [5] Mulier etiam, quum vir concubuerit cum ea concubitus semine; *ambo* lavabuntur aqua, & immundi erunt usque ad vesperam.

19 Mulier autem quum erit affecta profluvio, quum profluvium sanguinis ejus erit in carne ejus; septem dies esto in [6] separatione sua, & quisquis tetigerit eam, immundus esto usque ad vesperam.

20 Et super quodcunque cubaverit tempore separationis suæ, immundum esto: similiter cuicunque insederit, immundum esto.

21. Et quisquis tetigerit cubile ejus; ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, ac immundus erit usque ad vesperam.

22 Quisquis etiam tanget ullum instrumentum cui illa insederit; ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus erit usque ad vesperam.

23 Etiam si illud *quod quis tanget* erit super cubile aut super instrumentum illud, cui illa insidebat quum is tangeret illud; immundus esto usque ad vesperam.

24 Quod si [c] omnino [7] concubuerit quis cum ea, ita ut id [d] cujus causâ separatur ea sit super ipsum, is immundus erit septē diebus: similiter omne cubile in quo cubaverit, immundum esto.

25 Item mulier quum profluet profluvio sanguinis diebus multis præter [8] tempus separationis suæ, aut quum profluet ultra separationem suā: omnibus diebus profluvii immunditiæ suæ, [9] sicut diebus separationis suæ immunda ipsa futura est.

26 Omne cubile in quo cubaverit omnibus diebus profluvii sui, ut cubile separationis suæ esto ei: & omne instrumentum cui insederit immundum esto, secundùm immunditiam separationis ejus.

27 Et quisquis tetigerit illa, immundus est: quapropter ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus erit usque ad vesperam.

28 Quum autem mundabitur a [10] profluvio suo, numeratis sibi [11] septem diebus posteà mundabitur.

29 Itaque die octavo accipito sibi duos turtures, aut duos pullos columbæ; quos afferat sacerdoti ad portam tentorii conventus:

30 Et parabit Sacerdos unum *in* peccatum, & alterum *in* holocaustum; & expiationem faciet pro ea Sacerdos coram Jehova a profluvio immunditiæ ejus.

31 Sic curabitis ut se separent filii Jisraëlis ab immunditia sua, ut non moriantur in immunditia sua, quum impuraverint tabernaculum meum quod *est* inter ipsos.

32 [12] Ista *est* lex affecti gonorrhœa; ejusque ex quo exit cōcubitus semen quo fit immundus.

33 Item languentis *mulieris* in separatione sua, & *cujusque* profluentis profluvio suo tam maris quàm fœminæ: de viro quoque qui concubuerit cum immunda.

[1] honesta pudendorum appellatio per synecdochen, ut suprà 6. 3. & deinceps. Duo autem hic ponuntur gonorrhœas genera: unum τῆς ὀνειρώξεως, quæ somniantibus accidit: alterum τῆς ἐξ ἀρρωστίας, quam genituram valetudinis morbo effluentem appellat Plinius lib.20. natur.hist.cap.8. Duplex autem est utriusq; modus, quo genitale semen, etsi non justè, excreatur. Prior est, quum e laxis vasis per tenuitatem seminis aut laxitatem vasorum profunditur, quamvis nulla ratione (ut magis in somno accidit) proritatum: sic caro salivare dicitur profluvium viri. Posterior est, quum semen in quasdam angustias compressum, exsudat abundantia sua cum vehementia, per obstructionem irritatum. Hoc autem metalepticè innuit Mosche dicens, si obstruxerit se caro, &c.

[2] i. quamlibet corporis partē, præterquam lotas manus, infrà vers.11.

[3] ἀναλόγως cum lege sup.11.33. & sequentibus.

[b] *Heb. concubitus seminis: hypallage.*

[4] i. genitale semen fusum in maritali ac legitimo concubitu, ut vers.18.

[5] transitio ad leges mulieribus imperatas.

[6] id est, segregata a reliquis hominibus, ita ut neque concumbant, neque vescantur cum ea, neque illam attingant: ut sequentia explicant.

[c] *Heb. concumbendo concumbet.*

[7] imprudens, puta cum imprudente: nam alioqui pœna in eum qui sciens prudens fecerit indicta est infrà 20. 18.

[d] *Hebr. separatio ejus sit sup. id est, cujus causâ separatur, aut id quod natura ejicit & separat ab ea.*

[8] quod septenidiale est, suprà 12. 2. & hic vers.19.

[9] id est, eadem immunditiæ lege tenetor, qua quum ordinarium fluxum patitur: de quo V. 19. & sequentibus.

[10] ordinario, non autem extra ordinem, ut antè distinxit Mosche.

[11] a principio profluvii sui.

[12] Conclusio totius capitis.

CAPUT XVI.

Lex de ritu anniversariæ expiationis sanctuarii, tentorii, altaris, summi Sacerdotis, ac totius populi: & de universali jejunio in die expiationis celebrando.

1 Quamobrem [1] alloquutus est Jehova Moschen, postquam mortui sunt duo filii Aharonis: (mortui autem sunt [2] quum appropinquassent ante conspectum Jehovæ:)

2 Edixítque Jehova Moschi, alloquere Aharonem fratrem tuum; ut ne ingrediatur quovis tempore in *locum* sanctum intra velum: ante illud operculum propitiatorium quod *est* super arcam *consistat*, ut non moriatur, quia [3] in nube appareo super operculum illud propitiatorium.

3 Cum hoc [4] ingreditor Aharon locū hunc sanctum; cum juvenco [a] subrumo in peccatum, & ariete in holocaustum.

4 [5] Tunicam lineam sanctam induito, & femoralia linea sunto super carnem ejus; balthecque lineo accingitor, & cidari linea tegitor: vestes sacræ sunt, ideò lavabit aqua carnem suam quum induet eas.

5 A cœtu verò filiorum Jisraëlis, accipiet duos hircos e capris in peccatum; & arietem unum in holocaustum.

[1] Regressio est, qua respondet Deus ad quæstionem Moschi propositam, an infirmus & peccati conscius Sacerdos peccatum populi possit comedere, suprà 10.19. quod verba cōtextus docent, postquam mortui sunt, &c.

[2] plus sibi arrogantes quàm sui erat muneris: suprà 10.1.

[3] i. aspectabili specie resideo, & conspiciendam exhibeo majestatem meam: ac proinde non debet Sacerdos ullus, nisi rarò ac trepidè (idq; vocatus) accedere cum reverentia: vide Exodi 3.5.

[4] videlicet semel tantùm quotannis, ut dicitur infrà vers. 29.

[a] *Heb. filio bovis.*

[5] videlicet cum pectorali, amiculo, & pallio, synecdochicè, ex lege Exo.28.43. similis autē synecdoche habetur inf. V.23.

6 Et

6 Et offeret Aharon juvencum illum peccati qui *fuerit* pro se; & [6] expiationem faciet pro se & pro familia sua:

7 Deinde accipiens duos illos hircos; sistet illos coram Jehova *ad* portam tentorii conventus.

8 Et [7] imponet Aharon his duobus hircis sortes; sortem unam Jehovæ, sortem verò alteram [8] Hazazelis.

9 Tunc offerens Aharon hircum [b] cui obvenerit sors pro Jehova; [9] parabit illum in peccatum:

10 [10] Hircus verò ille cui obvenerit sors Hazazelis, sistitor vivus coram Jehova ad faciendum expiationem super eum; ut dimittant eum *qui* Hazazelis *est* in desertum.

11 Quum autem offerens Aharon juvencum illum peccati qui *erit* pro se, expiationem faciet pro se & familia suâ: jugulabit juvencum illum peccati qui *erit* pro se.

12 Et accipiens [c] plenum thuribulum prunis ardentibus ex ipso altari a cõspectu Jehovæ, [d] plenósque pugillos suos suffitu aromatum [11] comminuto; inferet *ea* intra velum ipsum:

13 Et imponet suffitum illum igni coram Jehova; ut tegat nubes illa suffitus ipsum operculũ propitiatorium quod *est* super testimonium, & non moriatur.

14 Posteà accipiens de sanguine illius juvenci insperget digito suo superficiem ipsius operculi propitiatorii orientem versus: ante illud autem operculum propitiatorium inspergito [12] septem vicibus de illo sanguine digito suo.

15 Jugulato verò hirco illo peccati qui *erit* pro populo, inferet sanguinem ejus intra ipsum velum: & faciet sanguine ejus sicut fecit sanguine illius juvenci, inspergens eo ipsum operculum propitiatorium, & ante operculum propitiatorium.

16 Sic expiationem faciet [13] pro loco sancto ab immunditiis filiorũ Jisraëlis & a defectionibus eorum ex quibusvis peccatis eorum; similitérque faciet tentorio conventus, manente apud eos inter immunditias eorum.

17 [14] (Nullus autem homo esto in tentorio conventus quum ille ingredietur ad expiationẽ faciendam in loco sancto, usq; dum egrediatur: quum expiationem faciet pro se & pro familia sua, & pro tota congregatione Jisraëlis.)

18 Posteà exibit ad ipsum [15] altare quod *est* coram Jehova, ut expiationem faciat pro eo; accipiensq; de sanguine illius juvenci & de sanguine illius hirci, imponet cornibus ipsis altaris circumquaque:

19 Et insperget ipsum ex illo sanguine digito suo septem vicibus: sic mundabit ipsum, & sanctificabit ipsum ab immunditiis filiorum Jisraëlis.

20 Quúmque finem fecerit expiandi *locum* sanctum, & tentorium conventus, atque altare ipsum; admovebit hircum illum qui vivus erit:

21 Nitensque Aharon ambabus manibus suis super caput illius hirci qui vivus *erit*; confitebitur super ipsum omneis iniquitates filiorum Jisraëlis, & omnes defectiones eorum exquibusque peccatis eorum; & postquam imposuerit illa capiti istius hirci, emittet *eum* [e] per hominem commodum in desertum:

22 Nam portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum in regionem [f] inhabitabilem: quamobrem dimissurus est hircum illum in desertum.

[6] ut præscribitur vers. 11. & sequẽtibus.
[7] id est, cognoscito per sortem judicium Dei, utrum illorum sibi mactari, & utrum dimitti cum populi peccatis velit.
[8] sic horridus locus appellatur & desertus planè, ut exponitur versu 10. quasi dicas capri abeuntis & oberrantis, quia emissus a Sacerdote caper sine custode liberè huc illuc oberrabat, velut expositus: quod genus sacræ pecudis Græci ἄφετον ζῶον dixerunt, Tranquillus appellat vagum in Julio Cæsare. l. xx. ἀποπομπαῖον verterunt: sic deinceps. vide infrà vers. 21. & 22.
[b] *Hebr. super quam ascenderit: sic deinceps.*
[9] ut præscribitur vers. 15. & sequentibus.
[10] de cujus ritu infrà 20. & sequentibus.
[c] *Heb. plenitudinem thuribuli carbonib. ignis.*
[d] *Heb plenitudinem pugillorum suorum.*
[11] ex massa odoramentorum: vide suprà in Exod. 30. 34.
[12] vide suprà 4. 6. hoc autem de parte solùm anteriore, id est, de loco sancto oportet accipi intra velum: nam operculum ipsum propitiatorium vel superficies ipsius tantùm inspergebatur semel, hoc & sequente versu.
[13] purgato eo ab immunditie, quæ a circunstantibus filiis Jisraëlis immũdis inserebatur.
[14] ac ne Sacerdos quidem.
[15] nimirum suffitus, ut ex analogia capitis 4. colligimus, & administrationis totius ordine, qui ostenditur summatim vers. 20.
[e] *Hebr. per manum hominis tempestivi vel opportuni.*

23 Posteà veniens Aharon in tentorium conventus exuet vestes lineas quas induerat quum venturus esset in [16] *locum* sanctum: & relinquet eas ibi.

24 Deinde ubi laverit carnem suam aqua in [17] *loco* sancto, & induerit vestimenta sua; exiens parabit holocaustum suum & holocaustum populi, & expiationem faciet pro se & pro populo.

25 Adipem verò cujusque peccati adoleto in ipso [18] altari.

26 Qui autem dimiserit hircum illum Hazazelis, ablutis vestimentis suis lavabit carnem suam aqua; & [19] posteà ingredi poterit in castra.

27 Juvencum verò illum peccati & hircum peccati, quorum sanguis illatus fuit ad expiationem faciendam in sancto, efferto extra castra: & comburent igne pelles eorum, & carnem eorum, fimúmque eorum.

28 Qui autem combusserit ista, ablutis vestimentis suis lavabit carnem suam aqua: posteà demum ingredi poterit in castra.

29 Atque *hoc* erit vobis in statutum perpetuum: mense septimo, *die* decimo illius mensis affligitote [20] animas vestras, & nullum opus facitote, indigena, aut peregrinus qui peregrinatur [g] inter vos:

30 Quia isto die expiationem [21] faciet pro vobis, ad mundandum vos: ab omnibus peccatis vestris, coram Jehova mundabimini.

31 Cessatio, requies esto vobis, qua affligatis animas vestras; statuto perpetuo.

32 Expiabit autem [22] Sacerdos ille quem *Deus* unxerit, & cujus [h] consecraverit ministerium ad fungendum sacerdotio loco patris sui; quum induerit vestimenta linea, vestimenta sacra:

33 Expiabit inquam sanctuarium sacrum, tentorium quoque conventus, & altare expiabit: etiam Sacerdotes ipsos, & totum populum hujus congregationis expiabit.

34 Est itaque futurum hoc vobis in statutum perpetuum, ad expiationem faciendam pro filiis Jisraëlis ab omnibus peccatis eorum, semel quolibet anno: quod fecit *Aharon*, quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

[f] *Heb. decisam: quæ quia non habitatur, a parte habitabili velut decisa est.*
[16] sive sanctiorem, ubi erat thymiaterium, &c. Nam locus sanctus fuit triplex: sanctus, in quo altare holocausti: sanctior, in quo thymiaterium; & sanctissimus, in quo arca federis & operculum ejus propitiatorium.
[17] ubi erat altare holocausti, & labrum Sacerdotibus abluendis.
[18] nimirum holocausti: nam de altero interdictum manifestum exstat Exod. 30. 9.
[19] quàm sese abluerit, quasi dicat, non erit necesse ut emaneat ad vesperam usque: quod tamen aliis in rebus observatur, sic versu 28.
[20] vos ipsos, videlicet abstinendo ab omni cibo & potu, ac utendo aliis exercitamentis ad finem istum accommodis.
[g] *Heb. in medio vestri.*
[21] nimirum Sacerdos, ut cui mandatum est vers. 32.
[22] periphrasis Sacerdotis summi, vide in Exo. 29. 29. & 40. 15. & suprà 4. 3.
[h] *Heb. impleverit manum.*

CAPUT XVII.

Lex de loco omnium sacrificiorum Deo soli per sacerdotẽ ipsius offerendorum: interdictum universale edendi sanguinis morticini, aut discerpti: cum pœnis adversus inobsequentes.

1 PRæterea alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

2 Alloquere [1] Aharonem & filios ejus omnésque [2] filios Jisraëlis, edicens eis; hoc illud *est* verbum quod præcepit Jehova, dicendo:

3 [a] Quicunque e familia Jisraëlis [3] jugulaverit bovem, aut agnum, aut caprum [4] in castris; aut quisquis jugulaverit extra castra;

4 Si ad portam tentorii conventus non adduxerit illam; [b] oblaturus oblationem

[1] ut qui sacra agunt coram Deo pro toto populo.
[2] ut qui offerunt, quemadmodum dicitur sequente versu: non omnes quidem, aut omni in loco; sed per Sacerdotes solum, & coram Domino.

[a] *Heb. vir vir qui. & sic deincept.* [3] oblaturus oblationem Jehovæ, ex vers. 4. qui huic omnino conjungendus est. [4] sed extra atrium, sequente vers.
[b] *Hebr. ad offerendum.*

Jehovæ,

Jehovæ, ante tabernaculum Jehovæ: [5] sanguis imputator viro illi, sanguinem effudit, quapropter exscindetur vir ille e medio populi sui.
5 Ut, quum adducent filii Jisraëlis sacrificia sua, [6] quæ sacrificant in superficie cujusvis agri; adducant illa Jehovæ versus portam tentorii conventus ad sacerdotem; & sacrificent sacrificia [7] ipsa eucharistica Jehovæ.
6 Et asperget sacerdos ipse sanguinem illorum super altare Jehovæ *ad* portam tentorii conventus; adolebítque illorum adipem in odorem [c] gratum Jehovæ.
7 Neque sacrificanto deinceps sacrificia sua [d] [8] dæmonibus, [e] quos sectantur isti scortando: statutum perpetuum hoc esto eis per generationes eorum.
8 Quapropter e is edicito, quicunque e familia Jisraëlis aut e peregrina *gente* qui peregrinatur [f] inter eos; offeret holocaustum aut *aliud* sacrificium;
9 Ac ad portam tentorii conventus non adducet illud, ut paret illud Jehovæ: omnino exscindetur vir ille e populis suis:
10 Et quicunque e familia Jisraëlis aut e peregrina *gente* qui habitat inter eos vescetur ullo sanguine; utique [g] illi ipsi opponam iratam faciem meam qui comederit ullum sanguinem, & exscindam illum e medio populi mei.
11 [9] Nam anima cujusque carnis in sanguine est; ego verò destinavi eum vobis in altari ad expiationem faciendam pro animis vestris: nam sanguis is *est* qui pro anima expiationem facit.
12 Idcircò edico filiis Jisraëlis, nulla anima ex vobis comedito sanguinem: etiam peregrinus qui peregrinatur inter vos ne comedito sanguinem.
13 Et quicunque e filiis Jisraëlis, aut e peregrina *gente* qui peregrinatur inter eos, [h] venando ceperit capturam bestiæ aut avis [10] quæ comeditur; primùm effundet sanguinem ejus, & teget eum pulvere.
14 *Est* enim anima cujusque carnis, sanguis ejus pro anima ejus est; ideò edico filiis Jisraëlis, sanguinem ullius carnis ne comeditote: nam cujusque carnis anima [11] sanguis ejus est, comedentium eum quisque exscinditor.
15 [i] Quicunque autem [12] comederit mor-

5 perinde habetor ac si homicidium perpetrasset, hominisque innoxii sanguinem effudisset: causam vide vers. 11.
6 id est, hucusque consueverunt sacrificare ubivis locorum ante erectum tabernaculum.
7 ac multò magis reliqua sanctiora coram Deo: sic enim profitentur ipsi Jisraëlitæ Jehoschu. 22. 26.
c Hebr. quietis.
d Hebr. horrentibus, vel horrificis, quia horridi sunt, & horrorem iis incutiunt quibus apparent.
8 qui horridi sunt ipsi, & horrifica hircorum specie colendos sese Magis cultoribúsque suis solent exhibere. Sacrificatur autem dæmonibus, si alio loco aut ritu & modo sacrificatur, quàm præscripsit Dominus: vide Deuter. 32. 17. & 1. Cor. 10. 20. Atque hoc modo fecisse Jisraëlitas in AEgypto & in itinere ostendit Mosche Exod. 32. & hoc ipso versu, quum voce, *deinceps*, sive *ampliùs*, utitur: & Stephanus Judæis objicit Actor. 7. 42. Hæc autem omnia de ordinario sacrificiorum usu dicuntur, quem mutare homini est nefas, quia huic obsequio se Deus adfore pollicetur: Extra ordinem verò Deus sibi jus soli servat altaria & sacrificia imperandi arbitratu suo. Nec tamen propterea contra Legem venit; sed quia lex hominibus & propter homines data est; eadem lege excepit hanc autoritatem sibi, dicens, Quocunque in loco jubebo celebrari memoriam nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi, Exod. 20. 24. Quamobrem Elija extra ordinem altare exstruens & sacrificans minimè peccavit, 1. Regum 18. ut neque peccavit Abraham mactaturus filium, Genes. 22. quia uterque id Deo jubente fecit. e *Hebr. post quos ipsi scortantur, videlicet AEgyptii & gentes.* f *Hebr. in medio eorum, sic deincep.* g *Hebr. animam quæ.* 9 interdicti causæ duæ: prior, quòd sanguis sedes sit animæ: posterior, quòd eum sibi reservat Deus, ut eo fiat expiatio pro animis offerentium, ac si anima pro anima dederetur noxæ. His rudimentis apud veterem populum Christus adumbratus est, & expiatio facta in cruce per sanguinem ipsius. h *Hebr. venatum fuerit venationem bestiæ.* 10 puta legitimè, ut traditum est suprà 11. & Deuteronom. 14. 11 synecdochicè dictum, ut optimè Augustinus monet, pro eo quod est anima ejus est in sanguine ejus, ut dicitur versu 11. aut sanguis ejus est ei pro anima, ut præcessit hoc versu. Hæc autem propriè dicuntur de brutis animantibus quæ comedi solent, de hominibus verò minimè. Nam horum animæ (ut loquuntur Scholastici) substantivæ, illorum qualitativæ sunt. i *Hebr. omnis autem anima quæ, &c.* 12 imprudens scilicet: nam prudens sciens si comedit Jisraëlita, aut peregrinus receptus in populum Dei, contra legem venit quæ est Deut. 14. 21.

ticinum, aut discerptum, sive indigena sive peregrinus; is ablutis vestimentis suis lavabitur aqua, & immundus erit usque ad vesperam, pòst mundus erit.
16 Quòd si non abluerit illa, & carnem suam non laverit; feret iniquitatem suam.

CAPUT XVIII.

Interdicta ab omni incestu, digamia, adulterio, vaga portentosaque libidine, cum gravi comminatione.

1 Item alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,
2 Alloquere filios Jisraëlis, edicens eis; [1] ego *sum* Jehova Deus vester.
3 Secundùm opera [2] terræ Ægypti in qua habitastis ne facitote; similiter secundùm opera terræ Cenahanæi, in quam duco vos, ne facitote, & in statutis eorum ne ambulatote:
4 *Sed* judicia mea exercetote, & statuta mea observatote ambulando in eis: ego *sum* Jehova Deus vester.
5 Si observabitis statuta mea & judicia mea, [l] homo qui fecerit ea vivet in eis: ego *sum* Jehova.
6 [a] Nemo homo ad ullum [3] propinquum carnis suæ acceditote, ad retegendum [4] nuditatem: ego *sum* Jehova.
7 Nuditatem [5] patris tui, aut nuditatem matris tuæ ne retegito: [6] mater tua est, ne retegito nuditatem ejus.
8 Nuditatem [b] [7] novercæ tuæ ne retegito: nuditas patris tui est.
9 Nuditatem sororis tuæ, [8] filiæ patris tui aut filiæ matris tuæ, [9] cognationis domesticæ aut exteræ cognationis; harum ne retegito nuditatem.
10 Nuditatem [10] [c] neptis tuæ ex filio filiave, harum ne retegito nuditatem: nam nuditas tua sunt.
11 Nuditatem [11] filiæ [d] *natæ* ex noverca tua cognata patris tui, soror tua est: hujus ne retegito nuditatem.
12 Nuditatem amitæ tuæ ne retegito, propinqua patris tui est.
13 [12] Nuditatem materteræ tuæ ne retegito, nam propinqua matris tuæ est.
14 Nuditatē patrui tui ne retegito: [13] ad uxorē

1 nempe autor, effector, & vindex constantissimus atque certissimus mearum legum: sic deinceps, & Exod. 20. 2.
2 id est, incolarum; metonymia ut alibi passim.
l *Gal.* 3. 12.
a *Heb. homo homo.*
3 ex iis videlicet qui infrà aut speciatim nominantur usque ad vers. 17. aut ex illorum comparatione per analogiam intelliguntur. Hujus enim legis duæ summæ afferuntur causæ: una juris naturalis omnium gentium mentibus impressi ut fiant ἀναπολόγητοι: altera humanitatis, quæ amicitiam per affinitates & conjunctiones sanguinis jubet propagari, ut ostenditur vers. 9.
4 id est, pudendas partes, per euphemismum: sic deinceps. Sensus est, nullo jure aut juris specie tibi licet cum ullo ulláve quæ te gradibus hisce attingit, concubitu seminis copulari. 5 id est, neque tu filia cum patre tuo concumbito, neque tu fili cum matre: Ellipsis relati, ut infrà 21. 4. ἐξ ἀντιθέτου statuenda. 6 ætiologia est ex parte ἀνανταπόδοτος: pro eo quod est, ille tibi pater est, hæc mater. b *Hebr. uxoris patris t. ut vers.* 11. 7 tu fili videlicet, neque tu filia nuditatem vitrici tui: hic autem versus adhæret superiori, ut pars toti, πρὸς ἐξήγησιν. 8 sororis tuæ etiam ex altero parente tantùm. 9 domesticæ cognationis sunt liberi ex eodem patre; exteræ verò, ex altero patre nati: nam liberi patris familiam sequuntur. 10 sic abneptis, proneptis, & sequentium omnium ἀναλόγως. c *Hebr. filii filii tui, aut filiæ filiæ tuæ.* 11 Appendix superiorum est ex hypothesi. Multi sunt, inquit Dominus, qui in AEgypto uxores duxerunt sanguine sibi conjunctissimas contra jus, sed recepto more: quamobrem horum liberos nolo inter se connubia jungere, ut documentum exstet palàm hoc genus conjugii improbari mihi, ne jus naturæ sæpius oppugnetur. Hanc interpretationem verba, exempla, naturáque videntur confirmare: & sequens ratio, *soror tua est*, quasi dicat, est sanguinis & cognationis tuæ, cujus autoritatem dignitatemque nova affinitate minuerunt parentes tui. Tu verò nequaquam id facito. d *Hebr. uxoris patris tui, cognationis p. t.* 12 hic quoque versus præcedenti hæret, ne quis minùs virium maternæ cognationi quàm agnationi paternæ inesse putet. 13 exegesis præcedentis membri.

ejus

ejus ne appropinquato, amita tua est.
15 Nuditatem nurus tuæ ne retegito: uxor
filii tui est, ne retegito nuditatem ejus.
16 Nuditatem [14] fratriæ tuæ ne retegito, nu-
ditas fratris tui est.
17 [15] Nuditatem mulieris & filiæ ejus ne re-
tegito: [16] filiam filii ejus, aut filiam filiæ ejus ne
accipito ad retegendam nuditatem ejus: proxi-
mæ ejus sunt, scelus est.
18 [17] ITEM [f] mulierem *unam* ad alteram ne
assumito [18] angustia affecturus *hanc*, [19] retegen-
do turpitudinem illius *ductæ* super hanc in vita
ipsius.
19 ITEM [20] ad mulierem [21] in separatione
immunditiei suæ; ne accedito, ut retegas nu-
ditatem ejus.

[14] excipe si defuncto fratri primogenito fuerit excitandum semen ad successionē benedictionis & facultatū ipsius, Deut. 25.5. [15] Non est hic versus cum vers. 8. ταὐτόσημος: sed ostendit nō privigni solū privignæq;, verūetiā liberorum ex eis cōjugio interdici, ut mēbro seq. exponitur. [16] liberos privigni aut privignæ tuæ: tanta est vis affinitatis ex lege Dei, & matrimonii commendatio. Hactenus leges naturales sanguinis, quarum gradus ponuntur duo, consanguinitas & affinitas. [17] Nunc sequuntur leges naturales matrimonii legitimi communes omnium: quarum una est de recta justáque monogamia ex instituto Dei, Gen. 2.24. altera de puritate in ea observanda, versu sequente: cujus peculiares leges fuerunt expositæ suprà cap. 15. Hunc autem versum accipimus de monogamia: primum quia connubium cum sorore uxoris suprà vers. 16. per analogiam prohibetur: secundò quia coactum est & violentum planè, si eas causas quæ hic exprimuntur aliter interpreteris: tertiò quia secundas digamorum aut polygamorum uxores Scripturæ angentes æmulásque vocat, ut 1. Schemu. 1.6. quod antè in historia Lemeci Gen. 4. explicavimus: quartò quia nusquam in Lege Dei digamia aut polygamia cuiquam interdiceretur nisi Regi, Deut. 17.16. postremò quia fidelissimi sunt interpretes & testes voluntatis justitiæq; Dei, Christus Matth. 19.5. Paulus 1. Cor. 6.16. & 7.2. & sequent. Maleaci 2. & Chaldæus ipse paraphrastes Ruth 4.6. [f] *Hebr. mulierem ad sororem suam: sed ita passim hæ voces accipiuntur, ut Genes. 26.31. Exod. 26.3 &c. Jechezkel. 1.9. & 23. & 3.13. Joël 2.8.* [18] id est, veram justámque uxorem tuam maxima injuria afficeres gravissimóque cruciatu, si istud faceres, opera alterius uxoris superducta: ut Lemeco Gen. 4. Jahakobo, Gen. 30. & Elkannæ factum est, 1. Schemu. 1.6. [19] id est, superducta uxore altera abutendo: periphrasis. [20] quamvis uxorem tuam justam atque legitimam. [21] quum immunditia laborans separata est, suprà 15.25.

20 [22] ITEM cū uxore proximi tui ne cōmit-
tito ut cōcumbas ad semen; polluendo *te* cū ea:
21 ITEM de semine tuo ne permittito tra-
ducendum [23] Moleco: neque profanato nomen
Dei tui, ego *sum* Jehova.
22 Cum mare ne concumbito concubitu
muliebri: abominatio est.
23 ITEM cum ulla bestia ne committito ut
concumbas, polluendo *te* cum ea: mulier quoq;
ne consistito coram bestia ut incubet sibi, [24] con-
fusio est.
24 Ne polluitote vos ullo horum; quia om-
nibus his pollutæ sunt gentes istæ quas ego di-
mitto a facie vestra:
25 Nam quia polluta est terra, in ipsius [25] in-
iquitatem animadverto in ea: [26] evomitq; ter-
ra habitatores suos.
26 Sed vos observaturi estis statuta mea &
judicia mea, neque facturi *ullam* ex omnibus
istis abominationibus; indigena aut peregrinus
qui peregrinatur inter vos.
27 (Nam omnes abominationes istas fece-
runt homines istius terræ, quæ [g] vobis exposita
est; unde polluta est ipsa terra)
28 Ut non evomat eadem terra vos quum
pollueritis eam, quemadmodum evomuerit gen-
tem illam quæ vobis est exposita.
29 Nam quisquis fecerit *aliquam* ex omnibus
abominationibus istis; utique exscindentur ani-
mæ quæ *illud* fecerint e medio populi sui.
30 Observabitis igitur observationem me-
am, ut non faciatis ex istis institutis abominan-
dis quæ facta fuerunt inter vos, neque polluatis
vos illis: ego *sum* Jehova Deus vester.

[22] lex de adulterio, deinde promiscuè de nefariis sceleribus. [23] idolo Hammonitarum, quod etiam dicitur Milcom, 1. Reg. 11.5. & 11. in hujus honorem parentes igne filios suos transmittebant, ut 2. Reg. 23.11. & prostituebant filias. [24] divinæ ordinationis perturbatio, & facinus confusione dignum. [25] id est, incolarum: metonymia. [26] ἀνθρωποπαθῶς dictū ad emphasin, ut etiam sequentia.

[g] *Hebr. ante vos est, ut vers. 28. sic Gen. 20.15.*

Propinqui ex consanguinitatis aut affinitatis jure.

	Ascendentes.		
Consanguinei.	3 *Patruus, amita*, vers. 12. & 20.19. 4 *agnatus vel agnata*, ex analogia sequent.	2 *Pater, mater*, vers. 7.	3 *Avunculus, matertera*, V. 13. 4 *cognatus, cognata.*
Affines.	4 *patrui uxor, amitæ vir*, vers. 14. & 20.20.	3 *vitricus, noverca*, vers. 8. & 20.11. 3 *socer, socrus*, vers. 15. & 20.12.	4 *Avunculi uxor, materteræ vir*, ex analogia patrui.

	Collaterales	
Consanguinei.	2 *frater, soror*, V. 9. & 20.17.	
Affines.	3 *levir, fratria*, V. 16. & 20.21.	3 *viri uxorisve frater aut soror*, vers. 16. & 20.21.

	Descendentes.	
Consanguinei.	2 *filius, filia*, vers. 7. *nepos, neptis*, V. 10.	
Affines.	3 *gener, nurus*, vers. 15. & 20.12.	3 *privignus, privigna*, V. 8. & 17. & 20.14. 4 *horum filius aut filia*, V. 17.

Ex horum comparatione tres regulæ nascuntur:

1 Collateralium inter se conjugia ad quartum usque gradum prohiberi: ascendentium verò ἐφθογγισμένως vel descendentium ipso naturæ ordine impediri, ac proinde opus non fuisse ut prohiberentur.
2 Eosdem gradus ascendentium ac descendentium per analogiam prohiberi.
3 Jisdem gradibus viro ac mulieri per analogiam interdici.

CAPUT XIX.

Lex de sanctificatione nostri: cujus ponuntur species reverentia Dei & parentū, officia in proximos, simplicitas, & puritas nostra in corpore, habitu, & actionibus, & rerum contrariarum aversatio: adjuncta verò, gratus animus erga Deum, abstinentia ab omni malo idololatrarum, & a specie mali, scortationis præstigiarúmque detestatio, Dei, seniorúmque honor, charitas erga exteros, & in omneis justitia.

1 PRæterea alloquutus est Jehova Moschen,
dicendo:
2 Alloquere totum cœtum filiorum Jisraë-
lis, edicens eis, sancti estote; quia sanctus *sum*,
ego Jehova Deus vester.
3 Quisque matrem suam & patrem suum
timetote, & sabbatha mea servatote: ego *sum*
Jehova Deus vester:
4 [1] Ne convertatis vos ad [2] idola, & [3] Deos
fusiles

[1] id est, Deo relicto illa ne sectemini. [2] a vanitate denominata Hebræis, quia idolum nihil est, 1. Cor. 8. [3] vide Exod. 34.17.

[a] fusiles ne facitote vobis: ego *sum* Jehova Deus
vester.
5 Quum autem sacrificabitis sacrificium
eucharisticum Jehovæ; [4] pro voluntate quidem
vestra sacrificabitis illud:
6 *Sed* quo die sacrificabitis illud, comeditor,
& postridie; quod autem remanserit usque ad di-
em tertium, igne comburitor.
7 Quòd si ejus [b] quicquam comedetur die
tertio; res abominanda est, non erit acceptum.
8 Ideò [c] comedentium illud *quisque* iniqui-
tatem suam ferto, quia *rem* sanctã Jehovæ profa-
navit: ideò exscindetur anima illa e populis suis.
9 Item quum metetis messem terræ vestræ,
[d] ne prorsus demetito latus agri tui: neque spi-
cilegium messis tuæ [e] facito.
10 Similiter vineam tuam ne racemato, &
deciduos acinos vineæ tuæ ne relegito: ipsi pau-
peri & peregrino relinquito ista, ego *sum* Jehova
Deus vester.
11 Ne furamini; & ne mentimini, neq; fal-
lacia utimini ullus in proximum suum.
12 Neque jurate per nomen meum ad falla-
ciam ullam: sic profanaveris nomen Dei tui, ego
sum Jehova.
13 Ne fraudem facito proximo tuo, neque
rapito: ne pernoctare sinito [f] mercedem merce-
narii apud te ad matutinum usque.
14 Ne maledicito surdo, & ante cæcum ne
ponito offendiculum: [5] sed timebis a Deo tuo,
ego *sum* Jehova.
15 Ne [6] exercetote perversitatem in judicio,
ne accipito [g] personam tenuis, neque honorem
exhibeto personę magni: [h] justè judicato proxi-
mum tuum.
16 Ne ambulato *cum* [7] detractione per popu-
lareis tuos, ne instato contra sanguinem proxi-
mi tui: ego *sum* Jehova.
17 Ne odio habeto fratrem tuum in corde
tuo: [i] liberè corripito proximum tuum, [8] neque
ferto in eo peccatum.
18 Ne ulciscitor, neque *iram* asservato in po-
pulareis tuos, sed diliges proximum tuum sicut
te; ego *sum* Jehova.
19 Statuta mea observatote; [k] jumentorum
tuorum ne sinito coire duo genera, in agro tuo
ne serito duo seminum genera, & [9] vestimentum
duorum generum variè commixtum ne [l] obte-
gito te.
20 Item quum quis cubaverit [10] cum ulla se-
minis concubitu, quę sit ancilla despecta cuique,
ut quæ [m] omnino non redimitur, aut libertas non
datur ei: flagellatio [n] adhibetor, ne morte affi-
ciuntor, quia non fuit [11] libertate donata:
21 Posteà afferet *vir* reatum suum Jehovæ,
ad portam tentorii conventus; arietem reatus:
22 Et expiationem faciet pro eo sacerdos il-
lo ariete reatus coram Jehova, pro peccato ejus
quo peccavit; & condonabitur ei *liberando eum* a
peccato ejus quo peccavit.
23 Item quum veneritis in istam terram &
plantaveritis quamvis arborem esculenti *fructus*,
[o] omnino putabitis præputium ejus, *præputium*
fructus ejus: tribus annis sunto *singulæ* vobis præ-
putiatæ, [p] nihil *earum* comeditor.
24 Anno verò quarto esto omnis fructus ejus,
[12] sancta res laudationum Jehovæ.
25 Anno demum quinto comedetis fructum
ejus, & augebit vobis proventum ejus: ego *sum*
Jehova Deus vester.
26 Ne comeditote *quicquam* cum sanguine;
ne utimini conjectationibus, [q] neque præstigiis.

[a] *Heb. fusura.*
[4] nam conceptiva sunt, ac non imperata: vide suprà cap. 7.
[b] *Heb. comedendo comedetur.*
[c] *Heb. comedentes iniquitatem suam ferto: Syllepsis numeri.*
[d] *Heb. ne absolvito latus agri tui metere.*
[e] *Heb. legito.*
[f] *Heb. opus: metonymia.*
[5] proinde timore & reverentia Dei ductus abstinebis a malo in surdum, cæcum, &c. inferendo: Paralepsis, ut vers. 32.
[6] sive dicentes pro testimonio, sive judicantes in ullius causa.
[g] *Heb. vultum. synecdoche, ut in sequentibus.*
[h] *Heb. in justitia.*
[7] tamquam si nundineris verba honorémque proximi tui: quod Hebræa voce propriè significatur.
[i] *Heb. corripiendo corripito.*
[8] ne dissimulato in eo ullum peccatum quod non corripias.
[k] *Heb. jumentum tuum ne sinito coire duobus generibus: & sic sequentia.*
[9] id est, polymitum, & ex materia differente confectum.
[l] *Heb. ascendito super te.*
[10] videl. alienigena & ancilla alterius, argumento legis Exod. 20. 21. & 26.
[m] *Heb. redimendo non redimitur.*
[n] *Heb. esto.*
[11] nam de libera lex est Exod. 22. 16.
[o] *Heb. putando putate.*
[p] *Heb. ne comeditor.*
[12] id est, Deo offeruntor in signum gratiarum actionis.
[q] *alii, neque ex nubibus conjicite, vel ne temporis observationi plus æquo tribuite: sed illud magis placet ex aliorum locorum comparatione.*

27 [13] Ne circumcidite *pilos ad* latus capitis ve-
stri: neque corrumpito latus barbæ tuæ:
28 Neque casuram pro ullo [r] mortuo indito-
te carni vestræ, & inscriptionem stigmatis ne im-
ponitote vobis: ego *sum* Jehova.
29 Ne profanato filiam tuam [s] prostituendo
eam: ut non scortetur [14] terra illa, & impleatur
illa terra scelere.
30 Sabbatha mea observatote, & sanctuari-
um meum reveremini: ego *sum* Jehova.
31 [15] Ne vos convertite ad pythones, & ario-
los ne consulitote polluendo vos eis: ego *sum* Je-
hova Deus vester.
32 Coram [16] canitie assurgito, ut honorem
habeas faciei senis: & timebis a Deo tuo, ego
sum Jehova.
33 Item si peregrinatur apud te peregrinus in
terra vestra; ne injuria afficitote illum.
34 Tamquam indigena ex vobis, esto vobis
peregrinus qui peregrinatur apud vos, & diliges
eum sicut te, quia peregrini fuistis in terra Æ-
gypti: ego *sum* Jehova Deus vester.
35 Ne exercetote perversitatem in ullo [t] mu-
nere; in [17] dimensione, in pondere, aut in [18]
mensura.
36 Trutinæ [u] justæ, [x] pondera justa, Epha
justum, & hin justus esto vobis: ego *sum* Jehova
Deus vester, qui eduxi vos e terra Ægypti.
37 Observabitis itaque omnia statuta mea,
omniáque judicia mea, facientes ea: ego *sum*
Jehova.

[13] vide infrà 21. 5. non enim omni luctu omnino interdicitur, sed immoderato luctu. Hoc autem genus tondendi, Herodoto & Diodoro testibus, Arabum & aliorum fuit, qui ad Judæam habitabant.
[r] *Heb. anima, ut infrà 21. 1. metonymia.*
[s] *Heb. faciendo ut ipsa scortetur.*
[14] populus illius exemplo tuo: metonymia.
[15] ut suprà V. 4.
[16] cano homine, Synecdoche.
[t] *Heb. judicio, id est, officio ex lege præscripto.*
[17] mensuris quibus dimetiuntur spatia.
[18] qua res aridæ aut liquidæ capiuntur, & de quantitate earum judicatur. [u] *Heb. justitia, & sic deinceps.* [x] *Heb. lapides: metonymia.*

CAPUT XX.

In transgressores legum quæ superioribus 2. cap. continentur, statuuntur pœnæ, & sanctificationis mandatum renovatur.

1 PRæterea ‖ alloquutus est Jehova Mos-
chen, dicendo:
2 Item filiis Jisraëlis edicito; quisquis e fi-
liis Jisraëlis, aut e peregrina gente qui peregri-
natur in Jisraële, dediderit de semine suo Mole-
co, [a] omnino morte afficitor: populus ipse terræ
obruunto eum lapidibus:
3 [1] Aut ego opponens iratam faciem meam
viro illi, [2] exscindam illum e medio populi sui;
quia de semine suo dedit Moleco, ut [3] pollueret
sanctuarium meum, & ut profanaret nomen
sanctum meum.
4 Quòd si [4] [b] omnino occultaverint popu-
lus illius terræ oculos suos a viro isto, quum de-
didit de semine suo Moleco; ut non afficerent
eum morte:
5 Tunc opponam ego iratam faciem me-
am viro illi & [5] familiæ ejus; & exscindam eum,
omnésque qui [c] scortando sectantur ipsum ut
scortentur sectantes Molecum, e medio populi
sui.
6 Animam item quæ converterit se ad ‖ Py-
thones & ad ariolos, ut scortando [6] sectetur eos;
utique opponens iratam faciem meam animæ
illi, exscindam illam e medio populi sui:
7 Ut sanctificetis vos, & sitis sancti; quia
ego Jehova *sum* Deus vester:
8 ‖ Et observetis statuta mea, & faciatis illa:
ego Jehova *sum* sanctificator.

‖ *suprà 18. 21.*
[a] *Heb. moriendo morte afficitor: sic deinceps.*
[1] si vobis non innotuit.
[2] judicio aliquo singulari etiam in hac vita iram meam contra illum testabor.
[3] sua impuritate, ut sup. 16. 16.
[4] data opera dissimulaverint.
[b] *Heb. occultando occultaverint.*
[5] populo illius terræ qui dissimulabit scelus: synecdochicè: sic accipitur familiæ nomen Jirmejæ 8. 3. Micæ 2. 3. quo etiam modo accipitur γένος Marc. 7. 26. & πατριὰ Act. 3. 25. & alibi passim: populares enim familiæ uni accensebantur olim, tamquam si ex illius propagatione singuli descendissent, ut Genes. 10. quam rem ostendit Aristoteles Politic. lib. 1. [c] *Hebr. scortantur post ipsum: fic deinceps.* ‖ *suprà 19. 21.*
[6] sive clàm, sive palam id faciat. ‖ *suprà 19. 3.*

9 [7] Nam [8] quicunque maledixerit patri suo aut matri suæ, omnino morte afficiendus est: patri suo aut matri suæ maledixit, [d] cædis suæ causa *est* in ipso.

10 Similiter vir qui adulterabit cum uxore alicujus, qui adulteravit uxoré proximi sui; ‖ omnino morte plectitor adulter ipse & adultera.

11 ‖ Item is qui cubaverit cum uxore patris sui, nuditatem patris sui retexerit; omnino morte afficiuntor ambo, cædis ipsorum causa *est* in ipsis.

12 ‖ Item is qui cubaverit cum nuru sua, omnino morte afficiuntor ambo: [9] confusionem fecerunt, cædis ipsorum causa *est* in ipsis.

13 ‖ Item is qui cubaverit cum mare concubitu muliebri, rem abominandam fecerunt [10] ambo: omnino morte afficiuntor, cædis ipsorum causa *est* in ipsis.

14 ‖ Item is qui duxerit mulierem & matrem ejus, scelus est: igne comburunto eum [11] & eas, ut non sit scelus in medio vestri.

15 ‖ Item is qui [e] sibi arrogaverit cubare cum jumento, omnino morte afficitor: [12] jumentum quoque ipsum occiditote.

16 Item mulier quum accesserit ad ullum jumentum ut incubet sibi, occides ‖ mulierem & jumentum ipsum: omnino morte afficiuntor, cædis ipsorum causa *est* in ipsis.

17 Item is qui accipiens sororem suam filiam patris sui aut filiam matris suæ viderit nuditatem ejus, vicissim illa viderit nuditatem ipsius, probrum est, quapropter exscindentur in oculis [f] popularium suorum: nuditatem sororis suæ retexit, iniquitatem suam ferto.

18 Item is ‖ qui [13] cubaverit cum muliere languente *e fluxu*, & retegens nuditatem ejus profluvium ejus nudaverit, ipsaque retexerit profluvium sanguinis sui: exscindentur ambo e medio populi sui.

19 Item nuditatem materteræ tuæ, aut amitæ tuæ ne ‖ retegito: quia proximum suum nudaverit, iniquitatem suam ferunto.

20 ‖ Item quisquis cubaverit cum [14] amita sua, nuditatem patrui sui retexit: peccatum suum ferunto, sine liberis moriuntor.

21 ‖ Item quisquis acceperit uxorem fratris sui, [g] res exterminanda est: nuditatem ‖ fratris sui retexit, sine liberis sunto.

22 [15] Deniq; observabitis omnia statuta mea & omnia judicia mea, & facietis illa; ut non evomat vos terra illa, ad quam ego deduco vos ut habitetis in ea.

23 Neque ambuletis in statutis istius gentis quam ego ejecturus sum a facie vestra: quia omnia ista fecerunt, ideò tæduit me eorum:

24 Et dixi vobis, vos hæreditario jure possidebitis terram istorum; & ego daturus sum illam vobis ut hæreditario jure possideatis eam, [16] terram affluentem lacte & melle: ego sum Jehova Deus vester, qui discrevi vos a *reliquis* populis.

25 Vos igitur discernetis inter bestiam mundam & immundam, & inter avem immundam & mundam: neque abominandas efficietis animas vestras ulla bestia, aut ulla ave, aut ullo quod premit terram, quæ discrevi vobis ut immunda habeatis:

26 Sed eritis mihi sancti, quia sanctus ego *sum* Jehova; qui discrevi vos a *reliquis* populis, ut sitis mei.

27 Viri autem aut mulieres, si erit ex eis [17] pytho aut ariolus, omnino morte afficiuntor: lapidibus [h] obruuntor, cædis eorum causa *est* in eis.

[7] id est, si enim non observabitis statuta mea, neque rationem habebitis sanctificationis qua sanctifico vos, sed ista scelera facietis quæ sequuntur, erunt quoq; istę pœnę vobis subeundæ.
[8] sensus est, quicunq; vel dicto alterum parentum offenderit.
[d] *Heb. sanguines ejus in eo: sic deinceps.*
‖ *suprà* 18. 20. *&* *Deut.* 22. 22.
‖ *suprà* 18. 8.
‖ *suprà* 18. 15.
[9] vide suprà in 18. 23.
‖ *suprà* 18. 22.
[10] qui consentientes peccaverint: nam si vis ei allata fuit qui muliebria perpessus est, diversa est ratio, ex analogia Deut. 22. 25. sic deinceps.
‖ *suprà* 18. 17.
[11] si consciæ sunt ambæ; vel alteram earum, videlicet quæ non connubio sed adulterio illi conjuncta est: synecdoche Hebræis frequentissima.
‖ *suprà* 18. 23.
[e] *Heb. dederit.*
[12] cum quia illud fuit horrendi peccati instrumentum damnabile, tum ne alios pruriente libidine in idem scelus provocet, néve memoriam illius refricet.
‖ *suprà* 18. 9.
[f] *Heb. filiorum populi sui.*
[13] sciens prudens: vide suprà 15. 24.
‖ *suprà* 18. 19.
‖ *sup.* 18. 12. *&* 13.
‖ *suprà* 18. 14.
[14] patrui uxore, ut sequentia ostendunt.
‖ *suprà* 18. 16.
[g] *Heb. separatio est, id est, res separatione digna.*
‖ *suprà* 18. 26.
[15] concludit ab exhortatione, ut suprà 18. 26.
[16] ut Exod. 3. 8. hyperbole.
[17] qui diabolicis artibus reliquos a Dei cultu & sui sanctificatione avocāt: nam de iis qui avocātur, actū est sup. v. 6.
[h] *Heb. obruunto eos.*

CAPUT XXI.

Leges de puritate Sacerdotum a rebus externis & internis: de honore ipsis habendo: & qui ex iis apti aut inepti sint ad ministerium.

1 PRætereà edixit Jehova Moschi, alloquere [1] Sacerdotes filios Aharonis; edicens eis, pro [a] mortuo ne polluito se *Sacerdos* in [2] populis suis:

2 Nisi pro proximo suo propinquo sibi; pro matre sua, aut pro patre suo, aut pro filio suo, aut pro filia sua, aut pro fratre suo,

3 Aut pro sorore sua virgine [3] propinqua sibi, quæ non est j*uncta* viro; pro ea [4] polluet se.

4 Ne polluito se maritus *pro uxore ducta* [5] in populis suis; ita ut profanet sese.

5 [6] Ne capillos evellendo calvitium capiti suo inducunto, neque latus barbæ suæ radunto: neque in carne sua cæsuram *ullam* incidunto.

6 Sancti sunto Deo suo, neque profananto nomen Dei sui: quia igne absumenda Jehovæ, cibum Dei sui ipsi offerunt, ideóque [b] sancti futuri sunt.

7 Mulierem meretricem aut [7] profanatam ne accipiunto, & mulierem repudiatam a viro suo ne accipiunto: nam sanctus est eorum *quisque* Deo suo.

8 Itaque [8] sanctificabis illum, quia cibum Dei tui ipse offert: sanctus esto tibi, quia sanctus *est*, [9] ego Jehova *sum* sanctificator vester.

9 Filia autem alicujus Sacerdotis quum profanaverit se scortando; patrem suum profanat, igne comburitor.

10 Sacerdos autem ille qui maximus est fratrum suorum, cujus capiti infusum est oleum illud unctionis, & [c] consecravit ministerium suum ut induat vestes illas; [10] caput suum ne retegito, & vestimenta sua ne discindito:

11 Neque ad [d] ulla cadavera mortui venito: ne pro patre quidem suo, aut pro matre sua se polluito:

12 Neque e loco sancto exito, ut non profanet sanctuarium Dei sui: nam coronamentum *&* oleum unctionis Dei sui super ipsum *est*, ego *sum* Jehova.

13 Hic autem, uxorem in virginitate ejus ducito:

14 Viduam, aut repudiatam, aut profanatam meretricem, istiusmodi ne ducito: sed virginem [11] e populis suis ducito uxorem.

15 Neque profanato semen suum in populis suis; quia ego Jehova *sum* sanctificator ejus.

16 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

17 Alloquere Aharonem, dicendo: [12] in quocunque e semine tuo per generationes eorum fuerit corporis vitium, ne accedito ad offerendum cibum Dei sui.

18 Nam nullus vir in quo *est* corporis vitium, accessurus est: vir cæcus, aut claudus, aut curtus, aut prælongus membra;

19 Aut vir in quo est fractura pedis, vel fractura manus;

20 Aut gibbosus, aut gracilis, aut in cujus oculo *est* suffusio; aut *in quo est* psora, aut sa-

[1] inferiores quidem usque ad vers. 10. summum verò sex sequentibus.
[a] *Heb. anima, ut suprà* 19. 28.
[2] i. Jisraële toto, ut constat ex versu 4. & 14.
[3] germana sorore: additū enim est ut hoc nomen ad agnatos & affines minimè extendatur, ut sæpe alibi evenit.
[4] intererit funeri ejus, ut vers. 1.
[5] id est, quam duxit e populis suis, ut infrà vers. 14. Est autem hîc Ellipsis nominis relati: quam Ellipsin scriptura sacra frequentem habet, ut 1. Reg. 13. 12. Prov. 5. 19. Jeschah. 31. 5. & alibi.
[6] id est, in luctu modū adhibento, ut eos decet qui resurrectionem exspectant, idem mandatur populo sup. 19. 8.
[b] *Heb. sanctitas.*
[7] cui stuprum est illatum vi, aut alio modo. de repudiata autem vide Deut. 24. 1. & seq.
[8] id est, jubebis ut se sanctificet: sic Exod. 19. 10. & alibi passim.
[9] id est, tum Sacerdotibus illis sum sanctificationis autor, tum etiam vobis omnibus: quapropter Sacerdotem ex mandato meo es habiturus sanctum.
[c] *Heb. implevit manum.*
[10] id est, nulli externo luctui vacato. vide sup. 10. 6. quapropter additur versu 12. neque e loco sancto exito, pro eo quod est, locum impurum luctus causa ne pro parente quidem ingreditor.

[d] *Heb. ullas animas.* [11] non externam, sed e suo genere vel saltem ex aliqua tribu. quamobrem neq; Jojadah contra legem venit, quum Jehoschebaham Jorami filiam uxorem duxit, 2. Reg. 11. 2. neque ille Barzillai, cujus habetur mentio Hezræ 2. quum Barzillaii filiam adjunxit sibi. [12] tam in summo, quàm inferiore Sacerdote.

niosa

niosa scabies, aut thlibias teste.
21 In quocunque fuerit aliquod corporis vi-
tium e semine Aharonis sacerdotis, ne appro-
pinquato ad offerendum igne absumenda Je-
hovæ: corporis vitium *est* in eo, cibum Dei sui ut
offerat ne appropinquato.
22 Cibum *quidem* Dei sui e [13] rebus sanctis
sanctarum; & e rebus sanctis comedet:
23 Verumtamen ad ipsum velum [14] ne veni-
to, & ad altare ne appropinquato, quia corporis
vitium *est* in eo: non profanabit ergo loca mea,
nam ego Jehova *sum* sanctificator eorum.
24 Quæ retulit Mosche ad Aharonem filiós-
que ejus; & ad omnes filios Jisraëlis.

13 sive sanctioribus, ut erant panes faciei, reatus, peccatum; sive minus sanctis, ut erant eucharistica, primitiæ, decimæ.
14 ut eos venire necesse est qui sacra faciunt, Sacerdotes cùm inferiores, tum etiam summos.

CAPUT XXII.

Leges ne Sacerdotes impuri res sacras comedant, & ut legitimo ritu purgentur: quibus liceat, & quibus non liceat vesci sacris, subjuncta pœna in eos qui contrà venerint: qualia sacrificia & a quibus Sacerdotes accepturi sint, qua ætate apta esse incipiant, quomodo mactanda, & quando comedenda sint.

1 Item alloquutus est Jehova Moschen, di-
cendo:
2 Alloquere Aharonem & filios ejus, ut [1] se-
parent se *inepti* a rebus sanctis filiorum Jisraëlis,
ut non profanent nomen sanctum meum; *rebus*
quas illi sanctificant mihi, ego *sum* Jehova.
3 Edic eis, quicunque e toto semine vestro
per generationes vestras accesserit ad res illas
sacras, quas sanctificaverint filii Jisraëlis Jeho-
væ, dum [2] immunditia ejus in ipso est; utiq; ex-
scindetur [a] ille ipse a facie mea, ego *sum* Jehova.
4 Quisquis e semine Aharonis est leprosus,
aut gonorrhœa laborans, de rebus sacris ne co-
medito usque-dum mundus fuerit: similiter qui
tangit ullum [b] immundum a mortuo, aut eum ex
quo exiit [c] concubitus semen:
5 Aut quicunque tetigerit ullum reptile quo
quis impuratur; aut hominem quo quis impura-
tur, secundùm omnem immunditiam ejus.
6 Anima quæ tetigerit illud, immunda quo-
que erit usque ad vesperam: ne itaque comedito
de illis rebus sacris, nisi laverit carnem suam a-
qua:
7 Postquam autem occubuerit Sol, mundus
erit: & posteà comedere poterit de rebus illis
sanctis, quia cibus ejus est.
8 Morticinum aut discerptum ne comedi-
to, ut impuretur eo: ego *sum* Jehova.
9 Si observabunt observationem [3] meam, ut
non importent in illam *rem sanctam* peccatum,
ac moriantur in eo, quia profanaverint illam:
ego Jehova *sum* [4] sanctificator earum.
10 Nullus quoque [5] alienus comedito rem
sanctam: [c] inquilinus sacerdotis, & mercenarius
ne comedito rem sanctam.
11 Quum autem sacerdos emerit quempiam
emtione pecuniæ suæ, is comedet eam: similiter
[d] verna ejus, isti comedent de cibo ejus.
12 Sed filia sacerdotis quum fuerit *nupta* viro
alieno; ipsa de oblatione illarum rerum sancta-
rum ne comedito:
13 Filia verò sacerdotis quum erit vidua aut
repudiata, si semen non sit ei; revertatúrque ad
domum patris sui sicuti *erat* in adolescentia sua,
de cibo patris sui comedet: at nullus alienus co-
medito de illo.
14 Quòd si quis comederit rem sanctam per
errorem; is addet ei quintam ejus, reddétque
sacerdoti rem sanctam:
15 Ut non profanent res sanctas filiorum Jis-
raëlis, quas obtulerunt Jehovæ:
16 Neque sinant [7] eos ferre [e] pœnam reatus,
comedendo res sanctas ipsorum; quia ego Jeho-
va *sum* sanctificator illarum.
17 Item alloquutus est Jehova Moschen,
dicendo:
18 Alloquere Aharonem filiósq; ejus & om-
nes filios Jisraëlis, edicens eis: quicunque e
domo Jisraëlis aut ex peregrino [8] *qui erit* in Jis-
raële oblaturus erit oblationem suam secundùm
omnia vota sua & secundùm omnia voluntaria
munera sua, quæ offerunt Jehovæ in holocau-
stum:
19 [9] Pro voluntate vestra; integrum marem
ex bobus, ex [10] agnis, aut ex capris,
20 Nullum in quo *sit* corporis vitium, offer-
tote: non enim [f] acceptum esset pro vobis.
21 Etiam quum quis oblaturus erit sacrifici-
um eucharisticum Jehovæ, segregando votivum
aut voluntarium munus ex bubili aut ex grege;
integrum esto ut sit acceptum, nullum corporis
vitium esto in eo.
22 Cæcum, aut fractum, aut mutilum, aut flu-
xu, aut plora, aut saniosa scabie *affectum*, ne offer-
te hujusmodi Jehovæ: & igne absumendum ne
imponite ex istis altari Jehovæ.
23 Sed bovem aut pecudem prælongam cur-
támve membra; in voluntarium *quidem* mu-
nus parabis eam, pro voto autem non erit ac-
cepta.
24 Compressum verò, aut contusum, aut avul-
sum, aut excisum ne offertote Jehovæ: & [11] in
regione vestra ne fieri sinatis istud:
25 Ne quidem è manu [12] alienigenæ offerto-
te [13] cibum Dei vestri [14] ex ullis hujusmodi: quia
[15] corruptio eorum in eis, in his corporis vitium
est, non erunt accepta vobis.
26 Præterea, alloquutus est Jehova Mo-
schen, dicendo,
27 Bos aut agnus, aut capra quum nata fue-
rit, fuerítq; septem dies [16] sub matre sua: post-
modùm a die octavo & deinceps accepta erit in
oblationem igne absumendam Jehovæ.
28 Bovem verò, aut pecudem, ipsam cum fœ-
tu suo [17] ne jugulate eodem die.
29 Quumque sacrificabitis sacrificium lau-
dis Jehovæ, [18] pro voluntate vestra sacrificate.
30 Die eodem comeditor, ne reliquum fa-
cite ex eo *quicquam* usque mane: ego *sum* Je-
hova.
31 Observabitis itaque mandata mea & fa-
cietis illa: ego *sum* Jehova:
32 Neque profanabitis nomen sanctum me-
um, [19] ut sanctificem me [g] inter filios Jisraëlis;
ego Jehova *sum* sanctificator vester:
33 Qui deduco vos e terra Ægypti, [h] ut sim
vobis Deus: ego *sum* Jehova.

1 quum ex aliqua impuritate sunt immundi, de qua vers. 4. & seq. aut inepti quocunque modo: cujus generis multa cap. proximo posita sunt, & deinceps plura exponuntur.
2 cujus leges habentur suprà inde a cap. 11.
a Heb. anima illa.
b Heb. immundum animæ.
c Heb. concubitus seminis: hypallage.
3 id est, sanctuarii mei, & totius loci sancti, ut sequentia verba commonstrant accipi oportere.
4 eas a profanatione vendicans, quia oblatas mihi pro sanctis habeo.
5 a genere sacerdotum, ut sunt Levitæ & Jisraëlitæ reliqui, ut inf. v. 12.
c sive advena, sive civis.
d Heb. natus domi ejus.
7 qui præter legem vescentur sacris.
e Heb. iniquitatē.
8 i. proselytus: nam infidelium oblatio nulla grata est Deo.
9 ut inf. v. 29.
10 i. ovibus; synecdoche, ut infrà vers. 27.
f Heb. ad benevolentiam, sic v. 21.
11 i. vobis nefas esto contrà venientes ferre in Cenaƕanæa vestra.
12 qui genere & fide alienus est a vobis: nam ex peregrino proselyto licuit accipere, suprà vers. 18.
13 oblationem igne consumendam, ut multis locis explicatur.
14 quę lege non apta sint ad sacrificium.
15 i. tum qui offerunt corrupti sunt ipsi infidelitate sua, tum oblationes vitiosæ & illegitimæ: ac proinde vos, ô Sacerdotes, duobus hisce nominibus oportet istas oblationes istorum aversari: id enim a vobis non esset accepturus Deus.
16 nam inepta sunt ad sacrificium ante octavum diem.
17 sub. ad sacrificium.
18 quando & quæ voleris ex aptis generibus.
19 i. ut promissiones meas in vobis compleam ad gloriam nominis mei: quas promissiones avertit hominum ἀσεβείᾳ, vide suprà 10.3.
g Heb. in medio fil.
h vel existendo vobis in Deum.

CAPUT XXIII.

Leges de statis solennitatibus, Paschate, festo primitiarum, festo buccinarum, die expiationum, & festo tabernaculorum.

1 Item alloquutus est Jehova Moschen, di-
cendo:
2 Alloquere filios Jisraëlis, ut indicas eis so-
lennitates Jehovæ quibus [1] estis convocaturi e-
os, convocationes [a] sanctas: hæ sunto solennita-
tes meæ.

1 nimirum vos Sacerdotes, ex lege Num. 10. 10.
a Heb. sanctitatis.

3 Sex diebus fiet opus; die verò septimo[l] sabbathum cessationis, convocatio sancta *est*, nullum opus facite: sabbathum est Jehovæ[2] in omnibus habitationibus vestris.

4 [3] Hæ *sunt* solennitates Jehovæ,[l] convocationes sanctæ; quibus convocabitis eos statuto tempore suo.

5 Primo mense, *die* quartodecimo illius mensis, inter[4] duas vesperas; Pascha *est* Jehovæ.

6 Quintodecimo autem die ejusdem mensis, festum azymorum *est* Jehovæ: septem diebus panes azymos comeditote.

7 Die horum primo convocatio sancta esto vobis: nullum opus servile facitote.

8 Offeretis autem igne absumenda Jehovæ septem diebus: die illorum septimo convocatio sancta *esto*, nullum opus servile facitote.

9 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

10 Alloquere filios Jisraëlis, edicens eis, quùm ingressi in terram illam quam ego daturus sum vobis[5] messuri eritis messem ejus: tunc afferetis manipulum frugum, primitias messis vestræ ad sacerdotem:

11 Qui agitabit manipulum istum frugum coram Jehova ad acceptionem vestri: [a] postridie illius cessationis agitabit eum sacerdos.

12 Parabitis autem, quo die agitabitis manipulum illum *frugum*; agnum [b] anniculum integrum in holocaustum Jehovæ:

13 Et munus ejus, duas decimas *Ephæ* similam mistam oleo, igne absumenda Jehovæ *in* odorem gratum: libaménque ejus vinum, quartam hinis.

14 Panem autem tostásve aristas, aut spicas virentes ne comeditote usque ad illum ipsum diem, usque dum attuleritis oblationem Dei vestri: statuto perpetuo per generationes vestras, in omnibus habitationibus vestris.

15 DEINDE numerabitis vobis a postero die istius cessationis, ex quo attuleritis manipulum istum *frugum* agitationis: septem septimanæ integræ sunto.

16 Usque ad posterum diem septimanæ septimæ numeratote quinquaginta dies; tunc offeretis munus[7] novum Jehovæ.

17 [8] Ex habitationibus vestris affertote[9] panes agitationis duos, duarum decimarum *Ephæ* e simila sunto,[10] fermentati coquuntor: primitiæ *sunt* Jehovæ.

18 Offeretis autem cum illo pane septem agnos anniculos integros, & juvencum unum [c] subrumum, atque arietes duos: sunto holocaustum pro Jehova cum munere suo & libaminibus suis igne absumenda odoris grati Jehovæ.

19 Parabitis quoque hircum caprarum unum in peccatum, & duos agnos anniculos in sacrificium eucharisticum:

20 Quæ agitabit sacerdos cum pane primitiarum agitatione coram Jehova cum duobus agnis: res sancta sunto Jehovæ pro sacerdote.

21 Et convocabitis *omneis* eo ipso die, convocatio sancta esto vobis, nullum opus servile facitote: statuto perpetuo in omnibus habitationibus vestris per generationes vestras.

22 Quum autem metetis messem terræ vestræ, [d] ne prorsus demetito latus agri tui, & spicilegium messis tuæ ne [e] facito: ipsi pauperi & peregrino relinquito ista, ego *sum* Jehova Deus vester.

23 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

24 Alloquere filios Jisraëlis dicendo, Mense quoque septimo, primo *die* ejus mensis esto vobis cessatio,[11] monimentum clangoris, convocatio sancta.

25 Nullum opus servile facitote; sed offeretis igne absumenda Jehovæ.

26 PRAETEREA alloquutus est Jehova Moschen, dicendo.

27 Sed *die* decimo mensis hujus septimi dies expiationum est, convocatio sancta esto vobis, ut[12] affligatis animas vestras: tum offeretis igne absumenda Jehovæ.

28 Quare nullú opus servile facitote illo ipso die: quia dies expiationum est, ad expiationem faciendam pro vobis coram Jehova Deo vestro.

29 Omnis enim anima quæ non fuerit afflicta eo ipso die, omnino exscindetur e populis suis:

30 Et omnem animam quæ fecerit ullum opus eo ipso die; omnino perdam animam istam e medio populi sui.

31 Nullum opus facitote; statuto perpetuo per generationes vestras in omnibus habitationibus vestris.

32 Sabbathum cessationis esto vobis quo affligatis animas vestras: [f] quum nonus dies ejus mensis fuerit vespere,[13] a vespera usque ad vesperam [g] celebratote cessationem vestram.

33 ITEM alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

34 Alloquere filios Jisraëlis dicendo: decimo quinto die mensis hujus septimi festum[14] tabernaculorum[15] septem diebus *est* Jehovæ.

35 Die primo convocatio sancta *esto*, nullum opus servile facitote.

36 Septem diebus offertote igne absumenda Jehovæ: die octavo convocatio sancta esto vobis, quo offeretis igne absumenda Jehovæ,[16] *dies* interdicti est, nullum opus servile facitote.

37 Istæ *sunt* solennitates Jehovæ quibus convocabitis *eos*, convocationes sanctæ: ad offerendum igne absumenda Jehovæ, holocaustum, & munus, sacrificium, & libamina, rem diei *cujusque* die suo.

38 Præter sabbatha Jehovæ; & præter dona vestra, & præter omnia vota vestra, & præter omnes voluntarias oblationes vestras, quas dabitis Jehovæ.

39 Verumtamen quintodecimo die hujus mensis septimi, quum collegeritis proventum terræ, celebratote festum Jehovæ septem diebus: horum dierum primo cessatio, itémq; die octavo cessatio *esto*.

40 [17] Sumtis itaque pro vobis ipso die primo[18] termitibus arborum[19] speciosarum, spathis palmarum, & ramis arborum densarum cum[20] salicibus torrentis; lætabimini coram Jehova Deo vestro septem diebus.

41 Et celebrabitis illud festum Jehovæ septem dies unoquoque anno: statuto perpetuo per generationes vestras, quolibet mense septimo celebratote illud.

42 In illis tabernaculis manetote septem diebus; quisquis indigena est in Jisraële, maneto in tabernaculis:

43 Ut cognoscant generationes vestræ;[21] me

---

[l] Exod. 35.2.
[2] id est, domi, foris, sive in regione vestra, sive in extera, ubivis gentium.
[3] anniversariæ præter sabbathum.
[l] Num. 28.16.
[4] vide in Exod. 12.6.

[5] id est, quum primùm falx poterit mitti in segetem, ut explicatur Deut. 16.9. hoc enim fuit in populo Judæorum tamquam floriferum, ut prisci Romani olim appellaverunt.
[a] die decimosexto mensis primi, qui dies est a Paschate secundus.
[b] Heb. *filium anni sui, & sic deinceps.*

[7] id est, recentium fructuum.
[8] non ex frugibus exteris, sed e terra quam trado vobis possidendam. simile vide sup. 22.25.
[9] offerendos cum agitatione coram Jehova.
[10] vide suprà in 2.11. & 7.3.
[c] Heb. *filium bovis.*

[d] Heb. *ne absolvito latus in metendo, ut sup.* 19.9.
[e] Heb. *legito.*

[11] tum ut præmoneretur populus inde incipiendum esse annum civilem emtionum, venditionum, servitutis, remissionis terræ, Jubilæi, tū ut ad gratiarum actionem adduceretur propter beneficia superiore anno accepta, & abnegando peccata sua compararetur ad remissionem consequendam proximè venturo expiationis die.
[12] ut sup. 16.29.
[f] Heb. *in nono die.*
[13] puta qua nonus dies desinit ad vesperam usque illam qua init undecimus.
[g] Heb. *cessate cessatione.*
[14] potiùs tuguriorum: nam nō erant ex tabulis, pannis, aut pellibus, sed ex frondentibus arborum ramis contexta, qualia umbræ causa fieri solent: infrà v. 40. unde etiā a Festo dicuntur umbræ, & trichilæ a Cæsare in Commentariis. vide sub finem Nechemjæ, 8.
[15] nam octavus dies immunis erat ab ista ceremonia.
[16] quo omni servili opere interdicebatur: sic vocatur ultimus dies Paschatis Deut. 16.8. ex eadem ratione: quare sequentia hîc & aliis locis sunt exegetica.
[17] quicquid hîc Hebræi somnient de nova ceremonia, planè explicatio est mandatæ ceremoniæ tuguriorum: docetur enim ex qua materia paranda sint, & quomodo vincienda: vide Nechem. 8.
[18] vox Hebræa cōmuniter quidem significat fructus, sed tamen & 2. Regum 19.31. similiter accipitur pro omni re pullulante & germinante, teste etiam Jonathane Chaldæo Paraphraste.
[19] ut sunt ferè omnes oleosæ: quapropter Nechem. 8. pro termitibus ponuntur frondes olivarum, myrti, & oleosarum arborum.
[20] ex quibus vimina fiebant ad colligandos ramos.
[21] videlicet toto illo profectionis tempore ex quo profecti Rahmeseso in stationem primam pervenerunt: quæ statio propterea dicta est Succothæ, quòd ibi primùm tuguria confecta sint & umbracula instituta ad commoditatem stationum: vide in Exod. 12.36.

feciſſe ut in tabernaculis habitarent filii Jiſraë-lis, quum educerem eos e terra Ægypti: ego *ſum* Jehova Deus veſter.

22 Ita edixit Moſche ſolennitates Jehovæ filiis Jiſraëlis.

CAPUT XXIIII.

Lex de conferendo oleo in lucernas ſacras, & de panibus faciei ſabbatho renovandis: Lex contra blaſphemos occaſione blaſphemi deprehenſi lata, item contra homicidam, & damno afficientem proximum aut jumentum ejus.

1 ITEM ‖ alloquutus eſt Jehova Moſchen, dicendo,

2 Præcipe filiis Jiſraëlis, ut accipientes *adſerant* ad te oleum olivæ purum tuſum pro luminari; ad accendendum lucernas [a] quotidie.

3 [1] Extra velum ipſum teſtimonii in tentorio conventus aptabit unamquamque illarum [2] Aharon, *ut luceant* a veſpere uſque mane coram Jehova quotidie: ſtatuto perpetuo per generationes veſtras.

4 Super ipſum lychnuchum [3] purum aptabit lucernas illas, coram Jehova quotidie.

5 ITEM accipiens ſimilam coques ex ea duodecim collyras, duarum decimarum *Ephæ* eſto unaquæque collyra:

6 Quas diſpones duobus ordinibus, ſenas *in* ordinem quemque; ſuper menſam puram coram Jehova.

7 Et impones cuique ordini thus purum; ut ſit [4] unicuique pani in memoriale ſuffimentum, igne abſumendum Jehovæ.

8 [b] Quolibet die ſabbathi aptato eum *ſacerdos* coram Jehova jugiter; *acceptum* a filiis Jiſraëlis federe perpetuo:

9 [5] Poſteà erit Aharonis & filiorum ejus, qui comedent illum in loco ſancto: quia res ſancta ſanctarum eſt pro eo, [6] ex abſumtis igne Jehovę, ſtatuto perpetuo *eximenda.*

10 EGRESSUS autem eſt filius cujuſdam Jiſraëlitidis, qui erat filius viri Ægyptii, [7] inter filios Jiſraëlis: & concertaverunt in caſtris filius hic Jiſraëlitidis, & [8] Jiſraëlita quidam.

11 Tum [c] exſecrans filius ille Jiſraëlitidis mulieris [9] nomen illud *Dei* blaſphemavit, quapropter adduxerunt illum [10] *judices* ad Moſchen (nomen autem matris ejus *erat* Schelomith filia Dibri de tribu Danis)

12 Poſuerúntque illum in cuſtodia, ut exponeret eis *Moſche quid faciendum* [d] ex præſtituto Jehovæ.

13 Alloquutus itaque eſt Jehova Moſchen, dicendo:

14 Educito blaſphemum iſtum extra caſtra, ut nitantur quicunque [11] audiverunt manibus ſuis ſuper caput ejus: deinde lapidabunt eum totus cœtus.

15 Filios verò Jiſraelis alloquitor dicendo; [e] ullus quum blaſphemaverit Deum ſuum, omnino laturus eſt peccatum ſuum.

16 Itaque qui exſecratur nomen Jehovæ; [f] omnino afficitor morte, omnino lapides conjiciunto in eum totus cœtus: tam peregrinus quàm indigena, quum exſecratus fuerit nomen *Dei*, morte afficitor.

17 ‖ Item [12] quum quis [13] percuſſerit ullam animam hominis, omnino morte afficitor:

18 Qui autem percuſſerit animam jumenti, rependito illam; animam pro anima.

19 Quòd ſi quis intulerit corporis vitium proximo ſuo; [14] quemadmodum fecit, ſic fiat ei.

20 Fractura *eſto* pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente: prout intulerit corporis vitium homini, ita inſertor ei.

21 Denique qui [g] occiderit jumentum, rependito illud; ſed qui occiderit hominem, morte afficitor.

22 Jus idem eſto vobis, ut peregrini ita indigenæ *jus* eſto: nam ego Jehova *ſum* Deus veſter.

23 Quæ eloquutus eſt Moſche filiis Jiſraëlis; eduxerunt itaque blaſphemũ illum extra caſtra, & obruerunt eum lapidibus: ſic filii Jiſraëlis fecerunt quemadmodũ præceperat Jehova Moſchi.

‖ Exod.27.20.
a Heb. *jugiter, ut* Exod.27.20.
1 ubi Meridiem verſus lychnuchus erat, Exod. 26.35.
2 aut filii mandato ejus, Exod. 27.21.
3 id eſt, ex auro puro, ut Exod. 31.8. aut etiam ſanctum & ab omni impuritate alienum, ut accipitur poſteà ✓. 6.& 7.
4 duodecim fuiſſe acerras a duodecim principibus tribuum oblatas conſtat ex Num.7. & hìc verſ.5. totidem panes præcipitur duobus ordinibus in menſa diſponi, ac illis imponi thus: quare nos non panes panibus impoſitos, ut plerique, intelligimus, quorum ſummo duæ tantùm acerræ fuiſſent imponendę, ſed ſingulas acerras ſingulis panibus.
b Heb. *in die ſabbathi, in die ſabbathi.*
5 finita ſeptimana oblatis e menſa panibus, & recentibus ſubſtitutis.
6 i. abſumto thure quod illis erat impoſitum.
7 amplexus Jiſraëlitarum fidem, ut plerique putant & ſequẽtib. confirmatur.
8 ex utroque parente.
c Heb. *defigens vel transfigens: nam blaſphemus eum quodam modo transfigit in quem pronunciat blaſphemiam: metaphora.*
9 proprium Dei, quod in vanum aſſumi diſertè Decalogo prohibetur. q.d. majeſtatem ipſam Dei, cujus notitiam penitiorẽ hauſerat & profitebatur fidem, eam proſcidit impiè: vide Exod.6.2.& infr. ✓.16.
10 nimirum de hoc gravi facinore Deum per Moſchen conſulturi, ex inſtituto Exo. 18. quod confirmatur ſequentib.
d Heb. *ſecundùm os.*
11 blaſphemantem: hoc autem ſupplicii genus etiam in aliis criminibus mandatur Deuter. 17.7.
e Heb. *vir vir.*
f Heb. *moriendo morte afficitor, lapidando lapidãto, & ſic deinceps.*

‖ Exod.21.
12 ab occaſione repetit leges antè latas Exodi 21.12.& ſeq.
13 id eſt, vitam percutiendo ademerit, ut Gen. 37.21. ſic verſu ſeq.
14 prout exempla hujus rei extant Judic.1.6. & 15.11.
g Heb. *percuſſerit.*

CAPUT XXV.

Leges de intermiſſione culturæ & ratione victus ſeptimo quoq; anno; de jubilæo quinquageſimo quoque anno celebrando, & de jure vẽditionis, emtionis, redemtionisq; rerum & perſonarum pro ratione jubilæi.

1 ITem alloquutus eſt Jehova Moſchen [1] ad montem Sinai, dicendo:

2 Alloquere filios Jiſraëlis, edicens eis, quum ingreſſi fueritis in eam terram quam ego do vobis; tum [2] quieſcet terra, [3] ſabbatho Jehovæ.

3 Sex annis ſeminabis agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, & colliges proventum illius.

4 Anno verò ſeptimo ſabbathum ceſſationis eſto ipſi terræ, ſabbathum Jehovæ: agrum tuum ne ſeminato, & vineam tuam ne putato.

5 Sponte natum ex meſſe tua [4] ne metito, & uvas [a] intermiſſæ tuæ *vineæ* ne vindemiato: annus ceſſationis eſto ipſi terræ.

6 Sed erit *fructus* ſabbathi ipſius terræ vobis ad comedendum, tibi, & ſervo tuo, & ancillę tuę; mercenario etiam tuo, & inquilino tuo, qui peregrinantur apud te.

7 Jumenti etiam tui, & cujuſque beſtiæ quę eſt in terra tua eſto totus proventus illius ad comedendum.

8 PRAETEREA numerabis tibi ſeptem [b] ſeptimanas annorum, ſeptem annos ſeptem vicibus, ita ut tempus ſeptem ſeptimanarum annorum ſint tibi quadraginta novem anni.

9 Tunc [c] facies ut ubique perſonet clangor tubæ [5] menſe ſeptimo die decimo ejus menſis; die expiationum facitote ut perſonet tuba in tota terra veſtra:

10 Ut ſanctificetis annum [6] quinquageſimum, & proclametis libertatem in ipſa terra omnibus habitatoribus ejus: Jubilæi *annus* ille eſto vobis; ut revertamini quiſque ad poſſeſſionem ſuam, & [7] quiſque ad familiam ſuam revertamini.

11 Jubilæus hic eſt, annus [d] quinquageſimus eſto vobis: ne ſeminate, neque metite ſponte naſcentia ejus *anni*, neque vindemiate uvas intermiſſarum *vinearum* ejus *vobis.*

12 Quum jubilæus eſt, ſanctus eſto vobis: [8] ex quovis agro comedetis proventum ejus.

1 videlicet e tentorio conventus: non enim credibile eſt Moſchen hoc in loco rerum ordinem conturbaſſe, cujus commẽtarii hactenus fuerunt ephemerides accuratiſſimæ.
2 a cultura, quã intermitti oportebit.
3 i. ceſſatione a cultura, prout Jehova præcipit ſequentibus.
4 i. nec meſſem, nec vindemiam tibi colligito; ſed commune eſto quod ſponte naſcetur, ✓. ſeq. vide 2.Regum 19.29.
a Heb. *ſeparatæ tuæ, id eſt, a quia tu ſeparas, intermittens cultum ejus ex lege mea: ſic deinceps.*
b Heb. *ſabbatha, pro ſeptimanis, ſynecdochicè paſſim in vetere & novo teſtamento.*
c Heb. *facies ut tranſeat tubã clangoris: hypallage.*
5 a quo menſe incipiebat civilis annus, ſuprà 23.24.
6 nimirum a jubilæo antecedente incluſivè, ut Judæi ſupputare ſolent.
7 etiam ſervus voluntarius, infrà verſu 39. & Exodi 21.5.
d *Hebr. quinquaginta annorum, id eſt, inter eos ultimus.*
8 id eſt, nequid inde aſſervandum deportator, ſed quum uti lubuerit, ad præſentem uſum inde deſumitor.

13 Anno jubilæi isto, quisque redibitis in possessionem suam.

14 Quare quum rem venalem [e] vendideris quisque proximo tuo, aut emeris e manu proximi tui; ne fraudem facitote [f] alter alteri.

[e] Heb. vendideritis: syllepsis numeri frequens.
[f] Heb. vir fratri suo.

15 Secundùm numerum annorum a Jubilæi emito a proximo tuo: secundùm numerum annorum proventuum vendito ille tibi.

16 Pro multitudine annorum augebis pretium emtionis ejus, & pro paucitate annorum minues pretium emtionis ejus: nam numerum proventuum ille vendit tibi.

17 Ne igitur fraudem facitote [g] alter alteri, sed timebis a Deo tuo: quia ego Jehova *sum* Deus vester.

[g] Heb. vir proximo suo.

18 Quòd si feceritis statuta mea, & judicia mea observaveritis facientes ea; habitabitis in ea terra securè:

19 Et terra illa edet fructum suum, quem comedetis ad saturitatê; ut habitetis securè in ea.

20 Sin autem dicatis, quid comederemus anno illo septimo? ecce [9] non sumus seminaturi, neque collecturi proventum nostrum.

[9] nempe quia interdixit Deus.

21 At amandabo benedictionem meam vobis anno sexto; ita ut proferat in annos ternos proventum suum.

22 Nam seminabitis anno octavo, & comedetis de illo proventu veterem *fructum*; usque ad nonum annum, usque dum provenerit proventus ejus, comedetis veterem.

23 Terra autem ne venditor [h] lege mancipii, mea enim *est* illa terra: nam peregrini & inquilini vos *estis* apud me.

24 Itaque in tota terra possessionis vestræ, [10] redemturæ *legem* [i] relinquite ipsi terræ.

[h] Hebr. in decisionem, id est, præcisa ratione redimendi aut recuperandi quod venditum est: sic infr. V. 30.
[10] nam alioqui fuissent prædia facilimè alienata a suis tribubus, inprimis rustica: quamobrem hęc venumdari lege mancipii prohibuit Deus, cujus rei exemplum vide 1. Reg. 21.
[i] Heb. date vel permittite.

25 Quum facultatibus attenuatus erit frater tuus, ita ut vendat de possessione sua; tunc accedens vindex ejus qui propinquus *est* ei, redimet rem venditam a fratre suo:

26 Quòd si cui non erit vindex; sed consequuta fuerit manus ejus & aderit ei quantum satis est redemturæ suæ:

27 Tunc supputatis annis venditionis suæ restituet quod superest viro cui vendiderat: sic revertetur in possessionem suam.

28 Sin verò non adest manui ejus quantum satis erit ad restituendum ei; tunc erit res ejus vendita in manu illius qui emit ipsam, usque ad annum jubilęi: deinde discedet *emtor* in ipso jubilæo, & revertetur *venditor* in possessionem suam.

29 Item quum quis vendet domum habitabilem *in* civitate muro *cincta*, tum erit jus redemturæ ejus usque ad complementum anni venditionis ejus: [k] anno pleno esto jus redemturæ ejus.

30 Quòd si non fuerit redemta interea dum completur ei annus integer; tunc cedet domus illa quæ *est* in civitate muro *cincta*, in mancipium illi qui emit eam per generationes illius: [11] non discedet in ipso jubilæo.

31 Domorum autem in villis quibus non *sunt* muri circumquaque, [12] secundùm agrum terræ fiat supputatio redemturæ: *jus* esto ipsi *venditori*, aut in jubilæo *emtor* discedito.

[k] Heb. dierū sub anno: id est, tot diebus jus habet redemturæ quot requiruntur ad efficiendum annum, ut vers. sequens explicat.
[11] a jure quod habebat in domum emtam, sic vers. 31.
[12] id est, ut de venditione agri mandatum est, vers. 25. & seq.

32 Quòd autem ad civitates Levitarum, domos civitatum possessionis eorum; *jus* [l] perpetuum redemturæ est Levitis.

[l] Heb. seculi: sic deinceps.

33 Sed qui redimit *esto* ex Levitis, aut discedet *emtor* a vendita domo & civitate possessionis illius in jubilæo: nam domus civitatum Levitarum *sunt* possessio eorum [m] inter filios Jisraëlis.

[m] Heb. in medio.

34 Ager verò suburbanus civitatum illorum ne venditor: quia possessio perpetua est eis.

35 Item quum *facultatibus* attenuato fratre tuo apud te, [13] vacillabit manus ejus; tunc [14] confirmabis illum, *etiam* peregrinum aut inquilinum, ut vivat tecum:

36 Non accipies ab eo usuram aut fenus, sed timebis a Deo tuo; [n] ut vivat frater tuus tecum.

37 Pecuniam tuam ne dato ei in usuram; nec in fenus dato cibum tuum.

38 Ego *sum* Jehova Deus vester, qui eduxi vos e terra Ægypti; ut dem vobis regionem Cenahanæi, & sim vobis [o] Deus.

39 Item quum *facultatibus* attenuatus frater tuus se vendiderit tibi; [p] ne exerceto eum servitute servili.

[13] id est, non magis rem suam poterit administrare quàm vir morbo confectus uti manu potest: metaphora.
[14] velut apprehendens & sustentans manu vacillantem: quod Hebræo verbo notatur metaphoricè.
[n] Heb. ut vita fratris tui sit apud te.
[o] Heb. in Deum.
[p] Heb. ne servito eo servitute servi.

40 Tamquam mercenarius, tamquam inquilinus esto apud te; usque ad annum jubilæi serviet apud te.

41 Tunc egredietur a te ipse & filii ejus cum eo; ut revertatur ad familiam suam, & in possessionem patrum suorum revertatur.

42 Quia servi mei sunt quos eduxi e terra Ægypti; ne venduntor venditione servili.

43 Ne dominium exerceto in eum per sævitiam; sed timebis a Deo tuo.

44 Servum autem tuum aut ancillam tuam qui *sint* tui; ex illis gentibus quæ *erunt* circa vos, ex illis acquiretis servum & ancillam.

45 E filiis quoque inquilinorum qui peregrinantur apud vos, ex eis acquiretis, & ex familia [15] eorum qui *erunt* apud vos, quos gignent in terra vestra; cedéntq; vobis in possessionem:

46 Itaque constituetis vos possessores illorum, cum filiis vestris post vos, obtinendo hæreditario jure possessionem *eorum*, in perpetuum eorum servitute utemini: at in fratres vestros filios Jisraëlis, nemo in fratrem suum dominator per sævitiam.

[15] etiam Cenahanæorum genere, si qui deditione legitima tempestivè consulant vitæ suæ, ex lege Deut. 20. quemadmodum fecit Jehoschuah, & post eum Schelomo, Jehoschu. 9. & 1. Reg. 9. 20.

47 Imò quū assequuta facultates manus peregrini aut inquilini apud te, iis attenuatus erit frater tuus apud eum; adeò ut vendiderit se peregrino habitanti apud te, aut [q] indigenæ e familia peregrini:

48 Postquam vendidit se, redemturæ jus esto ei; unus e fratribus ejus redimet eum:

49 Aut patruus ejus, aut filius patrui ejus redimet eum, aut aliquis e propinquis carnis ejus ex familia ejus redimet eum, aut si assequuta erit *facultates* manus ejus, redimet sese.

[q] Heb. radicato: id est, qui etsi originem habet aliunde natus, tamen est & quasi radices egit in populo Dei: metaphora.

50 Supputabit autem cum emtore suo ab anno quo vendidit se ei usque ad annum Jubilæi; ut sit pecunia venditionis ejus pro numero annorum, [16] sit *inquam* penes eum tanquam *pecunia* dierum mercenarii.

51 Si adhuc multi *supersunt* ex illis annis *ante jubilæum*; [r] pro numero illorum restituito redemturam suam de pecunia emtionis sui:

52 Sin autem parum superest ex istis annis usque ad annum jubilæi, ubi supputaverit cum eo, pro numero annorum ipsius *jubilæi* restituito redemturam suam.

53 Tamquam mercenarius [s] annuus esto apud eum; ne dominator in eum per sævitiam *emtor* ante oculos tuos.

54 Quòd si non redemtus fuerit *uno* ex his; attamen discedet anno jubilæi, ipse & filii ejus cum eo.

55 Nam mihi *sunt* filii Jisraëlis servi, servi mei sunt quos eduxi e terra Ægypti: ego *sum* Jehova Deus vester.

[16] id est, in sui redemtione tantum deducat ratione annorum quibus servivit habita, quantum mercenarius pro ejusdem temporis mercede lucrifecisset. id enim venditionis ratio postulabat, ut de prędiis dictum est ἀνα-λόγως suprà vers. 28.
[r] Heb. secundum illos: sic V. 52.
[s] Heb. anni pro anno.

CAPUT

CAPUT XXVI.

Interdicta idololatria, obſervationem ſabbathi, & ſanctuarii reverentiam imperat: amplat promiſſiones obſervantibus mandata Dei, comminationes transgredientibus denunciat: poſtremò reſipiſcentibus certam veniæ ſpem facit.

1 NE facite vobis [1] idola, & ſculptile aut ſtatuam ne erigitote vobis, neque lapidem [a] figuratum ponite in terra veſtra ut incurvetis vos ante eum: nam ego Jehova *ſum* Deus veſter.

2 [2] Sabbatha mea obſervatote, & ſanctuarium meum reveremini: ego *ſum* Jehova.

3 SI ambulaveritis in ſtatutis meis, & mandata mea ſervantes feceritis ea;

4 Utique dabo pluvias veſtras tempore ſuo: edétque terra proventum ſuum, & arbor agri edet fructum ſuum:

5 Et attinget vobis [3] tritura vindemiam, & vindemia attinget ſementem: comedetíſq; cibum veſtrum ad ſaturitatem, & habitabitis ſecurè in terra veſtra.

6 Dabo enim pacem in illa terra, ita ut cubetis & non *ſit* qui exterreat: & faciem ut ceſſet beſtia mala ex illa terra, & gladius non tranſibit per terram veſtram:

7 Sed perſequemini inimicos veſtros, & cadent ante vos gladio:

8 Et quini ex vobis perſequentur centenos, & centeni ex vobis perſequentur myriadas; ita cadent inimici veſtri ante vos gladio.

9 Reſpiciénſque ad vos faciam ut fœtificetis atque augebo vos; & ſtabiliam fedus meum vobiſcum:

10 Et comedetis *cibarium* vetus, [b] valde vetus, & vetus propter novum deprometis.

11 Et [4] ponam tabernaculum meum inter vos, neque faſtidiet anima mea vos:

12 Denique indeſinenter ambulabo [c] inter vos ac ero vobis Deus; vos quoque eritis mihi populus.

13 Ego ſum Jehova Deus veſter, qui eduxi vos e terra Ægyptiorum ne eſſetis illis ſervi; & frangens temones jugi veſtri feci ut ambuletis [d] erecti.

14 QUÒD ſi non auſcultabitis mihi; neque facietis omnia mandata iſta:

15 Si inquã ſtatuta mea ſpernetis, & ſi judicia mea faſtidiet anima veſtra; ut nõ faciatis omnia mandata mea, *ſed* faciatis irritum fedus meum:

16 Etiam ego hoc faciam vobis, [5] præficiam vobis terrorem cum [6] tabe & cum æſtuante morbo, [7] conficientes oculos & cruciantes animum: & ſeminabitis fruſtra ſemen veſtrum, comedéntque illud inimici veſtri.

17 Et opponam faciem meam iratam vobis, ut cædamini coram inimicis veſtris; dominiúmque exerceant in vos oſores veſtri, & fugiatis nemine perſequente vos.

18 Quòd ſi [e] adhuc non auſcultaveritis mihi; tunc addam caſtigando vos [8] ſeptuplum propter peccata veſtra.

19 Frangam enim [9] excellentiam roboris veſtri; & reddam cælum veſtrum [10] tamquam ferrum, terrámque veſtram ſicut æs:

20 [11] Deficiétque fruſtrà virtus veſtra: non enim edet terra veſtra proventum ſuum, & arbores ipſæ terræ non edent fructum ſuum.

21 Quòd ſi ambulaveritis mecum [12] temere, & non acquieveritis ut auſcultetis mihi; tunc addam contra vos plagam ſeptuplam ſecundùm peccata veſtra:

22 Nam immittam in vos beſtias agri, ut orbent vos exſcindentes jumẽta veſtra, & diminuentes vos: adeò ut deſolatę reddãtur viæ veſtrę.

23 Quòd ſi iſtis non erudiemini *ut redeatis* ad me; ſed ambulabitis mecum temere:

24 Utique ambulabo etiam ego vobiſcum [13] temere; & percutiam ego vos quoque ſeptuplo propter peccata veſtra.

25 Nam inducam contra vos gladium ulciſcentem ultionem [14] federis, ita ut congregetis vos in civitates veſtras: tum immittam peſtem inter vos, & trademini in manum inimici:

26 [15] Quum fregero vobis ſcipionem panis; & coquentes [16] decem mulieres panem veſtrum in furno uno retulerint panem veſtrum *diſtribuendum certo* pondere: ſi comederitis, non tamen ſaturabimini.

27 Quòd ſi hac *ratione* non auſcultaveritis mihi; ſed ambulaveritis mecum temere;

28 Utique ambulabo vobiſcum [17] [f] excandeſcens, temere; & caſtigabo vos ego quoque ſeptuplo propter peccata veſtra:

29 Nam comedetis carnem filiorum veſtrorum, & carnem filiarum veſtrarum comedetis:

30 Et perdam excelſa veſtra, & ſuccidam [g] ſubdiales ſtatuas veſtras, ponámque cadavera veſtra cum [18] cadaveribus ſtercoreorum deorum veſtrorum: adeò faſtidiet [19] anima mea vos:

31 Et redigens civitates veſtras in vaſtitatem deſolabo ſanctuaria veſtra; neque odorabo odorem gratum [h] a vobis.

32 Deſolabo inquam ego iſtam terram; adeò ut obſtupeſcant de ea inimici veſtri, qui [20] habitabunt in ea.

33 Vos autem ventilans diſpergam in gentes, [i] faciámq; ut perſequantur vos gladio ſtricto: ut ſit terra veſtra deſolata, & civitates veſtræ ſint ipſa vaſtitas.

34 Tum in ſabbathis ſuis acquieſcet terra omnibus diebus quibus deſolata manebit, quum eritis in terra inimicorum veſtrorum; tum quieſcens terra ipſa in ſabbathis ſuis acquieſcet.

35 Omnibus diebus quieſcet quibus deſolata manebit; quia non quieverit [21] ſeptimanis veſtris, quum habitaretis in ea.

36 Quòd autem ad eos qui remanſerint e vobis, inducam mollitiem in animum eorum in regionibus inimicorum ipſorum; ita ut perſequente eos [22] ſtrepitu folii agitati fugiant fuga *tamquam* a gladio, cadántque nemine perſequente.

37 Et impingent [k] alter in alterum tamquam a gladio, nemine perſequente: nec erit vobis conſiſtendi facultas adverſus inimicos veſtros:

38 Sed peribitis in ipſis gentibus; & abſumet vos terra inimicorum veſtrorum.

39 Qui autem reliqui fuerint e vobis, tabeſcent propter iniquitaté ſuam in regionibus inimicorum veſtrorum; etiámque propter iniquitates patrum ſuorum cum ipſis [23] tabeſcent.

40 [24] SIN autem confitebuntur iniquitatem ſuam, & iniquitatem patrum ſuorum, cum prævaricatione ſua qua prævaricati ſunt in me; & tum ſe ambulaſſe mecum temere:

41 Tum me quoq; ambulantem cum ipſis temere, induxiſſe ipſos in terram inimicorũ ſuorũ. ſi tunc abjiciatur cor iſtud eorum præputiatum, & tunc acquieſcant in [l] pœna iniquitatis ſuæ:

42 Utique recordabor federis mei *cum* Jahakobo; adeóque federis mei *cum* Jitzchako, atque federis mei *cum* Abrahamo recordabor,

ac

[1] ut Levit. 19.4.
[a] *Heb. effigiei.*
[2] id eſt, ceſſationes in ſeptenum quemque diem & annum imperatas Lege.
[3] q.d. tanta erit meſſis copia, ut non ante abſolvatur ſegetum tritura, quàm vindemiæ tempus advenerit, & præ uvarum copia tempus vindemiæ uſque ad ſementẽ producatur: abundantiæ maximæ promiſſio.
[b] *Heb. inveteratum.*
[4] i. jam poſitum non auferam: ſed pro fide & veritate mea ſtabiliam in perpetuum.
[c] *Heb. in medio veſtri, ac ero v. in Deum, vos q. e. m. in populum.*
[d] *Heb. cum erectione, videlicet cervicum.*
[5] i. jubebo ut iſta mala occupent ac poſſideant vos.
[6] i. omnibus morbis qui homines graviter affligunt: ſynecdoche.
[7] mala quidem exteriora oculos, interiora animum veſtrum intus & foris cõſumentia atque exedentia.
[e] *Heb. uſq; ad hæc: ſenſus eſt, ſi mihi eouſq; in vobis flagellandis progreſſo non auſcult. &c.*
[8] numerus finitus pro infinito: ſic deinceps.
[9] i. excellens robur, quo nunc excellitis: hypallage.
[10] pluvias ſupernè cõtinebo, & fructus terræ infernè: perinde atq; ſi naturam duriſſimã & plane ferreã cæli & terra ipſa induerent, ne quem afferrent fructũ.
[11] i. licet ad abſumtionem uſq; virium laboretis, inanis tamen erit labor.
[12] ſine diſcrimine, ἀπὸ τοῦ ἐπιτυχόντος, utut accidat, modo fueritis ſequuti ſtudia veſtra, non voluntatem meam: ſic deinceps.

[13] ſine ullo perſonarum diſcrimine, & non adhibita plagis moderatione, habenas iræ meę in vos laxabo: humanitus dictum.
[14] de rupto federe meo.
[15] alendi facultatem pani ademero: metaphora.
[16] q. d. tanta erit panis penuria, ut familiæ multæ vix tantum habeant unde furnum unum panibus ſimul impleant: finitus numerus pro infinito, ut ſuprà verſ. 18.
[17] omnia promiſcuè pervadens, tamquam ſi ferretur ira promiſcuè atq; exundaret, ut ſuprà verſ. 24.
[f] *Hebr. in excandeſcentia temeritatis.*
[g] *Heb. ſole affectos, id eſt, ſtatuas quæ Soli expoſitæ colorem aduſtum habent: ut 2. Chron. 14.4.*
[18] fragmentis, catachreſis.
[19] q. d. ego ipſe ex animo vos faſtidiam ſeriò, & abhorrebo a vobis planè: humanitus dictum.
[h] *Heb. veſtrum.*
[20] vobis ejectis, ut exponitur ſeq. verſu.
[i] *Heb. faciam ut educant poſt vos gladium.*
[21] ſabbatho, ſeptimo quoque anno, & quinquageſimo, ut mandavit Deus ſuprà 25. & 25.
[22] id eſt, minima quaque re percellantur.
[k] *Heb. v. r. in fratrem ſuum.*
[23] videlicet filii: quaſi dicat, continuabitur calamitas patrum in filiis.
[24] Promiſſiones Euangelicæ, ut Deut. 28. & 29. & 30.
[l] *Heb. iniquitate ſua, μετωνυμικῶς, ſic deinceps.*

m *Heb. quia & quia jud. m.*
25 i. revocati federis in Lege, & promissionum redintegratarū egredientibus ex Aegypto.
26 Aegypto, ubi federis mei recordatus illos conservavi: quod sequente versu dicitur ἀξηγητικῶς.
27 id est, spem fecisse miseris resipiscentibus gratuitæ misericordiæ meæ, quam reipsa præstiturus sum ex federe.
n *Hebr. per manum Moschis.*

ac terræ ipsius recordabor:
43 Quum terra deserta ab illis acquieverit
in sabbathis suis dum esset desolata illis, & illi
acquieverint in pœna iniquitatis suæ: m quia
multis modis judicia mea spreverunt, & statuta
mea fastidivit animus eorum:
44 Sed insuper 25 hujus etiā *recordabor*, quum
erunt in 26 terra inimicorum suorum, 27 me non
sprevisse eos, neque fastidivisse eos ad consumendum
eos, irritum faciendo fedus meum
cum eis; quia ego Jehova *sum* Deus ipsorum:
45 Recordabor inquam, erga illos federis
priscorum; quos eduxerim e terra Ægypti ante
oculos gentium, ut essem ipsis Deus, ego
Jehova.
46 Ista *sunt* statuta illa judiciáque & leges;
quas dedit Jehova inter ipsum & filios Jisraëlis;
ad montem Sinai n per Moschen.

CAPUT XXVII.

Leges de æstimatione personarum, bestiarum, ædium, & prædiorum voto consecratorum Domino, de redemtionibus eorum, & primogenitorum atque decimarum.

a *Heb. separaverit, i. separatim expressum dicaverit Deo.*
1 quam tu meo jussu mox illis propositurus es: ut deinceps toto capite indicitur.
b *Heb. filium sexaginta annorum: & sic deinceps.*
2 nimirum is qui votum nuncupaverit.
c *Hebr. ex qua. sic vers. 11.*
3 ejusdem generis.
4 re ulla diversi generis.
d *Heb. commutando commutet: sic deinceps.*
5 addicendam puta & vendendam justo precio, quod in rem sacram vertatur.
e *Heb. vel secundum æstimationem tuam sacerdotis.*
6 i. si vovisse pœniteat ipsum, eámque rem nolit venditioni liberæ aut licitationi permittere, sed omnino sibi cupiet retinere, tum supra æstimationem ordinariam multatoŕ quintâ, levitatis suæ ac temeratis nomine: sic deinceps.
f *Heb. redimendo redimet, ut vers. 19. & 31.*

1 Alloquutus quoque est Jehova Moschen,
dicendo:
2 Alloquere filios Jisraëlis edicens eis quū
quis a nuncupaverit votum; pro æstimatione 1
tua, personæ *sunto* Jehovæ.
3 Erit autem æstimatio tua maris, a nato
viginti annos usque ad b sexagenarium, erit inquam
æstimatio tua quinquaginta sicli argentei,
prout *est* siclus sacer.
4 Quòd si fœmina erit, tunc erit tua æstimatio
triginta sicli.
5 Sin autem a nato quinque annos usque
ad natum viginti annos, tunc erit æstimatio tua
in marem viginti sicli, in fœminam autem decem
sicli.
6 Quòd si *erit* a nato uno mense usque ad
natum quinque annos, tunc erit æstimatio tua
in marem quinque sicli argentei: in fœminam
verò erit æstimatio tua tres sicli argentei.
7 Quum autem a sexagenario & deinceps,
si *erit* mas, tunc erit æstimatio tua quindecim sicli:
in fœminam verò decem sicli.
8 Quòd si tenuior sit *facultatibus* quàm
pro æstimatione tua, tunc 2 sistet eum coram sacerdote,
ut æstimet eum sacerdos: prout assequetur
manus illius qui vovit, æstimato eum sacerdos.
9 Sed si bestiam *vovit* c ex cujus genere
oblationem offerre solent Jehovæ; quicquid ex
eo dederit Jehovæ, esto sanctum.
10 Ne 3 aliam sufficito pro ea, neque 4 commutato
illam, *substituens* bonum pro malo, aut
malum pro bono: quòd si d ullo pacto commutet
bestiam bestia, tunc erit illa & quæ subjecta est
pro illa, erit inquam sancta.
11 Si autem ullam bestiam immundam *vovit*,
ex cujus genere *Jisraëlitæ* non possunt offerre
oblationem Jehovæ; tunc sistet bestiam illam
coram sacerdote:
12 Et 5 æstimabit sacerdos eam sive bonam
sive malam: e prout æstimaveris, ô sacerdos,
sic esto.
13 At 6 si f planè volet redimere illam; addet
quintam ejus supra æstimationem tuam.
14 Quum autem quis sanctificaverit domum
suam *ut sit* sancta Jehovæ, & æstimaverit
eam sacerdos, sive bonam, sive malam: prout æstimabit
eam sacerdos, sic statum esto.
15 Quòd si qui sanctificavit, redimere volet
domum suam; similiter additā quintā pecuniæ
æstimationis tuæ supra eam, erit illius.
16 Sin verò de agro possessionis suæ sanctificaverit
quis Jehovæ, tunc erit æstimatio tua
secundùm sementem ejus: 7 Corus sementis
hordeaceæ quinquaginta siclis argenteis.
17 Si ab anno jubilæi sanctificaverit agrum
suum, secundùm æstimationem tuam statū esto.
18 Sin post jubilæum sanctificavit agrum
suum; tunc supputabit ei sacerdos pecuniam illius
pro numero annorum qui reliqui *sunt* usque
ad annum jubilæi; & diminuetur de æstimatione
tua.
19 At si planè volet redimere agrum illum is
qui sanctificavit eum; similiter additā quintā
pecuniā æstimationis tuæ supra eam, cedet illi.
20 Quòd si non redimet agrum illum, aut si
vendet agrum illum viro alteri; ne redimitor
amplius.
21 Est enim ager ille postquam exiit *a jure
ejus*, in jubilæo, res sancta Jehovæ, sicut ager g
devotus: penes sacerdotem esto possessio illius.
22 Si autem agrum h emtum sibi, qui non
est ex agris possessionis suæ; sanctificavit Jehovæ:
23 Tunc supputabit illi sacerdos summam
ipsam æstimationis tuæ usque ad annum jubilæi;
& dabit illam æstimationem tuam eo die,
rem sanctam, pro Jehova.
24 Anno jubilæi revertetur ager ille ad eum
a quo emerat illum; ad eum cujus *est* possessio ipsius
i fundi.
25 Omnis autem æstimatio tua esto per siclum
sacrum: viginti obolorum erit siclus.
26 Verumtamen primogenitum quod
primum gignitur Jehovæ ex bestiis, ne quis sanctificato
illud: sive bos, sive parva pecus, 8 Jehovæ
est.
27 Sed si ex bestiis immundis *erit*, tunc redimet
pro æstimatione tua 9 addens quintam ejus
supra eam: quòd si non redimetur, vendetur pro
æstimatione tua.
28 Ulla autem res devota quam devoverit
quis Jehovæ, ex omnibus quæ *sunt* ei, ex hominibus
aut bestiis, aut ex agris possessionis suę, ne
venditor neque redimitor: omnis res devota 10
sancta sanctarum est Jehovæ.
29 Omnis *bestia* devota quæ devovetur ab
homine, ne redimitor: k omnino morte afficitor.
30 Omnes quoque decimæ illius terræ, ex
semine terræ, ex fructu arborum, Jehovæ sunt:
res sancta Jehovæ.
31 Quòd si planè redimere volet quis de decimis
suis; quintam illarum superaddito illis.
32 Et omniū decimarum boum aut gregum,
eorum quæ transeunt 11 sub virgam; decimum
quodque esto sanctum Jehovæ.
33 Ne disquirat inter bonum & malum, neque
commutet ipsum: quod si ullo pacto commutabit
ipsum, tum erit illud & l quod suffectum
est pro eo, res sancta erit, ne redimitor.
34 Ista *sunt* mandata illa, quæ mandavit Jehova
Moschi ad filios Jisraëlis referenda; ad
montem Sinai.

7 decem Ephæ sive medimni, hoc est triginta modii: vide Jechezkel. 45. 11.
g *Heb. devotionis vel anathematis: vide inf. vers. 28.*
h *Heb. emtionis suæ.*
i *Heb. terra.*
8 ex lege primogenitorum, Exod. 13. 2.
9 puta si eam rem planè volet redimere, neque ut alteri vendatur, aut a se abjudicetur permittere, ut suprà v. 13. hanc conditionem adhiberi altera pars v. demonstrat oportere.
10 i. sanctissima, q. d. nunquam ad illum qui devovit eam aut ad alium ulla ratione redito; sed penes sacerdotes in perpetuū maneto.
k *Heb. moriendo morte afficitor.*
11 rationem explicat qua hæc tria animalium genera decimari debent: nimirum ut quo ordine ipsa ex stabulis sua sponte exeunt, decimum quodque baculo numerantis tangatur & segregetur Domino, ut sequens versus indicat.
l *Heb. commutationis ejus.*

QUAR-

QUARTUS LIBER MOSCHIS, SIVE NUMERI.

QUARTUS liber Pentateuchi continet res gestas & leges promulgatas in populo Dei, ab initio mensis secundi anni secundi post exitum ex Ægypto usque ad initium mensis undecimi anni quadragesimi: id est, historiam annorum amplius triginta octo.

CAPUT PRIMUM.

Deus jubet Moschen Jisraëlitarum omnium, exceptis Levitis, mares a vigesimo anno ad sexagesimum per suas tribus recensere, ut ordine ponantur castra: Levitas verò ministerio tabernaculi præficere & circa illud collocare, ut ipsum, quum opus erit, deponant, portent & erigant.

1 ALLOQUUTUS autem est Je-
hova Moschen in deserto Sinai in
tentorio conventus; primo *die*
mensis secundi, anno secundo ab
egressu eorum e terra Ægypti, dicendo:
2 Recensete capita universi cœtus filiorum
Jisraëlis per familias ipsorum secundùm do-
mos paternas eorum; per enumerationem no-
minum, omnem marem [a] in singula capita eo-
rum:
3 A nato viginti annos & [b] deinceps, [c] om-
neis [1] aptos ad egrediendum in militiam in Jis-
raële: recensebitis eos per exercitus ipsorum, tu
& Aharon.
4 Sunto autem vobiscum vir unus ex una-
quaque tribu; vir primarius in domo majorum
suorum esto.
5 Hæc itaque *sunt* nomina virorum illorum
qui adstabunt vobis: ex Reübene, Elitzur fili-
us Schede-uris:
6 Ex Schimhone, Schelummiel filius Tzu-
rischaddai:
7 Ex Jehuda, Nachschon filius Hammi-
nadabi:
8 Ex Jissacare, Nethaneel filius Tzuha-
ris:
9 Ex Zebulune, Eliab filius Chelonis:
10 De filiis Josephi, ex Ephrajimo, Elischa-
mah filius Hammihudis: ex Menasche, Gamliel
filius Pedah-tzuris:
11 Ex Binjamine, Abidam filius Gid-
honi:
12 Ex Dane, Achihezer filius Hammischad-
dai:
13 Ex Aschere, Paghiel filius Hochra-
nis.
14 Ex Gade, Eljasaph filius [2] Dehuelis:
15 Ex Nepthali, Achirah filius Hena-
nis:
16 Hi *sunto*, [3] convocati e cœtu, principes
tribuum paternarum suarum; primarii ducum
Jisraëlis sunto.
17 Assumsit itaque Mosche & Aharon; viros
istos, qui expressi nominatim fuerant:
18 Et totum cœtum congregaverunt primo
die mensis secundi, qui professi sunt natales suos
per familias suas secundùm domum majorum
suorum per enumerationem nominum suorum
a nato viginti annos & deinceps, in singula capi-
ta ipsorum.
19 Sicut præceperat Jehova Moschi; sic re-
censuit eos in deserto Sinai.
20 FUERUNT itaque filii Reübenis primo-
geniti Jisraëlis generationes eorum per famili-
as eorum secundùm domum majorum ipsorū;
in enumeratione nominum *facta* per *singula* ca-
pita eorum, omnis maris a nato viginti annos &
deinceps, quisquis aptus *erat* ad egrediendum in
militiam:
21 Numerati eorum ex tribu Reübenis, qua-
dragies sexies mille quingenti.
22 Ex filiis Schimhonis, generationes eo-
rum per familias eorum secundùm domum
majorum ipsorum; numerati ejus in enume-
ratione nominum *facta* per *singula* capita eo-
rum, omnis maris a nato viginti annos & dein-
ceps, quisquis aptus *erat* ad egrediendum in mi-
litiam:
23 Numerati eorum ex tribu Schimhonis,
quinquagies novies mille trecenti.
24 Ex filiis Gadis, generationes eorum per
familias eorum secundùm domum majorum
ipsorum; in enumeratione nominum a nato vi-
ginti annos & deinceps, quisquis aptus *erat* ad e-
grediendum in militiam:
25 Numerati eorum ex tribu Gadis, qua-
dragies quinquies mille sexcenti quinqua-
ginta.
26 Ex filiis Jehudæ, generationes eorum per
familias eorum secundùm domum majorum ip-
sorum; in enumeratione nominum a nato vi-
ginti annos & deinceps, quisquis aptus *erat* ad
egrediendum in militiam:
27 Numerati eorum ex tribu Jehudæ, septu-
agies quater mille sexcenti.
28 Ex filiis Jissacaris, generationes eorum
per familias eorum secundùm domum majorum
ipsorum; in enumeratione nominum a nato vi-
ginti annos & deinceps, quisquis aptus *erat* ad
egrediendum in militiam:
29 Numerati eorum e tribu Jissacaris, quin-
quagies quater mille quadringenti.
30 Ex filiis Zebulunis, generationes eorum
per familias eorum secundùm domū majorum
ipsorum; in enumeratione nominum a nato vi-
ginti annos & deinceps, quisquis aptus *erat* ad
egredien-

[a] *Hebr. calvitia: sic deinceps: synecdoche.*
[b] *Hebr. suprà: sic deinceps.*
[c] *Heb. omnem egredientem, sic deinceps.*
[1] sic excluduntur non minores ætate solùm, sed causarii quoque omnes, quos aut senium aut valetudinis gravitas impedivit, ut in sequentibus passim.
[2] qui & Rehuel infrà 2.14.
[3] in deliberationibus capiendis, & repræsentanto singuli suas tribus, quarum sunt principes.

egrediendum in militiam:

31 Numerati eorum ex tribu Zebulunis, quinquagies septies mille quadringenti.

32 De filiis Josephi, ex filiis Ephrajimi, generationes eorum per familias eorum secundùm domum majorum ipsorum; in enumeratione nominum a nato viginti annos & deinceps; quisquis aptus *erat* ad egrediendum in militiam:

33 Numerati eorum ex tribu Ephrajimi, quadragies mille quingenti.

34 Ex filiis Menaschis, generationes eorum per familias eorum secundùm domum majorum ipsorum; in enumeratione nominum a nato viginti annos & deinceps; quisquis aptus *erat* ad egrediendum in militiam:

35 Numerati eorum ex tribu Menaschis, tricies bis mille ducenti.

36 Ex filiis Binjaminis, generationes eorum per familias eorum secundùm domũ majorum ipsorum; in enumeratione nominum a nato viginti annos & deinceps quisquis aptus *erat* ad egrediendum in militiam:

37 Numerati eorum ex tribu Binjaminis, tricies quinquies mille quadringenti.

38 Ex filiis Danis, generationes eorum per familias eorum secundùm domum majorum ipsorum; in enumeratione nominum a nato viginti annos & deinceps, quisquis aptus *erat* ad egrediendum in militiam:

39 Numerati eorum ex tribu Danis, sexagies bis mille septingenti.

40 Ex filiis Ascheris, generationes eorum per familias eorum secundùm domum majorum ipsorum; in enumeratione nominum a nato viginti annos & deinceps, quisquis *erat* aptus ad egrediendum in militiam:

41 Numerati eorum ex tribu Ascheris, semel & quadragies mille quingenti.

42 Filiorum Naphthali, generationes per familias eorum secundùm domum majorum ipsorum: in enumeratione nominum a nato viginti annos & deinceps, quisquis aptus *erat* ad egrediendum in militiam:

43 Numerati eorum ex tribu Naphthali, quinquagies ter mille quadringenti.

44 Isti *sunt* numerati illi, quos recensuit Mosche & Aharon cum ducibus Jisraëlis duodecim viris: vir unus pro unaquaque domo majorum suorum erant.

45 Ita fuerunt omnes numerati filiorum Jisraëlis secundùm domum majorum suorum; a nato viginti annos & deinceps, quisquis in Jisraële aptus *erat* ad egrediendum in militiam:

46 Fuerunt inquam omnes isti numerati, sexcenties ter mille, cum quingentis quinquaginta.

47 AT [4] Levitæ per tribum majorum suorum; non fuerunt recensiti inter illos,

4 de his enim seorsim infrà 3.& 4.

48 Alloquutus enim fuerat Jehova Moschen, dicendo:

49 Verumtamen tribum Levi ne numerato, & capita eorum ne recenseto; inter filios Jisraëlis:

50 Sed tu [5] præfice Levitas tabernaculo testimonii, & omnibus instrumentis ejus, ac omnibus quæ *sunt* ejus, ipsi ferunto tabernaculum & omnia instrumenta ejus, & ipsi ministrato ei: ac circa tabernaculum castra habento:

5 ex lege Exod. 28.& ratione illa quæ exponitur infrà cap.3. & 4.

51 Ut quum profecturum erit tabernaculum, deponant illud Levitæ, & quum castrametaturum erit tabernaculum, erigant ipsum Levitæ: sed quicunque [6] extraneus accesserit, afficietur morte.

6 qui non est e genere Levitico, ut Levit.22, aliquoties.

52 [7] Quare castra habebunt filii Jisraëlis; quisque in castris suis, & quisque ad vexillum suum per exercitus suos:

53 Levitę autem castra habebunt circa tabernaculum testimonii, ut non sit ira fervens cōtra cœtum filiorum Jisraëlis; & observabunt Levitæ observationem tabernaculi testimonii.

54 Quod fecerunt filii Jisraëlis: secundùm omnia quæ præceperat Jehova Moschi, sic fecerunt.

7 Prolepsis vel propositio generalis trium cap. proximè sequentium: nam hic versus capite 2. sequens capite 3.& 4. exponitur: ad quæ versus ultimus hujus capitis est μεταβατικός.

CAPUT II.

Ordo servandus à tribubus in castris & profectionibus suis.

1 DEinde alloquutus est Jehova Moschen & Aharonem, dicendo:

2 Filii Jisraëlis, quisq; juxta vexillum suum cum signis, secundùm domum majorum suorum, castra habento: [1] ex adverso *procul* circa tentorium conventus castra habento.

1 nam intercedebat spatium (ut verisimile est) bis mille cubitorum inter castra Jisraëlitarum, & arcam federis: quemadmodum in transitu Jardenis mandatum fuisse a Deo legimus, & a Jisraëlitis factum, Jehoschu. 3. & 4.

3 Castra habentium autem ab anteriore parte Orientem versus, vexillum *esto* castrorum Jehudæ per exercitus suos; cum principe filiorum Jehudæ Nachschone filio Hamminadabi;

4 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; septuagies quater mille sexcenti.

5 Qui autem castra habebunt juxta eum, *sunto* tribus Jissacaris; cum principe filiorum Jissacaris Nethaneele filio Tzuharis;

6 Cujus exercitus, id est, numerati ejus; quinquagies quatuor mille quadringenti:

7 *Et* tribus Zebulunis; cum principe filiorum Zebulunis, Eliabo filio Chelonis;

8 Cujus exercitus, id est, numerati ejus; quinquagies septies mille quadringenti.

9 Omnes numerati in [2] castris Jehudæ, centies octogies sexies mille quadringenti per exercitus suos: in prima *acie* proficiscuntor.

2 i. quibus castris præerat Jehuda, etsi non ex tribubus tantùm suis, sed ex Jissacare quoque & Zebulune constabant: sic deinceps synecdochicè.

10 VEXILLUM castrorum Reübenis *esto* Meridiem versus per exercitus suos; cum principe filiorum Reübenis Elitzure filio Schedeuris;

11 Cujus exercitus, id est, numerati ejus; quadragies sexies mille quingenti.

12 Qui autem castra habebunt juxta eum; *sunto* tribus Schimhonis, cum principe filiorum Schimhonis Schelummiele filio Tzurischaddai;

13 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; quinquagies novies mille trecenti:

14 Et tribus Gadis; cum principe filiorum Gadis Eljasapho filio [a] Rehuelis;

a *qui etiam Dehuel, sup.* 1.14.

15 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; quadragies quinquies mille sexcenti quinquaginta.

16 Omnes numerati in castris Reübenis, centies quinquagies semel mille quadringenti quinquaginta per exercitus suos: atque *hi* secundani proficiscuntor.

17 TUM proficiscetur tentorium conventus *cum* castris Levitarum in medio *reliquorum* castrorum: sicut solent castrametari sic proficiscuntor, quisque [3] ad latus illius ad vexilla sua.

3 nempè tentorii conventus, q.d. sunto castra quadrata: quorum medium obtineat tabernaculum; sic ut nemo anteeat Levitis, sed omnes ad latus illorum procedant faciántq; castra.

18 VEXILLUM castrorum Ephrajimi per exercitus suos *esto* [b] Occidentem versus; cum principe filiorum Ephrajimi Elischamaho filio Hammihudis:

b *Heb. mare versus.*

19 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; quadragies

quadragies mille quingenti:

20 Et juxta eum tribus Menaschis cum principe filiorum Menaschis Gamliele filio Pedahtzuris;

21 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; tricies bis mille ducenti:

22 Et tribus Binjaminis; cum principe filiorum Binjaminis Abidane filio Gidhoni;

23 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; tricies quinquies mille quadringenti.

24 Omnes numerati in castris Ephrajimi, centies octies mille centum per exercitus suos: atque *hi* tertiani proficiscuntor.

25 VEXILLUM castrorum Danis *esto* Aquilonem versus per exercitus suos; cum principe filiorũ Danis Achihezere filio Hămischaddai;

26 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; sexagies bis mille septingenti.

27 Qui autem castra habebunt juxta eum, *sunto* tribus Ascheris; cum principe filiorum Ascheris Paghiele filio Hocranis;

28 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; semel & quadragies mille quingenti:

29 Et tribus Naphthali; cum principe filiorum Naphthali Achirao filio Henanis;

30 Cujus exercitus, id est, numerati illorum; quinquagies ter mille quadringenti.

31 Omnes numerati in castris Danis, centies quinquagies septies mille sexcenti: in postrema *acie* proficiscuntor per vexilla sua.

32 Isti *sunt* numerati filiorum Jisraëlis secundùm domum majorum suorum: omnes numerati castrorum per exercitus suos, sexcenties ter mille quingenti quinquaginta.

33 Levitæ autem non sunt numerati [c] inter filios Jisraëlis, quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

34 Quod fecerunt filii Jisraëlis: secundùm omnia quæ præceperat Jehova Moschi, ita castrametabantur per vexilla sua, & ita proficiscebantur, quisque per familias suas, secundùm domum majorum suorum.

[c] *Heb. in medio* *sup.* 1.48.

CAPUT III.

Levitarum numerus, statio, officiáque describuntur: loco primogenitorum ex reliquis tribubus Deo consecrantur: & quia præter numerum Levitarum primogeniti aliquot inventi sunt, quini in singulos redemtionis sicli statuuntur.

1 HÆc [1] autem *sunt* generationum Aharonis & Moschis; quo die loquutus est Jehova cum Mosche ad montem Sinai.

2 Et hæc nomina filiorum Aharonis, primogenitus Nadab; deinde Abihu, Elhazar, & Ithamar:

3 Hæc *inquam* nomina filiorum Aharonis sacerdotum qui uncti fuerunt; quorum [a] consecraverat ministerium *Mosche* ad fungendum sacerdotio.

4 Sed mortuus est Nadab & Abihu coram Jehova, cum offerrent ignem extraneum coram Jehova, in deserto Sinai, & filii non essent illis: quapropter sacerdotio functus est Elhazar & Ithamar [2] in conspectu Aharonis patris sui.

5 Alloquutus autem est Jehova Moschen, dicendo:

6 Jube appropinquare tribum Levi, ut sistas eam coram Aharone sacerdote; ac ministrent ei;

7 [3] Observéntque observationem ejus, & observationem totius cœtus coram tentorio conventus; exercendo ministerium tabernaculi;

8 Et custodiant omnia instrumenta tentorii conventus, *nempe* [4] custodiam filiorum Jisraëlis; exercendo ministerium tabernaculi.

9 Dabis itaque Levitas Aharoni ac filiis ejus: hi [b] omnino donati *sunt* ei e filiis Jisraëlis:

10 Aharonem verò & filios ejus præficito, [5] ut observent sacerdotium suum; nam quicunq; extraneus accesserit, morte plectetur.

11 Item ‖ alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

12 Ego enim, ecce assumsi Levitas e medio filiorum Jisraëlis loco omnis primogeniti aperientis vulvă ex filiis Jisraëlis; ut sint mei Levitæ:

13 Nam meum *est* omne primogenitum; quo die percussi omne primogenitũ in terra Ægypti, sanctificavi mihi omne primogenitum in Jisraële [c] tam hominum quàm jumentorum: mea sunto, ego Jehova.

14 Præterea alloquutus est Jehova Moschen in deserto Sinai, dicendo.

15 Recenseto filios Levi secundùm domum majorum suorum per familias suas: omneis mares [6] a nato uno mense & deinceps numerato.

16 Numeravit ergo eos Mosche [d] ex præstituto Jehovæ; quemadmodũ præceptũ fuerat ipsi.

17 Erant autem hi filii Levi nominibus suis; Gerschon, & Kehath, & Merari.

18 Et hæc nomina filiorum Gerschonis per familias eorum; Libni, & Schimhi:

19 Filii verò Kohathi per familias ipsorum; Hamram, & Jitzear, Chebron, & Huzziel:

20 Filii autem Merari per familias eorum, Machli & Muschi: istæ *sunt* familiæ Levitarum, secundùm domum majorum ipsorum.

21 Gerschoni *est* familia Libnitica & familia Schimhitica; hæ familiæ Gerschonitarum.

22 Numerati eorum in enumeratione cujusque maris a nato *uno* mense & deinceps; numerati inquam eorum, septies mille quingenti.

23 Familiæ Gerschonitarum; post tabernaculum castramentabantur Occidentem versus:

24 Princeps autem paternæ domus Gerschonitarum, Eljasaph filius Laëlis.

25 Custodia verò [7] filiorum Gerschonis in tentorio conventus *est* tabernaculi, & ipsius tentorii; operimenti ejus cum tegmento portæ tentorii conventus;

26 Et tapetum ocellatorum atrii, cum tegmento portæ ipsius atrii, qui *sunt* ante ipsum tabernaculum & ante altare circumquaque; & funium illius pro toto ministerio ejus.

27 Kehatho autem familia Hamramæa, & familia Jitzeharitis, & familia Chebronitis, & familia Huzzielitica: istæ *sunt* familiæ Kohathitarum.

28 In enumeratione cujusque maris a nato *uno* mense & deinceps; *erant* octies mille sexcenti, custodientes custodiam sanctuarii:

29 Familiæ filiorum Kohathi castrametabantur; ad latus tabernaculi, Meridiem versus:

30 Princeps autem domus paternæ in familiis Kehathitarum; Elitzaphan filius Huzzielis.

31 Custodia verò horum *est* arcæ, & mensæ, & lychnuchi, & altarium, instrumentorúmque sanctuarii, quibus ministrant; & ipsum tegumentum, totúmque ministerium ejus.

32 At [8] princeps principum ordinis Levitici, Elhazar filius Aharonis Sacerdotis *hæc* præfectura custodientium custodiam sanctuarii.

33 Merari est familia Machlitica & familia Muschitica: istæ *sunt* familiæ Merari:

[1] i. quę hoc & seq. cap. dicentur, pertinent ad Levitas, ex quorum genere fuerunt Mosche & Aharon: sic trãsit Mosche ad explicationem secundi membri prolepseos illius, quam annotavimus sup. 1.52.

[a] *Heb impleverat manum, ut Exod.* 28.41. *Levit.* 10.

[2] i. adhuc ipso vivẽte, ut Gẽ. 11.28

[3] cum observantia Sacerdoti ministrent, vices totius cœtus in ministerio illo subeuntes: nam totius cœtus erat ministrare domino, cujus vices primùm gerebant primogeniti: quemadmodũ observavimus in Exo. 19.22. & 24.5. jam verò in horum locum Levitæ assumuntur.

[4] quam alioquin filiis Jisraëlis præstare tenerentur.

[b] *Heb. donati donati.*

[5] i. ut tum ad seipsos attendant ministeriúmq; suum, ut Paulus monet Episcopos Act. 20. tum ad Levitas sibi datos, qui ministerii parte Sacerdotes, quibus donati sunt, sublevent, observãtes ne quid alienum fiat a sacerdotali munere.

‖ *sup.* 1.51.

‖ *Exod.* 13.

[c] *Heb. ab homine usq; ad jumentũ.*

[6] tum enim primum purgabantur infantes ab impuritate partus, offerebanturque Deo primogenitorum nomine, Levit. 12.4. sic infra vers. 40.

[d] *Heb. secundum os: sic* v. 39. & 51.

[7] horum & reliquorum munus fusiùs explicatur cap. 4. quod hic per prolepsin dicitur.

[8] i. ipsis Levitarum principibus præfectus, qui secundus erat a Sacerdote summo: quamobrem hæc dignitas secundarii vel secundani Sacerdotis appellatur 2. Reg. 25.21. & alibi.

34 Et

34 Et numerati eorum in enumeratione cujusque maris, a nato *uno* mense & deinceps, *erant* sexies mille ducenti.

35 Princeps autem domus paternæ in familiis Merari, Tzuriel filius Abichajilis: ad latus tabernaculi castrametabantur aquilonem versus.

36 Præfectura verò custodiæ filiorum Merari; *est* asserum ipsorum tabernaculi, & transtillorum ejus, & columnarum ejus, ac stylobatarum ejus; & omnium instrumentorum ejus; ac totius ministerii ejus:

37 Item columnarum ipsius atrii circumquaque, & stylobatarum illarum; & paxillorum, funiúmque illarum.

38 Qui autem castrametantur ante tabernaculum ab anteriore parte ante tentorium conventus Orientem versus, *sunt* Mosche & Aharon cum filiis ipsius, custodientes custodiam sanctuarii pro custodia Jisraëlitarum: extraneus verò qui accesserit, morte plectendus est.

39 Omnes numerati Levitarum, quos recensuit Mosche & Aharon ex præstituto Jehovæ per familias ipsorum; omnes mares a nato *uno* mense & deinceps, vicies bis mille.

40 DEINDE edixit Jehova Moschi, recenseto omnem primogenitum marem ex filiis Jisraëlis, a nato *uno* mense & deinceps; & collige numerum nominum illorum:

41 Et accipies Levitas mihi (ego *sum* Jehova) loco omnis primogeniti in filiis Jisraëlis; & jumenta Levitarum loco omnis primogeniti in jumentis filiorum Jisraëlis.

42 Recensente itaque Mosche, quemadmodum præceperat ei Jehova; omnem primogenitum in filiis Jisraëlis;

43 Fuerunt omnes primogeniti mares, in enumeratione nominum a nato *uno* mense & deinceps per numeratos illorum; vicies bis mille ducenti septuaginta tres.

44 Quapropter alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

45 Accipe Levitas istos loco omnium primogenitorum in filiis Jisraëlis, & jumenta Levitarum loco jumentorum illorum, ut sint mei Levitæ, ego *sum* Jehova.

46 Quod autem ad [e] redimendos illos, ducentos septuaginta tres; qui redundant supra Levitas ex primogenitis filiorum Jisraëlis;

47 Accipies [f] quinos siclos pro quoque capite: prout *est* siclus sacer accipito, viginti obolorum *est* siclus ille:

48 Et dabis pecuniam illam Aharoni & filiis ejus; pecuniam redemtorum qui redundaverint inter illos.

49 Accepit itaque Mosche pecuniam illam redemtionis; ab iis qui redundabant, præter redemtos per Levitas.

50 Acceptáque a primogenitis filiorum Jisraëlis hac pecunia; mille trecentis sexaginta quinque siclis, prout *est* siclus sacer:

51 Dedit Mosche pecuniam redemtorum istorum Aharoni & filiis ejus ex præstituto Jehovæ; quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

e Hebr. redemtos, ut infrà 6.9. catachresis.

f Heb. quinque quinque siclos in calvarium.

CAPUT IIII.

Ex Levitico ordine eliguntur ad ministrandum tabernaculo in statione & profectione, a trigenariis ad quinquagenarios & pro familiarum ratione sua eis munera & onera distribuuntur.

1 ALloquutus etiam est Jehova Moschen & Aharonem, dicendo:

2 Recenseto capita filiorum Kohathi inter filios Levi; secundùm familias eorum per domum majorum ipsorum,

3 A nato triginta annos & deinceps usque ad natum quinquaginta annos; omnem aptum ad obeundum [1] hanc militiam, ad faciendum opus in tentorio conventus.

4 [2] Hoc *esto* ministerium filiorum Kohathi in tentorio conventus, res sanctæ sanctarum.

5 Prius accedet Aharon & filii ejus quum profectura sunt castra, & deponent [3] velum tegmenti; quo obtegent arcam testimonii.

6 Deinde imponentes ei tegmen e pellibus melium, postquam expanderint vestem totam hyacinthinam supernè; apponent demum vectes ejus.

7 Similiter super [4] mensam *panum* faciei expandunto vestem hyacinthinam; impositis ei scutulis ejus & acerris, scopulísque & scutellis tegmenti; & panis jugis super eam esto.

8 Deinde expandentes super hæc vestem coccineam dibapham, tegent illam tegumento e pellibus melium: apponentque demum vectes ejus.

9 Accipientes quoque vestem hyacinthinam tegent lychnuchum luminaris, & lucernas ejus, & forcipes ejus, & trullas ejus; & omnia vasa olearia ejus quibus ministrare solent in eo:

10 Eóque reposito & omnibus instrumentis ejus in tegmento e pellibus melium, imponent eum palangæ.

11 Item super altare aureum expansa veste hyacinthina; tegent illud tegumento e pellibus melium; deinde apponent vectes ejus.

12 Accipient quoq, omnia instrumenta ministerii quibus ministrare solent in sanctuario, positáque in veste hyacinthina tegent illa tegumento e pellibus melium: sic imponent palangæ.

13 Præterea acceptis cineribus ex altari; expandent super illud vestem purpuream:

14 Et imponent ei omnia instrumenta ejus quibus ministrare solent in eo, forcipes, fuscinulas, & palas, & crateras, omnia instrumenta altaris: expansóque super illud tegumento e pellibus melium, apponent vectes ejus.

15 Denique quum absolverit Aharon & filii ejus tegere sanctuarium & omnia instrumenta sanctuarii, quando profectura erunt castra; postmodùm accedunto filii Kohathi ad deportandum [5] ea, sed ne attingunto ullam rem sanctam ne moriantur: ista *sunto* onus filiorum Kohathi in tentorio conventus.

16 Præfecturæ autem Elhazaris filii Aharonis Sacerdotis *esto* oleum luminaris, & suffitus aromaticus, & munus ipsum jugis *sacrificii*, oleúmque unctionis: *hæc* præfectura totius tabernaculi & omnium quæ *sunt* in eo, tum sanctuarii, tum instrumentorum ejus.

17 Alloquutus verò est Jehova Moschen & Aharonem, dicendo:

18 Ne committite ut exscindatur tribus, *aut ulla* familiarum Kohathitarum; e medio Levitarum:

19 Sed hoc facite eis, ut vivant ac non moriantur, quum accedent ad res sanctas sanctarū; Aharon & filii ejus advenientes collocent eos, quemque in ministerio suo & in onere suo:

20 Ut

1 serviendi Sacerdotibus in tabernaculo erecto, aut quum proficiscendum est, ipsum deportandi: nam hæc duo erant ministerii genera apud ambulatorium tabernaculum. Simplicius tamē fore videtur istud, si militiæ nomine ordinem intelligamus quasi militarem, quem Sacerdotes æquè ac alii tenebantur cum Levitis observare mandato Dei ad commoditatem cultus honestatémq; publicam: quo modo etiam forensis militia in jure, & militia urbana Ciceroni pro Muræna dicitur.

2 i. his rebus ministranto.

3 vide Exod. 35.12.

4 de qua Exod. 25.19.

5 etiam arcam ipsam, donec Sacerdotes numero aucti eum deportare possent, Deut. 31.9. nam Sacerdotum posteà fuisse, omnia historiarum exempla docent, in libris Jehoschuhæ, Judicum, Schemuelis, & Regum.

20 Ut non [a] inspiciant veniendo, quum tegunt *Sacerdotes* rem sanctam, & moriantur.

a Heb. veniant inspiciendo: hypallage. i. ne prius veniant quàm tecta sint a Sacerdotibus omnia, ut non moriantur si illa inspexerint.

21 ALLOQUUTUS quoque est Jehova Moschen, dicendo:

22 Recense capita etiam ipsorum filiorum Gerschonis; per domum majorum ipsorum secundùm familias ipsorum.

23 A nato triginta annos & deinceps usque ad natum quinquaginta annos recenseto illos: omnem aptum [b] ad obeundum militiam, ad exercendum ministerium in tentorio conventus.

b Heb. ad obeundam ad militandum militiam.

24 Hoc *esto* ministerium familiarū Gerschonitarum; ministrandi, & onus *portandi:*

25 Ut portent aulæa tabernaculi, & tentorium conventus, tegumentum ejus, & tegumentum melium quod imponitur ei supernè; & tegmen portæ tentorii conventus:

26 Et tapetes ocellatos atrii, & tegmentum *in* janua portæ atrii quod *est* ante tabernaculum & ante altare circumquaque, & funes eorum, & omnia instrumenta ministerii eorum; & quæcunque fiunt ad illa ut subserviant *illis.*

27 [c] Ex præstituto Aharonis & filiorum ejus esto ministerium totum filiorum Gerschonitarum in toto eorum onere, & in toto ministerio eorum: committetis autem eis in custodiam omnia onera ipsorum.

c Heb. secundùm os, & sic deinceps.

28 Hoc *est* ministerium familiarum filiorum Gerschonitarum in tentorio conventus: quorum observatio [6] *esto* in manu Ithamaris filii Aharonis Sacerdotis.

6 i. per Ithamarem habetor inspectio illorum, isque curato ut exsequantur ministeria sua: sic infrà vers. 33.

29 FILIOS Merari; secundùm familias ipsorum, per domum majorum ipsorum [d] recenseto.

d Heb. recenseto eos: pleonasmus.

30 A nato triginta annos & deinceps usque ad natum quinquaginta annos recenseto eos; quemque aptum ad obeundum hanc militiam, ad exercendum ministerium tentorii conventus.

31 Hæc autem *esto* observatio oneris eorum, præter omne ministerium eorum in tentorio conventus; [7] *ut portent* asseres tabernaculi, & transtilla ejus, columnásque ejus, & stylobatas ejus:

7 sic interpretamur ex v. 25. ἀναλόγως.

32 Columnas quoque atrii circumquaque, & stylobatas earum, & paxillos earum, ac funes earum, cum omnibus instrumentis illorum, & cum omni ministerio eorum: [8] nominatim autem recensetote omnia instrumenta observationis oneris eorum.

8 id est, quæcunque illis deportanda servandáve tradetis, ea sigillatim relata in indicem, descriptáq; habetote, eísque ex antigrapho committite.

33 Hoc ministerium familiarum filiorū Merari, præter omne ministerium eorum in tentorio conventus: *esto* in manu Ithamaris filii Aharonis Sacerdotis.

34 RECENSUIT itaque Mosche cum Aharone & principibus cœtus filios Kohathitarum; secundùm familias ipsorum, per domum majorum ipsorum;

35 A nato triginta annos & deinceps usque ad natum quinquaginta annos; quemque ad obeundum illam militiam, ad ministerium in tentorio conventus.

36 Fuerúntque numerati eorum secundùm familias eorum; bis mille septingenti quinquaginta.

37 Hi *sunt* numerati familiarum Kohathitarum, quisque aptus ad ministrandum in tentorio conventus: quos recensuit Mosche cum Aharone [e] ex præstituto Jehovæ [9] per Moschen.

e Heb. secundùm os Jehovæ per manum Moschis: sic infrà vers. 45.

9 id est, quod præstitutum renunciavit Mosche, ut in mandatis acceperat.

38 Numerati autem filiorum Gerschonis, secundùm familias suas per domum majorum suorum,

39 A nato triginta annos & deinceps usque ad natum quinquaginta annos; quisque aptus ad obeundum illam militiam, ad ministerium in tentorio conventus:

40 Numerati inquam eorum secundùm familias suas per domum majorum suorū fuerunt; bis mille sexcenti triginta.

41 Hi *sunt* numerati familiarum filiorum Gerschonis, quisque aptus ad ministrandum in tentorio conventus: quos recensuit Mosche & Aharon ex præstituto Jehovæ.

42 Numerati verò familiarum filiorum Merari; secundùm familias suas per domum majorum suorum.

43 A nato triginta annos & deinceps usque ad natum quinquaginta annos; quisque aptus ad obeundum militiam illam, ad ministerium in tentorio conventus:

44 Numerati inquam eorum secundùm familias suas fuerunt; ter mille ducenti.

45 Hi *sunt* numerati familiarum filiorum Merari; quos recensuit Mosche & Aharon, ex præstituto Jehovæ per Moschen.

46 Levitæ omnes numerati, quos recensuit Mosche cum Aharone & principibus Jisraëlis; secundùm familias suas & per domum majorum suorum,

47 A nato triginta annos & deinceps usque ad natum quinquaginta annos; quisque aptus ad obeundum militiam *illam,* ad exercendum ministerium cultus, & ministerium oneris in tentorio conventus:

48 Numerati inquam eorum fuerunt; octies mille quingenti octoginta.

49 Ex præstituto Jehovæ per Moschen [10] recensuit eos, [f] unumquemque ad ministerium suum, & ad onus suum: & numerati ab eo *fuerunt* quos præceperat Jehova Moschi.

10 cœtus nimirum, ex Mosche cum Aharone & principibus Jisraëlis constans, ut expositum est vers. 46.

f Heb. virum virum.

CAPUT V.

Deus e castris, ne contaminentur, leprosos, gonorrhœa laborantes, & cadavere immundos ejici jubet: culpam reatus domino ejus restitui cum quinta, aut si non exstabit dominus, dari Jehovæ, ut Sacerdoti cedat: postremò a Sacerdotibus de zelotypia justa aut injusta cognosci.

1 ALloquutus quoque est Jehova Moschen, dicendo:

2 Præcipe filiis Jisraëlis, ut ejiciant e castris omnem leprosum, & omnem gonorrhœa laborantem; & omnem immundum [a] ex cadavere.

a Heb. propter animam: metonymia, ut Levitic. 21.1.

3 [b] Sive marem sive fœminam ejicite, extra castra ejicite eos; ut non [1] polluant castra sua, in quorum medio ego habito.

b Heb. a mare usque ad fœminam.

1 Jisraëlitæ reliqui, ferendo immundos in medio sui.

4 Facientes ergo sic filii Jisraëlis, ejecerunt eos extra castra: quemadmodum edixerat Jehova Moschi, sic fecerunt filii Jisraëlis.

5 PRÆTEREA alloquutus est Jehova Moschen dicendo:

6 [‖] Edic filiis Jisraëlis; quum vir aut mulier fecerint ullum ex peccatis humanis fallendo falsitate, contra Jehovam; ita ut rea sit anima illa:

‖ *Levit. 5.20.*

7 [2] Primùm confitebuntur quisque peccatum suum quod fecerunt; deinde restituens reatum suum [c] quanti est quintam ejus superaddet ei; dabítq; illi in quem reus est.

2 vide Levit. 5. 21. & sequent.

c Heb. in capite ejus. ut Levit. 5.24.

8 Quòd si non erit isti viro vindex ad restituendum ei reatum, reatus qui restituitur Jehovæ, Sacerdotis *esto*; præter arietem expiationum, quo expiationem faciet pro eo.

 9 Similiter

9 Similiter omnis oblatio omnium rerum ſanctificatarum a filiis Jiſraëlis, quas attulerint ad *aliquem* Sacerdotem, illius eſto:

10 Et cujuſque res ſanctificatæ, illius ſunto: quod quis ulli Sacerdoti dederit, illius eſto.

11 ITEM alloquutus eſt Jehova Moſchen, dicendo:

12 Alloquere filios Jiſraëlis ut dicas eis; quũ [d] ullius uxor declinans *ab eo* omnino feſellerit in eum *peccans*,

13 Et concumbente aliquo cum ea concubitu ſeminis; abſconditum ſit ab oculis mariti ejus, eáque diſſimulaverit ſe, quum tamen immunda facta ſit: & nemo teſtis fuerit contra eam, neque fuerit deprehenſa:

14 Si invaſerit eum [e] affectus zelotypiæ, ita ut ſit zelotypus uxoris ſuæ, quæ immunda facta ſit; aut invaſerit eum affectus zelotypiæ ita ut zelotypus ſit uxoris ſuæ, quamvis ipſa non ſit facta immunda:

15 Tunc adducet vir ille uxorem ſuam ad Sacerdotem; & afferet oblationem ejus pro ea decimam Ephæ farinæ hordeaceæ: [3] ne ſuperfundito ei oleum, neque imponito ei thus, quia oblatio zelotypiarum eſt, munus monimenti revocans in memoriam iniquitatem.

16 Eámque jubens accedere Sacerdos, ſiſtet eam coram Jehova.

17 Et accipiet Sacerdos [4] aquam ſanctam in vaſe fictili; & de pulvere qui *erit* in ſolo tabernaculi accipiens Sacerdos indet in aquam illam:

18 Siſténsque Sacerdos mulierem illam coram Jehova; reteget caput illius mulieris, & imponet manibus illius munus monimenti, *quod* munus zelotypiarum eſt: in manu verò Sacerdotis eſto aqua illa [5] amaritudinis quæ maledictionem importat.

19 Et adjurans eam Sacerdos dicet mulieri, ſi non concubuit ullus tecum, & ſi non declinaſti *ad eum* immunditie loco mariti tui; inſons eſto ab aqua iſta amaritudinis quæ maledictionem importat.

20 Sin autem tu *ſic* declinaſti loco mariti tui & immunda facta es; ſi indiderit in te aliquis *ſemen* concubitus ſui præter maritum tuum:

21 Adjurans inquam Sacerdos mulierem illam adjuratione dirarum; dicet Sacerdos mulieri illi, ponat te Jehova in *formulam* dirarum & juramenti in medio populi tui: quum reddiderit Jehova femur tuum cadivum, & ventrem tuum tumidum:

22 Ingredietur itaque hæc ipſa aqua maledictionem importatura in viſcera tua, ad tumidum reddendum ventrem & ad efficiendum femur cadivum: & dicet mulier ipſa, amen amen.

23 Deinde ſcribet Sacerdos diras iſtas in quodam libro; & delebit eas aqua illa amaritudinis:

24 Curabítque ut bibat mulier illa aquam iſtam amaritudinis quæ maledictionem importat; ut ingrediatur in eam aqua iſta quæ maledictionem importat, ad amaritudinem.

25 Accipiens autem Sacerdos e manu mulieris illius munus zelotypiarum; agitabit munus illud coram Jehova, & offeret illud ſuper altare:

26 Et pugillo acceptum Sacerdos de munere illo ſuffimentum memoriale ejus adolebit in altari; & poſteà curabit ut mulier illa bibat aquam iſtam.

27 Quum enim curaverit eam bibere aquam iſtam, erit ſi immunda facta fuerit, *fidemq;* omnino feſellerit in virum ſuum; ut intrante in eam aqua illa quæ maledictionem importat in amaritudinem, intumeſcat venter ejus, & cadat femur ejus: ſic erit mulier illa in dirarum *formam* [f] apud populareis ſuos.

28 Quòd ſi non immunda facta fuerit mulier illa, ſed fuerit munda; tum inſons erit, & [g] conſequetur ſemen.

29 Hæc *eſt* lex zelotypiarum: quum declinaverit mulier *ad ullum* loco viri ſui, ita ut immunda facta ſit:

30 Aut quum invaſerit aliquem affectus zelotypiæ ita ut zelotypus ſit uxoris ſuæ; ut ſiſtat mulierem ipſam coram Jehova, & exſequatur erga eam Sacerdos totam legem hanc.

31 Sic inſons erit vir ille [6] ab iniquitate; mulier verò illa feret iniquitatem ſuam.

CAPUT VI.

Lex de Naziræatu, & formula qua Sacerdotes erant populo benedicturi.

1 ITem alloquutus eſt Jehova Moſchen, dicendo:

2 Alloquere filios Jiſraëlis, & edices eis: quũ vir aut mulier [a] nuncupaverit *votum*, vovendo votum [b] Naziræi, ſe Naziræum fore Jehovæ:

3 A vino aut alio potu inebriante abſtineto, acetum vini & acetum ullius potus inebriantis ne bibito: & [c] nullum potum e maceratis uvis bibito, nec ullas uvas recẽtes aut ſiccas comedito.

4 Omnibus diebus [d] Naziręatus ſui; de nulla re quæ ſit ex vite vinifera, [e] vel *ipſis* nucleis acinorum & cute comedito.

5 Omnibus diebus voti Naziræatus ſui novacula ne tranſito ſuper caput ejus; uſque-dum compleantur dies illi quibus voverit ſe Jehovæ Naziræum fore, ſanctus eſto, ſinendo creſcere comam, capillos capitis ſui.

6 Omnibus diebus quibus ſe Jehovæ Naziræum fore voverit, ad [f] cadaver mortui ne accedito.

7 Propter patrem ſuum aut propter matrem ſuam, propter fratrem ſuum aut propter ſororem ſuam, ne ſe polluito propter illos, quum mortui ſunt: quia Naziræatum Dei ſui *geris* in capite ſuo.

8 Omnibus diebus Naziræatus ſui, ſanctus eſt Jehovæ.

9 Quòd ſi is qui mortuus eſt mortuus fuerit juxta eum [g] repentino caſu, itaq; polluerit [h] Naziręatum capitis ejus; tunc radet caput ſuum die purgationis ſuæ, [i] die ſeptimo radito illud:

10 Die autem octavo afferet duos turtures aut duos pullos columbæ; ſacerdoti, ad portam tentorii conventus:

11 Quorum parans Sacerdos unum in peccatum & alterum in holocauſtum, expiationem faciet pro eo, ab eo quod [2] peccavit circa illud cadaver: ſic ſanctificabit caput illius eo die.

12 Deinde [3] ſeparans Jehovæ dies Naziræatus ſui adducet agnum anniculum in reatum; dies autem illi priores [i] irriti ſunto, quia pollutus fuit Naziræatus ejus.

13 Hæc autem *eſto* lex Naziræi; quo tempore complentur dies Naziræatus ejus, afferto [4] iſtud ad portam tentorii conventus.

14 Offeret ergo oblationem ſuam Jehovæ, agnum [k] anniculum integrum unum in holocauſtum, & agnam unam anniculam integram in peccatum; arietémq; unum integrum in *ſacrificium* eucharisticum:

15 Præterea

[d] *Heb. viri viri declinaverit, & feſellerit in eum falſitate.*

[e] *Heb. ſpiritus: ſic in ſequent.*

[3] vide in Levit. 2.1.

[4] hauſtam ex ſancto labro, in quod ad ſacros uſus importabatur.

[5] ſic vocatur ab effectu, quia gravi acerbóq; ſupplicio afficiebat mulierem ſontem, ut proximè ſequentibus verbis explicatur.

[f] *Heb. in medio populi ſui.*

[g] *Heb. ſeretur ſemine.*

[6] cujus planè reus eſſet, ſi contra legem Dei tantum vitium in uxore diſſimularet, aut ſuſpicionem in animo aleret, quæ conjunctioni conjugali adverſatur.

[a] *Heb. ſeparaverit, ut Levit. 27.2. & ſic deinceps.*

[b] *i. ſeparati.*

[c] *Heb. nullam macerationem uvarum.*

[d] *id eſt, ſeparationis ſuæ: & ſic in ſequentibus.*

[e] *Heb. a nucleis acinorum uſque ad cutem.*

[f] *Heb. animam, ut ſuprà 5.2.*

[g] *Heb. repentè ſubitò.*

[h] *Heb. caput Naziræatus: hypallage, ut verſ. 18.*

[i] Exegeſis ſuperiorum: nam erant impuri ex cadavere ad diem uſque ſeptimum; & ſeptimus demum appellatur purgationis dies, ut Levit. 15. & infrà 19.14.

[2] i. deliquit, in delictum incidit, & a ſanctimonia legitima imprudens aberravit.

[3] i. de integro incipiens ſe ſeparare a ſuperioribus rebus totidem dies quot ſeparatum ſe fore voverat, redintegránsq; complementum voti, ac ſi tunc primùm votum nuncupaſſet.

[i] *Heb. cadant.*

[4] quod ſequentibus 2. verſibus exprimitur.

[k] *Heb. filium anni ſui.*

15 Præterea canistrum azymorum, collyras e simila mistas oleo, & lagana azyma uncta oleo; cum munere eorum & libaminibus eorum:

16 Quæ offerens Sacerdos coram Jehova; parabit peccatum ejus & holocaustum ejus:

17 Arietem autem ipsum parabit in sacrificium eucharisticum Jehovę cum canistro azymorum: similiter parabit Sacerdos munus ejus & libamen ejus.

18 Tunc radet Naziræus in porta tentorii conventus Naziræatum capitis sui; & acceptos capillos Naziræatus sui imponet igni, qui subest sacrificio eucharistico.

19 Deinde accipiens Sacerdos armum coctum ex illo ariete, & collyram azymam unam ex illo canistro cum lagano azymo uno; imponet ea manibus Naziræi, postquàm sibi raserit Naziræatum suum:

20 Et agitabit ea Sacerdos agitatione coram Jehova; res sancta est pro sacerdote, præter pectus agitationis & armum elationis: & postmodùm bibet Naziræus ille vinum.

21 Hæc *est* lex Naziræi qui voverit; oblatio Jehovæ pro Naziręatu suo, [5] pręter id quod assequetur manus ejus: prout fuerit votum ejus quod vovit, sic facito, præter legem Naziræatus sui.

22 PRAETEREA alloquutus est Jehova Moschen dicendo:

23 Alloquere Aharonem & filios ejus, dicendo, sic benedicitote filiis Jisraëlis; dicendo eis:

24 Benedicat tibi Jehova, & custodiat te:

25 Faciat Jehova, ut luceat facies sua tibi, & gratiam faciat tibi;

26 Attollat Jehova faciem suam erga te, & apponat tibi pacem.

27 Et [6] [k] imponentes manus filiis Jisraëlis invocabunt nomen meum; & ego benedicam eis.

[5] id est, præter id quod sponte voverit, prout sunt facultates ipsius: Lex enim continet res tam a paupere quàm a divite necessariò offerendas: & ita interpretantur sequentia.

[6] id est, duobus signis testatam facient populo gratiam meam, quam ego pro fide mea facturus sum, nominis mei invocatione, & manuum suarum impositione publica, & solenni: quæ duo elegantissimè consequutione quadam elliptica hoc loco innuuntur.

[k] *Heb. imponent filii Jisraëlis nomen meum.*

CAPUT VII.

Principes tribuum, erecto tabernaculo, & consecrato altari, plaustra sacra, & sacrificia instrumentaque ad sacrum ministerium pertinentia singuli singulis diebus offerunt, ex ordine instituto suprà 2. Postremò ratio describitur qua Mosche ex eo tempore Deum consuluit, & responsum ab eo accepit.

1 Fuit autem [1] quo die absolverat Mosche erigere tabernaculum, & ungens illud sanctificaverat illud cum omnibus instrumẽtis ejus & altare cum omnibus instrumentis ejus; quum inquam unxisset [2] ista & sanctificasset ista:

2 Ut offerrent principes Jisraëlis primarii domus majorum suorum (hi *erant* principes tribuum, qui iidem præerant numeratis)

3 Et adducerent oblationem suam coram Jehova, sex plaustra camerata, & duodecim boves, plaustrum unum in binos principes, & bovem unum in unumquenque: & offerrent illa ante tabernaculum.

4 Alloquutus autem est Jehova Moschen dicendo.

5 Accipe *ista* ab illis, ut sint ad exercendum ministerium tentorii conventus; & dabis ea Levitis, [4] cuique [5] prout est ministerium ejus.

[1] id est, die secundo, secundo mense anni secundi ab exitu ex Aegypto: nam primo die mensis primi erectum fuit tabernaculum, Exo. 40. 2. posteà verò mense eodem reliquo cõsecratum, ut docetur in libro Levitici. hoc autem altare, nimirum holocausti, postremo loco & suo ordine restabat consecrandum cum toto ministerio suo: cujus ministerii bona pars quum Levitæ fecissent, optimè Levitarum deditio antecessit hujus altaris consecrationẽ. [2] quę postrema restabant consecranda. Nam hactenus tabernaculum & quæ intus erant Mosche sanctificaverat, Levitici 8. 10. cum administris ipsius, ibidem: nunc verò de sanctificatione agitur altaris holocausti, & administrorum ac instrumentorum ejus. [4] genti Levitarum, ut sequentibus explicatur. [5] ut explicatur suprà cap. 4.

6 Accipiens itaque Mosche plaustra illa & boves; dedit ea Levitis:

7 Duo plaustra & quatuor boves dedit filiis Gerschonis, [6] prout erat ministerium eorum:

8 Quatuor verò reliqua plaustra & octo boves dedit filiis Merari; [7] prout erat ministerium eorum, [a] penes Ithamarem filium Aharonis Sacerdotem.

9 Sed filiis Kohathi non dedit; quia ministerium rei sanctæ incumbebat illis, [8] humero laturi erant.

10 Afferebant ergo principes illi [9] cum dedicatione altaris, quo die illud ungebatur; afferebant inquam principes illi oblationem suam ante ipsum altare.

11 Edixit autem Jehova Moschi; [b] principes singuli in singulos dies oblationem suam afferunto, in dedicatione altaris.

12 ITAQUE fuit qui obtulit die primo oblationem suam, Nachschon filius Hamminadabi [10] pro tribu Jehudæ.

13 Oblatio autem ejus, scutula argentea una, centum triginta *siclorum* pondere; crater unus argenteus septuaginta siclorum prout est siclus sacer; ambo pleni simila mista oleo in munus.

14 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu:

15 Juvencus unus [c] subrumus, aries unus, agnus unus [d] anniculus in holocaustum:

16 Hircus e capris unus in peccatum:

17 In sacrificium verò eucharisticum boves duo; arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Nachschonis filii Hamminadabi.

18 DIE secundo obtulit Nethaneel filius Tzuharis, princeps Jissacaris.

19 Obtulit oblationem suam, scutulam argenteam unam centum triginta *siclorum* pondere; craterem unum argenteum septuaginta siclorum prout est siclus sacer: ambos plenos simila mista oleo in munus:

20 Acerram unam decem *siclorum* aureorum plenam suffitu.

21 Juvencum unum subrumum; arietem unum; agnum unum anniculum in holocaustum:

22 Hircum e capris unum in peccatum:

23 In sacrificium verò eucharisticum boves duos; arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc *fuit* oblatio Nethaneelis filii Tzuharis.

24 DIE tertio princeps filiorum Zebulonis, Eliab filius Chelonis.

25 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere; crater unus argenteus septuaginta siclorum prout est siclus sacer; ambo pleni simila mista oleo in munus:

26 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu.

27 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

28 Hircus e capris unus in peccatum:

29 In sacrificium verò eucharisticum boves duo; arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Eliabi filii Chelonis.

30 DIE quarto princeps filiorum Reübenis, Elitzur filius Schedeüris.

31 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere; crater unus argenteus septuaginta siclorum prout est siclus sacer: ambo pleni simila mista oleo in munus:

[6] suprà 4. 25. & 26.
[7] suprà 4. 31. & 32.
[a] *Heb. per manum.*
[8] suprà 4. 14.
[9] id est, die secundo quo sanctificabatur altare, ut sequentia verba docent ἐξηγητικῶς.
[b] *Heb. princeps unus in diem, princeps unus in diem.*
[10] quod hîc a principe Jehuda publico suæ tribus nomine oblatum dicitur, de sequẽtibus quoque est intelligendum.
[c] *Heb. filius bovis: sic deinceps.*
[d] *Heb. filius anni sui, & sic deinceps.*

32 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu:

33 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

34 Hircus e capris unus in peccatum:

35 In sacrificium verò eucharisticum boves duo; arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hęc *fuit* oblatio Elitzuris filii Schede-úris.

36 Die quinto princeps filiorum Schimhonis, Schelummiel filius Tzurischaddai.

37 Oblatio ejus, scutula una argentea centum triginta *siclorum* pondere; crater unus argenteus septuaginta siclorum prout est siclus sacer: ambo pleni simila mista oleo in munus:

38 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu:

39 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

40 Hircus e capris unus in peccatum:

41 In sacrificium verò eucharisticum boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Schelummielis filii Tzurischaddai.

42 Die sexto princeps filiorum Gadis, Eljasaph filius Dehuelis:

43 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere; crater argenteus unus septuaginta siclorum prout est siclus sacer: ambo pleni simila mista oleo in munus:

44 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu:

45 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum.

46 Hircus e capris unus in peccatum:

47 In sacrificium verò eucharisticum boves duo; arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Eljasaphi filii Dehuelis.

48 Die septimo princeps filiorum Ephrajimi, Elischamah filius Hammihudis.

49 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere; crater unus argenteus septuaginta siclorum prout est siclus sacer: ambo pleni simila mista oleo in munus:

50 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu:

51 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

52 Hircus e capris unus in peccatum:

53 In sacrificium verò eucharisticum boves duo; arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Elischamahi filii Hammihudis.

54 Die octavo princeps filiorum Menaschis, Gamliel filius Pedah-tzuris.

55 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere; crater unus argenteus septuaginta siclorum prout est siclus sacer; ambo pleni simila mista oleo in munus.

56 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu:

57 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

58 Hircus e capris unus in peccatum:

59 In sacrificium verò eucharisticum boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Gamlielis filii Pedah-tzuris.

60 Die nono princeps filiorum Binjaminis, Abidan filius Gidhoni.

61 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere, crater argenteus unus septuaginta siclorum prout est siclus sacer, ambo pleni simila mista oleo in munus:

62 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu:

63 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus anniculus unus in holocaustum:

64 Hircus e capris unus in peccatum:

65 In sacrificium verò eucharisticum boves duo, arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Abidanis filii Gidhoni.

66 Die decimo princeps filiorum Danis, Achihezer filius Hammischaddai.

67 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere; crater argenteus unus septuaginta siclorum prout est siclus sacer: ambo pleni simila mista oleo in munus:

68 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu.

69 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

70 Hircus e capris unus in peccatum:

71 In sacrificium verò eucharisticum boves duo; arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Achihezeris filii Hammischaddai.

72 * Die undecimo princeps filiorum Ascheris, Paghiel filius Hocranis.

73 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere; crater unus argenteus septuaginta siclorum prout est siclus sacer: ambo pleni simila mista oleo in munus:

74 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu.

75 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus unus anniculus in holocaustum:

76 Hircus e capris unus in peccatum:

77 In sacrificium verò eucharisticum boves duo; arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Paghielis filii Hocranis.

78 f Die duodecimo princeps filiorū Naphthali, Achirah filius Henanis.

79 Oblatio ejus, scutula argentea una centum triginta *siclorum* pondere, crater argenteus unus septuaginta siclorum prout est siclus sacer; ambo pleni simila mista oleo in munus:

80 Acerra una decem *siclorum* aureorum plena suffitu:

81 Juvencus unus subrumus, aries unus, agnus anniculus unus in holocaustum:

82 Hircus e capris unus in peccatum:

83 In sacrificium verò eucharisticum boves duo; arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque: hæc *fuit* oblatio Achirahi filii Henanis.

84 Hæc *est oblatio* dedicationis altaris, post diem quo illud unctum fuit, *oblata* a principibus Jisraëlis: scutulæ argenteæ duodecim, crateres argentei duodecim, acerræ aureæ duodecim:

85 Centenûm tricenûm *siclorum* scutula argentea unaquæque, & septuagenûm crater unusquisque; totum argentum horum vasorum, bis mille quadringenti *sicli* prout est siclus sacer:

86 Acerræ aureæ duodecim plenæ suffitu, denûm *siclorum* unaquæque acerra prout est siclus sacer; totum aurum illarum acerrarum, centum viginti *sicli*.

87 Omnium boum in holocaustum *numerus* duodecim juvenci, arietes duodecim, agni anniculi duodecim cum munere suo: & hirci e capris

Heb. die undecim dierum. Numeralia cardinalia supra denarium ferè pro ordinalibus ponuntur, ut infr. v. 78.

f *Heb. die duodecim dierum.*

capris duodecim in peccatum:

88 Omnium verò boum sacrificii eucharistici *numerus* viginti quatuor juvenci; arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta: hæc *fuit oblatio* dedicationis altaris, postquam illud unctum fuerat.

89 [11] Deinde quum ingrederetur Mosche in tentorium conventus ut loqueretur cum *Deo* ipso; tunc audiebat vocem sermocinantem secum e superiore parte illius operculi propitiatorii quod *erat* super arcam testimonii, e medio duorum Cerubinorum: sic alloquebatur eum.

11 consecrato tabernaculo, ut Deus promiserat Exod. 25.22. nam ante consecrationem ejus aliter cum ipso loquebatur Deus.

CAPUT VIII.

Deus quum lucernæ lychnuchi accendendæ sunt, omnes accendi præcipit, & Levitas primogenitorum loco consecrari: postremò tempus definit incipientis & desinentis illorum ministerii.

1 ALloquutus autem est Jehova Moschen, dicendo:

2 Alloquere Aharonem ut edicas ei: quando accendes lucernas, [1] e regione faciei lychnuchi lucem præbento septem illæ lucernæ.

1 ultrà, citrà, & ex omni parte qua lychnuchus videri potest, ut exprimitur Exod. 25.37. Exod. 25.31.

3 Fecitq; sic Aharon, e regione faciei lychnuchi *lucem præbituras* accendit lucernas ejus: quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

4 Hoc autem opus lychnuchi, erat continens ex auro usque ad scapum ejus, usque ad calyculum ejus opus *erat* continens secundùm speciem illam quam ostenderat Jehova Moschi, sic fecerat lychnuchum illum.

5 Alloquutus etiam est Jehova Moschen, dicendo:

6 Assume Levitas e medio filiorum Jisraëlis; ut purifices eos.

7 Sic autem facito eis ad purificandum eos, sparge super eos aquam [a] expiationis; & novaculam ducentes super totam carnem suam lavabunt vestimenta sua, & purificabunt se.

8 Posteà accipient juvencum [b] subrumum cum munere ejus, simila mista oleo; & juvencum alterum subrumum accipito in peccatum.

a Heb. *peccati, quod adhiberetur ad expiandum peccatum: vide de ista aqua infrà 19.*
b Heb. *filium bovis.*

9 Jubénsque Levitas accedere ante tentorium conventus, & congregari totum cœtum filiorum Jisraëlis;

10 Admovebis Levitas coram Jehova, & nitentur filii Jisraëlis manibus suis super ipsos Levitas:

11 Ita offeret Aharon Levitas [c] oblatione coram Jehova *oblatos* a filiis Jisraëlis; ut sint ad exercendum ministerium Jehovæ.

c Heb. *agitatione, ut in sequent. synecdoche: vide Exod. 35.22.*

12 Quum autem Levitæ nixi fuerint manibus suis super caput illorum juvencorum: para eorum unum *in* peccatum, & alterum *in* holocaustum Jehovæ, ad expiationem faciendam pro ipsis Levitis.

13 Sic sistes Levitas coram Aharone & coram filiis ejus; offerens eos oblatione Jehovæ:

14 Et separabis Levitas ipsos e medio filiorum Jisraëlis, ut sint mei Levitæ.

15 Postmodùm verò veniunto Levitæ ad ministrandum tentorio conventus; quum purgaveris eos & obtuleris eos oblatione:

16 Nam [d] omnino donati *sunt* mihi e medio filiorum Jisraëlis; pro [e] omni aperiente vulvam, primogenito cujusq; e filiis Jisraëlis, assumsi eos mihi:

17 Meum enim *est* omne primogenitum in filiis Jisraëlis ex homine & jumento; [f] quo die percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi illa mihi:

d Heb. *donati donati: ut sup. 3.8.*
e Heb. *apertura omnis vulvæ.*
f Exod. 13.

18 Assumsi autem Levitas; pro omni primogenito, in filiis Jisraëlis;

19 Et dedi Levitas ipsos [f] dono Aharoni & filiis ejus e medio filiorum Jisraëlis; ut exerceant ministerium [2] filiorum Jisraëlis in tentorio conventus, & ut sint [3] pretium redemtionis pro filiis Jisraëlis: sic non erit in filiis Jisraëlis [4] plaga, quum accedent filii Jisraëlis ad sanctuarium.

f Heb. *donatos.*
2 id est, quo ministratur, fuissent primogeniti filiorum Jisraëlis, ut faciebant ante assumtam tribum Leviticam ad ministerium Exod. 19. 22. vide supra 3. 7. & 8.
3 i. suis personis & ministeriis Jisraëlitas liberent, exsolventes pro illis quod illorū erat præstare.
4 quæ esset, si per se ipsi accedentes, non per Levitas mihi postmodùm ministrarent, ut contigit Huzzijæ, 2. Chron. 26. 16.

20 Quod fecit Mosche, & Aharon, & totus cœtus filiorum Jisraëlis Levitis: secundùm omnia quæ præceperat Jehova Moschi *fieri* Levitis, sic fecerunt eis filii Jisraëlis.

21 Purificantes enim se Levitæ quum lavissent vestimenta sua, obtulit eos Aharon oblatione coram Jehova; & expiationem fecit pro eis Aharon ad purgandum eos.

22 Posteà demum accesserunt Levitæ ad exercendum ministerium suum in tentorio conventus coram Aharone & corā filiis ejus: quemadmodum præceperat Jehova Moschi de Levitis, sic fecerunt eis.

23 Alloquutus quoque est Jehova Moschen, dicendo:

24 Hoc *est* quod ad Levitas *pertinet*: [5] a nato viginti quinque annos & deinceps, venito *Levita* [6] ad militandum militiam in ministerio tentorii conventus:

25 Ex quo verò natus fuerit quinquaginta annos, [7] revertetur a militia hujus ministerii; ut non ministret ampliùs.

26 Attamen servito fratribus suis *obeuntibus militiam* in tentorio conventus [8] observando observationem, quamvis ministerium ipsi non exerceant: sic facito Levitis in [9] observationibus eorum.

5 ministerii Levitici diversum hic initium statuitur, & suprà 4. 3. & 47. ita ut quinque annorum discrimen intercedat: quod spatium 5. annorum Levitis dabatur ad tyrocinium primùm venientibus: quia viginti quinque annos nati reliquis accensi ministrare tenerentur, sed anno demum trigesimo munus suum plene exsequi inciperent. Quamobrem suprà 4. 3. dicit Mosche, omnem aptum ad obeundum, &c. hic verò, venito &c. 6 id est, consistendum in statione cum reliquis, & observandam rationem ministerii. 7 licebit, si volet. 8 id est, inspectionem habendo in alios, ut quique fungantur ministerio suo, & aliis sint *πυλοφύλακες*. 9 in singulorū ministeriis: quo sensu accipitur hæc vox sup. cap. 4.

CAPUT IX.

Jisraëlitæ in deserto anno secundo ab exitu rursus jubentur celebrare Pascha: ex occasione lex fertur de Paschate celebrando mense secundo iis qui propter immunditiam peregrinationémve non potuerunt: postremò ratio profectionum Jisraëlitarum & stationum in deserto ostenditur.

1 ALloquutus autem [1] fuerat Jehova Moschen in deserto Sinai, anno secundo ab exitu eorum e terra Ægypti, mense primo, edicendo,

2 Ut celebrarent filii Jisraëlis Pascha ipsum stato suo tempore.

3 Quartodecimo die, mense isto, inter duas vesperas, eum celebrate stato tempore suo; secundùm omnia [2] statuta ejus, & secundùm omnes rationes ejus celebrate eum.

4 Edixit itaque Mosche filiis Jisraëlis, ut celebrarent Pascha:

1 ante Jisraëlitarū distributionem, quæ mense secūdo illius anni contigit sup. 1. Translata est autem hæc narratio huc usque propter Pascha immundorum & iter facientium, dilatum in mensem secundum.
2 Exod. 12. & 23. & Levit. 23.

5 Et celebrantes Pascha primo *mense*, quartodecimo die ejus mensis, inter duas vesperas, in deserto Sinai; secundùm omnia quæ præceperat Jehova Moschi, sic fecerant filii Jisraëlis.

6 Fuerunt autem quidam qui quum immundi essent ex [2] cadavere hominis, [3] non poterant celebrare Pascha die illo: quapropter appropinquarunt ante Moschen & ante Aharonem eo ipse die.

2 Heb. *anima, ut Levit. 21.1.*
3 prohibitum enim fuerat ne immundus eucharistico vesceretur, Levit. 7.10.

7 Dixerúntque homines illi ei, nos immundi *sumus* ex cadavere hominis: quare subtrahemur ne offeramus [4] oblationem Jehovæ statuto tempore suo [b] inter filios Jisraëlis?

8 Quibus dixit Mosche; consistite, dum audiam quid præcepturus sit Jehova vobis.

9 Alloquutus autem est Jehova Moschen, dicendo:

10 Alloquere filios Jisraëlis, dicendo; [c] si ullus e vobis erit immundus propter cadaver, aut *ullus* e vobis aut ex generationibus vestris in via remota fuerit: tamē celebrabit Jehovæ Pascha.

11 Mense secundo, decimoquarto die inter duas vesperas [5] celebranto illud; cum azymis & herbis amaris comedunto illud.

12 Ne relinquunto *quicquam* ex eo usque mane, & os ne frangunto in eo: secundùm totum statutum Paschatis celebranto illud.

13 Sed vir ille qui *est* mundus, aut in itinere non est, si desierit celebrare Pascha, omnino exscindetur anima illa e populis suis: quia oblationem Jehovæ non obtulit stato tempore ejus, pœnam peccati sui ferto vir ille.

14 Et si habitet vobiscum peregrinus, qui celebret pascha Jehovæ, secundùm statutum ipsius Paschatis & secundùm rationem ejus sic celebrato: statutum idem esto vobis, tam peregrino quàm indigenæ ipsi regionis.

15 Quo autem die erectum est tabernaculum, operuit nubes ipsa tabernaculum *interdiu*, versus tentorium testimonii: vespere autem erat super tabernaculum quasi species ignis usque mane.

16 Sic erat jugiter, nubes tegebat illud; sed specie ignis noctu.

17 Prout autem [6] efferens se nubes illa supra tentorium illud *proficiscebatur*, ita postmodum proficiscebantur filii Jisraëlis: & in loco ubi [7] residebat eadem nubes, ibi castrametabantur filii Jisraëlis!

18 [d] Ex præstituto Jehovæ proficiscebantur filii Jisraëlis & ex præstituto Jehovæ castrametabantur: omnibus diebus quibus residebat illa nubes super tabernaculum, castra habebant:

19 Quúmque [e] continuabat nubes illa residere super tabernaculum diebus multis; tum [8] observabant filii Jisraëlis observationem Jehovæ, & non proficiscebantur:

20 Sive accideret ut esset illa nubes diebus [f] paucis super tabernaculū; ex prēstituto Jehovæ castra habebant, & ex præstituto Jehovæ proficiscebantur:

21 Sive accideret ut esset illa nubes a vespere usque mane, posteà efferens se proficisceretur nubes illa mane, tum proficiscebantur; sive per diem & noctem, quum efferens se proficiscebatur nubes illa, tum proficiscebantur:

22 Sive biduo, sive mense, sive anno, prout continuabat nubes illa residere super ipsum tabernaculum, castra habebant filii Jisraëlis, & non proficiscebantur: & prout efferens se proficiscebatur illa, proficiscebantur:

23 Ex præstituto Jehovæ castra habebant, & ex præstituto Jehovæ proficiscebantur: observationem Jehovæ observabant ex præstituto Jehovæ [g] per Moschen.

CAPUT X.

Duas argenteas tubas fieri Deus imperat, quibus cœtus convocetur, signa profectionum expeditionúmque dentur, & sacrificiorum tempore clangatur: deinde ordo Jisraëlitarum narratur a deserto Sinai in desertum Paranis proficiscentium Chobabo comite & arca duce: postremò formulæ precationis in profectionibus castrorúmque metationibus describuntur.

1 PRæterea alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

2 Fac tibi duas tubas argenteas, opere continente facito illas; ut sint tibi ad convocandum cœtum, & ad imperandum profectionem castrorum.

3 Quum clangent *Sacerdotes* [1] illis; tunc congregabunt se ad te universus cœtus ad portam tentorii conventus:

4 Quum autem unâ clanxerint; tunc congregabunt se ad te principes, primarii millium Jisraëlis:

5 Quum autem [2] clangetis fracto sono; tunc proficiscentur castra illa quæ metantur versus Orientem:

6 Quúmque fracto sono clangetis secundò, tunc proficiscentur castra quæ metantur meridiem versus: fracto sono clangunto in profectionibus [3] eorum:

7 Quum verò congregabitis congregationem, clangetis quidem, sed non edetis fractum sonum.

8 Et filii Aharonis sacerdotes clangunto tubis: hæc erunt vobis in statutum perpetuum per generationes vestras.

9 Quum autem procedetis *ad* bellum in regione vestra, contra oppugnatorem oppugnantem vos, similiter fracto sono clangetis tubis: & fiet vestri memoria coram Jehova Deo vestro, ac servabimini ab hostibus vestris.

10 [4] In die quoque lætitiæ vestræ, & in [5] solennitatibus vestris, & in [6] principiis mensium vestrorum; similiter clangetis tubis illis ad holocausta vestra, & ad sacrificia eucharistica vestra: erúntque vobis in monimentum coram Deo vestro, ego *sum* Jehova Deus vester.

11 Fuit autem anno secundo, mense secundo, vigesimo *die* mensis; *ut* efferens se nubes illa a tabernaculo testimonii *proficisceretur*.

12 Itaque profecti sunt filii Jisraëlis profectionibus suis a deserto Sinai; residítque nubes illa [7] in deserto Paranis.

13 Sic profecti sunt primùm, [a] ex præstituto Jehovæ per Moschen:

14 Nam profectum est vexillum castrorum filiorum Jehudæ primùm per exercitus suos: cujus exercitui præerat Nachschon filius Hamminadabi;

15 Et exercitui tribui filiorum Jissacaris, Nethaneel filius Tzuharis;

16 Exercitui verò tribui filiorum Zebulunis, Eliab filius Chelonis.

17 Tum deposito tabernaculo; profecti sunt filii Gerschonis & filii Merari ferentes tabernaculum.

18 Posteà profectum est vexillum castrorum filiorum Reubenis per exercitus suos; cujus exercitui præerat Elitzur filius Schedeuris:

19 Et exercitui tribui filiorum Schimhonis, Schelummiel filius Tzurischaddai:

20 Exercitui verò tribui filiorum Gadis, Eljasaph filius Dehuelis.

21 Tunc profecti sunt Kohathitæ ferentes sanctuarium: ut erigerent [8] illi tabernaculum dum hi veniebant.

22 Posteà profectum est vexillum castrorum filiorum Ephrajimi per exercitus suos; cujus exercitui

---

[4] nimirum Pascha, velut imperatam præstitæ a Deo liberationis monimentum: sic infrà vers. 13.

[b] *Heb. in medio filiorum.*

[c] *Heb. vir vir cùm fuerit, &c.*

[5] ut factum legimus temporibus Chizkijæ, 2. Chron. 30.2. & 15.

[6] id est, e tentorio cui insidebat in altum assurgens, ut in oculis omnium Jisraëlitarum esset, eóq; signo profectionem omnibus imperaret.

[7] id est, quasi subsidens conquiescebat de integro in tabernaculo: quibus significationibus optime respondent formularum verba quibus Mosche in stationibus profectionibúsq; instituendis orabat Deum, infrà 10.35. & seq.

[d] *Heb. secundùm os, & sic deinceps: etsi hæc non ore, sed signo nubis testata faciebat Deus: Catachresis.*

[e] *Heb. producebat sive prolongabat, ut vers. 22.*

[8] id est, vacabant cultui ejus in erecto tabernaculo.

[f] *Heb. numeri, supple exigui, ut Deut. 33.6.*

[g] *Heb. per manum Moschis.*

[1] ambabus, ut ex comparatione sequentis vers. apparet.

[2] supple primùm, ut ex comparatione sequentis vers. intelligitur.

[3] tam horum quorum meminit, quàm aliorum quos nondum commemoravit: synecdoche.

[4] id est, siquando vos Deus lætitia publica extra ordinem affecerit, cujus lætitiæ nomine par sit Ecclesiam publicas ei gratias agere, ut Psalm. 48. & 118. & 1. Mac. 4. 59. aut ordinariā vobis legem agitandæ lætitiæ tulerit, ut fecit exemplis sequentibus.

[5] in quibus lætitia nominatim est imperata, ut Deuter. 16.11. & 14.

[6] vide exemplum Nechemjæ 8. 9. erant enim sacræ neomeniæ, infrà 28.11. & Jescha. 66.23.

[7] in loco qui occasione sequentis historiæ dictus est Kibroth-thaava, infrà 11.34.

[a] *Heb. secundùm os Jehovæ per manum Moschis, id est, eo ordine quem Deus præscripsit suprà 2.*

[8] Gerschonitæ & Meraritæ, qui cum primo agmine proficiscebantur suprà 17.

exercitui præerat Elischamah filius Hamma-
hudis:
23 Et exercitui tribui filiorum Menaschis,
Gamliel filius Peda-tzuris;
24 Exercitui verò tribui filiorum Binjaminis,
Abidan filius Gidhoni.
25 Postremò profectum est vexillum castro-
rum filiorum Danis, [b] extrema acies omnium il-
lorum castrorum per exercitus suos; cujus exer-
citui præerat Achihezer filius Hammischaddai.
26 Et exercitui tribui filiorum Ascheris, Pag-
hiel filius Hocranis:
27 Exercitui verò tribui filiorum Naphthali,
Achirah filius Henanis:
28 Hæ *erant* [9] profectiones filiorum Jisraëlis
per exercitus eorum, quando proficiscebantur.
29 [10] Dixerat autem Mosche Chobabo filio
Rehuelis Midjanitæ socero Moschis; profecturi
sumus ad locum de quo dixerat Jehova, illum
dabo vobis: veni nobiscum, & benefaciemus ti-
bi, quia Jehova [c] promisit bona Jisraëli.
30 Qui dixit ei, non [11] j*am* ibo, [d] sed quum
ad terram meam & ad cognationẽ meam ivero.
31 Dixit verò Mosche, [12] ne quæso deseras
nos; quandoquidem [13] novisti metationes no-
stras in hoc deserto, erísque nobis oculorum
loco.
32 Erítque si iveris nobiscum; quum fuerit
bonum illud quo benefacturus est nobis Jehova,
ut benefaciamus tibi.
33 Profecti itaque sunt a monte Jehovæ iti-
nere tridui: & [14] arca federis Jehovæ profecta
est in conspectu illorum, itinere tridui [15] explo-
rando eis [e] locum quietis:
34 Et nubes Jehovæ supra eos fuit quotidie,
quum proficiscerentur ex castris.
35 Erat autem, quum profectura esset arca,
ut diceret Mosche, surge Jehova, & dispergan-
tur inimici tui, fugiántque osores tui a facie
tua:
36 Quum verò consisteret illa, diceret, da qui-
etem Jehova myriadibus, millibus Jisraëlis.

[b] *Hebr. colligens omnia castra: sic dicitur ultima castrorum acies, quia recipit omnia impedimenta, quæ priora sua agmina sequi non possunt: sic Jehoschu. 6. 12. & 16.*
[9] proficiscendi rationes, & proficiscentium ordines.
[10] videlicet quum primùm ad ipsum venisset, Exod. 18. nam ibi paucis hæc historia Jithronis (qui idem est Chobab) attingitur, quia hîc fusiùs fuerat describenda.
[c] *Heb. dixit bonum de Jisraële: sic Gen. 18. 19.*
[11] hoc addimus, quia certum est ex Judic. 1. 16. & 4. 11. & 1. Schemu. 15. 6. & 2. Reg. 10. 15. & 1. Chron. 2. 55. & Jirmejæ 35. genus Jithronis fuisse Jisraëlitis conjunctum, & inter eos habitasse.
[d] *sic Gen. 32. 26.*
[12] i. ne abeas emanendi consilio, sed antequàm hinc proficiscamur revertere: sic eum dimisit Mosche a se Exod. 18. 27.
[13] i. versatus es in locis hujus deserti, & nosti locorũ opportunitatem. [14] i. tantum iter sine intermissione emensi sunt Jisraëlitæ, quia aspectabili Dei præsentia regebantur & confirmabantur virtute: qui in nube præivit semper toto itinere tridui velut dux itineris, nec ante triduum restitit, cujus signum arca in mediis castris a Sacerdotibus gestata versabatur in oculis omnium, sup. 2. 17. & 9. 17. Quapropter Mosche vers. ulti. his verbis utitur, quum arca consisteret, &c. Nam stante nube stabant Sacerdotes ferentes arcam: his stantibus castra in circuitum ponebantur. [15] id est, hîc illic per desertum recognoscendo stationem quæ foret commoda: humanitus dictum. [e] *ut Gen. 8. 9.*

CAPUT XI.

Populus queritans adversus Deum, divino igne percussus, precibus Moschis liberatur: Rursus carnis desyderio & fastidio Man murmurans Deũ provocat, & Moschen ita turbat ut excusationem a munere petat: quare Deus huic septuaginta adjungit, in illos verò subministratis eorum desideriis, gravissima plaga animadvertit.

1 Quum autem populus planè queribundi
essent, malum visum est [a] audiente Je-
hova: quapropter audiens Jehova accensus est
ira, & exardescens in eos ignis Jehovæ consume-
bat *eos qui erant* in extremitate castrorum:
2 Sed clamante populo ad Moschen, suppli-
cavit Mosche Jehovam, & compressus est ignis
ille.
3 Idcircò vocavit *quisque* nomen illius loci
[1] Thabheram, quia exarserat in eos ignis Je-
hovæ.

[a] *Heb. in auribus: sic vers. 18.*
[1] id est, exarsionem, conflagrationem, incendium, vel locum incendii.

4 [2] [b] Convenarum quoque turba quæ in
medio ejus erat [c] graviter concupiverunt: [3] qua-
re [d] rursus fleverunt etiam filii Jisraëlis dicentes,
[e] *o si* quis daret nobis comedendam carnem.
5 Recordamur piscium quos edebamus in
Ægypto [4] gratis, cucumerum, & peponum, &
porrorum, & cæparum, & alliorum.
6 Et nunc [5] anima nostra arida *est*, nihil
quicquam *est*, [f] tantùm man ob oculos nostros.
7 (Man autem ut semen coriandri erat, &
color ejus ut color [6] bdellii.
8 Itantes populus colligebant ac molebant
molis, aut tundebant tudicula, coquebántque in
cacabo, aut conficiebant ex eo placentas subci-
neritias: erátque sapor ejus tanquam sapor [7] hu-
moris præstantissimi ex oleo.
9 Et [g] quum descenderet ros super castra
noctu, descendebat man cum eo)
10 [h] Audivit ergo Mosche populũ ipsum flen-
tem per familias suas, quemque ad portam ten-
torii [8] ipsius: quare accensa est ira Jehovæ valde,
& in oculis Moschis malum visum est.
11 Dixit itaque Mosche Jehovæ, quare malo
affecisti servum tuum? & quare non inveni gra-
tiam in oculis tuis? quòd imposuisti onus hujus
populi totius mihi?
12 An ego concepi totum populum hunc? an
ego peperi illum? quòd dicis mihi, exporta eum
in sinu tuo, quemadmodum portat nutricius lac-
tentem, ad illam terram quam juramento pro-
misisti majoribus ejus.
13 Unde mihi *esset* caro quam dem toti popu-
lo huic? nam flent adversum me dicendo, da no-
bis carnem ut comedamus.
14 Non possum ego solus ferre [g] *onus* totius
populi hujus, nam [h] grave hoc *est* supra me.
15 Quòd si tu sic facturus es mihi, occide me
jam, occide, si inveni gratiam in oculis tuis: & ne
videam malum meum.
16 Dixit ergo Jehova Moschi, congrega mi-
hi septuaginta viros e Senioribus Jisraëlis; quos
nosti [9] esse seniores populi & moderatores ejus:
& assumtos *adducito* eos ad tentorium conven-
tus, ut sistant se ibi tecum.
17 Tum descendens loquar tecum ibi; & [10]
seponam de spiritu qui *est* super te ponámque in
eis: sic portabunt tecum onus populi, neque por-
tabis tu solus.
18 Populo autem edicito, parate vos in cras-
tinum, ut comedatis carnem; quia flevistis audi-
ente Jehova dicendo, *o si* quis daret nobis co-
medendam carnem, nam bene *erat* nobis in Æ-
gypto: dabit igitur vobis Jehova carnem & co-
medetis.
19 Non uno die comedetis, neq; biduo; imò
non quinque diebus, neque decem diebus, neque
viginti diebus:
20 Usque ad [i] plenum mensem *comedetis*, usq;
dum exeat e naso vestro, & sit vobis in ejecta-
mentum: propterea quòd sprevistis Jehovam:
qui *est* in medio vestri, & flevistis coram illo, di-
cendo, quare jam exivimus ex Ægypto.
21 [11] Dicente verò Mosche; sexcenties mille
peditum *est* populus hic in cujus medio ego *sum*:
& tu dicis, carnem daturus sum eis ut comedant

[2] de quibus vide Exod. 12. 38.
[b] *Heb. colluvies.*
[c] *Heb. concupiverunt concupiscentia.*
[3] quum a convenis exemplo & sermone provocati ad murmurandum essent.
[d] *Heb. redierunt ut flerent.*
[e] *Heb. quis faciet nos comedere carnem? sic infrà vers. 18.*
[4] id est, vili pretio: hyperbole.
[5] exarescimus & contabescimus penuriã rerum omnium.
[f] *Heb. tantum ad man oculi nostri: hypallage.*
[g] *Exod. 16. 32.*
[h] *Exod. 16. 14.*
[6] gummi arboris bdellii, quod est translucidum simile ceræ, teste Plinio lib. 12. nat. hist. cap. 9.
[7] ejus qui supernatat in oleo, nam illud præstantissimum est, ut scribit Plutarchus lib. 7. συμποσιακῶν προβλημάτων cap. 3. Nec pugnat quod hîc scribitur cum Exod. 16. 32. nam ita sapore suo referebat crustulum mellitum, ut simul etiam haberet suavitatem olei præstantissimi.
[8] supple Moschis, ut ipse ostendit vers. 13.
[g] *Eclipsis nominis conjugati ex versu 11. & 17.*
[h] *ut Exod. 18. 18.*
[9] id est, tales esse re & opere, quales nomine & vocatione sunt.
[10] Spiritu puta gratiæ: non ut ideò minus haberet Mosche; sed ut illi tantum haberent de Spiritu Dei, quantum admensurus ipsis erat Deus vocationis autor, ut Moschi adjumento essent.
[i] *Heb. mensem dierum: sic infrà vers. 21. & Genes. 29. 14.* [11] non ex diffidentia (cujus tamen nomine altero in facto postea fuit reprehensus Mosche & multatus a Deo, infrà 20. 12. ut etiam Zecarja factum est Lucæ 1.) sed ampliùs cognoscendi studio: quamobrem huic studio succurrit sententia Domini, non quæ vindicaret (inquit Augustinus) sed quæ doceret consulentem, quia Deus non de verbis ut homo, sed de cordibus ut καρδιογνώστης judicat.

mensem

mensem plenum!

22 An greges & armenta jugulabuntur eis, ut k satis sit eis? an omnes pisces maris congregabuntur eis ut *satis* sit eis?

23 Dixit Jehova Moschi, an manus Jehovæ [12] curta esset? jam videbis utrum eventurum sit tibi verbum meum, necne.

24 Egressus itaque Mosche eloquutus est ad populum verba Jehovæ; & [13] congregavit septuaginta viros e Senioribus populi, quos stitit circa tentorium *conventus*.

25 Tum descendens Jehova in nube illa alloquutus est eum; & seponens de illo spiritu qui *erat* super eum, indidit septuaginta illis viris senioribus: fuitque quum resideret super eos spiritus ille, l ut [14] *tum* prophetarent, & non ampliùs.

26 Remanserant autem duo viri in castris, quorum uni nomen *erat* Eldad, nomen verò alteri Medad, super quos resedit quoque spiritus ille, quia ipsi *erant* inter cōscriptos, quamvis non prodiissent ad tentoriū: sic prophetarunt in castris.

27 Quare cucurrit puer & renunciavit Moschi dicens; Eldad & Medad prophetāt in castris.

28 Respondens verò Jehoschuah filius Nunis minister Moschis a juventute sua, dixit; domine mi Mosche, cohibe eos.

29 Cui dixit Mosche, an invides tu meā causâ? atqui m utinam totus populus Jehovæ *essent* prophetæ, indente Jehova spiritum suum illis.

30 Posteà recepit se Mosche ad castra, cum Senioribus Jisraëlis.

31 Tum ventus profectus a Jehova abripuit coturnices a mari; & dissevit ad castra, quasi itinere unius diei hinc, & quasi itinere unius diei illinc circa castra: idque ad duos cubitos in superficie terræ.

32 Surgénsque populus toto die illo, & tota nocte illa, & toto die postero collegerunt coturnices, qui minimùm, decem acervos collegit: & n [15] compositè expanderunt eas sibi circa castra.

33 Earum caro [16] erat adhuc inter dentes illorum, nondum exesa erat; quum ira Jehovæ accensa est in populum, & percussit Jehova populum plaga magna valde.

34 Quamobrem vocavit quisque nomen loci illius [17] Kibrothas thaavæ; quia ibi sepeliverunt populum, eos qui concupierant.

35 Kibrothis thaavæ profecti sunt populus Chatzerothas; [18] & substiterunt Chatzerothis.

k *sic accipitur hoc verbum Jehoschu.*17.16.& *Judic.*21.14.& 1. *Reg.*14.13.
[12] id est, finita minutáve facultas, adeò ut non possit eousque pertingere. his enim verbis Deus non redarguit Moschen diffidentiæ: sed ita visum est ei respondere, quia malebat Deus opere ipso potentiam suam demonstrare, & Moschen humanæ infirmitatis conscium detinere in incerto, quàm modū futuri facti (de quo citra necessitatem rogabat Mosche, & quod citra periculum nescire potuit) exponere.
[13] id est, jussit convenire & se sistere, etiamsi duo ex illis id non fecerint. vers.26.
l *Heb. ut prophetarent, & non adderent* prophetare.
[14] voluit enim Deus præsente signo populo toti vocationem eorū obsignare: ideò temporarium fuit in eis prophetiæ donum, ut Schaüli contigit 1.Schemu. 10.13.
m *Heb. quis dei totum populum Jehovæ prophetas.*
n *Heb. expanderunt eas expandendo.*
[15] ut meliùs a putredine conservarentur. [16] completo mense, de quo suprà V.20. [17] i. sepulcra concupiscentiæ: inditum ex facto nomen. [18] occasione sequentis historiæ.

CAPUT XII.

Mirjam & Aharon murmurantes se æquant Moschi: sed divinitus præfertur Mosche, & de Mirjamo septiduanæ lepræ pœna sumitur.

1 NAm obloquuta est [1] Mirjam cum Aharone contra Moschen, [2] propter uxorem illam [3] Cuschidem quam duxerat; quòd uxorem Cuschidem duxisset:

2 Ac dixerunt, an tantūmodo per Moschen loquutus est Jehova? nónne etiam per nos loquutus est? quod audivit Jehova.

3 Vir autem ille Mosche [4] mansuetus erat valdè; præ omnibus hominibus qui *erant* in superficie terræ.

4 Quapropter edixit Jehova repentè Moschi, & Aharoni, & Mirjamo, prodite vos tres ad tentorium conventus; & prodierunt ipsi tres.

5 Tum descendens Jehova in columna nubis, substitit *ad* portam ipsius tentorii: Quúmque vocasset Aharonem & Mirjamum, prodierunt ambo.

6 Quibus dixit, audite nunc verba mea; si *est* propheta *ex* vobis, per visionem me ipsum Jehovam notum facio ei, *aut* per somnium alloquor eum:

7 Non sic servus meus Mosche; qui *est* in tota domo mea fidelis:

8 ‖ a In os alloquor eum, adeò ut [5] speciem, similitudinémq; Jehovæ intueatur, ac [6] non per ænigmata: quare igitur non timuistis obloqui contra servum meum, contra Moschen?

9 Accensa itaque est in eos ira Jehovæ, & abiit.

10 Simul ac verò nubes illa recessit a superiore parte tentorii, ecce Mirjam leprosa *erat*, *alba* sicut nix: quúmque respexisset Aharon ad Mirjamum, ecce leprosa *erat*.

11 Quamobrem dixit Aharon Moschi; *attende* ad me domine mi, ne quæso [7] imponas nobis peccati pœnam, quo stultè egimus, & quo peccavimus:

12 Ne quæso sit *Mirjam* similis [8] mortuo; b cujus dimidiata caro exesa est quum egreditur ex utero matris suæ.

13 Inclamante ergo Mosche Jehovam, dicendo; *Deus* fortis quæso sana nunc eam:

14 [9] Edixit Jehova Moschi, [10] si pater ejus sputum inspuisset in faciem ejus, annon rubore suffusa esset septem dies? secluditor [11] septem dies extra castra, & postmodùm [12] aggregabitur.

15 Seclusa est itaq; Mirjam extra castra septem dies; ideò populus non est profectus donec aggregaretur Mirjam.

CAPUT XIII.

16 Posteà verò profecti populus Chatzerothis, castrametati sunt in [13] deserto Paranis.

[1] priùs nominatur quæ peccati autor fuit, ideò in illam animadversum est infrà vers. 10.
[2] i. hoc argumēto potissimum utebantur, ut Moschen Prophetam non esse tantum confirmarent quanti habebatur, eo quòd uxorē duxisset alienigenam. [3] Tzipporam Midjanitidem: vocantur autem Midjanitæ Cuschitæ, non quòd ex Cuscho progeniti essent, sed quia obtinebant partem regionis Cuschi, Gen.10. [4] q.d. hanc injuriam ab illis modestè ferebat, ut erat injuriarū patientissimus, & humilitate summa, neq; de sua autoritate cum ullo concertabat, vel Deum vindicem appellabat.

‖ *Heb.*3.2.
a *Heb. ore ad os.*
[5] aliquam puta singularem & aliquatenus, ut describit Mosche Exod.33.& 34. qua videlicet communicaverit Mosche cùm Deo quàm familiarissimè, Deut. 34.10.
[6] i. non iisdem umbraculis obductis cum Deo communicat quæ aliis Jisraëlitis sunt opus, prout se illis dicitur retexisse Deus, sed quàm maxima fieri potest evidētia.
[7] imponi sinas, sed deprecare illam.
[8] fœtui putrescenti in utero.
b *Hebr. qui cùm egreditur ex utero matris suæ, jam exesum est dimidium carnis ejus.*
[9] nempe quum annueret petitioni Moschis: vide Levit. 14.8.
[10] id est, si pater terrenus aliquod gravis in eam iræ signum edidisset, puderet eam saltem septem dies restare in conspectum ejus: quanto igitur magis eam pudere debet in his castris versari hac plaga affectam, in quibus ego gravissimè ab ea offensus habito? secluditor igitur, &c. [11] quod justum est legitimúmque purgationis tempus: ut annotavimus sup. 6.9. Sic infrà 31.19. [12] liberata a lepra in cœtum recipietur. [13] per eas stationes quæ infrà cap. 33. nominantur à versu 18. ad versum 36. usque.

CAPUT XIII.

Exploratores jussu Dei in promissam terram præmittuntur: quibus post quadragesimum diem reversis, major pars eorum rem ita refert, ut populum ab aditu illius absterreat.

1 POsteà ‖ [1] alloquutus est Jehova Moschen, dicendo.

2 Mitte [2] tibi viros qui explorent terram Cenahanis, quam ego daturus sum filiis Jisraëlis; a virum unum pro unaquaque tribu majorum suorum mittite, quemque principem inter eos.

3 Misit itaque illos Mosche a deserto Paranis b ex præstituto Jehovæ: omnes viri illi, primarii filiorum Jisraëlis erant.

4 Hæc autem *sunt* nomina illorum: pro tribu Reübenis, Schammuah filius Zaccuris:

5 Pro tribu Schimhonis, Schaphat filius Chori:

6 Pro tribu Jehudæ, Caleb filius Jephunnæ:

‖ *Deut.*1.21.
[1] quàm Kadeschum Barnehæ pervenerunt; inter quod & Paranem multæ fuerunt stationes, de quibus infrà 33. vide in vers. 20. & infrà 32.8. Præcedentem autem versum ad hoc caput minimè pertinere tum argumētum rei, tum commune in utroque vers. proficiscendi verbum, tum Hebræorum distinctio docet.
[2] populo tuo petenti, Deut.1.21. a *Heb. virum unum, virum unum pro tribu.* b *Heb. secundum o...*

7 Pro tribu Jissacaris, Jigeal filius Josephi:

8 Pro tribu Ephrajimi, Hoschеaĥ filius Nunis:

9 Pro tribu Binjaminis, Palti, filius Raphu:

10 Pro tribu Zebulunis, Gaddiel filius Sodi:

11 De tribu Josephi, pro tribu Menaschis, Gaddi filius Susi:

12 Pro tribu Danis, Hammiel filius Gemalli.

13 Pro tribu Ascheris, Sethur filius Micaëlis:

14 Pro tribu Naphthali, Nachbi filius Vophsi:

15 Pro tribu Gadis, Geüël filius Maci.

16 Hæc *sunt* nomina virorum illorum quos misit Mosche ad explorandum terram illam: appellabat autem Mosche Hoschеaĥam filium Nunis, Jehoschuĥam.

17 Mittens ergo eos Mosche ad explorandum terram Cenaĥanis; edixit eis, ascendite hac meridiana plaga, & conscendetis istum montem:

18 Ut consideretis [3] terram illam qualis sit: tum populum qui habitat in ea, utrum fortis sit, an debilis, utrum paucus sit, an multus:

19 Tum qualis sit ea terra in qua habitat, utrum bona sit, an mala: [4] id est, quales civitates illæ in quibus habitat, utrùm [5] in castris, an in munitis locis:

20 Rursus qualis *sit* ipsa terra, utrùm pinguis sit, an macilēta, utrùm sint in ea arbores, néene, confirmetísque vos ut accipiatis de fructu illius terræ: dies autē illi dies erant præcocium uvarū.

21 Ascendentes igitur exploraverunt terram illam, a deserto Sinis [6] Rechobum usque, quà venis Chamatham.

22 [7] Ascenderunt enim per meridianam plagam, & venit *Caleb* [c] Chebronem usque; ubi erāt Achiman, Scheschai, & Thalmai nati ex [8] Hanako: Chebron autem exstructa fuerat septem annis ante [d] Tzoĥanem Ægypti.

23 Deinde pervenerunt usque ad vallem Eschcolis, unde exciso uno palmite cum botro uvarum, deportaverunt eum palanga duobus *hominibus*: similiter ex malogranatis & ficubus ejus *terræ*.

24 Locum illum vocavit *quisque* vallem [e] Eschcolis; propter botrum illum quem exsciderunt inde filii Jisraëlis.

25 Reversi autem sunt ab exploratione illius terræ, [f] exactis quadraginta diebus.

26 Et abeuntes pervenerunt ad Moschen, & ad Aharonem, & ad totum cœtum filiorum Jisraëlis, versus desertum Paranis [g] in Kadeschum: & relato illis ac toti cœtui negotio, ostenderunt eis fructum illius terræ.

27 Narrantes itaque [10] ei dixerunt, pervenimus ad terram illam quò miseras nos: & certè affluens est lacte & melle, atque hic est fructus ejus.

28 Nisi quòd robustus *est* populus qui habitat in ea terra, & civitates ipsas munitas magnas valde, etiámq; natos ex Hanako vidimus ibi.

29 Hamalek habitat in regione australi; Chitthæus verò & Jebusæus & Emoræus habitat in ipso monte, & Cenaĥanæus habitat ad mare & ripam Jardenis.

3 hæc generalis est propositio, cujus membra exponuntur duo sequentibus; unum, ut recognoscatur constitutio hominum qui eam incolunt: alterum, ut videatur quæ regionis & agri natura quem incolunt.
4 hæc proximè præcedentium verborum sunt exegetica, *qualis sit ea* terra: nam in terræ constitutione exploranda observantur duo, civitates & agri: quorum alterum hoc versu, alterum sequente exponitur. Quamobrem conjunctionem Hebraicam ἐξηγητικῶς visum est reddere.
5 apertis locis, ut sunt castra, ac minimè muro cinctis.
6 Rechob & Chamath civitates contерminæ erant promissæ terræ ad radices Libani, prior Occidentem versus ad Tzidonem, posterior ab Oriente, quasi dicar, ingressi a parte meridiana penetrarunt usque ad terminos Aquilonares.
7 ut singuli, vel bini singula loca, non omnes simul explorarent: quod manifestè ostendit Caleb Jehoschu. 14.12. ubi Caleb sibi nominatim Chebronem deposcit eo nomine, & Jehoschuaĥ (qui unus erat exploratorum) dicit, audivi, &c.
[c] *aliàs urbem Arbaĥi. Gen. 23.2.*
8 nomen proprium gigantis celeberrimi, quod deinde communiter omnibus gigantibus attributum est.
[d] *Tanum, quæ Tanitico secundo Nili ostio nomen dedit.* [e] *id est botri.* [f] *Hebr. a fine quadraginta d.* [g] civitatem Edomæis finitimam infrà 20.16. decimam octavam stationem ab ingressu Paranis, infrà 33.36. quæ tractui nomen dedit. Hic autem de tractu intelligendum est: nam in urbem venerunt post annos 38. ut legimus infrà 20.1. & 16. [10] Moschi & Aharoni.

30 Et quamvis [11] compesceret [12] Caleb populum *venientem* ad Moschen (dicebat enim, [g] imò ascendamus ut hæreditario jure possideamus eam; nam [h] omnino prævalebimus adversus eam.)

31 Tamen alii viri qui ascenderant cum eo dicebant, non prævalebimus ascendendo ad istum populum, nam fortior est nobis:

32 Et induxerunt famam malam de terra illa quam exploraverant, in filios Jisraëlis, dicendo: terra illa per quam tansivimus ad explorandum eam, terra est [13] quæ consumit habitatores suos, & totus ille populus quem vidimus in ea, homines *sunt* [i] proceri.

33 Prætereà ibi vidimus gigantes filios Hanaki, [k] qui superant reliquos gigantes; ita ut *videremur* in oculis nostris *esse* ut cicadæ, & sic essemus in oculis eorum.

11 animadvertens populum jam seditionem moliri.
12 & Jehoschuaĥ, infrà 14. 6. synecdoche.
[g] *Hebr. ascendendo ascendamus*
[h] *Heb. prævalendo prævalebimus.*
13 id est, durissima, ita ut in ea colenda hominum vires cōsumantur.
[i] *Hebr. mensurarum: ut 1. Chron. 20.6.*
[k] *Hebr. præ aliis gigantibus. vel ex gigantibus ortos.*

CAPUT XIIII.

Populus territus reditum in Ægyptum molitur, monitoribusque mortem parat, donec Jehova se exhibet: qui subitum exitium minatus, deprecatione Moschis flectitur, ita tamen ut eis ab ingressu promissæ terræ exclusis mortem in deserto decernat, ideóque jubeat in desertum retrocedere: Hi autem pertinaces dum contra Dei jussum progredi contendunt, ab hostibus caeduntur.

1 QUA *fama* accepta totus cœtus ediderunt vocem suam; fleverúntque populus nocte illa.

2 Et murmurarunt contra Moschen & contra Aharonem omnes filii Jisraëlis: dicebant enim eis totus cœtus, [1] utinam mortui essemus in terra Ægypti, aut in deserto hoc utinam moreremur.

3 Nam quorsum Jehova adducit nos in terram istam? ut cadamus gladio? *quorsum* uxores nostræ & parvuli nostri sint prædæ? an non melius esset nobis redire in Ægyptum?

4 Dicebántque [a] alter alteri; constituamus [b] ducem, & revertamur in Ægyptum.

5 Tum prociderunt Mosche & Aharon super faciem suam; coram tota congregatione cœtus filiorum Jisraëlis.

6 Jehoschuaĥ verò filius Nunis & Caleb filius Jephunnæ, ex illis qui exploraverant terram; [c] [2] lacerarunt vestimenta sua.

7 Et alloquuti sunt totum cœtum filiorum Jisraëlis dicendo; terra per quam transivimus ad explorandum eam, terra *est* [c] perquàm optima.

8 Si delectatur nobis Jehova, introducet quoque nos in terram istam & dabit eam nobis; terram quæ *est* affluens lacte & melle.

9 Tantummodò contra Jehovam [3] ne rebellate; prætereà vos ne timete populum istius terræ, nam [4] cibus noster sunt: recessit [d] [5] umbraculum eorum ab eis, & Jehova *est* nobiscum, ne timete eos.

10 Tunc [e] colloquebantur totus cœtus, ut obruerent eos lapidibus: sed gloria Jehovæ apparuit in tentório conventus, omnibus filiis Jisraëlis.

11 Dixítque Jehova Moschi, quousq; contemtim provocabunt me populus hic? & quousque non credent in me, ad omnia illa signa quæ feci in medio ejus?

12 Percutiam eum peste & dispellam eum; te autem

1 optatum est duplex, quorum posterius constituit Deus infrà vers. 28. & seq.
[a] *Heb. vir ad fratrem suum.*
[b] *Heb. caput.*
[c] *Heb. bona valde valde.*
2 ex luctu videlicet, ut Genes. 37.34.
3 constituendo ducem, & in Aegyptum redeundo contra voluntatem ejus, Deut. 17.17.
4 id est, tam facilè illos absumemus quàm facilè consumitur cibus.
[d] *Heb. umbra, effectus pro causa: metonymicè.*
5 id est, omni præsidio nudati sunt & externæ injuriæ expositi.
[e] *Heb. dicebant.*

autem efficiam in gentem magnam & robustiorem hac.

13 Dixit verò Mosche Jehovæ; atqui audirent Ægyptii, e quorum medio fecisti virtute tua ut ascenderet hic populus;

14 Ac dicerent, cum habitatore istius terræ (audiverunt *enim* te Jehovam *esse* in medio populi hujus; quia tu Jehova [f] oculo cõspiciendus appares, quòd nubes tua residet super eos, ac in columna nubis antecedis eos interdiu, & in columna ignis noctu)

15 Si inquam morte afficeres populum hunc [g] omneis ad unum; loquerentur gentes istæ quę audiverunt famam tuam, dicendo,

16 [h] Propterea quòd non poterat Jehova introducere populum hunc in terram illam, quam juramento promiserat eis; ideò [6] jugulavit eos in hoc deserto.

17 Nunc igitur [7] magnificetur quæso virtus Domini, quemadmodum pronunciasti dicendo,

18 ‖ Jehova *est* longanimus & multus benignitate, condonans iniquitatem & defectionem; qui prorsus non absolvit *sontem*, visitans inquitatem patrum in filios, in nepotes & in abnepotes:

19 Condona quęso iniquitatem populi hujus pro magnitudine benignitatis tuæ; & prout cõdonasti populo huic ab Ægypto huc usque.

20 Cui dixit Jehova, condono secundùm verbum tuum:

21 Veruntamen *ne* vivam ego, aut impleatur gloria Jehovæ tota terra:

22 Quia omnes isti homines qui viderunt gloriam meam & signa mea quæ feci in Ægypto, & in deserto hoc; tentarunt me jam [i] decies, & non auscultarunt voci meæ;

23 Si viderint terram illam quam juramento promisi patribus eorum: nulli inquam qui provocaverunt me videbunt eam.

24 At servum meum Calebum, quia fuit [8] spiritus alius cum eo, & [k] plenè sequutus est me; ideò inducam ipsum in terram [9] in quam venerat, & semen ejus hęreditario jure possidebit ea.

25 Sed Hamalekita & Cenahanæus consistit in [10] ista valle: cras revertimini, & [l] [11] vestro bono proficiscimini in desertum: via *ad* mare algosum.

46 Deinde alloquutus est Jehova Moschen & Aharonem, dicendo,

27 Quousq; cœtum istum malum eorum qui [12] *sunt* murmuratores adversum me; obmurmurationes filiorum Jisraëlis quibus murmurant contra me audivero?

28 Dicito eis, *ne* vivam ego, dictum Jehovæ, nisi quemadmodum loquuti estis [m] audiente me; ita fecero vobis:

29 *Nisi* in deserto hoc ceciderint cadavera vestra, & omnes [13] numerati vestri in toto numero vestro, a nato viginti annos & deinceps; qui murmurastis adversum me:

30 Si vos ingressuri estis in terram, in qua *juravi* tollens manum meam me collocaturum vos; præter ‖ Calebum filium Jephunnæ, & Jehoschuham filium Nunis.

31 Parvulos autem vestros, de quibus dixistis, prædæ erunt; utique introducam ipsos ut [n] fruantur ea terra quam sprevistis.

32 Cadavera ergo vestra, vestra, inquam, cadent in hoc deserto:

33 Filii verò vestri [14] pascentes in deserto quadraginta annos, [15] ferent pœnam scortationum vestrarum; donec deficiant cadavera vestra in deserto.

34 Pro numero dierum quibus explorastis terram, quadraginta dierũ; [o] unoquoque die in annum *verso*, feretis pœnam iniquitatum vestrarum quadraginta annos: ut [16] cognoscatis [p] abruptionem meam.

35 Ego Jehova loquutus sum; *mentiar* nisi hoc fecero toti cœtui malo isti, qui congregati fuerunt contra me: in deserto isto deficient, & ibidem morientur.

36 Quamobrem viri illi quos miserat Mosche ad explorandum terram; propterea quòd reversi, ad murmurandum incitarunt contra eum totum cœtum, inducendo famam malam de terra illa:

37 Viri inquam illi qui induxerunt famam de terra illa malam, mortui sunt; [17] plaga illa coram Jehova.

38 Jehoschuah verò filius Nunis & Caleb filius Jephunnæ; vivi remanserunt ex viris illis, qui iverant ad explorandum terram illam.

39 Quum itaque eloqueretur Mosche omnia verba illa apud omnes filios Jisraëlis; luxerunt populus valde.

40 Deinde mane surrexerunt ut ascenderẽt verticem illius montis, dicendo; [q] præsto sumus ut ascendamus in locum illum de quo dixerat Jehova, nam [18] peccavimus:

41 Sed dixit Mosche, quare jam transgredimini vos [r] præstitutum Jehovæ? atqui hoc non succedet.

42 Ne ascenditote, nam non *erit* Jehova in medio vestri; ut non afficiamini plaga coram hostibus vestris.

43 Hamalekita enim & Cenahanæus [19] ibi *est* ante vos, cujus gladio caderetis: quandoquidem aversi estis [s] a sequendo Jehova, neque futurus est Jehova vobiscum.

44 Nihilominus contenderunt in altum, ut ascenderent verticem illius montis: sed arca federis Jehovæ & Mosche non discesserunt e medio castrorum.

45 Quapropter descendit Hamalekita & Cenahanæus qui consistebat in monte illo, & percutientes eos contuderunt eos Chormam usque.

f Heb. *oculo ad oculum appares, id est, non eminus aut obscurè.*
g Heb. *tanquam virum unum.*
h Heb. *ex non posse.*
6 violenta morte e medio sustulit velut pecudes: synecdoche.
7 appareat magnitudo virtutis domini, & in hoc negotio explicetur.
‖ *Exod. 34.6.*
i Hebr. *decem vicibus: numerus finitus pro infinito.*
8 i. alio animo fuit quàm illi præditus, ita ut plenè voluntatem meam sequeretur.
k Heb. *implevit ire post me.*
9 in Chebronis agrum, suprà 13. 22. & Jehoschu. 14.9.
10 ab altera parte montis: præmonet fore ut monte occupato Jisraëlitas invadant, ideóq; jubet eos retrocedere.
l Heb. *vobis.*
11 ut eventus docuit infrà vers. 45.
12 id est, nihil nisi murmurant: similem phrasin vide in Gen. 4. 17.
m Heb. *in auribus meis, sup. 2. V.*
13 de quibus suprà cap. 1. & 2.
‖ *sup. V. 3.*
n Heb. *cognoscant.*
14 incertis sedibus vagantes, ut grex pascui causâ vagatur per desertum.
15 dum ista quadraginta annorum morâ exhibitio terræ promissæ differetur.
o Hebr. *die in annum, die in annũ.*
16 id est, ut ex facto cognoscatis & experiamini me quasi fractum esse peccatis vestris & abruptum a federe vobiscum & cõmunicatione vestra: vel ex consequente, me frangere agnoscatis & avellere a vobis fedus illud meum quo hactenus devincti fuistis mihi. Humanitus dictum, vide infra 31.7. & 9.
p *vel abruptionem à me.*
17 præsentissima (ut probabile est) peste, quam interminatus fuerat sup. V. 12.
q Heb. *ecce nos.*
18 agnoscimus nos peccavisse, ut 2. Schem. 24. 10. quum videlicet noluimus ascendere, sed reditum in Aegyptum cogitavimus, suprà vers. 3. & 4.
r *Heb. os.*
19 id est, jam summum montẽ ante vos occupavit: quamobrẽ dicuntur illi postea descendisse, versu 45.
s *Heb. a post.*

CAPUT XV.

Ingressuris promissam terram renovat Deus mandata de muneribus ad sacrificia adjungendis, peregrinum in eis æquans indigenæ: primitias massæ, quoties pinsitur, offerri jubet: rationem expiandi cœtus, aut privati, a peccato per errorem commisso statuit, illiúsque puniendi qui protervè transgreditur, ut factum est eo qui violavit sabbathum; postremò peniculamenta ora vestimenti apponi jubet, monimenta observandæ Legis.

1 POstea alloquutus est Jehova Moschen dicendo:

2 Alloquere filios Jisraëlis edicens eis, quũ perveneritis in terram habitationum vestrarum, quam ego daturus sum vobis:

3 Si facietis igne absumendum Jehovæ holocaustum, aut sacrificium, nuncupando votum, aut in voluntaria oblatione, aut in solennitatibus vestris; parando odorem gratum Jehovæ ex armento aut ex grege:

4 Tunc qui offert oblationem suam, afferet Jehovæ; in munus [t] decimam *Ephæ similæ* commistam

t Heb. *decima similæ, sic deinceps.*

commistam olei quarta hinis;

5 Et vini in libamen quartam hinis, parabis in holocausto aut in sacrificio; pro unoquoque agno.

6 Aut pro ariete parabis munus similæ duas decimas, mistæ olei tertiâ hinis;

7 Et vini in libamen tertiam hinis, offeres odorem gratum Jehovæ.

8 Quòd si parabis juvencum [b] subrumum *in* holocaustum aut sacrificium; nuncupando votum aut eucharisticum Jehovæ;

9 Tunc offeret cum *juvenco* subrumo munus tres decimas *Ephæ* similæ; mistæ olei dimidio hine:

10 Et vini offeres in libamen dimidium hinem: igne absumendum odoris grati Jehovæ.

11 Sic fiat in bovem unumquemque, aut in arietem unumquemque; aut in parvam pecudem ex ovibus aut ex capris.

12 Pro numero quem parabitis, sic facitote in unumquemque pro numero eorum.

13 Omnis indigena sic parato ista, offerendo igne absumendum odoris grati Jehovæ.

14 Similiter si peregrinetur apud vos peregrinus aut [c] inquilinus in generationibus vestris, qui paret igne absumendum odoris grati Jehovæ; quemadmodum facturi estis, ita facito.

15 O congregatio, vobis & peregrino qui peregrinatur *apud vos*, statutum idem *esto*: statuto perpetuo per generationes vestras, [1] ut vos, ita peregrinus erit coram Jehova.

16 Lex eadem & ratio eadem esto vobis; & peregrino qui peregrinatur apud vos.

17 Item alloquutus est Jehova Moschen dicendo:

18 Alloquere filios Jisraëlis edicens eis; quum perveneritis in terram illam, quò ego sum introducturus vos:

19 Tum erit comedentibus vobis de pane illius terræ, ut offeratis oblationem Jehovæ.

20 [d] Primitias cujusque massæ vestræ collyram offerte *in* oblationem: [2] sicut oblationem [e] *ex* area, sic offerte illam.

21 Ex primitiis cujusque massæ vestræ date oblationem Jehovæ: per generationes vestras.

22 Quum autem errabitis, non facientes [3] omnia mandata ista; quę eloquutus est Jehova Moschi;

23 Omnia *inquam*, quę præcepit vobis Jehova [f] per Moschen; [4] ex quo die præcepit *illa* Jehova & deinceps per generationes vestras:

24 Tum erit si [g] non animadvertente ipso cœtu commissum est *illud* per errorem; ut parent totus ille cœtus juvencum subrumũ unum in holocaustum, in odorem gratum Jehovæ, & munus libaménque ejus pro ratione ejus; præterea hircum [h] lactentem unum in peccatum:

25 Et expiationem faciet Sacerdos pro unoquoque cœtu filiorum Jisraëlis, ut condonetur eis: quia error est, & ipsi oblationem suam igne absumendum Jehovæ, peccatúmque suum adduxerunt coram Jehova pro errore suo:

26 Hoc condonabitur cuique cœtui filiorum Jisraëlis, & peregrino qui peregrinatur inter eos; quia toti illi populo *accidas* per errorem:

27 Quod si anima una peccaverit per errorem, ea offeret capram [i] anniculã in peccatum:

28 Et expiationem faciet Sacerdos pro anima quæ erravit peccato per errorem, coram Jehova; expiando pro ea, sic condonabitur ei.

29 Indigenæ ex filiis Jisraëlis, & peregrino

[b] *Hebr. filium bovis: sic vers. 24.*

[c] *Heb. qui est in medio vestri: periphrasis inquilini.*

[1] id est, eodem loco apud me quo vos habebitur, qui genere estis Jisraëlitæ: de peregrino autem loquitur qui Dei doctrinam amplexus est.

[d] *Hebr. principium massarum vestrarum: sic v. 21*

[2] id est, pro quãtitate massæ tuę, ut fit in segetibus, Levit. 2. & eodem ritu.

[e] *Heb. area: de qua Levi. 2.14.*

[3] ad externum Dei cultum pertinentia, de quibus hoc cap. loquitur: nam hac ratione lex hæc distinguitur ab ea quæ habetur Levit. 4. de errore totius cœtus Jisraëlitarum quem extra res divinas & sacras commiserint.

[f] *Heb. per manum Moschis.*

[4] inde ab hoc tempore quo legem hanc fero.

[g] *Heb. longè ab oculis cœtus.*

[h] *Heb. a capris.*

[i] *Heb. filiam anni sui.*

qui peregrinatur inter eos: lex eadem esto vobis, pro committente *peccatum* per errorem.

30 Anima verò illa quæ commiserit [5] elata manu, *sive* ex indigenis sive ex peregrinis, Jehovam afficit iste probro: omnino exscindetur anima illa e medio populi sui.

31 Quia verbum Jehovæ sprevit, & mandatum ejus irritum fecit: [k] omnino exscinditor anima illa, iniquitas ejus in ea *est*.

32 Quum autem essent filii Jisraëlis in deserto illo; invenerunt quendam colligentem ligna in die sabbathi:

33 Quem adducentes *ii* qui invenerant illum colligentem ligna; ad Moschen, & ad Aharonem, & ad totum cœtum,

34 Posuerunt eum in custodia; quia non fuerat declaratum quid faciendum esset eo.

35 Edixit autem Jehova Moschi, [l] omnino morte afficitor vir ille; obruito eum lapidibus totus cœtus extra castra.

36 Educentes itaque totus cœtus illum extra castra, obruerunt illum lapidibus ita ut moreretur; quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

37 Item alloquutus est Jehova Moschen dicendo:

38 Alloquere filios Jisraëlis & edicas eis, ut faciant sibi [6] peniculamentum in oris vestimentorum suorum per generationes suas, & adhibeant peniculamento ipsius oræ filum hyacinthinum.

39 Erit autem vobis peniculamentum, ut videntes illud recordemini omnium mandatorum Jehovæ & faciatis ea; ac [m] non attenta observatione sequamini animum vestrum & oculos vestros, quæ vos sequentes scortamini.

40 Ut *inquam* recordemini & faciatis omnia mandata mea; & sitis sancti Deo vestro.

41 [7] Ego Jehova Deus vester, qui eduxi vos e terra Ægypti ut sim vobis [n] Deus; sum Jehova Deus vester.

[5] id est, protervè neque Deum neque homines metuens aut curans, non clàm aut recondita manu, sed aperte exertáque manu contravenerit, tamquam vexillare impietatis & blasphemiæ signum Deo infestum efferens, ut omneis in eamdem audaciam pertrahat, & palàm illudat Deo.

[k] *Heb. exscindendo exscinditor.*

[l] *Hebr. moriendo morte afficitor.*

[6] sic vocant Ennius & Lucilius genus segmenti carminati quasi in penicillos sectis filis abiegnis, quod vulgus frangiam nominat, Germani *franzen*: & ita ab Onkelo & Hebræorum doctissimis quibusque accipitur. hoc autem significationi videtur longè meliùs convenire, quam si fasciam, institam, tæniam, aut aliud quidvis expresseris: quia varius ille & peniculatus filamentorũ textus respõdet toti illi contextui mandatorum Dei quem exprimit Mosche sequente versu dicens, ut videntes illud recordemini omnium mandatorum Jehovæ, &c. [m] *Hebr. non exploretis post cor vestrum & post oculos vestros, post quæ scortamini.* [7] quasi dicat, etiamsi patres vestros a promissa terra exclusi, non tamen ideò sum vobis infensus, sed Deus vester maneo. [n] *Heb. in Deum.*

CAPUT XVI.

Korach Levita sacerdotii ambitu seditionem movens contra Moschen & Aharonem, divinitus cum suis conjuratis & omnibus eorum facultatibus partim igne, partim hiatu terræ perit.

1 Assumsit autem *homines* Korach filius Jitzeharis filii Kohathi filii Levi; similiter Dathan & Abiram filii Eliabi, & On filius Pelethi filii Reübenis.

2 Et insurgentes stiterunt sese coram Mosche, *Korach* & homines ex filiis Jisraëlis [1] ducenti quinquaginta, principes cœtus, [2] convocati e cœtu, homines [a] celebres.

3 Et congregantes se adversus Moschen & adversus Aharonẽ dixerunt eis, [3] satis esto vobis; nam totus hic cœtus, hi omnes sunt sancti, & inter eos *est* Jehova: quare ergo effertis vos super

[1] Levitæ, & Korachi asseclæ, infrà vers. 18. & 19. & 35. Hic enim prior locus propositionis est de Koracho: posterior de Dathane narratur vers. 12. Korachum autem Reübenitæ præmittebant, ut per eum Moschi & Aharoni negotium facesserent: quapropter eos posteà e tentoriis accersivit & recusantes venire adivit Mosche. vide infrà 26. 9. [2] vide suprà in 1. 16. [a] *Hebr. nominis, ut Genes. 6.4.* [3] nimirum quod hactenus occupavistis & obtinuistis autoritatem in populum hæreditatémque Jehovæ, religionis specie: quasi dicat, desistite tandem ab ista præsumtione vestra, & aut in communem cum aliis fratribus vestris conditionem abjicite vos, aut nos ex æquo sinite administrationem eandem capessere.

congre-

congregationem Jehovæ?

4 Quo audito Mosche, procidit in faciem suam:

5 Deinde alloquutus est Korachum & totum cœtum ejus, dicendo; mane *quum illuxerit*, planè notum faciet Jehova eum qui ipsius *est*, &[4] qui sanctus *est*, & quem admovit ad se: nam eum quem elegerit, admovebit ad se.

[4] qui sanctificatus est ut sacerdotio fungatur ei, quod declarant proximè sequentia verba.

6 Hoc facite; sumite vobis thuribula, Korach cum toto cœtu suo:

7 Et indite eis ignem, & imponite eis thus coram Jehova cras, eritq; is quem elegerit Jehova ille ipse sanctus: satis esto vobis, filii Levi.

8 Dixit verò Mosche Koracho, audite nunc filii Levi:

9 [5] An parva res *est* præ vobis, quòd separavit Deus Jisraëlis vos a cœtu Jisraëlis admovendo vos ad se; ut exerceatis ministerium tabernaculi Jehovæ, stantes coram hoc cœtu [6] pro ministerio eorum?

[5] an minoris facitis quàm ut conveniat vobis?

[6] quo ipsis fuerat ministrandum Deo: vide suprà. 3.7.

10 Postquam admovit te & omnes fratres tuos filios Levi tecum; & quæratis etiam sacerdotium?

11 Idcircò tu & totus cœtus tuus *ii estis* qui congregatis vos adversus Jehovam: Aharon verò quid *est* quod murmuratis contra eum?

12 [7] Quum autem misisset Mosche vocatum Dathanem & Abiramum filios Eliabi; dixerunt, non ascendemus:

[7] alter locus de Dathane & Abiramo: ut in versum 2. perstrinximus. Vocat autem Mosche homines istos ad se κατὰ τὸ ἀρχὸν, eo quòd magistratus esset a Deo populóque vocatus ad suam hanc administrationem. vide infrà vers 25.

13 An parum est quòd fecisti ut ascenderemus e terra affluente lacte & melle, ad morte afficiendum nos in isto deserto; quòd [b] & indesinenter imperium tibi assumis in nos,

[b] *Hebr. facis te principem super nos etiam te principem faciendo.*

14 [8] Et non introduxisti nos in terram affluentem lacte & melle, nec dedistis nobis [9] possessionem agri aut vineæ? an [10] oculos istorum hominum fodies? non ascendemus.

[8] sensus est, quum ad ejus fines pervenissemus, fecisti ut retrocederemus, suprà 14.

[9] cujus causâ nos tibi devinctos teneas.

[10] an nobiscum tamquam cum cęcis te acturum arbitraris, ut tuas fraudes non videamus?

15 Tum accensus ira Mosche valde, dixit Jehovę, [11] ne respicito ad munus eorum: ne asinum quidem ullius ex eis usurpavi, neque malo affeci ullum ex eis.

[11] ne acceptum sit tibi, ut Gen. 4.4.

16 Edixítque Mosche Koracho, tu & totus cœtus tuus este coram Jehova, tu *inquam*, & illi cum Aharone cras:

17 Et accipite quisque thuribulum suum, ut indito illis suffitu admoveatis coram Jehova quisque thuribulum suum, ducenta quinquaginta thuribula; tu quoque & Aharon quisque thuribulum suum.

18 Acceperunt igitur quisque thuribulum suum, & indito eis igne imposuerunt eis suffitũ: constiterúntque ad portam tentorii conventus cum Mosche & Aharone.

19 Ut autem congregavit contra eos Korach totum cœtum suum ad portam tentorii conventus; apparuit gloria Jehovæ toti cœtui,

20 Et alloquutus est Jehova Moschen & Aharonem, dicendo:

21 Separate vos e medio cœtus hujus; ut consumam eos [c] momento.

[c] *Hebr. quasi momento, id est, tempore admodum exiguo.*

22 Qui procidentes in faciem suam dixerunt, *Deus* fortis Deus spirituum, *Deus* omnis carnis: hic vir unus peccaverit, & contra totum hunc cœtum effervesces?

23 Iterum alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

24 Alloquere cœtum dicendo; recedite a circuitu tabernaculi Korachi, Dathanis & Abirami.

25 Surgens itaque Mosche ivit Dathanem & Abiramum versus; [d] sequentibus cum Senioribus Jisraëlis.

[d] *Heb. & ibant post eum.*

26 Et alloquutus est cœtum, dicendo, recedite nunc a tentoriis istorum improborum hominum, & ne attingite quicquam quod illorum *sit*: ne consumamini in omnibus [e] pœnis eorum.

[e] *Heb peccatis: metonymia.*

27 Itaque receperunt se *filii Jisraëlis* a tabernaculo Korachi, Dathanis, & Abirami circumquaque; Dathan verò & Abiram [f] egressi stabant quisque *in* ostio tentorii sui cum uxoribus suis, filiisque suis, & parvulis suis.

[f] *Heb. egressi erant stantes: hypallage.*

28 Quibus dixit Mosche; hac *re* cognoscetis Jehovam misisse me ad faciendum omnia opera ista: non autem [g] ex me *facere ea*.

[g] Heb. *ex corde meo.*

29 Si ut moriuntur omnes *reliqui* homines morientur isti, & [h] animadversione omnium *reliquorum* hominum animadvertetur in eos; ne Jehova miserit me:

[h] Hebr. *visitatione omnium hominum visitabitur super eos.*

30 Sin autem [i] aliquid novi patrabit Jehova, & aperiens humus os suum absorbebit eos cum omnibus quæ eorum *sunt*, descendéntq; vivi in sepulcrum; tunc cognoscetis homines istos contemtim provocasse Jehovam:

[i] Hebr. *creationem creaverit.*

31 Fuit ergò quum absolveret eloqui omnia verba hęc, ut finderetur humus quę suberat illis,

32 Et aperiens terra os suum absorberet eos & domos eorum; [12] omnes etiam homines qui *erant* Korachi, & omneis facultates ejus.

[12] exceptis filiis ejus, ut habetur infrà 26.11.

33 Ita descenderunt illi cum omnibus quæ ipsorum *erant*, vivi in sepulcrum: & operiente eos terra perierunt e medio congregationis.

34 Omnes verò Jisraëlitæ qui *erant* circa illos; fugerunt ad vocem illorum: dicebant enim, *videndum*, ne absorbeat nos terra.

35 Præterea ignis egressus est a Jehova: & absumsit ducentos quinquaginta [13] illos viros qui offerebant suffitum.

[13] de quibus, suprà vers. 2.

CAPUT XVII.

Deus seditiosorum thuribula ad tegendum altare adhiberi jubet in monimentum Jisraëli: populo toto ex superiore clade in Deum murmurante, plaga a Deo immissa per Aharonem cohibetur, & novo miraculo florentis virgæ vocatio Aharonis confirmatur: populus verò perculsus remedium quærit.

1 TUm alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

2 Edic [1] Elhazari filio Aharonis Sacerdotis, ut tollat thuribula ista e medio incendii, ignem verò eorum disperge [2] illuc; sancta enim sunt.

[1] in quo Deus hac ratione cõmendare voluit successionem sacerdotii, ut infrà 19.3.

[2] procul a sanctuario, quò res immundæ abjiciebantur extra castra.

3 Ex thuribulis istorum qui peccatores *fuerunt* [3] in animas suas, ut faciant [a] ductiles laminas obducendas altari, quia admoverunt illa coram Jehova, ut sancta essent: & sunto Jisraëlitis signo.

[3] qui sibi ipsis causa exitii peccatis suis fuerũt.

[a] *Heb. ductilitatem laminarum, obductionem pro altari.*

4 Assumsit itaque Elhazar Sacerdos thuribula illa ærea quæ admoverant ii qui fuerant exusti; [4] diduxerúntque ea [b] obducenda altari.

[4] bractearii.

[b] *Hebr. obductionem pro altari, ut vers. 3.*

5 In monimentum filiis Jisraëlis, ne accedat quisquam extraneus qui ex semine Aharonis non *est*, ad adolendũ suffitum coram Jehova: ut non sit sicut Korach, & sicut cœtus ejus, quemadmodum edixerat Jehova ipsi per Moschen.

6 Sed murmurarunt totus cœtus filiorum Jisraëlis postridie contra Moschen & contra Aharonem, dicendo; vos morte affecistis populum Jehovæ.

7 Fuitque congregato cœtu contra Moschen & contra Aharonem, ac [5] respicientibus ad

[5] tamquam iteris illuc, & Moschen atq; Aharonem ibidem aggressuris, ut confitentur ipsi infrà 28.V.

ad tentorium conventus, ut ecce operiret illud nubes ipsa: apparebat enim gloria Jehovæ.

8 Venit ergo Mosche & Aharon ante tentorium conventus.

9 Et alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

10 [c] Recedite e medio hujus cœtus, ut absumam eos [d] momento: [6] *hi* verò prociderunt in faciem suam.

11 Edixítque Mosche Aharoni, accipe thuribulum: inditóque ei igne ex altari & imposito thure,[7] fac ut citò percurrat cœtum, & expiationem fac pro eis: exivit enim fervens ira a facie Jehovæ, *jam* incepit ipsa plaga.

12 Quo accepto Aharon, quemadmodum edixerat Mosche, quum accurreret in medium cœtus, ecce inceperat plaga illa in populo: quãobrem indidit *Aharon* suffitum, & expiationem fecit pro populo.

13 [8] Stetítque inter mortuos & vivos: sic cohibita est plaga illa.

14 Fuerunt autem qui mortui sunt ista plaga, quaterdecies mille septingenti; præter mortuos ob negotium Korachi.

15 Deinde reverso Aharone ad Moschen versus portam tentorii conventus, quum plaga jam cohibita esset:

CAPUT XVII.

16 Alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

17 Alloquere filios Jisraëlis, & accipe ab eis [e] singulas virgas pro paterna familia, ab omnibus ducibus eorum secundùm paternam familiam suam, duodecim virgas; cujusque nomen inscribito virgæ ejus.

18 Nomen verò Aharonis inscribito virgæ Levi: [9] nam virga una *est* in quemque [f] primarium familiæ paternæ suæ.

19 Et relinques illas in tentorio conventus, coram [10] testimonio ubi convenire soleo vos:

20 Eritq; *ut* ejus quem elegero, virga floreat: sic sedando *avertam* a me murmura filiorum Jisraëlis, quibus murmurant contra vos.

21 Quæ quum eloquutus esset Mosche filiis Jisraëlis, dederunt ei omnes duces eorum [g] virgas singulas in duces singulos domus paternæ suæ, duodecim virgas: *eratq;* virga Aharonis inter virgas illorum.

22 Reliquit autem Mosche virgas illas coram Jehova; in tentorio testimonii.

23 Et fuit postridie, ingresso Mosche in tentorium testimonii, ut ecce floruisset virga Aharonis pro familia Levi; producens enim germen emiserat florem, & educabat amygdala.

24 Protulítque Mosche omnes virgas illas a conspectu Jehovæ ad omnes filios Jisraëlis; quas inspexerunt, & receperunt quisque virgam suam.

25 Edixit autem Jehova Moschi, refer virgam Aharonis ante testimonium, [h] observandam in signum contra deditos rebellioni: ut [i] auferas a me murmura eorum, ac non moriantur.

26 Quod fecit Mosche; quemadmodum præceperat ipsi Jehova, sic fecit.

27 Tunc alloquuti sunt filii Jisraëlis Moschen, dicendo; [11] en exspiramus, periimus, omnes periimus.

28 [12] Quicunque [k] se temere ingerit accessurus ad tabernaculum Jehovæ, moriturus est: an verò [l] omnes ad unum expirabimus?

c *Heb. efferte vos.*
d *Heb. quasi momento, ut suprà 15.21.*
6 orantes & deprecantes supplicium a populo.
7 i. totum cœtum perlustra quàm velocissimè cum suffitu, ut sit odor gratus coram domino expiatione tua, ut versus sequens explicat.
8 nimirum tamquam Dei Sacerdos, & typus mediatoris Christi, ut plagæ ulteriùs serpenti sese objiceret.
e *Heb. virgam virgam.*
9 q.d. etiam si tribum Levi in duas partes distinxi, Sacerdotum & Levitarum, in hac tamen ut in reliquis virgam unã esse volo, & Aharonem totius generis principem.
f *Heb. caput.*
10 arca testimonii, in loco sacratiore ubi arca est.
g *Heb. virgam in ducem unum, virgam in ducem unum.*
h *Heb. ad observationem in signum filiis rebellionis.*
i *Heb. absumas.*
11 Sensus est, nunc demum actum est de nobis, qui peccavimus contra Jehovam indignissimè, nec tamen antè sensimus maleficium nostrum, quàm & virgã seu plagã ejus domaremur, & evinceremur hoc miraculoso signo in conspectu ejus.
12 enthymematicus est Jisraëlitarũ sermo culpam deprecantium. Sic autem habet argumentatio: quicunque sese temere ingerunt, & quasi involant in tabernaculum Jehovæ, ii morituri sunt, prout sermone & opere his diebus ostendit Deus: nos autem ita fecimus, fatemur & agnoscimus factum. Ex jure itaque essemus morituri, ut præcedente versu. Sed annon est locus misericordiæ apud Deum? Huic deprecationi & quæstioni respondetur a Deo sequentib. cap. k *Heb. accedis accedis.*
l *Heb. absolvemus expirando?*

CAPUT XVIII.

Deus Aharonem & filios officii sui admonet, Levitas verò eis in ministerio sacro subjicit, certa illis ministeria designans: & utrisque prospicit de alimentis a populo subministrandis ex oblationibus & decimis.

1 QUapropter [1] edixit Jehova Aharoni, tu & filii tui & [2] familia patris tui tecum [3] portabitis [a] pœnam iniquitatis in sanctuarium; túque & filii tui tecum portabitis pœnam iniquitatis in sacerdotio vestro *commissæ.*

2 Idcircò etiam fratres tuos tribum Levi tribum paternam tuam admove tecum, ut adjuncti tibi ministrent tibi: tu autem & filii tui tecum ministrabitis [4] ante tentorium testimonii:

3 Ut [5] observent observationem tui & observationem totius tentorii: verumtamen ad vasa sanctuarii & ad altare ne accedunto, ut non moriantur tùm ipsi [6] tum vos.

4 Adjunguntur ergo tibi, ut observent observationem tentorii conventus in toto ministerio tentorii: at nullus [7] extraneus accedito vobiscum.

5 *Vos* autem observabitis observationem sanctuarii & observationem altaris: sic non erit deinceps fervens ira contra filios Jisraëlis.

6 Etenim ego, ecce, desumsi fratres vestros Levitas e medio filiorum Jisraëlis: vobis dono dantur pro Jehova, ad ministrandum ministerium tentorii conventus:

7 Tu verò & filii tui tecum observate sacerdotium vestrum in omni negotio altaris, & *eorum* quæ *sunt* intra ipsum velum, ut ministretis: [b] dativo ministerio dono sacerdotium vestrum, ideo extraneus qui propè accesserit, morte plectetur.

8 Præterea dixit Jehova Aharoni; ecce insuper ego do tibi *ad* observationem oblationes meas: ex omnibus rebus sanctis filiorum Jisraëlis tibi do eas propter [8] unctionem, & filiis tuis in statutum perpetuum.

9 Hoc esto tuum, e rebus sanctis sanctarum *servatis* [9] ab igne: omnis oblatio eorum ex omni [10] munere eorum, & ex omni peccato eorum, & ex omni reatu eorum quæ restituent mihi, res sancta sanctarum, tua esto & filiorum tuorum.

10 [11] [c] In sanctiore loco comedito illud: omnis mas comedet illud, res sancta esto tibi.

11 Hoc quoque tuum *esto*, elatio doni eorum cum omnibus [d] *donis* filiorum Jisraëlis quæ agitantur; tibi do illa, & filiis tuis, filiabúsque tuis tecum statuto perpetuo: quisquis mundus *erit* in familia tua, comedet illud.

12 Quodvis [e] opimum oleum & quodvis opimum musti ac frumenti; [12] primitias eorum quas dederint Jehovæ, do tibi.

13 Primitiæ omnium quæ fuerint in terra illorum, quas attulerint Jehovæ, sunto tuæ: quisquis mundus *erit* in familia tua, comedet ex eis.

14 Omne [13] devotum in Jisraële, tuum esto.

15 Quicquid aperit vulvam ex omni carne quã oblaturi sunt Jehovæ tam ex homine quàm

1 quia Deus Jisraëlitas metu quo premebantur suprà 17.27. voluit liberare, ideò sui adeundi rationem docet, & per quos quibúsque administris reconciliatio facienda.
2 tribus Levi ex Sacerdotibus & Levitis constans.
3 dabitis pœnas, si quid in res sacras aut ministerium sacrum cõmittetis.
a *Heb. iniquitatem sanctuarii, iniquitatem sacerdotii v.*
4 procurabitis quicquid ad ministerium sacrũ pertinet, ab altari usque ad intimam partem sanctuarii ubi est arca.
5 præsto sint ad omnia mandata tua.
6 si hoc illis permittetis.
7 a genere Levitico, ut V.7.
b *Heb. ministerio doni: sic dativos tutores & curatores Jurecons. vocant.*
8 sacerdotium, quod unctione in te & filios tuos collatum est: Synecdoche signi & rei significatæ.
9 id est, quæ neque holocausta sunt, neque destinata ut igne comburantur Deo.
10 oblationum genera recenset, de quibus Levit. 2.& 4. sequentibus.
11 vide in Levit. 16.23.
c *Heb. in sancto sanctorum.*
d *Heb. agitationibus fil.*
e *Heb. adipem olei: sic vers. 29. & 30. & 32.*

12 id est, ἀπαρχὰς (ut Græci vocant) quarum lex habetur Deuter. 18.4. nam quod πρωτογεννήματα interpretatur Augustinus, id est, primos illos fructus de quibus Levitici 19.24. id certè est angustius: hic enim frumenti, olei, & musti primitiæ aguntur solum; omnium verò fructuum universè primitiæ Sacerdotibus tribuuntur, sequente versu. 13 vide Levit. 27.28.

e *Heb. redimendo redimito.*

ex jumentis tuum esto: sed e omnino redimi ju-
beto primogenitum hominis, primogenitũ quo-
que jumenti immundi redimi jubeto:

f *Heb. redemtos: ut suprà 3.46.*

16 f Redimendos autem illorum a nato uno
mense redimi jubeto secundùm æstimationem
tuam, argenti quinque siclis prout est siclus sanc-
tuarii: viginti obolorum est:
17 Primogenitum verò bovis, aut primoge-
nitum ovis, aut primogenitum capræ ne finito
redimi, res sancta sunt: sanguinem eorum spar-
gito super altare, & adipem illorum adoleto, *ut*
sit igne absumtus in odorem gratum Jehovæ:

14 Levit. 7.21. & 22.

18 Et caro eorum tua esto; [14] sicut pectus agi-
tationis, & sicut armus dexter, tua esto.
19 Omneis oblationes rerum sanctarum quas
offerent filii Jisraëlis Jehovæ; do tibi, & filiis tu-
is, ac filiabus tuis tecum in statutum g perpetu-
um: [15] fedus salis, perpetuum est coram Jehova;
pro te & pro semine tuo tecum.

g *Heb. seculi.*
15 i. decretum ab omni corruptione tutum, perpetuúmque, ut vox sequens disertè explicat: metaphora.
h *Heb. in medio: sic deinceps.*

20 Edixit etenim Jehova Aharoni; in terra
illorum ne habeto possessionem, & pars ne esto
tibi inter eos: ego *sum* pars tua & possessio tua
h inter filios Jisraëlis.
21 Filiis autem Levi ecce do omneis decimas
ex Jisraële in possessionem; pro ministerio ipso-
rum quo ipsi ministrant, ministerio tentorii con-
ventus:
22 Ut non accedant deinceps filii Jisraëlis
ad tentorium conventus, portaturi peccatum
atque morituri:
23 Sed ministrent Levitæ ipsi ministerium
tentorii conventus, & ipsi ferant iniquitatem
suam: statuto perpetuo per generationes vestras,
ut inter filios Jisraëlis non possideant possessio-
nem.
24 Nam decimas filiorum Jisraëlis quas af-
ferent Jehovæ in oblationem, do Levitis in pos-
sessionem: idcircò edico de illis, inter filios Jis-
raëlis ne possidento possessionem.
25 Alloquutus quoque est Jehova Moschen,
dicendo;
26 Levitas item alloquere & edicas eis; quum
acceperitis a filiis Jisraëlis decimas quas do vo-
bis ab illis pro possessione vestra: tunc offeretis
ex eis oblationem Jehovæ, decimas ex illis deci-
mis;
27 Ut [16] imputetur vobis oblatio vestra; [17] sic-
ut frumentum ex area, & sicut i maturus liquor
ex torcularis lacu.
28 Sic offertote vos quoque oblationem Je-
hovæ de omnibus decimis vestris quas acceperi-
tis a filiis Jisraëlis: ut detis k ex illis singulis ob-
lationem Jehovæ, Aharoni Sacerdoti.
29 Ex l singulis quæ dabuntur vobis offerto-
te omnem oblationem Jehovæ; ex singulorum
opimo, ex eo *offerte* sacram partem ejus.
30 Dices etiam eis; quum offeretis ex eo opi-
mum ejus, tum imputabitur Levitis tamquam
proventus ex area, & tamquam proventus e lacu
torcularis.
31 Tum comedetis ipsas *decimas* quovis in
loco, vos & familiæ vestræ: nam merces est vobis
pro ministerio vestro in tentorio conventus.
32 Sic non portabitis illarum nomine pecca-
tum, offerentes ex eis opimum earum; [18] & res
sacras filiorum Jisraëlis non profanabitis, neque
moriemini.

16 i. accepta feratur vobis, non illis a quibus decimas acceperitis.
17 i. antequam illis utamini, sicut alii tenentur offerre decimas frumenti & aliorum proventuum, antequàm illis utantur, ita vos datote decimarum decimas: quæ tam imputabuntur vobis a domino, quam si de vestris agellis & operibus perceptæ essent.
i *Heb. plenitudinem, ut Exod. 22.29.*
k *Heb. ex eo.*
l *Heb. omnibus donis vestris.*
18 id est, & vos ipsos servabitis, & eos pro quibus ministratis, ut 1. Tim. 4.16.

CAPUT XIX.

Deus rationem præscribit conficiendæ aquæ ab immunditia purgantis.

§ 1 ITem alloquutus est Jehova Moschen &
Aharonem, dicendo,
2 Hoc *est* statutum legale, quod præcepit Je-
hova dicendo; edic filiis Jisraëlis; ut accipien-
tes *adducant* ad te junicem rufam, integram, in
qua non *sit* vitium, a cui jugum nondum imposi-
tum sit:
3 Et dabitis eam [1] Elhazari Sacerdoti; qui
jubebit eam educi [2] extra castra, ut jugulet eam
quis coram ipso.
4 Tum accipiens Elhazar de sanguine ejus
digito suo; asperget versus anteriorem partem
tentorii conventus de sanguine ejus b septies.
5 Et c jubebit comburi junicem illam ante
oculos suos; pellem ejus, & carnem ejus, & san-
guinem ejus cum fimo ejus comburet.
6 Assuménsq; sacerdos lignum cedrinum, &
hyssopum, & dibaphum coccineum; projiciet ea
d intra rogum illius junicis.
7 Deinde lotis vestimentis suis Sacerdos,
abluet carnem suam aqua, ac postmodùm veniet
in castra; & immundus erit Sacerdos usque ad
vesperam.

a *Heb. super quam non ascenderit jugum, id est, injugem, ut olim in sacrificiis dicebatur.*
1 ut supr. 17.2.
2 nam Christus, qui hoc typo fuit propriè adumbratus, extra civitatem passus est, Heb. 13.12.
b *Heb. septem vicibus.*
c *Heb. comburito, nempe per alium, ut ostenditur infr. vers. 8.*
d *Heb. in medium combustionis.*

8 Similiter qui combusserit eam, lavabit ve-
stimenta sua aqua, & abluet carnem suam aqua:
& immundus erit usque ad vesperam.
9 Tum colliget quispiam mundus cinerem
istius junicis, & relinquet extra castra in loco
mundo; ut cœtui filiorum Jisraëlis e asservetur
in [3] aquam separationis, *aqua* peccati est.
10 Deinde lavabit qui collegit cinerem illius
junicis vestimenta sua, & immundus erit usque
ad vesperam: hoc erit filiis Jisraëlis & peregrino
peregrinanti inter eos statutum perpetuum.
11 Qui tetigerit mortuum, quodcunque ca-
daver hominis; is erit immundus septem dies.
12 Ubi autem purgaverit se *aqua* illa die ter-
tio & die septimo, mundus erit: quòd si non pur-
gabit se die tertio & die septimo, non erit mun-
dus.

e *Heb. sit in asservationem.*
3 adhibendam iis qui propter immunditiam fuerant separati, ut ea purgati rursus in cœtum reciperentur. hac eadem ratione aqua peccati nominatur: sic deinceps.

13 Quisquis tacto mortuo, cadavere hominis
qui mortuus est, non purgaverit se, tabernacu-
lum Jehovæ polluit, ideò exscindetur anima illa
e Jisraële: quia aqua separationis non fuerit a-
spersa super eum, immundus esto, [4] deinceps im-
munditia ejus in eo *est*.
14 Hæc *esto* lex, quum homo mortuus fuerit
in tentorio: quisquis accedit ad tentorium ipsum,
& quisquis *est* in ipso tentorio, immundus esto
septem dies.
15 Etiam omne vas apertum [5] super quo non
fuerit pannus circumtortus, immundum est.
16 Et quicunque tetigerit in superficie agri
confossum gladio, aut [6] mortuum, aut os homi-
nis, aut sepulchrum; immundus esto septem dies.
17 Accipient itaque pro illo immundo de
pulvere istius exustæ *junicis* peccati: cui imponet
aquam vivam in vase:
18 Et accipiens hyssopum intinget aqua illa
vir mundus; & asperget ea tentorium illud, &
omnia illa vasa, & animas quæ ibi fuerint: simili-
ter eum qui tetigerit aliquod os, aut confossum,
aut mortuum, aut sepulchrum ullum:
19 Asperget inquam mundus ille immundum
istum die tertio & die septimo: quúmque purga-
verit eum die septimo, lotis vestimentis suis ab-
luet *ille* se aqua; sic mundus erit vespere.
20 Quisquis autem immundus fuerit & non
purgaverit se, omnino exscinderur anima illa e
medio hujus congregationis. nam sanctuariũ Je-
hovę polluit, aqua separationis non fuit inspersa
illi,

4 id est, inde ab eo tempore, quamdiu victurus est: sic enim accipitur eadem particula, Gen. 8.12. & 22. & alibi sæpe.
5 quod aut indito panno contorto aut circumvoluto ori ejus non fuerit obthuratum.
6 non violenta morte.

illi, immundus est.

21 Hoc erit illis in statutum perpetuum: tum qui spargit aquam separationis lavato vestimenta sua, tum qui tangit aquam separationis, immundus erit usque ad vesperam.

22 Quicquid autem tetigerit is qui immundus *est*, immundum esto: & anima quæ tetigerit *illud* immunda esto usque ad vesperam.

CAPUT XX.

Populus aquarũ penuriâ in duces suos insurgit; quibus quum mandasset Deus ut eo præsente petram alloquentes aquam elicerent, ex diffidentia non planè mandatum exequuntur, ideóque a promissa terra excluduntur: per Edomæos transitus petitur: eo denegato ad montem Horem divertitur, ubi Aharon moritur, & ei succedit Elhazar.

1 VEnientibus autem filiis Jisraëlis, toto cœtu illorum in desertum Tzinis [1] novilunio primo, consedit populus [2] ad Kadeschum: ubi mortua est Mirjam, & sepulta ibi.

2 Quúmque non esset aqua illi cœtui; congregati sunt adversus Moschen & adversus Aharonem:

3 Et contendit populus cum Mosche: loquebantur enim dicendo, at utinam exspirassemus, quum exspirarent fratres nostri coram Jehova.

4 Nam cur adduxistis congregationem Jehovæ in desertum istud? ut moriamur ibi nos & [a] jumenta nostra?

5 Et quare fecistis ut ascenderemus ex Ægypto? ad adducendum nos in locum malum istum? non *est* locus sementis, aut ficuum, aut vitium, aut malogranatorum, ac ne aqua *quidem* adest ad bibendum.

6 Veniens itaque Mosche & Aharon [b] metu illius congregationis ad portam tentorii conventus, prociderunt in faciem suam: & apparuit eis gloria Jehovæ.

7 Et alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

8 Accipe [3] virgam hanc, & congregate cœtũ hunc tu & Aharon frater tuus, ut [4] alloquamini petram istam ante oculos eorum, & edat aquam suam; ita [5] proferens eis aquam ex ista petra, dabis bibendum isti cœtui & jumentis eorum.

9 Quum itaque accepisset Mosche virgam illam a conspectu Jehovæ; quemadmodum præceperat ei:

10 Congregaverunt Mosche & Aharon congregationem istam versus petram illam; [6] dixítque [7] eis, [8] audite nunc ô rebelles, [9] an ex petra hac proferemus vobis aquam?

11 Deinde Mosche attollens manum suam percussit petram illam virga sua [10] bis: tunc prodiit aqua multa, & bibit cœtus ille & jumenta illorum.

12 Quamobrem dixit Jehova Moschi & Aharoni; quia non credidistis mihi, ut [11] sanctificaretis me ante oculos filiorum Jisraëlis: idcircò non introducetis congregationem istam in terram quam ego do eis.

13 Illa *est* aqua contentionis, ubi contenderunt filii Jisraëlis contra Jehovam; & sanctificavit sese [12] inter illos.

1 anni quadragesimi ab exitu ex Aegypto, ut ostenditur infrà 33.38. & Deut. 2.14.
2 in deserto Tzinis ad fines Edomæorum, infrà vers. 16. vide sup. in 13.26.
a *Heb. bruta nostra: sic infr. ℣. 8. & 11.*
b *Heb. a facie.*
3 florentem puta Aharonis virgam illam, quã suprà 17.25. ante testimonium jussit asservari in signum contra rebellioni deditos: ideò Moschen eam a conspectu Jehovæ accepisse dicitur infrà vers. 9.
4 solùm, ac non percutiatis: nam florida illa virga non erat ad percutiendum imperata, aut ad eam rem commoda.
5 symbolicè verbo: nam Dei virtus produxit aquas realiter, Moschis verbum produxisse eas dicitur symbolicè & sacramentaliter.
6 Mosche & Aharon; quod ex pœna utrique inflicta colligitur.
7 contra quàm jussi fuerant alloqui petram ante oculos illorum.
8 impatientiæ voces.
9 incredulitatis voces: quod enim certò fore Deus promiserat ℣. 8. id isti in dubium vocant.
10 inobsequens factum; nam a mandato discedunt, quum petram alloqui jussi sup. ℣. 8. eam percutiunt, & quidem iteratò, irato & impatiente perturbatóq; animo. 11 certò confirmãdo Jisraëlitas de eventu, & securè imperando petræ. 12 in Mosche & Aharone: similẽ loquutionẽ vide Levit. 10.3. sive (quod magis probo) inter filios Jisraëlis, a quorum blasphemis & contumeliosis vocibus vindicavit sese & sanctificavit nomẽ suum.

14 Tum misit Mosche nuncios a Kadescho ad Regem Edomæorum; *qui dicerent*, sic ait frater tuus Jisraël, tu nosti [c] omneis molestias quæ obvenerunt nobis:

15 Ut descenderunt patres nostri in Ægyptum, mansimúsq; in Ægypto temporibus multis; ac malo affecerunt nos Ægyptii, sicut patres nostros:

16 Quúmque clamavissemus ad Jehovam, ut exaudivit Jehova vocem nostram, misitque angelum qui eduxit nos ex Ægypto: & ecce *jam* sumus ad Kadeschum, civitatem ad finem termini tui *sitam*.

17 Transeamus quæsumus per terram tuam, non transibimus per agrum aut per vineam *ullius*, [13] neque bibemus aquam *ullius* putei: viâ regiâ ibimus, non declinabimus *ad* dextram aut sinistram usque dum transiverimus terminum tuum.

18 Cui respondit Edomæus, ne transito [d] per regionem meam; ut non prodeam [14] cum gladio obviam tibi.

19 Rursus dicentibus ei filiis Jisraëlis, tritâ viâ ascendamus; & si aquam tuam bibemus, ego & pecora mea, simul dabo [e] pretium venditionis ejus: tantummodò *istud*, nihil *aliud*, pedibus meis transeam:

20 Respondit, non transibis; prodiítq; Edomæus obviam ei cum populo [f] numeroso & manu forti.

21 Renuente itaque Edomæo permittere Jisraëli ut transiret per terminum suum; deflexit Jisraël ab eo.

22 Profecti sunt enim a Kadescho; & venerunt filii Jisraëlis totus cœtus illorum ad Horem montem.

23 [g] Tum alloquutus est Jehova Moschen & Aharonem ad montem Horem; juxta terminum terræ Edomæorum, dicendo;

24 Aggregandus est Aharon ad populos suos, non enim ingredietur in terram quam do filiis Jisraëlis: eo quòd rebellastis contra [h] præstitutum meum ad aquam contentionis.

25 Assume Aharonem & Elhazarem filium ejus; eósque jube ascendere in montem ipsum Horem:

26 Et exue Aharonem vestibus suis ut induas eis Elhazarem filium ejus: deinde Aharõ aggregabitur & morietur ibi.

27 Fecit ergo Mosche quemadmodum præceperat Jehova: nam ascenderunt in montem Horem ante oculos totius cœtus:

28 Et exuens Mosche Aharonem vestibus ipsius induit eis Elhazarem filium ipsius, & mortuus est Aharon ibi in vertice montis: posteà descendit Mosche cum Elhazare de monte illo.

29 Quúmque viderent totus ille cœtus expirasse Aharonem; fleverunt Aharonem triginta diebus tota domus Jisraëlis.

c *Heb. omnem molestiam quæ invenit nos, ut Exod. 18.8.*
13 nimirum gratis, ut versu 9. ostenditur, quum aiunt illi, *dabo pretium, &c.* sic infrà 2.22.
d *Heb per me: synecdoche, ut Deut. 2.29.*
14 id est, armis: synecdoche.
e *Heb. venditionem: metonymia.*
f *Heb. gravi.*
g *Num. 33.38. & 39.*
h *Heb. os.*

CAPUT XXI.

Jisraëlitæ in pugna adversus Regẽ Cenahanææ damno accepto, votum nuncupantes victoriam consequuntur: posteà murmurando efficiunt ut serpentes in se mittantur, a quibus precibus Moschis & serpentis ærei intuitu liberantur: post certas profectiones aquis divinitus datis, cantico Deum celebrant: deniq; Emoræis regibus expugnatis regna eorum obtinent.

1 QUum autem audivisset Cenhanæus Rex Haradi inhabitans [1] Australem partem

1 Cenahanææ, quà missi fuerant exploratores sup. 13.18.

adventare Jisraëlitas via ipsa exploratorum; pugnavit contra Jisraëlem, & captivam fecit ex eo captivorum multitudinem.

2 Quapropter vovens Jisraël votum Jehovæ, dixit; quum [a] omnino tradideris populum istum in manum meam, tunc [2] devotas efficiam civitates eorum.

3 Auscultans ergo Jehova voci Jisraëlis tradidit Cenaħanæum *illi*, qui devotos effecit eos & civitates eorum. quamobrem vocavit nomen illius loci [3] Chormam.

4 Deinde profecti sunt ex illo monte Hore viâ [b] *ad* mare algosum, ut circumirent terram Edomæorum: sed imminutus est animus populi propter viam illam.

5 Dicebat enim populus contra Deum & contra Moschen; quare fecistis ut ascenderemus ex Ægypto? ad moriendum in hoc deserto? nam non adest panis, nec adest aqua, & animam nostram tædet hujus panis vilissimi.

6 Tum immisit Jehova in populum illum serpentes [c] presteres qui morderent populum: ita moriebatur populus multus ex Jisraële.

7 Veniens itaque populus ad Moschen dixerunt, peccavimus quòd loquuti sumus contra Jehovam & contra te, ora Jehovam ut amoveat a nobis hos serpentes: oravítq; supplex Mosche pro populo.

8 Edixit verò Jehova Moschi, fac tibi presterem & impone eum perticæ; erítq; *ut* quisquis morsus fuerit, quum aspexerit eum [d] sanitatem recipiat.

9 Et faciens Mosche serpentem æneum imposuit eum perticæ: erátq; quum momordisset serpens aliquem, ut intuens in serpentem illum æneum sanitatem reciperet.

10 [4] Profecti autem filii Jisraëlis, castrametati sunt Obothis;

11 Deinde profecti Obothis; castrametati sunt ad [5] cumulos *montium* Habarimorum in illo deserto quod *est* ante conspectum Moabitarum ab ortu Solis.

12 [6] Inde profecti, castrametati sunt in [e] valle Zeredi.

13 Inde profecti castrametati sunt ad vadum Arnonis, quod *est* in ipso deserto, procedens a termino Emoræi: [7] nam Arnon terminus Moabitarum inter Moabitas & Emoræos *est*.

14 Idcircò dici solet in recensione [8] bellorum Jehovæ; contra [9] Vahebum in regione Suph, [e] & contra [10] flumina, *flumina* Arnonis:

15 [11] Decursus enim istorum fluminum qui divertit ad situm Haræ; is nititur termino Moabitarum.

16 Et inde *profecti sunt* [f] [12] Beerum: is *est* ille puteus de quo [13] edixerat Jehova Moschi, congrega populum, & dabo eis aquam;

17 Tum cecinit Jisraël canticum hoc, [14] ascende putee, acclamate ei:

18 Putee, quem fodiunt principes, quem effodiunt ingenui e populo, cum Legislatore scipionibus suis: a deserto verò Matthanam *sunt profecti*;

19 Et Matthana Nachalielem, & Nachaliele Bamothas;

20 Bamothis verò ad illam vallem quæ *est* in agro Moabitarum ad initium collium; & respicit versus [15] ipsam solitudinem.

21 Tum misit Jisraël nuncios ad Sichonem Regem Emoræorum, qui dicerent,

22 Transeam per terram tuam, non divertemus in *ullum* agrum aut vineam, [16] neque bibemus aquam *ullius* putei: viâ regiâ ibimus usque dum transiverimus terminum tuum.

23 Non permisit autem Sichon Jisraëli transire per terminum suum; sed congregato Sichon toto populo suo processit obviam Jisraëli in ipsum desertum, & venit ad [17] Jahatzam: ubi pugnavit contra Jisraëlem.

24 Percussit verò eum Jisraël acie gladii: & hæreditario jure acquisivit terram ejus ab Arnone Jabbokum usque, usque ad Hammonitas: [18] nam munitus erat terminus Hammonitarum:

25 Occupavit ergo Jisraël omneis civitates illas: ideò habitat Jisraël in omnibus civitatibus Emoræi, Cheschbone, & in omnibus [g] opidis ejus.

26 Cheschbon enim civitas erat Sichonis Regis Emoræi; qui pugnans contra [19] Regem Moabitarum [20] priorem ademerat totam regionem ejus e manu ejus Arnonem usque.

27 [21] Idcircò dicere solent [22] qui proverbiis utuntur, adite Cheschbonem; ædificetur & firmetur civitas Sichonis.

28 [23] Quum ignis egressus est Cheschbone, flamma ex civitate Sichonis; absumsit [24] Haram Moabitarum, incolas [25] excelsorum Arnonis.

29 Væ tibi Moab, periisti popule [26] Cemoschi: [27] tradidit filios ejus qui evadebant & filias ejus in captivitatem, Regi Emoræo Sichoni.

30 Sed jaculis confecimus eos, pereunte Cheschbone, Dibonem usque; & desolavimus Nophacum usque, *desolatione* [h] pertingente Medebam usque.

31 Itaque habitavit Jisraël in terra Emoræi.

32 Deinde misit Mosche ad explorandum [28] Jaħzerem, quam ceperunt *cum* opidis ejus: sic expulit Emoræum qui *erat* illic.

33 Posteà conversi quum ascenderent via *ad* Baschanem; processit [8] Hog Rex Baschanis obviam eis, ipse cum toto populo suo in prælium Edreħin.

34 Edixit autem Jehova Moschi, ne timeto eum, nam in manum tuam trado eum, totúmq; populum ejus, ac regionem ejus: sed facies eo quemadmodum fecisti Sichone Rege Emoræorum qui habitabat Cheschbone:

35 Percusserunt itaque eum, filiósq; ejus, & totum populum ejus, adeò ut nō relinquerent ei superstitem: sic hæreditario jure consequuti sunt terram ejus.

[a] *Heb. tradendo tradideris.* [2] non reservabo ad usus nostros, sed tibi consecratas perdam. [3] i. devotionis locum seu anathematis. [b] *Heb. maris.* [c] *Heb. adurentes.* [d] *Heb. vivat. sic vers. seq.* [4] Tzalmona Punonem, & Punone ulteriùs, infr. 33.41. & 42. [5] primos colliculos quâ incipiunt Habarimi montes. [6] his novem versibus non stationes Jisraëlitarum, sed loca compendio enumerantur per quæ transiverunt antequàm Mosche legatos ad Emoræum mitteret. [e] *vel torrente.* [7] fuerat quidem antè ditionis Moabitarum; sed Sichon Emoræus bello ipsum cum ulteriore agro subegerat, ut narratur infr. vers. 26. itaque Jisraëlitæ nihil quod tum Moabitarum esset occuparunt. [8] quæ Jehovæ providentia & ductu contra Moabitas ab Emoræo gesta sunt, ut Moabitæ castigarentur, Sichon elatus Jisraëlitas audaciùs in bellum provocaret, & Jisraëlitis hæreditas pararetur: vide Judic. 11. [9] Regem a Sichone devictum, de quo infrà V. 26. de Suph autem vide in Deut. 1. 1. [e] *Eclipsis conjugati: ut Hebræis familiare est conjugata nomina ex verbis, & verba ex nominibus intelligere.* [10] Arnonem, qui in diversos rivos ac fluenta dividitur, ut sequens vers. ἐξηγεῖται. [11] id est, hoc bello factum est, ut Moabitarū ditio eo rivo terminaretur qui vergit ad Haram: nam Sichon sibi ulteriores rivos vendicavit. [f] *id est, in puteum.* [12] relicto Arnone: unde factum est ut aquarum penuria laborantibus Deus puteo dato succurreret. [13] puta ut omnes congregati effodiendo puteo incumberent, de aquis inveniendis a Deo confirmati, ut docetur versibus seq. [14] canticum est per prosopopœiam & hypotyposin factum: primùm enim celeustarum more seipsos ad opus urgent clamore, deinde operas velut oculis subjicit, nimirum principes & ingenuos cum Mosche scipionibus fodientes.

[15] Kademothas, unde nuncios ad Emoræū misit, Deut. 2.25. [16] vide supra in 20.17. [17] nomen opidi, quod Reübeni posteà fuit attributum, ut nominatim exprimitur Jehoschu. 13.18. [18] proinde non potuerat, sicut Moabitarum terminus a Sichone occupari. [g] *Heb. filiabus: sic deinceps.* [19] Vahebum, de quo suprà vers. 14. [20] aut Balaki respectu de quo infrà 22. (quod magis probo) aut situs, quia ex variis Moabitarum Regibus hic erat illi proximus. [21] Confirmatio a communi dicto ejus temporis, quod erat in ore vulgi. [22] i. populares poëtæ atq; ᾠδοποιοί (Græci αἰνιγματιστὰς vocant) qui fuerunt in populo Dei: nam hoc Jisraëlitarum fuisse epinicion demonstrat V. 30. [23] altera confirmatio, cujus sensus est: Sichon post occupatā Cheschbonem copiis inde ductis in vicinos Moabitas, tanquam igne consumsit eos. [24] nomen agri Moabitarum, ac potiùs montis & totius montani tractus (ex quo & metropolis ἐπωνύμως appellatur) ut Deut. 2.8. [25] locorum munitorum, destinatorúmque idololatriæ. [26] idoli Moabitarum, 1. Reg. 11. 7. & alibi. [27] i. sivit abduci, nec potuit defendere idolum Cemoschi cultores suos. [h] *Heb. quæ est usque Med.* [28] vide in 1. Macb. 5.8. [8] *Deut. 3.1.*

CAPUT XXII.

Bilħam a Moabitis accersitus ut Jisraëli maledicat, primum recusat de voluntate Dei admonitus, iterum vocatus veniam abeundi extorquet: quare offensus Deus in via per Angelum eum objurgat, & quid fieri ab ipso velit disertè repetit.

1 POstea profecti sunt filii Jisraëlis; & castra posuerunt in campestribus Moabitarum cis vadum Jerichuntinum Jardenis.

2 Quod videns Balac filius Tzipporis; cum omnibus quæ fecerat Jisraël Emoræo ipsi:

3 Timuit

3 Timuit Moabita [a] a præsentia istius populi valde, eo quòd multus esset; tæduítque Moabitam ob præsentiam filiorum Jisraëlis.

4 Quapropter dixit Moabita [1] Senioribus Midjanis, nunc delingent hæc congregatio omnia quæ circum nos *sunt*, sicut delingit bos viridem herbam agri (erat autem Balak filius Tzipporis Rex Moabitarum tempore illo)

5 Et misit nuncios ad Bilħamum filium Beħoris [2] Petoram, quæ *est* imposita ipsi [3] flumini, in regionem [4] [b] popularium ejus, accersitum eum: dicendo, ecce populus egressus est ex Ægypto, ecce [5] operit aspectum hujus terræ, & ipse considet e-regione mei.

6 Nunc itaque veni quæso, [6] maledic meâ causâ populo huic, quia robustior est me, fortasse prævalebo, percutiemus eum, aut expellam eum ex hac terra: novi enim benedictum fore eum cui benedixeris, & cui maledixeris fore maledictum.

7 Iverunt ergo Seniores Moabitarum & Seniores Midjanitarum [c] cum divinationum honorariis in manibus suis: quúmque pervenissent ad Bilħamum, retulerunt ei verba Balaki.

8 Qui dixit eis, pernoctate hîc nocte ista, & reddam vobis [d] responsum quemadmodũ edixerit Jehova mihi: sic manserunt principes [7] Moabitarum cum Bilħamo.

9 Venit autem Deus ad Bilħamum; & dixit, qui *sunt* viri isti apud te?

10 Et dixit Bilħam Deo, Balak filius Tzipporis Rex Moabitarum misit *eos* ad me,

11 *Dicens*, ecce populus egressus ex Ægypto jam tegit aspectum hujus terræ: nunc veni, [e] exsecrare meâ causâ illum, fortasse prævalebo pugnando adversus eum, aut expellam eum.

12 Sed dixit Deus Bilħamo, ne ito cum illis: ne maledicito populo illi, nã benedictus est.

13 Quare surgens Bilħã eo mane dixit principibus Balaki, redite in terram vestram; quia renuit permittere Jehova ut eam vobiscum.

14 Et surgentes principes Moabitarum venerunt ad Balakum; dixeruntque *ei*, renuit Bilħam ire nobiscum.

15 Sed perrexit ulteriùs Balak; mittendo principes plures & honoratiores istis:

16 Qui quum venissent ab Bilħamum, dixerunt ei, sic ait Balak filius Tzipporis, ne quæso [f] excuses te interdicto, quo minùs venias ad me:

17 nam [g] valde cumulabo te honore, & quicquid edixeris mihi efficiam: quare veni quæso, exsecrare populum hunc meâ causâ.

18 Respondens autem Bilħam dixit servis Balaki, si daret mihi Balak [h] domum suam plenam argento & auro, non possem transgredi [i] præstitutum Jehovæ Dei mei, faciendo *aliquid* parvum aut magnum.

19 [8] Nunc tamen manete quæso hîc vos quoque hac nocte; ut cognoscam quid perrecturus sit Jehova loqui mecum.

20 Veniens autem Deus ad Bilħamum noctu; dixit ei, [9] quandoquidem accersitum te veniunt viri isti; surge, abi cum eis: verumtamen rem quam edixero tibi, illam [10] facies.

21 Surgens itaque Bilħam ipso mane stravit asinam suam, abiitque cum principibus Moabitarum.

22 Sed accensa est ira Dei [11] quòd ipse abiret; & opposuit se Angelus Jehovæ in via [k] ut esset adversarius ei: is autem insidebat asinæ suæ, habens duos pueros suos secum.

23 Quum autem videret asina illa Angelum Jehovæ stantem in via illa & gladium ejus eductum in manu ejus, declinavit asina ab illa via ut iret in agrum: sed percussit eam Bilħam ut cogeret eam reflectere *ad* viam illam.

24 Tum stetit Angelus Jehovæ in tramite quodam vinearum, [l] maceriam utrinque habente.

25 Quúmque videns asina Angelum Jehovæ *stantem* comprimeret se ad alteram maceriem, compressit pedem Bilħami ad maceriem illam: quare denuò percussit eam.

26 Posteà Angelus Jehovæ perrexit transire: stetítque in loco angusto, ubi nulla erat via ad declinandum dextrorsum aut sinistrorsum.

27 Itaque videns asina *stantem* Angelum Jehovæ, succubuit sub Bilħamo: & accensus ira Bilħam percutiebat asinam baculo suo.

28 Aperuit autem Jehova os asinæ; quæ dixit Bilħamo, quid feci tibi, quòd percussisti me jam [m] ter?

29 Dicente verò Bilħamo asinæ, quia ludificata es me: utinam esset gladius in manu mea, jam enim occiderem te:

30 Dixit asina Bilħamo, nónne asina tua sum, qua vehi soles [n] ex quo tua fui usque in diem hunc? an [o] solita fui unquam tibi ita facere? qui dixit, non.

31 Tum detexit Jehova oculos Bilħami; qui vidit Angelum Jehovæ consistentem in ipsa via, & gladium ejus eductum in manu ejus: quare inclinans verticem incurvavit se in faciem suam honorem exhibens.

32 Et dixit ei Angelus Jehovæ, quamobrem percussisti asinam tuam jam ter? ecce ego egressus sum ut sim adversarius, quia [12] declinat hæc via in conspectu meo.

33 Quum vidit me asina, tum divertit a conspectu meo jam ter: [13] fortasse divertit a conspectu meo; quia jam etiam te occidissem, & illam vivam conservassem.

34 Dicenti itaque Bilħamo ad Angelum Jehovæ, peccavi, [14] quia nesciebam te consistere obviam mihi in hac via: quare nunc si malum videtur in oculis tuis, [p] revertar:

35 Dixit Angelus Jehovæ Bilħamo; abi cum istis viris, sed tantùm verbum quod edixero tibi illud loquitor: ivítque Bilħam cum principibus Balaki.

36 Quum autem audiret Balak adventare Bilħamum; processit obviam ei ad [15] urbem Moabitarum quæ *erat* in termino Arnonis, qui *est* in extremitate ipsius termini:

37 Et dixit Balak Bilħamo, an non [q] sedulò miseram ad te ad accersendum te? quare non veniebas ad me? an verò non possum honore afficere te?

[a] *Heb. a facie, sic deinceps.* [1] senatoribus quos socios in hoc consilio adhibuit: ideò legati utrinque dicuntur missi infrà vers. 7. [2] Pacoriam Ptolemæo. [3] Euphrati. [4] erat enim Mesopotamiensis, ut ipse testatur infrà 23.11. [b] *Hebr. filiorum populi ejus, id est, Mesopotamiensium.* [5] præ multitudine: hyperbole. [6] tuis artibus fascina eum ut malè pereat: sic pugnasse dicitur contra Jisraëlem Jehoschu. 24.9. [c] *Heb. & divinationes in.* [d] *Heb. verbum.* [7] & Midjanitarum quoq; συμβούλων, ex versu 7. [e] *Heb. defige, id est, tuis artibus mihi illum confode: sic inf. V. 18. & Levit. 24.11.* [f] *Heb. probibearis.* [g] *Heb. honorando honorabo te honore.* [h] *Heb. plenitudinem domus suæ.* [i] *Heb. os.* [8] erat quidem Bilħam de constantissimo Dei responso certior: sed avaritia permotus & pellectus promissis Regalibus spem legatis facit, tamquam si Dominus muneribus eorum flecti, aut intercessione sua exorari posset, atque a priore sententia absistere: quam tentationem ex mala mente profectam sequente responso ludificatur Deus; deinde verò tum Angeli sui opera, tum insperato asinæ sermone redarguit, seq. [9] quasi dicat, cùm illi te, & tu me adeò importunè sollicitas, age abi, &c. [10] quamvis invitus & aliud cupiens. [11] animo exsequendi voluntatem Balaki, Deut. 23.5. [k] *Heb. in adversarium: ut V. 22.*

[l] *Heb. maceria hinc & maceria illinc.* [m] *Heb. tribus vicibus, sic infrà vers. 32. & 33.* [n] *Heb. ex quo tibi sum: pronomen affixum pro separato.* [o] *Heb. solendo soleo tibi ita facere?* [12] id est, alium tuæ hujus profectionis finem tibi proposuisti a meo: viam enim pro instituto accipit, ut Judic. 4.9. [13] vox est non dubitantis, sed dubitationem eximentis per rei dubiæ confirmationem: vide in Jehoschu. 14.12. [14] mentitur pseudopropheta ad excusationem sui: nam interdictum Dei primò acceperat, suprà vers. 12. sed præ avaritia obstiterat ultrò interdicto Dei, quia hoc ex animi sui sententia mutari cupiverat. [p] *Heb. revertar mihi.* [15] Ħamram puto, cujus mentio jam sæpe facta est a Mosche suprà cap. 21. atque eamdem (nisi me conjectura fallit) Mosche infrà 23. 2, non platearum (ut quidam putant) sed divisionum vel separationũ urbem vocat, quia fines Moabitarum ab exterorũ finibus dispescuit: prout optimè vetus interpres observavit: quamobrem proximè Hebræum sermonẽ urbẽ finibus adjacentem, i. limitaneam in eo loco exposuimus, pro eo quod antè voces Hebræas Kirjath-chutzoth posueramus citra ipsarum interpretationem. [q] *Heb. mittendo miseram.*

CAPUT XXIII.

Bilħam præmissis sacrificiis bis conatur Jisraëlitis maledicere morem Balako gerens: sed divinitus animo linguáque illius mutata, benedicit eis, & divinam erga eos benevolentiam prædicat.

1 Dixit verò Bilħam Balako, ecce veni ad te, jam [a] possémne ullo pacto aliquid loqui? illud ipsum verbum quod indiderit Jehova ori meo, eloquar.

2 Ivítque Bilħam cum Balako, & venerunt *in* urbem, finibus *adjacentem*:

[a] *Heb. posse possem.*

3 Ubi mactans Balak boves & pecudes; [1]mi-
sit ad Bilħamũ,& ad principes qui cum eo *erant*,
4 Fuit autem ipso mane, ut assumens Balak
Bilħamum ‖ deduceret eum *ad* excelsa Baħalis:
unde videbat extremam partem populi.

CAPUT XXIII.

5 Tum dixit Bilħam Balako, exstrue mihi
hîc septem altaria; & præpara hîc mihi septem
juvencos,& septem arietes:
6 Et fecit Balak quemadmodum loquutus
erat Bilħam, obtulítque Balak cum Bilħamo ju-
vencum & arietem in unoquoque altari.
7 Dixit autem Bilħam Balako, consiste jux-
ta holocaustum tuum; dum [2] abeo,fortasse [b] ob-
viam fiet Jehova mihi,& [c] quamcunque rem os-
tenderit mihi indicabo tibi: & abiit *in* clivum.
8 Quúmque obviam factus esset Deus Bil-
ħamo; dixit ei *Bilħam*,septem altaria disposui, &
obtuli Juvencum atque arietem in unoquoque
altari.
9 Indens verò Jehova verbum ori Bilħami;
dixit,revertere ad Balakum,& sic loquitor.
10 Est itaque reversus ad illum, quum ecce
consisteret juxta holocaustum suum: ipse cum
omnibus principibus Moabitarum.
11 Protulítque sententiam suam dicens; [3] e
Syria jussit me adduci Balak Rex Moabitarum, e
[4] mõtibus orientalibus,*dicendo*,veni maledic meâ
causâ Jaħakobo,veni, [d] detestare Jisraëlem.
12 Quid exsecrarer?non exsecratur *Deus* for-
tis illum: aut quid detestarer ? non detestatur
Jehova.
13 Quum e summitate rupium illum aspicio,
& e collibus contemplor illum; en populus *qui* [5]
solus habitat, & aliis gentibus seipsum non an-
numerat.
14 Quis numeret pulverem Jaħakobi ? &
quis numerum ? *quis* quartam partem Jisraëlis ?
[6] [e] moriar ego morte justorum, & sit finis meus
sicut illius.
15 Tum dixit Balak ad Bilħamum, quid facis
mihi? ad exsecrandum inimicos meos assumsi te,
ecce autem [f] indesinenter benedicis.
16 Qui respondens dixit; annon quod indidit
Jehova ori meo, ipsum [g] cum observantia elo-
querer ?
17 ‖ Deinde dixit ei Balak,veni quæso mecũ
ad locum alterum ex quo videas eum, tantùm
extremitatem ejus vides, eum verò totum non
vides: & exsecrare eum meâ causâ inde.
18 Sic assumens eum *deduxit* in agrum [h] Tzo-
phim ad initium collium; ubi exstructis septem
altaribus obtulit juvencum & arietem in uno-
quoque altari:
19 Dixítque Balako, consiste hîc juxta holo-
caustum tuum,ego verò obvius fiam illic *Jehovæ*.
20 Obviam itaque factus Jehova Bilħamo in-
didit verbum ori ejus; ac dixit, revertere ad Ba-
lakum, & sic loquitor.
21 Venit itaque ad illum, ecce autem consis-
tebat juxta holocaustum suum & principes Moa-
bitarum cum eo: & dixit Balak, quid loquutus
est Jehova ?
22 Tum protulit sententiam suam dicens; [7]
surge Balak & audi, aures attende ad me fili
Tzipporis:
23 *Deus* fortis non *est* homo qui mentiatur,
aut filius hominis quem pœniteat: an ipse dixe-
rit & non faciet ? an loquutus fuerit, & non præ-
stabit illud ?

[1] ut cum principibus convivaretur, quos ei honoris causâ adjunxerat. de urbe autem finibus adjacente videndum suprà in 22. 36.
‖ *infrà* 17.
[2] videlicet captaturus incantationes,ut dicitur infrà 24.1.
[b] Heb. *obvius fiet Jehova obviam mihi.*
[c] Heb.*rem ejus quod &c.*
[3] Mesopotamia Syriæ parte Deut.23.4.
[4] vide Genes. 11.26.
[d] Heb.*indignare, id est, in indignationem adhuc: sic vers.* 12.
[5] religione, legibus, & institutis vitæ ab omnibus aliis separatus Deo.
[6] id est, utinam post hujus vitæ exitum felicitatem consequar his rectis repositam.
[e] Hebr. *anima mea moriatur.*
[f] Heb.*benedicũ benedicendo.*
[g] Heb. *observarem loquendo.*
‖ *suprà* 4.
[h] *id est, speculatorum.*
[7] honorem verbo Dei exhibiturus: sic Gen. 49.33. & Judic. 3.20.

24 Ecce recepi [i] benedicendi onus: [8] bene-
dixit enim, [9] nec revocabo illud.
25 [10] Non intuetur iniquitatem in Jaħakobo,
nec aspicit perversitatem in Jisraële: Jehova De-
us ejus [11] cum eo *est*,& clangor regius *est* in eo.
26 *Deus* fortis eductor eorum ex Ægypto, [12]
est ei ut vires monocerotis.
27 [13] Nam non est incantatio cõtra Jaħako-
bum, neque divinatio contra Jisraëlem: [14] jam
hoc tempore dicendum est de Jaħakobo & de
Jisraële,quid operetur *Deus* fortis.
28 En populus *qui* tamquam immanis leo [15]
assurget,& tamquam leo seipsum attollet: [16] non
cubabit donec comederit prædam,& sanguinem
confossorum biberit.
29 Tum dixit Balak Bilħamo, nec *ulla* exse-
cratione exsecrator eum; nec benedictione be-
nedicito ei.
30 Respondens verò Bilħam dixit Balako;
an non alloquutus eram te dicendo,quicquid lo-
quutus fuerit Jehova, illud faciam ?
31 Deinde dixit Balak Bilħamo, age quæso,
assumens te *ducam* in locum alium: fortasse rec-
tum videbitur in oculis [17] Dei illius,ut istum inde
meâ causâ exsecreris.
32 Et assumens Balak Bilħamum, *duxit* in
verticẽ [18] Peħoris, qui respicit solitudinẽ versus.
33 Ubi dixit Bilħam Balako, exstrue mihi hîc
septem altaria; & præpara hîc mihi septem ju-
vencos & septem arietes.
34 Et fecit Balak quemadmodum dixerat
Bilħam; obtulítque juvencum & arietem in uno-
quoque altari.

[i] Heb.*benedicere.*
[8] Jehova, qui mihi occurrit.
[9] non possum irritam facere benedictionem ejus.
[10] non imputat illis,sed tegit,remittit & purgat peccata.
[11] illis favet,sua præsentia sanctificans eos, & verbo suo (quod in eis veluti buccina personat) regit eos.
[12] q.d.qui eos a servitute invitis AEgyptiis vendicavit,idem robore munit eos contra inimicos, ut est munitus monoceros: nec plus valent adversus eum artes diabolicæ,quàm venena contra monocerotem.
[13] Confirmatio a re præsente,eo quòd ipse suis fascinis & incantationibus nihil illis nocere possit.
[14] i.his omnibus fascinis missis opus Dei erga Jisraëlem mihi est prædicandũ. [15] prosperabitur & contra hostes prævalebit ut leo. [16] non desinet prosperari, & inimicos suos pessumdare. [17] sic videtur exponendum,ut profani Regis impietas sit evidentior. [18] nempe ut sacrificia offerret Baħali,sive idolo Peħoris,prout idolũ istud nominatur infrà 25.3.& 5.

CAPUT XXIIII.

Bilħam spiritu Dei adactus Jisraëlitis benedicit, & felicia eis, infelicia verò eorum hostibus coram Rege Moabitarum prænunciat: cui tamen perniciosum dat consilium ante profectionem suam.

1 VIdens autem Bilħam bonum videri in o-
culis Jehovæ ut benediceret Jisraëli, [a]
hac vice ut anteà non ivit ad captãdas incanta-
tiones: sed [b] [1] convertit faciẽ suã versus desertũ.
2 Quúmque sublatis oculis suis videret Bil-
ħam Jisraëlem commorantem [2] per tribus suas,
[3] adfuit ei spiritus Jehovæ:
3 Et protulit sententiam suam dicens; dic-
tum Bilħami filii Beħoris, & dictum viri [4] aperti
[c] oculis:
4 Dictum audientis sermones *Dei* fortis; qui
visionem omnipotentis videt, [5] excidens,sed re-
tectus oculis.
5 Quàm sunt bona tentoria tua,ô Jaħakob!
tabernacula tua,ô Jisraël !
6 [6] Ut valles extenduntur, ut horti juxta
flumen; ut santalos [7] plantavit *eos* Jehova,ut ce-
dros juxta aquas.
7 [8] Fundet aquam e situlis suis,ut semen ejus

[a] Heb. *vice in vice in occursum incantationum: sic Judic.*16.20.
[b] Heb.*posuit.*
[1] ut (si posset) inconsulto Jehova populo malediceret.
[2] i. in stationes suas distinctum ex lege Dei suprà 2.
[3] id est,corripuit & incessit eum,quamvis obnitentem.
[4] donati luce Spiritus divini, non ad sanctificationem perpetua,sed temporaria ad res sequentes pervidendas, ut ait ipse Bilħam infrà vers. 17. & explicat sequente versu. [c] *Heb. oculo, ut infrà vers.* 15. [5] extra se raptus excidentibus sensuum facultatibus,quæ ratio est videndi visiones Dei,ut 1.Schemuel. 19. 24. [6] his metaphoris prædicit felicitatem populi, quasi dicat, amplitudine cum vallibus,felicitatis incremento cum hortis perenni fluvio irriguis, suavitate cum santalis odoratissimis, robore & altitudine cum irriguis cedris comparanda. [7] quasi dicat, quarum tanta est præstantia, ut non humanitus satæ,sed divinitus datæ dicendæ sint. [8] ita benedicet Deus ut copiosam sobolem habeat atque fructiferam.

sit in aquis multis: sic assurget suprà [9] Agagum
Rex ejus,& attollet se regnum ejus.
8 [10] *Deus* fortis eductor ejus ex Ægypto, ut
vires monocerotis *erit* ei: consumet gentes ini-
micas sibi, & ossa eorum [d] detrahet, aut sagittis
suis franget.
9 [11] Incurvavit se, jacet tamquam leo &
tamquam immanis leo; quis excitet eum? [12] be-
nedicentium tibi *quisque est* benedictus, & male-
dicentium maledictus.
10 Tunc accensus ira Balak adversus Bilħa-
mum complosit manibus suis: dixítque Balak
Bilħamo, ad [e] exsecrandum inimicos meos vo-
caveram te, & ecce benedixisti [f] indesinenter
tribus jam vicibus.
11 Nunc ergo effuge in locum tuum: dixe-
ram, [g] honore cumulabo te, sed ecce [h] avertit
te Jehova ab honore.
12 Sed dixit Bilħam Balako, nónne etiam
nuncios tuos quos miseras ad me alloquutus e-
ram dicendo?
13 Si daret mihi Balak [i] plenam domum su-
am argento & auro, non possem transgredi [k] præ-
stitutum Jehovæ, faciendo rem bonam aut ma-
lam [l] ex me: quod loquetur Jehova, illud elo-
quar.
14 [13] Nunc itaque ecce ego abiturus sum ad
populum meum: [14] age, consulam tibi *res* [15] qua-
leis facturus est hic populus populo tuo [m] extre-
mis temporibus.
15 Deinde [16] proferens sententiam suam dix-
it; dictum Bilħami filii Beħoris, dictum viri a-
perti oculis:
16 Dictum audientis sermones *Dei* fortis,
& noscentis notionem excelsi, *qui* visionem
omnipotentis videt, excidés, sed retectus oculis.
17 [17] Video illud, non tamen nunc, contem-
plor illud, sed non propinquum: procedit [18] stel-
la ex Jaħakobo, & exsurgit sceptrum ex Jisraële,
quod [19] franget latera Moabitarum, & destruet
omneis [20] [n] eos qui ponè sunt.
18 Et erit Edom possessio, erit inquam Seħir
possessio [21] hostibus suis; nam Jisraël faciet [o]
strenuè:
19 Dominiúmq; obtinebit ex Jaħakobo *na-
tus*, qui perdet [22] superstitem e civitate *quaque*.
20 Quúmque aspiceret Hamalekum, pro-
ferens sententiam suam dixit: [23] *ut* principio

[9] Hamalekitarum regnum eo tempore florentissimum per synecdochen: nam eorum Reges Agagi dicebantur, ut AEgyptiorum Parħones: sic 1. Schemu. 15. 8.
[10] vide suprà 23. 26.
[d] *Heb. exossabit, id est, tractabit eos ut feræ prædã.*
[11] ut Gen. 49. 9.
[12] ex promissione facta Abrahamo Genes. 11. 35.
[e] *ut suprà* 22. 11.
[f] *Heb. benedicendo.*
[g] *Heb. honorando honorabo te.*
[h] *Heb. prohibuit te Jehova ab honore: hypallage, pro prohibuit honorem a te.*
[i] *Heb. plenitudinem domus.*
[k] *Heb. os.*
[l] *Heb. ex corde meo, ut suprà* 16. 28.
[13] puta quandoquidem mihi jam hinc per te licet discedere.
[14] ἀποθεσπίσεια est qua nefarium & exitiale consilium allaturus Bilħam Balaki animum comparat ut res (quamvis animo ipsius ingratas) patienter audiat. Consilium autem hoc quale fuerit, indicat historia cap. 25. nam ex consilio Bilħami eam evenisse confirmatur infrà 31. 16. & Apoc. 2. 14.
[15] i. quæ perinde Jisraëlitis exitio futuræ sunt, ut ipsi tandem tuis popularibus exitiales sunt futuri. Atque hæ quidem brevitatis causa hoc loco reticentur, sed ab eventu qui narratur sequente cap. intelligendæ sunt. [m] *Heb. in extremitate dierum.* [16] sic suprà vers. 3. & 4. [17] quod mox dicturus sum: sic relativa interdum apud Hebræos antecedentibus præeunt. [18] stellæ & sceptri nomine regnum populi Dei intelligit, cœptum in Davide, completum in Christo: inter quos tempus interjectum fuit progressus quidam stellæ, aut incrementum sceptri, sive temporale regnum spectes, quod in primis spectabat Bilħam, sive spirituale, quod cõtinenter adimpletur in Christo. [19] Moabitas sibi subjiciet quasi perfodiens eorum latera: vide 2. Schemu. 8. 2. [20] id est, Hammonitas, Midjanitas, & Orientaleis cæteros ad Euphratem usque pertingentes. Hos autem filios sedis vel posticæ partis videtur appellare Bilħam ratione situs sui. Nam castra habebant Jisraëlitæ ad Moabitarum campestria Jerichuntem & Jardenem versus suprà 22. 1. sic Moabitæ respectu Jisraëlitarum versus Orientem erant, ut narrat Jiphthach Judic. 11. 20. Quum autem hæc omnia Bilħam enunciaverit vultu ad Jisraëlitas converso, tum certè fuerunt pone ipsum Orientales populi quos Judæi suo tempore subegerunt: itaque eos posteriorum partium filios appellavit, quæ partes honestè appellantur sedes hic, ut Jeschaħ. 20. 4. Quòd si quis filios obsidionis interpretari malit, id est, infestos hostes per quos Jisraëlitæ quasi perpetua obsidione pressi sunt, ducto nomine a verbo quod significat opponere castra, ut Psalm. 3. 7. per me licet. Omnino quod antè vertimus filios Schethi, jam improbatur mihi. Utram ex superioribus volet, pius Lector deliget. [n] *Heb. filios sedis.* [21] Jisraëlitis: vide 2. Schemu. 8. 14. [o] *Heb. virtutem: nomen pro adverbio.* [22] hostem, quamvis munitissimum. [23] id est, ut copiis ejus infeliciter successit, quum primùm Jisraëlitas aggressi sunt Exod. 17. ita succedet semper; donec deleti sint: nam irrevocabili Dei decreto Hamalekitæ traditi sunt Jisraëlitis delendi, & contra eos perpetuum imperatum bellum, ibidem 3. vers. ultimis.

[24] gentium Hamalek, ita fine suo ad pereuntem
pertinet.
21 Quum verò aspiceret [25] Kenæum, profe-
rens sententiam suam dixit: forte *est* habitacu-
lum tuum, & ponere in petra nidum tuum:
22 Attamen erit [p] quum depascetur [26] Ka-
jin; [27] tantisper dum Assyrius captivũ tenebit te.
23 Denique proferens sententiam suam dix-
it; [28] eheu, quis vivet ex quo disposuerit hoc
Deus fortis?
24 Sed quum naves a litore [29] Citthæorum
solventes afflixerint Assyrios, & afflixerint He-
bræos: tum etiam *populus* ille in perpetuum [30]
peribit.
25 Posteà surgens Bilħam abiit [31] ut reverte-
retur in locum suum: atque etiam Balak abiit iti-
nere suo.

[24] illarum putà quæ infestaverunt Jisraëlem proficiscentem ex AEgypto.
[25] gentem Jithronis e Midjanitis: unde Kenæus vocatus Judic. 1. 16. & posteri ejus Kenæi Judic. 4. & 1. Schemu. 15. 6.
[p] *Heb. ad depascendũ Kajinum.*
[26] Kenæus trãspositis literis, fortasse autoris gentis istius nomen est.
[27] nã ex deportatione quã ab Assyriis & Babyloniis perpessi sunt, cum reducibus Judæis reverterunt, 1. Chro. 2. 55. Assur autẽ vel Assyria generalis est multarũ regionum appellatio, in quibus est Babylonia: & Rex Babylonius, Assyriæ dicitur Hezræ 6. 22. & Jeschaħ. 52. 4. & alibi. [28] quasi dicat, o quantas, & quàm graveis calamitates! [29] Cilicum: vide Genes. 10. 4. intelligit autem Græcorum Seleucidarúmque copias quibus Hebræi & Assyrii domiti sunt. [30] quod Daniel. 2. 34. & 45. figurâ statuæ a lapide, qui sine manibus excisus fuerat, comminutæ prædicitur, & effectum fuisse legitur 1. Macb. 1. 1. [31] id est, revertendi animo, sed tamen non reversus est: nam apud Midjanitas substitit, & illic interfectus est, infrà 31. 8.

CAPUT XXV.

Jisraëlitæ Bilħami consilio in idololatriam & scortationem inducti, iram Dei ita provocant, ut duces maleficorum suspendi, reliquos interfici jubeat, donec strenuo Pinchasi facto ira ejus deferbuit: Quo nomine sacerdotium perpetuum ei posterisque adjudicatur, & in Midjanitas bellum imperatur.

1 TUm manebat Jisraël Schittimis: ubi cœ-
pit populus scortari cum filiabus Moabi-
tarum.
2 Nam invitaverunt populum ad sacrificia
deorum suorum; comedebátque populus, ac in-
curvabat se diis illarum *honorem exhibens*.
3 Sic copulato Jisraële cum idolo Peħoris,
accensa est ira Jehovæ in Jisraëlem.
4 Et edixit Jehova Moschi, sume omneis
primarios [1] istius populi, & [2] suspende eos Jeho-
væ [3] coram isto Sole: ut avertatur furor iræ Je-
hovæ ab Jisraële.
5 [4] Deinde edixit Mosche Judicibus Jisraë-
lis; occidite quisque [5] homines suos qui copula-
runt se idolo Peħoris.
6 Ecce autem quidam e filiis Jisraëlis veni-
ens [6] adduxit versus fratres suos Midjanitidem
quamdam, ante oculos Moschis & ante oculos
totius cœtus filiorum Jisraëlis; ipsis flentibus *ad*
portam tentorii conventus.
7 Quod quum videret Pinchas filius Elħa-
zaris filii Aharonis Sacerdotis, surgens e medio
illius cœtus arripuit spiculum manu sua:
8 Veniénsque post [a] illum Jisraëlitam in [b]
lupanar ipsum, transfixit ipsos ambos, virum Jis-
raëlitam & mulierem illam in lupanari illius:
tum coërcita est plaga illa ne *pergeret* in filios Jis-
raëlis.
9 Fuerunt autem qui mortui sunt [7] plaga il-
la, vicies quater mille.
10 Et alloquutus est Jehova Mosché, dicẽdo,
11 Pinchas filius Elħazaris filii Aharonis Sa-
cerdotis avertit excandescentiam meam a filiis

[1] multitudinis eorum qui ad idololatriam & scortationem se contulerunt.
[2] ut 2. Schemu. 21. 6.
[3] hoc ipso die, antequam occidat Sol: nam uno die durasse plagam illam legimus infrà vers. 18. & 1. Cor. 10. 8.
[4] suspensis puta primoribus ex mandato Dei.
[5] suæ curæ commissos, secundùm ordinem institutum Exod. 18. 25.
[6] ipsum malum in media castra intulit: adeo non satis illi fuit ad exteras mulieres vocantes exivisse cum reliquis, nisi Jehovam probro afficeret, peccarétque elata manu, ut Deus loquitur suprà 15. 30. & fratres suos ad libidinem eamdem proritaret. [a] *Heb. virum Jisraëlis.* [b] *ut vox affinis Deut.* 18. 3. *quod enim vulgò interpretantur, ad ipsum tentorium, sine exemplo est.* [7] id est, die illius; sive suspendio vitam finiverint, ut primoribus quasi mille factum est, sive gladio, quo populares cæteri confossi sunt. Huc autem respexit Paul. 1. Cor. 10. 8. viginti tria millia, id est, confossos tantum numerans.

Jisraëlis

Jisraëlis quū [c] ageret zelotypiā mei inter eos; ita
ut nō cōsumserim filios Jisraëlis zelotypiā meā.
12 Idcircò dicito, ecce do ei [8] meum fedus,
fedus pacis.
13 Erit enim ei ac semini ejus post eum [9] fe-
dere sacerdotium perpetuum; eo quòd zeloty-
pus fuit pro Deo suo, & expiationem fecit pro
filiis Jisraëlis.
14 Nomen autem viri Jisraëlitæ illius per-
cussi, qui percussus *fuit* cum illa Midjanitide, *erat*
Zimri filius Sallu; princeps paternæ familiæ [d] ex
Schimhonitis:
15 Nomen verò illius mulieris Midjanitidis
percussæ, Cozbi filia Tzuris; [10] *qui* primarius na-
tionum paternæ familiæ inter Midjanitas erat.
16 Deinde alloquutus est Jehova Moschen
dicendo:
17 Hostiliter agite cum Midjanitis istis, ut
cædatis eos.
18 Nam ipsi hostiliter agunt contra vos ma-
chinationibus suis, quas machinati sunt contra
vos in negotio Pehoris; & in negotio Cozbi filię
principis Midjanitarū [e] gētilis suę, quæ percussa
fuit die ipso plagę ob negotiū Pehoris *impositæ*.

CAPUT XXVI.

Mosche cum summo sacerdote, omnibus mortuis qui fuerant numerati suprà 1. capite, jubetur iterum Jisraëlitas recensere, & distributionis terræ promissæ mandatum accipit.

1 Fuit autem [1] post illam plagam; ut edice-
ret Jehova Moschi & Elhazari filio Aha-
ronis Sacerdoti, dicendo:
2 Recensete capita totius cœtus filiorum
Jisraëlis a nato viginti annos & deinceps, per
familias paternas eorum; omnem [a] aptum ad e-
grediendum in militiam inter Jisraëlitas.
3 Itaq; alloquutus est eos Mosche & Elha-
zar Sacerdos in cāpestribus Moabitarū; secun-
dùm Jardenem *ex adverso* Jerichuntis, dicendo,
4 *Recensete* a nato viginti annos & deinceps:
quemadmodū [2] pręceperat Jehova Moschi & fi-
liis Jisraëlis, qui egressi fuerant e terra Ægypti.
5 Reübben, primogenitus Jisraëlis: filiorum
Reübenis, Chanoci familia [b] Chanocæa, Pallu
familia Palluitis,
6 Chetzronis familia Chetzronitis; Carmi
familia Carmitis.
7 Hi *sunt* e familiis Reübenitarum; quorum
fuerunt numerati quadragies ter mille septin-
genti triginta.
8 Nati autem Pallu, Eliab:
9 [8] Et filii Eliabi, Nemuel & Dathan & Abi-
ram: hi *sunt* Dathan & Abiram convocati e cœ-
tu, qui moverunt rixas contra Moschen & con-
tra Aharonem per cœtum Korachi, quando [c]
motæ sunt rixæ contra Jehovam.
10 Quare aperiens terra os suum absorpsit
eos & [3] *quæ erant* Korachi, moriente cœtu illo:
quum absumsit ignis ducentos quinquaginta vi-
ros, [4] fuerūntque *omnes* in signum:
11 Filii verò Korachi non sunt mortui.
12 Filiorum Schimhonis per familias
suas; [d] Nemuelis familia Nemuelitica, Jaminis
familia Jaminitica: Jacinis familia Jacinitica;
13 [e] Zerachi familia Zerachæa; Schaülis fa-
milia Schaülitica:
14 Hi *sunt* e familiis Schimhonitarum [5], vici-
es bis mille ducenti.
15 Filiorum Gadis per familias suas; [f]
Tzephonis familia Tzephonitis, Chaggi fami-

[c] *Heb. zelarei zelotypiam meam.*
[8] i. decretum æternum quo illi sacerdotium adjudico, & illum dono reconciliatione mea cum populo: vide sacerdotii seriem 1. Chron. 6. 4. & sequentibus V.
[9] i. decreto tam irrevocabili quā est fedus inter partes contrahentes initum, ut suprà 18. 19
[d] *Heb. Schimhonitæ.*
[10] ac propterea etiam in Midjanitarū Regibus numeratur infrà. 31. 8.
[e] *Heb. sororis.*
[1] qua cæteri omnes qui suprà 14. morti fuerant a Deo adjudicati, absumti sunt: id est, quū ii solùm jam essent superstites, in quos dividunda erat terræ hæreditas, ut ostenditur infrà 63. & sequentibus, & Deuter. 2. 13.
[a] *Heb. egredientē.*
[2] sup. 1. & 2. & 3.
[b] *Heb. Chanocæa, & sic deinceps.*
[8] *suprà 16.*
[c] *Heb. moverunt rixas.*
[3] sic accipiendū esse docet suprà 16. 32. Korach enim ipse cum illis ducētis quinquaginta erat quos ignis cælestis consumsit, suprà 16. 25.
[4] exemplum omnium oculis propositum, ut est erectum signum.
[d] *qui & Jemuel Gen. 46. 10.*
[e] *qui & Tzochar, ibidem.*
[5] sic imminuto plurimùm (ut credibile est) Schimhonitarum numero, eo quòd complures ad Zimrim filium Sallu principem inter Schimhonitas sese adjunxissent, suprà 25. 14.
[f] *qui & Tziphjon, ibid. & 1. Chron. 5.*

lia Chaggitica: Schuni familia Schunitica;
16 [f] Ozni familia Oznitica; Heri familia He-
ritica:
17 Arodis familia Aroditica; Areeli, familia
Areelitis:
18 Hi *sunt* e familiis filiorum Gadis per nu-
meratos eorum; quadragies mille quingenti.
19 Filii Jehudę *fuerant* Her & Onan: sed
mortuus est Her & Onan in terra Cenahanis.
20 Fuerunt autem filiorum Jehudæ per fa-
milias suas, Schelæ familia Schelanitis; Peretzi
familia Peretzæa: Zerachi familia Zerachæa.
21 Fueruntq; filiorum Peretzi, Chetzronis
familia Chetzronitis; Chamulis familia Cha-
mulitis.
22 Hi *sunt* e familiis Jehudæ per numeratos
eorum; septuagies sexies mille quingenti.
23 Filiorum Jissacaris per familias suas,
Tholahi familia Tholahæa: [g] Puvæ familia Pu-
væa;
24 [h] Jaschubi familia Jaschubæa, Schimro-
nis familia Schimronitis.
25 Hi *sunt* e familiis Jissacaris per numera-
tos eorum, sexagies quater mille trecenti.
26 Filiorum Zebulunis per familias suas,
Seredi familia Seredæa, Elonis familia Elonitis:
Jachleelis familia Jachleelitis:
27 Hi *sunt* e familiis Zebulunitarum per nu-
meratos eorum, sexagies mille quingenti.
28 Filii Josephi per familias suas; Menas-
che, & Ephrajim.
29 Filiorum Menaschis, Maciris familia Ma-
ciritis, Macir autem genuit Gilhadem: Gilhadis
familia Gilhaditis:
30 Hi filii Gilhadis [i] Ihezeris familia Iheze-
ritis: Cheleki familia Chelekæa;
31 Et Asrielis familia Asrielitis, & Schecemi
familia Schecemæa;
32 Et Schemidahi familia Schemidahæa; &
Chepheris familia Chepheritis.
33 Tzelophchado autem ipsi filio Chephe-
ris non fuerunt filii sed filiæ: & nomen filiarum
Tzelophchadi *fuit* Machla, & Noha, Chogla,
Milca, & Thirtza.
34 Hi *sunt* e familiis Menaschis; quorum nu-
merati quinquagies bis mille septingenti.
35 Hi *sunt* filii Ephrajimi per familias suas;
Schutelachi familia Schutelachæa, [k] Beceri fa-
milia Becenæa: Tacanis familia Tacanitis:
36 Atq; hi *sunt* filii Schutelachi, Heranis fa-
milia Heranitis.
37 Hi *sunt* e familiis filiorum Ephrajimi per
numeratos eorum, tricies bis mille quingenti: hi
sunt filii Josephi per familias suas.
38 Filiorum Binjaminis per familias su-
as; Belahi familia Belahæa, Aschbelis familia
Aschbelitis: [l] Achirami familia Achiramæa;
39 [m] Schephuphami familia Schuphamæa;
Cuphami familia Cuphamæa:
40 Fuerūntq; filiis Belahi [n] Ardi & Nahami;
illi familia Arditis, Nahami familia Nahamitis.
41 Hi *sunt* filii Binjaminis per familias suas;
quorum numerati quadragies quinquies mille
sexcenti.
42 Hi *sunt* filii Danis per familias suas, [o]
Schuchami familia Schuchamæa: [6] hi *sunt* e fa-
miliis Danis per familias suas.
43 Omnes familię Schuchamæorū per nume-
ratos eorū; sexagies quater mille quadringenti.
44 Filiorum Ascheris per familias suas;
Jimnæ familia Jimnæa, Jischvi familia Jischvi-
tis: Berihæ familia Berihæa;

[f] *qui etiam Etzbon 1. Chron. 1.*
[g] *qui & Pua 1. Chron. 7. 1.*
[h] *qui & Job dicitur per syncopen: Gen. 46*
[i] *qui idem Abihezer Jehosch. 17. 2. & passim.*
[k] *qui idem Bered 1. Chron. 1. 20.*
[l] *qui idem Echi Gen. 46. & Achrach 1. Chron. 8. 1.*
[m] *qui idem Muppim Gen. 46. 21.*
[n] *qui idem Adar per metathesin, 1. Chron. 8. 2.*
[o] *qui & Chuschim, Gen. 46. 23.*
[6] i. ex hoc uno Danis filio diversæ familię ortæ sunt.

45 Filiorum Berihæ, Cheberi familia Cheberæa: Malcielis familia Malcielitis:

46 Nomen verò filiæ Ascheris, Serach.

47 Hi *sunt* e familiis filiorum Ascheris per numeratos eorum, quinquagies ter mille quadringenti.

48 Filiorum Naphthali per familias suas, [p] Jachtzeelis familia Jachtzeelitis: Guni familia Gunitis;

49 Jetzeris familia Jetzeritis; [q] Schillemi familia Schillemæa.

50 Hi *sunt* e familiis Naphthalitarum per familias eorum; quorum numerati quadragies quinquies mille quadringenti.

51 Hi *sunt* numerati filiorum Jisraëlis, sexcenties mille cum mille uno; & septingenti triginta.

52 Tum alloquutus est Jehova Moschen dicendo,

53 Istis dividitor terra in possessionem, [r] pro numero nominum.

54 Ei qui multus est multiplicato possessionem suam, ei verò qui paucus est pauciorem assignato possessionem suam: cuique secundùm numeratos suos attribuitor possessio sua.

55 [s] Verumtamen [t] sorte dividitor terra: pro nominibus tribuum paternarum suarum possidento.

56 [v] Per sortem dividitor possessio ejus, inter multum & paucum.

57 Hi autem *sunt* numerati Levitarum per familias suas, [f] Gerschonis familia Gerschunnitis; Kehathi familia Kohathæa; Merari familia Meraritis.

58 Hæ *sunt* familiæ Levi, familia [9] Libnitis, familia [10] Chebronitis, familia [11] Machlitis, familia Muschitis, familia [12] Korachæa: Kehath autem genuit Hamramum.

59 Et nomen uxoris Hamrami Jocebed filia Levi, quam peperit *uxor* Levi in Ægypto: peperítque Hamramo Aharonem & Moschen atque Mirjam sororem eorum.

60 Natus autem est Aharoni, Nadab, & Abihu; Elhazar & Ithamar,

61 Sed mortuus est Nadab & Abihu, quum admoverunt ignem extraneum coram Jehova.

62 Fueruntq; numerati illorũ vicies ter mille, omnis mas a nato uno mense & deinceps: [13] nõ enim recensiti sunt inter filios Jisraëlis, quia non dabatur illis possessio inter filios Jisraëlis.

63 Hi *sunt* numerati [t] a Mosche & Elhazare Sacerdote, quum numerarunt filios Jisraëlis in campestribus Moabitarum, secundùm Jardenem *ex adverso* Jerichuntis.

64 In istis autem non erat quisquam ex numeratis a Mosche & Aharone Sacerdote, quum numerarent filios Jisraëlis in deserto Sinai,

65 (Dixerat enim Jehova de illis, [u] omnino morientur in isto deserto) neque reliquus erat ex illis quisquam, nisi tantùm Caleb filius Jephunnæ, & Jehoschuaꝭ filius Nunis.

[p] *qui idem Jachtziel 1. Chron. 7.13.*
[q] *qui & Schallum, ibid.*
[r] habita ratione frequentiæ vel paucitatis in unaquaque familia, sortem in capita dividito.
[s] *sup.33.54.*
[t] nempe in tribus duodecim, ut per eas viritim hæreditas distribuatur ratione illa quæ posita est præcedẽte versu. Vide Jehoschu.14. & sequentibus.
[v] *Heb. secundum os sortis.*
[f] *qui & Gerschum 1. Chron. 6.1.*
[9] e Gerschone orta sup.3.18.
[10] e Kehatho suprá 3.19.
[11] & Muschitis e Merari suprà 3.20.
[12] e Kehatho suprà 16.1.
[13] hoc est, Jisraëlitarum numeratio dividundæ possessionis causâ fuit instituta: quæ causa quum ad Levitas nihil pertinuerit, diversa eos numerandi ratio servata, & seorsim a Mosche descripta est.
[t] *Heb. Moschis & Elhazaris: sic* ✠. 64.
[u] *Heb. moriendo morientur.*

CAPUT XXVII.

Filiabus Tzelophchadi paterna hæreditate data, lex de jure successionum fertur: deinde Moschi mors denunciatur & successor divinitus Jehoschuaꝭ datur, quem instruendi & instituendi mandatum accipit atque exsequitur Mosche.

1 Accesserunt etiam filiæ Tzelophchadi filii Chepheris filii Gilhadis filii Macíris filii Menaschis, [1] ad familias Menaschis filii Josephi; cujus filiarum hæc *sunt* nomina; Machla, Noꝭa, & Chogla, & Milca, & Thirtza:

2 Steterúntque coram Mosche & coram Elhazare Sacerdote, & coram principibus ac toto cœtu; *ad* portam tentorii conventus, dicentes:

3 Pater noster mortuus est in deserto; ipse tamen non fuit inter eorum cœtum qui convenerant contra Jehovam in cœtu Korachi: sed [2] in peccato suo mortuus est, quum filii non essent ei.

4 Quare subtraheretur nomen patris nostri e medio familiæ suæ, eo quòd non *sit* ei filius? da nobis jus possessionis inter fratres patris nostri.

5 Retulit itaque Mosche [3] causam earum coram Jehova:

6 Et alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

7 Rectè filiæ Tzelophchadi loquuntur; [a] omnino dato illis jus possessionis hæreditariæ inter fratres patris earum: ut transferas possessionem patris earum in ipsas.

8 Ad filios autem Jisraëlis loquere, dicendo; quum quis morietur, si filius non erit ei, tunc transferetis possessionem ejus ad filiam ejus:

9 Quòd si filia non erit ei, tunc tradetis possessionem ejus [4] fratribus ejus:

10 Quòd si non erunt ei fratres; tunc tradetis possessionem ejus fatribus patris ejus.

11 Sin autem non *supererunt* fatres patris ejus; tunc tradetis possessionem ejus necessario ejus, propinquiori ei ex familia [5] ejus, ut hæreditario jure possideat eam: atque hoc erit filiis Jisraëlis in statutum judiciale, quemadmodum præcepit Jehova Moschi.

12 Deinde edixit Jehova Moschi, ascende istum montem Habarimorum; & aspice terram quam do filiis Jisraëlis:

13 Ut quum aspexeris eam, aggregeris ad populos tuos tu quoque; quemadmodum aggregatus est [ß] Aharon frater tuus:

14 Quandoquidem rebellastis in deserto Tzinis in contentione cœtus [b] contra præstitutum meum, *quod erat* ut sanctificaretis me ad aquas illas ante oculos eorum: istæ sunt aquæ [6] contentionis Kadeschi, *in* deserto Tzinis.

15 Alloquutus autem est Mosche Jehovam, dicendo,

16 Præficiat Jehova Deus spirituum *Deus* omnis carnis, virum huic cœtui:

17 Qui [7] procedat ante eos & qui veniat ante eos, quíque educat eos & qui reducat eos: ut non sit cœtus Jehovæ sicut pecudes quibus non *est* pastor.

18 Edixit verò Jehova Moschi, sume tecum Jehoschuaꝭam filium Nunis, virum in quo *est* spiritus *meus*: ut [8] imponas manum tuam illi:

19 Sisténsque illum coram Elhazare Sacerdote & coram toto cœtu; mandatis instruas illum ante oculos eorum:

20 Et impertiaris ei de gloria tua; ut auscultent *ei* totus cœtus filiorum Jisraëlis.

21 Is coram Elhazare Sacerdote stato, ut eum consulat de [9] judicio Urim coram Jehova: ad [10] ejus præstitutum [11] exeunto, & ad ejus præstitutum redeunto ipse & omnes filii Jisraëlis cum eo, denique totus cœtus.

22 Fecit ergo Mosche quemadmodum præceperat Jehova ipsi: assumens enim Jehoschuaꝭam stitit eum coram Elhazare Sacerdote & coram toto cœtu:

[1] i. comparentes inter familias suæ tribus, quæ corã Mosche lustrabãtur, ut paternã hæreditatem peterent.
[2] videntur ita ratiocinari: si pater noster aut in cœtu Korachi fuisset, aut ejusmodi peccatum cõmisisset, non tantùm hæreditate sed etiam vita privandæ fuissemus, ut tum integræ familiæ quæ conspiraverant perierunt. Atqui peccatum, propter quod mortuus est, personam ejus non transiit: quare æquum est nobis tradi hæreditatem ejus, ut vita nobis a Deo relicta est; præsertim quum ex decreto Dei, aliorũ qui propter infidelitatem terra exclusi sunt liberis hæreditas promissa & attributa sit, supr.14.31. Deut.1.39.
[3] nam adhuc incertum erat, utrùm fœminæ deficiente sobole mascula hæredes essent, an verò sola dos ad illas perveniret.
[a] *Heb. dando dato.*
[4] si pater superstes non erit, ut in hoc exemplo: sic quoque accipiendus finis ✠ 10. hoc enim modo intelligi hunc versum oportere ostendit duorũ proximè sequentium versuum analogia.
[5] patris, ex quo filii denominantur.
[ß] *suprà* 20.23.
[b] *Heb. os meo: sic vers.21.*
[6] nã altera antè contigerat Rephidimis, ubi Deus a neutro horum offensus fuerat, Exo.17.7.
[7] domi & foris pace & bello rempub. administret, proverbialis formula, ut Deut.28.6. Psal. 121.8. Act.1.21. & alibi passim.
[8] nimirũ ut hac ratione mancipetur ille Domino ad obeundã sanctè administrationem in populo ejus.
[9] oraculo Dei in reb. obscuris & incognitis. De Urim vide Exo. 28.31. & Lev.8.8.
[10] Jehovæ, quod proximè præcessit.
[11] ut sup. ✠.17. explicavimus.

23 Et

23 Et imponens manus suas illi mandatis instruxit illum; quemadmodum edixerat Jehova *fieri* [c] per Moschen.

c Hebr. *per manum Moschis.*

CAPUT XXVIII.

Mandatum de jugi holocausto cum munere & libamine suo repetitur: deinde quid sibi singulis sabbathis, novilunis, diebusque Paschatis & Pentecostes, & quo diei tempore offerre velit, præscribit Deus.

1 ITem alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

2 Præcipe filiis Jisraëlis edicens eis: oblationem meam cibi mei, in igne absumenda mihi odorem gratum meum, [a] observatote ut offeratis mihi, stato tempore suo.

a Heb. *observatote ad offerendum mihi.*

3 Itaque dices illis, hoc *est* igne absumendum quod offeretis Jehovæ: agni [b] anniculi integri bini unoquoque die *in* holocaustum jugiter.

b Heb. *filii unius anni: & sic deinceps.*

4 Agnum illorum unum parato mane, agnúmque alterum parato inter duas vesperas:

5 Et decimam Ephæ similæ in munus, mistæ olei contusi quartâ hinis.

6 Holocaustum juge; [1] quod paratum fuerat in monte Sinai, in odorem gratum, igne absumendum Jehovæ:

1 primùm quidem oblatum Exod. 29. 38. sed posteà triginta novem annis, quibus Jisraëlitæ in deserto vagati sunt, intermissum: vide in Deuter. 12. 8. quamobrem quum propiùs abessent Jisraëlitæ a promissa terra, & mox ingressuri essent, mandatum istud redintegrari oportuit.

7 Et libamen ejus quartam hinis in agnum unumquemque in loco sancto libato libamen [c] generosi vini Jehovæ.

c Hebr. *potus inebriantis.*

8 Agnum verò alterũ parato inter duas vesperas; ut munus matutinum, & ut libamen ejus parato, igne absumendum odorem gratum Jehovæ.

9 DIE autem sabbathi bini igni anniculi integri; & binæ decimæ similæ *in* munus mistæ oleo cum libamine suo,

10 Holocaustum sabbathi *esto* sabbatho suo; præter ipsum holocaustum juge cum libamine suo.

11 ITEM in initiis mensium vestrorum offertote holocaustum Jehovæ; juvencos [d] subrumos binos, & arietem unum, agnos anniculos septenos integros:

d Heb. *filios bovis: & sic deinceps.*

12 Et ternas decimas similæ *in* munus mistæ oleo, in juvencum unumquemque; binasque decimas similæ *in* munus mistæ oleo, in arietem unumquemque:

13 [e] Singulas verò decimas similæ *in* munus mistæ oleo in arietem unumquemque: holocaustum, odorem gratum, igne absumendũ Jehovæ.

e Hebr. *decimam decimam.*

14 *De* libaminibus autem eorum, dimidium hinis esto in juvencum, tertiáque hinis in arietem, & quarta hinis vini in agnum: hoc holocaustum mensis ineuntis, *esto* in initio suo, per singulos menses anni.

15 Prætereà hircus e capris unus in peccatum Jehovæ præter holocaustum juge, parator cum libamine suo.

16 ITEM mense primo, decimoquarto die illius mensis, [f] Pascha *esto* Jehovæ.

f *id est, transitum.*

17 Quintodecimo autem die ejus mensis, festum: septem diebus azyma comeduntor.

18 Horum dierum primo convocatio sancta *esto*: nullum opus servile facitote:

19 Sed offeretis igne absumendum holocaustum Jehovæ, juvencos subrumos binos & arietem unum: prætereà septenos agnos anniculos, integri sunto vobis:

20 Munus verò illorum, similam mistam oleo; *nempe* ternas decimas in juvencum, & binas decimas in arietem paratote:

21 Singulas decimas parato in unumquemque agnum; ex septem illis agnis:

22 Prætereà hircum peccati unum, ad expiationem faciendam pro vobis:

23 Præter holocaustum illud matutinum quod *est* pro holocausto jugi, paratote ista.

24 Qualia hæc *sunt* facitote in quemque diem septem diebus, *in* cibum igne absumendum odoris grati Jehovæ: præter holocaustum juge parator cum libamine suo.

25 At die horum septimo convocatio sancta esto vobis: opus servile nullum facitote.

26 ITEM die primitiarũ, quum offeretis [2] munus novum Jehovæ [3] post septimanas vestras; convocatio sancta esto vobis, nullum servile opus facitote.

2 ut, Levit. 23. 16.
3 exactis septẽ illis septimanis de quibus cautum est Levitici 23. 15. & 16.

27 [4] Sed offeretis holocaustum, odorem gratum Jehovæ, juvencos subrumos binos, arietem unum; septenos agnos anniculos:

4 nempe in oblationem diei hujus: nam alioquin altera fuit oblatio conjuncta primitiis, Levitici 23. 18. quarum altera alteram minimè perimebat. Hoc enim semper observatum fuit Lege, ne quid de oblatione una propter alteram supervenientem decederet. Itaq; sabbathis etiam & noviluniis nõ rarò complures oblationes concurrebant, quarum nulla tamẽ eo nomine poterat intercidere. Sic conciliatur hic locus cum Levit. 23. vide infrà 29. 2.

28 Et munus illorum, similam mistam oleo; *nempe* ternas decimas in juvencum, binas decimas in arietem.

29 Singulas decimas in agnum unumquemque, ex septem illis agnis:

30 Hircum, [g] lactentem unum, ad expiationem faciendam pro vobis:

g Heb. *e capris.*

31 Præter holocaustum juge & munus ejus facitote *ista*; integra sunto vobis cum libaminibus suis.

CAPUT XXIX.

Præscribit offerenda sibi præter ordinarias oblationes in festis septimi mensis, die buccinarum, expiationum, singulis diebus tabernaculorum, & die interdicti hos proximè subsequente.

1 MEnse verò septimo, primo *die* mensis, convocatio sancta esto vobis, opus servile nullum facitote: [1] dies clangoris esto vobis:

1 vide in Levit. 23. 24.

2 Quo parabitis [2] holocaustum in odorem gratum Jehovæ, juvencum [a] subrumum unum, arietem unum; agnos [b] anniculos septenos integros;

2 videlicet præter holocaustum illud quod imperatum est ad initia singula mensium, suprà 28. 11. prout disertè exponitur infrà vers. 6. hoc enim holocaustum alioqui minus ordinario futurum esset; vide suprà in 28. 27.
a Heb. *filium bovis: sic deinceps.*
b Heb. *filios unius anni: sic deinceps.*

3 Munus verò eorum similam mistam oleo; ternas decimas in juvencum, & binas decimas in arietem,

4 Et decimam unam in agnum unumquemque, ex septem illis agnis:

5 Prætereà hircum [c] lactentem unum *in* peccatum, ad faciendum expiationẽ pro vobis;

c Heb. *e capris sic deinceps.*

6 Præter holocaustum mensis illius ineuntis cum munere suo, & holocaustum juge cum munere suo, & libaminibus suis pro ratione eorum; in odorem gratum igne absumendum Jehovæ.

7 ITEM decimo *die* mensis hujus septimi convocatio sancta esto vobis, [3] ut affligatis animas vestras: nullum opus facitote.

3 ut Levit. 16. 29. & 23. 27.

8 Sed offeretis holocaustum Jehovæ *in* odorem gratum, juvencum subrumum unum, arietem unum; agnos anniculos septenos, integri sunto vobis:

9 Et munus eorum similam mistam oleo; ternas decimas in juvencum, binas decimas in arietem unumquemque:

10 [d] Singulas decimas in agnum unumquemque, ex septem illis agnis:

d Hebr. *decimam decimam, ut* v. 15.

11 Hircum lactentem unum *in* peccatum: præter [4] peccatum expiationum, & holocaustũ juge

4 de quo mandatum est Levitic. 16.

juge cum munere suo ac libaminibus suis.

12 ITEM decimo quinto die hujus mensis septimi convocatio sancta esto vobis, opus servile nullum facito: ut celebretis festum Jehovę septem diebus.

13 Offeretis igitur holocaustum igne absumendum odorem gratum Jehovę, juvencos subrumos ternos denos, arietes binos; agnos anniculos quatuor denos, integri sunto:

14 Et munus eorum similam mistam oleo; ternas decimas in juvencum unumquemque ex tredecim juvencis, binas decimas in arietem unumquemque ex duobus illis arietibus.

15 Et singulas decimas in agnum unumquemque, ex quatuordecim agnis:

16 Prætereà hircum lactentem unum, peccati; præter holocaustum juge, munus ejus & libamen ejus.

17 DEINDE die illorum secundo juvencos subrumos duodenos, arietes binos, agnos anniculos quatuordenos integros,

18 Et munus eorum, ac libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos quosque ex numero eorum, pro eadem ratione:

19 Prætereà hircum lactentem unum peccati: præter holocaustum juge, & munus ejus, ac libamina eorum.

20 DIE autem illorum tertio juvencos undenos, arietes binos; agnos anniculos quatuordenos integros;

21 Et munus eorum ac libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos quosque ex numero eorum, pro eadem ratione;

22 Prætereà hircum peccati unum: præter holocaustū juge & munus ejus ac libamen ejus.

23 DIE autem illorum quarto juvencos denos, arietes binos; agnos anniculos quatuor denos integros.

24 Munus eorum ac libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos quosq;, ex numero eorum, pro eadem ratione:

25 Prætereà hircum lactentem unum peccati: præter holocaustum juge, munus ejus & libamen ejus.

26 DIE autem illorum quinto juvencos novenos, arietes binos; agnos anniculos quatuordenos integros,

27 Et munus eorum, ac libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos quosque ex numero eorum, pro eadem ratione,

28 Prætereà hircum peccati unum: præter holocaustum juge, & munus ejus, ac libamen ejus.

29 DIE autem illorum sexto juvencos octonos, arietes binos; agnos anniculos quatuordenos integros,

30 Et munus eorum ac libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos quosque ex numero eorum, pro eadem ratione,

31 Prætereà hircum peccati unum: præter holocaustum ejus, munus ejus, ac libamen ejus.

32 DIE autem illorum septimo juvencos septenos, arietes binos; agnos anniculos quatuordenos integros.

33 Et munus eorum ac libamina eorum in juvencos, in arietes, & in agnos quosque ex numero eorum pro ratione eorum,

34 Prætereà hircum peccati unum: præter holocaustum juge, munus ejus, ac libamen ejus.

35 DIE ipso octavo, [5] interdicti *dies* esto vobis: opus nullum servile facitote.

[5] ut Levit. 23.36.

36 Sed offeretis holocaustum igne absumendum odorem gratum Jehovæ, juvencum unum, arietem unum; agnos anniculos septenos integros,

37 Munus eorum cum libaminibus eorum in juvencum, in arietem, & in agnos quosque, ex numero eorum pro eadem ratione,

38 Prætereà hircum peccati unum: præter holocaustum juge, & munus ejus ac libamen ejus.

39 Hæc paratote Jehovæ in solennitatibus vestris: præter votiva vestra & voluntarias oblationes vestras, cum holocaustis vestris, & cum muneribus vestris, & cum libaminibus vestris, & cum eucharisteriis vestris.

CAPUT XXX.

40 Quæ retulit Mosche ad filios Jisraëlis; secundùm omnia quę præceperat Jehova Moschi.

CAPUT XXX.

Lex de votivis promissis, de maris & fœminæ tam puellæ quàm uxoris exceptionibus, de votis viduæ & repudiatæ, & quatenus hæc omnia rata aut irrita habenda sint.

1 ITem alloquutus est Mosche primarios tribuum, ut filiis Jisraëlis dicerent; hoc *est* verbum quod præcepit Jehova.

2 Vir quum [1] voverit votum Jehovæ, aut juraverit juramento, [2] obligatione obligando [a] se ipsum, [3] ne profanato verbum suum: secundum [4] omne verbum quod prodierit ex ore suo facito.

3 Fœmina verò quum vovit votum Jehovæ; aut obligavit se obligatione, domi patris sui in adolescentia sua:

4 Si quū audit pater ejus votum ejus aut obligationē qua obligavit seipsam, tacebit apud eā pater ejus; tunc stata erunt omnia vota ejus, & omnis obligatio qua obligavit se ipsam stata erit.

5 Sin autem efficiet pater ejus ut ea infringat *illud* quo die audiverit; nullum ex votis ejus, aut obligationibus ejus quibus obligavit seipsam, statum esto: & Jehova condonabit ei, quia pater ejus effecit ut ea infringeret illud.

6 Sed si [b] omnino nubet viro votis ei incumbentibus; aut pronunciato labiorum suorum quo obligavit seipsam;

7 Audiénsque maritus ejus, quo die audiverit illud, tacebit apud eam; tum stata erunt vota ejus, & obligationes ejus quibus obligavit seipsam, statæ futuræ sunt.

8 Sin quo die audivit maritus ejus, effecit ut ea infringeret; [5] irritúmque fecit votum ejus quod incumbebat ei, aut pronunciatum labiorum ejus quo obligaverat seipsam: [6] similiter Jehova condonabit illi.

9 *Quod* autem *ad* votum viduæ aut repudiatæ: quicquid *erit* quo obligaverit seipsam, statum incumbet ei.

10 Sed si *in* domo viri sui vovit; aut obligavit obligatione seipsam per juramentum;

11 Audiénsque maritus ejus tacuerit apud eam; nec fecerit ut ea infringeret *illud*: tunc stata erunt omnia vota ejus, omnísque obligatio qua obligavit seipsam, stata futura est.

[1] se aliquid pręstiturū voto obstrinxerit.
[2] juramento se ab aliqua re aut facto abstenturum receperit; qualia erant Nazaręorum vota legitima; & illegitimum eorum qui Paulum volebant occidere, Act. 23.14.
[a] *Heb. animam suam: sic deinceps.*
[3] verbum suum, sive ipsum pronunciaverit simpliciter, sive in promittendo interposuerit nomen Dei: profanat autem & qui votum licitū non exsequitur, & qui vovet illicitum.
[4] non pugnans cum lege Domini, ut fuit insidiantium vitę Pauli: fides enim quę in rem injustam datur, non datur Domino: hanc contrà jure solvit Dominus, ac minimè præstari jubet: quia malum sibi, aut suo nomine adhibito alteri nec promitti unquam voluit, nec promissum præstari, a malo promisso absolvens, & factum puniens.
[b] *Heb. fiet viri: sic infrà 36.3.*
[5] id est, mariti autoritas eam absolvit voto, nec tenetur ullius culpæ: ut enim puellis patria, sic mulieribus quoque maritalis prævalet autoritas: sic vers. 15.
[6] ut versu 5.

12 Sin

12 Sin verò [c] omnino irrita fecerit illa vir ejus quo die audiverit; nihil prolatum labris ejus, ex votis ejus aut ex obligatione sui ipsius, statum esto: vir ejus irrita fecit illa, quapropter Jehova condonabit illi.

13 Omne votum, & omnem [d] obligationem juramento confirmatam [e] de se ipsa affligenda; [7] vir ejus stabilito illam, aut vir ejus irritam facito illam.

14 Quòd si [f] omnino taceat apud eam vir ejus de die in diem; tunc stabilierit omnia vota ejus, aut omnes obligationes ejus quæ incumbunt ei: stabilierit, *inquam*, ea, cùm tacuerit apud eam quo die audivit illud.

15 Sin omnino irrita fecit illa postquam audiverit; tunc ipse sustulerit iniquitatem ejus.

16 Hæc *sunt* statuta quæ præcepit Jehova Moschi inter virum & uxorem ejus *servanda*; inter patrem & filiam ejus in adolescentia ipsius, dum *est* [8] in domo patris sui.

[c] *Heb. irrita faciendo irrita fecit ea: sic vers. 15.*
[d] *Heb. juramentum obligationis: hypallage.*
[e] *Heb. ad affligendum animam* suam.
[7] ne differto de die in diem, sed alterutrum facito, ut vers. sequens ostendit.
[f] *Heb. tacendo tacebis.*
[8] sub patria potestate.

CAPUT XXXI.

Bello jussu Dei contra Midjanitas gesto, virgines tantùm ex hominibus servantur, præda inter milites qui conflixerant & reliquum populum dividitur: Deus ex illorum pro Sacerdotibus, [c] ex hujus præda pro Levitis portionem assumit, præter res a ducibus oblatas, quæ in tabernaculo ad monimentum asservatæ sunt.

1 ALloquutus autem est Jehova Moschen, dicendo,

2 [a] Sume [1] ultionem Jisraëlitarum de Midjanitis istis; postmodùm aggregaberis ad populos tuos.

3 Alloquutus itaque est Mosche populum dicendo, [b] expedite ex vobis ad hanc militiam: ut sint contra Midjanitas, ad edendum ultionem Jehovæ contra Midjanitas.

4 [c] Millenos in singulas tribus; ex omnibus tribubus Jisraëlis mittite ad hanc militiam.

5 Traditis itaque millenis e millibus Jisraëlis in singulas tribus; duodecies mille expeditis ad militiam;

6 Misit Mosche hos millenos in singulas tribus *delectos* ad hanc militiam; eos *inquam*, & Pinchasum filium Elhazaris Sacerdotis in hanc militiam, cum [2] vasis sacris [3] tubisque clangoris in manu ejus.

7 Qui militantes contra Midjanitas, quemadmodum præceperat Jehova Moschi; occiderunt omneis mares.

8 [4] Reges quoque Midjanitarum occiderunt præter confossas *copias* eorum, Evim, & Rekemum, & Tzurem, & Churem, & Rebahum, quinque Reges Midjanitarum: etiam [5] Bilhamum filium Behoris occiderunt gladio:

9 Et captivas fecerunt filii Jisraëlis mulieres Midjanitarum ac parvulos eorum; omnia etiam jumenta eorum, & omnia pecora eorum, omnesq; facultates eorum prædati sunt:

10 Omneis verò civitates eorum per habitationes eorum, & omnes arces eorum; combusserunt igne.

11 Deinde acceptis omnibus illis spoliis & omni captura; tam hominum quàm jumentorum:

12 Adducebant ad Moschen, & ad Elhazarem Sacerdotem, & ad cœtum Jisraëlitarum, captivos, & reliquam capturam, spoliáque ad castra, in campestria Moabitarum, quæ *sunt* secundùm Jardenem *ex adverso* Jerechuntis.

[a] *Heb. ulcisceere ultionem.*
[1] ejus rei, de qua suprà 25. 18. & infrà vers. 16.
[b] *Heb. expedite vos ex vobis: pleonasmus.*
[c] *Heb. mille in tribum mille in tribum.*
[2] arca federis cum iis quæ ad ipsam pertinebant.
[3] de quibus suprà 10.
[4] beneficiarios sive vassallos (ut vocant) Sichonis, ut apparet Jehoschu. 13. 21. quamvis cæso Sichone mero imperio, ut reges αὐτοκράτορες, usi sint.
[5] in itinere, dum rediret in Mesopotamiam, ut annotavimus supr. in 24. 25.

13 Sed egressi sunt Mosche, & Elhazar Sacerdos; omnésque principes cœtus obviam eis; extra castra.

14 Effervescénsq; Mosche contra præfectos illarum copiarum; chiliarchos & centuriones, qui redibant ab illo militari prælio:

15 Dixit eis Mosche, an conservastis vivas omnes fœminas?

16 En ipsæ fuerunt filiis Jisraëlis [6] ex sermone Bilhami, [d] quæ suppeditarunt prævaricationem contra Jehovam in negotio Pehoris: unde fuit plaga [7] illa in cœtu Jehovæ:

17 Nunc itaque occidite omnes mares ex parvulis; omnem quoque mulierem quæ cognovit virum concubitu maris occidite:

18 Omnes verò parvulos ex fœminis quæ non cognoverunt concubitum maris; vivos conservate vobis.

19 Vos autem castrametamini extra hæc castra [8] septem dies; *etiam* quisquis occidit *horum* aliquem & quisquis tegit cæsum, purgatote vos die illorum tertio & die septimo, vos *inquam* & captivos vestros:

20 Cum omni vestimento, & omni instrumento pelliceo, omnique opere *e pellis* caprarum, & omni instrumento ligneo; purgatote vos.

21 Edixit quoque Elhazar Sacerdos omnibus viris illis militaribus, qui iverant in illud prælium, [9] hoc *est* illud statutum legale, quod præcepit Jehova Moschi.

22 Tantummodò aurum & argentum, æs, ferrum, stannum, & plumbum:

23 [e] Quicquid fert ignem, transmittite per ignem ut mundum sit, verumtamen [10] aquâ separationis purgator: quicquid autem non fert ignem, transmittite per aquam.

24 Et lavabitis vestimenta die horum septimo, ut mundi sitis; ac postmodùm venietis in castra.

25 Præterea alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

26 Recense capita capturæ captivorum, tam hominum quàm jumentorum; tu & Elhazar Sacerdos; & primarii paternarum *familiarum* cœtus:

27 Ut videas capturam ipsam inter gestores hujus prælii, qui egressi sunt in militiam; & totum cœtum.

28 Deinde auferens portionem pro Jehova ab istis præliatoribus qui egressi sunt in hanc militiam, animam unam e quingentenis; ex hominibus, & ex bobus, & ex asinis, & ex gregibus;

29 E media parte ad istos *pertinente* accipitote; ut des Elhazari sacerdoti oblationem Jehovæ.

30 At e media parte ad filios Jisraëlis *pertinente*, accipe unum [11] captum e quinquagenis, ex hominibus, ex bobus, ex asinis, & ex gregibus, ex quibuscunque jumentis; [12] quos des Levitis observantibus observationem tabernaculi Jehovæ.

31 Quod fecit Mosche & Elhazar Sacerdos; quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

32 Fuit autem captura illa, [13] residuum prædæ quam prædati erant populus ille militaris; pecudum sexcenta septuaginta quinque millia.

33 Item boum septuaginta duo millia;

34 Item asinorum unum & sexaginta millia;

35 Item animæ humanæ ex fœminis quæ non cognoverant concubitum maris; universæ animæ trigesies bis mille:

[6] quo autore puellæ in sacrificiis Bahal pehoris summissæ sunt ad corrumpendum Jisraëlem: vide suprà 24. 14.
[d] *Heb. suppeditando, vel ad suppeditandum.*
[7] de qua suprà 25. 9.
[8] vide suprà in 12. 14.
[9] quod habetur suprà V. 17. & sequent. sic enim jussit Deus supr. 25. 17.
[e] *Heb. omnem rem quæ venit in ignem, sub. ita ut eo minimè consumatur.*
[10] de qua suprà 19.
[11] i. quinquagesimum quemque, ut suprà dictum est unumquodque quingentesimum quodque, vers. 28.
[12] sic eadem proportio servatur quæ in decimarum distributione, nimirum ut decimum ejus quod Levitarum est ad Sacerdotes perveniat. vide supr. 18. 26.
[13] nam pars ad alimentum exercitus consumta est in itinere, & in septiduana statione extra castra suprà vers. 19.

36 Fuit

36 Fuit autem hujus dimidium, pars eorum qui prodierant in hanc militiam;numerus pecudum,ter centies tricies septies mille quingentæ.

37 Fuitque portio pro Jehova ex pecudibus; sexcentæ septuaginta quinque:

38 Item boum trigesies sexies mille, portio eorum pro Jehova septuaginta duo:

39 Item asinorum tricies mille quingentorum,portio eorum pro Jehova sexaginta unus:

40 Item animarum humanarũ sexdecies mille,portio earum pro Je hova triginta duę animę.

41 Quam dedit Mosche portionem oblationis Jehovæ, Elħazari Sacerdoti: sicut præceperat Jehova Moschi.

42 De dimidio autem ad filios Jisraëlis *pertinente*; quod partitus Mosche *receperat* ab hominibus illis qui militaverant.

43 (Erat autem dimidium ad cœtum *pertinens* ex pecudibus,tercenties tricies septies mille quingentæ;

44 Et *ex* bobus tricies sexies mille;

45 Et *ex* asinis tricies mille quingenti;

46 Et ex animis humanis sexdecies mille)

47 Sumens, inquam, Mosche de dimidio ad filios Jisraëlis *pertinente* unum captum ex quinquagenis quibusque, ex hominibus & ex jumentis; dedit ea Levitis observantibus observationem tabernaculi Jehovæ, sicut præceperat Jehova Moschi.

48 Tum accedentes ad Moschen, ii qui præfecti *erant* millibus illius militiæ; chiliarchi & centuriones,

49 Dixerunt Moschi, servi tui recensuerunt capita virorum hujus prælii qui fuerunt [14] in manu nostra: & non deest ex nobis quisquam.

50 Quapropter offerimus oblationem Jehovæ quisque quod nactus est, instrumentum aureum, periscelidem, aut armillam, annulum, inaurem, aut [15] cingulum pendulum; [16] ad faciendum expiationem pro animis nostris coram Jehova.

51 Accepit ergo Mosche & Elħazar sacerdos aurum ab illis; [f] totum in instrumentis affabrefactis.

52 (Erat autem totum illud aurum oblationis quod obtulerunt Jehovæ; [17] sedecies mille septingentorum quinquaginta siclorum) a chiliarchis & centurionibus.

53 *Quòd ad* viros militares, [18] prædam habuerunt quisque sibi.

54 Quúmque accepisset Mosche & Elħazar Sacerdos aurum illud a chiliarchis & centurionibus, intulerunt illud in tentorium conventus, monimentum pro filiis Jisraëlis coram Jehova.

[14] sive potestate, id est, qui nobis commissi fuerunt.
[15] vide in Exo. 35.22.
[16] nam ex Moschis irati verbis suprà vers.14. intelligebant se peccasse: ideóq; duo oblationum genera offerunt, expiatorium & eucharisticum.
[f] *Heb. totum instrumentum operis, id est, operosum.*
[17] id est, ampliùs octingenties tricies septies mille quingentorum thallerorum: ut siclum aureum denis argenteis, id est, minimi æstimemus.
[18] q.d etsi liberaliter admodũ obtulerunt Deo, tamen tanta fuit pręda ut quisque sibi multum reservaverit.

CAPUT XXXII.

Reübenitæ & Gaditæ regionis cis Jardenem commoditate adducti, eam sibi possessionem dari petunt: qui primùm graviter a Mosche objurgati, deinde cõmuneis operas ad terræ occupationem polliciti postulatum obtinent. Dimidiatæ verò tribui Menaschis, pars Gilħadis quam occupaverat, adjudicatur.

1 ERAT auté filiis Reübenis & filiis Gadis [1] pecus multum, numerosum admodum: ecce autem vidèbant terram Jaħzeris & terram Gilħadis, locum illum esse locum pecuariæ.

2 Quapropter accesserunt filii Gadis & filii Reübenis; & alloquuti sunt Moschen, Elħazarémque Sacerdotem, ac principes cœtus, dicendo:

[1] partim ex præda Midjanitarum, & transjordanani agri, partimq; fortasse ex emtione ab aliis comparatum.

3 [a] Hatarothæ, & Dibon, & Jaħzer, & [a] Nimra, & Cheschbon, & Elħale; cum [b] Schebamo, & Nebunte, & [c] Beħone:

4 Horum regio quam percussit Jehova coram cœtu Jisraëlis, regio pecuariæ est: & servis tuis *sunt* pecora.

5 Si invenimus, aiebant illi, gratiam in oculis tuis, detur regio ista servis tuis in possessionem: ne nos ducas trans Jardenem.

6 Sed dixit Mosche filiis Gadis & filiis Reübenis; [3] an fratres vestri procederent in bellum, & vos consisteretis hîc?

7 Imò quare rumpitis [d] animum filiorum Jisraëlis; ne transeant in terram illam quam dat eis Jehova?

8 ‖ Sic fecerunt patres vestri; quum misissem eos Kadescho barneħæ ad considerandum illam terram.

9 Nam quum ascendissent ad vallem Eschcolis considerantes illam terram, ruperunt animum filiorum Jisraëlis; ne venirent in eam terram quam dabat eis Jehova.

10 Idcircò accensus irâ Jehova die illo; juravit dicendo,

11 *Ne vivam*, si viderint homines isti qui ascenderunt ex Ægypto a nato viginti annos & deinceps, terram illam quam juramento promisi Abrahamo, Jitzchako & Jaħakobo: eo quòd [e] non sunt plenè sequuti me:

12 Præter Calebum filium Jephunnæ [4] Kenizzæum, & Jehoschuħam filium Nunis: quia plenè sequuti sunt Jehovam.

13 Et accensus ira Jehova in Jisraëlem, agitavit eos per hoc desertum [5] quadraginta annos; [6] donec consumeretur tota illa ætas quæ fecerat malum illud in oculis Jehovæ.

14 Ecce autem surrexistis loco patrum vestrorum, turba hominum [f] peccatis deditorum; ut addatis adhuc ad æstum iræ Jehovæ contra Jisraëlem.

15 Si [g] vos avertetis ab obsequio ejus, omnino perget adhuc relinquere eum in hoc deserto; sic perdetis totum populum hunc.

16 Accedentes autem rursus ad eum dixerunt, septa gregum struemus hîc pro pecore nostro; & civitates pro parvulis nostris.

17 [7] Nos autem expediti erimus, celeres *ad procedendum* ante filios Jisraëlis, usquedum introduxerîmus eos in locum suum: interea manebunt parvuli nostri in civitatibus istis munitis, [h] metu habitatorum istius terræ.

18 [8] Non redibimus in domos nostras; donec [i] adierint filii Jisraëlis quisque possessionem suam.

19 Quin non erimus possessores cum illis [k] trans vadum Jardenis; quum obvenerit possessio nostra nobis cis vadum Jardenis Orienté versus.

20 Tũ dixit eis Mosche, si fecerîtis rem hanc; si expediti eritis ante Jehovam ad bellum:

21 Si transibit quisque expeditus e vobis Jardenem istum coram Jehova; donec expulerit inimicos suos a facie sua,

22 Quum domita fuerit terra illa coram Jehova, posteà demum revertemini, eritísq; insontes apud Jehovam & apud Jisraëlem: sic cedet terra hæc vobis in possessionem coram Jehova.

23 Quòd si nôn sic facietis, ecce peccaveritis Jehovæ: agnoscite jam [9] peccatũ vestrum, quod *est* obventurum vobis.

24 Ædificate vobis civitates pro parvulis vestris, & septa pro gregibus vestris: sed quod prodiit ex ore vestro facitote.

[a] binæ erant eodem nomine infrà 34.& 35.
[a] *quæ etiam Beth-nimra, infr. v.36.*
[b] *quæ etiam Schibma, infrà vers.38.*
[c] *Contractum pro Baħal-meħone, infrà vers.38.*
[3] hac reprehensione non recusat Mosche Jisraëlitis terram attribuere, cujus mandatum se accepisse narrat Deut.2.23. sed petentes increpat ignaviæ, & sui erga fratres officii contemtum exprobrat: idque eo vehementiùs, quod distractis copiis fore videbat ut Jisraëlitarum animi frangerentur, ut ipse ait seq.vers.
[d] *Heb. cor, ut vers.9.*
‖ *supr.13.& 14.*
[e] *Heb. non impleverunt ire post me, ut sup.14.24. sic deinceps.*
[4] nepotem Kenazi e tribu Jehudæ, 1.Chron. 4.13.
[5] annumeratis duobus annis ab exitu ex Aegypto ad missionem exploratorum: synecdoche frequens ad rotundationẽ numeri.
[6] jam enim tum consumtam fuisse docuimus suprà in 26.1.
[f] *Heb. peccatores.*
[g] *Heb. revertemini ab eundo post eum.*
[7] id est, is numerus ex nobis quem judicabitis fratribus juvandis sufficere: nam non omnes aptos ad militiam Jardenem cum fratribus trajecisse apparet ex Jehoschu. 4.17. synecdoche.
[h] *Heb. a facie.*
[8] atque hoc ita factum fuisse legimus Jehosch. 22.
[i] *Heb. constituerint se possessores filii Jisraëlis quisque possessionis suæ.*
[k] *Heb. a vado Jardenis & ultrà.*
[9] pœnam peccati: metonymia.

25 Tum alloquuta est *tribus* filiorum Gadis & filiorum Reübenis Moschen, dicendo; servi tui facient, quemadmodũ dominus meus præcipit.

26 Parvuli nostri, uxores nostræ, pecus nostrum, & omnia jumenta nostra; ibi erunt in civitatibus Gilħadis:

27 Servi autem tui transibunt quisque expeditus ad militiam coram Jehova in bellum; quẽadmodum dominus meus loquitur.

28 Quapropter præcipiens Mosche de eis Elħazari sacerdoti, & Jehoschuħæ filio Nunis; primariis etiã paternarum familiarum in filiis Jisraëlis,

29 Edixit Mosche illis, si transierint filii Gadis & filii Reübenis vobiscum Jardenem, quisque expeditus ad bellum coram Jehova, & domita fuerit terra illa coram vobis: tum dabitis illis hanc terram Gilħadis in possessionem.

30 Sin autem non transierint expediti vobiscum; tunc possessores fiant inter vos in terra Cenaħanis.

31 Responderúntque filii Gadis & filii Reübenis dicendo; quod edixit Jehova servis tuis, sic faciemus:

32 Nos transibimus expediti coram Jehova *in* terram Cenaħanis, & penes nos manebit jus possessionis nostræ cis Jardenem.

33 Dedit itaque eis Mosche, filiis Gadis, & filiis Reübenis, ac [10] dimidiatæ tribui Menaschis filii Josephi, regnum Sichonis Regis Emoræorum, & regnum Hogi Regis Baschanis: regionem ipsam cum civitatibus per terminos ejus, civitates illius terræ circumquaque.

34 Et ædificarunt filii Gadis Dibonem, & Hatarothas; & Haroħerem;

35 Item Hatrothas Schophanis, & Jaħzerem, & Jogbeham,

36 Et Beth-nimram, & Beth-haranem; civitates munitas cum septis gregum.

37 Filii verò Reübenis ædificarunt Cheschbonem, & Elħalen; & Kirjathajima;

38 Item Nebuntem, & Baħal meħonem [l] mutatis nominibus, atque Sibmam: quibus indiderunt nomina, [11] *mutatis* nominibus illis civitatum quas ædificarunt.

39 Profecti autẽ filii Maciris filii Menaschis in [12] Gilħadem quum cepissent illum; [m] expulissẽntque Emoræos qui habitabant in eo;

40 Dedit Mosche Gilħadem Maciri filio Menaschis; qui inhabitavit eum.

41 Jair enim [13] filius Menaschis profectus ceperat villas ipsorum *Gilħaditarum*; quas vocavit villas Jairis:

42 Similiter Nobach profectus ceperat Kenatham cum [n] pagis ejus; quam vocavit Nobachum de nomine suo.

[10] causam cur hanc tribum illis conjungit vide infrà vers. 39. & sequentibus.
[l] *Heb. mutatas nomine.*
[11] ellipsis est supplenda ex antecedente membro: quod videtur Mosche de industria posuisse, ut ostẽderet nominatim duo illa civitatum nomina mutata esse quæ idololatriam turpissimam sapiebant. Nebo enim de nomine idoli vaticini dicebatur: Baħal meħon erat Baħalis habitatio: quorum nomina ne recordari quidem oportuit, Exod. 23. 13.
[12] partem Gilħadis quæ Reübenitis & Gaditis minimè cesserat: synecdoche, vide Deut. 3. 12.
[m] *Heb. expulisset sub Maciris genus.*
[13] accensus Menaschi ob maternum genus: natus enim hic erat Segubo filio Chetzronis e tribu Jehudæ, 1. Chron. 2. 22. accensus autem propterea fuit, quòd hæreditatem cum eis cepisset bello; quemadmodum hoc loco exponitur.
[n] *Heb. filiabus.*

CAPUT XXXIII.

Jisraëlitarum ab Ægypto ad Cenaħanæam usque profectiones omnes & stationes recensentur: eisq; mandatur ut Cenaħanæos ejiciant, idola eorum perdant, terram sorte inter se dividant, subjuncta gravi comminatione.

1 HÆ *sunt* profectiones filiorum Jisraëlis, quum egressi sunt e terra Ægypti per exercitus suos; [a] ministerio Moschis & Aharonis.

2 Scripsit autem Mosche progressus eorum in profectiones eorum ex [b] præstituto Jehovæ: hæ igitur sunt profectiones eorum in progressibus eorum.

[a] *Heb. manu.*
[b] *Heb. ore, ut infrà vers.* 38.

3 Primum proficiscentes Raħmeseso, mense primo, decimo quinto die mensis ipsius primi; postridie ipso Paschatis egressi sunt Jisraëlitæ manu sublata ante oculos omnium Ægyptiorũ: ‖ *Exod.* 12. 37.

4 Ægyptiis sepelientibus omneis primogenitos, quos percusserat Jehova in eis: quum [1] in deos etiam illorum exercuisset Jehova judicia. ‖ *Exod.* 12. 12. [1] vide Exod. 18. 11.

5 Profecti autem filii Jisraëlis Raħmeseso, castra posuerunt Succothis.

6 Deinde profecti Succothis, castrametati sunt in Ethamo quod *est* in extremitate deserti. ‖ *Exod.* 13. 2.

7 Deinde profecti ex Ethamo reversi sunt ad fauces Chirotharum quæ *sunt* ante Baħalzephonẽ; & castrametati sunt ante Migdolum: ‖ *Exod.* 14. 2.

8 Deinde profecti ex-adverso Chirotharum transiverunt per medium ipsius maris in desertum: pergentésque itinere tridui per desertum Ethami, castrametati sunt Maræ. ‖ *Exod.* 15. 22. & 23.

9 Deinde profecti Mara pervenerunt Elima: erant autem Elimis duodecim fontes aquæ & septuaginta palmæ, & castrametati sunt ibi. ‖ *Exod.* 16. 1.

10 Deinde profecti Elimis, castrametati sunt ad mare algosum. ‖ *Exod.* 16. 2.

11 Deinde profecti a mari algoso, castrametati sunt in deserto Sinis.

12 Deinde profecti a deserto Sinis, castrametati sunt Dophkæ.

13 Deinde profecti Dophka, castrametati sunt Aluschi. ‖ *Exod.* 17. 1.

14 Deinde profecti Aluscho; castrametati sunt Rephidimis, ubi non erat aqua populo quam biberet.

15 Deinde profecti Rephidimis, castrametati sunt in deserto Sinai. ‖ *Exod.* 19. 1.

16 Deinde profecti a deserto Sinai, castrametati sunt Kibrothis-thaavæ. ‖ *suprà* 11. 34.

17 Deinde profecti Kibrothis-thaavæ, castrametati sunt Chatzerothis. ‖ *suprà* 11. 35.

18 Deinde profecti Chatzerothis, castrametati sunt [2] Rithmæ. [2] vide 1. Mach. 5. 10.

19 Deinde profecti Rithma, castrametati sunt Rimmone-peretzi.

20 Deinde profecti Rimmone-peretzi, castrametati sunt Libnæ.

21 Deinde profecti Libna, castrametati sunt Rissæ.

22 Deinde profecti Rissa, castrametati sunt ad Kehelam.

23 Deinde profecti a Kehela, castrametati sunt ad montem Schepheris.

24 Deinde profecti a monte Schepheris, castrametati sunt Charadæ.

25 Deinde profecti Charada, castrametati sunt Makehelothis.

26 Deinde profecti Makehelothis, castrametati sunt Thachathi.

27 Deinde profecti Thachatho, castrametati sunt Therachi.

28 Deinde profecti Theracho, castrametati sunt Mithkæ.

29 Deinde profecti Mithka, castrametati sunt Chaschmonæ.

30 Deinde profecti Chaschmona, castrametati sunt Moserothis.

31 Deinde profecti Moserothis, castrametati sunt apud [3] filios Jaħakanis. [3] sive Hakanis vide 1. Mach. 5. 4.

32 Deinde profecti a filiis Jaħakanis, castrametati sunt Chore-gidgadis.

33 Deinde profecti Chore-gidgadis, castrametati sunt ad Jotbatham.

34 Deinde profecti a Jotbatha, castrametati sunt Habronæ.

35 Deinde

35 Deinde profecti Habrona, castrametati sunt Hetzjone-geberi.

36 ‖Deinde profecti Hetzjone-geberi, castrametati sunt in deserto Tzinis, quod *est* Kadesch.

37 ‖Deinde profecti Kadescho, castrametati sunt ad Horem montem juxta fines terræ Edomæorum.

38 Ascenditq; Aharon sacerdos Horem mõtem ex præstituto Jehovæ, & mortuus est ibi; anno quadragesimo ab exitu Jisraëlitarum e terra Ægypti, mense quinto, primo die illius mensis.

39 *Erat* autem Aharon natus centum viginti tres annos; quum moreretur in Hore monte.

40 ‖Tunc audivit Cenahanæus Rex Haradi, qui inhabitabat Australem partem in regione Cenahanis, quum adventarent filii Jisraëlis.

41 Deinde profecti ab Hore monte, castrametati sunt [4] Tzalmonæ.

42 Deinde profecti Tzalmona, castrametati sunt Punone.

43 ‖Deinde profecti Punone, castrametati sunt Obothis.

44 ‖Deinde profecti Obothis, castrametati sunt ad cumulos Habarimorum *montium* ad terminum Moabitarum.

45 Deinde profecti e cumulis, castrametati sunt [5] Dibone-Gadis.

46 Deinde profecti Dibone-Gadis, castrametati sunt Halmone ad [6] Diblathajima.

47 Deinde profecti Halmone ad Diblathajima, castrametati sunt ad montes Habarimorum ante Nebuntem.

48 ‖Deinde profecti a montibus Habarimorum, castrametati sunt in cãpestribus Moabitarum secundùm Jardenem *ex adverso* Jerichuntis.

49 Et castra habuerunt secundùm Jardenem a Beth-jeschimothis usque [7] Abel-schittimos; in campestribus Moabitarum.

50 Alloquutus autem est Jehova Moschen in campestribus Moabitarum; secundùm Jardenẽ *ex adverso* Jerichuntis, dicendo:

51 Alloquere filios Jisraëlis edicens eis; quandoquidem vos *mox* transituri estis Jardenem in terram Cenahanis:

52 Ejicietis igitur omneis habitatores ejus terræ a facie vestra, & perdetis omneis effigies eorum; & omneis imagines [c] fusas eorum perdetis, omniáq; excelsa eorum destruetis.

53 Qúmque expulsis *eis* [d] e terra illa habitabitis in ea (nam vobis trado terram illam ut hæreditario jure possideatis eam.)

54 ‖Tunc adibitis possessionem illius terræ sorte per familias vestras, ei qui multus est multiplicatote possessionem ejus, ei verò qui paucus est pauciorem assignato possessionem ejus, in quemcunque locum exierit cuique sors sua, is illius esto: per tribus paternas vestras possessiones aditote.

55 ‖Quòd si non expuleritis habitatores istius terræ a facie vestra: utique erit quicquid reliquum feceritis ex eis in spinas oculis vestris, & in aculeos lateribus vestris: & hostiliter agent vobiscum in illa terra in qua habitaturi estis.

56 Eritq; *ut* quemadmodum cogitavi facere illis, faciam vobis.

‖ *suprà* 20.1.
‖ *suprà* 20.22.
‖ *suprà* 21.1.
4 qui locus fortasse denominatus est ab imagine serpentis ibi erecti jussu Dei, suprà 21.6. & sequentibus.
‖ *suprà* 21.10.
‖ *ibidem* 11.
5 nam fuit etiam Dibon Reübenis: Jehoschu. 13.17.
6 vide in Jechezk. 6.14.
‖ *suprà* 22.1.
7 Schittimos locum esse ubi Jisraëlitæ cum mulieribus Moabitarum convenerunt apparet suprà 25.1. Abelis autem nomen quod luctum significat; videtur sumsisse a luctu quem extorsit populo gravis plaga Dei, ibidem vers. 6. nisi fortè magis placuerit Abel planitiem exponere, ut non infrequenter accipi in sacra Scriptura constat. Atque hanc quidem interpretationem probo.
c *Heb. fusurarum.*
d *Eclipsis præpositionis, ut Gen. 4. 1. & 16.3.*
‖ *suprà* 26.52.
‖ *Exod.* 23.33.

CAPUT XXXIIII.

Deus terminos definit reliquæ terræ in possessionem tradendæ novem tribubus cum dimidia: & ad eam distribuendam singulos e singulis tribubus summo Sacerdoti & duci nominatim adjungit.

1 PRAETEREA alloquutus est Jehova Moschen, dicendo:

2 Præcipe filiis Jisraëlis edicens eis, quandoquidem vos mox adituri estis terram quæ *est* Cenahanis: hæc *esto* terra quæ accidet vobis in possessionem, terra Cenahanis per terminos suos.

3 Primùm erit vobis plaga Australis a deserto Tzinis [a] secundùm [1] sedes Edomæorum; eritq; vobis terminus Australis, extremitas [2] maris salsi ad Orientem.

4 Et divertens vobis terminus hic ab Austro ad ascensum [3] Hakrabbimorum pertransibit Tzinem, eruntque exitus ejus ab Australi plaga per Kadeschum-barnehæ: unde procedet [4] Chatzar-Adarem, & transibit Hatzmonem.

5 Posteà divertet hic terminus Hatzmone ad [5] vallem Ægypti; ubi sunt ejus exitus ad ipsum [b] Occidentem.

6 Terminus verò Occidentalis, ut est vobis ipsum [6] mare magnum ita terminus *esto*: hic esto vobis terminus Occidentalis.

7 Hic verò esto vobis terminus Aquilonalis: a mari magno definitote vobis [7] Horem montem.

8 Ab Hore monte definitote quà itur Chamatham; eruntq; exitus illius termini, Tzedadi.

9 Et procedente eodem termino Ziphronem erunt exitus ejus Chatzer-henanis: hic esto vobis terminus Aquilonalis.

10 Item definietis vobis in terminum Orientalem, a Chatzer-henane [c] Schephamum:

11 Et descendens hic terminus Schephamo Riblam versus ab Oriente Hajini; descendere perget terminus, donec attingat litus maris [8] Cinnereth Orientem versus.

12 Et descendente termino ad ipsum Jardenem, erunt exitus ejus ad mare salsum: ista esto vobis terra per terminos suos circumquaque.

13 Quæ præcepit Mosche filiis Jisraëlis, dicendo: hæc *esto* terra, cujus possessionem adibitis per sortem, quam præcepit Jehova dari novem tribubus & dimidiatæ tribui.

14 Nam acceperunt tribus filiorum Reübenitarum per familias paternas suas, & tribus filiorum Gaditarum per familias paternas suas; dimidiatáque tribus Menaschis acceperunt possessionem suam.

15 Duæ hæ tribus cum dimidiata tribu; acceperunt possessionem suam cis vadum Jardenis Jerichuntinum ab anteriore parte orientem versus.

16 Præterea alloquutus est Jehova Moschen, dicendo,

17 Hæc *sunt* nomina virorum qui possidendam vobis distribuent istam terram; Elhazar Sacerdos, & Jehoschuah filius Nunis.

18 Et [d] principem unum ex unaquaque tribu; adhibetote ad distribuendam possessionem illius terræ.

19 Hæc autem nomina horum virorum *sunt*; tribus Jehudæ, Caleb filius Jephunnæ:

20 Et tribus filiorum Schimhonis, Schemuel filius Hammihudis:

21 Tribus Binjaminis, Elidad filius Cislonis;

22 Et tribus filiorum Danis princeps, Bukki filius Jogli:

23 E filiis Josephi, tribus filiorum Menaschis princeps; Channiel filius Ephodis:

24 Et tribus filiorum Ephrajimi princeps, Kemuel filius Schiphtanis:

25 Et tribus filiorum Zebulunis princeps, Elitzaphan filius Parnaci:

a *Heb. per manus sive spatia, id est, latera: metonymia.*
1 id est, terminales tractus Edomæorum, ut Jehoschu. 15.1. harum autem sedium singularis quædam circumscriptio diverso ordine sequitur ad versum 6. usque.
2 mortui, sive Asphaltitis lacus: vide in Genes. 14.3.
3 vel scorpionum, sicui placet appellativè accipere: sic enim videtur fuisse appellatus mons sive ascensus, ex eo quod scriptũ est Deut. 8.15. atque hinc dicti sunt Hakrabbateni, 1. Machabæor. 5.3.
4 id est, Chetzronem & Adarẽ conjuncta opida situ, etsi discreta muro: quapropter seorsim nominantur Jehoschu. 15.3.
5 i. partem Casiotidos, quę subest monti Casio cis paludem Sirbonidem; quæ Aegypti propterea dicitur, quòd Aegyptum ab Judæa distermínat. vide Jehosc. 13.3.
b *Heb. mare: sic deinceps.*
6 i. mediterraneum vel Syrum. Hoc autem a Judæis appellatur magnum ex comparatione aliorum quæ Judeæ adjacent.
7 id est, Chermonem, ut Jehoschu. 13.15. nam huic monti plura sunt nomina, Schirjon & Schenir Deut. 3. 9. itémque Sion Deut. 4.48.
c *Schiphmothæ idem locus dicitur, 1. Schemu. 30.28.*
8 qui posteà dictus est lacus Genezareth.
d *Heb. principem unum, principem unum e tribu.*

26 Et tribus filiorum Jissacaris princeps, Paltiel filius Hazzanis:

27 Et tribus filiorum Ascheris princeps, Achihud filius Schelomi:

28 Denique tribus filiorum Naphthali princeps, Pedah-el filius Hammihudis.

29 Hi *sunt* quibus præcepit Jehova; ut possessionem distribuerent filiis Jisraëlis, in terra Cenahanis.

CAPUT XXXV.

Jisraëlitæ jubentur quadraginta octo civitates suburbanáque prædia Levitis assignare: e quibus sex in asyla constituuntur, quò se recipiant homicidæ donec de causa sua cognoscatur, & ubi in tuto maneant qui per imprudentiam aliquem occiderint: Homicidiorum jura explicantur, & reis cædis redemtio omnis præciditur.

1 ITem alloquutus est Jehova Moschen in campestribus Moabitarum; secundùm Jardenem *ex-adverso* Jerichuntis, dicendo:

2 Præcipe filiis Jisraëlis, ut dent Levitis de possessione juris sui civitates ad habitandum: suburbanum quoque prædium in singulas civitates circa ipsas datote Levitis:

3 Ut sint illis civitates ad habitandum; suburbana verò prædia illarum sint pro jumentis eorum, & pro facultatibus eorum, & pro omnibus animalibus eorum.

4 Suburbana autem prædia illarum civitatum quæ daturi estis Levitis; sunto a muro civitatis cujusque extrinsecus [1] mille cubitorum circumquaque.

5 Ideóque metimini extra civitatem quamque ad plagam Orientalem [2] bis mille cubitos, & ad plagam Australem bis mille cubitos, & ad plagam Occidentalem bis mille cubitos, & ad plagam Aquilonalem bis mille cubitos, ita ut quæque civitas sit in medio eorum: hæc esto illis *mensura* prædiorum suburbanorum singularum civitatum.

6 Civitatibus autem quas dabitis Levitis, sex civitatibus receptus, quas dabitis ut confugiat illuc qui *hominem* occidit, his igitur additote quadraginta duas civitates.

7 Omnes civitates quas dabitis Levitis, *sunto* quadraginta octo civitates; ipsæ cum prædiis suburbanis suis.

8 Istas autem civitates quas dabitis de possessione filiorum Jisraëlis, de ejus *possessione* [3] qui multus est [a] multas datote, de ejus verò *possessione* qui paucus est datote pauciores: quisque prout erit possessio sua quam possessuri sunt, dato de suis civitatibus Levitis.

9 Alloquutus quoque est Jehova Moschen, dicendo,

10 Alloquere filios Jisraëlis edicens eis; quandoquidem mox transituri estis Jardenem *& venturi* in terram Cenahanis:

11 [‡]Postquàm sortiti eritis civitates obventuras vobis, civitates receptus sunto vobis; ut confugiat illuc occisor qui [b] aliquem percussit per errorem.

12 Erunt autem vobis civitates istæ in receptum [4] a vindice *occisi*; ut non moriatur qui occidit, tantisper dum [5] stat coram cœtu in judicium.

13 Civitates autem illæ quas dabitis, sex civitates receptus sunto vobis.

14 Tres harum civitatum datote cis Jardenem, & tres reliquas civitates datote [6] in terra Cenahanis: civitates receptus sunto.

15 Filiis Jisraëlis, peregrinóque, & inquilino inter eos sunto sex civitates istæ in receptum; ut fugiat illuc quisquis percussit aliquem per errorem.

16 Sed si instrumento ferreo [7] percussit eum ita ut mortuus sit, occisor est; [c] omnino morti traditor occisor ille:

17 Similiter si lapide manuali, quo *quis* mori potest, percusserit eum ita ut mortuus sit, occisor est; omnino morti traditor occisor ille:

18 Aut *si* ligneo instrumento manuali, quo *quis* mori potest, percusserit eum ita ut mortuus sit, occisor est; omnino morti traditor occisor ille.

19 Vindex ipse illius sanguinis morti [8] tradet occisorem illum: quum incidet in eum, ipse morti tradet eum.

20 Quòd si ex simultate depulerit eum; aut projecerit *aliquid* in eum de industria ita ut mortuus sit,

21 Aut [9] per inimicitiam percusserit eum manu sua ita ut mortuus sit, omnino morti traditor percussor ille, occisor est: vindex ipse sanguinis morti tradet occisorem illum quum incidet in eum.

22 Quòd si de-repente sine inimicitia depulit eum; aut projecit in eum ullum instrumentum non de-industria,

23 Aut *percussit eum* inconsideratè ullo lapide quo *quis* mori potest, faciens ut decidat in eum ita ut moriatur, quum ipse non *sit* inimicus ei, nec quærat malum ejus:

24 Tunc jus dicent cœtus inter ipsum percussorem & vindicem illius sanguinis; secundùm judicia ista.

25 Sic eripientes cœtus occisorem istum e manu vindicis illius sanguinis; remittent eum cœtus ad civitatem receptus sui quò confugerat: in qua manebit usque ad mortem [10] Sacerdotis maximi, quem unxit *Deus* oleo sacro.

26 Quòd si [d] ullo pacto exibit occisor iste; termino civitatis receptus sui, quò confugerat,

27 Et inveniet eum vindex ille sanguinis extra terminum civitatis receptus ejus: quum occiderit vindex ille sanguinis occisorem istum, [e] non est reus sanguinis.

28 Nam in civitate receptus sui manere debet usque ad mortem Sacerdotis maximi: post mortem verò Sacerdotis maximi revertetur occisor in terram possessionis suæ.

29 Erunt autem hæc vobis in statutum judiciale per generationes vestras, in omnibus habitationibus vestris.

30 [11] Quicunque percussurus est aliquem, ex sermone testium occidet occisorem: sed testis unus non poterit testari contra aliquem, ut moriatur.

31 At ne accipitote redemtionis pretium pro ullo occisore qui sons sit dignus morte: sed omnino morti traditor.

32 Ne quidem accipitote pretium redemtionis ab eo qui effugit in civitatem receptus sui; ut revertatur ad habitandum in suam terram, donec mortuus fuerit Sacerdos ille:

[1] puta notæ sive communis mensuræ, ut appellatur Jehoschu. 13. 4. διαιρετικῶς.

[2] quidam hunc vers. cum 4. ita conciliant, ut illi mille cubiti propinquiores civitati, pecuariæ servirent; hi mille remotiores, culturæ: quod fundamento caret. Alii bis mille cubitos accipiunt ab una extremitate suburbani prædii ad oppositam ei extremitatem: quo pacto media versus pars redundare nobis antehac videbatur; ac proinde hic versus exegeticè de quibus cubitis antè loquutus fuerit declarare, nimirum Geometricis sacris, qui (ut sicli) duplo majores erant communibus: de quibus vide 1. Reg. 6.2. & 7.15. Mihi verò jam probatur magis secunda interpretatio: nempe quòd mille cubitorum spatium imperatur a civitatis muro extimo ad prædiorum terminum, ut quamcunque in partè spectes, comperias bis mille cubitos ἐκ διαμέτρου esse (omisso tamen civitatis spatio) ab una suburbii extremitate ad alteram. Quod autem redundare videtur pars versus aliqua: id non perissologiæ aut battologiæ, sed exegesi populari oportet deputari, qualem exegesin legimus etiam Jechezk. 42.16. & seq. & 48.16. & seq. Sacros autem cubitos non ad puræ areæ aut nudi soli mensiones, sed ad structurarum commensus pertinere in Scripturis constat. [3] Noëma, quo subauditur, ac proinde ampliorem accepit hæreditatem; sic etiam in proximè sequente verbo: quod intelligitur ex 33.54. suprà. [a] *Heb. multiplicatote* dare, *sic posteà minuite* dare. [‡] *Deut.* 19.1. [b] *Heb. animam, sic deinceps.*

[4] nam ex lege Dei permittebatur consanguineo cædem necessarii persequi infr. ℣. 21.

[5] suo ac legitimo, cui defertur hujus facti cognitio ex jure, inf. ver. 24. hinc autem apparet nihil opus fuisse ut ii ad civitatem receptus confugerent qui in civitate hominem occiderant, aut in alio loco unde commodiùs poterant se sistere purgandos magistratui suo.

[6] trans Jardenem, ut docet membrum antitheton.

[7] sciens & prudens vers. 20. & seq. Deut. 19.5. sic duobus vers. sequent.

[c] *Heb. moriendo morti traditor: & sic deinceps.*

[8] id est, licebit ei tradere.

[9] aperta hostilitate, non infenso tantùm animo.

[10] quia typus legalis est Christi abluentis sanguine immunditias nostras, redimentis morte sua nos a peccatis nostris, & cõstituentis pacem. sic vers. 28. & 32.

[d] *Heb. exeundo exibit.*

[e] *Heb. non est ei sanguis.*

[11] sive judex, sive vindex.

33 Ut

33 Ut non contaminetis terram ipsam in qua
eritis, quia sanguis iste contaminaturus esset
hanc terram: pro ea autem terra [12] fieri non
posset expiatio a sanguine qui effusus esset in ea,
nisi per sanguinem effundentis eum.
34 Neque polluito terram ipsam in qua re-
sidebitis, in cujus medio habitaturus sum: nam
ego Jehova habito in medio filiorum Jisraëlis.

[12] scilicet ante mortem Sacerdotis maximi: nam Christus (quem Sacerdos summus adumbrabat) expiavit omnia morte, & reconciliavit nos Deo per crucem in sanguine suo. Hæc igitur lex ceremonialis fuit & typica.

CAPUT XXXVI.

Occasione hæreditatis filiarum Tzelophchadi lex fertur, qua filia hæres intra paternam tribum jubetur nubere, ne cum ea hæreditas de tribu in tribum demigret.

1 TUnc [1] accedentes primores patrum ex
familiis filiorum Josephi, cum familia fi-
liorum Gilhadis filii Maciris filii Menaschis; lo-
quuti sunt coram Mosche, & coram principibus
primoribus patrum inter filios Jisraëlis:
2 Ac dixerunt, ‖ Domino meo præcepit Je-
hova, ut det istam terram in possessionem sorte
filiis Jisraëlis: & Dominus meus præceptum ha-
bet a ‖ Jehova, ut det possessionē Tzelophchadi
fratris nostri filiabus ejus.
3 Si [a] nubent alicui e [b] tribulibus *aliis* filio-
rum Jisraëlis, tum detrahetur possessio earum
de possessione paterna nostra, & adjicietur ad
possessionem tribus eorum quibus nupserint:
utique de sorte possessionis nostræ detrahetur.
4 Etiam quum erit [2] jubilæus filiis Jisraëlis,
tamen adjecta manebit possessio earum ad pos-
sessionem tribus *illorum* quibus nupturæ sunt; ita
ut de possessione tribus paternæ nostræ detracta
maneat possessio earum.
5 Præcepit itaque Mosche filiis Jisraëlis ex
[c] præstituto Jehovæ, dicendo; rectè tribules fi-
liorum Josephi loquuntur.
6 Hoc *est* verbum quod præcipit Jehova de
filiabus Tzelophchadi, dicendo, cui bonum vide-
bitur in oculis suis nubent: verumtamen in fami-
lia tribus paternæ suæ nubunto.
7 Nam non avertetur possessio in filiis Jis-
raëlis a tribu in tribum: quum filii Jisraëlis [3] ad-
hærebunt quisque possessioni tribus paternæ
suæ.
8 Quapropter quæcunque filia e tribubus
filiorum Jisraëlis hæres est possessionis; alicui
e familia tribus paternæ suæ nubito; ut filii Jis-
raëlis hæreditario jure possideant quisque pos-
sessionem paternam suam:
9 Sic non avertetur possessio a tribu *una*
in tribum alteram; quando quisque possessio-
ni suæ adhærebunt [d] tribulium filiorum Jisra-
ëlis.
10 Quemadmodum præceperat Jehova Mo-
schi, sic fecerunt filiæ Tzelophchadi:
11 Nupserunt enim Machla, Thirtza, & Cho-
gla, & Milca, & Noha filiæ Tzelophchadi, [4] filiis
patruorum suorum:
12 *Viris* e familiis filiorum Menaschis filii Jo-
sephi nupserunt: fuitque possessio earum con-
juncta tribui *ac* familiæ paternæ earum.
13 Hæc *sunt* illa præcepta & judicia quæ præ-
cepit Jehova per Moschen filiis Jisraëlis, in cam-
pestribus Moabitarum secundùm Jardenem *ex
adverso* Jerichuntis.

[1] Traiectio est in Hebræo contextu quam indicat vers. 5. nam reliquæ familiæ filiorum Josephi se adjunxerunt familiæ Gilhadis, ut ei apud Moschen & principes Jisraëlis patrocinarentur.
‖ *suprà 26.*
‖ *suprà 27.*
[a] Heb. *erunt in uxores: sic suprà 30.6. & deinceps.*
[b] Heb. *filiis tribuum filiorum Jisr. sic infrà.*
[2] quo alioquin possessiones distractæ & alienatæ ad priores dominos ex lege redeunt, Levit. 25.
[c] Heb. *ore.*
[3] junctis inter se connubiis: nam verbum hoc propriè conjugio tribuitur, ut Genes. 2. 24.
[d] Heb. *tribuum.*
[4] posteris: nihil enim contra jus & honestatem præcepit Deus, aut Mosche fieri passus est: & hanc vocem latè accipi est notissimum, ut sequens versus innuit.

QUINTUS LIBER MOSCHIS, SIVE DEUTERONOMIUM.

Hoc libro Mosche a brevi commemoratione rerum præteritarum exorsus, populum hortatur ad Legis obsequium, quam diligenter repetit & explicat: deinde res gestæ narrantur ab initio undecimi mensis, usque ad septimum diem mensis duodecimi, anni quadragesimi ab exitu ex Ægypto.

CAPUT PRIMUM.

Breviter repetitis actis a statione in Chorebo usque Kadeschum barnehæ, historiam de missis exploratoribus & decretum Dei contra infideles fusius quàm ante Num.14. commemorat & exponit Mosche.

[1] Inscriptio totius libri hujus, accuratissimam loci designationem continens, ubi hæc proposuit Mosche. [a] Moabitarum, ut appellatur infrà 2.7. [3] agri Moabitarum, ut dicitur infrà vers.5. [4] terræ algosæ & caricibus abundantis quæ ad lacū Asphaltiten est: sic Num.21.14. [5] hi duo summi termini campestrium in quibus castra Jisraëlitæ fecerunt: prior Meridiem versus, desertum Paranis; posterior Aquilonem versus, est Syriæ Cœles terminus, ubi opidum Pella situm. Sequentia verò minutam circumscriptionem campestrium Moabi complectuntur, quasi reflexo ordine a Septemtrione ad Meridiem revertaris. Nam Laban est Libias opidum Geographis dictum: Chatzeroth Gazorus est, Dizahab verò est tractus inferior ad Arabiam Petræam pertinens, ubi opidum fuit Me-zahab sive Medava Geographis, de quo diximus in Genes.36.39. Sic Moabi campestria ab occidente Jardenem habentia, tribus terminis reliquis definita sunt: a Septemtrione, Thophelo & Libiade; ab Oriente, Chatzerothis & Di-zahabo, & a Meridie, deserto Paranis. [6] Hic versus ad interpretationem hujus capitis & sequentis commodè præmissus est; ut gravitas judiciorum Dei, minarúmque veritas ostendatur. Breve quidem est iter, inquit Mosche, a monte Choreb ad hæc usque Moabitarum campestria, etiamsi per circuitum montium Edomææ circumducaris Kadeschum usque, in quem locum siquis venerit quum a Chorebo ad campestria hæc profecturus est, amfractuosum iter insistit, ac non contendit rectà; hac non est iter amplius dierum undecim. Verumtamen Jisraëlitæ hoc ipsum tam breve iter propter gravitatem peccati non potuerunt ante trigesimum octavum annum absolvere, infrà 2.13. [7] ab exitu ex Aegypto. [8] paulò ante mortem suam: nam eum mortuum esse quasi septimo die mensis duodecimi colligitur ex Deut.34. & Jehoschu 1.& 4. ‖ *Num.*21. [9] nam illuc duxisse exercitum contra Jisraëlitas dicitur Num.21.33.& infrà 3.1. [10] nam fermè annum ibi habitasse docet comparatio Exod.19.1.cum Num.10.11. [a] *Heb. multum fuit vobis habitare, ut infrà* 2.2. [11] de quibus vide in 1.Mach.12.38. [12] hic describit terminos promissæ terræ suo ordine a Meridie, Occidente, Aquilone, & Oriente.

1 ISTA [1] *sunt* verba quæ eloquutus est Mosche universo Jisraëli cis Jardenem; in [a] deserto, in [3] campestribus *quæ sunt* e regione Suph, [4] inter [5] Paranem & Thophelem, & Labanum, & Chatzerothas, ac Di-zahabum:

2 [6] *Distantia* undecim dierum a Chorebo, *facto* itinere *per* montana Sehiris; ad Kadeschum barnehæ usque.

3 Fuit igitur [7] quadragesimo anno, [8] undecimo mense, primo *die* mensis; *ut* alloqueretur Mosche filios Jisraëlis secundùm omnia quę prę-ceperat ei Jehova *referenda* ad illos;

4 ‖Postquam percussit Sichonem Regem Emoræorum, qui habitabat Cheschbone; & Hogum Regem Baschanis qui habitabat Haschtherothis, *percussit* [9] in Edrehi.

5 Cis Jardenem in terra Moabitarum; placuit Moschi declarare legem istam, dicendo:

6 Jehova Deus noster alloquutus erat nos in Chorebo, dicendo; [10] [a] satis habitastis in monte isto.

7 Convertite vos, & proficiscentes ingredimini in montem Emoræorum & in omnia vicina ejus, in campestria, in montana, & in [11] humilia loca, & [12] in Australem plagam, & in portus maris: *in* terram Cenahanæi & Libanum, usque ad flumen maximum, flumen Euphratis.

8 Vide [b] expono vobis terram illam: ingredimini & hæreditario jure possidete illam terram, ‖ quam juramento promisit Jehova majoribus vestris, Abrahamo, Jitzchako, & Jahakobo daturum se illis, id est, semini eorum post eos.

[b] *Heb. pono coram vobis, ut infrà* 21. ‖ *Exod.*18.

9 Et alloquutus fueram vos tempore illo, dicendo; non possem solus ferre [c] onus vestri.

10 Jehova Deus vester auxit vos; & ecce vos hodie [13] sicut stellas cæli multitudine.

11 Jehova Deus majorum vestrorum [d] augeat vos suprà quàm estis millecuplo, & benedicat vobis, quemadmodum dixit vobis.

12 Quomodo ferrem ego solus; [e] molestias a vobis, onera a vobis, & contentiones vestras?

13 [f] Exhibete homines sapientes; & prudentes, & cognitos per tribus vestras; ut constituam illos [g] primores vestros.

[c] *Heb. vos, ut Num.*11.14. [13] hyperbole frequens, ex Gen.15.5. [d] *Heb. addat vobis ut vos estis mille vicibus.* [e] *Heb. molestiam vestram, onus vestrum.* [f] *Heb. date vobis.* [g] *Heb. in primoribus vestris.*

14 Tum respondistis mihi, dicentes, bonum est eam rem de qua dixisti facere.

15 Accipiens itaque [14] primores tribuum vestrarum, homines sapientes & cognitos, cōstitui istos primores vobis; chiliarchos, & centuriones, & præfectos quinquagenis, & decuriones, & [15] moderatores per tribus vestras:

16 Et præcepi judicibus vestris tempore illo, dicendo; audiendo causas inter fratres vestros, judicate [h] justè inter virum & fratrem ejus, etiámque peregrinum ei.

17 Ne [i] suscipite personam in judicio, æquè parvum atque magnum auditote, ne metuitote [k] a quoquam, nam judicium ipsum Dei est: rem autem quæ difficilis *erit* præ vobis, [l] refertote ad me ut audiam eam.

18 ‖ Præcepi etiam vobis illo tempore, [16] res illas omneis quas facturi estis.

19 Deinde quum profecti ‖ Chorebo obiissemus totum illud desertum magnum & formidabile quod vidistis, viâ ad montem Emoræorum, quemadmodum præceperat Jehova Deus noster nobis; & venissemus Kadeschum barnehæ usque:

20 Edixi vobis; venistis usque ad montem Emoræorum quem Jehova Deus noster dat nobis:

21 Vide, exponit Jehova Deus tuus istam terram

[14] id est, judices ac velut Centumvirali autoritate præditos. vide Exo. 18.21. [15] velut Prætores quosdam, qui jus dent populo, & judicatum curent fieri in causis singulis. [h] *Heb. justitiâ.* [i] *Heb. agnoscite faciem.* [k] *Heb. a facie cujusquam.* [l] *Heb. admovetis.* ‖ *Num.*10.11. [16] totam legem ad mores, judiciáque & ceremonias pertinentem, de quibus inde ab Exod.20. ‖ *infrà* 8.15.

ram tibi: ascendens hæreditario jure posside, quemadmodum dixit Jehova Deus patrum tuorum tibi, ne timeto, neque consternator.

22 [17]Accedétes verò ad me vos omnes; [l] dixistis, mittamus homines ante nos qui nobis pervestigent illam terram: & referant nobis aliquid de via per quam ascensuri sumus, & civitatibus in quas perventuri sumus.

23 Quæ res quum bona videretur in oculis meis; accepi e vobis duodecim homines, hominem unum in quamque tribum:

24 Qui convertentes se & ascendentes montem istum, venerunt usque ad vallem [m] Eschcolis: ita exploraverunt illam;

25 Et accipientes in manu sua de fructu illius terræ [n] deportarunt ad nos: retuleruntq; nobis aliquid, dicentes, bona *est* illa terra quam Jehova Deus noster dat nobis.

26 [l] Noluistis tamen ascendere; sed [o] maximo opere rebellavistis præstituto Jehovæ Dei vestri.

27 Mussitastis enim in tentoriis vestris, dicentes, [p] eo quòd Jehova odio prosequitur nos, eduxit nos e terra Ægypti: ut tradat nos in manum Emoræorum ad perdendum nos.

28 Quò ascenderemus? fratres nostri [q] dissolverunt animum nostrum dicendo, populus *est* major & excelsior nobis, civitates magnæ & munitæ *assurgentes* in cælum usque: quinetiam filios [18] Hanakitarum vidimus illic.

29 Me autem dicente vobis; ne expavescite, neque timete ab illis:

30 Jehova Deus vester qui anteit vos, is pugnaturus est pro vobis; secundùm omnia quæ exercuit pro vobis contra Ægyptios ante oculos vestros,

31 Et quæ vidisti in deserto, [l] Jehovam Deum tuum portasse te quemadmodum portat quis filium suum; in tota via per quam ivistis donec perveniretis ad locum hunc:

32 Tamen propter hunc sermonem; non credidistis Jehovæ Deo vestro,

33 Qui anteit vobis in hac via ad explorandum vobis locum pro castrorum metatione vestra; igne noctu, ut lucem vobis præbeat in via per quam ituri estis, & nube interdiu.

34 Quamobrem quum audisset Jehova vocẽ sermonum vestrorum; effervescens juravit, dicendo:

35 *Ne vivam*, siquis ex hominibus istis, *si* generatio prava ista visura est; terram illam optimam, quam juramento promisi me daturum patribus vestris:

36 [19] Solummodò Caleb filius Jephunnæ, ipse videbit eam, & ei tradam illam terram quam calcavit ac filiis ejus; eo quòd [r] [l] plenè sequutus est Jehovam.

37 ([20] Etiam contra me irâ percitus est Jehova occasione vestri, dicendo; neque tu ingredieris illuc:

38 *Sed* Jehoschuah filius Nunis, qui adstat in cõspectu tuo, ipse ingredietur illuc: eum cõfirma, quia ipse possidendam dividet eam Jisraëlitis.)

39 Parvuli autem vestri de quibus dixistis, prædæ erunt, & filii vestri qui non cognoscunt hodie bonũ aut malum, ipsi ingredientur illuc: nam eis tradam eam, & ipsi hereditario jure possidebunt eam.

40 Vos igitur revertimini; & proficiscimini in desertum ipsum, viâ *ad* mare algosum.

41 Tum respondentes dixistis mihi, peccavimus Jehovæ; nos ascendemus, & pugnabimus

[17] hoc cum Num. 13. conjungendum est: primùm enim populus hoc a Mosche petiit, ut hic dicitur: deinde Mosche ad Deum petitionem referente, Deus id sibi placere per Moschen declaravit Num. 13. 1.
[l] *Num.* 13.
[m] *id est, botri.*
[n] *Heb. fecerunt descendere.*
[l] *Num.* 14.
[o] *Heb. mutare fecistis os Jehovæ. id est, fecistis ut Deus aliud consilium vobis proponeret quam quod habetur supra* ♥. *8. sic infrà* ♥. *43.*
[p] *Heb. propter odium Jehovæ* quo odit *nos*: *Eclipsis conjugati ut Genes.* 19. 16.
[q] *Heb. liquefecerunt cor nostrum.*
[18] vide in Num. 13. 22.
[l] *Exod.* 19. 4. *infrà* 32. 11.
[19] & Jehoschuham synecdochicè: ut duobus seq. versibus συναίτιο historia demonstratur.
[r] *Heb. implevit ire post Jehovã.*
[l] *Num.* 20. 12.
[20] Hanc historiam inserit Mosche duabus de causis: una ut ostendat eos in causâ fuisse cur non tantùm ipsi, sed etiam Mosche terra exclusus est, dum ipsorum rebellione fuit perturbatus: altera ut Jehoschuham ab ista exclusione nominatim exceptum, (prout cum Calebo exceptus fuerat Num. 14. 30.) successorem sibi eadem opera nominaret.

secundùm omnia quæ præceperat nobis Jehova Deus noster: & accingentes vos quisque armis bellicis suis, obtulistis vos ad ascendendũ montem illum.

42 Edixit autem Jehova mihi, dicito eis, ne ascenditote, neque pugnatote, quia non sum in medio vestri; ut non afficiamini plaga coram inimicis vestris:

43 Et quamvis edixissem vobis, tamen non auscultastis: sed maximo opere rebellavistis præstituto Jehovæ, quum [s] arroganter ascenderetis ipsum montem.

44 Egressi enim Emoræi qui inhabitant mõtem illum, obviam vobis, persequuti sunt vos ut facere solent [21] apes: & contriverunt vos in Sehire Chormam usque.

45 Reversi itaq; flevistis coram Jehova; non auscultavit Jehova voci vestræ, nec aurem præbuit vobis:

46 Sed consedistis Kadeschi [22] dies multos, ut *multi fuerunt* dies quibus consedistis ibi.

[s] *Heb. arrogaretis vobis ut ascenderetis.*
[21] cum a quo sunt offensę confertim & denso agmine omni parte aggredientes.
[22] nimirum annos fermè 38. ut adnotatum est suprà in vers. 2.

CAPUT II.

Res gestæ apud Edomæos, Moabitas, & Hammonitas, bellúmque contra Sichonem exponuntur.

1 DEinde convertimus nos & profecti sumus in ipsum desertum viâ *ad* mare algosum, quemadmodũ edixerat Jehova mihi: & circumivimus montana Sehiris diebus multis.

2 Tandẽ alloquutus est me Jehova, dicendo:

3 [a] Satis circumiistis montem istum: convertite vos [1] Aquilonem versus.

4 [2] Item populo præcipe dicendo; vos mox pertransituri estis terminum fratrum vestrorum, filiorum Hesaui inhabitantium Sehirem: quanquam metuant a vobis, tamen cavete vobis valde.

5 [l] Ne bellum miscete [3] cum illis, non enim daturus sum vobis de terra eorum, [b] vel vestigiũ plantæ pedis: nam hæreditarium dedi Hesauo montem Sehiris.

6 Cibum comparate ab eis pecuniâ, quem comedatis; & similiter aquam emitote ab eis pecuniâ quam bibatis.

7 Nam Jehova Deus tuus [4] benedixit tibi in omni opere manus tuæ, [5] agnovit iter tuum in deserto maximo isto: jam quadraginta annos Jehova Deus tuus tecum *fuit*, non eguisti *ulla* re.

8 [l] Prætergressi itaque fratres nostros, filios Hesaui inhabitantes Sehirem a via campestrium, *quæ sunt* ab Elatha & a Hetzjone-geberi, convertimus nos ut transiremus viâ deserti Moabitarum.

9 Tum edixit Jehova mihi, ne hostiliter age cum Moabitis, neque misceto cum eis bellum: quia non sum daturus tibi de terra ejus hæreditatem, nam filius Loti dedi [6] Harem *in* hæreditatem.

10 [7] (Emæi anteà inhabitabant eã; populus magnus, multúsque, & excelsus ut Hanakita:

11 Gigantes reputabãtur etiam illi, sicut Hanakitæ; sed Moabitæ vocabant eos Emæos.

12 [l] Sehirem inhabitabant quoque Choræi anteà; in quorum hæreditatem filii Hesaui successerunt quum perdidissent eos a facie sua, & inhabitant loco eorum: quemadmodum faciunt Jisraëlitæ terra hæreditatis suæ quam dedit Jehova eis.)

[a] *Heb. multum fuit vobis circumire, ut sup.* 1. 6.
[1] relicto Meridiano tractu respectu Cenahanæ, secundùm Moabitarum agrum iter facite.
[2] quia de Moabitis & Hammonitis mox loquuturus est, quorum regiones erant pertranseundæ, mandatum conjungit de non molestãdis Edomæis: quorum regionem hic dicuntur circuivisse, & unde jubẽtur discedere.
[l] *Num.* 20. 14.
[3] reliquis per quos transituri estis: nam Hamalekitas (quãvis Edomæi essent) nominatim ex hac lege exclusit Deus, Exod. 17. 14. & infrà 25. 17.
[b] *Heb. usque ad vestigium.*
[4] Confirmatio in futurum ab experientia gratiæ Dei, quadraginta annos in horrendo illo itinere eis consulentis.
[5] curam habuit tui in toto illo itinere. hic autẽ versus occupationis est: tanquã si quærentibus Jisraëlitis, & unde nobis pecunia ad emendũ? &c. responderetur, Habetis pluri satis, cum nullam expenderitis inde ab Ægypto, sed multam ex spoliis comparaveritis. [l] *Num.* 21. 11. [6] de qua vide in Num. 21. 28. [7] id est, formidabiles, ut Gen. 14. 5. [l] *Genes.* 36.

13 Nunc

13 Nunc surgentes [c] transite vallem Zeredi: quare transivimus vallem Zeredi.

14 Dies autem quibus [8] iter fecimus, *consumti* a Kadescho-barnehæ usque-dum transivimus vallem Zeredi, fuerunt triginta octo annorum: donec confecta esset tota ætas illa, [d] viri illi militares, e medio castrorum, sicut juraverat Jehova de eis.

15 Nam etiam manus Jehovę erat contra eos ad quassandum eos e medio castrorum; donec conficerentur.

16 Fuit itaque, quum omnes viri illi militares moriendo confecti essent e medio populi;

17 Ut alloqueretur me Jehova dicendo:

18 Tu transiturus es hodie terminum Moabitarum, Harem,

19 Et appropinquaturus e-regione Hammonitarum, ne hostiliter agito adversus eos, neque bellum misceto cum eis: quia non sum daturus tibi de terra Hammonitarum hęreditatem, nam filiis Loti dedi eam in hæreditatem.

20 (Terra Gigantum reputatur ipsa quoque: Gigantes inhabitabant eam anteà, quos Hammonitæ vocabant [9] Zamzummæos:

21 Populus magnus multúsq; & excelsus, sicut Hanakitæ: sed perdidit eos Jehova a facie istorum, ut succedentes in hæreditatem eorum inhabitarent *isti* loco eorum:

22 Quemadmodum fecit filiis Hesaui inhabitantibus Sehirem; a quorũ facie perdidit Choræos, ut succedentes in hæreditatem eorum inhabitarent loco illorum usque in hunc diem:

23 [10] Havvæos quoque qui inhabitabant Chatzerima Hazzam usque; [11] Caphthoręi qui prodierunt e Caphthore perdiderunt illos, & inhabitabant loco illorum)

24 Surgite proficiscimini & transite flumen Arnonis; vide, trado in manum tuam Sichonem Regem Cheschbonis Emoræum & terram ejus, [e] [12] incipe adire hæreditatem: & misce cum eo bellum.

25 Die hoc incipiam imponere pavorem tui & timorem tui [f] populis sub universo cælo: qui audierint famam tuam, ii trepidabunt, & languescent a facie tua.

26 Itaq; misi nuncios e deserto Kedemotharum, ad Sichonem Regem Cheschbonis; ad dicendum [13] verbis pacis:

27 Transeam per terram tuam, [g] indesinenter procedam eâdem via; non recedam dextrorsum aut sinistrorsum.

28 Sine me comparare cibum pecuniâ ut comedam, & aquam pecuniâ dato mihi ut bibam; tantùm transibo pedibus meis:

29 [14] Quemadmodum fecerunt mihi filii Hesaui inhabitantes Sehirem, aut Moabitę inhabitantes Harem: usq; dum transiens Jardenẽ, *veniam* [15] in eam terram quam Jehova Deus noster dat nobis.

30 Sed noluit Sichon Rex Cheschbonis sinere ut transiremus [h] per agrum suum: quia [16] obduravit Jehova Deus tuus spiritum ejus, & [i] obfirmavit animum ejus, ut traderet illum in manum tuam, *sicut est* hoc tempore.

31 Et dixit Jehova mihi, vide, cœpi [k] exponere tibi Sichonem & terram ejus: incipe adire hæreditatem, ut hæreditario jure possideas terram ejus:

32 Quum egressus est Sichon obviam nobis, ipse cum toto populo suo in prælium ad Jahatzam.

33 Et exposuit eum Jehova Deus noster nobis: itaque percussimus eum, & filios ejus, & totum populum ejus:

34 Et cepimus omneis civitates ejus eodem tempore, devovimúsque internecioni [l] homines cujusq; civitatis, etiam [17] fœminas & parvulos; non reliquum fecimus superstitem:

35 Tantummodò jumenta prædati sumus nobis; & spolia civitatum illarum quas cepimus.

36 A Harohere quę *est* in ripa fluminis Arnonis, & [18] civitate ipsa quæ *est* in flumine; usque ad Gilhadem, nulla fuit urbs quæ superior esset nobis: omnia hæc exposuit Jehova Deus noster nobis.

37 Cæterùm ad terram Hammonitarum non accessisti; totum tractum torrentis Jabboki, & civitates ipsius montis, denique omnia quibus interdixerat Jehova Deus noster.

CAPUT III.

Victoria contra Hogum, distributio acquisitæ terræ in duas tribus & dimidiam, institutio Jehoschuhæ in successorem, deprecatio Moschis ne priùs moriatur quàm sit ingressus terram, & repulsa quam passus est a Deo, exponuntur.

1 [1] INde nos convertentes ascendebamus viâ ad Baschanem: quum processit Hog Rex Baschanis obviam nobis, ipse cum toto populo suo in prælium *ad* Edrehin.

2 Et edixit Jehova mihi, ne timeto eum, nam in manum tuam trado eum, cum toto populo ejus, ac terra ejus: ut facias eo, quemadmodum fecisti Sichone Rege Emoræorum qui habitabat Cheschbone.

3 Tradidit itaque Jehova Deus noster in manum nostram Hogum quoq; Regem Baschanis cum toto populo ejus; quem percussimus adeò ut non fecerimus ei reliquum superstitem.

4 Et cepimus omneis civitates illius tempore eodem, nulla *est* urbs quam non ceperimus ab eis; sexaginta civitates, totum tractum Argobi, regnum Hogi in Baschane:

5 Omneis istas civitates munitas muro alto, portis, & vectibus; pręter civitates paganorũ multas admodum:

6 Devovimúsque internecioni eos, quemadmodum feceramus Sichone Rege Cheschbonis; devovendo internecioni [a] cujusque civitatis homines, fœminas, & parvulos:

7 Omnia verò jumenta & spolia singularum civitatum prædati sumus nobis.

8 Ita cepimus tempore illo terram hanc e manu duorum Regum Emoræorum, quæ *est* cis Jardenem; a flumine Arnonis usque ad montem Chermonis:

9 (Tzidonii Chermonem vocant [1] Schirjonem, Emoræi verò illum vocant Schenirem)

10 Omneis civitates planitiei, totúmq; Gilhadem & totum Baschanem, Salcam, & Edrehin usque; civitates regni Hogi in Baschane.

11 Nam [2] tantùm Hog Rex Baschanis se reliquum servarat ex residuo Gigantum; ecce sponda ejus sponda ferrea, nonne ęst Rabbathę Hammonitarum? novem cubitorum *est* longitudo ejus, & quatuor cubitorum latitudo ejus [3] cubito virili.

12 [1] Quum itaque terram hanc hæreditario jure consequuti essemus tempore illo, a Harohere quę *est* ad flumen Arnonis, & dimidium montis Gilhadis cum civitatibus ejus, dedi Reübenitis & Gaditis:

13 Residuum

[c] *Hebr. transite vobis.*
[8] i. in itinere ab Ægypto versati sumus: nam in Kadescho Jisraël annos triginta septem cum dimidio cómoratus est: posteà verò dimidium annum in itinere a Kadescho ad vallẽ Zeredi occupavit. *Igitur a Kadescho barnehæ,* id est, ex quo Kadeschum venimus.
[d] *Hebr. viri belli, id est, apti ad bellum a nato viginti annos & deinceps, contra quos exclusionis sententia lata est Num. 14.17.*
[9] i. quàm sceleratissimos: abutebãtur enim robore & potentia sua. Iidem quoq; Zuzæi a velocitate & agilitate dicebantur, Genes. 14.5.
[10] priscos Palestinæ incolas: vide Jehosch. 13.3.
[11] Pelischthæi a Caphthorçis orti Genes. 10. 14.
[e] *Heb. incipe adi: sic infrà vers. 30.*
[12] vide in Num. 32.6.
[f] *Heb. faciei populorum.*
[13] nã pax prius offerenda erat inf. 20.10. qua repudiata, non solùm coram Deo sed etiam coram hominibus justè bellum susceptum est.
[g] *Heb. eadem via, eadem via.*
[14] nam Edomęi transitũ quidem per regionẽ suã Jisraëlitis denegarunt, ut exprimitur Num. 20. 20. terminos verò suos attingere eis permiserãt cibúmque & potum pecunia cõcesserant: ut ex hoc loco colligitur. Moabitę verò a terminis attingendis nõ repulerunt; sed cibum & potũ recusarunt, ut docetur infrà 23.3.
[15] vide in Exod. 3. 18.
[h] *Hebr. per se, ut Num. 20.18.*
[16] ut de Parhone dicitur Exod. 4.21. & aliis locis.
[i] *Hebr. roboravit cor.*
[k] *Heb. ponere corã te: sic deinceps.*

[l] *Hebr. omnem civitatem hominũ: hypallage, ut infrà 3.6.*
[17] ut præcipitur inf. 20. 16.
[18] huic civitati nomen est Har, Num. 21. 15. unde est regioni nomen impositum, ut supr. v. 8.
[1] *Num. 21. 33.*
[a] *Heb. omnem civitatem hominũ, ut suprà 2. 35.*
[1] Mosche verò appellat Sioñ per quamdam syncopem infrà 5.5.
[2] id est, hic solus e Gigantibus antiquis habitatoribus terrę reliquus erat, & se suis viribus in possessione regni continuerat: sic amplificatur virtus Dei in tradenda suis contra eum victoria.
[1] *Num. 32.*
[3] i. justæ & communis mensuræ: qualem mensuram cubitalem quisque artifex observare solet. Idem cubitus notæ mensuræ appellatur Jehoschuh. 3. 4.

13 Residuum autem Gilhadis cum toto Baschane, regnum Hogi dedi dimidiatæ tribui Menaschis (totus tractus Argobi per totum Baschanem, is ipse vocari solebat terra gigantum.

14 Jair filius Menaschis ceperat totum tractum Argobi usque ad terminum Geschuritarum & Mahacathitarum: ideò vocavit eas cum Baschane de nomine suo, villas Jairis, usque in diem hunc)

15 Maciri autẽ dedi [4] *reliquum* illud Gilhadis.

16 Sed Reübenitis & Gaditis dedi a Gilhade usque ad fluvium Arnonis, interamnem *agrum* cum termino; ad Jabbokum torrentem usque, qui terminus *est* Hammonitarum:

17 Præterea campestria hæc & Jardenem cum termino; a [5] Cinnereth usque ad mare campestrium, mare salsum, sub [6] decursibus ipsius collis versus orientem.

18 Quamobrem præcepi vobis tempore illo, dicendo; Jehova Deus vester dat vobis terram hanc quam hæreditario jure possideatis, ‖ expediti transite ante fratres vestros filios Jisraëlis, [b] viri militares omnes.

19 Sed fœminæ vestræ, parvulique vestri, & pecora vestra (novi pecora multa esse vobis) manento in civitatibus vestris quas dedi vobis.

20 *Transite igitur*, usq; dum quietem largiatur Jehova fratribus vestris ut vobis; & possideant hæreditario jure ipsi quoque terram illam quam Jehova Deus vester dat eis trans Jardenem: tunc revertemini quisque ad hæreditatem suam quam dedi vobis.

21 ‖ Jehoschuhæ autẽ præcepi tempore illo, dicendo: oculi tui *sunt*; qui vident omnia quæ fecit Jehova Deus vester duobus regibus istis, sic facturus est Jehova omnibus regnis quò tu trãsiturus es.

22 Ne timetote illos: nam Jehova Deus vester, is est qui pugnabit pro vobis.

23 Qúmque deprecarer Jehovam, tempore illo dicendo,

24 Domine Jehovi, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam; & manum tuam robustissimam; quâ quis *est* Deus fortis in cœlo aut in terra, qui faciat [7] secundùm opera tua & secundùm virtutes tuas?

25 Transeam quæso ut videam terram istam optimam, quæ *est* trans Jardenem; [8] montem istum optimum, & Libanum:

26 Prout ‖ excanduerat Jehova contra me propter vos, sic non auscultavit mihi; sed edixit Jehova mihi, satis esto tibi, ne ultra deinceps alloquitor me de hac re.

27 Ascende verticem istius collis, & attollens oculos tuos Occidentem, Aquilonem, & Austrum, & Orientem versus prospice oculis tuis: quia non es transiturus Jardenem hunc:

28 Mandatis verò instrue Jehoschuham, & cõfirma eum atq; corrobora eum: is enim transiturus est ante populum hunc, & idem possidendã distributurus est eis terrã, quam prospexeris.

29 Sic consedimus in hac valle e-regione Beth-peñoris.

[4] cujus meminit suprà V.13.

[5] vide Num. 34.11.

[6] sic vocat declivem illius collis partem in quam e diversis locis torrentes decurrunt, & civitatem eodem nomine a situ dictam, Jehoschu. 13.21.

‖ Num. 32.20.

[b] Heb. *filii roboris.*

‖ Num. 27.

[7] id est, opera non dico paria, sed etiam similia aut propè accedentia ad tuorum operum amplitudinem & gloriam.

[8] uberrimos colles, quibus montosa Cenahanæa referta est: ut Exod. 15.17.

‖ *Num.* 20.12. *suprà* 1.37.

CAPUT IIII.

Narrationi præcedenti exhortationẽ subjicit, ut Deum solum colant, judicia ejus nihil addendo aut detrahendo servent, exempla iræ Dei in transgressores & gratiæ in morigeros recordentur, felicitatẽ & existimationem suam sciant conjunctã esse Dei obedientiæ, ideóq; in ea pergant ipsi & filios suos instituant: Deinde civitates receptus cis Jardenẽ designat Mosche.

1 Nunc ergo Jisraël, attende ad statuta judiciáque illa quæ ego doceo vos facere; ut vivatis & ingressi hæreditario jure possideatis terram istam quam Jehova Deus majorum vestrorum dat vobis.

2 Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo; ut servetis præcepta Jehovæ Dei vestri quæ ego præcipio vobis.

3 ‖ Oculi vestri *sunt*, qui viderunt quæ fecit Jehova propter Bahal-peñorem: nam omnem virum qui [a] sequutus est Bahal-peñorem perdidit Jehova Deus tuus e medio tui:

4 Vos autem qui adhæsistis Jehovæ Deo vestro, vos *inquam* omnes vivitis hodie.

5 Vide, docui vos statuta & judicia, quemadmodum præcepit mihi Jehova Deus meus; ut sic faciatis in medio illius terræ quò mox ingressuri estis ad possidendum eam jure hæreditario.

6 Observabitis ergo atq; facietis: nam hæc *est* sapientia vestra & prudentia vestra ante oculos populorum: qui audientes omnia statuta ista dicent, tantùm gens ista maxima populus sapiens est & prudens.

7 Nam quæ gens maxima *futura est*? cui *est* Deus [b] propinquus ei; sicut Jehova Deus noster *est* [c] quotiescunque invocamus eum.

8 Rursus quæ gens maxima *futura est*? cui *sunt* statuta & judicia justa, sicut *est* tota hæc lex quam ego propono vobis hodie.

9 Tantùm cave tibi, & serva [d] teipsũ valde, ne obliviscaris rerum illarum quas viderunt oculi tui, neque recedant ab [e] animo tuo ullo dierum vitæ tuæ, ut notas eas facias filiis tuis & [f] nepotibus tuis:

10 Die *nimirum* quo stetisti coram Jehova Deo tuo in Chorebo; quum edixisset Jehova mihi, congrega mihi istum populum, ut audienda proponam eis verba mea: quibus ‖ discant timere me quibuscunq; diebus victuri sunt super terram, & filios suos doceant:

11 Quo accedentes stabatis sub illo monte; quum mons ille arderet igne usque ad [g] summum cælum, cum tenebris, nube, & caligine;

12 Tunc alloquutum esse vos Jehovam e medio illius ignis: vocem verborum vos audivisse, at similitudinem nullam vos animadvertisse, præter vocem:

13 Et ipsum indicasse vobis fedus suum, quo præcipiebat vos [h] observare [1] decem illa verba; & inscripsisse ea duabus tabulis lapideis.

14 Me autem præcepit Jehova tempore illo docere vos statuta & judicia; ut exerceatis ea in ista terra, quò mox transituri estis ad possidendam eam jure hæreditario.

15 Quamobrem cavebitis vobis ipsis valdè, nam non animadvertistis ullam similitudinem, quo die alloquutus est Jehova vos in Chorebo e medio illius ignis:

16 Ut non [2] corrumpatis vos, & faciatis vobis sculptile similitudinem ullius simulacri; formam maris aut fœminæ,

17 Formam ullius animalis quod *sit* in terra; formam ullius avis alatæ quæ volat versus cælum,

18 Formam ullius repentis in terra, formam ullius piscis qui *sit* in aqua sub terra:

19 Et ne sublatis oculis tuis versus cælum, quum aspexeris Solem aut Lunam aut stellas, ullam rẽ exercitus cælestis, tũ impellaris, & incurvans te eis colas ea; quæ [3] impertitus est Jehova

Deus

‖ *Num.* 25.

[a] *Heb. ivit post.*

[b] *Heb. propinqui: ut Jehosch.* 24. 59.

[c] *Heb. in omni invocare nos eum.*

[d] *Heb. animam tuam, sic deinceps.*

[e] *Heb. corde.*

[f] *Heb. filiis filiorum suorum, sic vers.* 25.

‖ *Exod.* 20.

[g] *Heb. cor. celi.*

[h] *Heb. facere.*

[1] id est, (ut commodè verterunt Græci) Decalogum.

[2] aut peccantes in majestatem Dei, effingendo eam similitudine quum nullam habeat; aut in fedus & legem ejus, addendo vel detrahendo de ea, aut denique in vos ipsos, aliter vivendo quàm ex præscripto ejus.

[3] duobus argumentis a cultu cælestium corporum dehortatur: uno, quòd non homines illis, sed illa hominibus data sunt ut eis ministrent: altero, quòd non uni alicui populo, sed omnibus sub universo cælo data sunt non colenda quidem (ut Gentes ἄθεοι in mundo & imperitæ faciunt) sed utenda solùm, ut infrà 29. 26. facit enim Deus ut Sol suus oriatur super bonos & malos.

‖ *infrà* 29.26.

Deus tuus reliquis omnibus populis sub universo cælo.

20 Vos enim assumpsit Jehova, & eduxit vos e [4] catino ferri ex Ægypto; ut essetis ei populus hæreditarius, sicut *estis* hodierno die.

21 Ac Jehova quidem percitus fuit ira contra me propter verba vestra; & juravit me non transiturum Jardenem, nec ingressurum terram illam optimam quam Jehova Deus tuus dat tibi *in* possessionem:

22 Itaque moriturus sum in hac terra, non sum transiturus Jardenem: vos autē estis transituri, & possessuri terram illam optimam jure hæreditario.

23 Cavete vobis, ne obliviscamini federis Jehovæ Dei vestri, quod pepigit vobiscum; aut faciatis vobis sculptile, similitudinem ullius rei, quia interdixit tibi Jehova Deus tuus;

24 Nam Jehova [g] Deus tuus ignis cōsumens est; *Deus* fortis zelotes.

25 Quum genueris filios & nepotes, & [h] habitatores veteres facti fueritis in ea terra; si corrumpetis vos, & facietis sculptile similitudinem ullius rei, vel feceris aliquod malum in oculis Jehovæ Dei tui provocando eum:

26 Contestor contra vos hodie cælum & terram, [i] fore ut omnino pereatis quàm celerrimè; e terra illa quò *ut veniatis* transituri estis Jardenem ad possidendum eam jure hæreditario: non prolongabitis dies in ea, sed [k] omnino perdemini:

27 Aut disperget Jehova vos in alios populos; & reliqui fietis homines [l] pauci in gentibus, quò Jehova vos abduxerit:

28 Et servietis illic Deis, operi manuum hominis; ligno aut lapidi, qui non vident, neq; audiunt, neque comedunt, neque odorantur.

29 [5] Quòd si requiretis inde *quisque* Jehovam Deum tuum, invenies; quum quæsiveris eum ex toto corde tuo & ex toto animo tuo.

30 Quum angustia fuerit tibi, & obvenerint tibi omnes res istæ; in extremitate dierum, si conversus usque ad Jehovam Deum tuum, auscultaveris voci ejus:

31 Quandoquidem Jehova Deus tuus *est Deus* fortis, misericors, non deseret te, neq; perdet te: nam non obliviscetur federis majorum tuorum, quod juramento sancivit illis.

32 Nam interroga nunc, *a* temporibus priscis *quæ fuerunt* ante te, inde ab eo die quo creavit Deus hominem super terram, ab *una* extremitate [6] cæli usq; ad *alteram* extremitatem cæli: num facta fuerit [m] res cujusmodi hæc maxima, aut num audita fuerit similis ei:

33 Num audierit *ullus* populus vocē Dei loquentis e medio ignis ut tu audisti, & vixerit:

34 Aut num tentaverit *ullus* Deus veniens assumere sibi gentem *aliquam* e medio *alterius* gentis; [n] [7] probationibus, signis ac prodigiis, [8] belloque & manu forti & brachio extento, denique [9] terroribus maximis: qualia *sunt* omnia quę fecit pro vobis Jehova Deus vester in Ægypto ante oculos tuos.

35 [o] Tibi exhibita sunt videnda, ut cognoscas Jehovam esse Deum ipsum; nullum ampliùs *esse* præter eum.

36 E cęlis audiendam proposuit tibi vocem suam, ut erudiret te: & in terra exhibuit tibi videndum ignem suum maximum, quum verba ejus audisti e medio ignis.

37 Et propterea quod dilexit majores tuos, elegitque semen *cujusque* eorum post eum; ideò eduxit te [p] præsens virtute sua maxima ex Ægypto:

38 Ut expellat gentes majores & robustiores te a conspectu tuo; ut introducens te det tibi terram eorum in possessionem, sicut *est* hodie.

39 Agnoscas igitur hodie, & [10] revoces in [q] animum tuum; Jehovam Deum ipsum esse in cælis supernè & in terra infernè; nullum ampliùs *esse*.

40 Et observes statuta ejus & præcepta ejus quæ ego præcipio tibi hodie, quibus bene sit tibi & filiis tuis post te: ut prolonges [r] semper dies super terram illam quam Jehova Deus tuus dat tibi.

41 [11] TUNC selegit Mosche tres civitates cis Jardenem; ad ortum Solis:

42 Ut confugeret illuc occisor qui occidisset proximum suum per imprudentiam, quum ipse non odisset eum [f] anteà; & fugiens in unam ex illis civitatibus viveret:

43 [12] Betzerem in ipso deserto, in terra [t] plana, Reübenitarum, & Ramothas in Gilhade Gaditarum, atque Golanem in Baschane Menaschitarum.

CAPUT V.

Mosche repetitum populo & explicatum Decalogum docet patribus quidem fuisse datum, sed ad filios propriè pertinere: se a Deo ipsis petentibus doctorem constitutum esse, ipsos verò obedientiam promisisse: ideóque hortatur ut promissum servent.

1 HÆc [1] autem illa *est* lex, quam proposuit Mosche filiis Jisraëlis:

2 Hæ testificationes illæ, statutáque, & judicia; quæ eloquutus est Mosche apud filios Jisraëlis, quum exivissent ex Ægypto:

3 Cis Jardenem in ipsa valle e-regione Beth-pehoris, in terra Sichonis Regis Emoræorum habitantis Cheschbone; quem percusserat Mosche & filii Jisraëlis quū abirent ex Ægypto:

4 Quum jam hæreditario jure possiderent terram ejus & terram Hogi Regis Baschanis amborum regum Emoræorum, quæ *est* cis Jardenem; ab ortu Solis;

5 A Haroëre quæ *est* ad ripam fluminis Arnonis, usq; ad montē [2] Sionis qui *est* Chermō.

6 Et omnia ipsa campestria cis Jardenem orientem versus usque ad [3] mare campestrium; sub ipsis decursibus collis.

CAPUT V.

7 Nam Mosche advocatis omnibus Jisraëlitis; edixit eis, audi Jisraël statuta & judicia illa quę ego loquuturus sum hodie [a] vobis audientibus: ut discatis illa & [b] observantes faciatis illa.

8 Jehova Deus noster pepigit nobiscum fedus in Chorebo.

9 [4] Non cum patribus nostris pepigit Jehova fedus istud; sed nobiscū, [||] nobis, *inquam*, iis qui hîc *sumus* hodie, omnibus nobis qui vivimus.

10 [5] [c] In os loquutus est Jehova vobiscum in monte illo e medio ignis.

11 Me stante inter Jehovam & vos tempore illo, ad referendum vobis sermonem Jehovæ (timebatis enim propter ignem illum, neq; ascendistis montem illum [d] dicendo:

[4] labro sive vase in quo liquatur ferrum, ut 1.Reg. 8.51.

[g] Heb.12.29. infr.9.3.

[h] *Heb. inveterati fueritis.*

[i] *Heb. quòd pereundo peribitis.*

[k] *Hebr. perdendo perdemini.*

[l] *Heb. numeri, id est, faciles numeratu, ut Genes.34.30.*

[5] promissiones Euangelicæ restitutionis in Christo: ut infrà 29. & 30.

[6] id est, orbis terrarū, qui circumclusus est cælo *μετεωρισμῶς*, ut Matt. 24.31. & Marc. 13.27. sic infrà 30.4.

[m] *Heb. secundum rem hanc maximam.*

[n] *Heb. tentationibus.*

[7] signis quæ legationem Moschis divinam esse confirmarunt Exod.4.

[8] conflictu Dei contra AEgyptios in mari algoso, cujus ratione Mosche Deum virum belli vocat Exo. 15.3.

[9] tam Aegyptiorum, quàm reliquorum populorum, qui ad famam illius territi nihil contra eos moliri ausi sunt, ut promiserat Deus Exod. 23.27.

[o] *Hebr. tu factus es videre, ut Exod.* 25.40.

[p] *Hebr. facie vel præsentia sua.*

[10] videlicet in posterum, reminiscens eorum quæ hodie agnoscis.

[q] *Heb. cor.*

[r] *Hebr. omnibus diebus: ut inf. 5.33.*

[11] prout pręceperat Deus Num.35.14.

[f] *Heb. ab heri & nudius tertio: vide in Gen.31.2.*

[12] quæ plerumque alibi appellatur Botzra.

[t] *Heb. planitiei.*

[1] Exordium sive *κατάλογοι* inscriptio sequētium: quamobrem nos sex istos versus ad principiū capitis 5. retulimus.

[2] vide suprà 3.9.

[3] mortuum, sive salsum, id est, Asphaltiten lacum; vide suprà 3.17.

[a] *Heb. in auribus vestris.*

[b] *Heb. observatis faciendo, & sic deinceps.*

[||] *Exod.19.*

[4] iis qui ante fedus in Chorebo pactum mortui sunt: nam Legis pactum tum primum cœpit, cùm in Chorebo Lex promulgata est. Fuit quidem fedus substantiâ idem initum cum Abrahamo, renovatum in deserto, & planè in Christo exhibitum: sed formâ pro temporum personarúmque ratione diversum dicitur: vide ad Hebræos 8.

[5] id est, admodum familiariter: humanitus dictum, ut Exod. 33.11. & Numer.12.8. [c] *Hebr. facie ad faciem.* [d] hoc membrum ad remotiora pertinet, quod genus hyperbati est in Scripturis frequens.

[e] *Exod.20.*

12 Ego *sum* Jehova Deus tuus, qui eduxi te e terra Ægypti e domo servorum;

13 Ne sit tibi *ullus* Deorum alienorum ante faciem meam;

14 Ne facias tibi sculptile, ullam imaginem *eorum* quæ *sunt* in cælis suprà, aut quæ *sunt* in terra infrà; aut quæ *sunt* in aquis infra terram:

15 Ne incurvans te *honorem exhibeto* illis, neque colas ea; nam ego Jehova Deus tuus *sum Deus* fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos qui odio prosequuntur me:

16 Exercens verò benignitatem in millesimos *a patribus*, *eos* qui diligunt me, [7] id est, qui observant mandata ejus.

[7] hæc veluti Moschis verba exegeticè posita sunt: ut etiam adduntur quędã supra ea quę in Exodo dicitur pronunciasse Deus, infrà vers. 18.20.21.22.

17 Ne assumas nomen Jehovæ Dei tui in vanum: nam non relinquet impunem Jehova eum, qui assumserit nomen ipsius in vanum.

18 Observa diem sabbathi ut sanctifices illum; quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus.

19 Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum;

20 Dies verò septimus sabbathum *est* Jehovę Deo tuo; ne facias ullum opus, tu, aut filius tuus, aut filia tua, aut servus tuus, aut ancilla tua, aut bos tuus, aut asinus tuus, aut ullum jumentum tuum, aut peregrinus tuus qui *est* intra portas tuas, ut quiescat servus tuus & ancilla tua sicut tu;

21 Et memineris te servum fuisse in terra Ægypti, Jehovam verò Deum tuum [8] eduxisse te inde manu forti & brachio extento: idcircò præcipit tibi Jehova Deus tuus [d] ut observes diem ipsum sabbathi.

[8] nimirum ipso die Sabbathi, quo cecinerunt epinicion Domino, Exo.15. vide in Exod.12.15.

[d] *Hebr. facere, i. celebrare.*

22 Honora patrem tuum & matrem tuam, quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus: ut prolongentur dies tui, & bene sit tibi super illam terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.

23 Ne occidas:

24 Neque scorteris:

25 Neque fureris:

26 Neque proferas contra proximum tuum testimonium falsum.

27 Neque concupiscas uxorem proximi tui; neque expetas domum proximi tui, agrum ejus, aut servum ejus, aut ancillam ejus, bovem ejus, aut asinum ejus, deniq; rem ullam quæ *sit* proximi tui.

28 Hæc verba edixit Jehova toti congregationi vestræ in ipso monte, e medio ignis nubis & caliginis, voce magna, neq; [e] *ulterius* perrexit: sed inscripsit illa duabus tabulis lapideis quas dedit mihi.

[e] *Hebr. addidit, sub. alloqui totam congregationem.*

29 Fuit enim quum audivissetis vocem illam e medio tenebrarum illarum & montis ardentis igne; ut accederetis ad me, omnes primores tribuum vestrarum & seniores vestri:

30 Et dixistis, en, ostendit nobis Jehova Deus noster gloriam suam & magnitudinem suam, & vocem ejus audivimus e medio ignis: hodierno die vidimus quando Deus cum homine loquutus est, *hominem* etiam vivere.

31 Nunc itaque quare moreremur? nam absumeret nos ignis ille maximus: si pergeremus deinceps audire vocem Dei nostri, utique moreremur.

32 [9] Nam quæ *est* ulla caro, quæ audita voce Dei viventis loquentis e medio ignis sicut nos, deinde vixerit?

[9] q.d. miraculũ est quòd jam vivimus: sed idem periculum subire metuimus.

33 Accede tu & audi quęcunque dicturus est Jehova Deus noster: deinde tu eloquitor nobis quæcunque edixerit Jehova Deus noster tibi, ut audiamus faciamúsque.

34 Audiens itaque Jehova vocem verborum vestrorum quum alloqueremini me; dixit Jehova mihi, audivi vocem verborum populi hujus quibus alloquuti sunt te, [f] quæcunque loquuti sunt, bene sunt loquuti.

[f] *Hebr. benefecerunt quicquid locuti sunt.*

35 [g] O si esset hic eorum animus illis, ad timendum me & observandum omnia præcepta mea omnibus diebus; ut bene esset eis & filiis eorum in seculum.

[g] *Heb. quis det ut sit cor eorum.*

36 ‖ I, edic illis; [h] revertimini ad tentoria vestra.

[h] *Heb. revertimini vobis.*

‖ *Exod.20.19.*

37 Tu autem hîc consiste apud me; & edicam tibi omnia pręcepta statutáq; & judicia illa quæ docebis eos: ut exerceant *illa* in ea terra quam ego do eis possidendam hæreditario jure.

38 Observabitis igitur ut faciatis quemadmodum præcepit Jehova Deus vester vobis: ne recedatis [10] dextrorsum aut sinistrorsum.

[10] id est, ullam in partem, ullóve pacto: metaphora, ut infrà 28. 14. pro eo quod est quàm rectissimè incedatis.

39 Totâ illâ viâ quam pręcepit Jehova Deus vester vobis itote; ut vivatis, & bene sit vobis, & prolongetis dies in ea terra quam hæreditario jure possessuri estis.

CAPUT VI.

Mosche doctoris officium præstans Decalogum antè propositum hic incipit explicare: duo priora ejus præcepta exponit, & bonum ex eorum observatione eventurum monstrat.

1 Hoc autem *est* præceptum, statuta, judiciáque illa, quæ præcepit Jehova Deus vester ut doceam vos; ut exerceatis *ea* in terra, quò mox transituri estis ad possidendum eam, jure hæreditario:

2 Ut timeas Jehovam Deum tuum, observando omnia statuta ejus & præcepta ejus quæ ego pręcipio tibi; tu & filius tuus & nepos tuus omnibus diebus vitæ tuæ: & ut [1] prolongent dies tuos:

[1] timor Dei & mandatorum observatio sint tibi causa diuturnæ vitæ adjuvans atque administra, quod sequens versus explicat: quapropter eum cum præcedentibus videtur cõjungi oportere. Etsi tam cómodè passiva significatione, *ut prolongentur dies tui*, exponi potest.

3 Quum audies, ô Jisraël, & observans facies *id* quo bene erit tibi, & quo augescetis valde; quemadmodum dixit Jehova Deus patrum tuorum tibi, *in* terra affluente lacte & melle.

4 Audi Jisraël: Jehova Deus noster Jehova unus *est*.

5 Itaque diliges Jehovam Deum tuum; ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & ex [a] totis viribus tuis:

[a] *Heb. toto valde tuo.*

6 Et erunt verba ista quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo:

7 Eáque [b] acutè ingeres filiis tuis, ac loquêris de eis [2] quum sedes domi tuæ, & quum ambulas per viam, quum cubas, & quum surgis;

[b] *Hebr. exacues filiis: metaphora a bellatoribus, qui arma acuunt ut faciliùs in hostes penetrent: sic jubet proponere parentes liberis suis doctrinam Dei quàm accommodatissimè.*

[2] i. nunquam intermittas inculcare ea: periphrasis a situ hominis, qui a natura est quadruplex: pro eo quod est, in omni quiete, motu, loco, tempore, modo, &c.

8 Etiam [3] alligabis ea in signum manui tuę, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos:

[3] typus accuratæ observationis atque perpetuę, ut Exod.13.9.

9 Denique inscribes ea postibus domus tuę, & portis tuis.

10 Quum autem *hoc* evenerit, quum introduxerit te Jehova Deus tuus in terram quam juramento promisit majoribus tuis, Abrahamo, Jitzchako, Jahakobo se daturum tibi; *in* civitates maximas & optimas quas non ædificasti,

11 Et *in* domos plenas omni bono quas non implevisti; & *ad* cisternas effossas quas non effodisti, *ad* vineas & oliveta quæ non plantasti: & comedens saturatus fueris:

12 Cave

12 Cave tibi ne obliviscaris Jehovæ; qui e-
duxit te e terra Ægypti e domo servorum.
13 ‖ Jehovam Deum tuum timeto, & ipsum
colito; ac [4] per nomen ejus jurato.
14 [c] Ne sequimini Deos alienos, e diis po-
pulorum qui circumstant vos:
15 (Nam *Deus* fortis zelotes Jehova Deus
tuus *est* in medio tui) ne accensus irâ Jehova
Deus tuus in te, perdat te e superficie terræ.
16 ‖ Ne tentatote Jehovam Deum vestrum,
quemadmodum tentastis Massæ.
17 [d] Diligenter observatote præcepta Je-
hovæ Dei vestri, & testimonia ejus statutáque
ejus quæ præcepit tibi:
18 Ut facias quod rectum & quod bonum vi-
detur in oculis Jehovæ (ut bene sit tibi, & ingres-
sus hæreditario jure possideas optimam illam
terram quam juramento promisit Jehova ma-
joribus tuis)
19 Expellendo omnes inimicos tuos a facie
tua: quemadmodum loquutus est Jehova.
20 Quum autem interrogaverit te filius tuus
[e] posthac, dicendo, quid *sibi volunt* testimonia
statutáque & judicia illa quæ præcepit Jehova
Deus noster vobis?
21 Dices filio tuo, servi eramus Parhoni in
Ægypto: sed eduxit nos Jehova ex Ægypto ma-
nu forti.
22 Ediditque Jehova signa prodigiáq; maxi-
ma & pessima contra Ægyptios, contra Parho-
nem & contra totam familiam ejus ante oculos
nostros.
23 Eduxit autem nos inde; ut introduceret
nos *&* daret nobis terram hanc, quam juramen-
to promiserat majoribus nostris:
24 Et præcepit nos Jehova exercere omnia
statuta ista, timendo Jehovam Deum nostrum;
[f] ut bene sit nobis omnibus diebus, ut nos con-
servet in vita sicut hodie:
25 Et [5] justitia sit nobis, si observantes feceri-
mus omnia hæc præcepta coram Jehova Deo
nostro, quemadmodum præcepit nobis.

‖ *infr.* 10.20. *&* 13.4.
[4] id est, quoties necessitas & ratio pietatis vel charitatis publica aut privata postulat, etiam religione jurisjurandi exhibeto cultum Deo quem debes, & semper apud omneis nomen illius profitetor: ut evidentiùs habetur infr. 10.20.
[c] *Hebr. ne ambulate post.*
‖ Exod. 17 7.
[d] *Hebr. observando observate.*
[e] *Heb. cras: synecdoche.*
[f] *Hebr. in bonum nobis.*
[5] conditionalis, si observantes fecerimus, &c. vide Rom. 10.5.

CAPUT VII.

Dehortatur ab idololatria & a personis & rebus in eam inducentibus: proponit ampla præmia acquiescentibus exhortationi suæ, & graves pœnas renitentibus.

1 QUum introduxerit te Jehova Deus tuus
in eam terram, quò tu mox ingressurus
es ad possidendum eam jure hæreditario; & de-
jecerit gentes magnas a facie tua, Chitthæam,
& Girgaschæam, & Emoræam, & Cenahanæã,
& Perizzæam, & Chivvæam, & Jebusæam, sep-
tem gentes majores & robustiores te,
2 [a] Exposueritque eas Jehova Deus tuus ti-
bi ut percutias eas: [b] omnino internecioni [1] de-
voveto eas, ne pangito cum eis fedus, neq; gra-
tiam facito eis;
3 Neque conjungito te affinitate cum eis;
filiam tuam ne dato filio ullius *earum*, & filiam ul-
lius ne accipito pro filio tuo:
4 Abduceret enim filium tuum [c] a sequendo
me, & colerent Deos alienos; quamobrem ac-
census irâ Jehova in vos perderet vos celeriter.
5 Quin potius sic facitote eis, altaria earum
diruitote, & statuas earum frangitote; etiam lu-
cos earum succiditote, & sculptilia earum com-
buritote igne.
6 Nam populus sanctus es Jehovę Deo tuo:
te selegit Jehova Deus tuus, ut sis ei populus pe-
culiaris præ omnibus populis qui *sunt* sub uni-
verso cælo.
7 Non [d] eo quòd plures essetis omnibus re-
liquis populis, amore propendit Jehova in vos,
ac selegit vos: vos enim *eratis populus* paucissimus
omnium populorum:
8 Sed [e] eo quòd diligit Jehova vos, & eo
quòd servat juramentum illud quod juraverat
majoribus vestris, eduxit vos Jehova manu for-
ti: ac redemit te e domo servorum, e manu Par-
honis Regis Ægypti:
9 Ut agnoscas Jehovam Deum tuum esse
Deum ipsum; *Deum* fortissimum, fidelissimum,
observantem federis sui & benignitatis suæ erga
diligentes se & observantes mandata sua in mil-
le generationes,
10 Et rependentem odio habentibus se *cui-
que* in faciem ejus perdendo eum; *qui* non dila-
turus est odio habenti se, in faciem ejus repen-
det ei:
11 Et observes mandatum statutáque & ju-
dicia illa, quæ ego præcipio tibi hodie ut faci-
as ea.
12 Eritque propterea quòd audientes judi-
cia ista observaverîtis ac fecerîtis ea; ut obser-
vet Jehova Deus tuus tibi fedus illud & benig-
nitatem, quam juramento promiserat majo-
ribus tuis.
13 Diliget enim te, & benedicet tibi, atque
augebit te; benedicet inquam fructui ventris tui
& fructui terræ tuæ, frumento tuo mustóque
tuo & oleo tuo, fœtui boum tuarum, & gregi-
bus pecudum tuarum, in ea terra quam jura-
mento promiserat majoribus tuis se daturum
tibi.
14 Benedictus eris prę omnibus populis: non
erit in te [f] ullus ulláve sterilis, etiam in jumentis
tuis.
15 Et amovebit a te Jehova omnẽ morbum:
& nullos languores Ægyptiorum pessimos quos
nosti, imponet tibi, sed indet eos omnibus odio
habentibus te.
16 [2] Quum autem absumturus es omneis il-
los populos quos Jehova Deus tuus dat tibi, ne
parcito oculus tuus illis: neque colito Deos eo-
rum, quia tendicula id *esset* tibi.
17 Si dicas in [g] animo tuo, majores *sunt* istæ
gentes me: quomodo possem expellere eas?
18 Ne timeto ab eis: [h] fideliter recordare eo-
rum quæ fecit Jehova Deus tuus contra Parho-
nem & totam Ægyptum.
19 [i] Probationum illarum maximarum quas
viderunt oculi tui, & signorum prodigiorúmque
& manus illius fortis & brachii extenti, quibus
eduxit te Jehova Deus tuus: sic facturus est Je-
hova Deus tuus omnibus illis populis a quorum
facie times.
20 Sed etiam [3] *tamquam* crabronem immit-
tet Jehova Deus tuus in eos; donec pereant
qui reliqui fuerint, quíque absconderint se a fa-
cie tua.
21 Ne consternator metu illorum: nam Je-
hova Deus tuus in medio tui *est*, *Deus* fortis,
magnus, & formidabilis.
22 Et quanquam dejiciet Jehova Deus tuus
gentes illas a facie tua [k] paulatim; non poteris
consumere eas celeriter, ne [l] numero superent
te bestiæ agri:
23 ‖ Exponet tamen eas Jehova, Deus tuus
tibi; & divexabit eas vexatione maxima donec
perdantur,

[a] *Heb. dederit eas ante faciem tuam: sic vers.* 23.
[b] *Heb. devovendo devoveto.*
[1] sub. perstantes in idololatria, ut ostendit vers. 4. sic in conservatione Rachabæ atque connubio & aliis quoque exemplis contra hoc mandatum Jisraëlitę non venerunt: qua de re ampliùs vide infrà cap. 20. & Jehoschu. 9. 19.
[c] *Heb. a post me.*
[d] *Hebr. propter multitudinem vestram præ omnibus populis.*
[e] *Heb. propter dilectionem Jehovæ qua dilexit vos: Eclipsis conjugati.*
[f] *Hebr. infœcundus aut infœcunda.*
[2] Regressio ad mandatũ quod intermissum fuerat inde a V. 6. ut magnificæ Dei promissiones commodè amplificarentur sequentibus.
[g] *Heb. corde.*
[h] *Heb. recordando recordare.*
[i] *Heb. tentationũ, vide supr. in* 4.34
[3] vide in Exod. 23.28.
[k] *Hebr. paulisper paulisper.*
[l] *Heb. multiplicentur supra te.*
‖ Exod. 23.

24 Et

24 Et tradet Reges earum in manum tuam, ut perdas nomen eorum sub cælis; non consistet quisquam coram te donec perdideris eos.

25 [m] Sculptiles deos earum comburite igne: ne concupiscas argentum vel aurum *quod sit* in eis, aut accipias tibi, ne illaqueeris eo, nam abominationi est Jehovæ Deo tuo:

26 Ut ne inferens rem abominabilem domum tuam [4] sis anathema, sicut ea *est*: [n] omnino detestator eam, & prorsus abominator eam, quia anathema est.

[m] Heb. *sculptilia deorum.*
[4] cujus rei exemplum est manifestissimum in Hacane Jehoschu. 7. & 2. Macb. 12.40. in eis qui res subduxerant consecratas idolo Jamniensium. [n] *Heb. detestando detestare, & abominãdo abominare.*

CAPUT VIII.

Omnium mandatorum Dei observationem inculcat, inde pendere vitam & felicitatẽ docens: quam hortationem confirmat ab admirabili Dei ductu per annos quadraginta, & maxima loci promissi commoditate.

1 VNumquodque præceptum quod ego prçcipio tibi hodie [a] observantes facitote; ut vivatis & augeamini, ac ingressi possideatis hæreditario jure terram illam quam juramento promisit Jehova majoribus vestris.

[a] *Heb. observatote faciendo.*

2 Ideóq; recordaberis totius istius viæ, qua deduxit te Jehova Deus tuus jam quadraginta annos per ipsum desertum; ut affligeret te [1] tentando te, [2] ad cognoscendum id quod *eras* in [b] animo tuo, utrum observares præcepta ejus necne.

[1] ut Genes. 22.1. & infrà 13.3.
[2] id est, ut tu cognoscas, & recognoscant alii: nam Mosche hic verum legis usum explicat de quo Apostolus Galat. 3.
[b] *Heb. corde: sic deinceps.*

3 Afflixit enim te & fecit ut esurires; sed cibavit te man, quod non cognoveras neque cognoverant majores tui: ut notum faceret tibi non solo [c] pane vivere hominem, sed omni [3] eo quod prodit ex ore Jehovæ vivere hominem.

[c] *vel cibo: synecdoche.*
[3] idest, omni re cui Deus verbo suo alendi nos facultatem indit, quasi imperans ei ut hoc faciat & verbo suo præstans.

4 Vestimentum tuum non veteravit [d] quin tegumento sit tibi, & pes tuus non [e] intumuit ipsos quadraginta annos:

[d] *Heb. ne sit super te: q. d. divinitus factum est ut tamdiu vestimentis tuis commodè utereris.*
[e] *Heb. fermentatus est, id est, intumuit, ut massa fermentata solet.*

5 Ut agnoscas cum animo tuo; sic ut erudit quis filium suum, Jehovam Deum tuum erudire te:

6 Et observes prçcepta Jehovæ Dei tui, ambulando per vias ejus & timendo eum.

7 QUANDOQUIDEM Jehova Deus tuus mox introducturus est te in terram optimam; terram *irriguam* fluminibus aquarum, fontibus & voraginibus prodeuntibus in convalles & in montes singulos:

8 Terram *feracem* tritici, & hordei, & vitis, & ficus, & malogranati; terram *feracem* oleæ [f] oleosæ, & mellis;

[f] *Heb. olei.*

9 Terram in qua non comedes cum penuria panem, neque egebis quoquam in ea; terram [4] *e* cujus lapidibus ferrum, & e cujus montibus excides æs:

[4] id est, metallis abundantem: vide infrà 33. 25.

10 Quum comederis & saturatus fueris; benedices quoque Jehovæ Deo tuo in illa terra optima quam dederit tibi.

11 Cave tibi ne obliviscaris Jehovæ Dei tui; non observando præcepta ejus, judiciáque ejus, & statuta ejus quæ ego præcipio tibi hodie;

12 Ne, quum comedens saturatus fueris; & domos bonas exstruxeris ac inhabitaveris,

13 Armentáq; tua & greges tui aucti fuerint, ac argentum & aurum auctum fuerit tibi; denique quicquid *est* tibi auctum fuerit;

14 Efferat se animus tuus; & obliviscaris Jehovæ Dei tui, qui eduxit te e terra Ægypti e domo servorum:

15 [g] Qui duxit te per desertũ illud maximum & formidabile, *abundans* anguibus, presteribus, & scorpionibus, ac siticulosum ubi non *sunt* aquæ; qui produxit tibi aquam [5] e rupe ipsa adamantina:

[g] *sup. 1.19.*

16 Qui in eo deserto cibavit te man, quod non noverant majores tui; ut affligeret te, & ut tentaret te ad benefaciendum tibi [g] ad extremũ:

17 Neque dicas cum animo tuo, virtus mea & robur manus meæ paravit mihi opulentiam hanc.

18 Sed recordaberis Jehovæ Dei tui, quia ipse *est* qui dat tibi virtutem ad comparandum opulentiam; ut præstet fedus suum quod juramento sanciverat majoribus tuis, sicut *est* hodie.

19 Erit enim si [h] omnino oblitus Jehovæ Dei tui [i] sequutus fueris deos alienos, & colens eos incurvaveris te eis: contestor contra vos diem hunc, *fore* ut [k] omnino pereatis:

20 Sicut hæ gentes quas Jehova perdiderit a facie vestra, ita pereatis; propterea quòd non auscultaveritis voci Jehovæ Dei vestri.

[5] ingeminatione nominis alludere videtur ad duo ejus generis beneficia in deserto præstita, Exod. 17. & Numer. 20. vel potiùs Mosche rem exaggerat a natura saxi durissimi & inexsuperabilis; quòd contra naturam suam aridissimam manaverit ad solam voluntatem Dei, & in exundantes aquas visus sit quasi liquescere: Hoc autem saxi genus adamantinum Latinis appellatur. [g] *Heb. in extremitate tua, id est, tandem.* [h] *Heb. obliviscendo oblitus.* [i] *Heb. iveris post.* [k] *Heb. pereundo pereatis.*

CAPUT IX.

Mosche Jisraëlitas propriæ justitiæ opinione omnino spolians, omnia beneficia gratuitæ Dei bonitati accepta ferenda doces: quod confirmat rebellionum superiorum commemoratione.

1 AUdi Jisraël, tu transiturus es die hac Jardenem, ut ingressus hæreditario jure possideas [1] gentes majores & robustiores te, civitates magnas & munitas *assurgentes* [2] in cælum usque:

[1] id est, regionem gentium: metonymia, nam gentes delendæ erant.
[2] ut Genes. 11.4. & suprà 1.28.

2 [l] Populum magnum & excelsum, filios Hanakitarum; quos tu novisti, & *de quibus* tu audivisti, quis consisteret coram filiis Hanaki?

[l] *Numer.* 13. 22. & 33.

3 Scias ergo hodie Jehovam Deum tuum ipsum qui transit ante te ignem *esse* consumentem, ipsum perditurum eos, & ipsum prostraturum eos ante te; ut expellas eos & perdas eos celeriter quemadmodum Jehova dixit tibi.

4 Ne loquitor cum [a] animo tuo, quum expulerit Jehova Deus tuus eos a facie tua, dicendo; propter justitiam meam introduxit me Jehova ad hæreditario jure possidendum terram hanc; ut propter improbitatem gentium istarum Jehova expellit eas a facie tua.

[a] *Heb. corde.*

5 Nequaquam propter justitiam tuam aut propter [b] rectum animum tuum ingressurus es ad possidendum hæreditario jure terram earum: sed propter improbitatem gentium istarum Jehova Deus tuus expellit eas a facie tua, & ut prçstet verbum quod juramento promisit majoribus tuis, Abrahamo, Jitzchako, & Jahakobo.

[b] *Heb. rectum cordis.*

6 Ut *autem* cognoscas non propter justitiam tuam Jehovam Deum tuum darç tibi terram istam optimam ad hæreditario jure possidendum eam; sed populum durum cervice *esse* te:

7 Recordare, ne oblivíscitor eorum quibus offecisti ut irâ effervesceret Jehova Deus tuus in ipso deserto; inde ab ipso die quo exivisti e terra Ægypti usque-dum venistis in hunc locum, rebelles maximo opere fuistis contra Jehovam.

8 [3] Etiam in Chorebo fecistis ut effervesceret irâ Jehova: nam percitus fuit irâ Jehova contra vos ad perdendum vos:

9 [l] Quum ascendissem montẽ ipsum accepturus tabulas lapideas, tabulas ipsas federis quod pepigerat Jehova vobiscum; & consedissem in

[3] ubi liberationis recentis recordatio, præsentis Dei respectus, & fedus recensinitum vos, ut eũ maximè debueras continere.
[l] *Exod.* 32,

O ipso

ipso monte quadraginta dies & quadraginta noctes, cibum non comedissem, nec aquam bibissem,

10 Et daret mihi Jehova duas illas tabulas lapideas scriptas digito Dei; quibus inerat secundùm ‖omnia illa verba quę loquutus fuerat Jehova vobiscum in ipso monte e medio ignis, die congregationis.

11 Fuit enim [c] exactis quadraginta diebus & quadraginta noctibus; quum daret mihi Jehova duas illas tabulas lapideas, tabulas ipsas federis;

12 Ut ediceret Jehova mihi, surge descende celeriter hinc, nam corrupit *se* populus tuus quē eduxisti ex Ægypto: recesserunt citò ab ea via quam præstitui ipsis, fecerunt sibi [d] fusile.

13 Præterea alloquutus est Jehova me dicendo, consideravi populum hunc, ecce autem populus durus cervice est:

14 Desiste a me, ut perdam eos & deleam nomen eorum sub cælis; efficiam autem te in gentem robustiorem & majorem ea.

15 Quamobrem convertens me descendi ex ipso monte (mons autem ille ardebat igne) cum duabus tabulis ipsis federis in ambabus manibus meis.

16 Qúmq; inspicerem, quod ecce peccaveratis Jehovæ Deo vestro, facientes vobis vitulum fusilem; recesseratis celeriter ab ea via quam præstituerat Jehova vobis:

17 Apprehendens duas illas tabulas, abjeci eas ab ambabus manibus meis; & confregi eas [4] ante oculos vestros.

18 Deinde prorui coram Jehova sicut priùs, quadraginta dies & quadraginta noctes, cibum non comedi & aquam non bibi: propter omnia peccata vestra quibus peccaveratis, faciendo quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, provocando eum:

19 Metuebam enim ab ira illa & excandescentia qua efferbuerat Jehova contra vos ad perdendum vos: & auscultavit Jehova mihi etiam vice illa.

20 In Aharonem quoque ira percitus est Jehova valde ad perdendum eum: sed supplex oravi etiam pro Aharone eodem tempore.

21 Peccatum autem vestrum, ipsum quem feceratis vitulum, accipiens combussi igne; & contrivi eum molendo optimè, donec comminutus esset in pulverem: & projeci pulverem ejus in torrentem, qui descendit ex illo monte.

22 Etiam ‖ Tabheræ, & Massæ, & Kibrothisthaavæ; fecistis ut Jehova effervesceret irâ:

23 Item quum mitteret vos Jehova Kadeschobarneħæ, dicendo; ascendite & hæreditario jure possidete terram istam quam dedi vobis: rursus maximo opere rebellavistis in præstitutum Jehovæ Dei vestri, non credentes ei, neque auscultantes voci ejus.

24 Rebelles fuistis maximo opere in Jehovam, ex quo die cognovi vos.

25 Ideóq; prorui coram Jehova quadraginta illos dies & quadraginta noctes quibus [5] [f] dixi me proruisse; eo quòd dixerat Jehova se perditurum vos:

26 Et supplex oraui Jehovam dicens; Domine Jehovi, ne perdito populum tuum, & *quidem* possessionis tuæ; quem redemisti magnitudine tua: quem eduxisti ex Ægypto manu forti.

27 Recordare servorum tuorum Abrahami, Jitzchaki, & Jaħakobi; ne respicito ad duritiem populi hujus, & ad improbitatem ejus, & ad peccatum ejus:

‖ *Exod.* 20.
[c] *Hebr. a fine quadr. dierum & q. n.*
[d] *Hebr. fusuram, ut* ℣. 16.
[4] i. palam per Spiritum Dei hoc signo testificatus sum, nihil tum vobis commune esse potuisse cum Deo aut federe ejus, neque hoc ad vos (ut qui perfidi & fedifragi essetis) pertinere.
‖ *Num.* 11.3.
‖ *Exod.* 17.7.
‖ *Num* 11.34.
‖ *Num.* 13.
[5] suprà ℣. 18. Hebraismum quidem hunc mutavimus ad perspicuitatem; sed Latinè tamē habet elegantiam. Tullius libro de optimo genere oratorum, Ipsum, inquit, Isocratem, quem divinus autor Plato suū ferè æqualem admirabiliter in Phædro laudari fecit a Socrate: & similia multa.
[f] *Heb. prorui, vel feci me proruere.*

28 Ut non dicant *incolæ* illius terræ unde eduxisti nos, [g] propterea quòd non poterat Jehova introducere eos in illam terram quam promiserat eis: & [h] quia oderat eos, eduxit eos ad mortem afficiendum eos in deserto illo.

29 Sunt enim populus tuus, & *quidem* possessionis tuæ; quem eduxisti virtute tua maxima, & brachio tuo extento.

[g] *Heb. propter non posse Jehovam. Num.* 14. 16.
[h] *Heb. ex odio ipsius* quo oderat *illos.*

CAPUT X.

Mosche instaurationem federis a Deo, novarum tabularum traditione, Levitarum institutione, & deleta Aharonis ac populi rebellione testatam repetens, populum ad gratum erga Deum animum hortatur.

1 (Tempore [1] ‖ illo edixerat Jehova mihi, dola tibi duas tabulas lapideas sicut illæ priores *erant*, & ascende ad me in monte; faciésque tibi [2] arcam ligneam:

2 Ut inscribam istis tabulis eadem verba, quæ fuerant in tabulis illis prioribus quas fregisti; deinde ponas eas in arca illa.

3 Arcam itaq; curavi fieri e lignis cedrorum lectissimarum, & dolavi duas tabulas lapideas sicut illæ priores *fuerant*; & ascendi montem cum duabus illis tabulis in manu mea.

4 Inscripsitq; tabulis illis secundùm scripturam priorem, eadem decem verba, quæ edixerat vobis Jehova in monte e medio ignis, die congregationis: & dedit eas Jehova mihi.

5 Tunc convertens me descendi e monte, & posui tabulas illas in arca quam feceram: quæ sunt ibi, quemadmodum præcepit mihi Jehova.

6 ‖ Filii autem Jisraëlis quum eò progredientes a [3] puteis filiorum Jaħakanis & [4] Mosera; [5] ubi mortuus est, & ubi sepultus Aharon, functúsque sacerdotio Elħazar filius ejus in loco ejus;

7 Inde Gudgodum; & Gudgodo Iotbatham [6] regionem fluminibus aquarum *irriguum* progressi fuissent *Horem usque*:

8 [7] ‖ Tempore illo [8] separavit Jehova tribum Leviticam ad portandum arcam federis Jehovę; ad standum coram Jehova ut ministraret ipsi & ad benedicendum in nomine ipsius, usque in diem hunc.

9 ‖ Idcircò non *est* Levitæ pars aut possessio cum fratribus suis: Jehova *est* possessio ejus, quemadmodum loquutus est Jehova Deus tuus ei.)

10 Cùm igitur ego stetissem in illo monte sicut diebus prioribus, quadraginta dies & quadraginta noctes; exaudivit me Jehova etiam vice illa, noluit Jehova perdere te:

11 Sed edixerit Jehova mihi, surge, [a] suscipe profectionem ante populum hunc; ut ingressi possideant hæreditario jure terram, quam juramento promisi majoribus eorum me daturum eis:

12 Nunc itaque Jisraël, quid Jehova Deus tuus petit abs te; nisi ut timeas Jehovam Deum tuum, ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, & colas Jehovam Deum tuum ex toto

‖ *Exod.* 34.
[1] quum meis precibus ira ejus conquievisset, & secundò apud ipsum dies 40. futurus essem. Hujus autem reconciliationis per hyperbaton documenta duo Mosche interserit, traditionem tabularum, & Sacerdotii cōtinuationem, ad versum usque 9. posteà demum in ℣. 10. ad cœptum sermonem regreditur.
[2] temporariam, ubi hæ tabulæ tantisper conservarentur dum arca federis fabricata esset, in qua deinde erant collocandæ. Exo. 25. 21. aut illam ordinariam, quæ imperata est ibidē. Hanc interpretationē malim.
‖ *Num.* 33. 30. & *sequent.*
[3] de quibus vide 1 Macb. 5. 4. & 2. Macb. 12. 13. & 16.
[4] hysterosis *κατὰ συναθροισμὸν* frequens, ut apparet ex Num. 33. 31.
[5] in Horem mōtem: Periphrasis: confer cum Num. 20. 22. & 33. 38.
[6] Est enim Jotba sive Jotbatha, quam Jotapatam Iosephus vocat, aquis abundans. Id autem consultò a Mosche hoc loco adjectum est, ut ostendat Deū prospexisse Jisraëlitarum infirmitati ne porrò ex locorū importunitate murmurarēt, ut antè fermè ubique fecerant. [7] Nēpe quo Jisraëlitæ hac via progrediantur reconciliati Domino. ‖ *Num.* 26. & 28. & 29. [8] Id est, tribum Levi jam antè separatam ad officia sacra in functione eadem confirmavit, Elħazare suffecto in Aharonis locum, Num. 20. Pinchaso confirmato, Num. 25. &c. neque tot & tantis offensis vestris adductus est ut vobis fedus suum aut administros federis illius adimeret. Sic autem fuisse factum ostendit recensio, Num. 26. & repetita officiorum descriptio, Num. 28. & 29.
‖ *Num.* 18. 20. 23. & 24. [a] *Hebr. in profectionem.*

corde

cordi tuo, & ex toto animo tuo:
13 Observando præcepta Jehovæ & statuta
ejus, quæ ego præcipio tibi hodie; [b] ut bene sit
tibi?
14 En Jehovæ Dei tui *sunt* cæli & [9] cæli cæ-
lorum; terra & quicquid *est* in eis:
15 Tantùm in majores tuos propensus fuit
amore Jehova diligendo eos; unde selegit semen
eorum post eos, vos *inquam* præ omnibus popu-
lis, sicut *est* hodie.
16 [10] Circumcidetis ergo præputium cordis
vestri; & cervicem vestram ne obduretis am-
plius.
17 Nam Jehova Deus vester, is *est* [11] Deus
Deorum, & dominus dominorum; *Deus* fortissi-
mus, maximus, potentissimus, summéque formi-
dabilis, qui non [c] accipit personam, neque reci-
pit munus:
18 Agit causam pupilli & viduæ; & amat pe-
regrinum dando ei cibum & vestimentum.
19 Itaque amabitis peregrinum, quia pere-
grini fuistis in terra Ægypti.
20 ‖ Jehovam Deum tuum timeto, eum colito;
& ‖ ei adhæreto, ac per nomen ejus jurato.
21 Ipse *est* [12] laus tua, idémque Deus tuus; qui
fecit apud te *res* maximas & formidabiles istas,
quas viderunt oculi tui.
22 ‖ Ad septuaginta animas descenderunt pa-
tres tui in Ægyptum: nunc autem disposuit te
Jehova Deus tuus, *ut sis* sicut stellæ cæli multi-
tudine.

[b] Heb. *in bonum tibi, ut sup. 6.24.*
[9] id est, summi cæli, ut 1. Regum 8.27.
[10] id est, tollite ex animo vestro quod divinæ voluntati repugnat, nimirum carnem peccato obnoxiam, Col. 2.11. Metaphora a corpore ad animum; ut altera sequens de cervice, sumta ex jumentorum jugalium similitudine.
[11] i. supremus omnium; qui munus aliquod divinum gerunt, ut sunt Angeli & homines, & verissimus Deus: vide in Genes. 9.25.
[c] Heb. *recipis faciem.*
‖ *suprà 6.13.*
‖ *infrà 13.4.*
[12] i. argumentum laudis tuæ, metonymicè: ut Exod. 15.2.
‖ *Gen. 46.27.*

CAPUT XI.

Mosche primum præceptum inculcans, commendat observationem ejus a beneficiis antè acceptis & præstantia terræ promissæ: ideóque hæc diligenter memorari & filios doceri jubet: deinde post ingressum in terram monimentum publicum benedictionis & maledictionis quæ mandatis Dei conjunctæ sunt, institui præcipit.

1 Itaque diliges Jehovam Deum tuum; &
observabis observationem ejus, & statuta
ejus, judiciáque ejus, & præcepta ejus omnibus
diebus:
2 Et agnoscetis hodie; non filios vestros, qui
non noverunt neque sunt experti eruditionem
Jehovæ Dei vestri: *vidisse* magnitudinem ejus,
manum ejus fortem, & brachium ejus extentum;
3 Et signa ejus, & facta ejus quæ fecit in me-
dio Ægypti; adversus Parhonem Regem Ægy-
pti & adversus totam terram ejus;
4 Quæque fecit exercitui Ægyptiorum, e-
quis ejus, & curribus ejus, quòd fecit ut aquæ
maris algosi inundarent super faciem eorum
quum persequerentur vos; ita ut perdiderit eos
Jehova usque in diem hunc,
5 Et quæ fecit vobis in deserto, donec per-
veniretis ad locum hunc;
6 Et quod fecit Dathani & Abiramo filiis
Eliabi filii Reübenis; quum aperiens terra os
suum absorbuit eos, & domos eorum, & tentoria
eorum; & omnia corpora viventia quæ [a] seque-
bantur eos in medio totius Jisraëlis:
7 [1] Sed oculos vestros *fuisse*, qui viderunt
quodque opus Jehovæ maximum quod fecit:
8 Ut observetis quodque præceptum quod
ego præcipio tibi hodie; ut roboremini, & in-
gressi hæreditario jure possideatis terram, quò
mox transituri estis ad possidendum eam jure
hæreditario:

[a] Heb. *quæ erant in pedibus eorum, ut Exod. 11.8.*
[1] id est, singulare in vos beneficium esse, quòd hæc omnia opera vestra ætate vobis spectantibus fruentibúsq; edita sunt: similem comparationem cum patribus vide suprà 5.3.

9 Et ut prolongetis dies super illam terram,
quam juramento promisit Jehova majoribus ve-
stris se daturum eis, id est, semini eorum: terram
affluentem lacte & melle.
10 Terra enim quò mox ingressurus es ad
possidendum eam jure hæreditario, non est ut
terra Ægypti unde exivistis; ut semines semen
tuum, deinde irriges [b] *labore* pedis tui, sicut hor-
tum olitorium;
11 Sed terra illa quò mox transituri estis ad
possidendum eam jure hæreditario, terra mon-
tium & convallium *est*; ad pluviam cæli imbibit
aquam:
12 *Est* terra quam Jehova Deus tuus curat;
jugiter oculi Jehovæ Dei tui *intenti sunt* in eam,
a principio anni usque ad finem [c] ejus.
13 Erit itaque si [d] seriò auscultaveritis præ-
ceptis meis quæ ego præcipio vobis hodie; dili-
gendo Jehovam Deum vestrum & colendo eum
ex toto corde vestro & ex toto animo vestro;
14 Ut dem pluviam terræ vestræ tempore
suo, [2] tempestivam & serotinam; sic colligas
frumentum tuum, & mustum tuum, & oleum
tuum:
15 Etiam dem herbam in agro tuo pro ju-
mentis tuis; ut comedas & satureris.
16 Cavete vobis ne seducatur [e] animus ve-
ster; ut recedentes colatis Deos alienos & incur-
vantes vos *honorem habeatis* illis;
17 Unde accensus irâ Jehova in vos ita clau-
dat cælos ut non sit pluvia, & terra non edat pro-
ventum suum: sic pereatis celeriter a terra illa
optima quam Jehova daturus est vobis:
18 Sed reponetis hæc verba mea in corde
vestro & in animo vestro; [3] & alligabitis ea in
signum manui vestræ, eruntque pro frontalibus
inter oculos vestros:
19 Præterea docebitis ea filios vestros lo-
quendo de eis; [f] quum sedes domi tuæ, & quum
incedis per viam, & quum jaces & quum surgis:
20 Etiam inscribes ea postibus domus tuæ, &
portis tuis:
21 Ut tam multiplicentur dies vestri & dies
filiorum vestrorum super terram illam, quam
juramento promisit Jehova majoribus vestris se
daturum eis; quàm *multi sunt* dies cæli super ter-
ram.
22 Nam si [g] diligenter observaveritis to-
tum hoc præceptum quod ego præcipio vobis
faciendum; diligendo Jehovam Deum vestrum,
incedendo per omneis vias ejus, & adhærendo
ei:
23 Utique expellet Jehova omneis gentes
istas a facie vestra; & hæreditario jure posside-
bitis gentes majores & robustiores vobis.
24 ‖ Omnis locus quem calcaverit planta pe-
dis vestri, vester erit: a deserto ad Libanum us-
que, ab ipso flumine, flumine Euphratis usque ad
mare [4] posterum erit terminus vester.
25 Non consistet quisquam ante faciem ve-
stram: pavorem vestri timorémque vestri indet
Jehova Deus vester super faciem totius terræ
quam calcabitis, sicut loquutus est vobis.
26 Vide ego propono vobis hodie, benedic-
tionem aut maledictionem;
27 Benedictionem; si auscultabitis præcep-
tis Jehovæ Dei vestri quæ ego præcipio vobis
hodie:
28 Maledictionem verò, si non auscultabitis
præceptis Jehovæ Dei vestri, sed recedetis ab
hac via quam ego præcipio vobis hodie; sequen-
do Deos alienos quos non nostis.

[b] Heb. *pede tuo, videlicet deferendo aquam, & rivos ducendo.*
[c] Heb. *anni, antecedens pro relativo.*
[d] Heb. *auscultando auscultaveritis.*
[2] quæ sequitur culturam, & quæ antecedit collectionem proventuum, prior enim vox sonat pluviam ejus qui injicit semẽ & committit humo, posterior verò collectionis pluviam.
[e] Heb. *cor.*
[3] vide in Exod. 13.9.
[f] *vide suprà 6.7.*
[g] Heb. *observando observ.*
‖ *Jehosch. 1.3.*
[4] id est, Occidentale: nam ut oriens pars anterior, sic occidens posterior pars dicitur. sic infrà 34.2. nam sic intelligendum esse arguit interpretatio Jehosc. 1.4. & 13.4.

29 Erit autem quum introduxerit te Jehova Deus tuus in terram istam, quò tu mox ingressurus es ad possidendum eam jure hæreditario; ut [5] edas benedictionem hanc in monte Gerizzimorum, & maledictionem istam in monte Hebalis:

30 Nonne sunt trans Jardenem secundùm viam ad occasum Solis, in terra illius Cenaßanæi qui inhabitat campestria; e-regione Gilgalis juxta [6] planitiem Moræ?

31 Nam vos transituri estis Jardenem, ut ingredientes hæreditario jure possideatis terram quam Jehova Deus vester dat vobis: & hæreditario jure possessuri estis eam, ac habitaturi in ea.

32 Itaque [h] observantes facietis omnia hæc statuta, & judicia; quæ ego propono vobis hodie.

5 audiente populo pronuncies, ut infrà 13. 1. Describitur autem benedictio & maledictio hæc Deut. 27. & aliquæ a Jehoschuah exsequutioni mandatur Jehoschu. 8.
6 vide Genes. 12. 3.
h Heb. observate faciendo.

CAPUT XII.

Idolorum sedes in Cenaßanæa destrui, Deo non quidvis aut ubique exemplo gentium, sed tantùm in loco quem ipse elegerit res a Deo institutas ratione præscripta offerri, etiámque in domestico carnium esu a sanguine abstineri jubet: postremò idolorum cultum, ut Deo abominabilem, instaurari vetat.

1 HÆc *sunt* illa statuta & judicia, quæ [a] observantes facturi estis; in ea terra, quam dat Deus majorum tuorum tibi ut hæreditario jure possideas eam: [2] omnibus diebus quibus victuri estis super terram.

2 [b] Omnino perdite omnia illa [3] loca, ubi gentes quas hæreditario jure possessuri estis coluerunt deos suos; in singulis montibus excelsis, & in singulis collibus, & sub quaque arbore virente.

3 Diruetis igitur altaria earum, & confringetis statuas earum, & lucos earum comburetis igne, ac [c] sculptiles deos illarum succidetis: sic perdetis nomen eorum e loco illo.

4 Ne facitote sic Jehovæ Deo vestro:

5 Sed in [3] loco quem elegerit Jehova Deus vester ex omnibus tribubus vestris, ad collocandum nomen suum ibi, in habitatione ejus exquiritote eum, quum veneris [4] illuc.

6 [8] Igitur adducetis eò holocausta vestra, & sacrificia vestra, decimásque vestras, & oblationem manus vestræ; item votiva vestra, & voluntarias oblationes vestras, & primogenita armenti vestri, ac gregis vestri:

7 [5] Ut comedatis ibi coram Jehova Deo vestro, & lætemini vos & familiæ vestræ *comedentes* ex omni [d] re ad quam admoveritis manum; qua benedixerit tibi Jehova Deus tuus.

8 Ne facitote secundùm omnia quæ nos hîc facimus hodie; quisque [6] quicquid rectum videtur in oculis ejus:

9 Non enim adhuc ingressi estis; ad locum illum quietis, & ad possessionem illam, quam Jehova Deus tuus dat tibi.

10 [7] Sed ubi trajecto Jardene; habitabitis terram quam Jehova Deus vester possidendam dat vobis; & quietem dederit vobis ab omnibus inimicis vestris circumquaque, ita ut habitetis securè:

11 Erit *ut* eò loci quem elegerit Jehova Deus vester [8] ad collocandum nomen suum ibi, adducatis quæcumq; ego præcipio vobis; holocausta vestra, & sacrificia vestra, decimas vestras, & oblationem manus vestræ, & [e] selectum quodque votum vestrum quod voveritis Jehovæ;

a Heb. observabitis faciendo: sic infrà vers. 32.
2 Hyperbaton: nam hæc ad prius sententiæ membrum pertinent.
b Heb. perdendo perdite.
3 id est, templa, ædes, fana, delubra, &c.
c Heb. sculptilia Deorū, hypallage.
3 is autē posteà fuit constitutus Jeruschalaimis, 2. Schemu. 7. & 24. & 1. Chrō. 22.
4 puta in eam terram, de qua vers. 1.
8 Levit. 17.
5 de iis quibus offerentes jure vesci poterant.
d Heb. extensione manus vestræ: sic infrà vers. 18.
6 quòd ad oblationes attinet: nā etsi oblationū lex una semper fuit ab initio præscripta a Deo, non potuit tamē usq; adeò in ambulatoriis Jisraëlitarum castris observari, aut summo jure ab illis exigi: prout ostendit antithesis vers. 11. vide Num. 28. 6.
7 vide Exod. 34. 24.
8 ut 1. Reg. 8. 19. & Psa. 32. 13. narratur factum.
e Heb. omnē electionem votorū vestrorū, i. vota vestra quæ ex selectissimis in unoquoque genere nuncupāda sunt Deo.

12 Ut lætemini coram Jehova Deo vestro; vos, & filii vestri, filiæque vestræ, & servi vestri, ancillæque vestræ; Levita etiam qui intra portas vestras *erit*, quia non *est* ei pars aut possessio vobiscum.

13 Cave tibi, ne offeras holocausta tua, in omni loco [f] qui videbitur tibi:

14 Sed in eò loco quem elegerit Jehova, in aliqua tribuum tuarum, ibi offerto holocausta tua; & ibi facito quæcunque ego præcipio tibi.

15 Veruntamen [g] omnino prout desiderat animus tuus mactare poteris & comedere carnem in omnibus portis tuis, secundùm benedictionem Jehovæ Dei tui quam largitus fuerit tibi: immundus & mundus comedere poterit ex ea, [9] ut capreæ & ut cervi *carnem*.

16 [8] Tantùm horum sanguinem ne comeditote, super terram effundito illum sicut aquam.

17 Non poteris comedere intra portas tuas [10] decimas frumenti tui, aut musti tui, aut olei tui, vel primogenita armenti tui, aut gregis tui: neque ulla votiva tua quæ voveris, aut voluntarias oblationes tuas, denique *ullam* oblationem manus tuæ:

18 [8] Sed coram Jehova Deo tuo comedito illam in loco quem elegerit Jehova Deus tuus; tu, & filius tuus, filiáque tua, & servus tuus, ancilláque tua, & Levita qui *est* intra portas tuas: sic lætaberis coram Jehova Deo tuo *comedens* ex omni re ad quam admoveris manum.

19 Cave tibi ne deseras Levitam; ullo dierum tuorum in terra tua.

20 [8] Quum dilataverit Jehova Deus tuus terminum tuum, quemadmodum promisit tibi; si dixeris, comedam carnem, eo quòd desideret animus tuus comedere carnem, omnino prout desiderabit animus tuus, comedes carnem.

21 Si procul aberit abs te locus ille, quem electurus est Jehova Deus tuus ad collocandum nomen suum illîc; & mactabis de armento tuo, aut de grege tuo quem dederit Jehova tibi, [11] quemadmodum præcepi tibi: tum comedes intra portas tuas omnino prout desiderabit animus tuus.

22 Verùm quemadmodum comeditur aliqua caprea aut cervus, sic comedes eam: mundus simul & immundus comedent eam.

23 Tantummodò [h] persta ut non comedas ullum sanguinem, quia sanguis cujusque est ejus anima: ideò ne comedito ullius animam cum ipsius carne.

24 Ne comedito illum; super terram effundito illum, sicut aquam.

25 Ne comedito illum; ut bene sit tibi & filiis tuis post te, quum feceris quod rectum videtur in oculis Jehovæ.

26 Sed res sacras tuas quę tuæ *erunt* & votiva tua; sumito ut venias ad locum quem elegerit Jehova:

27 Et paratis holocaustis tuis, carnem cum sanguine eorum *adoleto* in altari Jehovæ Dei tui; sacrificiorum verò tuorum *alioruns* sanguis effunditor in altari Jehovæ Dei tui, & carnem [12] comedito.

28 Observa ut ausultes omnibus verbis istis quæ ego præcipio tibi; ut bene sit tibi & filiis tuis post te usque in seculum, quum feceris quod bonum & rectum videtur in oculis Jehovæ Dei tui.

29 Quum exsciderit Jehova Deus tuus a facie tua gentes illas quò mox ingressurus es ad possidendum

f Heb. quem videris.
g Heb. secundum omne desiderium animi tui: sic infrà 20. & c. 21.
9 quæ animalia ad sacrificia quidem sunt inepta, sed in privatos usus munda: vide infrà vers. 22.
8 infrà 15. 23.
10 puta nullas planè: nam ordinarias Levitæ, anniversarias domestici omnes coram Jehova comedebant, vers. seq. triëtericas in portis quidem, sed alii tamen comedebant, infrà 14. 28. & 26. 12.
8 infrà 14. 23.
8 infrà 14. 27.
11 effundens sanguinem ejus, ut vers. 16.
h Heb. fortis esto.
12 Sacerdos, aut offerens, aut uterque, prout ferunt sacrificiorum leges.

possidendum eas jure hæreditario; & hæredita-
rio jure possidens eas habitabis in terra earum:
30 Cave tibi ne [i] sequendo eas illaqueeris,
postquàm perditæ fuerint a facie tua; & ne ex-
quiras de diis earum, dicendo, quomodo colue-
runt gentes istę deos suos? ut sic faciam ego quo-
que:
31 Ne facito sic Jehovæ Deo tuo: nam quic-
quid abominationi est Jehovæ, quicquid odit, fe-
cerunt diis suis, cùm etiam filios suos & filias su-
as comburant igne *offerentes* diis suis.
32 Unamquamque rem quam ego præcipio
vobis, eam observantes facite: ne addito ei, ne-
que detrahito ex ea.

[i] *Heb. post eam.*

CAPUT XIII.

Deus præcipit, ne ulli autori apostasiæ, quamvis conjuncto & charo, nec ullis defectoribus, quamvis magno numero, parcatur: & supplicii genus in eo statuit.

1 Cum surgens in medió tui [1] Propheta, aut
somnians somnium; [2] ediderit tibi sig-
num aut prodigium,
2 Quamvis eveniat signum illud aut pro-
digium quod prædixerat tibi dicendo; [a] sequa-
mur deos alienos quos non noveras, & colamus
eos:
3 Ne auscultato verbis Prophetæ istius, aut
isti somnianti somnium: quia tentat Jehova De-
us vester vos, [3] ad cognoscendum an sitis aman-
tes Dei vestri ex toto corde vestro, & ex toto a-
nimo vestro.
4 [‖] Jehovam Deum vestrū sequimini, & ip-
sum timete; & mandata ejus observate, ac voci
ejus auscultate, eúmque colite, & adhærete ei.
5 Propheta autem iste, aut somnians som-
nium iste plectitor morte, [4] quia suasit apostasi-
am contra Jehovam Deum vestrum; qui eduxit
vos e terra Ægypti, & qui redemit vos e domo
servorum, depulsurus te a via quam præstituit ti-
bi Jehova Deus tuus ut ambules in ea: ita sustule-
ris illud malum e medio tui.
6 Si clàm incitet te frater tuus filius matris
tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor [b] cha-
rissima tibi, aut amicus tuus qui *est* sicut tu ipse,
dicendo, eamus & colamus Deos alienos, quos
non noveras tu aut majores tui,
7 E diis populorum qui sunt circa vos, pro-
pinquorum tibi aut longinquorum abs te; ab *una*
extremitate terræ usque ad *alteram* extremita-
tem [c] ejus:
8 Ne acquiescito illi, neque auscultato illi;
neque parcito oculus tuus illi, neque clementia
utitor, neque celato illum:
9 Sed [d] omnino occidito illum, [5] manus tua
primùm esto contra illum ut morte afficias il-
lum; posteà verò manus totius populi:
10 Et obrues eum lapidibus ita ut moriatur;
quia quæsivit te depellere a Jehova Deo tuo, qui
eduxit te e terra Ægypti e domo servorum:
11 Ut audiant omnes Jisraëlitæ & timeant;
nec pergant *ulli* facere secundùm rem malam
hanc in medio tui.
12 Si audiveris de aliqua civitatum tuarum,
quas Jehova Deus tuus dat tibi ad habitandum
illic, dicentes,
13 Egressi homines [e] nequissimi e medio tui
[6] depulerunt habitatores civitatis suæ, dicendo;
eamus & colamus deos alienos quos non nove-
ratis:
14 Ubi inquisiveris, & pervestigaveris, ac
percunctatus fueris bene; si ecce [f] vera certáq;
erit res illa, *si* commissa fuerit abominatio hæc in
medio tui,
15 [g] Omnino percutito habitatores civitatis
illius acie gladii: internecioni devoveto eam, &
omneis qui erunt in ea, jumentáque ejus acie
gladii:
16 Omnem verò prædam ejus comportato
in medium plateæ ejus; & combures igne civi-
tatem ipsam, omnémque prædam ejus prorsus
Jehovæ Deo tuo: ut sit tumulus [h] perpetuus, ne
ædificetur deinceps.
17 Neque adhærescito manui tuæ quicquam
de *ullo* anathemate: ut convertat se Jehova, [7] ne
accendatur ira ejus, & *ut* conferat tibi misericor-
diam, & misereatur tui, atque augeat te, sicut
se facturum juramento promisit majoribus tuis:
18 Quum auscultabis voci Jehovæ Dei tui
observando omnia præcepta quæ ego præcipio
tibi hodie; faciendo quod rectum *videtur* in ocu-
lis Jehovæ Dei tui.

[1] qui alteram ex illis ordinariis rationibus, de quibus Num. 12. 6. falsò sibi arrogaverat.
[2] verbo, id est, prænunciaverit, ut explicat V. 2. sic suprà 11. 29. & 1. Reg. 13. 6.
[a] *Heb. eamus post deos, ut infrà vers. 4. & 6.*
[3] vide sup. in 8. 2.
[‖] *sup. 6. 13. & 10. 20.*
[4] prior nota eáque omnium certissima, dignoscendi pseudoprophetas, a doctrina: posteriorem per concessionem ostendit suprà vers. 2. & explicat infrà 18. 21. & 22.
[b] *Heb. sinus tui.*
[c] *Heb. terra.*
[d] *Heb. occidendo occidito.*
[5] qui detuleris eum ex Lege quæ habetur infrà 17. 7. quam rationem servarunt Pharisæi in falso judicio contra Stephanum Act. 7. 58.
[e] *Heb. filii Belijahalis.*
[6] a recta via, ut vers. 5. vel a Jehova Deo tuo, ut versu 10. id autem est quod vulgo dicitur, seduxerunt.
[f] *Heb. veritas.*
[g] *Heb percutiendo percutito.*
[h] *Heb. seculi.*
[7] prout altera in causa Deum exarsisse contra Hacanem legimus Jehoschu. 7.

CAPUT XIIII.

Leges de modo adhibendo ad luctum, de discrimine ciborum, & de tribus decimarum generibus, ordinario in Levitas, anniversario ad sacrum epulum, & trieterico in eleemosynam & charitatis officia.

1 Filii [1] estis Jehovæ Dei vestri: [2] [‖] ne incidi-
te vos, neq; inducite calvitium inter ocu-
los vestros propter mortuum:
2 Quia populus sanctus es Jehovæ Deo tuo;
& te elegit Jehova ut sis ei populus peculia-
ris, præ omnibus populis qui *sunt* in superficie
terræ.
3 [‖] Ne comedito ullam rem abominandam.
4 Hæ *sunt* bestiæ quas comedetis; boves, [a]
ex pecudibus oves & capræ:
5 Cervi, & capreæ, & [3] damæ; & rupicapræ,
& [4] strepsicerotes, & bubali, & camelopardа-
lides:
6 Denique omnem bestiam habentem un-
gulam scissam & bifidatam fissura *in* binas ungu-
las, revocantem ruminis *cibum* inter bestias; ip-
sam comedetis.
7 Verumtamen hæc ne comeditote ex re-
vocantibus ruminis *cibum*, & ex habentibus un-
gulam scissam bifidatam solùm: camelos, & le-
pores, & montanos mures, quia revocant *quidem*
cibum ruminis ista, sed ungulam scissam non ha-
bent, immunda sunto vobis:
8 Similiter suem, quia ungulam *quidem* scis-
sam habet, sed non *revocat cibum* ruminis, im-
munda esto vobis: de carne eorum ne comedito-
te, & cadaver eorum ne tangite.
9 Hæc comedetis ex omnibus quæ *sunt* in
aquis: quæcunque habent pinnas & squamas
comedetis:
10 Quæcunque verò non habent pinnas aut
squamas, ne comeditote: immunda sunto vo-
bis.
11 Omnem avem mundam comedetis.
12 Hæc autem *sunt* ex quibus non comedetis:
aquilæ, & ossifragæ, & haliæeti:
13 Et cornices, & picæ, & milvi secundùm
speciem suam;
14 Et omnes corvi secundùm speciem suam:
15 Et ululæ, & hirundines, & æsalones; & ac-
cipitres secundùm speciem suam;
16 Et bubones, & noctuæ, & monedulæ;
17 Et plateæ, & meropes, & mergi;

[1] promissionem habentes hæreditatis æternæ; ideò non est vobis lugendum ut qui spem non habent, 1. Thessal. 4. 13.
[2] hoc enim aut desperantiū est, aut cum infidelibus communicantium, a quibus vos segregavit Deus.
[‖] *Levit. 19. 27. & 21. 5.*
[‖] *Levit. 11.*
[a] *Heb. pecudes ovium & pecudes caprarum.*
[3] ex R. Jehuda Hebræorum antiquissimo scriptore & autoritatis summæ.
[4] sic enim Afri vocant Aldaslen, teste Plinio lib. 11. natur. hist. cap. 37. etsi corruptè legimus Addacem, appellatione ex nomine Hebræo & articulo eorum depravata.

18 Et ciconiæ, & ardeæ secundùm speciem
suam; & attagenes, & vespertiliones.
19 At omne reptile volucre, immundum esto
vobis: ne comeduntor.
20 Omne volucre mundum comedetis.
21 ‖Ne comeditote ullum cadaver (peregrino
qui *erit* intra portas tuas dabis illud, ut comedat
illud, aut vendes alieno) nam populus sanctus es
Jehovæ Deo tuo: ne coquito hœdum in lacte
matris suæ.
22 [b] Fideliter decimato omnem proventum
sementis tuæ; qui provenit in agro, [c] quotan-
nis:
23 [5] Et comedes coram Jehova Deo tuo, in
loco quem elegerit ad collocādum nomen suum
ibi; decimas frumenti tui, musti tui, & olei tui, &
primogenita armenti tui, gregísque tui: ut
discas timere Jehovam Deum tuum omnibus
diebus.
24 Quòd si magnum sit [d] præter facultatem
tuam iter ipsum, ut non possis ferre illas *decimas*;
si distet præter facultatem tuam locus quem ele-
gerit Jehova Deus tuus ad collocandum nomen
suum ibi: [6] eo quòd benedixit tibi Jehova Deus
tuus:
25 Tum [e] commutabis pecuniâ; & colliga-
tam pecuniam *habens* in manu tua, ibis ad locum
quem elegerit Jehova Deus tuus.
26 Expensáque pecunia illa in omnia quæ
desideraverit animus tuus, in boves, aut in pe-
cudes, & in vinum, aut in alium potum inebri-
antem, denique in omnia quæ expetierit abs
te animus tuus; comedes ibi coram Jehova
Deo tuo, ac lætaberis tu cum familia tua:
27 Sed Levitam qui *erit* intra portas tuas
ne derelinquito; non enim *est* ei pars aut posses-
sio tecum.
28 [7] ‖A fine trium annorum depromito om-
neis decimas proventus tui *provenientis* illo an-
no; & relinques *eum* intra portas tuas:
29 Quem venientes Levitæ (quia non *est*
ei pars aut possessio tecum) & peregrini, pu-
pillíque, & viduæ, qui *sunt* intra portas tuas, co-
medant & saturentur, ut benedicat tibi Jeho-
va Deus tuus in omni opere manus tuæ quod
facies.

‖Exod. 25.19.
[b] Heb. decimando decimato.
[c] Heb. anno anno.
5 nam his secundis decimis prospiciebatur de cómeatu iis qui ex lege statis feriis in locum electum a Deo conveniebant.
[d] Heb. præ te, bis hoc vers.
6 Id est, quia decimis auctus per benedictionem Dei & locupletatus es, adeò ut difficile sit eas exportare tanto itinere.
[e] Heb. ponito eas in pecunia.
7 hoc illud tertium est decumarum genus, quod nos trietericum appellamus, id est, recurrens tertio quoque anno. De primo autem decumarum genere quod Levitis adjudicavit Deus, vide Num. 28.22.
‖ infr. 26.12.

CAPUT XV.

Leges feruntur ut anno intermissionis intermittatur exactio nominum nisi ab exteris, etiámq; eo anno instante liberalitas in fratres egentes exerceatur. Jus servitutis Hebræorum, manumittendi ratio & primogenitorum leges explicantur.

1 A Fine septem annorum facito intermissio-
nem.
2 Hoc autem *esto* jus intermissionis; inter-
mittito omnis [a] creditor, jus habens vindican-
di manu sua, id quod [1] vindicaturus esset a pro-
ximo suo: ne exigito a proximo suo & a fra-
tre suo, quum [b] indicta fuerit intermissio Je-
hovæ.
3 Ab alienigena exiges; sed ab eo quod *erit*
tibi apud fratrem tuum intermittito manum
tuam:
4 [2] Tantùm quia per te non debet esse e-
gens; cùm [c] omnino benedicturus sit tibi Jeho-
va in ea terra quam Jehova Deus tuus dat tibi in
possessionem, ut hæreditario jure possideas eam:
5 Si tamen [d] diligenter auscultaveris voci
Jehovæ Dei tui; [e] observans ut facias totū præ-
ceptum hoc quod ego præcipio tibi hodie.
6 Nam Jehova Deus tuus benedicit tibi,
quemadmodum loquutus fuerat tibi: adeò ut
poteris mutuare gentibus multis, & tu non habe-
bis opus mutuari, & poteris dominari in gentes
multas, neque in te dominaturæ sunt.
7 Si fuerit apud te egens [f] quispiam e fratri-
bus tuis intra aliquam e portis tuis, in terra tua
quam Jehova Deus tuus dat tibi; ne obfirmato
[g] animum tuum, neque occludito manum tuam
adversus fratrem tuum qui egens sit:
8 Sed [h] liberaliter aperito manum tuam ei;
& [i] liberaliter mutuato ei quantum satis est in-
digentiæ ejus, id cuius indiget.
9 Cave tibi ne sit quicquam in animo tuo
nequam, ut dicas appropinquat annus ille septi-
mus, annus remissionis; & [3] malignus sit oculus
tuus in fratrem tuum qui egens *est* ita ut non des
ei: idcircò inclamet contra te Jehovam, & sit in
te peccatum.
10 [k] Liberaliter dato ei, neque malignus esto
animus tuus quum das ei: nam hujus rei causâ
benedicit tibi Jehova Deus tuus in omni opere
tuo, & in omni [l] re ad quam admoves manum
tuam:
11 Quia non desinet egens e medio hujus ter-
ræ: idcircò ego præcipio tibi dicendo, liberali-
ter aperito manum tuam erga fratrem tuum, er-
ga [4] pauperem tuum, & erga egenum tuum in
terra tua.
12 ‖ Si vendatur tibi frater tuus Hebræus aut
[5] Hebræa, is serviet tibi [6] sex annis: anno verò
illo septimo dimittito eum liberum abs te.
13 Quum autem dimittes eum liberum abs
te, ne dimittito eum vacuum:
14 [m] Liberaliter imponito collo ejus de
grege tuo, & de area tua, & de torculari tuo;
quo benedixerit Jehova Deus tuus, dato ei:
15 Et recordare te servum fuisse in terra Æ-
gypti, ac redemisse te Jehovam Deum tuum: id-
circò ego præcipio tibi rem hanc hodie.
16 Sed erit si dicat tibi, nolo exire a te; eo
quòd diligat te & familiam tuam, quia bene *est*
ei apud te:
17 Ut acceptam subulam indas auri ejus &
ipsi ianuæ, sic erit tibi servus [n] in seculum: & eti-
am ancillæ tuæ facito similiter.
18 Ne durum videtor in oculis tuis quum *sic*
dimittes eum liberum abs te (nam [7] duplum *est*
mercedis mercenarii, *quo* servivit tibi sex annis)
ut benedicat tibi Jehova Deus tuus in omnibus
quæ facies.
19 ‖Omne primogenitum quod nascetur in
armento tuo, & in grege tuo, quod mas *erit* san-
ctificato Jehovæ Deo tuo: ne [o] utitor primoge-
nito bovis tui, neq; tondeto primogenitum gre-
gis tui.
20 Coram Jehova Deo tuo [8] comedito illud
[p] quotannis in loco quem elegerit Jehova; tu &
familia tua.
21 Sin autem erit in eo vitium, si *erit* claudum
aut cæcum, ullum *si erit ex* [9] vitiis malis; ne ma-
ctato illud Jehovæ Deo tuo:
22 Intra portas tuas comedito illud; immun-
dus & mundus pariter, tamquam capream &
tamquam cervum.
23 ‖Tantummodò sanguinem ejus ne co-
medito: super terram effundito eum sicut a-
quam.

[a] Heb. dominus debiti vendicans manu sua, id est, qui posset rem suam manu injectione recipere.
1 nisi lex intermissionis obstaret: nam justus est rei creditæ dominus, eámq; iustis vindiciis potest repetere.
[b] Heb. indixit intermissionem Jehovæ.
2 duæ causæ legis istius, prior charitatis, posterior benedictionis divinæ ex promissione, quæ obedientiæ conditione conjuncta est. [c] Heb. benedicendo benedicit.

[d] Hebr. auscultando auscult.
[e] Heb. observando facere.
[f] ex uno fratrum tuorū, hypallage.
[g] Heb. cor, ut V. 9. & 10.
[h] Heb. aperiendo aperito, ut infr. V. 11.
[i] Hebr. mutuando mutuato.
3 id est, immisericors qui eum non libenter aspicit ut succurrat ei; sic Matt. 20.15.
[k] Heb. dādo dato.
[l] Hebr. extensione manus tuæ, ut supr. 12.7
4 quem tibi Deus offert ut ei succurras.
‖ Exod 21.2.
5 nimirum soror. Ellipsis est analogica.
6 nempe ad annum intermissionis usque; sive justo sex annorum spatio serviat, sive minore: puta adæquata ratione pretii cum servitutis tempore, ut docet analogia Leuit. 25.50. Alioqui Lex foret durior ad personarum emtionem pertinēs, quàm quæ de exigendo ære alieno lata est. Etenim si intermissionis anno æs non potest exigi, quanto minùs personas in servitutem cogi æquitas perpessura est?
[m] Heb. imponendo collo imponito ei.
[n] Heb seculi, id est, usque ad annum jubilei ut Exod. 21.6.
7 id est, ut servus addictus necessaria servitute servivit, quę multò gravior est quàm mercenaria, ac proinde dupla mercede digna.
‖ Exod. 13.
[o] Heb. servito.
8 Apostrophe ad Sacerdotes: nam illis primogenita cedebāt ex lege Num. 18. 17.
[p] Heb. anno in annum.
9 quod sit ex illis vitiis quæ recensentur. Levit. 22.23.24 & 25. sic infrà 17.1
‖ supr. 12.16.

CAPUT

CAPUT XVI.

Repetit mandatum de tribus festis anniversariis, jubet singulis locis constitui, qui jus populo rectè administrent: & lucos aut statuas haberi vetat.

1 ‖ OBservato mésem Abib, ut celebres ᵃ Pascha Jehovę Deo tuo: quia in mense ipso Abib eduxit te Jehova Deus tuus ex Ægypto noctu.

2 Tum mactabis Pascha, ¹ pecudes & boves Jehovæ Deo tuo; in loco quem elegerit Jehova ad collocandum nomen suum ibi.

3 ‖ Ne comedito cum illo fermentum, septem diebus comedito cum illo azyma, ² panem paupertatis: cum festinatione enim exivisti e terra Ægypti, ut recorderis diei exitus tui e terra Ægypti, omnibus diebus vitæ tuæ.

4 ‖ Neque conspicitor apud te vetus fermentum in toto termino tuo septem dies: neque pernoctato quicquam de ea carne quam mactaveris vespere die primo, in matutinum usque.

5 ³ Non poteris mactare Pascha; intra aliquā e portis tuis, quas Jehova Deus tuus dat tibi:

6 Sed ad locum illum quem Jehova Deus tuus elegerit ad collocandum nomen suum *profectus* ibi mactato Pascha vespere; quum occidit Sol, ⁴ stato tempore exitus tui ex Ægypto.

7 Tum coques comedésque illud in loco quem elegerit Jehova Deus tuus: deinde revertens mane ibis ad tentoria tua.

8 Sex diebus comedito azyma: die autem septimo, *qui dies est* interdicti Jehovæ Deo tuo, ne facito ullum opus.

9 SEPTEM septimanas numerato tibi; ex quo cœperit ⁵ falx *immitti* in segetem, incipito numerare septem septimanas.

10 ‖ Tum celebrabis ᶜ festum septem septimanarum Jehovæ Deo tuo, ⁷ tributo, *&* voluntaria oblatione manus tuæ quam dabis; prout benedixerit tibi Jehova Deus tuus.

11 Et lætaberis coram Jehova Deo tuo, tu, & filius tuus, & filia tua, servúsq; tuus, & ancilla tua; & Levita qui *erit* intra portas tuas, peregrinus quoque, & pupillus, & vidua qui *erunt* in medio tui: in loco quem elegerit Jehova Deus tuus ad collocandum nomen suum ibi.

12 Ita recordaberis te servum fuisse in Ægypto, quum observabis & facies statuta ista.

13 FESTUM tabernaculorum ᵇ celebrato septem diebus; quum collegeris ex area tua, & ex torculari tuo.

14 Lætaberis autem celebrando festum; tu, & filius tuus, & filia tua, servúsque tuus, & ancilla tua, Levita quoque, & peregrinus, pupillúsque, & vidua, qui *erunt* intra portas tuas.

15 Septem diebus festum celebrato Jehovæ Deo tuo in loco quem elegerit Jehova; quum benedixerit tibi Jehova Deus tuus in toto proventu tuo & in omni opere manuum tuarum, erísque tantummodo lætus.

16 ‖ Tribus vicibus compareto quotannis omnis mas tuus ante conspectum Jehovæ Dei tui in loco quem elegerit, in festo azymorum, & in festo septimanarum, & in festo tabernaculorū: sed ne compareto ante conspectum Jehovæ vacuus.

17 Quisque ᶜ prout donatum est manui suæ; pro benedictione Iehovæ Dei tui, qua donauit te, *afferto.*

18 JUDICES & moderatores constituito tibi in singulis portis tuis quas Jehova Deus tuus dat tibi, per tribus tuas; qui judicent populum judicio ᵈ iusto.

19 ‖ Ne pervertito judicium, ne ᵉ accipito personam: neque suscipito munus, quia munus excæcat oculos sapientum, & pervertit verba justorum.

20 ᶠ Justissimam justitiam sectare; ut vivas & hæreditario jure possideas terram quam Jehova Deus tuus dat tibi.

21 Ne conserito tibi lucum ullis arboribus; ⁸ secundùm altare Jehovæ Dei tui, quod feceris tibi:

22 Neque erigito tibi statuam: quæ odit Jehova Deus tuus.

‖ *Exod.* 12. *&* 13.
ᵃ *id est transitum.*
¹ sacrificia imperata in dies illos, de quibus Num. 28. 16.
‖ *Exod.* 12. 39.
² id est, quali ferè vescuntur pauperes, qui prę fame non expectant dum fermentetur massa.
‖ *Exod.* 34. 25.
³ puta quo tempore libera atque integra Respub. futura est conjuncto Dei cultu imperato Lege: name versis rebus alia est ratio: vt videre est in 2. Chron. 35. 3. ubi necessitati cedunt ceremoniæ.
⁴ decimoquarto die mensis Abib. Exod. 13. 3. & 4.
⁵ ad manipulū segetum offerendum, de quo Levit. 23. 10. id est, a die postero Paschatis, ut ibidem exponitur.
‖ *infr.* 16.
ᶜ ut 2. Macb. 12. 31. festum quod etiam primitiarum dicitur, Num. 28. 26.
⁷ de quo infrà 26. primis undecim versibus.
ᵇ *Heb. facito tibi.*
‖ *Exod.* 23. 17.
ᶜ *Heb. secūdùm donum manus ipsius, id est, donum Dei manui ipsius collatum.*
ᵈ *Heb. justitiæ.*
‖ *Exod.* 23. 6
ᵉ *Heb. agnoscito faciem.*
ᶠ *Heb. justitiam justitia.*
⁸ i. qui lucus sit propinquus altari templóque Jehovæ, & qui aut dignitate & sanctimonia credatur ad eū proximè accedere, aut qui etiam tantidem habeatur. Quanto magis si æstimetur pluris? ut 2. Reg. 16. & 17.

CAPUT XVII.

Leges de integritate sacrificiorum, de interficiendis idololatris, de consulendis in causa religionis Sacerdotibus, in civili judicibus summis; statuta in contra venientes pœna, de Regis eligendi ratione, & de illius electi officio.

1 NE ‖ mactato Jehovæ Deo tuo bovem aut pecudem in qua *sit* vitium, res ¹ ulla mala; nam abominationi Jehovæ Deo tuo est:

2 ² Si ‖ inveniatur in medio tui, in aliqua e portis tuis quas Jehova Deus tuus dat tibi; ᵃ ullus ulláve qui fecerit quod malum videtur in oculis Jehovæ Dei tui, transgrediendo fœdus ejus:

3 Et abiens coluerit Deos alienos se incurvans illis; aut Soli, aut Lunæ, aut ulli exercitus cælorum, quod non præcepi;

4 Renunciatúmque fuerit tibi atque audiveris: quum inquisiveris bene, si ecce ᵇ vera certáque res illa *erit, si* commissa fuerit abominatio ista in Jisraële:

5 Omnino produces virum illum, aut mulierem illam, qui commiserint rem pessimam hanc, ³ ad portas tuas, virum *inquam* illum, & mulierem illam; ut obruas eos lapidibus ac moriantur.

6 ‖ Ex ᶜ sermone duorum testium, aut trium testium, morte afficitor is qui moriturus: ne afficitor morte ex sermone testis unius.

7 Manus testium primùm esto contra eum ut morte afficiant eum, posteà verò manus totius populi: sic sustuleris illud malum e medio tui.

8 Si occulta erit res tibi in judicio *ferendo* inter ᵈ ⁴ cædem & cædem, inter litem & litem, aut inter plagam & plagam, e rebus ᵉ controversis intra portas tuas: tunc surgens ascendes ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus;

9 Et adibis Sacerdotes Leviticos, ⁵ vel ad summum judicem qui erit diebus illis: ut consulas eos, & indicent tibi ᶠ statum illius judicii.

10 Deinde facies ᵍ ex præstituto illius sententiæ quam indicaverint tibi, *profectus* a loco illo quem elegerit Jehova: & observabis ut facias secundùm omnia quæ docuerint te.

11 Ex præstituto legis quam docuerint te, & secundùm judicium illud quod dixerint tibi faciito: ne recedito ab ea sententia quam indicaverint tibi, dextrorsum aut sinistrorsum.

12 Vir autem ille qui commiserit ʰ superbè, ut non auscultet Sacerdoti ⁱ constanter ministranti ibi Jehovæ Deo tuo, aut *summo* judici; utíq; morietur vir ille, & tolles malum illud e Jisraële.

‖ *Levit.* 21. *&* 22. *&* 24.
¹ vide suprà in 15. 21.
² supplementū est cap. 13. supra: quo docetur quid faciundum sit eo qui alios quidem non seduxit, sed ipse seductus idololatriā cōmittit.
‖ *Num.* 19.
ᵃ *Heb. vir aut mulier.*
ᵇ *Heb. veritas.*
³ conuentuum publicorum loca: nam haberi solebant in portis, ut annotavimus in Gen. 34. 20. & alibi.
‖ *Num.* 35. 30. *&* *infrà.* 19. 15.
ᶜ *Heb. ore, his hoc V. sup.* 13. 9.
ᵈ *Heb. sanguinē & sanguinem.*
⁴ Cædes politicæ sunt & ad judicum cognitionem pertinent, plagarum discrimen ad cognitionem Sacerdotum: litium verò aliæ politicæ, aliæ ecclesiasticæ, cuiusmodi sunt quæ aut propter conscientiam magis institutæ sunt, vt zelotypiæ & consimiles, aut quæ civili judiciū cognitione pervestigari non possunt; sed propter rei probationúmque incertitudinem permittuntur reorum conscientiæ.
ᵉ *Heb. controversiarum.*
⁵ conjunctionē disjunctivā esse apparet ex ver. 12. ut re ipsa munera esse disparata constat, ad quæ hęc officiorum nomina respiciunt ὑστερον πρότερον Hebrę̣o more. ᶠ *Heb. rem.* ᵍ *Heb. secundùm os legis illius, ut ver.* 11.
ʰ *Heb. per superbiam.* ⁱ *Heb. perstanti ministrando: sic infr.* 18. 5.

13 Ut omnis populus audiant, & timeant; neque superbiant deinceps.

14 QUUM ingressus fueris in terram quam Jehova Deus tuus dat tibi, ut hæreditario jure possideas illam, & habitabis in illa; [6] si dixeris, statuam super me Regem, sicut omnes gentes quæ *sunt* circa me:

15 [k] Tantùm statuito super te Regem quem elegerit Jehova Deus tuus: e medio fratrum tuorum statuito super te Regem, non poteris tibi præficere virum extraneum qui non frater tuus sit.

16 Verumtamen ne multiplicato sibi equos; neque facito ut hic populus revertatur in Ægyptum ad multiplicandum equos: cùm Jehova edixerit vobis, ne [l] deinceps redeatis per viam hanc ampliùs:

17 ‖ Neque multiplicato sibi [7] uxores, ut non recedat [m] animus ejus *a me*: argentum quoque & aurum ne multiplicato sibi admodum.

18 Sed erit quum insidebit solio regni sui; ut describat sibi exemplum hujus Legis in libro, ex *eo qui erit* in conspectu Sacerdotum Leviticorũ:

19 Eritque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ; ut discat timere Jehovam Deum suum, observare omnia verba hujus Legis, & statuta ista faciendo ea:

20 Ne efferatur animus ejus præ fratribus suis, & ne recedat ab hoc præcepto dextrorsum aut sinistrorsum: ut prolonget dies in regno suo, ipse & filii ejus, in medio Jisraëlis.

[6] puta justo legitimóque consilio, non autem tumultuariè præter Dei voluntatem & illegitimè inito, ut factum est quum fuit eligẽdus Schaûl. quapropter cõsilium istud damnavit Deus, 1. Schemu. 8. 7. & 12.19.
[k] *Heb. statuendo statuito.*
[l] *Heb. addatis redire.*
‖ *Num.* 14.19.
[7] vide in Levitici. 18. 18.
[m] *Hebr. cor, ut vers.* 20.

CAPUT XVIII.

De jure tribus Leviticæ in oblationes, decimas, & primitias: de sacrilega gentium idololatria fugienda: de propheta Mediatore venturo: & de ratione qua falsi prophetæ dignoscendi sunt.

1 NE‖ esto Sacerdotibus Leviticis, toti tribui Leviticæ, pars & possessio cum *reliquo* Jisraële: *ex* igne absumendis Jehovæ & *de* possessione ejus comedunto.

2 Quamobrem ne esto possessio ipsi [a] inter fratres suos: Jehova *est* possessio ejus, quemadmodum dixit ei.

3 Hoc autem esto jus Sacerdotum a populo, a sacrificantibus aliquod sacrificium, sive bovem, sive pecudem; ut det *populus* Sacerdoti armum, & ambas maxillas, & [1] ventriculum.

4 Primitias frumenti tui, musti tui, & olei tui, & primitias velleris ovium tuarum dato ei:

5 Quia eum selegit Jehova Deus tuus ex omnibus tribubus tuis; ut [b] constanter ministret in nomine Jehovæ, ipse & filii ejus, omnibus diebus.

6 Item si adveniat Levita quispiam ab aliqua e portis tuis ex universo Jisraële, ubi habitabat; adveniat inquam [c] omnino prout desiderabit animus ejus ad locũ quem elegerit Jehova:

7 Is ministrabit in nomine Jehovæ Dei sui; sicut omnes ejus fratres Levitæ qui stant ibi coram Jehova.

8 [2] [d] Partem ex æquo comedent, [3] præter [e] pretium rerum quas quisque eorum vendiderit, [4] secundùm [f] paternas familias.

‖ *Num.* 18.
[a] *Hebr. in medio fratrum.*
[1] cujus partes sunt duæ; una pinguis quam omasum vocãt; altera macra; quam ἤνυστρον. Quapropter Latini totum id omasum vocant synecdochicè.
[b] *Hebr. ad perstandum ministrando: ut suprà* 17.12.
[c] *Hebr. pro omni desiderio animi.*
[2] id est, æquè ad functionis Leviticæ & commodi ex ea partem admittitor cum fratribus, ut Num. 18.31.
[d] *Heb. partem sicut partem.*
[3] quasi dicat, ne excluditor a parte commodi, eo quòd habet pretium rei alicujus aut possessionis venditæ unde se possit alere. Ratio est, quia rem venditam redimendi jus perpetuum habet: redimere autem non posset, si absumeretur pretium: vide Levit. 25.32. [e] *Hebr. venditiones ejus: metonymia.* [4] id est, suo adventu ne perturbet distributa ministeria inter Levitas: sed accedito Gerschonita Gerschonitas, Kehathita Kehathitas, & sic de reliquis. Distributionem autem ministerii vide Numer. 3. & 4. [f] *Hebr. patres.*

9 ‖ QUUM ingressus fueris in terram quam Jehova Deus tuus dat tibi; ne discito facere secundùm abominationem gentium istarum:

10 Ne invenitor in te qui traducat filium suum, aut filiam suam per ignem; [g] utens divinationibus, planetarius, aut conjector, aut præstigiator;

11 ‖ Item utens incantatione; aut requirens pythonem, aut ariolus, aut [h] necromantis:

12 Nam abominationi *est* Jehovæ quisquis facit ista: & propter abominationes istas Jehova Deus tuus expellit istas *gentes* a facie tua.

13 Integer esto cum Jehova Deo tuo.

14 Nam gentes istæ quarum tu hæres futurus es, planetariis & divinis auscultant: *de* te autem [5] non ita *sunt, quos* dat tibi Jehova Deus tuus.

15 [6] Prophetam e medio tui e fratribus tuis, [7] sicut ego *sum*, suscitabit tibi Jehova Deus tuus; ei auscultate:

16 ‖ Secundùm omnia quæ petiisti a Jehova Deo tuo in Chorebo, die congregationis, dicendo; ne [i] pergam audire vocem Jehovæ Dei, & ignem maximum istum ne videam ampliùs, ut non moriar.

17 Quamobrem dixit Jehova mihi; [k] bene loquuti sunt quod loquuti sunt.

18 Prophetam suscitabo eis e medio fratrum ipsorum, sicut tu *es*: & indam verba mea ori ejus, ut eloquatur eis quicquid præcepero ipsi.

19 Erit autem, ut quisquis non auscultaverit verbis meis quæ loquuturus est in nomine meo; ego reposcam ab illo.

20 Verumtamen Propheta ille, qui sibi arrogarit eloqui aliquid in nomine meo quod non præcepero ei eloqui, aut qui eloquetur in nomine Deorum alienorum; omnino morietur propheta ille.

21 [8] Quòd si dicas cum [l] animo tuo; quomodo cognoscemus verbum illud quod non eloquutus fuerit Jehova?

22 Quod fuerit loquutus ille Propheta in nomine Jehovæ, si non erit illud verbum, [9] neque evenerit, hoc illud *est* verbum quod non eloquutus est Jehova: superbè eloquutus illud est propheta ille, ne timeto ab eo.

‖ *Levit.* 18.21.
[g] *Hebr. divinans divinationes.*
‖ *Levit.* 19.26. *Exod.* 22.17. *Levit.* 20.27.
[h] *Hebr. consulens mortuos.*
[5] id est, non sunt planetarii, aut divini, quorũ ministerium tibi sanctificavit, & audientiam imperavit Deus. Hanc interpretationem docet prosodia (nam ellipseos genus istud est frequẽtissimum) & verba sequentia flagitant.
[6] quasi dicat, istorum omnium loco Deum solũ accedito, atque consulito: qui tibi petenti concessit gratiosè ut se accedas Mediatoris opera; & ab ore illius, tamquam germanæ Dei sapientiæ, & Sermonis æterni, pendeas. Est ergo hic locus disertè enunciatus de Christo (ut commonstrant sequentia,) de cujus plenitudine haurimus omnes, Joan. 1.
[7] & naturæ & officii participatione. quasi dicat, verum hominẽ, & Mediatorem verum. Is autem est Christus, Act. 3.22. & 7.37.
‖ *Exod.* 20.
[i] *Hebr. addam audire.*

[k] *Hebr. benefecerunt quod loquuti sunt.* [8] vide suprà in 13. 5. [l] *Hebr. corde.* [9] hæc altera pseudoprophetæ nota ab eventu: priorem quæ est a doctrina, vide suprà 13.

CAPUT XIX.

De tribus civitatibus receptus ultra Jardenem, & quibus liceat in eas securitatis causa se recipere: de non movendo termino, de jure testium, & de pœna falsis testibus irroganda.

1 QUum exsciderit Jehova Deus tuus gentes istas, quarum terram Jehova Deus tuus dat tibi; ita ut hæres sis earum, habitésque in civitatibus earum, & in domibus earum:

2 [1] Treis ‖ civitates separato tibi; in medio terræ tuæ quam Jehova Deus tuus dat tibi ad possidendum eam jure hæreditario.

3 Parato tibi viam [a] ad eas; [2] quum tripertitus fueris terminum terræ tuæ quam possidendam tradiderit tibi Jehova Deus tuus: eritque ut fugiat illuc omnis occisor.

4 Hoc autem esto [b] jus occisoris qui fugerit illuc, ut vivat: qui percusserit proximum suum [c] imprudẽter, quum ipse non oderit eum, [d] anteà.

5 Ut qui iverit cum proximo suo in sylvam ad

[1] videlicet in terra quam obtinebis præter eas ultra Jardenem: nam de illis tribus cis Jardenem antè prospectum fuit: ut narravit Mosche suprà 4.41.
‖ *Numer.* 35.11.
[a] *Heb. earum.*
[2] ut possis videlicet in unoquoque ejus triente civitatem commodo loco statuere.
[b] *Heb. res.*
[c] *Heb. absque scientia.*
[d] *Heb. ab heri nudius tertius, synecdoche, ut inf. v. 6.*

cædendum ligna, si vibrante se manu ejus cum securi ad cædendum lignum, dejecerit ferrum e [e] manubrio ejus, quod offendat proximum ejus ita ut moriatur: is ad unam harum civitatum fugito, ut vivat:

6 Ne persequens vindex illius sanguinis occisorem, quum incaluit animus ipsius, assequatur eum si major erit [f] via ad eas, & percutiat eum [g] lethaliter: cùm non sit in eum judicium mortis, quia non oderat illum antea.

7 Idcircò ego [3] præcepi tibi dicendo, tres civitates separato tibi.

8 Quum verò dilataverit Jehova Deus tuus terminum tuum, quemadmodum juramento promisit majoribus tuis; & dederit tibi totam illam terram quam promisit se daturum majoribus tuis;

9 Siquidem observes totum præceptum hoc faciendo illud quod ego præcipio tibi hodie; diligendo Jehovam Deum tuum & ambulando per vias ejus omnibus diebus: tum adjicies tibi ampliùs tres civitates ad tres istas:

10 Ut non effundatur sanguis innoxii, in medio terræ tuæ quam Jehova Deus tuus dat tibi in possessionem; néve sit in te [h] culpa cædis.

11 At si fuerit quispiam odio habens proximum suum, qui insidiatus fuerit ei, & insurgens in eum percusserit eum lethaliter ita ut moriatur; deinde fugerit in aliquam harum civitatum:

12 Tunc mittentes Seniores civitatis [4] illius accipient eum inde; & [5] tradent eum in manum vindicis illius sanguinis, ut moriatur.

13 Ne parcito oculus tuus ei: sed tolles reatũ sanguinis innoxii ex Jisraële, ut bene sit tibi.

14 Ne moveto terminum proximi tui, quem determinaverint prisci; in possessione tua quam possidebis, in ea terra quam Jehova Deus tuus dat tibi ad possidendum eam jure hæreditario.

15 Ne surgito testis unicus in quemquam, pro ulla iniquitate, aut pro ullo peccato ex omnibus peccatis quibus quis peccat: ex [i] sermone duorum testium, aut ex sermone trium testium stata res esto.

16 Si surrexerit [6] testis injurius in aliquem; ad testificandum in eum apostasiam:

17 Tum sistent se duo viri quorum *fuerit* controversia ista, coram Jehova; ante [7] Sacerdotes aut [8] judices qui erunt in diebus illis.

18 Quúmque inquisiverint judices illi bene; si ecce testis falsus *est* testis ille, falsum testatus est contra fratrem suum:

19 Omnino facietis ei, quemadmodum molitus fuerat facere fratri suo: ut tollas malum e medio tui:

20 Et qui reliqui sunt, audientes timeant; [9] neq; pergant deinceps facere simile quicquam huic rei malæ in medio tui.

21 Ne igitur parcito oculus tuus: vita pro vita, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede *esto*.

e *Heb. lignis: metonymia.*
f *Heb. via ille.*
g *Hebr. animam vel anima, ut infrà vers. 11. & Genes. 37.21.*
3 vide Num. 35.9. & suprà 4.41.
h *Heb. sanguinas: metonymia.*
4 qui reus est cædis.
5 re videlicet pervestigata, cognita, & cóperta certò.
i *Hebr. ore, ut suprà 17.6.*
6 etsi in omnibus aliis causis minimùm duo testes ex Lege requiruntur: tamen in religionis negotio unus testis ad quæstionẽ habendam sufficit: adeò vult Deus magistratibus cóservationem doctrinæ commendatam esse. Est autem appendix legis quæ habetur suprà 17.2.
7 si res nullis humanis testimoniis cognosci potest: vide suprà in 17.8.
8 tentaturos siquid civili examine cognosci poterit: ut sequenti versu exponitur.
9 i. ne indulgentia vestra inducantur ad sequendum exemplum illius qui impunitus sit dimissus.

CAPUT XX.

Leges militares de præparatione militum ad hortamenta sacerdotum & orationem præfectorum, de pugnis, & de obsidionibus.

1 Quum prodiens in prælium contra hostem tuum, videbis equos & currus, populum majorem te, ne timeto ab eis: nam Jehova Deus tuus tecum *est*, qui fecit ut ascenderes e terra Ægypti.

2 Quapropter erit quum procedetis in prælium; ut accedens [1] Sacerdos alloquatur populum:

3 Et dicat eis, audi Jisraël, vos proceditis hodie in prælium contra hostes vestros: ne mollescat cor vestrum, ne timete, neque trepidate, neque expavescite [a] metu eorum:

4 Nam Jehova Deus vester ambulat vobiscum; præliando pro vobis contra hostes vestros ad servandum vos.

5 Deinde alloquentur [2] moderatores populum, dicendo; quis *est* ille vir qui ædificavit domum novam, & nondum [b] cœpit uti ea? abiens revertitor domum suam: ne moriatur in hoc prælio, & vir alius uti incipiat ea.

6 Item quis *est* ille vir qui plantavit vineam, nec dum [c] eâ sacris jam solutâ usus est? abiens revertitor domum suam: ne moriatur in hoc prælio; & vir alius illâ sacris solutâ utatur.

7 [d] Item quis *est* ille vir qui desponsavit uxorem, necdum duxit eam? abiens revertitor domum suam: ne moriatur in hoc prælio, & vir alius ducat eam:

8 Et pergent moderatores illi alloqui populum, dicentes, quis *est* ille vir, [3] qui timidus & mollis corde est? abiens revertitor domum suam: ut non liquescat cor fratrum ejus, sicut cor ejus.

9 Tum erit desinentibus moderatoribus alloqui populum; ut præficiant principes ordinum militarium in [d] principiis populi.

10 Quum accedes ad aliquam [4] civitatem ab belligerandum contra eam; primùm [e] invitabis eam ad pacem.

11 Erit autem si [f] pacem tuam responso probet, aperiátque tibi: erit inquam, ut populus totus qui aderit in ea, sint tibi [g] tributarii, & serviant tibi.

12 Quòd si non ineat pacem tecum, sed gerat contra te bellum; tum obsidebis eam.

13 Quúmque tradiderit eam Jehova Deus tuus in manum tuam, percuties omnem marem ejus [h] acie gladii:

14 Tantùm fœminas, parvulósque, & jumenta, & quicquid erit in ea civitate, omnia spolia ejus diripies tibi: [i] fruerísque præda hostium tuorum quam dederit Jehova Deus tuus tibi.

15 [5] Sic facito omnibus civitatibus longinquis a te valde, quæ e civitatibus gentium istarum non sunt:

16 Sed e civitatibus populorum istorũ, quas Jehova Deus tuus dat tibi in possessionem; ne finito vivere [6] ullam rem halitu præditam.

17 Quin potius [k] interneccioni devoveto eos, Chitthæum, & Emoræum, Cenahanæum, & Perizzæum, Chivvæum, & Jebusæum: quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus:

18 Ut non doceant vos facere secundùm omneis abominationes suas, quas exercuerunt erga deos suos; neque peccetis Jehovæ Deo vestro.

19 Quum obsidebis aliquam civitatem diebus multis, oppugnando eam ut capias eam, ne perdito arbores ejus vibrando in eas securim, si ex eis comedere potes, easque ne exscindito: nam [7] agrestes arbores [l] cuivis *expositæ sunt*, [8] ut procedant ante te ad propugnaculum.

20 Veruntamen arbores quas nosti non esse esculenti *fructus* arbores, eas perdes & exscindes: ut ædifices propugnaculum contra civitatem quæ gerit in te bellum, donec ea [m] corruat.

1 compellaturus Dei verbis & cófirmaturus populum de jure belli & divinis promissionibus.
a *Heb. a facie.*
2 post sacrã exhortationẽ daturi mandata civilia.
b *Hebr. initiavit eam: hùc hoc versu.*
3 nempe si volet, aut diffidat ipse animo suo.
c *Heb. profanavit eam, id est, fructibus ejus adhibuit ad usum non sacros: vide legem Levi. 19.23. & sequent.*
ſ infrà 24.5.
d *Hebr. capitu, ut 2. Chron. 13.12. & 20.27.*
4 propinquam aut longinquam, in finibus aut extra fines promissæ terræ: qua ratione ipsis quoque Emoræis & Gibhonitis est parcitum, Jehoschu. 9. & 1. Reg. 9.20. ut Dei justitia & misericordia etiam infidelibus testata esset. Aliæ verò Cenahançorum gentes ne verbo quidẽ unico provocatæ Jisraëlẽ priores lacessiverunt, & hostile nihil omiserunt: quum illæ contrà anteverterint Jisraëlitas, & ne illud quidẽ tempus exspectaverint, quo obsessuri Jisraëlitæ accederent.
e *Hebr. proclamabis ad eã pro pace.*
f *Hebr. pacem respondeat tibi.*
g *Heb. in tributũ.*
h *Hebr. ore.*
i *Hebr. comedes, synecdoche.*
5 captivos & spolia servato, ut vers. 14.
6 sub. si pacem repudiaverit sanctis conditionibus oblatam: vide suprà 2.34. & 3.6.
k *Heb. devovendo devovem.*
7 i. in agro satis est ferè arborũ agrestium, quæ struendis turribus & propugnaculis accommodari possint.
l *Heb. homini.*
8 ut propugnacula ex illis extructa hostibus opponas, & te præmunias eis.
m *Heb. descendat.*

CAPUT

CAPUT XXI.

De expiatione cædis autore incerto: de ducente captivam uxorem: de jure primogenitorum nulla privata causa perrumpendo: de filio contumace à parentibus deferendo, & morte afficiendo: de jure suspendii.

1 SI *quis* inveniatur confossus in terra quam
Jehova Deus tuus dat tibi ut hæreditario
jure possideas eam, [a] jacens in agro; nec notum
sit quis percusserit eum:
2 Tunc egressi Seniores tui & judices tui;
metientur *spatium inde* usque ad civitates quæ
sunt circa confossum illum.
3 Eritque ut civitatis illius quæ proxima
erit isti confosso; civitatis ergo illius accipiant
Seniores vitulam de armento quæ non sit ad usum adhibita, [b] quæ non traxerit jugum:
4 Et deducentes Seniores illius civitatis vitulam illam in vallem [c] horridam, in qua nihil
colitur, neque seminatur; decollabunt ibi vitulam in illa valle.
5 Deinde accedentes Sacerdotes filii Levi;
eos enim elegit Jehova Deus tuus ad ministrandum sibi, & benedicendum in nomine Jehovæ: &
ex eorum [d] præstituto agetur omnis controversia & omnis plaga:
6 Omnes quoque Seniores civitatis illius
qui sunt proximi ad confossum istum, lavabunt
manus suas super vitulam decollatam in ea
valle:
7 Et protestantes dicent; manus nostræ non
effuderunt sanguinem hunc, & oculi nostri *effundentem* non viderunt.
8 Expia populum tuum Jisraëlem, quem
redemisti Jehova, & ne impone [e] reatum sanguinis innoxii in medio populi tui Jisraëlis: sic expiabitur illis reatus illius sanguinis.
9 Tu ergo tollito reatum sanguinis innoxii
e medio tui: nam facturus es quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ.
10 [1] Quum egressus fueris in prœlium contra hostes tuos: si dante [f] eos Jehova Deo tuo in
manum tuam, captivam feceris ex eis captivorum multitudinem:
11 Et videns in ea captivorum multitudine
mulierem pulcram formâ; amore propenderis
in eam, ita ut accipias tibi in uxorem:
12 Ideóque introduxeris eam [g] domum tuam: prius radet caput suum, & [h] alet ungues
suos:
13 Depositóque vestimento captivitatis suæ
a se, sedebit domi tuæ, & deflebit patrem suum
& matrem suam [i] mense pleno: posteà verò congrediens cum ea maritus eris ejus, eritque illa
tibi in uxorem.
14 Erit tamen si non delectaberis ea, ut dimittas eam arbitrio suo; at nequaquam [k] pecuniâ vendito eam: ne utitor ea ad quæstum, [l]
quandoquidem compressisti eam.
15 SI fuerint alicui duæ uxores, una dilecta & altera [2] exosa, pepererintque ei filios dilecta & exosa: fuerit autem filius primogenitus, ejus quæ exosa est;
16 Tum erit *ut* quo die possessores instituet
filios suos eorum quæ *sunt* ipsi; non possit primogenitum efficere filium dilectæ; [3] in conspectu
filii exosæ qui primogenitus est:
17 Sed eum qui primogenitus *est* filium exosæ agnoscito, dando ei portionem duorum ex
omnibus [m] quæ præstò sunt ei: nam is *est* [4] principium potentiæ ejus, ipsius *est* jus primogenitorum.
18 SI cui fuerit filius contumax & rebellis,
qui non auscultat voci patris sui & voci matris
suæ; quamvis [5] castigaverint eum, tamen non
auscultat illis:
19 Ideóque prehendentes eum pater ejus &
mater ejus; produxerint eum ad Seniores civitatis suæ, & [6] ad portam loci sui;
20 Dicentes Senioribus civitatis suæ, filius
noster iste contumax & rebellis, non auscultat
voci nostræ; comessator & ebriosus est:
21 Tunc obruent eum omnes [n] cives ejus lapidibus ita ut moriatur, & tolles malum illud e
medio tui; ut omnes Jisraëlitæ audiant & timeant.
22 Quum autem erit in aliquo peccatum [o]
adjudicandum morti, & tradetur morti; si suspenderis eum de ligno:
23 Ne pernoctato cadaver ejus in ipso ligno,
sed [p] omnino sepelito eum eodem die; nam suspensus [7] [q] exsecrationi est Deo: ut non polluas
terram tuam quam Jehova Deus tuus dat tibi *in*
possessionem.

a Heb. cadens.
b Hebr. quo non sit servitum.
c Heb. fortem vel asperam.
d Heb. ore eis omnis &c.
e Heb. sanguinem, sic hoc versu.
f Heb. eum: syllepsis.
g Heb. in medium domus.
h Heb. faciet.
i Hebr. lunæ dierum, id est, tot diebus quot durat ambitus Lunæ.
k Hebr. vendendo ne vendito.
l Heb. pro eo quod.
m Hebr. quæ inveniuntur ei.
n Hebr. viri civitatis.
o Hebr. judicii mortis.
p Hebr. sepeliendo sepelito.
q Heb. ex sternatio Dei.

1 Concessio est facti, non lex: quamobrem duo, Lege statuuntur, quæ evincunt rem Deo per se ingratam esse: unum, ceremoniæ ante matrimonium imperatæ, eò spectantes ut mulier deformetur, & vir ab amore suo refrigescat: alterum, dimissio longè facilior quàm in justis & legitimis matrimoniis.
2 i. minus dilecta, ut accipitur Genes. 29.31.
3 ipso superstite, ut Gen. 11.28.
4 vide in Genes. 49.3.
5 sermone & opere cum autoritate patria, nō autem molliter & persunctoriè, ut Heli sacerdos faciebat, 1. Schemu. 2.
6 i. in jus: ut annotavimus in Gen. 34.20. & suprà 17.5. & alibi.
7 non quidem propter pœnam, sed propter causam reatúmque peccati, ut Epiphanius optimè in Manichæos observavit. Sed hæc ratio communis est supplicioru*m* omnium, nempe maleficos Deo esse exsecrationi; ac proinde non debere palàm & diu coram Sole exstare exsecrationē, sed potius abolendam esse ex præcepto Dei, qui ne ullam quidem turpitudinem in propatulo relinqui sinit, inf. 23.13. & 14. Quæ ergo singularis est: Duplex: una, quòd hoc genus supplicii omnium fuit gravissimū & ignominiosissimū, quale gravissima crimina promerētur, ut Num. 25.4. ac proinde damnatū anathemati, ut 2. Schemu. 21.6. altera, quòd Deus prophetice voluit designare Christū, qui factus est pro nobis exsecratio, Gal. 3.13. Qua de re plura lib. 2. sacrorum Parallelorū antè exposuimus.

CAPUT XXII.

Leges de charitate in proximum, de non confundendis sexuum muneribus, de cavenda inhumanitate, præveniendis periculis, simplicitate servanda, & honestate in vestitu: & de pœnis in maritū falsò insimulantem uxorem impudicitiæ, in uxorem impudicitiæ evictam, & in adulterii, stupri, & incestus reos.

1 VIdens [a] bovem fratris tui aut pecudem
ejus devios, [1] non occultabis te ab illis:
sed [b] omnino reducito eos ad fratrem tuum.
2 Quòd si frater tuus [2] non erit propinquus
tibi, aut non nosces eum: tum recipies illum intra domum tuam, ut sit apud te donec quærat
frater tuus illum, & illum restituas ei.
3 Et sic facito asino ejus, sic etiam vestimento ejus; & sic facito omni re amissa fratris tui,
quum perierit ei & inveneris illam: non poteris
te ipsum occultare.
4 Videns asinum fratris tui aut bovem ejus
jacentes in aliqua via, non occultabis te ab eis:
[c] omnino erigito cum illo.
5 NE esto instrumentum virile super fœminam; neque induito vir vestem fœmineam: nam
abominationi *est* Jehovæ Deo tuo quisquis facit ista.
6 SI obviam fiet tibi nidus avium in via, in
ulla arbore aut humi, *nidus* pullorum aut ovorum, ubi mater incubet pullis aut ovis; ne accipito matrem cum [d] pullis.
7 [e] Prorsus dimittito matrem, pullos verò
accipies tibi; ut bene sit tibi, & prolonges dies
tuos.
8 QUum ædificabis domum novam, tum facies [3] loricam ad tectum tuum; ut non imponas
reatum sanguinis domui tuæ, si deciderit aliquis
ex eo.

a Hebr. ne videas depulsos & occultato te: sic infrà vers. 4.
b Heb. reducendo reducito.
c Heb. erigendo erigito.
d Heb. filiis, ut infrà v. 7.
e Heb. dimittendo dimittito.
f Heb. cadens.

1 i. nulla ratione subterfugies, quo minus id præstes officii: sic vers. 3. & 4.
2 ac proinde gravior tibi [illegible] sumtus, aut labor futurus esset.
3 vel loricationem, id est, θριγκὸν sive [illegible] (ut Græcis appellatur) in solariis & planis ædificiorum tectis, ut tecta Palestinæ sunt, necessarium.

9 NE

9 Ne conserito vineam tuam duobus gene-
ribus; [f] ne sanctus sit illius [g] fructus maturus, *ni-
mirum* semen ipsum quod severis, & proventus
vineæ.
10 Ne arato bove & asino simul.
11 Ne [g] induito vestimentum variè commix-
tum, lana & lino pariter.
12 Institas facito tibi; in quatuor oris
tegumenti, quo tegis *te*.
13 Quum duxerit quis uxorem; si postquam
congressus est cum ea, odit eam;
14 Ideóque [h] dedit occasiones *habendorũ* ser-
monum de ea, proferens de ea famam malam;
puta dixit, mulierẽ hanc duxeram, sed congres-
sus cum ea non inveni in ea virginitatem:
15 Tunc accipiet pater puellæ aut mater ejus
eam; & proferent [5] *signa* virginitatis puellæ apud
Seniores civitatis suæ [6] ad portam:
16 Dicétque pater puellæ Senioribus; filiam
hanc meam dederam viro huic in uxorem, qui
odit eam;
17 Unde ecce ipse dedit occasiones *habendorũ*
sermonum dicendo, non inveni in filia tua virgi-
nitatẽ, cùm hæc *sint* signa virginitatis filiæ meæ:
& expandent pannum ejus coram Senioribus ci-
vitatis.
18 Tum accipientes Seniores civitatis illius
virum ejus; [7] castigabunt eum:
19 Et mulctabunt eum [8] centum *siclis* argen-
teis, quos dabunt [9] patri puellæ, eo quòd protu-
lit famam malam contra virginem Jisraëlis: &
erit ei in uxorem, ne potesto [10] dimittere eam
omnibus diebus suis.
20 Sed si vera fuerit res ista; *si* non inventa
fuerit virginitas in puella:
21 Tunc educent puellã ad portã patris ejus,
& obruent eã [i] cives ejus lapidibus ita ut moria-
tur, eo quòd cõmisit flagitiũ in Jisraële scortan-
do domi patris sui: sic sustuleris malũ e medio tui.
22 Si quis deprehendatur cubans cum mulie-
re maritata marito, omnino morientur pariter
ambo, vir qui cubavit cum muliere, & mulier ip-
sa: sic sustuleris malum e medio tui.
23 Si puella virgo desponsata est viro, quam
inveniens quis in civitate, concubuerit cum ea:
24 Omnino productis eis ambobus ad por-
tam ipsam civitatis, obruetis eos lapidibus ita ut
moriantur; puellam, propterea quòd non cla-
mavit in civitate, virum autem, propterea quòd
compressit [11] uxorem proximi sui: sic sustuleris
malum e medio tui.
25 Sed si in agro invenerit vir ille puellam de-
sponsatam, & vim faciens ei vir ille concubuerit
cum ea; tunc morietur vir ille qui concubuerit
cum ea, solus:
26 Puellæ autem ne facito quicquam, non *est*
in puella peccatum [k] capitale; nam quemadmo-
dum surgit quis in proximum suum, & [l] occi-
dens *adimit* ei vitam, *sic se habet* hæc res:
27 Quum in agro invenerit eam; clamaverit
puella desponsata, nec fuerit qui servaret eam.
28 [12] Si inveniat quis puellam virginem quæ
non est desponsata, & [13] præhendens eam con-
cubuerit cum ea; & [m] manifesti fiant:
29 Tunc [14] dabit vir ille qui concubuit cum
ea, patri puellæ [15] quinquaginta *siclos* argente-
os: & [16] esto illi in uxorem, quòd [17] compressit

[4] id est, ne tibi & cuivis qui non est sacri ordinis, usu ejus interdicatur, tanquam rerum sacrarum usu.
[g] *Heb. plenitudo, ut Exod.* 22.29.
[g] *Levit.* 19.19.
[h] *Heb. imposuit ei occasiones sermonum: sic infrà vers.* 17.
[5] i. pannum vel linteum, ubi concubuit vir cum uxore primùm, ut exponitur vers. 17.
[6] i. in judicio, ut Gen. 34. 20.
[7] puta verbis, & sequente mulcta.
[8] i. ampliùs thalleris viginti quinque.
[9] quòd domum ipsius crimine tanti flagitii temere aspersérit.
[10] quam rem in animo habere hoc suo sermone visus est.
[i] *Heb. homines civitatis ejus.*
[11] licet despõsatam tantùm: jam enim uxor ejus est jure: ut Gen. 29. 21.
[k] *Heb. mortis.*
[l] *Heb. occidit cum animã.*
[12] vir puta ἑταῖρος, ut antecedentium demonstrat comparatio: nam de conjugatis vel maritatis hactenus.
[13] non quidem pelliciens eam sponsione & spe conjugii, cujus speciei lex fertur Exod. 22. 17. sed imprudentem citra sponsionem joco, vino, aut astu circumveniens, aut comprimens, alioqui sine consensu & conventione ipsius: nam hoc significatur Hebræo præhendendi verbo. Quamobrem illic sola dos, hic præter dotem multa indicitur.
[m] *Heb. inveniantur, nimirum, committere vel commisisse, ut suprà vers.* 20. & 22.
[14] i. majoris cautionis ergô præter justã dotem numerabit parenti puellæ præsentem multam, patriæ autoritatis, pudicitiæque violatæ nomine. [15] id est, ampliùs thalleros duodecim cum dimidio. [16] puta nisi pater renuerit: tum enim multam quidem tenetur pendere, sed propter autoritatem patriam ab ea ducenda liberatur: ut Exod. 22. 17. [17] id est, sine conventiali sponsione & data fide conjugii, ea abusus est: hoc autem Scriptura sacra exprimit affligendo verbo.

eam, ne potesto dimittere eam omnibus diebus
suis.
30 [g] Ne ducito quisquam uxorem patris sui, [g] *Levit.* 18. 8.
neque retegito oram *vestimenti* patris sui.

CAPUT XXIII.

De ineptis ad gerenda officia publica in populo Dei: de munditia in castris: non prodendo servo alterius: nullo scorto ferendo: usura vitanda: votis solvendis: & non efferendo proventu ex alieno agro.

1 Nec [1] vulneratus teste, neque exsectus vi-
rilitate, [2] venito in congregatione Je-
hovæ:
2 [3] Spurius ne venito in congregatione Je-
hovæ: etiam [4] decima [a] ejus generatio ne veni-
to in congregatione Jehovæ.
3 Ne venito Hammonita aut Moabita in
congregatione Jehovæ; etiam decima genera-
tio illorum, ne venito in congregatione Jehovæ
usque in seculum:
4 [5] Propterea quòd non occurrerunt vobis
cum pane & aqua in ista via, quum exiretis ex
Ægypto; & quia [6] mercede conduxit contra te
Bilhamum filium Behoris e Pethore [b] Mesopo-
tamiæ, ad maledicendum tibi:
5 Quanquam noluit Jehova Deus tuus au-
scultare Bilhamo, sed convertit tibi Jehova Deus
tuus maledictionem illam in benedictionem: eo
quòd diligeret te Jehova Deus tuus.
6 Ne quærito [7] pacem illorum & bonum il-
lorum, ullis diebus tuis unquam.
7 Ne abominare [c] Edomæum, nam frater
tuus est: ne abominare Ægyptium, nam peregri-
nus fuisti in terra ejus.
8 Filiorum, qui nascentur ex illis, generatio
tertia; venito *ex* illis in congregatione Jehovæ.
9 Quum exibit exercitus contra hostes tu-
os, tum cavebis tibi ab omni [8] re mala.
10 Si fuerit in te quispiam qui non erit mun-
dus [9] casu nocturno; is exibit extra castra, ne in-
greditor intra castra.
11 Sed erit appetente vespera *ut* lavet se a-
qua: deinde quũ occidit Sol, veniet intra castra.
12 Item spatium esto tibi extra castra, ut [10]
egrediaris illuc foras.
13 Et [11] paxillus esto tibi præter arma tua:
eritque quum sessurus eris foris, ut eo fodias, &
[d] rursus tegas excrementum tuum:
14 Nam Jehova Deus tuus indesinenter am-
bulat in medio castrorum tuorum eripiendo te,
& [e] exponendo inimicos tuos tibi, ut sancta sint
castra tua: ideóque non est visurus in te [f] turpi-
tudinem ullius rei, quamobrem avertat se [g] a te.
15 Ne tradito servum domino suo; qui *confu-
giens* ad te eripuerit se a domino suo.
16 Tecum maneto in medio tui, in loco quẽ
elegerit, in aliqua portarum tuarum, ubi bonum
videbitur ei: ne opprimito eum.
17 Ne esto meretrix e filiabus Jisraëlis: ne-
que esto meritorius e filiis Jisraëlis.
18 Ne inferto mercedem scorti, aut pretium
[12] canis *in* domũ Jehovæ Dei tui, pro ullo voto:

[1] nam hi ferè ignavi & fracto animo esse solẽt: contra quàm mandatur suprà 1. 17.
[2] id est, administrato, q. d. munus publicum in populo Dei ne gerito: nam hæc quominùs de interdicto a sacris accipiantur, impediunt leges Exod. 12. 48. Levit. 22. 18. Num. 9. 14. & aliæ multæ: de interdicto quoq; matrimonio intelligi non debere vel Ruthæ exemplum ostendit: quæ Moabitis quum esset, interveniente magistratus autoritate, totiúsque populi acclamatione Bohazo Jisraëlitæ nupsit.
[3] propter infamiam.
[4] i. nullus descendentium ex eo: nam spurius est. hæc autem sic accipienda sunt, si nempe res innotuerit, ex quo probrosa efficeretur hominis administratio. Jiphthachũ verò corruptissimis temporibus extra ordinẽ vocavit Deus, Judic. 11. qui ordinariæ vocationis leges indixit hominibus, ac non imposuit necessitatem sibi.
[a] *Heb. ei.*
[5] vide sup. 2. 28. est autẽ hæc ratio sequentis interdicti.
[6] Moabita Num. 22.
[b] *Heb. Syria duarum fluminum. id est, inter amnis.*
[7] i. cum illis ne ambias fœdus: quod bono esset illis, & tibi damno. [c] *Heb. Adomæũ.* [8] quæ cum æquitate & honestate pugnat. [9] de quo Levit. 15. [10] ad purgandum alvum, ex seq. v. sic [illegible] Scriptura servat in rei hujus enunciatione. [11] puta amentatus, quẽ rutabulũ Latini vocant. [d] *Heb. reverteris ut tegas.* [e] *Heb. dando inimicos tuos corã te.* [f] *Heb. nuditatẽ.* [g] *Heb. de post te.* [12] i. meritorii, quẽ ad detestationẽ canem vocat: etsi de cane accipere quibusdam placet. Sic autẽ Horatius Epod. 5. de meretricibus loquẽs, Suburranæ latrent canes: Nam meritorii & meritoriæ cum canibus impudentia & obscœnitate certant. Huic autẽ interpretationi optimè cõvenit cum antecedente versu.

nam

nam abominationi Jehovæ Deo tuo *sunt* pari-
ter ambo ista.
19 Ne dato in usuram fratri tuo, usuram pe-
cuniæ, usuram cibi; usuram ullius rei quæ in usu-
ram datur.
20 [13] Extraneo isti dabis in usuram, fratri au-
tem tuo ne dato in usuram, ut benedicat tibi Je-
hova Deus tuus in omni [h] re ad quam admo-
veris manum tuam, super terram quò tu mox
ingressurus es ad possidendum eam jure hære-
ditario.
21 Si voveris votum Jehovæ Deo tuo, ne
differto solvere illud: nam [i] omnino reposceret
illud Jehova Deus tuus abs te, & esset in te pec-
catum:
22 Quòd si [k] abstinueris a vovendo, non erit
in te peccatum.
23 ‖ Quod prodiit e labiis tuis observato ut
facias, quemadmodum voveris Jehovæ Deo
tuo voluntariam oblationem, quod dixeris ore
tuo.
24 Si ingrediaris vineam proximi tui, com-
edes quidem uvas pro desiderio tuo ad saturi-
tatem tuam: at instrumento tuo ne indito.
25 Si ingrediaris segetem proximi tui, de-
cerpes quidem spicas manu tua: at falcem ne a-
gitato in segetem proximi tui.

[13] reliquiis istis Cenahanæorū, infrà 28.12. illas enim Deus exitio destinaverat, & paulatim consumi volebat, suprà 1.22.
[h] Heb. *extensione manus tuæ.*
[i] Heb. *reposcendo reposceret.*
[k] Heb. *desieris vovere.*
‖ *Eccle.* 5.3. & 4.

CAPUT XXIIII.

De uxore non recipienda, quæ repudiata alteri nupsit: de immunitate novi mariti: rebus ad victum necessariis pignori non accipiendis: plagiariis: jure lepræ observando: pigneratione: mercede mercenario exhibenda: non transferendo supplicio sontium in insontes: & publicis privatisque officiis in afflictos.

1 Quum ducta quis uxore maritus fuerit
ejus; fueritque si non invenit gratiam
in oculis illius (quia invenit in ea [a] turpem
rem aliquam) ut scribens ei libellum [b] repudii
tradénsque in manum ejus, dimiserit eam e do-
mo sua:
2 Itaque egressa domo ejus; abierit, & [c]
nupserit alteri viro:
3 Deinde odio habens eam hic vir posteri-
or; scriptúmque ei libellum repudii tradens in
manum ejus, dimiserit eam e domo sua: aut si
moriatur vir ille posterior, qui acceperat eam si-
bi in uxorem:
4 Ne potesto maritus ejus prior qui dimise-
rat eam [d] rursus ducere eam, ut sibi sit in uxorē,
posteà quàm *per eum* factum est ut [1] pollueretur,
quia res abominanda est coram Jehova: ne itaq;
permittito ut peccet *populus* terrę, quam Jehova
Deus tuus dat tibi *in* possessionem.
5 ‖ Quum acceperit quis uxorem novam,
non exibit in militiam, neq; [e] imponitor ei *onus*
ullius rei: immunis esto domi suæ annum unum,
ut exhilaret uxorem suam quam duxit.
6 Ne pignori accipito *quisquam* [2] metam
aut catillum: nam is vitam acciperet.
7 Si inventus fuerit quis [f] plagiarius ali-
cujus e fratribus suis e filiis Jisraëlis, & ad quæ-
stum abusus fuerit eo, aut vendiderit eum: omni-
no morietur plagiarius ille, sic sustuleris illud
malum e medio tui.
8 ‖ Cave tibi in plaga lepræ ut observes val-
de, & ut facias; secundum omnia quæ docuerint
vos sacerdotes Levitici, quemadmodum præce-
pi eis, observate faciendo.
9 ‖ Recordare eorum quæ fecit Jehova De-
us tuus Mirjamæ; in itinere quum exiretis ex
Ægypto.
10 Quum mutuaveris proximo tuo ullius rei
mutuum; ne ingreditor domum ejus ad pigne-
randum pignus ejus.
11 Foris subsistito; ut vir ille cui tu mutuas
proferat ad te pignus suum foras:
12 Quòd si vir pauper est, ne cubato [g] habens
pignus ejus:
13 [h] Omnino restituito ei pignus ejus, quum
occidit Sol, ut cubans in veste sua [3] benedicat
tibi: quod [4] tibi erit justitiæ coram Jehova Deo
tuo.
14 Ne fraudem facito mercenario, pau-
peri, & egeno; e fratribus tuis aut e [i] peregri-
nis apud te, qui *est* in terra tua intra portas
tuas.
15 Die suo dato mercedem ejus, neque oc-
cumbito super eam Sol, nam pauper est, quare [5]
ad eam ipse attollit animum suum: ut non invo-
cet contra te Jehovam, & sit in te peccatum.
16 ‖ Ne morte afficiuntor patres pro filiis, nec
filii morte afficiuntor pro patribus: quisq; prop-
ter peccatum suum afficiuntor morte.
17 Ne pervertito judicium peregrini, [6] & pu-
pilli; neque pignori accipito vestem viduæ:
18 Sed recordaberis te servum fuisse in Æ-
gypto, redemisse autem te Jehovam Deum tu-
um inde: idcircò ego præcipio tibi ut facias rem
hanc.
19 Quum metes messem tuam in agro tuo,
si oblitus eris manipuli in agro ipso, ne revertitor
ad accipiendum illum, [7] peregrini, pupilli, & vi-
duæ esto: ut benedicat tibi Jehova Deus tuus in
omni opere manuum tuarum.
20 Quum excuties olivas tuas, ne ramos si-
gillatim recognoscito [k] postquam excusseris: pe-
regrini, pupilli, & viduæ esto.
21 Quum vindemiabis vineam tuam, ne ra-
cemato postquam vindemiaveris: peregrini, pu-
pilli, & viduæ esto.
22 Recordaberis igitur te servum fuisse in ter-
ra Ægypti: idcircò ego præcipio tibi ut facias
rem hanc.

[a] Heb. *nuditatem rei*: hypallage.
[b] Hebr. *abscissionis*, ut vers. 3.
[c] Heb. *fuerit alterius viri.*
[d] Hebr. *redire ad ducendum eam.*
[1] per scortationem quæ ex hoc facto sequitur: nam (ut ait Christus) qui dimisit uxorē suam extra scortationis causam, facit ut ea mœchetur; & qui dimissam ducit; mœchatur, Matth. 5.32. hæc autem omnia dicuntur ex hypothesi, & ita accipienda sunt. Dicuntur ex hypothesi, quia habetur ratio populi, qui nefarium πολυγαμίας usum a majoribus, & repudii ab Aegyptiis apportabat: itaque de re præsente loquitur Mosche. Sic autem accipi oportere demonstratur cùm Hebraicis distinctionibus, quas non observat vulgus, tum naturæ lege de conjugio lata, Genes. 2. & hujus ipsius legis argumentis in versu 4. quum & mulier polluta dicitur, & polluta facto viri, & id abominandum esse coram Domino, & tolerantiam præsentis temporis non protogandam in futurum esse ostenditur evidente interdicto, *ne itaque permittito ut pecces*, &c. ‖ *suprà* 20.7. [e] *Hebr. transito super eum ex ulla re.* [2] & quicquid hominis vitam ex necessitate tolerat: analogicè. [f] *Hebr. fur animæ.*

‖ *Levit.* 13. & 14.
‖ *Num.* 12.
[g] Hebr. *cum pignore ejus.*
[h] Heb. *restituendo restituito.*
[3] etiámque benedicant lumbi ejus: ut Ijob loquitur elegantissimè cap. 31.20.
[4] i. imputabitur tibi a Deo pro eleemosyna, ac fructu Spiritus illius nos justificantis justitia Christi, & sanctificantis ad gloriam ipsius.
[i] *Hebr. peregrino tibi.*
[5] i. eò spectat & animum erigit, sperans se illâ præsenti inopiæ consultarum.
‖ 2 *Chron.* 25.4.
[6] aut etiam viduæ per synecdochē: quemadmodum & membrum proximè sequens oportet accipi.
[7] q. d. qui secus faxit, is jure ipsorum eos fraudaverit: sive dominus sit messis qui rem oblivione prætermissam audeat recipere, sive alius quisquam non indigens, qui rem pauperibus alisque addictam in rem suam vertat sacrilegè.
[k] *Heb. post te, sic in seq.*

CAPUT XXV.

De judiciis ex bono & æquo pronunciandis: communicando laborum fructu cum laborantibus: suscitando semine fratris mortui, & ceremoniali pœna recusantis: pœna mulieris pudoris oblitæ: justis ponderibus & mensuris habendis: & memoria Hamalekitarum delenda.

1 Si fuerit controversia inter aliquos, ideó-
que accesserint ad judicium ut *judices* sen-
tentiam de eis ferant; tum justum pronunciatu-
ri sunt eum qui justus est, & improbaturi eum qui
improbus est.
2 Erit autem, si [a] dignus est flagris improbus
ille; ut [b] dejiciendum curet eum judex & cęden-
dum coram se, pro improbitate ejus certo nu-
mero.

[a] *Hebr. filius cædendi.*
[b] *Hebr. faciet cadere & percutiet eum.*

3 [1] Quadragenis

3 [1] Quadragenis *plagis* cædendum curabit eum, ne addito: *vide* ne [c] pergat plagâ numerosiore his cædere eum, & frater tuus [2] vilescat in oculis tuis.

4 [8] Ne capistrato bovem [d] triturantem.

5 Si habitantibus fratribus [3] pariter moriatur [4] primus ex eis, cui filius non *sit*, ne [e] nubito uxor mortui foris viro extraneo: levir ejus congreditor cum ea, & ducens eam sibi [5] in uxorem, leviri officium præstato ei.

6 Erítq; ut primogenitus quem pariet, [f] succedat in nomen mortui fratris illius: ut non deleatur nomen ejus ex Jisraële.

7 Quòd si non placuerit viro illi ducere glorem suam: tum ascendens glos ejus portam ad Seniores, dicet, renuit levir meus [6] excitare fratri suo nomen in Jisraële, noluit leviri officium præstare mihi.

8 Quúmq; accersentes eum Seniores civitatis ejus *id* eloquuti fuerint ei; si persistens dixerit, non placet mihi ducere eam:

9 Accedet glos ejus ad eum ante oculos Seniorum; [7] exuénsque calceum ejus e pede ejus, spuet ante faciem ejus: & protestans dicet, sic fieri debet viro illo, qui non volet [8] exstruere domum fratris sui:

10 Et vocabitur nomen *familiæ* ejus in Jisraële, familia exuti calceo.

11 Si concertantibus hominibus inter se, viro cum fratre suo, accedat uxor viri unius illorum ad eripiendum maritum suum e manu percutientis ipsum; & extendens manum suam apprehendat pudendis eum:

12 Tunc amputabis manum illius; ne parcito oculus tuus.

13 Ne esto tibi in loculo tuo [g] diversum pondus, magnum & parvum.

14 Ne esto tibi domi tuæ [h] diversum Epha, magnum & parvum.

15 Pondus integrum & justum esto tibi, Epha integrum & justum esto tibi; ut prolongent dies tuos in ea terra quam Jehova Deus tuus dat tibi:

16 Nam abominationi *est* Jehova Deo tuo quisquis facit ista; quisquis facit iniquitatem.

17 [8] Recordare eorum quæ fecit tibi Hamelek; in itinere, quum exiretis ex Ægypto:

18 Qui occurrens tibi eo itinere, [i] in postremo agmine tuo cęcîdit omnes qui debilitate affecti [k] sequebantur te, quum tu *esses* lassus & fatigatus: nec reveritus est Deum.

19 Ideóque futurum est, quum quietem dederit Jehova Deus tuus tibi ab omnibus inimicis tuis circumquaque, in terra quam Jehova Deus tuus dat tibi *in* possessionem ad possidendum eam jure hæreditario, ut deleas memoriam Hamaleki sub cælis: ne obliviscitor.

1 id est, numerum hunc non excedet: quamobrem ut ab hujus legis transgressione caveretur, statuerunt antiqui ne amplius trignta novem plagæ infligerentur, quibus se quinquies affectum fuisse scribit Apostolus 2. Corinth. 11.24.
c *Hebr. addes cædere.*
2 id est, minor illius ratio & cura habeatur, quàm Lex Dei jubet, & postulat humanitas.
8 1. *Cor.* 9.9.
d Heb. *in trituræ ejus.*
3 id est, hæreditatem communem habentibus in eadem paternâ familiâ.
4 sic videtur accipi oportere, ut alibi passim, vel Sadducæis ipsis interpretibus, Matth. 22.25. est autem hæc lex partim ceremonialis, partímque civilis: Ceremonialis, quà respiciebat ut benedictio ad primogenitos vel subrogatos filios in locum eorum permearet: Civilis autem, quà procurabat familiarum hæreditatúmque legitimum numerum constanter observari, qui imperatus est Numer. 26. Ad priorem verò, quæ primogenita Christi nunquam intermoritura figurabat, jam olim Patres respexerant, ut est exemplum Gen. 38. Posteriorem indicat sequens versus, & reliqua in jure ceremonia. ex vi nominis & conjugati verbi in fine hujus versus apparet legem esse non remotioribus propriè consanguineis, sed ipsis fratribus latam eorum qui sine liberis moriebantur; ideóque illius exceptionem esse quæ habetur Levit. 18.16. deinde verò ex ordine naturæ ad agnatos pertinentem. e *Hebr. esto.* 5 si ab uxore liber est: nam ne quidem hoc nomine duabus simul uxoribus licebat uti, Levit. 18.18. f *Heb. exurgat.* 6 id est, generando filium pro eo efficere ut ejus nomen, quod alioquin interiturum esset conservetur. 7 id est, publico hoc signo translationem juris & possessionis ab eo testator: nam calceus possessionis signum erat, detractio verò & traditio alienatæ possessionis & translatæ: Hujus legis affine exemplum vide Rhuth. 4.7. 8 id est, gignere prolem ejus nomine, in qua conservetur nomen & familia ejus. g *Hebr. lapis & lapis: metonymia materiæ pro re effecta.* h *Heb. Epha & Epha: synecdoche, species pro genere.* 8 *Exod.* 17. i *Hebr. truncavit te cauda in omnibus.* k *Hebr. ibant post te.*

CAPUT XXVI.

Mosche repetit leges de primitiis, & tertianis decimis solenniter offerendis, cum formulis orationum quibus utebantur offerentes: postremò federis Dei cum populo substantiam & usum explicat.

1 Erit autem quum [8] ingressus fueris in terram, quam Jehova Deus tuus dat tibi *in* possessionem, & hæres factus ejus habitabis in ea:

2 Ut accipiens [1] de primitiis omnium fructuum illius terræ, quas oblaturus es de terra tua, quam Jehova Deus tuus dat tibi, imponas corbi; eásq; ad locum quem elegerit Jehova Deus tuus ad collocandum nomen suum ibi.

3 Et accedens ad Sacerdotem qui erit diebus illis; dices ei, profiteor hodie Jehovæ Deo tuo me ingressum esse terram, quam juramento promiserat Jehova majoribus nostris se daturum nobis.

4 Tunc accipiens Sacerdos corbem e manu tua, statuet eum ante altare Jehovæ Dei tui.

5 Deinde protestaberis dicens coram Jehova Deo tuo, [2] Syrus [a] miser *eras* pater meus, qui descendit in Ægyptum hominibus paucis ut peregrinaretur illîc; evasit autem illîc in gentem magnam, robustam, & amplam.

6 Quúmque malo nos afficientes Ægyptii, & affligentes nos, imponerent nobis servitutem duram;

7 Inclamavimus Jehovam Deum majorum nostrorum: exaudiénsq; Jehova vocem nostram respexit afflictionem nostram, molestiámq; nostram, & oppressionem nostram.

8 Nam educens Jehova nos ex Ægypto manu forti, & brachio extento, & terrore magno; signis etiam & prodigiis;

9 Introduxit nos in locum hunc, dedítque nobis terram hanc, terram affluentem lacte & melle.

10 Nunc itaque ecce attuli primitias fructuum terræ, quam dedisti mihi Jehova: sic relinques illas coram Jehova Deo tuo, & incurvabis te coram Jehova Deo tuo *honorem exhibens.*

11 Posteà lætaberis de omni bono quod dederit tibi Jehova Deus tuus, & familiæ tuæ; tu, & Levita; & peregrinus qui *erit* in medio tui.

12 [8] Quum absolveris [b] dare omneis decimas proventus tui [3] anno tertio, *qui* annus decimarum *est*; & dederis Levitæ, peregrino, pupillo, ac viduæ, ut comedant in portis tuis & saturentur:

13 Tunc dices coram Jehova Deo tuo, sustuli quod sanctum est [4] e mea domo, etiámque illud dedi Levitæ, & peregrino, pupillo, & viduæ, omnino secundùm præceptum, quod præcepisti mihi: non sum digressus a mandatis tuis, neque oblitus sum *eorum:*

14 Non comedi [5] in luctu meo ex illo, neque sustuli ex eo [6] ad rem immundam, neque dedi ex illo [7] in mortuum: auscultavi voci Jehovæ Dei mei, feci secundùm omnia quæ præcepisti mihi.

15 Prospice ex habitaculo sanctitatis tuæ e cælis, & benedic populo tuo Jisraëli, & terræ illi quam dedisti nobis, quemadmodum juramento promiseras majoribus nostris, terræ affluenti lacte & melle.

16 Hodierno die Jehova Deus tuus præcipit tibi, ut facias statuta hæc & judicia hæc: obser-

8 *suprà* 16.10.
1 quas sibi in festo Pentecostes offerri voluit tributi nomine: quam rem ridiculè imitantes Ethnici præmetium Cereri offerebant: vide suprà 16.10.
2 de Jahakobo loquitur, qui viginti annorum servitutem apud socerum in Syria servivit: Genes. 31.38.
a *Heb. periens.*
8 *suprà* 14.28.
b *Heb. decimare decimas.*
3 quo separabantur decimæ comedendæ singulis locis promissæ terræ, & lex illa decimarum complebatur de qua suprà 14.
4 ne cum reliquo proventu adhiberetur ad res domesticas.
5 id est, hilariter feci quamvis in re tenui, angustiis, & rerum difficultatibus pressus: quod mihi reliquum factum est, non comedi tristis propter alienatas decimas, sive de illis comederim, sive abstinuerim ex Lege.
6 id est, ad alium usum quàm qui præscriptus est a te.
7 id est, ne in religiosis quidem sumtibus funerum ullam decimarum partem collocavi, sed me continui intra terminos a te præscriptos.

vabis igitur, & facies ea ex toto corde tuo, & ex
toto animo tuo.
17 [a] [c] A Jehova stipulatus es sponsionem
hodie; fore tibi Deum, tum ut ambules in viis
ejus, tum ut observes statuta ejus, præceptáque
ejus, & judicia ejus, & auscultes voci ejus:
18 Jehova verò stipulatus est sponsionem a
te hodie, te fore ei populum peculiarem, quem-
admodum edixit tibi; & observaturum omnia
præcepta ejus:
19 Tum ut efficiat te sublimem supra omneis
gentes quas fecit, laude & nomine & gloria; tum
ut sis populus sanctus Jehovæ Deo tuo, quemad-
modum loquutus est.

[a] Summa renovatio federis, quod olim ante 439. annos cum Abrahamo Deus pepigerat, Gen. 17. cujus sequitur confirmatio cap. seq. ut ℣. 9. illius ostenditur: conclusio verò & consummatio, cap. 29. & 30.

[c] *Heb. fecisti ut Jehova dicat, i. spondeat ac promittat tibi: sic ℣. 18. Jehova fecit ut tu dicas.*

CAPUT XXVII.

Mosche præcipit ut trajecto Jardene lapides obliti calce inscripto Decalogo erigantur, & in altera e duobus vicinis montibus Levitæ acclamantibus Jisraëlitis maledictiones Legis in transgressores pronuncient.

1 PRæcepit autem Mosche cum Senioribus
Jisraëlis populo, dicendo; observate u-
numquodque præceptum quod ego præcipio
vobis hodie.
2 Erit autem, qua die transiveritis Jarde-
nem; ingressi terram quam Jehova Deus tuus
dat tibi: ut erigas tibi lapides magnos, & linias
eos calce:
3 Et inscribas eis omnia verba Legis hujus,
quum transieris: ut [1] pervenias in illam terram
quam Jehova Deus tuus dat tibi, terram affluen-
tem lacte & melle, quemadmodum loquutus est
Jehova Deus majorum tuorum tibi.
4 *Hoc* ergo ubi fuerit, quum trajeceritis Jar-
denem; erigitote lapides istos, de quibus ego
præcipio vobis hodie, in monte Hebalis: & ob-
lines eos calce:
5 Et exstrues ibi altare Jehovæ Deo tuo: al-
tare e lapidibus,[2] ne agitato super illos ferrum.
6 Lapidibus integris ædificato altare Jeho-
væ Dei tui; ut offeras in eo holocausta Jehovæ
Deo tuo.
7 Mactabis etiam eucharistica, quæ come-
das ibi: & lætaberis coram Jehova Deo tuo:
8 Et inscribes istis lapidibus omnia verba
hujus legis bene perspicuè.
9 Tum alloquutus est Mosche & Sacerdo-
tes Levitici totum Jisraëlem, dicendo; attende
& audi Jisraël, hodierno die effectus es populus
Jehovæ Deo tuo.
10 Auscultabis igitur voci Jehovæ Dei tui;
& facies præcepta ejus ac statuta ejus, quæ ego
præcipio tibi hodie.
11 Præcepítque Mosche in die illo populo,
dicendo,
12 Hi stanto ad benedicendum populo [3] in
monte Gerizzimorum, quum transiveritis Jar-
denem; Schimhon, & Levi, & Jehuda, & Jissa-
car, & Joseph, & Binjamin:
13 Hi verò stanto ad maledictionem in mon-
te Hebalis, Reüben, Gad, & Ascher, & Zebulun,
Dan, & Naphthali.
14 Protestantésque Levitæ dicent omnibus
Jisraëlitis, voce alta:
15 Maledictus *est* vir ille qui fecerit sculptile
aut fusile, rem abominandam Jehovæ, opus ma-
nuum artificis, qui etiam posuerit in abdito: &
respondentes totus populus dicent, Amen.
16 Maledictus qui vilipendit patrem suum
aut matrem suam: & dicet totus populus, Amen.

[1] id est, pervenies obtineas, & perfruaris ea, *[illegible]*.

[2] id est, ne cæduntor, néve cælantor ferro, ut Exod. 20. 25.

[3] de hujus montis & Hebalis situ vide suprà 11. 30. & seq.

17 Maledictus qui movit terminum proximi
sui; & dicet totus populus, Amen.
18 Maledictus qui facit ut cæcus erret in via;
& dicet totus populus, Amen.
19 Maledictus qui pervertit jus peregrini, pu-
pilli, aut viduæ: & dicet totus populus, Amen.
20 Maledictus qui cubat cum uxore patris
sui, quia retexit oram *vestimenti* patris sui: & di-
cet totus populus, Amen.
21 Maledictus qui cubat cum ulla bestia: &
dicet totus populus, Amen.
22 Maledictus qui cubat cum sorore sua, filia
patris sui aut filia matris suæ: & dicet totus po-
pulus, Amen.
23 Maledictus qui cubat cum socru sua: &
dicet totus populus, Amen.
24 Maledictus qui cædit proximum suum
clàm: & dicet totus populus, Amen.
25 Maledictus [4] qui accipit munus ad percu-
tiendum [a] quemquam [5] cæde innocentis: & di-
cet totus populus, Amen.
26 ‖Maledictus qui non præstiterit verba Le-
gis hujus faciendo ea: & dicet totus populus, A-
men.

[4] sive judex sit, sive testis, sive sicarius & redemptor cædis.

[a] *Heb. animam.*

[5] i. ad ita cædendum quemquam, ut a sicariis & sceleratis hominibus occiditur innocens.

‖ *Galat.* 3. 10.

CAPUT XXVIII.

Mosche propositis præmiis ad Legis Dei observationem hortatur, & comminationibus ab ejus violatione absterret.

1 ERit autem si [a] fideliter auscultaveris voci
Jehovæ Dei tui, [b] cum observantia faci-
endo omnia præcepta ejus quæ ego præcipio
tibi hodie; ut disponat te Jehova Deus tuus sub-
limem supra omneis gentes terræ:
2 Et obvenientes tibi omnes benedictiones
istæ assequantur te, quum auscultabis voci Je-
hovæ Dei tui.
3 Benedictus eris in civitate, & benedictus
eris ruri.
4 Benedictus *eris* fructus ventris tui, & fruc-
tus terræ tuæ, & fructus jumentorum tuorum;
fœtus boum tuorum, & greges pecudum tua-
rum:
5 Benedictus [1] corbis tuus, & mactra tua.
6 Benedictus eris [2] in ingressu tuo, & bene-
dictus eris in egressu tuo.
7 [c] Exponet Jehova tibi inimicos tuos cæ-
sos, qui insurgent adversum te: quum via una
processerint contra te, septem viis fugient co-
ram te.
8 Amandabit Jehova penes te benedictio-
nem in horrea tua, & in [d] quodcunque admove-
bis manum tuam: benedicetq; tibi in terra quam
Jehova Deus tuus dat tibi.
9 Stabiliet te Jehova sibi in populum sanc-
tum, quemadmodum juramento promisit tibi:
quum observabis præcepta Jehovæ Dei tui, &
ambulabis in viis ejus.
10 Unde videntes omnes populi terræ, no-
men Jehovæ invocari in te; timebunt abs te;
11 Quum faciet Jehova ut excellas bonis in
fructu ventris tui, & in [e] fœtu jumentorum tuo-
rum, & in fructu terræ tuæ; super terram quam
juramento promiserat Jehova majoribus tuis se
daturum tibi.
12 Aperiet tibi Jehova thesaurum suum op-
timum e cœlis, dando pluviam terræ tuæ tempore
suo, & benedicendo cuique operi manus tuæ: ita
ut mutuare possis gentibus multis, tu autem opus
non habeas mutuari.

[a] *Heb. auscultando auscultaveris.*

[b] *Heb. observando ad faciendum: sic infrà ℣. 15. & 58.*

[1] id est, panis tuus pro quovis cibo synecdochicè: est autem metonymia continentis pro contento, ut infrà vers. 17.

[2] id est, omni administratione tua domi & foris: vide in Numer. 27. 17.

[c] *Heb. dabit Jehova coram te.*

[d] *Heb. omnem extensionem manus tuæ: sic vers. 20.*

[e] *Heb. fructu, ut infrà 18. & 51.*

13 Statuetq;

3 translatio a membris animalium, ut v. 44. quapropter hanc loqutionem commodissimè Jeschahija usurpavit cap. 9. 14. & 15.
4 ut suprà 5. 38.
5 *Heb. eundo post.*

13 Statuétque te Jehova [3] in caput, non autem in caudam, ut sis tantummodò superior, non autem sis inferior: quum auscultabis præceptis Jehovæ Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, ut observes & facias;

14 Et non recedes ab ullis verbis quæ ego præcipio vobis hodie, [4] dextrorsum aut sinistrorsum, [5] sequendo Deos alienos ad colendum eos.

15 SED erit si non auscultaveris voci Jehovæ Dei tui, cum observantia faciendo omnia præcepta ejus & statuta ejus quæ ego præcipio tibi hodie; ut obvenientes tibi omnes maledictiones istæ assequantur te.

16 Maledictus eris in civitate, & maledictus eris ruri.

17 Maledictus corbis tuus, & mactra tua.

18 Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ; fœtus boum tuorum, & greges pecudum tuarum.

19 Maledictus eris in ingressu tuo, & maledictus eris in egressu tuo.

20 Immittet in te Jehova ipsam maledictionem, vexationem, & exitium, in omnem rem ad quam admovebis manum tuam, quam facies: donec exscindaris, & donec pereas citò, propter malignitatem actionum tuarum, quia [5] deserueris me.

5 id est, defeceris a doctrina mea, quam Dei verbis, & te postulante, exposui tibi metonymia.

21 Faciet Jehova ut adhæresc at tibi pestis; donec consumserit te ex ea terra quò tu venturus es ad possidendum eam jure hæreditario.

22 Percutiet te Jehova tabe, calidáque & æstuante ac adurente febre, & siccitate, & uredine, & morbo regio; quæ persequentur te donec pereas.

23 Præterea erunt [6] cæli tui qui *sunt* supra caput tuum, ænei; & terra quæ subest tibi, ferrea.

24 [g] Efficiet Jehova [7] ut pluvia terræ tuæ sit pulvisculus aut pulvis; e cælis descendet super te, donec exscindaris.

25 [h] Faciet Jehova ut cædaris coram hostibus tuis; viâ unâ procedes [i] contra exercitum eorum, at septem viis fugies a facie ejus: erísque [8] in commotionem omnibus regnis terræ:

26 Et erit cadaver tuum in cibum omnibus volatilibus cæli & jumentis terræ: nec erit qui deterreat.

27 Percutiet te Jehova [9] ulcere Ægypti, & hæmorrhoidibus, & scabie, & prurigine; quibus non poteris sanari.

28 Percutiet te Jehova amentiâ, & cæcitate; & stupore cordis:

29 Adeò ut palpes in meridie, quemadmodum palpat cæcus in caligine, neque prospereris viis tuis: erísque tantummodò infestus fraudi & rapinæ omnibus diebus, neque erit qui servet *te*.

30 Uxorem desponsabis, sed vir alius cubabit cum ea: domum ædificabis, sed non inhabitabis eam: vineam conseres, sed [k] eâ sacris solutâ non utêris.

31 Bove tuo mactato ante oculos tuos, nec tamen comedes ex eo, asinus tuus abreptus a conspectu tuo, non tamen redibit ad te: pecudes tuæ tradentur inimicis tuis, nec erit tibi qui servet.

32 Filii tui filiæque tuæ tradentur populo extraneo, oculis tuis aspicientibus & deficientibus *attentione* ad eos tota die: tamen nihil erit in potestate manus tuæ.

33 Fructum terræ tuæ & omnem laborem tuum absumet populus, quem non novisti: erísque tantummodò infestus fraudi & quassationi omnibus diebus:

6 vide in Levit. 26. 19.
g *Heb. dabit Jehova pluviam terræ tuæ pulvisculum.*
7 id est, non magis fermentabit terram pluvia, quàm si pulvis esset. Loqutio hyperbolica, respiciens ad illam Ægypti plagam, de qua Exod. 9. 9.
h *Heb. dabit Jehova te casum.*
i *Heb. contra eum* sub. *inimicum.*
8 id est, ut semper commovearis ab externa potentia.
9 id est, lepra seu elephantiasi, Aegypti propria, ut Lucretius testis est libro 6.
k *Heb. non profanabis eam, ut suprà 20, 6.*

34 Et fies amens; propter visum oculorum tuorum, quod videbis.

35 Percutiet te Jehova ulcere maligno in genibus & in cruribus, quo non poteris sanari; a planta pedis tui usque ad verticem tuum.

36 Abducet Jehova te & Regem tuum, quem præfeceris tibi, ad gentem quam non novisti tu aut majores tui; colésque ibi deos alienos, ligna aut lapides:

37 Erísque in stuporem, in parabolam, & in dicterium; apud omneis populos quò abduxerit te Jehova.

38 Semen multum deferes rus; sed parum colliges, quia absumet illud locusta.

39 Vineas conseres & coles; sed vinum non bibes neque comportabis, quia absument illas vermes.

40 Oleæ erunt tibi in toto termino tuo: sed oleo non unges te, quia dejiciet *oleas* oliva tua.

41 Filios filiásque gignes; non tamen erunt tui, sed abibunt in captivitatem.

42 Omneis arbores tuas & fructus terræ tuæ; hæreditario jure obtinebit sideratio.

43 Peregrinus qui in medio tui *erit*, ascendet supra te [l] perquàm supremè; tu autem descendes [m] perquàm infimè.

44 Ipse mutuabit tibi, tu verò non mutuabis ei: ipse evadet in caput, tu verò evades in caudam.

45 Venientes autem super te omnes maledictiones istæ persequentur te, & assequentur te, donec exscindaris; quum non auscultaveris voci Jehovæ Dei tui, observando præcepta ejus & statuta ejus quæ præcepit tibi:

46 Eruntque in te pro signo & pro prodigio; atque in semine tuo usque in seculum.

47 Propterea quòd non servieris Jehovę Deo tuo in lætitia, & in hilaritate cordis; præ copia *rerum* omnium:

48 Propterea servies inimico tuo, quem mittet Jehova contra te, in fame, & in siti, & in nuditate, & in inopia *rerum* omnium; imponétque [10] jugum ferreum collo tuo, donec exsciderit te.

49 Efferet Jehova contra te gentem e longinquo ab extremitate terræ, *involantem* quemadmodum volare solet aquila; gentem cujus linguam non intelliges;

50 Gentem impudentem; quæ ne *quidem* senis personam suscipiet, neque puero gratiam faciet;

51 Quæ absumet fœtum jumenti tui, & fructum terræ tuæ, donec exscindaris; quæ non reliquum faciet tibi frumentum, mustum, aut oleum, fœtum boum tuorum, aut greges pecudum tuarum: donec perdiderit te:

52 Quæ premet te in omnibus portis tuis, donec corruerint mœnia tua altissima, & munitissima quibus tu confideris, in tota terra tua; premet inquam te in omnibus portis tuis, in tota terra tua quam dederit Jehova Deus tuus tibi;

53 Adeò ut comedas fructum ventris tui, carnem filiorum tuorum, filiarúmque tuarum, quas dederit tibi Jehova Deus tuus; in oppressione & in angustia qua anget te inimicus tuus.

54 Viri illius qui mollis *fuerat* in te & qui *fuerat* delicatus valde; malignus erit oculus in fratrem suum, & in uxorem [n] sibi charissimam, atque in residuum filiorum suorum quos reliquos fecerit:

55 Adeò ut non det ulli ex eis de carne filiorum suorum quam comedet, adeò ut non reliquum faciat illi quicquam; in oppressione & an-

l *Heb. suprà suprà.*
m *Heb. infrà infrà.*
10 durissimum, gravissimum, & validissimum.
n *Heb. sinus sui, ut infrà vers. 56. sic suprà 13. 6.*

gustia, qua anget te inimicus tuus in omnibus portis tuis,

56 Mollis in te & delicata, quæ non tentarat plantam pedis sui figere super terram præ deliciis & præ mollitie; oculus malignus erit in virum charissimum ipsi, & in filium ipsius, ac in filiam ipsius;

57 Etiam in secundas ipsius quę prodeunt inter pedes ejus, & in filios ipsius quos pariet, nam comedet eos clàm præ inopia *rerum* omnium; in oppressione & in angustia, qua anget te inimicus tuus in portis tuis.

58 Nisi observans feceris omnia verba Legis hujus, quæ scripta sunt in libro hoc; timendo nomen gloriosissimum & summè reverendum istud, *nempe* Jehovam Deum tuum:

59 Omnino [11] mirabiles efficiet Jehova plagas tuas & plagas seminis tui, plagas magnas & constantes, morbósque malignos & constantes:

60 Et revocabit in te omneis languores Ægyptiorum, a quibus metuebas; ut adhæreant tibi:

61 Omnem etiam morbum, & omnem plagam quæ scripta non *est* in libro Legis hujus; inducet Jehova in te, donec exscindaris.

62 Sic reliqui fietis hominibus paucis, pro eo quòd fuistis sicut stellę cęli multitudine; eo quòd non auscultaveris voci Jehovæ Dei tui.

63 Erítque ut quemadmodum lætabatur Jehova de vobis, benefaciendo vobis & augendo vos; sic lætetur Jehova de vobis, perdendo vos & exscindendo vos: quum convellemini e terra, quò tu ingressurus es ad possidendum eam jure hæreditario.

64 Nam disperget te Jehova in omnes populos ab extremitate terræ *una* usque ad *alteram* extremitatem [o] ejus: ubi servies diis alienis quos non noveras tu aut majores tui, lignis & lapidibus.

65 In gentibus verò illis non requiesces, neque erit quies plantæ pedis tui; sed dabit Jehova tibi illic cor trepidum, & hebetationem oculorum, & mœrorem animi:

66 Erítque vita tua [12] suspensa tibi [13] e regione; pavebísque noctu & interdiu, nec eris certus de vita tua.

67 Unoquoque mane dices, [p] o si esset vespera, & unaquaque vespera dices, o si esset mane: præ pavore cordis tui quo pavebis, & præ viso oculorum tuorum quod videbis.

68 Et reducet te Jehova *in* Ægyptum [14] navibus; viâ ad eam *terram* [15] de qua dixeram tibi, [q] non deinceps ampliùs videbis eam: exponetísque vos ibi venales inimicis tuis in servos & in ancillas, [16] sed non *erit* ullus emptor.

[11] adeò aggravabit & amplificabit eas, ut sint omneis in admirationem traducturæ.

[o] *Heb. terræ: antecedens pro relativo.*

[12] proverbialis loquutio, sumta a rebus corporeis de filo tenui pendentibus & jamjam ruituris: prout exponunt sequentia.

[13] quasi dicat, semper atque indesinenter observabitur tibi solicitudo desperanti de vita tua.

[p] *Heb. quis dabit vesperam!*

[14] per mare mediterraneum.

[15] quasi dicat, ei te rursus subjiciam, abs qua perpetuam liberationem promiserâ Exod. 14. 13.

[q] *Heb. non addes amplius videre eam.*

[16] quasi dicat, adeò neglecti eritis, & parvi æstimabimini, ut in catastis vitam miserrimam cogamini transigere. Cicero orat. de provinciis Consularibus, Judæi & Syri nationes servituti natæ.

CAPUT XXIX.

Mosche jussu Dei fedus in Chorebo pactum cum Jisraëlitis Jardenem trajecturis renovat, cum posteris eorum continuari jubet, a federis oblivione deterret gravissimi judicii interminatione, & prærogativam populo Dei attributam commendat.

1 HÆc *sunt* verba federis quod præcepit Jehova Moschi, ut pangeret cum filiis Jisraëlis, in terra Moabitarum; [1] præter fedus illud quod pepigerat cum illis in Chorebo.

2 Convocans igitur Mosche omneis Jisraëlitas, dixit eis; vos vidistis omnia quæ fecit Jehova ante oculos vestros in terra Ægypti, Parhoni, & omnibus servis ejus, totíque regioni ejus:

[1] id est, prætérquam id fedus jam antè pepigerat: trajectio, ut Genes. 5. 29. nam idem fuit fedus substantia, sed ratione personarum & loci ubi instauratum est, diversũ erat.

3 [a] Probationes illas maximas quas viderunt oculi tui; signa & prodigia illa maxima.

4 Sed [2] non *dum* dederat vobis Jehova [b] mentem ad cognoscendum & oculos ad [3] videndum, & aures ad audiendum; usq; in diem hunc.

5 Deduxi autem vos quadraginta annos per desertum: non inveteraverunt vestimenta vestra, [c] quin tegumento essent vobis, neque calceus tuus inveteravit, quin tegumento esset pedi tuo.

6 Panem non comedebatis, nec vinum aut potum inebriantem bibebatis; ut cognosceretis me Jehovam esse [4] Deum vestrum.

7 Tandem pervenientibus vobis ad locum hunc; processit Sichon Rex Cheschbonis, & Hog Rex Baschanis obviam nobis in prælium, & percussimus eos:

8 Occupatáque terra eorum, dedimus eam in possessionem Reübeniticæ, Gaditicaque & dimidiæ tribui Menaschææ.

9 Quapropter observabitis verba federis hujus & facietis ea; ut secundetis quicquid facturi estis.

10 Vos statis hodie omnes coram Jehova Deo vestro; primores vestri tribuum vestrarum, Seniores vestri, & moderatores vestri, omnes viri Jisraëlitæ:

11 Parvuli vestri, fœminæ vestræ, & peregrinus qui *est* in medio castrorum tuorum; [5] tum is qui putat ligna tua, tum qui haurit aquam tuam.

12 Ad [d] ineundum fedus Jehovę Dei tui cum adjuratione ejus; quod Jehova Deus tuus pangit tecum hodie:

13 Ut statuat te hodie sibi in populum, & ipse sit tibi Deus, quemadmodum dixit tibi; & quemadmodum juramento promisit majoribus tuis Abrahamo, Jitzchako, & Jahakobo.

14 Neque vobiscum solis; ego pango fedus meum hoc, cum adjuratione hac;

15 Sed [6] cum eo qui adstat hîc nobiscum hodie, coram Jehova Deo nostro; & cum eo qui non *est* hîc nobiscum hodie.

16 [7] (Quandoquidem vos novistis quomodo nos habitaverimus in terra Ægypti; & quomodo transiverimus [e] per istas gentes, quas pertransivistis:

17 Et vidistis [f] abominandos & stercoreos deos illorum; ligna & lapides, argentum & aurum, quæ *sunt* apud eos;

18 Ne sit in vobis vir, aut mulier, aut familia, aut tribus, cujus [g] animus avertat se hodie a Jehova Deo nostro, ut eat ad colendum Deos gentium istarum: ne sit in vobis radix [8] proferens cicutam, aut absinthium:

19 Néve sit, quum audiverit verba adjurationis hujus, ut benedicat sibi [h] cum animo suo, dicendo, pax erit mihi quum [i] ex sententia animi mei ambulabo: [9] quò addat ebriam sitienti.

20 Non acquiescet Jehova ut condonet ei; sed tunc fumante ira Jehovæ & zelo ejus contra virum illum; [10] incumbet ei omnis adjuratio quæ scripta est in libro hoc: delebítque Jehova nomen ejus [k] sub cælis.

21 Et separabit eum Jehova ad malum, ex omnibus tribubus Jisraëlis; secundùm omneis adjurationes federis, quod scriptum est in libro hoc Legis:

22 Adeò ut dicat generatio [l] sequens, filii vestri qui exsurgent post vos, & extraneus qui

[a] *Heb. tentationes, ut sup. 4. 34.*

[2] eratis enim adhuc parvuli.

[b] *Heb. cor.*

[3] cum fructu, i. res visas & auditas observandô.

[c] *Heb. de super vos, ut mox, de super pedem tuum.*

[4] veritatem federis mei opere demonstrantem, quum cælesti man pascerem vos, de quo Exod. 16. & sup. 8.

[5] etiam extraneus & minimus quisq;, in ministerio vel sordidissimo occupatus.

[d] *Heb. transeundum in fedus.*

[6] i. vobiscum & cum semine vestro.

[7] ætiologia cur dicatur etiam ad posteros hoc fedus pertinere; quia vos novistis, ac non illi; ac proinde nisi disertis verbis caveretur hoc, aut putarent, aut forte etiam obtenderent, nihil ad se pertinere hanc institutionem federis.

[e] *Hebr. per medium istarum gentium.*

[f] *Hebr. abominationes & stercora.*

[g] *Hebr. cor.*

[8] id est, ne animus vester sit ullius idololatriæ perditæve vitæ seminarium: Metaphora.

[h] *Heb. in corde suo.*

[i] *Heb. in speculatu cordis mei ambulabo, hoc est, id sequar quod spectabit animus meus.*

[9] puta animi sententiam: id est, ut nunquam peccandi finem faciat, aut finem ad peccandum desiderium expleat; sed ut solent ebrii sitim provocare atque accendere; sic peccatorum fomites & irritamenta accersat, & in peccatis occallescat.

[10] i. reus erit totius federis violati, quod adjuratione fuerat confirmatum, nam qui transgreditur præceptum unum, est totius Legis reus, Jacob. 2. 10. sic accipitur idem adjurationis nomen infrà 30. 7. [k] *Heb. de sub.* [l] *Heb. posterior, ut Gen. 49. 2.*

advenict

advenient e terra longinqua (quum videbunt pla-
gas istius terræ & morbos ejus, quibus affecerit
Jehova eam:
23 Sulphure & salsilagine exustam totam
terram ejus, non seri, neque pullulare, neq; pro-
venire in ea ullam herbam: cujusmodi fuit sub-
versio Sodomi, & Hamoræ, Admæ, & Tzeboji-
morum, quas subvertit Jehova ira sua & excan-
descentia sua)
24 Denique dicant omnes gentes, quamob-
rem affecit Jehova sic terram istam? quid *sibi
vult* æstus iræ istius maximæ?
25 Deinde dicant, quia deseruerunt fœdus
Jehovæ Dei majorum suorum, quod pepigerat
cum ipsis, quando educebat eos e terra Ægypti:
26 Abeuntes enim coluerunt Deos alienos,
& incurvaverunt se *honorem habentes* eis: Deos
quos non noverant, neq; impertitus fuerat [11] eis
Deus.
27 Ideò accensa est ira Jehovæ in terram il-
lam: ut inferret in eam totam maledictionem
istam, quæ scripta est in libro hoc:
28 Exstirpavitq; eos Jehova e terra ipsorum,
ira, & excandescentia, ac fervore magno: & dis-
jecit eos in terram aliam, sicut *est* hodie.
29 [12] Quæ occulta sunt, penes Jehovam De-
um nostrum *sunto*: at quæ revelata, nobis & filiis
nostris usque in seculum *revelata sunt*, ut facia-
mus omnia verba hujus Legis.

11 solùm, quasi dicat, quos eis sortis & portionis loco non attribuerat; vide suprà in 4. 19.
12 Sensus est, ne sapiamus altum, neque Dei consilia, vias, & judicia ulteriùs pervestigemus; sed his contenti, & acquiescentes voluntati ejus in hoc incumbamus, ut præscripto hujus Legis, quæ nobis revelata, data, & exposita est, simplice animo pareamus.

CAPUT XXX.

Veniam & liberationem proponit ex animo resipiscentibus: & divinam voluntatem populo ita fuisse patefactam docet, ut nullus sit futurus in posterum prætextui ignorationis locus.

1 ERit [1] tamen quum obvenerint tibi omnes
res istæ, [2] benedictio & maledictio hæc,
quam proposui tibi: si revocabis *ea* in animum
tuum apud omnes gentes quò depulerit te Jeho-
va Deus tuus:
2 Et conversus usque ad Jehovam Deum
tuum auscultabis voci ejus secundùm omnia
quę ego pręcipio tibi hodie; tu & filii tui ex toto
corde tuo, & ex toto animo tuo:
3 Ut reducat Jehova Deus tuus multitudi-
nem captivorum tuorum misertus tui; & se con-
vertens colligat te ex omnibus populis quò di-
sperserat te Jehova Deus tuus.
4 ‖ Etiamsi [a] quis ex tuis depulsus esset ad
extremitatem [3] cœli; inde colliget te Jehova De-
us tuus, & inde recipiet te:
5 Reducetque te Jehova Deus tuus in eam
terram quam hæreditario jure possederant ma-
jores tui, ut hæreditario jure possideas eam: &
benefaciet tibi, & augebit te suprà quàm majo-
res tuos.
6 Et [4] circumcidet Jehova Deus tuus [b] ani-
mum tuum & animum seminis tui; ad diligen-
dum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo &
ex tota anima tua, [c] ut vivas.
7 Indet autem Jehova Deus tuus omnes [5]
adjurationes istas, inimicis tuis & osoribus tuis,
qui persequuti fuerint te.
8 [6] Tu verò conversus quum auscultabis
voci Jehovæ, & facies omnia præcepta ejus quæ
ego præcipio tibi hodie;
9 Excellentem efficiet te bonis Jehova De-
us tuus in omni opere manus tuæ, in fructu ven-
tris tui, & in fœtu jumentorum tuorum, ac in
fructu terræ tuæ; nam [d] rursus Jehova lætabitur
de te benefaciendo *tibi*, quemadmodum lætatus
fuerat de majoribus tuis:
10 Si auscultaveris voci Jehovæ Dei tui, ob-
servando præcepta ejus & statuta ejus; *quicquid*
scriptum *est* in libro hoc Legis; si conversus fue-
ris ad Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, &
ex toto animo tuo.
11 ‖ Nam præceptum hoc quod ego præcipio
tibi hodie, occultum non *est* a te, neque longin-
quum.
12 Non est in cælis; ut dicas, quis ascendet
nobis in cælum, qui sumens *afferat* illud nobis, &
enunciet nobis illud, ut faciamus illud?
13 Neque est ultra mare, ut dicas, quis trans-
ibit nobis trans mare, qui sumens illud *affe-
rat* nobis, & enunciet nobis illud, ut faciamus
illud?
14 Sed propinquum *est* tibi verbum hoc
valde, in ore tuo & in animo tuo, ad faciendum
illud.
15 [7] Vide, propono tibi hodie vitam & bo-
num; item mortem ac malum:
16 Qui præcipio tibi hodie, ut diligas Jeho-
vam Deum tuum ambulando in viis ejus, & ob-
servando præcepta ejus, statutáque ejus, & ju-
dicia ejus; ut vivas & augearis, ac benedicat tibi
Jehova Deus tuus in terra, quò tu venturus es
ad possidendum eam jure hæreditario.
17 Quòd si avertente se animo tuo nō auscul-
tabis; sed impulsus incurvabis te *honorem exhibens*
diis alienis, & coles eos:
18 Denuncio vobis hodie [e] vos omnino peri-
turos: non prolongabitis dies super terram, quò
ut venias ad possidendum eam jure hæreditario
tu transiturus es Jardenem.
19 Contestor hodie contra vos cælum & ter-
ram; me vitam ac mortem proposuisse tibi, be-
nedictionem ac maledictionem: quare vitam
electurus es, ut vivas tu cum semine tuo,
20 Diligendo Jehovam Deum tuum, auscul-
tando voci ejus, & adhærendo ei: nam ipse *est* vi-
ta tua & longitudo dierum tuorum, ut habites su-
per terram, quam juramento promiserat Jehova
majoribus tuis Abrahamo, Jitzchako, & Jaha-
kobo se daturum eis.

1 Transitio a minis legalibus ad promissiones Euangelicas, & instaurationem futurã per Christum.
2 quas duas partes ordine in præcedente capite eventuras populo prophetavit.
‖ *Nechemjæ 1.9.*
a *Heb. depulsus tuus esset.*
3 elegans hyperbole, ut sup. 4. 32.
4 i. repurgabit vos vi sui Spiritus, & ad suum obsequium reformabit: metaphora, de qua suprà 10. 15. hæc autem est, inquit Augustinus, evidens pollicitatio gratiæ: promittit enim se esse facturũ quod solet jubere ut fiat.
b *Heb. cor.*
c *Heb. propter vitam tuam.*
5 i. omnia mala in fœdere cum gravi adjuratione denunciata: Synecdoche, ut suprà 29. 20.
6 hæc deinceps summa est doctrinæ Euangelicæ, & promissionum in Christo factarum, cum resipiscentiæ, 3. versib. tum verò fidei Christianæ, versu 11. & sequentibus.
d *Heb. revertetur Jehova ad lætandum de te in bonum.*
‖ *Rom. 10. 6.*
7 denunciatio eventus ex rebus antecedentibus sequuturi: qua denunciatione aperitur via ad illam hortationem quæ est in versu 19.
e *Heb. quòd pereundo peribitis.*

CAPUT XXXI.

Mosche Jisraëli exponit eis Jardenem moriendum, Jehoschuham a Deo suffectum præficiens promissionibus confirmat, Legem descriptam Sacerdotibus & Magistratibus tradit, ac septimo quoque anno publicè legi jubet: postremò jussu Dei canticum scribit publicè legendum, & a singulis decantandum, ut Jisraëlitis beneficentiam Dei, & ingratum ipsorum animum testatum faceret.

1 DEinde veniens Mosche, quum eloquutus
esset [1] verba ista apud omneis Jisraëlitas,
2 Dixit eis, natus sum hodie centum viginti
annos, non possum deinceps [2] procedere & veni-
re: præterea Jehova dixit mihi, non es transitu-
rus Jardenem hunc.
3 Jehova Deus tuus, is qui transit ante te,
ipse exscindet gentes istas a conspectu tuo ut hæ-
reditario jure possideas eas: Jehoschuah is trans-
iturus est ante te, quemadmodum dixit Jehova.
4 Faciétque Jehova illis, quemadmodum
fecit Sichoni & Hogo Regibus Emoræi, terræq;
illorum; qui exscidit eos.

1 quæ habentur suprà 29. & 30. tum de Legis argumento, tum etiam de Euangelio & promissionibus ejus.
2 id est, consueto munere fungi: vide Num. 27. 17.

a Heb. dabit eas coram vobis.
3 supr. 7. & 20.

5 Nam a exponet eas Jehova vobis; ut faciatis eis secundùm 3 quodque præceptum quod præcepi vobis.

b Heb. a facie.

6 Confirmamini & fortes estote, ne timete, neque expavescite b metu eorum: nam Jehova Deus tuus is qui ambulat tecum, non deseret te, neque derelinquet te.

7 Posteà evocans Mosche Jehoschuham, edixit ei ante oculos omnium Jisraëlitarum, confirmare & fortis esto; nam tu ingressurus es cum populo hoc in terram quam juramento promiserat Jehova maioribus eorum se daturum eis: & tu eam possidendam divides eis.

8 Jehova autem, is qui antecedit te, ipse erit tecum, non deseret te, neque derelinquet te: ne timeto, neque consternator.

9 Quúmque Mosche scripta hac Lege; dedisset eam Sacerdotibus filiis Levi qui portant arcam federis Jehovæ: & omnibus Senioribus Jisraëlis:

10 Præcepit eis Mosche dicendo; a fine septem annorum, stato tempore, anno intermissionis, in festo tabernaculorum,

11 Quum veniens totus Jisraël comparebit ante faciem Jehovæ Dei tui in loco quem elegerit: 4 legito *tu* legem hanc coram toto Jisraële, c illis audientibus:

4 puta Sacerdos: ut demonstrant adjuncta omnia.
c Heb. in auribus illorum.
d Heb. observent faciendo.

12 Congregando populum, viros, fœminásq; & parvulos, & peregrinum tuum qui *est in* portis tuis: ut audiant, & ut discant timeántque Jehovam Deum vestrum, & d observantes faciant omnia verba Legis hujus.

13 Filii quoque ipsorum qui experti non fuerint, audientes discant timere Jehovam Deum vestrum: quibuscunque diebus vivetis in terra; quo ut *veniatis* hæreditario jure possessuri eam, mox transituri estis Jardenem.

14 Edixit verò Jehova Moschi, en propè sunt dies tui, quum moriendum est; voca Jehoschuham, & 5 sistite vos ad tentorium conventus, ut mandatis instruam eum: quapropter iens Mosche & Jehoschuah stiterunt se ad tentorium conventus.

5 nempe ut Deus signo aspectabili vocationem Jehoschuhæ testatam faceret.

15 Apparuítque Jehova in tentorio per columnam nubis; stante columna nubis super portam ipsam tentorii.

16 Dixit quoque Jehova Moschi, ecce tu cubaturus es cum majoribus tuis: surgens verò populus iste scortabitur e sequendo deos alienigenarum illius terræ f in quam venturus est, & derelinquet me, irritúmque faciet fedus meum quod pepigi cum eo.

e Hebr. post Deos.
f Heb. in cujus medium.

17 Quamobrem accensâ irâ meâ contra eum die illa, derelinquam eos, & abscondam faciem meam ab eis, 6 ut sit esui, & obveniant ei mala multa atque angustiæ: adeò ut dicant die illa, nónne eo quòd Deus meus non *est* in medio mei, obvenerunt mihi mala hæc?

6 i. ut ab hostibus suis comedatur velut panis, quemadmodum Prophetæ loquuntur passim.
g Hebr. abscondendo abscondero.

18 Ego verò g prorsus abscondero faciem meam die illa, propter omne malum quod commiserit; quòd averterit se ad Deos alienos.

19 Nunc itaque scribite vobis cãticum istud, quod doceas filios Jisraëlis 7 indendo illud ori ipsorum; ut sit mihi hoc ipsum canticum loco testis contra filios Jisraëlis.

7 id est, sæpius inculcando eis, ut ipsi quoque illud sæpius recantent.

20 Nam introducam eũ in terram quam juramento promiseram majoribus ejus, affluentem lacte & melle, ubi comedens saturabitur ac saginabitur: sed avertet se ad deos alienos, & colent eos, me autem contemtim irritabunt, ídque irritum faciendo fedus meum.

21 Erit igitur, quum obvenerint ei mala multa atque angustiæ; ut testetur canticum hoc in faciem ejus loco testis (non enim oblivioni tradendum est, h quin versetur in ore seminis ejus) me cognovisse 8 figmentum ejus, quid is sit facturus jam hodie, antequam introducam eum in terram quam juramento promisi.

h Heb. ex ore.
8 id est, cogitationes ejus, ut Gen. 6. 5.

22 Scripsit igitur Mosche canticum istud die illo; quod docuit filios Jisraëlis:

23 Et mandatis instruxit Jehoschuham filiũ Nunis, dicens, confirmator & fortis esto; nam tu introduces filios Jisraëlis in terram quam juramento promisi eis: & ego ero tecum.

24 Fuit autem quum absolvisset Mosche scribere verba legis hujus in libro, usque ad finem illorum;

25 Ut præciperet Mosche Levitis portantibus arcam federis Jehovæ, dicendo:

26 Accipientes librum hunc Legis, ponite eum 9 a latere arcę federis Jehovæ Dei vestri; ut sit ibi 10 contra te loco testis.

9 extra arcam in sanctuario: atque hic liber est quem Sacerdos invenit Joschijæ temporibus, 2. Reg. 22. nam alioqui tabulæ ipsæ federis in arca fuerint repositæ, Exod. 25. 21. Qui autē hoc libro solum Deuteronomii, id est, τὴν δευτέρωσιν τῶ νόμου cõtineri putant, ii angustiorem quàm par est, ad hunc locum interpretationem adferunt. Nam iniquum foret sive hanc δευτέρωσιν, sive canticum ipsius ita commẽdari, omissa Lege ipsa & toto libro Moschis: & certum est hoc demum a Mosche Sacerdotibus imperatum esse, quũ exaravisset omnia quæ fuerunt opus in illo ipso libro federis authentico, cujus sæpe mentionem fecit, ut Exodi 17. & 24. & alibi passim. 10 apostrophe ad populum. i Hebr. corrumpendo corrumpetis. k Heb. in auribus totius congregationis.

27 Nam ego novi rebellionem tuã, & cervicem tuam durissimam: en, dum adhuc ego vivo vobiscum hodie, rebelles fuistis cõtra Jehovam, quanto igitur magis post mortem meam?

28 Congregate ad me omneis Seniores tribuum vestrarum, & moderatores vestros: ut eloquar audientibus ipsis verba hæc, & contester contra eos cælos & terram.

29 Novi enim fore post mortem meam, ut i omnino corrumpatis & recedatis ab hac via quam præstitui vobis: unde obveniet vobis hoc malum extremis temporibus, quum feceritis quod malum videtur in oculis Jehovæ, provocando eum opere manuum vestrarum.

30 Eloquutus itaque est Mosche k audiente tota congregatione Jisraëlis verba cantici hujus, usque ad finem eorum.

CAPUT XXXII.

Mosche proponit & commendat populo canticum Dei: laudat præterita & præsentia beneficia Dei, vituperat ingratum Jisraëlitarum animum; instituit, Propositionem gravissimæ comminationis divinæ, & consolationis ex restitutione populi inimicorúmque dejectione, & concludit laude. Deinde jubetur Mosche e proximo monte terram prospicere & vitam finire.

1 Præbete 1 aures cæli, & eloquar: & audito terra sermones oris mei.

1 hujus cantici partes sunt quatuor potissimùm: Exordiũ, versibus 3. Narratio, ad versum 39 usque, Propositio rerum deinceps eventurarum ex justo judicio Dei, usq; ad versum 43. & Conclusio laudativa, versu 43.
2 i. utinam eum fructum efferat oratio mea in vobis, quem proferunt pluvia & ros in terra. 3 percipiendo verba ejus, & observando. 4 epitheton Dei, ut qui perfugium firmum est fide ad ipsum recurrentibus. Est autem hic narratio bimembris, qua primùm beneficia Dei erga populum ejus exponuntur, versib. 8. deinde ostenduntur indignè facta Jisraëlitarum, versibus 4. utrunque verò per prolepsin antè exponitur, hoc & sequente versu, facta duarum partium comparatione. a Hebr. fidei, cui non est iniquitas. 5 i. vitiositas illorum aliena est a filiis Dei, qui justus & rectus est vers. 4.

2 2 Stillet tamquam pluvia disciplina mea, fluat tamquam ros sermo meus; ut tenues pluviæ super teneram herbam, & sicut imbres super adultam herbam.

3 Quandoquidem nomen Jehovæ prædicaturus sum, 3 tribuite magnitudinem Deo nostro.

4 4 Rupis illius opus *est* perfectum, omnes enim viæ illius *sunt* jus: *Deus* fortis a fidelis, & expers iniquitatis, justus, & rectus est.

5 Corrupit se, 5 vitium ipsius non est filiorum ejus; generatio perversa & contorta *est*.

6 An estis Jehovæ repensuri istud, popule stulte & insipiens? nónne ipse *est* pater tuus, [b] redemtor tuus? *nónne* ipse [c] magnificavit te, & confirmavit te?

7 Recordare dierum seculi, animadvertite annos [d] cujusque generationis: interroga patrem tuum ut annunciet tibi, seniores tuos ut dicant tibi.

8 Quum possessionem distribueret excelsus gentibus, quum disparatet filios Adami; [e] statuit terminos populorum pro numero filiorum Jisraëlis:

9 Quia pars Jehovæ *est* populus ejus, Jahakob [7] funiculus possessionis ejus.

10 Invenit eum in terra deserti, ac in inanitatis *&* [e] ejulatus solitudine: circunduxit eum, erudivit eum, custodiuit eum tamquam pupillam oculi sui.

11 [f] Ut aquila excitat nidum suum, pullis suis incubat; pandit alas suas, assumit eum, portat eum super alas suas:

12 *Sic* Jehova solus duxit eum, nec fuit cum eo *Deus* fortis alienigena.

13 Vexit eum super [8] excelsa terræ, adeò ut comedat reditus agrorum: dátque ei sugendum mel *etiam* e petra, & oleum e rupe adamantina:

14 Butyrum ex armento, & lac e grege, cum adipe agnorum & ducum inter oves [f] Baschanæorum, & hircorum, cum [9] adipe renum tritici: [10] etiam sanguinem uvarum bibisti merum.

15 Sed saginatus [11] Jeschurun recalcitravit; saginatus es, obesatus es, adipem obduxisti: deseruit enim Deum qui magnificaverat ipsum, & vilipendit rupem salutis suæ.

16 Ad zelotypiam commoverunt eum propter [12] extraneos; propter abominationes provocarunt eum.

17 Sacrificaverunt dæmonibus, non Deo, diis quos non noverant: novis *qui* e propinquo advenerant, quorum *metu* non horruerant majores vestri.

18 Rupis *quæ* genuit te oblitus es; & oblivioni tradidisti *Deum* fortem formatorem tuum.

19 [13] Quod quum vidit Jehova, sprevit eos: præ indignatione [g] a filiis suis & filiabus suis *commota*:

20 Et dixit, abscondam faciem meam ab illis, videam quis *erit* finis illorum: sunt enim generatio [h] perversitatibus dedita, filii in quibus non *est* fides.

21 Ipsi commoverunt me ad zelotypiam per ea quæ non *sunt Deus* fortis, provocaverunt me vanitatibus suis: ego quoque ad zelotypiam cōmovebo eos per eum [14] qui non *est* populus, per gentem stultam provocabo eos.

22 Nam ignis accensus *est* irâ meâ, qui ardebit [15] usque ad imum sepulcrum: absumétque terram & proventum ejus, & inflammabit fundamenta montium.

23 Impendam in eos mala, sagittas meas [16] consumam in eos:

24 *In* exhaustos fame, & exesos anthrace, ac lue amarissima: dentes etiam bestiarum immittam, cum veneno serpentum [i] terrestrium.

25 Foris orbabit gladius, & *inde* a conclavibus terror: tam adolescentulum quàm virginem, lactentem cum viro cano.

[b] Hebr. possessor vel emptor: sed quia de singulari possessione Dei fit sermo, ad assertionem ex Aegypto verbum accommodavimus.
[c] Heb. fecit, ut infrà vers. 15. & 1. Schemu. 12.6.
[d] Hebr. ætatis & ætatis.
[e] designavit illis possessionē nondū existentibus.
[7] possessio peculiaris, nam possessiones funiculo dividebantur: metonymia.
[e] Hebr. ejulatus solitudinis: hypallage.
[f] Jechezkel. 16.
[f] Exod. 19.4.
[8] i. fecit ut penetrarent civitates munitissimas.
[f] Heb. natorum Baschanis quæ regio erat pascuosissima, Num. 32.4.
[9] i. opimo crasso tritico, cujus genicula extuberāt formâ renibus persimili: Metaphora ab animātibus, cujusmodi fuit illa priscorum metaphora, qui κρίθης λάγηνον, i. glumam, auctore Festo, vocabant clunar, a clunium similitudine. sic Num. 18.12. adipis nomen oleo & musto accommodatur.
[10] expressum succum.
[11] Jisraël, sic vocatur hic & inf. 33.5. & 26. a rectitudine quò vocatus est, etsi quàm lōgissimè ab ea discessit.
[12] deos quos coluerunt.
[13] Propositio rerum eventurarum populo Dei cùm ad impiorū castigationem severissimam, usque ad versum 35. tum ad reliquiarum sanctarum consolationem, V. 36. & sequentibus, propter Dei gloriam, ad quam cōclusio pertinet.
[g] Hebr. filiorum & filiarum, passivè, ut inf. vers. 27. filios autem hic respectu vocationis dicit, quos ratione vitæ vocavit non filios suprà vers. 5.
[h] Heb. perversitatis. [14] nimirum peculiaris Deo, ut hic fuit, Hoschee. 1.10 & Rom. 10.19. [15] quasi dicat, suprà & infrà conflagrabit, ut præsentibus futurisque fructibus priventur: sequentia epexegeticè addita sunt. [16] omnes ad unam ejaculabor. [i] Heb. pulveris.

26 Dixissem, angulatim profligem eos: faciam ut cesset e mortalibus memoria eorum:

27 Nisi indignationem ab inimico metuissem, ne ignorent hostes illorum: ne dicant, excelsa manus nostra fuit, nec Jehova operatus est omnia hæc.

28 Nam gens [k] perdita consiliis [17] sunt, & nulla *est* in eis intelligentia.

29 Utinam saperent, intelligerent ista; animum adverterent ad finem suum.

30 Quomodo prosequeretur unus mille, & duo fugarent myriadem? [18] si non, *fieri* quia rupes eorum [l] dedidit eos, & Jehova tradidit eos.

31 [19] Non enim ut rupes nostra rupes illorum *est*, ac inimici nostri [20] *sunt* judices.

32 Nam [m] [21] superat vitem Sedomi vitis eorum, & superat vites Hamoræ: uvæ eorum *sunt* uvæ venenosæ, botri amari sunt eis.

33 [l] Venenum draconum vinum eorum *est*, ac venenum aspidum sævum.

34 Nónne [22] illud reconditum est penes me? obsignatum in thesauris meis?

35 [23] Mea *est* ultio & retributio, tempore *suo* vacillabit pes eorum: nam propinqua *est* dies calamitatis eorum, & festina *dies* eventurorum illis.

36 Quum judicaverit Jehova populum suum, tunc propter servos suos [24] pœnitebit ipsum; quum videbit abiisse [n] [25] vires, & [26] conclusum cum derelicto nihil *esse*:

37 Et dicet, ubi *sunt* dii eorum? rupes ad quam recipiebant se?

38 Qui victimarum adipe vescebantur, & qui bibebant vinum libaminis, [27] surgant & opitulentur vobis, sit vobis latebra *rupes illa*.

39 Videte nunc, me, me ipsum *esse*, & nullum *esse* Deum mecum: me morte afficere & vitæ restituere, frangere me & sanare, nec *esse* qui e manu mea eripiat.

40 Nam [28] attollo ad cælos manum meam; & dico, vivo ego in seculum:

41 Quum acuero [o] coruscantem gladium meum, & arripuerit manus mea *arma* judicii; reddam ultionem hostibus meis, & osoribus meis rependam.

42 Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus absumet carnem; *inebriabo* sanguine [p] confossorum & captivorum, [29] inde a principio ultiones inimici *futuræ sunt*.

43 [30] Cantate gentes [q] *&* populus ejus, nam sanguinem servorū suorum ulciscitur: & ultionem reddit hostibus suis, ac terram suam populúmque suum expiat.

44 Venit itaque Mosche ut eloqueretur omnia verba cantici hujus [r] audiente populo ipse & Hoscheah filius Nunis.

45 Quúmque absolvisset Mosche eloqui omnia hæc verba omnibus Jisraëlitis:

46 Edixit eis, [f] adjicite animum vestrum ad omnia hæc verba quæ ego testificor contra vos hodie: quæ præcipitote filiis vestris, [t] ut observantes faciant omnia verba Legis hujus.

47 Nam non est res [u] inanior quàm ut susci-

[k] Heb. perientis.
[17] nimirum Jisraëlitæ: causas enim duas exponit Deus cur fuisset perditurus illos, nisi rationē hostium suorum habuisset: unam, ἄνοιαν, hoc & seq. versu: alteram, ἀπιστίαν versu 32.
[18] Eclipsis: si unus Jisraëlita nō persequitur mille, &c. sed contrà funduntur ab hostibus, fit quia, &c.
[l] Hebr. vendidit, id est, subjecit aliis dominis.
[l] Jechesk. 16.46.
[19] Apostrophe Moschis, qua causam deditionis in servitutem explicat, quòd Deus opem ferat suis, adversetur desertoribus: quorū neutrum fictitiis Deis adscribi debet.
[20] experientiâ testari possunt.
[m] Hebr. præ vite Sedomi est vitis eorum.
[21] fructum deteriorem edit: quàm sint autē mali fructus in lacu Asphaltite nascentes, exponunt Josephus, Tacitus, alii. sic metaphoricè vitam male actam describit.
[22] q.d. jamjam compertum habeo qualis fueris hactenus, atque futurus sis.
[23] non evadent judicium, etiamsi differatur, sed suo tempore incipient labare, ac ne hi quidem solùm labascēt, sed etiam adversarii longè graviùs, V. 40. & sequentibus.
[24] vide in Gen. 6.6.
[n] Hebr. manum, ut Num. 11.23.
[25] Jisraëlitarū, quibus nimium confiderant.
[26] id est, & captivum & eum qui evaserat hostium manus nihil posse.

[27] Sarcasmus gravissimus illudens opinioni idololatrarum credentium Deos suos & sacrificiis pasci, & ipsis adjumento fore. similem vide Judic. 10.14. [28] id est, juro, Genes. 14.22. humanitus dictum. [o] Heb. coruscationem gladii. [p] Hebr. confossi & captivitatis. [29] id est, quum ultionem sumam de inimicis, nihil impunitum relinquam eorum quæ inde a principio contra me commiserunt. [30] Conclusio laudativa ad piorum reliquias ex Judæis & Gentibus in Ecclesia Christi adunatas. [q] vel cum populo ejus, ut Rom. 15.10. [r] Hebr. in auribus populi. [f] Heb ponite cor. [t] Heb. ad observandum faciendo. [u] Heb. inanis præ vobis.

piatis

piatis illam, sed est vita vestra: & hac re prolongabitis dies super terram, quò ut veniatis possessuri eam jure hæreditario, mox transituri estis Jardenem;

48 Postea alloquutus est Jehova Moschen eo ipso die, dicendo,

49 Ascende [21] montem hunc Habarimorum, montem Nebuntis, qui est in terra Moabitarum qui est in conspectu Jerichuntis: & prospice terram Cenahanis, quam ego do filiis Jisraëlis in jus possessionis.

50 Deinde morere in eo monte quò tu ascensurus es, & aggregare ad populos tuos: quemadmodum mortuus est Aharon frater tuus in Hore monte, & aggregatus est ad populos suos:

51 [l]Eo quòd prævaricati estis contra me in medio filiorum Jisraëlis, ad aquas contentionis Kadeschi, in deserto Tzinis: eo quòd non sanctificastis me in medio filiorum Jisraëlis.

52 Nam ex adverso prospicere poteris terram illam; at illuc non es venturus, in terram illam quam ego do filiis Jisraëlis.

[21] cujus mentio exstat 2. Machab. 2.5.

[l] Num. 20.

CAPUT XXXIII.

Mosche paulò post moriturus singulis tribubus prophetice benedicit: exorsus & concludens orationem a singulari Dei gratia erga eos quibus benedicit.

1 HÆc autem benedictio *est*, qua benedixit Mosche [1] vir Dei filiis Jisraëlis, ante mortem suam.

2 Dixit ergo, Jehova [2] e Sinai prodiens quũ oriretur e Sehire [3] istis, [4] illucesceret e monte Paranis, & adveniret *turba* e myriadibus [a] [5] sanctorum: a dextera ejus [6] ignis [b] edictalis *fuit* ipsis.

3 Etiam valde diligis [7] populos, omne is sanctos [8] hujus *habes* [9] in manu tua: vicissim ipsi [10] medii inserantur pedibus tuis, suscipiat *quisque* e verbis tuis, *dicens*,

4 [11] [l]Legem præcepit nobis Mosche; [12] hæreditariam congregationi Jahakobi.

5 Fuit enim in Jeschurune [13] Rex quum se congregarent primores populi, simul tribus Jisraëlis.

6 Vivat Reüben, & non moriatur; [14] imò *non* sit hominibus ejus numerus:

7 Idem quoque [15] Jehudæ *precatus*,ampliùs dixit; exaudi Jehova vocem Jehudæ & ad populum suum [16] reduc eum: manibus ejus satis *sit* ei, & auxilium ab hostibus ejus *sis*.

8 De Levi autem dixit, [17] Thummim tui & Urim tui [18] penes virum tuum quem beneficio prosequeris; quem probasti [19] probatione, cum quo contendisti ad aquas Meribæ:

[1] Propheta: nam prophetico spiritu, ac non simpliciter vel civili atque humano studio benedicit, & res eventuras precatur.
[2] Metaphora perpetua est a Sole sumta, qui initio lucẽ præmittit, posteà oritur ipse, tandem terras illustrat: sic gradatim Deus præsentiam suam in populo declaravit quacunque iter fecerunt, q. d. inde a termino proximo Aegypti, usquedum pervẽtum est ad Edomæos finitimos terræ promissæ.
[3] Jisraëlitis.
[4] pergeret favere istis, etiam post defectionẽ a reditu exploratorum, Num. 13.14. [a] *Heb. sanctitatis.* [5] Angelorum, quorum catervis stipatus est: vide Chabakuk 3.3. Act. 7.53. Galat. 3.19. [6] ex quo singula ipsis facienda omittendáve edisebat. [b] *Heb. edicti.* [7] tribus Jisraëlis, ut Judic. 5.14. [8] Jisraëlis. [9] sub cura tua, ut sup. 32.11. [10] efficiantur tui discipuli, tibiq; morigeri reddantur, ut sunt discipuli præceptoribus, quorum pedibus assident, ut de Paulo dicitur Act. 22.3. [11] hæc piorum Jisraëlitarum verba ad legis obsequium se comparantium. [l] *Exo. 19.* [12] i. observandum præsentibus & futuris Jahakobi posteris suprà 29.29. [13] regis munus obiens populum gubernabat: ideò Legem eis tulit: vide in Gen. 36.31. [14] particula, non, ἀπὸ κοινοῦ repetenda est, ut Psal. 9.19. cujus rei ignoratio Græcos fefellit, ut alteram hanc versus partem Schimhoni accommodarent, quia nulla hîc fit ejus diserta mentio. [15] & Schimhoni: synecdoche: nam Schimhon accensitus est Jehudæ, & possessio ejus per tribum Jehudæ diffusa, Jehoschu. 19.1. & 1. Chron. 4.24. unde factum est ut expeditiones inter has tribus communes essent, Judic. 1.3. [16] quia ejus est præire cæteris tribubus ad expeditiones, precatur ut victor domũ reducatur. [17] de quibus Exod 28.30. i. totum ministerium Sacerdotale, synecdoche; est autem hic apostrophe ad Deũ. [18] Aharonẽ, penes quem depositũ est Sacerdotale munus cõtinuandũ in posteris. [19] vulgò in Massa, ut alludatur ad historiã Exo. 17.7. sed quia nihil ibi de singulari aliqua Aharonis probatione scribitur, simplicius visum est appellativè accipere.

9 [k] Dicentem de patre suo & de matre sua, [20] non respicio eum, qui fratres suos non agnoscit, & filios suos non recognoscit: quia observant sermonem tuum, & fedus tuum custodiunt:

10 [21] Docent judicia tua Jahakobum, & Legem tuam Jisraëlem; [22] apponunt suffitum ad faciem tuam, & prorsus consumendum *ad* altare tuum.

11 Benedic Jehova [23] copiis ejus, & opus manuũ ejus grato animo suscipe: frange lumbos insurgentibus *in* eum & osoribus ejus, ex quo insurrexerint.

12 De Binjamine dixit, [24] dilectus Jehovæ, habitet securè [25] cum eo: protegente eum quotidie, & [26] inter humeros ejus habitante.

13 [g] Et de Josepho dixit, benedicta Jehovæ *sit* terra ejus: a rebus pretiosis cæli, a rore, & ab [27] abysso subjacente:

14 Item a rebus pretiosis, proventibus Solis; & a rebus pretiosis, [d] quas quæque Luna protrudit:

15 Item a [e] præstantissimis rebus montium antiquissimorum; & a pretiosis rebus collium [f] æternorum:

16 Denique a pretiosis rebus terræ cum plenitudine ejus, & [28] beneplacito *Dei* mei [29] inhabitantis rubum: veniant abundanter ad caput Josephi, & ad verticem separati [g] e fratribus suis.

17 [30] Primogeniti, bovis illius decor *est* ei, & *velut* cornua monocerotis duo cornua ejus *sunt*, quibus populos feriet pariter, *populos* finium terræ: *sunt* autem hæc, myriades Ephrajimi, & sunt milia Menaschis.

18 De Zebulune autem dixit, lætare Zebulun [31] de exitu tuo: & Jissacar [32] de tentoriis tuis.

19 [33] Populos *ad* [34] montem [35] invitent, ibi sacrificent sacrificia [h] justa: quia affluentiam marium sugent, & occulta, *id est*, thesauros [36] arenæ.

20 De Gade autem dixit, benedictus *est* qui [37] dilatat Gadem: [38] tamquam leo habitat, ut rapiat brachium & verticem:

21 Qui prospexit [39] de principiis ei, quia ibi [40] in portione Legislatoris [41] protectus est: ideò veniens *cum* primoribus populi, justitiam Jehovæ facit, & [42] judicia ejus cum *reliquo* Jisraële.

22 De Dane autem dixit, Dan [43] *ut* catulus leonis *sit*: qui exsilit ex Baschane.

23 De Naphthali quoque dixit, o Naphthali, satur beneplacito, & plene benedictione Jehovæ: ad Occidentem & meridiem hæreditatem obtine.

[k] Num. 20. sup. 32.51.
[20] quasi dicat, neque personis neque rebus humanis studiosius hæret, sed in hoc unum incumbit, ut Deum colat & alios retineat in cultu ejus: quod ostenderunt Levitæ gladium stringẽdo in idololatras ad mandatum Moschis, non habita propinquitatis ratione, ut Deo manus suas consecrarent, Exo. 32. abstinendo a propinquorum luctu, Levit. 10.5. & 21. hæreditatique terrenæ renunciando, Num. 18.20.
[21] omnes e genere Levitico, ideò dispersi habitabant in Jisraële.
[22] sacerdotes.
[c] *Heb. nasum.*
[23] militiæ sacræ, diversisque ministeriis eorum, Num. 4.3.
[24] ut patri singulariter fuit Gen. 44.20.
[25] puta cum Jehova, ut olim cum patre.
[26] i. Jeruschalaimis in metropoli possessionis ejus: Metaphora; qua tota possessio Binjaminis cum corpore confertur, & metropolis cum capite humeris imposito: sic Jeschahjæ 8.8.
[g] *Gen. 49.25.*
[27] i. aquis inferne terram fermentantibus.
[d] *Hebr. protrusione Lunarum.*
[e] *Heb. capite initiorum antiquitatis: sic accipitur caput pro re præstanti, Exod 30.23.*

[f] *Heb. seculi.* [28] nam superiora omnia effecta sunt manifestò procedentia ex beneplacito Dei. [29] qui primùm mihi apparuit ex ardente rubo, Exod. 3.2. [g] *Heb. fratrum suorum: vide Gen. 49.26.* [30] i. duab. dignitatibus excellit, quod est primogenitus, & bos Deinam translatũ est, quod ad possessionẽ attinet, primogenitorũ jus a Reübene in Josephum, 1. Chro. 5.1. deinde bovis officio (de quo Prov. 14.4.) functus est, quũ familiam paternã in Aegypto sustentavit. quamobrem dicuntur Aegyptii simulacrũ bovis juxta sepulcrũ Josephi statuisse, eo quòd bos in agricultura cooperatur viro, ut scribitur libro 1. de mirabilibus sacræ scripturæ, cap. 15. qui liber Augustino vulgò inscribitur. [31] i. negotiatione tua: maritimam enim regionem habuit navigationibus aptam, Gen. 49.13. [32] i. terra tua contentus esto, Genes. 49.14. & 15. [33] tam exteros, quàm Jisraëlitas reliquos. [34] Tzijonem, ubi colendus erat Deus. [35] exemplo suo: qui licet remotissimi ab eo loco essent, studiosè tamen ex Lege, ac minimè vacui eò confluebant. [h] *Heb. justitiæ, i. eucharistica, ut jam requirit.* [36] i. maris: metonymia. [37] ab angustiis liberat, efficitq; ut cõmodè habitet: vide in Gen. 49.19 [38] q.d. jam possessio ei attributa est, ex qua tamquam leo cõmodè potest in hostium prædam irruere: vide 1. Chron. 5. [39] q.d. Deus tribuens ei possessionẽ ante reliquos, jussit eum in prima acie cõtra Cenahanæos procedere, Num. 32.16. & res suas intereà, dũ domo aberit, Deo cõmittere, Exo. 34.24. & Jehos. 2.13. [40] quæ ei per Moschẽ divino jussu attributa est. [41] loco firmo ac munito situs. [42] in exscindendis & exterminandis Cenahanæis. [43] robore & felice successu.

24 Deni-

24 Denique de Aschere dixit, benedic-
tus a *reliquis* [44] filiis Ascher: sit acceptus fratri-
bus suis, [45] intingat in pinguedine pedem suum.
25 Ferrum & æs [46] sub calceo tuo: & [i] quam-
diu *durabunt* dies tui, [47] sermones *habeantur*
de te.
26 Nullus *est* similis huic *Deo* forti, o Jes-
churun: qui cælis insidet in auxilium tuum, &
magnificentiâ suâ superioribus nubibus:
27 Protectio ut Deus [k] sempiternus, & infer-
nè [48] brachia æterna, expellat a facie tua inimi-
cum, [49] aut dicat perde:
28 Ut habitet Jisraël securè solus, [50] fonte
Jaħakobi, in terra frumenti & musti *ferace*; etiam
[51] cælis ejus stillantibus rorem.
29 [l] Beatus es Jisraël, quis *est* sicut tu, popu-
lus servatus per Jehovam, clypeum auxiliarem
tuum, & cujus gladius *est* excellentia tua? Sic [m]
reddentur abjecti inimici tui tibi, tu autem [52]
excelsa eorum conculcabis.

44 Jisraëlis, fratribus suis, ut mox nominat: quibus e terra sua res opimas suppeditaturus est.
45 præ copia rerum pinguium: hyperbole, ut Gen. 49. 11.
46 id est, terra quam calcabis, abundet fodinis ferri & æris: vide sup. 8. 9
i *Heb. ut dies tui, sermones tui.*
47 id est, laus soli tui commẽdet nomen tuum in perpetuum.
k *Heb. antiquitatis.*
48 id est, omnipotentia sempiterna ejus. quasi dicat, suprà & infrà eum habeas protectorem. 49 instruat te mandato & viribus ad perdendum eum. 50 id est, perenni ortu & flumine exundante benedictionum Dei in terra eorum qui manarunt ex Jaħakobo. 51 ei impendentibus, ut suprà 28. 23.
l *Hebr. beatitates tuæ.* m *Hebr. mendaces fiant, id est, priventur facultate exsequendi quod magnificè sibi pollicebantur: vel emacientur, id est, robore priventur.* 52 ut suprà 32. 13.

CAPUT XXXIIII.

Mosche montem conscendit, terram circumquaq; prospicit, moritur, a Deo sepelitur, a Jisraëlitis lugetur, succeditque ei Jehoschuaħ.

1 Posteà ascendit Mosche e campestribus
Moabitarum in montem Nebuntis, in
verticem illius collis qui *est* in conspectu Jeri-
chuntis: ubi ostendit ei Jehova totam terram a
Gilħade Danem usque:
2 Nempe totam *terram* Naphthali, terrám-
que Ephrajimi & Menaschis; & totam terram
Jehudæ, usque ad [1] mare posterum:
3 Meridianam quoque, & planitiem ipsam,
convallem Jerichuntis civitatis [2] palmiferę
Tzoħarem usque.
4 Dixítq; Jehova ei, hæc *est* illa terra; quam
juramento promiseram Abrahamo, Jitzchako,
& Jaħakobo, dicendo, semini tuo dabo eam:
ostendo eam tibi videndam oculis tuis, sed eò
non es transiturus.
5 Mortuus itaque est ibi Mosche servus Je-
hovæ, in terra Moabitarum, [a] ex præstituto Je-
hovæ:
6 Qui sepelivit eum in eadem valle in terra
Moabitarum, e-regione Beth-peħoris: [3] neque
novit quisquam sepulcrum ejus usque in diem
hunc.
7 Erat autem Mosche natus centum vigin-
ti annos, quum moreretur: non caligaverat ocu-
lus ejus, neque fugerat viriditas ejus.
8 Et defleverunt filii Jisraëlis Moschen in
campestribus Moabitarum triginta diebus: qui-
bus absoluti sunt dies fletus, *id est*, luctus Moschis.
9 Erat autem Jehoschuaħ filius Nunis ple-
nus spiritu Sapientię, [4] quum [b] imposuisset Mos-
che manus suas eò: quapropter auscultantes ei
filii Jisraëlis, fecerunt quemadmodum præcepe-
rat Jehova per Moschen.
10 Sed nõ surrexit Propheta pretereà in Jisra-
ële par Moschi quẽ cognoverit Jehova [5] [c] in os:
11 Tum omnibus signis & prodigiis, quæ
miserat eum Jehova facturum in terra Ægypti;
contra Parħonem & contra omnes servos ejus,
totámque terram ejus:
12 Tum omnibus *operibus* manus fortis, &
omnibus *operibus* [d] terribilibus maximis; quæ fe-
cit Mosche ante oculos totius Jisraëlis.

1 vide suprà in 11. 24.
2 ut Judic. 1. 16. & 2. Chron. 28. 15. nã Jerichuntina vallis palmetis tota fuit consita, teste Plinio lib. 5. natur. hist. cap. 15.
a *Hebr. secundum os, sup. 32. 48.*
3 causam quare incognitam esse voluerit Deus sepulturã Moschis esse ἰσοδαιμονίας προφύλαξιν res ipsa loquitur, & omnes fermè consentiunt.
4 ex mandato Dei: vide historiam totam Numer. 27. 18. & sequentibus, & suprà 31.
b *Heb. nixus fuisset Mosche manibus suis super eum.*
5 vide Exodi 33. 11. & Num. 12. 6. & sequentibus.
c *Heb. facie ad faciem.*
d *Hebr. terrorè maximi.*

Πάντων δόξα Θεῷ.

Primæ partis Bibliorum finis.

24 De Ashere autem dixit, benedictus [illegible] filiis Ashere [illegible] fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum.

25 Ferrum & æs [illegible] & quamdiu dies tui, [illegible]

26 Nullus est sicut Deus [illegible] Jeschurun, [illegible] in auxilium tuum, & [illegible]

27 [illegible] & infra brachia [illegible] expellit [illegible] dixit, perde.

28 [illegible] fonte [illegible]

29 [illegible] popu-
[illegible]
[illegible] Sic
[illegible] tu

[illegible]

CAPUT XXXIIII.

Moses [illegible] pro-
[illegible]
[illegible]

1 Posteà ascendit Moscheh e campestribus Moabitarum in montem Nebunis, in verticem illius collis qui est è conspectu Jerechuntis: ubi ostendit ei Jehova totam terram: Gilhade Danem usque:

2 Nempe totam terram Naphthali, terramque Ephrajimi & Menascheh, & totam terram Jehudæ, usque ad mare posterum:
3 Meridianam quoque, & planitiem totam, convallem Jerechuntis civitatis [a] palmiferæ, Tsoharem usque.
4 Dixitque Jehova ei, hæc est illa terra, quam jurejurando promisi Abrahamo, Jitschako, & Jahakobo, dicendo, Semini tuo dabo eam: efficio ut tibi videndam oculis tuis, sed eò non es transiturus.
5 Mortuus itaque est ibi Moscheh servus Jehovæ, in terra Moabitarum, [b] ex præscripto Jehovæ.
6 Qui sepelivit eum in eadem valle in terra Moabitarum, e regione Beth-pehoris: [c] neque novit quisquam sepulchrum ejus usque in diem hunc.
7 Erat autem Moscheh natus centum viginti annos, quum moreretur: non caligaverat oculus ejus neque [illegible]
8 Et defleverunt Israëlitæ Moschen in campestribus Moabitarum triginta diebus: quibus absolutis sunt dies fletus luctûsque Moschis.
9 Erat autem Jehoschuah filius Nunis plenus spiritu sapientiæ, quum [d] imposuisset Moscheh manus suas ei: itaque auscultarunt ei filii Israëlis, feceruntque quemadmodum præceperat Jehova per Moschen.
10 Sed nô surrexit propheta posteà in Israële par Moschi, qui cognoverit Jehova [e] facie os;
11 Tum omnibus signis & prodigiis, quæ miserat eum Jehova facturum in terra Ægypti, contra Pharhohem & contra omnes servos ejus, totámque terram ejus:
12 Tum omnibus operibus manus fortis, & omnibus operibus [f] terribilibus maximis quæ fecit Moscheh ante oculos totius Israëlis.

[a] vide supra in [illegible] Judic. 1. 16. 2. Chron. 28. [illegible]

[b] [illegible] 32. 48.

[c] [illegible] quæ [illegible] voluerit Deus sepulcrum Moschis [illegible]

[d] [illegible] vide [illegible] Numer. [illegible]

[e] [illegible]

[f] vide Exodi [illegible] Num. [illegible] & sequentibus.

[illegible]

[illegible]

Primæ partis Bibliorum finis.

UMI

BIBLIORUM
PARS SECUNDA,

ID EST,

LIBRI HISTORICI LAtini recens ex Hebræo facti, brevibusq; Scholiis illuſtrati ab Immanuele Tremellio & Franciſco Iunio.

* * *

LIBRI ſecundæ partis.

Jehoſchuhæ liber	I.	Chronicorum libri	II.
Judicum liber	I.	Hezræ liber	I.
Ruthæ liber	I.	Nechemję liber	I.
Schemuëlis libri	II.	Estheræ liber	I.
Regum libri	II.		

ILLVSTRISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINcipi & Domino, D. FREDERICO, Comiti Palatino ad Rhenum, Bavariæ Duci, &c.

S. R. Imperii Electori primario, Domino nostro clementissimo, gratiam & pacem a Domino.

QUEMADMODUM *in ductionibus aquarum, Illustrissime* PRINCEPS, *aliud præstant aquileges, aliud castellarii (ut Frontinus vocat) emodulantes laxiora aquæ conceptacula, aliud operæ huc illuc aquas tubulis canalibusq; derivantes: ita multiplicibus variisq; operibus utendum esse commonstrat omnium ætatum experientia, ut perennis hæc & salutaris aqua accommode ad suos usus adhiberi possit. Nam ut illud taceamus; à Deo munificentissimo auctore potius istius saluberrimi, non plenitudinem Spiritus, sed exiguas tantum scintillas & particulas communicari nobiscum pro tenuitate nostra; amplius etiam agnoscimus, sive fontis ipsius (cujus petra manalis est Christus) id est, contextus sacri curationem puritatemq; spectabimus; sive Scripturæ locos, in quibus ut in castellis aquæ, summa doctrinæ cælestis capita continentur; sive uberes illos concionum rivos & exundantem latius in Christianos omnes explicationem veritatis: nullam omnino partem esse, quæ non superet omnibus numeris facultates nostras, nullasq; humani ingenii vires ad tantam altitudinem & profunditatem sapientiæ Dei perfectè posse accedere. Et quamvis omnia hæc pertineant ad ædificationem corporis Christi: verbi gratia, Scripturæ loci ad scholas plurimùm, fluenta & rivi ad Ecclesiasticas conciones, fons verò hic Scripturæ ad Christianos omneis universè: nunquam tamen eò adducti sumus ut totam simul componendorum istorum omnium procurationem nobis assumamus: sive conscii tenuitatis nostræ coram Deo, sive rerum amplitudine perterriti, sive Dei ipsius auctoritate exemploq; moti, & documentis Ecclesiæ. Si enim oculorum aciem ad nos aduertimus deficit animus: si ad Scripturam, mysteriorum amplitudine & profunditate absorbemur: sin ad auctoritatem & exempla Dei, compellimur quidem ad scribendum, ut dona Dei, quantulacunq; sunt in nobis, fideliter expendamus, sed* ἀπὸ τ̃ πολυλογίας ϗ πολυμυθίας *in hoc quidem agumento maximè avertimur. Cur enim tam paucos breueisq; libellos, hoc est, Biblia aut* βιβλιδάρια *ista commendavit Ecclesiæ, in thesaurum illius importanda? cur rerum tantarum tanta fecit compendia, nisi vt exemplo ipsius discamus luxuriantem istam orationis sylvam (quæ vanitatis ferè est aut mendaciorum comes) sophistis rhetoribusq; missam facere, & breviloquentiam simplicitatemq; consectari? Aut cur Pastoribus Doctoribusq; suas in Ecclesia & schola functiones disparavit, nisi ad singulos suis repagulis quæ verbo fixit continendos, & illorum dicta, facta, scriptaq; (hæ enim sunt formæ utendorum piè donorum Dei pro administratione & operatione ad quam quisque vocatus est in Ecclesia) suis terminis constringenda? Quamobrem non possumus satis mirari præpostera illorum judicia: qui ita in his mysteriis versantur ipsi, quasi omnia quæ ad locum unum adduci possunt, factis hinc inde coacervationibus multis teneantur possintve profundere: aut hoc ipsum ab aliis perinde exigunt, ac si omnis opera, nisi suffarcinata, foret inutilis. Excurrant illi per nos licet in voculæ unius argumento: in versu unico, si placet, ut in mediis Campaniæ latifundiis velitentur, aut in brevi aquula quasi in Oceano navigent ingenii sui fertilitate*

& exuberantia styli. deniq; majores centones compilent (ut ait Satyricus) quàm sint duo Cæsaris Anticatones. Nos verò commodiùs prospici stomacho esurienti posse sacra hac diæta cogitamus, quàm levari copia nauseantem, aut deonerari saturum: & quod in ædificiorũ structuris dicitur, opus istud Dei firmius sine illa immani farctura compingi & coalescere. Præterea quàm multa piè a multis ante nos dicta sunt! quæ omnia si nobis inculcanda essent: nullam apud omneis gratiam, sed invidiam summam iniremus: saltem hoc nomine apud bonos, quòd actum (ut ajunt) agere diceremur. Denique meminimus illustrissime PRINCEPS, instituti nostri, & expectationis communis omnium. Non hic aguntur homiliæ, & salubres è sacro fonte rivuli per sanctissimum agrum Christi concionalibus, ut ita dicamus, sulcis derivantur: non locorum compositiones & demonstrationes Dialectica subtilitate & brevitate indicantur, certáque velut castella conficiuntur jucundissimum hunc potum immissariis suis eructantia. Hæc in lectionibus, illa in concionibus Ecclesiasticis Theologi corrivantur: Verùm omnibus æquè pastoribus & ovibus, Doctoribus discipulisque, magnis & parvis, firmis & infirmis alteram sanctissimi illius fontis partem labore nostro excultam proferimus. Excultam autem elaboratione nostra propterea dicimus, quòd accessiuncula ista partim contextui (ut confidimus in Domino) aliquam lucem afferet, partim in Scholiis quamvis brevibus, locos difficiliores explanabit: quæstiones enim multæ, quæ anteà miris modis exagitatæ sunt, ipso contextu diluuntur, & multi nodi solvuntur uno aut altero Scholiorum verbo. Quorum omnium brevitatem facilè condonaturi sunt, quicunque hac via precaveri putaverint aut ab ingenii humani nausea, aut à gravitate sumtuum. Atque hæc quidem de opera nostra T.C. plus satis. De rebus autem quæ his libris continentur, de historiis sacris quid multis opus est dicere? Prima lex historiæ (inquiunt veteres) nequid falsi dicere audeat, deinde nequid veri non audeat: nequa suspicio gratiæ sit in scribendo, nequa simultatis. Certè quisquis sine animi perturbatione hos libros legerit, omnia suprà quàm dici potest in brevitate hac, vera, certa, simpliciaq; recognoscet. Hic enim tuetur Dominus auctoritatem suam, fidem veritatemq; ostendit, & sempiterno suo Spiritu obsignat in animis credentium: cui adhærentes fide, auctoritatem non addimus, sed accipimus, & in veritate illius confirmamur. Utinam verò Christiani omnes, tum veram istarum rerum notitiam, tum legitimum earum usum à Deo opt. max. consequantur. Nos quidem in tradenda simplice veraq; horum notitia fidelem pro eo ac potuimus & diligentem operam consumsimus: quæ desiderabuntur (prout minimè dubitamus semper ad hominum scripta vel accuratissima aliquid amplius adjungi, detrahi, aut mutari posse) sive in posterum nostrâ, sive aliorum peritiorum operâ in dies subministrabit Deus. Usum verò hujus historiæ sanctæ legitimũ licet præstantes viri olim tradiderint, & multi viri boni memoriâ nostrâ piè sapienterq; scriptis consignaverint: non posse tamen incîdi in hominum mentes sine eodem Spiritu, Prophetæ & Apostoli sexcentis locis demonstrarunt. Quòd si historiam humana arte industriaq; elaboratam, & ignoratione, vanitate, plurimisq; animi perturbationibus implicatam, &, prout ipse Herodianus scribit, συγκεκροτημένην δόξῃ τῆς ἀληθείας μείζονι, tamen temporum testem, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nunciam vetustatis vocavit Tullius: quantam, obsecro, opinionem & reverentiam erga libros istos ingenerari oportet in animis credentium? Nam omnes illæ historiæ nihil ad nostram hanc: quam per Prophetas dictavit, per Ecclesiam tradidit, per Spiritum æternum suum obsignavit Deus. Ferinum itaque fuerit, ac non tantùm Christiano ullo, sed homine planè indignissimum, eosdem usus ab hisce historiis abjudicare: quas Deus commendat suis sanctitatis, veritatis, utilitatisq; nomine. Temporum testificationem requirimus? quorum partem inde à creatione usque ad obitum suum exposuit Mosche: ecce hîc evolutam rationem temporum inde à Mosche usque ad finem regni Persici: hoc autem Alexander Macedo occupavit: quum Jadduaח sacerdotio fungeretur, cujus Nechemja mentionem facit. Lucémne veritatis? at hæc prælucens dictavit veritas, & seipsam quodãmodo literarum monumentis expressã in Ecclesia utendã fruendã dedit. An memoriæ vitam? hîc memorabilia omnia de Deo creatore, hîc de rebus creatis, hîc de earum administratione ac singulari Ecclesiæ ductu, hîc de memoria sempiterna vitæ documẽta omnibus fide amplectẽtibus aperta exhibentur: in quæ simulac introspicimus, mens animus

& memoria

& memoria virtute Dei animatur. An magisterium vitæ? Deus bone, quàm multifariam, quàm certò, quàm sanctè, quàm efficaciter nostris cogitationibus, sermonibus, factis, toti denique vitæ præstituuntur statæ perpetuæque regulæ in his libris! qua doctrina, quibus exemplis circumfluunt! Non libet hoc loco elogia multa longiùs petita percurrere: modò pervulgata duo testimoniorum genera adduxerimus ex Testamento novo. Unum est: Scripturæ hujus doctrinam testimoniis Christi, Euangelistarum, & Apostolorum confirmatam esse, qui illam tam sæpe quàm Moschen aut Prophetas alios sermoni suo adhibent, & auctoritatem sibi apud auditores conciliant ab illius locis. Ideoque Paulus Romanis, Quæ antè scripta sunt, inquit, ad doctrinam nostram scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Idem Timotheo, Permane in iis quæ didicisti & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris: Teque à puero sacras literas novisse, quæ te possunt sapientem reddere in salute per fidem in Christo Jesu. Tota Scriptura divinitus est inspirata, utilis, &c. Alterum est, rationem usus percipiendi ex hoc Scripturarum genere ipsis locis singulis commonstrari, ubi adducitur. Nam ut missa faciamus ea doctrinæ capita, quæ in his libris quàm simplicissimè & accommodatissimè proferuntur: illud pro certo habemus, quot exempla in his libris exstant, totidem exstare magisteria vitæ & fidei, ac juris factorùmque typos summis infimis, doctis indoctis, adeòque omnibus imitanda fugiendave propositos: proinde sive legamus promissiones, minas, præcepta, interdicta, beneficia judiciave Dei, siue hominum officia rationem fidei aut vitæ spectantia, sive rerum creatarum quæ in cælo aut terra degunt obsequia: omnia universè & singillatim ad ingenerandam fidem pertinere, informanda studia, componendos animos, & corrigendos mores. Audiuntur promissiones à Deo? adhibetor fides. audiuntur minæ? castus affertor metus. audiuntur præcepta vel interdicta? obsequendi studium accedito. beneficia judiciave proferuntur? animi cum reuerentia Dei, qui certissimus & constantissimus illorum auctor est, eò advertuntor. Quæcunque hominum officia in exemplum subjiciuntur, imitationi sunto: ignorationis, infirmitatis, & contumaciæ exempla odium, horrorem, fugam, & studiosissimam cautionem ab iis indunto animis nostris: promta cælestium terrestrium aquaticorumque obsequia admirationem omnipotentiæ, sapientiæ, bonitaisque divinæ afferunto: omnia deniq. confirmanto fidem & patientiam, spem consolationemque pariunto, & accendunto Zelum: ne per nos fiat, ut quo majorum à Deo benefactorum sumus conscii cum animis nostris, eò majoris perfidiæ & ἀχαριστίας gravioris hic & in seculo venturo condemnemur. Hæc ita se habere cùm multis locis docent Apostoli, qui hæc rerum antegestarum & in sacrarium Ecclesiæ relatarum exempla propter nos fuisse scripta & facta testantur, δείγματα, ἐνδείγματα, ὑποδείγματα, ὑπογραμμα, καὶ τύπους nominantes: tum inprimis Petrus his verbis aureis ostendit: Habemus firmiorem (videlicet quàm sint σεσοφισμένοι μύθοι, quorum antè meminerat) sermonem illum propheticum: cui rectè facitis quod attendatis: velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usquedum dies illucescat & lucifer exoriatur in cordibus vestris: Hoc inprimis scientes, nullam prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis: non enim libidine hominis allata est olim prophetia: sed acti à Spiritu sancto loquuti sunt sancti homines illi Dei. Quum itaque hi nostri historiarum libri impressa quadam à Deo maiestate, auctoritate, fide, utilitate, & forma longè anteferendi sint omnibus illis quos humana industria exaravit, & peculiares sint thesauri olim Ecclesiæ commissi, & ab eo tempore per manus traditi ad ædificationem nostram: prout illos Deus sua Ecclesia dignos judicavit, ita nos hanc recognitionem nostram, quantacumque est, nomine T. C. Ecclesiæ Christi offerimus. Dignissimum donum exhibit Deus Ecclesiæ suæ dignum Christiano Principe, dignum omnibus hominibus, dignum seculis: etsi nos imparem rebus, personis, exspectationique operam exhibemus, sed pro demenso donationis Christi. Octavium Augustum narrat Tranquillus in evolvendis utriusque linguæ auctoribus nihil æquè sectatum esse quàm præcepta & exempla publicè vel privatim salubria: eaque ad verbũ excepta aut ad domesticos, aut ad exercituũ provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerúmque misisse, prout quique monitione indigerent: etiam libros totos & senatui recitasse, & populo notos per edictum sæpe fecisse, quò magis persuaderet

deret rem non à se primò animadversam, sed antiquis pariter fuisse curæ. Egregium profectò studium, & conveniens humano Principi, qui impotentem tyrannorum dominationem hac sua lenitate uniuersæ posteritati παραδειγμάτισεν. Verùm quanto dignius Christiano Principe exempla hæc in manibus, in oculis, in animo ferri, & dicta factaq; ad normam eorum exigi! Hæc sunt proculdubiò, hæc illa sunt studia, quæ Christianam juventutem alunt, senectutem confirmant, domi oblectant, foris conversantur, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur, & ubivis locorum secundis adversisq; rebus sanctorum animos ad cælestes cogitationes evehunt, faciuntq; ut jam unà cum Christo sedeant ἐν ἐπουρανίοις. Accipe igitur, Illustrißime Princeps, alterum hoc tuorum erga nos beneficiorum, nostriq; erga T.C. animi monimentum, & pignus officii: ut primùm Deo Optimo Maximo de clariore ista veritatis explicatione (si quam Deus, ut speramus, operâ nostrâ contulerit) immortales gratiæ in Ecclesia habeantur, deinde etiam T.C. cujus monitis atque subsidiis opus istud cœptum & hucusque à nobis perductum est: postremò verò nobis piorum vota faveant, studiumq; nostrum in hoc opere consummando sanctis precibus sublevent coram Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo: cui Regi æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo honor & gloria in sempiterna secula. Amen.

Dominus T.C. quàm diutißimè incolumem servet, tibi adsit, te suo Spiritu regat, & omni benedictionum genere in dies ornet cumulatißimè.

T. C. servi addictissimi,
Immanuel Tremellius,
Franciscus Junius.

Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 40.

Cui narranti meliùs præterita credimus quàm qui etiam futura prædixerit quæ præsentia jam videmus? Nam & ipsa historicorum inter se dissonantia copiam nobis præbet, ut eis potiùs credere debeamus, qui diuinæ quam tenemus non repugnant historiæ.

Paulo pòst.

Nos in nostræ religionis historia, fulti auctoritate divina, quicquid ei resistit non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant cætera in secularibus literis: quæ seu vera seu falsa sint, nihil momenti afferunt quò rectè beatéque vivamus.

JEHO-

JEHOSCHUHÆ LIBER UNUS.

LIBER Jehoschuhæ res memorabiles, inde a morte Moschis usque ad mortem Jehoschuhæ successoris, a Deo pro Jisraëlitis gestas continet, ut fidem suam in suis promissionibus confirmaret, & promissa impleret. Estq; historia annorum amplius septemdecim, ac fermè octodecim.

CAPUT PRIMUM.

Jehoschuah divinitus jussus vocatione suscepta omnibus mandat, ut ad Jardenem trajiciendum se parent: illis autem, quibus cis Jardenem possessio erat attributa, ut promissi memores in expeditionem cum aliis proficiscantur; qui omnes fidem dant Jehoschuhæ.

FUIT autem post
[1] mortem Moschis
servi Jehovę; ut edi-
ceret Jehoua Je-
hoschuhę filio Nu-
nis ministro [β] Mos-
chis, dicendo.
2 Mosche ser-
vus meus mortuus
est: iam itaq; surge,
transi Jardenem hunc tu & totus populus hic *ven-
turus* in terram quam ego do ipsis, filiis Jisraëlis.
3 [β] Omnem locum quem calcaverit planta
pedis vestri [2] dedi vobis: quemadmodum allo-
quutus sum Moschen.
4 [3] A deserto illo & [4] Libano isto usque ad
flumen [5] maximum, flumen Euphratis, totam ter-
ram [6] Chithæorum usque ad [7] mare magnum,
ad occasum Solis; erit terminus vester.
5 Non poterit consistere quisquam ante fa-
ciem tuam, ullis diebus vitę tuę: quemadmodum
fui cum Mosche, ero tecum, non deseram te, ne-
que derelinquam te.
6 Confirmare & fortis esto: tu enim possi-
dendam trades populo huic terram illam quam
[a] juramento promiseram majoribus eorum, me
daturum eis.
7 Tantummodò confirmare & fortis esto
valdè, ut [b] cum observantia facias prorsus secun-
dùm legem illam, quam [8] præcepit tibi Mosche
servus meus, ne recede ab [9] eo dextrorsum aut si-
nistrorsum: ut secunderis quocunque iveris.
8 Ne discedito [10] liber iste legis ex ore tuo,
sed meditaberis de eo interdiu & noctu, ut cum
observantia facias omnino prout scriptum est in
eo: tunc enim prosperaberis *in* viis tuis, & tunc
secundaberis.
9 [11] Nonne præcepi tibi? confirmare & for-
tis esto, ne expavescito neque consternator: quia
tecum *est* Jehova Deus tuus quocunque iveris.
10 Præcepit itaque Jehoschuah moderatori-
bus populi, dicendo,
11 Transite per [c] castra, & præcipite populo,
dicendo, parate vobis [12] viaticum: nam intra tres
dies vos trajecturi estis Jardenem hunc, ut in-
gredimini ad possidendum jure hæreditario
terram, quam Jehova Deus vester dat vobis

[1] de qua dictum est Deuter. 34.
[β] Deut. 1. 38.
[β] Deut. 11. 24.
[2] promissione quidem & jure anteà; sed jam ex facto traditurus sum.
[3] desertum Sinis intelligit, quo terminabatur ad meridiem promissa terra.
[4] Aquilonali termino.
[5] termino ab oriente, Gen. 15. 18.
[6] tractum orientalem incolentium.
[7] terminum ab occidente.
[a] *Heb. juraveram.*
[b] *Hebr. ad observandum faciendo: hypallage: sic ver. 8.*
[8] Num. 27. ver. ultimo. Deut. 31. 7. & sequentibus.
[9] sub. Mosche, μετωνυμικῶς, i. ab eo quod præcepit Mosche.
[10] de quo Deut. 31. 9.
[11] confirmat eum a vocatione divina primùm, deinde verò à præsentia Dei efficacissima. Est autem hic Hebræus affirmandi modus, ut diximus Genes. 13. 9.
[c] *Heb. per medium castrorum, vel in medio.*
[12] si quid vobis præter cibum ad iter est necessarium, illud jam parate. Man enim nondum cessârat.

possidendam, jure hæreditario.
12 Reubenitis autem, & Gaditicæ, ac dimi-
diæ tribui Menaschiticæ, edixit Jehoschuah, di-
cendo;
13 Recordamini rei illius quam præcepit vo-
bis [β] Mosche, servus Jehovæ, dicendo; Jehova
Deus vester [13] quietem largitur vobis, quòd de-
dit vobis terram hanc.
14 Fœminæ vestræ, parvuli vestri, & pecora
vestra manebunt in hac terra, quam dedit vobis
Mosche cis Jardenem: at vos transite [d] militari
ordine ante fratres vestros, quotquot *estis* valen-
tes robore, & adjuvate eos:
15 Usque dum quietem largitus sit Jehova
fratribus vestris, ut vobis; & jure hæreditario pos-
sideant etiam ipsi terram, quam Jehova Deus ve-
ster dat eis: tunc revertemini in terram hæredi-
tatis vestræ, quam dedit vobis Mosche servus Je-
hovæ cis Jardenem ad ortum Solis, & hæredita-
riò jure possidebitis eam.
16 Qui [14] responderunt Jehoschuhæ dicen-
do; quicquid præcepisti nobis faciemus, & quo-
cunque miseris nos ibimus.
17 Omnino secundùm ea quibus auscultavi-
mus Moschi, sic auscultabimus tibi: [15] tantum-
modò sit Jehova Deus tuus tecum, quemadmo-
dum fuit cum Mosche.
18 Quisquis [16] rebellaverit [e] præstituto tuo,
& non auscultaverit verbis tuis in omnibus quæ
præceperis ei, morte plectitor: tantummodò con-
firmare & fortis esto.

[β] Num. 32.
[13] i. quietis locum, eumque securissimum ex promissione ipsius atque potentia: adeò ut nihil sit vobis de familiis & rebus vestris laborandum, si certa fide ei obsequamini. vide Exo. 34. 24. & Deut. 33. 21.
[d] *Heb. quinti, ut Ex. 13. 18. & infrà 4. 12.*
[14] omnes tribus ad superiora mandata.
[15] id est, videto, ut tibi Deus adsit, sicut Moschi: & tu ab eo non recedas, sicut Mosche non recessit ab eo. Restipulatio.
[16] i. defectionis a te ullius autor fuerit, aut etiam ἀντεῖπας: quemadmodum exponunt sequentia.
[e] *Heb. ori t.*

CAPUT II.

Jehoschuah præmittit exploratores; qui diverti Jerichunte apud Rachabam, & ab ea abditi, periculo liberati, ac de regionis statu informati, jurejurando promissa ei & cognationi vita ad Jehoschuham revertuntur, eumq; de omnibus certiorem faciunt.

MIserat [1] autem *priùs* Jehoschuah filius Nunis
[2] Schittimis duos viros exploratores [a] clàm

[1] Hyperbaton est perpetuum toto hoc cap.

cujusmodi annotavimus Gen. 11. 1. quæ enim hoc capite narrantur a Jehoschuha, antequam edictum de parando viatico promulgaret fuisse gesta arguit evidentissimè versus 16. & 22. hujus capitis cum versu 2. capitis 3. compara 10. Atque hæc quidem voluntate divina gesta fuisse eventus ostendit. Voluit enim Deus per Rachabę relationem Jisraëlitis, ad eos confirmandos, innotescere populi præsentem constitutionem: ut Judic. 7. per somnii narrationem Gidhonis animus confirmatus dicitur: & Jonathanis per euocationem Iudi. 1. Schemu. 14. [2] de quo Num. 25. & 33. 49. [a] *Heb. silenter: id est, non communicato cum populo consilio, ut factum fuerat Num. 13.*

dicendo, ite, inspicite terram istam, adeoq; Jeri-
chuntem: qui abeuntes venerant in domum cu-
jusdam meretricis cauponæ, cujus nomen erat
Rachab, ut cubarent ibi.
2 Sed quum renanciatum fuisset Regi Jeri-
chuntis, dicendo; ecce quidam venerunt huc per
noctem e filiis Jisraëlis ad pervestigandum hanc
terram:
3 Misit Rex Jerichuntis ad Rachabam, qui
edicerent; produc viros illos venientes ad te, qui
ingressi sunt domum tuam, nam ad pervestigan-
dum totam hanc terram venerunt.
4 [3] Assumens autem mulier illa duos viros
illos, absco͂derat utrunq;: [4] & ita respondit, vene-
rant quidem ad me viri, nec sciebam unde essent:
5 Sed quum claudenda esset porta in ipsis te-
nebris, viri illi exierunt, non novi quò abiverint
viri illi: persequimini eos celeriter, nam assequе-
mini eos.
6 (Illa autem jusserat ipsos conscendere te-
ctum suum: & absconderat eos in [b] stipulis lini,
quæ erant ipsi dispositæ super tectum)
7 Quam ob rem [5] virorum illorum *alii* per-
sequuti fuerant eos viâ ad Jardenem per vada
singula; *alii* autem [6] portam clauserant posteà,
quum egressi essent qui persequebantur illos.
8 [7] Illi autem nondum cubaverant quum
ipsa ascendit ad istos super tectum:
9 Dixitq; viris istis, novi Jehovam dedisse
vobis terram hanc: cùm quia irruit terror vestri
super nos, tum quia diffluxerunt omnes habita-
tores istius terræ [c] metu vestri.
10 Audivimus enim quomodo arefecit Jeho-
va aquas maris algosi, propter vos, quum exiretis
ex Ægypto: & quę fecistis duobus regibus Emo-
rę orum, qui *erant* trans Jardenem, Sichoni & Ho-
go, quos internecioni devovistis.
11 Quod audientibus nobis liquefactum est
cor [8] nostrum, [d] neq; constat animo quisquam
ampliùs metu vestri: nam Jehova Deus vester,
est Deus in cælis suprà, & in terra infrà.
12 Nunc itaque jurate mihi, quæso, per Jeho-
vam, quia exercui benignitatē erga vos; sic exer-
cituros vos quoq; erga familiam paternam me-
am benignitatem, & date mihi signum [e] certum:
13 *Fore* ut vivos conservetis patrem meum, &
matrem meam, & fratres meos, & sorores meas,
& quicquid illorum est; eripiatisq; animas no-
stras a morte.
14 Responderuntq; ei viri isti, [9] anima nostra
loco vestri ad moriendū *esto exposita*, si non enun-
ciaveritis sermonem nostrum hunc: id futurum
esse, quum dederit nobis Jehova terram hanc, ut
exerceamus erga te benignitatem & fidem.
15 Tunc illa demisit eos fune per fenestram
(nam [f] domus ejus erat imposita parieti mœnium,
ita ut in ipsis mœnibus habitaret illa)
16 Dicens ipsis, ad istum montem ite, ne oc-
currant vobis qui persequuntur: & latitate illic
tribus diebus, donec revertantur persequentes,
deinde ibitis viâ vestrâ.
17 Ei verò dixerunt viri isti, [10] insontes erimus
ab adjuratione tua hac, qua adjurasti nos:
18 Ecce nobis intrantibus in hanc terram,
hunc funiculum fili dibaphi ligato in hac fene-
stra per quam nos demisisti, & patrem tuum cum
matre tua ac fratribus tuis, denique totam fami-
liam patris tui jubeto convenire ad te in hanc
domum.
19 Erit enim ut cuiusq;, qui egressus fuerit e
foribus domus tuæ, [g] cędis causa in caput eius *re-
cidat*, & nos simus insontes: cujusque verò qui erit

3 quum rem audiret enunciatam fuisse Regi.
4 quum a legatis Regis rogaretur. Hoc autem responsum cur mendax necessariò statuamus dici oportere, non video. Potuerunt enim alii apud Rachabam (puta cauponam) divertisse, de quibus illa responderit: prout opus est divinæ providentię, alios hospites receptos indicari ex veritate, & alios ex fide & charitate dissimulari. Nam fide Rachab exploratores accepit cum pace, Heb. 11.31. & dimisit via altera, Jacob. 2.25. Quòd si tamen (ut plerique omnes judicant) mendacium esse placuerit, de eo oportet judicari, ut diximus in Exo. 1.19.
b *Heb. in linis stipulæ, hypallage.*
5 civium Jerichuntis.
6 urbis videlicet, ne, si in urbe essent exploratores, elaberentur.
7 cives, qui nondum a murmure plane cessarant.
c *Heb. a facie, sic deinceps.*
8 id est, populi nostri: synecdoche.
d *Heb. neque constat ampliùs spiritus in quoquam a facie vestra.*
e *Heb. veritatis.*
9 vide in Deut. 7.2.
f *Heb. nam domus ejus erat in pariete mœniorum.*
10 id est, esse volumus his duabus conditionibus quæ sequuntur; ne quis sit extra domum, & ne quid reveles.
g *Heb. sanguis ejus in capite ejus: sic paulo inf.*

tecum in hac domo, cædis causa *recidat* in caput
nostrum, si manus fuerit in eum *injecta*.
20 Sed si enunciaveris sermonem nostrum
hunc; tunc erimus insontes ab adjuratione tua,
qua adjurasti nos.
21 Qua dicente, secundùm verba vestra sic
esto, & dimittente eos abiverunt: [11] posteà alliga-
vit *illa* funiculum dibaphum fenestrę illi.
22 Abeuntes ergo venerunt in montem illum,
ac manserunt ibi tribus diebus, donec rediissent
qui persequebātur *ipsos*: quęsierant enim eos qui
persequebantur totâ illâ viâ, sed non invenerant.
23 Deinde revertentes duo viri isti quum de-
scendissent e monte trajecto *Jardene*, pervene-
runt ad Jehoschuham filium Nunis: & enarra-
runt ei quæcunque obvenerant sibi.
24 Dixeruntq; Jehoschuhæ, *eamus*, nam tra-
dit Jehova in manum nostram totam terram
istam: atque etiam diffluent omnes habitatores
istius terræ metu nostri.

11 quum commodum & necessarium visum est.

CAPUT III.

Jehoschuah ad Jardenem trajecturus accedit, populoq; pridie ad sanctificationem comparato, Sacerdotes cum arca præmittit: ad quorum ingressum Jarden divisus, transituris cedit. quo signo Jisraëlitæ confirmati, omnes ad unum trajiciunt.

ITaque quum surrexisset Jehoschuah [1] manè,
profecti Schittimis, pervenerunt usque ad Jar-
denem, ipse & omnes filij Jisraëlis; pernocta-
runtque ibi, nondum trajecerunt.
2 Fuitque [a] [2] tertio pòst die; ut transirent
moderatores per [b] castra.
3 Et præciperent populo, dicendo; quum vi-
debitis arcam fœderis Jehovæ Dei vestri, & Sa-
cerdotes Leviticos portantes eam [3] *proficisci*: vos
quoq; proficiscimini e loco vestro, & [c] sequimi-
ni eam.
4 Verumtamen longinquum *spacium* esto in-
ter vos & eam, quasi bis mille cubitorum [4] *notæ*
mensuræ: ne *propiùs* accedite ad eam, ut cognos-
catis viam per quam ituri estis, non enim transi-
vistis per viam hanc [d] anteà.
5 [5] Edixitq; Jehoschuah populo, sanctifica-
te vos: nam cras facturus est Jehova in medio ve-
stri mirabilia.
6 [6] Deinde edixit Jehoschuah Sacerdotibus
dicendo, portate arcam fœderis, & transite ante
populum: qui portantes arcam fœderis, iverunt
ante populum.
7 Dixerat enim Jehova Jehoschuhæ, isto
die incipiam magnificare te ante oculos totius
Jisraëlis: ut agnoscant, quemadmodum fui cum
Moscheh, me futurum tecum.
8 Tu autem præcipito Sacerdotibus portan-
tibus arcam fœderis, dicendo; quum perveneritis
usque ad [7] extremitatem aquarum Jardenis, in
ipso Jardene consistite.
9 Edixit itaque Jehoschuah filiis Jisraëlis,
accedite huc, & audite verba Jehovæ Dei vestri.
10 Deinde dixit Jehoschuah, [8] hac *re* cog-
noscetis *Deum* fortem, vivum esse in medio vestri,
& omnino expulsurum à facie vestra Cenahanæ-
um, & Chitthæum, & Chivvæum, & Perizzæ-
um, & Girgaschæum, & Emoræum, & Jebusæum.
11 Ecce arca fœderis, *arca* [9] domini totius ter-
ræ, transit ante vos per Jardenem:
12 Nunc itáque [10] sumite vobis duodecim
viros e tribubus Jisraëlis, [e] virum unum in unam-
quamque tribum.
13 Erit enim, quum primùm quiescent plan-
tæ pedum Sacerdotum portantium arcam Je-
hovæ,

1 noni diei mensis primi: trajecerunt enim die decimo ejusdem mensis, ut apparet infra 4.19.
a *Heb. a fine trium dierum.*
2 a mandato, de parando viatico suprà 1.11.
b *Heb. medium castrorum.*
3 atque præire. Ellipsis est elegans verbi ex membro proximo supplendi, ut Matth. 2.10.
c *Heb. ite post eam.*
4 i. communis & apud omnes receptæ: vide in Numer. 35.5.
d *Heb. ab heri, nudiustertius: synecdoche usitata.*
5 eodem nono die mensis primi, pridie quam Jardenem trajecerent.
6 nimirū decimo die eiusdē mensis.
7 id est, in alveum citerioris ripæ.
8 quam exprimit ver. 13. & sequentibus: nempe quòd Jardenem sicco vado sint transmissuri, eumq; fluxurus tamdiu dum universus populus transiverit.
9 ac proinde dominium suum esse facto in hunc Jardenem demonstrantis.
10 i. seligite ad eum finem qui narratur infrà 4. 2. & sequentibus.
e *Heb. virum unum virum unum, infra 4.2.*

hovæ, domini totius terræ, in aquis Jardenis, ut
aquæ Jardenis discindantur, aquæ descendentes
supernè: [11] quæ consistent acervo uno.
14 Fuitque quum proficisceretur populus e
tentorijs suis ad trajiciendum Jardenem; & Sa-
cerdotes portãtes arcam fœderis ante populum:
15 Dum pervenerunt portantes arcam usque
ad Jardenem, & pedes Sacerdotum portantium
arcam cœperunt intingi in extremitate aqua-
rum ejus: [12] (est autem Jarden plenus, supe-
rans omnes ripas suas omnibus diebus messis)
16 Ut consistentes aquæ, quæ descendebant
supernè, consurgerent in acervum unum, pro-
cul valde ab Adamo civitate quæ *est* a latere
[13] Tzarthanis, quæ autem descendebant ad mare
campestrium, [14] mare salsum, [f] prorsus [15] exscin-
derentur: itáque transiverunt populus e regione
Jerichuntis.
17 Stabant autem Sacerdotes portantes ar-
cam fœderis Jehovæ in ipso sicco in [g] alveo Jar-
denis firmi: dum omnes Jisraëlitæ transirent per
siccum, usque dum absoluissent tota gens illa
trajicere Jardenem.

11 videlicet aquæ superiores, ut ex ver. 16. apparet.
12 non tantùm id tunc contigit (ut pleriq; arbitrantur) sed quotannis fit ex fluminis natura: ut apparet ex 1. Chronic. 12. 16. & infrà 4. 18. & Ecclesiastici 24. 36.
13 ager est in tribu Ephrajimi, de quo 1. Reg. 4. 12. & 7. 46. Idem etiam dicitur Tzerera, Iudic. 7. 22. & Tzeroda mutata litera, 1. reg. 11. 26.
14 vide Gé. 14. 3.
f Heb. deficerent, exscinderentur.
15 i. effluerent, & in lacu Asphaltite deperirent velocissimè, tanquam si repentè fuissent dissectę gladio, ut Jjob. 6. 17. hæc metaphora adhibetur.
g *Heb. in medio, id est, intra alveum.*

CAPUT. IIII.

Transmisso populo, Sacerdotes cũ arca Jardenem trajiciunt, qui illico revertitur in priorem statum. Cujus beneficij monimenta utrinque populo Dei eriguntur.

FUit autem quum absoluerent tota gens hæc
trajicere Jardenem ([1] quia [ll] edixerat Jehoua
Jehoschuħæ dicendo,
2 Sumite vobis è populo duodecim viros,
[a] virum unum ex unaquáque tribu:
3 Et præcipite eis dicendo; [2] tollite vobis
hinc ex medio Jardene, ex [b] ipso loco ubi stant
Sacerdotum pedes firmi, duodecim lapides: &
transportantes eos vobiscum, collocabitis eos
[3] in [c] statione in qua pernoctaturi estis hac nocte)
4 Ut vocaret Jehoschuaħ duodecim illos
viros, quos stiterat e filiis Jisraëlis; virum unum e
quaque tribu:
5 Quibus edixit Jehoschuaħ, trãsite in con-
spectum arcæ Jehovæ Dei vestri in medio Jar-
dene: & tollentes vobis quisque lapidem unum
imponito humero suo, pro numero tribuum filio-
rum Jisraëlis:
6 Ut sit hoc signum in medio vestri: ut quum
interrogabunt filij vestri [d] posthac, dicendo, quid
lapides isti vobis *designant?*
7 Dicatis eis, discissas fuisse aquas Jardenis
a præsentia arcæ fœderis Jehovę, quum transiret
per Jardenem, discissas mansisse aquas Jardenis:
ideóque sunt lapides isti monimento filiis Jisraë-
lis [4] usque in seculum.
8 Itaque facientes sic filii Jisraëlis, quemad-
modum præceperat Jehoschuaħ; sustulerunt
duodecim lapides e medio Jardene, quemadmo-
dum edixerat Jehova Jehoschuħæ, pro numero
tribuum filiorum Jisraëlis: quos transportarunt
secum [5] ad illam stationem, & collocarũt eos ibi.
9 [6] Præterea duodecim lapides erexit Jeho-
schuaħ in medio Jardene; *in* loco ubi stabant
pedes Sacerdotum portantium arcam fœderis:
fuerúntque ibi [7] usque in diem hunc.
10 Intereà Sacerdotes portantes arcam sta-
bant in medio Jardene; donec absolutum esset id
totum quod præceperat Jehova Jehoschuħæ ut
ediceret populo, secundum omnia quæ [8] præce-
perat Mosche Jehoschuħæ: dum festinantes po-
pulus trajicerent.

1 hyperbaton est, ut infrà 12. V. quod huic libro admodum est familiare.
ll *supra* 3. 12.
a *Heb. virum unum virum unum ex tribu. sic* 4. V.
2 nempe ad eum finem quem declarat Jehoschuaħ infrà 5 & seq.
b *Heb. ex statione pedum sacerdotum.*
3 i. Gilgale, infrà 19. & 20.
c Heb. *in diversorio: sic ver.* 8.
d *Heb. cras: synecdoche usitata, ut infrà* 21. *ver.*
4 vide in Genes. 17. 8.
5 cui posteà fecit nomen Gilgal, ut ostenditur infrà capite 5.
6 ut monimento essent eis Jardenem habitantibus.
7 id est, immutabili & perpetuo statuto.
8 quorum summa continetur Num. 27. 21.

11 Fuitque quum absoluisset totus populus
trajicere; ut trajiceret arca Jehovæ, & Sacerdo-
tes in conspectu populi.
12 Trajecerunt autem Reübenitæ & Gaditæ,
& dimidiata tribus Menaschis [e] militari ordine
ante filios Jisraëlis: quemadmodum [ll] edixerat eis
Mosche:
13 Quasi quadragies mille expediti ad mili-
tiam; trajecerunt [9] ante Jehovam in bellum, in
campestria Jerichuntis.
14 Die isto magnificavit Jehova Jehoscuħã
ante oculos omnium Jisraëlitarum, ut revereren-
tur eum, quemadmodũ erant reveriti Moschen,
omnibus diebus vitæ ejus.
15 Edixit ergo Jehova Jehoschuħæ, dicendo:
16 Præcipe Sacerdotibus portantibus arcam
testimonij; ut ascendant e Jardene.
17 Præcepitque Jehouschuaħ Sacerdotibus,
dicendo; ascendite e Jardene.
18 Fuit autem quum ascenderent Sacerdotes
portantes arcam fœderis Jehovæ e medio Jarde-
ne in siccum, *tantùm* avellebantur plantæ pedum
Sacerdotum: ut reversæ aquæ Jardenis in locum
suum, irent [f] ut anteà, supra omneis ripas ejus.
19 Populus itaque ascenderunt e Jardene de-
cimo die mensis primi: & castra posuerunt [10] Gil-
gale, in extremitate, *ad* orientem Jerichuntis.
20 Illos autem duodecim lapides, quos acce-
perant e Jardene; erexit Jehoschuaħ Gilgale:
21 Edixítque filiis Jisraëlis, dicendo; quum
interrogabunt posthac filii vestri patres suos di-
cendo, quid *sibi volunt* lapides isti?
22 Tunc instruetis filios vestros, dicendo; per
aridam trajecit Jisraël Jardenem istum:
23 Nam arefecit Jehova Deus vester aquas
Jardenis [11] propter vos, donec transissetis: quem-
admodũ fecerat [ll] Jehoua Deus vester mari algoso,
quod arefecit [12] propter nos donec transissemus:
24 Ut cognoscant omnes populi terræ ma-
num Jehovæ [g] robustam esse: [13] ut timeatis Je-
hovam Deum vestrum omnibus diebus.

CAPUT V.

25 [14] Sic fuit quum audirent omnes reges E-
moræorum, qui erant in latere Jardenis versus
[h] occidentem, & omnes reges Cenaħanæorum,
qui accolebant mare, arefecisse Jehovam aquas
Jardenis propter filios Jisraëlis, donec traiecisse-
mus: ut liquefieret cor illorum, nec esset ampliùs
in iis animus metu filiorum Jisraëlis.

e *Heb. quini, ut sup.* 1. 4.
ll *Num.* 32.
9 id est ante arcam Jehovæ in medio Jardene consistentem, donec omnes militari ordine trajecissent: ut ostenditur infrà 6. 12.
f *Heb. heri nudiustertius: synecdoche usitata.*
10 per anticipationem locum vocat, qui posteà ita vocatus fuit infrà 5. 8.
11 qui immorigeris parentibus vestris successistis ex institutione Dei, Numer. 14.
ll *Exod.* 14.
12 i. me & Calebum, & parentes vestros, qui omnes occubuerunt in deserto indignatione Dei.
g *Heb. quàd robusta est.*
13 ac non resiliatis a reverentia & obsequio ipsius, ut fecerunt majores vestri.
14 quia hic versus a præcedentibus pendet, & ad sequentia non pertinet, superioribus conjunximus: nisi quis fortè hanc occasionem a Deo fuisse oblatam putet, qua Jisraëlitæ operam dederunt confidentiùs circumcisioni suæ, de qua in sequentibus agitur.
h *Heb mare.*

CAPUT V.

Jehoschuaħ interruptum circumcisionis usum, instaurat Gilgale, ubi præstituto tempore Pascha celebratur, & Man cessat.

TEmpore illo edixit Jehova Jehoschuħæ, pa-
ra tibi gladios acutos, & [a] [1] secundò repe-
tens circumcide filios Jisraëlis.
2 Paravit itaq; Jehoschuaħ sibi gladios acu-
tos: quibus circumcidit filios Jisraëlis ad [2] col-
lem præputiorum.
3 Hęc autem est ratio cur circumcidit Jeho-
schuaħ: totus populus ille qui exierant ex Ægy-
pto mares, omnes viri [b] ad bellum apti [3] mortui
erant in deserto, in ipso itinere, postquam exi-
vissent ex Ægypto:
4 [4] Quum autem circumcisi fuissent totus iste
populus qui exierant: totũ populum hunc tamen
qui nati fuerant in deserto, in ipso itinere, post-

a *Heb. & redi, circumcide filios Jisraëlis secundò.*
1 i. rem semel ab Abrahamo observatam, ac deinde in deserto a reditu exploratorum neglectam, rursus in usum revocans.
2 nomen accepit ex præsenti facto, quod præputia Jisraëlitarum circumcisorum sint ibi relicta.

b *Heb. viri belli: sic infrà* 5. *ev.* 3 i. summi peccatores, & rebelles in Deum fuerant, ideoq; damnati a Deo suæ rebellionis nomine: noëma gravissimum.
4 i. quamvis ipsi divinæ gratiæ sigillo fuissent obsignati, ut se & suos posteros semen Abrahami esse agnoscerent profiterentursq;.

quàm

quàm exivissent ex AEgypto,[5]non circũciderant.
5 Quadraginta enim annis iverant filij Jisra-
ëlis per desertũ; donec consumeretur tota gens
illa, viri apti ad bellum egressi ex AEgypto; qui
non auscultaverant voci Jehovæ: eo quòd juras-
set Jehova eis, se non permissurum eis ut vide-
rent terram, quam juramento promiserat Jeho-
va majoribus eorum se daturum [6] nobis, terram
affluentem lacte & melle.
6 Illorum ergo filios statuens [7] loco ipsorũ,
hos circumcidit Jehoschuaĥ: quia præputiati
erant, ac non circumciderant eos in ipso itinere.
7 Fuitque quum [c] omnino tota hæc gens
circumcisa esset; ut considêrent loco suo in ca-
stris, donec [d] sanitatem recepissent.
8 Tum dixit Jehova Jehoschuĥæ, hodie de-
volvi [8] opprobrium AEgypti a vobis: vocavítque
nomen loci illius [e] Gilgalé usque in diem hunc.
9 Quúmque filij Jisraëlis castra haberent
Gilgale, celebrarunt Pascha quartodecimo die
illius mensis vespere, in campestribus Jerichuntis:
10 Comederúntque ex annona ipsius terræ
postridiè Paschatis, azymos panes, & tostum ig-
ne: eo ipso die.
11 Quam ob rem cessavit Man postridie *illius*,
quum comederent de annona illius terrę, neque
fuit deinceps filijs Jisraëlis Man: sed comede-
runt de proventu terræ Cenaĥanis anno illo.

[5] patres, quasi fœdus Dei a se & posteris suis abjicientes, ut homines immorigeri, quos fastidiverat Dominus.
[6] mihi, Calebo, & semini illorũ superstiti ex decreto Dei.
[7] puta in sancto fœdere, ut Deus pronunciaverat Num. 14.
[c] *Hebr. quum absoluissent tota illa gens circumcidi.*
[d] *Hebr. revivis cerent: ut Num. 20.8.*
[8] id est, ex AEgypto haustũ, AEgyptiis non Jisraëlitis dignũ. nam etsi non datum est illis quod cupiebant, ut redirent in AEgyptum, Num. 14.4. animo nihilo minus AEgyptum spirabant; quod vel ex circumcisionis neglectu declararunt. Hæc ergo apertissima est verissimáque ratio cur ætas ista circumcisione caruerit, nimirum probrosissima parentum pervicacia. Nam quod alii continuas profectiones in causa fuisse putant, probare non possumus: præsertim cùm anni quamplurimi uno in loco consumpti sint, Deut. 1.46. & 2.13. [e] *i. devolutio, propter devolutum ibi ab Jisraëlitis probrum.*

CAPUT VI.

Jehoschuaĥ visione præmonetur de fœlici successu contra hostes, Deo duce; instruiturq; de ratione expugnandæ Jerichuntis: & jubetur civitatem internecioni devovere.

Fuit [1] autem quum esset Iehoschuaĥ ad Ieri-
chuntem, ut attollens oculos suos videret,
quòd, ecce [2] vir *quidam* staret ex adverso ejus cum
[3] gladio suo stricto in manu sua: hunc itaque a-
diens Jehoschuaĥ dicebat ei, utrùm noster es, an
hostium nostrorum?
2 Qui dixit, [4] neutrum, nam ego *sum* [5] prin-
ceps militiæ Jehovæ, modò veni: [6] quamobrem
procidens Jehoschuaĥ super faciem suam in ter-
ram, incurvavit se, dixitq; ei, quid dominus me-
us edicit servo suo?
3 Tum edixit princeps militiæ Jehovæ Je-
hoschuĥæ, [7] extrahe calceamentum tuum a pe-
dibus tuis, nam locus in quo stas sanctus est: fe-
citq; sic Jehoschuaĥ.

CAPUT VI.

4 ([a] Cives autem Jerichuntis occluserant
eam, & occlusam continebant metu filiorum Jis-
raëlis: non *erat* qui exiret, nec qui intraret.)
5 Dixit deinde [8] Jehova Jehoschuĥæ, vide,
trado in manum tuam Jerichuntem & regem e-
jus; valentes robore.
6 Circumibitis itaq; civitatem ipsam, omnes
viri [b] apti ad bellum, circumdando civitatem
[c] semel: sic facito sex diebus.
7 Et septem Sacerdotes portanto septem
buccinas arietinas ante arcam, die verò septimo
circuitote civitatem [d] septies: Sacerdotes verò
clangunto buccinis illis.
8 Erit autem quum tractim sonabitur cornu
arietino, quum primùm audietis vocem bucci-
næ, ut vociferentur totus populus vociferatione
magna: sic concidet murus civitatis in loco suo,
ut ascendant populus quisque ex adverso sui.
9 Vocavit itaque Jehoschuaĥ filius Nunis
Sacerdotes, & edixit eis, portate arcam fœderis:
septem verò Sacerdotes portanto septem bucci-
nas arietinas ante arcam Jehovæ.
10 Populo autem [9] edixerunt, transite & cir-
cuite civitatem istam: & expeditus *quisque* tran-
sito ante arcam Jehovæ.
11 Fuit ergo, quum *hoc* edixisset Jehoschuaĥ
populo; ut septem Sacerdotes portantes septem
buccinas arietinas ante Jehovam, transirent &
clangerent buccinis illis: arca verò fœderis Jeho-
væ [e] sequeretur eos:
12 Expeditus autem *quisq;* ibat ante Sacer-
dotes illos clangentes buccinis: denique [f] extre-
ma acies sequebatur arcam, pergentibus *Sacer-
dotibus* & clangentibus buccinis illis.
13 Populo autem præceperat Jehoschuaĥ
dicendo, ne vociferemini, neque facite ut audia-
tur vox vestra, nec prodeat ex ore vestro ullum
verbum: usque in diem quo edicam vobis voci-
feramini, tunc vociferabimini.
14 Sic, quum circumduxisset arcam Jehovæ,
circa civitatem ipsam circumeundo semel, re-
uersi in castra, pernoctarunt in castris.
15 Deinde quum surrexisset Jehoschuaĥ ma-
nè; rursus portaverunt Sacerdotes arcã Jehovæ.
16 Et septem alii Sacerdotes portantes se-
ptem buccinas arietinas ante arcam Jehovæ, ire
pergebant, & clangebant buccinis illis: expedi-
tus autem *quisq;* ibat ante eos, & extrema acies
sequebatur arcam Jehovæ, pergentibus *Sacerdo-
tibus* & clangentibus buccinis illis.
17 Sic circuierũt civitatẽ die secundo semel,
ac reversi sunt in castra; ita fecerunt sex diebus.
18 Fuit autem die septimo, ut surgerent quum
aurora ascendebat, & circuirent civitatem hac
eadem ratione septies: tantùm die illo circuive-
runt civitatem illam septies.
19 Fuit verò vice septima, buccinantis Sa-
cerdotibus; ut ediceret Jehoschuaĥ populo, voci-
feramini, nam dedit Jehova vobis civitatẽ istam.
20 Erit autem civitas ista [10] anathema, ipsa &
quicquid est in ea, Jehovæ: tantum Rachab me-
retrix caupona vivat ipsa, & quicquid *est* cum ea
domi ejus, quia fideliter abscondit legatos illos
quos [11] miseramus.
21 Verumtamen vos tantùm [12] servate *vos* ab
anathemate, ne [13] efficiatis *vos* anathema, acci-
pientes de isto anathemate: & subjicientes ca-
stra Jisraëlis anathemati perturbetis ea.
22 Nam totum argentum, & aurum & instru-
menta ærea aut ferrea res sancta sunt Jehovæ: *in*
[14] thesaurum Jehovæ venito.
23 Vociferatus itaque est populus, quum *illi*
clangerent buccinis: fuitq; quum populus audi-
ret sonum buccinæ, & vociferarentur populus
voce magna, ut corrueret murus loco suo, ita ut
ascenderet populus in civitatem, quisque ex ad-
verso sui, caperentq; civitatem illam.
24 Devoverunt autem internecioni quicquid
erat in ea civitate [g] tam fœminas, quàm viros,
tam pueros, quàm senes; & boues, & pecudes, a-
sinosq; acie gladii.
25 Duobus autem viris illis, qui explorave-
rant illam terram, edixit Jehoschuaĥ, ite in do-
mum mulieris illius meretricis cauponæ; & edu-
cite inde ipsam mulierem & quicquid ejus *est*,
quemadmodum juramento promisistis ei.
26 Quum itaque ingressi pueri illi explora-
tores

[1] hunc versum cũ duobus sequentibus imperitè a proximè sequenti historia divulsũ, ei conjunximus, hinc caput sextum incipientes.
[2] Jehova (ut appellatur versu 5.) nimirũ Christus apparens in forma viri.
[3] symbolo ducis, qui iámque accinctus esset ad exercenda iudicia Dei, & Jehoschuĥam cõfirmaret.
[4] i. neque ex Jisraëlitis, neque ex hostibus.
[5] i. tam angelorũ quàm populi Dei. Christus autẽ est, ad quem solum hic principatus pertinet.
[6] hunc honorem exhibet ei, quia non angelum, sed Jehovam esse intelligit. angeli enim eum sibi deferri nolũt, Apoc. 19.10. & 22.8. nec pii bona fide gloriã Dei alteri possunt tribuere.
[7] sic Deus præcepit Moschi Exodi 3.5. vide annotata ibi. [a] *Hebr. Jericho autem claudens, & clausa erat metonymice.* [8] quem 1. v. virum, & 2. v. principem militiæ Jehovæ vocarat. [b] *Hebr. viri belli.* [c] *Hebr. vice una.* [d] *Hebr. septem vicibus. sic sæpius.*

[9] moderatores populi ex mandato quod Deus Jehoschuĥæ dederat supra 6. vers. sic enim civilis ratio postulabat, ut ostendatur supra 3.2.
[e] *Hebr. post eos, sic frequenter.*
[f] *Hebr. colligens, ut Num. 10.25. vide annotata ibi, sic infra 16. v.*
[10] i. exitio devota.
[11] ego cum primoribus clam populo, sup. 2.1.
[12] & vos ipsos singuli, & alii alios: vide infra 7.1.
[13] i. eidem exitio vos obnoxios reddatis: sic Deut 7.26.
[14] i. in tentorium conuentus, ubi etiam manubiæ Midjanitarum Jehovæ asservabantur. Num. 31. in fine.
[g] *Hebr. a viro usque ad fœminam, a puero usque ad senem, & usque &c.*

tores eduxissent Rachabam, & patrem ejus, ac
matrem ejus atque fratres ejus, & quicquid *erat*
ei; etiam omnes familias ejus eduxissent; collo-
carunt eos [15] extra castra Jisraëlis.
27 Ipsam autem civitatem combusserunt i-
gni, & quicquid erat in ea: tantummodò argen-
tum & aurum, instrumentaq; ærea & ferrea, po-
suerunt *in* thesauro domus Jehovæ.
28 Sed Rachabam meretricem cauponam, &
familiam paternam ejus, cum omnibus quæ e-
rant ei, vivam conservavit Jehoschuah, quę [16] ha-
bitavit inter Jisraëlitas usque [17] in diem hunc: eò
quòd abscondisset legatos illos, quos miserat Je-
hoschuah ad explorandum Jerichuntem.
29 Præterea adjuratione exsecratus est Je-
hoschuah tempore illo, dicendo: maledictus *esto*
vir ille [18] coram Jehova, qui [19] surget ut ædificet
civitatem hanc Jerichuntem, [20] [h] pretio primo-
geniti sui fundet eam, & pretio minimi sui statuat
fores ejus.
30 Erat autem Jehova cum Jehoschuah, a-
deò ut esset fama ejus in tota illa terra.

[15] tantisper dum initiarentur & reciperentur in populum Dei, ut Numer. 31.19. vide. ver. 28.
[16] & Schalmoni filio Nachschonis in tribu Jehudæ nupsit, Matthæi 1.5.
[17] i. in perpetuum, ut suprà 4.9. sic interpretatur Augustinus lib. 6. loquutionis de Josua.
[18] i. ex decreto Jehovæ.
[19] i. operam dabit ut ædificet.
[20] huius exsecrationis effectum vide 1. Reg. 16.34.
[h] *Hebr. per primogenitum, & per minimum.*

CAPUT VII.

Jisraëlitæ propter scelus Hacanis, ope Dei destituti cæduntur: causa Jehoschuhæ Deum consulenti explicatur: quapropter deprehenso sceleris autore, & supplicio affecto, populus Deo reconciliatur.

SEd prævaricati sunt [1] Jisraëlitæ prævaricatio-
ne [2] in anathemate: accepit enim [a] Hacan fi-
lius Carmi, filii [b] Zabdi, filii Zerachi e tribu
Jehudæ de illo anathemate, quapropter accensa
est ira Jehovæ [3] in filios Jisraëlis.
2 Quum itaque mittens Jehoschuah quos-
dam Jerichunte Hajum, quod erat prope Beth-
Avenem ab oriente Beth-Elis, edixisset eis di-
cendo, ascendite & explorate terram istam, as-
cendentésque homines illi explorassent Hajum:
3 Reversi ad Jehoschuham dixerunt ei, ne
ascendat totus hic populus; quasi bis mille viri,
aut quasi ter mille viri ascendant ut percutiant
Hajum: ne fatiges *ducendo* illuc totum populum
hunc, quum pauci sint isti.
4 Ascenderunt ergo de populo illuc quasi
ter mille viri: & fugerunt a facie virorum Haji.
5 Cæciderúntque ex eis viri Haji ad triginta
sex viros, persequẽtes eos *a loco qui* erat ante por-
tam usque ad [4] Schebarimos, cæciderunt, inquã,
eos in declivi illius: quamobrem liquefactum est
cor populi adeò [c] ut in aquam abiret.
6 Jehoschuah autẽ lacerans vestimẽta sua,
procidit super faciẽ suam in terrã; [5] ante arcam
Jehovę usque ad vesperã, ipse & Seniores Jisraë-
lis: [6] imposueruntq; pulverem quisq; capiti suo.
7 Dicebátque Jehoschuah, Aha domine Je-
hovi, quare [d] unquam traduxisti populum hunc
trans Jardenem? ut dedas nos in manum Emo-
ræi ad perdendum nos? at utinam voluissemus
[e] morari trans Jardenem.
8 *Attende* ad me Domine: quid dicam, post-
quam obvertit Jisraël cervicem ante hostes suos?
9 Nam audientes Cenahanęi, & omnes ha-
bitatores istius terræ, circumvenient nos, & ex-
scindent nomen nostrum ex hac terra: & quid fa-
cies nomini tuo maximo?
10 Dixit autem Jehova Jehoschuhæ, [f] surge;
quorsũ hoc? [g] te manere deiectum in faciẽ tuam?
11 Peccavit Jisraël, atq; etiam transgressi sunt
[7] fœdus meum quod præceperam eis: nam & ac-
ceperunt [8] de anathemate, [9] & furati sunt, &

[1] i. totus populus peccato unius hominis, tamquam membri ad universitatem pertinentis, reus effectus est contagione peccati: quia neque Hacanem servaverunt a peccato, neque se a contagione & reatu, quem Deus prædixerat sup. 6.21.
[2] de quo capite præcedenti ver. 20.21.22.
[a] *qui & Hacar 1. Chro. 2.7. & Hacor infra v. 24.*
[b] *Zimri, 1. Chro. 2.6.*
[3] ut peccati affines, & contagionis reos, quod modò diximus.
[4] i. fractionum locum: sic enim sonat Hebræa vox, videtur nomen accepisse inde, quòd acies Jisraëlitarum ibi fractæ sint.
[c] *Hebr. ut esset in aquam, i. ut difflueret quasi aq.*
[5] vide infra 9.14.
[6] lugentium more, de malo accepto, ut 1. Schemu. 4.12. & alibi passim.
[d] *Hebr. traduxisti traducendo.*
[e] *Hebr. & mansissemus.*
[f] *Hebr. surge tibi.*
[g] *Hebr. tu deiiciens in faciem tuam.*

[7] i. obedientiam, quam promiserant in fœdere, non præstiterunt, Exodi. 19. 8. & 24.7. synecdoche. [8] i. de rebus comburendis, ex ver. 24. cap. 6. [9] de rebus servandis Jehovæ, de quibus ibid. 22. ver.

[10] mentiti sunt, & reposuerunt denique illud inter
[11] instrumenta sua.
12 Ideò non poterunt consistere filij Jisraëlis
ante hostes suos, ceruicem vertẽt ante hostes suos,
quia sunt [h] rei anathematis: non pergã esse vobis-
cum, nisi perdatis [12] hoc anathema e medio vestri.
13 Surge, sanctifica populum hunc, dicens, san-
ctificate vos in crastinum: sic enim ait Jehova De-
us Jisraëlis, anathema *est* in medio tui, Jisraël,
non poteris consistere ante hostes tuos, donec a-
moveritis anathema istud e medio vestri.
14 Appropinquabitis ergo manè per tribus
vestras: erítque ut tribus illa quam prehenderit
Jehova, appropinquet per familias suas, & fami-
lia illa quam prehenderit Jehova, approqinquet
per domos suas, & domus quam prehenderit Je-
hova, appropinquet per viros suos.
15 Tum erit, ut deprehensus cum hoc anathe-
mate [13] comburatur igni, ipse & quicquid *est* ei:
quia transgressus est fœdus Jehovæ, & quia com-
misit flagitium in Jisraële.
16 Quum itaque surgens Jehoschuah manè,
jussiset Jisraëlem appropinquare per tribus suas;
prehensa est tribus Jehudæ.
17 Deinde quum jussisset appropinquare *quis-*
que familiam Jehudæ, prehendit familiam Zera-
chæam: posteà jussit appropinquare familiam
Zerachæã per viros suos, & prehensus est Zabdi:
18 Denique jussit appropinquare familiam
ejus per viros ejus; & prehensus est Hacan filius
Carmi filii Zabdi, filii Zerachi e tribu Jehudæ.
19 Tum dixit Jehoschuah Hacani, fili mi,
[14] tribue nunc gloriam Jehovæ Deo Jisraëlis, &
ede ei confessionem: & enuncia nunc mihi quid
feceris, ne celes me.
20 Respondit itaque Hacan Jehoschuhæ di-
cens; verum *est*, ego peccavi Jehovæ Deo Jisraë-
lis, & [i] [15] hoc & illud commisi.
21 Quum enim viderẽ inter illa spolia togam
[k] Babylonicam unam præstantem, & ducentos
siclos argenti, & [16] lingulam auream unam quin-
quaginta siclorum pondere, concupiscens accepi
ea: ecce autem sunt abscondita in terra, in me-
dio istius tentorii mei, argentum autem *est* sub
ipsa *toga*.
22 Tunc misit Jehoschuah legatos, qui cucur-
rerunt in illud tentorium: & ecce *toga* abscondi-
ta *erat* in tentorio ejus, & argentum illud sub ea.
23 Hi verò accipientes ea e medio illius tento-
rii, attulerunt ea ad Jehoschuham, & ad omnes
filios Jisraëlis: statuerúntque ea coram Jehova.
24 Tunc Jehoschuah, & totus Jisraël cum eo,
assumto Hacane filio Zerachi, & argento, & toga,
& lingula aurea, & filiis ejus, ac filiabus ejus, &
bobus ejus, asiníśque ejus, & gregibus ejus, & ten-
torio ejus, denique omnibus quæ *erant* ei: dedux-
erunt ea in convallem Hacoris.
25 Ubi dixit Jehoschuah, quàm perturbasti
nos? perturbabit te Jehova hoc die: [17] obruerúnt-
que cum totus Jisraël lapidibus, & combusserunt

[10] non afferendo in thesaurum Jehovæ, quod a singulis afferendum erat, ver. 27. ibidem.
[11] i. tam perdendas res, quàm Deo destinatas, rebus propriis commiscuerunt, in peccato persistentes: quare se & sua eodem anathemate obligarunt.
[h] *Hebr. sunt in anathemate.*
[12] i. tum res anathemati devotas, priùs, tum eas, quæ contagionem ejusdem criminis hauserunt, nempe familiam cum Hacanis rebus.
[13] i. postquam supplicium subierit, quod ex lege in blasphemũ, & divini mandati contemtorem constitutum est, Levit. 24.14. & sequentibus, & Num. 15.30. & 35. absumitor eadem ratione, qua perdendæ res & anathemati devotæ tollendæ sunt, i. incendio, ex lege Deut. 13. 16. quam Jisraëlitæ exsequuti sunt, infrà ver. 25. & 26.
[14] i. quandoquidem jam vides Deum judicem tuum & accusatorem esse, cujus neque notitiam effugere, neque judicium declinare potes; agè, gloriã cede Domino, quam sibi te inopinante asserit, & vel invito asserturus esset.
[i] *Hebr. & secundum hoc & secundum illud commisi.*
[15] i. singula illa commisi, quæ Deus commissa esse in Jisraële queritur suprà 11.
[k] *Heb. Schinhar. i. Babylonicæ regionis, vide Genes. 10.10.*

[16] quam Latini autores laterem appellarunt. [17] supplicium tam severum sumi de Hacane, familia & substantia ejus non fuit injustum, quia imperavit Deus: imperavit autem, quia damnavit in personis contagionem conscientiæ; in rebus verò & bonis, contagionis instrumenta: adeò exosum est peccatum, & instrumentum peccati. At non laborârunt Jisraëlitæ ex contagionis conscientia. Agnosco, sed laborârunt ex negligentia, cùm præmoniti fuerint mandato Dei sup. 6.21. At fortasse fuerint parvuli, quos iniquum est luere parentis pœnas, Deut. 24.16. Filii & filiæ leguntur fuisse, parvuli non leguntur. Sed demus fuisse, non fuerunt parentis peccatum, sed naturæ debitum: quod Deus repetit quomodo & quando vult; homo tum demum repetit, quum jubet naturæ Deus. Hic enim (ait Augustinus) alto & invisibili consilio suo novit, quatenus extendat etiam temporalem hanc hominũ pœnam salubrémque terrorem: quem in hominibus quandoque morituris exhibuit, ut disciplinã sanciret obedientiæ: qua non solum curare quemque oportet in populo, sed invicem adhibere diligenciã, & tanquam unius corporis ac vnius hominis membra alia pro aliis esse solicita. Sic Num. 16.

eos igni, [18] quum obruiſſent eos lapidibus.

26 Poſtremò erexerunt ſuper eum acervum lapidum magnum *exſtantem* uſque in hunc diem, ſic auerſus eſt Jehova a furore iræ ſuæ: idcirco vocavit *quiſpiã* nomen loci illius convallem Hacoris vſque in hunc diem.

[18] vide annot. ver. 15.

CAPUT. VIII.

Deus reconciliatus jubet Jehoſchuham Hajum aggredi ſtratagemate, victoriam promittit, ſpoliáque populo concedit, reliquis igni & gladio conſumendis. Deinde Jehoſchuah altare ex legis præſcripto erigit ad ſacrificandum, Decalogum lapidibus inſculpit, & benedictiones ac maledictiones proponit.

TUm dixit Jehova Jehoſchuhæ, ne timeto neque conſternator, ſume tecum totum populum [a] aptum ad bellum, & ſurgens aſcende verſus Hajum: vide, trado in manum tuam Regem Haji, & populum ejus, ciuitatémque ejus, & terram ejus:

2 Ut facias Hajo & Regi ejus, ſicut feciſti Jerichunti & Regi ejus, tantùm ſpolia ejus & jumenta ejus diripietis vobis: diſpone tibi [1] inſidias contra civitatem iſtam a poſteriore parte ejus.

3 [2] Surrexit itaque Jehoſchuah & totus populus aptus ad bellum, ut aſcenderet verſus Hajum; & delegit Jehoſchuah triginta millia virorum valentium robore, ut præmitteret eos noctu:

4 Præcepitq; eis dicendo, videte vos qui inſidiaturi eſtis huic civitati a poſteriore parte ipſius civitatis, ne procul collocetis *vos* ab ipſa civitate valde; vt ſitis vos omnes parati:

5 Ego autem totusq; hic populus qui mecum *erit* appropinquabimus ad iſtam civitatem: erítque quum procedent obviàm nobis, quemadmodum priùs, ut fugiamus ante eos:

6 Itaq; exibunt poſt nos, donec avellerimus eos ab ipſa civitate, dicent enim, fugiunt ante nos quemadmodũ priùs; quando fugiemus ante eos.

7 [3] Tum vos ſurgitote ex inſidiis, ut expellatis [b] reliquias ipſius civitatis: tradet enim Jehova Deus veſter eam in manum veſtram.

8 Erit autẽ, quum occupabitis ipſam civitatem, *ut* incendatis ipſam ciuitatẽ igni, ſecundùm verbum Jehouæ facitote: videte, præcepi vobis.

9 Sic præmiſit eos Jehoſchuah, qui abeuntes ad locum inſidiarum, conſederunt inter Beth-Elem & inter Hajum, ab occaſu Hajo: pernoctavit autem Jehoſchuah nocte illa in medio populi.

10 Deinde ſurgens Jehoſchuah manè, recenſuit populum: aſcendebatque ipſe cum Senioribus Jiſraëlis ante populum, Hajum verſus.

11 Totus quoque populus, [c] acies quæ erat cum eo, aſcendentes appropinquârunt donec venirent e regione ipſius civitatis: poſuerúntque caſtra ab Aquilone Hajo, valle quadam inter eos & Hajum *ſita*.

12 Præterea ſumpſit quaſi quinquies mille viros; quos diſpoſuit in inſidiis inter Beth-Elem & Hajum, ab occaſu civitatis Haji.

13 Admovente itaque populo tota caſtra, quę *erant* ab Aquilone civitati illi, & extremam partem eorum ab occaſu ipſius civitatis: perrexit Jehoſchuah ea nocte in medium [4] illius convallis.

14 Vnde fuit, [5] quum *id* vidiſſet Rex Haji, ut manè [d] feſtinanter ſurgentes procederent viri illius civitatis obviàm Jiſraëli in prælium, ipſe cum toto populo ſuo, [6] eo ipſo tempore [7] ante planitiem illam: neſciebat autem ille ſibi inſidias eſſe a parte poſteriore civitatis.

15 Tunc finxerunt ſe plaga affici Jehoſchuah & totus Jiſraël ante eos: fugeruntque via [8] ad deſertum.

[a] Hebr. belli, ſic deinceps.

[1] nam in gerendis bellis, dummodo juſta ſint, utrùm hoſtis aperta pugna aut inſidiis vincatur, nihil ad juſtitiam intereſt: ut Deus juſtitiæ autor plurimis exemplis confirmavit.

[2] ut Gen. 31. 17.

[3] ſigno dato, de quo infrà 8. ver.

[b] Hebr. ipſam civitatem, metonymia & ſynecd. ſic infrà V. 24.

[c] Hebr. bellum.

[4] quæ videlicet in medio erat inter Hajum & Jiſraëlitarum exercitum: de qua ſup. V. 11.

[5] Jiſraëlitas iniquo loco caſtra collocaſſe, nempe in depreſſa valle; hac opportunitate allectus eſt ad irrumpendum.

[d] Hebr. ut feſtinarent & manè ſurgerent.

[6] ſine dilatione aut deliberatione, conſilióve capto.

[7] quæ ciuitati ad orientem adiacebat: vt ita Jiſraëlitas a latere aggrederentur, & fugientibus iter præciderent.

[8] quà reditur Jerichuntem.

16 Quapropter conclamati ſunt totus populus, qui remanſerat in civitate Haji ad perſequendos eos: qui perſecuti ſunt Jehoſchuham, ita ut avellerentur a civitate ſua.

17 Neque remanſit quiſquam Haji aut Beth-Ele qui non exirent ad perſequendum Jiſraëlem: reliquerúntque civitatem ſuam apertam, dum perſequebantur Jiſraëlem.

18 Poſteà quum edixiſſet Jehova Jehoſchuhæ, [9] extende [e] vexillum iſtud quod *eſt* in manu tua verſus Hajum, quia in manum tuam tradam ipſum: extendit Jehoſchuah vexillum illud quod *erat* in manu ſua, verſus ipſam civitatem.

19 Tunc illæ inſidiæ ſurgentes citò e loco ſuo, accurrerunt quum extendiſſet manum ſuam, & ingreſſæ civitatem ipſam, ceperunt eam: & feſtinanter incenderunt civitatem igni.

20 Quumque reſpicientes viri Haji poſt ſe, viderent quòd, ecce, aſcenderet fumus ipſius ciuitatis verſus cœlum, non erant eis [f] vires ad fugiendum huc & illuc: populus verò qui fugiebat ad deſertum, convertit ſe contra eum qui perſequutus fuerat *ipſum*.

21 Etenim Jehoſchuah & totus Jiſraël videntes ſuas inſidias cepiſſe civitatem, & aſcendere fumum ipſius ciuitatis, reverſi percuſſerunt viros Haji:

22 Ipſæ verò *inſidiæ* exierunt ex ipſa civitate obviàm illis, ita ut eſſent Jiſraëlitis in medio: iſtis hinc, & illis inde: & percuſſerunt illos adeò, ut non relinquerent illis ſuperſtitem aut effugientẽ.

23 Sed regem Haji ceperunt vivum, quem obtulerunt Jehoſchuhæ.

24 Fuit autem quum abſolviſſent Jiſraëlitæ occidere omnes habitatores Haji in agro, in eo deſerto ubi perſequuti fuerant ipſos, & eeciſſent omnes illi acie gladii, donec conſumerentur: ut reverſi omnes Jiſraëlitæ Hajum, percuterent *reliquias* ejus acie gladii.

25 Fuerúntque omnes qui ceciderunt die illo, [g] cùm viri tum fœminæ duodecies mille; omnes viri Haji.

26 Nam Jehoſchuah non [10] retraxit manum ſuam, quam extenderat cum vexillo; uſquedum interneccioni devoviſſet omnes habitatores Haji.

27 Tantùm jumenta & ſpolia civitatis illius diripuerunt ſibi Jiſraëlitæ, [†] ſecundum verbum Jehovæ, quod præceperat per Jehoſchuham.

28 Deinde combuſſit Jehoſchuah Hajum: & diſpoſuit ipſum *in* tumulum [h] perpetuum, *in* ſolitudinem uſque in diem hunc.

29 Denique Regem Haji ſuſpendit e ligno [11] uſque ad tempus veſpertinum: quum autem occideret ſol, præcepit Jehoſchuah ut cadaver ejus demitterent *Jiſraëlitæ* e ligno, quod projecerunt ad oſtium portæ civitatis ipſius, & ſtatuerunt ſuper ipſum acervum lapidum magnum uſque in diem hunc.

30 TUNC extruxit Jehoſchuah altare Jehovæ Deo Jiſraëlis, in monte Hebalis:

31 [‖] Quemadmodum præceperat Moſche ſervus Jehouæ filiis Jiſraëlis, ſicut ſcriptum *eſt* in libro legis Moſchis, altare *e* lapidibus integris, [‖] ſuper quos non [12] agitauerat ferrum; in quo obtulerunt holocauſta Jehouæ, & ſacrificaverunt euchariſtica.

32 Præterea inſcripſit ibi *aliis* lapidibus; exemplum [13] legis Moſchis, quam præſcripſerat filiis Jiſraëlis.

33 Quumque totus Jiſraël, & Seniores ejus, moderatoréſque, & judices ejus adſtarent arcæ [i] utrinque, coram Sacerdotibus Leviticis portantibus

[9] ut hac explicatione vexilli, ſignum daretur inſidiantibus irruendi in civitatem, & fugientibus faciem in hoſtes obvertendi. Eſt autem *extende*, poſitum pro eo quod eſt, extentum habe & contine, ut apparet ex verſu 26.

[e] Hebr. haſtam vexillatam qua &c. ſic infra.

[f] Hebr. manus, ſynecdoche.

[g] Hebr. a viro vſque ad fœminam.

[10] quod fuiſſet ſignum receptus.

[†] ſup. V. 2.

[h] Hebr. ſeculi.

[11] vide legem Deut. 21. 22. ſic infrà 10. 26.

[‖] Deut. 27.

[‖] Exo. 20.

[12] vide prohibitionem Exodi. 20. 25.

[13] i. decalogi: nam tota lex Moſchis qui potuiſſet in lapidibus illis exarari? maximè cùm perſpicuam & diligenter exaratam legibilemque omnibus ſcripturam vel cælaturam eſſe oporteret, ut Deut. 27. 8.

[i] Hebr. hinc & inde.

tibus

tibus arcam fœderis Jehovæ, peregrinus æquè ac indigena, dimidium ejus e regione montis Gerizzimorum, alterum verò dimidium ejus e regione montis Hebalis: quemadmodum prius præceperat Mosche servus Jehovæ populo ipsi Jisraëlis.

34 Postmodum pronunciavit omnia verba ipsius legis, benedictionem ac maledictionem; prorsus ut scriptum *erat in* ipso libro legis.

35 Nullum fuit verbum ex omnibus quæ præceperat Mosche, quod non pronunciaverit Jehoschuaħ coram tota congregatione Jisraëlis, & fœminis, & parvulis, peregrino etiam qui ibat inter eos.

CAPUT IX.

Fama successus Jisraëlitarum commoti Cenaħanæi reges, in eos conspirant: Gibħonitæ contrà astu vitam ab eis fœdere obtinent, sed cum perpetua servitute junctam.

Fuitq; quum *ista* audivissent omnes Reges illi, qui erant cis Jardenem, in montanis, & in planitie, & in omnibus portubus maris magni, [a] usque ad *regionem* subjectam Libano: Chitthæus & Emoræus, Cenaħanæus, Perizzæus, Chivvæus, & Jebusæus.

2 Ut congregarent se pariter ad pugnandum contra Jehoschuaħam & contra Jisraëlem, [b] animo uno.

3 Habitatores autem Gibħonis quum audivissent quæ fecerat Jehoschuaħ Jerichunti & Hajo;

4 [1] Ipsi quoque fieri curaverunt astu, ut *sui* abeuntes fingerent se legatos venisse *e longinquo*, sumentes enim saccos tritos *imposuerunt* asinis suis, & utres vini tritos, ruptosque, & colligatos:

5 Et calciamenta trita & resarta pedibus suis, ac vestimenta trita sibi induta: omnisque panis viatici eorum aruerat, [c] abierat in micas.

6 Sic adeuntes Jehoschuaħam in castra Gilgalem; dixerunt ei, & *primoribus* viris Jisraëlis, e terra longinqua advenimus, nunc ergo pangite nobiscum fœdus.

7 Dixerunt autem *primores* viri Jisraëlis [2] Chivvæo; fortassis in [3] medio mei habitas, & [4] quo modo pangerem tecum fœdus?

8 Qui dixerunt Jehoschuaħæ, [5] servi tui sumus: dixitque eis Jehoschuaħ, qui estis? & unde venitis?

9 Tum dixerunt ei, e terra longinqua valdè venerunt servi tui ad nomen Jehovæ Dei tui: nam audivimus famam ejus, & omnia quæ fecit in Ægypto:

10 Omnia etiam quæ fecit duobus regibus Emoræorum, qui *erant* trans Jardenem; Sichoni regi Cheschbonis, & Hogo regi Baschanis, qui *erat* Haschtharothis.

11 Quapropter edixerunt nobis Seniores nostri & omnes habitatores terræ nostræ dicendo, sumite in manu vestra viaticum ad ipsum iter, & abite obviam eis; dicetis autem eis, servi vestri sumus, nunc ergo pangite nobiscum fœdus.

12 Hic panis noster *est*, calidum in viaticum accepimus illum e domibus nostris, quo die eximus ut veniremus ad vos: nunc autem ecce aruit, & abiit in micas.

13 Et hi *sunt* utres vini, quos impleveramus novos, jam ecce, rupti sunt: similiter hæc vestimenta nostra & calceamenta nostra detrita sunt, [d] quia magnum est iter hoc valdè.

14 [6] Hæc quum accepissent viri illi *primores* ex viatico eorum, & [7] os Jehovæ non consuluissent:

15 Fecit cum eis Jehoschuaħ pacem, pepigitq; cum eis fœdus de illis in [8] vita servandis: quod juramento promiserunt eis principes cœtus.

16 Fuit autem [e] tertio post die quàm pepigissent cum eis fœdus: ut audirent eos propinquos esse sibi, & in medio sui eos habitare.

17 Profecti itaque filii Jisraëlis venerunt ad civitates eorum tertio die: *erant* autem civitates eorum Gibħon, & Cephira, & Beeroth, & Kiriath-Jeħarim.

18 Sed non percusserunt eos filii Jisraëlis, eò quòd juramento promisissent eis duces cœtus per Jehovam Deum Jisraëlis: quapropter murmuraverunt totus cœtus contra ipsos duces.

19 Dixerunt autem omnes duces toti cœtui, nos juramento promisimus eis per Jehovam Deum Jisraëlis: ideò nunc [9] non possumus [10] tangere eos.

20 Hoc faciamus eis, ut servemus in vita eos: ut non sit super nos [11] indignatio, propter illud juramentum quo juravimus eis.

21 Quum ergo dixissent eis duces illi, sinitor vivere, fuerunt putatores lignorum, & haurientes aquam [12] pro toto cœtu, quemadmodum dixerunt ipsis duces.

22 Vocavit enim ipsos Jehoschuaħ, & alloquutus est eos, dicendo, quare decepistis nos, dicendo, longinqui sumus a vobis valdè, cùm vos in medio nostri habitetis?

23 [13] Nunc enim [14] maledicti estis: [15] quapropter ne [f] deficiat ex vobis servus, & qui putent ligna, ac hauriant aquam pro domo Dei mei.

24 Qui respondentes Jehoschuaħæ dixerunt, quia [g] certò nunciatum fuerat servis tuis, id quod præcepit Jehova Deus tuus Moschi servo suo, ut daret vobis totam hanc terram, & ut perderet omnes habitatores hujus terræ a facie vestra: idcirco metuimus valdè [h] vitæ nostræ a vobis, & fecimus rem hanc.

25 Nunc autem, ecce nos in manu tua; ut bonum & ut rectum *videtur* in oculis tuis facere nobis, fac.

26 Fecit ergo eis sic; & eripuit eos e manu filiorum Jisraëlis, ut non occiderent eos:

27 Constituitq; eos Jehoschuaħ die illo putatores lignorum, & haurientes aquam pro cœtu, idq; pro altari Jehovæ usq; in diem hunc, *afferendam* in eum locum quem electurus esset.

[a] *Heb. contra Libanum.*

[b] *Heb. ore uno: synecdoche, sic 2. Chron. 18. 12.*

[1] i. ut reliqui omnes Cenaħanæi vitæ suæ consulebant conspiratione, sic ipsi hac astutia.

[c] *Heb. erat mica, sic infra 12. v.*

[2] i. Gibħonitis, qui Chivvæi erant ut appellantur infrà 11. 19.

[3] ac ideo regio quam tenes iure divino ad me pertinet.

[4] i. quale fœdus velles me tecum inire?

[5] i. ad quævis imperata facienda parati, & conditiones a te accepturi.

[d] *Heb. præ multitudine itineris valdè.*

[6] i. quos sermones quum admisissent & probassent, adducti specie rerum quas in viaticum sumserant.

[7] per Sacerdotem summum indutum Ephod vel sacro amiculo; nam per eum respondere solebat Deus ex promissione Exo. 25. 22. ut suprà 7. 6.

[8] nulla addita conditione ad personas, bona, vel regionem pertinente; prout cum exteris licebat, qui Cenehanæi non erant: vide Deut. 20. 10. & 2. Schem. 2. 12. & 21. 2.

[e] *Heb. a fine trium dierum.*

[9] quia fidem legitimè dedimus; nondum enim ad eorum urbes accesseramus, quum illi se nobis dederent, & vitam a nobis peterent. Est autem mandatum Deut. 20. 10. & sequentibus, ne postquam accesserimus ad expugnanda loca a Deo nobis destinata, ullos vivere sinamus: sed cum hi vitam priùs petierint, quàm eos aggrederemur, non habemus cur illos contra juramentum nostrum, interneciοni devovere debeamus. Eadem ratione vita concessa est Rachabæ, & toti familiæ paternæ ejus, suprà. 4. Et eadem ratione reliquias Cenaħanæorum vltro se dedentes Schelomo tributarias fecit, 1. Reg. 9. 20. Cõntrà verò, propter violatum a Shaüle juramentum hoc, divinitùs fames immittitur, nec ira Dei priùs sedatur, quàm de familia Schaülis ultio sumta sit, 2. Schem. 21. [10] ut vitam adimamus. [11] quæ futura esset, si legitimè præstitum juramentum violaremus. [12] id est, servi publici, nomine cœtus populi Dei publicas angarias obeuntes in domo Dei, infrà 23. ver. & Hezræ 8. 20. quare etiam Nethinæi, id est, dedititii vocantur in Hezra & Nechemja frequenter. [13] quum & sermone aliorum, & adventu nostro certiùs de vobis & regione vestra cognovimus. [14] i. deprehendimus vos de numero gentium earum esse quibus maledixit Deus, & quarum vitam usui nostro, regionem hæreditariæ possessioni nostræ destinauit. [15] i. quia de gente maledicta estis, etsi nos fefellistis legatione vestra, tamen non possumus quin obstringamus vos & addicamus iis ipsis condicionibus quas lege imperavit Deus. Deuter. 20. 10. & 11. [f] *Heb. exscindatur.* [g] *Heb. nuntiando nuntiatum.* [h] *Heb. animis nostris.*

CAPUT X.

Reges qui ad pugnandum contra Jehoschuħam se congregârant, audita defectione Gibħonitarum vires in eos convertunt; sed Jehoschuħæ auxilio liberantur illi, & reges divinitùs cæduntur; quam victoriam Jehoschuaħ persequutus regionem totam occupat & Gilgalem revertitur.

Fuit ergo, quum audivisset Adoni-Tzedek rex Jeruschalaimorum cepisse Jehoschuaħam Hajum & exitio devovisse ipsum; quemadmodum fecerat Jerichunte, & rege ejus, sic fecisse Hajo & rege ejus: præterea pacem fecisse habi-

tatores Gibhonis cum Jiſraëlitis, & [1] *Jiſraëlitas* eſſe in medio ipſorum:

2 Ut timerent valde, eò quòd civitas magna eſſet Gibhon, ſicut una ex civitatibus regis: imò quòd etiam major eſſet Hajo, & omnes cives ejus eſſent ſtrenui.

3 Quapropter miſit Adoni-Tzedek rex Jeruſchalaimorum, ad Hohamum regem Chebronis, & ad Piramum regem Jarmuthi, & ad Japhiham regem Laciſchi, & ad Debirum regem Heglonis, qui dicerent:

4 Aſcendite ad me, & auxiliamini mihi, ut percutiamus Gibhonem: nam pacem fecit cum Jehoſchuha & cum filiis Jiſraëlis.

5 Congregati itaq; aſcenderunt quinque reges Emoræorum, rex Jeruſchalaimorum, rex Chebronis, rex Jarmuthi, rex Laciſchi, rex Heglonis, ipſi cum omnibus copiis ſuis; & caſtra ponentes contra Gibhonem, bellum gerebant adverſus eam.

6 Sed miſerunt cives Gibhonis ad Jehoſchuham in caſtra Gilgalem, qui dicerent, ne remittas manus tuas a ſervis tuis: aſcende ad nos celeriter, & ſerva nos auxilians nobis, nam congregantur contra nos omnes reges Emoræorum habitantes [2] in montanis.

7 Aſcendit itaque Jehoſchuah Gilgale, ipſe & totus populus aptus ad bellum cum ipſo, & omnes valentes robore:

8 (Dixerat enim Jehova Jehoſchuhæ, ne timeto ab eis, nam in manum tuam tradidi eos: non conſiſtet ex eis quiſquam in conſpectu tuo)

9 Pervenitq; ad illos Jehoſchuah repente: tota ipſa nocte aſcenderat Gilgale.

10 Et [3] fudit illos Jehova coram Jiſraële, qui percuſſit eos cæde magna apud Gibhonem: deinde perſequutus eos via [a] qua aſcenditur Bethchoronem, percuſſit eos Hazekam & Makkedam uſque.

11 Fuit autem quum fugerent a facie Jiſraëlis, ipſis *verſantibus* in declivi Bethchoronis, ut dejiceret Jehova in eos lapides magnos e cælis Hazekam uſque, quibus moriebantur: plures fuerunt qui moriebantur lapidibus illis grandinis, quàm quos occiderunt filii Jiſraëlis gladio.

12 Tunc [4] alloquutus eſt Jehoſchuah Jehovam, quo die [b] expoſuit Jehova hunc Emoræum filiis Jiſraëlis: & dixit ante oculos Jiſraëlis, Sol in Gibhone [c] ſubſiſte, & Luna [5] in convalle Ajalonis.

13 Subſtitit ergo Sol & Luna ſtetit, donec vindicata eſſet gens *Jiſraëlitica ab* hoſtibus ſuis, nonne hoc ſcriptum eſt in [6] libro recti? ſtabat autem Sol in medio cælo, neque feſtinabat ad occaſum quaſi diem integrum.

14 Nec fuit ſimilis diei illi ante eum, vel poſt eum, auſcultante Jehova voci cujuſquam: nam Jehova pugnabat pro Jiſraële.

15 [7] Tandē reverſus eſt Jehoſchuah, & totus Jiſraël cum eo ad caſtra Gilgalem.

16 Quum autem fugientes quinque reges illi; abſcondiſſent ſe in quadam ſpelunca Makkedæ:

17 Nunciatumq; fuiſſet Jehoſchuhæ, dicendo; inventi ſunt quinque illi reges abſconditi in quadam ſpelunca Makkedæ:

18 Dixit Jehoſchuah, obvolvite lapides magnos ori illius ſpeluncæ; & præficite ei viros ad cuſtodiendum illos.

19 Vos autem ne conſiſtite, perſequimini hoſtes veſtros, & [d] poſtremos quoſque eorum cædite; ne permittite eos ingredi in civitates ſuas, quandoquidem tradidit eos Jehova Deus veſter in manum veſtram.

20 Fuitq; quum abſolviſſent Jehoſchuah & filii Jiſraëlis percutere eos cæde magna valde, donec [8] conſumerentur; ſuperſtites verò *qui* ſupererāt ex eis ingreſſi eſſent in civitates munitas:

21 Et reverterentur totus populus in [9] caſtra ad Jehoſchuham Makkedam [e] incolumes: [10] non moverat in filios Jiſraëlis *quiſquam* in ullum linguam ſuam.

22 Tum dixit Jehoſchuah, aperite os illius ſpeluncæ; & producite ad me quinque reges iſtos ex ipſa ſpelunca.

23 Qui facientes ſic, produxerunt quinque reges iſtos ad eum ex ipſa ſpelunca; regem Jeruſchalaimorum, regem Chebronis, regem Jarmuthi, regem Laciſchi, regem Heglonis.

24 Deinde fuit quum produxiſſent reges iſtos ad Jehoſchuham; ut vocaret Jehoſchuah omnes viros Jiſraëlis, & ediceret ductoribus virorum militantium, qui venerant cum ipſo, appropinquate, imponite pedes veſtros [f] cervicibus iſtorum regum: qui appropinquantes impoſuerunt pedes ſuos cervicibus eorum.

25 Tunc dixit eis Jehoſchuah, ne timete, neque conſternamini; confirmamini & fortes eſtote, nam ſic facturus eſt Jehova omnibus hoſtibus veſtris, quibuſcum vos pugnaturi eſtis.

26 Percuſſitq; eos Jehoſchuah poſteà, & morte affecit eos, ſuſpendens eos e quinque lignis: qui manſerunt ſuſpenſi e lignis illis uſque [11] ad veſperam.

27 Fuit verò tempore occaſus ſolis, ut præcipiente Jehoſchuha, demitterent eos ex lignis, ac projicerent eos in ſpeluncam illam ubi abſconderant ſe: & impoſuerunt lapides magnos ori illius ſpeluncæ uſque in hunc ipſum diem.

28 Makkedam autem cepit Jehoſchuah eodem die, cujus [g] *incolas* percuſſit acie gladii, & cum rege ejus internecioni devovit; ipſos, id eſt, [12] omnem animam quæ *erat* in illa, non reliquum fecit ſuperſtitem: ſed fecit rege Makkedæ, quemadmodum fecerat rege Jerichuntis.

29 Deinde progreſſus Jehoſchuah, & totus Jiſraël cum eo Makkeda Libnam; oppugnavit Libnam.

30 Quumq; tradidiſſet ipſam quoq; Jehova in manum Jiſraëlis & regem ejus; percuſſit eam acie gladii, id eſt, omnem animam quę *erat* in ea, non reliquū fecit in ea ſuperſtitem: ſed fecit rege ejus, quemadmodum fecerat rege Jerichuntis.

31 Deinde progreſſus eſt Jehoſchuah & totus Jiſraël cum eo Libna Laciſchum: & caſtris poſitis obſidens eam oppugnavit eam.

32 Tradiditq; Jehova Laciſchum in manum Jiſraëlis, qui cepit eam [13] die ſecundo, & percuſſit eam acie gladii, id eſt, omnem animam quæ *erat* in ea; ſecundùm omnia quæ fecerat Libnæ.

33 Tunc aſcendit Horam rex Gezeris ad auxiliandum Laciſcho; ſed percuſſit eum Jehoſchuah & populum ejus, adeò ut non faceret ei reliquum ſuperſtitem.

34 Deinde progreſſus eſt Jehoſchuah & totus Jiſraël cum eo Laciſcho Heglonem: & caſtris poſitis obſidentes eam oppugnaverunt eam.

35 Quam ceperunt [14] eodem die, & percuſſerunt eam acie gladii, id eſt, omnem animam quæ *erat* in ea, eodem die internecioni devovit: ſecundùm omnia quæ fecerat Laciſcho.

36 [15] Deinde aſcendit Jehoſchuah & totus Jiſraël cum eo Heglone Chebronem; & oppugnaverunt eam:

37 Quam

[1] Sic enim legitur cap. 9.17.

[2] nam civitates illæ quinque erant in montanis ſitæ; non in planitie, ut erat Jericho, Hai, &c.

[3] tum gladio Jiſraëlitarum, tum etiam lapidibus, ut verſus ſequens explicat.

[a] *Heb. aſcenſus.*

[4] precibus interpellavit eum.

[b] *Heb. poſuit coram filiis Jiſraëlis.*

[c] *Heb. ſile. ſic accipitur 1. Schemu. 14.9.*

[5] ad tribum Zebulunis pertinente verſus alterum terminum promiſſæ terræ ad Aquilonem: vide Judicum 12. Eſt enim altera ab ea quæ commemoratur infrà 19.42. ſenſus autem verborum eſt: ſol ne occidas nobis in Gibhone pugnātibus, & Luna ne nobis afferas noctem.

[6] forenſiū annalium ſive actorum publicorum, qui intercidit; ut alii multi forenſes, quorum ſcriptura meminit.

[7] ab hoc verſu ad ultimum uſque, hyperbaton continuum eſt: nam antequam Gilgalem rediret cum exercitu, omnia quæ ſubjungit geſta ſunt. ideò eumdem verſum in fine capitis repetit.

[d] *Heb. truncate illos cauda.*

[8] qui per agros oppreſſi ſunt.

[9] militaria: nam ſtativa erant Gilgale, ut apparet ver. 15. & ultimo.

[e] *Heb. cum pace: i. incolumitate.*

[10] i. ne verbo quidem à quoquam injuriam acceperant.

[f] *Heb. colla: ſic in fine* ℣. *ſynecdoche.*

[11] ex lege ut ſup. 8.29.

[g] *Heb. & percuſſerat eam.*

[12] humanam: nam cætera prædæ erant, Deut. 20.16. & 19. & infra ℣. 40. & 11.11. hoc ſenſu ſequentia omnia accipienda ſunt.

[13] ab obſidione: nam uno die non potuiſſet civitatem tam remotam expugnare.

[14] quo obſederunt.

[15] vide ampliorem hujus hiſtoriæ explicationem infrà 14. & 15.

h Heb. *inea: sic in fine V. & V. 39.*

37 Quam capientes percusserunt acie gladii, & regem ejus, & omnes civitates ejus, id est, omnem animam, quæ *erat* in h unaquaque earum, non reliquum fecit superstitem, secundum omnia quæ fecerat Heglōni; internecioni enim devovit eam, id est, omnem animam quæ *erat* in ea.

16 meridiana parte relicta, Gilgalem versus tendens.

38 Deinde 16 revertens Jehoschuah & totus Jisraël cum eo Debirum venit; & oppugnavit eam.

i Heb. *montis & austri, & planitiei, & decursuũ.*
l Deut. 20. 16. & 17.

39 Quumq; cepisset eam, & regem ejus, & omnes civitates ejus, percusserunt eos acie gladii, & internecioni devoverunt omnem animam quæ *erat* in unaquaque earum, non reliquum fecit superstitem: quemadmodum fecerat Chebroni sic fecit Debiro & regi ejus, & quemadmodum fecerat Libnæ & regi ejus.

17 non Ægypti, sed eam de qua infra 11. 16. & 15. 51. Atque hactenus historia prioris septennii, quod terminatur primo intermissionis anno, id est, septimo ab ingressu in Cenahanæam, ut ex historia Chebronis & Debiri captæ facilè cognoscitur infra 14. & 15. & Judic. 1. Sequentis verò capitis historia ad sexennium alterum pertinet.
k Heb. *vice una.*

40 Denique percussit Jehoschuah totam regionem, i montanam, & australem, & planam, & decursibus *irriguam*, & omnes reges earum; non reliquum fecit superstitem: sed omnem animam humanam internecioni devovit, l quemadmodum præceperat Jehova Deus Jisraëlis.

41 Sic percussit eos Jehoschuah inde a Kadescho Barnehæ Hazzam usque: totam etiam terram 17 Goschenis Gibhonem usque.

42 Omnes autem istos reges & terram eorum cepit Jehoschuah k una expeditione: nam Jehova Deus Jisraëlis pugnabat pro Jisraële.

43 Tum demum reversus est Jehoschuah & totus Jisraël cum eo ad castra Gilgalem.

CAPUT XI.

Devictis quinque regibus, omnes reliqui conjunctis copiis Jisraëlitas statuunt invadere; sed inopinantes oppressi cæduntur, & tota eorum regio occupatur distribuenda tribubus Jisraëlis: ac ita finis bellis imponitur.

Fuitq; quum audivisset *ista* Jabin rex Chatzoris: ut mitteret ad Jobabum regem Madonis, & ad regem 1 Schimronis, & ad regem Acschaphi:

1 quæ posteà dicitur Schimron Meron, infra 12. 20.
a Heb. *in austro Cinnerotharum, regionum sitarum in utraque ripa Genezareth cis & trans Jardenem.*

2 Ad reges quoque qui *erant* ab Aquilone *regionis*, in montanis, & in campestribus, in a australibus partibus Cinnerothanis, & in planitie, & in tractibus Dori versus mare.

3 *Ad* Cenahanæum ab oriente & occidente, & Emoræum, & Chitthæum, Perizzæumq;, & Jebusæum in montanis, Chivvæum etiam subjacentem Chermoni, in regione 2 Mitzpæ:

2 id est speculæ: nam regio est sita in ingressu Libani super Jardenem, in qua speculatores collocati erant, ut eorum custodiâ secura servaretur regio. Non est autem illa Mitzpa quæ ad tribum Jehudæ pertinet, infra 15. 38. neque Binjaminis, infrà 18. 26. neque illa Mitzpe Moabitarum, de qua 1. Schem. 22. 3. sed ea quæ est Gilhadi juncta, de qua Gen. 31. 49. & Jud. 10.

4 Qui prodierunt ipsi, & omnes copiæ eorum cum eis, populus multus, sicut arena quæ *est* in littore maris, multitudine; & equi & currus multi admodum:

5 Et ex condicto convenerunt omnes reges isti; deinde venientes castra posuerunt simul ad 3 aquas Meromi, ut pugnarent contra Jisraëlem.

6 Dixit autem Jehova Jehoschuhæ, ne time a facie eorum, nam cras hoc eodem tempore traditurus sum omneis illos confossos coram Jisraële: equis eorum suffragines succidito, & currus eorum comburito igni.

7 Venit itaque Jehoschuah & totus populus militaris cum eo contra illos ad aquas Meromi repentè; & irruerunt in eos.

8 Quos tradidit Jehova in manum Jisraëlis, ita ut percuterent eos; & persequuti sunt eos usque ad magnam Tzidonem, & usque ad 4 b for-

3 sic videntur appellari a situ, quod in supero essent Jisraëlitarum tractu Thaborem versus, ubi Rex Schimronis Meronis imperium tenuit: quamobrem etiam Merome agri, id est, loca edita a Debora nominantur, Judic. 5. 18. 4 quibus abundat ille tractus, materia sumta ex Belo flumine, quod Cendevia palus fundit intra montis Carmeli radices. Vide Plinium lib. 36. natur. hist. cap. 26. Est autem hic occidentalis terminus, Septentrionalis Tzidon. b Heb. *ad combustiones aquarũ, ut infrà 13. 6.*

naces vitrarias, ac usque ad convallem Mitzpæ versus orientem: percusserunt autem eos adeò, ut non reliquum facerent eis superstitem.

9 Fecitq; Jehoschuah quemadmodum ipsi edixerat Jehova: equis eorum suffragines succidit, & currus eorum combussit igni.

10 Reversus inde Jehoschuah, tempore illo cepit Chatzorem, cujus regem percussit gladio: Chatzor enim anteà erat caput omnium regnorum istorum.

11 Percusserunt autem omnem animam quæ *erat* in ea, acie gladii internecioni devoventes, non reliqua fuit ulla anima *humana*, Chatzorem verò combussit igni.

12 Similiter omneis civitates regum istorum, & omnes reges earum cepit Jehoschuah, percussitq; eos acie gladii, internecioni devovendo eos: c quemadmodum præceperat Mosche servus Jehovæ.

c *Deut.* 20, 16. & 17.

13 Verumtamen nullam earum civitatum quæ 5 manserunt cum aggere suo combussit Jisraël: præter Chatzorem solam, *quam* combussit Jehoschuah.

5 id est, quæ obsidionem quidem expectarunt, sed antequàm aggeres vi dejicerentur, sedediderunt: Ex lege. Deut. 20. 10.

14 Omnia autem spolia istarum civitatum, & jumenta diripuerunt sibi filii Jisraëlis: tantùm omnes homines percusserunt acie gladii adeò ut perderent eos, non fecerunt reliquam ullam animam *humanam*.

15 Quemadmodum præceperat Jehova Moschi servo suo, sic præceperat Mosche Jehoschuhæ; & sic fecit Jehoschuah, nihil detraxit ex omnibus quæ præceperat Jehova Moschi.

16 Cepit erga Jehoschuah totam regionem istam, montanam, & totam australem, & totam terram Goschenis, & planitiem, atque campestria; id est, montana Jisraëlis, & planitiem ejus.

6 id est, qui totus est glabretum sine arboribus, est autem hic terminus Edomææ. De Bahalgade verò vide infrà 12. 7. & 13. 5.
e Heb. *ascendente Sehirem: metonym.*

17 A monte 6 glabro e quo ascenditur Sehirem, usque Bahal-Gadem in convalle Libani, sub monte Chermonis; quorum omnes reges cepit, & percutiens morti tradidit eos.

18 7 Diebus multis gessit Jehoschuah contra omnes reges istos bellum.

7 sex annis & paulo plus, quod colligitur ex ætate Calebi, quũ peteret possessionem a Jehoschuah infra 14. 6. & sequentib.

19 Nulla fuit civitas quæ pacem fecerit cum filiis Jisraëlis, præter Chivvæos habitatores Gibhonis: omnia ista ceperunt bello.

20 A Jehova enim fuit quòd obfirmabant cor suum, ad occurrendum bello Jisraëli, ut internecioni devoveret illas, nec fieret illis gratia; sed ut perderent eas, quemadmodum præceperat Jehova Moschi.

8 vide annotata Num. 13. 22.
9 ubi erant plurimùm, Num. 13. & Deut. 1. & infrà 14. 12.

21 Tempore autem illo veniens Jehoschuah exscidit 8 Hanakæos e montanis, e Chebrone, e Debiro, e Hanabo, & ab omnibus 9 montanis Jehudæ, & ab omnibus 10 montanis Jisraëlis: cum civitatibus illorum internecioni devovit eos Jehoschuah.

10 quo tutum sibi perfugium fore ab Jisraëlitis putaverant, quum ex suis sedibus abivissent expulsi a tribulibus Jehudæ. Est ergo *Jisraëlis*, dictum synecdochicè, pro eo quod est, e Jisraëlitarum reliquorum agro.

22 Nullus Hanakæorum reliquus factus est in terra filiorum Jisraëlis, tantùm Hazzæ, Gathi & Aschdodi superfuerunt.

23 Sic cepit Jehoschuah totam illam terram, quemadmodum edixerat Jehova Moschi; dedítque eam Jehoschuah in possessionem Jisraëlitis, 11 secundum partitiones eorum per tribus eorum: quum terra quieta fuit a bello.

11 de quibus infrà 15. & sequentibus.

CAPUT XII.

Epilogus expeditionum Jisraëlitarum sub Mosche & Jehoschuah: cum catalogo regionum quas occuparunt, & regum quos occiderunt.

Hi autem *sunt* reges istius terræ, quos percusserunt filii Jisraëlis & hæreditario jure

posséderunt terram eorum, trans Jardenem ad ortum solis: a flumine Arnonis, usque ad montem Chermonis, & omnia campestria ad orientem.

2 [a]Sichon rex Emoræorum habitans Cheschbone: qui dominabatur a Haroħere, quod *est* ad ripam fluminis Arnonis, [1] & [a] interamni ipsius fluminis, ac dimidio Gilħadis, usque ad Jabbokum torrentem, terminum Hammonitarum.

3 Et *a* campestribus usque ad mare [b] Cinnereth ab oriente, & usque ad mare campestrium, mare salsum ad orientem, *ubi est* via [2] Beth jeschimotas: & ab austro sub ipsis [3] decursibus collis.

4 Et conterminus, Hog rex Baschanis, e reliquis Raphaæorum: qui habitaverat Haschtharothis & Edreħi:

5 Dominabatúrque in monte Chermonis, & Salcæ, & in toto Baschane, usque ad terminum Geschuræorum, & Maħachathæorum, & *in* dimidio Gilħadis, contermino Sichoni regi Cheschbonis.

6 Hos Mosche servus Jehovæ & filii Jisraëlis percusserunt: deditq; illam Mosche servus Jehovæ hæreditariam possessionem Reübeniticæ & Gaditicæ, ac dimidiæ tribui Menaschiticæ.

7 Hi verò *sunt* reges istius terræ, quos percussit Jehoschuaħ cum filiis Jisraëlis cis Jardenem ad occidentem, a Baħalgade in convalle Libani usque ad [4] montem glabrum, qui ascenditur Seħirem: deditq; eam Jehoschuaħ tribubus Jisraëlis hæreditariam possessionem secundùm partitiones eorum:

8 In montanis, ac in planitie, & in campestribus, & in decursibus, & in deserto, ac in australi plaga: *terram* Chitthæi, Emoræi, & Cenaħanæi, Perizzæi, Chivvæi, & Jebusæi.

9 Rex Jerichuntis unus: Rex Haji, quæ a latere *erat* Beth-Elis, unus.

10 Rex Jeruschalaimorum unus: rex Chebronis unus.

11 Rex Jarmuthi unus: rex Lacischi unus.

12 Rex Heglonis unus: rex Gezeris unus.

13 Rex Dibiri unus: rex Gederis unus.

14 Rex Chormæ unus: [5] rex Haradi unus.

15 Rex Libnæ unus: rex Hadullami unus.

16 Rex Makkedæ unus: rex Beth-Elis unus.

17 Rex Thappuachi unus: rex Cheperis unus.

18 Rex Aphoki unus: rex [6] e Scharoni unus.

19 Rex Madonis unus: rex Chazzoris unus.

20 Rex [7] Schimronis Meronis unus: rex Acschaphi unus.

21 Rex Thaħanachi unus: rex Megiddunis unus.

22 Rex Kedeschi unus: rex Jokneħami cum Carmelo unus.

23 Rex Dori cum tractu Dori unus: rex gentium ad Gilgalem unus.

24 Rex Thirtzæ unus: omnesq; reges triginta unus.

a Num. 21.

1 Deut. 2. 5. item 3. 16.

a Heb. & medio ipsius flu.

b Heb. Cinnerotharum vide Numer. 34. 11.

2 quæ est in termino Moabitarũ: vide Jechezkel 25. 9.

3 de quibus Deut. 3. 17.

4 de quo suprà 11, 17.

5 quem gravi damno Jisraëlitæ prius affecerunt, Num. 21. & sequentibus.

6 vide 2. Chron. 28. 17.

7 vide supra 11. 2. & 5.

CAPUT XIII.

Jehoschuæ seni Deus præcipit, ut totam promissam terram tam occupatam quàm occupandam cis Jardenem novem tribubus cum dimidia distribuat, quæ distributio antequam explicetur, repetit distributionem factam a Mosche trans Jardenem duabus tribubus cum dimidia.

JEhoschuaħ autem quum [1] senex esset *&* [a] vergens ætate; dixit Jehova ei, tu senuisti, vergens ætate es, & terra relinquitur multa admodum, possidenda jure hæreditario.

2 Hæc terra *est* quæ relinquitur, omnes limites Pelischthæorum, & tota Geschuræa.

3 A [a] Schichore, qui *est* ante Ægyptum, usque ad terminum [b] Hekronis versus Aquilonem, Cenaħanæis [3] accensetur; regio quinque satrapiarum Pelischthæorum, [c] Hazzathææ, & [d] Aschdodææ, & [e] Eschkeloniticæ, Gathææ, & [f] Hekroniticæ, & quæ Havvæorum *est*.

4 Ab Austro tota terra Cenaħanæi, & [g] Magora quod *est* Tzidoniorum Aphekum usque, usque ad terminum Emoræi.

5 Terra etiam [h] Giblæa, & totus Libanus ad ortum solis, a Baħal-Gade sub monte Chermonis, usque ad ingressum Chamathæ.

6 Omnes habitatores illius montis à Libano usque ad [i] fornaces vitrarias, omnes Tzidonios ego expellam a conspectu filiorum Jisraëlis: tantùm fac ut *sortitione* accidat Jisraëli in possessionem, quemadmodum præcepi tibi.

7 [4] Nunc itaque divide terram istam in possessionem novem his tribubus, & dimidiæ tribui Menaschiticæ.

8 [5] [k] Cum *altera dimidia* ejus, Reübenitica & Gaditica acceperunt possessionem suam, quam dederat eis Mosche trans Jardenem ad orientem, [6] quemadmodum dedit eis Mosche servus Jehovæ:

9 A Haroħere quod *est* ad ripam fluminis Arnonis, & civitate quæ *est* interamnis, tum totam planitiem Medebæ Dibonem usque,

10 Id est, omnes civitates Sichonis regis Emoræi, qui regnabat Cheschbone, usque ad terminum Hammonitarum.

11 Tum Gilħadem & terminum Geschuræum & Maħachathæum, totumq; montem Chermonem, ac totum Baschanem, Salcam usque.

12 Totum regnum Hogi in Baschane, qui regnabat Haschtharothis & Edreħi: hic residuus erat e reliquiis [7] Raphaæorum, quum percussit eos Mosche & expulit eos:

13 Quamvis non expulerint filii Jisraëlis Geschuræum & Maħacathæum; sed inhabitet Geschuræus & Maħacathæus in medio Jisraëlitarum, usque in diem hunc.

14 Tantùm tribui Leviticæ non dedit possessionem: [8] igni consumenda Jehovæ Dei Jisraëlis sunt possessio eius quemadmodum dixit ei.

15 Dederat autem Mosche tribui filiorũ Reübenis per familias eorum *in possessionem*;

16 Fuitque eis terminus a Haroħere, quod *est* ad ripam fluminis Arnonis, tum civitas quæ *est* interamnis, tum tota planities usque Medebam:

17 [9] Cheschbonem cum omnibus civitatibus ejus, quæ *sunt* in illa planitie, Dibonem, & Bamoth-Baħalem, & [l] Beth-baħal-meħonem:

18 Item Jahatzam, & Kedemothas, & Mephaħatham:

19 Item Kirjathajima, & Sibmam, & Tzereth-Schacharum in montanis illius convallis:

20 Item Beth-peħorem, & [10] Aschdothas-Pisgæ, & [11] Beth-Jeschimothas:

21 Denique omnes civitates illius planitiei, & totum regnum Sichonis regis Emoræorum, qui regnarat Cheschbone: quum percussisset Mosche eum, & principes Midjanitarum, Evin, & Rekemum, & Tzurem, & Churem, & Rebaħum, [12] Toparchas Sichonis, inhabitantes eam terram:

1 de ætate ejus vide cap. sequenti. ♥ 10.

a Heb. vergens dieb. sic infra bis.

a amnis putatur esse, qui Petram Arabiæ præterfluens in Sirbonim paludem influit, & Ægyptum a terra promissa disterminat; mihi potiùs Rhinocolura videtur esse, ut benè Epiphanius κατ' Μαιτζέρον interpretatus est, vide in Nume. 34. 5.

b vel Accaronis, ut historici nominant.

3 non enim erant Pelischthæi justi possessores ejus, sed vi Havvæos expulerant. Deut. 2. 23. ideò finem versiculi vertimus, quæ Havvæorum fuit. etsi fortasse commodiùs fuerit si ita exposueris, & quæ Havvæorum est, id est, quod Havvæi adhuc incolunt, & defenderunt a vi Pelischthæorum. Atque hoc magis probo.

c vel Gazas a Gaza.

d vel Azotas ab Azoto.

e Ascalonitas ab Ascalone.

f Akaronitas ab Accarone.

g Heb. Meħaræ; sed usitatius est lit. [illegible], est autem fluvius in ora Libano subjecta inter Tzidonem & Berytum: vide Plin. lib. 5. cap. 20.

h a Gabale, promontorio supra Tzidonem sic dicta. [illegible]

i Heb. combustiones aquarum. vide annotata supra. 11. 8.

4 cum senio confectus sit, sup. ver. 1.

5 præcedenti mandatum continent, sequentia referunt distributionem prius factam a Mosche Num. 32. & 34. ut appareat eur novem tribubus tantum cum dimidia jubetur possessionem distribuere.

k Heb. cum eo synecd.

6 id est, præsertim conditione quam præscripserat Mosche.

7 vide Gene. 14. 5.

8 synecdoche est, simul & metonymia, nam species pro omni oblationum genere, & igni consumendæ pro parte eorum asservata ponuntur: vide Num. 18.

9 cum haberunt communem Reubenitæ cum Gaditis: unde factum est ut infra 21. 39. Gadiis dicatur Levitis data.

l Baħal-meħon & Beħon, Num. 32. 3. & 38. Beth-maħon, Jirmeja 48. 23.

10 vide Deut. 3. 17.

11 de qua Num. 33. 49. & Jechezkel 25. 9.

12 vide annotata Num. 31. 8.

22 Bilħamum

22 Bilhamũ quoque filium Behoris divinũ, occidiſſe filii Jiſraëlis gladio ad cæſas copias eorũ.

23 Fuitque terminus filiorum Reübenis, Jarden cum termino *ejus*: hæc *eſt* poſſeſſio filiorum Reübenis per familias eorum, civitates cum villis earum.

24 ITEM dederat Moſche tribui Gadis, pro filiis Gadis per familias eorum *in poſſeſſionem*;

25 Fuitque illis terminus Jahzer cum omnibus civitatibus Gilhadis, & [13] dimidia terra Hammonitarum, Harohierem uſque, quæ *eſt* ante conſpectum Rabbæ.

26 Item a Cheſchbone uſque [m] Ramatham Mitzpæ, & Betonimos, & a Machanajimis uſque ad terminum [n] Debiri.

27 In convalle autem [o] Beth-Haramum, & [p] Beth-Nimram, & Succothas, & Aquilonalem tractum reſiduum, regni Sichonis regis Cheſchbonis, Jardenem cum termino *ejus* uſque ad extremitatem maris Cinnerethæ, trans Jardenem ad orientem.

28 Hæc *eſt* poſſeſſio filiorum Gadis per familias eorum; civitates cum villis earum.

29 DENIQUE dederat Moſche dimidiæ tribui Menaſchis *in poſſeſſionem*; fuitq; dimidiæ tribus filiorum Menaſchis per familias eorum:

30 Fuit, inquam, terminus eorum a Machanajimis totus Baſchan, totum regnum Hogi regis Baſchanis, & omnes villæ Jairis, quæ *erant* in Baſchane, ſexaginta civitates.

31 Item dimidium Gilhadis cum [q] Haſchtharothis, & Edrehi civitatibus regni Hogi in Baſchane: *fuit* filiorum Maciris filii Menaſchis, [14] pro dimidia parte filiorum Maciris per familias eorum.

32 Iſta *ſunt*, quę poſſidenda tradiderat Moſche in campeſtribus Moabitarum; trans Jardenem e *regione* Jerichuntis orientem verſus:

33 Tribui autem Leviticę non dederat Moſche poſſeſſionem: Jehova Deus Jiſraëlis eſt poſſeſſio eorum, quemadmodum dixit eis.

[13] quam ademerat ei Sichon, Numeri 21.26. nam attingere quicquã eorum quæ adhuc poſſidebãt Hammonitæ expreſſè prohibuerat Deus Deut. 2.16. & ſequentibus. unde Jiphthach Judic. 11.15. negat Jiſraëlitas quicquam occupaſſe, quod ad Hammonitas pertineret.
[m] *Ramothar Gilhadis, infrà* 20.8.
[n] *KirjathSepheri, infrà* 15.15
[o] *Beth-haranem, Num.* 32.36.
[p] *Nimram, Num.* 32.3.
[q] *Beheſchtera, infra* 21.27.
[14] ſex enim ejus filii hæreditatem acceperunt ultra Jardenem cum novem tribubus, infrà 17.2.

CAPUT XIIII.

Generalis propoſitio partitionis terræ quinque prioribus verſibus continetur: inde verò uſque ad finem capitis narratur ſingulari privilegio, Calebo poſſeſſionem attributam eſſe, ut promiſerat Deus Num. 14.

ISta [1] verò *ſunt* quæ poſſidenda acceperunt filii Jiſraëlis in terra Cenahanis: *&* quæ poſſidenda tradiderunt Elhazar Sacerdos, & Jehoſchuah filius Nunis, ac primores paternarum familiarum per ſingulas tribus filiis Jiſraëlis,

2 [a] Sortitione poſſeſſionis ſuæ (quemadmodum præceperat Jehova per Moſchen) novem tribubus & dimidiæ tribui:

3 Quum dediſſet Moſche poſſeſſionem duabus illis tribubus, & dimidiæ tribui trans Jardenem: Levitis autem non dediſſet poſſeſſionem inter eos.

4 [2] Erant enim filiorum Joſephi duæ tribus, Menaſche & Ephrajim; [3] Levitis verò non dederunt partem in ipſa terra, ſed civitates ad habitandum, & ſuburbana prædia earum, pro pecoribus eorum, & pro facultatibus eorum.

5 Quemadmodum præceperat Jehova Moſchi, ſic fecerunt filii Jiſraëlis, & partiti ſunt terrã.

6 Accedentibus autem [4] filiis Jehudæ ad Jehoſchuham Gilgalem, dixerat ei Caleb filius Jephunnæ Kenizzæus: tu noviſti verbum quod edixit Jehova Moſchi viro illi Dei, mei causâ, & tui causâ Kadeſchi Barnehæ:

7 Quadraginta annos natum fuiſſe me quum mitteret Moſche ſervus Jehovę me Kadeſcho Barnehę ad explorandum hanc terram, & retuliſſe ei reſponſum, quemadmodum *erat* in [a] animo meo:

8 Fratres quidem meos, qui aſcenderant mecum, liquefeciſſe [b] animum populi: me verò [c] [1] plenè ſequutum eſſe Jehovam Deum meum:

9 Ideoq; juraſſe Moſchen die illo, dicendo; *mentiar* niſi terra illa per quam inceſſit pes tuus, tibi cedat in poſſeſſionem, filiiſq; tuis uſque in ſeculum: eò quòd plenè ſequutus es Jehovam Deum meum.

10 Nunc autem, ecce, vivum conſervavit Jehova me, quemadmodum dixerat; jam [5] quadrageſimus quintus annus eſt, ex quo edixit Jehova edictum hoc Moſchi, [6] quum rediret Jiſraël in deſertum: nunc ergo, ecce ego hodie natus ſum octoginta quinque annos,

11 Adhuc hodie robuſtus ſum, ut quo die miſit me Moſche, ut vires meæ tunc *fuerunt*, ſic etiam vires meę nunc *ſunt*, ad bellum, & ad [7] procedendum, atque veniendum.

12 Quapropter nunc da mihi [8] montem iſtum, id quod edixerat Jehova die illo: quòd tu audiviſti illo die Hanakæos eſſe ibi, & civitates eſſe maximas *&* munitiſſimas, [9] fortaſſis Jehova *erit* mecum ut expellam eos, quemadmodum prædixit Jehova.

13 [10] Benedixit ergo ei Jehoſchuah; deditque Chebronem Calebo filio Jephunnæ in poſſeſſionem.

14 Idcirco ceſſit Chebron Calebo filio Jephunnę Kenizzæi [11] in poſſeſſionem, uſque in diem hunc: propterea quòd plenè ſequutus eſſet Jehovam Deum Jiſraëlis.

15 Nomen autem Chebronis anteà fuerat [d] urbs [12] Arbahi, is homo ille maximus inter Hanakæos fuit: [13] tum terra quieta fuit a bello.

[1] quæ hoc & ſequentibus quinque capitibus cõprehenduntur.
[a] *Num.* 26.2.
[2] hoc verſu docet quo modo exceptis Levitis & illis qui poſſeſſionem acceperant ultra Jardenem, novẽ cum dimidia ſuperfuerint.
[3] tum quia mandaverat Deus ut excipirentur Levitæ a poſſeſſione terræ, tum etiam quia Moſchis exemplum exceptionem confirmabat.
[4] ut contribuli ſuo Calebo advocati patrocinarentur. hæc autem geſta fuiſſe ante expugnatã Chebronem, oſtendit comparatio hujus loci cum ver. 36. & 37. capitis 10.
[a] *Heb. cum corde meo.*
[b] *Heb. cor.*
[c] *Heb. implevi ſequi poſt Jehovam me, ut infrà aliquoties.*
[1] *Num.* 14.24.
[5] id eſt, 7. ab ingreſſu in terram: unde colligitur ſex annos Jehoſchuham impendiſſe in bellandis iſtis Cenahanæis, & hinc annum intermiſſionis legalis incipere.
[6] Dei ſententia juſſus retrocedere, Num. 14.25.
[7] vide Nume. 27.17.
[8] id eſt, montanam regionem Jehudæ: ut alibi ſæpe.
[9] offert ſe propriis viribus montis incolas aggreſſurum conſiſus promiſſione divina: vide Exod. 32.30. Dubitandi verò particulam adjicit, cùm ad notandam humanitus rei difficultatem, tùm ad comparandos & confirmandos in eadem ſpe animos audientium, ut 1. Schem. 14.7. vide in Num. 21.33.

[10] id eſt, approbavit petitionem ejus, & conceſſit ei Chebronem; quamvis non permiſerit ut propriis viribus aggrederetur Caleb, ſed ipſe cum toto Jiſraële eam oppugnavit, & captam dedit Calebo: vide ſuprà 10.37. id enim jus & æquitas poſtulabat, argumento præcepti illius quod Deus Reübeni, Gadi, & Menaſche trans Jardenem habitaturis dederat, Num. 32. [11] vide infra 21.11. & ſequentibus. [d] *Heb. Kirjath-Arbahi.* [12] viri nomen eſt, a quo civitas denominabatur. [13] idem repetit quod in fine decimi, ut eò clarius temporum ὑστερολογία cognoſcatur.

CAPUT XV.

Termini poſſeſsionis Jehudæ, cum omnibus civitatibus & villis in ea comprehenſis, recenſentur.

FUit autem ſors pro tribu filiorum Jehudæ per familias eorum *iſta*: ad terminum Edomæorum, deſertum Tzinis meridiem verſus *erat* extremitas auſtralis *ab Occidente*.

2 Fuitq; eis terminus *ab oriente* meridianus, extremitas maris ſalſi, [a] ab eo ſinu qui ſpectat meridiem verſus.

3 Unde procedens in *tractum* ſecundùm meridiem ad [1] aſcenſum Hakrabbimorum, pertranſit Tzinem, aſcenditq; a meridie Kadeſchum-Barnehæ: ac tranſiens Chetzrone, aſcendit Adarem, & divertit Karkahum.

4 Inde tranſiens Hatzmonem, procedit ad [2] vallem Ægypti, cujus termini exitus ſunt in mare: hic eſto vobis terminus meridianus.

5 Terminus autem *meridianus* orientem verſus, *eſt* [3] mare ipſum ſalſum, uſque ad extremitatem Jardenis: terminus verò ad latus Aquilonare, a ſinu iſtius maris, [4] pars Jardenis.

6 Unde aſcendens hic terminus Beth-Choglam, tranſit ab Aquilone Beth-Harabæ, deinde aſcendit idem terminus *ad* lapidem Bohanis [b] [5] Reübenitæ.

[a] *Heb. ab ea lingua.*
[1] de quo vide Num. 34.4.
[2] de quo ſuprà 13.3. & infrà ℣ 47.
[3] totum, ab auſtrali ſinu uſque ad orientalẽ, quo Jarden in ipſum mare influit.
[4] id eſt, ab extremitate Jardenis partem ejus uſque ad locum Genezareth Juda maximam poſſedit, etiamſi quarumdam tribuum fines in ipſum Jardenem inciderent: hac ratione fiebat ut fines Napthali ad Jardenem, eſſent Judæ conterminî, ut habetur infrà 19.34.
[b] *Heb. filii Reübenis.* [5] nihil habuit eâ tribus cis Jardenem: ſed locus videtur ab hoc Bohane Reübenita denominatus propter rem aliquam geſtam ibi, quæ ipſum attingat, ſicut infrà ℣. 37. Migdal-Gadis dicitur.

7 Unde ascendit idem terminus Debirum a convalle Hacoris; & Aquilonem versus spectat [c] Gilgalem, qui *est* e regione ascensus Adummimorum, qui ipsi valli a meridie *situs est*: tum transit terminus ipse ad aquas Hen-Shemeschi, suntq; progressus ejus ad fontem Rogelis.

8 Inde ascendit idem terminus per vallem filiorum Hinnomi ad latus *urbis* Jebusæorum a meridie, ipsa est Jeruschalaima: unde ascendit idem terminus ad verticem montis qui *est* in conspectu [d] vallis Hinnomi versus occidentem, quique *est* in extremitate convallis Raphaorum versus Aquilonem.

9 Pòst definit terminum istum mons a [e] vertice *suo* ad fontem aquarum Nephtoachi, & procedit ad civitates montis Hephronis: definit etiam terminum istum Bahala, ista est Kirjath-Jeharim.

10 Deinde divertens terminus ipse a Bahala occidentem versus, ad montem Sehiris, transit ad latus montis Jeharimorum ab Aquilone, hoc *jam est* Cesalon: tum descendens Beth-Schemeschum transit Thimnam.

11 Posteà procedit iste terminus ad latus Hekronis Aquilonem versus; & definit ipsum terminum ad Schicceronem, & transiens montem Bahale, procedit Jabneelem, & sunt exitus istius termini in mare.

12 Denique terminus occidentalis *est*, quod *est* ad mare magnum & terminum *ipsius*: hic *est* terminus filiorum Jehudæ circumquaque per familias eorum.

13 Calebo autem filio Jephunnę dederat partem Jehoschuah inter filios Jehudæ [f] ex præstituto Jehovæ sibi *indicto*, urbem Arbahi, *qui fuit* pater Hanakitarum, ea *est* Chebron.

14 Expuleratq; inde Caleb tres Hanakitas, Scheschaium, & Achimanem, & Thalmaium, [g] Hanakitas.

15 Postea [6] ascendens inde ad habitatores Debiri (nomen autem Dibiri anteà *fuerat* urbs Sepheri)

16 Dixerat Caleb, qui percusserit urbem Sepheri & ceperit eam, vicissim dabo ei Hacsam filiam meam in uxorem.

17 Quumq; cepisset eam Hothniel [7] filius Kenazi agnatus Calebi, dedit ei Hacsam filiam suam in uxorem.

18 Fuitq; dum conventura esset, [8] ut *ea* persuaderet illi de petendo a patre suo agro, desilitq; de asino: cui dixit Caleb, quid tibi *est*?

19 Tum dixit illa, da mihi munus, quandoquidem terram [h] siccam dedisti mihi, des mihi quoque scaturigines aquarum: dedit itaque ei scaturigines superiores, & scaturigines inferiores.

20 Hæc *est* possessio tribus filiorum Jehudæ, per familias eorum.

21 Suntq; civitates istæ, extremitatis *pertinentis* ad tribum filiorum Jehudæ, conterminæ Edomæis ad meridiem: [i] Kabtzeel, & Heder, & Jagur:

22 Et Kina, & [k] Dimona, & Hadhada,

23 Et Kedesch, & Chatzor, & Jithnan,

24 Ziph, & Telem, & Behalothæ,

25 Et Chatzor, Chadattha, & Kerijothæ, (Chetzron ea *est* [9] Chatzor)

26 Amam, & [l] Schemah, & Molada.

27 Et [m] Chatzar-Gadda, & Cheschmon, & Beth-Pelet.

28 Et Chatzar-Schuhal, & Beer-Schebah, & Bizjothja.

29 [n] Bahala, & Hijima, & Hetzem:

30 Et [o] Eltholad, & [p] Cesil, & Chorma:

31 Et Tziklag, & [q] Madmanna: & Sansanna,

32 Et [r] Lebaothæ, & [s] Schilchima, & [10] Hajin, & Rimmon: omnes civitates [11] viginti novem, & villæ earum.

33 In humili loco, Eschthaol, & Tzorha, & Aschna,

34 Et Zanoach, & Hen-Gannima, Thappuach, & Henam,

35 Jarmuth, & Hadullam, Soco, & Hazeka,

36 Et Schaharajima, & Hadithajima, & Gedera sive Gederothajima: civitates quatuordecim, & villæ earum.

37 Tzenan, & Chadascha, & [12] Migdal-Gadis,

38 Et Dilhan, & Mitzpe, & [13] Jokteel,

39 Lacisch, & Botzkath, & Heglon,

40 Et Cabbon, & Lachmas, & Cithlisch,

41 Et Gederothæ, Beth-Dagon, & Nahama, & Makkeda, civitates sexdecim & villæ earum:

42 Libna, & [t] Hether, & Haschan.

43 Et Jiphtach, & Aschna, & Netzib.

44 Et Kehila, & [u] Aczib, & Marescha: civitates novem & villæ earum.

45 Hekron cum pagis ejus & villis ejus.

46 Ab Hekrone usque ad mare, omnes *civitates* quæ sunt juxta Aschdodum, & villæ earum.

47 Aschdod pagi ejus, & villæ ejus, Hazza pagi ejus & villæ ejus, usque ad [14] vallem Ægypti; & mare magnum, ac terminus *ejus*.

48 In montanis autem, Schamir, & Jatthir, & Soco,

49 Et Danna, & urbs Sannæ, ea *est* Debir,

50 Et Hanab, & [x] Eschthemo, & Hanimæ,

51 Et Goschen, & [y] Cholon, & Gilo: civitates undecim, & villæ earum.

52 Arab, & Duma, & Eschehan,

53 Et Janum, & Beth-thapuach, & Apheka,

54 Et Chumta, & urbs Arbahi, ea *est* Chebron, & Tzihor, civitates novem & villæ earum.

55 Mahon, Carmel, & Ziph, & [z] Juta,

56 Et Jizrehel, & Jokdeham, & Zanoach.

57 Kajin, Gibha, & Thimna: civitates decem & villæ earum.

58 Chalchul, Beth-Tzur, & [15] Gedor,

59 Et Maharath, & Beth-Hanothæ, & Elthekon: civitates sex & villæ earum.

60 [a] Kirjath-Bahal, ea *est* Kir-jath-Jeharima, & Rabba: civitates duæ & villæ earum.

61 In deserto, Beth-Harabæ, Middin, & Secaca,

62 Et Nibschan, & civitates salis, & Hen-Gedi: civitates sex & villæ earum.

63 Jebusæos autem inhabitantes Jeruschalaima non potuerunt filii Jehudæ expellere: [16] sed habitabat Jebusæus cum filiis Jehudæ Jeruschalaimis usque in diem hunc.

CAPUT XVI.

Termini filiorum Josephi in genere: deinde Ephrajimi speciatim recensentur.

DEinde prodiit sors pro filiis Josephi, a Jardene *e regione* Jerichuntis, inde ab aquis Jerichuntis ad orientem: desertum illud, quod ascendit Jerichunte per montana Beth-Elem:

2 Inde progreditur Beth-Ele [1] Luzum; & transit ad terminum [2] Arcæi [3] Hatarothas.

---

c infra 18. 17. Gelilothæ.

d Heb. Gehinnō: unde voce corrupta irrepsit Gehenna nomen, propter immanes cruciatus eorum qui immolabantur Molecō, 2. Reg. 23. 11. & Jirm. 19.

e Heb. a vertice montis.

f Heb. secundùm os Jehovæ ad Jehoschuham.

g Heb. natos Hanako, ut paulo antè in versu, filios Hanaki.

6 videtur Calebo attribui expeditio in eam civitatem, quæ tamen suprà 10. 36. Jehoschuhæ & toti Jisraeli attribuitur: quod fit, quia pro ipso Calebo suscipitur: ideò ipse præmium proponit primo occupanti.

7 id est, descendens a Kenazo, sive nepos, sive abnepos, 1. Chro. 4.

8 id est, veniam obtinuit a sponso, a patre suo petendi: ac potius ægrè exoravit a sponso, ut id sibi liceret petere.

h Heb. siccitatis.

i Jekabtzeel, Nechemja 11. 25.

k Dibon, ibid.

9 cujus meminit in principio versus: sic autem dicta est mutato nomine, ut ab altera Chatzore ad Kadeschum (cujus antè meminit versu 23.) distingui possit.

l Schebah, Jos. 19. 2. & Jehoschuah, Nechem. 11. 26.

m forte Chatzar-Susa, de qua infra 9. 5. & Chatzar-Susim, 1. Chr. 4. 31.

n Bala infra 19. 3. & Bilha, 1. Chro. 4. 29.

o Tholad, 1. Chro. 4. 29.

p Bethul, Jud. 19. 4. & Bethuel, 1. Chro. 4. 30.

q Mecona, Nechem. 11. 28.

r Beth-Lebaoth infr. 19. 6.

s Scharuchem, inf. 19. 6. & Schehaarajima, 1. Chro. 4. 31.

10 sic separatim leguntur infra 19. 7. & 1. Chron. 4. 32. unde apparet duas civitates fuisse. quia autem Nechemję 11. 29. conjunctæ sunt Hen-Rimmon, videntur ita vicinæ fuisse, ut unam quasi civitatem constituerent.

11 plures quidem recensuit, sed quia illarum partem Schimhonitis cessisse apparet infrà 19. 9. ideò hic tantùm 29. numeratæ, quæ remanserunt penes tribum Jehudæ; & quarum etiam aliquot Schimhonis & Jehudæ cōmunes fuerunt.

12 vide annotata suprà 6. V.

13 id est, Petra Arabiæ: vide 2. Reg. 14. 7.

t Hetari, 1. Chro. 4. 32.

u quæ & Cezib, Ge. 38. 5. & Cozeba, 1. Chron. 4. 22.

14 ut suprà vers. 4.

x Eschthemoah, inf. 21. 14.

y Chilen, 1. Chr. 6. 43.

z Jutta, infra 21. 16.

15 de qua vide 1. Mac. 15. 40.

a qua & Bahala 1. Chro. 13. 5. & Bahalei-Jehuda 2. Sche. 6. 2.

16 detinebat enim arcem, & alteram civitatis partem ad Jehudam pertinentem; ut qui a Davide primùm sunt devicti. 2. Schem. 5. vide Iudic. 1. 8.

1 Non est ea quæ ex Jahakobi visione Gen. 28. 19. vocata fuit Beth-El: sed altera non admodum remota, a Beth-Elita quodam extructa: de qua Judic. 1. 26.

3 falluntur qui utroque hoc nomine unum locum designari putant: quod evincit Hebræi textus distinctio. Est autem hic locus Herec, ex quo Cuschai ille consiliarius Davidis, qui infregit consilium Achithophelis, denominatus est Arcæus, 2. Schem. 16. sive Erecæus Latinâ formâ.

3 Agrū situm in termino Ephrajimi, Binjaminis, & Jehudæ. Quam ob rem pro ratione termini variis nominibus distinctus est: infrà ver. 5. & 7. & 1. Chro. 2. 54.

3 Posteà descendit occidentem versus per terminum [4] Japhletæi usque ad terminum Beth-Choronis inferioris & Gezerum vsque: suntq; exitus eius in mare:

4 Itaque possessionem acceperunt filii Josephi, Menasche & Ephrajim.

5 Fuit autem terminus filiorum Ephrajimi per familias eorum, fuit, inquam, terminus possessionis eorum orientem versus, Hatarothæ-Adaris Beth-Choronem superiorem usque.

6 Et procedit terminus iste occidentem versus Michmethatham ab Aquilone, tum divertit terminus orientem versus Thaanatham-Schilunthis; quam pertransit ab oriente ad Janoachum.

7 Tum descendit a Janoacho Hatarothas & [a] Naharam: & incurrens in Jerichuntem exit ad Jardenem.

8 A Thappuacho procedit terminus versus occidentem ad [5] flumen Kanæ, suntq; exitus ejus in ipsum mare: hæc *est* possessio tribus filiorum Ephrajimi per familias eorum.

9 Hæ autem civitates, limitares *fuerunt* pro filiis Ephrajimi inter possessionem Menaschitarum; omnes civitates cum villis earum.

10 Sed non expulerunt Cenahanæum qui habitabat Gezere: quapropter habitavit Cenahanæus inter Ephrajimitas [6] usque in diem istum, fuitque tributo serviens.

[4] sive (ut alibi passim appellatur) Pelethæi per literæ unius mutationem dicti, ut 2. Schem. 9.4. & 15.18.

[a] *quæ & Naharan* 1. *Chron.* 7.28.

[5] quod etiam a colore nigro appellatur Mochmur Iudith 7.12. vide quæ in eum locum annotavimus.

[6] fuit enim Gezeræus illic usque ad Schelomonis tempora, quibus Rex Ægypti Cenahanæos expugnavit, & Gezero filiam suam Schelomonis vxorem muneratus est, ut scribitur 1. Reg. 9. 16.

CAPUT XVII.

Reliquæ dimidiæ tribui Menaschis, hæreditas a Jehoschuha datur Ephrajimo conjuncta: & utrisque de angustia finium querentibus, ratio illos dilatandi ostenditur.

Fuit verò sors tribui Menaschis, [1] quia ipse primogenitus erat Josephi: [b] Maciri quidem primogenito Menaschis, principi Gilhaditidos, eo quòd ipse *erat* vir bellicosus, ideò fuit ejus Gilhaditis & [2] Baschan.

2 Filiis verò Menaschis [3] reliquis fuit *sors* per familias suas; filiis [a] Abihezeris, & filiis Cheleki, & filiis Asrielis, & filiis Schecemi, & filiis [b] Chepheris, & filiis Schemidahi: *nam* hi *sunt* filii Menaschis, filii Josephi, mares per familias suas.

3 [f] Tzelophchado auten filio Chepheris, filii Gilhadis, filii Maciris, filii Menaschis, non fuerant filii, sed filiæ: atque hæc *sunt* nomina filiarum ejus, Machla, & Noha, Chogla, Milca, & Thirtza.

4 Quæ accesserunt coram Elhazare Sacerdote, & coram Jehoschuha filio Nunis, & coram principibus, dicendo, Jehova præcepit [g] Moschi dari nobis possessionem inter fratres nostros: quapropter dedit eis *Jehoschuah* ad [c] præstitutum Jehovæ possessionem inter fratres patris earum.

5 Acciderunt igitur [d] partes Menaschis [4] decem: præter terram Gilhaditicam & Baschanem, quæ *sunt* trans Jardenem.

6 Nam [5] filiæ Menaschis *illæ* possiderūt possessionem inter filios ejus: terra autem Gilhaditica fuit filiorum Menaschis reliquorum.

7 Fuit verò terminus Menaschis versus Ascherem [6] Michmethatha, quæ est in conspectu Shecemi: proceditq; terminus dextram versus ad habitatores Hen-Thappuachi.

8 Menaschis *quidem est* regio Thappuachi: sed Thapuach in termino Menaschis, *est* filiorum Ephrajimi.

9 Unde descendit terminus ad [7] flumen Kanæ ad meridiem ipsius fluminis, civitates istæ Ephrajimi *sunt* inter civitates Menaschis: terminus autem Menaschis *est* ab Aquilone ipsius fluminis, suntq; exitus ejus in mare.

10 Quæ ad Austrum, Ephrajimi *sunt*, ad Aquilonem verò, Menaschis, [8] estq; mare [9] terminus ejus: & in Ascherem incidunt ab Aquilone, in Jissacarem verò ab oriente.

11 Est enim Menaschis in Jissacare & in Aschere, [10] [e] Beth-Schean cum pagis ejus & [f] Jiblehām cum pagis ejus, & habitatores Dori cum pagis ejus, & habitatores Hendori cum pagis ejus, & habitatores Thahanaci cum pagis ejus, & habitatores Megidduntis cum pagis ejus: tres illi tractus.

12 Sed [11] non potuerunt filii Menaschis expellere *a* civitatibus istis *Cenahanæum*; nam voluit habitare Cenahanæus in terra ista.

13 [12] Fuit quidem quum fortes evasissent filii Jisraëlis, ut redderent Cenahanæum tributarium: sed [g] omnino non expulerunt eum.

14 Quapropter alloquuti sunt [13] filii Josephi Jehoschuham, dicendo: quare dedisti mihi *in* possessionem sortem [14] unicam, & partem unicam, cùm ego sim populus multus, adeò ut [15] hucusque benedixerit mihi Jehova?

15 Sed dixit eis Jehoschuah, quandoquidem populus multus es, ascende in istam sylvam, & [16] præcide tibi illic, & in terram Perizzæi & Raphaæorum: siquidem angustus est tibi [17] mons Ephrajimi.

16 Dixerunt autem filii Josephi, non esset satis nobis iste mons; præterea currus [18] ferrati sunt apud omnes Cenahanæos, qui habitant in terra convallis illius, apud eos qui sunt Beth-Scheane, & in pagis ejus, & apud eos qui sunt in convalle Jizrehelis.

17 Rursus alloquutus est Jehoschuah domum Josephi, Ephrajimum & Menaschen, dicendo, populus multus es, & robur magnum est tibi, ne sit tibi sors unica.

18 Quia mons tuus est, si sylva est, at præcidito eam, ut sint tui exitus ejus: nam [19] expelles Cenahanæum, quamvis currus ferrati sint ei, quamvis robustus sit.

[1] rationem addit cur duæ partes sint Menaschi attributæ, quia primogenitus esset: vide legem Deut. 21. 17. Nam quod legitur Gen. 48. 18. & sequentibus, prælatum Ephrajimum Menaschi a Jahakobo, hoc non ad translationem primogenituræ referendum est, sed ad propheticam benedictionem sobolis.

[b] *Num.* 32.39.

[2] ex parte: synecdoche, vide sup. 13.

[3] qui non acceperant possessionem trans Jardenem.

[a] *Ihezer, Num.* 26.30.

[b] *Chuppim,* 1. *Chro.* 7.15.

[f] *Num.* 27.

[g] *Num.* 32.

[c] *Heb. os.*

[d] *Heb. funiculi: metonymia, quia funiculis hæreditas in partes dividebatur: ut infra* 14.

[4] id est, sex in eos qui nominantur V. 2. quarum sexta in quinque filias divisa est.

[5] ex Tzelophchado, de quibus modò agebatur,

[6] de qua suprà 16.6,

[7] de quo suprà 16.8.

[8] nempe Syrum vel mediterraneum, ab occasu solis.

[9] utriusque, Ephrajimi & Menaschis.

[10] sive Beth-Schan, quæ posteà dicta est Scythopolis & Scytharum civitas, 2. Macbæ. 12.29. vide 1. Macbæ. 5.52.

[e] *Beth-Schan,* 1. *Sche.* 31.12.

[f] *Bilham,* 1. *Chr.* 6.70. *& Gath Rimmon, infrà* 21.25.

[11] statim in principio: nam ita Deus prædixerat fore, Exodi. 23. 29. & 30.

[12] vide Judic. 1.28.

[g] *Heb. expellendo non expulite-um* posteritas Josephi.

[13] Utraque tribus, ut apparet ex ver. 15.16.17.

[14] id est, cui possidendæ una tribus satis esset: nam bona pars hæreditatis illis assignatæ a Cenahanæis detinebatur.

[15] id est, ad tantum numerum me excrescere voluerit: erant enim utriusque tribus virorum amplius 87. millia.

[16] id est, locum habitabilem effice tibi succisâ sylvâ.

[17] in quo sylva ista est.

[18] id est, falcibus instructi: metonymia. [19] securè pronnnciat fore ut expellant ex promissione Dei, suprà 13.6. hæc autem omnia cum suis tribulibus Jehoschuah quodammodo egit pertinaciùs, ne aut illi plus æquo sibi velut cognationis jure assumerent, aut alii malè de fide & æquitate ipsius suspicari possent. Nam omnino gentiles ejus ad promissionum divinarum contemplationem oportuit revocari, ut in excidium Cenahanæorum porro incumberent freti virtute Dei.

CAPUT XVIII.

Jisraëlitæ omnes tabernaculum Gilgale transferunt Schiluntem, & jussu Jehoschuhæ dant gæodætas, ut ex eorum descriptione reliqua terra septem tribubus, quæ supererant, sorte distribuatur: & sors prima quæ Binjamini accidit recensetur.

Congregati autem sunt totus cœtus filiorum Jisraëlis Schiluntem, collocaverūtq; ibi tentorium conventus: postquam terra domita fuit coram eis.

2 Quumq; reliquæ essent e filiis Jisraëlis, quarū possessionem non diviserant, septem tribus:

3 Dixit Jehoschuah filiis Jisraëlis; quousque vos remissè agetis, [a] quo minus progrediamini ad hæreditario jure possidendum terram, quam dedit vobis Jehova Deus majorum vestrorum?

4 Date ex vobis ternos viros ex quaque tribu: ut mittam eos, & surgentes obambulent terram, ac describant eam secundùm possessionem [1] suam, deinde redeant ad me.

5 Sic partientur eam sibi in septem partes:

[a] *Heb. ad progrediendum.*

[1] id est, suarum tribuum, quę ipsis eventura est.

Jehuda manebit in termino suo ab austro, & do-
mus Josephi manebunt in termino suo ab Aqui-
lone.

6 Vos autem quum descripseritis terram sep-
tem partibus, adferetis ad me huc: ut jaciam pro
[b] tribubus vestris sortem, hîc coram Jehova deo
nostro.

7 [a] Nam non *est* pars Levitis [c] inter vos,
quia [d] ministerium Jehovæ *est* possessio ejus: Gad
verò, & Reüben, ac dimidia tribus Menaschis ac-
ceperunt possessionem suam trans Jardenem ab
oriente, quam dedit eis Mosche servus Jehovæ.

8 Surrexerunt itaque viri illi ut abirent: præ-
cepitq; Jehoschuah abituris, ut describerent ip-
sam terram dicendo, ite & obambulate istam
terram, ac describite eam, deinde revertimini ad
me; ut hic jaciam pro tribubus vestris sortem co-
ram Jehova Schilunte.

9 Abeuntesq; viri isti transiverunt per ipsam
terram, & descripserunt eam opidatim in septem
partes in libro: deinde venerunt ad Jehoschu-
ham in castra Schiluntem.

10 Jecitq; pro [e] tribubus illorum Jehoschu-
ah sortem Schilunte coram Jehova: sic partitus
est ibi Jehoschuah terram istam filiis Jisraëlis, se-
cundum partitiones illorum.

11 [3] [f] EDUXIT enim sortem tribus filiorum
Binjaminis per familias eorum: & prodiit termi-
nus sortis illorum inter filios Jehudæ & filios Jo-
sephi.

12 Fuit autem illis terminus [4] in angulo ver-
sus Aquilonem a Jardene: & ascendit terminus
ipse ad latus Jerichuntis ab Aquilone, deinde
ascendit per montem occidentem versus, suntq;
exitus ejus in desertum [5] Beth-Avenis.

13 Unde transit terminus Luzum, ad latus
Luzi versus meridiem, illa est [6] Beth-El: posteà
descendit terminus Hatarothas-Adaris, secun-
dum montem qui *est* ab Austro Bethchoroni in-
feriori.

14 Unde definiens terminus ille, divertit in
angulo occidentali meridiem versus, a monte qui
est in conspectu Beth-Choronis ad meridiem; &
sunt exitus ejus ad Kirjath-Bahalem, (ea est Kir-
jath-Jeharima,) civitatem filiorum Jehudæ: hoc
est latus occidentale.

15 Latus autem versus meridiem ab extre-
mitate Kirjath-Jeharimorum: hoc exiens a ter-
mino occidentali progreditur ad fontem aqua-
rum Nephtoachi.

16 Tum descendit idem terminus ad extre-
mitatem montis qui *est* in conspectu vallis filii
Hinnomi, quique *est* in convalle Raphæorum
in aquilonali parte *ejus*: descenditque *per* vallem
Hinnomi ad latus Jebusæi meridiem versus, de-
scendit *inquam* ad fontem Rogelis.

17 Et definiens versus Aquilonem procedit
Hen-Schemeschum, inde procedit [7] Gelilothas,
quæ *sunt* e regione ascensus Adummimorum: ac
descendit *ad* lapidem Bohanis Reübenitæ.

18 Inde transiens ad latus *quod est* e regione
Harabæ aquilonem versus, descendit Harabam.

19 Posteà transit terminus ad latus Beth-
Choglæ versus Aquilonem, suntque exitus ipsius
termini in sinum maris salsi Aquilonarem, in ex-
tremitatem Jardenis meridianam: hic *est* ter-
minus meridianus.

20 Denique Jarden terminat ipsum in latere
orientem versus: hæc *est* possessio filiorum Bin-
jaminis per terminos ejus circumquaque, pro
familiis eorum.

21 Sunt autem civitates pro tribu filiorum
Binjaminis, per familias eorum, Jericho, & Beth-
Chogla, & Hemek-Keztitz,

22 Item Beth-Haraba, & Tzemarajima, &
Beth-El,

23 Et Havvim, & Para, & Hophra,

24 Item Cephar-Hammonai, & Hophni, &
Gebah; civitates duodecim & villæ earum.

25 Gibhon, & Rama, & Beerothæ,

26 Et Mitzpe, & Cephira, & Motza,

27 Et Rekem, & Jirpeel, ac Thareala,

28 Et Tzelah, Eleph, & [8] Jebusæi *civitas*, (ea
est Jeruschalaima,) Gibhath, & Kirjath, civita-
tes quatuordecim & villæ earum: hæc *est* pos-
sessio filiorum Binjaminis per familias eorum.

CAPUT XIX.

Reliquæ sex tribus similiter sorte suam hæreditatem consequuntur, & omnes communi consensu Jehoschuham civitate, quam petiit, munerantur.

DEinde prodiit sors secunda Schimhoni, pro
tribu Schimhonitarum per familias eorum:
fuitque possessio eorum intra possessionem filio-
rum Jehudæ.

2 Fuit enim eis in possessione illorum; Beer-
Scebah, & [a] Schebah, & Molada,

3 Item Chatzar-Schuhal, & [b] Bala, & Hetz-
zem,

4 Et Eltholad, & Bethul, & Chorma,

5 Et Tziklag, & Beth-Marcabothæ, & [c] Chat-
zar-Susa,

6 Et [d] Beth-Lebaothæ, & Scharuchen: civi-
tates tredecim & villæ earum.

7 [e] Hajin, Rimmon; & [f] Hether, & Haschan:
civitates quatuor & villæ earum:

8 Omnesque villæ quæ *erant* circa civitates
istas usque ad [g] Bahalath-Beerem, *sive* Rama-
tham meridianam: hæc *est* possessio tribus filio-
rum Schimhonis per familias suas.

9 [h] Ex portione filiorum Jehudæ, *est* possessio
filiorum Schimhonis; quia fuit [i] major pars fi-
liorum Jehudæ quàm eis conveniret, ideò pos-
sessionem acceperunt filii Schimhonis intra
possessionem eorum.

10 POSTEA ascendit sors tertia pro filiis
Zebulunis per familias eorum: éstque terminus
possessionis eorum [1] Saridum usque.

11 Unde ascendit terminus eorum secundum
mare, etiam Malhalam, & incurrit Dabbesche-
tham: posteà incurrit etiam in torrentem, qui *est*
in conspectu [2] Joknehami.

12 [3] Convertitur autem Sarido antrorsum,
versus ortum solis ad terminum [k] Cisloth-Tabo-
ris: & procedit Dabratham, ac ascendit Japhi-
ham.

13 Indéque transit antrorsum, orientem ver-
sus, Gittham-Chepheris, *aliàs* Hittam-Katzinis:
procedítque [l] Rimmonem-Methoarum *aliàs*
Nehan.

14 Unde divertit terminus ille aquilonem
versus, Channathonem: suntque exitus ejus *in*
vallem Jiphthach-Elis.

15 Cum [m] Kattatha, & [n] Nahalale, & Schim-
rone, & Jideala, & Beth-Lechemo: civitates
sunt duodecim & villæ earum.

16 Hæc *est* possessio filiorum Zebulunis per
familias eorum, hæ civitates & villæ earum.

17 JISSACARI prodiit sors quarta, pro fi-
liis Jissacaris per familias eorum.

18 Estque [4] termini eorum, [5] ad Jizrehelem
& [6] Cesullothæ, & Schunem,

n *Nahalole, Judic.1.29.* 4 australis nimirum ab occidente versus orientem. 5 quæ erat filiorum Josephi supra 17.16. 6 de quibus 1.Machæ,9.2.

19 Et

b *Heb. pro vobis, ut infrà v.8. & 10. mittendos alloquitur ac si tribus alloquutus esset, quæ mittebant eos. Syllepsis.*

a Occupatio est, qua exponit Jehoschuah, cur plures sortes non desiderentur, cùm duplo tamen fermè esset major Jisraëlitarum numerus.

c *Heb. in medio vestri.*

d *Heb. sacerdotium: synecd.*

e *Heb. pro illis.*

3 putà Jehoschuah ex una quidem urna Binjaminis nomen ad quem sors erat perventura: ex altera verò prodiit pars ad Binjaminem hac sortitione perventura.

f *Heb fecit ut ascenderet sors.*

4 id est, in divertigio Jardenis, quo magis adhuc ad orientem divertit.

5 ea est Beth-Aven, cujus meminit suprà 7.2.

6 vide Gen.28.19. nam Luz altera, retinuit Luzi nomen: de qua suprà 16.2. & Judic.1.26.

7 i. Gilgal, ut constat ex capite 15.7. & infrà 22.13. nam Gelilothæ sonant limites.

8 vide in Judic. 1.8.

a *Suprà 15. Scemah; & ea esse videtur quæ 1. Chr.4.32. Tochen vocatur: nam omnia utrobique conveniunt, hac excepta, quæ ibi alioquin omittetur.*

b *vide 15. suprà, in margine.*

c *suprà 15. Chatzar-Gadda, conveniunt nomina significatione: nam Gadda turmam & Susa equitatum significat.*

d *Beth-Biri, 1. Chro.4.31.*

e *Haschan. 1. chr.6.59.*

f *Hethan, 1. Chr.4.32.*

g *Bahala, 1. Chr. 4.33. sive Ramathas meridiana, 1. Schem. 30.27.*

h *Heb. ex funiculo: metonymia ut suprà 17.5.*

i *Heb. magna præ illis.*

1 ultima est civitas Zebulunis in angulo meridiano, termino occidentali.

2 hæc Zebulunitarum civitas angulum septentrionalem statuens in eodem termino.

3 describit meridianũ terminum, ascendendo ab occidente orientem versus.

k *Tabor, 1. Chro. 6.62. & Kartha infrà 21.34.*

l *Dimna, infrà 21.35. & Rimmono, 1. Chro.6. 62.*

m *Citrone, Judic.1.39.*

19 Et Capharajima, & Schion, & Anachara-
tha:
20 [7] Præterea Rabbith, & [o] Kischjon, & E-
betz,
21 Et [p] Remeth, & [q] Hen-Gannim, & [8] Hen-
Chadda, & Beth-Patzetz.
22 Unde incurrit terminus in [r] Thaborem, &
Schachatzima, & Beth-Schemeschum, suntque
exitus termini eorum *in* Jardenem: civitates sex-
decim & villæ earum.
23 Hæc *est* possessio tribus filiorum Jissacaris
per familias eorum: hæ civitates & villæ earum.
24 TUM prodiit sors quinta pro tribu filio-
rum Ascheris per familias eorum:
25 [9] Estque termini eorum, [s] Chelkath &
Chali, & Beten, & Acschaph,
26 Et Alammelec, & Hamhad, & [t] Mischeal:
incurritque in Carmelum in occidente, & in
[10] Schichorem *ad* [11] Libnatham.
27 Inde convertitur versus orientem solis
Beth-Dagonem; & incurrit in Zebulunem, & *in*
vallem Jiphtach-Elis, ad Aquilonem, Beth-He-
meki, & Nehielis: proceditque ad [12] Cabulem
[13] sinistrorsum.
28 Item [u] Hebron, & Rechob, & Chammon,
& Kana; usque ad Tzidonem magnam.
29 Unde convertitur terminus Ramam, usque
ad civitatem munitam [a] Tzor: convertitur quo-
que terminus Chosam, suntque exitus ejus in
mare a tractu ad Aczibum *pertinente.*
30 Præterea Humma, & [b] Aphek, & Re-
chob: civitates viginti duæ & villæ earum.
31 Hæc *est* possessio tribus filiorum Ascheris
per familias eorum: civitates istæ & villæ earum.
32 FILIIS Naphthali prodiit sors sexta;
pro filiis Naphthali per familias eorum:
33 Estque [14] termini eorum a Chelepo, *&* ab
querceto in Tzahanannimis, & ab Adamęi fossa,
& Jabneele, Lakkumum usque: suntque exitus e-
jus *in* Jardenem.
34 Unde convertitur terminus versus occi-
dentem [15] Aznothas-Thaboris & procedit inde
Chukkokum versus: incurritque in Zebulunem a
meridie, in Ascherem verò incurrit ab occi-
dente, & in [16] Jehudā *ad* Jardenem ab ortu solis.
35 Urbes autem munitæ *sunt*, Tziddim-Tzer,
& [c] Chammath, [d] Rakkath, & [17] Cinnereth,
36 Et Adama, & Rama, & Chatzor,
37 Et [e] Kedesch, & Edrehi, & Hen-Chatzor,
38 Et Jireon, & Migdal-El, Chorem, & Beth-
Hanath, ac Beth-Schemesch: civitates novem-
decim & villæ earum.
39 Ista *est* possessio tribus filiorum Naphthali
per familias eorum: hæ civitates & villæ earum.
40 PRO tribu filiorum Danis per familias e-
orum, prodiit sors septima:
41 Estq; terminus possessionis eorum, Tzor-
ha & Eschthaol, & [f] Hir-Scemesch,
42 Et [g] Schahalabbin, & Aialon, & Jithla,
43 Et Elon, & Thimnatha, & Hekron,
44 Et Eltheke, & Gibbethon, & Bahalath,
45 Et Jehud, & Bene-Berak, & Gath-Rimmon,
46 Et Me-Jarkon, & Rakkon: cum termino
suo e regione [h] Japhuntis.
47 Prodierat autem terminus filiorum Da-
nis minor [i] quàm illis sufficeret: quapropter
[18] ascendentes filii Danis pugnaverunt contra
Leschemum, & capientes eam percusserunt eam
acie gladii, & hæreditario jure possidentes eam
habitaverunt in ea, vocaveruntque Leschemum

[7] in occidentali termino, in angulo meridiano ad Aquilonem.
[o] *Kedesch 1. Chr. 6.57.*
[p] *Jarmuth infra 21.29. & Ramoth 1. Chro. 6.58.*
[q] *Henen ibid.*
[8] hinc terminum aquilonarem incipit describere ab occidente in orientem.
[r] *Dabrath infr. 21.28.*
[9] occidentalis ab Aquilone ad meridiem.
[s] *Chukkath, 1. Chro. 6.60.*
[t] *Maschal, 1. Chro. 6.59.*
[10] rivus est quem Plin. lib. 5. cap. 19. vocat Pagidam sive Belum.
[11] id est, promontorium album, Plin. ibid supra Hacuntem: ideò Hacuntis hîc non meminit, quia inclusa est his terminis: meminit autem ejus Judic. 1.30.
[12] vide de ea 1. Reg. 9.13.
[13] id est, ab ea parte quæ maximè septentrionalis est.
[u] *Hablon infrà 21.30. & 1. Chr. 6.59.*
[a] *Tyrum.*
[b] *Aphik, Judic. 1.30.*
[14] orientalis ab aquilone ad meridiem.
[15] quarum mentio est 1. Macbæ. 9 15.
[16] vide annotata supra 15 5.
[c] *Chamath Dor infr. 21.32. & Chammon, 1. Chro. 36.61.*
[d] *fortassis ea est, quæ Kartha infr. 21.32. & Kirjathajim, 1. Par. 6. 61.*
[17] unde nomen accepit lacus quẽ accolebãt Naphthalitæ, postea dictus Genezareth.
[e] *Kedesch in Galilea, 1. Chr. 6.61. ad differentiam illius quod est in Jissacare.*
[f] *Bethschemesch 1. Reg. 4.9. & Har Cheres, Judic. 1.35. nam significatione conveniunt.*
[g] *Schahalbim, ibid.*
[h] *vulgò Joppe.*
[i] *Heb. ab eis, i. infrà eos.* [18] vide hæc fusius Judic. 18. ex cujus loci collatione constat, quæ hic leguntur, longo tempore post Jehoschuhæ mortem gesta esse.

Danem de nomine Danis patris sui.
48 Ista *est* possessio tribus filiorum Danis per
familias eorum; hæ ipsæ civitates & villæ earum.
49 Quumque absolvissent possessionem ac-
cipere ipsius terræ per terminos ejus: dederunt
filii Jisraëlis possessionem Jehoschuhæ filio Nu-
nis in medio sui:
50 Ex præstituto Jehovæ dederunt ei civi-
tatem quam petierat, [k] Thimnath-Serachum in
monte Ephrajimi: exstruxit deinde ipsam civita-
tem, & habitavit in ea.
51 Istæ *sunt* possessiones quas possidendas
dederunt Elhazar Sacerdos, & Jehoschuah filius
Nunis, ac primores paternarum familiarum tri-
bubus filiorum Jisraëlis per sortem, Schilunte,
coram Jehova, *ad* portam tentorii conventus:
sic absolverunt partiri terram.

CAPUT XX.

Jisraëlitæ a Deo per Jehoschuham moniti civitates receptus designant.

DEinde alloquutus est Jehova Jehoschuham
dicendo:
2 [ll] Alloquere filios Jisraëlis, dicendo; date *ex*
vobis civitates illas receptus, de quibus [l] edixi vo-
bis per Moschen:
3 Ut confugiat illuc occisor, qui percusserit
[a] quempiam errore, per imprudentiam: ut sint
vobis receptui a vindice [1] sanguinis illius.
4 Is, ubi confugiens ad unam ex civitatibus
istis steterit *ad* ostium portæ civitatis illius, &
[b] exposuerit audientibus Senioribus illius civi-
tatis rationes suas: tum recipient illum in eam
civitatem ad se, & dabunt ei locum, ut habitet
cum ipsis.
5 Et quum persequetur illum vindex illius
sanguinis, tum non tradent occisorem in manum
ejus; quia per imprudentiam percussit proximum
suum, cùm non odisset hic illum [c] antea.
6 Sed manebit in civitate illa, donec stet co-
ram cœtu ad judicium suum, [2] usque ad mortem
Sacerdotis maximi, qui erit in diebus illis: tunc
revertens occisor ille veniet in civitatem suam &
in domum suam, *etiam* in civitatem unde fugerat.
7 Quapropter [3] sanctificaverunt Kedeschum
in Galilæa, in monte Naphthali, & Schechemum
in monte Ephrajimi: & urbem Arbahi, ea *est*
Chebron, in monte Jehudæ.
8 Trans Jardenem autem e regione Jeri-
chuntis orientem versus, dederunt Betzerum in
deserto, in planitie, e tribu Reübenis; & Ramo-
thas in Gilhade e tribu Gadis, & Golanem in
Baschane e tribu Menaschis.
9 Hæ *sunt* civitates [4] conventus omnibus filiis
Jisraëlis & peregrino peregrinanti inter eos *assi-
gnatæ* ut confugiat illuc quisquis percusserit
quempiam per errorem: & non moriatur manu
vindicis illius sanguinis, donec [5] steterit coram
cœtu.

CAPUT XXI.

Civitates Sacerdotibus & Levitis cum suis suburbanis, a singulis tribubus sorte attributæ recensentur.

TUm accesserunt primores paternarum *fa-
miliarum* e Levitis ad Elhazarem Sacerdo-
tem & ad Jehoschuham filium Nunis, & ad pri-
mores paternarum *familiarum* tribuum e filiis
Jisraëlis:
2 Et alloquuti sunt eos [x] Schilunte in terra
Cenahanis, dicendo, Jehova præceperat per
Moschen dari nobis civitates ad habitandum;
& prædia suburbana earum pro jumentis no-
stris.

3 [a] Dederunt

[k] *Thimnath-Chores Judic. 2.9 literis inversis.*
[ll] *Num. 35.9.*
[l] *Deut. 19,1.*
[a] *Heb. animam.*
[1] putà qui profusus fuerit cruenta cæde.
[b] *Heb. eloquutus fuerit in auribus Seniorum &c. verba sua.*
[c] *Heb. ab heri nudiustertio: synecd.*
[2] sub. si causa cognita, imprudens fecisse judicabitur, Num. 35.25.
[3] id est, in asylum consecraverunt, idq; cis Jardenẽ: ut ex antithesi & determinatione sequentis versus manifestò colligitur.
[4] id est, ad quas conveniebant occisores.
[5] id est, causam in judicio dixerit, & judicium sit passus ab iis fieri, quorum fidem & cognitionem imploraverat.
Confer cum 1. Chr. 6.54.
[x] nimirum coram Jehova: nam tentorium conventus eò fuerat Gilgale exportatum, suprà 18.1.

3 [a] [b] Dederunt itaque filii Jisraëlis Levitis de possessione sua, [a] ex præstituto Jehovæ, civitates istas & suburbana prædia earum.
4 Quum enim prodiret sors pro familiis Kehathitarum; fuerunt filiis Aharonis Sacerdotis e Levitis, a tribu Jehudæ, & a tribu Schimhonitica & a tribu Binjamnis sorte, [3] civitates tredecim,
5 Filiis autem Kehathi reliquis, ex familiis tribus Ephrajimi, & ex tribu Danis, & ex dimidia tribu Menaschis, sorte, [4] civitates decem:
6 Filiis autem Gerschonis, ex familiis tribus Jissacaris, & ex tribu Ascheris, & ex tribu Naphthali, ac ex dimidia tribu Menaschis in Baschane, sorte civitates [5] tredecim:
7 Filiis Merari per familias eorum, ex tribu Reübenis, & ex tribu Gadis, & ex tribu Zebulunis, civitates [6] duodecim.
8 Dederunt, inquam, filii Jisraëlis Levitis civitates istas, & suburbana prædia earum; quemadmodū præceperat Jehova per Moschen sorte.
9 DEDERUNT itaque ex tribu filiorum Jehudæ, & ex tribu filiorum Schimhonis; civitates istas, quas legere poterit *lector* nominatim:
10 Ut essent filiorum Aharonis e familiis Kehathitharum de filiis Levi; nam illis fuit sors primùm.
11 Dederunt, inquam, eis urbem Arbahi patris [b] Hanokitarum, ea *est* Chebron, in monte Jehudæ; & suburbana prædia ejus circa eam.
12 Agrum verò ejus civitatis, & villas ejus; dederunt Calebo filio Jephunnæ, in possessionem ejus.
13 Filiis ergo Aharonis Sacerdotis dederunt civitatem receptus occisoris, Chebronem cum suburbanis prædiis ejus; & Libnam cum suburbanis ejus;
14 Et Jatthirem cum suburbanis ejus: & Eschtemoham cum suburbanis ejus.
15 Et Cholonem cum suburbanis ejus; & Debirum cum suburbanis ejus:
16 Et Hajinem cum suburbanis ejus, & Juttam cum suburbanis ejus, Beth-Schemeschum cum suburbanis ejus: civitates novem ex duabus tribubus istis.
17 Ex tribu autem Binjaminis, Gibhonem cum suburbanis ejus; Gebahum cum suburbanis ejus:
18 Hanathothas cum suburbanis ejus, & Halmonem cum suburbanis ejus; civitates quatuor.
19 Omnes civitates filiorum Aharonis Sacerdotum, tredecim civitates cum suburbanis earū.
20 FAMILIIS autem filiorum Kehathi Levitarum, qui reliqui erant a filiis Kehathi; fuerunt quoque civitates sortis eorum ex tribu Ephrajimi.
21 Nam dederunt eis civitatem receptus occisoris, Schecemum cum suburbanis ejus in monte Ephrajimi; & Gezerum cum suburbanis ejus.
22 Item [c] Kibezajima cum suburbanis ejus, & Beth-Choronem cum suburbanis ejus: civitates quatuor.
23 Ex tribu autem Danis, Eltheken cū suburbanis ejus, Gibbethonem cum suburbanis ejus,
24 Ajalonem cū suburbanis ejus, Gath-Rimmonem cum suburbanis ejus, civitates quatuor.
25 A dimidia autem tribu Menaschis, Thahanacum cum suburbanis ejus, & [d] Gath Rimmonem cum surbanis ejus; civitates duas.
26 Omnes civitates decem cum suburbanis earum; pro familiis filiorum Kehathi reliquorum.
27 AT FILIIS Gerschonis ex familiis Levitarum; a dimidia tribu Menaschis civitatem, receptus occisoris, Golanem in Baschane cum suburbanis ejus, & Beheschtheram cum suburbanis ejus; civitates duas.
28 Item ex tribu Jissacaris, Kischjonem cum suburbanis ejus; Daberatham cum suburbanis ejus:
29 Jarmuthum cum suburbanis ejus, Hen-Ganima cum suburbanis ejus; ciuitates quatuor.
30 Et ex tribu Ascheris, Mischealim cum suburbanis ejus; Habdonem cum suburbanis ejus:
31 Chelkatam cum suburbanis ejus, & Rechobum cum suburbanis ejus; civitates quatuor.
32 Et ex tribu Naphthali, civitatem receptus occisoris, Kedeschum in Galilæa cum suburbanis ejus, & Chammothas-Dori cum suburbanis ejus, & Karthanem cum suburbanis ejus: civitates tres.
33 Omnes civitates Gerschonitarum per familias eorum; tredecim civitates cum suburbanis earum.
34 DENIQUE familiis filiorum Merari, Levitarum reliquorum; ex tribu Zebulunis, Jokneham cum suburbanis ejus: Kartham cum suburbanis eius:
35 Dimnam cum suburbanis ejus, Nahalalem cum suburbanis ejus; civitates quatuor.
36 Ex tribu autē Reübenis, Betzerum cum suburbanis ejus; & Jahatzam cum suburbanis ejus:
37 Kedemothas cum suburbanis ejus, Mephahatham cum suburbanis ejus: ciuitates quatuor.
38 Ex tribu autem Gadis, civitatem receptus occisoris, Ramothas in Gilhade cum suburbanis ejus; & Machanajima cum suburbanis ejus:
39 Cheschbonem cum suburbanis ejus: Jahzerem cum suburbanis ejus: omnes civitates quatuor.
40 Omnes civitates istas *dederunt* filiis Merari per familias eorum, reliquis ex familiis Levitarū: fueruntq; sortis eorum civitates duodecim.
41 Omnes civitates Levitarum intra possessionem filiorum Jisraëlis civitates quadraginta octo, cum suburbanis earum.
42 Sunt autem civitates istæ, [e] unaquæque cum suburbanis suis circa ipsam: sic de singulis civitatibus istis.

CAPUT. XXII.

Reübenitæ cum Gaditis & Menaschitarum parte a Jehoschuha, partâ jam quiete, cum laude & præmio remittuntur. Qui ad Jardenem, altare in communionis symbolum exstruentes, Jisraëlitis omnibus occasionem præbent belli contra eos suscipiendi; sed audita illorū defensione, belli consilium deponunt isti.

QUum [1] autem [a] dedisset Jehova Jisraëlitis totam terram, quam juramento promiserat se daturum majoribus eorum; & hæreditario jure possidentes eam, habitarent in ea:
2 Et quietem largitus esset Jehova illis [3] circumquaque, secundùm omnia quæ juramento promiserat majoribus eorum; neque consisteret quisquam ante faciem eorum ex [4] omnibus hostibus eorum, omnes hostos eorum tradidisset Jehova in manum eorum,
3 Non excidisset quicquam ex ullis [5] rebus bonis, quas eloquutus fuerat Jehova domui Jisraëlis; cuncta evenissent.

CAPUT. XXII.

4 Tunc Jehoschuah convocavit Reübeniti-

a in usum & habitationem, manente interea dominio directo penes tribus, quibus sorte obvenerant, ut exemplū Chebronis docet infrà ver.11.&12. Est autē hîc prolepsis, vel propositio & distributio summa; cujus partes reliquo capite exponuntur, ut deinceps annotabimus.
[b] Num.35.
a Heb. *secundum os.*
3 de quibus infrà ver.11.& seq.
4 de quibus infrà ver.20.& seq.
5 de quibus infra ver.27.&c.
6 de quibus infrà ver.34.&c.
b *autea ubique Hanakite, & pater Hanak.*
c *Jokmeham, 1.Chro.6.68.*
d *vide suprà 17. 11.*
e *Heb. civitas civitas.*

1 solent tres hi versus præcedente capite includi, sed series historiæ requirit, ut sequentibus conjungantur, ideò ab hoc versu capitis initium fecimus: ostenditur enim istis, quando defuncti sunt Reübenitæ & reliqui, munere a Deo per Moschen ipsis imposito, Num.32.
2 licet Jisraëlitæ sua negligentia partem ejus aliquam intermitterēt. 3 putà nemine ampliùs audente illos infestare: ut infrà 23.1. 4 quos Jisraëlitæ aggressi essent ab eis hostiliter lacessiti. 5 inter quas illa ipsa reponenda est, quæ habetur Exo.23.29. de non expellendis momento inimicis ex promissa terra.

cam

cum, & Gaditicã; ac dimidiã tribum Menaschis:
5 Dixitq; eis, vos observastis omnia quæ
præcepit vobis Mosche servus Jehovæ, & auscul-
tastis voci meæ in omnibus quæ præcepi vobis:
6 Non deseruistis fratres vestros jam [6] die-
bus multis, usq; in diem hunc, & observastis ob-
servationem, & præceptum Jehovę Dei vestri.
7 Nunc autem, quietem largitus est Jehova
Deus vester fratribus vestris, quemadmodum di-
xerat eis: nunc igitur conversi [a] abite in tentoria
vestra, in terram possessionis vestræ, quam dedit
vobis Mosche servus Jehovę trans Jardenem.
8 Tantùm [b] observantes admodum facite
præceptum & legem illam, quam præcepit vobis
Mosche servus Jehovæ, diligentes Jehovam De-
um vestrũ, & ambulantes in omnibus viis ejus,
& observantes præcepta ejus, & adhærentes ei;
denique colentes eum ex toto corde vestro, &
ex toto animo vestro.
9 Benedixitque Jehoschuah eis; ac dimisit
eos, ut abirent in tentoria sua.
10 [7] Nam dimidiæ tribui Menaschiticæ de-
derat Mosche *possessionem* in Baschane, alteri verò
dimidiæ ejus dedit Jehoschuah [8] cum fratribus
ipsorum cis Jardenem ad occidentem: insuper
etiam quum dimitteret eos Jehoschuah in ten-
toria eorum, [c] muneratus est eos:
11 Et alloquutus est eos dicendo, cum opibus
multis redite in tentoria vestra, nimirũ cum pe-
core numeroso admodum, cum argento, & auro,
& ære, & ferro, & vestimentis multis admodum:
participes estote prædæ hostium vestroum cum
fratribus vestris.
12 Revertentes itaque abiverunt Reübenitæ,
& Gaditæ, & dimidia tribus Menaschitica a *filiis*
Jisraëlis Schilunte, quę *est* in terra Cenahanis; ut
venirent in terram Gilhadis, in terram possessio-
nis suæ, in qua constituti fuerant possessores [d] ex
præstituto Jehovæ per Moschen.
13 Quumq; pervenissent ad [9] limites Jarde-
nis, qui *sunt* in terra Cenahanis; extruxerũt Reü-
benitæ cum Gaditis, & dimidia tribu Menaschi-
tica illic altare prope Jardenem, altare magnum
ad aspectum.
14 Quare audientes filii Jisraëlis dicentem;
ecce, exstruxerunt Reübenitæ cum Gaditis & di-
midia tribu Menaschitica altare illud e regione
terræ Cenahanis, in limitibus Jardenis, in [e] late-
re filiorum Jisraëlis:
15 Audientes, inquam, filii Jisraëlis; congre-
gati sunt totus cœtus filiorũ Jisraëlis Schilunte,
ut ascenderent contra eos in militiam.
16 Interim miserunt filii Jisraëlis ad Reübe-
nitas, & ad Gaditas, & ad dimidiam tribum Me-
naschis in terram Gilhadis; Pinchasum filium
Elhazaris Sacerdotis;
17 Ac decem principes cum eo, [f] principem
unum ex unaquaque domo paterna, ex singulis
tribubus Jisraëlis: *erat* autem eorum quisq; pri-
marius domus paternæ suæ in millibus Jisraëlis.
18 Qui venerunt ad Reübenitas, & ad Gadi-
tas, & ad dimidiam tribum Menaschis, in terram
Gilhadis; & alloquuti sunt eos, dicendo:
19 Sic dicunt totus cœtus Jehovæ, quæ *est*
prevaricatio hec, qua prevaricati estis in Deum
Jisraëlis, a vertendo vos hodie [g] a Jehova; quum
extruxistis vobis altare, ut rebelletis hodie con-
tra Jehovam?
20 [h] An parum est nobis, quòd nondum puri-
ficavimus nos ipsos ab iniquitate Pehoris usque
in diẽ hunc? unde fuit illa plaga in cœtu Jehovę,
21 Et vos avertamini hodie a Jehova? unde

[6] tredecim fermè continuis annis, quibus duravit bellum contra Cenahanæos: vide annotata suprà in finem capitis 10.
[a] Heb. abite vobis sic ver. 22.
[b] Heb. observate faciendo admodum.
[7] rationem reddit cur suprà v. 4. Reübenitis & Gaditis, Menaschitarum partem conjunxerit,
[8] cum reliquis novem tribubus, ut v. 11.
[c] Heb. benedixit eis; benedicendi enim verbum non solum benè precari, sed etiam beneficium conferre significat.
[d] Heb. secundùm os J. per manum Moschis.
[9] de quibus vide suprà 18.17. sic sequente versu.
[e] Heb. in transitu.
[f] Heb. principem unum principem unum in domum paternam, in omnes &c.
[g] Heb. ab eundo post Jehovam: sic infra aliquoties.
[h] Heb. an parum est nobis ab iniquitate Pehoris, quòd non purificavimus nos ab ea? trajectio. Num. 25.

futurum est vobis rebellantibus hodie contra Je-
hovam, ut [10] cras adversus totum cœtum Jisraëlis
effervescat.
22 Quòd si immunda *videtur* terra possessionis
vestræ, transite in terram possessionis Jehovæ, in
qua habitat tabernaculum Jehovæ, & possessores
constituimini inter nos; modò contra Jehovam
ne rebelletis, & contra nos ne sitis rebelles, ex-
struentes vobis altare præter altare Jehovæ Dei
nostri.
23 An non Hacan filius Zerachi prævarica-
tus est prævaricatione in anathemate, unde in
totum cœtum filiorum Jisraëlis fuit ira fervens?
ipse autem vir unicus non exspiravit propter ini-
quitatem suam.
24 Respondentes autem Reübenitæ cum Ga-
ditis, & dimidia tribu Menaschitica; sic alloquuti
sunt primores millium Jisraëlis:
25 Fortis, Deus, Jehova, *Deus* fortis, Deus, Je-
hova, ipse scit, & Jisraël ipse sciat; [11] si rebellione,
sivè prævaricatione in Jehovam, ne servato nos
hodierno die.
26 *Si* ut exstrueremus nobis altare, aversuri
nos a Jehova; sive ut offerremus in eo holocau-
stum cum munere, sive ut pararemus in eo sacri-
ficia eucharistica, Jehova ipse requirat.
27 Imò si non ex solicitudine de *hac* re feci-
mus istud, dicentes; in [i] posterum alloquuturi
essent filii vestri filios nostros dicendo, quid vo-
bis [k] cum Jehova Deo Jisraëlis?
28 Et, terminum posuit Jehova inter nos &
vos, Reübenitæ & Gaditæ, Jardenem hunc, non
est vobis portio in Jehova: & effecturi essent filii
vestri, ut filii nostri cessarent, quo minùs timerent
Jehovam.
29 Quapropter diximus, exstruentes facia-
mus jam nobis altare istud; non ad holocaustum,
neque ad sacrificium:
30 Sed testis sit inter nos & vos, & generatio-
nes nostras post nos, de exercendo cultu Jehovæ
coram eo, holocaustis nostris, & sacrificiis nostris,
eucharisticisq; nostris: ut non dicant filii vestri in
posterum filiis nostris, non *est* vobis portio in Je-
hova.
31 Diximus enim, sic erit quum alloquentur
nos aut generationes nostras in posterum; ut di-
camus, Respicite similitudinem altaris Jehovæ,
quam fecerunt patres nostri, non ad holocau-
stum, neq; ad sacrificium, sed *ut* testimonium sit
inter nos & vos.
32 Absit [l] nobis illud, ut rebellemus contra
Jehovam, & ut avertamus nos hodie a Jehova,
ædificando altare ad holocaustum, ad munus, aut
ad sacrificium: excepto altari Jehovę Dei nostri,
quod *est* ante tabernaculum ejus.
33 Quumq; audivisset Pinchas Sacerdos &
principes cœtus, id est, primores millium Jisra-
ëlis qui *erant* cum eo, verba ista, quæ loquuti fue-
rant Reübenitæ cum Gaditis & Menaschitis, vi-
sum est bonum in oculis eorum.
34 Quapropter dixit Pinchas filius Elhaza-
ris sacerdotis Reübenitis & Gaditis & Menaschi-
tis; hodie novimus in medio nostri esse Jeho-
vam, ut qui non sitis prævaricati contra Jeho-
vam prævaricatione ista: [12] tunc eripuistis filios
Jisraëlis e manu Jehovæ.
35 Reversus itaque est Pinchas filius Elhaza-
ris sacerdotis cum ipsis principibus, a Reübenitis
& a Gaditis, e terra Gilhadis in terram Cenaha-
nis ad filios Jisraëlis; & retulerunt eis rem.
36 Quumq; bona videretur res illa in oculis
filiorum Jisraëlis, benedixerũt Deo filii Jisraëlis:
nec

[10] id est, mox: synecdoche.
[11] pathetica est oratio, ideò membris constat concisis.
[i] Heb. cras & sic sæpius infrà.
[k] Heb. & Jehovæ.
[l] Heb. absit nobis ab illo: hypallage.
[12] quum exstrueretis altare in alium finem quàm ad sacrificandum in eo, liberastis vos & nos ab ira Dei.

nec ampliùs loquuti sunt ut ascenderent contra illos in militiam, ad perdendum terram illam in qua Reübenitæ & Gaditæ habitabant.

37 Sic indiderunt Reübenitæ & Gaditæ altari isti [13] nomen *testis*, *dicentes*, nam testis est inter nos, Jehovam esse *nobis* Deum.

13 supra ‖ 30.

CAPUT XXIII.

Jehoschuah, morti vicinus, omnes Jisraëlitarum Seniores convocat, & commemoratione præteritorum beneficiorum & promissionum divinarum, & pœnis propositis sui officii admonet & confirmat eos.

FUit autem exactis [1] diebus multis, postquam dedit Jehova quietem Jisraëlis ab omnibus hostibus eorum circumquaque; quum Jehoschuah senex esset, [a] vergens ætate:

2 Ut vocaret Jehoschuah totum Jisraëlem, seniores ejus & primores ejus, judicesq; ejus, ac moderatores ejus; diceretq; eis, ego senui, vergo ætate,

3 Vos autem vidistis quæcunque fecit Jehova Deus vester omnibus istis gentibus propter vos: ‖ Jehova enim Deus vester is *est*, qui pugnat pro vobis.

4 Videte, [b] jactis sortibus attribui vobis gentes istas reliquas in possessionem per tribus vestras: a Jardene, cùm omnes gentes quas excidi, tum [2] *gentes* maris magni ad occasum solis.

5 ‖ Nam Jehova Deus vester ipse dispellet eas a facie vestra, & expellet eas a facie vestra: ut hæreditario jure possideatis terram earum, quemadmodum loquutus est Jehova Deus vester vobis.

6 Confirmabimini igitur valdè, ut observetis & faciatis quicquid scriptum est in libro legis Moschis: ne recedatis ab eo dextrorsum aut sinistrorsum:

7 ‖ Ne conveniatis cum gentibus istis quæ reliquæ sunt vobiscum: & nomen deorum earum ne recordemini, neque [3] adjuretis, neque colatis eos, neq; incurvetis vos *honorem habentes* eis.

8 ‖ Nam si adhæreseatis Jehovæ Deo vestro, quemadmodum fecistis in hunc usque diem:

9 Ut expulit a facie vestra Jehova gentes magnas & robustas (nã *quòd ad* vos, nõ constitit quisquam in conspectu vestro in diem usq; hunc)

10 ‖ *Ita* vir ex vobis persequetur mille, quia Jehova Deus vester is *est* qui pugnat pro vobis; quemadmodum loquutus est vobis.

11 [c] Attendetis igitur valdè animis vestris; ut ametis Jehovam Deum vestrum.

12 Quòd si [d] omnino averteritis vos, & adhæseritis residuo gentium istarum, istarum quæ reliquæ sunt vobiscum; & affinitatem contrahentes cum eis, conveneritis cum eis, eæque vobiscum:

13 [e] Certò scitote non perrecturum Jehovam Deum vestrum expellere omnes gentes istas a facie vestra; ‖ sed *eas* fore vobis in laqueum, & in tendiculam, & in [4] flagellum lateribus vestris, ac in spinas in oculis vestris, donec pereatis e terra optima hac quam dedit vobis Jehova Deus vester:

14 (Ecce autem ego decessurus sum [f] brevi pro consuetudine totius terræ; [5] postquam cognovistis toto corde vestro, & toto animo vestro, non excidisse rem ullam ex omnibus rebus bonis quas promiserat Jehova Deus vester vobis; omnia evenisse vobis, non excidisse ex eis rem ullam)

15 Et fore, ut quemadmodũ evenit vobis unaquæq; res bona, quã promiserat Jehova Deus vester vobis; sic inducat contra vos Jehova unamquamq; rem malã, donec perdiderit vos e terra optima hac, quã dedit vobis Jehova Deus vester:

16 Quandoquidem transgressi fueritis fœdus Jehovæ Dei vestri quod præcepit vobis, & abeuntes colueritis deos alienos, & incurvaveritis vos eis, ideò accensa ira Jehovæ in vos, perituros; vos esse celeriter e terra hac optima, quã dedit vobis.

[1] id est, exactis tredecim annis bellorum, & toto tempore quod expendit in distributione terræ, ut probat versus quartus, denique postquam fuit divisa terra: id est, annò (ut credibile est) decimoquinto, quum annus 14. intermissionis desineret, quo anno secundùm intermissa est cultura terræ, ex lege Levit. 25.
[a] Heb. diebus: sic infrà 2.
‖ Exod. 14. 4.
[b] Heb. feci ut caderent vobis gentes istæ in hæreditatem, &c.
[2] videlicet accolas, quæ gentes supererãt exscindendæ, etsi Jisraëlitæ ab eis quiescebant: vide suprà 22. 2.
‖ Exod. 23. 27. num. 33. 52. deut. 6. 19.
[3] efficientes ut ipsæ ea commemorent, Exo. 23. 13. & Deut. 12. 3.
‖ Exod. 23. 13.
‖ Deut. 13. 5.
‖ Levit. 26. 7.
[c] Heb conserv te vos valdè.
[d] Heb. avertendo, &c.
[e] Heb. sciendo scitote.
‖ Exod. 23. 17. item 34. 12. num. 33. in fine.
[4] mos erat antiquus cædendi latera, Ecclesiast. 30. 12. Item 42. 6
[f] Heb. hodie: synecdoche, suprà 22. 3.
[5] q. d. jam morior lubentissimè, quum video vos optimè de fide & veritate promissionum Dei esse institutos, verboq; & operibus ejus confirmatos, ut populũ ejus contineatis & regatis in officio suo, quã rem vobis commendatam volo: vide infrà 24. 31. & Judic. 2. 7. & sequentibus.

CAPUT XXIIII.

Jehoschuah omneis tribus Jisraëlis Schecemum cõvocat, easq; commemoratis beneficijs divinis, ad perseverantiam in cultu Dei hortatur, ac fœdus inter Deum & Jisraëlitas renovat. Postremò mors Jehoschuhæ & sepultura ejus, Josephi, & Elhazaris Sacerdotis describitur.

DEinde congregavit Jehoschuah omneis tribus Jisraëlis [1] in agrum Schecemitarum; postquam convocasset seniores Jisraëlis & primores ejus, & judices ejus, & moderatores ejus, ut sisterent se [2] coram Deo.

2 Tum dixit Jehoschuah toti populo, sic dicit Jehova Deus Jisraëlis, ultra flumen *Euphratem* habitabant maiores vestri [a] olim, *utpote* Therach pater Abrahami & pater ‖ Nachoris: colebantq; Deos alienos.

3 ‖ Sed assumsi patrem vestrum Abrahamum, e *regione quæ est* trans illud flumen, & deduxi eum per totam terram Cenahanis: auxiq; semen ejus, quum ‖ dedissem ei Jitzchakum.

4 ‖ Dedi enim Jitzchako Jahakobum & Hesauum: ‖ dedi autem Hesauo montem Sehiris ut hereditario jure possideret eum, sed ‖ Jahakob & filii ejus descenderunt in Ægyptum.

5 ‖ Quò mittens Moschen & Aharonem, plagis affeci Ægyptum, prout feci in medio ejus: ‖ & posteà eduxi vos.

6 ‖ Deducente autem me patres vestros ex Ægypto, advenerunt ad mare; & persequuti sunt Ægyptii patres vestros curribus & equitibus *ad* mare algosum.

7 ‖ Quumq; clamarent *illi* ad Jehovam, posuit caliginem inter vos & Ægyptios, deinde induxit super eos mare illud quod operuit eos, videruntq; oculi vestri id quod feci cõtra Ægyptios: posteà mansistis in ipso deserto diebus multis.

8 ‖ Tandem adduxi vos in terram Emoræorum habitantium trans Jardenem, qui pugnaverunt contra vos: tradidi autem eos in manum vestram, ita ut hæreditario jure possideatis terram eorum, & perdidi eos a facie vestra.

9 ‖ Surrexit quoq; Balak filius Tzipporis rex Moabitarum, ut certaret contra Jisraëlem: ideóque mittens vocaverat Bilhamum filium Behoris, ut malediceret vobis.

10 Sed nolui auscultare Bilhamo: unde [b] [3] quin potiùs indesinenter benedixit vobis, & eripui vos e manu ejus.

11 Quumq; trajecissetis Jardenem, & venissetis ad Jerichuntem; [4] ‖ pugnaverunt contra vos [c] Jerichuntini, Emoræi, & Perizzæi, & Cenahanæi, & Chitthæi, & Girgaschæi, & Chivvæi, & Jebusæi: quos tradidi in manum vestram.

12 Mittebam enim ante vos crabronem, qui expellebat eos a facie vestra, *ut* duo reges Emoræi: non gladio tuo, neq; arcu tuo *expulisti eos*.

13 Dedi itaque vobis terram in qua non laboraveras, & civitates quas non exstruxeratis, in quibus habitatis: vinetis & olivetis, quæ non plantaveratis, fruimini.

14 Quare nunc timete Jehovam, & colite eum [d] integrè & fideliter: & amovete deos, quos coluerunt majores vestri in *regione* trans flumen illud, & in Ægypto, & colite Jehovam.

15 Quòd si malum *videtur* in oculis vestris colere

[1] Schiluntem intelligit, ubi tunc tabernaculum Dei erat. Est enim Schilo in agro Schecemitano: nec novum est, opidi nomen pro agro poni, ut infra ‖ penult. ubi Josephi in Schecemo sepulta dicuntur, & statim subjicitur, sepulta fuisse in portione agri quem emerat Jahakob &c. agrum autem illum non fuisse in opido, apparet ex Gen. 33. 18. & sequenti. Sic Chebron Calebo data dicitur, suprà 14. 14. cùm tamẽ non ipsa civitas, sed ejus ager datus sit ei: sup. 21. 12.
[2] id est, in loco tabernaculi.
[a] Heb. a seculo.
‖ Gen. 31. 53.
‖ Gen. 12.
‖ Gen. 21.
‖ Gen. 25.
‖ Gen. 36.
‖ Gen. 46.
‖ Exo. 7. & sequentibus.
‖ Exo. 12.
‖ Exo. 14.
‖ Exo. 14. 19. & 20.
‖ Num. 21.
‖ Num. 22.
[b] Heb. benedixit benedicendo vobis, vide Gen. 8. 3.
[3] nam non semel tantùm id fecit, sed quoties tentavit maledicere eis, toties divinitùs coactus est eis benedicere.
[4] hi urbem vobis occludendo, illi verò cum armis vobis occurrendo.
‖ Exo. 23. 28.
[c] Heb. domini Jerichuntis.
[d] Heb. in integritate & in fide.

colere Jehovam, [5] eligite vobis hodie quem colatis; ſive Deos quos coluerunt majores veſtri qui habitabant trans flumen illud, ſive deos Emoræorum in quorum terra habitatis : ego verò & familia mea colemus Jehovam.

16 Cui reſpondens populus dixit, [e] abſit a nobis ut relinquamus Jehovam ad colendum deos alienos:

17 Nam Jehova Deus noſter, is *eſt* qui eduxit nos & patres noſtros e terra Ægypti e domo ſeruorum. & qui edidit ante oculos noſtros ſigna maxima iſta, conſervavítque nos totâ illâ viâ per quam ivimus, & in omnibus populis per quorum medium tranſivimus.

18 Expulit etiã Jehova omnes populos iſtos, & Emoræum inhabitantem illam terram a facie noſtra : nos quoque colemus Jehovam, quia eſt Deus noſter.

19 Dixit autem Jehoſchuaħ populo, [6] non poteſtis colere Jehovam, quia Deus [f] ſanctiſſimus eſt: Deus fortis zelotes eſt, [7] non feret defectionem veſtram & peccata veſtra.

20 Quum deſeretis Jehovam & coletis Deos alienigenarum; tum conuerſus malo afficiet vos, & conſumet vos, poſtquam benefecerit vobis.

21 Tum dixit populus Jehoſchuħæ; [8] nequaquam, ſed Jehovam colemus.

22 Dixit itaq; Jehoſchuaħ populo, teſtes eſtis ipſi de vobis, vos elegiſſe vobis Jehovam ad colendum eum; qui dixerunt, teſtes ſumus.

23 Nunc igitur, *inquit*, amovete deos alienigenarum qui *ſunt* in medio veſtri; & inclinate animum veſtrum ad Jehovam Deum Jiſraëlis.

24 Tum dixerunt populus Jehoſchuħæ; Jehovam Deum noſtrum colemus, & voci ejus auſcultabimus.

5 non ſolvit eos vinculo colendi Deum, quo prius obſtricti erant; ſed hæc proponendo animos illorum explorat: & exemplo patrum ac Emoræorum eos ab idololatria abſterret: ſuo verò & familiæ exemplo ad perſeverantiam in cultu Dei hortatur. Simile vide in Ruth 1.15.
e *Heb. abſit nobis a relinquendo: hypallage uſitata.*

6 ſubaudi, Deos alienos retinendo, & eorum cultum cultui Dei commiſcendo: quod colligitur ex V.23.
f *Hebr. quia Deus ſancti eſt: loquutio myſtica, ut Jerm.* 10.10.
7 impunitam: ſic Exodi 23.21.
8 Jehovam deſeremus, &c.

25 Sic pepigit Jehoſchuaħ fœdus cũ populo die illo; propoſuitq; ei ſtatuta & judicia in Schecemo.

26 Deinde ſcripſit Jehoſchuaħ verba iſta in [9] libro legis Dei : & accipiens lapidem magnum, erexit illum ibi, ſub [10] quercu illa, quæ erat in ſanctuario Jehovæ;

27 Dixitq; Jehoſchuaħ toti populo, ecce lapis iſte eſto inter nos teſtimonium, quia ipſe [g] interfuit, conteſtando omnes ſermones Jehovæ quibus loquutus eſt nobiſcum : ut ſit vobis in teſtimonium, ne mentiamini in Deum veſtrum.

28 Tum dimiſit Jehoſchuaħ populum, quemque in poſſeſſionem ſuam.

29 Fuit autem poſt res iſtas, ut moreretur Jehoſchuaħ filius Nunis ſervus Jehovæ; natus centum decem annos;

30 Sepeliveruntq; eum *Jiſraëlitæ* in termino poſſeſſionis ejus ‖Thimnath-Serachi, quæ *eſt* in monte Ephrajimi; ab Aquilone mõti Gaħaſcho.

31 Coluit autem Jiſraël Jehovam omnibus diebus Jehoſchuħæ; omnibus etiam diebus [11] ſeniorum, qui prolongarunt dies poſt Jehoſchuħam, quiq; [12] experti erant omne opus Jehovæ quod fecit Jiſraëli.

32 ‖Tum oſſa Joſephi, quæ [13] deportaverant filii Jiſraëlis ex Ægypto, ſepeliverunt in Schecemo; in illa portione agri, quam emerat Jaħakob a filiis Chamoris patris Schecemi centũ numis: ita fuerunt apud filios Joſephi in poſſeſſione *eorũ*:

33 Elħazar quoque filius Aharonis quum eſſet mortuus; eum ſepeliverunt in colle Pinchaſi filii ejus, qui datus fuerat ei in monte Ephrajimi.

9 id eſt, juſſit ut Sacerdotes referrent in librum legis Dei, Deut. 31. 26. quem penes ſe habebant, & in ſanctuario aſſervabant depoſitũ coram Jehova.
10 de qua vide Gen. 35.4. & Judic. 9.6. hæc autem in ſanctuario fuiſſe dicitur, quia tabernaculum eo in loco fuit conſtitutum, ubi erat quercus, atque hæc quercus atrio tabernaculi ſacri continebatur. Nam ſanctuarium in ſcripturis paſſim pro loco ſancto accipitur, quamvis non ſanctiſſimo.
g *Hebr. audivit: tranſlata loquutio a teſtibus vivis, præſentib. audientibuſque ad lapidem.*
‖*Judic* 2.9.
11 eos tantùm intelligit, qui ſimul cum Jehoſchuħa Rempub. adminiſtrarant, & ei ſupervixerant. 12 id eſt, qui jam adulti erant, quum exirent ex Ægypto, & obſervaſſe poterãt, quæ Deus fecerat Jiſraëli. ‖*Gen.* 33.19. 13 prout juramento promiſerat Joſepho, Gen. 50.25. itaque mauſoleum ejus ſua quoque memoria ibi extitiſſe autor eſt Hieronymus Quæſtion. in Geneſin.

JUDICUM LIBER UNUS.

LIBER Judicum ſtatum Reipub. Jiſraëlitarum inde a temporibus Jehoſchuħæ uſque ad Helim Sacerdotem, peccata eorum in genere, revocamenta Dei partim monitis, partim judiciis, poſtremò ſingularia exempla duo impudentiſſima Jiſraëlitarum deſcribit: ut ex illis corruptiſſimæ in religione & moribus Reipub. imago conſpiciatur. Eſtq; hiſtoria annorum a morte Jehoſchuħæ ducentorum nonaginta novem.

Ad mortem	Hotnielis	40	*Judicum cap.* 3.	V.11.
	Ehudis & Schamgaris	80		V.30.
	Deboræ	40	*Judicum cap.* 5.	V.31.
	Gidħonis	40	*Judicum cap.* 8.	V.28.
	Abimeleci	3	*Judicum cap.* 9.	V.22.
	Tolaħi	23	*Judicum cap.* 10.	V.2.
	Jairis	22		V.3.
	Jiphthachi	6		V.7.
	Ibtzanis	7	*Judicum cap.* 12.	V.9.
	Elonis	16		V.11.
	Habdonis	8		V.14.
	Schimſchonis	20	*Judicum cap.* 16.	V.31.

CAPUT I.

Jiſraëlitæ Jehoſchuħa mortuo, hoſtes invaſuri de ordine ſuo militari Deum conſulunt, & feliciter pugnant : Res a Jehuda & Joſepho ſtrenuè geſtæ narrantur : Poſtremò omnium tribuum negligentia commemoratur.

FUIT autem poſt mortem Jehoſchuħæ, [1] ut conſulerent filii Jiſraëlis Jehovam, dicendo; quis aſcendet *ex* nobis contra *reliquum* Cenaħanæum in principio, ad pugnandum contra eum?

2 Quibus dixit Jehova, [2] Jehuda aſcendito; ecce tradidi [3] iſtam terram in manum ejus.

3 [4] Dixit autem Jehuda Schimħoni fratri ſuo, aſcende mecum in ſortem meam, ut pugnemus contra Cenaħanæum iſtum; viciſſim ibo ego quoque tecum in ſortem tuam : ivítque cum eo Schimħon.

4 Sic aſcendit Jehuda, tradiditque Jehova Cenaħanæum & Perizzæum illum in manum eorum: qui percuſſerunt eorum in Bezeko decies mille viros:

5 Invenientes enim Adoni-Bezekum in Bezeko, pugnauerunt contra eum: & percuſſerunt

1 Imperatore deſtituti, (cujus nutu omnia geſſerant) & in ſuas quaſi Reſpub. diſtributi, per Sacerdotem Deum conſulunt, ex lege Num. 27.21.
2 id eſt, tribus Jehudæ: ut Schimħon pro tribu Schimħonis dicitur ſequente verſu: & ſic deinceps. 3 id eſt, agrum Bezeki, quem adhuc Cenaħanæus occupat Jehudæ prius ſorte attributũ.

4 id eſt, peculiare fœdus cũ Schimħone initũ cõtinuavit. Hoc oſtendit hiſtoria Chormæ, infrà V.17. quæ temporibus Jehoſchuħæ geſta fuit, Jehoſch. 12.14.

Cenaħanæum & Perizzæum illum.
6 Quum autem fugeret Adoni-Bezek, perse-
quuti sunt [a] eum: & prehendentes eum, ampu-
târunt pollices manuum ejus, ac pedum ejus.
7 Tû dixit Adoni-Bezek, septuaginta reges,
pollicibus manuum suarum & pedum suorum
[b] mutilati, colligebant sub mensa mea, quemad-
modum feci, sic rependit mihi Deus: & adduxe-
runt eum Jeruschalaima, ubi mortuus est.
8 [1] Expugnaverant enim filii Jehudæ [5] Jeru-
schalaima, & capientes eam percusserant *incolas*
ejus acie gladii: [c] civitati verò ipsi immiserant
ignem.
9 [1] Deinde autem descenderant filii Jehudæ
ad pugnandum contra Cenaħanæum; inhabi-
tantem [6] montana, & [7] australem plagam, & [8] hu-
milem regionem.
10 Processerat enim Jehuda ad Cenaħanæ-
um inhabitantē Chebronem, nomen autē Che-
bronis anteà *erat* urbs Arbaħi: percusserantque
[9] Scheschaium, & Achimanem, & Thalmaium.
11 Ac inde processerat adversus incolas De-
biri: nomē autem Debiri anteà *erat* urbs Sepheri.
12 Ubi quum dixisset Caleb, qui percutiens
vrbem Sepheri ceperit eam; utique dabo ei Hac-
sam filiam meam in uxorem;
13 Cepit eam Hothniel [10] filius Kenazi agna-
tus Calebi minimus [11] ex illo. quamobrem de-
dit ei Hacsam filiam suam in uxorem.
14 Fuit autem quum conventura esset, ut per-
suaderet illi de petēdo a patre suo agro quodam,
quare *ea* desiliit de asino: cui dixit Caleb, quid
tibi *est*?
15 Tum dixit ei illa, cedò mihi [d] munus,
quandoquidem terram siccam dedisti mihi, des
mihi quoque scaturigines aquarum: dedit itaque
ei scaturigines superioris & scaturigines inferio-
ris *tractus*.
16 Filii quoque Kenæi soceri Moschis [12] as-
cenderāt e [13] civitate palmarum, cum filiis Jehu-
dæ in desertum Jehudæ, quod *est* ad australem
plagam Haradi: [14] profectus enim fuerat ut ha-
bitaret cum populo.
17 Vicissim procedente Jehuda cum Schim-
ħone fratre suo, percusserant Cenaħanæum in-
habitantem Tzephatham, quod quum devovis-
sent, vocavit *Schimħon* nomen civitatis illius
[15] Chormam.
18 [16] Deinde cepit Jehudá Hazzam, cum ter-
mino ejus, & Aschkelonem cum termino ejus; at-
que Hekronem cum termino ejus.
19 Aderat enim Jehova Jehudæ, ita ut expel-
leret montanæ regionis *incolas*: [17] sed non *perre-
xit* expellere habitatores ipsius convallis, eò
quòd [18] currus ferrati essent illis.
20 Dederunt autem Calebo [19] Chebronem,
quemadmodum edixerat Mosche: qui expulit in-
de [20] tres illos filios Hanaki.
21 Jebusæum quoque habitantem [21] Jeru-
schalaimis non expulerunt filii Binjaminis: sed
inhabitabat Jebusæus cum filiis Binjaminis Je-
ruschalaima usque in diem hunc.
22 Ascenderant etiam familia Josephi ipsi
quoque Beth-Elem: & Jehova *fuerat* cum eis.

a *Heb. post eum.*

b *Heb. amputati.*

1 *Jehosc.* 15.
5 id est, partem illam quæ ei soli obtigerat, Jehosch. 15. 8. & 63. Duplex enim erat civitas præter arcem (unde etiam nomen habet dualis formæ) quarum altera in sorte Jehudæ erat, altera Binjaminis cum Jehuda communis, arx verò solius Binjaminis. Hæc autem & sequentia temporibus Jehoschuħæ gesta hic commemorantur ἀναπολογικῶς, ut appareat qua occasione Deus Jehudam reliquis tribubus prætulit: nimirum quia fuit reliquis prudentior, & in exsequendo mandato divino diligentior: Nam in scripturis sæpe, nō tam temporum quàm causarum series obseruatur.
c *Heb. civitatem miserant in ignem. hypallage.*
8 *Jehosch.* 10. 36. & 11. 21. & 15. 13. *ibid.* v. 38. & *cap.* 15. 15.
6 ubi erat Chebron v. 10.
7 ubi erat Debir, v. 11. & Kenæus, & Chorma, ver. 16. 17.
8 quam occupare non perrexit ut ver. 19. Totus enim hic versus prolepticus est.
9 de quibus Num. 13. 22.
10 id est, ex posteris Kenazi, a quo dictus est Caleb Kenizzæus, Num. 32. 12.
11 id est, omnium qui ex Kenazo geniti superstites erant, ætate, auctoritate, opibus minimus; quod dicitur ad commendationem fidei Calebi, & strenuitatis illius.

d *Heb. benedictionem.* 12 id est, in illa expeditione Jehudæ se conjunxerant. Dicitur autem Jithro Kenæus a gente, Num. 24. 21. 13 Jerichunte, Deut. ultimo 3. v. sic infrà 3. 13. 14 vide Num. 10. 29. 15 i. devotam anathemati: ut Num. 21. 3. 16 post terræ distributionem, ut apparet ex Jehosch. 3. 3. etsi non diu potitus est istis civitatibus, ut ex cap. 3. 3. ver. apparet. 17 hic incipit seminarium indicare calamitatum Jisraëlitarum, quæ in sequentibus describentur; nimirum quod gentes inimicas contra mandatum Dei, in medio sui tolerarunt singulæ tribus. 18 obliti mandatorum & promissionum Dei, Jehosch. 13. 6. & 17. 18. 19 confer cum Jehosch. 21. ver. 11. 12. 20 de quibus facta est mentio suprà v. 10. 21 ex altera Jeruschalaimorum urbe & arce, sup. 8.

23 Curaverant enim familia Josephi explora-
ri Beth-Elem: [g] nomen autem illius civitatis an-
tea *erat* Luz.
24 Videntes autem observatores illi quem-
dam exeuntem e civitate illa, dixerant ei, ostende
nobis jam ingressum istius civitatis, & [22] exerce-
bimus erga te benignitatem.
25 Sic quum ostendisset ipsis ingressum ipsius
civitatis, percusserant civitatem acie gladii; vi-
rum autem illum cum tota familia ejus dimise-
rant;
26 Abiitque vir ille in terram Chitthæorum:
ubi ædificavit civitatem & vocavit nomen ejus
[23] Luzum, id *est* nomen ejus usque in diem hunc.
27 Sed non [24] expulerat Menasche *incolas*
Beth-Scheanis, & pagorum ejus, & Thaħanaci
pagorumque ejus, & incolas Dori ac pagorum
ejus, & incolas Jibleħami pagorumque ejus, &
incolas Megidduntis pagorumque ejus: [25] place-
bat enim Cenaħanæo habitare in terra ista.
28 Fuit autem quum fortis evaderet Jisraël,
[26] ut redderet Cenaħanæum tributarium: sed
[e] omnino non expulit eum.
29 Similiter Ephrajim non expulit Cenaħa-
næum illum qui habitabat Gezeri: Sed habita-
bat Cenaħanæus in medio ejus Gezeri.
30 Zebulun non expulit habitatores Kittonis
& habitatores Nahalolis: sed habitabat Cena-
ħanæus in medio ejus, & erant tributarii.
31 Ascher non expulit habitatores Haccun-
tis, & habitatores Tzidonis; item Achlabi, &
Aczibi, & Chelbæ, & Aphiki, & Rechobi:
32 Sed habitavit Ascherita in medio Cena-
ħanæi, habitatorem illius terræ: quia non expel-
lebat eum.
33 Naphthali non expulit habitatores Beth-
Schemeschi, & habitatores Beth-Hanathæ, sed
habitabat in medio Cenaħanæi, habitatorum il-
lius terræ; & habitatores Beth-Schemeschi, &
Beth-Hanathæ erant eis tributarii.
34 Comprimebant autem Emoræi filios Da-
nis intra montana: nam non permittebant ei
descendere in ipsam convallem.
35 Placebat enim Emoræo habitare Har-
Cheresi, Ajalone, & Schaħalbimis: sed quum
ingravesceret manus [27] familiæ Josephi, facti
sunt tributarii.
36 Terminus itaq; Emoræi *erat* ab ascēsu Ha-
krabbimorū; ab ipsa [28] petra quod suprà *situm est*.

CAPUT II.

Rationes quibus Jisraëlitæ ad Cenaħanæos depellendos sollicitati sunt, frequens Jisraëlitarum perfidia, & Dei in eos ultio summatim declarantur.

ASCenderat [1] autem [a] [2] nuncius Jehovæ [3] Gil-
gale [4] Bocimos: dixeratque, [5] fecero ut vos
ascenderetis ex Ægypto, & introduxero vos in
hanc terram, quam juramento promiseram ma-
joribus vestris, ac dixero, non irritum faciam fœ-
dus meum vobiscum in seculum:
2 Vicissim vos ne pangitote fœdus cum habi-
tatoribus terrę hujus, altaria eorum demolimini:

g *Gen.* 28. 19.

22 l. non trademus te morti, sed vivere sinemus te, & benefaciemus tibi familiæque tuæ, sequente versu.

23 vide Jehosch. 16. 2.
24 vide Jehosch. 17. 12, 13.

25 id est, potius acquiescebat duris conditionibus quã ut excederet.
26 id est, pactum cum Cenaħanæis iniit nullâ alia conditione quàm tributi, neglecto Dei cultu, & expresso mandato Exodi. 23. 32. & 34. 12, 19. et Deut. 7. 2.
e *Heb. expellendo non expulit.*

27 quæ possessionem habebat Dani & istis Emoræis vicinam.
28 i. a primo aditu ascensus Hakrabbimorum.

1 his sex primis versibus injustitiam populi exaggerat, quòd neq; legi, neque singularibus monitis paruissent, sed aversi a fœdere, cū Cenaħanæis exitio divinitùs destinatis pacem colerent: quare præcedentibus potiùs quàm sequentibus hi versus conjungendi viderentur, nisi commodiùs fuisset hujus libri summam in hoc caput contrahere. Ascenderat autem, quum Jehoschuaħ propinquus morti populum ad se convocavisset, orationem illam sanctissimam habiturus & omnia perfecturus, quæ narrantur Jehosch. 24. a *vel angelus.* 2 sive fuit propheta extra ordinem vocatus, sive Sacerdos Pinchas. Hominem, non angelum fuisse apparet, quòd locus unde venerit exprimitur, neque disparuisse legitur, ut de aliis angelis narratur: Sic propheta angelus Dei vocatur, Chagæi 1. 13. 3 postquam populus inde arcam Schiluntem transtulisset: de quo Jehosch. 18. in principio. 4 per [illegible], ut apparet ex versu quinto. Videtur autem locus fuisse Schilunti conjunctus, quia ibi sacrificasse dicuntur ver. 5. 5 gravis increpatio κατ' ἀνάγκην, duobus versibus, & denunciatio prophetica ver. 3.

&

&[6] non auscultetis voci meæ? quid est hoc *quod* fecistis?

3 Quamobrem etiam dico, non expellam eos a facie vestra: sed erunt vobis ad latera, & dii eorum vobis [a] in tendiculam futuri sunt.

4 Fueratq; quum eloqueretur nuncius Jehovæ verba hæc apud omnes filios Jisraëlis; ut attollentes populus uocem suam, flerent,

5 (Quare vocarunt nomen loci illius [7] Bocimos) & sacrificarent ibi Jehovæ.

6 Posteà [8] dimiserat Jehoschuah populum: & abierant filii Jisraëlis quisque in possessionem suam, ad possidendum ipsorum terram jure hæreditario.

7 Coluerant quidem populus Jehovam omnibus diebus Jehoschuhæ, omnibus etiam diebus Seniorũ, qui prolongârunt dies post Jehoschuham, qui viderant totum opus Jehovæ maximũ quod fecerat Jisraëli.

8 [9] Sed quum mortuus esset Jehoschuah filius Nunis servus Jehovæ, natus centum decem annos:

9 Et sepelivissent eum *Jisraëlitæ* in termino possessionis suæ [b] Thimnath-Cheresi, in monte Ephrajimi; ab Aquilone monti Gahascho:

10 Præterea tota etiam illa ætas aggregati essent ad majores suos: & surrexisset ætas altera post illos, qui non agnoscebant Jehovam, nec etiam opus illud quod fecerat Jisraëli:

11 Fecerunt filii Jisraëlis quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, coluerũntque [c] Bahalimos:

12 Et relinquentes Jehovam Deum majorũ suorum, qui eduxerat ipsos e terra Ægypti; [d] sequuti sunt Deos alienos e diis populorum, qui erant circa eos, & incurvantes se *honorem habuerunt* illis: sic provocaverunt Jehovam.

13 Quapropter quum dereliquissent Jehovam, & servirent Bahali & [10] Hascheharothis:

14 Accensa est ira Jehovæ in Jisraëlem, ut traderet eos in manum diripientium, qui diripuerunt eos: deditque eos in manum inimicorum eorum circumquaque adeò ut non possent ampliùs consistere ante inimicos suos.

15 Quocunq; egrediebantur, manus Jehovæ erat contra eos in malum, quemadmodũ loquutus fuerat Jehova, &[e] quemadmodum juraverat Jehova illis, & angustiis afficiebat eos valdè.

16 Posteà excitabat *quidem* Jehova [11] vindices, qui servabant eos e manu diripientium eos:

17 At neque vindicibus suis auscultabant, sed scortabantur [e] sequentes Deos alienos, & incurvabant se *honorem exhibentes* illis: recedebant celeriter ab ea via qua ambulârant majores eorum auscultando præceptis Jehovæ, non sic faciebant.

18 Nam quum excitaverat illis Jehova vindices; fueratque Jehova cum unoquoque vindice, & servabat eos e manu inimicorum eorum omnibus diebus cuiusque vindicis: quia [12] pœnitebat Jehovam propter gemitum eorum, ab opprimentibus eos, & depellentibus eos:

19 Sed erat mortuo vindice, ut reversi corrumperent se supra patres suos, sequendo deos alienos ad colendum eos & incurvandum se illis, non [f] remitterent de actionibus suis, & de via sua obdurata *quicquam*.

20 Quapropter accensa est ira Jehovæ in Jisraëlem, & dixit, propterea quòd transgressi sunt gens ista fœdus meum, quod præceperam maioribus eorum, neque auscultârunt voci meæ:

21 Etiam ego non pergam expellere quemquam a facie eorum; ex gentibus quas reliquit Jehoschuah, quum moreretur:

22 Ad probandum per eas Jisraëlem; an observaturi sint viam *mandatorum* Jehovæ ambulando in eis, quemadmodum observârant maiores eorum, necne.

23 Itaque fecit Jehova ut manerent gentes istæ, [13] ne expellerent eas celeriter: quum non tradidisset eas in manum Jehoschuhæ.

[6] videlicet tum spernendo ea quæ divinitùs fuerant imperata, tum etiam fiducia sancta in Deum non præsumendo ea in quibus poterat ipsos juvare Deus qui imperaverat.
[a] Exodi 23.32. & 34.12. deut.7.2.
7 i. flentium locum, ducta ex his rebus appellatione.
8 hoc fuit alterum monitum singulare de quo Jehosch. 18,3.
9 ab hoc versu usque ad 7. versum sequentis capitis summatim explicantur causæ judiciorum Dei in Jisraëlitas, quæ causæ deinde singularibus aliquot exemplis explicantur planiùs infrà a 17. cap. usque ad finem.
b Thimnath-Serach, Jehosch. 24.30.
c i. tutelares deos.
d Heb. iverunt post: sic v.18.
10 i. ovibus a forma, Deabus Tzidoniorum, 1. Reg.11.5. & 33.& 2.Reg. 23.14.& Pelischthæorum 1.Schem. 31.10.
[e] Levit. 26. deut. 28.
11 i. viros qui extra ordinem a Deo excitati suscipiebant defensionem publicam: nam Judices ordinarios eos non fuisse vel unica Gidhonis historia docet infrà 8, 22.& sequentibus.
e Heb. post Deos.
12 vide Gen. 6.6.
f Hebr. abjicerent: i. cum detestatione deponerent.
13 nimirum Jisraëlitæ, ut mandatum fuerat illis Deut. 9.3. sic ultionem effecit Deus versu 20. & sequentib. denunciatam.

CAPUT III.

Recensentur populi in terra relicti ad Jisraëlitas erudiendos: Et ex triplici Jisraëlitarum defectione tria oppressionis tempora, cum liberatione attributa resipiscentibus, ministerio Hothnielis, Ehudis, & Schamgaris.

Istæ autem *sunt* gentes, quæ ut manerent fecit Jehova, ad probandum eis Jisraëlitas; eos omneis qui ignorabant omnia bella [1] Cenahanææ:

2 Saltem ut noscerent ætates filiorum Jisraëlis [2] docere eos bellum, saltem *eos* qui res antè gestas ignorabant.

3 *Nempe*, quinque Satrapæ Pelischthæorum, & totus Cenahanæus, Tzidoniusque, & Chivvæus inhabitantes montem Libanũ: a monte Bahal-Chermone usque ad ingressum Chamathæ:

4 Fueruntque ad probandum per ipsas Jisraëlem, ad cognoscendum an auscultaturi essent præceptis Jehovæ, quæ præceperat majoribus eorum per Moschen.

5 Filii autem Jisraëlis habitabant in medio Cenahanæi; Chitthæi, & Emoræi, ac Perizzæi, Chivvæique, ac Jebusæi:

6 Et [3] accipiebant filias eorum sibi in uxores, & filias suas dabant filiis eorum, denique colebant deos eorum.

7 Quum itaque facerent filii Jisraëlis quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, obliti Jehovæ Dei sui, colerentque Bahalimos, & *idola* lucorum:

8 Accensa est ira Jehovæ in Jisraëlitas, & dedidit eos in manum Cuschanis Rischhathajimorum regis Syriæ interamnis: servieruntq; filii Jisraëlis Cuschani Rischhathajimorum regis octo annis.

9 Deinde clamaverunt filii Jisraëlis ad Jehovam, quare excitavit Jehova servatorem filiis Jisraëlis, ut servaret eos: [4] Hothnielem filium Kenazi, agnatum Calebi, minimum ex illo.

10 [a] Cui quum insideret spiritus Jehovæ, [b] [5] vindicavit Jisraëlem; nam egressus est ad bellum, tradiditque Jehova in manum ejus Cuschanem Rischhathajimorum regem Syriæ: & robusta fuit manus ejus supra Cuschanem Rischhathajimorum.

11 Ita quiescebat terra [6] *ad* annum quadragesimum *usque*, quum mortuus est Hothniel filius Kenazi.

12 [c] Denuò autem filii Jisraëlis fecerunt quod malum *videtur* in oculis Jehovæ: & fortiorem reddidit Jehova Heglonem regem Moabitarum supra Jisraëlitas, eò quòd facerent quod malum *videtur* in oculis Jehovæ.

13 Congregavit enim ad se Hammonitas & Hamalekitas, & abiens percussit Jisraëlem, possederuntque [7] civitatem palmarum.

14 Servierunt autem filii Jisraëlis Hegloni regi Moabitarum octodecim annis.

15 Deinde clamantibus filiis Jisraëlis ad Jehovam, excitavit eis Jehova servatorem, Ehudem filium Geræ Binjaminitam, virum perclusum manu dextera sua: per quem miserunt filii Jisraëlis munus Hegloni regi Moabitarum.

1 i. a populo Dei contra Cenahanæos gesta Mosche & Jehoschuha ducibus: nam historias bellorum illorum ex parte tenebant, sed Dei in illis singularia judicia non animadvertebãt: quod sequẽs versus fusius explicat.
2 i. de bellis in gentes istas suscipiendis informare, ad quæ alioquin ipsi non attendebant: non quia optabile sit bellum, ait Augustinus; sed quia pietas in bello est laudabilis.
3 contrà quàm Deus interdixerat Exo. 23. & alibi passim.
4 de quo suprà 1.12.
a Hebr. & fuit super eum spiritus Jehovæ, i. divina vi impulsus fuit.
b Hebr. judicavit vel causã egit.
5 i. manu armata Jisraëlitarum causam contra hostes suscepit, & superior fuit.
6 ex quo Jehoschuah Jisraëlitarum dux proximus vita defunctus est. Sensus est, quæcunque a morte Jehoschuhæ usque ad mortẽ Hothnielis facta narrantur, comprehensa etiam servitute sub Syris, de qua ver. 8. gesta fuerunt quadraginta annis: nam hoc membrum ad totam historiam inde a Jehoschuhæ tempore est referendum: & sic accipiendum esse hunc locũ & sequentes docet temporum ratio ex 1. Reg. 6, 1.
c Hebr. addiderũt facere.
7 Jerichuntẽ, ut Deuter. 34.3. & suprà 1,16.

16 Paraverat autem sibi Ehud gladium [d] bi-
pennem cubitalem longitudine sua: quo accin-
xerat se sub vestibus suis, ad femur dexterum
suum.
17 Obtulit itaque ipsum munus Hegloni re-
gi Moabitarum (Heglon autem vir *erat* pinguis
valde)
18 Fuitque quum absolvisset offerre munus
illud; ut [8] deduceret populum illum qui attule-
rant munus.
19 Ipse verò reversus e lapicidinis, quæ *sunt*
prope Gilgalem, dicebat, aliquid arcani habeo
ad te ô Rex, qui dixit, [9] sile, & exierunt ab eo qui-
cunque adstabant ei.
20 Ehud ergo accessit ad eum (is autem se-
debat in cœnaculo [e] æstivo suo solus) dixitque
Ehud, aliquid divini habeo ad te: quapropter
[10] surrexit e solio.
21 Extendens autem Ehud manum sinistram
suam, accepit gladiũ illum a femore suo dexte-
ro; & infixit eum ventri illius:
22 Ita ut ingrederetur etiam capulus ipse post
mucronem suum, & occluderet adeps mucronẽ
ipsum ([11] non enim extraxit gladium suum e
ventre ejus) & exiret ad podicem ejus.
23 Posteà exivit Ehud ad ipsũ procœtonem:
quum occlusisset fores cœnaculi circa illum, &
pessulo obserasset.
24 Ipso autem exeunte servi illius venerunt,
& aspexerunt quòd ecce fores ipsius cœnaculi
essent obseratæ: quare dixerunt, profectò [f] purgat
alvum in conclavi æstivi *cœnaculi*.
25 Quumq́; exspectassent [g] dudum, & ecce
non aperiret fores ipsius cœnaculi; accepta clave
aperuerunt, ecce autem dominus eorum cecide-
rat in terram mortuus.
26 Interea Ehud sese recipiebat; dum cuncta-
rentur illi: & ipse prætergrediens [12] lapicidinas
illas sese recepit [13] Sehiram.
27 Fuitq́; quum adveniens clanxisset buccina
in monte Ephrajimi; ut descenderent cum eo fi-
lii Jisraëlis ex eo monte, [h] ipso præeunte eis.
28 Nam dicebat eis, sequimini me, nam tra-
didit Jehova inimicos vestros Moabitas in ma-
num vestrã: quapropter descenderunt post eum,
& præoccupantes vada Jardenis Moabitis, non
siverunt quemquam [14] transire:
29 Sed percusserunt [15] Moabitarum tempore
illo quasi decies mille viros, quemque [i] opulen-
tum, & quemque virum strenuum: neque rece-
pit se quisquam.
30 Sic depressi sunt Moabitæ die illo sub ma-
nu Jisraëlitarum; & quievit terra [16] *ad* annum o-
ctuagesimum *usque*.
31 Post eum verò fuit [17] Schamgar filius
Hanathi, qui percussit Pelischthæos sexcentos vi-
ros stimulo bovis, servavitque ipse quoque Jis-
raëlem.

[d] *Hebr. cui erant duæ acies.*
[8] ut a periculo, si quod eventurum erat, liberi essent.
[9] donec isti abierint, qui me circumstant.
[e] *Hebr. refrigerationis, quod erat ei.*
[10] vide Num. 23.22. in annotatione.
[11] ac ne potuit quidem extrahere, quum adipe distinebatur capulus.
[f] *Heb. regit ipse pedes suos. sic 1 Schem. 24.3. periphrasis honesta purgantis alvum.*
[g] *Heb. usque ad tarditatem, i. amplius distulisset aperire, quàm solebat.*
[12] ubi recepit comitatum suum quem antè deduxerat eò, suprà 18. Sed quid si accipiantur pro lapidibus illis cæsis quos in Gilgale statuit Jehoschuah? suprà 4.20. Omnino hoc magis probo.
[13] locus est ad montana Ephrajimitarum, ut ostendit versus sequens.
[h] *Hebr. & ipse descendebat ante eos.*
[14] nempe in citeriorem ripam: nam omnia Jardenis vada observari curavit Ehud militari stratagemate.
[15] qui Jardenem erant trajecturi.
[i] *Heb. pinguem: translatum a corpore ad opes.*
[16] ab Hothnielis morte, de qua sup. v. 11.
[17] de quo infrà 5. versu 6.

CAPUT IIII.

Nova Jisraëlitarum a Deo defectio, cum severa Dei castigatione: Resipiscentia eorum, & divina liberatio per Deboram, Barakũ, & Jahelem recensetur.

DEinde [a] rursus filii Jisraëlis fecerant quod
malum *videtur* in oculis Jehovæ, Ehude
mortuo:
2 Et dedit eos Jehova in manum Jabinis re-
gis Cenahanæi, qui regnabat in [1] Chatzore: cu-
jus militiæ princeps erat Sisera, qui habitabat
[2] Charoschethæ gentium.

[a] *Heb. addiderunt filii Jisraëlis facere.*
[1] i. in agro Chatzoritano: nam Chatzorem Jehoschuah combusserat, Jehosch. 11. ver. 11. & 13. ideò subjungitur ipsum resedisse Charoschethæ. [2] i. in loco sylvatico: Sic fuit locus à situ dictus. Gentium autem vocatur, quòd eò tanquam in locum munitum & tutum se contulissent reliquiæ Cenahanæorum.

3 Quapropter clamaverunt filii Jisraëlis
ad Jehovam: nongenti enim currus ferrati erant
ei, & ipse [3] oppresserat filios Jisraëlis violentia,
viginti annis.
4 Debora autem fœmina prophetissa [b] Lap-
pidothana: hæc [4] judicabat Jisraëlem tempore
illo:
5 Atque hæc *quidem* habitabat sub palma
Deboræ, inter Ramam & Beth-Elem in monte
Ephrajimi: ascendebántque ad eam filii Jisraëlis
in judicium.
6 Mittens verò illa advocavit Barakum fili-
um Abinohami Kedescho Naphthalitarum: dixit-
que ei, [5] nónne præcepit Jehova Deus Jisraëlis?
I & trahens in montem Thaboris assumes tecum
decies mille viros e filiis Naphthali & e filiis Ze-
bulunis.
7 Nam traham adversum te ad torrentem
Kischonis Siseram principem militiæ Jabinis,
currusque ejus & multitudinem ejus: quem tra-
dam in manum tuam.
8 Dixit verò ei Barak, si iveris mecum, utiq́;
iturus sum: sin autem non iveris mecum, non ibo.
9 Quæ dixit, [c] omnino itura sum tecum, nisi
quòd non erit gloria tua, [6] secundùm hanc viam
qua tu ambulas, in manum enim mulieris dedet
Jehova Siseram: sic surgens Debora ivit cum
Barako Kedeschum.
10 Quum itaque accersivisset Barak Zebulu-
nitas & Naphthalitas Kedeschum, deduxit [d] ad
vestigia sua decem millia virorum: ibatque cum
eo Debora.
11 (Cheber autem Kenæus [7] separaverat se a
[e] Kenæa gente, de filiis Chobabi soceri Moschis:
tetenderatque tentorium suum usque ad quer-
cetum in ‡ Tzahanajimis, quod *est* prope Ke-
deschum.)
12 [f] Ut autem fuit renunciatum Siseræ, a-
scendisse Barakum filium Abinohami montem
Thaboris,
13 Accersivit Sisera omnes currus suos, non-
gentos currus ferratos, & totum illum populum
qui *fuerat* cum ipso; Charoschetha gentium ad
torrentem Kischonis.
14 Tum edixit Debora Barako, surge, nam
hic ille dies est quo tradit Jehova Siseram in ma-
num tuam, nónne Jehova procedit ante te? quare
descendit Barak e monte Thaboris, & decies mil-
le viri post eum:
15 [8] Fuditque Jehova Siseram, & omnes illos
currus, totumq́; illum exercitum *sternendum* acie
gladii ante Barakum: itaque descendens Sisera de
suo curru aufugit pedibus:
16 Barak verò persequutus est currus illos, &
exercitum usque Charoschetham gentium: ceci-
ditque totus exercitus Siseræ acie gladii, non re-
lictus est [g] ne unus quidem.
17 Sisera autem fugit pedibus ad tentorium
Jahelis uxoris Cheberi Kenæi: erat enim [9] pax
inter Jabinem regem Chatzoris & familiam
Cheberi Kenæi.
18 Et prodiens Jahel obviam Siseræ; dixit ei,
diverte domine mi, diverte ad me, ne timeto: sic
divertit ad eam in tentoriũ, quæ texit eum stra-
gula amphitapa.
19 Dixerat autem illi, da mihi, quæso, biben-
dum parum aquæ, nam sitio: & illa aperiens
utrem lactis, dederat ipsi bibendum, antequam
tegeret eum.
20 Post dixit illi, sta *in* porta tentorii: & erit,
si quis adveniens interroget te, & dicat, estne
istic aliquis? [10] ut dicas, nemo *est*.

21 Deinde

[3] præsidiis & incursionibus illius equitatus, quo erat instructus.
[b] *Hebr. fœmina Lappidothana.*
[4] i. consulentibus de jure ex revelatione divina respondebat, ut versus sequens explicat.
[5] Hebræus affirmationis modus, de quo vide in Genes. 13. 9. sic ver. 14.
[c] *Hebr. eundo ibo.*
[6] hac ratione quam tu sequeris partæ victoriæ laus non ad te, sed ad mulierem perventura est: mulierem autem hic indefinitè accipit, & eventus docet Deboræ & Jahëli magna ex parte eam ascribi. Viam autem sic accipit Mosche Num. 22.32.
[d] *Heb. ad pedes suos.*
[7] i. relictis suis gentilibus apud tribum Jehudæ, venerat habitatum in regionem Naphthalitarum.
[e] *Heb. a Kajino, sic Num. 24.22.*
‡ *qui Tzahanannim vocantur, Jehosc. 19.33.*
[f] *Heb. quumque renunciavissent.*
[8] ut Jehosch. 10.10.
[g] *Heb. usque ad unum.*
[9] i. non erant simultates aut bella inter illos, sed pacem familia illa Kenæa æquè cum Jabine atque cum Jisraëlitis colebat, ut quæ nullum jus sibi in ea regione vendicaret: sic 1. Schemu. 7.14.
[10] Præcipit quidem Sisera illi; sed illa astutè sponsionem reticet ad stipulationem & postulatum ejus: dissimulavit enim, sed sine mendacio, & pia fraude intercepit Jahël hostem Domini: quam rem Spiritus sanctus probat, infrà 5.24

21 Deinde Jaħel uxor Cheberi accipiens pa-
xillum tentorii, & apponens [h] manum suam ad
malleum quemdam, accessit ad eum sensim, ac
infixit paxillum in tempora ejus, ita ut [i] permea-
ret in terram (nam ipse fessus & somno sopitus
erat) ita mortuus est.
22 Ecce autem Barako persequente Siseram;
prodiit Jaħel obviam ei, dixitq; ei, veni ut osten-
dam tibi virũ illum quem tu quæris: qui ingressus
est ad eam, ecce autem Siseram prostratum mor-
tuum, cum paxillo in temporibus suis.
23 Sic depressit Deus die illo Jabinem regem
Cenaħanæum ante filios Jisraëlis:
24 Et [k] perrexit manus filiorum Jisraëlis inde-
sinenter durior esse contra Jabinem regem Ce-
naħanæum: usquedum exscidissent Jabinem re-
gem Cenaħanæum.

h *Heb. malleum ad manum suam:* hypallage.
i *Heb. desiliret in terram, i. cum impetu erumpens ex altero temporum infigeretur in terram.*
k *Hebr. ivit manus filiorum Jisraëlis eundo & dura essendo.*

CAPUT V.

Carmen epinicium, quo Debora Deum victoriæ auctorem celebrat, tum a superiore Dei ductu, & liberatione populi, tum a commodis victoriæ. Deinde vocationem suam prædicans apud singulas tribus, benedicit iis qui hanc victoriam comparaverunt, & adversantibus maledicit. Postremò ludificatur hostium muliebrem jactationem, & canticum prophetica precatione concludit.

CEcinit autem Debora, & Barak filius Abino-
ħami; die illo dicendo:
2 [a] Quandoquidem sumit ultiones per Jis-
raëlem, sponte se offerente [1] populo, benedicite
Jehovæ.
3 Audite reges, aurem præbete dominatores;
ego, ego Jehovæ canam: psallam Jehovæ Deo
Jisraëlis.
4 Jehova quum [2] procederes a Seħire; quum
graderetis ab agro Edomæorum, [3] terra mota
est, etiam cœli stillaverunt: etiam densæ nubes
stillaverunt aquas.
5 Montes diffluxerunt a præsentia Jehovæ:
[4] ipse Sinai a præsentia Jehovæ Dei Jisraëlis.
6 [5] Diebus [6] Schamgaris filii Ħanathi, die-
bus [7] Jaħelis desierant [8] *recta* itinera; & ambu-
lantes [9] semitis, ibant itineribus tortuosis.
7 Desierant [b] pagani in Jisraële, desierant:
usquedum surrexi Debora, dum surrexi [10] mater
in Jisraële.
8 *Quum* [11] elegit deos novos, tunc debella-
tor [12] *fuit in* portis: [13] clypeus an conspiciebatur,
aut spiculum [14] in quadraginta millibus, in
Jisraële?
9 [c] [15] Animus meus *provocat eos* qui [16] man-
data habent in Jisraële, qui [17] se sponte offerunt
in populo: benedicite Jehovę.
10 [18] Equitantes asinas nitidas, [19] residentes
in judicio, & qui [20] proficiscimini per viam, con-
fabulamini.
11 *Liberati* [21] a strepitu sagittariorum inter
haustra, ibi confabulentur de [d] justis operibus
Jehovę, justis operibus [22] erga paganos suos in
Jisraële, *ex* quo [23] descendunt ad portas populus
Jehovæ.
12 Expergiscere, expergiscere Debora, ex-
pergiscere, expergiscere, eloquere canticũ: surge
Barak, & captivam fac multitudinem captivorum
tuorum, fili Abinoħami.
13 [24] Ex quo dominiũ [25] residui tradit [26] mag-
nificis *in* populo, Johova [27] dominium mihi in
fortissimos tradit:
14 Ex † Ephrajimo, *ex* iis [28] *quorum* radix ad
Ħamalekitas *pretenditur*, [e] [29] *ex* sequentibus te
Binjaminitis inter populos tuos; e Macire [30] le-
gislatores, & e Zebulune [31] convocantes stylo
scribæ, [32] descenderunt.
15 Etiam principes in Jissacare [33] cum De-
bora *futuri sunt*, sicut Jissacar [34] Barak, *& qui* in
convallem missus est [f] ad vestigia ipsius: [35] mag-
ni institutis [g] animi [36] in [h] partibus Reübenis.
16 [37] Cur desidêres inter duas sarcinas [38] au-
diendo sibila gregum; ô [39] magni [i] profundis co-
gitationibus animi ad partes Reübenis?
17 Gilħad ultra Jardenem habitans, & Dan
quare degeret [40] *apud* naves? Ascher *quare* desi-
dêret ad portum marium, & in [41] præruptis suis
habitaret?
18 [42] Zebulun & Naphthali populus *est qui*
abjecit [k] se ipsum ad moriendum, in [43] editis lo-
cis agri.
19 Venerunt [44] reges, pugnaverunt: tunc

a *Hebr. in ulciscendo ultiones.*
1 id est, non toto Jisraële, sed iis qui Barakum secuti Siseram fuderant, de quibus suprà 4. ṽ. 10. & infra ṽ. 18. nam eo nomine dicuntur sponte se obtulisse, quòd Barakum priùs in se nullum imperium habentem, sequuti sunt. Est autem his duobus versibus exordium, in quo Jisraëlitas ad laudationem Dei: exteros verò ad attentionem hortatur.
2 populum inde in terram promissam deducendo, Num. 20. vers. 21. & 21 capite, cum sequentibus. Narrationis pars prima, in qua recenset anteactam beneficentiam Dei erga Jisraëlem in debellandis Cenaħanæis. 3 id est, omnia tua præsentia perculsa sunt: hyperbolicæ loquutiones. 4 quasi dicat, non tantùm illi, in quos procedebas, sed etiam quos procul a tergo relinquebas, ut erat mons Sinai. 5 Secunda narrationis pars, in qua afflictus Jisraëlitarum status, proximè ante victoriam hanc partam, describitur. 6 de quo suprà tertii capitis vltimo ṽ. 7 de qua suprà cap. 4. 17. ṽ. & sequentibus: & infrà in hoc cantico. Sensus autem est, a morte Ehudis & anno illo octuagesimo, de quo sup. 3. 30. usque ad hunc conflictum adeò premebatur hic populus ab hostibus, ut commercia cessarent, & quibus iter faciendum erat, hostium metu diverticula quærenda essent, neque tuta esset ullius pagi habitatio. 8 viæ regiæ, & rectà contendentes de loco in locum. Ellipsis est contrarii in Scripturis frequens: nam his opponuntur tortuosæ, sub finem versus. 9 quas præ itineribus publicis eligebant, ut ferè fit, quum regionem infestat miles. b *Hebr. desierant pagi supple viri, vel paganus* quisque. 10 tum quia spiritu prophetico Jisraëlitis ut mater filiis, & propheta discipulis (quos prophetarum filios Scriptura vocat) consulebat, tum quia hoc bello malum ab Jisraëlitis, ut pia mater, depulit. 11 afflictionum, in quas populus inciderat, causam exponit idololatriam suprà 2. ver. 10. & sequentibus, & 4. ver. 1. 12 i. obtinuit omnia: nam in portis munitiones erant, atque judicia. 13 i. Deus illis animum ademit, ut se contra hostes non valuerint defendere; ut comminatus erat Leuit. 26. 36. Deut. 28, 65. 14 i. in universa aliqua tribu, adeóque in populo Jisraëlis toto. incrementum est.

c *Heb. cor meum.*
15 tertia pars cantici propositio, qua militiæ duces laudat, & omnes secum ad laudationes Dei accendit, postremò vocationem suam a Deo singulis tribubus nominatim commendat: & classicum canens ad perdendas Cenaħanæorum reliquias hortatur: quod factum esse ostendit ṽ. ultimus cap. 4.
16 i. duces, qui huic militiæ præfuerunt.
17 i. etiam milites gregarios, qui ultrò venerant, ut suprà ṽ. 2.
18 i. viri principes, qui dominium in Jisraële obtinetis: nam hoc ipsorum insigne fuit, ut infra 10. 4, & 12, 14.
19 i. qui subsistitis in conventu vestro juridico, neque peregrè soletis proficisci aut ab agro & territorio (ut vocant) vestro discedere.
20 i. commeantes mercatores.
21 i. pueri & puellæ, qui ad hauriendum aquam discrimen vitæ subibant ab hostium sagittis, eodem loco convenientes, divinam liberationem prædicent. d *Hebr. justitias Jehovæ, justitias pagani ejus, tunc desc.* 22 quibus deinceps Dei beneficio, suos pagos tutò inhabitare licet. 23 conveniunt ad curiam & forum, aut ex oppidis exeunt, commodi, necessitatis, voluptatis, aut alia quacunque de causa. 24 quum Barak captivos fecit Cenaħanæos. 25 Cenaħanæi, qui reliquus factus fuerat, suprà 3. 26 Jisraëlitis. 27 i. Jisraëlitis me præfecit, ut suprà 7. quos sigillatim quinque sequentibus versibus enumerat. † *Ephrajim. Jehuda. Schimħon. Binjamin. Menasche. Zebulun. Jissacar. Naphth. Reüben. Gad, altera pars Menasch. Dan. Ascher.* 28 i. ex tribu Jehudæ & Schimħonis, quarum hæreditas extendebatur ad Ħamalekitas usque, ut ostendit comparatio 16. ṽ. cap. 1. suprà cum 1. Schemu. cap. 15. ver. 6. Loquutio autem est metaphorica, qua comparantur tribus arbori, quarum extrema pars ad Austrum radix appellatur. e *Heb. ex post te* sequentibus. 29 apostrophe ad Deum, qua Binjaminis reliquias servatas ab excidio Binjaminiticæ tribus (cujus mentio habetur infrà 19 & sequentibus capitibus) paucitate sua non impeditas fuisse docet, quò minus in populis Dei numerarentur, id est, tribum unam efficerent, Deumque sequuturæ essent: nam historiam illam huic tempore præcessisse ostendemus suo loco. 30 i. primarii, qui jus populo dicunt. 31 i. quorum auctoritate conventus habentur, & quibus populares unis litteris ad se transmissis obsequuntur. 32 nimirum ad me, parituri mandato meo. 33 id est, consentiunt cum ea, & jussi se ei sistunt. 34 qui vocatus cum sua tribu Naphthalitica accessit, suprà 4. ver. 6. & imperata fecit, ibidem, ver. 10. f *Hebr. ad cujus pedes: sic Exod. 11. ṽ. 8. & sup. 4. ṽ. 10.* 35 id est, magnates industrii: periphrasis gubernatorum in iis tribubus quæ trans Jardenem habitabant, nimirum Reübenitica, Gaditica, & dimidia Menaschis. Sic autem periphrasticè insignis illorum fides videtur commendari, qua anteiverunt expediti suis fratribus in occupanda ipsorum hæreditate cis Jardenem ex mandato Dei, Num. 32, vide Jehoschu. 22. g *Hebr. cordis: sic ṽ. 16.* 36 i. in transjardenæo tractu: sic seq. versu. h *Hebr. divisionib.* 37 nempe tu Reüben, Gad, & Manasche. Apostrophe ad tribus quæ trans Jardenem habitant, ut ipsæ quoque agnoscant vocationem Deboræ, suumque obsequium profiteantur. de hac autem loquutione vide in Genes. 49. 14. 38 id est, ad hoc unum advertendo animum tuum ut greges tuos commodè cures: quemadmodum facturi videbantur majores tui, nisi ad officium commune erga fratres suos mandato Dei ipsos revocavisset Mosche, Numer. 32. 4. & sequentibus. q. d. vos quoque igitur vindicem vestram a Deo datam agnoscite: sic seq. ver. 39 id est, magnates consulti. i *Hebr. profunditatibus cordis.* 40 possessionem enim habuit magna ex parte maritimam, Jehosch. 19. ṽ. 40. sicut & Ascher, ibidem ṽ. 24. & sequentib. 41 supple rupibus. 42 quarta pars, confirmatio ab argumento superioris victoriæ. k *Hebr. animam suam.* 43 in monte Thaboris, de quo suprà 4. 14. 44 Jabin & fœderati ejus, ut res amissas recuperarent;

pugnaverunt reges Cenahanæi [45] Thahanaci ad
aquas Megiddunis: ne [46] frustulum *quidem* ar-
genti acceperunt.
20 [47] E cælis pugnârunt; [48] sidera ipsa e suis
[49] aggeribus pugnaverunt contra Siseram.
21 [50] Torrens Kischonis [51] everrit eos, tor-
rens [52] occursuum, torrens Kischonis: [53] *dixi*,
[54] proculcato anima mea robur.
22 Tunc obtuderunt calces equorum; [l] præ
citatis cursibus *suis* fortes illorum.
23 [55] Maledicite Merozo [56] inquit angelus
Jehovæ, [m] indesinenter maledicite habitatoribus
ejus: quia non advenerunt ad auxilium Jehovæ,
ad auxilium Jehovæ inter fortes.
24 Benedicitor præ fœminis Jahel uxor
[57] Cheberi Kenæi: præ fœminis [58] in tentorio
degentibus benedicitor.
25 Aquam petierat *ille*, lac *ipsa* dedit:
[59] simpulo magnificorum obtulit [n] lac pin-
gue.
26 Manus sinistra ejus ad paxillum, dextera
autem ejus ad tuditem laborantium *sese* exten-
derunt: & tudit Siseram, abrasit caput ejus, & fre-
git ac transverberavit tempora ejus.
27 Inter pedes ejus incurvavit se, cecidit,
jacuit: inter pedes ipsius incurvavit se, ceci-
dit, ubi incurvaverat se, ibidem cecidit *vita* spo-
liatus.
28 [60] Per fenestram prospectabat & minurie-
bat mater Siseræ, per fenestellam: cur tardat cur-
rus ejus redire; cur differunt incessus curruum
ejus?
29 Sapientes principum fœminarum ejus re-
spondebant: etiam ipsa referebat sermones suos
sibi.
30 An non assequuti sunt? partiuntur præ-
dam? puellam unam, puellas duas [o] in virum
quemque? præda versicolorium *est* Siseræ, præda
versicolorium, phrygionicum opus: versicolor o-
peris [61] phrygionici utrinque ad [p] colla præ-
dantium.
31 Sic pereant omnes inimici tui, Jehova, at
diligentes eum *sint* ut quum procedit sol in robo-
re suo: sic quievit terra *ad* annum [62] quadrage-
simum.

CAPUT VI.

Deus Jisraëlitas rursus a se deficientes per Midjanitas castigat, per prophetam increpat: & Gidhonem per angelum ad eos liberandos vocat ac præparat.

DEinde quum facerent filii Jisraëlis quod ma-
lum *videtur* in oculis Jehovæ, tradidit eos
Jehova in manum Midjanitarum septem annis.
2 Quum itaque roborata esset manus Mid-
janitarum super Jisraëlem, metu Midjanitarum
faciebant sibi filii Jisraëlis specus illas quæ *sunt*
in montibus, & speluncas, ac munitiones.
3 Erat enim quum severat Jisraël; ut ascen-
dens Midjan, & Hamalek, [a] Orientalésque as-
cenderent adversus illum:
4 Et [1] castra ponentes contra eos perde-
bant proventum terræ, [2] usque quà venis Haz-
zam: neque reliquum faciebant victum in Jis-
raële, aut parvam pecudem, aut bovem, aut asi-
num.
5 Nam ipsi & pecora eorũ ascendebant cum
tentoriis suis, & veniebant quasi locustæ multi-
tudine, ipsi & cameli eorum innumeri: veniebántque
in eam terram ad perdendum eam.
6 Quum ergo depauperatus esset valde Jis-
raël ob præsentiam Midjanitarum; clamaverunt
filii Jisraëlis ad Jehovam.
7 Fuitque quum inclamavissent filii Jisraëlis
Jehovam, propter Midjanitas;
8 Ut mitteret Jehova [3] virum prophetam ad
filios Jisraëlis: qui dixit eis, sic ait Jehova Deus
Jisraëlis, ego feceram ut ascenderetis ex Ægyp-
to, & eduxeram vos e domo servorum,
9 Et eripueram vos e manu Ægyptiorum,
& e manu omnium opprimentium vos; expule-
rámque eos a facie vestra, & dederam vobis ter-
ram eorum;
10 Denique dixeram vobis, ego *sum* Jehova
Deus vester, ne timete deos Emoræorum; in
quorum terra habitatis: at non auscultastis voci
meæ.
11 Posteà veniens [4] angelus Jehovæ, conse-
dit sub quercu illa quæ *est* Hophræ, pertinente ad
Joaschum Abi-Hezeritam, cujus filius Gidhon
decutiebat triticum in quadam [b] areola, ut fugi-
ens deportaret a conspectu Midjanitarum.
12 Quumque appareret ei angelus Jehovæ,
dixit ei, Jehova *est* tecum, valentissime robore.
13 Cui dixit Gidhon, *attende* ad me domine,
si est Jehova nobiscum, at quare obvenit nobis
totum hoc? & ubi sunt omnia mirabilia ejus, quę
enarrabant nobis patres nostri dicendo; nónne
fecit ut ex Ægypto ascenderemus Jehova? nunc
enim deseruit nos Jehova, ac tradidit nos in ma-
num Midjanitarum.
14 Tum respiciens ad eum Jehova dixit, i
[5] virtute illa tua, & servabis Jisraëlem e manu
Midjanitarum: [6] nónne mitto te?
15 Cui ille dixit, *attẽde* ad me Domine, [7] qua-
nam re servabo Jisraëlem? [8] ecce dux meus pau-
perrimus *est* inter Menaschitas, & ego minimus
in domo patris mei.
16 Tum dixit ei Jehova, *facies*, [9] nam ero te-
cum: ideò percuties Midjanitas [10] tamquam vi-
rum unum.
17 Dixit autem *Gidhon* ei, si nunc inveni gra-
tiam in oculis tuis; edes igitur mihi signum te il-
lum esse qui loqueris mecum.
18 Ne, quæso, moveas te hinc, donec redeam
ad te, & prolatũ [11] munus meum collocem ante
te: qui dixit, ego considebo donec revertaris.
19 Deinde Gidhon rediit, quum parasset
hœdum lactentem, & ex Epha farinæ azymos
panes, carne posita in canistro, & jure posito in
cacabo: protulítque ad eum sub quercum illam,
& [12] admovit.

[45] regiones sunt in dimidia tribu Menaschis non procul a Thabore, Jehosch. 17. 14. & suprà 1. 27.
[46] id est, nihil acquisiverunt illo bello *μισϑόν*.
[47] id est, res cælestes, pluviæ, venti, grandines, procellæ.
[48] quæ sunt harum rerum instrumenta.
[49] e superioribus regionibus aëris: translata loquutio a militibus ex editiore loco pugnantibus.
[50] qui labitur ad radices Carmeli tractum Tahanacæum & Megiddunem præterfluens.
[51] auctus imbribus sua rapiditate hostium corpora abstulit.
[52] ad quem utrique exercitus concurrentes manu conseruerunt.
[53] i. ut cælestia & terrestria divinitus in hostes irruerunt; sic ego quoque operam meam adhibui studiosissimè, ut partibus meis cum exercitu defungerer.
[54] id est, quicquid validum fuit, sive torrentem, qui paulo antè hostes abripuit, sive hostes ipsos robori suo præfidentes.
[l] *Heb. plausibus plausibus: supple equorum, qui currendo plaudunt terram.* [55] secundus confirmationis locus ab ira Dei in desides, ut fuerunt Merozitæ; & favore Dei in adjutores, ut fuit Jahel. [56] id est, quicunque spiritu Dei afflati sunt, mecum semper pronunciabunt Merozitas maledictos esse, & Jahelem benedictam. [m] *Heb. maleducite maledicendo.* [57] vide suprà 4. 17. & sequentibus. [58] quas decet domi se continere, non viros, ut Merozitæ fecerant. [59] id est, amplè, ut ad satietatem biberet: Est enim simpulum hic, & infrà 6. 38. vas rebus sacris & magnificis destinatum, figuram habens cyathi: unde simpulatores & simpulatrices in divinis rebus: simpulones in nuptialibus olim dicebantur, ab Hebræo *Sephel.* [n] *Hebr. butyri, subaudi lac: i. recens & non pressum.* [60] postrema pars cantici, Conclusio bimembris: primùm enim per hypotyposin mulierum hostilium jactationes cum sarcasmo traducit: deinde propheticam precationem illarum jactationibus opponit, qua exitium reliquiis hostium, Jisraëlitis autem roboris incrementum, comparatione solis ab ortu ad meridiem procedentis, precatur. [o] *Hebr. in caput viri, id est, cujusque.* [61] i. barbarici, & utramque in partem figurati operis, quam operis formam bifacem dixerunt veteres, id est, *ἀμφιπρόσωπον*: vide in Exod. 26. 1. [p] *Hebr. ad colla* virorum *prædæ.* [62] nempe ab illo octuagesimo, cujus facta est mentio suprà 3. 30.

[a] *Hebr. filii Orientis.*
[1] singulis annis, ut & septimo anno facere inceperant, infrà 33. v. quo stratagemate Halyatten adversus Milesios fuisse usum narrat Herodotus libro 1.
[2] id est, ad extremam usque oram Cenahanææ.
[3] cujus nomen, genus, & conditionem scriptura reticet, ut sup. 2. 1. & 1. Reg. 13. 2.
[4] Christus sermo æternus patris, qui infrà ver. 14. Jehova, & 15. dominus vocatur.
[b] *Hebr. torculari ad faciendum fugere, i. in parva area, quantum torculari expendo satis est: quo sensu accipitur hic a R. Jehuda scriptorum Hebræorum antiquissimo.*
[5] qua te valentissimum robore vocans, donavi, & me tecum futurum promisi.
[6] ut suprà 4. 6. vide in Genes. 13. 9.
[7] non diffidentis, sed consulentis verba sunt: quasi dicat, non dubito futurum quod promittitur, sed modum quæro illius efficiendi.
[8] Duplici ratione ostendit sibi facultatem deesse: prior, quia præfecturæ in qua est, tenues sint vires: posterior, quia in præfectura illa ipse minimum locum obtinet.
[9] ut suprà ver. 12. vide Exod. 3. 12.
[10] id est, facillimè, ac si tibi cum uno negocium esset. Hæc autem omnia sic accipiebat Gidhon, tamquam si a Propheta homine sed Dei verbis dicerentur: quamobrem cibum ei voluit exhibere, versu 17. & 18. & Scriptura pòst dicit, *animadvertens Gidhon angelum Jehovæ eum esse*, versu 22. donec signo planè divino confirmatus esset. Sunt igitur hæc non diffidentis viri, sed probantis atque explorantis ad veræ fidei constitutionem confirmationémque in seipso: sic Manoach, infrà 13. 15. [11] i. proposuerim tibi cibum unde vescaris, ut tum demum me signo instruas. [12] exhibuit unde vesceretur.

20 Edixit autem ei angelus ille Dei, accipe istam carnem & azymos panes, & colloca in petra illa, jus autem [13] effunde: qui fecit sic:

21 Tum extendens angelus Jehovæ extremitatem scipionis illius, qui *erat* in manu ipsius, tetigit illam carnem & panes azymos: ascenditque ignis a rupe illa, qui absumsit carnem & azymos panes illos, & angelus Jehovæ abiit a conspectu ejus.

22 Quapropter animadvertit Gidħon angelum Jehovæ eum esse; & dixit Gidħon, [14] Aha, Domine Jehovi, quandoquidem vidi angelum Jehovæ [15] [c] in os.

23 [16] Dixit verò ei Jehova, pax *est* tibi, ne time: non morieris.

24 Exstruxit autem ibi Gidħon altare Jehovæ, [17] quum proclamavisset ipsi Jehova pacem (usque in diem hunc adhuc exstat Hophræ Abi-Hezeritarum)

25 [18] Fuitque hoc ea ipse nocte, quum dixisset ei Jehova, accipe juvencum [d] adultiorem qui *est* patris tui, nempe juvencum illum [19] secundum septennem: & postquàm destruxeris altare illud Baħalis, quod *est* patri tuo, & lucum qui *est* juxta illud succideris,

26 Exstrues altare Jehovæ Deo tuo in summitate illius ipsius [20] arcis, cum strue: tunc accipiens juvencum illum secundum, offeres holocaustum in lignis illius luci quem excideris.

27 Accipiens enim Gidħon decem viros e servis suis, fecit quemadmodum edixerat ei Jehova: fuit autem, quia timebat a familia patris sui & hominibus civitatis illius [e] si fecisset interdiu, ut faceret noctu.

28 Quum autem surrexissent homines illius civitatis manè, ecce dirutum erat altare Baħalis, & lucus qui *fuerat* juxta illud, excisus: juvencus autem secundus ille oblatus in holocaustum *erat* super illud altare quod *erat* exstructum.

29 Quamobrem dixerunt [21] alter alteri, quis fecit rem hanc? quumq; inquisivissent & percunctati essent, dixerunt, Gidħon filius Joaschi fecit rem hanc:

30 Dixerunt autem homines illius civitatis Joascho, produc filium tuum, ut moriatur: quia diruit altare Baħalis, & quia succidit lucum qui *erat* juxta illud.

31 Dixit verò Joasch omnibus qui instabant apud ipsum, [22] vósne contendetis pro Baħale? an vos servabitis eum? qui contenderit pro eo, [f] hoc ipso manè morti tradetur: si Deus est, contendet in eum, quia diruit altare ipsius.

32 [23] Vocavit itaque illum die illo ‡ Jerubbaħalem: [g] eò quòd dixisset, contendet contra eum ipse Baħal, quia diruit altare ipsius.

33 Omnes autem Midjanitæ & Hamalekitæ ac orientales [24] erant congregati simul; & trajecto *Jardene* [25] castrametati erant in convalle [26] Jizreħelis.

34 Sed spiritus Jehovæ [27] induit Gidħonem: qui ubi clanxisset buccina, [h] convocati Abi-Hezeritæ eum sequuti sunt.

35 Prætereà nuncios misit per totum Menaschen, qui convocatus ipse quoque *sequutus* est eum: nuncios etiam misit ad Ascherem, & ad Zebulunem, & ad Naphthalin, qui ascenderunt obviam [28] istis.

36 [29] Dixerat autem Gidħon Deo; si tu servaturus es manu mea Jisraëlem, quemadmodum loquutus es:

37 Ecce ego statuo [i] vellus lanæ in hac area: si ros fuerit in ipso vellere solo, & in tota terra siccitas, sic novero te servaturum manu mea Jisraëlem, quemadmodum loquutus es.

38 Et fuit ita, nam quum surrexisset postero manè, asperserat *Jehova* vellus: & expressit rorem ex illo vellere, plenum [30] simpulum aquæ.

39 Rursus dixit Gidħon Deo, ne accendatur ira tua in me, & loquar tantùm hac vice: probem, quæso, solummodò hac vice hoc vellere, sit, quæso, siccitas in hoc vellere solo, & super totam terram sit ros.

40 Fecit itaque Deus sic nocte illa: erat enim siccitas in illo vellere solo, at in tota terra erat ros.

[13] videlicet in petram illam, ut madeat. Sic enim luculentius fuit miraculum, ut 1. Reg. 18.34.
[14] interjectio est exitium sibi metuentis ex conspectu Jehovæ & repentè perculsi terrore ex infirmitate carnis suæ: ut in Gene. 16.13 annotavimus.
[15] vide Exodi. 33.11.
[c] *Heb. facie ad faciem.*
[16] hanc vocem abiens protulit.
[17] i. quum eum & de communi Jisraëlitarum salute, & de particulari ipsius (nam ex conspectu Jehovæ trepidabat suæque vitæ diffidebat) confirmasset: Hanc nostram interpretationem germanam esse clamitant distinctiones Hebraicæ.
[18] i. altare illud exstructum est, de quo præcedente ℣.
[d] *Heb. bovis.*
[19] i. qui in bubili ordine secundus est. septennem autem imperat, velut eodem natum anno, quo Midjanitarum cœperat tyrannis.
[20] quam suprà ℣ 20. petram & 21. ℣. rupem vocavit, hic vocat arcem, quòd calamitoso illo tempore in ejusmodi loca tamquam in arces Jisraelitæ se recipiebant, ut supra ℣ 2.
[e] *Heb. a faciendo interdiu.*
[21] tam ex civibus, quàm ex domesticis.
[22] Ut de voluntate Dei instructus respondet tribus argumentis: primùm ab audacia eorum, qui præter vocationem vindices Baħalis esse volebant, & contra voluntatem Dei veniebant: secùndò a metu supplicii divini, quem illis injicit: tertiò ab officio ipsius Baħalis per concessionem ironicam, si Deus est, &c.
[f] *Heb. dum est hoc manè.*
[23] pater filium Gidħonem, non convicii sed monimenti causâ: quemadmodum etiam Jerubboscheth dicitur, 2. Schem. 11.21.
‡ *i. contendet contra eum Baħal.*
[g] *Heb. dicendo.*
[24] anno septimo ejus calamitatis.
[25] finem indicavimus suprà ℣. 4. & infrà 7.12. idem repetitur.
[26] vide Jehoschu. 17.16.
[27] instruxit eum voluntate & facultate ad hanc expeditionem pertinente tanquam armis convenientissimis: metaphora frequens, ut Luc. 24.49. Rom. 13.14. & Galat. 3.27.
[h] *Heb. & convocatus est Abiħezer post eum: sic deinceps in ℣ proximè sequente.*
[28] Abiħezeritis & Menaschitis.
[29] nempe quum hostes congregati regionem infestarent, & ipse popularium suorum liberationem moliens exploraret vocationem suam, expeteretque de ea ampliùs cõfirmari: quemadmodum provehitur gradibus suis sanctorum fides.
[i] *Heb. tonsuram lanæ. sic deinceps.*
[30] vide suprà in 5.25.

CAPUT VII.

Gidħon partem populi, Dei jussu dimittit, & ex residuo trecentos divinitùs designatos retinet, quibuscum noctu, Dei jussu, & adversarii somnio confirmatus, mirabili stratagemate hostes fundit, & fugientium partem cædit.

Surgens itaque mane Jerubbaħal (is est Gidħon) totusque populus qui eart cum eo, castra metati sunt ad fontem [1] Charodi: castra autem Midjanitarum *erant* ei ab Aquilone, cis collem [2] Moræ in ipsa convalle.

2 Sed dixit Jehova Gidħoni, numerosior *est* hic populus qui *est* tecum, quàm ut tradam Midjanitas in manum eorum: ne [a] gloriam assumat sibi Jisraël supra me, dicendo, manus mea salutem attulit mihi.

3 Nunc itaque proclama jam [a] audiente hoc populo dicendo, is qui timidus est & trepidus, revertens evolato [4] versus montem Gilħadis: sic reversa sunt ex eo populo viginti duo millia, decies autem mille remanserunt.

4 Iterum dixit Jehova Gidħoni, populus iste adhuc est numerosior; deducito eos ad istas aquas, & [b] disparabo tibi eum illic: tum futurum est ut de quocunque dixero tibi hic ito tecum, is eat tecum, *de* quocunque autem dixero tibi hic ne ito tecum, is ne eat.

5 Deducto itaque populo ad istas aquas, edixit Jehova Gidħoni, quicunque lambet lingua sua ex ista aqua, quemadmodum lambere solet canis, statuito eum seorsim, similiter quicunque incurvabit se in genua sua ad bibendum.

6 Fuitque numerus eorum qui lamberant sua manu ad os suum *injicientes aquam*, trecentorum virorum: totum autem reliquum illius populi incurvaverunt se in genua sua ad bibendum aquam.

7 Tum dixit Jehova Gidħoni, trecentis istis viris lambentibus servabo vos, & tradam Midjanitas in manum tuam: quam ob rem [5] totus iste populus abeunto quisque in locum suum.

8 Quum itaq; accepissent hic populus commeatum in manu sua, & buccinas [6] illorum, & omnes viros Jisraëlitas illos dimisisset quemque in tentoria sua, trecentos istos viros retinuit: castra verò Midjanitarum infra eum *erant* in illa convalle.

9 Fuit autem illa ipsa nocte ut ediceret ei

[1] is fons esse videtur, cujus meminit 1. Schem. 29.1. quia in Jizreħele situs erat; & fortasse Charod (quod sonat trepidum) dictus est, vel a trepidatione 22. millium, qui Gidħonem deseruerunt infrà 23. ℣. vel a trepidatione Midjanitarum fusorum per Gidħonem ibi castra habentem; vel denique a trepidatione Schaulis ibidem, de qua 1. Schem. 28.5.
[2] id est, jaculatoris vel indicis. hoc quoque nomen collis ille consequutus videtur a sagittariis qui Schaûlē fugientem assequuti sunt, 1. Schemu. 3.3. nam unus erat e montibus Gilboħæ ut nonnulli existimant. Simplicius verò illud est sententia mea, si a commoditate pluviæ tempestivæ nomen profectum dixeris, qua collis iste perfunditur: quò spectare videtur Davidis sermo, 2. Schem. 1.21.
[3] vide Exodi. 8.9.
[a] *Heb. in auribus hujus populi.*
[4] id est, retrorsum; ne animos Jisraëlitarum qui vicini erant hostibus, minuerent, hostium vero animos confirmarent.
[b] *Heb. defæcabo, translatum a metallis ad homines.*
[5] i. omnes isti qui in genua se incurvaverunt.
[6] omnium qui priùs abierant, ℣. 3, & tunc abibant.

Jehova, surge, descende ad ista castra; nam trado
ea in manum tuam.
10 Quòd si times descendere, descende tu,
& Pura puer tuus, ad ipsa castra:
11 Et audies quid loquantur, ut posteà con-
firmentur manus tuæ, ac descendas contra ista
castra: descendit itaque ipse & Pura puer ejus ad
extremitatem [c] militarium ordinum, qui *erant* in
castris.
12 Midjanitæ autem & Hamalekitæ eum om-
nibus orientalibus [7] diffusi erant in ea convalle
[8] tamquam locustæ multitudine: camelisq́; eo-
rum non *erat* numerus, *erant* sicut arena quæ *est* in
littore maris multitudine.
13 Quumq́; advenisset Gidĥon, [9] ecce qui-
dam narrabat proximo suo somnium: & dicebat,
ecce somnium somniavi, quòd ecce [d] tostus pa-
nis hordeaceus obvertebat se in castris Midjani-
tarum, & perveniens in tentoria, concutiebat ipsa
ita ut caderent, subvertebatq́; ipsa, ita ut lapsa
jacerent tentoria.

c Heb. quinorum: sic Exod. 13.18.
7 id est, jacebant spatiim.
8 erant enim centum triginta quinque millia, ut apparet ex 8. cap. v. 10.
9 vide in Gen. 24.14.
d Heb. tostum panis hordeorum.

14 Respondens autem proximus ejus dicebat,
non *est* hoc *aliud* nisi gladius Gidĥonis filii Joa-
schi viri Jisraëlitæ: tradidit Deus in manum ejus
Midjanitas & tota hæc castra.
15 Fuit ergo quum audisset Gidĥon narrati-
onem illius somnii & [e] explicationem ejus, ut in-
curvaret sese *honorem Deo exhibens*; & reversus ad
castra Jisraëlitarum diceret, surgite, tradit enim
Jehova in manum vestram castra Midjanitarum:
16 Tum distribuit trecentos illos viros *in* tria
[f] agmina; tradiditq́; buccinas in manum cujus-
que eorum, & hydrias vacuas, facesq́; in medio
illarum hydriarum:
17 Et dixit eis, me versùs respicitote, & sic fa-
citote: quum ecce ego veniam ad extremitatem
istorum castrorum, erit ut quemadmodum faci-
am, sic faciatis.
18 Clangam enim buccina ego & quicunque
erunt mecum, quare clangetis vos quoque bucci-
nis circum tota ista castra, & dicetis, Jehovæ &
Gidĥonis *gladius*.

e Heb. fracturam ejus: translatum verbum a nucibus vel nucleis: quasi dicat, enucleationem.
f Heb. capita: sic infrà 20. & 9.34

19 Adveniens itaque Gidĥon & centum viri
qui *erant* cum ipso ad extremitatem illorũ castro-
rum [10] principio vigiliæ mediæ (tantummodo [g] de-
mum statuebant custodes) clanxerunt buccinis
simul comminuendo hydrias, quæ *erant* in manu
ipsorum;
20 Clanxerunt itaque tria illa agmina bucci-
nis, & fregerunt hydrias, nam tenebant manu si-
nistra sua faces, manu verò dextera sua bucci-
nas ad clangendum: deinde clamârunt, gladius
Jehouæ & Gidĥonis.
21 Subsistebant autem quisque in loco suo
circum castra ipsa: discurrentia verò tota illa ca-
stra vociferabantur & fugiebant.

10 i. sub mediam noctem, qua custodes & vigiles mutari solent commoditatis causa, pro castrensi instituto.
g Heb. statuendo statuebant.

22 Rursus clanxerunt trecentis illis buccinis;
& [h] obvertit Jehova gladium [i] unius in alterum,
idque per tota illa castra: adeò ut fugerit exer-
citus ille usque Beth-Schittam per [11] Tzereram
usque ad ripam [12] Abel-Mecholæam supra Tab-
batham.
23 Quapropter convocati sunt viri Jisraëlitæ
e Naphthali, & ex Aschere, atque ex toto Me-
nasche, qui persequuti sunt Midjanitas.
24 Præterea nuncios misit Gidĥon per totum
montem Ephrajimi, qui edicerent, descendite
obviam Midjanitis, & præoccupate illis aquas
‡ Beth-Barani usque, nempe Jardenis *aquas*: ita-
que convocati omnes viri Ephrajimi præoccupa-
verunt aquas illas Beth-Baram usque, id est, Jar-
denis *aquas*:

h Heb. posuit.
i Heb. viri in proximum suum.
11 i. agrum Tzarthanis, ut colligitur ex 1. Reg. 4. 12. vide Jehoschu. 3. 16.
12 i. ripam Jardenis ex adverso Abel-Mecholæ: Locus est unde oriundus erat Elischaĥ, 1. Reg. 19. 16. in tribu Ephrajimi. 1. Reg. 4. 12.
‡ *quæ apud Joan. cap. 1. 28. Bethabara dicitur.*

25 Ceperuntq́; duos principes Midjanitarum,
Horebum & Zeebum, & occiderunt Horebum
in rupe Horebi, Zeebum verò occiderunt in tor-
culari Zeebi quum persequerentur Midjanitas:
caput autem Horebi & Zeebi attulerunt ad Gid-
ĥonem [13] trans Jardenem.

13 nam Jardenem trajecerant, ut ostendit ver. 4. cap. sequentis.

CAPUT VIII.

*Gidĥon Ephrajimitarum contra se contentione pruden-
ter & modestè sedata, hostes fugientes persequutu-
rus à Succothanis & Penuelitis commeatum non
impetrat: quare illis interminatus expeditionem su-
am fæliciter persequitur, & reversus illos plectit:
Oblatum dominium repudiat, & victoriæ monimen-
tum in urbe sua statuit, quo post mortem ejus Jis-
raëlitæ ad idololatriam abusi sunt.*

SEd dixerunt ei viri Ephrajimitæ, quæ est hæc
res *quam* fecisti nobis, non vocando nos quum
proficisceris ad pugnam contra Midjanitas?
[1] contenderuntq́; cum eo validè.
2 Qui dixit eis, quid feci nunc cujusmodi
vos? [2] nonne meliores sunt racemationes E-
phrajimitarum, vindemiâ Abiĥezeritarum?
3 In manum vestram tradidit Deus principes
Midjanitarum, Horebum & Zeebum, quid ergo
potui facere cujusmodi vos? tunc destitit [a] ira-
tus illorum animus ab eo, quum loquutus esset
verbum hoc.
4 Quum autem venisset Gidĥon ad Jarde-
nem; trajiciens ipse cum trecentis viris qui erant
cum eo fessi, persequentes tamen:
5 Dixit viris Succothanis, date, quæso, [3] tra-
ctas panis huic populo [b] qui sequitur vestigia
mea: fessi enim sunt, & confestim persequor Ze-
bachum & Tzalmunaĥum Reges Midjanitarum.
6 Dixit verò principũ Succothanorum *ordo*,
an [c] [4] manus Zebachi & Tzalmunaĥi nunc *est*
in manu tua; ut tradamus exercitui tuo panem?
7 Quibus dixit Gidĥon: propterea quum
tradiderit Jehova Zebachum & Tzalmunaĥum
in manũ meam; utiq́; [d] triturando cędam carnem
vestram, spinis istius deserti & oxyachanthis.
8 Et ascendens inde Penuelem alloquutus
est eos [e] in eamdem sententiam: sed responde-
runt ei viri Penuelitæ, quemadmodum responde-
rant viri Succothani.
9 Quare etiam alloquutus est viros Penueli-
tas dicendo, quum revertar [f] incolumis, destruam
turrim istam.

1 ex cæsis duobus principibus Midjanitarum sibi præfidentes.
2 Pugnam cum vindemia, fugientium verò persequutionem cum racematione cõparat; quasi dicat, nos Abiĥezerita non tantum pugnando, quantum vos Ephrajimitæ fugatos a nobis persequendo, consequuti fuimus.
a Heb. spiritus.
3 putà quàm celerrimè paratas & coctas, ne nostrum iter abrumpatur.
b Heb. qui est ad pedes meos.
c Heb. vola.
4 quasi dicat, longissimè abes ab expectatione tua, quum tu fessus & parvo comitatu, expeditos, numerosiores, & a labore recreatos persequeris: ita ejus concilium ridens.
d Heb. triturabo, i. repetitis ictibus, ut solent qui triturant, ad necem usque cedam.
e Heb. sicut hoc.
f Heb. cum pace.

10 Zebach autem & Tzalmunaĥ *erant* Karko-
re, & exercitus eorum cum ipsis quasi quindecim
millium, quicunque residui *erant* è toto exercitu
[g] orientalium: qui autem ceciderant, centum vi-
ginti millia virorum *erant* stringentium gladium.
11 Ascendit itaque Gidĥon viâ [5] degentium
in tentoriis, ab oriente [6] Nobacho & [7] Jogbehæ:
percussitq́; exercitum illum, dum exercitus ille
degebat securè.
12 Sed fugientes Zebachum & Tzalmuna-
ĥum persequutus est: cepitque duos reges Mid-
janitarum Zebachum & Tzalmunaĥum, & to-
tum exercitum illum perculit.
13 Posteà revertens Gidĥon filius Joaschi ab
illo prælio, ante [8] ascensum solis;
14 Cepit puerum e viris Succothanis, & per-
cunctatus est eum: qui descripsit ei principes
Succothanos & Seniores ejus, septuaginta se-
ptem viros:
15 Quumque ingressus esset ad viros Succo-
thanos dixit, ecce Zebach & Tzalmunaĥ: de
quibus exprobrastis mihi dicendo, an palma Ze-
bachi & Tzalmunaĥi *est* nunc in manu tua; ut tra-
damus viris tuis fessis panem?

g Heb. filiorum orientis.
5 Arabum Scenitarum.
6 de quo Num. 32. v. ult.
7 in tribu Gadis, de quo Num. 32.35.
8 sub ipsum ortum.

16 Et

16 Et assumtis Senioribus civitatis illius, spinisq; deserti, & oxyacanthis, [9] documentum in eis dedit viris Succothanis.

17 Deinde turrim Penuelis destruxit, ac interfecit [10] viros illius civitatis.

18 Posteà dixit Zebacho & Tzalmunaho, quales *erant* viri quos interfecistis in Thabore? qui dixerunt, qualis tu tales illi *erant*, idem *erant*, formâ quali filii Regis.

19 Tunc dixit, fratres mei, filii matris meæ erant: *ita ut* vivit Jehova, si vivos servassetis eos, [11] non fueram occisurus vos.

20 Itaque dixit Jethero primogenito suo, surge, occide istos: sed non strinxit puer gladiū suum eo quòd timeret, nam adhuc puer erat.

21 Tum dixit Zebach cum Tzalmunaho, surge tu & incurre in nos, nam qualis *est* vir, tale *est* robur ejus: quapropter surgens Gidhon interfecit Zebachum & Tzalmunahum, accepitq; [12] lunulas illas, quæ *erant* ad colla camelorum ipsorum.

22 Posteà dixerunt Jisraëlitæ *singuli* Gidhoni, dominium habe in nos, tum tu, tum filius tuus, tum [h] nepos tuus; quia servasti nos e manu Midjanitarum.

23 Sed dixt eis Gidhon, non habebo ego dominium in vos, neque filius meus habebit dominium in vos: Jehova habiturus est dominium in vos.

24 Præterea dixit eis Gidhon, petam a vobis petitionem, ut detis mihi quisque monile prædæ suę. monilia enim aurea *fuerant* illis, quia [13] Jischmahelitæ erant.

25 Et *illi* dixerunt, [i] lubentissimè dabimus, explicantesque pannum quemdam conjecerunt illuc quisque monile prædæ suæ.

26 Fuit autem pondus monilium aureorum quæ petierat, [14] mille septingentorum *siclorum* auri: præter lunulas, & myrothecidia, & vestes purpureas, quibus induti erant reges Midjanitarum, & præter torques qui *erant* ad colla camelorum illorum.

27 Aptavitq; Gidhon illud *aurum* in amiculum, [15] statuitque ipsum in sua civitate Hophræ, [16] ubi scortati sunt omnes Jisraëlitæ post *mortem* ipsius: fuitque Gidhoni, id est, familiæ ejus in tendiculam.

28 Tum depressi Midjanitæ ante filios Jisraëlis, non perrexerūt attollere caput suum: sic quievit terra diebus Gidhonis *in* annum *usque* [17] quadragesimum:

29 Et abiens Jerubbahal filius Joaschi, [18] mansit domi suæ.

30 Fuerunt autem Gidhoni septuaginta filii, egressi *e* femore ejus: nam uxores multæ erant ei.

31 Concubina verò ejus quæ *erat* Schecemi, peperit ei ipsa quoque filium; cui nomen indidit Abimeleco.

32 Sed quum mortuus Gidhon filius Joaschi, in canitie bona; sepultus esset in sepulchro Joaschi patris sui Abihezeritæ, Hophræ:

33 Quum, inquam, mortuus esset Gidhon, fuit ut [k] denuò filii Jisraëlis scortantes sequerentur Bahalimos; proponerentq; sibi [19] Bahal-berithum in Deum.

34 Ita non sunt recordati filii Jisraëlis Jehovæ Dei sui, qui eripuerat ipsos e manu omnium inimicorum ipsorum circumquaque:

35 [20] Neque exercuerunt benignitatem erga familiam Jerubbahalis, Gidhonis; secundùm omne illud bonum quo affecerat Jisraëlem.

9 i. eos cædendo Succothanos informavit ut in posterum saperent.
10 qui illi civitati præerant, ut ex superiore exemplo constat.
11 sed illos fratres meos vestra ipsorum vita redemturus. Atque hoc pacto non potest haberi Gidhonis juramentum, ac si cum Lege Dei pugnaret.
12 i. ornamenta lunari forma, & bullatas phaleras.
h *Heb. filius filii tui.*
13 putà quos isti spoliaverant jure belli. vide in Genes. 37.25.
i *Heb. dando dabimus.*
14 i. ampliùs 4250. thallerorum: ut auri siclum quàm minimi, i. decem argenteis siclis æstimemus.
15 in monumentum victoriæ.
16 i. demum mortuo Gidhone abusi sunt ad cultum Bahalimorum infrà 33.
17 videlicet ab illo anno quadragesimo, cujus meminit auctor suprà 5.31.
18 i. privatus vixit. vide supra in 2.16.
k *Heb. reverterentur filii Jisraëlis ut scortarentur.*
19 idolum Schecemitarum, de quo cap. sequente.
20 Transitio est ad historiam sequentem.

CAPUT IX.

Abimelec Schecemitarum imperium consequutus omneis fratres, uno excepto occidit, qui ipsi & Schecemitis exitium denunciat. Deus verò illius prædictionem mutuis Abimeleci & Schecemitarum odiis, grassationibus, & pugnis ita adimplevit, ut vaticinatus erat.

Abiens enim Abimelec filius Jerubbahalis Schecemum ad cognatos matris suæ; alloquutus est eos, & totam familiam paternæ domus matris suæ, dicendo;

2 Eloquimini, quæso, [a] audientibus omnibus Schecemitis, utrum melius *est* vobis? an ut dominium habeant in vos septuaginta viri, omnes filii Jerubbahalis, an verò ut dominium habeat in vos vir unus? [1] recordemini autem me esse os vestrum & carnem vestram.

3 Eloquuti sunt igitur cognati matris ejus pro eo, audientibus omnibus Schecemitis, omnia verba ista; inclinavitq; [b] animus eorum ad sequendum Abimelecum, eò quòd dicerent, cognatus noster est.

4 Quapropter dederunt ei septuaginta *siclos* argenti ex æde Bahal-berithi; quibus conduxit Abimelec viros inaneis & instabiles, qui sequuti sunt ipsum.

5 Ita venit in domum patris sui Hophram, & interfecit [2] fratres suos filios Jerubbahalis, *qui erant* septuaginta viri, super lapidem unum: sed superstes relictus est Iotham filius Jerubbahalis quia minimus absconderat sese.

6 Tum congregârunt se omnes Schecemitæ, & [c] omnes incolæ munitionis, abeuntésque constituerunt Abimelecum in regem; apud [3] planitiem statuæ, quę *est* in *agro* Schecemitano.

7 Quod quum nunciassent Jothamo *quidam*, abiens constitit in vertice montis Gerizzimorum, & sublata voce sua clamavit, dicens illis, audite me Schecemitæ, ita audiat vos Deus.

8 [4] [d] Aliquando iverunt arbores ut crearent sibi regem; dixeruntq; olivæ, regna super nos:

9 Sed dixt eis oliva, cogerérne desistere cum pinguedine mea ego, per quam [5] honorantur Deus & homines: ut irem [6] vagatum propter *alias* arbores?

10 Deinde dixerunt arbores ficui; veni tu, regna super nos:

11 Sed dixit eis ficus, cogerérne desistere cum dulcedine mea, & cum reditu meo optimo; ut irem vagatum propter *alias* arbores?

12 Tum dixerunt arbores viti; veni tu, regna super nos.

13 Sed dixit eis vitis, cogerérne desistere cum musto meo, quod [7] lætificat Deum & homines; ut irem vagatum propter *alias* arbores?

14 Denique dixerunt omnes arbores cynosbato; veni tu, regna super nos.

15 Tum cynosbatus dixit arboribus, si [e] seriò vos [f] creatis me in regem super vos, venite, obtegite vos umbra mea: sin minùs, exeat ignis ex cynosbato, & absumat cedros ipsas Libani.

16 Similiter nunc, si seriò & integrè fecistis, quòd Regem constituistis Abimelecum; & si bonum exercuistis erga Jerubbahalem & erga familiam ejus, & si secundùm beneficium manuum ejus affecistis eum:

17 (Pugnavit enim pater meus pro vobis; & [8] abjiciens animam suam procul, eripuit vos e manu Midjanitarum.

18 Vos autem insurrexistis contra familiam patris mei [g] hoc tempore, & interfecistis filios ejus, *qui erant* septuaginta viri super lapidem unum:

a *Heb. in auribus omnium dominorum Schecemi sic ℣.3. & deinceps.*
1 oratio est ecliptica: quasi dicat, Quòd si constitueritis virum unum habendum esse, præferte me aliis, qui vobis sanguine conjunctus sum.
b *Heb. cor.*
2 excepto Jothamo: synecdoche, ut Gen. 35.26 infrà 56.
c *Heb. & tota domus munitionis.*
3 in campo illo prope Schecemum ubi Jehoschuah magnum lapidem erexisse legitur sub quercu, Jehosch. ultimo ℣.26. vide annotata ibi.
4 apologus ut 2. Reg. 14.
d *Heb. eundo iverunt ad ungendum.*
5 adhibetur enim oleum ad sacrificia, ad unctionem regum, sacerdotum, ac prophetarum, denique ad corpora humana dilibuenda.
6 i. circumcursatum ad regium munus exsequendum. sic ostendit omnis auctoritatis atque principatus comitem esse laboriosissimam solicitudinem, quam pater suus prudenter modesteq; refugerit. Itidem sequentia.
7 quia ad oblationes legales adhibetur, & cor hominis exhilarat, Psal. 104.15.
e *Heb. in veritate, ut ℣.16. & 19.*
f *Heb. ungitis, ut suprà ℣.8.*
8 similem loquutionem vide suprà 5.18.
g *Heb. hodie: synecdoche.*

unum: regemq; constituistis Abimelecum filium ancillæ ejus super Schecemitas, eo quòd cognatus vester est.)

19 Si, inquam, seriò & integrè fecistis erga Jerubbaĥalem & erga familiam ejus hoc tempore, lætamini de Abimeleco, & lætetur ipse etiam de vobis:

20 Sin verò minùs, exeat ignis ex Abimeleco, & absumat Schecemitas, & incolas munitionis: & exeat ignis ex Schecemitis & incolis munitionis, qui absumat Abimelecum.

21 Tum aufugit Jotham, & fugiens abiit [9] Beerum: mansitq; ibi metu Abimeleci fratris sui.

22 Tenuit ergo Abimelec principatum super Jisraëlem tribus annis.

23 Immisit autem Deus [h] affectum malum inter Abimelecum & Schecemitas; adeò ut prævaricarentur Schecemitæ contra Abimelecum:

24 Ut rediret injuria septuaginta filiis Jerubbaĥalis *illata*; id est, cædes eorum reponeretur Abimeleco fratri eorum qui interfecerat eos, & Schecemitis qui confirmaverant manus ejus, ut interficeret fratres suos.

25 Ponentes enim adversus eum Schecemitæ insidiatores in verticibus illorum montium, rapiebant quicquid transibat secundum eos viâ illâ: quod [10] renunciatum est Abimeleco.

26 Deinde veniens Gaĥal filius Hebedi & fratres ejus, quum pervenissent Schecemum; confisi sunt ei Schecemitæ:

27 Adeò ut exeuntes in agrum vindemiarent vineas suas, & calcarent *uvas*, facerentq; [11] laudativa carmina, deinde ingressi ædem Dei sui comederent ac biberent, ac maledicerent Abimeleco.

28 Quare dixit Gaĥal filius Hebedi, [12] quis *est* Abimelec, & quæ Schecem, ut serviamus isti? nónne filius *est* Jerubbaĥalis? aut *quis* Zebul præfectus ejus? servite [13] viris *natis* Chamore ‡ principe Schecemi, cur enim serviremus isti nos?

29 [i] [14] At utinam populus hic esset in manu mea, ut tollerem Abimelecum: posteà dixit Abimeleco, [15] multiplica exercitum tuum & prodi.

30 Audiens itaque Zebul præfectus ipsius civitatis verba Gaĥalis filii Hebedi, quibus accensa est ira ejus;

31 Misit nuncios ad Abimelecum [16] Thormam, qui dicerent; ecce Gaĥal filius Hebedi & fratres ejus ingressi sunt Schecemum, qui ecce cum civitate oppugnaturi sunt te.

32 Nunc igitur surge de nocte tu & populus qui *est* tecum; & insidiare in agro.

33 Erit autem ipso mane quum orietur sol, ut surgas irruiturus in [17] civitatem, nam ecce ipse & populus qui *est* cum eo exituri sunt ad te, sic facies ei prout obvenerit manui tuæ.

34 Surrexit itaque Abimelec & totus populus qui *erat* cum eo noctu; insidiatiq; sunt in Schecemitas [18] quatuor [k] agminibus.

35 Gaĥal verò filius Hebedi quum exivisset, substitit *in* foribus portę civitatis: surgebat enim Abimelec & populus qui *erat* cum eo ex insidiis.

36 Videns autem Gaĥal populum illum; dicebat Zebuli, ecce populus descendens e verticibus istorum montium: sed respondit ei Zebul, umbram ipsorum montium vides quasi homines.

37 [l] Deinde iterum loquutus Gaĥal; ampliùs dixit, ecce populus, descendentes ex [m] editiore loco terræ: nam agmen unum veniebat a via planitiei ‡ Meĥonenimorum.

[9] fortè is locus est, qui Jehosch. 19.8. Baĥalath-Beer dicitur in tribu Shimĥonis.
[h] *Heb. Spiritum.*
[10] oratio ecliptica; quæ suppletur ex oratione sequenti; quasi dicat, qui ex relatione, in Schecemitas infensus in agro Schecemitano grassabatur: simile est Gen 35. 22.
[11] i. cantu suo & laudibus Gaĥalis declarârunt se omni metu Abimeleci solutos esse, & hoc beneficium Gaĥali adscribere.
[12] indignitatem servitutis comparatione personarum Abimeleci & Schecemitarum ostēdit: Jerubbaĥalis filius est, qui nomen consequutus est a dejecto altari & luco Dei Baĥalis, quique ut privatus vixit, neque imperium in quemquam habuit: Schecemitæ autem liberam Rempub. iam olim constitutam habuerunt.
[13] i. si serviendum est, ne patiamini vos servitute premi duriore, quàm olim hujus loci cives sub Chamore, qui Schecemitis erat veluti pater: & idem imperium retinete penes gentem ipsius.
‡ *patris.*
[i] *Heb. quis det populum hunc in m. m.*
[14] init consilium cum civibus de occidendo postridie Abimeleco Thormæ.
[15] absentem exagitat ironicè & arroganter.
[16] idem locus est, qui infrà 41. ꝟ. Aruma vocatur.
[17] cæso Gaĥale cū civibus qui foras processerint, ut statim subjicit.
[18] ut illos circumveniret.
[k] *Heb. capitibus ut sup. 7. 16. sic deinc.*
[l] *Heb. & adjecit amplius Gaĥal loqui, ac dixit.*
[m] *Heb. umbilico terr. c.*
‡ *i. plantariorum.*

38 Cui dixit Zebul, ubi nunc *est* [19] os tuum, quo dicebas, quis *est* Abimelec ut serviamus ei? an non iste *est* populus ille quem sprevisti? egredere, quæso, nunc, & pugna contra eum.

39 Sic egressus Gaĥal ante Schecemitas, pugnavit contra Abimelecum:

40 Sed persequutus est eum Abimelec fugientem a facie sua: cecideruntq; confossi multi, usque ad fores ipsius portæ.

41 Residebat autem Abimelec Arumæ: expulitque Zebul Gaĥalem cum fratribus ejus, ne habitarent Schecemi.

42 Fuit etiam postridie, [20] quum exiret populus in agrum, ut renunciarent *quidam* Abimeleco:

43 Qui assumens populum suum, partitus est eos in tria agmina, & insidiatus est in agro: quumque videret quòd ecce populus exibat e civitate, insurgens in eos percussit eos.

44 Nam Abimelec & agminum *illud* quod *erat* cum ipso irruentes instabant *ad* fores portæ ipsius civitatis; duo verò *reliqua* agmina irruentia in omnes qui erant in agro, percusserunt eos.

45 Itaque Abibemelec oppugnans ipsam civitatem toto illo die cepit civitatem, & populum qui *erat* in ea interfecit: destructáque civitate [21] consevit eam sale.

46 Quæ quum audirent omnes [n] cives arcis Schecemitanæ; ingressi sunt propugnaculum, [22] ædem Dei Berithi.

47 Sed ubi nunciatum est Abimeleco, se congregasse omnes cives arcis Schecemitanæ:

48 Ascendit Abimelec montem Tzalmonis ipse & totus populus qui *erat* cum eo; ubi accipiens Abimelec securim bipennem in manu sua, amputavit ramos arborum, quos sublatos imposuit humero suo, edixitque populo qui *erat* secum, quod vidistis me facere, [o] festinanter facite sicut ego.

49 Quapropter amputarunt totus quoque populus quisque ramos suos, & sequuti Abimelecum circumposuerunt propugnaculo, & incenderunt illis propugnaculum igni: sic mortui sunt etiam omnes cives arcis Schecemitanæ, quasi mille viri & mulieres.

50 Deinde profectus Abimelec Thebetzum; castra posuit contra Thebetzum, & cepit illud.

51 Arx autem munita erat intra civitatem illam; quò confugientes omnes viri & mulieres, denique omnes cives illius civitatis, occluserant circa se, & ascenderant ad tectum arcis.

52 Sed veniens Abimelec usque ad arcem ut pugnaret contra eam; quum accederet usque ad portam arcis, ad comburendum eam igni;

53 Dejecit mulier quædam fragmen molæ super caput Abimeleci; & confregit cranium ejus.

54 Quare inclamans celeriter puerum armigerum suum edixit ei, stringe gladium tuum, & morti trade me, ne dicant de me, mulier interfecit eum: tum confodit eum puer ejus, ita ut mortuus sit.

55 Videntes autem Jisraëlitæ mortuum esse Abimelecum, abiverunt quisq; in locum suum.

56 Sic fecit Deus ut rediret maleficium Abimeleci; quo affecerat patrem suum, interficiendo fratres suos, *qui erant* septuaginta;

57 Et totum maleficium Schecemitarum fecit Deus ut rediret in caput illorum: evenitq; illis maledictio Jothami filii Jerubbaĥalis.

CAPUT X.

Jisraëlitæ aliquamdiu sub Tholaĥo & Jaire pace & libertate usi, postquàm in idololatriā relapsi sunt, divinitus deduntur hostibus, suis: quapropter Deum inclamantes

[19] quasi dicat, ut heri ore, ita nunc manu te virum præsta: hæc autem verba in speciem videntur esse viri honori consulentis: sed verè spectabant ad Gaĥalis excidium: nam hoc agit Zebul veritate, & illud fraude simulat.
[20] ut prius consilium exsequerentur, etsi priore duce destituti; tanto flagrabant in Abimelecum odio. nam qui de operibus rusticis accipiunt, non considerant vindemiam jam factam fuisse, & ejus nomine epulum meditrinaliorum (ut Latini vocarunt) celebratum suprà ꝟ. 27. aratio autem non statim vindemiam subsequitur.
[21] in perpetuæ detestationis symbolum.
[n] *Heb. domini turris Schecemi, sic deinceps.*
[22] vel Baĥal berithi, de qua suprà ꝟ. 4.
[o] *Heb. festinate, facite.*

clamantes, primùm quidem graviter increpantur,
deinde verò seriò resipiscentes gratiam impetrant.

SUrrexit autem post Abimelecum ad [1] conser-
vandum Jisraëlem, Tholah filius Puæ filii Do-
donis [a] Jissacarita: qui residebat [2] Schamire in
monte Ephrajimi.
2 Is judicavit Jisraëlem viginti tribus annis;
& moriens sepultus est Schamire.
3 Deinde surrexit post eum Jair Gilhadita;
qui judicavit Jisraëlem viginti duobus annis.
4 Erant autem ei triginta filii equitantes tri-
ginta [b] asellos, ac triginta civitates erant eis;
quas vocant [3] villas Jairis usque in diem istum,
quæ *sunt* in terra Gilhadis.
5 Deinde mortuus Jair, sepultus est Ka-
mone.
6 Tum [c] rursus faciebant filii Jisraëlis quod
malum *videtur* in oculis Jehovæ; colebant enim
Bahalimos & Haschtharothas, deosq; Syriæ, &
deos Tzidonis, & deos Moabitarum, deosque
Hammonitarum & deos Pelischthæorum: deni-
que reliquerant Jehovam, nec colebant eum.
7 Quapropter accensa est ira Jehovæ con-
tra Jisraëlitas: adeò ut dederet eos in manum
[4] Pelischthæorum & in manum Hammonita-
rum.
8 [5] Hi autem confregerant & conquassave-
rant Jisraëlitas [6] anno hoc, anno *inquam* decimo
octavo omnes Jisraëlitas qui *erant* ultra Jarde-
nem in terra Emoræi, quæ *est* in Gilhade:
9 Et trajiciebant Hammonitæ Jardenem ad
pugnandum etiã contra Jehudam, & contra Bin-
jaminem, & contra familiam Ephrajimi; adeò ut
angustia esset Jisraëlitis valde:
10 Clamauerunt itaque Jisraëlitæ ad Jeho-
vam, dicendo, peccavimus tibi, tum quia dereli-
quimus Deum nostrum, tum *quia* coluimus Ba-
halimos.
11 Sed dixit Jehova Jisraëlitis; an non ex Æ-
gyptiis, & ex Emoræis, & ex Hammonitis, & ex
Pelischthæis,
12 Tzidoniis quoque & Hamalekitis, & [d] in-
digenis opprimentibus vos; quum clamaretis ad
me, tum servavi vos e manu eorum?
13 Attamen relinquentes me coluistis deos
alienos: [7] idcircò non pergam servare vos.
14 [8] Abite, & inclamate deos istos, quos ele-
gistis: ipsi servent vos tempore angustiæ vestræ.
15 Dixerunt autem Jisraëlitæ Jehovæ, pecca-
vimus, fac tu nobis [e] omnino prout bonum *vi-
detur* in oculis tuis: verumtamen libera nos, quæ-
sumus [f] hoc tempore:
16 Et removentes Deos alienigenarum e me-
dio sui, coluerunt Jehovam: ita imminutus est
[9] animus ejus [10] propter laborem Jisraëlita-
rum.

[1] continendum Jisraëlem in cultu Dei, atq; adeò in pace, & parta antè libertate.
[a] *Heb. vir Jissacaris.*
[2] oppido Jissacaris contermino Ephrajimitis: aliud enim est a Schamire Jehudæ, de quo Jehosch. 15. 48.
[b] *Heb. pullos, ut infrà 12. 14.*
[3] de nomine hujus, ac non prioris Jairis, de quo Num. 32. 41.
[c] *Heb. addiderant facere.*
[4] A quibus adhuc Jiphthachi tempore Jisraëlitarum pars, quæ ad occidentem sita est, premebatur: nam in historia Jiphthachi tantùm de Hammonitis scribitur: de Pelischthæis verò demum in historia Schimschonis.
[5] putà Hammonitæ: hic enim de Pelischthæis silẽtium, ut modò diximus.
[6] qui mox subjicitur. vide infrà 11. 6.
[d] *Heb. habitaculi viris, i. gentibus illius terræ quam habitatis, reliquiis Cenahanæorum, illi Mehonitis.*
[7] quia coluistis & adhuc colitis.
[8] Sarcasmus est συγχωρητικῶς ex indignatione.
[e] *Heb. secundùm omne bonum in oculis tuis.*
[f] *Heb. hoc ipso die.*
[9] indignatio ejus, quia dixerat Deus, non pergam servare vos, suprà ℣. 13.
[10] tum quo ab hostibus premebatur, tum quo studebat in gratiam redire cum Deo.

CAPUT XI.

Gilhaditæ bellum suscepturi contra Hammonitas Jiphthachum gentilem suum profugum, promisso regionis principatu, belli ducem accersunt; qui tentatis sæpe Hammonitarum animis per legatos, rationibusq; frustrà propositis, bello eos vincit. Deinde filiam suam e domesticis primam nactus, ut procedens in hostes voverat, conjugio privans, Deo sanctificat.

COnvocati [1] igitur Hammonitæ castra habe-
bant in Gilhade: & congregati Jisraëlitæ ca-
stra fecerunt in [2] Mitzpa:
2 Dixerunt autẽ populus, principes Gilhadis
[a] alter alteri, quis ille vir *erit*, qui incipiet pugna-
re contra Hammonitas? *is* esto primarius omni-
bus habitatoribus Gilhadis.

[1] hunc & sequẽtem versiculum ad undecimum caput pertinere res ipsa loquitur: quamobrem etiam ita visum est distinguere.
[2] vide Jehoschu. 11. 3. eadem verò posteà appellatur Mitzpe, infrà ℣ 31.
[a] *Heb. vir ad proximum suum.*

CAPUT XI.

3 (Jiphthach verò Gilhadites erat valens
robore, eratq; filius mulieris meretricis; ex qua
[3] genuerat Gilhad Jiphthachum.
4 Pepererat etiam uxor Gilhadis ei filios: &
quum adolevissent filii ipsius uxoris, expulerunt
Jiphthachum, dicentes ei, non es habiturus pos-
sessionem in domo patris nostri, quia filius mu-
lieris [4] exteræ es.
5 Aufugiens itaq; Jiphthach metu fratrum
suorum, considebat in terra [5] Tobi: ubi college-
runt se ad Jiphthachum homines inanes, & [6] exi-
erunt cum illo.)
6 Fuit autem post [7] annos *illos*: cum bellum
gererent Hammonitæ contra Jisraëlitas;
7 Fuit inquam, pugnaturis Hammonitis cõ-
tra Jisraëlitas; ut abirent Seniores Gilhadis ad
assumendum Jiphthachum e terra Tobi:
8 Et dicerent Jiphthacho, veni, & sis nobis
ductor; ut pugnemus contra Hammonitas.
9 Dixit verò Jiphthach senioribus Gilhadis,
nónne vos [8] odistis me, & expulistis me e domo
patris mei? cur ergo venitis ad me nunc, quum
angustia est vobis?
10 Dixerunt verò Seniores Gilhadis Jiphtha-
cho, [9] idcircò nunc reversi sumus ad te, ut veniens
nobiscum pugnes contra Hammonitas: sic [10] e-
ris nobis primarius, omnibus habitatoribus Gil-
hadis.
11 Dixit ergo Jiphthach Senioribus Gilha-
dis, quandoquidem reducitis me ad pugnandum
contra Hammonitas, si exposuerit eos Jehova
mihi; ego futurus sum vobis primarius.
12 Tum dixerunt Seniores Gilhadis Jiphtha-
cho; Jehova [b] [11] cognoscet inter nos, nisi secun-
dùm verbum tuum sic fecerimus.
13 Ita profectus est Jiphthach cum Seniori-
bus Gilhadis, constitueruntq; populus ipsum su-
per se primarium & ductorem: & eloquutus est
Jiphthach [12] omnia verba sua coram Jehova in
Mitzpa.
14 Deinde misit Jiphthach nuncios ad re-
gem Hammonitarum qui dicerent, quid mihi
[c] tecum, quòd venisti ad me ut pugnes in terra
mea?
15 Dixit autem rex Hammonitarum nunciis
Jiphthachi, quia cepit Jisraël [13] terram meam,
quum ascenderet ex Ægypto, ab Arnone usq; ad
Jabbokum, & ad Jardenem usq;: nunc ergo resti-
tue illa *loca* [14] cum pace.
16 Quapropter perrexit rursus Jiphthach;
misitq; nuncios ad regem Hammonitarum:
17 Et dixit ei, sic ait Jiphthach: [15] non cepit
Jisraël terram Moabitarum, aut terram Ham-
monitarum.
18 Nam ascendentibus illis ex Ægypto; quũ
perrexisset Jisraël per desertum usque ad mare
algosum, & pervenisset Kadeschum:
19 Misit Jisraël nuncios ad regem Edomæo-
rum dicendo, transeam, quæso, per terram tuam,
sed non auscultavit rex Edomæorum, etiamq;

[3] alius a Gilhade Maciris filio, tamen ex posteris ejus.
[4] non domesticæ quasi dicant, vulgò quæsitus.
[5] Tob tractus est ad regionem Gilhadis, non procul a Hammonitis in ingressu Arabiæ desertæ: vide 2. Schemu. 10. 6. & 8. ℣. & 1. Macb. 5. 13.
[6] putà in expeditiones militareis, quas Jiphthach homo profugus & exsul ad tolerandam vitam cogebatur suscipere: quarum irruptionum & excursionum documento Gilhaditæ adducti sunt ut eum sibi ductorẽ præficerent. Hujus autem vocationis auctor extra ordinem Deus fuisse putandus est ex sponsione Gilhaditarum, ℣. 2. quum alioqui spurii ordinariè functionem publicam in populo Dei obire nequeant, ex lege Deut. 23. 2. Jam enim fortè aliquoties in Hammonitas irruperat, & probabile est.
[7] i. ultimo annorum illorũ octodecim, de quibus capitis decimi ℣. octavo.
[8] sive fratres Jiphthachi fuerint, sive ex magistratu, qui hæreditatem Jiphthaco abjudicaverint, sive utriq; simul.
[9] quasi dicant, missa faciamus ista, & audi caussam ob quam jam ad te venimus: nam propterea venimus, ut, &c.
[10] id est, non tãtùm in hoc negotio, sed posteà in cæteris principatum apud Gilhaditas obtineas, ut suprà ℣. 2.
[b] *Heb. eris audiens.*

[11] i. paciscemur tecum præsente Jehova, ut cognoscat de pacto nostro, & violatores ejus puniat. [12] quæ priùs cum legatis habuerat. [c] *Heb. & tibi.* [13] falsò suam fuisse dicit regionẽ quæ priùs Moabitarũ fuerat, deinde Sichonis, postremò Jisraëlitarum. Num. 21. 26. [14] i. antequam decernatur bello, rebus adhuc integris. [15] primus locus defensionis Jiphthachi est inficiatio, cujus confirmatio tribus sequentibus versibus continetur, a narratione rerum gestarum. Num. 20. 21. & Deut. 2. quia ostendit nihil rei fuisse Jisraëlitis cum Hammonitis, sed tantùm cum Edomæis & Moabitis, Deut. 2, 28.

ad regem Moabitarum misit, qui non acquievit:
sic consedit Jisraël Kadeschi.
20 Posteà pergens per desertum illud & cir-
cumiens terram Edomæorum & terram Moabi-
tarum, venit versus ortum solis terræ Moabitarũ,
castraq; metati sunt trans Arnonem: sed non in-
gressi sunt terminum Moabitarum, Arnon enim
terminus Moabitarum *erat*.
21 Inde [16] misit Jisraël nuncios ad Sichonem
regem Emoræum, regem Cheschbonis; dixitque
eis Jisraël, liceat nobis, quæso, transire per ter-
ram tuam usque ad locum meum:
22 Sed non fidens Sichon Jisraëli ut transiret
per terminum suum, congregavit Sichon totum
populum suum, & castrametati sunt ad Jahatzam,
pugnavitq; contra Jisraëlem.
23 Tradidit autem Jehova Deus Jisraëlis Si-
chonem & totum populum ejus in manum Jisra-
ëlitarum, qui percusserunt eos: sic hæreditario
jure possedit Jisraël totam terram Emoræi habi-
tatoris terræ illius.
24 Hæreditario, inquam, jure possederunt
[17] totum terminum Emoræorum; ab Arnone us-
que ad Jabbokum, & a [18] deserto usque ad Jar-
denem.
25 [19] Nunc autem Jehova Deus Jisraëlis eje-
cit Emoræum a facie populi sui Jisraëlis; & tu
hæres illius esses?
26 Nónne cujus hæredem [20] institueret te
Cemosch Deus tuus, illius hæres esses? sic quem-
cunque expulit Jehoua Deus noster a facie no-
stra, illius hæreditatem obtinebimus.
27 [21] Jam verò an [d] ullo pacto melior es Ba-
lako filio Tzipporis rege Moabitarum? an [22] un-
quam contendit cum Jisraële? num pugnavit un-
quam contra nos?
28 Dum habitavit Jisraël Cheschbone & in
villis eius, & [e] Harhore & in villis ejus, atque in
omnibus civitatibus quæ sunt [f] secundùm Arno-
nem, [23] trecentos annos: & quare non eripuistis
eas tempore illo?
29 [24] Quam ob rem ego non peccavi in te, sed
tu afficis me malo pugnando contra me: Jehoua
qui judex est, judicet hoc tempore inter Jisraëli-
tas & Hammonitas.
30 Attamen non auscultavit rex Hammoni-
tarum verbis Jiphthachi, quum misisset ad eum.
31 Itaque adfuit spiritus Jehovæ Jiphthacho,
ut [25] petransiret Gilhadem & [26] Menaschen: per-
transivit enim Mitzpen Gilhadis, & Mitzpe Gil-
hadis transivit ad Hammonitas.
32 Vovens autem Jiphthach votum Jehouæ
dixit, quum [g] omnino tradideris Hammonitas in
manum meam;
33 Utique erit, [h] quodcunque *primum* egredi-
etur foribus domus meæ obviam mihi, quan-
do revertar cum pace ab Hammonitis; [27] erit,
inquam, Jehovæ, aut offeram illud holocau-
stum.
34 Quumq; transivisset Jiphthach ad Ham-
monitas ut pugnaret contra eos; tradidit eos Je-
hova in manum illius.
35 Percussit enim eorum a Harohere, usque

[16] altera pars defensionis, assertio juris sui a legitimo bello contra Sichonem, qui tùnc eam regionem possidebat.
[17] regionem quã Hammonitæ suprà ℣ 13. juris sui esse falsò affirmabant: ut ostendit limitum circumscriptio.
[18] Arabia deserta.
[19] tertia pars defensionis, confirmatio juris a victoria divinitùs data, quam amplificat per concessionem juris gentium, argumento a minore ad majus: si quod putatis a diis vestris vobis attributum esse, justè vos illud possidere arbitramini; multò iustiùs nos possidemus, quod Jehova nobis tradidit.
[20] hæc dicta συγχωρητικῶς. q. d. ut dem fieri istud a Cemoscho posse, &c.
[21] quartus defensionis locus, confutatio duobus argumentis, a silentio Moabitarum, qui priùs regionem possederant, atque ideò eorum magis interfuisset: & a longi temporis præscriptione, quæ continetur ℣. sequente.
d *Heb. an bonus, bonus es tu præ Balako? an contendendo contendit? an pugnando pugnavit?*
[22] hujus regionis causa.
e *i. Haroher, infra ver. 35.*
f *Heb. quæ sunt ad spatia Arnonis.*
[23] ab exitu ex Ægypto incipit numerus, unde narrationis suæ initium fecerat suprà versu 18. præcisè autem trecentos annos numerat, licet ex historiæ veritate, quam Chronica nostra confirmat supputatio, 305 anni intercesserint. Sed hoc genus ellipseos non est insolens ad rotundationem numeri, vide infrà in 20.46. [24] Conclusio bimembris: qua primùm injustam Hammonitarum expeditionem, iustamq; sui defensionem probat; deinde Deum inter utrosque judicem invocat. [25] cum exercitu quem ducebat in Hammonitas. [26] i. Baschanem, ubi dimidia tribus Menaschis habitabat. g *Heb. tradendo tradideris.* h *Heb. illud egrediens quod egredietur.* [27] subaudi, consecratum illi; & si fuerit aptum ad sacrificium, fiet ex eo holocaustum. conjunctio enim disiunctiva est hoc loco, ut Gene. 26. 11. Exod. 1. 10, & 21. 15, & alibi frequenter.

quà venis [28] Minnitham viginti civitates; & us-
que ad Abelum vinearum, plaga magna admo-
dum: sic depressi sunt Hammonitæ a facie Jisra-
ëlitarum.
36 Deinde redeunte Jiphthacho Mitzpam in
domum suam; ecce filia ejus exibat obviam ei
cum tympanis & cum choris: & tantùm ipsa uni-
ca *erat*, non *erat* illi ex se *alius* filius aut filia.
37 Quam ob rem fuit quum videret eam, ut
lacerans vestes suas, diceret Ah, ah filia mea,
[k] omnino [29] depressisti me, quia es inter turba-
tores meos: ego enim pandi os meum Jehouæ
ita ut non possim [l] repetere.
38 Quæ dixit ei, pater mi, pandisti os tuum
Jehovæ? [30] fac mihi quemadmodum exivit ex ore
tuo: postquam præstitit tibi Jehova ultiones de
hostibus tuis, de Hammonitis.
39 Deinde dixit patri suo, fiat mihi hæc res:
desiste a me duobus mensibus, ut abeam descen-
dens in istos montes, & defleam virginitatem me-
am, ego cum puellis amicis meis.
40 Qui dicens, abi, dimisit eam duobus men-
sibus: sic abiens illa cum puellis amicis suis, de-
flevit virginitatem suam per illos montes.
41 Fuit verò [m] exactis duobus mensibus quum
reversa esset ad patrem suum, ut [31] exsequeretur
in ea votum suum quod voverat: nam ipsa non
novit virum, [32] fuitq; ritus in Jisraële.
42 De anno in annum ibant filiæ Jisraëlita-
rum ad confabulandum cum filia Jiphthachi
Gilhaditæ quatuor diebus quotannis.

[28] opidum situm in Hammonitarũ termino non procul a Rabba. Ammitham vocat Ptolemæus libro Geographiæ, itaque incursionem Jiphthachi circumscribit auctor Australi termino, ubi erat Minnith, & Orientali, ubi Abel vinearum, i. planities vinearum ferax.
k *Heb. deprimendo depressisti.*
[29] q.d. qui me antehac turbare conati sunt operam luserunt, ut fratres mei, & Hammonitæ, at tu hoc facto prorsus me dejicis: nam quod promisi, revocare non possum.
l *Heb. reverti: subaudi ad pændendum, i. votum hoc altero commutare.*
[30] sensus est, Quod vovisti, pater, me sanctam fore domino, conditionem accipio: id ego quoque voveo, & me a potestate patria emancipatam Deo soli mancipo. Sic illa ratum efficit votum patris, & ultrò stabilit, se in perpetuum quasi Neziræam futuram Domini. Nam quòd de ἀνθρωποθυσίᾳ quidam interpretati sunt, neque hac delectatur Deus, neque sensit hoc Jiphthachi fides. Etenim Deus prohibet eam & damnat lege, Deut. 12. 31. ideóque primogenitos mandavit redimi; & tantum abest ut vel peccatoris mortem desideret, ut contrà dederit filium suum pro peccatoribus moriturum. Si enim sacrificium Jitzchaki quod imperaverat recusavit, quanto minùs votivum fuisset accepturus? Jiphthachum verò minimè illud credidisse, quamvis militarem virum, nobis persuadet vel illius fides quam Apostolus prædicat Heb. 11. 32. m *Heb. a fine duorum mensium.* [31] id est, illam non redemit æstimatione pecuniæ, secundùm legem quæ habetur Levitici ultimo ℣. 4. sed reliquit consecratam Domino: ideò non passus est illam nubere, ne alterius quàm Jehouæ esse videretur: quod ex legis ignoratione (ut corrupta erant tempora) profectum est. dicit enim suprà ℣ 37. se non posse repetere; & puella patri fidem habens, virginitatem suam deflet. [32] i. abiit in consuetudinem, quod ℣. sequente explicatur.

CAPUT XII.

Ephrajimitæ levi de causa Jiphthacho interminantes excidium, maxima clade ab eo afficiuntur, & in fuga linguæ vitio detecti jugulantur. Judices tres mortuo Jiphthacho ordine succedunt, Ibtzan, Elon, & Habdon.

ITaque [1] convocati Ephrajimitæ transiverunt
[2] Aquilonem versus; dixerúntque Jiphthacho,
quare transivisti ad pugnãdum contra Hammo-
nitas [3] nobis non vocatis, ut iremus tecum? do-
mum tuam comburemus tecum igne.
2 Dixit autem Jiphthach eis, [a] in contro-
versia eram ego & populus meus contra Ham-
monitas gravi: quúmque inclamarem vos, non
servabatis me e manu eorum.
3 Itaque videns te non servare, [4] exposui
[b] vitam meam in manu mea, transivíque ad
Hammonitas, quos tradidit Jehova in manum
meam: & quare ascenditis ad me hoc tempore
ad pugnandum contra me?

[1] sive a Jiphthacho aduocati (ut ℣ sequenti testatur Jiphthach) tardiùs advenerint, sive certo consilio Jiphthachũ aggressuri ultrò convenerint.
[2] nempe in Gilhaditarum agrum, ubi dicta est posteà ex hoc (opinor) casu Ephrajimitarum sylva 2. Schem. 18. 6.
[3] isti audaciæ suæ peccatum (quo antè quoque fuerant in Gidhonem usi suprà 8.) hic mendacio cumulant, eoque pacto Jiphthachum lacessentes meritas sibi pœnas accersunt: quas pœnas Jiphthach non vindictæ studio, sed spiritus Dei testificatione sumit, a quibus sumendis Gidhon humaniter abstinuerat. Hic enim expostulationi suæ etiam prædonum minas adjecerant. a *Heb. vir controversiæ eram ego & populus meus, & Hammonitæ valdè.* 4 in vitæ periculum me conjeci. Sic 1. Schem. 19. 5. & 28. 21. b *Heb. animam meam.*

4 Tum contrahens Jiphthach omnes Gilhaditas, pugnavit contra Ephrajimitas: [5] deinde percusserunt viri Gilhaditæ Ephrajimitas, dicebant enim [6] Gilhaditæ[c] medii inter Ephrajimitas & Menaschen, perfugæ Ephrajimitarum estis.

5 Occupaverunt namque Gilhaditæ vada Jardenis contra Ephrajimitas: ita erat quum dicerent perfugæ Ephrajimitarum, transeam, ut dicerent illorum cuique Gilhaditæ, esne Ephrathæus? qui dicebat, non;

6 Tum *illis* dicentibus huic, dic jam [d] schibbóleth, si *hic* diceret, [e] sibóleth, [7] nec compararet se ad loquendum rectè, apprehensum eum jugulabant ad vada Jardenis: sic ceciderunt tempore illo ex Ephrajimitis quadraginta duo millia.

7 Judicavit autem Jiphthach Jisraëlem sex annis: deinde mortuus Jiphthach Gilhadita sepultus est in *aliqua* civitatum Gilhaditarum.

8 Post eum verò judicauit Jisraëlem Ibtzan e Beth-Lechemo.

9 Erantq; ei triginta filii, ac triginta quidem filias [f] locavit foras, triginta verò filias introduxit pro filiis suis foris: judicavitq; Jisraëlem septem annis.

10 Deinde mortuus Ibtzan sepultus est Beth-Lechemi.

11 Et post hunc judicavit Jisraëlem Elon Zebulonita: qui judicavit Jisraëlem decem annis.

12 Posteà mortuus Elon Zebulonita, sepultus est Ajalone in terra Zebulonitarum.

13 Et post eum judicavit Jisraëlem, Habdon filius Hillelis Pirhathonites.

14 Erant autem ei quadraginta filii & triginta nepotes [8] equitantes septuaginta [g] asellos: judicavitq; Jisraëlem octo annis.

15 Deinde mortuus Habdon filius Hillelis Pirhathonites; sepultus est Pirhathone in terra Ephrajimi in monte [9] Hamalekitarum.

[5] post conflictū dum persequebantur fugientes: nam hic versus prolepticus est, complectiturq; historiam, quæ planiùs duobus versibus sequentibus describitur.
[6] i. milites Jiphthachi, qui inter regionem suam & Ephrajimitarum se collocârant ad obsidenda itinera & occupanda vada Jardenis, quò præcluderent Ephrajimitis reditum.
c *Heb. in medio Ephrajimi, in medio Menasch.*
d *i. fluxus fluminis, ut accipitur Psa. 69.3. & Jehos. 27.12.*
e *vox corrupta ex blæsa Ephrajimitarum pronunciatione, nihil per se significans.*
7 quia statim & & incogitatè efferre jubebatur.
f *Heb. emisit.*
8 vide suprà in 5.10.
g *Heb. pullos, ut suprà 10.4.*
9 quem Hamalekitæ incolebant adhuc ex parte, unde a Schaûle demum ejecti sunt, 1. Schem. 15. id est, in orientali Ephrajimitarum tractu.

CAPUT XIII.

Jisraëlitis adhuc Pelischthæorum dominatu propter peccata sua pressis, Schimschon divinitùs parentibus promittitur in Jisraëlitarum vindicem: legibusq; de eo latis promissio signo confirmatur, & suo tempore præstatur.

QUum autem [a] rursus filii Jisraëlis fecissent quod malum *videtur* in oculis Jehovæ: tradidit eos Jehova in manum Pelischthæorum [1] quadraginta annis:

2 Fuit autem vir quidam e [2] Tzorha, e familia Danitarum, nomine suo Manoach; cujus uxor sterilis erat, ut quæ non peperisset.

3 Huic mulieri apparuit [3] Angelus Jehovæ: & dixit ei, ecce nunc sterilis es ut quæ nondum pepereris, sed conceptura es & paritura filium.

4 Jam ergo cave tibi nunc, & ne bibito vinum aut potum inebriantem: neque comedito [4] quicquam immundi.

5 Nam ecce tu concipies & brevi paritura es filium, ad cujus caput *nemo* [b] admoveto novaculam, quia Neziræus Dei erit puer ipse inde ab utero: & ipse [5] incipiet servare Jisraëlem e manu Pelischthæorum.

6 Tunc veniens mulier illa alloquuta est virum suum dicendo; vir quidam Dei venit ad me, cujus aspectus *erat* velut aspectus angeli Dei, reverendus valdè: sed non interrogavi eum undénam esset, & nomen suum non indicavit mihi:

7 Dixit autem mihi, ecce tu concipies & brevi paritura es filium: jam ergo ne bibito vinum aut potum inebriantem, neque comedito quicquam immunditiæ; quia Neziræus Dei erit puer ipse inde ab utero, usque ad tempus mortis suæ.

8 Quapropter supplex orans Manoach Jehovam dixit; *attende* ad me Domine, vir ille Dei quē miseras, veniat quæso rursus ad nos, doceatq; nos quid faciamus puero illi qui natus fuerit.

9 Et auscultavit Deus voci Manoachi: venit enim ille angelus Dei rursus ad mulierem, quum sederet ipsa in quodam agro, & Manoach vir ejus non esset cum ea.

10 Quare festinans mulier illa cucurrit, ut indicaret viro suo: dixitq; ei, ecce apparuit mihi vir idem qui venerat die illo ad me.

11 Quapropter surgens Manoach sequutus est uxorem suam: veniensq; ad virum illum dixit ei, túne vir ille *es*, qui alloquutus fueras istam mulierem? qui dixit, sum.

12 Tum dixit Manoach, [6] nunc eveniet unumquodq; verborum tuorum: quæ [c] ratio erga puerum illum, & opera *præstanda* erit ei?

13 Edixit autem angelus Jehovę Manoacho; ab omni re quam indicavi mulieri huic, *ipsa* caveto sibi.

14 De nulla re quæ exit e vite vinifera comedito *illa*, & vinum aut potum inebriantem ne bibito, neque immunditiæ quicquam comedito: quicquid præcepi ei observato.

15 Posteà dixit Manoach angelo Jehovæ: detineamus quæso te, ut [d] parantes *apponamus* tibi hœdum lactentem.

16 Sed dixit angelus Jehovæ Manoacho, si detineres me, [7] non comederem de cibo tuo; sin autem parare vis holocaustum, Jehovæ offeres illud; [8] non enim sciebat Manoach eum esse angelum Jehovæ.

17 Rursus dixit Manoach angelo Jehovæ, quis *es de* nomine tuo; ut quum evenerit quodque verborum tuorum [9] honore afficiamus te?

18 Cui dixit angelus Jehovæ, ecquid interrogas de nomine meo? [10] fuitq; mirificus.

19 Nam quum Manoach assumens hœdum lactentem, & ejus munus, offerret in rupe quadā Jehovæ, tum *is* [e] mirabiliter egit, Manoacho & uxore ejus videntibus.

20 Fuit enim quum ascenderet flamma ab altari cælum versus, ut ascenderet angelus Jehovæ in flamma illa altaris: quod Manoach & uxor ejus videntes, prociderunt super faciem suam in terram;

21 Neque [f] deinceps ampliùs angelus Jehovæ apparebat Manoacho & uxori ejus: tunc novit Manoach eum [11] angelum Jehovæ esse.

22 Quapropter dixit Manoach uxori suæ, [g] omnino morituri sumus: nam Deum vidimus.

23 Sed dixit ei uxor ejus, si delectaretur Jehova morte afficiendo nos, non accepisset e manu nostra holocaustum cum munere, neque ostendisset nobis omnia hæc: quinetiam hoc tempore non fecisset ut audiremus *rem* hujusmodi.

24 Peperit itaque mulier illa filium, cujus nomen vocavit Schimschonem: adolevitq; puer ille, & [12] benedixit ei Jehova.

CAPUT XIIII.

Schimschon Pelischthæam puellam ducturus, quum ad sponsalia contrahenda proficiscitur, leonem inermis necat: posteà ad nuptias rediens e leonis cadauere

a *Heb. quum addidissent filii Jisraëlis facere, &c.*
1 qui incipiunt a decimoquarto anno gubernationis Jairis, de quo cap. 10,3. & desinunt in nuptiis Schimschonis, ubi primùm occasione capta Pelischthęos cædit, ut ex eorū spoliis socios, prout promiserat, muneraret, infrà 14.19. nam quæ hoc capite narrātur, temporibus præcedētium Judicum contigerunt.
2 quæ Jehosch. 15.33. & 19.41. inter Jehudæ & Danis terminales civitates numeratur: Est autem hic nomen civitatis pro agro ejus: nam ruri habitabant Schimschonis parentes in castris Danis, de quibus infrà 14.1. 3 Christus, sermo æternus Dei, qui idem Jehova ℣.16. & Deus ℣.22. appellatur: ut infra in ver. 21. 4 i. non tantùm cujus esus vulgo ex lege Levitici 11. sed etiam Neziræis ex lege Num, 6.3. & 4. prohibitus est. b *Heb. ascendere faciat*. 5 nam nihil a Jairis temporibus in Pelischthæos gestum est, & ipse Schimschon non prorsus Jisraëlitas a Pelischthæis liberavit, ut apparet ex 1. Schem, 7,13.

6 verba sunt declarantis se fide certa promissionem Dei amplexum esse.
c *Heb. quæ ratio pueri illius, & opera ejus &c.*
d *Heb. ut paremus ante te hœdum e capris: metalepsis.*
7 q.d. duplex est proponendi cibi finis, ut comedatur humanitùs, vel ut Deo acceptus absumatur: prima ratione mihi offerre opus non est; altera si offeras, scito te Jehovæ oblaturum.
8 sed tantùm virum Dei esse putabat.
9 i. honorarium aliquod munus tibi in gratitudinis signū offeramus.
10 i. factis maluit Manoacho se declarare quàm verbis, & promissionem superiorem confirmare. hanc justam esse interpretationem arguunt sequentia, ubi propositionis hujus manifesta est expositio.
e *Heb. is mirificavit agendo.*
f *Heb. neque addebat ampliùs angelus apparere.*
11 sermonem æternum, quem ℣. sequente ipse vocat Elohim, uxor verò ejus Jehovam ℣.23.
g *Heb. moriendo morituri sumus.*
12 donavit eum heroico animo & prodigiosis viribus corporis,

mel exceptum comedit cum parentibus: quod invitatis ænigmaticè proponit, ſponſione utrinque facta; cujus mente per ſponſam retecta diſcedit, Peliſchthæosq; cædit, e quorum exuviis promiſſioni ſatisfacit, & uxor ejus alteri nubit.

CEpit [1] autem ſpiritus Jehovæ [2] agere eum in [3] caſtris Danis; inter Tzorham & Eſchthaolem.

[1] hic verſus ſequentibus potius quam præcedentibus cohæret: continet enim generalem propoſitionem eorum quæ geſſit Schimſchon divini ſpiritus inſtinctu.
[2] nimirum latente quodam vehementiſſimo amoris igne. Nam ſi philoſophos Plutarchus laudat deſinientes amorem θεῶν ὑπηρεσίαν περὶ ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν νέων, quanto laudabilius futurum eſt incendi amore illo, qui eſt vera θεῷ ὑπηρεσία περὶ ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν ἐκκλησίας; ſenſus eſt, Deus adoleſcentiæ Schimſchonis impetu uti cœpit ad ea ordinanda, quæ ei contendendi cum Peliſchthæis occaſionem darent: ut mala voluntate fratrum Joſephi uſus eſt ad implendum ea, quæ per ſomnium prædixerat: Gene.37.& 50.ver. 20.
[3] Locus eſt vicinus urbi Jeharimorum, id eſt, Chebroni; qui nomen accepit ab expeditione Danitarum, de qua infrà 18.12. quaſi dicat, ſpiritus Jehovæ in domo paterna cœpit eum agere, ut apparet ex verſu 31. cap.16.

CAPUT XIIII.

2 Quum enim deſcendiſſet Scimſchon Thimnatham; & vidiſſet fœminam Thimnathæ e filiabus Peliſchthæorum:

3 Aſcendens indicavit patri ſuo & matri ſuæ, ac dixit, aſpexi fœminam Thimnathæ e filiabus Peliſchthæorum: nunc itaque accipite eam mihi in uxorem.

4 Dicente autem ei patre & matre ejus, annon eſt inter filias agnatorum tuorum, aut in toto populo meo uxor, quòd tu abis ad accipiendum uxorem e Peliſchthæis iſtis [4] præputiatis? reſpondit Schimſchon patri ſuo, iſtam accipe mihi, [5] ea enim recta videtur in oculis meis.

5 [6] Pater autem & mater ejus ignorabant a Jehova id eſſe, occaſionem [7] ipſum quærere a Peliſchthæis: nam tempore illo Peliſchthæi dominium habebant in Jiſraëlitas.

6 Quum ergo deſcenderet Schimſchon cum patre & matre ſua Thimnatham; pervenientibus uſque ad vineas Thimnathæ, ecce [a] adultus leo rugiens occurrebat ei.

7 Tum inceſſit eum ſpiritus Jehovæ, adeò ut diſcinderet illum, ac ſi diſcidiſſet aliquem hœdum, quamvis nihil *eſſet* in manu ejus: non autem [8] indicavit patri aut matri ſuæ *id* quod fecerat.

8 Intereà deſcendit *pater*, & alloquutus eſt fœminam illam, quæ recta videbatur in oculis Schimſchonis.

9 Revertens autem poſt aliquot dies *Schimſchon* ut duceret eam, ſeceſſit ad videndum cadaver illius leonis; ecce autem examen apum in corpore leonis illius cum melle.

10 Quod quum eduxiſſet in manus ſuas, [b] pergebat ire comedendo, & perveniens ad patrem ſuum & matrem ſuam dedit eis, qui comederunt: ſed non indicavit eis ſe e corpore leonis eduxiſſe mel illud.

11 Itaq; deſcendit pater ejus ad illam fœminam; fecitq; ibi Schimſchon convivium, ſic enim ſolebant facere juvenes.

[4] i. alienis a ſanctiſſimo Dei fœdere, ac proinde impuris, a quorum fœdere conjugioq; interdicebat Lex Exodi 34.12.& alibi. [5] quaſi dicat, neque noſtrorum ſanctitatis, neque illorum impuritatis & præputii rationem habeo in hac cauſa; ſed quædam ſingularis eſt vocatio, internusque motus & impetus, quem opere demonſtrare malim, quam prædicare verbis. Sic inſpirationem Dei celavit Schimſchon, dum bruto adoleſcentiæ impetu ferri putabatur. [6] hi quidem ignorabant, ſed non ignorabat ipſe. [7] Jehovam, qui volebat a Peliſchthæis Schimſchoni juſtam inimicitiarum occaſionem dari. Etſi hæc ad Schimſchonem non incommodè referri poſſunt, ut certa ſpiritus Dei teſtificatione Peliſchthæam hanc depopoſcerit, & occaſionem rixæ quæſiverit. Nam erant quidem Schimſchoni multæ cauſæ cur defenſionem populi ſui ſuſciperet, & inimicitias contra Peliſchthæorum gentem exerceret; ſed occaſionem, velut anſam, præberi oportuit, quam ſpiritus Dei ex ſponſalibus & ſponſione hac Schimſchoni oblatam voluit, ut paulatim ex priuatis injuriis publicæ actiones emergerent. [a] *Hebr. adultus leonum, id eſt, integra ætate firmiſſimisque viribus, & ferocia maxima.* [8] nam illi vel ad leonis rugitum fugâ ſibi conſuluerant, vel Schimſchon a parentibus in itinere digrediebatur, ita ut ipſis abſentibus leonem laceraverit: non autem indicavit, ne ab eis increparetur temeritatis nomine. Tota hæc de leone hiſtoria eò pertinet, ut Schimſchon præpararetur ad ſuſcipiendas Peliſchthæorum inimicitias, viribus ſibi a Deo ſubminiſtratis fretus, & ut argumentum ſuppeditaretur ænigmatis, cujus nomine Peliſchthæi Schimſonem provocaʼunt, infrà verſ.16. [b] *Hebr. ibat eundo & comedendo.*

12 Fuit autem [9] quum *Peliſchthæi* viderent eum; ut aſſumerent triginta ſodales, [10] qui eſſent cum eo.

13 Et [11] dixit eis Schimſchon, [c] proponam vobis nunc ænigma: quod ſi [d] planè explicaveritis mihi *intra* ſeptem dies hujus convivii, & inveneritis, utiq; dabo vobis triginta ſindones, & triginta [e] mutandas veſtes.

14 Sed ſi non potueritis explicare mihi; viciſſim vos dabitis mihi triginta ſindones & triginta mutandas veſtes: qui dixerunt ei, propone ænigma tuum, & [12] intelligemus illud.

15 Tum dixit eis, ab edente prodiit edulium; & ab acri prodiit dulce: qui non potuerunt explicare ænigma illud [13] tribus diebus.

16 Fuit autem die illorum ſeptimo, [14] ut dicerent uxori Schimſchonis, pellice virum tuum [15] ut explicet nobis hoc ænigma, ne comburamus te & familiam patris tui igne: an ad hæreditatem noſtram conſequendam invitaſti nos, necne?

17 Ac fleverat quidem uxor Schimſchonis apud eum, & dixerat, tantùm odiſti me ac non amas me, iſtud ænigma propoſuiſti popularibus meis, & mihi non explicaſti: qui dicebat ei, ecce patri aut matri meæ non explicavi; & tibi explicarem?

18 Sic fleverat apud eum [16] ſeptẽ illis diebus, quibus fuit illis convivium: ſed fuit die illorum ſeptimo ut explicaret ei, quia premebat ipſum, & illa explicaret ænigma iſtud popularibus ſuis.

19 Dixerunt ergo ei [f] cives illius civitatis die ſeptimo quum nondum occumberet ſol, quid dulcius *eſt* melle, & quid acrius leone? qui dixit eis, [17] niſi araſſetis vitula mea, non inveniſſetis ænigma meum.

20 Tum inceſſit eum ſpiritus Jehovæ, & deſcendens ad Aſchkelonitas, percuſſit ex eis triginta viros, & acceptis exuviis eorum dedit illas [18] mutandas *veſtes* eis qui explicaverant ænigma illud: poſtmodùm [19] accensâ irâ ſuâ [20] aſcendit in domum patris ſui.

21 Quapropter [g] nupſit uxor Schimſchonis; [21] ſodali ejus quem ſibi [22] in ſodalem aſciverat.

[9] i. quũ animadverterent quid hominis eſſet, eumq; obſervari putarent a ſuis oportere.
[10] honoris quidẽ ſpecie; ſed cautionis ergò, quòd a Schimſchone ſibi metuendum ſuſpicarentur eſſe.
[11] prudenter injuriam quæ ſibi fiebat diſſimulans, & convivales ſermones injiciens.
[c] *Heb. ænigmaticè proferam nunc vobis ænigma: ſic* ℣ 14.17.
[d] *Heb. indicando indicaveritis.*
[e] *Heb. mutationes veſtium, hypallage pro veſtibus mutationum, i. ad mutandum: ſic* ℣ *ſeq. &* 20. *ut Gen.* 45.[illegible]
[12] i. explicationẽ afferendo oſtendemus nos intelligentes eſſe: ſic accipitur verbum pro eo quod eſt intelligere, Gen.41.15.
[13] quibus ſe ipſos in invenienda ſuo marte ænigmatis explicatione fatigârant: quamobrem deinceps apud uxorem inſtiterunt.
[14] cum vehementia & indignatione maxima.
[15] id eſt, tibi, ut ex te intelligamus explicationem: ſic ℣ 18.
[16] de quibus ſupra ℣. 15.

[f] *Heb. homines illius civitatis, hoc eſt, triginta ſodales invitati.* [17] id eſt, niſi ut ruſtici juvẽcæ opera arando quæ ſub terra latebant, retegunt, vos ſponſæ meæ opera quæ in animo meo latebant ſcrutati fuiſſetis, non inveniſſetis, &c. allegoria, quæ perſtringit ſponſæ perfidiã & illorum fraudẽ. [18] cum ſindonibus, ſynecdoche. [19] in ſponſam. [20] non deducta ſecum ſponſa. [g] *Heb. fuit uxor Schimſchonis, &c. Numb. ult, ver.3.* [21] ex illis triginta numeratis. [22] i. pronubum, ſive (ut LXX. vertunt) νυμφαγωγὸν, quum uxorem ducturus eſſet.

CAPUT XV.

Schimſchon denegatâ ſibi uxore, occaſionẽ arripit Peliſchthæorum agros incendendi & Peliſchthæos contra ſe armatos cædendi: quapropter graſſantibus in Jehudã Peliſchthæis, fidei popularium ſuorum ſe committit, ut vinctus ad illos deducatur: ubi divinitùs ſolutis vinculis, maxilla aſini eos cædit. Denique a labore ſitiens, precibusq; fontem a Deo impetrans, recreatur.

FUit autem poſt *aliquot* dies, [a] tempore meſſis triticeæ, ut viſitaturus Schimſchon uxorem ſuam cum hœdo [b] lactente, diceret, ingrediar ad uxorem meam in ipſum conclave; ſed non permiſit ei pater illius ingredi.

2 Dixit enim pater illius, [c] planè cogitavi te prorſus odiſſe eam, ideò tradidi eam ſodali tuo: nónne ſoror ejus minor [d] elegantior *eſt* ea? nubat nunc tibi loco ejus.

3 Quamobrem dixit de eis Schimſchon, [1] inſons fuero hac vice a Peliſchthæis, quum ego affecero eos malo:

[a] *Heb. diebus, ut* ℣. 20.
[b] *Heb. e capris.*
[c] *Heb. dicendo dicebam, quòd odio odiſti eam: ſic dicere pro cogitare, Exodi* 2.℣ 14. *& infrà* ℣. 3.
[d] *Heb. melior, ſupple formâ, ut Gen.*6.2.
[1] datâ mihi hoc facto juſtâ vindictæ occaſione, ut ipſe explicat ver. 11.

4 Et

4 Et abiens Schimſchon cepit trecentas [2] vulpes: acceptisq; facibus obvertit [e] caudam unam ad alteram, & poſuit facem unamquamque mediam inter binas caudas:

5 Sic accendens ignem in facibus, immiſit *eas* in ſegetes Peliſchthæorum; qui ſuccendit cùm metas tùm ſegetes, vineasque *&* oliveta.

6 Interrogantibus autem Peliſchthæis, quis fecit iſtud? quum dixiſſent, Schimſchon gener illius Thimnæi: eò quòd acceptam uxorem ejus dederit ſodali ejus: aſcenderunt Peliſchthæi, & eam cum patre ejus combuſſerunt igni.

7 Sed dixit eis Schimſchon, [3] ſiccine facturi eſtis? at quum ultionem ſumſero de vobis, poſtmodum deſiſtam:

8 Percuſſitq; eos [4] crure *vibrato* in femora *eorum* plaga magna: & deſcendens conſedit in ſcopulo petræ [5] Hetami.

9 Quam ob rem aſcendentes Peliſchthæi caſtra poſuerunt [6] contra Jehudam; ſuderuntq; ſe in *loco* [f] Lechi.

10 Dixerunt autem viri Jehudæ: cur aſcendiſtis contra nos? qui dixerunt, ad vinciendum Schimſchonem aſcendimus, ut faciamus ei quemadmodum fecit nobis.

11 Tum [7] deſcendentes ter mille viri ex Jehuda ad ſcopulum petræ Hethami, dixerunt Schimſchoni, an neſciebas Peliſchthæos dominium habere in nos? quid ergo eſt, *quod* feciſti nobis? qui dixit eis, quemadmodum fecerant mihi, ita feci eis.

12 Qui dixerunt ei, ad vinciendum *te* deſcẽdimus, ut tradamus te in manum Peliſchthæorum: quibus dixit Schimſchon, jurate mihi, [8] *nam timeo* ne incurratis vos in me.

13 Tum alloquuti ſunt eum dicendo, nequaquam *incurremus*, ſed [h] benè vinciemus te, ut tradamus te in manum eorum, ac nullo modo morte afficiemus te: vinxerunt autem eum duobus funibus novis, & deduxerunt eum ab illa petra.

14 Ipſe pervenerat uſque ad *locum* Lechi, & Peliſchthæi vociferabantur *præ gaudio* [8] ad occurſum ejus: quum inceſſit eum ſpiritus Jehovæ, fueruntque funes illi qui *erant* ad brachia ejus tanquam [i] fila linea quæ arſerunt igni, & diſſoluta ſunt vincula ejus e manibus ejus.

15 Quumq; inveniſſet maxillam aſini humentem; extenſa manu ſua accepit eam, & mille viros percuſſit ea,

16 Quapropter dicebat Schimſchon, iſta maxilla aſini acervum, [9] acervos duos; iſta maxilla aſini percuſſi mille viros.

17 Fuitq; quum abſolviſſet loqui, & projeciſſet maxillam e manu ſua, ut vocaret locum illum [k] Ramath-Lechi.

18 Sitiebat autem valde; ideoq; invocavit Jehovam ac dixit, tu [l] effeciſti per manum ſervi tui ſalutem hanc maximam: nunc autem morerer*ne* ſiti, aut inciderem in manum iſtorum [10] præputiatorum?

19 Quapropter [11] fidit Deus [m] cavum quoddam quod *eſt* in *loco* illo Lechi ita ut prodirent ex eo aquæ, de quibus bibit, ſic reſtituto [n] animo ejus revixit: idcircò vocavit nomen ejus *fontis*, fontem invocantis, qui *eſt* in loco Lechi, uſq; in hunc diem.

20 Vindicavit autem Jiſraëlem [12] temporibus Peliſchthæorum viginti annis.

[2] quibus abundat tractus ille plurimùm, Pſal. 13.11. & Cantic. 2.15.
[e] *Heb. caudam ad caudam.*
[3] quaſi dicat, ex hoc initio intelligo quid me facturi eſſetis, ſi in veſtras manus venirem: atqui non idcirco prius deſiſtam ab inceptis, quam de vobis ultus fuero.
[4] id eſt, non aliis armis eos petens, quàm pede, velut ignavos milites.
[5] qui ad tribum Schimhonis intra fines Jehudæ pertinebat. 1. Chronic. 4. 32.
[6] comprehenſo Schimſhone ex ea ratione, quæ dicta eſt ſuprà cap. 1. ſic in ſequentibus.
[f] *i. maxillæ: quod nomen accepit ab hac hiſtoria.*
[7] nempe ut ſe apud Peliſchthæos purgarent, Schimſchone noxæ dedito.
[8] *Eclipſis, de qua Gen. 3.22. in annotatione.*
[h] *Heb. vinciendo vinciemus te: at morti tradendo non trademus te.*
[8] & deditionem ejus: ſynecdoche. Nam id alioqui fraude Jehudæ viſum fuiſſet factum.
[i] *Heb. tanquam lina: ſubſtantivum pro adjectivo & materia pro re effecta: metonymice.*
[9] Correctio eſt: nam quum maxilla hoſtes utrinque prementes cæderet, facti ſunt ex eis duo acervi.
[k] *i. abjectionem maxillæ.*
[l] *Heb. dediſti.*
[10] ut ſuprà 14.4.
[11] hiatum & aperturam fecit unde aquæ prodire inciperent.
[m] *Heb. mortarium, a ſimilitudine ejus propter cavitatem. infrà 16. 31.*
[n] *Heb. ſpiritu.*
[12] quaſi dicat, ultiones quidem aliquas fecit, ſed tamen non abſtulit eorum dominatum.

CAPUT XVI.

Peliſchthæi artibus Schimſchonis mortem quærẽtes, de primo conſilio ab eo præventi decidunt Hazzæ: ſed poſteà Delilæ amatæ proditione viribus nudatus Shimſchon Peliſchthæis venditur, a quibus excæcatus in piſtrinum truditur, donec recuperatis viribus ad Peliſchthæorum hilaria per ludibrium traductus, ædem dejecit moriens, & oppreſſit eos.

VEnit enim Schimſchon Hazzam; ubi videns quamdam meretricem, [1] congreſſus eſt cum ea.

2 Hazzæis quũ diceretur, venit Schimſchon huc, [2] circumeuntes inſidiati ſunt ei tota illa nocte in porta civitatis ſuæ: [3] conticeſcebantq; tota illa nocte dicendo, *conticeſcamus* uſque ad lucem matutinam, tum interficiemus eum.

3 Sed quum cubaſſet Schimſchon uſque ad medium noctis, ſurgens ipſo medio noctis arripuit fores portæ civitatis, unà cum duobus poſtibus earum, profectusque eſt *cum* eis *conjunctis* vecte, imponens humeris ſuis: ac deportavit in verticem montis illius, qui *eſt* in conſpectu Chebronis.

4 QUAPROPTER fuit poſteà quum adamaret mulierem in valle Soreki, cujus nomen Delila:

5 Ut aſcenderent ad eam Satrapæ Peliſchthæorum, dicerentq; ei, pellice eum & [a] cognoſce in quo *conſiſtat* vis ejus [4] magna, & quo pacto prævaleamus ei, ut vinciamus eum: ad [5] affligẽdum eum: nos autem dabimus tibi quiſq; [6] millenos centenos *ſiclos* argenti.

6 Dixit ergo Delila Schimſchoni, indica mihi quæſo in quo *conſiſtat* vis tua magna; & quo vinciri poſſes ad affligendum te:

7 Cui dixit Schimſchon, ſi vincirer ſeptem reſtibus virentibus quæ nondum exſiccatæ fuerint; tum infirmarer, & eſſem ſicut unus *aliquis* homo.

8 Curaverunt ergo ei adferri Satrapę Peliſchthæorum ſeptem reſtes virentes, quę nondum fuerant exſiccatæ; quibus illa vincivit eum;

9 Et inſidiis manentibus apud ipſam in conclavi, dixit ei, Peliſchthæi invadunt te Schimſchon: qui diſrupit reſtes illas, quemadmodum diſrumpitur filum ſtupeum quum [b] ſentit ignem, ſic non eſt [7] agnita vis ejus.

10 Poſteà dixit Delila Schimſchoni, ecce deluſiſti me, nam eloquutus es mihi mendacia: nunc indica mihi quæſo quo vinciri poſſis.

11 Qui dixit ei, ſi [c] validè vincirer funibus denſis recentibus, quibuſcum nullum opus eſſet factum, tum infirmarer & eſſem ſicut unus *aliquis* homo.

12 Sed quum accipiens Delila funes denſos recentes vinxiſſet eum illis, dixiſſetq; ei, Peliſchthæi invadunt te Schimſchon (manebant autem inſidiæ in quodam conclavi) diſrupit illos a brachiis ſuis tanquam filum.

13 Quapropter dixit Delila Schimſchoni, hactenus deluſiſti me, & eloquutus es mihi mendacia, indica mihi quo vinciri poſſes: qui dixit ei, ſi attexueris [8] ſeptem cincinnos capitis mei ad jugum textoris.

14 *Illa* itaque [9] impacto paxillo dixit ei, Peliſchthæi invadunt te, Schimſchon: qui expergefactus a ſomno ſuo, profectus eſt cum paxillo ipſo texturæ, & cum ipſo jugo.

15 Deinde dixit ei, quomodo dicis, amo te, cùm [d] animus tuus non ſit penes me? jam tribus vicibus illuſiſti mihi, dum non indicaſti mihi in quo *conſiſtat* vis tua magna.

[1] infirmitate humana abreptus, oblitus Dei; & vocationis ſuæ.
[2] id eſt, per circuitores curaverunt tota illa nocte, ut cives parati eſſent in matutinum tempus ad occidendum Schimſchonem.
[3] id eſt, ne verbo quidem cum Schimſchone commovebant quicquam.
[a] *Heb. vide, metaphora.*
[4] qua reliquos ſuperat.
[5] ad magnam ejus vim cohibendam, ut communem cum aliis hominibus fortem experiatur: ſic in ſequentibus, quod ipſe Schimſchon explicat V.7.
[6] i. amplius 275. thalleros. ut juſtū pondus eſt & communis æſtimatio: ſic infrà 17.2.
[b] *Heb. olfacit: metaphora.*
[7] id eſt, non eſt cognitum a Peliſchthæis in quo vis ejus conſiſteret: noëma.
[c] *Heb. vinciendo vincirent me: ut ſup. V.7.*
[8] id eſt, capillamentum omne, in ſeptem cincinnos quaſi licia diſtributū: ſic infrà V.19.
[9] ſubaudi, poſtquam egiſſet, quæ ex verbis Schimſchonis agenda eſſe didicerat: noëma. quaſi dicat, his factis impegit paxillum in ſcapum, ne jugum cum panno cui capilli attexti erant volvi poſſet.
[d] *Heb. cor tuum: ſic deinceps.*

16 Fuit itaq; quum premeret eum verbis suis
quotidiè,& artificiosè urgeret eum, deniq; [10] im-
minueretur animus ejus, [e] ac si moriturus esset;
17 Ut indicaret ei totum animum suum,& di-
ceret ei,novacula nunquam [f] fuit admota ad ca-
put meum,eo quòd Nezireus Dei sum inde ab u-
tero matris meæ:quòd si raderer, recederet a me
vis mea,& infirmarer,ac essem ut quivis homo.
18 Quum ergo animadverteret Delila eum
indicasse sibi totum animum suum ; mittens ac-
cersivit satrapas Pelischthæorum dicendo, as-
cendite hac vice,nam indicavit mihi totum ani-
mum suum:sic ascenderunt ad eam Satrapæ Pe-
lischthæorum,afferentes ipsam pecuniam in ma-
nu sua.
19 Illa autem quum somnium ei induxisset
super genua sua, accersivit quemdam, curavitq;
ut abraderet [11] septem cincinnos capitis ejus: de-
inde cœpit affligere eum,quum recessisset vis e-
jus ab eo.
20 Dixit enim,Pelischthæi invadút te,Schim-
schon : qui expergefactus a somno suo dicebat,
[g] hac vice ut anteà exibo, quum excussero me,
nam ipse ignorabat [12] Jehovam recessisse a se.
21 Itaque apprehendentes eum Pelischthæi
effoderunt oculos ejus ; & eum deductum Hazzam
vinxerunt duobus vinculis chalybeis, ubi e-
rat molens in carcere.
22 Inceperant autem capilli capitis ejus reflo-
rescere, [13] ut quum abraderetur:
23 Quando Satrapæ Pelischthæorum congre-
gati sunt ad [h] celebrandum sacrificium magnum
[14] Dagoni deo suo,& ad [15] lætitiam: dicebant e-
nim,tradidit Deus noster in manus nostras Shim-
schonem inimicum nostrum:
24 Videntes eum quoque populus laudabant
Deum suum: dicebant enim, tradidit Deus no-
ster in manus nostras inimicum nostrum , & va-
statorem terræ nostræ,quiq; [i] multos e nobis con-
fodit.
25 Fuitq; quum [k] hilaris esset animus illo-
rum , ut dicerent, vocate Schimschonem, & lu-
dat coram nobis: sic evocantes Schimschonem
e carcere ut luderet coram ipsis, statuerunt eum
inter columnas:
26 Et dixit Schimschon puero illi qui tenebat
manum ejus, [16] sine me,tantùm fac palpem illas
columnas, quibus hæc domus sustentatur : &
[17] innitar illis.
27 Erat autem ea domus plena viris & muli-
eribus,& ibi erant omnes Satrapæ Pelischthæo-
rum : super tectum autem quasi tria millia viro-
rum ac mulierum qui spectabant quando luderet
Schimschon.
28 Invocans verò Schimschon Jehovam, di-
cebat; Domine Jehovi, recordare mei obsecro,
& confirma me obsecro tantùm hac vice, ô De-
us, [18] ut sumam de Pelischthæis ultionem semel
propter ambos oculos meos.
29 Tum complexus Schimschon duas co-
lumnas medianas quibus domus illa sustentaba-
tur, nixus est eis; uni dexterâ suâ, alteri verò si-
nistrâ suâ:
30 Deinde dicens Schimschon, [l] moriar ego
cum Pelischthæis, [19] inclinavit se vi, deciditque
domus illa super ipsos Satrapas, & super totum
populum qui *erat* in ea: ita fuerunt mortui illi,
quos morte tradidit quú moreretur, plures quàm
quos morti tradiderat in vita sua.
31 Posteà descendentes cognati ejus & tota
familia paterna ejus,deportaverunt eú, & ascen-
dentes sepeliverunt eum inter Tzoream & Esch-
thaolem,in sepulcro Manoachi patris ejus: [l] vin-
dicaverat autem Jisraëlem viginti annis.

[10] maximè frangeretur: sic Num. 21.5.
[e] *Heb. ad moriendum.*
[f] *Heb. ascendit.*
[11] id est, totum capillamentum ejus, ut indicat ℣. 17. numerus finitus pro infinito. Hanc verò sacrã historiam æmulatæ gentes fabulã fecerunt de purpurea Nisi coma: de qua Pausanias in Atticis, & Servius in Virgil. Georgic. 1. quid enim Satanas impiè nõ æmuleturʔ
[g] *Heb. ut vice vicissim Num. 24.1.*
[12] vim illam, quam priùs cõtulerat ei adimendo.
[13] id est, in pristinam suam magnitudinem recrescebant.
[h] *Heb. ad sacrificandum.*
[14] id est, Tritoni maritimarum gẽtium (quales erant Pelischthææ) idolo. nomen habet ab Hebraica piscis appellatione, eò quòd inferiore parte sua piscis esset, 1. Schemul. 5.4.
[15] ad celebranda hilaria.
[i] *Heb. multiplicavit confossos nostros.*
[k] *Heb. quum benè esset cordi illorum, ut infra 18.20.*
[16] q.d. ne me manu ampliùs ducito: satis mihi futurum est, si ad columnas stetero.
[17] quasi esset ex labore pistrini & adventus sui acceleratione fessus.
[18] quasi dicat, quãdo nũc in hãc Pelischthæorum frequentiam veni, quos deinceps oculis captus quærere non possum, ac proinde virium, quas de integro tu in me instauras explicandarum cõmoditas tanta oblata est: fac ut injuriam hanc mihi effossione oculorum illatam & damnũ irreparabile quo me affecerũt ad ultiones tuas impediendas, semel nunc demùm præstent.
[l] *Heb. moriatur anima mea, ut Num. 23.14.*
[19] manibus secum depellens columnas.
[l] *suprà 15,20.*

CAPUT XVII.

Mulier pecuniam sibi a filio priùs ablatam, deinde restitutam, idololatriæ destinat : ex qua mater statuam, filius ornamenta, imagines, & sacerdotem ex genere Levitico mercede procurat.

FUerat [1] autem quidam e monte Ephrajimi,
cujus nomen *erat* Micajehu.
2 Qui dixit matri suæ, argentum illud mille
centum *siclorum* quod captum fuerat tibi, quia tu
[2] exsecrata es,sicut etiam dixisti me audiente,ec-
ce argentum illud penes me *est*, ego ceperam il-
lud : & dixit mater ejus, [3] benedictus sit filius me-
us Jehovæ.
3 Deinde restituit argentum illud mille cen-
tum *siclorum* matri suæ ; sed dixit mater ejus,
[a] omnino sanctificavi istud argentũ Jehovæ, *di-
missura* e manu mea filio meo ad faciendum
sculptile & fusile, quapropter [4] jam restituam
tibi.
4 [5] Restituit tamẽ argentum illud matri suæ:
unde accipiens mater ejus ducentos *siclos* argen-
ti dedit illud fusori, qui fecit ex eo sculptile & fu-
sile,quod fuit in domo Micajehu.
5 Huic igitur viro Micæ erat ædes Deorum:
quamobrem [6] facto [7] amiculo & imaginibus
[b] consecravit ministerium [8] unius e filiis suis, ut
esset ipsi in Sacerdotem.
6 [l] Temporibus illis non erat [9] rex in Jisraële:
quisque quod rectum *videbatur* in oculis suis facie-
bant.
7 Fuit autem [10] puer [11] e Beth-Lechemo
Jehudæ, e familia Jehudæ *oriundus*; qui erat qui-
dem [12] Levita,sed fuerat [13] peregrinatus illic.
8 Discedens ergo vir ille ab ea civitate,
Beth-Lechemo Jehudæ,ad peregrinandum ubi-
cunque inveniret *commodum*; pervenit in mon-
tem Ephrajimi usque ad domum Micæ conficiendo
iter suum.
9 Cui dicente Mica, unde venis? dixit ei,Le-
vita sum,*venio* Beth-lechemo Jehudæ : ego au-
tem vado ad peregrinandum ubicunque *commo-
dum* invenero.
10 Tum dixit ei Mica,mane apud me,& esto
mihi in patrem & in Sacerdotem, & ego dabo ti-
bi denos siclos argenti quotannis, & [14] synthesin
vestium & victum tuum : sic ivit Levita:
11 Et dum placuit Levitæ isti manere apud
virum illum ; fuit iste puer ei quasi unus e filiis
ejus.
12 Consecravit enim Mica ministerium istius
Levitæ, ut esset sibi puer ipse in Sacerdotem : sic
erat in domo Micæ.

[1] Quæcunque ab hoc capite usque ad finem libri narrantur, ad ea pertinent quæ scribuntur suprà 2.℣.11.& sequẽtibus,ut non multò post mortem Jehoschuhæ gesta fuisse appareat: primùm quod ad historiam hujus & sequentis capitis attinet, eo quod verisimile non est tribum Danis, quæ numerosa erat, diu potuisse propria possessione carere, ut caruisse dicitur infrà 18.1. & confirmatur Jehosch. 19.47. Deinde eò quòd is quem in Sacerdotem tribus Danitica adoptavit, juvenis & pronepos Moschis ex Menasche erat, ut apparet ex 18.30. Tertiò quia hanc historiam ante sequentem de Binjaminitis, gestam esse ostendit auctor infrà 20.1. Similiter quòd ad sequentem historiam cap. 19. & sequentibus, sub idem tempus eam contigisse probatur primùm ex Pinchaso, qui tum temporis sacerdotio fungebatur, ut apparet ex 20.28. deinde ex eo quod Jeruschalaimorũ (quæ Jebus dicebatur) ea pars quæ ad Binjaminem spectabat adhuc a Jebusæis tenebatur, ut docemur infrà cap. 19.12. vide suprà cap. 1. ℣ 8.& 21. postremò ex verbis Deboræ, Judic. 5.14. Est ergo hujus & sequentium capitum status, Jisraëlitarum Rempub. tam in religione quàm in moribus fuisse corruptissimam: quia ex parvis initiis brevi tempore totæ tribus in idololatriam & aperta scelera ruerunt, quod satis fuit unico tantùm in utroq; genere exemplo confirmasse. Finis autem est ut judiciorũ Dei (quæ suprà a cap. 3. hucusq; commemorata sunt) justitia elucescat. [2] quasi dicat, ego exsecratione tua audita perculsus agnosco culpam. [3] q.d. hac mea exsecratione liber esto. [a] *Heb. sanctificando sanctificavi.* [4] quasi dicat, quid opus est ut illud ad me referas, quum si haberem tibi reddituræ essem? [5] i. quamvis instaret matre detinere apud se recusavit. [6] ex reliqua pecunia, quam sibi mater reliquerat. [7] sacerdotalibus vestibus: synecdoche. [b] *Heb. implevit manum ut Exodi 28.41. & infrà ℣.12.* [8] ad tempus, donec sibi de aliquo Levita provideretur. [l] *infrà 18.1. & 21.25.* [9] gubernator, & ordinarius judex: sic accipitur Gen. 36.31, & Deut. 33.5. Nam alioqui penes vindices, de quibus hoc libro hactenus ordinaria non fuit administratio, & regendi auctoritas: vide suprà in arg. [10] ratione ministerii, Exod. 33.11. Est autẽ hic Jonathan de quo infrà 18.30. [11] nam ibi natus & educatus erat: quamobrem vocem, *oriundus*, contextui adjecimus. [12] genere & gente, non autem nativitate, ut modo diximus. [13] ubi tamen Levitis nulla erat assignata habitatio, sed ibi servitutem serviebat, ut erant jam tum omnia perturbata. Etsi ante alibi quoq; fuisse peregrinatum & ad quærendum victum oberrasse, ostenditur infrà 18.3. ut de altero quoque intelligendum est infrà 19.1. [14] tam ad usum proprium, quàm ad ministerium.

13 Dicebat

13 Dicebat enim Mica, nunc novi Jehovam benefacturum esse mihi: eò quòd est mihi [15] hic Levita in Sacerdotem.

[15] quasi dicat non ampliùs ex alieno genere ad functionem sacerdotalem aliquem assumo. Hominis imperiti sermo, & in pietate parum institui.

CAPUT XVIII.

Danitæ sedem ampliorem sibi quærentes, Lajischum statu ejus per exploratores cognito stratagemate occupant; & idololatriam ex unis familia in totam suam tribum, partim superstitione, partim oraculi eventu adducti, derivant.

TEmporibus illis [1] non erat [a] rex in Jisraële: quibus temporibus Danitica tribus quærebat sibi possessionem ubi habitaret, quia [2] *sors* ipsi nō acciderat usque in diem illum inter tribus Jisraëlis in possessione *ejus*.

2 Quapropter miserunt filii Danis ex familia sua, quinque viros e finibus suis; [a] homines strenuos Tzorha & Eschthaole, ad explorandam terram quamdam & ad pervestigandum eam, dicentes eis, ite, pervestigate illam terram: qui pervenientes *in* montem Ephrajimi ad domum usq; Micæ, pernoctarunt [3] ibi.

3 Ipsi erant apud domum Micę, quum agnoverunt vocem illius pueri Levitæ: quapropter divertentes illuc dixerunt ei, quis adduxit te huc? & quid agis hîc? quidve tibi hic *est*?

4 Qui dixit eis, [b] hæc & talia fecit mihi Mica; & mercede cōduxit me; ut sim ei in Sacerdotē.

5 Tum dixerunt ei, consule Deum quæsumus, ut sciamus an secundum erit iter nostrum, cujus causa imus.

6 Quibus dixit Sacerdos ille, ite cum pace; [c] [4] coram Jehova *est* iter vestrum quò ituri estis.

7 Abeuntes ergo quinque viri illi pervenerunt Lajischum: ubi animadverterunt populum qui *erat* in ea, (*ut erat* [5] sita in tuto [6] secundùm rationem Tzidoniorum) quietum & securum *esse*, [7] nec *esse* quemquam qui *de* re *ulla* pudore afficeret in ea terra [8] [d] hæredem imperii; prætereà eos remotos *esse* [9] a Tzidoniis, & [10] rem non esse eis cum quoquam.

8 Redeuntibus itaque ipsis ad fratres suos Tzorham & Eschthaolem; dixerunt fratres ipsorum, quid vos?

9 Qui dixerunt, surgite ut ascendamus cōtra illos, nam consideravimus terram illam quòd ecce bona *sit* valde, & vos [11] sileretis? ne pigramini properare eundo ad possidendum istam terram jure hæreditario.

10 Quum advenietis, [12] adveneritis ad populum securum, & *in* terram *quæ est* ampla spaciis, nam tradidit Deus eā in manum vestram: locus *est* ubi nulla *est* penuria, ullius rei quæ *sit* in terra.

11 Itaque profecti inde ex familia Danitica Tzorha & Eschthaole; sexcenti viri accincti armis bellicis.

12 Ascendentes castra fecerunt ad urbem Jaharimorum in Jehuda: idcircò vocarunt locum illum, [13] Castra Danis, usque in hunc diem, ecce *est* [14] post urbem Jaharimorum.

13 Deinde transeuntes illuc *ad* montem Ephrajimi; pervenerunt usq; ad domum Micæ.

14 Ubi loquentes quinque viri illi qui iverant ad explorandum Lajischum *cum* terra ejus, dixerunt fratribus suis, nostisne in domibus istis esse amiculum & imagines, & sculptile, & fusile? nunc igitur [15] cognoscite quid facturi sitis.

[1] *sup.* 17.6. *inf.* 21.25.
[a] vide supr. cap. 17.6.
[2] confer hunc locū cum Jehosch. 19.47. & suprà 1.34. nam hæc de idonea & commoda habitatione, quæ satis futura esset numerosæ tribui, accipi necesse est. aliòqui vel ipsa nomina Tzorhæ & Eschthaolis demonstrant sortem suam Dani fuisse attributam.
[a] *Heb. filios strenuitatis.*
[3] id est, in loco ubi Mica domum habebat.
[b] *Heb. sicut hoc & sicut hunc.*
[c] *Heb. e regione Jehovæ.*
[4] id est, Deus sibi ob oculos proposuit iter & institutum vestrum, ut illud secundet: sic impiè nomine Jehovæ abutitur.
[5] vide infrà de situ urbis istius. ℣. 28.
[6] id est, eisdem institutis securè & legibus utentem.
[7] i. tam ignavum magistratum esse, ut ne minima quidem nota maleficum civem audeat tangere; aut etiam reprehendere (sic enim accipitur verbū Ruth. 2.15.) ac proinde omnia licere, & nihil apud eos turpe præ licentia esse.
[8] id est, Rempub. non rege, sed alternante magistratu regi, cujus minor est auctoritas.
[d] *Heb. hæredem interdicti aut prohibitionis.*
[9] qui auxilio illis esse potuissent, si adfuissēt propiùs.
[10] id est, singulare fœdus: ita enim sibi confidebant, ut aliorum fœdera rejicerent.
[11] i. conquiescceretis & hic staretis desides? sic accipitur Exod. 14.14. [12] i. dominium & proprietatem obtinebitis: metalepsis. [13] vide suprà ℣. 1. [14] id est, ab occidente ejus: vide annotata Deut. 11.24. [15] id est, ut nos fecimus suprà ℣. 5. deos hos de expeditione vestra consulite.

15 Quid divertentes illuc venerunt in domum illius pueri Levitæ, domum Micæ, & [16] interrogaverunt illum de [e] prosperitate.

16 Sexcenti autem viri accincti armis bellicis suis, substiterant *ad* fores portæ; qui *erant* e filiis Danis.

17 [17] Intereà ascendentes quinque viri illi, qui iverant ad explorādum illam terram, ingressi illuc, acceperunt sculptile, & amiculum, & imagines, & fusile ipsum; dū ipse sacerdos subsisteret *ad* fores portæ cum sexcentis viris illis, qui accincti erant armis bellicis.

18 Quumq; isti *qui* ingressi fuerant domum Micæ accipientes *afferrent* sculptile, amiculum, & imagines, ac ipsum fusile; [18] dixit eis Sacerdos ille, quid facitis?

19 Qui dixerunt ei; sile, impone manum tuam ori tuo, & veni nobiscum, & esto nobis in patrem & in Sacerdotem: utrum melius est te esse Sacerdotem domui unius viri, an te esse Sacerdotem tribui & familiæ in Jisraële?

20 Tum [f] lætatus est animus ipsius Sacerdotis, & recepit amiculum ipsum, & imagines, & sculptile: & profectus est in medio illius populi.

21 Ita conversi abibant; positis parvulis, & pecoribus & impedimentis ante se.

22 Ipsi procul aberant a domo Micæ; cum viri illi qui inhabitabant domos, quæ *erant* junctæ domui Micæ convocati sunt & assequuti filios Danis.

23 Nam inclamantes filios Danis fecerunt ut converterent faciem suam: qui dixerunt Micæ, quid tibi *est*, quòd [g] convocatis comitatus es?

24 Qui dixit, deos meos quos feceram accepistis, & Sacerdotem ipsum, & abitis, & quid mihi amplius *est*? quid igitur *est cur* dicatis mihi, quid tibi *est*?

25 Sed dixerunt ei filii Danis, ne facito ut audiatur vox tua apud nos; ne si incurrant in vos viri amarulenti animo [h] perdas vitam tuam & vitam familiæ tuæ.

26 Deinde perrexerunt filii Danis itinere suo; Mica verò quum videret eos fortiores esse se, conversus rediit domum suam.

27 Sic isti acceptis quæ fecerat Mica, & Sacerdote qui *fuerat* ei; supervenerunt Lajischo, populo quieto & securo, quos percusserunt acie gladii: [19] postquàm incenderunt civitatē ipsam igne.

28 Nemo autem *fuit* qui eriperet, quia [20] remota erat a Tzidone, & res non *erat* illis cum quoquam, est enim in illa convalle quæ *adjacet* regioni [21] Rechobi: posteà exstruentes civitatem habitârunt in ea.

29 Vocârunt autem nomen illius civitatis Danem, de nomine Danis patris sui, qui natus fuerat Jisraëli: siquidem [22] Lajisch nomen erat civitatis illius primò.

30 [23] Tum statuerunt sibi filii Danis illud sculptile; [24] Jehonathan verò filius Gerschomi, filii Menaschis, ipse & filii ejus fuerunt Sacerdotes tribui Daniticæ, usque ad tempus quo [25] migravit *e* terra.

31 Et constitutum habuerunt sibi [i] sculptile quod fecerat Mica, omnibus diebus quibus fuit domus Dei Schilunte.

[16] id est, amicè salutatum foras ad sexcentos colloquēdo adduxerunt, ut intelligitur ex ℣. 17. Metalepsis.
[e] *Heb. de pace: sic Gen.* 43.27.
[17] dum tum sexcenti apud se colloquio detinent.
[18] nimirum qui animadvertebat illa efferri foras.
[f] *Heb. bene habuit cor, ut suprà* 16.25.
[g] *Heb. quod convocatus es.*
[h] *Heb. colliga animam tuam & animam, &c.*
[19] id est, ignē diversis partibus civitatis subjecerūt, ut (quia pauciores erāt) commodiùs hostes in extinguendo incendio occupatos opprimerent.
[20] suprà ℣. 7.
[21] Parti Syriæ Trachonitidis de qua 2. Schem. 10. 6. & 8. ℣.
[22] sive Leschem Jehosch. 19.47. posteà Cæsarea Paneadis: vide in Genes. 14.14.
[23] videntes omnia successisse, prout Sacerdos prædixerat: tanta fuit erroris efficacitas, ut totam fermè tribum in idololatria & Sacerdotē cum posteritate tota in Sacerdotio confirmaret.
[24] de quo suprà in ℣. 1. cap. 17.
[25] nimirum quū domus Dei Schilunte abducta est, & purus legitimusq; Dei cultus instauratus Schemuelis opera, Sacerdotesq; & Levitæ ad suas stationes, ordines, officiaq; revocati: quod ex ℣. seq. intelligēdum est, vide 1. Schem. 4. & Psal. 78.60.
[i] *Heb. sculptile Micæ, quod fecerat: trajectio, sic* 2. *Reg.* 24.5.

CAPUT XIX.

Levita quidem concubinam a se profectam repetit Bethlechemo, & cum ea Gibhan divertit noctu: ubi a peregrino exceptus a civibus obsidetur: concubinam exponere cogitur, deinde ex accepta per totam noctē

contumelia

contumelia mortuam recipit & in duodecim partes divisam per singulas tribus Jisraëlis membratim ad jus postulandum mittit.

FUit quoque temporibus illis, quum [1] rex non esset in Jisraële, fuit inquam ut quidam Levita peregrinatus per latera montis Ephraijmi, acciperet sibi mulierem concubinam e Beth-Lechemo Jehudæ.

2 Quæ concubina ejus [2] scortata cum eo, tandem discessit ab eo in domum patris sui Beth-Lechemum Jehudæ; ubi fuit [a] plenis quatuor mensibus.

3 Quapropter surgens vir ejus abiit post eam ad loquendum [b] quæ illi essent cordi ut reduceret eam, cum puero suo & pari asinorum: *illa* verò introduxit eum *in* domum patris sui, & ipse pater puellæ videns eum, lætatus est de occursu ejus.

4 Sic retinente eum socero ejus patre ipsius puellæ, mansit apud illû tribus diebus: ubi [3] comedebant & bibebant, ac pernoctabant.

5 Fuit autem die quarto, ut surgentibus illis manè consurgeret ad proficiscendum: sed dixit pater ipsius puellæ genero suo, fulci [c] animum tuum frustulo cibi, deinde abibitis.

6 Itaque sedentes comederunt ambo unà & biberunt: dicebatq; pater puellæ viro ipsi, acquiesce quæso & pernocta, ut bene sit animo tuo.

7 Sed surrexit vir ille ad proficiscendum; insistente verò apud eum socero ejus, [d] rursus pernoctavit ibi.

8 Posteà surrexit manè die quinto ut abiret, dicente autem patre puellæ, fulci quæso animum tuum, cunctati sunt donec declinaret dies: nam comedebant ambo.

9 Tandem surrexit vir ille ad proficiscendû, ipse, & concubina ejus, & puer ejus: quumq; diceret ei socer ejus pater puellæ, ecce nunc remissus est dies adeò ut advesperascat, pernoctate quæso, [4] ecce hospitium hodiernum, pernocta hîc ut benè sit animo tuo, deinde surgentibus vobis cras ad iter vestrum, perges ad tentorium tuum;

10 Noluit vir ille pernoctare, sed surgens abivit & pervenit [e] ex adverso Jebusi, *id* est, Jeruschalaimorum: & cum eo par asinorum instratorum, concubina quoque ejus cum eo *erat*.

11 Ipsi *erant* prope Jebusum, quum dies declinasset valde: quapropter dicebat puer domino suo, propera quæso ut divertamus in istam civitatem Jebusæi, & pernoctemus in ea.

12 Cui dixit Dominus ejus, non divertemus in *ullam* civitatem alienigenæ, *ex eis*, quæ non sunt filiorum Jisraëlis, sed transibimus Gibham usque.

13 Prætereà dixit puero suo, perge ut appropinquemus ad alterum istorum locorum; & pernoctemus Gibhæ aut Ramæ.

14 Prætereuntes igitur properabant, sed occubuit illis sol prope Gibham quæ *est* Binjaminis.

15 Quapropter diverterunt illuc, ingredientes ad pernoctandum Gibhæ: & ingressus consedit in platea civitatis, quia non *fuit* quisquam qui reciperet eos in domum suam ad pernoctandum.

16 Ecce autem vir senex veniens ab opere suo ex agro vespere (erat autem vir ille e monte Ephrajimi, qui peregrinabatur Gibhæ; viri autem loci illius Binjaminitæ,)

17 Qui quum sublatis oculis suis videret virum illum viatorem in platea civitatis, dixit vir ipse senex, quò abis, & unde venis?

18 Qui dixit ei, transimus Beth-Lechemo Jehudæ usq; ad latera montis Ephrajimi; inde ego *oriundus*, & iveram usque Beth-Lechemum Jehudæ: *ad* [5] domum autem Jehovæ abeo, & non *est* quisquam qui recipiat me in domum suam.

19 Quamvis tum stramen, tum pabulum sit penes servos tuos pro asinis nostris, [6] tum etiam panis & vinum sit pro me & pro ancilla tua & hoc puero *qui est* cum servis tuis; nullius rei *sit* penuria:

20 Sed dixit vir ille senex, [e] pax *esto* tibi, quicquid deficit te, incumbat tantùm mihi, tantummodò in hac platea ne pernoctato;

21 Eumq; introducens in domum suam, pabulum dedit asinis: deinde lotis pedibus, suis comederunt & biberunt.

22 Ipsi exhilarabant animos suos; quum ecce viri civitatis illius, viri [f] nequam circumsteterunt domum illam, pulsantes ad ejus januam & alloquuti sunt virum illum, dominum ejus domus, senem illum, dicendo, produc virum illum qui ingressus est domum tuam, [7] ut cognoscamus eum.

23 Ad quos egressus vir ille dominus domus illius, dixit eis, ne fratres mei, ne malefaciatis quæso: postquàm ingressus est vir iste domum meam, ne faciatis flagitium istud.

24 [8] Ecce filiam meam quæ virgo *est*, & concubinam illius, producam nunc eas, & comprimite eas, aut facite eis quod bonum *videtur* in oculis vestris: viro autem isti ne faciatis quicquam hujus flagitii.

25 Sed nolentibus viris illis auscultare ei, prehendens [9] ipse vir concubinam suam produxit ad eos foras: qui cognoscentes eam quum [g] indesinenter abusi essent ea tota nocte usque manè, dimiserunt eam quum ascenderet aurora.

26 Tum rediit mulier illa appetente manè; & collapsa *jacebat ad* portam domus illius viri, ubi dominus ipsius *erat* ad lucem usque.

27 Quum autem surgens dominus ejus manè, apertis januis domus exiret ad pergendum itinere suo: ecce mulier illa concubina ejus jacens *ad* portam domus, [10] cum manibus suis in limine.

28 Et quum dixit ei, surge ut abeamus, nec *esset* qui responderet; acceptam eam *imposuit* asino, & surgens vir ille abiit in locum suum:

29 Deinde ingressus domum suam, [11] accipiensq; gladium prehendit concubinam suã, quam divisit per ossa ejus in duodecim membra; misitq; eam per totum terminum Jisraëlis.

30 Eratq; ut quisquis videbat diceret, non fuit factum neque fuit visum *quicquam* hujusmodi inde a tempore *quo* ascenderunt filii Jisraëlis e terra Ægypti usque in diem hunc: [h] adhibete vos ad istud, consilium inite, & colloquimini.

CAPUT XX.

Jisraëlitæ conventu indicto Binjaminitas citant, accusationem Levitæ audiunt, reos à Binjaminitis petunt, in contumaces bellum decernunt: bis à Binjaminitis cæsi ad Deum convertuntur, quo reconciliato Binjaminitas strategemate vincunt, eosq; funditus, exceptis sexcentis, perdunt.

ITaque exiverunt omnes Jisraëlitæ; congregatusque est totus cœtus [a] unanimis a [1] Dane [2] Beerschebahum & [3] terram Gilhadis usque: ad Jehovam [4] Mitzpam:

2 Ubi constiterunt [b] *usque ab* extremitatibus

totius

[1] ut suprà 17.6.

[2] non enim justæ uxor erat, donec parentum consensu confirmatum est matrimonium, Exodi 22.16. quo confirmato pater illius dicitur Levitæ socer, infrà v. 4. sic passim accipitur hæc loqutio Jechezkelis 16. & 23.

[a] *Heb. dierum quatuor mensibus:* Num. 11.20. & 21. v.

[b] *Heb. super cor ejus: sic Ge.* 34.3.

[3] i. convivabantur hilariter: periphrasis frequens hoc cap. & passim.

[c] *Heb. cor: sic deinceps.*

[d] *Heb. reversus est & pernoctavit.*

[4] id est, aliò tibi non est eundum, sed hîc hodie hospitandum.

[e] *Heb. usque contra Jebusum.*

[5] Schilhunem ubi tabernaculum erat ex Jehosch. 18. [illegible]

[6] nihil esto sollicitus.

[f] *Heb. viri filii Beli Jahal.*

[7] vide in Gen. 19.5.

[8] vide in Gen. 19.8.

[9] nempe Loth, veluti salutem hospitis sui & familiæ ejus hoc pretio redempturus.

[g] *Heb. facti essent in ea.*

[10] quasi indormivisset manibus capiti subjectis in limine.

[11] hoc Levitæ factum singulare est & illegitimum & contra legem Dei est, vetantis ne quis hoc modo cadaveribus imperaret, ac ne suspensi quidem hominis cadaver insepultum manere vel ad diem unicum permitteretis, Deut. 21. 22. & contra publica communiaq; humanitatis & honestatis jura, & contra officium maritale [illegible] tandem obtinetur ratio.

[h] *Heb. apponite* [illegible]

[a] *Heb. quasi vir unus: & sic deinceps.*

[1] oppido quod prius Laisch sive Leschẽ dicebatur suprà 18.15. [illegible]

[1] hic terminus septẽtrionalis Jisraëlitarum. [2] civitatem Jehudæ versus Pelischthæos: hic terminus meridianus, Genes. 21.33. [3] terminum ab oriente. [4] locus erat in finibus Binjaminitarum, quorum res agebatur in isto conventu quasi in media longitudine regionis situs, ac proinde conventibus habendis destinatus: vide Jehosch. 11.3. [b] *Heb. anguli totius populi.*

totius populi, omnes tribus Jisraëlis, in congre-
gatione populi Dei, quadringenta millia virorum
peditum stringentium gladium.
3 Audiverunt autem Binjaminitæ ascendere
Jisraëlitas Mitspam: ᶜ dicebant enim Jisraëlitæ,
eloquimini, quomodo factum est malum istud?
4 ᵈ Tum protestatus vir ille Levita, vir mu-
lieris illius occisæ, dixit: Gibham illam quæ est
Binjaminis veni ego & concubina mea ad per-
noctandum;
5 Insurrexerunt autem in me ᵉ Gibhani, &
circumdederunt contra me ipsam domum noctu:
ᵈ ⁷ sibi proposuerant me occidere, & concubinam
meam ita compresserunt ut mortua sit.
6 Quapropter prehendens concubinam me-
am membratim divisi eam, ac misi eam per to-
tum agrum possessionis Jisraëlitarum, eò quòd fe-
cissent scelus & flagitium in Jisraële.
7 ⁸ Ecce vos omnes Jisraëlitæ estis, ᵉ com-
municate inter vos sermonem & consilium hic.
8 Surrexit ergo totus populus unanimis, di-
cendo, non sumus ituri ullus in tentorium suum,
neque secessuri in domum suam.
9 Sed nunc esto hæc res quam facturi sumus
contra Gibham: ᶠ oppugnabimus eam ⁹ sorte.
10 Accipiemus enim denos viros e centenis
per omnes tribus Jisraëlis, & centenos e millenis,
ac millenos e decies millenis ad ᵍ comparandum
commeatum pro hoc populo, ut invadendo
‡Gibham Binjaminitarum faciant ʰ omnino pro-
ut meritum est flagitium illud quod fecit in Jisra-
ële.
11 Sic congregati sunt omnes Jisraëlitæ, ven-
turi contra illam civitatem unanimes, conjun-
cti.
12 Tum miserunt tribus Jisraëlis viros ad om-
nes tribus Binjaminis qui dicerent; quod est ma-
lum istud, quod factum est in vobis?
13 Nunc igitur date istos viros ⁱ nequam,
qui sunt isthic Gibhæ, ut morti tradamus eos, &
tollamus malum ab Jisraële: sed noluerunt au-
scultare Binjaminitæ voci fratrum suorum Jisra-
ëlitarum.
14 Congregaverunt enim se Binjaminitæ e
suis civitatibus Gibham, ut prodirent in prælium
contra Jisraëlitas.
15 ¹⁰ Numeraveruntque ex se Binjaminitæ tem-
pore illo e suis civitatibus, viginti sex millia viro-
rum stringentium gladium; præter habitatores
Gibhæ, qui numeraverunt se septingentos viros
lectissimos.
16 ¹¹ E toto populo isto erant septingenti viri
lectissimi ¹² præcludentes manum dexteram su-
am; istorum quisque funda mittens lapidem
¹³ ad capillum, ᵏ sine erratione mittebat.
17 Jisraëlitæ quoque numeraverunt ex se
præter Binjaminitas, quadringenta millia viro-
rum stringentium gladium: quorum quisque vir
erat bellicosus.
18 Deinde surgentes ascenderunt in ¹⁴ domum
Dei fortis, ut consulerent Deum; dixeruntque Ji-
sraëlitæ, ¹⁵ quis ex nobis primùm ascendet ad
hanc pugnam contra Binjaminitas? quibus dixit
Jehova; Jehuda primùm.
19 Surgentes itaque Jisraëlitæ manè, castra
posuerunt contra Gibham:
20 Et exeuntes Jisraëlitæ in prælium contra
Binjaminitas, instruxerunt contra eos Jisraëlitæ
aciem apud Gibham:
21 Exeuntes verò Binjaminitæ Gibha; pro-
straverunt ex Jisraëlitis die illo viginti duo millia
virorum humi.

ᵇ legatis missis Binjaminem convocabat & suum negotium expli-cat judicibus.
ᶜ Binjaminitis non comparentibus.
ᵉ Heb. domini Gibhæ.
ᵈ Heb. imaginati erant.
⁷ putà nisi morē gessissem tetræ ipsorum libidini, qui præoptabam mori quàm illud scelus perpeti.
[illegible]
⁸ q.d. hæc injuria nō me solùm, sed totam Jisraëlitarum Remp. attingit.
ᵉ Heb. date vobis sermonem.
ᶠ Heb. contra eam sorte ibimus.
⁹ i. sortiemur, qui annonæ curatores, & qui bellatores sint futuri.
ᵍ Heb. accipiendū.
‡ Gebah: sic infrà v. 33.
ʰ Heb. secundum totum illud flagitium quod fecit in Jisraële.
ⁱ Heb. viri filii Beli-Jahal.
¹⁰ i. e toto suo numero cōscripserunt viginti sex millia virorum qui in aciem prodirent, ut Gibhani septingentos; reliquis ad locorum custodiam relictis.
¹¹ i. e toto Binjaminitarum exercitu: hi erant velites ad Jisraëlitas lacessendos missi.
¹² i. ita præfidentes viribus & militari peritiæ suæ, ut vel manu sinistra cum hoste dimicare auderent.
¹³ hyperbole, qua tanta eorum peritia in mittendis lapidibus fuisse dicitur, ut rem quantumvis parvam attingerent.
ᵏ Heb. non sineret peccare, i. aberrare lapidem.
¹⁴ i. Schilunte, ut confirmatur cap. 21.12. vide suprà 19.18.
¹⁵ q.d. statutum est bellum inire ad puniendos sceleratos & contumaces; vires autē nostræ tātæ sunt, & adeò justa causa, ut de victoria securi simus, sed non convenit inter nos quis primus ordine inter nos procedat.

22 Confirmavit tamen se populus, Jisraëlitæ;
ità ut ˡ iterum instruerent aciem in eodem loco
ubi instruxerant die illo priore:
23 Quum ascendentes Jisraëlitæ flevissent
coram Jehova usque ad vesperam; coluissent-
que Jehovam dicendo, an ᵐ iterum accedam in
prælium contra filios Binjaminis ¹⁶ fratris mei?
dixissetque Jehova, ascendite contra illum.
24 Appropinquaverunt itaque Jisraëlitæ ad
Binjaminitas die isto secundo:
25 Exeuntes quoque Binjaminitæ obviàm eis
Gibha eo ipso secundo die, prostraverunt ex Jis-
raëlitis iterum octodecim millia virorum humi:
omnes hos stringentes gladium.
26 Quapropter ascendentes omnes Jisraëli-
tæ, totus, inquam, populus ille venerunt ad do-
mum Dei fortis, & ¹⁷ flentes consederunt ibi co-
ram Jehova, ac jejunaverunt die illo usq; ad ve-
speram: obtuleruntque holocausta & euchari-
stica coram Jehova:
27 Et consuluerunt Jisraëlitæ Jehovam (nam
ibi erat arca fœderis Dei temporibus illis)
28 Ipso & Pinchas filius Elhazaris filii Aharo-
nis, ¹⁸ qui stabat coram eo temporibus illis, di-
cendo; utrùm pergam adhuc exire in prælium
contra filios Binjaminis fratris mei, an desinam?
quibus dixit Jehova, ascendite, cras enim tradi-
turus sum eum in manum tuam.
29 Disposuit autem Jisraël insidias apud Gib-
ham circumquaque.
30 Deinde ascendentes Jisraëlitæ contra Bin-
jaminitas die tertio, instruxerunt aciem apud Gib-
ham sicut ⁿ anteà:
31 Unde exeuntes Binjaminitæ obviàm isti
populo avellebātur ab ipsa civitate: cœperant e-
nim ᵒ percutiendo confodere ex isto populo ut
anteà per vias illas tritas, quarum altera ascen-
dit ad domum Dei fortis, altera verò ¹⁹ Gibham
in agro sitam, quasi triginta viros ex Jisraële.
32 Quapropter dicebant Binjaminitæ, cæ-
duntur isti antè nos ut priùs: at Jisraëlitæ dixe-
rant, fugiemus, ut avellamus eum a sua civitate
ad istas vias tritas.
33 Tunc omnes Jisraëlitæ surgentes quisque
e loco suo, instruxerunt aciem Bahal-Thamare:
insidiæ quoque Jisraëlitarum eruperunt e loco
suo post ²⁰ denudationem Gibhæ.
34 Veneruntque Gibhæ ex ²¹ adverso decies
mille viri lectissimi ex toto Jisraële quum præli-
um ingravesceret; illis ignorantibus ad se pertin-
gere malum illud.
35 ²² Sic affecit Jehova Binjaminem plaga
coram Jisraële; adeò ut prosternerent Jisraëlitæ
ex Binjamine die illo vicies quinquies mille cen-
tum viros: hos omnes stringentes gladium.
36 Viderunt autem Binjaminitæ se plaga af-
fici; quum Jisraëlitæ cessissent loco Binjaminitis,
quia confidebant insidiis quas posuerant contra
Gibham;
37 Postquàm insidiæ illæ festinantes irrue-
rant in Gibham, & ᵖ signo dato insidiæ percusse-
rant totam civitatem illam acie gladii.
38 Fuerat enim constitutum tempus Jisraëli-
tis cum insidiis istis: ᑫ quando excitaturæ essent
illæ multam elationem fumi e civitate illa.
39 Tum converterunt se Jisraëlitæ ad prælium:
quum Binjaminitæ incepissent percutiendo con-
fodere quasi triginta viros, eo quòd dicerent, uti-
que plaga ʳ omnino afficitur coram nobis, sicut
bello priore.
40 Elatio illa, columna inquam fumi cœ-
perat ascendere e civitate, quum respicientes

ˡ Heb. adderent instruere.
ᵐ Heb. addam accedere.
¹⁶ q.d. an ideò ingratum est bellum, quia contra fratrem suscipitur? sic nondum pugnaverant fide.
¹⁷ tandem videntes se ipsos Deo ingratos fuisse, resipuerunt, quam resipiscentiam a signis externis describit auctor.
¹⁸ ut Sacerdos summus: sic Deut. 10.17.
ⁿ Heb. vice ut vice Num. 24. 1. & infrà v. 31.
ᵒ Heb. percutere ex isto populo confossos, ut infrà v. 39.
¹⁹ i. campestrem civitatem Gebah quæ a Gibha hac perspicuè distinguitur Jehosch. 18.24. & 28.
²⁰ i. postquam Gibhani cum totis copiis exeuntes in Jisraëlitas fugientes civitatem præsidio nudaverant.
²¹ i. collocaverunt se medios inter Gibham & Gibhanos, ne se in civitatem reciperent.
²² prolepsis: qua in genere proponit historiam, quam deinde sigillatim persequitur.
ᵖ Heb. tractim extenderant insidiæ.
ᑫ Heb. ad faciendum eos ut multum ascendere elatio fumi.
ʳ Heb. afficiendo afficitur.

Binjaminitæ retrorsum, *viderũt* quòd ecce ascenderet incendium civitatis in cælum.
41 Quum autem Jisraëlitæ *antrorsum* se obverterunt, turbati sunt Binjaminitæ: videbant enim pertingere se malum illud.
42 Averterunt itaque se ante Jisraëlitas in viam *ad* desertum, sed [f] præliatores assequuti sunt eos; & qui *prodibant* e civitatibus aliis, prosternebant [23] eos in medio sui.
43 Cinxerunt Binjaminitas, persequendũ curaverunt queq;, proculcaverunt queq; [t] sine *magno* labore, usq; [24] ex adverso Gibhæ ab ortu solis.
44 Nam [25] ceciderunt e Binjaminitis octodecies mille viri; hi omnes viri strenui.
45 Deinde *eorum* qui aversi fugiebant versus desertum ad petram Rimmonis [26] racemarunt quemque per tritas illas vias quinquies mille viros: posteà assequuti eos a tergo Gidhomum usque, percusserunt ex eis bis mille viros.
46 Ita fuerunt omnes qui ceciderunt [27] e Binjaminitis, [28] vicies quinquies mille viri stringentes gladium eodem die; omnes isti viri strenui.
47 *Eorum* autem qui aversi erant, effugerunt versus desertum ad petram Rimmonis sexcenti viri: qui consederunt in petra Rimmonis quatuor mensibus.
48 Jisraëlitæ autem [29] reversi ad Binjaminitas, percusserunt eos acie gladii, [u] tam homines civitatis cujusque, quàm jumenta, denique quicquid inventum est: etiam omnibus civitatibus illis, quæ supererant, immiserunt ignem.

[f] *Heb. prælium assequutum est; metonym.*
[23] i. Jisraëlitæ reliqui omnes, qui in propinquis civitatibus præsto erant, & hujus belli eventum exspectabant, hi fusos Binjaminitas intercluserunt, & omni ex parte exceperunt, ita ut non potuerint fugientes mortem præsentem effugere.
[t] *Heb. quiete.*
[24] i. usq; ad fines Binjaminis versus Jeruschalaima.
[25] in ipso cõflictu.
[26] i. palantes occiderunt: metaphora, ut suprà 8.2.
[27] ex acie Binjaminitarum.
[28] centenario numero prætermisso brevitatis causa: quia paulo ante præcessit 35. versu: eclipsis usitata ad rotundationem numeri: ut quum 70. interpretes dicuntur pro 72. aut in Repub. Romana Centumviri pro 105. sic etiam suprà 11.28. & 2. Schemu. 5.5. [29] putà ab iis qui profugerant ex Gibhana clade persequendis.
[u] *Heb. a civitate hominis: hypallage.*

CAPUT XXI.

Jisraëlitæ bello contra Binjaminitas confecto, a Deo consilium servandæ in reliquiis tribus exorant. Jabeschitas delent, ex quibus puellas quadringentas Binjaminitis tradunt: reliquis autem prospiciunt de uxoribus Schilunte rapiendis, & raptarum parentibus reconciliatis domum revertuntur.

Jisraëlitæ autem [1] juramento se obstrinxerant [2] Mitzpæ, dicendo; quisquam nostrum non dabit filiam suam Binjaminitæ in uxorem.
2 Quam ob rem populus ingressi domum Dei fortis consederunt ibi usque ad vesperam coram Deo; & sublata voce sua fleverunt fletu magno:
3 Ac dixerunt, [3] quare, ô Jehova Deus Jisraëlis, fieret istud in Jisraële; ut desideraretur hodie ex Jisraële tribus una?
4 [4] Fuitque postridie, quum manè surgentes populus [5] exstruxissent illîc altare; ut offerrent holocausta & eucharistica.
5 [6] Et dixerunt Jisraëlitæ, quis *est* qui non ascendit cum hac congregatione ex omnibus tribubus Jisraëlis ad Jehovam? nam juramentum maximum [a] intercesserat contra eum qui non ascenderet Mitzpam ad Jehovam dicendo, [b] omnino morti tradetur.
6 [7] Quum itaque pœniteret Jisraëlitas de Binjamine fratre suo; & dicerent, exscinderemúsne hodie tribum unam ex Jisraële?
7 Quid facturi sumus istis, reliquis istis quod

[1] ad ampliorem videlicet facti detestationem temere spondentes & juramenti religionem adhibentes: quam obrem quum rem seriò cogitaverunt postea, pœnituit ipsos versu 6. & cõsulentes Deum hoc nomine, non libertatem quidẽ a voto exoraverunt; sed didicerunt artem voti præstandi & tribus conservandæ. Sic quanti utrumque faceret palam demonstravit dominus, & religionem voti jurati, & salutem populi.
[2] quum de bello contra Binjaminitas suscipiendo deliberaturi illuc convenissent suprà 20.1. [3] Petunt ut Deus sibi rationem conservandi tribum explicet. [4] quum jam impetrassent consilium quod petierant, ut in sequentibus explicatur. [5] præter ordinarium propter multitudinem sacrificiorum quæ offerenda erant, ut factum est Schelomonis tempore 1. Reg. 8.64. nam quod unum tantùm altare lege imperabatur, ad ambulatoriam Rempub. restringendum est, quum altare huc illuc deferendũ erat, ut ostendit Mosche Exod. 20.24. [6] proposuerunt seniores consiliũ populo, quod ex domino audiverant. [a] *Heb. fuerat.* [b] *Heb. moriendo morti tradetur.* [7] nempe totum cœtum Jisraëlitarum, qui ex Senioribus suis voluntatem Dei audiverat.

ad uxores? nos enim juramento obstrinximus per Jehovam, ut non daremus illis de filiabus nostris in uxores.
8 [8] Dixerunt, quis ullus *est* e tribu Jisraëlis qui non ascendit Mitzpam ad Jehovam? ecce autem non venerat quisquam in castra, Jabescho Gilhadis ad congregationem.
9 Numeravit enim se populus; & ecce non *erat* ibi quisquam ex habitatoribus Jabeschi Gilhadis.
10 Quapropter miserunt illuc cœtus duodecies mille viros [c] strenuissimis, & mandatis instruxerunt eos dicendo, ite ut percutiatis habitatores Jabeschi Gilhadis acie gladii, etiam mulieres & parvulos:
11 Hoc enim illud *est* quod facturi estis: omnem marem & omnem fœminam [9] expertam concubitum maris internecioni devovebitis.
12 Hi autẽ invenerunt ex inhabitatoribus Jabeschi Gilhadis quadringentas puellas virgines, quæ non fuerant expertæ virum concubitu maris: [10] adduxeruntque eas Schiluntem ad castra, [11] quæ *manserant* in terra Cenahanis.
13 Tum mittentes totus ille cœtus, qui alloquerentur Binjaminitas qui *erant* in petra Rimmonis; promulgaverunt illis pacem.
14 Sic reversi sunt Binjaminitæ tempore illo, quibus dederunt fœminas illas, quas vivas conservârant e fœminis Jabeschi Gilhadis: sed *sic* non [12] fuerunt satis illis.
15 Quumque *adhuc* populum pœniteret de Binjamine; eò quòd fecisset Jehova rupturam in tribubus Jisraëlis,
16 Dixerunt Seniores cœtus ipsius, quid faciemus reliquis istis quod ad mulieres; cùm perditæ sunt e Binjamine fœminæ?
17 Ampliùs dixerunt, [d] hæreditaria horum qui evaserunt possessio [13] pro Binjamine *futura est*: non enim delenda est tribus ex Jisraële.
18 Nos autem non possumus dare eis uxores e filiabus nostris: obstrinxerunt enim se juramento Jisraëlitæ dicendo, maledictus *sit* qui dederit uxorem Binjaminitis.
19 Tandem dixerunt, ecce festum Jehovæ *est* Schilunte de anno in annum, quod *celebratur* ab Aquilone domus *Dei* fortis, versus ortum solis, ad tritam viam, quæ ascendit a domo *Dei* fortis Schecemum; & a meridie Lebonæ.
20 Et præceperunt Binjaminitis dicendo, ite ut insidiemini in vineis:
21 Et animadvertetis, ut ecce quum exibunt puellæ Schiluntinæ ad saltandum choreis; prodeuntes e vineis illis rapiatis statim vobis quisque uxorem suam e puellis Schiluntinis: deinde abibitis in terram Binjaminitarum:
22 Erit autem quum venient parentes earum aut agnati earum ad litigandum apud nos, ut dicamus eis, [14] gratificamini nobis illas, [15] qui non excepimus cuique uxorem suam in isto bello: nã vos non dedistis illis [16] *neque* jam rei eritis.
23 Facientes itaque sic Binjaminitæ, perduxerunt uxores pro numero suo, e saltantibus illis quas rapuerant: abeuntesque reversi sunt ad possessionem suam, & instauraverunt civitates suas in quibus habitârunt.
24 Receperunt quoq; se inde Jisraëlitæ tempore illo quisque ad tribum suam, & ad familiam suam: unde [17] exiverunt quisque in possessionem suam.
25 [1] Temporibus illis non *erat* rex in Jisraële: quisque quod rectum *videbatur* in oculis suis faciebat.

[8] omnes uno ore constituerunt sibi permanendum esse in illa ratione divinitus ostensa consulendi reliquiis Binjaminitarum, & contumaces castigandi.
[c] *Heb. filiis virorum.*
[9] & ex contrario servabitis fœminas intactas a viris: ut ostenditur sequente versu.
[10] reliquis omnibus interfectis, ut mandatum illis fuerat ℣. 10.
[11] quæ non trajecerant Jardenẽ, ut Jabeschitas oppugnarent.
[12] sic accipitur idem verbum Num. 11.22.
[d] *Heb. possessio hæreditaria evasionis Binjaminis.*
[13] i. in sua tribu semper est futura sors quæ antè fuit, Binjaminitarũ.
[14] q.d. non illas, sed nobis datas reputantur.
[15] i. qui horum uxores promiscuè tolli cum aliis curavimus una expeditione: ut narratum est suprà 20.48.
[16] q.d. non est cur metuatis ne non præstetis fidem vestram; non dedistis; ceperunt ipsi: & si qua culpa est, eam in nos recipimus.
[17] i. quum gregatim primùm unaquæq; tribus ad sortem suam pervenissent, singuli posteà in possessionem suam discesserunt.
[1] *Sup.* 17.6. & 18.1.

RUTH.

RUTH
LIBER UNUS.

RUTH *Moabitis prioris mariti (cui premente fame in agrum Moabitarum profecto nupserat) defuncti recordatione & pietatis studio, socrum in patriam revertentem sequuta, Bohazo secundis nuptiis, jure propinquitatis conjungitur: cui parit Hobedum Davidis avum: unde Christus, secundum carnem, genus suum ducit, Matth. primo.*

CAPUT I.

Elimelec Beth-Lechemites fame e patria pulsus, apud Moabitas consedit: ubi ipso primùm, deinde utroque filio orbata conjux Nahomi in patriam unà cum Rutha altera nuru decennio post revertitur.

FUIT autem [a] [1] quo tempore judicabant judices, quum esset fames in terra; ut abiret quidam Beth-Lechemo Jehudę ad peregrinandum in agris Moabitarum, ipse cum uxore sua & duobus filiis suis.

2 Hujus viri nomen *erat* Elimelec, nomen verò uxoris ejus Nahomi, & nomina duorum filiorum ejus Machlon & Ciljon [2] Ephrathæi e Beth-Lechemo Jehudæ; pervenientesque in agros Moabitarum [b] substiterunt ibi:

3 Mortuo autem Elimeleco viro Nahomi, superstes relicta est ipsa cum duobus filiis suis.

4 Hi duxerunt sibi uxores Moabitidas, nomen unius *erat* Horpa, & nomen alterius Ruth; consederuntque ibi quasi decem annos.

5 Deinde mortuis quoque utrisque, Machlone & Ciljone; superstes relicta mulier illa a duobus natis suis & a viro suo;

6 Surrexit ipsa cum nuribus suis, ut reverteretur ex agris Moabitarum: quia audierat in agro Moabitarum Jehovam [3] visitasse populum suum dando eis panem.

7 Et egressa est e loco illo ubi substiterat, & duæ nurus ejus cum ea, ingressæque sunt iter ad revertendum in terram Jehudæ.

8 Sed dicebat Nahomi duabus nuribus suis, abite revertimini quæque in domum matris suæ: exerceat erga vos Jehova benignitatem, quemadmodum exercuistis erga [4] mortuos & erga me.

9 Det Jehova vobis ut inveniatis requiem quæque in domo viri sui: quumque oscularetur eas, sublata sua voce flebant;

10 Dicebantque ei, *non abibimus*; nam tecum [5] revertemur ad populum tuum.

11 Sed dicebat Nahomi, revertimini filiæ meæ, cur veniretis mecum? num adhuc [6] *sunt* mihi filii in visceribus meis, qui vobis viri futuri sint?

12 Revertimini filiæ meæ, abite, nam senior sum quàm [c] ut nubam: si dicerem, est mihi spes, essem etiam hac nocte cum viro, aut etiam parerem filios:

13 An propter hæc exspectaretis, usque dum adolescerent? an [7] propter hæc differretis ita ut non nuberetis cuiquam? nequaquam filiæ meæ, nam mihi multò [8] amarius est quàm vobis, verùm [9] exseruit se contra me manus Jehovæ.

14 Tum sublata voce sua fleverunt iterum: & Horpa [10] osculata socrum suam *abiit*, Ruth autem adhærebat ei.

15 Quam ob rem dixit *socrus*, ecce reversa est fratria tua ad populum suum: & ad Deos suos; [11] revertere post fratriam tuam.

16 Sed dixit Ruth, ne [d] adversa esto mihi, ut derelinquam te recedendo a te: nam quocunque iveris ibo, & ubicunque diversata fueris diversabor, populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus *est*.

17 Ubicunque morieris, moriar, & ibidem sepeliar; [12] ita faciat Jehova mihi, & ita pergat, [e] *sola* mors separatura est inter me & te.

18 Itaque videns illam fortiter instare, ut pergeret secum; destitit *sic* alloqui eam.

19 Ita profectæ sunt ambę donec pervenirēt Beth-Lechemum: fuit autem quum ingrederentur Beth-Lechemum, ut [f] fusæ omnes cives *accurrerent* ad eas ac dicerent, hæccine *est* Nahomi?

20 Quæ dicebat eis, ne vocate me [g] Nahomin; vocate me [h] Maram, eò quòd amaritudine affecit me omnipotens valdè.

21 Ego plena abieram, at vacuam reducit me Jehova: cur vocaretis me Nahomin, cum Jehova testificatus sit contra me, & omnipotens malis affecerit me?

22 Sic quum reversa esset Nahomi, & Ruth Moabitis nurus ejus cum ea, [13] rediens ex agris Moabitarum: ingressæ sunt Beth-Lechemum in principio messis hordeaceæ.

[a] *Heb. in diebus.* [1] Ex collatione primi capitis Matth. V. 5. cum fine hujus historiæ colligitur hæc contigisse sub tēpora Deboræ. Primùm autem quòd ad Bohazam attinet e Rachaba natum, fieri potest ut ea ipsum pepererit quinquaginta quinq; annos nata, si ei tribuantur quindecim quum exploratores excipit Jehosch. 2. ita ut vigesimo tertio Hothnielis Bohazum pariat: unde ad initium Deborę sunt anni nonaginta septē, quibus si addideris viginti priores annos Deboræ, erit Bohaz 117. annorum, cum e Rutha suscipit Hobedum: Hobedum quoque & Jischaium, ut historia Davidis tempus cum hoc conveniat, necesse est centenarios genuisse. Duo videntur impedimenta esse huic conjecturæ, quæ alios adduxerunt in hanc sententiam, ut intermissa esse quorundam nomina in hac recensione putaverint. Id unum est Rachabæ ætas, quam ex conjectura ponimus ad partum. Itaque per me licet ut illi minus, aliis plus ætatis paulò tribuatur. Sed tamen ne illud quidem puerperii tempus videtur mihi incredibile, qui & vegetam illorum temporum constitutionem in corporibus fuisse novi, & hic in Palatinatu ante annos aliquot vidi meis oculis & vocatus interfui partui cujusdam fœminæ amplius annos 56. natæ, quæ binos mares enixa est eodem partu. Alterum est virorum de quibus posteà agitur, senium. Sed hoc neminem remorari potest, qui & Dei benedictionem singularem in hoc genus animadverteret, & alia quæ modò in causa Rachabæ diximus. Omnino quum nusquam vestigium exstet intermissi nominis in hac genealogia ubicunque legitur, a divinatione illa malo abstinere, quàm novæ λογομαχίας fenestram aperire. [2] e Beth-Lechemo Jehudæ, ut sequentia verba testantur: Ephratha enim Genes. 35, 19. est Beth Lechem. [b] *Heb. fuerunt ibi.* [3] vide annotata Genes. 21. 1. vers. [4] filios meos, maritos vestros; quum viverent. [5] id est, revertentem prosequemur, quasi dicant, adeò grata fuit nostra tecum, & cum filiis tuis conversatio, ut jucundissimus suavissimusque conspectus tuus, & beata illorum recordatio nos ad totum populum amandum incitet. [6] per quos suscitetur mortuis semen, ex lege Deut. 25. 5. [c] *Heb. sim viro, ut Num. ult. sic inf. V. 13.*

[7] has conditiones quas commemoravit versu præcedenti. [8] id est, etsi grave est quod deseritis me, mihi adhuc molestius est vobis privari. [9] i. non per me factum est ut vos desererem; sed divina voluntate, qua ego filiis, vos viris orbatæ sumus. [10] quia non religione, sed humanitate fuerat mota ad sequendam socrum: ut ostendunt verba Nahomi proximè sequentia. [11] ut fidem ejus exploret, fratriæ exemplum proponit. [d] *Heb. ne occurras mihi: metaphor.* [12] Imprecandi forma, qua malum aliquod sibi infligi & continuari veteres postulabant, si secus quàm dixerant facerent: est autem ubique aposiopesis mali: quod vel ipsi intelligebant, vel Dei judicio committebant. [e] *Heb. quod sola mors.* [f] *Heb. confunderetur tota civitas ad eas. vel perstreperet tota civitas de eis.* [g] *id est, amœnam.* [h] *id est, amaram: translatum utem est ab uno sensu ad alterum, ut significet horrentem.* [13] id est, cum redeunte veniens, ut suprà 10. & infrà 25, 6. & 1, Schemu. 15. 26. Catachresis.

CAPUT II.

Ruth dum spicilegium in agro Bohazi facit, innotescit ei, a quo humanissimè verbis excepta, bonis ita afficitur ut eorum etiam commodū ad socrum perveniat.

ERat autem Nahomi *huic* [a] affinis a marito ejus, vir valens facultatibus, e familia Elimelecei: cujus nomen *erat* Bohaz.

2 Quum ergo dicente Rutha Moabitide *socrui* Nahomi, eam quæso *in* agrum, ut legam spicas post eum in cujus oculis invenero gratiam; dixisset *illa* ei, abi filia mea:

3 Et abiens venisset ut legeret in agro post messores; [b] accidit [1] casu ei possessio agri *pertinentis* ad Bohazum, qui *erat* e familia Elimeleci.

4 Ecce autem Bohaz veniens Beth-Lechemo dixit messoribus, Jehova *sit* vobiscum: cui dixerunt, benedicat tibi Jehova.

[a] *Heb. notus.* [b] *Heb. accidit casus ejus: Enallage.* [1] id est, ipsa hac de re nihil cogitante, sed Deo pro ipsa.

5 Tum

5 Tum dixit Bohaz puero suo, [c] qui præerat illis messoribus; cujus *est* puella hæc?

6 Cui respondens puer, qui præerat illis messoribus dixit; puella Moabitis est, quæ [2] redit cum Nahomi ex agris Moabitarum:

7 Dixit autem, legam quæso, & colligam inter manipulos post messores: sic accedens perstitit, ex quo *fuit* manè usque adhuc, modò sedit paulisper domi suæ.

8 Tum dixit Bohaz Ruthæ, [3] nónne audis filia mea? ne abito ad legendum in agrum alterum, neque etiam discedito hinc: sed hic hæreto cum puellis meis.

9 Oculi tui *intenti sunto* in agrum illum quem metent, ut sequaris eas, annon precepi pueris istis ne attingant te? quum autem sities, ito ad ista vasa, & bibito ex eo quod pueri isti hauserint.

10 Quare procidens in faciem suam, *honorémque exhibens* incurvavit se in terram; ac dixit ei, quare inveni gratiam in oculis tuis ut agnoscas me, quum sim alienigena?

11 Sed respondens Bohaz dixit ei, [d] planè indicatū est mihi quicquid egisti cū socru tua, post mortem viri tui: ut deseruisti patrem tuum, & matrem tuam, & [e] solum natale tuum, & venisti ad populum quem non cognoveras [f] anteà.

12 Rependet Jehova opus tuum; & [4] erit merces tua perfecta a Jehova Deo Jisraëlis, [5] quòd sub ejus alas venisti ut te obtegeres.

13 Quæ dixit, [6] invenio gratiam in oculis tuis, domine mi, quòd consolatus es me, & quòd loquutus es quæ sunt [g] cordi ancillæ tuæ: at ego non sum futura ut una ancillarum tuarum.

14 Dixit verò ei Bohaz [7] tempore cibi, accede ut comedas ex hoc cibo, & intingas bucceam tuam in acetum istud: & sedenti ei a latere messorum porrexit *aristas* tostas, adeò ut comedens saturaretur, & reliquum faceret.

15 Deinde surrexit ad legendum *spicas*: precepit autem Bohaz pueris suis dicendo, etiam inter [8] manipulos legentem ipsam [9] ne pudefacite.

16 Atque etiam de [h] industria omittite ei ex fasciculis manualibus; sinetisque *eos* ut legat, nec increpate eam.

17 Legit itaq; in eo agro usque ad vesperam: adeò ut quum excussisset quod legerat, esset quasi [10] Epha hordei.

18 Quumque deferens ipsa venisset in civitatem, & vidisset socrus ejus quod legerat, prætereà proferens dedisset ei quod reliquum fecerat [11] ex quo saturata fuerat:

19 Dixit ei socrus ejus, ubi legisti hodie, & ubi fecisti *opus*? sit qui agnovit te benedictus: indicavitq; socrui suæ apud quem *opus* fecerat, dicēs, nomen viri illius apud quē *opus* feci hodie *est* Bohaz.

20 Tum dixit Nahomi nurui suæ, benedictus sit a Jehova, ut qui non destitit *exercere* benignitatem suam erga [12] vivos & erga mortuos: deinde dixit ei Nahomi, propinquus noster vir ille, ex [13] vindicibus nostris est.

21 Dixit verò Ruth Moabitis; [14] etiā *benedictus*, quia edixit mihi, cū istis pueris qui mei sunt hæreto, donec absolverint totā messē quę mea *est*.

22 Quapropter dixit Nahomi Ruthæ nurui suæ; bonum est, filia mea, ut exeas cū puellis ejus, ac non adversi sint tibi *metentes* in agro altero.

23 Itaque hærebat cum puellis Bohazi legendo, donec absoluta esset messis hordei, & messis tritici: deinde mansit apud socrum suam.

[c] *Heb. qui constitutus erat super messores.*
[2] ut supra in versum ultimum capitis primi.
[3] affirmandi formula, de qua vide in Gene. 13.9. sic sequente ℣.
[d] *Heb. indicando indicatū est mihi.*
[e] *Heb. terram nativitatis tuæ.*
[f] *Heb. heri nudiustertius: synecdoche.*
[4] i. planè fidem tuam, qua ad ipsum confugisti, munerabitur Deus.
[5] metaphora a pullis avium.
[6] q.d. satis gratiæ inivi apud te, dum me humaniter cōsolatus es, & verbis tuis confirmasti; indignum esset me accipere abs te beneficium etiam illud quod domesticorū tuorū proprium est, suprà ℣.9.
[g] *Heb. quæ sunt super cor: sic Genes. 34.3.*
[7] quum ipse unà cum operariis cibum sumturus esset.
[8] fasces manipulorum.
[9] i. ne reprehendite; quod pudori futurum esset honestæ fœminæ: sic Judic. 18.7.
[h] *Heb. omittendo omittit ei.*
[10] vide Exodi cap. 16. ℣. ult.
[11] vide suprà ℣. 14.
[12] i. erga nos, & mortuorum nostrorum recordationem in nobis.
[13] ex eis ad quos pertinent vindiciæ siue jus redimendi hæreditates nostras, & semen suscitandi, Levi. 25.25. Deutero. 25.5.
[14] ellipsis elegās supplenda ex antecedente ℣.

CAPUT III.

Ruth a socru instructa, jacentem Bohazum noctu accedit eumq; de jure propinquitatis verecundè submonet, a quo promissione confirmata, ad socrum cum munere remittitur.

POstea dixit ei Nahomi socrus ejus; filia mea, [1] an non quærerem tibi requiem, qua bene sit tibi?

2 Jam verò annon Bohaz *est* affinis noster, cum cujus puellis fuisti? ecce ipse ventilaturus est hordeum *in* area nocte hac.

3 [2] Lavans itaque te [3] unges te, & impositis tibi vestibus tuis descendes in aream ejus: ne innotescito ipsi viro, donec absolverit comedere & bibere.

4 Sed esto quum cubabit, ut cognoscas locum ubi cubaturus est, deinde accedens retegas pedaleis stragulas ejus & cubes: & ipse indicabit tibi quid sis factura.

5 Quæ dixit ei, quicquid edixeris mihi faciā.

6 Descendit itaque *in* aream; & fecit omnino prout præceperat sibi socrus ipsius.

7 Quum enim [4] comedisset Bohaz ac bibisset, & [a] hilaris animo ivisset cubitum in extremā partem cujusdam acervi; venit illa clàm, & retectis stragulis pedalibus ejus cubavit.

8 Fuit autem ipsa media nocte, ut [5] contremisceret vir ille, & huc illuc se verteret; quum ecce mulier cubaret *ad* stragulas pedaleis ejus.

9 Cui dixit, quæ *es* tu? & *illa*, sum Ruth, inquit, ancilla tua, ut [6] expandas alam tuam super ancillam tuam, quia [7] vindex es.

10 Qui dixit, benedicta esto filia mea Jehovæ, meliorem præstas benignitatem tuam hanc [8] posteriorem illa priore; non sequendo ullum juvenum, sive pauperem sive divitem.

11 Nunc ergo filia mea, ne timeto, [9] quicquid dicis efficiam tibi: novit enim [b] quisque intra portas populi mei, te fœminam esse [c] strenuam.

12 Nunc inquam, quia verum est, etsi vindex ego *sum*; tamen prætereà esse vindicem propinquiorem me;

13 Pernocta hac nocte; eritque manè, si vendicabit te, bene, vendicet, sin autem noluerit vendicare te, tum vendicabo te ego, *ut* vivit Jehova: cuba usque manè.

14 Itaque cubavit ad stragulas pedaleis ejus usque manè, deinde surrexit quum nondnm agnosceret [d] alter alterum: dicebat enim Bohaz, ne innotescat ingressam esse *ullam* mulierem in hanc aream.

15 Quumq; dixisset, cedo ventrale [e] quo tegeris, & tene illud, eaque tenuisset illud: tunc demensus sex *mensuras* hordei imposuit ei, deinde [10] ingressus est civitatem.

16 Illa verò venit ad socrum suam, quæ dicebat, [11] quæ es filia mea? indicavitque ei quicquid fecerat sibi vir ille.

17 Dixit etiam, sex *mensuras* hordei istas dedit mihi: dicebat enim mihi, ne venito vacua ad socrum tuam:

18 Tum dixit *illa* confide filia mea usquedū rescisças quo modo casura sit res: non enim quieturus est vir ille, nisi absolverit hanc rem hodie.

[1] q.d. an non sollicita essem ut tibi de fausto connubio prospicerem? confer cum 1.9. suprà. de hoc autem affirmationis modo vide in Genes. 13.9.
[2] Consilium est re legitimum, specie inhonestum: sed fidens pietati utriusque & Bohazi senio, illud nurui proponit, ita ut offensionem proximi circumstantiis temporis & loci vitet.
[3] ut erat usus in regionibus orientalibus: Psal. 104. Matth. 6. 17.
[4] i. convivatus esset hilariter: prout solebat fieri messis vindemiæque tempore: vide in Psal. 4. 8.
[a] *Heb. bonus corde, aut bonum esset cor ejus.*
[5] rei novitate perterritus.
[6] i. me ducens in uxorem protectionem meam suscipias: vide suprà 2. 12. & annotata in Gen. 20 16.
[7] vide supr. 2. 20.
[8] quòd socrum tuam mariti tecordatione sequuta es, magnum quidem est: sed majus adhuc quòd posthabita ætatis & formæ meæ ratione, mariti propinquum juvenibus formosis præfers.
[9] id est, connubium quod expetis cum vindice procurabo.
[b] *Heb. tota porta populi mei: synecdoche pro tota civitate.*
[c] *Heb. strenuitatis.*
[d] *Heb. vir proximum suum.*
[e] *Heb. quod est super te.*
[10] ad conficiendum quòd Ruth promiserat, ut sequens caput ostendit.
[11] nam ipso diluculo venerat, ita ut socrus eam de facie agnoscere non posset, suprà ℣. 14.

CAPUT IIII.

Bohaz Rutham Moabitidem cum hæreditate Elimeleci a propinquiore in judicio concessam, sibi in uxorem accipit: ex qua suscipit Hobedum Davidis avum.

BOhaz autem ascendens [1] ad portam, considebat ibi; quum ecce vindex ille transiret

[1] id est, ad locum judicii, nimirum expectans dum vindex propinquior rediret peregrè.

de

[a] de quo loquutus fuerat Bohaz, cui dixit, [a] adesdum, sede hic, [b] heus tu. N; qui accedens sedit.
2 Tum assumens *Bohaz* decem viros e Senioribus civitatis dixit, sedete hic; qui sederunt.
3 Posteà dixit vindici illi, partem agri, qui
fuerat cognati nostri Elimeleci, [c] [3] alienavit Nahomi, quæ reversa est ex agro Moabitarum.
4 Quam ob rem ego [d] statui revelare te audiente, dicendo, compara coram his assidentibus, & coram Senioribus populi mei, si vendicaturus es, vendica, quòd si non [4] vendicaturus es, indica mihi [5] ut cognoscam, nam nullus *est* præter te qui vendicet, & ego *secundus* sum a te: qui dixit, ego vendicaturus sum.
5 Sed dixit Bohaz, quo die comparabis agrū illum *alienatum* a manu Nahomi; omnino a Rutha Moabitide uxore demortui comparaveris, [6] ut excites nomen demortui in possessionem ejus.
6 Tum dixit vindex ille, non possum vendicare mihi, [7] ne perdam possessionem meam: vendica tu tibi [e] id cujus meæ erant vindiciæ; nam non possum vendicare.
7 (Hoc autem antiquitus in Jisraële *obtinebat* in vindiciis & [8] in permutatione ad stabiliendam unamquamque rem, detrahebat [9] vir *ille* calceum suum, & dabat [10] proximo suo: & hoc *erat* ejus *rei* testimonium in Jisraële)
8 Quum ergo dixisset vindex ille Bohazo, compara tibi; [11] extraxit calceum suum.
9 Tum dixit Bohaz Senioribus illis & toti
populo, testes *estis* hodie me comparare quæcunque *fuerunt* Elimeleci, & quæcunque *fuerunt* Ciljonis & Machlonis; *alienata* a manu Nahomi:
10 Præterea etiam Rutham Moabitidē uxorem Machlonis comparo mihi in uxorem, ad excitādum nomen demortui in possessionem ejus, ut non exscindatur nomen demortui a fratribus suis, & a [12] porta loci sui: testes estis hodie.
11 Cui dixerūt totus populus qui *erat* in porta, & Seniores, testes *sumus*: reddat Jehova hanc mulierem quæ ventura est domum tuam, similē Rachelæ & Leæ, quæ exstruxerunt ambæ domum Jisraëlis, & [13] compara opes [14] Ephrathæ, [f] & fac [15] prædicetur nomen Beth-Lechemi:
12 Sitque domus tua ut domus Peretzi, quem peperit Thamar Jehudæ; ex illo semine quod daturus est tibi Jehova de puella hac.
13 Accepit itaque Bohaz Rutham [g] nubentem sibi, & congressus est cum ea; deditq́; ei Jehova ut [h] conciperet & pareret filium.
14 Tum dicebant mulieres *socrui* Nahomi, benedictus *sit* Jehova, qui non destituit te vindice hodie; ut celebretur [16] nomen ejus in Jisraële.
15 Hic erit tibi instaurator [i] vitæ; idq́; sustentando canitiem tuā. quia nurus tua quę diligit te, peperit eum, quæq; est melior tibi septem filiis.
16 Accipiensque Nahomi natum illum, [17] apposuit eum sinui suo: fuitq́; ei vice nutricis.
17 Indiderunt autē ei vicinæ nomē, dicentes, natus est filius Nahomi: vocaverūt enim nomē ejus [18] Hobedū, is *est* pater Jischai, patris Davidis.
18 Atque hæ *sunt* generationes Peretzi: Peretz genuit Chetzronem.
19 Chetzron autem genuit Ramum: & Ram genuit Hamminadabum.
20 Hamminadab autem genuit Nachschonem: & Nachschon genuit Salman.
21 Salmon autem genuit Bohazum: & Bohaz genuit Hobedum.
22 Hobed autem genuit Jischajum: & Jischai genuit Davidem.

[a] cum Rutha suprà 3.15. [a] *Heb. accede.* [b] *Heb. peloni almoni, hoc est (si græcè reddas) ὁ δεῖνα. sic loquuntur Hebræi quum certum hominem significare volunt, neque tamen nominare: sic 1.Schem.21.3. & 2.Reg.6.8.* [c] *Heb. vendidit.* [3] id est, in filium Machlonem transtulit, quo mortuo ad Rutham uxorem devoluta est: hoc autem ambiguè enunciavit Bohaz, ut hominis illius mentem penitùs cognosceret, antequàm illius conditionis de ducenda Rutha injiceretur mentio. [d] *Heb. dixi revelabo auri tuæ dicendo.* [4] apostrophe ad seniores primùm, deinde ad vindicem, qua non observata, locus videtur obscurior. [5] statuam quid mihi faciendum sit: ut Gen.18.21. [6] secundùm legem Deut.25.5. vide annotata ibi. [7] quasi dicat, ne si unam tantùm prolem suscipiam, non mihi, sed mortuo suscipiam: ideoque hæreditatem meam ita perdam, ut Elimelec & filii ejus suam: eadem ratio fuit Onanis Gen.38.8. [e] *Heb. redemturam meam, vel vindicias meas.* [8] id est, in omni publico alienationis genere: synecdoche: nam permutatio antiquissimum est alienationis genus; teste Aristotele Ethicorum ad Nicomachum lib.5. cap.5. [9] qui rem a se alienabat: nam calcei traditione, juris sui cessionem, & rei alienationem significabat. Etsi magis placet ut de personarum commutatione hoc loco accipias, quæ commutatio vulgo substitutio vel subrogatio dicitur. [10] in quem jus suum transfundebat. [11] passus est secundum legem ab ea, cujus connubium recusabat, extrahi, ut cui ea nuberet, illum in cessionis signum traderet.

[12] Id est, a civibus: metonymia. [13] q.d. precamur, ut qui opes in hoc matrimonio non spectasti, opulentus ex eo fias. [14] Beth-Lechemi, ut suprà 1.2. [f] *Heb. prædica.* [15] tàm demortui quàm tuum ipsius, susceptis pluribus liberis. [g] *Heb. quum fieret ei in uxorem.* [h] *Heb. cōceptum.* [16] purà illius pii vindicis, qui propinquo suo defūncto semen excitavit: ut antè viri precati fuerant, versu 11. [i] *Heb. anima.* [17] i. fovit unicè charissimeque: synecdoche. [18] id est, servientem: ab officio quod anteà dicebant eum vetulæ præstiturum.

SCHEMUELIS
LIBER PRIMUS.

PRIMUS *liber Schemuelis res gestas sub Judicibus Heli & Schemuele, ac rege Schaüle describit. Estq; historia octoginta annorum.*

Sub	Heli	40	cap.4.18.	V.
	Schemuele & Schaüle	40	Act.13.21.	

CAPUT I.

Channa Elkanæ Levitæ uxor, & Peninnæ æmula, graviter ferens, quòd jam diu sterilitatis nomine ab illa provocaretur, Deum Schilunte flens supplicat: ubi primùm ab Heli repulsa, deinde confirmata, tandem Schemuelem parit, quem jam educatum (ut ex mariti consensu voverat) in perpetuum addicit Deo.

ERAT autem vir [a] quidam [1] e
duplici Rama [2] Tzophęorū,
e monte [3] Ephrajimi, cujus
nomen Elkana filius Jerochami, filii ‡ Elihu, filii ‡ Thochu, filii ‡ Tzuphi, [4] Ephrathæus:
2 Et *erant* ei duæ uxores, nomen unius Chāna, nomen verò alterius Peninna: erantque Peninnæ nati, Channæ verò non *erant* nati.
3 Ascendebat autem vir ille e civitate sua de anno in annum, ad incurvandum se & ad sacrificandum Jehovæ exercituum, [5] Schiluntem: ubi duo filii Heli, Chophni & Pinchas, sacerdotio fungebantur Jehovæ.
4 Eratque quo die sacrificabat Elkana; ut
daret Peninnæ uxori suæ, & omnibus filiis ejus ac filiabus ejus partes:
5 Channæ verò daret partem unam [d] duplā; eò quòd Channam deligeret, & Jehova occlusisset vulvam ejus.
6 Nam ipsam [e] valde provocabat [6] æmula ejus, ut commoveret eam; quia occluserat Jehova vulvam ejus.
7 Sic autem faciente eo quotannis, quum illa ascenderet in domum Jehovæ ita *æmula* provocabat eam; ut fleret ac non comederet:
8 Quamvis diceret ei Elkana vir ejus, Chāna quare fles? & quare non comedis? & quare malè se habet [f] animus tuus? an non melior sum tibi quam decem filii?
9 Surrexit itaq; Channa, postquàm comedisset

[a] *Heb. unus.* [1] id est, ex ea quæ in duas civitates divisa erat. [2] incolarum regionis Tzuphi, de qua infrà 9.5. [3] ut a Rama Binjaminis & Naphthali distinguatur. ‡ *Eliab, 1.Chr.6.27. & Eliel, ibid. V.34.* ‡ *Nachath, ib. V.26. & Thoach, ibid. 34.V.* ‡ *Tzophai ibid. V.26.* [4] i. ex agro Ephrajimitarum. [5] ubi tabernaculum constiterat inde a septimo anno Jehoschuhæ: vide Jehoschuhæ 18.1.

[b] *Heb. facierum.* [c] *Heb. & provocabat eam æmula ejus etiam provocatione.* [6] Peninna altera uxor: nam ita vocantur uxores digamorum, Leviti. 18.18. propter mutuam ipsarum inter se zelotypiam, de qua in Gen.4.23. [d] *Heb. cor tuum: ut infrà V.13.*

dissetille Schilunte, & postquam bibisset; quum
Heli Sacerdos sederet in solio ad postem templi
Jehovæ :
10 Quumque esset [e]amaro animo; supplica-
vit Jehovam,& [f] vehementer flevit:
11 [7]Vovitq; votum dicens, Jehoua exercituũ,
[g] si omnino respiciens ad afflictionem ancillæ tuę
recordaberis mei,& non oblivisceris ancillæ tuæ,
sed dabis ancillæ tuæ semen [h] masculum; utique
dabo ipsum Jehovæ omnibus diebus vitæ ejus,&
[8] novacula non [i] admovebitur capiti ejus.
12 Erat autem quum illa [k] multis supplicaret
coram Jehova : ut Heli observaret os ejus:
13 Nam Channa loquebatur cum animo suo,
tantùm labia ejus movebantur, vox autem ejus
non audiebatur: quapropter reputabat eam Heli
ebriam :
14 Eique dixit Heli, quousque ages ebriam?
[9] amove vinum tuum a te.
15 Sed respondens Channa dixit,nequaquam
domine mi, mulier [l] ægra animo sum, & vinum
aut potum inebriantem non bibi; sed effundo *de-
siderium* animi mei coram Jehova.
16 [m] Ne compares ancillam tuam cum ulla
fœmina nequam : nam præ magnitudine medi-
tationis meæ & indignationis meæ *sic* loquuta
sum hactenus.
17 Tum respondens Heli dixit, [10] abi cum pa-
ce : Deus autem Jisraëlis det petitionem tuam
quam petiisti ab eo.
18 Quæ dixit, [11] inveniat ancilla tua gratiam
in oculis tuis : sic abiens mulier illa itinere suo
[12] comedit, & [n] facies non erat ampliùs ei *tristis*.
19 Quumq; surgentes manè incurvavissent se
coram Jehova, & revertentes pervenissent do-
mum suam Ramam; cognovit Elkana Channam
uxorem suam,& Jehova [13] recordatus est ejus.
20 Fuit enim [14] post revolutiones [o] temporis
ex quo concepit Channa, ut pareret filium : vo-
cavitq; nomen ejus [p] Schemuelem, nam, *inquit*,
a Jehova petivi illum.
21 Deinde ascendente ipso viro Elkana cũ tota
familia sua; ad sacrificandum Jehovæ sacrificium
illud anniversarium, & [15] votum suum *persolven-
dum :*
22 Channa non ascendit : dicebat enim viro
suo, *non ascendam*, donec [16] educatus fuerit puer
iste, tunc adducam eum ut comparés in conspe-
ctu Jehovæ, [17] maneat ibi [18] usque in seculum.
23 Cui dixit Elkana vir ejus, fac quod bonum
videtur in oculis tuis, mane donec educaveris e-
um, tantummodò præstet Jehova verbum suum:
Sic mansit mulier illa ut lactaret filium suum, do-
nec educasset eum.
24 Deinde abduxit eum secum, postquam e-
ducavit eum,cum juvẽcis tribus, & Epha uno fa-
rinæ,& utre vini,introduxitq; eum *in* domum Je-
hovæ Schilunte (puer autem *erat admodum* pu-
er)
25 Mactaveruntque juvencum, quum adduce-
rent puerum ad Helin.
26 Cui dixit *Channa, attende* ad me domine mi,
[9] *ut* vivit anima tua domine mi; sum mulier illa
quæ stabat tecum hîc supplicando Jehovam.
27 Pro puero isto supplicabam; præstititque
mihi Jehova petitionem meam, quam petebam
ab eo.

e Heb. *amara animo.*
f Heb. *flendo flevit.*
7 sive sub conditione,si maritus cõprobaret, sive cõsensum illius antè audiverit : vide legem Numer. 30.
g Heb. *respiciendo respexeris.*
h Heb. *virorum.*
8 id est, Neziræus erit ex voto, Numer. 6.
i Heb. *ascendet.*
k Heb. *multiplicaret supplicando.*
9 q.d. quin potiùs vides, ut vinum istud tuum e dormias, quàm ut turpiter eructes coram Jehova? id enim est fœminæ nequam, ut Channa loquitur infrà ver. 16.
l Heb. *dura spiritu.*
m Heb. *ne des ancillam tuam coram filia Beli Jahal, i. nequitiæ.*
10 i. hac sollicitudine te libera, & fac ut animus tuus in Dei providentia acquiescat proculdubio res tuas curaturi, sic 2. Reg. 5.19.
11 id est, ut jam pro me oras, ita precor ut porrò facias.
12 quum responsum & præcationẽ Sacerdotis pro oraculo accepisset.
n Heb *facies ejus non erat* ut fuerat priùs.
13 ut Genes. 21.1. & sup. 11. nam hæc verba sunt illius versus epitome.
14 exacto ordinario graviditatis tempore.
o Heb. *dierum.*
p i. *petitum a Deo forti; nomine ex duobus corruptis & ex integro composito.*
15 commune ipsius & uxoris votũ, de Schemuele Deo dicando.
16 id est, eousque provectus ut ministrare possit : nam hoc verbum non tantùm est a mãma disjungere, sed educare, Num. 17.23. & 1. Reg. 11.20. [17] id est, ne sit mihi necesse eum educandum reducere, sed maneat a me emancipatus perpetuò : nam alioquin posteà Schemuelis domicilium fuit Ramæ, quum legitima sua administratione functus esset, infrà 7.16. [18] id est, in perpetuum, sive æternum : vide in Genes. 17.8. Exodi. 21.6. & infrà 13.13. [19] quasi dicat, per tuam vitam obsecro, ut attendas ad me.

28 Quam ob rem ego quoque precario da-
tum sisto eum Jehovæ omnibus diebus quibus
fuerit, ipse rogatus precario [20] *est* Jehovæ: incur-
vavitq; se *Schemuel* ibi Jehovæ *honorem exhibens.*

20 a nobis mancipatur ei & deditur, ut ministret ei.

CAPUT II.

Channa cantico Deum celebrat : Filii Heli sacerdotali munere ad sua scelera abutuntur, & Jisraëlitas a sacris alienant, nec a patre debita severitate castigantur : quare Deus iratus exitium ipsi Heli & ejus posteritati denunciat.

TUnc orans Channa dixit, [1] exsultat [a] animus
meus in Jehova, elevatur [2] cornu meum in
Jehova : dilatatur os meum [3] contra hostes me-
os, nam lætor de salute tua.
2 [4]Nullus *est* sanctus ut Jehova, nam nullus
est præter te : & nulla *est* rupes ut Deus noster.
3 Ne [b] multis loquimini admodum elatè, *ne*
prodeat [c] superbum *quicquam* ex ore vestro: [5]nam
Deus fortis [d] omni notitia præditus *est* Jehova, &
[6] non disponuntur actiones.
4 [e] Arcu valentes conteruntur; & collapsi
accinguntur robore.
5 Saturi ob panem operam suam locant, fa-
melici autem [7] desinunt: adeò ut sterilis [8] septem
pariat,& [f] abundans filiis elanguescat.
6 Jehova morte afficit, & in vitam restituit;
demittit in sepulcrum, & educit.
7 Jehova depauperat,& ditat; deprimit, eti-
am extollit.
8 Erigit e pulvere tenuem, e sterquilinio ex-
tollit egenum; collocando cum ingenuis, & fa-
cit ut solium gloriæ possideant : nam Jehovæ *sunt*
[9] cardines terræ, quibus imposuit orbem habita-
bilem.
9 [10] Pedes eorum quos benignè accepit
conservabit, improbi verò in tenebris [11] contice-
scent: quia viribus *suis* [12] non obtinebit quisquam.
10 *Singuli* contendentes in Jehovam conte-
rentur, contra quemque in cælis intonabit, Je-
hova judicabit fines terræ: [13] nam dabit fortitu-
dinem regi suo, & extollet cornu uncti sui.
11 Deinde abiit Elkana Ramam in domum
suam; puer autem ministrabat Jehovæ in con-
spectu Heli Sacerdotis:
12 [14]Quamvis filii Heli [g]nequam essent [15]nec
agnoscerent Jehovam.
13 [16] Ratio enim Sacerdotum istorum cum
populo *hæc erat :* quum ullus quispiam sacrifica-
bat sacrificium, veniebat puer Sacerdotis dum
coqueret carnes, habens fuscinam tridentem in
manu sua:
14 Incutiensque in labrum, aut in lebetem,
aut in ahenum, aut in cacabum, quicquid depro-
mebat fuscina illa, accipiebat Sacerdos ex eo :
sic faciebant Schilunte, omnibus Jisraëlitis veni-
entibus illuc.

1 Propositio est; quasi dicat, ex salutari hoc tuo beneficio tantam lætitiam concepi, ut animus qui priùs tristis erat, exsultet, caput abjectum elevetur,& os occlusum dilatetur. Est enim totum hoc canticum metaphoris, asyndetis, & apostrophis refertum.
a Heb. *cor meum.*
2 pro capite firmo, valido, & benè instructo : synecdochica est translatio, ut versu 10.
3 sive Peninnam æmulam, sive alios qui mihi sterilitatis opprobrium objiciebant : nam est indefinitè dictum.
4 Confirmatio propositionis tribus argumentis: primum a natura Dei sanctissimi, & qui solus a creaturis sanctificandus est : Secundũ a singulari ejus fide, beneficentia, & protectione erga suos, *Non est rupes, &c.* Tertium ab universali ejus providentia & dispositione rerum omnium : qui postremus locus exemplis aliquot antitheticis confirmatur.
b Heb. *ne multiplicetis, loquamini altum altum.*
c Heb. *durum, densum.*
5 duobus argumentis dehortatur a malo: primò quia Deo omnia consilia perspecta sunt : altero, quia omnia pro voluntate sua moderatur & disponit. [d] *Heb. notitiarum.* [6] putà sine ipso, aut sine voluntate & administratione ejus, quasi dicat, utut offeramini, tamen nihil omnino sine ipso essetis effecturi. [e] *Heb. arcus valentium, hypallage.* [7] nimirum famelici esse. [8] id est, multos; finitus numerus pro indefinito, ut Ruth 4.11. [f] *Heb. multa filiis.* [9] id est, poli, quos circum versatur terra: sic a thesi confessa apud omneis confirmat singularem Dei providentiam. [10] Conclusio prophetica, qua divinam protectionem & salutem eis quos benignè accepit in Christo promittit; contrà verò iram & exitium ejus adversariis denunciat. [11] confusione & metu, ut piorum os contrà dilatatur sup. v. 1. [12] ut suprà in fine versus tertii. [13] Vaticinatur de regno futuro in populo Dei, quod propriè pertinet ad Christum : quasi dicat, suos servabit & adversarios perdet per regem suum Christum, cui omnem potestatem daturus est in cælo & in terra. [14] i. quamvis huic puero multæ & graves occasiones offerentur abalienandi se a cultu Dei, & a ministerio Sacerdotis Heli per offensiones filiorum ejus. [g] *Heb. filii Beli-Jahal.* [15] videl. factis, ut ad Titum 1.16. [16] i. forma quam servabant non lege, sed nefaria usurpatione & præsidentia auctoritatis suæ : sic 1. Schem. 8.9. & 11. & 1. Reg. 18.22. hic autem reprehenduntur duo, latrocinium inhumanum, & impium sacrilegium, binis versibus.

15 Etiam

15 Etiam quũ nondũ adolevissent illius adipem,
veniẽs puer Sacerdotis dicebat viro, qui sacrifica-
bat, da carnem assandã pro Sacerdote: non enim
accepturus est abs te carnẽ coctam, sed crudam.
16 Quod si dicebat ei vir ille, [h] potiùs jam
adoleant ipsum adipẽ, tum accipe tibi prout de-
siderabit animus tuus: dicebat hic illi, imò jam
nunc dabis, sin autem minùs, accepturus sum vi.
17 Sic erat peccatum istorum puerorum ma-
gnum valdè in conspectu Jehovæ, quia [17] sper-
nebant homines munus Jehovæ.
18 At Schemuel ministrabat in conspectu Je-
hovæ, puer cinctus [18] amiculo lineo:
19 Palliũ autẽ parvũ faciebat ei mater ejus, quod
adferebat ei de anno in annũ quũ ascenderet cũ
viro suo ad sacrificandũ sacrificiũ anniversarium.
20 [19] Benedixit autem Heli Elkanæ & uxori
ejus dicendo, reponat tibi Jehova semẽ ex muli-
ere hac, pro [20] *semine* [i] illo precario, quod exoratũ
restitueras Jehovæ; quum abirent in locum suum.
21 Nam visitavit Jehova Channam, concipi-
ensque peperit tres filios & duas filias, dum puer
Schemuel cresceret apud Jehovam.
22 Heli autem senex erat valdè: qui audiens
quæcunque faciebant filii sui toti Jisraëli, & ut
concumbebant cum mulieribus [21] quæ turmatim
conveniebant *ad* portam tentorii conventus:
23 Dicebat eis, quare facitis res hujusmodi?
ut ego audiam sermones malos *de* vobis a toto
populo, *sermones* istos.
24 [22] Nequaquã filii mei: non enim bona *est* ista
fama quã ego audio, vos avertere populũ Jehovę.
25 [23] Si peccaverit [k] ullus in alterũ, judicabit
eum [24] magistratus: sed si in Jehovã ullus peccat,
quis oret illum? non tamen auscultârunt voci pa-
tris sui, quia [25] volebat Jehova morte afficere eos.
26 Intereà puer Schemuel [l] pergebat crescere
& gratus esse; tum apud Jehovam, tum etiam a-
pud homines.
27 Venit autem [26] vir Dei ad Helin: dixitq; ei,
sic ait Jehova, an *ideò* [m] planè me ipsum revelavi
domui [27] patris tui, quum essent in Ægypto *sub-
diti* domui Parhonis?
28 Deinde eligendo illum ex omnibus tribu-
bus Jisraëlis mihi in Sacerdotem, [28] ad offeren-
dum super altare meum, ad adolendum suffitum,
ad gestandum amiculum coram me; etiam dedi
familiæ patris tui [29] *reliquias* omnium igne absu-
mendorum a filiis Jisraëlis?
29 Cur [30] recalcitratis in sacrificium meum &
in munus meum quod præcepi *in hoc* habitaculo:
& honorasti filios tuos supra me, ut saginaretis vos
e primario cujusque muneris Jisraëlis, populi *mei?*
30 Idcircò dictũ Jehovę Dei Jisraëlis; [n] [31] dixe-
ram quidẽ, domus tua, ut domus patris tui, indesi-
nenter ibunt coram me usq; in seculum: at nunc,
dictum Jehovę, [32] absit mihi, nam honorantes me
honorabo, contemtores autem mei [33] leves fient.
31 Ecce dies venturi sunt, quum [34] amputabo
brachium tuum, & brachium domus patris tui; ne
sit senex e domo tua.
32 [35] Nam postquam fueris intuitus angusti-
am habitaculi, prò omni eo quo [36] benefacturus

h Heb. adolendo adoleant.
17 Jisraëlitæ tam effræni ministrorum Dei licentia a cultu Dei, & reverentià illius abstrahebantur, vide infrà ver. 24.
18 vide in Exo. 28.40.
19 nimirum Dei verbis, tanquam Sacerdos ejus: quamobrem benedictionem hanc illi acceperunt fide, ut suprà 1. 17. & res effecta est sequente versu.
20 i Schemuele: periphrasis. hæc autem non Heli, sed auctoris verba sunt, cum versus principio conjungenda.
i Heb. illius petitionis.
21 vide Exo. 38.8. in annotatione.
22 videlicet hujusmodi facite.
23 quasi dicat, si homo hominem offendit, est cognitio civilis aut Ecclesiastica qua res componi possunt; sed si in Deum quis volens & elata manu peccet, non adhuc reliquum est pro peccatis sacrificium, neque quisquam pro eo apud Deum intercessurus est: quid ergo, si Sacerdos ipse peccet, cui sacrificiorum cura, & intercessionis munus commissum est? ut graviter argumẽtatur Cyprianus lib. 1. epist. 3. vide infrà 3.14. & numb. 15.30. Jirm. 7.18. & 11. 14. & 14. 11. Heb. 10.26. 1. joh. 5.16.
k He. vir in virũ.
24 vide Exodi. 22.18.
25 id est stabat sententia.
l Heb. ibat & crescens & bonus.
26 id est, Schemuel cujus vocatio per ὑστέρον explicatur ca. seq. sic modestè Schemuel de se ipso & admininistratione sua loquutus est.
m Heb. revelando revelavi.

27 Aharonis. 28 quæ cõmunia erant omnibus Sacerdotibus tam ex Elhazare quàm ex Ithamare descẽdentibus. 29 ut Num. 18. est lex. 30 cõtemnitis & quasi pedibus teritis: metaphora a refractario pecore. n He. dicendo dixeram. 31 in prima Sacerdotii institutione Exodi 28.43. & 29.9. 32 ut domũ tuam totam ea lege stabiliam. 33 prout Mosche meo nomine pronunciauit Levitici 10.3. 34 id est, totam familiã tuam exscindã, adeò ut tantũ juvenes aliquot supersint: quod factum esse apparet, quum uno die Heli cum duobus filiis caderet, infrà cap. 4. superstites enim remanserunt Achitub & Icabod, de quibus infrà 14.3. 35 te vivo accidet, ut habitaculũ angustia prematur arcã amissã, infrà 4.11. & seq. tu verò hac re confecta illicò morieris; neq; tu senex supervicturus es, neque alius quisquam ad senium perventurus. 36 Si tu & tui cultum Dei conservassetis.

fuisset *Deus* Jisraëli; non est futurus senex in fa-
milia tua omnibus diebus his.
33 [37] Is autem *quem* [38] non exscindam tibi ab
altare meo; [39] *esset* ad consumundum oculos tuos
& ad cruciandum animum tuum: nam tota so-
boles domus tuæ *reliqua* morientur virili ætate.
34 Atque hoc [40] tibi *esto* signum, quod even-
turum est duobus filiis tuis, Chophni & Pincha-
so: die uno morientur ambo.
35 [41] Statuam verò mihi Sacerdotem firmum,
qui quemadmodum *est* in corde meo & in animo
meo faciet: & ædificabo ei [42] domum firmam, ut
indesinenter ambulet coram [43] uncto meo omni-
bus temporibus.
36 Eritque *ut* quicunque reliquus fuerit in fa-
milia tua [44] veniat incurvatũ se *honorem exhibendo*
illi pro nummulo argenteo & segmento panis; ac
dicat, cooptà me quæso in unam e functionibus
sacerdotalibus, ut comedam frustum panis.

37 id est, præter calamitatem quam tuo tempore immittam, non est sobolis tuæ melior futura conditio: nam illa quoque tota violenta morte tolletur, infrà 22. 27. Ebjatharem autem, quem non tollam violenta morte in illa clade, reservabo ad subeũdas magnas calamitates. 1. Reg. 2. ver. 26.
38 i. tecum in illa prima clade qua moriturus es.
39 putà si adhuc eo tempore superviveres.

40 i. initium tuæ calamitatis erit a morte filiorum, ex quo argumentũ sumes reliquarum calamitatum tibi denunciatarũ. vide in Jirm. 49.34. 41 quasi dicat, etsi de te & de tuis facturus sum ut denunciavi, cõstanter tamen præstiturus sum promissionem meam, de qua suprà ver. 30. 42 id est, faciam ut non intercidat ejus posteritas, & munus illius continuabo. Intelligit autem Tzadokum, qui fideliter ex voluntate Dei Davidi & Schelomoni hæsit, ac proinde in summũ Sacerdotem unctus est: 1. Chron. 29.22. & Sacerdotium in posteris ejus semper cõtinuatũ: sic infrà 25.28. 43 i. coram Christo Jesu summo Sacerdote nostro. 44 hoc impletum est, postquàm Ebjathar sacerdotio a Schelomone abdicatus, & Hanathothas ablegatus est, 1. Reg. 2.26. nam non poterat sine cibario Dei ex suo agello ipse cum familia sua victitare: postremò autem publico judicio definitum a Joschija, 2. Reg. 23.9. & divinitus in perpetuum confirmatum Jechezkel, capitis quadragesimi quarti ver. decimo & sequentibus.

CAPUT III.

Deus Schemueli cladem familiæ Heli prædicit, eamq; per ipsũ Sacerdoti Heli denunciat: Deinde Schemueli famã & auctoritatem apud totũ Jisraëlem conciliat.

Dum [1] enim puer Schemuel ministrabat Jeho-
væ [2] coram Heli, sermo Jehovæ fuerat [a] rarus
temporibus illis, nec *fuerat* visio [b] [3] aperta.
2 Sed fuit [4] die illa, Heli cubãte in [5] loco suo (oculi
autẽ ejus cœperant caligare, [6] nõ poterat videre)
3 Schemuele quoq; cubante, [7] quum non-
dum lucerna Dei extingueretur; in templo Jeho-
væ ubi *erat* arca Dei:
4 Ut vocaret Jehova Schemuelem, qui dixit,
ecce me:
5 Et accurrens ad Helin dixit, ecce me, voca-
sti enim me, sed dixit, non vocavi, revertere [c] cu-
bitum: qui abiens cubavit.
6 [d] Iterum autem Jehova ampliùs vocavit
Schemuelem; quare surgens Schemuel abiit ad
Helin ac dixit, ecce me, nam vocasti me: qui di-
xit, non vocavi fili mi, revertere cubitum.
7 At Schemuel nondum [8] agnoscebat Jeho-
vam; necdum revelatus fuerat ei sermo Jehovæ.
8 Deinde Jehova vocavit ampliùs Sche-
muelem tertiò; qui surgens abiit ad Helin ac
dixit, ecce me, nam vocasti me: tum intellexit
Heli Jehovam *esse* qui vocaverat puerum.
9 Quapropter dixit Heli Schemueli, abi cu-
bitum; erit autem si vocaverit te, ut dicas, loquere
Jehova, quia audit servus tuus: sic abiens Sche-
muel cubavit [9] in loco suo.
10 Veniens autem Jehova substitit, quum vo-
casset [e] ut anteà, Schemuel, Schemuel; dixissetq;
Schemuel, loquere, quia audit servus tuus:
11 Ac dixit Jehova Schemueli; ecce ego factu-
rus sum rem [10] in Jisraëlem; quam quisquis au-
diverit, [11] tinnient ambæ aures ejus.
12 Die illa præstabo Heli [12] quicquid loquor

1 vide annotata suprà 2.27.
2 i. institutore Heli, & moderatore illius ministerii in quod Schemuelem oportebat incumbere. De Jehova autem & sermone ejus vide infrà in versum ultimum.
a Heb. pretiosus.
b Heb. perrupta.
3 i. fuerunt quidem singulares & privatæ visiones cũ piis communicatæ, ut cum Manoacho, Judic. 13. sed publicè Prophetarum omne officium jacebat.
4 quum Deus virum suũ mitteret ad Helin, declaratum ea de quibus suprà 2.27.
5 in atrii parte tabernaculo proxima, ubi erant Sacerdotum cellæ.
6 videlicet clarè: nam tantũ cœperãt caligare oculi.
7 id est, ante tempus matutinum, quousq; ardebant lucernæ, Exo. 27. 20. & 21. & 2. Chron. 13.11.
c Heb. revertere, cuba, sic deinceps.
d Heb. & addidit Jehova adhuc, &c. sic V. 8. 8 cujus rei Schemuelem admonuit Heli, inf. V. 9. 9 id est, in remotiore tabernaculi parte, ubi erant Levitarũ cellæ. e He. hac vice ut vice. 10 Non tantùm in domũ Heli, sed etiam in populũ qui Sacerdotum offensione spernebant cultũ Jehovæ, suprà 2.17: cladem autem intelligit de qua inf. 4.2. & 20. V. 11 id est, adeò audiens percelletur, ut præ horrore sensus ejus hebetẽtur. 12 quod quia capite superiore cõtinetur, brevitatis causâ est omissum.

contra familiã ejus; [13] incipiendo & perficiendo.

13 Indico enim ei me vindicaturum esse familiam ejus usque in seculum: propter iniquitatem quam [14] novit, quia maledictionem inferentibus sibi filiis suis, [15] non tamen repressit eos.

14 Ideóque juro familiæ Heli; *ne vivam*, [16] si expiabitur iniquitas familiæ Heli *ullo* sacrificio & munere usquę in seculum.

15 Quum itaq; cubuisset Schemuel usq; manè, aperiebat [17] valvas domus Jehovę; Schemuel enim timebat indicarę Heli istam visionem.

16 Sed vocavit Heli Schemuelem dicens, Schemuel fili mi: qui dixit, ecce me:

17 Et dixit, quis *est* sermo ille quo alloquutus est te? ne quæso celes me: [18] ita faciat tibi Deus & ita pergat, si celaveris me quicquam ex toto sermone quo alloquutus est te.

18 Itaque indicavit ei Schemuel omnes illos sermones, nec celavit eum: qui dixit, Jehova est, quod bonum *videtur* in oculis suis faciat.

19 [19] Quum autem crevisset Schemuel; Jehova erat cum eo, adeò ut non sineret decidere ullum ex omnibus sermonibus ejus [20] in terram:

20 Unde cognovit totus Jisraël [21] a Dane usque Beerschebahum; Schemuelem stabilitum esse prophetam Jehovæ.

21 Nam pergebat Jehova apparere Schilunte; [22] postquam revelasset se Jehova Schemueli Schilunte in [23] sermone Jehovæ.

[13] id est, totum id a principio ad finem, quod 6. ultimis V.2.cap. denunciatur, similis loquutio est, quũ dicuntur res priores & posteriores, pro eo quod est a capite ad calcem: quæ passim legitur in libris historicis.
[14] id est, cujus est reus ratione illa quæ subjungitur.
[15] ea severitate & modis quibus debuit pro auctoritate patris, Sacerdotis, & judicis, ac scelerum magnitudine. Vide lenitatem ejus suprà 2.V.23.& sequentibus.
[16] vide annotata suprà 2. V.25.
[17] id est, atrii, ut Jisraëlitis adoraturis parerent.
[18] Imprecatio, de qua vide Ruth. 1.17.
[19] explicat fusius quod suprà 2.26. attigerat: sunt autem hęc parascevastica ad sequentia. [20] ita ut affectum suum non sortiretur: metaphora a semine, cui sato benedicit Deus. [21] vide Judic.20.1. in annotatione. [22] id est, cœpisset revelare. supra V.7. [23] i. in Christo Jesu: qui superioribus quidem temporibus Angelus Jehovæ dictus est, in libris præcedentibus: deinceps verò prout succedẽte tempore se patefecit clariùs, sermo Jehovæ appellatur, ut 2. Schem.7.21. atq; huc respexit illa distinctio qua auctor usus est suprà V.1.

CAPUT IIII.

Jisraëlitæ priore prælio contra Pelischthæos fusi, arcam Dei in castra adduci jubent: tum graviore adhuc clade accepta, arcam Sacerdotibus interfectis amittunt: ad cujus rei famam Heli & nurus pariens moriuntur, ut prædixerat Deus suprà capite 2. & 3.

[a] EVenit autem sermo Schemuelis [1] toti Jisraëli; quum egressi Jisraëlitę obviã Pelischthęis in bellũ castrametarẽtur ad illũ *locum* qui *dicitur* [2] Eben Hezer, & Pelischthęi castra haberẽt [3] Apheki.

2 Nam quum acie instructa Pelischthęi *irent* obviam Jisraëli & [b] consereretur prælium, plaga affectus est Jisraël coram Pelischthæis: & percusserunt ipso conflictu in eodem agro quasi quatuor millia virorum.

3 Quã ob rem veniente populo in castra; dixerũt Seniores Jisraëlis, [4] quare plaga affecit nos hodie Jehova corã Pelischthęis? assumamus ad nos Schilunte arcã fœderis Jehovę, ut procedẽs in medio nostri servet nos e manu inimicorũ nostrorũ.

4 Misit itaq; populus Schiluntem, ut deportarent inde arcam fœderis Jehovę exercituum, [5] insidentis Cerubinis: *erant* autem ibi cum arca fœderis Dei duo filii Heli, Chophni & Pinchas.

5 Fuit autem quum veniret arca fœderis Jehovę in castra, ut vociferarentur omnes Jisraëlitæ vociferatione magna; adeò ut perstreperet terra.

6 Audientes autem Pelischthęi sonũ illius vociferationis dicebant, quid *sibi vult* sonus vociferationis maximę istius in castris Hebręorũ? & intellexerunt arcam Jehovę venisse in castra eorũ.

7 Quapropter timentes Pelischthęi, quum [c] diceretur Deus venisse in castra eorũ, dicebant, vę nobis, quia non fuit tale quidpiam [d] antehac.

8 Væ nobis; quis nos eripiet e manu [6] istorum deorũ magnificentissimorum? hi sunt illi dii qui

[a] *Heb. fuit: sic Gen.24.15.*
[1] Nam mala denunciârat non tãtùm domui Heli: sed etiam Jisraëli suprà 3.11. & sequẽtibus: ex quorum prædictione & eventu ei respondente apud Jisraëlem Shemueli auctoritas cõparata est, suprà 3.19.& 20.V.
[2] per anticipationem: nam nomen hoc consequutus est ex victoria de qua infrà 7.19.
[3] civitas est Jehudæ, Jehos.15.53.
[b] *Heb. extenderetur vel explicaretur.*
[4] ut homines gravitate ferulæ attoniti loquuntur, sed vacui cõscientia peccati & indignitatis suæ, quum arcam afferri jubent.
[5] e quorum medio responsa dabat, Num.7.19.
[c] *Heb. dicerent venit Deus, &c.* [d] *Heb. heri nudiustertius.* [6] de unico vero Deo impiè, ut deorum multorum cultores, loquuntur.

percusserũt Ægyptios [7] singulis plagis, [8] in deserto.

9 Confirmate vos, & estote viri, ô Pelischthęi, ne serviatis Hebræis quemadmodum serviẽrunt vobis: sitis igitur viri & pugnetis.

10 Pugnantibus itaque Pelischthæis, iterum plaga affecti Jisraëlitæ fugerunt quisque ad tentoria sua, fuitq; plaga illa magna valdè: nam ceciderunt ex Jisraële triginta millia peditum:

11 Et arca Dei capta est; duoq; filii Heli mortui sunt, Chophni & Pinchas.

12 Tum currens quidam Binjaminita ex ipsa acie, venit Schiluntem eodem die, vestibus suis laceris, & [9] terra capiti suo inspersa.

13 Quo ingrediente ecce Heli sedebat [10] in solio, latus vię observãs, erat enim [e] animus ejus trepidus propter arcam Dei: quúmq; vir ille ingressus est nũciando per civitatẽ, exclamavit tota civitas.

14 Audiens verò Heli sonum istius clamoris dixit, quid *sibi vult* sonus ipsius multitudinis? tum vir ille festinans venit, ut nunciaret Heli.

15 (Heli autem natus *erat* nonaginta octo annos; & oculorum ejus *acies* caligaverat ita ut non posset videre)

16 Dixitq; vir ille *Sacerdoti* Heli, ego *sum* qui venio ab ipsa acie, nam ego ex ipsa acie effugi hodie: cui dixit, quid fuit rei, fili mi?

17 Tum respõdens nuncius ille dixit, fugit Jisraël coram Pelischthęis, & etiam magna plaga fuit in populo: quin etiam duo filii tui mortui sunt, Chophni & Pinchas, & arca Dei capta est.

18 Fuit ergo quũ mentionem faceret ille arcæ Dei, ut caderet *Heli* e solio retrorsum ante latus [11] portę, ita ut fracta vertebrarũ cervicis suę compage moreretur, senex enim *erat* vir ille & gravis; judicaverat autem Jisraëlem quadraginta annis.

19 Pręterea nurus ejus uxor Pinchasi pręgnans [f] proxima partui; quum audiret hanc famam de capta arca Dei, & mortuo socero suo ac viro suo: incurvavit se ut pareret, quia [g] irruerant in eam dolores ejus:

20 Quũq;, quo tempore moriebatur, dicerent quę adstabant ei, ne timeto, nam filium peperisti; non tamen respondit, neq; opposuit animũ suum.

21 Indiderat autem nomen puero ipsi [h] I-Cabodem, dicendo, emigravit gloria ab Jisraële; *audiens* de capta arca Dei, & de mortuo socero suo ac viro suo.

22 Dicebat enim, emigravit gloria ab Jisraële; [12] propterea quòd capta esset arca Dei.

[7] de illis loquitur, quibus affecti Ægyptii Jisraëlitas dimittere coacti sunt, de quibus in Exodo usque ad 12. cap.
[8] ubi Ægyptii Jisraëlitas persequentes in mari algoso submersi sunt, quod deserto Ethami conjunctum erat, Exodi 13.20. vide annotata Exodi 15.22.
[9] vide annotata Jehosch.7.6.
[10] quod erat ad limen templi Jehovæ, suprà 1.9.
[e] *Heb. cor erat, sic V 20.*
[11] atrii ante templum Dei, unde solitus erat consulentibus respondere.
[f] *Heb. ad pariendum.*
[g] *Heb. vertebant se in eam dolores ejus.*
[h] *i. non est gloria.*
[12] quasi dicat, illud eam inprimis cruciabat, & domesticam calamitatem publicæ postponebat, ut de Heli quoque apertè dicitur 18. versu.

CAPUT V.

Deus in Pelischthæos propter abductam arcã suam animadvertens, deũ eorũ comminuit, eosq; gravi plaga afficit; adeò ut cõsiliũ de remittenda arca inire cogantur.

PElischthęi autem ceperunt arcam Dei; abduxeruntq; Eben-Hezere Aschdodum:

2 Ubi Pelischthęi acceptam arcam Dei induxerunt *in* [1] ędem Dagonis: collocaveruntq; eam prope Dagonem.

3 Sed quum surrexissent Aschdodęi postridiè manè, ecce Dagon collapsus *jacebat* facie sua in terram coram arca Jehovæ; & accipientes Dagonem, restituerunt eum in locum suum.

4 Surgentibus verò manè postridiè; rursus ecce Dagõ collapsus *jacebat* facie sua in terram coram arca Jehovę: caput autem Dagonis & ambę palmę manuũ ejus abscissę *erãt* in ipso limine infero, tantùm [2] quod referebat piscem remãserat in eo.

5 Idcircò non calcant Sacerdotes Dagonis, aut ulli ingredientes *in* ędem Dagonis, limen inferum Dagonis Aschdodi; usque in hunc diem.

6 Pręterea ingravescens manus Jehovę cõtra Aschdodęos [3] desolabat eos: percutiebat enim eos

hæmorrhoi-

[1] vide de eo annotata Judic. 16.23.
[2] i. truncus vel pars Dagonis inferior ad caudam usque: qua de re consulendus Eusebius lib.1. de præparatione Evangelica.
[a] *Heb. Dagon remanserat.*
[3] homines hæmorrhoidibus, & regionem muribus infestando: de quibus infrà 6.5.

hæmorrhoidibus, Aſchdodum & terminos ejus.

7 Videntes autem Aſchdodæi ſic *rem haberi*; dicebant, non manebit arca Dei Jiſraëlis apud nos, nam dura eſt manus ejus contra nos & contra Dagonem Deum noſtrum.

8 Mittentes itaque congregaverunt omnes ſatrapas Peliſchthæorum ad ſe, quibus dixerunt, quid facturi ſumus arca Dei Jiſraëlis? dixerunt verò illi, Gathum circumducitor arca Dei Jiſraëlis: & circumduxerunt illuc arcam Dei Jiſraelis.

9 Sed fuit poſtquam circumduxiſſent eam, ut eſſet manus Jehovæ contra civitatem illam vexatione magna valde, qua percuſſit cives illius civitatis a minimo uſque ad maximum: [4] nam occultæ invaleſcebant in eos hæmorrhoides.

10 Quapropter miſerunt arcam Dei Hekronem: fuitq; [5] quum intraret arca Dei Hekronem, ut clamarent Hekronitæ dicendo, circumduxerunt ad me arcam Dei Jiſraëlis ad morte afficiendum me & populum meum:

11 Proinde mittentes congregaverunt omnes ſatrapas Peliſchthęorum, quibus dixerunt, dimittite arcam Dei Jiſraëlis, ut revertatur in locum ſuum, neque morte afficiat me & populum meum: erat enim vexatio lethalis in tota ea civitate, gravis erat ibi valde manus Dei.

12 Homines enim [b] qui ſupervivebant, manebant affecti hæmorrhoidibus, ita ut aſcenderet exclamatio civitatis in cælum.

[4] ſiſtebatur enim ſanguis, qui interanea erodebat: quod eſt ſecundum genus hæmorrhoidis, & multò gravius, ut omnes uno ore teſtantur medici.
[5] i. jam antequam admiſiſſent, quia alienis vicinorum ſuorum exemplis percellebantur: adeò ſæva paſſim Deus ediderat ſuæ indignationis documenta, ut antecedente narratione fuit expoſitum.
[b] *Heb. non moriebantur.*

CAPUT VI.

Peliſchthæi ſuorum Sacerdotum conſilio arcam poſt ſeptem menſes cum muneribus plauſtro impoſitam dimittunt, quam Beth-Schemeſchitæ ad ſuos fines venientem irreverentiùs aſpicientes divinitùs caſtigantur: quare eam civibus Jeharimorum abducendam tradunt.

Fuerat autem arca Jehovæ in agro Peliſchthęorum ſeptem menſes:

2 Quum vocantes Peliſchthæi ſuos ſacerdotes & divinos dicerent eis, quid facturi eſſemus arca Jehovæ? inſtruite nos qua ratione remittamus eam in locum ſuum.

3 Qui dixerunt, ſi remiſſuri eſtis arcam Dei Jiſraëlis, ne remittite eam [a] *donis* vacantem, ſed [b] omnnio reddite ei [1] reatum: tunc ſanabimini, aut innoteſcet vobis [2] quare non recedat a vobis manus ejus.

4 Dicentibus autem *Peliſchthæis*, quis eſt ille reatus quem reddemus ei? dixerunt, *de* numero Satraparum Peliſchthæorum quinque hæmorrhoides aureæ, & quinque mures aurei, quia plaga eadem *eſt* omnibus iſtis & ſatrapis veſtris.

5 Nam quum feceritis [3] imagines hæmorrhoidum veſtrarum, & imagines murium veſtrorum qui corrumpunt hanc terram, & dederitis Deo Jiſraëlis gloriam: [4] fortaſſis allevabit manum ſuã a vobis, & a diis veſtris, & a terra veſtra.

6 Et quare aggravaretis cor veſtrum, [‖] quemadmodum aggravârunt Ægyptii & Parho cor ſuum? nónne poſtquam præclara geſſit in eos, tandem dimiſerunt iſtos ita ut abierint?

7 Nunc itaque [c] facite unum plauſtrum novum, & *accipite* duas vaccas fœtas, [d] quibus nunquam eſt impoſitum jugum: ut jungatis eas vaccas illi plauſtro, pullos verò earum reducetis domum [e] ne eas ſequantur.

8 Tum accipientes arcam Jehovæ imponetis eam plauſtro, & inſtrumenta iſta aurea, quæ reddideritis ei *in* reatum ponetis in capſula a latere illius: ſic dimittetis eam ut abeat.

9 Conſiderabitis autem, ſi viâ *ferente ad* terminum ejus, aſcenderit Beth-Schemeſchum, ipſe

[a] Heb. vacuã.
[b] *Heb. reddendo reddite.*
[1] oblationem pro reatu, ut Levitici 5, infrà verſu 4. & paſſim; quaſi dicant, peccatum non videmus: ſed fieri potuit ut propter omiſſum aliquem e ritibus ejus, rei ſitis.
[2] i. ipſum non eſſe in cauſa cur non recedat; ſed caſum eſſe, ut infra ℣ 9.
[3] ſ. ſedes cum hæmorrhoidibus, vel mariſcis, ut infrà ℣. 11. & 17.
[4] ita loquuntur iſti, ut de rebus ſuis incertiſſimi, ut ſuprà ver. 3. nam quis novit conſilium Domini? certè homo ψυχικὸς minimè omnium.
[‖] Exod. 12.
[c] *Heb. accipite & facite: verborum* ἐμπλοκή.
[d] *Heb. ſuper quas non aſcendit jugum.*
[e] *Heb. de poſt eas.*

affecerit nos hoc malo maximo: ſin autem minùs, utiq; cognoſcemus nequaquam manum ejus attigiſſe nos, [5] caſum eſſe *qui* accidit nobis.

10 Fecerunt itaque viri illi ſic, nam accipientes duas vaccas fœtas junxerunt eas illi plauſtro; quum pullos earum recluſiſſent domi:

11 Impoſueruntque arcam Jehovæ plauſtro illi; & capſulam ſuam unà cum muribus aureis, & cum imaginibus mariſcarum ſuarum.

12 Ita rectà contendentes vaccæ per viam illam, per viam Beth-Schemeſchi, [6] ſtratâ viâ unicâ [f] ibant indeſinenter mugientes, neque declinabant ad dexteram vel ſiniſtram: ſatrapæ verò Peliſchthæorum [g] ſequebantur eas uſque ad terminum Beth-Schemeſchi.

13 Beth-Schemeſchitæ autem metebant meſſem triticeam in convalle: qui ſublatis oculis ſuis videntes arcam gaviſi ſunt [7] inſpiciendo.

14 Quumq; perveniens plauſtrum in agrum Jehoſchuhæ Beth-Schemeſchitæ ſubſtitiſſet ibi, ubi *erat* lapis magnus; [8] fiderunt ligna plauſtri; & ipſas vaccas obtulerunt holocauſtum Jehovæ.

15 [9] Levitæ enim depoſuerant arcã Jehovæ & capſulam illam quæ *erat* prope eam, in qua *erant* inſtrumenta aurea, & impoſuerunt lapidi illi magno: Beth-Schemeſchitæ autẽ [10] offerebant holocauſta, & ſacrificabãt ſacrificia die illo Jehovæ.

16 Quod quinq; ſatrapæ Peliſchthæorũ quum vidiſſent; reverſi ſunt Hekronem [11] eodem die.

17 Hæ autem *ſunt* mariſcæ aureæ quas reddiderunt Peliſchthæi Jehovæ *in* reatum, pro Aſchdodo una, pro Hazza una, pro Aſchkelone una, pro Gatho una, pro Hekrone una:

18 Et mures aurei *de* numero omnium civitatum Peliſchthæorum, per quinque ſatrapias illas, [h] *nomine* tam civitatum munitarum, quàm vicorum paganorum; [12] uſque [i] ad lapidem illum magnum, ſuper quem collocârant arcam Jehovæ; *is eſt* uſque in diem hunc in agro Jehoſchuhæ Beth-Schemeſchitæ.

19 [13] Percuſſit autem ex Beth-Schemeſchitis, quia inſpexerant arcam Jehovæ, & percuſſit [14] ex populo quinquagies mille ſeptuaginta homines: quapropter luxerunt populus, eò quòd percuſſiſſet Jehova populum plaga magna:

20 Dixeruntq; Beth-Shemeſchitæ, quis poſſet conſiſtere coram Jehova deo ſanctiſſimo iſto? & ad quem aſcendet a nobis?

21 Miſerunt ergo nuncios ad habitatores urbis Jeharimorum qui dicerent; reduxerunt Peliſchthæi arcam Jehovæ, deſcendite, abducite eam ad vos.

CAPUT VII.

22 [15] Venerunt itaque cives urbis Jeharimorum, & abducentes arcam Jehovæ, intulerunt eam in domum Abinadabi in ipſo colle: Elhazarem autem filium ejus ſanctificaverunt ad obſervandum arcam Jehovæ.

[5] ſive fortunam, ut cæcarum gentium fuit opinio.
[6] i. nunquam deflectentes, ut ſequentia epexegeticõs oſtẽdunt.
[f] *Heb. ibant eundo & mugiendo.*
[g] *Heb. ibant poſt eas.*
[7] retectam contra legem, Num. 4, 5. & 20. ℣. ſive à Peliſchthæis retecta miſſa eſſet, ſive ab ipſis.
[8] nimirum Sacerdotes Levitici ordinis, de quibus ver. 15. erat enim Beth-Schemeſch urbs Sacerdotum, Jehoſch. 21. 16.
[9] e Sacerdotum genere, ad quos propriè hoc munus pertinebat: vide Num. 4. 5. & ſequentibus verſibus.
[10] i. ſuppeditabant animalia Sacerdotibus ad holocauſta & ſacrificia.
[11] i. quàm velociſſimè: nam & rei tam inſperatæ viſo perturbabantur ipſi, aſpectumque Dei potentiſſimi perhorreſcebant, & feſtinabant etiam aliis renunciaturi.
[h] *Heb. a civitate munita uſque ad vicum paganum: ſupple ſubminiſtrati mures.*
[12] id eſt, pro toto termino ipſorum.
[i] *Heb. luctum: nam ſic denominatus fuit lapis affini nomine a luctu populi, de quo ℣. 19. nam eben lapidem, abel luctum ſignificat, qua una tantùm litera diſcrepant.*
[13] i. eos Sacerdotes, qui ſine reverentia propiùs ad introſpiciendum in arcam acceſſerant, ſup. ℣. 13.
[14] ex Jiſraëlitis omnibus, quorum alii in ſtativis erant, ut ſuos fines a Peliſchthæorum incurſionibus defenderent; alii frequentia maxima confeſtim accurrerunt, quum Beth-Shemeſchitarum acclamationes & famam de arca reverſa audiviſſent. Quamobrem communem lectionem, conta quàm olim putavimus, hic ſervandam eſſe judicamus. [15] hunc ℣. ad ſuperiora pertinere res ipſa docet: quare cum ſuperioribus conjunximus.

CAPUT. VII.

Jiſraëlitæ Schemuelis opera ad veram reſipiſcentiam, reconciliationem cum Deo, & legum inſtaurationem adducti, vigeſimo poſt anno divinitus ab invadentibus Peliſchthæis ſervantur, & amiſſas civitates recuperant. Poſtremò forma quietæ gubernationis ſub Schemuele exponitur.

Fuit autem, ex quo tempore reſedit arca in urbe Jaharimorum, multis diebus elapſis, quum

jam esset vigesimus annus [1] ut lamentantes tota familia Jisraëlis [a] *inclamarent* Jehovam.

2 [2] Edixit autem Schemuel toti familiæ Jisraëlis, dicendo; si ex toto [b] animo vestro vos convertimini ad Jehovam, auferte deos alienigenæ *gentis* e medio vestri, & Haschtharothas: & comparantes animum uestrum ad Jehovam, colite eum solum, & eripiet vos e manu Pelischthęorũ.

3 Et amoverunt filii Jisraëlis Bahalimos & Haschtharothas; & coluerunt Jehovam solum.

4 Deinde edixit Schemuel, congregate totum Jisraëlem Mitzpam, ut supplicem pro vobis Jehovam.

5 Congregaveruntq; se Mitzpam, ubi [3] haurientes aquam effuderunt coram Jehova, jejunantesq; illo die dixerunt illic, peccavimus Jehovæ: ita [4] judicavit Schemuel filios Jisraëlis Mitzpæ.

6 Fuit verò audientibus Pelischthæis Jisraëlitas congregare se Mitzpam, ut ascenderent [5] Satrapæ Pelischthæorum versus Jisraëlem: quod quum audirent Jisraëlitæ timuerunt ab [c] adventu Pelischthæorum.

7 Quapropter dicebant Jisraëlitæ Schemueli, ne sileto pro nobis, quin inclames Jehovam Deum nostrum; ut servet nos e manu Pelischthęorum.

8 Et accipiens Schemuel agnum [d] lacteum unum obtulit eum holocaustum totum Jehovæ: inclamavitq; Schemuel Jehovam pro Jisraële, & exaudivit eum Jehova.

9 Fuit enim, Schemuele offerente holocaustum, quum Pelischthæi appropinquassent ad prælium contra Jisraëlem; ut intonaret Jehova sono magno eodem die contra Pelischthæos, & [6] funderet eos, ita ut plaga afficerentur coram Jisraële.

10 Egressi autem Jisraëlitæ Mitzpa, persequuti sunt Pelischthæos; quos percusserunt usq; ad *locum* subjacentem [7] Beth-Cari.

11 Tunc accipiens Schemuel lapidem quemdam collocavit eum inter Mitzpam & scopulum illum, cujus nomen vocavit [e] Eben-Hezerum: dicebat enim, usque huc adjuvit nos Jehova.

12 Sic depressi sunt Pelischthæi, [8] neque perrexerunt deinceps invadere terminum Jisraëlitarum: [9] erat enim manus Jehovæ contra Pelischthæos omnibus diebus Schemuelis.

13 Et [f] reductæ sunt civitates illæ ad Jisraëlem, quas ceperant Pelischthæi ab Jisraële, inde a Hekrone Gathum usque, & terminum earum eripuit Jisraël e manu Pelischthęorum: [10] fuitq; pax inter Jisraëlitas & Emoræos.

14 Judicavit autem Schemuel Jisraëlem, [11] omnibus diebus vitæ suæ:

15 Profectus enim de anno in annum obibat [12] domum Dei fortis, & [13] Gilgalem, & Mitzpam; ut judicaret Jisraëlem in omnibus locis istis.

16 (Erat verò regressio ejus [14] Ramam, quia ibi erat domus ejus, & ibidem judicabat Jisraëlem) & exstruxit [15] illic altare Jehovæ.

[1] nimirum propter graves oppressiones quas a Pelischthæis ferre cogebantur.
[a] *Heb. lamentabantur post Jehovam.*
[2] lamentantibus propter afflictiones resipiscentiam a peccatis imperauit, & populum eò adduxit tandem, his 4. versib.
[b] *Heb. corde: sic deinceps.*
[3] hyperbolica descriptio ingentis lamentationis. quasi dicat eos lacrymarum rivos ex intimo fonte cordis haustos, oculis coram domino profudisse: quo hyperbolico genere pleni sunt inter alios psalmi. Etsi potest quoque huic resipiscentiæ externum symbolum ejusmodi accessisse: quod si cui placet intelligere, per nos licet. De hac autem Mitzpa vide in Iudic. 20.1.
[4] id est, populo recipiscenti & cum Deo reconciliato jus dixit, & corruptum Iisraëliticæ Reipub. & Ecclesiæ, 1.Chro. 9.22. statum correxit.
[5] præliaturi contra Jisraëlem, cum militaribus copiis quas ideò conjunxerant, ut ostenditur infrà ꝟ. 9.
[c] *Heb. a facie: sic Gen. 36.6. facies pro adventu.*
[d] *Heb. lactis.*
[6] ut Jehoschu. 10.10.
[7] nomen scopuli illius, de quo versu. 11.
[e] *i. lapidem adjuramenti, de quo supra. 4.1.*
[8] Justo videlicet exercitu, ut dilatarent regionem suam; sed contenti erant stationario milite tueri, quæ acquisiverant: nam est proleptica narratio omnium quæ tempore Schemuelis contra Pelischthæos contigerunt, vide infrà 10 5. & 13.3. [9] ut paulatim res acquisitas amitterent, quod versus proximus indicat, & historia sequens docet. [f] *reversæ sunt.* [10] id est, inter eos nullum gerebatur bellum: sic Judic. 4.17. [11] etiam comprehenso Schaülis regno, ut apparet infrà 13. 15. & 16. capitibus. Hinc factum ut Actorum 13.21. Schemueli & Schaüli conjunctim anni quadraginta tribuantur, prout communis quoque tribuitur ipsis administratio, infrà 11.7. [12] id est, urbem Jahharimorum arcæ Dei domicilium; quia coram ea ex lege festis anniversariis maximi conventus habebantur, Exod. 23.17. [13] quæ duo loca in media longitudine ita sita erant, ut Mitzpa extremitatem latitudinis ad occidentem, & Gilgal ad orientem attingerent: quare videbantur habendis conventibus commodissimæ. [14] vide supra 1.1. & infrà 8.4. [15] nimirum in urbe Jahharimorum, ubi arca erat: sic enim frequenter relativa ad remotiora antecedentia referuntur: ut Gen. 10.12. infrà 27.8. & 2.Sche. 21.14. & psalmo 99.7. Cujusmodi multa in novo testamento extant.

CAPUT VIII.

Schemuel senex filios suos in administrationem cooptat, qui a patris vestigiis discedentes, Jisraëlitis regem petendi occasionem præbant. Quare Schemuel Deo consulto eos a proposito frustrà deterrere conatus illorum petitioni annuit.

SEd fuit quum senuisset Schemuel; ut præponeret filios suos judices Jisraëli.

2 (Erat autem nomen primogenti filii ejus ‡ Joël, & nomen secundi ab eo Abija) Judices *inquam* [1] *usque* ad Beer-Shebahum:

3 At non ambulabant filii ejus in viis ejus, sed [a] sectabantur lucrum; & accipientes munus pervertebant judicium.

4 Quamobrem congregantes se omnes Seniores Jisraëlis, venerunt ad Schemuelem Ramam;

5 Et dixerunt ei, ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in vijs tuis: nunc præpone nobis regem ad vindicandum nos, ut *habent* omnes istæ gentes.

6 [2] Malum autem visum est istud verbum in oculis Schemuelis, quum dicerent, da nobis regem ad vindicandum nos: quapropter [3] supplicavit Schemuel Jehovam.

7 Sed dixit Jehova Schemueli, [4] ausculta voci populi hujus in omnibus quæ indicunt tibi: non enim te spreverunt [5] *solum*, sed me spreverunt; ne regnem super ipsos.

8 Secundùm omnia illa facta quæ fecerunt a die quo deduxi eos ex Ægypto usque in hunc diem, quibus dereliquerunt me & coluerunt deos alienos; sic ipsi faciunt etiam tibi.

9 Nunc itaque ausculta voci illorum: verumtamen quum [b] sedulò contestatus fueris contra eos, & indicaveris eis [6] rationem istam regis qui regnaturus est super eos.

10 Itaq; indixit Schemuel omnia verba Jehovę populo, petentibus a se regem:

11 Ac dixit, hæc *erit* ratio ipsa regis qui regnabit super vos; filios vestros accipiet ut sibi [7] disponat in curribus suis & in equitibus suis, & currant ante currum suum:

12 Et ad disponendum sibi chiliarchos, & pręfectos quinquagenis; & ad arandũ [c] arva sua, & ad metendũ messem suam, & ad faciendum instrumenta bellica sua, & instrumẽta curruum suorũ.

13 Similiter, filias vestras accipiet; in unguentarias, in coquas, & in pistrices:

14 Etiam agros vestros, & vineas vestras, ac oliveta vestra optima accipiet; & dabit servis suis.

15 Semina quoque vestra, & vineas vestras decimabit; & dabit [d] aulicis primoribns suis & servis suis.

16 Servosq; vestros, & ancillas vestras, ac juvenes vestros præstantissimos, & asinos vestros accipiet; [e] adhibebitq; ad opus suum.

17 Greges vestros decimabit, denique vos eritis ei [f] servi:

18 Adeò ut clamaturi sitis die illa propter regem vestrum, quem elegerîtis vobis, sed non exaudiet vos Jehova die illa.

19 Renuerunt tamen populus auscultare voci Schemuelis; & dixerunt, [8] nequaquam, sed rex præerit nobis:

20 Ut simus nos quoque sicut omnes istæ gentes; & vindicet nos rex noster, & procedens ante nos gerat bella nostra.

21 Audiens itaque Schemuel omnia verba populi, eloquutus est ea [g] apud Jehovam.

22 Et edixit Jehova Schemueli, ausculta voci eorum, ut pręficias eis regem: quapropter edixit Schemuel Jisraëlitis, [9] ite quisq; in civitatẽ suam.

‡ *idem qui 1. Chron. 6.28. Vaschni vocatur.*
[1] synecdoche elliptica supplenda ex Judic. 20.1. qua sub una extremitate alteram ei oppositam, nempe Danis, simul intelligi.
[a] *Heb. declinarent post.*
[2] & meritò: nam Dei gubernationem sperni videbat, ut ipse Deus versu 7. testatur, quod confirmatur infrà 12.17. & 19.
[3] consulens Deum quid sibi faciendum esset ad petitionem populi, & orans pro populo.
[4] verba sunt irati, ut testatur Hosche. 13.11.
[5] eclipsis, qualis Gen. 32.28. ut ostendit finis versus sequentis; *sic faciunt etiam tibi*, &c.
[b] *Heb. contestando contestatus fueris.*
[6] ut suprà 1.13. vide annotata ibi.
[7] nempe agitatores, cursores, duces; &c.
[c] *Heb. arationem suam.*
[d] *Heb. Eunuchis.*
[e] *Heb. & faciet.*
[f] *Heb. in servos.*
[8] subaudi, hæc tua contestatio nos a nostro proposito deterrebit.
[g] *Heb. in auribus Jehovæ.*
[9] assentientia & totam rei procurationem in se recipientis verba sunt, tacitè sive ἐνδεικτικῶς sponsionem postulati annuentia petentibus.

CAPUT

CAPUT IX.

Schaül ad Schemuelem occasione amissarum asinarum consulturus veniens, de regia dignitate sibi delata præmonetur, convivio excipitur, & a Schemuele præmisso puero deducitur.

ERat autem quidam e Binjamine, cujus nomē Kisch, filius [a] Abielis, filii Tzeroris, filii Becorathi, filii Aphiachi, filii [1] viri Binjaminitę, valens robore:

2 Huic verò erat filius nomine suo Schaül, juvenis & [b] elegans, adeò ut nemo esset e filiis Jisraëlis elegantior eo: [1] ab humero suo sursum versus altior *erat* toto populo.

3 Quumq; amissæ essent asinæ Kischo patri Schaülis; edixit Kisch Schaüli filio suo, accipe nunc tecum unum ex istis pueris, & surgens abi, asinas istas quære.

4 Itaque trāsivit in mōtem Ephrajimi; quum pertransivisset terram [2] Schalischæ, neque invenissent: pertransivissent etiam terram [3] Schahalimorum, neque *illic essent*, denique pertransivisset terram [c] Binjaminitarum, neque invenissent.

5 Ipsis veniētibus in terram [4] Tzuphi, Schaül dicebat puero suo qui cum ipso *erat*, agedum revertamur; ne cessans pater meus de asinis istis, sollicitus sit de nobis.

6 Qui dixit ei, ecce jam [5] vir Dei *est* in civitate ista, & quidem vir honoratissimus, quicquid prædicit [d] omnino evenit: eamus nunc illuc, fortè indicabit nobis [6] viam nostrā *ad* id cujus causâ profecti sumus.

7 Dixit verò Schaül puero suo, ecce ergo eamus, sed [7] quid adferemus viro isti? nam panis [e] defecit ex instrumentis nostris, & donarium nullum est quod adferamus ad virum hunc Dei; quid *est* penes nos?

8 Tum pergens puer ille respondere Schaüli dixit, ecce præsentem in manu mea quadrantem sicli argentei, hunc ergo dabo viro isti Dei, ut indicet nobis [8] viam nostram.

9 [9] Antiquitùs in Jisraële sic dicebat quisque, quum profecturus esset ad consulendum Deum, agitè eamus ad [10] Videntem: nam qui Propheta hodie, antiquitùs vocabatur Videns.

10 Quum itaque dixisset Schaül puero suo, bonus est sermo tuus, agedum eamus, iverunt illam civitatem versus, ubi *erat* vir ille Dei.

11 Ipsi ascendebāt per clivum civitatis, quum invenerunt puellas egredientes ad hauriendum aquam; & dixerunt illis, éstne illîc Videns?

12 Quæ respondentes eis dixerunt, est, ecce ante te: festina jam, nam hodie venit in civitatē, quia [f] convivium *est* huic populo in isto excelsō.

13 Simulac ingressi eritis civitatem, invenietis eum, quum nondum ascēderit excelsum istud [11] ad comedendum, nam non comedet populus usque dum advenerit, quum ipse [12] benedixerit convivio, postmodùm comedent invitati: nunc ergo ascendite, nam hoc ipso [g] tempore inventuri estis eum.

14 Ascenderunt itaque in civitatem: ipsis pervenientibus in mediam civitatē, ecce Schemuel prodibat obviā illis, deducturus ad excelsū illud.

15 ([13] Jehova enim revelarât *in* aurem Schemueli; die uno antequàm adveniret Schaül, dicendo:

16 Hoc ipso tempore cràs [14] missurus sum ad te quendam è terra Binjaminis, ut ungas eum in [15] antecessorem super populum meum Jisraëlem, & servet populum meum e manu Pelischthæorum: [16] nam respexi populum meum, quia pervenit clamor ejus ad me)

17 Quumq; Schemuel videret Schaülem; Jehova dixit ei, ecce hic *est* vir quem dixeram tibi, hic imperium obtinebit in populo meo.

18 Quapropter Schaüli accedenti ad Schemuelem intra portam; & dicenti, indica quæso mihi ubinam sit domus Videntis;

19 Respondit Schemuel Schaüli dicens, ego *sum* ille Videns, ascende ante me in illud excelsum, ut comedatis mecum hodie: & dimittam te mane, [17] quicquid autem *est* in [h] animo tuo *jam* indico tibi.

20 Nempe quod ad asinas, quæ amissæ erant tibi [i] ab hinc tertio die, ne adhibeto animum tuum ad illas, nam inventæ sunt: [18] erga quem autem *est* totum desiderium Jisraëlis? nónne erga te, & erga totam familiam patris tui?

21 Respondens autem Schaül dixit: [19] an non Binjaminita sum, [k] minimus e tribubus Jisraëlis, & familia mea infima est omnium familiarum in tribubus Binjaminis? & quam ob rem alloquutus es me sermone hujusmodi?

22 Assumsit tamen Schemuel Schaülem & puerum ejus, quos introduxit in cœnaculum; [20] deditq; eis locum in [l] summo invitatorum, qui *erant* quasi triginta viri.

23 Tum dixit Schemuel coquo, cedò partem illam quam dederam tibi, de qua dixeram tibi, repone eam apud te.

24 Quumq; depromsisset coquus armum quēdam & quæ hærebant ei, apposuit *Schemuel* ante Schaülem dicens, ecce [21] quod reliquum factum fuerat ponens ante te, comede, nam in hoc tempus reservatum fuit tibi, [22] *ex quo* dixi, populum invitavi: sic comedit Schaül cum Schemuele illo die.

25 Posteà descenderunt ex illo excelso in civitatem; ubi loquutus est *Schemuel* cum Schaüle [23] tectum suum versus.

26 Illis autem mane surgentibus, fuit quum ascenderet aurora, ut vocaret Schemuel Schaülem versus tectum suum, [24] dicens, surge ut dimittam te: quúmque surrexisset Schaül, egressi sunt ambo, ipse & Schemuel foras.

27 Ipsi descendebant ad extremum civitatis, quum Schemuel edixit Schaüli, dic huic puero ut transeat ante nos, (transivit itaque:) tu autem [25] sta jam, & [m] enunciabo tibi sermonem Dei.

[a] qui Ner dicitur, 1.Chr.8.33. & 9.39.
[1] id est patris Jibhon: tantùm Jehielis, 1.Chro. 9.35.
[b] Heb. bonus formâ: ut Gene.6.2.
[1] infrà 10.23.
[2] ea regio plana est in Binjamine, 2.Reg.4.42.
[3] cujus opidum Johan.3.23. Salim corrupta voce dicitur; eadem singulari numero dicitur terra Schuhalis, infrà 13.17. non procul a Gilgale ad Jardenem.
[c] Heb. Jeminitarum infrà 10.23.
[4] de quo sup.1.1.
[5] i. Propheta, seu videns, ut exponitur ver.9.
[d] Heb. eveniendo evenit.
[6] qua via nobis eundum est, ut asinas istas inveniamus.
[7] quasi dicat, incivile esset sine honorario eum accedere, anteà ignotum.
[e] Heb. abiit.
[8] suprà vers.6.
[9] quasi dicat, priscis illis temporibus tanta erat inter Jisraëlitas pietas, ut in rebus obscuris Deum consulerent per Prophetas ejus, quos tunc vocabant Videntes. Exemplum habemus in Ribka, Gē 25.22
[10] Quia visionibus se & res occultas patefaciebat illis Deus, ut Num.12.6.
[f] Heb. mactatio, ut Gen.31.54. sic deinc.
[11] non autem ad sacrificandum: quod contra legem fuisset, jubentem ut coram Deo tantùm sacrificetur Levitici 17.3. & sequentibus, Deut.12.5. & sequentibus.
[12] ex lege Deut. 8.10.
[g] Heb. die: sic deinceps: ut infr.27.
[13] Instituti convivii causa indicatur, & simul ostenditur cur Schemuel obviam eis prodierit: prout etiam ad hunc finem Schemuel armum asservari jusserat, infrà v.23.
[14] secreto ductu spiritus, ipso aliud cogitante.
[15] id est, ut ita dicamus, præitorem, qui tempore belli ante exercitum procedit.

[16] id est prospicere illi statui.
[17] quicquid cogitas ex me sciscitari, quod sequens versus explicat.
[h] Heb. in corde: sic 20. vers.
[i] Heb. hodie est tertius dierum illorum.
[18] quasi dicat, nosti omnium Jisraëlitarum desiderium esse ut sibi præficiatur rex, prout Seniores mihi exposuerunt suprà 8.5. jam vero cui defert Deus hanc dignitatem nisi tibi, ac proinde familiæ patris tui?
[19] modestè tribus rationibus gradatim regnum recusat: a tribu omnium infimissima, ex historia Judic.20: a personæ suæ, & a familiæ totius tenuitate.
[k] Heb. e minimis tribuum: hypallage.
[20] hac collocatione & armi appositione cœpit dignitatem Schaülis invitatis adumbrare. nam honoratæ portiones ministrabantur honoratioribus, aut charioribus: vide in Gen 43.34.
[l] Heb. in capite.
[21] partem quæ seorsim fuerat asservata causâ tuâ, ut exponunt sequentia.
[22] ex quo indixi coquo, ut convivium invitatis pararet.
[23] utpote locum secretiorem, ac proinde commodiorem sermonibus habendis & precibus, Danielis 6.10. Act.10.9.
[24] Paralepsis, cujusmodi est Genes.3.1. vide annotata ibi. Reticentur enim monita Schaüli a Schemuele data.
[25] ut cum reverentia audias divinum oraculum: vide annotata Gen.49.33. & Num.23.22.
[m] Heb. faciam ut audias.

CAPUT X.

Schemuel Schaülem regem ungit privatim, & de vocatione ipsius signorum prædictione confirmat. Deinde Mitzpæ in publicis conventibus Dei nomine cum populo expostulat, & sortiono designatum a Deo regem, populo sistit, qui eum acclamationibus excipit.

TUm accepta Schemuel lenticula olei, perfundens caput ejus [1] osculatus est eum; & dixit, annon *facturus essem*? nam [2] unxit te Jehova in antecessorem super possessionem suam.

[1] in subjectionis signum: vide Genes.41.40. in annotatione.
[2] i. adhibito unctionis symbolo constituit, synecdochicè. Videtur autem Schaül impedimentum attulisse, tanquam si vis ipsi fieret insperanti, & ad rei novitatem obstupescenti; ideoq; Schemuel his verbis cohibuisse, quid? nónne facturus essem quod in mandatis habui a Domino? &c. sic enim hæc verba exponi flagitat Hebræa distinctio, & rei ipsius argumentum.

2 [3] Quum abieris hodie a me, invenies duos viros apud [4] sepulcrum Rachelis, in termino Binjaminis [5] Tzeltzachi, qui dicent tibi, inventæ sunt asinæ quas quæsitum abieras, & ecce omissis pater tuus rebus istis asinarum, sollicitus est de vobis dicendo, quid faciam filio meo?

3 Et inde progressus ulterius, quum veneris usque ad planitiem Thaboris, invenient te illic tres viri ascendentes ad Deum *in* [6] domum Dei fortis; unus ferens tres hœdos, & alter ferens tres tractas panis, & alius ferens utrem vini.

4 Qui interrogabunt te [a] de prosperitate; dabuntq; tibi duas *tractas* panis, quas accipies e manu eorum.

5 Postmodùm pervenies [7] ad collem ipsum Dei, ubi *sunt* [8] stationarii *milites* Pelischthæorum: eritq; ibi quum ingressus fueris civitatem, ut occurras [9] turbæ Prophetarum descendentium de illo excelso, [10] cum nablio, & cum tympano, & tibia, & cithara ante se, qui prophetabunt:

6 Irruetq; super te spiritus Jehovæ, ut prophetes cum eis; & [11] mutaberis in virum alium.

7 Quod quum erit, quum euenerint signa ista tibi; [b] fac [12] quod obvenerit manui tuæ, quia Deus ipse tecum erit.

8 [13] Posteà descendes ante me Gilgalem; quò ecce ego descendam ad te, [14] ad offerendum holocausta, & ad sacrificandū sacrificia eucharistica: [15] septem diebus expectato usquedū venero ad te, & notum faciam tibi id quod facturus es.

9 Itaque fuit [16] quum avertisset humerum suum abeundo a Schemuele, ut mutaret ei Deus cor *in* aliud: & evenerunt omnia ista signa die eodem.

10 Quum autem venissent illuc ad collem illum; [17] ubi ecce turba prophetarum obviam *facta est* ei; irruente super eum spiritu Dei prophetabat inter eos,

11 Fuitq; quum omnes qui nouerant eum [c] antè, viderent quòd ecce cum prophetis prophetaret; ut diceret populus [d] alter alteri, quid hoc *est quod* [e] accidit filio Kischi? an etiam Schaül *est* inter prophetas?

12 Respondens autem [18] quidam ex eo loco dixit, at quis *est* [19] pater istorum? idcircò [f] abiit [20] in proverbium, an etiam Schaül *est* inter prophetas?

13 Quum autem absolvisset prophetare, ingressus est ipsum [21] excelsum.

14 Dixit autem patruus Schaülis ei & puero ejus, [22] quò abieratis? qui dixit, ad quærendum asinas, quum autem videremus nusquam esse, venimus ad Schemuelem.

15 Dicente verò patruo Schaülis; indica quæso mihi quid dixerit vobis Schemuel:

16 Dixit Schaül patruo suo; [g] certò indicauit nobis inventas esse asinas: sed negotium regni non indicavit ei, [23] quod edixerat Schemuel.

3 a signis mox eventuris Schaülem confirmat. 4 prope Beth-Lechemum, Gen. 35.19, 20. 5 nomen est loci, quem superioribus verbis circumscribit. 6 id est, in urbem Jeharimorum ubi arca residebat. a *Heb. de pace.* 7 ad editiorem partem Gibhæ, ubi est excelsum sive synagoga, locus cœtui sacro destinatus: ideò vocatur collis Dei. colles enim ad hanc rē plurimùm adhibebantur, ut in Academiæ nostræ cap. 2. ostendimus. 8 vide annotata suprà 7.12. & infrà 13.3. 9 studiosorum operam dantium prophetiæ: quorum alii filii, id est, discipuli prophetarum dicuntur, alii Prophetæ simpliciter. 10 his enim musicis instrumentis utebantur pro incitamentis, ut apparet ex 2. Reg. 3.15. 11 id est, animus tuus eo spiritus dono repentè imbuetur, quod ad obeundum regium munus pertinebit, & temporario prophetiæ dono de eo confirmabitur. Sic Numer. 11.25. b *Heb. fac tibi.* 12 prout te vocatum senseris ita ambulato, & suo tempore regem te præsta: ut fecisse legitur infrà 11.7. & 13.2. & 3. 13 quum ea gesseris quæ obvenerint manui tuæ contra Hammonitas, de quibus cap. seq. Gilgalem autem dicit, quia fuit quidem Mitzpæ designatio, infrà V.17. sed Gilgale habita sunt comitia regni ad consecrationem & confirmationem Regis, infrà 12.2. 14 eò arcâ adductâ, ut apparet infrà 12.2. & 13.9. 15 nam hoc spatium & indicendo conventui maximo comitiisq; regni, & congregando populo Jisraëlis intercedere oportuit. 16 i. simul atque digrediebatur ab illo. 17 vide infrà 19.18. c *Heb. ab heri nudiustertiò* d *Heb. vir ad proximum suum.* e *Heb. fuit.* 18 fortassis unus aliquis ex illorum Prophetarum numero. 19 institutor: quasi dicat, an putatis hos prophetas esse, eo quòd tantùm ab hominibus instituti sunt, & non potiùs quòd divinitùs prophetandi donum habuerunt? non homo spectandus est, sed suspiciendus Deus donorum & vocationum auctor, & glorificandus in hominibus etiam abjectissimis atque imperitissimis: ut de se loquitur Paulus Gal. 1.24. f *Heb. fuit.* 20 de eo qui aliquid præter expectationem præstat: vide infrà 19.24. 21 ædem in colle Dei, de quo suprà V.5. 22 intelligens Schaülem prophetasse, & rei novitate motus studiosiùs percontatur, præsertim audita mentione Schemuëlis. g *Heb. indicando indicavit.* 23 subaudi, ne cuiquam indicaret. quapropter etiam puerum Schaülis præmiserat, quum Schaülem uncturus esset, suprà 9. versu ultimo.

17 Schemuel autem convocato populo Mitzpam [24] ad Jehovam,

18 Dixit filiis Jisraëlis, sic ait Jehova Deus Jisraëlis, ego deduxi Jisraëlem ex Ægypto; & eripui vos e manu Ægyptiorum, & e manu omnium regnorum, *ab* opprimentibus vos.

19 Vos verò hodie sprevistis Deum vestrum, qui ipse servat vos ab omnibus malis vestris & angustiis vestris; quum [25] dixistis ei, regem præpones nobis: nunc ergo sistite vos coram Jehova per tribus vestras, & [26] per duces vestros.

20 Fecitq; Schemuel [27] ut accederent omnes tribus Jisraëlis; & deprehensa est tribus Binjaminis.

21 Deinde quum faceret ut tribus Binjaminis accederet per familias suas, deprehensa est familia Matreæ *gentis*; denique deprehensus est Schaül filius Kischi, qui perquirentibus *illis* non inveniebatur.

22 Quam ob rem quum rogarent iterum Jehovam, [28] an adhuc adventaturus est huc ille? dixit Jehova, ecce ipse latitat ad impedimenta.

23 Tum accurrentes assumserunt eum inde, qui stitit se in medio populi: [l] erat autem altior toto populo ab humero suo sursum-versus.

24 Tum dixit Schemuel toti populo, videtisne quem elegit Jehova? non esse ei similem in toto populo? tunc vociferantes totus populus dixerunt, vivat Rex.

25 Quumq; eloquutus esset Schemuel apud populum jus regni, & descripsisset in quodam libro, collocavit eum [29] coram Jehova: dimisitq; Schemuel totum populū quemque domū suam.

26 Et etiam Schaül abiit domum suam Gibham; [30] comitantibus eum copiis, [h] quorum tetigerat Deus animos.

27 At [i] homines nequam dicebant, quid servaret nos iste? contemnentes eum, ut ne afferrent quidem ei [31] munus: tamen [32] [k] planè conticuit.

24 quò arcam apportari & Sacerdotem summum cum Urim & Thumim advenire jusserat, ad mittendas sortes & consulendum Deum, infrà 22. Vide infrà in capitis duodecimi versum secundum. 25 Deo, & mihi Prophetæ ejus, suprà 8.7. 26 subaudi singularum familiarum, quæ multæ erant in singulis tribubus. Eamdem rationem servat quam Jehoschuah ex præscripto domini, Jehosch. 7.14. & sequentibus. 27 coram arca, ubi urnæ erant, unde sortes educebantur: nam præmissis precibus Deus per sortem consulebatur: preces autem præcessisse indicat V.21. ubi dicitur: *Iterum rogarent Jehovam*, &c. Sic Act. 1.24. 28 id est, an quia abest, vocandus est, ut sistatur coram populo? l *supra 9.2.* 29 i. in domo Dei ante arcam ipsius asseruandum. 30 id est, voluntariis latronibus, e quibus fortè posteà stationarios elegit ad 3000. infrà 13.2. h *Heb. quos Deus tetigerat in corde ipsorum.* i *Heb. filii Belijahal, i. homines nequitiæ dediti.* 31 vide 2. Chron. 17.5. 32 id est, modestè se continuit, vide infrà 11.12. k *Heb. fuit ut obmutescens.*

CAPUT XI.

Hammonitæ obsidione Jabeschitas sic premunt ut turpissima conditione deditionem post septem dierum inducias paciscantur: sed Schaülis diligentia copiosus exercitus colligitur; quo fusis Hammonitis, liberantur Jabeschitæ, & Schaülis vocatio confirmatur.

NAm [1] quum ascendens Nachasch Hammonita castra haberet contra Jabeschū Gilhadis; tandem dixerant omnes cives Jabeschi Nachascho, pange nobiscū fœdus ut serviamus tibi:

2 Quibus dicebat Nachasch Hammonita, hac *lege* pangam vobiscum, effodiendo vobis oculum dexterum cujusq;; ut imponam hoc ipsum probrum toti Jisraëli.

3 Dixerunt autem ei seniores Jabeschi, desiste a nobis septem dies, ut mittamus nuncios per totum terminum Jisraëlis: quòd si nemo fuerit qui servet nos, tum [2] exibimus ad te.

4 Quum itaque venissent isti nuncii [3] Gibhā Schaülis, & eloquuti essent verba illa audiente populo; totus populus sublata voce sua flebant.

5 Ecce autem Schaül sequebatur armentum suum ex agro, dixitq; Schaül, quid *est* huic populo quòd flent? qui narrarunt ei verba civium Jabeschi.

6 Tum irruente spiritu Dei super Schaülem, dum audiret verba ista; [4] accensa est ira ejus valdè.

1 occasionem explicat petiti ab Jisraëlitis regis & omnium eorum quæ ab octavo capite hucusque narrantur: quod etiam planiùs confirmat V.14. capitis 12. 2 i. dedemus nos tibi, subituri legem quam imperas. 3 quæ priùs Binjaminis dicebatur. 4 in Hammonitas, propter illorum invasionem & superbissimas conditiones.

7 Et

7 Et acceptum par boum membratim di-
visit illud, & transmisit in totum terminum Jisra-
ëlis [a] [5] per eosdem nuncios dicendo; quisquis
non exibit post Schaülem & [6] post Schemuelem,
sic fiet armento ejus: Unde incidit pavor Jehovæ
in populum, ita ut exirent [b] unanimes.
8 Quos quum recenseret [7] in Bezeko; fue-
runt [8] Jisraëlitarum trecenta millia, [9] virorum au-
tem Jehudæ triginta millia.
9 [10] Tunc dixerunt nunciis illis qui reve-
nerant, sic dicetis civibus Jabeschi Gilhadis,
cras aderit vobis [11] salus, quum incalescet sol:
quod redeuntes nuncii illi quum indicassent ci-
vibus Jabeschi, læti sunt.
10 Itaque dixerunt cives Jabeschi Hammonitis,
cras exibimus ad vos; [12] ut faciatis nobis omni-
no prout bonum *videbitur* in oculis vestris.
11 Fuit autem [13] postridie, ut disponeret
Schaül populū tribus [c] agminibus; & pervaden-
tes media castra in vigilia matutina, percuterent
Hammonitas usque ad æstum diei: fuitq; *ut* qui
residui erant dispergerentur, neque relinqueren-
tur ex eis duo simul.
12 Tum dixit populus Schemueli, quis *est* qui
dicebat, Schaül *ne* regnaret super nos? date istos
homines, ut morti tradamus eos.
13 Sed dixit Schaül, non tradetur morti quis-
quam die hoc; quandoquidem hodie effecit Je-
hova [14] salutem in Jisraële.

[a] *Heb. per manum eorundem nuntiorum.* [5] ut magis permoverent de suis rebus agentes. [6] Nam huic expeditioni Schemuelem interfuisse docet versus 12. & principium capitis sequentis: vide sup. in 7.14. [b] *Heb. tanquam vir unus: sic Iudic.* 20. 1. [7] in Bezekano agro, Iudic. 1.4. [8] ex aliis tribubus. [9] comprehenso etiam Schimhone, ut Iudic. 1. 3. quorum sedes erat Pelischthæis concermina: ac ideò non poterat tam commodè viris exhauriri quàm reliqua tribus: hæc enim vera est causa, cur Jehuda seorsim a cæteris tribubus recenseatur. [10] Schaül cum Schemuele, ex consensu totius populi. [11] id est auxilium salutare: sic enim hæc vox passim metonymicè in scripturis accipitur. [12] subaudi nisi suppetiæ advenerint: reticent autem adventum eorum, ut reperiantur imparati. q. d. perstamus in condictis legibus. [13] id est, die septidui ultimo. [c] *Heb. capitibus: sic Judic.* 16.20. [14] vocationis meæ testem, quam isti priùs in dubium vocabant. Noëma, quo rationis tantùm prior pars explicatur. Neque enim putandum est id Schaülem voluisse, ut sontes absoluerentur propter hilaritatem diei illius; sed potiùs humaniter consuluisse illorum vitę, quorum judicia adhuc non potuerant acquiescere electioni ipsius. Hoc autem consilium pium fuit, & humanum & prudens: quemadmodum & illud Davidis accipiendum est 2. Schemu. 19.23. cùm quia dubitatio animorum atque nutatio in hominibus humaniter ferenda est, tum quia nihil tam Magistratum & virum bonum dedecet, quàm ultionis privatæ species: cujus suspicionem declinare omnibus modis necesse est, ut probetur cuique administratio.

CAPUT XII.

Schemuel comitiis Gilgalem indictis coram populo & rege anteactam suam administrationem censuræ subjicit: qua probata, populum ingrati in Deum animi arguit, & cælitùs edito signo percellit: deinde consternatos & resipiscentes confirmat, atque ad constantiam in Dei cultu hortatur.

[1] Tum [2] dixit Schemuel populo, agite, eamus
Gilgalem; ut [3] renovemus ibi regnum hoc.
2 Abeuntes itaque totus ille populus Gilga-
lem, regem constituerunt ibi Schaülem coram
Jehova Gilgale, & sacrificârunt ibi sacrificia eu-
charistica [4] coram Jehova: quamobrem lætatus
est ibi Schaül & omnes Jisraëlitæ pervaldè.

CAPUT XII.

3 [5] Pręterea dixit Schemuel toti Jisraëli, ecce
auscultavi voci vestræ in omnibus quæ dixeratis
mihi; & constitui super vos regem.
4 [6] Nunc autem ecce regem ipsum pergen-
tem ante vos, quum ego senui & incanui, & filii
mei ecce sunt inter vos: ego verò cōtinenter am-
bulavi coram vobis a pueritia mea in diem hunc.
5 Ecce me, testificamini cōtra me coram Je-
hova & coram [7] uncto ejus, cujus bovem accepe-
rim, aut cujus asinū acceperim, aut quem frauda-
verim, *aut* quem concusserim, aut e cujus manu
acceperim redemtionis pretium, [8] ut abderem
oculos meos propter illud; & reddam vobis.
6 Qui dixerunt, non fraudasti nos, neq; con-
cussisti nos; neq; accepisti quicquā e manu ullius.
7 Tum dixit eis, testis *est* Jehova contra vos,
& testis *est* unctus ejus hodie, vos non invenisse in
manu mea quicquam; dixitq; *populus*, testis *est*.
8 Postea dixit Schemuel populo; Jehova *te-
stis est*, qui [a] magnificavit Moschen & Aharonem,
& qui deduxit majores vestros e terra Ægypti:
9 Nunc itaque sistite vos, & contendam vo-
biscū coram Jehova; de omnibus [b] [9] justis factis
Jehovę quę fecit vobiscū & cū majoribus vestris.
10 Postquàm venisset Jahakob in Ægyptum;
clamantibus majoribus vestris ad Jehovam, mi-
sit Jehova Moschen & Aharonem, qui eduxe-
runt majores vestros ex Ægypto, & collocave-
runt eos [10] in loco isto.
11 Deinde quum obliviscerentur Jehovæ
Dei sui; dedidit eos in manum ‖ Siseræ principis
militiæ Chatzoris, & in manum ‖ Pelischthæo-
rum, & in manum Regis ‖ Moabitarum, qui op-
pugnauerunt eos.
12 Sed quū clamarent ad Jehovam dicentes,
peccavimus quòd deserentes Jehovam coluimus
Bahalimos & Hachtharothas; at nunc eripe nos
e manu hostium nostrorum, ut serviamus tibi:
13 Misit Jehova ‖ Jerubbahalē, & [11] ‖ Bedanem,
& ‖ Jiphthachum, & Schemuelem; eripuitq; vos e
manu hostium vestrorum circumquaq;, ita ut ha-
bitaretis securè.
14 Deniq; videntes Nachaschum regem Ham-
monitarum invasisse vos; dixistis mihi, [12] nequa-
quam, sed rex regnaturus est super nos: [13] quum
Jehova Deus vester, *sit* rex vester.
15 Nunc igitur ecce regem illum quem ele-
gistis, quem petiistis; ecce inquam [c] præfecit vo-
bis Jehova regem.
16 Si timentes Jehovam colueritis eum, &
auscultaveritis voci ejus, neque [d] rebellaveritis
præstituto Jehovæ; utique [e] permanebitis, tum
vos, tum etiam rex ipse qui regnat super vos; [f] se-
quentes Jehovam Deum vestrum:
17 Sed si non auscultaveritis voci Jehovę, sed
rebellaveritis præstituto Jehovæ; utique erit ma-
nus Jehovæ contra vos, ut contra patres vestros.
18 Etiam nunc consistite, & respicite hanc
rem maximam; quam facturus *est* Jehova ante
oculos vestros.
19 Nónne [14] *dies* messis triticeæ *est* hodie? ubi
invocauero Jehovam, [15] edet sonos & pluviam:
itaque agnoscite, & videte malum vestrum quod
fecistis magnum esse in oculis Jehovæ, petendo
vobis regem.
20 Quumq; clamaret Schemuel ad Jeho-
vam, edidit Jehova sonos & pluviam eodem die;
timuitq; totus populus valde Jehovam & Sche-
muelem.
21 Quam ob rem dixerūt totus populus Sche
mueli, supplica pro servis tuis apud Jehovam Deū
tuum, & ne moriamur: adjecimus enim ad omnia
peccata nostra malum, petendo nobis regem.
22 Tum dixit Schemuel populo, ne timete,
vos fecistis totum malum hoc; [16] verumtamen
ne recedite [g] aversi a Jehova, quin colatis Jeho-
vam ex toto [h] animo vestro.
23 Ne inquam recedite: nam [i] sequeremini
ipsam inanitatem, quæ non prosunt, neque eripi-
unt, quia sunt inanitas.
24 Non enim deseret Jehova populum suum,
propter nomen suum maximum: quia placuit

[1] Hos duos versus, quia ad narrationem sequentem propriè pertinent, illi conjunximus. [2] ad Jabeschum in castris. [3] planè ex omnium consensu probatum confirmemus. hæc autem dicit, tum ut eorum qui priùs Schaülem pro rege non agnoverant peccatum levetur, tum vt omnis in posterum occasio rebellionis præcidatur. [4] præsente arca ejus: in conventus enim maximos per Sacerdotes adduci solebat; ut confirmatur ex cap. 14. 20. [5] ibidem Gilgale. [6] quasi dicat, quum nunc regem habeatis, ad quem Reipub. vestræ gubernatio pertinet; & ego ætatis imbecillitate excuser, filii autem mei lege in privatorum conditionem devenerint; ego me ultrò sisto, ut administratæ ab ineunte ætate a me Reipub. rationem reddam. [7] i. Schaüle rege: ut idem loquitur infrà 24.7. sic versu 7.

[8] id est, ab injuria cognoscenda muneribus corruptus averterem me.
[a] *Heb. fecit: ut Deut* 32.6.
[b] *Heb. justitias.* [9] tam beneficiis ex promissione; quàm suppliciis, ex ipsorum meritis: ut sequens narratio indicat. [10] Cenahanæa regione cis & trans Jardenem.
‖ *Judic.* 4.
‖ *Judic.* 10.7.
‖ *Judic.* 3.
‖ *Iudic.* 6.
[11] id est, Iairem Menaschitam, de quo Iudicum 10, 3. nam hoc cùm ordini vocum congruit, quo utitur Schemuel; tum loco qui est 1. Chron. 7. 17. sic autem [Greek word, illegible] videtur appellatus, ut ab antiquiore illo Jaire distinguatur, de quo Num. 32.
‖ *Iudic.* 10.
‖ *Iudic.* 11.
[12] vide suprà 8. 19.
[13] atque ideo gubernatione ejus contenti esse debuissetis, suprà 8.7.
[c] *Heb. dedit super vos.*
[d] *Heb. ori Jehovæ: sic infr.* v 17. *& Deut.* 1.26.
[e] *Heb. eritis.*
[f] *Heb. post Jehovam sic infr.* 23.
[14] id est, Cælum sudum, quale ad messem tempestivum est.
[15] id est, tonabit, & procellas immittet cum imbre vehementissimo: ut Exo. 19.
[16] quasi dicat, etiamsi graviter a vobis peccatum sit; misericordiâ suâ vos respiciet, modò ne vos ab eo amplius avertatis.
[g] *Heb. de post Jehovam.*
[h] *Heb. cordis: sic deinceps.*
[i] *Heb. post ipsam inanitatem recederetis.*

Jehovæ vos sibi efficere populum.

25 Etiam quod ad me, absit mihi [k] ut peccem Jehovæ, ut desinam supplicare pro vobis, imò [17] instituam vos in via optima & rectissima.

26 Verumtamen timete Jehovam ut colatis eum verè; ex toto animo vestro: nam considerate [l] res magnas quas fecit erga vos.

27 Quòd si [m] ultro malefeceritis; tum vos, tum rex vester consumemini.

k *Heb. a peccando, a desinendo.*
17 i. prophetico munere perfungar, dum vivam: nam væ mihi, si nō evangelizem, inquit Paulus 1. Cor. 9. 16.
l *Heb. quòd magnificavit vobiscum.*
m *Heb. malefaciendo malefeceritis.*

CAPUT XIII.

Præsidium Pelischthæorum apud Gibham a Jonathane funditur: quam ob rem Pelischthæi magno exercitu in Micmascho ex adverso Gibhæ castra ponunt: Schaül verò Jisraëlitas ad arma excitat, & Gilgale non expectato Schemuele sacrificat; ideò graviter a Schemuele increpatus & de instabilitate regni sui monitus, quum Jisraëlitæ diffugerent, Gibham cū paucis inermibus proficiscitur, cujus adversam regionem hostes tribus agminibus occupabant.

[a] AGens [1] primum annum Schaül in regno suo ([2] duobus autem annis regnavit super Jisraëlem)

2 [3] Elegit sibi Schaül tria millia ex Jisraëlitis; ut essent cum Schaüle bis mille [4] in [b] Micmascho, & [5] in monte Beth-Elis, mille autem essent cum Jonathane Gibhæ Binjaminis: reliquum autem populi dimiserat, quemque in tentoria sua.

3 [6] Percussit autem Jonathan stationarios milites Pelischthæorum qui erant Gebahi, quod audiverunt Pelischthæi: quapropter Schaül clanxit buccina per totam eam terram dicendo, audiant Hebræi.

4 Omnes itaque Jisraëlitæ audiverunt dicentes, percussit Schaül stationarios milites Pelischthæorum, unde etiam fœtidus factus est Jisraël inter Pelischthæos: & convocati sunt populus [c] ad sequendum Schaülem Gilgalem:

5 Pelischthæi verò congregaverunt se ut bellarent contra Jisraëlem, triginta millibus curruum, & sex millibus equitum, ac populo in multitudinem sicut arena quæ *est* in littore maris: & ascendentes castra metati sunt in Micmascho ad orientem [7] Beth-Avenis.

6 Itaque Jisraëlitæ videntes angustiam esse sibi, eò quòd coarctaretur populus; [8] abscondebant sese populus *alii* in speluncis, & in spinetis, & in petris, & in arcibus, & in cisternis:

7 Et Hebræi *alii* trajiciebant Jardenem in terram Gadis & Gilhadis: Schaüle verò herente adhuc Gilgale, [9] totus ille populus [10] trepidi accurrerunt post eum:

8 Quumq; exspectasset septem dies, secundùm illud condictum tempus [11] quod *condixerat* Schemuel, neque veniret Schemuel Gilgalem; dispergebatur populus ab eo.

9 Quapropter dixit Schaül, admovete mihi istud holocaustum & eucharistica; & [12] obtulit holocaustum.

a *Heb. filius anni, vel anniculus Schaül in regnare suo.*
1 id est, quum recens regnum suum iniret, statim in ingressu prioris anni regni sui, gesta sunt tam quæ gesta narrantur duobus superioribus capitibus, quàm quæ describuntur sequente versu.
2 Subaudi legitimè, nondum planè rejectus à Deo & spiritu ejus destitutus, de quo infrà 16. 14. rejectus enim fuit tūdenium, quum in expeditione contra Hamalekitas Deo non obtemperavit, infrà 15. & spiritu destitutus quum David unctus fuit, infrà 17. 14. & 15. Cōfirmatur autem hæc interpretatio primùm ex cap. 14. 51. ubi regnū cepisse dicitur, id est, tyrannicè occupasse: deinde etiam ex multis bellis ejus de quibus ibidem scribitur: tertio ex longis persequutionibus in Davidem atque numerosis: postremò ex tempore quo David exsul Tziklagi cum suis hæsit, infrà 27. V. 7. 3 præsidiarios milites & stationarios, qui semper in promtu essent ad quamlibet necessitatem regni. 4 nomen non oppidi, sed tractus est, in finibus Binjaminitarum ad montē Beth-Elis. b *vel Micmaso, ut Hezr. 2. 27.* 5 nam ibi erat peropportunus transitus ut meminit principium capitis sequentis, & Jeschah. 10. 29. 6 dum Schaül occupabatur in stativis alteris. c *Heb. post Schaülem.* 7 oppido & deserto Beth-Avenis, de quo Jehos. 18. 12. 8 tum ex universo regno, tum etiam ex tribus illis millibus præsidiariorum, de quibus suprà V. 2. 9 bis mille nimirùm illi qui suprà versu 2. cōmemorati sunt, ad præsidia ordinaria regis Schaülis pertinentes: quorum plerique deinde dilapsi sunt, ut versu sequenti commemoratur. 10 adeò ut arma in præsidiis suis reliquerint, & inermes ad Schaülem confugerint. 11 putà comitiis, delectuique habendo, consilio capiendo, & supplicationibus faciendis pro salute populi: quarum omnium rerum causa Schemuel diem præfixerat communicato consilio cum Rege; ut sup. 10. 8. 12 per Sacerdotem, non expectato adventu Schemuelis, ut condictum fuerat,

10 Sed fuit quum absolveret offerre holocaustum illud, ut ecce Schemuel adveniret: & exivit Schaül obviam ei ad [13] benedicendum ei.

11 Cui dixit Schemuel, quid fecisti? Dixit autem Schaül, quum viderem dispergi populum a me, & te non advenisse condicto tempore dierum, Pelischthæos verò congregatos esse *in* Micmascho:

12 Dicebam, jam descendent Pelischthæi contra me Gilgalem, quum faciem Jehovæ nondum deprecatus fuero: quumq; continuissem me, tandem obtuli holocaustum.

13 Tum dixit Schemuel Schaüli, stultè gessisti te: non observasti mandatum Jehovæ Dei tui quod mandavit tibi, jam certè stabilivisset Jehova [14] regnum tuum apud Jisraëlitas usque [15] in seculum.

14 Nunc autem regnum tuum non stabit: quæsivit sibi Jehova [16] virum secundùm animum suum, quem mandavit Jehova esse antecessorem in populo suo, quia non observasti id quod præceperat tibi Jehova.

15 Deinde surgens Schemuel ascendit Gilgale Gibham Binjaminitarū, ubi recensuit Schaül populum, qui præstò erant secum, quasi sexcentos viros.

16 Schaüle itaque & Jonathane filio ejus, & populo qui præstò aderat eis, considentibus Gebahi Binjaminitarum; Pelischthæis verò castra habentibus in Micmascho:

17 Egressus est *miles* [d] populator e castris Pelischthæorum tribus [e] agminibus: agmen unum vertens se ad viam *versus* [17] Hophram, in [18] terram Schuhalis:

18 Et agmen unum obvertens se viâ [19] Beth-Choronem *spectante*: & agmen unum obvertens se viâ ejus termini qui spectat versus vallē [20] Tzebohimorum in desertum.

19 [21] Faber autem non [f] aderat in tota terra Jisraëlitarum: dixerant enim Pelischthæi, *caveamus* ne faciant Hebræi gladium aut hastam:

20 Adeò ut descenderent omnes Jisraëlitæ *ad* Pelischthæos; ad poliendum quisque vomerem suum, aut ligonem suum, aut securim suam & rutrum suum.

21 [22] Alioquin [g] adhibebatur lima pro rutris, & pro ligonibus, & pro tridente, & pro securibus; etiam ad [23] aptandum stimulum.

22 Ita fuit [h] tempore belli, ut non adesset gladius aut hasta [i] penes totum populum qui *erat* cum Schaüle & Jonathane: [24] tantùm aderat penes Schaülem & Jonathanem filium ejus.

13 salutandum eum, ut Gen. 47. 7.
14 id est, tibi electione cōmissum.
15 perpetuò, tota vita tua, ut suprà 1. 22. alioqui enim promissio æterna ad Davidē & genus ipsius pertinebat, & in eodem permansit: quod non obscurè sequēte versu perstringitur.
16 Davidem, de quo infrà 16. nam eo consecrato Schaül desiit legitimè regnare, ut suprà dictum est in versum primum.
d *Heb. corruptor.*
e *Heb capitibus: sic deinceps.*
17 oppidum Binjaminitarum, de quo Jehos. 18. 23 id est septemtrionem versus, ratione loci ubi Pelischthæi castra habebant.
18 de qua vide sup. à 9. 4.
19 in tribu Ephrajimi occidentem versus in confinio Binjaminis. Jehosch. 16. 3. & 18. 13.
20 in tribu Binjaminis versus desertum Jardenis de eodem legitur Nechem. 11. 34.
21 de fabris ferrariis intelligit: quasi dicat, ex quo tempore Pelischthæi dominatum in Jisraëlitas obtinuerant, studiosè caverant suis artibus, ne Jisraëlitis arma aut armorum habendorum facultas esset.
f *Heb. inveniebatur, sic deinceps.*
22 si nolebant, aut non poterant Pelischthæos adire.
g *Heb. erat.*
23 tam partem illam quæ veruto infigitur; quàm alteram qua stimulantur jumenta. h *Heb. die.* i *Heb. in manum totius populi.* 24 alteram causam vide suprà annotatione in ver. 7. præter eam videlicet quæ hîc narratur inde a 19. versu.

CAPUT XIIII.

Jonathan inscio patre divino spiritu & signo incitatus, cum solo armigero hostes fundit. Schaül cum exercitu fusos persequens, intempestivo interdicto plenam victoriam impedit, & filium ut interdicti violatorem ad mortem petit: sed per milites liberatur: Postremò reliqua bella a Schaüle feliciter gesta summatim, ejusq; genus ac progenies recensetur.

PRogressa [1] autem statione Pelischthæorum ad [a] [2] angustias Micmaschi:

CAPUT XIIII.

2 Fuit quodam die ut ediceret Jonathan filius Schaülis puero armigero suo, agedum transeamus ad stationem Pelischthæorum, quæ *est* a [b] latere illo; quum patri suo non indicavisset.

1 hunc versum ad sequentia pertinere res ipsa docet.
a *Heb. transitum, sic V. 5.*
2 quibus occupatis patebat eis in Binjaminitarum campos additus: de illis infrà V. 5. & Jeschah. 10. 29. b *Heb. transitu illo: sic infrà 5. & 4.*

3 Schaül verò considebat in extremitate collis sub malo punica quæ *est* in [3] Migrone; [l] & populus qui aderat ei quasi sexcenti viri:

4 Et Achija filius Achitubi frater [4] Icabodis filii Pinchasi, filii Heli Sacerdotis Jehovæ Schilunte gestans amiculum: [5] populus autem ignorabat abiisse Jonathanem.

5 (Inter angustias autem illas quibus quærebat Jonathan trãsire ad stationem Pelischthæorum, [c] scopulus *erat* ab uno latere hinc, & scopulus ab altero latere inde: nomenq; unius Botzetz, & nomen alterius Sene.

6 Scopulus illorum unus *erat* situs ab Aquilone contra Micmaschum; alter verò a meridie contra Gebahum.)

7 Quum ergo dixisset Jonathan puero armigero suo, agedum transeamus ad stationem præputiatorum istorum, [6] fortè faciet Jehova pro nobis: non enim *est* Jehovæ impedimentum, quin servet multis aut paucis:

8 Dixit ipsi armiger ejus, fac quicquid *est* in [d] animo tuo: [e] diverte, ecce me tecum *facturum ex sententia* animi tui.

9 Et dixit Jonathan, ecce nos transituri sumus ad viros istos; & retegemus nos eis.

10 [7] Si dicent ita nobis, [f] subsistite donec pervenerimus ad vos; tum stabimus in loco nostro, & non ascendemus ad eos:

11 Sin autem ita dicent, ascendite ad nos, utique ascendemus, nam tradiderit eos Jehova in manum nostram: hoc igitur *esto* nobis signum.

12 Itaque retegentibus se ambobus stationi Pelischthæorũ; dicebant Pelischthæi, ecce Hebræi prodeunt e foraminibus ubi sese absconderant:

13 Deinde alloquentes [8] homines istius stationis Jonathanem & armigerum ejus, dixerunt, [9] ascendite ad nos, ut notam faciamus vobis rem: quam ob rem dixit Jonathan armigero suo, ascende post me, nam tradidit eos Jehova in manum Jisraëlis.

14 Quum itaque ascendisset Jonathan [10] nixus manibus & pedibus suis, & armiger ejus post eum: [11] cadebant ante Jonathanem; armiger quoque ejus [12] morte afficiebat post eum.

15 Fuitq; plaga illa prior, qua percussit Jonathan & armiger ejus quasi viginti viros, fermè in dimidio jugero, *id est, boum* [g] jugatorum actu.

16 Quapropter fuit trepidatio in illis castris, in agro, & in toto illo populo; [13] stationarii & populatores *milites* trepidaverunt ibi quoque: adeò ut commoveret se ipsa terra, & evaderet in trepidationem [h] maximam.

17 Videntes autem speculatores ubi *retulerunt* ad Schaülem Gibham Binjaminitarum; quòd ecce multitudo illa colliquesceret & [i] pergeret indesinenter tundere se:

18 Dixit Schaül populo qui *erat* secũ, recensete jam, & videte quis abiit a nobis: qui quum recensuissent, ecce non aderat Jonathã & armiger ejus.

19 Dixit ergo Schaül Achijæ, admove arcam Dei ([14] nam erat arca Dei illa die cum filiis Jisraëlis)

20 Sed fuit adhuc alloquente Schaüle Sacerdotem illum, quum multitudo illa quæ *erat* in castris Pelischthæorum [k] pergeret indesinenter conflictari, ut diceret Schaül ipse Sacerdoti, [15] recipe manum tuam.

21 Et congregati Schaül totusq; populus ille qui *erat* cum eo, venerunt ad pugnam illam; ubi ecce erat gladio cujusque *stricto* in alterum, strepitus magnus valdè.

22 [16] Hebræi autem quidam *erant* istis Pelischthæis ut [l] anteà, qui ascenderant cum ipsis ad ea castra circumquaque: isti etiam fuerunt [m] ab Jisraëlitis, qui Schaüli & Jonathani aderant.

23 Præterea omnes Jisraëlitæ qui [17] absconderant sese in monte Ephrajimitarum, audientes fugere Pelischthæos; assequuti sunt ipsi quoque eos a tergo in prælio.

24 Sic servavit Jehova die illo Jisraëlem; & [n] [18] exercitus transivit [19] Beth-Avenem.

25 Ubi Jisraëlitæ pressi sunt eodem die: quia [20] exsecratione obstrinxit Schaül populum dicendo, maledictus *esto* vir ille qui comederit cibum usque ad vesperam, usquedum ultionem sumsero de inimicis meis, neque gustavit totus ille populus cibum.

26 Et quamvis [o] totius regionis populus venissent in [21] quandam sylvam, ubi erat mel in superficie agri:

27 Tamen adveniente populo ad eam sylvam, ubi ecce fluxus mellis *erat*; nemo fuit qui admoveret manum suam ad os suum, timebat enim populus illam adjurationem.

28 Sed Jonathan [22] non audiverat quum adjuraret pater suus populum; hic extendens extremitatem baculi, qui *erat* in manu ipsius, intinxit eam in illum favum mellis: & quum advertisset manum suam ad os suum, [23] lumen receperunt oculi ejus.

29 [24] Respondenti autem cuidam de populo & dicenti, [p] omnino adjuravit pater tuus populum dicendo, maledictus *esto* vir ille qui comederit cibum [25] hodie; [26] ita fatigatus est populus:

30 Dixit Jonathan, [27] turbavit pater meus terram: videte quæso ut illuminati sunt oculi mei, quum gustavi parum mellis hujus:

31 Etiam quia (utinam liberè comedisset hodie populus de præda hostium suorum quod suffecisset) quia *inquam* jam non infertur in Pelischthæos plaga amplior.

32 Percusserunt itaque die illo Pelischthæos a Micmascho [28] Ajalonem usque: ubi fatigatus erat populus valdè.

33 Quamobrem contendens populus ad prædam, accipiebant quidem pecudes, & boves, & [q] *juvencos* subrumos, quos jugulantes *fundebant sanguinem* humi: sed comedebat populus [29] cum ipso sanguine.

34 Quod quum nunciatum esset Schaüli dicendo, ecce hic populus peccant Jehovæ comedendo cum sanguine; dixit, perfidè egistis, [30] devolvite ad me hodie lapidem magnum.

35 Deinde dixit Schaül, [r] discurrite per populum edicentes eis, admovete ad me quisque bovem suum, & quisque parvam pecudem suam, & jugulate hic, ut comedatis, & nõ peccetis Jehovæ comedendo *quicquam* cum sanguine: admoventes ergo totus populus quisque bovem suum, *qui erat* in manu sua, illa nocte, [31] jugulaverunt ibi.

36 Ita exstruxit Schaül altare Jehovæ: [s] hoc primùm exstruxit altare Jehovæ.

37 Posteà dixit Schaül, descendentes persequamur Pelischthæos noctu, & prædemur eos usque ad lucem matutinam, ut non reliquum faciamus ex eis quemquam, qui dixerunt, quicquid bonum *videtur* in oculis tuis fac: sed dixit

3 agri nomen est ab altera angustiarum parte Gibham versus, Jeschah. 10. 28. latebat autem in speluncis Schaül, observans cum sexcentis illis viris, quid facturi aut aggressuri essent Pelischthæi: ut ostenditur infra V. 12.
l *suprà* 13. 15.
4 de quo suprà 4. 21.
5 tam Sacerdos, quàm Schaül cum comitatu suo.
c *Heb. dẽs, petra.*
6 vide Jeh. 14. 12.
d *Heb. corde: sic deinceps.*
e *Heb. diverte tibi, pleonasm.*
7 vide annotata Gen. 24. 14.
f *Heb. silete: sic Jehos.* 10. 12, 13.
8 id est, primi excubitores sive procubitores exercitus.
9 hæc illudentium verba, tanquam si Jonathani objicerent non posse ipsum ex foramine suo erepere.
10 nam arduus erat ascensus per scopulum ad stationem Pelischthæorum.
11 ab eo videlicet cæsi.
12 sumtis armis ab aliquo ex interfectis.
g *Heb. paris jugo.*
13 i. tum qui in stativis manebant ad castrorum custodiam, tum ferentarii qui extra castra populaturi & excursuri in Jisraëlitas mittebantur.
h *Heb. Dei: sic Gen.* 30. 8.
i *Heb. & iret eundo & contundendo se.*
14 vide annotata suprà 10. 2.
k *Heb. iret eundo & conflictando.*
15 quasi dicat, non ampliùs hic in consulendo Deo hærendum est; sed propiùs ad Pelischthæos accedendum: hic pergit Schaül prodere suum animum a spiritu Dei alienum.
16 multi Pelischthæi multa mancipia Hebræorum inter impedimenta castrorum suorum habebant, qui arrepta hac occasione ad suos Jisraëlitas transfugerunt.

l *Heb. ut heri nudiustertius.*
m *Heb. cum.*
17 ut suprà 13. 6.
n *Heb. bellum; metonymic.*
18 persequentes Pelischthæos.
19 non procul a Micmascho, ut apparet ex 13. 5. volebat sumere cibum populus; sed adjuratione Schaülis ad persequendum victoriam supra modum pressus est.
20 finem bonum sumendæ de hostibus ultionis duobus malis mediis definit: nimirum interdicto necessarii cibi, & exsecratione: secundum argumentum destituti Schaülis spiritu Dei.
o *Heb. tota terra; ut Gen.* 41. 57. *sic infrà* V. 30.
21 inter Beth-Avenem & Ajalonem Danis.
22 nondum enim ex quo Pelischthæos invasit, ad exercitum redierat.
23 id est, vires recepit, unde singuli sensus recreati sunt: synecdoche, ut Gen. 16. 13.
24 ad hortamenta Ionathanis obvios Jisraëlitas incitantis ad strenuè persequendum hostes.
p *Heb. adjurando adjuravit, &c.*
25 i. usque ad vesperam, ut V. 25. nam vespera diem definẽtem terminat, & ineuntis principiũ statuit.
26 q. d. vires nos ita deficiunt, ut longiùs persequi non possimus.
27 Improbat cõsilium patris primùm ab effectu, quòd populus viribus destituitur; quem locum probat exemplo suo: Secundò ab eventu, quia non adeò cædebantur Pelischthæi, ut cæsi fuissent, si Jisraëlitæ cibo vires suas confirmassent. Tertiò correctione ex abrupto qua pium suum votum opponit patris adjurationi: Quia libertatem populo præripuit: & prædæ à Deo oblatæ usum intercludens populum in necessitatem conjecit.
28 Danis videlicet, Jehos. 19. 42.
q *Heb. filios bovis.*
29 præ festinatione, non planè depurato & expresso sanguine: quamobrem cavendum putarunt ne veniretur contra legem, Levit. 3. 17.
30 ad exstruendum altare, de quo infrà V. 36. ut coram Deo & se spectante animalia jugularent.
r *Heb. spargimini per populum & dicetis.*
31 in agro qui altare circumstat.
s *Heb. hoc incepit exstruere &c.*

Sacerdos,

Sacerdos, accedamus hîc ad Deum.

38 Consulente itaque Schaüle Deum, an descendens persequar Pelischthæos? an traditurus es eos in manum Jisraëlis? non respondit ei die illo.

39 Quapropter dixit Schaül, accedite huc, [t] *usque ab* omnibus extremitatibus populi; & cognoscite ac videte [u] qua in re fuerit peccatum hoc hodierno die.

40 Nam *ut* vivit Jehova qui servat Jisraëlem, etiamsi illud fuerit in Jonathane filio meo, [x] omnino morietur: nec *erat* qui responderet ei ex toto populo.

41 Tum edixit toti Jisraëli, vos estote à latere uno, ego autem & Jonathan filius meus erimus à latere altero: dixeruntq; populus Schaüli, quod bonum *videtur* in oculis tuis fac.

42 Quum itaque dixisset Schaül Jehovę Deo Jisraëlis, [32] cedò integrum, & deprehensus esset Jonathan cum Schaüle, populus autem [y] absoluti essent:

43 Dixit Schaül, [z] sortimini inter me & Jonathanem filium meum: [33] deprehensusq; est Jonathan.

44 Quare edixit Schaül Ionathani, indica mihi quid feceris? quod indicans ei Jonathan, dixit, tantummodò gustavi extremitate baculi, qui *est* in manu mea, parum mellis, ecce me; *an* moriturus sum?

45 Cui dixit Schaül, [34] ita faciat *mihi* Deus & ita pergat; nam omnino moriturus es, Jonathan.

46 Sed dixit populus Schaüli, an Jonathan moreretur, qui [a] comparavit salutem hanc maximam in Jisraële? absit, [35] *ut* vivit Jehova, an cadere debet ullus è capillis capitis ejus, quandoquidem [b] Deo duce operatus est hoc hodie? sic [36] redemerunt populus Jonathanem ut non moreretur.

47 Deinde ascendit Schaül a persequendis Pelischthæis: Pelischthęi verò abierunt in locum suum.

48 Schaül autem [37] acceptum obtinuit regnum super Jisraëlem: & bellavit circumquaq; cõtra omnes inimicos suos, contra Moabitas, & contra Hammonitas, & contra Edomæos, & contra [38] reges Tzobæ, & contra Pelischthæos, & in quoscunque se vertebat inquietabat *eos*.

49 Comparavit etiam copias quibus [39] percussit Hamalekum: denique eripuit Jisraëlem e manu diripientium eum.

50 [40] Erant autem filii Schaülis, Jonathan, & ‡ Jischvi & Malcischuah: nomina verò duarum filiarum ejus, nomen *quidem* primogenitæ Merab, nomenque minoris Mical.

51 Et nomen uxoris Schaülis, Achinoham filia Achimahatzi: nomen verò principis exercitus ejus, Abiner filius Neri patrui Schaülis.

52 Nam Kisch pater Schaülis, & Ner pater Abneri filius *erat* [41] Abi-Elis.

53 Sed quia erat validum bellum contra Pelischthæos omnibus diebus Schaülis; prospiciebat *sibi* Schaül de omni viro forti, & omni [c] strenuo, quem recipiebat ad se.

[t] *Heb. omnes anguli populi: sic Iudic. 20.2.*
[u] *Heb. in quo.*
[x] *Heb. morte morietur: sic infrà* ℣. 45.
[32] id est, declara quis sit innoxius; pro eo quod est, declara nocentem: sed euphemismo utitur, ut solent hypocritæ: sic 1. Reg. 20. 10.
[y] *Heb. exivissent, i. sorte exemti fuissent.*
[z] *Heb. conjicite, subaudi sortes.*
[33] qui verè erat integer & innocens: ita Deus revera præstat, quod Schaül hypocrita κατ' εὐφημισμὸν dixerat.
[34] eo quòd tam facilè prorumpit in juramentum, videtur assiduus fuisse jurator, & rationem majorem habet juramenti quàm juris, ut qui integer est à morte servetur: ita in seipsum sententiam fert, quam Deus in ipsum suo tempore exsequutus est. De hac formula juramenti vide Ruth. 1.17. in annotatione.
[a] *Heb. fecit: sic Gen. 12.2. & infrà 49.*℣.
[b] *Heb. cum Deo.*
[35] adjutat populus Schaülem, & appellat ipsius conscientiam coram vivente Deo, ut posthabita juramenti ratione, juris habeat rationem: quasi dicat, an ex jure esset, ut vel minimum damnum acciperet a populo Dei vir, qui Deum sequutus tantam populo salutem comparavit? proverbiale dictum, ut 2. Schemu. 14.13. & 1. Reg. penult. Hinc autem jus cognosci potest cùm nefarii cujusque voti, tum etiam adjurationis imprudentis & illegitimæ. [36] id est, se interponentes Schaülem impediverunt ne eum morti traderet. [37] vide annotata suprà 13.1. [38] Tzobæorum populorum; qui corrupto nomine a Plinio lib. 6. cap. 28. Nubei dicuntur: regionem tenebant a Batanea ad Euphratem: de quibus vide 2. Schem. 8. [39] quæ expeditio explicatur cap. seq. [40] Eos tantùm nominat, qui in bello patrem sequebantur, & in eo tandem ceciderunt. infrà 31. 2. ‡ *qui & Abinadab. infrà 31. 2. & 1. Chron. 8. & 9.* [41] suprà 9.1. [c] *Heb. filio roboris.*

CAPUT XV.

Schaül divinitùs jussus Hamalekitas penitus excindere, leniùs quàm pro mandato cum eis agit. Deinde reversus cum præda Gilgalem, a Schemuele iterum rejectionis sententia audita, & occiso Agago, domum revertitur.

Dixit autem Schemuel Schaüli, me miserat Jehova ad ungendum te in regem super populum suum, *nempe* super Jisraëlem: idcircò nunc ausculta voci, verbisq; Jehovæ.

2 Sic ait Jehova exercituum, [1] visitavi id quod fecit Hamalek Jisraëli; [‖] qui opposuit ei *aciem* in itinere quum ascenderet ex Ægypto.

3 Nunc abi ut percutias Hamalekum, & anathemati devoveatis quicquid *est* ei, neque clementia utaris erga eum: sed occidas [a] cùm virum tum mulierem, cùm puerum tum lactentem, cùm bovem tum parvam pecudem, cùm camelum tum asinum quemque.

4 Hoc promulgato Schaül apud populum, recensuit eos in [2] Telajimis, ducenta millia peditum; & decem millia [3] virorum Jehudæ.

5 Quumq; Shaül pervenisset usque ad civitates Hamaleki; ut contenderet *cum eo*, [4] in vallem ejus:

6 Edixit Schaül [5] Kenæis, [6] abite, recedite, descẽdite e medio Hamalekitæ, ne faciam ut tollaris cum eo, tu enim exercuisti [7] benignitatem erga omnes Jisraëlitas, quum ascenderent ex Ægypto: recessit *itaque* Kenæus e medio Hamaleki.

7 Et percussit Schaül Hamalekum [8] inde a [9] Chavila *usque* quà venis [10] Schurem, qui *est* e regione Ægypti.

8 Sed cepit [11] Agagum regem Hamaleki vivum: & totum ejus populum internecioni devovit acie gladii.

9 Itaq; [12] clementia usus Schaül cum populo erga Agagum, & erga opimos gregum & armentorum, etiam [13] secundarios, & erga [14] ovium duces, & erga quicquid bonum erat, noluerunt internecioni devovere ea: tantùm omnem rem contemtibilem & [b] tabescentem, eam internecioni devoverunt.

10 Quapropter fuit verbum Jehovę ad Schemuelem, dicendo:

11 [15] Pœnitet me constituisse Schaülem regem, quia [c] aversus est a sequendo me, & verba mea non præstitit: quod [d] displicuit Schemueli adeò ut clamaret ad Jehovam tota illâ nocte.

12 Deinde surgente Schemuele *ut iret* obviam Schaüli mane; nunciatum est Schemueli dicendo, venerat Schaül [16] Carmelum, ubi ecce [17] constituerat sibi [e] stationem, sed deflectens transivit ac descendit Gilgalem.

13 Quo veniente Schemuele ad Schaülem; [18] dixit ei Schaül, benedictus esto Jehovæ, præstiti verbum Jehovæ.

14 Cui dixit Schemuel, [19] quid ergo *sibi vult* vox pecudum istarum [f] *personans* aures meas? & vox ista armentorum quam ego audio?

15 Dixit verò Schaül, ab Hamalekitis adduxerunt ea, quia clementia vsus est populus erga opimos gregis & armenti, ad sacrificandum Jehovæ Deo tuo; residuũ autem internecioni devovimus.

[1] id est, recognovi, & visitare statui: vide annotata Gen. 21.1.
[‖] *Exodi 17. a* ℣. *8. usque ad finem, & Deut. 25.17. & seq.*
[a] *Heb. a viro usque ad mulierem, &c.*
[2] in agro Telemi oppidi tribus Jehudæ, de quo Jehos. 15.24.
[3] causam exigui istius numeri vide suprà 11.8. in annotatione.
[4] nam in editis locis & rupibus habitabant Kenæi, quà iter in Hamalekum erat faciendum, Num. 24.21. quamobrem dicit Schaül, descendite, seq. versu.
[5] qui in finibus Jehudæ & Hamalekitarum habitabant, Jithronis gentiles, Iudic. 1.16.
[6] congeries asyndetos celeritatis index: vide Gen. 18.6.
[7] quæ Exodi 18. describitur & Num. 10.29. & sequentibus.
[8] non describit terminum quem depopulatus est Schaül; sed regionem quam occupabant, qui Schaüli occurrerant: Non enim omnes Hamalekitæ; sed isti tantùm cæsi sunt: ut apparet infrà 30.
[9] regione Arabiæ.
[10] terminum Arabiæ versus Ægyptum, de quo Gen. 16.17. & 25.18.
[11] vide annotata Num. 24.7.
[12] contra quàm Deus imperaverat suprà versu 3.
[13] id est, minùs præstantes: sed non macilentos & contemptibiles: hanc genuinam esse Hebraicæ vocis significationem, quicquid alii dicant, docent litterarũ ordo & vocalium notæ. [14] ut commodiùs greges suis ducibus assuefactos, abducere possent: ita autem accipiendũ esse Hebrçã vocem docet perpetua apud Prophetas metaphora, qua duces hominũ hanc appellationem obtinent: ut 2. Reg. 12.24. & 20. Jechezkel. 39.18. [b] *Heb. liquescentem.* [15] humanitùs dictum, ut Gen. 6.6. quod constat infrà ℣. 29. & 16.1. [c] *Heb. a post me.* [d] *sic accipitur Gen. 31.35.* [16] oppidũ Jehudæ, quod redeunti ab Hamalekitis in itinere erat, Jehos. 15.55. [17] i. cum exercitu cõstiterat, ut recrearetur a labore. [e] *Heb. spatiũ, sive locum.* [18] obviam ei profectus ut eum exciperet: ut apparet ex ℣. 25. & seq. [19] vehemens est objurgatio quòd nõ pręstiterit rem imperatam suprà ℣. 3. [f] *Heb. in auribus meis.*

16 Tum dixit Schemuel Schaüli, desine, ut renunciem tibi quod eloquutus est mihi Jehova hac nocte: qui dixit ei, loquere.

17 Dixit ergo Schemuel, nonne [20] quum parvulus *videbaris* in oculis tuis, caput tribuum Jisraëlis fuisti; & unxit te Jehova in regem super Jisraëlem?

[20] vide sup. 9.21.

18 Et quum mitteret te Jehova in [g] expeditionem hanc; dixit, abi, ut interneccioni devoveas peccatores istos Hamalekum, & oppugnes eum, usque adeò ut *tui* isti consumant eos?

[g] Heb. hoc iter.

19 Quare ergo non auscultasti voci Jehovæ: sed contendens ad prædam, fecisti quod malum *videtur* in oculis Jehovæ?

20 Dixit verò Schaül Schemueli, imò auscultavi voci Jehovæ, & ambulavi in via quò misit me Jehova: adduxi quidem Agagum regem Hamaleki, sed Hamalekum internecioni devovi.

21 [21] Accepit verò populus de præda illorum greges & armenta, præstantissimum illius anathematis; ad sacrificandum Jehovæ Deo tuo Gilgale.

[21] q.d. injuriam facis, quòd me ad prædam dicis contendisse: non ego feci, sed populus, a quo timui, infrà V. 24.

22 At dixit Schemuel, an delectatur Jehova holocaustis & sacrificiis, ut quum auscultatur voci Jehovæ? ecce auscultare *est* melius sacrificio; attendere, adipe arietum.

23 Quin *sicut* peccatum divinationis *est* rebellio, & *sicut* superstitio & idola *est* repugnantia: quia sprevisti verbum Jehovæ, sprevit similiter te ne sis rex.

24 Tum dixit Schaül Schemueli, peccavi quod transgressus sum [h] præstitutum Jehovæ & verba tua: quia timui populum, ideò auscultavi voci eorum.

[h] Heb. os.

25 Nunc autem, condona, quæso, peccatum meum, & [22] revertere mecum, ut incurvem me Jehovæ *honorem habiturus*.

[22] vide Ruth. 1. 21. in annotatione: & sic sequentia.

26 Dixit verò Schemuel Schaüli, non revertar tecum: nam sprevisti verbum Jehovæ, ideò sprevit te Jehova, ne sis rex super Jisraëlem:

27 Itaque divertit Schemuel ut abiret: sed [23] apprehendit *Schaül* alam pallii ejus, ita vt laceraretur.

[23] eum retenturus.

28 Tum dixit ei Schemuel, [24] laceravit Jehova regnum Jisraëlis a te hodie; ut det ipsum proximo tuo, qui melior *est* te.

[24] occasione præsentis facti, velut signi divinitus oblati, Schemuel judicium Dei culpa Schaülis superventurum denunciat.

29 Quin etiam [25] qui *est* æternitas Jisraëlis non committet mendaciter, neque pœnitebit eum: non enim homo *est* ut pœniteat eum.

[25] periphrasis Dei ad sermonem suum accommodata: quasi dicat, Deus qui natura æternus est, æternũ se populo suo usquequaque exhibet: ac proinde in æternum te de regno dejicit & Davidem evehit.

30 Tandem eo dicente, peccavi, jam honora quæso me coram Senioribus populi mei & coram Jisraële: & revertere mecum, ut incurvem me Jehovæ Deo tuo *honorem habiturus*.

31 Reversus Schemuel [l] sequutus est Schaülem, & incurvavit se Schaül Jehovæ *honorem exhibens*.

[l] Heb. post Schaülem.

32 Deinde dicente Schemuele, admovete ad me Agagum regem Hamaleki, ivit ad eum Agag [k] delicatè *cultus*: dicebat enim Agag, certè [26] recessit amaritudo mortis.

[k] Heb. in deliciis.

[26] id est, periculum mortis evasi, quandoquidem ab armato rege ad senem prophetam abducor.

33 Sed dixit Schemuel, quemadmodum orbavit mulieres gladius tuus, sic orbabitur inter mulieres mater tua: dilaniavítque Schemuel Agagum coram Jehova Gilgale.

34 Tum abiit Schemuel Ramam: Schaül verò ascendit in domum suam Gibham Schaülis.

CAPUT. XVI.

Schemuel Dei mandato Beth-Lechemum specie convivii ad Jischajum proficiscitur, & Davidem ejus filium regem consecrat: quem Deus regali spiritu instruit: Schaülem vero malo spiritu agitatum ad Davidis operam adhibendam incitat.

Posteà [1] non perrexit Schemuel [2] invisere Schaülem [3] usque ad diem mortis suæ, [4] quum luxisset Schemuel de Schaüle: quia Jehovam pœnitebat regem constituisse Schaülem super Jisraëlem.

[1] hunc versum ad sequentia pertinere res ipsa docet.

[2] ut anteà solitus erat, regis instruendi causa. Sic accipitur idem verbum 2. Reg. 8. V. ultimo.

[3] id est nunquam: vide Gen. 49.16.

[4] id est pro facto, quod sibi displicebat, apud Deum intercessisset suprà 15.11. nam fieri non potest, ut audita Dei irrevocabili sententia, & ea ipsius nomine Schaüli pronunciata suprà 15.29. precibus contenderit amplius ut rescinderetur.

CAPUT. XVI.

2 Nam dixit Jehova Schemueli, quosque lugeres de Schaüle, cùm ego spreverim eum ne regnet super Jisraëlem? imple cornu tuum oleo, & abi *quò* mitto te, ad Jischajum Beth-Lechemitam, nam prospexi inter filios ejus mihi *de* rege.

3 Cui dicente Schemuele, quo modo irem? audiens enim Schaül occideret me: dixit Jehova, vitulam armenti accipito in manu tua, & dices, [5] ad celebrandum convivium Jehovæ veni.

[5] sic eadem vox pro convivio accipitur suprà 9. 12. & 13. & infrà hoc capite. Quod autem additur Jehovæ, ad sacrificia referendum non esse vel inde apparet, quòd intra domesticos Jischai parietes celebrabatur: cùm nulla publica aut privata sacrificia ex lege alibi quam in loco à Deo designato & coram arca fœderis ac tabernaculo, vel temporibus corruptis, alibi quàm in excelsis offerri possent: sed ideo additur Jehovæ, ut intelligatur ex mandato Jehovæ ad rem aliquam divinam esse institutum.

4 Et invitabis Jischajum ad illud convivium: ego autem ostendam tibi id quod facturus es, ut ungas mihi quem dixero tibi.

5 Quum itaque Schemuel faciens quod edixerat Jehova adveniret Beth-Lechemum; trepidi accurrerunt Seniores civitatis obviam ei, & dicebat *quisque*, [a] prosperéne advenis?

[a] Heb. pax adventus tuum? sic infrà V. 6.

6 Qui dixit, prosperè, ad celebrandum convivium Jehovæ veni, comparate vos ut ueniatis mecum ad illud convivium: similiter [6] jussit comparare se Jischajum & filios ejus, & invitavit illos ad illud convivium.

[6] declarando ei consilium Dei de eligendo rege ex filiis ejus: quod ostendit finis versiculi 9. 10. & 11.

7 Fuit autem ingredientibus illis, quum videret ‡ Eliabum; ut diceret, [7] utique coram Jehova *est* unctus ejus.

‡ qui & Elihu, 1. Chro. 27.18.

[7] id est, probatus est Jehovæ in regem ut Judic. 18.6. imprudenter dictum, quod sequentia corrigunt: quale est Nathanis 2. Schem. 7.3.

8 Edixit verò Jehova Schemueli, ne respicito ad speciem ejus; aut ad altitudinem staturæ ejus, nam respui eum: non enim *specto* quod spectare solet homo, nam homo spectat *quod est* ob oculos, sed Jehova spectat *quod est* in animo.

9 Deinde vocans Jischai Abinadabum, jussit eum transire ante Schemuelem, qui dixit, neque hunc elegit Jehova.

10 Tunc jussit Jischai transire ‡ Schammam, qui dixit, neque hunc elegit Jehova.

11 Sic jussit Jischai transire septem filios suos coram Schemuele; sed dicebat Schemuel Jischajo, non elegit Jehova [8] istos.

12 Denique dixit Schemuel Jischajo, an [9] absolverunt *transire* pueri? qui dixit, adhuc reliquus *est* minimus qui ecce pascit gregem: edixit ergo Jischajo Schemuel, mitte & assume eum, non enim [10] deflectemus donec venerit huc.

13 Mittens itaque adduxit eum (erat autem rufus cum pulcritudine oculorum & decoro aspectu) & dixit Jehova, surge, unge eum, quia hic ille est.

14 Schemuel itaque accepto cornu olei, [11] unxit eum in medio fratrum ejus; [12] & irruens spiritus Jehovæ in Davidem, *egit eum* a die illo & deinceps: [13] Posteà surgens Schemuel abiit Ramam.

15 Nam spiritus Jehovæ recesserat a Schaüle; perturbabátque eum spiritus malus a Jehova.

16 Quapropter dicentibus servis Schaülis ei; ecce jam spiritus Dei malus perturbat te:

17 Edicat, quæsumus, dominus noster servis tuis [d] adstantibus tibi, *ut* perquirant aliquem

‡ *qui idem Schimma*, 1. *Chron.* 2.13. & 2. *Schem.* 13.3.
[8] i. ullum istorum sex filiorũ Jischai, qui primi ex ordine naturæ transiverunt: forte etiam nepotem septimum, infrà 17.12. Horũ autem nomina vide 1. Chr. 2.
[9] similis est loquutio, Matth. 10.23.
[10] ad convivium: eodem sensu accipitur idem verbum, Gene. 42.24.
[11] præeunte explicatione voluntatis Dei: vide 2. Schem. 5.2.
[12] de quo suprà 10.6. qui a Schaüle recessisse dicitur proximo versu.
[13] uncto Davide & celebrato convivio.
[d] Heb. coram te.

scientem,

scientem, pulsantem citharam: eritq; quum in-
erit tibi spiritus Dei malus, ut eo pulsante manu
sua, benè sit tibi:
18 Edixit Schaül servis suis; prospicite mihi
jam de aliquo [e] benè pulsante, quem adducatis
ad me.
19 Tunc respondens [14] unus ex ejus pueris di-
xit, ecce prospexi, filius *est* Jischai Beth-Leche-
mitę, sciens pulsare, & [15] valens robore, & vir bel-
licosus, rerumq; intelligens, ac vir formosus: de-
nique Jehova *est* cum eo.
20 Quapropter Schaül missis nunciis ad Ji-
schajum, edixit, mitte ad me Davidem filium tu-
um, qui *est* cum grege.
21 Accipiens verò Jischai asinum [f] *cum* pane,
& utrem vini, hœdumq; [g] lactentem unum; mi-
sit per Davidem filium suum ad Schaülem.
22 Quumq; venisset David ad Schaülem,
[16] stabat coram eo: dilexitq; eum valde, adeò ut
esset ei armiger.
23 Misitq; Schaül ad Jischajum, qui diceret;
stet, quæso, David coram me, nam invenit gra-
tiam in oculis meis.
24 Erat enim quū inesset spiritus Dei Schaü-
li, ut David accipiens citharam pulsaret manu
sua: unde [h] respirabat Schaül, & benè erat ei, re-
cedente ab eo [17] spiritu illo malo.

CAPUT XVII.

*Schaüle castra habente ex adverso Pelischthæorum, mō-
strosæ magnitudinis Goljath armis munitissimus
per quadraginta dies in medium prodit, sese offerens
ad decernendum singulari certamine: sed tandem ab
adolescente inermi Davide, fide munito, victus occi-
ditur, & Pelischthæorum copiæ funduntur.*

Quum enim congregavissent Pelischthæi ca-
stra sua ad bellum, cōgregauerunt se ad So-
cuntem, quę *est* Jehudę; & metati sunt intor [1] So-
cuntem & Hazekam, in termino [a] Dammęorum.
2 Schaül verò & Jisraëlitæ congregati ca-
stris positis ad convallem querceti; instruxerunt
aciem contra Pelischthæos.
3 Cōsistentibus itaque Pelischthęis in mon-
te hinc, Jisraëlitis verò consistentibus in monte
inde; ubi vallis *erat* inter eos:
4 Egressus erat quidam [b] duellator e castris
Pelischthæorū Goljath nomine Gatho *oriundus*:
cujus altitudo *erat* sex cubitorum cum spithama.
5 Galęa autem chalybea super caput ejus, &
lorica squamata erat indutus; cujus loricæ pon-
dus *erat* quinquies mille siclorum, e chalybe:
6 Et tibialia chalybea *erant* super pedes ejus;
& humerale chalybeum inter humeros ejus:
7 Hastile autem hastæ ejus simile *erat* jugo
textorum, & [c] mucro ferreus hastæ ejus sexcen-
torum siclorum *erat*: & qui scutum ferebat ante-
cedebat eum.
8 Is subsistens clamabat ad acies Jisraëlita-
rum, & dicebat eis, quare prodiretis instruendo
aciem? an non ego sum Pelischthæus unus? vos
ergo servi Schaülis seligite vobis virum qui [2] de-
scendat ad me.
9 Si prævalebit pugnando contra me ita ut
percutiat me, utique erimus vobis servi: sin au-
tem ego prævaluero ei ita ut percutiam eum, vi-
cissim eritis nobis servi, [3] omnino servietis nobis.
10 [4] Dicebat prætereà Pelischthæus ille, ego
probro affecero acies Jisraëlitarum hodie, date
mihi virum ut pugnemus simul.
11 Quumq; audisset Schaül & totus Jisraël
verba illa Pelischthęi; cōsternati timebant valdè.

[e] Heb. *benè faciente pulsando.*
14 fortasse Jonathan filius Schaülis natu maximus, ex versu 59. cap. sequentis. Quamobrem etiam non incommodè unum pro primo acceperis, ut Gen. 1. 5. & alibi sæpe.
15 Ex his quorum nomine hic commendatur David colligitur eum jam antè Pelischthæum interfecisse; unde apparuit ipsum esse bellicosum, & Deum adesse ei.
[f] He. *asinū panis.*
[g] Heb. *e capris*,
16 id est, ministrabat ei; ut explicatur Deut. 10. 8. sic versu 23.
[h] Heb. *respiratio erat Schaüli.*
17 id est, lymphationibus, quæ ab illo spiritu malo proficiscebantur, tunc temporis cessantibus: metonymia.

1 oppida tribus Jehudæ, Iehos. 15. 35. est autem toto hoc capite digressio hyperbatica ad confirmandum verba, quibus Schaülis servi Davidem ei commendabant, suprà 16. 19. hujus autem hyperbati exempla extant quam plurima, ut Gen. 5. Jehoschu. 2. & alibi.
[a] *Idem Pas-Dammima*. 1. *Chro*. 11. 13.
[a] Heb. *vir qui inter duos: supple pugnam singularem decerni postulabat infrà 8. 9. & 10. V. alii inter duo; subaudi castra: sic inf.* 23. V.
[b] Heb. *lamina: vide Gen*. 3. 24.
2 ad singulare certamen.
3 Verba sunt victoriam sibi præfidenter pollicētis.
4 quum videret nēminem prodire ad singulare certamen quo provocaverat, ut sequens versus ostendit. Sensus est, hæc verò perpetua genti Jisraëlitarum infamia futura est a me, si toties provocati non habuerint e numeris suis quem committant ad certamen singulare mecum.

12 [5] Dauid autem, ille filius viri Ephrathęi, e
Beth-Lechemo Jehudæ; (huic nomen Jischai,
erantq; ei [6] octo filii: & vir ille temporibus Schaü-
lis senuerat, provectus inter homines *senes.*
13 Abeuntesq; tres filii Jischai maximi se-
quebantur Schaülem in isto bello: nomenq; tri-
um filiorum ejus qui iverant in istud bellum *erat*
Eliab primogeniti, secundi autem ab ęo Abina-
dab, & tertii Schamma.
14 David autem erat [7] minimus: tres verò
maximi sequebantur Schaülem)
15 Dauid, inquam, ibat & redibat [c] a [8] comi-
tatu Schaülis; ad pascendum gregem patris sui,
Beth-Lechemum.
16 Appropinquaverat autem Pelischthæus ille
[d] mane & vespere; & stiterat se quadraginta diebus:
17 Quum dixit Jischai Davidi filio suo, accipe
nunc pro fratribus tuis epham hanc aristarum
tostarum, & decem hos panes; & [e] celeriter de-
portato in castra ad fratres tuos.
18 Decem verò caseos istos lacteos deferto ad
Chiliarchū *eorum*: & fratres tuos visitās *cognoscito*
de [f] prosperitate *eorum*, & [9] arram ab eis accipito.
19 Schaül autem cum ipsis, & omnes Jisraëli-
tas in convalle querceti *erant*; bellantes contra
Pelischthæos.
20 Itaque surgens David mane, deserto grege
penes custodem, assumsit *ea* & abiit, quemadmo-
dum præceperat ei Jischai: pervenitq; [10] ad plau-
strorum ambitum, quum exercitus prodiret in a-
ciem, & vociferarentur ad prælium.
21 Nam instruxerat se Jsraëlitarū & Pelisch-
thæorum acies [g] altera aduersus alteram.
22 Quapropter David deserens [11] impedimen-
ta a se in manu custodis impedimētorum, cucur-
rit in ipsam aciem, & adveniens interrogavit fra-
tres suos de prosperitate.
23 Ipso autem loquente cum eis, ecce vir ille
duellator ascendebat, Goljath Pelischthæus no-
mine, oriundus Gatho, ex aciebus Pelischthęo-
rum, & loquebatur [12] hujusmodi verba: quæ au-
divit David.
24 Singuli autē Jisraëlitæ quum viderent istū
virū; fugiebant a facie ejus, adeò metuebāt valdè:
25 Et dicebat quisque Jisraëlita, nónne vidistis
hunc virum qui ascendit, ad probro afficiendum
Jisraëlem ascendere? erit tamen *ut* virum illum
qui percusserit eum, ditet rex divitiis magnis, & fi-
liam suam det ei, & domum paternam ejus [13] ef-
ficiat immunem in Jisraële.
26 Tunc alloquutus est David homines qui
adstabant sic dicendo, [14] quid fieret viro qui per-
cuteret Pelischthęum illū, & auferret opprobriū
ab Jisraële? quis enim *est* Pelischthæus pręputia-
tus iste, qui probro afficit acies Dei viventis?
27 Cui loquutus est populus ille in eandem
sententiam, dicendo; [15] ita fiet viro illi qui percus-
serit eum.
28 Audiebat autem Eliab frater ejus maxi-
mus, quum alloqueretur viros illos: quare Eliab
accensus ira in Davidem dixit, quorsum descen-
disti? aut penes quem deseruisti pauculas illas pe-
cudes in deserto? ego novi arrogantiam tuam &
nequitiam animi tui, te ad inspiciendum hoc bel-
lum descendisse.
29 Dixit verò Dauid, [16] quid feci nunc? nonne
[17] negotium fuit?
30 Deinde deflectens [h] ab eo versus alium, lo-
quutus est in eamdem sentētiam: responderúnt-
que populus in sententiam priorem.

5 cujus mentionem fecisse audivimus servos Schaülis, suprà 16. 19.
6 Propriè filii septem tantùm erant, qui nominātur 1. Chr. 2. 13, 14, 15. hic autem octo ponuntur; quia nepos unus ex aliquo filiorum jam tum ei natus erat: fortassis Jonadab Schammæ filius, de quo 2. Schem. 13. 3. nepotes autem in scripturis passim filii dicuntur.
7 eorum qui proprii erant suprà 16. 12.
[c] *Heb. de cum Schaüle.*
8 hoc est, sæpius a patre ad fratres, qui in isto bello Schaülem comitabantur, mittebatur.
[d] *Heb. infinitivi verborum sunt positi pro adverbiis.*
[e] *Heb. fac currere.*
[f] *Heb. pace, ut infrà* 22.
9 id est, symbolū aliquod ab eis, quod me de prosperitate eorum certiorem reddat, tecum deportato.
10 id est, ad locum impedimentorum, quibus castra circumvallata erant, ut infrà 26. 5. synecdoche: plaustra pro omni impedimentorum genere.
[g] *Heb. acies adversus aciem.*
11 id est, ea quæ ad fratres & ducem militarem ducebat.
12 qualia commemorata sunt versu 8.
13 i. det ei quæ hodie appellantur nobilitatis præmia & privilegia.
14 q. d. quid tantis præmiis opus est ad fortem Jisraëlitam incitandum? etiam sine præmio ineundum est certamen duabus de causis: prior est a persona hostis injurii & alieni a Deo ac fœdere ejus: posterior a dignitate eorum qui afficiuntur injuria, quorum probra in se recipit Deus.
15 q. d. utut etiam sine præmio certandum sit, nihilo minùs tamen certum est præmium propositum.
16 subaudi, cujus nomine nunc arrogantiæ me damnas.
17 cujus conficiendi causâ huc me misit pater.
[h] *Heb. a prope eum.*

31 Quumq; auditi fuissent sermones quos loquebatur David; indicati sunt præsente Schaüle, qui accivit eum.

32 Dixit verò David Schaüli, ne concidat [i] animus ullius propter istum: servus tuus iturus est & pugnaturus contra Pelischthæum istum.

i Heb. cor hominis.

33 Sed dixit Schaül Davidi, non prævaleres eundo ad Pelischthæum istum, ut pugnes contra eum: puer enim es, ipse verò vir bellicosus a pueritia sua.

34 Tum dixit David Schaüli, pascente servo tuo patri suo gregem; quum accedens leo aut ursus, auferret [18] parvam pecudem e grege,

35 [19] Egressus persequebar illum, ut percuterem eum, aut eriperem ex ore ejus; insurgentem verò in me prehendebam eum barba, & percutiens morte afficiebam eum.

36 Tum leonem, tum ursum percussit servus tuus: & Pelischthæus præputiatus iste ut unus ex eis futurus est, cùm probro affecerit acies Dei viventis.

37 Dixitq; David; Jehova qui eripuit me [k] a leone, & ab urso, idem eripiet me e manu Pelischthæi illius: tum dixit Schaül Davidi, abi & Jehova sit tecum.

38 Jusserat autem Schaül Davidem indui [20] armis suis, & imposuerat galeam chalybeam capiti ejus, jusseratq; eum indui lorica.

39 Quum itaque David accinctus gladio suo super arma sua vellet incedere, qui non expertus esset dixit David Schaüli, non possum incedere cum istis, quia non sum expertus: amovitq; ea David a se:

40 Et accepto baculo suo in manu sua, elegit sibi quinque læves lapides ex [l] valle, quos imposuit instrumento pastorali quod habebat, id est, peræ, funda autem ejus *erat* in manu ejus: sic appropinquabat ad Pelischthæum.

18 ita reddidimus, Chaldæum paraphrasten & duos codices manu scriptos sequuti: alioquin pro hac voce in vulgatis exemplaribus legitur, *& auferebat hoc è grege*; mutatâ unâ literâ, proclivi lapsu.
19 i. digressus a reliquo grege, & caula vel tugurio meo.
k Heb. *e manu leonis, & e manu ursi: ut Gen.9.5.*
20 id est, Davidi datis a Schaüle & ipsius corpori accommodatis: nam tanta fuit Schaülis proceritas, ut arma ipsius Davidi convenire non potuerint.
l *vel torrente.*

41 Similiter Pelischthæus [m] indesinenter pergebat appropinquare ad Davidem; viro illo, qui ferebat scutum, præcedente eum.

42 Quumq; intuitus Pelischthęus videret Davidem, spernebat eum; eo quòd esset [21] puer & rufus cum pulcritudine aspectus.

43 Quam ob rem dicebat Pelischthæus ille Davidi, an canis sum quòd venis contra me cum [22] baculis? maledicebatq; Pelischthæus ille Davidi per deos suos.

44 Deinde quum dixisset Pelischthæus Davidi; accede ad me, ut tradam carnem tuam volatilibus cæli & bestiis agri:

45 Dixit David illi Pelischthæo, tu venis ad me cum gladio, & cum hasta, & cum [23] humerali: ego verò venio ad te in nomine Jehovæ exercituum, Dei acierum Jisraëlitarum, quem probro affecisti.

46 Hoc ipso die dedet te Jehova in manum meam, ut percutiens te amoveam caput tuum a te, & tradam cadavera exercitus Pelischthæorum hoc ipso die volatilibus cæli & bestiis terræ: ita cognoscent *incolæ* totius terræ Deum esse pro Jisraële:

m Heb. *similiter ibat Pelischthæus iens & appropinquans Davidem.*
21 tria argumenta ad contemtum Pelischthæus adhibebat, ætatem, colorem, & speciem. Ætas enim imbecillitatem, color præcipitem iracundiam & temeritatem, species mollitiem hominis & imperitiam rei militaris monstrare videbantur.
22 Indefinitè dictum plurale pro singulari, ut Gen. 21.7. & alibi frequenter.
23 armis ad corpus tegendum pertinentibus: synecdoche.

47 Et cognoscent tota congregatio hæc, non gladio aut hasta Jehovam servare: nam [24] Jehovæ *est* hoc bellum, ideò tradet vos in manus nostras.

48 Fuit autem quum [25] surgens Pelischthæus pergeret appropinquare obviàm Davidi; & festinans David procurreret in aciem obviàm Pelischthæo;

49 Ut extendens David manum suam ad suum instrumentum, acceptum inde lapidem intorqueret funda, & percuteret Pelischthæum in fronte ejus: ita [26] ut immerso lapide in frontem ejus caderet [n] pronus in terram.

24 vos Jehovæ bellum infertis: nos pro eo gerimus.
25 se expediens & ad conflictum comparans, ut Gen.31.17.

50 Quum itaque robustior fuisset David Pelischthæo funda & lapide, & percussisset Pelischthæum morti traditurus eum; quia gladius non *esset* in manu Davidis:

26 id est altiùs infixo, ea facilitate qua fuisset in aquas immersus.
n Heb. *super faciem suam.*

51 Accurrens David stetit super Pelischthæum, deinde arrepto gladio ejus, quē eduxit e vagina sua ut morte afficeret eum, amputavit illo caput ejus: quapropter videntes Pelischthæi mortuum esse fortissimum suum, aufugerunt.

52 Surgentes verò viri Jisraëlis & Jehudæ, vociferando persequuti sunt Pelischthæos [27] usque quà is per vallem, & usque ad portas Hekronis: cecideruntq; confossi Pelischthæorum per viam *ad* [28] Schaharajima Gathum & Hekronem usque.

53 Deinde reversi Jisraëlitæ ab insectando Pelischthæos; diripuerunt castra eorum.

54 [29] Posteà accipiens David caput Pelischthæi, detulit ipsum Jeruschalaima: arma verò ejus deposuit in [30] tentorio suo.

27 id est, per iter totius vallis; cujus meminit sup. versu 3.
28 oppidum in finibus Jehudæ, de quo Jehos.15.36.
29 non videtur hoc statim a victoria factum; sed diu posteà: tum forsassis quum arca Dei ipso jam rege constituto Jeruschalaima translata est, & ibi tentorium erectum, 2.Schem.6.17. prolepsis est, ut Exo.16.33.
30 id est, quod arcæ Dei ipse tetenderat, ibidem, & 1.Chro.15.1.& seq. ver.

55 Quum autem videret Schaül Davidem obviàm procedentem Pelischthæo illi, dicebat Abnero principi militiæ, cujus filius *est* iste puer Abner? cui dicebat Abner, *ut* vivit anima tua, Rex, non novi.

56 Dicebat verò Rex: interroga tu, cujus filius *sit* iste adolescens.

57 Quapropter quum reverteretur David a cæde Pelischthæi, assumens eum Abner adduxit eum in aspectum Schaülis, caput Pelischthęi habentem in manu sua.

58 Cui dicente Schaüle, cujus filius es, ô puer? dixit David, filius servi tui Jischai Beth-Lechemitæ.

CAPUT XVIII.

59 [31] Fuitq; quum absolveret alloqui Schaülem, ut anima Jonathanis devinciretur cum anima Davidis; adeò ut amaret eum Jonathan tamquam [o] se ipsum.

31 hunc versum cum superioribus conjungendum esse ipsius initium docet.
o Heb. *animam suam.*

CAPUT XVIII.

David Schaülis citharœdus, & Jonathani fœderatus satellitio regis præficitur: & ita se gerit ut ipsius administratio a puellis publico cantico administrationi Schaülis præferatur. Unde in Davidem Schaül odio tanto exarsit; ut ejus mortem apertè primùm, deinde insidiosis consiliis quæsiverit: quæ singulari Dei providentia superavit David.

1 ITaque assumsit eum Schaül [1] die illa: nec permittebat ei redire domum patris sui.

2 [2] Deinde pepigit Jehonathan cum Davide fœdus, eo quòd amaret eum tamquam [a] se ipsum:

3 Et exuens se Jehonathan pallio, quo erat indutus, tradidit illud Davidi; & vestes suas, & tum gladium suum, tum arcum suum, tum denique zonam suam.

4 Quumq; prodiens David ad quæcunque mittebat eum Schaül, secundaretur, præposuit eum Schaül viris militaribus: bonusq; videbatur in oculis totius populi: etiamq; in oculis servorum Schaülis.

5 Sed fuit [3] redeuntibus illis, quum reverteretur David a cæde [b] Pelischthæorum, ut prodirent fœminæ ex omnibus civitatibus Jisraëlis ad cantandum, & earum choreæ obviàm Schaüli Regi; cum tympanis præ lætitia, & cum panduris.

6 [4] Respondebant autem fœminæ ludentes,

1 qua missis legatis ad Jischajum, petit ut apud se David relinqueretur: est enim regressio ad historiam intermissam in fine capitis 16.
2 id est, postquā eum Schaül assumsisset in aulam, amorem (quo inde à cæso Pelischthæo eum prosequebatur) fœdere confirmavit.
a Heb. *animam suam sup.17.59.*
3 Schaüle, populo, & servis Schaülis ab aliqua alia pugna contra Pelischthæos.

b Heb. *Pelischthæi. Enallage numeri frequentissima, ut Gen.25.19. & sequentibus: sic infrà 19.5.* 4 id est, hunc amœbæum versum: nempe *Percussit Schaül,* &c. alternis canebant, ut Exod,15.2.

& dicebant, [5] percussit Schaül millia sua, at David myriadas suas.

7 Quapropter accensa est *ira* Schaüli valde, mala enim videbatur in oculis ejus hæc res, ac dicebat, tribuerunt Davidi myriadas, mihi verò tribuerunt millia ; & ampliùs ei regnum tantummodò ipsum *accesserit*.

8 Et [6] configebat Schaül oculos in Davidem, ab eo die & deinceps.

9 Fuit enim postridie, quum irruente spiritu Dei malo in Schaülem [7] prophetico more ageret domi suæ, & David pulsaret manu sua eo die ut anteà (erat autem hasta in manu Schaülis)

10 Ut jacularetur Schaül hastam, [8] dicens, percutiam Davidem usque ad parietem : sed deflexit David metu illius bis.

11 Deinde metuens Schaül propter Davidem; eo quòd esset Jehova cum illo, & a Schaüle recessisset;

12 Amovit eum Schaül a se, constituitq; eum sibi [9] Chiliarchum; ut [10] procederet & veniret ante populum.

13 David autem in omnibus viis suis secundabatur, quia Jehova *erat* cum eo.

14 Quumq; videret Schaül eum secundari valde; formidabat ab eo:

15 Totus verò Jisraël & Jehuda amabat Davidem; quia ipse procedebat & veniebat ante eos.

16 [11] Itaq; dixit Schaül Davidi; ecce filia mea major Merab, ipsam daturus sum tibi uxorem, tantùm esto mihi [c] strenuus, & gere bella Jehovæ : Schaül enim dicebat, ne sit manus mea contra eum, sed sit contra eum manus Pelischthæorum.

17 Dixit verò David Schaüli, [12] quis *sum* ego ? aut quis *auctor* vitæ meæ ? *aut* familia patris mei in Jisraële, quòd futurus sim gener regi.

18 Fuit autem, quo tempore daturus erat Merabam filiam Schaülis Davidi; ut ipsa daretur [13] Hadrieli [14] Mecholathæo in uxorem.

19 Sed amabat Mical filia Schaülis Davidem: quod quum nunciatum esset Schaüli, rectum visum est in oculis ejus.

20 Dicebat enim Schaül, dem eam illi ut sit ei [15] in tendiculam, & sit contra eũ manus Pelischthæorum : dixitq; Schaül Davidi, per [d] alteram te affinitate conjunge mecum [16] ista die.

21 Præceperat autem Schaül servis suis, alloquimini Davidem [17] clàm dicendo, ecce delectatur te rex, & omnes servi ejus amant te : nunc ergo junge te affinitate cum rege.

22 Ut autem eloquuti sunt servi Schaülis in aures Davidis sermones istos ; dixit David, an *videtur* leve in oculis vestris affinitate jungi cum rege, cùm ego sim vir [18] pauper & vilis ?

23 Quod quum renunciassent servi Schaülis ei, dicendo ; hujusmodi sermonibus loquutus est David :

24 Edixit Schaül, sic dicito Davidi, non delectatur rex dote, nisi ex [19] centum præputiis Pelischthæorum, ut ultio sumatur de inimicis regis: Schaül autem cogitabat efficere ut David caderet manu Pelischthæorum.

25 Renunciantibus igitur servis ejus Davidi sermones istos, recta *visa* est res in oculis Davidis, ut affinitate conjungeret se regi : nec dum impleti erant [20] dies illi ;

26 Quum surgens David abiit ipse cum viris suis, & percussit e Pelischthæis ducentos viros ; quorum præputia attulit David, pleneq; exhibuerunt ea regi, quò affinitate se jungeret Regi: quapropter dedit ei Schaül Micalem suam filiam in uxorem.

27 Videns autem Schaül & cognoscens Jehovam esse cum Davide ; & Micalem filiam Schaülis amare illum :

28 Perrexit Schaül metuere a Davide ampliùs : sic fuit Schaül infestus Davidi omnibus diebus suis.

29 Prodeuntibus enim præfectis Pelischthæorum, erat quotiescunque prodibant, *ut* secundaretur David præ omnibus servis Schaülis, & in pretio esset nomen ejus valdè :

[5] q.d. laude dignus est Schaül ; sed decuplo majore David. Numerus certus pro incerto.

[6] id est, limis intuebatur, & observabat ut ei noceret.

[7] id est, extra se esset, & spiritu malo actus ita sermones & actus suos componeret, ut boni Prophetæ solent acti spiritu bono.

[8] id est, cogitans apud se : sic infrà sæpe.

[9] non ut eum eveheret ; sed ut hostibus interficiendum objiceret : vide infrà 16. & 24. ℣.

[10] vide Num. 27. 17, sic versu 15.

[11] id est, quum permanente odio necem Davidis quæreret, populi verò amore in Davidem ipse deterreretur a perpetranda cæde : fraudulentũ hoc consilium suscepit.

[c] *Heb. in filium roboris.*

[12] a persona sua, patris, & familiæ, inæqualitatem suam ostendit.

[13] filio Barzillai Ephrajimitæ, 2. Schemu. 21. 8.

[14] vide Jud. 7. 21.

[15] ut explicatur infrà ℣. 24.

[d] *Heb. per duas, i. secundam : numerale cardinale, pro ordinali : sic 2. Reg. 15. 32. & alibi.*

[16] id est, intra certum & præfinitum tempus, ut apparet ℣. 25.

[17] id est, tanquam ex vobis, ne intelligat consilium ex me profectum esse.

[18] quasi dicat, non esset penes me eam dotem tribuere quæ cõvenit filiæ regis : non enim accipiebant, sed dabant viri dotem, ut Gene. 34. 12. Exo. 22. 16. & 17.

[19] Loco dotis, quæ pro conditione personarum solebat æstimari.

[20] id est, nondum præfinitum a rege tempus elapsum erat, de quo sup. 20 ℣.

CAPUT XIX.

Schaülis consilium de interficiendo Davide a Jonathane retegitur, & eo monitore David Schaüle reconciliatur: sed iterum bello a Davide fœliciter gesto, Schaül mortem illius quærit, cujus furori cedens David domum se recepit, in qua circumventus, Micalis operâ eripitur : Schemuelem adit, & Prophetarum collegium : ibiq; a violentia legatorum & ipsius etiam Schaülis conservatur.

Itaque alloquutus est Schaül Jonathanem filium suum, & omnes servos suos, de morte afficiendo Davide : sed Jonathan filius Schaülis delectabatur Davide valde.

2 Quapropter indicavit Jehonathan Davidi dicendo, quærit Schaül pater meus morte afficere te : nunc ergo cave tibi, quæso, [1] mane, & confidens in occulto absconde te.

3 Ego autem exiens consistam ad latus patris mei in eodem agro ubi tu eris, & ipse alloquar de te patrem meum, & ubi percepero aliquid, nunciabo tibi.

4 Alloquens ergo Jehonathan de Davide *bonis* verbis Schaülem patrem suum ; dicebat ei, ne peccet rex in servum suum, in Davidem, quia non peccavit in te, quinimò facta ejus bono sunt tibi valde.

5 Nam quum exponens vitam suam in manu sua percussit [a] Pelischthæos, & comparavit Jehova salutem magnam toti Jisraëli, vidisti & & lætatus es : & quare peccares contra sanguinem innoxium, morte afficiendo Davidem immeritò ?

6 Tum auscultavit Schaül voci Jehonathanis ; ita ut juraret Schaül, *ut* vivit Jehova non afficietur morte.

7 Quapropter vocavit Jehonathan Davidem, & indicavit ei Jehonathan omnia verba ista : & reduxit Jehonathan Davidem ad Schaülem, ut [a] esset coram eo [b] sicut anteà.

8 [c] Perrexit autem bellum esse : & prodiens David ad pugnandum contra Pelischthæos, percussit eos plaga magna, & fugerunt a facie ejus.

9 Deinde quum inesset spiritus Jehovæ malus Schaüli, (erat autẽ domi suæ desidens, tenens hastam suam manu sua) pulsante Davide manu;

10 Quæsivit Schaül percutere hasta Davidem, [d] *usque* ad parietem, sed eo abscedente a facie Schaülis percussit hasta parietem : sic David aufugiens eripuit se nocte illa.

11 Misit autem Schaül legatos versus domum Davidis ad observandum eum, ut morte afficeret eum mane : quod nunciavit Davidi Mical uxor ejus dicendo, si non eripis [e] te ipsum hac nocte, cras morte afficieris.

12 Quumq; demisisset Mical Davidem per fenestram ; abiens aufugit, & eripuit se.

13 Mical verò assumtum quandam imaginem imposuit lecto, & [3] pulvinar caprinum cervicali ejus : quam texit veste *stragula*.

[1] id est, antequam a satellitibus patris mei opprimaris, ut infra ℣. 11.

[a] *Heb. Telischthæos : vide sup. 18. 5 in margine.*

[a] i. restitutus honori & loco ministraret ei.

[b] *Heb. sicut heri nudiustertius, ut Gen. 31. 2.*

[c] *Heb. adjecit bellum esse.*

[d] *Heb. Davidem & parietem.*

[e] *Heb. animam tuam.*

[3] ut capillamenti humani speciē deciperentur a Schaüle missi.

14 Mittente

14 Mittente verò Schaüle legatos ad capien-
dum Davidem: dicebat illa, ægrotus est.
15 Tum remisit Schaül legatos illos ad invi-
sendum Davidem, dicens; adducite eum in lecto
ad me, ut morte afficiam eum.
16 Sed quum ingressi essent legati, ecce quæ-
dam imago *erat* in lecto; & pulvinar caprinum in
cervicali ejus.
17 Dixitq; Schaül Micali, quare ita decepisti
me, & dimisisti inimicum meum, ut eriperet se?
& dixit Mical Schaüli, ipse dixerat mihi, dimitte
me, [4] quam ob rem morte afficerem te?
18 David ergo fuga eripiens se venit ad Sche-
muelem Ramam, indicavitque ei quicquid fecis-
set sibi Schaül; & [5] abiit ipse cum Schemuele, ut
considerent Najothis.
19 Quumq; nunciaretur Schaüli dicendo, ec-
ce David *est* Najothis in Rama;
20 Misit Schaül legatos ad capiendum Davi-
dem; & vidit *quisque* congregationem propheta-
rum prophetantium, & Schemuelem stantem,
qui præerat illis: tunc invasit legatos Schaülis
spiritus Dei, ut [6] more prophetico agerent ipsi
quoque.
21 Quod quum nunciatum esset Schaüli, misit
legatos alteros qui more prophetico egerunt ipsi
quoque: ideò remisit Schaül legatos tertios, qui
more prophetico egerunt ipsi quoque.
22 Tandem abiens etiam ipse Ramam quum
pervenisset usque ad cisternam magnam quæ *est*
in Schecu, interrogabat dicens, ubi *est* Schemuel
& David? cui dixit *quispiam*, ecce Najothis in
Rama.
23 Tum abibat illuc Najothas in Rama: sed
invasit eum quoque ipsum spiritus Dei, ita ut [f] in-
desinenter pergens prophetico more ageret, us-
quedum perveniret Najothas in Rama.
24 Ubi [7] exuens etiam ipse vestes suas, pro-
phetico more agebat ipse quoque coram Sche-
muele, ita [8] excidit [9] nudatus toto die illo & tota
nocte: ideò dicere solent, [10] an etiam Schaül *est*
inter Prophetas?

[4] i. occidam te, nisi me dimiseris: ut 2. Schem. 2. 22. [5] ut in prophetarum collegio & Schemuelis consortio Davidis animus confirmaretur, & mirificam Dei administrationem, cui ipse fidebat, experiretur, qua ipse ereptus, inimici a versi sunt: fortassis etiã ut in collegio illo velut in asylo tutus a Schaüle esset. quod apud omnes gentes etiam receptũ fuisse historiæ prophanæ docent; & exemplum confirmat, suprà 10. 10. ubi ne Pelischthæi quidem hostes Jisraëlitarũ, cœtum prophetarum agentem Gibhæ, stationis eorum loco, infestãrunt. [6] vide sup. 18. ℣. 9. sic deinceps. apparet autem eos deposuisse habitum illum militarem, quo capturi Davidem venerant, ex ultimo versu hujus capitis, ut habitu & gestu Prophetas agerent. [f] *Heb. ut iret eundo & prophetico more ageret.* [7] id est, deponens militarem habitum, sicut fecerant prius ab ipso missi, ut se in speciem prophetæ componeret. [8] id est, extra se raptus est: vide Num. 24. 4. [9] supple militari habitu quo se exuerat; simile est Jescha. 20. 2. [10] Proverbium est, de eo qui præter exspectationem, divinitus cohibetur a præstando conatu suo: quod confirmat exemplum Bilhami, Num. 23. & 24. & Pauli Acto 9. Est autem hoc proverbium anceps de iis qui aut spiritu Dei impelluntur ad aliquid agendum, ut sup. 10. 12. aut de iis qui a præstando avertuntur impulsi aliò mirifica Dei administratione.

CAPUT XX.

David fugiens apud Jonathanem de injuria queritur: qua Jonathan audita, cum Davide constituit tempus, locum & rationem, quibus eum de patris animo certiorem faciat, jurejurando veri amici officium perpetuum ei promittit & ab eo restipulatur: quod fideliter præstans Davidem liberat, consolatur, & confirmat.

INterea [1] fugit David Najothis in Rama: & ve-
niens dixit coram Jonathane, quid feci? quæ
est iniquitas mea? & quod *est* peccatum meum
coram parte tuo, quòd quærit [a] vitam meam?
2 Qui dixit ei, absit, non morieris; ecce non
solet pater meus facere quicquam magnum aut
quicquam parvum, quin revelet mihi in aurem:
cur ergo celaret me pater meus rem hanc? non
est hoc.
3 Deinde verò juravit David, dicens, [b] certò
novit pater tuus me invenisse gratiam in oculis
tuis, ideò dixit, ne cognoscat hoc Jehonathan,
ut non afficiatur dolore: at certè *ut* vivit Jehova
& vivit anima tua, [2] quasi passus inter me & mor-
tem *est*.

[1] dum Schaül divinitùs correptus diem & noctem Najothis hærebat. [a] *Heb. animam; & sic deinceps.* [b] *Heb. noscendo novit: ut infrà 9. ℣.* [2] præsentissimum est periculum meum, in quo versor.

4 Dixit verò Jehonathan Davidi; eloquere
quod sit [c] desiderium tuum, & efficiam tibi.
5 Tum dixit David Jehonathani, ecce [3] no-
vilunium *est* cras, quo ego [d] omnino sedere soleo
cum rege ad comedendum: [4] dimittas ergo me,
& abscondam me in isto agro [5] dum erit vespera
tertiana.
6 Si recensendo desideraverit me pater tu-
us; tum dices, [e] [6] obnixè excusavit se apud me
David ut percurreret Beth-Lechemum in civita-
tem suam, nam convivium ibi *esse* anniversarium
toti ejus familiæ.
7 Si ita dixerit, Benè, pax *erit* servo tuo: sin
autem [f] planè accendetur ei *ira*; scito, [g] defini-
tum esse malum hoc ab eo.
8 Hanc exercebis benignitatem erga ser-
vum tuum, quandoquidem in fœdus Jehovæ [h] in-
duxisti seruum tuum, tecum: quòd si *est* in me in-
iquitas, tu me affice morte, nam usque ad patrem
tuum quare adduceres me?
9 Cui dixit Jehonathan, absit tibi; nam si
planè novero definitum esse hoc malum a patre
meo ut obveniat tibi, annon illud indicarem tibi?
10 Dixit autem David Jehonathani, quis in-
dicabit mihi; si quid responderit tibi pater tuus
duri?
11 Dixit verò Jehonathan Davidi, age exea-
mus in istum agrum: egressiq; sunt ambo in a-
grum illum.
12 Tum dixit Jehonathan Davidi, [7] ô Jehova
Deus Jisraëlis, quum pervestigavero a patre meo
secundùm hoc tempus cras *aut* postridiè, si ecce
bonus fuerit erga Davidem; an non tunc mitte-
rem ad te, & revelarem tibi in aurem?
13 [8] Ita faciat Jehova Jehonathani & ita per-
gat, si bonum videbitur patri meo hoc malum in-
ferre tibi, ut revelaturus sum tibi in aurem, & di-
missurus sum te ut abeas cum pace; [9] quo sit Je-
hova tecum, sicut fuit cum patre meo.
14 Et [10] nónne, tantisper dum vixero? [11] nónne
inquam, tu vicissim exerciturus es erga me beni-
gnitatem Jehovæ *hanc*, quòd [12] non moriturus
sum?
15 Neque præcisurus es benignitatem tuam
a familia mea usque in seculum? ne tunc quidem
quum exscindet Jehova inimicos Davidis quem-
que a superficie terræ?
16 Sic pepigit Jehonathan cum familia Da-
vidis [h] fœdus; [13] ut requireret Jehova de manu
inimicorum Davidis.
17 Similiter [i] de-integro adjuravit Jehona-
than Davidem pro amore suo erga eum: nam a-
more [k] sui ipsius amabat eum.
18 Posteà dixit ei Jehonathan, cras *est* novi-
lunium, & desideraberis, quum vacabat sedes tua.
19 Quumq; ad [l] triduum abfueris, descendi-
to [m] diligenter, ut venias ad locum illum ubi ab-
sconderas te, [n] quo die [14] illud negotium *gestum*
est: & considebis juxta [o] speculam hanc lapi-
deam.
20 Ego autem tres sagittas *ad* latus ejus jacu-
labor; [p] emittendo ad scopum.
21 Ecce autem mittens puerum quemdam
dicendo, abi inveni sagittas; si [q] planè dixero pu-
ero, ecce sagittæ sunt præter te citeriùs, assume e-
um ut venias, nam pax tibi *erit*, & non *erit* [15] quic-
quam, *ut* vivit Jehova:
22 Sed si ita dixero adolescenti, ecce sagittæ

[c] *Heb. quis sit animus tuus: sic animus pro desiderio, Psal. 27. 12 & alibi frequenter.* [3] atque ideò dies solennis epuli. [d] *Heb. sedendo sedere soleo.* [4] quandoquidem patris vices eo absente geris, ut ostenditur infrà ℣. 25. nam interea Schaül Najothis hærebat, sup. 19. 24. [5] id est, nocte illa a qua incipit tertius dies mensis, me abscondam, & exspectabo dum abs te certior fiam de patris tui erga me animo. [6] vide infrà ℣. 28. & 29. hæc autem excusatio quin vera sit, nihil impedimento est. [e] *Heb. exorando exoravit se a me: sic infra ℣. 28.* [f] *Heb. accendendo accendetur.* [g] *Heb. absolutum: sic 9. ℣. & ℣. 33.* [h] *supra 18. 3.* [7] Exclamantis cum admiratione, quasi dicat, Deus bone, fierine posset ut ego qui adeò te amo, officium istud non præstarem? [8] aposiopesis contrarii per euphemismum; quasi dicat, ita benedicat ut revelabo, aut maledicat ut non revelabo. [9] ut divinæ voluntati inserviam, quæ tibi regnum, priùs patri meo collatũ, adjudicavit. [10] Restipulatio, qua idem officium in se & in posteros suos a Davide postulat. [11] repetitio est emphatica. [12] id est non afficiar morte, cujus pater meus totam familiam suam ream peregit. [h] *Eclipsis ut infrà 22. 8. & 1. Regum 8.* [13] si qui hoc fœdus cum ipso initum frangerent. [i] *Heb. addidit Jehonathan adjurare.* [k] *Heb. animæ sui.* [l] *Heb. tertiaveris.* [m] *Heb. valdè.* [n] *Heb. in die istius facti.* [14] liberationis tuæ a manu patris, me intercedente, suprà 19. 2. & sequentibus. [o] *Heb. lapideam additionis.* [p] *Heb. emittendo mihi: pleonasmus.* [q] *Heb. dicendo dixero.* [15] subaudi periculi, a quo jam tantopere videris metuere.

sunt præter te ulteriùs; abi, quia [16] dimiserit te Jehova.

23 [17] Hujus autem verbi quod loquuti sumus ego & tu; ecce Jehova *testis* inter me & te *esto* usque in seculum.

24 Itaq; [18] abscondit se David in illo agro: fuitq; in novilunio; quo sessurus erat rex ad cibum, ut comederet;

25 Ut sessuro rege in sede sua sicut [r] anteà, in sede ad parietem, [19] assurgeret Jehonathan, sederetq; Abner a latere Schaülis; & vacaret locus Davidis.

26 Attamen non est loquutus quicquam Schaül illo die: dicebat enim, [20] casus est, non est mundus, quia non est mundus [21] *non venerit.*

27 Sed fuit [s] postridiè a novilunio, quum vacaret locus Davidis; ut diceret Schaül Jehonathani filio suo, quare non venit filius Jischai tum heri tum hodiè ad cibum?

28 Respondit autem Jehonathan Schaüli: obnixè excusavit se David apud me, *ut percurreret* Beth-Lechemum usque:

29 Et dixit, dimitte me, quæso, quia convivium familiæ nobis *est* in ea civitate, & ipse frater meus [22] præcepit mihi, nunc itaq; si inveni gratiam in oculis tuis, proripiam quæso me, & invisam [23] fratres meos: idcircò non venit ad mensam regis.

30 Tum accensa est ira Schaülis in Jonathanem, adeò ut diceret ei, [24] fili perversissimæ; [t] contumacissime, nónne novi te seligere filium Jischai ad pudorem tuum, & ad pudorem nuditatis matris tuæ?

31 Nam quibuscumque diebus filius Jischai vixerit super terram, non stabilieris tu & regnum tuum: quare nunc mitte, & captum *adduc* eum ad me, quia [u] reus mortis est.

32 Respondens verò Jehonathã Schaüli patri suo, dixit ei, quare morte afficeretur? quid fecit?

33 Tum jaculatus est Schaül hastam suam in eum, ut percuteret eum: unde cognovit Jehonathan definitum hoc esse a patre suo, ut morte afficeret Davidem.

34 Quapropter surrexit Jehonathan a mensa, [x] accensus ira; neque comedit in die novilunii secundo cibum, dolore enim afficiebatur propter Davidem, quum ignominia affecisset ipsum pater ipsius.

35 Fuitq; ipso manè ut exiens Jehonathan in agrum illum ad tempus constitutũ Davidi; cum puero parvo secum:

36 Diceret puero suo, curre, inveni jam sagittas, quas ego jaculaturus sum: itaq; currente puero ipse [y] jaculando sagittam ulteriùs transmisit.

37 Quum autem venisset puer usque ad [z] scopum *ad* quem jaculabatur Jehonathan; inclamavit Jehonathan post puerum dicens, nónne sagitta præter te ulteriùs est?

38 Præterea inclamavit Jehonathan post puerum, citò, festina, ne consistito: quare collectis puer Jehonathanis sagittis, rediit ad dominum suum.

39 Ipse autem puer nesciebat quicquam, tantùm Jehonathã & David conscii erant hujus rei.

40 Et dedit Jehonathan arma sua puero illi, qui *erat* secum: dixitq; ei, abi, refer in civitatem.

41 Puer ille abibat; quum David surgens è [25] latere meridiano, procidit [a] pronus in terram, incurvans se tribus vicibus: & osculati sunt [b] alter alterum, fleveruntq; alter cum altero, donec Davidem [c] [26] erexisset:

42 Diceretq; Jehonathan Davidi, abi cum pace: *ejus* quod juravimus nos ambo in nomine Jehovæ, dicendo, Jehova *esto* inter me & te, atque inter semen meum & semen tuum *testis* usque in seculun.

CAPUT XXI.

David a Jonathane ad Achimelecum venit: panes sacros & gladium Goljathi ab eo obtinet prospectante Doëgo. Inde Gathum profectus a Pelischthæis agnoscitur, & ad regem adductus amentiæ simulatione evadit.

Itaque surgens abiit, quum Jehonathan rediret in [1] civitatem.

CAPUT XXI.

2 Adveniente autem Davide [2] Nobum ad Achimelecum Sacerdotem; trepidus accurrens Achimelec obviam Davidi, dicebat ei, quare tu solus *es*? & an nemo *est* tecum?

3 Dixit verò David Achimeleco Sacerdoti, [3] rex præcepit mihi aliquid, edixitq, mihi, ne quis sciat quicquam de hac re ad quam mitto te, & quam præcipio tibi: ipsis autem pueris condixi locum cujusdam [a] N.

4 Nunc igitur quid est [b] penes te? quinque panes tradito in manum meam; aut quod præstò est,

5 Respondit verò Sacerdos Davidi dicens; non *adest* panis [c] communis penes me: sed panis sacer adest, si caverint sibi pueri ipsi, [4] utique a muliere.

6 Tum respondens David Sacerdoti dixit ei, imò verò mulier [5] intercepta est nobis, ut heri nudiustertius, quum egrederer, jam erant [6] instrumenta ipsa puerorum sancta: [7] est autem [d] ratione communis *penes Sacerdotes,* [8] præsertim quum eo die sanctificatur *alius* in vase suo.

7 Itaque dedit ei Sacerdos sanctum: eo quòd non *esset* ibi panis, nisi panes faciei amoti à conspectu Jehovæ, ad apponendum panem calidum, quo die ille tollitur.

8 (*Erat* autem ibi quidam è servis Schaülis eo die, nomine Doëg [9] Adomæus [10] detentus coram Jehova: amplissimus pastorum qui *erant* Schaüli)

9 Prætereà dixit David Achimeleco, an non est hîc penes te hasta, aut gladius? nam nec gladium meum, nec arma mea accepi in manum meam, quia *erat* verbum regis urgens.

10 Cui dixit Sacerdos [e] [11] postquam applicuisset amiculum, gladius Goljathi Pelischthæi, quem percussisti [f] in convalle querceti, ecce is *est* involutus panno; si illum accepturus es tibi, accipe, nam non *est* alius præter ipsum hîc: cui dixit David, non *est* ei similis, da eum mihi.

11 Itaq; surgens David aufugit die illo [f] metu Schaülis; & venit ad [12] Acischum regem Gathi.

12 Dicentibus autem servis Acischi ei, nónne hic *est* David [13] Rex istius terræ? annon de hoc [h] respondebant in choreis dicẽdo, percussit Schaül millia sua, David autem suas myriadas?

[16] hoc signo a me dato te abire jusserit: sic docet qua ratione sit præstiturus quod suprà ℣.13. juravit.
[17] elegans sponsionum reciprocarum confirmatio, ut infrà ℣.42 & Gen. 31.50.
[18] ad constitutum diem sup.5. intra quod tempus contigerunt quæ describuntur undecim versibus sequentibus.
[r] *Heb. ut vice ad vicem: sic Num.* 24.1.
[19] qui patris vices gesserat eo absente, jam reverso cederet.
[20] aliquis ex iis casibus quibus homines sordidantur: vide Levitic. 11. & sequentibus.
[21] subaudi, ad epulum eucharisticum, quod in novilunio celebratur, Num. 10. 10: ex quo immundis comedere nefas erat, Levitic. 7.9.
[s] *Heb. a crastino novilunii secundo.*
[22] ex mandato patris.
[23] id est, cognationem meam, ut alibi passim.
[24] ut impurissimus loquitur impurissimè, in filium adeoq; in illius matrem suam uxorem convitia ingerens turpissima.
[t] *Heb. fili ipsius contumaciæ.*
[u] *Heb. filius mortis.*
[x] *Heb. in accensione iræ: ut Exodi* 11.8.
[y] *Heb. jaculatus est sagittam transmittendo eam.*
[z] *Heb. locum sagittæ: periphrasis scopi.*
[25] lapidis & agri.
[a] *Heb. super faciem suam.*
[b] *Heb. vir proximum suum.*
[c] *Heb. magnificasset vel sustulisset: ut Psal.* 41.9.
[26] consternatum animo confirmasset, ut sequens versus ostendit: prout etiam posteà fecit cap. 23.17.

[1] Gibhã Schaülis, idq; in domũ suam, ut dicitur infrà 23.18. nam in domum patris non venisse verisimile judicamus, ne furentem patrem exacerbaret ampliùs, sed animum ipsius paulatim ac modestè tentaret atque cognosceret: quamvis omnino contrà evenerit, quia Schaül in graviorem suspicionem incidit initæ inter ipsos conspirationis, infrà 22 8.
[2] ubi tum tabernaculum Dei erat, atque ideo multi Sacerdotes ministrandi causâ ibidem residebant: erat q; in tribu Binjaminis prope Hanathothas, ubi assignata erat habitatio & ager familiæ isti, Nehe. 11.32. & 1. Reg. 2.26.
[3] de hoc mendacio vide in Exod. 1.19.
[a] *Heb. Peloni almoni: vide annotata Ruth.* 4.1.
[b] *Heb. sub manu tua: sic deinceps.*
[c] *Heb. prophani usus.*
[4] id est, si sanctificationi studuerint, adeò ut ne ad uxores suas quidem accesserint. Quæstio est quam sumit Sacerdos ex analogia mandati, de quo Exod. 19. 15. & ex oraculo Dei, de quo infrà ℣.10. & capite sequenti ℣.10. quasi dicat, qui rebus sanctis sanctarum (quales sunt hi panes) usuri sunt, hac puritate præditi esse debent, quam Deus a populo ad se accessuro exegerat, & nunc quoque mandato exigit. [5] id est, tanta est celeritas hujus itineris nostri, ut cum uxoribus esse non licuerit nobis a discessu nostro: à quo hic tertius dies agitur. [6] id est, quibuscunque ad iter hoc conficiendum instructi sunt. [7] id est, æquè atque alio pane Sacerdotes eo vesci possunt: hæc verba sunt auctoris ex Levit. 24.9. [d] *Heb. viâ prophanâ.* [8] id est, inde ab ipso die sabbathi ineunte, quo reponendi sunt in suis scutellis recentes, ibidem ℣. 8. & infrà ℣. sequente. [9] id est, vel ex Adamo oppido Naphthalitarum de quo Jehoschu. 3.16. & 19.36. vel potiùs ex Edomæa oriundus, sed Jisraëlitarum religionem profitens, ut Chitthæus infrà 26.6. & similia. [10] aut religione sabbathi, aut voto. [e] *Heb. post ipsum amiculum.* [11] q.d. de his postulatis Davidis indutus amiculo Deum consuluisset: ita accipienda esse hæc verba docent historia sequentis cap. ℣.10.12.& 15. Jonathan Chaldæus paraphrastes, & Jeschahja Hebræus interpres: Similem loquutionem vide Deut. 24.20.& 21. [f] *suprà* 17.2. [f] *He. a facie.* [12] quem Psal. 34.1. Abimelecum vocat communi Pelischthæorum Regum appellatione. [13] id est, gubernator, ut Gen. 36.31. [h] *sup.* 18.6.

13 Reposuit

13 Reposuit David verba ista in [g] animo suo;
timebatq; valde ab Acischo rege Gathi.
14 Quapropter mutavit sibi [h] [14] speciem su-
am in oculis eorum, & agebat insanum [15] in ma-
nu eorum: & signabat valvas portę, demittebatq;
salivam suam in barbam suam.
15 Et dixit Acisch servis suis; ecce videtis ho-
minem amentem, quare adduxistis eum ad me?
16 Careóne amentibus ego, quòd adduxistis
hunc ut amentem agat apud me? hiccine ingre-
deretur domum meam?

g *Heb. in corde suo.*
h *Heb. gustum suum.*
14 id est, gestus, verba, & quicquid cadere potest in hominum sensum: translatum nomen a sensu gustus ad visum & auditum, & si qui sunt alii quibus homo hominem explorare potest. 15 dum erat in eorum potestate, & captus ad regem adducebatur: vide initium Psalmi 34. & 56.

CAPUT XXII.

David Hadullamo cum copiis et parentibus ad Moabitas proficiscitur, sed a propheta monitus Judæam repetit: Quo audito Schaül a proditione metuens, suos objurgat, absentem filium accusat, & delatum Achimelecum & familiam a delatore occidi, totamq; civitatem eorum exscindi jubet: Ebjathar evadens ad Davidem proficiscitur.

ITaque abiens David inde, proripuit se ad spe-
luncam [1] Hadullami: quo audito, fratres ejus
& tota familia patris ejus descenderunt ad eum
illuc.
2 Congregaverunt quoque se ad eum quili-
bet pressus angustia, & cuicunque *erat* exactor, &
quisquis amaro erat animo, ut esset ipsis præfe-
ctus: ita fuerunt cum ipso quasi quadringenti viri.
3 Posteà abiens David inde [2] Mitzpam Mo-
abitarum; dixit [3] regi Moabitarum, egressi, quęso,
maneant pater meus & mater mea vobiscum, tan-
tisperdum cognoscam quid facturus sit me Deus:
4 Et deduxit eos in conspectum regis Moa-
bitarum; manseruntq; apud eum omnibus die-
bus quibus fuit David in eo [4] propugnaculo.
5 Edixit autem propheta [5] Gad Davidi, ne
maneto in isto propugnaculo; abi ut redeas in
terram Jehudæ: abiens itaque David venit in
sylvam Cherethæ.
6 Tum audiens Schaül recognitum esse Da-
videm & homines qui *erant* cum eo: Schaül, in-
quam, considens Gibhæ sub nemore in excelso,
[6] cum hasta sua in manu sua, omnibus servis e-
jus adstantibus ei:
7 Dixit Schaül servis suis qui adstabant sibi,
audite jam Binjaminitæ; etiámne vobis omnibus
daturus est filius Jischai agros & vineas? omnés-
ne vos dispositurus est chiliarchos & centuriones?
8 Quòd conjurastis vos omnes contra me,
neque est qui revelaverit mihi in aurem, [7] quum
pangeret *fœdus* filius meus cum filio Jischai, neq;
est e vobis qui ægrè tulerit meâ causâ, & revela-
verit mihi in aurem? quòd [7] excitaverit filius me-
us servum meum contra me insidiatorem, sicut
est hodie?
9 Respondit autem Doëg Adomæus, qui ad-
stabat cum servis Schaülis dicens; vidi filium
Jischai venientem Nobum ad Achimelecum fili-
um Achitubi.
10 [8] Qui consuluit pro eo Jehovam, & viati-
cum dedit ei: etiam gladium Goljathi Pelisch-
thæi dedit ei.
11 Tum misit rex vocatum Achimelecum fi-
lium [9] Achitubi Sacerdotem, & totam familiam
paternam ejus, Sacerdotes qui *erant* Nobi: vene-
runtq; omnes ad Regem.

1 oppidum est in tribu Jehudæ; de quo Jehosch. 15. 35. hujus autem speluncæ meminit etiam 2. Sche. 23.13. & 1. Chro. 11.5. de hac verò profectione quod judicium fieri oporteat tum demonstrat Propheta Gad, hoc ipso cap. tum verò a nobis exponitur infrà 27.1.
2 id est speluncã, φρũγαν, clausuram vel clusuram, ut Jurisconsulti vocant, Jehos. 11.3. hæc autem spelunca etiam appellatur Malle, quasi munitionẽ dixeris, 1. Macbæ. 5.26.
3 uni ex hostibus Schaülis, ut apparet 1. Schem. 14.48. quo nomine verisimile est regem Davidi & copiis ejus, quas persequebatur Schaül, locum apud se dedisse, ut fecerunt Pelischthæi, infrà 27. cap.
4 in Mitzpa.
5 cujus fit mentio secundi Schem. 23. & 1. Chro. 21 & 2. Chro. 29.
6 quasi paratus ut supplicium sumeret ipse de deprehenso.
7 *supra* 18.2.
7 audiens Davidem cum copiis reversum esse in regnum; & videns Jonathanem abesse ex quo in eum hastam vibraverat, suprà 20.33. suspicatur conjurationem factam, & sibi insidias parari. 8 ut cognosceret, an sacros panes tantùm Sacerdotibus concessos, & gladium semel Deo sacratum ad alios usus transferre fas esset: sed hoc impius Doëg reticet, ut ex conjectura statuatur Achimelecum esse reum initæ cum Davide conspirationis: quod docent sequentia, & non obscurè ostendit David Psalmo 52. 9 cujus meminit sup. 14.4.

12 Et dixit Schaül, audi jam fili Achitubi: quo
dicente, ecce me, domine mi,
13 Dixit ei Schaül, quare conjurastis contra
me tu & filius Jischai? cùm dederis ei panem &
gladium, & consulueris pro eo Deum, ut insurge-
ret contra me insidiator, sicut *est* hodie?
14 Respondens verò Achimelec regi dixit; at
quis *est* inter omnes servos tuos sicut David fidus,
& gener regis, & incedens in tui obedientia, ac
honorabilis in domo tua?
15 *An* eo die cœpi consulere pro illo Deum?
[10] absit mihi: ne imponat rex servo suo quicquam,
aut ulli e familia patris mei, nam non fuit consci-
us servus tuus in toto hoc negotio rei parvæ aut
magnæ.
16 Attamen dixit Rex, [a] omnino moriturus
es Achimelec; tu & tota familia patris tui.
17 Dixitq; Rex [11] cursoribus qui adstabant si-
bi, divertite & morte afficite Sacerdotes Jehovæ,
quia etiam manus eorum [12] adjuncta est Davidi;
& quia scientes eum fugere; non revelârunt mi-
hi in aurem: sed noluerunt servi regis extenden-
do manum suam irruere in Sacerdotes Jehovæ.
18 Quapropter dixit rex Dojego, diverte tu &
irrue in Sacerdotes istos; [13] divertens ergo Do-
jeg Adomæus irruit ipse in Sacerdotes, & morte
affecit eodem die octogintaquinque viros, ge-
stantes [14] amiculum lineum.
19 Nobum quoque civitatem istorum Sacer-
dotum percussit acie gladii, tam viros quàm fœ-
minas, tam pueros quàm lactentes: etiam boves,
& asinos, ac parvas pecudes acie gladii.
20 Tamen proripuit se filius unus Achimele-
ci filii Achitubi, nomine Ebjathar: & [15] fugit
post Davidem.
21 [16] Tũ nunciante Ebjathare Davidi, Schaü-
lem occidisse Sacerdotes Jehovæ:
22 Dixit David Ebjathari, sciebam eo die,
quum ibi esset Dojeg Adomæus, [b] omnino indi-
caturum esse Schaüli: ego in causa fui, *cur sævi-
retur* in [c] omnes animas familiæ patris tui.
23 Mane mecum, ne time, nam qui quærit vi-
tam meam quærit vitam tuam: sed *in* custodia tu
es apud me.

10 ut conjurem contra te: quod dixerat Schaül ver. 13.
a *Heb. moriendo morieris.*
11 id est, viatoribus sive apparitoribus.
12 id est, consociari sunt ei: vide in Levitici 5.21.
13 accommodationem totius hujus historiæ ad comminationem Dei, vide sup. in 2.33
14 functionem sacram obeuntes: ad quam amiculo lineo solebant tegi, quam lex tunicam appellat Exodi 28 40. & 41.
15 quem assequutus est Kehilæ infrà 23.7.
16 hæc ex occasione per prolepsin dicuntur: tum enim demum gesta sunt quũ Ebjathar Kehilam venit, infrà ibidem.
b *Heb. indicando indicaturum esse.*
c *Heb. in omnem animam: sic Gen. 14.21.*

CAPUT XXIII.

David duobus oraculis Dei confirmatus Kehilæos a Pelischthæorum obsidione liberat, Ebjatharem advenientem recipit. Inde certior de Schaülis consilio factus Deo consulto per deserta Ziphæorum abit: ubi a Jonathane confirmatus, fœdus cum eo renovat. Deinde a Ziphæis proditus, & à Schaüle circumventus, divinitus allato nuncio de irruptione Pelischthæorum, liberatur.

QUum autem indicatum esset Davidi, dicen-
do; ecce Pelischthæi bellum gerunt contra
Kehilam, & ipsi diripiunt [1] areas *illius*:
2 [a] Consuluit David Jehovam dicendo, an
iturus sum & percussurus Pelischthæos illos? &
dixit Jehova Davidi, i, & percutiens Pelischthæ-
os illos servato Kehilam.
3 Dicentibus verò hominibus Davidis ei, ec-
ce nos hîc in Jehuda [3] timemus: [4] quantò igitur
magis euntes Kehilam in acies Pelischthæorum?
4 [a] [5] Amplius iterum consuluit David Jeho-
vam, responditq; ei Jehova; dicens, surge, de-
scende Kehilam, quia ego [6] illicò traditurus sum
Pelischthæos in manum tuam.
5 Itaque abiens David cum viris suis Kehi-

1 i. commeatum vel annonam frumentariam in areis repositam, metonymicè.
2 Per Prophetam Gadem, qui erat in comitatu Davidis, suprà 22.5. nam nondùm apud se habebat Sacerdotem cum amiculo, per quem Deum consulere posset.
3 ab uno hoste Schaüle. 4 subaudi timendum erit, si Pelischthæos a fronte & Schaülem a tergo habeamus? a *Heb. adjecit adhuc David consulere Jehovam.* 5 non suâ: sed suorum causâ. 6 antequàm Schaül te adoriri possit.

lam, debellavit Pelischthæos & abegit pecora eorum; quum percussisset eos plaga magna: sic servavit David habitatores Kehilæ.

6 Fuit autem quando fugit Ebjathar filius Achimeleci ad Davidem Kehilam; *ut* descenderet *cum* amiculo in manu sua.

7 Tum nunciatum est Schaüli Davidem venisse Kehilam: quare dicebat Schaül, conclusit eum Deus in manu mea, quandoquidem [b] venit inclusum se in civitate *munita* foribus & vecte:

8 Et promulgavit Schaül toti populo bellum, ut descendendo Kehilam, obsideret Davidem & homines ejus.

9 Sed rescisens David Schaülem fabricari contra se hoc malum; edixit Ebjathari Sacerdoti, [7] applica amiculum.

10 Dixitque David; ô Jehova Deus Jisraëlis, [c] certò audivit servus tuus Schaülem quærere ut invadat Kehilam; ad perdendum civitatem meâ causâ.

11 [8] An dedituri essent me [d] Kehilæi in manum ejus? an descensurus est Schaül, quemadmodum audivit servus tuus? ô Jehova Deus Jisraëlis indica quæso servo tuo: cui dixit Jehova, descensurus est.

12 Deinde dixit David, an dedituri essent Kehilæi me & homines meos in manum Schaülis? cui dixit Jehova, dedituri essent.

13 Quapropter surgens David cum hominibus suis, quasi sexcentis viris, egressi sunt Kehila, ut indesinenter itarent, quò itare possent: quod quum nuntiatum est Schaüli, Davidem se proripuisse Kehila, destitit procedere.

14 Considens autem David per desertum in propugnaculis, tandem consedit in monte, in deserto Ziphi: & quamvis quæreret eum Schaül omnibus illis diebus, non tradidit eum Deus in manum illius.

15 [9] Percipiebat enim David, quum Schaül procederet ad quærendum vitam suam; quando erat David in deserto Ziphi, sylvestri loco.

16 Et surgens Jehonathan, filius Schaülis, adivit Davidem in sylvestrem locum; & [10] confirmavit manum ejus in Deo.

17 Dixit enim ei, ne timeto, quia non est inventura te manus Schaülis patris mei, sed [11] tu regnaturus es super Jisraëlem, & ego [12] futurus sum [e] secundus a te: quin etiam Schaül pater meus [13] novit ita *fore*.

18 Pepigeruntq; ambo fœdus [14] coram Jehova: & considente Davide in sylvestro loco, Jonathan abiit domum suam.

19 Tum ascenderunt Ziphæi ad Schaülem Gibham ejus, dicentes: an non David latitat apud nos in propugnaculis, sylvestri loco, in colle Chacilæ, qui est a [f] meridie solitudinis?

20 Nunc ergo [g] prout desiderat omninò animus tuus descendere, descende: nostrum autem *esto*, dedere eum in manum regis.

21 Quibus dixit Schaül, benedicti estote [15] Jehovæ; quòd clementia utimini erga me.

22 Ite jam, informate *vos* certiùs adhuc, & cognoscite ac dispicite locum ejus, ubi erit pes ejus, quis viderit eum ibi: [16] nam dicebat mihi ipse, se astu admodum solere uti.

23 Dispicite ergo & recognoscite ex omnibus illius latebris ubi *jam* latitet, & revertemini ad me cum certitudine, ut eam vobiscum: eritq; si ipse fuerit in hac terra, ut perscruter eum in omnibus millibus Jehudæ.

24 Itaque surgentes redierunt Ziphum ante Schaülem: quum David & homines ejus *essent*

b Heb. *inclusit se veniendo: hypallage.*

7 id est, accede indutus amiculo, ut consulas pro me Deum ratione præscripta, Num. 27.21.

c Heb. *audiendo audivit.*

8 subaudi, si hic consisterem, ut docet ℣. 14.

d Heb. *domini Kehila: sic ver.* 12. *&* Judic. 9.2.

9 per exploratores quos emittebat, & per indices qui erant in regno.

10 id est, ipsum anxium divinis promissionibus confirmavit in suis rebus gerendis, & salute sua suorumq; procuranda: ut docet versus sequens: synecdoche.

11 ex promissione Dei suprà 16.

12 ex tua promissione, & fœdere inter nos inito.

e Heb. *tibi in secundum.*

13 ex Schemuele, suprà 15.28. ex continuo successu Davidis, atque etiam aliorum sermone: ut ipse Shaül ostendit suprà 20 30.31. & 22.8.

14 id est, solenne Deo auctore & arbitro, ac præsente Sacerdote Dei.

f Heb. *dextera: sic infrà* 24.

g Heb. *ad omne desiderium animæ tuæ descendendi descende.*

15 sic religioso Dei nomine, quẽ oppugnabat in Davide Schaül, impiè abutitur, ut illos ad nefarium proditionis consilium magis perduceret.

16 id est, David quum familiariter mecum versaretur, rogatus qua ratione tam facilè hostibus potiretur, dicebat &c.

in deserto Mahonis, in campestribus, ad meridiem illius solitudinis.

25 Nam adveniente Schaüle & viris ejus ad quærendum; quum indicassent Davidi *quidam*, descendit [17] e petra illa, & consedit in deserto Mahonis: quod audiens Schaül persequutus est Davidem *in* deserto Mahonis.

26 Ibatq; Schaül a latere montis hinc, David autem cum hominibus suis a latere montis inde: sed fuit, Davide accelerante abitum metu Schaülis, ut Schaül & homines ejus circumcluderent Davidẽ & homines ejus ad deprehendendũ eos.

27 Sed nuncius venit ad Schaülem dicens; festina & abi, quia irruerunt Pelischthæi in hanc terram.

28 Quapropter revertens Schaül a persequẽdo Davide, abiit obviam Pelischthæis: idcircò vocaverunt locum illum, [18] Petram diremtionum.

17 id est, e colle Chacilæ, de quo suprà ℣. 20.

18 Ex eo quòd nuncio allato de Pelischthæis diremtæ sunt copiæ Schaülis a copiis Davidis, quas circumvenerant.

CAPUT XXIIII.

Davide agente in deserto Hen-Gedi, Schaül ad eum intercipiendum proficiscitur: in itinere alvum purgaturus speluncam ingreditur, & imprudens in Davidem incidit: qui suorum hortamento propè adductus, ut manus Schaüli inferret, inhibet se & suos: Schaülemq; egressum reverenter alloquens, & partem laciniæ quam absciderat, ostendens: evincit Schaülem injustitiæ, suam innocentiam probat, & ab injuria sibi facienda dehortatur. Postremò fide Schaüli data de non delenda ejus posteritate, abit.

Posteà ascendens David inde; considebat in propugnaculis ad [1] Hen-Gedin.

2 Fuit autem quum reverso Schaüle a persequendis Pelischthæis; *quidam* nunciarent ei dicendo, Ecce David in deserto Hen-Gedi:

3 Ut accipiens Schaül tria millia virorum delectorum è toto Jisraële; iret ad quærendum Davidem & homines ejus versus rupes [2] rupicaprarum.

4 Quumq; perveniens ad caulas ovium prope viam, ubi *erat* spelunca, ingrederetur Schaül ad [a] purgandum alvum; Davide & hominibus ejus considentibus ad latera illius speluncæ:

5 Dicebant homines Davidis ei, ecce hic dies *est* quo dicit Jehova tibi, ecce ego trado inimicum tuum in manum tuam, ut facias ei quemadmodũ bonum *videbitur* in oculis tuis: quare surgens David abscidit alam pallii quod *erat* Schaüli, clam.

6 Sed fuit postmodùm, ut [b] [3] afficeret animus Davidis ipsum; eo quòd abscidisset alam *pallii* quod *erat* Schaüli.

7 Quamobrem dixit hominibus suis, absit mihi a Jehova, an facerem rem hanc domino meo, [4] uncto Jehovæ, extendendo manum meam contra eum? nam unctus Jehovæ est:

8 Et [c] [5] dispescuit homines suos David verbis, nec sivit eos insurgere in Schaülẽ: sic Schaül surgens ex ea spelunca, ibat itinere suo.

9 Posteà demum David surgens egressus est e spelunca, & clamavit post Schaülem dicendo, domine mi Rex: quumq; intueretur Schaül post se, verticem inclinans David facie in terram *demissa*, incurvavit se *honorem exhibens:*

10 Dixitq; David Schaüli, quare auscultas verbis cujusquam dicentis; ecce David quærit malum tuum?

11 Ecce hoc die viderunt oculi tui, Jehovam tradidisse te hodie in manum meam in ista spelunca, ac si dixisset ut occiderem te, at pepercit *oculus meus* tibi, dixi enim, non extendam manum meam in dominũ meum, nam unctus Jehovæ est.

1 vide annotata Gen. 14.7.

2 i. editissimas, qualibus illud genus animalium delectatur.

a Heb. *ad tegendum pedes suos.* vide Jud. 3.24.

b Heb. *ut percuteret cor Davidis ipsum: sic 2. Schemu.* 24.10.

3 i. tæderet ipsum facti præ conscientia, cujus caussam attingit sequente versu.

4 a Deo ad regnum assumto, ac proinde sancto & munito ab omni injuria, ut suprà 21.5.

c Heb. *fidit vel diffidit.*

5 id est, jam ex utraque parte speluncæ, ubi latebant, exsurgentes, ut in Schaülem irruerent utrinque repressit.

12 Imò,

12 Imò, [c] pater mi, [d] etiam atque etiam vide alam pallii tui in manu mea: ex eo quòd exscindendo alam pallii tui non interfeci te, agnosce & vide [7] non esse in manu mea malum aut defectionem, neque peccasse me in te, quamvis tu veneris [e] vitam meam, ut intercipias eam.

13 Judicabit Jehova inter me & te, & ulciscetur me Jehova de te; at manus mea non erit contra te.

14 Quemadmodum [f] dicitur sententiâ illâ antiquorum, ab improbis prodeat improbitas: at manus mea non erit contra te.

15 Post quem processit rex Jisraëlis? quem tu persequeris? [8] persequeris canem mortuum, persequeris pulicem unum.

16 Sed erit Jehova judex, & jus dicet inter me, & te: cognoscet, inquam, agetq; causam meam, & vindicabit me e manu tua.

17 Fuit autem quum absolvisset David alloqui verbis istis Schaülem, ut diceret Schaül, an vox tua hæc *est*, fili mi David? & sublata Schaül voce sua fleret,

18 Dicens Davidi, justior es me: nam tu rependis mihi bonum, quum ego affecerim te malo.

16 Tu enim indicasti hodie, te afficere me bono; *qui* quamvis dederet me Jehova in manum tuam, tamen non occidisti me.

20 Quum autem quis invenit inimicum suum, an dimittit eum [g] cum beneficio? itaque Jehova rependat tibi beneficium, [h] pro eo quod fecisti mihi hodie.

21 Sed nunc, ecce novi te [i] omnino regnaturum; & stabile fore in manu tua regnum Jisraëlis.

22 Nunc, inquam, jura mihi per Jehovam, [9] *dira tibi imprecans* si exscideris semen meum post me; & si perdideris nomen meum e familia patris mei:

23 Quod juravit David Schaüli: tum abiit Schaül domum suam, David verò & homines ejus ascenderunt [10] ad propugnaculum quoddam.

[c] hac blanda appellatione David Schaülem permovet, quia socer affinitate genero, & Rex officio popularibus est pater: quò pertinet Schaülis responsum infrà vers. 17.
[d] *Heb. vide etiam vide.*
[7] id est, me non versare malum: synecdoche: sic infrà 26.18.
[e] *Heb. animam meam.*
[f] *He. dicit* quisq; *sententiam illam antiqui.*
[8] quasi dicat, facis quod est tanto rege indignũ, dum me tenuissimum, infimum & infirmissimum tanto comitatu persequeris: hyperbolæ sunt per comparationem dictæ.
[g] *Heb. in via boni.*
[h] *Heb. pro hodierno die quod fecisti mihi: trajectio; ut Gen. 5.29.*
[i] *Heb. regnando regnaturum.*
[9] Eclipsis, de qua Gen. 14.23.
[10] i. nondum planè adductus est, ut se fidei Schaülis deinceps committeret.

CAPUT XXV.

Schemuele mortuo, David ad fines Jehudæ meridianos secedit: ubi cum pastoribus Nabalis aliquamdiu versatus, tandem ad eum greges tondentem nuncios mittit, qui donum aliquod impetrarent: sed contumeliosè dimissi ad Davidem revertuntur: qui ultionis studio adversus Nabalem proficiscens, Abigajile occurrit: quæ deprecatione, rationibus, & munere iram ejus placat, & reversa marito periculum explicat: ex quo adeò consternatur, ut decimo pòst die moriatur: Post David Abigajilam uxorem ducit.

Tum [1] mortuo Schemuele, quum se congregarent omnes Jisraëlitæ, [2] ut plangerent eum & sepelirent eum in domo ejus Ramæ; surgens David descendit versus [3] desertum Paranis.

2 Quidam autem [4] Mahone agebat, cujus opus *erat* Carmeli, & quidem vir magnus valde, nam erant ei ovium tria millia & mille capræ: erat quum tonderentur oves suæ, Carmeli.

3 Hujus viri nomen Nabal, & uxoris ejus nomen Abigajil: mulier quidem ipsa [a] præstante mente & pulchrâ formâ, sed vir illius durus, & malis actionibus deditus, eratq; Calebita.

4 Quum ergo audivisset David in deserto illo, Nabalem tondêre oves suas:

5 Misit David decem pueros; edixitq; David pueris illis, ascendite Carmelum, & ingressi ad Nabalem, interrogabitis eum nomine meo de [b] prosperitate.

[1] cujus consilio subsidioq; fretus David commodiùs in regno versabatur.
[2] quo tempore ad fines regni se recepit, & a Schaülis persequutione aliquantisper respiravit.
[3] ad meridianos terminos regni & tribus Jehudæ.
[4] vide de hoc & de Carmelo Jehos. 15.55.
[a] *Heb. bona intelligentia.*
[b] *Heb. de pace.*

6 Ac ita dicetis *ei*, [5] [c] si incolumis est; & tu pace, & domus tua pace, & quicquid est tibi pace *fruitor*.

7 Nunc autem audivi tibi esse ovium tonsores: jam pastores tuos quum essent nobiscum non affecimus injuria, neque desideratum est illis quicquam omnibus diebus quibus fuerunt in Carmelo.

8 Interroga pueros tuos qui indicabunt tibi, ut inveniant [6] pueri isti gratiam in oculis tuis, quandoquidem [7] die [d] læto venimus: da quæso quod obvenerit manui tuę [8] servis tuis, & filio tuo Davidi.

9 Advenientes itaque pueri Davidis, alloquuti sunt Nabalem omnibus verbis istis nomine Davidis, & [9] quietè se continuerunt.

10 Sed respondens Nabal servis Davidis dixit, quis *est* David? aut quis *est* filius Jischai? hodie multi sunt servi qui [10] erumpentes deficiunt quisque a domino suo.

11 Scilicet acciperem panem meum, & aquas meas, & [e] mactatas carnes meas, quas mactavi pro tonsoribus *ovium* mearum, & darem hominibus quos non novi undénam sint.

12 Et [11] converterunt se pueri Davidis in viam suam: reversiq; venerunt, & nunciaverunt ei secundùm omnia verba ista.

13 Quapropter dixit David hominibus suis, accingite quisque gladium suum, quibus accingentibus singulis gladium suum accinxit quoque David gladium suum: ita ascenderunt post Davidem quasi quadringenti viri, ducenti verò consederunt ad impedimenta.

14 Intereà Abigajilæ uxori Nabalis indicaverat puer unus e suis pueris dicendo; ecce misit David nuncios a deserto [12] ad benedicendum domino nostro, & abegit eos:

15 Cùm tamen homines illi boni *fuerint* erga nos valdè: neque fuerimus injuria affecti, nec desideraverimus quicquam quibuscunq; diebus itavimus cum eis, dum essemus in agro.

16 [f] Muri loco fuerunt nobis, tum noctu, tum interdiu; quibuscunque diebus fuimus cum eis pascentes gregem.

17 Nunc ergo cognosce & dispice quid factura sis, nam [13] definitum est malum contra dominum nostrum & contra totam familiam ejus: ipse autem [g] nequior est, quàm ut alloquar eum.

18 Ideò festinans Abigajil accepit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque pecudes paratas, & quinque sata aristæ tostæ, & centum uvas passas, & ducentas palathas ficuum; quæ imposuit asinis:

19 Dixitq; pueris suis, transite ante me, ecce post vos ventura sum: viro autem suo Nabali non indicaverat.

20 Fuit verò ea insidente asino, & descendente per abditum montis, ut ecce David & homines ejus descenderent obviam illi; & illa occurreret eis.

21 Dixerat enim David, utique frustra conservavero quicquid *erat* isti in deserto, ita ut non desideretur ex omnibus quæ sunt ei quicquam: reddidit enim mihi malum pro bono.

22 [14] Ita faciat Deus hostibus Davidis, & ita pergat; *ut* non reliquum faciam ex omnibus quę *sunt* ei usque ad lucem crastinam, [15] mingentem ad parietem.

23 Itaque quum videret Abigajil Davidem, festinans descendit de asino; & [16] procidens ante Davidem in faciem suam, incurvavit se terram *versus honorem exhibens.*

[5] pace jam & prosperitate fruenti, meo nomine ejus continuationem precamini.
[c] *Heb. viventi.*
[6] id est, nos nuncii Davidis.
[7] quo proventus tuos e gregibus recipis, & æquum est ex lege Deut. 15.7. ut ex tua abundantia aliquid cum fratribus egentibus communices.
[d] *Heb. bono.*
[8] qui ut sumus ex animo, ita etiam factis servorum officium præstitimus apud servos tuos, & David officium filii.
[9] patienter Nabalem invehentem in se & in Davidem, ad finem usque audiverunt.
[10] id est, qui perrumpunt officii sui fines; & in dominos suos justos perfidè invehuntur, denique tanquam si fluenta retrò properarent, ita contra jus naturæ veniunt adversantes magistratui suo. sumta metaphora ab exundantibus fluminibus.
[e] *Heb. m mactationem meam quam mactavi.*
[11] modestè & quietè ut suprà ver. 9.
[12] ut Gen. 47.7.
[f] *Heb. murus fuerunt circa nos.*
[13] de quo infrà ver. 23.
[g] *Heb. filius nequam.*
[14] vide Ruth. 1.17.
[15] id est, ne canem quidem: sic infrà 34.
[16] hoc signo abjectissimè & humillimè supplicans, 2. Reg. 4.37.

17 exordium ex abrupto, quo transfert crimen in se & audientiam facit.
18 Propositio, deprecationem continens, primùm culpæ, a viri sui conditione & sua ignoratione.
h Heb. cor suum.
19 ut Deut. 15. 9. quò verbis his spectare videtur.
i i. stultus.
20 altera pars propositionis, deprecatio pœnæ per adjurationem.
k Heb. vitam animæ tuæ.
21 a providentia Dei ipsius occursum disponentis.
22 ab officio Davidis, ne sibi sui ipsius ultionem sumat privato studio: quod contra legem est. Atque huc etiam spectant verba illa vers. 28. *si bella Jehovæ dominus meus gerat, &c.* itemq; vers. 31. prout agnoscit ipse David vers. 32. & sequentibus.
23 ab æquitate per comparationem facti Nabalis, cum alieno: quasi dicat, non de illis qui stultitia imprudentissima delinquunt in suo officio, ut Nabal, ultio sumenda est: sed de illis qui studio contra suum officium veniunt.
24 id est, sicut Nabal futurus esset, si in tuo consilio pergeres.
25 secunda propositio, qua primùm oblato munere crimen quod in se transtulerat suprà vers. 24. deprecatur.
26 quod per legatos tuos petieras, suprà 8. v.
l Heb. ad pedes: ut Exod. 11. 8. sic infrà 42. ver.

24 Quumq; procidisset ad pedes ejus dixit,
[17] in me, me inquam, domine mi, *sit* hæc iniquitas: sed loquatur, quæso, ancilla tua ad aures tuas, & audi verba ancillæ tuæ.
25 [18] Ne quæso, apponat dominus meus [h] animum suum ad virum istum [19] nequissimum, ad Nabalem, nam prout *est* nomen ejus ita est, [i] Nabal *est* nomen ejus, & penes eum *est* stultitia: ego verò ancilla tua non videram pueros domini mei quos miseras.
26 [20] Nunc ergo domine mi, *per* viventem Jehovam, & *per* [k] vitam tuam, [21] quandoquidem cohibet te Jehova ne ineas cædes, [22] vindicet manus tua te; [23] nunc inquam, [24] sint sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt malum contra dominum meum.
27 [25] Jam verò [26] hoc donum illud *est*, quod adduxit ancilla tua domino meo; ut detur pueris istis qui itant ad [l] vestigia domini mei.
28 Condona quæso, defectionem ancillæ tuæ:
[27] nam [m] planè parabit Jehova domino meo
[28] domum firmam, [29] si bella Jehovæ dominus meus gerat, & malum non inveniatur in te in diebus tuis.
29 [30] Ut surgat homo ad persequendum te, & ad quærendum vitam tuam: erit tamen vita domini mei [31] ligata in fasciculo viventium apud Jehovam Deum tuum, at vitam inimicorum tuorum [32] ejaculabit e medio [n] cavo fundæ.
30 [33] Sic erit, quum faciet Jehova domino meo bonum illud, [o] secundùm omnia quæ promisit tibi; & mandato instituit te antecessorem super Jisraëlem;
31 Ut tibi hoc non sit tibubationi, aut offensioni [p] animi domino meo, [q] qua effundat sanguinem immeritò, aut vindicet dominus meus se: quumq; benefecerit Jehova domino meo,
[34] recordaberis ancillæ tuæ.
32 Tum dixit David Abigajilæ: benedictus sit Jehova Deus Jisraëlis, qui misit te hoc ipso die obviam mihi:
33 Et benedictum consilium tuum, benedictáque tu ipsa; quæ continuisti me hoc ipso die
[35] ne inirem cædes, & vindicaret me manus mea.
34 Nam certè *ut* vivit Jehova Deus Jisraëlis, qui cohibuit me ne malo afficerem [36] te; nisi festinans venisses obviam mihi, certè non relictus fuisset Nabali usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.
35 Ita accepit David è manu ejus id quod adduxerat sibi, & dixit ei, ascende cum pace domum tuam, vide, auscultavi voci tuæ, & [37] suscipio vultum tuum.
36 Quum autem veniret Abigajil ad Nabalem, ecce ei convivium *erat* domi suæ, quasi convivium regium, [r] in quo animus Nabalis lætus erat, adeò ut per-valdè ebrius esset: quam ob

27 Confirmatio propositionis suæ a promissione Dei cum officio Davidis conjuncta, quo argumento usa est sup. 26. pro Nabale. m *Heb. faciendo faciet.* 28 id est, regnum firmius quàm fuerit Schaülis, vide sup. 2. 30. 29 non autem privatas ultiones tuas: sup. in v. 26. 30 altera cõfirmatio a decreto Dei, quod nemo potest infirmare. 31 id est, firmissima & secura, ut avelli ei a quoquam non possit: metaphora. 32 id est, violenter illis eripiens, quàm longissimè abjiciet, ut lapidem emissum funda: metaphora a re præsenti, id est, ab armis Davidis & sociorum ejus. n *Heb. volæ.* 33 Conclusio petitoria, per hypothesin promissionum Dei, & officii Davidis: qui fuerant suprà duo summi suasionis loci. o *Heb. secundùm omne, quod loquutus est bonum illud de te: trajectio antecedentis post relativum.* p *Heb. cordis.* q *Heb. effundendo, &c. vindicando, &c.* 34 i. hoc meum factum ita accepturus es, quasi antè acceptam injuriam obliteraverim hoc officio meo; nec eam porrò in animum tuum revocabis: nam nuncii mortis sunt Regis indignatio, Proverb. 16. 14. 35 id est, ne officium meum transgrederer ultionis studio excæcatus. 36 familiam tuam, ut sequentia exponunt. 37 vide annotata Genes. 32. 20. r *Heb. cor Nabalis bonum erat in eo.*

rem illa non indicavit ei quicquam parvi aut magni usque ad lucem matutinam.
37 Sed fuit manè, quum abiisset [s] crapula a Nabale, & indicaret ei uxor ejus res istas, ut [t] obstupuerit animus ejus in eo, & ipse fuerit [38] veluti lapis.
38 Quumq; fuissent quasi decem dies; plaga affecit Jehova Nabalem, & mortuus est.
39 Audiens autem David Nabalem esse mortuum; dixit, benedictus Jehova, qui egit causam opprobrii mei a [u] Nabale, & servum suum subtraxit a re mala, malum autem Nabalis convertit Jehova in caput ejus: misitq; David per quos alloqueretur Abigajilam ad ducendum eam uxorem sibi.
40 Venientes itaque servi Davidis ad Abigajilam Carmelum; alloquuti sunt eam dicendo, David misit nos ad te, ut ducat te uxorem sibi.
41 Tum surgens illa incurvavit se facie *demissa* ad terrã; & dixit, ecce ancilla tua in famulam, ad lavandum pedes servorum domini mei.
42 Deinde [x] festinanter surgens Abigajil insedit asino, & quinque puellæ ejus, quæ ibant ad vestigia ejus: & sequuta legatos Davidis, fuit ei uxor;
43 Quamvis Achinohamam duxisset David
[39] e Jizreheele: fueruntq; etiam hæ ambæ uxores ei.
44 Nam Schaül dederat Micalem filiam suam uxorem Davidis; ‡ Palti filio Lajischi, qui *erat* e [40] Gallimis.

s *Heb. vinum, metonymia.*
t *Heb. mortuum fuerit cor ejus in medio ejus.*
38 i. præclusus sensibus rigebat, horrore periculi perterrefactus.
u *Heb. a manu Nabalis.*
x *Heb. festinavit ut surgeret.*
39 oppido Jehudæ, Jehos. 15. 55.
‡ *qui & Paltiel, 2. Schem. 3. 15.*
40 Loco Binjaminitarum non procul a Gibha Schaülis, Jesch. 10, 29.

CAPUT XXVI.

Ziphæi rursus Davidem Schaüli produnt: qui copias ducens in eum, ita divinitus sopitur noctu cum exercitu, ut David uno comitatus ad Schaülem usque penetret, ejusq; hastam & phialam auferens, se in montem recipiat: unde inclamatis castris ducem objurgat, regem excitat, de injuria quæ sibi fiebat expostulat, jure secum agi petit, & ad Deum justum judicem provocat.

Rursus [1] venerunt Ziphæi ad Schaülem Gibham, dicendo; nónne David latitat in eodem colle Chacilæ ex adverso solitudinis?
2 Et surgens Schaül descendit versus desertum Ziphi, & cum eo ter mille viri delecti Jisraëlitæ, ad quærendum Davidem in deserto Ziphi.
3 Itaque castra posuit Schaül in colle ipso Chacilæ, qui *est* ex adverso solitudinis prope viam: David autem considens in deserto, animadvertit venire Schaülem post se in desertum.
4 Miserat enim David exploratores; per quos cognovit pro certo adventare Schaülem.
5 Quare surgens David venit in locum ubi castra habebat Schaül; ut inspiceret David locum ubi cubabat Schaül, & Abner filius Neri princeps militiæ ejus: Schaül autem cubabat in
[2] ambitu plaustrorum, populus verò castra habebat circa eum.
6 Quod referens David, alloquutus est [3] Achimelecum Chitthæum, & Abischajum [4] filium Tzerujæ fratrem Joabi, dicendo, quis descensurus est mecum ad Schaülem in ipsius castra? cui dixit Abischai, ego descendam tecum.
7 Veniente ergo Davide & Abischajo ad populum illum nocte, ecce Schaül cubabat dormiens in plaustrorum ambitu, & hasta ejus infixa erat humi *versus* cervical ejus: Abner verò & populus cubabant circa eum.
8 Tum dixit Abischai Davidi, dedit hodie
Deus

1 de prima eorum proditione vide supr 23. 20.
2 i. impedimentis omnibus castra sua circummuniverat a Davide metuens: vide suprà 17. 20.
3 id est, ex ea gente ortum, religione tamen Jisraëlitarum.
4 sororis Davidis vide. 1. Chron. 2. 16.

Deus inimicum tuum in manum tuam: quare nunc percutiam quæso eum hasta usque in terram ictu uno, utique non iterabo ei.

9 Sed dixit David Abischajo, ne perimito eum: [5] quis enim immissa manu sua in unctum Jehovæ insons esset?

10 Præterea dixit David, ut vivit Jehova *non sinam*, sed Jehova [6] plaga afficiet eum: aut dies ejus adveniet ut moriatur, aut in bellum descendet ut consumatur.

11 Absit mihi a Jehova, ut extendam manum meam in unctum Jehovæ: sed nunc, quæso, accipe hastam quę *est* versus cervical ejus, & ampullam istam aquæ, deinde abeamus.

12 Accepit itaque David hastam & ampullam illam aquæ a cervicali Schaülis, & abiverunt: nec fuit qui videret, neque qui nosset, neque qui evigilaret, omnes enim dormiebant, quia [7] altus sopor Jehovæ irruerat super eos.

13 Quumq; transivisset David [8] ipsorum aditum, substitit in vertice cujusdam montis e longinquo; *interjecto* amplo spatio inter eos:

14 Unde inclamavit David populum & Abnerum filium Neri dicendo, an non respondes Abner? tandem respondens Abner dixit, quis es *qui* [9] inclamas regem?

15 Tum dixit David Abnero, an non vir egregius es? & quis *est* tibi similis in Jisraële? quare ergo non observasti *adstans* domino tuo regi? nam [10] veniret unus e populo ad perimendum regem dominum tuum.

16 Non est bona hæc res quam fecisti; *ut* vivit Jehova, [a] [11] rei mortis estis, qui non observastis circa dominum vestrum, circa unctum Jehovæ: nunc enim aspice, ubi *est* hasta regis, & ampulla aquæ quæ *erat ad* cervical ejus?

17 Tum agnoscens Schaül vocem Davidis dixit, an vox tua hæc *est*, fili mi David? cui dixit David, vox mea *est*, domine mi rex.

18 Ad hæc dixit, quam ob rem persequitur dominus meus servum suum? quid enim feci? & quid mali *est* in [12] manu mea?

19 Nunc ergo, audiat, quæso, dominus meus rex verba servi sui: si Jehova incitavit te contra me, [13] odoretur munus, sin autem [b] homines, maledicti *sunt* coram Jehova, [14] quia expellunt me hodie ne cooptatus hæream possessioni Jehovæ dicentes, abi, cole deos alienos.

20 At nunc, ne cadat sanguis meus in terram [15] procul a conspectu Jehovæ: [16] nam procedit rex Jisraëlis ad quærendũ [17] pulicem unum, ac si persequeretur perdicem in montibus.

21 Dixit verò Schaül, peccavi, revertere fili mi David, non enim malefaciam tibi ampliùs, propterea quòd pretiosa visa est vita mea in oculis tuis hoc ipso die: ecce stultè egi & erravi quãplurimùm.

22 Cui respondens David dixit, ecce hastam regis: transeat jam unus ex istis pueris qui accipiat eam.

23 Jehova autem reddet unicuique [18] justitiam suam, & [19] fidem suam: quandoquidem tradiderat te Jehova hodie *mihi* in manum, sed nolui immittere manũ meam in unctũ Jehovæ.

24 Ideoq; ecce, quemadmodum vita tua magni fuit in oculis meis; ita magni erit vita mea in oculis Jehovæ, & eripiet me ab omni angustia.

25 Tum dixit Schaül Davidi, benedictus es, fili mi David, [20] & [c] conficies planè, & omnino prævalebis: sic abeunte Davide itinere suo, Schaül reversus est in locum suum.

[5] vide suprà in 24.6.
[6] id est, committo eum Deo, ut quocũque pacto voluerit, eum è medio tollat.
[7] maximus & divinitùs immissus: vide Gen. 35.5.
[8] castrorum ingressi, ubi excubiæ collocantur.
[9] id est, ita inclamas ut regem excites.
[10] id est, venire posset.
[a] *Heb. filii mortis.*
[11] nam hoc, ex jure gentium capitale est.
[12] vide suprà 24.12.
[13] id est, nihil aliud peto, quàm ut ei acceptum sit sacrificium etiam mei ipsius per mortem (ad quam tibi, o Rex, legitimè cognoscenti meipsum offero) acceptum, inquam, cùm mihi (qui me ultrò dediturus essem si constaret de instituto & voluntate Dei) tum etiam tibi (qui judicium Jehovæ in me exerciturus esses mandato ejus) ut est acceptum munus ritè oblatum: Munus pro oblatione tota, synecdoche metaphorica.
[b] *Heb. filii hominis.*
[14] non sinunt me versari in cœtu fidelium: sed cogunt me vivere inter infideles; ac proinde ad defectionem a Deo provocant.
[15] id est, ne priùs morte afficiar, quàm legitimè de causa mea sit cognitum, & sistar magistratui: qui judicia Dei exercet, & in cujus medio Deus præsidet.
[16] pro sua libidine, sine ulla juris forma, ut aucupes.
[17] id est, me ei longè inferiorem, ut suprà 24.15.
[18] id est, æquitatem causæ suæ, vel iniquitatem.
[19] id est, constantiam in officio aut instabilitatem.
[20] id est, prout in ea justitia & fide, quam antè exercuisti erga me, perseveras, sic causâ superior eris, & salutem consequêris a domino. [c] *Heb. conficiendo conficies, & etiam prævalendo prævalebis.*

CAPUT XXVII.

David, ut Schaülem effugiat, ad regem Gathi recurrit: apud quem aliquandiu in regia urbe commoratus, ab eo impetrat Tziklagum: unde in veteres populi sui hostes sæpe irrumpens, hominibus occisis copiosam prædam abducebat, fingens apud regem se e Judæa abduxisse.

TAndem dixit David cum [a] animo suo, [1] jam, consumar aliquo die manu Schaülis: nihil mihi melius est, quàm ut [b] omnino proripiam me in terram Pelischthæorum, ut [c] spem abjiciat Schaül mei *prehendendi*, quærendo me ampliùs in ullo termino Jisraëlis, quum eripuero me e manu ejus.

2 Itaq; surgens David, [d] transfugit ipse & sexcenti viri qui *erant* cum eo; ad [2] Acischum filium Mahuci, regem Gathi:

3 Manebatq; David cum Acischo Gathi, ipse & viri ejus, quisque cum familia sua; David cũ duabus uxoribus suis, Achinohama Jizrehelitide, & Abigajila uxore Nabalis Carmelitide.

4 Sic quum nunciatum esset Schaüli Davidem fugisse Gathum; non perrexit ampliùs quærere eum.

5 Dixit autem David Acischo, quæso, si jam inveni gratiam in oculis tuis, [e] detur mihi locus in aliqua civitatum [3] hujus agri, & resideam ibi: nam cur residêret servus tuus [4] in civitate regia tecum?

6 Quam ob rem dedit ei Acisch die illa Tziklagum: [f] [5] hoc pacto fuit Tziklag regum Jehudæ usque in hunc diem.

7 Fuit autem numerus dierum quibus mansit David in agro Pelischthæorum; anni *unius* & [6] quatuor mensium.

8 Et ascendebant David & viri ejus, irruentes in [7] Geschuræum & [8] Girzæum & Hamalekitam: [8] illæ enim *sunt gentes* quæ [h] olim habitaverant [9] ipsam terram, quà venis [10] Schurem usque ad terram Ægypti.

9 Et percutiens David regionem istam, non conservabat vivum marem aut fœminã: sed acceptis gregibus & armẽtis, & asinis, & camelis, & vestibus, revertebatur & veniebat ad Acischum.

10 Quúmque diceret Acisch, in quem irruistis hoc tempore? dicebat David, in meridianum tractum Jehudæ, aut in meridianũ tractum [11] Jerachmeelis, aut in meridianum tractum [12] Kenæi.

11 Marem autem vel fœminam non conservabat vivum Davidi *quem* adduceret Gathum dicens, *cavendum* ne indicent nos dicendo; sic fecit David, & ita est ratio ejus; omnibus diebus quibus mansit in agro Pelischthæorum.

12 Credensq; Acisch Davidi dicebat; [i] planè fœtidum se reddidit populo suo Jisraëli, ideò erit mihi servus perpetuus.

[a] *Heb. apud cor suum.*
[1] hæc Davidis verba labascentẽ & inclinantem ipsius fidem exprimunt ex humana infirmitate propter diuturnitatem mali: ut etiam Gad propheta in pari facto ostenderat suprà 22.3. & sequentibus.
[b] *Heb. proripiendo proripiam me.*
[c] *Heb. desperet de me Schaül.*
[d] *Heb. transivit.*
[2] de quo suprà 21.11. sed priùs accepta fide publica, non ut anteà clanculum.
[e] *Heb. dent mihi locum.*
[3] id est, civitate regni tui altera.
[4] optimè David prudentissimum consilium suum modestia peregrinos decente, quũ in aliena regione versantur, exornat & tegit.
[f] *sic accipitur eadẽ vox infr. 28.2.*
[5] fuerat quidem assignata Jehudæ per Jehoschuham 15.31. sed tamen obtinebatur a Pelischthæis, donec hac occasione ad Jehudam transferretur. Neque verò propterea putandum est injustam fuisse detentionem hujus oppidi, eo quòd hac ratione fuerit Acischi cliens seu beneficiarius: nam primùm Tziklag ad jus hæreditarium Jehudæ divinitùs pertinebat, & hac donatione quasi revolvebatur ad justum possessorem suum: deinde verò quum aliæ quinque civitates occupatæ a Pelischthæis inhabitarentur infrà 31.7 illæ jure belli receptæ sunt, hæc verò eodem jure a clientelæ vel fiduciæ lege vindicata; quũ priores Pelischthęi bello sine justa causa Jisraëlitas lacessêrent. [6] usque ad Schaülis mortem, post cujus casum Chebronem transivit: de quo 2. Schem. 2.1. [7] reliquias Cenahanæorum, qui ad adventum Jisraëlitarum Geschurem in Gilhade, de quo Jehos. 12.5. & Gezerũ in Ephrajimo, de quo Jehos. 16.3. reliquerunt, ut ad Hammalekitas se reciperent. [8] *pro Gezer, transpositis literis, ut notant Massoritæ.* [8] duæ priores: vide suprà 7.16. [h] *Heb. a seculo: sic Gen. 6.4.* [9] Judæam cis & trans Jardenem. [10] de quo Gen 16. & Exod. 15. [11] regionem Judeæ, quam possident posteri Jerachmeelis primogeniti Chetzronis, de quo 1. Chro. 2. V. 9. 25. & sequentibus. [12] vide Judic. 1.16. His autem verbis David ex ambiguo ludificatur Acischũ, plus deflectẽs a simplicitate quàm virum bonũ decet: nimirum traductus infirmitate carnis, ut infr. 29. Nam intelligebat Acisch Davidem in possessionem Jehudæ irrupisse, contra verò sentiebat David se involasse in tractus Jehudæ conterminos. [i] *Heb. fœtidum reddendo, fœtidum se reddidit: vide Genes. 34.30.*

CAPUT.

CAPUT XXVIII.

David Acischo in bellum profecturo operam suam pollicetur: Schaül verò Pelischthæorũ adventu consternatus, quum nullum responsum a Deo impetraret, Pythonissam adit: cujus opera, a spectro Schemuelis mortis denunciationem & regni ablationem audit; exterritus & inedia confectus concidit: deinde cibo confirmatus ad sua castra revertitur.

FUit autem diebus illis, quum congregarent Pelischthæi castra sua ad militiam, ad bellandum contra Jisraëlem; ut ediceret Acisch Davidi, ªomnino scito te mecum proditurum in castra, te cum hominibus tuis.

2 Dixit verò David Acischo, ᵇ hoc pacto tu experieris id quod facturus est servus tuus; & Acisch Davidi, ¹ propterea, inquit, custodem capitis mei ponam te omnibus diebus.

3 ² Schemuel autem mortuus erat, & planxerant eum omnes Jisraëlitæ, quum sepelivissent eum Ramæ, id est, in civitate sua: & ³ Schaül amoverat Pythones & ariolos e terra.

4 Quum ergo congregantes se Pelischthæi venissent & castra haberent ⁴ Schunemi, congregavit Schaül omnes Jisraëlitas ut castra haberent ⁵ Gilboæ:

5 Vidensq; Schaül castra Pelischthæorum, timuit trepidavitq; ᶜ animus ejus valde.

6 Et consuluit Schaül Jehovam, sed non respondebat ei Jehova; nec per somnia, nec per ⁶ Urimos, nec per ⁷ Prophetas.

7 Quare dixit Schaül servis suis, quærite mihi mulierem præditam Pythone, ut adeam eam, consulturus per eam: cui servi ejus dixerunt, ecce mulier prædita Pythone *est* ⁸ Hen-Dori.

8 Quum itaque se dissimulasset Schaül indutus vestibus aliis, ivit ipse & duo viri cum eo, & venerunt ad istam mulierem noctu: cui dixit, divina, quæso, mihi per Pythonem, & ᵈ evoca mihi eum quem dixero tibi.

9 Sed dicente muliere ei, ecce tu nosti quid fecerit Schaül, ut excidit Pythones & ariolos ex hac terra: cur ergo te ponis in tendiculam vitæ meæ ad morte afficiendum me?

10 Juravit ei Schaül per Jehovam dicendo, *ut* vivit Jehova, non obveniet tibi ᵉ pœna propter hanc rem.

11 Tum dixit mulier, quem evocabo tibi? qui dixit, Schemuelem evoca mihi.

12 Quum autem videret mulier ⁹ Schemuelem, clamavit voce magna: & alloquuta est mulier Schaülem dicendo, quare decepisti me, ¹⁰ quum tu sis Schaül?

13 Dixit verò ei Rex, ne timeto, ¹¹ nam quid vidisti? & dixit mulier Schaüli, ¹² deos ¹³ vidi ascendentes e terra.

14 Tum dicente ei *Rege*, quæ *est* forma ¹⁴ hujus? dixit illi, vir senex ascendit, qui *est* amictus pallio: tunc agnoscens Schaül Schemuelem esse, verticem inclinavit facie *demissâ* in terram, & incurvavit se *honorem exhibens ei.*

15 Dixit autem Schemuel Schaüli, ¹⁵ quare commovisti me evocando me? cui dixit Schaül, angustia *est* mihi valde, nam Pelischthæi bellum gerunt contra me, Deus autem recessit a me, nec exaudit me amplius, sive per prophetas, sive per somnia, quapropter inclamavi te ut doceas me quid sim facturus.

16 Cui dixit Schemuel, quare ergo consulis me; cum Jehova recesserit a te, & sit inimicus tuus?

17 ¹⁶ Fecit enim Jehova sibi quemadmodum loquutus est per me: ¹⁷ quia laceravit Jehova regnum istud e manu tua, ut tradat illud proximo tuo Davidi.

18 Cùm non auscultaveris voci Jehovæ, neque exsequutus sis ᶠ iram ejus accensam in Hamalekum; idcircò rem hanc facit tibi Jehova hoc die.

19 Præterea traditurus est Jehova Jisraëlem quoque tecum in manum Pelischthæorum, ita ut cras tu & filii tui ¹⁸ *futuri sitis* mecum: etiam castra Jisraëlitarum traditurus est Jehova in manum Pelischthæorum.

20 Tum Schaül ᵍ confestim cecidit ʰ totâ staturâ suâ in terram, adeò timebat valde a verbis Schemuelis: vis etiam non inerat ei, quia non comederat cibum toto die & tota nocte illa.

21 Quapropter accedens mulier illa ad Schaülem, quum videret eum turbatum esse valde; dixit ei, ecce auscultavit ancilla tua voci tuæ, & ¹⁹ exposui vitam meam in manu mea, ut auscultarem verbis tuis, quæ edixisti mihi.

22 Nunc itaque ausculta tu quoque voci ancillæ tuæ, & quum apposuero tibi frustum panis, comede: ut insit tibi vis, quum proficisceris in viâ.

23 Renuente verò ac dicente eo, non comedam, institerunt apud eum servi ejus, etiamq; mulier, ita ut auscultaret voci eorum; & surgens e terra ⁱ recubuit in lecto.

24 Mulieri autem illi *erat* vitulus ᵏ saginatus domi, quem ˡ festinanter mactavit, & accipiens farinam depsit, & ᵐ ex ea coxit azymos panes.

25 Deinde admovit ad Schaülem & ad servos ejus, qui comederunt: & surgentes abiverunt nocte illa.

CAPUT XXIX.

Pelischthæi lustrantes exercitum, uno ore Davidem abdicant: Acischumq; excusantem ita increpant, ut Davidem cum ipsius hominibus cogatur remittere.

QUum itaque congregassent Pelischthæi omnes copias suas ¹ Aphekum; Jisraëlitis castra habentibus ad ² fontem qui *est* in Jizreëele:

2 Satrapæ Pelischthæorum ³ transibant cum centenis & millenis; David verò & homines ejus transibant in extrema *acie* cum Acischo.

3 Quam ob rem dixerunt principes Pelischthæorum, quid *sibi volunt* Hebræi isti? dixit verò Acisch principibus Pelischthæorum, an non hic *est* David servus Schaülis regis Jisraëlitarum, qui fuit apud me jam aliquot diebus, imo jam ⁴ aliquot annis, neque deprehendi in eo quicquam ª ex quo die defecit usque in hunc diem?

4 Sed efferbuerunt contra eum principes Pelischthæorum, dixeruntque ei principes Pelischthæorum, remitte virum istum, ut revertatur in locum suum ubi præfecisti eum, ut non descendat nobiscum in hoc prælium, neque sit nobis adversarius in hoc prælio: qua enim re benevolentiam sibi conciliabit apud dominum suum? an non capitibus ⁵ istorum hominum?

5 An non hic *est* David de quo ‖ respondebatur in choreis, dicendo; percussit Schaül millia sua, David verò myriadas suas?

6 Quapropter Acisch advocans Davidem edixit ei, *ut* vivit Jehova, tu rectus es, & bonum *videtur* in oculis meis ⁶ egredi te & ingredi te mecum in castra, quia non deprehendi in te malum

ª *Heb. sciendo scito.*
ᵇ *Ut suprà 27.6.*
¹ quòd te virum præstiteris.
² hæc de industria Spiritus sanctus παρενθέτως apponi voluit, ut meliùs quid in sequente historia contra veritatem, quid contra pietatem & æquitatem sit gestum cognoscatur. Nam contra naturam rerum veritatemq; est, quòd Schaül obnitens Deo Schemuelem præsumebat esse reversurum; contra æquitatem, quòd se ad eos ipsos consulendos reciperet, quos antè justissimo judicio damnaverat; contra pietatem utrumq;.
³ vide annotata 2. Schem. 21. 1.
⁴ oppidum est in termino Jissacaris, Jehos. 19. 18.
⁵ montes sunt non procul a convalle Jizreëelis: nam ibi prælium consertum est.
ᶜ *Heb. cor.*
⁶ de quibus Num. 27. 21. Illi enim non penes Schaülem, sed penes Davidem erant, suprà 23. 6. & 9.
⁷ Num. 12. 6. id est, neque ordinariè, neque extra ordinem.
⁸ oppidum est Menaschitarum cis Jardenem, Jehos. 17. 11.
ᵈ *Heb. fac ascendere mihi: sic deinceps.*
ᵉ *Heb. iniquitas: metonymia, Gen. 4. 13.*
⁹ spectrum diabolicum specie Schemuelis.
¹⁰ quod intellexerat a Diabolo quem evocaverat.
¹¹ puta quòd tibi metuas tantopere.
¹² id est, divinas quasdam imagines, quibus Diabolus ante suas illusiones præludere solet. ¹³ ac proinde disparuerant quum Schemueli apparituro præcessissent: Noëma. ¹⁴ quem adhuc vides. ¹⁵ ut specie Schemuelem, ita verbis mentiebatur diabolus: sic in toto capite.

¹⁶ id est, disposuit sua consilia ad eum finem ut exsequatur id quod loquutus est per Schemuelem.
¹⁷ vide suprà 15. 27. & 28. v. cujus rei exsequutio docetur, 2. Schem. 2.
ᶠ *Heb. accensionem iræ ejus.*
¹⁸ id est, mortui, ut Schemuel.
ᵍ *Heb. festinavit & cecidit.*
ʰ *Heb. plenitudine staturæ suæ.*
¹⁹ ut Judic. 12. 3.
ⁱ *Heb. sedebat.*
ᵏ *Heb. saginarii.*
ˡ *Heb. festinavit & mactavit.*
ᵐ *Heb. eam, ut Gen. 33. 17.*
¹ oppidum in tribu Ascheris, Jehos. 19. 30.
² de quo vide Judic. 7. 1. in annotatione.
³ lustrantes copias suas transvehebantur.
⁴ i. jam altero anno: indefinitè dictum, vide suprà 27. 7.
ª *Heb. a die defecere sui.*
⁵ i. nostris & nostrorum.
‖ *Suprà 18. 6.*
⁶ i. conversatio & administratio tua: sic Num. 27. 17.

malum ex *quo* die veniſti ad me uſque in diem hunc: ſed in oculis iſtorum ſatraparum non *videris* bonus.

7 Nunc ergò revertere & abi cum pace: ut non facias *quod videtur* malum in oculis ſatraparum Peliſchthæorum.

8 Dixit verò David Aciſcho, at quid feci? quidve deprehendiſti in ſervo tuo, ex quo die fui coram te uſque in diem hunc? quòd non iturus ſum ut pugnem contra hoſtes domini mei regis.

9 Reſpondens verò Aciſch dixit Davidi; ſcio, certè bonus *videris* in oculis meis [7] ſicut angelus Dei: verumtamen principes Peliſchthæorum dixerunt, non eſt aſcenſurus nobiſcum in hoc prælium.

10 Quare nunc [8] manè ſurge cum ſervis domini tui, qui advenerunt tecum: quumq; ſurrexeritis manè, & illuxerit vobis, abite.

11 Itaq; ſurgens manè David ipſe cum hominibus ſuis, abiit matutino illo, ut reverteretur in terram Peliſchthæorum; quum Peliſchthæi aſcenderent in Jizrehelem.

7 q. d. ſecundè fluunt omnia ubicunque ades.

8 antequàm incatur pugna.

CAPUT XXX.

David Tziklagum remiſſus, oppidum invenit ſpoliatum & exuſtum: quod ab Hamalekitis factum cognoſcens, eos aſſequitur, fundit, & prædam omnem recuperat: De ea milites componit, & munera amicis civitatibus in terminis Jiſraëlis mittit.

ERat verò quando venit David cum hominibus ſuis Tziklagum, [1] tertius dies: Hamalekitæ autem irruentes in meridianum *tractum* & in Tziklagum, percuſſerant Tziklagum & combuſſerant illud igne:

2 Et captis fœminis quæ erant in eo a minimo ad maximum, neminem morte affecerant: ſed abducebant abeuntes itinere ſuo.

3 Itaque veniente Davide cum hominibus ſuis in civitatem, quum ecce combuſta eſſet igne; & uxores eorum filiiq; eorum ac filiæ eorum capti eſſent:

4 Suſtulit David & populus qui *erat* cum eo vocem ſuam, & fleverunt: uſquedum non ſupereſſet ipſis vis flendi.

5 Et quamvis duæ uxores Davidis captivæ eſſent; Achinoham Jizrehelitis, & Abigajil uxor Nabalis Carmilitæ;

6 Et anguſtia eſſet Davidi valde, quòd loquerentur populus de ipſo lapidando (erat enim amarus animus totius populi, cujuſque propter filios ſuos vel propter filias ſuas) tamen [2] confirmavit ſe David in Jehova Deo ſuo:

7 Edixitq; David Ebjathari Sacerdoti filio Achimeleci, applica, quæſo, meâ causâ amiculum: applicavitq; Ebjathar amiculum Davidis causâ.

8 Tum conſulente Davide Jehovam dicendo, perſequar turmam hanc? aſſequárne eam? dixit ei, perſequere, nam [a] omnino aſſequuturus es, & omnino erepturus es.

9 Quapropter abiens David ipſe & ſexcenti viri qui *erant* cum ipſo, venerunt uſque ad torrentem Beſoris: ubi reliqui [3] iſti ſubſtiterunt.

10 Inde perſequutus eſt David ipſe cum quadringentis viris, ſubſiſtentibus ducentis viris, qui ita defecti erant viribus, [b] ut non poſſent trajicere torrentem Beſoris:

11 Illi invenerunt virum Ægyptium in agro capientes, *duxerunt* ad Davidem, quum dediſſent ei panem ut comederet, & bibendam dediſſent ei aquam;

12 Dediſſentq; ei fragmen palathæ, & duas uvas paſſas ut comederet, itaque reſtitutus eſſet ei animus: non enim comederat cibum, neque biberat aquam tribus diebus & tribus noctibus.

13 Tum dixit ei David, cujus *es* tu? & undenam es? qui dixit, puer Ægyptius ſum ſervus viri Hamalekitæ, dereliquit autem me dominus meus, eo quòd ægrotarem [c] *ab hinc* die tertio.

14 Nos irrueramus *ad* meridianum tractum [4] Cerethæi, & in *eum* qui *eſt* Jehudæ, & in meridianum [5] Calebi: denique Tziklagum combuſſimus igne.

15 Quam ob rem dixit ei David, poſſésne deducere me ad turmam iſtam? qui dixit, jura mihi per Deum, te non affecturum me morte, neque dediturum me in manum domini mei, & deducam te ad turmam iſtam.

16 Quumq; deduxiſſet eum, ecce diffiti erant in tota ſuperficie illius terræ; comedentes & bibentes & tripudiantes de tota præda illa magna quam ceperant e terra Peliſchthæorum, & e terra Jehudæ.

17 Tum percuſſit eos David a crepuſculo uſque ad veſperam [d] poſtridie *expeditionis in* eos: nec proripuit ſe ex eis quiſquam, niſi quadringenti homines pueri, qui inſidentes camelis aufugerunt.

18 Sic eripuit David quicquid ceperant Hamalekitæ: etiam duas uxores ſuas eripuit David.

19 Neque defuit eis [e] quicquam parvum aut magnum, tum e filiis aut filiabus, tum e præda, denique quicquam quod accepiſſent eis: hæc omnia reduxit David.

20 Præterea cepit David totum [6] reliquum gregem & armentum: *quod* abducentes ante [7] pecora ſua dicebant, hæc *eſt* præda Davidis.

21 Redeunte itaque Davide ad ducentos illos homines, qui [f] defecti viribus non potuerant ſequi Davidem, quóſque juſſerat reſidere ad torrentem Beſoris, egreſſi ſunt obviàm Davidi & obviàm populo, qui *erat* cum eo: & accedens David ad illum populum, interrogabat eos de [g] proſperitate.

22 Deinde [8] reſpondens quiſque pravus & nequam ex hominibus illis qui iverant cum Davide; dicebant, propterea quòd non ſunt profecti mecum, ne demus eis de hac præda quam eripuimus; ſed cuique uxorem ſuam & filios ſuos, ut abducentes abeant.

23 Dixit verò David, ne facitote ſic fratres mei, [h] [9] præterquam quòd tradidit nobis Jehova *hæc*, ſervans nos & tradens turmam quæ venerat contra nos in manum noſtram:

24 Præterea quis auſcultet vobis in re hac? [10] nam prout *eſt* pars deſcendentis in prælium, ita etiam *eſt* pars reſidentis ad impedimenta, pariter partiuntor.

25 [11] Quod fuit a die illo & deinceps: nam impoſuit illud ſtatutum & judicium Jiſraëli uſque in hunc diem.

26 Deinde quum veniſſet David Tziklagum, miſit de ea præda Senioribus Jehudæ amicis ſuis dicendo; ecce vobis [i] donum de præda hoſtium Jehovæ:

27 Nempe iis qui *erant* [12] in domo Dei: & iis qui *erant* [13] Ramothis meridianis, & iis qui *erant* [14] Jatthire,

28 Et iis qui *erant* [15] Harohere, & iis qui *erant* [16] Siphmotis, & iis qui *erant* [17] Eſchthemohæ,

29 Et iis qui *erant* Racali, & iis qui *erant* in civitatibus [18] Jerachmeelitæ, & iis qui *erant* in civitatibus [19] Kenæi,

30 Item iis qui *erant* [20] Cormæ, & iis qui *erant* [21] Cor-Haſchane, & iis qui *erant* Hataci,

31 Denique

1 ex quo David diſceſſit a caſtris Peliſchthæorum: nam tantum itineris inter caſtrorum locum interceſſiſſe docet initium ſequêtis libri ⅴ 2.

2 vide ſuprà 23. 16. in annotatione.

a *Heb. aſſequendo aſſequuturus es, & eripiendo erepturus.*

3 ducenti, de quibus verſ. ſequente.

b *qui defecti erant a tranſeundo.*

c *hic tertius dies eſt.*

4 i. Peliſchthæi, ut oſtenditur infrà ⅴ. 16. & Tzephanjæ 2. 5. & Jechezkelis 25. 16.

5 i. quem poſſidet poſteritas Calebi.

d *Heb. poſtridie eorum.*

e *Heb. a parvo uſque ad magnum, & uſque ad filios, &c.*

6 quæ hoſtes aliunde compilaverant.

7 quæ ſibi fuerant erepta, verſu proximo.

f *vide ſupr.* 10. ⅴ.

g *Heb. pace.*

8 quum ſermo cœpiſſet agi de dividenda præda. hoc autem judicium a Davide certum eſt fieri, & legem hanc ferri, non ex æquo & bono ſolùm, ſet etiam ex auctoritate Dei, a quo lex conſimilis exſtat Num. 31. 25. & ſequentibus, & habentur exempla Jehoſch 22. 10. & 11. & 2. Machæ. 8. 28.

h *Heb. cum eo quod tradidit.*

9 prius argumentum eſt a genere victoriæ, quòd non ipſorum viribus, ſed divina beneficentia ſit parta.

10 alterum argumentum a jure militari: ex æquo cenſentur militare, ſtationarii caſtrorum, & qui in aciem prodeunt.

11 i. obtinuit lex illa.

i *Heb. benedictio: ſic Gen. 33. 11.*

12 i. in urbe Jeharimorum, quò arca reſtituta a Peliſchthæis, tranſlata reſedit, 1. Schem. 6. 22.

13 de quibus Jehoſ. 19. 8.

14 Jehoſ. 15. 47.

15 Jehoſ. 13. 16.

16 quæ Num. 34. 10. Schepham dicitur.

17 quæ Eſchthemo Jehoſ. 15. 49. vocatur.

18 de quo ſuprà 27. 10.

19 vide Judic. 1. 16.

20 Judic. 1. 17.

21 fortè oppidum eſt Schimhonis, quod ſimpliciter Haſchan Jehoſ. 19. 7. dicitur.

31 Denique iis qui *erant* Chebrone; & omnibus locis quò [22] itaverat David, ipse cum hominibus suis.

[22] ad quos frequêter se receperat David, quum fugeret a Schaüle.

CAPUT XXXI.

Schaül prælio commisso fugiens, cæsis filiis sibi mortem consciscit, Pelischthæi fugientium Jisraëlitarum loca occupant, & Schaülis & filiorum corpora mœnibus affigentes, diis ac populo suo gratulantur: Jabeschitæ verò noctu abrepta corpora Jabeschi exurunt, & ossa sepeliunt.

PElischthæis [1] autem [g] præliantibus contra Jisraëlem, fugerunt Jisraëlitæ a conspectu Pelischthæorum, cecideruntq; confossi in monte Gilbohæ.

2 Ubi assequuti sunt Pelischthæi Schaülem cum filiis ejus; & percusserunt Pelischthæi [2] Jehonathanem, & Abinadabum, ac Malci-Schuham filios Schaülis.

3 Ingravescente verò prælio in Schaülem, invenerunt eum homines arcu jaculantes; timuitq; valde ab ipsis jaculatoribus.

4 Quapropter dixit Schaül armigero suo, stringe gladium tuum, & transfode me illo, ne venientes præputiati isti transfodiant me, & [3] illudant mihi, sed noluit armiger ejus, reverebatur enim valde *eum:* & abrepto Schaül gladio suo [4] irruit in eum.

5 Tum videns armiger ejus mortuum esse Schaülem; irruit ipse quoq; in gladium suum, ut moreretur cum ipso.

6 Sic mortuo Schaüle cum tribus filiis suis & armigero suo, & etiam omnibus hominibus suis eo die pariter:

7 Vidêtes Jisraëlitæ qui *habitabant* [5] circa convallem illam, & qui *habitabant* citra Jardenem fugisse Jisraëlitas, & mortuos esse Schaülem ac filios ejus; derelictis civitatibus suis fugerunt, & venientes Pelischthæi [6] habitârunt in eis.

8 Fuit autem [7] postridie, quum venissent Pelischthæi ad spoliandum confossos; ut invenirent Schaülem & tres filios ejus prostratos in monte Gilbohæ.

9 Cujus caput absciderunt, & detraxerunt arma ejus: miseruntq; in terram Pelischthæorum circumquaque, ad nunciandum in æde [8] terriculorum suorum, & populo:

10 Et deposuerunt arma ejus *in* æde [9] Haschtharotharum; corpus verò ejus affixerunt [10] ad murum [11] Beth-schanis.

11 Sed audientes de eo [12] habitatores Jabeschi Gilhadis; quod fecerat Pelischthæi Schaüli:

12 Surgentes omnes viri strenui, abierunt tota nocte; & assumserunt corpus Schaülis & corpora filiorum ejus a muro Beth-schanis: redeuntesq; Jabeschum [13] combusserunt ea ibi.

13 Deinde accipientes ossa eorum sepeliverunt sub nemore ad Jabeschum; & jejunaverunt septem diebus.

[1] regreditur ad historiam cap. 29. dimissione Davidis & ejus in Hamalekitas expeditione interruptam.
[g] 1.Chron.10.
[2] vide suprà 14. 50.
[3] id est, aliquo mortis genere indigno me afficiant.
[4] id est, se confodit ipse: sic versu sequente.
[5] i. ab utraque parte loci, in quo prælium fuerat commissum.
[6] vide supra 27.6.
[7] conflictus.
[8] idolorum, quibus terrentur animi superstitiosorum, non instituuntur. Confer cum 1. Chron. 10. cap.
[9] vide annotata Judicum 2.13.
[10] i. in platea muro-juncta, infra 2. Schem. 21. 12.
[11] quod & Beth-schean dicitur Judic. 1.27. & alibi. Hoc in sorte Menaschis erat, sed nondum ereptum Pelischthæis, ibidem: ut de Kehila dictum est suprà 27.6. vide Jehosch. 17.11.
[12] memores beneficii à Schaüle accepti, supra cap. 11.
[13] id est, carnem eorum: tum quia jamdudum soli & aëri exposita computruerant, tum etiam quia hac ratione prospiciebatur, ne rursus corpora illa ludibrio exponerentur, atque hanc eandem rationem, purà ut ludibriis eximerentur cadavera, veteres observaverunt: quemadmodum de L. Sylla Dictatore testantur Tullius lib. 2. de legibus, Plinius lib. 7. natur. hist. cap. 54. & Plutarchus.

SCHEMUELIS
LIBER SECUNDUS.

POSTERIOR *liber Schemuelis res gestas a morte Schaülis, usque ad finem regni Davidis describit. Estq; historia quadraginta annorum, 2.Schem.5.5.*

CAPUT I.

David morte Schaülis per eum nunciata qui se illius interfectorem fuisse profitetur, supplicium de eo sumit: & carmine deplorat Schaülis & Jehonathanis mortem.

FUIT autem post mortem Schaülis, quum David reversus esset [1] [a] a cæde Hamalekitarum, & consedisset David Tziklagi duobus diebus.

2 Fuit, inquam, die tertio, ut ecce quidam veniret e castris a Schaüle, vestibus suis laceris & [2] terra imposita capiti suo: fuitq; eo veniente ad Davidem, quum procidens in terram incurvasset se:

3 Ut diceret ei David, undénam venis? qui dixit ei, e castris Jisraëlitarum proripui me.

4 Dixit verò ei David, quid fuit rei? indica quæso mihi: qui dixit, nempe fugit populus a prælio, [b] ubi cùm multi e populo ceciderunt & mortui sunt, tum etiam Schaül & Jehonathan filius ejus mortui sunt.

5 Dicente autem Davide puero qui nunciabat ei; quî scis mortuum esse Schaülem & Jehonathanem filium ejus?

6 Dixit puer qui nunciabat ei, [c] casu incidi in montem Gilbohæ, quum ecce Schaül [d] incumberet hastæ suæ: ecce autem currus & [3] magistri equitum assequebantur eum:

7 Quumq; respiciens a tergo suo videret me, inclamavit me, & dixi ei, ecce me.

8 Eo autem dicente mihi, quis es? quum dixissem ei, [4] Hamalekita sum;

9 Dixit mihi, insta, quæso, in me, & morte affice me, quia [5] detinuit me hæc ocellata chlamys: nam adhuc tota [e] vita mea in me *est*.

10 Instans itaque in eum morte affeci eum, quia sciebam eum non victurum, postquam cecidisset; & accepi coronamentum quod *erat* in capite ejus, & armillam quæ *erat* in brachio ejus, ut afferrem ea ad dominum meum huc.

11 Tum David corripiens vestimenta sua laceravit ea, similiter etiam omnes homines qui *erant* cum eo:

12 Et plāgentes fleverunt, jejunaveruntq; usque ad vesperam; propter Schaülem, & propter Jehonathanem filium ejus, & propter populum Jeohvæ,

[1] de qua 1.Schē. 30.
[a] *Heb. à cædendo Hamalekum.*
[2] vide Jehos. 7.6.
[b] *Heb. & etiam multum e populo cecidit.*
[c] *Heb. incidendo incidi.*
[d] *Heb. niteretur hastæ suæ.*
[3] synecdoche, id est, ipsi cum suis turmis.
[4] i. Hamalekitæ filius, infrà v.13.
[5] impedivit hastam ne in corpus meum altius penetraret.
[e] *Heb. anima.*

Jehovæ, deniq; propter familiam Jisraëlis, quòd cecidissent gladio.

13 Et dixit David puero qui nunciabat ei, undenam es? quo dicente, filius cujusdam [6] peregrini Hamalekitæ sum;

14 Dixit ei David; quo modo non timuisti extendere manum tuam ad perimendum unctum Jehovæ?

15 Vocansq; David unum e pueris suis dixit, accede, incurre in eum: qui percussit eum ita ut moreretur;

16 Quum dixisset ei David, [f] cædis tuæ *causa est* super caput tuum: nam os tuum testatum est contra te dicendo, ego morte affeci unctum Jehovæ.

17 Lamentatus autem est David lamentatione hac; de Shaüle & de Jehonathane filio ejus:

18 [7] Quam protulit ad docendum filios Jehudæ *tractare* arcum: ecce [8] scripta est in libro recti.

19 [9] O decus Jisraëlis, in [10] excelsis tuis confossi: quo modo ceciderunt robusti!

20 [11] Ne indicetis [12] Gathi, neque annuncietis in plateis Aschkelonis: ut non [13] lætentur filiæ Pelischthæorum, ut non exsultent filiæ præputiatorum.

21 [14] O montes Gilbohæ, ne ros, néve pluvia *decidat* super vos, ô agri [g] editi; quia illic [15] fastidio fuit clypeus robustorum, clypeus Schaülis [16] *per* consumtionem ejus qui unctus erat oleo.

22 [17] A sanguine confossorum, ab adipe fortium arcus Jehonathanis non retrocedebat; & gladius Schaülis non revertebatur vacuus.

23 [18] Schaül & Jehonathan dilectissimi & jucundissimi in vita sua, in morte quoque sua non separati sunt: [19] aquilis leviores, leonibus robustiores erant.

24 [20] Filiæ Jisraëlis de Schaüle flete; qui vestiebat vos dibapho cum deliciis, qui inducebat ornamenta aurea super vestimenta vestra.

25 [21] Quo modo ceciderunt robusti in isto prælio! Jehonathan in excelsis tuis confossus!

26 [22] Angustia est mihi propter te, frater mi, Jehonathan, jucundus fuisti mihi valdè: admirabilior fuit amor tuus mihi amore fœminarum.

27 [23] Quo modo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica!

[6] i. peregrinantis in Jisraële, quod quibus conditionibus permissum fuerit, vide Deut. 20.16. & 23.1.
[f] *Heb. sanguis tuus: sic Jehos. 2.19. & Judic. 9.24.*
[7] id est, ut exercitata per contribules suos, quasi hortamento excitaret eos ad peritiam jaculandi exercitatione comparandam.
[8] vide Jehos. 10. 13. in annotatione.
[9] Periphrasis Dei: exordium patheticum cladis, propositionem continens. Est autem genus lamentationis cycloides.
[10] id est, in montibus terræ tuæ, ut infrà 21. & 25. ver.
[11] Propositio secunda eventuum ex superiore clade quos perturbatio fingit. Eorum priorem deprecatur, ne istius cladis rumor unquam ad Pelischthæos perferatur: & finem habet honorem Dei, ut Micæ 1.10. posteriorem imprecatur in cladis locum.
[12] id est, in ullis partibus Pelischthæorum, ne in propinquioribus quidem.
[13] Deum blasphemantes & populo ejus insultantes, ut de Schimschone Judic. 16.23. & sequentibus.
[14] poetica exclamatio cum hyperbolica imprecatione, ad maledictionem loci amplius figurandam, & horrorem quo pii recordantes accepti mali perfunduntur, ut Ijob 3. & alibi.
[g] *Heb. elationum: substantivum pro adjectivo.*
[15] id est, abjectus est clypeus nostrorum cum animo.
[16] id est, quia rex Schaül ibi amissus est.
[17] amplificatio cladis, a præstantia personarum Schaülis & Jehonathanis. Est autem hic primus commendationis locus a rebus gestis: quasi dicat, nunquam frustrà hostibus arma intulerunt, quin ea in sinu hostium, imo viris fortissimorum, viscera penetrarent.
[18] secundus locus à constante fide & amore mutuo usque ad mortem.
[19] tertius locus ab eorum agilitate & robore.
[20] quartus locus ab effectis, quòd subditos bonis cumulabant.
[21] versus amœbæus, idem cum primo & ultimo versu lamentationis, quo transitur ad quintum locum lamentationis.
[22] quintus locus a privato suo damno, dolore propter suorum mutuum amorem: suum enim fraterno amori comparat, & Jehonathanis erga se, muliebri.
[23] Conclusio per versum amœbæum.

CAPUT II.

David oraculo Dei Chebronem profectus a posteris Jehudæ in regem eligitur: Jabeschitis de officio præstito Schaüli gratulans id Deo acceptum testatur, & iis operam suam pollicetur. Ischboscheth filius Schaülis opera Abneri, Jisraëli præficitur: & bello inter utrumq; orto, Abner cum suis funditur.

Fuit autem post hæc, ut David consuleret Jehovam, dicendo, súmne ascensurus in aliquam civitatem Jehudæ? cui dixit Jehova, ascende: Et dicenti Davidi, quò ascensurus sum? dixit, Chebronem.

2 Itaque ascendit illuc David etiamque duæ uxores ejus: Achinoham Jizrehelitis, & Abigajil anteà uxor Nabalis Carmelitæ:

3 Homines quoque suos, qui secum *erant* deduxit David, quemque cum familia sua; & habitaverunt in [1] civitatibus Chebronis:

4 Quò advenientes homines Jehudæ, unxerunt ibi Davidem in regem super familiam Jehudæ: & [2] indicaverunt Davidi dicendo, homines Jabeschi Gilhadis *sunt* qui sepeliêrunt Schaülem.

5 Quam ob rem David missis legatis ad homines Jabeschi Gilhadis dixit eis, benedicti estis Jehovæ; qui exercuistis benignitatem hanc erga dominum vestrum, erga Shaülem, quòd sepelivistis eum.

6 Propterea nunc exerciturus est Jehova erga vos benignitatem & fidem: & ego quoque [a] reponam vobis beneficium hoc, qui fecistis rem hanc.

7 Nunc itaque confirmentur manus vestræ, & estote [b] strenui, quum mortuus est dominus vester Schaül: nam [3] similiter unxerunt me domus Jehudæ in regem super se.

8 Abner autem filius Neri princeps militiæ, quæ *fuerat* Schaülis; assumtum ‡ Ischboschethum filium Schaülis, traduxit [4] Machanajima:

9 Constituitque eum regem super [5] Gilhadem, super [c] [6] Ascheræos, & [7] Jizrehelem, & Ephrajimum, & Binjaminem, denique super Jisraëlem totum.

10 Quadraginta annos natus *erat* Ischboscheth filius Schaülis, quum [d] regnare cœpit super Jisraëlem, & duobus annis regnaverat: (tantùm domus Jehudæ erant [e] qui sequabantur Davidem.

11 Fuit autem numerus dierum, quibus erat David rex Chebrone super domum Jehudæ, septem annorum & sex mensium)

12 Quando egressus est Abner filius Neri, & servi Ischboschethi filii Schaülis, Machanajimis Gibhonem.

13 Joab quoque filius Tzerujæ & servi Davidis egressi occurrerunt eis apud piscinam Gibhonis simul: consederuntq; hi secundùm piscinam hinc, illi verò secundùm piscinam inde.

14 Ubi dicebat Abner Joabo, surgant jam pueri isti ut [8] ludant coram nobis; & dixit Joab; surgant.

15 Surgentes itaque transiverunt *pari* numero, duodecim a Binjamine, & ab Ischboschetho filio Schaülis, & duodecim a servis Davidis.

16 Quorum quisque apprehenso capite proximi sui, gladium suum *infixit* lateri proximi sui, sic ceciderunt simul: quapropter vocat *quisque* locum illum, [9] portionem fortium quæ *est* Gibhone.

17 [10] Deinde fuit prælium durum admodum die illo; & plagâ affectus est Abner & homines Jisraëlis ante servos Davidis.

18 Erant autem ibi tres filii Tzerujæ, Joab, & Abischai, & Hasa-El: eratque Hasa-El celer pedibus suis, [11] ut caprearum aliqua quæ *degit* in agro.

19 Quapropter persequebatur Hasa-El Abnerum; nec declinabat eundo ad dexteram aut ad sinistram, a persequendo Abnero.

20 Respiciens verò post se Abner dixit, éstne tu Hasa-El? qui dixit, sum.

21 Dicente verò ei Abnero, declina tu ad dexteram tuam, aut ad sinistram tuam, & prehendens tibi unum ex istis pueris, accipe tibi exuvias ejus; noluit Hasa-El divertere [f] ab eo persequendo.

[11] vide supra 1. Schem. 19. 17.
[1] i. quæ sitæ sunt in montano tractu Chebronis: vide Jehos. 21. 11. & 12.
[2] sciscitanti de corpore mortui regis, ut ipsum honorificè sepeliret.
[a] *Heb. faciam.*
[b] *Heb. filii roboris.*
[3] quasi dicat, si Schaüle defensore destituti estis, me paratum habebatis jam constitutum regem Jehudæ.
‡ *qui & Eschbahal, 1. Chr. 8.33. & 9.39.*
[4] vide Gen. 32, 2. nominis rationem. est autem ultra Jardenem in tribu Gadis.
[5] regionem trans Jardenem, synecdoche, ut in sequentibus.
[c] *Heb. Ascheræum.*
[6] i. regionem summam a septentrione: nam synecdochicè in hac & sequentibus vocibus tota latitudo regionis a mari ad Jardenem intelligitur.
[7] i. regionem mediam Zebulunis, Jissacaris, & Naphthali.
[d] *Heb. regnavit, sic Gen. 5.32.*
[e] *Heb. erant post.*
[8] i. spectaculi causa pugnent.
[9] id est, partem agri, ut Gen. 33. 19. alii placentagellum mucronum reddi, quia punctim alter alterum pugnantes isti periverunt.
[10] quum omnes illi occubuissent quos utrinque commiserant, initum est generale (ut vocant) prælium.
[11] hyperbolica loquutio, ut supra 1.23.
[f] *Heb. à post eum: sic deinc.*

22 Quare rursus adhuc dixit Abner Hasa-Eli,
diverte tu a me persequendo: [12] quare percutiens
sternerem te in terram? & [13] quo modo sublàturus
essem faciem meam apud Joabum fratrem
tuum?

23 Quum itaque renueret divertere, percussit
eum Abner stylo posteriore hastæ ad quintam
costam, ita ut exeunte hasta a tergo ejus caderet
ibi, & moreretur in loco suo: eratque *ut* quisquis
veniebat ad locum illum ubi cadens Hasa-El
mortuus erat, subsisterent.

24 Sed persequuti sunt Joab & Abischai Abnerum:
qui quum sol occumberet venerunt ad
collem Ammæ, qui *est* in conspectu Giachi, viâ
ad desertum Gibhonis.

25 Tunc congregaverunt se Binjaminitæ [g] sequentes
Abnerum, ita ut essent cuneus unus: substiteruntque
in [14] vertice collis unius.

26 Unde inclamans Abner Joabum dixit,
[15] an in æternum consumet gladius? an nescis amaritudinem
fore in fine? quousque ergo non
edices populo isti, ut avertantur a persequendis
fratribus suis?

27 Cui dixit Joab, ut vivit Deus ipse, nisi [16] loquutus
fuisses, *nihil fecissemus:* nam inde a matutino
tempore abductus fuisset populus, quisque
a persequendo fratre suo.

28 Tum clangente Joabo buccina ut subsisteret
totus populus, neque ampliùs persequerentur
Jisraëlitas; non perrexerunt ampliùs bellum
gerere.

29 Ita Abner & homines ejus abiverunt per
campestria tota nocte illa: & trajecto Jardene
obeuntes [h] totum tractum separatum *Jardene* pervenerunt
Machanajima.

30 Joab verò reversus a persequendo Abnero
congregavit totum populum, desideratique sunt
e servis Davidis novemdecim viri & Hasa-El:

31 Servi autem Davidis percusserant e Binjaminitis,
id est, ex hominibus Abneri *multos:* trecenti
sexaginta viri mortui sunt.

32 Tollentes autem Hasa-Elem sepeliverunt
eum in sepulcro patris sui, quod *erat* Beth-Lechemi:
quum pergentibus tota nocte Joabo &
hominibus ejus, illuxisset ipsis Chebrone.

CAPUT III.

Bello inter Davidem & Ischboschethum durante decrescit hic, ille in dies augescit, numerosa prole: restitutione Micalis uxoris & confœderatione Jisraëlitarum deficientium ab Ischboschetho operâ Abneri: quem Joab & Abischai dolo interficiunt. A quo maleficio David se purgans, Abnerum honorificè sepeliendum curat, & apud suos se excusat quòd Joabi supplicium differat.

DEinde fuit bellum [a] diutinum inter domum
Schaülis & domum Davidis sed Davidis pergens
invalescebat, domus verò Schaülis pergentes
attenuabantur.

2 Nati enim sunt Davidi filii Chebrone: fuitque
primogenitus ejus Amnon ex Achinohama
Jizrehelitide:

3 Et secundus ab eo ‡ Cileab ex Abigajila,
uxore *antè* Nabalis Carmelitæ; & tertius Abschalom
filius Mahacæ filiæ Thalmai regis [1] Geschuris:

4 Et quartus Adonija filius Chaggithæ; &
quintus, Schephatja filius Abitalæ:

5 Denique sextus, Jithreham, ex Hegla, *quæ*
que uxore Davidis hi nati sunt Davidi Chebrone:

6 Fuit etiam quum esset bellum inter domum
Schaülis & domum Davidis, & Abner [2] sese confirmasset
in domo Schaülis

7 (Fuerat autem Schaüli concubina nomine
[3] Ritzpa filia Ajæ) [4] ut diceret *Ischboscheth* Abnero,
quare congressus es cum concubina patris
mei?

8 Tum accensus *irâ* Abner valdè propter
verba Ischboschethi dixit, [5] an persona canina
sum? [6] qui fuerim Jehudæ? hodie exercuero
benignitatem erga domum Schaülis patris tui,
erga cognatos ejus, & erga proximos ejus, quòd
non exhibuerim te in manû Davidis: & imputes
mihi [7] iniquitatem istius mulieris hodierno die?

9 Ita faciat Deus Abnero, & ita pergat *facere*
ei; ut quemadmodum juravit Jehova Davidi,
ut *inquam* sic facturus sum ei;

10 Transferendo hoc regnum a domo Schaülis,
& stabiliendo solium Davidis super Jisraëlem
& super Jehudam, a [8] Dane Beerschebæ sum
usque.

11 Qui non potuit ampliùs respondere Abnero
quicquam; [b] præ *timore* quo timebat eum.

12 Itaque misit Abner legatos ad Davidem
[9] propter hoc, qui dicerent, [10] cujus *est* regio? *&*
dicerent, pange fœdus tuum mecum, & ecce
[11] manus mea affutura est tibi, ad avertendum ad
te totum Jisraëlem.

13 Qui dixit, bene *est*, ego pacturus sum tecum
fœdus: verumtamen rem unam ego peto abs
te dicendo, non visurus es faciem meam, nisi antequàm
introducant te, cum Micale filia Schaülis
adveneris ad videndum faciem meam.

14 Misitque David nuncios ad Ischboschethum
filium Schaülis, qui dicerent; da uxorem
meam Micalem, quam despondi mihi [12] centum
præputiis Pelischthæorum.

15 Itaque mittens Ischboscheth assumsit eam
a viro, a ‡ Paltiele filio Laischi.

16 Pergente autem cum ea viro ejus [c] indesinenter
flendo post eam [13] Bachurima usque; edixit
ei Abner, abi, revertere, & reversus est.

17 [14] Sermo autem Abnero fuerat cum Senioribus
Jisraëlis, dicendo, [d] anteà planè quærebatis
Davidem in regem super vos:

18 Nunc ergo efficite: nam Jehova loquutus
est de Davide dicendo, per Davidem servum meum
servaturus sum populum meum Jisraëlem e
manu Pelischthæorum, & e manu omnium hostium
ipsorum.

19 Prætereà loquutus erat similiter Abner
audientibus Binjaminitis: quum abiit etiam Abner
ad eloquendum in aures Davidis Chebronem,
omnia quæ bona *videbantur* in oculis Jisraëlitarum,
& in oculis [15] totius familiæ Binjaminis.

20 Quum autem venisset Abner ad Davidem
Chebronem [e] comitatus viginti hominibus, fecit
David Abnero & hominibus qui *erant* cum eo
convivium.

21 Deinde dicente Abnero Davidi, surgens
abeam ut congregem ad dominum meum regem
omnes Jisraëlitas, qui paciscantur tecum fœdus, ut
regnes prorsus prout desiderabit animus tuus; dimisit
David Abnerum, ut abiret cum pace.

22 Ecce autem servi Davidis cum Joabo, venientes
a *persequenda* aliqua turma, prædam magnam
secum abducebant: sed Abner non *erat* ampliùs
cum Davide Chebrone, eo quòd dimisisset
eum ut abiret cum pace.

23 Joabo itaque & toto exercitui qui *erat* cum
eo ingressis: postquam nunciatum est Joabo dicendo,
venit Abner filius Neri ad regem, qui dimisit
eum ut abiret cum pace:

24 Veniens Joab ad regem dixit, quid fecisti?

[12] vide suprà 1. Schem. 19. 17.
[13] i. qua fronte essem coram fratre tuo comparituru?
[g] *Heb. post.*
[14] forma & loco ad sui defensionem commodo: nam cuneati in collis vertice stabant.
[15] Tribus argumentis deterret Joabum a persequenda victoria: Primum est ab humanitatis officio: Secundum ab eventu, qui non potest etiam victoribus non esse luctuosus in ejusmodi victoriis: postremum a naturali necessitudine & religionis jure.
[16] i. nisi prior sermone provocasses, suprà v. 14.
[h] *Heb. totam separationem, sic cantic. 2. v. ult.*
[a] *Heb. longum.*
‡ *qui dicitur Daniel, 1. Chro. 3. 1.*
[1] pars est Syriæ, contermina Gilhadi in Trachonitide, Deuter. 3. 14.
[2] i. auctoritatem & opes sibi comparasset.
[3] de qua vide plura infra cap. 21.
[4] falsa suspicione vel delatione motus: nam nihil tale commisisse legitur.
[5] i. vilis, abjectus & scortatione dedita: nam utroque spectat appellatio canis, Deu. 23. 18. & 1. Sche. 24. 15.
[6] i. qui a te defecerim cum tribu Jehudâ, suprà 2. 4. Exprobrat beneficium suum erga Ischboschethum, & sequentibus amplificat.
[7] i. velut commissam cum hac muliere: ita infi[illegible]atur objectum sibi crimen.
[8] vide Judic. 20. 1.
[b] *Heb. præ timore ejus.*
[9] i. hac offensione motus: aut etiam loco suo, ut alii placet.
[10] supple, nisi mea, cui Deus imperium detulit.
[11] i. operam meam tibi navabo: vide Levit. 5. 21.
[12] ex Schaülis pacto mihi proposito, 1. Schem. 18. 24.
‡ *qui Palti dicitur 1. Schem. 25. v. ultimo.*
[c] *Heb. eundo & flendo.*
[13] oppidum in tribu Binjaminis, ut apparet infra cap. 19. 16.
[14] i. Prout cum Davide [illegible] singulatim [illegible] um, etiam [illegible] jaminis, [illegible] ad defectionem sollicitaverit [illegible] duxeratque.
[d] [illegible]
[15] [illegible] vide 1. Chro. 12. 29.
[e] [illegible]

ecce

ecce venerat Abner ad te, quare dimiſiſti eum
[16] ut abeat [f] liberè?
25 Noſtine Abnerum filium Neri? nam ad pel-
licendum te venit tum ad cognoſcendum [17] egreſ-
ſum tuum & regreſſum tuum, tum ad cognoſcen-
dum quæcunque facis.
26 Tum egreſſus Joab a Davide, miſit legatos
poſt Abnerum, qui revocaverunt eum a ciſterna
Siſeræ: ſed David non erat conſcius.
27 Reverſóque Abnero Chebronem, ſeorſim
duxit eum Joab intra portam, ut loqueretur cum
eo, [g] imprudentem: percuſſitque eum ibi quin-
tâ coſtâ, adeò ut moreretur, [18] propter ſanguinem
Haſa-Elis fratris ejus.
28 Quod quum poſteà audiſſet David, dixit,
inſons ego *ſum* & regnum meũ apud Jehovam uſ-
que in ſeculũ; [19] a ſanguinibus Abneri filii Neri:
29 Maneant ſuper caput Joabi, & ſuper *caput*
totius domus paternæ ejus: neque [h] [20] deficiat e
domo Joabi fluxum patiens, aut leproſus, aut qui
[21] nitatur ſcipione, aut cadens gladio, aut ca-
rens cibo.
30 [22] Joab enim & Abiſchai frater ejus occi-
derunt Abnerum; eo quòd morte affeciſſet Haſa-
Elem fratrem ipſorum Gibhone [23] [i] in illo prelio.
31 Poſteà edixit David Joabo & toti populo
qui *erat* cum eo, [24] lacerate veſtimenta veſtra, &
accingite vos ciliciis, ac plangite ante Abnerum:
& rex ipſe David ſequebatur feretrum illius.
32 Ipſis autem ſepelientibus Abnerum Che-
brone; rex ſublata voce ſua flebat ad ſepulcrum
Abneri, flebantque totus populus.
33 Et lamentatus rex Abnerum dixit; ergóne
ut [25] moritur ſtultus, mortuus fuerit Abner?
34 Manus tuæ [26] non *fuiſſent* ligatæ, & pedes
tui æreis compedibus non fuiſſent admoti, ut ca-
dit *quis* ante [i] iniquiſſimos, cecidiſti: pergebánt-
que totus populus deflere eum.
35 Veniente autem toto populo ut reficeret
Davidem cibo, quum adhuc *erat* dies; juravit Da-
vid dicendo, ita faciat mihi Deus, & ita pergat, ut
non ante occaſum ſolis guſtaturus ſum panem
aut prorſus quicquam.
36 Quod quum totus populus cognoviſſet,
bonũ *viſum* eſt in oculis eorum: omnino prout fe-
cerat rex, *videbatur* in oculis totius populi bonũ.
37 Agnoſcebant enim totus populus ejus, &
totus Jiſraël die illo, non *profectum* fuiſſe a rege,
ut *quis* morte afficeret Abnerum filium Neri.
38 Nam dixerat rex ſervis ſuis; [27] an neſcitis
principem, & quidem magnum, cecidiſſe die hoc
in Jiſraële?
39 Ego autem hoc tempore [k] infirmus ſum,
utpote [28] unctus rex, homines verò iſti filii Tzeru-
jæ [l] [29] firmiores ſunt me: [30] rependet Jehova ei
qui fecit hoc malum ſecundùm maleficium ejus.

[16] i. conficiat iter ſuum ſine impedimento. [f] Heb. eundo. [17] vide Num. 27.17. [g] Heb. per errorem. [18] propter cædem de qua ſuprà 2.24. [19] ut verſu præcedenti: vide Gen. 4.10. [h] Heb. exſcindatur. [20] i. tantiſpendum duravit ejus familia, obnoxia ſit his malis. [21] i. ſit valetudinarius, podagricus, tabidus, &c. ſynecdochicè dicta. [22] rationem reddit imprecationis Dividis in totam paternam familiam ejus: quia ambo fratres, qui ſupererant, in necem Abneri conſpiraverant. [23] de quo ſuprà 2.24. hac autem circumſtantia amplificatur cædis indignitas, quòd rem fervente bello, & nolente Abnero geſtam, fratres compoſitis rebus & in pace maxima huic rependerunt. [i] ſupra 2.24. [24] vide Jehoſch. 7.6. [25] hoc eſt, an tam indignè virum adeò ſtrenuum obire oportuit? ut verſu ſequente explicatur. [26] i. ſi juſto certamine conflixiſſent tecum, appatuiſſet quàm expeditus fueris manibus & pedibus. [i] Heb. filios iniquitatis: i. dolo & proditione interfectus es. [27] q. d. occiſores tanti viri agnoſcitis maximo ſupplicio dignos pro atrocitate criminis, & amplitudine perſonæ occiſæ: ſed infirmus rerum mearum ſtatus, non patitur ut nunc ſupplicium ſumam de eis, qui plus quam ego apud populum poſſunt. [k] Heb. tener. [28] i. deſignatus quidem totius Jiſraëlis rex; ſed nondum plenè regnum conſequutus. [l] Heb. duriores. [29] militaribus hominibus acceptiores quàm ego ſim, ut apparet infrà cap. 19. Eſt autem utriuſque membri antitheſis metaphorica a plantis deſumpta. Senſus eſt, ſapientis eſt videre non tantùm quid debeas, ſed etiam quid poſſis. Jam verò non poſſum in Joabum quicquam inſtituere, quin totum populum commoveat & pericliteretur regnum. Muſſitanda igitur ad tempus hæc injuria eſt, & expectandum quam occaſionem commodam ſit daturus Deus. Quod enim differtur, non aufertur, ut vulgo dici ſolet. [30] i. ſumet ipſe de eo ſupplicium, quum me adhuc facultas deficit, vel me facultate inſtruet, ut ipſius judicium exerceam: vide initium exſequutionis infrà 19.14. progreſſum, 1. Reg. 2.5. & 6. exſecutionem autem plenam ibid. v. 34.

CAPUT IIII.

Morte Abneri Jiſraëlitis conſternatis, Iſchboſcheth a latronibus dormiens occiditur: qui caput illius ad Davidem afferentes, a Davide mulctantur morte: caput verò Iſchboſchethi honorificè ſepelitur.

AUdiente verò filio Schaülis mortuum eſſe
Abnerum Chebrone, [1] remiſſæ ſunt manus
ejus, & omnes Jiſraëlitæ [2] conturbati ſunt.
2 Duo autem homines principes [3] turmarum
[4] erant filio Schaülis, nomen unius Bahana, no-
men verò alterius Recab filii Rimmonis Beero-
thæi e Binjaminitis, nam Beerotha quoq; [5] an-
numerabantur Binjamini.
3 Fugerántque Beerothitæ [6] Githhajima, ubi
fuerunt peregrini in [7] diem uſque hunc.
4 [8] Quumque e Jehonathane filio Schaülis
filius eſſet affectus pedibus (natus quinque annos
erat, quum pervenit fama de Schaüle & Jeho-
nathane [9] e Jizreëele, quo aſſumto nutrix ejus
fugit, fuítque ea accelerante fugam ut cadens
claudus redderetur) cujus nomen *erat* ‡ Mephi-
boſcheth:
5 Iverunt filii Rimmonis Beerothæi Recab
& Bahana, intraverúntque [a] æſtu diei in do-
mum Iſchboſchethi, ipſo meridiante.
6 Pervenerunt autem illuc uſque ad intimum
domus, [10] bajulantes triticum, & percuſſerunt
eum quintâ coſtâ: deinde Recab & Bahana fra-
ter ejus proripuerunt ſe.
7 Itaque ingreſſi domum illam, ipſo cuban-
te in lecto ſuo, [b] in cubiculo ſuo, quum percuti-
entes morte affeciſſent eum, amoverunt caput e-
jus: & aſſumto capite ejus abiverunt [11] viâ cam-
peſtrium tota illa nocte.
8 Et afferentes caput Iſchboſchethi ad Da-
videm Chebronem; dixerunt regi, ecce caput
Iſchboſchethi filii Schaülis inimici tui, qui quæ-
rebat [c] vitam tuam: ſic edidit Jehova pro domi-
no meo rege ultiones hodie de Schaüle & de ſe-
mine ejus.
9 Sed reſpondens David Recabo & Bahanæ
fratri ejus, filiis Rimmonis Beerothæi, dixit eis;
[12] vivit Jehova, qui redimit [d] me ab omni au-
guſtia;
10 [13] Cùm eum qui nunciabat mihi dicendo,
ecce mortuus eſt Schaül, qui tamen [e] *videbatur* in
oculis ſuis quaſi læta nuncians, apprehenſum
occiderim Tziklagi; [14] quod [f] *oportebat* me ei præ-
ſtare præmium nuncii:
11 Quanto magis *oportet* hominibus impro-
bis, *qui* occiderunt virum [15] juſtum, domi ejus, in
cubili ejus: jam ergo an non repoſcerem ſangui-
nem ejus e manu veſtra, & tollerem vos e terra?
12 Præcepit itaq; David pueris ſuis, qui occide-
runt eos, amputârúntque manus eorum & pedes
eorum, & ſuſpenderunt ad piſcinam Chebrone:
caput verò Iſchboſchethi aſſumentes, ſepelive-
runt in ſepulchro Abneri Chebrone.

[1] id eſt, fractus animo deſtitit bellum gerere. [2] rei novitate conſternati, quaſi præciſâ ſuorum conſiliorum viâ, de quibus ſuprà 3.17. [3] latronum graſſatorũ: ut Hoſche. 6.10. & 7.1. [4] e ſubditis ejus, quia Binjaminitæ erant. [5] Jehoſ. 19.25. quaſi dicat, etiãſi Beerotha a Peliſchthæis poſt Schaülis cædem occupata adhuc detinerentur, 1. Schem. 31. 7. [6] Nechemjæ 11. 33. Binjaminitarum oppidum. [7] quo hiſtoria hæc perſcripta eſt, nam ſingula hiſtoriarum membra per viros Dei in actis publicis auctoritate publica perſcribebantur. Senſus eſt, locum incolatus ſui ita probaverunt, ut non laboraverint de reverſione in civitatem ſuam ex quo poſt Schaülis cladem metu Peliſchthæorum profugerãt. [8] Quaſi dicat, quum latrones iſti viderent neminem fore deſignatæ a ſe cædis aut regni vindicem, præter Mephiboſchethum puerum adhuc & claudum, ſpe impunitatis in factũ audaciùs proruperunt. [9] ubi cæſi & fugati ſunt, 1. Sche. 31. ‡ *qui & Merib Bahal, & Meri Bahal, 1. Chro. 8. 34. & 9.40.* [a] *Heb. quum æſtus diei eſſet: ſic Gen. 18.1.*

[10] i. bajulorum ſpecie triticum importantium, & diſſimulato habitu. [b] *Heb. in conclavi cubitus ſui.* [11] id eſt, trajecto Jardene per ſolitudinem Jerichuntinam quam diligentiſſimè profecti ſunt Chebronem verſus: nam cædes Machanajimis perpetrata eſt. [c] *Heb. animam tuam.* [12] quaſi dicat, Deus idem eſt in ſempiternum, qui promiſſionem ſuam de me ſervando, non maleficorum opera (ut veſtra eſt) ſed ſanctè hactenus præſtitit, & in poſterum præſtiturus eſt. Prius argumentum damnationis illorum, a fide promiſſionum Dei. [d] *Heb. animam meam.* [13] ſecundum argumentum a præjudicio per comparationem minoris. [e] *Heb. erat in oculis ſuis.* [14] quaſi dicat, quæ merces illi jure a me debebatur, tamquam juſtum ipſius (ut Græci vocant) εὐαγγέλια. [f] *Heb. quod mihi erat ei præſtandum nuncium.* [15] id eſt, qui ipſos nulla injuria affecerat; ut contra illi improbi, id eſt, injuſti dici ſolent, ut Exodi 2.13. & alibi paſſim, qui injuria afficiunt alterum.

CAPUT V.

David a toto Jiſraële rex confirmatus, Tzijonem occupat: & inſtaurata amicitia cum rege Tyriorum init: filiis auctus [illegible] Peliſchthæos bis fundit a [illegible] magis augeſcit.

TUnc venientes [1] omnes tribus Jiſraëlis ad Da-
videm Chebronem loquutæ ſunt dicendo,
ecce nos, [2] os tuum & caro tua ſumus.

[1] i. legati omnium tribuum cum Davide acturi. [2] ut Gen. 29.14.

2 ᵃPlanè antehac quum Shaül nobis præesset rex,³ tu eras qui educebas & reducebas Jisraëlem: denique ⁴ dixit Jehova tibi, tu pasturus es populum meum Jisraëlem, & tu præfuturus es antecessor Jisraëli.

3 ⁵ Venerunt quoque omnes Seniores Jisraëlis ad regem Chebronem, quibuscum pepigit rex David fœdus Chebrone ⁶ coram Jehova; & unxerunt Davidem in regem super Jisraëlem.

4 Natus triginta annos David quum ᵇ regnare cœpit; quadraginta annis regnavit.

5 Chebrone regnavit super Jehudam septem annis & sex mensibus; Jeruschalaimis verò regnavit ⁷ triginta tribus annis super totum Jisraëlem & Jehudam.

6 ⁸ Profecto autem rege cum hominibus suis Jeruschalaima contra Jebusæum inhabitantem eam terram, alloquutus est *ille* Davidem dicendo, non es *vivus* huc venturus, sed quum *quis* sustulerit te, ⁹ cæcis ipsis & claudis dicentibus, non est venturus David huc.

7 Attamen cœpit David propugnaculũ Tzijonis, ea *jam est* civitas Davidis.

8 Dixerat enim David die illo, quisquis pertingens ad illud emissarium percusserit Jebusæum, & istos cæcos & claudos exosos animo Davidis, ¹⁰ *primarius & princeps futurus est:* ideóque ¹¹ ᶜ dici solet, cæcus & claudus non introgressurus est in hanc domum.

9 Et habitans David in eo propugnaculo, vocavit illud civitatem Davidis; quia ædificavit David circumquaq; a munitione ipsa ¹² introrsum.

10 Sic pergebat David ᵈ indesinenter crescere, quia Jehova Deus exercituum *erat* cum eo.

11 ¹³ Misit enim Chiram rex Tyri legatos ad Davidem; lignaq; cedrina, & fabros lignarios & ᵉ latomos, qui exstruxerunt domum Davidis;

12 Et expertus est David Jehovam stabilivisse se in regem super Jisraëlem; & extollere regnum suum propter populum ipsius Jisraëlem.

13 Accepit autem David adhuc concubinas & uxores e Jeruschalaimis, postquam venit Chebrone; natiq; sunt Davidi filii & filiæ.

14 Atque hæc *sunt* nomina eorum qui nati sunt ei Jeruschalaimis: ‡ Schammuah, & Schobab, & Nathan, & Schelomo:

15 Item Jibchar, & ‡ Elischuah, & Nepheg, & Japhiah:

16 Et Elischamah, ‡ & Eljadah, & Eliphelet.

17 Audientes autem Pelischthæi *Jisraëlitas* unxisse Davidem in regem super se, ascenderunt omnes Pelischthæi, ad quærendũ Davidem: quod audiens David ¹⁴ descendit ad propugnaculum.

18 Quum enim Pelischthæi venissent, & dissiti essent per convallem ¹⁵ Raphaæorum:

19 Consuluerat David Jehovam dicendo, an ascensurus sum contra Pelischthæos? an traditurus es eos in manum meam? & dixerat Jehova Davidi, ascende, nam ᶠ omnino traditurus sum Pelischthæos istos in manum tuam.

20 Veniens itaque David Bahal-Peratzima, percussit eos ibi David, ac dixit, rupit Jehova inimicos meos coram me, tanquam irruptione aquarum: idcircò vocavit *quisque* nomen loci illius ‡ Bahal-Peratzima.

ᵃ *Heb. etiam heri, etiam nudiustertius.* ³ vide 1.Schem. 18.4.& 5. ⁴ quum per Schemuelem eum ungi jussit, 1.Schem. 16.13. Signum enim non fuit sine verbo: sed brevitatis causa ibi reticetur. ⁵ quum rebus per legationem ex Davide cognitis singulæ tribus de conditionibus fœderis ineundi cum Rege dispexissent. ⁶ id est, publico jurejurando, Jehova advocato teste. ᵇ *Heb. regnavit; ut infrà ℣.9. sic Gen.5.32.* ⁷ id est, triginta duobus cum dimidio: synecdoche frequens ad rotundationem numeri: ut Judic. 20.46. ⁸ Confer quæ hic dicuntur cum 1.Chro.11.12. ⁹ hi enim freti munitione loci, ipsi in primis Davidem ludificati sunt, & præcipui auctores fuerunt ut Davidi minimè cederetur; gloriantes vel se solos Davidem propulsaturos. ¹⁰ eclipsis consequentis, sive oratio anantapodotos, quæ impletur. 1.Chro.11. ¹¹ i. proverbium est in vulgo, & lex lata ad perpetuum istius rei monimentum, ne isti ingrediantur Davidis domum. Fuit quidem illud apud gentes boni ominis causa observatum, ut pulsati aut insigni aliquo vitio corporis affecti non prodirent in conspectum regum. Hoc verò ordinariè (ait spiritus sanctus) in domo Davidis fuit observatum, non omnium, sed claudorum & cæcorum respectu; neque ominis superstitiosi causa, sed ad perpetuam historiæ hujus recordationem. ᶜ *Heb. dicunt.* ¹² nam Joab reliquam civitatem instauravit, 1.Chro 11.8. ᵈ *Heb. eundo & crescendo.* ¹³ confer hos duos versus cum initio 1.Chro.14. ᵉ *Heb. fabros lapidum muri.* ‡ *qui & Schimha 1.Chro.3.5.* ‡ *qui & Elischamah, ibid. ℣.6.* ‡ *qui & Behheljadah, 1.Chro.14.7.* ¹⁴ ex arce sua processurus contra Pelischthæos, ut explicatur ibidem ver.8. descendit ad pedem sui propugnacli, & ibi stativa posuit, donec quid facto esset opus ex Jehova cognosceret. ¹⁵ in tribu Jehudæ, Jehos.15.8. ᶠ *Heb. tradendo traditurus sum.* ‡ *i. planitiem rupturarum, a rupturis exercitus Pelischthæorum.*

21 ¹⁶ Nam dereliquerunt ibi ¹⁷ terricula sua, quæ ¹⁸ sustulit David & viri ejus.

22 ᵍ Iterum autem adhuc Pelischthæi ascendentes; dissiti erant in convalle Raphaæorum;

23 Quum consulenti Davidi Jehovam dixit, ne ascendito: ʰ diverte a persequendis eis, ut aggrediaris eos ex adverso mororum.

24 Et esto quum audieris sonum incessus in cacuminibus mororum, *ut* tunc ¹⁹ moveas te; tunc enim prodierit Jehova ante te ad percutiendum castra Pelischthæorum.

25 Itaque David sic fecit quemadmodum præceperat ei Jehova; & percussit Pelischthæos a ²⁰ Gebah usque quà venis Gezerum.

¹⁹ procedas in prælium tu cum tuo milite: synecdoche. ²⁰ Binjaminis, Jehos.18.25.

CAPUT VI.

David Jisraëlitas convocat, ut arcam Dei ex urbe Jeharimorum in civitatem suam deducant: in cujus deportatione peccatur, tum a Sacerdotibus dum arcam plaustro devehendam curant, tum a Huzza, qui temerè manũ admovens divinitus morte afficitur. Unde consternatus David, arcam Hobed-Edomo committit, donec audita ejus prosperitate ad se magno comitatu & lætitia adducit eam. Postremò a Micale derisus eam ipse increpat, Deus verò sterilitate punit.

POsteà congregavit ¹ iterum David quosque delectos ex Jisraële, triginta millia.

2 Surgente autem Davide & toto illo populo qui *erat* cum eo, ut abiret ² Bahalibus Jehudæ; ad deducendum inde arcam Dei; ad quam ³ invocabatur nomen, nomen Jehovæ exercituum ⁴ insidentis Cerubinis:

3 ⁵ Imposuerunt arcam Dei plaustro novo, ut deportarent eam e domo Abinadabi, quæ *erat* in ipso colle: Huzza & Achjo filiis Abinadabi ducentibus plaustrum illud novum.

4 Deportaverunt itaq; eam e domo Abinadabi quæ *erat* in ipso colle Dei, comitantes arcam Dei: Achjo autem ⁶ ibat ante arcam.

5 David verò & tota domus Jisraëlis gestiebant ᵃ *præ lætitia* coram Jehova, cum quovis *instrumento* e lignis abiegnis; nempe cum citharis, & cum nabliis, & cum tympanis, & cum sistris, & cum cymbalis.

6 Sed quum venissent usque ad aream ‡ Naconis, Huzza extensa ad arcam Dei *manu*, prehendit eam, quia dimoverant eam boves.

7 Quamobrem accensus irâ Jehova in Huzzã, percussit ibi Deus eum propter ᵇ hoc ⁷ imprudens factũ; ita ut moreretur ibi, prope arcam Dei.

8 ⁸ Displicuit autem Davidi, eo quòd irrupisset Jehova irruptione in Huzzam: quapropter vocat *quisque* locum illum rupturam Huzzæ, usque in diem hunc.

9 Et timens David Jehovam die illo; dixit, ⁹ quo modo intraret ad me arca Jehovæ?

10 Noluitq; abducere David ad se arcam Jehovæ in civitatẽ Davidis; sed curavit David ut ea diverteret in domũ ¹⁰ Hobed-Edomi ¹¹ Gitthæi.

11 Considente autem arca Jehovæ in domo Hobed-Edomi Gitthæi tres menses, quũ benediceret Jehova Hobed-Edomo & toti domui ejus:

12 Et nunciaretur regi Davidi dicendo, benedixit Jehova domui Hobed-Edomi, & omnibus quæ ei *sunt* propter arcam Dei: ¹² abiens David deduxit arcam Dei e domo Hobed-Edomi in civitatem Davidis cum lætitia.

13 Erat autem cum progressi essent: ¹³ por-

¹⁶ quasi [illegible] tam præceps fuit Davidis irruptio, & illorum [illegible] ra, ut fugientibus ne deos quidem suos recipere vacaverit. ¹⁷ vide annot. [illegible] 1.Schem.31.9. ¹⁸ comburenda ea, ut 1.Chron. 14.12. ᵍ *Heb. [illegible] adhuc Pelischthæi ascendere.* ʰ *Heb. diverte a post eos.* [illegible] Gibhone [illegible]

¹ id est, secundò, nam bis eam ob causam Davidem congregasse Jisraëlitas docet 1.Chro.13. ² id est, urbe Jeharimorum, Jehos.15.60. ³ id est, colebatur: synecdoche usitata, ut Gen. 4.25. ⁴ vide 1.Sche.4. [illegible] ⁵ obliti legis quæ habetur Num.7. 9.& Pelischthæorum exemplũ sequuti, 1.Schem.6. ⁶ Huzza verò ibat ponè, vel sequebatur arcam. Ellipsis contra[illegible] ᵃ *Heb. ludebant, ludentium [illegible] gestiebant, ut infrà ℣.16.* ‡ *qui & Chidon, 1.Chro.13.9.* ᵇ *Heb. hanc imprudentiam.* ⁷ quo præter [illegible] nus ex lege [illegible] liæ suæ [illegible] sum gestandi [illegible] eam humeris, [illegible] plaustro impositit; quod [illegible] Sacerdotũ & Levitarum [illegible] commune [illegible] & nunc contra legem Num.4.1 [illegible] rem sanctam attingit; quod [illegible] catum peculiare est illi; ideò [illegible] culiariter in [illegible] animadvertit Deus. ⁸ sic idem verbum accipitur, Gen.31.35. ⁹ subaudi cum hoc facto declarat ¹⁰ Levitæ ex janitoribus, & cãtoribus, 1.Chr.15.18.& 21. ¹¹ ex oppido Gath-Rimmone, quod a Menaschitis & Danitis communiter fuit attributum Kehathitis, Jehos.21.24. & 25. ¹² Confer cum 1.Chr.15. ¹³ nempe Sacerdotes ex præscripto legis Dei.

ret (ut nobis quidem videtur) non esse hanc suam voluntatẽ.

tantes arcam Jehovæ sex gressibus ; ut [14] sacrificaret boves & pinguia *saginata*.

14 David verò saltabat omnibus viribus corā Jehova; eratq; David accinctus amiculo lineo.

15 Ita David & tota domus Jisraëlis adduxerūt arcam Jehovæ, cum clangore & cum sono tubæ.

16 Fuit autem, arca Jehovæ intrante in civitatem Davidis : quum Mical filia Schaülis prospectans per fenestram, videret regem Davidem [c] contentissimè saltantem coram Jehova ; ut sperneret eum [d] cum animo suo.

17 Quumq; introducta arca Jehovæ statuissent eam in loco suo, intra tentorium quod [12] tetenderat ei David ; obtulit David holocausta coram Jehova & eucharistica;

18 Deinde ut absolvit David offerre holocaustum & eucharistica, benedixit populo in nomine Jehovæ exercituum:

19 Et impertitus est toti illi populo, toti multitudini Jisraëlitarum, tam viris quàm mulieribus, cuiq; tractam panis unam, & frustum unum carnis, & lagenam *vini* unam : posteà abiit totus populus ille quisque domum suam.

20 Tum revertente Davide ad benedicendum domui suæ: egressa Mical filia Schaülis obviam Davidi, dixit, quàm gloriosus fuit hodie rex Jisraëlis, qui retexit se hodie ante oculos ancillarum servorum suorum, [f] prorsus ut [16] retegit se unus quispiam e vanissimis *hominibus*!

21 Dixit verò David Micali, coram Jehova, qui elegit me præ patre tuo & præ tota familia ejus, præcepto instituens me antecessorem super populum Jehovæ, super Jisraëlem [17] *gestivi* : & gestiam coram Jehova.

22 [13] Quo autem [f] abjectero me adhuc ampliùs, & fuero humilior ante oculos meos ; eo apud istas ancillas, de quibus loquuta es, *&* apud [19] illos gloriosior ero.

CAPUT VII.

23 [20] Itaque Micali filiæ Schaülis ipsi non fuit proles, in diem usque mortis suæ.

CAPUT VII.

Nathan Davidis consilium de ædificando templo primum approbat, posteà Dei jussu Davidi declarat, id ex vocatione ipsius non esse : filium autem ei promittit, qui consilium illud fideliter exsequetur : ejusque regno plurima, perfectè in Christo implenda revelat. Pro quibus David indignitatem suam agnoscens, & æterno Dei Sermoni omnia adscribens, gratitudinem suam amplissimis verbis exponit.

Fuit [1] autem quum insideret rex domui suæ, & Jehova dedisset ei quietem circumquaque ab omnibus inimicis ejus :

2 Ut diceret Rex Nathani prophetæ ; vide quæso, ego habito in domo cedrina : dum arca ipsa Dei habitat [2] inter aulæa.

3 [a] Dixit verò Nathan regi, quicquid *est* in [b] animo tuo, abi, fac: nam Jehova tecum *est*.

4 Sed fuit nocte illa, ut [c] ederetur verbum Jehovæ ad Nathanem, dicendo:

5 Abi ut dicas servo meo Davidi, ita ait Jehova; [4] tune ædificares mihi domum quam inhabitem?

6 [5] Quum non habitarem in æde ulla, inde a tempore quo eduxi filios Jisraëlis ex Ægypto usque in diem hunc, sed irem cum tentorio & cum tabernaculo :

7 Quocunque itabam cum filiis Jisraëlis, loquutusne sum quicquam ulli [e] moderatorum Jisraëlis, quibus præceperam ut pascerent populum meum Jisraëlem, dicendo, quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

8 Nunc ergo, sic dicito servo meo Davidi, ita ait Jehova exercituum, ego [6] assumsi te ex ipsa caula, a sequendo grege ; ut antecessor præesses populo meo, Jisraëli :

9 Et fui tecum quocunque ivisti, excidique [8] omnes inimicos tuos a facie tua, ut compararem tibi nomen magnum, par nomini maximorum qui *sunt* in terra :

10 Disponens locum populo meo Jisraëli, & plantans eum, ut habitet in loco suo, & [b] non commoveatur ampliùs ; neque pergant [c] iniquitati dediti affligere eum, quemadmodum prius,

11 Verùm ex quo die [9] mandatis instruxi judices super populū meum Jisraëlem, & quietem dedi tibi ab omnibus inimicis tuis : jam indicavit tibi Jehova, [10] domum paraturū esse tibi Jehovā:

12 [11] Quando completis diebus tuis, occubueris cum patribus tuis, me excitaturum esse semen post te, quod prodierit e visceribus tuis, & stabiliturum regnum ejus.

13 Ipse ædificabit domum nomini meo ; & stabiliam solium regni ejus usque in seculum.

14 Ego ero illi pater, & ipse erit mihi filius: qui quum perverse egerit, corripiam eum [12] virga hominum, & plagis humanis :

15 At benignitas mea non [13] amovebitur ab eo, quemadmodum amovi a Schaüle, quem amovi a facie tua :

16 Sed firma *erit* domus tua, & regnum tuum usque in seculum, [e] [14] tibi erit expositum: solium tuum erit stabile usque in seculum.

17 Secundùm omnia verba hæc, & secundùm totam visionem hanc ; sic alloquutus est Nathan Davidem.

18 Itaque ingressus rex David, [f] resedit coram Jehova, ac dixit, quis *sum* ego, domine Jehovi, & quæ *est* familia mea [15] quod deducis me eousque?

19 Et parum adhuc visum est hoc in oculis tuis, domine Jehovi, adeò ut loquutus sis etiam de familia servi tui [16] in longinquum : [17] Estque ratione humana, domine Jehovi.

20 Sed quid pergat adhuc David loqui apud te? tu enim nosti servum tuum domine Jehovi.

21 [18] Propter [19] SERMONEM tuum, & secundùm animum tuum præstas [g] has omneis res maximas, notas faciendo servo tuo.

22 Propterea [20] magnus exstitis, ô Jehova Deus: quum non *est* par tibi, imò non *est* Deus præter te, [21] omnino prout audivimus auribus nostris.

23 Quæ enim *est* sicut populus tuus, sicut Jisraël, gens ulla in terra? ad quam redimendam sibi in populum [i] iverit Deus, & ad [k] comparandum sibi nomen, & ad præstandum [22] vobis has res maximas & [l] reverenter suspiciendas terræ tuæ, *expellendo* a facie populi tui, quem redemeras tibi ex Ægypto, gentes & deos earum.

24 Nam stabilivisti tibi populum tuum Jisraëlem, ut tibi *sit* populus usque in seculum, & tu Jehova [illegible]

Left margin notes: [11] id est, [illegible] ... [b] Heb. *ut rumpentis rumpi se*, &c. [14] id est, sacrificabat ... [c] Heb. *Ecce omnis fortitudine*. [d] *non ex corde* ... [15] ancillarum ... confer hunc cum 1. Chro. 16. ... [e] Heb. *ut aperiendo aperit se unus*, &c. [16] id est, scurrilis ... [17] ecclesis antecedentis ... [18] juxta sententiam ipsius Dei, 1. Schem. 2. 30. [f] Heb. *deducerem*. [19] puta Jisraëlitas, & illos ... [20] propter hunc ... [1] confer totum hoc caput cum 1. Chro. 17. [2] in tabernaculo, quod ei incurvatu ... supra 6. 17. [3] vide supra 1. Schem. 16. 7. [a] Heb. *in corde*. [b] Heb. *esset*. ... [5] Atque hæc est ratio, quam Schelomoni adfert. 1. Chro. 22. 8. & Schelomo, propterea 1. Reg. 5. 3. A verò ... Deus Davidem a suo instituto hac prima ratione. [5] Secunda ratio ab exemplo antecessorum qui nihil tale susceperunt ; scientes Dei vocationem exspectandam esse. [e] Heb. *sceptrorum* ; *synecdoche*.

Right margin notes: [6] accommodat secundum rationem ad personam Davidis : quasi dicat, reliquam partē officii istius exsequere, ad quod te assumsi, & in quo opem meam expertus es. [7] ... [illegible]

[l] Heb. *ut obstupescendas*. [21] id est, evehis ... [illegible] ... [22] Apostrophe ad populum Dei ... [illegible]

hova

hova Deus es eis.

25 Nunc ergo Jehova Deus, verbum illud quod promisisti servo tuo & familiæ ejus, præsta in seculum: & fac quemadmodum dixisti.

26 Ut magnificetur nomen tuũ usq; in seculum dicendo, Jehova exercituũ Deus est super Jisraële, & domus servi tui Davidis stabilis sit coram te.

27 Tu enim Jehova exercituum Deus Jisraëlis [?] revelasti in aurem servi tui dicendo, domum ædificaturus sum tibi: idcirco [m] judicavit servus tuus cum animo suo orandũ te esse oratione hac.

28 [24] Quapropter nunc, domine Jehovi, tu Deus ille es, [l] & verba tua sunt veritas: quum promiseris servo tuo bonum istud:

29 Nunc inquam, [*] placeat tibi benedicere domui servi tui, ut sit in seculum coram te: quia tu Domine Jehovi dixisti, benedictione ergo tua benedicatur domus servi tui in seculum.

CAPUT VIII.

David contra Pelischthæos, Moabitas, Tzobæos, Damascenos, Edomæos adeo prosperè pugnat, ut eis cæsis amplam prædam reportet, & eos tributarios reddat: Regi Chamathæ per filium muneribus instructum, amicitiam petenti assentitur, muneráque cum spoliis Deo consecrat.

Fuit [*] enim post hæc, ut David percutiens Pelischthæos deprimeret eos, & acciperet David [a] frænum [*] Ammatis e manu Pelischthæorum.

2 Percussit etiam Moabitas, quumq; metiretur [?] eos funiculo dejiciendo [?] eos in terram, [?] metiebatur duobus funiculis quos morte afficeret, integro autem funiculo quos in vita conservaret: fueruntq; Moabitæ Davidi servi, [*] afferentes munus.

3 Percussit quoq; David ‡ Hadad-Hezerem filium Rechobi [7] regem Tzobæ: quum proficisceretur David ad repellendam manum ejus, [*] versus flumen Euphratem.

4 Cepitq; David ex eis mille currus, & [*] septingentos equites, & viginti millia virorum peditum: & succidit David suffraginibus omniũ [b] curulium equorum, reliquum fecit ex eis ad centum currus.

5 Venerant autem Syri ‡ Damasceni ad juvandum Hadad Hezerem regem Tzobæ: quapropter percussit David e Syris viginti duo millia virorũ.

6 Imposuitq; David stationarios Syriæ Damascenæ, & fuerunt Syri Davidi servi afferentes munus: servabat enim Jehova Davidem quocunque ibat.

7 David autem acceptos umbones aureos qui erant penes servos Hadad Hezeris; attulit Jeruschalaima.

8 E ‡ Betacho quoque, & ‡ Berathai civitatibus Hadad Hezeris, accepit Rex David æris quamplurimum.

9 Quumq; audiret Tohi rex Chamathæ Davidem percussisse totas copias Hadad Hezeris,

10 Misit Tohi ‡ Joramum filium suum, ad regem Davidem ad rogandum eum de prosperitate, & ad benedicendum ei, eo quòd præliatus contra Hadad Hezerem, percussisset eum, nam Hadad Hezer [?] bella gerebat contra Tohin: erantq; in manu [?] illius [?] instrumenta argentea, & instrumenta aurea, & instrumenta ænea.

11 Hæc quoque [?] consecravit rex David Jehovæ, cum argento & auro quod consecraverat, ablatum ab omnibus gentibus quas subegerat:

12 A Syris, & a Moabitis, & ab Hammonitis: & a Pelischthæis, & ab Hamalekitis; etiam de præda Hadad Hezeris filii Rechobi regis Tzobæ.

13 Comparavit etiam David nomen, quum reverteretur a [14] cæde Syrorum, in [15] valle salis, percutiens octodecim millia:

14 Adeò ut disponeret in Edomæa [?] stationarios, in tota Edomæa poneret stationarios, & essent omnes Edomæi servi Davidis: servabat enim Jehova Davidem quocunque ibat.

CAPUT IX.

David Jisraëlitis jus dicens, curatores Reip. & ecclesiæ ordinat: & fœderis sui cum Jehonathane memor, depositum exemplum pietatis & fidei in Mephiboschethum Jehonathanis filium edit.

Regnabat [?] itaque David super totum Jisraëlem, eratque David exercens judicium & justitiam in toto populo.

2 Joab autem filius Tzerujæ [?] præerat militiæ, & Jehoschaphat filius Achiludis [*] a memoria erat:

3 Et [?] Tzadoc filius Achitubi, ac Achimelec filius Ebjatharis Sacerdotes; Seraja autem scriba:

4 Et Benaja filius Jehojadæ [h] præerat [?] Cerethæis & [?] Pelethæis; filii denique Davidis, [7] præsides erant.

CAPUT IX.

5 Dixit verò David, an nullus est adhuc qui relictus sit de familia Schaülis ut exerceam erga eum benignitatem propter Jehonathanem?

6 Erat autem servus familiæ Schaülis nomine Tziba, quem vocârũt ministri ad Davidem: cui dicente rege, Tune es Tziba? dixit sum, servus tuus.

7 Dicente verò rege, an nullus amplius superest familiæ Schaülis erga quem exerceam [8] benignitatem Dei? Dixit Tziba regi, superest adhuc filius Jehonathanis, [?] affectus pedibus.

8 Tum dixit ei rex: ubinam est? dixit Tziba regi: ecce est in domo Maciris, filii Hammielis, [10] Lodebari.

9 Mittens ergo Rex David, assumsit eum e domo Maciris filii Hammielis, Lodebaro.

10 Quumque ingressus esset Mephiboscheth filius Jehonathanis filius Schaülis ad Davidem, procidens in faciem suam incurvavit se, & domino Davidi Mephiboscheth, dixit, ecce servum tuum.

11 Tum dixit ei David, [11] ne timeto, nam [§] omnino exerciturus sum erga te benignitatem, propter Jehonathanem patrem tuum, [?] restituam tibi totum agrum Schaülis [13] patris tui: tu verò sumturus es cibum in mensa mea semper.

12 Qui incurvans se dixit, quid est servus tuus ut respexeris ad [14] canem mortuum, [?] qualis ego?

13 Quum ergo vocasset rex Tzibam puerum Schaülis, edixit ei, quicquid erat Schaüli & toti familiæ ejus, [15] do filio domini tui.

14 Quapropter coles ei terram, tu & filii tui, & servi tui, deinde [?] afferes, ut sit [17] filio domini

2.Reg.14.7.& Psal.6. [16] quibus præerat prorex usque ad Jehoschaphati tempus, 1.Reg.22.48.

[illegible]

[?] qui & Hadar Hezer, 1.Chron.18. [?] vide 1.Schem. [illegible] occasio [illegible] hic, quòd Chamathan [illegible] quum [illegible] ad [illegible] ejus, id est, [illegible] Bellii, ut [illegible] regni [illegible] Gen.15.18. [illegible] vers.4. [illegible] 10.17. Ellipsis [illegible] apud Latinos [illegible] & Thobæ [illegible]

[illegible] Mephiboschethi patris [illegible], infrà 19.30. [*] Heb. exercendo [illegible] [12] quasi dicat; tantisperdum latuisti, avitam hæreditatem [illegible] res [illegible] in eorum possessionem [illegible] lege Num.27.8.& 9. [illegible] 1.Sch[illegible] associatione. [4] Heb. qui sicut ego. [15] hæreditatis jure. [16] vide[illegible] rui ejus, nam cum colonis [illegible] Davidi [illegible] 19. [illegible] ex filio Mephiboscheth [illegible] in ista versu 16.

nil cibum quem comedat, sed Mephiboscheth filius domini tui, sumturus est semper cibum in mensa mea. Tsiba autem quindecim erant filii & viginti servi.

11 Dixitque Tsiba regi, omnino prout præceperit dominus meus rex servo suo, sic facturus est servus tuus: quamquam Mephiboscheth comedens in mensa mea, sicut unus e filiis regis.

12 Erat autem Mephiboschetho filius parvus, nomine Micha; & quotquot habitabant domi Tsibæ, servi erant Mephiboschetho.

13 Ita Mephiboscheth residebat Jeruschalaimis, quia in mensa regis semper comedebat; quamvis esset claudus utroque pede.

CAPUT X.

David ab Hammonitis injuria in legatos suos, & belli apparatu provocatus, contra eos per Joabum & Abischajum feliciter pugnat. Deinde eosdem novis auxiliis instructos rursus cædens, pacem petere & servitutem pati sibi cogit.

Fuit quoque postea, mortuo rege Hammonitarum, ut regnaret Chanun filius ejus pro eo.

2 Quapropter dixit David, exerceam benignitatem erga Chanunem filium Nachaschi, quemadmodum exercuit pater ejus erga me benignitatem, & misit David consolatum eum per servos suos de patre ejus: venerunt que servi Davidis in regionem Hammonitarum.

3 Dicentibus autem principibus Hammonitarum Chanuni domino suo, Davidne honore afficere patrem tuum in oculis tuis videtur, quia misit tibi consolatores? an non ut perscrutetur hanc civitatem & ad explorandum eam, denique ad evertendum eam misit David servos suos ad te?

4 Accipiens Chanun servos Davidis, abrasit dimidium barbæ eorum, & præcidit vestes eorum per medium, usque ad nates eorum: misit eos.

5 Quod cum indicassent Davidi, misit obviam eis, erant enim homines illi rubore suffusi valdè; edixitque rex, considete Jerichunte donec succreverit barba vestra, ut revertamini.

6 Videntes itaque Hammonitæ se fœtidos factos Davidi, miserunt Hammonitæ qui mercede conducerent e Syris Rechobæis & e Syris Tzobæis viginti millia peditū, & a rege Maachæ mille viros, & e viris Tobi, duodecim millia virorum.

7 Quod audiens David, misit Joabum cum toto exercitu suo, robustissimos quosque.

8 Egressi itaque Hammonitæ instruxerunt aciem ad ostium portæ: Syri verò Tzobæ, & Rechobi, & viri Tobi, ac Maachæ seorsim erant in agro.

9 Quamobrem videns Joab, obversam esse contra se aciem a fronte & a tergo, selectos ex omnibus selectissimis Jisraëlis instruxit adversus Syros.

10 Residuum autem populi tradidit in manum Abischai fratris sui, quod instrueret adversus Hammonitas.

11 Et edixit, si Syri robustiores fuerint me, ut sis mihi auxilio: quod si Hammonitæ robustiores fuerint te, veniam tibi, ut auxilio sim tibi.

12 Confirmare, imò confirmemus nos pro populo nostro, & pro civitatibus Dei nostri: Jehova autem faciat quod bonum videbitur in oculis suis.

13 Tum accedente Joabo & populo qui erat cum eo, in prælium contra Syros, fugerunt a facie ejus.

14 Hammonitæ verò videntes fugisse Syros, fugerunt a facie Abischai, & ingressi sunt civitatem suam: deinde revertens Joab ab expeditione in Hammonitas ingressus est Jeruschalaima.

15 Sed videntes Syri se plaga affectos fuisse coram Jisraële, rursus congregaverunt se simul.

16 Et mittens Hadarhezer, eduxit Syros qui degunt trans flumen, veneruntque Chelamum; Schobaco principe militiæ Hadarhezeris præeunte illis.

17 Quod quum nunciaretur Davidi, congregato toto Jisraële, trajecit Jardenem, venitque ad Chelamum, ubi Syri instruentes aciem adversus Davidem præliati sunt contra eum.

18 Sed fugerunt Syri a facie Jisraëlis, & occidit David e Syris septingentorum curruum equites, & quadraginta peditum millia: Schobacum quoque principem militiæ illius percussit, ita ut moreretur ibi.

19 Quam ob rem ut viderunt omnes reges servi Hadarhezeris se plaga affectos esse ante Jisraëlitas, pacem ineuntes cum Jisraëlitis servierunt eis: metuebant enim Syri ampliùs auxilio esse Hammonitis.

CAPUT XI.

David redintegrato contra Hammonitas bello domi residens Urijæ uxorem lavantem videns accersit, & compressam ex se concepisse audiens, maritum e castris revocat, ut partus illius haberetur. Quod quùm non succedit, remissum in castra Urijam cum literis, Joabo mandat, ut interficiendum hostibus objiciat: quo effecto viduam ejus ducit, & filium ex ea suscipit.

Sed fuit vertente anno, quo tempore prodeunt reges, quum misisset David Joabum & servos suos cum eo, ac totum Jisraëlem, qui perdiderunt Hammonitas & obsiderent Rabbam: ut David desideret Jeruschalaimis.

2 Fuit autem vespertino tempore, quum surrexisset David a cubili suo, & obambulans in tecto domus regiæ, mulierem lavantem se vidisset ex ipso tecto, quæ quidem mulier pulchra aspectu erat valdè:

3 Ut mitteret David sciscitatus de ipsa muliere, (dixerat enim quispiam, an non est Bath-Scheba filia Elihami, uxor Urijæ Chittæi?)

4 Mitteret, inquam, David nuncios ut assumeret eam, eaque ingressa ad ipsum cubaret cum ea, (ipsa autem purgabat sese ab immunditia sua) postea reversa est domum suam.

5 Concepit autem mulier, quapropter mittens indicavit Davidi dicens, gravida sum.

6 Tunc mittens David edixit Joabo, mitte ad me Urijam Chittæum: misitque Joab Urijam ad Davidem.

7 Ingressum autem Urijam ad se, interrogavit David de prosperitate Joabi, & de prosperitate populi, & de prosperitate belli.

8 Deinde dixit David Urijæ, descendo domum tuam, & lava pedes tuos: sic egresso Urija e domo regia, egrediebatur post eum ferculum regium.

9 Sed cubavit Urija ad ostium domus regiæ, cum omnibus servis domini sui, neque descendit domum suam.

10 Quod quum nunciatum esset Davidi dicendo, non descendit Urija domum suam; dixit David Urijæ, nonne ex itinere advenis? quare non descendisti domum tuam?

11 Dixit verò Urija Davidi, arca ipsa, & Jisraël, ac Jehuda, manent in tuguriis, &

Notes:

9 fortè opidum illud est, quod Ptolemæus Alamatham vocat, apud Batanæos in Arabia.

11 i. conducti ab eo, ut ipsi in eo bello operam suam locarent, tum etiam quicunque fuerunt in clientela ipsius.

1 Id est, tempore vernali: quo commeatus pabuli & frumenti terrestris, reges in bella prodeunt.

3 metropolim Hammonitarum Philadelphiam dictam volunt.

3 id est, pomeridiano quo solent homines meridiari.

4 i. purgaverat se ab immunditia, ut exprimit versus 4. ex lege Levitici 15.

10 solebat enim in prælio bellicis arca deferri in castra: ut apparet ex 1. Schemu. 4. 4. & 14. 18.

Joab

[11] regis vicarius, & totius exercitus imperator: sic infra 20. 6. [c] Heb. vita tua & vita animæ tuæ.

Joab [11] dominus meus, ac servi domini mei in superficie agri castra habent, & ego ingrederer domum meam ad comedendú, & ad bibendum, & ad cubandum cum uxore mea? [c] ut vivis & ut vivit anima tua, non sum facturus rem hanc.

12 Tum edixit David Urijæ, subside hîc etiam hodie, & cras dimittam te: sic subsedit Urija Jeruschalaimi die illo & postridie.

13 Accersivit autem eum David, ut comederet ante se & biberet, & [12] inebriaret eum: attamen egressus est vespere ad cubandum in cubili suo cum servis domini sui, neque domum suam descendit.

[12] ut ebrium remitteret domum, quod a sobrio non obtinuerat.

14 Fuit itaque mane, ut David scriberet epistolam ad Joabum, mitteretque [d] per Urijam.

15 Scribebat autem in ea epistola, dicendo: adhibete Urijam ex adverso [e] præliatorum fortissimorum, deinde avertite vos [f] ab eo, ut percussus moriatur.

[d] Heb. per manum. [e] Heb. faciei belli fortissimi. [f] Heb. a post eum.

16 Fuit ergo, Joabo observante civitatem, ut poneret Urijam versus locum illum, ubi sciebat esse viros strenuos.

17 Egressisque viris civitatis, & pugnantibus contra Jehudam, ceciderunt e populo, e servis Davidis: & mortuus est etiam Urija Chitthæus.

18 Quare mittens Joab, qui indicaret Davidi singulas res hujus prælii:

19 Præcepit nuncio, dicendo, quum absolveris singulas res hujus prælii eloqui apud regem:

20 Tum erit, si [g] augeatur excandescentia regis, ita ut dicat tibi, quare accessistis ad civitatem expugnaturi? an non sciebatis quàm ejaculentur e muro *obsessi*?

[g] Heb. si ascendat.

21 Quis percussit Abimelecum filium [13] Jerubbeschethi? an non mulier dejecit super eum fragmen molæ e muro, ita ut mortuus sit Thebetzi? quare accessistis ad murum? *tum loquens* ut dicas, etiam servus tuus Urija Chitthæus mortuus est.

[13] Gideonis, qui Jerubbahal dictus Judic. 6. 32. nam idem est Jerubbeschethi: vide hanc historiam Judicum 9. 50. &c.

22 Sic abivit nuncius ille: qui veniens indicavit Davidi omnia ad quæ miserat eum Joab.

23 Dixitque nuncius ille Davidi, quum fortiter se gererent contra nos homines illi, prodirent ad nos in agrum, & instaremus illis usque ad ostium portæ:

24 Jaculati sunt jaculatores contra servos tuos e muro, & mortui sunt e servis regis: ac etiam servus tuus Urija Chitthæus mortuus est.

25 Edixit verò David nuncio, sic dicito Joabo, ne mala videatur in oculis tuis hæc res, nam [h] hujusmodi *mitiùs* & hujusmodi *homines* consumere solet gladius: confirma militiam tuam contra istam civitatem ut destruas eam, sic confirma [14] ipsum.

[h] Heb. sicut hunc & sicut hunc absumit gladius. [14] nempe Joabum imperatorem exercitus verbis tuis.

26 Audiens verò uxor Urijæ, mortuum esse Urijam virum suum, planxit de marito suo.

27 Sed quum transisset luctus, mittens David recepit eam in domum suam, & fuit ei uxor, & peperit ei filium: mala autem visa est [15] hæc res, quam fecit David in oculis Jehovæ.

[15] totum hoc Davidis factum: est enim hic parasceve ad sequens caput, quo reprehenditur David.

CAPUT XII.

Nathan a Deo missus, proposita Davidi parabola quid jam [illegible], cum ad facti sui confessionem revocat, & resipiscenti veniam denunciat, castigationibus conjunctam: de quarum una, nimirum infantis morte, Davide precante Deum extra [illegible], jejunio, precibusque eum sollicitat; donec audita infantis morte voluntati ejus acquiescit. Postea Schelomonem ex Bath-Scheba suscipit: Rabbam expugnat, & de Hammonitis supplicia graviá sumit.

Quapropter misit Jehova Nathanem ad Davidem, qui ingressus ad eum dixit ei, [a] duo homines erant in civitate quadam, unus dives, alter verò pauper.

2 Diviti erant greges & armenta multa admodum:

3 Pauperi autem nihil quicquam, nisi agna una parva, quam emerat, quam alebat, ut educaretur secum & cum filiis suis pariter: de frusto *panis* ejus comedebat, & de poculo ejus bibebat, & in sinu ejus cubabat, denique erat ei tanquam filia.

4 Sed adveniente viatore ad virum illum divitem, pepercit accipere de grege suo, aut de armento suo, quod pararet viatori qui venerat ad se: accipiens verò agnam viri illius pauperis, paravit eam illi viro qui venerat ad se.

5 Tunc David accensus ira in virum illum valdè; dixit Nathani, ut vivit Jehova, [b] reus mortis *est* vir ille qui fecit hoc.

6 Agnam quoque ipsam rependito [c] quadruplam; [3] eo quòd fecit rem hanc, & eo quòd [4] non pepercit.

7 Tum dixit Nathan Davidi, tu vir ille es: sic ait Jehova Deus Jisraëlis, ego unxi te in regem super Jisraëlem, & ego te eripui e manu Schaülis:

8 Præterea tradidi tibi domum dominorum tuorum, etiam [5] uxores dominorum tuorum, [b] ad votum tuum, denique tradidi tibi [6] domum Jisraëlis & Jehudæ: & si parum est, addituros fui tibi [5] hæc & talia.

9 Quare sprevisti verbum Jehovæ faciendo quod malum *videtur* in oculis ejus? Urijam Chitthæum percussisti gladio, ut uxorem ejus assumeres tibi in uxorem: [7] nam occidisti eum gladio Hammonitarum.

10 Nunc itaque non amovebitur gladius a domo tua, usque in seculum: nam quòd sprevisti me, ut acciperes uxorem Urijæ Chitthæi, quæ esset tibi uxor.

11 Sic ait Jehova, ecce ego suscitaturus sum contra te [9] malum e domo tua, & accipiens uxores tuas [10] ante oculos tuos tradam proximo tuo: [11] qui cubabit cum uxoribus tuis [illegible] coram isto sole.

12 Quia tu fecisti clàm, ego facturus sum rem hanc coram toto Jisraële, & coram sole.

13 Tum dixit David Nathani, peccavi Jehovæ: quapropter dixit Nathan Davidi, etiam Jehova transtulit [12] peccatum tuum, non es moriturus.

14 Tantummodò quia [e] hac re occasionem dedisti irritandi contemtim Jehovam [14] inimicis ejus in hac re, similiter iste filius, qui natus est tibi, [f] omnino moriturus est.

15 Deinde abiit Nathan domum suam: & Jehova plaga affecit infantem illum, quem pepererat uxor Urijæ Davidi, adeò ut conficeretur morbo.

16 Quam ob rem requisivit David Deú propter puerum: & [g] ueens David jejunio, quum [15] rediisset, pernoctavit & cubavit humi.

17 Et quamvis seniores domus ejus instarent apud eum, ut erigerent eum e terra; noluit tamen, neque refecit se cum eis cibo.

18 Fuit autem [16] die septimo, ut mortuus est infans: quapropter timuerunt servi Davidis nunciare ei mortuum esse infantem, dicebant enim,

[a] Allegoria sive parabola [illegible] verum [illegible] adaptatur [illegible] dum confessionem [illegible]. [a] Heb. [illegible]. [3] [illegible] de 2. [illegible] perfidiam [illegible] conjugium [illegible] usu simili [illegible] Jesch. 30. 28. [3] aetiologia sive duabus partibus, duobus condemnationis membris respondens: ita ut prior pars ad posterius condemnationis membrum pertineat velut [illegible] [illegible]. [14] id est, [illegible] cónetis [illegible] præceptum Dei [illegible]. [15] ac [illegible] regis mortui [illegible]. [5] [illegible] & personas [illegible] charissimas [illegible] erant [illegible]. [b] Heb. in sinus: mores [illegible] sic Psal. 89. 51. [6] id est, regnum totius populi. [c] Heb. sicut has & sicut has. [7] occisurus es, q.d. non est quod dicas non esse occisum a te [illegible] innocentem [illegible] [illegible] indignissimè [illegible] prodidisti. [8] [illegible] vide [illegible] [illegible] dem varia [illegible] Ab[illegible] cap. [illegible] sequentib. & [illegible] 1. Reg. [illegible] [illegible] [15] infra 16. 21. & 22. [d] Heb. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] interdiu. [11] [illegible] [e] Heb. irritando [illegible] eos Jehovæ [illegible] non [illegible]

[illegible] [illegible] Hammonitis, quorum opera es usus ad occidendú Urijam innoxiú. [f] Heb. moriendo moriturus. [g] Heb. jejunavit jejunio. [15] a domo Dei, ubi Deum requisiverat. [16] ab ejus nativitate.

ecce quum esset infans vivus alloquebamur
eum, sed non auscultabat voci nostræ, quo modo
ergo dicentibus nobis ei, mortuus est infans, id
afficiet *eum* malo?
19 Sed videns David servos suos inter se
mussitantes, intellexit David mortuum esse in-
fantem: dixitque David servis suis, mortuúsne
est infans? qui dixerunt, mortuus est.
20 Tum surgens David e terra [17] lavit se, ac
unxit se, & mutatis vestimentis suis, ingressus do-
mum Jehovæ incurvavit se *honorem habens*: po-
steà rediens domum suam, petiit ut apponerent
ipsi cibum, & comedit.
21 Dicebant autem servi ejus ei, quæ *est* hæc
res quam fecisti? propter istum infantem viven-
tem jejunans flebas, postquàm verò mortuus est
infans, surgens comedisti cibum.
22 Qui dixit, dum infans viveret, jejunans
flebam: quia dicebam, [18] quis scit? gratiam est
facturus mihi Jehova, ut vivat infans.
23 At nunc mortuus est, quorsum ego jeju-
narem? possémne revocare eum denuò? ego
sum abiturus ad ipsum, at ipse non est reversurus
ad me.
24 Itaque David consolatus Bath-Schebaham
uxorem suam, & accedens ad eam cubavit cum
ea: peperítque filium, cujus nomen [19] vocavit
David Schelomonem, & Jehova dilexit eum:
25 Ideóque mittens *Jehova* per Nathanem
Prophetam, vocavit etiam nomen ejus [h] Jedid-
jam; [20] propter Jehovam.
26 Bellum autem gerens Joab contra Rab-
bam Hammonitarum, capiebat ipsam [21] civita-
tem regiam.
27 Sed mittens Joab legatos ad Davidem;
dixit, oppugnavi Rabbam, etiam intercepi [i] a ci-
vitate aquam.
28 Quare nunc congrega residuum populi,
& castra metare contra hanc civitatem ut capias
eam: ne si cepero civitatem, [22] prædicetur no-
men meum de ea.
29 Itaque David congregato toto populo,
profectus est Rabbam; quam expugnavit & cepit:
30 Et assumsit coronam regis eorum a capite
ejus, cujus pondus erat [23] talenti auri cum lapi-
dibus pretiosis, impositáque fuit capiti Davidis:
& prædam civitatis detulit multam valde.
31 Populum verò, qui erat in ea, eductum
[k] [24] subjecit serræ, & tribulis ferreis, ac securibus
ferreis, traduxítque eos in [25] fornacem Moleci,
& sic fecit omnibus civitatibus Hammonitarum:
deinde reversus est David cum toto populo Je-
ruschalaima.

17 ut se ex jejunio recrearet & luctum deponeret: vide infrà 14.3.
18 quasi dicat, quis possit affirmare comminationem illam irrevocabilem esse?
19 ex Dei jussu, 1. Chron. 22. 9.
h Heb. Idest, amatum Deo.
20 I. propter Christum Jehovam ὁμούσιον τῷ πατρὶ καὶ Patri & Spiritui sancto: quo in Christo Schelomo & Deo gratus fuit, & typum exhibuit regni æterni ejus.
21 id est, partem civitatis, ubi erat regia. Regreditur ad historiam intermissam in principio cap. 11.
i Heb. civitatem aquæ. Hypallage.
22 id est, ascribatur mihi victoria.
23 id est, sexaginta librarum: vide Exod. 25. 39.
k Heb. quos posuit in serra.
24 i. his suppliciorum generibus eos affecit, ferro & igne.
25 ubi Hammonitæ filios suos per ignem Moleco Deo suo fuerant soliti transmittere. Dignum impio scelere & inhumano supplicium. Hebræam vocem sic omnino interpretor sine mutatione ulla, quæ in aliis interpretationibus ex necessitate adhibetur: atque hanc esse germanam eius nativamque significationem minimè dubito.

CAPUT XIII.

Amnon sororis amore languens a patre astu obtinet ut ipsam ad se mittat: invitam comprimit: posteà turpiter expellit: ea lugens ad Abschalomum fratrem suum se recipit: qui post dissimulatum biennio odium in convivio illum occidendum curat, & apud avum maternum triennium exulat.

Fuit autem post hæc, quum Abschalomo filio
Davidis [1] soror pulchra *esset* nomine Thamar,
ut deamaret eam Amnon filius Davidis:
2 Adeò ut [a] præ angustia Amnon conflicta-
retur morbo, propter Thamaram sororem suam,
quia [2] virgo erat unde occulta videbatur *ratio* in
oculis Amnonis faciendi ei quicquam.
3 *Erat* autem Amnoni amicus nomine Jo-
nadab filius Schimhæ fratris Davidis, eratque
Jonadab vir [b] astutus valdè.
4 Qui dixit ei, quare sic attenuatus es, fili re-
gis, [c] singulo quoque mane? an non indicares
mihi? cui dixit Amnon, Thamaram [3] sororem
Abschalomi fratris mei ego deamo.
5 Dixit verò ei Jehonadab, cuba in cubili
tuo, & age ægrotum: ut veniente patre tuo ad in-
visendum te, dicas ei, veniat, quæso, Thamar so-
ror mea ut reficiat me cibo, & paret ante oculos
meos cibum, quem quum videro comedam e
manu ejus.
6 Decumbens itaque Amnon, agebat ægro-
tum: quumque venisset rex ad invisendum eum,
dixit Amnon regi, veniat, quæso, Thamar soror
mea, ut paret ante oculos meos duas mattyas, &
reficiar de manu ejus.
7 Quapropter misit David ad Thamaram
domum, qui diceret; i jam in domum Amnonis
fratris tui, & para ei cibum illum.
8 Tum abiens Thamar in domum Amnonis
fratris sui, ipso decumbente, assumtam massam
quam depserat, paravit eam in manu as ante ocu-
los illius, & coxit [4] mattyas.
9 Posteà accipiens sartaginem [5] effudit co-
ram eo, quod renuit comedere: dixerat autem
Amnon, facite ut exeat quisque a me, & exive-
rant quisque ab eo.
10 Thamaræ verò dixit Amnon, afferto ci-
bum istum in conclave, ut reficiar e manu tua:
& accipiens Thamar mattyas illas quas parave-
rat, attulit ad Amnonem fratrem suum in ipsum
conclave.
11 Quum autem admoveret sibi ut comede-
ret; prehendens eam dixit ei, accede, cuba me-
cum soror mea.
12 Quæ dixit ei, ne frater mi, ne comprimi-
to me, nam non est ita faciendum in Jisraële:
ne committito flagitium hoc.
13 Ego enim, quò [d] derivarem opprobrium
meum? tu autem esses ut unus e flagitiosissimis
in Jisraële: nunc itaque, [6] alloquere, quæso, re-
gem ut non [e] interdicat me tibi.
14 Qui renuit auscultare voci ejus; & quum
robustior esset ea, cōpressit eam cubando cum ea.
15 Deinde odit eam Amnon odio magno
valdè, majus enim *erat* odium quo odit eam,
quàm amor quo deamârat eam: dixitque ei Am-
non, surge abi.
16 Illa verò dicente ei, [7] non *est* occasio mali
maximi hujus, majoris altero quo affecisti me,
quòd pellis me: noluit auscultare ei:
17 Sed inclamans puerum ministrum suum,
dixit, emittite jam istam a me foras, & obde
pessulum foribus post eam.
18 Erat autem induta tunica versicolore, sic
enim vestiebantur filiæ regis virgines palliis;
quando emisit eam minister illius foras, & pessu-
lum obdidit foribus post eam.
19 Tum Thamar assumtum cinerem imposuit
capiti suo, tunicamque versicolorem qua erat in-
duta laceravit: & [8] imposita manu sua capiti suo
[f] abiens indesinenter vociferabatur.
20 Cui dixit Abschalom frater ejus, an Am-
non frater tuus fuit apud te? sed nunc soror mea,
tace, [9] frater tuus est, ne apponas [g] animum tuum
ad hanc rem: itaque consedit Thamar, idque de-
solata, in domo Abschalomi fratris sui.
21 Rex quoq; David audivit omnes res istas,
& [10] displicuit ei valdè.
22 Sed [11] non loquebatur Abschalom cum
Amnone sive malum, sive bonum, quamvis o-
disset Abschalom Amnonem, propterea quòd
compresserat Thamaram sororem suam.
23 Deinde fuit post biennium [h] integrum,
quum essent tonsores *ovium* Abschalomo in
planitie

1 ex eadem matre Mahaca, de qua suprà 3. 3.
a Heb. angeretur Amnon conficiendo se morbo.
2 atque ideò pro more virginum arctiùs servabatur.
b Heb. sapiens.
c Heb. mane mane.
3 non dicit sororem suam, ut levet hoc loco criminis sui gravitatem: contrà verò sororem suam agnoscit esse ℣. 6. ad tollendam omnem suspicionem de pessimo consilio suo.
4 sic vocat Suetonius in Caligula: ad verbum dicere possis χαρίσια, placentas gratas & suaveis maximè, de quibus Athenæus lib. 14. Dipnosoph.
5 e sartagine in discum.
d Heb facerem ut abiret.
6 ut præsens periculum evitet, non planè recusat: sed ut a rege id petat consulit, dilationem quærens.
e Heb non prohibeat me abs te.
7 q. d. prius factū impium est, hoc inhumanius altero, ut exponunt sequentia.
8 morem exprimit fœminarum gravissimè lugentium: de quo etiam Jirmeja 2. 37.
f Hebr. abibat eundo & vociferabatur.
9 quasi dicat: etsi ipse fraterni juris oblitus est, te tamen decet illius rationem habere; & cavere ne ejus infamia in te & nos omnes qui fratres sumus, promulgata redundet: postremò cogitandum tibi est, regem non tui tantum, sed etiam illius rationem habiturum, qui similiter filius est, & quidem primogenitus: ac proinde te omnibus querimoniis tuis nihil effecturam.
g Hebr. cor: sic ℣. 33.
10 sic Gen. 34. 7.
11 i. nunquam hujus rei mentionem apud eum fecit, sive improbando, sive approbando sic Gen. 31. 24.
h Hebr. duorum dierum, vide Genes. 29. 14. in annotatione.

planitie [12] Chatzoris, quæ *est* contermina E-
phrajimo, [13] ut invitaret Abschalom omnes fi-
lios regis.
24 Nam ingressus Abschalom ad regem di-
xerat, ecce jam *sunt* tonsores *ovium* servo tuo! ve-
niat, quæso, rex & servi ejus cum servo tuo.
25 Dixit autem rex Abschalomo, ne fili mi,
ne nunc veniamus omnes, ut non prægravemus
te: & quamvis urgente eo, noluit tamen ire, sed
[14] benedixit ei.
26 Cui dixit Abschalom: [i] saltem veniat, quæ-
so, nobiscum Amnon frater meus: dixit verò ei
rex, quorsum iret tecum?
27 Sed urgente ipsum Abschalomo, dimisit
cum eo Amnonem, & omnes filios regis.
28 Præceperat autem Abschalom pueris suis
dicendo, videte, quæso, quum [k] lætus fuerit ani-
mus Amnonis vino, & edixero vobis, percutite
Amnonem, ut morte afficiatis eum, ne timetote:
[15] nónne quia ego præcepero vobis? confirma-
mini & [l] strenui estote.
29 Itaque fecerunt pueri Abschalomi Amno-
ni, quemadmodum præceperat Abschalom: qua-
propter surrexerunt omnes filii regis, & insiden-
tes quisque mulo suo aufugerunt.
30 Fuit autem *dum adhuc* essent in via, ut ru-
mor quidam perveniret ad Davidem dicendo,
percussit Abschalom omnes filios regis, neque
relictus est ex eis unus.
31 Quapropter surgens rex, [16] laceravit ve-
stimenta sua, & cubabat humi, cum omnibus ser-
vis suis adstantibus, laceratis vestibus.
32 Cui loquutus Jonadab filius Schimhæ
fratris Davidis, dixit, ne dicat dominus meus,
omnes pueri filii regis affecti sunt morte, cùm
Amnon solus mortuus sit: Nam [m] ex præstituto
Abschalomi factum est [n] id quod proposuerat, ex
quo die compressit ille Thamaram sororẽ ipsius.
33 Nunc ergo ne statuat dominus meus rex
apud animum suum quicquam dicendo, omnes
filios regis mortuos esse: *non omnes*, sed Amnon
solus mortuus est.
34 Interea fugiebat Abschalom: puer autem
speculator sublatis oculis suis, [17] vidit quòd ecce
populus multus veniebant [18] a via [o] ad illum, *via*
a latere montis.
35 Et dixit Jonadab regi, ecce filii regis veni-
unt: secundùm verbum servi tui sic factum est.
36 Fuitque quum absolvisset eloqui, ut ecce
filii regis advenirent, & sublata voce sua flerent:
tum rex quoque & omnes servi ejus fleverunt
fletu magno valdè.
37 Abschalom autem fugit, & profectus est
ad [19] Thalmaium filium Hammichuris regem
Geschuris: luxitque *David* de filio suo omnibus
diebus illis.
38 Quumque Abschalom venisset Geschu-
rem, fuit ibi tribus annis.

[12] de qua Jehos. 15,25. [13] solebant enim tunc domini ipsi interesse & convivia agitare: vide Gen. 38, & 1. Schem. 25. [14] sermone, & fortassis etiam munere. [i] *Heb. si non, sub-audi, tu venis.* [k] *Heb. bonum est.* [15] subaudi, feceritis: quasi dicat, si quis eo nomine voluerit vobis esse molestus, ego præstabo. [l] *Heb. filii roboris.* [16] ut Gen. 37. & suprà 12.16. gravis luctus symbola. [m] *Heb. secundum os sic Num.* 3.26. [n] *Heb. propositum.* [17] & ex officio retulit: metalepsis. [18] id est, quà ibatur ad domum Abschalomi, ubi tondebantur oves. [o] *Heb. post illum.* [19] avum suum maternum, suprà 3.3. Eò autem potius quàm ad illam civitatum receptus se recipit: quia subito regis & populi furori cedendum putavit, & avi patrocinium sibi profuturum confisus est.

CAPUT XIIII.

Joab animadvertens regis animum in Abschalomum impensum esse, mulierem submittit: quæ primùm sententia per parabolam regis animo Abschalomi causam agens, efficit ut rex eum per Joabum revocet: sed Abschalom biennio a regis congressu exclusus, Joabum tandem ad patrem detrudit, per quam liberum ad regem aditum impetrat.

QVum autem [a] consumeret Davidem regem
desiderium exeundi ad Abschalomum (con-
solationem enim ceperat de Amnone, [1] quia
mortuus esset)

[a] *Heb. consumebat Davidem exire ad Abschalomum: ut enim pro nobis notamus verbis transitivis.* [1] quia factum infectum esse non poterat. hunc autem versum sequentibus cohærere facile ex textu apparet.

2 Cognoscens Joab filius Tzerujæ, [b] [2] ani-
mum regis hærere Abschalomo:
3 Misit Joab [3] Thekoham, & assumsit inde
mulierem [c] astutam, dixitque ei, age quæso lu-
gentem, & indue te jam vestibus lugubribus,
[4] neque ungitor oleo, sed esto sicut mulier jam
dies multos lugens de mortuo.
4 Ita veniens ad regem alloqueris eum [d] in
hanc sententiam; [e] Indiditque Joab ipsa verba
ori ejus.
5 Itaque alloquuta est mulier illa Tekohæa
regem, quum procidens super faciem suam in ter-
ram incurvasset se: dixitque serva ô Rex.
6 Cui dicente rege, quid tibi *est*? dixit illa:
[5] at mulier vidua sum, & mortuus est vir meus.
7 Ancillæ autem tuæ duo *erant* filii, qui dum
rixarentur ambo in agro, nec esset dirimens in-
ter eos, percussit alter hunc, qui unicus est; hic
verò morte affecit illum.
8 Tum ecce surgens [6] tota familia contra an-
cillam tuam, dixerunt, da percussorem fratris sui,
ut morte afficiamus eum pro vita fratris sui quẽ
interfecit, & perdamus etiam ipsum hæredem:
ita exstinxerint [7] prunam meam quæ remansit,
non [f] relinquendo viro meo nominis supersti-
tem in superficie terræ.
9 Dixit verò rex mulieri illi, abi domum tu-
am; & ego mandabo de te.
10 Sed dixit mulier illa Tekohæa regi, in me,
domine mi Rex, [8] *esto* hæc iniquitas & in famili-
am patris mei: nam rex cum solio suo erit [9] in-
noxius.
11 Cui dixit rex: eum qui loquitur contra te,
adducito ad me, ut non pergat amplius attin-
gere te.
12 Iterum dicente, [10] recordetur, quæso, rex
Jehovæ Dei tui, ne [g] plus vindex sanguinis peri-
mat, neque perdant filiũ meum: dixit *rex, ut* vivit
Jehova, non [11] cadet e capillis filii tui in terram.
13 Tum dixit mulier illa, eloquatur quæso
ancilla tua apud dominũ meum regem aliquid:
quo dicente, eloquere:
14 Dixit mulier, & [12] quare cogitasti rem hu-
jusmodi contra populum Dei? ex eo enim quòd
loquitur Rex hanc rem ipsam, [13] quasi reus *est*,
dum non revocat rex depulsum [14] illius.
15 [15] Nam [h] omnino morituri sumus, & *fu-
turi* veluti aquæ diffluentes in terram, quæ non
recipiuntur: quia non sustulit Deus vitam [16] illi-
us, etiam inivit [i] cogitationes, ut non maneat
depulsus [17] ab illo [18] is qui depulsus est.
16 Nunc autem quòd veni alloquutum do-
minum meum regem de hac re, *veni* [19] quia me-
tum mihi incusserunt populus: quapropter [20] dixit
ancilla tua, alloquar jam regem, fortassis factu-
rus est rex verbum ancillæ suæ:
17 Quum auscultaverit rex, eripiendo ancil-
lam suam e manu viri, [21] perdituri me & filium

[b] *Heb. cor regis esse super Abschalomum.* [2] quia maximus natu esset, omnium pulcherrimus, atque ideo populo charus. [3] oppidum Jehudæ, 2. Chron. 11.6. [c] *Heb. sapientem, ut suprà* 13.3. [4] vide suprà 12.20. [d] *Heb. secundum verbum hoc.* [e] *Heb. posuit in os: sic inf. 20. vers.* [5] Paralepseos genus elegantissimum in adversativis orationibus frequens: cujus hæc sententia est, quid mihi sit rogas, o Rex? an quod te interpellem miraris? æ causæ mihi sunt gravissimæ, &c. sic etiam 1. Reg. 1.43. [6] Ad quam ex lege vindiciæ pertinent. [7] aptissima metaphora: quasi dicat, cum unicus supersit tamquam pruna residua in mediis cineribus & luctuosis familiæ meæ reliquiis, potius ferendus quam exstinguendus est. [f] *Heb. non ponendo viro meo nomen & residuum. Hypallage Rhetorum.* [8] quasi dicat, ego ita sum persuasa de filii superstitis innocentia, ut culpam in me recipere non dubitem. [9] præstando quod peto. [10] quasi dicat, meminerit legis a Deo datæ, qua occisoribus imprudentibus vel invitis cavetur, Num. 35. [g] *Heb. ne multiplicet perimere vindex sanguinis.* [11] vide suprà 1. Schem. 14.46. in annotatione. [12] quasi dicat, cùm improbes postulatum familiæ; cur tu eadem ratione Abschalomum persequeris: ad quem totius populi conversi sunt oculi, tamquam ad prunam suam, successorem tuum? hinc enim colligitur, ut ex principio capitis sequentis, Chileabum sive Danielem secundum Davidis filium jam tum mortuum fuisse: quapropter regnum ad Abschalomum redibat. [13] quasi dicat, similis es ei, a quo procurari dixi filii mei interitum, eòque reipsum peragis. [14] i. populi, qui ejus exsilium triennium tulit. [15] i. ita afficimur ejus absentia, ut sine illo vita nobis ingrata sit, & regni status diffluxurus videatur, ita ut redintegrari deinceps non possit. [h] *Heb. moriendo morimur.* [16] Abschalomi. [i] *Heb. cogitavit, &c.* [17] populo. [18] Abschalom. Sensus est: putarésne hoc studium tantùm humanum esse, & non potius Deum (qui providentia sua in vita adhuc conservavit eum) illud excitare in populo, ut ea ratione revocetur Abschalom ab exsilio? [19] quasi dicat, videbam periclitaturum esse populum, nisi ei restitutione Abschalomi succurreretur. [20] id est, cogitavit apud se. [21] id est, qui fuissent perdituri me, nisi tua auctoritas intercederet: Se autem dicit, quia exstincto filio suo de vita sua desperabat.

meum

meum pariter a possessione Dei.
18 Dixit ergo ancilla tua, [22] jam erit verbum
Domini mei regis ad quietem: [23] nam ut angelus
Dei, ita *est* dominus meus rex quum audit bonum
aut malum; & [24] Jehova Deus tuus erit tecum.
19 Respondens verò Rex, dixit mulieri illi,
ne quæso celato me rem, de qua interrogaturus
sum te: cui dixit mulier illa, loquatur jam domi-
nus meus rex.
20 Itaque dicenti regi, an [k] opera Joabi ad-
fuit tibi in tota hac re? respondens mulier dixit,
ut vivit anima tua, domine mi Rex, non est fle-
ctendum ad dexteram vel ad sinistram ab omni-
bus quæ loquutus est dominus meus rex, nam ip-
se servus tuus Joab præcepit mihi, & ipse indidit
ori ancillæ tuæ omnia verba hæc.
21 [25] Ut circumduceret speciem hujus ser-
monis, fecit servus tuus Joab rem hanc: dominus
autem meus [26] sapiens est, quasi sapientiâ an-
geli Dei, ad cognoscendum quicquid fit in hac
terra.
22 Quamobrem dixit rex Joabo, ecce fecisti
jam rem hanc: abi ergo, reduc puerum illum, Ab-
schalomum.
23 Tum procidens Joab in faciem suam ver-
sus terram, incurvavit se, & [27] benedixit regi:
dixitque Joab, hodiè experitur servus tuus, me
invenisse gratiam in oculis tuis, domine mi Rex,
quòd effecit rex verbum servi sui.
24 Deinde surgens Joab abiit Geschurem;
reduxitque Abschalomum Jeruschalaima.
25 Dicente verò rege, divertito domum su-
am, & faciem meam ne videto; divertit Abscha-
lom domum suam, & faciem regis non vidit.
26 Non erat autem vir pulcher ut Abscha-
lom in toto Jisraële, [l] laudabilis valdè: a planta
pedis ejus, usque ad verticem ejus, non erat in
eo vitium.
27 Et quum tondebat [m] *capillos* capitis sui (fie-
bat autem exactis [n] singulis annis ut tonderet,
quia prægravabant eum, tondebat eos) ut pen-
deret capillos capitis sui ducentis siclis pondere
[28] regio.
28 Et nati sunt Abschalomo tres filii, & filia
una nomine [29] Thamar: hæc erat fœmina pul-
chra specie.
29 Itaque mansit Abschalom Jeruschalaimis
biennium [o] integrum; quum faciem regis non-
dum vidisset.
30 Quapropter mittente Abschalomo ad Jo-
abum, ut mitteret eum ad regem, quum nollet
venire ad ipsum: & mittente adhuc secundò, ite-
rum nollet venire:
31 Edixit servis suis, videte possessionem Joa-
bi [p] adjacentem meæ, ubi ei *est* hordeum, ite &
succendite eam igni: succenderuntque servi Ab-
schalomi possessionem illam igne.
32 Tum surgens Joab venit ad Abschalo-
mum in domum ejus, dixitque ei, quare succen-
derunt servi tui possessionem istam, quæ mea *est*,
igne?
33 Dixit Abschalom Joabo, ecce miseram ad
te dicens, veni huc & mittam te ad regem, [30] ut
dicas, quare veni Geschure? melius esset mihi me
adhuc ibi esse: nunc ergo rem nunc videam faci-
em regis, quod si est in me [31] iniquitas, morte
afficiat me.
34 Veniens itaque Joab ad regem indicavit
ei, qui vocavit Abschalomum, isque veniens ad
regem incurvavit se super faciem suam in ter-
ram coram rege: & osculatus est rex Abscha-
lomum.

[22] quasi dicat, Ita cogitabam, si in causa hac privata, rex rationem mei habita, filio meo condonandum judicabit: multo magis in publica causa, filio suo ad publicam tranquillitatem consulturus est.
[23] id est, in simili causa, idem judicium constanter laturus est, positis humanis affectibus.
[24] id est, quum hoc feceris, Deus benedictione sua tibi aderit.
[k] Heb. cum manus Joabi tecum? metonymia.
[25] i. ut versando hunc sermonem de filio meo, illum tandem devolveret ad causam Abschalomi.
[26] ut sagacissimus, optimè es assequutus consilium nostrum.
[27] gratias agendo.
[l] Hebr. ad laudandum.
[m] Heb. caput suum: synecdoche.
[n] Heb. a fine anni in annum.
[28] i. civili, non sacro.
[29] de nomine sororis, cui Amnon vitium obtulerat, sup. 13.
[o] Heb. dierum.
[p] Hebr. ad latus meum.
[30] meis verbis.
[31] q.d. cognoscatur de causa mea: vide annotata suprà ...

CAPUT XV.

Abschalom a patre restitutus, subditorum animos artibus ita ad se allicit, ut secum contra Davidem conspirent: David verò ut sibi consulat & populo parcat, urbe cum suis exiens, fugit: sed in fuga constituit, quæ ad evertenda Abschalomi consilia pertinebant.

FUit autem [a] aliquanto pòst, ut pararet sibi
Abschalom currum cum equis, & [1] quinqua-
ginta viros præcurrentes sibi.
2 Præterea manè surgens Abschalom, sta-
bat secundùm viam ipsius [2] portæ: eratque ut
cuicunque esset lis venienti ad regem in jus, in-
clamans Abschalom eum diceret, ex quânam ci-
vitate es? quo dicente, ex aliqua tribuum Jisraëlis
sum servus tuus:
3 Diceret ei Abschalom: [3] considera ratio-
nes tuas, bonæ *sunt* & rectæ: sed qui audiat nemo
est tibi a rege.
4 Et dicebat Abschalom, [b] utinam poneret
me judicem in hac terra: ut ad me veniret cui-
cunque est lis aut causa, & justum pronunciarem
[4] istum.
5 Erat etiam quum quis appropinquaret
qui incurvando se honorem exhiberet ei; ut ex-
tensa manu sua, eum apprehensũ deoscularetur.
6 Quumq; faceret Abschalom omnibus Jis-
raëlitis hac ratione, qui veniebant in jus ad re-
gem; [5] suffurabatur Abschalom animum Jisraë-
litarum:
7 Tandem fuit exactis [6] [c] quadraginta an-
nis, ut diceret Abschalom regi, abeam, quæso, ut
persolvam votum meum quod vovi Jehovæ,
Chebronem.
8 Nam [7] votum vovit servus tuus, quum re-
siderem [8] Geschure in Syria, dicendo, si [d] omni-
no reduxerit me Jehova Jeruschalaima, [9] ita
colam Johovam.
9 Cui dicente rege, abi cum pace; surgens
abiit Chebronem.
10 Miserat autem Abschalom [10] explorato-
res per omnes tribus Jisraëlis, qui dicerent: quum
audietis sonum buccinæ Chebrone, tum dicetis,
regnat Abschalom.
11 Cum Abschalomo verò abierant ducenti
viri Jeruschalaimis, vocati *quidem*, sed euntes
[e] integro animo: non enim conscii erant ulli-
us rei
12 Miserat etiam Abschalom *accersitum* A-
chithophelem Gilunitum, consiliarium Davi-
dis, a civitate ejus Gilunte, quum mactaturus
esset [f] animalia: fuitque conjuratio firma, [g] po-
pulo indesinenter augescente cum Abschalomo.
13 Tum venit index quidam ad Davidem di-
cens; [h] animus Jisraëlitarũ sectatur Abschalomũ.
14 Quam ob rem dixit David omnibus ser-
vis suis, qui cum ipso *erant* Jeruschalaimis, surgite
& fugiamus ante adventum Abschalomi, alio-
quin non esset nobis effugium: festinanter prope-
rate, ne festinans assequatur nos, [11] & impellat in
nos istud malum, aut percutiat hanc civitatem
acie gladii.
15 Dicentibus ergo regi servis regis, omnino
[12] prout elegerit dominus meus Rex, ecce servos
tuos.
16 Egressus est rex cũ tota familia sua [i] [13] se-
quente vestigia ipsius: tantùm reliquit rex decem
fœminas cõcubinas, ad custodiendũ domũ suam.

[a] Heb. de post sic.
[1] id est satellitium regium, quia interfecto Amnone, & Cileabo exstincto, ipse hæres futurus erat.
[2] palatii regii.
[3] quasi dicat, etsi causa tua bona est, prudenter tamen tibi agendũ, ut eam bene tractes: nam omnia negligenter geruntur a rege, ipse reddendum esse versio Hebraica distinctiones docent.
[b] Heb. quis ponet me? formula optantis.
[4] cujus rationes bonæ sunt & rectæ, de quo sup. v. 3.
[5] vide Ge. 31.20. in annotatione.
[6] regni Davidis, de quo sup. 5.5.
[c] Heb. a fine quadraginta annorũ.
[7] proficiscendi Chebronem, ubi natus sum, ut apud tribules meos, & seniores Jisraëlis prædicem beneficium acceptum, nam sequentes motus qui reliquo hoc libro ad caput usque 22. evenerunt, successerunt ordine quasi continente.
[8] ubi triennium vixerat exsul, sup. 13.38.
[d] Heb. reducendo reduxerit.
[9] i. cultum Dei hac solenni professione & gratulatione apud gentiles meos profitebor, propter restitutionem meã.
[10] qui nunciorum speciem præ se ferebant: re tamẽ ipsa explorabant animos principum in singulis tribubus, & in partes Abschalomi adducere, Chebronem indicato conventu sine invitabant, infrà 17.4. prout demonstrant finis legationis istorum sequentibus.
[e] Heb. in integritate sua.
[f] Heb. ... sic Gen. 31.54.

[g] Heb. populo pergente & augescente. [h] Heb. cor Jisraëlitarum est post Abschalomũ. [11] i. In nos irruat, si recipiatur oppido; aut si muris oppidi nos voluerit defendere, expugnet nos, & civitatem ipsam malo afficiat propter nos. [12] q.d. dicas, e duabus rationibus utram voles sequemur. [i] Heb. in pedibus ipsius: synecdoche. [13] id est, ordinario suo comitatu.

17 Egressus

17 Egressus autem rex & totus populus sequens vestigia ejus, substiterunt in [k] quodam loco [14] remoto.

18 Quumque omnes servi ejus transirent ad latus ejus, cum omnibus [15] Cerethæis & omnibus Pelethæis: omnes quoque Gitthæi sexcenti viri, qui Gatho ad vestigia ipsius venerant, transirent ante faciem regis:

19 Dixit rex [16] Itthaio Gitthæo, quare ires tu quoque nobiscum? revertere & mane cum rege, nam [17] extraneus es, & etiam [18] remigraturus es in locum tuum.

20 [l] Nupertimè venisti, & hodie [m] abducerem te ad vagandum nobiscum, quum ego abeam, [n] quò me ire contigerit? revertere, & [19] redde fratribus tuis tecum benignitatem & fidem.

21 Respondens verò Itthai regi dixit, *ut* vivit Jehova, & vivit dominus meus Rex, tantummodò in loco ubi erit dominus meus Rex, sive ad mortem sive ad vitam, ibi futurus est servus tuus.

22 Dixit itaque David Itthaio, veni & transi; transivitque Itthai Gitthæus cum omnibus viris suis, & omnibus parvulis qui *erant* secum.

23 Et [o] omnes incolæ terræ flebant voce magna, dum populus totus transirent: rex itaque pertransivit torrentem [20] Kidronem, totúsque populus transibant versus viam *ad* [21] desertum.

24 Quum autem ecce [22] Tzadok quoque & omnes Levitæ cum [23] eo ferentes arcam fœderis Dei, collocassent arcam Dei, ascendente etiam [24] Ebjathare, donec absolveret totus populus ille transire e civitate:

25 Edixit rex Tzadoko, reduc arcam Dei in civitatem: si invenero gratiam in oculis Jehovæ, utique reducet me, & faciet ut revisam se & habitaculum suum.

26 Quòd si ita dixerit, non delector te; ecce me, faciat mihi prout bonum *videtur* in oculis suis.

27 Præterea dixit Rex Tzadoko sacerdoti, ipse es [25] videns, revertere in civitatem cum pace: & Achimahatz filius tuus, & Jehonathā filius Ebjatharis, duo filii vestri [26] vobiscum.

28 Videte, ego cunctaturus sum in campestribus istius deserti; donec venerit [p] a vobis qui annunciet mihi aliquid.

29 Itaque reduxit Tzadok cum Ebjathare arcam Dei Jeruschalaima; & consederunt ibi.

30 David autem ascendebat per clivum *montis* olivarum [q] indesinenter flens, [27] opertus capite suo, & pergens discalceatus: similiter totius populi qui *erant* cum eo operuerant quisque caput suum, & ascendebant [r] indesinenter flendo.

31 Quumque Davidi [28] nunciaret dicendo, Achithophel *est* inter conjuratos cum Abschalomo, dixit David, stultum redde, quæso, [29] consilium Achithophelis, ô Jehova.

32 Deinde fuit quum David pervenisset usq; ad illius verticem, ubi [30] incurvando se erat *honorem habiturus* Deo, ut ecce Chuschai [31] Arcæus obviam veniret ei lacerata tunica sua, & terra imposita capiti suo.

33 Cui dixit David, si transieris mecum, utique eris mihi oneri:

34 Sin autem in civitatem reversus, dixeris Abschalomo, servus tuus, ô Rex, futurus sum,

[k] *Heb. in domo quadam remotionis.*
[14] ab urbe.
[15] vide sup. 8.18.
[16] præfecto præsidiariorum Gathi, juxta 9. [illegible] vide occupati.
[17] id est, non es e domesticis meis, ac proinde periculum tibi non erit a novo rege.
[18] id est rediturus Gathum in stationem tuam.
[l] *Heb. heri.*
[m] *Heb. moverem te nobiscum eundo.*
[n] *Heb. quo ego abeo.*
[19] id est, gratiam habeto tibi & sociis a me, eorumque saluti & tranquillitati consule benignè fideliterque, ut opto.
[o] *Heb. tota terra: metonym. sic Genes. 41.17.*
[20] inter urbem & montem olivarum situm.
[21] quod vergit ad campestria Jardenis: vide infrà 28.
[22] id est, qui ordinariè sub eo ad arcam ministrabant.
[23] qui ea hebdomade in ministerio erat: prout ordines sacri ministerii a Schemuele & Davide constituti fuerant, 1. Chro. 9. 22. & 2. Chro. 29. 8.
[24] etsi ea hebdomade non ministrabat.
[25] sic habetur in duobus manuscriptis exemplaribus Hebraicis & Chaldæo paraphraste. Sensus est, munus tuum non est, me privata conditione fugientē sequi sed Reipub. in rebus sacris inservire, & in functione tua residere. vel (si placet vulgata lectio) videsne? videns? sic enim Hebræi interrogantes affirmant [illegible] atque huic interpretationi optime convenit cum seq. versu.
[26] subaudi, civitatem versus redeunti: nam civitatem non sunt ingressi, infrà 17.17.
[p] *Hebr. donec veniat aliquid à vobis, qui annunciet mihi, iter habet verborum.*
[q] *Hebr. ascendens & flens.*
[27] pro lugentium more obvolutum vide infra 19.5. & Esther 6.12.
[r] *Heb. ascendendo & flendo.*
[28] Tzadok & Ebjathar.
[29] quod tunc maximè metuebat: vide infra 17.7. ultimo.
[30] inde versus arcam Dei se convertendo.
[31] vide annotat. Jehos. 16.2.

servus equidem patris tui fui [f] jamdiu, nunc autem similiter sum servus tuus; utique irritum facies mea causa consilium Achithophelis.

35 Et an non [32] tecum *erunt* ibi Tzadok & Ebjathar Sacerdotes? erit igitur, ut quamcunq; rem audiveris e domo regis, indices Tzadoko & Ebjathari Sacerdotibus.

36 Ecce [33] ibi cum eis *sunt* duo filii eorum, Achimahatz Tzadoki, Jehonathan autem Ebjatharis; per quos mittentes ad me *indicetis* quamcunque rem audiveritis.

37 Itaque venit Chuschai amicus Davidis in civitatem: quum Abschalom venturus esset Jeruschalaima.

CAPUT XVI.

David a famulo Mephiboschethi deceptus, herilia bona ei addicit: & a Schimhi provocatus, conscientiâ judicii divini à vindicta abstinet, & suos impedit, ne quid adversus eum faciant. Abschalomum Jeruschalaima ingressum Chuschai ambigua oratione demulcens, in ejus consilium se insinuat: Achithophel verò Davidi infensus Abschalomo auctor est, ut palàm cum concubinis patris congrediens, præcisa Jisraëlitis omni reconciliationis spe, sibi eos magis devinciat.

1 DAvid autem transierat paululum præter verticem [1] *montis*, quum ecce [2] Tziba puer Mephiboschethi *venit* obviam ei: & par asinorum instratorum, quibus impositi *erant* ducenti panes, & centum uvæ passæ, centumque [a] poma, & vter vini.

2 Dixit ergo rex Tzibæ, quid *sibi volunt* hæc tua? cui dixit Tziba, hi asini pro familia regis *sunt* ad insidendum, hi verò panes & poma, ut comedant pueri, & vinum, ut bibant qui fessus fuerit in deserto.

3 Tum dicente rege, at ubi *est* filius domini tui? dixit Tziba regi, ecce residet Jeruschalaimis, dicit enim, hodie reddituri sunt mihi domus Jisraëlis regnum patris mei.

4 Quam ob rem dixit rex Tzibæ, ecce tuum *esto* quicquid *erat* Mephiboschethi: cui dixit Tziba, [3] incurvans me *honorem habeo*, [4] inveniam gratiam in oculis tuis, domine mi Rex.

5 Deinde progrediebatur rex David [5] Bachurima versus: ecce autem inde quidam prodiens e familia domestica Schaülis, nomine Schimhi filius [6] Geræ procedebat [b] indesinenter maledicens.

6 Et appetebat lapidibus Davidem, & omnes servos regis Davidis; quamvis totus populus & robustissimi quique, a dextera ejus, & a sinistra ejus *essent*.

7 Sic autem dicebat Schimhi maledicendo ei; exi, exi [c] vir sanguinarie, & vir nequissime.

8 Convertit in te Jehova omnes cædes familiæ Schaülis, cujus loco regnasti, tradidítque Jehova regnum ipsum in manum Abschalomi filii tui: jam ecce te [7] in malo tuo, quia vir sanguinarius es.

9 Tum dicenti Abischajo filio Tzerujæ regi, quare malediceret [8] canis iste mortuus domino meo regi? transeā, quæso, ut auferam caput ejus.

10 Dixit rex, [d] quid mihi vobiscū, filii Tzerujæ? si maledicit, atque si Jehova edixit ei, maledic Davidi, ecquis dicat, quare sic facis?

11 Deinde dixit David Abischajo & omnibus servis suis, ecce filius meus, qui prodiit [e] è visceribus meis, quærit [f] vitam meam; quanto igitur magis nunc Binjaminita iste? sinite eum ut maledicat, quia edixit ei Jehova.

12 Fortasse respiciet Jehova ad afflictionem meam;

[f] *Heb. ex tunc.*
[32] i. re, consilio, & opera sua adsistent tibi.
[33] sic ponebat David, ignorans eos parentum jussu substitisse ad fontem Rogelis, infrà 17.17.
[1] videlicet olivarum: de quo sup. 15.30.
[2] de quo sup. 9.2.
[a] *Hebr. æstivum, i. æstivo fructum.*
[3] id est, dedere me gratis: synecdoche.
[4] quasi dicat, ut te, ita mihi sis gratiosus in posterum ut nunc es: etsi hoc unum mihi futurum satis, quòd officium & opera mea tibi est accepta, ut porrò acceptam esse cupio & postulo.
[5] in finibus Binjaminis Jardenem versus: vide suprà 3.16.
[6] filii Echudis, filii Binjaminis, de quo 1. Chron. 8.6.
[b] *Hebr. exibat eundo & maledicens.*
[c] *Heb. vir sanguinis & vir Belijahal.*
[7] id est, in pœna maleficiorum tuorum. Nos [illegible]
[8] vide 1. Schem. 24.15. in annotatione.
[d] *Heb. quid mihi & vobis.*
[e] *in manuscripto exempl. ex me.*
[f] *Hebr.* [illegible]

meam; & reddet Jehova mihi bonum loco male-
dictionis ejus, hodierno die.
13 Itaq; progrediebatur David cum homini-
bus suis, itinere suo: quamvis Schimhi [g] pergens
in latere montis ex adverso ejus indesinenter ma-
lediceret, & appeteret lapidibus ex adverso ejus,
& [h] injiceret pulverem.
14 Sic advenit rex, & totus populus qui *erat*
cum eo fessi; & recreavit se [9] ibi:
15 Abschalom verò & totus populus ejus Jis-
raëlitæ, ingressi sunt Jeruschalaima; & Achitho-
phel cum eo.
16 Fuit autem quum venisset [10] Chuschai Ar-
cæus amicus Davidis ad Abschalomũ; & dixisset
Chuschai Abschalomo, [11] vivat rex, vivat rex:
17 Ut diceret Abschalom Chuschaio, hęccine
est benignitas tua erga amicum tuum? quare non
ivisti cum amico tuo?
18 Dixit verò Chuschai Abschalomo; nequa-
quam, quem enim elegit Jehova & populus hic,
ac omnes Jisraëlitæ: non essem *ejus*, ac cum eo
manerem?
19 Secundò, cui ego serviero? nónne coram
filio ejus? quemadmodum servivi coram patre
tuo, sic futurus sum coram te.
20 Dixit autem Abschalom [12] Achithopheli;
[i] da consilium quid facturi simus.
21 Dixit verò Achithophel Abschalomo, cõ-
gredere cum cõcubinis patris tui, quas reliquit ad
servandum domum suã; ut audiente toto Jisraële
[13] fœtidum te redditum esse patri tuo, [14] confir-
mentur manus omnium qui tecum *sunt*.
22 Quapropter quum tetendissent Abschalo-
mo tentorium super tectum [15] illius; congressus
est Abschalom cum concubinis patris sui, [16] ante
oculos totius Jisraëlis.
23 [17] Consilium enim Achithophelis, quod
consulebat diebus illis, *erat* ac si quis consuluisset
verbum ipsum Dei: ità *erat* quodque consilium
Achithophelis tum Davidi tum Abschalomo.

g *Heb. pergens pergendo &c. & maledicens.*
h *Heb. pulverares pulvere.*
9 i. Bachurimis: vide ℣. 5.
10 vide suprà 15. 32.
11 hic Chuschai toto suo sermone cum Abschalomo ex ambiguo ludificatur ei.
12 i. toti consilio suo, synecdochicè, ut demonstrãt sequentia. Sed Achithophelem scriptura singulari de causa nominat, velut sententię dicendæ principem.
i *Heb. date vobis, pleonasm.*
13 i. prorsus exosum & ab omni reconciliationis spe exclusum, ut Gen. 34. 30.
14 i. eo constantiùs agant: synecdoche.
15 nimirum regiæ, cujus concubinæ custodes erant: de quo ℣. 21.
16 ex prædicto suprà 12. 10.
17 i. etsi facinus, omnium judicio, per se horrendum erat; tamen tanta erat apud omnes Achithophelis auctoritas, ut rem Abschalomo & factiosis Jisraëlitis probaverit.

CAPUT XVII.

Achithophel Abschalomo consilium dat de opprimendo Davide, & se ducem offert: sed a Chuschaio consilium infringitur, & astu alterum suggeritur Davidi salutare. Cujus rei David certior factus, Jardenem trajicit, & commeatu ab amicis juvatur. Persequente verò Davidem Abschalomo, Achithophel indignabundus laqueo seipsum suspendit.

Dixit præterea Achithophel Abschalomo; de-
ligam quæso duodecim millia virorum, ut
surgens persequar Davidem hac nocte:
2 Et invadens eum, dum est lassus & [a] re-
missis manibus, ita perterrefaciam eum, ut fugiat
totus populus qui cum eo *est*, sic percutiam regem
ipsum solum.
3 Tum reducam totum illum populum ad
te: quasi restitutio rerum omnium [1] *est* is quem
tu quæris, toti populo erit pax.
4 Et recta videbatur res illa in oculis Ab-
schalomi; & in oculis omnium seniorum Jisra-
ëlis.
5 Sed dixit Abschalom, voca jam etiã Chu-
schaium Arcæum; ut audiamus quid sit in ore e-
tiam ipsi.
6 Quum ergo venisset Chuschai ad Abscha-
lomum, alloquutus est cum Abschalom dicendo,
in hanc sententiam loquutus est Achithophel,
an facturi sumus verbum ejus? si non *facturi su-
mus*, tu loquere.

a *Heb. remissus manibus: synecdoche.*
1 id est, David; quo si potieris, omnium potiere.

7 Dixit verò Chuschai Abschalamo, non *est*
bonum consilium istud quod consuluit Achitho-
phel [2] hac vice.
8 Deinde dixit Chuschai, tu novisti patrem
tuum & homines ejus esse robustos, præterea a-
maro animo sunt, tamquam ursus orbatus per a-
grum: quumque pater tuus bellicosus sit, non
pernoctabit cum populo.
9 Ecce nũc ipse delitescit in aliqua e fossis, aut
in aliquo e [3] locis *suis*: erit autem quum ceside-
rint ex [4] istis *aliquot* in principio, ut audiens quisq;
dicat, fuit plaga in populo qui sequitur Abscha-
lomum:
10 Et ipsi etiam [b] strenui, quorum [c] animus
est ut animus leonis, omnino colliquescent: no-
vit enim totus Jisraël robustum esse patrem tu-
um, & strenuos qui *sunt* cum eo.
11 Sed consulo, ut [d] prorsus congregato ad te
toto Jisraële a Dane Beer-schebam usque, si-
cut arena quæ *est* ad mare in multitudinem: &
[e] te ipso procedente in hanc expeditionem:
12 Aggrediamur eum [f] ubicunque locorum
reperietur, & [g] commodè ingruamus ei, quem-
admodum cadit ros super terram: sic non relin-
quetur ex eo, id est, ex hominibus qui *sunt* cum
eo vel unus.
13 Quòd si in civitatem se receperit, curabũt
omnes Jisraëlitæ attolli in civitatem illam [5] fu-
nes: & [6] trahemus illam usque ad torrentem, a-
deò ut ne lapillus quidem inveniatur ibi.
14 Tum dixit Abschalom & omnes Jisraëli-
tæ, melius *est* consilium Chuschai Arcæi consilio
Achithophelis: Jehova autem præstituerat irri-
tum facere consilium Achithophelis, quod [7] me-
lius *fuisset*, ut induceret Jehova in Abschalomum
malum suum.
15 Deinde dixit Chuschai Tzadoki & Ebja-
thari sacerdotibus, [h] ista & talia consuluit Achi-
thophel Abschalomo & senioribus Jisraëlis: hæc
verò & talia consului ego.
16 Nunc itaque mittite festinanter, & indica-
te Davidi dicendo, ne pernoctato hac nocte in
campestribus istius deserti, quin imò [i] omnino
trajicito: ne [8] absorbeatur rex & totus populus
qui cum eo *est*.
17 Jehonathan autem & Achimahatz con-
stiterant ad [9] fontem Rogelis, ad quos profecta
quædam ancilla, indicavit eis, ut ipsi euntes in-
dicarent regi Davidi: [10] non enim poterant com-
parere *aut* ingredi in civitatem.
18 Videns tamen eos puer, indicavit Abscha-
lomo: quapropter abeuntes ambo festinanter
venerunt in domum cujusdam [11] Bachurima,
cui puteus *erat* in atrio ipsius, quò descende-
runt.
19 Quumque accipiens mulier ipsa explicas-
set tegumentum in superficie illius putei, & ex-
pandisset super illud [12] molam; non innotuit res.
20 Venientibus enim servis Abschalomi ad e-
am mulierem domum ejus & dicentibus, ubi *est*
Achimahatz & Jehonathan? dixit eis ipsa muli-
er, transiverunt rivulum istum aquæ: quapropter
quum quæsivissent, ac non invenissent, reversi
sunt Jeruschalaima.
21 Fuit autem postquàm abiissent illi, ut hi
ascendentes e puteo pergerent nunciaturi regi
Davidi; dixeruntque Davidi, surgite & transite
festinanter hanc aquam, sic enim consuluit con-
tra vos Achithophel.
22 Surgens itaq; David & totus populus qui
erat cum eo, trajecerunt Jardenem: dum [13] illu-
cesceret manè, ne unus quidem deerat qui non

2 q. d. bona Achithophelis venia, hominis alioqui prudentissimi consultissimique dixerim; in hac quidem causa fallitur judicio suo. Elegans est [illegible], conveniens modesto & urbano viro.
3 i. ipsi, jam inde a persequutione Schaülis, cognitis & exploratis.
4 subaudi, militibus tuis, in quos inopinantes proculdubio e speluncis & latebris suis irruiturus est.
b *Heb. filii roboris: sic infrà.*
c *Heb. cor colliquescendo colliquescet.*
d *Heb. congregando congregetur.*
e *Heb. facie tua.*
f *Heb. in uno locorum ubi reperietur.*
g *Heb. quiescamus super eum sicut cadit ros.*
5 i. machinas bellicas funibus ductiles, sive scansorias, sive demolitorias: metonymia.
6 hyperbole, quã facilitatem & gravitatem excidii exprimit: ut 1. Reg. 20. 10.
7 i. accommodatius ad consequẽdum desiderium Abschalomi.
h *Heb. sicut hoc & sicut illud: sic infrà eodem ℣.*
i *Heb. trajiciendo trajicito.*
8 subitò circumventus obruatur: metaphora.
9 in termino Jehudę & Binjaminis prope Jeruschalaima, Jehoschu. 15. 7. & 18. 16. Eò autem lotionis alicujus specie videtur transmissa, ut melius custodes observantes falleret.
10 ex condicto parentum: ut inde ad Davidem commodius excurrere possent.
11 vide sup. 3. 16.
12 id est, grana tusa & commolita.
13 id est, manè, lustrato exercitu, invenit neminem desiderari.

transiisset Jardenem.

23 Achithophel autem videns non fieri consilium suum; instrato asino suo surgens abiit domum suam, & præceptis datis in familiam suam, strangulavit se : sic mortuus est & sepultus in sepulcro patris sui.

24 David verò venerat [14] Machanajima, quum Abschalom trajiceret Jardenem, ipse & omnes Jisraëlitæ cum eo.

25 Tunc Hamasam posuit Abschalom loco Joabi qui præesset militiæ : Hamasa autem filius *erat* cujusdam nomine ‡ Jithtræ [15] Jisraëlitæ, qui congressus fuerat cum ‡ Abigale filia [16] Nachaschæ sorore Tzerujæ matris Joabi.

26 Et castra posuit Jisraël cum Abschalomo [17] *in* terra Gilhadis.

27 Fuit autem quum veniret David Machanajima; ut Schobi filius Nachaschi e [18] Rabba Hammonitarum, & Macir filius Hammielis e [19] Lodebaro, ac [20] Barzillai Gilhadita e Rogelimis,

28 Cubilia, & pelves, & vasa fictilia, & triticum, & hordeum, & farinam, etiam [21] spicam tostam; & fabas, & lentes, etiam tostas,

29 Et mel, & butyrum, & parvas pecudes, & caseos armentitios afferrent ad Davidem & ad populum qui *erat* cum eo, ut comederent : dicebant enim, populus iste famelicus, & lassus, & sitibundus *est* in hoc deserto.

14 vide Gen. 32. 2.
‡ *qui* 1. *Chron.* 2. 17. *Jether.*
15 religione & instituto vitæ, genere verò Jischmahelita, 1. Chr. 2. 17.
‡ 1. *Chro.* 2. 17. *Abigajil.*
16 uxoris Jischai.
17 præter Machanajima, ut Davidem circumcluderent.
18 expugnata jam antè a Davide, suprà 12. 26. & sequentibus.
19 vide sup. 9. 8.
20 vide infrà 19. 32.
21 qualis est farina avenacea, quæ non nisi torrefacta molitur.

CAPUT XVIII.

David instructum exercitum Abschalomo cum maximis copiis appropinquanti, obviàm mittit : ipse Machanajimis consistit. Abschalom cum suis fusus in sylvam fugit, & capillis quercui suspensus hæret, donec a Joabo & armigeris occiditur. Postremò victoriæ nuncii excurrentes ad Davidem, rem paucis nunciant,

Quum autem David lustrato populo qui *erat* secum, [1] præposuisset chiliarchos & centuriones eis;

2 Et commisisset David populum, tertiam manui Joabi, & tertiã manui Abischai filii Tzerujæ fratris Joabi, ac tertiam manui Itthai Gitthæi; dicebat rex populo, [a] omnino processurus sum ego quoque vobiscum.

3 Sed dixit populus, non es processurus, nam sive [b] planè fugeremus, non apponerent ad nos [c] animum, sive morerentur dimidium nostri, non apponerent ad nos animum, [2] jam ut sumus, decies mille *essemus* : quare nunc melius erit, si fueris nostrâ causâ [3] pervigil ad ferendum opem.

4 Dicens itaque eis rex, quod bonum visum fuerit in oculis vestris faciam; substitit rex in [4] spatio ipsius portæ, dum totus iste populus procederent per centenos & millenos.

5 Præcepit autem rex Joabo & Abischajo & Itthajo, dicendo, [d] leniter propter me erga puerum istum, erga Abschalomum : & totus populus audiverant, quum præciperet rex omnibus præfectis [e] de Abschalomo.

6 Egresso itaque populo in agrum obviàm Jisraëli; fuit prælium [5] ad sylvam Ephrajimitarũ:

7 Ubi cæsi sunt populus Jisraëlis antè servos Davidis, adeò ut esset ibi plaga magna in die illo, viginti millium.

8 Nam quum esset ibi sparsum prælium in superficiem totius terræ; [f] plures [6] consumsit sylva illa de populo, quàm consumserit gladius die illo.

1 nam de præfectis suis ordinariis aberant alii nescii, alii inviti, alii denique ad Abschalomum transfugerant.
a Heb *procedendo processurus.*
b Heb. *fugiendo fugeremus.*
c Heb. *cor : sic infrà.*
2 i. etiamsi decuplo plures & instructiores essemus, non tanti facerent victoriã, quàm si te unum opprimere possent.
3 i. attentus, & accuratissimè hic observans ut nobis succurras si opus fuerit. hæc interpretatio videtur simplicissima, & consequutioni vocum accommodatissima : ut cõfirmatur ℣. 24 Etsi altera quoq; non est incommoda, ut ex urbe commodis suarũ copiarum prospiciat David.
4 i. inter duas portas, ut infrà ℣. 24.

d Heb. *sensim.* e Heb. *de re Abschalomi.* 5 i. ubi olim a Jiphthaco Ephrajimitæ sunt cæsi, Judic. 12. unde sylva illa nomen accepit, licet esset in tribu Menaschis trans Jardenem. f Heb. *multiplicavit sylva consumere.* 6 sive in stipites impingerent, sive in arbores illiderent, deniq; in scrobes & præcipitia caderent &c.

9 Obviàm autem factus est Abschalom servis Davidis; & Abschalomo insidente mulo, venit mulus subter [g] perplexam quercum magnam, [h] cui quercui ita hæsit caput ejus ut [i] penderet inter cælum & terram, & mulus qui sub eo *erat* prætergrederetur.

10 Quod videns quidam nunciavit Joabo, ac dixit; ecce vidi Abschalomum suspensum de quercu.

11 Dixit verò Joab viro illi qui nunciabat sibi, quum ecce videris, quare ergo non percussisti eum ibi *dejiciens* in terram? nam penes me *erat* dare tibi decem *siclos* argenteos, & cingulum unum.

12 Sed dixit vir ille Joabo, etiamsi ego [7] appenderem manibus meis mille *siclos* argenteos, non extenderem manum meam in filium regis : nam [k] nobis audientibus, præcepit rex tibi, & Abischajo, & Itthajo dicendo, observate quicunque *estis* de puero isto, de Abschalomo.

13 Aut si commisero [l] ex me ipso [8] falsitatem, cùm nulla res celari possit a rege; [9] an tu staturus es te ex adverso?

14 Dixit verò Joab, non ita [10] morabor coram te : & assumens tria tela in manum suam, infixit ea in cor Abschalomi adhuc viventis, [m] per mediam quercum.

15 Deinde circumdantes decem pueri armigeri Joabi; percusserunt Abschalomum ita ut morte afficerent eum.

16 Tum clangente Joabo buccina, reversus est populus ejus a persequendis Jisraëlitis; quia subtraxit Joab populum.

17 Assumseruntque Abschalomum, & projicientes eum in ea sylva in quamdam fossam magnam, statuerunt super eum cumulum lapidum magnum valdè : omnes verò Jisraëlitæ fugerunt quisque ad tentoria sua.

18 Abschalom autem assumtam statuerat sibi in vita sua statuam in [11] convalle regis (dicebat enim, [12] non *est* mihi filius) ut monumentum statuam nominis mei : quapropter vocavit statuam illam de nomine suo, quæ vocatur, [13] locus Abschalomi usque in diem hunc.

19 Quumque Achimahatz filius Tzadoki diceret, excurram quæso & nunciem regi; Jehovam vindicasse eum e manu hostium ejus :

20 Dixit ei Joab : tu non [n] is es, qui *perferas* nuncium hoc die, sed nunciabis [14] die alio : hodie autem non es nunciaturus, quandoquidem filius regis [15] mortuus est.

21 Dixit verò Joab cuidam [16] Æthiopi, abi, nuncia regi quod vidisti : qui Æthiops incurvans se *coram* Joabo, cucurrit.

22 Pergens autem adhuc Achimahatz filius Tzadoki, dicebat Joabo, quicquid tandem sit, excurram ego quoque post ipsum Æthiopem : ut ut diceret Joab, quam ob rem tu cursurus esses, fili mi, cum tibi non sit nuncius [o] conveniens?

23 Quicquid sit, *inquit*, excurram, cui dixit *Joab*, excurre : excurrens itaque Achimahatz viâ planitiei, prætergressus est Æthiopem illum.

24 Consederat autem David inter duas portas : & iverat speculator in tectum portæ ad ipsum murum, qui sublatis oculis suis vidit, quòd ecce quidam accurrebat solus.

25 Quamobrem inclamante speculatore & indicante regi, dixit rex, si solus est, nuncius est in ore ejus ita [p] veniendo indesinenter appropinquabat.

26 Deinde vidit speculator quemdam alium accurren-

g Heb. *perplexitatem, &c.*
h Heb. *prehensum est caput ejus ad quercum.*
i Heb. *poneretur.*
7 i. si præsentem tantam pecuniam numeraret mihi quispiam, non facerem.
k Heb. *in auribus nostris.*
l Heb. *in animo meo.*
8 i. cædem istam Abschalomi, quã postea falsò inficiaturus essem apud Regem, ut liberarem me, & vitæ meæ consulerem.
9 i. regi me damnanti repugnaturus es ad defensionem mei
10 præteriens occasionem hostem occidendi.
m Heb. *in cor quercus.*
11 vide annotat. Gen. 14. 17.
12 nam mortui erant tres ejus filii : de quibus suprà 14. 28.
13 vel spatium, id est, inane monumentum, quod vocant κενοτάφιον.
n Heb. *vir nuncii hoc die.*
14 quum alia occasio dabitur læta nunciandi : confer cum versic. 22.
15 ideò nuncius est lugubris regi.
16 servo regis, ut infrà versu 29.
o Heb. *sufficiens ut Num. 11. 12.*
p Heb. *veniebat veniendo & appropinquando.*

accurrentem; & inclamans speculator janitorem
dixit, ecce quidam accurrit solus : tum dixit rex,
nuncium allaturus est etiam hic.
27 Dicente verò speculatore, ego video cur-
sum prioris quasi cursum Achimahatzi filii Tza-
doki; dixit rex, vir bonus est, & propter [17] nun-
cium bonum venit.
28 Tandem exclamans Achimahatz regi di-
xit, Pax, & regi *honorem habuit* sese incurvans facie
sua versus terram : dixitque, benedictus Jehova
Deus tuus, qui dedidit homines illos, qui extule-
rant manum suam contra dominum meum re-
gem.
29 Dicenti autem regi : pax *ne est* puero Ab-
schalomo? dixit Achimahatz, vidi multitudinem
aliquam magnam, quum mitteret Joab [18] ser-
vum regis, & *me* servum tuum, sed non novi quid
esset.
30 Cui dixit rex, diverte, consiste isthic : qui
divertens stetit.
31 Tum ecce Æthiops ille venit; dixitque
Æthiops, nuncium accipiat dominus meus rex,
quòd vindicavit te Jehova hodiè e manu omni-
um insurgentium contra te.
32 Dixit itaque rex Æthiopi, an pax *est* pue-
ro Abschalomo? cui dixit Æthiops, sint sicut pu-
er iste inimici domini mei regis, & quicunque in-
surgunt contra te ad malum.

[17] id est, mihi gratum & utilem.
[18] Æthiopem, ut observatum est in vers. 21.

CAPUT XIX.

Davide Abschalomi mortem deflente, milites ejus dilabuntur: donec Joabi minis adductus, posito luctu, populo se exhibet. Auditis Jisraëlitarum studiis de se reducendo, suam tribum sollicitat, ut reliquos in eo anteverteat; excepto Schimhi, qui culpam deprecaturus cum eis advenit. Mephiboscheth restituitur, & Cimeham in familiam regis asciscitur: Jisraëlitæ præreptam sibi gloriam ægrè ferentes, cum Jehuda contendunt.

Tum commotus rex, ascendens in cœnaculum
illius portæ flebat : & ita dicebat eundo, fili
mi Abschalom, fili mi, fili mi Abschalom, [a] uti-
nam mortuus essem ego, *utinam* essem loco tuo,
Abschalom fili mi, fili mi.

[a] Heb. quis det mori me.

CAPUT XIX.

2 Quum autem nunciatum esset Joabo; ec-
ce rex flet, ac luget de Abschalomo:
3 Fuit illa salus eo die *conversa* in luctum toti
populo; quòd audiret populus eo die dicentes,
dolore afficitur rex de filio suo.
4 [1] Et [b] furtim populus ille eo die veniebat in
civitatem; quemadmodum furtim se surrepturus
fuisset populus rubore suffusus, si fugissent in
prælio.
5 Rex verò obvolverat [2] faciem suam, & cla-
mabat rex voce magna; fili mi Abschalom, Ab-
schalom fili mi, fili mi:
6 Quum veniens Joab ad regem intrò, dixit,
[3] pudefecisti hodie vultum omnium servorum tu-
orum qui eripuerunt vitam tuam hodie, & vi-
tam [4] filiorum tuorum filiarumque tuarum, &
vitam uxorum tuarum, & vitam concubinarum
tuarum:
7 Amando osores tuos, & odio prosequen-
do amantes tui: ut qui indicasti hodie [5] non esse
tibi principes aut servos *illo in prælio*, cùm experi-
ar hodie si Abschalom viveret, & nos omnes
hodie mortui essemus, tunc rectum *fore* in oculis
tuis.
8 Nunc ergo surge, exi & loquere [c] quæ sint
cordi servis tuis : nam per Jehovam juro, si non
exieris, non pernoctaturum quemquam apud te
hac nocte, & pejus tibi futurum hoc omni malo
quod obvenit tibi ab adolescentia tua usq; nunc.
9 Surgens itaque rex consedit in porta: quod
quum toti populo nunciassent dicendo, ecce rex
considet in porta, venit totus populus ante re-
gem, [6] Jisraëlitæ verò fugerant quisque in tento-
ria sua.
10 Erat autem totus populus iste disceptans
apud se in omnibus tribubus Jisraëlis, dicendo:
[7] hic Rex eripuerat nos e manu omnium inimi-
corum nostrorum, & idem liberaverat nos e ma-
nu Pelischthæorum, modò autem fugit ex hac
terra ab Abschalomo.
11 Abschalom verò quem unxeramus *regna-
turum* super nos mortuus est in hoc prælio: nunc
ergo quare [d] quiescitis a revocando rege?
12 Quapropter rex David misit ad Tzadokum
& ad Ebjatharem sacerdotes qui dicerent; allo-
quimini seniores Jehudæ dicendo, quare essetis
postremi ad reducendum regem domum suam:
cùm sermo totius Jisraëlis pervenerit ad regem
de reducendo eo domum suam?
13 Fratres mei estis, os meũ & caro mea estis:
quare ergo postremi essetis ad reducendũ regem?
14 [8] Hamasæ quoque dicitote, an non [9] os
meum & caro mea es? ita faciat mihi Deus & ita
pergat, si non princeps militiæ futurus es coram
me omnibus diebus [10] loco Joabi.
15 Sic quum inflexisset [e] animum omnium
virorum Jehudæ, quasi [11] viri unius; miserunt
ad regem, *qui dicerent*, revertere tu & omnes ser-
vi tui.
16 Revertens igitur rex venit usque ad Jarde-
nem: Jehuda autem venit Gilgalem, ut iret
obviàm regi, ad traducendum regem cis Jarde-
nem:
17 Quum festinans Schimhi filius Geræ Bin-
jaminita qui *erat* e Bachurimis; descendit cum
viris Jehudæ obviàm regi Davidi:
18 Et [12] mille viri cum eo e Binjamine; Tzi-
ba quoque minister familiæ Schaülis, & quinde-
cim filii ejus, & viginti servi ejus cum eo: qui
transmiserunt Jardenem [13] ante regem.
19 Quum ergo transivisset [14] ponto ille ad
transvehendum familiam regis, & ad faciendum
quod bonum *videretur* in oculis ejus: Schimhi fi-
lius Geræ procidit coram rege, quando trajectu-
rus erat per Jardenem.
20 Et dixit regi, ne imputet mihi dominus
meus iniquitatem; neque recorderis quæ iniquè
egit servus tuus, quo die egressus est dominus me-
us rex Jeruschalaimis: ut rex [15] reponat in animo
suo.
21 Agnoscit enim servus tuus, ego enim pec-
cavi: sed ecce veni hodie [16] prior tota domo Jo-
sephi, ut descenderem obviàm domino meo regi.
22 Respondente verò Abischajo filio Tzerujæ
ac dicente, an propterea morte non afficeretur
Schimhi; cùm maledixerit uncto Jehovæ?
23 Dixit David, [f] quid mihi vobiscum filii
Tzerujæ; quòd estis mihi hodie [g] adversarii? [17] ho-
diéne afficeretur morte quisquam in Jisraële?
nam nónne agnosco hodie me esse regem super
Jisraëlem?
24 Dixitque rex Schimhi *isti*, [18] non es mori-
turus, & juravit ei rex.

[1] I. clam rege, ut pudibundi solent: quod Joab objicit infra v. 6.
[b] Heb. furabatur se veniendo.
[2] caput suum synecdoche, vide suprà 15.30.
[3] i. hoc tuo facto effecisti, ut totum exercitum victorem facti sui pudeat, perinde ac si victus esset, & ingratum te præbuisti.
[4] hoc est, ita rebellem filium defles, ut si vitam illius toti familiæ tuæ anteponeres, quod familiæ contumeliosum est & turpe.
[5] videlicet curæ: dictum [17] v. 31.
[c] Heb. super cor servorum tuorum; sic Gen. 34.3.

[6] qui steterant ab Abschalomo.
[7] tribus argumentis ad revocandũ Davidem se excitant: Primùm a beneficiis Davidis, qui eos liberaverat & defenderat: deinde a facinoris indignitate filii in patrem: Tertiò a morte Abschalomi, quem ipsi stultè ad regiam dignitatem evexerant, & justè a Deo in eo prælio prostratum agnoscunt.
[d] vel silentis de revocando.
[8] quem Abschalom principem militiæ suæ constituerat, supr. 17.25.
[9] i, consanguineus meus, ut Gene. 29.14. nam filius erat sororis Davidis, sup. 17.25. sic præcedente vers.
[10] qui licet dignitatem illam sua strenuitate in expugnatione Jebusi, 1. Chro. 11. 6. sibi comparasset: jam tamen Abschalomi cæde, & protervo isto in regem sermone, & arrogato imperio justè abdicabatur.
[e] Heb. cor: sic ver. 20.
[11] i. unanimi consensu, ut Judic. 20. 1.
[12] puta advocati, ut pro Schimhi intercederent, & gratularentur Regi.
[13] i. antequam rex ad Jardenem veniret.
[14] quem præmiserat tribus Jehudæ ad reducendũ regem, & quem Schimhi cum suo comitatu ad deprecandum iram regis sequebatur.
[15] ultionem aliquando sumpturus.
[16] q.d. studio redeundi in gratiam tuam tantâ diligentiâ ad te properavi, ut anteverterim omnes posteros Josephi, quorum ager tibi secundùm Jardenem Machanajimis huc ad vadum venienti est vicinior; nã Binjaminitarum ager remotior erat, Jehosch. 18.11. [f] Heb. mihi & vobis? ut sup. 16.10. [g] Heb. in adversarium. [17] eodem argumento utitur quo Schaül, 1. Schem. 11.13. [18] per me, q.d. etsi facti tui ratio minimè est prætereunda; tamen quod me attingit tibi condono, & facti judicium aliis relinquo, vide 1. Reg. 2.8, 36. & sequentibus.

25 Mephiboscheth quoque [b] nepos Schaülis descenderat obviam regi: [19] non curaverat autem pedes suos, neque curaverat mystacem suum, & vestes suas non laverat ex quo die abierat rex, usque ad diem quo venit cum pace.

26 Fuitque obvius regi quum rediret *rex* Jeruschalaima: cui dixit rex, quare non proficiscebaris mecum, Mephiboscheth?

27 Qui dixit, domine mi rex, servus meus decepit me: nam [20] dixerat servus tuus, insternam mihi asinam ut insidens ei abeam cum rege, quia claudus *est* servus tuus;

28 Et traduxit servum tuum apud dominum meum regem: dominus autem meus rex *est* sicut [21] angelus Dei, quare fac quod bonum *videtur* in oculis tuis.

29 Nam non [i] erant omnes e familia patris mei nisi [22] rei mortis apud dominum meum regem, quum posuisti servum tuum inter comedentes *cibum* mensæ tuæ: & quid *est* mihi amplius [23] juris *postulandum*, aut expostulandum amplius apud regem?

30 Cui dixit rex, [24] quare eloquereris ultra verba tua? [25] edixeram ut tu & Tziba partiamini [26] agrum.

31 Dixit verò Mephiboscheth regi, vel omnia accipiat: postquam venit dominus meus rex cum pace domum suam.

32 Barzillai quoque Gilhadita descenderat Rogelimis; quare trajecit cum rege Jardenem, prosequendo eum per Jardenem.

33 (Erat autem Barzillai senex valdè, natus octoginta annos; [l] qui sustentaverat regẽ dum resedit Machanajimis, nã vir magnus erat valdè.)

34 Dixit itaque rex Barzillaio: tu progredere mecum, & sustentabo te apud me Jeruschalaimis.

35 Sed dixit Barzillai regi: [k] quantum *est* tempus annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege Jeruschalaima?

36 Natus sum octoginta annos hodie: an dignoscere possum inter bonum & malum? num gustare poterit servus tuus quod comedam & bibam? num audire potero amplius vocem cantorum & cantatricum? & quare esset servus tuus amplius oneri domino meo regi?

37 [27] Perparùm transierit servus tuus Jardenem cum rege: quare ergo retribueret mihi rex retributionem hanc?

38 Revertatur, quæso, servus tuus, ut moriar in civitate mea, apud sepulcrum patris mei & matris meæ: Sed ecce servus tuus ‡ [28] Cimeham transiturus est cum domino meo rege, cui fac quod bonum *videtur* in oculis tuis.

39 Quam ob rem dixit rex, mecum transeat Cimeham, cui ego faciam quod bonum *videtur* in oculis tuis: prætereà quicquid optaveris à me efficiam tibi.

40 Quumque trajecisset totus populus Jardenem, & rex quoque trajecisset: osculatus rex Barzillaium, [29] benedixit ei, qui reversus est in locum suum.

41 Deinde progresso rege Gilgalem, & Cimehane progrediente cum eo; quum totus populus Jehudæ [l] prosequerentur regem, ac etiam [30] pars populi Jisraëlis:

42 Ecce omnes Jisraëlitæ veniẽtes ad regem; & dixerunt regi, quare [31] furtim abduxerunt te fratres nostri viri Jehudæ, traducentes regem cum familia ejus cis Jardenem, [32] & omnes homines Davidis cum eo?

43 Responderunt autem omnes viri Jehudæ contra viros Jisraëlis, cùm sit rex [33] propinquus mihi: cur ergo accensa est *ira* tibi de hac re? an [m] quicquam comedimus à rege? an donativum donavit nobis?

44 Respondentes verò viri Jisraëlis viris Jehudæ dixerunt, decem partes mihi *sunt* [34] in rege, atque adeò pro Davide potior sum te; quare ergo vilipendisti me? an non fuit sermo meus [35] prior apud me de reducendo rege meo? sed [36] durior fuit sermo virorum Jehudæ sermone virorum Jisraëlis.

b Heb. *filius*.
19 in signum luctus ob fugam regis: vide suprà 12.20.
20 i. exposueram Tzibæ servo meo consilium meum, & mandaverã ut insterneret, &c.
21 vide sup. 14. 21.
i Heb. *non erat tota domus patris mei, nisi hominum mortis*.
22 omnes enim Schaülis agnati partes Ischboschethi sequebamur sup. 2. habitaverat enim trãs Jardenem ubi regnaverat Ischboscheth, sup. 9.
23 propter bona ademta, detractũ honorem, & injuriam factam a servo.
24 q.d. accipio excusationem, pluribus opus nõ est.
25 q.d. posteriorẽ sententiam revoco, qua prædia tua Tzibæ adjudicavi, quum apud me defectionis te accusasset suprà 16.3. & priorem sup. cap. 9. 10. latam redintegro.
26 i. proventum: synecdoche.
l *Sup.* 17.27.
k Heb. *quot sunt dies annorum vitæ meæ: sic Gen.* 23.1
27 q.d. pro tantillo officio eoq; debito, tanta retributione opus non est.
‡ *vel Cimhan*, *ver.* 41.
28 filius vel proximus huic sanguinis necessitudine.
29 sermone atq; muneribus.
l *Heb. progredi facerent regem*.
30 qui nõ defecerant a rege, & qui jam redierant cũ eo in gratiam, ut Schimhi sup. 11. vers.
31 non exspectatis nobis (qui constitueramus te ut regem decet, reducere) honorem præripuerũt,
32 & tribules Jehudæ, & qui pro Davide militarãt: quibus copiis freti audaciores erãt in sua responsione.
33 id est, contribulis meus.

m *Heb. comedendo comedimus*.
34 i. in regno, ut Hosch. 10.15.
35 sup. v. 10. & 12.
36 i. refellendo Jisraëlitarum rationes & ludificando eos, insolentiùs adhuc loquuti sunt quàm Jisraëlitæ.

CAPUT XX.

Auctore Schebahio Jisraëlitæ a Davide deficiunt, & a sola tribu Jehudæ rex Jeruschalaima reducitur: ubi vitiatas a filio concubinas perpetuæ custodiæ committit. Hamasæ ut celeriter defectionis auctorem persequatur jubet: eo tardante Abischajum submittit. Joab Hamasæ obviam factus proditoriè eum interficit. Deinde cum fratre Schebahium persequitus, obsidet, & cives defectoris capite tradito, obsidione liberans Jeruschalaima revertitur, dignitatemq; suam recipit.

Ibi autem casu aderat vir [a] nequam, nomine Schebah filius Bicri [b] Binjaminita: qui clangens buccina dicebat, [1] non *est* nobis pars cum Davide, neq; *est* nobis possessio cum filio Jischai, quisque ad tentoria sua, ô Jisraëlitæ.

2 Sic ascendens [c] a Davide quisque Jisraëlita sequutus est Schebahium filium Bicri: homines verò Jehudæ adhæserunt regi suo a Jardene usq; Jeruschalaima.

3 Ingressus autem ut fuit David domum suam Jeruschalaimis, assumtas rex decem fœminas concubinas, quas reliquerat ad custodiendum domum suam, tradidit eas in [d] custodiam, ubi sustentabat eas, & cum eis non congrediebatur: sed fuerunt vinctæ usq; ad diem mortis ipsarum, [e] [2] viduitate in vitam.

4 Edixit autem rex [3] Hamasæ, convoca mihi viros Jehudæ, in diem tertium; & tu hic adsiste.

5 Itaque abiit Hamasa ad convocandum Jehudam; sed sivit *iste* ut tardarent ultra tempus illud quod constitutum erat ipsi.

6 Quapropter dixit David Abischajo, nunc magis nobis nociturus esset Schebah filius Bicri quàm Abschalom: tu assume servos [5] domini tui, & persequere eum, ne inveniat sibi civitates munitas, & eripiat *se ex* oculis nostris.

7 Itaque prodeuntes [6] post eum [7] homines Joabi, & [8] Cerethæi, ac Pelethæi, & robustissimi quique; prodierunt Jeruschalaimis ad persequendum Schebahium filium Bicri.

8 Ipsis *agentibus* apud lapidem illum magnum, qui *est* in Gibhone, Hamasa obvenit eis: Joab autem *erat* accinctus chlamyde sua vestimenti sui, super quam *erat* [f] zona cum gladio, [9] copulato lumbis ejus in vagina sua, [10] ut ipso eunte caderet *gladius*.

9 Tum dixit Joab Hamasæ, [g] túne prosperè agis frater mi? apprehenditque manus dextera Joabi barbam Hamasæ, ut oscularetur eum.

10 Quumque Hamasa non caveret sibi a gladio qui *erat* in manu Joabi, percussit eum illo in quinta costa, & effudit viscera ejus in terram, adeò ut non iterato ei *ictu* moreretur: deinde Joab cũ Abischajo fratre suo persequutus est Schebahium filium Bicri.

11 Quidam autem stabant juxta illum e pueris Joabi, qui dicebat, quisquis est benè affectus erga Joabum, & quisquis *est* pro Davide, sequatur Joabum.

12 Interea Hamasa [11] volutabat se in suo sanguine in medio tritæ viæ: quam ob rem videns vir

a *Heb. vir Belijahal*.
b *Heb. vir Jeminita*.
1 i. nihil habemus commune cum Davide: sic 1. Reg. 12.16. hæc autem verba haud scio an æque commodè ἱερογραμματικῶς accipi possint.
c *Heb. a post Davidem*.
d *Heb. domus custodiæ*.
e *Heb. viduitatis vitæ*.
2 i. perpetua, destitutæ marito quamdiu vixerũt.
3 ut quem constituerat principem militiæ suæ, sup. 19.4.
4 subaudi eodem die.
5 Hamasæ, sub quo tu militas: sic Urija Joabum vocat dominum suum, sup. 11.11.
6 i. Abischajum cum copiis ejus.
7 quorum nominatim dux erat.
8 quorum dux erat Benaja, suprà 9.4. & infr. v. 23.
f *Heb. zona gladii*.
9 i. clato ad lumbos, ne inter ambulandum nutãs & crus allidens incedenti impedimento esset: ut pedites Germani solent.
10 nam sic certo consilio aptaverat, ut sibi non caveret Hamasa, infrà 10. vers.
g *Heb. an tu pax, &c.*
11 medium

viri ille subsistere totum populum, avertit Hamasam ab ipsa trita via in agrum, & conjecit super eum pannum, quum vidisset quemvis venientem ad illum consistere.

13 Quum amotus esset a trita via; progrediebatur unusquisque post Joabum, ad persequendum Schebahum filium Bicri.

14 [10] Erat autem progressus per omnes tribus Jisraëlis [13] Abelum, nimirum Beth-Mahacæ cum omnibus [14] Beræis, qui congregantes se etiam sequebantur eum.

15 Venientes igitur illi, obsederunt eum Abeli-Beth-Mahacæ, & [h] straverunt aggerem ad civitatem, adeò ut staret *solo* instructa muro: & totus populus qui *erat* cum Joabo, perdebant dejicientes [15] murum.

16 Tum inclamavit mulier sapiens de civitate: audite, audite, dicite quæso Joabo, appropinqua huc usque, ut alloquar te.

17 Quumque appropinquasset ad eam, dixit mulier, tune es Joab? qui dixit, sum: & ea dicente audi verba ancillæ tuæ, dixit, ego audio.

18 Itaque loquuta est dicendo; [i, 16] omnino loquebantur principio dicendo, [k] haud dubiè interrogabunt Abelæos, & ita absolverint.

19 [17] Ego [l] *ex* pacem colentibus, *e* fidelibus Jisraëlis *sum*: tu quæris morte afficere [m] incolas civitatis, & quidem metropolis in Jisraële; quare absorberes possessionem Jehovæ?

20 Respondit verò Joab dicens; Absit, absit mihi ut absorbeam, & ut perdam.

21 Non ita se habet res, sed quidam e [18] monte Ephrajimi Schebahi filius Bicri nomine suo, extulit manum suam contra regem Davidē, tradite eum solum, & abibo [n] ab obsidione hujus civitatis: quapropter dixit mulier illa Joabo, ecce caput ejus mox projicietur ad te per murum.

22 Et ita incessit mulier illa apud populum sapientiâ suâ, ut amputantes caput Schebahi filii Bicri, projicerent ad Joabum, qui quum clanxisset buccina, dispersi sunt ab obsidione civitatis quisque in tentoria sua: Joab verò reversus est Jeruschalaima ad regem.

23 Sic Joab [19] præerat toti militiæ in Jisraële: Benaja autem filius Jehojadahi præerat Cerethæis & Pelethæis.

24 Et Adoram præerat tributo: & Jehoschaphat filius Achiludis *erat* [o] a memoria.

25 [p] Scheja autem scriba: Tzadok verò & Ebjathar sacerdotes.

26 Et etiam Hira Jairites erat [20] præses pro Davide.

[12] nimirum iste Schebahi filius Bicri.
[13] oppidum Menaschitarum tribui Naphthali conterminum, quod alio nomine Abel-Majim dicitur, 2. Chro. 16.4. Vocatur autem Abel-Mahacæ ad differentiam aliorum oppidorum ejusdem nominis: fuit hoc Mahacæ uxoris Machiris, 1. Chro. 7.16.
[14] i. civibus Beerotharum, oppidi Binjaminitarum, Jehos. 18.25. contribulibus & fortassis civibus suis.
[h] Heb. effuderunt aggerem ad civitatem, stabatque in muro.
[15] videlicet nudatum aggere, & complanata fossa.
[i] Heb. loquendo loquebantur.
[16] i. cives mei omnino sibi principio persuadebant fore, ut per legatos exponentes petitionem tuam, & omnia, præsertim armis experiretis; quod si factum fuisset, jam absolutum & confectum esset negotium. Sic molestè Joabo mandatum Dei objicit, Deut. 20. 10. de conditionibus pacis offerendis, civium suorum de Joabo opinionem bonam, denique facilitatem omnium ad efficiendum & præstandam rem justam. [k] Heb. interrogando interrogabunt. [17] jam compellat Joabum mulier hanc totius suæ civitatis nomine. [l] Heb. ego pacem colentium fidelium Jisraëlis sum. [m] Heb. civitatem & matrem: metonymia. [18] i. ex oppido sito in finibus montis Ephrajimi: nam propriè Beerothæ erant Binjaminitarum: Jehosc. 18.25. & sup. 4.2. [n] Heb. a contra hanc civitatem: sup. 19. 22. [19] nam imperium jure sibi ademtum improbè recuperavit: cætera vide supra 9. [o] Heb. memorator. [p] qui sup. 9.3. Seraja. [20] sic sup. 9.4.

CAPUT XXI.

Fame per triennium Jisraëlitas premente, David oraculo admonitus, propter cæsos a Schaüle Gibhonitas, immissam esse: petentibus in piaculum Gibhonitis, septem e posteris Schaülis suspendendos tradit: quo facto reconciliatur Deus. Pietas commendatur, Ritzpæ in custodiendis suspensis, Davidis verò in eis cum Schaüle sepeliendis. Posteà quatuor recensentur prælia contra Pelischthæos gesta, in quorum singulis singuli gigantes occubuerunt.

Fuerat autem fames temporibus Davidis tribus annis [a] continuis; [1] deinde [2] requisivit David faciem Jehovæ: cui dixit Jehova, propter Schaülem & domum [b] illius [3] sanguinarium *est*, eo quòd [4] morte affecit Gibhonitas.

2 Itaque rex accersitis Gibhonitis alloquutus est eos: Gibhonitæ autem non e filiis Jisraëlis erant, sed e residuo Emoræi, quibus etsi filii Jisraëlis juramento caverant, tamen quæsiverat Schaül percutere eos, [5] affectus zelo pro filiis Jisraëlis & Jehudæ.

3 Et dixit David Gibhonitis, quid faciam vobis? & [6] quânam re expiabo, ut [7] benedicant possessioni Jehovæ?

4 Cui dixerunt Gibhonitæ, non *agitur* mihi *de* argento aut auro cum Schaüle & cum familia ejus, neque *agitur* nobis *de* ullo morte afficiendo in Jisraële: quibus dixit, id quod vos dicetis facturus sum vobis.

5 Tum dixerunt regi, viri illius qui absumpsit nos, & qui cogitavit contra nos; *per quem* exterminati sumus ne consisteremus in ullo termino Jisraëlis:

6 Ex illius *ergo* filiis dentur nobis septem homines [8] quos suspendamus Jehovæ apud Gibham Schaülis, ô electe Jehovæ: quibus dixit rex, ego daturus sum.

7 Sed clementiâ usus *est* rex erga Mephiboschethum filium Jehonathanis filii Schaülis; propter [9] juramentum Jehovæ quod *fuerat* inter ipsos, inter Davidem, & Jehonathanem filium Schaülis:

8 Et accepit rex duos filios [10] Ritzpæ filiæ Ajæ, quos pepererat Schaüli, Armonin & Mephiboschethum, & quinque filios [11] *sororis* Micalæ filiæ Schaülis, quos pepererat Hadrieli filio Barzillai Mecholano:

9 Tradiditque eos in manum Gibhonitarum, qui suspenderunt eos in [12] monte coram Jehova, sic ceciderunt hi septem simul: sunt autem affecti morte [13] ipsis primis diebus messis, in principio messis hordeaceæ.

10 [14] Accepit autem Ritzpa filia Ajæ quoddam cilicium, quod tenderet sibi ad rupem illā a principio messis, [15] donec effunderetur aqua super eos e cælis: ut [16] non sineret volatilia cæli quiescere super eos interdiu, aut bestias agri noctu:

11 Et renunciatum est Davidi, quod fecerat Ritzpa filia Ajæ concubina Schaülis.

12 Et abiens David accepit ossa Schaülis, & ossa Jehonathanis filii ejus a civibus Jabeschi Gilhadis: [q] qui suffurati erant ea e platea Beth-Schanis, ubi suspenderant eos Pelischthæi, quo tempore percusserant Pelischthæi Schaülem in Gilboha.

13 Quumque deportasset inde ossa Schaülis, & ossa Jehonathanis filii ejus; [17] collegerunt ossa

[a] Heb. anno post annum.
[1] i. anno quarto, ut ostenditur infrà 24. vide infrà in 24. 1. sic enim postulat temporum ratio.
[2] ordinaria ratione, de qua Num. 27.21.
[b] Heb. domum illam sanguinum.
[3] quæ Schaüli adhærebat, sanguinem & cædes spirāti: & post Schaülem Ischboschetho contra institutum Dei, vide suprà 19.29.
[4] contra jurandum illis præstitum Jehosch. 9. Hi autem Emoræi dicuntur συνεκδοχικῶς: nam gente Chivvæi erant Jehosc. 9.7. & alibi hæc historia alibi non legitur: Nam ad cædem sacerdotū & excidium civitatis Nobi, de quo 1. Schemu. 22. referri non placet, quia sacerdotum quoque hoc loco mentionem fecisset, & quia in eo facto zelo non ducebatur pro Jisraëlitis quod sequente ver. dicitur; sed ultionis affectu. verisimilius verò est, hoc ab eo factum esse, quum Pythones & ariolos exterminaret e terra, 1. Schem. 28.3. & 9. ver. Quia istius zeli commune fuit gentes & gentium studia e medio Jisraëlis tollere.
[5] mandato Dei sibi proposito, de quo Exodi 23. in fine & Deut. 7. & 20. sed sine scientia.
[6] alterum est membrum consultationis: nam priùs Gibhonitas, velut actores irrogare pœnam in reos voluit: posteà his verbis orationem convertit ad consilium suum, & rem totam in consilium mittit statuendam.
[7] id est, reconciliationem testatam facientes, iram ejus ab Jisraële avertant: sic de Abimelecо & Abrahamo, Gen. 20.7. [8] ad eum vobis reconciliandum, jura ejus exsequendo in familiam istam: ut Num. 25.4. [9] de quo 1. Schemue. 20. 15. & 42. & 23.16. [10] de qua suprà 3.7. [11] eclipsis nominis cognationem significantis, qualis legitur infrà 20. vers. nam uxorem Hadrieli alteram Schaülis filiam fuisse apparet 1. Schemu. 18.18. nisi quis forte filios malit exponere legales (ut vocant) id est, a Micale adoptatos, aut certè ab ea educatos, ut voluit Abben Hezra in Genes. 36.5. Atque ita pariendi verbum accipietur pro eo quod est, natos tollere atque educare pro suis μεταληπτικῶς. [12] Gibhæ Schaülis. [13] sub tempus Paschatis, quo primùm falx in segetem ex lege mittebatur: Deuteronom. 16.9. [14] intelligens ex oraculo hac ratione Deum populo reconciliatum iri, & missa pluvia reconciliationem suam significaturum, accepit, &c. [15] incerta enim erat, quo tempore pluvia casura esset. [16] si fortè Deus nondum planè reconciliatus fuisset, ac proinde pluviam mittere distulisset: nam hæc ad pietatis officia se ita comparaverat, ut divinæ voluntati satisfaceret, & non manerent insepulta suspensorum corpora, quocunque temporis momento sibi satisfactum esse testificaturus esset Deus pluviam demittendo in terminos Jisraëlis: vide legem Deuteronom. 21.23. [q] 1. *Schemue.* 31.10. *&* *sequentibus.* [17] Dia postquam sepulti fuissent.

eorum qui suspensi fuerant:

14 Sepeliveruntque cum ossibus Schaülis & Jehonathanis filii ejus in terra Binjaminitarum [18] Tzelañi, in sepulcro Kischi patris illius, feceruntque omnino prout præceperat rex: sic exoratus est Deus ipsi [19] terræ [20] post illud.

15 Quum autem adhuc esset bellum Pelischthæis contra Jisraëlitas; descendens David & servi ejus cum eo, pugnaverunt contra Pelischthæos, ita ut defessus esset David.

16 Tum Jischbi-Benob, qui *erat* e natis cujusdam gigantis, cujus mucronis pondus *erat* trecentorum siclorum pōdus, ex chalybe, *eratq́;* accinctus novo *gladio;* [c] cogitabat percutere Davidē:

17 Sed opem tulit ei Abischai filius Tzerujæ: & percutiens Pelischthæum morte affecit eum: tunc jurârunt homines Davidis ei dicendo, non es proditurus ultrà nobiscum in prælium, ut non [21] extinguas lucernam Jisraëlis.

18 Fuit quoq; posteà quum adhuc esset prælium [22] Gobi contra Pelischthæos; *ut* tunc percuteret Sibcai Chuschathæus [d] Saphum, qui *erat* e natis ejusdem gigantis.

19 Item fuit adhuc prælium Gobi cum Pelischthæis: ubi percussit Elchanan filius [e] Jañare-Oregim Beth-Lechemita, Goljathi Gitthæi [23] *fratrem*, cujus hastile *erat* ut jugum textorum:

20 Fuit item adhuc bellum ad Gathum: eratque [f] quidam procerus, [g] cujus manuum & pedum digiti erant seni, viginti quatuor numero, & ipse quoque natus erat eidem giganti.

21 Quem quum probro afficeret Jisraëlem; percussit Jehonathan filius [h] Scimñai fratris Davidis.

22 Quatuor isti editi sunt [24] eidem giganti Gathi; [25] qui ceciderunt manu Davidis, & manu servorum ejus.

CAPUT XXII.

Davidis carmen laudativum, editum ab eo sub finem vitæ: quo Deum laudat recordatione beneficiorum jam acceptorum, & in posterum se laudaturum profitetur.

1 Eloquutus autem est [1] David Jehovæ verba [2] cantici hujus; qua die eripuerat eum Jehova e manu inimicorum ipsius, ut e manu Schaülis:

2 Et dixit: [2] Jehova petra mea, & propugnaculum meum, & liberator meus, a me *est*.

3 Deus rupis meæ, in quem me recipiam: clypeus meus & [3] cornu salutis meæ, editus locus meus, & perfugium meum, servator meus, a violentia servas me.

4 [4] Laudatum invoco Jehovam; & ab inimicis meis servor.

5 [5] Quum circumdant me irrumpentes fluctus mortis; torrentes *hominum* nequam perterrent me:

6 Dolores [6] sepulcri circumeunt me; occurrunt mihi [7] tendiculæ mortis:

7 In ipsa angustia mea invoco Jehovam, & Deum meum inclamo: [8] qui exaudit e templo suo vocem meam, & clamorem meum auribus suis.

8 Et [9] concutitur ac movetur terra, [10] fundamenta cælorum commoventur: concutiuntur autem quum ira accenditur ei.

[18] de quo Jehos. 18.28.
[19] demittendo pluviam.
[20] postquam suspensi sunt, relativum ad remotius refertur, vide sup. 1. Sche. 7.16.
[c] Heb. dicebat.
[21] i. morte tua fœlicem nostrarū rerum cursum & regiæ majestatis lumē intervertas.
[22] in loco adjacente Gezeri: ideò 1. Chron. 20. hoc bellum dicitur gestum ad Gezerem.
[d] *Sippajum*, 1. *Chro.* 20.4.
[e] *Jañiru*, 1. *Chron.* 20.5.
[23] sic enim expressè scribitur, 1. Chro. 20.5. sic sup. vers. 8.
[f] *Heb. vir mensuræ.*
[g] *Heb. cujus digiti manuum & digiti pedum sex & sex.*
[h] *Schimña*, 1. *Chron.* 20.7.
[24] qui pater erat Goljathi.
[25] comprehenso Goljatho: synecdoche.

[1] *Confer hoc caput cum psalm.* 18. & 144.
[2] quod canticū est *ἐπινίκιον*, triumphale atque laudativum, ex propositione, narratione, & conclusione constans.
[2] propositio, contenta tribus versibus: per congeriē metaphoricarum similitudinū.
[3] q.d. is est, quo me defendo, ut bestiæ cornibus.
[4] i. quū eum invoco, nō possum nō erumpere in laudes, quia certa fiducia amplector quod peto: & se omnibus sermone & opere suo præbet summè laudabilem.
[5] Confirmatio a narratione beneficiorum Dei, planè poëtica: cujus duæ sunt partes, liberationis ex adversis, ab hoc versu ad 29. & gloriosæ victoriæ, inde ad 47. [6] i. lethales. [7] i. quas homines nequam tetenderunt in necem meam. [8] primus gradus beneficiorum Dei, precum exauditio in calamitatibus. [9] secundus gradus beneficiorum Dei, præsentiæ suæ testificatio multiplex, ad confirmandos suos, & hostes perterrefaciendos, usq; ad vers. 17. A terræ motu: ab aëris inflammatione: a repercussu nubium a vi majore, & impressionibus a ventorum concertatione: a nubium condensatione: a coruscatione: a tonitruis: a fulguribus: & a maris terræq; hiatu. [10] i. altissimi montes, quibus videtur quasi cælum incumbere.

9 Quum ascendit fumus per nasum ejus, & ignis ex ore ejus consumit; prunæ ardent ab eo.

10 Et demittens cælum descendit, cum caligine sub pedibus suis.

11 Et insidet Cerubinis & volat; ac conspicuus est super alas venti.

12 Et circumponit sibi tenebrarum tuguria: atrorem aquarum, densitates superiorum nubium.

13 Splendore *qui est* ante eum, ardent prunæ igneæ.

14 Tonat e cælis Jehova; & excelsus edit vocem suam:

15 Et emittit sagittas; *quibus* dispergit illos; fulgur, quo fundit illos.

16 Conspiciuntur etiam imi alvei maris, revelantur fundamenta orbis habitabilis; increpatione Jehovæ, a flatu spiritus nasi ejus.

17 [11] Mittens ex edito assumit me; extrahit me ex aquis multis.

18 Eripit me ab inimico meò valentiore; ab osoribus meis, quum robustiores sunt me.

19 Occurrunt mihi in tempore calamitatis meæ: est autem Jehova scipio mihi;

20 Et educit in latum me; liberat me, quia [12] delectatur me.

21 Tribuit mihi Jehova secundùm [13] justitiam meam: secundùm puritatem manuum mearum restituit mihi.

22 Quum observo vias Jehovæ, neq; improbè averto me a Deo meo:

23 Sed omnia judicia ejus in conspectu meo sunt; & ab ullo statutorum ejus non recedo:

24 Denique quum sum integer illi; & caveo mihi [a] ne iniquè agam:

25 Restituit mihi Jehova secundùm justitiam meam; secundùm puritatem meam coram oculis suis.

26 Cum benigno benignum te exhibes; cum *viro* forti integro integrum te exhibes:

27 Cum puro purum te præbes; at cum perverso [14] eluctaris.

28 Populum autem afflictum servas; & oculos tuos contra elatos [15] dejicis.

29 [16] Quin imò tu *es* [17] lucerna mea, ô Jehova: & Jehova [18] illustrat tenebras meas.

30 Per te enim transcurro [19] turmam: per Deum meum transilio murum.

31 [20] Hujus *Dei* fortis integra *est* via: sermo Jehovæ purgatissimus *est*, clypeus est omnibus qui se recipiunt ad eum.

32 Nam quis *est Deus* fortis præter Jehovam? & quis rupes præter Deum nostrum?

33 Hic *Deus fortis* robur *est* meū, *mea* strenuitas: & [21] expeditam reddit integrè viam meam.

34 Disponit pedes meos, ut cervarum; ut [22] in excelsis meis statuat me:

35 Docens manus meas prælium; adeò ut frangatur arcus chalybeus brachiis meis.

36 Nam [23] das mihi clypeum salutis tuæ; & [24] mansuetudo tua adauget me.

37 [25] Dilatas gressui meo locum meum; neque [26] vacillant malleoli pedum meorum.

38 Persequor inimicos meos, ut perimam eos: neque revertor donec consumam eos:

39 Et consumo eos ac frango eos, adeò ut non exsurgant, sed cadant sub pedes meos.

40 Accingis enim me robore ad bellum; prosternis sub me insurgentes in me:

[11] tertius gradus, opus liberationis, sub similitudine ejus qui aliquem e profundis aquis eripit, propositum.
[12] unica causa liberationis, gratuita Dei benevolentia erga nos.
[13] causæ nimirū quam contra hostes defendo: id est, facti mei, cum facto illorum comparati.
[a] *Heb. ab iniquitate mea.*
[14] i. ita certas, ut eum sua ipsius perversitate corruentem vincas.
[15] i. e sublimiore loco eos observas puniendos.
[16] altera pars narrationis, ut observatum est suprà *v.* 5.
[17] i. auctor felicitatis meæ: metaphora.
[18] i. dissipat adversa prosperis allatis.
[19] hostium, q.d. omnia hostium impedimenta supero quàm commodissimè. Hæc autem de prosperitate & robore his duobus versibus posita prolepticō, deinceps exornantur ad versum 47. usque.
[20] Epiphonema percurrēs laudes Dei ab operibus, sermone, & essentia ejus his duobus versibus.
[21] i. sublatis omnibus impedimentis complanat & felicem exitum dat.
[22] i. in munitionibus, quas tanta velocitate cōparavi, stabilit me: sic Deut. 32.13. & 33.29.
[23] i. armas me salute.
[24] qua ad benefaciendum tuis te demittis.
[25] facis ut libere incedam sublatis adversariis.
[26] ut solent stupidi.

41 Et

41 Et inimicorum meorum exponis mihi cer-
vicem, odio habentium me, ut exscindam eos.
42 Circumspectant, sed non *est* qui servet; ad
Jehovam, sed non exaudit eos.
43 Contundo itaque eos tamquam pulverem
terræ: ut lutum platearum comminuo eos, dis-
pando eos.
44 Sic liberas me ab iis qui contendunt in po-
pulum meum: conservas me in caput gentium;
populus *quem* non noveram serviunt mihi.
45 Alienigenæ mendaciter se dedunt mihi:
[27] ad auditionem auris obediunt mihi.
46 Alienigenæ [28] decidunt, & horrescunt e
[29] conclavibus suis.
47 [30] Vivit Jehova, & benedicta rupes mea:
quapropter exaltetur Deus rupis [b] salutaris
meæ.
48 *Deus* ille fortis, qui [c] præstat ultiones mi-
hi; & deturbat populos subter me:
49 Qui exitum dedisti mihi ab inimicis meis;
& supra insurgentes in me exaltasti me, a viro
[d] violentissimo eripuisti me.
50 Idcirco celebrabo te, Jehova, in gentibus;
& nomini tuo psallam:
51 *Dicens ipsum esse* turrem, [e] omnimodam sa-
lutem regis sui; & exercere benignitatem erga
unctum suum, Davidem & semen ejus usque in
seculum.

[27] i. quamprimum audiunt mandatum, obcœperant, etsi mendaci animo.
[28] ut folia arborum marcida.
[29] i. etiam in abstrusissimis locis, quò se ad securitatem recipere solent, metu percelluntur.
[30] Conclusio cujus duæ sunt partes, præsentis laudationis ab ante actis beneficiis & publicæ professionis in futurum, cum propter singularia ipsius in Davidem beneficia, tum propter ipsorum causam communiter ad perpetuam totius Ecclesiæ salutem in Christo Jesu pertinentem.
[b] Heb. salutis.
[c] Heb. dat. [d] Heb. violentiarum. [e] Heb. salutes.

CAPUT XXIII.

David moriturus vocationem suam, mandatum Dei, & promissiones repetit, & suam indignitatem confessus, fidem suam in fœdus Dei protestatur: ex quo suo regno prospera: alienis adversa denunciat. Catalogus describitur ducum exercitus Davidis: e quibus summi tribuni rebus strenuè gestis commendantur.

DEnique hæc *sunt* verba Davidis [1] postrema:
Dictum Davidis filij Jischai, dictum inquam,
viri qui constitutus est [2] excelsus, unctus Dei Ja-
hakobi, & [3] amœnus psalmis Jisraëlitarum.
2 [4] Spiritus Jehovæ loquutus est in me: & ser-
mo ejus per linguam meam.
3 [5] Dixit Deus Jisraëlis, mihi loquuta est
[6] rupes Jisraëlis: qui dominatur [7] hominibus i-
stis justus *esto*, dominans *in* timore Dei.
4 Et *erunt*, ut quum [8] lucente mane oritur
sol: [9] *ut* mane non nubilo herba tenera e terra
exsistit a splendore post pluviam.
5 Quamvis non *sit* ita [10] domus mea erga
Deum fortem: quandoquidem fœdus [a] [11] perpetu-
um disposuit mihi, [12] ordinatum *perstat* in *rebus*
omnibus atq; conservatum, [13] quum tota salus
mea totumq; desiderium [14] *sit* [15] quando non fa-
ciat ut pullulet.
6 At [16] *homines* nequam ut spinæ remotæ e-
runt omnes, quia non capiuntur manu:
7 Sed qui attrectaturus est eas [b] munitur fer-
ro & hastili: ut igne [c] prorsus comburantur [17] in
eadem sede.
8 ISTA *sunt* nomina robustissimorũ qui *erant*
Davidi: ‡ Joscheb Baschebeth Tachcemonita
[18] primarius tribunorũ: [d] huic gratũ *fuit* hastato
una vice invadere octingentos [e] [19] confodiendos.
9 Post hunc Elhazar filius Dodonis [20] Acho-
chæi: inter hos tres robustissimos [f] comites Da-
vidis *fuit* quum [21] exponerent vitam suam contra
Pelischthæos congregatos illuc ad bellum, [22] ab-
euntibus Jisraëlitis.
10 Is surgens percussit Pelischthæos, usque-
dum defatigata esset manus ipsius, & [23] adhære-
ret manus ipsius gladio suo, præstante Jehova
salutem magnam illo die: post quem reversus est
populus tantùm ad spoliandum.
11 [24] Post hunc autem Schamma filius Agæ
Hararites: quum congregarentur Pelischthæi in
catervam, ubi erat portio agri plena lentibus, &
populus fugeret a facie Pelischthæorum;
12 Stitit se in medio illius portionis ut libera-
ret eam, percussitq; Pelischthæos, ita præstitit Je-
hova salutem magnam.
13 Præterea descendentes [25] tres isti supra
triginta primarii convenerunt in messe ad Davi-
dem, ad speluncam [26] Hadullami; quum caterva
Pelischthæorum castra haberent in convalle
[27] Raphæorum.
14 (Nam David tunc *agebat* in suo [28] propug-
naculo; & statio Pelischthæorum tunc [29] erat *ad*
Beth-Lechemum)
15 Et desiderio motus dixit David: [g] *ô si* quis
bibendam daret mihi aquam e cisterna Beth-Le-
chemi, quæ *est* ad portam.
16 Quapropter perruperunt tres isti poten-
tissimi per castra Pelischthæorum, & haustam a-
quam e cisterna Beth-Lechemi, quæ *est* ad por-
tam, deportantes attulerunt ad Davidem: qui
noluit bibere eam, sed effudit eam Jehovæ.
17 Dicebat enim, absit mihi, Jehova, ut faci-
am hoc, an sanguinem istorum hominum, qui
[h] iverunt periculum vitæ suæ *biberem*? sic noluit
bibere illam: hæc fecerunt tres illi potentissimi.
18 Deinde Abischai frater Joabi filius Tzeru-
jæ erat primarius [30] horum trium, qui vibravit
hastam suam in trecentos, quos confodit: *erat*q;
[i] nominatissimus inter hos tres.
19 Horum trium, nónne quia honoratissimus
erat, fuit illis princeps? attamen usque ad [31] illos
tres non pervenit.
20 Et Benaja filius Jehojadahi filius viri stre-
nui, magnus rebus gestis, e [32] Kabtzeelis percus-
sit duos [k] valentissimos Moabitas, & idem des-
cendens percussit quemdam leonem in medio
cisternæ [33] tempore nivis.
21 Idem quoq; percussit quemdam Ægyptium
[l] spectabilem *magnitudine*, quum *esset* in manu Æ-
gyptii hasta, descendit ad eum baculo: & arripiens
hastam e manu Ægyptii, interfecit eũ hasta ipsius
22 Hæc fecit Benaja filius Jehojadahi: qui *e-
rat* nominatus inter hos tres potentes.

[1] i. est, habita ab eo, postquam mandata dedit filio Schelomoni, de quibus 1. Reg. 2. eumque precibus deo commendavit Psal. 72. quum jamjam esset moriturus, hoc enim facto Jahakobum Gen. 49. & Moschen. Deu. 32. & 33. imitatus est.
[2] i. erectus ad fastigium regni, ut produnt sequentis verba indicant.
[3] i. propheta, qui suaves psalmos Jisraëlitis ad laudandum Deum conscripsit. [4] i. Deus pater per Filium in spiritu animum & linguam meam moderatus est ad prophetias exarandas: confirmatio posterioris sui epitheti: ut Hebræi solent partes exponere [illegible]. [5] confirmatio prioris sui epitheti a vocatione & mandato Dei. [6] vide Deut. 32.4. [7] Jisraëlitis: Atque hæc prior pars sermonis Dei, mandatum vel stipulatio, ut Gen. 17.1. [8] i. omni luce prosperitatis & gloriæ circumfulgebunt: altera pars sermonis Dei, promissio regi, & populo colenti justitiam & timorem Dei. [9] i. virescent perpetuò; ut herbæ, quibus pluviæ & calores tempestivè adveniunt. [10] i. ego & regnum meum, quamvis hæc non ita exactè præstemus, ac proinde rei simus non servati fœderis cum Deo &c. [a] Heb. seculi. [11] quia Deus immutabilis est, & ita promisit sup. 7.15, 16. [12] i. penes ipsum est ordinatio & conservatio optatissimi illius & salutaris fœderis, in domo mea regnóque universo & Ecclesia per Christum, idque se effecturum recepit, & re ipsa perficit, ibidem, ut fidelis Dominus. [13] q. d. quandoquidem in eo uno acquiesco. Sensus est, non propter justitias nostras id effecturus est (non enim ita est domus mea erga Deum fortem) sed propter nomen suum maximum. Sed hujus fidei quam Deus præstat in conservando fœdere certissimum est documentum & pignus [illegible], primitiæ spiritus, quo inspirante universam salutem meam fœderi gratioso Dei acceptam fero, inclamo Abba Pater, & sentio legem carnis meæ pugnantem cum lege mentis meæ, ut exclamem, quis me liberabit? &c, Rom. 7.

[14] puta in illo Dei fœdere.
[15] i. propter peccata nostra non exserit illam prosperitatem quam præcedente versu similibus duobus adumbraverat. Sic anticipat objectionem: tum quod non pareret mandato Dei: alteram quòd Deus promissa nondum præstet. Statuit enim inobedientia sua fidem Dei inanem reddi non posse: ut Ro. 3.3.
[16] qui mandata Dei non amplectuntur, neque promissionum sunt participes, i. reprobi. est autẽ antithesis ex cõparatione cum superioribus.
[b] Heb. impletur ferro.
[c] Heb. comburendo comburentur. Confer cum 1. Cor. 11. & V. 11.
[17] i. in eo loco ubi succisæ fuerint.
‡ Ibi Jascheb Hakmonei filius Chahmonei.
[18] id est, dux summus primi agminis; ut quinque sequentes suorum agminum fuerunt duces suo ordine.
[d] Heb. hoc gratũ fuit ei lignato.
[e] Heb. confossos sic infr. 18. V.
[19] ex quibus trecentos eum confodisse ostenditur 1. Chro. 11. 11.
[20] e posteris Achochi Binjaminitæ, de quo 1. Chro. 8. 4. sic infrà vers. 28.
[f] Heb. cum Davide.
[21] i. abjecta vitæ cura, periculo se exponerent: sic Judic. 5. 18.
[22] i. fugientes loco cesserant, ibid. versic. 13. & hic versic. 11.
[23] ex distentione nervorum præ magno labore.
[24] ab Elhazare secundus restitit Pelischthæis, alteram catervam ab altera agri parte invadens: nam Elhazar ab ea parte Pelischthæos aggressus est, ubi erat hordeum: Schamma verò quà lentes erant, 1. Chron. 11. 13. [25] suprà nominati. [26] 1. Schemu. 22. 1. [27] suprà 5. 18. [28] Jebusi in civitate sua, paulò antè expugnata, ex qua prodiit Hadullamum versus, Pelischthæos aggressurus. [29] itinera obsidens.
[g] Hebr. quis bibendam dabit mihi. [h] Hebr. qui iverunt pro animis suis.
[30] qui sequuntur. [i] Hebr. nomen erat ei in tribus istis. [31] antè numeratos.
[32] Jehos. 15. 21. in tribu Jehudæ. [k] He. ariel, id est, duos leones fortissimos.
[33] quo feræ ferociores sunt penuria victus. [l] Heb. virum aspectus.

23 Honoratus supra triginta, quamvis ad tres
illos non pervenerit: quam ob rem præposuit e-
um David m satellitio suo.
24 Hasaël frater Joabi 34 supra triginta istos:
Elchananem filium Dodonis Beth-Lechemitam:
25 ‡ Schammam 35 Charoditam: Elikam
Charoditam:
26 Cheletzum ‡ Paltitam: Hiram filium Hi-
keschi Tekoħæum:
27 Abiħezerem Hanathothanum: ‡ Mebun-
naium 36 Chuschathæum:
28 ‡ Tzalmonem Achochæum: Maharium
37 Netophathæum:
29 ‡ Chelebum filium Baħanæ Netophathęū:
Itthaium filiū Ribbai e Gibħa Binjaminitarum:
30 Benajam 38 Pirħathonæum: ‡ Hiddaium
ex una vallium 39 Gaħaschi:
31 ‡ Abi-Halbonem Harbathæum: Hazma-
vethum ‡ Barchumæum:
32 Eljachbam 40 Schaħalbonæum: e filiis
‡ Jaschenis Jehonathanem:
33 Schammam 41 Hararitam: Achiamum fili-
um ‡ Scharatis Araritam:
34 ‡ Eliphelètum filium Achasbai 42 Maħa-
chathæi: ‡ Eliħamum filium Achithophelis
43 Giluntinum:
35 ‡ Chetzraum 44 Carmelitam: ‡ Paħarai-
um 45 Arbæum:
36 ‡ Jigealem filium Nathanis e Tzoba: Ba-
nin Gaditam:
37 Tzelekum Hammonitam: Nacharaium
46 Beerothitam armigerum Joabi filii Tzerujæ:
38 Hiram 47 Jithræum: Garebum Jithræum:
39 Urijam Chitthæum: omnes sunt 48 trigin-
ta septem.

m Heb. auscultationi suæ: i. militibus stipatoribus suis, qui semper præsto erant ad imperium ipsius, 2.Sche.9 4.& 20.23. 34 postremus quidem secundi ordinis; sed præstantior triginta Chiliarchis quos deinceps nominat: nā sex illi quinis Chiliarchis præstant, ut Joab erat imperator omnium: sunt enim hæ duæ voces [illegible] sex illis accommodandæ, quorum nomina & res gestæ modò explicatæ sunt. ‡ *Schammothum Hareritē*, 1.*Chro*, 11. 35 Judic.7.1. ‡ *Pelonitam.* ‡ *Sibecaium.* 36 e tribu Jehudæ, 1.Chro.4.4. ‡ *Hilajum.* 37 in tribu Jehudę, 1.Chro.2.54. ‡ *Cheledum & Cheldai*, 1.*Chro.* 27.15. 38 opidum fuit in tribu Ephrajimi, Judic.10.15. ‡ *Churajum.* 39 is fuit mons in tribu Ephrajimi, Jehos.24.30.& Judic.2.8. ‡ *Abielem.* ‡ *Bacharumæum, i ex Bacharimis Binjaminitarum.* 40 e Schaħalabimis in tribu Danis, Jehos.19.42. ‡ *Haschemi.* 41 montanum, è montibus Ephrajimi. ‡ *Sacharis.* ‡ *Eliphalem filium Uris.* 42 trans Jardenem ex opido Menaschitarum, Jehos.13.11. ‡ *Achijam Pelonitam.* 43 Jehosch.15.21. ‡ *Chetzronem.* 44 ex oppido Jehudæ, Jehosch.15.55. ‡ *Naħarajum.* 45 ex Arabo opido Jehudæ, ibidem 52 ‡ *Joëlem fratrem Nathanis.* 46 Jehos.18.25. 47 e Jatthire opido Jehudæ, Jehos.15.48. 48 comprehenso Joabo imperatore summo, & secundo a rege.

CAPUT XXIIII.

David Satanæ instinctu populum numerari iubens, Dei iram in se & populum concitat. Quam ob rem Deus ei trium pœnarum optione data, triduana peste, ut elegerat, in populum sævit. Deinde populi & Davidis resipiscentis misertus, altare sibi exstrui & sacrificia in eo offerri destinato loco quem monstrat, jubet.

1 PErrexit autem ira Jehovæ accendi in Jisra-
ëlitas, quum incitasset a *adversarius* Davi-
dem in eos 3 dicendo, a age numera Jisraëlem &
Jehudam.
2 Edixit enim rex Joabo principi copiarum
b suarum, discurre jam per omnes tribus Jisraëlis
4 a Dane Beerschebaħum usq;, & recensete 5 po-
pulum: 6 ut sciam numerum populi.
3 Et quamvis diceret Joab regi, at adjiciat
Jehova Deus tuus ad populū c quotquot sunt cen-
tuplū, idq; oculis domini mei regis vidētibus: do-
minus autē meus rex quare delectaretur re hac?
4 Tamen 7 confirmatū est verbū regis apud
Joabum, & apud præfectos copiarum: qua-
propter egressus est Joab, & præfecti copiarum
a conspectu regis ad recensendum populum Jis-
raëlem.
5 Et trajicientes Jardenem, castra posuerunt
ad 8 Haroħerem, *a* dextera civitatis, 9 quæ *est*
in medio 10 torrentis Gaditarum, Jaħzerem
usque.
6 Deinde venerunt Gilħadem, & in terram
inferiorem 11 recens comparatam: posteà vene-
runt 12 Dan Jahanum, & 13 circa Tzidonem.
7 Et venientes *ad* urbem 14 munitam Tyri,
& omnes civitates Chivvæi, & Cenaħanæi; pro-
cesserunt ad meridianum tractum Jehudæ Beer-
schebaħum.
8 Deniq; quum discurrissent per totam ter-
ram; venerunt d exactis novem mensibus & vi-
ginti diebus, Jeruschalaima:
9 Ubi dedit Joab numerum census populi
regi: 15 erant autem Jisraëlitarum octingenta
millia virorum e strenuorum stringentium gla-
dium, virorum autem Jehudæ 16 quingenta
millia.
10 Tum f animus Davidis affecit eum, post-
quam numerasset populum: quapropter dixit
David Jehovæ, peccavi valdè *in* eo quod feci, sed
nunc Jehova, transfer quæso iniquitatem servi
tui, 17 nam stultè egi valdè.
11 Quumq; surrexisset David mane, verbum
Jehovæ fuit ad Gadem prophetam 18 videntem
Davidis, dicendo:
12 Abi ut alloquaris Davidem, ita ait Jeho-
va, tria ego propono tibi: delige unum ex his
quod faciam tibi.
13 Veniens ergo Gad ad Davidem renuncia-
vit ei: dixit enim ei, an eveniet tibi 19 septem an-
norum fames in terra tua? an verò ut fugias tri-
bus mensibus, a facie opprimentium te, 20 ita ipse
persequetur te? an denique ut sit tribus diebus
pestis in terra tua? nunc cognosce, & vide quid
rei responsurus sim ei qui misit me.
14 Dixit verò David Gadi, angustia est mihi
valdè: incidamus quæso in 21 manum Jehovæ,
nam magnæ sunt miserationes ejus, in manum
autem hominis ne cadam.
15 Itaque posuit Jehova pestem in Jisraële ab
eo mane usque ad 22 tempus constitutum: qua
mortui sunt de populo a Dane usque Beersche-
baħum septuaginta millia virorum.
16 Extenderatq; manum suam angelus *contra*
Jeruschalaima ad perdendum ea; sed 23 pœni-
tens Jehova istius mali, edixit angelo qui perde-
bat de populo, satis *est*, jam remitte manum tu-
am (angelus autem Jehovæ erat juxta aream
‡ Araunæ Jebusæi)
17 Quum alloquutus David Jehovam, vidē-
do angelum qui percutiebat populum dixisset, ec-
ce ego peccavi, & ego iniquè feci, hi autem, hæ
oves quid fecerunt? sit, quæso, manus tua contra
me & contra 24 domum paternam meam.

2 i. quum toto triennio ante Jisraëlitis infensus, famem immisisset ob factum Schaülis suprà 21. hac Davidis offensa, rursus in eos ira accensus est: nam utraque hæc historia per [illegible] temporū ultimo loco ponitur. a ex 1.Chro.21. 3 Nam nomina conjugata verbis suis, ut cōtra verba nominibus inclusa latent, ex linguæ proprietate, ut Gen.18.21. 3 sine ulla legitima causa: sive ecclesiastica, ut fuit illa tempore Moschis, Exod. 30. sive politica, ut est temporibus belli; sed contra promissiones Dei, contra fidem suā priorem, & contra publicam quietem veniens; ut hic ostenditur, & 1.Chron.21. a *Heb. i. num.* b *He. quæ* erant apud *se.* 4 vide Judicum 20.1. 5 universum, ne Levitis quidē & Sacerdotibus exceptis, aptum ad militiā obeundam: h. a nato viginti annos & deinceps, 1.Chr.23.26.& 27.23. prout ostenditur inf. v.9. 6 mera curiositate movetur, & nullam rationem adfert aliam, quàm voluntatē: quapropter Joab conans eum a proposito avertere dicit: quare delectaretur dominus meus re hac? c *Heb. ut sunt, & ut sunt centum vicibus.* 7 i. Rex David obfirmato animo suum illud consilium mandavit effectum reddi, adeò ut coacti & inviti Principes ei paruerint.

8 vide Num,32,34. 9 vide Deu.2.36 10 Arnonis. 11 temporibus Schaülis, 1,Chro,5.10. 12 Quod Dan simpliciter dicitur Jehos.19.47. 13 nam agrum tenebant, quāvis Cenaħanæi urbem, quemadmodum de Tyro in sequenti versu dicendum est. 14 Jehos.19.29. d *Heb. a fine novem mensium.* 15 quorum numerum Joab regi dedit, quum primum Jeruschalaima venit, nondum numeratis Binjamine neque Levi: studio enim Joab omiserat eos, velut in propinquo sitos, quia rem improbabat, ut apparet 1.Chr.21.6. Ad hunc autem numerum accedunt trecenta millia. 1.Chron.21.5. quia hic nō comprehenduntur legiones ordinariæ quæ in numerato habebantur, ut perscriptæ sunt 1,Chron.27.1. & seq. Nam expeditæ semper habebantur distributiones 12, una in unamquamque tribuum habens 24000. virorum stringentium gladium: qui numerus summam efficit militum 288000. His autem præerant sui duces 12, cum sua quisque chiliade seq. chiliarchis, ut ibidem dicitur, ex quibus assurgit summa 12000. Sic habētur 300000. de quibus 1.Chr.21. Hujus autem chiliadis principalis milites singuli cū imperio erant, nempe Chiliarchi, centuriones, aut duces manipularii, ut quorum minimus in 24. milites imperium obtineret, si imperium chiliadis unius in chiliadas 24. (nam tot erant in distributione quaque) diviseris. e *Heb. virorum roboris.* 16 annumeratis triginta millibus, quorum milleni singuli Chiliarchis parebant, de quibus supra 23.8.v.& seq. quam ob rem his omissis in Chronicis quadringenta septuaginta millia tantum numerantur. f *He. percussit cor Davidis in ipsum. sic* 1.*Sch.*24.5. 17 Agnosco me stultè egisse: ut Num.14.40. 18 vide 1.Sche.9.9. & de ejus officio, 2,Chro.29.25. 19 quasi dicat; jam tres anni famis propter Gibħonitas elapsi sunt: hic quartus est, quo datâ pluviâ testatus quidem est Deus se reconciliatum esse: sed hoc tuo peccato offensus denuò proponit tibi alterum triennium, cujus mentio est 1.Chr.21:12. nam hoc triennium superioribus annis conjunctum septem efficit. 20 i. Deus tibi infensus ipsorum contra te conatus secundet & efficiat ut assequantur te: vide 1.Chron.21.12. 21 solius, ut finis versus explicat. 22 tridui, sup. v.13. 23 vide in Ge.6.6. ‡ *qui & Aranja, ver.18 & Ornan in Chron.* 24 i. contra familiares meos, ut consiliorum participes.

18 Deinde [25] rediit Gad ad Davidem die illo:
& dixit ei, ascende, statue Jehovæ altare in area
Aranjæ Jebusæi.
19 Et, ascendente Davide secundùm verbum
Gadis, quemadmodum præceperat Jehova:
20 Quum prospectans Aravna videret regem
& servos ejus transeuntes ad se; egressus Aravna
incurvavit se *habens honorem* regi facie sua *demissa*
in terram.
21 Dixitq; Aravna, quare venit dominus me-
us rex ad servum suum? cui dicente Davide, em-
turus a te istam aream, ad ædificandum altare
Jehovæ, ut cohibeatur hæc plaga a populo.
22 Dixit Aravna Davidi, accipiat & offerat
dominus meus rex quod bonum *videtur* in oculis
ejus: vide [26] hos boves pro holocausto, & [27] has
tribulas & instrumenta boum in ligna.
23 Hęc omnia dabat Aravna regulus regi; di-
cebatq; Aravna regi, Jehova Deus tuus accep-
tum te habeat.
24 Dixit verò rex Aravnæ, nequaquam, sed
[b] omnino emam abs te pretio, neque offeram
Jehovæ Deo meo holocausta gratis: quapropter
emit David [28] aream illam, & illos boves argen-
ti [29] siclis quinquaginta.
25 Deinde exstruens ibi David altare Jeho-
væ, obtulit holocausta & eucharistica: sic exora-
tus est Jehova terræ, & cohibita plaga hæc ab
Jisraële.

[25] ex jussu Dei, 1. Chron. 21. 18. & infrà 19. ver.
[26] quibus utebatur in trituratione.
[27] ut ex re præsente arida ligna habeantur ad cōmoditatem sacrificii.
[b] *Heb. emendo, emam.*
[28] eam cum toto loco emit sexcentis siclis aureis, 1. Chr. 21. 25. qui efficiunt paulò ampliùs mille quingentos dalleros.
[29] videlicet boves: hoc est, dalleris paulò ampliùs duodecim: synecdoche.

REGUM LIBER
PRIOR.

PRIOR *liber regum res gestas quinque regum Jehudæ, Schelomonis, Rechabhami, Abijæ, Asæ, Jehoschaphati; & octo regum Jisraëlis, Jarobhami, Nadabi, Bahascha, Elæ, Zimri, Thibni, Homri & Achabi continet. Estq; historia centum octodecim annorum: e quibus primi quadraginta Schelomonis fuerunt: cæteri nimirum septuaginta octo reliquorum regnantium in Jehuda & in Jisraële.*

Schelomonis.					40	1. Reg. 11. 42.
Jehudæ			Jisraëlis			
Anni: Rechabhami	17	1. Reg. 14. 21.	Jarobhami		21	1. Reg. 14. 20.
Abijami	3	1. Reg. 15. 2.	Nadabi		1	1. Reg. 15. 25.
Asæ	41	1. Reg. 15. 10.	Bahaschæ		23	1. Reg. 16. 1
Jehoschaphati solius	17	1. Reg. 22. 52.	Elæ		1	1. Reg. 16. 10.
			Zimri dies		7	1. Reg. 16. 17.
			Thibni cum Homri			
			Homri		11	1. Reg. 16. 25.
			Achabi		21	1. Reg. 16. 31.

In regibus Jisraëlis observandum, nos ex numero, qui in istis singulis scripturæ locis habetur, ultimum cujusque annum detrahere: quia idem est successoris primus.

CAPUT I.

Davide rigente præ senio, Adonija filius cum Joabo & Ebjathare conspirat, ut regnum paternum occupet: sed Nathanis operâ dissipato eorum consilio, a Davide Schelomo rex instituitur; a sacerdote ungitur; a populo accipitur, & spectante Davide in solio regni collocatur. Cujus rei Adonija certior factus, ad altare Domini securitatis causa se confert: donec fide data ad Schelomonem ductus, domum cum venia remittitur.

REX autem David [1] senuerat,
vergebat [a] ætate: & quam-
vis operirent eum pannis,
non tamen [b] calefiebat.
2 Quapropter dixerunt ei
servi ejus, [c] quæratur domi-
no meo regi puella virgo,
quæ stet coram rege, & sit ei adjutrix; ut cubante
ea in sinu tuo, calefiat dominus meus Rex.
3 Quærentes itaq; puellam pulchram in toto
termino Jisraëlitarum; invenerunt Abischagam
[2] Schunammitidem, quam adduxerunt ad re-
gem.
4 *Erat* autem puella hæc pulchra admodum:
eratq; regi adjutrix, & ministrabat ei, rex verò
[3] non cognovit eam.
5 Adonija porrò filius Chaggithæ efferens
se dicendo, [4] ego regnaturus sum; [5] paraverat si-
bi currum, & equites, & quinquaginta viros præ-
currentes sibi.
6 Quem pater ejus [d] nunquam dolore affici-
ebat dicendo; quare ita facis? & ipse [6] quoq; bonâ
formâ *erat* valdè, pepereratq; eum *Chaggitha* post
Abschalomum *natum*.
7 Tandem [7] fuerunt ei sermones cum
Joabo filio Tzerujæ, & cum Ebjathare sa-
cerdote: [8] qui [e] Adonijam sequuti adjuve-
runt.
8 Tzadok verò sacerdos, & Benaja filius Je-
hojadahi, & Nathan propheta, & [9] Schimhi ac
Rehi, & *reliqui* potentes qui *erant* Davidi; non ad-
erant Adonijæ.
9 Quumq; Adonija mactatis pecudibus ac
bobus iisq; pinguibus apud lapidem Zocheleth,
qui *est* juxta fontem [10] Rogelis; invitasset omnes
fratres suos filios regis, & omnes homines Jehu-
dæ servos regis:
10 Nathanem verò Prophetam, & Benajam,
& reliquos potentes, ac Schelomonem fratrem
suum non invitasset:
11 Alloquutus est Nathan Bath-Schebaham
matrem Schelomonis, dicendo, an non audivi-
sti regnare Adonijam filium Chaggithæ, domino
nostro Davide ignorante?
12 Nunc ergo age, [f] daturus jam sum tibi con-
silium;

[1] nam ad annum 70. pervenerat: vide 2. Schem. 5. 5.
[a] *Heb. diebus, ut Gen.* 18.
[b] *Heb. non calescebat ei: sic infrà V.* 2.
[c] *Heb. quærant.*
[2] e Schunemo oppido Jissacaris, Jehosch. 19. 18.
[3] id est, abstinuit a consortio ejus, quamvis familiari ministerio uteretur.
[4] quasi dicat, meum est regnare jure naturæ: qui primus sum, senioribus fratribus exstinctis; inf. ver. 6. & 2. Schem. 3. 4
[5] Exemplo Abschalomi. 2. Sche. 15.
[d] *Heb. a diebus suis.*
[6] ut Abschalom: qua ratione erat gratiosus apud populum.
[7] i. communi consilio cum illis conspiravit.
[8] i. partibus Adonijæ sese adjunxerunt, regem eum renunciaturi.
[e] *Heb. adjuvarūt post Adonijam.*
[9] fortassis est ille de quo infr. 4. 17.
[10] Jehosch. 5. 7. & 2. Schem. 17. 17.
[f] *Heb. consulturus.*

filium; sic libera [11] vitam tuam, & vitam filii tui Schelomonis.

13 Abi & ingredere ad regem Davidem dictura ei, nónne tu, domine mi rex, jurasti ancillæ tuæ dicens, Schelomo filius tuus regnaturus est post me, & ipse sessurus est super solium meum? cur ergo regnat Adonija?

14 Ecce te adhuc loquente ibi cum rege; ego quoque ingrediar post te; & [g] confirmabo verba tua.

15 Itaque ingressa est Bath-Schebah ad regem in conclave, (rex enim *erat* senex valdè) ubi Abischag Schunammitis ministrabat regi.

16 Et inclinato vertice Bath-Schebah incurvavit se *honorem habens* regi: & dicente rege, quid tibi *est*?

17 Dixit ei, domine mi, tu jurasti [12] per Jehovam Deum tuum ancillæ tuæ, Schelomo filius tuus regnaturus est post me; & ipse sessurus est in solio meo.

18 Nunc autem, ecce Adonija regnat; [h] te, domine mi rex, ignorante.

19 Mactatis enim bobus, iisq; pinguibus, & [i] pecudibus multis, invitavit omnes filios regis, etiam Ebjatharem sacerdotem, & Joabum principem militiæ: Schelomonem verò servum tuum non invitavit.

20 At [k] jam, domine mi rex, oculi omnium Jisraëlitarum in te conversi sunt; ut indices eis, quis sessurus sit in solio domini mei regis post ipsum.

21 Alioquin erit, quum occubuerit dominus meus rex cum patribus suis; ut sim ego & filius meus Schelomo [13] peccatores.

22 Ecce autem ipsa adhuc loquebatur cum rege; quando Nathan propheta venit.

23 Quumq; nunciassent regi dicendo, ecce Nathan propheta; [14] ingressus in conspectum regis, incurvavit se *honorem habens* regi [l] facie sua *demissa* versus terram.

24 Dixitq; Nathan; domine mi Rex, *túne* dixisti, Adonija regnaturus est post me: & ipse sessurus est in solio meo?

25 Nam descendit hodie, & mactatis bobus, iisque pinguibus, & pecudibus multis; invitavit omnes filios regis, & principes militiæ, & Ebjatharem sacerdotem, qui ecce [15] comedunt & bibunt coram eo: & dixerunt, vivat rex Adonija.

26 Me verò, me servum tuum, & Tzadokum sacerdotem, & Benajam filium Jehojadahi, ac Schelomonem servum tuum non invitavit.

27 An a domino meo rege facta est hæc res? quòd non notum fecisti servo tuo, quis sessurus sit in solio domini mei regis post ipsum.

28 Cui quum respondisset rex David, dixit, vocate mihi Bath-Schebaham: [16] quæ ingressa in conspectum regis, stabat coram rege.

29 Juravitque rex dicens: *ut* vivit Jehova, qui redemit animam meam de omni angustia:

30 [m] Quemadmodum juraveram tibi per Jehovam Deum Jisraëlis dicendo, Schelomonem filium tuum regnaturum post me, eumque sessurum in solio meo pro me; ita facturus sum hoc die.

31 Tum inclinans verticem Bath-Schebah, facie *demissa in* terram, incurvavit se *habens honorem* regi; ac dixit, vivat dominus meus rex David [17] in seculum.

32 Deinde dixit rex David, vocate mihi Tzadokum sacerdotem, & Nathanem prophetam, & Benajam filium Jehojadahi: veneruntque in conspectum regis.

33 Quibus dixit rex, sumite vobiscum servos [18] dominorum vestrorum, & facite ut Schelomo filius meus insideat mulæ meæ: ita deducite eum ad [19] Gichonem:

34 Ut ungat eum Tzadok sacerdos, & Nathan propheta in regem super Jisraëlem, & clangentes buccina, dicatis, vivat rex Schelomo.

35 Deinde ascendetis post eum, & ingressus sedebit in solio meo, & ipse regnabit pro me: nam præcepi eum esse antecessorem in Jisraële & in Jehuda.

36 Tum [20] respondens Benaja filius Jehojadahi regi, dixit, [21] Amen: ita dixerit Jehova Deus domini mei regis.

37 Quemadmodum fuit Jehova cum domino meo rege, ita sit cum Schelomone: amplificetq; solium ejus, supra solium domini mei, regis Davidis.

38 Descendens ergo Tzadok sacerdos, & Nathan propheta, & Benaja filius Jehojadahi, [22] Cerethæusq;, & Pelethæus, quum fecissent ut insideret Schelomo mulæ regis Davidis; deduxerunt eum ad Gichonem.

39 Et Tzadok sacerdos accepto cornu olei [23] e tentorio unxit Schelomonem: & clangentes buccina dicebant totus populus, vivat rex Schelomo.

40 Ascendebant autem totus populus post eum, & ipse populus canebant tibiis, lætabanturq;, lætitia magna; adeò ut [24] finderetur terra præ voce eorum.

41 Et audivit Adonija, & omnes invitati qui *erant* cum eo, quum ipsi absolverent comedere: audiensq; Joab sonum buccinæ dixit, quare vox ista urbis perstrepentis *editur*?

42 Quum adhuc ipse loqueretur, ecce Jonathan filius Ebjatharis sacerdotis advenit: cui dicente Adonija, accede, vir enim [n] strenuus es, & [25] bonum nuncium affers:

43 Respondens Jonathan dixit Adonijæ, [26] at dominus noster rex David regem constituit Schelomonem.

44 Misit enim cum eo rex Tzadokum sacerdotem, & Nathanem prophetam, ac Benajam filium Jehojadahi, Cerethæumq;, & Pelethæum; qui fecerunt ut ipse insideret mulæ regis:

45 Et unxerunt eum Tzadok sacerdos, & Nathan propheta regem apud Gichonem, & ascenderunt inde læti, adeò ut perstreperet urbs: hæc illa *est* vox quam audivistis.

46 Quin-etiam insidet Schelomo ipsi solio regni:

47 Et etiam ingressi sunt servi regis ad benedicendum cum domino nostro rege Davide, dicendo; præstantius reddat Deus tuus nomen Schelomonis nomine tuo, & amplificet solium ejus supra solium tuum: ac incurvavit se rex in [27] suo cubili:

48 Atque adeò ita dixit rex; benedictus Jehova Deus Jisraëlis, qui dedit hodiè sedentem in solio meo, idq; oculis meis videntibus.

49 Quare trepidantes surrexerunt omnes illi invitati, qui *aderant* Adonijæ; & abiverunt quisque itinere suo.

50 Adonija verò metuebat a Schelomone: quare surgens abiit, & [28] prehendit cornua altaris.

51 Quumq; nunciaretur Schelomoni dicendo, ecce Adonija timet regem Schelomonem: ideoq; ecce prehendit cornua altaris dicendo; juret mihi rex Schelomo se non affecturum morte servum suum gladio:

52 Dixit

[11] quæ alioqui periclitatura est, ab Adonija regnū occupante, ut ipsa Davidi exponit infrà ℣. 21.

g Heb. *muniam vel supplebo*.

[12] qui tibi fuit auctor ut Schelomonem instituas successorē regni, & promissiones adjecit amplissimas, 1. Chro. 22. 12. & infrà ℣. 30.

h *in aliis exēplaribus, & nunc domine mi rex ignoras.*

i Heb. *in multitudinē: sic infr.* ℣. 25

k *& tu domine mi rex: ut habent quadam exemplaria.*

[13] i. agetur nobiscum ut cum sontibus, & de vita nostra periclitabimur: sic Gen. 44. 10.

[14] egressa Bath-Schebaha: ut apparet ex ℣ 28.

l Heb. *super faciem suam in terram.*

[15] i. convivantur affatim.

[16] egresso Nathane, ut docet ver. 32.

m Heb. *quod quēadmodum &c. quod ita facturus sum, pleonasmus particula ad evidentiam.*

[17] i. quàm diutissimè: quasi dicat, mihi satis est de jure confirmari, non peto ut te regno spolies.

[18] i. tum meos, [illegible] qui in obedientia mihi præstanda fideliter adhuc permansistis, tum filii mei Schelomonis, qui jam dominus vobis a me præficitur: vide in Gen. 29. 27.

[19] i. in locum istum per gradus civitatis Davidis prosequimini, qui eis Gichonem est, quasi medius inter civitatem Davidis & alteram Jeruschalaima, ut aditus obtineat ex adverso fontis Rogelis: nam Gichon rivus erat alluens civitatem Davidis & Jeruschalaima, 2. Chron. 32. 30. & 33. 15.

[20] suo & reliquorum nomine, ut apparet ℣. 47.

[21] i. firmum & ratum esto a Deo.

[22] vide 2. Schem. 9. 4.

[23] quod tetenderat David arcæ in civitate sua, 2. Schem. 6. 17.

[24] hyperbole sumta a fragoris similitudine.

n *roboris.*

[25] vide simile 2. Schem. 18. 27.

[26] q. d. bonum verò? at dominus n. R. &c. sic 2. Schem. 14. 6.

[27] adoravit, ut Jahakob, Gen. 47. 31. & cum [illegible] lis bene [illegible] rus filio.

[28] non ut tutus esset donec de causa cognosceretur; sed ut misericordiam implorarct ob numinis reverentiam [illegible] Joab, infrà 2. 28.

52 Dixit Schelomo, [29] si futurus est [a] strenu-
us, [30] non cadet *ullus* e capillis ejus in terram: sed
si malum [31] deprehendetur in eo, utique morie-
tur.
53 Itaq; misit rex Schelomo qui deducerent
eum ab altari, unde veniens incurvavit se *honorem
habens* regi Schelomoni: cui dixit Schelomo,
[32] abi domum tuam.

[29] i. hoc quidem ipsi condonatur crimen, sed viderit in posterum quo se modo gerat: nam prout deinceps severit, sic etiam metet.
[a] *Heb. in filium roboris.*
[30] i. incolumis futurus est a me: sic 2. Schem. 14.11. & Act. 27.34
[31] nimirùm deinceps ampliùs.
[32] i. hac condonata culpâ res tuas privatas cura, nec ampliùs tibi arrogato illam auctoritatem exeundi & redeundi coram hoc populo.

CAPUT II.

David moriturus Schelomonem filium hortatur ad pietatem erga Deum & ad justitiam: nominatim verò beneficium posteris Barzillai rependi, & supplicium de Joabo & Schimhi sumi jubet: Quod Schelomo datis occasionibus justis, in eos, Adonijam, & Ebjatharem præstat.

QVumq; [1] propè essent dies Davidis ut more-
retur; præcepit Schelomoni filio suo, di-
cendo:
2 Ego [a] decessurus sum brevi pro consuetu-
dine totius terræ: tu verò confirmaberis [b] & vir
futurus es:
3 Et observabis observationem Jehovæ Dei
tui, ambulando in viis ejus, servando statuta ejus,
& præcepta ejus, judiciaq; ejus, & testimonia e-
jus, sicut scriptum est in lege Moschis: [2] ut secun-
des quicquid feceris, & quocunque te verteris,
4 Ut præstet Jehova verbũ suum quod pro-
misit mihi dicendo; si observabunt filii tui viam
suam, ambulando coram me in fide, ex toto cor-
de suo, & ex toto animo suo: dicendo, *inquam*, [3] nõ
exscindetur tibi vir à solio Jisraëlis.
5 Adhæc tu nosti quid [4] fecerit mihi Joab
filius Tzerujæ, quid fecerit duobus principibus
exercituum Jisraëlis, Abnero filio Neri, & Ha-
masæ filio Jetheri, quos occidit, [c] [5] designans cæ-
dem bellicam in pace: [6] ut reposuit [d] sanguinem
bellicæ *cædis* in zona sua, quæ *adhærebat* lumbis
ipsius, & in calceamento suo quod *habebat* ad pe-
des suos.
6 Quam ob rem facies [7] pro sapientia tua;
[8] ne ergo sinito descendere canitiem ejus cum
pace *in* sepulcrum.
7 Erga filios verò Barzillai Gilhaditæ exer-
ceto benignitatem, ut sint inter comedentes *ci-
bum* mensæ tuæ: quia similiter [9] appropinquârunt
ad me quum fugerem propter Abschalomum fra-
trem tuum.
8 Deniq; ecce [e] [10] apud te Schimhi filius Ge-
ræ Binjaminita e Bachurimis *esto*; qui quidẽ ma-
ledixit mihi maledictione acerrima, quo die ibã
Machanajima: quo descendente obviàm mihi ad
Jardenem juravi ei per Jehovam dicendo, morte
non afficiam te gladio.
9 Nunc autem eum sontem ne absolvito cùm
vir sapiens sis: sed cognosce quid sis facturus eo, ut
deducas canitiem ejus cum sanguine *in* sepulcrũ,
10 Posteà occubuit David cum patribus suis;
& sepultus est in civitate Davidis.
11 Dies autem quibus regnavit David super
Jisraëlem, *fuerunt* quadraginta annorum: [f] Che-
brone regnavit septem annos, Jeruschalaimis ve-
rò regnavit triginta tres annos.
12 Quũ itaq; Schelomo sederet in solio Davi-
dis patris sui, & cõfirmaretur regnum ejus valdè:
13 Venit Adonija filius Chaggithæ ad Bath-
schebaham matrem Schelomonis: quæ dixit, [e] an
cum pace advenis? & *ille*, cum pace, inquit.
14 Et dixit, [f] aliquid mihi est *dicendum* tibi:
qua dicente, loquere:
15 Dixit, tu nosti meum fuisse hoc regnum, &
in me convertisse omnes Jisraëlitas faciem suam
ut regnarem: sed devolutum esse ipsum regnum
ut esset fratris mei, [11] eo quòd a Jehova ejus sit.
16 Nunc autem ego petitionem unam peto
abs te, [12] ne avertito faciem meam: quæ dixit ei,
loquere.
17 Dic quæso, *inquit*, Schelomoni regi, (non
enim aversurus est faciem tuam) ut det mihi A-
bischagam Schunammitidem in uxorem.
18 Cui dixit Bathschebah, benè; ego pro te
alloquar regem.
19 Itaq; quum venisset Bathschebah ad regẽ
Schelomonem ut loqueretur ei pro Adonija: as-
surgens rex obviàm ei, incurvavit se *honorem ha-
bens* ei, & sedens in solio suo apponi jussit solium
matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus.
20 Et dixit, petitionem unam parvam ego
peto abs te, ne avertito faciem meam: cui dicen-
te rege, pete mater mea, non enim avertam faci-
em tuam:
21 Dixit illa, detur Abischag Schunammitis
Adonijæ fratri tuo in uxorem.
22 Respondens verò rex Schelomo dixit ma-
tri suæ, & quare tu petis Abischagam Schunam-
mitidem pro Adonija? [13] imò pete pro eo regnũ
ipsum, cùm ipse sit frater meus major me: [14] at
illius, & Ebjatharis sacerdotis, ac Joabi filii Tze-
rujæ *petitio est*.
23 Et juravit rex Schelomo per Jehovam, di-
cendo; ita faciat mihi Deus, & ita pergat, ut con-
tra vitam suam loquutus est Adonija verbum
istud.
24 Quapropter nunc *ut* vivit Jehova qui sta-
bilivit me, & collocavit me in solio Davidis pa-
tris mei, quíque paravit mihi domum, [g] quemad-
modum loquutus est; hodie morte afficietur A-
donija.
25 Mittens igitur rex Schelomo *jussit eum occi-
di* per Benajam filium Jehojadahi; qui irruit in
ipsum ita ut moreretur.
26 Ebjathari autem sacerdoti edixit rex, [15] Ha-
nathothas abi ad agrum tuum, nam [g] reus mor-
tis es: attamen hoc die non afficiam te morte,
quia portasti arcam domini Jehovi, coram Da-
vide patre meo, & quia [16] afflixisti te in omnibus
quibus afflictus est pater meus.
27 Sic ejecit Schelomo Ebjatharem ne esset
sacerdos Jehovæ; ut [17] impleret verbum Jeho-
væ, [i] quod loquutus fuerat contra domum Heli
Schilunte.
28 Rumore autem hoc perveniente usque ad
Ioabum (Joab enim declinabat post Adonijam,
quamvis post Abschalomum non declinasset) fu-
giens Joab ad tentorium Jehovæ, prehendit cor-
nua altaris.
29 Quumq; nunciaretur regi Schelomoni,
[18] fugit Joab ad tentorium Jehovæ, & ecce *est*
prope altare: misit Schelomo Benajam filium
Jehojadahi, dicens, abi irrue in eum:
30 Nam postquam venienti Benajæ ad ten-
torium Jehovæ, & dicenti ei, sic edicit rex, egre-
dere, dixisset, nequaquam, sed hîc moriar; & re-
tulisset Benaja regi rem dicens, ita loquutus est
Joab & ita respondit mihi:
31 Dixit ei rex, [19] fac quemadmodum loquu-
tus est, & irrue in eum, pòst sepelies eum: ut a-
moveas [h] culpam sanguinis immeriti quem
effudit.

[1] vide annotata 2. Schem. 23.1.
[a] *Heb. abeo per viam totius terræ.*
[b] *Heb. in virum: id est, præsta te virum, quamvis ætate adolescens*: 1. *Chr.* 22.5. 1. *Schem.* 7.14.
[2] eodem sensu dictum quo Exodi 20.12. ut prolongent dies tuos, &c.
[3] id est, semper erit aliquis tibi successor: per *μείωσιν* dictum.
[4] *ἀγνοεῖ* per cõsequentiam: dum perfidè interfecit illos, quos ego in fidem meam receperam.
[c] *Heb. ponens sãguines belli in pace.*
[5] i. patrans ejusmodi cædem pacis tempore, quæ tantùm temporibus belli convenit.
[6] id est, cruentatum ensem in vaginam reposuit & cruentatis pedibus ambulavit, neque eo nomine magis affectus est, quàm si nihil commisisset.
[d] *Heb. sanguines belli.*
[7] tempus & rationem faciendi sapienter observans: quasi dicat, homo est novarum rerum cupidus: non diu quiescet, quin tibi justam occasionem in se animadvertendi præbeat.
[8] i. ne finito eum naturali morte interire: sic 9. v.
[9] id est, appropinquantes idem officium exhibuerunt mihi: 2. Schem. 17.27.
[e] 2. *Schem.* 16.5.
[10] i. Ne finito eum vagari: sed certum ei locum circumscribito quo se contineat, ne quid cum suis Binjaminitis moliatur: apud quos gratia & auctoritate valet, ut apparet 2. Schem. 19.17. & sequentibus.
[f] 2. *Schem.* 5.5.
[e] *Heb. an pacis est adventus tuus.*
[f] *Heb. verbum mihi est ad te.*
[11] ut dicitur 1. Chr. 22.9. & 28.5
[12] Id est, ne recuses: synecdoche: sic deinceps.
[13] si Abischagã petis; eâdem operâ regnum transfer: nam hic scopus ejus est. eodẽ Achithophelis consiliũ spectabat, quum Abschalomum induxit, ut rem haberet cum concubinis patris, 2. Schem. 16. 21.
[14] i. hoc non est ipse solus commentus, sed Ebjatharis & Joabi conjuratorum usus est consilio.
[g] 2. *Schem.* 7.12.
[15] vide Jehosch. 21.18. & annotata 1. Schem. 21.2.
[g] *Heb. vir mortis*, 2. *Schem.* 15.24. 1. *Schem.* 21.20.
[16] ex quo excisa est domus paterna tua a Schaüle, 1. Schem. 22.20.
[17] i. ut Jehova impleret verbum suum: nomen pro se & pro relativo: sic Gen. 9.6. vide 1. Schem. 2.33. & 36.
[i] 1. *Schem.* 2.33.
[18] quasi ad asylum, ut Adonija supra 1.51. vide annotata Exodi 21.13.
[19] ex lege Exod. 21.14.
[h] *Heb. sanguines sine causa: metonymia.*

effudit Joab, a me & a domo patris mei.

1 *Heb. redire faciat: sic infr. vers. 44.*
20 quem ipse effudit.

32 Et [1] retorquebit Jehova [20] sanguinem e-
jus in caput ejus, qui irruit in duos homines justi-
ores & meliores se, & occidit eos gladio, patre
meo Davide ignorante; Abnerum filium Neri
principem militiæ Jisraëlis, & Hamasam filium
Jetheri principem militiæ Jehudæ.

21 vide 2. Schem. 3. 29.

33 Sic reversis cædibus eorum in caput Joabi,
& in caput [21] seminis ejus in seculum; Davidi, id
est, semini ejus & domui ejus ac solio ejus erit
pax usque in seculum a Jehova.
34 Itaque ascendens Benaja filius Jehojada-
hi irruit in eum & morte affecit eum: deinde se-
pultus est domi suæ in deserto.
35 Tum præposuit rex Benajam filium Jeho-
jadahi loco ejus exercitui: Tzadokum verò po-
suit rex loco Ebjatharis.
36 Deinde mittens rex accersivit Schimhin,
& dixit ei, exstrue tibi domum Jeruschalaimis
ut habites ibi: neque egreditor inde huc aut
illuc.

22 vide 2. Schem. 15. 23.
k *Hebr. sciendo scito, quod moriendo morieris: sic vers. 43.*
l *Heb. sanguis tuus. &c.*
23 adhibito juramento, ut apparet ex vers. 43.
m *Heb. a fine triennii* [illegible]

37 Erit enim quo die egressus transieris [22] tor-
rentem Kidronem, [k] certò scito te omnino mori-
turum: & [l] causa cædis tuæ erit in capite tuo.
38 [23] Dixit autem Schimhi regi, bona *est* res i-
sta, quemadmodum loquutus est dominus meus
rex, ita facturus est servus tuus: & cõsedit Schim-
hi Jeruschalaimis diebus multis.
39 Fuit autem [m] exactis tribus annis, quum
fugissent duo servi Schimhi ad Acischum filium
Mahacæ regem Gathi; & indicassent Schimhi
quidam dicendo, ecce servi tui *sunt* Gathi;
40 Ut surgens Schimhi strato asino suo abiret
Gathum ad Acischum, quæsitum servos suos: re-
diensq; Schimhi reduceret servos suos Gatho.
41 Quum itaq; nunciatum esset Schelomo-
ni; abivisse Schimhin Jeruschalaimis Gathum, &
reversum esse;
42 Mittens rex accersivit Schimhin, & dixit
ei, nónne juramento astrinxi te per Jehovam, &
contestatus sum te dicendo, quo die exiens abie-
ris huc aut illuc, certò scito te omnino moritu-
rum: dixerasq; ad me, bona *est* hæc res *quam*
audio?
43 Quare ergo non observasti juramentum
Jehovæ, & præceptum quod præceperam tibi?
44 Deinde dixit rex ipsi Schimhi, tu nosti to-
tum illud malum cujus conscius est animus tuus,
quo affecisti Davidem patrem meum: retorquet
ergo Jehova malum tuum in caput tuum:
45 Rex verò Schelomo benedictus; & solium
Davidis erit stabile coram Jehova usq; in seculũ.
46 Tum præcipiente Rege Benajæ filio Jeho-
jadahi, egressus irruit in eum, ita ut moreretur: sic
regnum [24] stabilitum est in manu Schelomonis.

24 Iablaris rerum innovatoribus.

CAPUT III.

Schelomo filiam regis Ægypti uxorem ducit: Deum singularibus sacrificiis Gibhone colit; Ubi optione a Deo in somnis data petendi quod vellet, ut petit, sapientia divitiisque donatur aliis donis suprà quàm petierat cumulatis quæ, in judicio litigantium inter se mulierum apparere incipiens, auctoritatem ei & reverentiam magnam apud subditos conciliat.

Junxit autem se affinitate Schelomo cum Par-
hone rege Ægypti: & [x] accipiens filiam Parho-
nis duxit eam [2] in civitatem Davidis, [3] donec ab-
solvisset ædificare [4] domum suam, & [5] domum
Jehovæ, ac [6] murum Jeruschalaimorum circum-
quaque.
2 Tantummodò populus sacrificabant in
[7] excelsis: quia nondum ædificata fuerat domus
nomini Jehovæ, ad hos usque dies.
3 [8] Amabat enim Schelomo Jehovam, am-
bulando in statutis Davidis patris sui: tantum-
modò in istis excelsis ipse sacrificabat & ado-
lebat.
4 Quum itaque abiens rex Gibhonem ad
sacrificandum ibi, eò quòd esset [9] excelsum mag-
num; [g] mille holocausta obtulisset Schelomo in al-
tari illo:
5 Gibhone apparuit Jehova Schelomoni
per somnium [10] eadem nocte: dixitq; Deus, pete,
quid daturus sum tibi?
6 Cui dixit Schelomo, tu exercuisti erga ser-
vum tuum Davidem patrem meum benignitatẽ
magnam; quum ambularet coram te [a] fideliter
ac justè & recto corde erga te: servastiq; ei beni-
gnitatem hanc maximam, quòd dederis ei filium
sedentem in solio ejus, ut *est* hodierno die.
7 Nunc enim Jehova Deus mi, tu constitui-
sti *me*, servum tuum regem loco Davidis patris
mei: quamvis ego puer parvus nesciam [11] pro-
cedere & redire:
8 Servum, inquam, tuum in medio populi
tui quem elegisti: populi multi, qui neque nume-
rari neque supputari potest præ multitudine.
9 Des igitur servo tuo [b] animum intelligen-
tem ad judicandum populum tuum, discernendo
inter bonum & malum: quis enim posset judica-
re hunc populum tuum [c] numerosissimum?
10 Qui sermo quum bonus videretur in
oculis [d] Jehovæ; quòd petiisset Schelomo rem
hanc:
11 Dixit Deus illi, eo quòd petiisti rem istam,
& non petiisti tibi dies multos, neque petiisti tibi
divitias, neque petiisti [e] vitam inimicorum tuo-
rum; sed petiisti tibi discretionem ad intelligen-
dum judicium:
12 Ecce facio secundùm sermonem tuum: ec-
ce do tibi [12] animum sapientem & intelligentem,
adeò ut [f] par non fuerit tibi ante te, & post te
non surrecturus sit par tibi.
13 Insuper etiam, quod non petiisti do tibi,
tum divitias, tum gloriam, adeò ut non *sit* par ti-
bi ullus inter reges omnibus diebus tuis.
14 Quòd si ambulaveris per vias meas, obser-
vando statuta mea, & præcepta mea, quemad-
modum ambulavit David pater tuus; etiam pro-
longabo dies tuos.
15 Deinde expergefacto Schelomone, quum
ecce [13] *adesset* somnium; venit Jeruschalaima, ubi
stans coram arca fœderis Jehovæ obtulit holo-
causta, & fecit eucharistica, deinde fecit convivi-
um omnibus servis suis.
16 Tum venientes duæ mulieres [14] cauponæ
ad regem, steterunt coram eo:
17 Dixitq; mulier illarum una, *attende* ad me
domine mi, ego & mulier hæc habitamus in do-
mo eadem: & peperi apud eam in eadem do-
mo.
18 Fuit autem die tertio a partu meo, quum
peperisset etiam mulier hæc; & essemus unà, nul-
lus extraneus *esset* nobiscum in eadem domo,
præterquàm nos duæ in eadem domo,
19 Ut moreretur filius mulieris hujus noctu, eo
quòd incubuisset ei.

2 ubi regiam suam habebat: sed angustiorem quàm ut tantam reginam cum ejus comitatu commodè caperet.
3 ut infr. cap. 7. 8.
4 de qua infra 7. 2. & seq.
5 de qua 6.
6 infra 9. 15. & 19.
7 quæ commemorantur in hoc capite, nempe Gibhone ubi erat tabernaculum, 2. Chro. 1. 3. & Jeruschalaimis, ubi erat arca, infrà ver. 17.
8 Ideo neque ipse alibi offerebat, neq; alios offerre patiebatur, quàm ubi patrem suum Davidem ex mandato Dei sacrificantem viderat.
9 ubi ordinarium erat cultus divini exercitium, & altare jugis holocausti, 2. Chr. 1. 5.
g *2. Chro. 1. 6.*
10 quæ proximè sacrificium Schelomonis subsequuta est, 2. Chr. 1. 7.
a *Heb. in fide & in justitia & in rectitudine cordis.*
11 i. obire functionem meam, vide Num. 27. 17.
b *Heb. cor: sic deinceps.*
c *Heb. gravem: ut Num. 20. 20.*
d *vel domini, ut in quibusdam exemplaribus.*
e *Heb. animam.*
12 ad intelligenda & præstanda quæ sunt officii tui.
f *Heb. sicut tu: sic deinceps.*
13 id est, abeunte somno sentiret illud somnium non fuisse somnium evanidum; sed ornatum se esse donis, quæ in somno promissa fuerant.
14 quæ simul apertè cauponariam exercebant, clam verò speciem cauponæ meretriciam: nam publicas atque famosas meretrices fuisse credibile non esset, cùm quia regnum inde a temporibus Davidis benè constitutum erat, tum quia non fuissent ausæ coram Schelomone Deum amante, & tum adhærente Legi ad agendum causam suam comparere.

x prius populo Dei professione fidei conjunctam: aliter enim prohibebatur Deut. 7. 3. Nam hæc a Schelomone gesta esse in principio regni ejus, quum adhuc amaret Deum, versus 3. ostendit: & Psal. 45. & libro canticorum confirmatur: quæ scripta non sunt quidem hujus argumenti (quid enim ad Ecclesiam illa hoc etiam tempore celebrari) sed tamen a Davide & Schelomone scripta sunt, quum hujus rei occasione ad cœlestis illius & spiritualis conjugii cogitationem evecti essent, & in meditatione illius occuparentur.

20 Quapropter

20 Quapropter surgens media nocte, accepit
filium meum a [g] latere meo ancilla tua dormi-
ente, & collocavit eum in sinu suo: filium autem
suum mortuum collocavit in sinu meo.
21 Quumque surgerem mane ad lactandum
filium meum, ecce mortuus erat: sed animad-
verti de eo mane, quod ecce non *esset* filius me-
us quem pepereram.
22 Dixit verò mulier illarum altera, nequa-
quam, sed filius meus *est* qui vivit, filius verò tuus
qui mortuus est, illa verò dicebat, quin-imò filius
est tuus qui mortuus est, & filius meus qui vivit:
sic loquebantur coram rege.
23 Tum dixit rex, hæc dicit, hic *est* filius meus
qui vivit, filius autem tuus qui mortuus est: sed il-
la dicit, quin-imò *est* filius tuus qui mortuus est,
filius autem meus qui vivit.
24 Quare edixit rex, accipientes mihi gladi-
um *afferte*: & attulerunt *ministri* gladium ante
regem.
25 Quibus dixit rex, scindite natum istum qui
vivit in duas partes; & date ejus dimidium uni,
dimidiumq; alteri.
26 Sed mulier illa, cujus *erat* filius qui vivebat,
alloquuta est regem quia æstuabant viscera ejus
erga filium suum; ac dixit, *attende* ad me domine
mi, date huic natum istum qui vivit, & [h] minimè
afficite eum morte: illa verò dicebat, neq; mihi,
neque tibi esto, scindite.
27 Tunc pronunciavit rex dicens, date illi na-
tum istum qui vivit, & minimè eum morte affici-
te: illa mater ejus *est*.
28 Quumque audirent omnes Jisraëlitæ ju-
dicium hoc quod judicaverat rex, timuerunt à
facie regis: videbant enim sapientiam Dei in [i] eo
esse ad exercendum judicium.

g Heb. a prope me.

h Heb. morte afficiendo ne afficite eum morte: sic v.27.

i Heb. in medio ejus: ut Exod. 23. 21.

CAPUT IIII.

Schelomo toti Jisraëli imperans regnum ordinat, de administratoribus, annonæ curatoribus, equis, & copiis ordinariis providens; ita ut sui tranquillè agerent, vicini ei obtemperarent, & longinqui ejus sapientiæ fama ad eum confluerent.

ERat autem rex Schelomo rex super totum Jis-
raëlem.
2 Et hi *sunt* principes qui erant ei: Hazaria
[1] filius Tzadoki [2] præses:
3 Elichoreph & Achija filii Schischæ, scribæ;
Jehoschaphat filius Achiludis [a] a memoria:
4 Benaja filius Jehojadæ [3] præfectus mili-
tiæ; Tzadok verò & Ebjathar [3] sacerdotes:
5 Et Hazaria filius Nathanis præfectus [b] si-
tarchis; & Zabud filius Nathanis [4] præses, ami-
cus regis:
6 Et Achischar [5] præfectus domui; & ‡ Ado-
niram filius Habdæ præfectus [6] delectui.
7 Erantq; Schelomoni duodecim sitarchi
super totum Jisraëlem, qui sustentabant regem
& familiam ejus: mensem quotannis erat unius-
cujusque sustentare *eam*.
8 Quorum hæc sunt nomina; filius Churis
in monte Ephrajimi:
9 Filius Dekeri in [7] Makatzo, & Schaalbi-
mis & ‡ Bethschemescho; Elone quoque, Beth-
chanane.
10 Filius Chesedi in [8] Arubbothis: ipsius erat
[9] Soco & tota [10] terra Chepheri.
11 Filii Abinadabi, totus tractus [11] Dori:
Taphath filia Schelomonis erat ei uxor.
12 Baʻana filius Achiludis *erat* [12] Tahanac &
Megiddo; & tota Beth-Schean quæ *est* propè
[13] Tzarthanem infra Jizreëlem à Beth-Scheane
usque [14] Abel-Mecholam, usque ultra [15] Jokme-
hamum.
13 Filii Geberi in Ramothis Gilhadis *erant*
[16] villæ Jairis filii Menaschis [17] quæ *sunt* in Gil-
hade, ejus *erant* tractus [18] Argobi qui *est* in Ba-
schane sexaginta civitates magnæ, *munitæ* muro
& vecte chalybeo.
14 Achinadab filius Hiddonis *erat* in [19] Ma-
chanajimis:
15 Achimahatz in Naphthali: ipse quoque ac-
ceperat Basematham filiam Schelomonis in
uxorem;
16 Baʻana filius Chuschai in Aschere & in
[20] superioribus *partibus*:
17 Jehoschaphat filius Paruachi in Jissacare:
18 Schimhi filius Elæ in Binjamine:
19 Geber filius Uri in terra [21] Gilhadis; terra
Sichonis regis Emoræi & Hogi regis Baschanis,
hic sitarchus unus qui præerat [22] illi terræ.
20 Jehuda & Jisraël multi, ut arena quæ *est*
ad mare in multitudinem; comedebant & bibe-
bant & lætabantur.
21 Schelomo autem erat dominans in omnia
regna ab ipso [23] flumine *ad* terram Pelischthæo-
rum, & usque ad terminum Ægyptiorum: offere-
bant munus & serviebant Schelomoni omnibus
diebus vitæ ejus.
22 Erántque cibarium Schelomonis in diem
unum, triceni [24] Cori similæ, & sexageni Cori
farinæ:
23 Deni boves pingues, & viceni boves pas-
cuales, & centeni pecudes: præter cervos, & ca-
preas, & damas, denique [25] lectissima quæque
[c] altilia.
24 Nam ipse dominabatur in tota citeriore
parte fluminis à [26] Tiphsacho ad ‡ Hazzam, in
omnes reges *qui erant* citra ipsum flumen: &
pax erat ei ab omnibus [d] lateribus suis circum-
quaque.
25 Adeò ut considerent Jehuda & Jisraël se-
curè quisque [27] sub vite sua & sub ficu sua, [28] à
Dane Beerschebam usque, omnibus diebus
Schelomonis.
26 Erántque Schelomoni [29] quadraginta mil-
lia [e] præsepiorum equilium, ad equitatum ejus: &
ad duodecim mille equites.
27 Sustentabantq; sitarchi illi regem Schelo-
monem, & omnes qui appropinquabant ad men-
sam regis Schelomonis, quisque mense suo: non
sinebant desiderari quicquam.
28 Hordeum autem & stramen in equos, & in
[30] angarios, afferebant ad locum ubi erant, quis-
que pro statione sua.
29 Præterea indidit Deus sapientiam Sche-
lomoni, & intelligentiam multam admodum: &
amplitudinem animi, secundùm *amplitudinem* a-
renæ quæ *est* in littore maris.
30 Erat enim sapientia Schelomonis major,
[31] quàm sapientia omnium orientalium, & quàm
omnis sapientia Ægyptiorum.
31 Sapientior etiam fuit omnibus [32] hominibus,
[33] Ethane [34] Ezrachæo, & Hemane, & Calcole,

1 non sacerdotis, sed alterius ejusdem nominis.
2 vices Regis agens in regni totius administratione: sic distinguitur ab eo præside cujus fit mentio infr. v.5.
a Heb. memoratorem: ut 2. Schem. 9.2.
3 i. primarii in ordinibus sacerdotum constitutis à Davide, 1. Chron. 24.
b Heb. præfectis, de quibus v. 7. & seq. qui curatores erant annonæ regiæ.
4 regii consilii.
5 i. magister aulæ magnus.
‡ infra 12, 18. Adoram.
6 de quo infra 5, 14.

7 id est in tractu qui obtigerat tribui Danis, Peschischahi contermino: unde nomen habet quod sonat finem, quasi dicat, terminalem tractum.
‡ quæ Jehos. 19. 41. Hir-Schemesch dicitur.
8 nomen tractus in Jehuda.
9 de quo Jehos. 15. 35.
10 alter tractus Jehudæ, possessus à Chephero filio Aschuris, 1. Chro. 4. 6.
11 in Menasche cis Jardenem, Jehos. 17. 11.

12 ibidem.
13 vide Jehos. 3. 16.
14 vide Judic. 7. 22.
15 in termino Zebulunis. Jehos. 19. 11. & 21. 34.
16 Num. 32. 41.
17 sequentia omnia in hoc versu *διασαφητικῶς* adjecta sunt, ne intelligantur hunc de illis aliquid villis Jairis, de quibus Judic. 10 4.
18 Deuter. 3. 4.
19 Jehos. 13. 26. vide annotata Genes. 32. 2.
20 i. in montanis, quorum pars ad Danem, pars ad Ascherem pertinebat: pars à Schelomone fuerat recens acquisita. 2. Chron. 8. 15. & 16.
21 reliqua ab ea quam supra 13. vers. nominavit.
22 quæ fuerat duorum regum.
23 Euphrate: sic deinceps.
24 id est, ter centeni medimni attici. Corus enim decem Ephas, id est, medimnos atticos continet, sive triginta sexas, id est, modios Romanos.
25 omissis omnibus interpretum somniis vocis etymon sequuti sumus.
c Heb. præsepiata, ut ita liceat loqui.
26 Tapsacho ad Euphratem, ut vocant historici. quod deinde vocatum est Amphipolis. Plin. lib. natur. hist. 5. cap. 24.
‡ quæ Gaza vocatur.
d Heb. transitibus.
27 i. in prædiis suis: synecdoche, vide loquutionis hujus planam explicationem 1. Macbæ. 14. 8.
28 Judic. 20. 1.
29 id est, status ordinarius à Schelomone constitutus est, de alimento præstando huic equorum numero ad omnem necessitatem, nimirum myriadibus quatuor, vel quater millenis decuriis, aut centum equilium singulis decuriis capientibus. Ita conciliandus est hic locus cum 2. Chron. 9. 25.
30 [illegible] equos, qui vulgo dicentur postæ, in stationibus [illegible] dispositos: vide Esther 8. 10. & 14.
31 i. superabat omnes veterus cognitione liberalium artium & scientiarum, quibus orientales & Ægyptii olim floruerunt.
32 Jisraëlitis.
33 de quibus 1. Chron. 2. 6.
34 qui Zeracho progenitus est, quem Juda suscepit è Thamare. ibidem.

& ‡ Dardaño filijs Macholis: ᵉ pervasitq́; nomen
ejus in omnes gentes circumquaque.
32 Et eloquutus est [35] ter mille sententias;
fueruntque cantica ejus quinque supra mille.
33 Eloquutus etiam est de plantis, a cedro
quæ *est* in Libano usque ad [36] hyssopum quæ pro-
dit e pariete: denique eloquutus est de jumen-
tis, & de volucribus, & de reptilibus, & de pis-
cibus.
34 Quam ob rem *homines* veniebant ex om-
nibus populis ad audiendam sapientiam Schelo-
monis; ab omnibus regibus terræ, qui audierant
de sapientia ejus.

‡ Dardaño, 1. Chron. 2. 6. ᵉ Heb. fidit. 35 ex quibus ea tantùm collecta & in Ecclesiæ thesaurum importata sunt, quæ proverbiorum, ecclesiastici, & canticorum libris continentur: reliqua, de quibus etiam versu sequenti, fidei hominum commissa interciderunt. vide infrà 11. 41. in annotatione. 36 vide Exo. 12. 22. i. a maxima ad minimam.

CAPUT V.

Schelomo a Chiramo per nuncios salutatus, juvari ab ipso petit ad materiam pro structura templi: quod Chiram certis conditionibus mercedis accipiens, cum Schelomone paciscitur, & præstat. Schelomo autem operarios suppeditat adjunctis præfectis & curatoribus.

Miserat autem Chiram rex Tyri servos suos
ad Schelomonem, quum audiret *Jisraëlitas*
unxisse eum in regem loco patris ejus: [1] amicus
enim fuerat ‖ Chiram Davidi omnibus diebus
ejus.
2 Quapropter misit Schelomo ad Chiramum
qui dicerent.
3 Tu novisti Davidem patrem meum non
potuisse ædificare domum nomini Jehovæ Dei
sui, ᵃ [2] propter bella quibus circumdederunt eum
hostes, donec poneret Jehova illos sub plantis pe-
dum ejus.
4 At nunc quietem dedit Jehova Deus meus
mihi circumquaque: non *est* adversarius, neque
est [3] occursus mali.
5 Quam ob rem ecce ᵇ cogito ædificare do-
mum nomini Jehovæ Dei mei: quemadmodum
‖ prędixit Jehova Davidi patri meo, dicendo, filius
tuus quem ponam pro te in solio tuo, ipse ædifi-
caturus est istam domum nomini meo.
6 Nunc ergo præcipe ut succidant mihi ce-
dros e Libano, & servi mei erunt cum servis tuis,
mercedem autem servorum tuorum daturus sum
tibi prorsus ut dixeris; tu enim nosti non esse in-
ter nos quemquam peritum ad cædendum ligna
ut *sunt* Tzidonii.
7 Fuit autem quum audiret Chiram verba
Schelomonis, *ut* lætaretur valdè: & diceret, bene-
dictus Jehova hoc tempore, qui prefecit pro Da-
vide filium sapientem populo multo isti.
8 Et misit Chiram ad Schelomonem qui di-
cerent, audivi quorum causâ misisti ad me: ego
effecturus sum omnem voluntatem tuam, quod
ad ligna cedrina, & quod ad ligna abiegna.
9 Servi mei deducent a Libano ad mare, &
ego disponens ea ratibus per mare *mittam* usque
ad locum quem miseris *significatum* mihi, ut ibi
disparem ea & tu auferas: tu vicissim facito vo-
luntatem meam dando cibum familiæ meæ.
10 Itaque dabat Chirom Schelomoni ligna
cedrina & ligna abiegna ᶜ prorsus ut volebat.
11 Schelomo autem dabat Chiramo [4] vicies
millenos coros tritici *in* cibum pro familia ejus,
& vicies coros olei tusi: ita dabat Schelomo Chi-
ramo de anno in annum.
12 Quum ergo dedisset Jehova sapientiam
Schelomoni, quemadmodum promiserat ei, & es-
set pax inter Chiramum & Schelomonem, ita ut
paciscerentur fœdus ambo ipsi:
13 ᵈ Indixit rex Schelomo delectum in toto
Jisraële; fuitque delectus triginta millium vi-
rorum;
14 Quorum mittebat ad Libanum decies mil-
lenos in mensem ᵉ alternis, mensem erant in Li-
bano, duos autem menses *quisque* domi suæ: A-
doniram autem præerat isti delectui.
15 Erant quoque Schelomoni [5] septuagies
mille bajuli, & octuagies mille putatores in illo
monte:
16 [6] Præter principes curatorum Schelomo-
nis qui pręerant illi operi, ter mille trecentos; qui
dominabantur populo, facientibus opus illud.
17 Et præcipiente rege devexerunt lapides
magnos lapides ‡ [7] pretiosos, ad fundandum do-
mum illam, lapides cæsos:
18 Dolabantq́; structores Schelomonis, & stru-
ctores Chiromi, atque [8] Giblæi: sic præparabant
ligna & lapides ad ædificandum domum.

1 quam cum Davide contraxerat amicitiam 2. Schem. 5. 11. & 1. Chro. 14. 1. numquam interrupit. ‖ 2. Chro. 2. ᵃ Heb. propter belli viros. 2 vide 2. Schem. 7. 5. 3 quod sit mihi impedimento. ᵇ Heb. dico, subaudi apud me: sic Exod. 2. 14. ‖ 2. Shem. 7. 13. ᶜ Heb. totam voluntatem ejus. 4 & totidem hordei ac vini, 2. Chron. 2. 9. synecdoche: de coro vide sup. 4. 22. ᵈ Heb. imposuit tributum personale: sic deinceps in cap. ᵉ Heb. mutationibus. 5 hi omnes peregrini erant, ut apparet 2. Chro. 2. in fine. 6 id est, præter peregrinos illos ter mille de quibus 2. Chron. 2. primo & ultimo versu, quos curatores illi Jisraëlitæ, de quibus versu 13. præfecerant centum quinquaginta millibus operariis: ita ut essent e tribus millibus singuli quinquagenis operariis præfecti: sexcenti verò reliqui alternis ab his tribus millibus rationem exigerent, singuli ab eorum denis. Ideo hic trecenti tantum tribus millibus adduntur: in Chronicis autem sexcenti, annumeratis etiam trecentis, qui vicarias operas præstabant. ‡ Vel raros, ut 1. Schem. 3. 1. & infrà 7. 9. & 10. 7 non quidem gemmas, sed tamen in genere suo forma & magnitudine præstantes. 8 vicini Tzidoniis, in Gabala Phœniciæ Tetrarchia, quam Plinius appellat Gaben lib. 5. natur. historiæ cap. 8.

CAPUT VI.

Schelomo templum Deo sumtuosissimum, cujus magnitudo, partes & ornamenta describuntur, absolvit septem annorum spatio.

Deinde fuit [1] quadringentesimo octuagesimo
anno ab egressu Jisraëlitarũ e terra Ægypti,
anno quarto, [2] mense Zivo (is mensis *est* [3] secun-
dus) regni Schelomonis super Jisraëlem, ut ᵃ ædi-
ficare inciperet domum Jehovæ.
2 Domus autem quam ædificavit rex Sche-
lomo Jehovę, *fuit* longitudine sua sexaginta [4] cu-
bitorum, & viginti latitudine sua; triginta verò
cubitorum altitudine sua.
3 [5] Et porticus erat ante templum domus,
viginti cubitorum longitudine sua secundùm
frontem latitudinis domus; decem cubitorum la-
titudine sua ante domum.
4 Fecit autem domui fenestras ᵇ [6] prospectui
accommodas [7] clausas.
5 Et ædificavit ad murum domus [8] substru-
ctionem circumquaque, [9] ad muros ipsius domus
circumquaque, templo & adyto: fecitque [10] alas
circumquaque.
6 Substructio ima *erat* quinque cubitorum
latitudine sua, & mediana sex cubitorum latitu-
dine sua, tertiana verò septem cubitorum latitu-
dine sua: nam [11] contracturas indiderat domui
circumquaque extrinsecus, [12] ne hærerent muris
domus.
7 Domus autem quum ædificabatur, ᶜ [13] la-
pide integro, ut fuerat advectus, ædificabatur:
[14] neque mallei aut securis, *aut* ullum instrumen-
tum ferreum auditum est in illa domo quum ędi-
ficaretur.

1 hos annos ita colliges: in deserto 40. Deuteronom. 1. 3. sub Jehoschuaha 17. Judicibus 299. Heli, Schemuele, & Schaüle, 80. Davide 40 quibus additi quatuor anni Schelomonis hunc numerum efficiunt. 2 qui respondet majori ex parte Aprili. 3 ex Dei instituto, Exodi 12. 2. ᵃ Heb. ædificavit: sic Gene. 5. 32 & infrà vers. 37. prout exponitur 2. Chron. 3. 1. 4 sacrorum & Geometricorum in metiendis corporibus solidis receptorum: nam ideò dicuntur primarii, 2. Chron. 3. 3. vide infrà 7. 2. & 15. 5 duæ tantùm dimensiones hîc ponuntur longitudinis & latitudinis: altitudinis verò describitur, 2. Chron. 3. 4. ᵇ Heb. fenestras prospectuum clausorum. 6 id est, e lato contractas utrinque usque ad mediam crassitiem muri: ea enim ratione commodiùs lux undequaque intromittitur. 7 vitro, ad arcendas cæli injurias. Sic interpretatur R. Jehuda scriptor antiquissimus, cujus sententiam ex vocum etymo reliquis omnibus præferimus. 8 id est, solum cujusque contignationis: vide vers. 6. 9 a parte exteriore. 10 id est, exstantes muros alarum instar, ad alteram partem substructionis sustinendam: hæ autem Latinis dicuntur alæ, ut Grecis πτερὰ sive πτερώματα. 11 id est, quino quoque cubito assurgentis muri crassitiem ejus diminuerat cubito uno extrinsecus, ut projecturæ illæ muri essent cubilia substructionis trabibus. 12 id est, ut exemtiles essent sine damno templi, & tantùm projecturis incumberent. ᶜ Heb. advectionis lapide. 13 id est, prorsus affabrè facto antequam adveheretur, ut sequentia explicant, & ostenditur suprà 5. 18. 14 id est, instrumenta illa quæ ad tundendos, dolandos & cælandos lapides adhiberi solent.

8 Porta *ad* [15] alæ medianum erat in latere
domus [16] dextero : quâ per cochleas ascende-
bant ad medianum, & a mediano ad [17] tertiana
cubicula.
9 Ædificata itaque domo illa atque absolu-
ta; [18] obtexit domum ipsam [d] cantheriis & coaxa-
tionibus cedrinis.
10 Ædificavit autem substructionem quamq;
circa totam domum, quinis cubitis altitudine
sua; quam [19] adjecit domui lignis cedrinis.
11 Tum fuit verbum Jehovæ ad Schelomo-
nem, dicendo.
12 Hæc, quam tu ædificas, [20] domus illa est, si
ambulaveris in statutis meis, & judicia mea exer-
cueris, ac observaveris omnia præcepta mea am-
bulando in eis : utique præstabo verbum meum
erga te, [ll] quod eloquutus sum Davidi patri tuo:
13 Et habitabo inter Jisraëlitas, neque dere-
linquam populum meum Jisraëlem.
14 Quum itaque ædificasset Schelomo do-
mum istam, & absolvisset eam;
15 [e] Contabulavit muros ipsius domus intrin-
secus [f] tabulis cedrinis, a solo domus usque ad
[g] tegmen murorum obduxit ligno intrinsecus:
obduxit etiam solum ipsum [21] domus tabulis
abiegnis.
16 Contabulavit verò viginti cubitos ad la-
tera ipsius domus tabulis cedrinis, [22] a solo usq; ad
ipsos muros, contabulavit, inquam, [23] ipsi intra
adytum in sancto sanctorum:
17 Quadraginta autem cubitorum erat do-
mus illa; illud templum anterius.
18 Et [h] ad cedros domus intrinsecus erant [i] in-
cisæ colcoynthides & aperti flores; omnia erant
cedrina, nullus lapis conspiciebatur.
19 Sic adytum intra domum intrinsecus pa-
ravit; ad collocandum ibi arcam fœderis Je-
hovæ.
20 Quod autem ad anteriorem partem ady-
ti, viginti cubitorum *erat* longitudo, & viginti cu-
bitorum latitudo, ac viginti cubitorum altitudo
ejus, quam obduxit auro [k] [24] asservato: obduxit
etiam [25] altare cedrinum.
21 Quumq; obduxisset Schelomo hanc do-
mum intrinsecus auro asservato: [l] fecit interje-
ctum *parietem* præter [26] funes aureos ante ady-
tum, quem similiter obduxit auro.
22 Ita totam domum ipsam obduxit auro, do-
nec absolveretur tota domus: similiter totum al-
tare illud quod erat ad [27] adytum obduxit auro.
23 Fecit autem in ipso adyto duos Cerubinos
e lignis [m] oleosis: decem cubitorum altitudo [n] utri-
usque *eorum*:
24 Et quinque cubitorum *erat* ala Cerubini
una, similiter quinque cubitorum ala Cerubini
altera: decem cubiti *erant* ab extremitate alæ cu-
jusque, usque ad extremitatem alæ suæ *alterius*.
25 Sic decem cubitorum Cerubinus alter
erat: mensura eadem & proportio eadem ambo-
bus Cerubinis:
26 Altitudo Cerubini unius decem cubito-
rum, & similiter Cerubini alterius.
27 Disposuit autem istos Cerubinos intra
[28] domum intimam ita ut expanderent alas Ce-
rubini; & attingeret ala unius murum hunc, & a-
la Cerubini alterius attingeret murum alterum:
alæ verò eorum versus medium domus attinge-
rent [o] altera alteram.
28 Et obduxit istos Cerubinos auro:
29 Omnes autem muros istius domus [p] cir-
cuitu inciso, sculpturis incisurarum Cerubino-
rum & palmarum, & apertorum florum; intrin-
secus & [29] extrinsecus.
30 Solum quoque domus obduxit auro, [30] in-
tus & extra.
31 Et *in* porta adyti fecit fores e lignis ole-
osis: superliminare *cum* postibus [31] quinta *pa-
rietis*.
32 *In* his autem binis foribus *e* lignis oleosis,
incidit cæsuras Cerubinorum, & palmarum, &
apertos flores, quos obduxit auro: diduxit etiam
super Cerubinos & super palmas aurum.
33 Et similiter fecit portæ templi postes e lig-
nis oleosis: [32] e quarta *parietis*:
34 Et binas fores e lignis abiegnis, duæ [q] val-
væ foribus unis versatiles, ac duæ valvæ incisæ
foribus alteris versatiles *erant*.
35 Incidit etiam Cerubinos & palmas ac a-
pertos flores: quę obduxit auro, [r] adaptato ad ea-
rum scalpturam.
36 Posteà ædificavit [33] atrium interius tribus
ordinibus *lapidum* cæsorum; & ordine sectarum
cedrorum.
37 Anno quarto [f] cœpta est fundari domus
Jehovæ, mense Zivo.
38 Anno verò undecimo, mense [34] Bule (is
mensis *est* [35] octavus) absolvit domum hanc cum
omnibus rebus ejus, & secundùm omnes rationes
ejus: ita ædificavit eam septem annis.

15 id est, quà ascendebatur ad medianam contignationem.
16 id est, meridiano.
17 hinc ex parte apparet singulas contignationes distinctas fuisse in diversas cellas: clarius verò adhuc ex 2. Reg. 11. 2. & 1. Chro. 28. 12.
18 intrinsecus tectum exstruxit.
d Heb. *dorsis & ordinationibus*.
19 id est, imposuit projecturis muri domus: vide suprà 6. ✠.
20 quam patri tuo fore promisi ut tu ædificares, 2. Schem. 7. 13.
ll 2. *Schem.* 7. 14.
e *Heb. ædificavit: sic* ✠. 16.
f Heb. *lateribus: sic deinceps.*
g *Heb. muros tegminis, id est, ad muri summam partem cui incumbit tegmen.*
21 non adyti, sed prioris partis: synecdoche, ut apparet ex ✠. 17. vide 2. Chro. 3. 5.
22 id est, solum totum a muro uno ad alterum.
23 Deo.
h *Heb & cedros ad domum.*
i *Heb. incisura colocynthidum vel fungorum, & apertura florum: sic infra* ✠. 29. & 32.
k *Heb. recluso: sic* ✠. 21.
24 a Davide in hunc finem, 1. Chron. 28. 14. vide 2. Chron. 3. 6.
25 suffitus, de quo ✠. 22.
l *Heb. transmisit.*
26 quibus pendebat velum ante parietem & portam ad sanctum sanctorum: synecdoche.
27 id est, e regione portæ.
m *Heb. olei.*
n *Heb. ejus.*
28 id est, adytum.
o *Heb. alæ, alam.*
p *Heb. circuitu incisuræ.*

29 parietem illum quo distinguebatur adytum a templo, in illa ejus parte quæ templum spectabat.
30 tam in adyto quàm in templo.
31 id est, altitudine & latitudine sua quatuor continebat cubitos, qui efficiũt quincuncem parietis.
32 id est, quinque cubitis latam, & totidem altam: nam hic est triens parietis.
q *Heb. latera.*
r *Heb. directo ad ipsum scalptũ.*
33 propinquius templo pro sacerdotibus, 2. Chro. 4. 9. Sic autem dicitur respectu atrii magni pro populo, ibidem.
f *Heb. fundata est.*
34 qui respondet majore ex parte nostro Octobri.
35 ex Dei instituto, ut sup. in ✠. 1.

CAPUT VII.

Privatæ Schelomonis structuræ & publicæ: Deinde religiosum opificium Columnarum, Lacus, Basium cum Labris, & instrumentorum eò pertinentium ex ære: Postremò res aureæ ad Dei cultum & honorem comparatæ describuntur.

POsteà domum suam ędificavit Schelomo tre-
decim annis: [1] quibus absolvit totam [2] do-
mum suam.
2 [3] Deinde ædificavit domum [4] saltus Liba-
ni [5] centum cubitorum longitudine, & quinqua-
ginta cubitorum latitudine, & triginta cubitorum
altitudine: [6] super quatuor ordines columna-
rum cedrinarum, & [7] trabes cedrinas impositas
columnis:
3 Et [8] tectum cedrinum supernè supra [a] [9] cō-
tabulationes; quod *erat* supra columnas; qua-
draginta quinque; quindenas ordine:
4 Et prospectuum [10] tres ordines; [11] quorum
aspectus ad aspectum *dirigebatur*, [b] [12] triplici serie:
5 Et omnes portas cum postibus quadratas
[c] jugumento: & [13] directuram aspectus ad aspe-
ctum triplici serie.
6 Præterea [14] porticum columnarum fecit,
[15] quinquaginta cubitorum longitudine, & trigin-
ta cubitorum latitudine: ita ut porticus *esset* se-
cundùm aspectum illarum, id est, columnæ & co-
lumen secundùm aspectum [16] illarum.
7 ITEM [17] porticum tribunalis ubi judica-
bat, porticum judicij fecit: quod obtectum *erat*
cedro, [d] a soli parte una ad alteram.

1 non mirum videri debet, si plus temporis in eam impendit quàm in domum Dei, suprà 6: quia neque materiam paratam invenit; neque tot operas, neque tantam diligentiam adhibuit.
2 de qua ✠. 8.
3 post viginti annos, de quibus infrà 9. 10. capta jam Chamatha civitate regia Libani: 2. Chron. 8. 3.
4 in ipso saltu ædificatam.
5 communium, quales adhibebantur in rebus non sacris: alioqui major fuisset domus ista domo Dei: vide supra 6. 2.
6 hæc infima est domus contignatio. 7 hoc est, solum medianæ contignationis e trabibus cedrinis, cui impositæ quadraginta quinque columnæ, de quibus vers. 3. efficiebant medianam contignationem. 8 tertia & summa contignatio. a *Heb. lateras: ut suprà 6. 15.* 9 quibus mediana contignatio circumsepta erat. 10 in singulis contignationibus singuli fenestrarum ordines ad prospiciendum. 11 id est, inter se parallelogrammæ, & convenienter in singulis contignationibus superiores inferioribus ad perpendiculum respondebant. b *Heb. tribus vicibus: sic* ✠. 5. 12 id est, æquè in longitudinis latera duo atque in altitudinem fenestræ habebant convenientem responsum. c *Heb.* unius *aspectus*. 13 id est, ita ut duorum laterum fenestræ & portæ ex diametro singulæ ad singulas dirigerentur in singulis contignationibus. 14 id est, constantem ex multis columnis, & tecto illis imposito. 15 ut ejus longitudo protenderetur in latitudinem domus. 16 sub. portarum, de quibus versu 5. 17 nimirum Jeruschalaimis ante domum suam, ubi forum constituit: Erat autem conjunctum huic foro atrium exterius pro populo ad forum accedente ut colligitur ex versu sequente. d *Heb. ab hac soli, usque ad illam soli* extremitatem.

8 Posteà domui suæ ubi habitabat, atrium
[18] alterum [19] interius ista porticu, opere huic si-
mile erat: [20] domum quoque filiæ Parhonis fecit,
quam duxerat Schelomo, similem porticui isti.
9 [21] Omnia hæc *erant* e lapidibus [f] pretiosis,
[22] secundùm dimensiones *unius* cæsi lapidis, se-
ctis serra intrinsecus & extrinsecus: idq; a funda-
mento usque ad [f] [23] præcinctiones, etiam extrin-
secus usque ad atrium [24] magnum.
10 Fundatio quoque *erat* e lapidibus pretiosis,
lapidibus magnis: lapidibus denûm cubitorum,
& lapidibus octonûm cubitorum:
11 Similiter supernè e lapidibus pretiosis, se-
cundùm dimensiones *unius* lapidis cæsi, & cedro.
12 Denique atrio magno circumquaque, tres
erant ordines lapidis cæsi, & ordo trabium cedri-
narum: similiter atrio domus Jehovæ [25] interio-
ri, & porticui ejusdem domus.
13 Misit quoque rex Schelomo, ut assumeret
‡ Chiramum e Tyro.
14 (Is *erat* filius mulieris viduæ [26] e tribu
Naphthali, cujus pater vir [27] Tyrius fuerat faber
ærarius) eo quòd plenus esset peritia & intelli-
gentia ac notitia ad faciendum omne opus [28] ex
ære: qui veniens ad regem Schelomonem fecit
totum opus ejus.
15 ‖ Formavit enim duas columnas æreas:
[29] octodecim cubitorum erat altitudo columnæ
unius, quam [30] filum duodecim cubitorum cin-
gebat, ut columnam secundam.
16 Et [31] duo coronamenta fecit ad imponen-
dum summitatibus columnarum *e* fuso ære:
[32] quinque cubitorum altitudo coronamenti uni-
us, & quinque cubitorum altitudo coronamenti
alterius.
17 [g] [33] Encarpi opere implexo, fasciæ opere
catenato ipsis coronamentis, quæ *erant* in sum-
mitate columnarum: [34] septem coronamento
uni *erant* & septem coronamento alteri.
18 Quæ aptavit ad ipsas columnas; deinde
[35] duos ordines circumquaque super encarpum
unum, ad tegendum coronas quæ imponendæ
erant summitati [36] malogranatorum, ut etiam
fecit coronæ alteri.
19 [37] Ita ut coronæ, quæ *erant* super capitu-
lum columnarum opere liliaceo, *collocandarum* in
porticu; quatuor cubitorum *essent*.
20 [38] Coronæ autem impositæ duabus istis
columnis, etiam sursum-versus *sitæ erant* e regione
[h] projecturæ, quæ *erat* in latere encarpi: & malo-
granata ducentena *binis* ordinibus circumqua-
que, *etiam* ad coronamentum alterum.
21 Deinde erexit columnas ipsas in porticu
templi: erectamq; columnam dexteram vocavit
nomine ejus [i] [39] Jacin; posteà erectam colum-
nam sinistram vocavit nomine ejus [k] Bohaz.
22 Quum itaque impositum esset capitulo co-
lumnarum [40] opus liliaceum, absolutum est opi-
ficium columnarum.
23 ‖ ITEM fecit ipsum [l] lacum fusum: decem
cubitorum erat [41] [m] a labri parte una ad alteram,
rotundum circumquaque, cujus altitudo quin-
que *erat* cubitorum, & filum triginta cubitorum
cingebat eum circumquaque.
24 ‡ Colocynthides autem subter labium e-
jus circumquaque cingebant ipsum, [42] denæ in
cubitum ambiebant lacum circumquaque: duo-
bus ordinibus colocynthides fusæ in fusura ejus.
25 Stabat impositus duodecim bobus, tribus
respicientibus ad aquilonem, & tribus respicien-
tibus ad occidentem, & tribus respicientibus ad
meridiem, ac tribus respicientibus ad orientem,
quibus lacus *erat* impositus supernè; ita eorum
omnium posteriora intus *latebant*.
26 Crassitudo autem ejus palmaris erat, & la-
bium ejus [43] simile operi labii calicis, *aut* floribus
lilii: bis [44] mille bathos [45] continebat.
27 Item fecit [46] bases decem æreas: quater-
nûm cubitorum longitudo basis uniuscujusque;
& quaternûm cubitorum latitudo ejus, terno-
rumq; cubitorum altitudo ejus.
28 Erat autem hujusmodi opus cujusque ba-
sis, [n] zophori *erant* eis; erantq; zophori inter
[o] denticulatos toros.
29 Ipsis autem zophoris qui *erant* inter dêticu-
latos toros, inerant leones, boves, & Cerubini, &
super denticulatos toros [47] fulcrum supernè: infra
leones verò & [48] boves [49] adjectiones opere ducto.
30 Erántq; quaternæ rotæ æneæ basi unicuiq;,
& [50] tabulæ æreæ, quibus *erât* [51] scapulæ in quaternis
impagibus suis: subter labrû quodq; scapulæ illæ
erant fusæ e regione [52] adjectionum cujusq; *labri*.
31 Deinde illius [53] *labri* os ab interiore parte
[p] [54] ambitus coronarii sursum-versus *exstabat*
[55] uno cubito, cujus [56] *ambitus* os rotundum *erat*
[57] opere fulcri, [58] sesquicubitale: [59] circa cujus os
similiter *inerant* cæsuræ, & [60] zophori earum qua-
drati non rotundi.
32 Quaternæ autem rotæ illæ subter zopho-
ros illos, & axes rotarum *affixi erant* basi: & alti-
tudo rotæ uniuscujusque erat sesquicubiti.
33 *Eratq*; opus rotarum istarum simile operi
rotæ currus: axes earum, & modioli earum, &
canthi earum, & radii earum, omnia fusa.
34 Similiter quaternæ scapulæ ad quaternos
angulos basis uniuscujusque: ex ipsa basi *erant*
scapulæ ejus:
35 [61] Ita ut in summo ipsius basis, dimidii cu-
biti [62] altitudo rotunda *exstaret* circumquaque:
nam in summo basis [63] manus illius, ut zophori
illius, ex ipsa erant.
36 Insculpsit autem [64] tabulis illius, [65] mani-
bus illius, & [66] zophoris illius Cerubinos, leones,
& palmas: prout [q] cælaturis cujusque & adjectio-
nibus circumquaque *conveniebat*.
37 [r] In hanc *formam*, fecit decem bases: fusu-
ra eadem, mensura eadem, proportio eadem *erat*
ipsis omnibus.
38 Item fecit decem labra ærea: quadragenos
[67] bathos côtinebat labrum unumquodq;, quater-
nûm cubitorû *erat* labrum unumquodq;, labrum
unum impositum basi suæ uni, in decem bases.

[18] ab exteriore illo atrio, quod 2. Reg. 20.4. appellatur medianum.
[19] id est, inter ipsam porticum & domum regiam.
[20] vicinam quidem; sed extra arcem Davidis. vide suprà 3, 1: indicatur autem causa 1. Chron. 8. 23.
[21] quæ hoc & superiore capite commemorantur ædificia.
[e] *velvarii: sic deinceps: ut suprà 5.17. & infrà 10. & 11. V.*
[22] id est, structura isodomo.
[f] *Heb. palmas: quia ferè palmares sunt projecturæ.*
[23] id est, summi muri projecturas sive loricationes, quibus incumbit tectum.
[24] ubi populus conveniebat.
[25] id est, sacerdotum: vide suprà 6.36.
‡ *qui & Churam, 2. Chron. 4. 11.*
[26] paterno genere: etiamsi mater e tribu Danis erat: 2. Chron. 2. 13.
[27] id est, incola Tyri; genere tamen Judæus.
[28] synecdoche: ibidem.
‖ *2. Chron. 3. 15.*
[29] sacrorum, id est, triginta sex communium: quam ob rem in Chronicis trigeni quini cubiti tribuuntur cuique, quia de communibus ibi sermo est: excipitur autem basis, quæ unius cubiti communis altitudine erat, quæ efficit tricesimum sextum cubitum.
[30] ita ut diametrus ejus esset quaternûm cubitorum septima minùs, si ad amussim respexeris: sed Scriptura rotundo numero utitur, ut infrà 41.
[31] id est, epistylia, quorum partes erant ternæ: capitulû, abacus, & corona.
[32] si tres istas partes comprehendas: nam capitulum unius cubiti erat: abacus unius: corona trium. ideò infrà V. 19. coronæ cû abaco quatuor cubiti tribuuntur: at 2. Reg. 25. 20. coronæ soli; tres cubiti.
[g] *Heb. perplexitates opere perplexo.*
[33] id est, totum capitulû ex florum, frondium ac fructuum implexu coronario incursantium constabat, quaternis ordinibus, qui ternis fasciis redimiti erant.
[34] comprehensis encarporum ac fasciarum ordinibus.
[35] i. abacum duobus ordinibus malogranatorum cinctum.
[36] id est, abaci malogranatis cincti, quæ artifices guttas vocant.
[37] cum suis abacis: vide suprà 15.
[38] id est, coronarum scapi ab ima parte sua, usque ad eam qua expanduntur flores ad perpendiculum respondebant parti illi encarpi quæ maximè prominebat.
[h] *Heb. ventris.*
[i] *i. stabilis vel stabiliet.*
[39] hæc duo nomina columnis propheticè indita fuerunt, ut prædicaret Schelomo columen & robur plusquam aheneum in regno Dei, id est, in Ecclesia esse.
[k] *id est, in ipso est robur.*
[40] ut suprà 19. vers.
‖ *2. Chro. 4. 2.*
[l] *Heb. mare: sic deinceps.*

[41] id est, ex diametro.
[m] *Heb. a labro ejus usque ad labrum ejus.*
‡ *vel fungi.*
[42] id est, trecentæ in ambitum.
[43] id est, repandum, ut sunt calices & lilia; periphrasis.
[44] mensura liquidorum ejusdem capacitatis cum Epha, de qua Exodi 16. 36. amphora attica.
[45] q. d. hic bathorum numerus ordinariè inferebatur ex instituto Regis: nam alioquin totum usque ad summitatem labri poterat capere ter mille bathos, 2. Chro. 4. 5.
[46] trusatiles sive ambulatoriæ, sedes labrorum, de quibus infrà 38. vers.
[n] *Heb. clausuræ, i. lata fascia, quibus insculpta erant imagines de quibus in versu sequente.*
[o] *Heb. scalis sic deinceps.*
[47] id est, area sive superficies stratuminata, qua fultum nitebatur labrum.
[48] sub. & cerubinos, synecdoche.
[49] i. fascias e venusto opere implexo & continente appositas.
[50] quæ instratæ erant axibus, ut sibi impositas bases sustinerent.
[51] id est, extremæ tabulæ in formam humerorum e quatuor angulis assurgentes, ne inter trudendum vacillaret labrum.
[52] id est, ornamentorum quæ erant ad collum labri sub projecturis ejus, dimidio cubito infrà summitatê labri: vide infrà V. 35.
[53] id est, æquabilis cavitas sub projectura.
[p] *Heb. coronæ.*
[54] id est, circuli in quem indebatur ex labro sesquicubitus.
[55] ab area ambitus coronarii usque ad summas scapulas.
[56] id est, æquabilis cavitas sub area, in quam indebatur labri dimidia altitudo.
[57] id est, justo & ad proportionem labri, quod rotundum erat, accommodato: ut fulmento esset ei undequaque.
[58] pro mensura imi labri, quod recipiebat.
[59] id est, in area illa quadrata baseos, cujus medium ambitus coronarius occupabat.
[60] id est, eas circumcludentes ab extremis areæ quadratæ partibus.
[61] id est, suprà basim & scapulas ejus.
[62] summi labri videlicet, ut dictum est suprà vers. 30.
[63] i. scapularum summitates, quibus veluti manibus fulciebatur labrum: fortè etiam manibus fuerunt similes: seq. vers.
[64] efficientibus summam aream.
[65] i. exstanti scapularum parti: synecdoche.
[66] nimirum areæ, de quib. suprà V. 31.
[q] *Heb. secundum effossuram cujusque.*
[r] *Heb. secundum hanc.*
[67] vide suprà V. 26.

39 Et

39 Et disposuit harum basium quinque ad latus ipsius domus dextrorsum, & quinque ad latus domus sinistrorsum: lacum verò posuit versus latus domus dexterum, ad [68] orientem e [69] regione meridiei.

40 Quum itaque Chirom fecisset labra, & hamas ac crateras eorum: absolvit Chiram facere totum opus, quod fecit regi Schelomoni *pro* domo Jehovæ.

41 Columnas duas; & [70] orbes coronarios qui erant impositi capitulo columnarum duos: & encarpos duos, ad tegendum duos orbes coronarios qui *erant* impositi capitulo columnarum:

42 Et malogranata quadringenta pro duobus encarpis: duobus ordinibus malogranata pro encarpo unoquoque, ad tegendum duos orbes coronarios qui *erant* in superficie columnarum:

43 Item bases decem, & labra decem imposita basibus:

44 Item lacum unum, & boves duodecim sub ipso lacu:

45 Item ollas, & hamas, & crateras, denique omnia vasa illa quæ fecit Chiram regi Schelomoni *pro* domo Jehovæ; ex ære purgato.

46 In planitie Jardenis fudit ea rex in [f] terra argillosa, inter [71] Succothas, & [72] Tzarthanem.

47 Et omisit Schelomo *pendere* omnia vasa ista præ multitudine [t] quamplurima: non pervestigatum est æris eorum pondus.

48 Fecit verò Schelomo omnia instrumenta ista, quæ *erant* domui Jehovæ; nempe [73] altare aureum, & mensam super quam erant panes faciei, auream:

49 Item lychnuchos, quinque a dextera, & quinque a sinistra ante ipsum adytum, *ex* auro asservato: [74] flores etiam, & lucernas, & forcipes aureos.

50 Item pelves, & instrumenta musica, & crateras, & acerras, & trullas *ex* auro asservato: etiam [75] cardines fœminas cum foribus domus interioris sancti sanctorum, *&* cum foribus domus templi ipsius, aureas.

51 [‖] Perfecto demum toto opere illo, quod fecit Rex Schelomo *pro* domo Jehovæ; inferens rex Schelomo [76] res consecratas a Davide patre suo, argentum & aurum, & vasa, posuit in thesauris domus Jehovæ.

[68] i. ad ingressum domus.
[69] i. in latere dextero domus: exegeticum est.
[70] i. coronas, suprà vers. 19. & 20.
[f] *Heb. in denso terræ.*
[71] in tribu Gadis trans Jardenem: vide Gen. 33.17. & Jehos. 13.27.
[72] in tribu Ephrajimi cis Jardenem, Jehos. 3.16. & suprà 4.12.
[t] *Heb. valde valde.*
[73] Thymiaterium cedrinum obductum auro, de quo suprà 6.20. & 22. Mensam autem accipe *συνεκδοχικῶς* pro instrumento mensali toto: ut exponitur 2. Chro. 4.8.
[74] i. lychnuchorum ornamenta & instrumenta.
[75] i. metas cavas sive ferramenta januis affixa, circa quæ cardines volvuntur.
[‖] *2. Chron. 5.*
[76] partim factas, partim infectas, quæ ex opere superfuerant.

CAPUT VIII.

Schelomo convocatis primoribus populi & sacerdotibus, deducit arcam Tzijone in adytum, tabernaculum ac vasa sacra Gibhone in thesaurum domus Dei: in qua quum Deus præsentiæ suæ signum aspectabile edidisset, Schelomo cum populo benedicit Deo, conceptis precibus sacrificat: domum Dei consecrat: festum tabernaculorum celebrat: denique populum ad pietatem hortatus dimittit.

TUnc congregari jussit Schelomo Seniores Jisraëlis, & omnes primarios tribuum, principes paternarum familiarum cum Jisraëlitis ad regem Schelomonem Jeruschalaima: ut deducerent arcam fœderis Jehovæ [1] e civitate Davidis, ea *est* Tzijon.

2 Congregatis itaque ad regem Schelomonem omnibus Jisraëlitis mense [a] [2] horridorum *agrorum*, in ipso [3] festo (is *est* mensis [4] septimus)

3 Et convenientibus omnibus Senioribus Jisraëlis deportârunt [5] sacerdotes arcam:

4 Et deduxerunt [6] arcam Jehovæ & [7] tentorium conventus, & omnia vasa sacra, quæ *erant* in tentorio; deduxerunt, inquam, ea [8] sacerdotes & Levitæ.

5 Rex autem Schelomo & totus cœtus Jisraëlitarum qui convenerant ad eum, cum ipso *euntes* coram arca; sacrificabant pecudes & boves, quæ nec numerabantur nec supputabantur præ multitudine.

6 Intulerunt autem sacerdotes arcam fœderis Jehovæ in locum ipsius, in adytum domus, in sanctum sanctorum; sub alas Cerubinorum.

7 Nam Cerubini pandebant alas super locum arcæ; & obtegebant Cerubini arcam & vectes ejus supernè.

8 Deinde protenderunt ejus vectes; ita ut cōspicerētur summitates vectium [9] e sancto [10] versus partem anteriorem ipsius adyti, nō autem cōspicerentur foris: fueruntq; ibi usque in diem hunc.

9 [11] [‖] Nihil *erat* in arca præter duas tabulas lapideas, quas collocaverat ibi Mosche in Chorebo; quando [12] pepigit *fœdus* Jehova cum filiis Jisraëlis egredientibus ipsis e terra Ægypti.

10 Fuit autem quum exirent sacerdotes e sancto ipso; ut nubes impleret domum Jehovæ:

11 Adeo ut non possent sacerdotes consistere ad ministrandum propter ipsam nubem; quum implevisset gloria Jehovæ domum Jehovæ.

12 Tum dixit Schelomo: [‖] [13] Jehova dixit se habitare in caligine.

13 [b] Planè ædificavi tibi domum habitaculi; stationem [c] in qua resideas *in* secula.

14 Posteà rex conversa facie sua [14] benedixit cum tota congregatione Jisraëlis; tota congregatione Jisraëlis stante:

15 Ac dixit, benedictus Jehova Deus Jisraëlis, qui alloquutus est ore suo Davidem patrem meum; prout manu sua implevit, dicendo:

16 Ex quo die eduxi populum meum Jisraëlem ex Ægypto; non [15] elegeram civitatem ex ullis tribubus Jisraëlis, ad ędificandum domum ubi esset nomen meum: sed [‖] elegi Davidem ut præesset populo meo Jisraëli.

17 Quamobrem fuit in [d] animo Davidis patris mei; ędificare domū nomini Jehovę Dei Jisraëlis:

18 Sed dixit Jehova Davidi patri meo, eo quòd fuit tibi in animo ædificandi domum nomini meo; benè fecisti [e] quòd fuisti eo animo.

19 Verumtamen tu non es ædificaturus istam domum: sed filius tuus qui egressurus est e lumbis tuis, is ædificabit domum istam nomini meo.

20 Itaque pręstitit Jehova verbum suum quod loquutus fuerat: surrexi enim loco Davidis patris mei, & sedens in solio Jisraëlis quemadmodum loquutus est Jehova, ædificavi domum hanc nomini Jehovæ Dei Jisraëlis:

21 Ubi disposui locū pro arca, in qua *est* [16] fœdus Jehovæ; quod pepigit cum patribus nostris, quum educeret eos e terra Ægypti.

22 Deinde substitit Schelomo [17] ante altare Jehovæ, coram tota congregatione Jisraëlis: & expandit manus suas versus cælum:

23 At dixit, [18] Jehova Deus Jisraëlis, nullus *est* similis tibi Deus, in cælis supernè, aut in terra infernè, servans fœdus & benignitatem servis tuis, qui ambulant coram te ex toto animo suo:

24 Qui servasti Davidi patri meo servo tuo id quod eloquutus fueras ei: ut eloquutus fueras ore tuo, ita manu tua implevisti, sicut *est* hoc die.

25 [19] Nunc ergo, Jehova Deus Jisraëlis, serva

[1] vide 2. Schem. 5.9.
[a] *Heb. fortium vel asperorum.*
[2] i. Septembri, quo collectis totius anni proventibus, agri inculti horrescunt: sic Deut. 21.4.
[3] Tabernaculorum; ut colligitur ex 65. versu.
[4] Ex divina institutione, Exod. 12.2.
[5] Levitici ordinis: ideò Levitæ dicuntur, 2. Chron. 5.4.
[6] e civitate Davidis, suprà ℣. 1.
[7] Gibhone. 2. Chronic. 1.3. & 4. ℣.
[8] quique pro munere & functione sua Num. 4. nam etsi eo loco nihil de sacerdotibus legitur; tamen certum est aucto sacerdotū numero, portandi arcam munus illis impositum fuisse, Deut. 31.9.
[9] id est, ex area sancta, 2. Chr. 5.8.
[10] ut veluti repagula essent sacerdoti adytum ingredienti: & ita semper manserunt etiam consistente arca, ut mandatū fuerat Ex. 25.15.
[11] i. intra arcam sub operculo: nam urna in qua erat Man, & virga Aharonis coram testimonio quidem: sed extra arcam fuisse leguntur Exod. 16.35. & Num. 17.19. Nec pugnat quod ad Hebræos 9. ℣. 4. legitur: nam relativum, in qua, non ad arcæ nomen proximum: sed ad nomen *σκηνῆς*, id est, tabernaculi, pręferendum est, etiamsi remotius sit, ut in Parallelis nostris fusiùs ostendimus.
[‖] *Exod. 40.20.*
[12] vide similem eclipsim 1. Schem. 20.16. & 22.8.
[‖] *2. Chron. 6.*
[13] q.d. hoc signo testatur se pręsentem esse, ut Moschi dixit Levitici 16.2.
[b] *Heb. ædificando ædificavi.*
[c] *Heb. ad residentiam tuam.*
[14] sub. Deo, laudibus ejus & precibus: nam benedicendi verbo utrumq; continetur, ut Matth. 14.19. & 26.26.
[15] id est, electionem meam patefeceram: humanitus dictum.
[‖] *2. Schem. 7.6. & 7.*
[d] *Heb. corde: sic deinceps.*
[e] *Heb. quod fuit cum corde tuo.*
[16] i. tabulæ fœderis: Metonymia.
[17] sub. holocausti, quod erat in atrio; ubi Schelomonē hæc protulisse e suggestu legitur, 2. Chr. 6.12. & 13.
[18] exordium orationis a laudatione, cujus argumenta sunt, natura Dei & gratia, posita partim in promissionibus, partim in effectis earum.
[19] Propositio, secunda orationis pars, cujus membra sunt duo: unum, ut stabiliatur regnum in familia Davidis: alterum, ut Deus præsentia sua in domo sibi consecrata, regnum & regem sanctificet & regat.

Davidi servo tuo patri meo, id quod eloquutus fueras ei dicendo, non exscindetur tibi vir a conspectu meo sedens in solio Jisraëlis: si tamen observabunt filii tui viam suam ambulando [20] coram me, quemadmodum ambulasti coram me.

26 Nunc etiam Deus Jisraëlis; confirmetur, quæso, verbum tuum quod eloquutus es servo tuo Davidi patri meo:

27 [21] Etenim an revera habitaret Deus in terra? ecce cæli ipsi, & [22] cæli cælorum non capiunt te, quanto minùs domus hæc quam ædificavi?

28 [23] Respicias igitur ad orationem servi tui, & ad deprecationem ejus, Jehova Deus mi; auscultando clamori & orationi qua servus tuus orat coram te hodie:

29 Ut sint [24] oculi tui aperti erga domum hanc noctu & interdiu, erga locum illũ de quo dixisti, futurum est nomen meum ibi; auscultando orationi qua orabit servus tuus versus locum hunc:

30 Et auscultes deprecationi servi tui, & populi tui Jisraëlis, qua orabunt [25] versus locum hunc: tu, inquam, auscultes in loco habitationis tuæ in cælis, & auscultans condones.

31 [26] Quum peccaverit ullus in proximum suum, qui detulerit ei juramentum exsecrationis, exsecratione adjurando eum, (nam veniet exsecratio ante altare tuum in domum hanc:)

32 Tunc tu audito *e* cælis, & conficiens judicato servos tuos, improbando improbum, reddendo viam ejus in caput ejus; & iustificando justum, reddendo ei secundùm justitiam ejus.

33 Quum plaga affectus fuerit populus tuus Jisraël coram hoste, eo quòd peccaverint in te: si conversi ad te [27] celebrabunt nomen tuum, & orabunt ac deprecabuntur te versus domum hanc:

34 Tunc tu exaudito e cælis condonans peccatum populi tui Jisraëlis: ut reducas eos in terram hanc, quam tradidisti majoribus eorum.

35 Quum clausum fuerit cælum ita ut non sit pluvia, eo quòd peccaverint in te: si orantes versus locum hunc celebrabunt nomen tuum, & a peccato suo revertentur, quia [28] testatus fueris *contra* eos:

36 Tunc tu exaudito e cælis condonans peccatum servorum tuorum, & populi tui Jisraëlis, quum docueris eos viam optimam per quam ambulent: ut des pluviam super terram tuam quam dedisti populo tuo in possessionem.

37 Fames quum erit in hac terra, pestis quum erit, uredo, rubigo, locusta, bruchus quum erit, quum anget eum inimicus ejus in terra [f] ditionis ejus; quęcunque plaga, quęcunque ægritudo:

38 Omnem orationem, omnem deprecationem quæ erit a quocunque homine, *aut* a toto populo tuo Jisraële; quum agnoscentes quisque plagam animi sui, [29] expandet manus suas versus domum hanc,

39 Tum tu exaudito *e* cælis, statione habitationis tuæ, ut condonans facias aut des unicuique secundùm omnes vias ejus, quas agnosces apud animum ejus: tu enim nosti solus animum omnium filiorum hominis:

40 [30] Ut revereantur te omnibus diebus quibus sunt victuri in superficie hujus terræ, quam dedisti majoribus nostris.

41 Quin etiam extraneo ipsi, qui non e populo tuo Jisraële *fuerit*; sed venerit e terra longinqua propter nomen tuum:

42 (Audient enim de nomine tuo magno, & manu tua robusta, ac brachio tuo extento) quum adveniens orabit versus domum hanc:

43 Tu auscultato e cęlis, statione habitationis tuæ, ut facias [g] omnino prout clamaverit ad te extraneus ipse: ut experiantur omnes populi terræ nomen tuum, ad reverendum te, sicut populus tuus Jisraël, & ad cognoscendum nomen tuum invocari super domum hanc quam ædificavi.

44 Quum procedet populus tuus in bellum contra inimicum suum, [31] viâ qua mittes eos: si orabunt Jehovam [32] viâ civitatis hujus quam elegisti, & hujus domus quam ædificavi nomini tuo:

45 Tum exaudies e cælis orationem eorum & deprecationem eorum; ut peragas causam eorum.

46 Quum peccaverint in te (nam nemo *est* qui non peccet,) & iratus contra *eos* [h] exposueris eos inimico; ita ut captivos abduxerint eos *illi* a quibus capti sunt, in terram inimici, longinquam aut propinquam:

47 Si reducent in animum suum in ea terra ubi captivi detinebuntur, ut conversi deprecentur te in terra eorum quorum sunt captivi, dicendo, peccavimus, & perversè egimus, improbè fecimus:

48 Et revertentur ad te ex toto corde suo, & ex toto animo suo, in terra inimicorum suorum qui captivos detinebunt eos: & orabunt te viâ terræ suæ quam dedisti majoribus ipsorum, hujus civitatis quam elegisti, & hujus domus quam ędificavi nomini tuo:

49 Tum exaudies e cælis, statione habitationis tuæ, orationem eorum & deprecationem eorum; ut peragas causam eorum:

50 Ut condones populo tuo quæ peccaverint contra te, & omnes defectiones eorum quibus defecerint a te: & [i] concilies eis misericordiam coram captivos detinentibus eos, ut misereantur eorum.

51 (Populus enim tuus & possessio tua sunt quos eduxisti ex Ægypto, e medio [33] catino ferri)

52 Oculis tuis apertis exsistentibus ad deprecationem servi tui, & ad deprecationem populi tui Jisraëlis; auscultando eis [k] quandocunque invocabunt te.

53 Tu enim distinxisti eos tibi in possessionem ab omnibus populis terræ: quemadmodum loquutus es per Moschen servum tuum, [†] quum educeres majores nostros ex Ægypto, domine Jehovi.

54 Deinde fuit quum absolvisset Schelomo orare Jehovam tota oratione & deprecatione ista; *ut* surgens ab anteriore parte altaris Jehovæ, ab inflexione sua in genua, manibusq; suis passis versus cælum,

55 Staret ac benediceret *Deo* cum tota congregatione Jisraëlis; voce magna dicendo:

56 Benedictus Jehova qui dedit quietem populo suo Jisraëli, prorsus ut [||] loquutus fuerat: [34] non excidit res ulla ex omnibus bonis sermonibus ejus, quos loquutus fuerat per Moschen servum suum.

57 [35] Sit Jehova Deus noster nobiscum quemadmodum fuit cum majoribus nostris: ne derelinquat nos, neque deserat nos:

58 Inclinando animum nostrum ad se; ut ambulemus in omnibus viis ejus, ut observemus pręcepta ejus, & statuta ejus, ac judicia ejus quæ pręcepit majoribus nostris:

59 Et sint verba mea ista, quibus deprecatus sum coram Jehova, propinqua Deo nostro interdiu & noctu; ut peragat causam [36] servi sui, & causam populi sui Jisraëlis, [l] cujusque temporis tempore suo:

60 Ut

[20] id est, in lege mea, 2.Chr.6.16.
[21] correctio petitionis de præsentia Dei in domo, argumento a majore: quasi dicat, si neque tota terra; neque omnes cæli te capere possunt, quid dicerem ut contineâris in hac domo? Act. 7.47.
[22] i. summi cæli.
[23] ἐργασία propositionis; qua petit Schelomo, ut in posterum ad omnes occasiones Deus re ipsa præsentiam suam petenti cuique sive ex populo ejus, sive ex alienigenis utilem & salutarem ostendat.
[24] humanitùs dictum, ut passim.
[25] i. horsum conversus, quasi respiciens ad promissionem tuæ præsentiæ in hoc loco. Exemplum in Danijele cap. 6.10.
[26] synecdoche: quasi dicat: in causis omnibus dubiis quæ hominis inquisitione pervestigari non possunt, ut ea sunt in quibus lex ad jurisjurandi religionem remittit, Exod.22.8.& 11. Num.5.15.& alibi: tu qui omnia nosti justum judicem te declara.
[27] sibi reatum; tibi verò justitiam ac gloriam tribuentes.
[28] immissa siccitate, ut factum est 2.Schem.21.
[f] *Heb. portarum.*
[29] i. precabitur: synecdoche a signo.
[30] ambulando in viis tuis, 2.Chron. 6.31.
[g] *Heb. secundum omne quod.*
[31] i. expeditione justa & a te imperata.
[32] id est, versus civitatem hanc: sic ⱴ.48.
[h] *Heb. dederis eos coram inimico: ut Gen.13.9. & Deut.7.2.*
[i] *Heb. dato eos misericordiæ.*
[33] vide Deut.4.20.
[k] *Heb. in omni invocare eos te.*
[†] *Exod.19.5.*
[||] *Deut.12.10.*
[34] vide Jehos. 22.3.
[35] Precatio est Schelomonis coetum dimittentis.
[36] id est, regis nostri, Christi, ut 1.Chron.17.19.
[l] *Heb. rem diei, die suo.*

60 Ut cognoscant omnes populi terræ Jehovam esse Deum ipsum, neminem *esse* amplius:

61 Quum erit cor vestrum integrum erga Jehovam Deum nostrum; ambulando in statutis ejus, & observando præcepta ejus, sicut hodierno die.

62 Deinde rex & omnes Jisraëlitæ cum eo; sacrificârunt sacrificia coram Jehova.

63 Sacrificavit enim [37] Schelomo *in* sacrificium eucharisticum quod sacrificavit Jehovæ; boves vicies bis mille, & pecudes centies vicies mille: quum dedicarent domum Jehovæ rex & omnes filii Jisraëlis.

64 Eo ipso die consecravit rex [38] [m] internam partem atrii quæ *erat* ante domum Jehovæ, eo quòd parasset ibi holocausta & munera ac adipes eucharisticorum: [39] nam altare æreum, quod *erat* coram Jehova, minus erat quàm ut caperet holocausta, & munera, ac adipes eucharisticorum.

65 Celebravit etiam Schelomo tempore illo illud [40] festum, & totus Jisraël cum eo, congregatio magna, inde ab [41] ingressu Chamathę usque ad [42] torrentem Ægypti, coram Jehova Deo nostro [43] septem diebus, [44] deinde septem diebus: *hoc est*, quatuordecim diebus.

66 [45] Die octavo dimisit populum, & benedixerunt regi: ita abierunt ad tentoria sua, læti & hilares animo de toto illo bono, quo affecerat Jehova [46] Davidem servum suum, & Jisraëlem populum suum.

[37] cum populo, ut explicat finis versus. [38] id est, atrium interius sive sacerdotum: hypallage. [m] *Heb. medium atrii.* [39] quod fecerat Schelomo, 2. Chron. 7. 7: de cujus forma 2. Chron. 4. 1. [40] nempe tabernaculorum. [41] vide Num. 13. 20. & 34. 8. [42] Num. 34. 5. in annotatione. [43] tam diu enim duravit dedicatio. [44] festum tabernaculorum. [45] i. sub finem diei octavi: nam dies interdicti fuit dies octavus, Levitic. 23. 36. & 2. Chron. 7. 9: ut postridie proficiscerentur, qui fuit vigesimus tertius mensis, ut indicat ibidem ver. 10. [46] & Schelomonem, 2. Chron. 7. 10: synecdoche.

CAPUT IX.

Schelomo Dei nova revelatione confirmatus de antè actis promissionibus, Chiramo regionem nuper acquisitam offert in compensationem officiorum, quibus adjutus ab eo fuerat: publica opera curat: gentes populo intermixtas deditione recipit & servituti addicit: Cultum Dei legis præscripto observandum curat: & classe procul transmissa auri peregrini vim magnam comparat.

Fuit autem [‖] quum absolvisset Schelomo ædificare domum Jehovæ & domum regis; idque pro toto desiderio Schelomonis quo delectatus fuerat faciendo:

2 ([1] Apparuerat enim Jehova Schelomoni [2] secundò; quemadmodum apparuerat ei Gibhone;

3 Et dixerat Jehova ei, exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam qua deprecatus es coram me; consecravi domum istam quam ædificasti, ut collocem nomen meum ibi usque in seculum: eruntque oculi mei & [a] animus meus ibi omnibus diebus.

4 Tu autem, si ambulaveris coram me sicut ambulavit David pater tuus, [b] integro animo & recto, faciendo omnino prout præcepi tibi; statuta mea & judicia mea observaveris;

5 Utique stabiliam solium regni tui super Jisraëlem in seculum: quemadmodum eloquutus fueram [‖] Davidi patri tuo dicendo, non exscindetur tibi vir à solio Jisraëlis.

6 Si [c] omnino aversi fuerìtis vos & filii vestri a [d] sequendo me, & non observaverìtis præcepta mea & statuta mea quæ proposui vobis; sed abeuntes coluerìtis deos alienos, & incurvaverìtis vos *honorem habentes* eis:

7 Utique exscindam Jisraëlem a superficie hujus terræ quam dederam eis, & istam domum quam consecravi nomini meo dimittam a facie mea; eritque Jisraël in [3] parabolam & dicterium inter omneis populos:

8 Et domus ista *ut ut* fuerit excelsa, quisquis transibit juxta eam [4] obstupescet aut [5] sibilabit: dicent enim, quamobrem fecit Jehova ita terræ isti, & domui isti?

9 Ac dicent, eo quòd dereliquerunt Jehovam Deum suum, qui eduxerat majores ipsorum e terra Ægypti; & prehenderunt deos alienos, & incurvantes se eis coluerunt eos; idcircò induxit Jehova in eos totum malum istud)

10 Fuit inquam, [6] exactis viginti annis quibus ædificavit Schelomo duas illas domos; domum Jehovæ & domum regis:

11 *Quia* Chiram rex Tyri donaverat Schelomonem lignis cedrinis, & lignis abiegnis, ac [7] auro, pro toto desiderio ejus: *ut* tunc daret rex Schelomo Chiramo viginti civitates ad [e] [8] regionis limitem.

12 Itaque egressus Chiram Tyro ad visendum civitates illas quas dabat ipsi Schelomo; quum non placerent in oculis ejus:

13 [9] Dixit, quid *sunt* civitates istæ, quas das mihi, frater mi? ideò vocat eas *quisque* [10] terræ Cabul *civitates* usque in diem hunc.

14 Miserat enim Chiram regi, [11] centum viginti talenta auri.

15 Hæc porro causa *est* [12] delectus quem indixerat rex Schelomo, ut ædificaret domum Jehovæ, & domum suam, & [13] munitionem ipsam, murumque Jeruschalaimorum: item [14] Chatzorem, & [15] Megidduntem, & [16] Gezerum.

16 (Parhho rex Ægypti ascendens ceperat Gezerũ, & combusserat eam igne, Cenehhanæũ autem qui inhabitabat civitatem interfecerat; dederatq; eam *in* munus filiæ suę, uxori Schelomonis.

17 Ædificavit autem Schelomo Gezerum) & [17] Bethchoronem inferiorem:

18 Item [18] Bahhalatham, & [19] Thadmorem in deserto, in [20] illa terra:

19 Omnes quoq; civitates armamentariorum, quę *erant* Schelomoni, & civitates curruum, & civitates equitum; deniq; pro desiderio Schelomonis *id* quod desideraverat ædificare Jeruschalaimis, & in [21] Libano, & in tota terra dominatus sui.

20 Totius populi qui relictus fuerat ex Emoræo, Chitthæo, Perizzæo, Chivvæo, & Jebusæo, qui non *erant* e filiis Jisraëlis:

21 [22] Horum filios qui relicti fuerant post eos in ipsa terra, quos [23] non potuerant Jisraëlitæ internecioni devovere; [f] [24] adegit eos Schelomo in [25] tributũ servile usque in [26] hodiernum diem.

22 Ex Jisraëlitis verò neminem reddidit Schelomo servum: sed erant viri militares, & [27] servi ejus, & tribuni ejus, & præfecti curruum ac equitum ejus.

23 *Ex* his erant principes curatorum, qui prę fecti erant operi pro Schelomone [28] quingenti [29] quinquaginta: qui dominabantur populo, facientibus opus illud.

24 Veruntamen filia Parhhonis ascenderat e civitate Davidis ad domum suam [‖] quam ædifica-

[‖] 2. Chron. 8. [1] hyperbaton est usque ad ver. 10. quo ostendit qua re fretus ædificaverit sibi quoque domos, & templum Dei, atque basilicas tam accuratè ornaverit: nimirum promissione præsentiæ divinæ in templo, & stabilitatis regni in posteris. [2] i. proxima nocte a dedicatione, ut antea proxima nocte a sacrificiis, suprà. 3. 5. [a] *Heb. cor: sic deinceps.* [b] *Heb. integritate cordis & rectitudine.* [‖] *Suprà* 2. 4. [c] *Heb. avertendo aversi fueritis.* [d] *Heb. a post me.* [3] ut Deut. 28. 37.

[4] admiratione, ut sequentia explicant. [5] ludibrio & derisione, ut apparet ex versu sequente. [6] septem exstructi templi sup. 6. 38. & tredecim exstructæ domus suæ, sup. 7. 1. id est vigesimoquarto regni ejus. [7] cujus numerus explicatur infrà versicu. 14. [e] *Heb. in regione limitis.* [8] id est, Ascheri conterminam versus septemtrionem; sed extra possessionem a Deo lege definitam; ex qua non licebat quicquam ne in usum quidem fructum (ut hic faciebat Schelomo) exteris possidendum dare: nam Cabulem minime ad Ascherem pertinuisse, cum ex hoc loco ostenditur; tum ex ipso civitatum Ascheris numero, qui habetur Jehosch. 19. a versicul. 24. usque ad 30: denique ex 2. Chro. 8. 14. ubi Schelomo Jisraëlitarum colonias eò deduxisse legitur. [9] reddendo eas amicè, ut testatur 2. Chronic. 8. 14. [10] id est, displicentis, ex Phœnicum lingua, ut testatur Josephus Antiquitatũ lib. 3. cap. 2. alii lutosam vel arenosam malunt exponere. [11] id est, septingenta viginti millia aureorum coronatorum. [12] de quo sup. 5. 13 [13] videlicet Tzijonis. [14] Jehos. 19. 36. Naphthalitarum. [15] Menaschitarũ, Jehoschu. 17. 11. [16] Ephrajimitarũ, Jehosc. 21. 21. [17] synecdoche pro superiore & inferiore: vide 2. Chron. 8. 16. Ephrajimitarum, Jehoschu. 21. 22. [18] Danitarum, Jehoschu. 19. 44. [19] si ea civitas est, quam Ptolemæus vocat Θαμάρων, in deserto Judæ est, non procul ab Hen-Gedi: Si verò est Palmyra, ut Josephus putat Antiquit. Jud. lib. 8. cap. 2. in solitudine Syriæ sita est: sed posterior sententia magis placet. [20] hoc est, quæ omnia oppida in ipso Schelomonis regno & intra fines a Deo designatos erant. [21] vide suprà 7. 2. & sequentibus. [22] vide annotata Jehoschu. 9. 19. [23] justo Dei judicio: quia quum mandatum haberent & possent, neglexerant, Judic. 2. [f] *Heb. ascendere fecit in tributum servitutis.* [24] deditios: sive ultrò se offerrent: sive pacem oblatam acciperent ex lege Deut. 20. 10. [25] id est, pręter pecuniarium tributum, servitutem etiam ab eis exigebat. [26] id est, in perpetuum: nam etiam post captivitatem, nomen retinuerunt servorum Schelomonis, Hezræ 2. 55. & Nechemjæ 7 60. [27] ingenua servitute & liberalibus officiis. [28] quorum ducenti quinquaginta, de quibus 2. Chron. 8. 22. alternis curatione sua fungebantur. [29] alternis decurionum officium agentes, ab illis opus exigentes; vide suprà 5. 16. annotata. [‖] *suprà.* 7. 8.

30 suprà versu 15.

verat ei *Schelomo*: tunc ædificavit 30 munitionem
ipsam.
25 Et offerebat Schelomo ter quotannis ho-
locausta & eucharistica super altare quod ex-
struxerat Jehovæ, & suffitum adoleri curabat
31 in eo quod *erat* coram Jehova; quum perfe-
cisset domum.
26 Præterea classem paravit rex Schelomo
Hetzjone Geberi, quæ *est* prope 32 Elothas ad li-
tus maris algosi in terra Edomæorum.
27 Misit verò Chiram in ea classe servos suos,
g nautas, peritos maris; cum servis Schelomonis:
28 Qui profecti 33 Ophirum, acceperunt inde
auri 34 quadringenta viginti talenta; quę attule-
runt ad regem Schelomonem.

31 id est, in Thymiaterio: est autem synecdoche, pro eo quod est, cultum Dei exercebat ex lege, ut in Chronicis explicatur.
32 vide de utroq; loco Deuter. 2.7. & Epiphanium contra Manichæos.
g *Heb. homines navium.* 33 id est, ad auream Chersonesum; ut explicat Josephus. 34 id est, vicies, quinquies centena, viginti millia aureorum. At in 2. Chronic. 8. versu vltimo est accessio 30. talentorum, quæ non ad regem afferebantur; sed in usum classis iusumebantur.

CAPUT. X.

Regina Schebæ audita fama de Schelomone, eum invisit: sapientiam ejus probat: gloriam perlustrat, & muneribus datis & acceptis domum revertitur. Cujus historiæ occasione, istius gloriæ Schelomonis documenta exponuntur, in ascensu: clypeis: solio: poculis, & reliquis instrumentis: proventibus ex classe, pensitationibus exterorum, & vectigalibus.

1 vide Gen. 10 7.
a *Heb. ad nomen.*

Audiens autem regina 1 Schebæ famam Sche-
lomonis, a & nominis Jehovæ; venit ad pro-
bandum eum ænigmatibus:
2 Et ingressa Jeruschalaima cum 2 exercitu
b numeroso admodum, camelis ferentibus aro-
mata, & aurum multum admodum, ac lapides
pretiosos: accessit ad Schelomonem, & eloquuta
est ei quicquid *erat* in c animo suo.
3 3 Cui indicavit Schelomo omnia verba ejus:
non fuit absconditum quicquam regi, quin indi-
caverit ei.
4 Quapropter quum videret regina Schebæ
omnem sapientiam Schelomonis, & quamque
domum quam ædificaverat;
5 Cibum etiam mensæ ejus, & 4 consessum
servorum ejus, & statum ministrorum ejus, & ve-
stitum eorum, similiter a poculis ejus, & 5 ascen-
sum ejus quo ascendebat in domum Jehovæ:
6 non *erat* amplius in ea spiritus.
6 Tandem dixit regi, verum *est* verbum illud
quod audiveram in terra mea; de rebus tuis & de
sapientia tua.
7 Tamen non credidi verbis illis usque-
dum venirem, & viderent oculi mei, sed ecce non
indicatum fuerat mihi ejus dimidium: d superas
sapientiâ & bonitate famam illam quam audive-
ram.
8 Beati homines tui, beati servi tui isti; qui
7 stantes coram te jugiter audiunt sapientiam
tuam.
9 Sit Jehova Deus tuus benedictus, qui
delectatus est te, ut collocaret te in solio Jisraë-
lis; eo quòd diligit Jehova Jisraëlem in secu-
lum, ideò imposuit te regem, ut exerceres judi-
cium & justitiam.
10 Et dedit regi 8 centum viginti talenta
auri, & aromata multa valde, ac lapides pre-
tiosos: e non sunt advecta hujusmodi aro-
mata ampliùs tanta multitudine, quanta dedit
regina Schebæ regi Schelomoni.
11 (9 Nam etiam classis 10 Chirami quæ af-

2 id est, comitatu & satellitio regio.
b *Heb. gravi.*
c *Heb. cum corde: sic infrà 24. V.*
3 i. respondit ad omnes quæstiones ejus.
4 id est, multitudinem procerum qui sub eo erant suis ordinibus.
5 de quo infrà ver. 12.
6 præ stupore quo penè exanimabatur: hyperbole.
d *Heb. addidisti sapientiam & bonitatem ad famam, &c.*
7 i. ministrantes ordinariè, ut Deut. 10.8.
8 ut suprà 9.14.
e *Heb. non venit sicut aroma illud amplius in multitudine quod dedit, &c.*
9 reddit rationem cur obstupuerit regina ad aspectum tantæ gloriæ; nominatim verò illius ascensus de quo sup. V. 5. 10 & Schelomonis: synecdoche: vide sup. 9.26. & 27.

ferrebat aurum ex Ophiro; advexerat ex Ophi-
ro ligna 11 thyina multa admodum & lapides
pretiosos:
12 Et paraverat Rex ex illis lignis thyinis
f 12 repagulum ad domum Jehovæ, & ad do-
mum regis, & citharas, & nablia pro canto-
ribus: non fuerant advecta talia ligna thyina,
neque visa usque in diem illum)
13 Rex verò Schelomo dedit reginæ Sche-
bæ pro toto desiderio ejus quicquid petivit,
præter id quod g rependit ei pro facultate re-
gis Schelomonis: ita revertens abiit in terram
suam, ipsa cum seruis suis.
14 Erat autem pondus auri quod obveniebat
Schelomoni quolibet anno; 13 sexcentorum sexa-
ginta sex talentorum auri:
15 Præter *id quod obveniebat* a h 14 publicanis
negotiatorum & mercaturæ aromatariorum &
omnibus 15 regibus Arabiæ, & proceribus ejus
regionis.
16 16 Itaque fecerat rex Schelomo ducentos
clypeos ex auro malleato: sexcentos 17 aureos
i imponebat clypeo unicuique.
17 Item trecenta scuta ex auro malleato,
18 tria pondo auri imponebat scuto unicuique:
quæ posuit rex in domo saltus Libani.
18 Fecerat præterea rex solium eburneum
magnum; & obduxerat illud auro depuratissimo.
19 Sex gradus *erant* huic solio, & fastigi-
um rotundum ipsi solio a posteriore parte ejus,
& fulcra manuaria hinc & inde ad locum ses-
sionis; ac duo leones stantes juxta ipsa fulcra
manuaria:
20 Duodecim quoque leones stantes ibi ad
sex gradus ejus, hinc & inde: non fuerat factum
tale in ullis regnis.
21 Insuper omnia vasa potoria Regis Schelo-
monis *erant* aurea, & omnia vasa domus saltus
Libani ex auro k asservato: nihil *inerat* argenti,
non æstimabatur temporibus Schelomonis 19 ul-
lius *pretii*.
22 Nam 20 classis Oceani pro rege, cum clas-
se Chirami *erat*: semel ternis annis veniebat classis
ex Oceano afferens aurum & argentum, ebora,
& simias, & l pavones.
23 Sic major erat rex Schelomo omnibus re-
gibus terræ, divitiis & sapientia:
24 Et totius terræ *reges* quærebant aspectum
Schelomonis; ut audirent sapientiam ejus, quam
indiderat Deus animo ejus.
25 Isti quoque afferebant quisque munus su-
um, instrumenta argentea, & instrumenta aurea,
& vestimenta, & arma, & aromata, equos & mu-
los; rem annuam quotannis:
26 Ita ut l congregaret Schelomo currus &
equites; essentque ei 21 mille quadringenti cur-
rus, & duodecies mille equites: quos 22 abduci
jussit in civitates curruum, & apud regem Jeru-
schalaima.
27 Et reddidit rex argentum Jeruschalaimis
23 ut lapides: cedros autem reddidit ut sycomo-
ros quæ *crescunt* in loco depresso, multitudine.
28 Et 24 vectigal 25 equorum ex Ægypto,
quod 26 *erat* Schelomoni; id est, *vectigal*

11 ligna præstantissima, ut apparet ex Apocal. 18.12. vide Plin. lib. 13. natural. hist. cap. 15. & 16. nam quod curalium Hebræi interpretantur, alienum est ab istis operibus ad quæ adhibebatur: neque fuisset tam procul ad vehendum, cùm in mari mediterraneo & rubro abundè crescat.
f *Heb. fulcrum.*
12 synecdoche, pro ascensu repagulis utrinque munito, quo a domo regis ad domum Dei ibatur: sic enim accipiendum esse ostenditur 1. Chro. 26. 16. & 18. & 2. Chro. 9.11, 13.
g *Heb. reddidit: quo sensu accipitur idem verbum 2. Chr. 8.14. nam apud Hebræos simplicia verba habent significationem compositorum, quibus illi carent.*
13 hoc est, tricies centies mille, nongenties nonagies sexies mille aureorum.
h *Heb. hominibus exploratorum: solet n. illud genus hominum in speculis esse, ut occasionem aucupetur comparandarum aut distrahendarum mercium.*
14 i. iis qui publica regis vectigalia exteris mercatoribus imperata redimebant.
15 finitimis tam ab oriente quàm a meridie.
16 cùm ita abundaret auro.
17 sub. siclos communes, qui efficiunt aureos nummos paulo minus mille, vel libras quasi decem auri.
i *Heb. ascendere faciebat*
18 continentia siclos centenos, 2. Chron. 9.16. vide 1. Mac. 14.24.

k *Heb. clauso.* 19 hyperbole: ut infrà ver 27. 20 comparata ad navigationem Africani Oceani. l *vel psittacos* l 2. *Chro.* 1.14. 21 alternis in ordinario comitatu ejus: nam alioquin totus numerus curruum tam in comitatu ejus quàm in stationibus erat quatuor millium: vide sup. 4.25. & 2. Chronic. 9.25. 22 id est, per vices in stationibus esse, & sibi ministrare. 23 hyperbole. 24 nam ex Ægypto terrestri itinere in Syriam proficiscentibus per angustias transeundum erat inter Syriacum & rubrum mare, quas obtinebat Schelomo. 25 i. mercium, quæ equis aut curribus vehebantur, ut sequens versus explicat: metonymia. 26 quia per ipsius regionem transibatur.

27 neti

[27] neti, [28] mercatores regis accipiebant netum pro pretio.

29 Nam ascendens ex Ægypto [29] exibat [30] currus sexcentenis siclis argenti, & equus centenis quinquagenis: & ita pro omnibus regibus [31] Chitthæorum, & pro regibus [32] Syriæ [33] in manu sua educebant.

27 i. mercium netarum & confectarum, ut byssi & aliarum, quæ ibi parabantur: de quibus vide Proverb. 7.16. & Jechezkel. 27.7. 28 id est, publicani sive vectigalium redemptores. 29 e finibus Jehudææ, & Schelomonis regni. 30 oneratus mercibus in quaternos equos: prout equus onustus centenos quinquagenos siclos pendebat. 31 ab oriente, ut Jehos. 1.4. 32 ab Aquilone. 33 id est, secum abducebant quocunque volebant, pensitatis vectigalibus.

CAPUT XI.

Schelomo multarum exterarum fœminarum consortio corruptus, in idololatriam labitur: ideoque Dei iram ita provocat, ut ei interminetur lacerationem regni: duos hostes excitet: & Jarobhamum successorem majoris partis regni præsignificet. Qui occasione quum Schelomo ejus necem quæreret, in Ægyptum fugit: ubi manet usque ad Schelomonis mortem.

[1] POsteà rex Schelomo adamavit mulieres alienigenas multas [a] idque præter filiam Parhonis; Moabitidas, Hammonitidas, Edomæas, Tzidonias, & Chitthæas:

2 E gentibus de quibus [2] edixerat Jehova filiis Jisraëlis, ne convehitote cum eis, nec ipsi conveniunto vobiscum, profectò inclinarent [a] animum vestrum post deos suos: iisdem adhæsit rex Schelomo amore:

3 Adeò ut essent ei fœminæ principes septingentæ, & concubinæ trecentæ: quapropter inclinaverunt fœminæ ejus animum ejus.

4 Fuit ergo tempore senectutis Schelomonis, fœminis inclinantibus animum ejus post deos alienos: quum non esset animus ejus integer erga Jehovam Deum suum, sicut *fuerat* animus Davidis patris ejus:

5 Ut [b] sequeretur Schelomo [3] Haschtoreth† [c] deam Tzidoniorum, & [4] Milcomum abominationem Hammonitarum.

6 Sic faciebat Schelomo quod malum *videtur* in oculis Jehovæ: neque [d] plenè sequebatur Jehovam, sicut David pater ejus.

7 Tunc ædificavit Schelomo excelsum [5] Cemoscho abominationi Moabitarum, in eo [6] monte qui *est* in conspectu Jeruschalaimorum & Moleco abominationi Hammonitarum.

8 Itidem fecit omnibus suis fœminis alienis; adolentibus & sacrificantibus diis suis.

9 Itaque ira percitus est Jehova in Schelomonem; eo quòd declinasset animus ejus a Jehova Deo Jisraëlis, qui apparuerat ei [7] bis;

10 Et interdixerat ei hanc ipsam rem, ne sequeretur deos alienos: nec tamen observasset id quod præceperat Jehova.

11 Et [8] dixit Jehova Schelomoni, eo quòd fuit hoc apud te, quòd non observasti fœdus meum & statuta mea quæ præcepi tibi: [e] omnino lacerabo hoc regnum a te, & tradam servo tuo.

12 Verumtamen diebus tuis non faciam hoc [9] propter Davidem patrem tuum: e manu filii tui lacerabo illud.

13 Sed totum hoc regnum non lacerabo, tribum unam dabo filio tuo; propter Davidem servum meum, & [10] propter Jeruschalaima quę elegi.

1 nimirum quàm annos viginti quinque aut sex in regno transegisset, jam ad senium vergens. Nam sapientiâ quam a Deo acceperat per spatium illud sanctè legitimeque usus est: primum triennio ante cœptam ædificationem templi: deinde septennio quo ædificabatur templum: tum annis tredecim quibus domum suam & alia operâ procuravit: postremò annos duos aut tres, quo tempore illa Regina Schebæ invisit ipsum ut de sapientia ipsius cognosceret. Posteà igitur amplidudine excæcatus Schelomo in libidinem ruit præceps, & a veritate aberrans populo Jisraëlis offensioni fuit. Atque hæc causa est, cur Jechezkelis 4.5. principium peccatorum Jisraëlis ducitur ab anno 27. Schelomonis: a quo ad excidium usque urbis & templi Jeruschalaimorũ præcisè numerantur 390 anni. 2 quam legitimè duxerat. q. d. uxori huic suæ legitimæ alias multas superinducens: vide sup. 3.1. sic accipiuntur hę particulę ∇. 25. & 2. Chro. 11.18. [2] *Deu. 7.3. & seq.* a Heb. *cor: sic deinceps.* b Heb. *irat post: sic* ∇. 10. 3 Astartem vocant historici. c Heb. *Deos: sic ver. 33.* 4 vide annotata Levit. 18.21. d Heb. *impleret ire post.* 5 ut Num 21.29. 6 olivarum de quo vide 2. Schē. 15.30. 7 Gibhone, sup. 3.5. deinde Jeruschalaimis, suprà 9.2. 8 i. interminatus est, neq; minas suas revocavit ex resipiscẽtia Schelomonis: vide anotat. 2. Chron. 11.17. e Heb. *lacerando lacerabo.* 9 id est, propter promissionem factam Davidi. 2. Schem. 7.14. &c. & 1. Chro. 28.9. 10 id est, propter promissionem pręsentiæ meæ regni Davidis stabilitate conjunctã. sup. 8.16. & 2. Chr. 6.5.

14 Itaque suscitavit Jehova adversarium Schelomoni Hadadum Edomæum: is *erat* e semine regio *qui regnaverat* in Edomæa.

15 Fuerat enim, quum esset David contra Edomæos, ascendente Joabo principe militiæ ad sepeliendum [11] confossos; ut percuteret omnes mares in Edomæa.

16 Nam sex menses mansit ibi Joab cum toto Jisraële; donec excidisset omnes mares in Edomæa.

17 Fugerat verò Adad ipse, & homines Edomæi e servis patris ejus cum eo ad proficiscendum in Ægyptum: *erat* autẽ Hadad puer parvus.

18 Quumque surgentes e Midjane venissent Paranem; assumserunt secum [12] homines Parane, & venerunt in Ægyptum ad Parhonem regem Ægypti, qui dedit ei domum, & cibum condixit ei, terram quoque dedit ei.

19 Ubi invenit Hadad gratiam in oculis Parhonis [f] permagnam: adeò ut daret ei uxorem sororem uxoris suę, sororem Tachpenesę [g] Augustę.

20 Peperit autem ei soror Tachpenesę Genubathum filium ejus, quem [13] educavit Tachpenes intra domum Parhonis; ita ut esset Genubath domi Parhonis inter filios Parhonis.

21 Audiens autem Hadad in Ægypto occubuisse Davidem cum patribus ejus, & mortuum esse Joabum principem militiæ; dixit Hadad Parhoni, dimitte me, ut eam in terram meam.

22 Dicente verò ei Parhone, *mane*, nam quid deficit te apud me, quod ecce quæris abire in terram tuam? dixit, non, sed [h] omnino dimitte me.

23 Suscitavit præterea Deus illi adversarium [14] Rezonem filium Eljadahi; [15] qui fugerat ab Hadat-Hezere rege Tzobæ domino suo:

24 Et congregatis ad se hominibus factus fuerat princeps turmæ, quum occideret David [16] illos: deinde euntes Damascum habitârunt in ea, & [17] regnarunt Damasci.

25 Fuitque adversarius Jisraëli omnibus diebus Schelomonis, idque præter malum illud quod *inferebat* Hadad: nam [18] tædebat eum Jisraëlis, quum regnaret in Syria.

26 Jarobhamum quoque *excitavit* filium Nebati Ephrathæum e [19] Tzereda (cujus matri nomen Tzeruhæ fœminæ viduæ) servum Schelomonis; ita ut [20] attolleret manum suam contra regem.

27 Hæc autem occasio *est* quâ sustulit manum contra regem: Schelomo ædificabat munitionem, obstruebat [21] rupturam civitatis Davidis patris sui.

28 Vir autem iste Jarobham valentissimus *erat* robore: quare videns Schelomo [22] puerum ipsum [i] negotio esse intentum, præfecit eum toti oneri familiæ Josephi.

29 Fuit autem eodem tempore, Jarobhamo egresso Jeruschalaimis; ut inveniret eum Achija Schilonites propheta in via, quum ille induisset vestimentum novum, & essent ambo soli in agro.

30 Ubi prehendens Achija vestimentum novum quo [k] tegebatur; laceravit illud in duodecim fragmenta:

31 Ac dixit Jarobhamo, accipe tibi decem fragmenta: nam sic ait Jehova Deus Jisraëlis, ecce ego laceraturus sum regnum hoc e manu Schelomonis, & daturus tibi decem tribus.

32 [23] Tribus autem una erit ejus propter servum meum Davidem, & propter Jeruschalaima civitatem quam delegi, ex omnibus tribubus Jisraëlis.

33 Eo quòd dereliquerunt me, & incurvârunt

se *honorem*

11 qui in prælio occubuerant, de quo 2. Schem. 8. Hac enim victoria fretus Joab perrexit ut Edomæam pervaderet.

12 putà ut eorum comitatu instructi honorificentiùs Ægyptum ingrederentur.

f Heb. *valdè*.

g Heb. *domina*

13 sic 1. Schem. 1.22.

h Heb. *dimittendo dimitte*.

14 vide infrà 15.18.

15 quum videret victoriam inclinare in partes Davidis.

16 qui Regi Tzobæ ministrabant, & ipsi militaverant.

17 id est, regnum statuerunt pro ipso & posteris.

18 ac ideò in dies infestabat.

19 vide Jehos. 3.16.

20 i. deficeret a Schelomone, ut exprimitur ∇. 40.

21 quam David fecerat expugnando Jebusæum, 2. Schem. 5.6. & sequ.

22 i. ministrum: sic Exodi 33.11.

i Heb. *facientem opus*.

k Heb. *quod erat super eum*.

23 nempe Judæ integra, cui tribus Schimhonis tota permixta fuit, ac proinde synecdochicè includitur, ut diximus Deuter. 33.7. nam e Binjamine tantum pars penes eum mansit.

se *honorem habentes* Haschtorethæ deæ Tzidoniorum, & Cemoscho deo Moabitarum, ac Milcomo deo Hammonitarum: neque ambulârunt in viis meis faciendo quod rectū videtur in oculis meis, videlicet statuta mea & judicia mea, sicut David pater hujus.

34 Non tamen auferam quicquam istius regni de manu hujus; sed principem dispono eum omnibus diebus vitæ ejus propter Davidem servum meum quem elegi, qui observavit præcepta mea & statuta mea:

35 Sed accipiens illud regnum e manu filii ejus; dabo tibi [l] ex illo decem tribus:

36 Filio verò ejus dabo tribum unam; ut sit [24] lucerna Davidi servo meo omnibus diebus coram me Jeruschalaimis, in civitate quam delegi mihi ad ponendum nomen meum ibi.

l Heb. illud: synecdoche.
24 i. regius splendor: vide 2. Schem. 21.17.

37 Te itaque assumam ut regnes secundum omnia quæ desiderabit animus tuus; & eris rex super Jisraëlem.

38 Erit autem si auscultaveris omnibus quæ præcepero tibi; & ambulaveris in viis meis ac feceris quod rectum *videtur* in oculis meis, observando statuta mea & præcepta me, quemadmodum fecit David servus meus: ut adsim tibi, & ædificem tibi [25] domum firmam quemadmodum ædificavi Davidi, ac tradam tibi Jisraëlem.

39 Affligam quidem semen Davidis propter hoc; verumtamen non omnibus diebus.

40 Quam ob rem quærebat Schelomo morte afficere Jarobhamum: sed surgens Jarobham fugit in Egyptum ad Schischakum regem Ægypti, fuitque in Ægypto donec mortuus esset Schelomo.

41 [m] Reliquæ autem res Schelomonis, & quicquid fecit, ac sapientia ejus; nónne sunt scripta in [26] libro rerum Schelomonis?

42 Dies autem quibus regnavit Schelomo Jeruschalaimis super totum Jisraëlem, *fuerunt* quadraginta annorum.

43 Deinde occubuit Schelomo cum patribus suis, & sepultus est in civitate Davidis patris sui: regnavitque Rechabham filius ejus, loco ejus.

25 ut 1. Schem. 2.35. & 2. Schem. 7.16.
m Heb. reliquum verum.
26 i. in actis publicis forensibus, non autem Ecclesiasticis, sive in commentariis rerum gestarum Schelomonis: quasi dicat, nihil attinet hic ea enarrare: hæc ad fidem & institutionem Ecclesiæ sunt satis: ita enim his scriptis temperavit spiritus Dei, consulens tenuitati nostræ: sic Johan. 20.30. & 21.25. Nam hæc de duobus libris Chronicorum, qui longo pòst intervallo ab Hezra (ut putatur) conscripti sunt, ridiculum esset accipere.

CAPUT XII.

Rechabham duro responso decem ferè tribus a se alienat: quæ Jarobhamum novum regem sibi præficiunt, Rechabhami legato interfecto. Quā ob rem Rechabham in Jisrælitas bellum adornat: sed Dei jussu abstinet. Jarobham verò metu Rechabhami se munit, & ne sui deficerent, religionis specie avertit eos a Jeruschalaimus adeundis & eos in regno continet.

TUm [f] abiit Rechabham Schecemum: nam Schecemum [1] conveniebat totus Jisraël ad constituendum eum regem.

2 Fuit autem quum audivisset Jarobham filius Nebati qui *erat* adhuc in Ægypto, [f] quò fugerat metu regis Schelomonis; ut [2] desidêret Jarobham in Ægypto.

3 Sed mittentes *Jisraëlitæ* accersiverunt eum, veneruntque Jarobham & tota congregatio Jisraëlis; & alloquuti sunt Rechabhamum, dicendo;

4 Pater tuus [a] [3] durum imposuit jugum nobis: tu ergo nunc leva *nos* servitute patris tui dura, & jugo ejus gravi quod imposuit nobis, & serviemus tibi.

5 Qui dixit eis, abite usque ad diem tertium, tum revertimini ad me: sic abiverunt populus.

6 Intereà iniit consilium rex Rechabham cum senioribus, [4] qui steterant ante Schelomonem patrem ipsius [b] quum esset in vivis, dicendo: quomodo vos consilium iniretis ad respondendum populo huic aliquid?

f 2. Chron. 10.
1 quia ibi habenda erant comitia regni, propter loci commoditatem: nam erat in meditullio regni.
f suprà 11.40.
2 id est, adhuc se illic contineret.
a Heb. induravit jugum nostrum.
3 id est, onera gravia, qualia describuntur sup. cap. 4. a versu 7. usque ad 27. quamquam de illis conquerebatur populus (ut ferè fit) non habita commodorum ratione, quæ ad ipsum Schelomonis regno pervenerant.
4 i. qui ministraverant & a consiliis fuerant; sic V.8.

7 Qui alloquuti sunt eum dicendo, si hodie fueris servus populo huic ut servias eis, id est, respondens eis alloquutus fueris eos [5] verbis bonis; utique erunt tibi servi omnibus diebus.

8 Sed reliquit consilium seniorum quo consuluerant ei; & iniit consilium cum eis [c] qui a pueris educati fuerant secum, & qui stabant coram ipso:

b Heb. quum esset vivens.
5 acquiescens petitioni illorum, 2. Chron. 10.8.
c Heb. cum natis illis qui &c. sic V. 10. trajectio.

9 Dixítque eis, quod vos consilium iniretis, ut respondeamus aliquid populo huic; qui alloquuti sunt me dicendo, leva nos jugo illo quod imposuit pater tuus nobis?

10 Tum alloquuti sunt eum isti qui a pueris educati fuerant cum eo, dicendo; sic dices populo isti qui alloquuti sunt te dicēdo, pater tuus grave effecit jugum nostrum, tu ergo leva *illud* nobis: sic alloqueris eos, [6] minimus *digitus* meus densior est lumbis patris mei.

6 proverbiale dictum: quasi dicat, nulla est pars mei tam infirma, quæ non sit valentior robore patris mei.

11 Jam vero pater meus oneravit vos jugo gravi, ego autem superaddam jugo vestro: pater meus castigavit vos scuticis, ego autem castigabo vos flagellis aculeatis.

12 Quum ergo venisset Jarobham & totus populus ad Rechabhamū die tertio; quēadmodū edixerat rex dicēdo, revertimini ad me die tertio;

13 Respondit rex populo duriter, derelicto consilio seniorum quo consuluerant ei.

14 Alloquutus est enim eos ex consilio puerorum suorum dicendo, pater meus grave reddidit jugum vestrum, ego autem superaddam jugo vestro: pater meus castigavit vos scuticis, ego autem castigabo vos flagellis aculeatis.

15 Quum itaque non auscultasset rex populo ([7] erat enim causa a Jehova, ut præstaret verbum suum [g] quo alloquutus fuerat Jehova per Achijam Schilonitem Jarobhamum filium Nebati)

16 Videns totus Jisraël regem non auscultasse sibi; retulerunt populus regi responsum dicendo, quæ nobis [8] portio *esset* cum Davide? utique non *est nobis* possessio cum filio Jischaji, ad tentoria tua Jisraël, jam [9] vide domui tuæ David: sic abiit Jisraël ad tentoria sua.

17 Tantùm [10] super filios Jisraëlis qui habitant inter civitates Jehudæ, regnavit Rechabham.

18 Quumque misisset rex Rechabham ‡ Adoramum qui præerat tributo, obruerunt omnes Jisraëlitæ eum lapidibus ita ut moreretur: Rex verò Rechabham [d] totis viribus conscenso curru fugit Jeruschalaima.

19 Sic defecerunt Jisraëlitæ a domo Davidis usque in hunc diem.

20 Fuitque quum audissent omnes Jisraëlitæ reversum esse Jarobhamum, (quem mittentes accersiverant ad cœtum) ut constituerent eum regem super totum Jisraëlem: nemo [e] sequutus est domū Davidis, præter [11] tribum Jehudę [12] solam.

21 Quum autem Rechabham venisset Jeruschalaima; congregavit ex tota domo Jehudæ & tribu Binjaminis centum octoginta millia delectorum *hominum* gerentium bellum; pugnaturos contra domum Jisraëlis: ut reducerent regnum illud ad Rechabhamum filium Schelomonis.

22 Sed fuit verbum Dei ad Schemahjam virum Dei, dicendo:

23 Edic Rechabhamo filio Schelomonis regi Jehudæ, & toti domui Jehudæ & Binjamini, & residuo populi, dicendo:

24 Sic ait Jehova, ne ascendite, nêve pugnate contra fratres vestros filios Jisraëlis, revertimini quisque

7 i. hæc media disposuit Deus, ut illud exsequeretur quod per prophetam Jarobhamo dixerat, sup. 11. & 31.
g sup. 11.29. & seq.
8 vide annotata 2. Schem 20.1.
9 id est, curam habe rerum tuarum, & a nostris abstine.
10 id est, super tribum Schimhonis & partem Binjaminis: quorum hi sortem conjunctam, illi commixtam habebant & super convenas aliarum tribuum, ut ostenditur infrà V. 23. & 2. Chr. 11.13. & seq.
‡ qui Adoniram dicitur sup. 4.6.
d Heb. roboravit se ascendendo currum ad fugiendum.
e Heb. fuit post.
11 id est, sortem unam tribuum duarum Jehudæ & Schimhonis: vide annotata Deut. 33.7. & sup. 11.32.
12 subaudi integram.
g 2. Chron. 11.

UMI

quisque domum suam, [13] nam a me facta est res
ista: qui auscultârunt verbo Jehovæ, & reversi a-
biverunt, secundùm verbum Jehovæ.
25 Posteà [14] ædificavit Jarobham Schece-
mum in monte Ephrajimi, & habitavit in eo: &
procedens inde ædificavit [15] Penuelem.
26 Dicebat autem Jarobham [f] cum animo
suo; mox reversurum esset regnum hoc ad do-
mum Davidis:
27 Si ascenderet populus iste ad parandum
sacrificia in domum Jehovæ Jeruschalaima, &
rediret animus populi istius ad dominum suum,
ad Rechabhamum regem Jehudæ: utique oc-
ciderent me, & reverterentur ad Rechabhamum
regem Jehudæ.
28 Quapropter inito consilio rex fecit duos
vitulos aureos: & edixit [g] Jisraëlitis, satis *sint* vo-
bis, ut non ascendatis Jeruschalaima, ecce dii tui
ô Jisraël, qui eduxerunt te e terra Ægypti.
29 Horum unum posuit [16] Beth-Ele, alterum
verò collocavit Dane.
30 Sic fuit res ista in *causa* peccati, cùm irent
populus [17] coram [h] hoc Danem usque.
31 Paravit enim domum excelsorum, & fecit
sacerdotes [i] e populo, qui non erant e filiis Levi.
32 Et constituit Jarobham festũ mense octa-
vo, quintodecimo die ejus mensis, simile [18] festo
quod *celebrabatur* in Jehuda, *&* *sacrificia* obtulit
in altari, similitérque fecit Beth-Ele sacrificando
vitulis quos fecerat: etiam Beth-Ele constituit
sacerdotes excelsorum quæ fecerat.

CAPUT XIII.

Jarobham Bethele sacrificans a viro Dei obliquè reprehenditur: futurum olim Dei judicium in altare & ejus sacerdotes denunciante, & præsentibus prodigiis in regem & in altare confirmante. Inde ex mandato Dei abiens, e propheta quodam oraculi prætextu deceptus redit: Quam obrem offensus Deus, eũ apud Bethelitam objurgat: deinde in itinere morte quã denunciaverat afficit: quo cognito Bethelita honorificè eum sepelit, & filios de vaticinii illius fide informat: Jarobhamo nihilominus in sua defectione pergente.

33 Quum autem offerret in altari quod fecerat
Beth-Ele, quintodecimo die mense octa-
vo, mense illo quem commentus fuerat [a] animo
suo; & celebrans festum tum filiis Jisraëlis, of-
ferret in illo altari adolendo;

CAPUT XIII.

1 Ecce vir Dei veniens e Jehuda cum verbo
Jehovæ Beth-Elem, Jarobhamo adstante altari
ad adolendum;
2 Clamavit contra altare illud per verbum
Jehovæ, dicens, altare, altare, sic ait Jehova: ecce
filius [2] nasciturus est domui Davidis nomine Jos-
chija, [3] qui mactabit super te sacerdotes excelso-
rum adolentes super te, & ossa hominum combu-
rent super te:
3 Et edidit illo ipso die prodigiũ dicendo, hoc
est prodigiũ ejus quod dixit Jehova: ecce altare
hoc finditur, & effunditur cinis, qui *est* super ipsũ.
4 Fuit autem quum audito rex verbo viri
Dei quo clamabat contra altare Beth-Ele, extendisset Jarobham manum suam ab altari dicendo,
prehendite eum: ut exaresceret manus ejus quam
extenderat contra illum, ita ut non posset retra-
here eam ad se.
5 Altare autem fissum est, & effusus cinis ab
altari secundùm prodigium quod [5] ediderat vir
Dei ex verbo Jehovæ.
6 Tunc loquutus rex dixit illi viro Dei, de-
precare, quæso, iratam faciem Jehovæ Dei tui,
& ora pro me, ut redeat *restituta* manus mea ad
me: quumque deprecatus esset vir ille Dei iratam
faciem Jehovæ, *restituta* manus regis rediit ad ip-
sum, & fuit sicut anteà.
7 Quapropter dixit rex illi viro Dei, veni me-
cum domũ & [b] refice te: deinde dabo tibi donũ.
8 Dixit verò vir ille Dei regi, si dares mihi di-
midiam domũ tuam, non irem tecũ: neq; come-
derem panem, neq; biberem aquam in hoc loco.
9 Sic enim præcepit mihi [c] verbo suo Jehova
dicendo, ne comedito panem, neq; bibito aquam;
neque revertitor per eam viam qua iveris.
10 Itaque abiit viâ aliâ: ac non est reversus
viâ illâ qua venerat Beth-Elem.
11 Propheta autem quidam senex habita-
bat Beth-Ele: cui veniens filius ejus enarravit
totum hoc factum quod fecerat vir Dei illo die
Beth-Ele, cum verbis quibus alloquutus fuerat
regem, quæ enarraverint [d] *filii* patri suo.
12 Quibus dicente patre eorum, quánam
viâ abiit? considerârunt filii ejus viam qua ibat
vir ille Dei, qui venerat e Jehuda.
13 Deinde edixit filiis suis, insternite mihi asi-
num: qui instraverunt ei asinum, & insedit ei.
14 Sequutus itaque virum illum Dei invenit
eum sedentẽ sub quadam quercu: & dixit ei, ésne
vir ille Dei qui veneras e Jehuda? qui dixit, sum.
15 Tum dixit ei, veni mecum domum, & com-
ede panem.
16 Qui dixit, non possum reverti tecum, aut
ingredi tecum: neque comedam panem, neque
bibam tecum aquam in isto loco.
17 [7] Verbum enim *edixit* mihi ex verbo Jeho-
væ, ne comedito panem, neque bibito ibi aquam;
neque [e] redito viâ qua iveris.
18 Sed eo dicente illi, etiã ego propheta *sum* ut
tu, & angelus alloquutus est me ex verbo Jeho-
væ dicendo, reduc eum tecũ domũ tuam, ut com-
edat panẽ & bibat aquam (mentiebatur *autem* ei)
19 Reversus est cum eo, & comedit panem do-
mi ejus, & bibit aquam.
20 Fuit verò illis assidentibus mensæ: fuit
inquam, verbum Jehovæ ad prophetam illum
[8] quem reduxerat.
21 Inclamavit enim virum Dei qui venerat e
Jehuda dicendo, sic ait Jehova: propterea quòd
rebellasti contra [f] præstitutum Jehovæ, neque
observasti præceptum illud quod præceperat tibi
Jehova Deus tuus;
22 Sed reversus es & comedisti panem, & bi-
bisti aquã in loco in quo edixerat tibi, ne come-
dito panem, neque bibito aquam: non est ventu-
rum cadaver tuum in sepulcrum majorũ tuorum.
23 Fuitque postquam comedisset panem &
postquam bibisset: instravissetque ei asinum, *ni-
mirum* ei prophetæ quem reduxerat:
24 Ut eum abeuntem inveniret leo in via, &
morte afficeret eum: sic erat cadaver ejus abje-
ctum in via, & adstabat asinus juxta ipsum, leo
quoque adstabat juxta cadaver ipsum.
25 Tum ecce quidam transeuntes viderunt ca-
daver illud abjectum in via, & leonem adstantem
juxta cadaver: qui venientes retulerunt in ea ci-
vitate in qua propheta ille senex habitabat.
26 Quod quum audiret propheta ille qui re-
duxerat eum de via, dixit, vir ille Dei *est*, qui re-
bellavit contra præstitutum Jehovæ: ideo tradidit
Jehova eum leoni isti, ut frangens cum morte af-
ficeret eum, secundùm verbum Jehovæ quo lo-
quutus fuerat ei.
27 Deinde edixit filiis suis dicendo, insternite
mihi asinum, qui instraverunt.

29 Tum

[13] vide suprà 15. V.
[14] id est, munivit
[15] trans Jardenem in tribu Gadis: vide Gen. 32.30.
[f] *Heb. in corde suo: sic V.27.*
[g] *Heb. illis: relativum præpositum antecedenti.*
[16] in finibus regni sui: priore meridiano, posteriore septemtrionali: Hæc autem per prolepsin dicuntur, quæ tribus proximè sequent. versib. explicantur.
[17] qui erat Danæ: nam ad posterius prolepseos membrum & propinquius pertinent relativæ voces ex Hebræorum usu.
[h] *Heb. uno.*
[i] *Heb. e partibus.*
[18] tabernaculorum.
[1] versum hunc ad sequentia pertinere res ipsa docet.
[a] *Heb. e corde suo.*
[2] Post annos circiter 330.
[3] vide 2. Reg. 23.15. & seq.
[4] per quod fides de vaticinio suo confirmaretur secundum institutionem Domini, Deut. 13.
[5] i. verbo pronunciaverat, ut Deut. 13.2.

[b] *Heb. fulci te.*
[c] *Heb. verbo Jehova: antecedens vim suam & relativi obtinens: ut Gen. 9.6.*
[d] hoc facto mendax, ut docetur vers. 19. etsi alioquin certa sunt pietatis illius in hoc capite documenta: ut quod a factis Jarobhami abstinuerit: quòd humaniter prophetam vivum & mortuum sit prosequutus: quòd sepulturam cum eo communem habere voluerit: quòd denique filios suos in exspectatione vaticinii confirmaverit.
[d] *Eclipsis correlativi, ut Levitici 21.4.*
[7] i. Christus, æternus Dei Patris λόγος ὁμοούσιος voluntatem illius enuncians: quamobrem respondens Propheta alter de λόγῳ [illegible] dicit seq. versu, *Angelus alloquutus est me ex verbo Jehovæ.* sic etiam vers. 21. & 22.
[e] *Heb. revertere eundo.*
[8] sic interpretandum esse docet epexegesis quæ statim subsequitur: ut etiam 24. V. eadem loquutio eodem modo exprimitur, & confirmant verba ipsa Bethelitæ in fine V.27.
[f] *Heb. os: sic Num. 20.24. & infrà ver.27.*

29 Tum abiens invenit cadaver illius abje-
ctum in via, & asinum ac leonem adstantes juxta
cadaver: non comederat leo cadaver, neque fre-
gerat asinum.
30 Sustulit itaque hic propheta cadaver viri
Dei, & impositum asino reduxit illud: & ingressus
est civitatem propheta ille senex ad plangendum
& sepliendum illum.
31 Et collocante eo cadaver illius in sepulcro
suo, plangebant super eum, eheu frater mi.
32 Fuit verò postquã sepelivisset eum, ut edice-
ret filiis suis dicẽdo, quum mortuus fuero, simili-
ter sepelite me in hoc sepulcro, in quo vir ille Dei
sepultus est: juxta ossa ejus collocate ossa mea.
33 Nam [8] omnino futura est res quam præ-
dicavit ex verbo Jehovæ, contra altare quod *est*
Beth-Ele; & contra omnes domos excelsorum
quæ *sunt* in civitatibus ‡ Schomronis.
34 [h] Hoc facto non est reversus Jarobħam a
via sua mala; sed [i] rursus fecit e populo sacerdo-
tes excelsorum, ejus qui volebat [k] consecrabat
ministerium, ut essent sacerdotes excelsorum.
35 [10] Fuitque hac re in *causa* peccati domui Ja-
robħami; & ut exscinderet ac perderet *eam Deus*
a superficie terræ.

CAPUT XIIII.

*Jarobħam de filio ægrotante prophetam per uxorem con-
sulens, de eo responsum accipit, & propinquo excidio
familiæ suæ, ac regni Jisraelitici continua agitatione
& excidio: morienti Nadab succedit. Rechabħam
quoque & Jehuda peccatis Deum provocantes a re-
ge Ægypti affliguntur & spoliantur: & Rechab-
ħamo succedit Abijam.*

TEmpore illo ægrotabat Abija filius Jarob-
ħami:
2 Quapropter dixit Jarobħam uxori suæ,
surge jam & [a] dissimula te, ut non agnoscant te
esse uxorem Jarobħami: sic itura es Schiluntem;
ecce [1] ibi *est* Achija propheta, qui [b] promiserat
mihi me fore regem super populum hunc.
3 Accipiens autem in manu tua decem pa-
nes, & buccellata, & lagenam mellis adibis eum:
is indicacabit tibi quid futurum sit isto puero.
4 Et faciens ita uxor Jarobħami surrexit, &
abiens Schiluntem ingressa est domum Achijæ:
Achija autem non poterat videre, nam oculi ejus
caligaverant præ [c] senio ejus.
5 Sed Jehova indixerat Achijæ, ecce uxor
Jarobħami ventura est, ut requirat aliquid abs te
de filio suo, quia ægrotus est, [d] his & talibus al-
loquitor eam: futurum autem est quum ingredie-
tur, ut ipsa agat extraneam.
6 Fuit itaque quum audiret Achija strepitũ
pedũ ejus ingredientis januam, ut diceret, ingre-
dere uxor Jarobħami: ecquid tu agis extraneam?
ego verò missus sum ad te *ad indicandum* durum.
7 I, dic Jarobħamo, sic ait Jehova Deus
Jisraëlis, propterea quòd te extuli e medio hu-
jus populi, & imposui te antecessorem populo
meo Jisraëli;
8 Et laceratum regnum a domo Davidis
tradidi tibi, neque fuisti sicut servus meus David,
qui observavit præcepta mea, & qui [e] sequutus
est me ex toto animo suo, faciendo tantummodò
quod rectum *videtur* in oculis meis;
9 Sed [f] pejus egisti omnibus qui fuerunt ante
te, & abiens fecisti tibi [2] deos alienos, etiam fu-
siles ad provocandum me, denique abjecisti me
post tergum tuum:
10 Idcirco ecce ego inducturus sum malum
in domum Jarobħami, & excisurus sum Jarobħa-
mo [3] mingentem ad parietem, [4] conclusumque

8 *Heb. offendo erit.*
‡ *vulgo Samariæ.*
h *Heb. post rem hanc.*
i *Heb. reversus est & fecit e partibus populi: ut sup. 12.31.*
k *Heb. implebat manum: ut Exod. 28.41.*
10 vide suprà 12.30.
a *Heb. muta te ipsam.*
1 vide sup. 11.29.
b *Heb. loquutus fuerat de me in regem.*
c *Heb. canitie: synecdoche.*
d *Heb. secundum hoc & secundum hoc.*
e *Heb. ambulavit post me ex toto corde.*
f *Heb. malè egisti faciendo.*
2 vide 2. Chron. 11.15.
3 vide 1. Schem. 25.22.
4 vide Deut. 32. 36.

& derelictum in Jisraële: & tollam [g] asseclas do-
mus Jarobħami, quemadmodum tollit quis ster-
cus, donec defecerit.
11 [5] Morientem Jarobħamo in civitate come-
dent canes, morientem verò in agro comedent
volatilia cæli: nam Jehova loquutus est.
12 Tu autem surge, abi domum tuam: quum
intrabunt pedes tui in civitate *domum* illico mo-
rietur infans:
13 Quem plangent omnes Jisraëlitæ sepeli-
entes *eum*, is enim solus [6] perveniet Jarobħamo
in sepulchrum: eo quòd [h] [7] inest huic *soli* e do-
mo Jarobħami aliquid boni erga Jehovam De-
um Jisraëlis.
14 Itaque suscitabit sibi Jehova [8] regem su-
per Jisraëlem, qui excidet domum Jarobħami
[9] eadem die: [10] quid autem? etiam nunc *suscitavit*.
15 Præterea [11] percutiet Jehova Jisraëlem *agi-
tans* [12] quemadmodum agitatur arundo in aqua;
& [13] convellens Jisraëlem a terra hac optima
quam dederat majoribus eorum, disperget eos
procul ultra ipsum [14] flumen: eò quòd fecerunt
lucos suos, provocantes Jehovam.
16 Denique exponet Jisraëlem; propter pec-
cata Jarobħami quibus peccavit, & quibus ad
peccandum induxit Jisraëlem.
17 Tum surgens uxor Jarobħami abiit, & per-
venit [15] Thirtzam: qua veniente ad limen do-
mus suæ, puer mortuus est.
18 Et sepelientes eum planxerunt eum omnes
Jisraëlitæ; [16] secundum verbum Jehovæ quod
loquutus fuerat [i] per servum suum Achijam pro-
phetam.
19 [k] Reliquæ autem res Jarobħami, ut bella-
vit & ut regnavit; ecce scriptæ sunt in [l] libro
[17] Chronicorum regum Jisraëlis.
20 Dies autem quibus regnavit Jarobħam
fuerunt [18] viginti duorum annorum: & postquam
occubuit cum patribus suis, regnavit Nadab fili-
us ejus pro eo.
21 Rechabħam verò filius Schelomonis reg-
navit in Jehuda: natus unum & quadraginta an-
nos Rechabħam quum iniret regnum, septemde-
cim annos regnavit Jeruschalaimis, in civitate
quam elegerat Jehova ad ponendum nomen su-
um ibi ex omnibus tribubus Jisraëlis, & [19] nomen
matris ejus Naħama Hammonitis.
22 [20] Fecit etiam Jehuda quod malum *videtur*
in oculis Jehovæ: & ad zelotypiam moverunt
eum peccatis suis quibus peccârunt, suprà quàm
omnia quæ fecerant majores eorum.
23 Nam exstruxerunt etiam sibi excelsa, & sta-
tuas, ac lucos, super omnem collem altum, & sub
omni arbore virente.
24 Insuper etiam meritorii erant in terra ipsa:
faciebant secundùm omneis abominationes gen-
tium, quas ejecerat Jehova a facie Jisraëlitarum.
25 [l] Quapropter fuit anno quinto regis Re-
chabħami; ut ascendens [21] Schischak rex Ægy-
pti contra Jeruschalaima,
26 Acciperet thesauros domus Jehovæ, &
thesauros domus regis, illa, inquam, omnia acci-
peret; acciperet etiam omnia [22] scuta aurea quæ
fecerat Schelomo.
27 Pro quibus fecit Rex Rechabħam scuta æ-
rea; quæ deposuit in manum præfectorum [23] cur-
soribus, qui observabant portam domus regis.
28 Eratque ex quo veniebat rex in domum
Jehovæ, ut afferrent ea cursores; postea referrebant
ea ad procœtonem cursorum.

g *Heb. post domum Jarobħami euntes: sic infrà 16.5.*
5 vide executionem infrà 15.29. & sequentibus.
6 id est, ex posteris ejus.
h *Heb. inventus est de eo: vide Num. 11.22.*
7 id est, placuit Deo hunc solum e posteris Jarobħami sepulturæ honore afficere, quia reveretur nomen ipsius.
8 Baħascham: vide infrà 15.27.
9 id est, eodem tempore quo regnum invadet.
10 correctio, qua significat: quid dico suscitabit? imò jam constitutus est, & in regno versatur.
11 Infœlicem & calamitosum statum regni Jisraëlitici a Jarobħamo usque ad finem prophetæ.
12 id est, perpetuis motibus civilibus & externis divexans, ut tota illius regni historia docet.
13 sub Hoschea filio Elæ per Schalmanassarem, 2. Reg. 17.
14 Euphratem in Assyriam, Mesopotamiam, & Mediã, 2. Reg. 17.16.
15 urbem regiam ante exstructam Samariam, ad Euphratem sitam non procul Tiphsacho: vide 2. Reg. 15.16.
16 suprà v. 13.
i *Heb. per manum servi.*
k *Heb. reliquum rerum.*
l *rerum dierum: i. in actis publicis sic deinceps.*
17 vide sup. 11. 41. sic infrà 29.
18 quorum ultimus in regno illi primus [illegible] dus est.
19 his & in fine capitis meminit matris, quòd idololatria ipsius [illegible] tijcemium [illegible] vide 2. Chron. [illegible]
20 anno [illegible] regni ipsius, ut apparet ex 2. Chro. 11.17. & infrà ver. 25.
l 2. *Chron.* 12.
21 ad quem Jarobħamum fugisse legimus sup. 11.40. [illegible] Diodoro Siculo, & Susakis Justino dicitur.
22 de quibus suprà 10. 16. & 17.
23 id est, regis stipatoribus, tabellariis expeditis.

29 Reliquæ autem res Rechabñami, & omnia quæ fecit; nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jehudæ?

30 Etiam bellum *quod* fuit inter Rechabñamum & Jarobñamum omnibus diebus eorum.

31 Quumq; occubuisset Rechabñam cum patribus suis, sepultus est cum patribus suis in civitate Davidis, cujus matri nomẽ Naẖama Hammonitis: & regnavit ‡ Abijam filius ejus pro eo.

‡ qui Abija 2. Chron. 12. 16.

CAPUT XV.

Abijam improbus triennio regnat: Asa verò instaurãdi cultus Dei studiosus, uno & quadraginta: Sed Baẖascha conatu mala ratione impedito iram Dei in se provocat. In regno verò Jisraëlitico Nadab Jarobñamo succedit sceleratus patris exemplo: quem Baẖascha altero ipsius regni anno per conjurationem occidit, & Jarobñami stirpe deleta regno potitur.

ANno autem [a] decimo octavo regis Jarobñami filii Nebati, regnavit [a] Abijam super Jehudam.

2 Tribus annis regnavit Jeruschalaimis, cujus matri nomen [b] Maẖaca filia [1] Abischalomi.

3 Et ambulavit in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat coram ipso; nec fuit [c] animus ejus integer erga Jehovam Deum suum, ut animus Davidis patris sui.

4 Sed propter Davidem dedit Jehova Deus illius illi [3] lucernam Jeruschalaimis, suscitando filium ejus post eum, & stabiliendo Jeruschalaima:

5 Eo quòd fecisset David quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ; [3] neque recessisset ab omnibus quæ præceperat ei omnibus diebus vitæ suæ, præterquàm in re Urijæ Chitthæi.

6 Bellū autem fuerat inter Rechabñamum & Jarobñamum omnibus diebus vitæ ejus.

7 Sed cùm reliquæ res Abijami, & omnia quæ fecit nónne sunt scripta in libro [4] Chronicorum regum Jehudæ; tum bellum [d] confectum inter Abijamum & Jarobñamum?

8 Posteà occubuit Abijam cum patribus suis, quem sepeliverunt in civitate Davidis: & regnavit Asa filius ejus pro eo.

9 Anno itaque vigesimo [5] *completo* Jarobñami regis Jisraëlis, regnavit Asa super Jehudam.

10 Uno & quadraginta annis regnavit Jeruschalaimis: cujus [e] aviæ nomen Maẖaca filia Abischalomi.

11 Et fecit Asa quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ; sicut David pater ipsius.

12 Nam abstulit [f] merioorios e terra, & amovit omnes deos stercoreos quos fecerant majores sui:

13 Quin etiam ipsam Maẖacam aviam suam [7] amovit ne esset [f] Augusta, eo quòd fecerat horrendam statuam cum luco: & [8] succisam Asa horrendam statuam ejus, combussit ad torrentem Kidronem.

14 Excelsa quidem non amota sunt: sed animus Asæ fuit integer [9] erga Jehovam omnibus diebus ejus.

15 Et retulit res consecratas patris sui, & res consecratas *a se* in domum Jehovæ; argentum, & aurum, & instrumenta.

16 [10] Quam ob rem bellum fuit inter Asam & Baẖascham regem Jisraëlis omnibus diebus eorum.

17 [1] Nam ascendens Baẖascha rex Jisraëlis contra Jehudam, ædificabat Ramam: [11] ne fineret ad Asam regem Jehudæ egredi aut regredi *quemquam*.

18 Sed accipiens Asa totum argentum & aurum [12] quæ reliqua erant in thesauris Jehovæ, etiam thesauros domus regiæ, tradidit in manum servorum suorum: quos misit rex Asa ad Ben-Hadadum filium Tabrimmonis filii [13] Chezjonis regem Syriæ, qui habitabat Damasci, ut dicerent:

19 Fœdus *est* inter me & te, [14] inter patrem tuum & patrem meum: ecce mitto ad te munus argentum & aurum, age fac irritum fœdus tuum cum Baẖascha rege Jisraëlis, ut abscedat a me.

20 Et auscultans Ben-Hadad regi Asæ, misit principes copiarum [g] suarum contra civitates Jisraëlis, & percussit [15] Hijonem, & Danem, & [h] Abelum Beth-Maẖacæ; & [i] totum tractum Cinnereth, & totam terram Naphthali.

21 Unde fuit audiente Baẖascha, ut desisteret ab ædificanda Rama; & resideret Thirtzæ.

22 Tunc rege Asa promulgante in toto Jehuda (nemo erat immunis) deportarunt lapides Ramæ, & ligna ejus quibus ædificabat Baẖascha; & ædificavit ex illis rex Asa Gebaẖum Binjaminitarum & Mitzpam.

23 Reliquæ autem omnes res Asæ, & omnis fortitudo ejus, & quæcumque fecit, & civitates quas ædificavit, nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jehudæ? verumtamen [16] tempore senectutis suæ ægrotavit ex pedibus suis.

24 Posteà quum occubuisset Asa cum patribus suis, sepultus est cum patribus suis in civitate Davidis patris sui, & regnavit Jehoschaphat filius ejus pro eo.

25 Nadab verò filius Jarobñami regnare cœpit super Jisraëlem anno secundo Asæ regis Jehudæ, ac regnavit super Jisraëlem [17] biennio.

26 Fecitque quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; ambulans in via patris sui, & in peccato ejus quo ad peccandum induxit Jisraëlem.

27 Quapropter conspirationem fecit contra eum Baẖascha filius Achijæ e domo Jissacaris, & percussit eum Baẖascha ad [18] Gibbethonem, qui Pelischthæorum *erat*: quum Nadab & omnes Jisraëlitæ obsiderent Gibbethonem.

28 Itaque morte afficiens eum Baẖascha anno tertio Asæ regis Jehudæ, regnavit pro eo.

29 Fuitq; quum cœpit regnare, *ut* percuteret totam domum Jarobñami donec perdidisset eam, non reliquam faceret ullā animam Jarobñamo: secundùm verbum Jehovæ [l] quod loquutus fuerat per servum suum Achijam Schilonitem:

30 Propter peccata Jarobñami quibus peccavit, & quibus ad peccandum induxit Jisraëlem; propter indignationem ejus, qua provocavit Jehovam Deum Jisraëlis.

31 Reliquæ autem res Nadabi & omnia quæ fecit, nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jisraëlis?

32 Itaque [19] bellum erat inter Asam & Baẖascham regem Jisraëlis omnibus diebus illorum.

CAPUT XVI.

Regni Jisraëlitarum status temporibus Asæ describitur: ut Baẖaschæ Jarobñamo in peccatis simillimi, [illegible] dominatio [illegible], quum Ela filius eum toto genere [illegible]: Zimri post [illegible] se ipsum comburit: regnum Jisraëlitarum inter Homri & Thibni dividitur:

[a] 2. Chron. 13. [1] [illegible] in Chron. Abija.
[b] Michaja filia Urielis, 2. Chron. 13. 2. binomines enim fuerunt ipsa & pater.
[1] non filii Davidis (enim ejus liberi non supervixerant; 2. Sam. 18. 18) sed alicuius Abischalomi e Binjamine, 2. Chron. 13. 2.
[c] Hebr. cor: sic deinceps.
[2] vide supra 11. 36. Sequentia [illegible] per epitomen ostendunt in quo consistat ista lucerna, nimirum in regno, & in religione.
[3] i. neque omnia pietatis & justitiæ officia lege [illegible] deposuisset, præterquam &c. Nam Urijæ facto in totam legem peccavit, sed ex infirmitate: non autem elata manu & projecta audacia totum effusus est ad peccandum in Spiritum sanctum.
[4] ut supr. 11. 41.
[d] Hebr. fuit: Sed ita, hoc loco jam [illegible] verbum dicitur, ut 2. Chron. 13. 3. & sequentibus. [illegible] 2. Chr. 13. 1.
[5] Nam Nadab Jarobñami [illegible] cessisse scribitur anno secundo Asæ, infra ver. 25.
[e] Hebr. matris: vide supra 2. V. & infra 13. 10.
[6] de quibus supra 14. 24. vide infra 22. 47.
[7] id est, dignitate & potestate eam privavit a [illegible] [illegible] summatim sine temporum distinctione de administratione Asæ referuntur, quæ planiùs in sua tempora distribuuntur 2. Chronic. 14. 15. & 16. capitibus. [f] Hebr. domina: ut suprà 11. 19. [8] & comminutam; synecdoche: 2. Chron. 15. 16. [9] id est, erga cultum ejus; quamvis vitam reliquam huic studio non conformaverit. [10] quum Baẖascha videret Asam religionem instaurasse, & multos in suo regno ad Asam descivisse, ut in fœdus Dei convenirent vide 2. Chron. 15. 8. & sequent.

[1] 2. Chron. 16.
[11] ut suorum defectionem impediret, & iter ad sollicitandos suos præcluderet.
[12] a temporibus Rechabñami: vide suprà 14. 26.
[13] fortè is est, qui sup. 11. 23. Rezon dicitur.
[14] nam adversarius fuisse legitur temporibus Schelomonis, ac non diutiùs: sup. 11. 25. posteà autem diviso regno utriusque fœderatus fuit.
[g] Heb. quæ erant ei.
[15] id est, percurrens superiorem tractum Ascheris, Danis & Naphthali usque ad fines Menaschis stragem edidit: Nam Hijon Ascheris, Dan Danitarum, Abel Maẖaca Menaschitarum, Cinnereth Naphthalitarum erat.
[h] 2. Chro. 4. dicitur Abel-Maiim: vide 2. Sam. 20. 14.
[i] Heb. totas Cinnerothas: vide Jehos. 11. 2.
[16] tribus ultimis annis suis: quare nihil fortiter gessit.
[17] imperfectio, ut ostendit ver. 28. & 33.
[18] oppidum attributum Dani, quod Pelischthæi tenebant: Jehos. 19. 44.
[l] supra 14. 10. & sequent.
[19] ut sup. ver. 16.

divisitur: Homri solus regno potitus Samariam ædificat; & malitiâ antecessores Achab ei succedens omnes impietate superat: Denique contra exsecrationem Jehoschuhæ Jerichunte instaurata, auctor instaurationis pœnas luit.

1 hos duos versus ad sequentia pertinere res ipsa ostendit.

2 quorum primus & ultimus imperfecti sunt: nam primus etiam Nadabo antecessori, & ultimus Elæ filio communis est.

1 ANno tertio Asæ regis Jehudæ; regnavit Bahascha filius Achijæ super totum Jisraëlem Thirtzæ, 2 vigintiquatuor annis:
2 Et fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; ambulans in via Jarobhami, & in peccato ejus, quo ad peccandum induxerat Jisraëlem.

CAPUT XVI.

3 Quamobrem fuit verbum Jehovæ ad Jehu filiũ Chanani contra Bahascham, ut diceret:
4 Quia quum exaltavi te ex ipso pulvere, & posui te antecessorem in populo meo Jisraële; ambulasti in via Jarobhami, & ad peccandum induxisti populum meum Jisraëlem, ut provocarent me peccatis suis:
5 Ecce ego mox sublaturus sum a asseclas Bahaschæ & asseclas domus ejus, & redditurus domum tuam sicut domum Jarobhami filii Nebati.

a Heb. post Bahascham & post domum ejus [illegible]

6 Morientem Bahaschæ in civitate comedent canes, & morientem ei in agro comedent volatilia cœli.
7 Reliquæ autem res Bahaschæ, & quæ fecit, fortitudóque ejus; nónne sunt scriptæ in libro 3 Chronicorum regum Jisraëlis?

3 vide supra [illegible] & sic deinceps.

8 Posteà occumbens Bahascha cum patribus suis, sepultus est Thirtzæ; & regnavit Ela filius ejus pro eo.
9 4 Quemadmodum etiam per Jehu filium Chanani prophetam verbum Jehovæ fuerat contra Bahascham & contra domum ejus, idq; propter totum malum illud quod fecerat in oculis Jehovæ, quòd provocasset eum operibus manuum suarum, quòd esset similis domui Jarobhami: & eo quòd percussisset eum:

4 accommodatio exitus istius regis ac totius familiæ Bahaschæ ad superiorem prophetiam Jehu, vers. 4.

10 5 Anno vigesimo sexto Asæ regis Jehudæ *completo*; regnabat Ela filius Bahaschæ super Jisraëlem Thirtzæ 6 secundo anno,

5 quo mortuus erat Bahascha, & regnare cœperat Ela.

6 Elæ, qui fuit 27. Asæ ut infr. 15. v. quasi dicat: vix dum elapsus erat ei annus primus: quum ad conspirationem ventum est.

11 Quum fecit conspirationem in eum servus ejus Zimri princeps dimidiæ partis curruum; dum is Thirtzæ biberet b ad ebrietatem in domo Artzæ, qui præerat domui ipsius Thirtzæ:

b Heb. ebrius.

12 Et veniens Zimri percussit eum, & morte affecit eum anno vigesimo septimo Asæ regis Jehudæ; ac regnavit pro eo.
13 Fuit autem quum primùm iste regnaret, 7 dum insedit solio suo, ut perceuteret totam familiam Bahaschæ, non reliquum faceret ei 8 mingentem ad parietem; 9 etiam vindices ejus & amicos ejus percussit.

7 id est, septiduo illo quo regnavit, quamvis perexiguo spatio, tamen vehementissimè ac diligentissimè totam illam familiam conturbavit.

8 vide 1. Schem, 25. 22.

9 id est, omnes qui erant ejusdem cognationis.

14 Itaque perdidit Zimri totam familiam Bahaschæ; secundùm verbum Jehovæ quod loquutus est contra Bahascham, per c Jehu prophetam:

c Heb. per manum Jehu.

15 Propter omnia peccata Bahaschæ & peccata Elæ filii ejus, quibus peccaverunt, & quibus ad peccandum induxerunt Jisraëlem, provocando Jehovam Deum Jisraëlis vanitatibus suis.
16 Reliquæ autem res Elæ, & quæcumque fecit; nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jisraëlis?
17 Anno vigesimoseptimo Asæ regis Jehudæ regnavit Zimri septem diebus Thirtzæ: quum populus castra haberent contra 10 Gibbethonem qui *erat* Pelischthæorum.

10 vide suprà 15. 27. in annot.

18 Sed qui castra habebant, populus ille audiens dicentes, conspiravit Zimri, & etiam percussit regem; constituerunt omnes Jisraëlitæ regem Homrin principem militiæ super Jisraëlem eodem die, in ipsis castris.
19 Posteà ascendens Homri, & omnes Jisraëlitæ cum eo Gibbethone; obsederunt Thirtzam;
20 Fuit autem quum videret Zimri captam esse civitatem, ut ingrederetur palatium domus regiæ; & combusta secum domo regis igne, moreretur:
21 Propter peccata sua quibus peccaverat, faciendo quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; ambulando in via Jarobhami, & in peccato ejus quod fecerat inducendo Jisraëlem ad peccandum.
22 Reliquæ autem res Zimri, & conspiratio ejus quà conspiravit; nónne sunt scriptæ in libro Chronicorum regum Jisraëlis?
23 11 Tunc divisus est populus ille Jisraël in partes: pars una populi sequebatur Thibnin filium Ginathi ut constitueret eum regem, pars verò altera sequebatur Homrin.
24 Quumq; firmior esset populus qui sequebatur Homrin populo qui sequebatur Thibnin filium Ginathi; 11 mortuo Thibni 12 regnavit Homri.
25 Anno trigesimo primo *completo* Asæ regis Jehudæ (regnavit *enim* Homri super Jisraëlem 13 duodecim annis) Thirtzæ regnabat sexto anno;
26 Quum emit montẽ d Schomronis à Schemero 14 duobus talentis argenti; & ornato ædificiis monte, vocavit nomen civitatis illius quam ædificavit de nomine Schemeri domini illius montis, Schomronem.
27 Et fecit Homri quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, ac pejus fecit quàm ullus qui *fuerit* ante eum:
28 15 Nam ambulavit in tota via Jarobhami filii Nebati, & in singulis peccatis ejus, quibus ad peccandum induxerat Jisraëlem, ut provocaret Jehovam Deum Jisraëlis vanitatibus illorum.
29 Reliquæ autem res Homri quas fecit, & fortitudo ejus quà fecit; nónne sunt scriptæ in libro Chronicorum regum Jisraëlis?
30 Posteà occubuit Homri cum patribus suis, & sepultus est Schomrone: regnavitq; Achab filius ejus pro eo.
31 Achab autem filius Homri regnare cœpit super Jisraëlem anno trigesimo octavo Asæ regis Jehudæ: regnavitq; Achab filius Homri super Jisraëlem Schomrone 16 viginti duobus annis.
32 e Fecitq; Achab filius Homri quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, plus quàm omnes qui fuerant ante ipsum.
33 Fuit enim (17 nónne leve habebant ei ambulare in peccatis Jarobhami filii Nebati?) ut acciperet uxorem Izebelem filiam 18 Eth-Bahalis regis Tzidoniorum, & abiens coleret e Bahalem illorum, ac incurvans se *honorem haberet* ei:
34 Et statueret altare 19 Bahali isti in æde illa Bahalis, quam exstruxerat Schomrone.
35 Præterea f consevit Achab lucum; denique g amplius Achab fecit ad provocandum Jehovam Deum Jisraëlis, quàm omnes reges Jisraëlis qui *fuerant* ante ipsum.
36 Diebus ejus ædificavit Chiel Beth-Elita Jerichuntem: h pretio Abirami primogeniti sui fundavit eam, & pretio Segubi natu minimi

11 quartam [illegible] anno post sublatum Zimri [illegible] vide in 2. Chron. 2 [illegible]
12 anno [illegible] regnum [illegible] Jisraëlis [illegible]
13 [illegible] annis [illegible] Thibnin [illegible]
d vulgo [illegible]
14 [illegible]
15 duo [illegible] quod regnum [illegible] populi [illegible] [illegible]
16 imperfectis [illegible]

minimi sui statuit fores ejus, secundùm verbum Jehovæ quod loquutus erat per Jehoschuham filium Nunis.

CAPUT XVII.

Elija Achabo à Deo multorum annorum siccitatem denunciat: jussusq; certo loco delitescere, per annum corvorum ministerio cibatus: inde propter aquæ penuriam Dei jussu Tzarphatham profectus, à vidua, quam promissione Dei confirmat, ultra biennium sustentatur; cui mortuum filium precibus suscitat.

Dixit autem Elija [1] Thischbites ex [2] inquilinis Gilhadis Achabo; *ut* vivit Jehova Deus Jisraëlis ante quem [3] adsto, non est futurus [4] annis istis ros aut pluvia: nisi ex verbo meo.

2 Posteà fuit ad eum verbum Jehovæ dicendo:

3 Abi hinc, ut convertas te orientem versus, & abscondes te ad torrentem Cerithi, qui *est* e regione Jardenis.

4 Eritq; *ut* ex illo torrente bibas: [5] corvis autem præcepi, ut te sustentent ibi.

5 Qui abiens fecit secundùm verbum Jehovæ: veniens enim consedit ad torrentem Cerithi, qui *est* e regione Jardenis:

6 Quò corvi afferebant ei panem & carnem quolibet mane, similiter panem & carnem quolibet vespere: & e torrente bibebat.

7 Sed fuit exacto anno quum exsiccatus esset torrens ille; quia non fuerat pluvia in illa terra:

8 Ut esset verbum Jehovæ ad eum dicendo:

9 Surge, abi [6] Tzarphatham quæ *est* Tzidonis, ut consideas ibi: ecce præcepi ibi mulieri viduæ ut sustentet te.

10 Tunc surgens abiit Tzarphatham, quumq; pervenisset ad portam civitatis, ecce mulier vidua colligebat ligna: itaque advocavit eam & dixit, [a] accipiens da, quæso, mihi paululum aquæ in hoc vase ut bibam.

11 Abiit ergo ut acceptam daret: posteà advocans eam dixit, accipiens da quæso mihi frustum panis *prout est* [7] in manu tua.

12 Quæ dixit, *ut* vivit Jehova Deus tuus non *est* mihi [8] placenta, sed plena vola farinæ in cado, & paululum olei in ampulla: & ecce colligo duo ligna, ut veniens parem illam mihi & filio meo, ut comedamus illud, [9] deinde moriemur.

13 Dixit verò ei Elija, ne timeto, abi, para secundùm verbum tuum: [10] verumtamen fac mihi de ea placentam parvam priùs, quam afferas mihi, tibi verò & filio tuo facito posteà.

14 Nam sic ait Jehova Deus Jisraëlis, [11] [b] cadi istius farina non consumetur, & ampullæ istius oleum non deficiet; usque ad [12] diem quo daturus est Jehova pluviam in superficie terræ.

15 Abiens ergo illa fecit secundùm verbum Elijæ; ita comedit ipsa & ipse, idq; domi ejus per annum.

16 Cadi farina illa non consumebatur, & ampullæ illius oleum non deficiebat; secundùm verbum Jehovæ quod loquutus fuerat per Elijam.

17 Fuit autem [c] [13] his rebus gestis, *ut* ægrotaret filius mulieris illius, dominæ domus: quumq; esset ægritudo ejus valida admodum, adeò ut [14] non reliqua esset in eo respiratio;

18 Dixit illa Elijæ, [15] quid [d] mihi tecum, vir Dei? [16] veneris ad me ad recordandum iniquitatem meam, & afficiendum morte filium meum?

19 Qui dixit ei, da mihi filium tuum: & acceptum eum e sinu ejus, detulit eum in cœnaculum ubi ipse habitabat, deposuitq; eum super lectum suum.

20 Tum inclamans Jehovam dixit: ô Jehova Deus mi, [17] etiámne viduam hanc apud quam ego hospitor malo affeceris, mortem afferendo filio ejus?

21 Et [18] admensus se super puero [19] ter, inclamavit Jehovam dicens; Jehova Deus mi, revertatur quæso anima pueri hujus in medium ejus.

22 Et auscultavit Jehova voci Elijæ, ita ut reversâ animâ pueri in medium ejus, revixerit.

23 Tum acceptum Elija puerum deduxit e suo cœnaculo domum, & reddidit eum matri ejus: dixitq; Elija, vide, vivit filius tuus.

24 Dixit verò mulier Elijæ, jam hoc experior virum Dei te esse; & verbum Jehovæ in ore tuo verum.

[1] id est, incola partis illius Gilhadis, quæ ad orientem spectat, temporibus Schaülis Hagarenis ademta. Hæc autem Thischeb dicta est: vel eo quòd veteres incolæ ad centum millia captivi abducti sunt: vel quòd ex Jisraëlitis trans Jardenem coloniæ eò transmissæ sunt, ut eam inhabitarent: vide 1. Chr. 5.21.
[2] id est, colonis e Gilhade transmissis.
[3] id est, ministro, ut exponitur Deut. 10.8.
[4] tribus & sex mensibus, Luc. 4.25. & Jacob. 5.17. vide infrà 18. 1. sic enim apertè colligitur ex mandato & promissione Dei infrà 14.
[5] hæc avis lege immunda erat cibo: non autem contactu, nisi mortua: Levit. 11.15.
[6] quam scriptores vocant Sareptam inter Tyrum & Tzidonem, sitam ad mare.
[a] Heb. *accipe quæso mihi: vide Exod. 25.2. sic deinceps.*
[7] id est, penes te.
[8] id est, ne minimus quidem panis factus.
[9] quasi dicat, nulla est deinceps vitæ sustentandæ ratio.
[10] sic fidem viduæ probavit Deus.
[11] ὑποθετικῶς, puta si id quod dixi feceris.
[b] Heb. *cadus istius farinæ & ampulla olei: hypallage.*
[12] id est, usquedum anni duo cum dimidio effluxerint.
[c] Hebr. *post res has.*
[13] id est, tertio anno, quem apud viduam agebat: sive exacto biennio siccitatis: nam annum educatus est corvorum ministerio suprà vers. 7. & alterum apud viduam, de quo versu 16.
[14] id est, exspirasset.
[15] subaudi, fuerit. Id est, quorsum spectaverint promissiones tuæ, si moriendum sit illis quibus factæ sunt?
[d] Heb. *mihi & tibi: sic 2. Schem. 16.10. & 19.23.*
[16] quasi dicat, quum me primùm alloquutus es, me & filium de vita in remissione peccatorum confirmasti, vers. 15. quod jam ampliùs annum experta sum: nunc verò estne aliquid cujus nomine tam graviter sim castiganda contra quàm initio spem feceras?
[17] quasi dicat, ut alios multos qui fame & siccitate pereunt, sed minimè confirmatos de vita: ut hæc vidua per me confirmata est.
[18] tum ut visu & contactu pueri ad orandum magis inflammaretur: tum ut incubationis medio caro pueri foveretur: confer cum facto Elischahi, 2. Reg. 4.34.
[19] alternis incubans & orans.

CAPUT XVIII.

Elija ab Achabo diu quæsitus, jussu Dei se illi exhibet: increpantem regem reprehendit, & Jisraëlem cum falsis prophetis in montem Carmeli convocari jubet: ubi populo reprehenso, miraculo cum prophetis Bahalis spondet: convictos jugulat: regi pluviam denunciat, & abeuntem prosequitur Jizrehelem.

[1] Posteà elapsis diebus multis post annum tertium hunc, fuit verbum Jehovæ ad Elijam dicendo; i, [2] ostende te Achabo, & dabo pluviam in superficie terræ.

2 Itaq; abiit Elija ut ostenderet se Achabo: erat autem fames valida in [3] Schomrone:

3 Quapropter advocaverat Achab Hobadjam qui præerat domui ipsius (erat autem Hobadja timens Jehovæ valdè,

4 Nam fuit quum exscinderet Izebel prophetas Jehovæ; ut accipiens Hobadja centum prophetas absconderet eos, quinquagenos viros in una spelunca, & sustentaret eos pane & aqua.)

5 Et edixerat Achab Hobadjæ, perambula hanc terram ad fontes aquarum, & ad omnes torrentes: si fortè inveniamus fœnum, ut vivos conservemus equos & mulos, & non [a] sinamus exscindi nobis jumenta.

6 Itaque partiti terram inter se quam obirent; Achab profectus est unâ viâ ipse [b] seorsim, & Hobadja profectus est viâ alterâ seorsim.

7 Fuit autem Hobadja *versante* in itinere, quum ecce Elija obvius ei *fieret*: ut agnoscens eum procideret in faciem suam ac diceret, túne ille *es* dominus meus Elija?

8 Qui dixit ei, sum: i, dic domino tuo, ecce Elijam:

9 Dixit verò Hobadja, quid peccavi; quòd [4] tradis servum tuum in manum Achabi ut morte afficiat me?

10 Ut vivit Jehova Deus tuus, non *est* gentis aut regni *locus* quò non miserit dominus meus ad quærendum te, qui dixerunt, non *adest*: etiam adjuravit regnum & gentem, quia non potest invenire te.

[1] id est, elapsis sex mensibus suprà annum tertium, cujus rationem chronicam in 17. caput ostédimus. Luc. 4.25. & Jacob. 5.17. vide sup. in 17.1.
[2] ea dicturus & facturus quæ in sequentibus narrantur, ut ipse docet ver. 36.
[3] id est, regno Jisraëlis: synecdoche.
[a] Heb. *& non exscindamus nos a jumentis: hypallage.*
[b] Heb. *solus: ut Genes. 43.32.*
[4] id est, occasionem præbes mandato hoc tuo, qua Achab me sibi putans illudere appetat vitam meam, ut explicatur [illegible]

11 Et nunc tu dicis: i, dic domino tuo, ecce
Elijam.
12 Atqui erit me abeunte abs te, ut spiritus Je-
hovæ deferat te nescio quò, quumq; venero in-
dicatum Achabo, si non invenerit te occidet me:
tamen servus tuus timet Jehovam ab adolescen-
tia mea.
13 Nónne indicatum est domino meo quid
fecerim, quum occideret Izebel prophetas Jeho-
væ? ut occultavi e prophetis Jehovæ centum vi-
ros, c quinquagenos viros in una spelunca, & su-
stentavi eos pane & aqua?
14 Nunc autem tu dicis, i, dic domino tuo,
ecce Elijam: atqui occideret me.
15 Dixit verò Elija, ut vivit Jehova exerci-
tuum coram quo [5] adsto, hodie ostendam me ei.
16 Abiens itaque Hobadja obviàm Achabo
indicavit ei: quapropter ivit Achab obviàm E-
lijæ.
17 Fuitq; quum videret Achab Elijam, ut di-
ceret Achab ei, túne ille es, [6] perturbator Jis-
raëlis?
18 Qui dixit, non perturbo Jisraëlem, sed tu
& domus patris tui: dum derelinquitis præcepta
Jehovæ & sequeris Bahalimos.
19 Sed nunc mitte, congrega ad me totum
Jisraëlem in montem Carmelum: & prophetas
Bahalis quadringentos quinquaginta, prophetas
quoque [7] luci illius quadringentos comedentes
e mensa Izebelæ.
20 Itaque mittens Achab ad omnes Jisraëli-
tas, congregavit prophetas illos in montem Car-
meli.
21 Tum accedens Elija ad totum populum
illum, dixit, [8] quousq; claudicaturi estis in dua-
bus istis cogitationibus? si Jehova est Deus ipse,
sequimini eum, sin autem istorum Bahal, sequi-
mini eum: sed [9] non responderunt ei populus ille
quicquam.
22 Prætereà dixit Elija populo illi, ego reli-
ctus sum propheta Jehovæ solus; [10] prophetę au-
tem isti Bahalis quadringenti quinquaginta viri.
23 [11] Itaque [d] dentur nobis duo juvenci & e-
ligentes sibi juvencum unum, in membra divi-
dant eum ac imponant lignis, sed ignem ne ap-
ponunto: ego quoque parabo juvencum alte-
rum, quem imponam lignis, sed ignem non ap-
ponam.
24 Tum [12] invocabitis nomen deorum ve-
strorum, ego verò invocabo nomen Jehovæ, e-
ritq; Deus ille qui [13] testabitur igne, ipse Deus:
cui respondens totus populus ille dixerunt, bona
est hæc res.
25 Deinde dicente Elija prophetis Bahalis,
eligite vobis juvencum unum, & parate primùm,
nam estis plures: & invocate nomen deorum ve-
strorum, sed ignem ne apponite:
26 Acceperunt juvencum [14] quem concesse-
rat eis, & paraverunt eum; quumq; invocassent
nomen Bahalis a mane usque ad meridiem di-
cendo, ô Bahal exaudi nos, & nulla esset vox &
nullus exaudiens: [15] insultarunt in altare quod
fecerat Elija.
27 Fuit enim ipso meridie, ut ludificans eos
Elija diceret, clamato voce magna quandoqui-
dem Deus est, nam colloquium, aut nam [16] inse-
ctatio est ei, aut nam iter est faciendum ei: fortassis
dormit, ut evigilet.
28 Qui clamabant voce magna, & [17] incide-
bant sese pro ratione ipsorum gladiis & spiculis;
usque adeò ut perfunderent se sanguine.
29 Fuit verò quum præteriisset meridies,

c Heb. quinqua-ginta quinquaginta viros.
5 ut supra 17.1.
6 qui tantam sic-citatem & famem in Jisraëlem im-mittis.
7 de quo supra 16.33.
8 id est, quousque in dubio e-runt conscientiæ vestræ, quem cul-tum sequamini? nam neque cul-tui vitulorum, quem vos Jehovæ exhibere putatis ex institutione Jerobhami, ne-que Bahalimis, quos recèns in-stituit Achab, planè acquiescitis: denique ne-scitis utrum vete-rem novo, an no-vum veteri præ-ferre debeatis: hæc autem quæ sequuntur per concessionem di-cuntur.
9 quia dubita-bant uter Dei cultus esset, aut hærebant donec miraculo Elijæ confirmati sunt.
10 non compre-hensis prophetis luci, de quibus su-prà ver. 19.
11 vide in Leviti-ci 27.7.
d Heb. dent nobis duos.
12 Apostrophe ad Prophetas Bahalis.
13 id est, testi-monium veritatis suæ igne cœlitùs demisso edat o-mnibus spectan-tibus: ut dicitur infra ver. 38.
14 id est, cujus optionem dede-rat.
15 post meridi-em, furorem pro-pheticum simu-lantes ut ipsum everterent ∇ 30. provocati sarcas-mis Elijæ: nam prolepticè hic versu 3. sequen-tib. exponitur.
16 vel hostium vel ferarum.
17 more gen-tium, de quo Deut. 14. 1.

[18] ut prophetas agerent usquedum [19] offertur
munus; sed nulla erat vox, & nullus exaudiens,
nullaq; attentio.
30 Elija autem edixit toti populo illi, accedi-
te ad me, & accessit totus populus ad eum: tum
curavit altare Jehovæ [20] quod dirutum erat.
31 Nam accepit Elija [21] duodecim lapides
pro numero tribuum filiorū Jahakobi; ad quem
fuerat verbum Jehovæ dicendo, [f] Jisraël esto no-
men tuum.
32 [22] Quumq; exstruxisset lapidibus istis al-
tare in nomine Jehovæ; paravit aquæ ductum
capientem quasi [g] duo sata sementis circa illud al-
tare.
33 Deinde disposuit ligna, & divisum in mem-
bra juvencum imposuit lignis.
34 Tum edixit, implete quatuor cados [23] a-
quâ, & effundunto super ipsum holocaustum &
super ligna: iterum edicente secundò facite, se-
cundò fecerunt, rursus edicente tertiò facite, ter-
tiò fecerunt:
35 Adeò ut [f] fluerent aquæ circa altare;
atque etiam aquæ ductum impleret aqua.
36 Fuit autem [24] quum offertur munus, ut ac-
cedens Elija propheta diceret, ô Jehova Deus
Abrahami, Jitzchaki, & Jisraëlis, hodie innotes-
cat te Deum esse in Jisraële, & me servum tuum:
qui ex verbo tuo feci omnes res istas.
37 Exaudi me Jehova, exaudi me, ut agno-
scant populus hic te Jehovam Deum illum esse;
quum tu averteris animum eorum [25] retrorsum.
38 Tunc ignis Jehovæ decidens, consumsit
holocaustum, & ligna, & lapides, & pulverem
ipsum: etiam aquam quæ erat in aquæ ductu de-
linxit.
39 Quod quum videret totus ille populus,
prociderunt in faciem suam: & dixerunt, Jehova
ipse Deus est, Jehova ipse Deus est.
40 Deinde dicente Elija eis, prehendite pro-
phetas istos Bahalis, nemo se proripiat ex eis;
prehenderunt eos: quos deducens Elija ad tor-
rentem [26] Kischonis, ibi jugulavit eos.
41 Et dixit Elija Achabo, ascende, comede
& bibe: nam ecce strepitum multitudinis pluviæ.
42 Sic ascendit Achab ad comedendum &
bibendum: Elija autem ascendit in verticem
Carmeli, & pronum se abjecit in terram, deinde
posuit faciem suam inter genua sua.
43 Edixerat autem puero suo, ascende jam,
intuere viâ maris, qui ascendens intuitus est ac
dixit, non est quicquam: & septies edixit rever-
tere.
44 Fuitq; septima vice ut diceret, ecce nubes
parva sicut vola hominis ascendit a mari: tum di-
xit: ascende, dic Achabo, junge equos & descen-
de, ne intercludat te pluvia.
45 Itaque fuit [g] intereà, quum cœli obscura-
rentur nubibus & vento, unde fuit pluvia mag-
na; ut equitans Achab abiret Jizrehelem.
46 Manus autem Jehovæ adfuit Elijæ, ut
[27] confirmaret lumbos ejus: ita præcurrit Acha-
bo usque quà venis Jizrehelem.

CAPUT XIX.

Izebel audita cæde prophetarum, Elijæ per nuntium mortem interminatur: Qui Elija in desertum fugiens mortem expetit: ubi, ab angelo confirmatus, in Chorebum progreditur & in speluncam se abdit: ex qua a Deo evocatus, ad novos reges Syriæ & Jisraëlitarum, per Elischahum filii in munere prophetico successorem, inungendos mittitur.

Indicavit

18 vide 1. Schem. 18. 9.
19 id est, usque ad tempus ve-spertinum, quo munus offereba-tur, Exod. 29. 41. sic infra 36. simi-le vide 2. Reg. 3. 20.
20 ab insultanti-bus prophetis supra 26.
21 ut hac altaris structura docerct Jisraëlitas omnes tribus simul u-num corpus Deo sacrum debere coalescere, & pravitate dignos memores ab omni idolorum ser-vitute abstinere.
f Gen. 32. 28. & 35. 10.
22 speciali man-dato Dei hoc fa-cto extra ordi-nem Jisraëlitas revocantis: & proinde contra legem, non venit quæ est Levit. 17. & Deut. 12.
g Heb. quasi ca-pacitatem duarum sa-tarum sementis.
23 nam Carme-lus imminet ma-ri, unde aquam petebant.
f Heb. irent.
24 suprà ver. 29.
25 ab idololatria in quam præcipites ruerant, ad te convertis.
26 vide Judic. 5. 21.
g Heb. ad huc & adhuc.
27 id est, vires suppeditaret ut expeditè posset iter facere.

INdicavit autem Achab Izebelæ quicquid fecerat Elija; & eum occidisse prorsus omnes prophetas ejus gladio.

2 Quapropter misit Izebel nuncium ad Elijam qui diceret; sic faciant dii & sic pergant, ut hoc ipso tempore cras [a] reddituru sim vitam tuam ut *est* vita uniuscujusque illorum.

3 Quod quum [b] intelligeret, surgens abiit, [c] consulens vitæ suæ, pervenitque Beer-Schebahum quod *est* Jehudæ; ubi reliquit puerum suum.

4 Ipse verò perrexit in illud desertum itinere unius diei, & veniens consedit sub junipero quadam: ubi expetebat [d] apud se mori, ac dicebat, satis *est*, nunc Jehova accipe animam meam, non enim sum [e] melior majoribus meis.

5 Ita recumbens obdormivit sub junipero quadam: quum ecce quidam angelus tangens eum dixit ei, surge, comede.

6 Eo intuente, ecce *ad* locum capitis ejus placenta carbonibus *tosta*, & ampulla aquæ: unde comedit ac bibit, posteà [e] rursus recubuit.

7 Reversus autem angelus Jehovæ secundò, tetigit eum dicens, surge comede: nam [f] majus esset hoc iter quàm ut conficeres.

8 Surgens ergo comedit ac bibit: deinde progressus est vi cibi illius quadraginta dies & quadraginta noctes *sustineat ante eum*, usque ad montem Dei Chorebum.

9 Ubi quum ingressus quandam speluncam pernoctaret ibi; ecce verbum Jehovæ ad eum; quo dixit ei, quid tibi *rei* hic est, Elija?

10 Quo dicente, [8] [2] planè zelo affectus sum pro Jehova Deo exercituum, eo quòd dereliquerunt fœdus tuum Jisraëlitæ, [3] altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio: cúmque ego relictus sim solus, etiam quærunt [h] vitam meam ut auferant eam.

11 Edixit *Deus*, exi & consiste in isto monte coram Jehova; ecce autem Jehova transibat, & [4] ventus magnus ac vehemens perfringens montes ac perrumpens petras ante Jehovam, non *erat* in eo vento Jehova: post ventum autem illum concussio, non *erat* in cõcussione illa Jehova:

12 Et post concussionem illam, ignis, non *erat* in eo igne Jehova; denique post ignem illum, vox [5] silentio tenuis.

13 Fuit, ut audiens Elija [6] obvolveret faciem suam toga sua, & exiens consisteret in porta ipsius speluncæ: quum ecce ad eum *fuit* vox, quæ dixit, [7] quid *rei* tibi hic est Elija?

14 Cui dixit *ille*, planè zelo affectus sum pro Jehova Deo exercituum, eo quòd dereliquerunt Jisraëlitæ fœdus tuum, altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio; cúmque ego relictus sim solus, etiam quærunt vitam meam ut auferant eam.

15 Tum edixit ei Jehova, abi, revertere itinere tuo versus desertum Damasci, & [8] veniens ungito Chazaëlem in regem super Syriam:

16 [9] Jehu autem filium Nimschi ungito in regem super Jisraëlem: denique Elischahum filium Schaphati [9] Abel-Mecholanum ungito in prophetam [10] loco tuo.

17 Fiet enim ut qui proripuerit se à gladio [11] Chazaëlis, [12] eum morte afficiat Jehu: eum verò qui proripuerit se à gladio Jehu morte [13] curabit affici Elischah.

18 [14] Reliquos autem feci ex Jisraële septies mille; quorum omnium genua non [15] incurvaverunt se Bahali, & *quorum* omnium os non osculatum est illum.

19 Itaque abiens inde quum invenisset Elischahum filium Schaphati qui arabat duodecim jugis antecedentibus eum, & ipse *erat* cum duodecimo; transivit Elija ad eum, & [16] injecit togam suam illi.

20 Tum relictis bobus accurrens post Elijam dixit, [17] osculer quæso patrem meum & matrem meam ut sequar te: cui dixit, [18] abi, revertere, [19] nam quid feci tibi?

21 Itaque divertit ab eo, & acceptum par boum mactavit, & instrumento boum coxit [i] illorum carnem, [20] quam dedit populo suo, & comederunt: posteà surgens sequutus est Elijam, & ministravit ei.

a Heb. positura sua. b Heb. videret. c Heb. pro vita sua. d Heb. cum anima sua. 1 ut diutiùs mihi vivendum sit quàm illi vixerunt. e Heb. reversus est ut recumberet. f Heb. multum esset præ te hoc iter. g Heb. Chorebo [illegible]; sic infrà v. 14. 8 Sup. 18. 13. 2 quasi dicat, abjectio tui fœderis, cultus tui destructio, prophetarum tuorum cædes, & mei persequutio faciunt ut mortē expetam, supra vers. 4. 3 i. cultum, metonymia: nam propter altaria Dei erant Jeruschalaimi. h Heb. animam: sic infrà 14. 4 hujus apparitionis duo sunt fines: unus ut de divina præsentia certior redderetur Elija: alter ut ea confirmaretur, & ad exsequendum mandata Dei compararetur. 5 i. quum ventus, concussio & ignis conquievissent. 6 vide Exo. 3. 6. 7 hac repetita interrogatione Dei & responso Elijæ aperitur via ad sequentem revelationem, & mandata quæ velut ex hac occasione dat Deus, v. 15. & 16. 8 i. ministro per alium: vide exequutionem, 2. Reg. 8. sic etiam de Jehu [illegible] verba sequentia, 2. Reg. 9. 9 Judic. 7. 22. 10 i. qui hæc tibi mandata exequatur [illegible] Joramum [illegible] 2. Reg. 8. 28. 11 2. Reg. 9. 10. 12 per Chazaëlem: vide 2. Reg. 8. 12. & exsequutionem ibidem cap. 10. 32. & cap. 13. 3. 14 respondet ad illud quod dixerat: Relictus sum solus &c. suprà vers. 10. 15 id est, coluerunt: synecdoche, vide Gen. 41. 40.

16 i. hoc signo vocationem Dei ei indicavit, & in numerum prophetarum allectum esse declaravit, quorum habitus ille erat, respondens abollæ philosophorum: vide Zecarjæ 13. 4. & infrà 2. Reg. 2. 8. 17 i. valedicam parentibus & amicis meis: synecdoche. 18 id est, hac conditione abi ut quamprimùm revertaris. 19 quasi dicat, sis muneris memor ad quod te vocavi, & cujus administratio non patitur moras, aut curam aliarum rerum: Matth. 8. 22. & Luc. 9. 62. 20 convivio valedicturus eis. i Heb. coxit eos carnem.

CAPUT XX.

Rex Syriæ regnum Jisraëlis invadens ab Achabo fidem subjectionis cum obsidibus & thesauris petit: cui Achab fidem offert, reliqua deprecatur. Deinde instante Syro & tempus designante, Achab conditiones repudiat: Syrum duobus prœliis fundit: quorum posteriore Syrum deditum sibi honorificè accipit, & fœdere icto dimittit: Quam obrem a propheta reprehenditur denunciata a Deo pœna.

BEn-hadad autem rex Syriæ congregatis omnibus copiis suis, & triginta duobus regulis secum, cum equis & curribus, ascendens obsedit Schomronem, ut oppugnaret eam.

2 Et misit nuncios ad Achabum regem Jisraëlis in civitatem:

3 Per quos dixit ei, sic ait Ben-hadad, argentum tuum & aurum tuum meum est: etiam fœminæ tuæ & filii tui præstantissimi [1] mei sunt.

4 Respondens autem rex Jisraëlis dixit, secundùm verbum tuum, domine mi Rex; [2] tuus sum & quæcunque *sunt* mihi.

5 Rursus autem redeuntes nuncii dixerunt, sic ait Ben-hadad dicens: quia miseram ad te qui dicerent, argentū tuum, & aurum tuum, & fœminas tuas, & filios tuos mihi [3] dato, *jam tibi non dicã:*

6 [4] Sed hoc ipso tempore cras mittam servos meos ad te, ut scrutentur domum tuam & domos servorum tuorum: eritq; ut quicquid desiderabile *est* oculis tuis, positum in manu sua accipiant.

7 Itaque rex Jisraëlis vocatis omnibus senioribus regionis dixit, agnoscite quæso & videte istum quærere malum: miserat enim ad me pro fœminis meis & pro filiis meis, & pro argento meo ac pro auro meo, [5] neque denegaveram ei.

8 Dixerunt verò omnes illi seniores & totus populus ei, ne auscultato, neque acquiescito.

9 Dixit ergo nunciis Ben-hadadi, dicite domino meo regi, quicquid mandabas servo tuo primùm, facturus sum; rem verò hanc non possum facere: sic abeuntes nuncii retulerunt ei rem.

10 Quapropter misit ad eum Ben-hadad dicens, sic faciant mihi dii & sic pergant, [6] non sufficere pulveri Schomronis pugillis, toti populo huic qui [8] sequuntur vestigia mea.

11 Sed respondens rex Jisraëlis dixit, eloquimini: [7] ne jactet se qui accingit se ut qui discingit.

12 Fuit autem audito verbo hoc, quum biberet ipse & reges illi in tabernaculis; ut ediceret servis suis, [9] admovete; qui admoverunt contra civitatem.

1 id est, planè meo arbitratui personas & facultates tuas dedito, ac proinde jam jam mihi dato & transmittito per famulos meos quicquid est in manu tua: ut ipse intelligendum ostendit infrà ver. 5. sed hæc verba benignius Achab interpretatus est, ver. 7. & 9. 2 i. ego meipsum dedo, ut tuus sim cliens ac beneficiarius, quem vasallum vocant. 3 videlicet jam jam tu ipse, non expectans donec per meos involem. 4 q. d. quandoquidem non dedisti &c. 5 quo minùs fidei & clientelæ ejus subjicerentur. 6 comparatio est a majore: sed hyperbolica atque Thrasonica: quasi dicat, tota terra vestra [illegible] pugillo a meis: quanto magis homines vestri? similis hyperbole 2. Schem. 17. 13. 8 Heb. qui est in pedibus meis: ut Exod. 11. 8. 7 id est, qui induit arma pugnaturus, ne ita glorietur ac si victoriâ partâ illa deponeret, ac castra tota, & quod ajunt, triumphum ante victoriam [illegible]

13 Tum ecce propheta quidam accedens ad
Achabum regem Jisraëlis, dixit, sic ait Jehova,
vidésne totam multitudinem maximam istam?
ecce ego traditurus sum eam in manum tuam
hodie, ut cognoscas me esse Jehovam.
14 Dicenti verò Achabo, per quos? dixit, sic
ait Jehova, [9] per pueros præfectorum provinciis:
iterum dicenti, quis [b] componet aciem? dixit,
tu.
15 Itaque recensuit pueros præfectorum pro-
vinciis, qui *erant* ducenti triginta duo, & post hos
recensuit totum populum, omnes Jisraëlitas sep-
ties mille.
16 Et egressi sunt ipso meridie: quum Ben-
hadad [c] biberet ad ebrietatem in tuguriis, ipse
cum regulis illis triginta duobus auxiliaribus
ejus.
17 Egressis autem pueris præfectorum pro-
vinciis primùm; misit Ben-hadad quum renun-
ciassent ei *quidam* dicendo, homines egressi sunt
Schomrone.
18 Ac dixit, sive ad pacem egressi sint, pre-
hendite eos vivos; sive ad bellum egressi sint, vi-
vos prehendite eos.
19 Isti autem egressi e civitate, pueri præfe-
ctorum provinciis; & copiæ quæ sequebantur
eos:
20 Percusserunt quisque virum suum, adeò
ut fugientes Syros persequerentur Jisraëlitæ:
proripuit autem se Ben-hadad rex Syriæ in equo
cum equitibus.
21 Tum egressus rex Jisraëlitarum, percussit
equos & currus; denique percussit Syros plaga
magna.
22 Accedens autem propheta ille ad regem
Jisraëlis dixit ei, abi, confirma te, & cognosce ac
vide, quid sis facturus: nam [d] revertente anno
rex Syriæ [10] ascensurus est contra te.
23 Servi verò regis Syriæ dicebant ei, dii mon-
tium *sunt* dii eorum, idcircò firmiores fuerunt
nobis: at certè pugnemus contra eos in ipsa pla-
nitie, si non firmiores erimus eis.
24 Itaque rem hanc facito, [11] amoveto regulos
istos quemque a loco suo, & substitue [12] proce-
res loco eorum.
25 Tu tamen numerato tibi copias [e] [13] ex tu-
is, prout *erant* copiæ illæ quæ ceciderunt, & equos
prout *erant* illi equi, & currus prout illi currus
erant, sic pugnemus contra illos in ipsa planitie,
si non firmiores erimus eis: qui auscultans voci
eorum sic fecit.
26 Fuit enim revertente anno, quum recensu-
isset Syros Ben-hadad, ut ascenderet [14] Aphe-
kum in bellum contra Jisraëlitas.
27 Jisraëlitæ quoque recensiti & commeatu
instructi processerunt obviàm eis: & castra ha-
bentes Jisraëlitæ e regione eorum, similes *erant*
[15] duobus parvis gregibus caprarum: Syri autem
replebant illam terram.
28 Quapropter accedens vir ille Dei allo-
quutus est regem Jisraëlis, ac dixit, sic ait Jeho-
va, eo quòd dixerunt Syri Deum montium Je-
hovam ac non Deum convallium esse: ideò tra-
diturus sum totam multitudinem maximam
istam in manum tuam, ut cognoscatis me esse
Jehovam.
29 Itaque castra habebant hi ex adverso il-
lorum septem dies: sed septimo die, ut ap-
propinquante acie, percusserunt Jisraëlitæ e Syris
centum millia peditum uno die.
30 Fugientibus deinde reliquis Aphekum in
ipsam civitatem; concidit ejus murus super vigin-
tiseptem millia virorum qui reliqui erant: sed
Ben-hadad fugiens ingressus est civitatem in
[f] intimum conclave.
31 Ubi dixerunt ei servi ejus, ecce jam audi-
vimus reges domus Jisraëlis, reges [g] benignos
esse; [16] imponamus quæso cilicia lumbis nostris,
& [17] funes indamus capitibus nostris, & exeamus
ad regem Jisraëlis, fortassis [h] vitam tuam ser-
vabit.
32 Itaque accingentes ciliciis lumbos suos, &
funes indentes capitibus suis, venerunt ad re-
gem Jisraëlis dicentes, servus tuus Ben-hadad di-
cit, vivat quæso anima mea: qui dixit, estne ad-
huc vivus? [18] frater meus est.
33 Homines autem isti [i] [19] experimento di-
scere festinabant & præcisè cognoscere an ex
ipso *esset*, dixerunt itaque, frater tuus *ergo est* Ben-
hadad? qui dixit, redite, assumentes *adducite* eum:
egressus itaque est ad ipsum Ben-hadad, quem
jussit ascendere in currum suum.
34 Et autem dicente *Ben-hadado*, civitates il-
las [20] quas acceperat pater meus a [21] patre tuo
restituam, & [22] limitanea constitues tibi in Da-
masco, quemadmodum constituerat pater meus
[23] in Schomrone, [24] *dixit*, & ego cum hoc fœde-
re dimittam te: sic pacto cum eo fœdere dimisit
eum.
35 Vir autem quidam e filiis prophetarum di-
xit proximo suo ex verbo Jehovæ, percute me
quæso: sed renuit vir ille percutere eum.
36 Ideoq; dixit ei, propterea quòd non auscul-
tasti voci Jehovæ, ecce abeunte te a me percus-
surus est leo: quumque abiisset ab eo, inveniens
eum leo percussit eum.
37 Iterum invento viro alteri dixit, percute
me quæso; quare percutiebat vir ille [k] indesi-
nenter ac vulnerabat.
38 Tum abiens propheta ille stetit *coram* rege
in via; dissimulaverat autem se cinere insperso
oculis suis.
39 Fuitq; rege transeunte, ut ipse inclamaret
regem ac diceret, servus tuus processerat in me-
dium prælii, quum ecce quidam accedens ad-
duxit ad me virum & dixit, serva virum hunc, si
[l] ullo pacto desiderabitur, utique erit vita tua pro
vita ejus, vel talentum argenti pendes.
40 Fuit autem, servo tuo agente huc & illuc, ut
ille [25] non *adesset*: tum dixit ei rex Jisraëlis, re-
ctum *est* judicium tuum, [26] tu decidisti.
41 Tum festinans amovit cinerem ab oculis
suis, ut agnosceret ipsum rex Jisraëlis e prophe-
tis esse.
42 Et dixit illi, sic ait Jehova, eo quòd virum
a me anathemati devotum dimisisti e manu,
ideò erit vita tua pro vita ejus, & populus tuus
pro populo ejus.
43 Quam ob rem abiit rex Jisraëlis domum
suam fastidiosus & indignabundus: & ingressus
est Schomronem.

[illegible]

CAPUT XXI.

Achab repulsam passus a Nabotho vineæ ægre decumbit, donec ab Jezebela erigitur spe consequendæ vineæ. Quam ut ei præstet Nabothum falsis testibus oppressum lapidari curat, & Achabum in vineæ possessionem mittit. Quam ob rem Elija Achabo cum tota ejus posteritate & ipsi etiam Jezebelæ excidium denunciat. Achab exterritus ad tempus resipiscit, & sententiæ exsequutionem prorogat.

Filit

9 id est, ministros domesticos.
b Heb. ligabit,
c Heb. bibens ebrius.
d Heb. in reversione anni: sic infrà v. 26.
10 putà ut instaurat eandem oppugnationem tui.
11 i. ne adhibeto ut antea.
12 e subditis, qui pareant fideliùs.
e Heb. ex tecum.
13 id est, non auxiliario milite, qui lucrum & mercedem tantùm spectat.
14 in sorte Ascheris Jehos. 19. 29. quod occupavit rex Syriæ in hoc bello.
15 erant enim distributi in duas acies, sed parvas respectu Syrorum.
f Heb. conclave in conclavi.
g Heb. benignitatis.
16 id est, sistat nobis servis tuis lugubri squalidoque habitu ...
17 ...
h Heb. vivificabit animam tuam.
18 id est, ...
i Heb. experimento ... & festinabant & præcidebant ...
19 ...
20 supra 15. 20.
21 id est, antecessore tuo, ...
22 id est, ... in regnum Damascenum.
23 id est, ... Samariæ, ...
26 ...
l Heb. ... in de ...
lem: vide 2. Reg. 8. 12. & consequutionem ibidem cap. 10, 32. & cap. 13. 3.
26 respondet ad illud quod dixeras: Relictus sum solus &c. supra vers. 10.
... id est, colonus fœcundus ... vide Gen. ...

Fuit autem ᵃ his rebus gestis, quum vinea Na-
botho Jizreĥelitæ agenti Jizreĥele esset; juxta
palatium Achabi regis Schomronis:
2 Ut alloqueretur Achab Nabothum dicens,
cedò mihi vineam tuam, ut sit mihi in hortum o-
litorium, nam propinqua est juxta domum me-
am, & dabo tibi pro ea vineam meliorem ea: sin
melius *videtur* in oculis tuis, dabo tibi pecuniam
pretium hujus.
3 Dixit verò Naboth Achabo; [1] absit mihi a
Jehova, ut cedam possessionem majorum meo-
rum tibi.
4 Quam ob rem venit Achab domum suam
fastidiosus & indignabundus, propter verbum
quo alloquutus fuerat ipsum Naboth Jizreĥelita
dicens, non cedam tibi possessionem majorum
meorum: & jacens in lecto suo, avertebat faciem
suam ne comederet cibum.
5 Sed veniente ad ipsum Izebela uxore ipsi-
us; & dicente ipsi, ecquid spiritus tuus fastidiosus
est ut non comedas cibum?
6 Dixit ei, quia alloquutus Nabothum Jiz-
reĥelitam dixeram ei, cedò mihi vineam tuam
pecunia, aut si mavis dabo tibi vineam pro ea:
sed dixit, non sum daturus tibi vineam meam.
7 Tum dixit ei Izebel uxor ejus, [2] túne nunc
exerceres regnum super Jisraëlem? surge, come-
de cibum, & bono animo esto, ego dabo tibi vi-
neam Nabothi Jizreĥelitæ.
8 Itaque scribens illa literas nomine Acha-
bi, obsignavit sigillo ejus; & misit literas ad senio-
res & ad ᵇ clarissimos qui *erant* in civitate illius,
ᶜ cives Nabothi.
9 Scripserat autem in illis literis edicens;
[3] indicite jejunium, & [4] collocate Nabothum in
ᵈ principiis populi:
10 Et collocate duos homines [5] ᵉ nequam ex
adverso ejus qui testificentur contra eum dicen-
do, ᶠ maledixisti deo & regi: deinde educentes
eum lapidatote eum, ita [6] ut moriatur.
11 Feceruntq; homines civitatis illius, ipsi
seniores & clarissimi, qui iidem cives *erant* in civi-
tate illius, quemadmodum mandaverat eis Ize-
bel; quemadmodum scriptum *erat* in literis quas
miserat ad eos.
12 Indicto jejunio, collocaverunt Nabothum
in principiis populi.
13 Tum venientes duo illi homines nequam,
consederunt ex adverso ejus; testatiq; sunt con-
tra eum homines illi nequam, contra Nabo-
thum, coram populo dicentes, maledixit Na-
both Deo ac regi: sic eduxerunt eum extra civi-
tatem suam, & lapidibus obruerunt eum ita ut
moreretur.
14 Deinde miserunt ad Izebelam qui dice-
rent; lapidatus est Naboth, & mortuus.
15 Fuit autem quum audivisset Izebel lapida-
tum Nabothum ac mortuum esse, ut diceret Ize-
bel Achabo, surge, [7] hæreditario jure posside vi-
neam Nabothi Jizreĥelitæ, quam renuerat dare
tibi pecunia, non enim vivus *est* Naboth, [8] sed
mortuus.
16 Sic fuit audiente Achabo mortuum esse
Nabothum, ut surgeret Achab descensurus ad
vineam Nabothi Jizreĥelitæ ut hæreditario jure
possideret eam.
17 Fuit autem verbum Jehovæ ad Elijam
Thischbitem, dicendo;
18 Surge, descende obviàm Achabo regi Jis-
raëlitarum habitanti Schomrone: ecce in vinea
Nabothi *est*, quò descendit ut hæreditario jure
possideat eam:

ᵃ Heb. post res istas.

[1] lege enim prohibetur possessionem terræ illius alienari lege mancipii, Levit. 25.23 & Numer. 36.7. & sequentibus.

[2] reprehendit in marito animi abjectionem & consilii inopiam, tamquam rege indignam.
ᵇ Heb. candidos, i. spectatos & illustres; sic v. 11.
ᶜ Heb. qui habitabant cum Nabotho.
[3] id est, coetum indicto jejunio convocate, ut pro more publico conventu de maleficiis inquisitio habeatur. Nam jejuniorum dies insumebantur in reconciliando Deo, maleficiis tollendis, & jure dicendo.
[4] hoc est, jubete ut e media turba procedens sistat se coram magistratu.
ᵈ Heb. in capite [illegible]
[5] verba sunt auctoris exegeticè describentis testes ab Izebela submissos.
ᵉ Heb. filios Belijaĥal.
ᶠ Heb. benedixisti. sic infra [illegible]
[6] tamquam reum minutæ majestatis divinæ & humanæ: vide legem Levit. 24.15. & sequentibus, & Exodi 22.28.
[7] cujus bona fisco suo attributa sint, omnibus hæredibus ejus cum ipso devotis anathemati: ita obtendebat religionis speciem; perinde ac si judicio divino in Dathanem & Abiramum Numerorum 16. & in Hachanem Jehosch. 7. sese conformaret, vide 2. Reg. 9.26.
[8] ipse cum hæredibus.

19 Et alloquêris eum dicens, [9] sic ait Jehova,
an occideris, ac etiam hereditario jure possideas?
alloquêris etiam eum dicendo, sic ait Jehova,
ᵍ pro eo quod linxerunt canes sanguinem Nabo-
thi, lincturi sunt canes tuum sanguinem etiam
tibi.
20 Dixit verò Achab Elijæ, [10] tene invenire
me, inimice mi? qui dixit, inveni, eo quòd ʰ de-
disti te ad faciendum quod malum *videtur* in o-
culis Jehovæ.
21 [11] Ecce inducturus sum in te malum, &
tollam posteros tuos: & excisurus sum Achabo
[12] mingentem ad parietem, & [13] conclusum ac
derelictum in Jisraële:
22 Et reddam domum tuam ᵏ sicut domum Ja-
robĥami filii Nebati, & sicut domum Baĥascha
filii Achijæ; propter indignationem qua provo-
casti *me*, quòd ad peccandum induxisti Jisraëlem.
23 Atque etiam contra Izebelam loquutus
est Jehova dicendo; [14] canes comedent Izebe-
lam ad præmunitionem Jizreĥelis.
24 Morientem Achabo in civitate comedent
canes; & morientem in agro commedent vola-
tilia cæli.
25 ˡ Enimverò non fuit similis Achabo, qui de-
diderit se ad faciendum quod malum *videtur* in
oculis Jehovæ; quia seducebat eum Izebel uxor
ipsius.
26 Nam commisit res valdè abominandas
ⁱ sequendo stercoreos deos; prorsus ut fecerant
Emoræi quos expulit Jehova a facie Jisraëlita-
rum.
27 Fuit verò quum audisset Achab verba ista,
ut [15] laceratis vestibus suis, & imposito cilicio
carni suæ jejunaret, cubaret etiam cum cilicio,
& ambularet lentè.
28 Quapropter fuit verbum Jehovæ ad Eli-
jam Thischbitem, dicendo;
29 Vidésne Achabum se abjecisse ante faci-
em meam? [16] eo quòd abjecit se ante faciem me-
am, non inducam malum illud diebus ejus, die-
bus filii ejus inducam malum illud super domum
ejus.

CAPUT XXII.

Achab cum Jehoschaphato Ramothas Gilĥadis oppugnatum profectus, & dissimulato habitu pugnans occiditur, ut prædictum fuerat. Jehoschaphati vita & res gestæ summatim describuntur.

Quum autem ˡ mansissent tres annos, sine bel-
lo inter Syriam & Jisraëlem.
2 Fuit anno tertio *completo*; [1] ut descenderet
Jehoschaphat rex Jehudæ ad regem Jisraëlis.
3 Dixerat verò rex Jisraëlis servis suis: no-
vistisne [2] nostras esse Ramothas Gilĥadis? & nos
ᵃ quiescimus a recipiendis illis e manu regis
Syriæ?
4 Itaque [3] dixit Jehoschaphato, iturúsne es
mecum in istud bellum Ramothas Gilĥadis? &
dixit Jehoschaphat regi Jisraëlis, sicut ego sic tu,
sicut populus meus sic populus tuus, sicut equi
mei sic equi tui *sint*.
5 Dixit præterea Jehoschaphat regi Jisraë-
lis, consule quæso hoc ipso die verbum Jehovæ.
6 Tunc congregatis rex Jisraëlis prophetis
suis quasi quadringentis viris; dixit eis, utrum i-
turus sum contra Ramothas Gilĥadis in bellum,
an desistiturus? qui dicebant, ascende; traditurus
enim est Dominus in manum regis.
7 Dicente verò Jehoschaphato: an non *est*
hic propheta Jehovæ ampliùs, ut consulamus
ex eo?

[9] vide exsequutionem infra 22.38.
ᵍ Heb. in loco ejus quo [illegible]
[10] quasi dicat, an non conveniebat te inimicum meum, a meo conspectu abstinere?
ʰ Heb. vendidisti.
[11] interruptum ab Achabo sermonem repetit.
[12] vide 1. Schem. 25.22.
[13] Deut. 32.36.
ᵏ sup. 15.27. & 16.11.
[14] vide 2. Reg. 9.33.
ˡ sup. 16.32.
ⁱ Heb. abeundo post.
[15] resipiscentia temporaria, ut ex historia sequente infrà 22.8. constat.
[16] quâ hanc temporariam pœnitentiam beneficio temporario compensabo.

ˡ 2. Chro. 18.
[1] instituto pro rege Jehoramo filio: nam pacem inter se inierant, v. 45.
[2] tum ex prima distributione terræ, tum ex fœdere cum Benhadado, sup. 20.34.
ᵃ Heb. silemus: translatio.
[3] i. incitavit: ut communem in hoc bellum operam conferret, 2. Chro. 18.2. & sequent.

8 Dixit rex Jisraëlis Jehoschaphato, amplius vir quidam *est* ex quo consulas Jehovam, sed ego odi eum, quia non prophetat de me bonum, sed malum, Micajehu filius Jimlæ: dixit verò Jehoschaphat, [4] ne loquatur rex ita.

9 Itaque advocato rex Jisraëlis aulico uno, edixit, [b] festinanter adduc Micajehu filium Jimlæ.

10 Intereà rex Jisraëlis & Jehoschaphat rex Jehudæ sedebant quisque in solio suo, induti vestibus *regiis* in area *ad* ostium portæ Schomronis: & omnes prophetæ illius prophetabant coram eis.

11 Fecerat enim sibi Tzidkija filius Cenahanæ cornua ferrea, & [5] dicebat, sic ait Jehova, his feries Syros, adeò ut consumas eos.

12 Omnes quoque prophetæ illi prophetabant similiter, dicendo; ascende Ramothas Gilhadis & prosperare, traditurus enim est Jehova in manum regis.

13 Nuncius autem ille qui iverat vocatum Micajehu alloquebatur eum, dicendo, ecce nunc verba istorum prophetarum uno ore bonum *prophetant* regi: sit quæso verbum tuum ut verbum unius illorum, ut eloquaris bonum.

14 Cui dixit Micajehu; *ut* vivit Jehova, quod edixerit mihi Jehova id eloquar.

15 Quum ergo ingressus esset ad regem; dixit rex ei, Micajehu utrum ituri sumus in bellum contra Ramothas Gilhadis, an destituri? qui dixit ei, [6] ascende & prosperare, scilicet tradet Jehova in manum regis.

16 Dicente verò ei rege, [c] quoties tandem ego adjuraturus sum te, ut non eloquaris mihi, nisi veritatem in nomine Jehovæ?

17 Dixit, video omnes Jisraëlitas [7] dispersum iri per illos [8] montes, ut oves quibus non *est* pastor: nam dixit Jehova, non *erit* dominus istis, revertantur quisque domum suam [9] cum pace.

18 Tum dixit rex Jisraëlis Jehoschaphato; nonne dixeram tibi fore ut non prophetaret de me bonum, sed malum?

19 Qui dixit, [10] propterea audi verbum Jehovæ: vidi Jehovam insidentem solio suo, & totum exercitum cæli adstantem ei, à dextera ejus & à sinistra ejus.

20 Ubi dicente Jehova, quis pelliciet Achabum, ut ascendat & corruat apud Ramothas Gilhadis? hic dixit [d] hoc modo, & ille dixit illo modo.

21 Tandem prodiit quidam spiritus, qui consistens coram Jehova dixit, ego pelliciam eum: dicente verò Jehova ei, [e] quo pacto?

22 Dixit, egressus ero spiritus mendacii in ore omnium prophetarum ejus: tum dixit *Jehova*, pellicies, etiamq; [11] prævalebis, exi & fac ita.

23 Quare nunc ecce indidit Jehova spiritum mendacii ori omnium istorum prophetarum tuorum: intereà loquutus est Jehova contra te malum.

24 Tunc accedens Tzidkija filius Cenahanæ percussit Micajehu in maxillam, dicens, quànam transivit spiritus Jehovæ à me, ut alloqueretur te?

25 Cui dixit Micajehu, ecce tu videris illo ipso die; quum ingredieris [f] intimum conclave ad abscondendum te.

26 Dixit verò rex Jisraëlis, prehende Micajehu, & [12] reduc eum ad Amonem præfectum civitati; & ad Joaschum filium regis.

27 Quibus dices, sic edicit rex, ponite istum in [g] carcere; & alite eum pane [h] angustè, & aqua angustè, donec rediero cum pace.

28 Dixit verò Macajehu, [i] si planè reversus fueris cum pace, non loquutus fuerit Jehova per me: [13] dixitq; , audite populi quotquot sunt.

29 Itaq; ascendit rex Jisraëlis cum Jehoschaphato rege Jehudæ *contra* Ramothas Gilhadis.

30 Ubi dixit rex Jisraëlis Jehoschaphato, [k] quum dissimularet se processurus in prælium, tu verò induere vestimentis tuis: sic dissimulans se rex Jisraëlis processit in prælium.

31 Rex autem Syriæ præceperat suis curruum præfectis triginta duobus, dicendo, [14] ne pugnatote contra parvum aut contra magnum; sed contra regem Jisraëlis solum.

32 Fuit itaque quum videntes præfecti curruum Jehoschaphatum ipsi dicerent, utique rex Jisraëlis est, [15] ut accederent contra eum ad pugnandum; & [16] exclamaret Jehoschaphat.

33 Quam ob rem fuit quum viderent præfecti curruum regem Jisraëlis non esse; ut reverterentur à [l] persequendo eo.

34 Sed quidam jaculatus arcu [m] simplici animo, percussit regem Jisraëlis [17] inter commissuras & loricæ *partes*: quapropter dixit aurigæ suo, deflecte manu tua, & educ me ex castris, quia ægrotus factus sum.

35 Quoniam autem [n] invalescebat prælium eo die, rex [18] distinebatur propter currus suos contra Syros: quare mortuus est vespere, quum effluxisset sanguis è plaga ejus in [o] capsum currus.

36 Quapropter transivit [p] præco per castra occumbente sole, dicens; quisque in civitatem suam, & quisque in regionem suam *redito*.

37 Rex verò mortuus pervenit Schomronem; & sepeliverunt *Jisraëlitæ* regem Schomrone.

38 Quumq; immergeret *auriga* illius currum in piscina Schomronis, lingebant canes sanguinem ejus, quando ipsius arma lavârunt, [q] secundùm verbum Jehovæ quod loquutus fuerat.

39 Reliquæ autem res Achabi, & omnia quæ fecit, domusque eburnea quam ædificavit, omnes item civitates quas ædificavit; nonne sunt scripta in libro [19] Chronicorum regum Jisraëlis?

40 Deinde quum occubuisset Achab cum patribus suis, regnavit Achazja filius ejus pro eo.

41 Jehoschaphat porrò filius Asæ regnare cœpit super Jehudam; anno quarto Achabi regis Jisraëlis.

42 Jehoschaphat natus triginta quinque annos quum regnare inciperet, [20] viginti quinque annis regnavit Jeruschalaimi: cujus matri nomen *erat* Hazuba filia Schilchi.

43 Et ambulavit prorsus in via Asæ patris sui, non recessit ab ea, faciendo quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ.

44 Verumtamen excelsa non desistebant; adhuc populus sacrificabant & adolebant in excelsis:

45 Et [21] pacem inivit Jehoschaphat cum rege Jisraëlis.

46 [r] Reliquæ autem res Jehoschaphati, & fortitudo ejus quæ fecit, & quæ pugnavit; nonne sunt scriptæ in libro Chronicorum regum Jehudæ?

47 Is reliquos meretricios, [s] qui relicti fuerant temporibus Asæ patris sui; sustulit è sua terra.

48 In Edomæa tunc [22] non erat rex, *sed* prorex.

49 Jehoschaphato decem *fuerunt* naves O-

ceani

[4] hoc est, neque personam odens, neq; verbum Dei ratione personæ spernas.
[b] Heb. festina.
[5] de more Prophetarum adjiciens symbolis rerum explicationem verbo.
[6] ironicè pseudoprophetas fingit.
[c] Heb. usq; ad quot vices.
[7] Gilhadis ubi fere erunt Ramothæ.
[8] si in istam expeditionem proficiscentur.
[9] omissa belli cogitatione.
[10] i. quia nonne ludificaris eum filium Dei, & incredulitatem palam testatam facis, jam tibi certam Dei sententiam denuncio: sic 2.Chro.25.16
[d] Heb. hic in sic & ille in sic.
[e] Heb. in quo.
[11] i. habebis efficacitatem ad decipiendum.
[f] Heb. conclave in conclave, sup. 20. 30.
[12] in civitatem.
[g] Heb. in domo coërcitionis.
[h] Heb. oppressionis: nomen pro adverbio.

[i] Heb. revertendo reversus.
[13] Micajehu contestans quotquot aderant.
[k] Vel psis particula Beth pro gerundio: dissimulando se & veniendo in prælium.
[14] i. pugnando contendite.
[15] ab aliis divertentes in eum contenderent, 2.Chro.18.31.
[16] ad Jehovam ejus opem implorans, ibidem.
[l] Heb. à post eum.
[m] Heb. in simplicitate sua: nihil minus cogitans quàm Achabum percutere.
[17] id est, ad locum ubi est commissura anterioris cum posteriore parte.
[n] Heb. ascendebat.
[18] i. occupatus erat, ne suos fugam molientes sisteret, 2.Chro. 18.34.
[o] Heb. in sinum.
[p] Heb. clamoris vir; quam vicissim ostendit quomodo verbi ipsius Genit. [illegible]
[q] sup. 21.19.
[19] ut infra 2.Chro. de supra [illegible]
[20] [illegible]
[r] [illegible]
[s] [illegible]

ceani quæ proficiscerentur Ophirum auri causâ,
sed non ivit : quia fracta est classis Hetzjone-
Geberi.
50 Tunc dixerat Achazja filius Achabi ad
Jehoschaphatum, eant servi mei cum servis tuis
in ista classe : sed [23] non acquieverat Jehoscha-
phat.
51 Posteà quum occubuisset Jehoschaphat
cum patribus suis, & sepultus esset cum majori-
bus suis in civitate Davidis patris sui, regnavit
Jehoram filius ejus pro eo.

[23] primùm : sed tandem persuasus est, & malè cessit, 2.Chro.20

52 Achazja filius Achabi regnare cœpit super
Jisraëlem Schomrone anno decimoseptimo Je-
hoschaphati regis Jehudæ *completo* ; & regnavit
super Jisraëlem [24] biennio ;
53 Fecitq; quod malum *videtur* in oculis Je-
hovæ : nam ambulavit in via patris sui, & in via
matris suæ, ac in via Jarobhami filii Nebati, qui
ad peccandum induxit Jisraëlem ;
54 Et colens Bahalem incurvabat se ei ; sic
provocavit Jehovam Deum Jisraëlis, prorsus ut
fecerat pater ipsius.

[24] supple imperfecto, nam prior fuit cum Achabo, posterior cum Jehoramo communis.

REGUM LIBER SECUNDUS.

SECUNDUS *liber regum continet res gestas sedecim Regum* Jehudæ, & *duodecim regum* Jisraëlis. *Estq; historia 320. annorum.*

Jehudæ

Joram prorex & rex	12	ex	2.*Reg.* 8.16
Achazja			2.*Reg.* 8.26
Hathalja	6		2.*Reg.* 11.3
Joasch	39		2.*Reg.* 12.2
Amatzja	17		2.*Reg.* 14.2
Huzzija	52		2.*Reg.* 15.2
Jotham	15		2.*Reg.* 15.33
Achaz	14		2.*Reg.* 16.2
Chizkija	29		2.*Reg.* 18.2
Menasche	55		2.*Reg.* 21.1
Amon	2		2.*Reg.* 21.19
Joschija	31		2.*Reg.* 22.1
Joachaz			2.*Reg.* 23.31
Jehojakim	11		2.*Reg.* 24.1
Jehojacin			2.*Reg.* 24.10
Tzidkija	11		2.*Reg.* 25.1
Inde usque ad Jehojacinem evectum anni.	26		2.*Reg.* 25.30

Jisraëlis

Achazja	1	ex	1.*Reg.* 22.52
Jehoram	11		2.*Reg.* 8.25
Jehu	28		2.*Reg.* 10.36
Jehoachaz	15		2.*Reg.* 13.1
Joasch	16		2.*Reg.* 13.10
Jarobham	41		2.*Reg.* 14.23
Zecarja			2.*Reg.* 15.8
Schallum			2.*Reg.* 15.13
Menachem	10		2.*Reg.* 15.17
Pekachja	2		2.*Reg.* 15.23
Pekach	20		2.*Reg.* 15.27
Hoschea	17		2.*Reg.* 15.30

CAPUT I.

Moabitarum defectio : Achazjæ morbus & mors, prout ab Elija denunciata fuerat : & Jehorami fratris successio.

DEFECIT autem [1] Moab
ab Jisraële post mortem A-
chabi.
2 Quumq; cecidisset A-
chazja per quemdam cla-
thrũ in cœnaculo suo quod
erat Schomrone, [2] ægrota-
vit ; quam ob rem mittens nuncios edixit eis, ite,
consulite [3] Bahal-Zebubum Deum Hekronis, an
[a] sanitatem recepturus sim ex morbo hoc.
3 Intereà angelus Jehovæ alloquutus est E-
lijam Thischbitem, surge, ascende obviàm nun-
ciis regis Schomronis ; & eloquere eis, an propte-
reà quòd non *est* Deus in Jisraële, vos itis con-
sultum Bahal-Zebubum Deum Hekronis?
4 At propterea sic ait Jehova, ex illo lecto
quò ascendisti non es descensurus, sed [b] omnino
moriturus : [4] deinde abiit Elija.
5 Reversis itaque nunciis istis ad illum ; di-
xit eis, quid jam revertimini ?
6 Qui dixerunt ei, quidam ascendit obviàm
nobis, qui edixit nobis, abite, revertimini ad re-
gem qui misit vos ; & eloquemini ei, sic ait Jeho-
va, an propterea quòd non *est* Deus in Jisraële tu
mittis consultum Bahal-Zebubum Deum Hekro-
nis ? propterea ex illo lecto quò ascendisti non es
descensurus, sed omnino moriturus.
7 Rursus dixit eis, quis habitus *est* viri illius
qui ascendit obviàm vobis ; & eloquutus est vo-
bis verba ista ?
8 Quibus dicentibus ei, vir est [5] [c] pilosus, &
cingulo pelliceo accinctus lumbos suos ; dixit,
Elija Thischbites est.
9 Tum misit ad eum præfectum quinqua-
ginta [6] *hominibus* cum quinquaginta suis : qui a-
scendens ad eum (ecce enim considebat in verti-
ce cujusdam montis) dixit ei, ô vir Dei, rex edi-
xit, descende.
10 Respondens verò Elija alloquutus est il-
lum præfectum quinquaginta ; quòd si vir Dei
sum, descendat ignis e cælo & consumat te &
quinquaginta tuos : illicò descendens ignis e cæ-
lo consumsit eum cum quinquaginta ejus.
11 [d] Rursus itaque *rex* misit ad eum præfe-
ctum quinquaginta alterum cum quinquaginta
suis : qui clamans dicebat ei, ô vir Dei sic edixit
rex, citò descende.
12 Respondens verò Elija eloquutus est eis ;
si vir Dei sum descendat ignis e cælo & consumat
te cum quiquaginta tuis : illicò descendens ignis
Dei e cælo consumsit illũ cum suis quinquaginta.
13 Itaq; rex rursus misit præfectum quinqua-
ginta tertianis cum suis quinquaginta : ascen-
densq; venit præfectus quinquaginta iste tertius,
& procidens in genua sua coram Elija depreca-
batur eum, ac dicebat ei, ô vir Dei pretiosa habe-
atur quæso [e] vita mea & vita servorum tuorum
quinquaginta horum in oculis tuis.
14 Ecce descendens ignis e cælo consumsit
duos præfectos quinquagenis priores cum quin-
quagenis eorum : sed nunc pretiosa habeatur vi-
ta mea in oculis tuis.

[1] quem domuerat David, 2.Schem.8.2.
[2] ac proinde nihil contra Moabitas tentare potuit.
[3] id est, Sminthium, sive Myiothem Deum, ut legendum est apud Plinium lib. 29.nat.hist.cap.6.quo significatur muscarius Deus vel muscas abigens. Hunc verò muscæ figuram habuisse testis est Nazianzenus στηλιτευτικῷ β. contra Iulianum.
[a] *Heb. victurus : sic Num.21.8.*
[b] *Heb. moriendo moriturus : sic deinceps.*
[4] post exsequutionem mandati accepti, abiit in verticem montis.
[5] i. amictus villosa veste, de qua diximus sup. in 1.Reg.19.19.
[c] *Heb. dominus pili.*
[6] ut vel invitum ad se traheret, tamquam ministri injustitiæ regis : quamobrem non prius ad regem descendit, quàm tertia legatione audita sit ab angelo confirmatus, infra ver.15.
[d] *Heb. reversus est ut mitteret ; sic ver.13.*
[e] *Heb. anima : sic infra & seq.*

15 Edixerat

15 Edixerat autem angelus Jehovæ Elijæ, de-
scende cum isto, ne timeto a facie ejus: quaprop-
ter surgens descendit cum eo ad regem.
16 Dixitq; ei, sic ait Jehova, eo quòd misisti
nuncios consultum Bahal-Zebubum Deum He-
kronis; an propterea quòd non *est* Deus in Jisra-
ële ad consulendum verbum ejus? Idcircò e le-
cto illo quò ascendisti non es descensurus, sed
omnino moriturus.
17 Mortuus itaque est secundùm verbum Je-
hovæ quod loquutus fuerat Elija, ac regnavit
[7] Jehoram pro eo, [8] anno secundo Jehorami fi-
lii Jehoschaphati regis Jehudæ: quia non *erat* il-
li filius.
18 Reliquæ autem res Achazjæ quas fecit,
nónne sunt scriptæ in libro [9] Chronicorum re-
gum Jisraëlis?

7 frater ejus, filius Achabi, infrà 3.1.
8 ex quo Jehoram gubernare cœpit ut prorex, qui fuit annus decimus octavus Jehoschaphati.
9 vide 1.Reg. 11.41.

CAPUT II.

Elija cum Elischaho colloquens, Jardene per siccum trajecto in cælum assumitur; Elischaho successore relicto: qui fisso similiter Jardene reversus a prophetis colitur: aquam Jerichuntis curat: & Beth-Elis pueris sibi illudentibus efficaciter maledicit.

DEinde fuit quum sublaturus esset Jehova Eli-
jam turbine in cælum; & proficisceretur Elija
cum Elischaho Gilgale:
2 Ut diceret Elija Elischaho, conside quæso
hîc, quia Jehova mittit me Beth-Elem usque, cui
dixit Elischah, *ut* vivit Jehova & vivit anima tua,
non derelinquam te: ita descenderunt Beth-E-
lem.
3 Tunc egressi filii prophetarum qui *agebant*
Beth-Ele ad Elischahum, dixerunt ei, nostíne
hodie Jehovam assumturum dominum tuum a
[a] te? qui dixit, etiam ego novi, silete.
4 Rursus dicente ei Elija, conside quæso hîc
Elischah, nam Jehova mittit me Jerichuntem,
dixit, *ut* vivit Jehova & vivit anima tua, non de-
relinquam te: ita venerunt Jerichuntem.
5 Accedentes autem filii prophetarum qui
agebant Jerichunte ad Elischahum, dixerunt ei,
nostíne hodie Jehovam assumturum dominum
tuum a te? qui dixit, etiam ego novi, silete.
6 Amplius dicente ei Elija, conside quæso
hîc, nam Jehova mittit me ad Jardenem, dixit, *ut*
vivit Jehova & vivit anima tua, non derelinquam
te: ita abibant ambo.
7 Quinquaginta quoque viri e filiis prophe-
tarum, euntes [1] constiterunt e regione procul;
istis ambobus consistentibus ad Jardenem:
8 Quum Elija assumta toga sua & convolu-
ta percuteret aquas illas, & divisæ *cederent* huc
& illuc: ita transiverunt ipsi ambo per siccum.
9 Fuit tandem ipsis transeuntibus, ut Elija
diceret Elischaho, pete, quid faciam tibi, quum
[2] nondum assumor abs te? cui dixit Elischah,
sit ergo, quæso, [3] portio dupla de tuo spiritu pe-
nes me.
10 Cui dixit, [b] [4] rem difficilem petiisti: [5] si vi-
deris me assumi a te, futurum est tibi sic, sin verò
minus, non est futurum.
11 Fuit itaque ipsis pergentibus ambulando
colloqui, ut ecce currus igneus & equi ignei se-
parationem facerent inter utrosque: sic ascendit
Elija turbine in cælum.
12 Quod Elischah videns ipse clamavit, pa-
ter mi, pater mi, [6] currus Jisraëlis & equites e-
jus, donec non videret eum amplius: Posteà ac-
cipiens vestes suas [7] laceravit eas in duo frag-
menta:
13 Sublataque toga Elijæ quæ ceciderat ab

a Heb. de cum capite tuo: synecdoche: sic deinc.
1 ut observarent quid eo fieret.
2 dum adhuc versor in extremo actu administrationis propheticæ, in qua tu mihi ex Dei mandato successurus es, 1.Reg. 19.16.
3 i. donorum spiritualium prærogativa inter prophetas, prout ad functionem novam mihi necessaria futura est. translata loquutio, a jure corporali primogenitorum, Deut. 21.17. ad dona spiritus.
b Heb. difficultatem injecisti petendo.
4 id est, quæ non humanitùs datur, sed divinitùs & rarò contingit.
5 quasi dicat, ne exspectato a me: sed ab eo qui me assumturus est: ac proinde signum ejus attentè observato, ut de donis ad vocationem [illegible] confirmeris.
6 i. vis & robur Jisraëlis: metaphora.
7 lugens magistrum.

eo, reversus constitit ad ripam Jardenis.
14 Ubi quum accipiens togam Elijæ quæ ce-
ciderat ab eo, percussisset aquas illas dicens, [8] u-
bi *est* Jehova Deus Elijæ? etiam iste quum per-
cussisset aquas, divisæ *cesserunt* huc & illuc &
transiit Elischah.
15 Quod ex adverso [9] videntes filii prophe-
tarum qui *agebant* Jerichunte dixerunt, quievit
spiritus Elijæ super Elischahum: quare venien-
tes obviam ei, incurvaverunt se in terram usque
honorem exhibentes [10] ei,
16 Et dixerunt ei, ecce jam *sunt* cum servis tu-
is quinquaginta homines strenui, eant quæso ut
quærant dominum tuum: [c] *videndum* ne fortè
sustulerit eum spiritus Jehovæ, & conjecerit eum
in aliquem montium, aut in aliquam vallium:
qui dixit, non estis missuri.
17 Tandem instantibus apud eum dum diffe-
rebat, dixit, [11] mittite: miserunt itaque quinqua-
ginta viros, qui quærentes tribus diebus non in-
venerunt eum.
18 Itaque reversis ad eum, quum ipse consi-
deret Jerichunte, dixit eis, nonne edixeram vo-
bis, ne eatis,
19 Tum dicentibus hominibus illius civita-
tis Elischaho, ecce jam habitatio hujus civitatis
bona *esset*, quemadmodum dominus meus videt:
sed aquæ malæ sunt, quapropter [12] regio facit
abortum.
20 Dixit, sumite mihi paropsidem novam, &
ponite ibi salem; qui sumtam *attulerunt* ei.
21 Tum egressus ad scaturiginem illius aquæ,
injecit illuc salem: ac dixit, sic ait Jehova, sano
aquam hanc, ut non sit inde deinceps mors, aut
abortus.
22 Sic sanata est illa aqua usque in hodier-
num diem: secundùm verbum Elischahi quod
loquutus fuerat.
23 Posteà ascendebat inde Beth-Elem: ipso
autem ascendente via illa, pueri parvi egressi e
civitate illa [13] illudebant ei dicentes ei, ascende
calve, ascende calve.
24 Qui quum retrospiciens videret eos, ma-
ledixit eis in [14] nomine Jehovæ: quapropter e-
gressæ duæ ursæ e sylva illius, disciderunt ex eis
quadraginta duos pueros.
25 Unde abiit ad montem Carmeli; & inde
reversus est Schomronem.

8 i. qui adfuisti Elijæ in simili actione, suprà ver.8.
9 de quibus suprà ver.7.
10 ut Prophetarum patri.
c Eclipsis, qualis est Gen. 3.22.
11 per concessionem importunitate ipsorum victus.
12 hoc est, neque hominum & animantium fœtus, neque terræ fructus ad justam maturitatem pervenire sinit: nam in toto tractu Jerichuntino unus tantùm fons erat: vide Josephum de bello Judaico lib.5.
13 non tantùm in contemtum personæ; sed etiam functionis propheticæ: ut qui idololatriam, quæ Beth-Ele exercebatur, ab ipsis incunabulis imbibissent.
14 cui ipsi illudebant in propheta.

CAPUT III.

Jehoram Jisraëlita contra Moabitas proficiscens cum Jehoschaphato & rege Edomæorum, siti in itinere premitur: Sed Elischahi ministerio aqua subministratur & victoria promittitur. Severum anathematis judicium in Moabitas decernitur quod victores exsequuntur postridie: donec Moabitarum facta dissensione excitata domum revertuntur.

ITaque Jehoram filius Achabi regnare cœpit
super Jisraëlem Schomrone, anno [1] decimo-
octavo Jehoschaphati regis Jehudæ; regnavitq;
[2] duodecim annis.
2 Et fecit quod malum *videtur* in oculis Je-
hovæ, sed non sicut pater ipsius & sicut mater ip-
sius: nam abstulit [3] statuam Bahalis quam fece-
rat pater ipsius.
3 Verumtamen peccatis Jarobhami filii Ne-
bathi, quibus ad peccandum induxit Jisraëlem,
adhæsit: non recessit [a] ab ullo eorum.
4 Meschah autem rex Moabitarum erat pe-
cuarius: pendebatq; regi Jisraëlis centena mil-
lia agnorum, & centena millia arietum lana-
torum.

1 qui idem posterior fuit Achazja.
2 imperfectis.
3 nimirum Dei Tsidoniorum, cujus altare in æde Bahalis sibi posuerat, suprà 1.Reg. 16.33.
a [illegible]

a Supra 1.1.

5 a Sed fuerat quum moreretur Achab, ut deficeret rex Moabitarum a rege Jisraëlis.

6 Quapropter egressus rex Jehoram die illa Schomrone recensuit totum Jisraëlem:

7 Et abiens misit ad Jehoschaphatum regem Jehudæ qui dicerent, Rex Moabitarum defecit a me, b profecturusne es mecū contra Moabitas in prælium? qui dixit, ascendam, sicut ego sic tu, sicut populus meus sic populus tuus, sicut equi mei sic equi tui.

8 Dicenti verò, quanam via ascensuri sumus? dixit, c via deserti Edomæorum.

9 Profecto itaque rege Jisraëlis cum rege Jehudæ & rege d Edomæorum, circumiverunt itinere septiduo: deinde non erat aqua pro exercitu, & pro jumentis quæ e sequebantur vestigia eorum.

10 Quapropter dixit rex Jisraëlis, eheu, quòd vocavit Jehova tres hos reges, ut traderet eos in manum Moabitarum.

11 Dixit verò Jehoschaphat, annon est hîc propheta Jehovæ, ut consulamus Jehovam ex eo? cui respondens unus ex servis regis Jisraëlis dixit, est hîc Elischah filius Schaphati qui f infundebat aquam manibus Elijæ.

12 Dicente verò Jehoschaphato, est apud eum verbum Jehovæ: descenderunt ad eum rex Jisraëlis, & Jehoschaphat, & rex Edomæorum.

13 Sed dixit Elischah regi Jisraëlis, quid mihi c tecum est? abi ad prophetas patris tui & ad prophetas matris tuæ: cui dixit rex Jisraëlis, ne ista dicito, quandoquidem vocavit Jehova tres reges hos, ut tradat eos in manum Moabitarum.

14 Tum dixit Elischah, vivit Jehova exercituum ante quem adsto, nisi personam Jehoschaphati regis Jehudæ suscipere, non intuerer te, neque aspicerem te.

15 Sed nunc assumite mihi fidicinem: sic fuit quum pulsaret fidicen, ut adesset ei manus Jehovæ.

16 Et dixit, sic ait Jehova; e faciendo fiat in valle hac fossæ fossæ.

17 Nam sic ait Jehova, non f sensuri estis ventum, neque visuri estis pluviam, tamen vallis ista implebitur aqua; unde bibatis vos, pecoraq; vestra, & jumenta vestra.

18 Et leve hoc visum est in oculis Jehovæ; nam traditurus est Moabitas in manum vestram.

19 Quorum percusseritis omnem civitatem munitam, & omnem civitatem lectam, omnemq; arborem bonam dejeceritis, & omnes fontes aquæ obthurabitis: omnem denique possessionem bonam afficietis lapidibus.

20 Fuit autem mane, quum tempus esset offerendi munus, ecce aqua veniret a via Edomææ; & impleta est terra illa aqua.

21 Moabitæ verò omnes audierant ascendisse istos reges ad pugnandum contra se: quapropter convocati fuerant ab omni accingente se primùm singulo & deinceps, & substiterunt in termino suo.

22 Itaque surgentes mane, sole jam orto super aquam illam, quum viderent Moabitæ ex adverso illam aquam rubentem tanquam sanguinem:

23 Dixerunt, sanguis est, ferro inter se desolaverunt se reges isti, & percusserunt alter alterum: quapropter nunc ad prædam, ô Moabitæ.

24 Quumque pervenissent ad castra Jisraëlis, surgentes Jisraëlitæ percusserunt Moabitas, ita ut fugerint a facie ipsorum: & perrexerunt percutere Moabitas etiam in ipsa regione eorum.

25 Nam civitates eorum destruxerunt, & quamque possessionem bonam injectis quisque lapidibus suis impleverunt, & quemque aquæ fontem obthurarunt, ac quamque arborem bonam dejecerunt, donec Kir-Charescheth reliquos facerent [illegible] lapides ejus: quapropter diverterent funditores, qui ceciderunt eam.

26 Videns autem rex Moabitarum prævalere sibi hoc bellum, accepit secum septingentos viros stringentes gladium, ut perrumperent per regem Edomæorum, neque potuerunt.

27 Sed cepit filium suum primogenitum qui regnaturus erat pro eo, & obtulit eum in holocaustum super murum ipsum, unde exstitit fervor magnus contra Jisraëlitas: quare profecti ab eo reversi sunt in regionem suam.

b Sic 1. Regum 22.4.

c non recta, ut illos a tergo adoriamur.

d i. protege beneficiario Jehoschaphati, infrà 8,20.

e Heb. [illegible] ut Exod. 11.8.

f i. ministrabat: synecdoche.

[illegible]

c quasi dicat, non tantum de me agitur; sed etiam de his duobus, quos magni facis.

d Heb. faciam: synecdoche.

cujus opera perturbatus ipsius animus, & praesentia impii regis Jisraëlitarum sedaretur, & spirituali carmine compararetur ad cœlestia prædicenda, sicut aliorum ad ea percipienda.

[illegible] vis prophetica, sive donum prophetandi; metonymia.

e Heb. facere in hac valle fossas, fossas.

f Heb. visuri: synecdoche.

quasi dicat, omnia anathemati devovete, ut qui non tantum a regno, sed etiam a religione defecerunt. vide Deut. 13.13.

vide 1. Reg. 18.29.

a novitio tyrocinium armorum [illegible]

[illegible]

Heb. vir ad gladium [illegible]

i Heb. [illegible]

[illegible]

i. reliquæ Moabitarum eorum [illegible] recipientes impedirent, ne sicut cetera destruerentur.

i. muros; metonymia: ab eorum vim Jisraëlitarum propulsabant.

ac proinde forte ut brevi perderentur [illegible] nisi quo [illegible]

consulerent. Heb. [illegible] belli milites. 19 & irruptione facta eluderentur. 20 putà regis Edomæorum, quum irrupisset in castra illius, nec potuisset perrumpere; [illegible] filium regis Edomæorum captivum secum abduxit in oppidum; [illegible] consequutum est ut Rex Edomæorum obsidionem desereret studio liberandi filii, & contra regem Jisraëlitarum [illegible] arserit pertinaciùs in obsidione contendentem. 21 post solutam obsidionem, [illegible] 16. 22 [illegible] hujus pergraves ipsi Edomæi Regis & Jisraëlitarum [illegible] 23 i. quum ex indignatione Edomæi a castris discederent, & se relicto Jisraëlis Rege domum reciperent; ac proinde Jisraëlitæ de potiunda urbe desperarent, ab imperato anathemate perficiendo destiterunt [illegible]

CAPUT IIII.

[illegible] miracula: [illegible] apud viduam prophetæ: [illegible] & [illegible] filii Schunammitidis hospitæ suæ: & pulcis ex amarâ dulcis facta, denique [illegible] viginti [illegible] alimentum submi[illegible]

1 Mulier autem quædam ex uxoribus filiorum prophetarum clamabat ad Elischahum dicens, servus tuus vir meus mortuus est, tu verò nosti servum tuum timuisse Jehovam: creditor autem venit ad rapiendum duos natos meos sibi in servos.

2 Cui dixit Elischah, quid facturus sum tibi? indica mihi, quid est tibi domi? quæ dixit, non est ancillæ tuæ quicquam domi, nisi lecythus olei.

3 Qui dixit, abi, pete tibi vasa foris ab omnibus vicinis tuis, vasa vacua, a ne pauca petito.

4 Tum ingressa occludes fores tibi & filiis tuis, deinde infundes in omnia vasa illa, & quod plenum fuerit b amoveri jubeto.

5 Itaque abiens ab eo, quum occlusisset fores sibi & filiis suis: ipsis admoventibus ad illam, infundebat illa.

6 Fuitque quum plena essent vasa illa, & diceret ea filio suo, admove mihi adhuc vas, dixisset ei, nullum præterea est vas; ut e consisteret oleum.

7 Tunc illa veniens indicavit viro Dei, qui dixit, abi, vende istud oleum, & repende creditori tuo; tu verò cum filiis tuis, vivito e reliquo.

8 Præterea fuit quodam die, quum pertransiret Elischah Schunemum, ubi c mulier quædam magna prehenderet eum invitans ad sumendum cibum, unde fuit quoties transibat, ut diverteret eodem ad sumendum cibum.

9 Dixit enim illa viro suo, ecce jam novi virum Dei sanctum hunc esse, qui transit per nos jugiter.

10 Faciamus, quæso, cœnaculum parvum muro, ubi ponamus illi lectum & mensam, sellam quoque & lucernam; eritq; quum venerit ad nos ut divertat eò.

a i. sive a te, sive ab aliis; cura ut vasorum copia instructa sis.

b i. per filios seponito.

c i. augeri desineret.

c vide Jehosch. 19.18.

d genere & facultatibus, ut sequentia ostendunt.

11 Fuit

[6] i. Elischaħo.
7 i. ministro suo.
a Heb. trepidâsti ad nos tota trepidatione ista.
8 i. amicè cum omnibus popularibus meis vivo: adeò ut illorum [illegible] nihil habeam quod apud [illegible] conquerar.
9 vide Gen. 18. 10 & 14.
10 verba sunt deprecantis ne Propheta illudat [illegible] quasi dicat, [illegible]
11 [illegible] ad consulendum Deum & [illegible] audiendum nam in regno Jisraëlis, ubi religio corrupta erat, pii huc illuc ad consulendos prophetas discurrebant.
12 prudenter causam dissimulat mulier, ne viro dolorem afferat; & tantummodo veniam excurrendi ab eo postulat.
b Heb. pax: sic ver. 26.
13 i. continenter pergito.
14 vide 1. Schem. 25. 24.
15 quasi dicat, priore conditione mea contenta non petebam filium: sed ultrò a te promissum, mihi divinitus dari & conservari petieram: nunc autem quia recepisti te præstiturũ petitionẽ meam, sup. v. 13. & sequentibus, in eadem petitione persto.
16 Expeditè iter facito.
c Heb. ne benedicito, & si quis tibi benedixerit.
17 synecdoche: id est, ne colloquitor cum eo, quod sit tibi [illegible]: sic Luc. 10. 4.
18 quo signo Gechazi confirmabatur de virtute Dei ipsi affutura ad preces Elischaħi, cujus erat scipio.
19 [illegible] apparuit in puero [illegible] signum non [illegible] Elischaħi [illegible] fuerit opinione sua, quum baculum tradidit ministro: sed quia ad importunum mulieris juramentũ consilium mutare est coactus.

11 Fuit deinde quodam die, quo venerat illuc; quum divertens ad cœnaculum illud cubâsset ibi:

12 Ut ediceret Gechazi puero suo, voca Schunammitidem illam: quam illo vocante, adsisteret se coram illo.

13 (7 Edixerat autem illi, dic jam ei, ecce a sollicita fuisti erga nos tota sollicitudine ista; quid faciendum est tuâ causâ? estne loquendum tuâ causâ ad regem, aut ad præfectum militiæ? quæ dixerat, 8 in medio populi mei ego habito.

14 Dicenti verò Elischaħo, quid ergo faciendum est ejus causâ? dixerat Gechazi, at filius non est ei, & vir ejus est senex.)

15 Dicente ergo, advoca eam; quum vocâsset eam, stitit illa se ad portam illius.

16 Et dixit ille, 9 hac ipsa tempestate, quum hoc tempus vigebit, tu amplexatura es filium: quæ dixit, 10 ne, domine mi vir Dei, ne mentiaris ancillæ tuæ.

17 Itaque concepit mulier illa, ac peperit filium ea ipsa tempestate, quum vigeret illud tempus quo allocutus fuerat eam Elischaħ.

18 Deinde crevit infans ille: fuitq; quodam die, quum egressus esset ad patrem suum apud messores,

19 Ut diceret patri suo, caput meum, caput meum: qui edixit puero, refer illum ad matrem suam.

20 Is referens eum, adduxit ad matrem ejus: super cujus genua quum sedisset usque ad meridiem, mortuus est.

21 Tunc sursum digrediens illa, collocavit eum super lectum viri Dei, & includens eum, egressa est.

22 Deinde accersivit virum suum dicens, mitte mihi quæso unum e pueris, & unam asinarum; ut excurram usque ad virum Dei, & revertar.

23 Qui dixit, quare itura es ad eum hodie, 11 cùm non sit novilunium, neque sabbathum? quæ dixit, 12 b quieto animo esto.

24 Deinde instratâ asinâ edixit puero suo, duc & abi: equitando 13 ne inhibeto meâ causâ, nisi edixero tibi.

25 Sic abiens illa pervenit ad virum Dei in montem Carmeli: fuit autem quum videret eam vir Dei procul, ut ediceret Gechazi puero suo, ecce Schunammitis illa.

26 Nunc curre quæso obviam ei; & dic ei, estne pax tibi? estne pax viro tuo? estne pax nato? quæ dixit, quieto animo esto.

27 Quúmque pervenisset ad virum Dei in montem, 14 prehendit pedes ejus: accedenti autem Gechazi ad depellendum eam, edixit vir Dei, sine eam, nam animus ejus amaritudine affectus est in ea, quod Jehova celavit me, neque indicavit mihi.

28 Dicente verò illa, 15 an petieram filium a domino meo? an non dixeram, ne fallas me?

29 Edixit Elischaħ Gechazi, 16 accinge lumbos tuos, & sumto scipione meo in manum tuam abi; si quem inveneris, ne c 17 salutato eum, & si quis te salutaverit, ne respondeto ei: & 18 ponito scipionem meum super faciem pueri.

30 Sed dixit mater pueri, ut vivit Jehova & vivit anima tua, non derelinquam te: quare surgens sequutus est eam.

31 Gechazi autem antecesserat eos, & posito scipione super faciem pueri, 19 nulla erat vox neque ulla attentio: quapropter revertens obviam illi, indicavit illi dicens, non evigilavit puer.

32 Tum ingressus est Elischaħ domum illius: ecce autem puer mortuus, collocatus erat super lectum ipsius.

33 Quò ingressus occlusit fores post utrumque, & supplicavit Jehovæ.

34 Deinde conscendens lectum 20 incubuit puero, & imponens os suum ori ejus, & oculos suos oculis ejus, & volas suas volis ejus, extendit se super eum: ut incaluisset caro pueri.

35 Posteà rursus ibat per domum d modò huc, modò illuc, & conscendens extendebat se super illum: tandem sternutavit puer usque septies, & aperuit puer oculos suos.

36 Tunc inclamans Gechazi, edixit, advoca Schunammitidem illam, qui quum advocasset eam, venit ad illum: & dixit Elischaħ, tolle filium tuum.

37 Itaque ingressa est, & 21 procidens ad pedes ejus incurvavit se versus terram; deinde deferens filium suum exivit.

38 Elischaħ autem quum reversus esset 22 Gilgalem, quum fames esset in ea terra, & filii prophetarum 23 sederent coram eo; edixit puero suo, appone ollam istam magnam, & coque pulmentum pro filiis prophetarum.

39 Egressus verò quidam in agrum ad colligendum olera, invenit vitem agrestem, collegitque ex ea colocynthidum agrestium plenum sinum suum: & veniens [illegible] posuit in ollam pulmenti: non enim noverant.

40 Posteà infuderunt hominibus ut comederent: sed fuit comedentibus illis ex ea pulte, ut clamantes ipsi dicerent, mors est in olla ista, vir Dei, & non possent comedere.

41 Qui dixit, at sumentes afferte farinam, projecitque in ollam; posteà dixit, infunde huic populo & comedant, nec fuit quicquam mali in olla.

42 Interea quidam veniens e [illegible] Schalischæ attulit ad virum Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & spicas recentes cum gluma sua: itaque edixit, appone huic populo ut comedant.

43 Dixit verò minister ejus, quid apponerem hoc centum viris? rursus edixit, appone huic populo, ut comedant: (sic enim edixit Jehova) e abundè & reliquum faciam.

44 Quo apponente eis comederunt, & reliquum fecerunt secundùm verbum Jehovæ.

CAPUT V.

Nahaman Syrus per Elischaħum mundatus lepra ad Deum convertitur: & Gechazi propter interversam Nahamani clam Elischaho pecuniam, divinitus ipse cum posteris lepra afficitur.

NAħaman autem præfectus militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, & a acceptus, quia per eum ediderat Jehova salutem Syriæ; sed vir iste valens robore erat leprosus.

2 Quumque Syri turmales egressi, captivam abduxissent e terra Jisraëlis puellam parvam, hæc fuit administra uxori Nahamanis:

3 Dixit illa heræ suæ, utinam dominus meus esset coram propheta illo, qui habitat in Schomrone; tunc b restitueret eum a lepra ejus.

4 Itaque veniens quidam indicavit domino suo, dicendo, c hoc & tale loquuta est puella ista, quæ est e terra Jisraëlis.

5 Cui dicente rege Syriæ, age, abi, & mittam d literas ad regem Jisraëlis; abiens accepit in manu sua e decem talenta argenti, & f sex millia aureorum, ac decem mutandas vestes:

6 Et

[illegible]
20 vide 1. Reg. 17. 21.
d Heb. semel huc & semel illuc.
21 [illegible] gens.
22 [illegible]
23 [illegible] discipuli ad pedes [illegible] Act. 22. 3.
24 [illegible]
25 [illegible]
e Heb. [illegible]

6 Et attulit literas ad regem Jisraëlis, quibus
dicebat: & nunc ergo, quum pervenerint hæ literæ
ad te, ecce mitto ad te Naʜamanem servum
meum, ut restituas eum a lepra ejus.
7 Fuit verò, quum legisset rex Jisraëlis illas
literas, ut lacerans vestimenta sua, diceret, an
Deus sum ad morte afficiendum, & ad restituendum
vitæ, quòd iste mittit ad me ut restituam virum
a lepra sua? at profectò cognoscite, quæso,
ac videte, istum fabricatum sibi occasionem contra
me.
8 Sed fuit ubi audivit Elischaʜ vir Dei regem
Jisraëlis lacerasse vestimenta sua, ut mitteret
indictum regi, quare lacerasti vestimenta tua?
veniat jam ad me, & experietur prophetam esse
in Jisraële.
9 Venit itaque Naʜaman cum equis suis &
cum curru suo; ac substitit ad portam domus
causa Elischaʜi.
10 Sed misit ad eum Elischaʜ nuncium, dicentem;
abi & lavato te [e] septies in Jardene; sic
[f] restituetur caro tua tibi, & mundus eris.
11 Tum effervescens Naʜaman abibat: dicebat
enim, ecce dicebam, [g] proculdubiò exiturus
est ad me, & consistens invocaturus nomen Jehovæ
Dei sui, & agitaturus manum suam in ipso
loco, ut restituat leprosum.
12 An non melior est ‡ Abana & ‡ Pharphar
flumina Damasci omnibus aquis Jisraëlis? an non
possem lavare me illis ut mundus essem? sic conversus
abibat cum æstuante ira.
13 Accedentes verò servi ejus alloquuti sunt
eum; ac dixerunt, [h] domine mi, si rem magnam
iste propheta edixisset tibi, an non facturus fuisses?
quanto igitur magis, quum edicit tibi, lava
te & mundus esto?
14 Itaque descendens immersit se in Jardenem
septies, secundùm verbum viri Dei: & restituta
est caro ejus, ut caro pueri parvi, & mundus
factus est.
15 Tum reversus ad virum Dei, ipse cum
[i] omnibus copiis suis, venit & stitit se coram eo,
dicens: ecce jam novi nullum esse Deum in tota
terra [e] nisi in Jisraële: quare nunc accipe quæso
[k] munus a servo tuo.
16 Dixit verò *Elischaʜ*; ut vivit Jehova ante
quem sto, non sum accepturus: & quamvis instaret
apud eum ut acciperet, renuit.
17 Cui dixit Naʜaman; [l] saltem [7] detur quæso
servo tuo duorum mulorum onus *e* terra: non
enim est facturus ampliùs servus tuus holocaustum
aut sacrificium diis alienis, sed Jehovæ.
18 Hac in re condonet Jehova servo tuo:
quum ingreditur dominus meus ædes Rimmonis
ut incurvet se ibi (nam is nititur manu mea)
si incurvavero me in æde Rimmonis, Hoc incurvare
meum in æde Rimmonis condonet quæso
Jehova servo tuo, in hac re.
19 Sed dixit ei Elischaʜ, [8] abi cum pace; ita
abiit ab eo [9] exiguum spatium terræ.
20 [10] Dixit verò Gechazi minister Elischaʜi
viri Dei; ecce cohibuit se dominus meus apud
Naʜamanem Syrum istum, ne acciperet è manu
ejus id quod adduxerat: sed ut vivit Jehova curram
post eum ut accipiam ab eo aliquid.
21 Itaque persequutus est Gechazi Naʜamanem:
quem videns Naʜaman accurrentem post
se, desiliit e curru suo obviàm ei, ac dixit, [m] prosperène?
22 Qui dixit, prosperè, dominus meus mittit
me ad dicendum; ecce jam modò venerunt ad
me duo pueri a monte Ephrajimi e filiis prophetarum:
da quæso pro eis talentum argenti & duas
mutandas vestium.
23 Cui dixit Naʜaman, acquiesce, cape duo
talenta: institit apud eum ut ligaret duo talenta
argenti in duobus loculis, & duas mutandas vestes,
quæ tradidit duobus pueris suis ut ferrent
ante illum.
24 Sed quum pervenit ad [11] clivum, accipiens
e manu eorum deposuit in quadam domo; postquam
dimisisset homines illos, & abiissent.
25 Deinde ipse ingressus adstitit se domino
suo: dixit ei Elischaʜ, undenam, Gechazi? qui
dixit; non ivit servus tuus huc aut illuc.
26 Dixit verò ei *Elischaʜ*, [12] non abierat
[a] animus meus, [13] quum converteret se vir a curru
suo obviàm tibi? an tempus erat [14] accipiendi
argentum, aut accipiendi vestes, & oleas, aut
vineas, aut greges, aut armenta, aut servos, aut
ancillas?
27 Idcircò [15] lepra Naʜamanis adhærebit tibi,
& semini tuo in seculum: sic egressus est a conspectu
ejus, affectus lepra *alba* sicut nix.

CAPUT VI.

Elischaʜi tria miracula: revocatio ferri e flumine: revelatio insidiarum quas struebant Syri 8. & delusio ac capti ab eo Syrorum exercitus, qui ad capiendum eum venerant, describuntur. Deinde ex obsidione Schomronis fames, tum prædictione subita, & maxima abundantia.

Dixerunt autem filii prophetarum Elischaʜo;
ecce jam hic locus, ubi nos considemus coram
te, [a] angustior est, quàm ut nobis sit satis.
2 Abeamus quæso usque ad Jardenem, ut
accipientes inde quisque tignum unum, paremus
nobis illic locum ubi habitemus: qui dixit, abite.
3 Dicente verò uno illorum, acquiesce quæso
& i cum servis tuis, dixit, ego iturus sum.
4 Itaque ivit cum eis: & quum venissent ad
Jardenem, cædebant ligna.
5 Fuit autem illorum uno dejiciente tignum,
ut *tignum* cum ferro caderet in aquam: quapropter
exclamabat dicens, Eheu domine mi est enim
[b] commodatum.
6 Cui dixit vir Dei, quò cecidit? quumque
ostendisset ei locum, præcidens lignum injecit
illùc, ita fecit ut enataret ferrum.
7 Deinde dixit, tolle tibi: ita extendens manum
suam recepit illud.
8 PRÆTEREA quum rex Syriæ gereret
bellum contra Jisraëlitas, & consilium iniret cum
servis suis dicendo, apud locum [1] cujusdam N.
erit metatio mea:
9 Mittebat vir Dei ad regem Jisraëlis dicendo,
cave tibi ne transeas per locum illum, nam ibi
Syri [2] insidiantur.
10 Quare mittebat rex Jisraëlis ad locum de
quo dixerat ipsi vir Dei, & monuerat ipsum ut caveret
sibi illic; [e] non semel neque bis.
11 Perturbato itaque animo regis Syriæ super
re hac: inclamans servos suos dixit eis, an
non indicaturi estis mihi, quis ex nostris ad regem
Jisraëlis *renunciet*?
12 Cui dixit unus e servis ejus, [3] non *facit ullus*,
domine mi rex: nam Elischaʜ propheta ille
qui *est* in Jisraële, indicat regi Jisraëlis verba ipsa
quæ loqueris in conclavi cubilis tui.
13 Tum dixit, ite & videte ubinam est, ut
mittens capiam eum: nunciatumque est ei, dicendo,
ecce *est* [4] Dothane.
14 Misit itaque illuc equos & currus, ac copias
[d] numerosas, quæ venientes noctu, cinxerunt

[g] quinimo ipse ... tantum ... literarum pars recitatur, quæ petitionis summam continet, ut Gen. 3.8.

[e] Heb. *septem vicibus: sic* v. 14.
[f] Heb. *redibit: sic* v. 14.
[g] Heb. *exeundo exiturus est.*
‡ *quod & Amanæ, historicis Adonis vel Adonidis dicitur.*
‡ *historicis Orontes.*
[h] Heb. *pater mi.*
[i] Heb. *cum toto castris suis.*
[e] i. nisi cum qui ab Jisraëlitis colitur.
[k] Heb. *benedictionem.*
[l] Heb. *si non accepturus es: sic* 2. Sam. 13. 26.
[7] hic Naʜaman de vero Deo persuasus, duo postulat ex zelo Dei profecta, sed non secundùm scientiam: nam zelus Dei est, quo dicit; *non est facturus servus tuus* &c. à scientia verò alienum: primùm quod petit ut sibi terram deportare liceat, super quā sacrificet: nam neque terræ per se hærebat sanctitas: neque alibi quàm Jeruschalaimis sacrificare fas erat. Deinde quod petit ut Deus condonet officiosam (ut ipse existimabat) servitutem coram rege.
[8] quasi dicat, quieto animo esto: & ne sis sollicitus de istis rebus, quæ nihil ad pacem conscientiæ tuæ faciunt; sed potius illam turbaturæ essent, & Deum in te provocaturæ. Sic 1. Schem. 1. 17. & sup. 4. 23. & 26.
[9] vide Gen. 35. 16.
[10] cum animo suo, ut sup. v. 11.
[m] Heb. *an est pax? sic* v. 22.

[11] i. collem præruptum, ... de quo Jehoschuaʜ ... Elischaʜ ... habitabat ...
[12] i. aderat præsens ...
[a] Heb. *cor meum.*
[b] Sup. ...
[13] ... omnia ... intelligit ...
[14] ... lepra ... prophetam ... vini judicium ... ejus ... tionem ... enim Spiritui Sancto ... Apostolus ...
[a] Heb. *angustus est præ nobis.*
[b] Heb. *petitum commodato.*
[1] vide Ruth 4. 1.
[2] de Syris loquens, ... utitur, significante se ad insidiandum demittere.
[e] Hebraeus ... *ne duo vicibus.* i. persæpe ...
[3] i. nemo ... habet ... carit.
[4] locus est non procul a Schomrone, in tribu Menascheh, Gen. 37. 17.
[d] Heb. *gravem.*

obsidione civitatem illam.

15 e Manè autem minister viri Dei surgens, quum exiret, ecce copiæ circumdabant civitatem, & equi & currus: dixitque ei puer ejus, eheu domine mi, quo modo faciemus?

16 Cui dixit, ne metuito, nam plures *sunt* qui nobiscum quàm qui cum illis *sunt*.

17 Et orans Elischah dixit, ô Jehova 7 aperi quæso oculos ejus ut videat: & aperiente Jehova oculos pueri illius, vidit quòd ecce mons ille plenus *esset* equis & curribus igneis circa Elischahu.

18 Quumque descenderent ad eum, oravit Elischah Jehovam ac dixit, percute quæso gentem istam 8 subito scotomate: qui percussit eos subito scotomate secundùm verbum Elischahi.

19 Tum dixit eis Elischah, 7 non *est* hæc via, neque hæc est civitas illa, sequimini me, & ducam vos ad virum illum quem quæritis: sic duxit eos Schomronem.

20 Fuit autem quum ingressi essent Schomronem, dicente Elischaho, ô Jehova aperi oculos istorum, ut videant: ut aperiret Jehova oculos eorum, & viderent quòd ecce essent in medio Schomronis.

21 Dicebat verò rex Jisraëlis Elischaho quum videret eos, percutiamne? percutiam, pater mi?

22 Qui dixit, ne percutito, 8 an quos captivos abduceres gladio tuo & arcu tuo, eos percuteres? propone panem & aquam illis ut comedant & bibant, deinde abeant ad dominum suum.

23 Itaque apparavit eis apparatum magnum, quumque comedissent & bibissent, dimisit eos, & abiêrunt ad dominum suum: 9 neque perrexerunt deinceps turmæ Syrorum invadere terram Jisraëlis.

24 Sed fuit posteà, ut congregans Ben-hadad rex Syriæ totum exercitum suum, ascenderet & obsideret Schomronem.

25 Ideóque exstitit fames magna Schomrone, dum ecce obsidebant eam: adeò ut esset caput asini 10 octogenûm *siclorum* argenti, & 11 quarta pars, 12 venter ipse *qui est* in cavo columbarum 13 quinûm *siclorum* argenti.

26 Fuitque rege Jisraëlis transeunte secundùm murum, ut mulier *quædam* clamaret ad eum dicens, serva, domine mi rex.

27 Qui dixit, 14 ne servet te Jehova, unde servarem te? an ex area? aut ex torculari?

28 Dixit prætereà ei rex: quid tibi *est*? quæ dixit, mulier isthæc dixerat mihi, da filium tuum ut comedamus eum hodie, filium autem meum comedemus cras.

29 Coximus itaque filium meum, & comedimus eum: sed quum dicerem ei die alio, da filiû tuum ut comedamus eum, abscondit filiû suum.

30 Fuit verò quum audisset rex verba mulieris illius, ut laceraret vestimenta sua, dum transiret secundùm murum: quod quum vidit f populus intra *civitatem*, ecce 15 cilicium *imposuit* carni suæ.

31 16 Quapropter dixit *rex*, ita faciat mihi Deus & ita pergat, si manserit caput Elischahi filii Schaphati in eo hodie;

32 Elischah autem sedebat domi suæ, & seniores sedebant cum eo: & mittente *Rege* 17 quemdam g ex iis qui adstabant sibi, quum nuncius ad eum nondum pervenisset, ipse jam dixerat senioribus, pervidetisne ut mittit filius 18 occisoris iste qui auferat caput meum? videte quum ingredietur nuncius iste, occludite fores, & 19 comprimite eum in ipsis foribus: an non 20 strepitus pedum domini ejus sequitur eum?

e Heb. mane surgens autem minister viri Dei surgendo. 7 i. illustra, sic v. 20. 8 vide Gen. 19. 11. 7 quasi dicat, neque hæc neque illa. hæc est vobis quidem ut aliqua... misit eum quem quæritis. 8 argumentum est a majori quasi dicat, ne eos quidem occideres quos mancipia sunt tibi in bello comparatum, ergo multo minus alieno beneficio côpertos sic eris occidere. 9 i. non amplius Syri turmatim infidiatoribus Jisraëlitas aggredi ausi sunt, sed justis & numerosis castris. 10 i. vicenûm dalerorum. 11 supple columbarum. 12 i. ingluvies cû interaneis: quod sequentia per appositionem explicant: metonymia continentis pro contento. 13 i. vnius daleri cum quadrante. 14 Impatientis & indignabundi atque infidelis verba, videntis se juvandi facultate destitutum. f in Heb. ὑστέρωσις est verborum, quâ sustulimus ad evidentiam. 15 ut se cum rege luctu communicare testaretur. 16 fretus turba assentantis populi: irascitur autem cõtra Elischahû; tum quia verbo ejus Syris resistebatur, ac proinde se ab illo delusum fuisse cogitabat: tum quia putabat negligentiâ Elischahi fieri ut fames in dies ingravesceret. 17 qui exprimitur v. 35. g Heb. ex ante se. 18 Achabi, cujus jussu Naboth & viri boni occisi sunt, 1. reg. 18. & 21. 19 i. sistite eum extra septa, ne ingressus irruat in me; ut commodè possim denunciare verbum domini. 20 i. vestigiis ipsius insistit Rex, & proximè eum sequitur.

33 Adhuc ipso loquente cum illis, ecce nuncius ille descendit versus eum: & 21 dixit, ecce hoc 22 malum *fit* à Jehova, quid consideram Jehovæ amplius?

CAPUT VII.

34 23 Dixit verò Elischah, audite verbum Jehovæ: sic ait Jehova, h hoc tempore cras sata similæ siclo, & bina sata hordei *venient* siclo, in porta Schomronis?

35 Respondit autem viro Dei tribunus ille cujus manu rex nitebatur, ac dixit: ecce si Jehova faceret 24 cataractas in cælis, an posset esse res ista? cui dixit *Elischah*, ecce tu id visurus es oculis tuis, sed ex eo non es esurus.

21 quum sisteretur a senioribus ... tantum ... non ... divinitus immissum esse. 22 fames, & parvulorum cædes ex fame consequuta. 23 senioribus, nuncio, & regi adventanti ut ostêditur infrà 7. 16. hos autê duos versus cû superioribus cohærere res ipsa ostendit. h Heb. secundum hoc tempus. 24 ad profundendum frumentû.

CAPUT VII.

Deus excitato strepitu Syros in fugam vertit: ex quorum castris ingentium Jisraëlitarum, ad leprosorum indicium, traditis, eos fame levat, & curatorem annonæ eo fructu privat; implens quod per Elischahum superiore capite prædixerat.

ERant autem quatuor homines leprosi *ad* januam 1 portæ *Schomronis*: qui dicebant 2 alter alteri, quid desidemus hîc donec moriamur?

2 Si dicamus ingrediamur civitatem, at fames *est* in civitate, ideò moriemur ibi, sive desideamus hîc, itidem moriemur: nunc itaque agite, deficiamus ad castra Syrorum, si nos vivere sinent vivemus, sin verò morte affecerint nos etiam moriemur.

3 Quare surgentes ipso crepusculo ut venirent in castra Syrorum, venerunt usque ad finem castrorum Syrorum, ubi ecce nemo *erat*.

4 Nam dominus d effecerat ut audirent castra Syrorum strepitum curruum & strepitum equorum, strepitum copiarum magnarum: adeò ut dicerent b alter alteri, ecce mercede conduxit rex Jisraëlis contra nos reges Chitthæorum & reges Ægypti, ut invadant nos.

5 Itaque surgentes aufugerant ipso crepusculo, & dereliquerunt tentoria sua, & equos suos, & asinos suos, ipsa castra 3 quemadmodum erant: denique c fuga consuluerant vitæ suæ.

6 Quum ergo venientes leprosi isti usque ad finem castrorum, & ingressi in tentorium unum comedissent & bibissent, deportârunt inde argentum aurumque & vestes, quæ abeuntes absconderunt: d rursus venientes in tentorium aliud similiter deportârunt inde, & abeuntes absconderunt.

7 Tum dixerunt alter alteri, non rectè facimus, dies iste dies boni nuncii *est*, & nos tacemus? si expectaverimus usque ad lucem matutinam, utique obventura est nobis culpa: quare nunc agite, & euntes indicemus domui regis.

8 Venientes itaque inclamaverunt janitorem civitatis: & indicaverunt 4 illis dicendo, ingressi sumus castra Syrorum, ubi ecce nemo *est*, ne vox quidem hominis *auditur*: sed equi ligati, & asini ligati, & tentoria, quemadmodum erant.

9 Hoc inclamante reliquos janitores; indicârunt illi domui regis intus.

10 Surgens itaque rex noctu dicebat servis suis, indicabo iam vobis id quod faciunt nobis Syri: sciunt famelicos nos esse, ideò exiverunt ex castris, ut absconderent sese in agro dicentes, quum egressi fuerint e civitate, capiemus eos vivos, & civitatem invademus.

11 Respôdens autem unus e servis ejus dixit, ergo accipiantur quæso quinque ex equis reliquis, qui relicti sunt in ea; ecce ita sunt *equi* 5 totius multitudinis Jisraëlitarum qui reliqui sunt in

ea,

1 exclusi a consortio civium ex lege, Levit. 13. 46. vicini autem portæ erant propter prementem hostem. a Heb. vir ad proximum suum; sic v. 9. 2 i. panicum terrorem injecerat. b Heb. vir ad fratrem suum. 3 i. ut quum in illis versarentur Syri sic v. 8. c Heb. fugerant pro anima sua; sic Gen. 19. 17. d Heb. reversi & venientes. 4 janitori cum excubitoribus. 5 i. propè est ut fame pereant, sicut alii, ac proinde non est quod multum simus solliciti de eorum conservatione, tam actum est de illis quàm de iis qui antè fame perierunt.

ea, ecce, *inquam*, sunt ut *equi* totius multitudinis Jisraëlitarũ, qui defecerũt: & mittentes videamus.

12 Itaque acceperunt duos [a] equos vectarios; quos misit rex post castra Syrorum dicendo, ite & videte.

13 Ita persequuti sunt eos usq; ad Jardenem; ecce autem tota illa via plena erat vestibus, & instrumentis, quæ projecerant Syri inter festinandum: quod reversi nuncii indicârunt regi.

14 Quare egressus populus diripuerunt castra Syrorum; fuitque satum similæ *venale* siclo, & bina sata hordei siclo secundùm verbũ Jehovę.

15 Rex autem præfecerat portæ tribunum illum cujus manu nitebatur, quem proculcaverunt populus in porta ita ut moreretur: quemadmodum loquutus fuerat vir Dei, quum loqueretur descendente rege ad ipsum.

16 Fuerat enim quum [‡] alloqueretur vir Dei regem dicendo; bina sata hordei siclo, & satum similæ siclo *venale* erit hoc tempore cras in porta Schomronis:

17 Ut responderet tribunus iste viro Dei, dicens; ecce si faceret Jehova cataractas in cælis, an esse posset secundùm verbum hoc? diceretque *Elischah*, tu id visurus es oculis tuis, sed ex eo non esurus.

18 Fuit ergo illi sic: nam proculcârunt eum populus in porta ita ut moreretur.

CAPUT VIII.

Elischah Schunammitidi famem septennii prædicens, auctor est ei ut aliò cum familia migret: Mortem Benhadadi & regnum Chazaëlis prænunciat. Jehoram Jehoschaphato succedit, quo regnante Edomæi & Libnæi deficiunt, eique succedit Achazja, qui Joramum Achabi filium ex vulneribus prælio contra Syros acceptis laborantem invisit, Jizreëlem.

Elischah autem edixerat mulieri illi [‡] cujus filium vitæ restituerat, dicendo, surge & abi tu cum familia tua, & peregrinare ubicumque peregrinari poteris: nam proclamavit Jehova famem, quæ etiam advenit in hanc terram ad septennium.

2 Surgens itaque mulier illa fecerat secundùm verbum viri Dei: abierat enim ipsa cum familia sua, & peregrinata fuerat in terra Pelischthæorum septem annos.

3 Fuit verò exactis septem annis, quum reversa esset mulier e terra Pelischthæorum; ut prodiret ad implorandum regem [1] pro domo sua, & pro agro suo.

4 Intereà rex alloquebatur Gechazin puerum viri Dei, dicendo; narra, quæso, mihi omnes res magnas quas fecit Elischah.

5 Itaque fuit illo narrante regi, quo modo vitæ restituisset mortuum, ut ecce mulier illa cujus filium restituerat vitæ, imploraret regem pro domo sua & pro agro suo: quapropter dixit Gechazi, domine mi rex, hæc illa *est* mulier, & hic filius ejus, quem vitæ restituit Elischah.

6 Interrogante autem rege mulierem illam, quum enarrâsset ipsi; dedit illi rex aulicum unum dicens, cura restitui quidquid *est* illius, etiam omnes proventus agri, ex *quo* die dereliquit hanc terram [a] ad hoc usque tempus.

7 Posteà venit Elischah [2] in Damascum, quum Ben-hadad rex Syriæ ægrotaret: indicatumque est ei dicendo, venit vir Dei huc usque.

8 Itaque edixit rex ille Chazaëli, accipe in manus tuas munus, & i obviam viro Dei, ut consulas Jehovam ex eo, dicendo, an revalescam ex morbo hoc.

9 Tum abiturus Chazaël obviam ei, accepit munus in manu sua, & [b] ex quavis re præstante Damasci, onus quadraginta camelorum: & veniens substitit coram eo, ac dixit, [3] filius tuus Ben-hadad rex Syriæ misit me ad te, dicendo, an revalescam ex morbo hoc?

10 Cui dixit Elischah, abi, dic, [4] non [c] omnino revalesces: nam ostendit mihi Jehova eum [d] omnino moriturum.

11 Et quamvis contineret vultum suum ac componeret [e] dudum, tandem flevit vir Dei.

12 Cui dicente Chazaële, quare dominus meus flet? dixit, quia novi illud malum quo affecturus es filios Jisraëlis, munitiones eorum committes igni, & juvenes eorum gladio occides, & infantes illorum allides, ac prægnantes eorum diffindes.

13 Dixit verò Chazaël, *non faciam*, nam quid *est* servus tuus [5] hic canis, ut faciat rem magnam hanc? cui dixit Elischah, ostendit mihi Jehova te *fore* regem super Syriam.

14 Tum abiens ab Elischaho venit ad dominum suũ, qui dixit ei, quid dixit Elischah? [6] dixit mihi, inquit, omnino revalesces.

15 Sed fuit postridie quum acceptam stragulam intingens in aquam extenderet super faciem illius, ut moreretur *ille*; sic regnavit Chazaël pro illo.

16 [7] Anno autem quinto Jorami filii Achabi regis Jisraëlis, quum Jehoschaphat *esset* rex Jehudæ; regnare cœpit Jehoram filius Jehoschaphati, rex Jehudæ.

17 Natus triginta duos annos erat quum regnare inciperet, & [8] octo annis regnavit Jeruschalaimis:

18 Ambulavitq; in via regum Jisraëlis, quemadmodum faciebant domus Achabi, nam [9] filia Achabi erat ei uxor; & fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovę.

19 [‡] Tamen noluit Jehova perdere Jehudam, propter Davidem servum suum: quemadmodum dixerat de eo, se daturum illi lucernam in filios ejus omnibus diebus.

20 Diebus hujus defecit Edom [f] ne subjectus esset Jehudæ; & constituerunt super se [10] regem.

21 Quapropter profectus est Joram ‡ Tzahirem, & omnes currus cum eo: fuitque ipso surgente nocte, ut percuteret Edomæos circumjacentes sibi, & præfectos curruum, fugeretque populus iste ad tentoria sua.

22 Attamen perstitit in defectione Edom, ne subiectus esset Jehudæ, in hunc usque diem: tunc defecit [11] Libna eodem tempore.

23 Reliquæ autem res Jorami & quicquid fecit; nónne sunt scripta in libro [12] Chronicorum regum Jehudę?

24 Quumque occubuisset Joram cum patribus suis, & sepultus esset cum patribus suis, in civitate Davidis; regnavit ‡ Achazja filius ejus pro eo.

25 Anno duodecimo *ineunte* Jorami filii Achabi regis Jisraëlis; regnare cœpit ‡ Achazja filius Jehorami, rex Jehudę.

26 Natus [13] viginti duos annos Achazja quum regnare inciperet, [14] anno uno regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Hathalja [g] nata Homri rege Jisraëlis.

27 Et ambulavit in via domus Achabi, fecitq; quod malum *videtur* in oculis Jehovæ sicut domus Achabi; quia gener domus Achabi erat.

a Heb. vectur as ... hypallage.

‡ Sup. 7.35.

‡ Sup. 4.35.

1 recuperandis: in quorum possessionem ipsa absente alii missi fuerant,

a Heb. & usque nunc.

2 i. in regionem Damascenam, ut v. 9.

b Hebr. & omne bonum Damasci, i. quodvis.

3 qui te ut patrem veneratur.

4 q. d. etsi hic morbus per se non est ad mortem, ex eo tamen non es revaliturus, sed de vita hac decessurus. Hæc simplicissima est interpretatio: nam quòd particula negans cum antecedente verbo in prosodia conjungitur, id eufoniæ causâ factum est, ut sicut sæpe docuimus Grammaticæ nostræ lib. 4. cap. 8.

c Hebr. vivendo vives: sic deinc.

d Hebr. moriendo morietur.

e Heb. usque ad tarditatem: ut Judic. 3.25.

5 i. vilis & abjectus, 2. Schem. 3.8.

6 nempe eadem fide tenerens Prophetæ verba, qua postridiè vitâ domini sui appetivit.

7 qui erat vigesimus secundus regni Jehoschaphati, confer cum cap. 3.1. regnat enim simul cum patre quatuor annis: quam ob rem 1. Chro. 21.3. legitur ipsum Jehoschaphatum regnum tradidisse Jehoramo; quia primogenitus erat.

8 solus jam mortuo patre quatuor, & quatuor vivente patre.

9 Hathalja, v. 26.

‡ 1. Reg. 11.36. 2 Chron. 21.7.

f Heb. de manu Jehudæ: sic ver. 22.

10 nam prius imperabat prorex datus a Rege Jehudæ, 1. Reg. 22. 48. Est autem hic complementum vaticinii Jitzchaki, Gen. 27.40.

‡ Ptolemæo Tzairim.

11 sacerdotum urbs in Jehuda, Jehosch 21.13. ita defectione impeditus, victoriam persequi non potuit.

12 vide 1. Reg. 11.41.

‡ qui & Hazarja 2. Chron. 22.6. ‡ qui & Jehoachaz, 2. Chro. 21.17. 13 quum ageretur annus 42. ex quo domus Homri regnare cœpit, 2. Chro. 22.2. 14 imperfecto: quia eodem Hathalja regnare cœpit, cujus primus dicitur. g Heb. filia.

28 Quapropter ivit cum Joramo filio Acha-
bi in bellũ contra Chazaëlem regẽ Syriæ ad Ra-
mothas Gilhadis; ubi percusserunt Syri Joramũ.
29 Et reversus est Joram rex, ut curaret se Jiz-
rehele a plagis quibus percusserant eum Syri
15 Ramæ inter præliandum cum Chazaële rege
Syriæ: Achazja verò filius Jehorami rex Jehudæ
descendit ad invisendum Joramum filium Acha-
bi Jizrehelem, eo quòd ægrotus esset.

15 id est, Ramothis Gilhadis.

CAPUT IX.

Jehu decreto Dei in regem Jisraëlitarum unctus, de ipsius voluntate instructus, & in castris confirmatus, in Joramum conspirat: & ad exsequendum Dei decretum properans, Joramum, Achazjam & Izebelam occidit: e quibus solus Achazja sepeliendus relinquitur.

Elischah autem propheta, vocato uno e filiis
prophetarum, edixit ei, [1] accinge lumbos tuos
& accipiens lenticulam olei hanc in manu tua,
abi Ramothas Gilhadis.
2 Et ubi perveneris illuc; dispiciens *quære* il-
lic Jehu filium Jehoschaphati filii Nimschi, & in-
gressus facies ut surgat e medio [2] fratrũ suorum,
& introduces eum in [a] intimum conclave.
3 Tunc accepta lenticula olei infundes ca-
piti ejus, ac dices, ita ait Jehova, ungo te in regem
super Jisraëlem: deinde aperiens fores fugies, ne-
que differto.
4 Itaque abiit puer ille, [3] puer propheta ille
Ramothas Gilhadis.
5 Qui ingressus, quum ecce principes copia-
rum considebant, dixit, verbum mihi *est* ad te, ô
princeps: cui dicente Jehu, ad quem ex omnibus
nobis? dixit, ad te, ô princeps.
6 Quum ergo surgens ingressus esset intrò,
infudit oleum capiti ejus: ac dixit ei, ita ait Jeho-
va Deus Jisraëlis, ungo te in regem super popu-
lum Jehovæ, super Jisraëlem:
7 Ut percutias domum Achabi domini tui:
sic ulciscar [b] cædem servorum meorum prophe-
tarum, & cædem omnium servorum Jehovæ a
manu Izebelæ;
8 Pereunte tota familia Achabi; quum ex-
scindam Achabo [4] mingentẽ ad parietem, con-
clusumq; & derelictum in Jisraële.
9 Et reddam domum Achabi, sicut domum
Jarobhami filii Nebati; & sicut domum [ll] Bahaschę
filii Achijæ.
10 Etiam Izebelam comedent canes, [5] in
portione Jizrehelitana, nec *erit* qui sepeliat: dein-
de aperiens fores aufugit.
11 Jehu verò regresso ad servos domini sui,
dicebat *quisque*, [c] prosperéne? quare venit de-
mens iste ad te? quibus dixit, [6] vos novistis ho-
minem & sermonem ejus.
12 Tandem dicentibus, falsũ *est*, indica quæso
nobis; dixit, [d] his & talibus alloquutus est me
dicendo, ita ait Jehova, ungo te in regem super
Jisraëlem.
13 Tunc [e] festinanter accipientes quisque ve-
stem suam, supposuerũt ei in [7] fastigio graduum;
& clangentes buccina dicebant, regnat Jehu.
14 Deinde conjuravit Jehu filius Jehoscha-
phati filii Nimschi contra Joramum (Joram au-
tem [f] custodiã posuerat Ramothis Gilhadis ipse
cũ toto Jisraële, adversus Chazaëlem regẽ Syriç.
15 [ll] Et reversus erat Jehoram rex, ut curaretur
Jizrehele a plagis quibus percusserant eum Syri,
quum pugnaret contra Chazaëlem regem Syriç)
& dixit Jehu; si [8] est vobis in animo, ne exito *quis-*
quã proripiens se ex hac civitate, ut abeat renun-
ciatum Jizrehelem.

1 ut sup. 4. 29.
2 id est collegarum: vide ѵ. 5.
a *Heb. conclave in conclavi: sic 1. Reg. 20. 30.*
3 i. propheta administer, Exodi. 33. 11.
b *Heb. sanguines: sic deinceps.*
4 vide 1. Schem. 25. 22. & Deut. 32. 36.
ll 1. *Reg.* 15. 27. & 16. 11.
5 i. portione vel agello regis quem iniquè Nabotho ademerat: vide 1. Reg. 21.
c *Heb. cum pace: sic deinceps.*
6 q. d. scitis quid prophetæ loqui soleant: ex ejus persona conjicite quæ sint ipsius verba.
d *Heb. secundum hoc & secundum illud.*
e *Heb. festinãrunt & acceperunt.*
7 id est, in suggesto regio.
f *Heb. observatores vel custos fuerat.*
ll *sup.* 8. 29.
8 *Hebr. si est cum animo vestro: sic Genes.* 23. 8.

16 Tum equitans Jehu ivit Jizrehelem, quia
Joram decumbebat ibi: Achazja verò rex Jehu-
dæ descenderat ad invisendum Joramum.
17 Speculator autem stans in turri Jizrehele,
quum videret agmen Jehu inter veniendũ dixit;
alicujus agmen video: tum dixit Jehoram, ac-
cipe equitem, & mitte illis obviàm, qui dicat,
prosperéne?
18 Abiens itaq; eques obviam ei dixit, ita ait
rex, prosperéne? cui dixit Jehu, [h] quid tuâ de pro-
speritate? diverte [i] ad asseclas meos: quam ob
rem indicavit speculator dicendo, pervenit nun-
cius ille ad eos usque, sed non revertitur.
19 Et misit equitem alterũ; qui veniens ad eos
dixit, ita ait rex, prosper*éne*? cui dixit Jehu, quid
tuâ de prosperitate? diverte ad asseclas meos.
20 Quod indicavit speculator, dicendo, per-
venit usque ad eos, sed non revertitur: & ductus
iste, *est* quasi ductus Jehu filii Nimschi, nam [k] prę-
cipitanter ducere solebat.
21 Tum dicente Jehoramo, junge, junxit *au-*
riga currum ejus: sic egressus Jehoram rex Jisra-
ëlis & Achazja rex Jehudæ quisque in curru suo,
processerunt obviàm Jehu, quem invenerunt in
portione Nabothi Jizrehelitæ.
22 Fuit autem quum videret Jehoram Jehu,
ac diceret, prosperéne Jehu? ut is diceret, quid
istud prosperè, dum scortationes Izebelæ matris
tuæ, & pręstigiæ ejus quàmplurimæ *durant*?
23 Itaque avertens Jehoram manus [8] illius,
fugiebat; dicens Achazjæ, dolus *est* Achazja:
24 Sed Jehu [l] vehementissimè adducto ma-
nu sua arcu percussit Jehoramum [m] interscapilio
ejus, ita ut exiret sagitta ex corde ejus: sic corruit
in curru suo.
25 Deinde edixit Bidkari tribuno suo, tolle,
projice eum in portionem agri Nabothi Jizrehe-
litæ: nam recordare, me & te pariter equitantibus
binis post Achabum patrem istius, Jehovam pro-
tulisse adversus eum [9] onus hoc;
26 *Nempe*, [ll] *ne vivam* nisi cædem Nabothi, &
cædem filiorum ejus, viderim hesterna vespera,
dictum Jehovæ, & rependero tibi in hac ipsa por-
tione, dictum Jehovæ: quare nunc tolle, projice
eum in hanc portionem, secundùm verbum
Jehovæ.
27 Quod Achazja rex Jehudæ videns, aufu-
git viâ domus hortensis: sed persecutus eum Je-
hu, edixit, etiam ipsum percutite in suo curru,
[10] *sic percusserunt eum* in ascensu Guris qui *est* ad
[11] Jiblehamum, unde fugit [12] Megiddunem, ubi
mortuus est.
28 Posteà currui imponentes eum servi ejus,
abduxerunt Jeruschalaima: sepeliveruntque eum
in sepulcro ejus cum patribus ejus in civitate
Davidis.
29 Anno autem undecimo [13] *completo* Jora-
mo filio Achabi; regnare cœperat Achazja su-
per Jehudam.
30 Prætereà adveniente Jehu Jizrehelem,
audiens Izebel [n] apposito fuco oculus suis, & ap-
tato capite suo, prospiciebat per fenestram.
31 Quumq; Jehu ingrederetur portam; dixit
illa, prosperéne [14] ô Zimri occisor domini sui?
32 Ille verò sublata facie sua ad fenestram
illam: dixit, [15] quis *facit* mecum? quis? & respi-
cientibus ad eum duobus vel tribus [16] aulicis;
33 Dixit, deturbate eam, qui deturbârunt
eam: & aspersa est pars sanguinis ejus parieti &
equis, & conculcavit eam *Jehu*.
34 Deinde ingressus comedit & bibit: edixit-
que, revisite jam maledictã istam, & sepelite eam,
nam

h *Heb. quid tibi & paci? sic deinceps.*
i *Heb. ad post me: sic ѵ. 19.*
k *Heb. in dementia.*
8 aurigæ, jubens ut deflecteret.
l *Heb. implevit manum suam arcu: hypallage, pro complevit, id est, plenè tetendit manu sua arcum.*
m *Heb. inter brachia ejus.*
9 id est, comminationem hanc propheticam: ferè in prophetis accipitur.
ll 1. *Reg.* 21. 19. &c.
10 Ecclipsis: de hoc autem genere ecclipseos vide 1. Reg. 20. 34.
11 oppidum Menaschis, Jehosch. 17. 11.
12 ibidem.
13 nam incunte duodecimo regnasse scribitur, sup. 8. 25.
n *Heb. posuit ad fucum oculos suos: hypallage, ut sup.* 24. ѵ.
14 ô alter Zimri, 1. Reg. 16. 15: cujus conspirationis ultio fuit [illegible]
Izebelæ.
15 quasi dicat, nemo [illegible] meis partibus [illegible] tutus est?
16 ex cubicularis Izebelæ.

nam filia regis est.
35 Abiêrunt ergo ad sepeliendum eam: sed
non invenerunt ex ea, nisi calvariam, & pedes, ac
volas manuum.
36 Quod quum reversi indicavissent ei, dixit,
verbum [i] Jehovæ est, quod loquutus fuerat per
servum suum Elijam Thischbitem dicendo: in
portione Jizrehelitica comedent canes ipsi car-
nem Izebelæ.
37 [17] Itaque sit cadaver Izebelæ tamquam
stercus in superficie agri, in portione Jizrehelis;
ut non dicant, hæc est Izebel.

i 1. Reg. 21. 23.
17 quasi dicat rescindo priorem sententiam meam de ea sepelienda. nisi quis fortè hunc quoque versum numeret in verbis prophetiæ, & ita legat, *Eritq; cadaver Izebelæ tamquam stercus, &c.*

CAPUT X.

Jehu pergens divinam sententiam in Achabum exse-qui, omnes ejus filios jugulari curat; factum suum populo ex Elijæ prophetia probat: Achazjæ agnationem tollit, Bahalis cultum & sacerdotes abolet: Sed peccatis Jarobhami insistit: quo nomine a Deo primùm verbis, deinde operâ Chazaëlis severè castigatur, & mortuo succedit filius Jehoachaz.

ERant autem Achabo septuaginta filii Schom-
rone: quamobrem scripsit Jehu literas quas
misit Schomronem ad [1] principes Jizrehelis,
[2] seniores & [3] nutricios Achabi, edicendo.
2 [4] Nunc ergo, quum pervenerint literæ istę
ad vos, quandoquidem apud vos *sunt* filii domi-
ni vestri; & penes vos currus & equi, civitas quo-
que munita & arma:
3 Dispicietis optimum & rectissimum e filiis
domini vestri quem collocetis in solio patris sui:
& pugnabitis pro [5] domo domini vestri.
4 Qui timentes [a] vehementissimè dicebant,
ecce duo isti reges non substiterunt coram eo;
& quo modo subsisteremus nos?
5 Quapropter misit [b] præfectus domui &
præfectus civitatis, seniores etiam & nutricii ad
Jehu dicendo, servi tui sumus, ideóque quicquid
edixeris nobis faciemus: non præficiemus ullum
regem, quod bonum *videtur* in oculis tuis facito.
6 Tum scripsit ad eos literas secundò, di-
cens, si mei estis & voci meæ auscultatis, assumtis
capitibus [c] singulorum filiorum domini vestri,
venite ad me hoc ipso tempore cras Jizrehelem:
filii autem regis, septuaginta viri *erant* apud mag-
nates illius civitatis, qui educabant eos.
7 Fuit itaque, quum pervenissent istæ literæ
ad ipsos, ut accipientes filios regis jugularent sep-
tuaginta viros: & imponentes capita eorum spor-
tis, mitterent ad eum Jizrehelem.
8 Tum veniens nuncius indicavit ei dicen-
do, attulerunt capita filiorum regis: qui dixit,
componite illa duobus acervis ad [6] januam por-
tæ usque mane.
9 Fuit deinde mane quum egressus substi-
tisset, ut diceret toti populo, [7] justi estis: ecce
ego conspiravi contra dominum meum & occi-
di eum, [8] & quis percussisset omnes istos?
10 [9] Agnoscite jam non oportere ut excidat
quicquam in terram de verbo Jehovæ, quod lo-
quutus est Jehova contra domum Achabi: sed
Jehovam efficere quod loquutus erat per servum
suum Elijam.
11 Deinde percussit Jehu omnes qui reliqui
erant de domo Achabi Jizrehele, & omnes mag-
nates ejus, & necessarios ejus, & sacerdotes ejus:
donec non relinqueret ei superstitem.

1 I. præ puos aulicos missos a Jorámo cum filiis Samariam: quam expeditionem susciperet in Syriam.
2 ac ideò minus aptos ad expeditionem bellicam: aptissimos autem ad Rempub. consilio, juventutem auctoritate regendam.
3 id est, quibus filii Achabi commissi erant, quique magnates Samariæ erant.
4 paralepsis, qualis suprà 5. 6.
5 cui bellum indixi. concessio autem est ironica.
a Hebr. valdè valdè.
b Heb. qui erat super domum &c.
c Heb. hominum.
6 id est, ad curiam, & forum judiciale.
7 quasi dicat: ego vos innocentes pronuncio, non est quod putetis me quicquam moliri in salutem vestram.
8 q. d. quis tantum facinus ausus fuisset committere nisi me duce, ac potiùs auctore Deo? justum autē est Deo obsequi, & justitiam ejus vos exsequi perficiendo judicia ejus quæ per Elijam fuerunt pronunciata, sequente versu. Unum ergo id restat ut vos quoque hic exsequamini; prout factum est versu 11.
9 quasi dicat non meo instinctu sed Dei impulsu factum, ut exsequerentur quod comminatus fuerat, 1. Reg. 21. 21. & sequentibus. vos autem videte ut ejusdem justitiæ Dei sitis administri mecum.

12 Nam surgens abivit, profecturus Schom-
ronem: quumque esset [10] Beth-Hekedi pastorum
in itinere:
13 Jehu inventis [d] agnatis Achazjæ regis Je-
hudę dixit, qui estis? qui dixerunt, agnati Achazję
sumus, & descendimus ad [e] salutandum filios re-
gis & filios Augustæ:
14 Quam ob rem edixit *Jehu*, prehendite illos
vivos, qui prehenderunt eos vivos: & jugulârunt
eos apud cisternam Beth-Hekedi, quadraginta
duos viros; ita ut non reliquum faceret quem-
quam ex eis.
15 Posteà abiens inde quum invenisset Jeho-
nadabum filium [11] Recabi, occurrentem sibi &
[f] benè precantem sibi, dixit illi, [12] an inest [g] ani-
mo tuo rectum *erga me*, quemadmodum animo
meo, erga animum tuum? cui dicente Jehona-
dabo, est: si est, [13] *inquit*, cedo manum tuam: & ubi
dedisset manum suam, jussit eum conscendere
ad se in currum:
16 Dicens, veni mecum, & vide zelum me-
um pro Jehova: sic imposuerunt eum currui illius.
17 Quumque venisset Schomronem, per-
cussit omnes qui relicti fuerant Achabo Schom-
rone, donec [14] perderet eum; secundùm verbum
Jehovæ quo alloquutus fuerat Elijam.
18 Posteà Jehu congregato toto populo dixit
eis, Achab coluit Bahalem parùm; Jehu colet
eum multùm.
19 Quare nunc omnes prophetas Bahalis,
omnes servos ejus, & omnes sacerdotes ejus vo-
cate ad me, ullus ne desiderator, nam sacrificium
magnum mihi *sacrificandum est* Bahali, quisquis
desiderabitur ne vivito: Jehu autem faciebat
fraude, ut perderet servos Bahalis.
20 Et dixit Jehu, sanctificate [15] diem interdi-
cti Bahali, quem proclamaverunt.
21 Misit enim Jehu per totum Jisraëlem, ut
venirent omnes servi Bahalis, neque relinquere-
tur quisquam qui non veniret: quibus ingressis in
ædem Bahalis, plena erat ædes Bahalis [h] con-
fertim.
22 Tum edixit ei qui præerat vestiario, pro-
me vestimentum in quosque servos Bahalis; qui
promsit eis vestimentum.
23 Et ingressus Jehu cum Jehonadabo filio
Recabi in ædem Bahalis; edixit servis Bahalis,
pervestigate & videte ne sit hîc vobiscum e servis
Jehovæ *quisquam*, sed servi Bahalis soli.
24 Quum itaque venissent ad faciendū sacri-
ficia & holocausta: Jehu dispositis sibi foris octo-
ginta viris dixit, ejus viri anima *a* quo proripue-
rit se *quis* ex hominibus istis quos ego [i] commit-
to manibus vestris, pro anima illius futura est.
25 Deinde fuit quum absolveret *sacerdos* face-
re holocaustum, ut ediceret Jehu cursoribus &
tribunis, ingredimini, percutite eos, ne exito quis-
quam, qui percusserunt eos acie gladii: tum ab-
jecerunt cursores & tribuni eos, deinde perrexe-
rùnt in ædem Bahalis *per* civitatem quamque.
26 Et educentes statuas ædis Bahalis combu-
rebant eam:
27 Destruebantque statuam Bahalis: & de-
structa æde Bahalis disponebant eam [16] in latri-
nas usque in hodiernum diem.
28 Sic perdidit Jehu Bahalem ex Jisraële.
29 Verumtamen a [k] sequendis peccatis Ja-
robhami filii Nebati, quibus ad peccandum in-
duxit Jisraëlem, non recessit Jehu: *a* vitulis au-
reis, qui Beth-Ele & qui Dane *erant*.
30 Quam ob rem dixit Jehova Jehu, eo quòd
benè fecisti quod rectum *videtur* in oculis meis,

10 pagi nomen, significans locum ligaminis: vel quòd ibi tondendas oves ligarent; vel quòd hi e regio sanguine, qui pastores populi dicuntur, ibi ligati & jugulati sunt.
d *Heb. fratribus, i. filiis fratrum,* 2. Chro. 22. 8. *sic Gen.* 13. 8.
e *Heb. ad pacem filiorum regis.*
11 viri celebris Kinæi e genere Jithronis: vide 1. Chro. 2. 55. & Jirmejæ 35.
f *Heb. benè dicentem.*
12 quasi dicat, an æquè mihi ex animo benè cupis, ut ego tibi benè volo?
g *Heb. cordi tuo; sic deinceps.*
13 eclipsis: ut 1. Reg. 20. 34.
14 id est, totum genus Achabi: syllepsis.
15 vide Levit. 23. 36.
h *Heb. ore ad os, i. adeò densi, ut ora hominum sibi sese contingerent: ut infrà 21. 16.*
i *Heb. venire facio ad manus vestras.*
16 nempe ad perpetuum horroris monimentum, ut Hezra 6. 11.
k *Heb. a post ipsa peccata.*

omnino quod *erat* in animo meo fecisti domui
Achabi: [17] [d] abnepotes tui sedebunt in solio Jis-
raëlis.
31 Sed Jehu non observavit ut ambularet in
lege Jehovæ Dei Jisraëlis ex toto animo suo: non
recessit a peccatis Jarobhami quibus ad peccan-
dum induxit Jisraëlem.
32 Temporibus illis cœpit Jehova truncare
Jisraëlem, [18] percutiente eos Chazaële in toto
termino Jisraëlis:
33 A Jardene ad ortum solis, totam terram
Gilhadis, Gaditarum, & Reübenitarum & Me-
naschitarum; a Haroëre quæ est ad torrentem
Arnonis, tum Gilhadem, tum Baschanem.
34 Reliquæ autem res Jehu, & quicquid fecit,
& tota fortitudo ejus: an non sunt scripta in li-
bro [19] Chronicorum regum Jisraëlis?
35 Denique quum occubuisset Jehu cum pa-
tribus suis, & sepelivissent eum *Jisraëlitæ* Schom-
rone, regnavit Jehoachaz filius ejus pro eo.
36 Dies autem quibus regnavit Jehu super
Jisraëlem Schomrone, fuerunt vigintiocto anni.

[17] vide complementum infra 15. 8. & sequentib.
[c] Heb. filii quartanorum, ordinum, i. quartani.
[18] et prophetia Elischahi, sup. 8. 12.
[19] vide 1. Reg. 11. 41.

CAPUT XI.

Hathalja, filio mortuo, regnum invadit: & e cæde stirpis regiæ in quam illa grassatur, Joasch anniculus eripitur: occultatur & instituitur usque ad annum septimum: quo conspiratione facta populo ipsum producit Jehojadah, regem instituit: Hathaljam occidit, & cultum Dei instaurat.

HAthalja autem [z] mater Achazjæ, [b] quum vide-
ret mortuum esse filium suum; surgens perdi-
dit totum semen [a] regium.
2 Sed accipiens [b] Jehoschebah filia regis
Jorami soror Achazjæ Joaschum filiũ Achazjæ,
& furtim surripiens e medio filiorum regis qui
afficiebantur morte, ipsum & nutricem ejus *abdi-*
dit in conclave lectorum: deinde absconderunt
eum metu Hathaljæ, ita ut non afficeretur morte.
3 Ita fuit cum illa *in* domo Jehovæ latitans
sex annos: quibus Hathalja regnavit super eam
terram.
4 [1] Anno autem septimo mittens [c] Jehoja-
dah assumsit centuriones, primores, & cursores,
ac ingredi jussit eos ad se *in* domum Jehovæ: qui-
buscum [2] pepigit fœdus, ac jurejurando obstrin-
gens eos in domo Jehovæ ostendit eis filiũ regis.
5 Præcepitq; eis dicendo, hæc *est* res quam
facturi estis: tertia pars vestrum [3] ingredientium
sabbatho & observantium observationem, *adesto*
[4] domui regis:
6 Et tertia altera in [5] porta Suris, reliqua
vero tertia in [6] porta post cursores: ut observetis
observationem domus hujus [7] *ab* irruptione.
7 Ex vobis vero omnibus [8] exituris sabba-
tho binæ [d] laterales custodiæ, quum observave-
rint observationẽ domus Jehovæ, [9] adsunto regi.
8 Ita cingetis regem circumquaque quisque
cum armis suis in manu sua, ut qui invaserit hos
ordines morte afficiatur: & estote cum rege
quando exibit & quando ingredietur.
9 Itaque fecerunt centuriones omnino pro-
ut præceperat Jehojadah sacerdos; assumserunt
etiam quisque homines suos ingredientes sabba-
tho [10] cum egredientibus sabbatho: veneruntq;
ad Jehojadahum sacerdotem.
10 Deditq; sacerdos centurionibus [f] hastas &
umbones qui *fuerant* regis Davidis, qui *erant* in
domo Jehovæ.
11 Quumq; adstarent cursores quisque cum
armis suis in manu sua, a latere domus [11] dextero
usque ad [12] latus domus sinistrum [13] versus al-
tare, & [14] versus domum, apud regem circum-
quaque:
12 Produxit *Jehojadah* filium regis, & impo-
sito ei coronamento, idque [15] cum testimonio,
constituerũt eum regem ungentes eum & com-
plodentes volis dicebant, vivat rex.
13 Quum autem audiret Hathalja strepitum
concursantium, populiq; ingressa est ad populum
in domum Jehovæ.
14 Ubi videns quod ecce rex stabat [16] in co-
lumna sua pro more, & principes & tubæ aderant
regi, totusque populus terræ lætus clangebat tu-
bis: laceravit Hathalja vestimenta sua, clamans,
conjuratio, conjuratio.
15 Præcepit autem Jehojadah sacerdos cen-
turionibus illis præfectis copiarum, & edixit eis,
sinite istã exire [17] intra ordines, etiam eum qui se-
quetur istã morte afficientes gladio: dicebat enim
sacerdos, ne morte afficiatur *in* domo Jehovæ.
16 Quum itaque disponerent ei [e] custodias
laterales, abiit viâ [18] aditus equorum *versus* do-
mum regis; ubi morte affecta est.
17 Tunc pepigit Jehojadah [19] fœdus inter
Jehovam & regem ac populum, ipsos fore popu-
lum Jehovæ; & inter regem & populum.
18 Posteà ingressus est totus populus regio-
nis ædem Bahalis, & demoliti sunt eam, altaria
ejus & imagines ejus fregerunt bene: Mattha-
nem vero sacerdotem Bahalis occiderunt ante
ipsa altaria: & [20] reposuit sacerdos præfecturas
in domo Jehovæ.
19 Quumque assumpsisset centuriones, & pri-
mores, cursoresque & totum populum terræ, de-
duxerunt regem e domo Jehovæ, ingressiq; sunt
viâ portæ cursorum in domum regis, ubi sedit
Joasch super solium regum.
20 Et lætatus est totus populus terræ, ac civi-
tas conquievit; postquam Hathaljam morti tra-
didissent gladio, *in* domo regis.

[z] sup. 8. 26.
[b] 2. Chro. 22. 10.
[a] Heb. regni illius.
[b] quæ & Jehoschabhath, 2. Chro. 22. 11.
[c] Quæ & Jochanan, 1. Chro. 6. 9.
[1] 2. Chron. 23.
[2] de tollenda Hathaljæ instituendo Joascho: tollenda idololatria, & restituendo cultu Dei, quo tempore Jisraëlitæ mares conveniebant ex lege ad colendum Deum, Exod. 23.
[3] id est, vice sua ministerium in templum obeuntium a sabbatho ad sabbathum, vide 2. Schem. 15. 24.
[4] id est, in aquilonari parte atrii, ubi rex a sexennio latuerat.
[5] quæ & Jesod, id est, fundamenti dicitur, 2. Chron. 23. 5. erat autem maxima atrii porta ab oriente, quam ob rem etiam porta suprema a structura dicitur, infrà 15. 35.
[6] quæ 2. Chron. 23. 4. porta Sippim, id est, postiũ dicitur meridiana porta atrii sacerdotum.
[7] id est, ne quis irrumpens periculum creet regi, aut vicium loco sancto inferat. [8] id est, qui jam functi ministerio hebdomadario, ad proprias habitationes essent concessuri. [d] Hebr. manus sive latera, id est, laterales, [illegible] sic v. 14. [9] id est, regem utrinque stipantes in atrium [illegible] deducendo, populo exhibendum. [10] nam hos non dimisit, sup. v. 7. [f] 2. Schem. 8. 7. & 22.

[11] versus portam meridianam, ubi stabant cursores, sup. v. 6.
[12] [illegible]
[13] id est, [illegible] in fronte [illegible]
[14] i. ad occidentem templi.
[15] id est, [illegible] e libro legis [illegible] mandato Dei, Deut. 17. 18. & sequentibus.
[16] id est, in columna regia, imposita labro, sive basi quam Schelomo paravit, legitur, 2. Chron. 6. 13. Idem de Joschija legitur infrà 23. 3.
[17] id est, copias armatorum [illegible] atrium dispositas.
[e] sede supra v. 7.
[18] id est, portæ [illegible] civitatis Davidis ita vocatæ [illegible] ad portam [illegible] infrà 14. 13.
[19] duplex [illegible] ecclesiasticum regis & populi cum Deo [illegible] civile populi cum rege.
[20] id est, [illegible] cultum & [illegible] rupissent.

CAPUT XII.

Joasch vivo Jehojadaho recte se gerens templum Dei instaurari jubet: postea illo mortuo degenerans, a Chazaële Syriæ rege infestatur: & a servis conjuratis occiditur: cui filius Amatzja succedit.

NAtus annos septem Joasch quum regnare in-
ciperet:

CAPUT XII.

2 Anno septimo Jehu regnare cœpit Jeho-
asch, & quadraginta annis regnavit Jeruschalai-
mis; cujus matri nomẽ Tzibja e Beer-Schebaho.
3 Fecitque Jehoasch quod rectum *videtur* in
oculis Jehovæ omnibus diebus suis; [1] quibus do-
cebat eum sacerdos Jehojadah.
4 [2] Verumtamen excelsa non amota sunt:
adhuc populus sacrificabant & adolebant in ex-
celsis.
5 Edixit autem Jehoasch sacerdotibus, om-
nem pecuniam sacrorum quæ infertur in do-
mum Jehovæ, [3] pecuniam transeuntis, [a] pecu-
niam æstimationis animarum cujusque: omnem
pecuniam [4] quam [b] venerit in animum cujusque
offerendi *in* domo Jehovæ:
6 Sumunto apud se sacerdotes quisque a no-
to sibi; & ipsi [c] curanto labem ipsius domus, ubi-
cunque inventa fuerit labes.

[1] [illegible] Jojadahi [illegible] Joaschi [illegible] cultu Dei [illegible] 2. Chron. 24. 18.
[2] [illegible]
[c] i. voluntariam, non autem ex censu aut peccato imperatam lege, [illegible] Exod. 7. [b] Hebr. ascendit in cor viri. [c] Hebr. confirmanto rupturam, sic deinceps.

7 Deinde fuit anno vigesimo tertio regis Jehoaschi, nondum curantibus sacerdotibus labem domus,

8 Ut rex Jehoasch vocato Jehojadaho sacerdote, & reliquis sacerdotibus diceret eis, quare non curatis labem domus? nunc ergo ne accipitote pecuniam ab [illegible] noti sunt vobis, sed ad labem domus *eandem* [illegible] reddito illam.

9 Cui acquieverunt sacerdotes; ne acciperent pecuniam a populo, neque curarent labem domus.

10 Quare [illegible] accipiens Jehojadah sacerdos arcam [7] alicujus, excavato foramine in [d] operculo ejus, posuit eam [8] juxta altare dextrorsum, qua ingreditur quisque domum Jehovæ & collocârunt ibi sacerdotes observantes [9] limen, totam pecuniam quæ inferebatur *in* domum Jehovæ.

11 Erátque videntibus illis multum esse pecuniæ in arca, ut ascenderet scriba regis & sacerdotis maximi, & [10] ligarent quam numeraverant pecuniam inventam *in* domo Jehovæ.

12 Posteà tradebant pecuniam istam certâ summâ compositam in manus curatorum illius operis, præfectorum *operi* domus Jehovæ; qui expendebant illam in fabros lignarios, & in structores, reficientes domum Jehovæ:

13 Nempe in cæmentarios, & in lapicidas, & ad comparanda ligna, & lapides cæduos, ut curarent labem domus Jehovæ: & ad omnia quæ insumenda erant in domum ad curandam eam.

14 Verumtamen non fiebant domui Jehovæ pelves argenti, instrumenta musica, crateres, tubæ, ullum instrumentum aureum aut instrumentum argenteum, ex ista pecunia, quæ inferebatur *in* domum Jehovæ;

15 [11] Nam curatoribus operis tradebant illam, ut curarent eâ domum Jehovæ.

16 Neque rationes exigebant ab hominibus illis in quorum manus tradebant pecuniam, tradendam curatoribus operis; [12] nam fidè illi agebant.

17 [13] Pecunia pro delicto & pecunia pro peccatis non inferebatur *in* domum Jehovæ: sacerdotibus cedebant.

18 [14] TUNC ascendens Chazaël rex Syriæ oppugnavit Gathum, & cœpit illud: & [e] convertebat Chazaël faciem suam, ut ascenderet [15] contra Jeruschalaima.

19 Sed Jehoasch rex Jehudæ accipiens omnia illa sacra quæ consecraverant Jehoschaphat, & Jehoram, & Achazja majores ipsius reges Jehudæ, & sacra sua, totumque aurum quod inveniebatur in thesauris domus Jehovæ & domus regis; misit ad Chazaëlem regem Syriæ, ita divertit à Jeruschalaimis.

20 Reliquæ autem res Joaschi, & omnia quæ fecit; nónne sunt scripta in libro [16] Chronicorum regum Jehudæ?

21 Tandem insurgentes servi ejus quum [f] fecissent conspirationem; percusserunt Joaschum in loco munitionis qui [g] vergit [17] Sillam versus:

22 [h] Jozachar, inquam, filius Schimhathæ, & Jehozabad filius [i] Schomeri servi ejus, percusserunt eum ita, ut moreretur, & sepeliverunt eum [18] cum majoribus suis in civitate Davidis: regnavitque Amatzja filius ejus pro eo.

CAPUT XIII.

Jehoachazo in Jisraële regnante, regnum a Syris valdè atteritur: donec Joasch a patre in regnum cooptatus, & a Deo per Elischahum confirmatus, ter Syros vincens res amissas recuperarat.

[5] quum videlicet [illegible] ex [illegible] [6] [illegible] 2.Chro.24.8. [7] [illegible] [8] Heb. juxta ejus. [9] [illegible] 2.Chro.24.11. [10] [illegible] [11] [illegible] 2.Chro.24.14. [12] [illegible] [13] de qua Levit. 5.15. & sequentibus [illegible] Levit. 6.30. [14] ex prophetia Elischahi, supra 8.12. Tunc autem, i. mortuo Jehojadaho, & Joascho corrupto, 2.Chro. 24.17. & sequen. [e] Heb. ponebat. [15] quam jam populareretur regnum, ibidem, ver. 23. [16] vide 1.Regum 11.41. [f] Heb. conspirâssent conspirationem. [g] Heb. descendit. [17] [illegible] [18] [illegible] 2.Chro. 24.25.

AB anno vigesimo tertio Joaschi filii Achazjæ regis Jehudah, regnavit Jehoachaz filius Jehu super Jisraëlem, Schomrone [a] septemdecim annis:

2 Et fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ: [1] sequutus enim est peccata Jarobhami filii Nebati, quibus ad peccandum induxit Jisraëlem, non recessit [b] ab ullo eorum.

3 Quapropter accensus ira Jehova in Jisraëlem; [2] tradebat eos in manum Chazaëlis regis Syriæ, & in manum Benhadadi filii Chazaëlis omnibus illis diebus.

4 Sed deprecante Jehoachazo iratam faciem Jehovæ, auscultavit ei Jehova, quum videret oppressionem [3] Jisraëlitarum, quod opprimeret eos rex Syriæ.

5 Itaque dedit Jehova Jisraëlitis [4] servatorem, ut [c] exirent e manu Syrorum, & considerent filii Jisraëlis in tentoriis suis [d] sicut antea.

6 Verumtamen non recesserunt à peccatis domus Jarobhami, quibus ad peccandum induxit Jisraëlem, in unoquoque eorum ambulavit: quin etiam [5] lucus ipse manebat Schomrone.

7 Quum non reliquum fecisset Jehoachazo populum, nisi quinquaginta equites, & decem currus, ac decies mille pedites; sed perdidisset illos rex Syriæ, & redegisset eos tanquam pulverem, [6] triturando.

8 Reliquæ autem res Jehoachazi, & omnia quæ fecit, ac fortitudo ejus, nonne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jisraëlis?

9 Posteà quum occubuisset Jehoachaz cum majoribus suis & sepelivissent eum Schomrone: regnavit Joasch filius ejus pro eo.

10 [7] Anno trigesimoseptimo Joaschi regis Jehudæ *completo*: regnavit Joasch filius Jehoachazi super Jisraëlem, Schomrone sexdecim annis.

11 Et fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ: non recessit ab omnibus peccatis Jarobhami filii Nebati, quibus ad peccandum induxit Jisraëlem, in unoquoque eorum ambulavit.

12 Reliquæ autem res Joaschi, & quicquid fecit, ac fortitudo ejus, quod pugnavit [8] contra Amatzjam regem Jehudæ, nonne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jisraëlis?

13 Posteà occubuit Joasch cum majoribus suis, & Jarobham sedit in solio ejus; sepultúsque est Joasch Schomrone cum regibus Jisraëlis.

14 [9] Quum enim Elischah ægrotaret morbo suo, quo mortuus est: [10] descendit ad eum Joasch rex Jisraëlis, & flens ante faciem ejus dicebat, [11] pater mi, pater mi, currus Jisraëlis & equites ejus.

15 Cui dicente Elischaho, sume arcum & sagittas; sumens *attulit* ad eum arcum & sagittas.

16 Tum dixit regi Jisraëlis, appone manum tuam ad arcum, qui opposuit manum suam: imposuit verò Elischah manus suas manibus regis:

17 Ac dixit, aperi fenestram istam antrorsum, quam aperuit: quumque dicente Elischaho, jaculare, jaculatus esset, dixit Elischah, [12] sagitta salutis [13] *est* Jehovæ, sagitta, inquam, salutis contra Syros: quare percuties Syros [e] fortiter usque ad consumtionem.

18 Deinde edicente, [14] accipe reliquas sagittas, accepit *Joasch*: iterum edicente regi Jisraëlis, percutiendo impete [illegible], quum percussisset [f] ter, [15] destitit.

[a] [illegible] [1] quo ordine [illegible] [illegible] ut infra ver.10. & 25. [a] Heb. [illegible] [b] Heb. ab eo sic [illegible] [2] id est, faciebat ut a Syris cæderentur, & aliquid ex regno amitteretur. Prolepsis, qua generatim attingitur historiæ, quæ infra ordine exprimuntur. [3] [illegible] [4] Joaschum, infra ver.25. [c] Heb. de sub manu Syrorum. [d] Heb. ut heri nudiustertius: sic Gen.31.2. [5] quem plantaverat Achab, de quo 1.Reg.16.33 [6] i. bellis & depopulationibus affligendo valdè comminuerat.

[7] nondum mortuo patre, in regni administrationem cooptatus: septemdecim enim anni regni Jehoachazi usque ad [illegible] [illegible] [8] capite proximo sequente. [9] [illegible] quod [illegible] Deinde [illegible] & [illegible] [10] porrò adhuc vivente: quod [illegible] quum Jehoachaz deprecaretur faciem Jehovæ, supra ℣.4. [11] ut suprà 2.12. [12] metonymia signi pro re significata. [13] i. jubet me Jehova promittere vobis victoriam hoc signo. [e] Heb. ad [illegible] [14] ut [illegible] [illegible] [f] Heb. [illegible] [15] non omnibus sagittis emissis.

19. Quam

19 Quam ob rem efferverscens contra eum vir
Dei dixit, percutiendum fuisset [16] quinquies aut
sexies, [17] tunc percussisses Syros usque ad con-
sumtionem: nunc verò *tantummodò* ter percus-
surus es Syros.
20 Posteà quum mortuum Elischahum sepe-
livissent; turmæ Moabitarum invaserunt illam
terram ineunte anno.
21 Fuit verò ipsis sepelientibus quemdam,
quum ecce videntes turmam illorum, projecis-
sent virum illum in sepulcrū Elischahi; ut iniens
attingeret vir ille ossa Elischahi, & reviviscens
[18] staret erectus in pedes suos.
22 Chazaël ergo rex Syriæ opprimebat Jisra-
ëlitas, omnibus [19] diebus Jehoachazi.
23 Sed gratiam faciens eis Jehova, miserus
eorum respexit ad eos, propter fœdus suum cum
Abrahamo, Jitzchako, & Jahakobo: neque vo-
luit perdere eos; neque abjecit eos à facie sua
hactenus.
24 Itaque mortuo Chazaële rege Syræ; & re-
gnante Ben-hadado filio ejus pro eo:
25 [g] Recepit Jehoasch filius Jehoachazi civi-
tates illas e manu Ben-hadadi filii Chazaëlis,
quas ceperat *ille* e manu Jehoachazi patris ipsi-
us, bello: ter percussit eum Joasch; quum resti-
tueret civitates Jisraëlis.

CAPUT XIIII.

Amatzja principio Dei cultum amplexus, insignem contra Edomæos consequitur victoriam: qua elatus, ab Jisraëlitis, quos provocabat, funditur, capitur & gravi multa afficitur. Posteà a subditis conjuratis pellitur: Hazarja filius substituitur: Jarobham autem secundus regnum Jisraëlis amplificat, & morienti succedit Zecarja.

1 AB anno secundo Joaschi filii Joachazi re-
gis Jisraëlis; regnavit Amatzja filius Joa-
schi, rex Jehudæ.
2 Natus viginti quinque annos erat quum
regnare inciperet, & [3] vingintinovem annis re-
gnavit Jeruschalaimis; cujus matri nomen Je-
hohaddan e Jeruschalaimis.
3 Qui fecit quod rectum *videtur* in oculis
Jehovæ, sed [a] non sicut David pater ejus: pror-
sus ut fecerat Joasch pater ejus, fecit.
4 Verumtamen excelsa non sunt remota: ad-
huc populus sacrificabant & adolebant in ex-
celsis.
5 Fuit autem quum confirmatum esset re-
gnum in manu ejus; ut percuteret servos suos,
qui percusserant regem patrem suum:
6 Filios verò percussorum non affecit morte:
sicut [b] scriptum est in libro legis Moschis præce-
pisse Jehovam dicendo, ne afficiuntor morte pa-
tres pro filiis, & filii ne afficiuntor morte pro pa-
tribus, sed quisq; propter peccatum suum morte
afficitor.
7 Is percussit Edomæorum in [4] valle salis
decem millia, & occupavit [5] Petram in eo bello:
cujus nomen vocat *quisque* [6] Joktheelem usque
in diem hunc.
8 Tunc [7] misit Amatzja nuncios ad Jehoa-
schum filium Jehoachazi filii Jehu regem Jisraë-
lis, qui dicerent; age [8] videamus [c] alter faciem
alterius.
9 Misit verò Jehoasch rex Jisraëlis ad A-
matzjam regem Jehudę qui dicerent, [9] quædam
spina quæ in Libano *erat*, misit ad cedrum quæ
erat in Libano ad dicendum, da filiam tuam filio
meo in uxorem: intereà præteriens bestia agrestis,
quæ in Libano *erat*, conculcavit spinam illam.
10 [h] Egregiè percussisti Edomæos, ideò ex-
tulit te animus tuus: fruere gloria & conside do-
mi tuæ, nam quare misceres bellum malo *tuo*? ut
cadas tu & Jehuda tecum?
11 Sed non auscultante Amatzja, [10] ascendit
Jehoasch rex Jisraëlis, & viderunt alter alterius
faciem, ipse & Amatzja rex Jehudę, apud [11] Beth-
Schemeschum quod *est* [12] Jehudæ.
12 Plaga autem affectus est Jehuda coram
Jisraële; ita ut fugerent quisque ad tentoria sua.
13 Amatzjam verò regem Jehudæ filium Je-
hoaschi [13] filii Achazjæ, prehendit Jehoasch rex
Jisraëlis apud Beth-Schemeschum: deinde veni-
ens Jeruschalaima perrupit in muro Jerusha-
laimorum, [14] a porta Ephrajimi usque ad [15] por-
tam anguli, quadringentos cubitos.
14 Denique assumto toto auro & argento,
omnibúsque vasis quæ inventa sunt *in* domo Je-
hovæ, & in thesauris domus regis, etiam [d] obsidi-
bus; reversus est Schomronem.
15 Reliquæ autem res Jehoaschi quas fecit,
fortitudóque ejus, utq; pugnavit contra Amatz-
jam regem Jehudæ; nonne scripta sunt in libro
Chronicorum regum Jisraëlis?
16 Quumque occubuisset Jehoasch cum pa-
tribus suis, & sepultus esset Schomrone cum regi-
bus Jisraëlis; regnavit Jarobhā filius ejus pro eo.
17 Vixit verò Amatzja filius Joaschi rex Je-
hudæ, post mortem Jehoaschi filij Jehoachazi
regis Jisraëlis, quindecim annis.
18 Reliquæ autem res Amatzjæ; nonne sunt
scriptæ in libro Chronicorum regum Jehudæ?
19 [16] Tandem quum [e] fecissent contra eum
conspirationem Jeruschalaimis, [17] fugit [18] La-
cischum: quam ob rem miserunt post eum La-
cischum, ubi morte affecerunt eum.
20 Et deportaverunt eū equis: sepultusq; est Je-
ruschalaimis cū patribus suis in civitate Davidis.
21 [19] Tum assumentes totus populus Jehudæ
[f] Hazzarjam, qui *erat* natus sexdecim annos; con-
stituerunt eum regem pro patre ejus Amatzja.
22 Ipse ædificavit [20] Elatham, quam recupe-
raverat Jehudæ: postquam occubuisset rex cum
patribus suis.
23 Ab anno quintodecimo Amatzjæ filii Joa-
schi regis Jehudę, regnavit Jarobhā filius Joaschi
rex Jisraëlis Schōrone, uno & quadraginta annis.
24 Fecitq; quod malum *videtur* in oculis Jeho-
væ: non recessit ab omnibus peccatis Jarobhami
filii Nebati, quibus ad peccandū induxit Jisraëlem.
25 Hic recuperavit terminū Jisraëlis, ab aditu
[21] Chamathæ usque ad [22] mare campestrium: se-
cundùm verbū Jehovæ Dei Jisraëlis, quo loqu-
tus fuerat per servum suū [23] Jonam filium Amit-
thai prophetam, qui *erat* e [24] Gatho-Chepheris.
26 Nam viderat Jehova afflictionem Jisraëlis
jactari valdè: & [25] nihil esse [26] conclusum, nihil-
que esse derelictum, denique neminem *esse* adju-
torem Jisraëli.
27 Et nondum dixerat Jehova se deleturum
nomen Jisraëlitarum [g] sub cælo: servavit itaque
eos per Jarobhamum filium Joaschi.

[16] prout sunt in plurimis. [17] i. cognovisses eos perdendorum. [18] i. resurgeret. [19] quamdiu, videlicet solus non assumto filio regnavit. [g] Heb. reversus est ut caperet.

[1] ex quo cœpit vivente Jehoachazo patre regnare Joasch Jisraëlita, qui idem quadragesimus est Joaschi regis Jehudæ, & Amatzjæ primus. [2] ex quibus septemdecim annos regnavit: reliquis verò duodecim propter conspirationem vitam transegit exsul: synecdoche. [3] i. non integro anno, 2. Chro. 25.2. [a] Suprà 12.21. [b] Deut. 24.16. [4] de qua 2. Schem. 8.13. [5] metropolim Arabiæ petreæ, a qua denominatur. [6] vide Jehosch. 15.38. [7] partim recordatione cædis majorum a Jehu factæ, suprà 9. partim verò motus recenti injuria, de qua 2. Chron. 25.10. & 13. [8] id est, coram dimicemus alter contra alterum; ut versu 11. [c] Hebr. videamus nos invicem facie: ut V. 11.

[9] [illegible] Jehoascho, in qua rex Jisraëlis regem Jehudæ [illegible], leonem Libani [illegible], bestiæ agrestium illarum, conculcationi comparat quasi dicat, Tu ipse te inferiorem esse sentientem, quum te Edomæos subegisse, ambivisti conjunctionem mecum, ut cum multo potentiore, pactus a me auxiliares copias: quod si inspiretur, dissensione efficeret quidam ex meis, me inscio, in agrum tuum irruerunt; non sum in culpa. Jam tu ista victoria insolescens a[illegible] spina cedro, lacessis me bello, & ubi populo [illegible] arcessis. Confer ista cum historia 2. Chro. 25.6. & sequentibus, unde hæc interpretatio sumpta est. [h] Heb. percutiendo percussisti. [10] non expectans donec rex Jehudæ fines suos invaderet. [11] Jehosch. 15.10. [12] ad differentiam ejus quod in tribu Naphthali est, Jehosch. 19.38. [13] quem avus ipsius interfecerat [illegible] ad contrarium proponere, supra 9. [14] ab aquilone versus orientem ascendendo: vide supra 11.16. [15] sive angulorum, Zecarjæ 14.10. & portam angularis, sive prospicientis, 2. Chro. 25.23. [d] Heb. filiis sponsionum vel sponsionum. [16] nimirum anno quarto a morte Joaschi, quum Jarobham agere annum [illegible]. [e] Heb. conspirationem [illegible]. [17] ubi [illegible] [illegible] reliquis [illegible] [illegible] [illegible] infra 17. [18] in urbe Jehudæ ad fines Pelischthæorum. [19] quum conjurarent in eum, & fugeret Amatzja. Ex quo fit ut undecim anni sequentes non [illegible] Amatzjæ sed etiam Hazarjæ (qui idem Huzzija dictus est) communiter tribuantur. [f] qui & Huzzija, infra 15.30. [20] vide Deut. 2.7. [21] terminū Jisraëlitarū, de quo Num. 13.20. & 34.8. [22] vide Deu. 3.17. [23] qui inter duodecim prophetas minores quintus est ordine. [24] oppido Zebulunis, Jeho. 19.13. [25] i. nullius facultatis ministrumq; virilium ad salutem comparandā. [26] ut Deut. 32.36. [g] Heb. de sub cælo.

28 Reliquæ autem res Jarobhami, & quicquid fecit, fortitudóque ejus qua pugnavit utq; recuperavit [7] Damascum & Chamatham Jehudæ pro Jisraële; nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jisraëlis?

29 Posteà occumbente Jarobhamo cum patribus suis, cum regibus Jisraëlis; regnavit Zecarja filius ejus pro eo.

CAPUT XV.

Hazarja sacerdotium invadens, percutitur lepra: ideò hominum consortio excluditur, filio interea regnum administrante. Quo tempore genus Jehu in Zecarja exscinditur. Schallum, Menachem, Pekachja, Pekach & Hoscheah regnum Jisraëlis obtinent. Tandem Jotham mortuo patre in Jehuda regnat: & morienti succedit Achaz.

ANno [1] vigesimo septimo Jarobhami regis Jisraëlis; regnabat Hazarja filius Amatzjæ, rex Jehudæ.

2 (Natus fuerat annos sexdecim quum regnare inciperet, & quinquaginta duobus annis regnavit Jeruschalaimis; cujus matri nomen Jecolja e Jeruschalaimis:

3 Fecerátque quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ; omnino prout fecerat Amatzja pater ejus:

4 Sed excelsa non amota fuerant; adhuc populus sacrificabant & adolebant in excelsis.)

5 Quum [a] plaga affecit Jehova regem, qua fuit leprosus usque ad diem mortis suæ, ideóque habitabat in domo [a] semota: Jotham verò filius regis præerat domui, jus dicens populo regionis.

6 Reliquæ autem res Hazarjæ, & omnia quę fecit; nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jehudæ?

7 Posteà quum occubuisset Hazarja [3] cum patribus suis, sepelivissentq; eum cum patribus ejus in civitate Davidis; regnavit Jotham filius ejus pro eo.

8 Anno [4] trigesimo octavo Hazarjæ regis Jehudæ; regnavit Zecarja filius Jarobhami super Jisraëlem Schomrone, sex mensibus:

9 Et fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, quemadmodum fecerant majores ejus: non recessit a peccatis Jarobhami filii Nebati, quibus ad peccandum induxit Jisraëlem.

10 Contra hunc conspirans Schallum filius Jabeschi, & percutiens eum coram populo, morte affecit eum, & regnavit pro eo.

11 Reliquæ autem res Zecarjæ, ecce sunt scriptæ in libro Chronicorum regum Jisraëlis.

12 Illud *est* verbum Jehovæ quo alloquutus fuerat Jehu dicendo, [b] abnepotes tui sessuri sunt super solium Jisraëlis: & ita accidit.

13 Schallum filius Jabeschi regnavit anno trigesimonono Huzzijæ regis Jehudæ: regnavit autem mensem [c] integrum, Schomrone.

14 Ascendens enim Menachem filius Gadi e [5] Thirtza, & ingressus Schomronem, percussit Schallumum filium Jabeschi Schomrone: & eo morte affecto regnavit pro eo.

15 Reliquæ autem res Schallumi, & conspiratio ejus qua conspiravit; ecce sunt scriptæ in libro Chronicorum regum Jisraëlis.

16 Tunc percussit Menachem [6] Thiphsa-chum, id est, quicquid in ea erat, & omnes terminos ejus a Thirtza, quia [7] non aperuerat ideò percussit: ipsas prægnantes ejus diffidit omnes.

17 Ab anno trigesimonono Hazarjæ regis Jehudæ; regnavit Menachem filius Gadi super Jisraëlem decem annis, Schomrone:

[7] quæ jure ad tribum Jehudæ pertinuerant, 2. Schem. 8.6. & 2. Chro. 8.3.

[1] qui vigesimus quartus erat Huzzijæ.

[a] vide caussam, 2. Chro. 26.16. & sequentib.

[a] Heb. liberæ, i. reliquis non conjunctæ, ex lege de leprosis Levit. 13.46.

[3] non quidem in eodem sepulchro; sed in agro religioso sepulturæ regum, 2. Chron. 26.23.

[4] qui idem ultimus est Jarobhami.

[b] Heb. filii quarti super 10.30.

[c] Heb. dierum, sic Gen. 29.14.

[5] vide 1 Regum 14.17.

[6] vide 1. Regum 4.24.

[7] ei proficiscenti Thirtza contra Schallumum.

18 Et fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ: non recessit a peccatis Jarobhami filii Nebati, quibus ad peccandum induxit Jisraëlem, omnibus diebus suis.

19 Invadente autem [f] Pule regi Assyriæ regionem illam, dedit Menachem Puli [8] mille talenta argenti, ut [d] [9] esset adjumento sibi, ad confirmandum regnum in manu ipsius.

20 Exegit verò Menachem istam pecuniam a Jisraële, ab omnibus qui valebant facultatibus, quam daret regi Assyriorum, [10] quinquagenos siclos argenti in virum unumquemque: deinde reversus est rex Assyriorum, nec substitit ibi in ea regione.

21 Reliquæ autem res Menachemi, & quæcunque fecit; nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jisraëlis?

22 Posteà occubuit Menachem cum majoribus suis; & regnavit Pekachja filius ejus pro eo.

23 Ab anno quinquagesimo Hazarjæ regis Jehudæ, regnavit Pekachja filius Menachemi super Jisraëlem Schomrone biennio:

24 Et fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ: non recessit a peccatis Jarobhami filii Nebati, quibus ad peccandum induxit Jisraëlem.

25 Conspirans autem contra eum Pekach filius Remaljæ tribunus ejus cum Argobo, & cum eo qui *dicebatur* Leo, percussit eum Scomrone in palatio domus regiæ, habens secum quinquaginta viros [e] e Gilhaditis: quumque morte affecisset eum, regnavit pro eo.

26 Reliquæ autem res Pekachjæ, & quæcunque fecit; ecce sunt scripta in libro Chronicorum regum Jisraëlis.

27 Ab anno quinquagesimo secundo Hazarjæ regis Jehudæ; regnavit Pekach filius Remalję super Jisraëlem Schomrone, viginti annis:

28 Et fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ: non recessit a peccatis Jarobhami filii Nebati, quibus ad peccandum induxit Jisraëlem.

29 Diebus Pekachi regis Jisraëlis invadens [f] Tiglath-Pileser rex Assyriorum; cepit [11] Hijjonem, & Abelum domus Mahacæ, & [12] Janoachum, & [13] Kedeschum, & Chatzorem, & [14] Gilhadem, denique Galilæam ipsam, totam terram Naphthali: ac harum *incolas* deportavit in Assyriam.

30 [g] Facta autem conspiratione contra Pekachum filium Remaljæ, Hoscheah filius Elæ ita percussit eum ut morte afficeret eum, [15] regnavitque pro eo; anno vigesimo [16] a *regno cæpto* Jothami filii Huzzijæ.

31 Reliquæ autem rei Pekachi, & quæcunq; fecit; ecce sunt scripta in libro Chronicorum regum Jisraëlis.

32 [h] Ab anno secundo Pekachi filii Remalję regis Jisraëlis, regnare cœpit Jotham filius Huzzijæ, rex Jehudæ.

33 Natus viginti quinque annos erat [17] quum regnare inciperet, & [18] sexdecim annis regnavit Jeruschalaimis; cujus matri nomen Jeruscha filia Tzadoki:

34 Et fecit quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ; omnino prout fecerat Huzzija pater ejus, fecit.

35 Verumtamen excelsa non sunt amota, adhuc populus sacrificabant & adolebant in excelsis; hic ædificavit [19] portam domus Jehovæ supremam.

[f] 1. Chro. 5.26.

[8] quasi decies centies mille daleros.

[d] *Heb. ut essent manus ejus secum, metonymia.*

[9] i. pacem redemit ab eo, & ejus opem obtinuit ut confirmaretur in regno.

[10] i. duodecim daleros cum dimidio cuique Assyrio.

[e] *Heb. filiis Gilhaditarum.*

[f] *qui & Tiglath-Pilneser, 1. Chro. 5.25.*

[11] vide 1. Regum 15.20. & seq.

[12] Jehosch. 16.6. Ephrajimitarum.

[13] Naphthalitarum, Jehosch. 19. 36. & 37.

[14] i. totam regionem trans Jardenem, quam Reübenitæ, Gaditæ, & pars Menaschitarum obtinebant.

[g] *Heb. conspiravit conspiratione.*

[15] mero quidem imperio octo annis, tributario verò novem infra 17.1. & 6.

[16] i. anno quarto Achazi: sed quia ejus adhuc nullam mentionem fecit, tempus describit a superiore rege.

[h] 2. *Chro.* 27.

[17] id est, quum regni administrationem iniit, propter lepram patris, sup. ver. 5.

[18] a morte patris.

[19] vide suprà 11.6.

36 Reliquæ

36 Reliquæ autem res Jothami, & quæcumque fecit, nonne scripta sunt in libro Chronicorum regum Jehudæ?

37 [10] Diebus istis cœpit Jehova immittere in Jehudam Retzinem regem Syriæ, & Pekachum filium Remaljæ.

38 Quumque occubuisset Jotham cum patribus suis, & sepultus esset cum patribus suis in civitate Davidis patris sui; regnavit Achaz filius ejus pro eo.

CAPUT XVI.

Achaz impius a regibus Syriæ & Jisraëlis pressus ad Assyrium recurrit: a quo occupata Syria & rege occiso, Achaz afflictus in graviorem idololatriam quàm antea delabitur: cui mortuo succedit filius Chizkija.

ANno [1] decimoseptimo Pekachi filii Remaljæ, regnare cœpit Achaz filius Jothami, rex Jehudæ.

2 Natus viginti annos erat Achaz, quum [2] ille regnare inciperet, & sexdecim annis regnavit Jeruschalaimis: sed non fecit quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ Dei sui, sicut David pater ejus.

3 Ambulavit enim in via regum Jisraëlis: atque etiam filium transmisit per ignem, [a] secundùm abominationes gentium quas expulerat Jehova a facie Jisraëlitarum.

4 Et sacrificabat studiosè, adolebatq; [3] in excelsis, & in collibus: & sub omni arbore virente.

5 [b] Tunc ascendit Retzin rex Syriæ; & Pekach filius Remaljæ rex Jisraëlis Jeruschalaima in bellum; qui obsederunt Achazum, sed non potuerunt debellare.

6 (Tempore illo averterat Retzin rex Syriæ [4] Elatham ad Syros, & excusserat Jehudæos ex [5] Elothis: Syri verò venientes Elatham habitaverunt ibi usque in diem hunc)

7 Misit enim Achaz nuncios ad Tiglath-Peleserum regem Assyriæ dicendo, servus tuus & filius tuus sum: ascende & serva me e manu regis Syriæ, & e maun regis Jiraëlis, qui insurrexerunt contra me.

8 Et accipiens Achaz aurum & argentum quod inveniebatur in domo Jehovæ, & in thesauris domus regiæ, misit ad regem Assyriæ munus.

9 Cui auscultavit rex Assyriæ, & ascendens rex Assyriæ Damascum cœpit eam, & deportavit *incolas* ejus in [6] Kirum; Retzinem verò morte affecit.

10 [7] Profectus autem rex Achaz obviàm Tiglath-Pilesero regi Assyriæ Damascum, [8] quum vidisset altare quod *erat* Damasci; misit rex ad Urijam sacerdotem similitudinem illius altaris, & structuram ejus secundùm totum artificium ejus:

11 Et exstruxit Urija sacerdos altare: omnino prout miserat rex Achaz Damasco, ita fecit Urija sacerdos, dum rediret rex Achaz Damasco.

12 Deinde quum rediisset rex Damasco, & vidisset rex illud altare; accedens rex ad ipsum altare, obtulit in eo;

13 Et adolevit holocaustum suum, munusq; suum, & libavit libamen suum; inspersitque sanguinem eucharisticorum suorum altari.

14 Altare verò æneum quod fuerat coram Jehova; longiùs amovit ab anteriore parte ipsius domus, ne esset inter suum altare, & domum Jehovæ: posuitque illud ad latus sui altaris aquilonem versus.

15 Præcepitque rex Achaz Urijæ sacerdoti dicendo, in hoc altari magno adole holocaustum matutinum, & munus vespertinum, holocaustumque regis & munus ejus, etiam holocaustum totius populi terræ, munusque eorum, & libamina eorum, ac sanguinem holocausti, omnemque sanguinem sacrificii ei inspergito: altare verò æneum erit penes me [9] inquirere.

16 Quod fecit Urija sacerdos; omnino prout præceperat rex Achaz.

17 Prætereà truncavit rex Achaz [10] zophoros & bases, & amovit ab illis singulis suum labrum, lacum quoque deposuit a bobus [a] æreis, qui suberant ei: ac imposuit illum pavimento lapideo.

18 [11] Tegmen quoque sabbathi, quod ædificaverant in ipsa domo, & [12] accessum regis extimum, amovit a domo Jehovæ; [13] metu regis Assyriæ.

19 Reliquæ autem res Achazi, quas fecit, nonne sunt scriptæ in libro Chronicorum regum Jehudæ?

20 Denique occubuit Achaz cum patribus suis, sepultusq; est cum patribus suis [14] in civitate Davidis: & regnavit Chizkija filius ejus pro eo.

CAPUT XVII.

Hoschea regis Assyriorum tributarius effectus, cum rege Ægypti conspirat, & tributum recusat Assyrio: quam ob rem Assyrius regnum invadit, occupat, regem capit, populum deportat, & novos colonos intromittit: qui leviore plaga plus afficiuntur ad cultum Dei effingendum, quàm Jisraëlitæ ad retinendum & restituendum ullis calamitatibus.

ANno duodecimo Achazi regis Jehudæ; regnabat Hoscheah filius Elæ Schomrone, super Jisraëlem nono anno:

2 Et faciebat quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; sed non sicut reges Jisraëlis qui fuerant ante eum.

3 Contra eum ascendit Schalmanesar rex Assyriæ, factusque est illi Hoscheah servus, & pendebat ei munus.

4 Posteà [1] invenit rex Assyriæ in Hoschea conspirationem, eum misisse nuncios ad Soum regem Ægypti, & non obtulisse munus regi Assyriæ [2] ut quotannis: quare coërcuit eum rex Assyriæ, & [a] vincivit eum in carcere.

5 Nam pervasit rex Assyriæ totam ejus regionem; & ascendens Schomronem obsedit eam [3] tribus annis.

6 Anno nono [4] Hoscheæ cœpit rex Assyriæ Schomronem, & deportavit Jisraëlem in Assyriam: collocavitque eos in [5] Chalacho, & in [6] Chabore, [7] Nehar-gozane, & in civitatibus Mediæ.

7 [8] Sic fuit, eo quòd peccaverant filii Jisraëlis contra Jehovam Deum suum, qui eduxerat eos e terra Ægypti, [b] ne subessent manui Parhonis regis Ægypti, & reveriti fuerant deos alienos.

8 Ambulaverantq; in statutis gentium, quas expulerat Jehova a facie filiorum Jisraëlis, & quæ fecerant reges Jisraëlis:

9 Et mussantes filii Jisraëlis res quæ rectæ non *sunt*, contra Jehovam Deum suum; ædificaverant sibi excelsa in omnibus civitatibus suis, a [9] turri custodum usque ad civitatem munitam:

10 Statuerántque sibi statuas ac lucos in omni colle excelso, & sub omni arbore virente:

11 Et adoleverant ibi in omnibus excelsis, sicut gentes quas deportaverat Jehova à facie eorum; fecerántque res malas provocando Jehovam:

[9] i. Deum in eo consulere, si quando placebit, ... & ...
[a] Heb. de ...
[11] i. pulpitum pro custodibus templi, qui singulis sabbathis functiones suas obibant per vices: de quibus supra 11.5. Est autem synecdoche, pro eo quod est, occlusit fores templi Jehovæ, 2. Chro. 28.24.
[12] de quo 1. Reg. 10.5. & 12.
[13] id est, a vi regis Assyriorum sibi metuens, ne forte per illum accessum in regiam irrumperet.
[14] at non in sepulcris regum: vide 2. Chro. 28.27

[10] id est, sub finem regni Jothami cœperunt calamitates illæ, quæ consequutæ sunt regnante Achazo.

[1] qui idem fuit Jothami decimusfextus.
[2] Jotham nimirum, de quo ver. 1. ita accipiendum esse ostendit ætas Chizkijæ, qua ad regnum pervenit cum hujus ætate comparata, infrà 18.2. simile vide 2. Chro. 36.9.
[a] *Levit*. 20.23.
[3] contra legem Deut. 12.2.
[b] *Jeschaija* 7.1.
[4] de qua suprà 14.12.
[5] id est, a tota ditione Elathæ.
[6] i. eam Mediæ partem, quæ ab hac deportatione Syromedia est dicta: appellatur autem Kir, id est murus, quod monte Zagro veluti muro circumquaque cingatur. De Cyrene accipere alienum est, quum numquam ad regnum Assyriorum pertinuerit, & ab agro eorum sit remotissima. Media autem regibus Assyriæ parebat, ut apparet infra cap. 17.6.
[7] ad gratulandum ei de victoria: tum etiam ut impetraret ab eo auxilium, quo recuperaret quæ ademerant ei Pelischthæi. 2. Chro. 28.18.
[8] ... 2. Chro. 28.23.

[1] nimirum ... to aut ... no, postquam tributarius ... esset: vide supra 18. ...
[a] Heb. ...
[2] nono ... quo ... factus fuerat, ... sequenti ...
[3] ... mo, octavo, & nono ...
[4] tributarius ... fuit ... ultimus regni ipsius.
[5] id est ... cine A... pra Adiabenam sita.
[6] Chabore regione montana Assyriæ & Mediæ conterminam ostendit Ptolemæus lib. 6. Geograph. ... vit. Jisraëlitis ... extima ... Septentrionem ... Orientem ...
[7] regione Media ... Gelon ... nis ... ubi Marg... fluvius ... libro 6. ... Gausania ... nomen ...
[8] Ecclesiastes ... dicit ... quæ ... quibus ... pro... Jisraël...

[a] ... passim dederit: usque ad finem capitis. [b] Heb. ab sub manu. quod in scriptis atque in frequentibus locis: proverbiale dictum.

12 Et

12 Excoluerant stercoreos deos, de quibus
edixerat Jehova eis, ne facitote rem istam:
13 Quumque contestaretur Jehova in Jisraë-
lem & in Jehudam per omnes prophetas [10] cu-
juscumque visionis, dicendo, revertimini a viis
vestris pessimis, & observate præcepta mea & sta-
tuta mea, omnino secundum legem illam quam
præcepi maioribus vestris: quæque commisi vo-
bis per servos meos prophetas:
14 Non auscultaverant, sed obduraverant
cervices suas, ut [d] majores cervices suas, qui non
crediderant Jehovæ Deo suo:
15 Et spernentes statuta ejus, ac fœdus ejus,
quod pepigerat cum majoribus ipsorum, & testi-
monia ejus, quibus contestatus est eos: assectati
fuerant ipsam vanitatem, adeò ut vani effecti fu-
erint, & secuti fuerint gentes circumstantes ipsos,
de quibus præceperat Jehova eis, ne facerent si-
cut illæ:
16 Et derelictis omnibus præceptis Jehovæ
Dei sui, fecerant sibi fusile, duos vitulos: fecerant
etiam lucum, & incurvaverant se exhibentes ho-
norem toti exercitui cælorum, colueruntque quoque
Bahalem:
17 Præterea transmiserant filios suos & filias
suas per ignem, & [e] usi erant divinationibus &
conjectores fuerant: deniq; se ipsos dediderant
ad faciendum quod malum *videtur* in oculis Je-
hovæ provocando eum:
18 *Fuit, inquam*, ut ira percitus Jehova valdè
in Jisraëlem, amoverit eos a facie sua: non reli-
qua fuit nisi tribus Jehudæ [11] sola.
19 [12] Etiam Jehuda non observabat præcepta
Jehovæ Dei sui; sed ambulabant in statutis Jisra-
ëlitarum, quæ fecerant.
20 Ideò spernens Jehova totum [13] semen Jis-
raëlis, & affligens eos, tradiderat eos in manum
diripientium: donec abjiceret eos a facie sua:
21 (Postquam [14] laceravit Jisraëlitas a domo
Davidis, quum regem constituissent Jarobha-
num filium Nebati; depulit enim Jarobham Jis-
raëlitas a [f] sequendo Jehovam, & induxit eos ad
peccandum peccato magno:
22 Et ambulârunt filii Jisraëlis in omnibus
peccatis Jarobhami quæ fecerat, non recesserunt
ab [g] illo eorum)
23 Donec amoveret Jehova Jisraëlem a facie
sua, quemadmodum loquutus fuerat per omnes
servos suos prophetas: ita demigravit Jisraël a ter-
ra sua in Assyriam usque in hunc diem.
24 Deinde adduxit [15] rex Assyriæ e Babele,
& e [16] Cutha, & e [17] Hava; & e [18] Chamatha, &
[19] Sepharvajimis *colonos* quos collocaverat in ci-
vitatibus Schomronis loco Jisraëlitarum: & hæ-
reditario jure possidentes Schomronem habitant
in civitatibus ejus.
25 Fuit autem quum principio habitantes ibi
[20] non reverentur Jehovam; ut immitteret Je-
hova in illos leones, qui interficiebant eos.
26 Itaque alloquuti sunt regem Assyriæ dicen-
do; gentes istæ quas deportans collocasti in ci-
vitatibus Schomronis, ignorant ritum Dei regio-
nis istius: ideò immisit in eos leones, qui ecce
morte afficiunt eos, quandoquidem ignorant ri-
tum Dei illius regionis.
27 Præcepit verò rex Assyriæ dicendo, ducite
illuc unum ex istis sacerdotibus quos deportâstis
inde, & abeuntes [21] residento ibi, ut doceat eos ri-
tum Dei illius regionis.
28 Veniens itaque unus ex illis sacerdotibus
quos deportaverant e Schomrone, consedit Beth-
Ele: & docebat eos quo modo [22] reverentur es-
sent Jehovam.
29 Attamen faciebant [h] quæque gens deos
suos, quos collocabant in æde excelsorum, quæ
fecerant [23] Schomronitæ, quæque gens in civita-
tibus suis ubi habitabant.
30 Nam homines Babelis fecerunt Succoth-
Benoth, & homines Cuthi fecerunt Nergalem:
homines verò Chamathæ fecerunt Aschimam.
31 Havæi autem fecerunt Nibchanem & Thar-
thakum: & Sepharvæi comburebant filios suos
igne Adrameleco & Hanammeleco diis Sephar-
vajimiorum.
32 Sic reverebantur Jehovam: & faciebant si-
bi e [i] numero suo sacerdotes excelsorum, qui *sa-
cra* faciebant eis in æde excelsorum.
33 Jehovam reverebantur, & deos suos cole-
bant ex [24] ritu gentium quas deportaverant inde.
34 Usque in hunc ipsum diem [25] isti faciunt
ex ritibus priscis: non reverentur Jehovam, neq;
faciunt secundum statuta ipsorum, & secundum
ritum ipsorum, id est, secundum legem & secun-
dum præceptum quod præceperat Jehova filiis
Jahakobi, [26] cui imposuit nomen Jisraëlis:
35 Et quibuscum pepigerat Jehova fœdus, præ-
ceperatque eis dicendo, ne reveremini deos alie-
nos, neque incurvate vos honorem *exhibentes* eis, ne-
que colite eos, neque sacrificate eis:
36 Sed Jehovam, qui eduxit vos e terra Æ-
gypti virtute magna & brachio extento, ipsum
reveremini; eique incurvate vos, ac sacrificate ei:
37 Et statuta ac judicia, legemque & præcep-
tum, quæ scripsit vobis, [k] observantes facite om-
nibus diebus: ac ne reveremini deos alienos:
38 Et fœderis quod pepigi vobiscum ne obli-
viscamini, ut non reveremini deos alienos:
39 Sed Jehovam Deum vestrum reveremi-
ni: & ipse eripiet vos e manu omnium inimico-
rum vestrorum.
40 Non tamen auscultârunt: sed secundum
priscum ritum suum faciunt:
41 Quamvis gentes istæ reveritæ sint Jeho-
vam, & cum idolis suis coluerint: etiam filii eo-
rum & nepotes eorum, ut fecerant majores eo-
rum, sic faciunt usque in diem hunc.

CAPUT XVIII.

Instauratio per Chizkijam Dei cultu in regno Jehudæ & occupato Schomronis regno ab Assyriis: regnum Jehudæ invaditur propter defectionem Chizkijæ: quam ob rem Chizkija paciscitur pretio cum rege Assyriæ: qui nihilo minus per legatos Chizkijam contumeliis afficit, & populum ad defectionem blasphemando sollicitat.

FUit autem [a] anno tertio Hoschehæ filii Elæ re-
gis Jisraëlis, *ut* regnaret Chizkija filius Acha-
zi, rex Jehudæ.
2 Natus vigintiquinque annos erat quum
regnare inciperet, & viginti novem annis regna-
vit Jeruschalaimis: cujus matri nomen [‡] Abi filia
Zecarjæ:
3 Et fecit quod rectum *videtur* in oculis Jeho-
væ, omnino prout fecerat David pater ipsius.
4 [f] Ipse amovit excelsa, fregitque statuas, &
excîdit lucum: contudit etiam serpentem æneum
quem fecerat Moscheh, eo quòd usque ad dies illos
Jisraëlitæ adolerent ei, quem vocavit [g] Nechusch-
thanem.
5 In Jehova Deo Jisraëlis fiduciam habuit;
& non fuit ei similis inter omnes reges Jehudæ
qui post eum, aut qui ante eum *fuerunt*.
6 Adhæsit enim Jehovæ, non recessit [h] ab eo
sequendo: sed observavit præcepta ejus, quæ
præceperat

[c] Hebr. per manum omnium prophetæ, *&* ... [illegible]
[10] id est, quacumque ratione vel forma illis cernendam proponebat voluntatem suam: vide Num. 12.6.
[d] Hebr. *dividens divisiones* ... [illegible]
[e] Heb. *divinaverant divinationib. & conjectaverât.*
[11] cum adhærentibus Levitis, & Binjaminitarum reliquiis: synecdoche.
[12] Intra causa judicii in Jisraëlitis, contagium regni Jehudæ, in eandem liberum prohibentis vicini regni exemplo, Hoschea 4.15.
[13] id est, regni decem tribuum: synecdoche.
[14] scilicet Jarobham.
[f] Heb. *a post.* 1. Reg. 12.28.
[g] Heb. *ab eo.*
[15] Esar Chaddon filius Sancheribi: Hezra 4.2.
[16] regione Arabiæ desertæ quam incolunt Catanii Syriæ conterminæ, ut vocat Ptolemæus libro 5. Geograph.
[17] regione Arabiæ desertæ, in quam Havæi pulsi a Pelischthæis se receperant, Deut. 2.23. quæ & Hivva dicitur infrà 18.34.
[18] Syriæ in finibus Cenahanææ.
[19] id est, ex agro Sepharæ urbis ad Euphratem in Mesopotamia.
[20] id est, non colerent eum externo cultu.
[21] Legati qui ex possessionum venditione, cum sacerdotes ... [illegible] ... totius populi ibi constitutione.
[22] id est, colerent ... [illegible] ... cujus ... [illegible] ... superstitioni.

[h] Heb. *gens gens sit insta.*
[23] Decem tribus, incolæ regni Schomronis.
[i] Heb. *a partibus suis: ut 1. Regum 12.31.*
[24] Decem tribuum.
[25] Decem tribus quas proxime commemoravimus, nam ex comparatione istarum colonorum, quos rex Assyriæ transmiserat, contumacia Jisraëlitarum offenditur: qui toties castigati graviter, & nunc demum tam durâ servitute pressi, ne minimum quidem resipiscentiæ signum dederunt.
[26] exaggeratio, ut 1. Reg. 18.31.
[k] Heb. *observate ad faciendum.*
[a] ex quo tributarius regis Assyriæ erat: qui fuit regni ejus undecimus.
[‡] quæ & Abija 2. Chro. 29.20.
[f] 2. Chro. 29.30. & 31. capitibus.
[g] id est, æramentum.
[h] Heb. *a post eum.*

præceperat Jehova Moschi.

7 Et aderat Jehova ei, quocunq; prodibat secundabatur: [3] rebellavitque in regem Assyriæ ut non serviret ei.

8 Ipse percussit [b] Pelischthæos usque Hazzam, & terminos ejus: [4] a turri custodum usque ad civitatem munitam.

9 Fuit autem anno quarto regis Chizkijæ, is *est* annus septimus [5] Hoschehæ filii Elæ regis Jisraëlis; *ut* ascenderit Schalmaneser rex Assyriæ contra Schomronem, obsideret eam.

10 Deinde cepit eam sub finem [c] tertii anni, anno sexto Chizkijæ: is annus *erat* nonus Hoschehæ regis Jisraëlis, *quo* capta fuit Schomron.

11 [d] Et deportavit rex Assyriæ Jisraëlitas [7] in Assyriã: quos collocavit in Chalacho, & in Chabore Nehar-gozane, & in civitatibus Mediæ.

12 Propterea quòd non auscultaverant voci Jehovæ Dei sui, & transgressi fuerant fœdus ejus, quicquid præceperat Mosche servus Jehovæ; neq; auscultaverant, neque fecerant.

13 Deinde decimo quarto anno regis Chizkijæ ascendit Sancherib rex Assyriæ contra omnes civitates Jehudæ munitas, & [8] occupavit eas.

14 Quam ob rem misit Chizkija rex Jehudæ ad regem Assyriæ [9] Lacischum qui dicerent, peccavi, diverte a me; [10] quod imposueris mihi feram: imposuit autem rex Assyriæ Chizkijæ regi Jehudæ [10] trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri, *quæ penderet.*

15 Quam omnem pecuniam dedit rex Chizkija, quæ *est* inventa *in* domo Jehovæ, & in thesauris domus regiæ.

16 Tempore illo truncavit Chizkija fores templi Jehovæ, & [11] antas quas [12] obduxerat Chizkija rex Jehudæ; tradiditque *aurum* illarum regi Assyriæ.

17 [13] [f] Sed misit rex Assyriæ Tharthanem, & Rabsarisum, & Rabschakem Lacischo ad regem Chizkijam, cum copiis [c] numerosis [14] Jeruschalaima: qui ascendentes quum proficiscerentur Jeruschalaima, ascendentes venerunt & substiterunt ad aquæ ductum piscinæ superioris, qui *est* in aggere agri fullonis.

18 Quumq; inclamassent regem, egressus est ad eos Eljakim filius Chilkijæ, qui præerat domui; & Schebna scriba, & Joach filius Asaphi [d] a memoria.

19 [15] Quibus dixit Rabschake, dicite jam Chizkijæ, [16] sic ait rex maximus, rex Assyriæ, quæ *est* fiducia ista qua confidis?

20 [17] Dixeris, (verumtamen verba [e] futilia,) *adesse* consilium & fortitudinem ad bellum: nunc cui confidis quod rebellas contra me?

21 Nunc, ecce fiduciam tuam habueris in scipione arundinis istius quassatæ, in Ægyptio, [18] quo si quis innixus fuerit, intrans volam ejus perforabit eam, ita *est* Parhho rex Ægypti omnibus fiduciam habentibus in ipso.

22 Quòd si dixeritis mihi, in Jehova Deo nostro fiduciam habemus: nonne is *est* cujus abstulit Chizkija excelsa & altaria, edicens Jehudæ & Jeruschalaimis, coram altari hoc *adorantes* incurvate vos Jeruschalaimis?

23 [19] Sed nunc [f] misce bellum cum domino meo rege Assyriæ, & dabo tibi bis mille equos, si poteris suppeditare qui equitent eos pro te.

24 Quomodò ergo [20] averteres faciem ducis unius e servis domini mei minimis? sed fiduciam tuam habes in Ægyptio propter currus & propter equites.

25 *At* nunc, an absque Jehova ascendi contra locum hunc, ad perdendum eum? Jehova [21] edixit mihi; ascende contra regionem istam & perde eam.

26 [22] Dixit verò Eljakim filius Chilkijæ, & Schebna ac Joach Rabschaki, alloquere quæso servos tuos Syrè, intelligimus enim: neque alloquitor nos Judaicè, [g] audiente populo hoc qui *est* super murum.

27 Quibus dixit Rabschake, an ad dominum tuum, & ad te misit me dominus meus ut loquerer verba hæc? nónne ad homines istos qui sedent super murum, [23] ut comedant excrementa sua, & bibant lotium suum vobiscum?

28 Itaque subsistens Rabschake exclamavit voce magna Judaicè; & loquutus est dicens, audite verbum regis maximi, regis Assyriæ.

29 Ita ait rex, ne vos decipiat Chizkija; non enim poterit vos eripere e manu ejus:

30 Neque adducat vos Chizkija ut fiduciam habeatis in Jehova dicendo, [h] certò eripiet nos Jehova; neque tradetur civitas hæc in manum regis Assyriæ.

31 Ne auscultetis Chizkijæ: nam sic ait rex Assyriæ, transigite mecum munere & prodite ad me, sic comedite quisque *fructum* vitis suæ, & quisque *fructum* ficus suæ, ac bibite quisque aquas cisternæ suæ:

32 Usquedum veniens assumam vos, *deducendos* in terram similem terræ vestræ, terram frumenti & musti *feracem*, terram pane & vineis *abundantem*, terram olivæ oleosæ & mellis, & vivite, ac non moriamini: neque auscultate Chizkijæ, quia seducit vos dicendo, Jehova eripiet nos.

33 An [i] ullo modo eripuerunt dii gentium quisque terram suam; e manu regis Assyriæ?

34 Ubi *sunt* dii Chamathæ, & [24] Arpadi? ubi *sunt* dii [25] Sepharvajimorum, Henasi & [26] Hivvæ? [27] quin [28] eripuerint *etiam* Schomronem e manu mea?

35 Qui *sunt* inter omnes deos istarum regionum, qui eripuerint regionem suam e manu mea: ut eripiat Jehova Jeruschalaima e manu mea?

36 Obticuerunt autem populus, neq; responderunt ei quicquam: præceptum enim regis fuerat edicentis, ne respondeatis ei.

37 Venit itaque Eljakim filius Chilkijæ qui præerat domui, & Schebna scriba, ac Joach filius Asaphi a memoria ad Chizkijam [k] laceris vestibus: & indicaverunt ei verba Rabschakis.

CAPUT XIX.

Deus per Jeschahjam Chizkijæ promittit irritum fore Assyrii consilium de expugnandis Judæis. Iterum autem comminante & blasphemante Assyrio eandem promissionem repetit, signo confirmat, & implet, strage Assyriorum per angelum & Sancheribi cæde.

Fuit autem quum audiret rex Chizkija, ut laceraret vestimenta sua, & tegens se cilicio ingrederetur domum Jehovæ:

2 Et mitteret Eljakim qui præerat domui, & Schebnam scribam, ac seniores sacerdotum tectos ciliciis; ad Jeschahjam prophetam filium Amotzi.

3 Qui dixerunt ei, sic ait Chizkija, [l] dies angustiæ & increpationis & irritationis dies hic; [2] quum venerint filii usque ad os matricis, & vis non adsit ad partum.

4 [3] Fortasse auditurus est Jehova Deus tuus

---

[b] Heb. gazam.
[a] elatus rebus secundis seq. vers. excutiens jugum quod receperat pater Achaz, supra 16.7.
[3] qui patri Achazo multa ademerãt, 2. Chr. 28. 18.
[4] ut suprà 17. 9.
[5] ex quo tributarius, &c.
[6] obsidionis.
[c] suprà 17. 6.
[7] id est, in ditionem suam.
[8] aliquas aliarum: synecdoche.
[9] civitatem tribus Jehudæ quã Assyrius tunc oppugnabat, Jehoschu. 15. 39.
[10] id est, quasi sexcenta millia dalerorum.
[11] id est, postes & limina.
[12] laminis aureis, quum rursus aperiret domum Jehovæ primo mense anni primi, 2. Chro. 29. 3.
[13] non stans promissis accepta pecunia.
[d] Jeschah. 36.
[e] Heb. gravibus.
[14] ut ea suis præsidiis firmarent, & tyrannidis regiæ essent administri, cõtra quàm transactum fuerat.
[d] Heb. memorator: sic infrà ✝ 37.
[15] recusantibus præsidia ista intromittere.
[16] increpatio est dilemmatica: quasi dicat: Si tuis viribus fidis, vanitatis est: sin alienis, cujus obsecro? an Ægyptii? at societas illius exitialis est: an verò Dei? at illius cultum minuisti: nam blasphemè vitio vertit quod imperaverat Deus, Deut. 12. 5.
[17] id est, tecum cogitaveris, & populo persuaseris nihil tibi deesse quod ad propulsandum regem opus sit.
[e] Heb. labiorum.
[18] exegesis similitudinis: nam scipio arundineus quum in manu diffringitur, graviter lædit manũ.
[19] sarcasmus, quo ludificatur audaciam Chizkijæ propter tenuitatem ejus.
[f] Heb. misce te bello.
[20] propulsares.

[21] i. testatur mihi in animo, fore me vindicem injuriarũ, quibus [illegible] sit eum ✝ 22.
[22] id est, [illegible] corum de [illegible] ta omnium.
[g] Heb. in auribus [illegible]
[23] id est, [illegible] magnam ab [illegible] pertinacia [illegible] dant, eventura sunt calamitates istæ, & rerum summa difficultas.
[h] Heb. eripiendo eripiet.
[i] Heb. eripiendo eripuerunt.
[24] in regione [illegible] rapachinde, [illegible] melius Apamia, de summa [illegible] parte.
[25] vide supra 17. 24.
[26] Ingino [illegible] Ingilina [illegible] Epiphania [illegible] regionem in hac [illegible] sopotamia [illegible] literam [illegible] per literam [illegible] primant [illegible] ut diximus in Gen. [illegible]
[27] vide supra 17. 24.
[28] dii Schomronis videlicet [illegible]
[k] Heb. [illegible] fer.
[l] [illegible] sui, quo [illegible] mir de [illegible] stro, & Dei [illegible] men [illegible] [illegible]
[2] allegoria, [illegible] se partum [illegible] [illegible]

populum suum fecerit, præsentis verò periculi magnitudinem, [illegible] endi difficultati comparat, q. d. tantæ sunt angustiæ, ut neque [illegible] juvare; neque ego ipsum ex angustiis liberare possim.
[3] vide in [illegible] & Jeschah. 14. 12.

omnia verba Rabſchakis, quem miſit rex Aſſyriæ
dominus ejus ad afficiendum probro Deum vi-
ventem, & arguet verba iſta quæ audierit Jeho-
va Deus tuus; quum extuleris precationem tu-
am pro [4] hoc reſiduo quod præſens eſt.
5 Quum itaque veniſſent ſervi regis Chiz-
kijæ ad Jeſchahjam:
6 Dixit eis Jeſchahja, ſic dicite domino ve-
ſtro: ſic ait Jehova, ne timeto propter verba iſta
quæ audiviſti, quibus blaſphemârunt [5] pueri re-
gis Aſſyriæ me.
7 Ecce ego [6] indam ei ſpiritum, ut audito
[7] rumore revertatur [8] in terram ſuam; [9] tandem
dejiciam eum gladio in terra ejus.
8 Itaque reverſus Rabſchake invenit regem
Aſſyriæ oppugnantem [10] Libnam; audierat enim
eum profectum eſſe Laciſcho,
9 Audiens autem de [11] Thirhaka rege Cu-
ſchi dicentes, ecce procedit ut pugnet contra te;
[a] rurſus miſit nuncios ad Chizkijam, edicendo:
10 Sic alloquimini Chizkijam regem Jehu-
dæ, dicendo, ne decipiat te Deus tuus in quo tu
fiduciam habes, dicendo; nō tradentur Jeruſcha-
laima in manum regis Aſſyriæ.
11 Ecce tu audiviſti id quod fecerunt reges
Aſſyriæ omnibus aliis regionibus internecioni
devovendo *incolas* earum: & tu eripereris?
12 An dii gentium quas perdiderunt majores
mei eripuerunt eas? [12] Gozanem & [13] Chara-
nem, & [14] Retzephum, & [15] Hedenitas qui *ſunt*
in [16] Telaſaro?
13 Ubi *eſt* rex [17] Chamathe, & rex Arpadi, &
rex civitatis illius Sepharvajimorum; Henahi &
Hivæ?
14 Quumq; accepiſſet Chizkija literas e ma-
nu nunciorum, & legiſſet eas; aſcendens *in* do-
mum Jehovæ, explicavit eas Chizkija coram Je-
hova:
15 Et precatus eſt Chizkija coram Jehova,
dicens, Jehova Deus Jiſraëlis, [18] inſidens Ceru-
binis, tu es Deus [19] ſolus omnibus regnis terræ:
tu feciſti cœlum & terram.
16 Inclina Jehova aurem tuam, & audi, aperi
Jehova oculos tuos & vide: audi, inquam, verba
Sancheribi, illius quem miſit ad probro afficien-
dum Deum viventem.
17 Verum eſt Jehova: vaſtaverunt reges Aſ-
ſyriæ gentes illas, & regionem earum:
18 Et tradiderunt deos earum igni: quia dii
non erant, ſed opus manuum hominis, lignum
aut lapis, ideò perdiderunt eos.
19 Itaque nunc Jehova Deus noſter ſerva nos,
quæſo, e manu illius: ut cognoſcant omnia re-
gna terræ, te Jehovam Deum eſſe ſolum.
20 Tum miſit Jeſchahja filius Amotzi ad
Chizkijam qui diceret; ſic ait Jehova Deus Jiſ-
raëlis, quæ precatus es me contra Sancheribum
regem Aſſyriæ exaudivi.
21 Hoc eſt verbum quo [b] edicit Jehova *re-
ſponderi* ei: [20] contemnit te, ſubſannat te Virgo
filia Tzijonis, poſt te [21] caput movet filia Jeru-
ſchalaimorum.
22 Quem probro affeciſti ac blaſphemâſti? &
contra quem extuliſti vocem? quòd attollis in
ſublime oculos tuos, contra ſanctum Jiſraë-
lis.
23 Per nuncios tuos probro affeciſti Domi-
num, quum diceres, multitudine curruum meo-
rum ego aſcendi ſummitatem montium, latera
Libani: & ſuccidam [c] proceras cedros ejus lectiſ-
ſimas abietes ejus, [22] ingrediar etiam [d] extremum
diverſoriorum ejus, ſylvas, arva ejus:

[4] reliquæ enim decem tribus jam in captivitatē abierant, ſup. 17. & regni Judaici pars jam ab Aſſyrio obtinebatur, ſup. 18. 13.
[5] i. miniſtri: ſic Exod. 33. 11.
[6] i. afficiam animum ejus hac voluntate.
[7] de adventu Thirhakæ, v. 9.
[8] ut hoſtem invadentem depellat: ſic experiemini periculum non ita præſens eſſe ut putatis.
[9] iis geſtis quæ prædicuntur v. 28. & completa narrantur v. 37.
[10] vide Jehoſ. 15. 14. & 21. 13.
[11] Strabo Tearchonem Æthiopem vocat. vide Gen. 10. 6.
[a] *Heb. reverſus eſt & miſit.*
[12] vide ſup. 17. 6.
[13] i. Charras Meſopotamiæ, Gen. 11. 31.
[14] Reſipha Ptolemæo, Meſopotamiæ.
[15] vide Gen. 2. 9.
[16] nomen eſt caſtrorum ſive munitionis in medio Euphratis ſitæ, quam Ammianus Marcellinus appellat Thilutham libro 24. hiſtoriarum, quò Hedenitæ præſidiarii a rege Babyloniæ videntur fuiſſe miſſi, ut adverſus vim Aſſyriorum defenderent locum. Sic autem dicitur quaſi objectum Aſſyrio propugnaculum. Jeroſolymitanus pro Reſeno accipit: alii pro Seleucia: jam neutrum probamus.
[17] vide ſup. 18. 34.
[18] ut 1. Sche. 4. 4.
[19] contra quàm dixerat Aſſyrius ſup. 18. 35. & hic verſu 12.
[b] *Heb. edicit Jehova ad eum.*
[20] i. non curat: ſed ludificatur te, ut imbecilla & infirma eſt.
[21] i. amarulenter ridet: ſynecdoche, ut Pſal. 22. 7.
[c] *Heb. proceritatem cedrorum, & delectum abietum ejus, &c.*
[22] i. nihil non pervadam.
[d] *Heb. diverſorium terminalis.*

24 Ego effodio ut bibam aquas [23] exteras:
[24] nam exſicco planta pedum meorum omnes ri-
vos locorum [e] obſeſſorum.
25 An nō audiviſti inde a longo *tempore* [25] me
id facere? inde a diebus priſcis ut formaverim il-
lud? [26] nunc adduco illud, ut ſis ad deturbandum
in acervos vaſtos civitates munitas.
26 [27] Ideò habitatores earum contracti ma-
nu, territi ſunt, & erubuerunt: fuerunt *ut* herba
agri, & [f] oleracea herba tenera, *ut* fœnum tecto-
rum & *arvum* tactum uredine, [g] antequàm in cul-
mum aſſurgat.
27 Utique ſeſſionem tuam, & profectionem
tuam, & inceſſum tuum novi: etiam furorem tu-
um contra me.
28 Quoniam tu furis contra me, & tumultu-
atio tua aſcendit ad aures meas: ideò ponam
[28] hamum meum in naſo tuo, & frænum meum
inter labia tua, ac perducam te viâ illâ per quam
veniſti.
29 [29] Illud autem eſto tibi hujus *rei* ſignum,
[30] comedere vos anno uno ſponte natū, & anno
altero ſponte renatum: anno demum tertio [31] ſe-
rite, & metite, ac plantate vineas, & comedite
fructum earum.
30 [h] Nam reſiduum domus Jehudæ quod re-
lictum fuerit, rurſus [32] radicabitur infernè; & fru-
ctum proferet ſupernè:
31 Quum Jeruſchalaimis [33] prodibit reliquū,
& reſiduum e monte Tzijonis: zelus Jehovæ ex-
ercituum facturus eſt iſtud.
32 [34] Propterea ſic ait Jehova de rege Aſſy-
riæ, non eſt [35] ingreſſurus in civitatem hanc, neq;
jaculaturus huc ſagittam: neque oppoſiturus ei
ſcutum, neque diffundet contra eam [i] miſſilia ca-
tapultaria.
33 Viâ qua venerit, eâdem revertetur: in civi-
tatem verò hanc nō ingredietur, dictum Jehovæ.
34 Nam protegam civitatem hanc ad ſervan-
dum eam; propter me & [36] propter Davidem ſer-
vum meum.
35 Itaque fuit, nocte eadem; ut prodiens an-
gelus Jehovæ percuteret in caſtris Aſſyriorum
centum octoginta quinque millia: quumq; ſur-
rexiſſent manè, ecce omnia illa erant cadavera
mortuorum.
36 Quare profectus abivit, & reverſus eſt San-
cherib rex Aſſyriæ; conſeditq; Nineves.
37 Ubi fuit, ipſo ſe incurvante *in* æde Niſroci
Dei ſui, ut Adrammelec, & Scharetzer filii ejus
percuterent eum gladio, ipſi verò proripuerunt
ſe in terram [37] Ararati: & regnavit Eſar-Chad-
don filius ejus pro eo.

[23] i. novas, antè incognitas.
[24] thraſonica hyperbole.
[e] *Heb. rivos obſidionis.*
[25] quod tu tibi arrogas, ſupr. v. 22. & 23.
[26] i. in tuis victoriis quas jactas: q. d. ego ipſe ſum auctor, & tuo miniſterio utor ad deturbandum &c.
[27] i. ut tibi animum adjeci, ita illis abſtuli, ut nullo negotio vincerentur.
[f] *Heb. viriditas herbæ teneræ.*
[g] *Heb. ante culmum.*
[28] metaphora ſumta a piſcatoribus & agaſonibus.
[29] Apoſtrophe ad Chizkijam, altera prophetiæ pars.
[30] i. hæc rerum copia ſine cultura, qua ex Dei libertate jam biennio quamvis graſſantibus hoſtibus fruimini, confirmet in vobis certitudinem liberationis promiſſæ, & venturæ tranquillitatis.
[31] i. metu ab hoſtibus abjecto agros audenter colite.
[h] *Heb. addet reſiduum &c. radicem infernè.*
[32] i. ex omni parte proſperabitur: metaphora a plantis.
[33] i. reliquiæ populi, quæ intra muros Jeruſchalaimorū propter hoſtes ſe continebant, prodibūt liberæ ab obſidione.
[34] ut promiſſionis ſuæ veritatem oſtendat.
[35] i. non inſtituet obſidionem in ſecundo ſuo adventu. [i] *Heb. catapultam: metonym.* [36] i. promiſſionem illi factam, 1. Reg. 11. 12. [37] vide Gen. 8. 4.

CAPUT XX.

Chizkija ex lethali ulcere decumbens Deum precatur, ſanitatem ac prorogationem regni in quindecim annos obtinet: & ſigno de promiſſione Dei confirmatur. Deinde a legatis Babylonii ſalutatus, ſuperbè illis ſuos theſauros oſtentat: quam ob rem per Jeſchahjam graviter objurgatur: & de direptione opum, ſuorumq; captivitate præmonetur: cui ſuccedit Menaſche.

1 Diebus illis ægrotavit Chizkija [a] lethaliter:
& veniens ad eum Jeſchahja filius Amotzi
propheta dixit ei, ſic ait Jehova, da præcepta fa-
miliæ tuæ, nam tu [b] brevi morieris, ac [1] non
vives.

[1] i. quartodecimo anno regni ejus, quum advētu Tirhakæ Aſſyrius avocaretur a Judæa, quod evincit verſiculus 6.

[a] *Heb. ad moriendum.* [b] *Heb. tu es mortuus, ut Gen. 20. 3.* [1] i. non potes vivere ex tanto morbo ullo naturæ remedio: ſed hæc omnia & ſubſunt & pronunciantur ſub conditione voluntatis & potentiæ divinæ.

2 Quapropter advertens faciem suam ad parietem, oravit Jehovam dicendo:

3 Obsecro Jehova, recordare jam me [3] indesinenter ambulasse coram te fideliter & [c] animo integro, & quod bonum *videtur* in oculis tuis fecisse: flevitque Chizkija fletu magno.

4 Tum fuit, Jeschahija nondum egresso [4] in civitatem medianam, ut verbum Jehovæ esset ad eum, edicendo:

5 Revertere ut dicas Chizkijæ antecessori populi mei, sic ait Jehova Deus Davidis patris tui, audivi precationem tuam, vidi lacrymas tuas: ecce sano te, die tertio ascensurus es *in* domum Jehovæ.

6 Et addam diebus tuis quindecim annos, & e manu regis Assyriæ eripiam te, & civitatem hanc, protegamq; civitatem hanc propter me, & [5] propter Davidem servum meum;

7 Tum edixit Jeschahija, sumite palatham ficuum: quam sumentes imposuerunt ulceri illius, [6] ita revaluit.

8 Dicente verò Chizkija Jeschahijæ, [7] quod *est* signum Jehovam sanaturum esse me? & me ascensurum die tertio *in* domum Jehovæ?

9 Dixit Jeschahija, hoc ipsum tibi *esto* signum [8] a Jehova, facturum esse Jehovam rem quam loquutus est: abeátne [9] ista umbra decem gradibus, an retrocedat decem gradibus?

10 Cui dixit Chizkija, levius *esset* umbram [10] declinare decem gradibus: non *hoc*, sed retrocedat umbra ista decem gradibus.

11 Quapropter quum inclamâsset Jeschahija propheta Jehovam; [11] reduxit umbram illam iisdem gradibus, quibus descenderat in solario Achazi decem gradibus.

12 Tempore illo [12] misit [d] Berodac Baladan filius Baladanis [13] rex Babyloniæ literas cum munere ad Chizkijam: audîerat enim ægrotâsse Chizkijam.

13 Ad quos intentus Chizkija, ostendit eis totum gazophylacium suum, argentum, & aurum, & aromata, ac oleum præstantissimum, & domum vasorum suorum, denique quicquid inveniebatur in thesauris suis: non fuit quicquam quod non ostenderet eis Chizkija in domo sua, & in tota ditione sua.

14 Quapropter ingressus Jeschahija propheta ad regem Chizkijam, dixit ei, quid dixerunt homines illi, & unde venerunt ad te? cui dixit Chizkija, e terra longinqua venerunt Babylone.

15 Iterum dicenti, quid viderunt domi tuæ? dixit Chizkija quicquid *est* domi meæ viderunt: non fuit quicquam quod non ostenderim eis in thesauris meis.

16 Tum dixit Jeschahija Chizkijæ; audi verbum Jehovæ.

17 Ecce dies venturi sunt; quibus deportabitur quicquid *est* domi tuæ, & quod recondiderunt majores tui usque in diem hunc, in Babyloniam: non relinquetur quicquam, ait Jehova.

18 De filiis etiam tuis, qui prodibunt ex te, quos genituru es, assument: ut [14] sint aulici in palatio regis Babyloniæ.

19 Dixit verò Chizkija Jeschahijæ, bonum *est* verbum Jehovæ quod loquutus es: prætereà dixit, [15] nonne? quandoquidem pax & stabilitas futura est diebus meis.

20 Reliquæ autem res Chizkijæ & tota fortitudo ejus, utque fecit piscinam, & aquæ ductum, quo induxit aquam in [16] civitatem: nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jehudæ?

21 Tandem quum occubuisset Chizkija cum patribus suis; regnavit Menasche filius ejus pro eo.

[3] q.d. me pro virili mea conditioni adhæsisse quam proposueras 1. Reg. 8.25. peto igitur ut memor promissi tui ibidem, non patiaris vitâ excedere me sine successore filio: nam triennio post Menasche ei natus est, inf. 21.1.
[c] Heb. corde.
[4] nam duplex erat civitas præter civitatem Davidis: ut diximus in Judic. 1.8. & ex historia Joschijæ infrà 22.14 & Nechemjæ cōstat. Hebræi omnes legunt (ut antè fecimus) in atrio mediano, præter fidē scripturæ, & citra necessitatem: quamobrem id nunc improbamus. Quòd si quis servare mavult, atrium medianum intelligendum erit interius ipsi porticu, quod 1. Reg. 7.8. atrium alterum vocatur.
[5] sup. 19.34.
[6] non ex facultate ficuum, cùm morbi natura esset indomita a mediis naturalibus: sed ex Dei verbo.
[7] q.d. modò dixisti actum esse de vita mea, jam verò sanitatem promittis: vellem signo confirmari hoc promissum.
[8] q.d. non ex me profectum: sed a Jehova.
[9] pariter retrocedente sole: synecdoche, ut apparet ex Jeschahijæ 38.8. Erant autem gradus singuli πρὸς τὸ ἡμιώριον, ad semihoras notandas constituti. Solarium enim diurnum horas duodenas indicat, vel semihoras vicenas quaternas, quarum gradus totidem commatis distinguuntur, umbra verò per sciatheram uel gnomona secundùm Solis cursum pervadit omnia cōmata solarii, sive (ut Propheta appellat) gradus. Fuisse autem ἡμιωριαίους gradus evincit denarii numeri duplicatio qua Deus uti Prophetam voluit quum Regi Chizkijæ optionem daret.
[10] id est, uno momento in decimum gradum abripi.
[11] ita dies qui duodenas horas continebat vigintiduarum effectus est.
[12] priùs fiduciarius Assyriis; tandem verò Assyriorum & Babyloniorum monarcha effectus.
[d] *qui & Merodach Jeschā. 39.1.*
[13] ad inquirendum prodigium, prout observatum fuerat a Chaldæis, 2. Chro. 32.31.

[14] quod completum esse legimus infrà cap. 24. & 25.
[15] i. omnino bonum & justum, affirmandi ratio apud Hebræos usitata: sic 1. Sche. 10.1.
[16] ut illam hostibus interciperet, 2. Chro. 32.3.4. & 30. versic. de hac piscina vide Nechemjæ 3.16.

CAPUT XXI.

Menasche omnium pessimè se in regno gerente, Deus illius domui & regno excidium denunciat: mortuo succedit Amon filius patri in malo similis, quo per conspirationem sublato regnat filius Joschija.

NAtus duodecim annos Menasche quum regnare inciperet, [1] quinquaginta quinque annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Chephtzi-Ba.

2 Qui fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; secundùm abominationes illarum gentium quas expulerat Jehova a [a] conspectu Jisraëlitarum.

3 Nam [b] rursus ædificavit excelsa quæ [2] perdiderat Chizkija pater ipsius; erexitque altaria Bahali, ac fecit lucum quemadmodum fecerat [3] Achab rex Jisraëlis, & incurvans se toti exercitui cœlorum coluit ea.

4 Etiam exstruxit altaria in domo Jehovæ; de qua dixerat Jehova, Jeruschalaimis collocabo [4] nomen meum:

5 Exstruxit, inquam, altaria toti exercitui cælorum; in [5] duobus atriis domus Jehovæ.

6 Prætereà traduxit filium suum per ignem, præstigiisq; & conjectationibus usus est, & instituit pythonem & ariolos: [c] plurimum fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ provocando *eum.*

7 Et collocavit sculptile luci quod paraverat; in domo de qua [6] dixerat Jehova Davidi & Schelomoni filio ejus, in domo hac & Jeruschalaimis quæ elegi præ omnibus *locis* tribuum Jisraëlis, collocabo nomen meum in seculum:

8 Neque deinceps [d] faciam ut erret pes Jisraëlitarum ab hac terra quam tradidi majoribus eorum; si modò [e] observantes fecerint omnino prout præcepero eis, & secundùm totam legem quam præcepit eis servus meus Mosche.

9 At non auscultârunt; nam fecit Menasche ut aberrarent faciendo quod malum est, ampliùs quàm gentes quas perdiderat Jehova a conspectu Jisraëlitarum.

10 Quamvis loqueretur Jehova per servos suos prophetas, dicendo:

11 Propterea quòd fecit Menasche rex Jehudæ abominationes istas, pejora egit omnibus quæ fecerunt Emoræi qui antecesserant eum: & ad peccandum induxit etiam Jehudam in stercoreis diis suis:

12 Idcircò sic ait Jehova Deus Jisraëlis, ecce ego inducturus sum malum super Jeruschalaima & Jehudam: quod quisquis audierit, [f] tinnient ambæ aures ejus.

13 Extensurus enim sum super Jeruschalaima [7] regulam Schomronis, & perpendiculum [8] domus Achabi: [9] & abstersurus sum Jeruschalaima, ut qui abstergere solet gabatam, abstergit,

[1] comprehensis iis quibus fuit captivus in Babylonia, 2. Chro. 33. 11.
[a] Heb. a facie filiorum Jisraëlis.
[b] Heb. reversus est & ædificavit.
[2] supra 18.4.
[3] 1. Reg. 16.33. 34. 35.
[4] subaudi solum, 1. Re. 8.29. & 9.3.
[5] populi & sacerdotum.
[c] He. multiplicavit facere.
[6] Psal. 132.
[d] Heb. addam facere ut erret.
[e] Heb. observent faciendo.
[f] vide 1. Schem. 3.11.
[7] i. eodem modo Jeruschalaima tractabo, quo tractavi Schomronem: metaphora sumta ab architectis.
[8] id est, sicut Achabi gens deleta est, ita horum familiam prorsus deleturus sum: quod exsequutus est, partim in Tzidkija & filiis, infr. 25.7. partim in Jismahele, ibidem ver. 26. Nam Zerubbabel & successores ejus non per Schelomonem, ut reliqui omnes; sed per Nathanem a Davide descenderunt, ut apparet Luc. 3.
[9] cives regni Judaici, ut [illegible] patinæ [illegible] oris, abstergendo, & præsens regnum subvertendo, vide complementum Jeremjæ 39.

abstergit, deinde subvertit [f] eam in os:

14 Et deserens residuum possessionis meæ, tradam eos in manum hostium eorum; ut sint prædæ & conculcationi omnibus hostibus suis.

15 Quandoquidem fecerunt quod malum *videtur* in oculis meis, & provocârunt me, inde a die quo egressi sunt majores eorum ex Ægypto usq; in diem hunc.

16 Insuper etiam sanguinem innoxium fudit Menasche quamplurimum, usque adeò ut impleret Jeruschalaima [g] confertim: præter peccatum suum quo ad peccandum induxit Jehudam, ut faceret quod malum *videtur* in oculis Jehudæ.

17 Reliquæ autem res Menaschis, & [10] quicquid fecit, peccatumq; ejus quo peccavit: nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jehudæ?

18 Tandem quum occubuisset Menasche cum patribus suis, sepultus est in [11] horto domus suæ, in horto Huzzæ: regnavítque Amon filius ejus pro eo.

19 Natus viginti duos annos Amon quum regnare inciperet, duobus annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Meschullemeth filia Charutzi e [12] Jotba.

20 Hic fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; quemadmodum fecerat Menasche pater ejus.

21 Ambulavit enim in tota illa via, qua ambulaverat pater ejus; & colens stercoreos deos quos coluerat pater ipsius, incurvavit se *habens honorem* eis:

22 Et derelinquens Jehovam Deum majorum suorum, non ambulavit in via Jehovæ.

23 Conspiraverunt autem servi Amonis contra eum; & morte affecerunt regem suum in domo ejus.

24 Percussit verò populus regionis omnes qui conspiraverant contra regem Amonem: & regem constituerunt populus regionis Joschijam filium ejus pro eo.

25 Reliquæ autem res Amonis quas fecit; nónnne sunt scriptæ in libro [13] Chronicorum regum Jehudæ?

26 Quem sepelivit in sepulcro [14] illius, in horto Huzzæ; & regnavit Joschija filius ejus pro eo.

CAPUT XXII.

Joschija domus Dei instaurationem urgente, summus sacerdos librum legis authenticum nactus ad regem mittit: cujus lectione perculsus Deum consulit: & sententiam de regni excidio accipit: etsi exsequutio ejus propter abjectionem regis, post mortem illius rejicitur.

Natus [1] octo annos Joschija quum regnare inciperet, uno & triginta annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Jedida filia Hadajæ [1] Botzkathæa.

2 Hic fecit quod rectum *videtur* in oculis Jehovę; ambulans omnino in via Davidis patris sui, neq; recedens dextrorsum aut sinistrorsum.

3 Fuit autem anno decimooctavo [2] regis Joschijæ, *ut* mitteret rex Schaphanem filium Atzaljæ filii Meschullami scribam, *in* domum Jehovæ, dicendo:

4 Ascende ad Chilkijam sacerdotem summum, ut [3] absolvat *aptare* pecuniam inferendam *in* domum Jehovæ, quam collegerunt [4] custodes liminis ejus, a populo:

5 Et tradant eam in manum curatorũ operis, qui præfecti sunt in domo Jehovæ; ut tradant eam opificibus qui *sunt* in domo Jehovæ, ad curandum labem domus:

6 Fabris & structoribus & cæmentariis; item ad comparandum ligna, & lapides cæduos, ad curandum domum.

7 Verumtamen non subducebatur [5] cum illis ratio pecunię traditæ in manum illorum: nam fidè illi agebant.

8 [6] Tum dixit Chilkija sacerdos summus Schaphani scribæ, [7] librum legis inveni in domo Jehovæ, tradiditq; Chilkija librum ipsum Schaphani, qui legit illum.

9 Quumq; veniens Schaphan scriba ad regem, retulisset regi rem; ac dixisset, conflaverunt servi tui pecuniam illam quæ inventa fuit in domo, & tradiderunt eam in manum curatorum operis, qui pręfecti sunt *in* domo Jehovæ:

10 Indicavit Schaphan scriba regi dicendo, librum tradidit mihi Chilkija sacerdos: legitq; eum Schaphan coram rege.

11 Fuit autem quum audiret rex verba libri legis, ut laceraret vestimenta sua:

12 Et præciperet rex Chilkijæ sacerdoti, & Achikamo filio Schaphanis, & [a] Hacbori filio Mikajæ, & Schaphani scribæ, ac Hasajæ servo regis, dicendo:

13 Ite, consulite Jehovam pro me & pro populo, nempe pro toto Jehuda, super verbis libri hujus qui inventus est: nam magna *est* excandescentia iræ Jehovæ quæ accensa est in nos, eo quòd non auscultârunt patres nostri verbis legis hujus, ut facerent omnino prout præscriptum est nobis.

14 Itaque abiit Chilkija sacerdos, & Achikam, & Hacbor, & Schaphan, & Hasaja, ad Chuldam prophetissam uxorẽ Schallumi filii [b] Thikvæ filii Charchasi vestiarii, ea enim habitabat Jeruschalaimis in parte [8] secunda ab eo: & alloquuti sunt eam.

15 Quibus dixit, sic ait Jehova Deus Jisraëlis, dicite viro qui misit vos ad me:

16 Sic ait Jehova, ecce inducturus sum malum contra locum hunc, & contra habitatores ejus; omnia verba istius libri, quem legit rex Jehudæ:

17 Propterea quòd dereliquerunt me, & adoleverunt diis alienis, ut irritarent me omni opere manuum suarum: ideò accensa manebit æstuans ira mea in locum hunc, & non exstinguetur.

18 De rege verò Jehudæ, qui misit vos ad cõsulendum Jehovam, sic dicitote ei: sic ait Jehova Deus Jisraëlis, quòd audivisti verba ista;

19 Quia mollitus est [c] animus tuus, & demisisti te a facie Jehovę, quum audivisses ea quæ loquutus sum contra locum hunc & contra habitatores ejus, fore in desolationem & in maledictionem, & lacerans vestimenta tua flevisti coram me; ideò etiam ego audivi, dictum Jehovæ.

20 Propterea ecce ego faciam ut aggregeris ad patres tuos, & aggregeris ad sepulcra tua [9] in pace; ut non videant oculi tui totum istud malum quod ego inducturus sum contra locum hunc: qui retulerunt regi rem.

CAPUT XXIII.

Joschija cum toto populo fœdus cum Deo renovat: Templum & regnum ab idololatria repurgat: idololatriæ auctores castigat: prædicta Jarobhamo Jisraëlitarum regi primo, complet: Dei cultum restituit:

f Heb. in faciem ejus.

g Heb. ore ad os ut sup. 10.21.

10 post captivitatem suam, de quibus vide 2. Chro. 33. à ℣. 11

11 et testamento (ut credibile est) aut voluntate ultima ipsius: tamquam si resipiscens tum demum agnovisset ac professus esset indignum esse se, qui cum majoribus in sepulcro Regum reponeretur.

12 fortassis illa Jotba in finibus Moabitarum, de quâ Num. 33.33. & Deut. 10.7.

13 ut 1. Reg. 11. 41.

14 puta Menaschis patris, qui cum sepeliri voluit superstitione ductus.

a 2. Chro. 34.

1 Botzka oppidũ est Jehudæ, Jehos. 15.39.

2 i. regni ejus: vide omnia copiosiùs, 2. Chro. 34.

3 i. recolligat, aut argentum infusum pecuniæ conflatae, ut accommodari ad usum suum statim possit, quod fieri coepit 12. cap. suprà.

4 Levitici ordinis, ibidem ℣. 10.

5 curatoribus operis Levitis, ut ostenditur, 2. Chro. 34. 12.

6 quum exsequutioni mandâsset quod rex imperaverat.

7 authenticum Moschis autographum, jussu Dei in sacrario repositum, Deut. 31. 24. & sequentibus.

a qui Habdonfi lius Mica, 2. Chron. 34.

b qui & Thokhat filius Chasrazhid.

8 i. in parte civitatis, regiæ proxima: sic redditur ratio, cur ad hanc potius quàm ad alios rex hos miserit. vide suprà in 20.4. Alii scholã vel ludum literarium exponunt, q. d. repetitionum locum: quæ interpretatio usui quidem Hebræorum in Commentariis recepto convenit: sed in Scripturis sine exemplo est, si bene observavimus.

c Heb. cor.

9 id est, incolumi regno & nondum effusa ira, quam interminatus sum (nam alioquin Joschija telo exstinctus est infrà 23.9. & 2. Chron. 35.23.) denique cum bona gratia mea.

tandem bello contra AEgyptium temerè ſuſcepto occiditur: Joachaz ſuccedens, ab eodem AEgyptio vinctus abducitur, Jehojakimo fratre ei ſubſtituto, & tributario facto.

QUum itaque miſiſſet rex; qui congregarent
ad ſe omnes ſeniores Jehudæ & Jeruſcha-
laimorum:
2 Aſcendit rex *in* domum Jehovæ & omnes
viri Jehudæ, omneſque habitatores Jeruſchalai-
morum cum eo, cùm ſacerdotes, tum prophetæ,
ac totus populus a minimo uſq; ad maximum: &
legit [a] ipſis audientibus omnia verba libri fœde-
ris, qui inventus fuerat in domo Jehovæ.
3 Deinde ſtans rex ad [1] columnam ſuam pe-
pigit fœdus coram Jehova, ſe ſequuturos Jeho-
vam & obſervaturos præcepta ejus, & teſtimonia
ejus, ac ſtatuta eius ex toto corde & ex toto ani-
mo, præſtanda verba fœderis illius, quæ ſcripta
ſunt in libro iſto, cui [2] adſiſtebat totus populus in
ipſo fœdere.
4 Tunc pręcepit rex Chilkijæ ſacerdoti ſum-
mo, & ſacerdotibus ſecundanis, ac cuſtodibus li-
minis; ut efferrēt e templo Jehovę omnia illa in-
ſtrumenta quæ parata fuerant Baħali, & luco, to-
tiq; exercitui cælorum: quæ combuſſit extra Je-
ruſchalaima in agris Kidronis, quorum pulverem
deportari curavit [3] Beth Elem.
5 Præterea abolevit [4] atratos, quos conſti-
tuerant reges Jehudæ, ut *eorum quiſque* adoleret
in excelſis per civitates Jehudæ, & ambitum Je-
ruſchalaimorum: ſimiliter eos qui adolebant Ba-
ħali, Soli & Lunæ, ac [b] planetis, denique toti ex-
ercitui cælorum.
6 Exportavit etiam [5] lucum e domo Jehovæ
extra Jeruſchalaima ad torrentem Kidronem,
quem comburens ad torrentem Kidronem com-
minuit in pulverem: & projecit pulverem ejus
ſuper ſepulcrum [6] illorum popularium.
7 Et deſtruxit [c] lupanaria quæ *erant* in domo
Jehovæ; ubi mulieres texebant [7] ædiculas ad lu-
cum.
8 Inſuper adductis omnibus ſacerdotibus
[8] e civitatibus Jehudæ, polluit excelſa ubi adole-
verant ſacerdotes iſti a [9] Gebaħo [10] Beerſcheba-
ħum uſq;, & deſtruxit etiam excelſa portarum,
[11] *etiam* quod *erat ad* oſtium portæ Jehoſchuħæ
præfecti urbis, quod *erat* ad ſiniſtram cujuſq; *in-
trantis* portam civitatis.
9 Verumtamen [12] non offerunt [13] ſacerdotes
illi excelſorum in altari Jehovæ Jeruſchalaimis;
[14] ſed comedunt azymos panes inter fratres ſuos.
10 [15] Polluit etiam Thophethum quod eſt in
[16] valle filiorum Hinnomi: ne traduceret quiſquā
filium ſuum aut filiam ſuam per ignem Moleco.
11 [17] Abolevit quoque equos illos quos po-
ſuerant reges Jehudę Soli ab ingreſſu in domum
Jehovæ ad [d] domum Nethan-Meleci aulici, quæ
erat in ipſis [18] ſuburbiis: [19] currus autem Solis
combuſſit igni.
12 Et altaria quæ *erant* [20] ſuper tectum cœ-
naculi Achazi quæ fecerant reges Jehudæ, eti-
am altaria quæ [e] fecerat Menaſche in duobus atri-
is domus Jehovæ deſtruxit rex: quibus abruptis
inde, projecit pulverem eorum in torrentem
Kidronem.
13 Item excelſa quæ *erant* in conſpectu Jeru-
ſchalaimorum, quæ *erant* [21] ad dexteram [22] mon-
tis corrumpentis; quæ [f] ædificaverat Schelomo
rex Jiſraëlis Haſchthorethæ abominationi Tzi-
doniorum, & Cemoſcho abominationi Moabita-
rum, & Milcomo abominationi Hammonitarum;
polluit rex.
14 Et confractis ſtatuis ac ſuccisis lucis earū;
implevit loca earum oſſibus hominum.
15 Quin-etiā altare illud quod *erat* Beth-Ele,
excelſum illud [g] quod fecerat Jarobħam filius
Nebati quo ad peccandum induxit Jiſraëlem, e-
tiam altare illud & excelſum illud deſtruxit; &
comburens excelſum illud comminuit in pulve-
rem, & combuſſit lucum;
16 Quum aſpiciens Joſchija vidiſſet ſepulcra
illa quæ ibi *erant* in monte, & mittens accepiſſet
oſſa ex ipſis ſepulcris, & [h] comburens in illo altari
polluiſſet ipſum; ſecundùm verbum Jehovæ
quod proclamaverat vir ille Dei, qui prædixerat
res iſtas.
17 Dicente autem, quid *ſibi vult* monumen-
tum hoc quod ego video? dixerunt ei homines
illius civitatis, hoc ſepulcrum *eſt* illius viri Dei,
qui veniens e Jehuda prædixerat res iſtas quas
feciſti contra hoc altare Beth-Ele.
18 Qui dixit, ſinite illud, ne quis commove-
to oſſa ejus: ſic eripuerunt oſſa ejus, cum oſſi-
bus illius prophetæ [23] qui venerat e Schom-
rone.
19 Atq; adeò omnes domos excelſorum quæ
erant in civitatibus Schomronis, quas fecerant re-
ges Jiſraëlis irritando *Jehovam*, amovit Joſchija:
ac fecit illis ſecundùm omnia facta quæ fecerat
Beth-Ele.
20 Et mactavit [24] omnes ſacerdotes excelſo-
rum qui *erant* ibi, ſuper ipſa altaria, combuſſitq;
oſſa hominum in eis: deinde reverſus eſt Jeru-
ſchalaima.
21 Tum præcepit rex toti populo, dicendo,
celebrate Paſcha Jehovæ Deo veſtro; prout ſcri-
ptum eſt in libro fœderis hujus.
22 Quamvis non celebratum fuerit par huic
Paſchati [25] a diebus judicum qui judicârunt Jiſ-
raëlem; & ullis diebus regum Jiſraëlis aut re-
gum Jehudæ;
23 Ut decimooctavo anno regis Joſchijæ, ce-
lebratum eſt Paſcha iſtud Jehovæ Jeruſcha-
laimis:
24 Atque etiam pythones, & ariolos, & ima-
gines, ac ſtercoreos deos, & omnes abominatio-
nes quæ conſpiciebantur in terra Jehudæ & Je-
ruſchalaimis ſuſtuliſſet Joſchija; ut præſtaret ver-
ba legis ſcripta in libro quem invenerat Chilkija
ſacerdos *in* domo Jehovæ:
25 Et par ei non fuiſſet ante ipſum rex, qui re-
verteretur ad Jehovam ex toto corde ſuo, & ex
toto animo ſuo, totiſq; viribus ſuis, omnino ſe-
cundùm legem Moſchis; nec poſt eum exſtiterit
par ei:
26 Attamen non eſt reverſus Jehova a furore
iræ ſuæ maximo, quo accenſa erat ira ejus in Je-
hudam; [26] propter omnia irritamenta quibus ir-
ritaverat eum Menaſche.
27 Sed dixit Jehova, etiam Jehudam amove-
bo a facie mea, quemadmodum amovi Jiſraë-
lem: & ſpernam civitatem hanc quam elegeram,
Jeruſchalaima, etiam domum hanc de qua dixe-
ram, erit nomen meum ibi.
28 Reliquę autem res Joſchijæ, & omnia quæ
fecit;

a *Heb. in auribus eorum.*
1 vide ſup. 11.14.
2 præſentia videlicet & opere, ut ſequentia docent.
3 ut comportatis undique ſordibus locum illum quē Jiſraëlitæ ſacrum habuerant, religione ſpoliaret: parebat enim Beth-el regno Jehudæ inde a temporibus Abijæ, 2. Chron. 13.19. vide in 1. Machæo. 11.34.
4 id eſt, ſacrificulos pullis veſtibus indutos, ex ſuperſtitioſo ritu: de quibus Hoſche. 10. 5. & Tzephan. 1.4.
b *vel ſignis cœleſtibus.*
5 a Menaſche cōſtitutum, ſuprà 21.7.
6 videlicet idololatrarū; in deteſtationem idololatriæ cui adhæſerant, & contaminationem ſepulcrorum in exemplum vivis.
c *Heb domos meritoriorum.*
7 id eſt, ſacella textilia.
8 i. ex excelſis quæ in ſingulis civitatibus erant, ut ab idololatria deſiſterent & Deum colerent.
9 qui tunc temporis erat terminus regni Judaici ſeptemtrionalis in Binjamine: vide 1. Reg 15.22.
10 terminus hic meridianus, Judic. 20.1.
11 q. d. ſine diſcrimine privata & publica, potentum & tenuium idola abſtulit.
12 i. abdicati ſunt ipſi, & tota ipſorum poſteritas a ſacro miniſterio: vide Jechezkel. 44.10. & ſequentibus.
13 qui e genere Aharonis ſunt; ſed peregrino cultu ſe contaminaverunt.
14 i. ſunt eodem jure poſt reſipiſcentiam, quo qui corporis vitio laborabant, Levitici 21.17. & ſequentibus: ſumma eſt, Joſchijam leniore judicio erga ſacerdotes uſum eſſe, tum ut generi Levitico parceret, in quo Deus frequentia & manifeſta ſuæ miſericordiæ ſigna ediderat: ut in Aharonis perſona, Deut. 9.20. poſteris Korachi, Num. 26.11: & Ebjathare, 1. Reg. 2.26: tum ut nihil gravius in reſipiſcentes ex publica corruptione ſtatueret. 15 i. religione idololatriæ exuit: catachreſis loquutionis ſumta ex communi uſu, ſic deinceps. 16 vide Jehoſch. 15.8. 17 id eſt, interfici juſſit. d *Heb. cubiculum: ſynecdoche.* 18 civitatis Davidis. 19 id eſt, ipſi dicatos ex Perſarum uſu, teſte Strabone libr. 15. Juſtino, aliis. 20 ex ritu colentium exercitum cælorum, Jirmejæ 19.13. & Tzephanjæ 1.5. e *ſuprà 21.5.*

21 id eſt, meridiem verſus.
22 id eſt, olivati, qui a fructu mons Miſchchæ, id eſt unctionis dicebatur: hic verò per antonomaſiam mons Maſchchith, id eſt, corrumpētis propter idololatriam vocatur, ut apud Hoſcheā Beth-Aven pro Beth-El, 4.15.
f 1. Reg. 11.
g 1. Reg. 12.
h *Ibid.* 13.2.
23 & ſe cum eo ſepeliri juſſerat, 1. Reg. 13.31.
24 non divinitùs vocatos; ſed ex inſtitutione Jarobħami factos, 1. Reg. 12.31.
25 ſed illis non [illegible] in 2. Chro. 35.18. Schemuel [illegible] tùm (qui eorum ultimus fuit) nominatur: q. d. a conſtituto regno nullus fuit qui tanta ſedulitate populum, ſacerdotes, & ſeipſum præparaverit ad celebrandum Paſcha, impuritatem omnem [illegible] do, & fœdus Dei renovando, denique Eccleſiæ diſciplinam [illegible] riſſimè exigendo.
26 id eſt, [illegible] Judæi non [illegible] [illegible] dere, ſed illecebris [illegible] idolis ſuis [illegible] Jechezk [illegible]

fecit; nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jehudæ?

29 Diebus ejus ascendebat Parho Neco rex Ægypti cõtra regem Assyriæ ad flumen Euphratis: quumq; processisset rex Joschija [27] obviam illi, morte affecit eum [28] Megiddunte, [29] quando vidit ipsum.

30 Eumq; mortuum imponentes currui servi ejus, Megiddunte abduxerunt eum Jeruschalaima, & sepeliverunt eum in sepulcro ipsius: [30] accipiensq; populus terræ [e] Jehoachazum filium Joschijæ [31] unxerunt eum, constituentes eum regem loco patris sui.

31 Natus viginti tres annos Jehoachaz quum regnare inciperet, tribus mensibus regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Chamutal filia Jirmejæ e Libna.

32 Hic fecit quod malum videtur in oculis Jehovæ; omnino prout fecerant majores ejus.

33 Quem [32] vinciri jussit Parho Neco [33] Riblæ in regione Chamathæ, ne regnaret Jeruschalaimis: & imposuit mulctam regioni ejus [34] centenûm talentorum argenti; & talenti auri.

34 Et regem constituit Parho Neco Eljakimum filium Joschijæ pro Joschija patre ejus, immutans nomen ejus Jehojakimum: Jehoachazo verò assumto abiit in Ægyptum, ubi [35] mortuus est.

35 Deinde illud argentum & aurum dabat Jehojakim Parhoni, sed taxabat habitatores terræ, ut daret pecuniam illam [f] ex præstituto Parhonis: ab unoquoque pro æstimatione sua exigebat argentum illud & aurum, a populo *inquam* terræ, ut daret Parhoni Neconi.

[27] ut depelleret eum.
[28] in tribu Menaschis Judi. 1. 27
[29] vide sup. 14. 8.
[30] ne rex Ægypti regnum rege vacuû occuparet.
[e] *qui & Jochanã*, 1. *Chro.* 3. 15. & *Schallum*, *Jirmeja* 22. 11.
[31] ut hoc signo declararent regnû armis Ægyptiorum turbatum, tamquam de integro se huic tradere contra vim hostis defendendû: alioquin unctione opus non erat, cùm esset legitimus successor.
[32] tantisperdum reverteretur ab expeditione in Carcemischum, 2. Chron. 35. 20. & Jir. 46. 2.
[33] Apamiæ, ut paraphrastes Jerosolymitanus docet in Num. 34. 11.
[34] quasi cẽtenûm denûm millium dalerorum in summa.
[35] ex vaticinio Jirmejæ 22. 11. & 12.
[f] *Heb. secundum os.*

CAPUT XXIIII.

Jehojakimo perseverante in peccatis: Babylonius a Deo immittitur, qui eum tributarium reddit: deinde rebellantem perdit. Cui mortuo Jehojacin filius succedens æquè pravus, ad deditionem a Babylonio cogitur: qui ipsum cum pretiosissimis spoliis, & captivorum numero in Babyloniam abducit; Tzidkija rege suffecto.

NAtus vigintiquinq; annos Jehojakim [1] quum regnare inciperet, [2] undecim annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Zebuddã filia Pedajæ e Ruma.

2 Quum autem faceret quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, omnino prout fecerant majores ipsius:

CAPUT XXIIII.

3 [3] Diebus ejus [4] ascendit Nebucadnetzar rex Babyloniæ: cui quum fuisset Jehojakim servus [5] tribus annis, posteà aversus rebellavit contra eum.

4 Quam ob rem immisit Jehova contra eum [6] turmas Chaldæorum, & turmas Syrorum, turmasq; Moabitarum, ac turmas Hammonitarum, immisit inquam, eas contra Jehudam ad perdendum eum: secundùm verbum Jehovæ quod loquutus fuerat [7] per servos suos prophetas.

5 Enimvero [a] ex præstituto Jehovæ *id* fiebat contra Jehudam, ut amoveret *eum* a facie sua, [b] propter peccata similia omnino iis [8] quæ fecerat Menasche.

6 Nam etiam sanguinem innoxium effundebat, adeò ut impleret Jeruschalaima sanguine innoxio; ideò noluit Jehova condonare.

7 Reliquæ autem res Jehojakimi, & omnia

[1] subaudi solus post fratris captivi mortem: nam dum captivus viveret, putabatur ad eum jus regni pertinere: ideò hic ejus veluti pro-rex erat: licet Jirmeja 22. 11. de illo planè prophetâsset fore ut in regnum non reverteretur.
[2] cùm pro-rex, tum rex post fratris mortem.
[3] i. post annum quartum regni ejus: nam is fuit Nebucadnetzari primus, Jirmejæ 25. 1.
[4] postquam fudisset Ægyptium, Jir. 46. 2.
[5] nimirum quinto, sexto & septimo regni sui.
[6] i. castra Nebucadnetzari constantia ex his gentibus.
[7] per Moschen, De. 31. & 32. per alios sup. 21. 19. per Chuldã sup. 22. 15. & per Jirmejã cap. 14. & 15. cum seq. [a] *He. secundum os.* [b] *He. propter peccata Menaschis similia omnibus quæ fecit: trajectio: ut Gen.* 5. 29. & *Iudi*, 18. 31. [8] sup. 21. 15. vide Jir. 22. 17

quæ fecit; nónne sunt scripta in libro Chronicorum regum Jehudæ?

8 Tandem occumbente Jehojakimo cum patribus suis; regnavit [c] Jehojacin filius ejus pro eo.

9 Posteà [9] non perrexit ultrà rex Ægypti procedere e regione sua; quum cepisset rex Babyloniæ a flumine Ægypti, usq; ad fluvium Euphratis quicquid fuerat regis Ægypti.

10 Natus octodecim annos Jehojacin quum regnaret, [10] tribus mensibus regnârat Jeruschalaimis (cujus matri nomen Nechuschta filia Elnathanis e Jeruschalaimis)

11 Et fecerat quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; omnino prout fecerat pater ejus:

12 Quo tempore ascenderunt servi Nebucadnetzari regis Babyloniæ Jeruschalaima; ut veniret civitas in obsidionem.

13 Quumq; venisset Nebucadnetzar rex Babyloniæ ad ipsam civitatem; servis ejus obsidentibus eam:

14 Prodiit Jehojacin rex Jehudæ ad regem Babyloniæ, ipse cum matre sua, servi quoque ejus, & præfecti ejus cum aulicis ejus: quem cepit rex Babyloniæ anno octavo regni sui.

15 Et depromtis inde omnibus thesauris domus Jehovæ, & thesauris domus regis; [d] decerpsit omnia instrumenta aurea quæ fecerat Schelomo rex Jisraëlis pro templo Jehovæ, [f] quemadmodum prædixerat Jehova:

16 Et deportavit rex [11] e totis Jeruschalaimis cùm omnes præfectos, tum omnes valentes robore, [12] decies mille captivos, omnesque fabros lignarios, & fabros ferrarios: nihil relictum est præter tenuem populum terræ.

17 Deportavit enim Jehojacinem in Babylonem; & matrem regis, & fœminas regis, & aulicos ejus, & [13] potentiores regionis, [e] relegavit Jeruschalaimis in Babyloniam:

18 Omnes quoque viros strenuos septies mille, & fabros lignarios ac ferrarios mille, omnes robustos bellatores; deduxit rex Babyloniæ captivos in Babyloniam.

19 Constituitq; rex Babyloniæ Matthanjam [14] patruum illius regem loco illius; cujus nomen immutavit Tzidkijam.

[c] *qui & Jeconja*, 1. *Chron.* 3. 15. & *Conaja*, *Jirm.* 22. 28.
[9] usque ad ultimos annos Tzidkijæ, quum obsideretur Jeruschalaima a Chaldæis, Jirm 37. 5.
[10] & decem diebus: synecdoche, 2. Chron. 36. 9.
[d] *He. truncavit.*
[f] *sup.* 20. 17.
[11] i. e toto regno: synecdoche.
[12] in quorum numero erant e tribu Jehuda ter mille viginti tres Jir. 52. 28. Est autem prolepsis, quæ duobus sequentibus versibus speciatim explicatur.
[13] quorum omnium numerus erat bis millium.
[e] *Heb. vinxit captivitate.*
[14] vide 1. Chron. 3. 14. & 15.

CAPUT XXV.

Tzidkija rebellante, Jeruschalaima a Chaldæis obsidentur, occupantur, & rex intercipitur: cujus filii eo præsente jugulantur: ipse excæcatus & vinctus in Babyloniam abducitur. Templum, regia & omnia magnifica ædificia igne absumuntur, mœnia urbis dejiciuntur, populi pars abducitur: pars tenuior ad colendum terram Gedaljæ committitur: thesauri auferuntur: primores occiduntur: reliquiæ occiso Gedalja Ægyptum petunt. Tandem Jehojacin anno 37. captivitatis suæ a successore Nebucadnetzari ad regiam dignitatem in aula ejus evehitur.

[1] NAtus unum & viginti annos Tzidkija [g] quum regnare inciperet, undecim annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Chamutal filia Jirmejæ e Libna.

2 Qui fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; omnino prout fecerat [2] Jehojakim.

3 Nam secundùm iram Jehovæ fiebat Jeruschalaimis, & in Jehuda; adeò ut abjiceret eos a facie sua: & rebellavit Tzidkija contra [3] regem Babyloniæ.

CAPUT XXV.

4 Quapropter fuit anno nono regni illius, mense decimo, die decimo mensis; ut adveniens

[1] res ipsa docet hunc & duos sequentes versus cum sequentibus conjungendos esse: ut Jirme. 52.
[g] *Jirm.* 52.
[2] frater ejus ex utroque parente.
[3] a quo rex fuerat institutus, suprà 24. 19.

Nebucadnetzar rex Babyloniæ, ipse cum omni-
bus copiis suis contra Jeruschalaima, castra face-
rent juxta ea: exstruentes contra ea propugnacu-
la circumquaque,
5 Sic venit civitas in obsidionem; usque ad
undecimum annum regis Tzidkijæ.
6 Cujus nono *die* [a] *quarti* mensis, quum inva-
luisset fames in civitate: adeò ut non esset panis
populo regionis:
7 Et [4] perrupta esset civitas, [5] omnibus bel-
latoribus *abeuntibus* nocte illa, viâ [6] portæ inter
duplicem murum, quæ *erat* juxta hortum regis;
Chaldæis contrà obsidentibus civitatem circum-
quaque: abiit etiam *rex* viâ campestrium.
8 Sed persequutæ copię Chaldæorum re-
gem assequutæ sunt eum in campestribus Jeri-
chuntis; quum omnes copiæ ejus dispersæ essent
ab eo.
9 Et prehendentes regem deduxerunt eum
ad regem Babyloniæ [7] Riblam; ubi [b] tulerunt de
eo sententiam:
10 Ex qua filios Tzidkijæ jugulârunt ante o-
culos ejus; deinde oculos Tzidkijæ excæcavit, &
vinctum numellis duabus chalybæis deduxerunt
in Babyloniam:
11 Deinde mense quinto septimo *die* mensis,
ipso decimonono anno regis Nebucadnetzari re-
gis Babyloniæ; ingressus Nebuzar-Adan præfe-
ctus satellitum servus regis Babyloniæ Jeruscha-
laima:
12 Combussit domum Jehovæ & domum
regis; etiam omnes domos Jeruschalaimorum, &
omnes domos magnatum combussit igne:
13 Et muros Jeruschalaimorum circumqua-
que; destruxerunt omnes copiæ Chaldęorum,
quæ *erant cum* præfecto satellitum.
14 Reliquum autem populum, eos, qui relicti
fuerant in civitate, & defectores qui defecerant
ad Regem Babyloniæ, & reliquum vulgi; depor-
tavit Nebuzar-Adan præfectus satellitum.
15 Tantùm e tenui *populo* terræ reliquos fecit
pręfectus satellitum: ut essent [c] vinitores & fos-
sores.
16 Præterea columnas æreas quæ *erant in* do-
mo Jehovæ, & bases, & lacum æreum qui *erat* in
domo Jehovæ, fregerunt Chaldæi; deferentes æs
eorum in Babyloniam.
17 [8] Item ollas, & hamas, & instrumenta mu-
sica, & acerras, & omnia instrumenta ærea qui-
bus ministraverant, acceperunt.
18 Item trullas & crateras, [d] quæcunque au-
rea, & quæcunque argentea; accepit pręfectus sa-
tellitum:
19 Columnas duas, lacum unũ, & bases quas
fecerat Schelomo pro domo Jehovę: non fuit
pondus æri omnium vasorum istorum.
20 Octodecim cubitorum *erat* altitudo co-
lumnæ unius, cui imposita *erat* corona ærea; &
altitudo ipsius coronæ *erat* [9] trium cubitorum, &

[a] *Eclipsis quæ suppletur ex Jirmeja 52.6.*

[4] ab obsidentibus, portam medianam occupantibus, Jirm. 39.3.
[5] Tzidkijæ.
[6] id est, pseudothyron.

[7] vide sup. 23.33.
[b] *Heb. loquuti sunt cum eo judicium.*

[c] *Heb. in vinitores.*

[8] vide 1.Reg. 6. & 7.

[d] *Heb. quæ auri auri, & quæ argenti argenti.*

[9] vide 1.Reg. 7. 16.

encarpus ac malogranata ad coronam circum-
quaque, omnia ex ære: & his similia *erant* colum-
næ alteri cum encarpo.
21 Item cepit præfectus satellitum [10] Serajam
sacerdotem primarium, & Tzephanjam [11] sa-
cerdotem secundanum; ac tres custodes limi-
nis.
22 E civitate verò cepit aulicum unum qui
erat præfectus bellatoribus, & quinque homines
ex [e] intimis regis qui inventi sunt in civitate, &
scribam primarium exercitus, qui exercitum
conscribebat e populo terræ: ac sexaginta vi-
ros e populo terræ qui inventi sunt in civi-
tate.
23 Hos captos Nebuzar-Adan præfectus
satellitum, deduxit ad regem Babyloniæ Rib-
lam.
24 Quos percutiens Rex Babyloniæ, morte
affecit Riblæ in terra Chamathæ: sic migravit Je-
huda e terra sua.
25 Populo autem illi qui relictus fuerat in ter-
ra Jehudæ, quem reliquerat Nebucadnetzar rex
Babyloniæ, illis pręfecit Gedaljam filium Achi-
kami filii Schaphanis.
26 [f] Quúmque audivissent omnes [12] præfecti
copiarum ipsi & homines ipsorum, regem Baby-
loniæ pręfecisse Gedaljam, venerunt ad Gedal-
jam Mitzpam: nempe Jischmahel filius Nethan-
jæ, & Jochanan filius Kareachi, & Seraja filius
Thanchumethi [13] Netophathitæ, & [f] Jaazanja
filius Mahacathitæ, ipsi cum hominibus suis.
27 Quibus jurans Gedalja & hominibus eo-
rum, dixit eis, ne timeatis [g] ut sitis servi Chal-
dæorum: residete in hac terra, & servite regi Ba-
byloniorum, sic benè erit vobis.
28 Fuit verò mense septimo, ut accedens Jisch-
mahel filius Nethanjæ, filii Elischamahi e semi-
ne [h] regio, & decem homines cum eo, percute-
rent Gedaljam ita ut moreretur, unà cum Jehu-
dæis & Chaldæis qui *erant* cum eo Mitzpæ.
29 Tum surgentes totus populus a minimo
usq; ad maximum, etiam præfecti copiarum, ab-
iverunt in Ægyptum: metuebant enim a [i] Chal-
dæis.
30 Posteà fuit trigesimoseptimo anno a de-
portatione Jehojacinis regis Jehudæ, duodeci-
mo mense, [14] vigesimoseptimo die mensis; *ut* ef-
ferret [15] Evil-Merodac rex Babylonię, quo anno
regnare cœpit, caput Jehojacinis regis Jehudæ,
e carcere.
31 Cum quo loquutus est bonis *verbis*: & po-
suit solium ejus supra solium reliquorum regum
qui *erant* secum in Babylonia.
32 Et mutatis vestimentis carceris sui; come-
debat cibum jugiter coram illo, omnibus diebus
vitæ suæ.
33 Nam cibarium ejus, cibarium juge dispos-
tum fuit ei a rege, [k] demensum diei cujusq; in di-
em quemque; omnibus diebus vitæ ejus.

[10] de quo 1.Chr. 6.14.
[11] vide Num. 3.32.

[e] *Heb. videntiũ faciem regis, id est, ordinarii ministri regis: sic Esth. 1.14*

[f] *Jirm. 40.7.*
[12] Tzidkijæ, palantes per agros, qui dispersi fuerant suprà v. 7.

[13] id est, filii Hephai, Jirme. 40.8.
[f] *qui & Jezanja, Jirmeja 40.8.*
[g] *Heb. ab esse servos Chaldæorum: sic interpretandũ ex Jirmeja, Jirmeja 41.*

[h] *Heb. regni.*

[i] *Heb. a facie Chaldæorum: Jir. 43.*

[14] consilio jam antè inito & rebus comparatis inde a die vigesimo quinto ejusdẽ mensis, de quo Jirmejæ 52.31. etsi hoc demum die plenè effectum est.
[15] successor Nebucadnetzari magni.

[k] *Heb. res diei die suo: ut Exo. 16.5.*

CHRONI-

CHRONICORUM LIBER PRIOR.

PRIORE *libro Chronicorum percurrit* Hezra *ortum & propagationem gentis Jisraëliticæ usque ad reditum a captivitate Babylonica: Deinde ab historia Davidis regnum redorsus constitutionem Reipub. & Ecclesiæ ab eo factam accuratissimè describit, usque ad regnum Schelomonis, id est, annum ab orbe condito 2985.*

Genesis Chronicum est	2368.
Exodi	142.
Reliquorum Moschis	39.
Jehoschuħæ	17.
Judicum	299.
1. Schemuelis	80.
2. Schemuelis	40.
Summa	2985.

CAPUT I.

Majores Noachi inde ab Adamo: posteri eius usque ad Abrahamum: Abrahami usque ad Jaħakobum copiosiùs propter historiam sacram recensentur: Et reges ac duces nominatim commemorantur, qui Edomæorum agro præfuerunt, usque ad Moschis tempora.

[a] Gen. 5. ADAM, [a] Scheth, Enosch,
2 Kenan, Mahalaleel, Jered.
3 Chanoc, Methuschelach, Lemec,
4 Noach, Schem, Cham, & Jepheth.
[b] Gen. 10. 5 [b] Filii Jephethi, Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Meschec, & Thiras.
6 Filii autē Gomeri; Aschcenaz, & Diphath, & Thogarma.
7 Filii verò Javanis, Elischa, & Tharschischa, Citthim, & Rodanim.
8 Filii Chami; Cusch, & Mitzrajim, Put, & Cenaħan.
9 Et filii Cuschi; Seba, & Chavilà, & Sabtha, & Raħema, & Sabtheca; filii verò Raħemæ; Scheba, & Dedan.
10 Præterea Cusch genuit Nimrodum: is cœpit esse potens in terra.
11 Mitzrajim autem genuit Ludæos, & Hanamæos, & Lehabæos, & Naphthuchæos;
12 Patrusæos quoque, & Casluchæos, unde egressi sunt Pelischthæi, & Caphthoræos.
13 Cenaħan verò genuit Tzidonem primogenitum suum, & Chethum,
14 Jebusæum quoque, & Emoræum, & Girgachæum,
15 Et Chivvæum, & Harkæum, & Sinæum,
16 Et Arvadæum, & Tzemaræum, & Chamathæum.
17 Filii Schemi, Helam, & Aschur, & Arpacschad, & Lud, & Aram: hujus *filii*, Hutz, & Chul, & Gether, & Meschec.
18 At Arpacschad genuit Schelachum: Schelach verò genuit Heberum:
19 Hebero autem editi sunt duo filii: quorum unius nomen Peleg, quia temporibus ejus divisa fuit terra, nomen verò fratris ejus Joktan.
20 Qui Joktan genuit Almodadum; & Schelephum, & Chatzar-mavethum, & Jerachum,
21 Et Hadoramum, & Uzalem, & Diklam,
22 Et Hebalem, & Abimaëlem, & Schebam,
23 Et Ophirem, & Chavilam, & Jobabum: hi omnes *fuerunt* filii Joktanis.
[c] Gen. 11. 10. 24 [c] SCHEM, Arpacschad, Schelach,
25 Heber, Peleg, Reħu,
26 Serug, Nachor, Therach,
27 Abram, is *est* Abraham.
28 FILII Abrahami, Jitzchak, & Jischmaħel.
29 [d] Hæ *sunt* generationes eorum: primogenitus Jischmaħelis Nebajoth, deinde Kedar, & Adbeel, & Mibsam, [d] Gen. 25. 12.
30 Mischmaħ, & Dumà, Massa, Chadad, & Thema,
31 Jetur, Naphisch, & Kedma: hi *sunt* filii Jischmaħelis.
32 [e] Filii autem Keturæ concubinæ uxoris Abrahami, *ea* peperit Zimranem, & Jokschanem, & Medanem, & Midjanem, & Jischbakum, & Schuachum: filii autem Jokschanis, Scheba & Dedan. [e] Gen. 25. 2.
33 Filii verò Midjanis, Hepha, & Hepher, & Chanoc, & Abidaħ, & Eldaħa: omnes hi *fuerunt* filii Keturæ.
34 [f] Genuit ergo Abraham Jitzchakum: filii verò Jitzchaki, Hesau, & Jisraël. [f] Gen. 25. 21.
35 [g] Filii Hesaui; Eliphaz, Reħuel, & Jeħusch, & Jaħlam, & Korach. [g] Gen. 36. 10.
36 Filii Eliphazi; Theman, & Omar, Tzephi & Gaħtham, Kenaz, & Timnaħæ *filius* nempe Hamalek.
37 Filii Reħuelis; Nachath, Zerach, Schamma, & Mizza.
38 Filii autem Seħiris, Lotan, & Schobal, & Tzibħon, & Hana, & Dischon, & Etzer, & Dischā.
39 Filii autem Lotanis Chori & Homam: soror verò Lotanis, Thimnaħ:
40 Filii Schobalis, Haljan, & Manachath, & Hebal, Schephi, & Onam: Filii verò Tzibħonis, Aja, & Hana.
41 Filii Hanæ, Dischon; & filii Dischonis Chamran, & Eschban, & Jithran, & Ceran.
42 Filii Etzeris, Bilhan, & Zaħavan, Jaħakan: filii Dischanis, Hutz, & Aran.
43 Hi autem *sunt* reges qui regnaverunt in Edomæa, antequàm regnaret rex e filiis Jisraëlis: Belaħ filius Beħoris, cujus civitas nomine *erat* Dinhaba:
44 Quúmque mortuus esset Belaħ; regnavit loco ejus Jobab filius Zerachi e Botzra.
45 Quúmque mortuus esset Jobab; regnavit loco ejus Chuscham, e regione Themanæi.
46 Quúmque mortuus esset Chuscham; regnavit loco ejus Hadar filius Bedadis, qui percussit Midjanem in agro Moabitarum: cujus

civitas nomine *erat* Hajith.
47 Quumque mortuus esset Hadad; regnavit loco ejus Samla e Masreka.
48 Quumque mortuus esset Samla; regnavit loco ejus Schaül e Rechobothis fluminis.
49 Quumque mortuus esset Schaül; regnavit loco ejus Bahal-Chanan filius Hacboris.
50 Quumque mortuus esset Bahal-Chanan, regnavit loco ejus Hadad, cujus civitas nomine Pahi: nomen verò uxoris ejus Mehetabeel filia Matredis, filia Me-Zahabi.
51 Quumque mortuus esset Hadad: fuerunt duces Edomæorum, dux Thimnah, dux Halja, dux Jetheth,
52 Dux Aholibama, Dux Ela, dux Pinon,
53 Dux Kenaz, dux Theman, dux Mibtzar,
54 Dux Magdiel, dux Hiram: hi *fuerunt* duces Edomæorum.

TABULA I.

Adam—Scheth—Enosch—Kenan—Mahalaleel—Jered—Chanoc—Metuschelach—Lemec—Noach.

- Schem.
  - Helam, Aschur, Arpacschad, Lud, & Arã.
    - Schelach.
    - Heber.
      - Peleg, Rehu, Serug, Nachor, Therach, Abrahã, tab, 2.
      - Joktan.
        - Almodad, Scheleph, Chatzatmaveth, Hadoram, Uzal, Dikla, Hebal, Abimaël, Scheba, Ophir, Chavila, & Jobab.
    - Hutz, Chul, Gether, & Meschec.
- Cham.
  - Cusch,
    - Nimrod, Seba, Chavila, Sabbetha, Sabthecca, & Rahema.
      - Scheba, & Dedan.
  - Mitzrajim,
    - Ludæi, Hanamæi, Lehabæi, Naphtuchæi, Patrusæi, Casluchæi, & Caphthoræi. Pelischthæi.
  - Put, &
  - Cenahan.
    - Tzidon, Cheth, Jebusęus, Emoręus, Girgaschæus, Chivvæus, Harkęus, Sinius, Arvadæus, Tzemaræus, & Chamathæus.
- Jepheth.
  - Gomer, Magog, Madai, Javan, Thubal, Meschec, & Thiras.
    - Aschcenaz, Diphath, & Thogarma.
    - Elischa, Tarschischa, Cithim, & Rodanim.

TABULA II.

Abraham e

- Sara uxore Jitzchak.
  - Hesau sive Edom,
    - Eliphaz,
      - Theman, Omar, Tzephi, Gahtam, Kenaz, & e Timnah Hamalek.
    - Rehuel, Jehusch, Jahlam, & Korach.
      - Nachath, Zerach, Schãma, & Mizza,
  - Jahakob. cap, 2.
- Hagara ancilla Jischmahel
  - Nebajoth, Kedar, Adbeel, Mibsam, Mischmah, Duma, Massa, Chadad, Thema, Jetur, Naphisch, & Kedma.
- Ketura concubina,
  - Zãran, Jokschã, Medã, Midjã, Jischbak, & Schuach.
    - Seba, & Dedan.
    - Hepha, Hepher, Chanoc, Abidah, & Eldaha.

TABULA III.

Choræorum.

- gentis auctor Sehir
  - Lotan, soror Thimnah.
    - Chori, Homam.
  - Schobal,
    - Haljan, Menachath, Hebal, Tzephi, & Onam.
  - Tzibhon,
    - Aja, Hana.
  - Hana, Dischon.
  - Dischon,
    - Chamran, Eschbã, Jithram, & Ceran.
  - Etzer,
    - Bilhan, Zahavan, & Jahakan.
  - Dischan.
    - Hutz, Aran.
- status, sub
  - Regibus Choræis: Belaho, Jobabo, Chuschamo, Hadado 1., Samla, Schaüle, Bahal-Chanane, Hadado 2.
  - ducibus Edomæis, occupato regno, Timnaho, Halja, Jethetho, Aholibama, Ela, Pinone, Kenazo, Themane, Mibtzare, Magdiele, Hiramo.

CAPUT II.

Numeratis Jisraëlis filiis, recensio posterorum Jehudæ instituitur hoc capite & duobus sequentibus. In hoc verò nominatim percursa tantum Zerachi gente, recensetur Chetzronis posteritas. Primùm Rami usq; ad Davidem: deinde filiorum quos Chetzron in senectute suscepit: tertiò Jerachmeelis: postremò primi & secundi Calebi.

His *sunt* filii Jisraëlis: Reüben, Schimhon, Levi, & Jehuda, Jissacar & Zebulun,
2 Dan, Joseph, & Binjamin, Naphthali, Gad, & Ascher.
3 [1] Filii Jehudæ, Her, & Onan, & Schela, [a] tres editi sunt ei a filia Schuhæ Cenahanitide: quumque *visus* esset Her primogenitus Jehudæ malus in oculis Jehovæ, morte affecit eum.
4 Thamar verò nurus illius peperit illi [a] Peretzum & Zerachum: omnes filii Jehudę quinq;:
5 Filii Peretzi, Chetzron, & Chamul.
6 Filii autem Zerachi, [b] [3] Zimri, & Ethan, & Heman, & Calcol, [c] & Derah: hi omnes quinq;.
7 Et filii *Zimri*, Carmi: *nepos* [d] Hacar turbator Jisraëlis, qui prævaricatus fuit in anathemate:
8 Filii autem Ethanis, Hazarja.
9 Filii verò Chetzronis qui editi sunt ei, Jerachmeel, & [e] Ram, & [f] Celubai.
10 Ram verò genuit Hamminadabum, & Hamminadab genuit Nachschonem principem filiorum Jehudæ.

Gen. 35.22. Gene. 38.
[1] a quo in præcipuã juris primogeniti partem divinitùs assumto, incipit generis patriarcharũ recensio, propter regiam successionem, & Christi originem: vide Gen. 49.8. &c. [a] Heb. *tria edita est ei*.

[a] qui Hero in jus primogenitorum successit, velut a patre excitatum semen.
Gen. 46.12.
[b] *qui & Zabdi, Jehosch. 7.1.*
[3] propriè filius, sequẽtes autẽ in posteris fuerunt, etsi nõ proximè ab eo nati: fuerũt enim filii Macholis, 1. Reg. 4.30.
[c] *qui & Dardah, 1. Reg. 4.30.*
[d] *qui & Hacan: sed hic alludit ad turbatoris nom ẽ.* [e] *qui & Arã, Mat. 1.13.* [f] *qui & Caleb inf. V. 18, Ruth. 4.19.*

11 Nachschon

11 Nachschon autem genuit Salman, & Salma genuit Bohazum.

12 Et Bohaz genuit Hobedum, & Hobed genuit Jischaium.

13 Ischai autem genuit primogenitum suum Eliabum; & Abinadabum secundum, & [g] Schimham tertium,

14 Nethaneelem quartum, Raddaium quintũ,

15 Orzemum sextum, Davidem septimum:

16 Et sorores eorum, Tzerujam & Abigajilam: filii autem Tzerujæ *fuerunt* Abschai, & Joab, & Hasa-El, tres.

17 Abigajil verò peperit Hamasam: pater autem Hamasæ fuit [h] Jether Jischmahelita.

18 [4] CALEB autem filius Chetzronis genuerat ex [5] Hazuba uxore, & ex Jerihotha: ac hujus filii *erant* Jescher, & Schobab, & Ardon.

19 Mortua verò Hazuba; accepit sibi Caleb Ephratham, quæ peperit ei Churem.

20 [i] Et Chur genuit Urin, & Uri genuit Betzaleelem.

21 Postmodùm congressus est Chetzron cum [6] filia Maciris patris Gilhadis, quam ipse duxit quum esset natus sexaginta annos: quæ peperit ei Segubum.

22 Segub autem genuit Jairem; cui fuerunt viginti tres civitates in terra Gilhadis:

23 Nam accepit ab ipsis [i] [7] Geschuræis & Syris villas Jairis cum Kenatha & villis ejus sexaginta civitates: Hæc omnia *ceperunt* filii Maciris patris Gilhadis.

24 Etiam post mortem Chetzronis quum [k] duxisset Chaleb Ephratham, uxor Chetzronis Abija peperit ei quoque Aschechurem patrem Tekohæorum.

25 FUERUNT autem filii Jerachmeelis primogeniti Chetzronis, primogenitus Ram; deinde Buna, & Oren & Otzem *ex* Achija.

26 Fuit quoque uxor altera Jerachmeeli, nomine Hatara: ea *est* mater Onami.

27 Fuerunt verò filii Rami primogeniti Jerachmeelis: Mahatz, & Jamin, & Heker.

28 Item fuerunt filii Onami, Schammai, & Jadah: filiique Schammai, Nadab, & Abischur.

29 Nomen verò uxoris Abischuris Abihajil; quæ peperit ei Achbanem, & Molidum.

30 Et filii Nadabi, Seled, & Appajim: sed mortuus est Seled sine liberis.

31 Filii verò Appajimi, Jischehi: & filii Jischehi Scheschan, & [l] filia Sceschanis Aschlai.

32 Filii autem Jadahi fratris Schammai, Jether, & Jonathan: sed mortuus est Jether sine liberis.

33 Filii verò Jonathanis, Peleth & Zaza: isti fuerunt filii Jerachmeelis.

34 Non fuerunt autem Scheschani filii, sed [m] filiæ: eratque Scheschani servus Ægyptius nomine Jarchah.

35 Quam ob rem dedit Scheschan [8] filiam suam Jarchaho servo suo in uxorem; quæ peperit ei Hatthaium.

36 Hatthai autem genuit Nathanem, & Nathan genuit [9] Zabadum:

37 Zabad autem genuit Ephlalem, & Ephlal genuit Hobedum:

38 Hobed autem genuit Jehu, & Jehu genuit Hazarjam:

39 Hazarja autem genuit Cheletzum, & Cheletz genuit Elhasam:

40 Elhasa autem genuit Sismaium, & Sismai genuit Schallumum:

41 Schallum autem genuit Jekamjam: & Jekamja genuit Elischamahum.

42 ITEM filii [10] Calebi fratris Jerachmeelis, Meschah [11] primogenitus ejus, ipse pater *fuit* Ziphæorum: & posteri Mareschæ patris Chebronis.

43 Filii autem Chebronis; Korach & Thappuach, & Reken, & Schemah.

44 Schemah verò genuit Rachamum patrem Jorkehami: & Rekem genuit Schammaium.

45 Filius autem Schammai, Mahon: qui Mahon pater *fuit* Beth-Tzuritarum.

46 Hepha quoque uxor concubina Calebi peperit Charanem & Motzam & Gazezum: Charan enim genuit Gazezum.

47 Filii verò *Motzæ*, Johedai: *ex quo* Regem, & Jotham, & Geschan, & Pelet, & Hepha, & Schahaph.

48 *Ex* [n] uxore concubina Mahaca, Caleb genuit Scheberum & Thirchanam.

49 Peperit autem *uxor* Schahaphi patris Madmannæorum, Schevam patrem Macbenæorum, & patrem Gibhæorum: denique filia Calebi [12] Hacsa.

50 ISTI fuerunt filii [13] Calebi, filii Churis primogeniti Ephrathæ: Schobal pater Kirjath-Jeharimanorum:

51 Salma [14] pater Beth-Lechemitarum, [o] Chareph pater familiæ Gaderitarum.

52 Fueruntque filii Schobali patri Kirjath-Jeharimanorum; [p] Haroë *pater incolarum* partis [15] Menuchotharum:

53 Et familiæ Kirjath-Jeharimanorum, Jithritarum, Puthæorum, & Schumathæorum, & Mischrahæorum: ex his prodierunt [16] Tzarhatæi, & Eschthaolithæ.

54 Filii Salmæ, Beth-Lechemitæ, & Netophatæi, [17] Hatarothani e familia Joabi: & [q] Tzorhani *qui fruebantur* parte Menuchotharum:

55 Et [18] familiæ [19] scribarum incolentium Jahbetzum, Thirhatæorum, Schimhatæorum, Suchatæorum: hi sunt [20] Kinæi advenæ, orti [21] Chamatho, patre familiæ [22] Recabi.

g qui & Schăma, 1. Schemu. 16. 10.

h qui & Jether Jisraëlita, 2. Schemu. 17. 25.

4 Hic non instituitur ex professo recensio generis Calebi primi: nã habetur inf. versicul. 42. sed tantùm ostenditur quàm efficax erat Dei benedictio ad vegetandam in Ægypto senectutem Chetzronis, ac proinde Jisraëlitas multiplicandos.

5 cujus posteri recensentur infrà versic. 42. & sequentibus.

i Exodi 31. 2.

6 ex qua Jair filius quoque Menaschis dictus est, Num. 32. 41. & ratione hæreditatis inter Menaschitas accensus.

i Heb. accepit Geschure & Syro villas Jairis ab eis. Num. 32. 41.

7 erat enim Gilhad pars Geschuris, atque adeò Syriæ.

k Heb. quum Caleb ad Ephrathă accessisset.

l Heb. filii: synecdochicè dictum q. d. quicquid habuit liberorum, unica fuit filia Achlai: vide infrà v. 36.

m synecdochicè dictum, ut Gen. 21. 7.

8 Achlajam, versic. 31.

9 de quo infrà 11. 41.

10 primi, de quo versu 18. hic autem brevitatis causâ reticentur filii qui nominati fuerunt suprà versic. 18.

11 primæ uxoris Hazubæ filius, sup. versic. 18.

n Heb. uxore concubina Calebi Mahaca, genuit &c. ut Gene. 9. 6.

12 primo, primi Calebi filia.

13 secundi, qui fuit primi nepos ex Chure, de quo versi. 19.

14 ex parte: nam alius est a Salma Bohazi Beth-Lechemitæ patre, de quo versic. 11.

o qui & Tenuel infrà 4. 4.

p qui & Reaja infra 4. 2.

15 i. regionis Manachatæ in fine Judæ, Binjaminis & Danis: ut apparet cùm ex hoc loco, tũ infrà 8. 6.

16 id est, incolæ Tzorhæ & Eschthaolis, ex ea parte quæ ad Jehudam pertinuit, Jehosch. 15. 33.

17 vide annotata Jehosch. 16. 2.

q Heb. & pars Manachathæi Tzarhæus.

18 hic versus parergôs adjectus est: quia etsi hæ familiæ tribum Jehudæ non attigerunt; tamen cum Jehuda habitârunt in deserto Jehudæ, ubi Jahbetz sita erat, Judic. 1. 16.

19 i. in scripturis & actis publicis exercendis vitam transigentium, ut Reipub. & sibi utiles essent: quibus alioquin nulla erat attributa hæreditas; sed tantùm cum quibus vellent concessa habitatio.

20 i. posteri Jithronis, a gente sic dicti, Judic. 1. 16.

21 principe eorum, qui cum tribu Jehudæ habitârunt: hoc enim discretionis causâ additur, quia Cheber cum suis ab istis separans se ad Menaschitas migrasse legitur Judic. 4. 11.

22 de qua Jirmejæ 35.

TABULA I.

Jaakob sive Jisraël

Reüben, cap. 5. Schimhon, cap. 4. Levi, cap. 6. Jehuda, cap. 2. 3. 4. Jissacar, cap. 7. Zebulun, Dan, Joseph, Binjamin, cap. 7. 8. Naphthali, cap. 7. Gad, cap. 5. Ascher, cap. 7. Dina.

Joseph: Ephrajim, cap. 7. Menasche, cap. 5. 7.

TABULA II.

TABULA III.



CAPUT III.

Davidis filii, regnum, successores in regno ex Schelomone primùm reges, deinde ex Nathane duces & primores recensentur.

HI [1] autem fuerunt filii Davidis qui editi sunt ei Chebrone: primogenitus Amnon, Achinohamæ Jizrehelitidis, secundus [a] Danijel Abigajilæ Carmelitidis:

2 Tertius Abschalom filius Mahacæ filiæ Thalmai regis Geschuris: quartus Adonija filius Chaggithæ:

3 Quintus Schephatja Abitalæ: sextus Jithreham Heglæ, *cujusque* uxoris ejus.

4 Sex editi sunt ei Chebrone, ubi regnavit septem annos & sex menses: triginta verò tribus regnavit Jeruschalaimis.

5 [1] Hi autem editi sunt ei Jeruschalaimis; [b] Schimha & Schobab, & Nathan, & Schelomo, quatuor [c] Bathschuhæ filiæ Hammielis.

6 Item Jibchar, & [d] Elischamah, & Eliphelet,

7 Et Nogah, & Nepheg, & Japhiah,

8 Et Elischamah, & [e] Eljadah, & Eliphelet; novem:

9 Omnes filii Davidis; præter filios illarum concubinarum, & [2] Thamaram sororem illorum.

10 [3] Filius verò Schelomonis Rechabham: Abija filius ejus, Asa filius ejus, Jehoschaphat filius ejus,

11 Joram filius ejus, Achazja filius ejus, Joasch filius ejus,

12 Amatzja filius ejus, Hazarja filius ejus, Jocham filius ejus,

13 Achaz filius ejus, Chizkija filius ejus, Menasche filius ejus,

14 Amon filius ejus, Joschija filius ejus.

15 Filii autem Joschijæ, primogenitus [f] Jochanan, secundus [g] Jehojakim; tertius Tzidkija, quartus Schallum.

16 Filii verò Jehojakimi; Jeconja filius ejus, [4] Tzidkija filius ejus.

17 [5] Filii autem Joconjæ [6] vincti, Schealtiel filius ejus.

18 *Hujus* autem Malciram, & Pedaja, & Schenatzar; Jekamja, Hoschamah, & Nedabja.

19 Filii verò Pedajæ, Zerubbabel, & Schimhi: & filius Zerubbabelis, Meschullam, & Chananja, & Schelomith soror eorum.

20 [7] *Illius* verò Chaschuba, & Ohel, & Berecja, & Chasadja, Juschab-Chesed quinque.

21 Filius verò Chananjæ Pelatja, & Jeschahja: [8] filii Rephajæ, filii Arnanis, filii Hobadjæ, filii Schecanjæ.

22 Filii, inquam, Schecanjæ Schemahja: & filii Schemahjæ, Chattusch, & Jigeal, & Bariach, & Neharja, & Schaphat, sex.

23 Et filius Neharjæ, Eljohenai, & Chizkija, & Hazrikam, tres.

24 Denique filii Eljohenai, Hodajeva, & Eljaschib, & Pelaja, & Hakkub, & Jochanan, & Delaja, & Hanani, septem.

15. *Schem.* 3.2.

a *qui & Cileab, ibid.*

[1] Hic seorsim ac non promiscuè, ut sequentes Davidis filii ex Bathschuha recensentur, propter prærogativam regni divinitus attributam Schelomoni infrà 28.5. ac proindè ex jure & naturæ ordine ad proximum fratrē perventurum, intercidente ejus posteritate. Inverso autem ordine enumerantur, quia mox de Schelomone & ejus posteris sermo habendus est: Schelomo enim natura primus fuit, 2. Schemu. 12.24. Nathan secundus, & sic deinceps. [b] *qui & Schammuah*, 1. *Schemu.* 5.14. [c] *Bathschebah filia Elihami* 2. *Schemu.* 11.1. [d] *qui & Elischuah Ibi. v.* 15. [e] *qui & Benel jadah infra* 14.7. [2] de quo 2. Schemu. 13. [3] successio regum e stirpe Schelomonis.

f *qui & Jehoachaz*, 2. *Reg.* 23.30. *& Schallum*, *Jirm.* 22.11.

g *qui & Eljakim* 2. *Reg.* 23.34.

4 legalis successio jure, ac non naturâ: erat enim ejus patruus, 2. Reg. 24.19. ad successionem regni, ut versu sequente.

5 non naturâ (nā sine liberis ex Dei decreto extinctus est, & in eo Schelomonis semen, Jir. 22.30 sed successionis jure, quæ ad Nathanis posteros devolvebatur: fuit enim Schealtiel filius Neri ex posteritate Nathanis, Luc. 3.27.

6 id est, captivi & in Babyloniam deportati, 2. Reg. 24.17. 7 id est, Meschullami: quod colligitur ex collatione hujus versiculi cum sequente. 8 συναθροισμός sive congeries, qua in genere nominatur familiæ, quæ ad stirpem regiam pertinebant, prout exstabant in reversione ex Babylonia,

TABULA

TABULA I.

David.

Chebrone, ex

Achinoħam, Amnon, Abigajil, Danijel. Maħaca, Abſchalō, Thamar. Chaggith, Adonija. Abital, Schephatja. Hegla, Jitreħam,

Jeruſchalaimis, ex

Bathſchuħa, v. Btahſchebaħa

Incertis

Schelomo.	Nathan, Schobab, Schimħa.
Rechabħam.	Mattatha.
Abija.	Mainam.
Aſa.	Melca.
Jehoſchaphat.	Eljakim.
Joram.	Jona.
Achazja.	Joſeph.
Joaſch.	Jehuda.
Amatzja.	Schimħon.
Ħazarja.	Levi.
Jotham.	Mattath.
Achaz.	Joram.
Chizkija.	Eliħezer.
Menaſche.	Joſche.
Amon.	Her.
Joſchija.	Elmodan.
	Cuſchan.
	Abdi.
	Malci.
	Neri.

(Nathan … Neri:) ex Lucæ 3.

Jochanan, Jehojakim, Tzidkija, Schallum, Jeconja.

Succeſſores juris

Tzidkija patruus Jeconjæ rex e Schelomone ultimus,

Schealtiel princeps

Malciram, Pedaja, Schenatzar, Jekanja, Hoſchamaħ, Nedabja.

Zerubbabel, Schimħi.

Meſchullam, Chananja; Shelomith.

Chaſchuba, Obel, Berecja, Chaſadja, Juſchab-cheſed, Pelatja, Jeſchaħja.

TABULA II.

Viri e ſtirpe regia, poſteri Nathanis aut fratrum.

Rephaja, Arnan, Hobadja, Schecanja, Schemaħja.

Chattuſch, Jigeal, Bariach, Neħarja, Schaphat.

Eljoħenai, Chizkija, Ħazrikam.

Hodavja, Eljaſchib, Pelaja, Ħakkub, Jochanan, Delaja, Ħanani.

CAPUT IIII.

Reliquorum poſterorum Jehudæ, Calebi ſecundi, Aſchchuris, Chelubi, & Schelæ catalogus. Item Schimħonis gens & poſſeſſio, partim a Jehoſchuħa eis attributa, partim armis multo pòſt comparata exponitur.

Filii Jehudæ; Peretz, Chetzron, & [a] Carmi, & Chur, & [1] Schobal.

2 [b] Reaja autem filius Schobalis, genuit Jachathum, & Jachath genuit Achumaium, & Lahadum: horum *ſunt* familiæ [2] Tzorħatæorum.

3 Item hi *ex* parte Hetamæorum, Jizreħel, & Jiſchma, & Jidbaſch: quorum ſorori nomen Hatzilelponi.

4 Et [c] Penuel [3] pater Gedoræorum, & Hezer pater [d] Chuſchæ: hi *ſunt* filii Churis primogeniti Ephrathæ patris Beth-Lechemitarum.

5 [4] Aſchchuri verò patri Tekoħæorum fuerunt duæ uxores; Chelea & Naħara.

6 Peperitque ei Naħara Achuzamum, & Chepherum, & Themenin, & Haachaſchtharin: hi *ſunt* filii Naħaræ.

7 Filii autem Cheleæ; Tzereth, Jetzochar, & Ethnan, [5] *& Kotz*.

8 Kotz autem genuit Hanubum, & Hatzobebam; & familias Acharchelis filii Harumi.

9 Sed fuit [6] Jaħbetz honoratior fratribus ſuis; cui mater indidit nomen [e] Jaħbetz dicendo, eo quòd peperi cum dolore, *ita vocandus eſt*.

[a] *qui & Celubai, ſup. 2.9. & Caleb primus, ibidem v. 18.*

[1] filius Calebi filii Churis: qui Caleb brevitatis cauſa omittitur: ſupr. 2.50.

[b] *qui & Haroe, ſuprà 2.52.*

[2] ex parte, ut ſup. 2.53.

[c] *Chareph ſup. 2.*

[3] ex parte: confer cum v. 18.

[d] *qui & Schucha, infra v. 11.*

[4] Poſthumo Chetzronis, de quo ſup. 2.25.

[5] eclipſis frequẽs in hoc ſcriptorum genere, ut infrà v. 13.

[6] auctor unius e numeratis familiis Acharchelis.

[e] *i. doloriſicus: corrupto nomine per metathesin lit.*

10 [7] Nam invocavit Jaħbetz Deum Jiſraëlis dicendo, [8] ſi [f] planè benedicens mihi ampliaveris terminum meum, & aderit manus tua mihi, denique feceris [g] ut malum non afficiat me dolore: fecitque Deus ut eveniret quod petierat.

11 Celub autem frater [h] Schuchæ genuit Mechirum (is *fuit* pater Eſchthonis,

12 Et Eſchthon genuit familiam Raphæ, & Paſeachi, & Techinnæ patris Hir-Nachaſchi: hi *fuerunt* homines Recæ)

13 Item poſteros Kenazi, Hothnielem & Serajam (filii autem Hothnielis Chathath, *& Meħonothai*:

14 Meħonothai verò genuit Hophram: & Seraja genuit Joabum patrem *degentium in* [9] valle fabrorum, nam fabri erant)

15 Et filios Calebi filii [10] Jephunnæ, Hiru, Elam, & Naħamum (filii autem Elæ, [i] ſecundus Kenaz)

16 Et filios Jehallelelis; Ziphum & Zipham, Thirjam, & Aſarelem:

17 Et [k] filios Hezræ, Jetherũ, & Meredum, Hepherumq;, & Jalonem: (concipiens autem *uxor Meredi peperit* Mirjamum, & Schammaium, & Jiſchbachum patrem Eſchthemoħæorum.

18 Uxor verò ejus Jehudæa peperit Jeredũ patrem Gedoræorum, & Cheberum patrem Socũinorum, & Jekuthielem patrem Zanoachitarum:

[7] ætiologia cur Jaħbetz fuerit omnium honoratiſſimus, quod auctor dixerat præcedente verſu.

[8] Apoſiopeſis voti juramentorum propria, quibus votum affine eſt: ex quo fit, ut vota non rarò juramenti nomine appellentur. Sic Matth. 5.33.

[f] *He. benedicendo benedixeris.*

[g] *He. & feceris de malo ut non afficiat me dolore: Trajectio ut Geneſ. 5.29.*

[h] *qui & Chuſcha ſup. v. 4.*

[9] ſita in finibus Jehudæ & Binjaminis; ac proinde mixti imperii: Nechem. 11.35.

[10] filii Kenazi: unde Caleb Kenizzæus dictus eſt, Num. 32.12.

[i] *He. etiã Kenaz,*

[k] *Heb. filium: enallage.*

rum: illi quidem filii *erant* Bithiæ filiæ Parħonis,
quam duxerat Mered.
19 *Hi* verò filii uxoris [l] Judææ sororis Na-
chami Garmæi patris Keħilæorum : & Eschthe-
moħæ Maħacatitæ)
20 Item filios Schimonis, Amnonem, & Rim-
nam, Ben-Chananem, & Thilonem; filios quoq;
Jischħi, Zochethum, & Ben-Zochethum.
21 FILII Schelæ filii Jehudæ, Ħer pater Le-
canorum, & Laħda pater Mareschanorum; & fa-
miliæ[m] gentis artificis in bysso, gentis Aschbeħiæ:
22 Item Jokim, homines‡ Cozebæ, & Joasch,
& Saraph, qui [11] dominium habuerunt in Moa-
bitas, & Jaschubi-Lechem : [12] sed res istæ *sunt*
obsoletæ.
23 Isti sunt figuli illi, desidentes ad plantas &
macerias : cum rege in opere ejus manserunt
[13] illic.
24 [§]FILII Schimħonis; Nemuel, & Jamin,
Jarib, Zerach, Schaül.
25 Schallum filius ejus, Mibsam filius ejus,
Mischmaħ filius ejus:
26 Et filii Mischmaħi ; Chammuel filius e-
jus, Zaccur filius ejus, Schimħi filius ejus.
27 *Fuerunt* autem Schimħi filii sexdecim, &
filiæ sex, quum fratribus ejus non essent filii mul-
ti; itaque tota familia sua, [n] non fuerunt tam mul-
ti, ut filii Jehudæ:
28 Habitaveruntque Beer-Schebaħi, & Mo-
ladæ, & Chatzar Schuħale,
29 Et Bilhæ, & Ħetzemi, & Tholadi,
30 Et Bethuele, & Chormæ, & Tziklagi,
31 Et Beth-Marcabothis, & Chatzar Susi-
mis, & Beth-Birei, & Schaħarajimis: hæ *fuerunt*
civitates eorum, [14] quamdiu regnavit David.
32 Pagi autem eorum, Ħetam, & Ħajin, Rim-
mon, & Thocen, & Ħaschan: civitates quinque.
33 Prætereà omnes pagi eorum qui *erant* cir-
ca civitates illas Baħalem usque: hæ habitationes
eorum *fuerunt*, prout per gentes se distribuendo
adiêrunt illas.
34 Meschobab autem, & Jamlec, & Joscha
filius Amatzjæ:
35 Et Joël, & Jehu filius Joschibjæ, filii Sera-
jæ, filii Ħasielis:
36 Et Eljoħenai, & Jaħakoba, & Jeschocha-
ja, & Ħasaja, & Ħadiel, & Jesimiel, & Benaja:
37 Et Ziza filius Schiphħi filii Allonis, filii Je-
dajæ, filii Schimri, filii Schemaħjæ:
38 Hi [o] quorum adducta sunt nomina, prin-
cipes in familiis suis; quum paternæ familiæ eo-
rum erupissent in multitudinem:
39 Abiverunt in aditum [15] Gedoris usque ad
orientalem tractum ipsius [16] vallis; ad quæren-
dum pascuum gregi suo.
40 Quumque invenissent pascuum pingue &
bonum, & terram amplam spaciis, & quietam ac
tranquillam; [17] quia ex Chamo *orti erant* qui ha-
bitabant ibi anteà:
41 Venientes isti scripti de nominibus, tem-
poribus Jechizkijæ regis Jehudæ, percusserunt
tentoria eorum & habitacula quæ inventa sunt
ibi, & intercioni devoverunt eos usque in [18] diem
illum, habitaveruntque loco eorum: eo quòd
pascuum esset gregi suo ibi.
42 Prætereà ex illis, *nempe* e filiis Schimħonis
profecti ad montem Seħiris homines quingenti:
Pelatja, & Neħarja, & Rephaja, & Ħuzziele fi-
liis Jischħi [p] præeuntibus eis:
43 Percusserunt residuum [19] quod evaserat
Ħamalekitarum: ubi habitaverunt usq; in diem
illum.

[l] *Heb. Hodijæ: aphæresis.*
[m] *Heb. gentis opificii byssini.*
‡ *quæ & Cezib. Gen. 38.5. ubi natus erat Schela: & Aczib, Jehosch.* 15.44.
[11] i. pro rege in agro Moabitarum imperaverunt.
[12] q.d. supervacaneum esset plura de istorum gente, possessione & dignitate referre, quum jam hæc omnia posterorum ignavia sepeliat: qui figlinam, agricolationem, & rusticam structuram, denique miseram apud Babylonium servitutẽ suæ libertati prætulerint, ut apparet ex versu sequente.
[13] in Babylonia.
§ *Gen. 46.10.*
[n] *Heb. non multiplicati sunt usque ad filios Jehudæ,* Jehosch. 19.
[14] i. usque ad captivitatẽ Babylonicam.
[o] *Heb. hi qui veniunt per nomina.*
[15] i. Gederæ sive Gederothajimorum, Jehosch. 15. 36.
[16] quæ protenditur ab Ephes-Dammimis Hekronem usque: vide 1. Schem. 17.
[17] ætiologia est sequentium, nimirum quo jure illos profligaverint.
[18] quo desiit regnum Davidicum, sup. v. 31. & infrà v. 43.
[p] *Heb. in capite eorum.*
[19] sub Schaüle, 1. Schem. 14.48. & sub Davide, 2. Schem. 8.12.

TABULA I.

Jehuda
Peretz
Chetzron
Carmi, *v.* Celubai, *v.* Caleb primus.
Chur
Caleb secundus

Schobal — Salma, pater — Chareph, *v.* Penuel, pater Gedorenorum sive Gaderitarũ. — Ħetam. — Ħezer

Schobal: Kirjath-Jeħarimani quorum familiæ Jitritis, Puthitis, Schumathitis, & Mischraħitis. — Haroë, *v.* Reaja Jachath

Jachath: Achumai, Lahad.

Tzorhatæi.

Salma, pater: Bethlechemitarum, Netophatæorum, Ħatrotanorum, Menuchothanorum & Tzorħæorum ex parte.
His sunt accensi.
Kenæi scribæ, incolæ Jaħbetzi, quorum familiæ

Tirħatæa, Schimħatæa, & Sucatæa.

Ħetam: Jizreħel, Jischma, Jidbasch, & soror Ħatzilelponi.

Ħezer: Chuscha, *v.* Schuscha. — Celub ib. 3.

TABULA II.

Aschchur, pater Tekoħæorum ex uxoribus

Chelea — Naħara

Chelea: Tzereth, Jetzochar, Ethnan, Kotz.

Kotz: Ħanub, Hatzobeba, Aarum.
Acharchelis familiæ, in quibus erat Jaħbetz.

Naħara: Achuzzam, Chepher, Themeni, Haachaschthari.

TABULA III.

Celub

Mechir Eschton — Kenaz primus — Jehalleleel — Ħezra — Schimon

Mechir, Eschton: Rapha, Paseach, Thechinna. Hir-nachasch.
viri Recæ.

Kenaz primus: Hothniel — Seraja Joab — Jephúne Caleb 3.

Hothniel: Chathath, Meħonothai, Ħophra.

Seraja, Joab: incolæ val. fab.

Caleb 3.: Ħiru, Ela, Naħã. Kenaz secundus.

Jehalleleel: Ziph, Zipha, Tireja, Asareel.

Ħezra: Jether, Mered, Ħepher, Jaló.

Mered: Bitheja Ægyptia — e Jehudæa

Bitheja Ægyptia: Mirjam, Schãmai, Jischbach. Eschtemoħæi.

e Jehudæa: Jered Gedoreæi, Cheber Socũtini, Jekuthiel. Zanuchæi.

Schimon: Amnó, Rinna, Béchanã, Thiló, Jischħi

Jischħi: Zocheth, Benzocheth.

TABULA IIII.

Schela.

- Her, Lecai.
- Lahada, Mareschani.
- Aschbeah, opifices ex bysso.
- Jokim,
- Cozebani, v. Joasch,
- Saraph,
- Jaschubi-lechem,
- & alii, quorum exoleta sunt nomina, quia in Babylonia manserunt Regis figlinam, agriculturam, & materiariam exercentes.

TABULA V.
SCHIMHONIS

- Posteri
  - Nemuel Jamin Jarib Jacim Zerach Schaül.
    - Schallum.
    - Mibsam.
    - Mischmah.
    - Chammuel.
    - Zaccur.
    - Schimhi.
      - filii 16. filiæ 6.
- Possessio
  - per Jehudam
    - oppida
      - Beer-schebah
      - Molada
      - Chatzar-schuhal
      - Bilcha, v. Bahala, v. Bala.
      - Hetzem
      - Tholad, v. Eltholad.
      - Bethuel, v. Bethul, v. Cesil.
      - Chorma.
      - Tziklag.
      - Beth-marcabothæ.
      - Chatzar-susima, v. Chatzar-susa, v. Chatzar-gadda.
      - Beth-birei, v. Beth-lebaothæ, v. Lebaothæ.
      - Schaharajim, v. Scheruchen.
      - Schemah, v. Schebah, v. Jeschuah.
    - pagi
      - Hetam, v. Hether.
      - Hajin
      - Rimmon
      - Thocen
      - Haschan.
  - temporibus Jechizkijæ
    - ager qui est in accessu Gedoris, usque ad tractum Orientalem vallis, ereptus filiis Chami.
    - Hamalekitarum ager in montanis Edomææ.

CAPUT V.

Reübenitarum, Gaditarum, & partis Menaschitarum trans Jardenem, familiæ, duces, sedes, expeditiones, defectio a Deo, & deportatio describitur.

[a] Filii autẽ Reübenis primogeniti Jisraëlis, erat
enim primogenitus; sed quum prophanasset
strata patris sui, tradita sunt primogenita ejus filiis
Josephi filii Jisraëlis: non autem ut sibi attribueret
universum jus primogenitorum:
2 Nam Jehuda [1] prævaluit fratribus suis, &
antecessor *est* ex eo: [2] *reliqua* verò primogenita
fuerunt Josephi:
3 [b] Filii *inquam* Reübenis primogeniti Jisraëlis; Chanoc, & Pallu, Chetzron, & Carmi.
4 Filii [3] Joëlis: Schemahja filius ejus, Gog
filius ejus, Schimhi filius ejus:
5 Mica filius ejus, Reaja filius ejus, Bahal filius ejus:
6 Beera filius ejus, quem deportavit Thilgath-Pilneeser rex Assyriæ: is princeps *erat*
Reübenitarum.
7 Fratrum autem [4] illius per familias suas
quisque quum distribuerent se per generationes
suas; primarius Jehiel, deinde Zecarja:
8 Et Belah filius Hazazi, filii Schemahi, filii
Joëlis: [5] hic habitabat a Haroher Nebuntem,
& Baal Mehonem usque.
9 [6] Deinde orientẽ habitavit usq; ad aditum
in [7] desertũ inde a flumine Euphrate: nam pecora eorum multiplicata erant in terra Gilhadis.
10 Quapropter temporibus Schaülis bellum
gesserunt contra [8] Hagarenos, qui ceciderunt
manu ipsorum: ita habitaverunt in tentoriis eorum, [a] in toto tractu anteriore *qui est* ad orientem Gilhadi.
11 FILII verò Gadis ex adverso eorum habitabant, in terra Baschanis Salcam usque:
12 Joël eorum primarius & Schaphan secundus *ab eo*; deinde Jahnai, & Schaphat in Baschane [9] *manserunt*.
13 Fratres verò eorum per paternas familias
suas, Micaël, & Meschullam, & Schebah, & Jorai, & Jahecan, & Ziah, & Heber [10] septem.
14 (Hi *erant* filii Abichajilis filii Churi, filii
Jaroachi, filii Gilhadis, filii Micaëlis, filii Jeschischai, filii Jachdonis, filii Buzi)
15 Achi filio Habdielis filii Guni [11] primario
per paternas familias eorum,
16 Quum habitarent in Gilhade, in Baschane, & in villis ejus: & in omnibus municipiis
[12] Scharonis, secundum [b] fines suos:
17 Hi omnes per genera distribuendo se, temporibus [13] Jothami regis Jehudæ; & temporibus
[14] Jarobhami regis Jisraëlis:
18 E filiis Reübenis, & Gaditis & dimidiata
tribu Menaschis strenui; homines ferentes scutum & gladium, & tendentes arcum ac periti belli; quadragies quater mille septingenti sexaginta
prodeuntes in militiam,
19 Gesserunt bellum contra Hagarenos; nimirum [15] Jeturem, & Naphischum, & Nodabum.
20 Quumque [16] adjuvarentur contra illos,
traditi sunt in manu eorum ipsi Hagareni & quæcunque *erant* penes illos: nam ad Deum clamaverant in prælio, & exoratus fuerat ab eis, quia fiduciam collocaverant in eo.
21 Itaque ceperunt pecora eorum, camelos
eorum quinquagies mille, & pecudum ducenta
quinquaginta millia, ac asinorum duo millia: animarum autem humanarum centum millia:
22 Postquàm confossi multi cecidissent, nam
a Deo ipso *confectũ est* hoc prælium: ita habitaverunt loco illorum usque ad [17] deportationẽ suam.
23 [18] FILII enim dimidiæ tribus Menaschis
habitantes in ea terra: a Baschane Bahal-Chermonem & Senirem, id est, montem Chermonem
usque, ipsi *quoque* aucti fuerant.
24 Quorum primores paternarum familiarum hi *sunt*: Hepher, & Jischhi, & Eliel, & Hazriel, & Jirmeja, & Hodavja, & Jachdiel viri valentes robore, [c] viri nominati, primores per paternas familias suas.
25 Sed quum [19] prævaricati essent in Deum
majorum suorum; & scortati essent sectando
Deos populorum ejus regionis, quos perdiderat
Deus a facie eorum:
26 Suscitavit Deus Jisraëlis [d] [20] animum Pulis regis Assyriæ, & animum [21] Thilgath-Pilneeseris regis Assyriæ, ut deportaret ipsos Reübenitas, & Gaditas, ac dimidiam tribum Menaschis:
itaque abduxit eos in Chelachum, & Chaborem,
& [22] Haram, & Nehar-gozanem, usque in diem
hunc.

[a] *Gen.* 35.22. & 49.3.
[1] i. dignitate principali suprà fratres divinitus per patrem donatus est, Gen. 49.8.
[2] i. duplum hæreditatis præ ceteris fratribus; quod alterum est primogenituræ jus: Gen. 48.5. & 49.22.
[b] *Gen.* 46.9.
[3] orti, ut credibile est, Chanoco, eo quòd tribus princeps fuerit ℣. 6.
[4] nimirum Chanoci, i. trium aliarum familiarum principes.
[5] i. hæc tribus Reübenitica, de qua agitur.
[6] temporibus Schaülis, ut versu sequente.
[7] ad Jardenem: hoc est, possedit ab Euphrate usque ad Jardenem.
[8] Jischmahelitas Hagara matre natos, Arabiam desertam incolentes.
[a] *Heb. super omnẽ faciem orientalem Gilhadi.*
[9] ad tuendos proprios fines, fratribus foris bellũ gerentibus.
[10] pro numero familiarum Gadis, Num. 26.15

[11] i. summum imperatorem agente in exercitu, de quo ℣. 18.
[12] Agri pascuosissimi, de quo infrà 27.20.
[b] *Heb. exitus.*
[13] proregem agentis, quum pater leprosus esset, 2. Reg. 15.5.
[14] secundi, qui ipsis imperabat, ibidem ℣. 12.
[15] de quibus Gen. 25.15. hoc est Ituræos, Nubæos & Jischmahelitas alios in Arabia deserta, Syriæ finitimos: nam Reübenitæ sup. ver. 10. inferiorem Arabiæ partem suæ regioni finitimam occupârunt: hi verò superiorem Gaditis & Menaschitis conterminam.
[16] a Deo, ut finis hujus versus, & versus 22. explicat.
[17] de qua 2. Reg. 17.
[18] anticipatio est, cur Menaschitæ sese reliquis adjunxerint in ista expeditione.
[c] *Heb. viri nominis.*
[19] ut explicatè ostenditur 2. Reg. 17.7. & sequentibus.
[d] *Heb. spiritum superioris.*
[20] de quo 2. Reg. 15.19.
[21] de quo 2. Reg. 15.29.
[22] i. montosam regionem superioris tractus Mediæ: de ceteris vide in 2. Reg. 17.6

TABULA I.

Reüben.

Chanoc. | Pallu, Eliab, Jehiel | Chetzron, Zecarja | Carmi.

Joel
Schemahja
Gog
Schimhi
Mica
Reija
Bahal
Beera

Joel
Schemahi
Hazaz
Belah.

Horum possessio.

Jehoschuhæ temporibus a Haroher ad Nebuncm & Bahalmehonem usque.

Schaülis temporibus Hagarenorum ager a deserto ad Euphratem.

TABULA II.

Gad

Tziphjon, Chaggi, Guni, Ozni, Heri, Arod, Areel.

Guni,
Habdiel
Achi
Buz
Jachdo
Jeschischai
Micaël
Gilhad
Jeroach
Churi
Abichajil, cujus filii præfecti copiis temporibus Jarobhami

Imperator Achi

Præfecti Reipublicæ

2, Joël, Schapham, Jahnai, Schaphat.

Micaël, Meschullam, Schebah, Jorai, Jahkan, Ziah, Heber.

Horum possessio

Jehoschuhæ temporibus, Gilhad, Baschan usque Salcam.

Jarobhami, ager Hagarenorum

Jetur, Naphisch, Nodab.

TABULA III.

Dimidiæ tribus Menaschis principes

Hepher, Jischhi, Eliel, Hazriel, Jirmeja, Hodavja, Jachdiel,

Horum possessio a Baschane ad Bahal-Chermonem.

CAPUT VI.

Sacerdotum & Levitarum gentes, functiones, & habitationes recensentur.

FIlii Levi; a[1]Gerschon, Kehath, & Merari.
2 Filii autem Kehathi; Hamram, [b] Jitzear, & Chebron, & Huzziel.
3 Filii verò Hamrami, Aharon, & Mosche, & Mirjam: ac filii Aharonis, Nadab, & Abihu, Elhazar, & Ithamar.
4 Elhazar genuit Pinchasum; Pinchas genuit Abischuham.
5 Abischuah autem genuit Bukkin, & Bukki genuit Huzzin.
6 Et Huzzi genuit Zerachjam; & Zerachja genuit Merajothum.
7 Merajoth genuit Amarjam; & Amarja genuit Achitubum.
8 [f]Et Achitub genuit Tzadokum; & Tzadok genuit Achimahatzum.
9 [f]Et Achimahatz genuit Hazarjam; & Hazarja genuit [c] Jochananem.
10 Et Jochanan genuit Hazarjam: is *est* qui [1] egit sacerdotem in domo illa quam ædificaverat Schelomo Jeruschalaimis.
11 Genuit autem Hazarja Amarjam, & Amarja genuit Achitubum.
12 Et Achitub genuit Tzadokum; & Tzadok genuit [d] Schallumum.

[d] *qui & Meschullam, 1. Chr. 9. 11.*

13 Et Schallum genuit [l] Chilkijam; & Chilkija genuit Hazarjam.
14 Et Hazarja genuit [f] [a] Serajam; & Seraja genuit Jehotzadakum.
15 Qui Jehotzadak abiit, quum efficeret Jehova ut deportarentur Jehudæi & Jerosolymitani; per [e] Nebuchad-Nerzarem.
16 [3] FILII Levi; Gerschom, Kehath, & Merari.
17 Hæc autem *sunt* nomina filiorum Gerschomi, Libni & Schimhi:
18 Et filiorum Kehathi, Hamram, & Jitzehar, & Chebron, & Huzziel:
19 Filiorum Merari, Machli & Muschi: atque hæ familiæ Levitarum per majores suos.
20 Gerschomo; Libni filius ejus, Jachath filius ejus, [4] Zimma filius ejus:
21 [f] Joasch filius ejus, [g] Hiddo filius ejus, Zerach filius ejus, [h] Jeatherai filius ejus.
22 Filii Kehathi; Hamminadab filius ejus, [i]Korach filius ejus, Assir filius ejus:
23 Elkana filius ejusdem, & Ebjasaph filius ejusdem, Assir filius hujus.
24 Tachath filius ejus, [i] Uriel filius ejus, [k] Huzzija filius & [l] Schaül filius ejus, *& Elkana filius ejus.*
25 Et filii Elkanæ, Hamasai, & Achimoth.
26 *Filius Hamasai* [m] Elkana: filius hujus, Elkana, [n] Tzophai filius ejus, & [o] Nachath filius ejus:
27 [p] Eliab filius ejus, Jerocham filius ejus, Elkana

a *qui & Gerschō, V. 16, Ge. 46. 11.*
f *Exo. 6. 19.*
b *qui & Hamminadab, ver. 22.*
f *2. Schem. 9. 3.*
f *2. Schem. 15. 27.*
c *qui & Jehojadab, 2. Reg. 11.*
1 i. adeo strenuè perfunctus est sacerdotio contra Huzzijam, ut illud a labe vindicaret, 2. Chron. 26. 17. & sequentibus: hæc communis est interpretatio. Nobis verò magis placet pronomen ad Jochananem patrem hujus referre: quasi dicat, Jochanan is ille est Jehojadah, qui rebus deploratis & Hathaljæ tyrannide oppressis Dei cultum & Rempub. restituit, 2. Reg. 11. & 2. Chro. 23. vide 2. Chr. 24. 16.

f 2. *Reg.* 22. 4.
f *ibid.* 25. 21.
a a quo natus Hezra, Hezra 7. 1. vide 2. Reg. 25. 21.
e *Heb. per manum.*
3 transitio ad recensionem generis Levitarum præter Sacerdotes, repetito principio capitis.
4 i. nepos: filius enim Schimhi fuit filii Jachathi, infrà V. 42.
f *qui & Ethan, infra 4. 2. V.*
g *qui & Hadaja 41. V.*
h *qui & Ethni 41. ver.*
i *Exodi 6. 21.*
k *Tzephanja ver. 36.*
k *Hazarja ibid.*
l *Joël, Ibidem.*
m *qui & Machath infrà 35. V.*
n *Tzuph, Ibid.*
o *Thoach 34. ver.*
p *Eliel, Ibid.*

kana filius ejus, *Schemuel filius ejus.*

28 Filii verò Schemuelis, primogenitus ^q Vaschni, deinde Abija.

29 Filii Merari, Machli; Libni filius ejus, Schimhi filius ejus, Huzza filius ejus:

30 Schimha filius ejus, Chaggija filius ejus, Hasaja filius ejus.

31 HÆ AUTEM *sunt* quos constituit David ad ^r ministerium musicum in domo Jehovæ, ex quo ^s quievit arca:

32 Ut essent administri coram tabernaculo tentorii conventus musicâ, donec ædificaret Schelomo domum Jehovæ Jeruschalaimis: ubi perstiterunt pro munere suo in ministerio suo:

33 Hi, inquam, qui perstiterunt cum filiis suis: e Kehathitarum posteris, Heman musicus filius Joëlis, filii Schemuelis,

34 Filii Elkanæ, filii Jerochami, filii Elielis, filii Thoachi,

35 Filii Tzuphi, filii Elkanæ, filii Machathi, filii Hamasai,

36 Filii Elkanæ, filii Joëlis, filii Hazarjæ, filii Tzephanjæ,

37 Filii Thachathi, filii Assiris, filii Ebjasaphi, filii Korachi,

38 Filii Jitzeharis, filii Kehathi, filii Levi, filii Jisraëlis.

39 Et cognatus ejus Asaph, qui stabat ad dexteram ejus: Asaph filius Berecjæ, filii Schimhæ,

40 Filii Micaëlis, filii Bahasejæ, filii Malcijæ,

41 Filii Ethni, filii Zerachi, filii Hadajæ,

42 Filii Ethanis, filii Zimmæ, filii Schimhi,

43 Filii Jachathi, filii Gerschomi, filii Levi.

44 Filii verò Merari cognati eorum ad sinistram illius: ^t Ethan filius ^u Kischi, filii Habdi, filii Malluci,

45 Filii Chaschabjæ, filii Amazjæ, filii Chilkijæ,

46 Filii Amtzi, filii Bani, filii Schemeris,

47 Filii Machli, filii Muschi, filii Merari, filii Levi.

48 Cognati autem eorum *reliqui* Levitæ; instituti ad totum ministerium tabernaculi domus Dei:

49 ^x Aharon verò & filii ejus adolebant in altari holocausti, & in altari suffitus, præter omne opus sancti sanctorum: idque ad expiationem faciendam pro Jisraële, omnino prout præceperat Mosche servus Dei.

50 Atque ^y hi sunt filii Aharonis: Eleazar filius ejus, Pinchas filius ejus, Abischuah filius ejus,

51 Bukki filius ejus, Huzzi filius ejus, Zerachja filius ejus,

52 Merajoth filius ejus, Amarja filius ejus, Achitub filius ejus,

53 Tzadok filius ejus, Achimahatz filius ejus.

54 ^z HÆ AUTEM *sunt* habitationes eorum, per castella eorum, in termino eorum: filiis Aharonis e familia Kehathitarum, quia illorum *fuit* hæc sors:

55 Ideò dederunt illis Chebronem in terra Jehudæ; & suburbana prædia ejus circa eam:

56 Agrum verò civitatis & pagos ejus, dederunt Calebo filio Jephunnæ.

57 Filiis ergo Aharonis dederunt civitates Jehudæ, *civitatem* receptus ^a Chebronem, præterea Libnam & suburbana prædia ejus, & Jatthirum cum Eschthemoha & suburbana ejus:

58 Item ^x Chilenem & suburbana ejus, Debirem & suburbana ejus,

59 Et ^y Haschanem ac suburbana ejus, & Beth-Schemeschum ac suburbana ejus.

60 E tribu autem Binjaminis, Gebahum & suburbana ejus; & ^z Halemetham ac suburbana ejus, & Hanathotas ac suburbana earum: horum omnes civitates ^7 tredecim per familias eorum.

61 Item filiis Kehathi reliquis a ^8 familia unius tribus, & a dimidia tribu, dimidio Menaschis, sorte civitates decem:

62 Et filiis Gerschomi per familias eorum, a tribu Jissacharis, & a tribu Ascheris, & a tribu Naphthali, & a tribu Menaschis in Baschane civitates tredecim:

63 Filiis Merari per familias eorum a tribu Reübenis, & a tribu Gadis, ac a tribu Zebulunis sorte civitates duodecim.

64 Dederunt, inquam, filii Jisraëlis ipsis Levitis; istas civitates & suburbana prædia earum.

65 ^9 Quum *Sacerdotibus* dedissent sorte a tribu filiorum Jehudæ, & a tribu Schimhonitarum, ac a tribu Binjaminitarum; *dederunt* civitates istas quas lecturi sunt nominatim *lectores.*

66 Primum reliquis e familiis Kehathitarum; quorum termini civitates a tribu Ephrajimi:

67 Dederunt, inquam, ipsis e civitatibus receptus, Schecemum cum suburbanis prædiis ejus in monte Ephrajimi; & Gezerum ac suburbana ejus:

68 Et ^a Jokmehamum ac suburbana ejus, & Bethchoronem & suburbana ejus:

69 ^10 Similiter Ajalonem ac suburbana ejus, & Gath-Rimmonem ac suburbana ejus.

70 Item a dimidia tribu Menaschis ^b Hanerem, ac suburbana ejus, ^c Bilhamumque ac suburbana ejus: familiæ Kehathitarum reliquorum.

71 Filiis Gerschomi, a familia dimidiæ tribus Menaschis, ^d Golanem in Baschane & suburbana ejus: & ^e Haschtharothas ac suburbana ejus.

72 Item a tribu Jissacharis ^f Kedeschum ac suburbana ejus: Dobratham ac suburbana ejus:

73 Et ^g Ramothas ac suburbana earum, & ^h Hanemum ac suburbana ejus:

74 Item a tribu Ascheris, ^i Maschalum ac suburbana ejus: & Habdonem ac suburbana ejus:

75 Et ^k Chukkokum ac suburbana ejus, & Rechobum ac suburbana ejus.

76 Item a tribu Naphthali, Kedeschum in Galilæa ac suburbana ejus, & ^l Chammonem ac suburbana ejus, & ^m Kirjathajima ac suburbana eorum.

77 Filiis Merari, qui reliqui erant, ^11 a tribu Zebulunis, ^n Rimmonunem ac suburbana ejus, ^o Thaborem ac suburbana ejus.

78 Trans Jardenem autem Jerechuntis ab oriente Jardenis, a tribu Reübenis, Betzerum in deserto ac suburbana ejus: & Jahetzam ac suburbana ejus:

79 Et Kedemothas ac suburbana earum, & Mephahatham ac suburbana ejus.

80 Item a tribu Gadis, Ramothas in Gileade ac suburbana earum: & Machanajima ac suburbana eorum:

81 Et Cheschbonem ac suburbana ejus, & Jahzerum ac suburbana ejus.

q Joel ver. 33.

r Heb. manibus musicæ. i. musicis, synecdoche: ut 2. Chron. 29. 27.

s id est, translata est in domum Davidis: priùs enim huc illuc deportabatur.

t qui & Jeduthun infrà 9. 16. & passim.

u qui Kuschaja infrà 15. 17.

x Numer. 3. & 4.

y usque ad Davidem ex V. 31.

z Jehosch. 21.

a quæ & Kirjath-Arbah,

x Cholon, Jehosch. 21. 15.

y Hajin, ibidem.

z Halmon, ibid. 18.

7 nempe undecim quæ hîc numerantur: & præter eas Jutta & Gibhon, Jehosch. 16. & 17.

8 Ephrajimi, infrà V. 66. & Danis, Jehosch. 21. 23.

9 subaudi, sacerdotibus civitates, de quibus suprà V. 60. quapropter id evidentiæ causâ in textu visum est apponere.

a Kebitzajima, Jehosch. 21. 22.

10 a tribu Danis, ex qua omittuntur duo civitatum nomina ad Kehathitas pertinentia, Jehosch. 21. 23.

b quæ & Tabanac, ibid. ver. 25.

c Gath-Rimmon, ibid. & Jible-ham, Jehosch. 17. 11.

d Gaulon, Jehosch. 21. 27.

e Bebeschtera, ibid.

f Kischjon, ibid. 28. ver.

g Jarmuth, ibidem, ver. 29.

h Hen-Ganim per crasin, ibid.

i Mischeal, ibidem ver. 30.

k Chelkath, ver. 31.

l Chammoth-Dor, ibidem 32.

m Kartham, ibidem.

11 quatuor civitates: de quibus hîc duæ omittuntur, Jehosch. 21. 34. expressæ.

n Dimna, ibid. 35. ver.

o Nahalal, ibid.

TABULA I.

Levi.

- Gerschom v. Gerschon.
  - Libni: Jachath, Schimhi, Zimma, Joach, Ethan. Hiddo, Hadaja, Zerach, Jeathrai, Ethni. Malcija, Bahasaja, Micaël, Schimha, Berecja, Asaph
  - Schimhi
- Kehath,
  - Hamram,
    - Aharon, Mosche, Mirjam.
      - Nadab, Abihu, Elhazar, Ithamar.
      - Pinchas, Abischuah, Bukki, Huzzi, Zerachja, Merajoth, Amarja, Achitub, Tzadok, Achimahatz, Hazarja, Jochanan, Jojadah, Hazarja, Amarja, Achitub, Tzadok, Schallum, Chilkija, Hazarja, Seraja, Jehotzadak.
  - Jitzehar v. Hamminadab, Korach
    - Assir, Elkana, Ebjasaph.
      - Assir, Tachath, Uriel, Tzephanja. Huzzija, Hazarja. Schaul, Joël. Elkana
        - Hamassai, Achimoth. Elkana, Machath. Elkana. Tzophai, Tziph. Nachath, Thoach. Eliab, Eliel. Jerocham, Elkana, Schemuel.
          - Vaschni, Joël, Abija. Heman.
  - Chebron, Huzziel,
- Merari
  - Machli, Libni, Schimhi, Hhuzza, Schimha, Cheggija, Hasaja
  - Muschi. Machli, Schemer, Bani, Amtzi, Chilkija, Amatzja, Chaschabja, Malluc, Habdi, Kischi, Kuschaja, Eden.

TABULA II. [a]

Possessiones, & oppida

1. Aharonitarum in tribu
   - Jehudæ, & Schimhonis 9. Chebron, Kirjath-arbah. Libna, Jatthir, Eschthemoah, Chilen, Cholon, Debir, Haschan, Hajin, Beth-schemesch, Jutta.
   - Binjaminis 4. Gebah, Hallemeth, Gibhon, Hanathoth.
2. Kehathitarum in tribu
   - Ephrajimi 4. Schechem, Gezer, Jokmeham, v Kibtzajim, Beth-Choron.
   - dimid. Menaschis 2. Haner, v Thahanac. Bilham, v Jibleham, v Gath-rimmon.
   - Danis 4. Eltheke, Gibbethon, Ajalon, Gath-rimmon.
3. Gerschonitarum in tribu
   - dim. Menasch. 2. Golan, Gaulon, Haschtharoth, Belhesch̄tra.
   - Jissacaris 4. Kedesch, Kischjon, Dobrath, Ramoth, Jarmuth, Hanem, v. Hen-gannim.
   - Ascheris 4. Maschal, v. Mischeal Habdon Chukok, v. Chelkath Rechob.
   - Naphthali 3. Kedesch Galileç. Chammô, Chammoth-dor. Kirjathajim, v. Karthan.
4. Meraritarum in tribu
   - Zebulunis, 4 Rimmono, Dimna, Tabor, Nahalal, Jokneham, Kartha.
   - Reübenis, 4 Betzer, Jahetza, Kedemoth, Mephahath.
   - Gadis 4. Ramoth Gilhadis, Machanajim. Cheschbon Jahzer.

CAPUT VII.

Jissacaris, Binjaminis, Naphthali, Menaschis, Ephrajimi, & Ascheris familiæ recensentur.

a Gen.46.13. & Num.26.23.

ET filii [a] Jissacaris, Tholah, & Pua, & Jaschub, & Schimron, quatuor.

2 Filii verò Tholahi, Huzzi, & Rephaja, & Jeriel, & Jachmai, & Jibsam, & Schemuel, primores paternæ familiæ suę Tholahitidis, valentes robore per generationes suas: quorum numerus [1] temporibus Davidis, viginti duorum millium sexcentorum.

3 Et filii Huzzi, Jizrachja; cum filiis Jizrachjæ, Micaële, & Hobadja, & Joële, Jischija, quinque primores omnes:

4 Quibuscum per generationes suas per paternas familias suas, turmarii militiæ bellicæ tricies sexies mille: nam [a] multas habuerunt uxores atque liberos.

5 Cum reliquis fratribus eorum, per omnes familias Jissacaris valentissimi robore; octuagies septies mille, [b] censu omnium ipsorum.

6 BINJAMINIS, Belah, & Becer, & [c] Jedihaël, [2] tres.

7 Ac filii Belahi, Etzbon, & Huzzi, & Huzziel, & Jerimoth, & Hiri, quinque primores paternarum familiarum valentissimi robore: quorũ census viginti duorum millium triginta quatuor.

8 Filii autem Beceri, Zemira, & Johasch, & Elihezer, & Eljohenai, & Homri, & Jeremoth, & Abija, & Hanathoth, & Halemeth; omnes hi filii Beceri:

9 Quorum census per generationes eorum, per primores paternæ familiæ suæ, valentium robore; vicies mille ducentorum.

10 Filii verò Jedihaëlis, Bilhan; & filii Bilhanis, Jehusch, & Binjamin, & Ehud, & Cenahana, & Zethan, & Tharschisch, & Achischachar.

11 Omnes hi filii Jedihaëlis per primores paternarum *familiarum* valentissimi robore decies septies mille, ducenti; [d] apti ad procedendum in militiam bellicam.

12 [3] Præter Schuppæos & Chuppæos [e] cives urbis, & Chuschæos [4] natos in agro extero.

13 [5] FILII Naphthali, Jachtziel, & Guni, & Jetzer, & Schallum, [5] cum natis Bilhæ.

14 [6] FILII Menaschis *Gilhad*, Asriel, quem peperit uxor *Gilhadis* (concubina uxor [7] illius Aramæa.

1 i. quum ejus jussu per Joabum recensitus est Jisraël, 2. Schem. 24.

a Heb. multiplicaverunt uxores & liberos.

b Heb. censeri bo[r]um per omnes: sic deinceps.

c qui & Aschbel, Gen.46.21.

2 quorum posteri a Joabo fuerunt annumerati.

d Heb. egredientes in militiam ad bellum.

3 i. exceptis horum familiis quæ non venerunt in Joabi censum: recensuit enim Joab eos tantùm e Binjaminitarum tribu in quos ex opportunitate itineris incidit: Quam ob rem neque eos qui Jeruschalaimis habitabant, neque foris natos & commorantes numeravit.

e Heb. filios civitatis.

4 i. Moabitarum agro, de quibus infrà 8.8.

5 Gen.46.24.

5 i. cum Danitis, qui eandem habuerunt matrem Bilham. Consultò autem hic reticetur Dan, quia unum duntaxat habuit familiæ suæ Principem Chuschimum, Gen.46.23. [6] i. posteritatem Asriel pronepos fuit ex Gilhade filio Maciris, filii Menaschis: Tzelophchad verò abnepos ex Chephero filio Gilhadis, Num.27.1. [7] nimirum Menaschis,

Syra

Syra pepererat Macirem patrem Gilħadis;

15 Macir autem [f] acceperat uxorem nomine Maħacam sororem [g] Chuppimi & Schuppimi) & [9] nomen secundi Tzelophchad; fueruntque Tzelophchado filiæ.

16 Peperit autem Maħaca uxor Maciris filium, quæ vocavit eum nomine Pereschum, fratrem verò ejus nomine Schereschum: cujus filii Ulam & Rekem.

17 Et filii Ulami, [10] Bodan: [11] hi *sunt* in filiis Gilħadis, filii Maciris, filii Menaschis.

18 [12] Soror autem ejus Hammolecceth; peperit Ischhobum, & [g] Abiħezerem, & Machlam, *& Schemidaħum.*

19 Denique fuerunt filii Schemidaħi; Achjan, & Schecem, & [h] Likchi, & Aniħam.

20 Filii autem Ephrajimi, Schuthelach: & Bered filius ejus, & Thachath filius ejus, & Elħada filius ejus, & Thachath filius ejus:

21 Et Zabad filius ejus, & Schuthelach filius ejus, & Hezer & Elhad: [13] quos occiderunt homines Gathi indigenæ illius terræ, [14] quum descendissent ut caperent pecora illorum.

22 Quapropter luctu afflixit se Ephrajim pater illorum diebus multis: sed venerunt fratres ejus ad consolandum eum.

23 Tum congressus est cum uxore sua, quæ concipiens peperit filium; & vocavit nomen ejus [i] Beriħa, quòd in afflictione fuisset propter familiam suam:

24 Et filiam ejus Scheeram, quæ ædificavit Beth-Choronem inferiorem & superiorem; & Uzenscheeram.

25 Item Rephachum filium ejus, & Beschephum, & Thelachum filium ejus, & Thachanem filium ejus.

26 [15] Illius filio [k] Hadani, Hammihud filius ejus, Elischamaħ filius ejus,

27 [l] Non filius ejus, Jehoschuah filius ejus.

28 [16] Horum autem possessio & habitationes *fuit* Bethel & villæ ejus: & ab oriente [m] Naħaran, ab occasu verò Gezer & villæ ejus, & Schecem cum villis ejus, usque ad Hazzam & villas ejus.

29 In locis verò Menaschitarum *erant* Beth-Schean & villæ ejus, Thaħanac & villæ ejus, Megiddo & villæ ejus, Dor & villæ ejus: in istis habitabant filii Josephi filii Jisraëlis.

30 Filii Ascheris, Jimna, & Jischva, & Jischvi, & Beriħa, ac Serach soror horum.

31 Filii autem Beriħæ, Cheber, & Malchiel: hic pater *fuit* Birzavithæ.

32 Et Cheber genuit Japhletum, & Schomerum, & Chothamum; & Schuħam sororem horum.

33 Filii autem Japhleti, Pasach, & Bimhal, & Hasvath: hi *fuerunt* filii Japhleti.

34 Et filii Schameri; Achi, & Rohega, Jechubba, & Aram, & *Helem.*

35 Filius autem Helemi fratris hujus, Tzophach, & Jimnaħ, & Schelesch, & Hamal.

36 Filii Tzophachi: Suach, & Carnepher, & Schuħal, & Beri, & Jimra:

37 Betzer, & Hod, & Schamma, & Schilscha, & [n] Jithran & Beera.

38 Filii autem Jetheri; Jephunne, & Pispa, & Ara, *& Hulla.*

39 Filii denique Hullæ; Arach, & Channiel, & Ritzja.

40 Omnes hi filii Ascheris, primores familiarum paternarum lectissimi, valentissimi robore, primores principum: quorum census ad militiam bellicam, numerus virorum istorum vicies sexies mille.

[f] *Maxima est verborũ* ὑπερβατὸν *sive trajectio, quam nos perspicuitatis causa ex ϑ. seq. restituimus.*
[g] i. ex tribu Binjaminis sup. ϑ. 12.
[9] nepotis Gilħadis ex Chephero fratre Asriëlis juniore, Num. 26.33.
[10] de quo 1. Schem. 12.13. in annotatione.
[11] i. possessionem babuerunt inter Gilħaditas.
[12] i. Gilħadis filia Maciris.
[g] *qui & Ihezer, Num. 26.11.*
[h] *qui & Chelek, ibidem per metathesim literarum.*
[13] i. quorum partem: synecdoche.
[14] i. Gathæi fines Ægypti populaturi: erant enim illis crebra cum Ægyptiis bella, quorum causa Jisraëlitæ in Ægypto a Pelischthæis sibi metuebant, huc spectabat consilium Dei, de quo Exod. 13.17.
[i] *i. in afflictione.*
[15] nempe Schuthelachi, filii Ephrajimi, Num. 26.36.
[k] *qui & Heran, Num. 26.*
[l] *qui & Nun, Num. 13.16.*
[16] Ephrajimitarum.
[m] *quæ & Naħarna, Jehos. 16.7.*
[n] *qui & Jether ver. seq.*

TABULA I.

Jissacar

Tholaħ, Pua, v. Puva, Jaschub, v. Job, Schimron.

Huzzi, Rephaja, Jeriel, Jachmai, Jibsam, & Schemuël.

Jisrachja

Micaël, Hobadja, Joël, & Jischija.

TABULA II.

Binjaminis principes temporibus Davidis

e Belaħo: Etzbon, Huzzi, Huzziel, Jerimoth, & Hiri.

e Becero: Zemira, Joħasch, Eliħezer, Eljoħenai, Homri, Jeremoth, Abija, Hanathoth, Halemeth.

e Jediħaële: Bilhan

Jeħusch, Binjamin, Ehud, Cenaħana, Zetan, Tarschisch, Achischachar.

nati: Jeruschalaimis, Chuscheros, peregrè.

Schappeos & Chappaeos.

TABULA III.

Naphthali

Jachtziel, Guni, Jetzer, Schallum.

Jachtzeel. Schillem.

TABULA IIII.

Menasche

Macir

ex uxore: Gilħad

Asriel

Chepher

Tzelophchad, cui filiæ.

Hammolecceth

Ischhod, Abiħezer, Machla, Schemidaħ.

Achjan, Schecem, Likchi, Aniħam.

Chelek.

ex Maħaca Binjaminitide.

Peresch, Schéresch.

Ulam, Rekem.

Bedan.

TABULA V.

Ephrajim

Schuthelah, Bered, Thachath, Elħada, Thachath, Zabad, Schuthelach, Hezer, Elħad, Beriħa, Scheera, Rephach, Rescheph,

mater (Thelach, Thachan.

Bethcharonitarum, Uzzen-Scheeraeorum,

superiorum, inferiorum.

Hadan, v. Heran

Hammihud

Elischamaħ

Non, v. Nun.

Jehoschuaħ.

TABULA VI.

Ascher.

Jimna, Jischva, Jischvi, Berifia, Serach soror.

Cheber Malciel Birzavith

Japhlet Schomer, v. Schemer.

Pasac, Bimhal, Hasvath. Kohega, Achi, Jechubba, Aram, Helem.

Tzophach, Jimnafi, Schelesch, Hamal.

Schuach, Charnepher, Schufial, Beri, Jimra, Betzer, Hod, Schamma, Schilscha, Jithran, v. Jether, Beera,

Jephunne, Pispa, Ara, Hulla.

Arach, Channiel, Ritzja.

CAPUT VIII.

Binjaminitarum familiæ, & sedes earum recensentur, & postremò Schaülis & Jehonathanis genus.

1 Binjamin autem genuit Belafiam primogenitum suum: [a] Aschbelem [2] secundum, & [b] Achrachum tertium:

2 [c] Nocham quartum, & [d] Rapham quintum,

3 (Fueruntque filii Belafio; [e] Addar, & Gera, & Abihud,

4 Et Abischuafi, & Nafieman, & Achoach)

5 Et Gera, & [f] Schephuphan, & [g] Churam.

6 [3] Atque hi filii Echudis: hi *sunt* primores paternarũ *familiarum* habitatoribus [h] Gebafii, qui curaverunt istos migrare in [4] Manachatham.

7 Nam [5] Nafiamanem, & [i] Achijam, & Geram [6] migrare jussit; quum genuisset Huzzam, & Achichudem, *& Schacharajimum*.

8 Qui Schacharagim genuit in agro Moabitarum ex *quo* is dimisit illos: ex Chuschima & [k] Bafiara uxoribus suis:

9 Genuit inquam, ex Chodescha uxore sua; Jobabũ, & Tzibjam, & Mescham, & Malcamum,

10 Et Jefiutzum, & Schobjam & Mirmam: hi filii ejus, primores paternarũ *familiarum* erant.

11 Ex Chuschima autem genuit Abitubum & Elpafialem.

12 [7] Filii verò Elpafialis, Heber, & Mischefiam, & Schemed: is ædificavit [8] Onuntem, & Lodum, ac villas ejus.

13 ITEM Berifia & Schemafi fuerunt primores paternarum *familiarum* habitatoribus [9] Ajalonis: hi fugaverunt habitatores Gathi.

14 [10] Achjo autem, Schaschak & Jeremoth:

15 Et Zebadja, & Harad, & Heder:

16 Et Micaël, & Jischpa, & Jochia filii Berifiæ:

17 Item Zebadja, & Meschullam, & Chizki, & Cheber:

18 Et Jischmerai, & Jizlia, & Jobab, filii Elpafialis:

19 Item Jakim, & Zicri, & Zabdi:

20 Et Elifienai, & Tzilthai, & Eliel,

21 Et Hadaja, & Beraja, & Schimrath filii [l] Schimfii:

22 Item Jischpan, & Heber, & Eliel:

23 Et Habdon, & Zicri, & Chanan:

24 Et Chananja, & Helam, & Hanthothija:

25 Et Jiphdeja, & Penuel filii Schaschaki:

26 Et Schãscherai, & Schecharja, & Hathalja,

27 Et Jafiareschja, & Elija, & Zicri filii Jerochami:

28 Hi primores paternarum *familiarum* per generationes suas primores; hi *inquam* habitabant Jeruschalaimis.

29 GIBHONE autem habitabant [11] pater Gibfionis, cujus uxori nomen Mafiaca:

30 Et filius ejus primogenitus Habdon, deinde Tzur, & Kisch, & Bafial, & Nadab,

31 At Gedor, & Achjo, & [m] Zeker,

32 Et Mikloth, *qui* genuit [n] Schimeam: hi etiam [12] ex adverso fratrum suorum, habitârunt Jeruschalaimis [13] cum fratribus suis.

33 [o] Ner autem genuerat Kischum, & Kisch genuit Schaülẽ, & Schaul genuit Jehonathanem, & Malci-Schufiam, & Abinadabũ, & [p] Eschbafialem.

34 Filius autem Jehonathanis, [q] Merib-Bafial; & Merib-Bafial genuit [r] Micam.

35 Et filii Micæ, Pithon, & Melec, & [f] Thaareafi & Achaz.

36 Achaz autem genuit [s] Jehofiaddam, & Jehofiadda genuit Halemethum, & Hazmavethum, & Zimrin: Zimri verò genuit Motzam.

37 Et Motza genuit Binfiam, cujus filius [u] Rapha, cujus filius El-Hasa, cujus filius Atzel.

38 Atzeli autem *fuerunt* sex filii; quorum hæc nomina, Hazrikã, Bocru, & Jischmafiel, & Schearja, & Hobadja, & Chanã: omnes hi filii Atzelis.

39 Filii verò Hescheki fratris ejus; Ulã primogenitus ipsius, Jefiusch secũdus, & Eliphelet tertius.

40 Erant autẽ filii Ulam viri valẽtes robore, tendentes arcũ, & abundantes filiis & nepotibus, centum quinquaginta: omnes hi ex filiis Binjaminis.

1 Etsi hujus tribus recensio aliqua in superiore capite facta est: duæ tamen sunt causæ, cur rursus eamdem & copiosiùs recenseat: Prior, ut hoc caput sit ad sequentem historiã κατασκευαστικόν: Altera, ut Binjaminitarum qui erant pars regni Jehudæ, recensio integra post captivitatem haberetur.

a *Idem qui & Jedifiaël sup. 7. 6.*

2 ordine naturæ: Nam quod Mosche filios Binjaminis alio ordine enumerat, fit per congeriem: ut ex eo evincitur, quod etiam nepotes in filiorum numero promiscuè recenset.

b *Echi, Gen. 46. 21. & Achiram, Num. 26. 38.*

c *qui Becer Gen. 46. 21.*

d *qui Rosch, Ibid.*

e *qui & Ard, Ibidem.*

f *qui & Muppim, Ibidem, & Schephupham, Num. 26. 39.* g *qui & Chuppim ibidem, Gen. & Chupham Numeris.* 3 Hinc incipit de Binjaminitarum locis & possessionibus agere, non habita ratione auctorum primorum à quibus familiæ propagatæ sunt. in causa esse videtur Binjaminitarum illa strages quæ Judicum 20. describitur. h *Etiam Gibfia Schaülis, 1 Schem. 11. 4. sive Binjaminis dicitur.* 4 Numero jam ita aucti ut commodè simul habitare non possent, colonias eò ablegârunt, in eam partem quæ Binjaminitarum erat: vide sup. 2. V. 52. 5 i. horum posteros agnatos suos. i *qui Achoach suprà V. 4.* 6 nempe Echud paterfam. ut de hæreditate singulis ante obitum prospiceret: quod fecit Abraham Gense. 25. k *quæ & Chodesch, V. seq.* 7 præter eos qui Jeruschalaima inhabitârunt, de quibus infrà V. 17. 8 de quibus Hezræ 2. 33. Nechem. 7. 37. & 11. 35. 9 i. agri circumjacentis Ajalonem civitatem, in tribu Danis, Jehosch. 19. 42. 10 Catalogus principum e singulis familiis Binjaminis, qui Jeruschalaimis habitabant.

l *qui & Schemaja sup. V. 13.*

11 id est, Jefiiel, cap. 9. 35.

m *qui & Zecarja infrà 9. 37.*

n *qui & Schimeam, infrà 9. 38.*

12 i. Gibfionitarum, in ea civitatis regione, quæ Gibfionem spectat.

13 i. reliquis Binjaminitis incolentibus Jeruschalaima.

o *qui & Abiel, 1 Schem. 9. 1.*

p *qui Ischbo-scheth, 2. Schem. 2. 9.*

q *qui & Mephiboscheth, 2. Schem. 9. 10. & Meribafial, cap. seq. 40. V.*

r *de quo 2. Schem. 1 & [illegible]*

f *qui & Tachreafi infrà 9. 31.*

s *qui & Jafira, ibidem 42. V.*

u *qui & Rephaja, Ibid. 43.*

TABULA I.

Binjamin.

Belafi — Aschbel, v. Jedifiaël — Achrach, v. Echi, v. Achiram. — Nocha, v. Becer — Rapha, v. Rosch — Gera — Schephuphan, v. Schephupham, — Churam, v. Chupham. — Chuppim, v.

Addar, Gera, Abihud, Abischuafi, Nafiaman, & Achoach.

Quorum principes.

Gebafi, Ajalone, Jeruschalaimis, Gibfione.

TABULA

TABULA II.

Echud, pater Gebahitorum cujus posteri fuerunt

Gebahi — in Manachatha.

Huzza, Achichud, Schacharajim, qui genuit in agro Moab — Nahamâ, Achija, Gera.

e Chuschima — Bahara, v. Chodesch

Abitub, Elpahal. — Jobab, Tzibja, Mescha, Maltam, Jehutz, Schobja, & Mirma.

Heber, Mischeham, Schemed.

TABULA III.

Ajalone.

Berija — Schemah, v. Schimhi

Achjo, Schaschak, Jeremoth, Zebadja, Harad, Heder, Micael, Jischpa, Jocha, & Elpahal — Jakim, Zicri, Zabdi, Elihenai, Tzilthai, Eliel, Hadaja, Beraja, & Schimrath.

Zebadja, Meschullam, Chizki, Cheber, Jischmerai, Jizlija, & Jobab.

TABULA IIII.

Jeruschalaimis.

Schaschak — Jerocham.

Jischpan, Heber, Eliel, Habdon, Zicri, Chanan, Chananja, Helam, Hantothija, Jiphdeja, & Penuel. — Schamscherai, Schecharja, Hatalja, Jahareschja, Elija, & Zicri.

TABULA V.

Gibhone

Jehiel, pater Gibhonitarum, cujus uxor Mahaca

Habdon, Tzur, Kisch, Bahal, Ner, Nadab, Gedor, Achjo, Zecer, Mikloth, Schimea

Incolæ Jeruschalaimorum

Ner

Kisch

Schaül

Jehonathan, Malcischuah, v. Achischuah — Abinadab — Eschbahal, v. Ischboscheth.

Meribahal,

Mica

Pithon, Melec, Taereah, v. Achaz.

Tachreah, Jehohadda, Jahra,

Halemeth, Hazmaveth, Zimri.

Motza.

Binha.

Rapha.

Elhasa.

Atzel — Helchek.

Hazrikam, Bocru, Jischmahel, Schecharja, Hobadja, & Chanan. — Ulam, Jehusch, & Eliphelet.

CAPUT IX.

Facto epilogo præcedentium, status civilis & Ecclesiasticus Jeruschalaimorum recensetur a deportatione: Et ad Binjaminitarum Schaülisq; genus reditur.

1 [1] AC omnes quidem Jisraëlitæ recensiti sunt, ut ecce scripti erant in libro regum Jisraëlis: Jehudæi verò *ut quùm* deportati sunt in Babyloniam, propter prævaricationem suam.

2 Habitatores autem primi, *qui inhabitant* possessionem suam, per civitates suas; Jisraëlitæ, Sacerdotes, Levitæ, & [2] Nethinæi,

3 Jeruschalaimis inquam habitârunt e filiis Jehudæ, & e filiis Binjaminis; & [3] e filiis Ephrajimi, ac Menaschis.

4 [a] Huthai filius Hammihudis, filii Homri, filii Imri, filii Bani e filiis Peretzi filii Jehudæ,

5 Et ex *familia* Schelanæa [b] Hasaja primogenitus & filii ejus:

6 Et e filiis Zerachi, Jehuel; quorum agnati sexcenti nonaginta.

7 E filiis verò Binjaminis; Sallu filius Meschullami filii [c] Hodavjæ filii Hassenuæ,

8 Et Jibneja filius Jerochami, ac Ela filius Huzzi filii Micri, & Meschullam filius Schephatjæ, filii Rehuelis, filii Jibnijæ,

9 Quorum agnati per generationes suas [4] nungenti quinquaginta sex: omnes hi viri primores paternarum *familiarum* per familias paternas suas.

10 Item ex sacerdotibus, Jedahja, & Jehojarib, & Jacin:

11 Et [d] Hazarja filius [5] Chilkijæ filii Meschullami, filii Tzadoki, filii Merajothi, filii Achitubi, antecessor in domo Dei.

12 Et Hadaja filius Jerochami, [6] filii Paschchuris, filii Malcijæ, & [e] Mahsai, filius Hadielis, filii Jachzeræ, filii Meschullami, filii [f] Meschillemithi, filii Immeris:

13 Quorum agnati primores familiarum paternarum suarum, mille septingenti, sexaginta: valentes robore *ad* opus ministerii domus Dei.

14 Item ex Levitis, Schemanja filius Chaschubi, filii Hazrikami, filii Chaschabjæ, e filiis Merari:

15 Et [g] Bakbakkar, Cheresch, & Galal: & Matthanja filius Micæ, filii [h] Zicri, filii Asaphi.

16 Et [i] Hobadja filius Schemahjæ, filii Galalis, filii Jeduthunis: & Berecja filius Asæ, filii Elkanæ qui habitabat in villis [7] Netophatæorum.

17 Et Janitores, Schallum, & Hakkub, & Talmon, & Achiman: in quorum agnatis Schallum primarius *erat:*

18 [8] (Is hactenus in porta regis versus orientem *stationem habet*) [9] illi sunt [10] Janitores secundùm castra Levitarum.

19 Schallum verò filius Koræ filii Ebjasaphi filii Korachi, & agnati ejus e familia patris ejus Korachitæ in opere ministerii, observant [11] limina ad tentorium: ut [12] patres eorum juxta [13] castra Jehovæ observaverant adytum;

20 Quum Pinchas filius Elhazaris antecessor præesset olim eis, [14] cui Jehova adfuerat.

21 Zecarja filius Meschelemjæ, [15] janitor *est* ostii ad tentorium conventus;

1 Epilogus superiorum, qua docetur unde istæ recensiones sint desumtæ.

2 vide Jehos. 9. 21. Summa est, ut priscorum Judæorum quatuor erant classes; Popularis, Sacerdotalis, Levitica & Dedititia, quæ erat ex exteris in religionem cooptatis: sic postliminio reversis Judæis est observatum.

3 id est, ex aliis tribubus ad quas Jeruschalaima non pertinebant: synecdoche. nam eos intelligit, qui studio religionis, ad Jehudam convenerunt.

a *qui Hathaja filius Huzzijæ filii Zecarjæ filii Amarjæ filii Schephatjæ, filii Mahalaleelis: nam binomines erant: Nechem. 11. 4.* b *qui Mahasejæ, Nechem. 11. 5.* c *qui & Jehud, Nechem. 11. 7. & Jehuda, Ibid. 9. V.* 4 qui superiore numero, de quo v. 6. adjuncti, efficiunt mille sexcentos quadraginta sex principes familiarum. d *Seraja, Nechem. 11. 11.* 5 qui librum legis invenit sub Joschija, 2. Reg. 22. 8.

6 id est, abnepotis: vide Nechem. 11. 12. sic passim. e *qui Hamasebsai filius Hazarielis filii Achsai: Nechem. 11. 13.* f *qui Meschillemoth ibid.*

g *qui & Bakbukija, ibid. V. 17.* h *qui & Zabdi, ibid.* i *qui Hebda filius Schammuthe, ibid.*

7 in tribu Jehudæ suprà 2. 54. Nam etsi possessiones in tribu Jehudæ & Binjaminis attributæ erant Sacerdotibus: tamen cum Levitis pro necessitate communicata fuit ipsorum habitatio, ex quo regnum divisum est.

8 id est, qui primarius janitorum est.

9 nempe quatuor qui modò in præcedenti versu nominati sunt. 10 id est, janitorum Levitarum, per vices custodias suas obeuntium primarii, Infrà 22. & sequentibus. 11 id est, interiora atque adeò sanctiora. 12 id est, Kehathitæ, Num. 4. 4. 13 id est, Sacerdotes circum arcam castra habentes. 14 id est, qui charus fuit Deo, Numer. 25. 11. & sequentibus versibus. 15 id est, primarius janitorum sive custodum interiorum.

22 Hi omnes qui electi fuerant in janitores,
per limina ducenti duodecim; istos per villas suas
recensitos, istos *ordines inquam* statuerat [16] David
& [17] Schemuel [18] videns, in stato munere ipsorum:
23 Ut ipsi & filii eorum adstantes portis [19] ad
domũ Jehovę, ad domum tentorii per custodias,
24 In quatuor [k] plagas essent janitores; orien-
tem, occidentem, aquilonem, & austrum versus:
25 Et agnati eorum per villas suas *habitantes*
venirent [l] septimo quoque die in sua tempora
[20] cum illis.
26 Nam in stato munere sunt, quatuor poten-
tissimi janitorum illi Levitæ; & præsunt cubiculis
ac thesauris domus Dei:
27 Et circa domum Dei pernoctant: nam illis
incumbit custodia, & præsunt aperturæ, & qui-
dem [m] singulo quoq; mane.
28 Ex his quoque pręsunt [21] instrumentis mi-
nisterii: nam *certo* numero inferunt ea, ut *certo* nu-
mero depromunt ea.
29 Nam ex illis *alii* constituti sunt super instru-
menta illa, etiam super omnia instrumenta sa-
cra: alii super similam, & vinum, & oleum, &
thus, & aromata.
30 (Quamvis ex filiis sacerdotum sint [n] artifi-
ces unguenti ex ipsis aromatibus.)
31 Et Matthithja ex Levitis, is *est* primogeni-
tus [22] Schallumi Korachæi: ex stato munere pr
ęest operi rerum ex cacabo.
32 Item e filiis Kehathitis agnatis ipsorum
præsunt pani dispositionis; adaptando [23] unoquo-
que [o] sabbatho.
33 [24] Horum quoque ipsi sunt musici, primo-
res paternarum *familiarum* inter Levitas in cubi-
culis *degentes* immunes: quia interdiu & noctu
illorum *est versari* in suo opere.
34 Isti primores paternarum *familiarum* inter
Levitas, per generationes suas primores; isti *in-
quam* habitant Jeruschalaimis.
35 [25] [‖] GIBHONE ergo habitaverant pater
Gibhonitarũ Jehiel, [26] cujus uxori nomẽ Mahaca:
36 Et filius ejus primogenitus Habdi; deinde
Tzur, & Kisch, & Bahal, & [27] Ner, & Nadab.
37 At Gedor, & Achjo, & Zecarja, & Mikloth,
38 (Qui Mikloth genuit Schimamũ) hi etiam
ipsi ex adverso fratrum suorum habitârunt Jeru-
schalaimis cum fratribus suis.
39 Ner autem genuerat Kischum, & Kisch ge-
nuit Schaülem: & Schaül genuit Jehonatha-
nem, & Malci-Schuham, & Abinadabum, &
Eschbahalem.
40 Filius autem Jehonathanis Merib-Bahal:
& Merib-Bahal genuit Micam.
41 Et filii Micę, Pithon, & Melec, & Tachreah,
& Achaz.
42 Achaz autem genuit Jahram, & Jahra ge-
nuit Halemethum, & Hazmavethum, & Zimrum:
Zimri autem genuit Motzam.
43 Et Motza genuit Binham: cujus filius Re-
phaja, cujus filius Elhasa, cujus filius Atzel.
44 Atzeli autem *fuerunt* sex filii; quorum hęc
nomina, Hazrikam, Bocru, & Jischmahel, & Sche-
harja, & Hobadja, & Chanan: hi filii Atzelis.

[16] vide infrà 16. & 23.
[17] vide 1. Schem. 7.5.
[18] vide 1. Schem. 9.9.
[19] id est, Jeruschalaimis, & Gibhone: Nam Jeruschalaimis erat arca, atque hæc domus Jehovæ appellatur: Gibhone verò fuit locus tentorii vel tabernaculi: vide in 1. Reg. 3.2. & seq.
[k] *Heb. ventos.*
[l] *Heb. in septenum dierum, de tempore ad tempus.*
[20] id est, primoribus, de quibus sup. ver. 17. & 21.
[m] *Heb. & in mane, & in mane.*
[21] prolepsis sive propositio universalis, quam sequentes versus sigillatim explicant.
[n] *Heb. unguentarii unguenti.*
[22] vide suprà 17. & 19.
[23] Levitic. 24.5.
[o] *Heb. sabbatho, sabbatho.*
[24] id est, ex hoc ordine Levitico.
[25] Regressio ad gentem & historiam Schaülis, de qua capite præcedenti a versu 29. ut sit κατασκευή ad historiam sequentem.
[‖] *Suprà* 8. 29.
[26] sic invenimus in antiquo manuscripto, & in vetustioribus exemplaribus excusis: quæ sequi maluimus, propter convenientiam hujus loci cum superiore capite: quamvis in permultis libris etiam Hebraicis hoc modo legatur, cujus sorori nomen Mahaca.
[27] diversus ab Abneri patre, qui Kischi non pater; sed frater fuit, 1. Schem. 14.51.

CAPUT X.

Ultimum Schaülis cum Pelischthæis prælium, cum ipsius ac filiorum morte: Jabeschitarumq; in eos officio describitur: & causa mortis illius, ac regni ad Davidem translati ostenditur.

1 PElischthęis autem præliantibus cõtra Jisraë-
lem; fugerunt Jisraëlitę [a] metu Pelischthęo-
rum, cecideruntq; confossi in monte Gilbohæ.
2 Ubi assequuti Pelischthæi Schaülem & fi-
lios ejus; percusserunt Pelischthæi Jonathanem,
& Abinadabum, & Malcischuham filios Schaülis.
3 Ingravescente verò prælio in Schaülem,
invenerunt eum jaculantes arcu; timuitq; a jacu-
latoribus.
4 Quapropter quum edixisset Schaül armi-
gero suo, stringe gladium tuum, & transfode me
illo, ne venientes præputiati isti illudant mihi, &
noluisset armiger ejus (verebatur enim valdè
eum) arrepto Schaül gladio suo irruit in eum.
5 Tum videns armiger ejus mori Schaülem;
irruit ipse quoq; in suum gladium ut moreretur.
6 Sic mortuo Schaüle & tribus filiis ejus, &
omnibus domesticis ejus pariter mortuis:
7 Videntes omnes Jisraëlitæ qui *habitabant*
citra convallem illam, fugisse *Jisraëlitas*, & mor-
tuos esse Schaülem ac filios ejus; derelictis civi-
tatibus suis fugerunt, & venientes Pelischthæi ha-
bitârunt in eis.
8 Fuit autem postridie, quũ venissent Pelisch-
thęi ad spoliandũ confossos; ut invenirent Schaü-
lem & filios ejus prostratos in monte Gilbohæ.
9 Quem ubi spoliassent, deportârunt caput
ejus & arma ejus: miseruntq; in terram Pelisch-
thæorum circumquaque, ad nunciandum apud
terricula sua, & apud populum.
10 Et deposuerunt arma ejus *in* æde deorum
suorũ; [b] caput verò ejus affixerunt *in* ęde Dagonis.
11 Sed audientes omnes *habitatores* Jabeschi
Gilhadis, quicquid fecerant Pelischthæi Schaüli:
12 Surrexerunt omnes viri strenui, & assumtum
corpus Schaülis & corpora filiorum ejus, intule-
runt Jabeschum: & sepelientes ossa eorũ sub qua-
dam quercu Jabeschi, jejunârunt septem diebus.
13 Itaq; mortuus est Schaül [1] propter pręvari-
cationem suam qua pręvaricatus est cõtra Jeho-
vam, [c] eo quòd non observâsset verbũ Jehovæ: at-
que etiam quòd cõsulere Pythonem quæsiisset.
14 Quòd non requisivisset Jehovam, ideò
morte affecit eum; & avertit regnum ipsum ad
Davidem filium Jischai.

[‖] 1. Schem. 31.
[a] *Heb. a facie.*
[b] *Heb. cranium, synecdoche.*
[1] Prolepsis, sive propositio generalis peccatorum Schaülis: quorum tres gradus subjiciuntur: quod inobsequens fuit verbo Dei; quòd Diabolum consuluit; & quòd impœnitens fuit. Sunt autem hi duo versus parasceuastici ad historiam Davidis, quæ in sequentibus toto hoc libro explicatur.
[c] *Heb. propter verbum Jehovæ quod non observâsset ut supra 1. Schem. 28. 19. & seqq.*

CAPUT XI.

David Chebrone, maximo Jisraëlitarum conventu, rex totius Jisraëlis instituitur: Jebusum occupat & munit. Ejus duces recensentur ordine, tum qui in expeditionibus militabant, tum stationarii.

[1] NAm [‖] congregati sunt [2] omnes Jisraëlitę ad
Davidem Chebronem, ut dicerent; ecce os
tuum & caro tua sumus.
2 [a] Planè antehac, etiam quum esset Schaül
rex, tu *eras* qui educebas & reducebas Jisraëlem:
denique dixit Jehova Deus tuus tibi, tu pasturus
es populum meum Jisraëlem, & tu præfuturus es
antecessor populo meo Jisraëli.
3 Venerunt quoque omnes seniores Jisraëlis
ad regem Chebronem, quibuscum pepigit David
fœdus Chebrone coram Jehova: & unxerunt
Davidem in regem super Jisraëlem, secundùm
[‖] verbum Jehovę per Schemuelem.
4 Profectò autem Davide cum [3] toto Jisraële
Jeruschalaima, ea *erat* Jebus (nam ibi Jebusæi
erant ex [4] habitatoribus terræ.)
5 Dixerunt habitatores Jebusi Davidi, non
es venturus huc: sed cepit David arcem Tzijonis,
ea *est* civitas Davidis.
6 Dixerat enim David, quisquis percusserit
Jebusęum primum, futurus est primarius & prin-
ceps: quare quum ascendisset primum Joab filius
Tzerujæ, factus est primarius.
7 Posteà habitabat David in ea arce: idcircò
vocârunt

[1] Ætiologia, qua explicatur quo ordine & quibus mediis Deus a Schaüle ad Davidem regnum transtulit.
[‖] 2. Schem. 5.1.
[2] i. legati delecti ex singulis tribubus: de quibus infrà 12.23. & sequentibus ver.
[a] *Heb. etiam heri, etiam nudiustertius, etiam &c.*
[‖] 1. Schem. 16.
[3] i. cum bellatoribus e singulis tribubus: de quibus infrà 12.23. & sequentibus.
[4] priscis, quos Deus exterminari jusserat, Exo. 23. 33.

vocârunt eam, civitatem Davidis.
8 Nam exstruxit civitatem ipsam circum-
quaque, [b] tam munitionem quàm circuitum ejus:
Joab verò [c] instauravit reliquum civitatis.
9 Sic [d] pergebat David continenter crescere;
quia Jehova exercituum erat cum eo.
10 [5] Hi autem *sunt* primores robustissimorum
qui [6] *fuerunt* Davidi, qui fortiter se gesserunt cum
eo pro regno ejus, *&* [6] cum toto Jisraële ad effi-
ciendum ut regnaret: secundùm verbum Jehovæ
quod promiserat Jisraëli.
11 Et *ex* his [7] numerus robustissimorum, qui
erant Davidi: Jaschobham filius Chachmonçi pri-
marius tribunorum: hic vibravit hastam suam in
trecentos [d] quos confodit, vice una.
12 Post hunc verò Elhazar filius Dodonis
Achochęi: hic *erat* inter hos [8] tres robustissimos.
13 [9] Ipse erat cum Davide [e] Pas-Dammimis,
quum essent Pelischthæi congregati illuc ad bel-
lum, ubi *erat* portio agri plena hordei; & popu-
lus fugerent metu Pelischthæorum.
14 [10] Stiterunt autem se in medio illius portio-
nis ut liberarent eam, ac percusserunt Pelisch-
thęos: sic servavit Jehova conservatione magna.
15 Præterea descendentes tres isti supra tri-
ginta primarii e quadam rupe ad Davidem, ad
speluncam Hadullami: quum castra Pelischthęo-
rum metarentur in convalle Raphæorum:
16 Nam David tunc *agebat* in suo propugna-
culo; statio autem Pelischthæorum tunc ad
Beth-Lechemum.
17 Quumq; desiderio motus David diceret;
ô si quis bibendam daret mihi aquam, e cisterna
Beth-Lechemi quæ *est* ad portam;
18 Perruperunt tres isti per castra Pelisch-
thæorum, & haustam aquam e cisterna Beth-Le-
chemi quæ *est* in porta, deportantes attulerunt
ad Davidem: quam noluit bibere David, sed effu-
dit eam Jehovæ.
19 Dicebat enim, absit mihi a Deo meo ut fa-
ciam hoc, an sanguinem virorum istorum bibe-
rem, [f] incuntium periculum vitæ suæ? nam peri-
culo vitæ suæ attulerunt eam, ideò noluit bibere
illam: hæc fecerunt tres illi potentissimi.
20 Deinde Abischai frater Joabi ipse erat pri-
marius horum trium, hic quoque vibravit hastam
suam contra trecentos quos confodit: sed non
fuit ei nomen inter illos treis.
21 Horum trium supra alios duos honoratis-
simus, ideò fuit illis princeps: at usque ad illos
tres non pervenit.
22 Benaja filius Jehojadahi, filius viri strenui,
magnus rebus gestis e Kabtzeele: hic percussit
duos valentissimos Moabitas, & idem descendens
percussit quemdam leonem in medio cisternæ,
tempore nivis.
23 Idem quoque percussit virum quemdam
Ægyptium virum [g] procerum quinque cubito-
rum, quum in manu ipsius Ægyptii *esset* hasta, par
jugo textorum, descendit ad eum baculo: & arri-
piens hastam e manu Ægyptii, interfecit eum
hasta ipsius.
24 Hæc fecit Benaja filius Jehojadahi: qui
erat nominatus inter hos tres robustissimos.
25 Supra triginta ecce honoratus erat, quam-
vis ad illos tres non pervenerit: quamobrem prę-
posuit eum David satellitio suo.
26 Item *e* robustissimis copiarum, Hasaël frater
Joabi, Elchanan filius Dodonis e Beth-Lechemo,
27 Schammoth Harorita, Chelerz Pelonæus,
28 Hira filius Hikkeschi Tekohæus, Abihe-
zer Hanathothæus,
29 Sibeai Chuschathæus, Hilai Achochæus,
30 Maharai Netophathæus, Cheled filius Ba-
hanæ Netophathæus,
31 Ithai filius Ribai e Gibha Binjaminitarum:
Benaja Pirhathonites,
32 Churai ex *una* vallium Gahaschi, Abiel
Harbathæus,
33 Hazmaveth Bachurimanus, Eljachba
Schahalbonites,
34 E filiis Haschemi Gizonitæ Jonathan, fi-
lius Schagæ Hararitæ,
35 Achiam filius Sacaris Hararita, Eliphal fi-
lius Uris,
36 Chepher Meceräthæus, Achija Pelonæus,
37 Cherzro Carmelita, Naharai filius Ezbai,
38 Joël frater Nathanis, Mibchar filius Hagri,
39 Tzelek Hammonita: Nachrai Berothita
armiger Joabi filii Tzerujæ,
40 Hira Jithræus, Garob Jithræus,
41 Urija Chitthæus, [11] Zabad filius Achlai,
42 [12] Hadina filius Schizæ Reübenita prima-
rius Reübenitarũ: attamen superiores eo triginta.
43 Chanan filius Mahacæ, & Joschaphat
Mithnæus.
44 Huzzija Haschtherathæus: Schamah & Je-
hiel filii Chothami Harohęritæ.
45 Jedihaël filius Schimri, & Jocha frater ejus
Thitzæus.
46 Eliel Hammachavim, & Jeribai, & Joschav-
ja filii Elnahami: & Jithma Moabita:
47 Eliel, & Hobed, & Jahasiel Metzobajani.

b *Heb. ab ipsa munitione usque ad circuitum ejus.*
c *Heb. vivificavit vel sanavit: ut 2. Chro. 24. 13.*
d *Heb. ibat David eundo & crescendo.*
5 2. *Schem.* 23. 8.
5 in expeditione contra Jebusitas de quibus infrà 12. 23. &c.
6 ut suprà v. 4.
7 ex quibus selectus est numerus ducum, qui deinde ordinariis cohortibus sub Davide præfuerunt.
d *Heb. confossos: sic deinceps.*
8 quorum tertius hic reticetur: exprimitur autem 2. Schem. 23. 11.
9 de hoc bello vide 2. Schem. 5. 17. & sequentibus, & 23. cap. ver. 11.
e *que & Ephes Dammim*, 1. *Schem.* 17. 1.
10 Elhazar & Schamma.
f *Heb. super animis suis: nam super animis suis, &c.*
g *Heb. mensuræ.*
11 vide suprà 2. 38. Hic autem unus, præter recensionem quæ est 2 Schem. 23. additur: fortasse quia Eliles, de quo ibi ver. 25. occumbente, hic in locum ejus suffectus est.
12 altera pars recensionis, qua exponitur qui duces stationarii in finibus regni ultra Jardenem præfuerint, & regionibus recens acquisitis: de quibus suprà 5. 10.

CAPUT XII.

Copiæ quæ se Davidi partim exsulis tempore, partim Chebrone regnanti adjunxerunt: Et postremò quæ ex singulis tribubus ad maximum conventum regi Jisraëlitis præficiendo convenerunt, recensentur.

HI verò *sunt* qui venerant Tziklagum ad Da-
videm, adhuc [1] exclusum metu Schaülis filii
Kischi: qui cum illis [2] robustissimis *fuerant* adju-
tores bellorum ejus:
2 Armati arcu, [a] dextrorsum & sinistrorsum
petentes lapidibus, sagittis *jaculantes* arcu: ex agna-
tis Scaülis e Binjaminitis:
3 Primarius Achihezer, deinde Joasch filii
Schemahæ Gibhani, & Jeziel & Pelet filii Haz-
mavethi; & Beraca & Jehu Hanathotanus.
4 (Jischmahja verò Gibhonita robustissimus
inter [3] hos triginta erat, ideoq; pręerat his trigin-
ta) & Jirmeja & Jachaziel, & Jochanan, & Joza-
bad Gederanus.
5 Elhuzai, & Jerimoth, & Behalja, & Sche-
marja, & Schephatja Charuphæus:
6 Elkana, & Jischija, & Hazareel, & Johe-
zer, & Jaschobham Korachæi:
7 Et Johela, & Zebadja filii Jerochami e
Gedore.
8 Etiam e Gaditis [b] secesserunt ad Davidem
ad [4] propugnaculum illud in desertum, valentes
robore, viri militares ad bella ejus, instructi cly-
peo & scuto: quorũ facies ut facies leonis *erant*, &
similes erant capreis in montibus [c] pernicitate.
9 Hezer primus, Hobadja secundus, Eliab
tertius,
10 Mischmanna quartus, Jirmeja quintus,
11 Hatthai sextus, Eliel septimus,
12 Jochanan octavus, Elzabad nonus,
13 Jirmeja decimus, Machbannai undecimus:
14 Hi e Gaditis primores militię unusquisq; in
cẽtenos qui minimus, & qui maximus in millenos:
15 Hi *inquam* sunt qui trajecerunt Jarde-
nem mense primo, quamvis [5] [d] exundaret supra
omnes

1 id est, extra regni fines agentem, 1. Schem. 27. 1.
2 de quibus capite præcedente.
a *Heb. dexteram petentes & sinistram petentes lapidibus: ut Gen.* 13. 9.
3 qui hic recensentur.
b *Heb. separaverunt se.*
4 id est, Tziklagum, suprà v. 1. quod situm erat in deserto Jehudæ.
c *Heb. festinando.*
5 vide Jehos. 3. 15.
d *Heb. implevit supra omnes ripas suas.*

omnes ripas suas : & fugaverunt omneis *incolas* convallium ad orientem & ad occidentem.

16 Quum autem venirent e filiis Binjaminis & Jehudæ usque ad istam munitionem ad Davidem:

17 Egressus est David obviam eis; & loquutus dixit eis, si [e] pacis animo venitis ad me ut juvetis me, erit mihi vobiscum [f] animus adunatus: sed si ad decipiendū me *prodituri* hostibus meis, quum non sit injuria in manibus meis, respiciat Deus majorum nostrorum & reprehendat.

18 Tunc [6] spiritus induit Hamasajum primarium horum tribunorum: *ut diceret*; tibi David, & comitibus tuis fili Jischai *sit* pax, pax tibi & pax adjuvantibus te, adjuvat enim te Deus tuus: sic suscepit eos David, & constituit eos inter primores turmarios.

19 E Menaschitis autem defecerunt ad Davidem, [g] quando venit cum Pelischthæis contra Schaülem ad prælium, sed non [7] juverunt illos: nam de consilio dimiserant eum Satrapę Pelischthæorum dicendo, [8] periculo capitum nostrorum deficeret ad dominum suum Schaülem.

20 Quum [8] rediisset Tziklagum, defecerunt ad eum e Menaschitis Hadnach, & Jozabad, & Jedihaël, & Micaël, & Jozabad, & Elihu, & Tzillethai, qui erant Chiliarchi apud Menaschitas.

21 Hi quoque fuerunt adjumento Davidi adjuncti turmæ ejus, nam valentes robore erant omnes: quapropter fuerunt præfecti in ejus militia.

22 Quin etiam [h] oportuno quoque die veniebant ad Davidem ut juvarent eum: donec exercitus *redderetur* magnus ut exercitus Dei.

23 HI VERÒ numeri primariorum inter expeditos ad militiam venerunt ad Davidem Chebronem; [9] ut averterent regnum Schaülis ad eum, secundùm [i] præstitutum Jehovæ.

24 Filii Jehudæ ferentes clypeū & spiculum; sexies mille octingenti, expediti ad militiam:

25 E filiis Schimhonis valentes robore ad militiam: septies mille centum.

26 E Levitis quater mille sexcenti:

27 Et Jehojadah qui [10] antecessor erat Aharonitis: & cum eo ter mille septingenti:

28 Et Tzadok adolescens valens robore; & familiæ paternæ ejus principes vigintiduo:

29 Item e Binjaminitis agnatis Schaülis ter mille: nam adhuc multi illorum [11] observabant observationem domus Schaülis:

30 Et ex Ephrajimitis, vicies mille octingenti: valentes robore, viri [k] nominati per familias paternas suas.

31 Et e [12] dimidia tribu Menaschis, octodecies mille: qui expressi erant nominibus, ut venirent ad constituendum regem Davidem.

32 Et e filiis Jissacharis [l] [13] noscentes scitè tempora, ut [m] noscerent Jisraëlitę quid *sibi* faciendum esset: primores illorum ducenti, quorum omnium fratres ex præstituto eorum *agebant*.

33 E Zebulunitis prodeuntes in militiam, instructi ad bellum omnibus armis bellicis, quinquagies mille: etiam ordinibus servandis *exerciti* [n] [14] integro animo.

34 Et e Naphthalitis præfecti mille: quibuscum clypeati & hastati tricies septies mille.

35 Et e Danitis instructi ad bellum, vicies octies mille sexcenti.

36 Et ex Ascheritis prodeuntes in militiam, ordinem servando bellicum, quadragies mille.

37 Et ex transjardenanis, ex Reübenitis, & Gaditis, atque ex dimidia tribu Menaschis, cum

[e] *Heb. ad pacem.*
[f] *Heb. cor ad simul.*
[6] ut Judic. 6, 34.
[g] 1. *Schem.* 29.
[7] Pelischthæos Davidis copiæ.
[8] *Heb. super capita nostra.*
[8] cæsis jam Hamalekitis, 1. Schem. 30, quo tempore Gaditæ & Binjaminitæ Davidi sese adjunxerunt.
[h] *Heb. tempore diei in die: hypallage.*
[9] vide suprà in fine capitis decimi, & in principio undecimi.
[i] *Heb. os: sic* v. 32.
[10] id est, eorum sacerdotum ductor, qui hic commemorantur ad Davidem recèns venisse: nam sacerdotum qui anteà in regno Chebronitico penes Davidem erant; summus erat Ebjathar, 1. Schem. 23. 5.
[11] id est, studebant conservare regnum penes familiam Schaülis.
[k] *Heb. nominum.*
[12] cis Jardenem commixta Ephrajimitis.
[l] *Heb. noscentes intelligentiam in tempora.*
[13] id est, periti prudentiaq; instructi, qua explorârunt quid quando agēdum esset, & omnibus Jisraëlitis in hoc facto præiverunt: sic Esther 1. 13.
[m] *Heb. ut noscerent quid facturus esset Jisraël: trajectio.*
[n] *Heb. absque corde & corde, i. non duplici animo.*
[14] venerunt, ut infra v. 38.

omnibus armis militiæ bellicæ, centies vicies mille.

38 Omnes hi viri bellatores ordines aciei servantes; animo integro venerunt Chebronem ad regem pręficiendum Davidem toti Jisraëli: quin etiam totius residui Jisraëlitarum [o] animus unus *erat* ad regem constituendum Davidem.

39 *Hi* fuerunt ibi cum Davide diebus tribus, comedentes & bibentes: quia præparaverunt eis [15] fratres eorum.

40 Atque etiam [16] propinqui illorum usque ab Jissacare, & Zebulune, & Naphthali advehebant panes asinis, & camelis, & mulis, & bobus, cibum, farinam, palathas, & uvas passas, vinumq; & oleum, boves, pecudésque [p] copiosè: quia lætitia *erat* in Jisraële.

CAPUT XIII.

David de consilio ordinum arcam Dei Kirjath-Jeharimis abducit, ut Jebusum deportet: sed divinitus peremto in itinere Huzza, apud Hobed-Edomum deponit eam.

1 DEinde iniit consilium David cum chiliarchis & centurionibus, omnibúsque antecessoribus:

2 Et dixit David toti congregationi Jisraëlis, si vobis bonum & a Jehova Deo nostro *videtur esse*, [a] passim dimittamus ad fratres nostros qui reliqui sunt per omnes regiones Jisraëlitarum, & cum eis *ad* sacerdotes & Levitas [b] per civitates & suburbana eorum; ut congregentur ad nos.

3 Ita divertamus arcam Dei nostri ad nos: nam [2] non requisivimus eam diebus Schaülis.

4 Dixerunt autem tota congregatio illa, faciendum esse ita: nam recta *videbatur* res illa in oculis totius populi.

5 [1] Congregavit ergo David ex toto Jisraële a [3] Schicore Ægypti, usque quà venis Chamatham; ad deducendum arcam Dei e [4] Kirjath-Jeharimis.

6 Quumq; ascendisset David cum toto Jisraële Bahalam *sive* Kirjath-Jeharima quæ *sunt* Jehudæ; ad deducendum inde arcam Dei Jehovæ insidentis Cerubinis, [5] cujus invocatur nomen:

7 Imposuerunt arcam Dei plaustro novo *deportandam* e domo Abinadabi: Huzza & Achjo ducentibus plaustrum.

8 David autem, & omnes Jisraëlitæ præ lætitia gestiebant coram Deo totis viribus, tam canticis quàm citharis, & nabliis & tympanis, & cymbalis atque tubis.

9 Sed quum venissent ad aream Cidonis usque; extendit Huzza manum suam ad prehendendum arcam, quia dimoverant *eam* boves.

10 Quam ob rem accensus ira Jehova in Huzzam, percussit eum, eo quòd extenderet manum suam ad arcam; ita ut moreretur ibi coram Deo.

11 Displicuit autem Davidi, quòd irrupisset Jehova irruptione in Huzzam: quapropter vocat *quisque* locum illum, rupturam Huzzæ usque in hunc diem.

12 Et timuit *sibi* David a Deo die illo, dicens; quomodo introducerem ad me arcam Dei?

13 Neque abduxit David arcam ad se in civitatem Davidis; sed curavit ut ea diverteret in domum Hobed-Edomi Githæi.

14 Considente autem arca Dei apud familiam Hobed-Edomi in domo ejus tres menses; benedixit Jehova familiæ Hobed-Edomi, & omnibus quæ *erant* ei.

CAPUT

[o] *Heb. cor.*
[15] id est, contribules.
[16] id est, parentes & agnati singulorum, peculiarem curam singuli suorum habentes.
[p] *Heb. in multitudinem.*
[1] quum rex totius populi creatus Jebusum occupâsset, & Pelischthæos cecidisset 2. Schem. 5.
[a] *Heb. erumpamus, dimittamus, i. cursores celerrimè huc illuc amandemus: metaphora ab exundantibus aquis.*
[b] *Heb. civitates suburbanorum eorum.*
[2] id est, externum ex lege cultum apud eam non exercuimus: nam pars illa regni frequentibus Pelischthæorum incursionibus infestabatur, sed in tabernaculo arca vacuo colebatur Deus.
[1] 2. *Schem.* 6.
[3] vide Jehosch. 13. 3: Id est, a termino meridiano ad Septentrionalem.
[4] quò delata fuerat temporibus Schemuelis, 1. Schem. 6. 21.
[5] q. d. cujus cultus etiamnum manet: etiamsi arca a temporibus deportationis desideretur.

CAPUT XIIII.

Tyriorum rex muneribus & officijs Davidem prosequitur: qui filiorum numero augetur & Pelischthæos bis fundit.

MIsit autem [1]Chiram rex Tyri legatos ad Davidem; lignaq; cedrina, & [a]latomos, ac fabros lignarios: ad extruendum ipsi domum:

2 Quum expertus esset David [b] a Jehova stabiliri se in regem super Jisraëlem: quia sursum extollebatur regnum ejus propter populum ipsius Jisraëlem.

3 Accepit deinde David adhuc uxores Jeruschalaimis, genuitq; David adhuc filios & filias.

4 [2]Atque hæc *sunt* nomina [c]eorum qui nati sunt ei Jeruschalaimis; Schammuah, & Schobab, Nathan, & Schelomo:

5 Item Jibchar, & Elischuah, & Elpelet,

6 Et Nogah, & Nepheg, & Japhiah,

7 Et Elischamah, & Beheljadah, & Eliphelet.

8 Audientes autem Pelischthæi unctum esse Davidem in regem super totum Jisraëlem, ascenderunt omnes Pelischthæi ad quærendum Davidem: quod audiens David processit ante eos.

9 Quum enim Pelischthæi venissent, & diffusi essent per convallem Raphæorum:

10 Consuluerat David Deum dicendo, an ascensurus sum contra Pelischthæos, & traditurus es eos in manum meam? & edixerat ei Jehova, ascende, nam traditurus sum eos in manum tuam.

11 Ascendentibus itaque illis Bahal-Peratzima, percussit eos ibi David; ac dixit David: rupit Deus inimicos meos manu mea, ut eruptione aquarum: idcirco vocant nomen loci illius Bahal-Peratzim.

12 Nam dereliquerant ibi deos suos: qui edicente Davide, exusti sunt igne.

13 Pergentes autem iterum Pelischthæi, diffusi erant in ea convalle:

14 Quum consulenti iterum Davidi Deum, edixit ei Deus, ne ascendito post eos: diverte ab eis, postea aggredieris eos ex adverso mororum.

15 Et esto, quum audieris sonum quendam incessus in cacuminibus mororum, *at* tunc prodeas in prælium: prodierit enim Deus ante te ad percutiendum castra Pelischthæorum.

16 Itaque fecit David quemadmodum præceperat ei Deus: & percusserunt castra Pelischthæorum inde a Gibhone Gezerum usque.

17 Sic abiit fama Davidis per omnes regiones; & Jehova indidit metum ejus omnibus gentibus.

[1] 2.Schem.5.11. & seq.
[a] Heb. fabros muri.
[b] Heb. quod stabilivisset se Jehova &c. sed hoc amphibolum est.
[2] suprà 3.5.
[c] Heb. natorum qui fuerunt ei &c. metalepsis.

CAPUT XV.

David erecto tentorio arcæ Dei in civitate sua, per Levitas ex legis præscripto eam e domo Hobed-Edomi eò deportari curat, prosequentibus Jisraëlitarum ordinibus.

QUum autem [a]fecisset sibi David domos in civitate sua; & parato loco arcæ Dei, tetendisset ei tentorium:

2 Tum dixit David, non sunt laturi arcam Dei nisi Levitæ: [1]quia ipsos elegit Jehova ad ferendum arcam Dei, & ministrandum ei usque in seculum.

3 Itaque congregans David omnes Jisraëlitas Jeruschalaima, ad deducendum arcam Jehovæ, in locum ejus quem paraverat ei:

4 Collegit David [2]filios Aharonis & Levitas istos.

5 E filiis Kehathi, Urielem principem, & agnatos ejus centum viginti:

6 E filiis Merari, Hasajam principem, & agnatos ejus ducentos viginti:

7 E filiis Gerschomi, Joëlem principem, & agnatos ejus centum triginta:

8 E filiis Elitzaphanis, Schemahjam principem, & agnatos ejus ducentos:

9 E filiis Chebronis, Elielem principem, & agnatos ejus octoginta.

10 E filiis Huzzielis, Hamminadabum principem & agnatos ejus centum duodecim.

11 Tunc vocavit David Tzadokum & Ebjatharem Sacerdotes, ac Levitas istos Urielem, Hasajam, & Joëlem, & Schemahjam, & Elielem, & Hamminadabum:

12 Et edixit eis, vos primarii paternarum familiarum inter Levitas: sanctificate vos ipsos & agnatos vestros, ut deportetis arcam Jehovæ Dei Jisraëlis in *locum quem* præparavi ei.

13 [3]Quia principio vos non *fecistis hæc*, irrupit Jehova Deus noster in nos, quum non requisiveremus eum [b] ritè.

14 Itaq; sanctificaverunt se Sacerdotes ac Levitæ; ad deportandum arcam Jehovæ Dei Jisraëlis.

15 Et tulerunt Levitæ arcam Dei, quemadmodum præceperat Mosche ex verbo Jehovæ, humero suo vectibus sibi impositam.

16 Edixit quoque David principibus Levitarum, ut instituerent agnatos ipsorum musicos cum instrumentis musicis, nablis, citharisq; ac cymbalis: resonaturos extollendo vocem cum lætitia.

17 Instituerunt ergo Levitæ illi [4]Hemanem [a]filium Joëlis, & ex cognatis ejus [5]Asaphum filium Berecjæ, & e Meraritis cognatis suis [6]Ethanem filium Kuschajæ:

18 Et cum ipsis cognatos ipsorum secundanos; Zecarjam, Benem, & Jahazielem, & Schemiramothum, & Jechielem, & Hunnim, Eliabum, & Benajam, & Mahasejam, & Matthithjam, & Eliphelem, & Miknejam, & Hobed-Edomum, ac Jehielem janitores.

19 Ac musici quidem isti, Heman, Asaph & Ethan, cymbalis chalybeis [2] resonabant:

20 Et Zecarja, & [‡]Haziel, & Schemiramoth, & Jechiel, & Hunni, & Eliab, & Mahaseja, & Benaja; cum nablis [c] [3] acutæ symphoniæ:

21 Matthithja verò, & Eliphele, & Mikneja, & Hobed-Edom, & Jehiel, & Hazazja, cum citharis [d] [4] gravi symphoniæ præerant.

22 At Cenanja princeps Levitarum [e]quibus *incumbebat* munus portandi; [5]erudiebat de munere portandi, quia peritus erat.

23 Berecja autem, & Elkana janitores adstantes arcæ:

24 Et Schebanja, & Joschaphat, & Nethanel, & Hamasai, & Zecarja, & Benaja, ac Eliezer Sacerdotes clangentes tubis, anteibant arcæ Dei: postea Hobed-Edom, & Jechija janitores *sequebantur* arcam.

25 Deinde erat David cum senioribus Jisraëlis & Chiliarchis; procedentibus ad deducendum arcam fœderis Jehovæ e domo Hobed-Edomi cum lætitia.

26 Erat autem quum [f] [6] levaret Deus Levitas gestantes arcam fœderis Jehovæ; ut sacrificarent septenos juvencos & septenos arietes.

27 Ita David [7]paludatus pallio byssino, & omnes Levitæ gestantes arcam, & musici, atque Cenanja qui princeps erat muneris portandi, musicam exercentes (Davidi autem impositum *erat* [8] amiculum lineum)

28 Denique omnes Jisraëlitæ deducebant arcam fœderis Jehovæ cum clangore, & sono buccinæ,

[a] Heb. quum fecisset sibi domos in civitate Davidis: antecedens suo & relativo loco; ut Gen.9.6.
[1] Num.4.
[2] suprà 6.
[3] suprà 13.7.
[b] Heb. secundum ritum suum, Num.4.
[4] suprà 6.33.
[a] filii Schemuëlis Kehathitæ.
[5] Ibid. 39. v.
[6] Ibid. v. 44.
[2] id est, exercebant musicam diatonum.
[‡] qui Jahaziel, v. 18.
[c] Heb. virginum: ut [illegible] genus Musices vocabant Dores.
[3] id est, ut vulgus musicorum dicit, alto & superiore: sive ut veteres vocabant, sonis synemmenis, diazeugmenis, & hyperboleis: qui soni optimè vocibus virginum respondent. Sunt autem hæc plerumque in Chromate posita, secundo genere musices.
[d] Heb. octava, id est, quam musici vocant diapason.
[4] id est, ut vulgus musicorum vocat basso & Tenore, sive ut veteres, hypatis & Mesis, id est, imis & mediis sonis: quod genus cantionum ferè in harmonia, tertio genere musices, positum est.
[e] Heb. qui erat in onere.
[5] id est, imperabat, modum & tempus gestandi, interquiescendi, & bajulos commutandi.
[f] Heb. adjuvaret.
[6] id est, quum jussu Cenanjæ consisteret arca, Levitis invicem succedentibus alii aliis [illegible] erat autem hoc spatium sensim gressuum, ut [illegible] Schem. 6.13.
[7] i. palliatus pro regio.
[8] superindutum paludamento regio, quod dignitatem regiam coram Deo abjicienti, & reliquis Dei ministris se æquanti.

buccinæ, tubisq; ac cymbalis: resonantes nabliis & citharis.

29 Fuit autem, arca fœderis Jehovæ intrante in civitatem Davidis; quum Mical filia Schaülis prospectans per quamdam fenestram videret regem Davidem saltantem & gestientem, ut sperneret eum cum animo suo.

CAPUT XVI.

David allata arca Dei, ministros apud eam constituit; canticum describitur in deportatione arcæ cantatum. Sacerdotumq; & Levitarum officia coram arca & tabernaculo distribuit.

Quum itaque [a]intulissent arcam Dei, & statuissent eam intra tentorium illud, quod tetenderat ei David; [1] obtulerunt holocausta & eucharistica coram Deo.

2 Deinde postquam absolvisset David offerre holocaustum & eucharistica; benedixit populo in nomine Jehovæ.

3 Et impertitus est unicuique Jisraëlitæ [a]tam viris quàm mulieribus, viritim tractam panis unam, & frustum carnis, & lagenam *vini*.

4 Tunc disposuit coram arca Jehovæ e Levitis ministros; tam ad [b] prædicandum, quàm ad celebrandum & laudandum Jehovam Deum Jisraëlis:

5 Asaphum primarium, & secundum ab eo Zecarjam; Jehielem, & Schemiramothum, & Jechielem, & Mathithjam, & Eliabum, & Benajam, & Hobed-Edomum, & Jehielem cum instrumentis nabliorum & cum citharis (Asaph autem cymbalis resonabat)

6 Benajam verò & Jachazielem Sacerdotes; cum tubis jugiter coram arca fœderis Dei.

7 Tunc eodem die tradidit David [c]primùm *hunc psalmum* ad celebrandum Jehovam; in manum Asaphi & cognatorum ejus.

8 [2] Celebrate Jehovam, proclamate nomen ejus, notas facite in populis actiones ejus.

9 Canite ei, psallite ei, confabulamini de omnibus mirabilibus ejus.

10 Laudibus vos efferte in nomine [d]sancto ejus, lætetur [e] animus quærentium Jehovam.

11 Requirite Jehovam & [3] robur ejus: quærite faciem ejus jugiter.

12 Recordamini mirabilium ejus quæ fecit, prodigiorum ejus, & judiciorum oris ejus.

13 O semen Jisraëlis servi ejus: filii Jahakobi electi ejus.

14 Hic *est* Jehova Deus noster: in tota terra judicia ejus *sunt*.

15 Recordamini in seculum [4] fœderis ejus; in mille ætates verbi *quod* præcepit:

16 [f]Quod pepigit cum Abrahamo, & juramenti ejus *cum* Jitzchako:

17 [g]Quod stabilivit etiam Jahakobo in statutum, Jisraëli in fœdus perpetuum;

18 Dicens, tibi daturus sum terram Cenahanis; [5] funiculum possessionis vestræ:

19 Quum essetis homines [f]pauci, planè pauci, & inquilini in ea.

20 [6] Nam itabant a gente in gentem, & a regno in populum alium.

21 [1] Non permisit cuiquam opprimere eos: etiam reprehendit propter eos reges, *dicens*:

22 Ne attingitote [7] unctos meos, & [8] prophetas meos ne afficitote malo.

23 [9] Canite Jehovæ [10] tota hæc terra: annunciate de die in diem salutem ejus:

24 Narrate in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

25 Nam magnus Jehova, & laudandus valdè, & reverendus *est* supra omnes deos.

26 Quia omnes dii populorum sunt [11] idola: Jehova verò [12] cælos fecit:

27 Decor & majestas coram eo, robur & gaudium [13] in loco ejus.

28 [14] Cedite Jehovæ familiæ populorum: cedite Jehovę gloriam & [15] robur:

29 Cedite Jehovæ gloriam nominis ejus; afferte munus & venite in conspectum ejus; incurvate vos *honorem habentes* Jehovæ in decore sanctitatis.

30 [16]Formidate a conspectu ejus tota terra: Etiam stabilietur orbis habitabilis ne dimoveatur.

31 [17] Lætabuntur cæli & exsultabit terra; ac dicent in gentibus, Jehova regnat.

32 Perstrepet mare & quod ipsum implet; exsultabit ager & quicquid in eo *est*.

33 Tunc cantabunt arbores sylvæ, ob præsentiam Jehovę quum advenerit ad judicandum terram.

34 [18] Celebrate Jehovam, quoniam bonus *est*, quoniam in seculum benignitas ejus.

35 Et dicite, serva nos Deus salutis nostræ, & [19] congrega nos & libera a gentibus; ad celebrandum nomen sanctum tuum, & laudationibus commendandum nos in laude tua.

36 Benedictus Jehova Deus Jisraëlis a seculo usque in seculum; tum dixerunt totus populus, Amen, & [g] laudem Jehovæ.

37 Reliquit autem ibi *David* coram arca fœderis Jehovæ Asaphum & cognatos ejus, ad ministrandum coram arca jugiter, [h] prout opus erat in diem quotidie:

38 Et Hobed-Edomum & *Chosam* cum fratribus ipsorum sexaginta octo, Hobed-Edomum, inquam, filium Jedithunis & Chosam in janitores.

39 Tzadokum verò Sacerdotem, & cognatos ejus Sacerdotes coram tabernaculo Jehovæ, in excelso quod *erat* [20] Gibhone:

40 Ad offerendum holocausta Jehovæ in altari holocausti jugiter quolibet mane & vespere: & ad *præstandum* quicquid scriptum *est* in lege Jehovæ quod imperavit Jisraëli:

41 Et cum eis Hemanem, & Jeduthunem, & reliquos selectos qui expressi sunt nominibus; ad celebrandum Jehovam, quoniam in seculum *est* benignitas ejus:

42 Penes ipsos autem Hemanem & Jeduthunem, tubas & cymbala pro resonantibus, & instrumenta musica Dei: filios verò Jeduthunis ad januam.

43 Denique abierunt totus populus quisque domum suam: reversus autem est David ad benedicendum domui suæ.

CAPUT XVII.

Eodem argumento est cum 2.Schem.7.

Fuit [a] autem, quum desideret David domi suæ; ut diceret David Nathani prophetæ, ecce ego habito in domo cedrina, dum arca fœderis *habitat* sub aulæis.

2 Dixit verò Nathan Davidi, quicquid *est* in animo tuo fac; nam Deus ipse tecum *est*.

3 Sed fuit nocte illa, ut ederetur verbum Dei ad Nathanem, dicendo:

4 Abi ut dicas Davidi servo meo, ita ait Jehova:

---

[a] 2.Schem. 6.17.
[1] Extra ordinem: vide plura infrà v. 9. & 1. Schem. 6.13.
[a] Heb. a viro & usq; ad mulierem.
[b] Heb. commemorandum.
[c] Heb. in principio.
[d] Psal. 105.
[2] Propositio laudativa sive hortativa ad laudes Dei. Sunt autem hujus cantici partes quatuor in quibus sunt tres propositiones & conclusio: harum propositionum singulæ duo continent capita, hortationem ad laudes, & laudum argumenta. In hac prima Jisraëlitæ ad laudes Dei provocantur, a gratuito fœdere Dei, & beneficiis collatis ex fœdere, usq; ad v. 23.
[d] Heb. sanctitatis.
[e] Heb. cor.
[3] i. arcam præsentiæ Dei robustissimi symbolum: sic 2. Chro. 6.41. & Psal. 78.61.
[4] i. eorum quæ vobis promisit; & quæ a vobis stipulatus est: vide Gen. 17.9.
[f] Gen. 20.3.
[g] Gen. 28.13. & 35.11.
[5] vide Deu. 2.9.
[f] Heb. numeris: ut Gen. 34.30.
[6] summa peregrinationis trium patriarcharum: de quibus Gen. ab 11. cap. usque ad finem libri.
[g] Gen. c. 12. 13. & 20. Exod. a 7. capite usque ad 12.
[7] id est, electos & consecratos mihi per Christum metonymia signi pro re significata.
[8] quasi dicat, quos ego familiariter alloquor, & qui alios meis verbis alloquuntur, Gen. 20.7.
[9] Psa. 96.
[9] Propositio secunda, qua Jisraëlitæ provocantur ad laudes Dei in omnibus gentibus promulgandas, a salutaribus & gloriosis miraculis ejus, & a natura ejus: quæ duo argumenta per comparationem ejus cum diis gentium illustrantur.
[10] i. Jisraëlitæ omnes: metonymia.

[11] vide Levitici 19.4.
[12] synecdoche.
[13] i. penes eum: quasi dicat, totus est in se, & solus aliis auctor roboris & gaudii.
[14] Propositio tertia: qua gentes quasi jam cognitione Dei imbutæ, ad ipsum laudandum & tolendum provocantur a superioribus argumentis, & benedictionibus ad eos perventuris ex regno Christi.
[15] i. laudem amplissimam & vehementissimam: sic enim accipitur nomen roboris, ubi agitur de gloriæ & majestatis divinæ prædicatione, ut Exod. 15.2. Psal. 8.2. & alibi: quemadmodum interpretatur Christus Matth. 21.16.
[16] q.d. si tantum timore Dei agemini, circumfluetis benedictionib. quæ quatuor versibus subjiciuntur.
[17] elegantissimæ hyperbolæ ad amplitudinem beneficiorum Dei figurandam.
[18] Conclusio bimembris ex hortatione & laude constans: hortationis duæ sunt partes, una ad laudandum Deum quolibet tempore, altera ad fidem & auxilium ejus implorandum.
[19] i. congregatos contine, ne dissipemur: nam anteà fuerat regnum divisum & Binjaminitæ inprimis a Davide alienati, suprà 12.29.
[g] Heb. laudare: infinitivus pro nomine.
[h] Heb. in rem diei die suo.
[20] quò translatum fuit post cædem sacerdotum perpetratam Nobi, 1. Schem. 22, vide infrà 2. Chron. 1.3.
[a] 2. Schem. 7.

Jehova: tu non ædificaturus es mihi domum il-
lam quam inhabitem.
5 Quum non habitarem in æde ulla, inde a
tempore quo adduxi Jisraëlem usq; in diem hunc;
sed essem de tentorio in tentorium *itans*, etiam
extra tabernaculum:
6 Quocunque ivabam in toto Jisraële, an
quicquam loquutus sum ulli judicum Jisraëlis,
quibus præceperam ut pascerent populum me-
um dicendo; quare non ædificatis mihi domum
cedrinam?
7 Nunc ergo sic dicito servo meo Davidi, ita
ait Jehova exercituum, ego assumsi te ex ipsa cau-
la, a sequendo grege, ut præesses antecessor po-
pulo meo Jisraëli:
8 Et fui tecum quocumque ivisti, excidiq;
omnes inimicos tuos a facie tua: ut compara-
rem tibi nomen par nomini maximorum qui *sunt*
in terra;
9 Disponeris locum populo meo Jisraëli, &
plantans eum, ut habitet in loco suo, ac non com-
moveatur amplius; neque pergant iniquitati de-
diti terere eum quemadmodum prius.
10 Verùm ex quo tempore mandatis instruxi
judices super populum meum Jisraëlem, & de-
pressi omnes inimicos tuos; indicavi tibi, domum
ædificaturum tibi Jehovam:
11 Et fore completis diebus tuis, ad abeun-
dum cum patribus tuis; ut excitem semen tuum
post te, quod erit e filiis tuis; & stabiliturum reg-
num ejus.
12 Ipse ædificabit mihi domum: & stabiliam
solium ejus usque in seculum.
13 Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in
filiū: benignitatem verò meam non amovebo ab
illo, quemadmodū amovi ab *eo* qui fuit ante te:
14 Sed constituam eum in domo mea & in
regno meo usque in seculum; & solium ejus erit
stabile usque in seculum.
15 Secundùm omnia verba hæc, & secun-
dùm totam visionem hanc: sic alloquutus est
Nathan Davidem.
16 Itaque ingressus rex David restitit coram
Jehova, ac dixit, quis *sum* ego Jehova Deus, &
quæ *est* familia mea, quòd deducis me eò usque?
17 Et parum visum est hoc in oculis tuis, De-
us, adeò ut loquutus sis de familia servi tui in lon-
ginquum: & prospexeris mihi secundùm ratio-
nem humanam *de* hac excellentia, Jehova Deus.
18 Quid perget adhuc David *loqui* apud te
de honore *quo honoras* servum tuum: cùm tu ser-
vum tuum cognoscas?
19 Jehova propter SERVUM tuum, & secun-
dùm animum tuum præstas totam hanc rem
maximam; notas faciendo omnes res istas ma-
ximas,
20 (Jehova non *est* par tibi, imò non *est* Deus
præter te) omnino prout audiveramus auribus
nostris.
21 Quæ ergo *est*, sicut populus tuus Jisraël,
gens ulla in terra: ad quam redimendam sibi in
populum iverit Deus, ad comparandum nomen
tibi rerum maximarum, & reverenter suspicien-
darum, expellendo a facie populi tui, quem re-
demisti ex Ægypto gentes?
22 Nam reddidisti populum tuum Jisraëlem
tibi populum usque in seculum: & tu Jehova *es*
illis in Deum.
23 Nunc ergo Jehova verbum illud quòd
promisisti servo tuo & familiæ ejus, statum sit us-
que in seculum: & fac quemadmodum dixisti:
24 Ut quum statum erit, magnificetur nomen
tuum usque in seculum, dicendo, Jehova exerci-
tuum Deus Jisraëlis *est* Deus Jisraëli; & domus
Davidis servi tui stabilis *sit* coram te.
25 Tu enim, Deus mi, revelâsti in aurem servi
tui, te ædificaturum ipsi domum: idcircò judica-
vit servus tuus orandum esse coram te.
26 Quapropter nunc Jehova tu ipse *es* Deus:
& promisisti servo tuo bonum istud:
27 Nunc, inquam, *quum* placuerit tibi bene-
dicere domui servi tui, ut sit in seculum coram
te; quia tu Jehova benedixisti, *sit* igitur benedi-
cta in seculum.

CAPUT XVIII.

Eodem argumento cum 2. Schem. 8. & principio 9.

FUit [1] autem post hæc, ut percutiens David Pe- [1] 2.Schem.8.
lischthæos deprimeret eos; & acciperet Ga-
thum & villas ejus e manu Pelischthæorum.
2 Percussit etiam Moabitas; fueruntq; Mo-
abitæ Davidi servi, afferentes munus.
3 Percussit quoque David Hadar-Hezerem
regem Tzobæ in Chamatha: quum proficiscere-
tur *David* ad injiciendam manum suam versùs
flumen Euphratem:
4 Cepitq; David ab eo mille currus, septies
mille equites, & vicies mille viros pedites: & suc-
cisis David suffraginibus omnium curulium e-
quorum, reliquum fecit ex eis ad centum currus.
5 Venerant autem Syri Darmasceni ad ju-
vandum Hadar-Hezerem regem Tzobæ: qua-
propter percussit David e Syris viginti duo mil-
lia virorum.
6 Imposuitq; David *stationarios* Syriæ Dar-
mascenæ, & fuerunt Syri Davidi servi, afferentes
munus: servabat enim Jehova Davidem quo-
cunque ibat.
7 David autem accepit umbones aureos,
qui *erant* penes servos Hadar-Hezeris; & attulit
Jeruschalaima.
8 E Tibchatha quoque & e Cune civitatibus
Hadar-Hezeris accepit David æris quampluri-
mūm: ex quo fecit Schelomo lacum æneum, &
columnas cum instrumentis æneis.
9 Quumq; audiret Toħu rex Chamathæ;
Davidem percussisse totas copias Hadar-Heze-
ris regis Tzobæ:
10 Misit Hadoramum filium suum ad regem
Davidem, ad rogandum eum de prosperitate, &
ad benedicendum ei, eo quòd prælians contra
Hadar-Hezerem percussisset eum (nam Hadar-
Hezer bella gerebat contra Toħu) cum quibus-
libet instrumentis aureis, argenteisq; , ac æreis.
11 Etiam hæc consecravit rex David Jehovæ,
cum argento & auro quod abstulerat ab omni-
bus gentibus istis; ab Edomæis, & a Moabitis, &
a Hammonitis, & a Pelischthæis, & a Hamale-
kitis.
12 Abschai etiam filius Tzerujæ percussit E-
domæorum, in valle Salis, octodecim millia;
13 Adeò ut disponeret in Edomæa stationa-
rios, & essent omnes Edomæi servi Davidi: ser-
vabat enim Jehova Davidem quocunque ibat.
14 [1] Regnabat itaque David super totum Jis- [1] 2.Schem.9.
raëlem, eratq; exercens judicium & justitiam in
toto populo suo.
15 Joab autem filius Tzerujæ præerat mili-
tiæ; & Jehoschaphat filius Achiludis a memoriis;
16 Et Tzadok filius Achitubi atque Abime-
lec filius Ebjatharis Sacerdotes; Schavescha au-
tem scriba:
17 Et Benaja filius Jehojadahi præerat Cere-

 thæis

thæis & Pelethæis: filii denique Davidis primarii ad manum regis.

CAPUT XIX.

Idem ferè cum 2. Schem. 10.

[a] 2. Schem. 10.

[a] Fuit quoque posteà, mortuo Nachascho rege Hammonitarum; quum regnaret filius ejus pro eo:

2 Ut diceret David, exerceam benignitatem erga Chanunem filium Nachaschi, quia exercuit pater ejus erga me benignitatem, & mitteret David legatos ad consolandum eum de patre ejus: venirentque servi Davidis in regionem Hammonitarũ ad Chanunem, ut consolarentur eum.

3 Dicentibus autem principibus Hammonitarum Chanuni, an honore afficere *videtur* David patrem tuum in oculis tuis, quia misit tibi consolatores? an non ad perscrutandum, & ad evertendum, & ad explorandum terram hanc venerunt servi illius ad te?

4 Accipiens Chanun servos Davidis, rasit eos, & præcidit vestes eorum per medium usque ad summas coxendices: sic remisit eos.

5 Quod quum abeuntes *quidam* indicâssent Davidi de hominibus istis, misit obviàm eis, erant enim homines illi rubore suffusi valdè: edixitque rex, considete Jerechunte, donec reflorescat barba vestra ut revertamini.

6 Videntibus itaque Hammonitis ipsos se fœtidos reddidisse apud Davidem: misit Chanun cum Hammonitis mille talenta argenti ad mercede conducendum sibi e Syria interamni, & e Syria Mahaca, & e Tzoba currus & equites.

7 Itaque mercede conduxerunt sibi triginta duo millia *peditum*, currus & regem Mahacæ cum populo suo, qui venientes castra metati sunt in conspectu Medebæ: Hammonitæ quoque congregati e civitatibus suis, venerunt in bellum.

8 Quod audiens David, misit Joabum cum toto exercitu, robustissimos quosque.

9 Egressi autem Hammonitæ instruxerant aciem *ad* portam civitatis illius: reges verò qui venerant, erant seorsim in agro.

10 Quam ob rem videns Joab obversam esse contra se aciem a fronte & a tergo; selectos ex omnibus lectissimis in Jisraële instruxit adversus Syros:

11 Residuum verò populi tradidit in manum Abschai fratris sui; quod instruxerunt adversus Hammonitas:

12 Ac dixit, si robustiores erunt me Syri, ut sis mihi auxilio: quòd si Hammonitæ robustiores erunt te, vicissim auxilio ero tibi.

13 Confirmate, imò confirmemus nos pro populo nostro, & pro civitatibus Dei nostri: Jehova autem quod bonum *videtur* in oculis suis faciet.

14 Tum accedente Joabo & populo qui *erat* cum eo contra Syros in prælium; fugerunt a facie ejus:

15 Hammonitæ verò videntes fugisse Syros, fugerunt ipsi quoque a facie Abschai fratris illius & ingressi sunt civitatem suam; deinde venit Joab Jeruschalaima.

16 Sed videntes Syri se plaga affectos fuisse coram Jisraële; missis legatis eduxerunt Syros qui degunt transflumen: Schophaco principe militiæ Hadarhezeris præeunte illis.

17 Quod quum nunciaretur Davidi, congregato toto Jisraële, trajecit Jardenem, venitque ad eos, ut instrueret contra eos *aciem*; & postquam instruxisset David contra Syros aciem, prælliati sunt contra eum.

18 Sed fugerunt Syri a facie Jisraëlis; & occidit David e Syris septies mille equites curules, & quadragies mille viros pedites: Schophacum quoque principem militiæ illius affecit morte.

19 Quapropter ut viderunt servi Hadar-Hezeris se plaga affectos esse ante Jisraëlitas, pacem ineuntes cum Davide serviverunt ei: neque voluerunt Syri auxilio esse Hammonitis ampliùs.

CAPUT XX.

David suo imperio Hammonitas subjicit: & tria prælia cum Pelischthæis, cæsis tribus eorum gigantibus feliciter gerit.

Deinde [a] fuit tempore vertentis anni, quo tempore prodeunt reges, ut duceret Joab copias militares, & perderet regionem Hammonitatum, veniensque obsideret Rabbam, desidente Davide Jeruschalaimis: [b] tandem percussit Joab Rabbam, & destruxit eam. [a] 2. Schem. 11. 1. [b] 2. Schem. 12. 26. &c.

2 Et assumsit David coronam regis eorum a capite ejus, quam invenit *esse* pondere talenti aurei, & lapides pretiosos in ea, quæ imposita fuit capiti Davidis; prædamque civitatis detulit multam valdè:

3 Populum verò qui in ea *erat* eductum dissecuit serra, & tribulis ferreis, ac securibus, & sic fecit David omnibus civitatibus Hammonitarum: deinde reversus est David cum toto populo Jeruschalaima.

4 [c] Fuit quoque posteà quum perstaret prælium ad Gezerem contra Pelischthæos: *ut* tunc percuteret Sibbecai Chuschatæus Sippaium e natis cujusdam gigantis, & deprimerentur *illi*. [c] 2. Schem. 21. 18.

5 Ibidem fuit adhuc prælium contra Pelischthæos; ubi percussit Elchanan filius Jahiris Lachmin fratrem Goljathi Githæi, cujus hastile *erat* par jugo textorum.

6 Item fuit adhuc bellum ad Gathum: eratque quidam procerus, cujus digiti seni erant viginti quatuor, & ipse quoque natus erat eidem giganti.

7 Quem, quum probro afficeret Jisraëlem: percussit Jehonathan filius Schimhæ fratris Davidis.

8 Isti editi sunt giganti eidem Gathi: qui ceciderunt manu Davidis, & manu servorum ejus.

CAPUT XXI.

Eodem argumento est cum 2. Schem. 24.

Instans autem [a] adversarius contra Jisraëlem; incitavit Davidem ad numerandum Jisraëlem. [a] Confer cum 2. Schem. 24.

2 Quam ob rem edixit David Joabo & præfectis populi, ite numerate Jisraëlitas a Beerschebaho Danem usque, deinde afferte ad me ut cognoscam numerum eorum.

3 Et quamvis diceret Joab, adjiciat Jehova populo suo quotquot sunt centuplum, an non, domine mi rex, omnes *sunt* domino meo servi? cur quæreret istud dominus meus? cur esset ad dandum reatum Jisraëli?

4 Tamen verbum regis prævaluit apud Joabum: quare egressus Joab obivit totum Jisraëlem, deinde venit Jeruschalaima.

5 Ubi dedit Joab [1] numerum census populi Davidi: erant autem omnium Jisraëlitarum [2] undecies centies mille viri stringentes gladium, Jehudæ verò quadringenties septuagies mille viri stringentes gladium.

[1] Ex illegitimo Davidis imperio numeratum in Jisraële & Jehuda, ut etiam 2. Schemu. 24. Nam in eadem narratione varias numerationes & confundi & pugnare inter se nunquam crediderim. [2] vide in 2. Sche. 24. 9.

6 Levin autem & Binjaminem non numeravit inter illos; quòd abominandum videretur verbum regis Joabo.

7 Quam

7 Quam ob causam quum videretur malum in oculis Dei, percussit Jisraëlem:

8 Et dixit David Deo, peccavi valdè quòd feci rem istam: sed nunc aufer quæso iniquitatem servi tui, nam stultè egi valdè.

9 Alloquutus autem est Jehova Gadem videntem Davidis, dicendo:

10 Abi ut alloquaris Davidem dicendo, ita ait Jehova, tria ego propono tibi: delige tibi unū ex eis quod faciam tibi.

11 Veniens ergo Gad ad Davidem; dixit ei, sic ait Jehova, accipe tibi;

12 An triennii famem, aut trimestre quo consumaris ob præsentiam hostium tuorum, gladio inimicorum assequente; aut triduum, quo gladius Jehovæ, ac pestis in terra hac & angelus Jehovæ perdat in toto termino Jisraëlis *accipe*: nunc itaque vide quid rei sim responsurus ei qui misit me.

13 Dixit verò David Gadi, angustia *est* mihi valdè: incidam quæso in manum Jehovæ, nam magnæ *sunt* miserationes ejus valdè, in manum autem hominis ne incidam.

14 Itaque posuit Jehova pestem in Jisraële; qua ceciderūt ex Jisraëlitis septuagies mille viri.

15 Miserat autem Deus angelum Jeruschalaima ad perdendum ea; sed quum eo perdente respiceret Jehova, & pœniteret eum istius mali, edixit angelo perdenti, satis *est*, jam remitte manum tuam: angelus verò Jehovæ stabat apud aream Ornanis Jebusæi.

16 Tum David sublatis oculis suis vidit angelum Jehovæ stantem inter terram & cælum, cum gladio suo stricto in manu sua, extenso contra Jeruschalaima: ideoq; procidit David, & seniores tecti ciliciis in faciem suam:

17 Et dixit David Deo, an non edixi numerari populum, & ego is sum qui peccavi & [a] omnino malè feci? hæ autem oves quid fecerunt? Jehova Deus mi, sit quæso manus tua contra me, & contra domum paternam meam, at contra populum tuum ne *sit* ad *afficiendum* plaga.

[a] *Heb. malefaciendo malefeci.*

18 Tum angelus Jehovæ edixit Gadi, dicendum Davidi; ut ascenderet David ad statuendum altare Jehovæ in area Ornanis Jebusæi.

19 Ascendit itaque David secundùm verbum Gadis, quod edixerat nomine Jehovæ.

20 Quúmque aversus Ornan viso angelo, & quatuor filii ejus cum eo se continerent abditos (Ornan autem triturabat triticum)

21 Venit David usque ad Ornanem: sed intuitus Ornan ubi vidit Davidem, egressus ex area sua incurvavit se *habens honorem* Davidi facie in terram *demissa*.

22 Dixit verò David Ornani, da mihi locum hujus areæ, ut exstruam in eo altare Jehovæ: pecunia justa da illum mihi ut cohibeatur plaga hæc a populo.

23 Dicente verò Ornane Davidi, accipe tibi, & faciat dominus meus rex quod bonum *videtur* in oculis suis; vide, dono hos boves ad holocausta, & has tribulas ad ligna, & triticum hoc ad munus, hoc totum dono:

24 Dixit rex David Ornani, nequaqam, nam omnino emturus sum justa pecunia: quia non offeram quod tuum *est* Jehovæ, aut offeram holocaustum gratis.

25 Appendit itaque David Ornani pro loco illo; siclos aureos pondere *justo* sexcentos.

26 Deinde exstruens ibi David altare Jehovæ, obtulit holocausta & eucharistica; & invocato Jehova, exaudivit eum igne cælitùs *demisso* super altare holocausti.

27 Edixitq; Jehova angelo; qui reposuit gladium suum in vaginam ejus.

CAPUT XXII.

David occasione superioris historiæ cognoscens locum quem elegerat Jehova; opifices & materiam comparat ad templi ædificationem: Schelomonem instruit de promissionibus Dei & officio ædificandi templi: Postremò principibus præcipit ut filio sint adjumento.

1 [1] TEmpore illo videns David, Jehovam exaudivisse ipsum in area Ornanis Jebusæi; quū sacrificâsset ibi:

2 (Tabernaculum autem Jehovæ quod fecerat Mosche in deserto, & altare holocausti tempore illo; *erat* in excelso [2] Gibhone:

3 Neque potuerat David ire [3] ante ipsum ad requirendum Deum; [4] eo quòd territus esset metu gladii angeli Jehovæ)

CAPUT XXII.

4 Dixit David, [5] hic *est* locus Jehovæ Dei, & hic *locus* altaris ad holocaustum pro Jisraële.

5 Quapropter edixit David, ut congregarent peregrinos qui *erant* in terra Jisraëlis; quos constituit latomos, ut cæderent lapides cæduos, ad ædificandum domum Dei.

6 Ferrum quoque [a] copiosè in clavos, in valvas portarum, & in catenationes paravit David: atque æs copiosè *adeò ut* non *esset* pondus:

7 Denique ligna cedrina adeò ut non *esset* numerus: nam adducebant Tzidonii & Tyrii ligna cedrina copiosè ad Davidem.

8 Dicebat enim David, Schelomo filius meus [6] puer *est* ac tener; domus verò illa, ædificanda Jehovæ & magna facienda est [b] summè, ad nomen & quidem ornatissimum *obtinendum* apud omnes terras, comparabo jam ei: comparavit itaque David copiosè *illa* ante mortem suam.

9 Deinde vocavit filium suum Schelomonem; ut præciperet ei de ædificando domo Jehovæ Deo Jisraëlis:

10 Dixitq; David Schelomoni; fili mi, *quòd ad* me, [c] erat mihi in animo ædificandi domum nomini Jehovæ Dei mei:

11 Sed editum est mihi verbum Jehovæ, dicendo, [7] sanguinem copiosum effundis, & bella magna geris: non es ædificaturus domum nomini meo, quia sanguinem multum effundis in terram coram me.

12 Ecce filius editus tibi, is futurus est [d] quietus, quum quietem dedero ei ab omnibus inimicis ejus circumquaque: nam [e] Schelomo erit nomen ejus, etiam pacem & tranquillitatem disponam in Jisraële diebus ejus.

13 [f] Is ædificaturus est domum nomini meo, idemq; mihi futurus in filium, & ego ei in patrem: & firmabo solium regni ejus super Jisraëlem usque in seculum.

14 Nunc fili mi, futurus est Jehova tecum: quandoquidem prosperaberis ut ædifices domum Jehovæ Dei tui, quemadmodum loquutus est de te.

15 Verumtamen det tibi Jehova intellectum & prudentiam, quum mandatis instruet te super Jisraëlem: idq; ut observes legem Jehovæ Dei tui.

16 Tunc prosperaberis, si [f] observando facies statuta & judicia quæ præcepit Jehova Moschi de Jisraële: confirmare & fortis esto, ne timeto, neque consternator.

17 Ecce autem [8] in afflictione mea paravi ad domum Jehovæ [9] auri talenta centies mille,

[1] Hos versus ad sequentia pertinere res ipsa docet.

[2] ut sup. 16.39.

[3] tabernaculum Gibhone.

[4] id est, tantopere consternatus, ut ne consistere quidem posset propter gravitatem præsentis mali, suprà 21.16. Ita impeditum est Davidis consilium: Dei autem impletum est, qui hac occasione populo suo locū, quem elegit ad ad collocandum nomen suum palàm demonstravit, Deut. 12.5 &c.

[5] quasi dicat, nunc demum video hunc locum statum esse & destinatum a Deo, ut ipse in eo maneat, & nos ipsi ordinarium cultum exhibeamus.

[a] *Heb. in multitudinem: sic deinceps.*

[6] vide infrà 29.1.

[b] *Heb. sursum, ad nomen & ornatum &c. in* διὰ δυοῖν, *sive, ut vulgo dicitur, Endiadis.*

[c] *Heb. erat cum corde meo.*

[7] id est, bellis nimis occupatus es: vide in 2. Schem. 7.5.

[d] *Heb. vir quietis.*

[e] *Id est, Pacificus.*

[f] 2. Schem. 7.12.

[f] *Heb. observaveris faciendo.*

[8] id est, in molestiis diuturnis & bellis quibus agitatus sum sup. 11. versic.

[9] id est, quinquies centies mille daleros in auro, & totidem in argento.

&

& argenti decies centies mille talenta, æri autem & ferro non *est* pondus, quia copiosum est: ligna etiam & lapides paravi, supra quæ adjecturus es.

18 Penes te verò sunt copiosè opifices, cæsores & artifices ex lapide & ligno; & quidem omnes periti in unaquaque arte.

19 Auro, argento, & æri, ac ferro non *est* numerus: agedum fac, nam futurus est Jehova tecũ.

20 Deinde præcepit David omnibus principibus Jisraëlis, ut juvarent Schelomonem filium suum, *dicens*,

21 An non Jehova Deus vester vobiscum *est*, qui dedit vobis quietem circumquaque? nam tradidit in manum meam habitatores hujus terræ, & subjecimus ipsam terram [10] coram Jehova, & coram populo ejus.

22 Nunc abhibete cor vestrum & animum vestrum ad requirendum Jehovam DEUM vestrum: ideóque agite ædificate sanctuarium Jehovæ DEI, ad inferendum arcam fœderis Jehovæ, & instrumenta sacra Dei in domum quæ ædificata fuerit nomini Jehovæ.

[10] id est, ut illius cultui, & populi usui sit exposita. [11] hunc versum ad præcedentia pertinere manifestum est, tum ex 28. & 29 cap. ubi hæc historia fusiùs recensetur: tum ex eo quòd sequens constitutio totius regni tam ecclesiastica quàm politica longo intervallo ante mortem Davidis facta est, ut suis locis ostendetur, hic enim continetur superioris exhortationis & mandati causa.

CAPUT XXIII.

23 [11] Nam quum David senuisset, & satur esset dierum: constituit regem Schelomonem filium suum super Jisraëlem.

CAPUT XXIII.

Levitarum recensio: & distributio per gentes & familias ad sua officia describitur.

QUum autem congregâsset *David* omnes principes Jisraëlitarũ, & Sacerdotes ac Levitas:

2 Numerati sunt Levitæ [1] a nato triginta annos & deinceps: quorum fuit numerus per [a] capita eorum, triginta octo millia virorum.

3 Ex his, qui præessent operi domus Jehovæ vicies quater mille *erant*; & moderatores ac judices sexies mille.

4 Et [2] quater mille janitores; ac quater mille laudantes Jehovam, instrumentis quæ feci, *inquit*, ad laudandum.

5 [3] Distribuit autem eos David distributionibus; secundùm filios Levi, in Gerschonitas, Kehathitas, & Meraritas.

6 E Gerschonitis erant [b] Lahdan & Schimhi.

7 [4] Posterorum Lahdanis, quisque primarius Jechiel, & Zetham, & Joël, tres:

8 *Et* [5] posterorum Schimhi, Schelomith, & Chaziel, & Haram, tres: hi erant primores paternarum familiarum Lahdanis.

9 Posteri autem Schimhi, Jachad, [c] Zina, & Jehusch, ac Beriha: hi quatuor *erant* posteri Schimhi.

10 Erat verò Jachad primarius, & Ziza secundanus: at Jehusch & Beriha, quia non multos habebant liberos, fuerunt in familia paterna recensionis unius.

11 FILII Kehathi, Hamram, Jitzehar, Chebron & Huzziel, quatuor.

12 Filii Hamrami, Aharon & Mosche: [f] separatus autem fuit Aharon ad sanctificandum rem sanctam sanctarum ipse & filii ejus usque in seculum, ad adolendum coram Jehova ad ministrandum ei, & ad benedicendum in nomine ejus usq; in seculum:

13 Ipsius verò Moschis viri Dei, filii [d] accensentur tribui Leviticæ.

14 Filii Moschis, Gerschom, & Elihezer.

15 Filiorum Gerschomi, Schebuel primarius.

[1] ex lege Num. 4. vide in Num. 8.24.
[a] *Heb. crania: sic infrà* ℣. 23.
[2] annumeratis discipulis, cum doctoribus ducentis, octoginta octo: infrà 25.7.
[3] ex mandato Dei per Gadem & Nathanem, 2. Chro. 29.25. vide 2. Chro. 8. 26.
[b] *qui Libni sup.* 6.2.
[4] qui temporibus Davidis venerunt in censum: sic deinceps.
[5] Filii Lahdanis, nam Lahdanis genus in duas summas familias divisum est, Lahdaniticam & Schimhiticam.
[c] *qui & Ziza* ℣. 10.
[f] *Exod.* 28.
[d] *Heb. vocantur de tribu.*

16 Fuerunt autem posteri Elihezeris *sub* Rechabja primario: neque erant Elihezeri filii alii, sed posteri Rechabjæ multiplicati sunt [e] summè.

17 Filii Jitzeharis, Schelomith primarius.

18 Filiorum Chebronis; Jerija primarius, Amarja secundanus, Jachaziel tertianus, & Jekamham quartanus.

19 Filiorum Huzzielis Mica primarius, & Jischija secundanus.

20 FILII Merari, Machli & Muschi: posteri Machli, Elhazar & Kisch.

21 Quum autem morienti Elhazari non essent filii, sed filiæ; duxerunt eas filii Kischi cognati earum.

22 Filiorum Muschi, Machli, & Heder, ac Jeremoth tres *primarii*.

23 [6] Hi sunt Levitæ per familias paternas suas, primarii paternarum familiarum cum numeratis ipsorum, pro numero nominum viritim, [7] exercentes opus in ministerio domus Jehovæ: [8] a nato viginti annos & deinceps:

24 [9] Quum dixisset David, quietem dedit Jehova Deus Jisraëlis populo suo; ut habitet Jeruschalaimis usq; in seculum:

25 Atque etiam Levitis; non est portandum tabernaculum & ulla instrumenta ejus ad ministerium ejus.

26 Nam in [10] actis Davidis posterioribus numerus Levitarum fuit horum, *nempe* [11] a nato viginti annos & deinceps.

27 [12] Constitutio autem eorum erat, ut *essent* ad manum filiorum Aharonis in ministerio domus Jehovæ, præfecti atriis & apothecis, & purgationi cujusque rei sanctæ; ac operi ministerii domus Dei:

28 Id est, pani dispositionis, & similæ in munus, & in lagana azyma, & in ea quæ fiunt cacabo, & in bullata: item cuique [13] mensuræ & [14] dimensioni:

29 Item ut starent [f] unoquoque mane ad celebrandum & ad laudandum Jehovam: & similiter vespere:

30 Item omni oblationi holocaustorum Jehovæ, in singula sabbatha, in novilunia, & in stata tempora; numero *certo*, prout ratio incumbebat illis jugiter coram Jehova:

31 Denique observarent observationem tentorii conventus, & observationem rei sanctæ, observationemq; filiorum Aharonis cognatorum suorum; in ministerio domus Jehovæ.

[e] *Heb. sursum; ut supra* 22.8.
[6] Conclusio, quâ ostendit Hezra se in hoc & tribus sequentibus capitibus rationem habere legitimæ numerationis a Davide factæ, postquàm adducta fuit arca, sup. 16.37. ad stabiliendum cultum Dei: non autem alterius illegitimæ antè ab eo factæ, quam Spiritus sanctus in scriptura multis nominibus damnat: vide 2. Sche. 24. & suprà 21. & infrà 27.24.
[7] id est, dono & vocatione instructi ad hoc exercendum ex lege, Num 4.
[8] vide in versum 26.
[9] id est, quum sedata ira Dei & recepta in urbem arca stationarium Dei cultum instituerret, ut ostendunt sequentia.
[10] id est, legitima illa dispositione quam posteà effecit David quũ Deus reconciliatus esset, & cultus Jeruschalaimis institutus.
[11] purà secundùm numerationem communem Jisraëlitarum omnium: quia liberi ad illam ætatem usque significabantur appellatione *Taph*, id est, parvulorum. Etsi id mihi ex quorumdam locorum analogia credibile videtur esse, Levitas inde a puero fuisse catechumenos ad vigesimum annum usque: post vigesimum fuisse admissos in observationem ministerii ad quod erant instituti, sed [illegible] solum, ad quintum & vigesimum usque: ex eo tempore fuisse occupatos in secundaria quadam administratione, donec trigesimum attigissent: prout in Numer. 4.3. & 8.24. monuimus: atque in hunc modum a Davide, Gade, & Nathane Prophetis legitimè constitutum esse ex verbo Dei; ut disertè dicitur 2. Chro. 8.26. & 29.25. [12] id est, ordinata & præscripta functio erat triplex: ministrantium musicorum, atque janitorum, ut ostenditur 3. cap. sequentibus. [13] id est, quantitati rerum aridarum aut liquidarum, quæ ad res sacras adhibebantur. [14] id est, spatiis, in quæ personæ, sacrificia, &c. recipiebantur: vide Lev. 19.35.
[f] *Heb. mane mane.*

CAPUT XXIIII.

Sacerdotum recensio fit per suas gentes, officia & ordines: ac postremò Kehathitarum & Meraritarum Sacerdotibus ministrantium.

FIliorum verò Aharonis distributiones: [f] filii Aharonis *fuerunt* Nadab & Abihu, Elhazar & Ithamar.

2 Sed mortuo Nadabo & Abihu coram patre ipsorum, quum filii non essent ipsis: sacerdotio

[f] *Levit.* 10.

dotio fungebantur Elħazar & Ithamar.

3 Distribuit igitur eos David, & Tzadok e filiis Elħazaris, atque Achimelec e filiis Ithamaris; in præfecturam suam ad ministerium suum.

4 Et inventi sunt posteri Elħazaris plures, quod ad primarios virorum, quàm posteri Ithamaris, quum distribuerent eos: posteris Elħazaris primores in paternas familias *erant* sexdecim, posteris verò Ithamaris in familias paternas ipsorum octo.

5 Distribuerunt autem eos sortibus [1] alios cum aliis: [2] quamvis essent principes sacrorum, & principes Dei e posteris Elħazaris, etiam in filios Ithamaris.

6 Et descripsit eos Schemaħja filius Nathaneelis scriba e Levitis, coram rege, & principibus ipsis, & Tzadoko sacerdote, atque Achimeleco filio Ebjatharis, primoribúsque paternarum *familiarum* inter sacerdotes & inter Levitas: familiam paternam unam*quamque* [3] captam ex Elħazare, & [a] similiter captam quamque ex Ithamare.

7 Nam prodiit sors prima Jehojaribo, Jedaħjæ secunda:

8 Charimo tertia, Seħorimo quarta:

9 Malcijæ quinta, Mijamini sexta:

10 Kotzo septima, Abijæ octava:

11 Jeschuħæ nona, Schecanjæ decima:

12 Eljaschibo undecima, Jakimo duodecima:

13 Chuppæ decimatertia, Jeschebeabo decimaquarta:

14 Bilgę decimaquinta, Immeri decimasexta:

15 Cheziri decimaseptima, Pitzetzo decimaoctava:

16 Pethachjæ decimanona, Jechezkeli vigesima:

17 Jacini vigesimaprima, Gamuli vigesimasecunda:

18 Delajæ vigesimatertia, Maħazjæ vigesimaquarta:

19 [4] Horum *fuit* præfectura [5] illorum in ministerio suo, ut ingrederentur in domum Jehovæ secundùm officium illorum, sub manu Aharonis patris illorum: quemadmodum præceperat ei Jehova Deus Jisraëlis.

20 Quod autem ad filios Levi [6] reliquos; e filiis Ħamrami [b] Schubaël, filiorum Schubaëlis Jechdeja.

21 De Rechabja *verò*; filiorum Rechabjæ primarius Jischija:

22 E Jitzeharitis Schelomoth: filiorum Schelomothi Jachath:

23 *E Chebronitis* Jerija, & filii Jerijæ; Amarja secundanus, Jachaziel tertianus, Jecamħam quartanus:

24 Filiorum Huzzielis, Mica, ex filiis Micæ Schamir:

25 *Et* frater Micæ Jischija, e filiis Jischijæ Zecarja:

26 FILII Merari, Machli & Muschi: filii Jaħazijæ filii illius, *primarii erant*.

27 Filii Merari ex Jaħazija filio ejus, tum Schoham & Zaccur, tum Hibri:

28 Ex Machli Elħazar, cui non *erant* filii:

29 Ex Kischo, filiorum Kischi, Jerachmeel:

30 Filiorum verò Muschi, Machli, & Heder, & Jerimoth: hi Levitæ *primarii* per domos paternas ipsorum.

31 Quos conjecerunt etiam sortibus [7] ex adverso fratrum suorum Aharonitarum coram Davide rege, & Tzadoko cum Achimeleco, & primoribus paternarum familiarum ex Sacerdotibus & Levitis: paternarum familiarum primarium quemque *cum* cognatis suis minoribus ex adverso *illorum*.

[1] id est, promiscuè, discrimen ordinum Deo sortitione relinquentes.
[2] Occupatio, qua respondetur objectioni huic: non posse æqui juris esse, si summum sacerdotium penes Elħazaris posteros sit ex jure naturæ & institutione Dei, Num. 25. 13.
[3] id est, a Deo sorte obvenientem.
[a] *Heb. & captam captam.*
[4] id est, his eadem cura commissa est sub summo sacerdote, quæ Elħazari & Ithamari sub Aharone sacerdote, ut passim in lege habetur.
[5] Aharonis & filiorum ejus.
[6] hoc est, qui nondum planè & sigillatim enumerati fuerunt: Gerschonitarum autem primarios sigillatim enumeravit sup. 23. 6. &c. & sacerdotes in hoc capite: ac proinde tantum supersunt reliqui Kehathitæ & Meraritæ recensendi, omissi autem fuerunt, quia horum ordines sacerdotibus ministrabant: ideò fuerunt hic cum illis conjungendi.
[b] *qui & Schebuel, sup. 23. 16. Vide sup. 23. 15. & seq.*
[7] id est, pari ordinum numero, & respondentibus inter utrosque ordines officiis: nam hæc fuit prima Levitarum functio: duæ aliæ, duobus proximè sequentibus capitibus exponuntur.

CAPUT XXV.

Musici sacri in viginti quatuor ordines distributi, & functiones eorum recensentur.

DIstinxit quoque David cum principibus militiæ, ad ministerium in filios Asaphi, & Hemanis, & Jeduthunis, eos qui [1] prophetabant citharis, nabliis, & cymbalis: fueruntque de numero illorum viri [a] functionis *hujus* ad ministerium suum.

2 In filios Asaphi, Zaccur, & Joseph, & Nethanja, & [b] Ascharela filii Asaphi: [2] ad manum Asaphi, qui prophetabat [3] [c] ex præscripto regis.

3 In Jeduthunem: filii Jeduthunis, Gedalja, & [d] Tzeri, & Jeschaħja, Chaschabja, & Matthithja, [4] *& Schimħi* sex ad manus patris sui Jeduthunis cum cithara, qui prophetabat [5] de celebrando & laudando Jehova.

4 In Hemanem: filii Hemanis, Bukkija, Matthanja, [e] Huzziel, [f] Schebuel, & Jerimoth, Chananja, & Chanani, [g] Eliatha, Giddalthi, & Romamthi-Hezer, Joschbekascha, Mallothi, Hothir, & Machazioth.

5 Omnes hi filii Hemanis, *qui erat* videns regis, in [6] verbis Dei de extollendo cornu: dederat enim Deus Hemani, filios quatuordecim, & filias tres.

6 Omnes isti ad manus patris ipsorum incumbebant musicæ *in* domo Jehovæ, cum cymbalis, nabliis & citharis ad ministerium domus Dei, ex præscripto regis, Asaph, & Jeduthun, & Heman *incumbebant*.

7 Fueruntque numero illi cum cognatis suis edoctis musicam *canendam* Jehovæ, omnes doctores ducenti octoginta octo.

8 Quorum conjecerunt sortes *ad* observationem exadverso illorum [h] æquè parvi atque magni, doctorum cum discipulis.

9 Et prodiit sors prima in Asaphum Josepho: Gedaljæ secunda, qui cum cognatis suis & filiis suis *erant* duodeni.

10 Tertia Zaccuri, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

11 Quarta Jitzri, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

12 Quinta Nethanjæ, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

13 Sexta Bukkijæ, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

14 Septima Jescharelæ, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

15 Octava Jeschaħjæ, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

16 Nona Matthanjæ, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

17 Decima Schimħi, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

18 Undecima Hazareli, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

19 Duodecima Chaschabjæ, filiis ejus & cognatis ejus duodecim.

20 In decima tertia Schubaëli, filii ejus & cognati ejus duodecim.

21 In decimaquarta Matthithjæ, filii ejus & cognati ejus duodecim.

22 In decimaquinta Jeremotho, filii ejus & cognati ejus duodecim.

23 In decimasexta, Chananjæ, filii ejus & cognati

[1] id est, sacras cantiones canebant: sic deinceps.
[a] *Heb. operis vel opere.*
[b] *qui Jescharela infrà v. 15.*
[2] id est, sub Asapho summo suarum familiarum præfecto, in prima musicorum classe.
[3] i. hymnos decantabant propheticos & didascalicos conscriptos a Davide, & in Ecclesiam receptos: sic interpretamur ex comparatione illorum qui dicuntur Hemani & Jeduthuni tradìti infrà 3. & 5. v. & inscriptionibus Psalmorum in quibus nominatur Asaph.
[c] *Heb. secundum manus regis.*
[d] *qui & Jitzri infrà v. 11.*
[4] ex v. 18.
[5] sive commemoratione liberationum præteritarum, ut Psal. 39 & 77: sive ad Dei laudem universè prædicandam.
[e] *qui & Hazareel, inf. v. 19.*
[f] *Schubael, v. 21*
[g] *Elijatha, v. 28*
[6] id est, hymnis sacris, pertinentibus ad regis aut regni robur & amplitudinem, quæ cornu elatione sæpe in sacris libris exprimuntur.
[h] *Heb. sicut parvus sicut magnus, doctor cum discipulo.*

cognati ejus duodecim.

24 In decimaseptima, Joschbekaschæ, filii ejus & cognati ejus duodecim.

25 In decimaoctava, Chanani, filii ejus & cognati ejus duodecim.

26 In decimanona, Mallothi, filii ejus & cognati ejus duodecim.

27 In vigesima Elijathæ, filii ejus & cognati ejus duodecim.

28 In vigesimaprima Hothiri, filii ejus & cognati ejus duodecim.

29 In vigesimasecunda Giddalthi, filii ejus, & cognati ejus duodecim.

30 In vigesimatertia Machaziotho, filii ejus & cognati ejus duodecim.

31 In vigesima quarta Romamthi-Hezeri, filii ejus & cognati ejus duodecim.

CAPUT XXVI.

Distributio Janitorum templi ex Levitis: & constitutiones munerum ordinariæ atque extraordinariæ recensentur.

Quòd ad distributiones in janitores: ex Korachæis, [a] Meschelemja filius Koræ ex filiis [b] Asaphi.

2 Meschelemjæ autem filii *erant*; Zecarja primogenitus, Jediñaël secundus, Zebadja tertius, Jathniel quartus:

3 Helam quintus, Jehochanan sextus, Eljehohenai septimus.

4 Hobed-Edomo quoque *erant* filii: Schemahja primogenitus, Jehozabad secundus, Joach tertius, & Sacar quartus, & Nethaneel quintus:

5 Hammiel sextus, Jissacar septimus, Pehullethai octavus: nam [1] benedixerat ei Deus.

6 Etiam Schemanjæ filio ejus editi erant filii, qui præsidebant in familia paterna ipsorum: eo quòd valentes robore essent.

7 Filii Schemahjæ, Hothni cum Rephaële & Hobedo, Elzabado fratribus ipsius [c] strenuis: Elihu & Semacja.

8 Isti omnes e filiis Hobed-Edomi ipsi cum filiis suis ac fratribus suis [d] quisque strenuus pro sua facultate ad ministerium, *erant* sexagintaduo Hobed-Edomo:

9 Meschelemjæ verò filii ac cognati strenui erant octodecim.

10 Item Chosæ [a] e Meraritis filii: Schimri horum primarius, quamvis non esset primogenitus, tamen constituit eum pater ejus [3] primarium:

11 Chilkija secundus, Tebalja tertius, Zecarja quartus: omnes filii & cognati Chosæ tredecim.

12 In hos *factæ sunt* distributiones janitorum per primarios viros, ad custodias [4] ex adverso fratrum ipsorum; ad ministrandū in domo Jehovæ.

13 Nam conjecerunt sortes [e] æquè parvi atque magni, in domos paternas ipsorum, ad [f] unamquamque portam.

14 Accidit autem sors [5] versus orientem Schelemjæ: Zecarjæ verò filio ejus [g] consiliario prudentis, quum jacerent sortes, prodiit sors ad [6] septentrionem:

15 Hobed-Edomo [7] ad meridiem, filiis verò ejus *obvenit* [h] [8] ærarium.

16 Schuppimo & Chosæ [9] ad occidentem, cum [10] porta injectus in [i] aggesto ascensu; [11] custodia ex adverso custodiæ *agente*.

17 Ad orientem Levitæ erant seni; ad septemtrionem in diem quaterni, ad meridiem in diem quaterni, & ad ærarium [k] bini.

a qui Schelemja infra v.14.
b Ebiasaph, ibi.
1 ut Genes.1.22. & 28.versi.
c Heb. filius roboris: ut v.9.
d Heb. vir roboris.
2 hoc de Hobed-Edomo & Chosa Zeugmaticè intelligendum est: nam Hobed-Edom Jeduthunis Meraritæ filius erat, sup.16.38.
3 non in jure primogeniti; sed in functione custodiæ.
4 ut supra 24.31. & 25.1.
e Heb. sicut parvi sicut magni: ut sup.25.8.
f Heb. ad portam & portam.
5 i. ab anteriore templi parte.
g Heb. consulentis cum prudentia.
6 sinistram templi partem.
7 dexteram templi partem.
h Heb. domum congregationum.
8 locus in quo collectæ reservabantur: ita accipiendum esse ostendit locus secundi Chron. 25.24.
9 i. posteriorem templi partem.
10 i. quam versus terra injecta & accumulata est ad parandum iter regis: de quo 1.Reg.10.5. & 12.
i Heb. in aggere ascendente.
11 i. simul obeuntibus suū munus ordinibus janitorum, & simul abeuntibus, quū alii succederent.
k Heb. duo duo.
12 qui portam vestibuli exteriorem, & interiorem ærarii observabant, ut exponitur sequente vers.

18 In [l] parte exteriore & ad occidentē, quaterni ad [13] aggerem, bini ad partem exteriorem.

19 Hæ distributiones janitorum, in Korachæos & Meraritas.

20 Hi quoque Levitæ; [14] Achija præerat thesauris domus Dei, thesauris, inquam, [15] rerum sacrarum.

21 In Lañdanitas & [16] in Gerschonitas, e Lañdane ([17] primores paternarum familiarum *erant* e Lañdane Gerschonita) [m] Jechieli.

22 Filii Jechieli; Zetham & Joël frater ejus, præerant thesauris domus Jehovæ.

23 In Hamramitas, in Jitzeharitas, in Chebronitas, in Hozzielitas,

24 Similiter Schebuel filius Gerschomi filii Moschis, antecessor præerat thesauris [18] eorum.

25 Cognati autem eorum ex Elñezere: Rechabja filius ejus, cujus filius Jeschañja, cujus filius Joram, cujus filius Zicri, cujus filius Schelomith.

26 Hic Schelomith; cum fratribus suis præerat omnibus thesauris rerum sacrarum, quas consecravit David rex, & primores paternarum familiarum cum chiliarchis & centurionibus ac præfectis militiæ:

27 Ex bellis & ex præda consecrârunt; ad [n] curandum domum Jehovæ:

28 Item omnibus quæ consecravit Schemuel videns, & Schaül filius Kischi, ac Abner filius Neri, & Joab filius Tzerujæ: quisquis consecrabat *deponebat* in manum Schelomithi ac fratrum ejus.

29 Ex Jitzeharitis, Cenanja & filii ejus [19] operi externo *præerant* [20] apud Jisraëlitas, moderatores & judices.

30 E Chebronitis, Chaschabja & cognati ejus strenui, mille septingenti in præfectura Jisraëlitarum, [o] secundùm Jardenem [21] occidentem versùs; omni operi Jehovæ & ministerio [22] *imperato* a rege.

31 E Chebronitis, Jerija primarius in Chebronitarum generationibus in paternas *familias* ([23] anno quadragesimo regni Davidis quæsiti sunt, ita inventi in eis valentes robore in Jañzere Gilñaditarum)

32 Et cognati ejus strenui, bis mille septingenti primores paternarum familiarum: quos præfecit David rex apud Reübenitas & Gaditas & dimidiam tribum Menaschitarum, omni negotio Dei, & [24] negotio regio.

l Heb. ad parbar: quæ vox Chaldæa est, & composita, q.d. partem exteriorem vel in agrum spectantem.
13 de quo suprà 16. vers.
14 Merarita & Meraritarū quæstor, ut ex sequentium comparatione apparet: incipit autem hic ab eo, quia superior versus desinit in Meraritas, ex Hebræorum usu.
15 i. ad ministerium sacrum Meraritarum, & ad ipsos Meraritas pertinentium.
16 i. posteros Schimñi Gerschonitæ, de quo suprà 23.26.
17 Causam ostendit, cur e Lañdanitis quæstores Gerschonitarum constituti sunt.
m qui Jechiel, sup.23.8.
18 Kehathitarum, quos per quatuor familias suas nominavit, superiore versu.
n Heb. confirmandum: ut 2.Reg. 12.6.
19 i. erant curatores earum rerum, quæ foris paranda erant, ad futuram templi ædificationem, & continuationem cultus Dei: vide Nechem. 11.16.
20 i. in eo regni tractu, qui secundùm mare Mediterraneum est: nam tota regio cis Jardenem in duos tractus divisa est, hujus curationis ratione: nimirum secundùm mare & secundùm Jardenem, infra versu sequente: synecdoche.
o Heb. a transitu Jardenis.
21 i. in citeriore præfectura.
22 suprà 22.5.
23 quo David maximum conventum Jisraëlitarum habuit, & Schelomonem filium sibi successorem pronuncians, omnibus curam Dei & structuram templi; nominatim verò filio functionum ecclesiasticarum distributiones commendavit, infrà 28. & 29.
24 i. imperato a rege ut versu 30.

CAPUT XXVII.

Legiones ordinariæ cum suis ducibus, tribuni populi, & regis officiales recensentur.

Filiorum autem Jisraëlis secundùm numerum ipsorum, in primores paternarum familiarum, & chiliarchos, centurionésque, & moderatores eorum, ministrantes regi in omni negotio suarum distributionum, quarum quæque [a] [1] procedebat & redibat *de* mense in mensem omnibus mensibus anni: distributio unaquæque *erat* vicenûm quaternûm millium.

2 Distributioni primæ in mensem primum, præerat [b] Jaschobñam filius Zabdielis; in cujus distributione *erant* vigintiquatuor:

3 E filiis Peretzi primarius omnibus præfectis exercituum, in mensem primum.

a Heb. [illegible] diebatur & [illegible] diebatur.
1 id est, obibat munus [illegible], ut Num. 27.17. de harum autem distributionum & copiarum ordine vide in 1. Schem. 24.9.
b qui & Joschabschebeth, 2. Schem. 23.8.

4 In distributione autem mensis secundi erat [c] Dodai Achochæus, & distribuito ejus, [2] deinde Mikloth antecessor: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

5 Præfectus militiæ tertius in mensem tertium Benaja filius Jehojadaħi sacerdotis primarius: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

6 Hic Benaja potens inter triginta, præerat etiam [3] ipsis triginta: [4] & distributioni ejus Hammizadab filius ejus.

7 Quartus in mensem quartum Hasaël frater Joabi, & Zebadja filius ejus post eum: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

8 Quintus in mensem quintum princeps [d] Schamhuth Zerachæus: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

9 Sextus in mensem sextum Hira filius Hikkeschi Tekoħæus: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

10 Septimus in mensem septimum Cheletz [e] Pelonita e posteris Ephrajimi: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

11 Octavus in mensem octavum Sibcai Chuschateus e Zerachæis: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

12 Nonus in mensem nonum Abiħezer Hanathothanus e Binjaminitis: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

13 Decimus in mensem decimum Maherai Netophathita e Zerachæis: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

14 Undecimus in undecimum mensem Benaja Pirħathonita e posteris Ephrajimi: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

15 Duodecimus in duodecimum mensem [f] Cheldai Netophatita ex Hothniele: in cujus distributione *erant* vigintiquatuor millia.

16 IN tribubus autem Jisraëlis, Reübenitica antecessor erat Eliħezer filius Zicri: Schimħonitica Schephatja filius Maħacæ:

17 Levitica Chaschabja filius Kemuelis; Aharonis Tzadok:

18 Jehudæ [g] Elihu e fratribus Davidis: Jissacaris Homri filius Micaëlis:

19 Zebulunis Jischmaħja filius Hobadjæ: Naphthali Jerimoth filius Hazrielis:

20 Filiis Ephrajim iHoscheaħ filius Hazazjæ: dimidiæ tribui Menaschis, Joël filius Pedajæ:

21 Dimidio Menaschis ad Gilħadem Jiddo filius Zecarjæ: Binjamini Jaħasiel filius Abneri:

22 Dani Hazareel filius Jerochami: hi *erant* [5] principes tribuum Jisraëlis.

23 [6] Non recensuit autem David numerum eorum infrà [h] natum viginti annos; eo quòd dixisset Jehova se multiplicaturum Jisraëlitas tamquam stellas cæli.

24 [i] Joab filius Tzerujæ [7] cœperat numerare, sed non absolvit, quòd esset ob hanc causam ira fervens contra Jisraëlem: [8] neque [i] relatus est eorum numerus, in numerum Chronicorum regis Davidis.

25 [9] Thesauris verò regis præerat Hazmaveth filius Hadielis: & thesauris qui *erant* in agro, in reliquis civitatibus, & in pagis ac in turribus, Jehonathan filius Huzzijæ.

26 Item exercentibus opus rusticum in agricultura, Hezri filius Celubi.

[c] *qui & Dodo, Ibid. 9.* [2] Dodaio exstincto: ut de Hasaele infrà ver. 7. [3] de quibus 2. Schem. 23. & suprà capite 11. [4] quia idem Benaja præerat etiam ordinariis stipatoribus regis, & prætorianis cohortibus, 2. Schem. 9. 4. [d] *qui & Schammoth sup. 11. 27. & Schamma, 2. Schem. 23. 8.* [e] *qui & Paltita, 2 Schem. 23. 26.* [f] *qui & Cheleb 2. Schem. 23. 29. & Cheled suprà 11. 30.* [g] *qui & Eliab, 1. Sche. 16. 7.* [5] excepto Aschere, de quo synecdochicè idem judicium faciendum. [6] id est, cavit ne recenserentur, tum quia sciebat non posse numerari, tum quia religione distinebatur, ne videretur inquirere in fidem promissionum Dei. [h] *Heb. a nato viginti annis & infrà, Gen. 15. 5.* [i] *suprà 21.* [7] omnes Jisraëlitas suprà annum vigesimum, 2. Schem. 24. quorum hi antecessores fuerunt qui modò numerati sunt inde a versu 16. non absolvit autem recensionem hanc, ut dicitur suprà 21. 5. & 6. [8] putà numerus integer, quia Levin atque Binjaminem Joab non recensuerat, suprà 21. 6. Etsi hæc fortasse interpretatio tam benè conveniet, si dicamus Davidem tacti pœnitentia ductum recensionem a se institutam fecisse irritam, & cavisse ne in acta & annales publicos civileis referretur. Quam rem tamen Spiritus Dei exstare in Ecclesia & servari voluit ad ædificationem nostram. [i] *Heb. ascendit.* [9] id est, fisco Jerosolymitano: ut ostendit sequentis membri comparatio.

27 Item [k] vinitoribus Schimħi Ramatæus: sed [l] proventui vinearum, thesauris vini, Zabdi Schiphmæus.

28 Item cultoribus olearum, sycomororum quæ *erant* in humili loco, Baħal-Chanan Gederita: thesauris autem olei, Joħasch.

29 Item armentis pascentibus in [10] Scharone, Schitrai Scharonita: armentis autem *pascentibus* per convalles, Schaphat filius Hadlai.

30 Item camelis Obil Jischmaħelita: & asinis, Jechdeja Meronothæus.

31 Item pecudibus Jaziz Hagarenus: omnes hi præfecti facultatum quæ *erant* regi Davidi.

32 Jehonathan verò patruus Davidis, consiliarius, vir prudens, & [m] juris peritus erat: & Jechiel filius Chachmonæi erat cum filiis regis.

33 Achithophel quoque consiliarius *erat* regi; & Chuschai Arcita amicus regis.

34 Post Achithophelem verò Jehojadaħ filius Benajæ & Ebjathar, denique princeps militię regis *erat* Joab.

CAPUT XXVIII.

David convocatis ordinibus declarat Schelomonem ex Dei voluntate regni hæredem esse: omnes ad cultum Dei, & structuram templi a Deo præscriptam hortatur: cujus formam Schelomoni tradit.

[1] CONGREGAVIT itaque David omnes præfectos Jisraëlis, præfectos tribubus, & præfectos distributionibus ministrantes regi, & chiliarchos centurionesq́; atque præfectos omnibus facultatibus & pecuariæ regis, filios quoque suos cum aulicis & robustissimis, deniq́; quemque valentem robore, Jeruschalaima:

2 Et [2] surgens David rex in pedes suos dixit, audite me fratres mei & popule mi: ego, [ll] *quum esset* [a] mihi in animo ædificandi locum quietis pro arca fœderis Jehovæ, & pro scabello pedum Dei nostri, comparaveram quibus ædificarem.

3 Sed Deus dixit mihi, non es ædificaturus domum nomini meo; quia [b] [3] vir bellis *occupatus* es & sanguinem fundis.

4 Elegit autem Jehova Deus Jisraëlis me ex tota familia paterna mea, ut essem rex super Jisraëlem in seculum, nam [ll] Jehudam elegerat in antecessorem, & [ll] e familia Jehudæ familiam patris mei, inter filios verò patris mei, me voluit quem constitueret regem super totum Jisraëlem.

5 Similiter autem ex omnibus filiis meis (multos enim filios dedit mihi Jehova) elegit Schelomonem filium meum, ut insideret solio regni Jehovæ super Jisraëlem.

6 Nam dixit mihi, Schelomo filius tuus ipse ædificaturus est domū meam & atria mea: nam elegi ipsum mihi in filium, & ego futurus sum ei in patrem.

7 Et stabiliturus sum regnum ejus usque in seculum, si firmus fuerit in exercendis præceptis meis, & judiciis meis, sicut hoc tempore.

8 Nunc ergo ante oculos totius Jisraëlis congregationis Jehovæ, & [c] audiente Deo nostro, observate & exquirite omnia præcepta Jehovæ Dei vestri: ut hæreditario jure possideatis terram hanc optimam, & possidendam tradatis filiis vestris post vos usque in seculum.

9 Tu quoque Schelomo fili mi, agnosce Deum patris tui, & cole eum corde integro & animo studioso, quia omnia corda exquirit Jehova, & quodq́; figmentum cogitationum intelligit: si exquisiveris eum, præstò erit tibi, sed si dereliqueris eum, rejiciet te in perpetuum.

[k] *Heb.* exercentibus opus *vinearum.* [l] *Hebr. ei quod ex vineis.* [10] quicquid alii dicant, certum est Scharonem campestrem regionem esse Libano subjectam inde a Baschane, ex cap. 5. 16. suprà. [m] *Heb. scribæ.* [1] regressio ad historiam, quam cœperat narrare sup. capite 22. de his autem præfectis tribulibus & cohortalibus sup. cap. 27. [2] a lecto, in quo præ senectute jacere solebat, honorem exhibens verbo Dei quod propositurus erat: sic Gen. 49. 33. [ll] 2. Schem. 7. 5. [a] *Heb. cum corde meo.* [b] *Heb. vir bellorum.* [3] vide 2. Schem. 7. 5. in annotat. [ll] *Gen 49. 8.* [ll] *1. Sche. 16. 2.* [c] *Heb. in auribus Dei nostri.*

10 Vide jam, quandoquidem Jehova elegit
te ad ædificandum domum pro sanctuario: con-
firmare & fac.
11 Tunc tradidit David Schelomoni filio suo
structuram porticus,& domiciliorum ejus, & ga-
zophylaciorum ejus, cœnaculorumq; ejus, ac
cubiculorum ejus interiorum,etiam loci opercu-
li propitiatorii:
12 Denique structuram omnium quæ *erant*
penes eum *informata* [4] per spiritum, de atriis do-
mus Jehovæ, & de omnibus domibus circum-
quaque; pro thesauris domus Dei, & pro thesau-
ris rerum sacrarum:
13 Item pro distributionibus sacerdotum &
Levitarum, & pro omni opere ad ministerium
domus Jehovæ; ac pro omnibus instrumentis ad
ministerium domus Jehovæ *pertinentibus*.
14 Aurum certo pondere ad aurea, ad singu-
la instrumenta [d] [5] cujusque ministerii: *argentum*
ad omnia instrumenta argentea *certo* pondere,
ad singula instrumenta cujusque ministerii:
15 Id est,pondus pro lychnuchis aureis, & lu-
cernis eorum aureis, ex pondere [e] cujusque
lychnuchi & lucernarum ejus; & pro lychnuchis
argenti ex pondere lychnuchi & lucernarum e-
jus, secundùm ministerium cujusque lychnuchi:
16 Et aurum pondere pro mensis dispositio-
nis in [f] quamque mensam; similiter argentum
pro mensis argenteis:
17 Item pro fuscinulis, & crateribus,& scutel-
lis aurum purum: & pro pelvibus aureis certo
pondere [g] in quamque pelvim, & pro pelvibus
argenteis argentum *certo* pondere in quamque
pelvim:
18 Item pro altari suffitus aurum purgatissi-
mum *certo* pondere; & ad structuram [6] sedilis, *id
est* cerubinorum aurum, ut pandentes *alas* [7] tege-
rent arcam fœderis Jehovæ.
19 Hæc omnia de scripto, a manu Jehovæ
incumbere mihi instruxit me; omnia opera hu-
jus structuræ.
20 Itaque dixit David Schelomoni filio suo,
confirmare,estoq; fortis, & fac, ne timeto neque
consternator: nam Jehova Deus, Deus meus te-
cum erit, non deseret te, neque derelinquet te,
donec absolveris totum opus ad ministerium do-
mus Jehovæ.
21 Ecce autem distributiones Sacerdotum &
Levitarum ad unumquodque ministerium do-
mus Dei: & penes te *sunt* ad omne opus omnes
voluntarii *instructi* peritia ad omne ministerium,
deniq; principes & totus populus *parati* ad omnia
verba tua.

[4] id est, auctore Spiritu Sancto: ut ipse exponit vers. 19.

[d] *Heb. ministerii & ministerii: sic deinceps.*
[5] tam in sancto, ubi adhibebantur instrumenta aurea,quàm in atrio ubi argentea: quo modo etiam tres sequentes versus sunt accipiendi.
[e] *Heb. lychnuchi & lychnuchi: sic deincept.*
[f] *Heb. in mensam & mensam.*
[g] *Heb. in pelvim & pelvim: sic deinceps.*

[6] ita vocat Cerubinos, quia illis Deus insidere dicitur: vide 1. Schem. 4.4.
[7] 1.Reg.6.23. & sequent.

CAPUT XXIX.

David verbis & exemplo ordines Jisraëlitarum provocat, ad liberaliter offerendum in structuram templi: Deo gratias agit: populo & filio benè precatur: & gratiis Deo actis a populo,sacrificiisq; oblatis,rex novus & sacerdos summus omnium consensu confirmatur.

PRæterea dixit David rex toti illi congregatio-
ni, Schelomonem filium meum [1] unum ele-
git Deus, [2] puerum & tenellum: opus autem hoc
magnum *est*, non enim homini istud palatium,
sed Jehovæ Deo *paratur*.
2 Atque omnibus *quidem* viribus meis præ-
paravi pro domo Dei mei, aurum ad aurea, &
argentum ad argentea, & æs ad ærea, ferrum ad
ferrea, & ligna ad lignea: lapides sardonychas &
[a] insitivos, [b] lapides ad ornatum, & ad opus
phrygianum, denique quosvis lapides pretiosos,
& lapides marmoreos [c] copiosè.
3 Et ampliùs, quandoquidem propendeo
voluntate erga domum Dei mei, *quod* est mihi
peculium, aurum, & argentum: trado pro domo
Dei mei, supra quàm omnia quæ præparavi in
domum sanctam:
4 [3] Ter mille talenta auri ex auro [4] Ophi-
ris: & [5] septies mille talenta argenti purgatissi-
mi ad obducendum parietes [6] domorum:
5 Aurum pro aureis, & argentum pro argen-
teis, & pro omni opificio manu artificum: quis
ergo spontè se offert, [d] ut consecret ministerium
suum hodiè Jehovæ?
6 Itaque spontè obtulerunt principes pater-
narum *familiarum*, & principes tribuum Jisraëlis,
& chiliarchi, centurionesq;, & præfecti operi
regis:
7 Dederuntq; ad opus domus Dei auri ta-
lenta [7] quinquies mille, & [8] drachmarum myria-
dem; & argenti talenta [9] decies mille, ærisq; octo-
decies mille talenta: & ferri centies mille taléta:
8 Denique lapidum quicquid erat præsto pe-
nes unumquemq; dederūt in thesaurum domus
Jehovæ: in manum [10] Jechielis Gerschonitæ.
9 Et lætabatur populus quum sponte offer-
rent; nam [e] animo integro offerebant Jehovæ:
etiamq; David rex lætabatur lætitia magna.
10 Quam ob rem benedixit David Jehovæ
ante oculos totius congregationis: & dixit Da-
vid, [11] benedictus es Jehova Deus Jisraëlis patris
nostri a seculo usque in seculum.
11 Tua *est*, ô Jehova,magnitudo,& potentia,
& gloria,& æternitas, ac majestas, imò omnia in
cœlo & in terra: tuum *est* Jehova regnum, ut qui
te extollis supra omnia in caput.
12 Nam divitiæ & gloria a facie tua *sunt*, &
tu dominium habes in omnia, & in manu tua vis
& potentia: in manu,inquam, tua magnificandi
& confirmandi rem quamlibet.
13 [12] Itaque nunc Deus noster, [13] celebra-
mus te; & laudamus nomen tuum [f] gloriosum.
14 Etenim quis sum ego, aut quis populus
meus, ut obtineamus vim spontè offerendi hu-
jusmodi? nam ex te *sunt* omnia,& a manu tua *ac-
ceptum* reddimus tibi.
15 Peregrini enim sumus coram te, & inqui-
lini,sicut omnes majores nostri: velut umbra *sunt*
dies nostri super terram, quæ non [g] consistit.
16 Jehova Deus noster,tota hæc rerum mul-
titudo quam paravimus ad ædificandum tibi do-
mum pro nomine sancto tuo; e manu tua *est*, &
tua *sunt* hæc omnia.
17 Sed novi,Deus mi,te esse scrutatorem cor-
dis, & quæ recta sunt velle: ego [h] recto corde
meo sponte obtuli omnia ista, nunc quoque po-
pulum tuum qui præsentes sunt hîc, vidi cum læ-
titia spontè offerentem tibi.
18 [14] Jehova Deus Abrahami, Jitzchaki & Jis-
raëlis majorū nostrorum, serva hoc in seculum,
[15] figmentum cogitationum cordis populi tui: &
constitue animum eorum erga te.
19 Schelomoni quoq; filio meo da animum
integrum ad observandum præcepta tua, testi-
monia tua,& statuta tua: tum faciēdo omnia illa,
tum ædificando palatiū istud [16] quod præparavi.
20 Deinde edixit David toti congregationi,
benedicite nunc Jehovæ Deo vestro: sic bene-
dixerunt tota illa congregatio Jehovæ Deo ma-
jorum suorum,& inclinato vertice incurvaverunt
se *honorem habentes* Jehovæ ac [17] regi:

[1] quasi dicat, monarchiam eum ita instituit,ut regnum per filios meos divisum esse nolit: vide infra ver. 23.
[2] i. ætate non ita provectum, & multis fratribus natu minorem: nam alioquin jam tum uxorem duxerat,ut ostendit ætas Rechabhami, 2.Chron.12.13.

[a] *Heb. implementorum.*
[b] *Heb. lapides fuci sive ornamenti, & operis phrygiani.*
[c] *Heb. in multitudinem: sic deinceps.*
[3] vide 1.Reg.9.28.
[4] i. decies octies centena millia coronatorum pro æstimatione talenti communis: vide Exod.25.39.
[5] i. septuagies octies centies mille quadraginta millia daleto-rum.
[6] i. aurum quidem ad templum Dei, argentum verò ad ædificia templo adjuncta.
[d] *Heb. ut impleat manum suam: sic Exod.28.41.*
[7] i. tricies centena millia coronatorum.
[8] i. dextantem talenti: nam talentum duodecies mille drachmas continet,id est, quater mille octingentos coronatos.
[9] i. nonagies decies sexcenties mille daleros.
[10] de quo suprà 26.21.
[e] *Heb. corde: sic deinceps.*
[11] Exordium laudativum, ab amplitudine Dei & beneficiorum ejus: tenuitate offerentium,& studioso ipsorum animo.
[12] propositio prior de laude & professione cultus Dei, quam ostenderunt Jisraëlitæ cum Davide,sermone,opere,atque muneribus.
[13] cùm sermone, tum etiam voluntaria oblatione & professione nostra.
[f] *Heb. gloriæ tuæ.*
[g] *Heb. non est expectatio, vel consistentia.*
[h] *Heb. in rectitudine cordis mei.*
[14] altera propositio invenitur apud Deum,pro populo primùm,deinde pro novo rege.
[15] i. studium quod in hac re declararunt,porrò fove in eis.
[16] i. cujus materiam: synecdoche
[17] Schelomoni.

21 Ac sacrificaverunt Jehovæ sacrificia, ob-
tuleruntq; Jehovæ holocausta postridie diei illi-
us; juvencos mille, arietes mille, agnos mille &
libamina eorum: & sacrificia copiosè pro toto
Jisraële:
22 Et comederunt ac biberunt coram Jeho-
va die illo cum lætitia magna: regemq; [18] secun-
dò instituerunt Schelomonem filium Davidis,
quem unxerunt Jehovæ in antecessorem, & Tza-
dokum in [19] sacerdotem.
23 Insidens autem Schelomo solio Jehovæ in
regem pro Davide patre suo, prosperabatur: nam
auscultabant ei omnes Jisraëlitæ.
24 Omnesq; principes & robusti, ac etiam
omnes filii regis Davidis; [20] dederunt manum *se
fore* subditos regi Schelomoni.
25 Magnificabat enim Jehova Schelomo-
nem [i] summè ante oculos totius Jisraëlis; in-
dens ei majestatem regiam, qualis non fuerat in
ullo rege ante ipsum, super Jisraëlem.
26 David autem filius Jischai quum regnasset
super totum Jisraëlem
27 (Dies verò quibus regnavit super Jisraë-
lem fuerunt quadraginta annorum; Chebrone
regnaverat septem annis, deinde Jeruschalaimis
regnavit triginta tribus)
28 Mortuus est in canitie bona, satur dierum,
divitiarum, & gloriæ: & regnavit Schelomo filius
ejus pro eo.
29 Res autem Davidis regis [21] priores & po-
steriores: ecce sunt scriptæ [22] in verbis Schemue-
lis videntis, & in verbis Nathanis prophetæ, & in
verbis Gadis videntis:
30 Cum toto [k] regni ejus gubernatione & po-
tentia ejus: ac temporibus quæ inciderunt ei &
Jisraëli, ac omnibus regnis *finitimarum* regionum.

[18] i. regem in regno confirmârunt, quem prius tumultuariè pater propter seditionem Adonijæ regem proclamari jusserat, 1.Reg. 1.33.
[19] summum, abrogato Ebjatharæ, propter conspirationem cum Adonija factam, 1.Reg.1.7.
[20] i. fidem porrecta manu: synecdoche.
[i] *Heb. sursum.*
[21] i. omnes & singulæ, q. d. a primis ad ultimas: sic enim communis Hebræorum loquutio postulat intelligi: vide 2.Chro. 17.3.
[22] i. in duobus libris Schemuelis, quorum partes hi qui nominantur, conscripserunt.
[k] *Heb. cum toto regno: metonymia.*

CHRONICORUM
LIBER SECUNDUS.

SECUNDO *libro Chronicorum percurrit* Hezra *progressum & finem regni* Jehudæ, *usque ad annum reditus a captivitate Babylonica. Estq; historia annorum quadringentorum septuagintaduorum: ultimus verò annus cum historia* Hezra *communis est.*

A Schelomone ad deportationem Jeconjæ anni	401.
Anni captivitatis.	70.
Cyri regis Persidis.	1.

CAPUT I.

Schelomo rex Deum Gibhone colit: ubi divinitus sapientia donatur, & divitiis ac honoribus instruitur.

CUM autem se confirmâsset
Schelomo filius Davidis in
regno suo; & Jehova Deus
ejus adsistens ei magnifica-
ret eum [a] summè:
2 Indixit Schelomo to-
ti Jisraëli, chiliarchis & cen-
turionibus, judicibúsque, & unicuique duci in to-
to Jisraële, primoribus paternarum familiarum:
3 Abieruntq; Schelomo & tota illa congre-
gatio cum eo in excelsum quod *erat* Gibhone;
quia ibi erat tentorium conventus Dei, quod fe-
cerat Mosche servus Jehovæ in deserto.
4 ([b] Sed arcam Dei deduxerat David ex ur-
be Jehharimorum, in *locum* quem paraverat ei
David; quum tetendisset ei tentorium Jeruscha-
laimis)
5 Altare quoque æreum quod fecerat Be-
tzaleel filius Uri filii Churis ibi *erat* coram taber-
naculo Jehovæ: ubi requisivit eum Schelomo &
ipsa congregatio.
6 [c] Obtulitq; ibi Schelomo in altari æreo co-
ram Jehova, quod aderat tentorio conventus;
obtulit, inquam, in eo holocausta mille.
7 Eadem nocte apparuit Deus Schelomoni;
dixitq; ei, pete, quid daturus sum tibi?
8 Dixit autem Schelomo Deo, tu exercuisti
erga Davidem patrem meum benignitatem ma-
gnam; & fecisti ut regnem loco ejus.
9 Nunc Jehova Deus (statum erit verbum
tuum, *habitum* cum Davide patre meo) quum tu
feceris ut regnem super populum multum, ut
pulvis terræ:
10 Nunc, *inquam*, sapientiam & notitiam da
mihi, qua [l] procedam ante populum hunc & re-
deam: quis enim posset judicare populum tuum
hunc maximum?
11 Tum dixit Deus Schelomoni, eo quòd fu-
it hoc [b] in animo tibi, & non petiisti divitias, opes,
aut honorem, aut [c] vitam osorum tuorũ, etiamq;
dies multos non petiisti: sed petiisti tibi sapienti-
am & notitiam qua judices populum meum, cui
regem te præfeci:
12 Sapientia illa & notitia datur tibi: divitias
insuper ac opes, honoremq; daturus sum tibi, cu-
jusmodi non fuit regibus qui *fuerunt* ante te, &
cujusmodi post te non erit.
13 Quum itaque rediret Schelomo Jeru-
schalaima, a *profectione* ad excelsum quod *erat*
Gibhone, a conspectu tentorii conventus; [2] sic
regnabat super Jisraëlem.
14 ‖ [3] Congregavit etiam Schelomo currus &
equites; erantq; ei mille quadringenti currus,
& duodecies mille equites: quos collocavit in
in civitatibus curruum, & apud regem Jeruscha-
laimis.
15 Et reddidit rex Jeruschalaimis argentum
& aurum, ut lapides: cedros autem reddidit ut
sycomoros, quæ in depresso loco *crescunt*, multi-
tudine.
16 Et vectigal equorum ex Ægypto quod *e-
rat* Schelomoni, id est, neti, mercatores regis ne-
tum accipiebant pro pretio.
17 Nam [4] deducebant & exportabant ex Æ-
gypto currum sexcentenis *siclis* argenti, equum
verò centenis quinquagenis: & ita pro omnibus
regibus

[a] *Heb. sursum, ut supra 1.Chron. 23,8.*
[b] *1.Schem.6.*
[c] *1.Reg.3.4.*
[l] vide Num. 27.17.
[b] *Heb. cum corde tuo.*
[c] *Heb. animam.*
[2] i. ea sapientia & notitia quam promiserat Deus: de qua copiosiùs 1.Reg.3.
‖ *1.Reg.10.26.*
[3] confirmatio alterius partis promissionum Dei de opibus, honore, &c. sup.12.V.
[4] mercatores exteri.

regibus Chitthæorum & regibus Syriæ in manu sua educebant.

CAPUT II.

Schelomo templum ædificaturus, de operis & materia prospicit, & cum rege Tyri de mercede contrahit.

[a] Cogitans autem Schelomo ædificare domum nomini Jehovæ; & domum [b] regiam suam:

2 ‖ Numeravit Schelomo septuagies mille viros bajulos, & octuagies mille viros putatores in [1] illo monte: & qui præessent illis ter mille sexcentos.

3 Miserat enim Schelomo ad Churamum regem Tyri, dicendo: quemadmodum fecisti cum Davide patre meo, cui misisti cedros ad ædificandum sibi domum in qua habitaret:

4 Ecce ego ædificaturus sum domum nomini Jehovæ Dei mei, ad sanctificandum eum, ad adolendum coram eo suffitum aromatum, *ad* dispositionem *panum* jugem, holocaustáque in matutinum quodque & vespertinum tempus, in quæque sabbatha & novilunia, & in stata tempora Jehovæ Dei nostri: in seculum hoc incumbit Jisraëli.

5 Domus autem illa quam ædificaturus sum, magna *erit:* nam major *est* Deus noster omnibus diis.

6 Sed quis obtineat vim ædificandi ei domum, quum cæli ipsi & cæli cælorum non capiant eum? & quis *sum* ego ut ædificem ei domum, nisi ut adoleatur coram eo?

7 [2] Ita nunc mitte mihi virum peritum operandi ex auro, & ex argento, & ex ære, & ex ferro, & ex purpureo, & ex coccineo, & ex hyacinthino, & scientem sculpere sculpturas: *operaturum* cum peritis qui penes me *sunt* in Jehuda & Jeruschalaimis, quos comparavit David pater meus.

8 Mitte etiam mihi ligna cedrina, abiegna, & [3] thyina e Libano; novi enim servos tuos scientes esse cædendi arbores Libani: ecce autem servi mei *erunt* cum servis tuis:

9 Idq; ad comparandum mihi ligna cedrina [c] quàmplurima: nam domus illa quam ædificaturus sum, magna *futura est*, & quidem mirificè.

10 Vicissim ecce, putatoribus illis, cæsoribus arborum do tritici [d] excussi servis tuis coros vicies mille, & hordei coros vicies mille; & vini bathos vicies mille, ac olei bathos vicies mille.

11 Dixit verò Churam rex Tyri scripto, quod misit ad Schelomonem; præ amore Jehovæ erga populum suum, constituit te super eos regem.

12 Deinde dicebat Churam; benedictus Jehova Deus Jisraëlis, qui fecit cælum & terram: quòd dedit Davidi regi filium sapientem, scientem, [e] prudentem & intelligentem, qui ædificaturus est domum Jehovæ, & domum regiam suam.

13 Nunc itaque mitto virum peritum, scientem *&* intelligentem, *qui erat* ‖ Churamo patri meo:

14 Filium mulieris [f] e posteris Danis, & [4] patrem ejus virum Tyrium, scientem operari ex auro & ex argento, ex ære, ex ferro, ex lapidibus, & ex lignis, ex purpureo, ex hyacinthino, & ex byssino, & ex coccineo, & sculpere quamlibet sculpturam, & excogitare [g] quodvis industriè inventum: quicquid proponetur ei cum peritis tuis, & peritis domini mei Davidis patris tui.

15 Vicissim nunc triticum illud & hordeum, oleum & vinum quod dixit dominus meus mittat servis suis.

16 Nos verò cædemus arbores ex Libano ad omnem necessitatem tuam, quas devehemus tibi ratibus per mare, [h] Japhuntem: unde tu deportabis eas Jeruschalaima.

17 ‖ Numeravit itaque Schelomo omnes homines peregrinos qui *erant* in terra Jisraëlis, post numerationem qua numeraverat eos David pater ipsius: inventiq; sunt centies quinquagies ter mille sexcenti.

18 E quibus effecit septuagies mille bajulos, & octuagies mille putatores in monte illo: ter verò mille sexcentos ut præessent [i] adigendo huic populo.

CAPUT III.

Locus, tempus, partes ædificati templi, cum earum materia & forma describuntur.

Deinde ‖ incepit Schelomo ædificare domum Jehovæ Jeruschalaimis in [1] monte Morijæ, ubi apparuerat *Jehova* Davidi patri ipsius: in loco ‖ quem paraverat David in area Ornanis Jebusæi.

2 Incepit autem ædificare mense secundo, *die* secundo, anno quarto regni sui.

3 Atque [2] harum *dimensionum erat* [a] fundatio Schelomonis in ædificanda domo Dei: longitudo cubitorum ex [3] mensura primaria cubitorum sexaginta, & latitudo cubitorum viginti.

4 Porticus autem quæ *erat* ante longitudinem, secundùm [b] frontem latitudinis ipsius domus, cubitorum viginti, altitudo verò centum viginti: quam obduxit intrinsecus auro puro.

5 [4] Domum quoque magnam obtexit lignis [5] abiegnis, deinde obtexit eam auro præstante; [6] ubi fecerat ut eminerent in ea palmæ & catenæ.

6 Et obduxit [7] ipsam domum lapidibus pretiosis ad ornatum: aurum autem ipsum *erat* [8] aurum Parvajimorum.

7 Obtexit verò domus trabes, postes, & parietes ejus, & valvas ejus auro; quum insculpsisset Cerubinos parietibus.

8 Fecit etiam domum sancti sanctorum, longitudine secundùm latitudinem domus cubitorum viginti, & latitudine cubitorum viginti: quam obtexit auro præstante ad [9] talentorum sexcentorum *pondus*.

9 Pondus verò in clavos siclorum quinquaginta auri: denique [10] cœnacula obtexit auro.

10 Fecit quoq; in domo sancti sanctorum Cerubinos duos opere [c] [11] exemtili; quos obduxerunt auro.

11 Quorum Cerubinorum alæ longitudine sua in cubitos viginti *protendebantur:* ala una cujusq; in cubitos quintos pertingens parietem domus, ala similiter altera cubitorum quinque pertingens alam Cerubini alterius.

12 Sic ala Cerubini una cubitorum quinque pertingebat parietem domus; & ala ejus altera cubitorum quinque hærebat alæ Cerubini alterius.

13 Alæ Cerubinorum istorum expandebant se in cubitos viginti: ipsi autem stabant pedibus suis, facie sua introrsum *versa*.

14 Fecit quoque velum hyacinthinum, & purpureum, & coccineum, & byssinum: in quo expressit Cerubinos.

15 ‖ Item fecit ante domum ipsam columnas duas, cubitorum [12] tricenûm quinûm longitudine; & coronamentum quod *erat* in summitate

cujusque,

---

[a] Heb. dicens, ut 1. Reg. 5. 5.
[b] Heb. regno suo: sic infr. ℣. 12. 1. Reg. 5. 13. & c.
‖ infrà ℣. 17.
[1] id est, Libano, ut exprimitur ℣. 8. κατ' ἐξοχὴν.
[2] apodosis primi illius membri quod cœptum fuerat vers. 3. quemadmodum fecisti, &c. est enim interjectum hyperbaton.
[3] vide 1. Reg. 10. 11.
[c] Heb. in multitudinem.
[d] Heb. percussionem tritici.
[e] Heb. scientem prudentiæ & intelligenti: sic vers. 13.
‖ 1. Reg. 7. 13.
[f] Heb. e filiabus Danis.
[4] qui similiter Churam nomine vocabatur infra 4. 16.
[g] Heb. omnem excogitationem: ut Exod. 31. 4.
[h] quæ Joppe: Jehos. 19. 46.
‖ Supà vers. 2.
[i] Heb. ad faciendum ut transiret hic populus.
‖ 1. Reg. 6.
[1] de quo Gé. 22. 2
‖ 2. Schem. 24. & 1. Chron. 21.
[2] quæ hoc & sequente versu explicantur.
[a] Heb. fundari: infinitivus pro nomine.
[3] vide 1. Reg. 6. 2.
[b] Heb. faciem.
[4] id est, templum anterius quod sanctû dicebatur, 1. Reg. 6. 17.
[5] solum videlicet ut constat ex 1. Reg. 6. 15. & descriptione parietum infrà ver. 7.
[6] id est, in prominentia palmarum & catenarû.
[7] i. reliquam partem soli, quæ vacua erat, implevit opere musivo atque emblemate ex diversis lapillorum generibus.
[8] i. ex Chavila, ubi præstantissimum aurû fuisse testatur Mosche, Gen. 2. 11. est enim in ea sive Characenorum regno Parbacia opidum corrupto nomine dictum pro Parvajimis Plinio natur. hist. lib. 6 capit. 28. quod aurum David, ex devictis regibus regioni illi finitimis consequutus, ad hos usus asservârat, 1. Reg. 6. 20.
[9] i. tricies sexcenties millecoronatorum.
[10] i. domicilia quæ postici incumbebant, de quibus 1. Chron. 28. 11. & 12.
[c] He. exemtionû.
[11] id est, ex multis partibus, quæ divelli inter se poterant: quod necessarium fuit propter eorum magnitudinem & gravitatem.
‖ 1. Reg. 7. 15.
[12] vide annotata. 1. Reg. 7. 15.

cujuſque, cubitorum quinûm.

13 id eſt, funes aureos, de quibus 1.Reg.6.21.
14 faſcias opere catenato, 1.Reg. 7.17.
15 in quolibet ordine.

16 Ut fecerat [13] catenas in adyto, [14] ita poſuit in ſummitate columnarum: fecitq; malogranata [15] centena, quæ interpoſuit catenis illis.

17 Deinde erexit columnas ante templum, unam a dextera, & alteram a ſiniſtra ejus: vocavitq; nomen dexteræ Jacin, & nomen ſiniſtræ Boñaz.

CAPUT IIII.

Ornamenta templi inteſtina, altare, lacus, labra, lychnuchi, & menſa: item atria & minutiora inſtrumenta deſcribuntur.

FEcit prætereà altare æreum, viginti cubitorum longitudine, & viginti cubitorum latitudine; decem autem cubitorum altitudine.

1.Reg.7.23.
a Heb. a labio ejus ad labium ejus.

2 Item fecit lacum fuſum, decem cubitorum [a] a labii parte una ad alteram, rotundum circumquaque, & quinque cubitorum altitudine, quem filum triginta cubitorum cingebat circumquaque.

1 id eſt, boves ærei formâ ſuâ: hypallage.

3 ([1] Similitudo autem boum ſub eo, undequaque circumſtantium eum in decem cubitos, cingentium lacum ipſum circumquaque *erat: qui* boves *per* duos ordines *erant*, fuſi in fuſura ejus)

4 Stantem ſuper duodecim boves, tres reſpicientes ad aquilonem, & tres reſpicientes ad occaſum, & tres reſpicientes ad meridiem, & tres reſpicientes ad orientem, ita lacus eis impoſitus erat supernè: quorum omnium poſteriora intus *latebant*.

5 Craſſitudo verò ejus palmaris *erat*, & labium ejus ſimile operi labii calicis, *aut* floris lilii: quod capax erat bathorum *multorum*, ter mille continebat.

1.Reg.7.38.

6 Item fecit labra decem; quorum diſpoſuit quinque a dextera, & quinque a ſiniſtra ad lavandum ex eis, opus holocauſti abluebant ex eis: ſed lacus *erat* ſacerdotibus ad lavandum ſe ex eo.

Ibid.49. verſ.
b Heb. ſecundùm rationem eorum.
2 id eſt, ad exemplum ejus quem paraverat Moſche in deſerto.

7 Item fecit lychnuchos aureos decem [b] [2] eadem ratione inter ſe: poſuitq; in templo quinque a dextera, & quinque a ſiniſtra.

1.Reg.7.39.

8 Item fecit menſas decem, quas collocavit in templo, quinque a dextera & quinque a ſiniſtra: fecitq; crateras aureos centum.

3 id eſt, quod ſacerdotibus erat proprium, templo conjunctum, ubi erant eorum cellæ ab utraque templi parte: 1. Reg.6.5. de quo 1.Reg.6.36.
4 id eſt, maximæ capacitatis in ambitu templi & atrii ſacerdotum, pro populo.

9 Item fecit [3] atrium ſacerdotum, & atrium [4] maximum: & valvas atrio cuique, quorum valvas obduxit ære.

10 Lacum verò poſuit verſus latus dexterum ad orientem, e regione meridiei.

11 Item fecit Churam ollas, & hamas, & crateras: ita abſolvit Churam facere opus iſtud, quod faciebat regi Schelomoni pro domo Dei:

5 id eſt, imas coronarum partes annulis ſimiles.

12 Columnas duas; & [5] orbes cum coronis in ſummitate columnarum duos; & encarpos duos ad tegendum duos orbes coronarios qui *erant* in ſummitate columnarum:

13 Et malogranata quadringenta ad duos encarpos: binis ordinibus malogranata in encarpo unoquoque, ad tegendum duos orbes coronarios qui *erant* in ſuperficie columnarum.

14 Baſes quoque fecit; & labra fecit impoſita baſibus:

15 Lacum unum, & duodecim boves ſub eo:

vide ſupr.2.14.

16 Item ollas, & hamas, & fuſcinas, ac omnia inſtrumenta illorum fecit Churam pater ejus, regi Schelomoni pro domo Jehovæ; *ex* ære terſo.

c Heb. in denſitatibus terræ.

17 In planitie Jardenis fudit ea rex in [c] terra argilloſa: inter Succothas & Tzeredanum *agrum*.

d Heb. in multitudine valde.

18 Itaque fecit Schelomo omnia iſta inſtrumenta [d] numeroſa valde: non enim perveſtigatum eſt pondus æris eorum.

19 Fecit enim Schelomo omnia inſtrumenta illa quæ *erant* domus Dei: & altare aureum, & menſas quibus imponebatur panis faciei:

20 Et lychnuchos cum lucernis eorum, ut arderent pro ritu ſuo ante adytum, ex auro aſſervato:

e Heb. perfectiſſimum aurum.

21 Flores etiam, & lucernas, & forcipes *ex* auro: quod erat [e] perfectiſſimum aurum:

7 id eſt, deauratas.

22 Inſtrumentaq; muſica, & crateras, & acerras, & trullas *ex* auro aſſervato: & portæ domus valvas interiores ſancti ſanctorum, valvasq; domus, *valvas* templi [7] ex auro.

CAPUT V.

Schelomo convocatis ſacerdotibus & primoribus populi arcam Tzijone in adytum: tabernaculum & vaſa ſacra Gibhone deportat in theſaurum domus Dei, ubi Deus ſignum aſpectabile ſuæ præſentiæ edit.

1.Reg.7.51.

PErfecto autem toto opere quod fecit Schelomo pro domo Jehovæ; inferens Schelomo res conſecratas a Davide patre ſuo, & argentum, & aurum, & omnia inſtrumenta poſuit in theſauris Domus Dei.

1.Reg.8.1.

2 Tunc congregari juſſit Schelomo Seniores Jiſraëlis, & omnes primarios tribuum, principes paternarum *familiarum* cum Jiſraëlitis Jeruſchalaima; ut deducerent arcam fœderis Jehovæ e civitate Davidis, ea *eſt* Tzijon.

3 Congregatis itaq; ad regem omnibus Jiſraëlitis in ipſo feſto (hoc *feſtum eſt* menſis ſeptimi)

1 id eſt, Sacerdotes Levitici generis: vide Num. 4.15.

4 Et convenientibus omnibus Senioribus Jiſraëlis; deportârunt [1] Levitæ arcam:

5 Et deduxerunt arcam & tentorium conventus, omniaq; vaſa ſacra quæ *erant* in tentorio; deduxerunt *inquam* ea Sacerdotes & Levitæ.

6 Rex autem Schelomo, & totus cœtus Jiſraëlitarũ qui convenerant ad eum præeuntes arcæ, ſacrificabant pecudes & boves, quæ nec numerabantur nec ſupputabantur pre multitudine.

7 Intulerunt autem Sacerdotes arcam fœderis Jehovæ in locum ipſius, in adytum domus, in ſanctum ſanctorum, ſub alas Cerubinorum.

8 Erant enim Cerubini pandentes alas ſuper locum arcæ: & obtegebant Cerubini arcam & vectes ejus supernè.

2 deportationis, de qua in fine 2. Reg. vide 1.Chr. 4.41.

9 Deinde protenderunt vectes ejus; ita ut conſpicerentur ſummitates vectium ex arca *productorum* verſus partem anteriorem ipſius adyti, non autem conſpiciebantur foris: fuitq; *arca* ibi uſque in [2] diem iſtum.

10 Nihil *erat* in ea arca, præter duas illas tabulas quas collocaverat Moſche in Chorebo: quando pepigit Jehova *fœdus* cum filiis Jiſraëlis, egredientibus ipſis ex Ægypto.

3 ex adyto & templo.
4 ætiologia eſt, cur eo die Sacerdotes in templum & adytum liberè & ſine offenſa ingreſſi ſint, non ſervatis diſtributionibus: de quibus 1.Chron.23. & ſequent.

11 Fuit autem quum exirent Sacerdotes e [3] ſancto ipſo ([4] nam omnes Sacerdotes qui aderant ſanctificaverant ſe, non fuerant obſervandæ diſtributiones:

12 Similiter Levitæ muſici omnes ex Aſapho, ex Hemane, ex Jeduthune, tam filii eorum quàm cognati eorum, induti byſſo, cum cymbalis, & cum nabliis ac citharis adſtabant *ad* orientem altari: & cum illis Sacerdotes ad centum viginti, clangentes tubis)

a Heb. ſicut unus.
b Heb. audire facìendo ſonum.

13 Fuit, inquam, [a] pariter clangentibus & muſicis, [b] edentibus concentum unum laudando & celebrando Jehovam, quum efferrent concentum tubis & cymbalis ac inſtrumentis muſicis, quumq; laudarent Jehovam [5] quia bonus *eſt*, quia in ſeculum benignitas ejus: ut intus domum

5 id eſt, Pſalmum 136.

Jehovæ

Jehovæ impleret nubes:
14 Adeò ut non possent Sacerdotes consiste-
re ad ministrandum propter illam nubem; quòd
implevisset gloria Jehovæ domum Dei.

CAPUT VI.

Schelomo cum populo Deo benedicit, & preces concipit.

1 1.Reg.8.12.

TUm [1] dixit Schelomo: Jehova dixit se habitare
in caligine.
2 At ego ædificavi domum habitaculi tibi:
& stationem [a] in qua resideas *in* secula.
3 Posteà rex conversa facie sua benedixit
cum tota congregatione Jisraëlis; tota congre-
gatione Jisraëlis stante.
4 Ac dixit, benedictus Jehova Deus Jisraëlis,
qui alloquutus est ore suo Davidem patrem me-
um; prout manibus suis implevit, dicendo:
5 Ex quo die eduxi populum meum e terra
Ægypti; non elegeram civitatem ex ullis tribu-
bus Jisraëlis, ad ædificandum domum ubi esset
nomen meum: neque elegeram virum qui præ-
futurus esset antecessor populo meo Jisraëli:
6 Sed elegi Jeruschalaima ut sit nomen me-
um illic; & elegi Davidem ut præsit populo meo
Jisraëli.
7 Quam ob rem quum esset in animo Da-
vidis patris mei; ædificandi domum nomini Je-
hovæ Dei Jisraëlis:
8 Dixit Jehova Davidi patri meo, quando-
quidem fuit tibi in animo ędificandi domum no-
mini meo, benè fecisti quòd fuisti eo animo.
9 Verumtamen tu non es ædificaturus
istam domum: sed filius tuus qui egressurus est e
lumbis tuis, is ædificabit domum istam nomini
meo.
10 Itaq; præstitit Jehova verbum suum quod
loquutus fuerat: surrexi enim loco Davidis pa-
tris mei, & insidens solio Jisraëlis quemadmo-
dum loquutus est Jehova, ædificavi hanc domum
nomini Jehovæ Dei Jisraëlis:
11 Ubi disposui arcam in qua *est* fœdus Jeho-
væ; quod pepigit cum filiis Jisraëlis.
12 Deinde substitit *Schelomo* ante altare Jeho-
væ coram tota congregatione Jisraëlis; & expan-
dit manus suas.
13 (Nam fecerat Schelomo [b] suggestum æ-
reum, posueratq; ipsum in medio [i] atrii; quinque
cubitorum longitudine, & quinque cubitorum
latitudine, triumq; cubitorum altitudine) substi-
tit igitur in eo, & [c] flexus in genua sua coram
tota congregatione Jisraëlis expandit manus su-
as versùs cælum:
14 Ac dixit, Jehova Deus Jisraëlis, nullus *est*
similis tibi Deus in cælo aut in terra: servans fœ-
dus & benignitatem illam servis tuis, qui ambu-
lant coram te ex toto animo suo:
16 Qui servasti servo tuo Davidi patri meo,
id quod eloquutus fueras ei: ut eloquutus fueras
ore tuo, ita manu tua implevisti, sicut *est* ho-
diè.
16 Nunc ergo Jehova Deus Jisraëlis, serva
servo tuo Davidi patri meo id quod eloquutus
fueras ei, dicendo, non exscindetur tibi vir a
conspectu meo sedens in solio Jisraëlis: si ta-
men observabunt filii tui viam suam, ambulan-
do in lege mea, quemadmodum ambulâsti co-
ram me.
17 Nunc etiam Jehova Deus Jisraëlis, confir-
metur verbum tuum, quod eloquutus es servo tuo
Davidi.
18 (Quamvis, an revera habitaret Deus cum
homine in terra? ecce cæli, & cæli cælorum ipsi
non capiunt te, quanto minus domus hæc quam
ædificavi?)
19 Ut respicias ad orationem servi tui & ad
deprecationem ejus, Jehova Deus mi; auscul-
tando clamori & orationi qua servus tuus orat
coram te:
20 Ut sint oculi tui aperti erga domum hanc
interdiu & noctu, erga locum hunc ubi *te* dixisti
positurum nomen tuum; auscultando orationi
qua orabit servus tuus versùs locum hunc.
21 Et auscultes deprecationibus servi tui, &
populi tui Jisraëlis, quibus orabunt versùs locum
hunc: tu inquam auscultes e loco habitationis
tuæ e cælis, & auscultans condones.
22 Quum peccaverit ullus in proximum su-
um, qui detulerit ei juramentum exsecrationis,
exsecratione adjurando eum: nam veniet exse-
cratio ante altare tuum in domum hanc)
23 Tunc tu audito e cælis, ut conficiens judi-
ces servos tuos, rependendo improbo, reddendo
viam ejus in caput ejus: & justificando justum,
reddendo ei secundùm justitiam ejus.
24 Item quum plaga affectus fuerit populus
tuus Jisraël coram hoste, eo quòd peccaverint
in te: si conversi celebrabunt nomen tuum, ora-
buntq; & deprecabuntur coram te versus do-
mum hanc:
25 Tum tu exaudito e cælis, condonans pec-
catum populi tui Jisraëlis: ut reducas eos in ter-
ram hanc quam tradidisti eis, ut majoribus eo-
rum.
26 Quum clausum fuerit cælum, ita ut non
sit pluvia, eo quòd peccaverint in te: si orantes
versùs locum hunc celebrabunt nomen tuum,
& a peccato suo revertentur, quia testatus fueris
contra eos:
27 Tunc tu exaudito *e* cælis condonans pec-
catum servorum tuorum, & populi tui Jisraëlis,
quum docueris eos viam optimam per quam
ambulent: ut des pluviam super terram tuam,
quam dedisti populo tuo in possessionem.
28 Fames quum erit in hac terra, pestis quum
erit, uredo aut rubigo, locusta aut bruchus quum
erit, quum anget eum inimicorum ejus *quisque*
in terra ditionis ejus; quæcunque plaga aut quæ-
cunque ægritudo:
29 Omnem orationem, omnem deprecatio-
nem quæ erit a quocunque homine, aut a toto
populo tuo Jisraële: quum agnoscentes quisque
plagam suam & dolorem suum expandet manus
suas versùs domum hanc:
30 Tunc tu exaudito e cælis, statione habi-
tationis tuæ condonans, & dans unicuique se-
cundùm vias ejus, quod agnosces apud animum
ejus (tu enim solus nosti animum filiorum ho-
minis)
31 Ut revereantur te ambulando in viis tuis,
omnibus diebus quibus victuri sunt in superficie
hujus terræ; quam dedisti majoribus nostris.
32 Quin etiam extraneo ipsi, qui non e
populo tuo Jisraële fuerit; sed venerit e terra
longinqua propter nomen tuum magnum, ma-
numq; tuam robustam, & brachium tuum ex-
tentum: quum advenientes orabunt versùs do-
mum hanc:
33 Etiam tu auscultato e cælis, e statione ha-
bitationis tuæ, ut facias omnino prout clamave-
rit ad te extraneus ipse: ut experiantur omnes
populi terræ nomen tuum, tum ad reverendum
te, sicut populus tuus Jisraël, tum ad cognoscen-
dum nomen tuum invocari super domum hanc
quam ædificavi.

34 Quum

a Heb. ad residentiam tuam.

b Heb. labrum dictum a forma: catachresis.
i publici, de quo supra 4.9.
c Heb. ingeniculans.

34 Quum procedit populus tuus in bellum contra inimicos suos, via qua mittes eos; si orabunt viâ civitatis hujus quam elegisti, & hujus domus quam ædificavi nomini tuo:

35 Tunc exaudias e cælis orationem eorum, & deprecationem eorum: ut peragas causam eorum.

36 Quum peccaverint in te (nam nemo *est* qui non peccet) & iratus contra eos exposueris eos inimico; ita ut captivos abduxerint eos illi a quibus captivi sunt, in terram longinquam aut propinquam:

37 Si reducent in animum suum in ea terra ubi detinebuntur captivi; ut conversi deprecentur te in terra captivitatis suæ dicendo, peccavimus, perversè egimus, & improbi fuimus:

38 Et revertentur ad te ex toto corde suo, & ex toto animo suo in terra captivitatis suæ, ubi captivos detinebunt eos; & orabunt viâ terræ suæ quam dedisti majoribus ipsorum, hujusq; civitatis quam elegisti, & hujus domus quam ædificavi nomini tuo:

39 Tum exaudias e cælis, e statione habitationis tuæ, orationem eorum & deprecationes eorum, ut peragas causam eorum: & condones populo tuo quæ peccaverint contra te.

40 Nunc Deus mi, sint quæso oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ; ad [d] orationem, *quæ orabitur versus* locum hunc.

41 Nunc, inquam, [1] surge Jehova Deus ad [2] requiem tuam, tu & arca [3] roboris tui: Sacerdotes tui, Jehova Deus, [4] induantur salute, & [5] quos beniginè accipis lætentur de eodem bono.

42 Jehova Deus, ne avertas faciem [6] uncti tui: recordare [7] benignitatum *erga* Davidem servum tuum.

[d] Heb. *orationem loci hujus: sic infrà 8.5.*
[1] *Psal.* 132.8.
[2] id est, locum hunc in quo statuisti quiescere, & non ampliùs itare cum tentorio & tabernaculo: vide 2. Schem. 7.6.
[3] vide 1. Chro. 16.11.
[4] i. circumvallentur & circummuniantur salutaribus tuis beneficiis, ut vestimento corpus: sic Jeschahjæ 61.10.
[5] id est, electi & sancti.
[6] id est, Christi, qui unicum est æternúmque unctorum tuorum caput.
[7] id est, promissionum factarum & inceptorum beneficiorũ erga domum ejus.

CAPUT VII.

Schelomo sacrificans, domum Dei consecrat; & festo tabernaculorum celebrato populum dimittit.

QUumque [1] absolvisset Schelomo orare, illicò ignis descendens e cælis absumpsit holocaustum & sacrificia; [2] gloria Jehovæ implente domum illam:

2 Adeò ut non possent Sacerdotes ingredi domum Jehovæ: quum implevisset gloria Jehovæ domum Jehovæ.

3 Omnes autem Jisraëlitæ videntes quum descenderet ignis ille, & gloria Jehovæ in domum; inflexerunt se facie in terram versus pavimentum, & incurvaverunt se, celebraveruntque Jehovam, quoniam bonus *est*, quoniam in seculum benignitas ejus.

4 [1] Rex verò & totus populus, sacrificârunt sacrificia coram Jehova.

5 Sacrificavit enim rex Schelomo sacrificium boum, vicies bis mille, & pecudum centies vicies mille: quum dedicarent domum Dei Rex & totus populus.

6 Intereà Sacerdotes in observationibus suis consistebant, & Levitæ cum instrumentis musicis Jehovæ, quæ fecerat David rex ad celebrandum Jehovam, quoniam in seculum benignitas ejus, per [2] hymnum Davidis *traditum* in manum ipsorum: Sacerdotes verò [3] alii clangebant tubis e regione eorum, omnibus Jisraëlitis adstantibus.

7 [4] Consecraverat autem Schelomo internam partem atrii quæ *erat* ante domum Jehovæ, eo quòd parâsset ibi holocausta & adipes eucharisticorum: nam altare æreum quod fecerat Schelomo non poterat capere holocausta illa, muncráque, & adipes illorum.

[1] 1. *Regum* 8.54.
[2] id est, nube: vide suprà 5.13. & 14.
[1] 1. *Regum* 8.62.
[2] i. Psalm. 136.
[3] centum viginti, de quibus suprà 5.12.
[4] occupatio est, qua respondet auctor obiectioni huic, an ergo hæc omnia in unico altari fieri potuerint.

8 Celebravit etiam Schelomo festum illud tempore illo septem diebus, & totus Jisraël cum eo, congregatio magna valdè: inde ab ingressu Chamathæ usque ad torrentem Ægypti.

9 Celebrârúntque die octavo interdictum: quum dedicationem altaris celebrâssent septem diebus, & festum illud septem diebus.

10 Die autem vigesimo tertio mensis septimi, dimisit populum in tentoria ipsorum, lætos & hilares animo de illo bono, quo affecerat Jehova Davidem, Schelomonémq;, ac Jisraëlem populum suum.

CAPUT VIII.

Argumentum hujus capitis idem est cum 1. Reg. 9.

[1] POstquam autem [1] absolvisset Schelomo domum Jehovæ & domum regiam; & quicquid venerat in animum Schelomoni faciendi in domo Jehovæ & in domo sua, *in eo* prosperatus esset:

2 Apparuit Jehova Schelomoni nocte illa: & dixit ei, exaudivi orationem tuam, & elegi locum hunc mihi pro domo sacrificiorum.

3 Si clausero cælos ita ut non sit pluvia, aut si præcepero locustæ ut exedat terram: aut si immisero pestem in populum meum:

4 Et deprimentes se populus meus super quos invocatur nomen meum, oraverint & requisiverint faciem meam, revertentes a viis suis malis: vicissim ego exaudiens e cælis condonabo peccatum eorum, & curabo terram eorum.

5 Jam nunc oculi mei futuri sunt aperti, & aures meæ intentæ ad [a] orationem *quæ orabitur versus* locum hunc.

6 Jam enim elegi & consecravi domum istam, ut sit nomen meum ibi usque in seculum: eruntque oculi mei & animus meus ibi omnibus diebus.

7 Tu autem si ambulaveris coram me sicut ambulavit David pater tuus, idque faciendo omnino prout præcepi tibi; statutáque mea & judicia observaveris:

8 Utique stabiliam solium regni tui: quemadmodum pactus sum Davidi patri tuo dicendo, non exscindetur tibi vir dominans in Jisraële:

9 Sin autem aversi fueritis vos, & dereliqueritis statuta mea, & præcepta mea quæ proposui vobis; & abeuntes colueritis deos alienos, & incurvaveritis vos *honorem habentes* eis:

10 Utique exstirpabo istos e terra mea quam dederam eis, & istam domum quam consecravi nomini meo projiciam a facie mea: & [b] efficiam eam in parabolam & in dicterium inter omnes populos:

11 Et de domo ista quæ fuerit excelsa, omni transeunti juxta eam stupor obveniet: dicet enim, quam ob rem fecit Jehova sic terræ isti, domuique isti?

12 Ac dicent, eo quòd dereliquerunt Jehovam Deum majorum suorum, qui eduxerat eos e terra Ægypti; prehenderúntque deos alienos, & incurvantes se eis coluerunt eos; idcircò induxit in eos totum malum istud.

[1] hæc ita distinguenda esse constat ex collatione ejusdem historiæ, 1. Regum 9.
[1] 1. *Regum* 9.
[a] *Heb. orationem loci hujus: ut suprà 6.40.*
[b] *Heb. dabo ad* ... *ponam.*

CAPUT VIII.

13 Fuit verò exactis viginti annis, quibus ædificavit Schelomo domum Jehovæ & domum suam:

14 Ut civitates illas quas [c] reddiderat Chiram Schelomoni, ædificaret Schelomo, & habitatores collocaret ibi Jisraëlitas.

15 Pergens quoq; Schelomo in Chamatham Tzobæ; quum fortior fuisset ea,

16 Ædificavit Thadmorem in deserto; &

[c] *vide 1. Regum 10.13 de* ... *cabul:* ... *sic dicta ejus.*

 omnes

omnes civitates armamentariorum, quas ædificavit in Chamatha:

17 Ædificavit etiam Beth-Choronem superiorem & Beth-Choronem inferiorem; civitates munitas, *instructas* muris, portis & vectibus:

18 Item Bahalatham & omnes civitates armamentariorū quæ *erant* Schelomoni, & omnes civitates curruum, ac civitates equitum: denique pro toto desiderio Schelomonis *id* quod desideraverat ædificare Jeruschalaimis, & in Libano, & in tota terra dominatus sui.

19 Totius populi qui relictus fuerat ex Chitthæo, & Emoræo, & Perizzæo, Chivvæóque & Jebusæo, qui non *erant* e Jisraële:

20 Ex horum filiis, eos qui relicti erant post hos in ipsa terra, quos non consumserant filii Jisraëlis: eos adegit Schelomo in tributum, usque in diem istum.

21 Ex Jisraëlitis autem, quos non reddidit Schelomo servos in opus suum (nam erant viri militares, & principes tribunorum ejus, præfectíque curruum & equitum ejus)

22 *Ex* illis, inquam, *erant* principes curatorum, qui pro rege Schelomone *curabant* ducenteni quinquageni; qui dominabantur illi populo.

23 Filiam verò Parhonis deduxit Schelomo e civitate Davidis in [a] illam domum quam ædificaverat ei: dixerat enim, [3] non posset habitare uxor meæum in domo Davidis regis Jisraëlis, nam sancta sunt [4] ista, in quæ ingressa est arca Jehovę.

24 Tunc offerebat Schelomo holocausta Jehovæ; super altare Jehovæ quod exstruxerat ante porticum:

25 Idque rem diei quotidie offerendo secundùm præceptum Moschis, quibusque sabbathis & noviluniis, statisque temporibus, [d] ter quotannis: in festo azymorum, & in festo septimanarum, ac in festo tabernaculorum.

26 Et constituit secundùm rationem Davidis patris sui, distributiones sacerdotum in ministerio eorum, & Levitarum in custodiis ipsorum, ad laudandum & ministrandum coram sacerdotibus, [e] ad *quodque* officium diurnum die suo, janitores quoq; per distributiones eorum in [f] unamquamque portam: nam sic præceptum *fuerat* Davidis [5] viri Dei.

27 Neque recesserunt a præcepto regis imposito sacerdotibus & Levitis, in omni [g] officio & thesauris *administrandis*.

28 Ita constitutum est totum opus Schelomonis usque in istum diem, *inde a* fundatione domus Jehovæ usquedum absolvisset eam; perfecta domo Jehovæ.

29 Tunc profectus est Schelomo Hetzjonem-Geberis & prope Elothas ad litus maris, in terram Edomæorum.

30 Misit verò ei Churam per servos suos naves, & servos peritos maris; qui abeuntes cum servis Schelomonis Ophirum, acceperunt inde quadringenta quinquaginta talenta auri; & attulerunt ea ad regem Schelomonem.

a de qua 1.Reg. 7.8.
3 i. angustior est, quàm ut comitatum utrunque capiat, ut observatum est 1.Reg. 3.1.
4 i. loca domui Davidis adjacentia: quapropter aut Deo ædificari, aut pura servari debent.
d Heb. *tribus vicibus*.
e Heb. *ad rem diei die suo*.
f Heb. *portam & portam*.
5 Prophetæ, & quidem adhibito sacrorum Prophetarum consilio ordines Ecclesiæ disponentis: ut 2.Chro.29.5. disertè ostenditur.
g Heb. *re: ut suprà v.26.*

CAPUT IX.

Ejusdem est argumenti cum 1.Reg.10.

1 Regina autem Schebæ audiens famam Schelomonis, venit ad probandum Schelomonem ænigmatibus Jeruschalaima, cum exercitu numeroso admodum, & camelis ferentibus aromata, aurumq; [a] plurimum, & lapides pretiosos: & accedens ad Schelomonem, eloquuta est apud eum quicquid erat in animo suo.

2 Cui indicavit Schelomo omnia verba ejus; neque fuit absconditum [b] quicquam Schelomoni, quin indicaret ei.

3 Quapropter quum videret regina Schebæ sapientiam Schelomonis, & quamque domum quam ædificaverat:

4 Cibum etiam mensæ ejus, & consessum servorum ejus, statúmque ministrorum ejus, & vestimenta eorum, similiter a poculis ejus cum vestimentis eorum, & ascensum ejus quo ascendebat in domum Jehovæ: non erat in ea ampliùs spiritus.

5 Tandem dixit regi, verum *est* verbum illud quod audiveram in terra mea; de rebus tuis & de sapientia tua:

6 Tamen non credidi verbis illorum usquedum venirem, & viderent oculi mei, sed ecce non indicatum fuerat mihi dimidium amplitudinis sapientiæ tuæ: superas famam illam quam audiveram.

7 Beati homines tui, & beati servi tui isti, qui stant coram te jugiter, & audiunt sapientiam tuam.

8 Sit Jehova Deus tuus benedictus, qui delectatus est te, ut collocaret te in solio suo regem pro Jehova Deo tuo: eo quòd diligit Deus tuus Jisraëlem quem statuat in seculum, ideò imposuit te illis regem, ut exerceres judicium & justitiam.

9 Et dedit regi centum viginti talenta auri, aromatáque multa valdè, & lapides pretiosos: nam non sunt *advecta* ampliùs aromata hujusmodi, quanta dedit regina Schebę regi Schelomoni.

10 (Nam etiam servi Churami, & servi Schelomonis qui attulerant aurum ex Ophiro, advexerant ligna thyina, & lapides pretiosos:

11 Et paraverat rex e lignis illis thyinis [b] aggestam viam in domum Jehovæ & in domum regis, citharasq; & nablia pro cantoribus: non fuerunt visa talia antè in terra Jehudæ)

12 Rex verò Schelomo dedit reginæ Schebæ pro toto desiderio ejus quod petivit, præter *compensationem eorum* quæ attulerat ad regem: tum revertens abiit in terram suam ipsa cum servis suis.

13 Erat autem pondus auri quod obveniebat Schelomoni, anno unoquoque, sexcentorum sexagintasex talentorum auri.

14 Præter *id quod* publicani negotiatorum & mercatorum afferebant; etiam omnes reges Arabiæ, & proceres ejus regionis afferebant aurum & argentum Schelomoni.

15 Itaque fecerat rex Schelomo ducentos clypeos *ex* auro malleato: sexcentorum *siclorum* aurum malleatum, imponebat clypeo unicuique.

16 Item trecenta scuta ex auro malleato, trecentos *siclos* aureos imponebat scuto unicuique: quæ posuit rex in domo saltus Libani.

17 Fecerat prætereà rex solium eburneum magnum, & obduxerat illud auro puro.

18 Sex autem gradus erant huic solio cum [a] clivulo ex auro, huic solio continentes, & fulcra manuaria hinc & inde ad locum sessionis: & duo leones stantes juxta fulcra hæc manuaria.

19 Duodecim quoque leones stantes ibi ad sex gradus ejus hinc & inde: non fuit factum tale in ullo regno.

20 Insuper omnia vasa potoria regis Schelomonis *erant* aurea, & omnia vasa domus saltus Libani ex auro asservato: nihil *inerat* argenti, æstimabatur temporibus Schelomonis nullius pretii.

21 Nam naves regis obibant Oceanum cum servis Churami: semel ternis annis veniebant naves

I 1.Reg.10.
a [illegible] audiendo: sic deinceps.
1 putà eorum ænigmatum & dictorum, de quibus Schelomonem Regem consulebat illa.
b Heb. [illegible].
a i. molli ascensu in circuitu solii præterquam ab anteriore parte, ubi gradus erant: nam in clivuli extremitate erant leones, gradus singulos quasi observantes.

naves Oceani afferentes aurum & argentum, ebora, & simias, & pavones.

22 Sic major erat rex Schelomo omnibus regibus terræ, divitiis & sapientia.

23 Et omnes reges terræ quærebant aspectum Schelomonis, ut audirent sapientiam ejus, quam indiderat Deus animo ejus.

24 Isti quoque afferebant quisque munus suum, instrumenta argentea, & instrumenta aurea, vestimentáque, arma, & aromata, equos, & mulos: rem annuam quotannis:

25 Ita ut essent Schelomoni [3] quater mille præsepia equorum, & currus, & duodecies mille equites: quos collocavit in civitatibus curruum, & apud regem Jeruschalaimis.

[3] id est, 4000. decuriæ, vel præsepia equorum ad quater mille, quæ denos equos caperent singulæ: nam denarii numeri ellipsin frequentem esse docuimus in 2. Sche. 2.4. vide annotata 1. Reg. 4.25.

26 [a] Erátque dominium habens in omnes alios reges: inde a flumine *Euphrate* usque ad terram Pelischthæorum, & usque ad terminum Ægypti.

[a] 1. *Reg.* 4.21.

27 Et reddidit rex argentum Jeruschalaimis ut lapides; cedros autem reddidit ut sycomoros, quæ in loco depresso *crescunt*, multitudine.

28 Pendebant enim vectigal equorum ex Ægypto *mercatores* Schelomoni, & ex omnibus aliis regionibus.

29 Reliquæ autem res Schelomonis [4] priores & posteriores; nónne sunt scriptæ in [5] verbis Nathanis Prophetæ, & in prophetia Achijæ Schiluntini; & in visione [6] Jeħdonis videntis de Jarobħamo filio Nebati.

[4] vide suprà in 1. Chro. 29.29.
[5] id est, principio primi libri regum, quod hi tres conscripserunt, qui hic nominantur.
[6] *qui & Hiddo, infrà* 21.15. & *Hoded. infrà* 15,11.

30 Regnavit verò Schelomo Jeruschalaimis super totum Jisraëlem quadraginta annis;

31 Quumq; occubuisset Schelomo cum patribus suis, & sepelivissent eum in civitate Davidis patris ejus; regnavit Rechabħā filius ejus pro eo.

CAPUT X.

Eodem est argumento cum 1. Reg. 12.

[a] 1. Regum 12.

1 [a] TUnc abiit Rechabħam Schecemum: nam Schecemum conveniebant omnes Jisraëlitæ ad constituendum eum regem.

2 Fuerat autem quum audivisset Jarobħam filius Nebati, qui erat *adhuc* in Ægypto, quò fugerat metu Schelomonis regis; ut reverteretur Jarobħam ex Ægypto.

3 Nam *Jisraëlitæ* miserant accersitum eum, venitq; Jarobħam & totus Jisraël; & alloquuti sunt Rechabħamum, dicendo:

4 Pater tuus durum imposuit jugum nobis: nunc ergo leva *nos* servitute ista patris tui dura, & jugo ejus gravi quod imposuit nobis, & serviemus tibi.

5 Qui dixit eis, adhuc triduum *differte*, tum revertimini ad me: sic abiit populus.

6 Intereà iniit consilium rex Rechabħam cum senioribus qui steterant ante Schelomonem patrem ipsius, dum esset in [a] vivis dicendo; quomodo vos consilium inire tis ad respondendum populo huic aliquid?

[a] Heb. *vivus.*

7 Qui alloquuti sunt eum, dicendo, si fueris [b] facilis populo huic gratificando eis, & alloquutus fueris eos verbis bonis; utique erunt tibi servi omnibus diebus.

[b] Heb. *in bonum.*

8 Sed reliquit consilium seniorum quo consuluerant ei: & iniit consilium cum iis qui a pueris educati fuerant secum stantibus coram ipso:

9 Dixitque eis, quod vos consilium inire tis, ut responderemus aliquid populo huic? quòd alloquuti sunt me dicendo, leva *nos* jugo isto quod imposuit pater tuus nobis?

10 Tum alloquuti sunt eum isti, qui a pueris educati fuerant cum eo dicendo: sic dices populo isti, qui alloquuti sunt te dicendo, pater tuus grave effecit jugum nostrum, tu ergo leva *illud* a nobis: sic alloqueris eos, minimus *digitus* meus densior est lumbis patris mei.

11 Jam verò pater meus oneravit vos jugo gravi, ego autem superaddam jugo vestro: pater meus castigavit vos scuticis, ego autem flagellis aculeatis.

12 Quum ergo venisset Jarobħam & totus populus ad Rechabħamum die tertio; quemadmodum edixerat rex dicendo, revertimini ad me die tertio:

13 Respondit eis rex duriter: nam dereliquerat rex Rechabħam consilium seniorum:

14 Et alloquutus est eos ex consilio puerorum suorum dicendo, pater meus grave effecit jugum vestrum, ego autem superaddā illi: pater meus castigavit vos scuticis, ego autem flagellis aculeatis.

15 Quum itaque non auscultâsset rex populo (erat enim causa a Deo, ut præstaret Jehova verbum suum quo alloquutus fuerat per Achijam Schiluntinum Jarobħamum filium Nebati)

16 [1] Omnes Jisraëlitæ, quia non auscultaverat rex ipsis; responderunt populus regi dicendo, quæ nobis portio *esset* cum Davide? utique non *est nobis* possessio cum filio Jischaji, quisque ad tentoria tua, ô Jisraël, jam prospice domui tuæ, David: sic abiit totus Jisraël in tentoria sua.

[1] In quibusdam exemplaribus additur, *videntes*, quod fortè irrepsit ex comparatione cum 1. Reg. 12.16. sed probatiora nostra exemplaria eo carent.

17 Tantùm super filios Jisraëlis qui habitabant inter civitates Jehudæ, regnavit Rechabħā.

18 Qúmque misisset rex Rechabħam Hadoramum qui præerat tributo, obruerunt eum Jisraëlitæ lapidibus, ita ut moreretur: quam ob rem rex Rechabħam totis viribus conscenso curru fugit Jeruschalaima.

19 Sic defecerunt Jisraëlitæ a domo Davidis usque in hunc diem.

CAPUT XI.

Rechabħam a bello in Jisraëlitas Dei jussu abstinet: regnum munitionibus, commeatu, armis, personísque confirmat. Sacerdotes Levitas & Jisraëlitas profugos recipit: filiosq; provinciis præficit.

1 [a] QUum autem venisset Rechabħam Jeruschalaima; congregavit ex domo Jehudæ & Binjaminis centum octoginta millia delectorum *hominum* gerentium bellum: ad pugnandum contra Jisraëlem, ut reduceret regnum illud ad Rechabħamum.

[a] 1. *Reg.* 12.21.

2 Sed fuit verbum Jehovæ ad Schemaħjam virum Dei, dicendo:

3 Edic Rechabħamo filio Schelomonis regi Jehudæ; & omnibus Jisraëlitis in Jehuda & Binjamine, dicendo:

4 Sic ait Jehova, ne ascendite, neque pugnate contra fratres vestros, revertimini quisque domum suam, nam a me facta est res ista: qui auscultantes verbis Jehovæ, aversi sunt ne proficiscerentur contra Jarobħamum.

5 Itaq; resedit Rechabħam Jeruschalaimis; & ædificavit civitates ad munitionē in [1] Jehuda:

[1] id est, in regno Jehudæ, ut ostendit comparatio versus 10, synecdochicè.

6 Ædificavit, inquam, Beth-Lechemum, & Hetamum, & Thekoħam:

7 Item Beth-Tzurem, & Socuntem, & Hadullamum:

8 Gathum quoque, & [2] Mareschām, & Ziphum:

[2] de qua 2. Maccab. 12.35.

9 Et Adorajima, & Lacischum, & Hazekam:

10 Et Tzorħam, & Ajalonem, & Chebronem quæ *sunt* in Jehuda & in Binjamine: civitates munitionum.

11 Confirmavítque has munitiones; dispo-

nens in eis [3] anteceſſores, & apothecas cibi, & olei, & vini.

12 Et in [a] unaquaque civitate [4] clypeos & ſpicula, denique confirmavit eas [b] quamplurimùm: ita fuit ejus Jehuda & Binjamin.

13 Sacerdotes quoque & Levitæ, qui *erant* in toto Jiſraële; ſtiterunt ſe ei e toto termino ſuo.

14 Nam derelinquentes Levitę prædia ſuburbana ſua & poſſeſſionem ſuam, abiverunt ad Jehudam & Jeruſchalaima: quum rejiceret eos Jarobħam & [5] filij ejus, [6] ne ſacerdotio fungerentur Jehovæ;

15 Statuerétque ſibi ſacerdotes pro excelſis & pro dęmonibus; & pro vitulis quos fecerat.

16 Et ſequuti illos ex omnibus tribubus Jiſraëlis, qui dedebant [c] animum ſuum ad requirendum Jehovam Deum Jiſraëlis; venerunt Jeruſchalaima ad ſacrificandum Jehovæ Deo majorum ſuorum.

17 Qui confirmârunt regnum Jehudæ, & fortificârunt Rechabħamum filium Schelomonis, ad triennium: nam ambulaverunt in via Davidis & [7] Schelomonis triennio.

18 Acceperat autem ſibi Rechabħam uxorem præter Machalatam filiam Jerimothi filii Davidis; Abihajilam filiam Eliabi filii Jiſchaii:

19 Quæ peperit ei filios; Jehuſchum, & Schemarjam, & Zahamum.

20 Poſt hanc verò duxit [d] Maħacam filiam Abſchalomi; quæ peperit ei Abijam, & Ħatthaium, & Zizam, & Schelomithum.

21 Amabat autem Rechabħam Maħacam filiam Abſchalomi præ omnibus uxoribus ſuis, & concubinis ſuis, nam uxores octodecim duxerat, & concubinas ſexaginta: unde genuit vigintiocto filios, & ſexaginta filias.

22 Ideóque Rechabħam conſtituit primarium Abijam filium Maħacæ anteceſſorem inter fratres ipſius: quia *erat* conſtituturus eum regem.

23 Et [8] prudentiam adhibens, diſperſit de omnibus filiis ſuis per ſingulas regiones Jehudæ & & Binjaminis, in omnes civitates munitionum, quibus indebat commeatum [e] copioſum: & [f] procuravit *eis* multitudinem uxorum.

[3] filios ſuos, infrà 23. verſ.
[a] *Heb. in omni civitate & civitate.*
[4] i. omnia genera armorum tam ad defenſionem quàm ad offenſionem: ſynecdoche.
[b] *Heb. ad multum valdè.*
[5] ſive ad conſilium adhibuerit; ſive opera illorũ uſus ſit in præſidiis cõſtituẽdis exemplo Rechabħami.
[6] i. ne doctrinam nunciarent, & populum in ea continerent, ac in reliquis exercitamentis ad cultum Dei pertinentibus officium ſuum facerent.
[c] *Heb. cor.*
[7] nam videtur ex hoc loco, ut ex toto Eccleſiaſte Schelomo poſt lapſum reſipuiſſe: etſi non potuit idololatriã planè evertere, & cultum Dei redintegrare: ut temporibus Menaſchis quoque contigit, infrà 33.18.
[d] *quæ & Micaja filia Urielis e Gibħa, infrà* 13.2.
[8] Exemplo Abrahami, Gen. 25. ſic de Jehoſchaphato infrà 21.3.
[e] *Heb. in multitudinem.*
[f] *Heb. petiit.*

CAPUT XII.

Rechabħam & Jehuda peccatis Deum provocantes, a rege Ægypti affliguntur & ſpoliantur. Reſipiſcentes Dei verbo eriguntur & reſtituuntur: poſtremò Rechabħamo ſuccedit Abija.

[1] FUit autem quum ſtabiliviſſet Rechabħam regnum, quúmque confirmatus eſſet, *ut* [1] relinqueret legem Jehovæ; & totus Jiſraël cum eo.

2 Unde fuit anno quinto regis Rechabħami, *ut* aſcenderet Schiſchak rex Ægypti contra Jeruſchalaima; quia prævaricati erant contra Jehovam:

3 Cum mille ducentis curribus, & cum ſexaginta millibus equitum: [a] innumeróque populo qui veniebant cum ipſo ex Ægypto, [2] Lubæis, [3] Succæis, & [4] Æthiopibus:

4 Caperetq́; civitates ipſas munitionum quæ *erant* Jehudæ: & veniret Jeruſchalaima uſque.

5 Schemaħja verò propheta [5] ille, veniens ad Rechabħamum ac principes Jehudę, qui congregati erant Jeruſchalaimis [b] metu Schiſchaki: dixit eis, ſic ait Jehova, vos dereliquiſtis me, ideò ego quoque derelinquo vos *tradendos* in manum Schiſchaki.

[1] 1. Reg. 14.22.
[1] poſt illud triennium, de quo ſupra 11.17.
[a] *He. & non erat numerus populo.*
[2] hi ſunt Libyes Mareotæ contermini Ægypto: quare potiùs dicendi fuiſſent Lubies ſive Lybies ex verò etymo.
[3] id eſt, Trogloditis: ita vocatis quòd in tabernaculis degant, quæ Hebraicè Succoth dicuntur: quam ob rem regionem illorum Troglodyticen priſcis Succoẽn dictam eſſe teſtatur Plin. libr. 6. natur. hiſtor. cap. 29. etſi Miccoẽn legitur proclivi lapſu, mutato Samec in Mem. [4] ſub Ægypto. [5] de quo ſuprà 11.2. [b] *Heb. a facie.*

6 Tum deprimentes ſe principes Jiſraëlis & rex; dixerunt, juſtus *eſt* Jehova.

7 Quos quum videret Jehova ſe ipſos depreſſiſſe, fuit verbum Jehovæ ad Schemaħjam dicendo, depreſſerunt ſe ipſos, non perdam eos: ſed præſtabo eis mox [c] liberationem, neque effundetur excandeſcentia mea ſuper Jeruſchalaima per [d] Schiſchakum:

8 Sed [6] erunt ei ſervi; ut experiantur ſervitutem mei, & ſervitutem regnorum reliquarum regionum.

9 Aſcendens itaque Schiſchak rex Ægypti Jeruſchalaima; [7] accepit theſauros domus Jehovæ, & theſauros domus regis, omnia, inquam, illa accepit: accepit etiam ſcuta aurea quæ fecerat Schelomo:

10 Pro quibus fecit rex Rechabħam ſcuta ærea; quæ depoſuit in manum præfectorum curſoribus, qui obſervabant portam domus regis.

11 Erátque ex quo veniebat rex in domum Jehovæ; *ut* venientes curſores afferrent ea, deinde referrent ea ad procœtonem curſorum.

12 Quum itaque ſe depreſſiſſet, averſa eſt ab eo ira Jehovæ, ut non perderet [e] omnino; [8] etiámque erga Jehudam *uſus* eſt verbis bonis.

13 Confirmavit ergo ſe rex Rechabħam Jeruſchalaimis, & regnavit: nam natus unum & quadraginta annos Rechabħam quum regnare inciperet, ſeptemdecim annis regnavit Jeruſchalaimis, civitate quam elegerat Jehova ad collocandum nomen ſuum ibi ex omnibus *civitatibus* tribuum Jiſraëlis, & nomen matris ejus Naħama Ħammonitis.

14 Fecit autem malum; nam non comparavit animum ſuum ad quærendum Jehovam.

15 Res verò Rechabħami [9] priores & poſteriores an non ſunt ſcriptæ in verbis Schemaħjæ prophetæ & Ħiddonis videntis in [10] genealogiis? etiam bella Rechabħami contra Jarobħamum omnibus eorum diebus?

16 Denique quum occubuiſſet Rechabħam cum patribus ſuis, & ſepultus eſſet in civitate Davidis; regnavit [f] Abija filius ejus pro eo.

[c] *Heb. effugium.*
[d] *Heb. per manum Schiſchaki.*
[6] id eſt, cogentur pacis conditiones ab eo accipere, & ſe redimere.
[7] datos a rege & populo pro ſui redemtione.
[e] *Heb. in totum vel in conſumtionem.*
[8] id eſt, Judæos conſolatus promiſſionibus: vide 1. Reg. 11.13. & 36. & ſuprà verſ.
[9] ut ſuprà 9.29.
[10] id eſt in libro, in quo regum genealogias deſcribit: qui etiam dicitur Midraſch, id eſt, commentarius infrà 13.22.
[f] *qui & Abijam 1. Reg. 14.31. & paſſim in libro regum.*

CAPUT XIII.

Abija Deo confiſus, fœliciſſimè contra Jarobħamum pugnat.

[1] ANno decimooctavo regis Jarobħami; regnare cœpit Abija ſuper Jehudam.

2 Tribus annis regnavit Jeruſchalaimis, cujus matri nomen Micaja filia Urielis e Gibħa: bellumq́; fuit inter Abijam & Jarobħamum.

3 Quam ob rem junxit Abija copias, robore valentes bellatores, quadringenties mille viros delectos; Jarobħam verò inſtruxit contra eum aciem cum octingenties mille viris delectis valentibus robore.

4 Tum ſurgens Abija e ſummo monte [1] Tzemarajimorum, qui *eſt* in montanis Ephrajimi; dixit, audite me Jarobħam, & totus Jiſraël.

5 An non veſtrum *erat* agnoſcere Jehovam Deum Jiſraëlis tradidiſſe regnum Davidi ſuper Jiſraëlem in [2] ſeculum; ipſi & filiis ejus [3] fœdere ſalis?

6 [1] Attamen ſurrexit Jarobħam filius Nebati ſervus Schelomonis filii Davidis; & rebellavit contra dominum ſuum.

7 Deinde congregati ſunt ad eum homines vani, [a] nequiſſimi, qui fortificârunt ſe contra Rechabħamum filium Schelomonis: quum Rechabħam eſſet puer ac [b] mollis animo, neque confirmaret ſe adverſos illos.

[1] 1. Regum 15.
[1] in finibus Binjaminis: vide Gen. 10.18.
[2] 2. Sche. 7.13.
[3] id eſt, perpetuò, Num. 18.19.
[1] 1. Reg. 11.26.
[a] *Heb. filii Belijaħal.*
[b] *Heb. tener cordis.*

8 Et

8 Et nunce vos [c] cogitatis confirmare vos ad-
versus regnum Jehovæ, *quod est* in manu filiorum
Davidis: quamvis sitis multitudo magna, tamen
penes vos vituli aurei *sunt*, quos fecit vobis Ja-
robham in deos.
9 An non depulistis Sacerdotes Jehovæ fi-
lios Aharonis & Levitas? & fecistis vobis Sacer-
dotes, ut populi reliquarum regionum, quem-
libet venientem [d] ad consecrandum ministerium
suum [4] juvenco subrumo & arietibus septem, est-
que Sacerdos iis qui non *sunt* dii?
10 Nos autem *habemus* Jehovam Deum no-
strum, quem non dereliquimus: Sacerdotes au-
tem ministrantes Jehovæ *sunt* filii Aharonis, &
Levitæ *sunt* in opere suo:
11 Et adolent Jehovæ holocausta [e] quolibet
mane & quolibet vespere, suffitum quoque aro-
matum, & dispositionem panum super mensam
mundam, & lychnuchum aureum cum lucernis
ejus *curant* accendendo quolibet vespere, obser-
vamus enim observationem Jehovæ Dei nostri:
vos autem dereliquistis eum.
12 Quare ecce nobiscum *est* in [f] principiis
Deus ipse, & Sacerdotes ejus cum tubis clangoris
ad clangendum contra vos: filii Jisraëlis, ne pug-
netis contra Jehovam Deum majorum vestro-
rum, non enim secundaremini.
13 Intereà Jarobham jusserat divertere insi-
dias, ut [g] invaderent eos a tergo: ita erant *Jisraë-
litæ* a fronte Jehudæis, insidiæ verò a tergo eorum.
14 Aspicientes autem Jehudæi quòd ecce si-
bi instabat bellum [h] a fronte & a tergo, inclamâ-
runt Jehovam; Sacerdotes verò clangebant tubis.
15 Clanxerunt etiam viri Jehudæ: fuítque
clangentibus viris Jehudæ, ut Deus plaga affice-
ret Jarobhamum, & totum Jisraëlem coram A-
bija & Jehuda.
16 Quam ob rem fugerunt Jisraëlitæ metu Je-
hudæ; tradiditq; illos Deus in manum horum.
17 Percusserunt enim eos Abija & populus
ejus percussione magna: ita ut caderunt confossi
ex Jisraëlitis quingenties mille viri delecti.
18 Ita depressi sunt Jisraëlitæ tempore illo; &
fortificati filii Jehudæ, quia nitebantur Jehova
Deo majorum suorum.
19 Nam persequutus Abija Jarobhamum,
cœpit ab eo civitates, [5] Beth-Elem cum villis
ejus, & Jeschanam cum villis ejus: [6] Hephravin
quoque cum villis ejus.
20 Neque obtinuit vim Jarobham ampliùs
diebus Abijæ: sed quum plaga affecisset eum Je-
hova, mortuus est.
21 Confirmatus ergo est Abija: qui [7] duxerat
sibi uxores quatuordecim: unde genuit viginti
duos filios, & sexdecim filias.
22 Reliquæ autem res Abijæ, & viæ ejus ac
verba ejus, scripta sunt in [8] commentario pro-
phetæ Hiddonis.

c Heb. dicitis: ut Exod. 2.14. suprà 11.13. & 14.
d Heb. ad implendum manū suam: ut Exod. 28.41.
4 id est, novo hoc ritu a vobis posito.
e Heb. mane mane, & vespere vespere: sic deinceps.
f Heb. in capite: ut Deut. 20.9.
g Heb. ut venirent a post eos: sic deinceps.
h Heb. facie & dorso.
5 Binjaminiticæ tribus, ubi vitulorum alter erat, 1. Reg. 12.29.
6 Hophram Binjaminitarum, Jehosch. 18.23.
7 non tantùm in regno, sed vivo etiam patre.
8 vide suprà 12.15.

CAPUT XIIII.

Asa rex publicam idololatriam tollit: urbes munit, & Æthiopes invadentes, invocato Dei nomine cæsos fundit spoliatque.

1 QUum autem occubuisset Abija cum patri-
bus suis, & sepelivissent eum in civitate
Davidis, regnavit Asa filius ejus pro eo: diebus
ejus quievit terra decem annis.
2 Et fecit Asa quod bonum & rectum *vide-
tur* in oculis Jehovæ Dei sui.
3 Amovit enim altaria alienigenarum, atque
excelsa; & confregit statuas eorum, succiditque
lucos eorum;
4 Et dicens [1] Jehudæis, ut requirerent Jeho-
vam Deum majorum ipsorum, & ut facerent le-
gem & præceptum ejus:
5 Amovit ab omnibus civitatibus Jehudæ
excelsa & [2] subdiales statuas: quum quiesceret re-
gnum coram eo.
6 Ædificavit quoque civitates munitionis in
Jehuda: quum quiesceret ea terra, & nullum ge-
reretur secum bellum annis illis, nam quietem
dederat Jehova ei.
7 Dicebat enim Jehudæis, ædificemus civi-
tates has, & circumdemus muro, & turribus, valvis
& vectibus; [a] tantisperdum hæc terra nobis expo-
sita est, quandoquidem requisivimus Jehovam
Deum nostrum, requirentibus dedit quietem no-
bis circumquaque: quapropter ædificârunt &
prosperati sunt.
8 Fuerunt autem Asæ copiæ ferentes [3] cly-
peum & spiculum; e Jehuda trecentorum mil-
lium, e Binjamine autem ferentium scutum &
tendentium arcum ducentorum octoginta milli-
um: omnes hi valentes robore:
9 Quum prodiisset contra eos Zerach Æthi-
ops cum copiis [b] decies centies millium, & curri-
bus [4] ter centies: venissetq; [5] Mareschâm usque.
10 Quò procedens Asa adversus eum; instru-
ctis aciebus in valle Tzephithæ ad Mareschâm:
11 Invocavit Asa Jehovam Deum suum, di-
cens; ô Jehova, nihil *est* apud te, opem ferre de-
stituto viribus [c] [6] intercedendo abundanti *viri-
bus*, opem fer nobis, Jehova Deus noster, nam
tibi innitimur, & in nomine tuo venimus con-
tra multitudinem istam: ô Jehova, Deus noster
es, ne obtineat *vires* contra te mortalis.
12 Tum plaga affecit Jehova Æthiopes illos
coram Asa & coram Jehuda; fugerúntque Æ-
thiopes.
13 Quos persequutus est Asa, & populus qui
cum eo erat ad Geraram usque; ceciderúntque
ex Æthiopibus *tot* ut non esset illis [d] [7] instaura-
tio, quia fracti erant coram Jehova & coram ex-
ercitu ejus: ita deportârunt isti prædam multam
valdè.
14 Percusserunt etiam omnes civitatum [8] *in-
colas* circa Geraram, nam invaserat eos [9] metus
Jehovæ: spoliâruntq; omnes civitates illas in
quibus spolia multa erant.
15 Atque etiam [10] *habitatores* tentoriorum pe-
cuariorum percusserunt; & captivos abducendo
greges quamplurimos & camelos, reversi sunt
Jeruschalaima.

1 1. Reg. 15.8.
1 id est, omnibus pertinentibus ad regnum Jehudæ.
2 vide Levitici 26.30. in annotatione. Hæc autem omnia de publica cultûs Dei instauratione sunt accipienda: nam anno demùm decimo quinto sigillatim quæstione habita, etiam privatæ idololatriæ sunt abolitæ, & fœdus cum Deo instauratum, infrà 15.8. &c.
a Heb. adhuc hoc existente ut hæc terra coram nobis sit.
3 vide annotata suprà 11.12.
b Heb. mille millium.
4 supple χιλια κατα mille, ut patet infra 16.8.
5 in finibus Jehudæ, Jehos. 15.44.
c Heb. inter abundantem.
6 i. opponendo te illi, ut vulgus loquitur.
d Heb. vivificatio.
7 i. ulla suas copias instaurandi ratio: sic enim cōjugatū vivificandi verbum accipitur 1. Chro. 11.9: ut observatum est, Gen. 18.10.
8 qui Pelischthæi erant, ac proinde Jehudæorū perpetui hostes: & fortè etiam Æthiopibus juncti.
9 vide simile Genes. 35.5. & infrà 17.10.
10 i. Scenitas Arabas Pelischthæis & Edomæis finitimos, quā fugientibus Æthiopibus iter erat: ut 1. Chro. 4.41.

CAPUT XV.

Asa a propheta, [a] bienitus inceptam regni reformationem, & veri cultus instaurationem persequitur: fœdusq; cum Deo renovat.

TUm Hazarjam filium [a] Hodedi incessit spiri-
tus Dei.
2 Quo, procedens ante Asam, dixit ei, audite
me Asa, totúsque Jehuda & Binjamin: [1] Jehova
fuit vobiscum dum fuistis cum eo, & si requiretis
eum, præstò erit vobis, sin dereliqueritis eum, de-
relinquet vos.
3 [2] Dies enim multi aguntur Jisraëlitis, sine
Deo verò, & sine Sacerdote docente, ac sine lege.
4 Quòd si conversus fuisset, quum angustia
esset sibi, ad Jehovam Deum Jisraëlis, requi-
rentibus ipsum præstò fuisset illis.
5 Sed [3] temporibus istis non *est* pax exeunti
& ingredienti, verùm vexationes magnæ super om-
nes habitatores regionum illarum:
6 Adeò ut [4] contundantur gens gente, & ci-

a qui Hiddo, suprà 12.15. & Jehdo, suprà 9.29.
1 propositio hortatoria ad pietatem, ab ope Dei, quam experium erat regnum Jehudæ.
2 confirmatio ab exemplo regni Jisraëlitici.
3 ab initio defectionis huc usq;.
4 vide comminationem 1. Regum 14.10. & sequentibus, & complementum 1. Reg. 15.27.

vitas civitate: quia Deus vexat eos omni angustia.
7 [a] Vos ergo confirmamini, neque sint [a] remissæ manus vestræ: est enim merces operi vestro.
8 Quare quum audiret Asa verba ista, & [7] prophetiam illam *scriptam a* Hodedo propheta, confirmans se abstulit [8] reliquos abominandos deos e tota terra Jehudæ & Binjaminis, atq; ex illis [9] civitatibus quas ceperat de montanis Ephrajimi: renovavitque [10] altare Jehovæ, quod *erat* [11] ante porticum Jehovæ.
9 Et congregavit totum Jehudam & Binjaminem, & illos qui peregrinabantur apud eos ex Ephrajimo & Menasche, [12] etiam e Schimhonea; nam defecerant ad eum ex Jisraëlitis [b] plurimi, quum vidissent Jehovâ Deum ejus esse cum eo.
10 Itaque congregati Jeruschalaima [13] mense tertio, anno quintodecimo regni Asæ,
11 Sacrificaverunt Jehovæ die illa, *quæ* de præda attulerant; boves septingentos, & pecudum septem millia:
12 Inieruntq; fœdus de requirendo Jehova deo majorum suorum; ex toto corde suo, & ex toto animo suo:
13 Adeò ut quisquis non requisiturus esset Jehovam Deum Jisraëlis morte afficiendus esset: [c] sive parvus sive magnus, sive vir sive fœmina.
14 Et jurârunt Jehovæ, cum sono magno & clangore; tubísque ac buccinis.
15 Lætabantur enim omnes Jehudæi de isto juramento (nam ex toto [d] animo suo juraverant) quòd quum toto studio suo [14] requisivissent eum, præstò fuisset ipsis: dederat enim Jehova quietem ipsis circumquaque.
16 [f] Quinetiam Mahacam aviam Asæ regis amovit ne esset Augusta, eo quòd fecerat cum luco horrendam statuam; & succisam Asa horrendam statuam ejus comminuit, ac combussit ad torrentem Kidronem.
17 Excelsa quidem non amota sunt ex Jisraële; sed animus Asæ fuit integer omnibus diebus ejus.
18 Et retulit res consecratas a patre suo & res consecratas a se *in* domum Dei; argentum, & aurum, & instrumenta.
19 Bellum enim non fuerat; usque ad annum [15] trigesimumquintum [16] [e] regni Asæ.

5 conclusio hortatoria, ut quod bene cœperant promovere, & cultum Dei planè redintegrare pergant.
a vide 2.Schem. 4.1.
7 Achijæ quam Hoded in acta retulit, 1.Reg. 14.7. & sequentibus: nam Hodedum sive Hiddonem partem illam historiæ regum scripsisse ostendimus suprà 13.22.
8 quæstione domesticatim habita regnum ab idololatria repurgavit.
9 de quibus suprà 13.19.
10 & totum atriũ de integro curavit: quam ob rem atrium novum dicitur infr. 20 5. synecdoche.
11 suprà 8.24.
12 hinc apparet Schimhonitas aliquos Jisraëlitis aliis finitimos a regno Jehudæ defecisse, quum laceraretur regnũ: etsi de cætero corpus tribus Schimhoniticæ Jehudæ adhæsit, dum domus Davidis regnavit: 1.Chro.4.31. & sequentibus.
b Heb. in multitudinem.
13 in quem festũ septimanarum incidit, mandatum a Deo, Exo.23.16
c Heb. inde a parvo ad magnũ, &c.
d Heb. corde.
14 supra 14.11. [f] 1.Regum 15.13. 15 inclusivè, ut ostenditur infrà 16.1.
16 id est, regni Jehudæ a diviso populo quod tunc obtinebat Asa: nam regna modò a populis denominantur, modo a personis regnantibus. Est autem hic annus decimusquartus ex quo regnabat Asa: Nam Rechabham septemdecim annos regnavit, Abija tres; quibus si hos quindecim addas, erunt trigintaquinque a lacerato regno: sic versu proximè sequente. e vel regno Asæ.

CAPUT XVI.

Asa de Syrorum ope ad impediendum Bahescham adhibitâ, a propheta reprehensus, eum in carcerem trudit: populum concutit: & morbo afflictus ad medicos tantùm, non ad Deum recurrit.

[a] ANno [1] trigesimo sexto regni Asæ, ascendens Bahescha rex Jisraëlis contra Jehudam, ædificavit Ramam: ne sineret egredi aut regredi quenquam ad Asam regem Jehudæ.
2 Sed depromens Asa argentum & aurum ex thesauris domus Jehovæ & domus regis; misit ad Ben-Hadadum regem Syriæ qui habitabat Darmasci, dicendo,
3 Fœdus *est* inter me & te, ut inter patrem meum & patrem tuum: ecce mitto ad te argentum & aurum; age irritum fac fœdus tuum cum Bahescha rege Jisraëlis, ut abscedat a me.

a 1.Reg.15.16.
1 i. decimosexto de quo sup.15. 10 vide annotata ibidem in versum ultimum.

4 Et auscultans Ben-hadad regi Asæ, misit principes copiarum suarum contra civitates Jisraëlis, quæ percusserunt Hijonem, & Danem, & Abel-Majima; [a] omnésque civitates armamentariorum Naphthali.
5 Unde fuit, audiente Bahescha, ut desisteret ab ædificanda Rama, quia faciebat *Syrus* ut cessaret ab opere suo.
6 Tunc Asa rege assumente totum Jehudam deportârunt lapides Ramæ & ligna ejus, quibus ædificabat Bahescha: & ædificavit ex illis Gebahum & Mitzpam.
7 Quam ob rem illo tempore venit [2] Chanani videns ad Asam regem Jehudæ: & dixit ei, quandoquidem innixus es rege Syriæ, ac non innixus es Jehova Deo tuo, idcirco [3] proripiunt se copiæ regis Syriæ, [b] ne sint ad manum tibi.
8 An non [c] Æthiopum illorum & Libyum erant copiæ numerosæ curribus & equitibus [d] quamplurimùm? tamen quum inniteteris Jehova, tradidit eas in manum tuam.
9 Quum Jehovæ oculi discurrant per totam terram ut [4] firmum se exhibeat erga eos *quorum* [e] animus integer *est* erga ipsum, stultè egisti in hac re: nam [f] porrò futura sunt contra te bella.
10 Tunc indignatus Asa contra videntem illum, tradidit eum in [g] [5] carcerem Cippi, quia [h] indignatione *percitus erat* contra eum de hac re: & conquassabat Asa *quosdam* ex populo tempore illo.
11 Sed ecce res Asæ [6] priores & posteriores, ecce sunt scriptæ in libro regum Jehudæ & Jisraëlis.
12 Ægrotavit autem Asa anno trigesimonono regni sui, ex pedibus suis, [i] usque eò ut morbus ejus summè *invalesceret*: tamen ne in morbo quidem suo requisivit Jehovam, sed hæsit medicis.
13 Denique occumbens Asa cum patribus suis, mortuus est anno quadragesimo primo ex quo regnare cœpit.
14 Quem sepeliverunt in sepulcris ejus, quæ foderat sibi in civitate Davidis; deponentes eum in cubili quod impleverat [k] aromaticis speciebus paratis unguentario opere: & [7] combusserunt ei ustionem *odorum* perquàm maximam.

a Heb. omnia [illegible] Naphtali.
2 pater prophetæ Jehu, de quo 1. Reg.16.1. infra 19.2.
3 q.d. nihil [illegible] Syros advocando [illegible] consilium [illegible] grabit [illegible] bellum, quo [illegible] tinenter [illegible] beris, infra [illegible] vide 1.Regum 15.16.
b Heb. e manu tua.
c Heb. Æthiopes & Libyes [illegible] copiis, supra 14.
d Heb. [illegible] valdè.
4 non [illegible] varium, & suorum partes [illegible] rè defendendo, ut Syri.
e Heb. cor.
f Heb. ex nunc.
g Heb. in domum eversionis: sic dicitur Cippus, ab evertendo & [illegible] torquendo [illegible] corpore.
5 i. carcerem [illegible] ticum, ubi [illegible] constringerentur [illegible] cippis: nam [illegible] propheta agebat, ut cum reo [illegible] tæ maiestatis [illegible] Jiremja 20.2.
h Heb. in indignatione erat contra eum.
6 vide sup. 9.29.
i Heb. usque [illegible] sum morbus ejus.
k Heb. aromatibus & speciebus, Enadys.
7 i. sepulcrum ejus lustrârunt in ustrina suffitu sacro, [illegible] vide infra [illegible] finem.

CAPUT XVII.

Jehoschaphat regno confirmato, Ecclesias purgari & institui curat, dum Deus hostium alios cohibet, alios ei subjicit; postremò descriptio status copiarum ejus.

REgnavit itaque Jehoschaphat filius ejus pro eo; & confirmavit se super Jisraëlem.
2 Nam disposuit copias per omnes civitates Jehudæ quæ munitæ erant: & disposuit stationarios per regionem Jehudæ, & per civitates Ephrajimi quas ceperat Asa pater ejus.
3 Eratque Jehova cum Jehoschaphato, quia ambulabat in viis Davidis patris sui [1] prioribus, & non requirebat [a] Bahalimos:
4 Quia Deum patris sui requirebat, & in præceptis ejus ambulabat: ac non [a] imitabatur factum Jisraëlitarum.
5 Ideò confirmavit Jehova istud regnum in

1 id est, piis & sanctis, ut Asa principium [illegible] vixisse [illegible] suprà 14.& 15. nam posteriores vias illius improbavit Deus, proximè præcedente cap. nam eadem [illegible] fuerunt Davidis viæ, cujus vestigia Asa Jehoschaphati pater primum sequutus fuerat religiosè, ut antè demonstratum est. [illegible] ulla idola: synecdoche. a Heb. secundum factum, &c.

manu

manu ejus, ita ut darent omnes Jehudæi [z] mu-
nus Jehoschaphato: sic fuerunt ei divitiæ & glo-
ria [b] copiosè.
6 [a] Elato itaq; animo suo ad vias Jehovæ, am-
pliùs adhuc amovit [b] excelsa & lucos ex Jehuda.
7 Et anno tertio ex quo regnare cœpit misit
cum [c] præfectis suis, cum Ben-Chajile, & cum
Hobadja, & cum Zecarja, & cum Nethaneele, &
cum Micaja, ad docendum per civitates Jehudæ:
8 Cum illis, inquam, hos Levitas, Schemahi-
jam, & Nethanjam, Zebadjam, & Hasaëlem, &
Schemiramothum, & Jehonathanem, & Adoni-
jam, & Tobijam, & Fob-Adonijam Levitas: qui-
buscū erant Elischamah & Jehoram Sacerdotes:
9 Qui docuerunt in Jehuda, habentes se-
cum librum legis Jehovæ; & obiverunt omnes
civitates Jehudæ docentes populum.
10 Pervaserat autem metus Jehovæ omnia
regna regionum quæ erant circa Jehudam; ut
non gererent bellum contra Jehoschaphatum.
11 Quin imò a Pelischthæis adferebant ad
Jehoschaphatum munus, & pecuniam [c] indictio-
nis: etiam Arabes adducebant ei greges, arietes
septies millenos septingentenos, & hircos septies
millenos septingentenos.
12 Ita Jehoschaphat [d] pergebat crescere us-
que ad summum; & edificavit in Jehuda arces, &
civitates armamentariorum:
13 Et [e] [y] res multæ erant ei per civitates Je-
hudæ; ac homines [f] bellatores, valentes robore
Jeruschalaimis.
14 Quorum numeratio per paternas familias
eorum: ex Jehuda chiliarchorum Hadna prin-
ceps, quicum *erant* valentium robore trecenta
millia:
15 Et [g] secundùm hunc Jehochanan prin-
ceps, quicum *erant* ducenta octoginta millia:
16 Et secundùm hunc Hamasja filius Zicri,
sponte se offerens [h] Jehovæ; quicum *erant* du-
centa millia valentium robore:
17 Ex Binjamine verò valens robore Eljadah;
quicum *erant* armati arcu aut scuto ducenties
mille:
18 Et secundùm hunc Jehozabad, quicum
erant centum octoginta millia expeditorum ad
militiam.
19 Hi *erant* qui ministrabant regi: [p] præter
eos quos disposuerat rex per civitates munitas in
tota Jehuda.

CAPUT XVIII.

Argumentum idem est cum 1. Reg. 22.

Quum autem essent Jehoschaphato divitiæ
& gloria [a] copiosè, [b] affinitate se junxit A-
chabo.
2 Deinde descendit [b] [1] exactis *aliquot* [2] annis
ad Achabum Schomronem, cui mactavit Achab
pecudes & boves copiosè, populóque qui *erat*
cum eo: & incitavit eum ut ascenderet contra
Ramothas Gilhadis.
3 Dixit enim Achab rex Jisraëlis Jehoscha-
phato regi Jehudæ, iturúsne es mecum Ramo-
thas Gilhadis? qui dixit ei, sicut ego sic tu, & sicut
populus tuus populus meus, ut tecum *simus* in
isto bello.
4 Dixit præterea Jehoschaphat regi Jisraëlis,
consule, quæso, hoc ipso die verbum Jehovæ.
5 Tunc congregatis rex Jisraëlis prophetis
suis quadringentis viris, dixit eis, utrùm ituri si-
mus contra Ramothas Gilhadis in bellum istud,
an destituros sum? qui dicebant, ascende, tradītu-
rus enim est Deus in manum regis.
6 Dicente verò Jehoschaphato, an non est
hic propheta Jehovæ ampliùs, ut consulamus
ex eo?
7 Dixit rex Jisraëlis Jehoschaphato, ampliùs
vir quidam *est* ex quo consulas Jehovam, at ego
odi eum, quia non prophetat de me bonum, sed
omnibus diebus suis malum, is *est* Micajehu fili-
us Jimlæ: dixit verò Jehoschaphat, ne loquatur
rex ita.
8 Itaq; advocans rex Jisraëlis aulicū unum,
edixit, festinanter adduc Micajehu filium Jimlæ.
9 Intereà rex Jisraëlis & Jehoschaphat rex
Jehudæ sedentes quisq; in solio suo, induti vesti-
bus *regiis* considebant in area *ad* ostium portæ
Schomronis; & omnes prophetæ illius prophe-
tabant coram eis.
10 Fecerat enim sibi Tzidkija filius Cenaha-
næ cornua ferrea: & dicebat, sic ait Jehova, his
feries Syros adeò ut consumas eos.
11 Omnes quoque prophetæ illi propheta-
bant similiter dicendo: ascende Ramothas Gilha-
dis & prosperare, traditurus enim est Jehova in
manum regis.
12 Nuncius autem ille qui iverat vocatum
Micajehu, alloquebatur eum dicendo, ecce ver-
ba prophetarum istorum ore uno bonum *prophe-
tant* regi: sit, quæso, verbum tuum ut unius illo-
rum, ut eloquaris bonum.
13 Cui dixit Micajehu; *ut* vivit Jehova, quod
edixerit Deus meus id eloquar.
14 Quum ergo ingressus esset ad regem; dixit
rex ei, Mica, utrùm ituri sumus contra Ramothas
Gilhadis in bellum, an destiturus sum? qui dixit,
ascendite & prosperamini, scilicet tradentur in
manum vestram.
15 Dicente autem ei rege, quoties ego tan-
dem adjuraturus sum te; ut non eloquaris mihi
nisi veritatem in nomine Jehovæ?
16 Dixit, video omnes Jisraëlitas dispersum
iri per montes illos, ut oves quibus non *est* pastor:
nam dixit Jehova, non *erit* dominus istis, rever-
tantur quisque domum suam cum pace.
17 Tum dicente rege Jisraëlis Jehoschapha-
to; nónne dixeram tibi, fore ut non prophetaret
de me bonum, sed malum?
18 Dixit, propterea audite verbum Jehovæ:
vidi Jehovam sedentem in solio suo, & totum ex-
ercitum cælorum adstantes a dextera ejus & si-
nistra ejus.
19 Ubi dicente Jehova, quis pelliciet Acha-
bum regem Jisraëlis, ut ascendat & corruat apud
Ramothas Gilhadis? præterea dicente, hic dicit
hoc modo, & ille dicit illo modo:
20 Tandem prodiit quidam spiritus, qui con-
sistens coram Jehova dixit, ego pelliciam eum:
dicente verò Jehova ei, quo pacto?
21 Dixit, egressus ero spiritus mendacii in ore
omnium prophetarum ejus: tum dixit, pellicies,
etiámque prævalebis, exi & fac ita.
22 Quare nunc ecce indidit Jehova spiritum
mendacii ori tuorum prophetarum istorum: in-
tereà Jehova loquutus est contra te malum.
23 Tunc accedens Tzidkija filius Cenahanæ
percussit Micajehu in maxillam: & dixit, quánam
via transivit spiritus Jehovæ a me, ut alloquere-
tur te?
24 Cui dixit Micajehu, ecce tu videris illo ip-
so die; quo ingredieris intimum conclave ad abs-
condendum te.
25 Dixit verò rex Jisraëlis, prehendite Mica-
jehu, & reducite eum ad Amonem præfectum ci-
vitati; & ad Joaschum filium regis:
26 Quibus dicens, sic edicit rex, ponite illum
in

[z] id est, cum suam esse regem fine symbolo omnes profiterentur ut 1. Schem. 10. 27.
[b] Heb. in multitudine.
[a] id est, quum sponte factus esset ad promovendum verum Dei cultum, quam fuisset Asa pater ipsius.
[b] quæ vel relicta fuerant, vel rursus invecta.
[c] id est, hos selegit ex omnibus ordinibus ad tempus, per quos statum ecclesiarum recognosceret, & populum in verbo Dei instrueret, ac sua auctoritate sua in officio confirmaret.
[c] Heb. oneris.
[d] Heb. ibat iens ac crescens.
[e] Heb. opus multum; ut Gen. 33. 14.
[y] ad munitionem & commeatum pertinentes; ut supr. 11. 11.
[f] Heb. belli.
[g] Heb. ad manum ejus: sic deinceps.
[h] id est, alacerrimo & promptissimo animo ad gerenda bella ejus.
[p] de quibus supra versu.
[a] Heb. in multitudinem: sic vers. 2.
[b] accipiendo Hathaljam Achabi filiam in uxorem Jehoramo filio suo 2. Reg. 8. 18.
[b] Heb. ad finem annorum.
[1] 1. Reg. 22. 2.
[2] anno decimo septimo regni sui, ut adnotatum est 1. Reg. 22. 42.

in carcere; & alite eum pane angustè & aqua angustè, donec rediero cum pace.
27 Dixit verò Micajehu, si planè reversus fueris cũ pace, non loquutus fuerit Jehova per me: præterea dixit, audite populi quotquot sunt.
28 Itaque ascendit rex Jisraëlis cum Jehoschaphato rege Jehudæ contra Ramothas Gilhadis.
29 Ubi dixit rex Jisraëlis Jehoschaphato, quũ dissimularet se processurus in prælium, tu verò induere vestimentis tuis: sic dissimulante se rege Jisraëlis processerunt in prælium.
30 Rex autem Syriæ præceperat præfectis curruum suorum dicendo, ne pugnatote contra parvum *aut* contra magnum; sed contra regem Jisraëlis solum.
31 Fuit itaque quum videntes præfecti curruum Jehoschaphatum, ut ipsi dicerent, rex Jisraëlis est; & diverterent contra eum ad pugnandum: sed exclamanti Jehoschaphato Jehová auxiliatus est, & [c] avertit illos Deus ob eo.
32 Nam fuit quum viderent præfecti curruum eum non esse regem Jisraëlis; ut reverterentur a persequendo eum.
33 Sed quidam jaculatus arcu simplice animo percussit regem Jisraëlis inter commissuras & loricæ *partes:* quapropter dixit aurigæ suo, deflecte manũ tuã, ut educas me e castris, quia ægrotus factus sum.
34 Quoniam autem invalescebat prælium eo die, rex Jisraëlis distinebat currus [a] suos adversus Syros usque ad vesperam: quam ob rem mortuus est *quo* tempore occidit sol.

CAPUT XIX.

Jehoschaphat prophetæ reprehensione resipiscens, suos ad Deum revocat: Et ordinem Ecclesiasticum atque politicum in regno toto recognoscit.

Revertente autem Jehoschaphato rege Jehudæ domum suam, cum pace Jeruschalaima:
2 Prodiens in conspectum ejus Jehu filius [1] Chanani videns; dixit regi Jehoschaphato, an [2] improbo auxiliari & osores Jehovę diligere te? at propter hæc tibi incumbit fervẽs ira a Jehova.
3 Verumtamen res bonæ inventæ sunt apud te: quod [3] removisti lucos e terra, & constituisti animum tuum ad quærendum Deum.
4 Deinde [4] resedit Jehoschaphat Jeruschalaimis: postquam [5] conversus obivisset per populum, [6] a Beerschebaho usque ad montana Ephrajimi, & revocasset eos ad Jehovam Deum majorum ipsorum:
5 Constituissetq; judices in ea regione per omnes civitates Jehudæ munitas, [a] cuique civitati:
6 Edicens judicibus, videte quid sitis facturi, non enim [7] pro homine judicaturi estis, sed pro Jehova: qui vobiscũ *futurus est* in rebus judiciariis.
7 Quare nunc insit pavor Jehovæ vobis: observate & facite, non enim *est* apud Jehovam Deum nostrum iniquitas, aut acceptio [b] personarum, aut sumtio muneris.
8 Atque etiam Jeruschalaimis constituit Jehoschaphat e Levitis & sacerdotibus, & ex primoribus paternarũ familiarum Jisraëlis, ad [8] judicia Jehovę, & ad [9] lites; quum [10] reverterentur *illi* Jeruschalaima.
9 Et præcepit eis dicendo, sic facitote cum timore Jehovæ, cum fide, & cum [c] animo integro:
10 Ut quæcunque lis pervenerit ad vos, a fratribus vestris residentibus in civitatibus suis, *de* discrimine inter cædem & cædem, inter legem & præceptum, statuta & judicia; admoneatis eos, ne rei fiant Jehovæ, & incumbat fervens ira vobis & fratribus vestris: sic facitote ut non sitis rei.
11 Ecce autem Amarja Sacerdos primarius inter vos, in omni [11] negotio Jehovæ, Zebadja verò filius Jischmahelis antecessor in [12] domo Jehudæ in omni negotio [13] regio, cum moderatoribus & Levitis [d] [14] expositi sunt vobis: confirmate vos & facite, & Jehova aderit [e] [15] æquo.

CAPUT XX.

Jehoschaphat divinam opem jejunio & precibus contra Moabitas & alios implorans, & promissionem fide amplexus, victoriam divinitus obtinet: postremò societatem init contra voluntatem Dei cum Achazja; quæ reprehenditur & infeliciter cedit.

Fuit autem posteà, venientibus Moabitis & Hammonitis, & [1] *aliis qui* trans Hammonitas *habitabant*, cum eis, contra Jehoschaphatum in bellum:
2 Venerunt qui indicarent Jehoschaphato, dicendo, invadit te multitudo magna e [2] transmarina *regione*, ex Syria: qui ecce sunt ad [3] Chatzatzonem Thamaris, ea *est* Hen-Gedi.
3 Timens verò composuit Jehoschaphat faciem suam ad quærendum Jehovam; & indixit jejunium toti [4] Jehudæ.
4 Itaque congregati sunt Jehudæi ad requirendũ *opem* a Jehova: etiam ex omnibus civitatibus Jehudæ cõvenerunt ad requirendũ Jehovã.
5 Tunc stans Jehoschaphat in congregatione Jehudæ & Jeruschalaimorum, apud domum Jehovæ; ante atrium [5] novum:
6 Dixit, Jehova Deus majorum nostrorum, nónne tu *es* Deus in cælis, & tu dominaris in omnia regna gentium; ita ut in manu tua *sit* vis & potentia, ac [a] nemo tibi possit obsistere?
7 Nónne tu, Deus noster, expulisti habitatores terræ hujus a conspectu populi tui Jisraëlis, & tradidisti eam semini Abrahami diligenti te, in seculum?
8 In qua habitantes; ædificaverunt tibi in ea sanctuarium pro nomine tuo, dicendo:
9 [6] Si obvenerit nobis malum, putà gladius, judicium, aut pestis, sive fames; consistemus ante domum hanc & coram te, nam nomen tuum *est* in domo hac: quare inclamantes te ex angustia nostra, exaudias & serves.
10 Nunc autem ecce Hammonitæ & Moabitæ, & [7] montana Sehiris, in quæ [8] non permisisti Jisraëlitis ingredi quum venirent e terra Ægypti: quamvis recesserint ab illis, & non perdiderint illos:
11 Tamen ecce ipsi [9] rependunt nobis; advehiendo ut expellant nos ab hæreditate tua, quam hæreditario jure possidendam tradidisti nobis.
12 Deus noster, an non judicia exerciturus esses in eos? nam non *est* in nobis [b] vis obsistendi multitudini magnæ isti invadenti nos: & nos nescimus quid facturi simus, sed in te *defixi sunt* oculi nostri.
13 Interea [10] omnes Jehudæi stabant coram Jehova; etiam parvuli eorum, uxores eorum, & filii eorum.
14 Tunc Jachazielem filium Zecarję, filii Benaję, filii Jehielis filii Matthanję, Levitam e posteris Asaphi, incessit spiritus Jehovæ in medio ipsius congregationis:
15 Et dixit, attendite omnes Jehudæi, & habitatores Jeruschalaimorum, & rex Jehoschaphat: sic ait Jehova vobis, vos ne timetote, neque consternamini

c Heb. incitavit illos ab eo.
a: id est, sui exercitus in fugam inclinantis.
1 de quo suprà 16.7.
2 Achabo & Jisraëlitis, sup. 18.
3 sup. 17.4. & 6.
4 i. quievit, habenis regni Joramo commissis, & ecclesiastico ac politico ordine constitutis, ut sequitur.
5 i. resipiscens ad prophetæ monitum.
6 i. ab una regni extremitate ad alteram: nam regnum Jehudæ protendebatur ad montana Ephrajimi inde a temporibus Asæ, sup. 15.8.
a Heb. civitati & civitati.
7 id est, non tam mei aut ullius hominis, quam Dei vices in judicando geritis.
b Heb. faciei.
8 id est, causas sacras, quarum cognitio ad Sacerdotes & Levitas pertinebat: vide Deu. 17.8. & sequentibus.
9 civiles.
10 quum alii judices propter obscuritatem aut difficultatem causarum vos consultum venient, aut partes inter se dissidentes ad vos remittent, ex lege Deu. 17. c Heb. [illegible]
11 vide sup. 1[illegible]
12 id est, in regno.
13 id est, regio, sive politico.
d Heb. [illegible]
14 i. semper [illegible] præstò, ut consulentibus de jure respondeant.
e Heb. [illegible]
15 i. rebus & personis æquitate conjunctis.
1 id est, Syris, de quibus versu 2, & Edomæis, versu 10.
2 i. trans mare [illegible] lis sive mortuum, quod lacus Alphaltites etiam dicitur [illegible] eam partem [illegible] ones illæ convenerant ad invadendum Jehudã.
3 de qua Gen. 14.7.
4 id est, toti regno suo.
5 vide sup. 15.8.
a Heb. nemo [illegible] contra te [illegible]
6 summa orationis a Schelomone habitæ sup. 6.
7 i. incolæ: metonymia.
8 Deut. 2.[illegible] & 18.[illegible]
9 i. compensant [illegible]
b Heb. [illegible] multitudini [illegible]
10 [illegible] 3.5.

consternamini metu multitudinis magnæ istius, nam non vestrum *erit* hoc prælium, sed Dei.

16 Cras descendite versus eos, ecce ascensuri sunt per [11] clivum [c] Tzitzi: & invenietis eos in extremitate vallis, in fronte deserti Jeruelis.

17 Non *erit* vestrum pugnare in hoc *prælio*: sistite vos, consistite & videte salutem Jehovæ erga vos Jehudæi & Jeruschalaimani, ne timetote, neque consternamini, cras exite ante eos, nam Jehova aderit vobis.

18 Tunc inclinavit Jehoschaphat verticem facie *demissa* in terram: omnes quoque Jehudæi & habitatores Jeruschalaimorum prociderunt coram Jehova, incurvando se *honorem exhibentes* Jehovæ:

19 Et surrexerunt Levitæ e posteris Kehathitarum, & e posteris Korachæorum; ad laudandũ Jehovam Deũ Jisraëlis voce magna summè.

20 Deinde surgentes manè, exiverunt in desertum Tekohæ: quibus exeuntibus, consistens Jehoschaphat dixit, audite me Jehudæi & habitatores Jeruschalaimorum, [12] firmè credite Jehovæ Deo vestro & confirmabimini, firmè credite prophetis ejus, & prosperabimini.

21 Ita consilio habito cum populo, constituit musicos Jehovæ, & laudantes [13] decorum sanctitatis: qui procedendo ante expeditum *exercitum* dicerent, celebrate Jehovam, quoniam in seculum benignitas ejus *est*.

22 Quando autem inceperunt cantum & laudem, disposuit Jehova insidiatores contra Hammonitas, Moabitas, & montanos Sehiris procedentes in Jehudam, ita ut afficerentur plagis.

23 Nam institerunt Hammonitæ & Moabitæ contra habitatores montis Sehiris, ad internecioni devovendum & perdendum *eos*: & quum absolvissent contra habitatores Sehiris, juverunt *inter se* ut [d] alter esset alteri perditor.

24 Intereà Jehuda veniebat ad ipsam [14] speculam versus [15] desertum illud: quumque respicerent ad multitudinem illam, ecce erant cadavera prostrata humi, nec *erat* [e] superstes.

25 Quapropter advenit Jehoschaphat cum populo suo ad diripiendam prædam eorum; inveneruntq; inter eos copiosè tum facultates cum cadaveribus, tum instrumenta desiderabilia, quæ spoliaverunt sibi, [f] adeò ut non essent ferendo: fueruntq; per triduum diripientes prædam illam, magna enim erat.

26 Die autem quarto congregaverunt se in convallem benedictionis, ubi benedixerunt Jehovæ: idcircò vocant nomen loci illius, convallem benedictionis, usque in hunc diem.

27 Posteà reversi omnes viri Jehudæ & Jeruschalaimorum cum Jehoschaphato in principiis ipsorum, ut reverterentur Jeruschalaima cum lætitia: nam lætitia affecerat eos Jehova ab hostibus eorum:

28 Venerunt Jeruschalaima cum nabliis & cum citharis, & cum tubis: ad domum Jehovæ.

29 Et incessit pavor Dei omnia regna illarum regionum; quum audirent pugnasse Jehovam contra hostes Jisraëlis.

30 Ita quievit regnum Jehoschaphati; quietem largiente illi circumquaque Deo illius.

31 Regnavit igitur Jehoschaphat super Jehudam: natus triginta quinq; annos quum regnare inciperet, vigintiquinq; annis regnavit Jeruschalaimis, cujus matri nomen Hazuba filia Schilchi.

32 Et ambulavit in via patris sui Asæ, neque recessit ab ea; faciendo quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ.

[11] qui situs erat inter desertum Tekohæ & desertum Jeruelis, de quo in hoc versu.
[c] *vel floris, i. floridum.*
[12] vide in Jeschah. 7.9.
[13] periphrasis Dei.
[d] *Hebr. vir in proximum suum, ut esset perditor.*
[14] quæ est in summo colle Tzitzi, de quo v. 16.
[15] Jeruelis.
[e] *Heb. vir liberationis.*
[f] *Hebr. ad non esse deportationem.*

33 Verumtamen excelsa non amota fuerunt: nam adhuc populus [16] non comparaverant animum suum erga Deum majorum suorum.

34 Reliquæ autem res Jehoschaphati [17] priores & posteriores, ecce sunt scriptæ in verbis [18] Jehu filii Chanani, qui [19] jussus est referre in librum [20] regum Jisraëlis.

35 Postmodùm verò consociavit se Jehoschaphat rex Jehudæ cum Achazja rege Jisraëlis; is *autem* [g] improbissimè agebat.

36 Eum autem consociavit sibi, ad faciendum naves quibus obirent Oceanum; feceruntque naves Hetzjone-Geberis.

37 Quapropter prophetavit Eliezer filius Dodavæ Mareschanus contra Jehoschaphatum dicendo; quandoquidem consociâsti te cum Achazja, disrumpit Jehova opera tua, ita confractæ sunt naves, neque obtinuerunt *vim* obeundi Oceanum.

CAPUT XXI.

Jehoram fratres suos regni stabiliendi causa interficit: & quia impiè vivit, defectione Edomæorum ac Libnæ, bello Pelischthæorum & Arabum, domesticorum cæde & bonorum direptione castigatur: postremò incurabili morbo divinitus extinguitur.

Quum autem occubuisset Jehoschaphat cum patribus suis, sepultusque esset cum patribus suis in civitate Davidis: regnavit Jehoram filius ejus pro eo.

2 Huic *erant* fratres filii Jehoschaphati, Hazarja, & Jechiel, & Zecarja, & Hazarja, & Micaël, & Schephatja, omnes hi filii Jehoschaphati regis [1] Jisraëlis:

3 [2] Quibus dederat pater eorum dona multa argenti & auri & rerum pretiosarum, cum civitatibus munitis in Jehuda: regnum verò dedit Jehoramo, quia erat primogenitus.

4 Surgens autem Jehoram ut confirmaret se in regno patris sui, interfecit omnes fratres suos gladio: etiamq; *aliquos* e principibus Jisraëlis.

5 Natus triginta duos annos Jehoram quũ regnare inciperet; octo annos regnavit Jeruschalaimis:

6 Quibus ambulavit in via regum Jisraëlis, [3] quemadmodum faciebant familia Achabi, nam [3] filia Achabi erat ei uxor: fecitque quod malum *videtur* in oculis Jehovę.

7 Noluit tamen Jehova perdere domum Davidis, propter illud fœdus quod pepigerat cum Davide; & quemadmodum dixerat se daturum lucernam ei & filiis ejus omnibus diebus.

8 Temporibus hujus defecit Edom, ne subjectus esset Jehudæ: & constituerunt super se regem.

9 Quapropter profectus est Jehoram cum præfectis suis & omnibus curribus suis secum: fuitque ipso surgente nocte, ut percuteret Edomæum circumjacentem sibi, & præfectos curruum ejus.

10 Persistente autem Edomo in defectione, ne [a] subjectus esset Jehudæ usque in [4] diem istũ, tunc defecit Libna eodem tempore ne subjecta esset ei: quia dereliquerat Jehovam Deum majorum suorum.

11 Etiam ipse fecit excelsa in montibus Jehudæ; effecitque ut scortarentur [5] habitatores Jeruschalaimorum, imò impulit [6] cum Jehuda.

12 Quam ob rem pervenit ad eum scriptum [7] ab Elija propheta, dicente, sic ait Jehova Deus Davidis patris tui, propterea quòd non ambulasti in viis Jehoschaphati patris tui, & in viis Asæ regis Jehudæ:

13 Sed

[16] quamvis Jehoschaphat sedulò eos revocâsset, sup. 19.4.
[17] vide 1. Chron. 29.28.
[18] de quo sup. 19.2.
[19] auctoritate Dei & Ecclesiæ ita ipse quoque fuit unus ex scriptoribus historiæ regum.
[20] tam Jehudæ quàm Jisraëlis, ut habetur a 1. Reg. 16. usque ad finem libri, & in principio secundi.
[g] *Hebr. improbè egit faciendo.*
[1] i. regni Jehudæ cum adhærentibus Jisraëlitis: synecdoche.
[2] vide sup. 11.22.
[3] 2. Reg. 8.17.
[3] Hathalja, de qua infrà 22.1.2. 10. & sequentibus.
[a] *Heb. de sub manu ejus.*
[4] deportationis vide 1. Chron. 4.41.
[5] i. in ipso loco ubi Deus sacrarium suum habebat, idololatriam statuit, & invitis etiam obtrusit.
[6] i. æquè Jerosolymitanos ac Jehudæos reliquos.
[7] i. quod Elija, antequam assumeretur, scripserat de futuro regno Jehorami: ut Jeschahja de futuro regno Cyri, Jeschah. 44. & 45. & Achija de regno Joschijæ, 1. Reg. 13.2. sic oportuit impium Regem ab absentibus reprehendi qui præsentes non fuisset passus nam Elijam temporibus Jehoschaphati raptum fuisse ante hujus regnum, docetur 2. Reg. 3.11.

13 Sed ambulâsti in via Regum Jisraëlis, & effecisti ut scortarentur Jehuda & habitatores Jeruschalaimorum, sicut effecit domus Achabi ut scortaretur *Jisraël*: insuper etiam fratres tuos, domesticos patris tui, meliores te interfecisti:

14 Ecce Jehova afficit *te* plaga magna in populo tuo; & in filiis tuis, & in uxoribus tuis, atque in omnibus facultatibus tuis.

15 Tu quoque [b] *agitaberis* morbis magnis, morbo intestinorum tuorum; [c] per duos annos continuos, donec exeant intestina tua præ morbo illo.

16 Excitavit itaque Jehova contra Jehoramum [d] animum Pelischthæorum & Arabum, [8] qui *sunt* [e] finitimi Æthiopum:

17 Qui ascendentes contra Jehudam, irruperunt in *regionem* ejus, & abduxerunt captivas omneis facultates quæ inventæ sunt in domo regis, etiamq; filios ejus, & uxores ejus; ita ut non relinqueretur ei filius nisi [f] Jehoachaz minimus filiorum ejus.

18 Deinde post omnia hæc; affecit eum Jehova in intestinis ejus morbo illo, adeò ut nulla *esset* medicina.

19 Perrexit enim de anno in annum, adeò ut quo tempore exibat [9] terminus ille, completis annis duobus, exirent intestina ejus, cum morbo ejus, & moreretur morbis [g] gravissimis: neque fecerunt ei populus ejus [10] ustionem *odorum* similem ustioni majorum suorum.

20 Natus triginta duos *annos* erat quum regnare inciperet, & octo annis regnavit Jeruschalaimis: quos transegit [11] sine voluptate, & sepeliêrunt eum in civitate Davidis, sed non in sepulcris Regum.

[b] *Hebr.* eris in *morbis.*
[c] *Heb. annis super annum.*
[d] *Heb. spiritum.*
[8] i. ex Petræa & fælice Arabia, quę vergunt ad Æthiopiam.
[e] *Heb. ad latus.*
[f] *qui Achazja, infrà capitib. seq. passim, & Hazarja, infr. 22.6.*
[9] quem præstituerat Elija suprà ℣. 15.
[g] *Heb. pessimis.*
[10] vide sup. 16. 14.
[11] i. in perpetuis calamitatibus & lethali morbo.

CAPUT XXII.

Achazja rex familiæ Achabi obsequutus, unà cum ea a Jehu perimitur: ita regno Jehudæ a Hathalja occupato, solus Joasch ex cruentis illius manibus eripitur.

[1] CONstituerunt autem habitatores Jeruschalaimorum regem Achazjam filium ejus, minimum pro eo, nam omnes priores [1] interfecerat turma quædam quæ venerat cum Arabibus in castra: ita regnavit Achazja filius Jehorami rex Jehudæ.

2 [2] Cujus matri nomẽ Hathalja nata [3] Homri; [a] agentis [4] quadragesimum secundum annum quum [b] Achazja regnaret, qui anno uno regnavit Jeruschalaimis.

3 Hic etiam ambulavit in viis domus Achabi; nam mater ejus erat consiliaria ejus ad improbè agendum.

4 Itaque fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, sicut domus Achabi: ipsi enim erant ei consiliarii post mortem patris ejus, [c] adeò ut perdiderint eum.

5 Etiam in consilio eorum ambulavit; profectus cum Jehoramo filio Achabi rege Jisraëlis in bellum contra Chazaëlem regem Syriæ ad Ramothas Gilhadis; ubi percusserunt Syri Joramum.

6 Quum autem reversus esset ut se curaret Jizrehele, quia *afficiebant eum* plagæ quibus percusserant eum apud [5] Ramam, quando præliabatur cum Chazaële rege Syriæ: [6] Hazarja filius Jehorami rex Jehudæ descendit ad invisendum Jehoramum filium Achabi Jizrehelem, eo quòd ægrotus esset.

7 Sed a Deo fuit [7] proculcatio Achazjæ veniendo ad Joramum: [8] nam processit cum Jehoramo ad Jehu filium Nimschi venientem, quem unxerat Jehova ad exscindendum domum Achabi.

8 Fuit enim quum judicia exerceret Jehu contra domum Achabi; ut inveniens principes Jehudæ, & filios cognatorum Achazjæ ministrantes Achazję, interficeret eos.

9 Deinde quæsivit Achazjam, ceperúntque eum (is autem se absconderat in [8] Schomrone) & adductum eum ad Jehu morte affecerunt eum; ac [9] sepeliverunt eum, quia dicebant, filius est Jehoschaphati, qui quæsivit Jehovam ex [d] toto animo suo: ita non *erat* domui Achazjæ, qui obtineret vires ad [e] regnandum.

10 [1] Quapropter Hathalja mater Achazjæ, quum videret mortuum esse filium suum; surgens perdidit totum semen regium domus Jehudæ.

11 Sed accipiens Jehoschabhath filia regis Joaschum filium Achazję, furtim surreptũ eum è medio filiorum regis qui afficiebantur morte, abdidit ipsum & nutricem ejus in conclave lectorum: abscondit autem eum Jehoschabhath filia regis Jehorami uxor Jehojadahi Sacerdotis, quia ipsa erat soror Achazjæ, metu Hathaljæ, ut ea non afficeret eum morte.

12 Ita fuit cum ipsis in domo Dei latitans sex annis; dum Hathalja regnaret super terram.

[1] 1. Reg. 8. 24.
[1] sup. 21. 17.
[2] in Hebræo textu trajectio est obscurior, cujusmodi est, 1. Schemu. 20. 16. & Hezræ 10. 17. & Nechemjæ 12. 22. qua non observata hic locus fuit variis quæstionibus & interpretationibus involutus.
[3] nam filia erat Achabi filii Homri: cujus nomen hic ad totam familiam pertinet, in qua ipse primus regnavit, 1. Reg. 16. 25.
[a] *Heb. filii quadraginta duorum annorum: sic 1. Sche. 13. 1.*
[4] nam tot anni numerantur ex quo Homri plenè adivit regnum usque ad regnum Achazjæ. Homri enim regnavit octo annis solus, Achabi [illegible] cum Achazja filio viginti duobus, & Joram à Jehu sublatus duodecim.
[b] *Hebr. Achazja quum regnaret ipse: pleonasmus.*
[c] *Heb. ut esset perditor ei.*
[5] i. Ramothas Gilhadis: singulare pro plurali per enallagen.
[6] i. Achazja Rex, ut annotatum est ad marginem suprà 12. 17.
[7] i. Deus hac occasione effecit, ut quasi pedibus Jehu, ipse quoque Achazja tereretur: hoc est, cum reliqua familia Homri perderetur.
[8] 2. Reg. 9. 21. & sequent.
[8] i. in regno Jisraëlis, a metropoli synecdochicè denominato.
[9] i. cum sepeliendum tradiderunt Jehudæis, patris rationem habentes.
[d] *Heb. cordis.*
[e] *Heb. regnum.*
[1] 2. Reg. 11.

CAPUT XXIII.

Idem est argumentum cum 2. Reg. 11.

[1] ANno autem septimo confirmans se Jehojadah assumsit centuriones, Hazarjam filium Jerochami, & Jischmahelem filium Jehochananis, & Hazarjam filium Hobedi, & Mahasejam filium Hadajæ, ac Elischaphatum filium Zicri secum in fœdus:

2 Qui circumeuntes per Jehudam congregaverunt Levitas ex omnibus civitatibus Jehudæ, & primarios paternarũ *familiarum* Jisraëlis: qui venerunt Jeruschalaima.

3 Tum pepigit tota illa congregatio fœdus in domo Dei cum rege: quum dixisset eis *Jehojadah*, ecce filius regis regnaturus est, [1] quemadmodum promisit Jehova posteris Davidis.

4 Hęc *est* res quam facturi estis: tertia pars vestrûm ingredientium sabbatho ex Sacerdotibus & Levitis, *sunto* janitores liminum:

5 Et tertia altera adesto domui regis, reliqua verò tertia in [1] porta [a] præcipua: totus autem populus in atriis domus Jehovæ.

6 Sed ne ingreditor domum Jehovæ, nisi Sacerdotes & qui ministrant ex Levitis, ipsi ingressuri sunt, quia [b] sancti sunt: at totus populus observanto observationem Jehovę.

7 Sed cingent Levitæ regem circumquaq; quisq; cũ armis suis in manu sua, ut quisquis venturus est in domũ istam, morte afficiatur; adeste igitur regi quum ingredietur & quũ egredietur.

8 Itaque fecerunt Levitæ & totus Jehuda, omnino prout prętceperat Jehojahah Sacerdos; assumserunt etiã quisq; homines suos ingrediẽtes sabbatho cũ egrediẽtibus sabbatho: non enim [2] exemerat Jehojadah Sacerdos ullas distributiones.

9 Deditque Jehojadah Sacerdos centurionibus hastas, & scuta, & umbones, qui *fuerant* regis Davidis; qui *erant in* domo Dei.

10 Quumq; constituisset totum populum cum

[1] 2. Reg. 11. 4.
[1] 2. Schem. 7. 12.
[1] id est, maxima & ima atrii, unde fundamenti porta appellatur: nam atrium magnum in declivi erat.
[a] *Hebr. fundamenti.*
[b] *Heb. sanctitas.*
[2] id est, jusserat omnes eo die se sistere, quo producturus erat regem: sine ulla excusatione perfuncti muneris.

missili

missili cujusque in manu ipsius, a latere domus dextero usque ad latus domus sinistrum, versus altare & versus domum; apud regem circumquaque:

11 Produxerunt filium regis, & imposito ei coronamento idque cum testimonio, constituerunt eum regem: & ungentes eum Jehojadah & filii ejus dicebant, vivat rex.

12 Quum autem Hathalja audiret strepitum populi concursantium & [c] faventium regi; ingressa est ad populum *in* domum Jehovæ.

13 Ubi videns quòd ecce rex stabat in sua columna in ingressu, & principes ac tubæ aderant regi; totúsque populus terræ lætus clangebat tubis, & musici instrumentis musicis, qui [d] exemplo præibant ad favendum *regi*: laceravit Hathalja vestimenta sua, dicens, conjuratio, conjuratio.

14 Jussit autem Jehojadah Sacerdos exire centuriones, præfectos copiarum, edicens eis, jubete istam exire intra ordines, & qui sequetur istam, morti traditor gladio: dicebat enim sacerdos, ne afficitote eam morte *in* domo Jehovæ.

15 Itaque disposuerunt ei custodias laterales, & abiit per aditum portæ equorũ versus domum regis; ubi morte affecerunt eam.

16 Tunc pepigit Jehojadah fœdus inter [3] illum & totum populum ac regem, ipsos fore populum Jehovæ.

17 Posteà ingressi totus populus ædem Bahalis demoliti sunt eam, & altaria ejus, imaginésque ejus perfregerunt: Matthanem verò Sacerdotem Bahalis occiderunt ante ipsa altaria.

18 Et reposuit Jehojadah præfecturas in domo Jehovæ [e] commissas Sacerdotibus Levitis quos distribuerat David in domo Jehovæ, ad offerendum holocausta Jehovæ, sicut scriptum est in lege Moschis, cum lætitia & cum musica secundùm [f] dispositionem Davidis.

19 Restituit quoque janitores in portis domus Jehovæ; ut non ingrederetur immundus ulla re.

20 Quumq; assumsisset centuriones, & magnificos, dominantesq; in populo, ac totum populum terræ, deduxit regem e domo Jehovæ, ingressiq; sunt per [4] portam summam domum regis; & collocarunt regem in solio regni.

21 Et lætati sunt totus populus terræ, ac civitas conquievit; postquam Hathaljam morti tradiderunt gladio.

CAPUT XXIIII.

Idem argumentum est cum 2. Reg. 12.

NAtus septem annos [1] Joasch quum regnare inciperet, quadraginta annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Tsibja e Beer-Schebaho.

2 Fecitq; Joasch quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ, omnibus diebus Jehojadahi sacerdotis.

3 Quum autè accepisset ei Jehojadah uxores duas, genuit filios & filias.

4 Fuitque posteà, [a] quum esset Joascho in animo instaurare domum Jehovæ:

5 Ut congregatis sacerdotibus ac Levitis, ediceret eis, exite per civitates Jehudæ, & congregate a toto Jisraële pecuniam ad curandum domum Dei vestri de [2] anno in annum, vos itaque festinate in hoc negotio: sed non festinârunt Levitæ.

6 Quapropter vocans rex Jehojadahum primarium, dixit ei, quare non habuisti quæstionem de Levitis, ut afferrent a Jehuda & Jeruschalaimis collectam [3] Moschis servi Dei, & congregationis Jisraëlis, ad [3] tentorium conventus?

7 Hathalja enim improbissimè se gerente, filii ejus perruperant *in* domum Dei: etiámque omnes res consecratas domui Jehovæ, aptaverant Bahalimis.

8 Itaque edicente rege, aptaverunt arcam aliquam; posuerúntque eam in porta domus Jehovæ, foris.

9 [b] Promulgaverúntque in Jehuda & Jeruschalaimis, ut afferrent Jehovæ [4] collectam Moschis servi Dei, imperatam Jisraëli in deserto.

10 Tunc lætantes omnes principes & totus populus; attulerunt & injecerunt in arcam, donec absolvissent *instaurare*.

11 Erátque quo tempore [5] exportaturus erat arcam ad delegatos regis per Levitas, ut quum viderent multam esse pecuniam, conveniret [6] scriba regis cum delegato sacerdotis primarii, & evacuarent arcam illam, posteà deportantes reponerent eam in loco suo: sic facientes de die in diem, colligebant pecuniam [c] copiosè.

12 Quam tradebat rex & Jehojadah curatori operis ministerii domus Jehovæ, qua mercede conducebant putatores & fabros ad instaurandum domum Jehovæ, etiámque fabros ferrarios & ærarios ad curandum domum Jehovæ.

13 Sic facientibus curatoribus operis, [d] assurrexit in justam constitutionem opus illud per manum eorum; ita ut restituerent domum Dei in formam ipsius, confirmantes eam.

14 Quúmque absolvissent, attulerunt coram rege & Jehojadaho reliquum pecuniæ, unde fecit instrumenta ad domum Jehovæ, instrumenta ministrandi & offerendi cum acerris, & quidem instrumenta aurea, & argentea: sic fuerunt [7] offerentes holocausta in domo Jehovæ jugiter omnibus diebus Jehojadahi.

15 Senio autem confectus Jehojadah & satur dierum mortuus est; natus centum triginta annos quum moreretur.

16 Quem sepeliverunt in civitate Davidis cum regibus, eo quòd exercuisset bonum in Jisraële, tum [8] erga Deum, tum erga [9] domum illius.

17 Post mortem verò Jehojadahi venientes principes Jehudæ [10] incurvaverunt se *honorem habentes* regi: tunc auscultavit rex eis.

18 Ita derelinquentes domum Jehovæ Dei majorum suorum, coluerunt lucos & idola: fuitq; fervens ira contra Jehudam & Jeruschalaima propter reatum illorum hunc.

19 Quum misisset ad eos Prophetas, ad revocandum eos ad Jehovam, isq; contestantibus contra eos non præbuissent aurem.

20 Quin imo quum spiritu Dei induente Zecarjam filii Jehojadahi sacerdotis ipsius, [11] constitisset [e] in editiori loco in populo, dixissétque eis, sic ait Deus, quare transgredimini præcepta Jehovæ, ut non prosperemini? quia dereliquistis Jehovam, vicissim dereliquit vos:

21 Conjurantes contra eum, obruerunt eum lapidibus ex præcepto regis, in atrio domus Jehovæ.

22 (Non enim recordabatur Joasch rex illius benignitatis quam exercuerat Jehojadah pater ejus erga se, quum interficeret filium ejus) qui quum moreretur dixit, videbit Jehova, & requiret.

23 Fuit ergo volvente anno, ascendentibus contra eum copiis Syriæ, ut invaderent Jehudam & Jeruschalaima perdiderunt omnes populi principes de populo, & omnem prædam eorum miserunt ad regem Damasci.

24 Quamvis [f] paucis hominibus venissent

copiæ

Margin notes:

[c] Heb. laudantium.

[d] Heb. notum facieband ad laudandum.

3 id est, Jehovam, de quo vers. 14.

[e] Heb. in manu sacerdotum Leviticorum.

[f] Heb. manus.

4 sive cursorum, id est, maximam portam regiæ, quam cursores & satellites regis solebant observare.

1 2. Reg. 12.

[a] Heb. esset cum animo Joaschi renovare.

2 Vide annotata Exod. 30. 12.

3 id est, quasi est usus Moschis peccata Menaschis 2. Reg. 24. & iniquitas patrum, Exod. 34. 7. & signum Jonæ, Matth. 12. 39. contradictio Gore & error Balaam, in epist. Judæ, aliaq; plurima μετωνυμικῶς quasi eadem essent eodem modo appellantur.

3 quasi dicat, quemadmodum ille extra ordinẽ collegit, quæ ad structuram tabernaculi requirebantur: ita nunc quæ ad templi instaurationem opus sunt, a nobis procurari & a populo conferri conveniat.

[b] Heb. ediderunt vocem.

4 id est, qualis fuit collecta Moschis, ut sup. v. 6. nam diversam fuisse vel ex eo apparet, quòd illic capitatio virirum & certa summa imperatur: hic verò libera cujusque oblatio in arcam conjicitur: atque ideò magis comparanda esset cum illa Moschis, de qua Exod. 25.

5 Levita, cui hoc committebatur.

6 nam his ambobus commissa erat a Rege & summo sacerdote quæstura istius ærarii.

[c] Heb. in multitudinem.

[d] Heb. ascendit sanitas isti operi: metaphora, ut 2. Chron. 11. 8. & Nechem 4. 7.

7 i. cultum Dei in domo ejus exercuerunt: synecdoche.

8 instaurando cultum ejus.

9 Davidis, recuperando illi regnum.

10 i. blanditiis ita eum demulserunt, ut animum illius divini cultus alioquin studiosum frangerent, & regiæ auctoritatis specie omnia pro libidine administrarent, etiam in causis religionis.

11 id est, ex editiore loco orationem habuisset.

[e] Heb. de super populo.

[f] Heb. in paucitate hominum.

copiæ Syriæ, tamen Jehova tradidit in manum eorum copias [g] numerosas valdè, quia dereliquerant Jehovam Deum majorum suorum: ità in Joaschum exercuerunt [12] judicia.

25 Quum autem [13] discessissent ab eo, nam reliquerant eum in morbis gravissimis *versantem*, conjurârunt inter se contra eum servi ejus propter cædes [14] filiorum Jehojadahi sacerdotis, & interfecerunt eum in lecto ipsius, ita mortuus est: sepeliveruntque eum in civitate Davidis, sed non sepeliverunt eum in sepulcris regum.

26 Atque hi *sunt* qui conjurârunt inter se contra eum; Zabad filius Schimhathæ Hammonitidis, & Jehozabad filius Schimrithæ Moabitidis.

27 Filii autem ejus, & magnitudo oneris impositi ei, & fundatio domus Dei, ecce sunt scripta [15] in commentario libri regum: regnavitque Amatzja filius ejus pro eo.

g Heb. in multitudine.
12 Dei, de quibus 2.Reg.12.19. & infrà ver.27.
13 putà copiæ illæ militares Syriæ.
14 id est, filii, indefinitè dictum: ut Gen.46.7. nisi quis fortè alios præterea ejusdem Jehojadahi filios morti fuisse traditos eadem tyrannide existimet.
15 id est, in 2.Reg. 12. ubi tributum Joascho a Chazaële impositum describitur.

CAPUT XXV.

Amatzja principio Dei cultum amplexus conductas Jisraëlitarum copias dimittit, & insignem contra Edomæos victoriam consequitur: qua elatus a Deo deficit, & ab Jisraëlitis funditur, capitur, mulctaque gravi afficitur. Posteà subditis conjuratis pellitur, & morti traditur.

Natus vigintiquinque [1] annos regnare cœpit Amatzja, & vigintinovem annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Jehohaddan e Jeruschalaimis.

1 2.Reg.14.

2 Fecitque quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ; sed non [a] animo integro.

a Heb. corde.

3 Fuit autem quum confirmatum esset regnum penes ipsum, ut interficeret servos suos, qui percusserant regem patrem suum:

4 Filios verò eorum non affecit morte: sed *fecit* sicut scriptum *est* in lege, in libro Moschis, præcepisse Jehovam dicendo, ne moriuntor patres pro filiis, & filii ne moriuntor pro patribus, sed quisque propter peccatum suum moriuntor.

5 Præterea Amatzja congregatis Jehudæis, constituit eos per familias paternas chiliarchos, & centuriones in toto Jehuda & Binjamine: & recensens eos a nato viginti annos & deinceps, invenit eorum trecenta millia delectorum, *aptorum* ad prodeundum in militiam, prehendentium [2] spiculum aut clypeum.

2 vide sup.11.12.

6 Insuper mercede conduxit ex Jisraëlitis, centies mille valentes robore, centum talentis argenti.

7 Quare vir Dei venit ad eum dicendo, ô rex, ne venito tecum exercitus Jisraëlitarum; non enim *est* Jehova cum Jisraëlitis, ullo Ephrajimitarum.

8 Sed procede tu, age, confirma te ad hoc bellum: facturus esset Deus ut impingas coram hoste, nam *est* vis in Deo ad auxiliandum, & ad faciendum ut impingas.

9 Dicente verò Amatzja viro Dei, quid ergo faciendum centum talentis, quæ dedi turmæ Jisraëlitarum? dixit vir Dei, est Jehovæ dare tibi amplius eo.

10 Separavit itaque eos Amatzja, nempe turmam illam quæ venerat ad ipsum ex Ephrajimo, ut abirent in locum suum: quapropter accensa est ira ipsorum valdè contra Jehudam, & reverterbantur in locum suum [b] accensi ira.

11 Intereà Amatzja confirmans se deduxit populum suum, & abiit in vallem salis, ubi percussit filiorum Sehiris decem millia.

12 Et decem millia virorum captivos abducentes Jehudæi, duxerunt ad fastigium [3] Petræ: & dejecerunt eos e fastigio Petræ, ita ut omnes disrumperentur.

b Heb. in accensione iræ: ut Exod.11.8.
3 i. ad summum civitatis primariæ in Arabia Petræa, quæ ab eo Petra dicitur: quam occupasse in hac expeditione legimus, 2.Reg.14.7.

13 [c] Turmarii verò illi quos remiserat Amatzja ne procederent secum in bellum, tunc irruerunt in civitates Jehudæ [3] a Schomrone Beth-Choronem usque; & percutientes ex eis tria millia, diripuerunt direptione magna.

c Heb. filii turmæ.
3 i. per totam latitudinem regionis Jehudæ, Jisraëlitarum regno conterminam.

14 Fuit autem postquam rediisset Amatzja a percutiendo Edomæos, ut adducens deos filiorum Sehiris, constitueret illos sibi deos; & coram illis incurvaret se, atque adoleret illis.

15 Quam ob rem accensus ira Jehova in Amatzjam: misit ad eum prophetam qui diceret ei, cur quæris deos istius populi, qui non eripuerunt populum suum e manu tua?

16 Fuit autem quum alloqueretur ipsum, ut diceret illi *rex*, an consiliarium regi tradiderunt te? [d] desiste, quare [4] percuterent te? itaque destitit propheta, dicens, [5] agnosco Deum iniisse consilium de perdendo te, quandoquidem facis hoc, ac non ausculas consilio meo.

d Heb. desiste tibi pleonasmus usitatus: vide Gen. 12.33.
4 i. ne committas nimis loquendo, ut irruant in te.
5 vide simile, 1.Reg.12.19.

17 Tunc inito consilio Amatzja rex Jehudæ, misit ad Joaschum filium Jehoachazi filii Jehu regem Jisraëlis, qui dicerent; age, videamus alter faciem alterius.

18 Misit verò Joasch rex Jisraëlis ad Amatzjam regem Jehudæ, qui dicerent; quædam spina quæ in Libano *erat*, misit ad cedrum quæ *erat* in Libano ad dicendum, da filiam tuam filio meo in uxorem: intereà præteriens bestia agrestis quæ in Libano *erat*, conculcavit spinam illam.

19 [e] Cogitasti, ecce percussisti Edomæos, ideò extulit te animus tuus ut tibi arroges gloriam: nunc conside domi tuæ, quare misceres bellum malo tuo, ut cadas tu & Jehuda tecum?

e Heb. dixisti: ut Exod.2.14.

20 Sed non auscultavit Amatzja, quia a Deo id erat, ut traderet eos in manum *hostium*, eo quòd quæsivissent deos Edomæorum.

21 Et ascendente Joascho rege Jisraëlis, viderunt alter faciem alterius, ipse & Amatzja rex Jehudæ; apud Beth-Schemeschum quod *est* Jehudæ.

22 Plaga autem affectus est Jehuda coram Jisraële, ita ut fugerent quisque in tentoria sua.

23 Amatzjam verò regem Jehudæ filium Joaschi, filii Jehoachazi prehendit Joasch rex Jisraëlis apud Beth-Schemeschum: deinde adducens eum Jeruschalaima, perrupit in muro Jeruschalaimorum a porta Ephrajimi usque ad portam angularem, quadringentos cubitos.

24 Denique toto auro & argento omnibusque vasis quæ inventa sunt in domo Dei penes [6] Hobed Edomum, & thesauris domus regiæ obsidibusque *acceptis*, reversus est Schomronem.

6 id est, posteros Hobed-Edomi, janitores & thesaurorum sacrorum custodes, 1.Chron.26.15.

25 Vixit verò Amatzja filius Joaschi rex Jehudæ, post mortem Joaschi filii Jehoachazi regis Jisraëlis, quindecim annis.

26 Reliquæ autem res Amatzjæ [7] priores & posteriores; nónne ecce sunt scriptæ in libro regum Jehudæ & Jisraëlis?

7 vide 1.Chron. 29.28.

27 Nam ex quo tempore recessit Amatzja [f] a sequendo Jehova, quum fecissent contra eum conspirationem Jeruschalaimis, fugit Lachischum: quare ob eam miserunt post eum Lachischum, ubi morte affecerunt eum.

f Heb. a post Jehovam, [illegible]

28 Inde deportaverunt eum equis; & sepeliverunt eum cum patribus ejus in [8] civitate Jehudæ.

8 i. metropoli regni.

CAPUT XXVI.

Hizzijja diu pius ac fidelis divino præsidio fæliciter, & vicinos hostes subjicit, & regnum confirmat: deinde sacrorum sacerdotalium invadens lepra percutitur, & hominum consortio exclusus filio regni administrationem.

Tum

[a] 2.Reg.14.21.

TUm [a]assumetes totus populus Jehudæ Huzzijam, qui erat natus sexdecim annos; constituerunt eum regem pro patre ejus Amatzja.

2 Ipse ædificavit Elotham, quam recuperaverat Jehudæ; postquam occubuisset rex cum patribus suis.

[b] 2.Reg.15.2.

3 [b]Natus sexdecim annos Huzzija quum regnare inciperet, quinquaginta duobus annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Jecolja e Jeruschalaimis.

4 Fecitque quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ; [1] omnino prout fecerat Amatzja pater ejus.

5 Fuit enim *intentus* quærendo Deo diebus Zecarjæ, informantis [2] in rebus pertinentibus ad timorem Dei: & quibus diebus quæsivit Jehovam, secundavit eum Deus.

6 Nam procedens oppugnavit Pelischthæos, & perrupit murum Gathi, & murum Jabnes, & murum Aschdodi; ædificavitque civitates in Schdodæa, & in Pelischthæorum *regione:*

7 Et auxiliatus est ei Deus contra Pelischthæos, & contra Arabas qui habitabant [a] in Guris planitie, & [b] indigenas.

8 Dederunt quoq; Hammonitæ munus Huzzijæ; adeò ut abiret nomen ejus usq; ad ingressum Ægypti, quia confirmabat se [c] summè.

9 Nam ædificavit Huzzija turres Jeruschalaimis ad portam anguli, & ad portam vallis, & ad [3] Miktzoham; & [4] firmavit eas.

10 Ædificavit etiam turres in [5] deserto, & fodit cisternas multas tam in depresso loco quàm in planitie, eo quod pecoris multum esset ipsi: & agricolæ ac vinitores in montibus, & in arvis, nam [d] amator agriculturæ erat.

[1] i. non animo integro, ut ille: sup.25.2.
[2] Hebr. in timoribus Dei: sic enim habetur in antiquo manuscripto exemplari emendatissimo Bibliothecæ Illustrissimi Principis electoris Palatini: & sic legit Rabbi Schelomo antiquissimus in suis commentariis.
[a] i. omnes finitimos, e quibus Pelischthæi regno Jehudæ ab occidente erant: Arabes a meridie: Hammonitæ ab oriente: Indigenæ verò ubique sparsi, de quibus Judicum 10. 12.
[b] vel Mahonitas.
[c] Heb. usque sursum.
[3] vide Nechem. 3.19.
[4] præsidiis & munitionibus.
[5] Arabiæ, quod pascuosum erat.
[d] Heb. terra.
[e] Heb. per manum.

11 Erant autem Huzzijæ copiæ gerentium bellum, aptorum ad prodeundum in militiam turmatim pro numero recensionis eorum, *factæ* [e] per Jehielem scribam & Mahasejam moderatorem; commissæ manui Chananjæ ex principibus regis.

12 Totus numerus primorum paternarum *familiarum* inter valentes robore, bis mille sexcentorum:

13 Quorum manui commissi copiarum militarium ter centies septies mille quingenti, gerentes bellum virtute militari; ad auxiliandum regi contra hostem.

14 Quibus paravit Huzzija pro toto exercitu scuta & spicula, galeasque, & loricas, & arcus; usque ad lapides fundarum.

15 Fecit præterea Jeruschalaimis [f] machinas ingeniosissimè excogitatas, ut essent super turres & super angulos, ad jaculandum sagittis & lapidibus magnis: exivitque nomen ejus usque in longinquum, quia [g] [6] mirificè adjuvabatur, usquedum confirmatus esset.

[f] Heb. excogitata excogitatione excogitantis.
[g] Heb. mirificabat adjuvari.
[6] a Deo, ut docet v.7.

16 Sed ubi confirmatus est, extulit se animus ejus usque adeò ut se corrumperet, & prævaricaretur contra Jehovam Deum suum: ingressus enim est in templum Jehovæ, ut adoleret super altare suffitus.

17 Ingressus verò post eum Hazarja sacerdos, & cum eo sacerdotes Jehovæ octoginta robusti:

18 Obstiterunt Huzzijæ regi dicentes ei, [7] non *est* tuum, ô Huzzija, adolere Jehovæ, sed Sacerdotum filiorum Aharonis qui consecrati sunt ad adolendum: exi e sanctuario, nam prævaricatus es, neque futurum est tibi gloriæ a Jehova Deo.

[7] vide Exodi 30. 7. & seq.

19 Tum indignatus est Huzzija, habens in manu sua suffimentum ad adolendum: quumque indignaretur contra Sacerdotes, lepra exorta est in fronte ejus coram ipsis Sacerdotibus in domo Jehovæ [h], [8] ab altari suffitus.

[h] Heb. de super altare.
[8] id est, a Deo præsentiam suam in altari testante, & ex eo lepram aspectabili signo ejaculante: synecdoche.

20 Respiciens itaque ad eum Hazarja Sacerdos primarius cum omnibus reliquis Sacerdotibus, quòd ecce esset leprosus in fronte sua, deturbaverunt eum inde: etiámque ipse impellebatur ad exeundum, quia plaga afficiebat eum Jehova.

21 Sic fuit Huzzija rex leprosus usque ad diem mortis suæ, habitans in domo [i] semota leprosus, quum abscissus esset a domo Jehovæ: intereà Jotham filius ejus præerat domui regis, judicans populum terræ.

[i] Heb. libera, ut 2.Reg.15.5.

22 Reliquas autem res Huzzijæ priores & posteriores, [9] scripsit Jeschahja filius Amotzi propheta.

23 Tandem occumbente Huzzija cum patribus suis, sepeliêrunt eum cum patribus ejus in [10] agro sepulcrali qui *erat* regum, dicebant enim leprosus est: & regnavit Jotham filius ejus pro eo.

[9] tum in libro secundo regum, tum in libro prophetiæ suæ.
[10] i. in eodem agro: sed seorsim a cadaveribus aliorum regum.

CAPUT XXVII.

Jotham regnum benè & fæliciter administrat, & Hammonitas reddit tributarios.

[a] 2.Reg.15.33.

NAtus [a]vigintiquinque annos Jotham quum regnare inciperet, sexdecim annis regnavit Jeruschalaimis: cujus matri nomen Jeruscha filia Tzadoki.

2 Et fecit quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ, omnino prout fecerat Huzzija pater ipsius, tantummodò non est ingressus templum Jehovæ: sed adhuc populus corrumpebant *se*.

3 Hic ædificavit portam domus Jehovæ supremam; & in [1] muro clivi ædificavit [a] plurimùm.

4 Civitates etiam ædificavit in montanis Jehudæ; & in saltibus ædificavit palatia & turres.

5 Hic etiam pugnans contra regem Hammonitarum prævaluit eis; ita ut darent ei Hammonitæ anno illo centum talenta argenti, & decies mille [2] coros tritici, similiter hordei decies mille: hoc rependerunt ei Hammonitæ etiam anno secundo & tertio.

6 Itaque confirmavit se Jotham; quia comparaverat [3] vias suas coram Jehova Deo suo.

7 Reliquæ autem res Jothami, & omnia [4] bella ejus, viæque ejus; ecce sunt scriptæ in libro regum Jisraëlis & Jehudæ.

8 Natus vigintiquinque annos erat quum regnare inciperet: & sexdecim annis regnaverat Jeruschalaimis:

9 Quando occubuit Jotham cum patribus suis, & sepeliverunt eum in civitate Davidis: ita regnavit Achaz filius ejus pro eo.

[1] i. editioris partis Jeruschalaimorum post templum ad occidentem siti, inter Gichonem torrentem & portam piscium, de quo infrà 33.15. & Nechem.3.26. & 27. Item 11. 21.
[a] Heb. in multitudinem.
[2] vide 1.Reg.4. 22.
[3] i. consilia, actiones, vitamque suam.
[4] ei illata a rege Syriæ & Jisraëlitarum: de quibus 2.Reg.15.37.

CAPUT XXVIII.

Achaz impius a rege Syriæ & Jisraëlitis (a quibus pietatis & charitatis exemplum Achazo exhibuit Deus) Edomæis & Pelischthæis pressus ad Assyrium recurrit; a quo afflictus Achaz in graviorem idololatriam delabitur: & Jechizkija filius succedit.

[a] 2.Reg.16.2.

NAtus [a]viginti annos Achaz quum ille regnare inciperet, sexdedim annis regnavit Jeruschalaimis: sed non fecit quod rectum *videtur* in oculis Jehovæ, sicut David pater ipsius.

2 Ambulavit enim in viis regum Jisraëlis; atque etiam [a] fusiles *imagines* fecit Bahalimis.

3 Prætereà ipse adolevit in [1] valle filii Hinnomi: & arsit filios suos igne, secundùm [2] abominationes gentium quas expulerat Jehova a facie Jisraëlitarum.

[a] Heb. fusiones.
[1] vide Jehosch. 15.8.
[2] Levitici 18.21, & 20.2.

4 Et sacrificabat studiosè, adolebatq; in ex-
celsis, & in collibus; & sub omni arbore virente.
5 Quam ob rem tradidit eum Jehova Deus
ejus in manum regis Syrorum; qui percutientes
eum captivam abduxerunt ab eo multitudinem
magnam, quam deduxerunt in Darmascum: e-
tiámque in manum regis Jisraëlitarum traditus
est, ita ut percuteret eum percussione magna.
6 Interfecit enim Pekach filius Remaljæ ex
Jehudæis centies vicies mille die uno, omnes [b] ro-
bustos; eo quòd dereliquissent Jehovam Deum
majorum suorum.
7 Interfecit quoque Zicri potens Ephrajimi-
ta Mahasejam filium regis, & Hazrikamum ante-
cessorem domus ejus; atque Elkanam secundum
a rege.
8 Itaque captivos ducebant Jisraëlitæ e cog-
natis suis ducenta millia mulierum, puerorum &
puellarum, ac etiam prædam multam diripue-
rant ex eis: deducebantq; ista spolia in Schom-
ronem:
9 Quum ibi existens propheta Jehovæ Ho-
ded nomine; prodiit ante exercitum illum qui
veniebat in Schomronem, ac dixit eis, ecce prop-
ter iram Jehovę Dei majorum vestrorum æstuan-
tem contra Jehudæos, tradidit eos in manum ve-
stram: & interfecistis ex eis [3] cum indignatione
quæ [4] ad cælos usque pertigit.
10 Et nunc filios Jehudæ & Jeruschalaimo-
rum cogitatis subjicere ut sint servi & ancillæ vo-
bis! [5] annon penes vos, vos *inquam sunt* duntaxat
reatus contra Jehovam Deum vestrum?
11 Quare nunc auscultate mihi, & restituite
hanc captivorum multitudinem, quam abducitis
captivam a fratribus vestris: nam æstus iræ Jeho-
væ *exundaret* in vos.
12 Tunc surgentes homines e primoribus E-
phrajimitarum, Hazarja filius Jehochananis, Be-
recja filius Meschillemothi, & Jechizkija filius
Schallumi, & Hamasa filius Chadlai; adversus ve-
nientes ab illa militia:
13 Dixerunt eis, non estis adducturi hanc
captivorum multitudinem huc, quia in [c] reatum
gravissimum cederet nobis [6] *quod* vos dicitis, su-
peraddendo peccatis nostris & reatui nostro: quia
magnus reatus incumbit nobis, & æstus iræ con-
tra Jisraëlem.
14 Ita dereliquit expeditus quisque multitudi-
nem illam captivam & prædam suam, ante istos
principes & totam congregationem.
15 Et surgentes homines quidam qui expressi
fuerant [d] nominatim, prehenderunt multitudinem
illam captivam, & omnes nudos eorum induerunt
ex ipsa præda; quumq; induissent & calceassent,
cibumq; & potum dedissent atque unxissent eos,
deduxerunt asinis quemque labantem eorum, ad-
duxeruntq; eos Jerichuntem, *in* civitatem palma-
rum, juxta fratres eorum: deinde reversi sunt in
Schomronem.
16 Tempore illo misit rex Achaz ad reges As-
syriæ, ut auxiliarentur sibi.
17 Nam adhuc Edomæi venientes; percusse-
rant Jehudam, & abduxerant captivos.
18 Pelischthæi quoque irruerant in civitates
depressi agri & meridianas Jehudæ; ceperantq;
Beth-Schemeschum, & Ajalonem, & Gedero-
thas, & Socuntem ac villas ejus, Thimnamq; &
villas ejus, Gimzuntem ac villas ejus; & habita-
bant illic.
19 Deprimebat enim Jehova Jehudam prop-
ter Achazum regem Jisraëlis; quia abstraxerat
Jehudam, ut [e] omnino prævaricaretur contra Je-
hovam,
20 Veniens itaque ad eum Thilgath Pilneeser
rex Assyriæ; angustia affecit eum, non autem con-
firmavit eum.
21 Nam [f] accipiens Achaz partem ex domo
Jehovæ & domo regis ac principum; dedit regi
Assyriæ, nec tamen fuit auxilio ei.
22 Quocunque autem tempore angustia affi-
ciebat ipsum *Jehova*, pergebat prævaricari contra
Jehovam: idem *erat* rex Achaz.
23 Sacrificavit enim diis Darmascenorum
[7] percutientium ipsum; dicens, quia dii regum
Syriæ sunt auxilio eis, illis sacrificaturus sum ut
auxilientur mihi: at illi fuerunt *obices* [g] in quos
impingeret, ipsi & toti Jisraëli.
24 [8] Adeò ut congregans Achaz instrumenta
domus Dei, truncaret instrumenta domus Dei, &
occluderet fores domus Jehovæ; faceretque sibi
altaria in unoquoque angulo Jeruschalaimis:
25 Etiam in singulis civitatibus Jehudæ face-
ret excelsa ad adolendum diis alienis: ita provo-
cavit Jehovam Deum majorum suorum.
26 Reliquæ autem res ejus, & omnes viæ ejus
[9] priores & posteriores; ecce sunt scriptæ in libro
regum Jehudæ & Jisraëlis.
27 Denique quum occubuisset Achaz cum
patribus suis, sepeliverunt eum in ipsa civitate,
Jeruschalaimis, non enim intulerunt eum in [10] se-
pulcra regum Jisraëlis: regnavitq; Jechizkija fi-
lius ejus pro eo.

b Heb. filios roboris.
3 i. veterum simultatum & bellorum inde a divisione regni gestorum nomine exacerbati.
4 i. summa est sævitia quam exercuistis, & animus infensissimus: hyperbole, ut Gen. 11.4.
5 q.d. nonne consciii vobis estis, vos aliis peccatis vestris reos jam peractos esse coram Deo, quod illa hoc novo scelere cumulatis?
c Heb. reatum Jehovæ, id est, maximum: solet enim quicquid gravissimum & maximum est, exprimi adjuncto aliquo nomine Dei: ut Gen. 30.8. & Jerm. 2.30.
6 id est, cogitatis de fratribus vestris in servitutem trahendis.
d Heb. nominibus.
e Heb. prævaricando prævaricaretur.
f Heb. partitus esset.
7 i. quum a Retzine superatus esset, sup. v. 5. & 2. Reg. 16.5. & 6.
g Heb. ad impingere faciendum eum.
8 postquam rex Assyriæ eum invasisset, 2. Reg. 16.10.
9 i. ante immissas a Deo calamitates & post, a principio ad finem, ut 1. Chro. 29.28.
10 quæ erant in arce Davidis.

CAPUT XXIX.

Jechizkija rex constitutus, illicò Dei cultum restituit: Sacerdotibus imperat ipsorum sanctificationem, templiq; purgationem: in quo deinde cum populo per Sacerdotes & Levitas multas oblationes magna cum letitia offert.

JEchizkija [a] regnare cœpit natus vigintiquinque
annos, & vigintinovem annis regnavit Jeru-
schalaimis: cujus matri nomen Abija filia Ze-
carjæ.
2 Et fecit quod rectum *videtur* in oculis Je-
hovæ; omnino prout fecerat David pater ejus.
3 Hic ipso anno primo regni sui, mense pri-
mo, aperuit fores [1] domus Jehovæ, & confirma-
vit ipsos *Sacerdotes*:
4 Jussit enim convenire Sacerdotes & Le-
vitas, & congregavit eos in [2] plateam orienta-
lem:
5 Ac dixit eis, auscultate mihi, ô Levitæ!
jam sanctificate vos, & sanctificate domum Jeho-
væ Dei majorum vestrorum, & efferte [a] [3] quod se-
parandum est e sancto.
6 Nam prævaricati sunt patres nostri, &
facientes quod malum *videtur* in oculis Dei
nostri dereliquerunt eum, & [4] avertentes faciem
suam a tabernaculo Jehovæ opposuerunt cervi-
cem:
7 Etiam occluserunt fores porticus, exstinxe-
runtq; lucernas, & suffitum non adoleverunt: de-
niq; holocaustum non obtulerunt in sancto, Deo
Jisraëlis.
8 Quamobrem fuit fervens ira Jehovæ con-
tra Jehudam & Jeruschalaima; adeò ut tradiderit
eos commotioni, desolationi & sibilo, [5] quemad-
modum videtis oculis vestris.
9 Nam ecce [6] ceciderunt patres nostri gladio;
& filii nostri, filiæq; nostræ, ac uxores nostræ in
captivitate *fuerunt* propter illud.
10 Nunc *est* [b] mihi in animo pangendi fœdus
cum Jehova Deo Jisraëlis, ut avertat se a nobis æ-
stus iræ ejus,

a 2. Reg. 18.2.
1 i. porticus & totius domus, quas occluserat pater, sup. 28.24. & infrà v. 7.
2 i. ante præcipuam atrii portam.
a Heb. separationem: metonym.
3 i. quæ sunt impura, aut ad prophanum cultum invecta.
4 allegoricus orationis modus perelegans, ad significandum turpem & contumacem aversationem & repudiationem reiectatæ: quam servavit Jirmeja 2. 26. & 18.27. & 32.33.
5 vos jam aliquot annis a Syris, Jisraëlitis, Edomæis, Pelischthæis & Assyriis oppressis.
6 sup. 28.6. & seq.
b He. cum corde meo.

11 Filii mei, nunc [7] ne erretis; vos enim elegit Jehova, ut stantes coram ipso ministretis ipsi, & ut sitis ipsi ministrantes & adolentes.

12 Tum surgentes hi Levitæ, Machath filius Hamasai, & Joël filius Hazarjæ e posteris Kehathitarum; ex Meraritis verò Kisch filius Habdi, & Hazarja filius Jehallelelis: atque e Gerschonitis Joach filius Zimmæ, & Heden filius Joachi:

13 Et e filiis [8] Elitzaphanis, Schimri & Jehiel; ac e filiis Asaphi, Zecarja, & Matthanja:

14 E filiis quoque Hemanis, Jechiel & Schimhi; & e filiis Jeduthunis, Schemahja & Huzziel:

15 Congregârunt cognatos suos & sanctificaverunt se, veneruntque secundùm præceptum regis ex verbis Jehovæ; ad purgandum domum Jehovæ.

16 Nam ingressi Sacerdotes in interiorem partem domus Jehovæ ad purgandum; extulerunt omnem immunditiem, quam invenerant in templo Jehovæ, in atrium domus Jehovæ: recipiebant verò Levitæ exportandam in torrentem Kidronis foras.

17 Cœperant autem [9] primo *die* mensis primi sanctificare; & die octavo ejusdem mensis ingressi porticum Jehovæ, sanctificaverunt domum Jehovæ diebus octo: ita ut die sextodecimo mensis primi absolverint.

18 Tum [10] venientes intrò ad Jechizkijam regem, dixerunt, purgavimus totam domum Jehovæ; & altare holocausti cum omnibus instrumentis ejus, & mensam dispositionis cum omnibus instrumentis ejus:

19 Denique omnia instrumenta illa quæ abjecerat rex Achaz quum regnaret prævaricatione sua, comparavimus & sanctificavimus; ecce autem sunt ante altare Jehovæ.

20 Itaque manè surgens Jechizkija rex, congregavit præfectos civitati; & ascendit in domum Jehovæ.

21 [11] Qúmque adduxissent juvencos [12] septem, & arietes septem, agnósque septem, & hircos lactentes septem in peccatum pro regno, & pro [13] sanctuario, ac pro Jehuda: edixit filiis Aharonis Sacerdotibus, ut offerrent in altari Jehovæ.

22 Tum jugulârunt boves, & accipientes Sacerdotes illorum sanguinem [14] insperserunt in ipsum altare: similiter jugulantes arietes insperserunt illorum sanguinem in altare, & jugulantes agnos insperserunt illorum sanguinem in altare.

23 Postremò admoverunt hircos peccati ante regem, & congregationem; qui manibus suis [15] nixi sunt eis.

24 Jugulantésque eos Sacerdotes expiaverunt sanguine eorum in altari, ad expiationem faciendam pro toto Jisraële: quia toti Jisraëli indixerat rex holocaustum & peccatum illud.

25 Restituerat autem Levitas *in* domo Jehovæ cum cymbalis, cum nabliis, & cum citharis, [16] [f] ex præcepto Davidis, & Gadis videntis regii, & Nathanis prophetæ: nam a Jehova præceptum illud erat per prophetas ejus.

26 Itaque adstantibus Levitis cum instrumentis Davidis; sacerdotibus verò [17] cum tubis:

27 Edixit Chizkija ut offerrent holocaustum in altari: & quo tempore cœpit holocaustum, cœpit musica Jehovæ cum ipsis tubis, idq; cum [c] canticis traditis *&* instrumentis Davidis regis Jisraëlis.

28 Intereà tota congregatio incurvabant sese, quum musici canerent & tubicines tubis clangerent: omnia hæc, usquedum absolutum esset holocaustum.

29 Quum autem absolvissent offerre; procidentes rex, & omnes qui præsentes erant cum eo, incurvaverunt se *adorantes*:

30 Edixitq; Jechizkija rex & principes Levitis, ut laudarent Jehovam verbis Davidis & Asaphi videntis: qui cum laudâssent, dum agitaretur lætitia illa, inclinato vertice incurvaverunt se *honorem exhibentes*.

31 Tunc loquutus Jechizkija dixit, jam [d] consecrâstis ministerium vestrum Jehovæ, [18] accedite & adducite sacrificia & eucharistica in domum Jehovæ: adduxerunt itaque congregatio illa sacrificia & eucharistica, & omnis voluntarius [e] animo holocausta.

32 Adeò ut esset numerus holocaustorum, quæ adduxerunt congregatio; boum septuaginta, arietum centum, agnorum ducentorum: ad holocaustum Jehovæ omnia hæc:

33 [19] Aliorum autem consecratorum; boum sexcentorum, & pecudum ter mille.

34 Verumtamen Sacerdotes erant pauciores, neque poterant [20] nudare *pelle* omnia illa holocausta: quare [21] confirmârunt eos cognati eorum Levitæ, donec absolutum esset illud opus, & donec sanctificâssent se reliqui Sacerdotes, nam Levitæ rectiores *fuerant* animo ad sanctificandum se Sacerdotibus.

35 Nam etiam imponendum erat copiosè de adipibus eucharisticorũ, & de libaminibus [22] præter illa holocausta: ita constitutus est cultus domus Jehovæ.

36 Lætatusq; est Jechizkija totusq; populus, de eo quod restituerat Deus populo: [23] nam repentè fuerat hæc res.

CAPUT XXX.

Jechizkija Judæis & Jisraëlitis indicit Pascha in mensem secundum: in quo celebrando Levitæ immundorum vicibus funguntur: pro quibus oratione habita Deus conciliationem suam testatus est. Deinde feriæ conceptivæ habentur, ad professionem grati erga Deum animi.

DEinde misit Jechizkija per totum Jisraëlem & Jehudam, & etiam fasciculos literarum scripsit ad Ephrajimitas & Menaschitas, ut venirent in domum Jehovæ, Jeruschalaima, ad celebrandum Pascha Jehovæ Deo Jisraëlis.

2 Nam inierat consilium rex & principes ejus cum tota congregatione Jeruschalaimis; de celebrando Paschate [1] mense secundo:

3 Non enim potuerant celebrare illud tempore [2] eodem: quum Sacerdotes non sanctificâssent se ad [3] sufficientem numerum, & populus nõ congregâssent se Jeruschalaima.

4 Qumq; recta videretur hæc res in oculis regis; & in oculis totius congregationis illius:

5 Constituerant rem *hanc* ut [a] promulgarent per totum Jisraëlem a Beer-Schebaho Danem usque, ut venirent celebratum Pascha Jehovæ Deo Jisraëlis, Jeruschalaima: nam [b] jam diu non celebraverant [c] ex præscripto.

6 Abiverunt itaque cursores cum fasciculis literarum [d] a rege & principibus per totum Jisraëlem, & Jehudam, & ex præcepto regis dicebant; filii Jisraëlis, convertimini ad Jehovam Deum Abrahami, Jitzchaki & Jisraëlis, ut convertat se ad [e] reliquias, quæ reliquæ factæ sunt vobis e manu [4] regum Assyriæ:

7 Neque estote ut patres vestri, & ut fratres vestri, qui prævaricati sunt contra Jehovam Deum majorum suorum: quos tradidit desolationi, quemadmodum videtis.

8 Nunc ne obdurate cervices vestras, ut patres

[7] i. ne persteteris in errore: in quo cultum Dei, ad quem electi estis, omisistis.

[8] qui fuit princeps familiæ Kehathitarum, Numer. 3.30.

[9] i. eodem die quo rex constitutus est.

[10] in regiam.

[11] i. omnes quadrupedum species sacrificio aptas, ad consecrationem loci & personarum, ad holocaustum, pro peccatis, & ad eucharistica.

[12] ad significandam universitatem, sive totum regni corpus.

[13] ut denuò consecraretur.

[14] ex ritu Levit. 8.15. & seq.

[15] nimirum confitentes peccata sua, eaq; in oblationem suam quasi deponentes, ex lege, ibidem.

[16] ut suprà 8.26. & 1. Chro. 23.5.

[f] *1. Chron. 23. & 25.*

[17] ex mandato Dei Num. 10.10.

[c] *Heb. cum manibus: synecdoche, ut suprà 1. Chro. 6.31. & Hezra 3.10.*

[d] *Heb. implevistis manum vestram: ut Exod.* 28.41.

[18] Apostrophe ad populum.

[e] *Heb. cordes sic* v. 34.

[19] i. sacrificiorum tàm votivorum quàm voluntariorum, quæ in eucharisticis numerantur: atque etiam munerum, de quibus Levi. 2.

[20] quia occupati erant in oblationibus offerendis.

[21] i. partem muneris istorum in se receperunt, quod alioquin sacerdotum erat: Levit. 1.16.

[22] i. multa igne absumenda accedebant ad sacrificia: nam omnis adeps Jehovæ erat Levit. 3.16. ut & suffitus ex libamine.

[23] q.d. factum hoc insperatum lætitiam piorum auxit, uno momento ex illis tenebris, quas effuderat Achaz, emergentium.

[1] ex lege Num. 9.

[2] quo conventus fuerat habitus & purgatio instituta: nam illud fuisset tempus proprium Paschatis, Exodi. 12.

[3] ut superioris conventus sacrificia offerrent: nedum maximi hujus, quo totus populus Jisraëliticus ad celebrandum Pascha fuisset conventurus supr. 29.34.

[a] *Heb. transmitterent vocem.*

[b] *Heb. non per multum temporis.*

[c] *Heb. sicut scriptum est: sic inf.* 18.

[d] *Heb. a manu regis &c.*

[e] *Heb. evasionem quæ relicta est vobis.*

[4] Pulis, 2. Reg. 15.19. & 1. Chro. 5.26. & Thiglath-Pilneeseris, 2. Reg. 15.29. & sup. 28.20.

tres veſtri : [5] cedite manum Jehovæ, & ingreſſi ſanctuarium ejus, quod ſanctificavit in ſeculum, colite Jehovam Deum veſtrum, ut avertat ſe a vobis æſtus iræ ejus.

9 Nam converſis vobis ad Jehovam, fratres veſtri & filii veſtri [f] conſequentur miſericordiam coram illis, qui captivos detinent ipſos, adeò ut revertantur in terram hanc: nam gratioſus & miſericors *eſt* Jehova Deus veſter, neque avertet faciem a vobis, ſi convertamini ad ipſum.

10 Quum autem curſores illi tranſirent de civitate in civitatem per regionem Ephrajimi, & Menaſchis, ac Zebulunem uſque; deridebant eos ac ſubſannabant eos.

11 Verumtamen quidam ex Aſchere, & Menaſche, & e Zebulune; deprimentes ſe, venerunt Jeruſchalaima.

12 Etiam in Judæis erat [6] manus Dei, indens eis [g] animum unum; ad faciendum præceptum regis ac principum ex verbo Jehovæ.

13 Et congregati ſunt Jeruſchalaima populus multus ad celebrandum feſtum azymorum menſe ſecundo; congregatio [h] quamplurima.

14 Qui ſurgentes amoverunt altaria quæ erant Jeruſchalaimis; & omnes aras thurarias amoventes, projecerunt in torrentem Kidronis.

15 [ll] Deinde jugulârunt Paſcha quartodecimo *die* menſis ſecundi: quum reliqui Sacerdotes & Levitæ [7] rubore ſuffuſi ſanctificâſſent ſe, & obtulerunt holocauſta *in* domo Jehovæ.

16 Ita ſteterunt in ſtatione ſua ſecundùm officium ſuum ex lege Moſchis viri Dei; ſacerdotes ſpargentes ſanguinē *acceptum* e manu Levitarum.

17 Quia multitudo in eo cœtu *erat* qui non ſanctificaverant ſe: ideò Levitæ incumbebant [8] jugulationi Paſchatum pro omni immundo, ad ſanctificandum *ea* Jehovæ.

18 Nam magna pars illius populi, multitudo ex Ephrajimo, & Menaſche, Jiſſacare & Zebulune non mundaverant ſe quum comederēt Paſcha, ſecus quàm [9] præſcriptum eſt: ſed oravit Jechizkija pro eis dicendo, Jehova optimus [10] expiationem faciat pro *eo*;

19 [11] Quiſquis animum ſuum comparaverit ad quærendum Deum Jehovam, Deum majorum ſuorum: quamvis non *ſit* prout mundities [i] ſacra *poſtulat*.

20 Et auſcultans Jehova Jechizkijæ, [12] curavit populum.

21 Itaque celebrârunt Jiſraëlitæ qui præſentes erant Jeruſchalaimis, feſtum azymorum ſeptem diebus cum lætitia magna: laudabantq; Jehovam de die in diem Levitæ ac ſacerdotes inſtrumentis [13] *concinentibus* robur Jehovæ.

22 [14] Loquutus enim fuerat Jechizkija quæ [k] erant cordi omnibus Levitis, informantibus in intelligentia ejus quod *videtur* bonum Jehovæ: ideò comederunt ſtato illo tempore ſeptem diebus, ſacrificantes ſacrificia euchariſtica, & confitentes Jehovæ Deo majorum ſuorum.

23 Quumq; conſilium iniviſſent tota congregatio illa de celebrandis ſeptem diebus aliis; celebrârunt ſeptem dies *cum* lætitia.

24 Nam Chizkija rex Jehudæ obtulit congregationi mille juvencos, & ſepties mille pecudes; & principes obtulerunt congregationi juvencos mille, pecudeſq; decies mille: ſe verò ſanctificaverant ſacerdotes [l] [15] copioſè.

25 Ita lætati ſunt tota congregatio Jehudæ, & ſacerdotes ac Levitæ, totaq; congregatio eorum qui venerant ex Jiſraële, tàm peregrini qui venerant e terra Jiſraëlis, quàm habitantes in Jehuda.

[5] i. proſtrati, Dei opem & auxiliū implorate, ut vos miſericordia ſua erigat: ut Lamentationum 5.6.
[f] Hebr. erunt *in miſericordiam.*
[6] i. virtus & efficacia: metonym.
[g] Heb. cor: ſic V. 20.
[h] He. *in multitudinem valdè.*
[ll] *Levit. 1. & ſequentibus cap.*
[7] quòd tamdiu diſtuliſſent ſui ſanctificationem.
[8] quæ alioquin ad Sacerdotes pertinebat, ut obſervatum eſt Levitici 1.5.
[9] Levitici 7.10.
[10] i. præſtet ſpiritu ſuo, quod iſti temporis importunitate prætermiſerunt: ſic oſtendit Chizkija quid fuerit juris de eis, qui ſine fide mala, etiam ſecundo menſe impurati erant.
[11] q.d. modò qui accedent ad Paſcha, animos ſuos comparaverint: cætera ne imputet Deus.
[i] Heb. *ſanctitatis.*
[12] i. virtute ſpiritus ſui purificavit.
[13] ſ. quibus canebant Pſalmos robur Jehovæ prædicantes.
[14] antequam hæc fierent, videns Chizkija magnū populi numerum imparatum, undequaque ad celebrandum Paſcha confluere; conſilium cum Sacerdotibus & Levitis legis peritis habuerat: in quo conſtitutum eſt, ut res precibus Deo committeretur, Levitæ animos ſumerent ad officium populo præſtandū, & populum de re tota inſtituerent ex verbo Dei.
[k] Heb. *ad vel ſuper cor: vide Gen. 34.3.*
[l] Heb. *in multitudinem.*
[15] i. tanto numero, ut abundè Sacerdotum eſſet: non autem ut ſupr. verſ. 3.

26 Fuitq; lætitia magna Jeruſchalaimis: quia [16] inde a diebus Schelomonis filii Davidis regis Jiſraëlis, hujuſmodi non *fuerat* Jeruſchalaimis.

27 Denique ſurgentes ſacerdotes Levitici [17] benedixerunt populo, & exaudita eſt vox eorum: pervenit enim oratio eorum in habitaculum ſanctum illius, in cælum.

CAPUT XXXI.

Populus idololatriam convellit, & Jechizkija Sacerdotes ac Levitas in ſuis muneribus & diſtributionibus reſtituens, de cibario eorum proſpicit, revocata primitiarum decimarumq; lege.

Quum autem abſolviſſent omnia iſta, egreſſi ſunt omnes Jiſraëlitæ qui præſentes fuerant, per civitates Jehudæ; & fregerunt ſtatuas, & ſucciderunt lucos, deſtruxeruntq; excelſa ac altaria e toto Jehuda & Binjamine, etiam [1] *per* Ephrajimum & Menaſchem, uſque dum abſolviſſent: deinde reverſi ſunt omnes Jiſraëlitæ quiſque in poſſeſſionem ſuam per civitates ſuas.

2 Reſtituit verò Jechizkija diſtributiones ſacerdotum ac Levitarum per diſtributiones eorū, quemque ſecundum miniſterium ipſius, Sacerdotes & Levitas, in holocauſta & in euchariſtica; ad miniſtrandum, & ad celebrandum, atque ad laudandum in [2] portis caſtrorum Jehovæ:

3 Portionem quoque regis e facultatibus ſuis ad quæque holocauſta, ad holocauſta matutina & veſpertina, & holocauſta pro ſabbathis, ac pro noviluniis, & pro ſolennitatibus: ut [ll] præſcriptum eſt lege Jehovæ.

4 Similiter edixit populo, habitatoribus Jeruſchalaimorum, ut darent [3] portionem ſacerdotum & Levitarum; ut [4] confirmarent ſe in lege Jehovæ *exſequenda.*

5 Tum ſimulac erupit hoc verbum, [a] plurimas contulerunt Jiſraëlitæ primitias frumenti, muſti, oleiq; ac [5] palmæ, denique omnis proventus agri; decimas quoque omnium [b] copioſè attulerunt.

6 Filii quoque Jiſraëlis & Jehudæ qui habitabant in civitatibus Jehudæ; ipſi etiam decimas armenti & gregis, & decimas [c] ſacras, *id eſt*, ſacratas Jehovæ Deo ipſorum: afferentes depoſuerunt [d] acervatim.

7 [6] Menſe tertio cœperunt acervorum illorum fundamenta ponere: menſe verò [7] ſeptimo abſolverunt.

8 Quumq; venientes Jechizkija & principes vidiſſent acervos illos; benedixerunt Jehovæ & populo ejus Jiſraëli.

9 Percunctatuſq; eſt Jechizkija ſacerdotes & Levitas de illis acervis:

10 Alloquens verò eum [e] Hazarja ſacerdos primarius in familia Tzadoki; dixit, ex quo cœptum eſt iſtam oblationem afferre in domum Jehovæ comedimus & ſaturati ſumus, ac ſupereſt [f] quamplurimum, quia Jehova benedixit populo ſuo, ita ut quod ſupereſt *ſit* multitudo hæc.

11 Quapropter edixit Jechizkija, ut compararent cellas in domo Jehovæ; & comparârunt.

12 Quò inferebant oblationem illam, & decimas, & res conſecratas conſtanter: [8] præerántque illis anteceſſor Conanja Levita, & Schimhi frater ejus ſecundus ab eo:

13 Jechiel verò & Hazazja, & Nachath, & Haſaël, & Jerimoth, & Jozabad, & Eliel, & Jiſmacja, & Machath, ac Benaja; [9] præfecti *erant* ſub manu

[16] excluſivè ut vocant, id eſt, a diviſo regno non fuit celebrata tanta feſtivitas, junctis cum Jehuda Jiſraëlitis.
[17] ex lege Num. 6,23.
[1] i. partem illam quæ regi Jehudæ parebat, ſive occupatam a ſuperioribus regibus, ut ſup. 33.19. & 15.8. ſive ipſe aliqua ex cauſa ad Jehudam defeciſſet, ut tunc Jiſraëlis regnum fluctuabat, & multis motibus agitabatur: ſic infrà 34.15.
[2] i. templi, quò conveniebat populus Dei, & Dei miniſtri quaſi caſtrenſi modo erant collocati. ſimile vide Exod. 38.8. & 1. Schemuel. 2.22.
[ll] *Num. 28.*
[3] ut deſcribitur Num. 18.
[4] i. illi rei firmè incumberent, neque diſtraherentur alimenti quærendi cauſa.
[a] He. *multiplicaverunt primitias.*
[5] i. dactylorum ſive fructuum e palma: ita hoc loco vocem interpretantur Hebræi omnes uno conſenſu: nam primitiarū mellis nuſquam in lege fit mentio: & primitiæ ac decimæ tantùm imperantur ex fructibus terræ & animantibus: denique vòx ipſa Hebræa utrumque ſignificat: ex quo factum, ut Scenitæ Arabes palmam optimam appellent dabuſam; q.d. mellitam: teſte Juba apud Plinium lib. 13. natur. hiſtor. cap. 4.
[b] Heb. *in multitudinem.*
[c] Heb. *decimas ſanctitatum.*
[d] He. *acervos acervos.*
[6] ſub feſtum Pentecoſtes.
[7] quo collecta fructuum totius anni abſolvitur: unde feſtum tabernaculorum collectionis dicitur, Exod. 23.16.
[e] qui & Tzadok. 1. Chr. 6.12.
[f] He. *uſq; in multitudinem.*
[8] i. ſummi quæſtores ſacri erant, ſive ut Jureconſulti vocant, cimeliarchæ.
[9] i. curatores rationes accepti & expenſi cimeliarchis reddentes.

Conanjæ

Conanjæ & Schimħi fratris ejus, inſtitutione Jechizkijæ regis, & Hazarjæ [10] anteceſſoris domus Dei.

[10] i. ſummi ſacerdotis.

14 Kore verò filius Jimnæ Levitæ janitor verſus orientem, præerat voluntariis oblationibus Dei; ut diſtribueret oblationem Jehovæ, & res ſanctas ſanctarum.

15 [11] Ad manum autem ejus, Ħeden, & Minjamin, & Jeſchuaħ, ac Schemaħja, Amarja, & Schecanja per civitates ſacerdotum in ſtato munere; dando cognatis ſuis per diſtributiones [12] tam magno quàm parvo.

[11] i. conjuncti adminiſtri, ut foris extra Jeruſchalaima iſtas oblationes reciperent.
[12] ex Lege Deut. 18.8.

16 (Præter generis ipſorum mares, a nato tres annos & deinceps) omni ingredienti domum Jehovæ ad [g] officium diurnum; pro miniſterio eorum, in obſervationibus eorum, ſecundùm diſtributiones eorum:

[g] Hę. rem diei die ſuo.

17 Et cum recenſione generis ſacerdotum per familias paternas eorum, etiam Levitis a nato viginti annos, & deinceps; in obſervationibus eorum per diſtributiones eorum:

18 Etiam generi ipſorum in omnes parvulos eorum, uxores eorum, filioſq; eorum ac filias eorum toti congregationi: [13] quum in ſtato munere ſuo rerum ſanctarum ſanctificâſſent ſe.

[13] i. quum-primùm ad hanc functionē initiati ſunt, ut continenter, de cibariis ſacerdotum & Levitarum pro ætate ac ſexu eorum, providerēt.

19 Tum poſteris Aharonis ſacerdotibus per agros ſuburbanos civitatum eorum, in [h] unaquaque civitate *præerant* homines, qui expreſſi ſunt [14] nominibus; ad dandum portiones cuique mari inter ſacerdotes, ſimiliter ſingulis recenſitis genere inter Levitas.

[h] Heb. civitate & civitate.
[14] ſup. verſ. 15.

20 Itaque fecit talia Jechizkija in toto Jehuda: fecitq; quod bonum, & rectum, [i] ſtatumq; *videtur* cum Jehova Deo ſuo.

[i] Heb. ſtabilitatis.

21 In omni verò opere quod cœperat in miniſterio domus Dei, & in lege ac in præcepto, quærendo Deum ſuum; ex toto [k] animo ſuo exercuit ſe, & ſecundatus eſt.

[k] Heb. corde.

CAPUT XXXII.

Jechizkija adverſus Sancheribum munit Jeruſchalaima, populum confirmat: contra blaſphemias legatorum orans, divinitùs cæſis hoſtibus exauditur. Poſteà gravi morbo liberatus a Deo: beneficiis ejus per ſuperbiam abutitur; & precibus iram Dei amolitur: mortuo ſuccedit Menaſche.

POſt [ll] res iſtas & firmam conſtitutionem earum, venit Sancherib rex Aſſyriæ: & invadens Jehudam caſtra ponebat contra civitates ejus munitas, [a] cogitans illas diſcindendo ſibi adjungere.

[ll] 2. Reg. 18. 13.
[a] He. dicens diſcindere eas ad ſe.

2 Videns autem Jechizkija adveniſſe Sancheribum; & faciem ejus *obverſam eſſe* [b] ad oppugnandum Jeruſchalaima:

[b] Heb. ad bellum contra Jeruſchalaima.

3 Iniit conſilium cum principibus ſuis & dynaſtis ſuis, de obthurandis aquis fontium qui *erant* extra civitatem; & auxilio fuerunt ei.

4 Nam congregantes ſe populus multus obthurârunt omnes illos fontes, & [1] torrentem inundantem per medium regionis, dicendo; cur venientes reges Aſſyriæ invenirent aquas multas?

5 Præterea confirmans ſe, exſtruxit totum murum illum [2] perruptum, quem perduxit uſque ad [3] turres, foris verò [4] murum alterum, & confirmavit munitionem civitatem Davidis: paravitq; miſſilia [c] copioſè & ſcuta.

[1] Gichonem, de quo infrà V. 30.
[2] ſub Amatzja a Joaſcho rege Jiſraëlis, ſup. 25. 23.
[3] portæ Ephrajimi, & portæ angularis, de quibus ibidem.
[4] de quo infra 33. 14.
[c] Hebr. in multitudinem.

6 Et impoſuit præfectos militares populo: congregatiſque eis ad ſe in plateam portæ civitatis, loquutus eſt [d] quæ erant eis cordi, dicendo:

[d] Heb. ſuper cor illorum.

7 Confirmamini & fortes eſtote, ne timetote, neque conſternamini metu regis Aſſyriæ, & metu totius multitudinis quæ *eſt* cum eo: nam nobiſcum major *eſt*, quam cum eo.

8 Cum eo *eſt* brachium carneum, nobiſcum verò Jehova Deus noſter ad auxiliandum nobis & ad [e] gerendum bella noſtra: ſic innixi ſunt populus verbis Jechizkijæ regis Jehudæ.

[e] Heb. ad bellandum.

9 [l] Poſteà miſit Sancherib rex Aſſyriæ ſervos ſuos Jeruſchalaima, dum ipſe obſideret Laciſchũ & totus dominatus ejus cum ipſo; ad Jechizkijam regem Jehudæ, & ad omnes Jehudæos qui *erant* Jeruſchalaimis, ut dicerent:

[l] 2. Reg. 18, 17.

10 Sic ait Sancherib rex Aſſyriæ; cui rei confiditis, quòd deſidetis in munitione, Jeruſchalaimis?

11 Annon Jechizkija incitat vos, [f] ut exponat vos morti per famem & per ſitim, dicendo; Jehova Deus noſter eripiet nos e manu regis Aſſyriæ?

[f] Heb. ad moriendum.

12 Annon ipſe Jechizkija abſtulit excelſa ejus & altaria ejus? edixítque Jehudæ & Jeruſchalaimis dicendo, coram altari unico incurvatote vos, & in eo adoletote?

13 An neſcitis quid fecerim ego & majores mei omnibus populis terrarum? an [g] ullo modo potuerunt dii gentium terrarum eripere terram ſuam e manu mea?

[g] Heb. poſſendo potuerunt.

14 Quis fuit inter omnes deos gentium illarũ quas internecioni devoverunt majores mei, qui potuerit eripere populum ſuum e manu mea? ut poſſit Deus veſter eripere vos e manu mea?

15 Nunc itaque ne ſeducat vos Chizkija, neque incitet vos *incitatione* hujuſmodi, neque credite ei; nam non poteſt ullus Deus ullius gentis aut regni eripere populum ſuum e manu mea, ut e manu majorum meorum: [h] quantò minus dii veſtri eripient vos e manu mea?

[h] Heb. quanto magis dii veſtri non, &c.

16 Ampliùs etiam loquuti ſunt ſervi illius contra Jehovam Deum ipſum: & contra Jechizkijam ſervum ejus.

17 Etiam literas ſcripſerat ad probro afficiendum Jehovam Deum Jiſraëlis; & ad obloquendum ei dicendo, ſicut dii gentium terrarum, qui non eripuerunt populum ſuum e manu mea, ſic non eſt erupturus Deus Jechizkijæ populum ſuum e manu mea.

18 Quæ proclamabant voce magna Judaicè populo Jeruſchalaimorum qui *erat* ſuper murum, ad metum incutiendum eis, & ad [5] turbandum eos: ut caperent civitatem.

[5] i. turbatis animis rixas inter oppidanos concitandum: per quas aut deditione, aut faciliore compendio caperentur Jeruſchalaima.

19 Ita loquuti ſunt de Deo Jeruſchalaimorũ; ut de diis populorum terræ, opere manuum hominis.

20 [ll] Oravit verò Jechizkija rex, & Jeſchaħja filius Amotzi propheta propter iſta; & clamaverunt cælum *verſus*.

[ll] 2. Reg. 19.

21 Quapropter mittens Jehova angelum, exſcidit omnem valentem robore & anteceſſorem ac principem in caſtris regis Aſſyriæ: qui reverſus eſt cum pudore vultus in terram ſuam, ubi ingreſſum ædem Dei ſui, egreſſi e viſceribus ejus *filii* proſtraverunt eum gladio.

22 Ita ſervavit Jehova Jechizkijam & habitatores Jeruſchalaimorum e manu Sancheribi regis Aſſyriæ, & e manu omnium: [6] deducebâtque eos *liberatos* undequaque:

[6] i. agebat & moderabatur: tranſlatum ab exemplo paſtoris & gregis.

23 Adeò ut multi afferrent munus Jehovæ Jeruſchalaima, & res pretioſas Jechizkijæ regi Jehudæ: nam elatus erat ante oculos omnium gentium poſteà.

24 [ll] Diebus illis ægrotavit Jechizkija [h] lethaliter: quapropter oravit Jehovam, qui alloquens eum, prodigium edidit ei.

[ll] 2. Reg. 20.
[h] Heb. uſque ad moriendum.

25 At non pro beneficio erga ſe rependit Jechizkija, nam extulit ſe [i] animus ejus: quapropter fuit

[i] Heb. cor: ſic deinceps.

fuit contra eum fervens ira, & contra Jehudam ac Jeruſchalaima.

26 Sed quum ſe depreſſiſſet Jechizkija pro elatione animi ſui, ipſe & habitatores Jeruſchalaimorum; non obvenit eis fervens ira Jehovæ diebus Jechizkijæ.

27 [7] Erat enim Jechizkijæ divitiarum & honoris [k] quamplurimum: theſauroſq; comparaverat ſibi ad argentum & ad aurum, & ad lapides pretioſos, & ad aromata, & ad ſcuta, ac ad omnia inſtrumenta deſiderabilia:

7 his ſex verſibus explicantur quæ per prolepſin duobus præcedentibus dicta ſunt: cauſa, & forma elationis.
k *Heb. multum valdè.*

28 Apothecas quoque ad proventum, muſti ac olei; & [l] ſtabula ad omnia jumenta, & greges per ſtabula.

l *He. præſepia ad omne jumentum & jumentum: ſynecdoche.*

29 Civitates etiam curaverat ſibi, & poſſeſſionem gregum ac armentorum copioſè: dederat enim ei Deus facultates multas valdè.

30 Et ipſe Jechizkija obthuraverat [m] alveum aquæ Gichonis ſuperiorem, quam rectà deduxerat infernè ad occidentem civitati Davidis: denique ſecundatus fuerat Jechizkija in toto opere ſuo.

m *He. exitum: metonymia.*

31 Itaque *agentem* cum oratoribus principum Babyloniæ, qui miſerant ad eum ut inquirerent de prodigio illo quod fuerat in terra, [8] dereliquit eum Deus: tentando eum, ut [9] experiretur quicquid erat ei in animo.

8 i. ſivit eum agere ex affectu ſuo.
9 vide Deut. 8. 2.

32 Reliquæ autem res Jechizkijæ & benignitates ejus; ecce ſunt ſcriptæ in [10] viſione Jeſchahjæ filii Amotzi prophetæ, præter librum regum Jehudæ & Jiſraëlis.

10 a capite 36. uſque ad 40.

33 Tandem quum occubuiſſet Jechizkija cum patribus ſuis, ſepelientes eum in ſuperiore parte ſepulcrorum poſterorum Davidis, honore affecerunt eum in morte ejus totus Jehuda & habitatores Jeruſchalaimorum: regnavitq; Menaſche filius ejus pro eo.

CAPUT XXXIII.

Menaſche peſſimè in regno ſe gerens, prophetarum monitis & temporaria captivitate caſtigatur, qua demum reſipiſcens regno reſtituitur: in quo cultum Dei ex parte inſtaurat: morienti ſuccedit impius Amon: deinde huic conſpiratione ſublato, Joſchija.

NAtus [a] duodecim annos Menaſche, quum regnare inciperet, quinquagintaquinque annis regnavit Jeruſchalaimis.

a 2. Reg. 21.

2 Qui fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ; ſecundùm abominationes illarum gentium, quas expulerat Jehova a conſpectu Jiſraëlitarum.

3 Nam [a] rurſus ædificavit excelſa quæ demolitus fuerat Jechizkija pater ipſius; & erexit altaria Bahalimis, fecitq; lucos, & incurvans ſe toti exercitui cælorum coluit eos.

a *He. reverſus eſt ut ædificaret.*

4 Etiam exſtruxit altaria in domo Jehovæ; de qua dixerat Jehova, Jeruſchalaimis erit nomen meum in ſeculum:

5 Exſtruxit, inquam, altaria toti exercitui cælorum; in duobus atriis domus Jehovæ.

6 Præterea idem traduxit filios ſuos per ignem in valle filii Hinnomi, & divinationibus, & conjectationibus, & præſtigiis uſus eſt, inſtituitq; Pythonem & ariolos: plurimum fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ provocando eum.

7 Et collocavit ſculptile, ſimulacrum quod paraverat; in domo Dei, de qua dixerat Deus Davidi & Schelomoni filio ejus, in domo hac & Jeruſchalaimis, quæ elegi præ omnibus *locis* tribuum Jiſraëlis, collocabo nomen meum in ſeculum:

8 Neque deinceps amovebo pedem Jiſraëlitarum ab hac terra, quam conſtitui majoribus veſtris: ſi modò [b] obſervantes fecerint quæcunq; præcepero eis, ſecundùm totam legem, & ſtatuta ac judicia *edita* per [c] Moſchen.

b *He. obſervaverint facere.*
c *Heb. per manum Moſchis.*

9 Itaque fecit Menaſche ut aberrarent Jehuda & habitatores Jeruſchalaimorum; faciendo malum ampliùs quam gentes quas perdiderat Jehova a conſpectu Jiſraëlitarum.

10 Et quamvis alloqueretur Jehova Menaſchem & populum ejus, non tamen attenderunt.

11 Quam ob rem adduxit Jehova contra eos principes exercitus qui *erant* regi Aſſyriæ, & ceperunt Menaſchem in [1] ſpinis quibuſdam: quem vincientes chalybæis duobus vinculis deduxerunt Babylonem.

1 i. inter vepres in quibus latitabat, ut 1. Schem. 13, 6.

12 Ubi quum anguſtia afficeret eum, deprecatus eſt faciem Jehovæ Dei ſui; depreſſitq; ſe valdè coram Deo majorum ſuorum.

13 Poſtquam autem oràſſet eum, exoratus ei exaudivit deprecationem ejus, reduxitq; eum Jeruſchalaima in regnum ipſius: ita agnovit Menaſche Jehovam eſſe Deum.

14 Poſteà autem ædificavit [2] murum exteriorem civitati Davidis *ad* occidentem Gichonis, ab ipſo torrente uſq; ad ingreſſum per [3] portam piſcium, quem circumduxit [4] clivo, extollens eum valdè: ac præpoſuit præfectos copiarum omnibus civitatibus munitis in Jehuda.

2 i. præmunitionem cœptam a Chizkija ſuprà 32. 5. abſolvit, aut labefactatam ab Aſſyriis inſtauravit.
3 vide Nechemjæ 3. 3.
4 vide ſupr. 27. 3.
5 de quo ſup. v. 7.

15 Et amovens Deos alienigenarum, & [5] ſimulacrum illud a domo Jehovæ, omniáque altaria quæ exſtruxerat in monte domus Jehovæ & Jeruſchalaimis; projecit extra civitatem.

16 Comparavit verò altare Jehovæ, ſacrificans in eo ſacrificia euchariſtica & laudis; ac edixit Jehudæ ut coleret Jehovam Deum Jiſraëlis.

17 Sed adhuc populus ſacrificabant in excelſis; verumtamen Jehovæ Deo ſuo.

18 Reliquæ autem res Menaſchis, uſque ad orationem ejus ad Deum ſuum; verbaq; videntium qui alloquuti ſunt eum in nomine Jehovæ Dei Jiſraëlis: ecce ſunt [6] inter verba regum Jiſraëlis.

6 i. in 2. Reg. 21.

19 Oratio autem ejus, quum exoratus eſt illi Deus, & totum peccatum ejus, ac prævaricatio ejus, & loca in quibus exſtruxit excelſa, ac conſtituit lucos & ſculptilia, antequam ſe deprimeret: ecce ſunt ſcripta inter [7] verba Chozai.

7 liber eſt qui non exſtat: vide 1. Reg. 11. 41. annotata.

20 Tandem occubuit Menaſche cum patribus ſuis, & ſepeliverunt eum in domo ejus: regnavitque Amon filius ejus pro eo.

21 Natus viginti duos annos Amon, quum regnare inciperet; duobus annis regnavit Jeruſchalaimis.

22 Qui fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ, quemadmodum fecerat Menaſche pater ipſius: nam omnibus ſculptilibus quæ fecerat Menaſche pater ipſius, ſacrificabat Amon & colebat ea.

23 Sed non depreſſit ſe coram Jehova, ſicut depreſſerat ſe Menaſche pater ipſius: quin ipſe Amon auxit reatum.

24 Conſpiraverunt autem contra eum ſervi ejus, & morte affecerunt eum in domo ejus.

25 Percuſſerunt verò populus regionis, omnes qui conſpiraverant contra regem Amonem: & regem conſtituerunt populus regionis Joſchijam filium ejus pro eo.

CAPUT XXXIIII.

Eodem argumento eſt cum 2. Reg. 22. & initio 23.

NAtus [a] octo annos Joſchija, quum regnare inciperet; uno & triginta annis regnavit Jeruſchalaimis.

a 2. Reg. 22.

2 Qui

2 Qui fecit quod rectum *videtur* in oculis
Jehovæ; ambulans in viis Davidis patris sui,ne-
que recedens dextrorsum aut sinistrorsum.
3 Nam [1] octavo anno regni sui quum esset
adhuc puer, cœpit quærere Deum Davidis patris
sui:[2] duodecimo autem anno cœpit mundare Je-
hudam & Jeruschalaima ab excelsis, & lucis,
sculptilibusq; ac fusilibus.
4 Destruebant enim [3] coram eo altaria Ba-
halimorum,& subdiales statuas,quæ [4] impositæ
erant eis succidit: & lucos sculptiliaq; ac fusilia
perfringens & comminuens,sparsit in superficiē
sepulcrorum *hominum* qui sacrificaverant in eis.
5 Ossa verò Sacerdotum combussit super al-
taria illorum; sic [4] mundavit Jehudam & Jerus-
chalaima.
6 Etiam in [5] civitatibus Menaschis,& Ephra-
jimi, ac Schimhonis usque ad Naphthali; rutris
ipsorum circumquaque:
7 Quumq; demolitus esset altaria illa, & lu-
cos sculptiliaq; contudisset comminuendo, om-
nesq; subdiales statuas succidisset per totam ter-
ram Jisraëlis; reversus est Jeruschalaima.
8 [6] Anno autem decimooctavo quo regna-
bat, purgando regionem & domum; misit Scha-
phanem filium Atzaljæ, & Mahasejam præfectū
civitati,& Joachum filium Joachazi a memoria,
[7] ad confirmandum domum Jehovæ Dei sui.
9 Qui quum venissent ad Chilkijam Sacer-
dotem summum,tradiderunt[8] inferendam *in* do-
mum Dei,quam collegerant e manu Menaschi-
tarum & Ephrajimitarum,& a toto residuo Jis-
raëlis, atque a toto Jehuda & Binjamine,*tradide-
runt* Levitæ custodes liminis:quando fuerant re-
versi Jeruschalaima.
10 [9] Tradebant autem in manum [10] curato-
rum operis, qui præpositi erant in domo Jehovę:
hi verò tradebant illam opificibus,qui operaban-
tur in domo Jehovæ ad curandum labem, & ad
confirmandum domum.
11 Tradebant enim fabris & structoribus ad
comparandum lapides cæduos,& ligna ad [11] ca-
tenationes: etiam ad contabulandum [12] domos
quas perdiderant reges Jehudæ.
12 Homines verò isti agebant fidè in illo ope-
re,nempe præpositi illis *opificibus* Jachath & Ho-
badja Levitę ex Meraritis,& Zecarja ac Meschul-
lam e posteris Kehathitarum dum pręessent:quo-
rum Levitarum quisque [13] doctor erat in instru-
mentorum musicorum *tractatione*.
13 At bajulis(nā pręerant *Levitæ* omnibus o-
pificibus [b] [14] utriq; ministerio)ex Levitis quoque
iisq; janitoribus pręerant scribę & moderatores.
14 Quumq; proferrent pecuniam illam illa-
tam *in* domum Jehovæ;invenit Chilkija Sacer-
dos librum legis Jehovæ, *traditum* per [c] Mosché.
15 Et loquutus Chilkija dixit Schaphani scri-
bæ, librum hunc legis inveni in domo Jehovæ:
tradiditq; Chilkija ipsum librum Scaphani.
16 Itaque afferens Schaphan librum illum ad
regem,quum adhuc referret regi verbum, dicen-
do, quicquid traditum est in manum servorum
tuorum faciunt.
17 Nam conflantes pecuniam inventam in
domo Jehovæ,tradiderunt eam in manum præ-
positorum, & in manum opificum:
18 Indicavit Schaphan scriba regi, dicen-
do,librum dedit mihi Chilkija Sacerdos: legitq;

[1] quo regnare cœpit,i.simul atque ad regni gubernationem liberiorem pervenit, annos sexdecim natus,a paternis corruptionibus animum ad pietatem adjecit: & in privato illius studio sese exercuit.
[2] quo merum in regni administratione imperium habuit.
[3] i, eo jubente & præsente.
[4] Heb. quæ suprà ab eis.
[4] ab externis sordibus: quantumvis invitis & obnitentibus Jehudæis: quorum iniquitas & contumacia inde ab hoc anno redargui palàm & damnari cœpit.
[5] de illis loquitur quæ regno Jehudæ se adjunxerāt, & Jisraëlitarum erant; ut sup.31.1.Sic enim explicatur versibus 7. & 33.
[6] ex quo regnum iniverat, & a cœpta purgatione sexto: sic accipiendum esse ostendunt permulti apud Jechezkelem loci.vide in Jechezkel 4.6.
[7] i.denunciandū ex mandato regis sacerdoti summo, ut collectas colligeret & ex eis domum Dei instauraret: versu seq.
[8] ὑστέρησιν sive trajectionem verborum alioquin obscuram perspicuitatis causa sustulimus.
[9] quatuor hi versus hyperbaticè inseruntur historiæ, ad quam regressio est ver.14
[10] i illorum quatuor Levitarum, quorum meminit versu 12.
[11] i. tigna sive transversaria sive arrestaria, quibus catenatis inter se, vel (ut vulgus dicit) incastratis, ligneæ cellæ Sacerdotum aut Levitarum cohærebant.
[12] sive Sacerdotum quæ templo appendebant:sive Levitarum,quæ atrio.

[13] i.primarius quisque sui ordinis in distributionibus musicorum: de quibus 1. Chro.25. [b] *Heb. ministerio, & ministerio.* [14] i.structuram conficiendi, de quo v.10. & materiam comportandi, de quo hic. Simile est Hezræ 3.9.
[c] *Heb, manum Moschis.*

ex eo Schaphan coram rege.
19 Quam ob rem fuit audiente rege verba il-
la legis; ut laceraret vestimenta sua:
20 Præcepitq; rex Chilkijæ,& Achikamo fi-
lio Schaphanis,ac Habdoni filio Micæ, & Scha-
phani scribæ, atque Hasajæ servo regis, dicendo:
21 Ite consulite Jehovam pro me, & pro reli-
quo in Jisraële & Jehuda super verbis libri hujus
qui inventus est: nam magnus *est* æstus iræ Je-
hovæ, quæ effusa est in nos, eo quòd non ob-
servârunt patres nostri verbum Jehovæ, ut fa-
cerent omnino prout præscriptum est in libro
hoc.
22 Itaque abiit Chilkija & qui *erant* regis, ad
Chuldam prophetissam uxorem Schallumi filii
Thokehathi filii Chasræ vestiarii, ea enim habi-
tabat Jeruschalaimis in parte secunda *ab eo*: &
alloquuti sunt eam *verbis* ejusmodi.
23 Quæ dixit eis,sic ait Jehova Deus Jisraë-
lis; dicite viro illi qui misit vos ad me:
24 Sic ait Jehova, ecce inducturus sum ma-
lum contra locum hunc,& contra habitatores e-
jus: omnes exsecrationes scriptas in libro illo
quem legerunt coram rege Jehudæ:
25 Propterea quòd dereliquerunt me,& ado-
leverunt diis alienis, ut irritarent me omnibus o-
peribus manuum suarum; ideò effusa manebit
æstuans ira mea in locum hunc, & non exstin-
guetur.
26 De rege verò Jehudæ qui misit vos ad cō-
sulendum Jehovam,sic dicitote ei: sic ait Jehova
Deus Jisraëlis, *tu* qui audivisti verba ista:
27 Quia mollitus est animus tuus, & depres-
sisti te a facie Dei, quum audivisses verba ejus
contra locum hunc & contra habitatores ejus,
& deprimens te coram me, lacerâsti vestimenta
tua, ac flevisti coram me:ideò etiam ego exaudi-
vi, dictum Jehovæ.
28 Ecce ego faciam ut aggregeris ad patres
tuos,& aggregeris ad sepulcra tua in pace,ut non
videant oculi tui totum istud malum quod ego
inducturus sum contra locum hunc, & contra
habitatores ejus: qui retulerunt regi rem.
29 [a] Quum itaque misisset rex;& congregâsset [a] 2.Reg.23.
omnes seniores Jehudæ & Jeruschalaimorum:
30 Ascendit rex *in* domum Jehovæ, omnesq;
viri Jehudæ,& habitatores Jeruschalaimorum,
cùm Sacerdotes & Levitæ, tum totus populus a
maximo usque ad minimum: & legit ipsis audi-
entibus omnia verba libri fœderis, qui inventus
fuerat *in* domo Jehovæ.
31 Deinde stans rex in statione sua,pepigit fœ-
dus ipsum corā Jehova;se sequuturum Jehovam,
& observaturum pręcepta ejus testimoniaq; ejus
& statuta ejus ex toto corde suo,& ex toto animo
suo: præstando verba fœderis illius, quæ scripta
sunt in libro illo.
32 Stiterat autem quemque qui inventus est
Jeruschalaimis,& in Binjamine; ut facerent ha-
bitatores Jeruschalaimorum secundùm fœdus
Dei,Dei majorum suorum.
33 Tunc amovit Joschija omnes abominati-
ones ex omnibus regionibus, quæ *erant* Jisraëli-
tarum;& [15] addixit quemq; inventum in Jisraële,
ad colendum Jehovam Deum ipsorum: omnibus
diebus ejus non recesserunt a sequendo Jehova
Deo majorum suorum.

[15] i.regia sua auctoritate obstrinxit: & quamvis propensos Jehudæorum animos compescuit, ne ipso vivo ab externo Dei cultu deficerent: tantam adhibuit severitatem disciplinæ.

CAPUT XXXV.

Joschija Dei cultum fidelissimè restituit, Pascha ex Dei instituto celebrat: & tandem in bello contra AEgyptium temerè suscepto occiditur.

[a] CElebravit autẽ Joschija Jeruschalaimis Pascha Jehovæ: jugulaveruntq; Pascha quartodecimo *die* mensis primi.

2 Et constituens Sacerdotes in custodiis suis; confirmavit eos in ministerio domus Jehovæ.

3 Edixit verò Levitis [1] præparantibus pro toto Jisraële *res* sanctas Jehovæ,[2] ponite *eas* corã arca sancta in ista domo, quam ædificavit Schelomo filius Davidis rex Jisraëlis,[3] non incumbit vobis onus deportandi humero: nunc servite Jehovæ Deo vestro, & populo ejus Jisraëli:

4 Et præparate per familias paternas vestras, secundùm distributiones vestras; ex[a] præscripto Davidis regis Jisraëlis, & ex scripto Schelomonis filii ejus:

5 Et assistite in sancto [4] classibus familiarum paternarum, fratribus vestris [a] popularibus; prout *est* partitio *cujusq;* familiæ paternæ Levitarum.

6 Ita jugulate Pascha: quumq; sanctificaveritis vos,[5] præparate pro fratribus vestris, facientes secundùm verbum Jehovæ per [b] Moschen.

7 Obtulit autem Joschija popularibus ex grege agnorum & [c] hœdorum lactentium quosque in sacrificia Paschalia, secundùm omnia quæ præstò erant, ad numerum tricies mille, & [6] armentalia ter mille: hæc de facultatibus regis.

8 Similiter principes ejus pro liberalitate, populo suo, Sacerdotibus, & Levitis obtulerunt: Chilkija *quidem* & Zecarja, & Jechiel antecessores domus Dei, Sacerdotibus dederunt in sacrificia Paschalia bis mille sexcentas *pecudes*, & armentalia trecenta.

9 Conanja verò cum Schemahja & Nethaneele fratribus suis, Chaschabja quoq;, & Jehiel, ac Jozabad principes Levitarum obtulerunt Levitis in sacrificia paschalia, quinquies mille *pecudes*, & armentalia quingenta.

10 Itaque præparato hoc cultu; steterunt sacerdotes in statione sua, & Levitæ per distributiones suas, secundùm præceptum regis.

11 Jugulantibus autem [7] illis Pascha; sacerdotes spargebant *sanguinem effusum* manu illorum, & Levitæ [8] nudabant *pelle:*

12 Et amovebant quod absumendum erat oblaturi Jehovæ, ut redderent illa classibus familiæ paternæ *cujusque*, popularibus suis, sicut præscriptum est in libro Moschis: similiter quoque de bobus.

13 Tum coquebant Pascha igne [9] pro ritu: [10] reliqua verò sacra coquebant in ollis, & in lebetibus, & in gabatis, quũ celeriter [11] transmisissent ad omnes populares *sacrificia ipsorum.*

14 Postmodùm præparaverunt sibi & sacerdotibus, quum sacerdotes posteri Aharonis *incumberent* offerendo ei quod absumendum erat, & adipibus, ad noctem usque: ideò Levitæ parabant sibi & sacerdotibus posteris Aharonis.

15 Similiter musici [12] posteri Asaphi in statione sua *erant* secundùm præceptum Davidis, tum Asapho, tum Hemani, & Jeduthuni videnti regis *datum*, janitores quoque ad [d] unamquamq; portam: non *erat* illis recedendum a ministerio suo, sed cognati eorum reliqui Levitæ parabant eis.

16 Ita constitutus est totus cultus Jehovæ die illo, celebrando Pascha, & offerendo igne, absumenda in altari Jehovæ; secundùm præceptnm regis Joschijæ:

17 Celebrâruntq; filii Jisraëlis qui præsentes erant, Pascha tempore illo; & festum azymorum, septem diebus.

18 Neque celebratum fuit Pascha par huic in Jisraële a diebus Schemuelis prophetæ: nec ulli regum Jisraëlis celebrabant Pascha par ei quod celebravit Joschija cum sacerdotibus & Levitis, totoq; Jehuda & Jisraële præsente, & habitatoribus Jeruschalaimiorum.

19 Decimooctavo anno, [e] regnante Joschija; celebratum fuit Pascha istud.

20 Post omnia hæc, quum Joschija constituisset [13] domum, ascendebat Neco rex Ægypti ad oppugnandum [14] Carcemischum ad Euphratem: cui procedebat obviàm Joschija.

21 Et quamvis mitteret ad ipsum legatos, dicendo, quid [f] mihi tecum, rex Jehudæ? non contra te, *heus* tu, hac die, sed contra [15] domum belligerantem adversum me, quò Deus edixit accelerare me: abstine te a Deo qui mihi adest, & ne perdat te:

22 Tamen non avertit Joschija faciem suam ab illo, sed ut pugnaret contra eum, dissimulavit se, neque auscultavit verbis Neconis ex [g] verbo Dei, venit autem ad pugnandum, in convallem [16] Megidduntis.

23 Ubi quum jaculati essent jaculatores in regem Joschijam; edixit rex servis suis, devehite me, quia ægrotus factus sum valdè.

24 Devehentes itaque servi ejus, a curru ejus *demissum* imposuerunt currui secundario quem habebat: & deduxerunt eum Jeruschalaima, ubi mortuus est, & sepultus in sepulcris majorum suorum: toto Jehuda & Jeruschalaimis lugentibus propter Joschijam.

25 Lamentatus est etiam Jirmeja propter Joschijam; dixeruntq; omnes musici & musicæ in lamentationibus suis de Joschija *dicta*, [17] usque in hunc diem, quæ dederunt pro statuto in Jisraële: & ecce scripta sunt in [18] lamentationibus.

26 Reliquæ autem res Joschijæ, & benignitates ejus; sicut scriptum est in lege Jehovæ:

27 Res, inquam, ejus [19] priores & posteriores; ecce sunt scriptæ in libro regum Jisraëlis & Jehudæ.

CAPUT XXXVI.

Jehoachazi, Jehojakimi, Jehojacinis & Tzidkijæ impiorum, & regni ipsorum infœlix exitus, templiq; & urbis ruina: & deportationis tempus describitur.

ACcipientes [a] itaque populus terræ Jehoachazum filium Joschijæ; constituerunt eum regem loco patris ipsius Jeruschalaimis.

2 Natus vigintitres annos Jehoachaz quũ regnaret; tribus mẽsibus regnavit Jeruschalaimis.

3 Quem amovit rex Ægypti [1] Jeruschalaimis; & imposuit mulctam regioni ejus, centenûm talentorum argenti, & talenti auri:

4 Constituitq; regem rex Ægypti Eljakimũ fratrem ejus super Jehudam & Jeruschalaima, immutans nomen ejus Jehojakimum: Joachazum verò fratrem ejus assumens Neco deduxit in Ægyptum.

5 [b] Natus vigintiquinque annos Jehojakim, quum regnare inciperet, undecim annis regnavit Jeruschalaimis: & fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ Dei sui:

6 *Quamobrem* ascendit contra eum Nebucadnetzar rex Babyloniæ; & vincivit eũ catenis duabus chalybæis,[2] ut abduceret eum in Babyloniã.

7 Etiam

[a] 2. Reg. 23. 21.
[1] sic enim legitur in emendatissimo manu scripto exemplari ex bibliotheca Illustrissimi Principis Electoris Palatini: & sequentia hanc lectionem confirmant. Quòd siqui tamen vulgatam lectionem retinere volent, hæc futura est interpretatio, *Edixit verò Levitis docentibus Jisraëlitas res sanctas Jehovæ, &c.*
[2] id est, ne ampliùs foris, aut per domos jugulate paschata: ut quum propter superiorum regum tyrannidem templum clausum fuit, & publicus Dei cultus in eo abruptus: quo tempore Deus propter necessitatẽ cultum illum intra privatos parietes a piis observatum, quasi in Ægypto fuissent pii, clementer tulit.
[3] id est, quemadmodum non alibi quàm ante arcam offerendum est Jehovæ: ita etiam nefas est alibi quàm hic ad templum offerre, ubi perpetua arcæ sedes a Deo est constituta: ideoq; necesse est, non ut arcam huc illuc circumferatis, prout olim, Num. 7. 9. usque ad Schelomonis tempora: sed ut undecunque huc oblationes conferantur, Deut. 12. 5. & seq.
[a] 1. Chro. 26.
[4] i. in paschate singulis societatibus Jisraëlitarum cõvenientibus ad idem pascha comedendum, ex lege Exod. 12. 4. ministrate: sic accipiendum inf. V. 12.
[a] Heb. filiis populi: sic deinceps.
[5] ut fecisse leguntur vers. 11. & sequent.
[b] Heb. manum Moschis.
[c] Heb. filiorum caprarum.
[6] tam in sacrificia festi azymorum: quàm in holocausta & eucharistica.
[7] id est, offerentibus, synecdochicè
[8] vide sup. 29. 34
[9] qui imperatus est Exo. 12. 8. [10] i. partes eucharisticorum cedentes offerentibus. [11] Levitæ, separatis iis quæ Deo cedebant. [12] quorum erant vices tunc, quum hoc Pascha celebratum est. [d] Heb. portam & portam.

[e] Heb. in regno Joschijæ.
[13] & cultum, synecdoche.
[14] fortè Zeugma oppidum Cyrrhesticæ, infimus transitus Euphratis. Mihi verò jam propiùs expendenti omnia, id esse videtur oppidum, de quo Ammianus lib. 23. his verbis: adscitis Saracenorum auxiliis, quæ animis obtulere promtissimis, tendens Imperator (Julianus) agili gradu Cercusium, principio mensis Aprilis ingressus est, munimentum tutissimum & fabrè politum: cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut spatium insulare fingentia. Quod Diocletianus exiguum antehac & suspectũ muris turribusq; circumdedit celsis, quum in ipsis barbarorum confiniis interiores limites ordinaret, ne vagarentur per Syriam Persæ, ita ut paucis antè annis cum magnis provinciarum contigerat damnis, &c.
[f] Heb. mihi & tibi.
[15] id est, Assyriam, ex 2. Reg. 23. 29.
[g] Heb. ore.
[16] in Menasche, Jehosch. 17. 11.
[17] id est, adhuc exstantia.
[18] quas conscripsit Jirmeja. [19] id est, omnes a principio ad finem usque: vide in 1. Chro. 29. 28.

[a] 2. Reg. 23. 30.
[1] captivum abducens eum Riblam, 2. Reg. 23. 33.
[b] 2. Reg. 24. 1.
[2] non autem eo usque deductus est, sed in itinere mortuus, vide Jirmejæ 22, 18, 19.

7 Etiam ex instrumentis domus Jehovæ deportavit Nebucadnetzar Babylonem: quæ indidit templo suo in Babylonia.

8 Reliquæ autem res Jehojakimi,& abominationes ejus quas fecit, & quod [3] deprehensum est in eo, ecce sunt scripta in libro regum Jisraëlis & Jehudæ: regnavitq; Jehojacin filius ejus pro eo.

9 Natus octo annos Jehojacin quum [4] ille regnare inciperet,tribus mensibus & decem diebus *posteà* regnavit Jeruschalaimis: & fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ.

10 Itaque vertente anno, mittens rex Nebucadnetzar deportavit eum in Babyloniam, cum instrumentis desiderabilibus domus Jehovæ: cōstituitq; regem Tzidkijam [a] cognatum ejus super Jehudam & Jeruschalaima.

11 [I] Natus unum & viginti annos Tzidkija, quum regnare inciperet; undecim annis regnavit Jeruschalaimis.

12 Qui fecit quod malum *videtur* in oculis Jehovæ Dei sui: non depressit se a facie Jirmejæ prophetę ex [b] verbo Jehovæ.

13 [5] Contrà etiam in regem Nebucadnetzarem rebellavit, qui adjuraverat ipsum per Deum: & obdurans cervicem suam, obfirmavit [c] animum suum,ne converteretur ad Jehovam Deum Jisraëlis.

14 Etiam omnes principes Sacerdotum & populi [d] quamplurima prævaricati sunt prævacatione,secundùm omnes abominationes gentium; polluentes domum Jehovæ quam sanctificaverat Jeruschalaimis.

15 [I] Quumq; mitteret Jehova Deus majorum ipsorum ad ipsos per nuncios suos, [e] inde a diluculo continenter; eo quòd clementer amplecteretur populum suum & habitaculum suum:

16 Subsannabant nuncios Dei, & spernentes verba ejus,dicebant se circumduci per prophetas

3 rebellionis crimen.2.Reg.24.3

4 I.pater hujus: nam ipse quum regnare cœpit, octodecim annorum erat,2.Reg. 24.10. vide similem loquutionem 2.Reg.16.2.

a Heb. *fratrem,i. patruum:vide* 1. *Chro.*3.15.

I 2.Reg.25.

b Heb.*ore.*

5 Jirmejæ 27.6. & seq.

c Heb.*cor.*

d Heb.*multiplicaverunt prævaricari prævaricatione.*

I *Jirm.*25.

e Heb.*diluculo surgendo & mittendo.*

ejus: donec accensus est æstus iræ Jehovę in populum suum, adeò ut non *esset* curatio.

17 Itaque induxit contra eos regem Chaldęorum, qui interfecit juvenes eorum gladio in loco sanctuarii eorum, neq; clementia usus est erga juvenem aut virginem, senem aut decrepitum; omnes tradidit in manum ejus.

18 Et omnia instrumenta domus Dei,majora & minora, thesaurosq; domus Jehovæ, & thesauros regis ac principum ejus; hæc omnia deportavit in Babylonem.

19 Et combusserunt domum Dei, ac demoliti sunt murum Jeruschalaimorum: quorum omnia palatia [f] comburentes igne,& omnia instrumenta desiderabilia perdiderunt.

20 Et deportavit qui reliqui erant à gladio, in Babyloniam; ubi fuerunt illi & [6] filiis illius servi, usquedum [8] obtineret Monarchia Persidis:

21 Ad implendum verbum Jehovæ [I] *dictum* ore Jirmejæ, donec acquievisset terra [7] sabbathis suis: omnibus diebus desolationis quievit, complendo [8] septuaginta annos.

22 [I] Anno autem primo [h] Cyri regis Persidis, ut compleretur verbum Jehovæ *dictum* ore Jirmejæ; excitavit Jehova spiritum Cyri regis Persidis,ut [i] promulgaret per totum regnum suum, idq; etiam scripto,dicendo:

23 Sic [9] ait Cyrus rex Persidis, omnia regna terræ tradidit mihi Jehova Deus cæli, & ipse cōmisit mihi ut ædificem sibi domum Jeruschalaimis quæ *sunt* in Jehuda : quis inter vos de toto populo ejus est *ædificaturus* ? Jehova Deus ejus *sit* cum eo, & ascendito.

f Heb. *combusserunt ad perdendū.*

6 i. filio & nepoti usque ad tempora Cyri. Jirmejæ 27.7.& Danijel.6.1.

8 Heb.*regnaret regnum Persidis: sed ad vitandam amphibologiam nomē mutavimus.*

I *Jirme.*25.& 29.10.

I *Hezra,* 1. 1.

7 vide Levit. 26. 43.

8 a deportatione Jehojacinis sive Jeconjæ,usq; ad regnū Darii Medi & Cyri:nam illud esse principium deportationis nominatim docet Jechezkel 40.1.

h Heb. *Coreschi. sic deinceps.*

i Heb.*transmitteret vocem.*

9 cum Dario Medo, cui Cyrus sponte administrationem Babyloniæ concessit, ut apparet ex libro Danijelis : sic Hezræ 6. 14. & 22. Est autem hæc συναφὴ vel continuatio hujus historiæ cum proximè sequente libro : quamobrem eadem verba repetuntur in principio ejus. Cujusmodi continuatione librorum Dionysius Halicarnasseus,Pausanias,& alii quoque utebantur olim.

HEZRAE LIBER UNUS.

LIBER *Hezræ continet historiam* Jehud*æorum reducum inde ab edicto Cyri usque ad decimum nonum annum Artaxerxis illius qui Mnemon dictus est : Estq; historia centum quadraginta sex annorum.*

Cyri cum Cambyse	9
Magorum	1
Darii Hystaspis	36
Xerxis	22
Artaxerxis Longimani	40
Darii Nothi	19
Artaxerxis Mnemonis	19

CAPUT I.

Promulgato per Cyrum edicto, populus reditum instituit: pauperiores imperatis subsidiis juvantur: Et princeps Jehudæ sacra instrumenta ad domum Dei pertinentia a Cyro recipit.

ANNO autem [1] [I] primo [a] Cyri regis Persidis, ut compleretur verbum Jehovę *dictum* ore Jirmejæ : excitavit Jehova spiritū Cyri regis Persidis; ut [b] promulgaret per totum regnum suum, idq; etiam scripto , dicendo:

2 Sic ait Cyrus rex Persidis , omnia regna terræ tradidit mihi Jehova Deus cęli:& ipse commisit mihi ut ædificem sibi domum Jeruschalaimis quæ *sunt* in Jehuda.

3 Quis inter vos de populo ejus *est*? sit Deus ejus cum eo, & ascendito Jeruschalaima quæ *sunt* in Jehuda : & ædificato domum Jehovæ Dei Jisraëlis, illius Dei qui [2] *habitat* Jeruschalaimis.

4 Et quisquis [3] residuus fuerit ex omnibus locis ubi peregrinatur; [4] sublevanto eum homines loci ipsius argento,& auro,& facultatibus, atque jumentis:

1 i.quo primùm regnare cœpit in Babylonia. Alioqui Cyrus annos triginta regnavit in Perside, & vigesimum octavum regni Persici tum agebat annum, cùm captivitas Judæorum soluta est. I 2.*Chro.*36,22.& 23. a Heb. *Coreschi: sic ubique.* b Heb.*transmitteret vocem.*

2 i. fixit habitationem, 2.Shem. 7.13.

3 i. non potuerit proficisci pre inopia rerum ad tantum iter necessariarum.

4 rebus commodatis,mutuatis,& datis.

jumentis: [5] cum voluntaria oblatione in domum
Dei qui *habitat* Jeruschalaimis *importanda*.
5 Tunc surrexerunt [e] primores paternarum
familiarum Jehudæ & Binjaminis, Sacerdotum
quoque & Levitarum: & [7] cujuscunq; excitavit
Deus spiritum, ut ascenderent ad ædificandum
domum Jehovæ qui *habitat* Jeruschalaimis.
6 Quos omnes [d] vicini eorum confirmârunt
manibus suis, instrumentis argenteis, auro, fa-
cultatibus, jumentisque, ac rebus pretiosis; se-
orsim præter [e] id omne quod voluntariè offere-
batur.
7 Etiam ipse rex Cyrus produxit instrumen-
ta domus Jehovæ; [8] quæ eduxerat Nebucadnet-
zar Jeruschalaimis, indiderátque domui deorum
suorum.
8 Et producta ea Cyrus rex Persidis per [f] Mi-
thredatem præfectū ærario, numeravit Schesch-
batzari [8] principi Jehudæorum.
9 Quorū hic erat numerus: pelves aurei tri-
ginta, pelves argentei mille, secespitę vigintinovē:
10 Crateres aurei triginta, crateres argentei
[9] secundarii quadringenti decem: instrumenta
alia [10] *per* millia.
11 Omnia instrumenta ex auro & ex argen-
to, quinquies mille quadringenta: omnia ista de-
portavit [11] Scheschbatzar, quum deportata mul-
titudo deduceretur e Babylone Jeruschalaima.

[5] i. & singuli pro sua commoditate, quod voluntas feret, Hierosolymorum Deo oblationem exhibento: nam hæc duo evidentissimè distinguuntur in ℣.6.
[6] quorum recensio est cap.2.
[7] etiam ex aliis tribubus, ut apparet ex 1, Chr. 9.3.
[d] *Heb. circuitus eorū: metonymia.*
[e] *Heb. omne voluntariè offerri.*
[8] 2. *Reg.* 24.15. & 25.16. & *seq.* 2. *Chron.* 36.7.
[f] *Heb. per manū.*
[8] id est, legato regis, qui Jehudæis reducibus fuerat præfectus, ut eos mitteret in possessionem terræ ex auctoritate Regis: vide infrà 5.14.
[9] ab aureis, quorum usus erat in secunda parte tēpli in atrio.
[10] i. nō pro ratione formæ: sed promiscuè per numerum millenarium tradebantur minora utensilia: quorum omnium summa generalis sequente versu exponitur.
[11] quem pleriq; esse Zerubbabelem putant, Babylonica appellatione: Sed hoc ego quidem probare non possum, hoc argumento adductus maximè, quòd Thathnai & collegium ipsius in literis quas Dario scripsit infrà 5. non fuisset mentionem generis omissurus, ut Judæorum causam odio & invidia graviore obrueret.

CAPUT II.

Populus Dei qui primùm cum suis ducibus & impedimentis post Cyri edictum reversus est: & oblatio ab ejus primoribus ad templi instaurationem facta, recensetur.

Atque [1] hi *sunt* homines [2] illius provinciæ, as-
cendentes e captivitate illius deportationis,
quam deportaverat Nebucadnetzar rex Babylo-
niæ in Babyloniam; ut reverterentur Jeruschalai-
ma in Jehudæam, quisque in civitatem suam:
2 Qui profecti sunt [3] cum Zerubbabele, Je-
schuha, Nechemja, [a] Seraja, [b] Rehelaja, Morde-
caio, Bilschane, [c] Mispare, Bigvaio, [d] Rechumo, Ba-
hana: numerus hominum popularium Jisraëlis.
3 Posteri Parhoschi, bis mille centum septu-
aginta duo:
4 Posteri Schephatjæ, trecenti septuaginta-
duo:
5 Posteri Arachi, [4] septingenti septuaginta
quinque:
6 Posteri Pachath-Moabi, ex posteris Jeschu-
hę & Joabi; bis mille octingenti [5] duodecim:
7 Posteri Helami, mille ducenti quinquagin-
taquatuor:
8 Posteri Zatthu, nongenti quadraginta-
quinque:
9 Posteri Zaccai, septingenti sexaginta:
10 Posteri [e] Bani, sexcenti quadragintaduo:
11 Posteri Bebai, sexcenti viginti tres:
12 Posteri Hazgadis, mille ducēti vigintiduo:
13 Posteri Adonikami, sexcenti sexagintasex:
14 Posteri Bigvai, bis mille quinquaginta-
sex:
15 Posteri Hadinis, quadringenti quinqua-
ginta quatuor:

[1] i. hæc est recēsio illorum qui nomina sua dederunt in Babylonia, quum instituerctur profectio in Jehudæam.
[2] Babylonicæ: sic enim ab habitatione dicuntur: ut Itthai Gitthæus ab habitatione dicitur, 2. Schem. 15.19.
[3] i. istis ducibus.
[a] *qui Hazarja, Nechem.* 7.7.
[b] *Rehumja, ibid.*
[c] *Mispetetho, ibidem.*
[d] *Nechumo, ibid.*
[4] qui nomina dederunt in Babylonia; pervenerunt autem in Jehudæam, sexcenti quinquagintaduo, Nechem. 7.10. reliqui vel cōsilio mutato remanserunt; vel in itinere mortui sunt. idem dicendum de diversitate numerorum in sequent.
[5] quibus sex accesserant, quum recensio in Jehudæa fieret: sic deinceps, ubi numeri accessio occurrit apud Nechemjam.
[e] *qui Binnui, ibid.* ℣.15.

16 Posteri Ateris ex Jechizkija, nonagintaocto:
17 Posteri Betzai, trecenti vigintitres:
18 Posteri [f] Joræ, centum duodecim:
19 Posteri Chaschumi, ducenti vigintitres:
20 Posteri [6] Gibbaris, nonagintaquinque:
21 Beth-Lechemitæ, centum vigintitres:
22 Netophatæi quinquagintasex:
23 Hanathothani, centum vigintiocto:
24 Hazmavethani, quadragintaduo:
25 Kirjath [g] Harimani, Cephirani, & Beero-
thani; septingenti quadragintatres:
26 Ramani, & Gebahæi, sexcenti vigintiu-
nus:
27 Micmasæi centum vigintiduo:
28 Beth-elitę, & Hajani, ducenti vigintitres:
29 [7] Nebuntini, quinquagintaduo:
30 Posteri [h] Magbischi, centum quinquagin-
tasex:
31 Posteri Helami [8] alterius, mille ducenti
quinquagintaquatuor:
32 Posteri Charimi, trecenti viginti:
33 [9] Lodæi, [10] Charidæi, & Onuntini, septin-
genti vigintiquinque:
34 Jerechuntini, trecenti quadragintaquin-
que:
35 Senaani, ter mille sexcenti triginta.
36 Sacerdotes: posteri Jedahjæ e familia Je-
schuhæ, nongenti septuagintatres:
37 Posteri Immeris, mille quinquagintaduo:
38 Posteri Paschchuris, mille ducenti qua-
dragintaseptem:
39 Posteri Charimi, mille septemdecim.
40 Levitæ: posteri Jeschuhæ & Kadmielis e
filiis [i] Hodavjæ, septuagintaquatuor.
41 Musici, posteri Asaphi, centum vigintiocto.
42 Posteri janitorum, posteri Schallumi, po-
steri Ateris, posteri Talmonis, posteri Hakkubi,
posteri Chattitæ, posteri Schobai: hi omnes cen-
tum trigintanovem.
43 [11] Nethinæi: posteri Tzichæ, posteri Cha-
schuphæ, posteri Tabbahothi:
44 Posteri Kerosi, posteri [k] Sihahæ, posteri
Padonis:
45 Posteri Lebanæ, posteri Chagabæ, posteri
Hakkubi:
46 Posteri Chagabi, posteri [l] Schamlai, po-
steri Chananis:
47 Posteri Giddelis, posteri Gacharis, posteri
Reajæ:
48 Posteri Retzinis, posteri Nekodæ, poste-
ri Gazami:
49 Posteri Huzzæ, posteri Paseachi, posteri
Besai:
50 Posteri Asnæ; posteri Mehunimi, posteri
[m] Nephusimi:
51 Posteri Bakbuki, posteri Chakuphæ, po-
steri Charchuris:
52 Posteri [n] Batzluthi, posteri Mechidæ, po-
steri Charschæ:
53 Posteri Barkosi, posteri Sisræ, posteri
Themachi:
54 Posteri Nerziachi, posteri Chatiphæ:
55 Posteri [12] servorum Schelomonis: posteri
Sotai, posteri Sopherethi, posteri [o] Perudæ:
56 Posteri Jahalæ, posteri Darkonis, posteri
Giddelis:
57 Posteri Schephatjæ, posteri Chattilis, po-
steri Pocereth-Hatzebajimi, posteri [p] Ami.
58 Omnes Nethinæi & posteri servorū Sche-
lomonis; trecenti nonagintaduo.
59 Hi quoque fuerunt ex ascendentibus a
[13] Thelmelacho, [14] Thel-Charscha, [15] Cerub,
Addan,

[f] *Chariph,* ℣.24.
[6] Gibhonitæ e Binjamine, ut apparet ex Neche. 7.25.
[g] *Jeharimani, versu* 29. *ibid.*
[7] i. non ex Nebōte Reūbenitarum quæ trans Jardenem erat, & ad regnum Jehudæ non pertinebat: sed ex altera Nebunte, quæ passim in scripturis ante captivitatē Nob vocatur: ideo a Nechemja Nebo altera vocatur.
[h] *qui Magpiasch, Neche.* 10.19.
[8] ab eo de quo ℣.7. etiamsi numeri utrobiq; conveniant.
[9] e Binjamine, 1. Chro. 8.12.
[10] ex Charido oppido tribus Jehudæ, quod etiam appellatur Chadida, 1. Machæo. 12.38. aut etiam Chaddatha (ut probabile est) Jehoschu. 15.38.
[i] *Hodeva, Neche.* 7.43. & *Jehuda, infrà* 3.9.
[11] vide Jehosch. 9.21.
[k] *Sihha, Nechem.* 7.43.
[l] *Schalmai, ver.* 48. *ibid.*
[m] *Nephischisimi, ver.* 52. *ibid.*
[n] *Batzlithi, ver.* 54. *ibid.*
[12] de quibus vide annotata 1. Reg. 9.21.
[o] *Perida, ver.* 57. *ibid.*
[p] *Amonis, ver.* 59. *ibid.*
[13] nomina locorum sunt in Babylonia & Mesopotamia. videtur autem Thel-Melach esse opidum quod Ptolemæus Telmen vocat: significat enim cumulum salsum sive sterilem, ut erant agri sub Ure Chaldæorum, in quos rivi Euphratis ducti sunt teste Plinio natur. hist. lib. 6. 27.
[14] ad orientem Babyloniæ, quod vel nomen indicat: fortassis quæ Ptolomæo Talatha ad Tigrim.
[15] cum suis familiis.

9 Addan, *&* Immmer: sed [16] non potuerunt in-
dicare familiam majorum suorum & semen eo-
rùm, utrùm ex Jisraëlitis essent:
60 [17] Posteri Delajæ, posteri Tobijæ, posteri
Nekodæ; sexcenti quinquagintaduo:
61 E posteris verò sacerdotum, posteri Cha-
bajæ, posteri Kotzi; posteri [18] Barzillai, qui ac-
cepta e filiabus Barzillai Gilhaditæ uxore, voca-
tus est de nomine illorum.
62 Isti quæsiverunt *quisque* scripturam suam
qui suum genus prædicabant, sed non inventæ
sunt: quapropter ut [f] polluti abstenti sunt a sa-
cerdotio.
63 [19] Edixit enim [20] legatus regis eis, ne co-
mederent de re sancta sanctarum: donec exsiste-
ret sacerdos [21] cum Urimis & Tummimis.
64 Tota hæc congregatio universè; [22] qua-
dragies bis mille, trecentorum sexaginta:
65 Præter servos eorum & ancillas eorum
[23] istos, septies mille, trecentos trigintaseptem: in
quibus *erant* [24] cantores & cantatrices ducentæ:
66 Equi eorum septingenti trigintasex; muli
eorum ducenti quadragintaquinque:
67 Cameli eorum quadringenti trigintaquin-
que: asini sexies mille, septingenti viginti.
68 Ex primoribus autem paternarum *familia-
rum* quum pervenissent ad domum Jehovæ qui
habitat Jeruschalaimis; quidam sponte se offeren-
tes ad domum Dei statuendam in sede ipsius:
69 Pro facultate sua dederunt in thesaurum
ipsius operis; auri [25] drachmas [f] semel & sexagi-
es mille, & [26] argenti pondo quinquies mille: &
tunicas Sacerdotum centum.
70 Ita habitaverunt Sacerdotes ac Levitæ, ex
quorum populo tum cantores tum janitores *e-
rant*, & Nethinæi in civitatibus suis: similiter om-
nes Jisraëlitæ in civitatibus suis.

[9] *qui & Addon, versu 60. ibid.* [16] ac proinde certam aliquam possessionē in Jehudæa obtinere. [17] qui se Levitas profitebantur: ut colligitur ex comparatione hujus versiculi cum præcedente & sequente. [18] de quo 2. Sche. 17.27. [f] *Heb. polluti sunt a sacerdotio.* [19] ex Judæorum consilio, ad quos res ista pertinebat. [20] quem vulgò cōmissarium vocant: ita enim Persica voce dicebatur. Is autem fuit Schefchbatzar, sup. 1.8. quē eundem plerique esse Zerubbabelem putant, ut suprà diximus in 1.11. [21] quibus consuleretur Deus, ex lege Num. 27.21. [22] Comprehensis illis qui sua natalia non potuerunt profiteri, tam ex Jisraëlitis quàm ex Levitis & Sacerdotibus. [23] i. isto numero. [24] quos Levitæ ad revocandum in usum musicam sacram (quam septuaginta annorū captivitate oblivioni tradiderant) instituta profectione pecunia coqperant. [25] i. quasi semel & sexagies mille ducatos: nam drachma quadrantem sicli pendebat. [f] *Heb. sex myriadas & mille.* [26] i. amplius centies vicies quinquies mille daleros. vide 1. Reg. 10.17.

CAPUT III.

Jisraëlitæ reduces altare exstruunt: sacrificiorum usum revocant: tabernaculorum festum celebrant, materiam & opifices curant, Levitas operi præficiunt: & fundamenta templi cum lætitia pariter & luctu jaciunt.

QUum autem advenisset [1] mensis septimus,
Jisraëlitis *versantibus* in civitatibus suis;
convenerunt populus [a] unanimiter Jeruschalai-
ma.
2 Ubi surgens [b] [2] Jeschuah filius Jotzada-
ki cum cognatis suis Sacerdotibus, ac [3] Zerub-
babel [4] filius Schealthielis cum cognatis suis, ex-
struxerunt altare Dei Jisraëlis; ad offerendum in
eo holocausta, sicut scriptum est in lege Moschis
viri Dei.
3 Cúmque statuissent altare [c] [5] in sede sua,
[6] quamvis [d] incuteretur ipsis terror a populis *a-
liarum* gentium; obtulerunt in eo holocausta
Jehovæ, holocausta, unoquoque mane & ve-
spere:
4 Et celebrârunt festum tabernaculorum, si-
cut præscriptum est; cum holocausto [e] suo in di-
em *quemque* [7] pro numero, secundùm ritum offi-
cii diurni die suo.

[1] i. in Autumno: quia primum anniversarium festū a Deo præscriptum, post eorum reditum in mensem illum incidit. [a] *Heb. sicut vir unus: ut Judic. 20.1.* [b] *qui & Jehotsadak, Chaggai 1.1.* [2] princeps Levitici ordinis. [3] princeps populi. [4] i. nepos, 1. Chr. 3.19. [c] *Deut. 12.5. & seq.* [e] *Heb. in sedibus suis.* [5] i. eo loco, ubi ante ruinam templi fuerat. [6] i. quamvis finitimi eis minitarentur: non tamen propterea destiterunt a restituendo quamprimùm Dei cultu: freti promissione Dei, Exo. 34.24. [d] *Heb. cum terrore super eos a populis, &c.* [e] *Heb. holocausto dici: nomen pro suo relativo,* [7] qui definitur in singulos dies, Num. 29.12. & seq.

5 Et postmodùm holocaustum juge & in no-
viluniis, ac in omnibus statis feriis Jehovæ, [8] res
sacras; deniq; omnis offerentis voluntariam ob-
lationem, *obtulerunt* Jehovæ.
6 A die primo mensis septimi cœperunt of-
ferre holocausta Jehovæ: quum templi Jehovæ
non esset jactum fundamentum.
7 Dederuntq; pecuniam putatoribus ac fa-
bris; cibumq; & potum ac oleum Tzidoniis ac
Tyriis, ut adveherent ligna cedrina ex Libano
in [9] mare Japhontis, secundùm facultatem [f] a
Cyro rege Persidis ipsis datam.
8 Anno autem secundo ex quo venerant ad
domū Dei Jeruschalaima, mense secundo; cœpe-
runt Zerubbabel filius Schealthielis, & Jeschuah
filius Jotzadaki, cæteriq; cognati eorū Sacerdo-
tes ac Levitæ, & omnes qui venerant e captivi-
tate Jeruschalaima, constituerentq; Levitas a na-
to viginti annos & deinceps, ut præessent operi
domus Jehovæ.
9 Assistebatque [10] Jeschuah, filii ejus &
cognati ejus, Kadmiel & filii ejus posteri [g] Jehu-
dæ simul ut præessent [11] opificibus in domo Dei:
& posteri Chenadadi filii eorum & cognati eo-
rum Levitæ.
10 Itaque fundantibus structoribus templum
Jehovæ, constituerunt Sacerdotes indutos cum
tubis, & Levitas posteros Asaphi cum cymbalis
ad laudandum Jehovam, cum *canticis* traditis [h] a
Davide rege Jisraëlis.
11 Qui exclamabant laudando & celebran-
do Jehovam, quoniam bonus *est*, quoniam in se-
culum benignitas ejus erga Jisraëlem: totus ve-
rò populus vociferabantur vociferatione magna
laudando Jehovam, eo quòd fundaretur domus
Jehovæ.
12 Multi autem ex Sacerdotibus & Levitis
primoribusq; paternarum *familiarum*, senes qui
viderant domum priorem in [12] fundatione sua,
[13] hac domo *versante* ante oculos eorum, flebant
voce magna: multi quoque vociferatione ex læ-
titia efferebant vocem.
13 Ita ut populus non internoscerent sonum
vociferationis ex lætitia, a voce fletus populi:
quia populus vociferabantur vociferatione ma-
gna, & vox illa audiebatur inde usque a lon-
ginquo.

[8] i. quælibet alia sacrificia, de quibus in Levitico. [9] i. ad maritimū portum Joppes (ut appellant auctores) unde cōmodè advehebantur ligna Hierosolyma propter itineris commoditatem & propinquitatem loci. [f] *Heb. Cyri regis Persidis erga eos.* [10] de quibus sup. 2.40. [g] *qui & Hodavia sup. 2.40.* [11] i. structoribus ipsis: ut posteri Chenadadi qui sequuntur præerant rebus importandis & deportandis, 2. Chr. 34. 12. & 13. est enim membrum ἀνανταπόδοτον. [h] *Heb. cum manibus: vide simile 2. Chro. 29.27.* [12] i. dum adhuc exsisteret: fuerat enim domus eversa tantùm ante sexaginta annos, i. captivitatis undecimo, 2 Reg. 25. 2. Chro. 36. & Jechezkel 40.1. [13] i. ejus fundamento: synecchdoche.

CAPUT IIII.

Hostes Judæorum frustra astu conati structuram templi Dei impedire: Toparcharum & summi Senatus opera conciliata muneribus, maximè Reges duos, Xerxem, & Artaxerxem Longimanum, contra Judæos inflammantes, obtinens interdictum exstruendi templum: quod deinde armis tuentur.

AUdientes autem hostes Jehudæ & Benjami-
nis, [a] istos deportatos ædificare templum Je-
hovæ Deo Jisraëlis:
2 Accesserunt ad Zerubbabelem, & ad pri-
mores paternarum *familiarum*, & [1] dixerunt eis,
ædificemus vobiscum, nam sicut vos requisituri
sumus Deum vestrum: non enim *alteri* [2] sacrifi-
camus *inde* a diebus [3] Esar-Chaddonis regis As-
syriæ, qui deduxit nos huc.
3 Dixit verò eis Zerubbabel, & Jeschuah
cum reliquis primoribus paternarum *fami-
liarum* Jisraëlis, non *est* [b] vestrum nobiscum
ædificare domum Deo nostro: sed nos *qui* u-
nà *sumus* ædificabimus Jehovæ Deo Jisraë-
lis, sicut præcepit nobis rex Cyrus rex Persi-
dis.

[a] *Heb. filios istius deportationis.* [1] hoc consilio ut illis intermixti personas inter se committerent, & ita opus intervertererent. [2] vide 2. Reg 17. 26. [3] filii Sancheribi, de quo 2. Reg. 19.37. [b] *Heb. vobis & nobis.*

4 Attamen

4 Attamen populus illius regionis [a] debilitabant manus populi Jehudæ; & turbabant eos in ædificando:

5 Præterea mercede conducebant consiliarios cótra eos ad dissolvendum consilium eorum, omnibus diebus [5] Cyri regis Persidis, usque ad regnum [c 6] Darii regis Persidis.

6 In regno autem [d 7] Asueri, principio regni ejus; [8] scripserunt accusationem contra habitatores Jehudæ & Jeruschalaimorum:

7 Et diebus [9] Artaxerxis scripsit [10] Bischlam, Mithredates, Tabeel & reliqui collegæ ejus ad Artaxerxem regem Persidis: cum exemplari [11] decreti [12] scripto Syrè, & exposito Syrè.

8 [13] Rechum præses consilii, & Schimschai legis-peritus scripserunt literas unas contra Jeruschelemum; Artaxerxi regi in eamdem sententiam.

9 [14] Tunc Rechum præses consilii, & Schimschai legis-peritus, & reliqui e collegio eorum; [15] Dinæi, & Aparsathcæi, Tarpelæi, Apharsæi, Acervæi, Babylonii, Schuschancæi, Dehavæi, Helamæi:

10 Et reliquæ nationes, quas deduxit [16] Osnappar magnus & gloriosus, ac collocavit in urbe Samariæ, & reliqui transfluvialis regionis *incolæ*, & quidem [17] eodem tempore:

11 Hoc *est* exemplum literarum quas miserunt ad ipsum, ad Artaxerxem regem: servi tui, homines transfluviales, [18] & tali tempore.

12 Notum sit regi, Jehudæos qui ascenderunt abs te, ad nos venisse Jeruschelemum: urbem ipsam rebellem & malam ædificare, murosq; perficere, ac fundamenta ipsa conjungere.

13 Jam verò notum sit regi, si urbs ista exædificetur, & muri perficiantur: [e] canonem veterem & vectigal non daturos, ita thesauro regum damnum attuleris.

14 Jam propterea quòd [f] salarium de *Regis* palatio percipimus, & spoliationem regis non est integrum nobis videre: idcircò mittimus ut notum faciamus regi.

15 Nam inquirat in libro commentariorum majorum tuorum, & inventurus es in libro commentariorum, & cogniturus, urbem istam urbem fuisse rebellem & damnosam regibus, provinciisq;, ac conspirationem facere in medio sui inde a diebus seculi: propterea urbem istam devastatam fuisse.

16 Notum facimus regi, si urbs ista exædificabitur, & muri perficientur; propterea partem in transfluviali regione non amplius fore tuam.

17 Responsum misit rex Rechumo præsidi consilii, & Schimschaio legis-perito, ac reliquis e collegio eorum qui habitabant in Samaria: & reliquis *in* regione transfluviali, Pax, & tali tempore.

18 Decretum quod misistis ad nos, explicatè lectum est coram me.

19 Et a me constituto consilio, inquisiverunt & invenerunt urbem istam inde a diebus seculi contra reges sese extulisse: rebellionemq; & conspirationem factam fuisse in ea.

20 Etiam reges potentes præfuisse Jeruschelemi, & dominatos *fuisse* in tota regione transfluviali: quibus canon vetus & vectigal dabatur.

21 Jam constituite consilium ad impediendum viros istos, ut urbs ista non ædificetur, donec a me consilium constitutum fuerit.

22 Et cavete errorem committere hac in re: ne crescat ruina in damnum regum.

23 Tunc ex quo exemplum decreti Artaxerxis regis lectum est coram Rechumo, & Schimschaio legis-perito, ac collegio eorum: profecti sunt [g] celeriter Jeruschelemum contra Jehudæos, quos impediverunt [h] armata manu.

24 Tunc impeditum est opus domus Dei qui habitat Jeruschelemi: & [19] mansit impeditum usque ad annum secundum regni [20] Darii regis Persidis.

CAPUT V.

Jehudæi de divina voluntate per prophetas moniti, diu intermissum opus resumunt, & vicinis illud impedire conantibus facti sui rationem reddunt: Qua audita illi Darium regem consulunt.

[1] QUO *anno* prophetavit Chaggai propheta & Zecarja filius Hiddonis prophetæ, *mandantes* Jehudæis qui erant in Jehudæa & Jeruschelemi; nomine inquam Dei Jisraëlis *mandantes* eis.

2 Tunc surgentes [1] Zerubbabel filius Schealtielis, & Jeschuah filius Jotzadaki, redorsi sunt ædificare domum Dei qui *habitat* Jeruschalaimis: & cum ipsis prophetæ Dei [2] juvantes eos.

3 Eo tempore venit ad eos Thathnai princeps trans flumen, & Schethar-Boznai cum collegio suo: qui sic dixerunt eis, [3] quis [a] contulit vobis jus domum istam ædificandi, & murum hunc perficiendi?

4 Tunc hujusmodi respondimus eis, *&* quæ essent nomina virorum qui hoc ædificium ædificarent.

5 Oculus autem Dei eorum aderat reducibus Jehudæis, ita ut non impediverint eos dum causa ad Darium perveniret: cujus tunc retulerunt [4] decretum super hac re.

6 Exemplum literarum quas misit Thathnai, princeps trans flumen, cum Schethar-Boznaio & collegio suo, Persici qui erant trans flumen, ad Darium regem.

7 Narrationem miserunt ad eum: [b] in qua sic scriptum erat: Dario regi pax omnis.

8 Notum sit regi nos profectos esse in Jehudæam provinciam, ad domum Dei magni quæ ædificatur lapidibus [c] maximis, & [5] ligna apponuntur parietibus: denique opus illud celeriter fit, & prospera-

---

[a] i. quum ipsi objiciebant impedimenta quæcunque poterant privata opera, tum mercenarium occupabant quorumdam consiliariorum in summo consilio Cyri & Cambysis Regum (quum alioqui stare sententiam regum animadverterent) ut quod apertè a Regibus non poterant obtinere, id cuniculis perficerent.

[5] & Cambysis filii, synecdochicè.

[c] Heb. *Darjaveschi: sic deinceps.*

[6] filii Hystaspis, qui tertius fuit a Cyro, hic enim sive gratiæ in populo conciliandæ studio, sive Atossæ Cyri filiæ amore (quam parto regno uxorem duxerat) sive utroque ductus, res gestas Cyri maximè & studiosissimè confirmabat ut stabiliret suas: quod prudentes quique principes factitare solent. Quapropter hujus quoque tempore mercenariam illam cuniculariorum operam admoverunt. Particula igitur, *usque*, Hebræo more inclusivè est accipienda, ut vulgus loquitur.

[d] *Heb. Achaschverosch: sic ubique.*

[7] i. Xerxis, qui eo nomine appellatus est, q.d. principem hæreditarium: tum quia fuit a Dario genitus postquam regnū consequutus esset, tum quia primus ex Atossa Cyri filia natus, ac proinde subrogatione & repræsentatione quadam succedens in Cyri avi sui locum. Qua de re legendus Herodotus principio Polymniæ. [8] i. hoc demum tempore actionem apertè instituerunt contra Jehudæos reædificantes templum. [9] illius qui μακρόχειρ vel Longimanus est dictus, natus Xerxe ex Amestri Otanis filia (ut Herodotus in Polymnia nominat) quam Ctesias Amistrin vel Amystrin vocat Onophæ filiam; id est, ex Esthera Abichajilis filia, ut dicturi sumus in librum Esther. [10] Toparchæ regionum trans Euphratem: qui in Jehudæos primi instituunt accusationem apud regem. [11] id est, diplomatis, quod a rege sanciri, & ad se remitti postulabant. [12] id est, tam literis, quàm sermone Syro: ut obsignatum eo commodiùs promulgari posset, Judæis lingua Babylonica (quæ Syra dicebatur) communiter utentibus. [13] hi duo præsides erant, partim corrupti pecunia, sup. V. 6. partim auctoritate Toparcharum abducti, & odio in Jehudæos inflammati: atque hi tamquam succenturiati, prout adornati erant, Toparcharum causam singularibus literis adjuverunt. [14] id est, quum Rex nolens temerè quicquam in gentem statuere, totius transfluvialis consilii testimonium judiciumq; postulavisset, benignè de Judæis sentiens. [15] id est, ut geographi nominant, Dennani, Paratæceni, Tapyri, Persæ, Araceni, Babylonii, Susani, Daritæ, qui etiam Zapavorteni, & Medorum pars: ex quibus omnibus colonias eò miserant reges Persidis, & Senatum composuerant. [16] qui suprà 2. V. Esar-Chaddon vocatur. [17] conventum habentes videlicet ut ex mandato regis cognoscerent quid esset facto opus, atque ad Regem perscriberent communicatis consiliis. [18] id est die, mense, & anno, N. nam temporis notatio, literis præfigebatur, ut mercatores & pragmatici forenses solent. sic infra V. 17. [e] Chal. de mensura vetustatis: sic versu 20. [f] Chal. salem palatii salimus.

[g] *Chal. cum celeritate.*

[h] *Heb. brachio & vi.*

[19] quasi annos quadraginta unum: Artaxerxes enim Longimanus annos 40. regnavit, quibus primū Darii annum oportet accedere.

[20] illius qui ante susceptum regnū dicebatur Ochus: posteà verò de more Persico assumsit Darii nomen. Atq; hic apud historicos Darius Nothus (nam erat nothus) appellatur.

[1] *Chaggai 1, 1. Zecar. 1, 1.*

[1] duo principes in populo, genere, ætate, & auctoritate gravissimi.

[2] verbo & opere.

[3] hoc & sequente versu oratio est anantapodotos: petitionis duo sunt capita, quorum posterius reticetur: responsionis item duo, quorum reticetur prius: vide infrà V. 9. cum duobus sequentibus.

[a] *Chal. posuit vel disposuit: sic deinceps.*

[4] quod habetur capite seq.

[b] *Chal. in cujus medio.*

[c] *Chal. devolutionis, i. tantæ magnitudinis ut ferri non possint, sed devolvantur: sic infrà 6, 4.*

[5] parietes tabulis vestimus.

prosperatur in manibus eorum.

9 Tunc interrogavimus reduces istos, hujusmodi dicentes eis; quis contulit vobis jus domum istam ædificandi, & murum ejus perficiendi?

10 Atque etiam nomina eorum petivimus ab eis, ut nota faceremus tibi: quò scriberemus nomen virorum qui *sunt* inter primarios eorum.

11 Qui hujusmodi sermone responderunt nobis, dicendo: nos sumus servi Dei cæli & terræ, & reædificamus domum quæ ædificata fuerat antehac inde a multis annis, quam rex Jisraëlis magnus ædificaverat & perfecerat.

12 Sed ex quo provocârunt majores nostri Deum celi, tradidit eos in manum Nebucadnetzaris regis Babyloniç Chaldæi: qui domum hanc destruxit, & populum deportavit in Babyloniam.

13 Verùm anno primo Cyri regis Babyloniæ; Cyrus rex contulit jus domum Dei istam ædificandi:

14 Insuper etiam instrumenta domus Dei, aurea & argentea; quæ Nebucadnetzar depromiserat e templo quod *erat* Jeruschelemi, & abduxerat in templum Babylonicum: [f] depromsit eadem Cyrus rex e templo Babylonico, traditaq; sunt *cuidam* Scheschbatzari nomine, quem principem constituerat:

f *Sup. 1. 7.*

15 Edicens ei, instrumenta hæc suscipe, abiens deduc ea in templum quod *est* Jeruschelemi; domúsque Dei ædificator in loco suo.

16 Tunc Scheschbatzar ille veniens posuit fundamenta domus Dei, qui *habitat* Jeruschelemi: atque ex eo tempore hucusque ædificatur, necdum est absoluta.

17 Nunc itaque si regi bonum videtur, perquiratur in [d] tabulario regis illic quod *est* in Babylonia; an ita sit, quòd a Cyro rege collatum sit jus ædificandi domum Dei istam Jeruschelemi: deinde [e] voluntatem suam rex super hoc mittat ad nos.

d *Chal. in loco gazarum: sic vocant omne repositorium.*
e *Chal. voluntatem Regis m.*

CAPUT VI.

Darius Nothus Cyri edictum sequutus ministris suis vetat, ne Jehudæos deinceps in structura templi impediant: pecuniam, materiam, sacrificia petentibus sine mora subministrari imperat: & contra venientibus ultimum supplicium decernit. Quod præstantibus illis templum absolvitur, & consecratur: restitutisq; in eo Sacerdotum ac Levitarum ordinibus, Pascha a toto populo celebratur.

TUnc Darius rex constituit [1] legem: quum perquisivissent in [a] chartophylacio, ubi tabulæ repositæ fuerant de [2] Babylonia;

2 Et inventum esset [3] Achmethç, in regia quç *est* in provincia Mediæ volumen quoddam; in quo sic scriptum erat, [4] Memoriale.

3 Anno primo Cyri regis, Cyrus rex constituit legem; domus Dei Jeruschelemi [5] intus ædificator, ut sit locus ubi sacrificent sacrificia, & fundamenta ejus attolluntor: [6] altitudine sua [7] cubitorum sexaginta, amplitudine cubitorum sexaginta:

4 Ordinibus lapidum maximorum ternis, & ordine lignorum novorum: & impensæ e domo regia traduntor.

5 Insuper etiam instrumenta domus Dei, aurea & argentea; quæ Nebucadnetzar depromiserat e templo quod *erat* Jeruschelemi, & deduxerat in Babyloniam: restituunto ut perveniat *unumquodque* in templum quod *erit* Jeruschelemi in locum suum, & collocetur in domo Dei.

6 Jam *itaque* Thathnai princeps trans flumen, Schethar-Boznai cum collegio suo, Persici qui *estis* trans flumen; remoti estote inde.

7 Sinite opus domus Dei illius: princeps Jehudæorum, & reduces Jehudæorum, domum Dei hujus ædificanto in loco suo.

8 Preterea a me constituitur lex; de eo quod facturi estis erga reduces Jehudæorum illos, in ędificanda domo Dei illius: ut de facultatibus regiis, de canone transfluviali illicò impensa tradatur viris illis, ne [8] impediatur.

9 Etiam quæ opus sunt, ut juvenci subrumi, & arietes, & agni ad holocausta pro Deo cæli, triticum, sal, vinum, & oleum, prout edixerint Sacerdotes qui *sunt* Jeruschelemi tradendum esse sibi [b] quotidie, error ne *committitor*:

10 Ut offerant res odoris grati Deo cæli; & orent pro vita [9] regis & [10] filiorum ejus.

11 Præterea a me constituitur lex; ut quisquis mutaverit rem hanc, amoveatur lignum a domo ejus, [11] quo erecto aboleatur in eo: domusq; ejus sterquilinium fiat hanc ob *causam*.

12 Deus verò cujus nomen habitat illic, dejiciet omnem regem & populum qui extenderit manum suam ad [12] mutandum, quò destruat domum Dei hujus, quæ *est* Jeruschelemi: ego Darius constitui legem, illicò efficitor.

13 Tunc Thathnai princeps trans flumen, Schethar-Boznai, & collegium eorum; propterea quòd mandaverat Darius rex hujusmodi, illicò effecerunt.

14 Reduces verò Jehudæorum ædificantes prosperabantur ex prophetia Chaggai prophetæ, & Zecarjæ filii Hiddonis: donec ædificantes perfecissent de sententia Dei Jisraëlis, & de sententia [13] Cyri, [14] & Darii, & [15] Artaxerxis regis Persidis.

15 Finita autem domo ista ad diem tertium mensis [16] Adar; quum esset annus sextus Darii regis:

16 Celebrârunt Jisraëlitæ, Sacerdotes ac Levitæ & reliqui [c] reduces deportationis, dedicationem domus Dei hujus cum gaudio.

17 Obtuleruntq; in dedicatione domus Dei hujus; juvencos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos: & hircos lactentes in peccata pro toto Jisraële duodecim, pro numero tribuum Jisraëlis.

18 Ubi constituissent Sacerdotes [17] ex partitione eorum, & Levitas ex distributione eorum, in ministerio Dei qui *habitat* Jeruschelemi: [g] secundùm præscriptum libri Moschis.

19 Deinde celebrârunt reduces deportationis Pascha; *die* quartodecimo mensis primi.

20 Nam mundaverant se Sacerdotes ac Levitæ pariter, omnes mundi erant: ideo [18] jugulârunt pascha pro omnibus reducibus deportationis, & pro cognatis suis Sacerdotibus, ac pro se ipsis.

21 Quod comederunt Jisraëlitæ qui reduces erant ex deportatione, & quisquis separatus ab immunditia gentium regionis [19] adjunxerat se illis: quærendo Jehovam Deum Jisraëlis.

22 Denique celebrârunt festum azymorum septem diebus cum lætitia: quoniam exhilaraverat

8 ædificium istud, de quo V. 7.
b *Chal. die in diem.*
9 Ochi sive Darii nothi, qui fuit hujus decreti auctor.
10 nempe Arsacæ qui pòst fuit Artaxerxes dictus, Cyri, Artostæ, & fortè etiam Oxendræ, si hoc tempore iam erat genitus. Hoc autem ut postularet Rex ampliùs adducebatur, quia alii liberi citò de vita decesserant, ut sibi a Parysatide fuisse narratum auctor est Ctesias.
11 i. suspendatur de eo.
12 legem meam hanc, ut V. 11.
13 illius primi, cujus animum excitavit Deus, ut libertatem Judæis pronunciaret, & imperaret templi instaurationem, suprà 1. 1. & 2. Chro. 36. 22.
14 nothi; qui antè Achus vel Ochus dicebatur, Persicè Achasch, id est princeps.
15 Mnemonis vel Memoris dicti, qui unà cum patre regnabat. Nam propterea huic Plutarchus tribuit annos duos & sexaginta regni, quia inde a principio in consortium regni a patre Dario notho vocatus est propter bella contra Secundianum aliosq; proceres obeunda.
16 qui duodecimus est, & maxima ex parte Februario nostro respondet.
c *Chal. filii deportationis: sic V. 19.* 17 quæ habentur 1. Chro. 24. 25. & 26. g *Num. 3. & 4.*
18 & pelle nudarunt, synecdoche. 19 ex lege Exodi 12. 48. & Num. 9. 14.

1 cujus verba habentur infra V. 6. & sequentibus.
a *Chal. in loco scriptorum.*
2 i. regno Babylonico.
3 i. Ecbatanis, ut auctores vocant, ubi regia erat Mediæ a Dejoce constituta. Herodot. fortassis ita dicta, quòd reges æstivam stationem illic haberent, ut hibernam Seleuciæ ad Tigrim: Strabo libr 11. Est enim Achmetha Chaldaicè, quasi locus æstivus. 4 Inscriptio voluminis. 5 i. intra mœnia urbis.
6 nimirū ad summum: hæc enim verba per concessionem interpretamur: quia certum est ex Chaggai 2. 4. multis nominibus excellentius fuisse Schelomonis ædificium: cùm hoc secundum pauciore hominum numero, & breviore tempore, & avocantibus in dies inimicis ædificatum sit. 7 putà communium, non autem sacrorum: de quibus Reges exteri quum agerent, popularem usum non autem sacram illam rationem probabile est sequutos esse. Atque hunc in modum constat longè amplius fuisse Schelomonis templum quàm istud fuerit.

laraverat eos Jehova, & converterat animum
[20] regis Aſſyriæ erga eos, ad confirmandum ma-
nus eorum in opere domus Dei, Dei Jiſraëlis.

20 i. Darii nothi, ſive Ochi, qui, communicato regno cum Arſaca vel Artaxerxe filio, citeriores ac meridianas regni partes ei commiſerat; ſibi verò ulteriores & magis ad Boream ſpectantes regendas aſſumſerat, velut ſibi magis pro ſua ætate commodas, & jam olim magis exploratas: nam vivo Artaxerxe patre Satrapes Hyrcaniorum fuerat, & ibi Paryſatida uxorem duxerat. Auctor Cteſias libro Perſicorum 18. Quamobrem Rex Aſſyriæ hoc loco appellatur, quo nomine totus ſuperior tractus Perſarum regni deſignatur. Plin. lib. 6. natur. hiſt. cap. 13. Perſarum regna, quæ nunc Parthorum intelligimus, inter duo maria, Perſicum & Hyrcanum, Caucaſiis jugis attolluntur, &c. quem locum opus eſt cum altero Herodoti in Melpomene comparari. Tractus enim qui ad mare Caſpium, Aſſyria; qui ad rubrum mare vel ſinum Perſicum pertinebat, dicebatur Perſis. Quapropter Ecbatanis fuiſſe regia & metropolis dicebatur ſuprà 2. verſ. & pro vita Regis ac filiorum ejus ſupplicari voluit, verſu 10. & templum de ſententia Darii & Artaxerxis Regis ædificatum fuiſſe traditur, verſu 14. Propterea vero ſingularis hic facta eſt Regis Aſſyriæ mentio, quòd hæc altera pars Judæorum reducum ex ſuperiore tractu regni Perſici profecta ſit: quemadmodum ex inferiore tractu illius diſceſſerant plurimùm ii quos priùs Zerubbabel reduxerat in Judæam, ſuprà 1. & 2. Atque ita eſſe demonſtrat capitis 8. hiſtoria.

CAPUT VII.

Hezra Jeruſchalaima ad Eccleſiam reformandam profecturus, regia auctoritate munitur: qua fretus magnum Jiſraëlitarum comitatum abducit, & Deo benedicit.

DEinde his rebus geſtis, [1] regnante Artaxerxe
rege Perſidis: Hezra filius [2] Serajæ, filii Ha-
zarjæ, filii Chilkijæ,
2 Filii Schallumi, filii Tzadoki, filii Achitubi,
3 Filii Amarjæ, filii Hazarjæ, [3] filii Merajothi,
4 Filii Zerachjæ, filii Huzzi, filii Bukki,
5 Filii Abiſchuhæ, filii Pinchaſi, filii Elhaza-
ris, filii Aharonis Sacerdotis primarii:
6 Hic *inquam* Hezra aſcendit e Babylonia
(erat autem legis peritus promtus in lege Mo-
ſchis, quam dederat Jehova Deus Jiſraëlis) quum
dediſſet ei rex, prout manus Jehovæ Dei ejus ad-
erat ei, omnem petitionem ejus.
7 Aſcenderuntque ex Jiſraëlitis, & e Sacer-
dotibus ac Levitis, tam muſicis quàm janitoribus
Nethinæiſque; Jeruſchalaima; anno [4] ſeptimo Ar-
taxerxis regis.
8 Pervenit verò Jeruſchalaima menſe illius
quinto: qui annus ſeptimus erat regi.
9 Siquidem primo *die* menſis primi ipſe *fuit*
[a] auctor aſcendendi e Babylonia: primo autem
die menſis quinti pervenit Jeruſchalaima, prout
manus Dei ejus optima adfuerat ei.
10 Nam Hezra comparaverat [b] animum ſu-
um ad [5] quærendum legem Jehovæ & ad præ-
ſtandum eam; & ad docendum Jiſraëlem ſtatuta
ac judicia.
11 Hoc autem *eſt* exemplum decreti quod
dedit rex Artaxerxes Hezræ Sacerdoti legis pe-
rito; perito rerum [c] quas præcipit Jehova, & ſta-
tutorum ejus in Jiſraële.
12 Artaxerxes rex regum; Hezræ Sacerdoti
perito legis Dei cæleſtis, [d] incolumitatem, & tali
[6] tempore.
13 A me conſtituitur lex; ut quicunque ſpon-
te ſe obtulerit in regno meo e populo Jiſraëlis,
Sacerdotibuſque ejus, ac Levitis ad proficiſcen-
dum Jeruſchelemum tecum, proficiſcatur.
14 Quandoquidem a rege & [7] ſeptem conſi-
liariis ejus mitteris ad [8] quæſtionem habendam
in Jehudæa & Jeruſchelemi; de lege Dei tui, quæ
eſt tibi ad manum:
15 Et ad deferendum argentum & aurum; &
quod rex & conſiliarii ejus ſponte offerunt Deo
Jiſraëlis, cujus Jeruſchelemi *eſt* habitaculum:
16 Cum toto argento & auro quod inveneris
in tota provincia Babyloniæ; cum voluntaria ob-
latione populi & Sacerdotum ſponte offerentium
pro domo Dei ſui, quæ *eſt* Jeruſchelemi;

1 i. quum defuncto patre ſolus regno potiretur Arſacas ſive Artaxerxes, Mnemon vel Memor appellatus, de quo diximus ſuprà in 6, 14.
2 de quo 2. Reg. 25. 21. vide 1. Chron. 6. 3. & ſequentib.
3 hic ſex brevitatis cauſâ omittuntur, de quibus 1. Chron. 6.
4 putà ex quo tempore ſolus regnare cœpit,
a *Heb. fundamentum aſcenſus*
b *Heb. cor: ſic deinc.*
5 i. ad cognoſcendum de obſervatione legis & legitima conſtitutione Eccleſiæ: quam ideò ſtudioſius in libris duobus Chronicorum propoſuit ad imitationem.
c *Heb. præceptorum Jehovæ.*
d *Chald. perfectionem.*
6 vide ſupr. 4. 11.
7 i. ſummis Satrapis, qui inde à retecta Magorum fraude ſeptem regibus Perſiæ adfuerunt, & ſoli eorum conſpectu liberè uſi ſunt, Eſther 1. 10. & 14.
8 i. ad cognoſcendum utrùm ibi res ſint divinæ legi conformatæ.

17 Ut illicò emas pecunia iſta, juvencos, arie-
tes, agnos cum munere eorum & libaminibus eo-
rum: & offeras ea in altari domus Dei veſtri, quæ
eſt Jeruſchelemi.
18 Quod autem tibi & [9] cognatis tuis bonum
videbitur reliquo argento & auro facere; pro vo-
luntate Dei veſtri facitote:
19 Et inſtrumenta quæ traduntur tibi ad mi-
niſterium domus Dei tui; reddito coram Deo Je-
ruſchelemi.
20 Reliqua verò neceſſaria domui Dei tui, quæ
acciderint tibi tradenda; tradito ex ærario regis.
21 Prætereà a me, me Artaxerxe rege, conſti-
tuitur lex omnibus quæſtoribus qui *eſtis* trans flu-
men: ut quicquid poſtulaverit a vobis Hezra Sa-
cerdos peritus legis Dei cæleſtis, illicò efficiatur:
22 Uſque ad argenti [10] talenta centum; & ad
tritici [11] coros centum, & ad vini [12] bathos cen-
tum, ac uſque ad bathos olei centum; ſalis verò
quantum non poteſt præſcribi.
23 Quicquid *eſt* ex ſententia Dei cæli, perfi-
citor diligenter in domo Dei cæli: ut non ſit fer-
vens ira contra regnum, regem, aut [13] filios ejus.
24 Item notum vobis facimus, ullis Sacerdo-
tibus aut Levitis, muſicis, janitoribus, Nethinæis
& miniſtris domus Dei iſtius; [14] canonem vete-
rem aut vectigal non licere imponere.
25 Tu autem Hezra, pro ſapientia Dei tui quæ
tibi ad manum *eſt*, conſtitue judices & cauſarum
cognitores, qui cauſas cognoſcant in toto popu-
lo qui *eſt* trans flumen, ex omnibus ſcientibus le-
gis Dei tui: & qui neſciverit, eum docetote.
26 Quicunque verò non fecerit legem Dei
tui, & legem regis, illicò judicatum fiat de eo: ſive
morti, ſive [e] exſilio, ſive mulctæ facultatum, ſive
vinculis *adjudicetur*.
27 Benedictus *ſit* Jehova Deus majorum no-
ſtrorum; qui indidit rem talem animo regis, ad
ornandum domum Jehovæ quæ *eſt* Jeruſcha-
laimis:
28 Et erga me advertit benignitatem coram
rege conſiliariiſque ejus, ac omnibus principibus
regis potentibus: ego itaque confirmans me,
prout manus Jehovæ Dei mei aderat mihi, con-
gregavi ex Jiſraële primarios qui aſcenderent
mecum.

9 i. reliquo conſilio Sacerdotum.
10 vide Exodi 38. 25. & Nechem. 11. 23.
11 vide 1. Reg. 4. 21.
12 1. Reg. 7. 26.
13 nempe Darium, Ochum, Ariaſpem, & Arſamem, prout a Plutarcho in Artoxerxe nominantur.
14 ſuprà 4. 13.
e *Chald. radicationi: nam natale ſolum plantario, & exilium exſtirpationi comparatur: vide Levitici 25. 47.*

CAPUT VIII.

Hezra comites recenſentur: celebrato jejunio, & traditis in manum Sacerdotum ac Levitarum oblationibus, profectio inſtituitur & abſolvitur: poſteà Jeruſchalaimis res conſecratæ in theſaurum reponuntur, & ſacrificia offeruntur Deo, regiſque decreta exſequutioni mandantur.

HI autem *ſunt* primores paternarum *famili-
arum* & genus eorum: qui aſcenderunt me-
cum regnante Artaxerxe rege, ex Babylonia.
2 E poſteris Pinchaſi, Gerſchom, e poſteris
Ithamaris, Danijel: e poſteris Davjdis, Chattuſch.
3 E poſteris Schecanjæ, [1] e natis Parhoſchi,
Zecarja: & cum eo *viri* generis recenſione per
mares centum quinquaginta *erant*.
4 E poſteris Pachat-Moabi, Eljehohenai fi-
lius Zerachjæ: & cum eo ducenti mares.
5 E poſteris Schecanjæ filii Jachazielis; cum
quo trecenti mares.
6 Et e poſteris Hadinis, Hebed filius Jona-
thanis: & cum eo quinquaginta mares.
7 Item e poſteris Helami, Jeſchahja filius Ha-
thaljæ: & cum eo ſeptuaginta mares.
8 Item e poſteris Scephatjæ, Zebadja filius
Micaëlis: & cum eo octoginta mares.

1 ad diſcrimen alterius Schecanjæ de quo verſu 5.

9 E poſte-

9 E posteris Joabi, Hobadja filius Jechielis: & cum eo ducenti octodecim mares.

10 Item e posteris Schelomithi, filius Josiphjæ: & cum eo centum sexaginta mares.

11 Item e posteris Bebai, Zecarja filius Bebai: & cum eo viginti octo mares.

12 Item e posteris Hazgadis, Jochanan filius Katanis: & cum eo centum decem mares:

13 Item e posteris Adonikami [a] posterioribus; quorum hæc *sunt* nomina, Eliphelet, Jehiel, & Schemahja: & cum eis sexaginta mares.

14 Denique e posteris Bigvai, Huthai & Zabbud: & cum eis septuaginta mares.

15 Quum autem congregâssem eos ad [3] flumen quod alluit [4] Ahavam, & castra haberemus ibi diebus tribus, animum adverti ad populum & ad sacerdotes, at e Levitis neminem inveni ibi.

16 Quapropter amandavi Elihezerem, Arielem, Schemahjam, cum Elnathane, & Jaribo, ac Elnathane, atque Nathane & Zecarjam, ac Meschullamum primores: Joiaribum quoque & Elnathanem doctores:

17 Et dimisi eos, ad Iddonem primarium in [5] Casiphja loco: indens ori eorum verba quibus alloquerentur Iddonem, Achivum, *&* Nethinæos in Casiphja loco, ut adducerent ad nos ministros pro domo Dei nostri.

18 Qui adduxerunt ad nos, prout manus Dei nostri optima aderat nobis, virum [a] intelligentem e posteris Machli, filii Levi, filii Jisraëlis: nempe Scherebjam cum filiis ejus & cognatis ejus octodecim:

19 Item Chaschabjam, & cum eo Jeschahjam e posteris Merari; cognatos illius & filios eorum viginti.

20 Ex Nethinæis autem, quos [6] dediderat David ac principes ministerio Levitarum, Nethinæos ducentos viginti: omnes exprimebantur nominibus.

21 Tum proclamavi ibi jejunium ad flumen Ahavę, quò affligeremus nos coram Deo nostro; quærentes ab eo viam rectam pro nobis, ac parvulis nostris, omnibusq; facultatibus nostris.

22 Nam puduerat me petere a rege copias aut equites, ut auxilio essent nobis ab hoste in hoc itinere: quia alloquuti fueramus regem dicendo, manus Dei nostri omnibus quærentibus ipsum adest ad bonum, robur verò ejus & *quidem* iræ ejus contra omnes derelinquentes eum.

23 Quum itaque jejunantes quæsivissemus a Deo nostro hanc rem; exoratus est nobis.

24 Tunc disparavi e principibus Sacerdotum duodecim; cum [7] Scherebja, Chaschabja, & cum eis ex cognatis eorum decem:

25 Quibus appendi argentum istud, & aurum, & instrumenta: oblationem domus Dei nostri, quam obtulerant rex & consiliarii ejus ac principes ejus, & omnes Jisraëlitæ qui præstò fuerant:

26 Appendi inquam, ad manum eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & instrumenta argentea centum talentorum; auri centum talenta:

27 Item crateras aureos viginti, drachmarum millenûm; & instrumenta ex [b] [8] orichalco præstante duo, pretiosa ut aurum:

28 Et edixi illis, vos *estis* sancti Jehovæ, hæc quoque instrumenta *sunt* sancta: argentum etiam ac aurum *sunt* voluntaria oblatio Jehovæ Deo majorum vestrorum.

29 [c] Sedulò observate donec *ea* appendatis coram principibus Sacerdotum ac Levitarum, principibusq; paternarum *familiarum* Jisraëlis Jeruschalaimis; *in* cellis in domo Jehovę *reponenda*.

30 Ita receperunt Sacerdotes ac Levitæ pondus illud argenti & auri ac instrumentorum, deferendum Jeruschalaima in domum Dei nostri.

31 Tunc profecti sumus a flumine Ahavę duodecimo *die* mensis primi ad eundum Jeruschalaima: & manus Dei nostri adfuit nobis qua liberavit nos e manu hostis, & insidiantis in hoc itinere.

32 Denique postquam pervenimus Jeruschalaima; & consedimus ibi diebus tribus:

33 Die quarto expensum est illud argentum, & aurum, ac instrumenta in domo Dei nostri, ad manū Meremothi filii Urijæ Sacerdotis, & [d] collegæ ejus Elhazaris filii Pinchasi: quibuscum *erat* Jozabad filius Jeschuhæ, & Nohadja filius Binnui Levitæ.

34 Ex numero, ex pondere cuique *attributo*: [9] inscriptumq; est totum illud pondus tempore eodem.

35 Qui venerant a captivitate [e] reduces deportationis obtulerunt holocausta Deo Jisraëlis, juvencos duodecim [10] pro toto Jisraële, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos peccati duodecim: hæc omnia *in* holocaustum Jehovæ.

36 Posteà tradiderunt edicta regis satrapis regiis & principibus trans flumen: qui [11] sublevârunt populum & domum Dei.

CAPUT IX.

Hezra de affinitate Jisraëlitarum cum exteris certior factus, luget, jejunat, & Dei iram sedulò pro omnibus publicè deprecatur.

His autem completis, accesserunt ad me principes, dicendo, non separaverunt se hic populus Jisraëlitæ & Sacerdotes ac Levitæ a populis aliarum regionum: secundùm abominationes illorū Cenahanæorum, Chitthæorum, Perizzęorum, Jebusęorum, Hammonitarum, Moabitarum, Ægyptiorum, & Emoræorum *fecerunt*.

2 Nam assumserunt de [1] filiabus illorum; sibi & filiis suis, ita ut commiscuerint se [2] semen sanctum cum populis illarum regionum: etiam manus ipsorum principum & antistitum [3] prima fuit in prævaricatione ista.

3 Itaque audiens rem hanc [4] laceravi vestem meam & pallium meum: & [5] vellens de capillis capitis mei, & barbæ meæ sedebam desolatus.

4 Tunc ad me congregaverunt se quisquis trepidabat ad verba Dei Jisraëlis, propter prævaricationem [a] deportatæ multitudinis; dum ego sedebam desolatus, usque ad [6] *tempus* muneris vespertini.

5 *Tempore* autem muneris vespertini surrexi ab afflictione mei, idq; laceratam habens vestem meam & pallium meum; & flectens in genua mea, expandi manus meas ad Jehovam Deum meum:

6 [7] Ac dixi: Deus mi, pudet me & erubesco attollere, Deus mi, faciem meam ad te: [8] nam iniquitates nostræ creverunt supra caput, & reatus noster magnus est in cælum usque.

7 Inde a diebus majorum nostrorum sumus in reatu magno usq; in diem hunc, adeò ut propter iniquitates nostras traditi fuerimus nos, reges nostri, & Sacerdotes nostri in manum regum istarum regionum gladio, captivitati, & prædæ,

[a] eorum respectu qui primùm cum Zerubbabele profecti sunt, sup. 2. 13.
[3] Diavam putà & Adiavam, quibus impositū est opidum quod Obanam Ptolemæus vocat.
[4] i. Adiabenam regionem Assyriç, conterminam Armeniæ & Mesopotamiæ. Ammianus libro 23. Juxta hunc circuitum Adiabena est Assyria priscis temporibus vocitata, longaq; assuetudine ad hoc translata vocabulum, ea re quòd inter Oenam & Tigridem sita navigeros fluvios adire vado nunquam potuit: transire enim διαβαίνειν dicimus Græci. Et veteres quidem hoc arbitrantur. Nos autem dicimus quod in his terris amnes sunt duo perpetui, quos & transivimus, Diavas & Adiavas, juncti navalibus pontibus: ideoq; intelligi Adiavenam cognominatam, ut a fluminibus maximis Ægyptus Homero auctore, & India, & Euphratensis antehac Commagena, itidemq; Iberia, &c.
[5] i. in regione Caspiorum conterminorum Armeniæ in summa parte Mediæ inter Armeniam & Hyrcaniam sita. Nam etsi hæ regiones procul dissitæ fuerunt: tamen non dubium est, quin brevi spatio totum illud iter confecerint, freti diplomate regis, & cōmoditate Angariarum, ut vocabant Persæ. i. stationum, in quibus equi celeres passim dispositi erant jussu regis.
[a] *Heb. intelligentia.*
[6] quum Levitas in ordines distribueret, 1. Chr. 25. & 26. vide Jehos. 9. 21. & 1. Chron. 9. 2.
[7] Levitis, suprà 18 & 19. V. qui ex officio Sacerdotibus ministrabant, ut infrà V. 30. [b] *Heb. æris fulgentis.*
[8] i. electri præstantissimo genere, quod Festus vocat auricalcum.

[c] *Heb. seduli estote & observate.*
[d] *Heb. & cum eo.*
[9] i. in acta publica relatum, ut publico instrumento liberata esset illorum fides.
[e] *Heb. filii.*
[10] ut sup. 6. 17.
[11] ut supr. 1. 4.

[1] Manentibus in superstitione gentis suæ, atque ideo alienis a fœdere Dei: nam hæc ex auctoritate tum Dei tum Ecclesiæ matrimonia non sunt: quia per illud tempus contra Legem Dei expressumq; interdictum ejus, & contra omnia jura civilia & Ecclesiastica inibantur, vide Deu. 7. 2.
[2] i. vocatum ad sanctitatem, & Dei gratia ab aliis separatum.
[3] infrà 10. V. 17. & sequentibus.
[4] lugentium more, Gen. 35. 34.
[5] non religiosæ superstitionis ergô, Levitici 19. 31. & Deut. 14. sed præ gravitate mœroris.
[a] *Heb. deportationis.*
[6] i. horam diei nonam: sic sequen. versu.
[7] insinuatio, ut in causa turpissima. [8] propositionis pars prima: confessio peccati prioris ante captivitatem, & posterioris a tempore liberationis.

ac pudori vultus,ſicut *eſt* [9] hodierno die.
8 At nunc quum ex [10] minimo momento
[11] facta eſt gratia a Jehova Deo noſtro, relin-
quendo nobis reſiduum,& ponendo nobis [12] cla-
vum in loco ſancto ejus: quum [13] illuſtrans ocu-
los noſtros Deus noſter dedit nobis reſtitutio-
nem aliquantulam in ſervitute noſtra:
9 Quum exſiſtentes ſervos, tamen in ſervi-
tute noſtra non dereliquit nos Deus noſter: ſed
[14] advertit erga nos benignitatem coram regibus
Perſidis, dando nobis reſtitutionem, ut [15] extol-
lamus domum Dei noſtri, & reſtituamus vaſtita-
tes ejus,denique dando nobis [16] maceriam in Je-
huda & Jeruſchalaimis:
10 Nunc,inquam,quid dicemus,Deus noſter,
[17] poſt hoc; quum dereliquerimus præcepta tua?
11 [18] Quæ præcepiſti per ſervos tuos prophe-
tas, dicendo; [a]terra illa quam ingreſſuri eſtis ad
hæreditario jure poſſidendum eam,terra impura
eſt ab impuritate pupulorũ regionum ejus: prop-
ter abominationes eorum, quibus impleverunt
eam [b] confertim & paſſim immunditia ſua.
12 [g]Nunc ergo filias veſtras ne traditote filiis
illorum, & filias illorum ne aſſumitote filiis ve-
ſtris,nec quæritote pacem illorum & bonum eo-
rum uſque in ſeculum: ut confirmemini, & com-
edatis præſtantiam terræ illius, & hæreditario
jure poſſidendam tradatis filiis veſtris uſque in
ſeculum.
13 Etiam poſt totum id quod evenit nobis
propter facta noſtra peſſima, & propter reatum
noſtrum maximum: quum tu Deus noſter cohi-
buiſti [19] infrà peccata noſtra: & dediſti nobis re-
ſiduum hujuſmodi:
14 An [c]rurſus irrita faceremus præcepta tua,
& quidem affinitatem jungentes cum populis
[d] abominandis iſtis? an non percellereris ira con-
tra nos,donec conſumeres, ut non eſſet ſuperſtes
aut reſiduum?
15 [20] Jehova Deus Jiſraëlis juſtus es,quòd fa-
cti ſimus reſidui ſicut *eſt* hodierno die: ecce nos
[21] coram te in reatibus noſtris, quamvis non ſit
conſiſtendum coram te cum hoc.

9 in plurima parte noſtrûm.
10 i.a paucis annis: hyperbole ad exaggerationem peccati.
11 alter locus exaggerationis, a magnitudine beneficii Dei.
12 i.veluti trabali clavo ſtatum hunc noſtrum ſancto loco affigendo: ſic Jeſchaħ.22.23.
13 ex gravitate calamitatum defectos: vide 1. Schem 14.28.
14 ut ſuprà 7.28.
15 i.collapſam erigamus,& cultum in ea reſtituamus: Tertius exaggerationis locus.
16 i. nos circumquaque muniendo: metaphora.
17 tantum in nos collatum beneficium.
18 quartus exaggerationis locus a monitis Dei præcedentibus: quòd plus ſatis præcaverat Deus, ne ignorantiam pro excuſatione adferrent.
a *Levitici* 18.25. *&* 27.
b *Heb.ab ore ad os. i.ab una extremitate ad alteram.*
g *Deut.*7.3.*&* 23.6.
19 i.mitius eſſe voluiſti, quàm meriti eſſemus peccatis noſtris.
c *Heb.reverteremur ad irrita faciendum.* d *Heb.abominationum.* 20 Concluſio,qua juſtitiam Deo tribuit: ſibi & populo reatum,& iram Dei deprecatur ab incepto redemtionis beneficio. 21 i.exponimus nos tibi, agnoſcentes reatum & indignitatem noſtram; ſed illi juſtitiæ tuæ confidentes, qua nomen tuum & populum tuum e manu inimicorum tuorum vindicâſti in Filio dilectionis tuæ, citra contemplationem indignitatis noſtræ.

CAPUT X.

Hezra cum adjunctis ſibi ex ſingulis ordinibus, populum Dei a conſuetudine alienigenarum repurgat; illis,illarumq; liberis a populo Dei ablegatis.

QUum autem oraret Hezra, & confiteretur
flens ac ſe poſternens ante domũ Dei: con-
gregati ſunt ad eum ex Jiſraële congregatione
multa valdè, viri mulieresq; & pueri, quum fle-
rent populus ille permulto fletu:
2 Et loquutus Schecanja filius Jechielis e
poſteris Helami,dixit Hezræ,nos prævaricati ſu-
mus in Deum noſtrum,quòd [a]conſociavimus do-
mo uxores alienigenas e populis terræ: ſed nunc
eſt [b] quod Jiſraël ſperet hac in re.
3 [1] Nunc ergo pangamus fœdus cum Deo
noſtro, [2] ejiciendo omnes uxores & natos ex eis,
ex conſilio domini & eorum [3] qui trepidant ad
præceptum Dei noſtri: denique ſecundùm le-
gem efficitor.
4 Surge, nam tibi incumbit hæc res, & nos
aderimus tibi: confirmare & effice.
5 Itaque ſurgens Hezta adjuravit principes

a *Heb.fecimus ut reſiderent* domi: *ſic deinceps.*
b *Heb.eſt ſpes Jiſraëli ſuper hoc.*
1 remedium proponit, ſpei de qua dixerat rationem oſtendens: nimirũ ut fœdus cum Deo,alienigenarum conſortio abruptum redintegretur.
2 i.poſtquam ejecerimus mulieres & partus,quorum conſortio (quia lege impuri ſunt) fœdantur viri,& ipſa Eccleſia fœdaretur,ſi eos toleraret.
3 i.qui inculpatè hac in re ipſi vixerunt, & in familia ſua non tolerârunt.

Sacerdotum,Levitas & totum Jiſraëlem,ut face-
rent ſecundùm rem hanc,& jurârunt.
6 Poſteà ſurrexit Hezra ab [4] anteriore parte
domus Dei [5] ut abiret in cellam Jehochananis
filii Eljaſchibi: & abivit illic,cibum nondum co-
mederat, nec aquam biberat,quia lugebat prop-
ter prævaricationem deportatæ multitudinis.
7 Ita [c] promulgârunt per Jehudam & Je-
ruſchalaima,omnibus [d] reducibus deportationis,
ut congregarent ſe Jeruſchalaima:
8 Et quiſquis non venturus eſſet intra tridu-
um ex conſilio principum ac ſeniorum, [6] anathe-
ma fore omnes facultates ejus; ipſum verò [7]ſepa-
ratum iri a cõgregatione deportatę multitudinis.
9 Quam ob rem congregati omnes homines
Jehudæ & Binjaminis Jeruſchalaima tertio die
ipſius [8] menſis noni,*die* vigeſimo menſis: conſide-
bant totus ille populus [9] in platea domus Dei,
trementes propter hanc rem,& ex pluviis.
10 Tunc ſurgens Hezra Sacerdos edixit eis,
vos prævaricati eſtis quòd cõſociâſtis domo uxo-
res alienigenas; ſuperaddentes reatui Jiſraëlis:
11 Nunc ergo edite confeſſionem Jehovæ
Deo majorum veſtrorum, & facite voluntatem
ejus: & ſeparate vos a populis iſtis terræ, & ab
uxoribus alienigenis.
12 Cui reſpondentes tota illa congregatio,di-
xerunt voce magna; ſecundùm verbum tuum,ſic
noſtrum eſt facere.
13 Verùm populus multus *eſt*, & tempus hoc
[e] pluvioſum *eſt*, nec *eſt* vis conſiſtendi foris: hoc
autem opus non *eſt* diei unius neque duorum,
quia [f] plurimi defecimus in hac re.
14 Conſiſtant,quæſumus,principes noſtri to-
tius hujus congregationis, & quiſquis *eſt* in civi-
tatibus noſtris,qui conſociaverit domo uxores a-
lienigenas,veniet temporibus deſignatis,& [10] cum
ipſis ſeniores [g] cujuſque civitatis, ac judices ejus:
uſquedum avertamus æſtuantem iram Dei no-
ſtri,uſquedum hæc res *confecta ſit*.
15 [11] Tantùm Jonathan filius Haſaëlis,& Jach-
zeja filius Thikvę conſtiterunt ad iſtud: Meſchul-
lam verò & Schabbethai Levitę adjuverunt eos.
16 Facientibus itaq; ſic reducibus ex depor-
tatione; ſeparati ſunt Hezra Sacerdos, homines
primarii paternarum *familiarum* pro familiis pa-
ternis ſuis, & hi omnes nominibus expreſſi: ſede-
runtq; die primo menſis decimi, ad quæſtionem
habendam ejus rei:
17 Perfeceruntq; cum omnibus illis homini-
bus qui conſociaverant domo uxores alienige-
nas; uſque ad diem primum menſis primi.
18 Deprehenſi autem ſunt e filiis Sacerdotũ,
qui conſociaverant domo uxores alienigenas; e
filiis Jeſchuħæ filii Jorzadaki & cognatis ejus,
Maħaſeja,& Eliħezer,& Jarib,& Gedalja:
19 Qui adhibuerunt manum ſuam ad ejicien-
dum uxores ſuas: & reatum confitentes, [12] arie-
tem ex grege pro reatu ſuo *obtulerunt*.
20 Item e poſteris Immeris, Chanani, & Ze-
badja.
21 Item e poſteris Charimi; Maħaſeja,& Eli-
ja,& Schemaħja,& Jechiel,& Huzzija.
22 Item e poſteris Paſchchuris; Eljoħenai,
Maħaſeja, Jiſchmaħel, Nethaneel, Jozabad, &
Elħaſa.
23 Ex [13] Levitis autem; Jozabad,& Schimħi,
& Kelaja, idem Kelita, Petachja, Jehuda, & Eli-
ħeſer.
24 Item e muſicis, Eljaſchib: & ex janitori-
bus,Schallum,& Telem,& Uri.
25 De Jiſraëlitis verò; e poſteris Parħoſchi,

4 i.a loco atrii populi.
5 ubi conſilium hac de re haberetur: cujus exſequutio ſequentibus verſibus deſcribitur.
c *Heb.tranſmiſerunt vocem.*
d *Heb.filiis deportationis: ſic* ꝟ.16.
6 i.excommunicatum.
7 vide Levitici 27.28.
8 ratione anni legalis,de quo vide annotata Exodi 12. Eſt autem is quem vocant Ciſleu,reſpondens ex parte noſtro Novembri.
9 i. in loco atrii nondum cincto muris,ut apparet ex Nechemjæ 2.8.
e *Heb.pluviarum.*
f *Heb.multiplicavimus deficere.*
10 i.quos magiſtratus cujuſque loci Jeruſchalaimis apud conſilium illud maximum ſiſtent teſtificantes ſe cives ſuos luſtrâſſe, eosq; quos adduxerint reos deprehendiſſe.
g *Heb.civitatis & civitatis.*
11 ex Sacerdotibus: quod ex antitheſi ſequentis membri colligitur: cauſam vide ſupra ver. 9 quam obrem ne ſummus quidem Sacerdos huic conſilio interfuit: vide infrà ꝟ. 18.
12 quod per analogiam de ſingulis ſequentibus accipiendam eſt: Simile vide Gen. 49.16.
13 qui Sacerdotibus miniſtrabant, ut ex antitheſi ſequentium colligitur: cujuſmodi fuit ſuprà ꝟ.15.

Ramja,& Jizzija,& Malcija,& Mijamin,& Elhazar,& Malcija,& Benaja.
26 Item e posteris Helami; Matthanja, Zecarja,& Jechiel, & Habdi,& Jeremoth,& Elija.
27 Item e posteris Zatthu; Eljohenai, Eljaschib, Matthanja, & Jeremoth, & Zabad, & Haziza.
28 Item e posteris Bebai; Jehochanan, Chananja, Zabbai, Hathlai.
29 Item e posteris Bani; Meschullam, Malluc,& Hadaja, Jaschub, Scheal,& Ramoth.
30 Item e posteris Pachath-Moabi, ex Hadna & Celale; Benaja, Mahaseja, Matthanja, Betzaleel,& Binnui, ac Menasche.
31 Item e posteris Charimi; Elihezer, Jischija, Malcija, Schemahja, Schimhon:
32 Binjamin, Malluc, Schemarja.
33 E posteris Chaschumi: Matthenai, Matthattha, Zebad, Elipheler, Jeremai, Menasche, Schimhi.
34 E posteris Bani; Mahadai, Hamram,& Uel:
35 Benaja, Bedeja, Celuhu:
36 Vanja, Meremoth, Eljaschib:
37 Matthanja, Matthenai,& Jahasan:
38 Et Bani,& Binnui, Schimhi:
39 Et Schelemja, & Nathan, & Hadaja:
40 Mabnadbai, Schaschai, Scharai:
41 Hazareel,& Schelemja, Schemarja:
42 Schallum, Amarja, Joseph.
43 E Nebuntinis: Jehiel, Matthithja, Zabad, Zebina, Jaddau,& Joël, Benaja.
44 Omnes isti duxerant uxores alienigenas:
[14] & erant *quibusdam* ex istis uxores unde [b] susceperant liberos.

14 quasi dicat, illas sive solæ essent, sive cum liberis, abdicarunt. b Heb. *posuerant*.

NECHEMJÆ
LIBER UNUS.

LIBER *Nechemjæ instaurationem Jeruschalaimorum, correctionemq; reducis populi & labentis cultus Dei describit. Estq; historia quasi quinquagintaquinq; annorum, a vigesimo anno Artaxerxis Mnemonis usq; ad regnum Darii ultimi, qui Codomanus dictus est.*

A vigesimo Artaxerxis Mnemonis ad finem usque	Anni	24
Darii Ochi		23
Afrenis		3

Cui successit Darius ultimus, & regnavit annos quinque.

CAPUT I.

Nechemja accepto nuncio de adversis rebus in Jehudæa luget: & adhibito jejunio Deum orat: ut populo ignoscat, & suis consiliis faveat.

VERBA Nechemjæ filii Chacaljæ: [1] Fuit autem mense
[2] Cislevo anno [3] vigesimo,
quum essem [4] Schuschane in
regia:
2 Ut veniente Chanani
uno e cognatis meis, ipso
cum viris quibusdam e Jehudæa; interrogarem
eos de Jehudæis, de residuo illorum qui relicti
fuerant ex captivitate, & e Jeruschalaimis.
3 Qui dixerunt mihi; reliqui illorum qui relicti fuerant ex captivitate ibi in ea provincia, in
malo magno & in opprobrio *sunt*: & murus Jeruschalaimorum diruptus, & portæ eorum [5] manent succensæ igne.
4 Fuit verò quum audirem verba ista; ut sedens flerem ac lugerem *aliquot* dies: quibus jejunavi & oravi coram Deo cæli:
5 Ac dixi, [6] obsecro, Jehova Deus cæli, Deus
fortissime, maxime, & summè reverende; observans fœdus & benignitatem diligentibus se, & observantibus præcepta sua:
6 [7] Sit, quæso, auris tua intenta, & oculi tui
aperti ad auscultandum orationi servi tui, qua oro
coram te hoc tempore interdiu ac noctu, pro Jisraëlitis servis tuis; & confiteor peccata Jisraëlitarum, quibus peccavimus tibi, ego quoque & familia patris mei peccavimus.
7 Nexu obstrinximus nos ipsos tibi; qui non
observavimus præcepta, statutaq; ac judicia illa
quæ præcepisti per Moschen servum tuum.
8 [8] Recordare, quæso, verbi [c] quod præcepisti
Moschi servo tuo, ut diceret: vos prævaricaturi
estis, ego dispergam vos in populos:
9 Quum autem conversi ad me observabitis
præcepta mea, & facietis ea; si fuerint depulsi ex
vobis ad extremitatem cæli, inde colligam eos,
& reducam eos in locum quem elegi ad collocandum nomen meum ibi.
10 At hi *sunt* servi tui & populus tuus; quem
redemisti virtute tua maxima, & manu tua validissima.
11 [9] Obsecro Domine, sit jam auris tua intenta in orationem servi tui, & in orationem servorum tuorum, qui student revereri nomen tuum,
& secunda quæso, servum tuum hodie, dans ei misericordiam *consequi* coram [10] viro isto: ego enim
eram a poculis regi.

1 ita incipit Nechemja librum suum, quia eum Hezræ conjungit. 2 qui plurimùm respondet Novembri, suprà Hezræ 10.9. Erat autem Chaldæorum annorum ratione mensis tertius, quam rationem hic Nechemja sequitur. 3 Artaxerxis Mnemonis, ut ostenditur infrà 2.1. 4 Susis Susianes metropoli, quam a Dario Hystaspis ædificatum fuisse historici scribunt, Plin. lib. 6. cap. 27. nat. hist. Athenæus lib. 12. Dipnosoph. διαβόντοι ἐπὶ τρυφῇ ἐγένοντο μάλιστα πάντων ἀνθρώπων Πέρσαι, ὧν καὶ οἱ βασιλεῖς ἐχείμαζον μὲν ἐν Σούσοις, ἐθέριζον δὲ ἐν Ἐκβατάνοις. καλεῖσθαι δὲ τὰ Σοῦσα φησὶν Ἀριστόβουλος καὶ Χάρης διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου· σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον. ἐν Περσεπόλει δὲ διατρίβειν φθινόπωρον, καὶ ἐν Βαβυλῶνι τὸ λοιπὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ μέρος. 5 ut quum ruina illata est à Nebucadnezare, 2. Chro. 36.19. 6 Exordium a natura & fœdere Dei. 7 Propositio: cujus partes sunt confessio peccati v. 6, & 7. & deprecatio.

8 Deprecatio, primùm a promissis Dei his duobus versib. Deinde a conditione populi, & antè actis erga ipsum Dei beneficiis, v. 10. c Deut. 30.4. 9 Conclusio petitoria, ut Ecclesiæ precibus & suo instituto faveat. 10 Artaxerxe rege.

CAPUT II.

Nechemja a rege obtinet dimissionem in Jehudæam, & facultatem urbis instaurandæ. Quare literis & comitatu instructus Jeruschalaima venit, opus aggreditur, & vicinis contrà nitentibus respondet.

FUit verò mense [1] Nisane, anno vigesimo Artaxerxis regis quum *afferendum esset* vinum in
conspectum ejus: [2] ut afferens vinum porrigerem regi, qui *antè* non fueram [a] tristis in conspectu ejus.
2 Quapropter dixit mihi rex, quare vultus
tuus afflictus est, quum non sis ægrotus? non est
hæc nisi afflictio [b] animi: [3] nam timebam quamplurimùm.

1 i. septimo ex ratione Chaldæorum: qui primus erat Hebræis, apud quos dicitur Abib. Exodi 12. 2 quia vices ministrandi regi ad ipsum redierant ex aulicorum usu: alioquin si prius data fuisset opportunitas, vel tum fuisset peciturus. a Heb. *malus: sic deinceps*. b Heb. *cordis*. 3 i. partim meorū studio sollicitabar: partim magnitudine regis & postulati deterrebar.

3 Itaq; dixi regi, rex in seculum vivat: quare
non esset afflictus vultus meus, quum [4] civitas ip-
sa, locus sepulcrorum majorum meorum, vasta-
ta, & portæ ejus maneant consumtæ igne?
4 Tum dicente mihi rege, quid illud *est* super
quo requiris? [5] supplex oravi Deum cæli:
5 Et dixi regi, si regi bonum videtur, & si gra-
tus *est* servus tuus coram te; ut mittas me in Je-
hudæam, in civitatem sepulcrorum majorum
meorum, & ædificem eam.
6 Dixit verò mihi rex, & conjux assidens ei,
quousque esset *duratura* profectio tua, & quan-
do reverteretis? itaque bonum visum est coram
rege ut dimitteret me, quum exposuissem ei
[6] tempus.
7 Deinde dixi regi; si regi bonum videtur, li-
teræ [7] tradantur mihi ad principes trans flumen:
ut transmittant me usquedum venero in Jehu-
dæam.
8 Literæ quoque ad Asaphum custodem
[c] saltus qui *est* regi, ut det mihi ligna ad contig-
nandum portas [8] castri adjuncti ędi, & ad murum
civitatis, & ad [9] domum quam ingressurus sum:
quas dedit mihi rex; prout manus Dei mei opti-
ma adesat mihi.
9 Veni itaque ad principes trans flumen, &
tradidi eis literas regis: miserat autem rex me-
cum præfectos copiarum & equites.
10 Quod quum audiret Sanballat [10] Choro-
nites & Tobija [11] servus Hammonites, displicuit
eis [d] maximè; advenisse hominem ad procuran-
dum bonum Jisraëlitis.
11 Deniq; perveni Jeruschalaima: ubi quum
fuissem diebus tribus:
12 Surrexi noctu, ego & homines pauci me-
cum; neque indicavi cuiquam quid Deus meus
inderet animo meo faciendum Jeruschalaimis:
& jumentum non erat mecum præter jumentum
illud cui insidebam.
13 Et egressus sum per [12] portam vallis noctu,
[13] tum versus [14] fontem [e] serpentis, tum ad [15] por-
tam sterquiliniorum; ubi [16] effringebam de mu-
ris Jeruschalaimorum qui fuerant perrupti, &
portæ eorum absumptæ igne.
14 Inde transivi ad [17] portam fontis, & ad
[18] piscinam regis: sed non erat [19] locus jumento
quo [f] transveheret me.
15 Quam ob rem ascendi secundùm torren-
tem noctu, quum effregissem de muro: & rever-
tens veni [20] ad portam vallis, ita [21] reversus sum.
16 Antistites verò nesciebant quò irem aut
quid facerem: nam Jehudæis aut Sacerdotibus,
aut clarissimis, aut antistitibus, aut reliquis cura-
toribus operis adhuc non indicaveram.
17 Dixi itaque eis, videtis malum in quo ver-
samur, Jeruschalaima vastata esse, & portas eo-
rum succensas igne: agite ędificemus murum Je-
ruschalaimorum, ut non simus ampliùs oppro-
brio.
18 Et ubi indicavi eis manum Dei mei quæ
est optima, adfuisse mihi, & etiam verba regis quę
dixerat mihi; dixerunt, surgamus ut ædificemus,
confirmâruntq; manus suas ad hoc bonum.
19 Audiens verò Sanballat Choronites, &
Tobija servus Hammonites, & Geschem [22] Arabs,
subsannabant nos & spernebant nos: dicentes,
quæ *est* res ista quam facitis? an contra regem re-
bellatis?
20 Quibus respondi [23] rem, ac dixi eis, Deus
cæli secundabit nos, & nos servi ejus surgentes
ædificabimus: vobis verò [24] non est pars, aut jus,
aut monimentum Jeruschalaimis.

[4] i. Jeruschalaima; utitur autem ista periphrasi ad excusandum studium suum, & probandum regi. [5] tacitè cum animo meo.

[6] quod exprimitur infrà 5. 14. & 13. 6. [7] illi quibus hoc a rege demandabitur.

[c] *Heb. Paradisi: sic vocant regionem a Libano ad Antilibanum propter ejus amœnitatem, in cujus summa extremitate fuit opidum nomine Paradisi, de quo Ptolemæus, & Plin.*

[8] i. atrii, quod domum Dei ita cingebat, ut castellum circumdatur castro: sermonem enim accommodat ad prophani regis captum. [9] i. prætorianam.

[10] Toparcha Moabitarum, a Choronajimis ejus regionis præcipuo loco denominatus, de quo Jeschahjæ 15. 5. & Jirmeiæ 48. 3. 5. & 34. V. [11] i. Toparcha Hammonitarum, beneficiarius (quem vulgò Vassallum vocant) regis Persidis, quod etiam ἀπὸ κοινοῦ de Sanballato est intelligendum. [d] *Heb. malum visum est illis malum magnum.* [12] i. per locum in quo porta vallis anteà fuerat, & postea ipsius opera redintegrata est. Dicitur autem porta vallis, quòd in valle ad radicem montis esset, ubi superior urbs cum inferiore conjungebatur: vide infr. 3. 13. [13] prolepsis, quæ explicatur duobus versib. sequentibus. [14] i. fontem Schiloachi: quem ita vocârunt Jehudæi a lento & serpente fluxu: vide Jeschah. 8. 6. [e] *Heb. draconis: vide Exod. 7. 12.* [15] quæ ferè terminum urbis angularem efficiebat ab oriente: nam per eam sordes urbis in Kidronem efferebantur, ut quam remotissimæ essent a templo. [16] i. parietinas explorabam. [17] qua ibatur ad fontem Schiloachi, & Rogelis in civitate Davidis. [18] quam cap. 3. 15. vocat piscinam Schelachi, & quam Schiloachi rivus efficiebat. [19] i. vadū, in Kidronis torrentis ex oppido effluentis alveo. [f] *He. transiret subter me.* [20] qua etiam egressus, sup. V. 13. [21] purà in diversoriū meum.

[22] Toparcha Arabiæ, ut supr. V. 10. [23] i. rem sicut gesta erat a me apud regem explicavi. [24] i. neq; possessio, neq; jus, aut aliquod vestigium sive species, & prætextus juris.

CAPUT III.

Structuræ communes triplicis civitatis Jeruschalaimorum: deinde singulares, aliæ ad regiam, aliæ ad Levitarum sedem pertinentes describuntur.

Surgens igitur Eljaschib Sacerdos summus, &
cognati ejus Sacerdotes, ædificârunt [1] por-
tam gregis, ipsi [2] sanctificaverunt eam statuen-
tes valvas ejus: inde usque ad [3] turrim centena-
riam sanctificaverunt eam, usq; ad [4] turrim Cha-
naneelis.
2 Et ad latus ejus *unum* ędificârunt Jerechun-
tini: & ad *alterum* latus ejus ædificavit Zaccur fi-
lius Imri.
3 [5] Portam autem piscium ædificârunt Se-
naani: ipsi contignaverunt eam, & statuerunt val-
vas ejus, seras ejus, & vectes ejus.
4 Ad quorum latus instauravit Meremoth
filius Urijæ filii Kotzi, & ad horum latus instau-
ravit Meschullam filius Berecjæ filii Mescheza-
beelis: & ad horum latus instauravit Tzadok fi-
lius Bahanæ.
5 Et ad latus horum instaurârunt Tekohæi:
sed magnifici eorum non submiserunt collum su-
um ad opus [6] domini ipsorum.
6 Portam autem [7] veterem instaurârunt Jo-
jadah filius Paseachi, & Meschullam filius Beso-
dejæ: ipsi contignaverunt eam, & statuerunt val-
vas ejus, & seras ejus, ac vectes ejus.
7 Et ad latus horum instauravit Melatja
Gibhonita, & Jadon Meronothanus, Gibhonitæ,
& Mitzpani; usque ad [8] solium principis [9] cis
flumen.
8 Ad cujus latus instauravit Huzziel filius
Charhojæ [10] *cum* aurifabris, & ad latus ejus in-
stauravit Chananja filius *unius* e pigmentariis:
[11] reliquerunt autem Jeruschalaima, quaqua ver-
sum murus latus *erat*.
9 Posteà ad latus horum instauravit Repha-
ja filius Churis, præfectus [12] dimidio tractui Je-
ruschalaimorum.
10 Et ad latus horum instauravit Jedaja filius

[1] hæc porta ad meridiem urbis erat, in ea vallis parte quæ frontem civitatis Davidis & templi spectabat, ita autem vocata fuisse videtur Hebræis, & Græcis προβατικὴ; quia in ea parte erat forum pecuarium ad commoditatem sacrificantium, & piscina illa quinque porticubus constans nomine Beth-Chesda, de qua Johan. 5. 2. Confer cum versi. 32. & infrà 12. 39. [2] i. precibus Deo commendârunt, & spatium ab ea usque ad turrim centenariam rebus ad usum templi pertinentibus consecrârunt: quam ob rem in ambitu erant aurifabri & aromatarii infrà vers. 32. in platea verò forum pecuarium & piscinæ: quam verisimile est, inde ab hoc tempore in signum approbata hujus instaurationis fuisse ornatam cælesti illo miraculo, de quo Johan. 5. 4. [3] sitam inter portam gregis & turrim Chananeelis, fortè sic dicta est, quòd centenis cubitis ab utroque loco distaret. [4] qua a porta gregis itur occidentem versus: de hac Jirmejæ 31. 38. Nam Nechemja a porta gregis incipiens ad occidentem progreditur inde usque ad septemtrionem: & sic deinceps usque ad vers. 13. totum urbis ambitum describit, donec in eandem portam recidat. [5] in civitate Davidis ad occasum sita est: sic dicta, quòd mare spectabat, & pisces a mari per eam afferebantur: de ea vide 1. Chronic. 33. 15. Tzephanjæ 1. 10 & infrà 12. 39. Transsilit autem hoc loco Nechemja structuram templi & regiæ in Tzijone, intercurrentem inter portam gregis & portam piscium; quia singularem hujus ædificationis διήγησιν tradi oportuit, ut habetur infrà inde a versu 15. [6] i. Dei, ex cujus beneficio & mandato suscepta erat instauratio. ita notat eos ingrati animi: ut Debora Merozitas, Judicum 5. 23. & Hezra posteros Schelæ, 1. Chronic. 4. 22. [7] quia muri prioris fuerat: ut refert Josephus lib. 6. de bello Judaico, cap. 6. a qua initium habebat murus, civitatem Davidis ab altera Jeruschalaimorum parte dividens. [8] i. prætorium, synecdochicè: de quo suprà 2. 8. nam in hujus ædificationem incubuit ipse Nechemja, ut aliis exemplo esset, suásque partes cum fratribus suis præstaret æqua lege. infrà 30. & 31. [9] i. Judææ quæ est cis Euphratem. [10] in hac quoque parte septemtrionali ex adverso portæ gregis erat aurificum & pigmentariorum vicus: ad commoditatem eorum, qui per hanc regionem urbis templum adibant. [11] i. non fuerunt solliciti de instaurando muro mediano, qui ab ea parte, quæ supra portam Ephrajimi erat, usque ad portam veterem protendebatur: ut superiora & inferiora Jeruschalaima, civitatémque Davidis inter se divideret: de partibus urbis vide Judicum 1, 8. [12] i. illi urbis parti, quæ ad tribum Jehudæ pertinebat.

Charumaphi

Charumaphi, atque e regione domus suæ: ad cujus latus instauravit Cattusch filius Chaschabnejæ.

11 [13] Mensura altera instauravit Malcija filios Charimi, & Chaschub filius Pachath-Moabi: unâ cum [14] turri furnorum.

12 Et ad hujus latus instauravit Schallum filius Locheschi, [15] præfectus dimidio tractui Jeruschalaimorum; ipse & filiæ ejus.

13 [16] Portam vallis instauravit Chanum cum habitatoribus Zanoachi; ipsi ædificaverunt eam, statuerúntque valvas ejus, seras ejus, & vectes ejus: ac mille cubitos in muro, usque ad [17] portam sterquiliniorum.

14 Portam verò sterquiliniorum instauravit Malchija filius Rechabi, præfectus tractui Beth-Ceremi: ipse ædificavit eam, statuítque valvas ejus, seras ejus, & vectes ejus.

15 Item [18] portam fontis instauravit Schallum filius Col-Chozæ, præfectus tractui [19] Mitzpæ; ipse ædificavit eam & contexit eam, statuerúntque valvas ejus, seras ejus, & vectes ejus: murum quoque piscinæ [20] Schelachi inde ab horto regis usque [21] ad gradus descendentes e civitate Davidis.

16 Post eum instauravit Nechemja filius Hazbuki præfectus dimidio tractui Beth-tzuris: usque ex adverso sepulcrorum [22] Davidis, & usque ad piscinam [23] factam, & ad [24] locum potentiorum usque.

17 Post eam instauraverunt [25] Levitæ, Rechum filius Bani: ad cujus latus instauravit Chaschabja præfectus dimidio tractui Kehilæ, cum [26] tractu suo.

18 Post eum instaurârunt cognati eorum, Bavvai filius Chenadadi; præfectus dimidio tractui Kehilæ.

19 Instauravit verò ad latus ejus Heser filius Jeschuhæ præfectus Mitzpæ mensuram alteram: e regione ascensus *ad* [27] armamentarium Miktzoħum.

20 Post eum [a] flagrante animo instauravit Baruc filius Zabbai mensuram alteram: *inde* a Miktzoħo usque ad portam domus Eljaschibi Sacerdotis summi.

21 Post eum instauravit Meremoth filius Urijæ filii Kotzi mensuram alteram; *inde* a porta domus Eljaschibi usq; ad finē domus Eljaschibi.

22 Post hunc verò instauraverunt Sacerdotes [28] viri planitiei.

23 Post hoc instauravit Binjamin & Chaschub e regione domus suę: post quem instauravit Hazarja filius Maħasejæ filii Hananjæ juxta domum suam.

24 Post hunc instauravit Binnui filius Chenadadi mensuram alteram: inde a domo Hazarjæ usque ad Miktzoħum & [29] angulum usque.

25 Palal filius Uzai *instauravit* e regione Miktzoħi; & turris prominentis, a domo regis superiore quæ adjacet [30] atrio custodiæ: post hunc Pedaja filius Parħoschi.

26 Nethinæi autem habitabant in [31] clivo; usque ex adverso [32] portę aquarum ad orientem, & turris prominentis.

27 Post hoc instaurârunt Tekoħani mensuram alteram; ex adverso turris magnę prominentis usque ad murum clivi.

28 Supra [33] portam equorum instaurârunt Sacerdotes, quisque e regione domus suæ.

29 Post illud instauravit Tzadok filius Immeris e regione domus suæ: post quem instauravit Schemaħja filius Schecanjæ custos [34] portæ orientalis.

30 [35] Post me instauravit Chananja filius Schelemję, & Chanun filius Tzalaphi sextus mēsuram alteram: post eum instauravit Meschullam filius Berecjæ e regione cubiculi sui.

31 Post me instauravit Malcija filius aurifabri usque ad locum Nethinæorum & aromatariorum; e regione [36] portæ mandati, usque ad ascensum [37] anguli.

32 Inter ascensum autem anguli & portam gregis, instaurârunt aurifabri & aromatarii.

13 i. tanta quanta instauraverat Chattusch: sic infrà sępiùs.
14 sita inter portam sterquiliniorum, & murum latum, Nechemję 12.39.
15 pro Binjaminitis: illorum enim erat septemtrionalis tractus urbis.
16 de qua suprà 2.13. nam hic demum Nechemja a parte orientali ad meridianum transsilit: quia reliquus murus ab oriente ad septentrionem non ita labefactatus fuerat.
17 extremum terminum Jeruschalaimorum ab oriente: vide sup. 2.13. & infrà 12.31.
18 de qua sup. 2.14. hic autem incipit Nechemja de singularibus illis operibus agere, quæ vel ad regiam, vel ad domum Dei pertinebant.
19 in Binjamine: vide Judicum 20.1.
20 i. Schiloachi, de qua Joh. 9.7.
21 quibus descendebatur ad altera Jeruschalaima, Nechem. 12.36.
22 i. quæ pro familia sua curavit David.
23 a rege Chizkija: vide 2.Reg. 18.17. & 20.20.
24 ubi præsidiarii civitatis Davidis stationem habebant.
25 i. genus Leviticum, quod etiam Sacerdotes complectitur: ut apparet ex seq.
26 i. hominibus tractus sui: metonymia.
27 turrim sive munitionem in editissimo loco civitatis Davidis: a prærupto situ suo appellatam Miktzoaħ, 2.chr. 26.9
a *Heb. accendit se, instauravit.*
28 de quibus infrà 12.28.
29 i. alteram turrim quæ angulum efficiebat civitatis Davidis.
30 de quo Jirmejæ 32.2. & seq.
31 de quo 2.Chron. 27.3.
32 sitæ ad orientem in civitate Davidis versùs ingressum templi, de qua infrà 8.2. & 12.36. 33 portam Aquilonarem civitatis Davidis, qua ibatur ad portam Ephrajimi: vide 2.Reg. 11,16.

34 i. templi, spectantis ad orientem.
35 qui basilicam vel prætorium ædificabam & continentem muri partem 1. Nam quos proximè narravit, ii antè & ad latera ipsius ædificabant. Est autem modestissimum hoc narrandi genus, quo Nechemja de seipso utitur: quod genus Judæi non intelligentes, id sibi arrogaverunt ut literam unam Hebræo textui adjicerent, hoc & seq. versu. vide infrà 4.16. & 5.16. 36 Videtur ita dicta, quòd ibi synedrium haberetur: & de Ecclesiæ legibus ibi responderetur consulentibus. 37 de quo suprà ver. 24.

CAPUT IIII.

Jehudæorum hostes cœptam urbis instaurationem primùm ludificantur: deinde quum succedere eam intelligunt, conspirant: Nechemja verò conspiratione audita Deum precatur, & disciplinam militarem instituit: ita divinitùs hostium conatus irriti fiunt, & instaurationis opus procedit.

Fuerat autem, quum audivisset Sanballat nos ædificare murum istum, ut accensus ira indignaretur plurimùm: & subsannaret Jehudæos.

2 [1] Loqebatur enim coram cognatis suis & copiis Samariæ & dicebat, quid isti Jehudæi languidi facturi essent? [2] an finerent eos? [3] an sacrificaturi essent? an absolverent hoc tempore? an [a] redivivos statuerent lapides e ruderibus, postquam exusti sunt?

3 Tobija verò Hammonita assistens ei; [4] dixit, etiam ut ædificent, si ascendat vulpes, utique perrumpet murum lapideum eorum.

4 [5] Audi, ô Deus noster, nos esse contemtui, & converte probrum eorum in caput eorum; & expone eos prædæ in terra captivitatis:

5 Neque obtegas iniquitatem eorum, & peccatum eorum a facie tua ne deleatur: quia [6] irritaverunt te respectu ædificantium.

6 Ita ædificavimus murum istum, adeò ut [b] constructus fuerit totus murus usque ad dimidium ipsius: nam populo erat [c] animus ad agendum.

7 Fuit verò quum audiret Sanballat, & Tobija, Arabésque, & Hammonitæ, atque Aschdodæi [d] assurrexisse ad justam constitutionem muros Jeruschalaimorum, & cœpisse *loca* perrupta occludi: accensa est ira eorum valdè.

8 Quare conspiraverunt omnes simul, ut venientes oppugnarent Jeruschalaima; aut facerent ei [e] impedimentum.

9 Quapropter oravimus Deum nostrum; & constituimus custodiam adversus eos interdiu & noctu metu eorum.

10 Dicebant autem Jehudæi, [7] debilitata est vis bajulorum, & [8] pulveris multum *superest*: nos autem [9] non prævalituri essemus ædificando murum:

11 Et dixerant hostes nostri, ne animadvertant, neque videant, donec pervadentes medium eorum interficiamus eos: aut [f] cessationem afferamus isti operi.

1 hæc indignantis sunt verba, quasi coram milite arma conclamaret.
2 i. an nostri homines eos ampliùs ferrent?
3 i. an per nos licere ipsis operam dare sacrificiis suis, & munitionem cœptam absolvere?
a *Heb. vivificaturi essent lapides ex acervis pulveris, &c. vide Genes.* 18.10.
4 hæc verba subsannantis sunt hyperbolica, quibus indignatio superior tollitur: Sic Deus consulit suis, ut sine impedimento pergant: qua ille arte Chuschai Arcæus usus est, ut Achitophelis consilium eluderet, 2.Reg. 17.
5 oratio Nechemjæ: quam habuit, quum sermones hostium ad eum perferrentur.
6 q.d. hæc non propter nos; sed propter gloriam tuam effice: quam isti indignissimè proculcârunt, dum in nos tuo jussu ædificantes invecti sunt.

b *Heb. colligatus fuerit.* c *Heb. cor.* d *Heb. ascendisse sanitatem muris: sic 2.Chron.* 24.13. e *Heb. aberrationem.* 7 i. bajuli viribus fracti non essent pares sustinendæ & propulsandæ impressioni hostium. 8 quasi dicat, necesse est illos in posterum multum bajulare. 9 sub. contra hostem, si omnium operæ in labore structuræ consumerentur. f *Heb. faciamus, ut cesset istud opus.*

12 Fuit verò quum advenissent Jehudæi habitantes apud illos; & dixissent nobis decies, [10] *cavete vobis* ab omnibus locis per quæ redire potestis ad nos:

13 Ut constituerem ab imis partibus cuiusque loci *aliquos* [11] a posterioribus partibus muri, in locis arduis, constitui etiam populum per familias cum gladiis suis, spiculis suis, & arcubus suis.

14 Quúmque lustrâssem surgens, dixi clarissimis & antistitibus & residuo populi, ne timetote ab [g] istis: Dominum maximum & summè reverendum recordamini, & pugnatote pro fratribus vestris, filiis vestris & filiabus vestris, uxoribus vestris, & domibus vestris.

15 Deinde fuit quum audivissent inimici nostri innotuisse nobis, & irritum fecisset Deus consilium eorum: ut reverteremur omnes ad murum, quisque ad opus suum.

16 Erat tamen inde ab eo die pars [12] puerorum meorum agens in opere; pars verò eorum tenens cum spiculis scuta, & arcus, & loricas: principes autem [13] sequebantur quamque familiam Jehudæorum.

17 Eorum qui ædificabant, & qui ferebant onus *cum* onerantibus; una manu sua *quisque* agebat in opere, altera tenente missile.

18 Structores autem isti, quisque gladio suo accincti erant ad lumbos suos, quum ædificarent: tubicen verò erat apud me:

19 Dixi enim clarissimis, antistitibus, residuóque populi, opus hoc multum & amplum *est*: ideóque nos disparati in muro, longinqui sumus [h] alter ab altero.

20 In locum ubi audietis sonum tubæ, illuc congregamini ad nos: Deus noster pugnaturus est pro nobis.

21 Sic faciebamus opus, dum eorum pars tenebant spicula ab ascensu auroræ, usque ad [i] exortum stellarum.

22 Etiam tempore illo edixi populo, quisque cum puero suo pernoctanto intra Jeruschalaima; ut sint nobis noctu *ad* custodiã, & interdiu *ad* opus.

23 Ne ego quidem, & cognati mei, & pueri mei, denique [k] custodes qui sequuntur me [14] exuturi sumus vestes nostras: [15] cuique gladius suus *&* aqua *esto*.

[10] i. certis custodiis & exploratoribus firmate omnes aditus, quibus vos isti adoriri possent. Est autem hic eclipsis verbi conjugati cum custodiæ nomine, de quo suprà versu 9. unde illud supplevimus: nisi quis fortè alterum verbum supplere malit ex ver. 8. oppugnaturi sunt, vel oppugnare cogitant vos ab omnibus locis, &c.
[11] i. in pomœrio, ut veteres Latini appellabant.
[g] *Heb. a facie istorum.*
[12] i. custodum, quorum dux eram: alternis enim excubias agebant, & operi murorum incumbebant.
[13] i. ad opus deducebant & reducebant.
[h] *Heb. vir a fratre suo.*
[i] *Heb. exitum.*
[k] *Heb. viri custodiæ.*
[14] quum in excubiis erimus.
[15] id est, singuli armis & cibario instructi comparento: synecdoche.

CAPUT V.

Nechemja expostulantem populum, servitutis, æris alieni & bonorũ oppignerationis onere liberari curat: & ipse exemplo suo præiens de suo remittit, populum publicis oneribus sublevat, & sua cum ipsis communicat.

ERat autem clamor populi cum uxoribus suis magnus; contra cognatos suos Jehudæos.

2 Nam erant qui dicerent, filiis nostris & filiabus nostris [1] sumus numerosi; ut *eorum pretio* accipiamus frumentum, & comedentes vivamus.

3 *Alii* erant qui dicerent, agros nostros, vineásque nostras & domos nostras [2] oppigneramus; ut accipiamus frumentum in ipsa fame.

4 Denique erant qui dicerent, mutuamur pecuniam pro [3] canone regis: *oppigneratis* agris nostris & vineis nostris.

5 Jam verò [4] ut caro cognatorum nostrorum caro nostra est, sicut filii eorum filii nostri *sunt*: ecce autem nos subjicimus filios nostros & filias nostras in servos, suntq; de filiabus nostris *quædam* subjectæ, quarum *redemtio* [5] non *est* in facultate manuum nostrarum, quum agri nostri & vineæ nostræ penes alios *sint*.

6 Itaque displicuit mihi valdè; quum audirem clamorem eorum & verba ista.

7 Quúmque consilium iniisset [a] animus meus apud me, contendi cum clarissimis & antistitibus, dixíque eis, onus [b] uniuscujusque impositum alteri [6] vos exigitis: & indixi [7] illorum causa congregationem magnam.

8 Ubi dixi eis, nos [8] comparamus fratres nostros Jehudæos, qui venditi sunt gentibus, prout est in nobis, & etiã vos venderetis fratres vestros, aut venderentur nobis? qui siluerunt, nec invenerunt, quod responderent.

9 Tum dixi, non *est* bona hæc res quam facitis: an non in timore Dei nostri ambulaturi estis, potiùs quàm *in* [9] probro istarum gentium inimicarum nobis?

10 At etiam ego, cognati mei, & pueri mei [10] exacturi essemus ab eis pecuniam aut frumentum: remittamus, quæso, onus istud.

11 Restituite, quæso, eis hoc ipso die agros eorum, vineas eorum, oliveta eorum, ac domos eorum: prætereà centesimam pecuniæ, aut frumenti, mustique, aut olei, quam exacturi essetis ab eis.

12 Qui dixerunt, restituimus, & ab eis non repetemus, sic facturi sumus quemadmodum dicis: tum convocavi sacerdotes, *per quos* adjuravi illos vt facerent secundùm verbum istud.

13 Etiam [11] lacertum meum excussi, dicens, sic excutiat Deus omnem virum qui non præstiterit verbum hoc, a domo ejus, & a [12] labore ejus, & ita fit excussus ac vacuus: dixerúntque tota congregatio, Amen, laudantes Jehovam, feceitq; populus secundùm verbum istud.

14 Etiam ex quo tempore [13] præceperat mihi ut essem princeps in terra Jehuda; ab anno vigesimo usque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis, duodecim annis: ego cum cognatis meis cibarium principis non comedi.

15 Nam principes priores qui antecesserant me prægravabant populum, accipientes ab eis de pane & vino, [c] [14] præter argenti siclos quadragenos, etiam pueri eorum dominabantur in populo: ego verò non feci ita propter reverentiam Dei.

16 Etiámque in opere muri istius instauravi, & agrum non comparavimus: omnésque pueri mei congregati erant ibi ad opus.

17 Quin ipsi Jehudæi & antistites centũ quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos ex gentibus quæ *erant* circa nos; mensæ meæ assidebant:

18 Ita ut quod parabatur unoquoque die, bos unus, pecudes senæ selectæ cum avibus pararentur mihi, & [d] intra [15] diem denum ex quovis vino plurimum: [e] nihilo-minus tamen cibarium principis non petebam, eo quòd gravis fuisset servitus illa imposita ipsi populo.

19 [16] Recordare mei, Deus mi, in bonum: quicquid fecerim erga populum istum.

[1] emphasis. q. d. quod Dei testimonio & omniũ consensu est benedictio, id nobis in maledictionem acerbissimam convertitur.
[2] i. alii jam antè oppigneravimus, & alii in dies oppignerare cogimur: est enim in his versibus zeugma. Occasionem verò dedit his querimoniis assiduus eorum in instaurando muro labor, quo impediebantur a privatis suis & domesticis occupationibus.
[3] de quo Hezræ 4.13. nam ab hoc canone tantùm immunes erant Sacerdotes, Levitæ & ministri domus Dei, Hezræ 7.24.
[4] i. tantidem sumus ex jure naturæ, & mandato Dei: Deut. 15.7.
[5] i. non habemus unde redimamus.
[a] *Heb. cor meum.*
[b] *Heb. viri in fratrem suum.*
[6] i. rei istarum exactionum estis: sive debitores compellatis, aut vestro aut aliorum creditorum nomine; sive alios sinatis exigere.
[7] expostulantiũ.
[8] i. tenemur cõparare ex lege Levit. 25.47. & sequen.
[9] id est, factis probrosis.
[10] si cum illis, exemplo vestro, summo jure experiremur.
[11] Publicæ exsecrationis formula: Id est, excusso pallio lacertum eduxi: synecdoche.
[12] i. a facultatibus, ut omnis ipsius labor sit irritus.
[13] Deus per regem: supr. 2.6. & 8. V.
[c] *Heb. post.*
[14] i. ampliùs denos daleros in diem.
[d] *Heb. inter decadem dierum.*
[15] i. certum demensum vini decimo quoque die in singulas horum familias erogabatur.
[e] *Heb. tamen cum hoc.*
[16] q. d. nihil mihi apud homines hac narratione arrogo, cujus testis est Deus: & multo minus apud Deum, cujus fidem & misericordiam imploro: fretus non meis factis, sed ejus bonitate: utcumque mihi benè sim conscius: sic infrà 13.22.

CAPUT VI.

Impedimenta Nechemjæ oblata a vicinis hostibus, a pseudoprophetis, & falsis fratribus, ædificationis & totius administrationis tempore.

FUit autem quum auditum esset a Sanballato, & Tobija, & Geschemo Arabe, residuoq; inimicorum nostrorum, me exædificâsse murum, neque esse residuam in eo rupturam: etiam ad hoc usque tempus valvas me non statuisse in portis:

2 Ut

2 Ut mitteret Sanballat cum Geschemo ad me, dicendo, age ineamus consilium pariter in *aliquo* vicorum in [1] valle Onuntis: illi autem cogitabant [2] afficere me malo.

3 Sed misi ad eos nuncios qui dicerent: opus magnum facio, idcóque non possum descendere: quam ob rem cessaret hoc opus, quum desisterem *ab* eo descendens ad vos?

4 Et remittentibus ad me [a] in eamdem sententiam quater; respondi eis in eamdem sententiam.

5 Tandem misit ad me Sanballat in hanc sententiam [b] quintò per puerum suum; cum literis in manu ejus apertis.

6 Scriptum erat in eis, per gentes auditur, ut [c] Gaschmu ait, te & Jehudæos [d] cogitare rebellionem, idcircò te ædificare istum murum: téque fore illis regem, [3] prout res istæ *sunt*.

7 Insuper etiam prophetas te constituisse, qui prædicent de te Jeruschalaimis, dicendo, rex *est* in Jehuda, adeò ut mox fama perferenda sit ad regem hujusmodi rerum: quare nunc age, [4] ineamus consilium pariter.

8 Tum misi ad eum dicendo, non *est* factum hujusmodi rerum *quicquam* quas tu dicis: sed ex [e] animo tuo comminisceris eas.

9 Nam omnes isti timorem studebant injicere nobis, [5] dicendo, remissæ erunt manus eorum ab isto opere, ita vt non perficiatur: [6] nunc itaque *ô Deus* confirma manus meas.

10 Prætereà quum ego venissem in domum Schemaɦjæ [7] orti Delaja filio Mehetabeelis, qui [8] detentus erat: dixit, conveniamus in [9] domum Dei [f] intra ipsum templum, & occludamus valvas templi, venturi enim sunt ad interficiendum te, noctu, inquam, venturi sunt ad interficiendum te.

11 Cui dixi, an vir [10] qualis *sum* ego fugeret? [11] aut quis *est* qualis ego, qui ingrediatur in templum ut vivat? non ingrediar.

12 Tunc [12] agnovi quòd ecce nequaquam miserat eum Deus: sed istam prophetiam indixerat mihi, quia Tobija & Sanballat mercede conduxerant eum:

13 Ut [13] conductitius esset, ut timens & ita faciens peccarem: quod fuisset illis [g] argumentum infamiæ, ut probro exponerent me.

14 Recordare, Deus mi, Tobijæ & Sanballati secundùm opera ejus ista: atque etiam Noɦadjæ prophetissæ & residui illorum prophetarum, qui timorem studebant injicere mihi.

15 Tandem [14] perfectus est murus vigesimoquinto *die* [15] Elulis: ad [16] quinquagesimumsecundum diem.

16 Fuit itaque quum audirent omnes inimici nostri, & viderent omnes gentes quæ *erant* circa nos, ut [17] conciderent valdè in oculis suis: quia agnoscebant a Deo nostro confectum fuisse opus istud.

17 Etiam [18] diebus illis frequentârunt clarissimi Jehudæ [19] literas suas [h] missas ad Tobijam: & quæ *erant* Tobijæ, [i] afferebantur ad ipsos.

18 Nam multi in Jehuda [k] conjurati erant ei, quia gener erat Schecanjæ filio Arachi: & Jehochanan filius ejus duxerat filiam Meschullami filii Berecjæ.

19 Etiam benefacta ejus prædicabant coram me, & res meas prodebant ei: literas *verò* mittebat Tobija ad injiciendum mihi timorem.

[1] tribus Binjaminicæ infrà 11.35.
[2] i. occidere.
[a] *al. quia.*
[a] *Heb. secundum verbum hoc quatuor vicibus.*
[b] *Heb. vice quinta.*
[c] *qui sup. ver. 1. Geschem.*
[d] *Heb. rebellare.*
[3] i. istis omnibus confectis & constitutis a te omnes judicant.
[4] q.d. ut malo quod tibi & toti provinciæ imminet, occurramus: & ne nobis eveniat aliquid mali propter vicinum malum.
[e] *Heb. corde.*
[5] i. cogitando cum animo suo: ut Exo. 2.14.
[6] vide simile sup. 4.4.
[7] Sacerdote primario vicis vigesimætertiæ, de quo 1. Chr. 24.18.
[8] i. qui se voto vel religione detineri simulabat pro salute Nechemjæ: de cujus periculo se divinitùs monitum fingebat.
[9] q.d. non est tutum in urbe esse quum portæ valvis nondum instructæ sint, suprà ver. 1.
[f] *Heb. in medium templi.*
[10] q.d. hoc non esset mihi honorificum: qui Deo confido, & huic populo præsum.
[11] i. facerem contra testimonium conscientiæ meæ, quæ novit ex lege mihi extero non licere vel vitæ tuendæ causa in templum Dei recipere, Num. 3.38.
[12] ex eo videlicet quòd contra suaderet quam lex imperat: vide Deut. 13.
[13] i. stipendiarius, quem vulgo pensionarium vocant; ut continua pensitatione obstrictus, omnibus modis Nechemjam ad peccatum sollicitaret.
[g] *Heb. ad nomen malum.*
[14] i. valvis, seris, & vectibus ac omni ex parte confirmatus.
[15] i. ultimi mensis plurimùm Augusto respondentis. [16] ex quo murus lapideus fuerat ædificatus. [17] i. percellerentur vehementissimè. [18] quibuscumque ædificatū est, & Nechemja Jeruschalaimis mansit, i. spatio duodecim annorū. [19] quartum argumentum est versu ultimo. [h] *Heb. euntes.* [i] *Heb. venientes.* [k] *Heb. domini juramenti.*

CAPUT VII.

Nechemja officia domus Dei recognoscit: urbi præsides instituit, custodiásque ordinat: & conventu habito Jisraëlitas reduces recenset, ad urbem incolis muniendam: qui omnes pro suis facultatibus Deo offerunt.

DEinde fuit, quum exædificato muro instituissem valvas ejus, & recensiti essent janitores, musicique, & reliqui Levitæ:

2 Ut mandatis instruerem Chananin fratrem meum, & Chananjam præfectum castro super Jeruschalaima: nam erat vir planè [a] fidus, & timebat Deum præ multis.

3 Itaque edixi eis, ne apperiuntor portæ Jeruschalaimorum usquedum incalescat sol, & dum [1] ipsi adstantes occludent valvas, etiam [2] tractate: ídque constitutis custodiis habitantium Jeruschalaimis, unoquoque in custodia sua, & unoquoque [3] ex adverso loci sui.

4 Urbs autem ipsa ampla *erat* spatiis & magna, populus verò paucus intra eam: nec erant domus ædificatæ.

5 [4] Quapropter indente Deo meo in [b] animum meum, [5] congregavi clarissimos, antistitésque, & populum, ut fieret [6] generis recensio: & inveni libellum recensionis eorum qui [7] ascenderant primùm, in quo inveni scriptum.

6 [8] Hi *sunt* homines illius provinciæ, qui ascenderunt e captivitate illius deportationis quam deportaverat Nebuchadnezzar rex Babyloniæ: qui reversi sunt Jeruschalaima & in Jehudæam, quisque in civitatem suam.

7 Qui venerunt cum Zerubbabele, Jeschuɦa, Nechemja, Hazarja, Raɦamja, Nachamani, Mordecaio, Bilschane, Misperetho, Bigvaio, Nechumo, Baɦana, numerus hominum popularium Jisraëlis.

8 Posteri Parɦoschi, bis mille centum septuagintaduo.

9 Posteri Schephatjæ, trecenti septuagintaduo.

10 Posteri Arachi, sexcenti quinquagintaduo.

11 Posteri Pachath-Moabi, ex posteris Jeschuɦæ & Joabi; bis mille octingenti octodecim.

12 Posteri Helami, mille ducenti quinquagintaquatuor.

13 Posteri Zatthu, octingenti quadragintaquinqne.

14 Posteri Zaccai, septingenti sexaginta.

15 Posteri Binnui, sexcenti quadraginta octo.

16 Posteri Bebai, sexcenti viginti octo.

17 Posteri Hazgadis, bis mille trecenti viginti duo.

18 Posteri Adonikami, sexcenti sexagintaseptem.

19 Posteri Bigvai, bis mille sexagintaseptem.

20 Posteri Hadinis, sexcenti quinquagintaquinque.

21 Posteri Ateris, ex Chizkija nonagintaocto.

22 Posteri Chaschumi, trecenti vigintiocto.

23 Posteri Betzai, trecenti vigintiquatuor.

24 Posteri Chariphi, centum duodecim.

25 Gibɦonitæ nonagintaquinque.

26 Beth-Lechemitæ & Netophatæi centum octogintaocto.

27 Hanathothani centum vigintiocto.

28 [c] Hazmavethani quadragintaduo.

29 Kirjath-Jeɦarimani, Cephirani, & Beerothani, septingenti quadragintatres.

30 Ramani & Gebaɦæi sexcenti vigintiunus.

31 Michmasæi, centum vigintiduo.

32 Bethelitæ & Hajani, centum vigintitres.

33 Nebontini

[a] *Heb. fidei vel veritatis.*
[1] i. custodes: quibus portarum cura mandata fuerit.
[2] i. admotis manibus observate an bene sint clausæ.
[3] i. in portis & propugnaculis, quæ fuerint in ea urbis regione quam quisque inhabitat.
[4] i. quum istam incolarum paucitatem animadverterem Jeruschalaimis.
[b] *Heb. cor.*
[5] id est, convenire jussi in diem primum mensis septimi: ut audita lectione legis compararentur ad ea facienda, quæ Dei cultui, conservationi urbis & populi convenire judicarentur. Prolepsis quinque capitum sequentium.
[6] ac proinde incolarum urbis numerus augeretur: inventis iis qui ad antiquas urbanas familias olim pertinebant, & in opidum etiam aliis, si opus esset, ascitis.
[8] *Vide Hezra 2.*
[7] i. qui in Jehudæam duce Zerubbabele pervenerant: nam hæc recensio prima est in Jehudæa facta quum primum in eam appulissent: sed tamen secunda ab ea quæ priùs fuerat habita in Babylonia, quum instituerentur profectio, Hezræ 2. Hinc varietas numerorum orta.
[c] *Heb. viri loci Hazmavethi.*

33 Nebontini alteri, quinquagintaduo.

34 Posteri Helami alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor.

35 Posteri Charimi trecenti viginti.

36 Jerechuntini trecenti quadragintaquinq;.

37 Lodæi, Chadidæi & Onontini septingenti vigintiunus.

38 Senaani ter mille nongenti triginta.

39 Sacerdotes: posteri Jedahjæ e familia Jeschuhæ, nongenti septuagintatres.

40 Posteri Immeris, mille quinquagintaduo.

41 Posteri Paschchuris, mille ducenti quadraginta septem.

42 Posteri Charimi mille septemdecim.

43 Levitæ: posteri Jeschuhæ cum Kadmiele e filiis Hodevæ septuagintaquatuor.

44 Musici: posteri Asaphi, centum quadragintaocto.

45 Janitores, posteri Schallumi, posteri Ateris, posteri Talmonis, posteri Hakkubi, posteri Chatitæ, posteri Schobai: centum trigintaocto.

46 Nethinæi: posteri Tzichæ, posteri Chaschuphæ, posteri Tabbahothi,

47 Posteri Kerosi, posteri Sihæ, posteri Padonis,

48 Posteri Lebanæ, posteri Chagabæ, posteri Schalmai.

49 Posteri Chananis, posteri Giddeli, posteri Gachadis,

50 Posteri Reajæ, posteri Retzinis, posteri Nekodæ,

51 Posteri Gazami, posteri Huzzæ, posteri Paseachi,

52 Posteri Besai, posteri Mehunimi, posteri Nephischesimi,

53 Posteri Bakbuki, posteri Chakuphæ, posteri Charchuris,

54 Posteri Batzelithi, posteri Mechidæ, posteri Charschæ,

55 Posteri Barkosi, posteri Siseræ, posteri Themachi,

56 Posteri Netziachi, posteri Chatiphæ.

57 Posteri servorum Schelomonis: posteri Sotai, posteri Sopherethi, posteri Peridæ,

58 Posteri Jahalæ, posteri Darkonis, posteri Giddeli,

59 Posteri Schephatjæ, posteri Chatilis, posteri Pocereth-Hatzebajimi, posteri Ammonis:

60 Omnes Nethinæi, & posteri servorum Schelomonis; trecenti nonagintaduo.

61 Hi quoque *fuerunt* qui ascenderunt e Thel-Melacho *&* Thel-Charscha, Cerub, Adon, & Immer: sed non potuerunt indicare familiam majorum suorum, & semen eorum, utrùm ex Jisraëlitis essent.

62 Posteri Delajæ, posteri Tobijæ, posteri Nekodæ; sexceni quadragintaduo.

63 E Sacerdotibus verò, posteri Chabajæ, posteri Kotzi: posteri Barzillai, qui accepta e filiabus Barzillai Gilhaditæ uxore, vocatus est de nomine illorum.

64 Isti quæsiverunt quisque scripturam suam, qui suum genus prædicabant, sed non inventa est: quapropter ut polluti abstenti sunt a Sacerdotio.

65 Edixit enim regis legatus eis, ut non comederent de re sancta sanctarum; donec exsisteret Sacerdos cum Urimis & Tummimis.

66 Tota hæc congregatio universè; quadragies bis mille trecentorum sexaginta:

67 Præter servos eorum & ancillas eorum istos, septies mille trecentos triginta septem: quibuscum erant cantores & cantatrices, ducentę quadraqintaquinque.

68 Equi eorum, septingenti triginta sex: muli eorum ducenti quadragintaquinque:

69 Cameli, quadringenti triginta quinq;: asini, sexies mille septingenti viginti.

70 [8] TUM pars primorum paternarum *familiarum* contulerunt ad [9] ipsum opus; [10] regis legato conferente in thesaurum, auri [11] drachmas mille, crateras quinquaginta, tunicas Sacerdotum quingentas triginta:

71 E primoribus, inquam, paternarum *familiarum* contulerunt in thesaurum ipsius operis, auri drachmas [d] vicies mille; & [12] argenti pondo bis mille ducenta.

72 Quòd verò contulerunt reliquum populi; *fuit* auri drachmę vicies mille, & argenti pondo bis mille: ac tunicę Sacerdotū sexaginta septem.

CAPUT VIII.

Jisraëlitarum conventui verbum Dei proponitur, consternati eriguntur, tabernaculorum festum indicitur: quod summo studio & religione celebratur, habitis quotidie sacris concionibus.

[1] NAm habitaverant Sacerdotes & Levitę janitorésque & musici, & populares, ac Nethinæi, denique omnes Jisraëlitę in civitatibus suis: adveniente autem [a] mense septimo, dum Jisraëlitæ *inhabitarent* civitates suas:

2 Cōgregati sunt totus populus [a] unanimis in plateam quæ *est* ante [3] portam aquarum; dicentes Hezræ legis perito, ut afferret librum legis Moschis, quam præceperat Jehovæ Jisraëli.

3 Adferens itaque Hezra Sacerdos legem coram congregatione tam virorum quàm mulierum, & [b] omnium aptorum ad intelligenter audiendum; die primo mensis septimi:

4 Legit in illo ante plateam illam quæ *est* ante portam aquarum, a luce usque ad meridiem, coram viris mulieribúsque ac intelligentibus; auribus totius populi *attentis* ad librum legis.

5 Stabat autem Hezra legis peritus in suggestu ligneo quem fecerant ad hanc rem; adstante ei [4] Matthithja, & Schemahо, & Hanaja, & Urija, & Chilkija, & Mahaseja ad dexteram ejus: a sinistra verò ejus Pedaja, & Mischaële, & Malcija, & Chaschumo, & Chaschbaddana, Zecarja, Meschullamo:

6 Quum aperuit Hezra librum ante oculos totius populi (nam superior toto populo erat) & dum [5] apertum habuit eum, consistebant totus populus.

7 Deinde benedixit Hezra Jehovę Deo maximo: cui respondentes totus populus Amen, Amen, cum elatione manuum suarum, verticem inclinârunt & incurvârunt se *honorem exhibentes* Jehovæ facie *demissa* terram versùs.

8 Similiter Jeschuah & Bani, & Scherebja, Jamin, Hakkub, Schabbethai, Hodija, Mahaseja, Kelita, Hazarja, Jozabad, Chanan, Pelaja, & alii Levitæ docebant populum legem; [6] populo *manente* in statione sua.

9 Legebant enim librum illum, legem Dei explanatè: & exponendo sensum, dabant intelligentiam per scripturam ipsam.

10 Deinde dixit Nechemja, is *est* legatus regis, & Hezra Sacerdos legis peritus, ac Levitæ docentes populum, toti populo, hic dies sanctus *est* Jehovæ Deo vestro, [7] ne lugete neque flete: flebant enim totus populus quum audirent verba legis.

11 Sed, inquit eis, abite, [8] comedite pinguia, & bibite

[8] quum Nechemję mandato congregati sunt, sup. v. 5. quemadmodum primo adventu contulerant, Hezrę 2.68.
[9] i. ad omnia quæ forent opus in domo Dei.
[10] Nechemja, ut nominatim exprimitur infrà 8.10. & 10.1.
[11] i. quasi mille ducatos.
[d] *Heb. duas myriadas: sic* v. 72.
[12] i. amplius quinquagies mille quinquaginta daleros: vide 1. Reg. 10.17.

[1] causa indictæ illius congregationis, de qua supr. 7.5. nimirum ut habitarentur Jeruschalaima, quæ priùs inopia muri ædificiorumque quasi deserta relinquebantur. hinc autem incipiendū esse caput res ipsa indicat.
[2] ex ratione legis Exo. 12. nam hîc de rebus legalibus agitur: alioquin ratione civili diceretur primum vide annotata Exod. 12.2.
[a] *Heb. quasi vir unus.*
[3] vide sup. 3.26.
[b] *Heb. omnis intelligentis ad audiendum.*
[4] qui seniores erant e genere Levitico omnes.

[5] i. legit & concionem habuit: synecdoche.

[6] i. singulis e populo in suis sedibus se continentibus: erant enim propter populi frequentiam plures cœtus & conciones institutæ ibidem, & eodem tempore.
[7] ex lege Num. 10.10.
[8] i. bono cibo & potu vos recreate.

& bibite dulcia, ac [9] mittite portiones cuicunque
nihil *est* paratû, nam sanctus *est* hic dies domino
nostro: & ne dolore afficiamini, quum [10] gaudium
Jehovæ sit robori vobis.
12 Quum itaque Levitæ [c] repressissent totum
populum, dicendo, silete, quia hic dies sanctus est:
& ne dolore afficiamini:
13 Abiverunt totus populus ad commeden-
dum & ad bibendum, & mittendum portiones,
& ad agitandum lætitiam magnam: quòd intel-
lexissent verba illa, quę nota fecerant ipsis.
14 Postridie verò congregati sunt primores
paternarum *familiarum* totius populi, Sacerdotes
ac Levitæ ad Hezram legis peritum; idque ad in-
tellectum [11] habendum in verbis legis.
15 Quúmque invenissent [‖] scriptum in lege;
præcepisse Jehovam per Moschen, ut considerent
Jisraëlitæ in tabernaculis, in festo eorum mense
septimo:
16 Et [12] ut promulgarent ac [d] proclamarent
in omnibus civitatibus suis & Jeruschalaimis,
dicendo; exite *in* montana, & afferte ramos oli-
varum, & ramos arborum oleosarum, ramósque
myrti, & spathas palmarum, cum ramis arborum
densarum: ad faciendum tabernacula, [13] prout
scriptum est:
17 Egressi populus attulerunt; & fecerunt
sibi tabernacula quisque in tecto suo aut in atriis
suis, ac in atriis domus Dei: etiam in platea [14] por-
tæ aquarum, & in platea portę Ephrajimi.
18 Sic quum fecissent tota congregatio illa,
reduces a captivitate, tabernacula, & conside-
rent in ipsis tabernaculis; [15] etsi non fecerant
inde a temporibus Jeschuhæ filii Nunis ita filii
Jisraëlis usque in diem istum; essétque lætitia
magna valdè:
19 Legebat *Hezra* in libro legis Dei [e] quo-
tidie, inde a die primo usque ad diem ultimum:
celebrârúntque festum septem diebus; die verò
octavo diem interdicti [‖] pro ritu.

[9] ex lege Deut. 16.14.
[10] ista Dei beneficentia exhilarare vos & confirmare debet: quum vobis terram promissam, urbem, templum, cultum, doctrinámque restituerit.
[c] *Heb. jussissent conticescere.*
[11] i. ad cognoscendum si quid sibi & populo suo lege imperabatur.
[‖] *Levitic.* 23. *& Deuter.* 16.
[12] sicut imperatum est in omnibus congregationibus sanctis: Leuitici 23.4. & Num. 10.10.
[d] *Heb. transmitterent vocem.*
[13] vide. Levit. 23.40.
[14] i. ab vna parte oppidi ad alteram: synecdoche.
[15] i. etsi nunquam habuerunt Jisraëlitæ in festo tabernaculorum convocationem sanctam, & conciones quotidianas (lege enim tantùm die primo & octavo imperabatur convocatio, Levit. 23.35. & 36.) tamen præ studio pietatis & lætitia, singulis diebus convocationes sanctas habuerunt.
[e] *Heb. de die in diem.*
[‖] *Levit.* 23.36.

CAPUT IX.

Publica Jisraëlitarum reducum resipiscentia lectione legis audita exponitur: Et oratio subjungitur qua Deum laudantes se ipsos accusant, iramque ejus & graviora supplicia deprecantur.

[1] POstea die vigesimoquarto mensis ejusdem,
congregatis Jisraëlitis in jeiunio & ciliciis &
[2] terra ipsis imposita:
2 [3] Disparati sunt [a] nati Jisraële ab omnibus
alienigenis: & constentes confessi sunt pecca-
ta sua, & iniquitates majorum suorum.
3 Nam [4] illis erectis in statione sua legerunt
Levitæ in libro legis Jehovæ Dei sui [5] per qua-
drantem diei: [6] & per quadrantem confitentes
incurvaverunt se Jehovæ Deo suo.
4 [7] Conscensóque [8] suggestu Levitarum,
Jeschuah, & Bani, Kadmiel, Schebanja, [b] Bun-
nai, Scherebja, [c] Bani, [d] Cenani; inclamaverunt
voce magna Jehovam Deum suum.
5 Dixerunt enim Levitæ Jeschuah, & Kad-
miel, Bani, Chaschab-neja, Scherebja, Hodija,
Schebanja, Petachja, Surgite, benedicite Je-
hovæ Deo vestro [9] a seculo usque in seculum:
& benedicunto [10] nomini glorioso tuo, atque
[11] exaltato supra omnem benedictionem ac lau-
dem.

[1] i. quum audita lege agnoscerent quàm procul abessent ab illa sanctitate, quam ipsa imperat, &c.
[2] vide Jehoschu. 7.6.
[3] ut sublata ista consuetudine impura cum exteris, sanctè deprecarentur culpam, hoc capite; & fœdus cum deo renovarent, cap. 10.
[a] *Heb. semen Jisraëlis.*
[4] i. popularibus.
[5] secundum videlicet, qui proximè sequitur sacrificium juge, i. ab hora 3. ad sextam.
[6] tertium videlicet, qui proximè anteit sacrificium vespertinum, i. ab hora 6. ad nonam. [7] post totius legis lectionem. [8] i. in suo suggestu Levita quisque: nam propter frequentiam octonæ conciones erant, in quibus lex legebatur, & fiebat peccatorum confessio. [b] *qui Chaschabneja.* [c] *qui Hodija.* [d] *qui Petachja V. sequente.* [9] i. benedictione sempiterna. [10] Apostrophe ad Deum. [11] i. omnem benedictionem & laudem sua amplitudine superanti, hæc autem sunt verba Levitarum, populum ad laudes Dei & confessionem peccati sui excitantium.

6 [12] Tu ille Jehova solus es; [‖] tu fecisti cælos,
cælos cælorum, & omnem exercitum eorum, ter-
ram & quicquid *est* in ea, maria & quicquid *est* in
eis, & tu conservas hęc omnia: etiam [13] exercitus
cælorum tibi se incurvant *honorem exhibentes.*
7 [14] Tu es Jehova Deus, qui [‖] eligens Abra-
mum eduxisti eum Ure Chaldæorum; & [‖] impo-
suisti ei nomen Abraham:
8 Et [‖] inveniens animum ejus [15] fidelem co-
ram te, etiam pepigisti cum eo fœdus, te da-
turum terram Cenahanæi, Chitthæi, Emoræi,
Perizzæíque, ac Jebusæi, & Girgaschæi, datu-
rum, *inquam*, semini ejus: & præstitisti verba tua,
quia justus es.
9 [16] Nam [‖] aspiciens afflictionem majorum
nostrorum in Ægypto; & clamorem eorum ex-
audiens ad mare algosum:
10 [‖] Edidisti signa & prodigia contra Parho-
nem & contra omnes servos ejus, & contra totum
populum terræ ejus, [‖] noueras enim hos superbi-
visse in illos: & comparâsti tibi nomen sicut *est*
hodierno die.
11 Et [‖] mare diffidisti coram illis, ita ut [e] pe-
netraverint mare per aridam: persequentes verò
eos projecisti in profunda, tamquam lapidem in
aquas valentes.
12 Pręthereà [‖] columna nubis duxisti eos in-
terdiu; & columna ignis noctu, illustrando eis
viam qua ituri erant.
13 Deinde [‖] super montem Sinai ita descendisti
ut alloquereris eos e cælis: & dedisti eis judicia
recta & leges [f] veras, statuta ac præcepta bona.
14 Sabbathum quoque sanctum tuum notum
fecisti eis: quum præcepta statutáque & legem
præciperes eis per Moschem servum tuum.
15 Item [‖] panem e cælo dedisti eis ad famem
eorum, & aquam e petra eduxisti eis ad sitim
eorum: & edixisti eis ut venirent ad hæreditario
jure possidendum terram, quam sublata manu
tua *juraveras* te daturum eis.
16 [17] Ipsi verò & patres nostri superbè egerunt:
& obdurantes cervicem suam, non auscultave-
runt pręceptis tuis:
17 Renuerunt, inquam, auscultare, immemo-
res mirabilium tuorum quæ exercueras erga ip-
sos, & obdurata cervice sua constituebant ducem,
[‖] ut redirent ad servitutem suam rebellione sua:
[18] attamen tu Deus condonationum *es*, gratiosus
& misericors, longanimis & multus benignitate,
qui non dereliqueris eos.
18 Etiam quum fecissent sibi vitulum fusi-
lem, & dicerent, [‖] hic *est* Deus tuus, qui eduxit
te ex Ægypto; denique afficerent *te* contumeliis
magnis:
19 Tamen tu miserationibus tuis maximis
non dereliquisti eos in ipso deserto: columna nu-
bis non recessit ab eis interdiu, ut deduceret eos
per viam, aut columna ignis noctu, ut illustraret
eos, & viam per quam ituri erant.
20 [‖] Spiritum etiam tuum optimum dedisti
ad intelligentiam tribuendum eis; & [‖] Man tuum
non cohibuisti ab ore eorum, & aquas dedisti eis
ad sitim eorum.
21 Ita [‖] quadraginta annis sustentâsti eos in
deserto, non eguerunt: [‖] vestimenta eorum non
veterârunt, & pedes eorum non intumuerunt.
22 Et [‖] dedisti eis regna & populos, quos
[19] dispertitus es angulatim: nam hæreditario jure
possederunt regionem [20] Sichonis cum regione
regis [21] Cheschbonis, & regionem Hogi regis
Baschanis.
23 Quúmque [22] filios eorum multiplicâsses
sicut

[12] Exordium laudativum a natura Dei, ab opere creationis, & conservationis.
[‖] *Gen.* 1.
[13] i. omnes res creatæ etiam altissimæ & præstantissimæ tibi obsequuntur.
[14] ab electione, fœdere & promissionibus. Narratio cujus partes sunt duæ: beneficiorum Dei, & perversitatis Jisraëlitarum.
[‖] *Gen.* 11.33.
[‖] *Gen.* 17.5.
[‖] *Exo.* 15.6. *&* 23.
[15] i. certa fide amplectentem promissiones tuas.
[16] Prolepsis, quæ in sequentibus explicatur.
[‖] *Exod.* 3.7. *&* 14.10.
[‖] *Exod* 7. *& quinque sequentibus.*
[‖] *Exod.* 18.11.
[‖] *Exod.* 14. *&* 15.
[e] *Heb. transirent per medium maris.*
[‖] *Exod.* 13.21.
[‖] *Exod.* 19. *&* 20. *ac sequentibus.*
[f] *Heb. veritatis.*
[‖] *Exod.* 16. *&* 17 *Num.* 20. *Deut.* 1.8.
[17] Narrationis secunda pars.
[‖] *Numer.* 14.4.
[18] narrationis ἐργασία per antithesin sive comparationem superiorum partium inter se: qua ostenditur quàm sollicitè, diu, variè & prolixè Dei beneficiis & signis cum ingrato Jisraëlitarum animo certaverit.
[‖] *Exod.* 32.
[‖] *Num.* 11.
[‖] *Jehosch.* 5.12.
[‖] *Deut.* 2.6.
[‖] *Deut.* 8.4.
[‖] *Num.* 21.
[19] i. reliquos superstites eorum huc illuc dissipatos in summas angustias conjecisti.
[20] i. Emoræorum, quibus propriè imperabat Sichon.
[21] id est, partis agri Moabitarum, quam antè occupaverat Sichon, Num. 21.26.
[22] qui dixerant, constituamus nobis ducem: vide Num. 14.21. & sequentibus.

sicut stellas cæli,& introduceres eos in terram il-
lam,quò edixeras patribus eorum ut venirent ad
hæreditario jure possidendum eam:

[e] *Vide Jehoschuhæ librum.*

24 [e] Ingressi illorum filii hæreditario jure pos-
sederunt terram illam, quum deprimeres coram
eis habitatores ipsius terræ, Cenahanæos, & hos
traderes in manum eorum: nempe reges horum
& populos regionis, ut facerent eis pro volun-
tate sua.

25 Itaque ceperunt civitates munitas & so-
lum pingue; possederuntque hæreditario jure
domos plenas omni bono, cisternas effossas, vi-
neas, & oliveta,& arbores [f] esculenti fructus plu-
rimas: quibus comedentes saturati & saginati
sunt,oblectârúntque se bonitate tua maxima.

[f] *Heb. esca in multitudine.*

26 Quum verò mutantes se rebellârunt con-
tra te, [23] rejicientes legem tuam post [g] tergum
suum, & prophetas tuos interficientes, qui con-
testabantur ipsos ut reducerent ipsos ad te: deni-
que afficerent *te* contumeliis magnis:

[23] i. abjicientes ejus memoriam.
[g] *Heb. corpus: sic 1.Reg.14.9.*
[h] *Judicum 2,& 3.*

27 [h] Tradebas eos in manum hostium ipso-
rum,qui angerent eos:quum autem tempore an-
gustiæ suæ inclamarent te, tu e cælis exaudiebas,
& pro miserationibus tuis maximis dabas eis ser-
vatores, qui servabant eos e manu hostium ipso-
rum.

28 Sed simulac quies erat eis, [h] rursus facie-
bant malum coram te: quapropter relinquebas
eos in manum inimicorum eis,qui dominarentur
in eos, quumq; conversi inclamarent te,tu e cęlis
auscultans eripiebas eos pro miserationibus tuis,
multis temporibus.

[h] *Heb. revertebantur ad faciendum.*

29 Contestabaris quidem eos, revocando eos
ad legem tuam, sed ipsi superbè agebant, neque
auscultabant præceptis tuis, & in ipsa judicia tua
peccabant, [i] in quibus,si ea faceret homo, victu-
rus esset: exhibebant [24] armum refractarium,cer-
vicemq; suam obdurabant, neque auscultabant.

30 Quúmque protrahens erga eos [25] annos
multos, [k] contestatus esses eos spiritu tuo per pro-
phetas tuos, neque præbuissent aurem: tandem
tradidisti eos in manum populorum regionum.

[i] *Lev.18.5.*
[24] Metaphora a jumentis & bobus impatientibus oneris & jugi.
[25] quamdiu duraverunt regna Jehudæ & Jisraëlis.
[k] *2.Reg.17.& 2.Chron.36.15. & seq.*

31 Sed propter miserationes tuas magnas non
fecisti eorum consumtionem, neque dereliquisti
eos: quia *Deus* fortis,gratiosus & misericors es.

32 [26] Nunc ergo Deus noster, *Deus* fortis,ma-
xime, potentissime, & summè reverende, servans
fœdus & benignitatem; ne parùm esto coram te
obvenisse nobis totam hanc molestiam, regibus
nostris, principibus nostris & sacerdotibus no-
stris, prophetisque nostris ac majoribus nostris,
totique populo tuo: inde a diebus regum Assyrię
usque in diem hunc.

[26] Conclusio petitoria: qua graviores in posterum calamitates deprecantur, & orant ut Deus superiorum calamitatum, quas subiērunt omnes tamdiu, rationem habeat, & tandem aliquando castigandi finem faciat.

33 [l] [27] Quamvis tu justus *sis* in omnibus quæ
obveniunt nobis: nam veritatem exercuisti, quia
improbè egimus:

[l] *Deu.32.4. Dan.9.14.*
[27] alterum conclusionis membrum, confessio justitiæ judiciorum Dei in se propter peccata sua.

34 Et cum regibus nostris principes nostri ac
majores nostri non fecerunt legem tuam: neque
attenderunt ad præcepta tua & ad testimonia
tua, quibus contestatus es eos.

35 Nam ipsi in regno suo, & in beneficio tuo
plurimo quod contuleras eis, & in regione am-
plissima & pinguissima [i] quam exposueras eis,non
coluerūt te: neq; reversi sunt a factis suis pessimis.

[i] *Heb. posueras ante faciem eorum.*

36 [28] Ecce nos hodie servos: & in terra hac ip-
sa quā tradideras majoribus nostris,ut fruerentur
fructu ejus & bonitate ejus,ecce nos servos *in* ea.

[28] Tertius conclusionis locus: πάθος, ad conciliandum Dei misericordiam.

37 Nam proventum suum effert regibus,quos
pręposuisti nobis propter peccata nostra: etiam
in corpora nostra dominantur & in jumenta no-
stra pro voluntate sua, adeò ut in angustia ma-
gna simus.

CAPUT X.

Omnes Jisraëlitarum ordines fœdere cum Deo renovato sese obstringunt ad legis Dei & cultus ipsius observationem.

1 PRo hoc autem toto, pepigimus constitutio-
nem *fœderis* & scripsimus; idque cum ob-
signatione principum nostrorum, Levitarum no-
strorum, Sacerdotum nostrorum.

[1] i. ad testandam seriam nostram abdicationem mali, & studium consequendæ misericordiæ: quæ superiore oratione exposueramus Deo.
[2] hyperbaton usque ad versum 29.

CAPUT X.

2 [2] Fueruntque in istis obsignationibus:
Nechemja legatus regis filius Chacaljæ, & Tzid-
kija,
3 Seraja, Hazarja, Tzidkija,
4 Paschur, Amarja, Malcija,
5 Chattusch, Schebanja, Malluc,
6 Charim, Meremoth, Hobadja,
7 Danijel, Ginnethon, Baruc,
8 Meschullam, Abija, Mijamin,
9 Mahazja, Bilgai, Schemahja: isti Sacer-
dotes:
10 Levitæ autem: Jeschuah filius Azanjæ,
Binnui e posteris Chenadadi, Kadmiel:
11 Et cognati eorum; Schebanja, Hodija,
Kelita, Pelaja, Chanan,
12 Mica, Rechob, Chaschabja,
13 Zaccur, Scherebja, Schebanja,
14 Hodija, Bani, Beninu:
15 Primores populi; Parhosch, Pachath-Mo-
ab, Helam, Zatthu, Bani,
16 Bunni, Hazgad, Bebai,
17 Adonija, Bigvai, Hadin,
18 Ater, Chizkija, Hazzur,
19 Hodija, Chaschum, Betzai,
20 Chariph, Hanathoth, Nebai,
21 Magpihasch, Meschullam, Chezir,
22 Meschezabeel, Tzadok, Jadduah,
23 Pelatja, Chanan, Hanaja,
24 Hoscheah, Chananja, Chaschub,
25 Lochesch, Pilcha, Schobek,
26 Rechum, Chaschabna, Mahaseja:
27 Item Achija, Chanan, Hanan,
28 Malluc, Charim, Bahana.
29 *Pepigimus ergo nos &* reliquum populi, Sa-
cerdotes, Levitæ, Janitores, Musici, Nethinæi, &
quisquis disparatus fuit a populis regionum in le-
gem Dei, uxores eorum, filii eorum & filię eorum:
quisque [2] notitia præditus & intelligentia:

30 Firmè adjungentes se fratribus suis, [3] mag-
nificis eorum; & ineuntes [4] exsecrationem & ju-
ramentum nos ambulaturos in lege Dei, [m] quæ
tradita fuit per Moschen servum Dei: nempe ob-
servaturos & facturos omnia præcepta Jehovæ
domini nostri, judiciaque ejus & statuta ejus:

[2] *Heb. cognoscens, intelligens.*
[3] potentioribus primoribusq; illis, qui omnium nomine subscripserant.
[4] ad confirmationem fœderis, de quo ver.1.
[m] *Exod.34.*

31 Et [n] non daturos filias nostras populis regio-
nis; & filias eorum non assumturos pro filiis
nostris:

[n] *Deut.7.*

32 Et [o] a populis regionis afferentibus mer-
ces, & quamlibet annonam die sabbathi ad ven-
dendum, nos non accepturos [p] ullo sabbatho aut
die sacro: & [q] nos deserturos *culturam* anni septimi,
& omne jus vendicandi manu:

[o] *Exod.20.10. Deut.5.12.*
[p] *Exod.23.12.*
[q] *Exod.23.10. Deut.15.1.*

33 [5] Instituimus nobis præcepta, imponentes
nobis [6] trientem sicli quotannis; ad cultum do-
mus Dei nostri:

[5] i. ordinavimus, ita exigente necessitate cultus Dei: etiamsi lege non fuisset disertè imperatus hic ordo; sed res ipsa, Num. 28. 29. quamobrem hæc non tantum a vulgo; sed a Davide rege & Chizkija pro facultatibus suis subministrata leguntur, 1.Chron.26.29. & 2.Chron.31.3.
[6] vide annotata Exodi 30.12.

34 Ad panes dispositionis, munusque juge; &
[r] holocaustum juge sabbathorum, noviluniorum,
ad solennitates & ad res sacras, atque ad peccata
ut expietur Jisraël: denique *ad* totum opus Dei
nostri.

[r] *Exod.29. Num.28.& 29.*

35 Item sortes [7] conjecimus Sacerdotum,
Levitarum

[7] hoc est, quia fortium a Davide 1.Chron.24.25. ac 26. institutarum numerus integer non aderat; nova fortitione usi sumus.

Levitarum & [8] populi pro [h] lignis oblationum; [9] ut afferrent in domum Dei pro familiis paternis noſtris, temporibus condictis de anno in annum: [i] ad accendendum ſuper altare Jehovæ Dei noſtri, [k] ſicut ſcriptum eſt in lege.

36 Item *inſtituimus* nos allaturos [l] primitias terræ noſtræ, & primitias omnis fructus cujuſque arboris de anno in annum, ad domum Jehovæ:

37 [m] [10] Primogenita quoque filiorum noſtrorum & jumentorum noſtrorum, ſicut ſcriptum *eſt* in lege: & [11] primogenita boum noſtrorum, & pecudum noſtrarum allaturos in domum Dei noſtri ad Sacerdotes, miniſtrantes in domo Dei noſtri:

38 [n] Primitias cujuſque maſſæ noſtræ, & oblationes noſtras, & fructum cujuſque arboris, muſtum & oleum nos allaturos ſacerdotibus in cubicula domus Dei noſtri, [o] decimas verò terræ noſtræ *daturos* Levitis: qui ipſi Levitæ decimaturi ſint in quibuſcunque civitatibus *fuerit* cultura noſtra.

39 Et adfore Sacerdotem filium Aharonis Levitis, quando dabunt decimas Levitæ: ipſosq; Levitas abducturos decimas ſuarum decimarum ad domum Dei noſtri, in cubicula, in [c] theſaurum ejus.

40 Nam ad illa cubicula afferre debent [12] Jiſraëlitæ & [13] Levitæ oblationem frumenti, muſti & olei; ubi *ſunt* inſtrumenta ſanctuarii, & Sacerdotes & miniſtri, janitoresq; & muſici: [14] ut non derelinquamus domum Dei noſtri.

8 i. Nethinæorum ſive dedititiorum addictorum miniſterio domus Dei, Jehoſch. 9.21.
h Heb. pro oblatione lignorum, hypallage: ſic infrà 13.31.
9 i. toto legitimo miniſterio defungentes ſynecd.
i Num. 3.7.
k Levit. 6.12. Num. 28. & 29.
l Exod. 23.19. Levit. 19.23.
m Exod. 13.2. Levit. 27.
10 i. primò primogenitorum quæ beneficiis inepta erant.
11 i. ipſa corporis: quia ſacrificiis apta.
n Num. 15.20.
o Num. 18.21 & ſequent.
c Heb. in ærarium theſauri.
12 quibus de alimento in ſacris feriis cautum fuerat lege, Deut. 14.23.
13 tam ordinis Levitici, tam Sacerdotalis, quàm eorum adminiſtri.
14 id eſt, ne per nos fiat his rebus omiſſis, ut derelinquatur cultus Dei.

CAPUT XI.

Jeruſchalaimi incolæ ſorte ordinantur, reliquis in ſuas poſſeſſiones commigrantibus.

CONſederunt autem principes iſti populi Jeruſchalaimis: quum reliquus populus conjeciſſent ſortes, ut educerent unum e denis qui inhabitaret Jeruſchalaima, civitatem ſanctam, novem autem reliquæ partes civitates ſuas;

2 Et [1] benedixerunt populus omnibus hominibus illis, qui ſponte ſe obtulerunt ad inhabitandum Jeruſchalaima.

3 Iſti, inquam, *ſunt* primarii [2] provinciæ qui inhabitârunt Jeruſchalaima: alias civitates Jehudæ inhabitantibus quibuſque in poſſeſſione ſua per civitates ſuas, Jiſraëlitis, Sacerdotibus, & Levitis, Nethinæiſq;, ac poſteris [3] ſervorum Schelomonis.

4 Jeruſchalaima itaque [4] inhabitârunt e Jehudæis & e Binjaminitis: e Jehudæis, Hataja filius Huzzijæ, filii Zecarjæ, filii Amarjæ, filii Schephatjæ, filii Mahalaleelis, e poſteris Peretzi:

5 Item Mahaſeja filius Baruci, filii Col-Chozæ, filii Chazajæ, filii Hadajæ, filii Jojaribi, filii Zecarjæ, filii Schiloni:

6 Omnes poſteri Peretzi inhabitantes Jeruſchalaima; quadringenti ſexaginta octo viri [5] ſtrenui.

7 Hi verò poſteri Binjaminis: Sallu filius Meſchullami, filii Johedi, filii Pedajæ, filii Kolajæ, filii Mahaſejæ, filii Ithielis, filii Jeſchahjæ:

8 Et poſt eum Gabbai, Sallai: nongenti viginti octo.

9 Joël autem filius Zicri præfectus *erat* illis: & Jehuda filius Senuæ ſecundarius in civitate.

10 E ſacerdotibus: Jedahja filius Jojaribi, Jacin,

11 Seraja filius Chilkijæ, filii Meſchullami, filii Tzadoki, filii Merajothi, filii Achitubi, anteceſſor in domo Dei:

12 Et cognati eorum facientes opus in ipſa domo, octingenti viginti duo: cum Hadaja filio Jerochami, filii Pelaljæ, filii Amtzi, filii Zecarjæ, filii Paſchchuris, filii Malcijæ.

13 Item fratres iſtius primores in paternis *familiis*, ducenti quadragintaduo: cum Hamaſchesajo filio Hazareelis, filii Achzai, nepotis Meſchillemothi, filii Immeris:

14 Et cognati eorum valentes robore, centum vigintiocto; quibus præfectus Zabdiel filius Gedolimi.

15 E Levitis quoque: Schemahja filius Chaſchubi, filii Hazrikami, filii Chaſchabjæ, filii Buni.

16 Item Schabbethai & Jozabad, præfecti [5] operi externo pro domo Dei e primoribus Levitarũ.

17 Item Matthanja filius Micæ, filii Zabdi, filii Aſaphi primarius, [b] primùm celebrabat in ipſa oratione, ac Bakbukja ſecundarius e cognatis ejus: & Habda filius Schammuæ filii Galalis, filii Jeduthunis:

18 Omnes Levitæ in civitate ſancta, ducenti octogintaquatuor.

19 Janitores verò, Hakkub, Talmon, & cognati eorum obſervantes in portis; centum ſeptuagintaduo.

20 Reliquum autem Jiſraëlitarum, Sacerdotum, Levitarum in omnibus civitatibus Jehudæ quiſque poſſeſſionem ſuam;

21 Nethinæi verò inhabitabant [6] clivum; & Tzicha ac Giſchpa præerant Nethinæis.

22 Præfectus autem Levitarum Jeruſchalaimis, Huzzi filius Bani, filii Chaſchabjæ, filii Matthanjæ, filii Micæ: e poſteris Aſaphi muſicis, [7] e regione operis domus Dei.

23 Nam [8] præceptum regis *datum fuerat* de eis; & conſtitutio pro muſicis, demenſum cujuſque diei quotidie.

24 Petachja verò filius Meſchezabeelis e poſteris Zerachi filii Jehudæ, erat [c] adminiſtrator regis in omni negotio erga populum.

25 In villis autem cum agris earum: e poſteris Jehudæ [9] inhabitabant Kirjath Arbaham cum pagis ejus, & Dibonem cum pagis ejus, & Jekabtzeelem cum villis ejus:

26 Item Jeſchuham, & Moladam, & Beth-Peletum:

27 Et Chatzar-Schuhalem, & Beerſchebaham cum pagis ejus:

28 Et Tziklagũ, Meconamq; cum pagis ejus:

29 Et Hen Rimmonem, Tzorhamq;, & Jarmuthum:

30 Zanoachum, Hadullamum cum villis eorum, Laciſchum cum agris ejus, Hazekam cum pagis ejus: ita [d] commorabantur a Beer-ſchebaho ad vallem Hinnomi uſque.

31 Poſteri verò Binjaminis, a Gebaho: Michmaſchum, & Hajam, & Beth-Elem cũ pagis ejus:

32 Hanathothas, Nobum, Hananjam:

33 Chatzorem, Ramam, Gitthajima:

34 Chadidum, Tzebohima, Neballatum:

35 Lodum, & Ononem cum valle fabrorum.

36 De Levitis autem, [10] diſtributiones Jehudæ & Binjaminis *inhabitabant*.

1 i. non modò non impedivêrunt: ſed etiam faverunt ac benè precati ſunt iis, qui voluntariò inhabitaturi eſſent Jeruſchalaima: in quibus fuerunt aliqui ex Ephrajimitis & Menaſchitis, 1. Chron. 9.3.
2 Jehudææ, quæ regni Perſici provincia erat.
3 vide 1. Reg. 9. 21.
4 ſorte: nam hic ii tantùm commemorantur, quibus ſorte obvenit Jeruſchalaimorum inhabitatio: At 1. Chron. 9. non hi tantùm, ſed etiam incolæ voluntarii recenſentur, de quibus ſuprà verſu 2. Quam ob rem illic Ephrajimitarum, Menaſchitarum, Zerachitarum, aliorumque ex Sacerdotibus, Levitis & populo habetur mentio, & longè amplior numerus exponitur.
5 Heb. roboris.
5 i. curatores erant earum rerum, quæ foris parabantur ad cultum Dei quarum causâ conferebantur [illegible] ſuprà 10.33. vide 1. Chron. 26. 29.
b Heb. principium [illegible]
6 de quo 2. Chro. 27.3. & ſuprà 3.26.
7 i. qui muſici inſtituti erant, ut aſſiſterent toti miniſterio quod intùs fiebat: ut alii Levitæ foris, ſupr. verſ. 16.
8 vide Hezræ 7. 22. q. d. munificentia regis proſpectum eſt muſicorum ſacrorum alimento; quum annuam penſionem de ſuo ærario erogari juſſit.
c Heb. pro manu regis.
9 hæc omnia loca uſque ad 31. ver. erant Jehudæ & Schimeonis: vide Jehoſch. 15. & 19.
d Heb. *caſtra hic habebant. i. in formam caſtrorum ſe diſponebant, creſcentibus* [illegible]
10 i. loca ab iſtis tribubus ſibi attributa.

CAPUT XII.

Primores Sacerdotum & Levitarum, & ſucceſſio ſummorum Sacerdotum uſque ad tempora Alexandri Magni recenſentur: & murorum totius urbis dedicatio, functionumque in templo confirmatio deſcribitur.

[1] ATque iſti *ſunt primores* Sacerdotum & Levitarum, qui [2] aſcenderant cum Zerubbabele

1 Digreſſio ab hoc verſu uſque ad 27. narratio occaſione ſuperioris recenſionis, ut una ſerie totus eccleſiaſticus & politicus ordo contexeretur. 2 duabus profectionibus: altera cum ducibus Zerubbabele & Jeſchuha, Hezræ 2. altera cum ipſo Hezra, Hezræ 7. ſynecdoche.

filio Schealthielis & Jeschuħa: Seraja, Jirmeja, Hezra:

2 Amarja, [a] Malluc, Chattusch:

3 [b] Schecanja, [c] Rechum, [d] Meremoth:

4 Hiddo, [e] Ginnethoi, Abija:

5 [f] Mijamin, Maħadja, Bilga:

6 Schemaħja, Jojarib, Jedaħja:

7 [g] Sallu, Hamok, Chilkija, Jedaħja: hi primores Sacerdotum & cognatorum suorum temporibus Jeschuħæ.

8 LEVITAS verò, Jeschuaħ, Binnui, Kadmiel, Scherebja, Jehuda, Matthanja: præfectus celebrationibus, ipse cum cognatis suis:

9 Deinde Bakbukja, & Hunni cognati illorum, e regione illorum per [5] observationes.

10 [4] Jeschuaħ autem genuit Jojakimum: & Jojakim genuit Eljaschibum, & Eljaschib genuit Jojadaħum.

11 Jojadaħ verò genuit [h] Jonathanem, & Jonathan genuit Jadduħam.

12 Temporibus autem [5] Jojakimi erant Sacerdotes primarii paternarum *familiarum*: ex Seraja Meraja, ex Jirmeja Chananja:

13 Ex Hezra Meschullam: ex Amarja Jehochanan:

14 Ex Melicu Jonathan: ex Schebanja Joseph:

15 Ex Charimo Hadna: ex Merajotho Chelkai:

16 Ex Hiddone Zecarja: ex Ginnethone Meschullam:

17 Ex Abija, Zicri: ex Minjamine ex Moħadja, Piltai:

18 Ex Bilga Schammuaħ: ex Schemaħja Jehonathan:

19 Ex Jojaribo autem, Matthenai: ex Jedaħja, Huzzi:

20 Ex Sallaio, Kallai: ex Hamoko, Heber:

21 Ex Chilkija, Chaschabja: ex Jedaħja, Nethaneel.

22 LEVITARUM, temporibus Eljaschibi, Jojadaħi, Jochananisq́; & Jadduħæ, [6] conscripti sunt primores paternarum *familiarum*: itemq́; Sacerdotum, usque ad regnum [7] Darii Persæ.

23 Levitarum primores paternarum *familiarum*, conscripti [i] in libro Chronicorum, usque ad [8] tempora Jochananis nepotis Eljaschibi:

24 Primores, inquam, Levitarum *sunt* Chaschabja, Scherebja, & Jeschuaħ filius Kadmielis, & cognati eorum e regione eorum ad laudandum, ad celebrandum ex præcepto Davidis viri Dei, [9] observatio ex adverso observationis:

25 Matthanja, & Bakbukja, Hobadja, Meschullam, Talmon, Hakkub; custodientes janitorum custodiam, in [10] ærariis portarum.

26 Isti *jam erant* temporibus [11] Jojakimi filii Jeschuħæ, filii Jozadaki: temporibus quoque Nechemjæ principis, ac Hezræ Sacerdotis legis periti.

27 Ad dedicationem autem muri Jeruschalaimorum [i] [12] requisiti sunt Levitæ ex omnibus locis eorum, qui reducerentur Jeruschalaima; ad celebrandum dedicationem & lætitiam, idq́; gratiarum actionibus & musica, cymbalis, nabliis, & citharis.

28 Itaque congregati sunt posteri musicorum; tum ex planitie circum Jeruschalaima, & ex villis Netophatæi:

29 Tum ex loco Gilgalis, & ex campis Gebaħi, & Hazmavethi: nam villas [13] ædificabant sibi musici circum Jeruschalaima.

30 Quumq́; mundâssent se Sacerdotes & Levitæ; [14] mundaverunt populum, portasq́; & murum.

[a] *qui Melicu, infra vers.* 14.
[b] *Schebanja, ibidem.*
[c] *Charim*, v. 15.
[d] *Merajoth, ibid.*
[e] *Ginnethon, ver.* 16.
[f] *Minjamin, Moħadja, ver.* 17.
[g] *Sallai, ver.* 20.
[3] de quibus 1. Chron. 25.
[4] series summorum Sacerdotum post reditum a captivitate, usque ad translationem Monarchiæ Persicæ ad Alexandrum Magnum: cui Jeruschalaima adorsuro obviàm venit Jadduaħ. Josephus Ant. lib. 11. cap. 7. & 8. Hoc autem non debet cuiquam mirum videri a Nechemja scribi: quum a regno Artaxerxis, cui Nechemja inserviebat, usque ad monarchiam Alexandri non intercederent sexaginta anni.
[h] *qui Jochanan, ver.* 22. & 23.
[5] Sacerdotis summi post Jeschuħam.
[6] q. d. nihil est opus ut a me describantur.
[7] postremi, qui ab Alexandro fusus est, Codomannus dictus.
[i] 1. *Chron.* 9.
[8] id est, usque ad Jadduħam filium ejus.
[9] vide 1. Chron. 24. 31. & 26. 16.
[10] 1. Chron. 26. 15.
[11] quum Nechemja in Jehudæam primum missus est.
[i] Heb. *requisiverunt Levitas.*
[12] i. revocati, quùm a magno illo conventu, de quo supr. 7. 5. ut alii Jisraëlitæ, ad suas habitationes reverterentur.
[13] nam Babylonicis bellis omnia fuerant eversa: ut annotavimus supra 11. 30. ad marginem.
[14] i. purgaverunt rebus immundis,

31 Deinde jubens ascendere principes Jehudææ [15] versùs superiorem partem muri: constitui duas [k] classes celebrantium magnas, quarum progressiones *erant*, *unius* ad [16] dexteram a superiore parte muri [17] ad portam sterquiliniorum.

32 (Sequebatur autem [18] istos Hoschaħja, & dimidium principum Jehudæ:

33 Nempe Hazarja, Hezra, & Meschullam,

34 Jehuda, & Binjamin, & Schemaħja, ac Jirmeja:

35 Et [19] præter Sacerdotes cum tubis; [20] Zecarja filius Jonathanis, filii Schemaħjæ, filii Matthanjæ, filii Micajæ, filii Zaccuris, filii Asaphi:

36 Et [21] cognati ejus, Schemaħja, & Hazareel, Milalai, Gilalai, Maħai, Nethaneel, Jehuda quoque, *&* Chanani, cum instrumentis musicis Davidis viri Dei: & Hezra legis peritus antecedebat illos)

37 Deinde ad portam fontis, & *tractum* [22] ex adverso ipsorum, ascenderūt per gradus civitatis Davidis in ascensum muri: [23] inde a *muro qui est* supra domum Davidis usque ad portam aquarum orientem *versùs*.

38 Classis verò celebrantium altera procedebat ex adverso, quam ego sequebar: dimidiumq́; populi, a [24] superiore parte ejusdem muri, ab *ea quæ est* supra [25] turrim furnorum, ad murum latum usque:

39 Deinde a *parte quæ est* supra [26] portam Ephrajimi, & supra portam veterem, & supra portam piscium, turrimq́; Chananeelis & turrim centenariam ad portam gregis usque: & substiterunt in porta custodiæ.

40 Deinde substiterunt duæ illæ laudantium classes in domo Dei; ego quoque, & dimidium antistitum mecum.

41 Sacerdotes quoque, Eljakim, Maħaseja, Minjamin, Micaja, Eljoħenai, Zecarja, Chananja cum tubis:

42 Item Maħaseja, & Schemaħja, & Elħazar, & Huzzi, & Jehochanan, & Malcija, Helamq́; & Hezer, resonabant etiam musici cum Jizrachja præfecto suo.

43 Et sacrificârunt die illo sacrificia magna atque lætati sunt, nam Deus [l] affecerat eos lætitia magna, etiam fœminæ & pueri lætati sunt: adeò ut audiretur lætitia Jeruschalaimorum usque e longinquo.

44 Præfecti sunt etiam eo die homines cubiculi ad thesauros, ad oblationes, ad primitias, & ad decimas; ut colligerent in ea ex agris civitatum portiones legales pro Sacerdotibus & pro Levitis: nam lætitia Jehudæorum *erat* de Sacerdotibus & de Levitis [27] consistentibus:

45 Qui observaturi erant observationem [28] Dei sui, & observationem [29] munditiei, musicorumq́; & janitorum; [l] secundùm præceptum Davidis *&* Schelomonis filii ejus.

46 Nam temporibus Davidis & [30] Asaphi a priscis temporibus; primores musicorum, cum musica laudationis & celebrationum, Deo *assistebant*.

47 Quare omnes Jisraëlitæ temporibus Zerubbabelis & temporibus Nechemjæ, [31] dabant portiones musicorum & janitorum, [m] demensum cujusq; die quotidie: & [l] consecrabant Levitis, Levitæ verò consecrabant posteris Aharonis.

[31] ut cautum erat fœdere, suprà 10. 33. & sequentibus. [m] Heb. *rem diei die* ... [l] *Num.* 28. [l] *Num.* 18.

[15] i. in editiorem partem alterorum Jeruschalaimorum orientem versùs: inter portam sterquiliniorum, & turrim furnorum.
[k] Heb. *celebrationes magnas* ... *sic supr.* 38. & 40. *vers.*
[16] i. versùs meridiem.
[17] de qua supra 2. 13.
[18] i. Sacerdotes & Levitas prioris classis, qui ... vers. 35.
[19] quorum nomina per classes exponuntur infrà vers. 41.
[20] quos Levitas esse constat ex progenitore Asapho, & ex administrationis genere 1. Chron. 25.
[21] partim Asaphe, partim Hemane, & Jeduthune orti, de quibus 1. Chron. 9. & 25.
[22] ex altera Jeruschalaimi in civitatem Davidis ascendentium: vide supr. 2. 14.
[23] i. obiverunt ab interiore parte totum murum civitatis Davidis, a porta fontis ad portam aquarum, quæ erat e regione templi, sup. 3. 26.
[24] de qua vers. 31.
[25] de hac, & reliquis locis hic annotatis, vide supra 2. & 3.
[26] ad Septemtrionem urbis alterius, quæ cum civitate Davidis magis conjuncta erat.
[l] Heb. *lætificaverat eos lætitia.*
[27] id est, quòd in ministerio suo deinceps essent permansuri, ac non per agros (ut antè) evagaturi.
[28] in cultu legitimo exhibendo.
[29] id est, rebus immundis arcendis, ut supra vers. 30.
[l] 1. *Chron.* 24. 25. & 26.
[30] cum Hemane & Jeduthune synecdochicè.

CAPUT

CAPUT XIII.

Nechemja recepta post aliquod tempus rursus administratione, exterorum consortium: intermissionem sacri ministerii: violationem sabbathi: & conjugium cum alienigenis severè corrigit.

[1] TEmpore illo lectum est in libro Moschis, audiente populo: [a] in quo inventum est scriptum, ut non veniat Hammonita aut Moabita in congregationem Dei usque in seculum:

2 Propterea quòd non occurrerant Jisraëlitis cum pane & aqua; sed conduxerant contra eos Bilhamum ad maledicendum eis, quamquam convertit Deus noster maledictionem illam in benedictionem.

3 Itaque fuit quum audirent istam legem; ut disparare nt omnem miscellaneam turbam a Jisraële.

4 Anteà autem Eljaschib Sacerdos præpositus cubiculo domus Dei nostri; [a] affinis *factus fuerat* Tobijæ:

5 [2] Paraveratq; ei cubiculum magnum ubi priùs reponebant munus, thus, instrumentaq;, & decimas frumenti, musti & olei, [b] [c] præceptas pro Levitis, musicisq; ac janitoribus; & [c] oblationem Sacerdotum.

6 Sed [c] quum totum hoc fieret, non eram Jeruschalaimis: [3] nam anno trigesimosecundo Artaxerxis [f] regis Babyloniæ redieram ad regem, tantùm [d] exactis *aliquot* annis exorata est mihi venia a rege.

7 Quumq; venissem Jeruschalaima; intellexi malum istud quod fecerat Eljaschib pro Tobija, parando ei cubiculum in atriis domus Dei.

8 Malum autem visum est mihi valdè: quam ob rem ejeci omnia instrumenta domestica Tobijæ foràs extra illud cubiculum.

9 Quumq; edicente me, mundavissent illa cubicula; retuli illuc instrumenta domus Dei, munus, & thus.

10 Deinde cognoscens portionum Leviticarum nihil fuisse datum; ideoq; diffugisse quemque in agrum suum, Levitas & musicos, [e] curatores operis:

11 Contendi cum antistitibus, ac dixi, quam ob rem derelicta fuit domus Dei? & congregans illos, restitui illos in statione sua:

12 Omnesq; Jehudæi attulerunt decimas frumenti, mustiq;, & olei in thesauros.

13 Et quæstores dedi super thesauros, Schelemjam Sacerdotem, & Tzadokum scribam, & Pedajam ex Levitis, atque ad manum eorum Chananem filium Zaccuris filii Matthanjæ: quia fidi reputabantur, quorum erat distribuere cognatis suis.

14 [4] Recordare mei, Deus mi, in hac re: & ne finito deleri benignitates meas, quas exercui erga domum Dei mei, & erga observationes ejus.

15 Temporibus iisdem vidi in Jehudæa calcantes torcularia ipso sabbatho, & afferentes manipulos quibus onerabant asinos, etiamq; vinum, uvas, & ficus, ac quodvis onus, & adducentes die sabbathi Jeruschalaima: contestatus sum, quo die vendebant commeatum.

[1] quo Nechemja secundò præfecturam Jehudeæ consequutus est, infrà ver. 6: fuit enim hoc postquam ad Artaxerxem rediisset.
[a] Deut. 23. 3.
[a] Heb. propinquus.
[2] ex pluribus cubiculis confectû, dejectis intergerinis illorum parietibus: ut apparet ex verbis sequentibus, & ver. 9.
[b] Heb. præceptum Levitarum.
[c] Num. 18.
[c] Num. 28. & 29.
[c] Heb. in toto hoc.
[f] suprà 5. 14.
[3] i. Persidis, synecdochicè.
[d] Heb. ad finem temporum vel anni exactis sum a rege.
[e] Heb. facientes opus.
[4] i. exaudi me, & cultum a me restitutum conserva.

16 Tyrii quoque habitabant in ipsa *urbe*, afferentes pisces, & omnes res venales: quas vendebant ipso sabbatho Jehudæis, & quidem Jeruschalaimis.

17 Quapropter contendi cum clarissimis Jehudæorum: & dixi eis, quæ *est* res pessima hæc quam facitis, [f] quòd profanatis diem sabbathi?

18 An non quum ita fecissent majores vestri, induxit Deus noster super nos totum malum istud, & super civitatem hanc? & vos augere æstû iræ contra Jisraëlem profanando sabbathum?

19 Fuit itaq; quum [5] obumbrarentur portæ Jeruschalaimorum ante sabbathum, ut edicente me clauderentur fores, quas edixi ne aperirent usque postridie sabbathi: præterea ex pueris meis constitui in portis, ne ingrederetur onus die sabbathi.

20 Sed quum pernoctâssent aromatarii & propolæ omnium rerum venalium, extra Jeruschalaima, semel ac iterum:

21 Contestatus sum eos, dicens eis, cur estis pernoctes e regione muri? si iterabitis, manum immittam in vos: ex tempore illo non veniebant sabbatho.

22 Edixi verò [6] Levitis, ut mundarent se, & venientes observarent portas, sanctificando diem sabbathi: etiam hoc [7] recordare mei Deus mi, & parce mihi pro mulitudine benignitatis tuæ.

23 Etiam diebus illis vidi Jehudæos habitatione consociâsse sibi fœminas, Aschdodæas, Hammonitidas, Moabitidas:

24 Et filios eorum ex parte loqui Aschdodæè, neque scientes loqui Jehudaicè; sed ex lingua [f] cujusque populi sui.

25 Ideò contendi cum eis [8] maledicens eis, & percutiens ex eis aliquos [9] glabravi eos: & jurejurando obstrinxi eos per Deum *dicens*, [10] *dira imprecamini vobis* si dederitis filias vestras filiis illorum, aut si assumseritis filiis vestris aut vobis de filiabus illorum.

26 An non [g] cum istis peccavit Schelomo rex Jisraëlis, quamvis [g] in gentibus multis non fuerit rex par ei, & dilectus Deo suo esset, adeò ut constituerit eum Deus regem super totum Jisraëlem? etiam ipsum ad peccandum induxerunt fœminæ alienigenæ.

27 Et vobis an [11] auscultabimus, faciendo totum malum maximum istud, prævaricando contra Deum nostrum: ut habitatione consocietis fœminas alienigenas?

28 Etiam e [12] posteris Jojadahi filii Eljaschibi Sacerdotis summi, gener erat Sanballato Choronitæ; quem fugavi a me.

29 [13] Recordare horum, Deus mi; secundùm [14] pollutiones Sacerdotii, & [15] fœderis Sacerdotalis, atque Levitici.

30 Itaque mundavi [16] illos ab omni extero; & restitui observationes Sacerdotibus & Levitis, quemque in opere suo:

31 Tum ad [g] ligna oblationis temporibus condictis, tum ad primitias: Recordare mei, Deus mi, in bonum.

[f] Exod. 20. 8. Levit. 19. 30.
[5] i. quum sol vergens ad occasum, dispareret a portis Jeruschalaimorum, hoc est, tempestivè admodum: quia sol propter adversos montes celerius illorum conspectu occultabatur: hoc autem præcepit, rationem habens legis, Levit. 23. 32.
[6] qui die quoque sabbathi, ut reliquis profestis, necessaria comparabant.
[7] vide suprà 5. 19. in annotatione.
[f] Heb. populi & populi.
[8] i. maledicis conviciis eos agitans, prout merebantur.
[9] i. capillos aut barbam prehendens avelli: synecdoche.
[10] eclipsis, de qua Genes. 14. 23.
[g] 1. Reg. 11. 4.
[g] 1. Reg. 3. 13. 2. Chron. 1. 12.
[11] dissimulantes aut ferentes factum vestrum.
[12] i. nepotibus: fuit enim hic Menasche frater Jadduæ Sacerdotis summi: de quo vide Josephum Antiq. lib. 11. cap. 7. & 8.
[13] i. vindica.
[14] quibus, inita affinitate ista, Sacerdotium prophanavit.
[15] quod rupit, & a quo improbè descivit, fœdere adversus cultum Dei inito cum Sanballato socero: Josephus ibidem.
[16] qui volentes abdicârunt impura consortia.
[g] Heb. oblationem lignorum: ut suprà 10. 35.

E S T H E R A E
LIBER UNUS.

LIBER *Esthera ea quæ Jehudæis temporibus Assueri, id est, Xerxis memorabilia acciderunt: Evectionem Esthera: Hamanis exitiale in Jehudæos consilium, liberationemq́; eorum: & Mordecai administrationem describit. Estq́; historia, quasi annorum viginti.*

Nam convivium instituit	anno	3	cap. 1. v. 3.
Ducit Estheram		7	cap. 2. 16.
Haman in Jehudæos conspirat, & tandem suspenditur		12	cap. 3. 7. & 7. 10.

Inde ad finem regni ejus Esther regnat, & Mordecai administrationem summam obtinet.

CAPUT I.

Assuerus magnum & diuturnum convivium suis exhibet: sub cujus fine reginam ad ostentationem advocat: & renuentem ex consilio procerum regno abdicat, promulgata lege in exemplum.

FUIT autem temporibus [a] As-
sueri ([1] is est Assuerus qui re-
gnum obtinebat ab India us-
que ad [2] Æthiopiam, centum
vigintiseptem provinciarum)
2 Temporibus illis; quum
sederet rex Assuerus in solio
regni sui, quod *erat* [b] Susis in urbe regia:
3 Ut [3] anno tertio regni sui faceret convivi-
um omnibus principibus suis ac servis suis; *prin-
cipibus* copiarum Persiæ & Mediæ, regulis & præ-
fectis provinciarum, coram se:
4 Ostentando divitias, gloriam regni sui, &
honorem, decorem magnitudinis suæ; diebus
multis, *nempe* centum octoginta diebus.
5 Completis etiam diebus istis, fecit rex [4] to-
ti populo qui præsto erant Susis in urbe regia a
maximo usque ad minimum, convivium septem
diebus, in atrio horti palatii regii.
6 *Aulæa* alba, viridia, & hyacinthina *erant*
appensa funiculis byssinis & purpureis, ad [c] an-
nulos argenteos & columnas marmoreas; [5] le-
ctos aureos & argenteos super pavimentum e
porphyrite & marmore, cùm *in* [6] solo, tum *in*
ambitu:
7 Et potum præbebant *ministri* in vasis au-
reis, & [d] vasis inter se variis; vinumq́; regium plu-
rimum, pro [e] facultate regis.
8 Potum autem ex jure nemo exigebat: sic
enim [f] constituerat rex unicuique magistro do-
mus suæ, ut facerent pro voluntate [g] uniuscu-
jusque.
9 Vaschthi quoque regina fecit convivium
fœminarum; *in* domo regia quæ *erat* regi Assu-
ero.
10 Die illorum septimo, [7] quum [h] hilaris esset
animus regis vino; edixit Mehumani, Bizthæ,
Charbonæ, Bigthæ, & Abagthæ, Zethari & Car-
caso, septem aulicis ministrantibus coram rege
Assuero:
11 Ut adducerent reginam Vaschthin in con-
spectum regis, cum corona regia; ad ostentan-
dum populis & principibus pulcritudinem ejus,
quòd bona specie esset.
12 Sed quum renuisset regina Vaschthi veni-
re ad verbum regis, quod per [i] aulicos illos *affe-
rebatur*; efferbuit rex valdè, & excandescentia e-
jus exarsit in eo.
13 Quapropter dicente rege sapientibus [8] no-
scentibus tempora ([9] nam sic negotium regis
exponebatur omnibus noscentibus jus & judicia)
14 Et propinquo sibi Charschenæ, Schetha-
ri, Admathæ, Tharschischo, Mereso, Marsenæ,
Memucani; septem principibus Persidis & Me-
diæ, [10] videntibus faciem regis, sedentibus primis
in regno:
15 Ex jure quid faciendum reginæ Vaschthi;
eo quòd non fecit edictum regis Assueri per au-
licos *imperatum*?
16 Dixit Memucan coram rege & principi-
bus, non contra regem solùm perversè egit
Vaschthi regina: sed contra omnes principes &
contra omnes populos qui *sunt* in omnibus pro-
vinciis regis Assueri.
17 Nam prodibit [k] factum reginæ ad omnes
fœminas, ut spernant maritos suos in oculis suis
dicẽdo, ipse rex Assuerus edixerat adduci Vasch-
thin reginam in conspectum suum, tamen non
advenit.
18 Et hoc ipso die dicturæ sunt principes *fœ-
minæ* Persidis & Mediæ, quæ audiverint factum
reginæ, omnibus principibus regis: [l] ita plus satis
contemtus & excandescentiæ *nobis erit*.
19 Si regi bonum videtur, prodeat edictum
regium a conspectu ejus, & [11] scribatur inter ju-
ra Persidis & Mediæ, ut non [m] pereat: quia non
venit Vaschthi in conspectum regis Assueri, ideò
regnum ejus tradet rex proximæ ejus, quæ me-
lior *erit* ea.
20 Ita audito edicto regis quod promulgabit
in toto regno suo, utut magnum est; omnes fœ-
minæ tribuent honorem maritis suis, a maximo
usque ad minimum.
21 Quumq́; bona videretur hæc res in oculis
regis & principum; fecit rex secundùm sententi-
am Memucanis.
22 Nam misit literas ad omnes provincias re-
gis, ad [n] unamquamque provinciam secundùm
scripturam ejus, & ad unumquemque populum
secundùm linguam ejus: ut esset quisque vir do-
minator domi suæ, quod edixit [12] *quisque* lingua
populi sui.

CAPUT

[a] *Heb. Achaschverosch: sic deinceps.* [1] intelligit Xerxem Darii Hystaspis filium, ut Hezræ 4.6. qui ab India ad Æthiopiam usque regnavit: nam etsi reges Medorum & Persarum priores magnum imperium obtinebant: tamen illorum nullus fines Æthiopiæ attigit ante Cambysem filium Cyri, qui simulac Ægyptum devicit, quasi libata tantùm Æthiopia, in Ægypto mortuus est, teste Justino lib. 1. neque septem annis integris regnavit: quum hic Assuerus multo amplius regnaverit, ut ostenditur infra 3.7. & seq. Dario verò Hystaspis filio non satis commodè respondet Chronica narrationis historicæ supputatio. vide provinciarum quas Darius obtinuit & ab eo accepit Xerxes, recensionem apud Herodotum lib. 3. [2] nempe quum Ægyptum quæ defecerat, recepit bello, & Achæmeni fratri suo commisit gubernandam. Herodotus in Polymnia. [b] *Heb. Schuschane.* [3] nam secundo anno expeditionem fecit adversus Ægyptios, & sine gravi impedimento recepit eam: tertio autem convivium exhibuit istud regificum, tum ut de victoria parta gratularetur palàm, tum ut copias & præfectos suos accenderet ad instituendam novam expeditionem in Græciam. sic enim Herodotus in libro 7. Ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου ἁλώσιος, ἐπὶ μὲν τέσσερα ἔτεα πλήρεα παραρτέετο στρατιήν τε καὶ τὰ πρόσφορα τῇ στρατιῇ· πέμπτῳ δὲ ἔτεϊ ἀνομένῳ ἐστρατηλάτεε χειρὶ μεγάλῃ πλήθεος, &c. [4] præter superiores convivas totum etiam populum regiæ urbis adhibuit: ut ostendit v. 11. [c] *Heb. orbes.* [5] quibus convivantes accumbebant pro more antiquo. [6] has voces ita interpretamur, ut Chaldaicas origine. [d] *Heb. vasis a vasis diversis.* [e] *Heb. secundùm manum.* [f] *Heb. fundaverat.* [g] *Heb. viri & viri.* [7] i. magis vino quàm ratione ageretur: quo modo evocatio reginæ ad ostentum, & sequentia accipienda sunt. [h] *Heb. quum bonum esset cor.*

[i] *Heb. per manum aulicorum: sic vers. 15.*
[8] vide annotata 1. Chron. 12. 32.
[9] i. nihil sine consilio proximorum rege fieri solebat.
[10] vide Hezr. 7. 14.
[k] *Hebræi: sic vers. 18.*
[l] *Heb. plane satis.*
[11] id est, in acta regni authentica referatur, ut firmum maneat.
[m] *Heb. transeat.*
[n] *Heb. ad provinciam & provinciam, populum & populum.*
[12] præfectorum, quibus rex mandarat.

CAPUT II.

Delectus puellarum ex toto regno Assueri habetur, ut ei apta inveniatur uxor: inter quas Esther omnibus præfertur, & regina creatur: Mordecai verò conspirationem quorumdam aulicorum in regem per Estheram prodit, quod in regii annales refertur.

[a] HIs rebus gestis, quum sedatus esset æstus regis Assueri; [1] mentionem fecit Vaschthi, & ejus quod fecerat, quodq; decretum fuerat in eam.

2 Quapropter dixerunt pueri regis, ministri ejus; quærant *aliqui* regi puellas virgines [b] bona specie;

3 Et constituat rex [c] procuratores in omnibus provinciis regni sui; qui congregent quamque puellam virginem bona specie, Susa in urbem regiam, in [2] gynæceum, ad manum [d] Hegæ aulici regis custodis fœminarum: qui adhibeat [3] mundum earum.

4 Denique puella quæ bona videbitur in oculis regis, regnet loco Vaschthi: quumq; bona visa esset hæc res in oculis regis, sic fecit.

5 Vir Jehudæus erat Susis in urbe regia; cujus nomen Mordecai filius Jairis, filii Schimhi, filii Kischi [e] Binjaminitæ:

6 [4] Qui deportatus fuerat Jeruschalaimis cum deportatione [f] quæ deportata fuit cum Jeconja rege Jehudæ; quem deportavit Nebucadnetzar rex Babyloniæ.

7 Is nutriebat [5] Hadassam (ea *est* [6] Esther filia [7] patrui ejus) eo quòd non *esset* illi pater aut mater: *eratq*; puella illa pulcra forma & bona specie, quam moriente patre ejus & matre ejus assumserat Mordecai sibi in filiam.

8 Fuit itaque quum audito verbo regis & decreto ejus, congregarentur puellæ multæ Susa in urbem regiam ad manum Hegai; ut assumeretur Esther in domum regis ad manum Hegai custodis gynæcei.

9 In cujus oculis quum bona videretur puella, & obtineret benignitatem ab eo; [f] celeriter dedit ei mundum ejus, & [8] portiones ejus, septemq; puellas quas visum fuerat dare ei e domo regis: denique [g] dedit ei puellisq; ejus conditionem optimam *in* gynæceo.

10 Non indicaverat Esther populum suum aut genus suum: nam Mordecai interdixerat ei ut non indicaret:

11 Sed [h] quolibet die Mordecai obambulabat ante atrium gynæcei; ut cognosceret de [i] prosperitate Estheræ, & quid fieret ea.

12 Quum autem pervenisset terminus [k] cujusque puellæ ut ingrederetur ad regem Assuerum, [l] postquam fuerat ipsi *factum* pro jure fœminarum duodecim menses (sic enim complebantur dies mundi earum: sex menses oleo myrrhino, & sex menses aromatibus mundoq; muliebri)

13 Tunc cum eo puella veniebat ad regem [9] quicquid indicebat dabatur ei, ut procederet cum ea, a gynæceo usque ad domum regis.

14 Vespere ingrediebatur illa, & mane revertebatur in gynæceum [10] alterum ad manum Schaaschgazi aulici regis, custodis concubinarum: non redibat amplius ad regem, sed si delectabatur ea rex, vocabatur nominatim.

15 Quum itaque pervenisset terminus Estheræ [11] filiæ Abichajilis patrui Mordecaii, quam assumserat sibi in filiam, ingrediendi ad regem, [12] non quæsivit quicquam, nisi quod dicturus esset Hegai aulicus regis custos gynæcei: obtinebátque Esther gratiam in oculis omnium videntium eam.

16 Ita assumta Esther ad regem Assuerum, *adducta est* in domum regiam ejus, mense decimo, is *est* mensis [13] Tebeth, anno [14] septimo regni ejus.

17 Dilexit enim rex Estheram præ omnibus aliis mulieribus, & obtinuit gratiam & benignitatem coram eo præ omnibus aliis virginibus: adeò ut imponeret coronam regiam capiti ejus, & reginam constitueret eam loco Vaschthi.

18 Posteà fecit rex convivium magnum omnibus principibus suis, & servis suis, convivium Estheræ: & [m] immunitatem provinciis concessit, deditq; [15] munus secundùm facultatem regiam.

19 Dum autem essent [16] aggregatæ virgines secundò; & Mordecai [17] consideret ad portam regis:

20 Non indicabat Esther genus suum aut populum suum, quemadmodum [18] interdixerat ei Mordecai: sed sermonem Mordecaii Esther faciebat, ut quum esset alumna apud eum.

21 Diebus illis, quum Mordecai consideret ad portam regis: effervescens Bigthan & Theresch, duo aulici regis ex custodibus liminis, quæsiverunt immittere manum in regem Assuerum:

22 Et innotuit res ista Mordecajo, quam indicavit Estheræ reginæ: Esther verò dixit regi nomine Mordecaii.

23 Quumq; res quæstione habita deprehenderetur, suspensi sunt illi ambo de ligno: & scriptum est in in [19] libro [n] Chronicorũ coram rege.

[a] Heb. post res istas: ut infrà 3.1.
[1] forsitan misericordem, factum cum decreti gravitate comparantem quod tamen ex jure Persarum & Medorum mutari non poterat, Danijelis 6. 15. & infrà 8.8.
[b] Heb. bonas: sic infrà 3. & 8. vers.
[c] Heb. constitutos.
[2] Id est, ut Græci vocant, παρθενῶνα sive domum virginum: nam alterum est mulierum, infra 14.
[d] Heb. qui & Hegai, vers. 8.
[3] id est, omnia pertinentia ad cultum muliebrem, tam rei pigmentariæ quàm vestiariæ: sicut ostenditur infrà ver. 12.
[e] Heb. vir Jeminius.
[4] nimirum Kisch Binjaminita, cujus nomen antecessit proximè.
[f] 2. Reg. 24. 14. & 15.
[5] quam vulgus Edessam dixerit.
[6] Amestris Herodoto, vel Amystris Ctesiæ.
[7] Abichajilis, ver. 15.
[f] Heb. acceleravit dare.
[8] id est, alimenta & pigmenta.
[g] Heb. mutavit eam & puellas ejus in optimum.
[h] Heb. omni die & die.
[i] Heb. pacem.
[k] Heb. puellæ & puellæ.
[l] Heb. a fine suisse ei.
[9] id est, quemcunque comitatum aut ornatum expetebat, a gynæciario dabatur.
[10] Concubinarum, ubi asservabantur quæ fuerant congressæ cum rege.
[11] etsi hoc genus per invidiam dissimulaverunt Persæ: ex quorum sermone Herodotus fuisse Otanis filiam, Ctesias Onophæ scripserunt.
[12] hoc est, non studuit ut sibi regis animum ullis ornamentis, pigmentis, aut ulla ratione conciliaret; ut testatum faceret se ad regem invitam perduci: sed tantùm imperata a custode fecit: adeò memor & studiosa erat legis.
[13] qui nostro Decembri plurimùm respondet.
[14] vide suprà in 1.3.
[m] Heb. quietem, i. vacationem ab oneribus.
[15] Reginæ, de more Persico, quem eleganter exponit Tullius in Verrem.
[16] i. a gynæceo regis, singulæ ad suos se recepissent.
[17] i. munus suum ordinarium exerceret in aula regis fortè custodiæ palatii, ut ver. 21. subindicat.
[18] prudenter & modestè cavens, ne hoc nomine ipsi populóve suo invidia gravior, aut periculum crearetur.
[19] id est, Persicorum annalium.
[n] Hebr. verborum dierum.

CAPUT III.

Haman regis jussu ab omnibus adoratur, præterquàm a Mordecaio: in quem infensus Haman obtinet a rege mandatum de toto Judæorum genere tollendo, & ad omnes provinciarum præfectos mittit.

HIs rebus gestis, magnificavit rex Assuerus Hamanem filium Hammedathæ [1] Agagæum, & extulit eum: adeò ut poneret solium ejus suprà *solium* omnium principum qui *erant* apud ipsum.

2 Et omnes servi regis qui [a] ingrediebantur portam regis, [2] flectentes incurvaverunt se Hamani, quia sic præceperat de eo rex: sed Mordecai non [3] flectebat, neque incurvabat se *honorem exhibens*.

3 Quam ob rem dicebant servi regis qui ingrediebantur portam regis, Mordecajo; quare transgrederis præceptum regis?

4 Fuit itaque quum dixissent ei [b] quotidie, & non auscultasset eis; ut indicarent Hamani, ad videndum [4] an constituta essent verba Mordecaii, nam indicaverat eis se esse Jehudæum.

5 Vidit ergo Haman Mordecaium non flectere se, aut incurvare ipsi: & impletus est Haman æstu.

6 Sed quum sperneret in oculis suis mittere manum in Mordecaium solum nam (indicaverant ipsi populum Mordecaii) quæsivit Haman perdere omnes Jehudæos qui *erant* in toto regno Assueri, populares Mordecaii.

7 Mense primo, is *est* mensis [5] Nisan, anno duodecimo regis Assueri: jussit conjici pur, id est,

[1] Hamalekitam, e stirpe Agagi: vide Num. 24. 7.
[a] Hebr. in porta regis: sic deinceps.
[2] deferentes ei honorem supra humanum, ex regis mandato: qualis regi Persarum habebatur: nam etiam Conon Atheniensis hanc προσκύνησιν indignam ratus, a colloquio regis abstinuisse dicitur apud Justinum lib. 6.
[3] tum quia ex ea gente erat, in quam Jehudæis perpetuum bellum Deus indixerat, Exod. 17. 14. & Deut. 25. 17. tum quia is honor soli Deo debebatur.
[b] Heb. die & die.
[4] id est, an perstiturus esset constanter in suo proposito, & in professione gentis ac religionis suæ, Hamalekitas aversantis.
[5] qui nostro Martio ex parte respondet: in hoc autem libro menses numerantur ex ratione legis, Exod. 12. [c] infrà 9. 24.

sortem coram [f] se, [6] de die in diem & de mense
in mensem, usque ad mensem duodecimum, is *est*
mensis [7] Adar.
8 Dixerat enim Haman regi Assuero, est po-
pulus quidam dispersus ac dissipatus inter popu-
los, in omnibus provinciis regni tui: quorum ju-
ra diversa sunt a *jure* omnium populorum, [8] jura
autem regis non exsequuntur, ideoq; regi non est
utile sinere eos.
9 Si apud regem bonum videtur, scribatur ut
[9] perdant eos: & decies mille talenta argenti
pendam ad manus præfectorum huic operi, ut
inferant in thesauros regis.
10 Tum amovens rex annulum suum e manu
sua; [10] tradidit illum Hamani filio Hammedathæ
Agagæo, [11] oppressuro Jehudæos.
11 Et dixit rex Hamani, istud argentum
[12] traditum esto tibi: & ut facias in istum popu-
lum, sicut bonum *videtur* in oculis tuis.
12 Itaque vocatis scribis regis, mense ipso
primo, tertiodecimo die illius, scriptum est om-
nino prout præceperat Haman [13] ad satrapas re-
gis, & ad duces qui *erant* in [d] unaquaque pro-
vincia, & ad principes singulorum populorum,
cuique provinciæ secundùm scripturam ejus, &
cuique populo secundùm linguam ejus: nomine
regis Assueri scriptum, & obsignatum annulo
regis.
13 Missæ autem sunt literæ per cursores in
omnes provincias regis; ad perimendum, ad in-
terficiendum, & ad perdendum omnes Jehudæ-
os; tam pueros quàm senes, parvulos & fœminas
uno die, decimotertio mensis duodecimi, is men-
sis *est* Adar: & ad prædandum spolia eorum:
14 [14] Exemplo istius scripti, ut constitueretur
jus in unaquaque provincia, patente omnibus
populis; ut essent parati in diem istum.
15 Cursores exiverunt [15] citati, cum verbo re-
gis, postquàm jus datum est Susis in urbe regia:
rex verò & Haman sedebant ad bibendum, quum
[e] [16] cives Susorum perplexi essent.

[f] *Hebr. coram Hamane: antecedens pro se & relativo suo, ut Gen. 9.6.*
[6] id est, quicunque dies aut mensis ad cædem Jehudæorum perpetrandam sorte accideret.
[7] respondens ex parte Februario.
[8] qui jusserat Hamanem adorari, ita nefariè singulare Mordecaii factum in se, derivat in Jehudæos omnes, quasi omnia jura regis convellerent.
[9] nimirum populares cæteri.
[10] in symbolum traditæ auctoritatis, ut Gen. 41. 42.
[11] id est, cui animus erat Jehudæos opprimendi, & dabatur auctoritas.
[12] id est, acceptum habeo, & eo te dono.
[13] nimirum ut constituto ab Hamane tempore regis edictum promulgarent, & exsequerentur.
[d] *Heb. provinciæ, & provincia, & ad principes populi & populi: sic deinceps.*
[14] id est, literis non clausis, sed apertis atque (ut appellant vulgo) patentibus: sic infrà 8.13. [15] id est, equis celeribus vecti, quos Persæ vocabant Angarios: vulgus postas dicit. [e] *Hebr. civitas Schuschan perplexa esset.*
[16] id est, Jehudæi Susis habitantes, de hoc mandato certiores facti: synecdoche.

CAPUT IIII.

Mordecai auditum regis decretum graviter lugens, Estheræ per internuncios significat, eamq; seriò sui officii admonet: ad quod præstandum ipsa cum Jehudæis omnibus indicto jejunio se comparat.

Quum itaque Mordecai [1] cognovisset quic-
quid factum erat, lacerans Mordecai ve-
stimenta sua [2] induit cilicium cum cinere: & exi-
ens per civitatem clamabat clamore magno &
amaro.
2 Ita venit usque ante [3] portam regis: non
enim erat ingrediendum in portam regis cum
[4] indumento cilicii.
3 Et in [a] qualibet provincia, in quemcun-
que locum verbum regis & edictum ejus perve-
nerat, luctus magnus erat Jehudæis, jejuniumq;,
& fletus, ac planctus: cilicium cum cinere stra-
tum erat multis.
4 Quam ob rem venientes puellæ Estheræ,
& aulici ejus quum indicarent ei, dolens exhor-
ruit regina valdè: & misit vestimenta ad induen-
dum Mordecaium, & ad amovendum cilicium
ejus ab eo, quæ non admisit.
5 Deinde advocans Esther Hathacum ex
aulicis regis, quem [b] constituerat administrum
ipsi, mandata dedit ei de Mordecaio, ut sciret
quid & quare hoc esset.

[1] vel alicujus amici revelatione, vel inimicorum sermone: etsi in constitutum tempus dilata erat promulgatio.
[2] vide Jehosch. 7.6.
[3] i. plateam regiæ adjacentem, infrà vers. 6.
[4] i. habitu lugubri, synecdoche: vide Gen. 50.4.
[a] *Heb. provincia & provincia.*
[b] *Heb. constituerat coram ipsa.*

6 Egresso itaque Hathaco ad Mordecaium;
in plateam civitatis quæ *est* ante portam regis:
7 Indicavit ei Mordecai [5] quicquid obtige-
rat sibi; & [6] præstitutam pecuniæ summam, quam
dixerat Haman se pensurum in thesauros regis
contra Jehudæos ad perdendum eos.
8 Præterea exemplum scripti juris quod [7] po-
situm fuerat Susis ad perimendos ipsos dedit ei,
ut ostenderet Estheræ & indicaret ei: atque
[8] præceptum daret ei veniendi ad regem ad de-
precandum eum, & ad rogandum in conspectu
ejus pro populo suo.
9 Rediens itaque Hathac, indicavit Estheræ
verba Mordecai.
10 Dixit verò Esther Hathaco, & mandavit ei
referre ad Mordecaium:
11 Omnes servi regis, etiam populus provin-
ciarum regis sciunt, [9] quicunque vir aut mulier
ingressus fuerit ad regem in atrium interius qui
non fuerit vocatus, unum esse jus de eo morte
afficiendo, præterquàm cui [10] extenderit rex sce-
ptrum aureum, eum vivere: ego verò non fui vo-
cata ut ingrederer ad regem, hic *est* trigesimus
dies.
12 Sed quum indicâssent Mordecaio verba
Estheræ:
13 Dixit Mordecai referendum ad Estheram:
ne putes apud animum tuum te ereptum iri *in* do-
mo regis, ex omnibus Jehudæis.
14 Nam si [c] omnino silueris [11] tempore isto;
respiratio & liberatio constabit Jehudæis [d] ali-
unde, tu verò & domus patris tui peribitis: [12] &
quis novit an propter tempus ejusmodi pervene-
ris ad istud regnum?
15 Tum edixit Esther referri ad Mordecaium.
16 I, congrega omnes Jehudæos, qui præstò
sunt Susis, & jejunate pro me, & ne comedatis,
neque bibatis tribus diebus noctu & interdiu, si-
militer ego quoque cum puellis meis jejunabo:
ita demum ingrediar ad regem, quod non *est* [13] se-
cundùm jus, & quum [14] periêrim periêro.
17 [e] Abiit itaque Mordecai; & fecit omnino
prout præceperat ei Esther.

[5] i. totam historiam superioris capitis.
[6] suprà 3.9.
[7] i. decretum in arcano consilio regis.
[8] verbis Mordecaii, quasi jus in alumnam suam retinentis, suprà 2.20.
[9] vide Herodotum in Thalia.
[10] juxta titum regum Persidis, suos hoc symbolo ad se vocantium, ut infrà 5.2.
[c] *Heb. silendo silueris.*
[11] tam periculoso Jehudæis.
[d] *Heb. e loco alio.*
[12] Argumentum a providente dispensatione Dei, cujus usum nulla occasione omittendum esse docet.
[13] suprà vers. 11.
[14] vide Gen. 43.14.
[e] *Heb. transiit.*

CAPUT V.

Esther ornatu regio Assuerum accedit pro Jehudæis intercessura: eumq; & Hamanem exceptos convivio, in alterum posteri diei convivium invitat: Haman intereà Mordecaii inurbanitate offensus, patibulum erigit, de quo ille ex suorum consilio ante proximum reginæ convivium suspendatur.

Deinde fuit [1] completo die tertio, ut induta
Esther *indumentis* regiis consisteret in atrio
domus regis interiore ex adverso [2] domus regis:
rex autem insidebat solio regni sui in domo re-
gia, ex adverso portæ domus.
2 Fuit verò quum videret rex Estheram re-
ginam consistentem in eo atrio ([3] obtinebat
gratiam in oculis ejus) ut [4] extenderet rex ad
Estheram sceptrum aureum quod *erat* in manu
ipsius, & accedens Esther [5] tangeret summitatem
sceptri.
3 Tum dicente ei rege, quid tibi Esther re-
gina *est*? aut quæ *est* petitio tua? etiam usque ad
dimidium regni, dabitur tibi.
4 Dixit Esther, si apud regem bonum vide-
tur; veniat rex [6] cum Hamane hodie ad convi-
vium quod paravi ei.
5 Quum itaq; edixisset rex, accelerate Hama-

[1] nam triduanum indixerat jejunium: quo finito regem ad prius convivium invitat.
[2] id est, illius partis regiæ, quam rex inhabitabat.
[3] ut suprà 2.17.
[4] eo signo indicans ad cognitionem postulati se paratum esse, & quasi ad dicendum erigens: ut infrà 8.4.
[5] subjiciendo manum summitati ejus, in reverentiæ & subjectionis signum.
[6] ut eum apud regem præsentem accusaret decreti per fraudem surrepti contra suos populares nomine, & in omnes cavillandi vias ei præcluderet, quum primùm sibi justam occasionem à Deo dari perciperet: prout ante secundum convivium evenit, quum Mordecai jussu regis in summam auctoritatem evectus est.

nem

nem, ad faciendum verbum Estheræ: venit rex cum Hamane ad convivium quod paraverat Esther.

6 Dixit autem rex Estheræ [a] quum bibisset vinum, quod *est* postulatum tuum? & dabitur tibi: aut quæ *est* petitio tua? etiam usque ad dimidium regni fiet.

7 Cui respondens Esther dixit; *hoc* postulatum meum & petitio mea:

8 Si inveni gratiam in oculis regis, & si apud regem bonum *videtur* concedere postulatum meum & facere petitionem meam: veniat rex & Haman ad convivium quod paravero eis, & [7] cras factura sum secundùm verbum regis.

9 Itaque egressus est Haman die illo lætus & [b] hilari animo: sed quum videret Haman Mordecaium in porta regis, ut neque assurgebat neque movebat se propter ipsum, impletus est Haman contra Mordecaium æstu.

10 Continuit tamen se Haman, dum rediret domum suam: deinde mittens accersivit amicos suos, cum Zerescha uxore sua.

11 Quibus [8] enarrans Haman gloriam divitiarum suarum, & amplitudinem filiorum suorum & quibuscunque rebus magnificaverat ipsum rex, & quibus extulerat eum supra principes & servos regis:

12 Dicebat Haman; etiam non introduxit Esther regina cum rege ad convivium quod fecit, nisi me: quin-etiam in crastinum invitatus sum apud eam cum rege.

13 Sed totum hoc non prodest mihi; quocunque tempore video Mordecaium istum Jehudæum considentem in porta regis.

14 Cui dixit Zeresch uxor ejus, & omnes amici ejus, [c] paretur [8] patibulum altum quinquaginta cubitos; & mane dic regi, ut suspendatur Mordecai ex eo, & ingredere cum rege ad convivium lætus: quæ res quum bona videretur coram Hamane, paravit illud patibulum.

a Heb. in convivio vini.

7 id est, explicatura petitionem meam: sic promittit, certior facta divinitùs occasionem explicandę petitionis intra illud tempus non defuturam.

b Heb. bonus corde.

8 ad exaggerandum Mordecaii factum, accumulatione utens.

c Heb. parent: sic postea, suspendant.

8 infrà 7.9.

CAPUT VI.

Assuerus fugiente per noctem somno annales recognoscit: in quibus Mordecaii beneficio lecto, Hamanem dissimulato nomine consulit quo modo sit ei beneficium rependendum: ex cujus consilio administro Hamane ipso Mordecaium extollit: Hamani verò consternato domi eventus tristis a suis denunciatur.

NOcte illa [1] fugiente somno regis, edixit afferri librum commentariorum, [a] Chronica, quæ fuerunt lecta coram eo.

2 Quumq; inveniretur scriptum [2] indicâsse Mordecaium de Bigthana & Therescho duobus aulicis regis ex custodibus liminis; quòd quæsivissent mittere manum in regem Assuerum:

3 Dixit rex: quid honoris aut magnificentię [b] collatum est in Mordecaium propter hoc? dixerunt autem pueri regis ministri ejus, non est collatum ei quicquam.

4 Tum dixit rex, quis *est* in atrio? Haman autem venerat in atrium domus regis exterius, ut diceret regi suspendendum esse Mordecaium de patibulo quòd paraverat illi.

5 Dicentibus verò pueris regis ei, ecce Haman stat in atrio: edixit rex, ingrediatur.

6 Deinde ingresso Hamane, dixit rex ei, quid faciendum viro illo cujus honore rex delectatur? ([2] dicebat verò Haman cum [c] animo suo, quem magis delectaretur rex afficere honore quàm me?)

7 Tum dixit Haman regi, viro cujus rex delectatur honore,

1 Deo ita dispensante.

a Heb. verba dierum.

2 suprà 2.21.

b Heb. factum est Mordecaio: sic infrà eodem vers.

2 ex præcedente gratia regis tantùm sibi arrogabat, ut se eum esse statueret, ad quem is honor perventurus esset.

c Heb. cordi.

8 Adferant indumentum regium, quali induitur rex: & equo cui *rex* insidet *adducto*, quum impositum fuerit [3] diadema regium capiti ejus;

9 Tradentes indumentum & equum in manum alicujus è principibus regis qui reguli sunt, induunto virum illum, cujus honore delectatur rex: & transvehunto eum equo illo per plateam civitatis, proclamantes coram eo, ita faciendum est viro illo, cujus honore delectatur rex.

10 Edixit itaque rex Hamani, festina, sume indumentum illud & equum quemadmodum dixisti, & fac ita Mordecaio Jehudæo qui considet in porta regis: ne [d] omittito quicquam ex omnibus quæ loquutus es.

11 Quam ob rem assumens Haman indumentum & equum induit Mordecaium: & transvexit eum per plateam civitatis, proclamans coram eo, ita faciendum est viro illo cujus honore delectatur rex.

12 Posteà reversus est Mordecai ad portam regis: Haman verò [e] proripuit se domum suam lugens, & [4] opertus capite.

13 Ubi quum enarrâsset Hamã Zereschæ uxori suæ, & omnibus amicis suis, quicquid obvenerat sibi: dixerunt ei sapientes ejus & Zeresch uxor ejus, quandoquidem [5] è semine Jehudæorum *est* Mordecai, ante cujus conspectum cepisti concidere, non prævalebis ei, sed [f] omnino concides ante faciem ejus.

14 His adhuc loquentibus cum eo, aulici regis advenerunt: qui [g] celeriter abduxerunt Hamanem ad convivium quod paraverat Esther.

3 quale regibus beneficiariis & Dynastis imponebatur, quos illi megistanes vocabant, teste Suetonio in Augusto Cæsare: vide 2. Reg. 25.32. & Jeschahjæ 10.7. & infrà 8.5.

d Heb. cadere finito.

e Heb. impulsus est.

4 vide 2. Schem. 15.30. in annotatione.

5 quasi dicat, quandoquidem tibi cũ hac gente res est, jam actum est de te: nam illos a Deo ipsorum evehi, & adversarios illorum impediri ac dejici, cùm res antè actæ a temporibus Cyri huc usq; ostendunt: tũ insperata hæc istius hominis evectio: ita percellebat eos Deus & afficiebat metu certissimo illius decreti cõtra Hamalekitas, de quo Exod. 17. 14. & Deut. 25.17.

f Heb. concidendo concides.

g Heb. festinârunt deducere.

CAPUT VII.

Esther in altero convivio regi urgenti, postulatum suum exponit de sua & populi sui incolumitate, & Hamanem consilii auctorem accusat: quem rex e patibulo suspendi jubet, quod Mordecaio paraverat.

ITaque venit rex & Haman, [a] convivatum cum Esthera regina:

2 Et dixit rex Estheræ etiam [1] die secundo, [b] postquam bibisset vinum, quod *est* postulatum tuum Esther regina? & dabitur tibi: aut quæ *est* petitio tua? etiam usque ad dimidium regni fiet.

3 Tum respondens Esther regina dixit, [2] si inveni gratiam in oculis tuis, ô rex, & si apud regem bonum videtur, [3] concedatur mihi [c] vita mea ad postulatum meum, & populus meus ad petitionem meam.

4 [4] Nam [5] venditi sumus ego & populus meus, quos perimant, interficiant, & perdant: [6] quòd si in servos & ancillas venditi fuissemus, siluissem, quum nihil hostis iste proponat sibi, ad [d] *avertendum* damnum regis.

5 Eloquutus verò rex Assuerus dixit Estheræ reginæ; quis *est* iste? & ubi iste *est*, quem [e] provexit eò audaciæ animus ipsius ut faceret ita?

6 Cui dixit Esther, vir hostis & inimicus Haman pessimus, iste *est*: quapropter Haman terrefactus est a conspectu regis & reginæ.

7 Tum rex surgens in æstu suo a [f] bibendo vino, *abiit* in hortum palatii: Haman verò substitit ad requirendum pro vita sua ab Esthera regina, videbat enim [g] definitum esse contra se malum a rege.

8 Rex autem rediens ex horto palatii in domum ubi biberat vinum, Hamane procidente super lectum cui accumbebat Esther, dixit rex, an etiam subacturus esset reginam apud me in ipsa domo? simulatq; verbum hoc prodiit ex ore regis, faciem Hamanis [7] operuerunt *satellites*.

9 Et dicente Charbona uno ex aulicis co-

a Heb. bibitum: synecdoche, ut Gene. 43.34.

1 i. secundi convivii, quod condixerat sup. 5.8.

b Heb. in convivio vini.

2 Exordium a persona sua, & rei æquitate.

3 Propositio.

c Heb. anima.

4 ætiologia propositionis, sive confirmatio.

5 sup. 3.8. & seq.

6 amplificatio superioris ætiologię a comparatione facti hypothetica, ab utili, & a damno ex eventu contrario.

d Heb. cum damno regis.

e Heb. implevit cor suum.

f Heb. convivio vini: sic v. 8.

g Heb. absolutum: ut 1. Schem. 20.7.

7 ne ampliùs faciem regis videret: ut fiebat apud Persas iis, qui a gratia regis exciderant: sic Ijobi 9.24.

ram rege, etiam ecce [l] patibulum quod paravit Haman Mordecaio, [8] qui loquutus fuerat bonum pro rege, stat ad domum Hamanis altum quinquaginta cubitos: edixit rex, suspendite istum ex eo.

10 Itaque suspenderunt Hamanem ex eo patibulo quod paraverat Mordecaio: & æstus regis sadatus est.

l *suprà 5.14.*
8 *sup. 2, 21.*

CAPUT VIII.

Assuerus Mordecaium dignitatibus auget: eiq; ac Estheræ cõcedit, ut suis verbis Jehudæos confirment, & armari in diem cædis ab Hamane condictum curent: quam denunciationem Jehudæi læti accipiunt.

Die illa dedit rex Assuerus Estheræ reginæ domum Hamanis hostis Jehudæorum: Mordecai verò [1] veniebat in conspectum regis, quum indicâsset Esther [2] quid is sibi *esset*.

2 Nam amovens rex annulum suum quem transferri jusserat ab Hamane, tradidit eum Mordecaio: [3] præposuitq; Esther Mordecaium domui Hamanis.

3 [4] Deinde [a] rursus Esther eloquuta est coram rege, procidens ante pedes ejus: & flens deprecabatur eum, ut averteret malum Hamanis Agagæi & cogitationem ejus quam cogitaverat contra Jehudæos.

4 Nam extendente rege ad Estheram sceptrum aureum; surgens Esther constitit coram rege:

5 Et dixit, si apud regem bonum videtur, & [5] si inveni gratiam coram eo, si inquam recta videtur res hæc coram rege, & [b] grata videor in oculis ejus: [6] rescribatur ad revocandum literas illas, cogitationem Hamanis filii Hammedathæ Agagæi, quas scripserat ad perdendũ Jehudæos qui *sunt* in omnibus provinciis regis.

6 Nam quomodò potero aspicere illud malum quod obventurum esset populo meo? [c] & quomodò potero aspicere perditionem cognationis meæ?

7 Dixit verò rex Assuerus Estheræ reginæ & Mordecaio Jehudæo: ecce domum Hamanis tradidi Estheræ, quum eum suspendissent ex patibulo, propterea quòd missurus fuerat manum suam in Jehudæos:

8 Vos itaque scribite pro Jehudæis ut bonum *videtur* in oculis vestris, nomine regis, & obsignate annulo regis: sed scriptura quæ rescripta fuerat nomine regis & obsignata annulo regis [7] non est revocabilis:

9 Tum convocatis scribis regis tempore illo mense ipso tertio, is *est* mensis [8] Sivan, vigesimotertio *die*; rescriptum est omnino prout præcepit Mordecai ad Jehudæos, & ad satrapas principésque ac præfectos provinciarum quæ *sunt* ab India usque ad Æthiopiam, centum vigintiseptem provinciæ, secundùm scripturam [d] cujusque provinciæ, & secundùm linguam [e] cujusque populi: ad Jehudæos autem secundùm scripturam ipsorum, & secundùm linguam ipsorum.

10 Quumq; scripsisset nomine regis Assueri, & obsignâsset annulo regis, misit literas per [f] cursores celeres, equitantes in equis angariis, [9] regios cursores, natos angariis,

11 [10] Concessisse regem Jehudæis qui sunt in [g] unaquaque civitate ut congregati resistant pro vita sua; ut perimant, occidant & perdant omnes copias populi aut provinciæ quæ hostiliter invadent ipsos parvulos & fœminas: & ut prædentur spolia eorum:

12 Die [11] eodem in omnibus provinciis regis Assueri; tertiodecimo mensis duodecimi, is *est* mensis Adar.

13 [12] Exemplo istius scripturæ ad constituendum jus in unaquaque provincia, patente omnibus populis; idq; ut sint Jehudæi parati in diem istum ad ulciscendum se de inimicis suis.

14 Cursores equitantes in equis angariis, regii cursores [h] prodierunt celere & citato cursu, cum verbo regis, postquam jus datum est Susis in urbe regia.

15 Ita Mordecai egrediebatur a conspectu regis cum indumento regio, hyacinthino & albo, coronáque aurea magna, & stola byssina aut purpurea: & [i] [13] cives Susorum luce perfusi lætabantur:

16 Jehudæis erat [14] lux, & lætitia; gaudiumq; ac gloria.

17 Etiam in unaquaque provincia & in unaquaque civitate, in quemcunque locum edictum regis & jus illius perveniebat, lætitia & gaudium erat Jehudæis, convivium & [k] hilaria: multiq; ex populis terræ [15] Jehudæi fiebant, nam irruerat in eos metus Jehudæorum.

1 i. unus erat e 7. principibus videntibus faciem regis, de quibus sup. 1.14.
2 i. ut suus necessarius esset: sic Genes. 33.5. & 8.
3 excisis domesticis illius, infrà 9.6. & sequentibus.
4 i. postquam Haman suspendi jussus est, suprà 7.9.
a *Heb. adjecit Esther & loquuta est.*
5 Exordium, ut suprà 7.3.
b *Heb. bona.*
6 Propositio, cujus argumentatio est versu sequente: similis ei, quã utitur Jehuda Gene. 44.34.
c *Heb. potero ut aspiciam.*
7 vide suprà 2. i. quasi dicat, videte ut genti vestræ alia ratione quam decreti revocatione, consulatis.
8 ex parte Maio respondens.
d *Heb. provincia & provincia: sic deinceps.*
e *Heb. populi & populi: sic deinceps.*
f *Heb. per manũ cursorum in equis.*
9 his duabus vocibus definiuntur cursores angarii, quales in Perside stativis locis erant dispositi, teste Herodoto lib. 8. Primùm enim regii cursores dicuntur a functione: Persicè Achaschterani, sive (ut Suidas vocat) Astandæ pro Achaschtandæ, quod sonat regios fugientes: deinde etiam nati angaris, id est, viris qui angariorum, & parangariorum, aut lati cursus servitute tenebantur, quia ista servitus hæreditaria erat & in familias perdurabat: de quibus vide librum 10. Codicis & 5. Basilicorum. 10 forma edicti publici. g *Heb. in civitate & civitate.*

11 i. constituto ab Hamane, suprà 3.13.
12 vide suprà in 3.14.
h *Heb. [illegible]*
i *Heb. civitas Susorum [illegible] & lætabatur: metonymia.*
13 i. Jehudæi Susa inhabitantes; ut docet versus sequens.
14 id est, illustris lætitia, *[illegible]*
k *Heb. dies bonus.*
15 id est, in Jehudæorum cœtum se recipiebant, sive revera, sive simulatione facerent.

CAPUT IX.

Jehudæi condicto die eos perdunt, qui in ipsos ex Hamanis decreto eodem die fuerant insurrecturi. Quamobrem a Mordecaio instituitur consuetudo celebrandi dies sortium quotannis, & a regina confirmatur.

[1] Itaque duodecimo mense, is *est* mensis Adar, ipso die tertiodecimo, quo propè erat ut verbum regis & jus ejus fieret: quo die sperabant inimici Jehudæorum se dominium exercituros in eos: ac potiùs [a] e-converso quo dominium exerciturі erant Jehudæi ipsi in osores suos:

2 Congregaverunt se Jehudæi in civitatibus suis per omnes provincias regis Assueri ad mittendum manum in quærentes malum ipsorum: & ante eos non constitit quisquam, quia irruit metus eorum in omnes populos.

3 Omnes autem præfecti provinciarum satrapæq; & principes, & curatores operum quæ *erant* regi sublevabant Jehudæos: quia irruerat metus Mordecaii in eos.

4 Nam magnus *erat* Mordecai in domo regis, & fama ejus obibat omnes provincias: quia vir ille Mordecai [b] pergebat magnus esse.

5 Itaque percusserunt Jehudæi omnes inimicos suos percussione gladii, & cæde, ac perditione: feceruntq; contra osores suos pro voluntate sua.

6 Etiam Susis in urbe regia interfecerunt Jehudæi, & perdiderunt quingentos viros:

7 Et Parschandatham, Dalphonémque, & Alpatham,

8 Et Poratham, Adaljamq;, & Aridatham,

9 Et Parmaschtam, Arisaimq;, & Aridaitum, ac Vajezatham;

10 Decem filios Hammanis filii Hammedathæ hostis Jehudæorum [2] interfecerunt: sed ad prædam [3] non miserunt manum suam.

11 Die illo quum pervenisset numerus interfectorum Susis in urbe regia, in conspectum regis:

12 Dixit rex Estheræ reginæ, [4] Susis in urbe regia

1 Hæc historia proculdubiò [illegible] occasionem dedit ut Amestrim sive Estheram crudelitatis nomine traduxerint, & historiam hanc depravaverint: ut narrat Herodotus in Polymnia, & plura Ctesias.
a *Heb. converso hoc.*
b *Heb. [illegible] & magnus.*
2 non tantũ propter has inimicitias: sed [illegible] Dei memores de delenda Hamalekitarũ memoria, Exod. 17.14. & Deut. 25.17.
3 nam etsi illis a rege permissum erat suprà 8.11. tamẽn consultò sibi a præda temperârunt: rationem habentes legis Dei, quæ vetat derivari in filios iniquitatem parentum, Deut. 24.16. Posterorum verò Hamanis alia ratio fuit, quorum excidium imperâverat Deus Exod. 17. 14. & Deu. 25.17
4 gratulantis verba.

regia interfecerunt & perdiderunt Jehudæi quin-
gentos viros, ac decem filios Hamanis, in reliquis
provinciis regis quid fecerint? jam quod *est* po-
stulatum tuum? & dabitur tibi, aut quæ petitio
tua amplius? & fiet.
13 Cui dixit Esther, si apud regem bonum vi-
detur, [5] concedatur etiam cras Jehudæis qui *sunt*
Susis facere secundùm jus hodiernum: & decem
filios Hamanis [6] suspendant e patibulo.
14 Edicente ergo rege ut fieret ita, constitu-
tum est jus Susis; & decem filios Hamanis su-
spenderunt.
15 Et congregantes se Jehudæi qui *erant* Su-
sis etiam die quartodecimo mensis Adaris, in-
terfecerunt Susis trecentos viros: sed ad præ-
dam non miserunt manum suam.
16 Reliqui autem Jehudæi qui *erant* in pro-
vinciis regis congregârunt se, ut resistentes pro
vita sua quiescerent ab inimicis suis, & interfe-
cerunt osorum suorum septuagintaquinque mil-
lia (sed ad prædam non miserunt manum suam)
17 Die decimotertio mensis Adaris: & quie-
verunt quartodecimo ipso, & celebrârunt illum
diem convivii & lætitiæ.
18 Jehudæi verò qui *erant* Susis congregâ-
runt se ipso decimotertio & quartodecimo ipso:
quieverunt autem quintodecimo ipso, celebran-
tes eum diem convivii & lætitiæ.
19 [7] Idcircò Jehudæi pagani, habitantes in
[e] pagis civitatum; celebrârunt diem quartum-
decimum mensis Adaris, lætitia & convivio ac
[d] hilariis: & missu portionum [e] alterius ad alterû.
20 Nam [8] rescripsit Mordecai res istas: &
misit literas ad omnes Jehudæos qui *erant* in om-
nibus provinciis regis Assueri, propinquos &
longinquos:
21 Instituendo eis; ut celebrarent diem quar-
tumdecimum mensis Adaris, & diem quintum-
decimum in ipso; [f] quotannis:
22 Pro ratione dierum quibus quieverunt Je-
hudæi ab inimicis suis, & mensis qui conversus
est eis a mœrore in lætitiam, & a luctu in hilaria:
celebrando eos dies convivii & lætitiæ, tum mis-
su portionum alterius ad alterum, tum donis er-
ga gentes.
23 Ita receperunt quique Jehudæi se facturos
quod inceperant: & quod scripserat Mordecai
ad ipsos.
24 [9] Quoniam Haman filius Hammedathæ
Agagæus hostis omnium Jehudæorum cogitati-
onem inverat contra Jehudæos ad perdendum
eos, & conjici jusserat Pur (id est, sortem) ad
fundendum eos & ad perdendum eos:
25 Sed quum [10] illa [l] venisset coram rege; e-
dixerat *rex* cum literis, revertatur cogitatio ejus
pessima quam cogitavit contra Jehudæos in ca-

[5] superérant enim adhuc in urbe Jehudæorũ hostes: quos Jehudæi, ut pauciores numero erant, non poterant conficere: sicut ostendit V. 15.
[6] jam interfectos, ad exsecrationem & exemplum suffigant.
[7] i. propter liberationem hoc die partam.
[c] Heb. *civitatibus pagorum: hypallage.*
[d] *Heb. die bono: sic deinceps.*
[e] *Heb. viri ad proximum suum: sic* V. 22.
[8] i. scripto auctor fuit illius consuetudinis, de qua duobus versibus sequentibus.
[f] *Heb. in omni anno & anno; sic deinceps.*
[9] ratio consuetudinis sumta ex literis Mordecaii ad Jehudæos.
[10] Esther: relativum a suo antecedente quàm remotissimum: vide simile Gene. 10.12, & 1. Sche. 7.16.
[l] *supra* 5.

put ipsius: ideò suspenderant eum filiosq; ejus ex
patibulo.
26 Propterea vocantes dies istos Purim de
nomine Pur *sive sortis* illius, [g] nempe propter om-
nia verba epistolæ istius: & *propter* id [11] quod vi-
derant [h] hujus rei, & *propter* id quod pervenit ad
ipsos:
27 Instituerunt & receperunt Jehudæi in se,
& in semen suum, & in omnes qui essent se ad-
juncturi eis, ut non [i] pereat, se celebraturos du-
os dies istos, secundùm rescriptum eorum & se-
cundùm condictum tempus eorum; quotannis:
28 Et dies istos memoratos & celebres *fore*
in [k] unaquaque ætate, familia, provincia, & civi-
tate: denique dies Purim istos non perituros e
medio Jehudæorum & memoriam eorum non
interituram a semine ipsorum.
29 Scripsit quoque Esther regina filia Abi-
chajilis, ut Mordecai Jehudæus *scripserat*, omnem
[l] [12] ratihabitionem: ad stabiliendum epistolam
dierum Purim [13] istam, altera *epistola*.
30 Quas literas misit *Mordecai* ad omnes Je-
hudæos per centum viginti septem provincias
regni Assueri; verbis [m] prosperitatis & firmitatis
præmissis:
31 Ut instituant dies Purim istos condictis
temporibus eorum, quemadmodum stabilivit a-
pud eos Mordecai Jehudæus, & Esther regina,
& quemadmodum stabiliverunt apud se ipsos &
apud semen ipsorum: [n] [14] documenta jejunio-
rum & clamoris sui.
32 Itaque edictum Estheræ stabilivit res istas
dierum Purim: & perscriptum est [15] in libro.

[g] *Heb. proptereà.*
[11] i. quod in singulis locis cognoverunt atque experti sunt, literis ab Hamane allatis, hostibus in cædem paratis, & insperata liberatione.
[h] *Heb. in sic.*
[i] *Heb. transeat: ut supra* 1. 19. *& infra* V. 28.
[k] *Heb. in omni ætate & ætate, familia & familia, provincia & provincia, civitate & civitate.*
[l] *Heb. firmitatem.*
[12] i. quicquid potuit pertinere ad illius consuetudinis confirmationem & auctoritatem.
[13] quam scripserat Mordecaius, & cujus argumẽtum explicatum est suprà inde a versu 20.
[m] *Heb. pacis.*
[n] *Heb. res, sive verba: metonymicè.*
[14] i. qui dies monimento futuri sunt salutis, quam jejunio & precibus fuerant a Deo consequuti.
[15] i. in actis publicis; unde hæc fuerunt consignata.

CAPUT X.

Assuerus imponit tributum, & Mordecaio auctoritatem administrationemq; committit: in qua ille suis gratificatur & consulit.

POsteà imposuit rex Assuerus tributum [1] regi-
oni, & insulis maris.
2 Omnia autem facta auctoritatis ejus &
potentiæ ejus, & explicatio amplitudinis Mor-
decaii, qua magnificavit eum rex; [2] an non sunt
scripta in libro [a] Chronicorum regum Mediæ &
Persidis?
3 Nam Mordecai Jehudæus secundus a re-
ge Assuero, magnusq; apud Jehudæos, & accep-
tus multitudini fratrum suorum *erat:* procurans
bonum populo suo, & proloquens prosperitatem
toti [3] semini suo.

[1] i. ab aliis tributum exegit; Jehudæos immunes fecit ab isto tributo: quum ab ipso expeditio in Græciam pararetur: quam ob rem Herodotus lib. 3. etsi suppresso Jehudæorum nomine, partem Arabiæ Jehudææ cõterminam immunem fuisse scribit: eademq; causa apud Persas dici Cyrum patrem, Cambysem dominum, Darium vero cauponem regni extitisse, qui princeps tributa gravissima imperavit, & Xerxi filio quasi de manu in manum tradidit (ut Principes solent) exigenda.
[2] q.d. nihil attinet ea hîc enarrare: hæc ad fidem sunt satis: vide simile 1. Reg. 11.41. [a] *Heb. verborum dierum.* [3] i. genti suæ: synecdoche.

Secundæ partis Bibliorum finis.

Πάντοτε δόξα Θεῷ.

regum, vt cognoscere [illegible] [illegible] in Susan [illegible] quingentos viros, & decem filios Haman; quantos putas [illegible] in [illegible] provinciis [illegible]? quid vltra postulas, & quid [illegible] fieri? [illegible] tua [illegible].

13 [illegible] Esther, Si regi placet, [illegible] vt [illegible] & [illegible] hodie, sicut [illegible] Susan [illegible] & decem filii Aman in [illegible] suspendantur.

14 Praecepitque rex vt ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, & decem filii Aman suspensi sunt.

15 [illegible] Iudaei [illegible] in Susan, [illegible] mensis Adar, [illegible] Susis trecentos viros: sed ad praedam non miserunt manum suam.

16 Reliqui autem Iudaei qui erant in provinciis regis congregati sunt, ut starent pro vita sua [illegible] ab inimicis suis, & interfecerunt [illegible] eorum [illegible] quinque millia [illegible], [illegible] non miserunt manum.)

17 [illegible] decimotertio mensis Adar, & quartadecima die [illegible], & [illegible] diem [illegible] & laetitiae.

18 Iudaei vero qui erant Susis congregati [illegible] & quartodecimo [illegible] [illegible] die quintodecimo [illegible], celebraverunt [illegible] & laetitiae.

19 [illegible] Iudaei [illegible] pagis, [illegible] in [illegible] diem quartumdecimum mensis Adar, Iudaei & convivia [illegible] [illegible] & gaudium [illegible]

20 [illegible] Mordechai [illegible] & [illegible] ad omnes Iudaeos [illegible] in omnibus provinciis regis Assueri, [illegible] longe [illegible]

21 [illegible] quartumdecimum diem [illegible] quintumdecimum [illegible] [illegible]

22 [illegible] dies [illegible] Iudaei [illegible] inimicis suis, & [illegible] & [illegible] in laetitiam [illegible] [illegible] essent dies [illegible], [illegible]

[illegible] [illegible] ex [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

24 [illegible] Aman filius Amadathi [illegible] [illegible] Iudaeis, [illegible] contra eos [illegible] [illegible] [illegible] Iudaeos [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] eos.

25 [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

pur [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

26 Propterea vocaverunt dies istos Purim [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ipsos.

27 Instituerunt & receperunt Iudaei [illegible] & in semen suum, & in omnes qui [illegible] [illegible] [illegible], ut [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tempus [illegible] [illegible]:

28 [illegible] dies memorabuntur & celebrabuntur in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible]: [illegible] dies Purim [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

29 [illegible] Esther regina [illegible] [illegible] [illegible] Mardochaeus Iudaeus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Purim [illegible].

30 [illegible] [illegible] Mardochaeus [illegible] [illegible] per centum viginti septem provincias regis Assueri [illegible] [illegible] [illegible]

31 [illegible] dies Purim [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Mardochaeus Iudaeus, & Esther [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & clamoris [illegible].

32 [illegible] [illegible] Esther [illegible] [illegible] [illegible] Purim [illegible] [illegible]

CAPUT X.

[illegible]

Rex vero Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias:

2 Cuius [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] Mardochaei, [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Persarum?

3 [illegible] Mardochaeus [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] Iudaeos, & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Marmaduke Dolman
1869.

BIBLIORVM
PARS TERTIA,

[illegible]

BIBLIORVM PARS TERTIA,

ID EST,

QUINQUE LIBRI POETICI, Latini recens ex Hebræo facti, brevibusq; *Scholiis ad verborum interpretationem rerúmque methodum pertinentibus illustrati ab Imm. Tremellio & Franc. Iunio.*

* * *

LIBRI tertii tomi.

Ijob.	Ecclesiastes.
Psalmi.	Liber Canticorum.
Proverbia.	

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO potentissimo, Domino Joanni CASIMIRO, Palatino Comiti ad Rhenum, Bavariæ Duci, &c. gratiam & pacem à Domino.

EDITURI *poëticos sacræ Scripturæ libros,* PRINCEPS *Illustrissime, & oblaturi tuæ Celsitudini, neque multu de ratione hujus instituti nostri apud te præfandum statuimus, neque rei tantæ apud omneis commendationem à nobis afferendam esse. Hanc enim jam olim paterna Dei opt. max. gratia ingeneravit & impressit pietati tuæ, & apud omnes bonos testificata est post omnem hominum memoriam Spiritus sancti auctoritas, cui neque arte nostra quicquam posset amplius accedere, neque impietate multorum decedere: Quum tamen & peritos strenuosq; remiges personantia confirment celeusmata; & athletas quosque fortissimos spectantis coronæ voces & hortationes accendant; consilium hoc speramus non fore ingratum T. C. neque militi Christiano ulli futurum ducimus inutile, si quas Ecclesiæ veteris & Patrum sanctissimorum voces huic operi præmittamus. Nostræ enim, fatemur, plurimùm à rei dignitate & amplitudine essent absuturæ; adeò sumus apud nos conscii tenuitatis & infirmitatis nostræ, neque verò multum apud quamplurimos auctoritate possent: sed quod in nobis exile atque jejunum est, id veneranda antiquitas sua auctoritate gratiáque resarciet. Communem igitur Basilii magni & Augustini sententiam de hoc opere adducemus gravitate maxima, elegantia non medioori, & sanctimonia summa confertissimam. Omnis Scriptura, inquiunt illi, divinitus inspirata & utilis ad docendum hac ipsa de causa à sancto Spiritu conscripta est, ut veluti in communi quadam sanandis animis officina omnes homines & singuli nobis remedium ex ea perturbationibus propriis assumamus: hoc enim remedium (ait quidam) sublaturum est peccata magna. Ac in eis quidem sunt alia quæ Prophetæ tradunt, alia quæ Historici, alia item quæ Lex, alia quæ in Proverbiis monitorũ formâ: Psalmorum verò liber quæcumq; utilia sunt ex omnibus comprehendit, futura prædicit, veterum historias cõmemorat, legem fert viventibus, gerendorũ statuit modum, & (ut semel breviterque dicam) publicum bonorum documentorum est promtuarium quoddam, ea quæ singulis conferunt pro studio ipsorum invenienda & percipienda exhibens. Etenim & veteribus animarum vulneribus medetur, & recentibus velocissimum solet remedium adhibere, & quod affectum est curat, & quod integrum est conservat, denique omnino passiones tollit (quoad ejus fieri per nostram infirmitatem potest) quæ variè animis hominum in præsente vita dominantur; idq; cum melodica animarum perductione quadam & delectatione modestas reddente cogitationes nostras atque temperante. Quoniam enim Spiritus sanctus videbat humanum genus ægre ad virtutem adduci, & nos propter vitiositatem naturæ ad voluptates inclinantis rationem rectè vivendi negligere, quid ille fecit? delectabiles cantionum modulos documentis suis permiscuit; ut dum suavitate & gratia mulcetur auditus, utilitatem illam percipiamus clam quæ ex sermonibus istis innascitur: quemadmodum periti medici faciunt, qui potanda austeriora pharmaca præbentes ægris, sæpe os poculi melle circumlinunt, ne ægri utilitatem suam præ austeritate refugiant. Propterea igitur nobis hæc Psalmorum carmina modulis aptis excogitata sunt, ut siqui ætate sunt pueri, aut planè adolescentes moribus, specie quidem modulentur, reverà autem animas suas*

erudiant. Neque enim Apostolicum, neque Propheticum præceptum facile ex vulgo quisquam aut segnioribus hominibus unquam memoria complectitur, & illud tenet animo quum ex Ecclesiis egreditur: Psalmorum verò dicta & modulantur domi, & in foro circumferunt: & sicubi quis offensus animo exacerbatur & efferatur valde, postquam fuerit Psalmi (ut ita dixerim) carminibus incantatus, abscedit illico sepulta his sanctis modulis animi sui feritate, quamvis acerbissima. Psalmus tranquillitas animarum est, brabeutes pacis, perturbationes & fluctus animorum cohibens: mollit enim iracundiam mentis, luxumque revocat ad temperantiam. Psalmus amicitias congregat, adunat dissidentes, reconciliat adversarios: quis enim amplius inimicum duxerit hominem, quicum vocem Psalmi unicam ad Deum emiserit? Quod igitur omnium bonorum est hominibus inter se maximum, charitatem exhibet Psalmorum modulatio, concentum velut commune aliquod hominibus adunandis inter se vinculum suggerens animo, & compingens populum ad chori unius symphoniam. Psalmus dæmones fugandi instrumentum est, angelos ad auxilium nostrum adducendi, armatura in terroribus nocturnis, diurnorum laborum requies, tutamen pueris, juvenibus ornamentum, solamen senibus, mundus mulieribus aptissimus: solitudines efficit habitatas, fora sobria: est tyronibus rudimentum, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum, vox totius Ecclesiæ una. Hic solennitates illustrat, hic tristitiam quæ est secundùm Deum operatur: psalmus enim vel ex lapideo corde lacrymas evocat. Psalmus angelicum opus est, cælestis administratio, spiritale thymiama. O verè sapiens magistri illius cogitatum artificiosissimè procurantis, ut eâdem operâ cantemus & res utiles addiscamus, quia hoc pacto hæc documenta magis in animis nostris informantur. Nam quæ doctrina per violentiam quamdam animis inditur, ea non solet permanere: quæ verò cum delectatione & gratia insinuatur atque inducitur, nescio quo pacto diutiùs hærere mentibus cernitur, & constantiùs memoriæ inhærere. Quid enim est, obsecro, quod ex Psalmis nequeas discere? nónne amplissimum decus fortitudinis? nónne justitiam accuratissimam? nónne gravem temperantiam? nónne prudentiam absolutissimam? nónne resipiscentiæ rationem, nónne regulas patientiæ? nónne quicquid boni enunciare possis? hic profectò est Theologia perfecta, prænunciatio Christi in carne venturi, minæ judicii, communis resurrectionis spes, suppliciorum metus, pollicitatio gloriæ, mysteriorum revelatio: omnium rerum thesauri in hunc Psalmorum librum, tamquam in magnum aliquod & commune promtuarium, comportati sunt atque repositi. Habes, Illustriss. PRINCEPS, Psalmorum encomium, breve illud quidem verborum numero, sed amplissimum reipsa & magnificentissimum, quo magnus ille Basilius olim utebatur: cujus quidem encomii nos propterea neque tædet neque pudet, quòd maximum illum pietate & eruditione virum D. Augustinum minimè puduit operi suo idem ferè de verbo redditum dissimulato auctore præfigere. Quid ergo? dixerit quispiam: vósne libros omnes poëticos qui in Scriptura exstant vocatis Psalmos? vósne libris omnibus istis eadem tribuitis quæ veteres propriè & singulariter aptârunt ei libro quem librum laudum Hebræi appellarunt? nos verò hoc nomine sanctissimo illi laudum vel Psalmorum Davidicorum (ut σωματοδαυϊδικαῖς appellantur) libro nihil derogamus, neque aliis quicquam suprà quàm oporteat temerè arrogamus. Nam libros qui à Davide aliísque viris Dei fuerunt traditi ut in Ecclesia canerentur, eos κατ' ἐξοχὴν & singulariter Psalmos dici & dicendos esse agnoscimus: alios verò qui ita scripti sunt ut viri boni cantare potuerint eos & arbitratu suo cantaverint delectationis suæ & institutionis ergò, eos non minus propriè, sed communi voce confirmamus Psalmos appellari. Itaque hos libros omneis communiter vocamus Psalmos, quia sunt rythmici; non prosa oratione scripti, ut omnes alii (etsi in his Cantica quædam extant elegantissima Moschis, Deboræ, Davidis, Jeschaʿja, Jechizkija, Jirmeja, & Chabbakuki inspersa) sed numeris adstricti ad commoditatem memoriæ & cantus: quo quidem scriptorum genere numeroso verbis, & sententiarum διδασκαλικῶς αἰδεσιμωτάτως optimè doceri animos, delectari, atque permoveri nemo non novit qui humanitatem noverit. Quid enim aliud est ψαλμὸς, quàm spiritale & sanctum scriptionis genus privatim, publicè, canentium, psallentium, aut symphoniam exercentium

modulationi

*modulationi accommodum? Sed quid nos de voce hac diu multúmque opus est laborare?
Christus ipse discipulos suos compellans (si ad argumentationem ipsius probè attendamus)
auctor nobis futurus est hoc totum librorum Poëticorum corpus librum Psalmorum appella-
ri; Hi sunt (inquit) sermones illi quos dicebam vobis, quum adhuc vobiscum essem, oportere* Luc.24.44.
*ut impleantur omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, Prophetísque, & Psalmis de me. Sunt
quidem omnes Prophetæ, quorum manus ad exarandam scripturam sacram adhibuit Domi-
nus: sed tria universè ex illis omnibus genera constituuntur scripturæ à Christo Servatore
nostro, & Apostolo confessionis nostræ. Primum est lex Moschis, id est, Pentateuchus, ex
qua velut peremni & salubri fonte ducti fuerunt omnes aliorum scriptorum rivi, & ad
quam cæteri veteris Testamenti libri tamquam ad caput suum referri debent. Secundum
est Prophetarum, qui nudè soluta oratione & voce & scripto Ecclesiæ Dei tradiderunt quæ-
cumque Spiritus sanctus clàm infundebat illis, ut cum tota Ecclesia communicarent palàm.
Atque horum quidem Prophetarum alii qui res ante gestas monumentis literarum consig-
nârunt, Prophetæ anteriores; alii qui ex præsentibus futura judicia & promissa Dei prædi-
cârunt, posteriores nuncupantur: non ab ordine collocationis (ut recentiores Hebræi somniâ-
runt) sed à rerum quas prædicârunt & conscripserunt argumento. Tertium verò genus est
Psalmorum, hoc est, librorum in quibus res à Mosche Prophetísque traditæ & sancto Dei
Spiritu testatæ aptis numeris exponuntur, aut demonstrantur exemplis tam publicis quàm
singularibus. Horum igitur Psalmorum (ut vocavit Christus) commune est quicquid boni
Patres de cantionibus veteris Ecclesiæ prædicârunt in libro laudum comprehensis: commune
argumentum, communis forma, communis usus, omnia ad eamdem gloriæ Dei prædicatio-
nem & ædificationem Ecclesiæ pertinentia. Hæc poësis sacra est elegantissima Legis Prophe-
tarúmque epitome, ab aliis libris hoc uno differens, quòd illi oratione fusa & simplice audi-
entibus narrârunt, eos docuerunt, atque commoverunt; hi verò numerosa & brevi ad me-
moriam, figurata ad vim & efficacitatem oratione protulerunt eadem documenta volunta-
tis Dei: quæ duo (ut taceamus cantum) compages inquam numerorum & figurarum lumi-
na, quantum in mentibus humanis possint, supervacaneum fuerit hoc loco exponere. Nam
quum tota cælestis theologia in vera justáque Dei & nostri cognitione sita sit, si placebit ma-
jestatem Dei ex natura ejus in Christo per libros istos cognoscere, habes Proverbiorum Sche-
lomonis partem; si ex creatione & administratione providentiæ, habes Ijobum; si ex gratio-
so fœdere cum Ecclesia inito, habes Canticum Canticorum: sin autem tibi ad cognitionem
nostri, delineari cupis vanissimam quæ à natura est animi nostri, judiciorum, & actionum
formam, nihil Ecclesiaste convenientius; si officia ethica æquè ad pietatem ac humanitatem
pertinentia, nihil aptius altera Proverbiorum parte: si denique omnia simul complecti desi-
deraveris, en tibi Psalmorum (ut vulgo appellatur) librum, thesaurum, inquit Ambro-
sius, virtutum omnium; speculum naturæ divinæ, administrationis, & gratiæ; cùm vani-
tatis, tum officiorum nostrorum omnium indicem & [illegible], in quo explicatam cer-
nas totius hominis & [illegible] & spiritualis anatomen, hortum animæ Christianæ & odora-
mentorum omnium, instructissimam [illegible] medicamentorum officinam, certissimúmque
(ut Epiphanii verbo utamur) [illegible]. Quamobrem non possumus satis laudare sanctissimum
consilium Principis Illustrissimi & sanctissimi parentis tui, qui Psalmorum librum cogita-
bat seorsim vernaculo sermone editum circumgestare secum, & domesticis singulis gestan-
dum, legendum, discendúmque tradere; ut is sibi & suis omnibus thesaurus esset. De opera
autem nostra nolumus apud T. C. aut viros bonos prædicare quicquam: hoc unum confir-
mabimus, quicquid nobiscum artis & industriæ communicavit Dominus, id nos accuratè
optima fide & diligentia attulisse cùm ad convenientem verborum interpretationem, tum
ad simplicem & germanam rerum intelligentiam: cui non parum putamus illud conducere,
quòd ordinem & viam aliquam percipiendis & comprehendendis rebus, quàm brevissimè à
nobis fieri potuit tradidimus. Neminis hîc officium improbamus, neminem damnamus,
nemini præjudicatum afferimus: scimus enim lata esse valdè documenta Domini, eáque ab
aliis aliter æquo animo ferimus tractari & teri. Nos bonorum impulsu in agricolationem*

hanc

hunc incubuimus, testificante Domino in mentibus nostris: itaque (ut cum Arnobio loquamur) hunc sacræ Scripturæ laticem, licet tenuiter, sitim patientibus aperimus ut sitientes bibant: rogamúsque & obsecramus per sanctissimum nomen Domini nostri Jesu Christi & gloriosum adventum ipsius, eos omneis qui sibi Spiritu sancto videntur ebrii, & qui re ipsa participes sunt cælestium donorum ejus, ut nulla tamen sitientibus impedimenta patiantur inferri: neque enim qui vina exuberant, aquam volentes bibere prohibent. Atque hunc quidem librum, thesaurum Ecclesiæ sacrum, elaboratum à nobis per voluntatem Domini, indicem propensissimi nostri erga T. C. animi, & constantissimi sponsorem officii, nunc demum T. C. offerimus; ut quemadmodum hoc commune est & fuit semper toti Ecclesiæ documentum, piis singulis, & Illustrissimo parenti tuo, eodem etiam modo sit tibi germano Dei Patris in Christo, sancta & catholica Ecclesiæ in semine incorrupto verbi, & tanti parentis à natura filio, sit ergo doctrina hæc commendatissima, colatur, teneatur, & feratur oculis pietatis tuæ ad gloriam Dei patris in Jesu Christo capite & Servatore nostro, ad Ecclesiæ ejus ædificationem, & salutem æternam T. C.

Illustrissime PRINCEPS, *Deum oramus & Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut T. C. quàm diutissimè servet incolumem, tibi adsit, te suo Spiritu regat, & omni benedictionum genere exornet cumulatissimè. Amen.*

T. C. servi addictissimi,
Immanuel Tremellius,
Franciscus Junius.

IJOBI

IJOBI

ARGUMENTUM.

Ijob, *sanctum exemplum patientiæ, plurimis & gravissimis calamitatibus probatus a Deo, & omni ope destitutus: durioribus adhuc tentationibus ab uxore & amicis petitur. Nam illa quidem insanis ludificationibus exagitat virum: hi verò a providentia & justitia Dei sapientissima & potentissima, a peccatrice hominum natura, atque a prima illa Ijobi perturbati oratione conjecturam facientes; statuunt in singulis suis rationibus Ijobum aut maleficentissimè vixisse apud homines, aut hypocritam fuisse coram Deo: alioquin nunquam futurum fuisse, ut a Deo justissimo tam graves plagæ infligerentur ipsi. Hæc summa propositionis illorum, status conjecturalis. Ijob verò, etsi interdum plus æquo infirmitate carnis exardescens, criminationes amicorum ita refellit, ut neque justitiam Deo, neque sibi adimi patiatur: sed duabus rationibus utitur ad defendendum se: una, quòd judicia Dei, utcunque justa sint, hominibus sunt incognita; ac proinde temerè amici de ipso judicant: altera, quod Deus ipse communi experientia contrà ostendit quàm illi asserant, etiam in hac vita bonis sæpius male esse quàm malis. Ita ad seipsum veniens primum utitur testimonio conscientiæ suæ, cui aliquando lacessitus aspergit murmura: deinde per* ἀντικατηγορίαν *sive criminis translationem amicos reprehendit, quòd causam Dei (ut sibi videbantur) suscipientes, ipsum injustè criminarentur. His sermonibus ultrò citróque habitis, Elihu velut comparans animos dissidentes ad reverentiam; documenta exponit de justitia & misericordia Dei, utrosque reprehendit, & docet Ijobum humilitatem, a comparatione majestatis Dei cum humana sorte. Postremò Deus idem documentum confirmans ab operum suorum exemplo, Ijobum primò ad silentium, deinde ad confessionem & resipiscentiam, amicos verò ejus ad reconciliationem adducit: restituto denique Ijobo amplius quàm antè benedicit.*

CAPUT I.

Ijob pius & potens operà Satanæ a Deo exercetur, amissis facultatibus & liberis: qua calamitate pressus in pietate permanet, & se ipsum consolans benedicit Deo.

VIR [1] erat in regione [a] Hutzi,
Ijob nomine: erátque vir ille integer, & rectus,
timensq; Dei, & recedens à malo.
2 Et huic editi fuerunt septem filii & tres filiæ:
3 Eratq; possessio ejus septies mille pecudes, & ter mille cameli, & quingenta juga boum, quingentæque
asinæ, & famulitium permultum: denique erat vir ille maximus omnium [3] [a] orientalium.
4 Euntes autem filii ejus faciebant convivium domi suæ quisque die suo; & mittentes invitabant tres sorores suas, [4] ad comedendum & bibendum secum.
5 Deinde erat [5] quum circumegissent dies convivii, ut mittens Ijob [6] sanctificaret eos, & surgens manè offerret holocausta *de* numero illorum omnium; nam dicebat Ijob, fortasse [7] peccaverint filii mei, aut [b] [8] maledixerint Deo apud [c] animum suum: ita faciebat Ijob singulis diebus [9] illis.
6 Quum itaque esset [10] dies hujusmodi, ad-

[1] Historiam hanc fuisse gestam docent personarum, gentium, & regionum nomina, liberorum Ijobi numerus, & inprimis nobilis illa restitutio & instauratio Ijobi, de qua cap. 42. denique testimonium Jechezkelis 14.14. & Jacobi 5.11. Tempus etsi certò definiri non potest; verisimile tamen est ex personarum, gentium, locorumq; nominibus, & ex ætate quæ Ijobo 42. cap. tribuitur, eum vixisse quo tempore Jisraëlitæ in Ægypto degebant: inprimis verò ex eo quod post latam legem nemini licuit alibi quam coram arca vel tabernaculo Dei sacrificare, sine mandato singulari. nam amicorum Ijobi unus e posteris Abrahami, alter e posteris Nachoris. & alii e posteris Hesaui fuerunt: vita verò tam longæva non ita fuit cum posterioribus seculis communicata, ut Mosche (quem Jehudæi existimant hujus libri scriptorem fuisse) testatur Psalmo 90.10. Denique Ijob aut non fecisset contra præscriptum Legis sacrificans; aut scriptura non commendasset illius sacrificia, si venisset contra Legem. [a] vide Gen. 10.23.

[3] in quam regionem Abrahami filios præter Jitzchakum amandatos fuisse docet Mosche, Gene. 25.6. & 18. [a] *Heb. filiorum Orientis.* [4] id est, ad convivandum: periphrasis, ut infrà ver. 13. & 18. [5] id est, quotiescunque eorum unus fratres convivio acceperat, quasi actis in orbem vicibus. [6] id est, sanctificationem imperaret, ut mundati sequenti sacrificio interessent. ut Exod. 19. [7] opere aut verbis inter convivandum. [b] *Hebr. benedixerint:* ἀντιφρασις, *ut* 1. *Regum* 21.13. *& infrà versu* 11. [8] id est, non ita sanctificaverint ut par est. αὔξησις, quam pii adhibere solent in damnandis peccatis suis & suorum: cùm hypocritæ contra levare soleant peccata sua etiam gravissima, inde ab Adami labe. [c] *Heb. cor.* [9] quibus fiebant ista convivia. [10] quo convivium agitabatur apud primogenitum, infrà vers. 13. & 18.

venientibus [11] filiis Dei ut sisterent se coram Jehova; similiter advenit etiam [12] Satan inter eos.
7 Dicente autem Jehova Satanę, unde venis? respondens Satan Jehovæ dixit, [13] a peragrando terram, & a perambulando in ea.
8 Dicente porrò Jehova Satanæ, [d] advertistíne animum tuum ad servum meum Ijobum, quòd non sit par ei in terra, vir integer, ac rectus, timens Dei, & recedens a malo?
9 Respondens Satan Jehovæ, dixit; [14] an gratis timet Ijob Deum?
10 Nónne tu [15] obsepivisti eum, domúmque ejus, & quicquid *est* ei circumquaquè? operíque manuũ ejus ita benedixisti ut pecus ejus *in multitudinem* eruperit in terra?
11 Enimverò mitte, quæso, manum tuam, & [16] attinge quæcunque *sunt* ei; [17] nisi [18] in [e] os tuum maledicturus sit tibi.
12 Itaquè dixit Jehova Satanæ, ecce quæcunque *sunt* ei, in manu tua *sunto*, tantummodò in ipsum ne mittito manum tuam: & exivit Satan a conspectu Jehovæ.
13 [19] Quum, inquam, esset dies hujusmodi; quo filii illius & filiæ illius comedebant & bibebant vinum in domo fratris sui primogeniti:
14 Nuncius veniens ad Ijobum dixit; quum boves ararent, & asinæ pascerent [f] secundùm eos,
15 Irruens [20] Sabæorum gens cepit ea, & pueros percusserunt acie gladii: proripui autem me tantummodò ego solus, ad indicandum tibi.
16 Adhuc isto loquente, alter adveniens dixit; [21] ignis Dei cecidit e cælo, qui exardescens in pecudes & pueros consumsit eos: proripui autem me tantummodò ego solus, ad indicandum tibi.
17 Adhuc isto loquente, alius adveniens dixit; Chaldæi dipositis tribus [g] agminibus, irruerunt in camelos & ceperunt eos, puerósque percusserunt acie gladii; proripui autem me tantummodò ego solus, ad indicandum tibi.
18 Dum iste loquebatur, etiam alius veniens dixit; filii tui filiæque tuæ comedebant ac bibebant vinum in domo fratris sui primogeniti:
19 Quum ecce [22] ventus magnus venit a [h] plaga deserti, quo [i] impetente quatuor angulos domus, corruit illa super pueros ita ut mortui sint: proripui autem me tantummodò ego solus, ad indicandum tibi.
20 Tunc surgens Ijob [23] laceravit pallium suum, & [24] totondit caput suum; procidénsque in terram incurvavit se;
21 Dicens, [25] nudus exivi ex utero matris meæ, & nudus redibo [26] illuc, Jehova dedit, & Jehova recepit: sit nomen Jehovæ benedictum.
22 In hoc toto [27] non peccavit Ijob, neque attribuit insulsitatem Deo.

[11] i. angelis, divinis spiritibus ministrantibus Deo propter eos qui hæredes salutis futuri sunt: sic vocantur διακονικά, ut a filiis hominum discernantur. Sufficit autem hæc humanitàs dicta, & a terrenis regibus desumta, ut 1. Regum 22.19.
[12] spiritus malus, nostræ salutis adversarius, qui & ipse Deo se sistere & imperata facere cogitur.
[13] vide 1. Petr. 5.8. sic infrà 2.2.
[d] *Heb. posuistíne cor tuum: sic infrà 2.3.*
[14] quasi dicat, commodè potest te revereri, qui tantam mercedem a te accepit; quam describit versus sequens.
[15] id est, ab omni malo obtexisti, & adhuc obtegis: metaphora.
[16] i. attingendo amove & perde: μείωσις digna improbitate veteratoris Satanæ, ut infrà 2.5.
[17] similem phrasin vide 1. Regum 20.23. & 25.
[18] i. palam & abjecta omni numinis reverentia, ut alibi dicitur coram Jehova, Genes. 10.9.
[e] *Heb. faciem tuam: sic infr. 2.5.*
[19] regressio ad narrationem cœptam ver. 6.
[f] *Heb. ad spatia eorum sive latera.*
[20] Arabiæ desertæ partem incolentium, ex posteris Keturæ, Gen. 25.3. de quibus Jechezkelis 27.23.
[21] i. fulgur maximum & vehementissimum: nam res maximæ & vehementissimæ apud Hebræos adjecto Dei nomine notari solent, ut Gene. 30.8. & alibi passim. Sic vim divinam appellat Ulpianus tit. de damno infecto: & Latini veteres Jovis manubias dixerunt, teste Plinio lib. 2. natur. hist. cap. 51. & Verrio. [g] *Heb. capitibus: ut Judic. 7.16.* [22] id est, turbo ab omnibus partibus domum impetens, ut desertum perspiratur vento: sic Jirmejæ 4.11. & 13.24. [h] *Hebr. transitu.* [i] *Heb. attingente.* [23] vide Gen. 37.34. sic infrà 2.12. [24] in signum luctus ex more regionis: sic Lamentationum 2.10. & Micæ 1.15. [25] consolatur se primò a lege naturæ de ortu & exitu nostro: deinde a prudentissima administratione ac singulari Dei patris: ex quibus concludit omnem gloriam tribuendam Deo. [26] id est, in terram, quò se projiciebat ipse; ut dicitur præcedente versu. [27] id est, neque facto neque dicto hactenus Deum offendit.

CAPUT II.

Ijob constanter pergens in pietate, per Dei voluntatem a Satana corpore suo gravissimè affligitur: ab uxore deridetur, & ab amicis invisitur.

ITerum fuit [1] dies, [a] convenientibus filiis Dei ad sistendum se Jehovæ, quum veniret etiam Satan inter eos, ad sistendum se Jehovæ.
2 Dixit autem Jehova Satanæ, undénam venis? respondítque Satan Jehovæ dicens, a peragrando terram, & a perambulando in ea.
3 Dicente verò Jehova Satanæ, advertistíne [a] animum tuum ad servum meum Ijobum, quòd non *sit* par ei in terra, vir integer, ac rectus, timens Dei, & recedens a malo? ut adhuc retinet integritatem suam? postquam incitasti me [b] ad perdendum *res* ejus [3] frustrà?
4 Respondet Satan Jehovæ, dicens; [4] pellem pro pelle, & quicquid est viro, daturus esset pro [c] se ipso.
5 Verùm mitte, quæso, manum tuam, & [5] attinge ossa ejus & carnem ejus; nisi in [d] os tuum maledicturus sit tibi.
6 Tum Jehova Satanę, ecce eum, inquit, [6] in manu tua; verumtamen vitam ejus [7] serva.
7 Egressus igitur Satan a conspectu Jehovæ; percussit Ijobum ulcere pessimo, a planta pedis ejus usque ad verticem ejus:
8 [8] Adeò ut assumeret sibi testam ad scabendum se ea; & consideret ipse [9] in cinere.
9 Tum dicebat ei uxor ejus, [10] adhuc tu retines integritatem tuam; [e] benedicendo Deo atque moriendo?
10 Cui ille, ut loqui solet, inquit, aliqua stultarum loqueris: scilicet bonum acceperimus a Deo, & malum non acciperemus? in toto hoc non peccavit Ijob labiis suis.
11 Quum autem audivissent tres amici Ijobi totum malum istud quod obvenerat ei; profecti sunt quisque e [11] loco suo, Eliphaz [12] Themanites, & Bildad [13] Schuchites, ac Tzophar [14] Nahamathites: & convenerunt pariter, ut venirent ad condolendum ei & ad consolandum eum.
12 Sed ubi sublatis oculis suis e longinquo, non agnovissent eum, [15] posteà vociferātes [16] fleverunt: & lacerantes quisq; pallium suum insperserunt pulverem capitibus suis, *vociferantes* in cælum usque.
13 Ita [17] sedebant cum eo humi septem diebus & septem noctibus: neque *erat* qui alloqueretur eum *ullo* verbo, [18] quia videbant magnum esse dolorem illum valdè.

CAPUT III.

14 Posteà [19] aperiens Ijob os suum, [20] maledixit diei suo.

[1] dum adhuc Ijob esset in recente luctu, ut apparet infrà v. 8.
[a] ut suprà 1.6.
[a] *Heb. cor.*
[b] *Heb. ad devorandum eū.*
[3] id est, nónne percipis ut nihil effeceris, dum a me consequutus es facultatem eum spoliandi bonis & liberis?
[4] quasi dicat, verum est quod vulgò dici solet, pellem pro pelle, id est, nihil esse homini tam charum, quin illud sui tuendi causa exponat: nemo homo tam probus est aut abstinens a malo, ut cutem suam cutis alienæ damno detrectet defendere, si ad rem veniatur: alteri potiùs cutem detracturus est quàm passurus offendi suam: nam quod ille dicebat, proximus sum egomet mihi, omnium hominum commune est.
[c] *Heb. animæ suæ: sic ver. 6.*
[5] propiùs illum preme afflictionibus, ita ut ipsa ossa & carnem ejus attingant, atque transverberent.
[d] *Heb. faciem tuam benedicturus.*
[6] id est, tibi expositus est ipse quem affligas.
[7] id est, nec appetito, nec adimito.
[8] id est, adeò ut ne primoribus quidem digitis commodè uti posset; & quia aliorum officiis destituebatur præ gravitate mali exhorrentiũ eum (ut ipse conqueritur infrà 19.13. & sequentibus) saltem confrictum testæ ad scabiem suam adhiberet. [9] id est, lugeret: vide suprà 1.20. [10] quasi dicat, adhuc in tua simplicitate persistis, quòd Deo isti benedicis, qui te in istas mortis angustias conjecit, nec usquam exitum ostendit? Sarcasmus. [e] *Eclipsis particulæ, ut 2. Reg. 22.30.* [11] id est, e regionibus suis, quæ de nomine autorum suorum distinctæ fuerunt: Gen. 35. & 36. [12] e posteris Themanis nepotis Hesaui ex Eliphazo, Gen. 36.11. incolens Arabiam desertam. [13] e posteris Schuachi filii Abrahami ex Ketura, Gen. 25.2. incolens Arabiam desertam, fortè quam Plinius vocat Saccæam. [14] fortè a Thimnaho ex posteris Hesaui, de quo Gen. 36.40. per literarum metathesin: ac potiùs ex oppido Nahama quod posteà cessit tribui Jehudæ in finibus illius: Jehosch. 15.41. [15] quàm agnoverunt. [16] in Hebræo trajectio est, quam ad perspicuitatem sustulimus repetito verbo: 24.26. [17] lugentes cum eo, ut supr. ver. 4. [18] id est, commiseratione tantæ calamitatis adeò afficiebantur ut verba eis interciperet, & consolandi facultatem adimeret. [19] id est, rumpens illud silentium quod malorum acerbitas & admiratio rei tam insperatæ attulerat, & in voces indignas erumpens ex humana infirmitate & impatientia. [20] nempe ex infirmitate carnis adversus spiritum concertantis. Est autem in his verbis transitio ad sequentis capitis argumentum.

CAPUT III.

Iojob ex angustiis, diei ortus sui maledicens; contra naturam, & contra Deum propter vitam acceptam & conservatam contendit.

Nam

NAm pròloquens Ijob, [1] dixit;
2 Utinam [2] periisset dies quo nasciturus e-
ram; & nox quæ pronunciavit, conceptus est mas:
3 [3] Dies ille fuisset [a] [4] tenebricosus; [5] ne re-
quisivisset eum Deus supernè; neque illuxisset ei
splendor:
4 [6] Vindicassent eum sibi tenebræ & umbra
[b] lethalis; incubuisset ei nubes; perturbassent
eum terrores diurni:
5 [7] Noctem illam ipsam occupasset caligo,
[8] ne fuisset gavisa in diebus anni: in numerum
mensium ne venisset.
6 O si illa ipsa nox fuisset [9] solitaria: [10] ne e-
venisset cantus in ea:
7 [c] Exsecrati fuissent illam [11] [12] qui illustrant
diem: [13] qui parati sunt excitare balænam:
8 [14] Tenebrosæ fuissent stellæ diluculi ejus;
dum exspectaret lucem, non adfuisset: neque vi-
disset [15] palpebras auroræ:
9 [16] Quoniam [17] non clausit fores [d] [18] uteri
mei; [19] nec abscondit molestiam ab oculis meis.
10 [20] Cur non inde a vulva fui moriturus? ex
utero exiens *non* exspiravi?
11 Quam ob rem exceperunt me [21] genua?
& quare ubera, quæ sugerem?
12 [22] Nam nunc jacêrem & quiescerem; dor-
mirem, tunc quies esset mihi:
13 [23] Cum regibus & consiliariis terræ; [24] qui
ædificabant *in* vastitatibus sibi:
14 Aut cum principibus quibus *erat* aurum;
qui implebant domos suas argento:
15 Aut sicut abortus [25] abditus non *ampliùs* es-
sem: ut infantes, [26] *qui* non viderunt lucem.
16 Illic improbi desistunt a [27] commotione; ac
ibi quiescunt [28] defessi viribus:
17 Pariter vincti tranquillè agunt; non audi-
unt vocem exactoris:
18 Parvus ac magnus illic est; servusque liber
a domino suo.
19 [29] Quare [30] dat *Deus* ærumnoso lucem? &
vitam amaris animo?
20 [31] Quibus præstolantibus mortem non
adest illa; quamvis [e] perscrutentur eam plusquàm
thesauros abditissimos:
21 Qui lætantur cum exsultatione, gaudent,
quum inveniunt sepulcrum?
22 Viro cujus via est [32] abdita, & quem [33] ob-
texit Deus:
23 [34] Nam [35] ante cibum meum gemitus me-
us advenit; & effunduntur velut aquæ [36] rugitus
mei.
24 Etenim pavor quo expaveram accessit me;
& quod formidaveram, obvenit mihi.
25 [37] Non quiescebam, nec eram tranquillus,
nec requiescebam; tamen advenit commotio.

[1] Pathetica est tota hæc oratio, & poeticis figuris plurimum referta cujus partes sunt tres: Prima est imprecatio in diem ortus sui, usque ad versum 10. Secunda, detestatio vitæ suæ inchoatæ, cum elegantissima commendatione status eorum qui excesserunt e vivis, a ver. 10. usque ad 19. versum. Tertia est detestatio præsentis vitæ & conditionis in qua versabatur: quæ omnia ex infirmitate carnis in Ijobo spiritui reluctantis profecta esse ostenditur suprà 2.14.
[2] Propositio summa imprecationis adversus diem ortus atque adeò noctem conceptus sui: quod genus argumentationis remotum vocant Rhetores: ut ferè fit ab iis qui cum gravissimis animi perturbationibus conflictantur.

[3] Tractatio propositionis, qua invehitur in diem naturalem, duobus versibus: deinde in noctem, inde a versu 5. usque ad 9. versum. [a] *Heb. tenebrarum dies.* [4] id est, quasi in tenebris sepultus. [5] abdicasset, neque rationem ejus habuisset: id est uno verbo, nullus fuisset. est enim hic congeries verborum eodem pertinentium. [6] imprecationes metaphoricæ a rebus forensibus sumtæ; quasi dicat, quemadmodum vindex judicis autoritate in rerum possessionem mittitur, eas obtinet, & quæcunque displicent sursum deorsùmque vertit, ita tenebræ sempiternàque oblivio in diem istum a Deo abdicatum dominatæ fuissent. [b] *Heb. mortis.* [7] tractatio propositionis, qua invehitur in noctem, quatuor versibus, ut diximus in ver. 3. [8] i. ne hoc ius obtinuisset, ut inter anni partes recenseretur: κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν. [9] id est, a Deo creaturisque omnibus abjecta, ut sequentia explicant. [10] id est, ne fuissent ortæ in ea stellæ, neque suo modo laudes cecinissent Deo: vide similem phrasin infrà 38.7. hyperbolæ prosopopœeticæ. [11] id est, aversati, non fecissent principium noctis. [c] *Heb. illustratores diei.* [12] id est, sidera quæ istam diei partem illustraverunt, nempe noctem conceptus mei: synecdoche. [13] id est, venti, turbines, & procellæ, quibus pulsatæ in profundo belluæ cum fluctibus volvuntur. vide Plin. lib. 9. cap. 3. periphrasis ventorum & flatuum. [14] id est, illæ quoque noctem aversatæ finem ejus non fecissent: ac proinde neque principium habuisset, neque finem. periphrasis, pro eo quod est, non fuisset. [15] i. primum splendorem radiorum ab exorituro sole utrinque in palpebrarum speciem assurgentium: metaphora ab eo qui expergiscitur & palpebras attollit, quocum aurora poëticè comparatur. Eamdem similitudinem alteri sermoni accommodatam vide infrà 41.18. [16] ætiologia superiorum imprecationum bimembris, pro ratione præcedentis optati. [17] impediendo conceptum, ratio imprecationis in noctem quæ proximè antecessit: metaphora. [d] *Heb. ventris: synecdoche.* [18] id est, qui continuit atque edidit me. [19] impediendo nativitatem & exordium vitæ; ratio imprecationis in diem. [20] secunda pars, contentio adversus naturæ ordinem: ut observatum est ver. 1. est enim vitæ inchoatæ detestatio quatuor gradibus distincta, his duobus versibus; quo anteponit vitæ mortē, a tempore quo gestatus est in utero, quo emersit ex utero, quo ab obstetrice exceptus est, & quo admota sunt ei ubera. [21] nempe obstetricis curantis novum partum. [22] ætiologia superioris detestationis: vacatio a molestiis quæ fuerunt sibi subeundæ: quasi dicat, unica mors ab omnibus hujus vitæ molestiis me immunem reddidisset. nam etsi hic spargantur multæ concertantis carnis querimoniæ: tamen apertè his verbis ostendit se adeo de futura vita securum esse, ut tantùm fuerit sollicitus de quiete a præsentibus calamitatibus. [23] his quinque versibus amplificat optatum finem a communi hominum sorte: quibus omnibus sive secundis rebus utantur sive adversis, mors obeunda est. Quam ob rem quatuor genera vitæ prosperæ & adversæ inter se opponit: eorum qui possessionibus & opibus prævalent, cum abortu ac iis qui statim abripiuntur morte; opprimentium cum oppressis; magnorum cum parvis; & dominorum cum servis. Cum regibus autem, id est, ut reges sunt: sic versu sequente, cum principibus. [24] id est, ambitiosè structuris magnificis in loco quamvis vasto atque difficili excitatis, sibi nomen comparabant. [25] i. planè immaturus fœtus, in quo forma & lineamenta corporis nondum distincta apparent: synecdoche. [26] i. aut fœtus grandiusculi & jam formati, quos Nonius abortus vocat, aut maturi fœtus qui antequàm prodeant moriuntur, olim exterricinei dicti.

[27] [illegible] dictis videlicet, [illegible] vinctis, [illegible] de quibus [illegible]
[28] ac illatâ commotione.
[29] Tertia [illegible] monis pars [illegible] testatio adversus ipsum Deum, ut observatum est ver. 1. Tractatur autem duobus modis, per thesin, & per hypothesin.
[30] id est, in lucem conservat & præsente vita.
[31] elegans hominum ærumnosorum descriptio, quos tædet suæ ipsorum vitæ, 3. versibus.
[e] *Heb. perfodiunt a metalepsis.*
[32] i. malis circumclusa ut nesciat quà erumpat, aut quem tandem ærumnarum finem consequuturus sit. [33] id est, cooperuit malis: est autem hic transitio ad hypothesin, quasi dicat, ego autem sum hujusmodi, cur ergo dat vitam? &c. [34] ætiologia hypotheseos, cujus partes sunt duæ: præsentis mali continua gravitas, 2. versib. & mens sibi conscia benè anteactæ vitæ cum summa religione & sollicitudine, V. ult. [35] id est, adeò gravis & perpetua est hæc calamitas, ut ne cibi quidem aut ullius necessitatis caussâ dolores possim fallere, & uno momento a gemitibus aberrare: sic infrà 7.19. [36] id est, immanes vociferationes: metaphora a leonibus famelicis. [37] id est, sollicitè observabam omnes actiones meas & meorum coram Deo, ne ipsum offenderem, & ad dimovendum me de statu meo provocarem facto delictóve meo: vide suprà 1.1. & 5.

CAPUT IIII.

Eliphaz Ijobum fracti animi arguens, justitiam judiciorum Dei quam Ijob reprehendisse videbatur; multis argumentis asserit, & homines peccati damnat: deinde omnes ad Dei misericordiā suo exemplo revocandos esse docet. Postremò concludens, Ijobum dehortatur a peccato: & hortatur ad fidem & obsequium, propositis promissionibus.

CUi respondens Eliphaz Themanites, [1] dixit.
2 [2] An proferentibus *nobis* verba apud te,
ægrè feres? sed continere sermones quis possit?
3 [3] Ecce erudiebas multos, & [4] manus remis-
sas confirmabas:
4 Labantem confirmabant sermones tui, &
fortificabas genua se incurvantia.
5 Quum *autem* nunc evenit *hoc* tibi, defeti-
sceris? quum attingit te, perturbaris?
6 [5] An non [a] *est* [6] religio tua, spes tua, exspe-
ctatio tua, ut integritas viarum tuarum futura est?
7 [7] Recordare, quæso, [b] quis unquam inno-
cens periit? aut ubi recti excisi sunt?

[1] hoc caput cum sequente ideò conjungimus, quia unica est & perpetua oratio. Sunt autem illius partes quatuor: Exordium, ver. 2. Ἀνασκευὴ sive confutatio dictorum Ijobi, usque ad ver. 6. capitis 5. Κατασκευὴ sive confirmatio, usque ad V. 17. & conclusio a V. 17.
[2] Exordium bimembre, quo primùm deprecans fastidium Ijobi audientiam facit: deinde necessitatem explicat habendæ orationis istius a bona fide & conscientia, qua superiorem orationem Ijobi dissimulari posse negat, hoc versu. [3] Istius primus locus ἀνασκευῆς, id est, propositio, qua indigna Ijobi oratio reprehenditur per oppositionem anteactæ vitæ, ἐκ τοῦ ἐναντίου: quasi dicat, te qui alios erigebas, nunc animum abjicere, & in religione, spe, atque integritate tua tibi non constare est indignissimum. Inest autem huic propositioni τὸ φάσκειν διαβολή, id est, loquentis criminatio, his quatuor versibus. [4] metaphora a corpore ad animum translata, quibus docet, quæ fuerint effecta eruditionis & documentorum, quæ Ijob aliis tradiderat: sic 1. Schem. 23.16. & Jesch. 35.3. & infrà 8.20. [5] Expositio præstandi officii ab absurdo. Piæ religionis, inquit, & vitæ integræ certa est spes & expectatio: si ergo piè coluisti Deum & vitam [illegible] isti, cur spem abjicias? sin abjicis, malè conscius sis necesse est. Sic transitio fit ad sequentem locum. [a] *Heb. timor tuus.* [6] id est, tua illa sollicitudo religiosa, quam antè adhibueras in administratione tua: de qua suprà 1.1. & cap. 3.25. [7] secundus locus ἀνασκευῆς, ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impossibili, cujus summa est, fieri non potest, quin ad salutem bonorum, ut contrà in exitium improborum, Deus & omnes res creatæ comparentur, cum hoc demonstrent omnia manifesta omnium ætatum, si retrò memoria colligas, documenta. hæc usque ad ver. 12. [b] *Heb. quis ipse.*

8 [8] Quemadmodum

8 [8] Quemadmodum vidi, [9] arantes afflictionem; & seminantes molestiam, metunt eam.

9 [10] Ab halitu Dei pereunt; & a [11] flatu nasi ejus consumuntur.

10 [12] Rugitu leonis, & voce ferocis leonis, dentibúsque juvenum leonum commoluntur:

11 Veteris leonis [13] perituri sine præda, & catulorum immanis leonis *dentibus* dissipantur.

12 [14] Præterea ad me verbum [c] clanculùm perlatum est, ex quo percepit auris mea pauxillũ;

13 [15] Inter cogitationes a [16] visionibus nocturnis: [17] quum irruit altus sopor in homines.

14 [18] Pavor occurrit mihi, & tremor; qui plurimùm ossa mea expavefecit:

15 Quum spiritus ante faciem meam [d] transmeans, horrificaret pilos carnis meæ.

16 Dum constitit, non agnovi aspectum ejus, imagine *ejus* oculis meis obversante: & [e] [19] silendo vocem *istam* audivi.

17 [20] An mortalis Deo justior esset? num opifice suo mundior esset vir?

18 En servis suis non crediturus esset [21] *firmitatem*, angelis, inquam, suis appositurus lucem.

19 Quanto minùs [22] inhabitantibus domos argillaceas? [23] quibus in isto pulvere est fundamentum suum: [f] [24] qui conteruntur [25] antequàm tinea;

20 *Qui* a [26] mane ad vesperam contunduntur, [27] nemine disponente in æternum perituri.

21 Nónne [28] proficiscitur excellentia illorum, *quæ* inerat illis? moriuntur, ac [29] non *vivunt* sapientiâ?

[8] ἐργασία superioris loci a contrariis, cujus se testem oculatum Eliphaz asserit. [9] metaphora cõsiliorum, actionum & eventorum ab agricultura sumtæ. Hæ autem propositiones in genere quidem veræ sunt; ad Ijobum verò malè accommodantur: hinc enim conclusio hæc tacitè conficitur, Afflictionem & molestiam metis: ergo arasti & sevisti eam. [10] humanitùs dicta, quibus obscurè mortis genus perstringit, quo occubuerant filii Ijobi, suprà 1.19. [11] id est, vento: ut Exod. 15.8. [12] quasi dicat, si Deus eos non perdit sua, ipsorum, aut rerum inanimatarum opera, perdit per animata: ex quibus consequitur nunquam fuisse filios tuos evasuros. Significat autem *rugitu leonis*, a leone rugiente: hypallage rhetorum. [13] id est, gravissimè pressi diuturna fame, qua mox alioquin fuisset periturus. [14] tertius locus ἀπὸ ἀδυνάτου ab impossibili, qui primùm 17. versu exponitur: nam ad ejus explicationem antequàm veniat, fidem & autoritatem sibi conciliat a testimonio cælesti. [c] *Heb. furtim: catachresis.* [15] id est, dum ego pervigil de rebus tuis cogitarem. [16] id est, prout visa mihi vigili & de te cogitanti sese obtulerunt: sunt enim visa a somniis distincta, Num. 12.6. & infrà 7.14. [17] prima vigilia, cujus tempore homines primùm somno altissimo gravari solent: periphrasis. [18] animos ad reverentiam visi, fidémque revelationis comparans. [d] *Heb. mutans* locum. [e] *Heb. silentio.* [19] id est, dum ab horrore meo confirmatus, ad illam tacitus attenderem. [20] tertia argumentatio, ut observatum est in ver. 12. cujus summa est, hæc est communis omnium hominum sors, ut nulla ex parte cum Deo justitia & puritate comparari possint, ac proinde multis calamitatibus justè a Deo affligantur. hinc autem tacitè Eliphaz concludit, quid ergo te misero fiet, si pergas cum Deo contendere, ut antè fecisti? suprà 3.19. [21] eclipsis conjugati, ut Gen. 33.10. Est autem hîc ἐξεργασία superioris propositionis per comparationem majoris: ait enim, non esset judicaturus secundùm Angelos: sed tum de bono suo, tum de honore & gloria desiderent, si freti justitia sua cum Deo se compararent. [22] id est, spiritibus humanis inhabitantibus corpora, quæ domus luteæ per circumlocutionem dicuntur, ut 2. Corinth. 5.1. [23] domibus, id est, quæ corpora sunt caducissima, & velut arenæ instabili superstructa. [f] *Heb. quos conterunt; vide infrà 7.2.* [24] mortales. [25] id est, citissimè, & minore negotio quàm tinea conteritur, quæ solo attritu eóque minimo est friabilis. [26] id est, totos dies atteruntur calamitatibus, & tamen ne minimam quidem unicam ferendo essent sine singulari adjumento Dei. [27] id est, sua ipsorum infirmitate, sine ullo alieno facto. [28] id est, quicquid illud est quo sese mortales aliis putant præcellere, nonne illud a natura diffugit diffluitque præ infirmitate humana, etiamsi non instituatur arrogans illa comparatio cum Deo, quam temerè visus es efflare sermone tuo? Hoc autem eleganter exponit Augustinus sermone 1. de verbis Domini. [29] id est, non possunt ulla arte mortem effugere: est autem hîc eclipsis contrarii, ut passim.

CAPUT V.

1 IAm [1] advoca, éstne qui attestetur tibi? [2] ad quem verò e sanctis te convertes?

2 Si ad stultum, [3] interficiet indignatio; & fatuum morte afficiet zelus.

3 [4] Ego vide stultum radicatum: cujus [5] exsecratus sum habitaculum repentè.

[1] Quartus ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ab inutili: quasi dicat; cùm jam apud Deum nihil contendendo efficere queas, advoca si potes, qui patrocinetur tibi: concedentis verba. [2] quarti loci ἐργασία per dilemma hujusmodi: aut pios ad patrocinium tuum advocaturus es, aut impios. Si pios, nolent; si impios; non poterunt. Jam igitur ad quem, qui suscipiat patrocinium? [3] patronum simul & clientem interficiet ira & zelus Dei. [4] Confirmatio alterius membri dilemmatici, a testimonio suo & communi experientia. [5] id est, videns exsecrationi addictum exhorrui: metalepsis.

4 [6] Procul absunt sibi ejus a salute, & conteruntur [7] in porta, nec *est* qui eripiat:

5 [8] Nam ejus messem [a] famelicus comedit, quam [9] [10] e medio spinarum receperit: denique exhaurit [11] horridus facultatem eorum.

6 [12] Quum non prodeat e pulvere afflictio, & ex humo non efflorescat molestia;

7 Sed homo ad molestiam edatur; [13] ut [b] scintillæ prunarum in altum evolant:

8 Profectò [14] ego requirerem *Deum* fortem: & in Deo reponerem causam meam:

9 [i] [15] Faciente res magnas quarũ non *est* pervestigatio, mirabiles [c] adeò ut sint innumeræ.

10 Qui edit pluviam in superficie terræ; & immittit aquas in superficiem [d] agrorum:

11 Ut ponat [16] depressos in excelso: & [17] pullati extollantur salute.

12 Qui irritas facit cogitationes astutorum; ut non perficiant manus eorum [e] quicquam:

13 Qui deprehendit sapientes in astutiâ ipsorum; adeò ut consilium reluctantiũ præcipitetur;

14 Interdiu [18] offendant tenebras; & quasi de nocte palpent in ipso meridie:

15 Qui servat [19] a gladio, ab ore illorum; denique a [20] manu fortis egentem.

16 Ita adest tenui [21] spes, & [22] nequitia obdit os suum.

17 [23] Ecce beatus *est* mortalis quem arguit Deus: [24] quapropter castigationem omnipotentis ne spernas.

18 [25] Nam idem dolore afficit; & [26] obligat; vulnerat, & manus ejus medicantur.

19 [27] In [28] sex angustiis eriperet te; etiam in septem non [29] attingeret te malum:

20 In fame redimeret te à morte; & in bello a [f] manibus armatis:

21 Quum [30] flagellat lingua, absconderèris; neque timeres a vastatione ut veniat.

22 [31] Ad vastationem & ad famem [32] rideto, & a bestiis terræ ne timeto:

23 [33] Nam cum lapidibus agri *erit* fœdus tuum, & bestiæ agri erunt pacatæ tibi:

24 Et experieris pacem *inesse* tentorio tuo,

[6] secundum genus calamitatum quod improbis immittit Deus posteritatis eorum deploratum, & quidem acclamante publico omniũ consensu. [7] id est, publicè, metonymia: vide Gen. 34.20. [8] tertium calamitatũ genus, quòd nulla pars bonorum penes improbos manet; sed omnia ad alios perveniunt. [9] id est, tenuissimus quisque, cui nihil alioquin superfuisset alimẽti. [a] *Heb. inter de spinis: pro, de inter spinas: anastrophe.* [10] i. difficilimè, maximis sumtibus & sevit, & proventu quem recepérit cum immani cruciatu. [11] i. aut prædo, aut hostis: sic dictus, tum quia plerunq; ita constituti sunt, synecdochicè: tum quia horrorem incutiunt obviis, metonymicè: sicut Psal. 68.22. [12] λύσις sive propositio ἀνασκευαστικὴ ex τοῦ φανεροῦ, ab evidente; cujus summa est, quum non sint calamitates acceptæ ferendæ terræ aut casibus fortuitis, aut denique earum causæ aliò derivandæ, sed hæreant, in ipso homine propter peccatum ejus: omnibus rebus creatis omissis, ad Deum confugiendum esse. [13] id est, quum homo ad innatum sibi peccatum exardescat, ut carbones accenduntur igne, ac proinde subeant omnibus momentis ex eo calamitates, ut scintillæ e prunis emicant, &c. [b] *Heb. filii prunæ exaltant volare.* [14] non autem ut tu adversus Deum contenderem. [i] *Infr. 9.10.* [15] secundus locus κατασκευῆς, exaggeratio superioris propositionis a prædicatione potentiæ Dei. Tractatur autem duobus argumentis, ab administratione proventuum terræ, & hominum; ex quibus hoc modo concludit a consequente: Primùm si res tam magnificas præstat, & terram irrigat ad hominum bonum; quanto magis homines curaturus est? ut Christus Matth. 6. Deinde, si res humanas ita administrat, ut improbos eorumq; consilia perdat ad defendendam innocentiam in singularibus causis; quanto magis vim suam exserturus est, in tuenda electorum & credentium salute? [c] *Heb. & usque ad non esse numerum.* [d] *Heb. locorum foris.* [16] penuria & fame. [17] id est, lugentes ex inedia: synecdoche. [e] *Heb. essentiam, id est, ut sit quicquam.* [18] id est, in rebus etiam evidentissimis cæcutiant: translatæ loquutiones. [19] id est, a violentis dictis & factis illorum. [20] id est, facultate: metonymia. [21] id est, quod speravit, metonimicè. [22] id est, vir nequam obmutescit præ stupore, adeò præsentibus Dei judiciis percellitur: sed hæc hypallage est [illegible] ut Psal. 107.42. [23] tertius locus κατασκευῆς ἐκ τοῦ συμφέροντος, ab utili: quo transitur ad conclusionem totius orationis. [24] Conclusio: cujus partes sunt, dehortatio a malo, 5. versib. & hortatio tum ad officium erga Deum, tum ad doctrinæ comprehensionem, versib. reliquis. Est autem hîc dehortatio ad Ijobum, continens tacitam reprehensionem dictorum Ijobi, usque ad 22. versum. [25] ætiologia proximæ dehortationis. [26] ac proinde obligaturus esset te, si non sperneres, sed submisso animo te ei committeres, ut supra 8. [27] id est, in multis afflictionibus versantem. [28] id est, in plurimis: numeri definiti pro indefinitis. est autem hæc pars ætiologiæ usque ad versum 22. a promissionibus Dei hypotheticis sive conditionalibus, si credas, & non spernas castigationes Dei. [29] ut suprà 1.11. [f] *Heb. manibus gladii.* [30] id est, a calumniis & obtrectationibus protegeris. [31] altera pars conclusionis, hortatio ad veram fidem & opera fidei afflictiones omnes in virtute Dei superantis. [32] i. adeò fide persuasus esto de reconciliatione & benevolentia Dei, ut nullum ex rebus adversis damnũ metuas: nempe argumento summæ illius propositionis qua utebatur Eliphaz suprà 4.6. [33] hortationis αἰτία: id est, si cum Deo primùm reconciliatus fueris, lapides, feræ, denique omnes res creatæ jure fœderis tibi subservient: humanitùs dictum, ut Hosch. 2.18.

[34] revisesq; habitaculum tuum, si non peccabis:
25 Experieris etiam multiplicari semen tuum, & prognatos te sicut teneram herbam terræ *virescere:*
26 Pervenies cum senio ad sepulcrum; sicut
[g] [35] abit meta frugum tempore suo.
27 [36] Ecce hoc, pervestigavimus hoc, ita est: ausculta huic, & tu cognosce [h] bono tuo.

34 id est, restitueris in integrum, si non amplius Deum offendes. g *Heb. ascendit.* 35 i. deportatur in horreum. Sunt autem hic promissiones allegoricæ, a re rustica sumtæ. 36 altera hortatio ad doctrinam percipiendam tribus argumentis, ab experientia ipsorum, a certissima rei ipsius veritate, & ab utili. h *Heb. tibi.*

CAPUT VI.

Ijob reprehensis acriter amicis neglecti officii, & confutatis Eliphazi rationibus, caussam suam de integro constituit coram illis. Quam deinde explicat narratione ærumnarum suarum, & indignationis in quam ex tantarum ærumnarum sensu animus ejus abripiebatur vehementissimè.

RESpondens verò Ijob, [1] dixit:
2 [2] Utinam [a] accuratè [3] penderetur [4] indignatio mea, & [5] ærumnæ meæ lancibus attollerentur pariter.
3 [6] Nam nunc *quidem* arena marina [7] gravior est *indignatio:* idcircò verba mea [8] deglutiuntur.
4 [9] Sed sagittæ omnipotentis in me *graviores sunt*, quarum virus ebibit spiritum meum: conturbationes Dei, acie instructa oppugnantes me.
5 [10] An rudit onager apud [11] teneram herbam? boátne bos ad faraginem suam?
6 An comeditur insulsum, absque sale? éstne sapor in [b] [12] albumine vitelli?
7 [13] Renuit attingere animus meus: [14] ista sunt planè languores cibi mei.
8 [15] O si [16] quis daret evenire petitionem meam, ut exspectationem meam daret Deus.
9 Et placeret Deo conterere me; [17] solveret manum suam, ut conficeret me.
10 [18] Est enim adhuc consolatio mea, [19] dum exæstuo dolore, nec parcit *Deus*; quòd [20] non celaverim sermones sancti.
11 [21] Quæ *est* vis mea ut durem? aut quis [22] finis meus, ut prorogem vitam meam?
12 An vis [23] lapidea *est* vis mea? an caro mea
[24] chalybæa?
13 [25] An verò nulla *est* [c] defensio mea penes me? aut [d] quod res est, depulsum est a me?
14 [26] Contra [e] *eum* [27] cujus liquescit erga amicum suum benignitas: & *qui* timorem omnipotentis [28] dereliquit?
15 [29] Fratres mei [f] fefellerunt, sicut torrens, ut validissimi torrentes transiverunt;
16 Qui [30] tetri sunt a glacie; in quibus absconditse nix.
17 Quo tempore [31] æstu diffluunt *homines, torrentes* [32] exscinduntur; dum calet quisque, [g] dispereunt e loco suo:
18 [33] Huc illuc avertuntur a semitis [h] suis consuetis; abeunt in nihilum, & pereunt.
19 *Quod* intuenteis cœtus commeantium ex
[34] Thema; turbas Sabæorum *qui* exspectationem habuerant in illis,
20 [i] Pudet fiduciam habuisse: venientes eousque erubescunt.
21 Nunc enim *qui* fuistis, non *estis*: videntes
[35] consternationem, timetis.
22 [36] An quia dixerim, date mihi? aut ex facultatibus vestris [37] munera exhibete propter me?
23 Aut [38] liberate me e manu hostis? & e manu violentorum redimite me?
24 [39] Docete me, & ego silebo: & quid erravi intelligendum date mihi.
25 [40] O quàm [41] acres sunt sermones recti! sed quid [42] reprehendit reprehensio a vobis?
26 An reprehendere verba cogitatis? & [k] ventilare sermones *hominis* animo abjectissimi?
27 [43] Etiam in pupillum irruitis; quum fo-

1 Istius orationis Ijobi summæ partes sunt duæ; ἀνασκευὴ sive cōfutatio sermonis quem habuerat Eliphaz, capite 6. usque ad versum 18. & ἰδίαν κατασκευὴν, sive expositio quæstionis quæ agitur; & in sequentibus controvertitur ad finem usque septimi. 2 Exordiū patheticum a voto, quo Ijob ita summam τῆς κατασκευῆς explicat, ut a judicio Eliphazi ad saniorum hominum judicium provocet. a *Heb. pendendo penderetur. i.m. & ærumnas meas lancibus attollerent p.* 3 translatio a rebus corporeis. 4 i. æstus & conflictatio animi mei ex ærumnarum sensu proficiscens, prout explicatur infrà 7.11. & sequentibus. 5 i. mala ista adventitia indignationem animi generantia, de quibus infr. 7.1 & sequentibus. 6 ætiologia duobus membris superioris versus respondens. hic enim explicatur indignatio; & ærumnæ, sequente versu. 7 numero & pondere: hyperbole metaphorica. 8 i. tum præ multitudine indignationis imparia sunt illis enunciandis; tum præ gravitate semesa verba aut potiùs suspiria mihi excidunt. 9 id est, ærumnæ immissæ a Deo, versu 2. quasi dicat, miramini tantam indignationem qua transversus rapitur animus meus: sed eheu, multum abest a gravitate & innumerabilitate malorum quæ ego sentio: quam ob rem mala sua summè emphaticis translationibus exprimit, quum illis acumen sagittarum tribuit: quibus manu omnipotentis immissis ac velut veneno irā ejus infectis se ita transverberatum esse profitetur, ut spiritum ipsius exhauriant, conturbent, & quasi instructa acie oppugnent: pathetica omnia. 10 primus locus ἀνασκευῆς ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ab inutili, variis similitudinibus expressus, quarum explicatio est versu 7. quasi dicat; non possunt me in hac conditione versantem pascere sermones vestri, quia partim alieni sunt, partimq; insulsi: quam ob rem ut onagri & boves cibo suo acquiescunt, contrà verò destituti vociferantur: non debet vobis mirum esse si abhorreo a sermonibus vestris, nec eis pasci animus meus potest, aut in eis (ut vultis) acquiescere. 11 i. pabulum suum. b *Heb. salivæ: a forma & lentore persimili.* 12 insipido, cujusmodi sunt verba vestra. 13 id est, ex animo repudio sermones vestros. 14 id est, sermones isti quos habetis. q.d. tantùm abest ut sermonibus vestris recreer, aut eorum condimento reficiatur vita mea; ut contrà cibum ipsum amariorem, vitámque injucundiorem & languidiorem reddant. 15 exclamatio parergos ex abrupto, graviùs afflicto & perturbato Ijobi animo ex sermone Eliphazi. q.d. quandoquidem tam iniqui judices estis adversum me, neque æquioris ullius cognitoris adipiscendi facultas ostenditur: jam ad vota mea præcedentia redeo. 16 i. utinam morerer illico, ut antè petiveram: periphrasis mortis, duobus versibus. 17 id est, non ampliùs inhiberet, sed toto impetu injiceret in me: humanitùs dictū, ut illud Psal. 74 inhibere manum suam e sinu suo. 18 ætiologia postulati proximi, quòd sibi benè sit conscius. 19 tacita occupatio objectionum, quibus Eliphaz & alii usuri fuissent, nimirum a sensu præsente carnis, & a gravitate manus Dei. 20 id est, professus sim fidem & cultum Dei sine intermissione.

21 altera ætiologia optati, ver. 8. & 9. ab infirmitate ipsius cum suis ærumnis comparata. 22 activè, id est, quem istis ærumnis meis possim imponere. 23 ut sustineat tantas ærumnas. 24 ut frangat eas. 25 regressio ad ἀνασκευὴν, cujus hic est secundus locus ἐκ τῆς ἀσφαλείας αὐτοῦ, a commendatione fidei et conscientiæ suæ. q.d. utcumque sermones vestri me dejecturi essent; erigit tamen me fidei & veritatis qua nitor consolatio. c *Heb. auxilium meum.* d *Heb. essentia.* 26 id est, contra te Eliphaz, & quemcunque alium. Inest autem his verbis transitio ad tertium locum ἀνασκευῆς ἐκ τῆς τοῦ φάσκοντος διαβολῆς, a criminatione ejus qui sermonem contrà habuerat. e *Heb. contra liquescentem ab amico suo benignitatem: synecdoche.* 27 id est, diffluit atque evanescit, ut sequentium versuum allegoria explicat. 28 arrogando sibi autoritatem judicandi fratris, Jacobi 4.11. 29 explicatio allegorica tertii loci, usque ad vers. 22. cujus summa est: quemadmodum torrentes hiberno imbrium tempore exundant, quum non est opus ampliore aqua; æstivo verò & siticuloso dilabuntur, & exarescente terra, quasi ludificantur spem hominum, quum refrigerio aquarum opus est: ita mihi usu venit ab amicis meis. nam secundis rebus quum uterer, videbar mihi circumfluere illorum adjumentis: nunc verò in tanto calamitatum æstu, nullum ex eis solamen percipio, quasi exaruissent omnes. Dicuntur ergo Ijobi fratres, Eliphaz & alii. f *Heb. perfidè egerunt.* 30 id est, μελαμβαθεῖς, ut elegantissimè appellant Græci. q.d. hieme horrent præ aquarū copia: periphrasis. 31 id est, æstate flagrante. 32 id est, celerrimè pereunt, quasi uno momento resecarentur: metaphora: sic etiam proximum exstinguendi vel dispereundi verbum. g *Heb. exstinguuntur.* 33 id est, diffluunt. h *Heb. via suæ, id est, consuetudinis.* 34 Arabiæ desertæ, ex Ketura, & ex posteris Jischmaëlis, Gen. 25.3. & 15. i *Heb. quòd fiducia* fuerit. *sic in emendatissimo exemplari manuscripto legimus ex bibliotheca Illustriss. Principis Electoris Palatini.* 35 id est, calamitatem amici vestri, quæ est vobis consternationi, & deterret vos ne ii sitis erga me qui fuistis antehac. Apodosis sive applicatio superioris allegoriæ. 36 quartus ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀπρεποῦς, ab inhonesto, per dilemma: Si (inquit) aliquid de facultatibus vestris peterem (quod honestè amicus alter ab altero exigit) aut mihi, aut aliis propter me erogari, operámve adhiberi: inhonestum esset amico laboranti recusare: at quanto magis futurum est vobis dedecorosum, si ne illud quidem levamen præstatis, quod præstare possetis sine ullo dispendio jacturáque vestra? Sin autem inhonesti à vobis aliquid peto, docete me & redarguite. 37 ad corrumpendum judicium: id est, jus aliqua ratione propter me convellite. 38 id est, vim quæ mihi allata fuit, vi armata aut quocunque modo repellite. 39 quintus ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impossibili, per concessionem. q.d. ego tam benè mihi sum conscius, ut pro certo habeam nullam mei incusandi materiam vobis subministratam esse: sed quandoquidem ita vultis, agite, experimini si quid jure potestis reprehendere. 40 ultimus ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀνακολούθου, ab inconsequente, amplificatus contrario epiphonemate: magna est (inquit) vis & autoritas piæ ac veræ reprehensionis: at vestra cujusmodi est? inanis est, tantùm hærens verborum aucupiis, & miserum exagitans contra quàm debuissetis. sic utitur ἀντικατηγορία, sive criminis relatione. 41 id est, efficaces ad animos permovendos percellendósque. 42 id est, continet aut efficit conveniens cum reprehensione recta. k *Heb. vento dare.* 43 Conclusio ἀνασκευῆς ἐκ τῆς τῶν φασκόντων διαβολῆς, a criminatione eorum qui sermonem adversum habuerant: qua statuit Ijob istos non minùs iniquos esse, quam si pupillum aut innocentem puerum (cujus defensio omnibus ætatibus lege Dei & naturæ commendata est) violentia sua, quasi mole injecta, opprimerent.

ditis

[44] Transitio ad ἔκθεσιν, alteram orationis partem, cujus exordium tribus his versibus comprehenditur. [45] audientiam facit precibus, primùm a persona sua; deinde a cognitione & judicio æquorum auditorum, quod illis defertur a Ijobo, postremò ab aversatione & deprecatione præcedentium offensarum.

ditis *foveam* contra amicum vestrum.
28 [44] Sed nunc [45] acquiescite, [46] respicite ad
me: & [l] [47] expositum *erit* vobis, si mentiar.
29 [48] Revertimini quæso; [49] ne esto iniquitas;
revertimini inquam iterum, [50] justitia mea sibi
constet.
30 [51] An erit in lingua mea iniquitas, an pala-
tum meum non dabit intelligendas ærumnas?

[46] id est, habete rationem mei, obsecro, & attendite. [l] *Heb. ante faciem vestram.* [47] id est, ipsi judices estote. [48] id est, animos vestros perturbatione abreptos ad rem ipsam revocate: ideóque omnia utrinque integra sunto, & omissa modò dictarum offensarum recordatione, æquè inter nos audiamus. [49] id est, ponamus neque me a vobis, neque vos a me ullo verbo offensos esse. [50] id est, relinquamus justitiam meam suo loco, & rationem anteactæ vitæ meæ. [51] id est, si mentiar exponendo calamitates meas coram Deo & vobis, observate, & ipsi judicate.

CAPUT VII.

[1] ἔκθεσις toto hoc capite, cujus partes sunt duæ; una, explicatio ærumnarum, usque ad ℣. 11: altera, explicatio indignationis, usque ad finem capitis; prout utrámque proposuerat supr. 6.2. Propositio autem ærumnarum continetur duobus locis κατὰ σύγκρισιν: unus est a communi præsentis vitæ miseria atque laboribus, ℣. 1. alter a singulari Ijobi sorte versantis in summis difficultatibus, quæ per comparationem communis illius sortis amplificatur versibus sequentibus. Summa est, miramini quod expetivi aut me non natum esse,

1 [1] NOnne [2] militiæ *dies* mortali in terra; & ut
dies mercenarii *sunt* [3] dies ejus?
2 [4] Sicut servus adspirat ad umbram; & sicut
mercenarius exspectat [a] dum fecerit:
3 [5] Sic effectum est mihi ut possideam men-
ses vanitatis; [6] etiam noctes molestiæ [b] constitu-
tæ sunt mihi.
4 [7] Si quando decumbo, dico; ecquando
surgam, & *spatium suum* emensus fuerit [8] vesper:
adeò satior jactationibus usque ad diliculum:
5 [9] Induit caro mea vermes, & [10] ramentum
pulveris: cutis mea [11] disrumpit se, & liquefit.
6 [12] Dies mei velociores fuerunt radio *tex-
toris*; & consumti sunt cum inopia spei.
7 [13] Recordare [14] ventum esse vitam meam,
[c] oculum meum iterum non visurum [15] bonum,
8 Nec contemplaturū esse me oculum [d] per-
spicacissimum, etiam [16] oculis tuis ad me respi-
cientibus me non *fore ampliùs*.
9 [17] Ut consumitur nubes & abit; ita qui de-
scendit *in* sepulcrum, non ascensurum *ampliùs*,
10 Nec reversurum ampliùs domum suam;
neque agniturum eum ampliùs [18] locum ipsius.
11 [19] Proinde ego non cohibeo os meum, lo-
quor in angustia spiritus mei; queror in amaritu-
dine animi mei.

aut quamprimùm emori: sed duo argumenta gravissima me eò pertrahunt, ærumnæ meæ, & indignatio. [2] id est, nonne singulis diebus hujus vitæ suum est malum, Matth. 6, suáque certamina semper præstò sunt, adeò ut non nisi cum ipsa vita terminentur labores vitæ nostræ? ac proinde secundùm naturam finem laborum expeto. [3] id est, labores quotidiani ejus: synecdoche. [4] secundus locus a singularibus suis calamitatibus quas amplificat hoc modo: Si alii homines ex communi naturæ lege a labore vacationem expetunt; quid aliud possum expetere ego quidē quam mortē? cum tota vita mea dies & noctes cum infinitis & gravissimis calamitatibus conflictetur, quarum finem mors unica est allatura. [a] *Heb. fecisse suum.* [5] id est, indesinenter in labore rigidiore versor quam servus & mercenarius ullus. [6] quæ aliis ad quietem datæ sunt. [b] *Heb. constituerunt; impersonali significatione, pro linguæ more, ut suprà* 4.19. [7] ἐργασία proximæ querimoniæ de suis calamitatibus, quas noctu, interdiu, perpetuas & indesinentes esse gradatim ostendit. [8] id est, nox incipiens a vespere: synecdoche, ut Gene. 1.5. [9] id est, totum corpus vermibus circumtectum est, quasi vestimento. [10] id est, ulcerum manantium sordes concretas, ut tabum, meliceridas, & similia. [11] videlicet erumpentibus ulceribus, & liquefit manantibus. [12] Occupatio, qua anticipat objectionem nascentem ex sermonibus Eliphazi, supra 5.17. & sequentibus, quorum hæc erat summa: si tibi benè es conscius, oportet animum tuum confirmari de promissionibus Dei ad vitam hanc pertinentibus. Respondet verò Ijob; ad utrumque confirmatus sum, ad vitam, & ad mortem: sed cùm tempus prosperitatis tanta celeritate effluxerit, & nunc tam manifesta sint indicia & documenta ad mortem; quorsum mihi hujus vitæ exspectatio? [13] Conclusio prioris partis ἐκθέσεως per apostrophen ad Deum. Quasi dicat, quandoquidem Deus ita planè testatur mihi de hac vita cedendum esse, nolo vobiscum ampliùs contendere; sed ad Deum orationem convertam; cujus summa futura est; cùm tot modis ostendas vanitatem brevitatémque vitæ meæ, quæso ut potiùs tollas, quàm ut me diutius in malis hærere finas. [14] id est, mox evanituram. [c] *Heb. non reversurus est oculus meus ad videndum bonum.* [15] sub. in hac vita: sic sequentia. [d] *Heb. visus.* [16] humanitùs dictum, ut infrà ver. 21. [17] γνώμη, qua se consolatur Ijob; si vitæ finem obtinuerit, desituras in perpetuum calamitates, ut 2. Schem. 12.23. [18] id est, populares ejus: metonymia. [19] transitio ad alteram partem ἐκθέσεως de indignatione animi, quæ tota in sequentibus per apostrophen ad Deum enunciatur.

[20] primus locus ἐκθέσεως, quo comparat constitutionem animi sui cum gravitate afflictionum quibus opprimitur, quasi dicat, sumne ita ferox ut mare fervens & æstuans, aut ut immania cete? quin potiùs nónne omnibus modis studui sollicitè ut obtemperarem tibi? at tu, ô Deus, quasi excubiis cōtra me positis dies & noctes infestas animum meum, & ad vitæ præsentis horrorem adducens efficis ut præoptem mortem. [21] de cujus robore, motu, & validissima agitatione vide infrà 41.

12 [20] An mare sum? an [21] cete? quòd dispo-
nis circa me custodiam?
13 [22] Quum dico, solabitur me sponda mea;
levabit querelam meam cubile meum:
14 Tum consternas me [23] somniis, & præ
[24] visionibus conturbas me:
15 Adeò ut eligat [25] strangulationem animus
meus, mortem [26] *eligat* ex ossibus meis.
16 Aspernor, ne [27] in seculum vivam: [28] de-
siste a me, nam [29] vanitas sunt dies mei.
17 [30] Quid *est* mortalis, ut magni facias eum?
& ut apponas ad eum [e] animum tuum?
18 Ut [31] visites eum temporibus matutinis?
momentis explores eum?
19 [32] Quamdiu non respicis [33] *aliorsum* a me?
non deseris me, [34] dum deglutiam salivam meam?
20 [35] Peccavi, [36] quid agerem tibi, ô [37] custos
hominum? quare [38] proposuisti me scopum tibi:
adeò ut *ipse* mihi sim oneri?
21 Imò [39] quid non condonas [40] defectionem
meam, & aufers iniquitatem meam, [41] cùm jam
in isto pulvere decumbam? aut *quid non* [42] [f] tem-
pestivè requisivisti me, ut non essem?

[22] id est, cùm me ad quietem compono, tum ab istis quasi emissariis tuis invador. [23] dormientem. [24] pervigilem: vide supr. 5.13. [25] Quamvis durissimam, sed præsentissimam mortem. [26] id est, eligam non solum animo sed etiam corpore, cujus partes etiam solidissimæ & ἐρρωμέναι in eandem electionem desideriúmque conspirent. [27] id est, diutiùs. [28] hoc est, ne ampliùs vitam prorogato, sed morte finem affligendi facito. sic concludit locum primum a precatione. [29] id est, quicquid mihi ampliùs vivendum est, futurum est mihi calamitosissimum: sic judicat Ijob, ut supra ver. 6. [30] secundus locus ἐκθέσεως a communi hominum sorte. quasi dicat, compara, quæso, tenuitatem hominis cum assiduis probationibus & exercitamentis tuis: an tam magni facis eum, ut magnis & continēribus ærumnis probare velis eum? [e] *Heb. cor.* [31] affligenda. [32] accommodatio ad suam personam. [33] id est, aliò iram tuam convertis: ut Psal. 79.6. & infrà 14.7. [34] id est, minimo momento saltem. [35] tertius ἐκθέσεως locus per confessionem & deprecationem culpæ & pœnæ argumentis sumtis a natura & officio seu administratione Dei, & a persona deprecantis. Peccavi autem, id est, fateor me esse peccatorem. [36] i. solvendo impar sum. [37] id est, qui pro bonitate naturæ tuæ servas, & administrationem salutis tibi uni vindicas. [38] in quem, præter ordinarium illum tuæ administrationis cursum, collimes & ejaculeris furorem tuum: ut suprà 6.4. [39] Conclusio dilemmatica: aut satis jam habeto his pœnis, aut me occidito. [40] id est, afflictiones, defectionis & iniquitatis pœnas. [41] i. cùm tu me in pulverem usque abjeceris, & ego me sistam tibi animo abjectissimo: locus est commiserationis a præsente conditione. [42] vide supra in ver. 8. periphrasis, pro eo quod est, cur jamdiu non occidisti me? [f] *Heb. manè requisivisti.*

CAPUT VIII.

Bildad Ijobum graviter reprehendit quasi obloquentem justitiæ Dei: eam testimoniis & exemplis probat, & Ijobum minis deterrere conatur, promissionibúsque revocare.

[1] Oratio est ἐπιτιμητικὴ sive reprehensiva, cōstans propositione, ver. 2. confirmatione reprehensionis suæ usque ad ver. 20. Et conclusione a promissionibus Dei. summa est; Ijobum temerè

TUnc respondens Bildad Schuchites, [1] dixit:
2 [2] Quousque effaberis ista? & [3] ventus va-
lidus sermones oris tui *futuri sunt*?
3 [4] An *Deus* fortis perverteret judicium? aut
an omnipotens perverteret justitiam?
4 [5] Si filii tui peccaverunt ei; ideò dimisit
eos in [a] [6] potestatem defectionis ipsorum.
5 Si tu sedulò requireres *Deum* fortem; &
omnipotentem deprecareris;

& impiè administrationi Dei obloqui, quòd non damnet anteactam vitam suam & suorum; neque judiciis Dei patienter acquiescat: Finis verò, ut ad seriam peccatorum confessionem & resipiscentiam se comparans benedictionem a Deo exspectet. Ita quidem sancta est thesis; sed in hypothesi sive singulari quæstione facti peccatur, dum argumentatur Bildad ex præsentibus calamitatibus, Ijobum hypocritarum more in peccatis vixisse, eorum nomine affligi, & adhuc mala fide agere quòd inficietur peccata sua; cujusmodi ferè est sequentium reprehensionum in Ijobum ratio. [2] Propositio reprehensionis ἐκ τοῦ φαινομένου διαβολῆς, quòd Ijob perturbato vehementissimè animo sermones indignos haberet indignissimè. [3] i. quasi bruto impetu ferris ad convinciandum Deum, proruendum judicia ejus, & convellenda omnia. [4] primus reprehensionis locus ἐκ τοῦ σαφοῦς, ab evidente. quasi dicat, quis nescit Deum justissimum esse, neque tua neque alterius causa æquum & bonum convellere? [5] ἐργασία superioris loci dilemmatica, necesse est, inquit, ut Deum justissimum confitearis, sive filios tuos, sive te ipsum spectes: nam utrosque castigavit peccatorum nomine: sed illos quidem ad mortem; te verò, si sapis, ad resipiscentiam, cui benedictiones conjunctæ sunt. [a] *Heb. in manum.* [6] id est, ut ipsos sua defectio perderet.

6 [7] Modò purus & rectus sis: certè jam [8] ex-
pergisceretur tuâ causâ; & [9] perficeret habitati-
onem [10] justitiæ tuæ,
7 Essentq; [b] priora tua [11] perexigua: adeò
posteriora tua augerentur valdè.
8 [12] Nam consule quæso ætatem priscam; &
compara *te* ad [13] pervestigationem majorum il-
lorum:
9 [14] Quandoquidem [c] hesterni sumus, neq;
experti sumus; nam [15] umbra *sunt* dies nostri su-
per terram.
10 An non [16] illi docturi sunt te? [17] dicturi
tibi? & ex animo suo prolaturi verba?
11 [18] An attollit se juncus absq; cœno? auge-
tur ulva absq; aquis?
12 Adhuc exsistens [19] in virore suo, *quum*
nondum decerpitur; tamen ante omne gramen
arescit.
13 Ita sunt semitæ omnium obliviscentium
Dei fortis: nam exspectatio hypocritæ perit,
14 [20] Quem fastidit spes sua; cujus fiducia
[21] est domus aranei,
15 Innitentis domui suæ, quæ non consistit;
apprehendentis eam quæ stare non potest.
16 [22] Succosus *fuerit* iste, [23] ante solem; & [24] su-
pra hortum suum tener ramus ejus prodierit:
17 [25] In acervo radices ejus implexæ fuerint;
[26] domum lapideam inspexerit.
18 [27] Quum perdit eum a loco ejus; adeò ut
ementiatur eum *locus dicens*, non vidi te:
19 [28] En illa lætitia viæ ejus; quum ex pulve-
re faciunt ut alter efflorescat.
20 [29] Ecce *Deus* fortis non spreturus est inte-
grum: sed non [30] confirmat manum malefico-
rum;
21 [31] Donec [32] impleverit risu os tuum, & la-
bia tua jubilo:
22 Osores tui induantur pudore; & tentorium
improborum nusquam *sit*.

7 id est, modò conversio non sit hypocritica, & impura oratio.
8 id est, ostenderet te sibi esse curæ: humanitùs dictũ, ut Psal. 35. 23
9 id est, absolutè bearet.
10 id est, tuam, quum justè vivas: hypallage αὐξητικόν.
b *Heb. principium tuum per exiguum: adeò consequens tuum augeretur.*
11 i. propè nihil esset prior ille status tuus ad eum qui tibi divinitùs obventurus esset.
12 secũdus locus confirmationis ἐκ μαρτυρίας παλαιῶν, a testimonio majorum & omnium temporum universè.
13 i. sciscitandos & percunctandos majores antiquissimos.
14 ætiologia, cur modestè reticendo suum testimonium ad priscorũ autoritatem & fidẽ Ijobũ revocet, ut confirmet propositionem Eliphazi, suprà 4.8. Est autem tota hyperbolica per μείωσιν dicta, & per comparationem sui cum priscis majoribus.

c *Heb. heri.* 15 i. brevissima ætas nostra est, comparata cum majorum ætate, fluxa, instabilis, & ipsa ultrò abiens. 16 majores, de quibus ℣. 8. 17 i. dicta mea confirmaturi bona fide. 18 tertius confirmationis locus ἐκ παραβολῆς, ex comparatione, qua ostenditur tam esse ex ordine & iure administrationis Dei ut impii & hypocritæ intercidant, eorumq; exspectatio præscindatur; quàm ordinarium est, juncum in siticulosis locis arescere, aut dissipari telam aranei. 19 i. tempore viriditatis suæ, quo adhuc crescere ac non decerpi solet, deficiente aqua emoritur. 20 i. eum quasi fastidiens fugit id ipsum quod sperat, adeò ut insperatis calamitatibus opprimatur; metaphora. Est autem hic amplificatio superioris loci ab exemplis duobus, aranei, & arboris, usq; ad 19. versum. 21 i. adeò fragilis & fallax, ut illa est: quod exponitur sequẽte ℣. 22 alterum exemplum quo exprimitur allegoricè primùm fœlicitas improborũ, deinde luxurians in aliorum damnum propagatio; & postremò exitiũ. Succosus autem, i. abundans & circumfluens bonis insitis & adventitiis. 23 i. palàm, in oculis omnium agit commodissimè: ut 2. Schem. 12, 12. 24 id est, plus æquo luxuriat: his omnibus tacitè Ijobum & ejus filios perstringit. 25 i. ita latè radices diffundit, ut fundamenti struem offendat in ædibus domini sui. 26 i. luminibus domus officit: quasi dicat, suprà & infrà damnosus est familiæ domini sui. 27 dominus ejus funditùs exstirpando e loco ejus, ita ut nullum vestigium ejus appareat; quod in sequentibus per prosopopœiam exprimitur. 28 Apodosis ironica similitudinis, Ijobum graviter mordens; etsi statim lenitur promissionibus, quasi dicat, ubi est gloria & jactatio illius, cùm avulsæ nullum vestigium supersit, & in locum ejus altera suffecta sit? 29 Conclusio a promissionibus Dei ad superiores minas mittigandas; sed tamen oppositione status improborum illustrata, velut aculeo infixo in animum Ijobi; ut partim metu a malè gerenda vita deterreret, partim spe revocaret ad Deum. 30 vide suprà 4.6. 31 Transitio a thesi ad hypothesin: quasi dicat, te ergo, si integer eris, non spernet Deus; sed acceptum habebit usque dum, &c. ut suprà ver. 6. 32 i. dederit amplissimam materiam gaudii, tibi benefaciendo, & inimicos confundendo.

CAPUT IX.

Ijob agnita & celebrata justitia, sapientia ac potentia Dei, inficiatur criminationem vitæ suæ sibi ab amicis objectam; & justitiam suam asserens docet ex præsentibus Dei judiciis non esse de hominibus judicandum. Postremò querimonias suas repetens, a Deo multis argumentis adductis mala sua deprecatur, & concludit flebili optato.

REspondensVerò Ijob, [1] dixit:
2 [2] Verum *est*, novi ita esse: nam
quî justus esset mortalis *comparatus* cum *Deo*
forti?
3 [3] Si volet litigare cum eo, non poterit re-
spondere ei [4] *ad* unum ex mille.
4 [5] *Est* sapiens [a] animo, & fortis viribus: [6] quis
obdurans *animum* adversus eum prosperitate u-
titur?
5 [7] Qui refigit montes ita ut [8] non animad-
vertant *homines*: qui subvertit eos in ira sua.
6 Qui commovet terram e loco, adeò ut
[9] columnæ ejus contremiscant:
7 [10] Quo interdicente Soli, non oritur; qui
ante stellas obsignat viam:
8 [B] Qui extendit cælos solus; & [11] calcat ex-
celsa maris:
9 [12] Qui facit [13] Arcturum, [14] Orionem &
[15] Pleiadas; ac [16] penetralium Austri *sidera*:
10 Qui facit res magnas, [b] adeoq; imperve-
stigabiles; & mirabilia, adeoq; innumera.
11 [17] Ecce, transit præter me, tamen non pos-
sum videre: si transmeat, tamen non animadver-
to eum.
12 [18] Ecce, rapuerit, quis cogat eum restitue-
re? quis dicat ei, quid facis?
13 [19] Deo non revocante iram suam: sub ipso
incurvantur [20] adjutores superbiæ.
14 [21] Quanto minùs ego responsarem ei? [22] e-
lecturus verba mea *quibus uterer* contra eum?
15 Cui [23] si justus sim, non responsabo; *sed*
judicem meum [24] deprecabor.
16 [25] Si invocantem exaudivit me; non cre-
derem [26] auribus percepturum vocem meam?
17 [27] Qui [28] turbine contereret me; & mul-
tiplicaret vulnera mea [29] impunè.

1 Istius responsionis Ijobi summæ partes sunt tres: Prima, ὁμολογητικὴ sive confessoria justitiæ & potentiæ Dei, usque ad ℣. 21. Secunda, ἀνταγωνιστικὴ, inficians criminationem sui & defendens integritatem suam, usq; ad finem capitis: Tertia ἔκθεσις sive expositio indignationis suæ & querimoniæ apud Deum, cap. 10.
2 Confessio, ad primam Bildadi propositioné respondens, sup. 8. 3. quam in sequentibus explicat primò per thesin, usque ad ver. 14. deinde per hypothesin & accommodationem ad personam suam, usque ad ver. 21.
3 homo videlicet de sua justitia adversus sapientissimam & potentissimam Dei justitiam.
4 id est, millies peragetur reus.
5 Confirmatio propositionis superioris a natura Dei.
a *Heb. a corde.*

6 ab eventu: est autem prolepsis hoc versu, cujus duæ argumentationes a natura ejus, & ab eventu, sigillatim sequentibus explicantur. 7 confirmatio prioris argumentationis de natura Dei, ab operibus ejus, usq; ad ver. 11. 8 nempe amotionem, adeoq; ullum vestigium eorum. 9 id est, ima fundamenta, quasi dicat terram a summo ad imum. 10 i. qui efficit noctem & diem: periphrasis: nam donec oriatur sol, est nox: & adveniente die contrà, quasi obsignatæ occultantur stellæ & via quasi occlusa est ne prodeant in conspectum nostrũ. B *Gen* 1. 11 id est, æstum & fluctus ferventis maris quasi pede comprimit. 12 id est, qui facit ac moderatur annum, cujus partes a signis cæli ordinariis designantur, principio ducto a septembri, prout numeratur civilis annus. 13 cujus sydus exoritur undecim diebus ante æquinoctium Autumni, & dimidiam anni partem terminat. 14 sydus quod totis noctibus mense Decembri in hemisphærio supero versatur, & deinceps usque ad vergiliarum tempus conspicuum est. 15 Latinè vergilias, quæ unà cum vere oriuntur, & durant usque ad Autumnum. 16 intelligit æstiva sydera, ut est canicula, &c. quæ quia ad polum Antarcticum sive axem meridianum spectant (qui populus velut inferior subest horizonti nostro) penetralium Austri sydera appellantur: dicuntur enim penetralia austri elegante phrasi per hypallagen pro Austro penetralium, id est, abstruso & quasi in penetralibus mundi a nobis abscondito. b *Heb. usque ad non pervestigationem, & usque ad non numerum: suprà 5.9.* 17 confirmatio secundæ argumentationis, ab exemplis eventorum. est autem hoc primum hypotheticum a persona sua. quasi dicat: si quod documentum potentiæ, & sapientiæ & justitiæ suæ edit ob oculos meos, non sum is qui eam cognoscere & pervestigare possim, adeò inscrutabilia sunt judicia ejus & inpervestigabiles viæ ejus, Roma. 11. 33. 18 secundum exemplum κατ' ἰδίαν, a persona eorum quos Deus malis afficit arbitratu suo. 19 tertium exemplum, a persona eorum qui vires suas consumunt, & alienas adhibent, ut obsistant Deo. 20 id est, superbi & eorum patroni. 21 altera pars confessionis, ut diximus in ver. 2. qua primùm statuit se non responsaturum, sed submisso animo deprecaturum Deum: deinde hoc institutum suum duabus propositionibus hypotheticis confirmat. Quod autem dicit, Quanto minus, comparatio majoris est: si nemo (inquit) quantumvis potens & validis auxiliis fultus Deo utiliter obloqui aut obsistere potest, quid ego miser, solus, &c? 22 id est, de industria litigarem & studerem agendæ causæ meæ, ut sup. ver. 3. 23 id est, si sapiam, & velim in mea justitia pergere. 24 ut facit sub finem sequentis capitis. 25 Propositio prior hypothetica, qua docet quàm malè sibi sit cessurum, si cum Deo judicio aut viribus certare velit: quod amici tamquam homini malè sano & furenti exprobrabant. Huc autem ingreditur argumento a simili: invocantem me audivit toties, & non audiret responsantem atque lacessentem? 26 accepturum provocationem meam. 27 id est, miserrimè perderet me: periphrasis, duobus versibus. 28 id est, subita, violenta & fragosa plaga, qualem experti fuerant ipsius filii, suprà 1. 19. 29 id est, sine ullo damno suo, ac nemine vindicante me: sic Provet. 1, 11.

18 Non fineret me revocare spiritum meum; sed saturaret me amaritudinibus.

19 Si viribus *experirer*, fortissimum ecce: [30] sin judicio, [31] quis vadimonium constitueret mihi?

20 [32] Si justum me assererem, os meum condemnaret me: si [33] integrum me, [34] perverteret me.

21 [35] Integer sum, [36] non habui rationem animæ meæ; sprevi vitam meam.

22 [37] [e] Una est, propterea dico; integrum, ut improbum ipse consumit.

23 [38] Quandoquidem flagello mortem affert repentè, ad probationem innocentium ridet:

24 [39] Terra traditur in manum improbi, [40] faciem judicum ejus obtegit: si non [41] *ille facit*, quisnam est?

25 [42] Nam [43] dies mei velociores fuerunt cursore; aufugerunt, non sunt experti [44] bonum:

26 Transmearunt cum navibus [d] celocibus; sicut aquila involans in escam.

27 [45] Si dico, obliviscar querimoniæ meæ; derelinquam [e] iram meam, & recreabo me:

28 Formido omnes dolores meos; recognosco fore ut [46] non purges me:

29 *Sed* me tanquam [47] improbum fore; quare jam in vanum [48] laborarem?

30 [49] Si lavero me aquis nivalibus: & emundavero smegmate manus meas:

31 Tum in foveam demerges me, & [50] abominabuntur me vestes meæ.

32 [51] Quamvis non sit vir sicut ego, *ut* responsem ei; *ut* conveniamus [52] pariter in judicium:

33 Neque sit inter nos arbiter, interpositurus manum suam inter utrumq; nostrûm:

34 [53] Amoveat a me virgam suam, & terror ejus ne perturbet me:

[30] id est, si in jus vocare vellem. [31] id est, quis tandem judicis partes agens, me & illum in jus vocaret ad agendum causam nostram? [32] altera propositio hypothetica: quasi dicat, si justitiam meam cum illius justitia comparare vellem, meis ipsius verbis ut meo gladio jugularem me. [33] comparatione Dei. [34] videlicet os meum. [35] Secunda pars responsionis ad propositionē Bildadi quæ est suprà 8.6 & sequētibus. Est autem hoc versu prolepsis sequentium in responsione partium, nam primùm integritatem suam, fidem, & conscientiam adversus probra quæ objiciebant illi, asserit: deinde ostendit se fine mala fide fastidire vitam suam quod capite sequente explicat. Integer sum, (inquit) cōparatione vestri in hac defensione mea: nam integer sum ab iis peccatis quæ mihi objicitis fuisse in causa cur ita affligar. [36] sic distinguimus sequuti fidem manuscripti exemplaris. Etsi communis lectio servari hoc modo potest convenientissime, *non novi animam meam sperno vitam meam*, nimirum præ integritate: pro eo quod est, ea integritate sum, ut nunquam animæ aut vitæ meæ ratione abduci potuerim, aut possim ab integritate mea. Atque huic interpretationi versus proximè sequens adhærescet hoc modo: *una est, propterea dico*, &c. Sensus est, anima mea semper est eadem, itidemq; sibi constans in integritate mea: quo testimonio conscientiæ fretus dicere non dubitaverim contra quam statuitis, integrum ut improbum consumit Deus. [37] ἀνασκευὴ sive confutatio argumentationis illius Bildadi: Si justus esses, non affligeret te Deus, sup. 8.6.20. Atqui te affligit, Ergo injustus es. Cui ita respondet Ijob, utcunq; afflictus sim, mihi sum benè conscius: itaque concludo probos ut improbos a Deo affligi; ampliùs dico, pro arbitrio ipsius utrosque consumi. [e] *Heb. unum hoc propterea dico: antecedens cum relativo: pleonasmus.* [38] id est, quandoquidem innocentes necat subitò, aut gravissimis afflictionibus eos probando delectatur: humanitùs dictum. [39] confutatio alterius partis argumentationis Bildadi sup. 8.11. qua dixerat, ut probis benedicit Deus, sic e contrario improbis & actionibus eorum in hac vita palàm & apertè reipsa maledicere: confutat autem Ijob ab experientia. [40] i. bonos etiam condemnat, a quibus fuisset improbus condemnandus: a signo synecdochicè, ut Estheræ 7.8. [41] nimirum Deus. [42] confirmatio superioris argumentationis ab exemplo suo: ostendit enim, utcunque integer sit, tamen amissam esse quàm celerrimè prosperitatem suam, ver. 25. & 26: deinde se gravissimè & sine intermissione affligi, versibus sequentibus. [43] prosperi, ut sup. 7.6. [44] diuturnum & constans. [d] *Heb. desiderii. i. ita constitutis, ut quam citissimè vectorem ad desiderium perducant.* [45] quasi dicat, si quando succurrit ut de liberatione a malis meis ventura cogitem, præcidunt mihi spem mala præsentia. [e] *Heb. faciem: sic Levitici* 17.10. & 1. *Schem.* 1.18. [46] i. ut purum me a calamitatibus liberes: ita concludit Ijob ex rebus præsentibus, ut sup. 7.6. [47] ita tractatum iri, ut vos de improbo dixistis. [48] de fovenda aliqua spe adversus istas exitiales ærumnas: sic refellit sermonem Bildadi sup. 8.6. [49] i. quamvis purissimus essem hominum, tamen ita affligeres me: apostrophe ad Deum. [50] i. horrebunt me etiam omnia mihi proxima, & juris mei: hyperbole. [51] Conclusio superioris sermonis, μεταβατικὴ i. transitiva ad querimoniam sequentis capitis, conjuncta propositione quæ est in ℣. 35. & principio sequentis capitis, qua ita statuit Ijob, etsi neq; mihi est autoritas cū illo contēdendi, neq; alteri judicandi aut arbitrium interponendi: nō dubitabo tamen expostulare cum illo familiariter, fretus bona fide & conscientia. [52] i æquis inter nos legibus, ut inter litigantes ex æquo disputari solet. [53] i. tantum mihi spatium interspirationis concedat Deus, quo res meas possim eloqui: sic exponi postulat versus sequens: ut infrà 13.20.

35 Eloquar, quum non timebo ab eo: nam non [54] ita sum conscius mihi.

CAPUT X.

Fastidit [1] anima mea vitam meam; [a] deponam a me querimoniam meam; loquar in amaritudine animæ meæ;

2 Dicam Deo, [2] ne condemnes me; notum fac mihi quam ob rem [3] contendas mecum.

3 [4] An bonum est tibi, quòd opprimis? quòd spernis laborem manuum tuarum? & consilium improborum illustras?

4 [5] An oculi carnei sunt tibi? an ut videt mortalis vides?

5 [6] An similes diebus mortalium dies tui *sunt*? aut anni tui similes diebus viri?

6 [7] Ut inquiras iniquitatem meam, & de peccato meo quæras?

7 [8] In notitia tua *est* me non esse improbum: [9] nec tamen est quod eripiat a manu tua.

8 [10] Manus tuæ dolore afficiunt me, quæ fecerunt me: unà circumquaque *sunt* quibus exsorbeas me.

9 Recordare, quæso, ‖ quòd sicut argillam fecisti me: & in pulverem reduceres me?

10 Nonne [11] sicut lac fudisti me? & tanquam caseum coagulasti me?

11 [12] Cute & carne induisti me? ossibusq; & nervis texisti me?

12 [13] Cum vita benignitatem exercuisti erga me? & visitatio tua conservavit spiritum meum?

13 [14] At ista recondidisti in [b] animo tuo: novi hoc esse apud te.

14 [15] An simulac pecco, observes me? & ab iniquitate mea non purges me?

15 Si improbus sim, hei mihi; si justus sim, nō [16] possum attollere caput meum: satiare [17] ignominia, & respice afflictionem meam.

16 [18] Quum attollit sese, ut ferox leo [19] venaris me; & [c] [20] rursus mirificum te exhibes contra me.

17 Renovas [21] testes tuos contra me, augens indignationem tuam adversus me: [22] vices & exercitus sunt contra me.

18 [23] At quare e vulva eduxisti me? ô *si* exspirassem, & oculus non vidisset me:

19 Essem ac si nunquam fuissem; ex utero in sepulcrum elatus fuissem.

20 [24] Annon paulisper diebus meis [25] cessabit? deponet *exercitus suos* procul a me, ut

[54] nimirum ut vos exprobratis mihi.

[1] ut suprà 9.21. Tertia pars respōsionis, ἔκθεσις indignationis & querimoniæ, propositione, 2. ver. cōfirmatione, ver. 4. confutatione a ℣. 7. ad 19. & conclusione constans reliquis ℣. [a] *Heb. relinquam de super me.* [2] Propositio deprecationis primùm, deinde optati: ut Deus severitatis suæ in Ijobum causam explicet, cùm ipse sibi benè sit conscius. [3] flagellando me. [4] Confirmatio propositionis a rebus absurdis, quæ etsi in Deum cadere non possunt, tamen pro forma judiciorum ab humana infirmitate de Deo cogitari possent. Est autem hic primum absurdum, ut Deus justus opprimat hominem sibi benè cōscium: secundum, ut opifex spernat suum opus: tertium, ut probus improbis faveat, hoc versu. [5] quartum absurdum, ut Deus omnium cognitor judicio fallatur. [6] quintum absurdum concludens superiora omnia: an tota, inquit, æternitate tua quicquam tibi humanum evenit? synecdoche. Sic transit Ijob ad hypothesin causæ suæ. [7] nempe quasi jam omnia non essent tibi exploratissima: ut asserit sequente ver. [8] Confutatio, cujus hæc est propositio prima, confutans absurdum primum, de quo sup. ver. 3. [9] πάθος ad movendam misericordiam: quasi dicat, verumtamen ne mea quidem integritas, cujus tu mihi testis es, facit ut hac plaga liberer, ut qui nihil facto meo coram te promereri possim. [10] Propositio secunda pathetica respiciens ad absurdum secundum ver. 3. amplificata primùm κατὰ σύγκρισιν sive comparationem antecedentis operis Dei cum præsentibus calamitatibus: deinde per enumerationem singulorum Dei operum erga se inde a conceptu. ‖ *Gen.* 2.7. [11] id est, conceptum humanum & naturalem effecisti: periphrasis. [12] i. in utero formasti. [13] id est, animasti, & in vita conservasti. [14] ὑποφορὰ, sive subjectio fidei ad præcedentes quæstiones. [b] *Heb. corde.* [15] Tertia propositio, respondens tertio absurdo per dilemma: alia est, inquit, apud te ratio eorum qui ex infirmitate peccant, alia improborum. Si ex infirmitate offendi, an mecum eadem ratione acturus es atque cum improbo? [16] ita ærumnarum gravitate opprimor: quam ob rem ad orationem patheticam statim confugit. [17] mea videlicet, id est, desine me ignominia afficere misertus mei. [18] nimirum capût meum, cujus meminit præcedente ver. est autem hic precationis αἴτιον, duobus versibus. [19] i. insectaris plagis: humanitùs dictū. [c] *Heb. reverteris, & mirificum.* [20] i. subinde mirificos dolores mihi affers. [21] i. plagas, testes indignationis tuæ, ut infrà 26.8. [22] i. velut copiæ aliæ aliis succedentes oppugnant me ἐν διαδοχῇ. [23] Contentio fervens adversus Deum, ἐκ τοῦ πάθους, ex infirmitate carnis proficiscens: vide sup. 3.10. & seq. [24] Conclusio a voto & ardente gemitu, repressa superiore contentione adversus Deum, quasi victoris ex ea erigentis se ad Deum. [25] renovare dolores & castrametari contra me? videtur autem Ijob ex his verbis novos eo momento aculeos & tela dolorum persensisse, quibus ad Deum excitaretur.

recreem me paulisper?
21 Quum [26] nondum abivero unde [27] non
sum rediturus; [28] in terram tenebrosam & [29] um-
bræ lethalis;
22 Terram obscurissimam, similem cali-
gini, umbræ lethalis, & [30] expertem vicissitu-
dinum; [31] quum *maximè* splendet, similem ca-
ligini.

[26] i. mortuus fuero: periphrasis. [27] vide sup. 7. 9. & 10. [28] descriptio sepulcri periphrastica. [29] id est, umbrosissimam. [30] in temporibus videlicet: est enim perpetua nox ibi. [31] i. quæ quantumvis sole lucente perlustretur terra, semper opaca permanet.

CAPUT XI.

Tzophar sermonem Ijobi a comparatione majestatis divinæ refellens, docet unicam salutis viam esse fidem & resipiscentiam; ad quam Ijobum hortatur.

CUi respondens Tzophar Nahamathites, [1] di-
xit:
2 [2] An multitudini verborum non responde-
retur? aut an [a] vir loquax justus haberetur?
3 [3] Ad mendacia tua homines silerent? [4] &
te subsannantem nemo pudore suffunderet?
4 [5] Dixisti enim, [6] pura est disciplina mea; &
[7] mundus sum ante oculos tuos.
5 [8] At certè, ô si quis daret Deum loqui; ô si
aperiret labia sua adversus te:
6 Et indicaret tibi [b] mysteria occulta sapien-
tiæ [9] duplo majora esse iis quæ exsistunt: ag-
nosce saltem exigere abs te Deum *aliquid* de ini-
quitate tua.
7 [10] An profunditatem *sapientiæ* Dei inveni-
as? aut ad perfectionem *sapientiam* omnipotentis
invenias?
8 *Altior est* [c] altissimis cælis, quid agas? pro-
fundior [11] sepulcro *imo*, quid cognoscas?
9 Longior terrâ mensura ejus: & latior mari.
10 [12] Si transmeabit ut [13] dedat, sive ut [14] con-
greget; quis verò avertet eum?
11 [15] Nam ipse novit [16] homines vanos, & vi-
dens nequitiam, an non [17] consideraret?
12 [18] Ut vir [19] vacuus fiat cordatus; [20] & pul-
lus onagri [21] [d] efficiatur homo?
13 [22] Si tu [23] comparans animum tuum; ex-
pansurus es ad eum manus tuas:
14 Si nequitia est in manu tua, procul amove
eam; & ne sinito habitare in tentoriis tuis iniqui-
tatem.
15 Tunc enim [24] extuleris faciem tuam e vi-
tio: [25] erisq; validus, & non timebis.
16 Nam tu molestiæ oblivisceris: sicut aquarũ

[1] Hujus orationis summæ partes sunt, Exordium, vers. 2. & 3: ἀνασκευὴ sive confutatio sermonis quem habuerat Ijob, a 4. ver. usque ad 13: Κατασκευὴ sive confirmatio promissionũ Dei in resipiscentem, usque ad 18. vers. Et Conclusio, inde usque ad finem 3. versibus. [2] Exordium a necessitate, in quam sibi adduci videbatur Tzophar ut sermones Ijobi refelleret. Ejus necessitatis loci sunt quatuor amplificati contentione vehementissima, hoc & sequente versu: Primus ἐκ τοῦ αἰσχροῦ, ab inhonesto; Si tibi inhonestũ est tot verba effutire, nobis adhuc inhonestius foret ea dissimulare: & Secundus, ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ab inutili; Loquacitas non efficiet justum. [a] *Heb. vir labiorum.*

[3] Tertius locus, ab injusto: Injustum est mendaciis assentari. [4] Quartus ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impossibili: non possunt pii non obsistere blasphemantibus. [5] Ἀνασκευῆς sive confutationis ὑπόθεσις, propositio argumenti quod statuit confutare. [6] i. ego ex puro corde, conscientia bona & fide non simulata versatus sum in utenda doctrina Dei, sup. 6. 10. [7] vitæ ratione, sup. 10. 7. [8] summum & unicum argumentum confutationis a testimonio Dei, quod Ijobo δι' εὐχῆς, precationis modo objicit, uelut obfirmatè omnibus hominum documentis resistenti. [b] *Heb. occultationes sapientiæ.* [9] i. te multo graviores pœnas tuis peccatis meritũ esse, quàm sunt hæ quibus affligeris, si Deus tecum summo Jure agere vellet; ut Hezræ. 9. 13. Atq; hæc summa propositio est totius orationis istius: occulta Dei sapientia duplo major est quàm exsistens atq; revelata: Est autem revelata sapientia quæ exigit abs te iniquitatem tuam: quid ergo te futurum esset misero, si experiretur pro occulta sapientia sua? agnosce saltem, &c. [10] Ἐργασία superioris propositionis de occultissima sapientia Dei, quam metaphoricè cum rerũ corporearum exemplis comparat, omnibus humanis dimẽsionibus eam superiorem esse confirmans, hoc V. & duobus seq. [c] *Heb. altitudinibus: hypallage.* [11] i. omnibus inferis. [12] i. si operibus exseret se, ut sup. 9. 11. [13] abjiciens a se. [14] recipiens ad se. [15] Ἐργασία alterius membri in propositione adducti, de peccato hominis & cognitione ejus. [16] ut esse præsumeris ex verbis tuis, & ex pœnæ quam sustines gravitate. [17] ad judicandum & ad puniendum. [18] Usus animadversionum Dei, quo comparatur transitio ad κατασκευήν. [19] corde & intelligentia. [20] i. etiam brutissimus inde ab ortu suo. [21] per regenerationem, cujus administræ sunt visitationes Dei. hoc enim denotatur Hebræo verbo. [d] *Heb. generetur.* [22] Κατασκευὴ sive confirmatio hypothetica promissionũ Dei, qualem alii amici adhibuerunt sup. 5. 17. & 8. 5 & 20. [23] i. si ex animo resipisces. [24] i. te erexeris, & in vitio non ampliùs jacebis: sic perstringit Ijobum quasi in peccato jacentem. [25] quod antè planè imparatus jactabas, sup. 9. 35.

quæ [26] præterierunt recordaberis:
17 Et [27] supra meridiem exsurget tempus,
[28] [e] evolabis, similis matutino eris.
18 [29] Confides igitur, dum est spes: si [30] [f] per-
scrutatus fueris, securè cubabis:
19 Et recubantem nemo exterrebit: imò pre-
cabuntur faciem tuam multi.
20 [31] Oculi verò improborum deficient; per-
fugiumq; peribit ab eis, & [32] spes eorum exspira-
tione animæ.

[26] videlicet non reversuræ. [27] i. illustrissima gloria circumfulgebis. [28] i. quasi uno momento ex ærumnis istis emerges atque evehêris. [e] *vel splendebis.* [29] Conclusio exhortatoria ad fidem & resipiscentiam tempestivam, partim a promissionibus Dei adjunctis, partim a metu judiciorum ejus: quem aculeum adhibet ad fodicandum Ijobum: ut suprà 8. 20. [30] id est, vias tuas exploraveris, & resipiscente animo a te abjeceris: sic Lamentationum 3. 40. [f] *Heb. perfoderis: metaphora.* [31] i. improbi sua spe frustrati vitam in lacrymis & ejulatu consument. [32] i. misera morte de rebus speratis decident.

CAPUT XII.

Ijob confutatis amarulenter ab experientia & communi rerum creatarum testificatione argumentis Tzopharis, & reliquorum mendacibus sermonibus repudiatis, omnes injuriæ in Deum arguit. Posteà redintegrans constitutionem causæ suæ; expostulat cum Deo de illatis calamitatibus, easq; argumentis aliquot deprecatur.

REspondens verò Ijob, [1] dixit.
2 [2] Scilicet vos esse [3] populum; & [4] vo-
biscum morituram sapientiam.
3 [5] Etiam mihi est animus ut vobis; [6] non
[g] inferior sum vobis: [7] & apud quem non *sunt*
hujusmodi?
4 [8] Ut *qui* derisui *est* amico suo sum, [9] quem
clamantem ad *se* exaudit Deus: [10] derisui *est* ju-
stus, integer.
5 [11] Tæda contemta *est* ad cogitationem
tranquilli, is qui constitutus est in [12] nutationi-
bus pedis.
6 Tranquilla sunt tentoria [13] vastatoribus,
& securitates provocantibus iram *Dei* fortis, cui-
cunq; efficit Deus ut eveniat *optatum* ad manũ.
7 [14] Enimverò interroga, quæso, jumenta, &
docebit te *illorum quodque*; aut volucrem cæli, &
indicabit tibi:
8 Aut confabulare cum terra, & docebit te:
etiam enarrabunt tibi pisces maris.
9 [15] Quis non cognovit ex omnibus istis,
manum Jehovæ facere illud?
10 In cujus manu *est* anima omnis viventis,
& spiritus totius carnis humanæ.
11 [16] An non auris verba probabit, ut palatum

[1] Hujus responsionis Ijobi summæ partes sunt duæ: ἀνασκευὴ sive cõfutatio partim singularis sermonum Tzopharis, partim universalis amicorum omniũ usque ad 17. ver. cap. 13. Et nova ὑπόθεσις, hoc est, propositio sive constitutio causæ suæ coram Deo, usque ad finem. [2] Exordium ironicum: primus locus ἀνασκευῆς, a reprehensione amarulenta eorum qui sermonẽ habuerant. [3] i. verè homines, quibuscum ego comparatus sum vir vacuus, & quasi pullus onagri, sup. 11. 12. [4] i. præter vos neminem esse sapientem: Sarcasmus. [5] amplificatio ironiæ superioris per comparationem sui. [6] i. non minùs habeo animi & intelligentiæ quàm vos: sic infrà 13. 2. [g] *Heb. non cado ego præ vobis: sic infr. 13. 2.* [7] altera amplificatio ironiæ. [8] secundus locus ἀνασκευῆς, ἐκ τοῦ αἰσχροῦ ab inhonesto; sed κατ' εὐφημισμὸν in tertia persona enunciatus, ut sup. 6. 14. tum ut minùs amicorum animi offendãtur, tum ut commodiùs ad thesin transeatur. [9] amicum, &c. i. cui in præsentia Deus benedicit, ut fruatur tranquillitate vitæ; ac proinde quem indignius est de misero amico malè judicare, maximè qui justitiam & intergritatem suam asserit. sic accipi flagitant sequentia. [10] Transitio ad thesin. [11] Tertius locus ἀνασκευῆς, Thesis sive propositio contraria exadverso illi quam posuerat Tzophar, sup. 11. 13. & seq. Tu (inquit) dicis fore ut probus securè in hac vita degat, & gloriosa prosperitatis luce meridiem superet: ego verò contrà ab exemplo meo confirmo, primùm virum integrum ad multas mutationes & casus tota hac vita comparatum esse: deinde ad opinionem eorum qui tranquillè vivunt quasi absumtã tædam abjectũ esse, nedum ut luceat velut sol: contrà verò multa improbis ex animo succedere, utcunq; statueris, sup. 11. 20. [12] i. calamitatibus, quæ parũ abest quin ipsum hominem prosternant: elegans metaphora, ut Psal. 18. 37. [13] i. improbis, qui non tantùm contra secundã legis tabulam, sed etiam contra primã veniunt. [14] Tertius ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀτόπου, ab absurdo: nam ostendit Ijob absurdum esse ut istam administrationem Dei negent illi quam ipsi ob oculos vident & omnes res creatæ quantũvis ratione & anima destitutæ confirmant. [15] i. quis non discat ex istorũ singulorum documentis? ἐργασία superioris propositionis de calamitatibus bonorũ, & secundis rebus improborum. [16] Pathetica reprehensio, quam de industria inseruit Ijob in medium hunc locum de administratione Dei, ut amicos graviùs perstringeret: quasi dicat, vos hactenus rebus a Deo creatis usi estis, & sensibus vestris discrevistis ea quæ vobis sapiebant, placebant ad visum, &c. sed cùm omnia ista totidem sint documenta mirificæ ipsius administrationis Dei: an non tandem aliquando aurem & animum advertentes meliùs judicabitis de administratione Dei? an semper cæci, surdi, fatui, & stupidi futuri estis in percipiendis omnium rerum documentis, & sermonibus meis?

cibi gustum assumit sibi?
12 [17] In decrepitis erit sapientia?& *in* longitu-
dine dierum intelligentia?
13 [18] Penes illum *est* sapientia & fortitudo: il-
lius *est* consilium & intelligentia.
14 [19] En *ita* [20] destruit ut non ædificetur: [21] oc-
cludit viro *ita* ut non aperiatur.
15 Et ita [22] cohibet aquas ut arescant: aut i-
ta emittit eas ut subvertant terram.
16 Apud illum *est* robur & [23] substantia: ejus
est [24] errans & in errorem inducens.
17 Qui facit ut [25] consulti deveniant *in* de-
mentiam, & judices stultos reddit:
18 [26] Vinculum regum dissolvit; & cingulum
alligat lumbis eorum;
19 Qui facit ut [27] præsides deveniant *in* de-
mentiam; & valentissimos pervertit:
20 Qui [28] amovet [b] sermonem eloquentibus;
& judicium senum recipit:
21 Qui effundit contemtum super ingenuos;
& zona validos destituit:
22 Qui [29] revelat profunda e tenebris;& edu-
cit in lucem [30] umbram lethalem:
23 Qui [31] auget gentes & perdit eas; qui
[32] expandit gentes & abducit eas:
24 Qui [33] amovet animum primoribus popu-
li terræ;& facit ut aberrēt in loco inanitatis avio,
25 Palpantes in tenebris, [c] deficiente luce;
quum facit ut [34] errent sicut *errat* ebrius.

[17] Exaggeratio superioris argumenti ab ætate amicorum Ijobi ut qui jam provectiores debuerant experientia longiore ista didicisse. Jam verò se ostendit reipsa comperire penes Deum unum esse, & ab illo solo percipi sapientiam, ver. seq. [18] regressio ad ἐργασίας quæ fuerat intermissa a versu 11. in qua administrationem Dei confirmat primùm a natura ejus, deinde ab effectis, qualia inter homines quotidiè observantur. Penes illum, inquit, i. ejus sunt,& in ejus administratione hæc insunt omnia: sic naturam administrationis explicat hoc versu. [19] i. ineluctabilis est administratio ejus, cujus exponuntur effecta usque ad finem capitis per anthesin membrorum. [20] ut Sedomum,&c.Gen.19. [21] id est,protegit quasi objecta structura, & obserata porta,ut Lotum.Ibidem. [22] ut Gen.7.& 8. [23] id est,exsistētia(ut vocant)rerum omnium. [24] sive corpore,ut Psal.107.4.& 40: sive animo, ut Gen.3.de serpente,Adamo & Chavva. [25] sicut Exodi 1.& sequentibus capitibus. [26] ut Gen.14. [27] ut suprà ver.17. [28] ut in historia Schecemitarum, Gen.34. [b] *Heb.labium.* [29] ut in historia Josephi, Gen. 37. & 41. [30] i.rem abstrusissimam. [31] ut ante diluvium, Gen.5.& 6. [32] ut Gen.10.& 11. [33] Exodi 8.& 14. [c] *Heb,non luce.* [34] Gen.19.11.& 2. Reg.6.18.

CAPUT XIII.

EN [1] omnia vidit oculus meus; audivit auris
mea,& percepit sibi.
2 Utique quod scitis,scio ego quoque: non
sum inferior vobis.
3 [2] Profectò ego pro omnipotente loquar;
& disceptare pro Deo forti volo.
4 [3] Etenim vos concinnatores mendacii;
medici nihili omnes estis.
5 [4] O *si* quis daret ut [a] omnino sileretis: nam
esset vobis pro sapientia:
6 Audite jam disceptationem meam: & ad
contentiones labiorum meorum attendite.
7 [5] An pro Deo forti loqui debetis iniqui-
tatem? aut pro eo loqui debetis fraudem?
8 [6] An personam ejus accipere debetis;quum
pro Deo forti contenditis?
9 [7] An bonum *futurum est* quum [8] pervesti-
gabit vos, si ut illuditur mortali, [9] illuseritis
ei?
10 [b] Omninò reprehendet vos; [10] *etiam* si
clàm personam accipiatis.
11 [11] An non excellentia ejus perturbat vos,
& pavor ejus irruit in vos?
12 [12] Memoriæ vestri *sunt* [c] similes cineri;
[d] tumulis luti altiora vestra.
13 [13] Silentes desistite a me,ut eloquar ego:&
[14] obveniat mihi quidvis.
14 [15] Quam ob rem [16] auferrem carnem me-
am dentibus meis,& [17] animam meam ponerem
in manibus meis?
15 [18] Si enecaret me, non sperarem? verum-
tamen vias meas ante faciem ejus probo.
16 [19] Etiam ipse mihi *erit* saluti: quamvis in
conspectum ejus [20] hypocrita non veniat.
17 [21] Audite [e] indesinenter sermonem me-
um, & enunciationem meam auribus vestris.
18 [22] Ecce jam dispono judicium, scio me
[23] fore justum.
19 [24] Quis *est* qui contendat mecum? [25] Si
nunc silerem,exspirarem.
20 [26] Tantummodò duo ne facias contra me;
tunc a facie tua non abscondam me.
21 [27] Manum tuam procul amove a me: &
terror tuus ne perturbet me.
22 Deinde inclama, ut ego respondeam: aut
eloquar,ut reddas responsum mihi:
23 [28] Quot mihi iniquitates & peccata *sint*;
defectionem meam & peccatum meum notum
fac mihi:
24 Quare faciem tuam abscondas,& [29] repu-
tes me inimicum tibi.
25 [30] An folium impulsum exagitares? aut
stipulam aridam persequereris?
26 Quòd [31] rescribis contra me amaritudi-
nes, & efficis ut possideam hæreditario jure

[1] confirmatio superiorum; qua docet Ijob se ista omnia partim experientia cognovisse, partim fide habere exploratissima: quam ob rem nos in superioribus exempla omnia ex priscis illis temporibus adduximus. [2] altera pars ἀνασκευῆς, confutatio universalis sermonum quos amici in Ijobum ad defendendam dei justitiam habuerant, cujus propositio hoc versu est ejusmodi: vos me existimatis litigare adversus Deum, & illi, (ut vobis quidem videtur) patrocinamini, sed ego contra translationem criminis institui in vos, quia vos ii estis qui Deum patrocinio vestro offenditis, & gravem ei injuriam facitis, quasi mendaciis caussa ipsius defendenda esset. [3] ἀντιλογία instituti istius ἀντεγκλήματος a duabus caussis; una, quòd Deo nihil prosunt mentiendo; altera, quòd ne Ijobo quidem prosunt ineptis pharmacis & medicamentis adhibitis. [4] audientiam facit primum κατ᾽ εὐχὴν: deinde ab inhonesto, quia stultus qui tacet, sapiens reputabitur, Prove.17.28.postremò ab utili, quia increpationem suam sperat utilem eis & salutarem fore. [a] *Heb.silendo sileretis.* [5] Propositio increpationis: Pro Deo loqui sanctum est; sed iniquitatem loqui impium. Iniquitatem verò vocat Ijob, quod ordinariam illam administrationem Dei, quam asseruit superiore capite, singuli pernegaverant, Eliphaz suprà 5. 3. & sequentibus: Bildad suprà 8. 11. & sequentibus: & Tzophar suprà 11.13.& 20. [6] id est, an ita respectu personæ Dei abripimini, ut nullam habeatis rationem mei? quod ne quidem cum ipsius Dei justitia est consentaneum: sic infrà 10.V. hactenus argumenta ab injusto.

[7] argumentum ab inutili; quo ostendit primùm hanc rationem ipsis fore inutilem, hoc versu: deinde verò perniciosam justo judicio Dei, tribus versibus sequentibus. [8] i, recognoscet & expendet patrocinium vestrum. [9] id est, mendaciis, cavillis, & tergiversationibus caussam illius egeritis, quæ ad decipiendos homines & turpes causas velandas adhiberi solet. [b] *Heb.reprehendendo reprehendet.* [10] id est, quantumvis obscuræ sint rationes vestræ, & hominum notitiam fugiant: tamen pater ille cælestis videt in secreto, & suo tempore reposciturus est. [11] alter locus ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, q. d. nónne majestas Dei præsens vos percellit & deterret a me condemnando, ut etiam facit metus venturi illius judicii? superiore versu: gradatio. [12] i. quicquid in vobis est maximè memorabile, & altum si cum Deo comparabitur, & reipsa, nihil est: confirmatio proximi argumenti ex comparatione conditionis nostræ cum excellentia Dei. [c] *Heb. similitudines.* [d] *Heb.altitudines luti.* [13] Conclusio ἀνασκευῆς, conjuncta transitione ad novam ἔκθεσιν. [14] id est, sinite me meo periculo loqui. [15] Occupatio: qua docet Ijob non esse cur de ipso metuant quasi desperante, ac præ desperatione adversus Deum contendente in suam ipsius perniciem. [16] id est, me ipsum in desperationem abiens consumerem? [17] id est, vitæ & animi mei omnem curam abjicerem? vide simile 1.Schem.19.5. [18] Amplificatio occupationis a circumstantia mortis, quasi dicat, tantum abest ut omnem vitæ ac salutis meæ rationem abjecerim, ut potiùs in mortis angustiis fidem in Deum habiturus, rationem vitæ meæ apud eum depositurus,& salutem ab eo constantissimè exspectaturus sim, vero, simplice & integro animo. [19] nempè quia probat vias meas, ut mihi sum conscius. Sic ab illorum argumento sup. 4.6. & alibi, confirmat sermonem suum Ijob sæpè. [20] qualem me cogitatis esse, & nominatim vocavit Bildad suprà 8. 13. [21] Exordium ἐκθέσεως. [e] *Heb.audiendo.* [22] primum argumentum exordii, a bona fide & conscientia sua, quam statuit explicare coram Deo. [23] id est, justum habitum iri coram Deo. [24] quasi dicat, cùm Deus me justificet, quis intentabit crimina adversus me? sic Rom. 8. 33. [25] secundum argumentum a necessitate. quasi dicat, rumperer, si hic æstus apud me continendus esset, & non daretur liber expostulandi locus. [26] altera pars Exordii sermone converso ad Deum, qua postulat Ijob ut ad æquam & legitimam disceptationem caussæ attendat Deus: idq; duobus modis, unus, ut cesset ab infligendis plagis & inhibeat eas, ver.21: alter, ut sibi ipsi det securitatem a plagis, & ipsius animum confirmet, quo audeat expostulare cum Deo, ver.22. ut suprà 9.34. [27] id est, plagas: metonymia. [28] Propositio summa, ac velut status totius caussæ his duobus versibus, quia Ijob assumta actoris persona cum Deo expostulans, se tam benè sibi conscium esse ostendit, ut non possit statuere cum animo suo se propter peccata sua tam graviter flagellari: ac proindè si quid ejusmodi est (cujus se nescium profitetur) exponi sibi a Deo postulat. Dicit enim, Quot, id est, quid & quantum peccaverim, fac ut sciam. [29] id est, mecum, ut cum inimico, agas rigidissimè. [30] primus locus contentionis veluti forensis, ad misericordiam adducens Deum ab indigno, per comparationem majestatis divinæ cum tenuitate sua: nam Ijob se cum folio depulso & quisquiliis arentibus comparat: judicium verò Dei gravissimis & vehementissimus figuris explicat, duobus versibus sequentibus. quasi dicat, indignum est majestate tua ut misellum homuncionem & abjectissimum tot & tantis calamitatibus obruas. [31] id est, judiciali rescripto tuo in me decernis plagas tam amaras atque difficiles: humanitùs dictum ex forensi usu.

32 iniquitates pueritiæ meæ.

27 Ac 33 ponis in compede pedes meos, & 34 observans omnes semitas meas, 35 super radices pedum meorum imprimeris?

32 id est, pœnas inde a pueritia mea iniquitate meritas. 33 id est, me coërces istis malis, quasi sontem compedibus vinctum. 34 id est, singulis his malis circumcludens me, quasi armatis custodibus, ut suprà 10. 17. 35 id est, vestigia iræ tuæ usque ad extremos pedis articulos pertingunt, ut quum pes sontis totus uritur gravitate compedum, radices autem pedum vocat ipsos pedes, qui in digitos quasi radicis partes diffunduntur.

CAPUT XIIII.

1 NAtus 2 iste velut putredo veterascit, ut vestis quam edit tinea,

CAPUT XIIII.

2 Homo natus muliere, brevis a ætate, & satur commotione.

3 Ut flos simulac egressus est, succiditur; & fugit velut umbra, neque consistit:

4 Etiam contra 3 istum 4 aperias oculum tuum? & me adducas in judicium tecum?

5 5 Quis edat mundum ex immundo? ne unus *quidem*.

6 6 Quandoquidem præcisi sunt dies ejus, numerus mensium ejus penes te *est*: determinationes ejus fecisti, quas non transgrediatur:

7 7 Respice *aliorsum* ab eo, donec desistat: usque dum 8 exsolverit, ut mercenarius, b diurnum suum.

8 9 Nam est de arbore spes, si exscindatur, adhuc repullulaturam; & tenerum ramum ejus non destiturum.

9 Quum valdè senuerit in terra radix ejus, & in pulvere jam moriturus est pes ejus *succisa*;

10 10 Ex odore aquarum regerminat: & agit ramum 11 velut planta.

11 At vir moritur debilitate fractus: quumq; exspiravit homo ubinam est?

12 12 Abeuntibus aquis e lacu, ut flumen exsiccatum exarescit:

13 Ita vir quum occubuit, non resurgit 13 usquedum non *erunt* cæli: non excitabuntur *viri*, neque expergiscentur a somno suo.

14 14 Utinam in sepulcro 15 occultares me, absconderes me donec aversa esset ira tua; disponeres mihi 16 determinationem, recordatus mei.

15 Quum moritur vir, an 17 revicturus est? omnibus diebus præfiniti temporis mei 18 sperarem, donec rediret immutatio mei:

16 19 Revocares, & ego responderem tibi: opus manuum tuarum expeteres.

1 ἐργασία est primi cōtentionum loci, quem versu 15. summatim proposuit Ijob: primùm καθόλου, a conditione hominum universè; deinde κατ' ἰδίαν, a conditione ipsius singulari. 2 homo natus muliere, ℣. 2. cum folio & stipula comparatus. a Heb. diebus. 3 hominem, ac nominatim me qui sum ista conditione, & ex ipsorum numero: sic transitio fit a thesi ad hypothesin. 4 i. nominatim respicis, & quæstionem habes? 5 secundus locus contentionis ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impossibili. quasi dicat, si mecum peccatorum & immunditiæ nomine experiris, nosti neque me, neq; alium mortalium quempiam suis viribus ab immunditia liberari posse; ac proinde aut judicium tuum gravissimum illis subeundum esse, aut adhibendam misericordiam tuam, quam tu ipse misertus infirmæ carnis promisisti, Gen. 8. 21. 6 tertius locus captandæ misericordiæ ἐκ τοῦ πρέποντος, ab eo quod magis Deum misericordem decet. quasi dicat, convenientius futurum est majestati tuæ ut præsente morte contentus sis, quam ut toto vitæ curriculo me miserum hominem rigidissimè & præter ordinem exagites. 7 vide sup. 7. 19. 8 i. transegerit vitam. b Heb. diem suum. 9 αἰτιολογία superioris loci ἐκ παραβολῆς, a comparatione contrarii, qua Dei misericordiam captat hoc modo: si homo tanta facultate præditus esset quantam habet arbor, quæ sine graviore periculo putatur & ad radicem usq; cæditur, deinde facili negotio repullulat; existimarem leniùs calamitates mihi perferendas esse: jam verò cùm neque ligneus sit homo, neque tam vividus ut semel occisus sponte repullulet, respice aliorsum a me, &c. 10 id est, vel tantillo humore: metaphora. 11 id est, ac si novella planta, aut viviradix esset. 12 amplificatio ab altera similitudine aquarum pereuntium e lacu, id est, alveo sive conceptaculo suo: quam similitudinem aut a cognito atque exemplo, aut hypotheticè proposuit; cujusmodi exemplum memorabile est apud Dionem Nicæum in Augusto & Trajano. 13 i. nunquam in vitam hanc revertetur. 14 quartus locus contentionis, optatum hypotheticum sive conditionale, si homo hanc vitam recepturus esset, ut versus sequens ostendit. 15 ut radix arboris absconditur terra, ubi ab externis injuriis tuta est. 16 i. tempus quo vitam reciperem. 17 hac præsente vita. 18 de hac vita a calamitatibus immuni recipienda, ut pes arboris repullulans, si res ita se haberet. 19 in vitam hanc, & me redivivus sisterem.

17 An 20 nunc 21 gressus meos numeras; *ac me* non 22 servas, propter peccatum meum?

18 *Et* obsignata *ut* in fasciculo defectione mea, 23 consuis *eum* ob iniquitatem meam?

19 Enimverò mons ruens decideret: & rupes refigeretur e loco suo:

20 24 Lapides exterunt aquæ: c inundatione abripis *e* pulvere terræ sponte nascentia ejus: ita spem mortalis perdis.

21 Prævales ei in æternum, ita ut abeat; & mutans vultum ejus dimittis eum.

22 25 Si augeantur filii sui, ignorat: sin diminuantur, non animadvertit ad eos.

23 Tantùmmodò caro ejus dolore in 26 ipso afficitur, & animus ejus de ipso luget.

20 Conclusio pathetica ex comparatione severitatis judiciorum Dei, hoc & sequente versu, cum infirmitate omnium rerum creatarum, ver. 20. & 21. nominatim verò hominis, usque ad finem. 21 i. singula facta mea recenses, & ad amussim metiris. 22 i. perdis. μείωσις. 23 i. si tamquam fasciculum consarcines confusasq;, & universam peccatorum meorum recordationem accumules, quis mons? quæ rupes? quæ virtus rei creatæ ferat? 24 i. continuis plagis, quantumvis in speciem mollibus, edomas res durissimas, & res altissimè radicatas aufers. c Heb. *inundas*. 25 i. morte allata, sensum omnem illis & notitiam rerum præsentium etiam charissimarum adimis. 26 i. dum vivit, & caro ejus semper doloribus infesta est, & animo semper aliquid mœroris hæret: adeò hæc vita abundat & circumfluit malis.

CAPUT XV.

Eliphaz altera hac oratione Ijobum insipientiæ & proterviæ in Deum nomine objurgans, revocat ad agnitionem peccati sui per comparationem justitiæ Dei: deinde justitiam Dei commendans a manifesto exitio impiorum in hac vita, Ijobum ab ista fiducia sua dehortatur.

CUi respondens Eliphaz Themanites, 1 dixit:

2 2 An sapiens responderet scientiam a 3 ventosam? aut 4 impleret Euro ventrem suum,

3 Disceptando verbo *quod* non prodest; & sermonibus quibus non proficit?

4 5 Etiam tu irritam facis reverentiam; & detrahis confabulationem b cum *Deo* forti.

5 6 Nam docet iniquitatem tuam os tuum; 7 cùm eligas *adhibere* linguam astutorum.

6 Condemnat te os tuum, non autem ego; & labia tua testantur contra te.

7 8 An primus hominum genitus es? aut ante colles formatus es?

8 An arcanum Dei c intelligis? & 9 contrahis ad te sapientiam?

9 Quid nosti quod nesciamus? *quid* intelligis quod non *sit* apud nos?

10 Et canus, & decrepitus *est* inter nos; grandior quàm pater tuus d ætate.

11 10 An parvæ *sunt* præ te consolationes *Dei* fortis? aut aliquid 11 obvolvit *eas* apud te?

12 Quid e abripit tibi animum tuum? aut

1 Hujus responsionis summæ partes sunt duæ: ἀνασκευὴ sive confutatio sermonum Ijobi, usque ad ℣. 17. & κατασκευὴ sive confirmatio earumdem reprehensionum, quas ipse & alii Ijobo enunciaverant, inde usque ad finem capitis. 2 Exordium sive primus confutationis locus ἐκ τῆς τοῦ ἐναντίου διαβολῆς, a criminatione Ijobi; quem locum bifariàm tractat, per communem locum, ℣. 2. & 3. & per singularem hypothesin accommodationémque ad Ijobum, tribus sequentibus. a Heb. *venti*. 3 id est, evanidam ut ventus, quæ nihil habet præter verba in ventos fugientia. 4 id est, intùs in animo vanas, procellosas, ac fluctuantes cogitationes admitteret. 5 id est, nunc demum video te planè desipere, omni reverentia & invocatione Dei abjecta. ita liberè criminatur, quod priùs hypotheticè proposuerat, suprà 4. 6. b Heb. *coram Deo*. 6 ætiologia superioris criminationis. quasi dicat, nos non damnamus te; sed tu ipse: ut sequente versu. 7 id est, sciens & prudens cavilleris, ut solent astuti. 8 secundus confutationis locus ἐκ συγκρίσεως, id est, a contentione sive comparatione personarum colloquentium. quasi dicat, neque antiquitas, neque peritia, neque auctoritas in te sunt tantæ, ut nos ulla ratione superare possis; quod deinde amplificatur ἐξ ἀντιθέτου, id est, contraria assertione, ℣. 10. Imò verò, inquit, nos tibi ætate, peritia & auctoritate præimus. c Heb. *in arcano Dei audis: sic Deut. 28. 49.* 9 id est, omnibus aliis ademtam tibi soli vindicas eam. d Heb. *diebus*. 10 Tertius confutationis locus ἐκ τοῦ ἀκολούθου, a consequentibus, quo ita argumentatur: cùm nos non vulgares aliquas consolationes, sed divinas tibi proposuerimus, cujusmodi vir bonus non potest abjicere: omnino necesse est ut tu aut ex præfidentia tui labores, divinas consolationes fastidiente; aut aliquo præjudicato alióve studio abreptus sis; quid abripit tibi, &c. 11 i. ita perstringit oculos animi tui, ut illas non percipias, quasi res involucris tectas. e Heb. *capit te cordo tuo*.

[12] quid collimant oculi tui?

13 Quòd convertis contra Deum fortem [13] spiritum tuum, quum depromis ex ore tuo sermones?

14 [14] Quid *est* mortalis ut mundus sit? & ut justus sit, *quid* natus muliere?

15 En, sanctis suis non crediturus esset firmitatem: & [f] cælites non sunt mundi in oculis ejus:

16 Quanto magis abominabilis & fœtidus; vir [15] imbibens ut aquam iniquitatem?

17 [16] Indicabo tibi, audi me: nam id vidi quod enarrabo,

18 Quod sapientes nunciant; & non celant *acceptum* a majoribus suis:

19 [17] Quibus solis tradita fuit terra; ac non transibat alienum *quicquam* per medium eorum.

20 [18] Omnibus diebus improbi, [19] ipse doloribus se conficit: & [g] [20] pauci anni [21] reconditi sunt violento.

21 [22] Sonus pavorum *est* in auribus ejus; [23] in ipsa pace vastatorem invasurum eum.

22 [24] Non credit se rediturum e [25] tenebris, [26] sed explorari se *ut exponatur* gladio.

23 [27] Vagatur propter cibum, *dicens*, ubínam *inveniam?* scit paratum, ad manum ei esse diem tenebrarum.

24 Perturbant eum oppressio & angustia: [28] prævalet ei, ut rex paratus cum pilata acie.

25 Quia intendit adversus *Deum* fortem manum suam: & contra omnipotentem [29] se exhibuit virum;

26 [30] Incurret ei in collum; [31] in [h] torosum *opus*, crepidines scutorum ejus.

27 Quia operuit vultum suum adipe suo; & [32] effecit strigas ad ilia:

28 [33] Et inhabitavit civitates excisas, domos quæ non inhabitabantur; quæ [34] comparaturæ fuissent se in acervos:

29 Non ditescet, neque stabunt opes ejus: [35] neque extendet se in terra perfectio istorum:

30 [36] Non recedet a tenebris, tenerum ramum ejus arefaciet flamma: denique recedet [37] spiritu oris illius.

31 [38] Ne credat vanitati qui seducitur: nam vanitas futura est [i] compensatio ejus.

32 [k] Ante diem ejus [39] complebitur: [40] nam ramus ejus non virescet.

33 Violenter [41] auferet *Deus* omphacem ejus ut vitis; & abjiciet sicut oleæ [42] florem ejus.

34 [43] Nam congregatio hypocritarum erit solitaria; & ignis absumet tentoria [l] *corruptorum* munere:

35 [44] Concipiendo molestiam ac pariendo laborem, dum venter eorum comparat dolum.

[12] id est, quid spectas? quo studio transversus raperis? metaphora a jaculatoribus sumta.
[13] id est, animum indignatione accensum.
[14] postremus cōfutationis locus, a comparatione naturæ humanæ cum divina, qua idem Eliphaz usus fuerat suprà 4. 17. & sequentibus.
[f] *Heb. cæli: metonymia.*
[15] id est, cui tam ordinarium est & familiare peccatum, quam cibus & potus.
[16] κατασκευῆς, id est, secundæ partis in reprehensione, exordium: quo audientiam facit Eliphaz duobus argumentis, a testimonio experientiæ; sua, & a communi sapientum, priscorum, potentiorum, justorumque; hominum consensione.
[17] id est, qui ea auctoritate & potentia qua fuerunt præditi, inprimis usi sunt ad jus, bonum & æquum tuendum, & ad injustum quidvis & alienum a suo officio propulsandum.
[18] Propositio, qua conatur Eliphaz quod dixerat suprà 5. 3. probare, Improbum, utcunque prima specie efferri videatur, tamen tum assiduis suæ conscientiæ stimulis excitari, vexari, & consternari; tum severissimis Dei judiciis flagellari & perdi in hac vita; quod Ijob singulis responsis suis diluerat. [19] id est, ejus conscientia ipsum. [g] *Hebr. numerus annorum.* [20] id est, facilè numerabiles. sic passim. [21] id est, dolores asservati justo judicio Dei, qui exponuntur infrà usque ad ℣. 31. & vitam ipsius minuunt vehementissimè. [22] id est, eum exagitat suus terror a sequentibus incommodis, prout interminatur Deus Levitici 26. 36. & Deut. 28. 65. [23] id est, omnibus diffidit. [24] id est, desperat, qui summus est diffidentiæ gradus. [25] id est, ex adversis. [26] Amplificatio prioris mali: Quasi dicat, ne iis quidem fidem habet, qui in ejus salutem intenti sunt: sed omneis statuit vitæ suæ insidias struere. [27] id est, terroribus conscientiæ ita divexatur, ut in maxima abundantia summè egeat, laboret de victu supra modum, & præsens exitium semper sibi adesse cogitet. [28] id est, ut potente, denso, & perpetuo exercitu contra se armato circumcluditur, & opprimitur terroribus conscientiæ suæ. Pilatam verò aciem, id est, confertam & pressam in orbem dicimus, ex auctoritate Varronis & Servii. [29] id est, arroganter Deum oppugnavit, ut Num. 15. 30. est autem hic altera pars propositionis de judiciis Dei adhibitis ad præsentem pœnam improborum. [30] humanitùs dictum. Id est, quasi jugulo aut corporis trunco prehendens, impetum faciet in eum. [31] id est, in præsidia firmissima quibus circummunitus erat: hæc autem cum scutis toroso opere confectis, & crepidines torosas habentibus comparantur. [h] *He. densitatem.* [32] i. ita obesavit corpus, ut pingue in cute plicaturas effecerit. descriptio summæ abundantiæ, ut Psal. 17. 9. & 73. 7. [33] id est, regionem labefactatam constituit & confirmavit ad munitionem suam: adeò potentia valuit. [34] id est, mox fuissent corruituræ: vide simile suprà 3. 13. [35] id est, non procedent illi ampliùs in suo statu, qui alioquin perfectus videbatur. [36] id est, semper latebit in terra; aut si efferetur, mox tenerum ramum &c. [37] i, verbo & mandato ex ore procedente: humanitùs dictum, ut Psal. 33.

[38] Conclusio ἐκ πλαγίου obliquè Ijobum perstringens in tertia persona, qua dehortatur eum a fiducia vana, argumento sumto ab infœlice hominum præfidentium exitu.
[i] *Heb. permutatio.*
[k] *Heb. non die ejus.*

[39] nimirum compensatio, id est, antequàm justum vitæ spatium decurrerit, in hac vita luet. [40] id est, neq; facultatibus, neque genere, neque gloria secundabitur: allegoria arboris, hoc & sequente versu. [41] id est, tollet posteros ejus violentia, ut sideratione acinos viti adimit. [42] id est, gloriam & exspectationem, ut quum oleæ flores decutit sideratio. [43] Apodosis sive interpretatio superioris allegoriæ, Ijobum obliquè perstringens, cui ista obvenerant. [l] *Hebr. muneris.* [44] id est, dum ipsorum animus in eo tantùm laborat, ut molestiam aliis afferat, aut eos circumveniat dolo: allegoria frequens puerperii.

CAPUT XVI.

Ijob increpatis gravissimè amicis, ostendit quàm indignè ab ipsis exagitetur, quàm graviter manu Dei prematur, & quantopere se ipse abjiciat: deinde confirmationem gravissima reprehensione redorsus, patronum & cognitorem a Deo sibi dari petit ad tuendam gloriam Dei & innocentiam suam coram omnibus. Postremò amicos ad resipiscentiam hortatus concludit sibi tantùm de morte cogitandum esse.

Respondens verò Ijob, [1] dixit:

2 [2] Audivi hujusmodi multa: [3] consolatores molesti omnes estis.

3 [4] An finis *est* verbis [a] ventosis? [5] aut quid exacerbat te, ut respondeas?

4 [6] Etiamne ego sicut vos eloquerer? si esset [7] anima vestra loco animæ meæ, accumularem contra vos verba? aut [8] moverem contra vos caput meum?

5 [9] Fortificarem vos ore meo: & motus labiorum meorum cohiberet *dolorem vestrum*.

6 [10] Si loquar, non cohibetur dolor meus: si desistam, quid a me abit?

7 Tantùm nunc [11] fatigat me: [12] desolasti *me* toto [13] cœtu meo.

8 Quòd rugas obduxisti mihi, pro [14] teste est: & exsurgens in me macies mea, in facie mea testatur.

9 [15] Ira sua rapit, quasi intestino odio prosequatur me, frendit contra me dentibus suis: *quasi* hostis meus, [b] aciem oculorum suorum vibrat in me.

10 [16] Distendunt contra me os suum, [17] probrosè percutiunt maxillas meas: unà contrà me congregantur.

[1] Hujus responsionis summæ partes sunt tres: Ανασκευὴ sive confutatio, a versu 2. usque ad ℣. 17. Κατασκευὴ sive confirmatio præcedentis suæ querimoniæ, usque ad versum 9. cap. 17. Et postremò epilogus.
[2] Confutationis exordium ἐκ τῆς τῶν φασκόντων διαβολῆς, a criminatione confabulantium, partim ex locis insitis, ℣. 2. & 3. partim ex assumto, ℣. 4. & sequentibus. Est autem hic primus ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ab inutili: ait enim inutiliter res sibi perspectas toties recantari. [3] secundus locus ab inhonesto, quòd molestiam & præter officium afferant. [4] id est, satisne dixisti? sic misero inhonestè nominatim compellat Eliphazum. [a] *Heb. venti.* [5] Tertius locus ab injusto, injustè hominem non lacessitum in calamitosum invehi. [6] assumtus locus per hypothesin, a comparatione personæ suæ, & officii quod amicis exhibiturus esset, si loco ipsius versarentur. [7] id est, si vos essetis loco meo. [8] id est, riderémne & ludificarer vos? ut 2. Reg. 19. 21. [9] ὑποφορά, subjectio sui officii quod præstiturus esset. [10] Secunda pars Ανασκευῆς, narratio flagellorum Dei & injuriæ quam ab amicis accipiebat Ijob: ut harum partium inter se comparatione amplificetur indignitas facti. Sensus est, semper, loquens & tacens doloribus excrucior, prout sequentia ostendunt usque ad versum 10. [11] dolor meus. [12] Apostrophe ad Deum. [13] i. familia, sup. 1. cap. & amicis. [14] quantopere fatiget me dolor. [15] metaphoricæ loquutiones de Deo humanitùs dictæ. [b] *Heb. oculos suos acuit in me.* [16] i. inflant buccas, & pleno ore debacchantur in me: alterum narrationis membrum, ut observatum est in ℣. 6. [17] id est, me palàm in os afficiunt inhumanissimis contumeliis.

[18] Amplificatio superioris querimoniæ a damnis antè acceptis Chaldæorum Sabæorumq; operâ, suprà cap. 1. & Dei ipsius manu, versu sequente: quorum utrumque exaggeratur ex circumstantia temporis: quòd tum maximè ex insperato accidit tanta calamitas, quum secundis rebus uteretur, quasi dicat, Ego cùm hostium quos non offenderam injuria, tum manus Dei violentia pressus, omnino diffluo; his duobus versibus: sed accedit jam ab amicis istis cumulus iste calamitatum, ut in me certatim velut in scopum jaculentur, adeoq; in virum Deo & hominibus exosum, quod hic allegoricè verbis castrensibus exponitur.

11 [18] Dedidit me Deus fortis [19] iniquo: & in manus improborum inclinavit [20] me.

12 Tranquillus eram & [21] disrupit me, & prehendens cervice mea dissipavit me; & erexit me sibi in scopum.

13 Circumstant adversum me [22] jaculatores ejus, [23] dissecat renes meos, nec parcit; effundit in terram fel meum.

14 [24] Irrumpit in me [c] irruptione alia ad aliam; incurrit in me ut robustus.

15 [25] Cilicium [26] consui ad ulcerosam cutem meam: redactus sum in pulverem [27] cornu meo.

16 Facies mea lutulenta effecta est præ fletu; denique palpebris meis [28] *adest* umbra lethalis.

17 [29] Propterea quòd non *est* [30] violentia in manibus meis; ideò oratio mea pura *est hæc*.

18 [31] O terra, [32] ne tegas sanguinem meum; & [33] ne sit locus clamori meo.

19 [34] Etiam nunc ecce in cælis testem meum, & conscium meum in excelsis.

20 [35] In ludibrium traducunt me amici mei: [36] apud Deum stillat oculus meus:

21 [37] Ut disceptet *causam* viri cum Deo; sicut filius hominis *causam* amici sui.

22 [38] Nam [d] anni paucissimi evenerunt, & [39] itinere *unde* non sum reversurus abeo.

CAPUT XVII.

23 Spiritus meus corruptus est, dies mei exstinguuntur, [40] sepulcra mea *sunt*.

[19] Chaldæis & Sabæis. [20] id est res meas: synecdoche. [21] igne & turbine, suprà cap. 1. [22] uxor, amici, & alii convitiis me proscindentes: elegans metaphora, ut Genes. 49.23. [23] id est, morbis & malis, tamquam immissis telis, undequaque confodit totum corpus meum & ejus intimas partes; cùm suprà præcordia, ubi jecur cum felle situm est, tum infrà præcordia, ubi renes velut sagittis transverberat. [24] id est, infligit mihi subinde recentes plagas vehementissimè. [c] *Heb. irruptione ante faciem irruptionis.* [25] altera amplificatio querimoniæ ab effectis, duobus versibus: quòd per tantas ærumnas in luctu, ignominia, squalore, & præsentissima morte versatur. [26] id est, adeo manant ulcera corporis mei, ut lugubris amictus, quem primò superiorum ærumnarum causa indueram, suprà 1. & 2. carni meæ quasi consutus hæserit. [27] id est, robur & gloria mea in pulverem abiverunt: quanto magis cætera? [28] id est, caligant oculi mei tamquam moribundi. [29] Transitio ad κατασκευὴν, argumento a bona fide & conscientia sua. [30] id est, maleficium illud quod exprobrant mihi amici mei. [31] Exordium patheticum: cujus summa est, Ijobum terram & res omnes creatas obtestari, ut innocentiæ ipsius testificationem edant: inprimis verò Deum, ut partim adversantes sibi redarguat, partim Ijobi causam probet. [32] imprecatio hypothetica. qausi dicat, si quam cædem maleficiúmve quod objicitis patravi, illud revelet ac testificetur terra. [33] id est, ne in cælum efferatur recipiatúrve clamor meus, si sum ejusmodi. [34] prior causa imprecationis a testimonio Dei, & conscientiæ suæ. [35] posterior causa imprecationis a persona adversariorum, quod ne in intimis quidem amicis inveniat fidem, qua cognoscant de æquitate causæ suæ. [36] Propositio καταστατικὴ sive (ut vocant) constitutiva causæ quam in sequentibus acturus est, quasi dicat, a Deo cum lacrymis peto ut disceptet, &c. [37] Status causæ, ut alterutram partem litigantem adversus Deum compescat auctoritate sua. & causam hominum inter se litigantium definiat humana ratione: quemadmodum jam bis postulavit sup. 9.34. & 13.20. [38] ætiologia constitutionis causæ quæ modò dicta est, a persona sua. q.d. Deum vellem jamjam in præsentia disceptationem in se recipere, quia ad mortem propero. [d] *Heb. anni numeri: simile est Genes. 34.29.* [39] ut supr. 7.9. & 10. [40] q.d. aliis omnibus rebus valedico atque renuncio.

CAPUT XVII.

[1] Secunda pars κατασκευῆς, petitio, cujus causæ summatim, ver. 1. petitionis summa, ver. 2. continentur.

Quandoquidem [1] non sunt [2] ludificationes apud me; sed in [3] exacerbatione istorum pernoctat oculus meus:

2 [4] Dispone, quæso, [a] consponsorem mihi tecum: quis est? [5] manui meæ plaudatur.

[2] id est, criminationes quibus isti ludificantur me: metonymia. [3] id est, isti dies noctesq; non cessant exacerbare animum meum. [4] id est, effice ut unus aliquis tuam & meam causam uno patrocinio defendat adversus istos, & tua ac mea causa vadimonium conspondeat. inest autem huic forensi loquendi formulæ synecdoche, quum petit sponsorem vadimonii, id est, qui consponso vadimonio se sistat, causam agat utriusq;, &c. [a] *Heb. conspondere mihi: infinitivus pro nomine.* [5] id est, spondeatur mihi porrecta manu ab eo quisquis sit: synecdoche a communi spondentium forma: cui similis est Jirmejæ 50.15.

3 [a] Nam animum istorum [7] abscondisti ab intellectu: idcirco [8] non exaltaturus es.

4 [9] Incumbere adulationi indicabit amicos; oculos verò [b] deditorum ei [10] defecturos.

5 Nam fore ut [11] instituat me ad præsidendum populis; quamvis [c] tympanotribarum materia antè fuerim,

6 [12] Caligétque præ indignatione oculus meus, & membra mea velut [13] umbra *sint* omnia.

7 [14] Obstupescant recti super hac *re*; & innocens contra hypocritam sese excitet.

8 Et [15] contineat justus viam suam; mundúsque manibus [d] ampliùs fortificetur.

9 [16] Enimvero [e] quotquot estis [17] revertimini, & venite quæso: nam non invenio inter vos sapientem.

10 Dies mei præterierunt: [18] cogitationes meæ avulsæ sunt; [f] [19] quas possidere solebat animus meus.

11 [20] Noctem disponunt diei; luci propinquæ, ob [21] tenebras.

12 [22] Si exspectem, sepulcrum domus mea *est*: in tenebris [23] instruo strata mea.

13 Foveam appello, [24] pater meus es: [25] matrem meam & sororem meam, vermes.

14 [26] Et ubi jam *est* exspectatio mea? aut ipsam exspectationem meam quis contempletur?

15 [27] Vectibus [g] sepulcralibus descendent; siquidem pariter in pulvere [h] descensus *earum futurus est*.

[6] ἐργασία causarum quæ positæ sunt ver. 1. primùm a persona adversariorum, ver. 3. & 4. deinde a sua, versibus sequentibus.
[7] id est, fecisti ut nihil intelligant, ac proinde causa cadent.
[8] secundùm illos judicando.
[9] Propositio summa orationis quã consponsor habiturus esset ad asserendam Dei justitiam & innocentiam. Ejus autem duæ sunt partes: una, ἔλεγξις vel redargutio amicorum, eventu eorum conjuncta, hoc vers. altera, confirmatio Ijobi & defensio conjuncta Dei promissionibus de eventu secundo, primùm quidem erga ipsum, vers. 5. & 6. deinde vero erga Ecclesiam & pios omneis, ver. 7. & 8.
[b] *Heb. filiorum ejus* adulationis.

[10] id est, fore ut confusi abeant, dejectis in terram oculis. [11] id est, restituat me Deus in dignitatem meam, & altiùs provehat. [c] *Hebraicè*, τυμπανισμὸς, ut dicamus, tympanizatio. [12] id est, totus humore exhauriar ac viribus. [13] corporis, ac non ampliùs corpus: hyperbole. [14] id est, animo, dictis, & factis viri boni glorientur in Deo, & de hypocritarum confusione exsultent: summus finis agendæ istius causæ, duobus versibus. [15] id est, perseveret in sua justitia, ac non istarum offensionum argumento avertatur. [d] *Heb. addat fortitudinem.* [16] Epilogus, cujus partes sunt duæ: una hortationis ad amicos conjuncta repreprehensione sermonum antecedentium: altera, querimonia tristis de miseria conditionis suæ. [e] *Hebr. omnes ipsi: ut 1. Reg. 22.28.* [17] id est, resipiscite. [18] de diebus meis & statu illorum recuperando. [f] *Hebr. possessiones cordis mei.* [19] id est, faustæ illæ & lætæ cogitationes quas animus meus fretus bonitate conscientiæ & benedictione Dei proprio quodam jure sibi vindicabat. [20] id est, præsentium malorum cogitationes efficiunt, ut dies, quamvis lucidus, mihi sit nox; prout sequentibus explicatur. [21] id est, calamitates, ut suprà 15.22. [22] restitutionem mei quam proponitis, frustrà exspectavero. [23] id est, jam me ad jacendum in sepulcro compono, qui tenebrarum est locus, suprà 10.21. [24] id est, tuus domesticus sum, ut filius parentum. [25] id est, cognationis vestræ sum: hyperbolæ, quibus significat se jam omnem istius vitæ cogitationem & usum abdicâsse. [26] quasi dicat, quid est quod in animo meo possit exspectationem istam quam proponitis accendere? aut quis ita dejectus & morti proximus, vitæ præsentis redintegrationem contemplari? sic loquitur ex præsente sensu carnis, prout judicium fieri poterat humanitùs. [27] id est, mox videbitis istas exspectationes quas prædicatis, unà cùm corpore feretro efferri in sepulcrum; unà intercident cum hac vita mea. [g] *Hebraicè, sepulcri.* [h] *Hebr. descensus erit.*

CAPUT XVIII.

Bildad Ijobum gravissimè increpat, velut omnia sibi arrogantem, & amicorum monita judiciaq; Dei damnantem: deinde elegantissimis allegoriis improborum statum infælicem percurrit.

Cui respondens Bildad Schuchites,[1] dixit:

2 [2] Quousque [3] imponetis fines sermonibus? *quousque* instruetis, ut posteà loquamur?

[1] Istius responsionis summæ partes sunt duæ: Exordium patheticum constans pura reprehensione Ijobi; usque ad versum 5; & Propositio, ad finem usque: cujus status est, utcunque se Ijob pertinaciter velit defendere, tamen abundè ex comparatione justitiæ Dei cum judiciis præsentibus & dictis factisq; Ijobi, amicorum dicta confirmari; Ijobi verò confutari. [2] Exordium ex abrupto, velut hominis se in medium sermonem Ijobi inferentis perturbato animo. Est autem totum epitimeticum, cujus increpationis loci sunt duo; ab indigno ver. 2. & 3. & ab impossibili, ver. 4. [3] plurale est ironicum per concessionem. quasi dicat, quandoquidem tu unus in sententia tua instar omnium nostrûm haberi vis, esto sanè; an continuò dignum est ut silentium indicas nobis arbitratu tuo? deinde per gradationem; an etiam ut docendi non auctoritatem tibi uni arroges, & loquendi formulas præscribas?

3 [4] Quare reputamur ut jumenta? sorde-
mus in oculis vestris?
4 [5] O qui discerpit animam suam ira sua, an
propter te derelinquetur terra, & refigetur rupes
e loco suo?
5 [6] Imò [7] lux improborum exstinguitur; ne-
que splendet [8] scintilla ignis ejus:
6 [9] Lux tenebricosa fit in tentorio ejus; & lu-
cerna ejus in eo exstinguitur.
7 [10] Anguntur gressus roboris ejus; & dejicit
eum consilium suum.
8 Nam [11] immittitur in rete pedibus suis; &
in cassem indesinenter ambulat:
9 Prehendit *eum* calcaneo laqueus; con-
stringens prævalet ei [12] horridus:
10 Absconditus est in terra funiculus ejus; &
decipula ejus in semita.
11 [13] Circumquaque perturbant eum [14] ter-
rores; & [15] disjiciunt eum ad pedes ejus.
12 [16] Fit famelicum robur ejus; & [17] calami-
tas comparatur ad latus ejus.
13 [18] Comedit [19] vectes cutis ejus, comedit
vectes ejus [20] primogenitus mortis.
14 [21] Avulsâ a tentorio ejus fiduciâ ejus, adi-
git eum *terror* ad [22] regem terrorum:
15 [23] Habitat in tentorio ejus ut non *sit fidu-
cia* ei; spargitur super habitaculum ejus sulphur.
16 [24] Infernè radices ejus exarescunt; & su-
pernè succiditur ramus ejus.
17 [25] Memoria ejus perit e terra; neque no-
men *est* ei [a] in plateis.
18 [b] Depellitur a luce in tenebras; & a terra
habitabili deturbatur.
19 Neque filius ei, neque nepos in populo
ejus; neque superstes ullus *est* in habitationibus
ejus.
20 De die ejus stupent posteri; & præsentes
apprehendunt horrorem.
21 Profectò ista sunt tabernacula iniqui; & i-
ste locus *viri* [c] non agnoscentis *Deum* fortem.

[4] secundus locus ab indigno, per gradationem. q.d. an dignum est nos a te toties proscindi, ac non majoris fieri quã bestiæ rationis expertes, & cum rebus sordidissimis & abjectissimis comparari? sup. 12.7. & 17.3. & 9. [5] alterum membrum Exordii ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impossibili, amplificatum illustri comparatione, hoc modo: tu ipse vides cum animo tuo, te nihil ira tua & indignatione amplius consequi, quàm ut teipsum excarnifices (quod tamen negaverat Ijob sup. 13.14.) putares-ne te qui ultrò in perniciem tuam ruis, efficere posse ut omnia sursum deorsum ferantur, aut cælum terræ misceatur? atqui perinde facis quum ordinẽ justitiæ Dei oppugnas, arrogans justitiam tibi, ac proinde abjudicans Deo, ac si ordinem sapientissimæ istius administrationis convelleres: nam idem est justissimus administrator hominum, & sapientissimus omnium creaturarum rector Deus. [6] Propositio theseos, id est, documenti universalis de infælice impiorum exitu; cujus accommdatio ad Ijobum aut tacitè fiebat, aut ab Ijobo in capite sequente interrupta est. [7] sic refellit propositionem Ijobi dicentis, utcunque sibi benè sit conscius: tamen extingui dies suos, supr. 16.23. [8] id est, vel tantillùm prosperitate utitur. In vetere codice manu scripto mutata litera una legitur, ambitus ignis ejus, quod per gradationem ita accipiendum esset, neque lucem ejus duraturam, neque tum quidem quum ingentem focum accenderit præbiturum lucem. est autem his duobus versibus prima allegoria lucis ad figurandam conditionem improborum. [9] id est, aut imaginaria est prosperitas, si qua est; aut statim disperit. [10] Secunda allegoria a feris & avibus, quibus semper comparatæ sunt tendiculæ: qua ostendit quamlibet prosperitatem improbi, ut firmissima videatur, esse perexiguam & perangustam, adeóque suis consiliis ruere: ita confirmat dictum Eliphazi supra 15. 20. & sequente. [11] Deo disponente, & illum suo ipsius facto deturbante. [12] nimirum venator sive auceps, ut suprà 5.5. [13] tertia allegoria ab exemplo forensi reorum, qui gravissimis criminibus tenentur, usque ad versum 16. [14] ut lictores & apparitores regis, cujus meminit versus 14. Sic enim isti satellites in tota hac allegoria nominantur. [15] id est, fugientis & vagabundi vestigiis insistunt, persequendo reum, donec sistant regi. [16] id est, spoliatur omnibus bonis, quæ in indicem relata annotantur fisco. [17] id est, tormentis subjicitur, & tunditur lateribus, ut mancipia & sontes tundebantur olim. [18] id est, gravissima fame premitur, dum cognoscitur causa ejus: hyperbole. [19] id est, artus qui trunco corporis, ut vectes, infixi hærent. [20] id est, cruentissima mors ac funestissima. nam Hebræi res summas in suo genere primogenitas vocant, quasi dicas, duplas: metaphora sumta a primogenitorum jure, de quo Deuteronom. 21. 17. sic Jeschahjæ 15.3. [21] id est, omnibus quibus confidebat putà liberis, familia, bonis, & si quæ sunt ejusmodi, deportatis, omnia addicuntur regi. [22] id est, principem, qui terrori est improbis. Est autem hæc periphrasis mortis improbos percellentis, ut præcedente versu. [23] id est, postquam causâ cognitâ ab illo abjudicata sunt bona, immittuntur lictores ad incendendas ædes ejus, in facti perpetuam detestationem. [24] quarta allegoria, qua idem fuerat usus supra 8.16. & sequentibus. [25] Apodosis sive accommodatio superiorum allegoriarum ad thesin de statu improbi, ut obliquè perstringat Ijobum. Sunt autem hæc summa illius capita: ignominia, ipsius & posterorum excidium, omnium admiratio & horror de judiciis in eum, ac postremò cædis illius obliteratio. [a] *He. in facie plateæ.* [b] *Heb. depellunt eum, deturbant eum: impersonaliter sumptum, ut sup. 7.3.* [c] *vel quem non agnoscit Deus fortis.*

CAPUT XIX.

Ijob rejectis superioribus contumeliis amicos explicatione suarum ærumnarum ad misericordiam hortatur, fidem & innocentiam suam palàm fieri optat testificatione Dei, & beneficio resurrectionis vitæq; æternæ se consolatur: postremò illos dehortatur ab insectatione sui.

RESpondens verò Ijob, [1] dixit:
2 [2] Quousque mœrore afficietis animum
meum; & atteretis me sermonibus?
3 Jam [3] [a] decies ignominia affecistis me:
non erubescitis *quòd* obfirmatis vos contra me.
4 [4] Enimverò [b] esto, erraverim; mecum
[5] pernoctet error meus.
5 An verò contra me [c] ampliùs debetis dis-
ceptare? an disceptare contra me probro meo?
6 [6] Agnoscite jam quòd Deus [7] subvertit
me, & rete suum circumegit mihi.
7 En exclamans violentiam, [8] non tamen
exaudior: vociferanti non *adest* judicium.
8 [9] Viam meam sepsit ut non possim transire;
& semitis meis tenebras apposuit:
9 [d] Gloria mea me nudavit; & amovit co-
ronam capitis mei:
10 [10] Demolitus est me circumquaque [11] ut
abeam; & [12] amovit tamquam arboris exspecta-
tionem meam:
11 Et accendens contra me iram suam, repu-
tavit me sibi sicut hostes suos:
12 Simul advenientes [13] turmæ ejus, aggerâ-
runt contra me viam suam; & castra fecerunt
circa tentorium meum.
13 [14] Fratres meos procul a me abegit; &
familiares mei [15] tantùm abalienant se a me:
14 Desinunt propinqui mei, & noti mei obli-
viscuntur mei:
15 Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ [e] ex-
traneum reputant me; alienigena sum in oculis
eorum.
16 Servum meum inclamo, sed non respon-
det; dum ore meo deprecor eum:
17 Spiritus meus [16] alienus est uxori meæ; ut-
cunque supplicem per [17] filios ventris mei:
18 Etiam parvuli spernunt me; quum surgo:
obloquuntur mihi:
19 Abominantur me omnes homines [f] inti-
mi mihi; & quos diligo aversantur me.
20 Cuti meæ [18] ut carni meæ adhærent ossa
mea; denique ereptus sum [19] cum cute dentium
meorum.
21 [20] Misereremini mei, miseremini mei, vos
amici mei; quia manus Dei plagis afficit me.
22 [21] Quare persequimini me, sicut *Deus* for-
tis? & [22] carne mea non saturamini?

[1] Hujus responsionis Ijobi summæ partes sunt tres: ἀνασκευὴ sive confutatio superiorum criminationum, conjuncta deprecatione pathetica, usque ad vers. 23: κατασκευὴ sive confirmatio fidei & innocentiæ suæ, versib. 6. & Cõclusio de amicorum erga se officio, vers. ultimo. [2] Exordium ἀνασκευῆς ex abrupto, ad refellendum illud quo utebatur Bildad, suprà 18. Sunt autem illius loci duo; unus, ab injusto, vers. 2; alter, ab inhonesto & maximè importuno, vers. 3. [3] id est, multoties: finitus numerus pro infinito, ut Levitici 26.26. [a] *Hebraicè decem vicibus.* [4] primus locus ἀνασκευῆς hypotheticus sive per concessionem dictus, ἐκ τοῦ ἀδίκου, ab injusto. nam sic argumẽtatur Ijob: Jam professus sum integritatem fidei & conscientiæ meæ: sed ut illud taceam, & confitear me errando provocâsse iram Dei, an continuò dignum est vobis, ut miserias accumuletis misero, & numerosas, & falsis probris conjunctas? [b] *Hebr. verè.* [5] id est, adhuc hæream in errore meo: metaphora. [c] *Heb. amplificabitis* disceptare? [6] alter locus ἀνασκευῆς ἐκ τοῦ πρέποντος, ab honesto: honestum esse ut calamitates afflicti cognoscantur, & misericordia de illis capiatur; quas propterea Ijob explicat, usque ad versum 21: deinde amicorum misericordiam implorat. [7] id est, de pristino statu dejecit, quasi volucrem irretitam. [8] id est, non sublevor ab istis calamitatibus. [9] ut suprà 3.22. [d] *Hebr. gloriam meam a me nudavit: hypallage.* [10] id est, ablaqueavit & deruit tamquam terram arboris radicitùs exstirpandæ. [11] id est, pereamm, ex usu Arabum. [12] id est, evulsum exarefecit me, sine spe restitutionis. [13] id est, multiplices copiæ afflictionum ipsi ministrantium contra me: elegans allegoria a forma castrensi. [14] id est, auxiliaribus destituit me: quod alterum est damnum in re militari. [15] id est, non nisi alieni sunt a me: illorum nemo accedit me. [e] *Hebr. in extraneum.* [16] id est, avertit faciem suam a me, ac si gravè olentem halitum a me non posset ferre. [17] id est, per sanctum jus conjugii, & fructus ejus. [f] *Hebraicè, secreti mei.* [18] i. ut naturaliter solent adhærere carni. [19] id est, labiis. q.d. nihil remansit integrum præter sermonis instrumenta. [20] tertius locus ἀνασκευῆς, nimirum πάθος, quo misericordiam implorat a commemoratione suarum calamitatum, duobus versibus. [21] q.d. satis esto vobis me tantopere a Deo premi. [22] q.d. satis esto vobis carnem meam esse consumtam; neque velut immanes feræ etiam ossa quæ supersunt comminuite.

[23] Κατασκευὴ sive confirmatio, in qua fidem sermonum suorum apud amicos pathetico voto sive oratione confirmat, his duobus versibus: deinde fiduciam suam in Deum de salute æternæ & carnis resurrectione profitens se bona fide & conscientia præditum esse coram Deo & hominibus ostendit, versibus 3. & injuriam amicorum testatur instituta fidei suæ & integritatis cum injuria illa comparatione v. 28.

23 [23] O si quis jam daret [24] ut scriberentur
sermones mei: ô si quis daret ut in libro exsculperentur:
24 [25] Stylo ferreo atque [26] plumbo, in perpetuum in rupe inciderentur.
25 [27] EQUIDEM ego [28] novi [29] redemtorem
meum [30] vivere; & [31] posteriorem super pulverem
resurrecturum:
26 Et postquam *vermes* confoderint [32] istud,
evigilante me; tum carne mea me visurum esse
Deum.
27 [33] *Idem* qui sum, ac non alienus visurus
sum mihi, & oculi mei aspecturi: *tamen* consumuntur [34] renes mei in sinu meo,
28 [35] Quia dicitis, quid persequimur eum?
[36] cùm radix rei insit mihi.
29 [37] Metuite vobis [g] a gladio: nam æstum iræ *excitant* [38] iniquitates [h] cruentæ, [39] ut cognoscatis quod ex jure *est*.

[24] ut palàm & in æternum testata fieret fides mea & æquitas causæ meæ. [25] id est, cælo ad literas exarandas. [26] in sulcos literarum infuso. [27] propositio rei, quam inscribi optavit Ijob, ut perpetuum exstaret documentum & suæ piæ fidei, & acceptæ injuriæ. q.d. sciant ergo posteri, si nescire vultis: nam frustrà laboro ut probem vobis justitiam meam. hæc verò demum est gloria mea, nimirum testificatio conscientiæ meæ; qua ita acquiesco in promissionibus Dei de resurrectione & vita æterna mihi ipsi obventura, ut hoc me adversus omnium tentationum procellas, ac nominatim contumelias vestras consoletur. [28] fidei notitia. [29] sive vindicem, qui tum personam meam ab interitu tandem vindicaturus est in æternum adventu suo, tum causam meam nunc a procellis totius mundi & contumeliis vestris. Est autem is Deus Pater in Filio per Spiritum. [30] ac proinde utcunque causam meam homines oblivione sepeliant, tamen illam integram apud Deum vivum asservari. [31] i. hominem redivivum die resurrectionis in adventu Christi: nam posterior homo, qualis in resurrectione futurus est, cum hoc priore comparatur, ut 1.Cor.5.42. Etsi haud scio an totum hunc vers. de persona Christi Redemtoris oporteat accipi in hanc sententiam: novi & amplector certa fide Redemtorem meum Christum: qui quidem jam reipsa & ab æterno vivit, quà Deus est: quà homo verò, vel secundùm humanitatem Redemtor meus posterior tempore futurus est, sed prior tamen resurrecturus & futurus primitiæ dormientium, 1.Cor.15.20. nam vivificabitur unusquisque suo ordine: primitiæ, Christus; posteà qui sunt Christi in adventu ipsius. Ergo posterior quidem futurus est tempore (inquit Ijob) sed resurrecturus prior, hoc versu: posteà verò evigilabo, ut cæteri qui sunt Christi, in adventu per vocem ipsius, sequente versu. [32] istas reliquias mei prioris hominis, recubituri in pulvere. Est autem ὕστερον πρότερον in his verbis. [33] id est, ego ipse hac mea ipsius carne, hisce oculis. 1.Cor.15.53. & sequentibus. [34] id est, consumor totus, ab una parte ad alteram: synecdoche. [35] id est, negatis quod modò vobis exprobravi, vers. 22. sic autem accipitur persequendi vel insectandi verbum, Galat.4.29. quamobrem etiam persequutiones istius generis iniquitates cruentæ appellantur, sequente ver. [36] id est, quum pia fide in Deum radicatus sim, qua perrexi adhuc in mea integritate, & nunc verba veritatis coram Deo profero, ut fidei radicatæ in ipso fructus; non autem folia aut fallaces verborum flores, quales effunditis. [37] Conclusio. ἐπιτροπή. [g] He. *a facie gladii*. [38] vide in vers. 28. [h] *Heb. gladii* [39] id est, ut saltem metu & horrore judiciorum ejus ad officium cognoscendum perfungendumq; erga afflictum revocemini.

CAPUT XX.

Tzophar occasione ex verbis Ijobi sumta eamdem propositionem de misero improborum exitio repetit; & a justitia Dei, exemplis ordinariis, atque auctoritate verbi divini confirmat.

[1] Hujus responsionis summæ partes sunt tres: Exordium, ver. 2. & 3: κατασκευὴ sive confirmatio superioris propositionis, Improbis malè esse, a vers. 4. ad 29. & Conclusio.

CUi respondens Tzophar Nahamathites, [1] dixit:
2 [2] Propterea cogitationes me reducunt *ut loquar*: propter *illud* inquam [3] festinatio mea *est* in me.
3 Castigationem [a] ignominiosam mihi audio: sed spiritus ex intelligentia mea jubet me [4] respondere.

[2] quod dicis nobis metuendum esse a Deo, & explorandum quid sit ex jure, suprà 19.29. Est autem hîc exordium constans duabus partibus: quarum una audientiam facit & necessitatē proponēdę istius doctrinę ostendit ἐκ τοῦ δικαίου, ab justo, quod objecerat Ijob; altera ab honesto per concessionem, versu 3. qua ostendit Tzophar, se hoc sponte carni & infirmitati Ijobi cedere, ut ipsos afficiat probris; se illis nihil moveri, ac proinde nolle refellendis illis operam dare: sed tantùm in rebus in medium afferendis, quarum testimonium perhibeat Spiritus Dei spiritui suo. [3] id est, studium eloquendi stimulat, urget, & accelerat me. [a] *He. ignominiæ meæ*. [4] ad quæstionem videlicet, omissis probris quæ in nos conjicis.

4 [5] An hoc nosti? ab æterno, [b] ex quo posuit *Deus* hominem super terram,
5 [6] Cantum improborum [7] a propinquo,
& lætitiam hypocritæ usque ad momentum
esse?
6 [8] Si ascenderit in cælos excellentia ejus; &
caput ejus nubem ipsam attigerit:
7 Sicut stercus ipsius, in perpetuum peribit: qui viderant eum, dicent, ubi est?
8 [9] Tamquam somnium avolat [10] quod non
inveniunt; & fugatur ut visum nocturnum.
9 Oculus qui contuebatur eum non perget;
neque ampliùs contemplabitur eum *in* loco ipsius.
10 [10] Filii ejus [11] student gratificari tenuibus;
etiam manus ipsius coguntur restituere [12] substantiam suam.
11 [13] Ossa ejus implentur [14] *peccato* adolescentiæ ejus; donec cum eo in pulvere jaceat.
12 [15] Quum dulce fuerit in ore ipsius malum,
[16] celaverit illud sub lingua sua;
13 Parcens ei [17] non dereliquerit illud; sed
continuerit illud [c] intra palatum suum:
14 [18] Cibus ejus in viscera ejus conversus,
[19] fel aspidum [d] in ipso *fiet*.
15 Opes absorpsit; & evomit illas: e ventre ejus depellit eas *Deus* fortis.
16 [20] Venenum aspidum suxerit; occiderit
eum lingua viperæ.
17 [21] Ne spectet rivos; flumina, torrentes
[22] mellis & butyri.
18 [23] Repetens laborem, non absorbebit tamen: vel [e] compensationem opum suarum, non
[24] exsultabit tamen:
19 Quia quassavit, dereliquit tenues; domos
diripuit, non exstruxit eas.
20 [25] Nam nihil experitur tranquilli in [26] ventre suo: cum re desiderabili sua non proripit *se*.
21 [27] Non *est* residuum cibo ejus: propterea
non manet prosperitas ejus.
22 Quum plena est sufficientia ejus, [28] angustia est ei: omnis manus molesti invadit
eum.
23 *Quum* est impleturus ventrem suum, immittit in eum *Deus* æstuantem iram suam: *quam*
depulit in eum loco cibi ejus.
24 Fugientem ab armis ferreis, transverberat eum arcus chalybæus.

[5] Confirmationis ἔκθεσις sive propositio, Malis malè esse: quam eo graviùs enunciat, quod nominatim appellat conscientiam Ijobi, & exempla omnium temporum adducit. [b] *Hebraicè, a ponere hominem.* [6] id est, prosperitatem: metonymia. [7] id est, modò tantùm & recens cœpisse, ac mox desinere. [8] ἐργασία superioris propositionis, usque ad finem capitis. est autem hîc primus ejus locus per concessionem hyperbolicam. [9] alterum simile ad amplificationem superioris loci, de vanitate & interitu improbi. [10] id est, cujus rem non inveniant somniantes, quum evigilant: sic Jeschahjæ 29.7. & 8. [10] secundus locus de calamitate improbi, non ipsum tantùm, sed posteros etiam pervadente. [11] id est, tenuiores sunt ipsis tenuibus. [12] quam tenuibus ademerat. [13] amplificatio prioris loci de persona malefici; per comparationē prosperi status quo abusus est, cum flagellis & judiciis Dei subsequentibus. [14] id est, supplicium anteactæ vitæ inde ab adolescentia hominem totum prosternit, velut tabes aut putredo exedens ossa ejus. [15] allegoria de statu improborum, quinque versibus; qua improborum mala cum cibis comparantur, quæ ipsis venenata & exitialia dicuntur esse. [16] nimirum illud veluti cibum mandens. [17] id est, non exspuerit, ut sequens membrum ostendit: his autem verbis figurat hypocritam, & obliquè Ijobum perstringit, docens Deum pœnas ab illo reposcere non quidem palàm malè actæ vitæ, sed malæ mentis & mali animi, cujus venenum ipse cogatur ebibere. [c] *Hebraicè, in medio palati*. [18] id est, malum quod comparabat animo, ut cibus comparatur ore. [19] id est, fit venenum lethale ei. [d] *Hebraicè, in medio ejus*. [20] id est, perinde cedet ipsi maleficium suum, ac si venenum hausisset potentissimum, aut a vipera fuisset morsus. [21] elegans apostrophe, quasi exsultantis adversus improbum, & ingentem illius exspectationem ludificantis, cum illustribus hyperbolis. [22] id est, affluentiam rerum secundarum suavium & molliter sibi ex animi sententia succedentium. [23] amplificatio per hypothesin: etiamsi posteà laboret sedulò, & suo labore lacunam damni a Deo illati expleturus sibi videatur & opes amissas compensaturus, fructum non percipiet tamen, ne raptim quidem, ac non gaudebit eo. [e] *Hebraicè, opes compensationis suæ: hypallage*. [24] id est, fruetur: sicut exponitur sequente versu. [25] αἰτιολογία superioris doctrinæ de vana fælicitate improborum, primùm ab infirmitate ipsorum, versibus tribus: deinde a judicio Dei persequentis; sive immediatè (ut loquuntur) a 23. versu usque ad 26; sive mediatè & rerum creatarum opera, vers. 27. & 28. [26] id est, in se: synecdoche, qua utitur propter superiorem allegoriam cibi. [27] id est, totum alimentum ei adimitur, ut Psalmo 59. [28] partim a terroribus conscientiæ, partim ab hominibus quos molestia affecerit, sentit angustias tum maximè, quum se fruiturum putat copiæ cornu & abundantia summa: sic deinceps sequentia.

25 Strin-

[29] id est, transadigit corpus & viscera effundit. [30] gladius: nomen est ex epitheto: vide Jechezk. 21.15. [31] id est, dum ista effugit, ruit in alia: sic Hamosi 5.19. [32] id est, asservatis ei a Deo. [33] id est, sponte ardentem, ut stipulæ aut stupæ: ut Jesch. 1.31. & 5.24. ita comparatus est ad incendium, ut cremium aut arefactum lignum: sic etiam Jechezk. 21.3.

25 Stringentis *gladius* [29] exit e corpore, &
[30] coruscus e felle ejus: [31] abeuntem invadunt
terrores.
26 Omnes tenebræ reconditæ sunt in [32] repo-
sitis ei, consumit eum ignis [33] non accensum fla-
tu: conteritur superstes in tentorio ejus.
27 [34] Retegunt cæli iniquitatem ejus; & ter-
ra insurgens in eum.
28 [35] Demigrat proventus domus ejus, [36] de-
fluunt *omnia* in die iræ illius.
29 [37] Hæc *est* portio hominis improbi a Deo;
& possessio [38] [f] sermonis ejus a Deo forti.

[34] id est, exserunt & notam omnibus faciunt, exsequentes judicium Dei. [35] in jus possessionémque alterius. [36] id est, Stillant & diffluunt velut aqua. [37] Conclusio, qua Tzophar conatur Ijobum adducere in sententiam suam ab operibus Dei & ab auctoritate verbi ejus. [38] id est, quam ipse sibi comparat sermonibus istis & maledicentia sua. [f] *Heb. inducere ipsi a Deo forti.*

CAPUT XXI.

Ijob aculeis Tzopharis stimulatus gravius amicos increpat, propositionem ipsorum de infælicitate improborum confutat ratione, exemplis, & auctoritate Dei: quæ deinde nominatim sibi accommodat, & amicorum consolationes responsaq; arguit.

[1] Istius orationis, quæ tota est ἀνασκευαστική, partes sunt tres: Exordium faciendæ audientiæ causa, a versu 2. ad 7: Propositio ἀνασκευῆς, a versu 7. ad 34: & Côclusio, vers. 34. [2] id est, ne me interpellate aut abrumpite sermonem meum, ut antè aliquoties fecistis. Est autem primus locus Exordii ab officio eorum. quasi dicat, quandoquidem non potestis me alia ratione consolari, saltem silentio me juvate; & si patienter me audietis, ponam hoc in consolationis loco. [a] *Heb. audiendo.*

RESpondens verò Ijob, [1] dixit:
2 [2] Audite [a] indesinenter sermonem me-
um; & sit istud *loco* consolationum vestrarum.
3 [3] Ferte me dum ego eloquutus fuero; post-
modùm verò [b] [4] eloquium meum subsannato.
4 [5] An ego apud hominem querimoniam
meam *instituo*? & [6] si est cur *conquerar*, non [c] an-
gustaretur spiritus meus?
5 [7] Respicite ad me, & stupore corripiamini;
& apponite manum ad os.
6 [8] Certè si recordarer, confestim conturba-
rer; & apprehenderetur caro mea horrore.
7 [9] Cur improbi [10] vivunt? veterascunt? etiam
valent viribus?
8 Semen eorum firmum est ante eos cum e-
is; & prognati eorum in oculis eorum.
9 Domibus eorum pax a pavore *est*: neque
[11] virgâ Deus instat eis.
10 Bos ejus init, nec ejicit semen; [d] enititur
vacca ejus, neque abortit.
11 Emittunt ut gregem parvulos suos; & nati
eorum saltitant:
12 Vociferantur ad tympanum & citharam; &
lætantur ad sonum organi.

[3] amplificatio superioris loci: quasi dicat, saltem ad tempus ferte, &c. [b] *Hebraicè, eloqui meum.* [4] apostrophe ad Tzopharem, qui verba Ijobi abrumpens ironicè ea deluserat, suprà 20. 2. [5] secundus locus exordii a consilio suo: non est mihi, inquit, res vobiscum, aut cum ullo homine; ad Deum fertur oratio mea, qui expostulandi facultatem non intercludit mihi. [6] tertius locus ἐκ τοῦ πρέποντος, ab honesto: inhonestum atque inhumanum est vos mihi intercipere facultatem conquerendi in angustia spiritus mei. hinc oritur exhortatio ad officium humanitatis, sequente versu. [c] *Hebraicè, abbreviaretur: sic Exod. 6. 8.* [7] id est, istæ calamitates meæ quæ vobis ob oculos versantur, vos saltem ad stuporem & silentium adducant. [8] id est, si vel tantùm meminissem tantæ calamitatis, quam alius ferret aut ego ipse antè expertus essem; consternaret me sola recordatio & commiseratio illius: quanto magis vos præsentes, si animum advertetis, necessarium est obstupescere ad calamitatem meam? amplificatio superioris exhortationis hypothetica, a persona sua. [9] ἀνασκευὴ sive confutatio illius argumentationis; Improbos esse quibus malè cedit: cujus partes sunt duæ; una κατὰ θέσιν, sive generatim enunciata de statu improborum, usque ad vicesimum septimum versum, altera καθ' ὑπόθεσιν, per singularem accommodationem ad Ijobum Refellit autem ἀξίωμα illud, primùm per argumentationem contrariam; dicitis improbitatem esse in causa cur improbi malè pereant; quid ergo causæ est, cur improbi & impii prosperentur? hæc usque ad 17. versum; deinde ab exemplo ostendit non esse illud perpetuum; imò potius infrequentiùs esse ut improbi vexentur malis: ad convellendum ἀξίωμα amicorum, & argumentationem suam confirmandam. [10] i. bona constitutione corporis gaudent; prosperitate liberorum, versu 8; tranquillitate familiæ, versu 9; fœtura animalium, versu 10; copia & lascivia, versu 11. & 12; & tandem non languida morte utuntur, versu 13. [11] i. castigatione ulla. [d] *Hebr. liberat.*

13 Inveterant in bono dies suos; deinde mo-
mento *in* sepulcrum descendunt.
14 [12] Dicunt itaque *Deo* forti, recede a nobis;
nam notitiâ viarum tuarum non delectamur:
15 Quid est omnipotens, ut colamus eum?
aut quid proficiemus, quũ intercedemus apud eũ?
16 [13] En non *est* in manu eorum bonum eo-
rum: consilium improborum procul abest a me.
17 [14] Quoties [15] lucerna improborum exstin-
guitur, & supervenit eis interitus ipsorum? dolo-
res impertitur *Deus* ira sua?
18 *Quoties* sunt ut palea coram vento, & ut
gluma quam surripit turbo?
19 *Quoties* Deus reponit filiis illius iniquitatẽ
illius? rependit illi, & [16] cognoscit?
20 *Quoties* vident oculi illius perniciem suam,
& de æstuante ira omnipotentis [17] bibit?
21 Nam [18] quod *est* studium illius de familia
sua post se, [19] quum [e] brevi menses illius trunca-
buntur?
22 [20] An Deum fortem *quisquam* docebit sci-
entiam; qua ipse [21] excelsos judicet?
23 [22] Hic moritur in [23] robore perfectionis
suæ: totus tranquillissimus & quietus;
24 [24] Cujus mulctralia plena fuerunt lacte; &
medulla ossium ejus irrigua:
25 Ille verò moritur animo amaro; qui non
fruiturus est bono:
26 Pariter in pulvere jacent; & vermis obte-
git eos.
27 [25] En novi cogitationes vestras; & com-
menta *quæ* de me [f] iniquè comminiscimini.
28 Vos dicere, [26] ubi *est* domus [27] ingenui? &
ubi [28] tentorium habitationum [29] improborum?
29 [30] An non interrogâsti transeuntes viâ? &
[31] signa eorum non agnoscetis?
30 [32] Nam in die calamitatis subtrahitur ma-
lus; in die indignationum exportantur *mali*.
31 Quis indicat ei in faciem viam ejus? quum
ipse *malè* fecit, quis rependit ei?
32 [33] Tandem ipse in sepulcra effertur; & apud

[12] Amplificatio argumenti superioris, a gravitate illorum impietatis in Deum, quæ blasphemis sermonibus illorum exprimitur, duobus versibus. [13] Occupatio, qua utitur Ijob, ne existimarent amici eum hac specie ad impietatem allectum esse, aut in præsentia allici. Hæc ego, inquit, non dico, quòd aut existimem illos penes se habere auctoritatem in res suas arbitratu suo, aut quòd animus meus in studium ejusmodi rapiatur: nam mens mea & animus meus ab istis cogitationibus & consiliis absunt quàm longissimè: sed ut ostendã vanitatẽ propositionis vestræ. [14] Confirmatio ab exemplo, ut suprà dictum est in vers. 7. Quoties, inquit, quasi dicat, non ita frequenter eveniunt ista ut exstinguatur, &c. [15] vide suprà 18. 5. & 6. [16] id est, quæstionem habet; hysterosis. [17] i. inebriatur & conturbatur effusis calamitatibus: frequens metaphora. [18] i. ut Deus ipsum viventem non excitat malis; sic non excitat ipsum animus ejus aut conscientia, ut sit sollicitus de rebus post mortem eventuris familiæ suæ. [19] descriptio impendentis mortis. [e] *Heb. numero.* [20] Conclusio prioris membri ἀνασκευῆς, constans duobus capitibus; explicatione brevi juris sive officii nostri, & facti sive eventus cum jure comparati. hic verò primum agitur de officio hominum in suspiciendis ac non definiendis Dei judiciis; quia ita statuit Ijob; cum hæc, inquit, ita se habeant, & improbi frequentiùs in hac vita secundis rebus, quàm adversis utantur; ne putetis, aut vestrum aut meum, aut cujusquam mortalis esse, ut Deo præfigat præsentium judiciorum legem; perinde ac si quid, qua ratione, aut quando in improbos agendum sit ignoraret. [21] i. elatos animo, & secundis rebus. [22] alterum membrum conclusionis, de facto quod communi omnium ætatum experientia commonstratur. q. d. insipientis est de hominibus a præsente eventu judicare, sapientis verò Deo committere; cùm tota hæc administratio & eventus sit adeò hominibus incertus. [23] i. in perfectissima fælicitate, quanta apud homines esse potest. [24] i. qui omnibus bonis, quæ fortunæ & corporis vocant, abundat: synecdoche. [25] altera pars ἀνασκευῆς, attingens singulariter personam Ijobi; cujus membra sunt duo; ὑπόθεσις sive propositio, his duobus versibus; & confutatio, versibus sequentibus. [f] *Hebr. violenter facitis.* [26] Ironia, qua utitur Ijob, ut eò meliùs amicorum animos effingat. [27] id est, nobilis, principem antè agentis, nimirum Ijobi. [28] i. magnificum, ex multis habitationibus constans, ut sunt prætoria & principum ædes. [29] sic filios & familiam Ijobi perstringit. [30] Confutatio ἐκ τοῦ ἀτόπου; absurdum est, inquit, vos nescire quod omnibus e plebe notũ est, non consulere vos quenquam, neq; agnoscere. [31] i. exempla, quæ quum eis eveniunt, aliis sunt documento: hæc autem explicantur versibus seq. [32] Confutationis locus ab exemplis, ἀντιπαράθεσις. nam sic respõdet Ijob objectioni amicorum: quod dicitis; Malos male perire, ac proinde me in perditionem istam devenisse propter improbitatem meam, falsissimum est; cum plerumq; improbi a pervadentibus calamitatibus immunes sint, nullius judicium subeant, aut ab ullo in ordinem cogantur. Inde enim ex contrario sequitur (quod Ijob reticet) in viros bonos istas calamitates incidere. [33] Occupatio objectionis istius; Atqui in sepulcrum effertur improbus: cui respondet Ijob tribus argumentis; primùm satis esse ad institutum ut commodè vitam transegerit & calamitates prævenerit morte; deinde sepulcrum ipsum consolationi esse, quòd vacuum sit ab istis calamitatibus & mutationibus, ut suprà 3. 16. & sequentibus, & 10. 22: postremò quòd morte nihil accidit ei, quin cum omnibus hominibus omnium ætatum commune sit.

tumulum assiduus est.
33 [34] Dulcescunt ei glebæ vallis; & post se
omnes homines [35] trahit, ut ante eum *fuerunt* in-
numeri.
34 [36] Quo modo ergo consolaremini me va-
nitate; cùm responsionibus vestris reliqua sit
prævaricatio?

34 hyperbole, per prosopopœiam sensum & humanas actiones mortuis tribuentes.
35 id est, sequentes habet, quasi ipsos traheret naturæ lege: metaphora. 36 Conclusio, qua asserit Ijob ex superioribus, inanes esse tum consolationes tum disceptationes eorum: consolationes quidem, quia vanæ erant, & nihil ad se accommodatæ; disceptationes verò, quia etiam in Deum & in Ijobum altercando peccabant.

CAPUT XXII.

Eliphaz Ijobum a contentione adversus Deum revocans justitiam Dei asserit, injustitiæ & impietatis Ijobū arguit, exemplo diluvii deterret, & ad seriam resipiscentiam ac tempestivam revocat, adjunctis Dei promissionibus.

CUi respondens Eliphaz Themanites, [1] dixit:
2 [2] An *Deo* forti prodesse potest vir?
quum prodest, ex eo prosperatur *Deus*?
3 [3] An oblectationi *est* omnipotenti, quòd
justificas te? aut an lucro, quòd integras asseris
vias tuas?
4 [4] An de religione tua argueret te? veniret
tecum in judicium?
5 Nónne [5] malitia tua multa *est*? neque *est*
finis iniquitatibus tuis?
6 [6] Nam pignus acceperis a fratribus tuis
immeritò; & [a] [7] nudos nudaveris vestibus suis:
7 Non aquam bibendam lasso dederis; & a
famelico prohibueris panem:
8 Prætereà viri [b] lacertosi [8] fuerit terra hæc;
& acceptus persona habitaverit in ea:
9 Viduas dimiseris vacuas; & lacertus *uterq;*
pupillis contritus fuerit.
10 [9] Ideóque circumstant te laquei; & per-
turbat te pavor repentinus:
11 Aut tenebræ, ne videas; & agmen aquarum
obtegit te.
12 [10] An non Deus [11] *est, inquis, in* altitudine cæ-
li? & aspice summitatem siderum, ut excelsa sunt.
13 Ideò dicis, quid nosceret Deus fortis? an
per caliginem [12] judicaret?
14 Densæ nubes latibulum *sunt* ei, ut non a-
spiciat; & ambitum cælorum obambulat.
15 [13] An [14] semitam [c] priscam observâsti,
quam triverunt homines [d] vani?
16 [15] Qui corrugati sunt quum nondum *esset*
tempus; [16] fluvio effuso *in* fundamentum eorum?
17 [17] Qui dicebant *Deo* forti, recede a nobis?
& [18] quid facturus fuisset omnipotens illis?

1 Hujus orationis summæ partes sunt duæ: prior κατασκευαστικὴ sive continens reprehensionem vitæ dictorumq; Ijobi, usque ad 20. ver. posterior παρακλητικὴ sive hortatoria ad resipiscentiam, adjunctis amplis promissionibus, usque ad finem.
2 reprehensionis sive confutationis locus primus, ἐκ [illegible]: quo ostendit Eliphaz non esse cur Ijob tantopere apud Deum & coram ipsis de sua integritate glorietur: nam (inquit) ut homo sit optimus, non potest Deum sibi ullo beneficio obstringere; ac proinde non potes tibi ipsi coram illo confidere, quasi de ipso benè sis meritus.
3 secundus locus, ab inutili: non conducere, aut ad gratiam promerendam, aut ad ullam aliam utilitatem, si quis se velit justificare coram Deo: Luc. 17. 10.
4 tertius locus a natura Dei justissima, abs qua virum religiosum & sanctum nō castigatum iri docet, hoc versu; sed contrà severissimam hanc castigationem arguit monimentum esse summæ & infinitæ malitiæ Ijobi versu seq. 5 nempe cùm te sic castiget Deus. 6 secunda pars reprehensionis, amplificatio proximè præcedentis loci de malitia Ijobi: cujus partes sunt duæ, injuria in homines, usq; ad vers. 12. & impietas in Deum, usq; ad 15. ℣. Harum autem criminationum quia status conjecturalis est, & magis in præsumtionibus quàm certis probationibus positus; futuro utitur, pignus acceperis, nudaveris, &c. q. d. necesse est ut fatearis te aut hoc, aut illud, aut omnia commisisse, si benè attenderis ad justitiam judiciorum Dei. a Heb. *vestes nudorum nudaveris*: *hypallage*. 7 i. qui jam nudi sunt propter injuriam tuam. b Heb. *brachii*. 8 putà injusta dissimulatione aut judicio tuo. 9 accommodatio ad justitiam Dei, quasi ultiones sumentem de inhumanitate Ijobi, quatuor metaphoris. 10 secundum caput confirmationis de Ijobi impietate in Deum, quam Eliphaz partim ex causa quæ agebatur; partim ex superioribus Ijobi verbis astruere conatur per mimesin illius, his tribus versibus. est autem hic eclipsis qualē antè observavimus 1. Reg. 20. 34. & 2. Reg. 9. 27. 11 q. d. ideoq; longiss. a nobis abest. 12 i. judicis partes ageret. 13 tertius reprehensionis locus, ab exemplo eorum qui diluvio olim perierunt, usq; ad ℣. 20. 14 i. rationem vitæ quam sequuti sunt, & exitum eorum, de quo ℣. seq. c He. *seculi*. d He. *vanitatis*. 15 i. intempesta morte abrepti sunt, & diluvio mersi: corrugantur enim hominum mersorum & diu in aquis fluctuantium corpora: synecd. 16 aquis diluvii terram inundantibus. 17 sua impietate & protervia, ut supr. 21. 14. 18 aliud pro justitia sua: sic Ijobum oblique mordet & fodicat.

18 [19] Horum quidem domos ipse impleverat
bono: [20] at consilium improborum procul *abest*
a me.
19 Videntes justi [21] lætantur; & innocens
[22] subsannat eos.
20 [23] Quum nondum exscinditur [24] substan-
tia nostra; & [25] residuum illorum absumit ig-
nis:
21 [26] Assuesce, quæso, cum illo, & pacem ha-
be: in his obveniet tibi bonum.
22 Recipe, quæso, ex ore ejus legem; repone
dicta ejus in animo tuo.
23 Si [27] reverteris usque ad omnipotentem,
[28] [e] instauraberis; procul amovebis iniquitatem
a tentoriis tuis:
24 [29] Idq; ponendo pro pulvere lectissimum
aurum; & pro rupe [f] [30] Ophirinum *aurum* [31] flu-
viatile.
25 [32] Eritq; omnipotens lectissimum aurum
tuum; & argentum, viresq; tibi.
26 Nam tum in omnipotente te ipsum oble-
ctabis; quum attolles ad Deum faciem tuam,
27 Supplex orabis eum; & exaudiet te; &
[33] vota tua persolves.
28 Quum primùm decernes sermonem,
[g] præstabitur tibi; & in viis tuis resplendebit
lux.
29 Quum [34] depæsserint *quemquam*, & cogi-
tabis exaltationem *ejus*; tum demissum oculis
servabit *Deus*:
30 Liberabit [h] noxium; eritq; liberatus pu-
ritate manuum tuarum.

19 q. d. ad tempus quidem abundaverunt Dei beneficiis, abusi sunt turpiter, & tamquam de spoliis Dei ipsius triumphaverunt.
20 epiphonema, quo resumtis Ijobi verbis suprà 21. 16. partim velut præripit illi aversationem hanc, tamquam indignè ea abutenti; partim sibi vendicat & piis omnibus, sequente versu.
21 approbantes & gratulantes judicio Dei.
22 vitam malè gestam improbans.
23 secunda pars, hortatio ad resipiscentiam, cujus propositiones sunt duæ; una de officio Ijobi, tribus versibus; altera de promissionibus, quæ omni resipiscenti misericordiâ Dei comparatæ sunt.
24 i. humana natura, vel genus: sic monet Ijobum a circumstantia temporis: quasi dicat, dum adhuc stas vivus, & dum adhuc potes utilem exspectationem venturi illius judicii præcipere animo suo: nam hæc vera est piorum ac fidelium nota in Vetere & Novo Testamento passim, exspectatio extremi judicii, in secundo adventu Christi. 25 id est, reliquos peccatores, servatos igni in diem damnationis & exitii impiorum. Jeschahjæ 66. 15. & sequentibus, & 2. Petr. 3. 7. & sequentibus. 26 propositio generalis officii & promissionum: nam officium assuescendi cum Deo & pacem colendi exponitur versu sequente; promissiones verò, reliquo capite. 27 id est, seria resipiscentia uteris, & fructus ejus proferes. 28 id est, tu ipse, personæ, res, & facultates tuæ, non tantùm redintegrabuntur; sed etiam gloriosiùs curabuntur a Deo, vers. 24. & 25; optata tibi succedent omnia, & illustrabuntur a Deo, 26, 27, & 28. versibus; denique & tibi ex istis calamitatibus emergenti benedicetur, & aliis propter te, vers. 29. & 30. e Heb. *ædificaberis*. 29 allegorica hyperbole ad figurandam instaurationem, sermone translato a structoribus. f *Heb. fluminum Ophirum: vel fluminibus.* 30 id est, præstantissimum, de quo 1. Reg. 10. 11. 31 i. lectissimum ex Ophirino: nam nullum aurum absolutius est fluviato, ut cursu ipso tritumq; perpolitum. Plinius lib. 33. cap. 4. Posset tamen non incommodè ad copiam referri, si ita interpreteris, fluminibus Ophirum, quasi dicat, qui aurum non pluris facit quàm rupem, etiamsi peremne illius largúmque flumen flueret. 32 quasi dicat, aut si non abundabit aurum, obtinebis quod est pretiosius auro, adeóque pretiosissimum, nempe Deum creatorem dominúmque omnium. 33 id est, nulla tibi a Deo nisi gratias agendi occasio dabitur. g Hebraicè, *exurget vel stabit tibi*. 34 id est, tanta erit illius erga te benedictio, ut etiam aliorum misereatur qui non fuerint innocentes, propter te, ex promissione facta Abrahamo Gen. 11. 35. & 18. 24. & sequentibus, atque huc videtur spectâsse Propheta Jechezkel 14. 14. & sequentib. ubi Ijobi intercessio cum Noachi & Danielis intercessione conjungitur. h He. *non innocentē*.

CAPUT XXIII.

Ijob ægrè ferens objurgationem amicorum, sibi judicium constitui a Deo petit; fidem suam & integritatem profitetur in mediis calamitatibus. Deinde propositionem aliorum convellens, docet improbis in hac vita plurimum benè esse; Deum verò tempus judiciorum sibi asservare; & quomodo & quando decrevit, ea demum in improbos familiamq; eorum exsequi.

CUI respondens Ijob, [1] dixit:
2 [2] Etiam hodiè rebellionem *haberi* queri-

1 Hujus orationis summæ partes sunt duæ: una est κατασκευὴ sive confirmatio hypotheseos de fide & innocentia Ijobi, usque ad cap. 24. altera, ἀνασκευὴ sive confutatio theseos, qua conati fuerant amici Ijobum improbitatis evincere a præsentibus calamitatibus. 2 κατασκευῆς exordium patheticum ex abrupto: quo conqueritur Ijob sibi injuriam fieri, & eo graviorem quo cum majoribus calamitatibus conflictatur.

moniam

moniam meam? [3] *quum* [a] plaga mea gravis exsi-
stit supra gemitum meum?
3 [4] O *si* quis daret *ut* [b] scirem invenire eum;
pervenirem usque ad sedem ejus.
4 [5] Dissererem coram eo causam; & os me-
um implerem [6] argumentis.
5 Cognoscerem *quibus* verbis responderet
mihi: & intelligerem quid diceret mihi.
6 [7] An pro amplitudine virium litigaret me-
cum? non; sed ipse apponeret ad me *animum*.
7 [8] Illic rectus disceptat cum eo; & [9] libera-
rem me in perpetuum a judice meo.
8 ([10] En si antrorsum iverò, non aderit: si ve-
rò retrorsum, non animadvertam eum:
9 Quum aget ipse *ad* sinistram, non tamen
videbo: [11] operiet dexteram *plagam*, nec tamen
respiciam)
10 [12] Quum recognovisset viam quæ *est* apud
me, probavisset me, [13] sicut aurum exirem.
11 [14] Gressum ejus retinuit pes meus: viam e-
jus observavi, ut non declinarem:
12 Præceptum labiorum ejus, ut non dimove-
rem: suprà quàm penum meam recondidi sermo-
nes oris ejus.
13 [15] Sed si ipse [16] contra unum *agit*, quis revo-
cet eum? quod animus ejus cupit, id efficit.
14 Nam perficit statutum [c] de me; & [17] hu-
jusmodi multa sunt penes eum.
15 Propterea [18] a facie ejus perturbor, dum
considero, expavesco ab eo:
16 Quia *Deus* fortis [19] emollit animum meum;
& omnipotens perturbat me:
17 [20] Cùm nondum excisus sim a conspectu
tenebrarum; aut a conspectu meo operiat caligi-
nem.

3 i. id est, gravius affligor quàm ut possim pro gravitate ingemiscere: amplificatio injuriæ, ut sup. 6.4. a *Heb. manus: metonymia, ut infrà 27.11.* 4 Κατασκευῆς primus locus ab optato, quo docet Ijob se bona fide & conscientia fretum maximè expetere ut sistatur coram Deo: quod copiosè explicat usq; ad ℣. 11. b *Heb. ut scirem & invenirem.* 5 i. dispositè & ex ordine cum ipso agerem. 6 innocentiæ meæ: sic exponuntur expostulâtis partes, hoc & sequẽte versu. 7 alterum caput forensis administrationis, de partibus judicis, quasi dicat, constat mihi, mea innocentia, quam ego scio non oppugnatum, sed confirmatum iri a Deo, ut justissimus est. 8 Confirmatio a thesi: non patiuntur (inquit) repulsam viri boni; neque ego paterer. 9 id est, probata causa impetrarem ab eo liberationem. 10 Correctio superioris optati. quasi dicat, sed quid desidero quod exorari non potest? quia Deus liberrimus, cum creaturis agit libertimè, neque in ordinem humanum cogitur. 11 id est, incumbet ad dexteram partem. 12 regressio ad superiorem locum de læto eventu judicii, si concederetur sibi. 13 id est, purissimus, ut aurum ex igne. 14 secundus locus Κατασκευῆς superioris, ætiologiam continens ab integritate sua, duobus versibus. Gressum autem ejus passivè accipe, id est, ab eo definitum, & monstratum. 15 tertius locus Κατασκευῆς ab omnipotentia Dei, duobus versibus; & imbecillitate sua exhorrescente ad judicia Dei, tribus sequentibus. 16 id est, unum aliquem castigat. c *Hebr. meum.* 17 quibus obnitentes & refractarios edomet. 18 id est, sensu flagellorum præsentium ejus, & metu futurorum. 19 id est, teneritatem & imbecillitatem affert animo meo attendenti ad omnipotentiam ejus. 20 id est, cùm neque antehac mors prævenerit ærumnas meas, quod optabam suprà capite tertio, neque jam in ærumnis versans, cernam ullum liberationis modum mihi oblatum esse, sive a morte, quæ finem calamitatum faciat ex naturæ lege; sive a Deo, ut me expediat ab istis calamitatibus, quæ tenebrarum & caliginis nomine indicantur plerumque in scriptura sacra.

CAPUT XXIIII.

Cur [1] ab omnipotente non essent [2] abscondita
[3] tempora? & noscentes eum non prævident
dies [a] ab eo *præstitutos*?
2 [4] Terminos movent *impii*; gregem quem
rapuerunt pascunt:
3 Asinum pupillorum abigunt; pignore ca-
piunt bovem viduæ:
4 Avertunt egentes a via; simul [5] occultantur
pauperes terræ:
5 [6] En *ut* onagri in deserto prodeunt ad o-
pus ipsorum, inde a diluculo pervestigantes præ-
dam: in campestri loco panem sibi *&* pueris
suis:
6 In agro farraginem ejus demetunt; & vi-
neam improbi [b] vindemiant;
7 Nudum pernoctare cogunt absque ve-
ste; quibus non *est* operimentum in ipso fri-
gore;
8 *Qui* ab inundatione montium madent, &
absque perfugio [7] amplectuntur rupem:
9 Abripiunt ab uberibus pupillum: & *quo*
indutus est pauper, pignori accipiunt:
10 Nudum ire cogunt absque vestitu; & [8] fa-
melicos *qui* portant manipulos.
11 Intra muros ipsorum oleum exprimentes,
& torcularia calcantes sitiunt.
12 [9] E civitate homines gemunt, & anima
confossorum [10] vociferatur; & tamen [11] insulsi-
tatem non designat Deus.
13 [12] Isti *sunt* inter rebellantes adversus [13] lu-
cem, non agnoscunt vias ejus; nec sedent in se-
mitis ejus.
14 [14] In ipsa luce surgens occisor interficit
pauperem & egentem, noctu verò est sicut
fur.
15 Et oculus scortatoris observat crepuscu-
lum dicendo, ne contempletur me oculus; & lar-
vam faciei apponit.
16 Perfodit in tenebris domos, *quas* inter-
diu designaverant sibi: [15] nesciunt lucem.
17 [16] Nam pariter mane *est* illis [17] lethalis
umbra: [18] quum *quis* cognoscit, [19] terrores *sunt*
lethalis umbræ.
18 [d] [20] Levis est in superficie aquarum,
[21] maledicta est portio istorum in terra: non
[22] [e] refluet, [f] secundùm consuetudinem altarum
ruet.
19 [23] Ut siccitas, etiam æstus arripiunt aquas
nivales; *ita* sepulcrum *eos qui* peccârunt.
20 [24] Obliviscitur illius vulva, suaviter de-
pascit eum vermis, ampliùs non commemora-
tur: ita confringitur velut arbor iniquitati *dedi-
tus*.
21 [25] Consociat ei sterilem, [26] non paritu-
ram;

1 Ἀνασκευῆς sive confutationis istius partes sunt Propositio, usq; ad versum 17: Occupatio, ac velut quoddam confutationis genus, versibus 8. & Conclusio. Hìc autem Propositionis summa est: Deum tempora judiciorum suorum ita noscere solum, ut ne cum piis quidẽ & religiosis hominibus eorum notitiam ordinariè communicet; ac proinde non posse ab hominibus regulas certas de eo præscribi, quod sibi soli vindicavit Deus. 2 videlicet hominum notitiæ. 3 quibus sive in hoc, sive in futuro seculo decrevit impios punire. a *Heb. ejus.* 4 Ἐργασία propositionis in sequentibus a descriptione improborum & actionum in quibus se occupant: cujus loci sunt, injuriæ in res & in personas, usque ad versum 13. impietásque in Deum, quam evincit ipsorum conscientia dum fugit lucem, & ad omnem improbitatem projecta est, a versu 13. usque ad 17. ℣. 5 id est, abdunt se in loca abstrusissima, ubi latitant eorum metu: quia ab improbis ut mancipia nexa trahuntur & rapiuntur ad operas ipsorum, ut duobus versibus proxime sequentibus exponitur.

6 Exegesis præcedentis dicti de intoleranda improborum sævitia in pauperes quorum operâ contra legem abutuntur, duobus versibus. b *Hebr. serò colligunt: proprium vindemiæ, quia fit desinente anno.* 7 ne ab inundantibus aquis rapiantur. 8 id est, bajulos, quorum opera condendo in horrea & apothecas frumento abusi sunt, vacuos remittunt absque mercede & alimento suo, contra legem Levitici 19.13. & deuteronom. 24. 14. & contra omnem humanitatem, ut amplificatur sequente versu. 9 id est, totas civitates opprimunt gravissimè. 10 orans Deum ut, &c. 11 id est, pergere & confirmari non finit tam pravam administrationem; quæ ideo insulsitatis nomine perstringitur, quia nec Deo nec hominibus bonis humanum aliquid sapientibus probatur. 12 altera pars Ἐργασίας, ut observatum est in versu secundo. 13 spiritalem; sive naturalem in animo & conscientia eorum ingeneratam; sive adventitiam, quam Deus testificatur verbo & operibus suis, de officio erga se & res creatas omnes: idque in Christo, qui est vera illa lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. 14 id est, totos dies consumit in maleficiis, prout videtur commodum, hoc versu; aut clam interdiu comparat quod noctu perpetret, duobus sequentibus. 15 id est, studiosissimè hanc lucem fugiunt, & alteram illam spiritalem longissimè abjiciunt. 16 Exegesis præcedentis dicti, *nesciunt lucem.* 17 id est, matutina lux non ipsis videtur esse. 18 factum ipsorum. 19 metus supplicii. d *Hebraicè, suprà superficiem aquarum.* 20 Ἀνασκευῆς pars secunda, quâ occupat Ijob objectionem hanc; quid ergo? an statuis malis in hac vita semper benè esse, & bonis plerumque malè? ad quam respondit Ijob, se nunquam fuisse in ea sententia; ista pendere ex arbitratu Dei, judicia ejus in improbos plerumque uno momento designari, denique sive eos vexare velit, sive aliquo modo secundare, singularem illius regulam non posse ab hominibus percipi: tempora autem ipsi soli esse cognita. Sic explicantur principia & progressus exitii improborum; usque ad versum vicesimum primum. Levis autem est, id est, citò diffluit perinde atque si superficiei rapidarum aquarum innataret. 21 id est, sententia maledictionis in istos a Deo lata. 22 id est, non reciprocabitur, conuersúsque recurret in pristinum statum, ut fit in æstuariis; sed ut aquæ altæ & ex edito loco ruentes, deturbatus in perpetuum manebit: elegans allegoria, ut Genes. 49.4. e *Hebraicè, convertet se.* f *Hebraicè, consuetudine secundùm altarum: hypallage, ut Genes. 18.11.* 23 altera allegoria ab aquis nivalibus; quæ quia subtiliores sunt, eo celeriùs æstu ab arente terra imbibuntur. 24 id est, perinde dispérit ab hominibus memoria ejus, ac si nunquam conceptus esset, aut editus ex utero: hoc enim synecdochicè accipitur pro toto tempore ejus inde a conceptu. 25 secunda pars judiciorum Dei in improbos, nimirum quòd etiam eorum familiam affligit & pessumdat gravissimè; ac primum quidem uxorem, hoc versu: deinde liberos sequentibus. Nam *Consociat*, inquit, i. neq; vivo eo, neq; mortuo, uxori benedicit. 26 justo judicio ejus; quamvis non natura sterilem.

ram; & viduam non afficit bono:
22 [27] Trahítque robustos vi sua: si consistit
ullus, diffidit vitæ suæ.
23 [28] *Si* dat ei securitatem qua nitatur; tamen
oculi ejus intenti sunt viis istorum:
24 *Si* attollunt se aliquantulùm, *mox* nemo
superest, adeò deprimuntur, planè omnes [29] de-
cutiuntur; & velut [g] frit spicæ succiduntur.
25 [30] An non igitur ita *est*? quis ementietur
me? & rediget [b] in nihilum sermonem meum?

27 id est, tollit e medio liberos, vel opibus, potestate, & honore florentissimos. 28 i. si quietem ei ad tempus largitur, observat tamen eorum consilia & actiones, ad efficiendum quod sequente versu exponitur.

29 i. nullo negotio deturbantur. g *Heb. caput vel cacumen spicæ: sic una voce appellat Varro.* 30 Conclusio, a veritate superioris doctrinæ amicos arguens. b *Heb. ad non.*

CAPUT XXV.

Bildad Ijobum confirmantem integritatem suam ex comparatione majestatis divinæ cælestiúmque corporum reprehendit.

TUm respondens Bildad Schuchites, [1] dixit:
2 [2] Dominatus & [a] *quidem* formidabilis
est penes illum; [b] [3] colit pacem in [4] excelsis suis.
3 An est numerus [5] turmariis ejus? & supra
quem non [6] exsurgit lux ejus?
4 [7] Quid ergo justus esset mortalis *compara-*
tus cum Deo forti? aut quid purus esset natus mu-
liere?
5 [8] En usque ad lunam, non tamen splen-
deret; etiam sidera non pura essent [9] in oculis
ejus:
6 Quanto minùs mortalis, [10] vermis? & fi-
lius hominis, lumbricus?

1 Hic sermo Bildadi confutat priorem propositionem Ijobi de innocentia, quam dixerat se probaturum Deo, suprà cap. 23. Confutat autem ἀπὸ κοινοῦ τόπου, cuius membra sunt duo: unum, comparationis hominis cum Deo, usque ad vers. 5. alterum, cum cælestibus corporibus, ver. 5. & 6. 2 Propositio unius loci communis de omnipotentia Dei, cujus apodosis hominem cum Deo comparans habetur vers. 4. a *Heb. pavoris.* b *Heb. facit.* 3 Confirmatio propositionis de reverenda illa potentia Dei tribus argumentis: primùm a tranquillissima, convenientissima & constantissima administratione rerum cælestium, hoc versu; deinde a rerum morem ei gerentium innumerabilitate; postremò a præstantissima luce, qua omnes suos administros creaturásque superat, vers. 3. 4 i. in cælis & suprà cælos. 5 i. omnibus cælestibus & terrestribus ad jussa ejus capessenda comparatis. 6 i. quem non superat lux bonitatis ejus? 7 cùm Deus potentissimus, instructissimus, & optimus omnium sit, quid homo? &c. comparatio majoris. 8 Altera comparatio majoris, ex ordine gradationis posita, quasi dicat, sed quid hominem cum Deo comparo, cùm ille ne cum rebus quidem creatis cælestibus luce comparari possit? Quamobrem ut Ijobum afficiat graviùs, appellat ipsius conscientiam. En, inquit, usque ad lunam, quasi dicat, attolle eousque oculos, & observa quantoperè obscuretur, si cum Deo comparabitur. 9 i. collata cum eo. 10 id est, qui cum Deo comparatus nihil amplius est quam vermis, præ imbecillitate & vanitate naturæ suæ.

CAPUT XXVI.

Ijob rejectis ironicè sermonibus Bildadi, amplius prædicat omnipotentiam & sapientiam Dei a rerum cognitione, creatione, & administratione.

CUi respondens Ijob, [1] dixit:
2 [2] Quàm adjuvisti destitutum virtute!
servâsti [3] brachium destitutum robore!
3 [4] Quàm consuluisti insipienti! & quod res
est, plurimùm fecisti notum!
4 [5] Apud quem enunciâsti sermones? & cu-
jus anima prodiit ex te?
5 Ipsi expertes vitæ reformarentur; inde ab
aquis etiam [6] habitatores earum
6 [7] Nudum est [8] sepulcrum coram illo; ne-
que *est* tegumentum [9] perditioni.
7 [ǁ] Qui extendit [10] Aquilonem super inane,
suspendit terram super nihilum.
8 Ligat aquas in [11] densis nubibus suis; adeò
ut non findatur nubes sub eis.
9 Continet superficiem [12] solii; expandit ad
illud nubem suam:
10 Decreto circinavit [13] superficiem aquarum;
usque ad consummationē [14] lucis cum tenebris;
11 [15] Usquedum [16] columnæ cæli concutiantur,
& [17] obstupescant ab increpatione ejus.
12 Virtute sua [18] disrupit mare, & intelligen-
tia sua discidit [a] pelagus.
13 Spiritu suo cælos ornavit: formavit manus
ejus [19] serpentem [b] oblongum.
14 [20] En istæ *sunt* partes viarum ejus; sed
quantam particulam rei audimus de eo? [21] toni-
tru ergo [c] summæ potentiæ ejus quis intelligat?

1 Hujus responsionis partes sunt duæ: una est ἀνατροπὴ sive confutatio ironica propositionis Bildadi, usque ad ℣. 6: altera κατασκευὴ sive confirmatio infinitæ illius potentiæ Dei, quam prædicaverat Bildad, ut eadem opera jejunitatem sermonis ejus ostenderet, & confirmaret se optimè de Deo sentire, usq; ad finē capitis. 2 Confutatio ironica ἐκ τοῦ ἀνωφελοῦς, ab inutili, his duobus vers. quam deinde amplificat duobus sequentibus Est autem hic confutationis locus ex ironia superioris sermonis & concessione compositus, hoc modo: Egregia verò dicta, & salutaria scilicet: maximè cùm (ut vobis videmini) apud virum infirmum, abjectum, & ignorantem agitis, quasi dicat, hæc omnia nullius sunt momenti apud me, ad juvandum, servandum, consulendum, aut edocendum me. 3 i. viram, synecdochè: ita se vocat Ijob per μείωσιν συγχωρητικήν. 4 quasi dicat, tantum abest ut facto profiris mihi, ut ne verbis quidem adjuvetis. 5 Amplificatio superioris confutationis, primùm a persona sua, quasi dicat, quem putas esse me, ut profundas apud me verba ista? ego verò amplius teneo, & amplius de Deo quàm tu prædicare possum; prout facit inde a versu sexto: deinde a persona adversarii. q.d. quis tam bellè te docuit, & ad dicenda ista veluti animavit? postremò ab effectis quæ per ironiam hyperbolicam exponit ℣. 5. q.d. mirum fuerit profectò si ad tam festivos, opportunos, & salutares sermones tuos mortui ipsi e sepulcro non excitabuntur, aut ex profundo ipso emergent. 6 i. cadavera jam olim submersa, quasi habitationis jus longinquitate temporis comparâssent in profundo mari.

7 Confirmatio prædicationis illius de omnipotentia Dei κλιμακωειδῶς sive per gradationem facta, primum a centro terræ & universa terra, ℣. 6. & 7: deinde ab aquis partim cælestibus, ver. 8, & 9, partim marinis, ℣. 10. & duobus sequentibus: postremò ab ornatu cæli & aquarum, ℣. 13. 8 i. terræ penetralia sunt illi resupina & apertissima: vide Heb. 4. 13. 9 id est, loco perditionis in quo animantia consumuntur: metonymia. ǁ *Gen. 1.* 10 id est, orbem terrarum, synecdochicè: nam Aquilo ut superior pars orbis nostri, incumbit inferioribus partibus, & omnes simul incumbunt nihilo. 11 velut aquarum conceptaculis, tam firmis ut non stillent nisi ad ipsius voluntatem. 12 id est cæli, Jeschahjæ 66. 1. 13 id est, mare circumduxit terræ. 14 id est seculi, quod discernitur luce & tenebris: vide Jirmejæ 5. 23. 15 id est, donec dissolvatur mundus: synecdoche. vide 2. Petri 3. 7 & 10. 16 id est montes, quibus videtur cælum incumbere velut columnis: vide simile 2. Schem. 22. 8. 17 id est dissiliant; per prosopopœiam dictum. 18 id est, divisit maria, fluenta, lacus, stagna, &c. ut conspiceretur arida. a *Heb. superbiam, id est, superbam aquarum congeriem, ubi consistebat terra.* 19 id est, balænam, quæ ab immensa illa longitudine sua nominatur vectis maris: ut Jeschahj. 27. 1. b *Heb. vectem ut Jeschahjæ 27. 1.* 20 Conclusio istius propositionis: omnipotentiam Dei & sapientiam non posse nisi minima ex parte intelligi, nedum audiri aut prædicari a nobis. 21 id est, ipsum intonantem & loquentem coràm. Argumentatio est per comparationem majoris. c *Heb. potentiarum.*

CAPUT XXVII.

Ijob Deum testem adhibens amicos reprehendit; probos & improbos usu afflictionum docet innotescere: ac postremò sapientiam Dei hominibus quamvis sagacibus inpervestigabilem & Deo soli ab æterno cognitam fuisse ostendit.

DEinde [1] pergens Ijob proferre sententiam su-
am, [2] dixit:
2 [3] Ut vivit *Deus* fortis, *qui* [4] summovit cau-
sam meam; & omnipotens, *qui* amaritudine affi-
cit animam meam:
3 Quamdiu anima mea in me erit; & spiritus
Dei in naso meo,
4 [5] Non sunt loquutura labia mea iniquita-
tem; neque lingua mea effabitur dolum.
5 [6] Absit [a] a me, ut justificem vos: quoad ex-
spiravero, non amovebo integritatē meam a me.
6 Justitiam meam retineo; neque deseram e-
am: non abjiciet *eam* [b] animus meus [c] unquam.
7 [7] Erit ut improbus inimicus meus; & insur-
gens in me ut iniquus.
8 [8] Nam quæ *esset* exspectatio hypocritæ,

1 i. a singulari responso facto propositioni Bildadi, transiens ad integram constitutionem suæ & amicorum causæ, his quinq; capitibus. 2 Totius orationis Ijobi summæ partes sunt duæ: ἀντικατηγορία, hoc est, translatio criminis sive recriminatio in amicos, confutans sermones ipsorum, his duobus capitibus; & κατασκευὴ, id est, constitutio & confirmatio sermonum suorum, tribus sequentibus. Hujus autem ἀντικατηγορίας partes sunt, Propositio, a vers. 2. usque ad 8: Confirmatio, a vers. 8. ad finem capitis usque: & confutatio, capite sequente. 3 Exordium propositionis a religione juramenti, ad fidem faciendam sermoni de innocentia sua & amicorum injuria, usque ad vers. 4. 4 id est, rejecit, ut nondū de ea cognosceret. 5 id est, nihil tergiversabor; omnia bona fide & sine dolo malo enunciabo, rationem duntaxat habens veritatis. 6 Propositio, constans duabus partibus; criminatione amicorum, & sui probatione; quę partes duobus sequentibus versibus converso ordine ex Hebræorum usu amplificantur. a *Heb. mihi.* b *Heb. cor meum.* c *Heb. a diebus meis: ut 1. Reg. 1. 16.* 7 id est, quisquis mihi in hac causa adversatur, tandem aliquando injuriæ condemnabitur: prout factum est cap. 42. 7. & 8. 8 Confirmatio innocentiæ a fide sua & exspectatione in Deum, etiam in ipsis afflictionibus. q.d. vos a rebus hisce præsentibus judicium facientes, hypocritam statuitis esse quem ita graviter Deus affligit; ac proinde me omnes uno ore hypocriseos condemnatis sup. 8. 13. & 15. 34. & 20. 5. Ego verò contrà, cum jam antè afflictiones proborū improborumq; communes esse demonstraverim, sup. 9. 22. & sequentibus; omnino confirmo probos & improbos non ex afflictionum numero aut gravitate cognosci; sed ex animi constitutione, & afflictionum usu: nam probi utcunq; rebus vel charissi. spolientur, a Deo exaudiuntur: si nondū exaudiuntur, tamen in Deo acquiescunt, & oblectationem capiunt; deniq; adversis rebus æquè ac secundis in invocatione nominis Dei perseverant: hypocritæ verò quid exspectarent? cui confiderent? quo delectarentur? quem invocarent? nam simulac de rebus suis, & optatis deturbantur; planè dejiciuntur de mente, & ipsi animum abjiciunt. hæc est propositio major.

quam expleverit; quum decutit Deus desiderium ejus?

9 An clamorem ejus exauditurum *Deum* fortem, quum supervenit ei angustia?

10 An in omnipotente sese oblectat? invocat Deum [9] omni tempore?

11 [10] Doceo vos in [d] plaga *Dei* fortis *versans: enim* qui *sibi constat* cum omnipotente, non ementior.

12 En, vos omnes videtis: [11] & quare jam vanitate vanescitis?

13 [12] Hæc *est* portio hominis improbi [e] a *Deo* forti; & possessio violentorum, *quam* ab omnipotente accipiunt.

14 Si multiplicantur filii ejus, *multiplicantur* ad gladium: & prognati ejus non saturantur pane.

15 Superstites ejus in [13] ipsa morte sepeliuntur; & [14] viduæ ejus non flent.

16 Si concervaverit, ut pulverem argentum, & velut lutum comparaverit vestem;

17 Quod comparaverit, justus induet; & argentum innocens partietur.

18 Ut ædificaverit [15] quasi Arcturi domum suam; *erit* velut [16] tugurium *quod* fecit custos.

19 Dives cubat, quum nihildum [f] interversum est: ubi [17] oculos suos aperit, nihil adest.

20 [18] Assequitur eum velut aquæ, [g] terrorum *multitudo*: noctu furtim abripit eum turbo.

21 Asportat ipsum Eurus, ut abeat; & in morem procellæ corripit eum e loco suo.

22 Ita projiciente in ipsum & non parcente *Deo*, ab ejus manu [h] contentissimè [19] fugit:

23 At [20] explodit eum manibus suis; & exsibilat eum e loco ejus.

9 i. secundis & adversis rebus. 10 Assumtio, transiens hypotheticè ad personam suam: quasi dicat, at ego non facio, ut hypocritæ solent; sed animum meum, ut constitutus est erga Deum in gravissima hac calamitate, vobis expono, & videtis ipsi. d *Heb. manu: metonymia, ut sup.* 23.2. 11 Conclusio: quasi dicat, ex malis principiis falsò concluditis; frustrà tempus consumitis, & me obtunditis. 12 Majoris probatio complectens duo capita; unum, de calamitatibus quæ etiam improbos invadunt, usque ad ℣. 20: alterum, de miserrima animi eorum constitutione, usque ad finem capitis. e He. de *cum Deo*.

13 id est, adhuc animam agentes. 14 id est, ne ab intimis quidem lugentur; ita sunt omnibus exosi: synecdoche. 15 i. prætorium magnificum, splendidum, & alterum velut paradisum, cælestémque domum fieri curaverit: denique velut in cælo fuerit sententia sua. 16 hoc enim tantisper durat, dum fructus sunt in agro. f *Heb. colligitur.* 17 id est, simul atque evigilat. 18 Altera pars ἐργασίας, ut notatum est in ℣. 13. q.d. conscientia ejus longè aliter quàm justorum afficitur, perculsa terrorum turbinibus, ventis, & procellis, malorúmque gravissimorum infinito numero. g *Heb. terrores.* h *Heb. fugiendo fugit.* 19 i. desperat & diffidit ei, ut hosti infensissimo. 20 Deus: humanitùs dictum.

CAPUT XXVIII.

1 NAm [2] est *quidem* argento [3] eductio; & [4] locus auro *quod* liquant *metallarii*:

2 Ferrum e [5] pulvere sumitur; & [6] lapide funditur æs:

3 [7] Terminum impositum tenebris, & omnem perfectionem *mortalis* ipse pervestigat; [8] lapidem caliginis & umbræ lethalis.

4 [9] *Quum* erumpit torrens [10] dimisso accola, *aquæ* [11] oblivioni traditæ a pede; exhauriuntur [a] mortalis operâ, abscedunt.

5 Terræ [12] ex qua prodit cibus; [13] quamvis sub ea diversum fiat, velut ignis *ardeat*;

6 *Terræ inquam* ejus [14] lapides [15] loco Sapphiri; pulveres verò aurum *sunt* illi;

7 *In* semitâ quam non novit volucris, neque contuitus est oculus [16] cornicis;

8 Quam non instituerunt ad iter [b] juvenes feræ; neque transivit per eam immanis leo.

9 In [17] saxum adamantinum mittit manum suam: evertit radicitùs [18] montes:

10 In rupibus diffindendo [19] efficit rivos: & quicquid [c] rarum est, videt oculus ejus.

11 [20] A fletu flumina obligat; denique absconditum prodit luci.

12 [21] At illa sapientia unde inveniretur? & ubinan *esset* locus intelligentiæ?

13 Non novit mortalis æstimationem ejus; neque invenitur in terra viventium.

14 Abyssus dicit, non est in me, & mare dicit, non *est* penes me.

15 Non posset dari aurum asservatum pro ea; neque appendi argentum *in* pretium ejus.

16 Non potest taxari insigni auro Ophirio; Sardio pretioso, aut Sapphiro.

17 Non potest *ullus* æstimare eam auro aut [22] nitidissima gemma; nec permutationem ejus vase auri purgatissimi.

18 [23] Sandastri aut unionis nulla fiat mentio: nam acquisitio sapientiæ præit carbunculis.

19 Non potest *quisquam* æstimare eam Topazio Æthiopico: insigni auro puro taxari non potest.

20 Illa igitur sapientia unde adveniret? & ubinam *esset* locus intelligentiæ?

21 Cùm occulta sit ab oculis omnis viventis; etiam a volatili cæli abscondita:

22 [24] Perditio & mors dicant; auribus nostris [25] audivimus [d] famam ejus.

23 [26] *Solus* Deus intelligit viam ejus; & ipse scit locum ejus.

24 [27] Nam ipse in extremitates terræ intuetur; sub omnibus cælis videt.

25 [28] Aptando [29] pondus aëri, & appendendo aquas ex mensura:

26 [30] Faciendo pluviæ statutum; & viam fulgetro tonitruum;

27 [31] Jam tum videbat eam, & recensebat eam: comparabat eam, etiámque pervestigabat eam.

28 [32] Dixit verò homini; En [33] reverentia domini *est* sapientia, & recedere a malo, intelligentia.

1 Confutationis locus unus, toto hoc capite elegantissimis figuris illustratus, respiciens ad conclusionem Ijobi suprà 27.11. Quasi dicat, Dixi vos in cogitationibus sermonibúsque vestris evanescere atque desipere: miramini dictum: ego vero hoc uno tantùm argumento contentus ero ad diluendum sermones vestros. Sapientia Dei est impervestigabilis, ac proinde incognita hominibus; vos autem de ea ita loquimini, ut si pervestigassetis & explorassetis eam: vanissimi igitur estis qui de sapientissima illa administratione Deo pro judicio vestro statuitis. Tota itaque argumentatio est ἐν τῷ ἀδυνάτῳ. Sed antequam istud ἀδύνατον sive (ut ita loquamur) impossibilitatem ostendat; distinguit sapientiam humanam a divina; & per comparationem istius sapientiæ quæ homini relicta est, sapientiam Dei amplificat. Est autem comparationis istius membrum unum de sapientia humana, usque ad vers. 12; deinde ab eo versu est comparationis apodosis. 2 q.d. est quidem homini a Deo attributa mirabilis ars & sapientia, quæ, si alibi usquam, elucet in metallorum effossionibus & distinctionibus. 3 sive terræ argyritidis effodiendæ, sive excoquendæ. 4 i. auri fodinæ inveniuntur arte. 5 id est, e stricturis sive glebis, venáque ferraria. 6 æroso, quem vocant cadmiam; vel in Cypro e chalcite. 7 id est, viscera, fibras, & sinum terræ intimum. 8 id est, abstrusissimos lapides. 9 i. quum repentè stagnat specus metallica, & cuniculi irrumpentibus aquis exundantur; ea est ars & sapientia hominis, ut etiam profundissimas aquas exhauriat, irrumpentes obthuret, & specus arefaciat. 10 id est, ab alveo suo ordinario qui accolebatur, præceps in cuniculos metallicos exundat. 11 i. quas pes ullus (ut Hebræi loquuntur) non novit sive expertus est unquam, quæ pede non possunt transiri præ profunditate. a *Heb. a mortali.*

12 id est, quæ plus satis benigna est & fertilis, quacunque calcatur. 13 i. quamvis sæpe in subterraneis specubus venæ terræ sulphureæ, sive natura sua, sive fermentorum ictibus irritatæ, sive lucernis inflamatæ in homines excandescant: tamen non deterrentur ipsi. 14 i. glebæ cum lapidibus metallicis fodinarum. 15 id est, lapides illi effossi stringuntur, & poliuntur in Sapphiros: & ex pulvere disparatur aurum. 16 quamvis oculatissimæ, & sitientis auri, id est, uno verbo, semita omnibus rebus creatis avi; periphrasis. b *Heb. filii feræ.* 17 qui in fodinis occursare solet: candidam vocant artifices, auctore Plinio. 18 qui excavati cuniculariorum operâ dehiscunt, sidentibus rimis. 19 id est, flumina librata ex aliis jugis montium, substructis canalibus ducit, aut ex propinquo derivat: corrugos vocant, inquit Plin. lib. 33. cap. 4. c *Heb. pretiosum, ut 1. Schem. 3.1.* 20 corrugos pro arbitrio obthurat obicibus, ne etiam tantillum stillent: quod metaphoricè notat fletus appellatio. 21 Apodosis, ut notatum est in ℣. 1, qua ostenditur neque usquam invenire posse, ℣. 13. 14; neque ullo pretio, a ℣. 15. ad 20. ℣. neque a quoquam vivente, ℣. 21. & 22. 22 sic interpretamur ex vocis etymo. 23 ad vocem Chaldaicam proximè accessimus, & vocis etymon: Vide Plinium lib. 37. cap. 7. 24 id est, omnes res creatæ, quæ antè perierunt. quasi dicat, neq; nunc, neq; unquã antehac cõprehensa fuit a mortalibus: synecdoche. 25 nempe tantum: quasi dicat, nunquam potuimus cognoscere aut assequi eam. Prosopopœia. d *Heb. auditionem.* 26 altera pars confutationis κατασκευαστική: qua, ubi notitiam sapientiæ illius omnibus ademit, soli Deo asserendam docet. Est autem hoc versu propositio, cujus ἐργασία in sequentibus continetur usque ad finem capitis. 27 Explicatio sapientiæ Dei ab infinitate ejus in omnia loca, hoc versu; & omnia tempora, versibus sequentibus. 28 i. inde ab eo tempore quo Deus creabat, aptabátque omnia. 29 id est, quum omnes res creatas ex pondere & mensura ordinabat sapientissimè. 30 i. quum leges poneret in futurum totius administrationis, ordinariæ & extra ordinem. 31 id est, jam eo tempore illa intimè & familiarissimè utebatur, ut Proverbiorum 8. ac proinde illam ab æterno obtinet infinitam: sed homini circumscripsit vers. sequent. 32 Conclusio, a finibus quos sapientiæ nostræ circumposuit Deus: ut amicos a suis judiciis revocet; suum studium erga Deum ostendat, & probet se nolle penitiùs in judicia Dei inquirere, quàm prout revelata est ab ipso sapientia. 33 sic Ecclesiastæ 12.15.

CAPUT XXIX.

Ijob pristinæ suæ amplitudinis pluribus recordatus, exoptat redintegrationem illius; præsentium calamita-

tum

tum vim, ex comparatione illius fælicitatis gravissimè amplificat: studium suum in colenda humanitate, pietate, officiisque omnibus in Deum & homines profitetur: propter quod in præsentis mali indignationem irrumpens, dira sibi imprecatur si contra quam debuit fecerit; Deum provocat, & judicium constitui petit.

Amplius [1] perrexit Ijob proferre sententiam suam dicens:

2 [2] O *si* quis daret mihi *ut* tamquam mensibus præcedentibus; tamquam diebus *præcedentibus* Deus conservaret me:

3 [3] Quum efficeret ut splenderet lucerna sua super caput meum; ad cujus lumen [4] ambulabam *per* tenebras:

4 Ut eram diebus [5] hibernorum meorum, [6] arcano Dei in tentorio meo:

5 Quum adhuc omnipotens *erat* mecum; circumstantibus me pueris meis:

6 Quum [7] lavabam vestigia mea butyro; & rupes fundebat apud me rivos olei;

7 [8] Quum egrediebar *ad* [9] portam per urbem; in platea comparabam sedem meam.

8 Videntes me pueri occultabant sese; etiam decrepiti assurgentes stabant:

9 Principes continebant sermones; & manum imponebant ori suo:

10 [a] Eloquentes antecessores occultabant se; eorúmque lingua palato eorum [10] adhærebat.

11 Nam auris adiens beatum prædicabat me; & oculus videns testificabatur mihi,

12 Me eripere pauperem vociferantem; pupillúmque, & cui adjutor non *est*.

13 Benedictio [11] pereuntis veniebat super me; & [b] animum viduæ ad cantum excitabam.

14 [12] Justitiam induebam, & induebat me; velut pallium & cidarin judicium meum.

15 Ut oculi eram cæco; & *velut* pedes claudo eram.

16 Pater eram egentibus; & [13] litem *ejus quem* non cognoveram, ipsam pervestigabam:

17 Perfringebámque [14] molares iniqui; & e dentibus ejus ejiciebam prædam.

18 [15] Itaque dicebam, apud nidum meum exspirabo; & sicut arena, [c] multis diebus utar:

19 [16] Radice mea explicata ad aquas; ros pernoctabit in ramo meo:

20 Gloria mea *erat ut* novella apud me; & [17] arcus meus in manu mea innovabit *se*.

21 [18] Mihi auscultantes exspectabant; & conticescebant ad consilium meum.

22 Post verbum meum [19] non iterabant; ita super eos stillabat sermo meus.

23 Expectabant enim tamquam pluviam me; & os suum distendebant, *ut* ad pluviam serotinam.

24 *Si* jocabar cum eis, [20] non credebant, & [21] lumen vultus mei non dejiciebant.

25 *Si* [22] eligebam viam eorum, sedebam primarius; denique habitabam ut Rex inter turmarios *suos*: [23] quando lugentes consolatur.

1 Hęc oratio Ijobi κατασκευαστική, ut annotatum est suprà 27. in vers. 1. continetur tribus capitibus; cujus summæ partes sunt, Propositio optati de instauratione in pristinam sortem, cap. 29: altera Propositio calamitatis & indignationis suæ præsentis, a principio, cap. 30. usque ad vers. 24: deinde Contentio gravissimis imprecationibus juncta, usque ad finem cap. 31.
2 propositio summa optati a Deo, cujus singulæ partes ex ordine toto capite exponuntur.
3 primus locus optati, beneficentia Dei, in ipsum, familiam, domum, & bona ipsius, usque ad 7. vers. frequentibus metaphoris & hyperbolis illustratus.
4 id est, a communibus calamitatibus liber eram.
5 allegoria insignis, qua ampliùs explicat quod modò dixit, de immunitate sua a præsentissimis & communibus ærumnis. quasi dicat, quemadmodum stationarii milites degentes in hibernaculis quiescunt a laboribus, & eis de commeatu prudentis ducis operâ & studio providetur: ita etiam mihi consulebat Deus, dum aliis subeundæ erant permagnæ molestiæ.
6 id est, consilio & providentia velut imperatoris mei. 7 id est, abundabam & circumfluebam bonis: hyperbolica synecdoche: ut Gen. 49. 12. 8 secundus locus optati, honor publicus ab omnibus uno consensu ipsi exhibitus, & prædicatus ex merito ipsius, usque ad vers. 18. 9 id est, forum judiciale. a *Heb. vocis antecessores, id est, vocales: synecdoche.* 10 id est, immota stabat. 11 id est, jam jam perituri, nisi auxilio adfuissem ei. b *Heb. cor.* 12 id est, me honorem habentem sibi honorabat, & mihi judiciisque meis testimonium apud omnes honorificum perhibebat. 13 id est, nulla erat apud me personarum acceptio: ita jus ex æquo dicebam. 14 id est, injustorum violentiam retundebam: metaphora a feris. 15 tertius locus optati, fiducia & securitas præcepta animo ex superiore Dei benignitate, hominum acclamatione, & bona conscientia, usque ad vers. 21. c *Heb. multiplicabo dies.* 16 allegorica figuratio prosperitatis suæ, a plantis quæ irrigantur, & perpetuò ut novellæ virent. 17 id est, robur meum. quasi dicat, nunquam infirmabor. 18 ultimus locus optati, prærogativa ipsius in honoratiorum consessu atque consiliis, usque ad finem. 19 nimirum sermonem, id est, non agebant secundas in dicendo, sed dicenti mihi acquiescebant. 20 id est, in tanta opinione eram apud illos, ut etiam jocabundi sermonem seriò acciperent.

21 id est, nullo mærore afficiebant me; in omnibus placebant & gratificabantur mihi.

22 id est, si ultrò eos accedebam. 23 id est, quum aliqua occasione consternatum exercitum in spem bonam erigit: est enim maximum solamen militibus intrepedi ducis præsentia.

CAPUT XXX.

Nunc [1] autem rident me minores me [a] tempore, [2] qui sprevissem parentes eorum [3] apponere canibus gregis mei.

2 Etiam vires manuum eorum quorsum mihi *profuissent*? in illis [4] perierat senium.

3 Qui in inopia & fame *erant* solitarii: fugiebant *per* siccaneum, [b] [5] hesterna nocte vastatum & pervastatum *locum*:

4 Qui decerpebant [c] herbas e salsilagine cum stirpibus: etiam radices [6] juniperorum cibo *erant* illis:

5 [7] E corpore expellebantur: vociferabantur *homines* contra eos, ut *contra* furem:

6 In concavitate vallium habitando, foraminibus pulveris & petrarum,

7 Inter stirpes [8] rudebant; sub urtica [d] [9] pungebantur:

8 Homines [e] flagitiosissimi, etiam homines ignominiosissimi; afflictissimi erant; [f] extorres.

9 Nunc, inquam, modulatio istorum sum; & sum eis [g] sermonis argumentum.

10 Abominantur me, longè recedunt a me; & a facie mea non [10] cohibent sputum.

11 [11] Nam chordā meam solvit, & afflixit me *Deus*: ideò [12] habenas a presentia mea dimiserūt.

12 Ad dexteram [h] puberes [13] insurgunt, pedes meos impellunt: aggerant contra me semitas [i] exitiales suas.

13 Destruunt iter meum, ad calamitatem meam conferunt; [14] nemine opem ferente ipsis.

14 Quasi [15] irruptione lata, invadunt *me*: sub [16] vastata labe devolvunt sese.

15 Obversa est in me *irruptio cum* terrorū multitudine, persequitur quasi ventus [17] ingenuitatē meam: & tamquam nubes præteriit salus mea.

16 Et jam in me [18] se ipsam effundit anima mea: obtinent me dies afflictionis meæ.

17 [19] Nocte ossa mea perfodiuntur a *stragula* imposita mihi; & arteriæ meæ cubantis non quiescunt.

18 [k] [20] Præ magna vi *morbi* [21] mutat se vestitus meus; ut ora tunicæ meæ [22] cingit me.

19 Projecit me in lutum; adeò ut comparare me possim pulveri & cineri.

20 [23] Vociferor ad te; sed non exaudis me: consisto; sed *non* advertis te ad me.

1 Altera propositio, ut notatum est suprà 29. in vers. 1. cujus propositionis loci sunt iidem qui prioris propositionis; sed ordine inverso ex Hebræorum usu opponuntur.
a *Heb. diebus: synecdoche, ut infrà 32. 4.*
2 primus locus indignationis, comparatio honoris sui antecedentis cum ignobilitate, tenuitate & infamia eorum a quibus contemnebatur, usque ad ѵ. 11.
3 id est, instituere inter opiliones abjectissimos & custodes gregis mei: causas exponit sequentibus.
4 id est, vitam totam usque ad senium inanem consumserant, emphaticum genus synecdoches.
b *Heb. hesternæ noctis vastationem & pervastionem.*
5 id est, recentissimam & horridissimam vastitatem; ita Reipub. & omnibus bonis erant exosi.
c *Heb. salsilaginosam.*
6 i. res quavis durissimæ atque avulsu difficiles: synecdoche.
7 putà civitatis, universitatis, collegiorum, φρατριῶν, &c.
8 id est, exclamabant læsi.
d *Heb. abscessibus afficiebantur.*
9 id est, urebantur, adeò ut pusulæ & abscessus ex urticarum contactu exorientur. e *Heb. filii flagitiosi, etiam filii absque nomine.* f *Heb. ex terra.* g *Heb. in sermonem.* 10 in signum videlicet maximi contemtus & indignationis: ut Num. 12. 14. 11 secundus locus indignationis, nimirum infirmatio ipsius; qui opponendus est tertio loco superioris propositionis usque ad vers. 18. *κατ᾽ ὑστέρησιν.* Chordam autem meam, id est, arcus mei cujus mentionem fecerat suprà 29. 20. 12 id est, effrænatè in me invecti sunt, quasi immissis vel excussis habenis. h *Heb. pubertas.* 13 allegorica descriptio injuriarum, a forma castrensi. i *Heb. calamitatis suæ.* 14 id est, quamvis soli sint & careant adjutoribus, adeò tamen audaces & præfidentes sunt, ut soli maligno studio in me omnibus modis irruant. 15 id est, ut milites in stationem meam (de qua suprà 29. 4.) labefactatam irrumpunt: quod exponit & amplificat ѵ. sequens. 16 altera similitudo a castrensibus cunicularis. 17 i. gloriam illam meam, quam extuleram tot verbis suprà 29. 18 id est, liquefit & contabescit. 19 id est, ne ipsum quidem tempus quietis mihi quietem affert, sed me stragula ipsa prægravat, & quasi vires adimit motuum & actionum omnium, præ nervorum lassitudine. k *Heb. præ magnitudine vis.* 20 tertius locus indignationis; turpis & abjecta ipsius constitutio. 21 i. decoloratur & transfiguratur, dilutus sanie manante ex corpore meo. 22 i. constringit me; ut ora vestimenti in quam inseritur collum, ita agglutinatur sanie: nam apud veteres reliqua pars vestimentorum laxa erat præter eam quam vocabant furam. 23 quartus locus; adversatio Dei, qui prius Ijobo benedixerat sup. 29. 2. & seq.

21 Convertis te in crudelem contra me: pro
robore manus tuæ intestinum odium exerces adversum me.
22 [24] Extollis me in ventum, *ei* imponis me;
& [25] efficis ut diffluam [l] substantiâ.
23 [26] Nam experior, mors avocat me; & [27] domus constituta omni viventi.
24 [28] Enimverò [29] *an* non postulatio *fiebat*
quum immitteret manum? non vociferatio propter [30] ista in oppressione [31] ejus?
25 An non flebam [m] pro eo cui dura erant
tempora? anxia erat anima mea pro egente?
26 Quòd bonum exspectanti mihi evenit malum; & speranti lucem evenit caligo:
27 [32] Viscera mea effervefacta sunt, adeò ut
non quiescant: prævenerunt me dies afflictionis.
28 [33] Ater ambulo non a sole; surgens in congregatione vociferor.
29 [34] Frater factus sum draconibus: & socius
[n] pullis ululæ.
30 Cutis mea denigrata est super me; & ossa
mea exarserunt præ siccitate.
31 Proinde ad [35] luctum redacta est cithara
mea; & organum meum ad vocem flentium.

[24] ut stipulam vortex, qui dicitur typhon. [25] id est, velut prester consumis & proteris: metaphoræ a procellis. [l] *Heb. essentia.* [26] ætiologia superioris indignationis a sensu carnis. [27] i. sepulcrum, ut Psal. 49. 15. [28] tertia pars orationis; cujus capita summa sunt duo: unum, contentio & expostulatio, qua Ijob indignitatem suarum calamitatum explicat per comparationem anteactæ vitæ suæ, usque ad vers. 5. cap. 31: alterum, quo hypotheticè sibi imprecatur dira, si secus quàm dixerat, vitam transegerit, a vers. 5. ad finem. Est autem hic prior contentionis locus ab officiis humanitatis, his duobus versibus; unde sequitur expostulatio, quòd tam inhumanè excipiatur, usque ad finem hujus capitis. [29] id est, nónne aliorum calamitosorum nomine Deum flagellantem deprecabar pio & humano officio? sic Psal. 35. 13. [30] id est, hujusmodi mala qualia jam patior, quorum causa ad Deum vociferantur afflicti. [31] i. a Deo ipso factam? [m] *Heb. propter durum die: synecdoche.* [32] explicatio istius mali, & caliginis, de qua expostulavit superiore versu. [33] id est, exustus & exhaustus malis, atque luctuosus; quæ duæ propositiones inverso ordine explicantur duobus sequentibus versibus. [34] vociferatione funesta imitatus eos. [n] *Heb. filiabus.* [35] id est, lætus ille & gloriosus status meus tristi commutatus est.

CAPUT XXXI.

FOEdus [1] pepigeram cum oculis meis: & quid
advertissem animum ad virginem?
2 [2] Nam quæ *est* portio [a] a Deo supernè? aut
possessio ab omnipotente de excelsis?
3 Nónne exitium iniquo, & quidem [b] monstrosum operariis iniquitatis?
4 An non ipse videt vias meas? & omnes
gressus meos numerat?
5 [3] Si ambulavi cum vanitate; aut festinavit
ad dolum pes meus:
6 Examinet me lancibus justitiæ; & cognoscat Deus integritatem meam.
7 Si declinavit gressus meus a via [4] illa; &
[c] oculos meos sequutus est animus meus, aut
manibus meis adhæret [5] quicquam:
8 Quod seminavero, alius comedat; & propagines meæ eradicentur.
9 Si pellectus fuit animus meus ad mulierem; aut ad ostium proximi mei [6] insidiatus sum:
10 Molat alteri uxor mea; & super eam incurvent se alii.
11 Nam illud flagitium *est*; & ea *est* iniquitas
[d] a judicibus animadvertenda.
12 Ignis enim iste ad perditionem usque consumturus esset; & omnem proventum meum eradicaturus.
13 Si sprevi causam servi mei, aut ancillæ
meæ; litigantium mecum:
14 ([7] Quid enim facerem, si surgeret Deus
fortis? & si visitaret, quid responderem ei?
15 Nónne in utero, qui fecit me, fecit eum?
& disposuit nos in ipsa vulva idem?)

[1] Posterior contentionis locus a constitutione animi sui & conscientiæ coram Deo; quo ostendit se legem animo suo dedisse & omnibus affectibus, posito sibi ob oculos timore Dei; nec ideò minùs in istas calamitates incidisse, ut conquestus est sup. 3. 25. [2] ætiologia initi fœderis, & legis animo suo impositæ; timor Dei, reformidatio judiciorum ejus, & conscientia omniscientiæ (ut ita loquamur) ejus. [a] *Heb. Dei supernè, aut possessio omnipotentis.* [b] *Heb. extremum.* [3] alterum membrum ex antithesi, ut observatum est sup. 30. in ver. 24. [4] quam dixit ver. 1. [c] *Heb. post oculos meos ivit cor meum.* [5] alienum a præstituta via, q. d. si quid alienum concupisco, aut pro meo habeo. [6] ut adulter alienam domum obsidens. [d] *Heb. judicium, id est, quærenda, cognoscenda, & punienda a judicibus: sic vers. 28. Prover. 6. 27.* [7] ætiologia elegantissima sui officii erga infimos quosque, primum a judicio Dei aprosopolepteo, deinde a lege creationis & naturali jure.

16 Si cohibui me ab [8] optato tenuium; aut
oculos viduæ [9] confeci;
17 Et comedi frustum cibi mei solus, ac non
comedit pupillus ex eo:
18 (Nam a pueritia mea adolevit *apud* me
tamquam patrem: & ab utero matris meæ ductavi [10] illam)
19 Si [11] aspexi pereuntem quòd non *esset* vestimentum; & non *fuit* tegumentum egenti:
20 Si non benedixerunt mihi [12] lumbi ejus;
quòd de vellere agnorum meorum incalesceret:
21 Si [13] agitavi contra pupillum manum meam; quòd viderem in porta auxilium meum:
22 Humerus meus de scapula sua decidat; &
brachium meum ab acetabulo defringatur.
23 [14] Nam pavori *erat* mihi exitium [e] a *Deo*
forti; cujus excellentiæ non prævaluissem.
24 Si posui *in* auro spem meam; aut insigni
auro dixi, fiducia mea:
25 Si lætatus sum quum multæ essent opes
meæ; & quum ingentes *opes* invenit manus mea:
26 Si aspiciendo lucem quum splenderet; aut
lunam, [15] pretiosum ambiens,
27 [16] Pellectus est in occulto [f] animus meus;
& [g] osculatum est os meum, & manus mea:
28 Etiam hoc *fuisset* iniquitas a judicibus animadvertenda: nam abnegassem *Deum* fortem supernè.
29 Si lætatus sum de oppressione osoris mei;
& [17] excitavi me quum obvenit ei malum:
30 (Non enim permisi peccare palatum meum; petendo exsecratione animam ejus)
31 [18] Si non dixerunt [h] contubernales mei,
ô si quis daret de [19] carne illius: non saturamur;
32 *Quia* foris non pernoctabat peregrinus;
fores meas viatori aperiebam:
33 [20] Si texi more hominũ [i] defectiones meas;
abdendo ex dilectione mei iniquitatem meam;
34 Quòd violentia usus sim in multitudinem
magnam: si [21] contemtus familiarum exterruit
me; ita ut conticescerem, [22] non exirem porta:
35 [23] Quis det mihi auscultantem mihi? [24] en
[k] scopum meum Omnipotens faciet ut enunciem, si librum scripserit adversarius meus.
36 *Disperеam* si non super scapulam meam
portarem [25] eum; [26] annecterem eum *pro* diadematis mihi.
37 Numerum gressuum meorum indicarem
[27] illi, [28] ut antecessor appropinquarem ad illum.
38 [29] Si contra me terra mea clamaverit; &
pariter porcæ ejus fleverint:

[8] subaudi efficiendo; hoc est, subtraxi me, quo minùs eis satisfacerem. [9] i. frustratus sum; ac ita effeci, ut oculi longiori exspectatione conficerentur. [10] viduam, de qua v. 16. per hysterosin. [11] tantùm; neque subministravi. [12] i. ipse lumbis tectus: vide Deut. 24. 13. [13] i. inhumanè repuli, cecidi, aut interminatus sum, manu mea, id est, potentia, & auctoritate abusus. [14] ætiologia: non feci, quia timui Deum. [e] *Heb. exitium Dei fortis.* [15] i. cæli ambitum & conversionem, ac quicquid esse videtur in eo pretiosum. Sic ostendit Ijob se abhorrere ab omnibus gentium superstitionibus. [16] i. si quicquam cogitavi, dixi, aut feci quod spectaret ad idololatriam, est autem in posteriore membro hujus versus syllepsis non infrequens, qua unum verbum cum duabus vocibus significatione diversis communicatur, etsi unius tantùm proprium est. q. d. si unquam osculatum est os meum, aut patravit manus mea: sic Exo. 23. 18. & 34. 25. Etsi fortasse manus osculari dicitur pro eo quod est, submissionem servilem testari atque amplissimam: ut annotavimus in Genes. 24. 2. sic utrique osculum tribuitur convenientissimè. [f] *Heb. cor meum.* [g] *Heb. osculata est manus mea cum ore meo.* [17] ad lætitiam gestiens. [18] i. nisi fuerim adeò hospitalis, ut hospitalitate mea defessi domestici mei conquererentur non esse sibi tantum otii ab occupationibus & officio hospitalitatis exhibendo, ut justum cibum capere possent: sic enim accipiendum docent sequentia. [h] *Heb. homines tentorii mei.* [19] nempe Ijobi: quasi dicant, melius agitur cum exteris quàm cum domesticis: nam exteris ciborum & temporis satis est, nobis propter illos vix superest interspiratio ad capiendum cibum. [20] sensus est, utcumque potentia instructus fuerim ad nocendum multis; tamen nihil fuit in quo ullum hominem cogitatione, sermone, vel facto mihi arrogaverim offendere; sed ab omni injuria facienda timore Dei cohibitus sum: neque verò dissimulavi factum. [i] *Heb. defectionem meam, ut in aliis legitur.* [21] in quem violentorum familiæ apud Deum & homines justo Dei judicio adducuntur. [22] pudore aut diffidentia pressus, aut metu. [23] i. utinam constituatur judicium, & audiendo cognoscatur de causa mea. [24] hæc conclusio est quò tendit oratio mea; nimirum ut quisquis sit adversarius meus, libello capita accusationis suæ exhibeat descripto, ut ex iis cognoscatur: confido fore ut os mihi aperiat Deus, quo causam meam eloquar & probem. [k] *Heb. signum meum.* [25] libellum: q. d. tantum abest ut eo confundar, ut potiùs in meam gloriam singula accusationis capita cessura sint. [26] q. d. triumpharem de adversario & accusationibus ejus; adeò mihi sum benè conscius: sic respondet ad membrum versus 35. de libello. [27] adversario meo. [28] fretus æquitate causæ meæ, non ut affinis culpæ, sed ut princeps, securus accederem. [29] ultima imprecatio, qua exponit Ijob se parato animo judicia maledictionésque subiturum, si quisquam de injuria ipsius justè expostulaverit: quod elegantissima prosopopœia exprimit.

39 Si [30] vim ejus comederim absque pecunia;
& animam dominorum ejus [l] defatigaverim:
40 Loco tritici prodeat [31] spina, & loco hor-
dei [32] vitium frugum: absoluta sunt [33] verba Ijobi.

30 ut Gen. 4.12. l *Heb. fecerim spirare anhelantē.* 31 i. spinosa omnia, lappæ, cardui, tribuli, anonides, &c. 32 i. aut fruges vitiatæ, aut quæ vitiant fruges earum loco. hordeum autem quæ vitiat, propriè dicitur ægilops. 33 cum amicis his tribus habita.

CAPUT XXXII.

Elihu silentio Ijobi amicorúmque velut occasione utens, & partim illius verbis quibusdam, partim horum taciturnitate offensus sermonem aggreditur: & ab excusatione orsus necessitatem dicendi sibi afferri docet a spiritu Dei illorum silentio, & testificatione suæ conscientiæ: tum verba Ijobi repetens pluribus argumentis redarguit: ac postremò Ijobo copiam respondendi si velit, facit.

CEssantibus [1] quoque tribus illis hominibus
respondere Ijobo; quòd ipse justus *videretur*
in oculis suis:
2 Accensa est ira Elihu filii Baraceelis
[2] Buzitæ e familia [a] Syra. in Ijobum *quidem* ac-
censa est ira ejus; propterea quòd justam assere-
ret animam suam præ Deo:
3 in tres verò amicos illius accensa est ira
ejus; eo quòd [3] non [b] haberent præstò quod re-
sponderent, & tamen condemnabant Ijobum.
4 Elihu autem præstolatus fuerat [4] Ijobum
in verbis; quia seniores essent ipso [c] ætate.
5 Sed vidente Elihu [5] nullum esse respon-
sum in ore trium istorum hominum, accensa est
ira ejus.
6 Itaque respondit Elihu filius Baraceelis
Buzita, [6] dicens: minimus sum ætate, vos autem
decrepiti; idcircò veritus sum, ac timui [d] osten-
dere sententiam meam vobis.
7 [7] Dicebam, [e] provecti ætate loquentur; &
annosi notam facient [8] sapientiam.
8 [9] Profectò spiritus ille in mortali; & affla-
tus omnipotentis efficit eos intelligentes:
9 [10] Non magni sapiunt; & senes intelligunt
judicium.
10 [11] Ideóque dico, ausculta mihi: ostendam
sententiam meam ego quoque.
11 [12] En exspectavi verba vestra, aurem præ-
bens [13] *attendi* usque ad [f] sensa vestra; eousque
unde pervestigatis sermones.
12 Denique ad vos *attendens*, consideravi quòd
ecce nemo Ijobum reprehendat; respondeat ser-
monibus ejus e vobis:
13 [14] Ut non dicatis, [15] invenimus sapientiam;
[16] *Deus* fortis impellet eum, non [17] vir:
14 [18] Quia nec contra me disseruit sermones;
nec [19] dictis vestris sum [g] responsurus ei.
15 [20] Consternati sunt, non respondent am-
pliùs; [21] transtulerunt a se sermones.
16 Nam exspectavi quum loquerentur: quia
desistunt, nec respondent ampliùs,
17 [22] Respondebo ego quoque partem meam;
ostendam sententiam meam ego quoque.
18 [23] Nam plenus sum sermonibus: coarctat
me spiritus ventris mei.
19 Ecce venter meus ut [24] vinum, *cui* non a-
peritur; sicut utres novi finderetur.
20 Eloquar, ut respiratio sit mihi; aperiens
labia mea respondebo.
21 [25] Ne, quæso, [h] accipiam personam ullius;
& [i] apud hominem non utar præfatione.
22 Non enim novi [k] præfationibus uti: pau-
lulùm [26] *utentem*, tolleret me qui fecit me.

1 ut Ijob cessaverat, sup. 31.40.

2 i. oriundi Buzo filio Nachoris, Gen. 22.21. a *Heb. Rami, pro Arami. idest, Syria, ut 2. Chron. 22.5. aphæresis.* 3 i. quòd nullis ampliùs argumentis & probationibus uterentur, quibus sententiam suam in Ijobum latam defenderent ad justificandum Deum, & tamen eum audacter, quamvis testimoniis & probationibus destituti, impietatis & injustitiæ condemnarent. b *Heb. invenirent responsion.* 4 & amicos synecdochicè, ut sequentia ostendunt: nam Ijob postremo loco dixerat, inde a capite 26. c *Heb. diebus: sic infra ver. 6. & sup. 30.1.* 5 postquam Ijob loqui desiisset. 6 Istius orationis summæ partes sunt duæ; prior est insinuatio, qua se excusat Elihu, & occasiones ostendit quibus ad dicendum compellitur, usque ad finem hujus capitis: altera est oratio singularis ad Ijobum, capite 33. Hujus autem Insinuationis partes sunt duæ; una, qua benevolentiam captat narratione reverentiæ suæ erga seniores animo & facto, tum amicos, usque ad vers. 15. tum Ijobum ipsum, inde ad vers. 21. altera, petitio qua audientiam facit, & simplicitatem suam in dicendo benè accipi postulat. d *Heb. ab ostendendo.* 7 i. persuadebam mihi de vobis. Atque hæc prior pars est narrationis ad insinuationem pertinentis, de reverentia & sanctissima opinione quam Elihu de senibus illis animo conceperat. e *Heb. viri dierum, &c. & multitudinis annorum.* 8 in vera Dei & nostri cognitione sitam, cui adversantur illa quæ de Ijobo prædicantur ver. 1. & 2. 9 correctio. q. d. Jam verè agnosco hoc non esse commune ætatis bonum; sed singulare Dei beneficium per communicationem spiritus sive in juvenibus, sive in senibus. 10 i. æquè cum parvis ac magnis communicatur gratia hæc arbitratu Dei. per apostrophen ad Ijobum, velut hac modesta insinuatione delenitū, ne putaret hunc juvenem iisdem telis usurum esse. 11 Petitio audientiæ; nec magni, nec senes hoc habent per se. 12 altera pars narrationis, de reverentia quam facto exhibuit. 13 i. accuratissimè & quàm penitissimè sensa animi vestri exploravi. f *Heb. intelligentias vestras.* 14 Propositio formæ, quam in agenda adversus Ijobum causa servaturus est, in qua modestè aliorum rationes rejicit, & sibi aliam viam ineundam esse docet, hoc & seq. versu. 15 quasi dicant, nunc demum ex re præsente manifestò deprehendimus nos verè & sapienter anteà de isto homine statuisse: nam priùs ex tantarum calamitatum aspectu optimè statueramus non posse eas aliunde quàm a Deo immitti: neq; in alium quàm in virum consceleratissimum. Jam verò quum hic palàm obloquatur Deo repudiatis omnibus consolationibus ejus, profectò confirmatur omnino prior illa sententia nostra, & nobis illa animi obfirmatio omne ampliùs loquendi desiderium adimit cum eo homine, quem nemo homo poterit sed Deus solus de ista animi pertinacia depellere.

16 modestissima prædicatio de efficacitate verborum quæ Deus in animum Elihu erat indituros: quali utebatur Joseph, Gen. 41. 16. & Danijel 2. 28. non est quidem hoc, inquit, opus ullius hominis, ut Ijobum depellat a sententia sua; sed divina planè virtute opus est: Quum tamen Deus humano quoque ministerio utatur gratiosè ad perficiendas res hujusmodi, absit ut mihi arrogem quod Deus sermone meo effecturus est: omnino tamen confido effecturum ut Ijob afficiatur majestatis illius & justitiæ conscientia. 17 i. homo ullus humano studio, humana arte, aut humanis viribus: quò spectari ostendit versus sequens. 18 Confirmatio antecedentis dicti, non suum sed Dei sermonem fore quo usurus est, a duobus argumentis: prius est, me non offendit Ijob, non ergo privata offensione aut studio abripiar in dicendo: posterius, non dictis vestris usurus sum atque humanis judiciis, sed simplice Dei testificatione. 19 i. eodem modo, iisdémque argumentis. g *Heb. redditurus.* 20 Apostrophe ad Ijobum, ut observatum est in ver. 6. 21 i. curam tecum ampliùs loquendi abjecerunt. 22 Propositio. 23 Propositionis ætiologia per allegoriam hyperbolicam, hoc versu & duobus sequentibus. 24 i. mustum cui non est ademtum obthuraculum, ut exhalet. 25 altera pars insinuationis, petitio, ut observatum est in v. 6. i. liceat mihi per vos simpliciter, omissis omnibus illis præfationibus quæ ad civilem sermonem adhibentur, sensum animi mei exponere. h *Heb. accipiam faciem viri.* i *Heb. homini non attribuam cognomen.* k *Heb. ut cognomine utar.* 26 i. in causa divina te aut istos cum personarum acceptione compellantem.

CAPUT XXXIII.

[1] VErum enimverò audi quæso Ijob sermo-
nes meos; & omnia verba mea auribus per-
cipe.
2 Ecce jam [2] aperio os meum; loquitur
lingua mea cum palato meo.
3 [a] Rectum animum meum sermones mei;
& sententiam labiorū meorum clarè eloquentur.
4 [3] Spiritus *Dei* fortis fecit me; & afflatus
omnipotentis vitam indidit mihi.
5 Si poteris respondere mihi; differe coram
me, resiste.
6 En ego secundùm sermonem tuam *agam*
pro Deo forti: e luto decisus sum etiam ego.
7 Ecce formido mei non perturbabit te; &
manus mea super te non erit gravis.
8 [4] Tantummodò dixisti [b] me audiente; dum
vocem sermonum audivi:
9 [l] Purus sum, sine defectione; nitidus sum,
nec iniquitas *est* in me.
10 En abruptiones *quas* contra me invenit;
[l] reputat me ut inimicum sibi:
[l] 11 Ponit in compede pedes meos; observat
omnes semitas meas.
12 [5] En hoc, non es justus, respondeo tibi: [6] quia
major est Deus mortali.

1 altera oratio ad Ijobum, cujus partes sunt quatuor: Exordium, usque ad vers. 8: Propositio usque ad ver. 12: Confutatio, usque ad 31. ver. & Conclusio. In exordio autem audientiam facit Elihu ab æquitate sermonis quem habiturus est, tribus primis versibus: deinde duo illa capita Ijobo concedit quæ ad constituendum judicium sibi dari postulaverat, sup. 13.20. & sequentibus. 2 i. jam incipio rem ipsam eloqui. periphrasis ab origine & instrumentis sermonis, qua Ijobū ad audiendum excitat. a *Heb. rectitudinem cordis mei.*

3 i. sum creatura ut tu, ac proinde ex æquo mecum, si placet, agere potes: sic pluribus ostendit hoc ver. & tribus sequentibus auctoritatem & jus quod Ijob habiturus est ad defendendam causam, prout Ijob optaverat supr. 9.32. & sequentibus. 4 summa propositio eorum quæ Elihu in oratione Ijobi reprehendenda esse observaverat: ideo particula (ut vocant) exclusiva utitur. quasi dicat, omitto quæ tu de gravitate afflictionis tuæ, de indignatione animi tui, de fide tua in Deum, & de conscientia benè actæ vitæ testatus es, & quæcunque piè de Deo prædicasti: tantū ex tua ista oratione decerpturus sum quæ tu arroganter, tum de innocentia tua in præsente causa, tum etiam de Deo effudisti. b *Heb. in auribus meis.* l *Sup. 9.21. & 16.17. & 29.14.* l *Sup. 14.13. & 13.24. & 19. 11.* l *Sup. 13.27.* 5 Confutatio, ut observatum est in ver. 1. qua simpliciter negat quod Ijob confirmabat: utcunq; fueris justus & integer (inquit) saltem in his sermonibus injustus es: deinde negationem suam argumentis probat. 6 firmamentum superioris negationis a natura Dei. Deus, inquit, non tantùm majestate & potentia, de qua tu expostulas; sed etiam veritate, justitia, sapientia, & misericordia mortales infinitè superat: quare in hac re injustus es.

7 Secundus locus, qui ex prima argumentatione velut fonte suo (ut etiam sequentes loci) derivatur; a comparatione naturæ Ijobi. quasi dicat, vis igitur ut rationes omnes divinæ administrationis referantur ad angustias ingenii tui? quasi verò infinita illa profunditas consiliorum operationúmque Dei humano ingenio, ut pusillum est, capi possit.
8 tertius locus ab experientia: imò verò, inquit, fieri potuit ut tibi Deus jam sæpè responderit; sed videmus eam esse hebetudinem & oscitantiam nostram, ut vix graviter & sæpè sollicitantem agnoscamus.
9 Confirmatio tertiæ argumentationis a communibus prisci illius seculi documentis: hoc ita se habere, inquit, ex eo constat, quòd modò interdiu, modò noctu, modò per somnia, modò per visiones, ut Num. 12. 6. homines docet, vigiles, dormitantes, vel oppressos somno. hic verò observandum est scriptum verbum Dei ac legem reticeri: quia illæ tantum rationes erant documentorum ante legem datam.
10 i. afflictionum causas, usum & exitum ostendit, ut Abimeleco, Gen. 20.

13 [7] Quare adversus eum litigas; quòd *de* omnibus rebus suis non respondeat?

14 [8] Quum semel loquitur *Deus* fortis, etiam bis; non cernit illud *mortalis*.

15 [9] Per somnium, visionem nocturnam, quum irruit altus sopor in homines: in dormitationibus super cubile:

16 Tunc [10] revelat auri hominum; & eruditionem [11] eorum [12] obsignat:

17 Ut amoveat homo [13] opus; ut superbiam a viro [14] obtegat:

18 [15] Cohibeat animam ejus a fovea; & vitam ejus, ne [c] trajiciat eam missile.

19 [16] Et corripitur dolore super cubile suum; etiam multitudo ossium ejus *dolore* forti:

20 Adeò ut abhorreat vita ejus ipsum cibum; & anima ejus escam desiderabilem:

21 Consumatur caro ejus a conspectu, & promineant ossa ejus *quæ* non videbantur:

22 Denique propinqua sit foveæ anima ejus; & vita ejus lethalibus *malis*.

23 [17] Si adsit ei [18] nuncius, [19] interpres [20] unus ex mille; qui indicet homini [d] [21] æquitatem illius;

24 Et [e] [22] de gratia eum alloquutus dixerit; [23] redime eum, ne descendat in foveam, expiatione [24] *quam* inveni:

25 [25] Recreatur caro ejus plus quàm *in* pueritia; revertitur ad dies adolescentiæ suæ.

26 Quum supplex oraverit Deum, benignè recipit eum, ut aspiciat faciem ejus cum jubilo; & restituit mortali [26] justitiam ejus.

27 [27] Contemplatur homines dicens; peccaveram & rectum perverteram, quod [28] non profuerat mihi.

28 Redemit animam meam ne transiret in foveam; ut vita mea lucem respiciat.

29 [29] En omnia hæc operatur *Deus* fortis; bisq; terq; cum viro;

30 Reducendo animam ejus a fovea, ut illustretur lumine hujus vitæ.

31 [30] Attende Ijob, ausculta mihi: sile ut ego loquar.

32 Si adsunt sermones *ad* respondendum mihi; loquere, quia desiderio teneor [31] justificandi te.

33 Sin minùs, tu ausculta mihi: sile, & docebo te sapientiam.

CAPUT XXXIIII.

Elihu Ijobi tacentis superiora verba repetens, absurditatem eorum demonstrat a justissima natura & operibus Dei, præfractos perdentis, & servantis calamitosos invocantes ipsum: tum ad misericordiam Dei eum revocans a superioribus obmurmurationibus dehortatur: & Deum postremò orat ut illud judicio suo præstare velit.

Iterum respondens Elihu, [1] dixit:

2 [2] Audite sapientes, sermones meos; & scientes aurem præbete mihi.

3 Nam [a] auris sermones probat; ut palatum gustat escam.

4 [3] Causam *agendam* eligamus nobis: cognoscamus inter nos quid sit bonum.

5 [b] Dixit enim Ijob, justus sum; & *Deus* fortis summovit causam meam.

6 *An* in causam meam mentiar? mortifera *est* sagitta mea, sine defectione.

7 [4] Quis vir par Ijobo, imbibiturus esset sannam ut aquam?

8 Et iter facturus esset in sodalitio cum operariis iniquitatis, & ambulaturus cum hominibus [a] improbis?

9 [5] Quòd dixit, non prodest viro; si volet [6] *ambulare* cum Deo.

10 [7] Idcircò [b] homines cordati, auscultate mihi: absit [c] a *Deo* forti improbitas, & ab omnipotente iniquitas.

11 [8] Nam opus hominis rependit ei, & secundùm iter cujusque facit ut obveniat ei.

12 [9] Etiam verè *Deus* fortis non damnat probum; & omnipotens non pervertit judicium.

13 [10] Quis commisit ei terram? & quis disposuit orbem habitabilem universum?

14 Si apponens ad eum [d] animum suum, spiritum ejus & animam ejus ad se reciperet;

15 Exspiraret omnis caro simul; & homo in pulverem reverteretur.

16 [11] Si itaque est intelligentia, audi hoc: aurem præbe voci sermonum meorum.

17 [12] An etiã odio habentis judiciũ [13] obligaret *vulnus*? imò an [14] justum validum condemnares?

18 [15] An dicentem regi, ô nequam; ô improbe, ingenuis, *condemnares*?

19 Qui non accipit personam principum, neque agnoscitur *apud ipsum* nobilis præ tenui; [16] nam opus manuum ejus sunt omnes.

20 Momento moriuntur, etiam media nocte; commoventur populus ac prætereunt, & [e] amovetur fortis sine manu:

21 Quia oculi ejus *attendunt* ad vias cujusque; & omnes gressus ejus respicit:

1 Hujus orationis partes sunt quatuor; Exordium, vers. 2. & 3; Propositio, inde usque ad 10. vers. Confutatio, usque ad 13. vers. & conclusio ad finem usque capitis.
2 Exordium a persona auditorum; quo ostendit confidere se, si quid præsentes auditores sapiunt, grata & utilia documenta allaturum; ac proinde dicta sua illorum judiciis submittere.
a *Sup.* 12. 11.
3 Propositio τοῦ κρινομένου, id est, sermonũ Ijobi qui in controversiam vocandi erant.
b *Sup.* 13. v. 18. & 23. 10. & *sup.* 27. 2. *sup.* 6. 4.
4 Amplificatio propositionis a persona Ijobi. quasi dicat Elihu, nemo unquam vir bonus qualem se Ijob asserit, eò dementiæ venturus est, ut probris & ludibrio omnium se exponat, integritatem sibi tam etiam asserens, quum obloquitur Deo, quasi cum ratione insanire velit. hæc autem omnia allegoricis loquendi formis proponuntur.
a *Heb. improbitatis.*
5 hoc tantum absurdum ostendit Elihu consequens esse ex propositionib. Ijobi.

11 i. qua ipsi erudiuntur a Deo. 12 i. imprimit in animis eorum quos castigat, inest autem his verbis transitio ad quartum argumentum confutationis, a fine documentorum Dei; sive per revelationes, de quibus suprà tribus versibus; siue per afflictiones, de quibus a ver. 19. sive denique per homines & administrationem verbi, infrà ver. 23. 13 nimirum suum, & animum malum, primus usus documentorum, resipiscentia a malo externa & interna. 14 i. efficiat ut non sit: metaphora a rebus corporeis, ut Psalm. 32. 1. 15 secundus usus, nostra salus. c *Heb. transeat per missile: hypallage.* 16 i. ad eosdem usus, sic modestè transit ad præsentem causam Ijobi, amplificans locum de afflictionibus usque ad ver. 23. ut observatum est in versum 17. 17 tertius usus documentorum Dei, fides in promissiones gratiæ Dei etiam ab hominibus denunciatas. 18 i. propheta nuncians voluntatem Dei, ut Judicum 2. 1. 19 cujus interventu Deus consilium suum laborantibus explicat. 20 i. cujusmodi nuncius & interpres fidus voluntatis Dei est rarissimus. d *Heb. rectitudinem.* 21 Dei qua omnia & nominatim ipsos laborantes regit & gubernat. e *Heb. gratificatus ei.* 22 i. quum pius ille nuncius beneficium & gratiam Dei afflicto prædicaverit, & pro eo oraverit Deum, &c. ut Jacobi 5. 14. 23 summa orationis quæ apud Deum pro afflictis habenda est. 24 i. in Christo consequutus sum. 25 altera pars istius *ἐργασίας* de exitu & usu superiorum documentorum: cujus primus gradus est instauratio; secundus, pax conscentiæ, ver 26. tertius, prædicatio liberationis suæ a peccatis, ver. 27. & 28. 26 quam ei confert in Christo, reputans eum pro justo. 27 i. hominum contemplatione adductus exemplum in se editum prædicat. 28 i. summè nocuerat: *μείωσις*. 29 summa constitutio superioris confutationis & *ἐργασίας*. 30 Conclusio superioris argumentationis, audientiam ad alteram proximè sequentem faciens, & Ijobo dans optionem vel respondendi si quid habet, quod respondeat; vel audiendi orationem alteram quam habiturus erat. 31 i. hoc velim tibi persuadeas, me non eum esse qui ausim te condemnare; etsi in superioribus dictis fuisti reprehendendus.

6 i. Deũ ducem sequi, ut Gen. 5. 22. 7 transitio ad cõfutationem; in qua Elihu faciens audientiam duo argumenta adducit: unũ ex quo sequentia omnia ut fonte profluunt, a natura Dei justissima; quod argumentum emphaticè per *ἀντιστροφὴν* enunciatur: alterum, ab hominis officio, v. 31. & seq. b *Heb. homines cordis. sic. v. 34.* c *Hebr. absit Deo forti ab improbitate & omnipotenti ab iniquitate. hypallage.* 8 *ἐργασία* argumenti prioris ex *ἀντιθέτου*. 9 repetitio simplex superioris argumenti, ut ea commodius ad sequentes probationum locos transeatur. 10 probatio a mero imperio & auctoritate Dei: cujusmodi argumentatione utitur Theophilus Instit. ut majestatem Imp. alienam esse a corruptione asserat. quasi dicat, ne ab ullo quidem ad injuriam faciendam adigi potest. quod probatur a creatione, hoc versu, & potentissima administratione, duobus sequentibus. d *Heb. cor.* 11 Apostrophe ad Ijobum, quã eum nominatim excitat & compellat, posito superiore fundamento. 12 summa illa argumentatione, de qua vers. 10, jam Elihu fretus, appellat conscientiam Ijobi. quasi dicat, quæso, bona fide, est ne injustitia in Deo, ut protervos probet? imò verò (inquit ille per correctionem) impudentissimum fuerit si Deum voles condemnare; quod probat duobus attributis, justitiæ & potentiæ ejus, ac postea copiosiùs amplificat, usque ad ver. 31. 13 id est, injustè curaret perversos; synecdoche. 14 indefinitè dictum: ut sit argumentatio a comparatione minoris si hominem justitia potentiáque instructum damnare non audeas, quanto minus Deum? sequentib. 15 *ἐργασία* superiorum attributorum Dei a personis, forma, tempore judiciorum Dei, & aliis circumstantiis. 16 ætiologia a creatione, ut suprà 31. 15. e *Heb. amoverunt: impersonaliter, ut suprà 4. 19. & 7. 3.*

22 Nullæ

22 Nullæ *sunt* tenebræ, nullaq; umbra letha-
lis, ubi se abscondant operarii iniquitatis.
23 [17] Nam non est dispositurus contra ullum
amplius *tenebrarum*, quando ambulat contra *De-
um* fortem in judicium;
24 [f] Infinitè conterit validos, & constituit a-
lios in locum eorum,
25 [g] Hoc pacto recognoscit facta eorum; &
simul atque [18] mutavit noctem, conteruntur.
26 In loco improborum [19] complodit eos, in
[20] statione videntium;
27 Quandoquidem recesserunt a [h] sequendo
eum; & ullas vias ejus non animadverterunt:
28 [21] Inducendo super eorum quemque cla-
morem tenuis, quũ clamorem pauperũ exaudit,
29 (Nam quum ipse [22] tranquillat, quis in-
quietabit? & quum [23] abscondit faciem, quis
[24] contemplabitur eum?) tum super gentem, tum
super homines pariter:
30 Ne [25] regnet homo hypocrita, [26] ne sint
tendiculæ [27] populi.
31 [28] *An* enim apud *Deum* fortem; qui dicit,
condonavi, non sum destructurus;
32 [29] Præterquàm *quod* [30] video, tu doce me: si
iniquitatem operatus sum, non pergam:
33 An ergo *hæc oratio profecta est* a te? repen-
det illud, si [31] spreveris, si tu [32] eligas, profectò non
ego: jam quod [i] sentis eloquere.
34 [33] Homines cordati dicent mecum; & vir
sapiens auscultans mihi,
35 Ijob non scitè loquitur, & verba sua impru-
denter.
36 [34] Pater mi, probetur Ijob usque ad victo-
riam, propter responsiones *quales* hominibus ini-
quis insunt.
37 [35] Nam additurus esset ad peccatum suum
defectionem, inter nos [36] complosurus esset; &
multiplicaturus sermones suos in Deum.

17 id est, quum decretum est non differre supplicium in eos qui protervè oppugnant Deum, non laborat ut aliunde tenebras accersat. hæc omnia periphrasticè ad deprimendum & consternandum Ijobum! f Heb. sine pervestigatione. g ut 1. Sche. 27.6. 18 id est, protulit lucem, qua revelantur omnia in judicio ejus: vide Ephes. 5.13. 19 ut inflatas vesicas in sua ipsorum sede. 20 id est, palàm in exemplum omnibus: vide Jeschahjæ 26.9. h Heb. a post eum. 21 i. vindictas quas miseri a Deo poposcerunt in singulos adducendos metonymia. 22 miseros afflictos. 23 ab improbis: ætiologia a potentia Dei. 24 i. quis improbum averſanti Deo ausit obsistere? 25 nimirum amplius rex, de quo vers. 18. 26 i. ne amplius boni exponantur improborum aucupiis. 27 de quo vers. 20. 28 Secundum confutationis argumentum ab hominis officio erga Deum. Homo quamvis sibi non malè conscius, Dei misericordiam implorare debet in eam sententiam quæ est versu 32. Tu autem hoc non fecisti, ver. 33. 29 summa deprecationis afflictorum: cujus capita sunt duo; unum, quo profitentur pii studium & fidem suam ad recipienda documenta Dei, eaq; exoptant: alterum, quo exponunt suam resipiscentiam & peccatorum abnegationem. 30 i. cognosco, sive de peccatis meis, sive de mandatis tuis, sive de gratia & benevolentia erga me. 31 hac oratione uti: sic deterret ab eventu; deinde ab exemplo suo. 32 dicere quod anteà, & ab oratione hac abstinere quam debes. i Heb. nosti. 33 Conclusio duobus membris constans, argumentatione & voto. Est autem argumentatio a consensione omnium bonorum. 34 optatum, ut tantisper flagelletur Ijob donec Deo vincenti cedat & responsis vanis renunciet, per apostrophen ad Deum. 35 ætiologia optati a tribus absurdis: nam, inquit, nisi hoc fiat, metuendum est ut bonus Ijob neque saluti suæ, neque ædificationi nostræ, neque gloriæ Dei consulat. 36 i. nos ludificaturus, & explosurus cum ludibrio sermones nostros.

CAPUT XXXV.

Elihu Ijobum ad peccati agnitionem hortatus, ostendit neque justitiam efficere quicquam, neq; injustitiam efficere Deo; sed oportere ut omnes afflictionibus edocti se abjiciant coram Deo: ac proinde Ijobum ad agnitionem sui & spem in Deum hortatur.

AMpliùs respondens Elihu, [1] dixit:
2 [2] An hoc ratiocinaberis in causam *tu-
am*; quum diceres, justitia mea major *est* quàm
Dei fortis?
3 [3] Si roges, quid profuturum sit tibi, *dicens*;
quid proficerem [a] supplicio meo?
4 Ego respondeo tibi sermones; & [4] sociis
tuis tecum.
5 [5] Intuere cælum & respice: & contempla-
re superiores nubes, *ut sunt* altæ supra te.
6 Si peccas, quid operaris illi? sive multæ
sunt defectiones tuæ, quid facis illi?
7 Si justus es, quid das illi? aut quid e manu
tua accipit?
8 [6] Viro cujusmodi es, improbitas tua; & fi-
lio hominis justitia tua *aliquid efficet*.
9 [b] [7] Freti magnitudine efficiunt ut oppressi
clament; vociferantur propter brachiũ magnatũ.
10 [8] Si non dicit *oppressus*, ubi est Deus [c] qui fe-
cit me? qui dat Psalmorũ argumentum de [9] nocte:
11 Qui [10] docet nos præ bestiis terræ; & præ
volatilibus cæli sapientes nos facit:
12 [11] Ibi clamant propter superbiam malo-
rum; sed non exaudit.
13 [d] [12] Meram vanitatem non exaudit Deus
fortis, & omnipotens non contemplatur eam:
14 Multo minùs si dicas, non contemplaris
istud, *exauditurus est*; [13] judica coram eo, & exspe-
cta eum.
15 Nunc enim quia [14] nihil *istorum* est, visitat
ira ejus; quia non agnoscit *Deum* [15] hac recrea-
tione admodum:
16 Sed Ijob [16] vanitate dilatat os suum; absq;
scientia sermones multiplicat.

1 Hujus sermonis partes sunt quatuor: Exordium [illegible] sive transitivum, V. 2: Propositio querimoniarum injustarum Ijobi, V. 3. & 4: Confutatio propositionis, a V. 5. ad 15: & conclusio. 2 Exordio hoc transitionem facit a superiore sermone ad sequentem argumentationem; quam propterea ingreditur, quòd Ijob nihil ad superiorem sermonem responderat. quasi dicat, fieri non potest profectò, quum tu istos sermones de te ipso contra Deum effutivisti, ut ad locum illum attenderis quem modò explicavi; nimirum de justitia misericordiaq; Dei, ac de officio tuo. 3 propositio per prolepsin sive anticipationem illius objectionis quam poterat Ijob adducere, occasione sumta ex fine sermonis præcedentis, hoc modo: quid tu expetis, ut ampliùs prober afflictionibus, suprà 34. 36? quid illud, obsecro, mihi profuturum esset si graviùs adhuc affligerer? quò spectaverant Ijobi verba suprà 7. 20. & sequent. ad quem sermonem respondet subjectio, sequente versu.

a Heb. peccato meo, per synecdochen; ut Zecarja 14.19. 4 i. qui idem senserint tecum. 5 tota hæc confutatio nititur dilemmate; quo consultò utitur Elihu, ut totum locum de usu nostrarum afflictionum explicet, Ijobi & omnium aliorum causa. Est autem hujusmodi: Afflictiones istas necesse est aut Deo prodesse, aut tibi, quum Deus nihil sine causa agat: Deo prodesse nego, ab hoc versu usque ad 8; Superest ut tibi & tui similibus prosint. Ad priorem autem dilemmatis partem confirmandam utitur demonstratione per comparationem minoris: Nihil potes efficere in cælos: Deus est suprà omnes cælos; ergo multo minùs poteris Deum malo vel bono afficere. 6 transitio ad alteram partem dilemmatis: Mali vel boni afficiuntur pro malitia vel bonitate sua; quæ propositio hic universè dicta fusiùs explicatur usque ad vers. 15. b Hebr. præ magnitudine. 7 nimirum magnates, qui mox nominantur. 8 i. si homo oppressus ad Deum non revertitur, adductus ad fidem, natura; creatione; beneficiisq; ordinariis & extraordinariis ejus; ac deniq; verbo: is profectò nihil egerit clamoribus vagis, vers. 12. ut Psal. 18.42. & Prover. 1.28. & Jeschah. 1.15. c *Heb. qui fecerunt me: ut Genes. 1. 26. respiciens ad personas sanctæ triadis.* 9 i. etiam quum nulla ad eum laudandum documenta circumfulgent, intùs spiritu excitat ad laudes. 10 i. ratione, scientia, & sapientia supra res alias creatas instruit. hæc totidem sunt argumenta ad exaggerandam stupiditatem hominum in calamitatibus torpentium. 11 i. in calamitate positi. d *Heb. tantùm vanitatem.* 12 summa illius propositionis quæ ab exemplis & eventis administrationis Dei confirmata est suprà, inde a vers. 8. Est autem hoc prius membrum comparationis a minore, cujus apodosis est sequente versu: Si (inquit) justo Dei judicio non exaudiuntur aut sublevantur ii, qui in æstu calamitatum evanescunt, neque suas cogitationes ad Deum evehunt; quanto minùs exaudieris, si protervè dixeris Deum nullam habere rationem tui; ac proinde velut in cælum inspuens, omnem providentiam, auctoritatem & administrationem ei blasphemè eripueris? 13 brevis hortatio a superioribus documentis; qua Elihu primùm Ijobi conscientiam appellat, dicens; te ipsum judicem facio coram Deo, an non ita se res habeat ut modò dicebam: deinde illum ad spem & fidem in Deum revocat. Est autem hoc membrum habendum in conclusionis loco, quæ confirmatur & amplificatur versibus sequentibus. 14 id est, neque rectè judicas, neque exspectas a Deo, ut pium hominem decet. 15 i. hac enunciatione divini verbi (quo virum bonum oportet errantem resipiscere, atque afflictum recreari) non admodum afficitur: vide suprà 33. 23. & sequentibus. 16 i. vanissimè contra Deum quicquid sibi in buccam venit effutit, præstrictus mali præsentis gravitate.

CAPUT XXXVI.

Elihu proponit Ijobo omnipotentiam, bonitatem, justitiam, ac misericordiam Dei; iisq; confirmatis ab exemplis recentibus ac priscis, & ab operibus Dei ordinariis atque extraordinariis, Ijobum excitat ad comparandam ignorationem & infirmitatem suam cum infinita notitia potentiáque Dei, & revocat eum ad misericordiam gratuitam illius.

POstremò pergens Elihu, [1] dixit:
2 [2] Sustine me paulisper, ut ostendam tibi:
nam *sunt* adhuc pro Deo sermones.
3 Proferam sententiam meam [3] e longin-
quo; & opifici meo tribuam justitiam.
4 Nam revera non *erunt* mendaces sermones
mei; integer sententiis *ero* apud te.

1 Hujus orationis summæ partes sunt quatuor: Exordium, usque ad vers. 5: Propositio asserens potentissimam, sapientissimam, justissimamq; administrationem Dei, a 5. vers. usque ad 15: Confirmatio, inde usque ad vers. 22. cap. 37: & Conclusio. 2 Exordio audientiam facit a persona Dei, cujus causam agit, a causæ antiquitate & jure, & a fide personæ suæ. 3 i. prout res fuit non tantùm inde a seculis, verùm etiam ante omnia secula.

5 [4] En *Deus* fortis validus *est*, nec tamen [5] spernit: validus est,[6] virtus *est* [a] animi.

6 [7] Non servat vitam improbo; sed jus pauperum edit:

7 Non subtrahit a justo oculos suos; potiùs cum regibus solio *adest*; ut collocet [8] illos in æternum atque exaltentur.

8 [9] Quòd si vincti compedibus, captivi detineantur funibus afflictionis,

9 Postquàm indicavit eis opus eorum; & defectiones eorum invaluisse;

10 Et revelavit illis [b] in aurem hujusmodi [10] eruditione; indicens ut revertatur ab iniquitate:

11 Si auscultent & colant *eum*; consumunt dies suos in bono, & annos suos in *rebus* amœnis.

12 Sin autem non auscultaverint, [c] missili transmittuntur: & exspirant in ignoratione.

13 Hypocritarum verò ex [d] animo, *qui* apponunt iram; nec vociferantur quum vincivit eos:

14 Moritur [11] cum juventa illa [12] anima eorum: & vita eorum [13] cum meritoriis.

15 [14] Liberat afflictum in afflictione ejus; & revelat oppressione in aurem eis.

16 [15] Sic etiam averterat te ab ore angustiæ, [16] *in* latitudinem cui non suberat pressura: & [e] ferculum mensæ tuæ plenum erat pinguedine:

17 Dum [17] judicium improbi compleres; judicium & jus obtinerent.

18 Quum [18] æstuans ira *obvenit, cave* ne [19] avertat te explosione; & magnum pretium redemtionis [20] ne abducat te.

19 An æstimabit nobilitatem tuam? non lectissimum aurum; ne *quidem* omnia [21] fortificarent vires.

20 [22] Ne aspires ad illam [23] noctem, qua abeunt populi *in* locum suum.

21 [24] Cave tibi, ne respicito ad vanitatem; ut hoc eligas præ afflictione.

22 [25] En Deus fortis [26] extollit virtute sua: quis sicut ipse docet?

23 Quis commisit ei viam ejus? aut quis dicit, operaris iniquitatem?

24 [27] Recordare ut amplifices [28] opus ejus; [29] quod contemplati sunt mortales,

25 *Quod* omnes homines viderunt; [30] mortalis intuetur e longinquo, *& dicas:*

26 [31] En Deus fortis ita amplus *est* ut non cognoscamus; cujus annorum numero non *est* pervestigatio.

[4] propositio asserens studium Dei in administrandis rebus, adversus murmura quæ Ijobo ex infirmitate carnis exciderant. Quasi dicat, omnipotens quidem est; sed non ut superbus tyrannus, qui potentia sua abutatur ut infirmos proterat. [5] quemquam; sed omniũ rationem habet, ut sequentibus explicatur. [6] i. non tantùm ipse est validus; sed etiam infirmis & languentibus mortalium animis solus ipse virtutem præstat. [a] *Heb. cordis.* [7] ἐργασία propositionis a diversitate subjectorum: nam malis, (inquit) & bonis potenter, justè, & sapienter præsidet, eventaq; eorum moderatur. [8] justos quosque & pauperes. [9] Amplificatio ab ordine judiciorum Dei; primùm in eos qui resipiscunt a malo, usq; ad ver. 12: deinde in contumaces & palàm obnitentes Deo, vers. 12. ac postremò in hypocritas, ℣. 13. & 14. [b] *Heb. revelat aurem eorum: sic* ℣. 15. [10] i. afflictione carceris, qua Deus erudit suos providentia sua: sic Psal. 94. 12. [c] *Heb. per missile transeunt.* [d] *Heb. corde.* [11] i. æquè moriuntur & pari judicio Dei conterentur atq; juveniles illi animi, qui protervè obnituntur Deo, & palàm ad omne flagitium projecti sunt: nam horum meminerat ℣. 12. [12] i. ipsi. [13] synecdoche pro flagitiosis omnibus. [14] Transitio ad confirmationem per anaphoram sive repetionem summariam illius membri in propositione quod ad causam Ijobi pertinet, ut habetur ℣. 7. & accommodatur in sequentibus. [15] primus confirmationis locus a persona Ijobi, quòd mirificam illam administrationem Dei ipse expertus esset, his duobus versibus: vnde oritur locus doctrinæ, a ℣. 18. usq; ad 22. [16] descriptio allegorica præcedentis fœlicitatis Ijobi. [e] *Heb. descensus, id est, quod deponebatur in mensam.* [17] i. justè de causa ejus statueres. [18] i. gravissimum Dei judicium infensi in te: prius documentum sive dehortatio a vana fiducia, ℣. 18. & 19. [19] i. ne Deus explodat te, si ita in ipsum inveharis. [20] i. ne cõfidas fore quum semel te explodet Deus, ut nullo pretio gratiam ejus de integro tibi concilies: ut copiosiùs sequens versus ostendit. [21] i. tuerentur te ne explodereris a Deo. [22] posterius documẽtum, sive dehortatio a desperatione. [23] i. mortem quam omnes oppetunt, & tu jam toties dixisti tibi imminere, & teipsum ultrò ad eam aspirare. [24] summa utriusq; dehortationis superioris, a vanitate utriusq; studii: ita transitur ad secundum confirmationis locum. [25] secundus locus confirmationis a natura, documentis, & operibus Dei; quorum dignitas cõmendatur primùm a forma, quòd nemo docere potest operibus ut Deus, hoc versu; deinde a jure, quòd operũ suorum leges a nemine accipit, aut jure reprehendi potest, ver. sequente. [26] videlicet documenta & vias suas, ut sequentia ostendunt. [27] amplificatio secundi istius loci, primùm a singulari opere Dei, extra ordinem naturæ facto temporibus Noachi, usq; ad ℣. 29: deinde ab aliis tum ordinariis, tum extraordinariis, hoc & sequente capite. [28] diluvii, ut nominatim explicabit inde a ℣. 27. [29] i. totum genus humanum expertum est. [30] i. nos memoria nostra jam olim gestum recordamur. [31] i. incomprehensibilis & sempiternus. Sunt autem hæc per hypotyposin dicta, ut eo meliùs animus Ijobi ad suspiciendum Deum adducatur.

27 Nam [32] subtrahit stillas aquarum, *quæ* fundebant pluviam ad [33] calamitatem ejus;

28 Quum fluerent superiores nubes; stillarent [34] super homines multos.

29 [35] Si etiam consideret *homo* [36] extensiones densarum nubium; [37] fragores in [38] tugurio illius:

30 En [39] extendit [40] super eum lucem suam; & [41] radices maris tegit:

31 [42] Quum illis judicaturus est populos; *aut* daturus cibum [f] abundè.

32 [43] Manibus obtegit lucem; & interdicit [44] ipsi propter [45] intercedentem:

33 Indicans in [46] eum benevolentiam suam; *in* pecora, etiam in proventum *terræ*.

CAPUT XXXVII.

34 Etiam [47] ad hoc trepidat [g] animus meus; & subsilit e loco suo.

[32] i. aquas in nubibus suo loco continet, ne in orbem terrarum perrumpant, ut olim fecerunt. sic ostendit ne mundo quidem inesse æternitatem: sed Deo soli, qui pro arbitrio suo cum rebus creatis eam communicat. [33] i. diluvium quod immisit terris. [34] omnes excepto Noacho cum familia. hoc autem argumentum ex verbis Eliphazi suprà 22. 15. & sequentibus de industria resumit Elihu, ut operum Dei admirabilitatem asserat: non (ut ille) ad perterrefaciendum Ijobum; sed potiùs ad confirmandum in fide & exspectatione, quamvis adversantibus malis, exemplo Noachi, cujus posteà recordatur, ver. 32. [35] secundum amplificationis argumentum ab instauratione naturæ quam diluvium interverterat, & perpetua administratione Dei. [36] i. densas nubes extensas in aëre: hypallage. [37] ventorum luctantium & aërem perspirantium. [38] i. in nubibus, ut Psal. 18. 12. [39] i. serenum cælum efficit ventis dispellentibus nubes. [40] hominem, id est, suprà nos. [41] i. terram, cui incumbunt maria, imbribus humectat & obtegit: sic per hysterosin ostendit effecta nubium, ventorumq;, de quibus superiore versu. [42] i. quum visum est ipsi aut judiciis exercere homines, aut beneficiis cumulare, ut infrà 37. 12. [f] *Heb. ad multiplicantem.* [43] i modò tenebras efficit, quasi obducta manu; modò restituit lucem, velut abducta manu ad suorum preces. [44] manui videlicet, ne amplius lucem obtegat. [45] Noachum diluvii tempore, & pios Noachi exemplo accedentes Deum. vide Jacob. 5. 16. & sequentibus. [46] pium intercedentem, colentem Dei. [47] i. ad considerationem istius administrationis Dei, cujus meminit inde a vers. 29. ut indicat repetitio particulæ Etiam: quam ob rem versum hunc superioribus conjunximus. [g] *Heb. cor meum.*

CAPUT XXXVII.

[1] Audite [a] diligenter conjunctam commotione vocem ejus; & [2] loquelam ex ore ejus prodeuntem.

2 Sub omnes cælos dirigit eam, & [3] lucem suam ad [b] oras terræ.

3 Post [4] eam rugit sonus, tonat voce excellentiæ suæ; [5] neque differt illa, quum audienda est vox ejus.

4 Tonans Deus fortis voce sua *facit* [c] mirabiliter; facit *res* adeò magnas ut non possimus cognoscere.

5 Quum nivi edicit, esto in terra, aut imbri, *ac* pluviæ: mox imber pluviæq; roboris ejus *adsunt*.

6 [6] Manum cujusque hominis [7] obsignat; ut recognoscat omnes [d] operarios suos.

7 Tum ingreditur bestia in latibulum; & in antris suis degit.

8 [8] E suo penetrali prodit turbo; & a [9] dispergentibus frigus.

9 [e] A flatu suo *Deus* fortis edit glaciem; & [10] latitudinem aquarum [f] coarctat.

10 Etiam *pro* irrigatione [11] fatigat densam nubem; dispergit nubem [12] lucis suæ.

11 [13] Denique ipse *Deus* [14] *per* vicissitudines [g] versat secum sapientia consilia sua de opere [15] istorum; quodcunque præcipit istis *faciendum*

[1] tertium argumentum a tonitruis, fulgetris, pluviis, turbine, ventis, grandine, glaciéque, usque ad vers. 19. [a] *Heb. audiendo.* [2] allegoria tonitru in scripturis frequens. [3] fulgetra lucida, ut infr. 38. 24. [b] *Hebr. alas.* [4] lucem, id est, fulgetrum: nam priùs videtur coruscatio, quàm exaudiatur sonus. [5] i. fulgetra, tonitruum prænuncia exhibet: μείωσις. non differt, id est, præmittit. [c] *Heb. mirabilibus.* [6] i. immissis ejusmodi tempestatibus efficit ut homines domum ab opere suo fugiant; ubi dominis licet per otium operas suas recognoscere. [7] i. præcludit ne operetur, tamquam sigillo imposito: metaphora. [d] *Hebr. viros operis sui.* [8] i. e nubis depressæ specu, ut loquitur Plin. lib. 2. cap. 48. [9] nempe ventis Aquilonaribus, qui nubes dissipant & frigus efficiunt, infrà vers. 21. [e] *Hebr. a flatu Dei fortis edit, &c. antecedens pro se & suo relativo: ut Genes. 9. 6.* [10] i. ex aquis longè se diffundentibus condensat grandinem. [f] *Hebr. in angustum redigit.* [11] huc illuc impellendo: metaphora a rebus animatis. [12] i. e cujus medio emicant fulgetrorum rimæ, de quibus suprà vers. 2. [13] summa tertii argumenti: ubi ostendit Elihu totam istam administrationem unicæ Dei sapientiæ acceptam ferri oportere. [14] quas rebus humanis exhibet modò hoc, modò illud efficiendo. [g] *Heb. versat se in sapientibus consiliis suis: humanitus dictum.* [15] μεταγενῶν, de quibus loquutus est inde a principio capitis.

in superficie

in superficie orbis, in terra:
12 [16] Sive ad flagellum, sive ad terram suam;
sive ad beneficentiam, [h] efficit ut [17] præstò sit.
13 [18] Auribus percipe istud Ijob, consiste &
considera mirabilia *Dei* fortis.
14 Nosti-ne quum disponit Deus de illis; ut
[19] splendeat lux nubis suæ?
15 Nosti-ne [20] de libramentis densæ nubis,
mirabilia *Dei* perfecti scientiis,
16 Quibus vestimenta tua [21] calent; [22] a meridie, quum [23] tranquilla est terra?
17 [24] *An* expanderes cum eo *cælos* [i] junctos superioribus nubibus, [25] firmos, [26] ut speculū fusum?
18 [27] Notum fac nobis quid diceremus ei? non
possumus differere *sermones* propter [28] tenebras.
19 [29] An in acta referetur ei, si loquar? an [30] diceret quis? nam absorberetur.
20 [31] Jam enim non respiciunt *homines* [32] lucem *quum* nitida est in superioribus nubibus; quas
ventus transiens purgavit;
21 Per [33] Aquilonem [k] aurea *lux* advenit: in
Deo reverenda *est magis* gloria.
22 [34] Omnipotens quem non assequimur,
amplus *est* virtute: [35] sed judicio & magnitudine
justitiæ non affligit.
23 [36] Idcircò reverentur eum mortales: [37] non
respectat ullos sapientes [l] animo.

18 fines superioris administrationis tres: quorum duo extremi homines propriè attingunt, quos Deus vel meritis suppliciis afficit; vel benignitate sua misericorditer prosequitur; medius universè ad res omnes creatas pertinet, quas liberum est ipsi pro jure & auctoritate sua afficere bono vel malo.
h *Heb. facit invenire ipsum.*
17 unumquodque illorum.
18 quartum argumentum a compellatione conscientiæ Ijobi, ut eam serio cum Dei sapientia comparet, ac proinde agnoscat tenuitatem suam, usque ad vers. 22. hujus autem tenuitatis duo sunt loci præcipui; unus, a notitia & intelligentia Ijobi, usque ad vers. 17. alter, ab impotentia, vers. 17. [19] i. coruscatio & fulgetrum emicent. [20] i. potes-ne judicare de admirabili opere Dei, quo nubes velut æquilibrio ab omnibus cæli partibus consistentes, ac nullis ventis perspirantibus agitatæ, tantum æstum a sole concipiunt, ut homines præfocari videantur? [21] i. ita incalescunt, ut quamvis exilia tibi sint oneri. [22] i. a sole meridiano. [23] a ventis, & omni aëris agitatione, unde magis sidit & fervet calor. [24] i. quid posses præstare in creatione, si redintegranda esset? i *Heb. ad superiores nubes.* [25] i. firmiores quàm hæc inferiora sint. [26] i. pellucidos. [27] redit ad compellandum conscientiam Ijobi, atque ita dehortatur ne ampliùs obloquatur Deo, argumento per hypothesin sumto a persona sua. Quasi dicat, patronum optasti; ego spopondi fidem meam ad justificandum te, si quid possum, supra 33.32. sed non video omnibus expensis quid præstare possim. [28] mentis. [29] i. putas-ne fieri posse ut vadetur mecum, & causæ istius cognitionem suscipi jubeat? [30] i. causa experiretur contra illum. [31] confirmatio superioris propositionis per comparationem minoris: nemo potest (inquit) adversis oculis nitidum solem contueri; quis ergo ferat præsentiam majestatis Dei? [32] κατ' ἐξοχὴν, id est, Solem, ex usu Arabum: atque ex eo quoque Ægyptiis appellatur Orus. [33] i. Aquilonares ventos, qui dispellunt nubes, ut suprà vers. 8. k *Heb. auri* lux, *repetitum ex superiore versu.* [34] Conclusio orationem (ut rhetores vocant) efficiens κυκλοειδῆ. nam paulùm mutatis vocibus repetit eamdem propositionem quæ habetur suprà 36.5. [35] i. quamvis sit potentissimus; tamen homines a se creatos tanti facit, ut non utatur omnipotentia sua ad eos summo jure ac pro merito ipsorum affligendos. [36] nimirum quòd potentissimus Deus omnia judicia temperat sua misericordia: alterum membrum conclusionis de officio bonorum in Deum misericordem, ad quod Ijobum generali hoc documento provocat. [37] hoc est, non propter illos, aut propter ullam præstantiam quæ insit in illis; sed propter nomen suum, etiam sapientissimorum inter homines miseretur; sive (uno verbo) ad se, non ad illos respicit, quum misericordia utitur in Filio dilectionis suæ. l *Heb. corde.*

CAPUT XXXVIII.

Deus Ijobum increpans, ac velut in aciem provocans, evincit de sapientia, potentia & bonitate sua argumentis creationis & administrationis universæ, atque singularis in res creatas omnes, cælo, aëre, terra, mari, & abysso: quam obrem Ijob interrogatus a Deo, cedit auctoritati ejus, & se inferiorem causa confitetur.

TAndem respondit Jehova Ijobo [1] e turbine,
[2] dicens:
2 [3] Quis *est*, qui obtenebrat consilium sermonibus inscitè?
3 [4] Accinge nunc ut vir lumbos tuos; & *quod*
interrogabo te, notum fac mihi.
4 [5] Ubinam eras quum fundarem terram?
indica, si novisti intelligentiam.
5 [6] Quis disposuit mensuras ejus; [7] quandoquidem scitus es? aut quis extendit in ea regulam?
6 Cui rei bases ejus demersæ incumbunt? aut
quis jecit lapidem angularem ejus,
7 [8] Quum canerent simul stellę [9] matutinæ;
& [10] *cui* vociferati sunt omnes [11] filii Dei?
8 [12] Aut *quis* occlusit [13] valvis mare; [14] quum
ederem ipsum *tamquam* e vulva exiens?
9 [15] Quum ponerem nubem indumentum
ejus: & caliginem cunabula ejus?
10 Quum [16] diffregi pro eo *terram* decreto
meo; & apposui vectem & valvas;
11 Dicens, hucusque venies, & ne procedito:
&, hîc opponet se *litus* superbiæ fluctuum tuorum?
12 [17] An [a] unquam præcepisti matutino tempori? notum fecisti auroræ locum suum,
13 Ut [18] carperet [b] oras terræ, [19] quum excutiuntur improbi ex ea?
14 Ut ea [20] mutata sicut argilla [21] sigillari; [22] sisterentur *illi* velut indumento *obducto*?
15 [23] Ut prohiberetur ab improbis lux eorum;
& brachium elatum frangeretur?
16 [24] Pervenisti-ne usque ad profunditates
maris; aut in penetrali abyssi inambulasti?
17 An revelatæ sunt tibi [25] portæ mortis; aut
portas umbræ lethalis vidisti?
18 Considerasti-ne usque ad latitudines terræ? indica, si nosti eam totam.
19 Quanam via *itur ubi* habitat lux: & tenebrarum ubi *est* locus?
20 [26] Quum perceperis horum unumquodque [27] *usque* ad terminum suum; & quum intellexeris [28] semitas domus ejus:
21 Noveris te [29] jam tum natum fuisse; & numero dies tuos esse multos.
22 [30] Pervenisti-ne ad thesauros nivis? aut
in thesauros grandinis inspectionem habes?
23 [31] Quæ cohibeo [32] ad tempus angustiæ;
ad diem conflictus & belli.
24 [33] Quænam *est* via, *qua* in partes dissilit
[34] lux; dispergente Euro super terram?

1 tum ad majestatem sibi & verbo suo comparandam; tum ad deprimendum & humiliandum animum Ijobi, ut Jechezk. 1.14. [2] Hujus orationis partes sunt, Exordium, 2. & 3. vers. Confutatio, usque ad capitis 39. vers. 34. & Conclusio dialogistica. [3] Exordii locus prior ἐκ τῆς τοῦ φάσκοντος διαβολῆς, id est, a Ijobi qui sermonem habuerat, reprehensione: cujus reprehensionis argumenta sunt duo, unum, quòd in toto sermone suo imperitè & sine consilio sensa animi sui effundit; alterum, quòd etiam consilium Dei obscurare nititur. [4] alter locus exordii, propositio sive provocatio Ijobi ad sermones conserendos; quod toties ante postulaverat: agedum Ijobe, (inquit Deus) si potes, accinge, id est, compara & confirma te: metaphora a certaminibus corporeis.

5 Confutatio sermonum Ijobi quibus adversus Deum contenderat, erotematicè Ijobo proponitur, ut copia dicendi facta respondeat. Sunt autem tria in hoc capite confutationis argumenta: primum, a comparatione æternitatis Dei cum brevissimo ac recente Ijobi tempore, quo usus erat Eliphaz, sup. 15.7; sed ratione diversissima; secundum, a tenuitate notitiæ & scientiæ Ijobi, hoc V.; tertium, à comparatione operum Dei cum Ijobi infirmitate, cæteris V. hujus, & seq. capite.
6 tertium genus argumentorum ab operibus, partim creationis & administrationis universæ, toto hoc capite; partim singularis administrationis animantium, capite sequente. Hic autem primus locus est a creatione & constitutione terræ, usque ad V. 7. metaphoricè enunciatus a comparatione architectonica.
7 Ironia.
8 Secundus locus ἐκ παραγωγῆς adductus occasione præcedentis loci, a creatione corporum & spirituum cælestium: vide suprà 7.3.

[9] i. lucidæ. [10] i. cujus laudes prædicârunt suæ & aliorum creationis nomine. [11] i. angeli, ut supr. 1.6. [12] tertius locus a creatione & constitutione aquarum. [13] de quibus infr. 10. & 11. V. [14] uno momento ad mandatum Dei & ex thesauro potentiæ ejus, ut fœtus ex utero. [15] i. mare aliis aquis, tamquam vestitu & fasciis partum, circumtegerem: elegans allegoria. [16] i. alveos ejus, velut cunas, exaravi & circummunivi. [17] quartus locus, a constitutione lucis & tenebrarum. a *Heb. a diebus tuis, ut supr. 27.6.* [18] i. exoriens totam terram perlustraret: synecdoche. b *Heb. alas.* [19] descriptio lucis ab effectis, hoc & sequente versu. Improbi autem matutino dicuntur propterea excuti, quòd fugiant lucem: unde antegressa illa processit allegoria, sup. 34.25. [20] i. postquam novam faciem induit, quæ prius per noctem tota fuerat atra. [21] i. sicut argilla figuli, suis operibus, coloribus, cælaturisq; variis, sic terra multiplicibus bonis exornata conspicitur. [22] i. cohiberentur improbi a pergendo & sceleribus suis promovendis, tamquam si obvolverētur panno vultus aut pedes ipsorum: ut sequens versus ampliùs explicat. [23] a fine. quasi dicat, an si unquam fuerunt cœrcendi mali, potuisti vel tantillum accelerare lucem; ut deprehensos, luce sua, id est vita, rebusq; omnibus, quarū nomine illustres habentur, eos spoliares? [24] quintus locus ab amplitudine per humanam artem impervestigabili, primùm quidē maris, his duobus versibus; deinde terræ, V. 18. postremò cęli, V. 19. [25] profundissimæ abyssi illius, in quas natura hominum viva penetrare non potest: vide simile supr. 28.3. [26] ironica concessio, profecta a sponsione quæ habetur sup. V. 3. sic Jeschah. 29.16. & infrà 40.9. [27] i. planè, & sine exceptione. [28] i. quibus in stationem ejus perveniatur. [29] videlicet quum fundata est terra, cæteraq; effecta quæ supr. dixit Deus. [30] hactenus argumenta creationis: sequuntur alia ab operibus administrationis, ut supr. V. 5. observatum est. primus autem locus est a procellis singularibus, usq; ad versum 28. Pervenistine, inquit, id est, habésne administrationem, & curator istorum institutus es? metaphora sumta a quæstoribus ærarii. [31] i. quorum procurationem administrationemq; reservavi mihi. [32] i. ad quodcunque tempus mihi visum fuerit: synecdoche. nominatim autem calamitatum meminit, ut ostendat sibi præsentissima esse instrumenta, quibus contumaces retundat. [33] i. qua ratione fiant coruscationes, fulgura, procellæ, ventorum concertationes, nisi per me? [34] vide suprà 37. 2.

25 Quis dividit [35] inundationi aquæ ductum?
& viam nimbo [c] sonoro?
26 Demittendo pluviam in terram vacuam
viro; *in* desertum in quo non *est* homo:
27 Ut satiet vastatum & pervastatum *locum*; efferatq; productionem teneræ herbæ?
28 [36] Est-ne pluviæ [37] pater? aut quis genuit
guttas roris?
29 E cujus utero egressa est glacies? aut pruinam cæli quis genuit?
30 [38] Tamquam lapide aquas abscondentes
se; quum superficies abyssi concrescit?
31 An [39] constringes delicias Pleiadum? aut
[40] lora Orionis dissolves?
32 Educes-ne [41] remotiora signa *quodque* tempore suo? aut Arcturum [42] cum filiis suis duces?
33 An cognoscis de statutis cæli? an [43] disponere potes dominatum ejus in terra?
34 An attollere potes ad densam nubem vocem tuam; ut affluentia aquarum [44] tegat te?
35 An emittere potes fulgura ut abeant? an dicent tibi, ecce nos?
36 [45] Quis indidisset præcordiis sapientiam?
aut quis dedisset menti intelligentiam?
37 Quis [46] sapphirinas efficit nubes sapientiâ?
& [47] utres cæli quis porsternat,
38 [48] [d] Ut perfusio sit fermentandæ terræ; ut
conglutinentur glebæ?

[35] i. quis facit ut procellosa nubes e cælo exundans, modò huc modò illuc erumpat, tamquam a certis aquæductuum emissariis? simili argumento utitur Hamos 4.7. & 8.
[c] *Heb. vocum.*
[36] secundus locus, ab eo administrationis genere quod mágis ordinarium est in natura rerum; ut sunt pluvia & ros, hoc versu; gelu, pruina, & frigus, duobus sequentibus; tempestates anni per sua signa distributæ, 31. 32. & 33. & sic deinceps.
[37] præter me, & sic deinceps.
[38] i. glaciem lapidescentem.
[39] i cohibebis Pleiadas, ne vernent & suas delicias proferant: vide suprà 9.9.
[40] i. quasi ductarios funes illius adimes, quibus imbres, tempestates, ac frigora solet secum advehere? [41] i. meridiana, ab aspectu nostro magis remota. [42] i. signis borealibus. [43] i. an cæli cursum & effecta in inferiora moderari potes? quæ instituerat Deus Gen. 1.14. & sequẽtibus. [44] i. tibi ministret irrigationem, quum & quantum voles. [45] i. unde habuisses ista? [46] i. quis adeò serenat cælum, ut speciem reddat sapphiri? [47] i. nubes, velut in utres digestas, exoneret? [48] i. terram, quum pulverulenta est ab ariditate, immissis pluviis fermentet ad glebarum compagem, & rerum ex ea nascentium alimentum? [d] *Heb. fermentationi pulveris ad perfusionem.*

CAPUT XXXIX.

1 AN venari potes immanibus leonibus prædam? aut catervam juvenum leonum explere potes,
2 [2] Quum incurvant se in atriis suis; consident in tugurio ad insidias?
3 Quis comparat [3] corvis [a] escam ipsorum,
quum pulli eorum ad *Deum* fortem [4] vociferantur; aberrantibus [b] penuria cibi?
4 [5] Possis ne [6] noscere tempus quo pariunt
rupicapræ? *quo* enituntur cervæ, observes?
5 Numeres menses *quos* complent? noscas
tempus partus earum?
6 *Ut* [7] incurvent sese, pullos suos edendo [8] dissecent se: [9] dolores suos emittant?
7 [10] Revalescant nati earum, crescant per agrum: egressi non revertantur ad eas?
8 [11] Quis dimisit ferum animal liberum: &
[12] lora onagri quis solvit?
9 Cui disposui campestria *pro* domo ejus; &
pro habitaculis ejus salsuginosam *terram*.
10 Ridet multitudinem urbis; fragores exactoris non exaudit.
11 [e] Exploratum in montibus est pascuum ejus: & post omnem viriditatem inquirit.
12 An volet unicornis servire tibi? pernoctabitne ad præsepia tua?

[1] tertii generis (ut diximus sup. in 38.5.) secunda argumentatio, ab administratione singulari animantium terrestrium & volatilium. Est autem in his verbis primum exemplum generis voracissimi & famelici, leonum in quadrupedibus, & corvorum in volatilibus; de ratione subministrandi eis alimentum.
[2] vide Psal. 10.9.
[3] sua, & pullorum causa sollicitis.
[a] *Heb. viaticum.*
[4] i. in suo nido crocitant, Deum suo modo inclamantes.
[b] *Heb. propter non cibum.*
[5] secundum exemplum, a cura & administratione partus, sylvestriũ maximè & pernicissimorum animantium. [6] i. partum istarum moderari suo tempore? ut sup. 38, 33. sic sequentia omnia verba per synecdochen: pro eo quod est, totam administrationem earum obtinere. [7] ad partum. quasi dicat, túne efficis ut cervæ, quæ alioquin ægerrimè essent pituræ, commodiùs pariant? nam ante partũ purgantur herba quadam quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero, inquit Plin. lib. 8. cap. 32. [8] i. dilatent naturalia: synecdoche. [9] i. doloribus partus liberentur ejecto involucro partus, aro & seseli depastæ: Aristoteles lib 9. de historia animalium, cap. 5. & Plinius ibidem. [10] ab angustiis & difficultatibus partus, quibus fracti sunt. [11] tertium exemplum commune ferarum omnium, ab immansueta eorũ natura quam solus moderatur Deus; quo in genere duo singularia exempla adducit, onagri, usq; ad ꝟ. 12. & unicornis, usq; ad ꝟ. 16. [12] i. quis indidit ei ferociam & impatientiam jugi? [e] *Heb. exploratio montium.*

13 An ligares unicornem ad [d] arationem
denso fune ejus? occarétne convalles post te?
14 An fides ei, quia multa est vis ejus? aut relinquas ei laborem tuum?
15 Credésne ei relaturum esse sementem tuam; & *in* aream tuam collecturum?
16 [13] Alam-*ne* pavonum exsultandam; an pennam ciconiæ, aut struthiocamelo *dares*?
17 Qui relinquit terræ ova sua: & in pulvere
calefacit ea:
18 Oblitus pedem compressurum esse illud; &
bestiam agrestem proculcaturam illud.
19 *Deus* [14] [e] torrefaciens excludit pullos ejus
[f] alienâ operâ; propter vanitatem laboris ejus
[g] ex incuria:
20 Quia [h] destituit eam Deus sapientia; neq;
impertiturus est ei istam intelligentiam.
21 Quo tempore in excelsum extollit se; [15] ridet equum & sessorem ejus.
22 [16] Darésne equo robur? an indueres collum ejus [17] tonitru?
23 An tremefaceres eum sicut locustam? gloriam ronchi ejus terrore?
24 Fodiunt *pedes* in convalle, & lætatur præ
virtute; prodiens obviàm armis.
25 Ridet pavorem, neque consternatur; neq;
revertitur metu gladii;
26 Contra se sonante pharetra; splendente
hasta & lancea.
27 In fremitu & commotione fodit terram,
neque consistit firmus, quum sonus tubæ *editur*:
28 Ad sonum tubæ dicit, Ha ha he, quum e
longinquo odoratur bellum; tonitru principum,
& vociferationem.
29 An ex intelligentia tua pennis utitur accipiter? [18] pandit alas suas versus austrum?
30 An [i] ad præstitutum tuum [19] altum petit
aquila? an certè attollit nidum suum?
31 Rupem inhabitat & immoratur; in scopulo rupis & munitione:
32 Unde pervestigat cibum; in longinquum
oculi ejus intuentibus.
33 Etiam pulli ejus sorbent sanguinem; & [l] ubi sunt confossi, ibi est.
34 [20] Deinde respondens Jehova Ijobo, dixit:
35 [21] Satis-ne? contra omnipotentem contumacem esse *quemquam*? [22] increpator Dei respondeat ad istud.
36 Itaque respondens Ijob Jehovæ, dixit:
37 [23] En, vilis sum, [24] quid responsarem tibi?
[25] manum meam appono ad os meum.
38 Semel loquutus sum; sed non respondebo:
aut iterum; sed non pergam.

[d] *Heb. porcam, synecdoche: nam sulcus, porca & lira sunt arationis partes.*
[13] quartũ exemplum, ab ornatu volatilium, & provida administratione stolidissimorum animalium, a struthiocameli exemplo, usq; ad ver. 22.
[14] i. solis æstu fovet ova quæ struthiocamelus in area posuerat, donec excludantur pulli.
[e] *Heb. torrefacit pullos.*
[f] *Heb. per nõ ejus.*
[g] *Heb. non pavore, i. sollicitudine.*
[h] *Heb. fecit ut oblivisceretur.*
[15] altitudine & celeritate. Aristoteles de partibus animalium lib. 4. in fine, & Plin. principio lib. 10. humanitùs dictũ, ut supr. ver. 10. sic deinceps.
[16] quintum exemplũ a robore & nobilitate, primùm equi, usq; ad ꝟ. 29. deinde accipitris & aquilæ.
[17] i, hinnitu vehementissimo, quia fremitus gravitate cum tonitru comparatur, est autem his verbis elegantissima descriptio generosi equi, qualem Græci φρυαγματίαν velut fremebundum vocant.
[18] i. in Australem plagam avolat hyberno tempore, Plin. lib. 10. ca. 8.
[i] *Heb. secundũ os.*
[19] exempla hæc aquilarum de variis earum generibus sunt accipienda: vide Plin. lib. 10. cap. 3.
[l] *Matth. 24. 28.*
[20] Conclusio dialogistica, ut observatum est in ꝟ. 1. [21] reprehensio quasi indignantis in Ijobum, duobus argumentis; a firmitate superiorum argumentorum quæ exposuit Deus, & a comparatione hominis cum Deo. [22] Concessio ejus quod petierat sup. 13. 22. qua Ijobum ad secundas agendas si volet, provocat; sed indefinitè. quasi dicat, quisquis fuerit. [23] Confessio Ijobi singularis ad superiorem propositionem Dei, non autem integra, ut fuit posteà infr. 42. 1. En (inquit) vilis sum: respicit ad secundum argumentum, se ipsum cum Deo comparans: κατ' ὑπεροχήν. [24] subjectio ad prius argumentum, qua exponit Ijob se acquiescere superioribus dictis Dei. [25] ut sup. 21. 5.

CAPUT XL.

Deus Ijobum reprehendit, docens non satis esse ut desistat de causa, nisi gloriam omnem ipsi tribuat: propterea in superiore argumento pergens, justitiam & omnipotentiam sibi duobus illustrissimis exemplis vindicat.

ITaq; respondens Jehova e turbine Ijobo, [1] dixit:
2 [2] Accinge nunc ut vir lumbos tuos: quod
interrogabo te, notum fac mihi.

[1] Hujus secundæ responsionis argumentum cum priore commune est: Finis, ut Ijob ad ampliorem & integram prædicationem gloriæ Dei & infirmitatis suæ professionem adducatur. Partes verò sunt, Exordium, ꝟ. 2. Iabims sive propositio reprehensionis, a vers. 3. usque ad 10. Et confirmatio a duobus singularibus exemplis, a 10. vers. usque ad finem cap. 41. [2] Exordium, ut supr. 38. 3.

3 [3]An etiam irritum facies judicium meum?
condemnabis me,ut justus sis?
4 [4] Aut an brachium ut *Dei* fortis est tibi ? &
voce ut ipse intonabis?
5 [5]Orna *te* jam excellentia & sublimitate;
gloriaq; & decore indue te.
6 [6] Disperge indignationes iræ tuæ ; &
aspice quicquid est excellens, ac dejice illud.
7 Aspice quicquid est excellens , deprimo il-
lud : & contunde improbos [7] loco suo.
8 [8] Absconde eos in ipso pulvere pariter; fa-
ciem eorum obliga in abscondito.
9 [9]Tunc etiam ego celebrabo te ; quòd ser-
vet te dextera tua.
10 [10] Jam ecce elephantem quem feci [11] te-
cum; *qui* [12] fœnum ut bos comedit:
11 Ecce jam, *inquam* ; vis ejus [13] in lumbis
ejus *est*: & robur ejus in [a] umbilico ventris ejus.
12 Arrigit [14] caudam suam [15] similem cedro:
[16] nervis testium ipsius in ramos abeuntibus.
13 [17] Ossa ejus *sunt* viribus chalybæis ; artus
ejus vecti ferreo similes.
14 [18] Huic primario operi viarum Dei fortis;
qui fecit ipsum, adhibuit gladium ipsius;
15 [19] Quamvis proventum montes proferant
ei; & omnes bestiæ agri [20] ludant ibidem.
16 Sub umbrosis cubat ; in [21] occulto arundi-
num & cœni:
17 Tegunt eum umbrosa, *quodque* umbra sua;
cingunt ipsum salices torrentis.
18 En [22] comprimit flumen, *ut* non festinet:
confideret se editurum esse Jardenem *ingressum* in
os suum.
19 *An* [23] in oculis ejus capiet eum *quisquam*:
[24] tendiculis perforabit nasum?

3 Propositio reprehensionis Ijobi, quòd imperfectam adhuc confessionem edidisset: quam ob rem eo nomine illum reprehendit Deus, quòd planè sibi injuria fieret, nisi apertè Ijob rem totam confiteretur. Hoc autem docet primùm ab absurdo, docens absurdum esse ut taceat Ijob, postquam innocentiam suam defendit, & de judicio Dei cōquestus est; deinde ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, vers. 4. Sensus est, nondum revocabis quod anteà de meo judicio expostulâsti? 4 secundum argumentum ab impossibili, per comparationem potentiæ Ijobi cum potētia Dei. 5 amplificatio synchoretica sive (ut loquuntur) concessiva utriusque superioris argumenti de justitia & potentia q.d. experire jam potentiam tuam, & justa judicia exerce (si potes) ea forma, majestate, atque efficacia qua exercet Deus ; denique Deum age. 6 i.iram tuam gravissimam momento uno longè latéque in omnem præstantiam diffunde. 7 i.ubicunque locorum sint, ita ut non ipsi coram te hic sistantur ; sed potentia tua pervadat ut potentia Dei. 8 i.tolle omnes, & perpetua oblivione sepeli. 9 ironia, ut suprà 38.20. 10 Confirmatio a duobus exemplis, primùm elephantis, usque ad finem capitis : deinde balænæ in mari, cap. 41. 11 i.inter terrestria, ut tu es. 12 id est, rebus e terra nascentibus pascitur ; non autem ut feræ, raptis; synecdoche. 13 i, totus robustissimus est supernè & infernè. a *Hebr. in umbilicis.* 14 i. penem, κατ' εὐφημισμόν. 15 i.ingentem, hyperbole ; etsi non pro reliqui corporis magnitudine magna est, ut res ipsa docet. 16 i.qua semen a testibus, qui longiùs a cauda absunt, per cremasteras velut protensos ramos ad penem demittitur : nam testes elephanto non foris conspicui sunt; sed intùs circa renes conditi, teste Aristotele lib 2. de historia animalium, cap. 1. 17 i. sunt firmissima. 18 i. hoc tantum specimen admirabilium Dei operum armavit Deus manu sive proboscide, quasi gladio validissimo. 19 id est, terrà nascentibus pascatur, nec armis in aliorum animantium perniciem abutatur, ut quæ vescuntur rapto. 20 securæ ab eo. 21 i. ripas accolit plurimùm, ubi hæc crescunt : Aristoteles lib. 9. de historia animal. cap. 46. & Plin. lib. 8. cap. 10. 22 i.amnem in quo se abluit, præ mole corporis avertit & obsistet ei; quod sequentia per hyperbolen explicant. 23 i. apertè, ac non insidiis structis: vide Plin. libr. 8. cap. 8. & 9. quibus insidiis capiantur. 24 i.hamis vel uncis in nasum injectis, ut fit piscibus : ita transitio fit ad alterum genus aquaticum, de quo 41. capite.

CAPUT XLI.

1 AN extrahas balænam hamo ; aut fune *quem*
demerserit lingua ejus?
2 [2] An appones [3] juncum naso ejus: aut [4] spi-
na perforabis maxillam ejus?
3 An multis utetur apud te deprecationi-
bus? aut alloquetur te mollibus?
4 An panget fœdus tecum? assumes eam ser-
vum [a] perpetuum?
5 Ludésne ea tamquam avicula ? aut ligabis
eam pro puellis tuis?
6 [5] Apparabúntne convivium propter eam
socii? [6] divident eam inter mercatores?

1 secundum exemplum, ut observatū est suprà 40. 10. quo ait, An extrahas, id est, potésne capere sive vi, 7. versib. sive fraude, ℣. 8. & sequ. ut pisces alios? 2 i. potésne retinere captam? 3 id est, constringésne inserto junco, ut piscator minutos pisces? 4 i. unco piscatorio. a *Heb. seculis.* 5 i. an de captura ejus piscatores læti convivantur, eamq; sibi vendicare possunt? hic enim agitur de captura ab hominibus arte, labore atq; industria facta. 6 i. an unquam redemtores, qui condicto piscatoribus pretio capturas in adversionem comparant, sibi hoc nomine gratulati sunt capturam dividentes?

7 [7] An implebis [b] harpagonibus cutem ejus?
aut fuscina piscaria caput ejus?
8 [8] Pone super eam manum tuam : [9] memi-
nisse belli ne pergito.
9 En spes ejus *capiendæ* mendax est: an etiam
ad aspectum ipsius *hominis* dejicietur?

CAPUT XLI.

10 [10] Non *est* ferox, qui excitet eam : [11] quis
ergo est, *qui* sistat se coram me?
11 [‖]Quis prævenit me, & rependam? *quicquid*
subest toti cælo, meum est.
12 [12] Non silebo membra ejus ; & sermonem
de viribus, & gratia dispositionis ejus.
13 [13] Quis retegit superficiem vestis ejus: cum
[c] geminis habenis suis quis accedat?
14 [14] Fores faciei ejus quis aperiat? circa den-
tes ejus *est* terror.
15 [15] Excellentia, viribus scutorum ; circum-
clusa *est* [16] sigillo arctissimo.
16 Unum alteri tam propè sunt; ut ventus non
possit intervenire illis.
17 [d] Quodq; proximo suo cohærent ; conti-
nentia sunt ita ut non sejungantur.
18 [17] Sternutationibus ejus splendet lux ; &
quidem oculorum ejus, velut [18] palpebræ auroræ.
19 [19] Ex ore ejus *velut* tædæ prodeunt ; scin-
tillæ ignis proripiunt sese;
20 E naribus ejus prodit fumus ; [20] ut aheni
ferventis & cortinæ:
21 *Quasi* halitus ejus carbones incenderet; &
flamma ex ore ejus prodiret.
22 In collo ejus commoratur robur ; & ante
eam [21] exsilit mœror.
23 [22] Melandrya carnis ejus cohærent : firma
est in se, non dimovetur.
24 [23] Cor ejus firmum *est* ut lapis ; firmum, in-
quam, ut fragmen [e] metæ.
25 Ab excellentia ejus timent fortes: [24] metu
confractionum se purgant.
26 [25] Assequentis eam [26] gladius non cōsistet;
hasta, telum, aut lorica.
27 Reputat ut paleam ferrum ; ut lignum pu-
tre chalybem.
28 Non fugat eam [f] sagitta; in stipulam con-
vertuntur ei lapides fundæ.
29 Ut stipula reputantur ballistæ *lapides*; & ri-
det ad vibrationem lanceæ.
30 [27] Subduntur ei *ut* acumina testacea ; sub-
sternit [28] excisum in luto.
31 [29] Fervefacit tamquam ollam profundum;
& mare disponit ut mortarium unguentarii.
32 [30] Post se lucidam reddit semitam ; putaret
videns [g] abysso canitiem esse.
33 Non *sunt* in pulvere [h] comparanda ei; quę
agant intrepidè.
34 Quicquid altum est, despicit; estq; regina
super omnes [i] feras.

7 i. an injectis in cutem ejus confertim harpagonibus, poteris eam in litus trahere? b *Heb. spinis.* 8 i, demulce eam, & blanditiis experire utrùm ea potiri possis. 9 i. pacem tibi esse cum ea simulato alter modus, ut diximus in versum 1. 10 superiorum exemplorum ἀπόδοσις, sive accommodatio ad præsentem causam. 11 accommodationis argumenta sunt, a potentia, hoc versu; atque a justitia & jure, vers. 11. ‖ *Rom. 11. 35.* 12 regressio ad explicationem amplitudinis, quæ in balæna est. 13 i. quis potest illam e mari in siccum adducere, & nudum sistere coram hominibus? sic deinceps per gradationem, retectam quis frænet? &c. c *Heb. cum dupla habenarum.* 14 i. maxillas ad inferendum frænum, quæ ita aperiuntur ut ingentes portarū valvæ. 15 i. præstantissimis & durissimis squamis, quæ forma & usu sunt balænæ scuta: hypallage rhetorum. 16 quod duo sequentes versus explicant. d *Heb. vir cum fratre suo.* 17 i. quum natans anhelat, & obviarum undarū turbines volvit, tum retecti oculi illius ferè emicant. 18 hyperbole, quæ etiam frequēs est versibus sequentibus : de hac autem venustissima tralatione vide suprà 3. 9.

19 i tam ingentes fumos ore & naribus efflat, ut maximum intùs incendium factum diceres. 20 i. ita in sublime nimbos efflat, ut fervens olla aut cortina bullas. 21 i. mœrore afficit omneis obvios, ac si de illis triumphans exsultaret mœror effectus ab ipsa : humanitùs dictum. 22 i. caro ejus solida est, neque in melandrya sive partes assulatim dissilit, ut aliorum piscium caro, nam melandrya vocantur illa membra, cæsis quernis assulis simillima, Plin. lib. 9. cap. 15. Sensus est, corpore & corde est validissima, hoc & sequente versu. 23 i. fortis & intrepida est. e *Heb. inferioris molæ.* 24 i. metu periculi instantis & horrore expiant animos & purificant se confitentes Deo, ac fidei ejus se committentes. *ἐργασία* fortitudinis quam proposuerat superiorib. ℣. 25 *ἐργασία* sive amplificatio roboris quod proposuerat ℣. 22. & 23. per hysterosin. 26 hoc est, omnia arma conterentur, ac nihil præstabunt: hæc usque ad vers. 31. f *Heb. filius arcus.* 27 i. vibrati in eam lapides tamquam diffractæ testæ resiliunt, & in profundum abeunt. 28 i. ferrum comminutum in profundum maris dejicit, ubi lutum est. 29 i. totum oceanum turbat; vide Plin. lib. 9. cap. 3. & 6. 30 i. vestigia in spatium aliquantisper imprimit, tum quemdam velut sulcum a tergo ducens, tum albentem spumam excitans vehemente agitatione sua. g *Hebr. abyssum canitiei esse.* h *Heb. comparare ei.* i *Heb. filios feræ; ut sup. 28. 8.*

CAPUT XLII.

Ijob majeſtatē divinam & ignorantiam ſuam cōfeſſus, ſe docendum tradit Deo; & reſipiſcentiam ſuam proteſtatur: qua probata, Deus alios reprehendit, reconciliationis viam oſtendit, adminiſtro Ijobo; & huic omnibus modis benedicit.

RESpondens verò Ijob Jehovæ, [1] dixit:
2 [2] Novi te omnia poſſe; [a] neque averti te poſſe a cogitatione *perficienda.*
3 [3] Quis iſte eſt, *inquis*, qui occultat conſilium inſcitè? idcirco [4] indico me non intellexiſſe: [5] mirabilia ſunt ſupra me, adeò ut nequeam cognoſcere.
4 [6] Exaudi, quæſo, dum ego eloquar: quod rogabo te, notum fac mihi.
5 [7] Auditione auris audîeram *de* te: nunc autem oculus meus videt te.
6 [8] Idcircò aſpernor [9] *illa*, atque pœnitet me;
[10] in pulvere & cinere.
7 Fuit autem poſtquam eloquutus eſſet Jehova verba iſta apud Ijobum; ut ediceret Jehova Eliphazo Themanitæ, accenſa eſt ira mea in te & in duos amicos tuos, quia [11] non eſtis loquuti de me rectè, ut ſervus meus Ijob:
8 Quam ob rem nunc ſumite vobis ſeptem juvencos, ſeptemq; arietes, & adite ſervum meum Ijobum; [12] ut offerendum curetis holocauſtum pro vobis, & ſervus meus Ijob oret pro vobis: nam verè [b] perſonam ejus accipiam, ut non afficiam vos [c] pœna flagitii, quia non eſtis loquuti rectè de me, ut ſervus meus Ijob.
9 Itaque abeuntes Eliphaz Themanites, & Bildad Schuchites, Tzophar Nahamatites fecerunt quemadmodum edixerat ipſis Jehova: acceptiq; Jehova perſonam [13] Ijobi.
10 Deinde Jehova reſtituit [d] [14] quod captum fuerat Ijobo, quum oràſſet pro amicis ſuis; etiam auxit Jehova quicquid fuerat Ijobo [15] duplo:
11 Et convenientes ad eum omnes cognati ejus, & omnes cognatæ ejus, & omnes familiares ejus anteà, comederunt cum eo cibum in domo ejus; & condolentes ei conſolati ſunt eum, de toto illo malo quod induxerat Jehova ſupra eum: ac [16] dederunt ei quiſque [17] numum unum, & quiſque mónile unum aureum.
12 [18] Jehova ergo benedixit fini Ijobi magis quàm principio ejus: nam fuerunt ei quatuordecim millia pecudum, & ſex millia camelorum, & mille paria boum, milleq; aſinæ.
13 Fuerunt etiam ei ſeptem filii & tres filiæ:
14 Quarum primæ indidit nomen Jemimæ; nomen autem ſecundæ Ketzihæ; & nomen tertiæ Keren-Happuc.
15 Neque inveniebantur fœminæ pulcræ, ut filiæ Ijobi in tota illa regione; quibus dedit pater earum poſſeſſiones inter fratres earum.
16 Quumq; vixiſſet Ijob poſteà centum quadraginta annis; & vidiſſet filios ſuos, & [e] nepotes ſuos quatuor generationibus;
17 Mortuus eſt Ijob ſenex, & ſatur dierum.

[1] Hujus reſponſionis partes ſunt duæ, Propoſitio ὁμολογητικὴ, ſive confeſſoria, & Petitio.
[2] Propoſitionis iſtius partes ſunt duæ; confeſſio omnipotentiæ & efficacitatis conſiliorum Dei, verſ. 2. & confeſſio ignorantiæ, cujus nunc demùm Ijob ſe conſcium agnoſcit, verſ. 3.
[a] *Heb. neque inverti a te poſſe cogitationem; hypallage, ut Gen. 11.6.*
[3] ſuprà 38. 2. ſic exponit tacitè ſe eum eſſe, qui obmurmuraverit Deo.
[4] q.d. fateor me peccâſſe; ſed ignorans feci. [5] cogitationes & conſilia tua, quæ non tantùm antehac, ſed etiam nunc ſuperant captum meum: ita viam ſternit ad precationem ſequentem. [6] Petitio, cujus partes ſunt duæ; una, ut Deus hominem ſuæ infirmitatis conſcium non aſpernetur; altera, ut ignorantem & conſulentem doceat. [7] confirmatio petitionis duobus argumentis, a beneficio Dei erga ſupplicem, & a ſeria ejus reſipiſcentia. beneficium autem Dei duobus gradibus exponitur, hoc verſu, quod Deus audiendum & videndum ſe ipſi præbuerit. [8] quia beneficium illud antè acceptum, quum audiviſſem te prædicari; nunc demùm altero cumulâſti, quòd te præſentem exhibes. [9] quæ videlicet cogitaveram & dixeram. [10] i. ex animo & ſtudioſiſſimè: quod illis externis ſymbolis ſignificabatur. [11] i. cauſam meam iniquè egiſtis, ut Ijob ſuprà expoſuerat capite 13. [12] id eſt, ut Ijob ſacerdotis partibus defungatur pro vobis, ſacrificio & precibus, ſic Malcitzedek, & Abraham ante datam Legem, Geneſ. 14. & 20.

[b] *Heb. vultum ejus: ſic verſ. 9.*
[c] *Heb. flagitio.*
[13] ſacerdotio fungentis; nomine Chriſti Sacerdotis & victimæ ſempiternæ noſtræ, quem iſta figurabant.
[d] *Heb. captivitatem Ijobi.*
[14] i. incolumitatem corporis, bona, amicos, & liberos: quæ omnia fuerant adempta, ut ſequentibus verſibus exponitur.
[15] i. quàm plurimùm: numerus finitus pro infinito.
[16] i. quaſi redivivo atque de integro in priſtinam illam dignitatem ſuam & auctoritatem reſtituto, de qua ſuprà 29. honoraria obtulerunt, ut eſſent tum amicitiæ, tum obſequii ſymbola: ſic enim viri principes munere ſalutabantur, ut 1. Schem. 10. 27. & 2. Chron. 17. 5. [17] vide Geneſ. 33. 19. [18] Regreſſio ad ſermonem interruptum, & propoſitionem [illegible] enunciatam ſuprà verſ. 10. Atque hæc omnia apertè demonſtrant hiſtoriam hanc reverà fuiſſe geſtam: ut diximus ſuprà in 1. 1. [e] *Heb. filios filiorum ſuorum.*

PSALMI.

PSALMI.

ARGUMENTUM.

LIBER *Psalmorum sacras cantiones continet, quæ in Ecclesia vetere fuerunt conscriptæ usque ad funesta tempora Antiochi: ac propterea est quædam velut epitome veteris Testamenti, speculum gratiæ Dei, absolutaq; hominis totius anatome; qua exponuntur omnis generis documenta, de promissionibus operibusq; Dei gratiosis erga suos, severis in adversarios, & in omnes fidelibus: item de fide nostra in promissiones ejus, de obsequio, de infirmitatibus, patientia, constantia, & liberatione nostra in rebus adversis, de legitimo bonorum usu & gratiarum actione in rebus secundis, deniq; de toto officio nostro erga Deum, & fide illius erga nos in Christo: de quo elegantissima & illustrissima Prophetiæ habentur passim ad consolationem & confirmationem Ecclesiæ.*

PRIMUS LIBER PSALMORUM.

PSALMUS I.

Virorum bonorum vita describitur; denunciaturq; eis fœlicitas: malis verò infœlicitas ex judicio Dei.

1 Psalmus est ἀντίγραφος, generis didascalici: cujus partes sunt Propositio ỽ.5. & Confirmatio, ỽ.ultimo Propositio duobus primis versibus constitutionem bonorum explicat; exornat sequent. Est igitur unicum hoc Psalmo enthymema, cujus desideratur propositio major: reliquæ syllogismi partes diverso ordine proponuntur. Atque hic syllogismus est: Beati sunt quorum viam agnoscit Jehova & curat: Justorũ autẽ viam agnoscit, ỽ.6. Ergo justi (qui circumscribuntur 1.& 2.ỽ.) beati sunt.

1 BEATUS *est* vir ille,
qui non ambulat in
consilio improborum,
& viæ peccatorum non insistit;
ac in consessu derisorum non desidet:
2 [2] Sed cujus oblectatio *est* in [3] lege Jehovæ; & *qui*
de lege illius meditatur interdiu ac noctu.
3 [4] Est enim sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo,
& cujus folium non decidit: [5] ideò quicquid faciet, prosperabitur.
4 [6] Non ita improbi *sunt*, sed [7] sicut gluma
quam dispellit ventus.
5 [8] Idcirco [9] non exsurgent improbi in [10] illo
judicio; aut peccatores in cœtu justorum.
6 [11] Nam [12] agnoscit Jehova viam justorũ:
at via improborum [13] peritura est.

Quum autem hæc sit minoris propositionis summa, Bonos beatos esse; ideoq; sigillatim ostenditur tum qui sint boni, ỽ.1.& 2. tum quæ illorum fœlicitas, ỽ.3. Boni duobus modis describuntur; primùm κατ' ἄρσιν sive ἀναίρεσιν, quòd absint a malo. ver.1. deinde κατὰ θέσιν, quòd sanctimoniæ hæreant, ỽ.2. Hoc autem versu tres sunt κλίμακες, ad personas, formas, & actiones personarum pertinentes. In personis censentur improbi, animo; peccatores, vita; & derisores, in utroque omnibus modis obstinati. Formæ sunt, consilium, animi; via, vitæ sive instituti; & consessus, denotans habitudinem. Actiones verò, ambulare ad certum aliquem finem, quod est consilii; insistere viæ, consilio capto; & sedere ac conquiescere in consilio & actionibus malis, obstinatè, quum vir aut sua ipsius malitia rapitur, aut aliena traducitur. [2] altera bonorum descriptio, velut per correctionem superiori juncta. q d. beatus qui abstinet a malo; si studet bono; id est, si vera, viva, & ardente fide animum eò refert ut obsequatur Deo, cogitationes suas, sermones, operaq; conformans voluntati illius explicatæ Lege: ut Psal. 34.15. & 37.27. [3] i. doctrina Dei, quæ sola est omnis boni regula. [4] secundum membrum propositionis, descriptio fœlicitatis quæ viris bonis adjudicatur exornata a simili, hoc versu; & a contrario, duobus sequentib. A simili per comparationem arboris: nam tria ponuntur arboris attributa. 1. plantatio secundùm aquas; symbolum regenerationis & succi quem trahimus a Christo, nimirum justitiæ ejus habitantis in nobis. 2. fructuum productio; symbolum sanctificationis vitæ, ad gloriam Dei & commune bonum. 3. constans viriditas; symbolũ perseverentiæ. [5] Argumentatio est a simili in hunc modum: ut arbori benè radicatæ, educatæ, & firmæ, ita est viro bono: Arbor autem illa secundatur: Ergo & viro bono ita futurum est. [6] Altera propositio exornationis a contrario superiori opposita, & ei ex adverso respondens. [7] radice, succo, fructu, omniq; viriditate carens: non autem ut arbor illa, ỽ.3. [8] Exegesis & accommodatio ejus quod dixerat de gluma, eam dispelli vento, ad improborum statum, q.d. proptereà quòd sunt inanissimi, privabuntur beatitate illa de qua ỽ.1. [9] ne sublato quidem vultu se audebunt sistere. [10] in beato illo & benedicto statu qui adjudicatur justis, sup. ỽ.1. deniq; in consortio justorum coram Deo. [11] Confirmatio, sive ἀποδεικτικὴ causarum explicatio, ex quibus superiora eventa bonis & malis sigillatim certa sunt. [12] i. in orationes suas refert, probat, & curat Deus; ac proinde non perit bonorum via, sed eos in optatissimum salutis portum perducit in Christo. [13] i. quia eam non approbat Deus, perit via ipsorum cum ipsis: synecdoche.

PSALMUS II.

Impiorum conatus in regnum Christi; Dei securitas & judicium in illos, regni que institutio, amplitudo, firmitas, & effecta proponuntur: quam ob rem adversarii ad fidem & resipiscentiam revocantur; exitiúmque reluctantibus denunciatur, & obsequentibus salus.

1 [1] QUare tumultuantur gentes: & nationes meditantur [2] inane;
2 Sistunt se reges terræ, & proceres consultant simul; contra [3] Jehovam, & contra [4] Christum ejus?
3 *Dicentes*, disrumpamus [5] lora istorum; &
projiciamus a nobis densos funes istorum?
4 [6] Sedens in cælis [7] ridet; dominus subsannat eos.
5 [8] Tunc [9] alloquetur eos in ira sua, & in æstu iræ suæ perturbabit eos:
6 [10] *Dicet*, [11] atqui ego [a] inungens regem meum, præfeci [12] Tzijoni [13] monti sanctitatis meæ.
7 [b] [14] Decretum enarraturus sum: Jehova
dixit mihi, [15] filius meus es, ego [16] hodie

1 Psalmus est ἀντίγραφος, ut superior, generis didascalici; quo thesis superioris psalmi tum ad Davidem & regnũ ipsius accommodatur, velut Christi & Ecclesiæ typũ; tũ etiam propriè ad Christũ & Ecclesiam. Partes autem illius sunt três; Propositio, sive Exordium θαυμαστικὸν, κατὰ προσφώνησιν, 3. vers. Narratio, inde a ỽ.4. ad 9. usq;: & Conclusio in fine Psalmi. Ac Propositionis quidem illustratæ admirativa interrogatione, summa est, mundum pugnare adversus regnũ Dei; ex cujus circumstantiis admiratio illa profecta est, sic Act.4.25. ad regnũ Christi accommodatur id quod priùs in regno Davidis fuerat adumbratum, quum a tam multis hostibus peteretur, 2.Schem.22. cap. usq; ad 10. [2] i. quod effectu suo cariturum est. [3] Deum Patrem, ut ỽ.7. [4] i. unctum; sive Davidem typum, sive Christum qui est typorum veritas. [5] i. servitutis jugum, quod nobis videtur gravissimum: ita sapit mundus. [6] narratio, cujus partes sunt duæ: una rerum gerendarum potentia Dei, qua ostenditur Deum nihil de istis conspirationibus laborare, ỽ.4. sed suo tempore omnes istos gigantes conturbaturum, ỽ.5.& 6. Secunda rerum dicendarum & docendarum Evangelio per Christum, Deum intereà temporis Regis sui & Prophetæ opera voluntatem suam explicaturum, usq; ad ỽ.10. Hic autem studiosè observanda est elegantissima personarum, loci, actionum, & operationum comparatio: nam unus Deus, regibus; sedens, ridens, & subsannans, tumultuantibus, meditantibus & consultantibus; & cæli terræ opponuntur. [7] humanitùs dictum, ut seq. [8] i. postquam Filium suum miserit in temporum plenitudine. [9] i. quamvis inmorigeris, ostendet tamen lucem Evangelii tolerantia summa, & provocabit ad resipiscentiam, priùs quàm conturbet in furore suo. [10] Deus Pater videlicet de Filio, hoc versu. [11] Exprobratio castigantis Dei. q. d. hunc elegeram, & vos eum impiè oppugnastis. [a] *Heb. inunxeram regem meum super Tzijonem.* [12] sedi regni Davidis, & typo Ecclesiæ Christi: nam hoc tum de Davide dici potest, 1.Sche.16.1; tũ de Christo, Ephe.1.20. & seq. [13] Davidem quidem illi aspectabili qui erat Jeruschalaimis; Christum verò monti Tzijoni, & civitati Dei vivi, ac Jeruschalaimis cœlestibus, Heb.12.22. [b] *Heb. narrabo ad decretum.* [14] i. fideliter propheram agam, & exponam voluntatem Dei de persona mea, hoc versu; de sacerdotio & regno, ỽ.8; & de potentia ac effectis ejus, ỽ.9. Est autem hic secunda narrationis pars, qua misericorditer Christi & legatorum ejus operâ improbi revocantur ad Deum, antequàm exserat potentiam suam illis perdendis. [15] Christus quidem natura atq; genitura, ut verba sequentia explicant; David verò adoptione & gratia: sic fuit uterq; adoptatus in vocationẽ & administrationem regni Dei; quod & typicè ad Davidem, & perfectè ad Christum accommodari debet; ut Act.13.33. Heb.1.5.& 5.5. [16] secundùm naturam quidem Christi, ab æterno: secundùm φανέρωσιν verò Davidis & Christi, quum a Schemuele David unctus est, 1. Schemue. 16. 13; & quum Christus primogenitus in orbem terrarum inductus est, Hebr.1.6.

17 Davidem, quũ singulari Dei spiritu donatus vir alius factus est, κατὰ χάριν, καὶ κατὰ φανέρωσιν: Christum verò non solùm κατὰ χάριν καὶ φανέρωσιν, quum in orbem venit; verùm etiam (si placet) κατὰ φύσιν, ut quem gignit ab æterno Pater secundùm naturam divinam ipsius.

[17] genui te.
8 [18] Pete a me, & donabo [19] gentes in pos-
sessionem tuam; & fines terrę jus possessionis tuę.
9 Confringes [20] istos virga ferrea; ut vas fi-
glinum dissipabis eos.
10 [21] Nunc ergo [22] Reges, animadvertite; e-
ruditionem percipite, ô judices terræ:
11 Colite Jehovam cum reverentia; & ex-
sultate cum tremore.
12 [23] Osculamini [24] filium [25] ut non irascatur,
& pereatis [26] *in* via, quum exarserit vel minimùm
ira ejus: [27] beati omnes qui se recipiunt ad eum.

[18] institutio Sacerdotii Christi, de qua Hebr. 5.4. & seq. [19] quæ finibus quidem terræ promissæ in lege continebantur; sed angustum illud regnum typus fuit regni universalis Christi: nam horum complementum legitur. 2. Schem. a principio usque ad cap. 12; de Christo verò Johan. 3.35. [20] de quibus in principio psalmi: complementum in Davide, 2. Schem. ibidem; in Christo, Psal. 110. & 1. Cor. 15. Est autem hic unus tantùm effectus regni Davidis & Christi, qui ad præsentem causam pertinet; alter verò omittitur, bonorũ salus, expressa in fine Psalmi. [21] Tertia pars psalmi, conclusio hortatoria a superioribus documentis, exponens officium hominum, & officii istius causas, vers. 12. Nunc ergo, inquit, dum tempus est, antequàm adveniat Christus cum virga ferrea, & Deus ipse vos conturbet in furore suo; duo ista officia præstate, audientiam, & cultum ex fide, prophetiam Christi, hoc versu; sacerdotium, sequente; & regnum ipsius, vers. 12. agnoscentes. [22] & populi: synecdoche. [23] i. fidem date illi ad superiora hæc officia præstanda: vide Genes. 41.40. [24] Christum, ut suprà vers. 7. qui superiore versu Jehova dictus est. [25] causæ duæ, vitatio mali, quod versatur in indignatione filii & hominum perditione; atque fœlicitas. [26] amplificatio a circumstantia, quòd in medio cursu consumentur, nedum ut pertingant metam consiliorum suorum. [27] Epiphonema, alteram causam fœlicitatis nostræ exponens, videlicet synceram fidem in Deum.

PSALMUS III.

David de gravitate afflictionum conquerens, fidem suam natura Dei experientiaq; confirmat, itaque Deum orat pro salute sua & populi.

1 Inscriptio occasionem psalmi & argumentum ostendit. occasio exponitur 2. Schem. 15, usque ad 20. cap. Psalmus argumento est εὐκτικὸς, ex tribus partibus cõstans, Expostulatione, Narratione, & Petitione.
2 Expostulatio sive querimonia, malorum obsidentium, vers. 2. & 3; cujus πάθει anaphoris & homœoteleutis, καὶ τμητικῷ λόγῳ, illustre est.
3 ad verbum καθ' ὑπερβολὴν (ut loquitur persæpe Paulus) id est, summè, maximè, vehementissimè, potentissimè, excellenter. Sed hic locus postulare visus est ut exponeretur *planè*, ad majorem sensus evidentiam. Alibi maximè, aut summè reddimus pro commoditate locorum.

[1] PSalmus Davidis, *quem cecinit* quum fugeret
metu Abschalomi filii sui.
2 [2] Jehova, quàm multi sunt hostes mei;
quàm multi insurgunt contra me!
3 *Quàm* multi dicunt de anima mea, non *est*
ulla salus isti in Deo [3] planè!
4 [4] At tu Jehova clypeus *es* circa me; gloria
mea, & extollens caput meum.
5 [5] Voce mea ad Jehovam clamanti, respon-
dit mihi e [6] monte sanctitatis suæ maximè.
6 Ego [7] cubui & dormivi, expergefeci me;
quia Jehova sustentat me.
7 [8] Non timebo a myriadibus populi; quas
circùm disposuerint *metatores* contra me.
8 [9] Surge Jehova, fac salvum me Deus mi,
qui percussisti omnes inimicos meos [10] maxil-
lam; dentes improborum confregisti.
9 Jehovæ *est* salus; super [11] populum tuum
sit benedictio tua maximè.

[4] altera pars, narratio, continens fiduciæ professionem ab officio Dei erga suos; quod inermibus est scutum, ignominiosis gloria, & prostratis auctor ut se ipsos erigant: quæ tria totidem versibus proximè sequentibus enarrantur. [5] Confirmatio superioris fiduciæ, ab anteacta experientia. [6] i. e suo sacrario, & cælesti & terrestri: vide psal. 2.6. [7] videlicet securus ab hostibus. [8] i. ita fido ut nihil timeam: gloriatio fidei elegantissima, ut infra 27.1. & sequentib. [9] Petitio duplex, pro salute regis, & pro salute populi, nixa duobus argumentis; unum est singularium liberationum quas a Deo perceperat David, hoc versu; alterum naturæ Dei quòd solus est omnis salutis auctor. [10] i. ita contudisti, ut omnem nocendi facultatem eis ademeris, & ignominia in os affeceris. [11] etiam qui imprudenter ad Abschalomum desciverat.

PSALMUS IIII.

David orans, adversarios reprehendit improbitatis vanitatisq; nomine; eosq; probata causa ad fidem & resipiscentiam revocat: postremò Deum orat ut se dirigat verbo & spiritu.

[1] [a] MAgistro symphoniæ fidium, Psalmus Da-
vidis.
2 [2] Invocantem me exaudi, Deus justitiæ
meæ; in angusto [3] dilatasti mihi *locum:* gratio-
sus esto mihi, & audi orationem meam.
3 [4] Filii virorum, quousq; gloria mea igno-
miniæ *futura est*? dilecturi estis inanitatem? pro-
curaturi mendacium summè?
4 [5] At agnoscite separatim asseruisse Jeho-
vam sibi eum [6] quem benignè accipit; Jehovam
exauditurum, quum inclamavero ipsum.
5 [7] Commovemini, & ne peccetis: [b] cogita-
te cum animo vestro, [8] in cubili vestro, & [c] qui-
escite *ut qui* maximè.
6 Sacrificate [9] sacrificia justitiæ: & fiduci-
am habete in Jehova.
7 [10] Multi dicunt, ô *si* quis efficiat ut frua-
mur bono: [11] attolle super nos lucem faciei tuæ
Jehova.
8 [12] Indideris lætitiam [d] animo meo; majo-
rem [13] quàm temporis *quo* frumentum istorum
& mustum istorum percipiuntur *ab ipsis* copiosè.
9 [14] In pace simul cubabo & dormiam: cùm
tu Jehova solus facias ut securè habitem.

1 Inscriptio usum psalmi, genus, & auctorem indicat. Tempus etsi hic non exprimitur, videtur tamen ex argumento ad persequutiones Schaulis referendum esse. Psalmus est εὐκτικὸς & διδασκαλικὸς, ex tribus partibus, id est, petitione, παρεκβάσει vel digressione didascalica, & Conclusione constans. Magistro autem, id est, symphoniaco a Davide traditus ut ad fides in sacris caneretur: nam instrumentorum musicorũ alia sunt ψαλτηριστὰ & κρουστὰ, alia verò πνευματικὰ, ut annotavimus in Gen. 4.21

[a] *Heb. præfecto in pulsatilibus, id est, ψαλτηριστοῖς.* [2] prima pars psalmi, exordium petitorium quo exaudiri, gratiam impetrare, & liberari expetit duobus argumentis: primum ab officio Dei, quem justæ suæ causæ judicem justissimũ appellat; deinde ab experientia præterita. [3] i. liberâsti ex angustia: metaphora. [4] altera pars psalmi didascalica, ad malos pertinens usque ad ver. 7. quibus proponuntur duo documentorum genera: nam primum evincuntur mali sui, ℣. 3. & 4. deinde revocantur ad bonum, ver. 5. & 6. Quod autem dicit, *filii virorum*, id est, vos qui freti auctoritate regis insolescitis adversus me, & viri vobis videmini: sic per apostrophen cum magnifica fidei gloriatione reprehendit eos duobus nominibus, tum quòd gloriam ipsi a Deo prænunciatam nefariè volebant in ignominiam traducere; tum quòd nihil erant consequuturi suis consiliis; adeo comfidebat veritati Dei, quam statim prædicat. [5] amplificatio præcedentis reprehensionis per antithesin officii quo adversarii Davidis tenebantur: quin potiùs, inquit, desistitis ab istis maleficiis affecti sancta reverentia erga Deum & Filium dilectionis ejus Jesum Christum; & me servum illius ab ipso defensionem exoraturum esse reputatis, quæ defensio non est futura sine casu vestro. Sic causam in Christo esse, effectum verò in se a Christo pervenire ostendit paucis, ut Psalmo 16.10. & alibi. [6] i. me, ut regem quem designavit statuat. [7] alterum documentorum genus, ut diximus in ℣. 3. quo revocantur impii ad resipiscentiam, hoc versu; & ad fructus dignos resipiscentia ex fide versu 6. [b] *Heb. dicite in corde vestro.* [8] i. etiam quo tempore & loco soletis vos quieti componere, voluntatis Dei sensu afficimini. [c] *Heb. silete: sic 1. Schem. 14.9.* [9] i. recto animo & ritu legitimo, ut Psal. 51.21. [10] Tertia pars Psalmi, petitio illustrata per comparationem studii improborum vagi; qui bonum quidem universè & bruta quadam ratione desiderant, sed falluntur in singulari definitione ejus. [11] summa petitionis piis necessariæ dum in hac vita per speciem ambulant: est enim bonum nostrum Deus; lux verò divini vultus nobis est dux viæ, quæ itur ad ipsum bonum. [12] Amplificatio petitionis ab effectis lætitiæ, hoc versu, & securitas seq. q. d. si tantùm lucem faciei tuæ extuleris, omnino recreaveris me. [d] *Heb. cordi meo.* [13] i. multo uberiorem, quàm soleat celebrari temporibus messis & vindemiæ: vide Jeschahjæ 9.3. Judicum 9.27. & alibi frequenter. [14] ut suprà Psal. 3.5. & 6.

PSALMUS V.

David supplex ostendit se fretũ testimonio conscientiæ, & certum de adversariorum injuria, reverenter Dei beneficentiam implorare: ac ita demũ constitutus, petit se a Deo regi, adversarios Deo rebellantes retundi, & Ecclesiæ subministrari laudationis argumentũ.

[1] MAgistro symphoniæ ad [a] pneumatica *in-
strumenta*, Psalmus Davidis.
2 [3] Dicta mea auribus percipe, Jehova; con-
sidera meditationem meam:
3 Attende voci clamoris mei, rex mi & De-
us mi; nam apud te orationem habeo.
4 [4] Jehova, [5] mane auditurus es vocem me-

1 Quod ad inscriptionem, vide sup. 4.1. Psalmus est εὐκτικὸς. Exordio, Propositione, Petitione, & Conclusione constans.

[a] Hebræis Nechiloth dicuntur ea musicorum instrumentorum genera, quæ tubulata sunt atq; excavata; cujusmodi fuerunt Sacerdorum tubæ & Levitarum buccinæ; quod genus instrumentorum quia sonum edit immisso vento, pneumaticum appellatur: Hebræis verò Nechila, id est, perforatum, per contractionem pro Nechilla, mutata vocali brevi in longam: vide sup. in psal. 4.1. [3] Exordium audientiam faciens tum a persona Dei, propter naturam, officium & promissiones ejus, tũ a persona supplicis, ℣. 2. & 3. [4] Propositio fiduciæ, ex qua fore dicit ut Deum accedat, sollicitet precibus, & observet effecta promissionum Dei; cujus fiduciæ argumenta sequentibus quatuor versibus exponuntur. [5] i. tempestivè faciam ut audias me, non desinam.

am: manè disserturus sum coram te, & specula-
turus.
5 [6] Nam non es Deus fortis qui delectetur
improbitate: non est commoraturum *apud* te
malum.
6 Non consistunt insani e regione oculorum
tuorum: odisti omnes qui operam dant iniqui-
tati.
7 Perditurus es loquentes mendacium:
[a] virum sanguinarium & dolosum abominatur
Jehova.
8 Ego autem instructus amplitudine benig-
nitatis tuæ ingrediar [7] domum tuam: incurvabo
me versus templum sanctitatis tuæ cum reveren-
tia tui.
9 [8] Jehova, deduc me in justitia tua propter
[9] observatores meos: complana coram me [10] vi-
am tuam.
10 [11] Nam non *est* in ore [12] illius rectum, [13] in-
timum illorum ærumnæ; [14] sepulcrum apertum
guttur illorum: lingua sua dolosè blandiuntur.
11 [15] Reos fac istos, ô Deus, decidant de con-
siliis suis: amplitudine defectionum istorum de-
pelle istos, [16] quia rebellant in te.
12 [17] Et lætabuntur omnes se recipientes ad
te, in seculum canent quos protecturus es: & ex-
sultabunt in te amantes nominis tui:
13 [18] Quia tu benedicis justo, Jehova: facis
ut benevolentia, tamquam umbo, circumtegat
eum.

[6] Confirmatio fiduciæ duobus argumentis, quæ per antithesin ad unum revocantur: primùm a persona adversariorum, quorum improbitatē statuit Deo exosam esse, tribus versibus; deinde a persona sua, quòd fretus est benignitate Dei, & cū reverentia accedit, versu 8. [a] *Heb. sanguinum & doli.* 7 i. atrium domus; synecdoche. vide Nechemjæ 6.11. in annotatione. [8] Petitio continens duo membra de Davide, hoc V. & de improbis, 2. sequent. Primi autem summa est, ut Deum ducem habeat in via ipsius per omnem justitiam: finis summus, gloria Dei. [9] improbos, de quibus duobus sequentibus versibus. [10] i. justitiæ tuæ, quam præscribis verbo tuo: prima petitio pro persona sua. [11] singularis explicatio illius finis propter quem se commisit Deo, superiore versu. [12] i. viri sanguinarii & dolosi, V. 7 ψυχικοῦ, ac non regenerati: videlicet nisi tuo Spiritu deduxeris per justitiam tuam, & direxeris ante ipsum viam tuam. [13] i. toti intùs ærumnas alienas machinantur. [14] i. nihil loquuntur aut spirant nisi cædes, sanguinem, atque exitium. Hunc autem locum ex hypothesi ad thesin optimè accommodat Paulus, quum habeat rationem naturæ humanæ destitutæ benignitate Dei, Rom. 3. 13. ut modò ostendimus. [15] Secunda petitio in personam adversariorum. [16] q.d. non propter me; sed propter teipsum. [17] Conclusio prophetica de gloriȩ Dei prædicatione in ecclesia. [18] ætiologia laudis quam Ecclesia tribuit Deo, a sempiterna benedictione & beneficentia ejus, ex gratuita ipsius benevolentia in futurum perseveratura.

PSALMVS VI.

David ægrotus iram Dei flagellumq; deprecatur, misericordiam implorat, & salutem petit: quæ deinde certa fide percipiens adversus inimicos de attentione & beneficentia Dei gloriatur.

MAgistro symphoniæ fidium, ad [1] gravem *sym-
phoniam*; Psalmus Davidis.
2 [2] Jehova, ne in ira tua [3] reprehendas me;
neque in excandescentia tua castiges me.
3 [4] Gratiosus esto mihi Jehova, [5] quia lan-
guefactus sum: cura me Jehova; quia conturba-
ta sunt ossa mea,
4 Et anima mea conturbata est valdè: tu er-
go Jehova [6] quousque?
5 [7] Revertere Jehova, [8] expedi animam me-
am: salvum fac me [9] propter benignitatē tuam.
6 [10] Nam non *est* in ipsa morte recordatio
tui; in sepulchro quis celebraret te?
7 [11] Defatigatus sum in gemitu meo, [12] feci
ut natet totam noctem lectus meus: lacrymis
meis spondam meam liquefeci.
8 Depastus est ab indignatione oculus me-
us; consenuit [13] inter omnes oppressores meos.

[1] vide 1. Chron. 15.21. [2] Psalmus est ἱκετικὸς, petitione, confirmatione, & conclusione constans. Petitionis partes sunt duæ, deprecatio mali, hoc est iræ & flagellorum Dei, hoc ver. & petitio liberationis atque salutis, usque ad vers. 6. [3] nempe verberando. [4] petitio gratiæ, ut causæ; tùm curationis & salutis, ut effectorum gratiæ. [5] ratio precationis a constitutione personæ suæ, quam per gradationem amplificat. [6] castigas & a me aversus manes? aposiopesis. 7 ἀνθρωποπαθῶς dictum. [8] a morte præsentissima, ut versus sequens ostendit. [9] prima petitionis causa a natura Dei & benignis promissionibus, quę non nisi a viventibus piis celebrari possunt. [10] Confirmatio causæ a gloria Dei, quæ recordatione & celebratione nominis ejus illustratur. q. d. si moriar, non potero ampliùs in vivis prædicare nomen tuum: sic Psal. 30. 10. & 88. 11. & 115. 17. & 118. 17. & Jeschaȝjæ 38. 18. [11] periphrasis moribundi, hoc & seq. V. [12] i. me & lectum meum demergo lacrymis, hyperbole: sicut & sequentes loquendi formæ, quæ exprimunt gravitatem mali. [13] qui hostili animo calamitates meas observant, & triumphant de me: sic transitur ad ultimam hujus Psalmi partem.

9 [14] Recedite a me omnes [15] qui datis ope-
ram iniquitati: nam audit Jehova vocem fletus
mei:
10 Audit Jehova deprecationem meam: Je-
hova orationem meam acceptam habet.
11 Erubescant & conturbentur valdè omnes
inimici mei: [16] revertantur, erubescant [17] mo-
mento.

[14] Apostrophe ad inimicos, qua David fidei gloriationem & veritatem Dei illis omnibus opponit conclusionis loco, quod autem ait, *Recedite*, spe delusos esse illos intelligit. [15] i. hypocritæ, prout describuntur Psal. 41. 7. & sequentib. [16] qui me fuerant cum lætitia invisuri, si labefactari sivisses me. [17] i. videntes præter exspectationem me divina ope restitutum; prout Deus velut ad jactum oculi suos liberare solet.

PSALMVS VII.

David perfidè accusatus, liberationem exoptat a Deo; professus fidem & testificationem conscientiæ suæ, mala quæ in se struebantur averti petit: postremò in fidei gloriatione confirmatus pronunciat improborum exitium, & Dei laudem a piis prædicatum iri.

[a] ODe mixta Davidis: quam cecinit Jehovæ
[1] ad verba Cuschi [2] Binjaminitæ.
2 [3] Jehova Deus mi, [4] ad te recipio me: sal-
vum me fac ab omnibus persequentibus me, &
libera me:
3 Ne abripiat tamquam leo animam me-
am; dilaceret, nemine liberante.
4 [5] Jehova Deus mi, si feci istud: si est ini
quitas *ista* in [c] manibus meis:
5 Si intuli malum colenti pacem mecum,
[7] qui expedire solitus sum *quemque* opprimentem
me immeritò:
6 Persequatur inimicus animam meam &
assequatur, conculcetq; in terra *auferens* vitam
meam: & [8] faciat ut gloria mea in pulvere habi-
tet *ut qui* maximè.
7 [9] Surge Jehova in ira tua, extolle te [b] gra-
vissimo furore percitus in eos qui me opprimunt:
& invigilans *attende* ad me; [10] judiciū præcepisti.
8 [11] Ergo cœtus nationum circumdet te; &
supra hunc [12] in altum revertere.
9 [13] Jehova jus dicit populis: judica me Je-
hova, secundùm [14] justitiam meam & secundùm
integritatem meam *pronuncia* pro me.
10 [15] Deficiat quæso malum improborum, &
stabilito justum: [16] prout explorator *es* [c] [17] ani-
morum & renum, Deus juste.

[a] *Heb. ode erratica, id est, multiplex cantu, quæ omnibus rationibus musicæ decantabatur simul. Tullius Græca voce dixit synodiam.* [1] Etsi hujus alibi mentio nominatim non habetur; non dubium est tamen, quin hic ex Schaülis comitatu fuerit, & gravis alicujus criminis Davidem insimulaverit falsò: cujusmodi est illud quod inficiatur David, 1. Schem. 24. 10. quæ falsa delatio huic Psalmo occasionem dedit. [2] nam gentiles Schaülis primas in regno obtinebant, 1. Sche. 22. 7. [3] Psalmus est mixtus, ἱκετικὸς & διδασκαλικὸς, continens exordium αἰτητικὸν, versu 2. & 3: narrationem hypotheticam, versu 4. & duobus sequentibus: petitionem vel ardentissimam orationem, usque ad vers. 11: confirmationem propheticam eorum quæ Dei dispensatione fuerant eventura, usque ad versum 17: & Conclusionem, versu ultimo. [4] primum instrumentum orationis, fides in Deum; cujus adjunctum salus & conservatio nostri, sequente versu ostenditur. [5] Secundum instrumentum petitionis in narratione hypothetica proponitur, testimonium conscientiæ, quòd nullius maleficii est sibi conscius in ea causa cujus nomine apud Schaülem fuerat accusatus. Tractatur autem ista propositio per ὁρκωτικὸν σχῆμα, duobus modis: nam primùm est thesis sive explicatio anteactæ vitæ, duobus versibus: deinde hypothesis pœnæ, cui se ipsum dedit, si comperiatur illius criminationis reus, vers. 6. [c] i. in me: synecdoche. 7 Amplificatio a contrario, cujus veritatem vide 1. Schem. 24. 6. & sequentibus, & 26. 9. [8] i. ignominiosa morte & sepultura afficiat me tam vehementer, quàm qui maximè, adeò ut caput meum nec ausim nec possim attollere. [9] repetitio orationis; qua transitur ad petitionis causas, ut iniqui cohibeantur, innocentes defendantur, & Dei gloria promoveatur: qui tres fines per hysterosin Hebræis persamiliarem sequentibus versib. exponuntur. hujus autem petitionis duo sunt distincta membra: unum, ut solemnem & magnificam quamdam formam ad judicium habendum instituat Deus, versib. 2. alterum, summam judicii exponit quod Deus pronunciaturus est versu 9. & 10. [b] *Heb. in indignationibus opprimentium me.* [10] i. jamdiu per Spiritum & Prophetam tuum præfixisti judicium istud, ac veluti dixisti diem. Argumentatio est a fide constantiaq; divini verbi: unde conficitur petitio sequentis V. [11] q.d. quum diem certam ad judicium dixeris, ergo comitia imperato, & tribunal judicaturus conscendito. [12] i. conscende solium judicaturus, ex quo justæ cognitionis causa quasi descendisti: ut Deus ipse loquitur Gen. 18. [13] secundum membrum petitionis, argumento per thesin ducto ab officio Dei, quod nominatim ad personam suam & causam singularem accomodat: petit enim primùm privata sua & singulari causa, hoc V. deinde verò publica, sequente versu. [14] i. innocentiam in hac causa, ut professus est sup. V. 4 & 5. [15] petitio est, ut Deus maleficia convellat; sive servatis adhuc, sive perditis improbis: quam unā rationem esse docet stabiliendi justi. [16] Confirmatio a natura Dei omniscia, & officio ejus. [c] *Heb. cordium.* [17] i. cogitationum & cupiditatum.

[18] quarta pars Pſalmi, propheticè explicans uſum fidei & conſequētia ejus. De uſu autem fidei his duobus verſibus agitur, nimirum quod ſe committens Deo ſalutem recipit, & quòd improborum cruciatus a Deo immiſſos obſervat tamquam immiſſos ad ſui confirmationem.
[19] putà improbos, de quibus V.10. (nam hæc per hyſteroſin membrorum Hebræis perſamiliarem dicta ſunt) ac proinde indeſinenter & juſtiſſimè eos exagitante atque divexante.

11 [18] Clypeus meus *eſt* in Deo, qui dat ſalu-
tem rectis corde,
12 Deo vindice juſti, & *Deo* forti [19] deteſtan-
te quotidie.
13 [20] Si non [21] convertatur *improbus*, gladium
ſuum [22] acuet; arcum ſuum [23] adduxit, & *ſagit-
tam* aptavit ei:
14 Deniq; in eum aptavit arma lethifera: ſa-
gittas ſuas, [24] in fervidos [d] occupaturus eſt.
15 [25] Ecce parturiet vanitatem; ut concepit
laborem, ita [26] mendacium pariet.
16 Ciſternam fodit & excavavit eam: [27] [e] de-
jecit eò ſe, in fovea operaturus *opus ſuum:*
17 [28] Redibit labor ejus in caput ejus: & ſu-
per verticem ejus injuria ejus deſcenſura eſt.
18 [29] Celebrabo Jehovam ſecundùm juſtiti-
am ejus; & pſallam nomini Jehovæ excelſi.

[20] alterum membrum confirmationis propheticæ de rebus conſequentibus fidem in Deum: docet enim Pſaltes primùm quid eventurum ſit improbis, uſque ad verſ. 18: deinde concluſionis loco quid pii facturi ſint, verſ. 18. In ſtatu improborum & eventu deſcribendo tres proponuntur allegoriæ; una militiæ, altera partus, tertia foveæ: ad ſignificandas vires, conſilia, & fraudes quibus uti ſolent. [21] i. conſilium inſtitutum non mutet; ſed ita pergat ut ſequentia explicant. [22] nimirum Deus, de quo prædicantur hæc omnia humanitùs militari modo, & cum multiplice incremento, his duobus verſibus. [23] q.d. jam ex facto arma habet comparatiſſima. [24] i. in eos improbos qui maximè fervebunt malefaciendi inſano ſtudio. [d] *Heb. faciet.* [25] Amplificatio ſuperioris conditionalis propoſitionis κατ᾽ ὑποτύπωσιν, quaſi rem præſentem oculis ſubjiceret; conſilia, conatus, & effecta allegoricè repreſentans. [26] i. id quod fallet eum exſpectatione ipſius. [27] i. deſcendit in latibulum vel effoſſam ſpecum, atq; in ea delituit. Hæc ut ita jam interpretemur, facit Grammatica vocalium ratio, & comparatio elegantiſſimi illius loci qui eſt infrà 10. & ſequent. [e] *Heb. cecidit.* [28] ſic infrà 11.3. quemadmodum de Schaüle David nominatim dicit 1. Schem. 26.10. [29] altera conſequentia fidei, ut obſervatum eſt ſuprà ver. 13. ad concluſionem ἐπαγγελτικὴν poſita.

PSALMVS VIII.

David extollit majeſtatē Dei ſupercæleſti gloria quam nobis in Chriſto explicavit Redemtore noſtro.

[1] ex plurimis hujus loci interpretationibus unam hāc eligimus. tres ſunt omnino pſalmi hac inſcriptione, octavus, octuageſimus primus, & octuageſimus quartus: quos omneis videtur ſcripſiſſe David,

MAgiſtro ſymphoniæ ad [1] *ſtationem* Gitthęam, Pſalmus Davidis.
2 [2] Jehova domine noſter, quàm magnificū
eſt nomen tuum in univerſa terra; cui [a] exponis
[3] ſupercæleſtem decorem tuum.
3 [4] Ab ore infantium & lactantium [5] [b] fun-
datam diſpoſuiſti [6] laudem; [7] propter hoſtes tu-
os, ad compeſcendum inimicum & ultorem ſui.
4 [8] Quum reſpicio cælos tuos, [9] opus digito-

quum arcam Dei Kirjath jehatimis exportare Tzijonem cogitans deponi apud Hobed-edomum curaviſſet eam motus offenſione Huzzę; & occaſionem ſumſiſſe ex rebus præſentibus ut eos conſcriberet. Hunc igitur Pſalmum cecinit judicio meo, quum ex urbe ſylvarum arcam in domum Hobed-edomi deduceret: ſimiliterq; octuageſimum primū, quū irruptione in Huzzam Deus gloriam ſuam ſeveritatemq; judiciorum ſuorū teſtatus eſſet, ut populum in religione officioq; coërceret: Pſalmū verò octuageſimum quartum, quum inde arca Tzijonem deducenda eſſet. Quamobrem hi Pſalmi ad Gitthæam viam, commorationem, ſtationem, obſervationē, aut ſiquid aliud eſt ad exprimendum quod volo, dicuntur ſcripti. [2] Pſalmus eſt ἐγκωμιαστικὸς, formæ κυκλοειδοῦς, conſtans ex propoſitione, narratione, confirmatione, & concluſione laudativa. Exordium ſive Propoſitio laudis eſt V. 2. conjuncta exclamatione & admiratione; Deum ſeſe laudabilem nobis exhibere infinita & ſupercæleſti gloria in Chriſto Jeſu. [a] *Heb. ponere: infinitivus pro indicativo præſenti.* [3] qui in Chriſto quidem eſſentia, in nobis communicatione gratię expoſitus eſt, & in arca Dei exhibitus ſacramētaliter. [4] Secunda pars narratio, ſive enarratio primùm quidem probat gloriam ſupercæleſtem Dei in terram eſſe expoſitam a teſtimonio & ſenſu communi omnium, adeoq; impiorum ipſorum experientia, hoc verſu; deinde verò illuſtrat comparatione, 2. ſeq. quaſi dicat, inde a tenuiſſimo illo exordio humanæ vitæ, etiam in perpuſillis & recens natis infantibus uſq; ad exitū hujus vitæ gloria Dei ſemper illuſtratur (ſicut argumentatur Chriſtus Matth. 21.16.) & in rebellibus quoque potentiſſimè perficitur. [5] q.d. jam inde fundamenta jeciſti agnoſcendi & prædicandi robuſtiſſimi decoris tui. [b] *Heb. fundaviſti robur.* [6] ſic accipitur apud Hebræos robur poſt nomen gloriæ, & alia id genus: ut quū dicit Pſaltes, Cedite Jehovæ gloriam & robur, Pſal. 29.1. & 96.7. &c. atq; ita Chriſtus Matt. 21.16. [7] evincendos, oraq; eorum obthuranda, ut ſequentia explicant. [8] Exornatio illuſtrans antecedens dictū de laudibus Dei infinitis, per comparationem reliquæ univerſitatis, cæli, & rerū ſingularū quæ in eo ſunt, cum hominis conditione; primùm quidem Chriſti ut capitis, deinde verò noſtra communi omniū, præſertim fideliū, in Chriſto Jeſu. Eſt igitur argumentatio per comparationē minoris, hoc modo: In quo ampliùs exponis decorem tuū, in eo magnificū eſt ampliùs nomē tuū. In cælo, Sole, Luna, &c. cæleſtem exponis, in homine ſupercæleſtem: Ampliùs ergo magnificū eſt in homine nomen tuum: nam ſupercæleſtis decor cæleſtē ſuperat magnificentia. [9] i. elaboratiſſimū & planè divinū: humanitùs dictū.

rum tuorum; lunam & ſtellas quas ſtatuiſti:
5 [10] Quid *eſt* mortalis, quòd [11] memor ſis e-
jus? aut filius hominis, quòd viſites eum?
6 [12] Minorem quidem feciſti eum pauliſper
Angelis: ſed gloria & majeſtate coronaſti eum;
7 Præfeciſti eum operibus manuum tuarū:
omnia poſuiſti ſub pedibus ejus:
8 Greges & armenta quotquot ſunt; eti-
amq; beſtias agreſtes;
9 Aves cæli & piſces maris: quicquid per-
meat ſemitas marium.
10 [13] Jehova domine noſter, quàm magnifi-
cum *eſt* nomen tuum in univerſa terra.

[10] primò quidem in ſe & per ſe Chriſtus, ſecundò in nobis Chriſtus & nos in ipſo; hic inquam homo & filius hominis qualis & quantus eſt, Deus bone! quantum ſubjectum decoris ſupercæleſtis tui! quantum magnificentiæ tuæ documentum!

[11] i. non ſolùm ordinariè cures, ut cætera; ſed ex animo indeſinenter ad eum attendas ſingulari paternoq; ſtudio præ cæteris, ut pater filium ſibi chariſſimū. [12] Confirmatio, ad quam Propheta tranſit occupatione prophetica. Atqui minor factus eſt Angelis propter perpeſſionem mortis. Agnoſco, inquit Propheta: ſed primùm pauliſper hoc fuit, & ad breve tempus quo exinanivit ſeſe: deinde verò ipſum mox evexit atq; exaltavit in ſupercæleſtem gloriam, quamvis jam unione perſonali in natura divina ipſam obtineret. Exaltavit autem 1. glorificando in perſona ipſius Chriſti. 2. authoritatem poteſtatemq; omnem in res creatas omneis tribuendo: cujus ſigna ſunt duo; unum in cælis, quòd Chriſtus ſuprà omneis res cæleſtes & terreſtres ſedet ad dexteram Dei Patris ἐν τοῖς ἐπουρανίοις; alterum in terra, quòd cum ſuis juſtum dominium & utile in creaturas omneis communicat. Horum autem ſignorum prius ver. 7. poſterius ver. 8. & 9. exponitur. vide Heb. 2.6. & ſeq. & 1. Cor. 15.27. [13] Concluſio, ut ſup. ver. 2.

PSALMVS IX.

David gratias agit Deo, majeſtatem, officium, operaq; ejus celebrat, & pios ad celebrandum hortatur: deinde exponit formam precationis, quam fideles habent pro ſalute ſua, & inimicorum dejectione.

[1] i. Alti ſive Contratenoris (ut vulgus muſicorum vocat) cujus moduli ab acuto, i. ſuperiore ſono ad medianum accēdunt, quaſi dicas ſonum poſitum inter Superius & eū qui cantus vel Tenor dicitur. [2] Pſalmus eſt ἐγκωμιαστικὸς ſive laudativus, duabus partibus conſtans. Prima eſt hypotheſis, laudatio ſingularis prophetæ, uſque ad ver. 12: Secunda, theſis ad omnes fideles pertinens, uſque ad finem Pſalmi. Continent autem ſingulæ partes ſuas cauſas. Itaque primæ hujus partis membra ſunt, Propoſitio laudationis, uſque ad

MAgiſtro ſymphoniæ [1] acutæ ad medianam, Pſalmus Davidis.
2 [2] Celebrabo, Jehova, ex toto [a] animo meo;
enarrabo omnia mirabilia tua *opera.*
3 Lætabor & exſultabo in te; pſallam no-
mini tuo excelſe:
4 [3] Revertentes inimicos meos retrorſum,
corruere & perire a facie tua.
5 [4] Nam exercuiſti jus meum & cauſam me-
am, [5] ſediſti in ſolio, ô vindex juſtitiæ.
6 Increpaſti [6] gentes, perdidiſti [7] improbum;
nomen iſtorum deleviſti in [b] ſecula ſempiterna.
7 [8] O inimice, conſummatæ ſunt vaſtitates
in æternum, & civitates exſtirpaſti *ſcilicet:* iſto-
rum, iſtorum *inquam* memoria [9] periit.
8 [10] At Jehova [11] in ſeculum ſedebit, [12] com-
parans ad judicium ſolium ſuum:
9 [13] Et ipſe judicaturus orbem [c] juſtè; jus
dicturus nationibus rectiſſimè:
10 Eritq; Jehova [14] edita arx tenui; edita arx
temporibus *quibus eſt* in anguſtia.
11 [15] Itaque fiduciam habebunt in te qui no-
verunt nomen tuum: quia non derelinquis quæ-
rentes te Jehova.
12 [16] Pſallite Jehovæ qui ſedet Tzijone:

ver. 5. Narratio ver. 5. & 6. & Exornatio inde uſque ad 12. [a] *Heb. corde.* [3] Formula laudis, quam ſe prædicaturum profitetur pſaltes. [4] Narratio occaſionem proximè præcedentem enuncians graviſſimè ordine & verbis forenſibus. [5] i. judicem egiſti; humanitùs dictum. [6] i. genus humanum ex ſe & in ſe ἄτακτον, contra te verò immorigerum. [7] i. eum qui malam agit cauſam: ſic enim accipitur Hebræum nomen, Exod. 2.13. & alibi. [b] *Heb. in ſeculum & æternum.* [8] Sarcaſmus, quo oſtendit quàm irrita fuerint Peliſchthæorum conſilia. quaſi dicat, perditionem aliis interminabantur; ipſi verò eam ſubiverunt. Eſt autem hic ἐργασία propoſitionis per hunc ſarcaſmum & ſubjectam ei apodoſin. [9] apodoſis per antitheſin elegantiſſimam, cujus hoc prius membrū eſt. [10] ſecundum membrum antitheſeos, quo a ſuperiore hypotheſi pſaltes tranſit ad theſin de natura, officio, & operibus Dei. [11] i. natura æternus eſt judex, ac nunquam interiturus, ut ſunt hoſtes. [12] i. officio judex juſtiſſimus. [13] ut opere præſtet quicquid judicaverit, perdendo aut ſervando ex calamitatibus. [c] *Heb. in juſtitia, in rectitudinibus.* [14] metaphora, ut 2. Schem. 21.3. [15] concluſio laudationis ſingularis, a fide ingenerata in animis piorum propter bona illa quæ in ſuperioribus explicavit, ad ſecundam partem μεταβατικὴ. [16] ſecunda pars, hortatio: ut obſervatum eſt ſuprà ver. 2. continens primùm propoſitionem laudis προτρεπτικὴν, ver. 12. & 13. deinde verò exemplum & narrationem precum quibus pii exorant a Deo beneficia ejus, tamquam laudationis argumenta.

nunciate

nunciate in populos res gestas ejus.
13 Eum [17] qui reposcit [d] sanguinem cæde fu-
sum, [18] horum recordari; non oblivisci clamoris
pauperum afflictorum;
14 [19] *Clamantium*, gratiam fac mihi Jehova, re-
spice afflictionem meam *illatam* ab osoribus me-
is; exaltans me e [20] portis mortis:
15 Ut enarrem universam laudem tuam in
[21] portis filiæ Tzijonis: exsultem in salute tua, *di-
cens*;
16 [22] Demersæ sunt gentes in foveam *quam*
fecerant; ad rete quod absconderant captus est
pes earum.
17 Notum se fecit Jehova judicio *quod* exer-
cuit [e] *quum* suo ipsius facto illaqueatus est im-
probus: rem meditandam summè.
18 [23] Retroagentur improbi ad sepulcrum us-
que; omnes gentes [24] oblitæ Dei.
19 [25] Non enim oblivioni [f] unquam traden-
dus est egens: exspectatio pauperum *non* peritura
est in perpetuum.
20 [26] Surge Jehova, ne roboret se mortalis:
judicium subeant gentes coram facie tua.
21 [g] Incute Jehova timorem eis: vehemen-
tissimè agnoscant gentes se mortales esse.

[17] i. Deum justissimum & cædium vindicem. [d] *Heb. sanguines.* [18] pauperum & afflictorum, qui mox nominantur. [19] forma orationis, ut observatū est sup. ℣. 12. tum pro salute piorum ad gloriam Dei, usque ad ℣. 18. tum pro confusione hominum Deo & Ecclesiæ adversantium, ad finem usque. sunt autem tres hujus orationis partes, propositio ἀντιῤῥητικὴ, ver. 14. & 15. Exornatio, ver. 4. seq. & Conclusio petitoria, duobus ultimis. [20] i. ab hac certissima alioquin morte & præsentissima efferens me: pars igitur prior petitionis hoc versu continetur; finis verò, sequente. [21] i. intra Ecclesiam; quæ filia Tzijonis propterea dicitur, quòd Deus ibi suam sedem & conventus Ecclesiæ destinaverit. [22] ut sup. 7. 16. Est autem hic exornatio finis antecedentis, ut in versum 14. ostendimus, primùm ab anteactorū judiciorum commemoratione, ver. 16. & 17. deinde a confirmatione prophetica in futurum ejusdem beneficii, ver. 18. & 19. [e] *Heb. opere manuum suarum.* [23] Confirmatio prophetica officiorum Dei quæ facturus est certissimè, cùm improbos judicando, hoc versu; tum pios in libertatem atque salutem asserendo, sequente versu. [24] i. quæ omissa Dei recordatione opprimunt egentes, de quibus versu seq. synecdoche. [25] ætiologia petitionis ab æquo & bono conveniente cum natura Dei. [f] *Heb. in æternum.* [26] Conclusio ἀντιθετικὴ, a modis quos adhibiturus est Deus in infirmandis, judicandis, & consternandis adversariis; denique mortalibus (si opus est) afficiendis morte. [g] *Heb. appone timorem illis.*

PSALMVS X.

Ecclesia se destitui ope Dei; & ab improbis opprimi expostulans, malum animum, maledicta, maleficia & blasphemias improborum explicat; bonorumq; perpessiones ostendit. Idcircò Deum sollicitat, ut nominis sui rationem habens suorumq; misertus improbos contundat & pios liberet.

[1] Quare Jehova [2] absistis in longinquo? *qua-
re* te occultas temporibus *quibus sumus* in
angustia?
2 Superbia sua improbus fervidè persequi-
tur pauperem afflictum: [3] deprehendantur in
cogitationibus quas comminiscuntur.
3 [4] Nam laudat improbus [a] animam suam
in desiderio ipsius; & quæstum facienti benedi-
cit, irritat Jehovam.
4 [5] Improbi in elatione [6] vultus sui, non in-
quirere; nullum *esse* Deum, hæ *sunt* omnes cogi-
tationes ejus.
5 [7] Munitæ sunt [8] viæ ejus quocunque tem-
pore, altissimè *absunt* judicia tua a conspectu ejus:
quicunque sunt hostes ejus, in eos [9] favilla incen-
dium facit.
6 Dicit cum [b] animo suo, non dimovebor;
[c] ulla ætate se non *fore* in malo.
7 Exsecratione os ejus plenum est, fraudi-
busq; & dolo; [10] subest linguæ ejus [11] molestia
& vanitas.
8 Desidet in [d] specu [12] villarum, in latebris,
occisurus innocentem: oculi ejus contra defe-
ctum viribus delitescunt.
9 Insidiatur in latibulo, sicut leo in tugurio
suo, insidiatur ad rapiendum pauperem affli-
ctum; rapturus pauperem afflictum, trahendo
eum in rete suum.
10 Atterit se, incurvat se; & procidit *membris*
robustis suis, *tamquam si essent* defecta viribus.
11 [13] Dicit cum animo suo, oblitus est *Deus*
fortis; abscondit faciem suam, non respicit [e] un-
quam.
12 [14] Surge Jehova, *Deus* fortis attolle manum
tuam: ne obliviscaris pauperum afflictorum.
13 [h] [15] Quam ob rem irritat improbus Deum?
dicit cum animo suo; te non reposciturum esse?
14 [16] Visum est tibi, quum tu molestiam & in-
dignationē intueris, reponere manu tua: [f] [17] tuæ
fidei committit se defectus viribus; pupilli tu es
adjutor.
15 [18] Frange [19] brachium improbi, & mali:
inquire in improbitatem ejus, *donec* non inveni-
as ampliùs.
16 [20] Jehova rex [g] sempiternus est, perive-
runt [21] gentes e terra ipsius.
17 Desiderium mansuetorum exaudivisti Je-
hova: [22] confirma animum horum, adverte au-
rem tuam:
18 Vindicando pupillum & attritum; ut non
pergat ampliùs eum violenter exagitare morta-
lis, e terra.

[1] Psalmus est ἀντιῤῥητικὸς, generis ἀντιθετικοῦ καὶ σχετλιαστικοῦ, ex 3. partibus cōstans, Exordio ℣. 1. & 2. Narratione, inde usque ad ℣. 11. & petitione, ad finem usque. Exordiū utrumque proponit σχετλιαστικῶς, narrationem querimoniæ, hoc ℣. & principio sequentis; & petitionem 2. parte secundi versus. Querimoniæ duo sunt loci, unus de Deo, quòd opem differat, vers. 1; alter de improbis, quòd bonos afficiant malis, ver. 2. [2] id est, ita opem differs ut si procul abesses a nobis: humanitùs dictum, ut sequentia. [3] id est, inopinantes opprimantur. [4] ἐργασία posterioris illius partis quæ in querimonia dicta est, de improborum injuria: cujus duo gradus prolepticè ponuntur hoc versu; sequentibus verò sigillatim explicantur usque ad ver. 12. Primus est αὐθάδεια & gratulatio sui ipsius cum animo suo, atque Thrasonica de maleficiis apud alios gloriatio. Secundus contumacia in Deum atq; blasphemia. [a] *Heb. in desiderio animæ suæ.* [5] Explicatio secundi mēbri per hysterosin, Hebræorum more: nam sequentibus deinceps explicatur prius. [6] i. animi quem indicat vultus; synecdoche. [7] i. quæcumq; tempora incidant, quasi immotus secundis rebus utitur; non experitur gravitatē judiciorū Dei; unde gloriosè alios ludificatur, explicatio primi gradus usq; ad ℣. 11; qua docetur quo modo improbi constituti sunt, primùm animo, hoc & seq. versu; deinde sermone, ℣. 7; postremò opere, tribus seq. [8] i. institutū & ratio vivendi ejus. [9] i. ardentem favillam nullo negotio injicit, ut quasi incendio miserè imprudentes pereant. Elegans metaphora, ut infrà psal. 12, 6, & Pro. 29. 8.

[b] *Heb. in corde suo: sic infrà ℣. 11. & 13.* [c] *Heb. ætate & ætate.* [10] vide infrà psal. 66. 17. [11] quam videlicet afferat aliis. [d] *Heb. in insidiis, i. insidiarum loco.* [12] i. locorum infrequentium, per synecdochen. [13] repetitio secundi & summi gradus nequitiæ, de quo suprà in fine ver. 3. & 4; ut eo veluti aculeo infixo, vehementiùs transeatur ad petitionē. [e] *Heb. in æternitatem.* [14] Petitio, ut observatum est in vers. 1. quæ post adducta argumēta membratim repetitur, ver. 15. & sequentibus. [h] *Sup. ℣. 4.* [15] primum argumentum petitionis, a gloria Dei per gravissimam contentionem enunciatum de reprimendis impiorum blasphemiis in Deum. [16] secundum argumentum ab officio & natura Dei odio habentis & ulciscentis malum: contrà quàm dicunt improbi suprà vers. 11, neque cognoscere, neque reposciturum esse Deum. [f] *Heb. super te derelinquit.* [17] tertium argumentum a fide piorum in Deum. [18] regressio ad petitionem; cujus capita sunt duo, dissipatio improborum hoc & seq. versu; & miserorum liberatio ver. 17. & 18. [19] id est, omnia violentiæ instrumenta, ut exarmatum judices. [20] Confirmatio postulati antecedentis cùm a natura & officio Dei, ut sempiterni Regis & judicis, tum ab exemplis antecedentibus judiciorum ejus. [g] *Heb. in seculum & æternum: ut supra 6. 9.* [21] maledictas, quum populum suum introducturus esset. [22] secundum petitionis membrum, ut observatum est suprà in vers. 15.

PSALMVS XI.

David contumeliis & persequutionibus affectus, gravissimè inimicos reprehendit, ruinam consiliorum sibi adversantium prænunciat: Deum judicem cognoscere, probare, & tandem judicaturum esse ostendit ex æquo & bono.

Magistro symphoniæ, [1] *Ode* Davidis: [2] Ad Je-
hovam me recipio, quo modo dicitis animæ
meæ, [a] emigra e [3] monte vestro [4] avicula?
2 [5] Nam ecce isti improbi adducunt arcum,
aptant sagittam suam nervo; ad jaculandum in
caligine contra *homines* rectos corde.
3 [6] Quum fundamenta ipsa destruentur,

[1] Quia non distinguit inscriptio utrùm psalmus fuerit an canticum; vocem utrique generi communem adhibemus. Ode est διδασκαλικὴ, continens primùm ἀγῶνα sive contentionem adversus improbos, Schaülem (ut verisimile est) & ejus asseclas, ℣. 1. deinde narrationem propheticam, versibus 5. postremò confirmationem ætiologicam, versu ultimo. [2] contentionis argumentum a fiducia sua in Deum; cui opponit ex adverso Psaltes tum amarulentas & blasphemas inimicorum contumelias, ut 1. Sche. 26. 19: tum conatus impios & fraudulentos, ver. 2: de quibus 1. Schem. 2 18. usque ad finem. [a] *vel emigrate, id est, tu cum tuis hominibus.* [3] i. in quem vos recipitis tamquam in domicilium vestrum aut securitatis locum: sic enim accuratissimè persequebatur eos Schaül, vide 1. Schem. 24. 3. & 2. Schem. 17. 9. [4] i. quàm velocissimè desiliens huc illuc, tamquam avicula rationis expers. Sarcasmus. [5] narratio ab hypothesi ad thesin commodè delabens, & exponens primùm facta improborum violenta & fraudulenta metaphoricè, hoc versu; deinde eventa & causas, quatuor seq. [6] secundus narrationis locus de eventis & causis: qui locus hypotheticè hoc versu propositus, categoricè posteà enunciatur ὕστερον πρότερον. Nam prius causa versu 4. & 5. deinde eventa proponuntur versu 6, contrà quàm hoc versu factum est.

7 q.d. non justus quicquã hîc præstare potest: unus Jehova prosperum eventum dabit sua infinita majestate, cognitione, administratione, justitia, & operatione.
8 i. in cælis, ut sequentia exegeticè ostendunt. q.d. judex cælestis est. primus gradationis locus ab usu forensi.

quid fuerit operatus justus?
4 [7] Jehova [8] in templo sanctitatis suæ, Jehova cujus solium *est* in cælis; cujus [9] oculi vident, cujus [10] palpebræ [11] explorant filios hominum:
5 Jehova justum [12] explorat; improbum verò & amantem violentiæ odit animus ipsius.
6 [13] Depluet super improbos prunas, ignem, & sulphur: [14] [b] ventusq; procellosissimus [15] portio calicis eorum *futurus est*.
7 [16] Nam justus Jehova quæ justa sunt [17] diligit; rectum [18] aspicit vultus ipsius.

[9] i. cognoscit de omnibus: secundus gradationis locus. [10] i. oculi, metonymicè. [11] i. dum cognoscit de hominibus, diligenter omnia excutit; quod sequente versu per antithesin exponitur. [12] castigando quem amat, ut ostendit oppositio improborum, ad quorum eventa describenda transit per occasionem αἰτιολογικῶς, ὑστέρον πρότερον. [13] i. horrifica judicia exercebit, quæ ab externis casibus describuntur: tertius gradationis locus. [14] & omnia conflagrans; cujusmodi esse turbinem quem presterem vocant, testatur Plin. lib.2. cap.48. [b] *Heb. ventus presterum.* [15] i. tantum judicium exhausturi sunt, ut intus & extrà. corpore & animo conflagrent, experientes gravitatem judiciorum Dei: sic in scripturis metaphoricè designatur beneficiorum, castigationum, ultionúmque mensura, quam suo judicio unicuique demensus immittit Deus. [16] Confirmatio ætiologica a conjugatis sumta. [17] quum explorando cognovit de justo homine: ut contra improbos odisse dicitur vers. 5. [18] id est, rationem illius habet, & singularem ejus curam gerit; non autem ut improbos, aversatur & perdit.

PSALMUS XII.

David aulicorum calumniis impudentissimis pressus, opem Dei implorat: adducta promissione ejus fidem suam confirmat, & salutem petit.

[1] de hac inscriptione vide suprà in Psal.6.
[2] Psalmus est εὐκτικός, constans Propositione, ℣. 2.& 3. narratione, inde ad versum 7. Confirmatione, versu 7. & Conclusione petitoria, versu 8.& 9. Propositione utrumque continetur, petitio ex abrupto, & narratio ætiologica: posteà verò diverso ordine a Propheta exponitur.
[3] ætiologia a persona adversariorum. neq; sunt, inquit, qui mihi benefaciant; neque sunt qui fidem præstent, quum se mihi benefacturos simulârunt.

[1] Magistro symphoniæ ad gravem *symphoniam*, psalmus Davidis.
2 [2] Da salutem Jehova, [3] nam desiit beneficus: nam defecerunt veraces ex filiis hominum.
3 Vanum loquuntur [a] alter cum altero; labio blanditiarum *artifice*; [b] duplice corde loquuntur.
4 [4] Exscindet Jehova omnia labia blanda; linguam grandiloquam:
5 Eos qui dicunt, linguæ nostræ [5] jus obtinebimus, labia nostra penes nos *sunt*: quis *esset* [6] dominus nobis?
6 [7] A vastatione pauperum afflictorum, ab exclamatione egentium jam exsurgam, dicit Jehova: locabo in salute *illum* in quem [8] favilla incendium *improbus* fecerit.
7 [9] Dicta Jehovæ dicta [10] pura *sunt*; argentum purgatum in catino lectissimo terræ, defæcatum [11] septies.
8 [12] Tu Jehova servato eos: custodito eorũ quemque a [13] generatione ista in seculum;
9 [14] *In qua* circumquaque improbi obambulant; quum extollitur res vilis inter filios hominum.

[a] *Heb. vir cum proximo suo.* [b] *Heb. corde & corde.* [4] Narratio prophetica de exitio improborum, versu 4.& 5. & de piorum conservatione, versu 6. Propriè autem hic exitium denunciat adversus homines flagitiosissimos, Schaülis (ut credibile est) aulicos, mendaciorum contra Davidem concinnatores. [5] ad Davidem evertendum. hic autem per gradationem mimesimq; illorum malitiam describit. [6] qui impediat ne labiis utamur pro arbitratu nostro. sic protervè Dei & hominum curam omnem abjiciunt, modò Schaüli assententur. [7] altera pars narrationis, de piorum conservatione, ut diximus in vers.4. [8] vide supra in 10.5. [9] confirmatio promissionum antecedentium. [10] non ut illa assentatorum, impurissima & inanissima. [11] i. optimè & sæpè: numerus finitus pro infinito, ut Proverb. 6.31. [12] Conclusio petitoria accommodans thesin ad se & suos. [13] improborum, quam descripsit vers. 2.3. & sequentibus, & ampliùs exponitur seq. versu. [14] exegesis antecedentis dicti de generatione illa, amplificans postulati necessitatem duobus argumentis, primùm a studio & operibus improborum certatim ad maleficia quævis contendentium, secundò a præpostero judicio & laudatione vitii, quod abjiciunt boni, improbi verò laudibus in cælũ efferunt, & alii alios exstimulant ad mala: ut sup.10.3. & Ro.1.32.

PSALMUS XIII.

David de opis divinæ dilatione, infirmitate sua & inimicorum importunitate expostulans, Deum orat pro salute sua, & inimicorum confusione, ad glorificandum eum.

[1] Psalmus ἀνακλητικός, Propositione querelæ, Petitione & Conclusione constans. Querelæ loci sunt tres; primus a persona Dei, tamquam deserentis, vers. 2; secundus, a persona calamitosi, tamquam luctantis cum suis infirmitatibus; tertius, a persona inimicorum, vers. 3. Quousque autem, subaudi, non intueberis? aposiopesis.

Magistro symphoniæ, psalmus Davidis.
2 [1] Quousque Jehova? [2] oblivisceris mei in æternum? quousque abscondes faciem tuam a me?
3 Quousque [a] [3] repositurus sum consilia in animo meo, mœrorem in corde meo [4] de die? quousque attollet se inimicus meus contra me?
4 [5] Intuere, exaudi me Jehova Deus mi: [6] illustra oculos meos: ut [7] non [8] dormiam *dormitione* mortis:
5 Ut non dicat inimicus meus, prævalui ei: hostes mei exsultent, quum dimotus fuero.
6 [9] Ego enim in benignitate tua fiduciam habeo, exsultet [b] animus meus in salute tua: cantabo Jehovæ, quum bono affecerit me.

[2] humanitùs dictum, sicut sequentia; ut suprà 10.1. [a] *Heb. ponam.* [3] i. fluctuabo consiliis pro calamitatum quibus afficior varietate & multitudine; ita in dubio est animus. [4] quod spatium fallendo tempori & mœroribus avertendis per occupationes alias est oportunissimum. Amplificatio. [5] Petitio tribus gradibus querimoniæ respondens, qui habentur sup.2.℣. [6] e-lara super me luce faciei tuæ, ut sup.4.7. quam Deus abscondisse dicitur, vers.2. [7] ætiologia sive explicatio causarum, quibus ad petitionem adducitur: harum prima est a persona sua, hoc versu; secunda, a persona inimici, ver.5: tertia a persona Dei, cujus gloriam hoc pacto prorogatum iri profitetur, vers.6. [8] periphrasis mortis, metaphorica. [9] Conclusio a causa efficiente expostulationis, & fine illius. q. d. nomen tuum prædicabo ex animo; cujus prædicationis duo ponuntur argumenta, fiducia in Deum adfuturum tempus, & beneficia a Deo antè collata. [b] *Heb. cor.*

PSALMUS XIIII.

David hominum vitium & impietatem a Dei & conscientiæ ipsorum testificatione, & vanitate studii illorum ostendit; fretúsque promissionibus Dei, futuram liberationem lætitiámque prædicat a sola illius misericordia.

[1] vide annotata psal. 11. Psalmus est διδασκαλικός, constans ex Propositione, Contestatione adversus improbos, & Cõclusione prophetica. Propositio est, non secus a natura universum genus humanum vivere quam si nullus Deus esset; prout hæc fuit constitutio mundi omnibus temporibus, ut interpretatur Apostolus, Rom.2.
[2] id est, homo ψυχικός, ratione sua abutens ad insaniam: ut a natura homo est donec per Spiritum Dei revocetur.

Magistro symphoniæ, [1] *Ode* Davidis: Dicit [2] stultus [a] cum animo suo; non *est* Deus: [3] corrumpunt, abominandam *quamque* actionem perpetrant, non *est* qui faciat bonum.
2 [4] Jehova e cælis prospectat super filios hominum; ut videat an sit *ullus* qui intelligat, qui exquirat Deum.
3 Unusquisque [5] recessit, *omnes* simul [6] putidi facti sunt: non *est* qui faciat bonum, non *est* vel unus.
4 [7] An non sibi sunt conscii omnes qui operam dant iniquitati, quòd [8] exedentes populum meum edunt panem, Jehovam non invocant?
5 [9] Ibi expavescunt pavore: [10] quia Deus adest generationi justæ, dicens,
6 [11] Consilium pauperis afflicti pudefacietis scilicet; quia Jehova *est* receptus ejus.
7 [12] O *si* quis det e [13] Tzijone salutem Jis-raëlis:

[a] *Heb. in corde suo.* [3] Ἐργασία propositionis petitur primùm a testimonio operum quæ illi committunt aut omittunt, hoc versu; deinde a testimonio Dei, duobus sequentibus; postremò verò a testificatione propriæ ipsorum conscientiæ, qui summus est locus contestationis, cujus antè meminimus. [4] explicatio testimonii divini sumta a judiciorum forma; prospectat, videt, cognoscit tamquam judex, hoc versu, & quæstione habita deprehendit id quod sequente versu dicitur. [5] a Deo, neque requisivit eum. [6] tantum abest ut res a Deo oblatas velut odorari possint atque percipere: nam hoc ex adverso opponitur ei quod dixerat superiore versu, an sit intelligens. [7] Contestatio ad evictionẽ impiorum pertinens, ut dictum est suprà vers. 1. q.d. fieri non potest, quin ita transigentes vitam sint sibi malè conscii, hoc versu; ac proinde etiam tum & eodem loco ubi se in maleficiis occupant, terroribus conscientiæ agitentur, versu sequente. [8] i. in bonos injurii, & in Deum impii sunt (quod synecdochicè duabus loquendi formis ostenditur) & tamen comedunt panem, &c. id est, ita se obfirmant in sua impietate & injustitia, ut comessationibus & libidini suæ audeant indulgere, Deumque ipsum contemnant arrogantissimè, quasi retundentes stimulos conscientiæ. [9] i. in ipsis conviviis suis hilaribus, quum panem hilariter cogitant comedere, omnémque Dei recordationem excutere. [10] i. quia Deus justorum causa conscientiam improborum, velint nolint, exstimulat. [11] Contestatio ironica, fidelium nomine facta adversus improbos per apostrophen: quasi dicat, non stat per vos quo minus pauperes confundatis; haberis voluntatis & facultatis plus satis; sed unicũ est impedimentum vobis e cælo, & nobis salutare perfugium. [12] Conclusio prophetica ex superiore contestatione nascens ad electorũ & piorum Ecclesiæ membrorũ consolationẽ: cujus partes sunt duæ, optatũ, & prophetica gloriatio de futura liberatione. [13] i. habitaculo Dei.

raëlis: reducente Jehova [14] reducem turbam po-
puli sui; exsultabit Jahakob, lætabitur Jisraël.

14 i. a tyrannide Satanæ & servitute peccati stipendioq; mortis vindicatam in libertatem & gloriam filiorum Dei. Verissimum vero complementum in regno Christi docetur Evangelio.

PSALMUS XV.

David ostendit vera Ecclesiæ præsentis & sempiternæ membra ex integritate vitæ, justitia, & veritate innotescere.

PSalmus Davidis: [1] Jehova, quis commoratu-
rus est in tentorio tuo? quis habitaturus in
monte sanctitatis tuæ?
2 [2] Qui ambulat [a] integrè, exercetq; justiti-
am: ac loquitur veritatem ex [b] animo suo:
3 [3] Non obtrectat lingua sua, [4] non afficit
proximum suum malo; & [5] opprobrium non ef-
fert in propinquum suum:
4 [6] In cujus oculis contemtus *est* [c] reprobus;
timentes verò Jehovę honorat: juratus [d] in dam-
num suum; non tamen mutat.
5 [7] Pecuniam suam non exponit fœnori, &
munus contra innocentem non accipit: [8] qui facit
ista, nunquam dimovebitur.

1 Psalmus est διδασκαλικός, formæ διαλογιστικῆς, quæstione & responso constans. Quæstio est quis in tentorio, id est, Ecclesia aspectabili, sit commoraturus dum peregrinamur a domino, & quis in Ecclesia catholica & cælesti in sempiternum habitaturus, denique futurus germanum utriusque membrum. de hac quæstione Deus salutis auctor consulitur, ut ostendat Psaltes responsum quod subjicitur esse omni exceptione majus. 2 responsum a signis, quibus homo hominem suo modo & aliquatenùs potest internoscere. Proponuntur autem signa tria, Integritas, Innocentia, & Veritas; quæ tria respondent tribus illis capitibus novo homini attributis, Eph.4.24: sequentibus autem versibus καθ' ὕστερον, sive ordine præpostero ex Hebræorum consuetudine explicantur. a *Heb. integer.* b *Heb. corde.* 3 Explicatio veritatis ab exemplo uno, synecdochicè. 4 Explicatio innocentiæ sive justitiæ. 5 dictis, aut factis. 6 explicatio integritatis: reprobos reprobat, & probos probat; non assentatur cuiquam; ne sibi quidem indulget; ita timore Dei in officio continetur: atque hic postremus locus sequente versu amplificatur duobus aliis exemplis; quia doctrina est inprimis παράδοξος: primùm, Non esse propter damnum abstinendum a benefactis; deinde, Non esse benefaciendum exspectatione commodi. c *Hebr. spretus.* d *Hebr. ad malefaciendum sibi.* 7 id est, sive ex beneficio commodet, sive ex officio judicet, sui emolumenti rationem abjicit, & proximum juvat charitate, non utilitate ductus. 8 Conclusio a promissionibus Dei.

PSALMUS XVI.

Ecclesia salutem a Deo petens bona sua in Deo prædicat: eumq; celebrat tum præsentium bonorum nomine, justitiæ, & sanctificationis per spiritum, tum etiam venturorum, nimirum resurrectionis Christi & omnium piorum per Christum, ac vitæ æternæ.

INsignis *ode* Davidis: [1] Serva me, *Deus* fortis;
[2] nam me recipio ad te:
2 [3] Dicis Jehovæ, dominus meus es: [4] bo-
num meum non *es conditurus* penes te:
3 Sanctis qui in terra *sunt* & magnificis *col-
laturus es*; iis in *quibus est* tota oblectatio mea.
4 [5] Horum multiplicant [6] dolores, *qui* [7] alium
dotant: [8] non sum libaturus libamina istorum ex
sanguine; [9] neque assumturus nomina eorum in
labiis meis.
5 [10] Jehova [11] portio prædii mei, & poculi
mei; [12] tu sustentas sortem meam.
6 [13] Funiculi acciderunt mihi in locis amœ-
nissimis; etiam possessio est elegantissima, *quæ*
obtigit mihi.
7 [14] Benedicam Jehovæ [15] qui dedit consi-
lium mihi: *quo auctore* [16] etiam per noctes, erudi-
unt me renes mei.
8 Propono mihi Jehovam jugiter: quia a
dextera mea *est*, non dimovebor.
9 Idcircò lætatur [a] animus meus, & exsultat
[17] gloria mea: etiam caro mea habitat securè:
10 [18] Quia non es derelicturus [19] animam
meam in sepulcro: neque expositurus eum quem
benignitate prosequeris ut [20] videat corruptio-
nem.
11 [21] Notam facis mihi semitam vitæ: satie-
tatem gaudiorum in conspectu tuo amœnissimo-
rum: [22] dextera tua, in æternitatem.

1 Ode est generis mixti, partim ἐλεγκτικῆς partimq; εὐχαριστικῆς. Partes ejus sunt tres: propositio versu 1. enarratio versib. 5. sequentib. & sponsio in futurum omnium officiorum fidei, reliquis. Propositione continentur postulatum salutis, & causa postulati, fides: quæ causa deinceps enarratur verbis gravissimis. Videtur autem hic Psalmus a Davide scriptus non privato suo, sed Ecclesiæ totius nomine; quam ideò compellat sequente versu. 2 ætiologia vel explicatio causæ cur servari a Deo petat, nempe quòd fretus est fide in promissiones ipsius. 3 tu, nempe Ecclesia, cui hunc Psalmum per Spiritum Dei dictabat David. Antecedenti autem propositioni καθ' ὕστερον subjiciuntur partes duæ ad propositionis membra respicientes. Nam hac in parte exponitur ætiologia, & fiducia Ecclesiæ in Deum enarratur: Sponsione verò supponitur & spectatur petitionis complementum. Suam verò fiduciam enarrat Ecclesia primùm per thesin, ver. 2. & 3. deinde per hypothesin, ver. 4 & duobus sequen. Per thesin appellat Ecclesiam Dei, & tamquam germanus filius adducit promissiones matri factas a parente suo: per hypothesin confirmat sese, ostenditq; eas promissiones ad se velut germanum Ecclesiæ membrum pertinere. Theseos duo sunt capita: unum, Deum esse dominum Ecclesiæ suæ: alterum, ex natura & fœdere esse in eam beneficum, & nũquam cohibere apud se benedictiones suas, quod posterius membrum κατ' ἀναίρεσιν hoc versu; καὶ θέσιν, sequẽte enunciatur. 4 i. quicquid mihi bono & saluti futurum est: hic enim modus interpretandi optimè convenire videtur cum Ecclesiæ argumẽtatione, & scriptura sacra: ut infr. 84.12. 5 putà sanctorum qui in terra sunt, &c. Hypothesis est vel singularis Prophetæ & piorum in Ecclesia applicatio: qua primùm ostendit Psaltes se nunquam aliunde quam a Domino bonum suum expetere, hoc ℣. deinde explicat bonum illud quod sibi constare novit in Domino, 2. ℣. seq. Præcedit autem amplificatio a cruce: multis quidem doloribus sanctos afficiunt impii: vel συγχωρητικῶς: afficiant sanè doloribus; omnino tamen a te pendêre statui, quamvis oblatrante & obsistente mundo. 6 i. afflictiones, per quas veniendum est in regnũ cælorum. 7 i. alieno Deo ac potius idólo se velut matrimonio copulantes, non accipiunt; sed conferunt dotem mox in nihilum abituram.

8 id est, neque deos illegitimos, neque illegitimè colam; ut gentes quæ humano etiam sanguine libant contra legem pietatis & humanitatis. 9 vide Exod. 23. 13. Sunt autem hæc per antithesin posita, ut commodiùs trãsf. eatur ad alteram partem: quasi dicat, non colam illos; sed hærebo soli Deo: nam Jehova est, &c. 10 altera pars, explicatio boni, cujus pius quisque apud se conscius est a Domino. Est autem explicatio hæc triplex; a ratione sacrificiorum, sortitionum, & possessionum. 11 id est, vita mea, per synecdochen; ad illos verò idololatras nihil attinet. 12 id est, non mihi servandam committis sortem meam; sed ipse mihi das & conservas virtute tua, 1. Pet. 1.4. & 5. Apostrophe. 13 amplificatio ab amœnitate beneficiorum Dei; qua gradatione illustratur antithesis fidelium cum idololatris. Nam idololatris (inquit) nihil accedit superstitione; pios auget religio: illis etiam quod habent deperit; his conservatur datum: illis dolores multiplices & infiniti; his amœnitates obveniunt. De funiculis autem vide Deut, 32.9. 14 Tertia pars, sponsio eucharistica a conscientia beneficiorum Dei, quam duobus versibus suprà per antithesin attigit, & sequentibus copiosè explicat a bonis præsentibus, deinde fundamentales (ut appellant) causas hujus sponsionis affert, ad finem usque. Bona præsentia ponuntur tria: benedictio, id est, solennis professio benedictionum acceptarum a Domino, hoc versu: constans obsequium voluntatis ejus, vers. 8. & gaudium in spiritu, vers. 9. quæ tria recenset Apostolus Rom. 14.17. 15 id est, spiritu suo me docet: primum beneficium. 16 id est, & ita quidem consulit ut spiritus ejus in me habitet, qui omni etiam quietis tempore intimas meas voluntates & studia dirigit; quorum sedem renibus scriptura tribuit, ut suprà 7.10. gradatio, quam sequens versus amplificat. a *Heb. cor.* 17 id est, lingua gloriationis piæ instrumentum, metonymicè: ut Genes. 49.6. 18 Explicat jam Ecclesia causas (ut ita dicamus) fundamentales illius sponsionis suæ. Sunt autem duæ: 1. a virtute efficientis causæ, 2. ab effectis illius. Animo, lingua, & ipsa carne securus sum, quia Christus est anima seu vita mea: Christus autem se a sepulcro & corruptione vindicabit, tertio die resurgens a mortuis: ergo & me suo ordine vindicaturus est: nam efficientis causæ supernaturalis, liberæ, ac non impeditæ effectus est constantissimus. 19 id est, Christum, qui vivit in me, Galat. 2.20. quia ipse est resurrectio & vita; ac proinde auctor resurrectionis meæ & piorum omnium: vide Act. 2.25. & sequentib. 20 id est, experiatur: metaphora a sensu uno ad alterum. 21 Secundus locus ab effectis: q. d. jam vivens in me Christus contulit mihi resurrectionem primam, e tenebris mortis animam meam excitans, viam vitæ ostendens, &c. ut expertus & emensus viam istius vitæ, vita illa lætissima, amœnissima, & sempiterna coram te perfruar: sic duo ponit ventura beneficia quæ animo præceperat David, resurrectionem carnis, & vitam æternam. 22 sic interpretatur Petrus, Act. 2.33.

PSALMUS XVII.

David ab inimicis pressus justitiam causæ, vitæ innocentiam, & simplicitatem suam profitetur: ita fretus bonitate Dei servari se ab inimicis & inimicos conturbari petit, ut bonorum suorum quibus confidebant instabilitatem experirentur, & ipse veritatem Dei.

[1] ORatio Davidis: Exaudi Jehova [2] justitiam,
attende ad clamorem meum; aurem præbe
orationi meæ *quam habeo* absq; [3] labiis [a] do-
losis.
2 [4] A facie tua jus meum prodeat: oculi tui
[5] videant quæ recta sunt.
3 [6] Quum exploraveris [b] animum meum,

1 Hujus odes argumentum inscriptione ipsa ostenditur. Partes sunt tres: Exordium sive propositio, ver. 1. & 2. Enarratio, inde ad versum 14. & Conclusio, ultimo. Exordium proponit Prophetæ postulata, & postulatorum argumenta, fidem videlicet & bonam conscientiam. 2 id est, justam causam meam accipe. 3 id est, quæ non conveniant cum cogitatione, vers. 3. a *Heb. doli.* 4 id est, sententia & judicati exsequutio. 5 id est, demonstrent se videre & probare æquitatem meam. 6 Enarratio antecedentium postulatorum & argumentorum distincta duobus locis, a persona supplicis & adversariorum. Ac causæ quidem a persona supplicis exponuntur vers. 3. & 4. quibus subjiciuntur postulata sua, vers. 5. sequentibus. A persona verò adversariorum, deinceps. b *Hebr. cor.*

visitaveris [7] de nocte; [8] probaveris me, non [9] invenies; *quod* cogito, non transgreditur os meum.
4 Ad opera humana *instituenda*; ex verbo labiorum tuorum, ego [10] observo semitas [11] effractoris.
5 [12] Contine gressus meos in [13] orbitis tuis; ne dimoveantur pedes mei.
6 [14] Ego invoco te, quia exaudis me Deus fortis: inclina aurem tuam ad me, ausculta sermonem meum.
7 [15] Separa benignitates tuas, ô qui servas recipientes se ad dexteram tuam ab insurgentibus.
8 [16] Serva me [17] tanquam nigrum pupillæ oculi: [18] umbrâ alarum tuarum absconde me:
9 [19] Propter improbos qui vastant me; inimicos meos [c] capitales *qui* cingunt me.
10 [20] Adipem suum [d] obesant; ore suo loquuntur superbè:
11 [21] Gressum nostrum nunc circumdant nobis: [22] oculos suos adjiciunt [23] declinando in terram.
12 Similitudo cujusque *est* tamquam leonis appetentis rapere; & velut juvenis leonis residentis in latibulis.
13 [24] Surge Jehova, anticipa faciem ejus; prosterne eum, [25] eripe animam meam gladio tuo ab improbo:
14 Ab hominibus *eripe* manu tua, Jehova, ab hominibus [26] e mundo [27] quorum portio *est* in hac vita, quorum ventrem imples [28] recondito *thesauro* tuo: [29] satiantur filii, & relinquunt excellentiam suam infantibus suis.
15 [30] Ego [31] in justitia videbo vultum tuum: [32] satiabor [e] [33] quum expergiscar [34] similitudine tua.

7 qua solet plurimum Deus animos hominm ab actionibus humanis evocatos sollicitare & admonere voluntatis suæ, ut Ijobi 4.12.
8 quasi metallum conflans.
9 sub. dolum, de quo ver. 1.
10 ne incedam per illas.
11 i. hominis præfracta audacia omne jus perrumpentis.
12 prioris loci postulata, ut Propheta ducatur in bonum, & contineatur a malo: quæ duo proposita fidei confirmatione, versu 6. ex ordine repetuntur ver. 7. & 8. & illustribus loquutionibus exornantur.
13 id est, quas designasti verbo tuo.
14 argumentum a persona Dei, & facili attentione ejus ad preces servorum suorum; quæ experientia spem ingenerabat & confirmabat in animo Davidis.
15 Petitio generalis, hoc versu; cujus membra sunt duo; unum, ut Deus servo suo benefaciat; alterum, ut obsistat adversariis propter illum: universè autem utrumque petitur hac loquendi forma, *separa benignitates tuas.* quasi dicat, hactenus ita egisti nobiscum, ut si benignitates tuæ promiscuæ essent omnibus, ac potius ad illos pertinerent: jam tempus est ut secernas benignitatem & quos benignitate prosequeris, vindicesq; ab istorum abusu. 16 prior petitionis locus pro salute sua. 17 id est, studiosissimè, ut homo solet pupillam oculi sui: sic Deuter. 32.10. 18 id est, protege me, ut exponitur Ruth 2.12; humanitus dictum. 19 ætiologia est a persona adversariorum, μεταβατικὴ ad secundum enarrationis locum, ut diximus in versum 3. c *Hebr. in animam, id est, vitam.* 20 id est, præpingues sunt, & desideriis suis omnibus circumfluunt: sic amplificat calamitates suas a comparatione adversariorum, quòd benè se habeant, arroganter loquantur; & inhumanè vivant insectantes bonos, duobus versibus sequentibus. d *Hebr. occludunt, id est, obstipant.* 21 id est, observant me & meos. 22 id est, hoc unum spectant ut ruamus. 23 id est, deprimendo se, & dissimulando ut opprimant tamquam leones procumbentes, ad circumveniendam prædam, seq. ver. vide Psalm. 10. 24 altera pars petitionis adversus improbos. 25 regressio ad priorem petitionem q. d. illos dejice, ut eripias me. 26 id est, qui sunt mundani, mundum spirant & sapiunt; neque ad regnum Dei pertinent. 27 hoc est, nihil cum altera vita commune habent; sed hanc esse putant saginarium suum. 28 id est, opimis rebus: metonymia. 29 id est, diuturna fœlicitate abutuntur, prout est benignitas & patientia Dei. 30 Conclusio prophetica bimembris, ad vitam præsentem & futuram spectans. 31 id est, hic mihi satis est, modò sententia tua & re ipsa demonstratus justus, faciei tuæ luce perfruar & contemplatione tui: de qua suprà 4.7. & 16.11. 32 quasi dicat, non indignè fero illos hic præsentibus beneficiis satiari atque infarciri; per me licet: ego in venturorum bonorum certissima fiducia conquiesco. e *Heb. in expergiscendo.* 33 id est, resurgam e mortuis, quos obdormire dicit scriptura usque ad secundum adventum Christi. 34 i. videbo te perfectissimè sicuti es, & similis ero tibi, quum patefactus fuerit Christus glorioso adventu suo: vide 1. Joan. 3.2.

PSALMUS XVIII.

Eodem argumento est cum 2. Schem. 22.

Magistro symphoniæ, [1] servi Jehovæ, Davidis: qui eloquutus est Jehovæ verba cantici hujus, qua die eripuerat Jehova eum e manu omnium inimicorum ipsius, ut e manu Schaülis:
2 [a] Et dixit; ex intimis visceribus diligam te, Jehova firmitas mea.
3 Jehova, petra mea, & propugnaculum meum, & liberator meus; Deus fortis meus rupes mea, ad quem me recipiam; clypeus meus, & cornu salutis meæ, editus locus meus.
4 Laudatum invoco Jehovam, & ab inimicis meis servor.
5 Circumdantibus me doloribus mortis; & torrentibus *hominum* nequam perterrentibus me:
6 Doloribus sepulcri circumeuntibus me; occurrentibus mihi tendiculis mortis:
7 In ipsa angustia mea, invoco Jehovam, & ad Deum meum vociferor: exaudit e templo suo vocem meam, & vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus:
8 Et concutitur ac movetur terra, fundamentaq; montium commoventur; concutiuntur autem, quum *ira* accenditur ei.
9 Ascendit fumus per nasum ejus, & ignis ex ore ejus consumens: prunæ ardentes ab eo *sunt*:
10 Et demittens cælum descendit; cum caligine sub pedibus suis:
11 Et insidens Cerubinis volat, volitatq; super alas venti:
12 Disponit tenebras latibulum suum, circa se tugurium suum; [a] tenebrosas aquas, densitates superiorum nubium.
13 A splendore *qui est* ante eum nubes ejus densæ transeunt; grando & prunæ igneæ.
14 Tonante in cælis Jehova, & excelso edente vocem suam; grando & prunæ igneæ:
15 Ita emittens sagittas suas, dispergit illos; & fulgura jaculans fundit illos.
16 Conspiciuntur etiam imi alvei aquarum, & revelantur fundamenta orbis habitabilis; increpatione tua Jehova, flatu spiritus nasi tui.
17 Mittens ex edito assumit me, extrahit me ex aquis multis:
18 Eripit me ab inimico meo valentiore; & ab osoribus meis, quum robustiores sunt me.
19 *Quum* occurrunt mihi in [b] tempore calamitatis meæ; tum *est* Jehova pro scipione mihi:
20 Et educit me in latum; liberat me, quia delectatur me.
21 Tribuit mihi Jehova secundùm justitiam meam; secundùm puritatem manuum mearum restituit mihi.
22 Quum observo vias Jehovæ, neque improbè averto me a Deo meo;
23 Quum omnia judicia ejus in conspectu meo sunt; & statuta ejus non amoveo a me:
24 Denique quum sum integer coram eo; & caveo mihi [c] ne iniquè agam:
25 Restituit Jehova mihi secundùm justitiam meam; secundùm puritatem manuum mearum coram oculis suis.
26 Cum benigno benignum te exhibes; cum viro integro integrum te exhibes;
27 Cum puro purum te præbes: at cum perverso eluctaris.
28 Quia tu populum afflictum servas; oculos verò elatos dejicis:
29 Quin tu illustras lucernam meam: Jehova Deus meus splendentes efficit tenebras meas.
30 Per te enim transcurro turmam; & per Deum meum transsilio murum.
31 Hujus *Dei* fortis integra *est* via, sermo Jehovæ purgatissimus *est*: clypeus est omnibus qui se recipiunt ad eum.

1 i. qui vita & regno decessurus rationem vitæ, fidei, & administrationis suæ reddidit Deo, ut fidelem servum oportuit: sic contra quum regnum aditurus esset, elegante Psalmo se Dei servum fore professus est, & se totum commisit administrationi & bonæ voluntati Dei, infrà Psal. 36.

a de toto hoc Psalmo vide 2. Schem. 22. est autem hic propositio contenta versibus tribus.

a *Heb. tenebras aquarum.*

b *Heb. die: synecdoche.*

c *Heb. ab iniquitate mea.*

32 Nam

32 Nam quis *est* Deus prӕter Jehovam? & quis
rupes prӕterquàm Deus noster?
33 Hic *Deus* fortis *est* qui accingit me robore,
& reddit integram viam meam:
34 Disponens pedes meos tamquam cervarum;
ut in excelsis meis statuat me:
35 Docens manus meas prӕlium; adeò ut
frangatur arcus chalybӕus brachiis meis.
36 Nam das mihi clypeum salutis tuӕ, dexteraq́;
tua sustentat me; & mansuetudo tua adaugеt me.
37 Dilatas gressui meo locum meum; neque
vacillant malleoli pedum meorum.
38 Persequor inimicos meos, & assequor eos:
neque revertor donec consumsero eos.
39 Frango eos adeò ut non possint exsurgere;
cadentes sub pedibus meis.
40 Accingis enim me robore ad bellum; prosternis
insurgentes in me sub me.
41 Et inimicorum meorum exponis mihi cervicem;
ut osores meos exscindam.
42 Vociferantur, sed non *est* qui servet; ad Jehovam,
sed non exaudit eos.
43 Itaque contundo eos tamquam pulverem
coram vento; ut lutum platearum frio eos.
44 Liberas me a contentionibus populi; disponis
me in caput gentium, populus quem non
noveram serviunt mihi:
45 Ad auditionem auris obediunt mihi; alienigenӕ
[d] mendaciter se dedunt mihi:
46 Alienigenӕ decidunt, & horrescunt e conclavibus
suis.
47 Vivit Jehova, & benedicta rupes mea: quapropter
exaltetur Deus salutis meӕ,
48 *Deus* ille fortis qui prӕstat ultiones mihi;
& adducit populos subter me:
49 Liberans me ab inimicis meis: etiam supra
insurgentes in me exaltasti me; a viro [e] violento
eripuisti me.
50 [f] Idcircò celebrabo te in gentibus, Jehova;
& nomini tuo psallam:
51 Magnificam prӕstare [f] salutem omnimodam
regi suo: & exercere benignitatem erga unctum
suum; erga Davidem & erga semen ejus usque
in seculum.

d *Heb. mentiuntur mihi.*

e *Heb. violentiӕ.*

f *Rom. 15.9.*

f *He. salutes regi.*

PSALMUS XIX.

David expositis documentis quӕ Deus exhibit in rebus creatis, & sancto verbo suo, Deum orat ut peccata ipsi condonet, deducat in sanctificationem spiritus, & ipsum acceptum habeat in Christo.

MAgistro symphoniӕ, [1] psalmus Davidis.
2 Cӕli enarrant gloriam *Dei* fortis, & opus
manuum ejus indicat expansum eorum.
3 [2] Dies ad diem [3] eructat [4] sermonem; &
nox ad noctem ostendit scientiam.
4 [5] Non *est* sermo, neque verba *eis*; & sine *his*
intelligitur vox eorum.
5 [b] [6] In totam terram [7] prodeunte deliniatione
eorum, simul *prodierunt* in extremitatem orbis
habitabilis sermones eorum; [8] *ex quo* Soli dispo-

1 Psalmus est generis mixti, partim διδασκαλικὸς, partimq́; εὐκτικὸς. Sunt autem partes illius duӕ, Propositio doctrinӕ, usque ad vers. 12, & Conclusio petitoria, inde ad finem usque. Doctrinӕ summa est; Dei gloriam omnibus modis prӕdicari, tum a rebus creatis ex naturӕ ordine, usq; ad ℣. 8; tum a verbo Dei ex dispensatione gratiӕ, usque ad ℣. 12. Quia autem cӕlum & quӕ in cӕlo sunt; ut expansum, secundo versu; dies & nox, ℣. 3; sol, ℣. 5. & seq. illustrissimum exhibent divinӕ gloriӕ documentum: idcirco de cӕlo tantùm & cӕlestibus rebus hìc agit psaltes. 2 i. dies diei alteri superveniens; ut hodiernus hesterno, crastinus hodierno: sic de nocte. 3 i. indesinenter profundit, ut fons perennis aquas profundit largiter: metaphora. 4 de Dei gloria suo modo: elegans prosopopœia, quam duo versus sequentes explicant. 5 Occupatio, qua propheta emollit superiorem prosopopœiam, & docet intelligentiam ejus: non loquuntur quidem ut homines; sed tamen (inquit) velut loquentes a nobis intelliguntur; sic Rom. 1.20. & Hebr. 11.3. b *Rom. 10.18.* 6 amplificatio a tempore: non est novum (inquit) hoc documenti genus; sed inde ab initio creationis omnia prӕconio illorum personant. 7 id est, quum eos delineavit Deus secundo creationis die, Gen. 1,6. & sequentibus. 8 quarto creationis die, Gen. 1.16.

suit tentorium in eis.
6 Nam est [9] tamquam sponsus prodiens e
thalamo suo; lӕtatur tamquam robustus, [a] decursurus
viam.
7 Ab extremitate cӕlorum exortus ejus, &
revolutio ejus ad extremitates eorum *est*: nec *est*
quod abscondatur a calore ejus.
8 [10] Doctrina Jehovӕ integra *est*, restituens
animam: testimonium Jehovӕ verax, sapientiam
afferens imperito.
9 Mandata Jehovӕ *sunt* recta, lӕtificantia
[b] [11] animum: prӕceptum Jehovӕ purum, illustrans
oculos.
10 Reverentia Jehovӕ munda, [12] consistens in
sempiternum: judicia Jehovӕ *sunt* ipsa [13] veritas,
justa sunt pariter:
11 Desideratissima, [14] *desiderabiliora* auro, &
quidem auro purgatissimo quamplurimo; ac dulciora
melle, & quidem [c] [15] acœto melle.
12 [16] Tum *me* servum tuum commonefactum
istis; in horum observatione *esse* emolumentum
magnum
13 ([17] *Nam* errores quis intelligat?) me, *inquam*,
ab oculis absolve:
14 Tum [18] a contumaciis subtrahe servum tuum,
ne dominentur in me; [19] tunc integer & insons
ero a defectione magna.
15 [d] Sint accepti [20] sermones oris mei, &
meditatio animi mei coram te: Jehova [21] rupes
mea & [22] redemtor mi.

9 i. inde a creatione ornatissimus, indefessus, ac velocissimè percurrit demensum suum, atque efficacissimè calore suo afficit omnia. quӕ omnia duobus similibus hoc uersu exornantur, & apertè prӕdicantur sequente.
a *Heb. currere.*
10 alterum genus documentorum, ut observatum est in ℣. 1. commendatur autem hoc genus a duobus locis: primùm a natura ipsius; quòd documentum hoc integrū, verax, rectumq́; est, &c. deinde ab effectis erga pios, quòd singula effecta suam convenientiam habeant cum prioribus attributis singulis de natura verbi. Integra est doctrina; ac proinde animos redintigrat, ac sic deinceps.

b *Hebr. cor: ut vers. 15.* 11 qui totus perturbatus est, dum destituitur recto. 12 ac proinde homines pios & reverentes Dei in eamdem imaginem transformans a gloria in gloriam per spiritum domini, ut in sempiternum consistant. 13 ac proinde verè hominibus justitiam afferunt, qua ad sempiternam illā vitam pervenitur. 14 duobus illis nominibus, & quòd ipsa bona sunt, & quòd afferunt bonum. b *infrà 119.103.* c *He. distillatione favorum.* 15 i. maximè laudabili, quod per se fluit, & non sidit suo velut cubili; sed ultro e favo stillat ut mustum vel oleum: quod genus propriè acœton appellari docet Plinius lib. 11. natural. histor. cap. 15. 16 Conclusio petitoria ab occasione superioris doctrinӕ, & studio consequendi boni quod illa explicat. Sunt autem petitionis capita tria; primum, liberatio a peccatis per errorem commissis, his duobus versibus: Secundum, conservatio piorum in obsequio Dei & sanctificatione: vers. 14. tertium, acceptio personӕ per Christum, qui primus est aditus ad remissionem peccatorum & sanctificationē, quas postulaverat superioribus versib. 17 Occupatio, qua ostendit David se peccata sua, si novisset, fuisse expositurum Deo ad impetrandam veniam: sed humanum esse errare, & ignorare errorem suum. 18 i. ne quando sim contumax; q. d. deduc & contine me in obsequio tuo. 19 quum hӕc duo fuero consequutus, remissionem peccatorum, & sanctificationem vitӕ. d *Heb. in benevolentiam: ut Levit. 22.20.* 20 i. ego ipse cum orationibus & cogitationibus meis. 21 vide, Deut. 32.4. 22 In Christo, qui servat populum suum a peccatis suis.

PSALMUS XX.

Ecclesia regi in expeditionem proficiscenti benè precatur suo & regis sui nomine; fiduciam suam in Deum prӕdicat; & fausto eventu gloriosè prӕnunciato, res suas Christo Deo commendat.

MAgistro symphoniӕ, [1] psalmus Davidis.
2 [2] Exaudiat te Jehova [a] tempore angustiӕ;
te in edito collocet [3] nomen Dei Jaħakobi:
3 Mittat auxilium tuum [4] e sancto, & [5] e
Tzijone fulciat te.
4 [6] Odoretur omnia munera tua, & holocaustum
tuum in cinerem redigat [7] ut quum
maximè.
5 Det tibi ex [b] animo tuo, & totum tuum
consilium impleat.

1 Psalmus est εὐκτικὸς, tribus partibus constans; petitione, usque ad versum 7. confirmatione, usque ad 10. & conclusione. Petitionis loci sunt duo: unus, quo petit populus & precatur salutem regi, usque ad vers. 6. Alter, quo precatur salutem, pacem, & lӕtitiam populi, vers. 6. 2 prolepsis sive propositio generalis totius petitionis; cujus membra sunt duo: unum, ut Deus personam accipiat & preces exaudiat, quod explicatur vers. 4. Alterum, ut benevolentiam suam opere testetur, regem supra omnia pericula evehens, quod explicatur vers. 3. per ὑστέρωσιν. a *Hebr. in die: synecdoche: sic infrà vers. ultimo.* 3 id est, Deus nominatissimus & laudatus, ut suprà vocavit, psalm. 18.4. Hypallage. 4 id est, e cӕlis sanctitatis suӕ, ut infrà vers. 7. 5 id est, sede aspectabili ipsius in ecclesia. 6 id est, te & preces tuas gratè accipiat: Synecdoche a signis. 7 vide supr. in Psal. 3.3. b *He. corde.*

6 [8] Canamus

[8] petitionis pars altera, ut observatum est suprà in vers. 1.
[9] i. ex conflictu & victoria ab hostibus triumphemus: synecdoche.
[10] Confirmatio, sive prædicatio gloriosa ecclesiæ velut jam petitionem adeptæ, qua ostendit se planè de fœlice eventu in Deo securam esse.

6 [8] Canamus de salute tua, & in nomine Dei
nostri [9] vexillis utamur: impleat Jehova omnes
petitiones tuas.
7 [10] Jam agnosco Jehovam servare [11] unctum suum, exaudire eum de cælis sanctitatis
suæ; [12] ex [c] summa fortitudine, salute dexteræ
suæ.
8 [13] Hi curruum, & illi equorum; nos verò
nominis Jehovæ Dei nostri [14] recordamur.
9 Illi incurvant se & [15] cadunt: nos verò
surgimus & consistimus.
10 [16] Jehova serva; [17] rex ipse exaudiat nos,
quo tempore invocabimus.

[11] id est, regem, suprà 2.2. [12] hæc duo sunt documenta quibus præter salutare verbum Ecclesia agnoscit gratiam Dei: nimirum natura & operationes gratiosæ Dei. Agnosco igitur, inquit Ecclesia, ex his duobus documentis. ἰμεταλλαχὶ. [c] Heb. *fortitudinibus*. [13] ἐργασία superioris prædicationis per ἀντίθεσιν sive comparationem fiduciæ fidelium cum fiducia infidelium, hoc versu: & eventus utrorumque, versu sequente. [14] id est, in unica ejus recordatione acquiescimus. [15] id est, ex casu prostrati jacent, ut docet oppositum consistendi verbum. [16] Conclusio, summatim precationem fiduciamq; Ecclesiæ repetens. [17] Christus, qui idem est Jehova salutis auctor, & Mediator a Patre datus.

PSALMUS XXI.

Psaltes Deo gratulans de beneficiis ejus, enarrat quæ acceperit ad vitam, salutem, & gloriam præsentem & sempiternam pertinentia: exitium adversariorum prædicat: & Deum orat ut procuret porrò gloriam suam.

[1] Psalmus est συνδυετικὸς, id est, gratulatorius, constans ex propositione vers. 2. narratione causarum ad gratulationem pertinentium, usque ad vers. 14 & conclusione, versu ultimo.
[2] propositio gratulationis duobus nominibus; roboris divini, & salutis quam robur divinum præstat.
[3] narratio operum, quibus robur suum & salutem præstabat Deus. Sunt autem gradus illius duo: unus, quòd non solùm res optatas dedit, hoc vers. verumetiam, quòd supra optata dedit, usque ad vers. 9. alter, quòd adversarios perdit, inde usque ad vers. ultimum.
[a] Heb. *cordis ejus*.

Magistro symphoniæ, [1] psalmus Davidis.
2 [2] Jehova, de robore tuo lætatur rex;
& de salute tua quàm exsultat valdè!
3 [3] Desiderium [a] animi ejus das ei, pronunciatum labiorum ejus non avertens, [4] maximè:
4 [5] Quin [6] prævenis eum [7] benedictionibus
boni, [8] imponis capiti ejus coronam auri purgatissimi.
5 Vitam petiit abs te, dedisti ei; *etiam* longitudinem dierum in seculum & sempiternum.
6 [9] Magna *est* gloria ejus per salutem tuam;
decus & majestatem posuisti in eo.
7 [10] Nam disposuisti illi benedictiones in
sempiternum, exhilaravisti eum lætitia a facie
tua.
8 Quoniam ipse rex confidit Jehovæ, ideò
fretus benignitate excelsi non dimovebitur.
9 [b] [11] Assequêris manu tua omnes inimicos
tuos, dextera tua assequêris osores tuos.
10 [12] Disponis eos *ut* fornacem ignis tempore faciei iratæ tuæ; Jehova ira sua absorbet eos,
quasi consumat eos ignis.
11 Fructum eorum e terra perdis, & semen eorum e filiis hominum:
12 [13] Quoniam intenderunt tibi malum; commenti sunt cogitationem, non possunt *perficere*.
13 [14] Nam ponis eos *velut* [c] tumulum; nervis tuis [d] aptatas *sagittas* jacularis contra faciem
eorum.
14 [15] Exaltare Jehova robore tuo; cantemus
& psallamus fortitudinem tuam.

[4] vide suprà in 3.3. [5] amplificatio est prioris gradus beneficentiæ Dei proleptice in hoc versu enunciata: cujus duæ ponuntur partes; bona vitæ ex benedictione Dei proficiscentia, ut explicantur sequente versu, & gloria atque amplitudo, quam explicat vers. 6. [6] id est, nihil tale cogitanti, nedum optanti exhibes: ut ostenditur 1. Sche. 16. [7] id est, optimis: αὐξητοῖς. [8] id est, committis regnum amplissimum & gloriosissimum in populo Dei: vers. 6. synecdoche. [9] id est, duplicem gloriam tribuisti ei, tum quia salutem contulisti & liberationem ab omni calamitate, tum quia in summum majestatis fastigium evexisti: sic enim totius anteactæ vitæ, acceptorumq; a Deo beneficiorum recordatur David. [10] amplificatio beneficiorum Dei, a circumstantia temporis: in quibus se ipsum confirmat propheta primùm a revelatione Dei, 2. Schem. 7. deinde a fide sua promissiones amplectente, V. 8. [b] Heb. *invenies: sic paulò infrà eodem vers.* [11] tertius narrationis locus ordinarii Dei judicium in adversarios explicans hic verbis propriis; figuratis verò, vers. seq. [12] i. personas, facultates, & posteritatem convellis, his duobus vers. [13] ἀντιλογία judiciorum Dei, quæ improbis eventura prædicavit, a nefariis conatibus & consiliis eorum. [14] Elegans allegoria: qua improborum corpora cum aggere; facies cum scopo aggeri infixo comparantur: sic Ijobi 16. 12. & Lament. 3. 12. [c] Heb. *humerum, id est, aggerem, quē dorsum similiter vocat Virgilius.*

[d] Heb. *aptas contra faciem: syllepsis, ut Exod.* 25. 2.
[15] Conclusio petitoria pro gloria Dei, & salute lætitiaq; populi ad gloriam ejus.

PSALMUS XXII.

Psaltes perpessiones infinitas Christi explicat, in quibus eum invocantem fuisse exauditum testatur: deinde prophetiam, sacerdotium, & regnum illius sempiternum atque universale ad ecclesiam totam perventurum docet.

Magistro symphoniæ [1] [a] ad primam auroram,
[2] psalmus Davidis.
2 [3] Mi *Deus* fortis, mi *Deus* fortis, [4] quare dereliquisti me; longinquus a salute mea, *a* verbis
[5] rugitus mei?
3 Deus mi, *quare* invocantem me interdiu
non exaudis? & noctu *invocanti* non *est* [6] silentium mihi?
4 [7] Atqui sanctus es, [8] permanens, [b] perfecta laus Jisraëlis:
5 Tibi confisi sunt majores nostri: confisi
sunt, & liberasti eos.
6 Ad te clamaverunt, & erepti sunt; tibi confisi sunt, [9] nec puduit eos.
7 [10] At ego [11] *sum* vermis, ac non vir; opprobrium hominum, & contemtus [c] populo.
8 Omnes videntes me subsannant me; [12] diducunt labium, [13] movent caput.
9 Devolvit se ad Jehovam (*inquiunt*) liberet eum: eripiat eum, quandoquidem delectatur
eo.
10 [14] Quum tu *sis* qui eduxisti me ex utero,
faciens ut securus agerem ad ubera matris
meæ;
11 [15] In te rejectus sim ex vulva, inde ab utero
matris meæ *Deus* fortis meus sis:

[1] Has voces multifariam redditas, ita accipimus pro diluculo; quia eo demum tempore auroræ primordium est. Nam quòd plerique initium cantionis esse existimant, non satis videtur cum argumento hujus Psalmi & cum gravitate ac honestate Ecclesiæ convenire, ut adhibeantur ludicri & populares cantus. Sensus igitur est, Psalmum hunc Sacerdotibus & Levitis fuisse traditum, ut singulo quoque mane in Ecclesia quum primùm aurora erumperet, caneretur; prout moris erat Sacerdotibus & Levitis ex lege symphoniam exercere, 1. Chronic. 9. 33. & 23. 4. & 29. sic voluit Deus Ecclesiam veterem singulis diebus recolere fiduciam de exspectatione Christi, cujus perpessionum & regni vaticinium hoc Psalmo continetur. [a] Hebr. *ad primordium auroræ.* [2] Psalmus est generis mixti, ἱκετικὸς καὶ εὐχαριστικὸς: cujus argumentum, etsi aliqua ex parte & certis tantùm versibus ad Davidem accommodari potest: tamen non dubitamus propriè ad Christum pertinere, de quo David per spiritum Dei prophetavit. Constat itaque hic Psalmus ex duabus partibus; precatione, quæ conjunctas habet perpessiones Christi, usque ad vers. 23. & gratiarum actione, sive prædicatione beneficiorum Dei & regni ad Christum perventuri, inde ad finem usque. Nam his duabus partibus, nimirum perpessione & gloria, tota Evangelii doctrina continetur: ut docetur 1. Pet. 1. 11. Precationis autem membra sunt duo, Exordium, & Propositio. [3] Exordium petitionis per exclamationem patheticam, his duobus versibus, quibus exprimitur virtus fidei adversus infirmitatem carnis gravissime concertantis, & animum ad Deum superata carne & difficultatibus ejus erigentis. Nam fidei opus est, Deum nostrum in mediis procellis cernere, invocare, & invocando perstare: carnis verò opus & infirmitatis, de absentia Dei conqueri. [4] in istis calamitatibus non acceleras ad salutem meam, neque exaudis me? ut sequentia exegeticè docent: nam Christo adversus pœnas præsentes & æternas ex peccatis nostris dimicante, quasi latebat Deus, neque vires suas exserebat natura divina ejus. [5] id est, clamoris vehementissimi: metaphora. [6] id est, quies ab istis calamitatibus; quibus pressi clamamus, & silemus liberati: synecdoche. [7] Propositio continens duo petitionis vel postulati membra: unum, ἀπευκτικὸν vel deprecationis, ne porrò a supplice absit Deus, ad versum usque 13. alterum, precationis, usque ad versum 23. utrique autem petitionis membro suæ antecedunt causæ. In priore hoc causarum tria sunt genera: unum est a persona Dei; secundum, a persona adversariorum; tertium, a persona supplicis. A persona Dei ponuntur duo argumentorum genera, his 3. vers. Prius ex natura ejus, quòd sanctus, sempiternus, & laudatissimus est: posterius ex officiis erga suos & eorum exemplis, quòd laus est, fiducia, liberator, & servator populi sui. [8] sic accipitur Psalm. 102. 13. & alibi. [b] Hebr. *laudes Jisraëlis.* [9] quasi delusos exspectatione: sed potiùs gloriosè supra omnes calamitates evecti sunt: Litotes. [10] Alterum argumentum a persona adversariorum, hominem miserum indignissimè exagitantium, contumeliis & sannis ludificantium atque blasphemiis, tribus versibus. [11] id est, non pluris apud illos fio; ut sequentia ostendunt. [c] Hebr. *populi.* [12] id est, per ludibrium buccas inflant: simile est Ijobi 16. 10. [13] vide 2. Regum 19. 21. & Matth. 27. 39. & sequentibus. [14] tertium argumentum a persona sua; quo adducit non meritum suum, sed ante accepta Dei beneficia inde ab utero. [15] id est, totus tuus, & commissus curæ fideique tuæ ex fœdere tuo: cujus summa sequentibus verbis continetur: ut Genes. 17. 7. & 8.

12 [16] Ne procul abſis a me; dum anguſtia
propinqua eſt, [17] dum nemo *eſt* adjutor.
13 [18] Circumdant me [19] juvenci multi; robu-
ſti *juvenci* [20] Baſchanis cingunt me.
14 Dilatant contra me os ſuum, *tamquam* leo
rapiens & rugiens.
15 [21] Sicut aqua effundor, & diſparant ſe
omnia oſſa mea: eſt cor meum ſimile ceræ, li-
queſit in [d] viſceribus meis.
16 Areſcit ut teſta vis mea, & lingua mea ad-
hæret faucibus meis; & in pulvere [e] lethali col-
locas me.
17 Nam circumdederunt me canes, cœtus
maleficiorum circumvenêrunt me; [22] foderunt
manus meas & pedes meos.
18 [23] Enumerare poſſem omnia oſſa mea: ipſi
[24] intuentur, reſpiciunt in me.
19 [‖] Partiuntur veſtimenta mea inter ſe, & pro
indumento meo projiciunt ſortem.
20 [25] Tu ergo, Jehova, ne procul abſis: virtus
mea, ad auxilium meum feſtina.
21 Eripe a gladio animam meam, [f] a cane
[26] unicam meam.
22 Serva me ab ore leonis; & a cornibus uni-
cornium, exaudiens me.
23 [27] Enarrabo nomen tuum fratribus meis;
in media congregatione laudabo te:
24 [28] *Dicens*, timentes Jehovæ laudate eum,
totum ſemen Jaħakobi honorate eum: & timete
ab eo totum ſemen Jiſraëlis.
25 [29] Quia non ſpernit, neque abominatur
afflictionem afflicti, neque abſcondit faciem ſu-
am ab eo; ſed quum vociferatur ad ipſum [g] ex-
audit.
26 [30] De *bonis obventuris* a te *futura eſt* laus
mea in congregatione multa: vota mea perſol-
vam coram reverentibus eum.
27 [31] Comedent [32] manſueti, & ſaturabun-
tur; laudabunt Jehovam quærentes eum: [33] vi-
vet animus veſter in ſempiternum.
28 Recordabuntur & convertentur ad Je-
hovam [34] omnes fines terræ; & incurvabunt ſe
coram te *honorem exhibentes* omnes familiæ gen-
tium.

16 prior locus petitionis, qui ἀρὰς μεταβάσεων commodè poſteà repetitur ver. 20. Eſt autem hæc petitio admodum pathetica per antitheſin contrariorum: nam Deum ſalutarem & longinquum anguſtiæ propinquæ opponit: quaſi dicat, indignum eſſet te procul abeſſe, qui ſolus fides & ſalus noſtra es: afflictionem verò ſemper in propinquo ſinere. 17 ullus præter te. 18 ἐργασία ſuperiorum argumentorum, a perſona adverſariorum & ſua, ſternens viam ad ſecundum petitionis locum, ut diximus ſuprà in verſ. 4. 19 i. inimici robuſti, & ferocientes, qui allegoricè beſtiarum nominibus deſcribuntur. 20 id eſt, præpingues & obeſi, ut juvenci in Baſchane paſti; vide Deut. 32. 14. 21 altera pars ἐργασίας a perſona ſua, ubi hyperbolicè exponit calamitates ſuas corpore, animo, & ſingulis eorum partibus initas. q. d. caro, adeoq; oſſa, cor, viriditas, lingua, totus denique contabeſco. [d] *Hebr. in medio viſcerum meorum.* [e] *Hebr. mortis.* 22 Etſi in vulgatis exemplaribus habentur verba, quæ ſonant tamquam leo manus meas: tamen ad hanc lectionem quam ſervamus, non tantùm argumentationis ordine & ſimplicitate conſtructionis adducimur, Græcorumq; exemplo; ſed etiam duplice Maſſoritarum teſtimonio: nam teſtantur in bona librorum emendatiorum parte ſcriptum fuiſſe, *Caru*, quod eſt foderunt: & qui alteram lectionem habent, docent eam non eſſe accipiendam in ordinaria ſignificatione: quam ob rem Chaldæus paraphraſtes utramque interpretationem conjunxit; quaſi dicas, foderunt vel pertuderunt manus pedesq; meos, ut leo dentibus ſolet pertundere. 23 præ macie. 24 id eſt, tamen ſiccis & fixis oculis reſpiciunt in me, gaudentes de malo meo. [‖] *Matth.* 27. 35. 25 Petitionis ſecundus locus: cujus partes ſunt ut Deus abſit, hoc verſu, ut liberet a malo, verſ. ſequente, & plenam ſalutem bonumq; conferat, verſ. 22. [f] *Hebr. e manu canis: ut Geneſ. 9. verſ. 5.* 26 id eſt, ſolitariam vitam meam adjutore omni deſtitutam: ut expoſtulavit ſuprà verſ. 12. 27 εὐχαριστία, altera pars pſalmi, ut dictum eſt in verſ. 1. cujus partes ſunt, profeſſio publica beneficii a Deo accepti in Eccleſia, cum hortatione prophetica, 3. verſibus: prophetia de perfunctione ſpiritalis & æterni ſacerdotii, verſu 26. & prophetia de regno Chriſti, inde ad verſum 27. de hoc autem verſu vide Hebr. 2. 12. 28 hortatio ad Eccleſiam, alterum profeſſionis membrum ad propheticum Chriſti officium pertinens. 29 αἰτιολογία a beneficio Dei tum ſingulari erga Chriſtum, quando inclamavit patrem, ut ſuprà, & Hebr. 5. 7. tum communi erga membra ejus. [g] *Heb. eſt exaudiens.* 30 transitio ad alteram εὐχαριστίας partem, per repetitionem ejuſdem laudis, cujus meminerat ſuprà verſ. 23. a ſacerdotio Chriſti. 31 prophetica explicatio regni ad Chriſtum pertinentis: cujus tria capita prolepticè ponuntur hoc verſu, educatio fidelium, laus Dei, & vita æterna. Ponitur autem laudatio Dei inter præſens tempus educationis, & futurum æternæ vitæ; quia ad utrumque communiter pertinet. 32 id eſt, pii, qui domita & abdicata feritate naturæ ſuæ recordantur Dei & ſe ad ipſum convertunt, ſequente verſu. 33 apoſtrophe ad manſuetos emphatica. 34 id eſt, incolæ totius terræ ad extremos uſque terminos: metonymia, ut ſuprà 2. 8. ſic oſtenditur regnum Chriſti non finibus Judææ circumſcriptum, ſed univerſale fore.

29 Quoniam [35] Jehovæ *eſt* regnum ipſum, &
dominium habet in gentes.
30 [36] Comedentes incurvabunt ſeſe omnes
[37] pingues terræ, coram eo procumbent quicum-
que deſcendunt in pulverem; [38] *qui* animam ſu-
am in vita non conſervaverit.
31 *Horum* ſemen [39] colet eum, [40] accenſebi-
tur Domino in quaque ætate.
32 Advenientes annunciabunt juſtitiam
ejus; populo naſcituro, [41] ipſum exercere
eam.

35 vide accommodationem hujus argumenti, Roman. 3. 29. & 1. Timoth. 2. 5. 36 i. cujuſlibet conditionis homines, magni & parvi, divites & pauperes, &c. fruentur educatione, quæ prima fuit pars prolepſeos ſupr. 27. vide uſum iſtius argumenti 1. Timoth. 2. in principio. 37 id eſt, ſecundis rebus fruentes, proſperantes: periphraſis. 38 id eſt, qui ultrò flagrans ſtudio gloriæ Dei abjecerit vitam ſuam, & ſibi renunciaverit propter cultum ipſius: nam hæc certiſſima eſt nota populi voluntarii. 39 ſecundum membrum prolepſeos, ſuprà 27. 40 id eſt, populo Dei aſcribetur, ut copioſius exponitur pſal. 87. 41 id eſt, auctorem eſſe omnis juſtitiæ, tum illius qua juſtificat impium in miſericordia, tum etiam illius qua in judicio damnat.

PSALMUS XXIII.

Propheta Deum paſtorem ſuum agnoſcens, & ſe viciſſim illius ovem; officia illius erga ſe prædicat, & de futuro animum ſuum confirmat.

1 [1] PSalmus Davidis: [2] Jehova paſtor meus *eſt*,
non poſſum egere.
2 [3] In caulis [a] herbidis facit ut recubem, [4] ſe-
cundùm aquas [b] lenes deducit me:
3 [5] Animam meam quietam efficit, [6] du-
cit me per orbitas juſtitiæ; propter nomen
ſuum.
4 [7] Etiam quum ambularem per vallem le-
thalis umbræ, non timerem malum, quia tu me-
cum *es*: [8] virga tua & pedum tuum ipſa conſolan-
tur me.
5 [9] Inſtruis coram me menſam e regio-
ne hoſtium meorum: [c] delibutum reddis un-
guento caput meum, poculum meum exube-
rans.
6 [10] Nihil niſi bonum & benignitas proſe-
quentur me omnibus diebus [d] vitę meæ: & quie-
tus ero in domo Jehovæ, [e] quamdiu longa e-
runt tempora.

1 Pſalmus eſt didaſcalicus, quo Pſaltes exponit fiduciam ſuam in benignitatem Dei, & finem illius, duobus modis: primùm per narrationem allegoricam, uſque ad verſum 5. Deinde per ἀναγωγὴν ſive accommodationem allegoriæ ad perſonam ſuam, duobus reliquis. 2 propoſitio allegoriæ, qua Deus cum paſtore, fidelis cum ove comparatur. Explicatur verò hæc allegoria primùm ſimpliciter, enumeratis partibus quæ ad officium boni paſtoris pertinent, duobus verſibus: deinde per hypotheſin, verſ. 4. 3 id eſt, non tantum alimoniam copioſè, ſed etiam quietem molliſſimam & opportuniſſimam concedit. [a] *Hebr. teneræ herbæ.* 4 id eſt, commoditatem potus & refrigerii exhibet, quaſi dicat, meæ vitæ, quieti & amœnitati conſulit. [b] *Hebr. quietum.* 5 id eſt, me languentem, mea infirmitate labefactatum, & planè confectum inſtaurat: regenerationis ſymbolum. 6 id eſt, facit ut ſine metu ſerviam ipſi cum ſanctitate & juſtitia in conſpectu ipſius: Luc. 1. 74. 7 hypotheſis, ut obſervatum eſt ſuprà in verſum 2. quaſi dicat, etiamſi ignorantia vel infirmitate mea ab ipſo & ipſius grege aberrarem, in ipſo tamen ſecurus ſum. vide Johan. 10. 28. promiſſionem Dei huic ſecuritati reſpondentem. 8 id eſt, ductus ſpiritus tui ex præſcripto verbi quaſi virgâ me agit, & quaſi pedo inhibet. 9 ἀναγωγὴ, ut obſervatum eſt in verſ. 1. cujus partes ſunt duæ: una, explicatio beneficiorum præſentium, hoc verſ. altera, futurorum cùm in præſente, tum in futura vita, ſequente verſu. Præſentia autem metaphoricè exponit, docens ſe tàm largiter & lautè a Deo curari, ut rebus omnibus circumfluat tum ad neceſſitatem, tum ad ornamentum ſuum pertinentibus. Nam oleo & unguentis ferè delibuti erant veteres, elegantiæ atque venuſtatis, non neceſſitatis cauſa: ut Matth. 6. 17. & 2. Schem. 12. 20. quamobrem qui in luctu erant, ab unguentis abſtinebant, ut 2. Schem. 14. 3. [c] *Hebr. pingue.* 10 altera pars, ſecuritas de futuro: ut modò diximus. [d] *Hebr. tantummodò.* [e] *Heb. in longitudinem dierum.*

PSALMUS XXIIII.

Propheta regno Dei univerſali in res creatas expoſito, ſingulare regnum in Eccleſia (cujus notas apponit) explicat, & eam ad honorificè convenienterq; excipiendum Chriſtum regem adhortatur.

Davidis

DAvidis [1] psalmus. [a] Jehovæ *est* terra & quod
[2] implet eam; orbis habitabilis, & habitantes
in eo.
2 [3] Nam ipse [4] super maria fundavit illam,
& super flumina stabilivit illam.
3 [5] Quis ascensurus est in montem Jehovæ?
& quis staturus in loco sanctitatis ejus?
4 [6] Innocens manibus & purus [b] animo; qui
non effert ad vanitatem animam suam, neque
jurat ad fraudem:
5 *Is* reportat benedictionem a Jehova, & ju-
stitiam a Deo salutis suæ.
6 Hęc *est* generatio requirentium eum: quę-
rentium [7] faciem tuam, [8] *generatio* Jahakobi,
[9] summè *quærentium*.
7 [10] Attollite portæ capita vestra, & attollite
vos [11] ostia seculi; ut ingrediatur rex gloriæ.
8 [12] Quis *est* iste rex gloriæ? Jehova robu-
stissimus & potentissimus; Jehova potentissimus
[c] bellator.
9 [13] Attollite portæ capita vestra: attollite,
inquam, ostia seculi, ut ingrediatur rex gloriæ.
10 Quis *est* iste rex gloriæ? Jehova exercitu-
um: is *est* rex gloriæ summè.

1 Psalmus est didascalicus, regnū Christi explicans duobus modis: primùm a subditis ejus usque ad vers. 7. deinde ab adventu ejus in regnum suum, inde ad finem usque. Subditorum ponuntur duo genera; unum, natura & creationis jure ad Deum pertinentium, vers. 1. & 2. Alterum, domesticorum ejus, quos beneficio gratiæ suæ & redemtionis recipit ad se, ver. sequentibus. 2 i. res omnes creatæ ad ipsum pertinent, ac proinde eorum sunt etiam quos Deus ad se recipit in Christo; sive uti illis, sive non uti commodum videatur; sic accommodat Apostolus 1. Corinth. 10.25. & 28. a *Hebr. plenitudo ejus.* 3 αἰτιολογία a creationis, sustentationis, & administrationis jure. 4 id est, ita statuit eam, ut depulsis in suos alveos maribus & fluentis, suprà exstet ad commodam habitationem nostram. Quamobrem psalm. 104. bases terræ vocantur ac velut statumina, quibus latera ejus circumquaque fulciuntur. 5 transitio ad alterum subditorum genus, quod dialogisticè exponitur, ut Psalm. 15. quasi dicat, Etsi omnia sunt Jehovæ; tamen non omnia, ac ne omnes quidem homines apud Jehovam permansuri sunt. Quis ergo ascendet, &c. 6 subjectio, sive responsio ad quæstionem proximam de notis domesticorum Dei: quarum genera sunt tria; primùm integritas vitæ, animi, cogitationum, & sermonum, hoc vers. deinde testificatio Dei, versu sequente; & postremò professio & studium ipsorum ad adeundum Deum vers. 6. b *Hebr. corde.* 7 apostrophe ad Deum. 8 id est, quæ nòn secundùm carnem censetur in posteris Jahakobi; sed qui filii sunt promissionis ex fide, ut Rom. 9.6. & sequentib. & Galat. 6.16. 9 vide in Psalm. 3.3. 10 altera pars psalmi dialogistica de adventante rege Christo; qua per prosopopœiam admonentur pii, ut se comparent ad excipiendum eum: nam Ecclesia templum Dei est; & fidelium singulorum animus, allegoricè est porta qua intromittitur Christus: ut Apocal. 3.20. ideoq; jubentur animos ab istis rebus terrenis avocatos sursum erigere. 11 id est, æterna Dei templa, æternæ Ecclesiæ & universalis membra. 12 quæstio fidelium de persona regis, non repellentium quidem; sed ad majorem sui confirmationem percunctantium; quibus ita respondetur ut designetur Christus a natura & effectis suis: a natura, quòd Jehova, id est, Deus sempiternus, robustissimus, & potentissimus bellator est hoc vers. ab effectis verò, quòd omnibus bellis tum spiritali suo adversus Satanam, tum nostro adversus omnia victor est, quòd exercitus omnes pro arbitrio suo agit, & postremò quòd gloriam ex natura & rebus gestis sibi ac suis consequitur. c *Heb. belli.* 13 repetitionis finem: vide in Gen. 41.32.

PSALMUS XXV.

David pressus ab adversariis, benignè a Deo doceri & peccata calamitatum causas condonari petit: se ipsum in horum expectatione, fretus Dei bonitate & testimonio fidei suæ, confirmat: ac postremò sibi totiq; ecclesiæ postulat liberationem a malo.

א [1] ODe Davidis; [2] ad te, Jehova, animam me-
am attollo.
ב 2 Deus mi, in te confido, ne erubescam:
ne exsultent inimici mei de me.
ג 3 Etiam ulli exspectantes te, ne erube-
scant: erubescant qui perfidè agunt immeritò.
ד 4 [3] Vias tuas, Jehova, notas fac mihi; se-
mitas tuas doce me.
הו 5 Fac ut incedam [4] per veritatem tuam,
& doce me; nam tu *es* Deus salutis meæ, te ex-
specto totum diem.
ז 6 [5] Recordare miserationum tuarum, Je-
hova, & benignitatum tuarum; eas a seculo
esse.
ח 7 [6] Peccatorum pueritiæ meæ & defe-
ctionum mearum ne recorderis: pro benignitate
tua recordare mei tu, propter bonitatem tuam
Jehova.
ט 8 [7] Bonus & rectus Jehova *est*, idcircò do-
cet [8] peccatores viam:
י 9 Facit ut incedant mansueti [a] ex jure, &
docet mansuetos viam suam.
כ 10 Omnes semitæ Jehovæ [9] benignitas &
fides *sunt*, custodientibus fœdus ejus & testimo-
nia ejus.
ל 11 [10] Propter nomen tuum, Jehova, con-
donabis igitur iniquitatem meam: nam magna
est.
מ 12 [11] Qualis futurus est vir ille qui revere-
tur Jehovam, docentem ipsum quam viam eli-
gat?
נ 13 [12] Anima ejus in bono [13] pernoctabit,
& semen ejus hæreditario jure possidebit ter-
ram:
ס 14 [14] Arcanum Jehovæ *adest* reverenti-
bus ipsum, & fœdus ejus, ut experimento teste-
tur eis.
ע 15 [15] Oculi mei jugiter ad Jehovam *re-
spiciunt*; quia ipse educit e reti pedes meos.
פ 16 [16] Respice ad me, & gratiam fac mihi;
quia [17] solitarius & pauper sum.
צ 17 Oppressiones [b] animi mei [18] dilatant
se: ab angustiis meis deduc me:
ק 18 Aspice afflictionem meam & laborem
meum; & condona omnia peccata mea.
ר 19 [19] Aspice inimicos meos, quia poten-
tiores sunt; & odio violento oderunt me.
ש 20 Serva animam meam & eripe me, ne
erubescam; [20] quia recipio me ad te.
ת 21 [21] Integritas & rectum custodiant me;
quia exspecto te.
פ 22 [22] Redime, Deus, Jisraëlem ab o-
mnibus oppressionibus ejus.

1 Ode est ἀλφαβητικὴ: cujus singuli versus ferè principio suo alphabeticum Hebræorum ordinem retinent. Constat autem ex tribus partibus; Petitione, usque ad vers. 8. Confirmatione, usque ad versum 16. & Conclusione petitoria, inde ad finem usque. 2 petitio suis causis conjuncta, duo capita summatim continet: demonstrationem communicationemq; boni, vers. 4. & sequentibus; deinde abolitionem mali peccatorumq; nostrorum: ut personæ acceptæ sint, vers. 7. Causarum genera ponuntur tria, ut observatum est suprà in psalmo 13. Prima est a persona supplicis & bonorum omnium: secunda, a persona adversariorum, vers. 1. 2. & 3. tertia, a persona Dei, vers. 6. 7. & 8. 3 quibus me vis incedere: primum petitionis caput. 4 id est, prout verax es, fideliter & constanter præstans promissiones tuas. Argumentum a natura Dei. 5 id est, qua misericordia erga tuos usus es inde ab orbe condito, eadem erga me utere: argumentum ab exemplo & natura Dei. 6 secundum petitionis caput; remissio peccatorum. 7 Secunda pars psalmi; confirmatio a natura Dei, operibusq; erga electos. 8 quos justificet in Christo secundùm electionem gratiæ, ubi mansueti effecti sunt: ut suprà psal. 22. 27. a *Heb. in jure.* 9 id est, benignissimæ & constantissimæ anxelis. 10 accommodatio superioris theseos, perinde ac si confirmatus ex ea Davidis animus statueret idem in se reipsa præstari: sic respondet argumento quo usus fuerat suprà ver. 6. 11 alter confirmationis locus dialogisticè enunciatus, ab effectu promissionum Dei; nimirum timentes Dei ex fœdere bonum consequuturos, & elapsuros e malo: unde sequitur accommodatio singularis ad personam Davidis, vers. 15. 12 id est, omnium bonorum spiritalium & corporalium hæres futurus est, ad suam & suorum utilitatem, ex consilio & fœdere Dei. 13 id est, conquiescet, quemadmodum de nocte quiesci solet. 14 ætiologia superioris dicti: nam Deus voluntate cùm arcana, tum etiam revelata consulit illis. 15 Transitio ad petitionem & conclusionem Psalmi. 16 Conclusio petitoria, cujus partes duæ sunt; una, petitio singularis pro persona supplicis; altera, petitio publica pro corpore ecclesiæ, vers. ultimo. 17 id est, aliena ope destitutus, ut psal. 22.12. b *Hebr. cordis mei.* 18 id est, tam latè occupant, ut animus quasi præfocetur: primum argumentum a personæ suæ calamitatibus. 19 secundum argumentum a persona inimicorum. 20 fretus promissionibus Dei: tertium argumentum a fide sua integerrima in promissiones Dei, hoc & sequente vers. 21 fidei meæ. quasi dicat, promissiones tuæ, quibus totus recumbo fide. 22 secunda conclusionis pars ἐπιφωνηματικὴ, ut diximus in versum 16.

PSALMUS XXVI.

David ab hostibus pressus ad Deum judicem confugit, fidem suam & vitæ innocentiam probat: ideoq; liberari ab angustiis & gratiam consequi expetit, ad glorificandum Deum.

[1] ODe Davidis. Judicem meum age Jehova,
[2] quoniam ego in integritate mea ambulo;
& Jehovæ confido, me non vacillaturum.
2 [3] Proba me Jehova & tenta me; examina
[4] renes meos, & [a] animum meum:

1 Ode est ἀντι-ελεγκτικὴ, constans tribus partibus: propositione juris sui, usque ad vers. 9. petitione, ad ultimum usque, & conclusione, vers. ultimo. Propositionis partes sunt, exordium, quo secum agi postulat in causa sua ex judiciorum formula, vers. 1. & 2. & narratio causarum quibus ad postulatum hoc adducitur; quod utrumq; vers. 1. per prolepsin continetur. 2 summa causarum proleptica, ex quibus ad Dei judicium confugit; integritas vitæ, & fides in Deum, quæ postea explicantur inde a vers. 3. 3 i. judicem te facio, & appello testem: introspice, & penitus cognosce de causa mea: metaphora ab aurificibus. 4 ut sup. 7.10. a *Heb. cor.*

5 Narratio, qua David tum animam suum erga Deum, tum vitæ rationem exponit, ut suprà ver. 1. quæ duo deinceps per ὕστερον πρότερον, hoc est inverso ordine, explicantur.
6 explicatio secundæ partis de vita sua κατ' ἀναίρεσιν καὶ θέσιν, ut Psal. 1. quum primo loco inficiatur David se malè versari, duobus versibus: deinde confirmat se vitam benè transigere.
b Heb. vanitatis.
7 id est, multiplicibus, Proteis, & sese in omnes facies vertentib.

3 [5] Nam benignitas tua coram oculis meis *est*, & indesinenter ambulo in veritate tua:
4 [6] Non sedeo cum hominibus [b] vanis, & cum [7] [c] dissimulatis non convenio:
5 Odi congregationem maleficorum, & cum improbis non sedeo:
6 [8] Lavo in innocentia manus meas, & [9] circumeo altare tuum Jehova;
7 Personando voce gratiarum actionis, & enarrando omnia mirabilia tua.
8 [10] Jehova diligo habitaculum domus tuæ, & locum, tabernaculum gloriæ tuæ.
9 [11] Ne aggreges [12] penes peccatores animam meam, & penes viros [d] sanguinarios vitam meam:
10 [13] Quorum in manibus scelus, [14] quorum dextera plena est corruptionis muneribus.
11 At ego in integritate mea ambulo: redime me, & gratiam fac mihi.
12 [15] Pede meo consistente in plano, in congregationibus benedicam Jehovæ.

c Heb. absconditis. 8 Professio vitæ, tum ratione conversationis humanæ, tum etiam officiorum ac pietatis in Deum coram ecclesia. Est autem lavare manus suas in innocentia, purissimè cum hominibus conversari, ut Ijobi 9.30. 9 i. te colo, agnosco, & prædico in Ecclesiæ synecdoche. 10 Explicatio prioris partis de fide & studio animi sui in Deum. 11 petitio duabus partibus constans, quarum una est ne Deus sinat servum suum improbis exponi, & involvi malo; altera, ut gratiam faciat, & exhibeat nominis sui benedicendi argumentum, vers. duobus ultimis. 12 hoc est, vitam meam ne patiare venire in facultatem illorum. d Heb. sanguinum. 13 Amplificatio primùm a persona adversariorum suorum, hoc vers. deinde a persona sua, principio sequentis. 14 hoc est, qui & malefici sunt, & ad omne maleficium sui commodi causa paratissimi. 15 i. quum non ampliùs in lubrico & salebroso loco importunitate hostium cogar consistere, sed beneficentia tua liberatus fuero ab his angustiis & meliori loco positus; tum demum benedicam Jehovæ. Conclusio votiva, sive ἐπαγγελτική.

PSALMUS XXVII.

David vim suæ in Deum fiduciæ adversus omnia pericula prædicans, quia ab Ecclesia aspectabili abesse cogebatur, se eadem fide consolatur: Dei gratiam, opem, documenta, ductum, & liberationem petit: ac postremò se & ecclesiam ad confirmandos in Deo animos hortatur.

1 Ode est generis mixti, διδασκαλικῆς καὶ ἱκετικῆς, tribus partibus constans: prima est propositio fiduciæ in Deum, usque ad versum 7. secunda, petitio, usque ad vers. ultimum; & postrema, conclusio hortatoria.
2 propositio fiduciæ duo membra continens; prius, beneficium Dei erga fideles; posterius, indubitatam in Deum securitatem ex fide, quæ est effectus alterius.

[1] ODe Davidis. [2] Jehova [3] lux mea & salus mea *est*, a quo timerem? Jehova robur vitæ meæ *est*, a quo expavescerem?
2 [4] Belligerantibus contra me maleficis [5] ad exedendum carnem meam, hostibus meis & inimicis meis [a] in me; ipsi corruunt & concidunt.
3 [6] Si metarentur contra me castra, non timeret [b] animus meus: si insurgeret contra me bellum, [7] [c] hac re ego securus essem.
4 [8] Unum petii a Jehova, id ipsum requiro; [9] ut considea m in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ, [10] ad videndum amœnitatem Jehovæ, & inquirendum in templo ejus.
5 [11] Nam abscondit me in tugurio suo, [d] tempore adversitatis; abdit me in abdito tentorii sui, in rupem attollit me:

3 i. liberator meus ab adversitatibus (quas scriptura ferè tenebras vocat) & salutis auctor omnisque boni. 4 ἐργασία propositionis præcedentis, ab anteacta experientia, hoc ver. unde nascitur gloriosa illa fiduciæ prædicatio, ver. sequentibus. 5 i. me inhumanissimè ferarumque more consumendum. a Heb. mihi sunt. 6 summus fiduciæ prædicandæ locus per hypothesin sive conditionalem orationem. b Hebr. cor meum: sic ℣. 8. & ultimo. 7 nimirum quum modò prædicavi, quòd Jehova sit lux mea, &c. c Heb. in hac. 8 Exceptio q.d. omnia quidem in Deo præcipio fide, mirificas liberationes, & salutem maximam: hoc verò videtur fiduciæ meæ adversari, quòd destituor aspectabili præsentia ejus, quam tantoperè desideravi & etiam nunc desidero, ut cultu ejus libero ac legitimo uti possim. hoc unum est quod me videtur deficere. 9 ac non ita errare & vagari compellar. 10 i. ad percipiendum sancta & augusta illius dona, & ad consulendum eum: quæ duo sunt piorum officia in ecclesia. 11 Responsio ad exceptionem præcedentem duobus argumentis: hoc (inquit) non efficit quo minùs fiducia mea sibi constet. Primùm enim beneficia ejus, nimirum liberationes maximas & honores ab eo percipio, hoc ver. deinde, quamvis hæc omnia deficerent, tamen fide & animo illius cultus sum particeps, a quo videor longissimè abesse: & de futuro sum certò persuasus me tandem aliquando re ipsa & coràm fore participem, sequente ver. d Heb. die mali.

12 id est, gloriosè prædico adversus hostes, velint nolint, me sacrificaturum & culturum Deum.
e Heb. clangoris.
13 secunda pars Psalmi, Oratio; cujus membra sunt tria: exordium audientiam faciens, hoc vers. propositio, ℣. sequente; & petitio, reliquis usque ad ver. ultimum.
14 propositio, qua mandatum Dei & officium suum ex mandato agnoscit profiteturque psaltes. Est autem hic ὑπέρβασις, quam perspicuitatis causâ mutavimus.
15 id est, in rebus dubiis consulite, & in adversis invocate: sic Deut. 4.29.

6 Jam verò [12] extollitur caput meum supra inimicos meos, circumstantes me; ut sacrificem in tentorio ejus sacrificia [e] clangoris, canam & psallam Jehovæ.
7 [13] Audi Jehova *me* voce mea clamantem; gratiámque fac mihi, & exaudi me.
8 [14] Tuum *illud*, [15] requirite faciem meam, [f] cogitat animus meus: faciem tuam, Jehova, requiro.
9 [16] Ne abscondas faciem tuam a me, ne avertas in ira servum tuum: auxilium meum fuisti, ne deseras me, neque derelinquas me, Deus salutis meæ.
10 [17] Nam pater meus & mater mea derelinquunt me, sed Jehova recipiet me.
11 Doce me, Jehova, viam tuam, & [18] deduc me per semitam planam; [19] propter observantes me.
12 Ne tradas me [g] desiderio hostium meorum: [20] nam consistunt contra me testes mendaces, & qui spirat violentiam:
13 *Abreptum me*, nisi crederem me [h] fruiturum [21] bonitate Jehovæ, [22] in terra viventium.
14 [23] Exspecta Jehovam, confirmare, & fortificabit animum tuum: itaque exspecta Jehovam.

f Heb. dicit cor meum. 16 Petitio Davidis, cujus membra sunt tria: primum deprecatio, ne abjiciatur ab eo, hoc vers. secundum precatio, ut receptus doceatur & deducatur a Deo, duobus sequentibus: tertium, altera deprecatio, ut saltem si nondum liberationis tempus advenit, non exponatur adversariorum libidini, vers. 12. Sunt autem hæc pleraque humanitùs attributa Deo. 17 id est, omnes qui naturæ & amicitiæ jure deberent & vellent mihi opem ferre, præ tyrannide nimia me coguntur deserere, ut suprà 25.16. 18 i. in libertatem vindica me; metaphora, ut suprà 26.12. 19 vide supr. Psal. 5.9. g Heb. animæ. 20 id est, non corruerent & conciderent, ut dixit supr. ℣. 2. sed voti sui compotes efficerentur vel sua fraude vel vi; nisi fiducia certa in te recumberem: argumentum a persona adversariorum & sua. h Heb. visurum. 21 id est, bonis a te promissis. 22 id est, in hac ipsa vita, ut Psal. 116.9. 23 Conclusio, qua se & alios hortatur David ad spem & fidem in Deo collocandam, & promissionem confirmat.

PSALMUS XXVIII.

David a perditissimis adversariis pressus, Deum orat pro salute sua & illorum exitio: salute accepta, Deum celebrat suo & ecclesiæ nomine: ac postremò ecclesiæ toti benè precatur.

1 Ode est generis mixti, ἱκετικῆς καὶ εὐχαριστικῆς. oratio continetur quinque primis vers. laudatio verò, sequentibus tribus; cui postremò, subjicitur conclusio petitoria. orationis partes sunt duæ; una pro salute supplicis, tribus ver. altera, pro exitio adversariorum ℣. quatuor.
2 ut Deut. 32.4. argumentum ab officio & promissionibus Dei.
3 id est, ne abjicias aut negligas: humanitùs dictum.

[1] ODe Davidis. Te, Jehova, inclamo, [2] rupes mea, [3] ne surdum agas *aversus a me*: ut non [4] si mutus eris *& aversus* a me, [5] consimilis fiam descendentibus in [a] sepulcrum.
2 Audi vocem deprecationum mearum, dum vociferor ad te; dum attollo manus meas [6] ad adytum sanctitatis tuæ.
3 [7] Ne trahas me penes improbos, & penes operarios iniquitatis; [8] loquentes pacem cum proximis suis, malitia *obtinente* in [b] animo eorum.
4 [9] Da istis secundùm opus ipsorum, & secundùm malignitatem actionum ipsorum: secundum opus manuum ipsorum da eis, redde retributionem suam eis.
5 [10] Quia non animadvertunt ad opera Jehovæ, & ad factum manuum ejus: [11] destructurus

4 id est, si non respondeas. 5 id est, succumbam & peream: periphrasis mortuorum. sic deprecatur a persona sua. a Heb. cisternam. 6 id est, ad cælum; ubi est sanctuarium quod fixit dominus, & non homo, Heb. 8.2. 7 id est, ne inducas me in potestatem illorum, aut finas quasi mancipium ab illis rapi, ut sup. Psal. 26.9. & 27.12. 8 ut de Schaule legimus 1. Schem. 24.17. & 26.17. & seq. b Hebr. corde: sic infrà ℣. 7. 9 altera pars orationis, imprecatio adversos illos quos descripsit superiore vers. nimirum improbos, qui opere, sermone, & animo depravati, obfirmati, & Deo insensi sunt q.d. justitiam tuam in illis exerce. 10 αἰτιολογία imprecationis per comparationem illorum injustitiæ cum justitia Dei; isti (inquit) testimonio suæ ipsorum conscientiæ rei sunt, quòd animum ad opera Dei omnia, & nominatim singulare illud erga me electionis meæ, minimè advertunt. Quamobrem non potest Deus non perdere judiciis suis, qui non erudiuntur documentis. Ego verò absit ut benedicam, cui maledicit Jehova, vide 1. Schem. 2.25. in annota. 11 id est, justum est eos perdere, & re ipsa perdet: metaphora ab ædificiis.

11 laudatio primùm a singulari beneficio Dei erga prophetam, duobus ver. deinde a publico erga totam ecclesiam, in Christo, ver. 8. 13 popularibus meis, id est ecclesiæ Dei. c Heb. salutum. 14 Conclusio, qua ecclesia Deo & Christo servanda, augenda, & benedicenda modis omnibus commendatur. 15 id est, populo: vide Deut. 9.29.

est eos, non autem exstructurus eos.
6 12 Benedictus *sit* Jehova, quia exaudivit
vocem deprecationum mearum;
7 Jehova robur meum & scutum meum; cui
confidente animo meo, adjuvor: idcirco exsultat
animus meus, ut cantico meo celebrem eum.
8 Jehova robur 13 istis, & robur maximè c salutare
est Christus illius.
9 14 Serva populum tuum, & benedic 15 possessioni
tuæ: pascéque eos ac extolle eos usque
in seculum.

PSALMUS XXIX.

Propheta pios hortatur ad prædicandas Dei laudes, cùm propter documenta naturæ ac nominatim tonitruum, tum propter documenta gratiæ, quam cum ecclesia sua communicat verbo.

1 Psalmus est ἐπαινετικὸς, id est laudativus, constans hortatione ad laudem, & argumentis laudis. 2 id est, etiam generosissimi & potentissimi quique, ac proinde omnes: synecdoche. 3 vide suprà in 8.3. 4 id est, nominatissimam & celeberrimam, qualis convenit majestati ejus. 5 id est, in sanctuario magnifico: sic 1. Chro. 16.29. 6 secunda pars, argumenta laudis, quorum genera sunt duo; alia communia, quæ palàm omnibus rebus creatis offeruntur, usque ad finem versus 9. alia verò singularia erga ecclesiam Dei. Argumentorum autem communium unum tantùm genus exempli causa ponitur, ut ab eo cætera cognoscantur: nimirum tonitru, cujus natura ostenditur primùm a vehementia, ver. 3. & 4. deindè ab effectis, usque ad vers. 9. 7 id est, vehementia fragores, plausus, & strepitus omnes, quantumvis magnos, superat. Frequens est autem in scripturis, fremitum aquarum comparari cum sono vehementissimo, ut Jechezkel 1.24. & 43.2. sic accipiendum esse ostendit ver. sequens. a Heb. gloriæ. b Heb. *cum virtute, cum decoro.* 8 altera descriptio tonitru ab effectis, quòd omnia validissima frangit, stabilia commovet, denique omnia perhorrefacit arbitratu Dei auctoris sui. 9 procerissimas, crassissimas, & maximè durabiles. 10 i. movet montes, quamvis firmissimos. 11 vide Deut. 3.8. & 9. c Heb. *filius.* 12 id est, coruscationes, fulgetra, fulguráque dissipat. 13 id est, feras in deserto versantes; metonymia. 14 id est, animalia quantumvis horrifica, cujusmodi fuisse in hoc deserto legitur, Deut. 8.15. 15 id est, cervas, quantumvis præ angustia utantur difficiliore partu, cogit abortire: vide Ijobi 39.4. & sequentib. 16 feris, quæ trepidè antra sua latibuláque petunt, ut scribit Virgilius 1. Georg. nam ut de arboribus capiatur, impedit ver. 5. 17 secundum genus argumentorum laudis, ut observatum est suprà in vers. 3. q.d. hæc quidem gloriosa sunt; sed tamen particulæ sunt duntaxat illius gloriæ quam Deus explicat in Ecclesia sua, non tantùm opere externo, sed etiam prædicatione verbi. d *Heb. totam ipsius eloquitur gloriam: ὁ ὢν φησὶν(?).* 18 summa explicatio gloriæ, quam Deus testatur ecclesiæ; primùm a sempiterna majestate ejus, hoc vers. deinde a beneficentissima communicatione cum ecclesia, ver. sequente. 19 id est, jam tum regnabat, quum diluvium effectum est super terram, Gene. 6. & 7. 20 id est, pacem suam largitur suis verbo & communicatione spiritus, ac proinde tranquillitatem confert.

1 PSalmus Davidis. Cedite Jehovæ, 2 filii fortium;
cedite Jehovæ gloriam & 3 laudem.
2 Cedite Jehovæ 4 gloriam nominis ejus, incurvate
vos honorem exhibentes Jehovæ 5 in
decoro sanctitatis.
3 6 Vox Jehovæ 7 supra aquas, *vox Dei* fortis
a gloriosi intonat, *vox* Jehovæ supra aquas
multas:
4 Vox Jehovæ b potenter, vox Jehovæ
decorè.
5 8 Vox Jehovæ confringit 9 cedros, perfringit
etiam Jehova cedros Libani:
6 Et 10 facit ut exsiliant sicut vitulus; Libanus
& 11 Schirjon, ut c pullus unicornium.
7 Vox Jehovæ 12 cædit flammas ignis.
8 Vox Jehovæ dolore afficit 13 desertum,
dolore afficit Jehova 14 desertum Kadeschi.
9 Vox Jehovæ 15 facit ut pariant cervæ, &
16 denudat sylvas: 17 verùm in templo suo d eloquitur
totam gloriam suam.
10 18 Jehova 19 in diluvio sedebat, & sedet Jehova
rex in seculum.
11 Jehova robur populo suo dat, Jehova
20 benedicit populo suo cum pace.

PSALMUS XXX.

David ex fuga reversus, & domum suam a sceleribus Abschalomi repurgans, Deum celebrat beneficii erga se singularis nomine, pios ad laudes Dei prædicandas hortatur; calamitatis, instaurationémque sui factam a Deo narrat, eique votum laudis exhibet.

1 Psalmus est ἐγκαινιστικὸς, tribus partibus constans; propositione singulari laudis, a versu 2. ad 5. publica hortatione ad laudes ejus in ecclesia; inde ad versum ultimum; & conclusione. 2 id est, quod cecinit David, quum repeteret ac redintegraret consecrationem domus suæ, quæ incestis nefariisque Abschalomi sceleribus fuerat contaminata, 2. Schem. 16.22. nam moris erat, ut novis ædificiis exstructis adhiberentur ceremoniæ ad purganda & sanctificanda loca pro inhabitantium usu: ut Deut. 20.5. & Nechemjæ 12. quam rationem a Davide fuisse servatam pro repurganda domo, non obscurè indicatur 2. Schemuelis 20.3. cur verò ad hoc potiùs tempus & hanc domum referamus, docet argumentum ipsum & contextus Psalmi. Est autem in hoc vers. verborum ὑστερολογία, quam ad evidentiam sustulimus. 3 propositio singularis laudis, a beneficio liberationis maximæ acceptæ a Deo, quam per congeriem amplificat David. a Hebr. *hausisti me: metaphora a puteis & specubus, quò respicit finis* ℣. 4. 4 ut docetur 2. Sche. 15.32. 5 id est, remedium attulisti malis meis; metaphora. b Hebr. *cisternam: ut suprà* 28.1. 6 hortatio, ut annotatum est in ver. 1. cujus argumenta sequentibus exponuntur; primùm ab ordinaria administratione Dei erga suos, vers. 6. deinde a singulari exemplo suo, reliquis ver. 7 id est, ut sanctitatis ejus sempiterna sit memoria in ecclesia. 8 quasi dicat, ita est a natura, ut quamvis propter peccata nostra nobis succenseat; tamen illico benevolentiam exserens nos ad vitam revocet in peccatis nostris alioqui morituros: quod argumentum sequentia verba illustrant allegoricè. 9 alterum argumentum a singulari exemplo suo, quod propheta enarrat paucis. 10 id est, quum tranquille desiderem Jeruschalaimis, 2. Schemu. 11.1. & 1. Chron. 21. 11 id est, tu confirmaveras regnum meum, quod ego non cogitabam demens: epiphonema; quo interpretatur illud, in tranquillitate mea, superiore versu. 12 id est, quum primùm te avertisti a me; ut per Nathanem denunciaverat 2. Schemu. 12.10. & sequentibus. 13 ut docet historia 2. Schemu. 15.32. c Hebr. *vel dominum, ut in aliis exemplaribus legitur.* 14 summa orationis quam habuit David duobus vers. comprehensa; cujus partes sunt duæ, exordium ab inutili, hoc vers. & petitio, vers. sequente. 15 id est, si occidar. 16 id est, sepeliar: periphrasis; ut suprà vers. 4. 17 id est, homo in pulverem redactus; metonymia: vide suprà 6.6. 18 de quo vide 2. Schemu. 15.30. 19 id est, in maximum gaudium: hyperbole. 20 id est, sustulisti luctum & lætitiam attulisti: Synecdoche a signis. 21 id est, lingua, præco gloriæ, ut suprà 16.9. 22 Conclusio epiphonematica.

1 PSalmus Davidis, 2 canticum dedicationis
domus illius.
2 3 Extollam te Jehova; quoniam a evexisti
me, neque lætitia affecisti inimicos meos de
me.
3 Jehova Deus mi, 4 vociferantem ad te,
5 curasti me:
4 Jehova, eduxisti e sepulcro animam meam;
conservans me vivum, ne descenderem in
b sepulcrum.
5 6 Psallite Jehovæ, quos ipse benignitate
prosequitur; & celebrate 7 ad memoriam sanctitatis
ejus.
6 8 Quum momento *fuit* in ira sua, vita *adest*
benevolentiâ ejus: vespere si diversetur fletus, manè
adest cantus.
7 9 Nam ego dicebam in 10 tranquillitate mea,
non dimovebor in seculum:
8 11 Jehova, benevolentiâ tua constitueras
in monte meo robur, 12 te abscondente faciem
tuam, fui conturbatus.
9 13 Ad te, Jehova, clamavi; & c Jehovam
deprecatus sum, *dicens*,
10 14 Quid lucri *erit* 15 in sanguine meo,
16 quum descendam in foveam? an celebrabit te
17 pulvis? nunciabit-ne veritatem tuam?
11 Audi Jehova, & gratiam fac mihi; Jehova,
esto adjutor mihi:
12 Convertisti 18 planctum meum 19 in choream
mihi; 20 solvisti cilicium meum, & accinxisti
me lætitia:
13 Ut psallat tibi 21 gloria, ac non conticescat.
22 Jehova, Deus mi, in seculum celebrabo
te.

PSALMUS XXXI.

David gravissima calamitate pressus, Deum orat pro salute sua, fidem suam in misericordiam Dei, & miseriæ suæ gravitatem indignitatémque explicans: adversariis impiis exitium imprecatur: deinde quasi liberatione parta Deum laudat publicorum privatorúmque beneficiorum nomine, & pios omnes hortatur ad diligendum constanter & colendum Deum.

Magistro

1 Psalmus est generis mixti, ἐυκτικὸς, ἐυχαριστικὸς, καὶ διδασκαλικός: ac proinde constans ex tribus partibus; precatione, usque ad ver. 20: laudatione, usq; ad ver. 24. & conclusione didascalica, duobus ultimis.
2 prima pars psalmi, precatio: cujus partes sunt duæ, una pro salute supplicis, usque ad ver. 18. altera pro adversariorum exitio, ver. 18 & sequente: ut sup. psal. 28. In hac autem priore precatione argumenta ducuntur tum a persona supplicis, ut qui in Deum confideret, tum a persona Dei: qui duo loci prolepticè hoc ver. positi per ὑστέρωσιν sequentibus explicantur.
3 prior locus a fiducia personæ suæ
4 posterior locus, a natura & officio Dei.
5 ἐργασία precationis, argumento ducto a persona Dei, usq; ad ver. 7.
a Heb. in rupem roboris, in locum munitionum.
6 præiens & præmonstrans viam.
7 Sensim & accommodè ad infirmitatem meam, ut fœtæ pecudes duci solent: ut Jeschah. 40. 18
8 Confirmatio ab anteacta experientia.
9 i. qui semper idem es ac tibi constas; proinde neque promissam rem, neque anteactam mutaturus es.

Magistro symphoniæ, [1] psalmus Davidis.
2 [2] Ad te, Jehova, [3] me recipio, ne erubescam in seculum: [4] justitiâ tuâ libera me.
3 [5] Inclina ad me aurem tuam, citò eripe me: esto mihi [a] rupes robusta, locus munitissimus ad servandum me.
4 Nam petra mea & munitio mea es; itaque propter nomen tuum [6] agito me & [7] deducito me.
5 Educito me e reti quod absconderunt adversum me: quia tu robur meum *es*.
6 In manum tuam depono spiritum meum: [8] redemisti me, Jehova *Deus* fortis, [9] [b] verax.
7 [10] Odi eos [11] qui observant vanitates [c] vanissimas: nam ego in Jehova confido,
8 Me exsultaturum & lætaturum benignitate tua; quando aspexeris afflictionem meam, agnoveris angustias animæ meæ:
9 Ac non tradideris me in manum inimici; *sed* [12] statueris in lato pedes meos.
10 Gratiam fac mihi, Jehova, [13] nam angustia *est* mihi; [14] contabescit præ indignatione oculus meus, [15] anima mea, & venter meus:
11 Nam deficit mœrore vita mea, & anni mei gemitu: labefactatur [d] pœna iniquitatis quam patior: virtus mea, & ossa mea contabescunt.
12 Apud omnes hostes meos sum probro, & apud vicinos meos valdè, pavoríque notis meis: aspicientes me foris, evagantur a me.
13 Oblivione sepelior ab animo, ut mortuus: [16] sum ut instrumentum perditum.
14 Nam audio infamiam a [e] multis, metum circumquaque; consultando simul aduersus me, de intercipienda anima mea cogitant.
15 [17] Ego verò in te confido, Jehova; dicens, [18] Deus meus es.
16 [19] In manu tua [20] tempora mea sunt; eripe me e manu inimicorum meorum, & a persequentibus me.
17 [21] Fac ut luceat facies tua supra servum tuum, serva me benignitate tua.
18 [22] Jehova, ne erubescam, quandoquidem invoco te: erubescant [23] improbi, exscindantur *descensuri* in sepulcrum.
19 Muta reddantur labia [f] mendacia, quæ loquuntur contra justum [g] duriter, cum elatione & contemtu.
20 [24] Quàm multa est bonitas tua, quam recondis reverentibus te! operaris erga eos qui se recipiunt ad te, coram filiis hominum!
21 [25] Abdis eos in abdito præsentiæ tuæ, ab elationibus virorum: abscondis eos in tugurio a contentione linguarum.
22 [26] Benedictus *sit* Jehova; quia mirificam reddit benignitatem suam erga me, *ut* in civitate munita *collocans me*.
23 [27] Ego quidem dixeram in festinatione mea, excisus sum a conspectu oculorum tuorum: Verumtamen audisti vocem deprecationum mearum, quum vociferarer ad te.
24 [28] Diligite Jehovam omnes quos benignitate prosequitur; [29] fideles custodientem Jehovam, & rependentem [h] excellentissimè, facientem res magnificas.
25 Confirmamini, [30] & fortificabit animum vestrum; omnes qui speratis Jehovam.

b Heb. veritatis. 10 alter locus precationis a persona sua, ut observatum est suprà in ver. 2. cujus duo ponuntur argumenta: unum, quòd integro animo & fide est in Deum, usq; ad ver. 10. alterum, quòd gravissime & indignissimè affligitur, usque ad versum 15. 11 i. fiduciam habent in caducis rebus, & se ad illas recipiunt. c Heb. vanitatis, sive nihili. 12 ut suprà Psalmo 4. 2. & 18. 20. 13 ab indignissimis suis calamitatibus precationem amplificat, ut observatum est in ver. 7. Ostendit enim primùm exhauriri vitam, hoc & seq. ver. Deinde se ignominia obrui, duobus sequentibus. postremò omnibus modis consternari, ver. 14. 14 ut supr. Psal. 6, ver. 8. 15 i. totus animo & corpore. d Heb. iniquitate mei. 16 i. nulla est cura aut memoria mei. e Heb. multorum. 17 regressio ad priorem partem argumenti, quæ fuerat intermissa inde a ver. 10. quasi dicat, indignum est novas miserias accumulari miseris; sed fideli & credenti in te, indignius: sic concludit precationem de salute sua, repetitis summatim argumentis a fide sua & a persona Dei, his tribus ver. 18 a fœdere locus. 19 locus a potentia, fœderis promissionumq; effectrice. 20 i. terminus & status vitæ meæ: quam ob rem ne finas ab istis vitam mihi aut statum prosperum adimi. 21 vide sup. 4. 7. 22 transitio ad secundam precationem, ut observatum est suprà in ver. 2. 23 a Deo, a bono & æquo alieni: ut suprà Psal. 28. 4. f Heb. mendacii. g Hebr. durum: ut 1. Sebr. 2. 3. 24 secunda pars psalmi, laudatio gratiæ beneficiorúmque Dei, primùm κατὰ θέσιν, hoc ver. & sequente, deinde καθ' ὑπόθεσιν & singulare exemplum personæ suæ, ver. 23. 24. Est autem hoc loco gravissimum epiphonema, quo ostendit psaltes thesauros Dei infinitos alios asservari piis, alios palam communicari, hoc ver. alios denique clàm in ipsorum animis æterna virtute ejus obsignari, & quum opus est exhiberi. 25 id est, non tantùm ornas bonis, sed etiam conservas a malo.

26 laudatio singularis: ut dictum est in ver. 21.
27 amplificatio laudationis singularis ab infirmitate sua labascente propter calamitatū magnitudinem: ad me (inquit) & ad infirmitatem meam non respexit Deus; sed ad benignitatem & misericordiam suam.
28 Conclusio hortatoria ad amorem Dei, hoc vers. & confirmationem fidei amorísque erga illum, vers. sequente. 29 ἀιτιολογία cur amore prosequi debeamus Deum, ab operibus illius erga bonos, contra improbos, & in omnes magnificis h Heb. excellentiam. 30 ἀιτιολογία hortationis a promissionibus Dei.

PSALMUS XXXII.

Psaltes beatitatem piorum in remissione peccatorum prædicat, & experientia sua confirmat: deinde fideles informat in fide, invocatione, & obedientia; propositáque administratione Dei in bonos & malos, illos hortatur ad gaudium in spiritu.

Davidis [1] ode didascalica. [2] Beatus [a] levatus a defectione, cujus tectum est peccatum:
2 Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem, & cujus spiritui non inest dolus.
3 [3] Quum [4] silerem, [5] inveterascebant ossa mea; [6] in rugitu meo toto die.
4 Nam interdiu & noctu gravis erat super me manus tua; [7] convertebatur præstantissimus humor meus in siccitates æstivas maximè.
5 Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam (inquiebam) Confitebor defectiones meas Jehovæ; & tu sustulisti [b] [8] pœnam peccati mei [9] maximè.
6 [10] Propter hoc oraturus est te, quemcúnque benignitate prosequeris [11] quo [c] tempore obvenerit: [12] (in inundatione aquarum multarum, ad eum [13] non pertingent tantùm) *dicens*:
7 [14] Tu latibulum es mihi, ab angustia custodito me: cantionibus liberationis circumdabis me.

1 Istius odes summæ partes sunt tres: prima est propositio beneficiorum Dei sua confirmatione juncta; usque ad versum 6. secunda, propositio officii nostri, usque ad ver. 10. postrema, conclusio hortatoria, duobus ultimis ver. 2 γνώμη: cujus summa est, beatitatem hominis positam esse in remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi, cujus effectus est sanctificatio, sub finem vers. 2. justificatio autem tribus modis declaratur, primùm quòd peccata tolluntur adeò ut non sint; deinde quòd teguntur ita, ut ne peccatorum quidem vestigia & sordes appareant, hoc ver. postremò quòd ea non imputet Deus quum semul sustulit delevitque, sed tantùm justitiam in Christo. a Heb. levatus defectione, tectus peccato: synecdoche. 3 Confirmatio ab experientia singulari: cujus partes duas enarrat psaltes; una est, dum continui apud me peccatum meum, Dei manus pressit me gravissimè; altera, quum primùm rejeci in Deum atque confessus sum peccata mea, hanc gratiam a Deo expertus sum. 4 id est, non enunciarem, sed dissimularem peccata mea. 5 id est, totus conficiebar animo; nihil erat in me tàm firmum, quod non attereretur manu Dei: metaphora. 6 id est, tantisper dum non adverti ad peccata mea; sed tanquam fera rationis expers, præsente adversitatum sensu abreptus sum, & belluinos potiùs quàm humanos gemitus & querimonias fudi. 7 id est, viriditas mea, exarescebat tota, & exhauriebar viribus: metaphora. b Heb. iniquitatem. 8 id est, peccatum & pœnam; respicit enim ad propositionem ver. 1. peccata tolli, & illis quibus tolluntur benè esse. 9 vide in Psalm. 3. 3. sic infrà ver. 7. & proximè præcedente. 10 altera propositio, de officio nostro, cujus partes ponuntur duæ; prior est invocatio fidei, his duobus ver. posterior, obsequium & attentio ad voluntatem Dei, vers. 8. & 9. propter hoc (inquit) quòd tuis te talem exhibes, ac nominatim mihi; fideles hæc duo officia præstituri sunt, orationem fidei, & obedientiam. 11 quædam velut inundatio calamitatum; cujus mox meminit. c Heb. tempore obveniendi. 12 id est, procellis & fluctibus calamitatum vehementissimis, ut suprà 18. 17. & Psalm. 69. passim. Est autem hæc præstantissima promissio Dei erga pios officio suo defungentes; cujus verba aliquantum invertimus, quia obscurior est ἰωτλαχὰ in Hebræo textu. 13 id est, ne pertingent quidem; adeò firma est charitas Dei erga nos in Christo, Roman. 8. 35. 14 id est, tu unus es perfugium meum: formula orationis fidelium in calamitatibus.

to me maximè.

8 [15] Erudiam te & docebo te qua via ambulaturus sis; consilium dabo, *attento* in te oculo meo.

9 [16] Ne estote ut equus, ut mulus, [d] expertes intelligentiæ: cujus os fræno & habena constringendum *est*, [17] ne appropinquet ad te.

10 [18] Magni dolores *sunt* improbo: qui autem fiduciam habet in Jehova, benignitas circumdat eum.

11 [19] Lætamini in Jehova, & exsultate justi; & cantate omnes recti [e] animo.

15 apostrophe ad fidelem quemque: secundum propositionis membrum, ut observatum est suprà in ver. 8. 16 id est, ne obstupescite & obbrutescite ad exercitationes Dei: sed animos vestros sedulò advertite, ut cognoscatis administrationem ejus; ne frænos potentiæ suæ cogatur adhibere ad edomandū feritatem vestram. d *Heb. non intelligere.* 17 ore suo, ne mordeat noceátve tibi. 18 Conclusio; cujus partes sunt αἴτιον sive causa ex administratione Dei, hoc versu; & hortatio ad pacem & lætitiam spiritus, ver. sequente. Causam sic exponit propheta: magnis doloribus afficitur improbus, & eò quidem majoribus, quòd nullum habet sensum benignitatis Dei; fidelem verò etiam in magnis doloribus benignitas Dei circumdat atque consolatur. 19 hortatio a superiore causa. e *Heb. corde.*

PSALMUS XXXIII.

Psaltes laudationem Dei commendat a mirificis operibus illius ex ordine vel extra ordinem naturæ factis; nominatim verò contra infideles & erga fideles, quorum causa singularem Dei providentiam adhiberi in hoc mundo prædicat: postremò Ecclesia fiduciam suam in illum professa, sibi exoptat benignitatem illius.

[1] CAntate justi in Jehova; rectos decet laudatio.

2 Celebrate Jehovam cithara; nablio & decachordo psallite ei.

3 Canite ei [2] canticum novum, [a] optimè pulsate cum clangore.

4 [3] Quia rectum *est* verbum Jehovæ, & omne opus ejus [b] constans:

5 Amat justitiam & [4] judicium: benignitate Jehovæ plena est terra.

6 [‖5] Verbo Jehovæ cæli facti sunt, & [6] spiritu oris ejus totus [7] exercitus eorum:

7 Congerit quasi cumulum aquas maris, disponit in thesauris [8] abyssos.

8 [9] Timeant a Jehova omnes *incolæ* terræ: ab ipso metuant omnes habitatores orbis.

9 Nam ipso dicente est *quicquid est*: ipso præcipiente exsistit.

10 Jehova irritum facit consilium gentium, infringit cogitationes populorum:

11 Consilium *verò* Jehovæ in seculum consistit; cogitationes [c] animi ejus in ætates singulas.

12 [10] Beata gens illa, cujus Jehova [11] Deus *est*: populus *quem* elegit in possessionem sibi.

13 [12] E cælis intuetur Jehova, videt omnes filios hominis:

1 Psalmus est ἀντίγραφος, ex parte ἐπαινετικὸς, & ex parte εὐκτικὸς: itaque tribus partibus constat, laudatione, tribus primis V. narratione sive propositione argumentorum laudis, inde a V. 4. usque ad 20. & conclusione petitoria. 2 id est, quod non antiquatur, senescit aut evanescit, sed perpetuò in in ecclesia viget, dum perpetua Dei erga se beneficia percipit in Christo: prout sequentia ostendunt, sic infrà 40. 4. a *Heb. benè facite pulsando.* 3 altera pars; propositio sive narratio argumentorum ad laudes Dei pertinentium ab ordinaria administratione ejus verbo, & opere; quæ duo sunt ordinaria documenta justitiæ, judicii, & benignitatis ejus: quæ omnia proleptice his duobus V. posita, deinde copiosè explicantur, primùm a creatione & administratione ordinis naturalis, ver. 6. & 7. deinde ab administratione qua utitur extra ordinem, contra improbos, & erga ecclesiam suam, usque ad ver. 20. b *Hebr. in veritate sive constantia.* 4 id est, exsequutionem justitiæ adversus improbos, ut ostendit benignitatis antitheton; ac proinde exsequitur ipse: nam quodcumque vult, facit, Psalm. 115. 3. ‖ *Gene.* 1. 5 ab opere creationis & conservationis, ut observatum est in vers. 4. quod opus Deus Pater in Filio fecit per Spiritum. 6 ut Ijobi 15. 30. 7 ut Gene. 2. 1. 8 id est, aquas profundas in suis alveis. 9 transitio ad secundum genus argumentationis ab extraordinaria administratione Dei; primùm universè, 9. vers. deinde sigillatim, tum in omnium consilia præter ipsius voluntatem inita, vers. 10. & 11. tum erga ecclesiam suam, ver. 12. c *Heb cordis ejus in ætatem & ætatem.* 10 epiphonema de fœlicitate ecclesiæ, quæ cum superioribus Dei operibus comparata est magnificentissima. 11 vide Gene. 17. 7. 12 ἐργασία proximi epiphonematis, a sollicita attentione & administratione Dei, quæ humanitùs describitur his duobus vers. deinde accommodatur ad singulos homines, consilia, & facta eorum, tam improborum, ver. 16. & sequente, quam bonorum & timentium Dei, ver. 18. & 19.

14 [13] E loco habitationis suæ, prospicit in omnes habitatores terræ:

15 Formator pariter cordis eorum, animadvertit ad omnia opera eorum.

16 Non *est* rex qui servetur multitudine copiarum, potens non eripitur multitudine virium:

17 [d] [14] Mendax *est* equus ad salutem, & multitudine roboris sui non liberat *sessorem*.

18 [15] Ecce oculus Jehovæ *attendit* ad timentes sui: ad exspectantes benignitatem ipsius:

19 Ut eripiat a morte animam eorum, & vivos conservet eos [16] in fame.

20 [17] Anima nostra præstolatur Jehovam: auxilium nostrum & scutum nostrum est.

21 Nam in eo lætatur [e] animus noster, quia [18] nomini [f] sancto ejus confidimus.

22 Sit benignitas tua, Jehova, super nos; prout exspectamus te.

13 id est, e cælo, ut 1. Regum 8. vers. 30. & 43. d *Heb. mendacium.* 14 id est, fallens fiduciam & exspectationem sessoris. 15 alter locus de providentia Dei erga pios, quasi per hypotyposin. 16 id est, in quovis periculo: synecdoche exemplorum omnium sub appellatione unius; quo modo ferè totus hic psalmus accipiendus est. 17 Conclusio; cujus partes sunt duæ; professio fiduciæ nostræ in Deum & gloriationis, duobus vers. & petitio gratiæ, vers. ultimo. e *Heb. cor.* 18 id est, ei nominatissimo Deo atque sanctissimo: hypallage Rhetorum. f *Heb. sanctitatis ejus.*

PSALMUS XXXIIII.

David ex præsentissimo periculo, in quod se infirmitate conjecerat, divinitùs liberatus, Deum celebrat, & ecclesiam ad celebrandum suo argumento hortatur: deinde doctrinam de officio nostro attexens providentiam Dei, veritatem atque constantiam nobis servandis à malo, redimendísque explicat.

[1] ODe Davidis, [‖] quum [2] mutasset [a] speciem suam coram [3] Abimeleco, eóque ipsum [4] expellente, [5] abiisset.

א 2 [6] Benedicam Jehovæ omni tempore; jugiter laus ejus *erit* in ore meo.

ב 3 In Jehova jactabit se anima mea; audient mansueti, & lætabuntur;

ג 4 *Dicam*, [7] magnificate Jehovam mecum, & extollamus nomen ejus pariter.

ד 5 [8] Quæsivi Jehovam, & exaudivit me; ac ex omnibus [9] pavoribus meis eripuit me.

הו 6 Qui intuentur in eum & confluunt; vultus eorum [10] ne erubescant; *sed dicant*:

ז 7 [11] Iste pauper invocavit, & Jehova exaudivit; ac ab omnibus angustiis ejus servavit eum.

ח 8 [b] [12] Castra metantur angeli Jehovæ circa timentes ejus, & eripit eos.

ט 9 [13] Gustate & videte bonum esse Jeho-

1 Ode est secunda alphabetica ex ordine Hebræorum, generis mixti, ἐπαινετικὴ καὶ διδασκαλική. Occasio illius conscribendæ exponitur vers. 1. partes sunt tres: exordium 2. & 3. vers. propositio laudativa, usque ad vers. 9. & doctrinæ loci, inde ad finem usque. ‖ 1. *Sche.* 21. 2 id est, dissimulavisset ipse se, & alium finxisset, ut ab exteris aut ferretur faciliùs, aut posset commodiùs effugere, si non ferretur. a *Heb. gustum suum.* 3 vide 1. Schem. 2. 11. in annota. 4 per servos suos, quibus in mandatis dedit, ibidem vers. 15. 5 in terram Judæ: ut ostenditur 1. Sche. 22. 1. 6 Exordium laudativum ex abrupto, quo exponit David se omni tempore ex animo palàm in ecclesia celebraturum Deum. 7 propositio hortatoria ad laudationem Dei; primùm a singulari experientia sua, deinde a communi fidelium omnium. 8 narratio brevis exempli sui; qua ostendit se non simulatione illa stultitiæ; sed solo Dei quem invocavit beneficio liberatum esse. 9 de quibus 1. Schem. 21. 13. 10 magnificare Jehovam & extollere nomen ejus, prout ego simulans stultitiam feci; sed potiùs audentibus animis prædicent: μίμησις. 11 prædicatio beneficentiæ Dei a singulari exemplo, quod ipse David proponit Ecclesiæ verbis. quasi dicat, quid fecerat miser? primùm occupatus metu, suæ salutis causa se ad populum perditum receperat, & conjecerat in præsentissimum periculum (nam ista effugia non probari Deo, docuit propheta Gad 1. Schem. 22. 5.) deinde cultum Dei dissimulaverat simulata stultitia; sed eo major fuit misericordia Domini erga eum, quòd abjecta infirmitatis ejus ratione, exaudivit eum. Sic se ipsum proponit in exemplum toti ecclesiæ, & præit omnibus verba ad ædificationem illius. b *Heb. castra metatur angelus: enallage numeri.* 12 transitio ab hypothesi ad thesin: quasi dicat ecclesia, iste miser non humanitùs, sed divino præsidio ex istis periculis servatus est: certum est igitur, pios præsidio Dei & angelorum castris circumvallatos & munitos esse, ut aliæ scripturæ exempla docent: Gen. 32. 1. & 2. Reg. 6. 17. & alibi passim. 13 tertia pars odes, continens duos doctrinæ locos; quorum unus est de officio nostro erga Deum, usque ad ver. 16. alter, de beneficio Dei erga nos, inde ad finem usque. Officii autem nostri genera ponuntur quatuor: primùm est, ut ex perceptis & visis bonis atque exemplis ejus cognoscamus eum, hoc ver. secundum ut cognitum timeamus, duobus sequentibus: tertium ut timentes audiamus voluntatem ejus, vers. 12; postremum, ut auditæ voluntati ejus obsequamur; quibus singulis partibus suæ promissiones propheticè adjunguntur. Ait igitur David, Gustate & videte, id est, percipite re ipsa, & cognoscite exemplis: metaphora.

vam:

vam: beatus vir ille, *qui* se recipit ad eum.

י 10 Timete Jehovam sancti ejus: quia non *est* penuria timentibus eum.

כ 11 [14] Juvenes leones pauperantur atque esuriunt: quærentes autem Jehovam, non indigent ullo bono.

ל 12 [c] Agite [15] filii, auscultate mihi: reverentiam Jehovæ docebo vos.

מ 13 [16] Quis *est* vir ille, qui [17] delectatur vita; amat dies, *amat* frui bono?

נ 14 [18] Custodi linguam tuam a malo; & labia tua ne loquantur fraudem.

ס 15 Recede a malo, & fac bonum: require pacem, & sectare eam.

ע 16 [19] Oculi Jehovæ ad justos, & aures ejus ad vociferationem eorum *attendunt*:

פ 17 Irata *verò* facies Jehovæ ad facientes malum, ut exscindat e terra memoriam eorum.

צ 18 [20] Clamantes *illos* Jehova audit, & ex omnibus angustiis ipsorum eripit illos.

ק 19 [21] Propinquus *est* Jehova [22] fractis [d] animo: & contritos spiritu servat.

ר 20 Multæ *sunt* afflictiones justi; sed ex omnibus illis eripit eum Jehova,

ש 21 Servans omnia ossa ejus; [23] unum ex illis non frangitur:

ת 22 [24] At morte afficit improbum afflictio; & qui oderunt justum [e] disperduntur.

פ 23 [25] Redimit Jehova animam servorum suorum; neque disperduntur ulli recipientes se ad eum.

[14] amplificatio superioris promissi per comparationem, quasi dicat, quicunque viribus suis freti atque præfidentes non respiciunt ad Deum, miserè pereunt: fideles verò non item.
[c] Heb. venite.
[15] Dei videlicet, domestici ecclesiæ, & discipuli prophetarum in ædificatione ecclesiæ laborantium: sic amico ellogio animos illorum dociles efficit atque benevolos.
[16] transitio ad quartum doctrinæ caput per interrogationem, ubi inverso ordine promissionem primo loco ponit, ut ad obsequium (quod explicatur duobus sequentibus vers.) commodiùs fideles adducat.
[17] id est, cupit beatè beatéque vivere, cùm in præsente tum in futura vita.
[18] Obsequii leges verbis, operibus, & animis datæ, primùm κατ' ἀναίρεσιν, ne quid obeatur mali; deinde κατὰ θέσιν, ut fiat & procuretur quod bonum honestúmque est coram Deo atque hominibus.
[19] alter doctrinæ locus de administratione Dei, continens membra duo: unum de beneficiis ejus erga bonos, alterum de suppliciis improborum; quæ duo per prolepsin his duobus ver. enunciata, in sequentibus explicantur.
[20] ἐξήγησις ver. 16. resumtis verbis hypotheseos, quæ habentur suprà vers. 7.
[21] majestate, virtute, atque auxilio, sive per se, sive per res creatas.
[22] id est, calamitatum magnitudine confectis, & propè animam agentibus.
[d] Heb. corde.
[23] sine ejus voluntate: vide Math. 10.29. & seq.
[24] ἐξήγησις ṽ. 17.
[e] Heb. vastantur, ut suprà sequ. ṽ.
[25] Conclusio ad confirmationem & conservationem piorum.

PSALMUS XXXV.

David Dei fidem implorans pro adversariorum exitio & salute sua, injurias indignissimè acceptas, & perfidiosissimam illorum hypocrisin explicat; servari a Deo petit contra fraudulentos illorum conatus, Deúmque appellat testem & judicem improbitatis illorum & innocentiæ suæ, ad gloriam ipsius & publicum ecclesiæ bonum.

[1] Ode Davidis. Contende Jehova, adversus cõtendentes mecum; impugna impugnantes me.

2 [2] Prehende scutum aut clypeum; ac surge in auxilium meum:

3 Et exsere hastam, & præclude persequentibus me: dic animæ meæ, salus tua sum.

4 Pudefiant & rubore perfundantur, quærentes animam meam: agantur retrorsum, & erubescant machinantes malum meum.

5 Sint [3] sicut gluma coram vento, angelo Jehovæ impellente:

6 Sit via eorum [a] tenebrosa & lubricissima; & angelus Jehovæ persequatur eos.

7 [4] Quandoquidem immeritò [5] [b] abscondunt mihi *in* fovea rete suum, immeritò fodiunt *foveam* contra animam meam:

8 [6] Eveniat ei vastatio nescienti, ut rete ipsius quod abscondit, capiat eum: *ad* vastationem decidat in [7] illam.

9 [8] Sic anima mea exsultet in Jehova, gaudeat in salute ejus:

10 [9] Omnia ossa mea dicant, Jehova, quis *est* par tibi? eripiens pauperem a valentiore eo; pauperem, inquam, & egentem a diripiente eum?

11 [10] Insurgunt testes injurii, quorum non sum conscius *ea* repetunt a me:

12 Rependunt mihi malum pro bono, [11] orbitatem animæ meæ:

13 [12] Quamvis ego, ægrotantibus illis, *utens pro* veste mea [13] cilicio; affligerem jejunio animam meam, & oratio mea [14] in sinum meum rediret:

14 Tamquam *ad* proximum, tamquam *ad* fratrem mihi indesinenter [15] itarem; tamquam lugens matrem atratus curvarem me.

15 [16] Quum verò claudico, [17] lætantur congregantes se: [18] congregant se apud me loripides, ut non [19] animadvertam; [20] lacerant, ac [21] non silent:

16 [22] [c] Inter hypocritas *facetos* sanniones faceti; [23] frendentes contra me dentibus suis.

17 [24] Domine, [25] quamdiu aspicies? [26] reduc animam meam [27] a vastationibus eorum, a juvenibus leonibus [28] unicam meam:

18 Celebrabo te in congregatione multa, in populo [d] frequenti laudabo te.

19 Ne lætentur de me, qui mihi sunt inimici [e] falsis de causis: qui oderunt me immeritò, ne [29] nictent oculo.

20 [30] Non enim pacem loquuntur: sed contra quietos terræ res [f] fraudulentissimas excogitant:

21 Et [31] dilatant contra me os suum; dicentes, euge, euge, [32] videt oculus noster.

22 Vides Jehova, [33] ne sileas; Domine, ne longè absis a me.

23 Evigila & expergiscere ad judicium meum: Deus mi & Domine mi, ad contentionem meam.

24 Judica me secundùm justitiam tuam, Jehova, Deus mi; & ne lætentur de me.

25 Ne dicant [g] cum animo suo, euge, anima nostra; [34] ne dicant, absorbuimus eum.

[1] Ode est ἱκετικὴ, constans ex quatuor partibus; exordio abrupto, sive petitione pathetica, usque ad ver. 11. propositione sive narratione malorum suorum, inde usque ad ṽ. 17. petitione, usque ad 27. & conclusione, duobus ultimis. Petitionis autem abruptæ, unde exordium ducitur, membra ponuntur duo; unum, κατάρα προτατικὴ in adversarios, ṽ. 1. alterum ἱκετικὸν pro se ipso, ver. 2. quæ duo deinde exornat usque ad ver. 9. posteà verò amplificat a supremo fine, qui est gloria & laudatio Dei, usque ad 11.
[2] humanitùs dicta.
[3] ut suprà Psalm. 1. vers. 4.
[a] Heb. tenebra & lubricitates.
[4] ἀντιπαράστασις imprecationis ab atrocitate peccati adversariorum; qua ostendit David se hic minimè indulgere perturbationibus animi sui, sed omnia justitiæ Dei tribuere.
[5] id est, moliuntur contra me omnibus artibus: metaphora, ut suprà Psalm. 7. & 9.
[b] Heb. abscondunt mihi foveam rete suum, immeritò fodiunt contra, &c.

[6] id est, eorum cuique: syllepsis Hebræorum.
[7] foveam, quam fodisse dicuntur ver. præcedente.
[8] summus finis petitionis, ut observatum est supr. in ver. 1.
[9] id est, omnibus viribus meis dicam: hyperbole, ut Ijobi 31.20. & infrà 51.10.
[10] secunda pars, propositio sive narratio querelæ suæ: cujus loci summi sunt tres; primus, quòd injuriam gravissimam patitur, hoc vers. secundus, quòd indignissimè patitur, ut qui adversariis omnibus modis benefecerit, usque ad ver. 15. tertius, quòd per fraudem & ludibrium excogitatur cum simulatione perfidiosissima, ver. 15. & 16. Videtur autem de illis hominibus intelligere, qui ipsum falsis criminationibus apud Schaülem onerabant; quorum fit mentio 1. Schem. 24.10. & 26.19.
[11] id est, efficiunt ut tanquam orbus vel potiùs orphanus a Dei patris mei cultu, ab ecclesia, patriáque absim; ut idem conqueritur 1. Schem. 26.19.
[12] quum nondum percepissem desperatam illorum malitiam, & reprobationem a Deo.
[13] vide in Gen. 37.34.
[14] i. orationem pro illis frequentarem, & sæpiùs repeterem, quasi in sinu gestans.
[15] invisens ad consolandum eos.
[16] i. quum magnitudine rerum adversarum nutare & propè corruere videor: metaphora a rebus corporeis.
[17] i. dum conveniunt inter se ut invisant me, lætitiam magnam agitant.
[18] i. quum ad me venitur, similiter dolentes agunt, quasi eodem malo afficerentur mecum, simulatione miseriæ (ut Augustinus loquitur) non compassione misericordiæ.
[19] hypocrisin & fraudem suam.
[20] vestimenta sua, ut si mens dolor afficeret illos gravissimè: vide Gene. 37.34.
[21] i. omnia complent planctibus, & bonos consolatores agunt. Hujusmodi autem fuisse multos ἐπαμφοτερίζοντας, desultorios, & omnia facientes ad gratiam omnium partium, qui modò Schaüli subservirent, modò subblandirentur Davidi; apparet ex ipsius Davidis verbis, 1. Chro. 12.17. & ex Kehilæorum & Ziphæorum exemplo, 1. Schem. 23. & 26.
[22] id est, quum a me profecti sunt ad congerrones suos.
[c] Heb. *inter hypocritas* facetiæ *sanniones faceti*: *similis constructio est Ijobi* 20. 17. *&* *Jescha.* 19.11.
[23] i. furentes ex ira gravissima: synecdoche.
[24] tertia pars odes, petitio, argumento planè cum prima parte conveniens: nam & imprecatur inimicis Deum implorans, & benè precatur sibi.
[25] tantùm, ac non judicium exercebis?
[26] i. fac ut revertar ad publicum tuum cultum & patriam meam, qua per istorum importunitatem carere cogor: nam respicit his verbis ad querimoniam, qua usus est suprà ver. 12.
[27] i. ne vaster ab illis, atque dilacerer.
[28] vide suprà 22.21.
[d] Heb. *valido.*
[e] Heb. *falsitatis.*
[29] i. amarulenter ludificentur me: synecdoche.
[30] Confirmatio petitionis ab injuria adversariorum, tum publica contra omnes pios, hoc vers. tum singulari contra prophetam, sequente versu. Quam ob rem Deum nominatim appellat testem, versu 22.
[f] Heb. *fraudum.*
[31] i. per ludibrium exagitant: ut Ijobi 16.10. & Jesch. 57.4.
[32] videlicet malum quod exoptavimus: ἀποσιώπησις mali per euphemismum, in hoc genere loquendi frequens: ut Psal. 54.9. & 59.11. & 118.7.
[33] i. ne quiescas, sed comperes te ad faciendum judicium: humanitùs dicta, his 2. ver.
[g] Heb. *in corde suo.*
[34] ampliùs, ut dixisse leguntur suprà ver. 21.

33 Conclusio a rebus consequentibus; nimirum laetitia Ecclesiae, gloria Dei, & praedicatione ejus: in qua duo genera recensentur, laus bonorum omnium, hoc vers. & privata Davidis, versu sequente.

26 Pudefiant & erubescant simul, gaudentes
de malo meo: induantur pudore & ignominia,
qui magnificant *se* contra me.
27 [35] Cantabunt & laetabuntur, qui delectantur [36] justitia mea; dicentq; jugiter; magnificetur Jehova; qui delectatur pace servi sui:
28 Et lingua mea [h] enunciabit justitiam tuam, toto die laudem tuam.

[36] id est, assertione quam fecerit, justae causae meae. h *Hebr. meditabitur.*

PSALMUS XXXVI.

David regnum aditurus, Deum celebrat a beneficentissima administratione ejus erga impios & contumaces, erga res omnes creatas, & erga ecclesiam suam: deinde precatur pro salute & prosperitate populi & sua.

1 Magistro symphoniae: [1] *Ode* [2] servi Jehovae, Davidis.
2 [3] Dictum defectionis ad improbum, [4] [a] in
intimo cordis mei *est*; coram ejus oculis non *esse*
pavorem Dei,
3 [5] Blandiri eum sibi in oculis suis, quum
[6] assequitur iniquitatem suam, [7] *quae* odio habenda *esset.*
4 Verba oris ejus [b] vana & dolosa *sunt:*
[8] desinit adhibere intelligentiam ad benefaciendum.
5 Vanitatem cogitat in cubili suo, sistit sese
in via [9] non bona: [10] malum non spernit.
6 [11] Jehova, [12] in caelis *est* benignitas tua, fides tua usque ad superiores nubes:
7 Justitia tua instar montium [c] maximorum;
judicia tua *instar* abyssi magnae: [13] homines & jumenta conservas, Jehova.
8 [14] Quàm pretiosa *est* benignitas tua, Deus;
quum filii hominum [15] ad umbram alarum tuarum sese recipiunt.
9 [16] Uberrimè explentur pinguedine domus
tuae, & de torrente deliciarum tuarum bibendum
das eis:
10 [17] Quandoquidem penes te *est* [18] fons vitae, [19] in luce tua [d] fruamur luce.

1 Ode est generis mixti ἐπαινετικὴ καὶ εὐκτικὴ, constans duabus partibus; laudatione Dei, usque ad ver.10. & precatione, a ver. 10. ad finem usque. 2 id est, in vocatione & administratione regni Deo servituri; ac proinde fidem & misericordiam ejus implorantis, ut regnum sanctè administrare possit; vide supra in Psal. 18.1. 3 prior pars Psalmi laudativa, tria laudationis argumenta continet: primum est ab aequanimitate, diuturnaque patientia & beneficentia Dei erga impios, a 2. ver. ad 6. usque; secundum, a continuatione beneficae administrationis ejus in rebus omnibus creatis, vers. 6. & 7. tertium, a singularibus illius beneficiis erga ecclesiam, vers. 8. & 9. Beneficentia autem Dei erga impios amplificatur a contumacissima illorum rebellione; primùm factis atque conatibus, ver. 3. deinde verbis, ver. 4. & postremò consiliis & cogitationibus, vers. 5 quae omnia ex uno tamquam genere derivantur, nimirum vacuitate a timore Dei, quae ideò prolepticè ponitur vers. 2. Dictum autem defectionis, id est, quòd a defectione semel incepta video animum improbi in dies magis ac magis sollicitari ad novas defectiones & scelera, id animo meo insidet. Videtur enim David ab exemplo Schaülis, quem spiritus malus quotidiè in nova scelera compulerat, impiorum conditionem describere: vide 1. Chron. 10.13. 4 id est, me afficit gravissimè, & animum meum tamquam gladius transverberat. a *Heb. in medio.* 5 vide suprà Psalm. 10. & 12. 6 id est, nefariè adipiscitur nefaria desideria sua: quas artes Schaül adversus Davidem adhibuisse legitur, 1. Schem. inde a 18. cap. 7 id est, quam odisset, si saperet, omnésque boni odisse debent. b *Heb. vanitatis & doli.* 8 id est, a bono abstinens, nihil cogitat nisi malefacta: *paliurus*, ut sequente ver. 9 id est, ut quamque videt pessimam, pergit in ea. 10 id est, nihil mali omittit quin faciat illud; sed studiosissimè amplectitur. 11 Secundum argumentum laudationis, ut observatum est in ver 2. per apostrophen ad Deum. 12 id est, summae, profundissimae, adeóque infinitae sunt benignitas, veritas, justitia, judiciáque tua; quae amplitudo metaphoricis comparationibus exponitur ad humanum sensum accommodis. c *Hebr. Dei fortis: vide Gen. 10.8.* 13 id est, omnibus creaturis tuis immerentibus, indignis, etiamque immorigeris consulis bonitate tua quam inde a creatione explicasti. 14 tertium argumentum laudationis, ut observatum est ver. 2. per exclamationem ex admiratione profectam, cujus subjectio habetur sequente ver. 15 ut suprà 17.8. 16 id est, omnem victum, necessitatem & amoenitatem cùm praesentis, tum venturae vitae subministras credentibus in te; allegoriae. 17 altera pars Psalmi, precatio; tum publica pro toto regno & ecclesia Christi, 2. ver. tum privata pro Davide in administratione regni sui Deo servire cogitantis, 2. ultimis: publicae autem precationis tria sunt postulata, lucis, benignitatis, & justitiae. 18 i. inexhausta plenitudo atque perfectio, qua fideles perfundis pro demenso voluntatis tuae: sic permanet in allegoria ver. 10. ad precationem transiens. 19 id est, gloriosis & illustribus bonis tuis; vel praesente & futura prosperitate, cujus causas & antecedentia petit, sequente versu; nimirum misericordiam Dei, & justitiam ex misericordia collatam. d *Hebr. videamus lucem: synecdoche frequens, ut Psalm. 34.13.*

11 Protende benignitatem tuam erga cognoscentes te, & justitiam tuam erga rectos [e] animo.
12 [20] Ne aggrediatur me pes [f] superbi, & manus improborum ne inducat me ad aberrandum *eò*:
13 [21] Ubi cadunt operarii iniquitatis, ita impelluntur ut non possint surgere.

e Hebr. rectis. 20 praecepto singularis, ut dicimus versu seq. qua ita deprecatur malum, ut ex contrario intelligatur optare constantiam in bono. f *Heb. viri superbiae.* 21 id est, in eam insaniam, de qua ver. 2. & sequentibus; ac proinde in funestum & sempiternum exitium.

PSALMUS XXXVII.

David pios a maleficiorum invidentia ad fidem & securitatem in Deo revocans, elegantissimis promissionibus utrorumque statum explicat; illorum infaustam vitam & mortem, horum verò faelicem esse ostendens providentia Dei etiam in mediis calamitatibus: quamobrem pios hortatur ad fugiendum malum, colendum bonum, & amplectendas fide promissiones de ipsorum bono & improborum exitio.

א 1 [1] O *De* Davidis. [2] Ne accendaris ira propter
maleficos; ne invideas facientibus iniquitatem:
2 Nam [3] sicut foenum citò succidentur, &
sicut viriditas tenerae herbae decident.
ב 3 [4] Confide in Jehova & [5] fac bonum: inhabita terram, & [6] pascere fide:
4 [7] Et oblecta te in Jehova; qui dabit tibi petitiones [g] animi tui.
ג 5 [8] Devolve super Jehovam viam tuam,
& confide in eo; [9] nam ipse efficiet;
6 Proferens tamquam lucem justitiam tuam,
& jus tuum tamquam meridiem.
ד 7 [10] [h] Acquiesce Jehovae, & indesinenter
exspecta eum: ne accendaris ira propter prosperantem via sua, propter virum efficientem cogitata.
ה 8 Absiste ab ira, & derelinque exscandescentiam; ne accendaris ira; saltem ad malefaciendum.
9 [11] Nam malefici exscindentur; exspectantes verò Jehovam, ipsi haereditario jure possidebunt terram.
ו 10 Et adhuc paululùm, planè non *erit* improbus: quòd si consideraveris locum ejus; [12] non exstabit:
11 Mansueti verò haereditario jure possidebunt terram, & oblectabunt se [13] in multitudine pacis.

1 Ode est διδασκαλικὴ, alternis ferè versibus alphabeticum literarum ordinem continens. Constat autem ex tribus partibus; propositione officii nostri, inde a ver. 1. usque ad 7. confirmatione sive exornatione propositionis, a ver. 7. usque ad 27. postremò conclusione [illegible] ad officium nostrum & certam fiduciam promissionum Dei, ad finem usque. Propositionis membra sunt duo, interdictum adjuncta comminatione, ver. 1. & 2. & mandatum cum promissione usque ad ver. 7. 2 id est, ne indignè feras prosperitatem illorum praesentem. 3 id est, neque ipsi perdurant, neque ipsorum foelicitas. 4 mandatum ex adverso dehortationi sive interdicto superiori respondens, cujus partes sunt duae; una, ut animum & cogitationes avertendo a consideratione oculorum, sola fide respiciamus in Deum, cujus fructus hoc vers. exponuntur; altera, ut acquiescamus cum silentio voluntati Dei, sequente ver. Atque haec duo sequentibus 2. exornantur. 5 primus fructus fidei, benè instituta vita & conformata voluntati divinae; cujus vitae modus est ut pascamur fide: adjunctum verò, promissio Dei ad praesentem vitam & habitationem terrae sanctae pertinens, quae fuerint olim symbola caelestis vitae & haereditatis: ut pietas promissionem habet vitae praesentis ac futurae, 1. Timoth. 4.8. 6 id est, ex fide vive, non ex rebus praesentibus vitam quaerens, ut improbi faciunt, ut Chabak. 2.4. 7 secunda pars mandati, oblectatio fidei in Deo solo acquiescentis. g *Heb. cordis.* 8 id est, te, vitam tuam, & totas rationes tuas illius fidei committe. Sic summatim comprehendit quaecunque ad fidem pertinent. 9 quaecunque facto opus fuerint: summa promissionum quas fides percipit, sequente ver. per similitudinem illustrata. 10 secunda pars psalmi, confirmatio sive exornatio superiorum documentorum; ad quam transitur brevi repetitione illorum, inverso ordine: nam fidei & spei doctrina, priore loco; dehortatio verò posteriore ponitur, hoc ver. & exegeticè amplificatur, sequente. h *Heb. sile.* 11 ἐπαγωγή documentorum: primus confirmationis locus ab eventis, quae per antithesin inter se comparantur; nimirum exitio improborum, versu 10. & bonorum conservatione, vers. 11. quae hic prolepticè posita sunt. 12 quod ipse ab experientia sua confirmat, infrà ver. 36. 13 post molestias ab improbis perceptas atque superatas, ut sequentia explicant.

24 secundus confirmationis locus a providentia & sapientissima administratione Dei, quia dum tolerat improbos, ridere tamen dicitur, sequente ver. & dum vult, judicium perficit, aliis ver.
25 quo placet Deo improbos gladio ipsorum jugulare, & servare probos, ut duo sequentes ver. ostendunt.
16 ut sup. 11.3.
e Hebr. aperuerunt, vel solverint.
17 Tertius confirmationis locus a constitutione præsente animi & conscientiæ utrorumque: nam per comparationem ostendit David, non posse tam parum esse justo quin animo possideat omnia; quia ipsi adest majestas, cura, promissio, efficacitas, & benedictio Dei, 3. ver. sequentibus: contrà verò improbis nihil tantopere superesse, ut ipsorum animi possint in eo conquiescere.
18 i. plus percipit boni justus unicus, quàm omnes simul improbi ex cunctis suis facultatibus.
19 i. omnes illorum facultates, in quibus suum robur putant consistere.
20 i. quantumvis infirmos & tenues conservat.

ז 12 [14] Cogitante improbo contra justum, &
frendente adversus eum dentibus suis,
13 Dominus ridet eum; quia videt advenire
[15] diem suum.
ח 14 [16] [e] Gladium eduxerint improbi, & adduxerint arcum suum, ad dejiciendum pauperem
& egentem, ad mactandum rectos viâ:
15 Gladius eorum intrabit in cor eorum, &
arcus eorum confringentur.
ט 16 [17] Bonum *est* parum cuique justo, plùs
quàm copia *sua* [18] improbis multis.
17 Nam [19] brachia improborum confringuntur: [20] sustinet autem justos Jehova.
י 18 [21] Agnoscit Jehova [22] tempora integrorum; adeò ut possessio eorum in seculum futura sit.
19 Non erubescant tempore malo, sed diebus
famis saturentur:
כ 20 [23] Dum improbi pereunt & inimici Jehovæ, [d] ut quæ pretiosa sunt in agnis: *ut hæc* consumuntur in fumum *absumtia*, consumuntur *isti*.
ל 21 [24] Mutuò accipit improbus, sed non
potest reddere: justus verò gratiam facit & donat:
22 [25] Quia benedicti ab illo, hæreditario jure
possident terram: maledicti verò ab illo, exscinduntur.
מ 23 [26] A Jehova gressus viri statuuntur, cujus delectatur viâ.
24 Quum cadit, [27] non dejicitur; quia Jehova sustentat manum ejus.
נ 25 [28] Puer fui, etiam consenui; sed non vidi
justum ita derelictum, ut semen ejus quæreret
panem.
26 Toto die gratiam facit, & mutuat, & semen
ejus in benedictione *est*.
ס 27 [29] Recede a malo; & fac bonum: sic
[30] habita in seculum:
28 [31] Nam Jehova amat jus, neque derelinquit quos benevolentia prosequitur: in seculum
conservatur, semen verò improborum exscinditur.
ע 29 [32] Justi hæreditario jure possidebunt
terram, & habitabunt [33] in æternum super eam.
פ 30 Justi *cujus* os meditatur sapientiam, &
cujus lingua loquitur jus,
31 In cujus animo *est* lex Dei sui, *pes ejus* non
[34] labascit gressibus suis.

21 ut suprà 1.6. 22 sive secunda, sive adversa: omnium rationem habet sequente ver. 23 i. dum contabescunt fame & emaciantur, ut liquefit consumiturque tenellorum agnorum pingue in sacrificiis: similitudo elegans. Est autem hic & duobus sequentibus ver. explicatio ejus quod dixerat ver. 18. ab exemplo famis; quod peræquè ad alias omnes calamitates ex analogia accommodandum est. d Hebr. pretiosum agnorum. 24 ad levandum famem. 25 [illegible] istius loci a benedictione Dei, ut observatum est iii ver. 16. 26 exegesis prioris membri quod in superiore antilogia ponitur, a benevolentia & beneficentia Dei; qui etiam labentes ex infirmitate suos gratiosè sustinet, 2. versibus. 27 ita ut dejectus maneat, 2. Corinth. 4.9. ut improbi contrà in perpetuum dicuntur dejici, Jechez. 32.4. 28 quartus confirmationis locus ab exemplo & experientia, quasi dicat, ex quo tempore vivo, non animadverti Dei flagella in viris bonis permanere adeò ut ad posteros usque derivetur; sed observavi semper esse temporarias castigationes ejus: huic negationi subjicitur contraria affirmatio sequente ver. vide Psal. 72.4. 29 Conclusio hortatoria ad obedientiam & fidem: obedientiæ ascribuntur duo capita resipiscentiæ; mortificatio veteris hominis, & excitatio novi in justitia & sanctitate veræ: fidei verò ascribitur promissio, fidelem virum jam jam velut in præsentia & perpetuæ vitæ ac hæreditatis possessionem mittens; cujus propositionis exornatio atque confirmatio usque ad finem ostenditur. 30 vide Gen. 20.7. 31 Confirmatio bimembris, respiciens ad duo superiora capita resipiscentiæ a consilio & ordinatione judiciorum Dei: nam (inquit) bonis benè est a Deo, & malis pessimè. 32 exornatio proximè præcedentis confirmationis: in qua primum bonorum status exponitur, usque ad ver. 35. deinde verò improborum, usque ad 38. quæ duo capita summatim & per anacephalæosin repetita ver. 38. & 39. concluduntur a prædicatione salutis & beneficentiæ Dei. 33 i. non tam præsentis symboli ratione, quàm æternæ vitæ: etsi quod ad vitam præsentem attinet, sequentia docent justum & permansurum beneficio Dei, ver. 30. & 31. & ab omnibus offensis conservatum iri, ver. 32. & 33. 34 i. stat firmus: metaphora.

צ 32 [35] Speculante improbo adversus justú,
& quærente morte illum afficere,
33 Jehova non derelinquit illum in manu
istius; [36] neque sinit eum condemnari, quum judicatur.
ק 34 [37] Attende ad Jehovam, & observa viam ejus: tum extollet te ad possidendum terram jure hæreditario, [e] excidium improborum
videbis.
ר 35 [38] Vidi improbum [f] magna vi erumpentem; & sese explicantem, [39] tamquam arbor
indigena virens.
36 Deinde præteriit, & ecce non *erat* ampliùs:
nam quæsivi eum, sed non inventus est.
ש 37 [40] Observa integrum, & aspice rectum;
finem *istius* viri esse pacem:
38 Defectores verò perdi pariter, finem improborum exscindi;
ת 39 [41] Nam salus justorum a Jehova *est*, robur eorum tempore angustiæ:
40 Et adjuvat eos Jehova, ac liberat eos: liberat eos ab improbis ac servat eos, quia recipiunt
se ad ipsum.

35 amplificatio ab improborum studio adversus bonorum fœlicitati, ut observatum est in V. 29.
36 i. mirificè liberat ad confirmandam veritatem suam, & probandam innocentiam illius, quum opus est.
37 hortatio ad justum, [illegible] sive transitiva ad alterum confirmationis membrum, de improborum statu, ut dictum est suprà ver. 29.
e Heb. exscindi.
38 Expositio allegorica status improborum.
f Heb. violentum, & sese nudantem.
39 i. nativa arbor sive voluntaria, quam sponte producit tellus: nam hoc genus arborum esse valentius eo quod arte vel cultura provenit, ipsa natura docet. 40 [illegible], ut observatum est suprà V. 29. 41 [illegible] superioris demonstrationis [illegible]: nam causam quidem fœlicitatis bonorum explicat, salutem, opem, & liberationem a Deo; sed infœlicitatis quæ improbos manet, narrationem reticet, quæ a contrario facilè colligitur.

PSALMUS XXXVIII.

David pressus malo gravissimo, peccata sua confitetur; de infirmitate animi & corporis sui, desolatione ab amicis & inimicorum improbitate conqueritur: quibus omissis, ad Deum se convertit, & repetitis summatim caussis opem Dei implorat ac salutem petit.

1 [1] Psalmus Davidis [2] ad recordandum.
2 [3] Jehova, ne in fervente ira tua arguas
me; aut in excandescentia tua castiges me.
3 [4] Nam [5] sagittæ tuæ [a] *altè* infixæ sunt in
me, & demisisti super me manum tuam.
4 Non *est* integritas in carne mea, propter
detestationem tuam: non *est* pax in ossibus meis
propter peccatum meum.
5 Nam [6] iniquitates meæ [7] transcendunt
caput meum; ut onus grave, [b] graviores sunt
quàm perferre queam.
6 [8] Putruerunt, contabuerunt tumices mei;
propter stultitiam meam.
7 Distorqueor, incurvor pervaldè; tota die
atratus pergo:
8 Quia ilia mea plena sunt vilitate, adeò
ut non *sit* ulla integritas in carne mea.
9 Debilitatus & attritus sum [c] pervaldè, rugio præ fremitu [d] animi mei.
10 [9] Domine, coram te *est* totum desiderium
meum; & suspirium meum a te non est absconditum.
11 Cor meum palpitat, derelinquit me virtus
mea; & lux oculorum meorum, [10] etiam ipsi non
sunt penes me.

1 Psalmus est [illegible], exordio, narratione, & conclusione constans.
2 i. memoriam statuendam mali sui, & liberationis acceptæ a Deo, quod genus Psalmorum docendi causa vocare possumus [illegible].
3 Exordium sive petitio ex abrupto, quo iram Dei & flagella deprecatur David.
4 [illegible] petitionis, sive narratio tribus partibus constans: prima est a persona Dei, de calamitatibus quas ipse infligit, usque ad ver. 10. secunda, a persona sua, explicatio infirmitatis suæ, ver. 10. & 11. tertia, a persona circumstantium, inde usque ad ver. 19. 5 i. plagæ: metaphora. Est autem hoc & seq. versu gradatio apprimè necessaria; qua David a flagellis (quorum asperitatem sentiebat) assurgit ad sensum iræ, & detestationis Dei: inde verò devenit ad detestationis causam, nimirú peccatum suum. a Hebr. demissæ sunt. 6 i. peccata & eorum pœnæ; synecdoche: nam hic exornatio est querimoniæ, quæ usus est proximè præcedente ver. 7 i. tamquam exundantes aquæ demergunt me: metaphora ab aquis: ut Psal. 42. 8. & 88. 17. & 124. 4. & 5. ut altera quæ proximè sequitur, ab oneribus translata est. b Heb. graves sunt præ me. 8 Singularis explicatio plagarum de quibus suprà in genere expostulaverat. Credibile est autem fuisse gravissimum aliquem dolorem, acutissimum, multiplicem, & diuturnum: etsi quod genus fuerit mali, non meminimus in scriptura legere: nisi fortè hæc quispiam allegoricè malit accipere. c Heb. usque valdè. d Heb. cordis. 9 alter narrationis locus de affectione sua, cujus testem appellat Deum. 10 i. videntur jamjam me deficere gravitate mali.

12 [11] Amici

12 [11] Amici mei & proximi mei [12] e regione
plagæ meæ subsistunt, & propinqui mei e lon-
ginquo absistunt.
13 Tendunt verò laqueos, qui quærunt ani-
mam meam: & qui requirunt malum meum, lo-
quuntur [13] ærumnas, & dolos toto die medi-
tantur.
14 [14] Quos ego tamquam surdus non audio,
& tamquam mutus non aperiens os suum;
15 Sed sum tamquam is qui non audit, & in
cujus ore non *sunt* argumenta:
16 [15] Quia te Jehova exspecto; tu exaudi-
as, Domine Deus mi:
17 [16] Quia dico, *videndum* ut non lætentur
de me; nutante pede meo, contra me magnifi-
cent se;
18 [17] Si ego ad claudicationem comparatus
fuero, & dolor meus *fuerit* coram me jugiter.
19 [18] Quandoquidem iniquitatem meam in-
dico, sollicitus sum de peccato meo:
20 Inimici autem mei vivi roborantur, & mul-
tiplicantur qui oderunt me [c] falsis de causis;
21 Et reddentes malum pro bono, adversan-
tur mihi; eo quòd sector bonum;
22 [19] Ne derelinquas me, Jehova: Deus mi,
ne longè absis a me.
23 Festina ad auxilium meum, Domine salus
mea.

[11] tertius narrationis locus, de ratione qua circumstantes erga ipsum utebantur; sive amici, hoc ver. sive inimici, sequente ver. ac postremò ipse erga omnes, ver. 14. 15. [12] præ horrore detrectantes accedere; simile vide Ijobi 19. [13] quibus ampliùs afficiant me. [14] i. dissimulo & fero patienter, ut fidelem decet, ver. 16. [15] ἀντιλογία silentii, primum a fide sua in Deum, hoc ver. deinde ab improbitate adversariorum, duobus ver. sequentibus. [16] secunda causa silentii: quasi dicat, mihi cum Deo res est in istis calamitatibus; non autem cum istis canibus & porcis; apud quos si quid dicerem, omnia in ludibrium verterent: & siquid secus quàm opto paterer malúmque meum continuaretur, ipsum Dei nomen in malo meo blasphemarent. [17] hoc est, si non desineret malum: exegesis metaphoræ qua modò usus est, nutante pede meo. [18] Conclusio petitoria, cujus partes sunt duæ; causarum, tribus ver. & postulatorum, duobus ultimis. causæ ponuntur duæ; una a persona sua, quòd seipsum sistit coram Deo, & peccatum suum ex animo confitetur ad glorificandum Deum: altera, a persona inimicorum, injusto odio & immeritis maleficiis Davidem prosequentium, duobus sequentibus. [c] Hebr. *falsitatis*, ut sup. 35.19. [19] Postulatum duplex, deprecationis, hoc ver. & precationis oppositæ, v. ultimo.

PSALMUS XXXIX.

David explicato consilio benè & patienter transigendæ vitæ suæ, agnoscit se repentè oppressum ab instituto aberrasse & obmurmurasse Deo: ita seipsum corrigens deprecatur peccata & supplicia sua, & misericordiam sibi exhiberi postulat.

MAgistro symphoniæ [1] Jeduthuni; [2] psalmus Davidis.
2 [3] Dixeram; observabo [4] vias meas, ne pec-
cem lingua mea: servabo circa os meum [5] capi-
strum, [6] tantisper dum improbus *erit* coram me.
3 Obmutueram [a] taciturnus, [7] silebā *etiam*
a bono; [8] sed dolor meus incrudescebat.
4 [9] Incalescente verò [b] animo meo in me,
in meditatione mea exardescente igne; [10] loqu-
tus sum lingua mea, [11] *dicens*;
5 [12] Fac ut experiar, Jehova, finem meum,
[13] mensura dierum meorum, quid sit; experiar
quàm durabilis sim.
6 Ecce, [c] [14] palmares disposuisti dies meos,
& tempus meum ut nihil *est* coram te: [15] pro-
fectò omnimoda vanitas omnis homo *est*, [16] *quā-
numvis* constitutus maximè.
7 Profectò [17] per imaginem præterit vir, pro-
fectò *in* vanum [18] perstrepunt: congregat *quispi-
am*, sed nescit quis recepturus sit ea.
8 [19] Sed jam quid expecto domine? spes mea
in te est.
9 [20] Ab omnibus defectionibus meis eripe
me, [d] probro [21] stultis ne exponas me.
10 [22] Obmutesco, non aperio os meum: quia
tu fecisti.
11 [23] Remove a me plagam tuam, [24] a con-
flictu manus tuæ ego deficio.
12 [25] Si reprehensionibus [26] pro iniquitate
castigares quempiam, [27] dissolveres sicut tine-
am [e] quod inest ei desiderabile: profectò [28] va-
nitas *est* omnis homo maximè.
13 [29] Audi orationem meam, Jehova, & cla-
morem meum; aurem adverte ad lacrymas me-
as, ne surdum agas: [30] quia peregrinus sum co-
ram te, inquilinus ut omnes majores mei.
14 [31] Desiste a me, ut recreem me; [32] quum
nondum abeo, ut non ampliùs *sim*.

[1] i. genti Jeduthunis & illius classi: vide 1. Chron. 25. 3. [2] Psalmus est ἀπομνημονευματικὸς, ut præcedens; generis εὐκτικοῦ, cujus partes sunt duæ; una est narratio loco exordii, a vers. 2. ad 5. altera precatio, ad finem usque. Videtur autem hic psalmus ex contextu & argumento de eo tempore scriptus esse, quo David in summas angustias conjuratione Abschalomi conjectus est. [3] narratio continens primùm explicationem animi & consilii sui, vers. 2. deinde vitæ suæ cum proposito anteà confirmatæ, vers. 3. postremò prætermissionem & aberrationem a proposito præ gravitate mali, vers. 4. [4] i. vitam totam. [5] metaphora a jumentis ferocioribus. [6] quotiescumque Deo videbitur improborum operâ me exercere. [a] Hebr. *taciturnitate*. [7] i. ne bonæ quidem & justæ defensionis meæ recordabar apud illos; sed missa faciebam omnia & patienter perferebam: vide exemplum 2. Schem. 16. 5. & sequentibus. [8] i. mea calamitas ingravescebat novis accedentibus malis. [9] i. quum me sensi obrui malorum magnitudine; quorum causa animus meus cum gravissimo æstu conflictatus est, & vehementissimè perturbatus; prout demonstravit quum Tziba adveniens herum Mephiboschetum falsò accusavit appetiti regni, 2. Schem. 16. 1. [b] Hebr. *corde meo in medio mei*. [10] vitæ præsentis tædio. [11] Petitionis quæ sequentibus ver. continetur partes sunt duæ: una, immodesta ex animi perturbatione nascens, qua exoptat mortem præsentem, tribus ver. altera, correctio qua veluti resipiscens se committit Deo, inde a vers. 8. ad finem usque. [12] i. moriar: periphrasis mortis pathetica, ad tædium vitæ ostendendum.

[13] Exegesis argumenti, quod sequentib. vasis exponitur. [c] Heb. *palmarum*. [14] i. non longiores quàm sit hominis palmus: hyperbolica metaphora, quam sequentia verba per gradationem explicant. Est autem hic prior locus exegeseos a quantitate vitæ; posterior autem a qualitate & consequentibus ejus, traditurs sequente versu. [15] ἐπιφώνημα generalem vitæ nostræ constitutionem explicans ab exemplo Davidis. [16] i. firmus & fixus in hac vita prout David superatis undique hostibus in celebri & potente regno esse videbatur, quum orta est ista conjuratio. [17] i. species est evanida: vide 1. Corinth. 7. 31. & infra 73. 20. [18] homines studio rerum hujus vitæ traducti. quasi dicat, laboravi, cucurri, & sudavi frustrà, & regnum opésque tantas comparavi: sic exposuit, quia Abschalomum videbat furere, & Mephiboschetum credebat conatum; ac proinde incertus erat humanitùs utrum successorem esset habiturus, an alium quèmquam. [19] altera pars petitionis, ad quam transitur correctione. quasi dicat, hei mihi, quid dico? quid mortem expeto? tempus est, ut animum meum avocem ab istis carnalibus cogitationibus, & me per fidem & spem veram committam Domino: hinc sequitur alter petitionis locus a vers. 9. ad finem. [20] petitio resipiscentis prophetæ, duo membra continens: unum est deprecatio de liberatione a peccatis & eorum pœnis, usque ad vers. 13. alterum de impetranda gratia & instauratione sui, tribus reliquis. [d] Heb. *probrum stulti ne ponas*. [21] vide psalm. 14. 1. [22] i. agnosco te justum auctorem hujus castigationis meæ, & judiciis tuis acquiesco: confessio. [23] deprecatio optimè subjecta confessioni, qua copiosiùs exponitur quod suprà petierat vers. 9. [24] αἰτιολογία deprecationis ab imbecillitate sua. [25] amplificatio ἀντιπαθείας a communi hominum sorte, quorum nullus, si cum gravitate judicii divini se ipsum comparabit, eam firmitatem habet qua perferre possit; sed contrà est inanissimus: vide de hoc argumento in Ijobo multa. [26] i. prout peccato fuerit meritus. [27] quæ solo tactu teritur, ut Ijobi 4. 19. [e] Heb. *desiderabile ejus*. [28] ἐπιφώνημα, ut suprà ver. 6. sed diverso argumento: hic enim ostendit psaltes non posse ab homine (adeò vanus est) unicum Dei judicium tolerari. [29] secundum membrum petitionis, ut observatum est suprà in vers. 9. [30] i. quandoquidem (prout est sors communis omnium mortalium) non possum diu in præsente vita consistere, & peregrinari a te; ac proinde tibi misericordiam exercendi erga miserum peregrinum oblata est occasio: sic 1. Chronic. 29. 15. & psal. 119. 18. sic accipiendum esse ostendit finis versus sequentis. [31] graviùs & diutiùs affligendo. [32] id est, antequam moriar, in vitam hanc nunquam reversurus: sic Ijobi 10. 20. & sequentibus.

PSALMUS XL.

David ab anteacta experientia privata & publica, a fœdere gratuito Dei, & a studioso obsequio justitiáque Mediatoris Christi se ipsum in fide confirmans, gratiam & liberationem a Deo petit, improborum ruinam, bonorúmque consolationem ad gloriam Dei.

MAgistro symphoniæ, Davidis [1] psalmus.
2 [a] [2] Constanter exspectavi Jehovam, qui
inclinans ad me audivit vociferationem meam:
3 Et educens me [b] [3] e lacu tumultuoso, e

[1] Psalmus est εὐχαριστικὸς, constans ex duabus partibus: una est propositio argumentorum ex quibus in fide confirmatur ad invocandum Deum, usque ad vers. 12. altera, petitio liberationis & salutis, ad finem usque. [2] propositio argumentationum fidem confirmantium triplex hoc loco ponitur ante petitionem: primùm enim ponuntur magnifica creatoris & gubernatoris opera; tum singularia erga Davidem, tribus versibus; tum publica erga omnes pios, vers. 5. & 6. Deinde proponitur singulare beneficium redemtoris Christi, & fœdus Dei nobiscum in Christo redemtore nostro, vers. 7. 8. & 9. Postremò proponitur obsequium fidei, quo animi piorum velut sigillo confirmantur de fœdere ad ipsos pertinente, inde usque ad vers. 12. [a] Heb. *expectando expectavi*. [b] Heb. *e lacu tumultus, & e luto cœni*. [3] procellis & fluctibus vehementissimarū calamitatis quæ metaphoricè cum procelloso & profundo lacu, ac tenace luto cōparantur.

luto

luto cœnoso; [4] statuit super petram pedes meos,
[5] firmavit gressus meos:
4 Denique indidit ori meo [a] canticum no-
vum, laudationem [7] Deo nostro: videntes multi
reverebuntur, & confident in Jehova, *dicentes*,
5 [8] Beatus *est* vir ille, qui ponit [c] in Jehova
fiduciam suam; neque respicit ad superbos aut
declinantes *ad* mendacium.
6 [9] Tu multa præstas [10] Jehova, Deus mi,
mirabilia tua & cogitationes tuas erga nos: [d] ne-
mo recensendis *in* par tibi; *si* indicabo & elo-
quar, numerosiora sunt [e] quàm ut enarremus.
7 [11] Sacrificio, *inquis*, & munere non dele-
ctatus es, [12] aures perfodisti mihi: holocaustum
& [f] oblationem pro peccato non expetivisti.
8 [13] Tum dixi, ecce venio: [14] in volumine
libri scriptum est de me:
9 [15] Facere voluntatem tuam, Deus mi, de-
lector: & lex tua *est* [16] [g] in visceribus meis.
10 [17] Prædico justitiam in congregatione
multa: ecce labia mea non cohibeo; Jehova, tu
nosti.
11 Justitiam tuam non tego [h] in animo meo;
fidem tuam & salutem tuam dico: non celo be-
nignitatem tuam & veritatem tuam congrega-
tioni multæ.
12 [18] Tu Jehova, ne cohibeas miserationes
tuas a me: benignitas tua & veritas tua jugiter
custodiant me.
13 Nam circumdantia invadunt me mala
[i] innumerabilia: assequuntur me [19] iniquitates
meæ, adeò ut nequeam dispicere, numerosiores
sunt capillis capitis mei; [k] animus etiam meus
derelinquit me.
14 [20] Velis, Jehova, eripere me; Jehova, ad
auxilium meum festina.
15 [21] Pudefiant & rubore perfundantur pari-
ter quærentes animam meam ad perdendum
eam: agantur retrorsum & ignominia affician-
tur, qui delectantur malo meo.
16 Desolentur pro mercede [22] pudoris sui;
[23] qui dicunt de me, euge, euge.
17 Gaudeant & lætentur in te omnes quæ-
rentes te; *ut* dicant jugiter, magnificetur Jehova,
amantes salutis tuæ.
18 [24] Sum quidem pauper & egens, sed Do-
minus cogitat de me: auxilium meum & libera-
tor meus es; Deus mi, ne tardes.

4 i. posuit me loco firmissimo, ut qui e profundo educti rupem conscenderint in littore, tuti ab omnibus procellis. 5 i. me ex incerto & palustri solo eductum in firmo collocavit: duplex membrorum antithesis. 6 vide suprà 33.3. sunt autem hoc versu adjuncta duo illius liberationis, quam consequebantur David; nimirum laus Dei, & ecclesiæ ædificatio: sic ad alteram partem hujus propositionis transitio est. 7 i. Christo: nam Deus Pater in Christo exhibuit nobis canticum illud & laudationis argumentum, quod Propheta canit versibus 5. sequentibus. 8 hoc canticum Ecclesiæ laudantis Christum a communibus & singularibus Dei beneficiis erga bonos; quorum indicia ponuntur tria, fides, humilitas, & veritas. c Heb. Jehovam fiduciam suam. 9 Apostrophe ad Christum, ostendens quàm beati sint qui fiduciam suam in ipso collocant, primùm a communibus ipsius beneficiis, hoc versu: secundo verò a singulari ipsius gratia & beneficio quod in nos contulit per mysterium redemtionis nostræ. 10 Christo, cujus laudationẽ in ore sanctorũ instituit Deus Pater per Spiritũ, suprà vers. 4. d Heb. non est recensere. e Heb. præ enarrando. 11 Hæc prophetica est hypotyposis Christi, qui tamquã Propheta noster & Dei Patris servus in mysterio illo redẽtionis nostræ exponit volũtatem ejus; tamquã Sacerdos se ipsũ Deo & patri sistit sacrificiũ; & tamquam Rex perficit in nobis voluntatem Dei: ut his tribus versibus exponitur. Quamobrem ut verba esse hæc Christi demonstremus quæ enunciant pii μιμητικῶς ad laudem ejus, visum est interjicere verbum, *inquis*. De singulari autem horum verborum argumento plura habentur Jeschah. 1. Jirmejæ 7. & alibi passim. 12 i me servum tuum acceptum habens in perpetuum, ad obedientiam comparasti atque obsignasti; ut olim servi auris fibula perforabatur ad januam heri sui: Exod. 21.6. & seq. Hæc autem aliter quidem redduntur ab Apostolo Hebr. 10.5. nempe quòd metalepticè ex consequentibus colligeret antecedentia: non enim fuisset aurem Christo pertusurus Pater, servúmque accepturus ipsum, nisi aptasset priùs ipsi carnem in unitate personæ, secundùm quam sub Lege factus est. Sed omnia ad sententiam eamdem pertinent. f Hebr. peccatum, ut Levit 4.3. 13 quum servum tuum effecisti me, & aures perfodisti mihi. 14 i. in lege, in quã servis ex fœdere acceptis præscribitur ut serviant in seculum: Exod. 21.6. 15 id est, tibi obsequi & morem gerere ad mortem usque, & quidem mortem crucis, Philip. 2.8: cujus fide sanctificantur justi. 16 i. in animo: metonymia. g Hebr. in medio viscerum meorum. 17 tertius argumentationum locus, ab obsequio fidei & professione sancta, quæ appellatione nominis divini religiosa confirmatur. h Heb. in medio cordis mei. 18 altera pars Psalmi, petitio illata ex superioribus argumentorum locis: qua eam ipsam misericordiam, benignitatem, & veritatem implorat David, quam superioribus versibus prædicaverat. Est autem hoc versu prolepsis sive propositio generalis optati, & illius ἀντιλογία, sequente versu; quæ duo minutatim ad finem usque exponuntur. i Heb. usque ad non esse numerum. 19 i. iniquitatis pœnæ: ut Gen. 4.13. k Hebr. cor. 20 explicatio postulati quo usus est ver. 12. continens tria petitionis capita: unum, pro liberatione supplicis, hoc versu; secundum, pro confusione improborum, duobus sequentibus; tertium, pro bonorum exhilaratione: quæ omnia spectant ad summum illum finem, ut magnificetur Deus, ver. 17. 21 vide suprà Psal. 28.4. & 35.4. 22 i, vitæ pudendæ suæ. 23 id est, lætantur de malo meo.

24 Conclusio petitionis, a misera conditione sua, & officio Dei.

PSALMUS XLI.

David in rebus propè desperatis beatitatem eorum prædicat, qui misericordiam de afflictis capiunt, se in afflictione confugientem ad Deum iniquissime a multis tractatum expostulat, & liberationem a Deo petit pro defungenda sua administratione, confirmanda fide, & celebrando Deo.

MAgistro symphoniæ, [1] Psalmus Davidis.
2 [2] Beatus qui attendit ad attenuatum;
dicens, tempore mali liberabit eum Jehova:
3 Jehova servabit eum & vitæ restituet eum,
beatus reddetur in terra; item, ne tradas eum
[a] desiderio inimicorum ejus:
4 Jehova [3] sustentet eum, *decumbentem* in
[4] sponda languoris: [5] totum cubatum ejus [6] ex
morbo ejus mutaveris.
5 [7] Me dicente, Jehova, gratiam fac mihi,
[8] sana animam meam; quia peccavi tibi:
6 [9] Inimici mei dicebant malum de me,
quando morietur, & perierit nomen ejus?
7 [10] Quòd si quis veniebat ut inviseret,
mendacium loquebatur [b] animus ejus, [11] con-
gregabat iniquitatem sibi: egressus foras, eloque-
batur.
8 Simul contra me mussitabant omnes oso-
res mei; contra me cogitabant quod *esset* malo
mihi, *dicentes:*
9 Res nequissima tenaciter inhæret ei; &
quòd decumbit, [c] non ampliùs exsurget.
10 Etiam [d] [12] vir colens pacem mecum,
in quo confidebam, comedens cibum meum;
[13] sustulit adversum me calcem.
11 [14] At tu Jehova, gratiam fac mihi, &
exsuscita me; [15] ut rependam illis:
12 [16] Hac re expertus fuero [17] quòd delecta-
ris me, [18] quum non clanget inimicus meus
de me;
13 [19] Sed me, me *inquam* sustentabis in in-
tegritate mea, & restitues me coram te in se-
culum.
14 [20] Benedictus Jehova Deus Jisraëlis, a se-
culo usque in seculum; amen, iterum amen.

1 Psalmus est generis mixti, ἐυκτικὸς καὶ ἐπαινετικὸς, constans ex partibus tribus; exordio, a versu 2. ad 5. propositione sive narratione, a ver. 5. ad 11. & petitione, reliquis versibus. Etsi autem hic Psalmus non incommodè ex verborum proprietate ad tempus alicujus invaletudinis referri potest, de qua nos aliquid in scriptura legere non meminimus: videtur tamen potiùs allegoricè David descripsisse ægritudinem animi sui, qua affectus est, quum adventaret Abschalom ipsum de regno depulsurus. 2 Exordium ex γνώμης, i. a sententia gravi, qua ostendit Psaltes beatos esse misericordes, & eorum officium duobus modis explicat: prior est misericors prædicatio promissionis divinæ erga afflictos, ver. 2. & parte versus tertii: posterior autem, oratio pro illis coram Deo, reliqua parte ver. 3. & ver. 4. a Hebr. anima, ut Psal. 27.12. 3 i. fulciat & confirmet. 4 i. qui rebus adversis prostratus jacet. 5 apostrophe ad Deum, qua utuntur emphaticè boni ad virum attenuatum attendentes. 6 i. ægritudine animi, prout David exemplo suo docet, sequente versu. 7 propositio, sive narratio tum ejus quod faciebat David in calamitatibus, hoc versu; tum eorum quæ adversarii contra eum faciebant, versibus sequentibus. 8 i. libera me ex hac ægritudine, & peccato meo causa ægritudinis. 9 altera pars narrationis, de inimicorum optatis, factis simulatis, adversis consiliis, præjudiciis, atque transfugiis, & rebellionibus, usque ad versum 11. 10 vide suprà 35.15. b Hebr. cor. 11 i. cogitabat cum animo suo, & fabricabatur. c Hebr. non addet exsurgere. d Heb. vir pacis meæ. 12 i. mihi intimus & conjunctissimus, nimirum (ut verisimile est) Achitophel; sic Psal. 55.14. & sequentibus. Hæc autem typicè in Davide (qui figura fuit Christi) gesta, propriè accommodantur Judæ, Joann. 13.18. 13 i. conatus est me proculcare & pedibus terere; ut calcitrones & refractarii equi calcibus solent petere: metaphora. vide 2. Schem. 16. & 17. 14 petitio, tertia pars Psalmi: cujus summa est, ut instauretur David per gratiam Dei, quæ est unica efficiens causa instaurationi; fines verò sequentibus verbis exponuntur. 15 i. ut omnes de quibus antè loquutus sum, pro justitia tua (cujus me constituisti administrum) remunerari possim, tuendo populum tuum & iniquos coërcendo: primus petitionis finis. 16 secundus petitionis finis a conservatione sui ipsius. 17 nam turpi illa ejectione Davidis e regno, in dubium vocabatur ipsius auctoritas & administratio, ut ipse David agnoscit 2. Schem. 15.25. & 26. 18 i. non triumphabit victor; synecdoche. 19 tertius finis, prædicatio gloriæ & beneficentiæ Dei. 20 conclusio primi Psalmorum libri.

SECUNDUS

SECUNDUS LIBER PSALMORUM.

PSALMUS XLII.

David exsulans, ardentissimum studium observandi cultus Dei in ecclesia explicat: se consolatur spe: de perturbationibus animi sui, miseriarum quas perferebat gravitate, & adversariorum blasphemiis conqueritur; animúmque suum ad spem & fidem in Deum excitat.

1 MAgistro symphoniæ in posteris Ko-
rachi, [a] *ode* didascalica.
2 [3] Sicut cervus glocitat *aspirans*
ad alveos aquarum, sic anima mea
[4] glocitat *aspirans* ad te, Deus:
3 [5] Sitiens *est* anima mea Dei, *Dei* fortis vi-
ventis, *dicens:* quando accedam, ut appaream *in*
conspectu Dei?
4 [6] Sunt mihi lacrymæ meæ cibo interdiu
& noctu; [a] dum dicitur mihi quotidie, ubi *est*
Deus tuus?
5 Hæc recordans [7] effundo in me animam
meam: me [8] fuisse transiturum in turba, gressu-
rum *cum* illis ad domum usque Dei cum voce
cantus & laudationis, multitudine feriante.
6 [9] Quid dejicis te, anima mea, & perstrepis
in me? spera in Deo. nam adhuc celebraturus
sum [10] eum, *&* [b] salutem omnimodam faciei
ejus.
7 [11] Deus mi, in me anima mea dejicit se;
[12] proptereà recordor tui [13] e terra Jardenis, &
Chermonitarum, e monte exiguo.
8 [14] Abyssus abyssum inclamat ad sonum
[15] emissariorum tuorum, omnes irrumpentes flu-
ctus tui & undæ tuæ super me transeunt;
9 [16] Interdiu *tamen* amandaturus est Jehova
benignitatem suam, & noctu canticum suum
[c] ad me; oratione mea ad *Deum* fortem vitæ
meæ *perstabo:*
10 [17] Dicam *Deo* forti [18] petræ meæ, quare
oblivisceris mei? quare atratus incedo propter
oppressionem inimici?
11 [19] Sica invadunt ossa mea, probro affici-
entes me hostes mei; dum dicunt mihi quoti-
diè, ubi *est* Deus tuus?
12 [20] Quid dejicis te, anima mea, & quid per-
strepis in me? spera in Deo; nam adhuc celebra-
turus sum eum, omnimodam [21] salutem faciei
meæ, & Deum meum.

[1] i. Hemani filio Joëlis filii Schemuelis, 1. Chron. 6. 33. nam hujus fuit tertia classis Musicorum in sacro ministerio, 1. Chron. 25. 5. [2] ut suprà 32. 1. hujus odes qua David suo exemplo certamen piorum docet, partes sunt duæ: una, qua expostulat de exsilio suo & absentia ab Ecclesia Dei, usque ad ver. 7. altera, qua expostulat de calamitatibus quæ sibi tantoperè afflicto ab inimicis importantur: utraque verò conclusionem amœbæam. [3] propositio universalis studii quo ad Deum ferebatur David, illustrata per comparationem cervi; qui tum omni tempore confugere ad aquas dicitur, quum anhelus est; tum maximè ineunte Autumno quo tempore propter æstum est sitis impatientissimus: vide Aristot. lib. 6. de historia animalium cap. 29. [4] i. exclamans accurrit: metaphorica accommodatio similitudinis. [5] prior propositio continens partes duas, querimoniam, usque ad ver. 6. & consolationem adversus querimoniam, ver. 6. querimoniæ autem summa est, prophetam ægrè ferre quòd non possit Deum accedere ex præscripto legis, Exodi 23. 17. loci amplificationis duo; unus a conviciis & probris impiorum, ver. 4. alter, a præteritorum conventuum recordatione, ver. 5. [6] i. tantùm pascor lacrymis, ut psal. 80. 6. [a] *Hebr. in dicendo.* [7] i. liquesio & contabesco: ut Ijobi 30. 16. [8] putà nisi me tyrannis insana istorum averteret. [9] conclusio propositionis præcedentis consolatoria ad animum; cujus partes sunt reprehensio sive correctio fluctuantis animæ, & consolatio. [10] i. tum celebrabo ipsum, tum salutaria ipsius erga nos beneficia prædicabo; sic gloriatur David in fide, repente emergens ex superiore certamine. [b] *Hebr. salutes faciei ejus; ut infra* v. 12. [11] altera pars psalmi, ut observatum est suprà in versu 1. Expostulat autem David cum Deo de infirmitate animæ suæ, tribus argumentis: primum est (ut suprà) ab exsilio suo, hoc ver. secundum, a miseriis novis indies ad exsulium ipsius accedentibus, sequentibus duobus versibus; tertium, a contumeliosis in Deum blasphemiis, versu 10. & 11. quibus singulis suæ consolationes accommodatè proponuntur. [12] quòd neque usquam alibi, neque in meipso anima mea potest conquiescere: primus consolationis locus. [13] i. ubicumque locorum exsulare cogar in terminis Jisraëlitarum, qui hîc ex ordine numerantur: ab oriente, ubi erat Jarden; ab Aquilone, quà definitur Chermone monte & Libano; & a meridie, quà montana Judææ terminant. Nam hæc cum Libano monte & Chermone comparata, in exiguis tantùm collibus numerantur. [14] metaphorica afflictionum descriptio ab exundante nimborum & procellarum vi. [15] i. canalium, tuborum, & salientium, e quibus aquæ deorsùm ruunt præcipites. [16] alter consolationis locus secundo calamitatum generi respondens, a Dei fide in præstandis promissis, & ab orationibus nostris. [c] *Hebr. mecum.* [17] summa orationis quam professus est psaltes habiturum se coram Deo. [18] tuto perfugio meo, ut suprà 40. 3. [19] tertius locus querimoniæ, ut observatum est suprà in ver. 7. quasi dicat, blasphemias in Deum evomunt, & perinde faciunt ac si me gladiis confoderent: adeò indignè blasphemias persero.

[20] Conclusio, ut sup. ver. 6. [21] i. qui coram & re ipsa mihi auctor est omnis salutis ex gratuito fœdere, quo se fore mihi Deum confirmavit: ut 2. Schem. 7. 29.

PSALMUS XLIII.

David ab adversariis pressus vi & fraude, a Deo petit liberationem ex fœdere ad glorificandum eum, & in spe confirmat animum suum.

1 VIndica me Deus, & [a] suscipe contentionem
meam; a gente [2] non benigna, a viro [b] do-
loso & iniquo libera me.
2 [3] Nam tu *es* Deus roboris mei, quare re-
jiceres me? quare atratus indesinẽter irem prop-
ter oppressionem inimici?
3 [4] Mitte lucem tuam & veritatem tuam; ip-
sæ deducant me: adducant me in montem [5] san-
ctitatis tuæ, [6] & in tabernacula tua:
4 Ut accedens ad altare Dei, ad *Deum* for-
tem [c] auctorem lætissimæ exsultationis meæ;
celebrem te cithara, ô Deus, Deus mi.
5 [7] Quid dejicis te, anima mea, & quid per-
strepis in me? spera in Deo; nam adhuc celebra-
turus sum eum, [d] omnimodam salutem faciei
meæ, & Deum meum.

[1] Ode est ejusdem generis & argumenti cum superiore, ac velut illius epitome: continens petitionem, vers. 1. exornationem petitionis, usque ad vers. 3. & conclusionẽ, vers. 5. [a] *Hebr. contende contentionem meam.* [2] i. malignâ: quod de administris Schaülis dici credibile est, ut sequentia verba de Schaüle. [b] *Hebr. doli & iniquitatis.* [3] exornatio petitionis primùm a fœdere officioque Dei; deinde a genere petitionis, quòd nihil petat alienum a fœdere, hoc & sequente versu; postremò a fine, ut omnis gloria tribuatur Deo, vers. 4. [4] i. fœderis tui documenta exhibe, dispellens tenebras miseriæ meæ, servans fidem, & reducens me in ecclesiam tuam. [5] i. ubi arca residet, symbolum præsentiæ tuæ sanctissimæ: erat autem tunc temporis Kirjath-Jeharimis, ex quo a Pelischthæis remissa fuerat, 1. Schem. 6. 22. [6] i. ubicumque locorum tentorium tibi fuerit fixum: his enim temporibus duo fuerunt loca in quibus ordinarius Dei cultus conservabatur, donec templum a Schelomone exstructum est: 2. Chron. 1. unus locus fuit tabernaculo legali quod exstruxerat Mosche, primùm Nobi, deinde Gibhone, 1. Schem. 21. & 1. Reg. 3. alter verò arcæ in oppido Kirjath-Jeharimorum, donec a Davide deportata est in civitatem suam, 1. Chron. 15. & 16. Quamobrem hîc tabernaculorum plurali numero mentionem facit. [c] *Hebr. lætitiam exsultationis meæ.* [7] Conclusio hortatoria, ut supr. 42. 12. [d] *Hebr. salutes faciei meæ: ut sup. 42. 6.*

PSALMUS XLIIII.

Ecclesia majorum documentis, fœdere Dei, & studio quo tenetur Deus amplificandæ gloriæ suæ confirmata, gravissimè expostulat cum Deo de suis calamitatibus; integritate animi & vitæ suæ freta probat se eas perpeti pro nomine Dei: & postremò opem illius implorat pro salute sua.

1 MAgistro symphoniæ in posteris Korachi, [1] *ode*
didascalica.
2 [2] O Deus, auribus nostris audivimus; ma-
jores nostri narraverunt nobis *quod* opus opera-
tus sis temporibus eorum, temporibus [a] priscis:
3 Te manu tua gentes expulisse, & [3] plan-
tasse ipsos: malo affecisse nationes, & [4] propa-
gasse ipsos.
4 [5] Non enim gladio suo hæreditario jure
possederunt terram, & brachium eorum non de-
dit salutem eis: sed dextera tua, brachiumq; tuum,

[1] i. tradita ecclesiæ ad docendum eam de afflictionibus & legitimo usu earum, quæ immittuntur a Deo: nam videtur hæc ode aut scripta fuisse a Davide recordatione eorum temporum quibus Jisraëlitæ a Pelischthæis vexabantur inde a diebus Schimschonis ad Davidem usque, ut ecclesia ab antecedente exemplo præcaveret sibi, & ad afflictiones sese compararet; aut ab aliquo viro Dei temporibus captivitatis Babylonicæ, ut hac precationis formula uterentur pii. Sed mihi quidem omnino probatur prius. Est autem ode ad docendum quidem tradita, ut ostendit inscriptio; sed tamen genere εὐκτικὰ, constans ex tribus partibus, exordio, a vers. 2. ad 10. propositione, a vers. 10. ad 24. & conclusione petitoria. [2] Exordii quo utuntur pii ad conciliandam sibi misericordiam, loci sunt tres: unus, ab anteactis Dei operibus quæ pii se auditu percepisse profitentur per fidem, usq; ad vers. 5. alter, a fœdere sempiterno & officio Dei, cujus conscios & participes se prædicant sancti, a vers. 5. ad 8. tertius, a gloria Dei, vers. 8. & 9. [a] *Hebr. antiquitatis.* [3] vide Exod. 15. 17. [4] tum generis incremento, tum ampliatione sedis: metaphora, ut Psal. 80. 9. [5] ἀντιλογία sive confirmatio propositionis præcedentis, per contentionem: qua docet psaltes non ipsorum, sed Dei virtutem omnia præstitisse ex mera ipsius benevolentia: vide Exod. 15. 13. & sequentibus: item 23. 27. & Jehosch. 24. 12.

& [6] lux

& [6] lux faciei tuæ; quia eras benevolus eis.

5 [7] Tu ipse *es* rex meus, ô Deus: [a] præcipe [b] omnimodam salutem Jahakobi.

6 Per te [9] hostes nostros cornu feriemus: per nomen tuum conculcabimus insurgentes in nos:

7 Nam arcui meo non confido, aut gladius meus non est servaturus me.

8 [10] Quum servaveris nos ab hostibus nostris, & osores nostros pudefeceris;

9 Deum laudantes toto die, nomen tuum in seculum celebrabimus [11] summè.

10 [12] Atqui rejecisti & ignominia affecisti nos, [13] quòd non processeris cum exercitibus nostris.

11 Fecisti ut retrò cederemus ab hoste, & osores nostri diripiunt sibi:

12 Tradidisti nos ut pecudes [c] [14] cibarias, & in gentes [15] sparsisti nos:

13 [16] Vendidisti populum tuum [d] pro re vili, & non auxisti *rem* pretiis eorum.

14 Exposuisti nos probro vicinis nostris, sannæ & ludificationi circumstantibus nos.

15 Posuisti nos parabolæ argumentum in gentibus, [17] agitationis capitis in nationibus.

16 Toto die ignominia mea obversatur mihi, & pudor faciei meæ obtegit me;

17 [18] Propter vocem probro afficientis, & blasphemi; propter inimicum & ultorem sui.

18 [19] Totum hoc evenit nobis; nec tamen obliviscimur tui, neque mendaciter agimus contra fœdus tuum.

19 [20] Non agitur retrorsum [e] animus noster, aut declinat gressus noster a semita tua:

20 [21] Quamvis contriveris nos *confectos* in locum cetorum, & obtexeris nos lethali umbra.

21 [22] Si obliti fuissemus nominis Dei nostri, aut expandissemus manus nostras [23] ad *Deum* fortem extraneum:

22 Nonne Deus pervestigasset istud? quum ipse cognoscat abscondita animi.

23 [24] Sed propter te occidimur quotidie; æstimamur ut pecudes [f] mactandæ.

24 [25] Evigila, quare dormires Domine; expergiscere, ne rejicias in æternum.

25 Quare faciem tuam absconderes? [26] oblivisceeris afflictionis nostræ, & oppressionis nostræ?

26 [27] Nam dejecta est in pulverem vita nostra, adhæret terræ venter noster.

27 Surge [28] ad auxilium nobis, & redime nos propter benignitatem tuam.

[6] i. illustris præsentia tua, qua prævivisti & præluxisti eis: hypallage. [7] alter locus a fœdere & officio Dei, ut dictum est in vers. 2. [8] idem quod a majoribus nostris audivimus: nimirum ut nos confirmemur, & hostes infirmentur, quasi dicat, fiat per te, qui dictum ac factum potes eadem opera exhibere ad solum mandatum tuum. [b] Hebr. *salutes*, *ut sup.* 42.6. [9] si tantum præciperes: metaphora a feris pugnantibus, ut Deut. 33.17. [10] tertius locus a predicatione gloriæ Dei in Ecclesia ejus. [11] vide in Psal. 3.3. [12] quasi dicat, tantùm abest ut res a majoribus auditas nobis in præsentia præstes, te Deum nostrum ostendas, & gloriæ tuæ consulas, ut contra jacere omnia videantur. Altera pars Psalmi, propositio: cujus partes sunt duæ, expostulatio malorum acceptorum & perpessionum ecclesiæ, usque ad vers. 17. & professio fidei animique sui in Deum integri per medias calamitates, a ver. 18. ad 24. [13] i. non adfueris & adjuveris nos: quod sequentium versuum narratione confirmatur. [c] Hebr. *cibi*. [14] i. quæ mox mactandæ & cibo futuræ sunt, ut infrà 23. [15] vide 1. Schem. 14.22. [16] i. gratis alienasti nos sine emolumento tuo; humanitus dictum a re forensi. [d] Hebr. *pro non opibus*. [17] vide 2. Reg. 19.20. [18] i. duobus modis excruciamur; primùm propter gloriam Dei, quam impii protervè blasphemant; deinde propter mala nostra, quibus inhumaniter obruimur. [19] Secunda pars propositionis, professio integritatis suæ erga Deum in gravissimis afflictionibus, ut observatum est in ver. 10. Sunt autem duo integritatis quam profitentur capita prolepticè expressa hoc versu; ipsos non oblivisci Dei, & non mendaciter agere in fœdus illius: quæ utraque inficiatio sequentibus versibus per *ὑπόφορα* exornatur; deinde affirmatio contraria ex adverso subjicitur ver. 23. [20] confirmatio posterioris membri, duobus versibus ab integritate animi operúmque suorum, quæ synecdochicè a propheta describuntur. [e] Hebr. *cor nostrum: sic infrà* 22. [21] i. nos velut in mare profundissimum & abyssum calamitatum demerseris: metaphora. [22] Confirmatio hypothetica prioris membri prolepseos qua usus est ver. 18. a testificatione conscientiæ suæ & justitia Dei. [23] i. quantumvis fortitudinis nomine apud cultores suos commendatum. [24] Confirmatio causæ perpessionum suarum, nimirum martyrium gloriosum pro Christo: vide Rom. 8.36. [f] Hebr. *mactationis*. [25] conclusio petitoria, qua propheta humanitùs implorat opem Dei per gradationem, ut evigilet, exsurgat, opem ferat, & liberet, versu ultimo: quæ petitiones suis deprecationibus, interrogationibus, & querelis exornantur. [26] id est, non demonstrares te recordari nostri. [27] i. proximè absumus a morte: hyperbole. [28] i. quantum nobis opus est, ut ex hisce calamitatibus liberemur.

PSALMUS XLV.

Psaltes nuptias Christi cum ecclesia celebrat: utramque elegantiæ, officii, gloriæ, & fructuum ex matrimonio spirituali venturorum nomine commendat: & publica laudatione canticum terminat.

Magistro symphoniæ in posteris Korachi ad [1] hexachorda, [2] didascalicum [3] canticum [4] [a] amicarum.

2 [5] Ebullit [b] animus meus verbum bonum; dicturus sum ego poemata mea de rege; lingua mea *est* stylo, *ut* scribæ promtus.

3 [6] Multò pulchrior effectus est filiis hominum: infusa est gratia labiis tuis; [7] propterea benedixit tibi Deus in seculum.

4 [8] Accinge gladium tuum super femur, [9] ô robustissime; [10] *gladium* gloriæ tuæ & decoris tui:

5 Et decore tuo [11] [c] prospere equita cum verbo [12] veritatis, & proloquere justitiam: & [13] ede documenta tui terribilibus *gestis* dexteræ tuæ.

6 Sagittis tuis [14] acutis, [15] populi sub te procident, ex animo *procident* [16] inimici regis.

7 [17] Solium tuum, ô Deus, in seculum & sempiternum; sceptrum [d] rectum *est* sceptrum regni tui.

8 Dilexisti justitiam, & odisti improbitatem; [18] propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus [19] oleo gaudii præ [20] consortibus tuis,

9 [21] Myrrha & santalis, [e] casiáque omnia vestimenta tua; *prodeuntia* e templis [f] eburneis,

[1] vox Hebræa variæ quidem est significatione, sed originis certæ; deducitur enim ab altera voce Hebræa quæ significat sex, ut docet Kimchi: quamobrem tam de instrumento hexachordo, quàm de floribus liliorum dicitur, quia his sena sunt folia, & illis chordæ senæ. Nos verò ex ambigua voce eam interpretationem elegimus, quæ rebus magis convenit. [2] i. ad usum ecclesiæ ad docendum & informandum eam de sacrosancto conjugio Christi. [3] id est, epithalamium, quod paranymphi cecinerunt Schelomoni quum filiam Parhonis duceret. Est autem hoc canticum epithalamium, ut dixi, generis laudativi, typicè quidem de Schelomone dictum; sed propriè ad magnum illud mysterium conjugii quod Christus cum Ecclesia init, pertinens, ut pluribus locis ostendetur. Ejus partes sunt quattuor, exordium, versu 2. laudatio sponsi, a versu 3. ad 10. laudatio sponsæ, a versu 10. ad 18. & conclusio versu 18. [4] id est, quas amore suo ad nuptias invitavit, & sibi amore conjunxit: vide infrà versu 10. [a] Hebr. *dilectarum*. [5] Exordium, ut vocant, floridum: quo pii proponunt se animo, ore, manibusque omnia effecturos quæ ad celebrandum conjuges & conjugium sacrum pertinebunt. [b] Hebr. *cor meum*. [6] secunda pars psalmi, laudatio sponsi: quæ tenuissima ex parte Schelomoni competit, omnibus verò numeris Christo accommodanda est. sunt autem hujus laudationis loci, commendatio elegantiæ, vultus, & sermonis, hoc versu: hortatio a potentia magnifica, ad administrationem regni, tribus sequentibus: & majestatis gloriæque sempiternæ prædicatio, versu 7. 8. & 9. quorum omnium origo est, a patre, qui filium unxit & dedit ei spiritum sine mensura, Joan. 3.34. Quamobrem etsi hæc in speciem Christo minimè videntur adfuisse dum in forma servi ambulavit; non dubium est tamen quin propria sint illius: prout docemur Evangelio quædam in ipso consummata esse & alia in dies consummari. [7] nimirum ut omnes elegantia gratiáque superares, ac potiùs in omnibus auctor esses elegantiæ & gratiæ. [8] i. arma tua regia: quæ in Schelomone quidem fuerunt carnalia, in Christo verò gladius est spiritualis verbi procedentis ex ore ipsius, de quo Jesch. 11.4. Heb. 4.12. & Apoc. 1.16. [9] epitheton Christi, cui omnis potestas data est in cælo & in terra: & cujus armis omnes munitiones subvertimus, ratiocinationes, omnémque sublimitatem quæ extollitur adversus cognitionem Dei, &c. 2. Corinth. 10.4. & sequentib. [10] i. gloriosissima arma majestatis tuæ; hypallage. [11] i. exsequere administrationem tuam ita instructus dominus: ideóque regia hæc administratio sequentibus verbis exponitur, tum erga bonos, hoc versu tum etiam contra improbos, versu sequente. metaphora a forma principum terrenorum. [c] Hebr. *prosperare equita; simile vide* 1. *Schem*. 2.3. [12] i. veræ religionis & Evangelii quæ imprimis est a vero principe procuranda. [13] i. verbum justitiæ Dei qua justificas impium. [14] i. commonstret omnibus & probet administrationem tuam, quæ tibi apud omnes reverentiam conciliet. [15] i. ad transfigendum commodissimæ. Hæc autem dicuntur typicè de evangelica administratione Christi; quæ aliis est odor vitæ ad vitam, aliis verò mortis ad mortem, 2. Corinth. 2.15. & 16. [16] ut Rom. 5.6. vide infrà 110.3. [17] majestatis, justitiæ, & gloriæ divinæ in Christo descriptio ex donis & vocatione Dei: nam hæc ad Schelomonem minimè pertinere, tum ipsa verborum series ostendit, tum Apostolus ad Hebræos 1.8. [d] Hebr. *rectitudine*. [18] i. in hunc finem plenitudinem spiritus accepisti, ut ista præstes, & ex plenitudine tua omnes accipiamus gratiam pro gratia, Joannis 1.16. [19] i. unctione spiritus, per quem regnum Dei est justitia, & pax, & gaudium in Christo: Rom. 14.17. hæc typicè de Schelomone dicta & ex parte facta, ut docetur 1. Regum, plenum in Christo complementum habent. Oleum autem synecdochicè pro unguento accipimus, ut ferè fit in scriptura: cujus unguenti descriptio attingitur sequente versu. [20] i. Christianis, qui tui & dignitatis tuæ participes fiunt per fidem. [21] id est, unguento confecto ex istis præstantissimis & odoratissimis generibus aromatum. [e] Hebr. *casiis*. [f] Hebr. *eboris*.

22 præ iis qui lætificant te.

10 [23] Filiæ regum inter [24] [h] charas tuas: collocata est conjunx ad dexterâ tuam cum insigni auro Ophirio.

11 [25] Audi filia, ac vide, & inclina aurem tuam: obliviscerέque populi tui & domus [i] paternæ tuæ:

12 Et delectabitur rex pulchritudine tua: cùmque sit dominus tuus, incurva te *habens honorem* ei.

13 [26] Tunc filiæ Tyri cum munere faciem tuam precabuntur, divites in populo.

14 Tota honorata filia regis intrò, [27] fundis aureis vestita,

15 Cum phrygianis deportatur ad regem; [28] virgines post eam amicæ ejus adducuntur ad te:

16 Deportantur cum [k] summa lætitia & exsultatione, intrant in palatium regis.

17 [29] Loco parentum tuorum erunt filii tui: præpones eos [30] principes in tota terra.

18 [31] Memorabo nomen tuum [l] in unaquaque ætate; [32] idcircò populi celebrabunt te in seculum & sempiternum.

22 id est, odoratior es, & odoratiora vestimenta tua, quàm sit odor eorum qui comitantur te, & se nuptiis tuis adjungentes, prædicant te eque exhilarant. Sunt autem illi Christiani, quibus uti Joannes amicus sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, Joannis 3.29. 23 tertia pars Psalmi pertinens ad ecclesiam sponsam Christi, cujus fuit typus filia Pharhonis quæ Schelomoni nupsit. Sunt autem tria similiter hujus laudationis capita: primum est, commendatio ipsius reginæ & comitatus ejus, hoc versu; secundum, hortatio ad officium conjugale, fidem, obsequium & honorem exhibendum Christo, ver. 11. & 12; tertium, gloriæ adjunctæ & consequentis prædicatio, cæteris versibus. 24 i. quas sola tua charitate complexus, ad nuptias invitasti, & cooptasti in comitatum pretiosissimum sponsæ tuæ, ut amicas vocavit supra ver. 1. [h] *Heb. pretiosas.* 25 hortatio, ut dictum est versu præcedente. [i] *Heb. patris tui.* 26 tertium laudationis caput, prædicatio gloriæ quam ecclesia in Christo præceptura est; primùm præsentis, velut in ipso nuptiarum tempore, usque ad versum 16. deinde eventuræ ex conjugio Christi, nimirùm quòd plurimos & potentissimos liberos ipsi genitura est, versu 17. 27 i. vestimentis, quæ fundis ex auro, & insitivis gemmis circumfulgebunt: omnia (ut sæpè jam diximus) allegorica. 28 apostrophe ad sponsam; qua celebratur gloriosus adventus sponsæ; & fructus ex ea perventuri ad Christum prænunciantur, sequente versu. [k] *Heb. cum lætitiis.* 29 vide Jescha. 49. & 60. quasi dicat, nunquam desitura est, sed perpetuò mansura generatio tua. 30 i. consortes cælestis regni, & reges in Christo, Apoc. 1. 6. Nam hæc non possunt de Schelomone accipi; qui unicum filium habuit regem, & quidem lacerati regni. 31 i. statuam monumenta laudis tuæ quæ semper in ecclesia durent: conclusio. [l] *Heb. in omni ætate & ætate.* 32 quia his monumentis fuerint informati de gloria nominis tui: ut supra 22. 23.

PSALMUS XLVI.

Psaltes Dei beneficentiam erga pios, & piorum adversis rebus fidem in Deum prædicat, ex præsentia & operibus Dei: ideóque gentes provocat ad cognoscendum ex operibus Deum: & fiducia prædicatione concludit canticum.

MAgistro symphoniæ in posteris Korachi [1] ad acutam symphoniam, [2] canticum.

2 [3] Deus nobis *est* receptus & robur; auxilium in angustiis [a] præsentissimum.

3 Idcircò non timeremus, [4] si commutaret terra *locum*; aut si dimoverentur montes *depulsi* [b] in ima maria:

4 Fremerent, [5] lutosæ fierent aquæ [c] cujusque illorum; commoverentur montes elatione ejus maximè.

5 [6] Flumen, rivi ejus, lætificant [7] civitatem Dei; [8] sanctissimum *locum*, [9] habitacula excelsi.

6 Deus *est* in medio illius, non dimovetur illa; adjuvat illã Deus [10] ab appetente matutino.

7 Frementibus gentibus, moventibus se regnis; edit vocem suam, [11] liquefit terra.

8 [12] Jehova exercituum nobiscum *est*, locus editus *est* nobis Deus Jahakobi maximè.

9 [13] [d] Agite, videte opera Jehovæ, [14] ut disponat desolationes in terra,

10 Faciens ut cessent bella usque ad extremitatem terræ; arcum perfringat, & truncet hastam, currus comburat igne,

11 [15] *Dicens*, desistite & agnoscite me esse Deum; me exaltatum iri [16] in gentibus, exaltatum iri in terra.

12 [17] Jehova exercituum nobiscum *est*, locus editus nobis Deus Jahakobi maximè.

1 vide 1. Chron. 15. 20. 2 canticum est didascalicum ex duabus partibus constans, propositione, cum exornatione propositionis, usque ad vers. 9. & hortatione, ad finem usque. 3 propositio continens capita duo; unum præsentissimæ Dei beneficentiæ erga nos, hoc versu: alterum, fidei nostræ in eum constantissimæ, vers. 3. & 4. [a] *Heb. præsens valdè.* 4 Concessio hyberbolica, quam sequentia verba explicant, ad demonstrandam gloriosam πληροφορίαν fidei. quasi dicat, ne his quidem rebus percellar fretus præsẽtia Dei; tantùm abest ut me perterrefaciant omnia finitimorum bella, de quibus 2. Schem. 8. & 1. Chro. 18. [b] *Heb. in cor marium.* 5 gravi agitatione fluctuum, & terræ cum mari conturbatione: quæ similitudo habetur Jescha. 57. 24. [c] *Heb. ejus.* 6 i. populus Dei urbem & Judæam totam incolens, quantumvis reluctante & invito mundo, tam certa fiducia conquiescit in Deo, ut flumine hoc contentus sit & perexiguis rivis ad defensionem sui. Est autem hoc flumen Kidron ex Gichone superiore & inferiore, ex Schiloacho, aliisque rivulis profluens, & ambiens dimidium urbis: ut ex plurimorum locorum inter se comparatione constant. 7 i. Jeruschalaima, quò veniebant cives & populares Dei ad sacros cœtus. 8 i. Tzijonem, quò fuerat importata arca. 9 i. regionem totam, quam Deus sibi vindicavit, populóque suo habitandam dedit, 10 i. opportunissimè, quumprimùm opus est: sic Exod. 14. 27. 11 i. incolæ terræ diffluunt ad solam illius vocem. 12 summa gloriosæ prædicationis fidei, concludens priorem partem quæ iisdem planè verbis alteram quoque concludit in fine Cantici. 13 altera pars cantici, hortatio ad omnes, ut opus Dei observent, duobus versibus; desinant maledicere, & agnoscant Deum ab operibus, v. 11. ac postremò fideles prædicantes audiant. [d] *Heb. venite.* 14 scilicet & perditis inimicis. 15 prosopopœia; qua ostendit Psaltes quum judicia ista exequitur Deus, perindè esse atque si palàm clamaret & pronunciaret documenta suæ naturæ, majestatis, & gloriæ. 16 invitis aut volentibus, invitos quidem perdendo, obsequentes verò servando ad gloriam meam. 17 conclusio, ut suprà versu 8.

PSALMUS XLVII.

Ecclesia Judæorum hortatur gentes ad gratulandum Christo & prædicandum eum, primùm a communi ipsarum vocatione ad Evangelium, deinde a potentissima regni Christi administratione & gloria.

MAgistro symphoniæ in posteris Korachi, [1] psalmus.

2 [a] Omnes populi [3] plaudite manu, clangite Deo voce [a] canora.

3 [4] Nam Jehova excelsus reverendus, rex magnus *est* super totam terram.

4 [5] Cogit in caulam populos [6] in locum nostrum, nationésque in locum pedum nostrorum.

5 [7] Seligit [8] nobis possessionem nostram, [9] excellentiam Jahakobi quem diligit maximè.

6 [10] Ascendit Deus [11] cum clangore, Jehova cum sono buccinæ.

7 Psallite Deo, psallite: psallite regi nostro, psallite.

8 [12] Nam rex totius terræ *est* Deus, psallite *psalmo* [13] didascalico.

9 Regnat Deus super gentes; Deus [14] insidet solio sanctitatis suæ.

10 [15] Voluntarii populorum congregantur, populus Dei Abrahami; [16] quia Dei *sunt* [b] protectiones terræ; valdè excelsus est.

1 Psalmus est didascalicus in genere laudativo, continens partes duas; unam, qua hortatur gentes ut Christo adventanti gratulentur, & regnum suum statuenti in nobis prædicatione Evangelii, usque ad versum 6. alteram, qua hortatur ut Christo exaltato in majestatem regni psallant & confidant, inde ad finem usque. 2 propositio prior hortationis, cujus argumenta tribus versibus sequentibus exponuntur.

3 i. læti & hilares adventanti Christo quibuscumque signis potestis gratulamini: simile vide Nachum. 3. versu ultimo. [a] *Hebr. cantus.* 4 *αἰτιολογία* hortationis a natura officióque Christi, hoc versu, & effectis regni ejus, duobus sequentibus. Est autem hic Jehova Christus, cui omnis potestas data est in cælo & in terra. 5 primus effectus regni Christi, vocatio gentium in communionem gratiæ ac velut in Judæorum caulam, ut fiat unum ovile & unus pastor, Joan. 10. versu. 16. soluto septo intergerini parietis, & utrisque in uno corpore reconciliatis Deo per crucem, Ephes. 2. 14. prout fuerat a Noacho prædictum Gene. 9. 27. sic autem accipiendum esse hoc verbum, docent probatissimi Hebræorum scriptores, R. Jehuda, & Aben Hezra. 6 i. in caulam nostram, ut simus unum ovile. 7 secundus effectus regni Christi; quòd etsi hic in unum ovile cogimur, tamen ille longè melius nobis prospicit, cõparans hæreditatẽ incorruptam, quæ nec contaminari potest, nec marcescere, nobis servatam in cælis, 1. Petr. 1. 4. 8 & Judæis & gentibus, qui gratulantur Christo: nam Ecclesia Judæorũ hic appellat gentes, & adhibet in communionem gloriæ. 9 i. omnia illa excellentissima promissa & dona, quæ Jahakobo facta sunt, ut perveniant ad totum Jisraëlem Dei. 10 transitio ad alteram propositionem, ab occasione gloriæ in quam Christus ascendit tradito evangelio. 11 i. gloriosissimè, ut victor triumphans; prout explicat Apostolus ad Coloss. 2. 15. humanitùs dicta. 12 *αἰτιολογία* hortationis a regno universali Christi; cujus descriptio subjicitur tum a majestate ipsius, sequente versu; tum a fidelium se illi sistentium obsequio, vers. 10. 13 ut supra 32. 1. quasi dicat, quo informetis alii alios de regno ipsius, & officio vestro. 14 ad dexteram patris. 15 i. quicumque ex populis se subjiciunt ei voluntariè. 16 causæ cur pii ad Christum confugiant duæ: potentissima administratio regni, & summa ejus gloria. [b] *Hebr. scuta.*

PSALMUS XLVIII.

Psaltes Deum celebrat & gratias ei agit de salute in Judæos collata; pericula præcedentia explicat: fidem piorum confirmat liberationis acceptæ nomine: & ecclesiam hortatur ad recognoscendam veritatem promissionum Dei.

[1] CAnticum & psalmus, [2] posteris Korachi.
2 [3] Magnus *est* Jehova, & laudatus val-
dè, [4] in civitate Dei nostri, monte sanctitatis
ejus:
3 [a] [5] Ornamento [6] tractus, gaudio totius ter-
ræ [7] monte Tzijonis, [8] lateribus Aquilonis, [9] ur-
be regis magni.
4 [10] Deus in palatiis ejus, agnoscitur pro lo-
co edito.
5 [11] Nam ecce [12] reges convenerunt, pro-
gressi sunt pariter:
6 Ipsi [13] viderunt, [14] similiter admirati sunt,
[15] conturbati sunt, accelerârunt *abitum.*
7 [16] Tremor prehendit eos illic, dolor ut
parturientis.
8 [b] [17] Euro perfringis naves Oceani.
9 Quemadmodum [18] audiveramus, ita vi-
dimus in civitate Jehovæ exercituum, in civita-
te Dei nostri; Deus stabilit eam in seculum usq;
maximè.
10 [19] Cogitamus ô Deus benignitatem tuam
in medio templo tuo:
11 [20] Sicut nomen tuum, ô Deus, sic laudem
tuam *esse* usque ad extremitates terræ: justitiæ
plenam esse dexteram tuam.
12 Lætetur mons Tzijonis, exsultent filiæ
Jehudæ propter [21] judicia tua.
13 [22] Circuite Tzijonem, & cingite eam;
numerate turres ejus:
14 Apponite [c] animum vestrum ad præmu-
nitionem, attollite *oculos ad* palatia ejus; [23] ut
enarretis generationi posteræ.
15 Nam hic Deus Deus noster *est* [24] in secu-
lum & sempiternum; hic nos deducturus est ad
mortem usque.

1 id est, Cantio quæ simul voce & instrumentis ad symphoniam canebatur: sic enim hanc & similes psalmorum inscriptiones accipimus, in quibus legitur canticum psalmus, aut e converso psalmus canticum: hoc tantùm discrimine, quòd canticum psalmum incipiebat vox cantorum modulari & præeuntem sequebantur instrumenta musica: at Psalmi Cantici modulationem incipiebant musici Psaltæ, præibàtque musicorum instrumentorum modulatio voci. Est autem hic psalmus generis ἐπαινετικοῦ καὶ εὐχαριστικοῦ, continens primùm propositionem laudandi Deum, usque ad versum 5. deinde confirmationem propositionis per narrationem acceptæ liberationis usque ad versum 10. postremò professionem certæ in Deum fiduciæ & gloriosam prædicationem illius, ad finem usque. Videtur verò occasionem hujus psalmi canendi dedisse liberatio divinitùs facta, quum Pelischthæi aliquoties ascendissent omnes ad quærendum Davidem contra Tzijonis propugnaculum, 2. Schemuel. 5.17. & sequent. 2 ut suprà 42.1. 3 Propositio laudativa, primùm majestatis Dei a singulari beneficio ejus in populum suum & civitatem obsessam, hoc versu: deinde Jeruschalaimorum, quo velut instrumento suos servavit Deus, vers. 3. & 4. 4 ubi Deus celebratur ex lege, id est, Jeruschalaimis, quæ vindicans ab hoste Deus salute data magnificaverat sese. a *Hebraicè, pulcritudo tractus.* 5 id est, hic locus is est quo liberantur a malo, & ornantur bonis omnibus, ac recreantur Judæi profligatis hostibus. 6 totius Judææ, ut sequentibus verbis exponitur. 7 id est, ἀκροπόλει sive propugnaculo Jebusi in Tzijone sito, quod civitas Davidis dictum est, 2. Schemuel. 5.7. synecdoche. 8 id est, templo imposito monti Morijæ in summa Tzijonis parte, Aquilonem versus. 9 id est, totis Jeruschalaimis, quæ metropolis fuit regni Davidici, & typus Ecclesiæ quæ est regnum Dei, vide Matth. 5.35. 10 id est, ut regio tota ornatur urbe, sic urbs ornatur Deo; qui commune est perfugium utriusque, urbis & regionis. 11 secunda pars psalmi, narratio; primùm rerum gestarum, usque ad versum 9. deinde documentorum & fidei ex rebus gestis confirmatæ, ver. 9. 12 id est, Principes & Satrapæ Pelischthæorum, ut ante dicebamus. 13 stragem divinitùs editam, ut antè dictum est. 14 Videntes uno quasi momento stragem suorum incredibilem. 15 rei novitate & magnitudine attoniti reversi sunt cum pudore vultus. 16 consternationis ex repentina clade descriptio, illustrata duobus similibus, parturientis & naufragi. b *Hebraicè, vento Orientali*, 17 apostrophe ad Deum epiphonematica: qua ostendit psaltes quàm facilè res hominum firmissimæ a Deo perrumpantur. 18 tum ab exemplis & documentis majorum, tum prædictione singulari, 2. Schemuel. 5.19. & 23. 19 tertia pars psalmi, continens primùm professionem gratæ recordationis beneficiorum quæ Ecclesia accepit a Deo, hoc versu & sequente; deinde hortationem ad Ecclesiam, ut lætetur, recognoscat, & prædicet beneficia Dei præterita, præsentia, & futura. 20 id est, ut natura & majestate infinitus es, sic etiam laudem tuam infinitam esse, & commendationem nominis. 21 in ulciscendis adversariis, & servandis nobis: quod posterius membrum per hypotyposin sequentibus versibus exponitur. 22 id est, lustrate muros & recognoscite, si fortè vel tantillùm labefactati sunt: sic ostenditur complementum promissionum Dei. c *Hebraicè, cor vestrum.* 23 finis hortationis, prædicatio gloriæ Dei. 24 id est, inde a diebus priscis fœdus initum servaturus, & populo suo salutem præstiturus est.

PSALMUS XLIX.

Psaltes comparatis ad audientiam animis piorum, fiduciam suam in Deum prædicat, & securitatem de resurrectione carnis ac vita æterna: vanitatem eorum qui aliis rebus confidunt, earum rerum incertitudine hominumq; exitio explicat: ac postremò pios ab illorum exemplo dehortatus, ad sui imitationem vocat.

MAgistro symphoniæ in posteris Korachi, [1] psalmus.
2 [2] Audite hæc omnes populi; auribus per-
cipite omnes habitatores mundi:
3 Tum nati *plebeio* homine, tum nati *præ-
stante* viro: simul dives & egens.
4 Os meum loquuturum est [a] variam sapi-
entiam, & meditatio animi mei multiplicem
prudentiam.
5 [3] Inclinans ad parabolam aurem meam,
pandam in cithara [4] ænigma meum.
6 [5] Cur timerem [b] temporibus mali [6] *ut*
iniquitas [c] vestigiorum meorum circumdet me?
7 [7] Eorum qui confidunt in opulentia sua, &
in multitudine divitiarum suarum gloriantur;
8 Fratrem [d] nullo modo redimere potest
quisquam, non dare Deo redemturam ejus:
9 (Est enim cara redemtio vitæ eorum; [8] imò
cessat in seculum)
10 Ut vivat adhuc in æternum, non [e] expe-
riatur corruptionem.
11 [9] Nam videt, [10] sapientes mori; pariter
stultum & brutum perire, ac relinquere aliis opu-
lentiam suam.
12 [f] [11] Animus *fuit* illis domos suas in secu-
lum, habitacula sua in quamque generationem
statui; *quum ea* vocarent de nominibus suis per
terras.
13 [12] Neque tamen homo *qui* in honore *est*,
[g] commoraturus est; [13] similis fit jumentis,
[14] *quæ* intereunt.
14 [15] Hæc *quum sit* via istorum, [16] exspectatio
est eis; & [h] posteri eorum [17] os eorum appro-
bant maximè.
15 [18] Tamquam pecudes, in sepulcro [i] dispo-
sitos mors depascet eos; [19] donec dominentur

1 Psalmus est διδασκαλικός, tres partes continens; exordium, usque ad versum 6. propositionem elegantissimam securitatis ex fide, a ver. 6. ad 17. & conclusionem hortatoriam ad omnes pios Prophetæ exemplo, inde ad finem usque. 2 Exordium audientiam faciens; primùm a persona auditorum, ad quos hujus psalmi documenta ex æquo pertinent, ver. 2. & 3. deinde a materia sive argumento, quod duobus nominibus commendatur, tum a natura ipsius, quod sapientiæ argumentum est & intelligentiæ, ver. 4. tum etiam a forma, ver. 5. a *Heb. sapientiæ, & meditatio cordis mei intelligentias.* 3 id est, attendens sollicitè, ad eamq; audiendam & percipiendam meipsum vobiscum fideliter comparans, & ex meipso exemplum statuens, vers. 6. quod genus scriptionis vocatur parabola. 4 i. insignem sententiam allegoricam: nam allegoriam sive perspicuam sive obscuriorem, ænigma Hebræi vocât; cujusmodi est ℣. 13. & 21. 5 altera pars psalmi, propositio christianæ fiduciæ & securitatis in Deo adversus omnia mala præsentis & futuræ vitæ per interrogationem, cujus subjectio sive responsio habetur sequent. primùm κατ' ἀναίρεσιν humanorum atq; fallacium studiorum, ad vers. usq; 16. deinde κατὰ θέσιν & affirmationem veram, vers. 16. Amplificat autem gloriosam hanc fiduciæ suæ prædicationem Psaltes primùm interrogatione hac, quam modò diximus; deinde comparatione humanæ illius fiduciæ, quæ aut in opulentia, aut in honoribus, aut in gloria, aut in vitæ luxu, ac non in Deo collocatur: quorum omnium tum præsentem instabilitatem docet, tum etiam miserum eorû qui illis confidunt exitum; ac proinde statuit sibi nihil metuendum esse, ut qui rebus istis incertis miserisq; omissis conquiescat in Deo. b *He. diebus.* 6 i. ut ex infirmitate vitæ meæ in qua incedo circumveniar calamitatibus, & malè sic mihi: allegoria. c *He. calcaneorũ.* 7 Exornatio superioris fiduciæ per antithesin contrariorum studiorum quibus hæc vita traducitur: ut dictû est superiore ℣. Est autem primum studium, opulentia, usq; ad ℣. 12. d *He. non redimendo redimet.* 8 i. nunquam potest persolvi Deo: correctio. e *He. videat, synecdo.* 9 ætiologia cur non possit quisquã fratrẽ redimere: nam, inquit Psaltes, conscius est quisq; hujus rei natura sua, & communi experientia exemploq; omnium. 10 ut Ecclesiastæ 3.19. f *He. in medio suo domos suas in seculum, habitacula sua in ætatem & ætatem vocant, &c.* 11 i. gloriam conciliare nomini suo student magnificis operibus hîc illic exstructis. secundum studium, gloria celebritasq; nominis. 12 i. non ampliùs utilitatis accipiet ex honoribus suis, quàm superiores ex opibus: & ne unâ quidem nocte potest per honores suos consistere. g *He. pernoctabit.* 13 vide Ecclesiastæ 3.19. 14 i. pecoribus morticinis, quæ nullius sunt usus nisi projiciantur. 15 i. quæ quum ita sint; quum neq; opulẽtia, neq; honores, aut gloria cultoribus suis sint adjumento; tamen adeò desipiũt ipsi & ipsorum posteri, ut exspectationem suam in illis collocent: amplificatio stultitiæ ab infœlice eventu, quem exponit seq. ℣. 16 i. amplissimas nihilominus sibi exspectationes fingunt ipsi & ipsorum posteri. h *Heb. post eos.* 17 id est, sententiam, mentem, verbaq; metonymicè. 18 morticinas putà in cloacis, exquiliis, vel puticulis projectas. Ellipsis ἀνάλογος. i *Heb. disponunt, ut Ijobi 7.3.* 19 in Christo, cujus regni participes futuri sunt recti,

[20] quo resurgunt pii quasi ex nocte sepulcri; quum videlicet sol justitiæ orietur Christus secundo adventu suo: Maleaci 4. [21] id est, materiam hanc corpoream & aspectabilem, de integro animæ suæ adunatam. [k] *Hebr. consumendo.* [22] vox Hebræa stationem quamlibet mortuorum in universum notat permultis scripturæ locis: ideoq; modò ad sepulcrum, modò

eis recti [20] illo mane, & [21] formam eorum [k] con-
sumat [22] infernus *receptam* [23] ex habitaculo
[l] ejus.

16 [24] Enimverò Deus [25] redemturus est ani-
mam meam a [m] sepulcro, quum recepturus me
sit potentissimè.

17 [26] Ne timeto, quum dives evaserit quispi-
am; quum aucta fuerit gloria [n] domestica ejus.

18 Non enim in morte sua assumturus est il-
lius quicquam, non descensura est post eum glo-
ria ejus.

19 Quum [27] animæ suæ in vita sua benedixe-
rit, atque [28] celebraverint te quòd [29] benefacias
tibi:

20 [30] Ut perveniat usque ad ætatem majorum
ejus, in æternum *tamen* non sunt fruituri [31] luce.

21 [32] Homo *qui est* in pretio, neque est intel-
ligens; similis fit jumentis *quæ* intereunt.

ad infernum synecdochicè, modò ad utrumque simul pro ratione locorum accommodanda est: nos verò hic ita accepimus ut argumento, ordini judiciorum Dei, & sequenti antithesi convenientiùs esse judicavimus. [23] i. sepulcro, communi corporum humanorum sede usque ad diem resurrectionis: sic Ijobi 30.23. [l] *Hebr.* quod erat *ei.* [24] subjectio sive responsio ad securam illam & confidentem interrogationem, quæ habetur suprà vers. 6. postquam humani studii vanitas fuit explicata. [25] hoc est, daturus mihi resurrectionem carnis, & vitam æternam in Jesu Christo; qui meus est vindex a corruptione sepulcri, & inferni damnatione. [m] *Hebr. e manu sepulcri.* [26] Conclusio hortatoria ad omnes pios ex superiore hypothesi sive exemplo singulari Psaltæ: cujus summa est, non esse ferendum ut impiorum exemplis aut sollicitationibus abducamur; sed fidei & operibus ejus incumbendum: sumtis argumentis primùm a vanitate & incerto rerum quibus confiditur; deinde ab instabilitate & exitio personarum, versu ultimo. Est autem μίμησις in istis verbis, ne timeto: vide supr. in versu 6. [n] *Hebr. domus ejus.* [27] i. sibi gratulabitur, indulgebit genio, & negliget Deum: ut Deut. 29.19. [28] i. utcumque Dei jura cognoscant; non solùm contra faciant, sed etiam facientibus patrocinentur & faveant: Enallage numerorum frequens: vide Rom. 1.32. [29] i. indulgeas. [30] i. utcumque vivat quàm diutissimè. [31] vitæ æternæ; sed in opacitate tenebrisq; secundæ mortis permansuri. [32] amœbæus versus, respondens illis verbis quæ habentur suprà vers. 13.

PSALMUS L.

Psaltes Deum Tzijone habitantem a natura, majestate, gloria, operibus, & verbo maximè commendans, ecclesiam a Deo collectam docet rationem colendi eum foris ceremoniis, & intùs spiritu: improbos verò suæ improbitatis evincens palàm arguit, & ad bonam frugem revocat minis & promissionibus illius.

[1] Psalmus est didascalicus, constans ex duabus partibus; narratione prophetica, usque ad vers. 7. & propositione doctrinæ, ad finem usque. [2] i. ipsi aut posteris ejus traditus: vide 1. Chronic. 25.2.

[1] PSalmus, [2] Asapho. [3] *Deus* fortis, Deus Jeho-
va [4] eloquitur & [5] inclamat terram, ab ortu
solis usque ad occasum ejus.

2 E Tzijone, [a] [6] perfectissimæ pulcritudinis
loco, Deus [7] illucescit.

3 [8] (Veniat Deus noster, & ne surdum agat)
[9] ignis ante ipsum consumit, & circa ipsum pro-
cellosus valdè.

4 [10] Inclamat cælos supernè, & terram *in-
clamat*, [11] jus populo suo dicturus:

5 [12] Congregate mihi [13] quos benignitate
prosequutus sum, [14] qui icerunt [b] fœdus mecum
per sacrificium,

6 [15] Quando indicârunt cæli justitiam ejus,
Deum judicem esse summè:

7 [16] Audi popule mi, *inquit*, & eloquar;
Jisraël, & contestabor te: [17] Deus Deus tuus
sim:

8 [18] Non propter sacrificia tua arguam te,
ut holocausta tua sint [19] coram me jugiter.

9 [20] Non accipiam e domo tua juvencum, e
caulis tuis hircos:

10 [21] Quum mea sit omnis bestia sylvestris,
jumenta in montibus mille,

11 [22] Agnoscam omnes volucres montium,
denique animalia agrestia sint penes me.

12 Si esurirem, non dicerem tibi: nam mea
est terra habitabilis, & plenitudo ejus.

13 An vescor carne robustorum *juvencorum*,
aut sanguinem hircorum bibo?

14 [23] Sacrifica Deo laudem, & redde excelso
vota tua:

15 Atque invoca me tempore angustiæ; eri-
piam te ut honore afficias me.

16 [24] Improbo autem dicit Deus; Quid tua
ut enarres decreta mea, & assumas fœdus me-
um in ore tuo:

17 [25] Cùm tu oderis disciplinam; & projece-
ris verba mea post te?

18 [26] Simulac vides furem, acquiescis ei; &
cum adulteris *est* portio tua:

19 Os tuum [c] adhibes ad malum, & lingua
tua concinnas dolum:

20 Sedens fratri tuo obloqueris, in [27] filium
matris tuæ edis infamiam.

21 Hæc te faciente quia [28] agebam surdum,
cogitas [d] me prorsus esse similem tui: arguo te,
& [e] [29] dissero in oculis tuis.

[3] narratio hæc prophetica vice exordii fungitur ad conciliandam fidem & auctoritatem sequentibus documentis: continet autem duas partes universè; unam, qua proponit majestatem Dei comparantis sese ad Ecclesiæ gubernationem, 3. versibus; alteram, qua formã & usum gubernationis explicat usq; ad ver. 7. utraque verò pars certis argumentis confirmatur: videtur enim hic psalmus a Davide tum demum conscriptus esse, quum angelus Dei apparuit Davidi, & locum habitationis Dei designavit, 1. Chron. 21.18. & 22.4. postquàm triennii fame & triduana peste Jisraëlitæ afflicti sunt, 2. Schem. 21. & 24. [4] i. indesinenter testatum facit jus suum naturæ documentis in toto mundo, quod speciali quadam ratione populum suum docet salutari verbo & præsentia sua, sequente versu. [5] i. summa vi edocet, ut quum olim tradidisset legem, quam tradendo commovit terram: Exodi 19.18. & Hebræ. 12.26. [a] *Heb. perfectione pulcritudinis.* [6] id est, quem locum Deus perfectissimis & absolutissimis ornamentis temporariis & æternis decoravit; & cujus amore sedata est ira Dei; quia in eo fuit Christi & Ecclesiæ typus: sic supra 48.3. [7] i. gratiosam suam lucem exhibet demonstrato suæ habitationis loco: sic allegoricè ostendit gratiam Dei restitutam esse, post illas tenebras & calamitates superiorum temporum: sic Deuteron. 33.2. [8] oratio epiphonematica ecclesiæ, inserta narrationi παρέργως, ut psal. 132. 8. qua petit ecclesia, quandoquidem jam lux Dei Tzijone exoriri cœpit, ut dignetur ipse perficere quod cœpit suorum bono, adesse eis, & exaudire eos: ita transitur ad alteram narrationis partem, ubi propheticè exponit Psaltes formam gloriosam adventus Dei, & usum illius, sequentibus. [9] comes adventantis majestatis Dei. hæc autem sunt allegoricè translata ab eo tempore quo tradidit legem; Exodi 19. quod genus scribendi prophetæ frequentare solent: ut Chabakuk 3. quasi dicat, circumfulget gloria & potentia ad perdendum adversarios, & illustrandum suos.

[10] id est, auctoritate verbi sui illis, velut præconibus, testibus & administris utitur judiciorum suorum; sic exponit usum sive effecta adventus Dei. [11] quod exponitur infrà, inde a vers. 7. [12] prosopopœia, qua cæli & terra jubentur populum Deo sistere. [13] id est, Jisraëlitas, quos Deus prævenit beneficiis, Deut. 4. [14] id est, mecum in fœdus convenerunt aspersi sanguine sacrificii, Exodi 24. [b] *Hebr. fœdus meum.* [15] id est, postquam Deus dedisset legem, quo tempore cælum, & res cælestes omnes testimonium perhibuerunt potentissimè majestati Dei, & jus illius in populum confirmârunt. [16] altera pars psalmi, propositio documentorum: quæ ut priùs lege fuerant præstituta; ita hoc tempore erant ampliùs sancienda & religiosiùs observanda, designato ad cultum loco, Deuteronom. 12. sunt autem documentorum genera duo: unum, ad fideles pertinens, de cultu ceremoniali & vero, qui erat exhibendus Deo, usque ad versum 16. alterum, ad improbos, inde a vers. 16. Est autem hic versus quoddam velut exordium ad sequentia documenta, a fœdere mutuo Dei, & populi. [17] id est, persta in fide & fœdere meo: hæc summa mandatorum Dei & officii nostri; cujus duæ partes sequuntur; una ceremonialis, umbratilis, & temporarii, usque ad versum 14. altera spiritualis, veri, & æterni, vers. 14. & 15. [18] id est, non tantopere laboro aut infensus tibi futurus sum ceremoniarum nomine, quàm si frangatur veritas fœderis: hoc enim κατά τι accipiendum est, ut interpretatur propheta, 1. Schemuel. 15.22. [19] id est, mihi quotidie ex lege offerantur. [20] aut propter ipsa sacrificia, aut propter me; sed veritatem sacrificiorum accipio in Christo; hic enim ostendit Deus, sacrificia & ceremonias neque simpliciter aut per se ad cultum Dei & salutem necessarias esse, neque semper duraturas; sed tantùm quatenus præfigurabant Christum, donec plenitudo gratiæ & veritatis exhiberetur in eo. [21] ἐργασία sive confirmatio superioris propositionis; qua confirmat Deus se neque sua neque ipsorum causa egere sacrificii; primùm a jure dominii sui & administrationis in res omnes creatas, duobus versibus; deinde a natura sua, quæ sola est omnipotens & αὐτάρκης, vers. 12. & 13. [22] ut suprà accipitur hoc verbum 1.6. & Ijob. 40. & sequente. [23] altera pars officii nostri, ut observatum est suprà in versum 7. cujus mẽbra sunt duo; gratiarum actio, & professio accepti a Deo beneficii, hoc versu; deinde invocatio in rebus adversis: quibus officiis suæ promissiones conjunctæ sunt. Sunt autem hæc officiorum genera spiritualia, expressa allegoricè a ceremoniis legis: ut eo ampliùs ostendatur hæc demum esse sacrificiorum veritatem. [24] Secundum documentorum genus ad improbos pertinens; in quo tria prolepticè reprehenduntur; ipsorum sermones animo operibusq; adversantes, opera improba in universum, & animus impius, hoc versu: quæ posteà minutatim ostenduntur usque ad versum 21. deinde verò minis & promissionibus revocantur ipsi, in fine psalmi. [25] id est, animo & factis adverseris. [26] Confirmatio reprehensionis prolepticæ quâ usus est Deus, ab exemplis anteactæ vitæ, hoc versu; maledicentiæ, duobus sequentibus; & impuri animi, vers. 21. καθ' ὑπόφασιν. [c] *Heb. mittis in malum.* [27] id est germanum fratrem; utcumque magna sit vis sanguinis & necessitudinis a natura. [28] id est, copiosa benignitate, tolerantia, atque lenitate dissimulabam malefacta tua, & ultionem differebam: vide Rom. 2.3. & sequentibus. [d] *Hebr. me essendo esse.* [e] *Heb. ordino in oculis tuis.* [29] id est, malefacta tua oppono in os, & obtrudo invito ac reluctanti tibi, ita ut inficiari non possis.

30 secundus locus; revocatio improborum ad resipiscentiam, tum minis appositis, hoc versu; tum promissionibus, sequente: ut hæ ad bonum alliciant, illæ deterreant a malo.

22 [30] Animadvertite jam hoc obliviosi Dei;
ne rapiam, nec sit qui eripiat.
23 [31] Qui sacrificat laudem, honore afficit
me: & [32] qui componit viam, [f] faciam ut is fru-
atur salute Dei.

31 id est, vir bonus, de quo suprà vers. 14. 32 id est, observat & rectè instituit vitam suam. f *Hebr. faciam ut videas.*

PSALMUS LI.

David audita reprehensione & comminatione Dei; ipsius gratiam, peccatorum suorum remissionem & sui instaurationem petit; ut duce spiritu sancto suæ ipsius sanctificationi, aliorum institutioni, & Dei gloriæ possit incumbere: deinde orat pro salute totius populi, ac postremò votum de se ipsis consecrandis Deo & gratiis agendis nuncupant omnes boni.

1 Psalmus est *διδακτικὸς*, constans ex duabus partibus; petitione singulari a versu 3 ad 20. & petitione communi pro Ecclesiæ bono; quarum petitionum occasio exponitur secundo versu & 2. Schemu. 11. & 12.

2 Hujus petitionis, quæ singulari modo ad Davidem respicit, loci sunt duo; unus est postulatorum, alter caussarum quibus David ad hæc postulanda adductus est. postulata sigillatim apponuntur singulis caussis; caussæ verò sunt tres. prima est a persona supplicis, usque ad versum 11. nimirùm liberatio a peccato, & salutis communicatio: secunda est a persona aliorum, id est, Ecclesiæ ædificatio, inde usque ad versum 16. tertia est gloria Dei, inde ad versum 20. usque. Continet autem hæc prima petitio capita tria: primùm gratiam Dei, ut efficientem caussam: secundo abolitionem peccati, quæ allegoricis formis ex lege desumtis figuratur, his duobus versibus, & post caussæ explicationem amplificatur, vers. 9. tertiò lætitiam & pacem in spiritu ex duobus illis beneficiis consequentem, vers. 10.

MAgistro symphoniæ, [1] psalmus Davidis:
2 Quum venisset ad eum Nathan pro-
pheta, postquam congressus fuisset cum Bath-
Schebaha.
3 [2] Gratiam fac mihi, ô Deus, secundùm
benignitatem tuam; secundùm amplitudinem
miserationum tuarum, dele defectiones meas.
4 [a] Multùm ablue me ab iniquitate mea, &
a peccato meo munda me:
5 [3] Nam defectiones meas ego [4] agnosco,
& peccatum meum [5] obversatur mihi jugiter.
6 [6] Tibi, tibi soli peccaveram, [7] & quod ma-
lum *videtur* in oculis tuis feceram: *agnosco*, [8] ut
justificeris [b] in sermonibus tuis, purus sis [c] quan-
do tu judicas.
7 [9] En, [10] in iniquitate formatus sum, & in
peccato fovit me mater mea.
8 En, [11] veritate delectaris in præcordiis; &
in occulto sapientiam notam feceras mihi.
9 [12] Expiato me hyssopo, ut mundus sim;
abluito me, ut præ nive albescam.
10 [13] Facito ut audiam gaudium & lætitiam,
[14] exsultent ossa *quæ* contriveris.

a *Hebraicè, multiplica abluere: ut Genes. 12. 8.* 3 prima postulati caussa, ut dictum est in versu 3. nimirum confessio peccati ex seria & constante animi resipiscentia proficiscens. 4 id est, me his modis defecisse a te quos per Nathanem prophetam denunciâsti mihi; confitear hic coram te & propheta tuo, atque adeò coram tota ecclesia palàm, hoc psalmo exarato. 5 id est, urget me conscientia peccati mei. 6 id est, ita spreveram verbum tuum faciendo quod malum videtur in oculis tuis, 2. Schemu. 12, 9. ut tu solus tamen conscius esses malefacti mei, ibidem vers. 12. 7 uxorem proximi adulterando, maritum gladio infidelium occidendo, populum Dei exponendo, illam ducendo, denique peccatis meis tam diu indormiscendo. 8 id est, ut elucescat hac confessione mea & manifestum sit, quàm justè hoc nomine me reprehendas per prophetam tuum, & quàm sanctè judicia mihi denuncies ac denunciata exsequaris: hæc verba a singulari Davidis caussa ad generalem thesin optimè Paulus accommodat, Roman. 3. 4. b *Hebraicè in loqui tuo.* c *Hebraicè, in judicare tuo.* 9 amplificatio confessionis de peccato a naturali labe & tota anteacta vita inde ab utero. quasi dicat, quid vero hæc tantùm maleficia confiterer coram Deo & liberationem ab eo peterem? imò verò inde ab ortu meo reus sum primùm quidem peccati originalis, hoc versu; deinde etiam operum illius peccati habitantis in me, effectorum contra naturam, voluntatem, & legem tuam quam declarâsti mihi, sequente versu a quibus omnibus peccatis mundari expeto per misericordiam tuam. Sic psal. 119. 67. & Cant. 1. 6. 10 id est, iniquitatis & peccati reus sum in utero formatus & fotus: hæc enim non ad formam conceptus, formationis, & fotus; sed ad fœtus constitutionem pertinent. 11 id est, vera & syncera voluntate sequendi tui: nam voluntatis & cupiditatum sedes in scriptura renibus ferè tribuitur, nonnunquam præcordiis (nam, aic Tullius lib. 1. Tuscul. quæst. subter præcordia cupiditatem locavit Plato) ut sapientiæ & intelligentiæ sedes cordi: sic integritatem singularum animæ partium quam Deus imperat, opponit corruptioni suæ, quam superiori versu confessus est. 12 id est, aspergito me sanguine æterni illius sacrificii Christi quod figurabatur lege, Levit. 14. 7. & Num. 19, 18. synecdoche. 13 tertium membrum postulati primi, ut observatum est sup. ℣. 3. 14 ego ipse exsultem, quem tu severissimè atteris tum conscientia gravissimi peccati mei, tum horrore judiciorum quæ denuncias mihi.

11 [15] Absconde iratam faciem tuam a pecca-
tis meis, & omnes iniquitates meas dele.
12 [d] [16] Animum mundum crea mihi Deus, &
[17] spiritum firmum renova [e] intra me.
13 Ne abjicias me a facie tua, & spiritum
[f] sanctum tuum ne recipias a me.
14 Redde mihi gaudium salutis tuæ, & [18] spi-
ritu ingenuitatis sustentato me.
15 [19] Docebo defectores vias tuas, ut pecca-
tores ad te convertantur.
16 Libera me [20] a [g] sanguine, ô Deus, Deus
salutis meæ: [21] cantet lingua mea justitiam tu-
am.
17 Domine [22] labia mea aperias, & os me-
um annunciabit laudem tuam.
18 Nam [23] non delectaris sacrificio; ut dem:
holocaustum non vis.
19 [24] Sacrificia [25] Dei *sunt* [26] spiritus fractus;
animum fractum & contritum, ô Deus, [27] non
spernis.
20 [28] Benefac pro bona voluntate tua Tzijo-
ni, ædifica muros Jeruschalaimorum.
21 [29] Tunc delectaberis [30] sacrificiis justitiæ,
holocausto, & prorsus consumendo: tunc *pii* of-
ferent juvencos super altare tuum.

15 iteratio postulati primùm de abolendo peccato, hoc vers. secundò de gratia Dei communicanda, cujus effecta sunt instauratio & confirmatio nostri, instrumentum verò communicatio spiritus; postremò de lætitia & pace in spiritu, ut observatum est suprà in vers. 3. Caussa autem secunda vers. 15. exponitur. d *Hebr. cor.* 16 a peccatis, quæ abjecturus & deleturus es. 17 id est, constantem, qui non dimoveatur in posterum ab obsequio tuo. e *Hebr. in medio mei.*

f *Hebraicè, sanctitatis tuæ.* 18 id est, quo ingenuè sentiam & prædicem me esse filium Dei, & in libertate spiritus ambulem: quamobrem idem spiritus adoptionis dicitur, Roman. 8. 15. 19 secunda caussa: proximorum ædificatio. 20 id est, suppliciis capitalibus, quæ ego ipse meis sceleribus sum promeritus. g *Hebr. a sanguinibus.* 21 tertia caussa; gloria Dei, promovenda duobus modis, prædicatione hic & sequente versu, & sanctificatione animi studiosoq; obsequio, quo sistunt pii corpora sua hostiam vivam, sanctam, & acceptam Deo, Rom. 12. 1. versib. 18. & 19. 22 id est, his beneficiis des materiam novam laudandi nominis tui: ut psal. 40. 4. 23 id est, non sunt animantium sacrificia in quibus conquiescit animus tuus; sed nostræ ipsorum hostiæ in Christo. 24 i. hoc unum est instar sacrificiorum omnium, imò longè superat. 25 id est, accepta Deo, ut sequentia explicant. 26 i. velut comminutus & dejectus suæ infirmitatis & indignitatis conscientia. 27 i. æquissimo animo accipis: *μείωσις*. 28 altera pars psalmi, conclusio a petitione boni publici; cujus rationem David neglexerat, quum peccato suo provocaret Deum & populum ejus gladio inimicorum exponeret: quod allegoricè cum labe murorum comparatur; quia fideles sunt lapides vivi in domo Dei, 1. Pet. 2. 5. 29 altera pars conclusionis, votum de legitimis & acceptis Deo sacrificiis offerendis: quæ tunc quidem pro ritu ceremoniarum legalium offerebantur, nunc verò spiritu exhibentur in Christo. 30 vide psal. 4. 6.

PSALMUS LII.

David Doëgum accusatorem reprehendit scelerati facinoris, animi, & mendaciorum nomine: Dei judicia denunciat: Ecclesiæ gratulationem prædicat: & fide gloriatur se benignitate Dei fretum tandem aliquando in Ecclesia officia fidei præstiturum Deo.

1 constat ex tribus partibus; reprehensione & comminatione adversus Doëgum, usque ad versum 8. prædicatione lætitiæ quàm pii percepturi sunt ex judicio Dei, ad 10. usque; ac postremò gloriatione fidei, quam animo præcipiebat David, quum nondum ex calamitatibus emersisset, duobus ultimis: occasio explicatur secundo versu.

MAgistro symphoniæ, [1] *ode* didascalica Da-
vidis:
2 [a] Quum veniens Doëg Adomæus nunciâs-
set Schaüli, & dixisset ei; adivit David domum
Achimeleci.
3 [2] Quid te jactas in malo, ô potens? [3] be-
nignitas *Dei* fortis omni die *perdurat*.
4 Ærumnas excogitatas [a] depromis lingua
tua; [4] similis *est* novaculæ acutæ, ô artifex doli.
5 Diligis malum potiùs quàm bonũ; [5] menda-
ciũ quàm loqui justitiam, *diligis* vehementissimè.
6 [6] Dilexisti omnia verba [b] perniciosa, lin-

a *1. Schem. 22. 2.* 2 prima pars; increpatio, continet primùm reprehensionem, tribus versibus; deinde verò denunciationem justi judicii Dei, vers. 6. & 7. Reprehensionis loci sunt tres; pertinax maleficentia, hoc ℣. cogitatio, & sermo, ver. 4. & 5. 3 amplificatio perviciaciæ qua utebatur Doëg, a comparatione personæ & consiliorum Dei. q. d. frustrà laboras, utcunque glorieris; nam neque tu Deum expugnare potes, utcunque potens sis; neque tua improbitas benignitatem Dei perrumpere. a *Heb. excogitas lingua tua.* 4 ita saucias & occidis linguâ, ut culter tasorius secat: similitudo elegans, qua exprobrat David occasionem stragis, de qua 1. Schemu. 22. 16. & sequentibus. 5 nam Schaüli graviter conquerenti de servis suis, quasi conjurati cum Davide essent, assentans Doëg indicavit Achimelecum esse ex eorum numero. 6 comminationis caussa parasceuastica ad justitiam venturi judicii asserendam; quod multis similitudinibus exponitur, sequente versu. b *Hebr. pernicieï, linguam doli.*

7 quamvis excelsè & firmè exstructus tibi videaris.
8 ut candentem prunam e medio tollunt artifices, ne damnum afferat; secunda metaphora.
9 id est, amovebit, & quasi paxillum reprobum te refiget Deus; ne amplius Schaüli ministrare & ipsius domum adjuvare possis: tertia metaphora.

guam dolosam.

7 Etiam *Deus* fortis [7] demoliturus est te in æternum; [8] abripiet te, & [9] avellet te a tentorio; eradicabitq; te e terra viventiū vehementissimè.

8 [10] Quod videntes justi, [11] reverebuntur; & de isto ridebunt, *dicentes* :

9 Ecce virum illum, qui non proposuerat Deum robur suum; sed confidebat amplitudini divitiarum suarū; roborabat se in substantia sua.

10 [12] Ego verò ut [13] oliva virens in domo Dei, confido benignitati Dei in seculum & sempiternum;

11 [14] Celebrabo te in seculum quòd feceris *ista* : [15] & exspectabo nomen tuum, quia bonus *es*, coram eis quos benignitate prosequeris.

10 altera pars Psalmi, ut observatum est in ver. 1. 11 id est, reverenter Deum colent. 12 conclusio a gloriatione fidei, qua utitur David ostendens se in mediis calamitatibus securum esse certa spe salutis suæ: cujus nomine pollicetur se omnia officia fidei exhibiturum Deo. 13 id est, florens & fructum præstantem proferens in Ecclesia, abs qua nunc exsulare cogor. 14 prius officium fidei; laudare Deum secundis rebus. 15 alterum officium fidei, sperare in Deo quum res adversæ obveniunt.

PSALMUS LIII.

Eodem est argumento cum Psalmo 14.

1 vide sup. 5. 1.
a vide sup. Psal. 14. qui ut idem est argumento, ita etiam plurima ex parte cum hoc verbis consonat.

MAgistro symphoniæ [1] ad pneumaticum instrumentum, [a] *ode* didascalica Davidis.

2 Dicit stultus cum animo suo, non *est* Deus: corrumpunt, & abominandam perpetrant iniquitatem, non *est* qui faciat bonum.

3 Deus e cælis prospectat super filios hominum; ut videat an sit ullus qui intelligat, qui requirat Deum.

4 Quicumque est, retrocessit, simul putidi facti sunt: non *est* qui faciat bonum, non *est* vel unus.

5 An non sibi sunt conscii qui dant operam iniquitati, quòd exedentes populum meum edunt panem; Deum non invocant?

3 i. ubi nulla apparet expavescendi causa. q. d. a Deo nihil metuunt, ab hominibus metuūtur, & tamen suis terroribus & conscientiç stimulis agitantur.

6 Ibi expavescunt pavore, [3] *ubi* non *est* pavor: quia Deus [4] dissipat ossa *cujusque* castra habentis [a] [5] contra te: [6] pudefacis, quia Deus spernit eos.

7 O si quis det e Tzijone [b] omnimodam salutem Jisraëlis: reducente Jehova reducem turbam populi sui, exsultabit Jaħakob, lætabitur Jisraël.

4 i. penetrat & pertingit usq; ad intimas illorum partes, & valentissimas diffringit. a He. tibi. 5 apostrophe ad populum Dei. 6 eos qui populum Dei fuissent pudefacturi: ut Psalm. 14. b Hebr. salutes.

PSALMUS LIIII.

David a Ziphæis proditus Deum orat pro salute sua, & sceleratorum exitio: deinde promittit se accepto hoc beneficio amplius culturum & prædicaturum Deū.

a Hebr. in pulsationibus: ut Psal. 4. 1.
1 id est, ad documentum ecclesiæ proposita. Est autem generis ἰωντικοῦ, constans ex duabus partibus; petitione usque ad versum 8. & conclusione votiva, duobus ultimis: occasio verò indicatur secundo versu.

MAgistro symphoniæ [a] fidium, [1] *ode* didascalica Davidis:

2 [B] Quum venientes Ziphæi dixissent Schaüli, an non David latitat apud nos?

3 [2] Deus propter nomen tuum serva me, & fortitudine tua causam meam age.

4 Deus audi orationem meam, aurem adverte ad sermones oris mei.

5 [3] Nam [4] exteri insurgunt in me, & violenti quærunt [b] vitam meam: non proponunt Deum sibi maximè.

6 [5] Ecce, Deus adjuvat me: Dominus

B 1. *Sche.* 23. 19. 2 hujus precationis capita sunt duo; unum, pro salute supplicis, his duobus versibus; alterum, pro supplicio adversariorum, V. 7. quibus precationis capitibus interseruntur causæ. 3 prior causa precationis a persona adversariorum. 4 i. qui utcumque Jisraëlitæ sint secundùm carnem & professionem externam, operibus tamen ostendunt se a Deo, & a religione, & ab omni humanitate alienos esse; prout sequentia verba docent. b *Hebr. animam: sic ver. proximè sequente.* 5 secunda precationis causa, fides Davidis præsentissima in veritatem promissionum Dei; quam deinde eventus ipse a Deo confirmavit, quum Schaül fuit per nuncium revocatus, 1. Schem. 23. 27.

6 id est, adsistit mihi, & conservat animam meam.
7 secundum precationis caput in adversarios.
8 id est, in omnes qui me observant ut malefaciant mihi.

[6] *est* inter eos qui sustentant vitam meam.

7 [7] Redde istud malum [8] observatoribus meis, [9] per veritatem tuam succide eos.

8 [10] [c] Liberaliter sacrificabo tibi; celebrabo nomen tuum Jehova, quia bonum est,

9 [11] Quia ab omni angustia liberat me, & inimicos meos [12] aspicit oculus meus.

9 id est, fidem & constantiam in præstandis promissionibus tuis, atque judiciis. 10 conclusio votiva agnoscendi Dei, & prædicandi beneficia ejus. c *Hebr. in liberalitate.* 11 prout hæc duo capita precatione continentur, suprà ver. 3. & 7. 12 id est, per nomen tuum ita confirmor, ut in eos intrepidè oculos meos configam & faciem opponam: sic infrà 59, 11.

PSALMUS LV.

David orta Abschalomi conspiratione, Deum orat pro salute sua & adversariorum ruina ac confusione: deinde seipsum de utriusque rei eventu confirmat, partim a fide sua & experientia beneficiorum Dei; partim ab aliorum impietate & inhumanitate: postremò se & omnes suo exemplo consolatur.

a Hebr. in pulsationibus: ut suprà 4. & 54.
1 constat ex duabus partibus universè: prior est forma orationis quam habuit, quum a filio Abschalomo inita est conspiratio & primùm commota, usque ad vers. 16. posterior est doctrina prophetica quam ipse adhibuit ad consolationem suam & documentum ecclesiæ, ad finem usque.
2 oratio bipertita est: primùm enim agit de persona sua, usque ad ver. 10. deinde verò de persona inimicorum usque ad 16. & utrique parti suas adjungit causas.
3 causarum explicatio, quæ respiciunt partim ad mala quæ inferebant adversarii, ver. sequente; partim ad humanam imbecillitatem ipsius, ver. 5. & sequentibus.
b Heb. in ira.
c He. cor meum dolet in medio mei.

MAgistro symphoniæ [a] fidium, [1] *ode* didascalica Davidis.

2 [2] Auribus percipe, ô Deus, orationem meam, & ne abscondas te a deprecatione mea:

3 Attende ad me, & exaudi me; [3] plango in meditatione mea & perstrepo;

4 Propter vocem inimici, propter angorem improbi: quia avertunt in me iniquitatem, & [b] irati intestino odio prosequuntur me.

5 [c] Animus meus dolet in me, & terrores mortis accidunt mihi:

6 Timor & tremor invadit me, & obtegit me horror:

7 [4] Adeò ut dicam, *ô si* quis daret mihi alam velut columbæ; evolarem ubi habitare possem.

8 Ecce, quàm [d] longissimè evagarer, commoraturus in deserto, [5] vehementissimè.

9 Maturarem effugium mihi; [6] a vento [e] rapidissimo, a turbine.

10 [7] [f] Perde, Domine, divide linguam eorum; [8] nam video violentiam & contentionem in civitate:

11 Interdiu & noctu circumdant eam *versantes* in muris ejus; iniquitasq; & perversitas in medio ejus *sunt* :

12 Ærumnæ *sunt* in medio ejus, & non recedunt a platea ejus fraus & dolus.

13 [9] Non enim [10] inimicus probro afficit me, quod [11] ferrem; non osor meus adversum me se attollit, a quo me absconderem:

14 [12] Sed tu mortalis [g] par mihi, [13] dux meus & [h] familiaris meus,

15 Qui pariter dulce inibamus [i] consilium, in domum Dei ibamus cum frequentia.

16 [14] Aget exactorem mors [k] invadens eos,

4 Amplificatio calamitatis ab optato hypothetico, quod sequentibus versibus exornatur. d *He. elongarem vagari.* 5 vide supra in Psal. 3. 3. 6 id est, a repentino hoc & vehementissimo motu. e *He. profectionis, id est, quo omnia dispelluntur, & quasi proficiscuntur ipsius impetu.* 7 secundum membrum orationis, imprecatio contra inimicos, figurata duobus judiciis; uno Dathanis & Abirami quos absorbuit terra, Num. 16. altero, priscorum qui turrim Babelis volebant exstruere, quasi dicat, extermina ipso, aut consilia eorum pro sapientia tua. f *Heb absorbe.* 8 causa imprecationis; primùm a communi improbitate quæ indignissimè invalescebat in civitate sancta, duobus versibus sequentibus; deinde a singulari perfidia & ingrato Achitophelis animo, tribus reliquis. 9 confirmatio improbitatis publicæ quam modo dixit, a summo auctore & moderatore conspirationis: cujus indignum facinus exaggerat gravissima antithesi, hic & duobus sequentibus versibus. 10 id est, qui justas aut apertas inimicitias exercuisset contra me. 11 leniter & æquo animo. 12 apostrophe ad Achitophelem, indignitatem rei amplificans. g *Hebr. secundùm æstimationem mei, i. apud me & apud omnes æstimatus quanti ego ipse,* 2. *Schem.* 16. 23. 13 id est, princeps consilii mei. h *Hebraicè, notus meus.* i *Hebraicè, secretum.* 14 altera pars Psalmi prophetica, exponens improborum exitium & salutem bonorum: quæ duo per prolepsin posita hoc & sequente versu, pòst copiosiùs explicantur. Est autem Decipiet metaphoricè dictum, pro eo quod est Inopinantes opprimet, & fraudabit consiliis. k *Heb. super eos.*

descendent [15] *in* sepulcrum vivi : [16] nam mala
sunt in commoratione ipsorum , in medio ipso-
rum.
17 Ego Deum inclamabo, & Jehova servabit
me.
18 [17] Vespere & mane atque meridie medita-
bor & perstrepã, donec audiverit vocem meam.
19 [18] Redemit [l] vitam meam ne belligerent
in me, *collocans* in pace : quando *multis copiis belli-
gerabant*, [19] fuerunt penes me.
20 Audiet Deus fortis, & [20] contestabitur
istos, [21] ut permanet in æternum, vehemen-
tissimè; quibus non *sunt* [22] mutationes, neque
timent Deum:
21 *Quorum quisque* extendit manus suas in
[n] colentes pacem secum, [23] profanat fœdus suum;
22 Cujus blanda sunt, [o] butyrina verba, dum
bellum *insidet* [p] animo ejus : cujus molliora *qui-
dem* verba oleo, sed [24] stricti gladii sunt.
23 [25] Rejice in Jehovam *quicquid* dat tibi, &
ipse sustentabit te : non permittet unquam justo
ut dimoveatur.
24 [26] Tu itaque Deus, detrudes istos in [27] pu-
teum corruptionis : homines [q] sanguinarii & do-
losi non perducent ad dimidium dies suos ; ego
verò confidam tibi.

[15] vide suprà in 49.15. [16] id est, tum pleni sunt ipsi, tum undique circumfluunt malitia & maleficiis. [17] amplificatio sui erga Deum officii a circumstantia temporis, formaq; & assiduitate precum. q.d. nunquam cessabo importunus esse: synecdoche. vide in Dani. 6.11. [18] confirmatio superioris officii & perseverantiæ erga Deum ab anteacta experientia. [l] *Hebr. animam meam.* [19] id est, dediti sunt mihi a Domino redemtore meo: ut Psal. 18. [20] transitio ad priorem partem prolepseos, de qua suprà V. 16. [21] id est, qui natura, consilio, judiciisq; æternus est, & semper sui similis. [22] i. qui nullo pacto ad bonam frugem revocari possunt : adeò obduruerunt in contemtu Dei : ita describit illos primùm ab obfirmata impietate, hoc vers. deinde ab inhumanitate, sequente ver. postremò a perversissima hypocrisi & vulpino animo, ver. 22. [n] *Hebr. pacati suos.* [23] id est, frangit, quumprimùm videtur commodum. [o] *Hebraicè, butyrina oris.* [p] *Hebr. cordi: ut suprà V. 5.* [24] id est, lethalia verba : metaphora. [25] conclusio hortatoria, qua ostendit psaltes usum fidei, quæcumque eveniunt accepta ferentis Deo, & illius administrationi committentis; prout secura est piorum fides de promissione ejus, quæ continetur altera parte versus. [26] accommodatio superioris theseos ad præsentem causam; qua ostendit David se jam animo, per fidem præcipere ruinam adversariorum, & salutem suam. [27] id est, in sepulcrum : periphrasis. [q] *Hebr. sanguinum & doli.*

PSALMUS LVI.

David a Schaülis persequutionibus veniens in Pelischthæorum manus, Deum orat pro salute sua fidei suæ & innocentiæ nomine, & pro adversariorum exitio: fidem suam in Deum prædicat: & ei laudem tribuit de acceptis promissionibus, quarum complementum exspectabat.

MAgistro symphoniæ, de *anima* [1] vim patiente
a manipulo longinquorum, [2] insignis *ode*
Davidis : [a] quum prehenderent eum Pelischthæi
Gathi.
2 [3] Gratiam fac mihi, Deus, nam [4] anhelus
persequitur me mortalis ; toto die oppugnator
opprimit me.
3 *Nam* anhelant observatores mei toto die :
quia [5] multi *sunt*, e sublimi [6] propugnatores *ad-
sunto* mihi.
4 [7] *Qua* die timebo, ego in te confidam.
5 In Deo laudabo [8] verbum ejus ; in Deo
confidam, non timebo : quid faciat [9] caro mihi?
6 [10] Toto die [11] rebus meis dolorem affe-
runt, contra me omnes cogitationes eorum ad
malum *spectant*.
7 Conveniunt , delitescunt ipsi ; vestigia
mea observant, ut qui expetunt [a] vitam meam.
8 [12] Pro iniquitate parito eis, in ira popu-
los dejice Deus.
9 [b] Tu vagationes meas in numerato ha-
bes : [13] pone *quamque* lacrymam meam in utre
tuo ; an non *essent* [c] in numerato tibi?
10 [14] Tunc revertentur inimici mei retror-
sum, qua die clamabo ; hoc scio , Deum *affore*
mihi.
11 [15] In Deo laudabo verbum, in Jehova
laudabo verbum.
12 In Deo confido, non timebo : quid faciat
homo mihi?
13 [16] *Mecum erunt*, ô Deus, vota tua ; per-
solvam gratiarum actiones tibi.
14 Nam eripis animam meam a morte, [17] an
non pedes meos a lapsu *eriperes*? ut indesinenter
ambulem coram Deo in luce hujus vitæ.

[1] hanc inscriptionem multis modis ab interpretibus acceptam esse constat: sed quia non meminimus alibi præfigi facris cantionibus titulos (ut vocant) allegoricos, & videtur incommodum inscriptiones ipsis argumentis obscuriores adhibere : placuit magis has voces simpliciter interpretari, prout ad argumentum psalmi accommodatius visum est . Nam etsi primam vocem ferè columbam interpretati sunt ; certum est tamen esse alteram quoque propriam & naturalem significationem ejusdem vocis , prout interpretati sumus , ut Tzephanjæ 3.1. Sensus igitur est, hunc psalmum formam orationis esse omnibus piis traditum, quicumque procul a suis versantes injuriam ab exteris patiuntur ; qua conditione erat David quum prehenderent eum Pelischthæi. [2] ut psalm. 16. 1. Est autem ode ἱκετικὴ κ) ἱκετευτικὴ , constans ex duabus partibus , precationis & laudis , constructis ordine Amœbæo , & conclusione ætiologica, versu ultimo. [a] *1. Schemuel. 21.11.* [3] prima pars Odes pro gratia & salute a calamitatibus consequenda, cujus partes sunt precatio, duobus versibus; & laudatio, vers. 4. & 5. precationis membra duo ; postulatum & causa. [4] tum Schaül & administri ejus, a quibus fugiebat David, tum Pelischthæi, ad quos confugerat. [5] nempe inimici observantes me. [6] hunc locum licet vulgò aliter redditum , sic interpretamur , tum propter Hebraicum distinctionem, tum propter consequutionem verbi pugnare ; quod in hac consequutione semper significat propugnare; oppugnare verò nunquam : ut rectè admonet Aben Hezra. [7] prædicatio fidei constantis omni tempore, quæ est sequentis laudationis argumentum.

[8] id est, promissionem. quasi dicat, quamvis non illico exortem promissionis cõplementum : tamen peræquè in Deo gloriari possum, fretus promissionibus ejus. [9] id est, ullus homo : ut infrà vers. 12. & Jeschahjæ 31.3. [10] secunda pars odes, imprecatio adversus hostes, quę continetur vers. 8. Circummunitur autem duab. causis: una est ab adversariorum improbitate, ver. 6. & 7. Secunda, a fiducia supplicis in benevolentiam & promissionem Dei, ver. 9. & 10. [11] id est, res meas efficiunt molestas mihi. [a] *He. animam.* [12] i. facito ut ipsis laboriosa & ærumnosa sit sua iniquitas : nam istos labores, iniquitatis pœnas, modò parere dicitur Deus ut illorum auctor ; modò improbus ipse , qui sibi sua improbitate generat malum : ut psal. 7.15. sic accipitur idem verbum Micæ 6.14. [b] *Hebr. vagari meum.* [13] id est, ne patiaris inaniter in terram decidere : humanitùs dictum. [c] *Hebr. in numeratione tua.* [14] gloriola fidei prædicatio, ut suprà vers. 5. amplificata per congeriem. [15] id est, non tantùm celebrabo verbis, sed etiam reipsa quemlibet voluntarium & legitimum cultum præstabo. [16] conclusio ætiologica superiorum : qua ostendit psaltes se hæc officia præstiturum meritò ; quia pii e manu inimicorum suorum liberantur, ut sine metu serviant Deo cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu, cunctos dies vitæ suæ, Lu. 1.74. [17] confirmationis formula Hebræis frequens : ut Genes. 13.9.

PSALMUS LVII.

David Schaülem fugiens , gratiam & salutem a Deo petit, fidem suam profitetur, exponit adversariorum improbitatem ; & propter gloriam Dei judicia ejus confici postulat ad salutem suam , illorúmque exitium.

MAgistro symphoniæ ; [1] ne perdas, Davidis
ode insignis : quum fugeret metu Schaülis
[a] in speluncam.
2 [3] Gratiam fac mihi, Deus, gratiam fac
mihi, [4] nam ad te se recepit anima mea ; & [5] ad
umbram alarum tuarum me recepturus sum,
donec transiverint ærumnæ.
3 Invocabo Deum excelsum, *Deum* fortem
perficientem erga me.
4 Mittet e cælis ut servet me, afficiens eum
probro qui me anhelus persequitur vehementis-
simè : Mittet Deus benignitatem suam, & verita-
tem suam.
5 [6] [a] Ego inter [7] immanes leones *sum*, jaceo
inter [8] incendiarios ; *inter* [b] homines, quorum
dentes hastæ & sagittæ *sunt*, & quorum lingua

[1] His verbis summa petitionis exponitur quæ psalmis hoc modo inscriptis continetur: hoc est, genus psalmi est ἀπευκτικὸν, sive (ut ita loquamur) deprecatorium mortis & perditionis, quæ tunc temporis Davidi imminere videbatur : sic etiam psalmis sequentibus. [a] quæ erat in deserto Hengedi, 1. Schemuel. 24. Sunt autem hujus odes partes in universum duæ; petitio, vers. 2. & petitionis argumenta, quibus suo loco subjicitur Amœbæus versus summum petitionis finem explicans, vers. 6. & ultimo. [3] petitio vehementissima, qua ostendit David fontem liberationum & salutis nostræ. [4] primum petitionis argumentum a fide in Deum, hoc vers. & oratione fidei, versu sequente : ex quibus oritur certa illa prædicatio venturæ liberationis suæ, & judicii in adversarios, vers. 4. [5] id est, & nunc confido, & semper confidam : metaphora a pullis sub matre delitescentibus donec milvus transiverit. [6] exaggeratio petitionis ab immanitate periculi quo circumcludebatur David : quamobrem cruentos adversariorum animos, consilia, & conatus elegantissimis comparationibus explicat. [a] *Hebraicè, anima mea : ut Num. 23.14.* [7] Schaülem, & copias ejus furentes adversus Davidem. [8] id est, ardeliones aulicos, qui regis animum irritabant inflammabantq; mendaciis : ut ipse apud Schaülem expostulat, 1. Schem. 24. [b] *Hebr. filios hominis.*

9 versus Amœbæus, exponens summum petitionis finem, nimirum gloriam Dei conjunctam salute supplicis. 10 secundum argumentum petitionis a fraude, vi, & improbitate adversariorum; ad quas respiciens David ruinam illorum prædicat. Sunt autem omnes hæ descriptiones allegoricæ, ut alibi sæpè.

est gladius acutus.
6 ⁹ Exaltare supra cælos, ô Deus, super totam terram gloriâ tuâ.
7 ¹⁰ Rete aptaverant gressibus meis, ¹¹ curvaverat animam meam; *quam* foderant ante me fossam, ¹² cadunt in eam vehementissimè.
8 ¹³ Erecto ᶜ animo meo, ô Deus; erecto animo meo, canam & psallam, *dicens:*
9 ¹⁴ ᵍ Evigila ¹⁵ gloria mea: evigila nablium & cithara; ¹⁶ expergefaciam *inde ab* aurora;
10 Celebrabo te in populis Domine, psallam te in nationibus:
11 Magnam *esse* usque ad cælos benignitatem tuam, & ad superiores usque nubes veritatem tuam.
12 ¹⁷ Exaltare supra cælos, ô Deus; super totam terram gloriâ tuâ.

11 Schaül cum suis. quasi dicat, me jam retibus ita constrinxerat, ut viderer mox corruiturus esse. 12 id est, ipsi justo Dei judicio impelluntur eò, quò putabant me ruiturum præcipitem: sic psal. 7. sub finem. 13 tertium petitionis argumentum a summo fine, qui est gloria Dei & illius prædicatio. Erectum autem animum vocat per antithesin, quem Deus restituit e laqueis quorum violentia se incurvatum fuisse confessus est David, superiore versu. ᶜ *Hebr. corde.* 14 forma laudationis continens exordium prosopopœeticum hoc ver. propositionem, sequente; & confirmationem, vers. 11. ᵍ *Psalm.* 108.2. 15 ut suprà 16.9. 16 id est, adeò cantu meo personabit orbis, ut populos excitem, quos nominat seq. ℣. 17 versus Amœbæus, ut sup. ℣. 6.

PSALMUS LVIII.

David aulicos innocentiam ipsius apud Schaülem nefariè traducentes increpat injustitiæ, improbitatis, & pertinaciæ nomine: gravissima Dei judicia imprecatur illis, venturaq; confirmat: ac postremò piorum lætitiam, pacem, & salutem conjunctam gloria Dei prædicat.

1 ut suprà psal. 57. 2 hujus odes scopus est ἀπευκτικὸς, ubi deprecatur David periculum quod sibi a Schaüle & assectis ejus impendere videbatur. Partes sunt tres; prima est reprehensio & objurgatio adversariorum usq; ad versum 7. secunda, imprecatio contra viros illos præfractos & obfirmatos in sua improbitate, usque ad versum 10. tertia, conclusio a fine judiciorum Dei, tribus ℣. ult.

Magistro symphoniæ, ¹ ne perdas; Davidis ² *ode* insignis.
2 ³ An re vera, ⁴ ô manipule, justitiam loquimini? quæ recta *sunt* judicatis, filii hominis?
3 ⁵ Quin etiam ex ᵃ animo iniquitates operamini; in hac terra violentiam manuum vestrarum ⁶ appenditis.
4 ⁷ Abalienant se improbi inde a vulva, aberrant inde ab utero loquentes mendacium.
5 ⁸ Venenum *est* illis ᵇ simile veneno serpentis, ⁹ sicuti aspidis ¹⁰ surdæ obthurantis aurem suam,
6 Quæ non auscultat voci ¹¹ mussitantium; utentis incantationibus peritissimi.
7 ¹² O Deus, ¹³ destrue dentes eorum in ore ipsorum; molares juvenum leonum demolire, Jehova.
8 ¹⁴ Liquefiant sicut aqua ᶜ indesinenter abeant: ¹⁵ intentantis sagittas suas, ¹⁶ tamquam in spicas abeant *sagittæ.*
9 ¹⁷ Sicut limax ¹⁸ liquescens abeat *quisque;* ¹⁹ *ut* abortus mulieris, *ut qui* non viderunt solem.
10 ²⁰ Quum ²¹ nondum ᵈ sentientur spinæ vestræ, ²² *spinæ* cynosbati: ²³ tam redivivam, quàm adustam procellet ᵉ quamque.
11 ²⁴ Lætabitur justus, quum viderit ultionẽ; ²⁵ pedes suos lavabit in sanguine improbi:
12 Dicétque homo, utique *est* fructus justo; utique est Deus, *est* ᶠ judex in terra.

3 objurgationis adversariorum loci sunt duo; prior est infitiatio, hoc ℣. qua ipsorum conscientiã appellans David negat inesse boni quidquã illorũ animis; posterior, affirmatio & explicatio malę illorũ mentis, consilii, & facti, versib. seq. 4 i. aulicorum cœtus in Davidem conspirans: qui quum Schaüli a consiliis essent, justum, æquum, & bonum procurare debuerant. 5 transitio ad alteram objurgationis partem per correctionem. ᵃ *He. corde.* 6 i. nullam recti (cujus mentionem fecerat superiore ℣.) rationem habetis; sed omnia libratis atque ponderatis ad usum violentiæ vestræ. 7 amplificatio malitiæ & improbitatis quam superiore ℣. exprobravit, primùm a naturali & ingenita illorum corruptione, quæ posita est in alienatione & aberratione a Deo, hoc ℣. deinde ab obstinato illorum studio se ipsos confirmandi in malo & avertendi a bono, duobus sequent. 8 allegorica improbitatis obfirmatæ descriptio ut Deut. 32.33. ᵇ *Heb. secundùm similitudinem veneni, &c.* 9 hoc est, quorum mala sunt incurabilia, præterquam si confestim partes cõtactæ amputentur, ut loquitur Plin. lib. 8. cap. 23. 10 i. callidè agentis adversùs incantamenta, ut sequentia exponunt: nam aurem utramque ab ea obthurari, alteram in terram defigendo, alteram extrema sui parte contegendo atq; occludendo, testes sunt in hunc locum Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus, & alii. 11 i. carmina sua submisse enunciantium ad incantandum eam; quod studium carminum ne quis hoc loco a Davide cõprobari putet, ipsis interdicti verbis disertè utitur quæ posuit Deus Deut. 18.11. Nam fascinatores isti Hebræa appellatione nominantur consociante societatem, quia diaboli societatem ad artes suas adhibent. 12 secunda pars psalmi: imprecatio, ut observatum est in vers. 1. quæ tota allegoriis describitur. 13 i. omnia quibus offendunt media illis adime; sive illis cominus offendant, hoc ℣. & initio sequentis; sive eminus, ut in fine sequentis ver. ponitur: primus imprecationis locus. 14 dentibus nimirum comminuti, ut superiore ver. ᶜ *He. abeant sibi, ut Gen.* 11. 33.

15 i. qui semper comparatus est & instructus armis ad jaculandum contra rectos corde, ut psal. 11.2. 16 id est, inepta ad nocendum & irrita efficiantur tela eorum, perinde atque si spicas tritici adhiberet spiculorum loco: verbum enim Hebræum, quod hac conjugatione hic tantùm legitur, ita accipimus, referentes ad conjugatam vocem quæ legitur Deuteronom. 23.25. 17 alter imprecationis locus in personas ipsas, duobus versibus. 18 quo tempore nimirum e concha egreditur; tum enim hebetescit, exspiratq; detracta testa, ut docet Aristoteles libro quinto de historia animalium, cap. 32. 19 vide Ijobi 3.15. 20 Conclusio prophetica, tum judiciorum Dei adversùs improbos, hoc versu, tum rerum consequentium, nimirum lætitiæ & pacis per spiritum ad Ecclesiam Dei ex judiciis ejus perventuræ, duobus sequentibus. 21 id est, statim a principio, antequam potueritis nocere graviter: apostrophe ad improbos. ᵈ *Hebraicè, sentient: impersonaliter.* 22 id est, summè aculeatæ & noxiæ, quasi dicat, antequam a vobis experiantur mala. 23 id est, omnes omnino inde a principio, quum in malitia sua quasi vernare inceperint. Nam vernante primùm cynosbato aliæ spinæ sunt redivivæ, aliæ exsuccæ aridæq;. Sic ab enumeratione sublaturus omnia dicitur Dominus. ᵉ *Hebraicè, eum.* 24 alterum membrum conclusionis de lætitia, salute & pace ecclesiæ, ac prædicatione majestatis & gloriæ Dei. 25 id est, proculcabit eos & triumphabit victor in Christo: hyperbole, vide Maleaci ultimo, de argumento hujus & sequentis versus. ᶠ *Hebr. judicet: ut Jehoschu.* 24.19.

PSALMUS LIX.

David ab administris Schaülis circumventus, liberationem a Deo petit, tum suæ fidei & innocentiæ, tum improbitatis adversariorum nomine; quorum improbitate descripta, illis imprecatur quod ad gloriam Dei futurum erat, & se Dei laudes grato animo prædicaturum profitetur.

1 ut supr. psalm. 57.1. 2 ode est ἀπευκτικὴ, qua deprecatur David imminens sibi a Schaüle malum; constat autem ex tribus partibus; propositione summa postulati sui, vers. 2. & 3. narratione causarum postulati, quibus subinde petitio interseritur pro se & contra adversarios, usque ad versum 17. & conclusione eucharistica, duobus ultimis. ᵍ 1. *Schemuel.* 19.11. 3 petitio duobus versibus, ut modò dictum est. 4 narratio, sive causarum explicatio ex quibus liberationem petebat David: sunt autem duæ; una a persona supplicis propter innocentiam ipsius, his duobus versibus; altera a persona adversariorum, sequentibus.

Magistro symphoniæ, ¹ ne perdas, Davidis ² ode insignis; quum misisset Schaül qui observârunt domum illius, ut morte afficerent illum.
2 ³ Libera me ab inimicis meis, Deus mi; supra erigentes se contra me extolle me.
3 Libera me ab iis qui operam dant iniquitati, & ab hominibus sanguinariis serva me.
4 ⁴ Nam ecce, insidiantur ᵃ vitæ meæ, conveniunt contra me robusti; nulla defectione mea, nullóque peccato meo, Jehova.
5 Nulla iniquitate *mea* concurrunt & comparant se: ⁵ evigila *venturus* obviam mihi, & respice.
6 ⁶ Tu ergo Jehova, ⁷ Deus exercituum, Deus Jisraëlis, expergiscere ⁸ ad visitandum omnes ⁹ gentes istas: ne gratiam facias ullis ¹⁰ perfidè agentibus iniquitatem summè.
7 ¹¹ Revertuntur vespere, ᵇ ¹² ganniunt ut canis; & circumdant civitatem.
8 Ecce, ¹³ eructant ore suo, gladios ¹⁴ *adhibent* ad labia sua; nam ¹⁵ quis audit? *inquiunt.*

ᵃ *Hebraicè, animæ meæ.* 5 humanitùs dictum, i. demonstra potentiam tuam, ut qui evigilat, respicit, &c. conclusio prioris ætiologiæ a precatione. 6 transitio ad posteriorem ætiologiam, quasi continuata precatione, per imprecationem in adversarios. 7 id est, potentia instructissime, & fœdere conjunctissime. 8 vide Genes. 21.1. 9 id est, copias Schaülis, quæ eodem animo Davidem persequebantur, quo gentes alienæ a populo Dei facturæ fuissent. 10 id est, qui Deum cultu & Davidem honore prosequi simulantes, perfidè ea perpetrabant quæ sequentibus versibus duobus exegeticè describuntur. 11 i. discursant, ut supr. ℣. 5. metalepsis. ᵇ *Hebr. perstrepunt.* 12 id est, frendunt inter se, & se ipsos ad lacerandum me compatant. 13 i. evomunt & profundunt inter se sermones nefarios. 14 i. præter minas etiam arma capiunt ad efficiendos conatus suos. 15 verba scilicet, aut conatus percipit: synec. frequens, sive (ut Donatus vocat) metalepsis.

9 ¹⁶ At

[16] regressio ad imprecationem, quæ est inde a vers.12, ad eam autem transitur primum per affirmationem antithetam, id est, ex adverso respondentem impiæ inimicorum confidentiæ, hoc modo: Quis audit? inquiunt. at tu non tantùm audis, verùm etiam audita & perspecta rides, hoc versu: deinde per confirmationem fidei suæ & exspectationis suæ in Deo, duobus sequentibus.
[17] i. tantisper dum Schaül potitur rerum.
[18] vide sup. in 54.9.
[19] illicò aut eodē momento; ut ratio proximè sequens, & antitheta imprecatio ostendunt: sic alludit hac imprecatione ad sententiam quam Deus in Kajinum tulit, Gen.4.11. & 12.

9 [16] At tu Jehova ridebis eos; subsannabis
omnes istas gentes.
10 [17] Robur obtinente illo, te observabo; nam
Deus *est* editus locus meus.
11 Deus benignitatis meæ prçveniet me: De-
us faciet [18] ut aspiciam observatores meos:
12 [19] Ne occidas eos, ut non obliviscantur
[c] populares mei: exagita eos virtute tua, & deji-
ce eos, clypeus noster Domine.
13 [20] Peccatum oris sui, verbum labiorum su-
orum, quando fuerint deprehensi in superbia sua;
tum [21] præ exsecratione, tum præ macie enar-
rent.
14 [22] Consume æstu, consume, donec non sint
ampliùs; ut sciant Deum summè dominari in Ja-
ħakobo, usque ad fines terræ.
15 [23] Quum revertuntur vespere, ganniant, ut
canis; & circumdent civitatem,
16 Seipsos exagitent [24] ad comedendum,
[25] quum non fuerint saturati, tum cogantur per-
noctare.
17 [26] Ego verò canam robur tuum, & cantabo
in matutinum quodq; benignitatem tuam; te fu-
isse locum editum mihi & perfugium *quo* die *fuit*
angustia mihi.
18 [27] O robur meum, tibi psallam; Deum es-
se locum editum meum, Deum benignitatis
meæ.

[c] *Heb. populus meus: Syllepsis.* [20] i. invitis, ut Kajino, extorqueatur confessio nequitiæ suæ præ horrore & gravitate judiciorum tuorum, quandoquidem sponte nolunt resipiscere [21] qua persequeris eos usque ad maciem, & quidem tantam ut corpora eorum contabescentia doceant eos confessionem peccati sui. [22] tandem scilicet, postquam exagitaveris, dejeceris, emaciaveris, & confessionem invitis expresseris. [23] summa repetitio imprecationis, posito versu Amœbæo, qui idem est cum versu 7. [24] i. in quærendo cibo. [25] i. frustrà quærant cibum illi, & jejuni indormire compellantur. [26] Conclusio ἐυχαριστικὴ, ut dictum est suprà in ℣.1. [27] antitheton versu 10. suprà.

PSALMUS LX.

David Syrorum exercitu cæso Deum contra Edomæos implorat, de prioribus Judæorum calamitatibus expostulans: & promissis Dei, operibusq; expensis, ac fide confirmata, exercitum ad strenuè agendum hortatur fretum promissionibus Dei.

[1] vide suprà 45.1
[2] i. Sacerdotum proximè arcam testimonii in tēplo Dei subsistentium.
[3] ode est ἰωχτικὴ, constans ex tribus partibus; expostulatione, a ver.3. usque ad 7. petitione, a ver.7. ad 14. & conclusione hortatoria ver. ult.
[a] 2. *Schem.* 8.13.
[a] *Heb. duorum fluviorum: vide Gen.* 24.10.
[b] 1. *Chro.* 18.12.

MAgistro symphoniæ, [1] in hexachordis [2] te-
stimonii, [3] *ode* insignis Davidis, ad docen-
dum:
2 [a] Quum certaret contra Syros [a] Mesopo-
tamienses, & contra [b] Syros Tzobæ; & [4] reversus
Joab percussisset Edomæos in valle Salis [5] duo-
decies mille.
3 [6] O Deus, [7] rejeceras nos, disruperas nos,
iratus fueras, [8] restitue *te* nobis.
4 [9] Commoveras terram, [10] diffregeras eam;
cura fragmenta ejus, nam [11] vacillat.
5 Feceras ut [b] sentiret populus tuus *rem* du-
ram, [12] dederas bibendum nobis *tamquam* vinum
horrorem.
6 [13] Dedisti timentibus te vexillum, [c] quo u-
tantur; [14] propter veritatem potentissimè:

[4] a cæde Syrorū, 2. Schem. 8.13. [5] postquam Abischai frater Joabi prima acie adducta percussisset Edomæorum sex millia; quam victoriā Joab persequutus duodecim millia occidit, qui hîc numerantur. Ex his enim numeris collectis assurgit numerus octodecim millium, qui illis locis recensetur. [6] propositio summa totius psalmi, cōtinens expostulationem & petitionem, duobus ℣. e quibus expostulatio copiosiùs deinde ponitur, usq; ad ℣.7. petitio verò sequentib. [7] i defensionem nostri, exponens nos voluntati inimicorum: vide totum librum Judic. & 1. Schem. [8] defensorem, qui subduxisti te. [9] i. populum tuum externis bellis exagitaveras. [10] i. seditionibus & civilibus discordiis divisum inter se populum vexaveras, ut docet historia 2. Sche. a primo capite ad 4. [11] i. nutat, & mox ruitura videtur antè acceptarū calamitatum nomine. [b] *Heb. videret: synecdoche.* [12] i. tremore nos inebriaveras. [13] i. populum tuum quem antè afflixeras, tum luce promissionum tuarum, tum etiam opere, victoria hac recente contra Syros edita ducendum recepisti, quasi præeunte vexillo tuo: sic a re præsente occasionem sumens expostulationem terminat, ut ad petitionē porrò benefaciendi commodiùs transeatur. [c] *He. ad vexillandum.* [14] i. promissionum tuarum constantiam & fidem.

[15] altera pars psalmi, petitio, quæ prolepticè hoc ℣. posita in sequentibus confirmatur, usque ad ver.13. deinde repetitur eodem versu. sunt autem istius petitionis argumenta tria; primum est a persona eorum quibus exoptatur salus, hoc versu; secundum, a promissione Dei, tribus sequentibus; tertium, ab omnipotentia ejus, qua sola promissiones præstari possunt, ver. 11. & 2. sequentibus.
[16] i. triumphaturus sum de hostibus meis in populo meo: quamobrem primùm populum suum recenset gloriosè, duobus ℣. deinde victoriam sibi pollicetur.

7 [15] Ut liberentur dilecti tui, serva dexterâ tuâ,
& exaudi me.
8 Deus loquutus est per sanctitatem suam,
[16] exsultabo: [d] in partem obtineo [17] Schecemum,
& convallem Succotharum metior:
9 Meus Gilħad, & meus Menasche, Ephra-
jimque, [18] robur capitis mei; [19] Jehuda legisla-
tor meus.
10 [20] Moab [e] pollubrum meum; supra Edo-
mæum [21] projiciam calceum meum: contra me,
[22] Palæstina, clangentem age.
11 [23] Quis deduceret me *in* civitatem muni-
tam? quis duceret me Edomæam usque?
12 An non tu, Deus, rejeceras nos, ut non pro-
cederes, Deus, inter exercitus nostros?
13 Cedò nobis auxilium *tuum* ab [f] hoste: ali-
oqui vanitas *est* [g] auxiliatio humana.
14 [24] In Deo faciamus [h] strenuè, & ipse con-
culcabit hostes nostros.

[d] *Heb. partior. psal.* 108.8. [17] cis Jardenem, ut convallis Succotharum est trans Jardenem sita. [18] i. potentia regni mei est utraque hæc tribus ex Josepho orta: attingit enim metaphoram a cornutis animantibus, qua usus est Mosche benedicens Menaschi & Ephrajimo, Deut. 33.17. [19] i. jus administrationis & auctoritatē obtinens in populo Dei, prout perfectissimè completum est in Christo quem olim adumbrabant typi: sic alludit ad prophetiam Gen. 49.10. [20] i. adeò despectus & abjectus est mihi, ut eum liberè diffringam quasi testam; & si quos voluero servare, ad sordidissima ministeria cogam: vide 1. Schem. 8.2. [e] *Heb. olla lotionū mea.* [21] i. audaciter conculcabo: Synecdoche. [22] apostrophe ironica: qua exprobrat David antiquam Pelischthæorum insolentiam, qui contra Jisraëlitas inde a temporibus Schimschonis ferociverant: vide Judic. 16. & 1. Schem. 4. & 28. sic etiam Jeschaħ. 15. [23] nimirum alius præter Deum, qui promisit, & solus est omnipotens ad hæc præstanda? sic accipiendum esse demonstrat versus sequens. [f] *vel angustia.* [g] *Heb. salus, ut accipitur* 2. *Sche.* 10.18. [24] conclusio hortatoria ad exercitum, quasi jam conclamatis armis in procinctu esset ad conferendum manu cum hoste: ut loquitur Joab 1. Chronic. 19.13. [h] *Heb. virtutem.*

PSALMUS LXI.

David Rex in extremam regionem pulsus auxilium Dei implorat antè acceptorum beneficiorum nomine, regnum Christi promoveri & ampliari petit, deinde gratum animum pollicetur Deo.

[a] *Heb. in pulsatione fidium.*
[1] ode est ἰωχτικὴ, ex tribus partibus constans; petitione singulari pro persona supplicis, usq; ad ver. 6. petitione publica pro Christo & regno ipsius a Davide adūbrato, usq; ad ℣. 9. & conclusione votiva, ver. 9. videtur autē hujus odes occasionem dedisse Davidis fuga a conspiratione Abschalomi, 2. Sche. 15. & 16.
[2] prioris petitionis exordium, quæ summatim proponitur ver. 3.
[3] nam trajecto

MAgistro symphoniæ [a] fidium, [1] *ode* Davidis.
2 [2] Audi, Deus, clamorem meum; atten-
de orationi meæ.
3 [3] Ab extremitate terræ te inclamo, quum
obruitur [b] animus meus: [4] in rupem *quæ* sit edi-
tior me deducito me:
4 [5] Nam fuisti receptus mihi, turris robusta
[c] adversus inimicum.
5 [6] Commorabor in tentorio tuo *per* secula:
[7] recipiam me in occultum alarum tuarum maxi-
mè.
6 [8] Cùm tu, Deus, auscultaveris votis meis,
dederis hæreditatem *suam* reverentibus nomen
tuum:
7 [9] Dies diebus regis superaddito, anni e-
jus *sint* ut [d] multarum generationum.
8 Maneat in seculum coram Deo; [10] benig-
nitatem & fidem præpara *quæ* custodiant eum.
9 [11] Sic psallam nomini tuo in perpetuum,
rependendo vota mea [e] quotidiè.

Jardene fugerat Machanajima ad fines Jisraëlis, 2. Schem. 17 24. [b] *Heb. cor.* [4] i. evehito me in tutum, unde inimicos possim despicere. [5] αἰτιολογία petitionis ab antecedente experientia. [c] *Heb. a facie inimici.* [6] brevis conclusio petitionis, a voto fidei atq; obsequii. [7] vide Ruth. 2. 12. [8] altera pars, petitio publica comprehensa ver. 7. & 8. postquam argumentum illius petitionis ab antecedentibus beneficiis Dei erga suos expositum est, hoc ver. q. d. hæc duo pignora de regno Christi jam nobis data sunt, nimirùm exauditio precum, & hæreditas: quamobrem perge benefacere in Christo, &c. [9] i. largire vitam æternam & benedictionum æternitatem per Christum, regnumq; ejus in sempiternū continua: ut sequens ver. explicat: primum petitionis caput. [d] *Heb. generationis & generationis.* [10] hoc est, effice ut regnum sit justissimum, & his duabus rebus instructissimum, quæ pertinent ad officium regis, Proverb. 20. 28. secundum petitionis caput. [11] conclusio votiva, ut dictum est in versum 1. [e] *Heb. die die.*

PSALMUS LXII.

David oppressus fiduciam suam in Deum prædicat, officiumq; Dei erga se: inimicos reprehendit: se ipsum ecclesiamq; exemplo suo confirmat: & omnes a fiducia rerum vanarum revocat ad Deum, & confirmat auctoritate verbi ejus.

MAgistro symphoniæ [1] in Jeduthune, [2] psalmus Davidis.

2 [3] Tantummodò in Deo [a] conquiescit anima mea: ab eo salus mea *est*.

3 Tantummodò ipse rupes mea *est* & salus mea; locus editus meus, non dimovebor *motione* [4] magna.

4 [5] Quousque machinabimini ærumnas [6] in virum? [7] occidemini vos omnes, *eritis* similes muro pando, maceriæ impulsæ.

5 Tantummodò de [8] excellentia ejus consilia ineunt depellendi *eum*, delectantur mendacio: ore suo benedicunt, [b] intra se verò maledicunt vehementissimè.

6 [9] Tantummodò in Deo conquiesce anima mea; nam ab eo *est* exspectatio mea.

7 [10] Tantummodò ipse rupes mea *est* & salus mea: locus meus editus, non dimovebor.

8 In Deo *est* salus mea & gloria mea; rupes [c] robusta mea, receptus meus *est* in Deo.

9 [11] Confidite ei omni tempore, ô popule, effundite coram eo [d] animum vestrum: Deus receptui nobis *est* maximè.

10 [12] Tantummodò vanitas *sunt* nati plebeio homine, mendacium *sunt* nati præstante viro: [13] lancibus illi simul impositi, ascensuri *essent* supra vanitatem.

11 [14] Ne confidatis oppressioni, & rapina ne evanescatis; opulentia si abundet, ne apponatis animum.

12 [15] Semel loquutus est Deus, [16] bis idem audivi; robur esse Dei,

13 Et tuam *esse* Domine benignitatem, te rependsurum cuique secundùm opus suum.

1 vide psal. 39.1. 2 psalmus est διδασκαλικὸς, ex quatuor partibus cōstans; Exordio, ver. 2. & 3. reprehensione, ver. 4. & 5. doctrina, a ver. 6. ad 12. & confirmatione doctrinæ, duobus ultimis. 3 exordium ex abrupto continens propositionem fiduciæ; de qua gloriatur David adversus omnes difficultates quasi repentè emergens ex illarū violentia: nam hic psalmus videtur conscriptus, quo tempore Davidem per emissarios suos persequebatur Schaül. a *Heb. silens est: synecdoche.* 4 i. qua planè corruam, ut 1. Cor. 10.13. 5 reprehensio administrorum nequitiæ Schaülis per apostrophen, quæ simplice narratione illustratur seq. versu. 6 i. in me: enallage personæ. 7 i. livore & nequitia vestra ipsorū consumemini; ut murus pandus atq; dissiliens sua ipsius mole corruit, aut nullo negotio dejicitur, sic accipendum esse comparatio ostendit. simile vide Jesch. 30.13. 8 scilicet viri Davidis: de hac antem excellentia vide 1. Sche. 18. b *Heb. in medio sui.* 9 tertia pars, continens duo documentorum genera; unum ad pios pertinens, ut in fide pergant; alterum ad improbos, ut a prava confidentia avocentur. Documenta fidei duorum sunt generum; unū singulare ad Davidem ipsum pertinens, tribus ꝟ. alterum commune totius ecclesiæ a Davidis exemplo, ꝟ. 9. 10 vide ver. 2. & 3. nam hi duo versus Amœbæi sunt. c *Heb roboris mei.* 11 soli nimirum, ac non ulli homini, ꝟ. seq. d *Heb. cor: sic inf. ver. 11.* 12 αἰτιολογία cur non sit in ullo homine fiducia collocanda: quæ docet manifestò in superiore ver. hanc orationem antithetam desiderari, non esse fidendum homini: cujusmodi ἀνανταπόδοτα multa in scriptura exstant. 13 i. si ex æquo librari possent, invenirentur omnes homines nihilò leviores. Est autem in vocibus Hebraicis synchysis poëtica, quam evidentiæ causa suo ordine reposuimus. 14 secundum genus documentorum ad improbos Schaülis administros pertinens & ad omnes universè, ne animi illorum in varia hujus mundi studia traducti, diffluant. 15 Confirmatio superiorum documentorum ab auctoritate verbi Dei; qua Deus proponitur nobis potens, misericors, & justus ad ea perficienda quæ suprà dicta sunt. 16 hoc est, sæpiùs docuit me & confirmavit Deus.

PSALMUS LXIII.

David desiderium suum revisendæ gloriæ aspectabilis Dei in Ecclesia exponit, & expostulat cum Deo: seipsum præsente Dei gratia consolatur, & inimicorum suorum exitium prædicat ac letitiam suam.

[1] PSalmus Davidis, quum esset [2] in deserto Jehudæ.

2 [3] O Deus, *Deus* fortis meus es, tempestivè requiro te; [4] sitiens est tui anima mea, arescit ad te *spectans* caro mea, [5] in terra sicca & [6] fessa sine aquis:

3 [7] Ad videndum [8] robur tuum & [9] gloriam tuam, [10] sicut [a] in loco sancto videbam te:

4 (Nam benignitas tua melior est vita) [11] *ut* labia mea laudent te.

5 Sic benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo [12] attollam manus meas:

6 Quasi adipe & pinguedine saturabitur anima mea, & labiis [b] canoris laudabit *te* os meum.

7 [13] Quum recordor tui [14] super strata mea, [15] in vigiliis meditor de te:

8 Te fuisse summo auxilio mihi, ita ut [16] in umbra alarum tuarum canerem:

9 *Quum* [c] adhærescens anima mea sequitur te, sustentat me dextera tua.

10 [17] Quamobrem isti *qui* [d] vastationem quærunt animæ meæ, [18] pervenient ad imas partes terræ.

11 [19] Facient ut diffluat eorum quisque [e] per gladium, [20] portio vulpium futuri sunt.

12 [21] Rex verò ipse lætabitur in Deo, gloriabitur [22] quisquis jurat per eum, quum [23] obthurabitur os loquentium mendacium.

1 Psalmus est generis mixti, ἱκετικὸς καὶ διδασκαλικὸς, constans ex tribus partibus; petitione ardentissima, usque ad ꝟ. 7. narratione auxilii divini quod jam tum cum animo suo sentiebat David, inde ad ꝟ. 10. & prophetia seu prædicatione gloriosa rerum eventurarum ipsi & adversariis, ad finem usque. 2 1. Sche. 23. 14. & 15. 3 prima hæc pars, petitio ut Davidi liceat tranquillè versari in Ecclesia Dei, duobus potissimùm argumentis nititur: unum est a natura & officio Dei; alterum a difficultatibus & studio Davidis, quæ summatim hoc ver. posita in sequentibus amplificantur, versibus quatuor. 4 vide sup. psal. 42. 2. & 3. 5 i. in deserto horrido, & summis angustiis. 6 i. quasi fatiscente præ ariditate nimia: metaphora ab animantibus. 7 ὕστερον evidentiæ causa transposuimus, quæ alioqui futura fuisset obscurior. 8 vide 1. Chron. 16. 11. 9 id est, tabernaculi tui, & ministerii Ecclesiastici. 10 primus amplificationis locus a commemoratione antè observati cultus, a quo se arceri indignatur David. a *Heb. in sanctitate.* 11 secūdus amplificationis locus a fine: finis autem duplex ponitur, unus est gloria & cultus Dei, hîc & sequente versu; alter, pax & lætitia supplicis, ver. 6. 12 i. invocabo te: synecdoche. b *Heb. cantionum.* 13 altera pars, narratio; qua se ipsum consolatur David, hoc modo: etsi nunc adeò sitiens tui avertor importunitate adversariorum ab adeundo te: hoc tamen intereà temporis consolatur me, quòd recordor tui semper, hoc versu; antè accepta beneficia commemoro, seq. versu; denique animo tibi adhæresco, & tu vicissim confirmas me, ver. 9. 14 i in tam multis stationibus, ad quas cogor exsul me recipere. 15 i. per noctem, quam per certas vigilias distribuebant veteres: ut Marci 13. 35. 16 i. in tuto & securo loco, sub defensione tua: metaphora a pullis pipientibus sub alis matrū. c *He. adhærescit anima mea post te.* 17 tertia pars, prophetia eventorum, quæ tum improbis, duobus versibus; deinde etiam piis ad regnum Christi pervenientibus eventura sunt, ver. ultimo. d *Heb. vastationi quærunt animam meam: hypallage.* 18 i. morientur in terram corruentes, sic prædicit duobus versibus David cladem Jisraëlitarum, de qua 1. Schemu. 31. 19 Pelischthæi. e *Hebr. per manus gladii: κατάχρησις.* 20 id est, insepulti jacebunt in montibus, ut bestias pascant. 21 id est, qui tum regnaturus est, sic modestè de seipso per enallegen loquitur. 22 id est, Deum ex animo profitetur & colit: synecdoche, ut videre est Deut. 6. 13. 23 id est, finis impositus fuerit calumniis: nam alii morte abrepti, alii pudore confusi futuri erant.

PSALMUS LXIIII.

David Deum implorans salutem petit: de adversariorum violentia & fraude conqueritur; postremò confirmatus fide, excidium improborum divinitùs eventurum, & bonorum pacem prænunciat.

MAgistro Symphoniæ, [1] psalmus Davidis.

2 [2] Audi, ô Deus, vocem meam dum meditor; a pavore [3] inimici custodi vitam meam.

3 Absconde me ab arcano *consilio* maleficorum, a tumultuatione operam dantium iniquitati:

4 [4] Qui exacuunt sicut gladium linguam suam; intentant *ut* sagittam suam, verbum [5] amarulentum,

5 Jaculis petendo ex latebris [6] integrum

1 Psalmus est ejusdem generis cum superiore, constans petitione, usque ad versum 8. & doctrina prophetica eventus ad finem usque. 2 petitio liberationis & salutis, duobus versibus continetur: deinde verò subjicitur illius amplificatio a persona, vi, fraude, & conatibus inimicorum, usque ad versum 8. 3 id est, quem affert mihi inimicus. 4 amplificatio a persona inimicorum tota allegorica, qua aulicas criminationes cum armis castrensibus comparat: ut Psal. 5. & 11. & 57. 5. 5 id est, virulentum atque venenatum: metaphora a sagittis. 6 sic nominatim probat innocentiam suam & se comparat cum adversariis, quos maleficos & operarios iniquitatis nominavit versu 3.

UMI

repentè jaculis petunt eum, [7] neque timent:
6 [8] Confirmant sibi rem malam: narrant de
abscondendis laqueis; [9] dicunt, Quis videret
[10] illos?
7 Perscrutantur iniquitates; [11] conficimur
[a] iis quæ callidissimè sunt perscrutati: adeò inti-
mum [12] viri & cor profundum *est*.
8 [13] Sed ubi jaculis petierit eos Deus, [a] [14] sa-
gitta repentina fuerint plagæ eorum,
9 [15] Fecerintq; ut ipsa lingua sua in seipsos
impingant: vagi se in fugam dabunt [16] quisquis
viderit eos.
10 Quicumque autem homines [17] reveren-
tur, nunciabunt opus Dei, & factum ejus intelli-
gendum proponent:
11 Lætabitur justus in Jehova, & recipiet se
ad eum, denique gloriabuntur omnes recti [b] a-
nimo.

7 nullo timore, nulla reverentia Dei adducuntur, nulla humanitatis lege. 8 i. vi aperta, & cuniculis agunt. 9 rebus instructis & comparatis ad dolum, gloriantur non posse integrum effugere: quod etiam amplificatur sequente ver. 10 laqueos. 11 i. ut ipsorum judicio, non possumus artes tam subdolas percipere, nedum effugere; sic etiam agnoscimus non esse positum in facultate nostra, ut mala quæ nobis comparant, possimus operâ nostrâ effugere, aut industria cognoscere. Hoc autem verbum ita accipiendum esse ostendit tum series argumentorum, tum etiam loci consimiles, Num. 17.28. Lamen. 3.22. [a] *Heb. perscrutatione perscrutata*. [12] sive Schaülis nominatim, sive universè omnium; nam utrumque verum est: vide Jirmejæ 17.9. [13] prophetia ad consolationem piorum apposita, qua explicat David primùm quod improbis eventurum est, duobus versibus; deinde quod bonis, ver. 10. & 11. [14] ut judicia Dei sunt velocissima, & præsentissima illius manus: sic pergit propheta in allegoria, ostendens Deum multò validiùs usurum armis suis contra illos, quàm illi contra Davidem possint. [15] i. se suo gladio jugulaverint, & sibi ipsis creaverint malum. [16] improbus: ut ostendit antithesis versus 11. sic infra 66.20. [17] Deum exercentem judicia sua. [b] *Heb. corde*.

PSALMUS LXV.

David Dei laudem prædicat, tum propter spirituales ejus benedictiones cum Ecclesia communicatas in Christo, tum propter temporarias & aspectabiles, universè quidem in orbem terrarum, sed maximè omnium in habitationem populi diffusas.

MAgistro symphoniæ [1] psalmus, Davidis can-
ticum.
2 [2] Tibi *debetur* [a] certa laus, ô Deus, *qui es* in
Tzijone, & tibi rependendum est votum.
3 O qui exaudis orationem, ad te usque om-
nis [3] caro [b] ventura est.
4 [c] [4] Res iniquæ prævaluerant mihi, defecti-
ones nostras tu expias.
5 Beatus *quem* eligis, & [5] admoves, inhabita-
turum atria tua: saturamur [6] bono domus tuæ,
[d] rebus sanctis templi tui.
6 [7] Res reverendas in justitia proloqueris
nobis, ô Deus salutis nostræ; [8] fiducia omnium
extremitatum terræ & maris longinquarum.
7 [9] Stabiliens montes virtute sua, accinctus
potentia.
8 Compescens strepitum marium, strepitum
fluctuum eorum, & fremitum nationum.
9 [10] Qui facis ut canant exortus matutinos
& vespertinos, incolæ extremitatum reverentes
a signis tuis.

1 Psalmus est ἐπαινετικὸς sive laudativus, constans ex tribus partibus. prima est laudatio a beneficiis Dei singularibus in Ecclesiam suam, usque ad ver. 7. secunda a communi rerum creatarum administratione, usque ad ver. 10. tertia a singulari benedictione in sedem populi sui, inde ad finem usque. Videtur autē hic Psalmus a Davide conscriptus esse, postquam populo fame & pestilentia liberato exoratus est Jehova terræ, & cohibita plaga a Jisraële, 2. Schemu. 21. 14. & 24. 25. [2] propositio laudationis ab officio ecclesiæ, cujus partes ponuntur duæ; una, ut in Deo conquiescant & ipsum adeant per fidem; altera, ut gratias agant & habeant beneficiorum acceptorum nomine: quæ omnia typicè proponuntur ex usu legis. [a] *Heb. silens, id est*. ἀναμφίρρητος, ἀναντιφώνητος. [3] id est, homo, ut Genes. 6. 12. [b] *Heb. veniens: syllepsis*. [c] *Heb. res iniquitatum*. [4] explicatio argumentorum laudis; quorum genera sunt hæc, remissio peccatorum hoc versu, reconciliatio per verbum Dei in Ecclesia, benedictioq; ver. sequente; & continuum benedictionum incrementum verbo Dei atque operibus, ver. 6. [5] id est, ex electione tua adjungis tibi & Ecclesiæ. [6] id est, omni spirituali benedictione. [d] *Heb. sancto templi tui*. [7] id est, augustissimas promissiones in futurum, comprehensas verbo tuo. [8] transitio ad alteram partem, de communi rerum creatarum administratione. [9] altera pars de administratione cōmuni; primùm terræ & maris ordinaria & extra ordinem, duobus ỽ; deinde rerum cælestium ỽ 9. quæ omnia in oculis omnium exposita sunt ad fidem & laudē comparandam Deo. ỽ. 9. [10] i. qui totos dies a principio ad finem consumis in docendis hominibus laudem tuam: hunc autem versum ex poëtica synchysi paulò obscuriorē transpositis membris declaravimus.

10 [11] Visitas hanc terram & appetis eam: plu-
rimùm ditas eam: [12] rivo Dei pleno aquæ; paras
frumentum [13] illorum, quum ita præparaveris eā.
11 Porcas ejus irrigando, deprimendo liras
ejus; imbribus dissolvis eam, germini ejus be-
nedicis.
12 [14] Coronas annum bonitatis tuæ, & [15] or-
bitæ tuæ stillant pinguedinem:
13 Stillant *in* caulas deserti, & exsultatione
colles accinguntur.
14 Vestiuntur pascua gregibus, & convalles
obteguntur tritico, clangentes agunt, *atque* eti-
am canunt.

11 tertius locus a singularibus Dei beneficiis in domicilium & habitationem suorum, quæ beneficia elegantissimis figuris exponuntur. Est autē visitare humanitùs dictum, pro eo quod est præstare rem quam promiserat Deus, Deut. 11. 10. & sequentibus: vide Gen. 21. 1. [12] i. opima pluvia & abundante, divinitùs a Deo immissa. [13] de quibus ver. 4. 5. & 6. Est autem hæc species benedictionis synecdochicè omnibus accommodanda, quas percipimus a Deo ad præsentem vitam. [14] i. facis ut annus unus aliis præstet, quemadmodum rex præstat popularibus. [15] i. quacumque placet tibi ambulare ad exferendum benedictiones tuas: hyperbolæ elegantissimæ, hic & duobus sequentibus versibus.

PSALMUS LXVI.

Psaltes ad Dei laudes & gloriam prædicandam populos hortatur ab exemplis scripturæ, & ab opere administrationis tum communis erga omnes, tum singularis erga ecclesiam ipsius; ac postremò exemplo suo Dei laudationem confirmat.

MAgistro symphoniæ, [1] canticum & psalmus.
[2] Clangite Deo, omnes *incolæ* terræ:
2 Psallite gloriam nominis ejus, [3] apponite
gloriam laudi ejus:
3 Dicite Deo, quàm reverendus *es* factis tu-
is: propter amplitudinem roboris tui [4] mendaci-
ter se dedunt tibi inimici tui.
4 Omnes *incolæ* terræ incurvent se tibi, &
psallant tibi; psallant nomini tuo, *ut quum* maxi-
mè.
5 [5] Venite & videte opera Dei; reverendus
est actione erga filios hominis.
6 [1] Convertit mare in aridam; [2] per flumen
transiverunt pedes, illic lætati sumus in eo.
7 Dominatur potentiâ suâ in seculum; [6] ocu-
li ejus gentes speculantur: qui rebelles sunt [7] ne
efferantur apud seipsos admodum.
8 [8] Benedicite populi, Deo nostro; & [a] facite
ut resonet vox laudis ejus:
9 Qui [9] restituit animam nostram in vitam,
[10] neque permittit dimoveri pedes nostros.
10 [11] Postquam [12] probasti nos Deus, confla-
sti nos ut conflatur argentum;
11 [13] Induxisti nos in rete ipsum, [14] imposuisti
cingulam *asinariam* lumbis nostris:
12 [15] Fecisti ut insideret mortalis in caput no-
strum, [16] ingressi sumus per ignem & per aquam;
tandem eduxisti nos ad hanc [17] saturitatem.
13 [18] Ingrediens domū tuam cum holocaustis,

1 vide suprà 48. 2. Psalmus est ἐπαινετικὸς καὶ εὐχαριστικὸς, constans ex tribus partibus; propositione publica laudis Dei in Ecclesia, usque ad ver. 13. confirmatione ab exemplo singulari supplicis, inde usque ad versum 20. & conclusione, ver. 20. Videtur autem hic Psalmus a Davide conscriptus esse, postquam Jisraëlitæ ab immani Pelischthæorum tyrannide liberati sunt, & ipse a persequutionibus. [2] propositio hortatoria ad laudādum Deū & promulgandum gloriam Christi in tota terra, usq; ad ver. 5. nititur duobus argumentis; unum est ab operibus anteà designatis in Ecclesia ejus, ver. 6. alterum ab auctoritate, potentia & operibus ejus in exteros, ver. 7. [3] i. laudate & glorificate eum; cujus laudationis forma exponitur ỽ. 3. prædicandæ verò gloriæ, ỽ. 4. [4] ut 1. Sche. 22. 45. & sup. 18. 45. [5] explicatio argumentorum ad gloriam & laudem Dei pertinentium: quæ universè hoc ỽ. posita, in duo genera dividuntur, ỽ. seq. erga populum Dei, ỽ. 6. & erga omnes 7. ver. [1] *Exo. 14. 21. & seq.* [2] *Jehosch. 3. 14. & seq.* [6] ut Psa. 11. 4. [7] nimirum ampliùs; sed potiùs Deum laudent atq; glorificent. [8] Summa repetitio hortamenti ad laudandum Deum, qua transitur ad ἐργασίαν prioris argumenti quod positum est ỽ. 6. ubi ostendit psaltes, si usquam apparet beneficentia Dei in populū suum, eam illustrem esse in liberationibus, & eo quidem illustriorem quo graviora sunt mala, usq; ad ỽ. 13. [a] *Heb. facite audire vocem*. [9] i. redemit a morte, lethalibusq; periculis. [10] ut sup. 15. 23. [11] exegesis allegorica malorum, & liberationis acceptæ, quæ summatim proposuerat ver. 9. [12] prima allegoria a metallis probatis & fusis ad ignem. [13] secunda allegoria a venatione sive aucupio. [14] tertia, a jumentis, quibus clitellæ sub axillaribus loris alligantur per transversum corpus: synecdoche, pro eo quod est clitellas, & grave onus afflictionum injecisti nobis. [15] i. indignissimo cuique subjecisti nos; sic attingit comminationem Dei quæ habetur Deuter. 28. 43. & 44. [16] i. omnia quamvis durissima subivimus; proverbiale dictum: quarta allegoria. [17] i. hanc bonorū copiam ex tanta inopia. [18] Confirmatio superioris propositionis ab exemplo singulari, duas partes similiter continens; laudationem Dei, tribus ver. & narrationem argumentorum laudis, inde a ver. 16.

[19] reddam tibi vota mea.
14 Quæ [b] *nuncupaverint* aperta labia mea, & eloquutum fuerit os meum in angustia mea.
15 [20] Holocausta [c] pinguium arietum offeram tibi cum suffitu: parabo boves cum hircis potentissimè.
16 [21] Agite, audite, quicumque timetis Deum; ut enarrem quæ fecit animæ meæ.
17 Eum ore meo inclamavi, & *fui* [22] elatus pro *sermonibus* linguæ meæ.
18 [23] Ad iniquitatem si spectassem [d] animo meo, non exaudivisset Dominus.
19 At certè exaudivit Deus, attendit ad vocem orationis meæ.
20 [24] Benedictus *est* Deus; qui non avertit orationem meam [e] *a se*, & benignitatem suam a me.

[19] i. colam te legitimè. [b] *Heb. aperuerit ut labia mea.* [20] poëticam verborum synthesin evidentiæ causa fugimus, quemadmodum etiam in sequente versu. [c] *Heb. medullatorum.* [21] narratio argumentorū laudis, ut observatum est in versum 13. [22] i. ereptus & evectus ex meis calamitatibus, proptereà quòd fide invocavi eum. [23] exegesis proximè præcedentis membri, Psaltem libero a rebus iniquis & vanis animo Deum adiisse, ac proinde gratiosè exauditum esse: vide Jacobi 4.3. & seq. [d] *Heb. corde* [24] conclusio ἐυχαριστικὴ, ut dictum est in versum 1. [e] *Eclipsis antitheti: ut sup. 65.4.*

PSALMUS LXVII.

Ecclesia regnum Dei in Judæis operari, ad gentes propagari, & administratione, benedictionibusq; spiritualibus & corporalibus declarari petit.

MAgistro symphoniæ [a] fidium, [1] psalmus & canticum.
2 Deus gratiam faciat nobis & benedicat nobis, [2] illustret faciem suam erga nos maximè:
3 Ut agnoscamus in terra [3] viam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam.
4 Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.
5 Lętentur & cantent nationes; quum [4] judicabis populos [b] rectè, & nationes ipsas in terra deduces potentissimè.
6 [5] Celebrent te populi, Deus; celebrent te populi omnes.
7 Terra dante proventum suum; benedicat nobis Deus, Deus noster.
8 Benedicat nobis Deus, & revereantur eum omnes fines terræ.

[a] *Heb. in pulsationibus.* [1] Psalmus est ἐυκτικὸς, quo ecclesia postulat advētum regni Dei in Christo: sunt autē postulata tria; primum, ut Deus benefaciat populo quem jam sibi comparaverat, ℣. 2. Secundum, ut iisdem beneficiis spiritualibus populos alios prosequatur & ducat, a ℣. 3. ad 6. Tertiū, ut omnibus etiam in præsente vita benedicat, tamquam populo uni & adunato per Christum, ad gloriam ipsius: qui summus est omnium postulatorum finis. [2] vide Psal 4.7. [3] i. opus & administrationem tuam, salutaremq; gratiam omnibus hominibus; ut Paulus vocat Tit. 2.11. [4] i. regem & pastorem ages omnium: hæc autem ad Christum pertinere res ipsa loquitur. [b] *Heb. rectitudine.* [5] versus amœbæus idem cum ver. 4. initium faciens postulati tertii, ut observatum est in versum 1.

PSALMUS LXVIII.

David proposita Dei magnificentia, pios ad laudes illius hortatur ab officio illius, ab exemplis beneficiorū quæ majores acceperant, & a fiducia in qua sanctos omnes oportuit exemplo, factis, & præsentia ejus confirmari, maximè verò ascensu Christi in cælos, cujus virtute præstantur promissiones Dei erga suos, & minæ in adversarios: itaq; populum Dei & exteros iterum ad laudes hortatus, concludit ab explicatione causarum ex quibus laudem promeretur Deus.

MAgistro symphoniæ, Davidis [1] psalmus & canticum.
2 [2] Surgente Deo [3] disperguntur inimici ejus, & fugiunt infesti osores ejus a cōspectu ejus.
3 [4] Quasi impellas fumum, impellis *eos*; ut liquefit cera [a] ab igne, pereunt improbi a conspectu Dei.
4 [5] Justi verò lætantes exsultant coram Deo; & gaudent in lætitia.
5 [6] Cantate Deo, psallite nomini ejus; extollite eum qui [7] insidet amœnitatibus [8] de nomine ejus Jah, ac exsultate coram eo.
6 Pater pupillorum & defensor viduarum *est*, Deus [9] in habitaculo sanctitatis suæ.
7 Deus [10] collocat solitarios in familia, [11] educit vinctos compedibus: at rebelles [12] inhabitant [b] locum aridissimum.
8 [c] [13] O Deus quum procederes coram populo tuo; quum gradereris per solitudinem excellentissimè:
9 [14] Terra movebatur, etiam cæli destillabant a præsentia Dei; ipse Sinai, a præsentia Dei, Dei Jisraëlis.
10 [15] Pluviam [c] liberalissimam stillabas, Deus; possessionem tuam, eamq; [16] defessam tu instaurabas.
11 Tui [d] catervatim habitabant in ea; te parante per bonitatem tuam [17] pauperi illi afflicto, Deus.
12 Dominus dabat sermonem; [18] eæ quæ annunciabant, exercitu magno *dicebant*,
13 Reges exercituum fugiunt, fugiunt: & [19] quæ commoratur domi, partitur spolia.
14 [20] Etiamsi [21] jacueritis inter duas strues lapideas, [22] *eritis similes* alis columbæ, [23] tectæ argento, cujus pennæ *sunt* ex fulvo auro effosso.
15 [24] Quum [25] expanderit omnipotens reges

[1] Psalmus ἐπαινετικὸς sive laudativus, constans ex partibus quinq;; Exordio, a ver. 2 ad 5. propositione hortatoria ad laudem, a ℣. 5. ad 8. confirmatione, a vers. 8. ad 25. oratione, a ver. 25. ad 33. & postremò conclusione laudativa, inde ad finem usque. Videtur autem hic Psalmus a Davide conscriptus esse, quum regno constituto, Pelischthæis superatis, & domitis Jebusæis, arcam Dei deportaturus esset Jeruschalaima, 2. Sche. 6. & 1. Chro. 13 quamobrem eumdem versum adhibet ad translationem arcæ mutatis tantùm personis, quem adhibuerat Mosche quum arca profectura esset; Num. 10.35. [2] Exordium a loco communi de effectis præsentiæ Dei, tum in adversarios, duobus ℣; tum erga pios & morigeros, ver. 4. [3] prior effectus præsentiæ Dei in adversarios, quòd funduntur, & fugantur quum primùm se exserit Deus; ut Pelischthæorum exemplo ostenditur, 2. Schem. 5.

[4] posterior effectus in adversarios, nimirum præceps & præsentissimus illorum interitus, illustratus duplici similitudine; evanescentia fumi, & contabescentia ceræ. [a] *Heb. a facie ignis.* [5] alterum membrum exordii, de fructu præsentiæ Dei erga pios. [6] propositio hortatoria ad laudationem Dei, duobus nominibus; primùm a majestate & natura ejus, hoc versu; deinde ab officiis, duobus sequentibus. [7] i. omnia possidet amœnissima, nullis perturbationibus aut angoribus infestus est, ac proinde est omnis amœnitatis auctor. [8] i. de natura ejus sempiterna, per se existente, & quæ aliis dat esse: nam hoc propriè significatur appellatione Jah & Jehova, quæ duæ inter se conjugatæ sunt, & ex eadem radice procedentes: vide Exo. 6.2. in annot. [9] i. tum in cælis, ubi majestas ipsius habitat; tum in Jisraële, ubi præsentiam suam aspectabilem constituit Deus: ut apertè distinguitur infrà ℣. 35. quasi dicat, non opus habet mutare locum, aut laborare ad præstanda officia sua: nam ubicunq; locorum est, semper amœnitates colit, & voluntatem suam nullo negotio perficit. [10] i. auget liberis, qui sine liberis vivebant: ut Psal. 113.9. [11] ut Psal. 107. & 146. [12] i. destituti benedictione Dei arescunt, & in perpetuis calamitatibus versantur: synecdoche, unum genus ærumnarū exprimens omnium loco. [b] *Heb. ariditati.* [c] *Exo. 19.* [13] tertia pars psalmi, cōfirmatio; qua ostendit psaltes quàm vera sit superior propositio laudis, primùm ab exemplo majorum quibus gratiosè benefecit Deus, tum in profectione tota ab Ægypto, ver. 8. & 9. tum in possessione terræ, ver. 10. & 11. tum deniq; in hostium deturbatione, ver. 12. & 13. Secundò a documentis præsentiæ & operum Dei, a ℣. 14. usque ad 23. postremò a verbo & promissionibus Dei, quibus freti pii debent supra omnia adversa gloriari, inde usque ad versum 25. Est autem hæc singularis Christi appellatio ad quem Propheta convertit orationem suam, hoc versu & seq. Quod confirmatur sequente versu, his verbis, *a præsentia Dei*, &c. quæ de Patre præsente in Filio oportet accipi. [14] i. res omnes creatæ cedebant tibi populum tuum deducenti, ut ostendit historia inde ab Exodi 7. usque ad 20. [15] vide Deut. 11.11. secundus exemplorum locus de benedictione Dei in terram, hoc versu; & in habitatores ejus, sequente versu. [c] *Heb. liberalit. tuam.* [16] ex siccitate, aliòve incommodo [d] *Heb. caterva tua habitabant.* [17] id est, populo tuo, ut suprà nominavit versu 8. sic autem vocat populum ad amplificandam misericordiam Dei, qui Jisraëlitas pauperibus majoribus ortos, Deut. 26. & recens ex summa paupertate Ægypti prodeuntes voluit duntaxat gloriari de misericordia sua: tertius exemplorum locus, ut observatum est in versum 8. [18] ut moris erat in populo Dei ἐπινίκια a choreis puellarum cani, & Deo gratias agi, Exod 15.20. Judic. 5.11. & 11.36. & 1. Schemu. 18.5. [19] id est, mulieres ipsæ imbelles, ut Judic. 5.24. [20] transitio ad secundum laudationis argumentum: quo docet psaltes, etsi permagnum est quòd Jisraëlitæ ab exemplis majorum confirmantur ipsos a calamitatibus liberatum iri, & illustrem gloriam adepturos; tamen hanc confirmationem adhuc majorem accedere, quòd Deum sibi præsentem esse vident, & coràm eadem opera experiuntur quæ ab exemplo majorum didicerant: quæ propositio prolepticè hoc versu enunciata, sequentibus exponitur. [21] id est, in summis angustiis, sordibus, & squalore vixeritis: metaphora a calonibus & lixis castrensibus, qui a ventorum & cæli injuria utcumque se defendunt noctu delitescendo inter lapides focarios, ac proinde omnem in partem fuligine & atrore maculantur. [22] id est, splendebitis tamen & circumfulgebitis, atque ab omni atrore vindicabimini, tum præsentia Dei sanctificante vos, quæ ut versibus sequentibus; tum operibus maximis quæ Deus effecturus & demonstraturus est in Christo, a ver. 19. ad 23. [23] id est, alæ nitidissimæ, quasi deargentatæ scapo, & pennis deauratæ essent. [24] ἐργασία sive exornatio superioris propositionis a præsentia Dei, & comitatus angelorum, ver. 16. judicia ejus perficientium: quam præsentiam tum ex operibus quæ posteà explicantur, inde a ver. 19. tum ex symbolo aspectabili ecclesiæ dato demonstrabat Deus. [25] i. fuderit fugatos aut cæsos.

in hac *terra*,[26] niveus eris[27] in Tzalmone,
16 [28] Monte [e] maximo, monte Baschanis;
monte [f][29] frequente gibbis, monte Baschanis.
17 [30] Quare dejiceretis vos,montes frequentes gibbis? hæc montana desiderat Deus ad sedem suam, etiam Jehova inhabitabit in æternũ.
18 Curruum Dei duæ *sunt* myriades, millia multiplicia: Dominus cum illis *est*[31] *Dominus* Sinai in sanctuario *habitans*.
19 [32] Ascendens[33] in sublime,[34] captivam fecisti captivorum multitudinem,[g] accipiens *dedisti* dona hominibus; etiam[35] rebelles[36] habitando *captivos facis*,[37] Jah Deus.
20 [38] Benedictus Dominus, *qui* [h] quotidiè onerat nos *donis*; *Deus* ille fortis salus nostra excellentissimè.
21 *Deus* ille fortis nobis *est Deus* fortis, [i] ad salutem omnimodam: & Jehovi Domino *sunt*[39] exitus contra ipsam mortem.
22 [40] Tantùmodò Deus frangit caput inimicorum suorum, verticem[41] comatum indesinenter ambulantis in reatibus suis.
23 [42] Dixerat Dominus,ex Baschane reduco, reduco[43] ex profunditatibus maris,
24 [k] Ut[44] frangens *immergas* pedem tuum in sanguine; linguam canum tuorum, *sanguine fluente* ab inimicis, ab unoquoque eorum.
25 [45] *Quum* viderunt incessus tuos,ô Deus;incessus Dei fortis mei,regis mei,*qui est* in sãctuario;
26 [46] Præcedebant cantores,pòst fidicines;inter puellas tympana pulsantes.
27 [47] In congregationibus benedicite Deo, Domino,[48] *qui estis* e scaturigine Jisraëlis.
28 [49] Illic *sit* [50] Binjamin parvus & dominator eorum,principes Jehudæ & cœtus eorum; principes Zebulunis, principes Naphthali.
29 [51] Præcepit Deus tuus robustum esse te; corrobora,ô Deus,[52] quod operatus es in nobis.

[26] i. nihilominus quisque vestrum ex strage inimicorum rediens per totam terram circumfulgebit puritate & gloria: altera allegoria,idem significans quod dictum est superiore ℣. [27] id est,in meditullio terræ, ubi situs est mons Tzalmon cis Jardenẽ, Judi.9.48. vide 1.Reg.12.1. synecdoche. [28] id est, in parte ulteriore trans Jardenem, ubi siti sunt Baschanis montes, & amplissimum tractum obtinent. [e] Heb. Dei, ut Gen.30.8. [f] Heb. gibborum. [29] i. constante ex multis jugis & collibus. [30] apostrophe prosopopœetica ad montes & terram totam Cenaanææ,cujus dignitas explicatur a benevolentia, præsentia, & documentis Dei,hoc versu,& a gloria ministrorum ejus, versu sequente. [31] i. Jesus Christus,idẽ Dominus qui se patribus in monte Sinai patefecit, Exod. 3.& 19.

[32] secundus locus exornationis ab operibus Dei,quorum potentissima demõstratio fuit in resurrectione Christi,& ascensu ad cælos: nam hujus effecta sunt duorum generum prolepticè hoc versu posita;unus effectus est in adversarios, quòd captivi ducuntur teneturq; catenis potentiæ Dei,alter verò erga pios & populares Christi, quibuscum habitat & quos donis ornat Deus. hic autem posterior effectus duobus ℣.proximè sequentib.exponitur,ὕστερον πρότερον;prior verò ver.22. [33] i. in cælum,ut interpretatur Paulus. [34] i.mundum,carnem, peccatum,mortem,& satanam subegisti. vide Colos.2.12.& seq. [g] *Heb.accepisti dona: eclipsis verbi conjugati,ut Exod.25.2.quomodo accipiendum esse docet ℣ sequens,& Apost.ad Ephes.4.8.* [35] i.eos qui licet victi sint,tamen oppugnant opus tuum,& ecclesiæ adversantur. [36] putà in excelsis:nam inde exserit quotidiè Christus potentiam suam. [37] i.ô Jehova Christe. [38] epiphonema pertinens ad secundum effectum ascensus Christi in cælos,ut dictum est præcedente ℣:nam illius fructus inde a principio pertinuit ad Ecclesiam Dei. [h] *Heb. die die,ut Gen.39.10.* [i] *Heb.ad salutes.* [39] i.liberationes ab ipsa morte & rebus deploratissimis toti populo suo præstat:quapropter voce Jehovi utitur Psaltes patheticè: vide in Gen.15,2. [40] i.non suos, sed reprobos tantùm peccatis adhærentes perdit. [41] i.horrentem coma,ferociam hominis testante:ut Ijobi 5.5. [42] tertius confirmationis locus a verbo & promissionibus Dei,cujus veritatem majores fuerant experti & agnoscentes celebraverant:vide Num.21.27.& seq. & Deut.2.& 3. [43] ut dixerat Exo.14.16. [k] *Heb.ut frangas pedem: eclipsis verbi consequentis recepta in scriptura locis quorum planus est a natura sensus: ut Exo.*23,18. [44] caput inimicorum suorum,ut sup.ver.22. [45] i.administrationem tuam,prout prædixeras, omnes ætates experta sunt: transitio ad quartam partem Psalmi ab exemplo majorum, qui accepto singulari aliquo beneficio Dei gratias agebant, & in futurum benè precabantur. [46] i.singuli suo ordine celebrabant publicè & orabant Deũ:ut Exo.15.Nu.21.Judi.5.&c. [47] prima pars orationis, εὐχαριστία,hoc versu;& quidẽ publico conventu indicto,ut exponitur seq.℣. [48] i. Jisraëlitæ omnes:periphrasis. [49] i.omnes summi & infimi, propinqui & longinqui adsint,ut hoc officium exhibeant Deo:oratio asyndetos. [50] q.d.etsi tribus Binjaminis paucitate sua impediri videtur,ac fortasse etiã domestico adhuc in domũ Davidis odio(de quo 1.Chro.12,29.) ne censeatur in tribubus;tamen oportet me hunc honorem illi tribuere,ut prima vocetur ad hunc conventũ sacrũ.erat autem parva tribus cæterarum cõparatione inde a tempore cladis ad Gibhã acceptæ,ut agnoscit Schaül 1.Sche.9.21.deinde etiam attrita bellis quæ contra regnum Davidis gesserat. [51] transitio ad alterum orationis membrum, occasione sumta a præcepto Dei: sunt autem precationis tres partes; prima, ut ipse det robur quod imperat, & benefaciat suis, duobus ver. secunda, ut adversarios edomet, ver. 31. tertia, ut exteros advocet in communionem regni sui, ver. 32. [52] id est, beneficia quæ in majores nostros & in nos contulisti: denique (ut scitè Augustinus loquitur) jube quod vis,da quod jubes.

30 E templo tuo[53] propter Jeruschalaima: tibi afferent[54] reges donarium.
31 Perde catervam[55] [l] arundiferam, cœtum[56] robustorum juvencorum cum vitulis populorum,[57] fingentem subjicere se cum[58] fragminibus argenti;[59] dissipat populos, *qui* bellis delectantur.
32 [60] Veniant magnates ex Ægypto, Æthiopia [m] celeriter transmittat manuum suarum *donum* ad Deum.
33 [61] Regna terræ cantate Deo; psallite Domino vehementissimè:
34 [62] Insidenti[63] cælis cælorum [n][64] antiquorum; en edit voce sua vocem robustam.
35 [65] Tribuite robur Deo, cujus excellentia *est* super Jisraëlem, & cujus robur in superioribus nubibus.
36 [66] Formidabilis es, ô Deus,[67] e sanctuariis tuis; *Deus* fortis Jisraëlis ipse dat robur & vires huic populo:benedictus *sit* Deus.

[53] i. electionem gratuitam & fœdus initum cum Ecclesia tua,quæ vera est Jerusalem mater omnium nostrûm, Galat.4.26. [54] i.ego & successores mei gratissimo animo agnoscemus te. [55] i. armatam sagittis; synecdoche: nam sagittæ olim fiebant ex arundinibus, ut arundinem pro sagitta dixit Virgil. Æneid.7. [l] *Heb.arundinis.* [56] i.ferocientium ducum & militum: allegoria,ut Psal.22.13. de iis qui palam malefaciunt. [57] i. hypocritam: nam hæc duo sunt genera inimicorum Dei. [58] i. muneribus(ut vocant)homagii. [59] i.tyrannos omneis. [60] tertius precationis locus,ut observatum est in ℣.29.de amplitudine regni Christi. [m] *Heb. faciet ut currant manus suæ,hoc est dora,ut Græcè interpretatur Plin. lib. 35. cap.14. Metonymia.* [61] conclusio hortatoria ad laudem Dei per apostrophen ad omnes gentes vocatas in Christo. [62] primus locus laudis a majestate Dei operibus & verbo testata. [63] ut,1.Reg.8.27. [n] *Heb.antiquitatis.* [64] i. ab omni antiquitate,ex quo cæli sunt. [65] secundus locus laudis,a benefica administratione rerum creatarum in cælo & in terra. [66] tertius locus laudis a singulari ipsius communicatione cum ecclesia sua. [67] i.cælesti & terrestri,quod est cælestis illius symbolum.

PSALMUS LXIX.

David figura Christi gravissimè conquestus de injuriis & perpessionibus quas indignè pertulit, & de adversariorum scelere; Deum orat pro salute sua, & inimicorum exitio: ac postremò his rebus confectis, Dei laudes a se, ab ecclesia, omnibusq; rebus creatis prædicatum iri docet.

Magistro symphoniæ[1] ad hexachorda,[2] Davidis *ode*.
2 [3] Serva me Deus,quia[4] perveniunt aquæ usque ad animam:
3 Demergor in cœnum [a] profundissimum, ubi non *est* consistendi locus: ingredior profunditates aquarum,& fluentũ inundans abripit me:
4 Fatigor clamando, exsiccatur guttur meum; deficiunt oculi mei sperantis in Deum meum.
5 [5] Plures sunt quàm capilli capitis mei qui oderunt me immeritò, potentiores sunt qui conantur me succidere,qui mihi sunt inimici injuria;[6] tunc quod non rapui,rependere cogor.
6 [7] O Deus,tu novisti[8] stultitiam meam; & reatus mei non sunt celati tibi.
7 [9] Ne erubescant de me exspectantes te, Domine Jehovi *Deus* exercituum; ne rubore suffundantur mea causa qui quærunt te, Deus Jisraëlis.

[1] vide in Psal. 45.1. [2] ode est ἱκετική, continens petitionem a ver.2.usque ad 30. & conclusionẽ laudativam,inde ad finem usq;. videtur autem David, velut typus Christi a Deo datus, hanc oden scripsisse ipsius Christi & ecclesiæ nomine: prout evangelica historia commonstrat, & Apostoli accommodant. [3] prolepsis sive propositio universalis eorum quæ petuntur a Deo, continens postulatum,& postulati causam allegoricam. Exornatur autem hæc propositio, usque ad ver.31. idq; duobus capitibus; unum est, precatio pro salute supplicis,a ver. 2.ad 20.alterum,imprecatio in adversarios, usque ad 31. quorum utrique adhibentur suæ causæ. [4] i.versor in gravi discrimine vitæ: quæ allegoria duobus sequentibus versibus amplificatur ab omnibus circumstantiis ex quibus homines mergi solent. Prima postulati causa, a persona supplicis. [a] *Heb.profunditatis.* [5] accommodatio allegoriæ, quasi dicat, anteà tantisperdum non fuerunt ipsorum consilia constituta,& conventus habitus ad ea perficienda; dissimulârunt,neque intentârunt quidquam: jam verò hæc est hora illa quam observârunt ipsi,& potestas tenebrarum: vide Matth.26.55. & Lucæ 20.53. Altera postulati causa,a persona adversariorum. [6] nimirum quum me conantur succidere, & sibi videntur ex facto perficere, tunc illud rependere cogor morte,qua est persolutum pretium pro peccatis mundi: quæ uno rapiendi verbo synecdochicè designantur. [7] tertia postulati causa, a conscientia Dei. [8] i.qua me onerant & criminantur adversarii: sic etiam reatus mei mox appellantur, hoc versu: quasi dicat,tu mihi es horum meorum criminum omnium testis,quæ objiciuntur mihi. [9] summa postulati causa, gloria Dei in confirmatione fidelium omnium.

8 [10] Nam propter te sustineo opproborium,
operit ignominia faciem meam:
9 Extraneus effectus sum fratribus meis, &
alienus filiis matris meæ:
10 [‖] Quia zelus domus tuæ exedit me, & op-
probria probris afficientium te accidunt mihi.
11 [11] Quum flens *affligo* jejunio animam me-
am, tum hoc vertitur [b] in summum probrum mihi.
12 [12] Quum statuo vestimentum meum cili-
cium, tum sum illis in parabolam.
13 [13] Confabulantur de me sedentes in por-
ta; & *canunt* [c] odas lyricas bibentes potum ine-
briantem.
14 [14] *De* me itaque, oratio mea ad te *est hæc*,
Jehova, [15] tempus *est* benevolentiæ: Deus, pro
amplitudine benignitatis tuæ exaudi me, pro fi-
de [d] salutari tua.
15 [16] Eripe me e luto, & ne immergar; eripiar
ab osoribus meis, & a profunditatibus aquarum:
16 Ne inundans abripiat me fluentum aqua-
rum, neque absorbeat me profundum: & ne præ-
cludat mihi [17] puteus os suum.
17 [18] Exaudi me Jehova, quia bona *est* benig-
nitas tua: secundùm amplitudinem miseratio-
num tuarum respice ad me,
18 Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo;
quia *est* angustia mihi; festina, exaudi me,
19 Appropinqua ad animam meam; vindi-
ca eam, [19] propter inimicos meos redime me.
20 [20] Tu nosti opprobrium meum, pudorémque meum, & ignominiam meam: coram te *sunt*
omnes hostes mei.
21 Opprobrium frangit [e] animum meum, a-
deò ut afficiar ægritudine: quumq; exspecto qui
condoleat, nemo adest; aut consolatores, tamen
non invenio:
22 Quin *potiùs* dant pro alimento meo [f] ama-
rorem; & in siti mea [‖] bibendum dant mihi ace-
tum.
23 [21] Sit [22] mensa eorum ante eos pro laqueo;
& pro [23] retributionibus, pro tendicula *ipsis*.
24 Obtenebrentur oculi eorum, ut non vide-
ant: & fac ut lumbi eorum jugiter nutent.
25 Effunde super eos indignationem tuam, &
æstus iræ tuæ assequatur eos.
26 [g] Sint castella eorum desolata, in tento-
riis eorum ne sit habitator:
27 [24] Quia [25] quem tu percussisti persequun-
tur, & secundùm dolorem confossorum tuorum
[26] narrationes contexunt.
28 [27] Appone [h] pœnam ad pœnam iniquita-
tis eorum, & [28] ne veniant in justitiam tuam.
29 [29] Deleantur de libro viventium, & cum
justis ne conscribantur.

[10] id est, amplificatio postremæ causæ, primùm per explicationem & professionem studii sui erga Deum; quod etsi indignè premebatur, invictum tamen permanere docet, tribus versibus; deinde per antithesin improbitatis adversariorum cum officio ipsius erga Deum, ver. 11. 12 & 13.
[‖] *Joan.* 2.17.
[11] alterum membrum exornationis per antithesin, ut modo dictum est.
[b] *Heb. in probra.*
[12] i. compono me ad dolorem & luctum: synecdoche.
[13] i. traducor omnibus modis in publicis & privatis consessibus, seriis, & ludicris, sobriis & ebriis, deniq; apud omnes ludibrio sum.
[c] *Heb. pulsationes.*
[14] hactenus causæ: nunc sequitur petitio salutis, quam secundo versu summatim attigerat, usque ad versum 20.
[15] i. tempus est jam ut benevolentia tua utaris erga me, & ostendas eam: prout jam ab æterno hoc benevolentiæ & gratiæ tempus statuisti ad servandum tuos: ut Jeschah. 49. 8. & 2. Cor. 6.2.
[d] *Hebr. salutis tuæ.*
[16] petitio respiciens ad querimoniam versus secundi & tertii, versibus duobus.
[17] id est, vorago profundissima sine crepidine & effugio ullo: allegoria.
[18] accommodatio allegoriæ vehementissima, continens petitiones duas, quæ duobus sequentibus versibus præpostero ordine explicantur. [19] i. ut redemtus & victor triumphem ac exsultem de inimicis meis: sic transitur ad imprecationem, alteram orationis partem. [20] secunda pars petitionis, imprecatio: ad quam venitur repetita paucis querimonia de probro & calamitate sua, tribus *V*. [e] *Heb. cor.* [f] *Heb. venenum vel cicutam.* [‖] *Mat.* 27.34. *Mar.* 15.23. *Joan.* 19.29. [21] sequitur post querimoniam imprecatio, usq; ad versum 31. cujus partes sunt duæ; una, in vitam præsentem, usque ad ver. 26 altera, in futuram. Maledictionis autem præsentis duo sunt genera: unum, in ipsas personas, tribus versibus; alterum, in ipsas habitationes & facultates earũ, ver. 25. quæ petitiones ex adverso respondent querimoniis superioribus inverso ordine. [22] qui amarore aluerunt me, &c. [23] hoc est, ut talionis pœnam luant: sic interpretandam esse hanc vocem (quæ nusquam alibi plurali numero substantivè legitur) evincit Apostolus ad Rom. 11.9. [g] *Heb. sit castellum: enallage numeri.* [24] transitio ad alterum orationis membrum; præfixa ætiologia hoc *V*. ab infidelitate, injustitia, & inhumanitate hostium. [25] sic Christus percussus Dei appellatur Jeschah. 53.4. [26] i. sermone illos ludificantur; & eò quidem atrociùs, quò duriùs illos a te tractari vident: quod Christo & piis accidisse omnes historiæ testantur. [27] i. affice eos æterna pœna, quasi alteram superaddas alteri: humanitùs dictum de pœnis æternis quas infligit Deus, prout sequentia docent. [h] *Heb. iniquitatem ad iniquitatem: ut Gen.* 4.13. [28] i. ne accenseantur justis, ut sequens versus explicat humanitùs. [29] ut Exod. 32.32.

30 [30] Ego verò pauper & dolens; *quum* sa-
lus tua, Deus, in edito collocaverit me,
31 Laudabo nomen Dei cantico, & magnifi-
cabo eum gratiarum actione,
32 Quæ melior videbitur Jehovæ, bove, ju-
venco, cornuto, *aut* ungulam scissam habente
[31] *quoquam*.
33 *Quod ubi* viderint mansueti, lætabuntur,
& [32] reviviscet animus vester, ô quærẽtes Deũ:
34 Quòd attendat ad egentes Jehova, & vin-
ctos suos non spernat.
35 [33] Laudabunt eum cæli & terra, maria, &
quicquid repit in eis:
36 Quia Deus servat [34] Tzijonem, & instau-
rat civitates Jehudæ; ut habitent ibi, & hæredi-
tario jure possideant eam *terram*:
37 [‖] [35] Posteri, inquam, servorum ejus posside-
ant eam; & amantes nominis ejus habitent in ea.

[30] Conclusio laudativa, continens primùm propositionem laudis usq; ad *V*. 36. deinde ætiologiam, duobus ultimis. Laudationis autem tria sunt membra, unum a supplice liberato, tribus versibus; secundum, ab ecclesia, *V*. 33. & seq. tertium, a toto mũdo, ver. 35.
[31] i. ullius animalis quamvis legitimo sacrificio.
[32] i. qui jam amplitudine calamitatis meæ confusus prosternebatur, quasi recepta vita exsultabit. [33] nimirum suo modo, quum instaurabitur per Christum Ecclesia; vide Rom. 8. prosopopœia. [34] i. Ecclesiam, cujus typus olim fuit Tzijon, & Judæa tota. [35] i. Jisraël Dei, & vera ecclesiæ membra.

PSALMUS LXX.

Argumentum est idem cum fine psalmi 40.

Magistro symphoniæ, [1] *ode* Davidis [2] ad re-
cordandum.
2 Deus ad eripiendum me; Jehova, ad auxi-
lium meum festina.
3 Pudefiant & rubore perfundantur quęren-
tes animam meam: agantur retrorsum & ignomi-
nia afficiantur qui delectantur malo meo.
4 Retrocedant pro mercede pudoris sui, qui
dicunt, euge, euge.
5 Gaudeant & lætentur in te omnes quæ-
rentes te; ac dicant jugiter, magnificetur Deus,
amantes salutis tuæ.
6 Ego verò sum pauper & egens, ô Deus, fe-
stina mea causa: auxilium meum & liberator me-
us es; Jehova, ne tardes.

[1] ode est εὐκτικὴ, eodem planè argumento & iisdem propè vocibus cum psalmo 40. a ver. 14. ad finem usque.
[2] vide psalmo 38.1.

PSALMVS LXXI.

Psaltes fidem suam in Deum professus servari ab inimicis petit, & Deum a munifica natura ejus, promissionibus, operibus anteactis, gloriaq; solicitans adversariis imprecatur malè: officium suum erga Deum liberatione accepta profitetur, & de ea cum animo suo confirmatus securè spondet se gratias acturum Deo.

1 Ad te, [1] [‖] Jehova, me recipio; ne erubescam un-
quam.
2 [2] Justitiâ tuâ eripe me & libera me, incli-
na ad me aurem tuam, ac serva me.
3 Esto mihi [a] rupes quam inhabitem, quò
veniam jugiter; [3] præceptum posuisti de servan-
do me, quia petra mea & munitio mea es.
4 [4] Deus mi, libera me e manu improbi; e
manu [b] iniquè & præfractè agentis.
5 Nam tu *es* exspectatio mea, Domine Jeho-
vi; fiducia mea a pueritia mea.
6 [5] Tibi innitor inde ab utero; a visceribus
matris meæ tu abripuisti me: [6] in te *est* laus mea
jugiter.

[1] ode est ἀντί[illegible]γραφος, generis εὐκτικοῦ, constans ex duabus partibus: prior est petitio, usque ad ver. 22. posterior, votum laudis & gratiarum actionis, inde ad finem usque. Petitionis autem summa est, ut Deus servet supplicem: quæ petitio per prolepsin enunciata, versu 1. suis deinde argumentis amplificatur: primum est a natura, promissionibus, operibus, & gloria Dei, usque ad vers. 9. secundum, a persona adversariorum, inde usque ad vers. 14. tertium a persona supplicis, inde usque ad vers. 22. videtur autem hunc psalmum scripsisse David jam senex quum fugeret ab Abschalomo filio: quod multis hujus odes versib. non obscurè indicatur. [‖] *Psal.* 31. [2] primus locus a natura Dei justa & gratiosa. [a] *Heb. in rupem habitaculi.* [3] secundus locus a verbo & promissionibus Dei quas amplectitur fides duobus versibus. [4] transitio ad tertium locum, qui est ab operibus singularibus Dei erga Davidem, & anteacta ejus fide atque experientia. Fit autem hæc transitio per repetitionem postulati, de quo ver. 1. [b] *Heb. iniquè agentis & præfracti.* [5] i. tu sustentas me inde a conceptu atque ortu meo. [6] id est, nulla pars vitæ meæ vacat tuis beneficiis, ac proinde tota ad laudem tuam pertinet: transitio ad quartum locum a gloria Dei.

7 [7] Tamquam ostentum fui multis; adeò es
mihi receptus robustus.
8 [8] Impleatur os meum laude tua, toto die
gloriâ tuâ.
9 [9] Ne abjicias me tempore senectutis: quum
deficit virtus mea, ne derelinquas me:
10 Quia loquuntur inimici mei de me, & ob-
servantes animam meam [10] consultant simul:
11 Dicendo, Deus dereliquit eum, persequi-
mini & prehēdite eum; quia nemo *est* qui eripiat.
12 Deus, ne longè abesto a me; Deus mi, ad
auxilium meum festina.
13 Pudefiant, deficiant adversantes animæ
meæ; operiantur opprobrio & ignominia quæ-
rentes malum meum.
14 [11] Ego verò jugiter in exspectatione sum,
[12] de tota laude tua; & perrecturus sum.
15 Os meum narraturum est justitiam tuam,
quotidiè salutem tuam: quamvis ignorem [13] nu-
meros *ejus*:
16 Aggrediar [c] omnimodam fortitudinem Do-
mine Jehovi; cōmemorabo justitiam tuam solius.
17 Deus, [14] docuisti me a pueritia mea, & huc
usque indicavi mirabilia tua.
18 Quare etiam tantisper dum [d] senex & ca-
nus sum, Deus, ne derelinquas me; donec indi-
cavero [15] brachium tuum *huic* generationi, omni
venturæ *generationi* fortitudinem tuam:
19 Nam justitia tua Deus, in altum usq; *assur-
git*: quia facis res magnas; Deus, quis *est* par tibi?
20 Quia postquam fecisti [e] ut experirer angu-
stias magnas & malas; [f] rursus vitæ restituis me,
& ex abyssis terræ rursus facis ut ascendam.
21 Auges magnitudinem meam, & [16] diver-
tens consolaris me.
22 [17] Etiam ego celebraturus sum te instru-
mento nablii, fidemq; tuam Deus mi: psallam tibi
cithara, ô sancte Jisraëlis.
23 Cantabunt labia mea, quando psallam ti-
bi, & anima mea quam redemeris;
24 Etiam lingua mea quotidiè enunciabit ju-
stitiam tuam: quòd erubuerint, quòd pudore per-
fusi fuerint quærentes malum meum.

…i, tanta fide & virtute protexisti me, ut exemplo meo quod ipsis ostendisti, multi adducti sint ad credendum tibi. Hanc enim propriam esse vocis Hebrææ significationem arguunt omnes scripturæ loci, ubi personis tribuitur. [8] ita mihi benefac, ut nihil in ore geram præterquàm beneficia tua, laudandi tui argumenta. [9] repetitio postulati cum amplificatione a persona supplicis: qua ratione transitur ad secundum argumentorum genus de persona adversatiorum: in quo primùm impietatem illorum exponit, deinde imprecatur V. 13. [10] vide 1. Schem. 16. & 17. [11] tertium argumentum postulati a persona supplicis; in quo profitetur psaltes primùm spem suam præsentem & fidem in Deum, deinde officium in futurum pollicetur de laudibus Dei prædicandis, postremò ab anteacta experientia & acceptis documētis ac beneficiis Dei postulatū salutis suæ repetit, a V. 17. usq; ad 22. [12] i. quandoquidem jamq; laudis argumenta dedisti mihi, & certis quasi particulis illius aspersisti me, liberando me ex urbe, & Achitophelis consiliū evertendo, confido te effecturum ut tota tua laus in plena mea instauratione demonstretur. [13] vide Psal. 40. 6. Est autem in his verbis modesta correctio, quasi dicat, narrabo res inenarrabiles, non pro ipsarum amplitudine, sed pro tenui facultate mea: aggrediens saltem, versu sequente, & fideliter expendens quæ doceris me, versu 17. [c] *Heb. fortitudines.* [14] postremus locus a rebus antè gestis: quarum genera ponuntur duo, documenta de verbo & spiritu, hoc versu; & opera, versu 19. & sequentibus. [d] *Heb. senectus & canities est.* [15] i. opus maximum & valentissimum, ut sequentia exegeticè ostendunt. [e] *Hebr. fecisti ut viderem: synecdoche.* [f] *Hebr. reverteris, vitæ restituis, &c. sic reverteris, facis ut ascendam, mox in fine versus.* [16] supple ad me: humanitùs dictum. [17] conclusio votiva laudis omnimodæ, & gratiarū actionis ex animo & corpore.

PSALMUS LXXII.

David moriturus Deum orat ut Schelomoni spiritum justitiæ tribuat, legitimamq; administrationem & benedictionem suam: deinde justa administratione & benedictione Schelomonis ac Christi elegantissimis versibus celebrata, benedicit Deo.

1 PRo Schelomone. [2] O Deus, judicia tua regi
da, & justitiam tuam filio regis:
2 Judicet populum tuum [a] justè, & paupe-
res tuos jure.
3 Proferant [3] montes [4] pacem populo, &
colles propter [5] justitiam.
4 [6] Vindicabit pauperes populi; servabit [7] fi-
lios egentis, conteret verò oppressorem.
5 Reverebuntur te [b] quam diu erit sol; & du-
rante luna in generationem æternam.
6 Ut quum descendit pluvia super sectam
herbam; quum imbres, irrigatio terræ;
7 Florebit temporibus ejus justus; & ampli-
tudo pacis, [8] donec non sit luna:
8 Et dominabitur [9] a [c] mari uno ad alterum,
& a flumine [d] quaquà *sunt* fines terræ.
9 Coram eo honorem exhibentes incurva-
bunt se [e] barbari, & inimici ejus [10] pulverem
lingent.
10 [11] Reges oceani *accolæ* & insulani munus
reddent, reges [12] Schebæ & Sebæ donarium offe-
rent:
11 Denique incurvabunt se *honorem exhibentes*
ei omnes reges, omnes gentes servient ei.
12 Quoniam eripiet egentem vociferantem,
& pauperem cui non fuerit adjutor;
13 Parcet attenuato & egenti, animasq; egen-
tium servabit;
14 A dolo & a violentia vindicabit animam
eorum: adeò [‖] pretiosus *est* sanguis eorum in ocu-
lis ejus.
15 Ideò [13] quamdiu vivet, [14] dabit ei [15] de auro
Schebæ; & orabit [16] pro eo jugiter, toto die bene-
dicet ei.
16 [17] Ubi fuerit pugillus tritici in terra, [18] in
vertice montium, [19] commovebit se ut Liba-
nus fructus ejus; & florebunt [f] cives ut herba
terræ.
17 [20] Erit nomen ejus in seculum, durante
[g] sole sobolescet nomen ejus; & benedicentes
sibi in eo, omnes gentes beatum prædicabunt
eum.
18 Benedictus *sit* Jehova Deus; Deus Jisra-
ëlis; qui facit mirabilia solus:
19 Et benedictum nomen gloriæ ejus in secu-
lum: [21] impleatúrque gloriâ ejus tota terra;
amen, iterum amen.
20 [22] Finiuntur orationes Davidis filii Jischai.

[1] ode est εὐκτικὴ, qua moriturus David Schelomonem filium Regem institutum commendat Deo, & illius specie (prout Schelomo typus fuit Christi) regnum Dei in Christo venturum optat & prædicat. Quamobrem hæc ode ex tribus partibus constat: prima est petitio, tribus primis versibus; secunda est prophetica regni Schelomonis ac potius Christi descriptio, a versu 4. usque ad 17. tertia, laudatio, ad finem usque. [2] hujus petitionis tria sunt capita: primum, ut Deus spiritu justitiæ Schelomonem instruat ad officium perfungendum, prout petiit Schelomo 1. Reg. 3. secundum, usus justitiæ a Deo collatæ, versu 2. tertium, fructus benedictionis Dei ex administrata justitia ad ipsum & ad totum regnum perventurus, vers. 3.

[a] *Hebr. in justitia.* [3] i. totum regnum montibus abundans: synecdoche. [4] i. omnimodam benedictionem, ut pacis nomen ferè ab Hebræis accipitur. [5] quam culturus est & administraturus Schelomo. [6] prophetica explicatio regni Christi (quod Schelomonis regno præfiguratum est) per exornationem duorum capitum quæ in petitione posita sunt, nimirum administratæ justitiæ, & fructus ex ea perventuri. justitiæ autem duæ sunt partes, bonorum defensio, & improborum ultio: fructus gradibus quatuor distinguitur; primus est timoris & reverentiæ Dei, versu 5. secundus, incrementi & ædificationis ecclesiæ, versu 6. & 7. tertius, propagationis regni per vocationem gentium & voluntarium illarum obsequium, versu 8. & sequentibus: quartus, infinitæ benedictionis ad subditos, & gloriæ ad regem perventuræ, inde a versu 12.

[7] i. quos diuturnis calamitatibus pressit, ac veluti hæreditariis: vide Psalm. 37. 35. [b] *Hebr. cum sole, & ante lunam, generatione generationum.* [8] i. in perpetuum: vide Genes. 49. 26. annotat. [9] i. Schelomo quidem a mari mediterraneo ad mortuum, & ab Euphrate usque quà protenditur terminus descriptus Exod. 23. Numero. 34. Deuteron. 11. & alibi, ut completum fuisse legitur 1. Reg. 4. 20. Christus verò in universo mundo. [c] *Hebr. a mari usque ad mare.* [d] *Hebr. usque ad fines terræ.* [e] *Hebr. sicci, i. sitientis deserti incolæ, agrestes atque indomiti.* [10] i. proni se in terram prosternent, in signum fidei, reverentiæ, atque obsequii. [11] vide 1. Reg. 4. 33. & toto decimo capite, quomodo hæc figuratè Schelomoni ex parte contigerint: quæ hodiè implentur in Christo, ut sequens versus explicat. [12] vide Genes. 10. 7. [‖] *infra* 116. 15. [13] quisque eorum quos redemerit & vendicaverit. [14] i. ultrò ex tota facultate sua præstabit debitum officium atque obsequium: quod munerum collatione olim significabatur synecdochicè, ut 1. Schem. 10. 27. [15] i. pro salute ejus, & bono totius regni. [16] hoc est, nihil erit tam exiguum, quod non augeatur vel multiplicetur in immensum per benedictionem Dei. [17] i. etiam in loco incommodissimo. [18] i. mutuo confrictu perstrepet copiosa seges, ut arbores Libani: hyperbole. [19] hoc est, tum ipse in sempiternum vivet, tum de nomine suo filios Dei & Christianos a se dictos gignet; qui nomini ipsius benedicant, & sibi de hac sua prærogativa gratulentur: nam hæc in speciem tantùm Schelomoni evenerunt. [f] *Hebr. a civitate.* [20] Conclusio laudativa. [g] *Hebr. ante solem: ut suprà vers. 5.* [21] i. sanctificato nomine ejus adveniat regnum ejus. [22] i. hanc ultimam orationem moribundus habuit, vide 2. Schem. 23. 1. Etsi haud scio annon hic locus meliùs possit accipi in hanc sententiam: hic finis orationum (id est, Psalmorum hymnorúmque synecdochicè) quos David ipse congessit in librum hunc, & congestos deposuit hoc ordine in Ecclesia Dei, & quorum omnium auctor est David per spiritum Dei. Qui autem sequuntur, per alios temporibus variis collecti sunt. Atque hæc sententia mea.

TERTIUS LIBER PSALMORUM.

PSALMUS LXXIII.

Psaltes post spiritale certamen erumpens in commendationem bonitatis Dei, exponit ægritudinem animi sui & bonorum, cùm propter secundos improborum successus, tum propter calamitates suas: deinde rationem sui expediendi ostendens, incertum improborum statum certumq; exitium proponit: postremò se totum credit Deo, & illi hæsurum profitetur.

[1] PSalmus Asaphi. [a] Atqui bonus *est*
Jisraëli Deus, puris [a] animo.
2 [3] Equidem *quod ad* me, penè
[4] declinaverant pedes mei; nihil ferè *aberat quin* [5] effunderentur gressus mei:
3 Quum inviderem insanientibus, prosperitatem improborum aspicerem.
4 [6] Nam non *sunt* nexus usque ad mortem
eorum, [7] sed pingue *est* robur eorum.
5 In labore mortalium non sunt, & cum *reliquis* hominibus non afficiuntur plagis.
6 Idcirco cingit eos [8] torques superbiæ, operit *velut* ornamentum violentia eos.
7 Emicat præ pinguedine uterq; oculus eorum, [9] superant cogitationes animi.
8 [10] Tabifici sunt, & loquuntur malignè oppressionem: & [11] e sublimi loquuntur.
9 [12] Opponunt cælis os suum, & lingua eorum pervadit terram.
10 [13] Ideoq; redit populus ejus huc, [14] quum
aquæ pleni *poculi* exprimuntur ipsis,
11 [15] Ut dicant, quomodo cognosceret Deus
fortis? aut esset notitia in excelso?
12 Ecce istos improbos, ut tranquilli [b] *in* seculo augeant vires.
13 Utique inaniter purifico animum meum,
& [16] lavo in munditia manus meas:
14 Quum sim plaga affectus quotidie, & castigatio mea *præstò sit* matutinis singulis.
15 [17] Si dixerim, [18] narrabo [c] talia; [19] ecce generationi filiorum tuorum perfidus fuero;
16 Si cogitem cognoscere hoc, [d] laboriosum
visum est in oculis meis:
17 Donec [20] ingressus essem in sanctuaria *Dei*
fortis, animadvertissem [21] finem istorum.
18 [22] Utique in lubricis ponis eos, dejicis eos
in vastitates.
19 Quomodo [e] abeunt in desolationem quasi momento; desinunt, consumuntur [23] terroribus?
20 [24] Tamquam somnium, postquam evigilavit *quispiam*? Domine, [25] quum [f] expergisceris,
[26] imaginem eorum contemnis.
21 [27] Quum exacerbabatur animus meus, &
in renibus meis me ipsum exacuebam,
22 [28] Tum eram brutus, qui ignorarem: *velut*
jumenta eram apud te.
23 [29] Itaque ego jugiter *futurus sum* tecum;
[30] prehendisti manum dexteram meam.
24 [31] Consilio tuo deduc me, ut postmodùm
in gloriam recipias me.
25 Quis *esset* mihi in cælis *præter te*? & [g] præter te nullo delector in terra.
26 [32] Deficiente carne mea & animo meo;
rupes animi mei & portio mea Deus *est* in seculum.
27 [33] Nam ecce longinqui [h] a te pereunt, exscindis [i] quicunque adulterando *deficit* a te.
28 De me itaque, propinquum esse Deo mihi
bonum *est*; pono in Domino Jehovi receptum
meum, ut enarrem omnia opera tua.

[1] Psalmus est didascalicus, continens propositionem voluntatis Dei erga suos, versu 1. confirmationem ab experientia prophetæ & piorum hominum, a versu 2. usque ad vers. 23. & conclusionem, inde ad finem usque. De hac autem inscriptione vide Psal. 50.1. [2] propositio ex abrupto; qua propheta per paralepsin (quæ in scriptura frequentissima est) certamina carnis suæ & spiritus reticens, & quasi repente ex difficultatibus eorum emergens, conclusionem proponit tantùm; affirmans utcumque calamitates urgeant, tamen Dei bonitatem semper esse præsentissimam bonis. [a] *Heb. corde: ut V. 7. & V. 13. & sic deinceps.* [3] confirmatio propositionis per narrationem certaminis quod subeunt pii, usque ad vers. 15. & eventus quem largitur Deus, inde ad 23. Certaminis autem ponuntur duo genera: unum singulare prophetæ, qui carnem suam fatetur prosperitati improborum, suisq; calamitatibus non satis acquievisse, usque ad vers. 10. alterum commune piorum, versibus sequentibus. [4] i. prægravatus carnis infirmitatibus animus propè aberraverat ab officio: metaphora. [5] i. diffluerem velut aqua, ne insisterem viis quas præscripsit Deus. [6] prior locus ætiologiæ a continua improborum prosperitate usque ad vers. 10. Est autem in his verbis elegantissima translatio ad exprimendos secundos improborum casus a textorum telis: quasi dicat, quum primùm vitam suam orsi sunt, perpetuo cursu eam sine mora vel impedimento usque ad extremum vitæ actum peragunt, ut quum ex æquabili vel enodi stamine & trama tela contexitur. [7] i. non sunt ut exilia fragiliaq; fila, quæ subinde sit opus religare nodis; sed sunt velut robusta, crassa, æqua, & valentia fila, quæ ad finem usq; illæsa percurrunt telam præsentis vitæ: hæc metaphora in sequentibus vers. exponitur: cui similem vide Jeschah. 38.10 & 14. [8] i. superba sua violentáque facta gloriæ sibi & ornamento vertunt. [9] i. secundis etiam rebus utuntur suprà quàm ipsi cogitaverant. [10] id est, facto & sermone sunt exitiosi aliis quasi eos consumant tabe. [11] proverbiale loquendi genus, apud Græcos & Latinos auctores frequens. [12] i. licenter & impunè in Deum blasphemias eructant, & in humanum genus contumelias: metonymia. [13] Secundus locus ætiologiæ a communi piorum sensu. [14] i. quum non tantùm indignam improborum fœlicitatem observant, sed suas etiam calamitates quasi amaras potiones in dies sibi comparari vident. [15] attoniti rerum gravitate & infirmitate carnis, quasi in dubium vocantes providentiam & administrationem Dei. [b] *Hebr. seculi.* [16] ut suprà 26. 6. [17] altera pars psalmi incipiens a disceptatione dilemmatica; qua docet psaltes quam rationem tandem sequutus sit ad eventus bonorum malorúmque cognoscendos, postquam exploravit has duas judicandi vias quæ duobus hisce versibus continentur: nam hoc versu ostendit quantoperè ipsum caro sollicitaverit ut judicaret de piis ex re præsente, quod mundus solet facere; sequente verò docet quomodo misso sensu carnis, & spiritus sui tenuitate ignita adductus sit ad consulendum Deum: hæc autem sunt μεταβατικὰ ad alteram orationis partem de eventu. [18] i. res secundas improborum, & contrà bonorum adversas. [c] *Heb. sicut hæc.* [19] i. impius fuero, & injurius piis. [d] *Heb. labor.*

[20] i. contulissem me ad doctrinam cælestem percipiendam, quæ in locis sacris & prophetarum scholis tradebatur: sic enim Davidem a Schaüle Najothas ad Schemuelem fugisse, ubi conventus prophetarum habebatur, legimus 1. Schem. 19.18. [21] i. exitum quem improbis tribuit Deus observassem. [22] propositio metaphorica status & eventus improborum, quam duo sequentes vers. illustrant. [e] *Hebr. sunt.* [23] vide Ijobi 18. [24] i. ipsi cum fœlicitate sua evanescunt. [25] i. incipis exerere vim tuam ad efficiendum justitiam tuam: humanitùs dictum; ut Psalm. 35.18. [f] *Heb. vel cum expergefacis, istos videlicet.* [26] i. eos ipsos, qui non ampliùs sunt quàm umbra imaginaria, ut Psalm. 39.7. [27] Confessio peccati in priore illa cogitatione & voluntate hærentis, ad excitandum studium suum & amplificandam gloriam Dei, versibus sequentibus. [28] i. non magis sapiebam in rebus istis, quàm pecudes. [29] Conclusio, qua propheta beneficium Dei agnoscens primùm se illi regendum & ducendum tradit, sequente versu; deinde summam Dei majestatem cum infirmitate sua comparans, bonorumq; eventa cum improborum exitiis, se hæsurum Deo perpetuò profitetur ad gloriam ipsius. [30] i. in lubrico hujus vitæ labentem sustinuisti doctrina & operibus tuis, ver. 17. [31] non autem ex sententia animi mei. [g] *Heb. tecum.* [32] i. quæcumque me angustiæ corporis aut animæ urant. [33] Confirmatio gloriationis piorum in Deo, a contrario improborum eventu, quem suprà docuit. [h] *Heb. tui.* [i] *Heb. adulteratum a te.*

PSALMUS LXXIIII.

Ecclesia gravissimis calamitatibus ab Antiocho Epimane oppressa expostulat cum Deo de suis perpessionibus; scelera hostium proponit: & Deum tamdiu cessare conquesta fœderis ipsius, & magnificorum operum recordatur, indignissimorúmque in Deum facinorum quæ hostes perpetraverant: idcirco Deum pro salute sua, gloria nominis ipsius, & hostium confusione supplicat.

[1] O *De* didascalica, [2] Asapho. [3] Quare Deus
[4] rejicis in æternum? [5] fumare pergit ira tua
in gregem pastus tui?
2 [6] Recordare cœtus tui; te acquisivisse [a] anteà, vendicasse tribum possessionis tuæ; montem
Tzijonis hunc *esse* in quo habitabas.
3 [7] Attolle pedes tuos ad vastitates [8] æternas,
ad omnia mala *quæ* facit inimicus [9] in loco sancto.
4 [10] Rugientes hostes tui in medio synago-

[1] i. in perpetuum Ecclesiæ documentum tradita, ut psal. 44.1. Est autem hæc ode generis σχετλιαστικῆς ἢ εὐκτικῆς, continens partes tres; Exordium sive propositionem, V. 1. 2. & 3. narrationem a V. 4. ad 10. & petitionem, inde ad finem usque. [2] ut psalm. 50.1. Videtur autem hanc oden Ecclesia Deo cecinisse, quo tempore Antiochus Epiphanes populum Dei durissima tyrannide pressit, & omnem cultum Dei nefariè prophanavit. [3] exordium sive propositio proleptica, constans ex duabus partibus; expostulatione cum Deo, ver. 1. & petitione, duobus sequentibus: quæ duæ partes exordii reliquo psalmo exornantur. [4] i. nobis adesse & gratificari desinis tamdiu & sine intermissione. [5] i, ardet: synecdoche metaphorica. [6] i. demonstra opere te non oblitum esse Ecclesiæ, regni; & religiosi loci quem anteà præsentia tua institutoq; sanctificaveras. [a] *Hebr. antique.* [7] i. accurre, advola, ut Genes. 29.1. humanitùs dictum. [8] i. indesinentes & perpetuò durantes, sine intercapedine: ut vers. 1. [9] i. templo, urbe, & regione sancta: quomodo accipiendum esse docebunt sequentia. [10] narratio explicans expostulationem versus primi, primùm a maleficiis tyrannicis adversariorum, usque ad vers. 9. deinde a privatione singularium beneficiorum dei, vers 9.

garum

garum tuarum, [11] posuerunt insignia sua [b] *pro* in-
signibus.
5 [c] Nobilis habitus est *eorum quisque*, [12] prout
efferebat sursum [d] contra implexa ligna secures.
6 [13] Etiam nunc sculpturas ejus simul, vecte
& tuditibus tundunt.
7 [e] Immiserunt ignem in [14] sanctuaria tua;
dejicientes in terram prophanârunt tabernaculum
nominis tui.
8 Dixerunt [f] cum animo suo, vim inferamus
eis pariter: incenderunt omnes synagogas *Dei*
fortis *dejicientes* in terram.
9 [15] Insignia nostra non videmus; non *est* am-
pliùs propheta, neque *est* apud nos qui sciat us-
que quò.
10 [16] Quousq; ô Deus, probro afficiet hostis?
irritabit inimicus nomen tuum in æternum?
11 Quare avertis manum tuam, [17] & *quidem*
dexteram tuam? [18] e medio sinus tui cohibe.
12 [19] Atqui Deus [20] rex meus *est* jam olim, ope-
rans [g] omnimodam salutem in medio terræ.
13 [‖] Tu disrupisti robore tuo mare, perfregisti
capita [21] cetorum in aquis.
14 Tu conquassasti capita [22] balænæ, dedisti
[23] cibum ipsi populo [h] [‖] per deserta *proficiscenti*.
15 [‖] Tu [24] fidisti fontem & [25] torrentem; tu [26] a-
refacis fluvios validos.
16 Tuus *est* dies, etiam tua nox: tu parasti
[27] lumen *hujus* & solem.
17 Tu statuisti omnes terminos terræ: ipsam
æstatem & hyemem tu formasti.
18 [28] Recordare *saltem* hujus; [i] inimicum pro-
bro afficere, ô Jehova, & populum stultum irri-
tare nomen tuum.
19 [29] Ne tradas *isti* catervæ [k] vitam [30] turturis
tuæ, catervæ pauperum tuorum afflictorum ne
obliviscaris in æternum.
20 Intuêre in fœdus: [31] nam repleta sunt ob-
scurissima loca terræ, caulæ *sunt* violentiæ.
21 Qui attritus est, ne redeat [32] confusus; pau-
per & egens laudent nomen tuum.
22 Surge, ô Deus, [l] age causam tuam; recor-
dare opprobrii tui *quo afficeris* à stulto quotidiè.
23 Ne obliviscaris vocis hostium tuorum; stre-
pitus insurgentium in te, [m] augescentis jugiter.

PSALMUS LXXV.

*David accepto nuncio de Abneri cæde, a novis disci-
diis metuens Deum orat, ut propter nomen suum mi-
sereatur populi: officiumq; suum ergà Deum & po-
pulum sibi conciliatum professus, Deum orat ut per-
gat regnum ipsi tradere, in quo Deo servire & popu-
lum justè gubernare possit.*

MAgistro symphoniæ, [1] ne perdas; psalmus [2] A-
sapho, *&* canticum.
2 [3] Celebramus te Deus, celebramus: [4] nam
propinquum nomen tuũ, enarrant mirabilia tua.
3 [5] Quum excepero [6] conventum, ego [a] re-
ctissimè judicabo.
4 [7] Solutas terræ omniúmque habitatorum
ejus, ego aptabo [8] columnas maximè:
5 [9] Dicens insanientibus, ne insaniatis, &
improbis, [10] ne attollatis cornu:
6 Ne attollatis [11] contra excelsum cornu ve-
strum; *ne* loquamini [12] collo duro.
7 [13] Non enim ab exortu aut ab occasu, neq;
[14] a deserto *est* [b] exaltatio:
8 [15] Sed Deus judex; hunc deprimit, & illum
extollit.
9 [16] Nam poculum in manu Jehovæ, & vi-
num turbidum est, plenum mixtione, [17] ex quo
fudit: verumtamen fæces ejus [18] *quas* expresserint,
bibent omnes improbi terræ.
10 [19] Ego itaq; annunciem in seculũ, psallam

[11] i. omnia signa cultus sacri a Deo instituta, publica & privata, in templo, urbe, agro, regione tota, & in hominibus ipsis sustulerunt; ut sua tropæa, idôla, statuas, prophanos cultus, præputium, & omnia illegitima exercitia in populum Dei inveherent: de his videndi sunt libri Machabæorum, & Iosephus antiquitatibus Judaicis lib. 12. [b] *Heb. insignia.* [c] *Heb. cognitus est: ut infrà 76. 2.* [12] i. quò vehementiùs intestina opera sacra e ligno affabrefacta & coagmentata dissipabat. hunc versum ita reddendum esse Hebraicæ voces accentus, & contextus ipse docet. [d] *Heb. contra implexum lign.* [13] amplificatio a circumstantia temporis. quasi dicat, ne hoc quidem hominibus istis est satis, quòd disjecta & disturbata sunt omnia: conquirunt rudera quæ vectibus impellant, & minutas particulas quas malleis comminuant; adeò altè infixum hæret odium cultus tui, & religionis nostræ. hic autem Syræ voces, ac non Hebrææ adhibentur ad evidentiorem temporis quo hæc gesta sunt designationem. [e] *Heb. miserunt in ignem tuum sanctuarium, hypallage: ut Judic. 1. 8.* [14] id est loca sacra, synagogas, scholas, & si quæ sunt ejusmodi: ut sequente versu exponitur. [f] *Heb. in corde suo.* [15] i. omnia illa prisca testimonia & documenta ceremoniarum, quarum pædagogio nos anteà instituebat Deus. Hoc primum est beneficium ademtum; cui subnectuntur duo alia; unum, ordinariæ prædicationis verbi: alterum, singularis prophetiæ, qua extra ordinem consolabantur populum Prophetæ per singulares revelationes spiritus. [16] altera pars psalmi, continens primùm expostulationem cum Deo, duobus versibus: deinde patheticam propositionem causarũ ex quibus Deus ad misericordiam provocatur, a ℣. 12. ad. 19. ac postremò petitionem gratiæ & liberationis, reliquis versibus. Expostulationis autem partes sunt duæ: una, quòd blasphematur Deus, hoc versu; altera, quòd ipso cessante opprimuntur pii, sequent. versu. [17] i. liberatricem & pios sustentantem: nam hoc benignum Dei opus erga suos in scripturis ferè dexteræ attribuitur humanitùs. [18] i. ne finito ampliùs otiosam esse; sed velut eductam exerce in adjumentum nostrum: humanitùs dictum, ut de pigro dicitur Proverb. 19. 24. & 26. 15. [19] propositio argumentorum quibus provocatur Deus ad misericordiam. a constantia primùm naturæ ejus fœderisq; gratiosi, deinde operum ejus tum singularium quæ extra ordinem Deus populo suo præstitit, tribus sequentibus; tum eorum quæ ex ordine naturæ pergunt, vers. 16. & 17. [20] i. curat me ab æterno, recipiens me in fidem & clientelam suam. [g] *Heb. salutes.* [‖] *Exod. 14.* [21] sive crocodilorum, ut Jechezkelis 29. 3. id est nomarchorum, magnatum & ducum, quorum operam adhibuit Parho ad persequendum Jisraëlitas, vide Exo. 15. 4. [22] i. Parhonis, quem cum copiis obtrivit mare: sic Jeschah. 27. 1. [23] i. Man & coturnices, de quibus Exod. 16. & Num. 11. hunc autem locum ita accipiendum esse ostendit ipsa verborũ series cum historia comparata: similem constructionem vide Jehosch. 15. 19. & Judic. 1. 15. [h] *Heb. desertorũ.* [‖] *Exo. 16. & Deu. 8.* [‖] *Exo. 17. 6. Num. 20. 11.* [24] i. petram & rupem, ut manaret fontem: frequens synecdoche a fine, ut vulgo coquere panem, molere farinam dicimus, ex Jesch. 44. 19. & 47. 2. [25] i. aquam multam, ut biberet cœtus & jumenta ejus, Num. 20. 11. [26] i. ut spatiũ aridum effecisti ad transitũ populi tui per Jardenẽ, quo tempore Jarden superabat omnes ripas suas. Sic elicit psaltes thesin ex hypothesi sive exemplo singulari, ut cōmodiùs ad alterum genus operum transeat. [27] i. Lunam cum stellis nisi quis fortè de lumine accipi maluerit, quod primo die emissum a Deo, in die quarto demum fuit aptatum Soli. [28] postremus commiserationis locus, ab indignitate blasphemiarum quas in Deum torquent inimici. quasi dicat, ut taceamus gratiosum fœdus tuum nobiscum & opera admirabilia, saltem hoc effice, ut nomen tuum vindicetur ab inimicis tuis. [i] *Hebr. inimicus probro afficit, &c.* [29] petitio tripartita, pro ratione causarum quæ modò adductæ sunt: qua primùm salutem Ecclesiæ, tribus versibus; deinde gloriam nominis Dei; ac postremò compressionem impiorum postulat. [k] *He. animam.* [30] i. Ecclesiæ tuæ inermis, imbellis, simplicis, & mitis, prout columba est, adeoq; turtur, qui minimus censetur in columbarum genere, teste Aristotele lib. 5. de historia animalium, cap. 13.

[31] i. nihil est tam abstrusum atque reconditum, quò non pervaserit istorum violentia. [32] i. repulsam a te ferens. [l] *Heb. contende contentionem tuam.* [m] *Hebr. ascendentis.*

[1] vide suprà psal. 57. i. psalmus est ἀπευκτικὸς sive (ut ita dicamus) deprecativus, quo deprecatur David funesta illa & exitialia bella quæ inter ipsum & domum Schaülis gesta fuerant, videns utrimque populum miserè perditum iri, nisi Deus pro misericordia sua provideret. Hunc enim psalmum ad ea tempora pertinere nominatim ostendit versus quartus, quibus Abner ad Davidem profectus regnum Jisraëlis obtulerat ipsi, & Joab totum consilium nefario suo scelere ita conturbaverat, ut a gravioribus bellis metus esset, 2. Schem. 3. Constat autem ex duabus partibus: prima est propositio locorum ex quibus Dei misericordia imploratur, a ℣. 2. ad 10. secunda, petitio, duobus ultimis. [2] ut psal. 50. 1. & psal. 48. 1. [3] prior pars psalmi, propositio locorum ad conciliandam misericordiam pertinentium. Sunt autem duo loci; unus, a confessione beneficiorum præsentium & præteritorum Dei, hoc versu; alter, a professione studii sui in præstando officio ergà Deum & regnum universum, versibus sequentibus. [4] i. multa nobis suppeditasti publica & privata argumenta celebrandi nominis tui, ex quibus cognoscimus te nobis adesse etiam his turbulentis & calamitosis temporibus: in his enim miraculis Dei non respicit propriè David ad prisca jam olim in populo facta; sed partim ad singularia Dei opera erga ipsum, quum profugus esset, restitutus, evectus, & in regno unius tribus conservatus contra vim cæterarum, partim ad publica erga suum regnum. [a] *Heb. rectitudinibus.* [5] secundus locus comparandæ misericordiæ, professio officii quod se præstiturum pollicetur David. quasi dicat, ne sinas, ô Deus, Judæos & Jisraëlitas ampliùs mutuis inter se bellis confici, aut consilium de habendo Jisraëlitarum omnium conventu (quod jam Abnero auctore initum est) abrumpi; sed propter nomen tuum & veritatem tuam effice, ut Jisraëlitæ in hoc consilio pergant, & ego meis partibus coram te defungi possim. Conventum autem eum intellige, in quem Jisraëlitæ suadente Abnero consenserat, 2. Schem. 3. 17. & qui postmodum Chebrone habitus est 2 Schem. 5. ubi Jisraëlitas honorificentissimè fuisse a Rege exceptos legimus 1. Chro. 11. 3. & 12. 23. ad finem usq;. [7] id est, statum regni & ecclesiæ dissolutũ per has diuturnas clades & dissensiones instaurabo: metaphora, quæ sequentibus exponitur. [8] i statumina & firmamenta; metaphoricè. [9] i. propositis Dei judiciis avocans a via ipsorũ mala. [10] i. ne insolescatis & ferociatis Thrasonicè: metaphora a petulcis animantibus. [11] quo auctore rex fui institutus, 2 Schem. 3. 18. & hic conventus indictus est. [12] i. reluctante & renitente adversus voluntatem Dei: metaphora ab animantibus refractariis & impatientibus jugi. [13] ἐργασία propositionis præcedentis, ne cornua efferant cōtra excelsum adversarii, ℣. 6. Non est (inquit) hoc regnum a mundo, sed a Deo profectum. [14] i. septemtrione aut meridie: nam utrimque Judæa clauditur deserto. [b] *Heb. extollere.* [15] vide 2. Shem. 3. 1. [16] occupatio. quasi dicat, fateor quidem me non sine gravi damno meo & meorum huc usq; evectum esse, ut calamitates bonis æquè ac malis communes sunt: sed tamen (utcumq; turbulenta sint & periculosa omnia) quàm malè cedat improbis, ex parte res præsentes commonstrant, & tamdem exitus adversariorum funestus ostendet. hæc allegoricè poculi appellatione figurantur, quod suis quidem bibendum, improbis verò epotandum præbet Deus; ut Jesch. 51. Jirmejç 25. & alibi. [17] i. quo hactenus populũ suum exercuit: nam hæc omnia dicuntur allegoricè. [18] i. quas ipsi sua impuritate, gravitate, & pertinacia sibi cōparaverint. [19] altera pars psalmi, petitio per paralepsin: nam perinde est ac si diceret David; ne perdas, ô Deus, sed potiùs rationem ineas qua tui Jisraëlitæ conserventur, ut annunciem, psallam, &c.

Deo [20] Jahakobi:
11 Et omnia cornua improborum [21] succi-
dam; [22] exaltentur cornua justi.

[20] i. Jisraëlis, qui populus unus est ad Dei unici fœdus & cultum vocatus, prout etiam designavit Elija 1. Reg. 18.31. [21] i. exarmem improbos, & ita mutilem ut se in posterum contra te efferre nequeant. [22] i. confirmentur justi, ut erecto capite Deum colere & in regno tranquillè versari possint. Sic 1. Schem. 2.1.

PSALMUS LXXVI.

Psaltes Deum celebrans de præsentia ipsius & magnifico opere adversus Assyrios, potentiam iræ ejus ad exsequendam voluntatem ipsius ostendit, & omnes ad Deum colendum hortatur.

MAgistro symphoniæ [a] fidium; [1] psalmus [2] Asa-
pho & canticum.
2 [3] Nobilis *est* in Jehuda Deus, in Jisraële
magnum nomen ejus;
3 Cujus tugurium *est* [4] Schalemi, & habita-
culum Tzijone.
4 [5] Ibi [6] confregit [b] [7] coruscos arcus; scutum,
gladiumq;, & bellum vehementissimè.
5 [8] Illustris factus es, magnificus, [9] ex monti-
bus direptionis.
6 [10] Dediderunt se in prædam robusti [c] ani-
mo, [11] dormitaverunt somnum suum: [12] adeò ut
non invenerint ulli viri bellatores manus suas.
7 Præ [13] increpatione tua, ô Deus Jahakobi;
consopitus est [14] & currus & equus.
8 [15] Tu, tu *inquam*, formidabilis *es*: [16] ecquis
consisteret coram te, ex quo [d] irasceris?
9 [17] E cælis facis ut audiatur sententia; ter-
ra timet, & quieta sidit;
10 Quum surgit ad judicium Deus, ad servan-
dum omnes mansuetos terræ maximè.
11 Nam [18] æstus hominum celebrat te, [19] re-
siduo æstuum accingis *tuos*.
12 [20] Vovete & *vota* reddite Jehovæ Deo ve-
stro; quicumq; circumstant illum, [21] afferant mu-
nus illi formidabili,
13 *Qui* [22] vindemiat spiritum antecessorum,
formidabili regibus terræ.

[a] *Heb. in pulsationibus: ut psal. 4.1.* [1] Psalmus est generis εὐχαριστικῶ, constans ex partibus quatuor: prima est exordium, generatim proponens argumenta laudationis Dei, vers. 2. & 3. secunda est narratio, a vers. 4. ad 8. tertia est propositio doctrinæ ad ecclesiam pervenientis ex narratione, inde ad vers. 12. quarta, conclusio hortatoria. Videtur autem hic psalmus ad tempora Chizkijæ referendus esse, quibus copiarum Sanchetibi pars magna cælitus interfecta est: 2. Reg. 19.2. Chro. 32. & Jeschah. 37. [2] ut psalm. 50.1. [3] Exordium, ut observatum est in ver. 1. proponens duo argumenta laudationis Dei; a mirificis operibus ejus quibus se ipsum nobilitavit, ut narratur inde a vers. 4. & a singulari ipsius præsentia atque habitatione Jeruschalaimis, vers. 3. [4] vide Gen. 14.18. [5] i. Jeruschalaimis & Tzijone, unde misit Angelum suum Deus, perditurum Assyriorum copias ad Lacischum opidum, quod Sancherib obsidebat: narratio. [6] i. hostes ita cecidit, ut nullis militaribus armis uti possent; his vitam adimens, illis frangens animum; perinde atque si omnia ipsorum arma dissiluissent: metonymia. [b] *Heb. prunas, vel scintillas arcus, id est, præ nitore scintillantes, sive ignescentes.* [7] amplificatio αὐξητικὸς. quasi dicat, potentissimũ, instructissimum, & accuratissimum exercitum: synecdoche. [8] ἀποστροφὴ ad Deum, inceptam narrationem illustrans. [9] i. nobilitata est majestas tua ex eo maximè, quòd Assyriorum castra montes occupantia diripienda tradidisti nobis, prout sequens versus explicat. [10] superstites ex clade, qui manè deseruerunt castra & fuga se proripuerunt. [c] *Heb. corde.* [11] occisi ab angelo. [12] his prostratis, illis se in pedes conjicientibus: vide 2. Reg. 19. 32. quomodo nihil planè adversus Jeruschalaima tentare potuerint; quod hic dicitur invenire manus suas, τὸ ἐπιχειρεῖν, sed præventi fuerint manu Dei, & ad Lacischum attriti. [13] i. potente verbo tuo, & nullo negotio: prout denunciaverat Jeschahja 2. Reg. 19. 20. & sequentibus. [14] i. quisquis valebat robore, antecessor & princeps in castris regis Assyriæ, 2. Chro. 32. 21. hi enim maximè curribus & equis vehi solent: synecdoche. [15] transitio ad propositionem didascalicam per epiphonema. [16] communis locus de imbecillitate rerum creatarum adversus iratum creatorem suum, ad quem transitur ex superioris hypotheseos argumento. [d] *Heb.* est *ira tua.* [17] ἐργασία propositionis ab exemplo totius terræ: quod metaphoricè exponit psaltes, Deum cum judice terreno comparans, duobus versibus. [18] i. æstuantes & insolentes adversus te homines coërcentur judicio tuo; ac proinde materiam præbent celebrandi tui. hic primus usus sententiæ Dei, de qua vers. 9. [19] i. circumvallas & munis populum tuum, quem ex hostium tuorum æstu reservasti: respicit enim ad prophetiam quæ habetur 2. Reg. 19. 30. alter usus sententiæ Dei, bonorũ salus. [20] conclusio hortatoria, ut observatum est in vers. 6. [21] ut Chizkijæ temporibus factum est, 2. Chron. 32. 23. [22] id est, propter suos potentibus vitam momento & nullo negotio adimit, 2. Chron. 32. 21.

PSALMUS LXXVII.

Psaltes Ecclesiam docet quomodo in extremis rerum difficultatibus imploret fidem Dei; certamen carnis exponit in dubium vocantis benignitatem Dei, & victoriam spiritus adversus carnem, se ipsum a natura, promissionibus, operibusq; Dei confirmantis.

MAgistro symphoniæ, præfecto *posteris* [1] Jedu-
thunis; Asaphi [2] psalmus.
2 Vox mea ad Deum *fertur*, [3] quum excla-
mo: vox mea ad Deum, ut aurem advertat ad me.
3 [a] [4] Tempore angustiæ meæ Dominum re-
quiro: [5] manu mea noctu perfusa, & non inter-
mittente: renuente consolationem admittere
anima mea.
4 Recordor Dei, quum [6] fluctuando perstre-
po: meditor, quum [7] obruit se spiritus meus vehe-
mentissimè.
5 *Quum* [8] tenes [b] vigiles oculos meos; con-
cutior, ita ut non possim eloqui.
6 Reputo [9] tempora inde ab antiquitate, an-
nos *superiorum* seculorum.
7 Recordor [10] musicę pulsationis meę nocte:
cum [c] animo meo meditor, & perscrutatur spi-
ritus meus, *dicens*:
8 [11] An in secula repelleret Dominus? aut
non pergeret benè velle ampliùs?
9 An deficeret in æternum benignitas ejus?
desineret [12] sermo [d] in quamque generationem?
10 An oblitus esset gratiam facere *Deus* fortis?
an occluderet irâ miserationes suas summè?
11 [13] Tandem dico; infirmare me istud, mu-
tata dextera excelsi?
12 *Imò* [14] recordabar actionum Jah: quin re-
cordabor inde ab antiquitate [e] quodque mirabi-
lium tuorum:
13 Et meditabor de unoquoque opere tuo; de
actionibus tuis confabulabor, *dicens*;
14 O Deus, [15] in sanctitate via tua *est*; quis *De-
us* fortis magnus *est* ut Deus?
15 Tu, ô *Deus* fortis mirifice; ostendisti [16] in
populis robur tuum.
16 Vindicasti [17] brachio populum tuum; [18] po-
steros Jahakobi, [19] etiam Josephum maximè.
17 [20] Videntes te aquæ, Deus, videntes te a-
quæ, formidârunt: etiam [21] commotæ sunt abyssi.
18 [22] Exundârunt aquas nubes, [23] sonum edi-
unum.

[1] de quo suprà psal. 39.1. & 1. Chron. 25.2. & 3. [2] Psalmus est didascalicus: quo propheta ostendit primùm quanta certamina subeat animus suus, quum premitur calamitatibus; deinde quibus modis & argumentis erigatur, ut Ecclesiam suo exemplo doceat. Prior pars connectur a vers. 2. ad 10. posterior, inde ad finem usque. [3] i. quum pressus afflictionibus fidem alienam implorare cogar. Propositio generalis, quam reliquo psalmo exornat propheta ab antecedentibus, explicans primùm afflictiones suas gravissimas, usque ad ver. 6. deinde conflictationem animi, usque ad ver. 11. ac postremò confirmationem quasi redeuntis ad se & resipiscentis animi, ad finem usque. Ex quibus omnibus assurgit hæc propositio: quum affligor & conflictatur animus meus; recordatione fœderis, operumq; Dei revocor ad ipsum implorandum.

[a] *Heb. die: synecdoche: sic infrà* ℣. *6.* [4] ἐργασία sive exornatio propositionem superiorem confirmans per enarrationem trium illorum capitum quæ modò dicta sunt, nimirum afflictionum, certaminis spiritalis, & resipiscentiæ. [5] i. præ afflictionum gravitate madentibus ex continua lacrymatione manibus meis; sive precando conserantur, sive adhibeantur ad abstergendos oculos. [6] i. quum incertus animus huc illuc impellitur, & quasi undis agitatus querulas voces emittit: metaphora. [7] ut infrà Psalm. 102.1. [8] i. ita affligis ut non possim dormire. [b] *Hebr. vigilias oculorum meorum: hypallage.* [9] i. administrationem superiorum temporum, ut sequentia docent; sive universalem, hoc versu; sive singularem, seq. [10] i. antè acceptorum beneficiorum, quibus dies noctesq; excitabar ad celebrandum te: synecdoche. [c] *Hebr. corde.* [11] hypotyposis conflictantis animi cum gravissimis & difficillimis necessitatibus, ac velut disceptantis de fide & constantia Dei, tribus versibus. [12] i. promissio quam fecit suis. [d] *Heb. in generationem & generationem.* [13] altera hypotyposis resipiscentis & se ipsum reprehendentis animi. quasi dicat, quid? Egône quum seriem omnium temporũ memoria repetens agnoscam perpetuum cursum beneficentiæ Dei; & vitam meam anteactam recolens sentiam fuisse perpetuam erga me benignitatem ipsius; nunc demum cederem? & tum naturæ Dei, tum promissionum, operumq; oblivíscerer; ubi semel manum suam mutat, hoc est rationem administrandi mei? non patiar me infirmari hoc pacto, neque animo abjecto cedam præsentibus castigationibus: elegantissima aposiopesis indignabundum animum exprimens. [14] subjectio officii, quod præstare debet piorum animus, ubi rediens ad se confirmari cupit: nimirum ut opera Dei memoria colligat ad recreandum se, prout explicantur ad finem usque. [e] *Hebr. mirabile tuum.* [15] i. administratio tua est sanctissima, potentissima, & summè admirabilis; cujus potentiam omnes populi experti sunt, versu sequente; nominatim verò populus tuus sensit ad liberationem & salutem suam, usque ad finem psal. [16] a quibus, per quos, & ad quos deduxisti servos tuos: ut docet historia Moschis in libro Genes. a capite 11. ad finem usque. [17] i. robore: humanitùs dictum. [18] ex Ægypto, ut habetur Exod. 12. [19] i. regnum Jisraëlitarum ipsum, quod atrocissimis peccatis adeò te provocavit, ut jam planè a gratia tua & spe restitutionis exciderit: sic accipitur Hobadjæ 18. Zecarjæ 10.6. & alibi. sic commendat psaltes communia & singularia beneficia Dei. [20] periphrastica descriptio transitus per mare rubrum: in qua per prosopopœiam docet psaltes quid mare, quid cælum, & terra fecerint ad imperium Dei. [21] i. profundum mare, discedens atque dividens se, ut iter tuum sterneretur populo tuo, vers. 20. [22] vide Exod. 14. 24. [23] i. perstrepebant nimbi & grandines,

derunt superiores nubes; etiam pervaserunt sa-
gittæ tuæ.
19 [f]Sonante tonitru tuo [24] in isto orbe, illu-
strârunt fulgura orbem habitabilem: commota
est & tremuit terra.
20 Per mare [25] viâ tuâ, & semitâ tuâ per aquas
amplas; ubi vestigia tua non sunt [26] cognita,
21 Duxisti ut gregem populum tuum, [g] Mo-
schis & Aharonis operâ.

f Heb. *sono tonitru tui.* 24 i. regione aëris. 25 i. quæ tibi soli patet, ac familiaris est: ut sequentia verba κατ' ἐξήγησιν commodissimè explicant. 26 i. explorata & tentata ab ullo homine. g *Hebr. per manum Moschis, &c.*

PSALMUS LXXVIII.

Psaltes populum Jehudæorum revocans ad cognoscendum & prædicandum Deum, proponit documenta primùm quidem verbi; deinde verò operum quæ perfecit Deus inde ab exitu ex Ægypto: itaque propositis paternis beneficiis & flagellis Dei erga populũ suum, judiciisq; in adversarios gravissimis, ac nominatim in contumaces Jisraëlitas, pios confirmat de æternitate Sacerdotii & regni in tribu Jehudæ.

1 ODe didascalica, Asaphi. [2] Auribus percipe,
popule mi, doctrinam meam; inclinate au-
rem vestram ad sermones oris mei.
2 Aperiam [3] per parabolam os meum, [4] eru-
ctabo [5] occulta inde [a] a prisco *tempore:*
3 Quæ audivimus ac novimus, ut majores
nostri narraverunt nobis.
4 [8]Non celabimus filios eorum, generationem
posteram: [b] narraturos laudes Jehovæ, robúr-
que ejus, & mirabilia ejus opera quæ fecit.
5 [6] Nam statuit [7] testimonium in Jahakobo,
& legem posuit in Jisraële; quum præcepit majo-
ribus nostris nota facere filiis ipsorum:
6 Ut sciant generatio postera, filii nascituri;
surgentésque, enarrent filiis suis:
7 Et ponant in Deo spem suam, neque obli-
viscantur actionum Dei fortis; sed præcepta ejus
custodiant:
8 [8] Ac non sint ut majores eorum, generatio
contumax & rebellis; generatio quæ non compa-
ravit [c] animum suum, & cujus spiritus non fuit
constans erga *Deum* fortem.
9 [9] Ut posteri Ephrajimi [10] armati jaculan-
tes arcu, [11] vertentes *terga* tempore prælii:
10 [12] *Quia* non servaverant fœdus Dei, & in
lege ejus renuerant ambulare;
11 Obliti actionum ejus, & mirabilium ejus
operum quæ ostenderat ipsis.
12 [13] Coram majoribus eorum fecerat
[14] miracula; in terra Ægypti, agro [d] Tanitico.
13 [‖]Diffiderat mare ut traduceret eos, statuens
aquas tamquam acervum:
14 [‖]Deduxerátque eos nube interdiu, & totam
noctem [e] lucente igne.
15 [‖]Fiderat rupes in deserto, ut potum præbe-
ret in abyssis plurimum,
16 Educens fluenta e petra, & demittens tam-
quam flumina aquas.
17 Perrexerunt tamen adhuc peccare in eum,
exacerbando excelsum in ipsa *terra* sicca:
18 Et tentantes *Deum* fortem cum animo suo,
petiverunt cibum pro desiderio animi sui,
19 [‖]Ac obloquentes contra Deum dixerunt,
an posset *Deus* fortis instruere mensam in hoc
deserto?
20 En ita percussit rupem, ut fluxerint aquæ,
& torrentes exundaverint: an etiam cibum posset
dare? an pararet carnem populo suo?
21 Idcircò audiens Jehova, excanduerat: &
ignis succensus erat in Jahakobum, ac etiam [f] ira
arserat in Jisraëlem:
22 Quia non crediderant in Deum, neque
confisi erant in salute ejus:
23 Quamvis [15] præcepisset superioribus nubi-
bus supernè, & januas cælorum [16] aperuisset;
24 [‖] Depluénsque super eos Man ad come-
dendum, [17] frumentum cælorum daret illis;
25 [18]Panem robustissimorum comederet quis-
que; viaticum mitteret eis ad saturitatem.
26 Impellens [19] Eurum in cælis, & inducens
robore suo [20] Austrum,
27 Quum depluisset super eos carnem tam-
quam pulverem, & sicut arenam marinam volu-
cres alatas,
28 Dejiciens intra [21] castra sua, circa taber-
nacula sua;
29 Et comedentes saturati essent valdè, &
[g] quod concupiverant illi attulisset illis:
30 [22] Nondum alienati erant a concupiscen-
tia sua, adhuc cibus eorum in ore eorum *erat*,
31 Quum ira Dei ardens in eos, interficeret
[23] e pinguissimis eorum, & juvenes Jisraëlis pro-
sterneret.
32 Post totum hoc [24] peccaverunt ampliùs,
neque crediderunt propter mirabilia ejus opera.
33 Quamobrem [25] consumebat vanitate dies
illorum, & annos illorum terrore.
34 Quum occidebat eos, si requirebant eum,
& conversi manè quærebant *Deum* fortem,
35 Recordantes Deum fuisse rupem suam, &
Deum fortem excelsum *fuisse* vindicem suum;
36 Quamvis [26] conarentur eum decipere ore
suo, & lingua sua mentirentur ei,
37 Et animus ipsorum non esset comparatus
erga eum, neque constantes essent in fœdere
ejus;
38 Tamen ille misericors expiabat iniquita-
tem, ita ut non perderet; & [h] plurimùm aver-
tebat iram suam, neque excitabat totum æstum
suum;
39 Recordans [27] carnem eos esse, ventum ab-
euntem qui non revertitur.
40 [28] Quoties exacerbaverunt eum in deser-
to? dolore affecerunt eum in solitudine?

1 hujus odes summæ partes sunt quatuor: Exordium, quatuor primis versibus; propositio, inde ad vers. 12. usque, narratio administrationis Dei & improbitatis populi inde ad ver. 68. & conclusio ab explicatione præsentis status populi, inde ad finem usque. Videtur autem hæc ode a rege Chizkija aut propheta Jeschahija, alióve sub illa tempora fuisse scripta, quibus regnum Jisraëlis intercidit, 2. Reg. 17. 2 Exordium audientiam faciens primùm ab officio personarum, hoc vers. deinde a genere documentorum quæ propositurus est psaltes, quòd posita sunt in mysteriis, vers. 2. quòd vetera, ✠. 3. & quòd ad gloriam Dei pertinentia, ✠. 4. 3 i. exempla: quorum alia sunt historica & vera, ut hoc psalmo; alia ficta, sed tamen ad docendum apposita: alia denique ex communi usu deprompta, etsi singularem aliquam historiam minimè attingunt, ut Matt. 13. & in Evangeliis passim. Est autem aperire os suum, initiũ dicendi facere. 4 i. copiosè fundam: metaphora a fontibus. 5 i. documenta quæ sub exemplis latent: nam hic versus proleptice complectitur argumentum psalmi, nimirum exempla in quibus est Narrationis summa, & exemplorum documenta, quæ propositione continentur. a *Hebr. ab antiquitate.* ‖ *Deu. 4. 9. & 6. 7.* b *Heb. narrantes: præsens pro tempore perpetuo: ut accipiendum esse docet* ✠. 6. 6 propositio documentorũ Dei, usq; ad ✠. 8. & exemplorum ad confirmanda documenta pertinentium, usq; ad ✠. 12. 7 i. circumcisionem & ceremonias: quibus doctrinam de suo fœdere & populi officio, id est legem & evangelium, suis testificabatur & obsignabat Deus. 8 quorum historia cõtinetur in narratione, infr. a ✠. 12. ad 59. c *Heb. cor: sic deinc.* 9 i. regnum Jisraëlis: quod synecdochicè Ephrajimi nomine significari solet, quia regnum Jisraëlis ab ea tribu cœpit, quæ ex eo tempore principatum in decem tribubus obtinuit: sic apud prophetas passim. Hujus autem historia habetur infr. a ✠. 59. ad 68. 10 i. instructissimi peritia rebusq; militaribus, sive ad defendendũ se, sive ad lædendum: synecdoche. 11 i. fusi & cæsi sunt, prout Hoschehah prædixerat sub finem cap. 10 & Hamos. 7. 17. 12 vide 2. Reg. 17. 7. & sequentib. 13 narratio elegantissima operum mirabilium Dei & beneficiorum ejus; quæ per antithesin cum ingratis Jisraëlitarum factis comparata amplificant horum impietatem, & æquitatem judiciorum Dei. Sunt autem ista opera quibus amplificatur populi improbitas, duobus temporibus distincta: primum est, quum in Ægypto versati sunt, & in profectione, usque ad vers. 54. secundum, quum missi sunt in possessionem terræ & eam obtinuerunt, inde ad vers. 68. Prioris autem temporis duplicia sunt opera: unum, singularis beneficientiæ Dei erga suos, usque ad vers. 42. alterum mirabilium judiciorum in adversarios, versib. sequentibus.

14 i. mirabilia opera, de quibus a primo capite Exodi usque ad 14. d *Heb. Tsohanæ: vide Num. 13. 22.* ‖ *Exod. 14. 21. & 15. 8.* ‖ *Exod. 13. 21.* e *Hebr. luce ignis.* ‖ *Exod. 17. 6. & Num. 20. 11.* ‖ *Num. 11.* f *Heb. ascenderat: ut infrà vers. 31. synecdochicè dictum, quia accenso igne ascendit flamma: vide Exod. 25. 37.* 15 i. præcepto suo effecisset ut nubes distillarent Man. 16 i. maxima copia profudisset: metaphora. ‖ *Exod. 16. 14.* 17 i. semen, præbens usum frumenti: vide Num. 11. 8. 18 i. angelorum; quem non pistores, aut humana opera; sed ipsi cælites angeli administri voluntatis Dei suppeditabant. Sic dicuntur angeli; quia potentiam suam aliquatenus cum eis communicat Deus, quem scriptura passim robustum Jisraëlis vocat. 19 i. eum ventum qui intermedius est inter orientem & meridiem, quem Eurum propriè appellari docet Vitruvius lib. 1. 20 ventum Meridianum, quo ex tractu plurimùm animalia ejusmodi gregaria impelluntur. 21 i. quæ sibi vindicabat, & in quibus habitabat prospiciens populo suo: exaggeratio criminis Jisraëlitarum. g *Hebr. concupiscentiam illorum.* 22 i. adhuc se explebant carnibus quas concupiverant post elapsum mensem, de quo Num. 11. 20. 23 i. quibusque robustissimis & valentissimis corpore: quos non dubium est eo insolentiùs firma sui corporis constitutione abusos extulisse se contra Deum postquam illis profusis donis a Deo saginati essent: ut exprobrat Mosche Deu. 32. 15. 24 murmurando adversus Deum, Num. 14. & 16. & 17. 25 ut denunciatum est Num. 14. 28. & sequentibus. 26 i. hypocritas agerent coram Deo. h *Hebr. multiplicabat avertere.* 27 mortales esse a natura ut omnis caro est, & evanidos instabilesq; ut ventus. 28 exclamatio pathetica: quasi dicat, quis fando possit enarrare tot rebelliones, quibus provocârunt Deum? vide Numer. 14. 22.

i *Heb. reversi sunt & tentârunt.*
29 id est, tantum sibi arrogârunt, ut infinitam Dei potentiam arbitratu suo definirent & quasi terminos ei circumdarent; modò hæc ab illo præstanda esse affirmantes ex sententia animi sui, modò negantes illa præstari posse: quod genus exempla in libris Moschis recensentur multa.
‖ *Exod.7.23.*
‖ *Exod.8.24.*
‖ *Exod.8.6.*
‖ *Exod.10.13.*
‖ *Exod.9.23.*
30 i. corrupit & omnino perdidit: metaphora.
31 i. omnem proventum terræ & plantas quaslibet, sativas, insativas, humiles, altas, teneras, & agrestes, ac valentissimas: synecdoche.
32 sic interpretamur Hebræam vocem compositam; adducti tum illius etymo, tum comparatione sequentis versus, & verborum Moschis Exod. 9.23. & 24.
k *Hebr. missis nunciorum: sed hoc fuisset ambiguum.*
33 i. Moschem & Aharonem; per quos tum superiores plagæ, tum aliæ quæ hic indignationis, &c. nomine comprehenduntur, Ægyptiis prænunciatæ atque immissæ sunt.
34 i. iter profundendæ iræ suæ super Ægyptios quasi ad libram perpendit, injustam illorum contumaciam compensans justis Dei judiciis: elegans metaphora.

41 Qui i subinde tentârunt *Deum* fortem, & sanctum Jisraëlis 29 circumscripserunt,

42 Immemores manus ejus, diei quo redemerat ipsos ab hoste:

43 Quo disposuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in agro Tanitico:

44 ‖ Quum mutavit in sanguinem rivos eorum, fluentáque eorum ne bibere possent:

45 ‖ Immisit in eos colluviem animalium quę consumeret eos, ‖ ac ranas quæ perderent eos:

46 ‖ Et dedit brucho proventum eorum, ac laborem eorum locustæ:

47 ‖ 30 Occidit grandine 31 vites eorum, & sycomoros eorum 32 *igni* qui quacumque insidebat consumeret:

48 Dedidit etiam eidem grandini bruta eorum, & pecora eorum prunis ignitis:

49 Immisit in eos ęstum irę suæ, excandescentiam, indignationémque, & angustiam; k mittendo 33 nuncios malorum:

50 34 Libravit iter ad iram suam, non cohibuit a morte l vitam illorum: & bestias eorum pesti dedidit:

51 Et percussit omne primogenitum in Ægypto, principium virium in tentoriis 35 Chami:

52 Et transtulit tamquam pecudes populum suum, direxítque eos tamquam gregem per desertum:

53 Et deducens eos securè ita ut non metuerent, ‖ postquàm inimicos eorum operuisset mare,

54 Adduxit eos in 36 terminum sanctitatis suæ, 37 ‖ montem hunc *quem* acquisivit dextera ejus,

55 ‖ Expellens a facie eorum gentes, faciensq; ut 38 acciderent funiculo possessionis: & habitaverunt in tentoriis earum tribus Jisraëlis.

56 ‖ Attamen tentârunt & exacerbârunt Deum excelsum, & testimonia ejus non observârunt:

57 Sed aversi perfidè egerunt, 39 ut majores eorum; 40 conversi sunt, ut arcus m fallax.

58 Nam provocârunt eum per excelsa sua, & per sculptilia sua ‖ ad zelotypiam concitârunt eum.

59 *Quod* 41 audiens Deus excanduit, sprevitq; valdè Jisraëlem:

60 Adeò ut ‖ deserens tabernaculum Schiluntis, tentorium *quod* collocaverat inter homines:

61 Traderet in captivitatem 42 robur suum, & gloriam suam in manum hostis:

62 Dedetéque gladio populum suum; quia in possessionem suam excanduerat:

63 Juvenes ejus absumeret 43 ignis, & virgines ejus 44 non laudarentur:

64 Sacerdotes ejus gladio conciderent, & viduæ ejus 45 non flerent.

l *Hebr. animam.* 35 i. Ægyptiorum, originem ducentium a maledicto Chamo: Genes. 9. & 10. a quo & Ægyptum usque ad sui tempora Ægyptiorum lingua Cham fuisse dictam testatur Hieronymus in Genes. & Chemmim oppidum in Thebaide magnum templo Persei celebre nominat Herodotus lib. 2. ‖ *Exod. 11. & 12.* 36 i. determinatum ab ipso tabernaculum, per synecdochen. 37 ut Exod. 17.15. ‖ *Exod.15.13.* ‖ *Num. 21. & Jehoschu.12.* 38 i. caderent in possessionem populo Dei: vide Deuter. 32.8. & 9. ‖ *Judic. 1.2. & 3.* 39 qui ex Ægypto exiverant, & perfidè in Deum egerant, ut suprà dictum est. 40 i. licet priùs sua hypocrisi præ se ferebant fidem & utilitatem aliquam; tamen momento efficiebantur inutiles: ut quum arcus repentè aliquo pacto corruptus fallit exspectationem sagittarii. sic Hosche. 7. 16. m *Hebr. fallaciæ.* ‖ *Deut. 32. 16. & 21.* 41 i. cognoscens: humanitùs dictum. ‖ *1. Schem. 4.* 42 i. arcam: vide 1. Chron. 16. 11. 43 iræ Dei, i. gladius Pelischthæorum consumens. 44 manerent innuptæ; ac proinde illaudatæ epithalamiis, quæ solebant decantare paranymphæ ad laudes sponsi & sponsæ, ut psal. 45. Jirmej. 7. 34. & 16. 9. & 25. 10. 45 sed præ gravitate mœroris illicò exstinguerentur: ut narratur de uxore Pinchasi, 1. Schem. 4. 19.

65 Deinde 46 evigilavit Dominus 47 *qui visus fuerat* tamquam dormiens; sicut robustus, 48 cantillans ex vino:

66 ‖ Et percussit hostes suos retrò, 49 opprobrium n perpetuum indidit eis.

67 50 Tandem ‖ sprevit 51 tentorium Iosephi, & tribum Ephrajimi non elegit.

68 52 ‖ Eligens verò tribum Jehudæ, montem Tzijonis quæ diligat;

69 Ædificavit simile excelsis *palatiis* sanctuarium suum; utpote *in* terra quam o statuit in seculum.

70 ‖ Eligénsque Davidem servum suum, & assumens eum ex caulis gregis;

71 p A tergo fœtarum duxit eum; ‖ ad pascendum Jahakobum populum suum & Jisraëlem possessionem suam:

72 Qui pavit eos pro integritate animi sui, & q summa 53 ‖ prudentia manuum suarum deduxit eos.

46 i. post temporariam cessationem (quæ cum dormitione ferè comparatur) opus tandem aggressus est in adversarios: humanitùs dictum.
47 i. quem Pelischthæi tum desidere & ab omni opere vacare cogitabant, sive dormientem, sive vigilem. Nam hæc ex judicio Pelischthæorum dici historia docet, quum ita statuerent secum: hic Deus magnificentissimus est, 1. Schem. 4. 8. Quid ergo causæ est cur nunc cesset a magnificis suis operibus, nisi quòd nunc demum dormit & se ex anteacto labore recreat; aut si vigil est, vino obruitur & in præsentia sui non est compos? 48 i. nihil agens, sed tantùm a vino actus: sic idololatræ res ridiculas affingunt Deo. ‖ *1. Schem. 5. 6.* 49 quum Dagonem prostravisset atque confregisset; unde invaluit mos apud Pelischthæos ut non calcent limen inferum in æde Dagonis: quæ superstitio ipsis probro fuit, 1. Sche. 5. 5. n *Hebr. seculi.* 50 i. postquam multa ab Jisraëlitis perpessus, & multa ipsorum causa in adversarios exsequutus, multis modis divexavit eos, neque tamen resipuerunt ad ferulas ejus; eò postremò deventum est, ut regnum Jisraëlis pessumdaret: ut dictum est suprà vers. 9. ‖ *2. Schem. 6. 21.* 51 i. abjecit regionem & regnum Jisraëlitarum. 52 conclusio a beneficio Dei erga Jehudæos; in quorum regione tum sacerdotium & cultum suum, ℣. 68. & 69. tum etiam regnum stabilivit & servavit Deus, versibus sequentibus. ‖ *2. Schem. 7.* o *Hebr. fundavit, id est, consilio suo inde a principio ad hoc destinavit.* ‖ *1. Schem. 16.* p *Hebr. a post fœtas.* ‖ *2. Schem. 5. 2.* q *Hebr. prudentiis.* 53 i. prudentissima administratione; nam manus metonymicè pro opera & administratione accipitur passim, ut suprà 77. 21. ‖ *2. Schem. 9. 1.*

PSALMUS LXXIX.

Psaltes enarrat mala gravissima quæ populus Dei ab Antiocho perpessus est: impiis justam Dei vindictam imprecatur: & Deum pro remissione peccatorum Ecclesiæ, ope & liberatione sollicitat ad gloriam ipsius, confusionem impiorum, & fidelium bonum.

1 PSalmus Asapho. O Deus, ingressæ sunt gentes 2 in possessionem tuam, 3 polluerunt templum sanctitatis tuæ; 4 disposuerunt Jeruschalaima in cumulos.

2 Dederunt cadaver 5 servorum tuorum cibo volucribus cæli; carnem eorum quos benignitate prosequeris, bestiis terræ.

3 Effuderunt sanguinem eorum velut aquam circa Jeruschalaima, nec *erat* qui sepeliret.

4 ‖ Sumus opprobrio vicinis nostris, sannæ & ludificationi circumstantibus nos.

5 6 Quousque Jehova? irasceris in ęternum? ardebit velut ignis zelus tuus?

6 7 Effunde æstum tuum in eas gentes 8 quæ non agnoscunt te; & super regna quæ nomen tuum non invocant.

7 Nam *consumtor* consumsit Jahakobum, & habitaculum ejus desolaverunt.

1 Psalmus est σχετλιαστικὸς, constans ex tribus partibus; narratione pathetica, usque ad vers. 5. petitione, usque ad vers. 12. & conclusione sponsoria vel votiva laudis. Videtur autem hic Psalmus ad Antiochi tempora pertinere, quibus optimè conveniunt singulæ narrationis partes.
2 i. in terram Cenahanæ, ut appellatur Exod. 15.17.
3 spoliando, funestando, & omnia profana impiáque munera obeundo: ut scribitur 1. Machæ. 1. & apud Ioseph. antiquitat. Judaic. 12. cap. 7. 4 secundo congressu, quum præfectus Antiochi fraude in urbem involavit, 1. Macb. 1. 30. & sequentibus. 5 qui constantes erant in observatione legis tuæ contra impii regis edictum, 1. Macb. 1. 39. & 60. ‖ *Psalm. 44. 14.* 6 altera pars Psalmi, continens primùm expostulationem cum Deo, hoc vers. deinde certa petitionum capita suis caussis conjuncta, sequentibus. 7 petitio; cujus loci sunt duo: unus, contra adversarios & impios, duobus versibus; alter, pro defensione & salute piorum, inde a vers. 8. 8 imprecationis caussa duplex; pertinax ignoratio Dei, hoc vers. & maleficia in Ecclesiam, sequentibus.

9 alterum petitionis membrum, precatio pro ecclesia; cujus partes sunt, ut Deus peccata condonet per misericordiam velut calamitatum causas, hoc ver. deinde ut opem & salutem afferat, tribus de causis: prima est gloria nominis ejus, ver. 9. secunda, blasphemiarum in Deum & maleficiorum in Ecclesiam coërcitio, ver. 10. tertia, afflictorum inclamantium Deum commiseratio, ver. 11.
10 i. quas nos & majores nostri antehac perpetravimus.

8 [9] Ne recorderis adversus nos [10] iniquita-
tes præcedentium *temporum*: festinantes [11] præ-
veniant nos miserationes tuæ, nam attenuati
sumus valdè.
9 Auxiliare nobis Deus salutis nostræ pro-
pter honorem nominis tui; & eripe nos, expiati-
onémque fac de peccatis nostris propter nomen
tuum.
10 Cur dicturæ essent istæ gentes, ubinam
est Deus istorum? [12] innotescat in istis gentibus
ante oculos nostros, ultione sanguinis servorum
tuorum effusi.
11 Perveniat ante faciem tuam gemitus vin-
cti; [13] pro magnitudine brachii tui [14] fac ut re-
liqui sint [a] qui jam traduntur morti.
12 [15] Redde ergò vicinis nostris [16] septuplo
[17] in sinum ipsorum; opprobrium ipsorum quo
affecerunt te, Domine.
13 Et nos populus tuus & grex pastus tui ce-
lebrabimus te in seculum, [b] in quamque genera-
tionem enarrabimus laudem tuam.

11 antequàm oneri ærumnarum nostrarum succumbamus. 12 i. palàm fiat gentibus, idque videntibus, & præsentibus nobis, te non abesse; sed tuis præsentem esse. 13 i. amplissima adeóque infinita virtute tua: humanitùs dictum. 14 i. tuos jamjam in præsentissimis mortis angustiis versantes reserva. a *Heb. filii mortis: sic infrà Psal. 102. 21.* 15 Conclusio partem unam petitionis continens, nimirum imprecationem contra improbos, ut ea commodè transeatur ad ἐπαγγελίαν sive sponsionem sequente versu. 16 vide Gen. 4. 15. 17 id est, prolixè & cumulatè; ut quæ sine numero dantur, in gremium profundi solent: metaphora, ut Jeschahi. 65. 6. & 7. & Jirmejæ 32. 18. b *Heb. in generationem & generationem.*

PSALMUS LXXX.

Ecclesia in deportatione ab hostibus pressa Deum sollicitat de præstando officio ipsius: perpessiones suas exponit: præterita Dei beneficia comparat cum indignitate malorum præsentium: & liberationem salutémque a Deo petit ad gloriam ipsius in Christo.

1 Vide suprà in psalmum 45. 1. & 60. 1.
2 psalmus est ἱκετικὸς, distinctus in tres partes amœbæo versu terminatas: quarum prima est propositio summa petitionis, a versu. 2. ad 5. secunda, expostulatio de perpessionibus Ecclesiæ, a vers. 5. ad 10. tertia, pathetica petitio salutis in Christo, a comparatione antè acceptorum

MAgistro symphoniæ [1] ad hexachorda; [2] psal-
mus [3] testimonii Asapho.
2 [4] O pastor [5] Jisraëlis auribus percipe; ductor
[6] Josephi tamquam gregis, [7] insidens Cerubinis
[8] illucesce.
3 Coram [9] Ephrajimo, Binjaminéque, &
Menasche [10] excita potentiam tuam; & veni ad
plenam salutem *afferendam* nobis.
4 O Deus, [11] restitue nos, & [12] fac ut lu-
ceat facies tua; ita servabimur.
5 [13] Jehova Deus exercituum, quousque fu-
maturus es contra orationem populi tui?
6 Cibas eos [14] pane lacrymarum, & biben-
dum præbes eis de lacrymis [15] triental.

beneficiorum cum præsentibus perpessionibus, inde ad finem usq;. Videtur autem hic psalmus scriptus fuisse temporibus deportationis Babylonicæ: ut partim historiæ comparatio cum hoc psalmo, partim verba cómonstrant Chaldaismum quendam redolentia. 3 i. quo Ecclesia supplicans testificabatur fidem suam in Deum de promissa liberatione post annos septuaginta, Jirmejæ 29. 9. 4 Exordium sive petitio summa audientiæ, gratiæ, beneficentiæ & salutis, a persona Dei & præterita administratione ejus, quæ pastoris allegoria designatur. quasi dicat, tu qui olim liberasti, pavisti, & deduxisti populum tuum, & Ecclesiæ tradidisti cultum tuum, ac proinde eadem semper officia obtines liberandi tuos, & instaurandi cultus tui, age, auribus percipe, &c. 5 i. tuorum omnium. 6 vide supr. 77. 16. 7 i. qui nobis responsa dandi, nos regendi, & tuendi cultum aspectabilem tuum munus in te recepisti, atque præstitisti, Exodi 25. 8. & 22. & Num. 7. 19. 8 ut Deut. 33. 2. 9 i reliquiis Ephrajimi & aliarum tribuum, quæ regno Jehudæ adhærentes in tuo cultu permanserunt: prout factum esse post reditum a deportatione Babylonica legitur 1. Chron. 9. 3. 10 i. velut torpescentem vel dormientem exsere. 11 in sede nostra, & cultu tuo. 12 ut suprà psalm. 4. 7. 13 altera pars psalmi, expostulatio gravissima, iram Dei humanitùs diversis allegoriis exprimens. 14 ut suprà 42. 4. 15 i. non communem cyathum, aut mensuram calamitatum, sed magna pocula atque insolentia afflictionum epotanda præbes. Est enim triens sive triental tertia pars sextarii, quatuor cyathos communes capiens.

7 [16] Exponis nos contentioni vicinis no-
stris, & inimici nostri subsannant [a] *nos.*
8 O Deus exercituum restitue nos, & fac ut
luceat facies tua; ita servabimur.
9 [‖17] Vitem ex Ægypto transtuleras; [‖]expule-
ras gentes ut plantares eam:
10 [18] Expideveras ante eam; feceràsque ut
[b] ageret radices suas & [19] impleverat terram,
11 Operiebantur montes umbra ejus, & pal-
mitum ejus cedri [c] maximæ.
12 [20] Emittebat ramos suos usque ad mare, &
ad flumen teneros ramos suos.
13 Quare [21] perrupisti macerias ejus, adeò
ut carpant eam omnes [d] viatores;
14 [22] Suffodiat eam [23] porcus sylvestris, & a-
nimal agreste depascat eam?
15 O Deus exercituum, [24] revertere [25] jam,
intuere [26] e cælis & respice: ac [27] visita vitem
hanc,
16 Et [28] surculum quem plantaverat dex-
tera tua; ídque propter [29] filium *quem* fortifica-
sti tibi.
17 Incensa igne, [30] succisa *est*, ab increpatione
faciei tuæ [31] pereunt.
18 [32] Adsit manus tua [e] [33] viro dexteræ tuæ:
filio hominis quem fortificasti tibi.
19 [34] Ac non retrocedemus a te; in vita con-
serva nos, vt nomen tuum invocemus.
20 Jehova, Deus exercituum, restitue nos, fac
ut luceat facies tua; ita servabimur.

16 i. facis ut vicini omnes, quibuscum pax & amicitia colenda fuerat, perpetuis rixis & contentionibus exagitent reliquias nostras, quæ in Jehudæa commoratæ sunt: de quibus 2. Reg. 25. 15. & Jirmejæ inde a 37. capite. a *Heb. subsannant nos sibi: pleonasm. usitatus.* ‖ *Exod.* 15. 17. 17 Tertia pars psalmi continens primùm comiserationis locos duos; unum, a præteritis jam olim Dei beneficiis, quatuor versibus; alterum a præsentibus calamitatibus, versu. 13. & 14. deinde petitionem, ad finem usque. Est autem tota commiseratio allegorica a similitudine vitis: quam similitudinem scriptura frequentat plurimùm, ut interpretatur Jeschahja 5. 7. ‖ *Psal.* 44. 3. Exod 23. 28. & Jehosch. 24. 12. b *Heb. radicaret radices.* 18 ut exponitur 19 id est numero, magnitudine, & gloria præstaret: hyperbole. c *Heb.* Dei *fortis: sic Psal.* 36. 7. 20 i. vim suam atque dominatum regni protendebat in omnes terminos quos definiveras: vide suprà 72. 8. 21 i. sustulisti manum tuam qua circummuniebatur; ut minatus erat Deus, Deut. 31. 17. & Jeschah. 5. 5. d *Heb. transeuntes via.* 22 i. rostro proruat terram, & effodiat quod absconditum est sub ea: nam verbum est compositum Chaldæum potius quàm Hebræum origine, quod significat rem absconditam, ut thesaurum, effodere. 23 i. impurissimæ gentes atque ferissimæ ab imo ad summum perdant radicitùs. 24 petitio, qua Ecclesia opem Dei implorat humanitùs. Est autem propositio petitionis hujus, 2. versibus, postulatum & causam continens: deinde enarratio illius, reliquis. 25 quum propè est ut pereamus funditùs, infrà vers. 17. 26 quandoquidem aspectabilis tua præsentia sublata est, cujus recordatione antè nomanibatur insidens Cerubinis. 27 ut Genes. 21. 1. 28 i. totum corpus populi, quod priùs deportatum ex Ægypto collocaveras in terra tua. 29 i. Christum, qui est sapientia Dei & potentia Dei, & in quo nos fortificante possumus omnia: sic ver. 18. 30 i. eversa flamma & ferro. 31 tum Jisraëlitæ omnes, tum Judæi ipsi. 32 exegesis superioris allegoriæ. e *Heb. viro: Enallage, ut apparet ex V. seq.* 33 i. Christo filio dilectionis tuæ, viventi in nobis, & Ecclesiæ sponsæ suæ perpessiones toleranti. Est autem Hebræis vir dexteræ, qui ad dexteram est, velut charissimus, eáque regitur ac curatur commodissimè: quomodo Binjamin filius dexteræ, vocatus est, Genes. 35. 18. 34 sponsio postulato juncta.

PSALMUS LXXXI.

Psaltes Jisraëlitas ad liberum Dei cultum exhortans, magnifica ejus opera in exitu ex Ægypto proponit, & doctrinam mandatorum promissionúmque legis: deinde populum inofficiosæ vitæ reprehendens, vocat ad resipiscentiam perceptionémque beneficiorum Dei.

MAgistro symphoniæ [1] ad Githæa instrumen-
ta [2] *ode*, Asapho.
2 [3] Cantate Deo robori nostro, vocifera-
mini Deo Jahakobi.
3 Sumite [a] psalmodica instrumenta; & ap-
ponite tympanum, citharam amœnam cum na-
blio.
4 Clangite in novilunio buccina, [b] stativis
quibusque feriis, diebus festis nostris.

1 Vide psal. 8. 1.
2 ode generis est didascalici, continens primùm exordium sive hortationem ad populum, a versu 2. ad 5. deinde narrationem ætiologicam, inde usque ad versum 14. postremò conclusionem, qua Deus populum revocat ad resipiscentiam & exspectationem promissorum ipsius, ad finem usque. Videtur autem hæc ode post tempora Judicum conscripta esse, quum a Schemuele aut Davide cultus Dei instauratus est. 3 omnibus modis celebrate, in omni conventu sacro. a *Heb. psalmodiam.* b *Heb. stativa quaque feria, die festi nostri: Enallage numeri.*

5 [4] Nam statutum in Jisraële est, ritus a Deo
Jahakobi:
6 [5] Qui testimonium [6] in [e] Josepho impo-
suit ipsum; [7] quum processisset contra terram
Ægypti, *ubi* [8] [d] sermonem ignotum audiebam.
7 [9] Amovi, *inquit*, [10] ab onere humerum ejus;
manus ejus a [11] lacusculo *intrita* [e] abierunt.
8 Quum in angustia illa exclamares, libera-
vi te; [12] exaudivi te [13] in latebris tonitru: [14] pro-
bavi te [15] *usque* ad aquas Meribæ summè.
9 [16] Audi popule mi, & contestabor te; ô
Jisraël, si auscultaveris mihi,
10 *Si* non erit in te *Deus* fortis extraneus, neq;
incurvabis te *Deo* forti alienigenæ *honorē exhibens*:
11 [17] Ego *sum* Jehova Deus tuus, qui feci ut
ascenderes e terra Ægypti; [18] dilata os tuum, &
[19] impleturus sum illud.
12 Sed [20] non auscultavit populus meus voci
meæ, & Jisraël non acquievit mihi.
13 Quapropter [21] dimisi eos *ambulaturos* ex
[f] sententia animi sui, *dicens*, abeant cum pravis
consiliis suis.
14 [22] O si populus meus auscultasset mihi, *si*
Jisraëlitæ in viis meis ambulassent;
15 Vel momento inimicos eorum fuissem de-
pressurus, [23] quum in hostes eorum convertissem
manum meam:
16 Osores Jehovæ [g] mendaciter se dedissent
ei, & [24] futurum fuisset tempus istorum in se-
culum:
17 Denique [25] cibaturum fuisset eum adipe
tritici, [26] etiā ex rupe melle fuissem satiaturus te.

[4] narratio ætiologica, sive exponens causam præcedentis exhortationis, hoc versu & sequente. Duę sunt (inquit) causæ, ex quibus per sabbatha, neomenias, & solēnitates his modis colēdus est Deus, Exo. 23. & Num. 28. & 29. una est, operum ipsius ad confusionem hostium & liberationem nostram, usque ad ver. 9. altera, doctrinæ continentis mandata legis & promissiones Evangelii, versibus seq. [5] exegesis præcedentium verborū, nimirum ritus a Deo Jahakobi. [6] i. in toto Jisraële, cujus terminos orientem & occidentem versus obtinebat Menasche e posteris Josephi; Jehosch. 17. synecdoche. [e] *Heb. Jehosepho: epenthesis.* [7] i. Ægyptios terra & mari profligasset, & populum adduxisset Maram usque, Exod. 15.25. [8] i. peregrinus eram: periphrasis. [d] *Heb. labium: metonymia.* [9] recensio prioris causæ cur celebrandus sit Deus: de qua a primo capite Exodi usque ad 17. [10] i. a durissima servitute, de qua Exodi 1. & 6. [11] i. sordidissimis quibúsque ministeriis; synecdochicè: non enim tantùm struebant ædificia, lateres coquebant, & similia obibant munera; sed etiam stramen conquirere, & intritæ lacusculos sive labella bajulare humeris cogebantur, sordidissimo ministerio: quod Hebraica hac voce significari testatur Abben-Hezra. [e] *Heb. transiverunt.* [12] invocante Mosche, Exod. 14. 15. [13] i. columna illa nubis (quæ profecta a conspectu Jisraëlitarū stabat a tergo eorū inter utraque castra) intonante adversùs Ægyptios, Exo. 14.24. [14] ut Exod. 15.25. [15] de quibus Exo. 17. quasi dicat, pertuli mores tuos atque exploravi, usque dum venisti ad montem Chorebum; ad quem ex aquis Meribæ profectus accepisti legem; versibus sequentibus. [16] altera causa, nimirum doctrina quā Deus proposuit lege; prout summatim exposuerat ad fontes amaros, Exodi 15.26. [17] affirmatio sermonis quem habet Deus ad populum suum, ab æternitate, fœdere, & operibus suis erga populum. q.d. tam certè ac verè hæc promissa mea completurus sum, quàm me certum est Jehovam Deum tuum esse, ac eduxisse te, &c. [18] i. tantum pleno ore, plena fiducia, atque libertate, etiam importunè pete. [19] i. & petitiones tuas præstiturus, & cantica laudis indituris ori tuo ex perceptis beneficiis. [20] tum in deserto ambulans, tum in regione Cenahanææ habitans; ut historia Judicum commonstrat. [21] vide Judic. 2. & 10. versu 11. & sequentib. [f] *Heb. in aspectu cordis sui: ut Deut. 29.19.* [22] conclusio, qua Deus ἀνθρωποπαθῶς populum revocat ad resipiscentiam & perceptionem bonorum suorum; ut Deut. 32.29. & Jeschahjæ 48. 18. [23] i. sola adversione manus deturbassem eos. [g] *Heb. mentiti fuissent ei: ut Psalm. 18.45. & 66.3.* [24] i. ista populi fœlicitas & hostium depressio futura fuisset perpetua. [25] supple tempus, cujus meminit proximè præcedentibus verbis: id est, singuli anni opimum crassúmque triticum ei subministrassent: similem metaphoram vide Deuter. 32.14. [26] Deut. 32.13.

PSALMUS LXXXII.

Psaltes Deum judiciis præesse docet: Judices improbos reprehendit, & ad officium revocat ab infortunato reipublicæ & ipsorū exitu; judiciaq; cōmendat Deo.

[1] PSalmus Asapho. [2] Deus astat [3] in cœtu *Dei*
fortis, inter [a] magistratus judicat.
2 [4] Quousque judicabitis [b] iniquè, & [c] per-
sonam improborum suscipietis summè?
3 Iudicate *secundum* [5] tenuem & pupillum;
afflictum & pauperem justum pronunciate:
4 Liberate tenuem & egentem, e manu im-
proborum eripite.
5 [6] Ignorantibus & non animadvertentibus,
in tenebris indesinenter ambulantibus illis; [7] di-
moventur omnia fundamenta terræ.
6 [8] Ego dico; [9] Dii *quidem* estis, & [10] filii ex-
celsi vos omnes:
7 *At* certè [11] ut plebeius homo morituri
estis, etiā sicut unus aliorum principū casuri estis.
8 [12] Surge, ô Deus, judica terram: [13] tu e-
nim possessionem habes *judiciorum* in omnibus
gentibus.

[1] Psalmus est didascalicus, constans ex doctrina, ver. 1. reprehensione, usque ad vers. 8. & precatione ad Deum, vers. ultimo. Est autem doctrinæ locus de præsentia Dei in omni consessu judicum, tum admonitionis ad judices, tum precationis sequentis fundamentum. [2] Dominus Jesus Dei filius. [3] id est Patris, qui naturæ & creationis lege instituit omnem consessum judicum, ut ipsorum judicum dominus, & judiciorum auctor, Deut. 1.17. & 2. Chronic. 19.6. [a] *Heb. Deos, i. vicarios Dei in administrando jure: ut Exod. 22.28.* [4] hujus reprehensionis ad judices loci sunt tres: primus est increpatio corruptionis in judicando, hoc versu; secundus, contraria hortatio ad benè judicandum, duobus sequentibus; tertius, propositio eventuum qui ex corruptis judiciis consequuntur tum in republica, vers. 5. tum in privatis judicum personis, versu 6. & 7. [b] *Heb. iniquitatem.* [c] *Heb. faciem: ut Deut. 1.17. Exod. 23.6.* [5] id est, qui præ tenuitate neque facultatem nocendi habet, neque defendendi suis; sed improbitate aliena opprimitur, versu seq. [6] prior eventus perversorum judiciorum, ruina reipublicæ: cujus modo tres proponit psaltes; primus est, ignorantia judicum in jure; secundus, incuria & oscitantia in cognoscendis causis; tertius (qui generalis est) studiosus tenebrarum amor cæco judicio, nulla prælucente aut verbi Dei, aut rationis ad pietatem & humanitatem face. [7] i. pessumdantur & ruunt omnia. [8] alter eventus; mors communis, & præceps casus corruptorum judicum in ruinam æternam: quam tamen præmollit psaltes humili præfatione, & concessione honorifica gradus in quem a Deo evecti sunt. [9] id est, Dei sermo ad vos factus est, ut exerceatis judicia ipsius; 2. Chron. 19.6. sic interpretatur Christus Joannis 10.34 & 35. [10] i. quasi hæredes, succedentes in partem aliquam judiciariæ auctoritatis ipsius: quam vobis attribuit, ut parentes principes liberis. [11] i. non tantùm cadetis communi morte, sed etiam celebri & singulari aliqua ut Jeschah. 14.10. [12] conclusio precatoria, ut Deus & Dominus Jesus Christus jus dicat in terra; quæ alioqui præ judiciorum constupratione tota videtur collapsura, vers. 5. [13] ut Genes. 18.25.

PSALMUS LXXXIII.

Psaltes de inimicorum injuriis in populum Dei & impietate in Deum conquestus, gravissimè ipsis exitium imprecatur ad gloriam Dei.

CAnticum & [1] psalmus, Asapho.
2 [2] O Deus, [a] ne agas silentium; ne sur-
dum agas, neque quiescas, ô *Deus* fortis.
3 [3] Nam ecce inimici tui perstrepunt, &
osores tui [4] extollunt caput.
4 Contra populum tuum callidè ineunt [b] con-
silium, & consultant contra [5] absconditos tuos,
5 Dicentes, agite exscindamus [6] istos, [7] ne
sint gens; ut non memoretur nomen Jisraëlis
ampliùs.
6 Nam consilium inierunt [c] animis paribus,
contra te fœdus pepigerunt,
7 [8] Tentoria Edomæorum & [9] Jischmahe-
litarum, Moabitæ & [10] Hagareni,
8 [11] Gebalitæ, Hammonitæque, & Hamale-
kitæ; Palæstini cum habitatoribus Tyri:
9 Etiam Assyrius [12] adjunxit se istis, sunt
brachium [13] posteris Loti maximè.
10 [14] Fac istis ut [d] Midjanitis; ut Siseræ, ut Ja-
bini in torrente Kischonis:
11 *Qui* excisi fuerunt [15] ad Hendorum, facti
sunt fimus terræ.
12 Redige ipsos ingenuos istorum ut [e] Hore-
bum, & ut Zeebum; ut Zebachum, & Tzalmunna-
hum, omnes Toparchas istorum;
13 Qui dicunt, hæreditario jure possideamus
nobis habitacula Dei.

[1] Psalmus est ἱκετικὸς, continens exordium, versu 2. propositionem sive narrationem earum rerum de quibus expostulat psaltes, a versu 3. ad 10. & imprecationem, ad finem usque. Videtur autem hic psalmus aut a rege Chizkija, aut ab aliquo propheta temporibus ipsius conscriptus esse; quum Sancherib tam propria ambitione, quàm finitimarum gentium (quæ ipsi parebant) sollicitatione adductus cum maximis copiis repentè Jehudæam invasit: 2. Reg. 18. & 19. [2] Exordium ad faciendam audientiam: humanitùs dictum. [a] *Heb. ne sit silentium tibi.* [3] propositio continens duo expostulationis capita; unum, de animo infenso & pessimis consiliis contra populum Dei, usque ad ver. 6. alterum, de impietate blasphema & contumeliosa in Deum ipsum, vers. 6. quibus expostulationis partibus subjicitur recensio gentiū quæ criminibus istis tenebantur, usque ad v. 10. [4] i. omni metu posito, & audentibus animis erigunt se ad scelera sua perpetranda. [b] *Heb. arcanum.* [5] i. quos recondis penes te, velut pretiosum peculium tuum, Exod. 19.5. ac proinde tutos ab omni injuria & inviolatos servas sub umbra alarum tuarum, sup. 17.8. & 27.5. [6] Judæos, in quibus adhuc Jisraëlis nomen conservatur. [7] id est, ne ampliùs efficiant populum unum: sicut decem tribubus fuerat factum, & prædixerat Jeschahja 7.8. [c] *Heb. corde pariter.* [8] i. Scenitæ Arabes in tentoriis commorantes; aut potiùs milites degentes in tentoriis ex usu castrensi: hypallage. [9] qui in potestatem Jisraëlitarum non venerant, sed animo infesto in eos ferebantur. [10] qui partim Schaülis, partim Jarobhami secundi temporibus venerant in potestatem Jisraëlitarum, 1. Chr. 5. [11] sive Giblæi vicini Tzidoniis, de quibus 1. Reg. 5.18. [12] i. recens suscepit easdem inimicitias, quas finitimi omnes superioribus temporibus continēter gesserant. [13] i. Hammonitas & Moabitas confirmat, qui priùs fuerant imbecilliores quàm ut nobis damnum afferre possent: ut docent historię Asæ & Jehoschaphati, 2. Chron. 14. & 20. [14] tertia pars, imprecatio. [d] *Judic. 4. & 6. 7. & 8. Judic. 4. & 5.* [15] prope Tahanacum & aquas Megiddunis, Judic. 5.19. [e] *Judic. 7. & 8.*

14 Deus

14 Deus mi, pone eos [16] velut rotam; ut sti-
pulam coram vento.
15 Ut ignis exurit sylvam, & ut flamma ac-
cendit montes,
16 Ita prosequere eos procella tua, & turbine
tuo conturba eos.
17 Reple faciem eorum [d] ignominia; [17] ut
[e] requiratur nomen tuum, ô Jehova.
18 Pudore perfundantur, & conturbentur us-
que in seculum; erubescántque & pereant:
19 Ut [f] cognoscatur, te, cui soli nomen *est* Je-
hova, excelsum esse supra universam terram.

[16] i. fac ut ipsi tamquam rotari in præcep. ferantur, & sui ipsorum volubilitate ac instabilitate decidant de consiliis suis. [d] *Heb. levitate.* [17] summus finis precationis, nimirum gloria Dei: quæ posita est tum in invocatione, hoc versu; tum in agnitione æternitatis, majestatis, & potentiæ ejus, versu 19. [e] *Heb. requirant: verbum person. tertiæ pro impersonali, ut ver. ultimo.* [f] *Heb. cognoscant, ut sup. ℣. 17.*

PSALMUS LXXXIIII.

Psaltes a sacris cœtibus exsulans desyderium suum exponit: piorum in Ecclesia conversantium fœlicitatem explicat: Deúmque precatur ut misericordia sua eum ad reducendum se, atque in gratia confirmandum.

MAgistro symphoniæ ad Gitthæa instrumenta posteris Korachi, [1] psalmus.
2 [2] Quàm amabilia *sunt* tabernacula tua, ô
Jehova exercituum.
3 [3] Desiderio afficitur, etiámque deficit anima
mea *veniendi* ad atria Jehovæ: cor meum & caro
mea exclamant *veniendi* ad Deum fortem viven-
tem *desiderio.*
4 [4] Etiam passer invenit domum, & hirundo
nidum sibi, *in* quo ponat pullos suos: [5] altaria tua,
ô Jehova exercituum, rex mi & Deus mi.
5 [6] Beati [7] qui inhabitant domum tuam, *qui*
adhuc laudant te summè.
6 [8] Beatus homo, cui facultas *est* in te semitas
tuas insistendi [a] ex animi sui *sententia:*
7 [9] *Qui* transeuntes per vallem mori fontem
constituunt eum, *quos* etiam [10] benedictionum o-
perit pluvia:
8 Qui pergunt [11] ab acie ad aciem, [12] com-
pâret *quisque* apud Deum [13] Tzijone.
9 [14] Jehova Deus *Deus* exercituum, audi o-
rationem meam; auribus percipe ô Deus Jaha-
kobi maximè.
10 Scutum nostrum aspice, ô Deus; & in-
tuere faciem [15] Christi tui.
11 [16] Nam melior *est* dies *unus* in atriis tuis,
[17] quàm mille *alibi*: eligo frequentare [18] limen in
domo Dei mei, magis quàm habitare [19] in tento-
riis improbitatis:

[1] Psalmus est εὐκτικὸς Davidis (ut versimile est) propter Schaülis tyrannidem exsulantis: continens primùm patheticam propositionem desiderii quo afficiebatur David, usque ad ℣. 9. deinde petitionem, usque ad 13. ac postremò conclusionem epiphonematicam, ver. 13.
[2] exclamatio pathetica de laudibus Ecclesiæ aspectabilis: quam in sequentibus propositionis versibus explicat primùm a singulari conscientia sua, ℣. 3. & 4. deinde a publico piorum in ea versantium exemplo, usque ad ver. 9.
[3] propositio singularis sensûs, quem habebat David in animo suo, verborum coacervatione & hyperbole exponens gravitatem πάθους. [4] argumentum a comparatione minoris: passeribus (inquit) hirundinibúsque niduli in domibus humanis conceduntur, etsi nihil ad homines attinent; me autem, qui servus sum tuus & membrum Ecclesiæ tuæ, quantò indignius est a domo tua exsulare? [5] Exclamatio pathetica ex abrupto. [6] posterior pars propositionis a communi piorum exemplo; quorum fœlicitas in domo, extra domum, in itinere, etiam quum res adversæ obveniunt, prædicatur. [7] ut Sacerdotes & Levitæ sacrorum administri. [8] i. ô felices eos, quibus aditus in Ecclesiam, ut mihi, non interclusus est; sed per te patet liberè. [a] *Heb. in corde ipsorum.* [9] i. fœlices illos, qui etsi difficiliore itinere utuntur, tamen ad Ecclesiam Dei pervenire possunt: nam si coguntur siticulosa loca, (ut erat vallis mori, 2. Schem. 5. 23. 24.) peragrare, nihilominus recreantur consideratione fontis divini, ad quem contendunt: & similiter quamvis pluvioso cælo, lætantur tamen, quia liberè possunt Deum accedere. quasi dicat, mihi non esse grave etiam Libycas solitudines peragrare, aut subire imbres vehementissimos, modò Deum adire possem. [10] i. quæ ferè immittitur ad communicandam cum terra benedictionem Dei, & fæcundat eam. [11] i. a cœtu uno sacro ad alterum quotidiè abeunt, ad exercendum publicè totum cultum Dei: metaphora a re militari. [12] ex lege Exod. 23. 17. [13] ubi tum cultus Dei fuerat institutus, quum psalmum hunc exararet David, & præcedentis suæ calamitatis documentum traderet Ecclesiæ Dei. [14] altera pars psalmi, precatio duobus versibus: cui subjungitur sua explicatio causarum, ℣. 11. & 12. [15] i. cùm meam faciem, misertus mei, quem unxisti regem 2. Schem. 16. tum filii tui æterni, quem unxisti prophetam, sacerdotem & regem piorum omnium, & in quo exsistit hujus regni typici veritas. [16] causa precationis fructus & lætitia ad pios qui in Ecclesia commorantur perveniens; cujus fons est Deus pro misericordia sua erga eos beneficus, sequente ver. [17] supple in tentoriis improbitatis, quod ἀπὸ κοινοῦ repetendum est ex fine versus. [18] i. versari in Ecclesia, synecdochicè, & ire de cœtu in cœtum, suprà ver. 8. [19] i. extra Ecclesiam, ubi nulla est sanctimonia & bonitas.

12 Quia [20] sol & scutum *est* Jehova Deus,
gratiam & gloriam dat Jehova: [21] non cohibet
bonum *ab* [22] ambulantibus in integritate.
13 [23] O Jehova exercituum; beatus homo,
qui fiduciam habet in te.

[20] i. auctor illustrium bonorum & gloriæ, ac omnis mali propulsator, ut sequentia verba explicant. [21] sed arcet, propulsat atque defendit a malo, tamquam scutum. [22] i. qui non tantùm versantur in cœtu Ecclesiæ, sed re ipsa ex Ecclesia sunt. [23] conclusio epiphonematica, ut dictum est in ver. 1. qua statuit utcumque miserè ejectus sit, aut in posterum per Dei voluntatem agitandus, se tamen, etsi absentem corpore, animo tamen & fide præsentem, cum Deo & cum Ecclesia communicaturum: ut suprà psal. 42. & 43.

PSALMUS LXXXV.

Psaltes ab exemplo præcedentis liberationis cum Deo expostulans, Deum orat pro liberatione Ecclesiæ: deinde se ipsum ad verbum Dei audiendum revocans pios consolatur, tum proximæ liberationis spe, tum alterius æternæ per adventum Christi ad Ecclesiam pertinentis.

MAgistro symphoniæ in posteris Korachi, [1] psalmus.
2 [2] Benevolus fueras, ô Jehova, terræ tuæ:
reduxeras turbam captivam Jahakobi:
3 Condonaveras iniquitatem populi tui,
texeras omne peccatum eorum summè:
4 Receperas omnem excandescentiam tuam;
averteras, quò minus æstuaret, iram tuam.
5 [3] Restitue nos, ô Deus salutis nostræ; &
irritam fac indignationem tuam contra nos.
6 An in seculum irasceris contra nos? pro-
traheres iram tuam [a] in quamque generationem?
7 An non tu [b] reversus, vitæ restitueres nos;
ut [4] populus tuus lætentur in te?
8 [5] Ostende nobis, Jehova, benignitatem
tuam; & salutem tuam da nobis.
9 [6] Audiam quid loquatur *Deus* ille fortis
Jehova; nam eloquitur [7] pacem erga populum
suum, & erga eos quos benignitate prosequitur:
sed ne revertantur [8] ad stultitiam.
10 [9] Utique [10] propinqua *est* [11] timentibus
eum salus ejus, [12] habitatura est gloria in terra
nostra.
11 [13] Benignitas & fides occurrent inter se,
justitia & pax osculabuntur se.

[1] Psalmus est generis mixti, εὐκτικὸς & διδασκαλικὸς: itaq; duæ sunt partes illius; una est precatio, usque ad ver. 9. altera verò prophetia de instauratione gloriosissima per Christum: in cujus adventum Ecclesia calamitosa & gravissima tyrannide Antiochi pressa videtur se totam rejecisse, ex prophetia Danijelis de regno Christi.
[2] precationis (quæ prior pars est psalmi) membra sunt duo: prius est argumentum ab exemplo anteactæ administrationis Dei, ut flectatur ad misericordiam, tribus versibus; posterius verò, petitio misericordiæ & salutis, quatuor sequentibus. Est autem hoc exemplum liberationis Judæorum a captivitate Babylonica, ver. 2. cujus causa constituitur in Deo solo condonante peccata, ver. 3. & iram dimittente, vers. 4. prout Hezra & Nechemja suis orationibus in Ecclesia professi sunt. [3] precatio qua implorat Ecclesia præsentiam, misericordiam, gratiam, benignitatem, & salutem Dei, inserto altero argumento a natura Dei tarda ad iram & proclivi ad misericordiam, vers. 6. & 7. Hæc autem verba, *revertere ad nos*, exemplo Chaldæi paraphrastæ ita reddidimus: ut accipienda esse ostendit ver. 7. nam hoc genus ellipseos est frequentissimum. [a] *Heb. in generationem & generationem.* [b] *Heb. reverteris vivificares nos.* [4] i. ut tuis sit bonum, & tibi gloria; qui duo fines conjuncti sunt. [5] i. te ipsa præsta, ut docet altera pars ver. [6] altera pars psalmi didascalica, in qua propheta primùm se ipsum ac populum Dei ad officium revocat omissis querimoniis, hoc ver. deinde promissiones Dei elegantissimis verbis & figuris explicat, reliquis versib. Est autem officium duplex: unum, ut a sensu carnis expostulantis de miseria sua avocentur pii ad audiendas promissiones & consolationes Dei; alterum, ne immorigera sua vita ipsi intercludant sibi consequendarum promissionum viam. Est itaque hoc principium correctio quædam. q. d. quid conqueror? aut quid loquor? quin potius mihi auscultandum est quid loquatur Deus. [7] i. omne bonum & prosperitatem terminatis calamitatibus: ut pollicitus erat Deus, Dan. 8. 14. & cap. 9. [8] id est, idololatriam & alia scelera, in quæ sollicitabat Antiochus. [9] explicatio prosperitatis, quam per prophetas denunciatam fideles audiebant. [10] q. d. mox futurum est ut ab horrenda illa tyrannide liberemur exstincto Antiocho, Dan. 8. 14. quæ liberatio tessera quædam & particula futura est æternæ illius ac gloriosæ liberationis & salutis, quam conferet Christus: quamobrem ad eam transitur sequentibus verbis. [11] qui non convertentur ad stultitiam, superiore versu. [12] i. futurum est ut Deus præsentia sua glorificet Ecclesiam; quam terra olim figurabat, ubi Ecclesia erat. Hæc autem gloria cujusmodi sit, exponunt sequentia. [13] superioris gloriæ explicatio primùm quidem spiritalis, duobus versibus; deinde temporalis, ver. 13. Sunt autem in hac spiritali gloria binæ relationes; una, benignitatis Dei ad fidem hominum benignitatem & gratiam ejus obviis ulnis excipientium: altera, justitiæ Dei ad pacem hominum sive tranquillitatem conscientiæ per fidem, Rom. 5. 1. quæ vera sunt effecta unici mediatoris Christi.

12 [14] Fides [15] e terra [16] germinabit, & [17] justitia e cælis prospectabit.
13 [18] Etiam Jehova dabit [19] quod bonum est, ut terra nostra edat proventum suum;
14 [20] Faciet ut justitia præeat sibi, [21] dum [c] conferet ad iter pedes suos.

[14] cum pace per fidem in Christū, synecdoche. [15] i. ex animis piorum; metonymia. [16] i. se exseret & fructum pacis afferet. [17] proficiscens ex benignitate Dei: synecdoche, ut antè. [18] summa promissionum: Jehova (inquit) temporales omnes ac spirituales promissiones exhibebit. [19] i. quantum ex usu erit Ecclesiæ Dei. [20] i. non temporales illas benedictiones tantùm communicabit; sed etam spirituales, dum procedet regnum Christi, & erit thronus justitiæ, (ut appellat David Psal. 45.) in hoc mundo. [21] i. dum veniet ad instituendum regnum Christi; & nos fide incedemus in regno Christi habitantis & in ambulantis in nobis, usque ad consummationem seculi: humanitus dictum. [c] *Heb. ponet.*

PSALMUS LXXXVI.

David in suis calamitatibus Deum invocans, suam imbecillitatem, fœdus cum Deo, & fidem in eum profitetur: salutem ab eo petit propter naturam, gratiam & gloriam ejus: & postremò de inimicis conquestus requirit aliquam significationem boni & consolationem a malo.

[1] ORatio Davidis: [2] Inclina Jehova, aurem tuam, exaudi me: nam pauper & egens sum.
2 Serva animum meam, nam is sum quem benignitate prosequeris: serva tuum servum, tu Deus mi, fiduciam habentem in te.
3 Gratiam fac mihi Domine; quia te inclamo toto die.
4 Lætifica animam servi tui: quia ad te, Domine, animam meam attollo.
5 [3] Tu enim Domine bonus es & [a] condonans; multusq; benignitate omnibus invocantibus te.
6 [4] Auribus percipe, Jehova, orationem meam; & attende ad vocem deprecationum mearum.
7 Tempore angustiæ meæ invoco te, quia exaudis me.
8 Non *est* par tibi inter ullos Deos, ô Domine, neque *sunt* paria operibus tuis *opera*.
9 [5] Omnes gentes quas *eis* afficis venientes, incurvant se coram te, Domine; & honorem habent nomini tuo:
10 Quia magnus es atque mirificus, tu Deus solus es.
11 [6] Doce me, Jehova, viam tuam, pergam in veritate tua, [7] aduna [b] animum meum ad timendum nomen tuum.
12 Celebrabo te Domine, Deus mi, ex toto animo meo; & honore prosequar nomen tuum in seculum:
13 Quum benignitas tua magna *sit* erga me, & eripueris animam meam a [8] sepulcro imo.
14 [9] O Deus, superbi insurgunt contra me, & cœtus violentorum quærunt [c] vitam meam; qui non proponunt te sibi.
15 [10] Tu autem, Domine, *Deus* fortis, misericors, & gratiosus *es*; longanimis, & multus benignitate ac fide.
16 Respice ad me, & gratiam fac mihi; da robur tuum servo tuo, & serva [11] filium ancillæ tuæ.
17 [12] Effice erga me signum [d] *quod* bono *sit*; ut videntes osores mei pudore perfundantur, quum tu Jehova adjuveris me & consolatus fueris me.

[1] i. orationis forma, quam David præscripsit piis, ut in gravibus rerum difficultatibus utentur. Quamobrem nullam adhibuit circumscriptionem temporum, personarum, aut locorum, ut alibi fecit; sed iis tantum argumentis utitur quæ fidelibus omnibus convenire possunt. Constat autem psalmus ex quatuor partibus, prout tres sunt argumentorum loci: prima est petitio salutis, a persona supplicis, usque ad vers. 6. secunda est petitio eadem a persona Dei usque ad versum 14. tertia, a persona adversariorum, versu 14. postrema, conclusio petitionis tres locos coacervans ad consequendam misericordiam, ver. 15. & sequentibus, ad finem usque. [2] primus petitionis locus a persona supplicis: ubi exponit psaltes Deo imbecilitatem & miseriam suam, hoc versu; benignitatem Dei secum communicatam ex gratia & fœdere ejus, cultum, fidémque, secundo versu; constantem invocationem, ver. 3; & spem firmam, versu. 4. quorum omnium fundamentum est natura Dei, ver. 5. [3] ætiologia superioris professionis a natura Dei; quæ est *μεταβατικὴ* sive transitiva ad alterum argumentorum genus. [a] *Heb. condonator.* [4] secundus orationis locus a persona Dei, ubi fiduciam suam confirmat David, Deúmque supplicat primùm a natura ejus, hoc ver. deinde a singulari experientia sua, versu 7. tertiò ab operibus quibus Deus extollit se suprà omne quod dicitur Deus, & omnes homines, a versu 8. ad 11. postremò a gloria ipsius, quæ piorum ductu & salute conjuncta est, a ver. 11. ad 14. [5] i. adeò suprà omnes homines te evehis magnificè, ut ipsæ gentes cogantur profiteri & gloriam tibi cedere; prout etiam infideles, infestæ gentes & inimicæ Deo fecisse leguntur, Genes. 20. Exodi 8, & sequentibus, 1. Schem. 6. & aliis locis. [6] i. doctrina, ductu, & virtute tua ita me regito, ut glorificem te. [7] i. effice ut cor meum ab aliis omnibus timoribus & curis liberatum unum sit, id est, totum solidúmque permaneat in timore tuo, ac non suspensum hæreat: ut Hosche. 11. 7. [b] *Hebr. cor meum: sic sequente versu.* [8] summis & profundissimis periculis: metaphora. [9] tertia pars, a persona adversariorum, ut observatum est in ver. 1. [c] *Hebr. animam meam.* [10] conclusio misericordiam implorans a persona Dei, hoc ver. supplicis, sequente; & inimicorum, vltimo.

[11] i. vernam tuum, in fœdere tuo a parentibus genitum atque educatum, domesticum Ecclesiæ tuæ: ut psal. 116. 16. [12] i. facto & opere significa, ac demonstra tibi curæ esse bonum meum, iis modis qui exponuntur in fine versus. [d] *Heb. in bonum.*

PSALMUS LXXXVII.

Psaltes Ecclesiæ laudes prædicat, a præsentia & beneficiis Dei erga illum, futuráque gentium vocatione.

POsteris Korachi, [1] psalmus & canticum.
[2] Fundationē suam [3] inter montes sanctitatis,
2 [4] Diligit Jehova portas Tzijonis, [5] suprà quàm ulla tabernacula Jahakobi.
3 [a] [6] Honorificentissima *sunt* quæcumque prædicātur de te, ô civitas Dei, summè *honorifica*.
4 [7] Memoro [b] Ægyptium, & Babylonium, apud [8] noscentes me; ecce, Palæstinum, & Tyrium cum Æthiope, [9] hunc genitum esse ibidem:
5 [10] Ideò de Tzijone fore ut dicatur, hic & ille vir genitus est in ea; ipsúmque [11] stabiliturum eam [12] Excelsum:
6 Jehovam annumeraturum conscribendo populos, hic genitus est ibidem excellentissimè.
7 [13] Quapropter [14] canunt æquè ac [c] exultant, omnes fontes vitæ meæ de te.

[1] Psalmus est *ἐγκωμιαστικὸς* sive laudativus, constans ex propositione laudis universè, usque ad ver. ultimum; & conclusione, versu vltimo. [2] propositio laudis hoc psalmo continetur duplex; prior est a persona Dei, Ecclesiam præsentia sua & beneficiis honestantis, usque ad versum 4. posterior, a persona eorum qui in Ecclesia conversaturi sunt; quia Judæi accensuri sunt gentes Ecclesiæ suæ, & Deus cooptaturus, ut fiat unum ovile sub pastore uno, a ver. 4. ad ultimum. Per fundationem autem Dei intelligit psaltes Ecclesiam, quam Deus secundùm æternum decretum suum & beneplacitum voluntatis suæ fundavit in Christo. [3] i. quam fundavit in Cenahanæa, montosa regione sanctificata ad habitationem suam & populi sui, ut Exod. 15. 13. & 17. 2. [4] i. singulari quodam modo suæ dilectionis erga Ecclesiam in hoc loco significationem exhibet: ut quum sacrificandus esset Jitzchak, Gen. 22. quum extensurus esset manum suam Angelus contra Jeruschalaima, 2. Schem. 24. 16. denique quum præsentia, verbo, & opere ostendit se locum illum elegisse ad habitationem suam, donec advenit tempus quo neque in monte, neque Jeruschalaimis adorandus esset Deus, Joan. 4. 21. [5] ut ipse Deus explicat Deute. 12. 5. & sequentib. [a] *Heb. honorabilia prædicatur.* [6] i. nihil honorificum non predicatur de te, & nihil prædicatur de te quin sit honorificentissimum. [7] altera propositio laudis, ut observatum est in ver. 1. quasi dicat, maximum quidem est, Deum huic Ecclesiæ adesse, eam fundasse, eam diligere, in ea coli, eámque omni honore prosequi: sed amplius adhuc afficior, quoties cogito Deum pro decreto suo immutabili effecturum, ut hæc tua bona & honores qui nunc angustis finibus terminantur, ad omnes gentes perveniant, ut generentur in Christo, hoc ver. Ecclesiæ accenseantur, ver. sequente; ac proinde eorum nomina in cælis ut in terra conscripta habeantur, V. 6. [b] *Heb. Rahab & Babelem, &c. metonymicè: sic accipitur Rahab Jeschah 51. 9. & infr. 89. 11.* [8] i. familiares meos & cives ejusdem Ecclesiæ. [9] i. jam prædestinatum & præfinitum esse, ut fiat Dei & Ecclesiæ filius regeneratione spiritus per fidem Christi, quod sequentis versus exegesis ostendit. [10] i. fore ut gentiles in Ecclesia Christi agnoscantur, & Deus adoptatis gentibus per Christum Ecclesiam servet; quæ alioqui per Jehudæorum incredulitatem, & urbis ac templi excidium intercidisse videretur. [11] i. in statu conservaturum, & confirmaturum, ut portæ inferorum non prævaleant ei. [12] Christum, in cujus manum omnia dedit pater: qui idem est Jehova, sequente ver. [13] conclusio prædicans allegoricè laudes Ecclesiæ, superiorum bonorum nomine. [14] i. quicquid in me vitæ est conspirat quodammodo, ut concentum quemdam & quasi harmoniam symphonicam edat tuarum laudum, & gloria illa ac exsultatione gestiat. [c] *Heb. choreas ducunt, vel tripudiant omnes fontes mei.*

PSALMUS LXXXVIII.

Psaltes formā dat fideli cuique Deum accedendi in privatis malis: itaque exponens mala & mortem suam præsentissimam, expostulat cum Deo: propter gloriam ejus in vita servari petit: & propter malorum gravitatem urget sibi liberationem dari.

[1] CAnticum & psalmus in posteris Korachi, magistro symphoniæ, [2] ad pneumaticum

[1] Hic psalmus etsi dicitur didascalicus, hoc est, in perpetuum Ecclesiæ documentum traditus, ut sup. psal. 42. 1. propriè tamen est *σχετλιαστικὸς*, quo psaltes cum Deo expostulat de gravissimis suis calamitatibus: tria enim summatim continet, primum est exordium, quo audientiam facit, vers. 2. & 3. secundum, propositio pathetica calamitatum ipsius, inde usque ad V. 11. tertium expostulatio cum Deo, ad finem usque. Videntur autem hic psalmus & sequens conscripti esse a duobus fratribus, quorum fit mentio 1. Reg. 4. 30. & 1. Chron. 2. 6. ut Ecclesia formulas haberet expostulationum, quibus uteretur cùm in privata aliqua & singulari difficultate, hoc psalmo; tum in publicis afflictionibus & eversione reipublicæ, psalmo sequente: nam hi viri sapientes instructi spiritu Dei præviderunt, & prævisi mali documenta literis consignârunt ad præmonendam & armandam Ecclesiam. [2] vide in psal. 5. 1.

instrumentum

instrumentum canendus: didascalicus Hemanis
Ezrachitæ.
2 [3] O Jehova, Deus salutis meæ; interdiu
clamo, *&* noctu coram te.
3 Veniat in conspectum tuum oratio mea,
inclina aurem tuam ad clamorem meum.
4 [4] Nam saturata est malis anima mea, &
vita mea ad sepulcrum pertingit.
5 Reputor cum descendentibus in [a] sepul-
crum, sum similis viro [b] quem deficit virtus.
6 *Reputor* inter mortuos, [c] [5] semotus; ut con-
fossi, jacentes *in* sepulcro, quorum non recorda-
ris amplius, qui manu tua excisi sunt.
7 Ponis me in [d] sepulcro omnium infimo;
in tenebrosissimis, in profundis locis.
8 [6] Super me incumbit excandescentia tua;
adeò omnibus irrumpentibus tuis fluctibus affli-
gis vehementissimè.
9 Procul amoves notos meos a me, propo-
nis me in [e] summam abominationem eis; ita in-
clusum ut non possim evadere.
10 Oculus meus mœret præ afflictione; invoco
te Jehova totum diem, pando ad te manus meas.
11 [7] An mortuis efficies opus mirabile? [8] aut ex-
pertes vitæ celebraturi te exsurgent potentissimè?
12 An enarraretur in sepulcro benignitas
tua? fides tua in perditione?
13 An cognosceretur in tenebris mirabile *opus*
tuum, & justitia tua in terra oblivionis?
14 [9] Atqui ego ad te, Jehova, vociferor; &
unoquoque mane oratio mea prævenit te.
15 [10] Quare, ô Jehova, abjicis [f] me? abscon-
dis faciem tuam a me?
16 [11] Pauper sum & moribundus à concussi-
one, perferens terrores tuos [g] animi pendeo.
17 Super me transeuntibus æstibus tuis, con-
turbationes tuæ rescindunt me.
18 Circumdantes me sicut aquæ toto die;
cingentes me pariter.
19 Procul amoves a me amicum & socium,
[12] notis meis *sum* tenebroso loco.

[3] Exordium, ut dictum est in vers.1. [4] propositio calamitatum de quibus conqueritur psaltes per prolepsin, hoc vers. quarum una est, quod jam in morte versatur, prout amplificat tribus versibus sequentibus; altera, quòd obruitur malis gravissimis ex quibus mortem præsentem videat, ver.8. & duobus sequentibus. Nam hæ duæ partes prolepticè hoc vers. positæ per ὑστέρωσιν Hebræis familiarem inverso ordine exponuntur. [a] *Heb. cisternam, ut suprà 28.1.* [b] *Heb. nulla virtute.* [c] *Heb. immunis, i. nihil commune habens cum cæteris.* [5] nimirũ ab omni hominum consortio & communicatione, ac nihil commune cum aliis habens; ut qui laborant ex elephantiasi primùm extra castra ex lege. Levit.14. deinde extra urbes in insulas & semotas domos relegabantur, ut 2.Reg. 15.5. & 2.Chron. 26.21. quod genus hominum hac ratione civiliter mortuum dici potest. [d] *Heb. in cisterna infimorum* locorum. [6] alterum membrum ὑστερώσεως, de afflictionibus minitantibus præsentem mortem: quarum loci sunt tres, a persona Dei, hoc vers. amicorum, sequente; & ipsius supplicis, ver.10. [e] *Heb. abominationes.* [7] tertia pars psalmi, expostulatio cum Deo ad liberationem consequendam, duobus argumentis: prius est ab eventu; fore si moriatur ut gloriam Dei minimè prædicet, cui omnino consultum vult Deus, tribus versibus; posterius, a fide sua præsente, & prædicatione gloriæ dei etiam in gravissimis tentationibus, ad finem usque. [8] vide supr. psal.6.6. [9] secundus locus expostulationis, ut dictum est in vers.11. [10] contentio brevis expostulationi inserta, hoc vers. [f] *Heb. animam meam: synec.* [11] regressio ad expostulationem; qua ostendit psaltes omninò tempus esse ut sui misereatur Deus, per repetitionem earundem calamitatum quas narraverat suprà, vers.8.9. & 10. [g] *Heb. rotor, circumagor.* [12] id est, sum incognitus; adeò jam illis sepultus esse videor in profundis malorum tenebris; ut suprà vocaverat, vers.7.

PSALMUS LXXXIX.

Psaltes benignitatem fidemq; Dei cùm in rebus omnibus creatis, tum in Ecclesia testificatum celebrat: dignitatem Ecclesiæ, quæ est regnum Dei, & promissiones regno toti ac regi factas cõmemorat; deinde cõtraria eventa & adversitates quas Ecclesia perferebat proponens, expostulat cum Deo; liberationem & instaurationem petit, ac tum demum benedicit Deo.

[1] DIdascalica *ode*, Ethanis Ezrachitæ.
2 [2] Benignitates Jehovæ *in* seculum ca-
nam; in [a] quamque generationem notam faciam
[3] fidem tuam ore meo.
3 Nam [b] statuo fore ut in seculum benigni-
tas [4] ædificetur; in cælis ipsis stabilias fidem tu-
am, *qua dixisti,*
4 ‖Pepigi fœdus cum electo meo, [5] juravi Da-
vidi servo meo:
5 [6] Usque in seculum me stabiliturum semen
tuum, & ædificaturum in quamque generatio-
nem solium tuum summè.
6 [7] Quapropter celebrant [8] cæli mirabile *o-*
pus tuum, Jehova; etiam fidem tuam [9] in congre-
gatione sanctorum.
7 Quis enim [10] in superiore nube par æsti-
metur Jehovæ? assimiletur Jehovæ inter [11] filios
fortium?
8 Deus fortis *est* formidabilis in consilio san-
ctorum plurimùm, & reverendus supra omnia
quæ circumstant eum.
9 O Jehova, Deus exercituum, quis *est* par ti-
bi robustus Jah? [12] nam fides tua circumvestit te.
10 Tu dominaris in superbiam maris; quum
attollunt se fluctus ejus, tu reprimis eos:
11 Tu contrivisti tamquã confossum [c] Ægyp-
tium; brachio roboris tui dispersisti inimicos tuos.
12 Tui *sunt* cæli, etiam tua *est* terra; orbem ha-
bitabilem & ea quæ ipsum implent, tu fundasti.
13 Aquilo & [d] Auster quos tu creasti, [13] Tha-
bor & Chermon de nomine tuo cantant.
14 Tibi brachium *est* cum potentia; robusta
est manus tua, elata dextera tua.
15 Justitia & judicium habitaculo solii tui;
benignitas & fides præeunt faciei tuæ.
16 [14] Beatus *est* populus, [15] qui agnoscunt
clangorẽ, [16] *qui* in luce faciei tuæ pergunt Jehova;
17 In nomine tuo exsultant toto die, & in ju-
stitia tua attollunt se:
18 Nam decus roboris eorum es, & pro be-
nevolentia tua attollitur [17] cornu nostrum.
19 Jehovæ enim *est* [18] scutum nostrum, &
[19] sancti Jisraëlis Regis nostri.
20 [20] Tunc alloquutus per visionẽ eum quem
benignitate [21] prosequebaris, dixisti, disposui [22] au-
xilium contra robustũ, extuli electum e populo.
21 [23] ‖ Inveni Davidem servum meum, oleo
[e] sancto meo unxi eum;
22 Quicum manus mea sit stabilis, etiam
brachium meum fortificet eum.
23 Non aget exactorem inimicus contra eum,
& [f] deditus iniquitati non affliget eum:
24 Sed contundam a facie ejus hostes ejus,
& osores ejus plaga afficiam.
25 Adeò fides mea & benignitas mea affutura
est ei, ut in nomine meo extollatur cornu ejus.
26 Nam [24] imponam [25] mari manum ejus, &
[26] fluminibus dexteram ejus.
27 [27] ipse inclamabit me, tu pater mi; mi

[1] de occasione hujus odes vide sup. in psal.88. Est autem hæc ode documentum insigne Ecclesiæ tum ad celebrandum benignitatem Dei, tum ad implorandam illius misericordiam in rebus adversis. Quamobrem tres summæ partes statuendæ sunt hujus odes: prima est laudatio Dei ab operibus & fœdere ejus, usq; ad ver.39. secunda est expostulatio petitione conjuncta, usq; ad ver.53. postrema, conclusio epiphonematica a laudibus Dei, ver. ult. [2] propositio summa primæ partis de celebrãdo Deo, quatuor ver. continetur: ea est, benignitatẽ Dei cum in rebus omnibus creatis perspici, ver.3. tum maximè in regno Davidis, id est, in Christo & Ecclesia, ver.4.& 5. hæc ita prolepticè posita, sigillatim deinde confirmantur usq; ad expostulationis locum: primùm quidem benignitas & fides Dei in rebus creatis, a versi 6, usque ad 16. deinde verò benignitas & fides in Ecclesiam, inde ad vers.39.

[a] *Hebr. in generationem & generationẽ: sic inf. ℣.5.* [3] i. veritatem & constantiam in omnib. rebus tuis. [b] *Heb. dico.* [4] i. semel in rerum creatione & structura demonstrata promoveatur & pergat, quantisper durabunt secula. ‖ *2. Schem.7.8. & seq.* [5] ad confirmationem fœderis, ut infr. ver.50. & Psal.132.11. [6] duæ promissionis partes, hæredum & hæreditatis regiæ: ut factæ fuerant Abrahamo, Gen.15. [7] exornatio prioris partis, nimirum laudis quam Deus sibi a rebus omnibus creatis comparavit. [8] & cælites, quos per synecdochen intelligendos esse docent tres sequentes vers. [9] i. testificantur Ecclesiæ, & documento sunt. [10] i. in cælis: sic infr. vers.38. [11] i. potentissimos terræ; ut sup. 29.ver.1. & Jechezk.17.13. & 32.21. [12] i. undequaque exornaris veritate & constantia operum tuorum. [c] *Heb. Rahabum, ut sup.87.4. Exo. 14 & 15.* [d] *He. dextera plaga: ut Exo. 26.18.* [13] ad occidentem spectans, & Chermon ad orientem, Deut.3.8. Jehosch.19.22. [14] altera exornatio secundæ partis in propositione positæ, ut dictum est in ver. secundum: qua propheta docet primùm generatim quæ sit benignitas Dei erga Ecclesiã suam, usque ad ℣.20. deinde verò nominatim erga regem, quàm benignè datæ sint promissiones in Christo, inde a ℣.20. [15] i. qui signa a te velut imperatore proficiscẽtia, & verbum tuum audiunt: ut Num.23.25. [16] i. te præeuntẽ ópere sequuntur, & prælucentem verbo. [17] ut 1.Sche.2.1. & infr.25. [18] i. defensio & protectio nostra a malis. [19] id est, Christi, sanctificantis Ecclesiam suam, atque in ea regnantis virtute Spiritus. [20] explicatio singularis benignitatis Dei erga regem, ut observatum est in ver.16. qua exponit psaltes, primùm quæ futura sit gloria regni tum temporarii, tum spiritualis, usq; ad ver.26. deinde quæ veritas & constantia regni in Christo, ver.27. & tribus seq. postremò quæ ratio erga temporarium regnum propter Christum sit servanda a Deo, inde a ver.31. [21] Schemuelem prophetam, 1.Schem.16. [22] i. regem, qui vindicet populum a potentibus inimicis: ut postulaverant Jisraëlitæ, 1.Schem.8. sub finem. [23] i. prospexi, 1.Schem.16.2. ‖ *2.Schem.7.* [e] *Heb. sanctitatis meæ.* [f] *Hebr. filius iniquitatis.* [24] ut promiserat Deus Exo.23.31. & completum legitur 2.Sche. 8.& 10. [25] rubro & mediterraneo. [26] Euphrati, Jardeni, Paludi Sirbonidi, &c. [27] Secundum membrum de veritate regni in Christo, a mutuis & respondentibus inter se officiis Christi erga Deum patrem, hoc vers. & patris erga Christum, trib. seq. nam hæc universè & plenè ad Christum pertinent; tenuiter verò, tamquam suis typis, regibus aliis accommodari possunt.

Deus fortis, & rupes ſalutis meæ:
28 Etiam ego [28] primogenitum conſtituam
eum, excelſum ſupra reges terræ.
29 In ſeculum ſervabo ei benignitatem meam,
& fœdus meum fidum erit ei:
30 Diſponámque in æternum [29] ſemen ejus,
& ſolium ejus [30] ut *ſunt* dies cælorum.
31 [31] ‖ Si dereliquerint filii ejus legem meam,
& in judiciis meis non ambulaverint:
32 Si ſtatuta mea prophanaverint, & præ-
cepta mea non obſervaverint;
33 Viſitabo quidem virga defectionem eo-
rum, & plagis iniquitatem eorum:
34 Sed benignitatem meam non irritam
faciam ab eo, neque mentiar contra fidem
meam.
35 Non prophanabo fœdus meum, & pro-
nunciatum labiorum meorum non mutabo.
36 Semel juravi per ſanctitatem meam, Da-
vidi non mentiar:
37 [32] Semen ejus in ſeculum fore, & [33] ſolium
ejus ut ſolem coram me:
38 Ut luna ſtabile fore in ſeculum: & [34] ut
[g] teſtes in ſuperiore nube fideles ſummè.
39 [35] At tu abjeciſti, & ſpreviſti; excanduiſti
contra [36] unctum tuum.
40 Deteſtatus es fœdus ſervi tui, prophanaſti
dejiciens in terram coronamentum ejus.
41 Dirupiſti omnes macerias ejus: expoſuiſti
munitiones ejus contritioni.

[28] i. caput & principem ſummum Eccleſiæ meæ, adeóque omnis creaturæ: ut ſequentia verba exponunt. [29] ſpiritale, id eſt, filios Dei genitos per ſanctificationem ſpiritus, Heb. 2. 10. & ſequentibus. [30] i. in æternum: periphraſis. [31] tertium membrum de ratione quam ſervaturus eſt Deus in filios infirmos ſuos ut dictum eſt in verſ. 20. ‖ 2. *Schem.* 7. 14. [32] i. Eccleſiam genitam incorrupto ſemine verbi, ut ver. 30. [33] i. regnum, ſynecdochicè. [34] i. æquè duraturum eſſe atque aſpectabilia omnia in cælo documenta, de quibus infrà pſalm. 97. 6. [g] *Heb. teſtis, fidelis: enallage.* [35] altera pars pſalmi expoſtulationem continens, uſque ad verſ. 47. & petitionem patheticam, uſque ad 53. [36] i. regem e domo Davidis: nam hic pſalmus in monimentum datus eſt Eccleſiæ prophetico ſpiritu, ut ſuo tempore caneretur Deo: cujuſmodi fuit tempus deportationis Babylonicæ.

42 Diripuerunt eum omnes [h] viatores, eſt pro-
bro vicinis ſuis.
43 [37] Extuliſti dexteram hoſtium ejus, lætifi-
caſti omnes inimicos ejus.
44 Etiam retudiſti acumen gladii ejus, neque
ſtabiliviſti eum in bello.
45 Feciſti ut ceſſet nitor ejus, & ſolium ejus in
terram detruſiſti.
46 Curtaſti [38] dies adoleſcentiæ ejus, ope-
ruiſti eum pudore ſummè.
47 [39] Quouſque Jehova? abſcondes te in
æternum? ardebit tanquam ignis excandeſcen-
tia tua?
48 [40] Recordare mei, [i] quàm temporarius
ſim: quorſum in vanum creaſſes omnes filios
hominis?
49 Quis vir ita vivat ut non [k] experiatur mor-
tem? eripiat ſe ipſum a ſepulcro excellentiſſimè?
50 Ubi *ſunt* benignitates illæ priſtinæ, Do-
mine, quas juraveras Davidi per fidem tuam?
51 Recordare, Domine, opprobrii ſervorum
tuorum: me [41] geſtare in ſinu meo *opprobrium*
omnium maximorum populorum,
52 Quo affecerunt inimici tui, Jehova: quo
affecerunt [42] veſtigia Chriſti tui.
53 [43] Benedictus *ſit* Jehova in ſeculum; amen,
iterúmque amen.

[h] *Heb. tranſeuntes via: ut ſup.* 80. 13. [37] i. ſuperiores effeciſti inimicos. [38] quibus florere & quaſi adoleſcens augeri debuerat ex promiſſione tua. [39] tranſitio ab expoſtulatione ad petitionem, per figuram quam Rhetores *ἐγκλησις*(?) ſive contentionem vocant, hoc verſ. [40] petitio miſericordiæ & inſtaurationis; primùm a perſona ſupplicum, qui ita vanitatem ſuam agnoſcunt ut ſe tamen profiteantur eſſe creaturas Dei, duob. verſib. deinde a perſona dei teſtificantis benignitatem ſuam opere, fœdere, atq; juramento, verſ. 50. poſtremò a perſona inimicorum, duobus ſequent. [i] *Heb. cujus temporis.* [k] *Heb. videat; ſic pſal.* 34. 13. [41] i. patienter diſſimulare atque abſcondere. [42] i. ſigna omnia atque documenta Chriſti habitantis & inambulantis in nobis; ſive præterita ad prophetiam, ſacerdotium, regnum, & cultum Dei pertinentia; ſive præſentia quibus Chriſtus nos conſolatur verbo; ſive futura de promiſſionibus adventus ejus. [43] concluſio epiphonematica a laudibus Dei, quas utrobique ſecundis & adverſis rebus prædicare debet Eccleſia.

QUARTUS LIBER PSALMORUM.

PSALMUS XC.

Moſche gratiam Dei ex ſempeterno decreto ejus in ſanctos celebrans, exponit tum inſtabilitatem vitæ humanæ, tum miſeriam Jiſraëlitarum quos Deus morti adjudicaverat: ideóque precatur Deum ut populum ſuum renovans ducat ipſum in omni ſanctimonia, & gloriam ſuam demonſtret in ductu & ſanctificatione populi ſui.

1 [1] ORatio Moſchis [2] viri Dei. [3] O Do-
mine, tu [4] habitaculum fuiſti no-
bis, [a] in quaque generatione.
2 Quum nondum montes editi
eſſent, aut formaſſes terram orbémque habitabi-
lem; denique inde a ſeculo & uſque in ſeculum
tu *Deus* fortis *es*.
3 [5] Redigis mortalem eò uſque ut ſit contri-
tus; dicens, [6] revertimini filii hominum.
4 [7] Nam mille annos ſi prętereat, *ſunt* in ocu-
lis tuis ut dies heſternus, vigiliáque [b] nocturna.

[1] Hujus orationis partes ſunt tres: prima eſt exordium benevolentiam captans a perſona Dei, duobus verſibus: ſecunda, narratio adminiſtrationis illius, & conditionis noſtrę, a verſu 3. ad 12. tertia, precatio, inde ad finem uſque. Videtur autem Moſche populo Dei orationem hanc cōſcripſiſſe quum reverſis exploratoribus, Num. 13. 14. populus obmurmuraſſet Deo, & Deus ſententiam mortis dixiſſet majoribus viginti annis; ut hoc ſaltem haberent ederéntque documentum reſipiſcentiæ ſuæ, & ſaluti ſuæ abjectæ proſpicerent. [2] ut Deut. 33. 1. [3] Exordium a perſona Dei: cujus primùm mirificam adminiſtrationem & gratiam erga ſuos adducit inde ab orbe conditio, hoc verſu: deinde æternum decretum ſive conſilium ex beneplacito voluntatis ipſius ad laudem gratiæ ipſius glorioſiſſimæ, verſu 2. [4] i. qui facis ut ſecurè habitemus freti protectione tua, Deut. 33. 27. [a] *Hebr. in generatione & generatione.* [5] ſecunda pars orationis, narratio: in qua exponit Moſche primùm communem omnium hominum mortalitatem, uſq; ad verſ. 7. deinde præſentem Jiſraëlitarum calamitatem, qui provocata indignatione Dei addicti fuerant morti, Num. 14. a verſ. 7. ad 11. poſtremò confeſſionem ignorantiæ & ſtuporis populi, quodammodo veluti ſtertentis etiam tum quum vexaretur indignatione Dei verſu 11. Eſt autem hîc periphraſis, pro eo quod eſt, ſolo verbo tuo facis ut moriatur homo. [6] corpore in terram, animo ad Deum qui dedit illum, Geneſ. 3. 19. & Eccleſiaſt. 12. 7. [7] amplificatio propoſitionis de mortalitate noſtra, ab hypotheſi; cujuſmodi eſt Eccleſiaſt. 6. 6. Eſt autē in hoc verſu ἐμπλοκὴ verborū, ſive (ut grammatici vocant) ſynchyſis, quam nos ad evidentiam mutavimus. [b] *Heb. in nocte.*

5 [8] Inundatione abripis eos, ſomnus ſunt:
ipſo mane *ſunt* ut fœnum tranſiens;
6 Ipſo mane quo effloruit tranſiens, ipſo ve-
ſpere exciſus atque exareſcens:
7 [9] Quando conſumimur ira tua, & tuo æſtu
conturbamur:
8 [10] Proponis iniquitates noſtras tibi, [11] oc-
culta noſtra lumini faciei tuæ.
9 [12] Nam omnes dies noſtri divertunt [13] ex-
candeſcentia tua; [14] conſumimus annos noſtros,
[15] ſimiles ſermoni *ſunt*.
10 [16] In diebus ipſis annorum noſtrorum *ſunt*
ſeptuageni anni, aut (ut *ſimus* [c] valentiſſimi) octo-
geni anni; etiam excellentiſſimum eorum [17] [d] la-
borioſum *eſt* & moleſtum: [18] quo feſtinè exciſo,
avolamus.
11 [19] Quis agnoſcit robur iræ tuæ, aut
excandeſcentiæ tuæ [20] ſecundùm timorem
tuum?
12 [21] Numerare dies noſtros [22] ita doce *nos*;

[8] Explicatio fragilitatis humanæ a ſimilibus; quæ tum potentem Dei manum, tum vanitatem noſtram explicant familiariſſimè. [9] tranſitio ad alteram partem narrationis, qua expoſtulat propheta cum Deo de ſingulari illo judicio, Num. 14. quaſi dicat, non ita nobiſcum agitur ut cum cæteris hominibus; ſed multò graviùs agitur ira tua, hoc verſu; & de peccatis noſtris, verſu ſequente. [10] i. jacularis in nos tela indignationis tuæ, propter peccata quibus & intùs & extrà diffluimus. [11] peccata vel nobis ipſis incognita, ut Pſalm. 19. 13. [12] *ἐργασία* expoſtulationis a decreto Dei, & exſequutione illius, quæ jam tum cœperat ob oculos Jiſraëlitarū verſari ſublatis auctoribus murmurationis, Num. 14. 36. [13] de qua verſu 7. [14] peccatis noſtris, de quibus verſu 8. [15] id eſt, dicto celeriùs effluunt, manentq; irrevocabiles. [16] id eſt, ordinariè non ultrà vivitur. [c] *Heb. in fortitudinibus.* [17] omnibus quidem propter inſtabilitatē vitæ & conditionis ipſorum; Judæis verò hoc tempore propter pœnas, errores, vagationes & probroſam mortem, in quas divinitùs damnati fuerant, Num. 14. 28. & ſeq. [d] *Heb. labor & moleſtia.* [18] excellentiſſimo videlicet dierum, quod modo nominavit. [19] tertia pars narrationis, confeſſio quaſi iter ad precationem ſequentem, quaſi dicat, utcumque tamen judicia tua exerceas, nemo expergiſcitur & ſe ad reſipiſcentiam comparat. [20] i. quem tu doces nos, & injicis minis, ſignis, atque operibus: nam his modis Deum injeciſſe timorem ſui docetur Num. 14. & ſeq. [21] tertia pars pſalmi, petitio; cujus partes ſunt duæ; una, ut Deus miſertus populi animum ipſius informet in notitia infirmitatis ſuæ, duobus verſibus; altera, ut bonis proſequatur, lætitiam ei afferat, & hoc pacto glorificet nomen ſuum, ad finem uſque. [22] i. ſecundum timorem tuum, de quo verſu præcedente.

ut [23] inducamus [e] animum sapientem.
13 Revertere Jehova, quousque? & [24] pœniteat
te propter servos tuos.
14 Satia nos unoquoque mane benignitate
tua, ut cantemus & lætemur omnibus diebus no-
stris.
15 Lætifica nos, ut dies *multos* [25] afflixisti nos;
annis *multis* [f] experti sumus malum.
16 [26] Perspicuum fit erga servos tuos opus
tuum, & decor tuus in filiis eorum.
17 [27] Denique adsit amœnitas Jehovæ Dei
nostri nobis: & opus manuum nostrarum insti-
tue in nobis; ipsum, inquam, opus manuum no-
strarum institue.

[23] ne desipiamus, ut antè fecimus. [e] *Heb. cor sapientiæ.* [24] ut Gen. 6.6. [25] in Ægypto, ut docetur Exodi a 1. cap. ad 12. [f] *Heb. vidimus.* [26] summus petitionis finis, gloria Dei. [27] summa totius petitionis, continens superiores fines; ut Deus gloriam suam procuret in suis, & suos vicissim ad gloriam ipsius promovendam comparet.

PSALMUS XCI.

Psaltes fiduciam suam statuens piis in exemplum, hortatur ut certa fide recumbant in Deo: defensionem prænunciat ab omni malo: ac Dei verbis omnia bona præsentia & futura pollicetur.

[1] COnfidenti in latibulo excelsi, in umbra om-
nipotentis indesinenter pernoctanti;
2 [2] Dico, in Jehova *est* receptus meus, & pro-
pugnaculum meum, Deus meus *est*, cui confido.
3 [3] Quandoquidem ipse erepturus est te [4] a la-
queo aucupantis, a peste [a] ærumnosissima;
4 [5] Ala sua protecturus te, quum sub alas
ipsius te receperis; clypeus & [6] parma *est* [7] fides
ipsius;
5 [8] Ne timeto [9] a pavore nocturno, a sagitta
volitante interdiu:
6 A peste in caligine pervadente, a lue va-
stante in meridie.
7 Cadentibus ab *altero* latere tuo mille, &
decies mille a dextera tua; ad te non accedet:
8 [10] Tantùm oculis tuis intueberis, & retri-
butionem improborum videbis.
9 Quum tu Jehovam, *Deum* receptus mei,
Excelsum statueris [11] habitaculum tuum;
10 Non dabitur occasio ut attingat te malum,
& plaga non appropinquabit ad tentorium tuum.
11 [12] Nam angelis suis præcipiet de te, ut con-
servent te [13] in omnibus viis tuis:
12 Ambabus palmis sustineant te, ne offendas
ad lapidem pedem tuum.
13 Super ferocem leonē & aspidem [14] ince-
des, [15] cōculcabis juvenem leonem & draconem.
14 [16] Quia in me (*inquit Deus*) amore pro-
pendet, ideò liberabo eum; [17] in edito collocabo
eum, quia agnoscit nomen meum:
15 Simulac invocaverit me, exaudiam eum;
ipsi adero in angustia: eripiam eum, & honore
afficiam eum:
16 Longitudine dierum satiabo eum, deni-
que efficiam ut [b] fruatur salute mea.

[1] Hic psalmus (quem Judæi Moschis esse existimant) est didascalicus, continens partes duas: unam, qua psaltes exemplo suo ostendit fidem esse habendam in Deo, & omne bonum ab ipso expectandum, usque ad V. 14. alteram, qua Deus loquens superiorem prædicationem beneficiorum confirmat in eos qui ipsum colunt, inde ad finem usque. Sunt autem hoc psalmo voces emphaticotatæ, ad fidem piorum & beneficia Dei exaggeranda: ut quod in ipso limine dicit psaltes pium considere & pernoctare apud Deum, quasi dicat, diem noctemq; in Deo conquiescere fide, neq; de ullo humano casu laborare; ut pulli sub alis matrum securè latere solent. [2] i. prædico & confirmo ab exemplo meo. [3] accommodatio exempli sui ad fideles: qua ostendit psaltes tantùm ipsis videndum esse ut confidant Deo, ac proinde fore ut non tantùm liberentur a malo, verùm etiam spernant & triumphent de malo. [4] i. ab omni periculo quod tibi creabitur. [a] *Heb. ærumnarum.* [5] i. defendet te ab omni malo, ut explicatur usque ad V. 14. [6] vel septum, aut munimentum ambiens & circumtegens ab hostium injuria: nam sic accipi non minus commodè hanc vocem posse ostendit etymologia. [7] i. constantia veritatis promissionum, quæ summatim comprehenduntur tribus postremis vers. [8] sed confide ei, prout psaltes in seipso confidentiæ exemplum statuit, suprà ver. 2. [9] i. ab ullis apertis, occultis, internis, externis, corporeis, aut spiritalibus malis, ullo unquam tempore: sic vers. sequentib. [10] non autem senties ea incommoda, quibus alios ante oculos tuos, & ad latera tua videbis opprimi. [11] ut spr. 90. 1. [12] i. non tantùm ipse operabitur ad salutem tuam; sed etiam, quum opus erit, cælites administros suos adhibebit ad conservandum te. [13] ambulantis, considentis, pernoctantis, & conquiescentis in Deo provocatione tua: hæc dissimulabat diabolus, quum sollicitaret Christum, Matth. 4.6. [14] nimirum sine damno & offensa: ut Jeschahja simile prædicat de regno Christi cap. 11.6. & sequentibus. & Hosch. 2.18. [15] i. superata omnia mala contemnes, & triumphabis de illis: similes promissiones vide Marc. 16.18. [16] altera pars psalmi, promissiones Dei continens in nomine ipsius, quarum fidem commendaverat psaltes suprà versu 4. [17] i. suprà omne periculum evcham. [b] *Heb. videat.*

PSALMUS XCII.

Ecclesia seipsam comparans ad laudandum Deum opera ejus admiratur, repentinos improborum casus, & suam salutem honorem q; a Deo acceptum narrat: ac postremò æternam fidelium Dei servorum fœlicitatem prædicit.

[1] PSalmus & canticum, [2] in diem sabbathi.
2 [3] Bonum *est* celebrare Jehovam; &
psallere nomini tuo, ô excelse;
3 Annunciare unoquoque mane benignita-
tem tuam, & fidem tuam quibusque noctibus;
4 Ad decachordum & ad nablium; [a] ad ci-
tharam cum meditatione.
5 [4] Quia lætitia afficis me, Jehova, opere
tuo; de factis manuum tuarum cantabo.
6 [5] Quàm magna sunt facta tua, Jehova!
valdè profundæ sunt cogitationes tuæ.
7 [6] Vir brutus non agnoscit, & stultus non
animadvertit istud,
8 [7] Quum germinant improbi velut herba,
florentq; omnes qui operam dant iniquitati; *fieri*
ut perdantur usque in æternum:
9 Te autem ô excelse, in seculū *esse* Jehovam.
10 [8] Nam ecce inimici tui, Jehova, nam ecce
inimici tui pereunt; [9] [b] dissiliunt omnes qui ope-
ram dant iniquitati:
11 [10] Attollis verò tamquam monocerotis
cornu meum, [11] perfundendo me oleo virente:
12 Ita intuente oculo meo in [12] observatori-
bus meis; de insurgentibus contra me maleficis,
audientibus auribus meis.
13 [13] Justus ut palma germinabit, ut cedrus
in Libano crescet.
14 Plantati in domo Jehovæ, in atriis Dei
nostri germina profundent.
15 [14] Adhuc abundabunt in canitie, pingues
& virentes erunt,
16 Ad annunciandum rectum esse Jehovam,
rupem meam; neq; *esse* ullam iniquitatem in eo.

[1] Psalmus est ἐπαινετικός, continens primùm propositionem laudationis Dei, usque ad ver. 5. deinde narrationem operum ejus quibus sibi laudem comparat Deus, inde ad vers. 13. postremò prophetiam de fœlicitate bonorum, ad finem usque. [2] i. concinendus in ecclesia die sabbathi, quo habebatur convocatio sancta. [3] propositio, laudandum esse Jehovam de benignitate ipsius erga bonos, & fide tum in promissis, tum in minis præstandis; & proptereà omnibus modis efferendū. [a] *Heb. ad meditationem cum cithara: hypallage.* [4] altera pars psalmi, narratio ætiologica, id est, explicans causas quarum nomine celebrandus est Deus. Est autem hoc ver. totius narrationis argumentum summatim positum: quod primùm exornatur duobus vers. deinde sigillatim exponitur, quinque sequentib. [5] prior exornationis sive amplificationis locus per exclamationem; opera & consilia Dei esse altissima & profundissima, atque adeò infinita. [6] posterior amplificationis locus, administrationem Dei adeò mirificam esse, ut eam non comprehendat mundus. [7] narrationis partes duæ: una, de instabilitate improborum; qui utcumque floreant, justo Dei judicio & sua ipsorum improbitate deturbantur, hoc versu; altera, Deum natura, consiliis, operibusq; semper sibi constare, tam ad perdendum improbos, quam ad servandum bonos; ut sequentes versus demonstrant. [8] confirmatio superioris dicti a præsente & quotidiana experientia. [9] i. diffringuntur, & veluti comminuti in fragmenta abeunt. [b] *Hebr. disparant se.* [10] i. auges me maximis, constantibus, & infractis viribus, ut Numeror. 23.26. [11] i. me viribus & gratia instructum insuper ornando; ut psal. 23.5. [12] inimicis, atque maleficis, ut psal. 5.9. [13] conclusio a doctrina prophetica de prosperitate piorum, argumento sumto a constantia Dei, ver. 9. & experientia administrationis ejus, quæ modò exposita est. Est autem elegans allegoria, qua pii cum arboribus præstantissimis, Ecclesia sive templum Dei cum Libano & plantario amœnissimo feracissimoq; comparatur, ut apud Jeschahjam passim. [14] i. quantumvis veteres non veterascent; sed fructus a Deo accepto in æternum proferent, vegetati & virentes per spiritum illius: qui fructus sequente versu exponitur, nimirum prædicatio gloriæ Dei constantissima, propter veritatem, potentiam, & bonitatem justitiamq; ejus.

PSALMUS XCIII.

Psaltes amplitudinem Christi & potentiam celebrat, ab universali rerum creatarum, & singulari æterna Ecclesiæ administratione.

[1] JEhova regnat, celsitate indutus; indutus Je-
hova, robore se accingit: etiam [2] stabilitur or-
bis habitabilis, ne dimoveatur.
2 Stabile *est* [3] solium tuum [4] [a] ab illo tem-
pore, inde a seculo tu *regnas*.

[1] Ode est ἐπινίκιος, continens laudes regni Christi (qui idem est Jehova, Rex institutus a patre) a celsitate & robore ejus, quæ hoc ver. universè dicta, confirmantur tribus documentis; primùm est, a creatione, & conservatione mundi, altera parte hujus versus; secundum, ab administratione potentissima & magnificentissima, tribus seq. tertium, a singulari ipsius ratione erga Ecclesiam, vers. ult. Est autem tota hæc explicatio de regno Christi allegorica, sumtis ab ordine humano loquutionibus. [2] i. ab ipso conditus & constitutus conservatur. [3] i. regnū & administratio ejus: metonymia. [4] quo orbis habitabilis constabilitus est, præcedente versu. [a] *Heb. a tunc.*

5 exornatio magnificæ administrationis Christi per comparationem aquarum, quasi dicat, nulla flumina, nulla maria, ac ne diluvium quidem ipsum furentium supernè & infernè aquarum tam

3 [5] Ultro attollant flumina, ô Jehova, attol-
lant flumina sonum suum; attollant flumina fra-
gorem suum:
4 Sonis aquarum multarum, magnificis flu-
ctibus irrumpentibus maris; magnificentior *est* in
alto Jehova.
5 [6] Testimonia tua firma *sunt* valdè; domui
tuæ decora sanctitas, ô Jehova, in longitudinem
dierum *est*.

sunt magnifica, quàm magnificus es in administratione tua. [6] i. singularis illa ratio, qua tuam præsentiam & benevolentiam Ecclesiæ testatam facis; sive salutari verbo, quod sceptrum Christi appellatur; sive opere sanctificationis æternæ, quam Deus cum Ecclesia communicat in Christo.

PSALMUS XCIIII.

David à perfido Schaülis comitatu vexatus, Deum orat ut manum adhibeat ad ulciscendos improbos: improbitatem, maleficia, & blasphemias narrat; improbos objurgat dementiæ nomine: & bonos ab eventu, promissionibus Dei, & suo ipsius exemplo consolatur.

1 Od est generis mixti, συκτικὴ καὶ διδασκαλικὴ. Itaque summæ illius partes sunt duæ: una, precatio, ut Deus ulciscens improbos suis consulat, usque ad ѵ. 8. altera verò, doctrina prophetica atque ad improbos atque ad bonos pertinens, inde ad finem usque. Precationis autem partes sunt duæ: una est petitio, duobus versibus; altera, querimonia enarrans petitionis causas, sequentibus quinque. Petitionis summa est, ut Deus se glorificet conservando suos & improbos ulciscendo; cujus argumenta ducuntur à natura potentissima & justissima, officio, operibusq; ipsius.

[1] O Fortis [2] *Deus* ultionum, Jehova, ô *Deus* for-
tis ultionum, [3] illucesce:
2 Attollere, ô [4] judex terræ; [a] redde retri-
butionem superbis.
3 [5] Quousque improbi, ô Jehova, quousque
improbi exsultabunt?
4 Eructantes loquentur [b] superbè, sese præ-
dicabunt omnes qui operam dant iniquitati?
5 Populum tuum, Jehova, conterent, & pos-
sessionem tuam affligent?
6 Viduam & peregrinum interficient, ac
pupillos occident,
7 Dicentes, non respicit Jah; neque anim-
advertit Deus Jahakobi?
8 [6] Animadvertite, ô [7] brutissimi in populo:
& stultissimi, quando intelligentes eritis?
9 [8] An plantator auris, an non audiat? aut
formator oculi annon intueatur?
10 An castigator gentium, an non reprehen-
dat? qui docet homines scientiam, *an non agnos-
ceret?*
11 [9] Jehova cognoscit cogitationes homi-
num, [c] esse vanitatem ipsam.
12 [10] Beatus ille vir quem [11] castigas Jah, &
quem ex lege tua doces.
13 [12] Ad præstandum quietem ei a diebus
[d] adversitatis, [13] dum foditur improbo fovea.
14 [14] Non enim deserit Jehova populum su-
um, & possessionem suam non derelinquit;
15 [15] Sed usque ad justitiam reversurum est
judicium, & post illud [16] omnes recti corde.
16 [17] Quis surrecturus fuisset pro me contra
maleficos? quis se ipsum stitisset pro me contra
eos qui operam dant iniquitati?
17 Nisi Jehova pleno auxilio fuisset mihi, pa-
rum abest quin [18] habitasset *in* loco silentii [e] vita
mea.
18 Quum dico, dimovetur pes meus; benig-
nitas tua, ô Jehova, sustentat me.
19 Quum multæ sunt cogitationes meæ apud
me, [19] consolationes tuæ oblectant animam
meam.
20 [20] An consociaretur tibi solium [21] ærum-
narum, [22] formantis molestiam [23] præter statutũ,
21 Turmatim convenientium contra animam
justi, & sanguinem innoxium condemnantium?
22 [24] Imò *est* Jehova mihi pro edito loco, &
Deus meus pro rupe receptus mei:
23 Qui convertit contra eos iniquitatem ip-
sorum; & [25] malitia ipsorum exscindit ipsos; ex-
scindit ipsos Jehova, Deus noster.

[2] i. qui uniuscujusque ultionis auctor atque effector es, Deut. 32. 35. [3] ut Deut. 33. 2. [4] ut Gen. 18. 25. psal. 82. 8. & infra vers. 10. [a] *Hebr. fac ut revertatur retributio super superbos.* [5] secundum precationis membrum, querimonia de insolentia improborum thrasonica inter se, duobus versibus: de maleficiis contra innocentes, ver. 5. & 6. & de blasphemis sermonibus in Deum, ver 7. [b] *Hebr. durum: ut 1. Schem. 2. 3.* [6] altera pars psalmi, partim ἐπιτιμητικὴ, id est, reprehensionem severissimam continens improborum, usque ad ver. 12. partim verò παρακλητικὴ, id est, spectans ad consolationem & confirmationem piorum, ad finem usque. Continet autem hæc reprehensio objurgationem, hoc ver. & redargutionem, sequentibus. [7] sic compellat impios gravissimis nominibus, propter miseram & dementem illorum conditionem, judiciumq; perversissimum, quod redarguitur versibus sequentibus, ut supra 92. 7. [8] redargutio ἐξ ἀτόπου, id est, ex absurdo. quasi dicat, adeò absurdum est Deo (qui visum auditumq; dedit hominibus) visum & auditum adimere, ut qui hoc sentiant, penitus mente captos & brutissimos esse oporteat: simili argumento utitur Deus Exod. 4. 11. [9] subjectio, qua propheta utitur ad superiorem argumentationem contra impios. Est autem ea accipienda synecdochicè, ut omnibus membris præcedentibus respondeat. quasi dicat, audit, videt, corrigit, cognoscit; & tamen vanitatem istam audiens, videns & cognoscens dissimulat, donec tempus justitiæ constituerit, de quo versibus sequentibus. [c] *Hebr. quod ipsa sunt vanitas: trajectio, ut Genes.* 1. 4. [10] transitio ad consolationem bonorum per epiphonema, hoc vers. & sequente. Continet autem hic consolationis locus primùm descriptionem eventus qui bonos & malos consequuturus est, his duobus versibus; secundò confirmationem, tum à fide promissionum & veritate Dei, vers. 14. & 15. tum ab exemplo suo, inde ad finem usque. [11] id est, affligis & flagellas etiam impiorum opera, quam exposuit supra vers. 5. & 6. [12] id est, tandem aliquando a calamitatibus liberandum; quia temporariæ sunt ac non perpetuæ afflictiones ejus, ut explicatur psalm. 37.
[d] *Hebr. mali.* [13] i. comparatur & struitur ultio quàm Deus inflicturus est iis qui affligunt bonos, postquam perfecta est & absoluta illorum iniquitas: vide 2. Thess. 1. 5. & sequentibus. [14] primus confirmationis locus, à fide & veritate fœderis promissionumq; Dei. [15] i. judicium Dei (quod in hoc seculo magis exercet bonos quàm improbos, & cujus principia tantùm in hac vita ducuntur) tandem ad plenam & constantissimam justitiam perducetur, ut suum cuique jus tribuatur: affligentibus afflictio; afflictis verò regnum Dei, pro quo patiuntur. [16] nimirum revertentur, id est, instaurabuntur post judicium Dei constitutum; sive hic liberati à malis, quod propheta respicit; sive in futuro seculo omnibus bonis cumulati in Christo. [17] alter confirmationis locus ab exemplo suo; quo ostendit psaltes actum fuisse de se, nisi succurrisset Deus; ita desperatus erat & abjectus ab omnibus. [18] id est, mortuus fuissem & sepultus: periphrasis, vocatur autem sepulcrum locus silentii a propheta, quia sepultis adempta est omnis facultas celebrandi Deum in cœtu fratrum suorum: vel Ecclesia Dei, hic & psal. 115. 17. vide suprà 6. 6. [e] *Hebr. ici, anima mea.* [19] id est, quas ego per spiritum tuum percipio ex natura & verbo tuo: prout has consolationes sequentes versus ostendunt. [20] id est, an justus judex totius terræ non faceret judicium; sed injustitiam ferret? ut Genes. 18. 25. sic consolabatur se propheta a natura Dei. [21] id est, tyrannicum, ærumnas aliis afferens immeritò, ut sequentia docent. [22] id est, fingentis, comminiscentis, atque perpetrantis: metaphora. [23] id est, contra jura & leges. [24] contraria affirmatio ex adverso respondens contentioni superiori, qua statuit psaltes sibi esse constantem consolationem in Deo protegente suos, hoc vers. & adversarios profligante, vers. ultimo. [25] i. retorquet in ipsos malum ipsorum, ut suprà dixerat, ver. 2. item Psalmo 7. 9. & alibi passim.

PSALMUS XCV.

David Ecclesiam ad cultum & obsequium Dei hortatur a fœdere inito cum Deo, & majorum exemplis.

1 Ode est irrεττικὴ ad Judæorum genus, continens exhortationem ad laudem Dei profitendam publico cultu, usque ad vers. 7. deinde verò obsequio, inde ad finem usque. Cultum exponit psaltes ver. 1. & 2. & 6. causam verò interserit a natura, officio, operibusq; Dei & Christi advenientis in hunc mundum, tribus mediis vers. Hunc autem psalmum à Davide conscriptum esse confirmat Apostolus, Heb. 4. 7.

[1] AGite, cantemus Jehovæ, clangamus rupi sa-
lutis nostræ.
2 Eamus ante faciem ejus cum gratiarum
actione, cum psalmis clangamus ei.
3 Nam Deus *fortis* magnus *est* Jehova, & rex
magnus [2] supra omnes Deos:
4 [3] In cujus manu *sunt* ima vestigia terræ, pe-
nes quem *sunt* vires montium:
5 Cujus est ipsum mare, ut qui fecit illud; &
arida, *quam* manus ejus formârunt.
6 Venite, incurvemus nos & procumbamus;
flectamus genua coram Jehova qui fecit nos.
7 [4] Quum ipse *sit* Deus noster, nos verò po-
pulus pastus ejus, & grex [a] ductus ejus, [5] hodie, si
vocem ejus audieritis,
8 Ne obduretis [b] animum vestrum, ut [6] *in
contentione*, ut [7] die tentationis in deserto:
9 Ubi tentaverunt me majores vestri; proba-

[2] i. supra omne quod dicitur Deus, ut suprà psal. 86. 8. [3] i. quia omnia, quamvis abditissima & valentissima, regit arbitratu suo. [4] *Heb. 3. & 4.* [5] altera pars psalmi, qua spiritus Dei hortatur populum ad obsequium, primùm a fœdere officioq; mutuo, hoc versu: deinde a majorum exemplo sequentib. [a] *Hebr. manus, metonymia.* [5] quum advenit Christus ad consummandum mysterium redemtionis nostræ. [b] *Hebr. cor, ut infra vers.* 10. [6] id est, ut semper majores vestri obfirmato animo contenderunt adversus Deum, tentârunt, & probarunt illum in deserto; quemadmodum sequentia verba exegeticè docent, & legitur Num. 14. 22. [7] id est, toto tempore, quo versantes in deserto nihil nisi tentârunt Deum: sic probrosè totum profectionis tempus tentationem nominat.

verunt

verunt me, etiam [e] experti sunt opus meum.
10 [8]Quadraginta annis[8] fastidio habui generationem *illam*; dicens, populus sunt errabundi animo, & sunt ignorantes viarum meatum.
11 Quibus juravi in ira mea, eos non ingressuros [9] in requiem meam.

e Heb. viderunt. 8 Num. 16. 8 id est, ut fastidiosos exagitavi, variis erroribus, suppliciisq; & morte affeci, Num. 14.33. 9 ubi Jehoschuah eorum posteros collocavit post annos quadraginta: cujus specie David reliquam esse aliam requiem populo Dei figuravit, Heb. 4, 8. & 9.

PSALMUS XCVI.

Psaltes Ecclesiam gentium cum Judæis hortatur ad laudationem Dei; tum creationis & administrationis potentissimæ nomine, tum regni sempiterni, in cujus possessionem missus est adventu suo Filius per voluntatem patris.

[1] [1] CAnite Jehovæ [2] canticum novum, canite Jehovæ tota terra.
2 Canite Jehovæ, benedicite nomini ejus; prædicate de die in diem salutem ejus.
3 Narrate in gentibus honorem ejus, in omnibus populis mirabilia ejus opera:
4 Magnum Jehovam & laudatum valdè, reverendum esse supra omnes Deos.
5 Nam omnes dii populorum *sunt* idôla, Jehova verò cælos fecit.
6 Gloria & decor coram eo, robur & ornatus in sanctuario ejus *sunt*.
7 Cedite Jehovæ familiæ populorum, cedite Jehovæ honorem & [3] laudem.
8 Cedite Jehovæ honorem nominis ejus; afferte munus, & venite ad atria ejus.
9 Incurvate vos Jehovæ *honorem exhibentes* in decore sanctitatis, formidate a conspectu ejus tota terra.
10 Dicite in gentibus, Jehova regnat, etiam stabilietur orbis habitabilis, ne dimoveatur: judicaturus est populos [a] rectissimè.
11 Lætabuntur cæli, & exsultabit terra; perstrepet mare, & [b] quæ ipsum implent.
12 Exsultabit ager & quicquid *est* in eo, tunc cantabunt omnes arbores sylvæ:
13 Ante [4] faciem Jehovæ quum venerit, nam venit [5] ad judicandum terram: judicaturus est orbem habitabilem per justitiam, & populos per fidem suam.

1 1. Chron. 16.23. 1 Canticum est Davidis ἐπαινετικὸν continens primùm exhortationem ad laudes Dei, versibus quatuor: deinde argumenta laudis tum a præsentibus beneficiis, a v. 5. ad 10. tum a futuris, quæ propheticè de regno Christi prædixit David. Hoc autem canticum cecinerunt Jisraëlitæ paucis vocibus immutatis, quum arca inferretur Jeruschalaima, 1. Chron. 16. quod psaltes universè ad omnes gentes accommodat, postquam ad regnum Christi vocatæ sunt. 2 ut supra 33.3. 3 vide in psal. 8, 3. a Heb. in rectitudinibus. b Heb. plenitudo ejus. 4 Christi venientis in mundum. 5 i. administrandum, & judicis partes defungendum in ea.

PSALMUS XCVII.

David prophetans regnum Christi, magnificentiam illius explicat, eversionem idololatriæ, Letitiamq; fidelium obsequentium Deo: quos idcircò ad obsequium & laudem Dei provocat.

[1] JEhova regnat, exsultet terra; lætentur regiones [2] plurimæ.
2 [3] Nubes & caligo circumstant eum, [4] justitia & judicium locum solii ejus.
3 Ignis ante eum procedit, & inflammat circumquaque hostes ejus.
4 [5] Perlustrant fulgura ejus orbem habitabilem, videns formidat terra.
5 Montes ut cera liquefiunt a præsentia Jehovæ, a præsentia domini totius terræ.
6 [6] Indicant cæli justitiam ejus, adeò ut videant omnes populi honorem ejus.
7 [7] Pudore suffundantur omnes colentes sculptile, qui se jactant de [8] idolis; [9] incurvanto se *honorem exhibentes* ei omnes angeli.
8 [10] Audiens lætatur [11] Tzijon; exsultantq; filiæ Jehudæ, propter judicia tua, ô Jehova.
9 Tu enim es Jehova, excelsus supra omnem terram, valdè [12] elatus es [13] supra omnes angelos.
10 [14] Amantes Jehovæ, odio habete malum: [15] servans animas suorum quos benignitate prosequitur, e manu improborum eripit eos.
11 [16] Lux [17] sata est justo, & rectis [a] animo lætitia.
12 Lętamini justi in Jehova, & celebrate memoriam sanctitatis ejus.

1 Psalmus est propheticus de regno Christi: in quo primùm amplitudo & magnificentia regni describitur, usque ad versum 7. deinde usus illius exponitur tum contra regnum satanæ, tum erga Ecclesiam Dei, usque ad versum 10. & postremò concluditur exhortatione fidelium ad obsequium & laudem reliquis versibus. Est enim hic Jehova Christus, ad cujus exspectationem Ecclesia vetus his psalmis excitata est: ut primus versus summatim docet. 2 id est, omnes, quibus imperaturus est Christus: synecdoche. 3 descriptio regni Christi, cujus meminerat psaltes in principio versus primi. Est autem descriptio tota figurata, qua ostendit psaltes nihil esse in terra aut in cælo quod non obsequatur & testimonium exhibeat regnanti Christo, idq; longè gloriosiùs quàm olim factum sit quum lex traderetur, Exodi 19. & Deuter. 4.5. Ait enim, *nubes & caligo*, id est, inaccessus est & incomprehensibilis præ gloria. 4 id est, justissimus est in suos, & in adversarios, versu sequente. 5 id est, potentissimus est, adeo ut nihil, quamvis firmum, coram eo possit consistere, duobus versibus.

6 i. gloriosissimus est, cujus gloriæ & justitiæ specula evidentissima relucent in cælis, & omnium populorum oculis sunt exposita, ut fiant inexcusabiles: ut psal. 19.1. 7 altera pars psalmi, de usu magnificentissimi illius regni quod modò prædicavit psaltes; primum quidem in idololatras, & idola ipsa, adversus quæ gloriosa apostrophe propheta utitur, hoc versu; deinde in Angelos & Ecclesiam Dei, sequentibus. 8 vide Levi. 19.4. 9 secundus usus regni Christi in spiritibus & hominibus sanctis: spiritibus quidem cælestibus & Angelis, hoc versu; hominibus verò sequentibus. 10 alter locus de usu regni Christi in Ecclesia: est autem duplex; primus, pax & gaudium in spiritu per auditionem verbi; secundus agnitio judiciorum & justissimæ administrationis ejus. 11 id est, Ecclesia a te recreatur verbo & opere: sic psalm. 48.12. 12 judiciis tuis, de quibus vers. 8. 13 ut Ephes. 1.20. & sequente. 14 conclusio hortatoria ad sectandum bonum, fugiendum malum, & Deum auctorem boni celebrandum. 15 ætiologia superioris documenti a promissionibus vitæ præsentis & futuræ, duobus vers. 16 vide Esther. 8.16. 17 id est, reposita, & latens velut semen mandatum terræ; sed suo tempore proditura. a Hebr. corde.

PSALMUS XCVIII.

Psaltes Judæos, gentes, & res omnes creatas hortatur, ut gratulentur Christo de inimicis triumphanti.

[1] PSalmus. Cantate Jehovæ [2] canticum novum, quia opera mirabilia fecit: [3] salutem attulit ei dextera ipsius, & brachium sanctitatis ipsius.
2 [4] Notam fecit Jehova salutem suam, ante oculos ipsarum gentium revelavit justitiam suã.
3 [5] Recordatus est benignitatis suæ, & suæ fidei erga domum Jisraëlis: vident omnes fines terræ salutem Dei nostri.
4 [6] Clangite Jehovæ tota terra; [a] fragore edito cantate & psallite.
5 Psallite Jehovæ cithara, cithara & [b] psalmodia.
6 Tubis & sono buccinæ clangite coram rege Jehova.
7 Perstrepat mare, & quæ [c] implent ipsum; orbis habitabilis & habitantes in eo.
8 Flumina complodant manu, pariter montes cantent,
9 Coram Jehova, quia advenit [7] ad judicandum terram; judicaturus est orbem habitabilem [d] justè, & populos [e] rectissimè.

1 Psalmus est propheticus de Christo rege, qui devicta carne, mundo, peccato, morte, & satana triumphavit. Est autem ἐπαινετικὸς, constans primùm narratione magnificentiæ ejus, vers. 2.3. deinde hortatione ut res omnes creatæ applaudant triumphanti Christo, a vers. 4. ad finem; quæ duo summatim proponuntur ver. 1. 2 ut suprà 33.3. 3 i. vicit inimicos suos virtute sua: humanitùs dictum, vide Jeschah. 59.16. & 63.5. 4 i. salutem suam omnibus gentibus gratiosè promulgavit. 5 i. demonstravit se recordari promissionis factæ Abrahamo Gen. 22. 18. ut Gen. 8.1. 6 altera pars psalmi, hortatio ad laudem, scatens hyperbolis & allegoriis ad amplitudinem gaudii adumbrandam. a Heb. *fragorem edite & cantate*. b Heb. *voce psalmi*. c Heb. *plenitudo ipsius: ut sup. 96.11.* 7 ut supr. 96, 13. d Heb. *in justitia*. e Hebr. *in rectitudinibus, ut supra 96.10.*

PSALMUS XCIX.

Psaltes potentiam Christi regis nostri, justitiam, & gratiam in omnes prædicat: ab exemplo majorum constantem fore docet: omnesq; hortatur ad colendum & prædicandum regem.

[1] JEhova regnat, [2] commoveantur populi: [3] insidens Cerubinis *regnat*, [4] nutet terra.

1 Ode est ἐπαινετικὴ, continens hortationem ad laudes Dei, Amœbæis tribus clausulis repetitam, a tribus argumentis: primum est ab amplitudine & potentia infinita regni, tribus primis versibus; secundum, a beneficentia, justitia, & gratia in populum Dei collata per Christum duobus versibus; tertium, ab exemplo majorum, inde ad finem usq;. 2 i. serio timore perculsi comparentur ad Christum regem suum agnoscendum. 3 i. ille ipse Deus qui Jisraëlitis præsentem se aspectabilem fecit, & responsa dedit, Exodi 25, 22. sic prolepticè hoc vers. comprehendit psaltes duo sequentia documenta. 4 i. contremiscat a præsentia ejus, q.d. res omnes creatæ, animatæ atque inanimæ, perculsæ præsentia ejus, exhibeant ei summam reverentiam.

2 [5] *Regnat* Jehova Tzijone magnus, etiam altus *eſt* ſupra omnes populos.

3 [6] Celebrent nomen tuum magnum & reverendum ſanctum eſſe.

4 [7] *Tu* quoque [a] [8] robuſtiſſime rex, judicium amans: tu, *inquam*, conſtituis [b] quod eſt rectiſſimum, judicium & juſtitiam [9] in Jaĥakobo tu perficis.

5 Exaltate Jehovam Deum noſtrum, & incurvate vos *honorem exhibentes* ad [10] ſcabellum pedum ejus; *quia* ſanctus eſt.

6 [11] ‖ Moſchem & Aharonem cum ſacerdotibus ipſius, ‖ Schemuelémque cum invocantibus nomen ipſius; inclamantes Jehovam, ipſe illicò exaudivit eos:

7 In columna nubis alloquutus eſt eos: obſervantes teſtimonia ipſius, & ſtatutum *quod* dederat eis.

8 [12] Jehova Deus noſter, tu exaudiviſti eos: *Deus* fortis condonans fuiſti eis, etiam quum ultionem ſumeres de actionibus eorum.

9 Exaltate Jehovam Deum noſtrum, & incurvate vos *honorem exhibentes* ad montem ſanctitatis ejus: quia ſanctus *eſt* Jehova Deus noſter.

5 i. nunc demum Chriſtus demonſtrat ſe tam Gentium quam Judæorum regem eſſe. 6 putà omnes populi, quos nominavit proximè. 7 ſecundus locus a beneficentia, ut dictum eſt in ver. primum. a *Heb. robur regis: hypallage.* 8 i. qui es robur ipſiſſimum, & de tuo regibus ſerviſq; tuis ſuppeditas robur. b *Heb. rectitudines.* 9 i. in Eccleſia tua, quæ olim definiebatur Jaĥakobi ſive Jiſraëlis nomine. 10 i. ad ſolum uſque vel pavimentum templi, cui dicuntur eſſe tamquam impoſiti pedes Jehovæ inſidentis Cerubinis; ut 1. Chronicor. 28. 2. 11 tertius locus ab exemplo; quo oſtendit pſaltes meritò ab Eccleſia Catholica Chriſtum regem prædicandum eſſe per comparationem minoris, hoc modo: ſi intercedente Moſche & Sacerdotio Levitico Deus populum Jiſraëlis proſequutus eſt ſummis beneficiis, exaudiens eos, alloquens, condonans, & parcens in graviſſimis offenſionibus: quantò magis prædicandum eſt regnum Chriſti filii & hæredi in domo Dei, qui Sacerdotio æterno nos conciliavit patri? Hoc autem genus argumentationis in Epiſtola ad Hebræos copiosè exponitur. ‖ *Exod. 29. & 32. Num. 17. 11.* ‖ *1. Schem. 12. 20.* 12 emphatica apoſtrophe ad Deum; qua propheta oſtendit eum populi miſertum eſſe pro veritate fœderis ſui, mera ſua gratia: ac proinde porrò in Chriſto miſerturum eſſe ex Evangelio.

PSALMUS C.

Pſaltes Eccleſiam ad laudes Dei hortatur propter gratuitam electionem, vocationem, & beneficentiam conſtantem ipſius.

[1] PSalmus pro gratiarum actione: Clangite Jehovæ [2] omnes *incolæ* terræ.

2 Colite Jehovam cum lætitia, venite in conſpectum ejus cum cantu.

3 Agnoſcite Jehovam [3] eſſe Deum, ipſum effeciſſe nos ([4] non autem nos *ipſos*) populum ſuum & gregem paſtus ſui.

4 Ingredimini portas ejus cum gratiarum actione, atria ejus cum laude: gratias agite ei, benedicite nomini ejus.

5 Nam bonus *eſt* Jehova, in ſeculum *eſt* benignitas ejus; & uſque ad [a] generationem quamque [5] fides ejus.

1 Pſalmus hic eucharisticus hortatur Eccleſiam ad colendum & prædicandum Deum, duobus argumentis: unum eſt gratuita electio & vocatio noſtra in communionem fœderis cum Deo, uſque ad verſ. 3. alterum eſt perpetuus & conſtans beneficiorum fructus, ex quo vocationis divinæ facti ſumus participes, verſ. 4. & 5. 2 tam Gentes, quam Judæi: ut interpretatur Apoſtolus ad Rom. 15. 3 id eſt, auctorem fœderis & dominum noſtrum. 4 id eſt, nos nullâ juſtitiâ noſtrâ, aut recto animo dignitatem hanc nobis comparaſſe; ſed ex gratuita ipſius benevolentia factum eſſe ut ſimus ipſi filii. vide Deut. 7. 7. & 9. 4. & ſequentibus. a *Hebr. generationem & generationem.* 5 id eſt, conſtantia ad bonitatem & benignitatem communicandam cum Eccleſia ſua.

PSALMUS CI.

David rex factus Deo ſpondet ſe procuraturum ſanctificationem ſuam, conſilii, comitatus ſui, totius regni, & Eccleſiæ.

[1] DAvidis Pſalmus. [2] Benignitatem & jus canam: tibi, ô Jehova, pſallam.

2 [3] Animadvertam [4] viâ integrâ, quando [5] venturus ſis ad me: indeſinenter ambulabo in integritate [a] animi mei, [b] [6] intra domum meam.

3 Non proponam mihi ob oculos rem nefariam: [c] factum [7] declinantium odi, non adhærebit mihi.

4 [8] Animus perverſus recedet a me; malum non agnoſcam.

5 [9] Linguâ lædentem *apud* me clàm proximum ſuum, [10] ipſum exſcindam: elatum oculis, & [d] tumentem animo, ipſum non potero *ferre*.

6 [11] Oculi mei *attendent* ad veraces terræ, ut conſideant mecum: ambulans via integra, is miniſtrabit mihi.

7 Non habitabit intra domum meam faciens dolum; loquens mendacia non ſtabilietur coram oculis meis.

8 [12] Singulis matutinis exſcindam omnes improbos terræ, ad reſcindendum a civitate Jehovæ omnes qui operam dant iniquitati.

1 Pſalmus eſt didaſcalicus, quo David in regno conſtitutus Deo ſolenniter vovet ſe officio ſuo fideliter defuncturum: conſtat itaque duabus partibus; exordio, quo profitetur David ſe hoc ſolenni cantico obſtrictum iri ad præſtandum officium ſuum, verſ. 1. deinde narratione, ſive expoſitione ſingularis officii quod promittit Deo, ad finem uſque. Videtur autem hic pſalmus a Davide non ante ſuſceptum regnum conſcriptus eſſe, ſed poſtquàm rex confirmatus eſt; quo tempore ea conſtituit quæ ad cultum Dei & civilem adminiſtrationem pertinebant. vide ſup. in pſal. 18. & 36. 2 i. duo hæc me procuraturum ſpondeò Domino, tum ut benignitas a me popularibus meis proſit, tum ut jus adverſus improbos exerceatur: quæ duæ ſunt verorum principum laudes. vide 2. Schem. 9. 1.

3 narratio, ſive expoſitio officii quod David vovebat Domino, conſtans ex tribus partibus: prima eſt de inſtituto & vita ipſius regis, a verſ. 2. ad 5. ſecunda, de inſtituto regalis conſilii, comitatus, & miniſterii, a verſ. 5. ad 8. tertia, de caſtigatione improborum, & purgatione totius regni per ſeveram obſervationem diſciplinæ civilis & Eccleſiaſticæ, verſ. 8. 4 id eſt, quàm integerrimè potero. 5 i. me recepturus ad te ex hac vita, aut alioqui rationem exacturus adminiſtrationis meæ. quaſi dicat, ſemper attendam ad finem meum, ut cautè & religiosè ambulem. a *Heb. cordis: ſic verſ. 4. & 5.* b *Heb. in medio domus: ſic infrà ver. 7.* 6 id eſt, etiam clàm intra privatos parietes. c *Hebr. facere: infinitivus pro nomine.* 7 a via recta, cujus meminit ſuperiore verſ. 8 id eſt, dabo operam ut deponam veterem hominem cum concupiſcentiis ejus, & quod ſemel depoſuero ampliùs non invadat me. 9 id eſt, maledicos atque maleficos depellam a me: ſecunda pars. 10 id eſt, bonos conſiliarios atque adminiſtros ſollicitè adhibebo. d *Heb. latum corde.* 11 tertia pars: id eſt, indeſinenter regnum, regiam, Eccleſiamq; purgabo a malo.

PSALMUS CII.

Eccleſia in captivitate diu verſata Deum ſupplicat: ſuas calamitates proponit; ſe ipſam confirmat recordatione naturæ & promiſſionum Dei, quarum complementum prædicat fore in adventu Chriſti, & communi vocatione gentium: itaque Deum orat ut ſuæ naturæ, promiſſionis, & gloriæ recordatus Eccleſiam conſervet, eiq; benedicat in æternum.

[1] ORatio [2] pro paupere; [3] quum obruitur, & ante Jehovam effundit meditationem ſuam.

2 [4] Jehova, audi orationem meam; & vociferatio mea ad te perveniat.

3 Ne abſcondas faciem tuam a me, quo die *eſt* anguſtia mihi: inclina ad me aurem tuam, quo die inclamo; [a] feſtinanter exaudi me.

4 [5] Nam conſumuntur ut fumus dies mei, & oſſa mea ut focus exardeſcunt.

5 Percuſſum tamquam herba exareſcit cor meum, quia [6] obliviſcor comedere cibum meum.

6 [7] Præ voce gemitus mei, adhæreſcit os meum carni meæ.

7 [8] Similis ſum plateæ deſerti; ſum tamquam bubo vaſtitatum.

8 [b] Aſſiduè ſum ſimilis paſſeri, ſolitario in tecto.

9 Toto die probro afficiunt me inimici mei; inſanientes contra me, [9] per me jurant.

10 Nam [10] cinerem tamquam panē comedo,

1 Hujus orationis (quam Danijelem aut alium prophetam ſcripſiſſe ſub finem deportationis Babylonicæ veriſimile eſt quum populus ad reverſionem ex ea ſeſe accingeret, ut innuit verſus 24.) partes ſunt quatuor: prima eſt exordium audientiam faciens, ver. 2. & 3; ſecunda, expoſtulatio ſive narratio mali quo obruebatur Jiſraël, uſque ad verſum 13; tertia, propoſitio argumentorum quibus confirmatur animus ad ſollicitandum & exſpectandum Deum, inde uſque ad verſum 25. poſtrema concluſio petitoria, ad finem uſque. 2 nimirum populo Jiſraëlis ſolitario, nudo, vincto, & verſante in morte præſentiſſima apud Babylonios. 3 ut pſalm. 61. 3. 4 exordium, ut modo dictum eſt. a *Hebr. feſtina exaudi.* 5 expoſtulatio, ſive narratio malorum quæ perpetiebatur populus: ſunt autem illius tres loci; primus a vanitate & imbecillitate ipſius, tribus verſibus; ſecundus, ab improbitate aliorum miſeros perfidè deſtituentium, tribus alteris; tertius, ab ira & plagis inflictis a Deo, a verſu 10. ad 13. 6 id eſt, tam graviter premor anguſtiis; ut non recordetur animus, ſed faſtidiat cibum. 7 id eſt, diuturnitate malorum clamorumq; emacior atque exhaurior: ſic Ijobi 19. 20. 8 id eſt, ab omnibus relictus ſum, duobus verſibus, & omnibus exoſus, V. 9. b *He. aſſiduus ſum ut ſim ſicut paſſer.* 9 id eſt, faciunt de nomine meo juramenti & exſecrationis formulam: ſic Num. 5. 27. & Jeſchaĥ. 65, 15. 10 id eſt, in terram dejectus ſum miſer: hyperbole noëmatica.

& potiones

&potiones meas cum fletu misceo,
11 Propter indignationẽ tuam, & ferventem
iram tuam: [11] quia sustulisti me, & abjecisti me.
12 Dies mei similes *sunt* [12] umbræ inclinatæ:
& ego sicut herba exarui.
13 [13] Tu autem Jehova in seculum perma-
nes, & recordatio tui [c] in quamque generationẽ.
14 [14] Tu [d] surgens misereberis Tzijonis: quia
tempus est faciendi gratiam ei, quia advenit sta-
tum tempus,
15 [15] Quo delectentur servi tui [16] lapidibus e-
jus, & pulveri ejus [17] gratiam faciant,
16 [18] Ut revereantur gentes nomen Jehovæ,
& omnes reges terræ honorem tuum;
17 Quum ædificans [19] Jehova Tzijonem, ap-
paruerit in honore suo,
18 Respexerit ad orationem [20] nudatissimi,&
[21] non spreverit orationem eorum.
19 [22] Conscribatur hoc [23] in generationem
posteram, ut [24] populus recreatus, laudet Jah:
20 Quòd prospectaverit ex alto *loco* sanctita-
tis suæ, Jehova e cælis in terram intuitus sit,
21 Ad exaudiendum suspirium vincti, ad sol-
vendum [e] eos qui jam traduntur morti;
22 Ut enarrent [25] Tzijone nomen Jehovæ,&
laudem ejus Jeruschalaimis:
23 [26] Congregantibus se populis simul, & re-
gnis ad colendum [27] Jehovam.
24 [28] Affligit *quidem* in [29] hac via vires meas,
curtat dies meos:
25 [30] *Sed* dico, mi Deus fortis, [31] ne auferas
me [f] [32] mediis diebus meis: [g] [33] per generatio-
nem æternam *sunt* anni tui:
26 [34] Antè *quàm* terram fundasses, & opus
manuum tuarum *essent* cæli.
27 Ista peritura sunt, tu autem permanes;
ista, inquam, omnia ut vestimentum veterascent,
ut indumentum mutabis ea atque mutabuntur:
28 Tu verò idem *es*, & anni tui non finiuntur.
29 [35] Filii servorum tuorum habitabunt,& se-
men eorum stabilietur coram te.

[11] id est, gravissimè & valentissimè abjecisti me: ut quum non molli remissoq; brachio, sed elato aliquid vibratur aut detorquetur in terram: metaphora. [12] id est, propè est ut occidam, quemadmodum occidente sole maximæ sunt umbræ & indinatissimæ. [13] tertia pars psalmi, propositio argumentorum quibus fideles confirmantur & adducuntur ad invocandum Deum. Sunt autem argumenta duo; unum, a natura Dei constante; alterum, a gloria ejus: quæ duo prolepticè hoc versu posita in sequentibus ex ordine explicantur. [c] *Hebr. in generationem & generationem.* [14] explicatio prioris argumenti a constante tum natura Dei qua est misericos, tum promissionibus quas antè fecerat populo de restitutione post annos septuaginta, Jirmejæ 25. & 29.10. postremò a fine, ut innotescat Deus; vers. 16. & sequentibus. [d] *Hebr. surges misereberis.* [15] id est, quò populus tuus exspectatione sua fruatur, & terram (quæ nunc desolata jacet) antiquo honori cultuiq; restituat. [16] i. structura redintegrata: synecdoche. [17] i. desertam terram, & quasi lugentem recreent: prosopopœia. [18] finis petitionis, gloriæ Dei illustratio; quæ tenuiter quidem effecta est in restitutione populi; sed perfectè adventu Christi, vocatione gentium, & instauratione Ecclesiæ catholicæ absoluta: quò sequentia omnia pertinent. [19] Christus, ut infrà vers. 23. [20] id est, deserti ab omnibus, abjecti, & egentis populi. hanc vocem propter antecedentia & sequentia, ipsumq; vocis etymon sic visum est accipere. [21] id est, acceperit litotes. [22] explicatio posterioris argumenti a gloria Dei, quæ tenuibus illis principiis fuit in Ecclesiam Christi diffundenda: prout restitutio populi ex deportatione Babylonica figura fuit & documentum restitutionis per Christum. [23] id est, ad utilitatem & documentum Ecclesiæ Christi, cujus dies ultimi sive posteri appellantur, ut Jeschah. 2.1. & Hebr. 1.1. [24] id est, Ecclesia instaurata, restitutaq; a Christo. [e] *Hebr. filios mortis: ut Psalm. 79.11.* [25] id est, in Ecclesia: vide psal. 2.6. [26] id est, Ecclesia sive cœtu fidelium ex omnibus gentibus convocato, adunatoq; per Christum: cujus sanguine ex utrisque factum est unum corpus, Ephes. 2.13. & 14. [27] id est, Christum liberatorem suum, de quo vers. 17. & 20. & 21. [28] transitio ad conclusionem. id est, idem nunc ad tempus auctor est præsentis calamitatis meæ, qua jamjam videor moriturus. [29] i. hac misera deportatione & exsulio hoc nostro tristissimo. [30] ultima pars psalmi, continens deprecationem præsentis mali, hoc ver. & precationem sempiterni boni, vers. ult. ducto argumento a constante natura Dei, de quo sup. ℣. 13. & seq. [31] i. ne finas me evanescere; sed pro misericordia tua gratiam fac mihi, ut sup. ver. 14. sic compellat Ecclesia Christum servatorem suum. [f] *Heb. in medio dierum meorum.* [32] i. casu præpropero & præveniente nos, antequàm tempus præstitutum promissionum tuarum evenerit; ut supr. ℣. 14. [g] *Heb. & generationem & generationem.* [33] i. tu sempiternus es, ac proinde filios in æternum gignis: humanitùs dictum. [34] explicatio sive exornatio æternitatis Dei a comparatione rerum creatarum; sive in præteritum tempus, quo Deus omnes res creatas præcessisse dicitur, hoc versu; sive in futurum, quo dicitur permansurus illis pereuntibus, duobus sequentibus. [35] i. vera & germana Ecclesiæ tuæ membra conservabuntur in æternum virtute tua, & tibi curæ futura sunt.

PSALMUS CIII.

David seipsum ad benedicendum Deo excitans recenset gratiam illius erga se, & erga Ecclesiam totam verbo, operibusq; testatam, ac postremò erga res omnes creatas potente ipsius regno demonstratam: ideoq; res omnes creatas in cælo & in terra invitat ad Dei laudes secum prædicandas.

[1] ODe Davidis. Benedic anima mea Jehovæ,&
omnia intestina mea nomini sanctitatis e-
jus.
2 [2] Benedic anima mea Jehovæ, & ne ob-
liviscaris [a] ullius [3] beneficiorum ejus:
3 [4] Qui condonat omnes iniquitates tuas,
qui medetur omnibus morbis tuis:
4 Qui vindicat a fovea vitam tuam, qui cir-
cumtegit te benignitate & miserationibus.
5 [5] Quo satiante bonis quibusque os tuum;
[b] servas te recentem tamquam aquila, *tamquam*
[6] pueritia tua.
6 [7] Facit [8] [c] quæ justa sunt Jehova,& judicia
omnibus oppressis.
7 Notas fecit vias suas Moschi, posteris Jis-
raëlis actiones suas.
8 [9] [h] Misericors & gratiosus Jehova, longani-
mis,& multus benignitate,
9 [10] Non in æternum litigat, neque in secu-
lum [11] *iram* asservat:
10 Non secundùm peccata nostra facit no-
bis, neque secundùm iniquitates nostras refert
nobis;
11 Sed [12] quàm alti sunt cæli supra terram, præ-
valet benignitas ejus erga timentes eum:
12 Quàm longè abest oriens ab occidente,
longè amovet a nobis defectiones nostras.
13 [13] Ut miseretur pater filiorum, miseretur
Jehova timentium ipsum.
14 [14] Nam ipse novit [15] figmentum nostrum,
memor pulverem nos esse.
15 Ipsius mortalis similes fœno dies esse; sicut
flos agri, sic florere *ipsum*.
16 Quum ventus pervadit ipsum, mox non
esse; [16] [d] neque agnosci ipsum ampliùs a loco
suo.
17 [i] At benignitas Jehovæ inde a seculo usque
in seculum *est* erga timentes ipsum, & justitia e-
jus erga [e] nepotes;
18 Erga observantes fœdus ipsius,& erga me-
mores mandatorum ejus ad faciendum ea.
19 [17] Jehova in cælis stabilivit solium suum,

[1] Ode est ἐπαινετικὴ, generis (ut vocant) κυκλοειδῆς, continens exordium sive propositionem laudis, duobus versibus; narrationem argumentorum ad laudem Dei pertinentium a vers. 3. ad 20. & conclusionem hortatoriam ad laudes Dei prædicandas, in fine. Sunt autem quatuor sequentes psalmi certo consilio adjuncti, ut uno contextu haberet Ecclesia laudationum Dei argumenta, tum ordinaria erga Ecclesiam, hoc psal. & res omneis creatas, Psal. 104. tum extraordinaria, sive erga Ecclesiam beneficiorum castigationumq; nomine, psal. 105. & 106. sive erga omneis, psal. 107. [2] exordium, quo seipsum excitat, hortaturq; propheta ad benedicendum Deo ex toto corde, toto animo, totisq; viribus. [a] *Heb. omnium.* [3] quæ totidem sunt argumenta laudis sequentibus exposita: sic transitur ad narrationem sive recensionem beneficiorum Dei.

[4] narratio sive recensio beneficiorum Dei, primùm singularium erga prophetam ipsum, tribus versibus: deinde communium erga Ecclesiam totam, a vers. 6. ad 19. postremò universalium erga res omnes creatas, ver. 19. [5] id est, qui animum tuum ita alit & fovet beneficiis, ut semper sit vegetus & recens, infractusq; permaneat ab omnibus incommodis. Quamobrem hæc firma piorum constitutio cum vegeta aquilarum senectute comparatur; quæ a natura sunt vivacissimæ, & ampliùs adhuc victuræ essent (adeò sunt vegeto corpore) nisi superius rostrum illarum aduncum senio succrescens curvitate sua rostrum inferius constringeret; unde fit ut aquilæ conficiantur inedia. vide Aristot. lib. 9. de historia animaliũ cap. 32. & Plin. lib. 10. cap. 3. [b] *He. renovas te.* [6] id est, ita recentem servas, ut si deintegro natus & puer factus esses: simile est eodem pertinens, Judic. 5.21. [7] alter locus beneficiorum communiter ad Ecclesiam pertinentium; cujus partes sunt benefacta, hoc ver. & documenta, sequent. ver. [8] vide sup. psal. 97.3. [c] *He. justitias.* [9] explicatio actionum Dei quas modò nominavit; maximè verò gratiæ & misericordiæ erga Ecclesiam, qua Deus dicitur remittere iram, pœnas, & peccata; & omnia nobis paternè condonare, misertus nostri & suæ gloriæ rationẽ habens; hæc usque ad ver. 19. [h] *Exo. 34.6. Nechem. 9.17. & psal. 86.15.* [10] explicatio gratiæ Dei, quàm superiore ver. dixerat. [11] similem loquutionem vide Levi. 19.18. & Nachũ 1.2. [12] elegantes similitudines duæ a rebus exspectabilibus sumtæ, ad amplificandum Dei gratiam & misericordiam. quasi dicat, altior est illa, latior, & profundior quàm totus mundus, qua suos bonis cumulat & abarcet mala. [13] explicatio misericordiæ, quam nominaverat psaltes ver. 8. a comparatione patris. [14] ætiologia misericordiæ Dei erga nos, continens causas duas; notitiam miseriæ nostræ, tribus versibus; & constantem ipsius naturam in benignitate, justitiaq; conferenda ex fœdere cum Ecclesia inito per Christum, ver. 17. & 18. [15] i. quasi figulinam & fragilem constitutionem nostram, ut sequentibus exponitur. [16] ut Ijobi 7.10 [d] *Hebr. neque agnoscit ipsum amplius locus suus: nos passiva voce fugimus amphiboliam.* [i] *Deut. 7.9.* [e] *Heb. filios filiorum.* [17] tertium argumentorum genus ad laudem Dei pertinentium, nimirum dominatus ejus universalis in cælo & in terra.

& regnum ipsius omnibus præsidet.
20 [18] Benedicite Jehovæ,angeli ejus ; valen-
tissimi robore, efficientes verbum ejus , auscul-
tantes voci verbi ejus.
21 Benedicite Jehovæ omnes [19] exercitus e-
jus, [20] ministri ejus facientes placitum ejus.
22 Benedicite Jehovæ [21] omnia opera ejus
in omnibus locis dominationis ejus; benedic a-
nima mea Jehovæ.

[18] Conclusio, qua provocat ad laudes Dei primùm res omnes creatas, duobus versibus; deinde omnia facta ejus; & postremò suum ipsius animum, ver. ultimo. [19] ut Genes. 2.1. [20] i. quæcumque res creatæ vos comparatis ad placita ejus exsequenda, sive animatæ, sive inanimæ, ut psalm. sequente, ver. 4. [21] i. persona, res, facta, quæcumque creavit aut facit, omnia Dei laudes vestris modis & facultatibus testatas facite.

PSALMUS CIIII.

Psaltes seipsum ad Deum laudandum concitans, narrat argumenta laudis ejus a rebus creatis: itaque ordinem creationis, & dispositionem attingens; administrationem rerum dispositarum a Deo, usum earum in aëre, terra, & mari, omniumq; conservationem a Deo factam exponit: postremò omnia secum ad Dei laudes hortatur, & contrà venientibus malè precatur.

[1] BEnedic anima mea Jehovæ. Jehova Deus
mi, magnus es valdè; decorem & majesta-
tem [2] induisti,
2 [3] Amiciens te luce tamquam panno, ‖ex-
tendens cælos tamquam aulæum.
3 ‖ Qui contignat in aquis [4] cœnacula sua;
qui disponit densas nubes *in* vehiculum suum, qui
itat super [5] alas venti.
4 [6] ‖Qui facit angelos suos ventos, ministros
suos [7] ignem flammantem.
5 Fundavit terram super bases ejus, ne di-
moveretur [8] in seculum & perpetuum.
6 ‖Abysso ut indumento operueras eam, su-
pra montes stantibus aquis:
7 ‖Ex [9] increpatione tua diffugerunt, a voce
tonitru tui accelerârunt *fugam.*
8 [10] Conscenderunt *per* montes, descende-
runt *per* convalles ; in locum quem fundaveras
ipsis.
9 [11] Terminum opposuisti, ne transeant ; ne
revertantur ad operiendum terram.
10 [12] Qui emittis fontes per valles, *ut* inter
montes ambulent,
11 Potum præbeant omnibus animantibus
agri, frangant onagri sitim suam,
12 Juxta illos volatilia cæli habitent, e me-
dio frondium edentia vocem.
13 [13] Qui irrigat montes e [14] cœnaculis suis,
[15] ut a fructu operum tuorum satietur terra.
14 Faciens ut germinet fœnum ad jumen-
tum, & herba ad hominis [a] usum; ut depromant
cibum e terra :
15 [16] Qui vino lætificat cor mortalis , [b] niti-
dacim efficit faciem oleo ; & cibo cor mortalis
fulcit :
16 [17] Satiantur arbores Jehovæ, cedri Liba-
ni quas plantavit:
17 (Ubi aviculæ nidificent) [18] abietes do-
micilia ciconiæ,
18 [19] Montes excelsissimi [c] rupicaprarum, pe-
træ [20] [d] montanorum murium perfugium.
19 [21] [e] Statuit Lunam [22] in stata tempora, So-
lem agnoscentem occasum suum.
20 Disponis tenebras, ut sit nox: qua erepunt
omnia animantia sylvæ;
21 Juvenes leones [23] rugientes ad prædam,
& quidem quærendo a *Deo* forti escam suam.
22 Exorto sole recipiunt se, & in lustris suis re-
cubant :
23 Prodit homo ad opus suum , & ad cultu-
ram suam usque ad vesperam.
24 [24] Quàm ampla sunt opera tua, ô Jeho-
va! *quàm* ea omnia [f] sapienter fecisti! quàm ple-
na est terra [25] possessione tua!
25 [26] *In* ipso mari magno & [g] spatioso ; illic
reptilia *sunt* atque innumera , animantia parva
cum magnis.
26 Illic naves ambulant; [27] balæna quam for-
masti, ludendo in eo.
27 [28] Omnia ista in te exspectationem ha-
bent, ut des escam ipsorum tempore suo:
28 Te dante ipsis colligunt, aperiente manum
tuam satiantur bono :
29 Abscondente faciem tuam conturbantur;
recipiente spiritum eorum exspirant, & in pulve-
rem suum revertuntur :
30 Emittente spiritum tuum [29] recreantur:
denique renovas faciem terræ.
31 [30] Sit honor Jehovæ in seculum, [31] læte-
tur Jehova in operibus suis :
32 Quo intuente in terram, tremit illa; attin-
gente ipsos montes, fumant.
33 Canam Jehovæ in vita mea, psallam Deo
meo quantisper ero.
34 [32] Suavis erit de eo meditatio mea, ego læ-
tabor in Jehova.

[1] Ode est ἐπιδεικτική, quam non dubitamus a Davide conscriptum esse, & superiori odæ de industria conjunctam, velut cohærentem argumento. Constat autem ex tribus summatim partibus: prima est exordium sive propositio totius argumenti, ver. 1. secunda, narratio argumentorum ad laudem Dei pertinentium a naturæ constitutione & conservatione, a ver. 2. ad 31, tertia, conclusio a benedictione Dei, inde ad finem usque. Sunt autem hujus exordii membra duo; unum, quo seipsum comparat psaltes; alterum, quo orationem ad Deum dirigit, & proponit magnificentiam ejus ab operibus, quibus quasi speciosis ornamentis dicitur circumvestiri Deus. [2] humanitùs dictum: ut sequentia ferè omnia attributa Deo. [3] narratio naturalium argumentorum ad Dei laudes pertinentium non sigillatim quidem omnia explicans; sed generatim & certis exemplis complectens documenta gloriæ Dei. Sunt autem ea aut creationis, cujus exponuntur opera tribus primis diebus effecta a Deo, usque ad versum 10. aut ordinariæ administrationis in cælo, terra, & mari, inde usque ad versum 27. aut denique conservationis, usque ad vers. 31. In operibus porrò creationis recensentur primùm res superiores, usque ad ver. 5. deinde inferiores, de terra & aqua, usque ad 10. quibus omnibus ornari Deus dicitur humanitùs, tamquam rex magnificus intùs & foris omnibus instructus quæ ad cultum regalem pertinent, & stipatus valentissimo satellitio. ‖ *Genes.* 1.1. ‖ *ibid. vers.* 6. [4] id est, regionem aëris, velut in cœnacula nubibus distinctam. [5] ut suprà psalm. 18.11. & Jeschah. 19.1. [6] id est, Angelis utitur nunciis, administrisq; voluntatis & judiciorum suorum; adeò commodè ut ventis & igne uti solet. ‖ *Hebr.* 1.7. [7] id est, coruscationes, fulgura, & similia ætherea, atque meteora. [8] id est, tantisper dum seculum duraturum est, immota maneat; quum alia levitate sua huc illuc deferantur. ‖ *Gen.* 1.2. ‖ *ibid. vers.* 6. [9] id est, mandato Dei velut intonante, quod habetur Genes. 1.6. [10] id est, dictum ac factum est: quum primùm mandavit Deus, præcipites aquæ in suas stationes devenerunt, neque obstiterunt adversi montes, convalles, aut aliud quidquam, quin mandato Dei confestim obtemperarent. [11] ut Ijobi 38.10. & Jirmejæ 5.23. hoc autem de ordine naturæ accipiendum est : nam diluvium extra ordinem accidit: Genes. 7. [12] transitio ad secundum narrationis locum, de administratione ordinaria Dei: ubi agitur de usu primùm aquarum inferiorum & superiorum, usque ad ver. 19. deinde diei & noctis, a ver. 19. ad 25. & postremò maris, vers. 25. & 26.

[13] hactenus de aqua fontana: nunc de aqua pluvia, & nubium destillatione. [14] de quibus suprà ver. 3. [15] i. ut homines & animantia singula comedant de fructibus terræ, quos tuum opus suppeditat: metonymia. sic accipiendum esse sequentes versus commôstrant, in quibus primùm de voluntariis & insativis plantis, ꝟ. 14. posteà de sativis & cultura hominis provenientibus, ꝟ. 15. denique de omnibus universè agitur, usque ad ver. 19. [a] *Heb. ministerii.* [16] i. qui gratiosè largitur hominibus non tantùm vitam, sed etiam subsidia vitæ quælibet: sive necessaria, ut panis est; sive utilia, ut vinum; sive jucunda & ad ornatum voluptatemq; pertinentia, ut sunt unguenta ex oleo. [b] *Heb. nitidam efficiendo.* [17] i. cujus opere aluntur abundè insativæ plantæ, non ab hominibus, sed a Deo positæ & cultæ: quod genus plantarum eas ferè superat amplitudine quæ seruntur arte. [18] Hebraicam hysterosin & pleonasmum relativi cum antecedente in hoc sermone frequentissimum evidentiæ causæ sustulimus. [19] i. cujus opere etiam asperrima & horrentia loca latiantur. [c] *Heb. rupicapris.* [20] vide in Levit. 11.5. [d] *Hebr. montanis muribus.* [21] i. lunam & solem disponit, ut noctis & diei instrumenta essent: quorum usus in sequentibus explicatur, usque ad ver. 25. [e] *Heb. fecit.* [22] de quibus Gen. 1.14. [23] i. rugitu suo tamquam voce escam exoptantes a Deo: quod sequens expexegesis ostendit. [24] exclamatio conjuncta admirationis, in quam propheta irrumpit, postquàm observavit usus tam mirificos administrationis Dei. Eam autem commendat tribus nominibus, a potentia maxima, sapientia, & innumerabilitate operum Dei. [f] *Hebr. in sapientia.* [25] i. rebus quas possides & regis, ut possessor justus. [26] tertia pars administrationis Dei, spectans mare & quæ sunt in eo : ut observatum est suprà ꝟ. 10. [g] *Hebr. lato spatiis.* [27] vide Ijobi 41. [28] terrestria, aëria, & aquatilia : tertius narrationis locus de rerum conservatione, ut dictum est in ꝟ. 10. [29] i. propagatione seminis quasi de integro creantur, & renovantur rerum creatarum formæ. [30] conclusio a laudatione Dei, cujus tria sunt membra ; primum est, generalis provocatio rerum creatarum ad laudem tribuendum Deo, duobus versi. secundum, singularis professio laudi: quam suo nomine psaltes attribuit Deo, ꝟ. 33. & 34. ultimum, improborum excidium, eorumq; omnium qui Dei laudibus adversantur, ꝟ. ult. quæ tria clauduntur hortatione eadem quæ habetur in principio psalmi. [31] i. res omnes creatæ ita laborent in promovẽdo honore Dei, ut ipsis delectetur Deus: & revereantur potentiam ejus ; quæ alioqui solo intuitu vel contactu perderet etiam valentissimas ipsarum, nisi honorarent Deum : sequente versu. [32] id est, ex animo lætissimo & alacerrimo honorem ei tribuam, adductus suavitate ipsius & beneficiorum quæ ab ipso accipimus: ad hanc interpretationem nos adducit sequentis membri comparatio.

35 Deficiant peccatores a terra, & improbi
amplius non sint: benedic anima mea Jehovæ,
[33] halelu-Jah.

[33] i. laudate Jah: sed Hebræas voces, quia olim in in vetere Ecclesia & Apostolorum scriptis servata sunt, similiter servare placuit: ut Apocalyp. 19. ver. 1, 3. & sequentibus.

PSALMUS CV.

David hortatur Ecclesiam Dei ad celebrandum & colendum ipsum, tum propter gratuitum fœdus cum ipsis initum, tum propter singularia Dei beneficia quæ populus accepit inde a fœdere. Quamobrem illis summatim expositis, docet omnia accepta esse ferenda gratuitæ promissioni Dei, & agnoscenda fideli obsequio.

‖ [1] Celebrate Jehovam, proclamate nomen e-
jus; notas facite in populis actiones ejus.
2 Canite ei, psallite ei; confabulamini de
omnibus mirabilibus ejus operibus.
3 Laudibus vos efferte in nomine [a] sancto e-
jus, lætetur [b] animus quærentium Jehovam.
4 Requirite Jehovam & robur ejus; quæri-
te faciem ejus jugiter.
5 Recordamini [2] mirabilium ejus operum
quæ fecit; prodigiorum ejus, & judiciorum oris
ejus,
6 O semen Abrahami servi ejus, ô electi ejus
filii Jaħakobi.
7 [3] Hic *est* Jehova Deus noster, in tota terra
judicia ejus *sunt*.
8 Recordatur in seculum fœderis sui; verbi
quod præcepit, in mille generationes,
9 Quod pepigit cum Abrahamo, & ‖ jura-
menti sui *præstiti* Jischako.
10 ‖ Quod præstitit Jaħakobo in statutum; Jis-
raëli *in* fœdus [c] perpetuum:
11 Dicendo, tibi daturus sum terram Cena-
ħanis: [4] funiculum possessionis vestræ.
12 [5] Quamvis essent ‖ homines [d] pauci, planè
pauci & inquilini in ea,
13 Itarentq; a gente in gentem, a regno in
populum alium:
14 Non permisit [e] cuiquam opprimere eos,
etiam reprehendit propter eos reges,
15 Ne attingitote (*inquiens*) unctos meos, &
prophetas meos ne afficitote malo.
16 ‖ Quum [6] advocans famem super terram,
omnem [7] scipionem panis fregit;
17 Miserat ante eos ‖ virum præstantem; *qui*
[f] ad servitutem ‖ venditus erat, Josephum:
18 Cujus pedes afflixerunt [8] compede, fer-
rum subivit [g] ipse,
19 Usq; ad tempus quo erat adventurum [9] ver-
bum ipsius: [10] sermo Jehovæ probavit eum.
20 ‖ Mittens rex expediri jussit eum, & domi-
nator populorum idem solvit eum:
21 ‖ Præposuit eum dominum familiæ suæ, &
dominatorem in totam possessionem suam:
22 [11] Ut vinciret principes ejus ex animo suo,
& seniores ejus [12] informaret.
23 ‖ Deinde venit Jisraël in Ægyptum, & Ja-
ħakob peregrinatus est in regione [13] Chami.

‖ 1 Chron. 16. 8. [1] ode est ἐπαινετικὴ, continens exordium, sive propositionem hortatoriam ad celebrandum & colendum Deum, usq; ad ver. 7. deinde narrationem causarum singulari modo ad Ecclesiam pertinentium. Quamobrem hic psalmus a Davide appositè duobus præcedentibus adjunctus est, ut apparet ex 1. Chro. 10. [a] Heb. *sanctitatis ejus.* [b] *Heb. cor.* [2] prolepsis, id est, propositio summa sequentis narrationis, [3] narratio causarum ex quibus Ecclesia provocatur ad laudandũ & colendum Deum. Sũt autem in universum duæ; una est, fœdus ipsius gratuitum cũ Ecclesia; altera, mirabilis administratio ex fœdere: quæ duo summatim hoc vers. posita ex ordine postea tractantur: fœdus quidem, a vers. 8. ad 12. administratio verò, inde ad finẽ usq;. ‖ *Gene.* 26. 3. ‖ *Gene.* 28. 13. & 35. 11. [c] *Heb. seculi.* [4] vide Deu. 32. 9. [5] altera pars narrationis de mirifica administratione Dei, ad quam transit propheta per occupationẽ hanc, duobus versibus. Sunt autẽ tres narrationis partes; prima, de rebus mirificè a Deo gestis ante profectionem in Ægyptum, usq; ad ver. 16. secunda, de rebus in Ægypto gestis, inde usq; ad versum 37. postrema, de rebus gestis post exitum ex Ægypto. ‖ *Gene.* 13. 15. & 15. 7. [d] *Heb. numero: ut Gene.* 34. 30. [e] *Heb. homini.* ‖ *Gene.* 13. & 26. & 31. [6] i. efficiens potenti verbo: humanitus dictum, ut 2. Reg. 8. 1. secunda pars narrationis, ut dictum est in versum 12. [7] ut Levit. 26. 26. ‖ *Genes.* 42. [f] *Heb. in servum.* ‖ *Gene.* 37. & 45. 5. & 7. & 50. 20. [8] tamquam criminis capitalis fuisset reus: vide Gen. 39. 20. [g] *Heb. anima ipsius.* [9] Dei videlicet, qui Josepho per somnia revelaverat ea quæ ipsi erant eventura, Gen. 37. 7. & 9. [10] i. Jehova ex consilio arcano & voluntate sua exploravit his modis fidem ejus in servitute & carcere, ut metalla in catino probari solent: hypallage. ‖ *Gen.* 41. 14. ‖ *Ibid. ver.* 40. [11] i. ut summus in regno esset, & secundus a rege regiam potestatem obtinens, Gen. 41. 40. & 44. [12] ut factum est Gen. 41. 33. & sequentibus. ‖ *Gen.* 46. [13] ut suprà 78. 51. & infrà ver. 27.

24 ‖ Ubi quum fecisset *Deus* ut fœtificaret po-
pulus suus valdè, & potentiorem eum effecisset
hostibus suis;
25 [14] Mutavit [h] animum illorum ut odio ha-
berent populum suum; ut machinarentur con-
tra servos suos.
26 ‖ Misit Moschem servum suum, Aharonem
quem elegerat:
27 *Qui* exposuerunt [15] apud eos verba signo-
rum ejus, & prodigiorum in regione Chami.
28 ‖ Misit tenebras, & obtenebrârunt eam;
[16] neque rebellârunt *signa* contra verbum ejus.
29 ‖ Mutaverat aquas illorum in sanguinem,
& morte affecerat pisces eorum.
30 ‖ Abundè produxerat terra illorum ranas,
invadentes penetralia [17] regum illorum.
31 Simulac edixit, ‖ advenerat colluvies *ani-
malium*; pediculi in totum terminum eorum.
32 ‖ Reddiderat pluvias eorum grandinem,
ignem [i] maximè flammantem in regione illo-
rum:
33 Quibus percussit vites illorum, & ficus il-
lorum; confregitq; arbores termini illorum.
34 Simulac edixit ‖ advenerat locusta; & me-
lolontha, eaq; innumera:
35 Quæ comedit omnem herbam regionis
eorum, comeditq; fructum terræ illorum.
36 ‖ Tandem percussit omne primogenitum
in regione illorum, [18] principium omnis poten-
tiæ illorum.
37 ‖ Tum eduxit eos cum argento & auro,
[19] ‖ nec fuit in tribubus ejus qui labaret.
38 Lætati sunt Ægyptii quum exirent hi, quia
irruerat pavor horum super ipsos.
39 ‖ Expandit nubem pro tegumento, & ig-
nem ad illustrandum noctem.
40 Petente *populo*, ‖ adduxit coturnices; & pa-
ne cælorum satiavit eos.
41 ‖ Aperuit rupem, & effluxerunt aquæ; am-
bulantes [20] per siticulosa *loca, ut* fluvius.
42 Quia recordabatur verbi sanctitatis suæ,
‖ cum Abrahamo servo suo *habiti*;
43 Ideò eduxit populum suum ‖ cum gaudio,
cum cantu electos suos.
44 Deditq; eis regiones gentium & [21] labo-
rem nationum possident hæreditario jure:
45 ‖ Ut observent statuta ejus, & leges ejus cu-
stodiant. Halelu-Jah.

‖ *Exod.* 1. 7. & *seq.* [14] i. fecit ut rex & Ægyptii novi exsisterent, qui non agnoscerent Josephum: de hoc autẽ loquendi genere vide Exod. 4. 19. [h] *Heb. cor.* ‖ *Exod.* 3. & 4. [15] tum Jisraëlitas, tum Ægyptios, Exod. 5. & seq. ‖ *Exod.* 10. 21. [16] i. non fuerunt irrita, sed planè ut Mosche dicebat effecta sunt. ‖ *Exod.* 7. 23. ‖ *Exod.* 8. 6. [17] i. regis, & procerum regni. ‖ *Exo.* 8. 17. & 24 ‖ *Exod.* 9. 23. [i] *Heb. flammarũ.* ‖ *Exod.* 10. 13. ‖ *Exod.* 12. 29. [18] ut Gene. 49. 3. & psal. 78. 51. ‖ *Exod.* 12. 35. [19] q. d. omnes incolumes ex Ægypto egressi sũt, liberi ab omnibus non tantùm externis, sed etiam internis impedimentis; quẽadmodum Deus promissione sua declaraverat Exo. 11. 7. quò etiam pertinent verba promissionis quæ posteà redintegrata est ad fontes amaros: Exo. 15. 26. ‖ *Exod.* 11. 8. & 12. 38. & *seq.* ‖ *Exod.* 13. 21. ‖ *Exod.* 16. ‖ *Exod.* 17. 6. & *Num.* 20. 11. [20] i. per deserta Sinis & Tzinis. ‖ *Gen.* 15. 14. ‖ *Exod.* 15. & *Num.* 33. 3. [21] ut promittitur Deut. 10. & 11. ‖ *Num.* 19. & 20. *Deut.* 31. 12. & *sequent.*

PSALMUS CVI.

Ecclesia ad Deum laudandum omneis excitans, se confitetur non tantùm imparem esse celebrando Deo verbis & operibus, sed etiam peccatis suis gloriam Dei convellere: quapropter confessa peccata sua majorum exempla adducit, quibus multa contra fœdus iniquè perpetrata Deus semper condonavit: & salutem precata, benedicit Deo.

[1] Halelu-Jah. Celebrate Jehovam, quia bonus
est; quia in seculum benignitas ejus.
2 [2] Quis eloquatur [a] summam potentiam

[1] ode est ἐπαινετικὴ, quemadmodum hoc principium ostendit. Constat autem ex partibus quatuor: prima est, exordium hortans ad celebrandum Deum, ver. 1. secunda, propositio imbecillitatis humanæ, quæ neq; verbis neq; operibus Deum pro merito celebrare potest; sed Deum glorificat confessione infirmitatis suæ, ut loquitur Apostolus 2. Corinth. 12. 9. Hanc rationem psaltes servat a ver. 2. ad 7. tertia est, narratio indignissimorum facinorum quæ majores perpetraverant, & beneficentiæ Dei erga homines ingratos, a versu 7. usq; ad 47. quarta, conclusio postulatoria & laudativa, duobus ultimis versibus. [2] propositio ac velut correctio superioris exhortationis, quasi dicat psaltes, quid ergo? an Deus ab homine convenienter laudari potest? essent profectò beati, si qui præstarent; sed, eheu, plurimùm absumus ab eo convenienter celebrando; qui neq; lingua valemus, neq; vitæ integritate comparati sumus ad eum condignè celebrandum, versu 2. & 3. Quamobrem nullum melius celebrandi eum argumentum datur, quàm si imploremus misericordiam ejus, ver. 4. & 5. & confiteamur peccata nostra, ver. 6. [a] *Heb. potentias.*

UMI

Jehovæ? [b] efferat totam laudem ejus?
3 O beatos qui observarent [3] rationem *hanc*,
qui [4] exerceret justitiam quovis tempore.
4 [5] Recordare mei Jehova, [6] pro [c] benevo-
lentia qua prosequeris populum tuum; [7] visita
me salute tua:
5 [d] Ut fruar bono electorum tuorum, ut læ-
ter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus efferam
cum possessione tua.
6 Peccavimus cum majoribus nostris; ini-
què fecimus, improbè egimus.
7 [8] Majores nostri in Ægypto non intellexe-
rant [9] mirabilia tua opera, non recordati fuerant
amplitudinis [10] benignitatum tuarum; sed [11] oc-
casionem dederant mutandi *eas* ad mare, [e] in-
gressuri mare algosum.
8 Attamen servavit eos propter nomen su-
um, ut notam faceret potentiam suam.
9 Nam ipso increpante mare algosum, ex-
siccatum est; & deduxit eos [12] per abyssos ejus,
quasi *per* desertum.
10 Ita servans eos a manu osoris, vindicavit
eos a manu inimici;
11 ‖ Operuerunt verò aquæ hostes eorum, u-
nus ex illis non est relictus *superstes*.
12 [13] Quamvis credidissent verbis ejus, ceci-
nissent laudem ejus;
13 ‖ [f] Festinanter obliti sunt operum ejus,
[14] non perdurârunt ad consilium ejus:
14 ‖ Sed ducti concupiscentia in deserto ten-
taverunt *Deum* fortem in solitudine:
15 Adeò ut tradens illis [g] quod petebant;
[15] immitteret maciem [h] in illos ipsos.
16 Posteà invidentibus Moschi in castris, A-
haroni [16] sancto Jehovæ;
17 ‖ Aperiens se terra deglutivit Dathanem,
& operuit cœtum Abirami:
18 Exardescensq; ignis [17] in cœtum illorum,
flamma incendit improbus.
19 ‖ Fecerunt vitulum Chorebi, & incurvave-
runt se *exhibentes honorem* fusili:
20 Et mutantes [18] honorem suum, in [i] formam
bovis comedentis herbam.
21 Obliti sunt Dei fortis servatoris ipsorum;
qui fecerat *res* magnas in Ægypto,
22 Mirabilia opera [19] in regione Chami, ter-
ribilia ad mare algosum.
23 Quamobrem dixerat se perditurum eos;
nisi Mosche electus ipsius [20] constitisset in irrup-
tione illa coram ipso, ad avertendum excandes-
centiam ipsius, ne perderet.
24 Spreverunt quoque [21] terram [k] desidera-
bilem, non credentes verbo ejus:
25 ‖ Et murmurantes in tentoriis suis, non au-

[b] *Heb. faciat, ut audiatur.* [3] ore prædicandi & celebrandi Deum. [4] i. vitam suam componeret, velut spectatum aliquod simulacrũ & documentum laudis ejus constans atq; perpetuum. [5] ut Gene. 8.1. [6] i. gratuita misericordia, qua duceris in populum tuum, & antehac in majores nostros ductus es; prout sequens narratio explicat: simile argumentum est sup. psalmo 85.2. [c] *Heb. benevolentia populi tui.* [7] ut Gen. 21.1. [d] *Heb. ut videam bonum: ut psal.* 34.13. [8] narratio, explicans alteram cõfessionis partem de peccatis majorum, & misericordia Dei condonante peccata, justosq; beneficiis prosequente. Sunt autem hujus narrationis exempla multa: e quibus hoc primum est de rebellione in deserto & trãsitu maris rubri, usq; ad vers. 12. [9] opera quæ inde a creatione Deũ fecisse audiverãt. [10] quas inde a tempore vocati Abrahami exerceras in populum tuum, ac nominatim in Ægypto coram oculis ipsorum: de quibus actum est superiore psalmo. [11] i. quantum in ipsis erat, salutem cœptam indignitate sua abruperant. vide Exod. 14.10. & sequentibus. [e] *Heb. in mare algæ ituri.* [12] i. inter duas aquarum congeries, quæ Jisraëlitis cesserunt, ac si locus a natura siticulosus fuisset: vide Exod. 15.5. ‖ *Exod. 14.31. & Exod. 15.* [13] transitio ad alia exempla indignitatis Jisraëlitarum, quæ per congeriem exponuntur ad illustrandam beneficentiam constantem Dei. ‖ *Exo. 15.24.* [f] *He. festinãrunt, obliti sunt.* [14] sed obmurmurãrunt ei re adhuc recentissima, Exo. 15.24. ‖ *Num. 11.* [g] *Heb. petitionem eorum.* [15] i. emaciaret eorum corpora qui concupiverant carnem, & morte afficeret: litotes. [h] *Heb. in animam eorum.* [16] i. quem sanctificavit Deus ad obeundum sacerdotium suum, & sanctum esse re ipsa demonstravit: Num. 16.5 & 7. ‖ *Num. 16.* [17] Korachi, & aliorum qui admoverant thus: Num 16.35. & 17.10. ‖ *Exod. 32.* [18] i. Deum, quo nudati omnẽ ignominiam apud inimicos fuerant subituri: Exo. 32.25. [i] *Heb. structuram.* [19] ut suprà 78.51. [20] i. intercessisset deprecans iram Dei, & populum labefactatum reconciliâsset Deo: metaphora a re castrensi, sic Jehez. 13.5. & infrà vers. 30. [21] spiritualium benedictionum temporaliumq; nomine, Deut. 8.7. & 11.10. [k] *Heb. desiderii.* ‖ *Num. 13. & 14.*

scultârunt [22] voci Jehovæ.
26 Quapropter [23] sublata manu sua *juravit*
eis, se [24] dejecturum eos in ipso deserto,
27 Etiam dejecturum [25] semen eorum in gen-
tibus, & dispersurum eos in regionibus.
28 Præteneà ‖ copulaverunt se etiam cum i-
dólo Pehoris, & comederunt sacrificia [26] mor-
tuorum;
29 Adeò provocantes *Deum* ad indignatio-
nem factis suis, ut irrumperet in eos plaga:
30 Donec consistente Pinchaso & judicium
exercente; coërcita esset plaga illa:
31 Quod reputatum est ei ad justitiam, per
[l] quamque generationem usq; in seculum.
32 ‖ Item ferventem iram concitârunt ad a-
quas contentionis; ita ut [27] malè fuerit Moschi
propter ipsos:
33 Quum exacerbantibus illis spiritum [28] ip-
sius, pronunciâsset labiis suis *exacerbationem suam*.
34 ‖ Non perdiderunt populos illos, de qui-
bus [29] edixerat Jehova ipsis:
35 ‖ Sed commiscentes se cum illis gentibus,
didicerunt opera earum;
36 Coluerunt q; [30] terricula earum, quæ ipsis
fuerunt [31] in tendiculam.
37 Nam [32] sacrificaverunt filios suos, filiasq;
suas [33] dæmonibus:
38 Et effuderunt sanguinem innoxium, san-
guinem filiorum suorum, filiarúmque suarum
quas sacrificabant, terriculis Cenahanæorum;
adeò ut [34] contaminata esset terra [m] cædibus
istorum.
39 Et polluerunt se operibus suis; actionibus
suis, [35] scortantes.
40 Quapropter accensus ira Jehova in popu-
lum suum; abominatus est possessionem suam:
41 Adeò ut traderet eos in manum gentium,
ut dominarentur in eos osores eorum:
42 Et opprimentibus ipsos inimicis suis, de-
primerent se sub manu eorum.
43 ‖ Multoties eripuit eos; [36] quamvis ipsi ex-
acerbâssent eum consilio suo, & attenuati essent
propter iniquitatem suam;
44 Respiciens ad angustiam [n] eorum, audito
clamore eorum.
45 Et recordantem pro eis [37] fœderis sui;
[38] pœnituit ipsum pro amplitudine benignitatum
suarum:
46 Adeò ut [o] conciliaret illis misericordiam,
coram omnibus qui captivos detinebant eos.
47 [39] Serva nos Jehova, Deus noster, & con-
grega nos [40] ex istis gentibus; ad celebrandum
nomen sanctum tuum, & laudationibus commẽ-
dandum nos in laude tua.
48 Benedictus Jehova Deus Jisraëlis inde a
seculo usque in seculum: & dicat totus populus,
amen, halelu-jah.

[22] i. mandato ejus, quod habetur, Deut. 1.21. [23] ut Gen. 14.22. [24] ut factum esse legimus Deut. 2. 13. & sequent. [25] i. filios erroribus, captivitate, & cædibus afflictturum, Num. 14. 33. & Jechezkelis 20.23. quomodo completũ esse legimus Num. 14 45. & 21.1. & Deut. 1.44. & 2.13. ‖ *Num. 25.* [26] i. Deorum vita carentium, num. 25.2. [l] *Heb. generationem & generationem.* ‖ *Num. 20.* [27] i. eorum occasione ab ingressu terræ promissæ exclusus sit Mosche, ut ipse conqueritur Deut. 1.37. & 4.21. [28] Moschis indignatione abrepti, Num. 20. 10. Est autem hic ellipsis conjugati, ut Genes. 18.21. ‖ *Jud. 1, inde a vers. 21.* [29] Deu. 7.2. & seq. ‖ *Jud. 2. & 3.* [30] ut 1. Sche. 31.9 [31] ut prænunciaverat Deus Exo. 23.33. [32] contrà quàm præceperat Deus Lev. 20.2. & Deu. 12.31. & 18.10. [33] ut Deu. 32.17. [34] prout sanguine contaminari dicitur, Num. 35.33. [m] *Heb. sanguinibus.* [35] i. misso conjugali erga Deum officio, quidvis aliud potiùs quàm Deum pro libito animi sui amplectentes: quod vetuerat Deus, Num. 15.39. ‖ *Judic. 11.14. & Jud. 3 & seq.* [36] occupatio duarum objectionum: atqui impii erant, & ad paucitatem redacti attenuatiq; ab hostibus: quibus respondet psaltes; liberatio igitur ipsorum non ab ipsis, sed a Deo nostro est. [n] *Heb. eis.* [37] i. duobus nominibus benefecit populo, propter misericordiam suam infinitam, & propter fidem veritatemq; promissionum suarum ex fœdere. [38] ut Gen. 6.6. humanitùs dictum. [o] *Heb. dares eos misericordiæ: hypallage: sic Gene. 43.14. 1. Chro.* 16.35. [39] conclusio continens partes duas; petitionem beneficentiæ Dei gratiosæ a majorum exemplo, hoc versu; & laudationem Dei solennem in Ecclesia, vers. 48. [40] apud quas multi Jisraëlitarum profugi, captivi, aut inquilini fuerant, donec regnum ad Davidem pervenit: ut factum fuisse constat ex historia Judicum, & Schaülis: nam hos versus Davidis esse ostenditur 1. Chronic. 16.

QUINTUS

QUINTUS LIBER PSALMORUM.

PSALMUS CVII.

Psaltes bonitatem & benignitatem Dei celebrat ab exemplis exsulum in regionibus exteris errantium, captivorum, ægrotantium, eorum qui in mari jactantur, denique mutationum omnium quæ singulis regionibus & personis usuveniunt providentia ejus: & omnes ad laudes Dei hortatus, hominũ vecordiam admiratur magnifica Dei opera non animadvertentium.

1 CElebrate Jehovam, quoniam bonus *est*; quoniam in seculum benignitas ejus.

2 [2] Prædicent redemti Jehovæ, quos redemit [a] ab angustia,

3 *Quos* ex regionibus congregavit; ab oriente, & ab occidente; ab aquilone, & [3] a mari:

4 *Qui* errârunt per desertum, per [4] solitudinem viæ; civitatem [b] habitabilem non invenientes:

5 Famelici, etiam sitibundi; in quibus animus ipsorum sese [5] obruebat:

6 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum; ex angustiis ipsorũ eripuerit ipsos.

7 Et deduxerit ipsos per viam rectam, ut pervenirent ad civitatem habitabilem:

8 Celebrent [6] apud Jehovam benignitatem ejus; & opera mirabilia ejus [7] apud filios hominum;

9 [8] Eum satiare animam appetentem, & animam famelicam explere bono.

10 [9] Qui desident in tenebris & lethali umbra, vincti afflictione & ferro;

11 [10] Quia dederunt occasionem mutandi sermones *Dei* fortis; & [11] consilium excelsi spreverunt;

12 Quorum deprimit istâ molestiâ animum, *qui* labant, nemine adjuvante:

13 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ab angustiis ipsorum servaverit ipsos,

14 Eduxerit ipsos ex tenebris & umbra lethali, vincula ipsorum diruperit:

15 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, & opera mirabilia ejus apud filios hominum;

16 [12] Eum frangere valvas chalybæas, & vectes ferreos succidere.

17 [13] Stulti *qui* propter viam defectionis suæ, & propter iniquitates suas afflictantur,

18 Quorum animus omnem cibum abominatur, qui pertingunt usq; ad [14] portas mortis:

19 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ab angustiis ipsorum servaverit ipsos,

20 [15] Mittens verbum suum curaverit ipsos, & [16] liberaverit a foveis ipsorum:

21 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, & opera mirabilia ejus apud filios hominũ;

22 Et sacrificantes sacrificia gratiarum actionis, enarrent opera ejus cum cantu.

23 [17] Qui descendunt *in* mare navibus, exercentes artem in aquis amplis.

24 Ipsi *qui* vident opera Jehovæ, & mirabilia ejus in profundo:

[1] Ode est ἱκαστικὴ, constans ex propositione laudis, vers. 1. narrationibus quinque ad laudis argumenta pertinentibus, quas Amœbæi versus ferè terminant, a ver. 2. ad 42. & conclusione, duobus versibus ultimis. Est autem hic psalmus quatuor superioribus nominatim adjunctus, ut extraordinarium genus operum, quæ Deus exercet in omnes homines, ad laudem ipsius facere cognoscatur, ut dictum est suprà in psal. 103.
[2] prima narratio de vagis, & in regione extera cum summo vitæ discrimine peregrinantibus, usq; ad versum 10.
[a] *Heb. a manu angustiæ.*
[3] i. a meridiano tractu, ubi situm est mare rubrum, & sinus Avalites.
[4] i. in viam, ubi semita nulla est.
[b] *Heb. habitationis: sic deinceps.*
[5] ut psal. 77.4.
[6] i. privatim ex animo suo.
[7] i. palàm & publicè.
[8] i. thesin sive doctrinam universalem de beneficentia Dei in calamitosos profiteantur, ab hypothesi vel singulari exemplo & experientia sua: sic deinceps.
[9] secunda narratio, de captivis quos aliena vincula constringũt, ut suorum peccatorũ pœnæ inflictæ a Deo.
[10] i. quia fuerunt immorigeri Deo, ac proinde benignitatem ipsius a se averterunt; cujus promissiones ad pios & obsequentes pertinent. [11] de ipsis beneficio prosequendis, si morem gererent. [12] i. ab arctissimis vinculis & carceribus sonticis liberationem dare. [13] tertia narratio, de iis qui decumbunt gravissimè propter peccata sua. [14] ut psal. 9.14. [15] i. suo jussu. [16] i. morte præsentissima & sepulchro ipsis jam comparato: sic enim accipiendum esse evincit contextus hujus hyperboles; quo modo accipitur Lament. 4.20. [17] quarta narratio de nautis, vectoribus & omnibus per mare negotiantibus.

25 Quemadmodum edicens constituat ventum procellosum, qui attollat fluctus illius:

26 *Quemadmodum* [18] ascendant *ad* cælos, descendant *ad* abyssos; [19] anima ipsorum malo seipsam dissolvat,

27 [c] Titubent, sese moveant tamquam ebrius; & tota peritia eorum [20] absorbeatur:

28 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ex angustiis ipsorũ eduxerit ipsos,

29 Restituerit procellam [d] malaciæ, silentibus fluctibus illarum *aquarum*,

30 Et lætantes ipsos, postquam conticuerunt *fluctus*; deduxerit ad portum [e] optatum:

31 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, & opera mirabilia ejus apud filios hominum,

32 Exaltentq; eum in congregatione populi, & in consessu seniorum laudent eum.

33 [21] Redigit [22] flumina in desertum, & processus aquarum in siticulosum solum:

34 Terram [f] fructuosam in salsuginosam, propter malitiam habitantium in ea.

35 [23] Redigit desertum in stagnum aquarum, & terram siccaneam in processus aquarum;

36 Efficiens ut habitent ibi famelici, & constituant civitatem habitabilem,

37 Et consitis agris ac plantatis vineis, comparent [g] proventum fructuosum.

38 Qui ita benedicit eis, ut multiplicentur valdè, & jumenta eorum [24] non minuit.

39 Ut [25] *contrà* minuuntur atque incurvantur, præ coarctatione mali & mœrore;

40 Quum effundens contemtum super ingenuos, facit ut errent per inanitatem aviam:

41 Collocatq; in edito egentem ab afflictione, & [26] disponit tamquam gregem familias.

42 [27] Videant recti & lætentur; omnis verò [28] nequitia obdat os suum.

43 Quotus quisque sapiens est qui observet ista; ut animadvertantur benignitates Jehovæ.

[18] tum fluctus maris, tum navigantes ipsi qui jactantur fluctibus: gravissimæ hyperbolæ.
[19] i. nausea & jactatione adeò vomant, ut animam illicò acturi videantur; quasi cum vomitione liquescens profunderetur.
[c] *Heb. tripudient.*
[20] i. exhauriatur, nesciant quid ampliùs facto sit opus, & omnibus tentatis de modo salutis desperent humanitùs.
[d] *Heb. quieti, vel silentio.*
[e] *Heb. oblectationis, vel desiderii ipsorum.*
[21] quinta narratio, de agrorum & personarum mutationibus effectis a Deo; quæ per antithesin illustratæ sunt singulæ.
[22] i. agros in steriles & siccos, duobus versibus.
[f] *Heb. fructûs.*
[23] i. contrà ex agris sterilibus efficit uberrimos & habitationi commodissimos, vers. seq.
[g] *Heb. fructûm proventus: hypallage.*

[24] i. auget: litotes. [25] supple quum maledicit eis: nam ellipsis est contrarii; ut Gene. 18.18. [26] i. multiplicat familias egentium, & fœcundat tamquam greges. [27] conclusio psalmi, cujus partes sunt duæ; una, de officio omnium quibus cernenda proponuntur opera Dei magnifica; tum bonorum, ut iis recreentur; tum improborum, ut confundantur & obstupescant illis, hoc ver. altera verò, brevis expostulatio de stupore & oscitantia omnium hominum vel sapientissimorum qui in tot, tantis, & tam frequentibus miraculis, documentisq; bonitatis & benignitatis Dei dicuntur cæcutire, seq. versu. [28] ut Ijobi 5.16.

PSALMUS CVIII.

David ingressus administrationem regni & de hostibus debellandis cogitans, Deo gloriam ipsius commendat in benignitate & fide præstanda; promissiones ejus commemorat, auxilium implorat, & se eodem duce ad opus accingit.

1 CAnticum & psalmus Davidis,

2 Erecto [a] animo meo, ô Deus; canam & psallam, etiam [2] gloria mea.

3 [‖] Evigila nabilum & cithara: expergiscar *inde ab* aurora:

4 Celebrabo te in populis, Jehova; & psallam tibi in nationibus:

5 Magnam esse suprà cælos benignitatem tuam, & ad superiores usque nubes veritatem tuam.

6 Exaltare supra cælos, ô Deus; & super totam terram gloria tua:

7 [‖] Ut liberentur dilecti tui; serva dexterâ tuâ, & exaudi me.

8 Deus loquutus est per sanctitatem suam; exsultabo,

[1] Psalmus est ἱκετικὸς, continens partem psalmi 57. partemq; 60. Constat autem exordio votivo, quo spondet psaltes se celebraturum Deum, usq; ad vers. 6. deinde petitione, ver. 6. & 7. tertiò confirmatione a promissionibus Dei, a ver. 8. ad 11. postremò conclusione petitoria, inde ad finem usq;.
‖ *Psal. 57.8.*
‖ *Psal. 60.7.*
[a] *Heb. corde.*
[2] vide in psal. 16.8

exsultabo, in partem obtineo Schecemum, &
convallem Succotharum metior:
9 Meus Gilhad, meus Menasche; & Ephra-
jim robur capitis mei, Jehuda legislator meus *est*.
10 Moab pollubrum meum; suprà Edomæ-
um projiciam calceum meum; contra Palæsti-
nam [3] clangentem agam.
11 Quis deduceret me *in* civitatem muni-
tam? quis deduceret me Edomæam usque?
12 An non *tu*, ô Deus, rejeceras nos; ut non
procederes, ô Deus, inter exercitus nostros?
13 Cedò nobis auxilium *tuum* ab hoste; alio-
quin vanitas *est* auxiliatio humana.
14 In Deo faciamus strenuè, & ipse proculca-
bit hostes nostros.

[3] i. triumphabo victor: quod altero psalmo per sarcasmũ Pelischthæis exprobraverat.

PSALMVS CIX.

David improbissimis malevolorum calumniis traductus apud regem, expostulat cum Deo illarum nomine: calumniatoribus, eorum familiis, nomini, & saluti malè precatur propter obfirmatam illorum malitiam: Deum orat pro salute sua ad gloriam ipsius: qua accepta, se benignitatem Dei celebraturum profitetur.

MAgistro symphoniæ, [1] Davidis psalmus. [2] O
Deus laudis meæ, [3] ne surdum agas.
2 Nam [4] os improbi & os [a] dolosum contra
me aperuerunt se, obloquuta sunt mihi lingua
mendace:
3 Et verbis [b] odiosis circumvenerunt me,
oppugnantia me immeritò.
4 Adversati sunt mihi loco dilectionis meæ,
[5] qua eram *in* oratione;
5 Reponentes mihi malum pro bono, & o-
dium pro dilectione mea.
6 [6] Præfice illi improbum, qui adversans [7] in-
sistat ad dexteram illius:
7 [c] Quum in jus venerit, abeat [d] damnatus,
& oratio illius [8] illi fit [e] crimini:
8 Sint dies illius [9] pauci, curationem illius
accipiat alter:
9 Sint filii illius pupilli, & uxor illius vidua:
10 Et indesinenter [f] vagantes filii illius, men-
dicent; quærantq; *stipem* [10] e locis desolatis suis:
11 [11] Illaqueet fœnerator quicquid *est* illi, &
diripiant extranei laborem illius:
12 Ne sit illi [12] qui protendat benignitatem,
neque sit qui gratiam faciat pupillis illius:
13 Sit posteritas illius [g] excidio *addicta*, in ge-
neratione altera deleatur nomen eorum:
14 [13] In memoria sit iniquitas majorum illi-
us apud Jehovam, & peccatum matris illius ne
deleatur:
15 Sint coram Jehova jugiter, ut exscindat e
terra memoriam eorum.
16 [14] Propterea quòd [15] non est recordatus

[1] Psalmus est εὐκτικὸς, quem videtur David Deo cecinisse, quum sub finem regni Schaülis animadverteret omnia esse perditissima: ut consimilibus verbis utitur Schaülem alloquens 1. Sche. 26.19. Sunt autem hujus psalmi partes quatuor; prima est exordium sive propositio summa totius causæ, usq; ad vers. 6. secunda, imprecatio in adversarios ab omni pietate & humanitate alienissimos, inde usq; ad vers. 21. tertia, precatio supplicis pro salute sua, usque ad vers. 26. postrema, conclusio, reliquis versibus.
[2] exordium audientiam faciens a persona Dei, in quo laudem suam totam consistere exponit psaltes, hoc versu; a persona adversariorũ & sua, quatuor seq. [3] ut psal. 28.1. [4] vide 1. Sche. 24.10. & 26.19. [a] *Heb. doli.* [b] *Heb. odii.* [5] i. pro ipsis concipiebam preces, ut psal. 35.13. [6] secundus locus, imprecatio, qua malè precatur David tum ipsi adversario, tribus versibus; tum familiæ, duobus vers. tum etiam bonis, honoribus, & nomini illorum omnium coram hominibus, ℣. 11. 12. & 13. & saluti coram Deo, ℣. 14. & 15. de quo orationum genere vide psal. 28.4. & 5. sensus autem est, durissimi dominatus atq; tyrannici eum servum effice. [7] i. indesinenter observet, urgeat, coërceat. [c] *Heb. quum judicabitur.* [d] *Heb. improbus: metalepsis.* [8] i. quo magis se crimine liberare defendendo aut deprecando conabitur, eo se ampliùs oneret. [e] *Heb. peccato.* [9] i. pauciores quàm ex naturæ lege; ut factum est in Juda, cui sequentia verba accommodantur Act. 1.20. [f] *Heb. vagando vagentur filii ejus, & mendicent.* [10] i. eversa domo & familia sua. [11] i. ad se avertat & intercipiat, velut retibus, bona eorum. [12] i. qui aut dexteram porrigat in adjumentum ipsius, aut antè porrectam adhibere pergat: metaphora. [g] *Heb. ad exscindendum: simile vide Num. 24.22.* [13] i. Deus peccata illius semper sibi proponat in æternum punienda: humanitùs dictum. [14] amplificatio superioris imprecationis ἐκ παραβολῆς, id est, per comparationem malæ mentis, mali animi, & maleficiorum, quibus in viros bonos certo consilio & deliberata malitia utebantur, cum pœnis quas ipsi infligi a Deo petit, ut pœna sit par noxæ; usq; ad vers. 20. [15] i. de industria oblitus est, & omisit benefacere.

exercere benignitatem; sed persequutus est vi-
rum pauperem, egentemq;, & affectum ægritu-
dine [h] animi, ad afficiendum morte;
17 [16] Et [i] optavit ut maledictio obveniret ei;
neque oblectatus est benedictione; sed *ut* procul
esset ab eo,
18 [17] Ut indueretur maledictione velut chla-
myde sua; & ingrederetur velut aqua intra eum,
& velut oleum in ossa ejus:
19 [18] Adsit illi, tamquam panno amiciat se;
& pro zona jugiter se accingat ea.
20 [19] Hoc *esto* [k] præmium adversantium mihi
a Jehova, & obloquentium malum contra ani-
mam meam.
21 [20] Tu autem, ô Jehovi Domine, exerce *be-
nignitatem* erga me propter nomen tuum; quia
bona *est* benignitas tua, eripe me.
22 [21] Nam pauper & egens sum; & cor me-
um confossum est in medio mei:
23 [22] Ut umbra quum declinat, abire cogor;
[23] exagitor ut locusta:
24 Genua mea labant præ jejunio, & caro
mea emaciatur [l] exhausta pinguedine:
25 Insuper ego probro sum illis; videntes me
[24] movent caput suum.
26 [25] Auxiliare mihi, ô Jehova Deus mi; ser-
va me pro benignitate tua:
27 Ut agnoscant manum tuam hanc esse, te
Jehovam fecisse hoc:
28 Utut maledicant ipsi, tu benedicito: qui
insurrexerunt quum erubuerint, lætetur servus
tuus.
29 Induantur adversarii mei ignominia, &
amiciant se, tamquam pallio, pudore suo.
30 [26] Celebrabo Jehovam valdè ore meo, &
in medio multorum laudabo eum;
31 Quòd assistat ad dexteram egentis, ut *ip-
sum* conservet ab iis qui abjudicant [m] vitam illi.

[h] *Heb. cordis.* [16] i. toto studio incubuit ut bona averterentur a viris bonis, & mala obruerent eos: sic accipiendum esse hunc locum docent ipsa tempora verborum. [i] *Heb. amavit maledictionem ut eveniret: trajectio.* [17] i. ut omnibus malis corporalibus & spiritualibus omni ex parte involutus perfunderetur, obrueretur, & submergeretur: elegantissimæ allegoriæ. [18] maledictio videlicet quam in viros bonos procuravit, ut involvat & constringat ipsum. [19] summa imprecationis, qua David sui mentionẽ faciens transitum parat ad sequentem locum. [k] *Heb. opera. i. opera pretium sive merces: metonymia.* [20] tertia pars, precatio: qua David Deum orat pro salute sua, primùm a natura, fœdere, & gloria ipsius, hoc versu; deinde a persona sua, quatuor sequentibus. [21] secunda causa a calamitatibus ipsius, q. d. miserrimus sum & omni ope destitutus; ut suprà in genere dixerat, ℣. 16. [22] id est, quàm velocissimè. [23] i. discursare cogor propter diligentissimam pervestigationem & persequutionem hostium meorum, ut locusta dissilit: sic enim fecisse Davidem docetur 1. Schem. 23.26. [l] *Heb. a pinguedine.* [24] vide 2. Reg. 19.21. [25] conclusio, continens primùm anacephalæosin totius orationis præcedentis; ubi inverso ordine David Deum orat pro salute sua ad gloriam ipsius, tribus versibus, & pro confusione adversariorum, vers. 29. deinde professione utitur sui erga Deum officii & grati animi, duobus versibus ultimis. [26] altera pars conclusionis, professio administrationis gloriosæ Dei, ad fidem piorum confirmandam. [m] *Heb. animam illius.*

PSALMVS CX.

David vocationem Christi domini nostri ad regnum spirituale in Ecclesia & ad æternum sacerdotium prophetat: potentissimamq; victoriam de inimicis Christi, & triumphum ejus.

1 [1] DAvidis psalmus. [2] [a] Dixit Jehova [3] Domino
meo, [4] sede ad dexteram meam; donec
[5] disposuero inimicos tuos [b] in scabellum pedum
tuorum.

[1] Psalmus est propheticus de regno & sacerdotio Christi; ac proinde didascalicus, constans ex duabus partibus: una est propositio officiorum quæ Deus pater commisit filio, usque ad versum 5. altera est propositio eorum quæ Christus effecturus est pro officio suo, inde ad finem usque. [2] propositionis de officiis Christi in hoc quidem psalmo membra sunt duo; unum, de regno & prophetia ipsius, tribus versibus; alterum de sacerdotio, versu 4. In regni autem explicatione tria proponit psaltes: vocationem æternam a Deo patre in regiam administrationem & gloriam, hoc versu administrationem universalem & potentissimam per spiritum & prophetiam sive doctrinam Evangelii, invitis hostibus, vers. 2. & fidelissimum ac studiosissimum subditorum Christi cultum atque obsequium, vers. 3. [a] *Heb. dictum.* [3] Messiæ sive Christo, Deo æterno cum patre & spiritu sancto, qui homo factus in temporum plenitudine, etiam Davidis ipsius est dominus ex creationis & redemtionis jure, Matth. 22.43. & alibi. [4] hoc est, summum a me honorem imperiumq; obtine, supra omne imperium ac potestatem collocatus, &c. Ephes. 1.20. humanitùs dictum: hoc enim signo reges honestare eos solent quos honoribus summis prosequuntur, ut 1. Reg. 2.19. & psalm. 45.10. [5] id est, subjecero pedibus tuis; quod explicatur copiosè 1. Corinth. 15.23. & sequentibus. [b] *Heb. scabellum ad pedum tuorum: anastrophe.*

2 [6]Scipionem [c] robustum tuum emissurus est Jehova [7]Tzijone, *dicens* [8]dominare in medio inimicorum tuorum.

3 [9]Populi tui oblationes voluntariæ [10]die copiarum tuarum [11]in decoris *locis* sanctitatis [12]inde ab utero, *futuræ sunt*; tibi *aderit* [13]ros juventæ tuæ [d]accuratissimè.

4 [14]Juravit Jehova, & non pœnitebit *eum*; tu *es* sacerdos in seculum [15]secundùm ordinem Malcitzedeki.

5 [16]Dominus, *qui sedet* ad dexteram tuam; [17]frangens die iræ suæ [18]reges.

6 Judicium exercebit in gentes, [19]complens corporibus; frangens caput, in regionibus [20]plurimis.

7 [21]De torrente in via bibet; idcircò [22]attollet caput.

[6] i. verbū evangelii, quod est potentia Dei in salutem omni credenti, Rom. 1. 16. & spiritualis armatura, divinitùs valida ad subversionem munitionū & omnis sublimitatis quæ extollitur adversus cognitionē Dei, &c. 2. Cor. 10. 4. & sequentibus. [c] Heb. *roboris tui*. [7] i. ex Ecclesia Judæorū per totum orbem terrarum sceptrum regni sui Evangelium transmissurus, Jeschah. 2. 3. & Mic. 4. 2. [8] potente verbo & spiritu, Ecclesiam in mediis hostibus alente, & in hostes efficaciter dominante, Heb. 4. 12. [9] i. tui ultrò res suas omneis tibi addicturi & consecraturi sunt. [10] i. temporibus Evangelii; quibus tuorum aciem ducturus, & inimicos debellaturus es, donec eos confeceris spiritu oris tui & illustri adventu tuo aboleveris. His enim temporibus militans Ecclesia esse dicitur ex scripturæ testimonio, & documentis patrum. Etsi haud scio an exponi possit a ritu legitimo hominum qui olim turmatim ad domum Dei commeabant, ut sup. 84. 8. [11] i. in Ecclesia tua; quæ appellatur templum sanctum Domino: allegoria sumta a figuris veteris Ecclesiæ, ut psal. 29. 2. [12] i. quum primùm per spiritum tuum semine incorrupto verbi regenerati fuerint in Ecclesia tua, & revelatus fuerit in ipsis Dei filius: ut loquitur Apostolus Galat. 1. 16. [13] i. innumera multitudo electorum comparebit in Ecclesia tua, tamquam stillans ros e cælo, & sub auroram depluens. [d] Heb. *maturana inquisitione*. [14] alterum propositionis membrum de sacerdotio Christi, de quo legenda epistola ad Heb. inde a cap. 4. [15] i. veritatem & complementum exhibens illius sacerdotii, quod in Malcitzedeko figuratū est: nam sive historiæ formam ordinemq; spectes; ita narratur quasi sine patre, sine matre, sine genere esset, sine initio dierum & fine vitæ; ut hoc pacto sacerdotii Christi repræsentaretur æternitas: sive rem ipsam spectes, non fuit sacerdos secundùm ordinem Aharonis, generis Levitici, ex lege mandati carnalis; sed Abrahamum ipsum & quodammodo Levin decimavit, figurans sacerdotem alium qui factus est sacerdos ex vi indissolubilis vitæ, & jurejurando adhibito, Heb. 7. [16] altera pars psalmi de effectis potentissimæ administrationis Christi regis nostri; continens victoriam reportatam de omnibus inimicis: quæ allegoricè hūmano bello, strage inimicorum, & victoris persequentis exultantisq; gestu figuratur. Enunciatur autem conversa ad Deum oratione, ad confirmandam prophetiæ hujus veritatem. Dominus autem qui sedet, is est rex Christus, de quo vers. 1. [17] ut psal. 2. 9. [18] i. omnem sublimitatem quæ extollitur adversus cognitionem Dei, 2. Corint. 10. 5. [19] i. adversarios omnes ad unum malè perdens; & satanæ administros, satanamq; ipsum (qui mortis imperium obtinet) conterens sub pedibus nostris, Rom. 16. 20. [20] i. omnibus: ut psalmi 97. 1. [21] i. victoriam constantissimè persequetur: quemadmodum strenui duces ne cibo quidem aut potui indulgent, quum fusos hostes persequuntur. [22] i. victoriam plenam consequutus gloriabitur atq; triumphabit; quam Deus pater filio promiserat supra, versu 1.

PSALMVS CXI.

Psaltes Ecclesiam suo exemplo hortatus ad laudationes Dei, amplitudinem operum ejus erga Jisraelitas, & sancti fœderis proponit: deinde recordatus officii quod a suis stipulatur Deus, omnes provocat ad reverentiam & laudationem ejus.

[1] א [a]HAlelu-Jah. Celebrabo Jehovam ex toto [2]animo, ב [3]in consilio rectorum & cœtu;

2 ג [3]Magna opera Jehovæ, ד [b]exposita omnibus qui delectantur illis.

3 ה [4]Gloriosum & decorum opus ejus, ו & justitiam ejus perstantem in æternum.

4 ז [5]Memoriam [5]comparavit mirabilibus suis, ח gratiosus & misericors Jehova.

[1] Psalmus est ἰπαινετικὸς, constans exordio sive propositione laudis Dei, tribus versibus; narratione factorum ejus erga Ecclesiam, a ver. 4. ad ultimum; & conclusione, ver. ultimo. Hic porrò psalmus & sequens ad notandam dignitatem ipsius & levandam memoriam, ordine alphabetico conscriptus est. Exordii autem partes sunt, hortatio ad laudes Dei quas propheta utitur ab exemplo suo, ver. 1. & propositio summa rerum ad laudes ejus pertinentium, duobus sequentibus. [a] Heb. *cordis*. [2] i. privatim & publicè in Ecclesia. [3] epitheta quatuor operum Dei laudabilium his duobus versibus continentur: quibus ex adverso singulatim respondent narrationis membra, vers. 4. & 5. [b] Heb. *quæsita, id est, ab omnibus quæ in ea quærentur, plùs non sit opus: [illegible], sicut Jeschah. 63. 7.* [4] *Heb. gloria & decorum*. [5] altera pars psalmi narratio, rerum divinitus collatarum in Ecclesiam Jisraelitarum, usque ad vers. 9. & reciproci Jisraelitarum erga ipsum officii, ut laudetur & sanctificetur Deus, vers. 9. [5] i. memorabilia opera & judicia exercuit, quum liberaret populum ex Ægypto.

5 ט [6]Escam dedit timentibus se, י recordatus [7]in seculum fœderis sui.

6 כ [8]Vim operum suorum indicavit populo suo, ל dando eis possessionem gentium.

7 מ Opera manuum ejus *sunt* [9]veritatis & [10]judicii; נ [11]constantia omnia mandata ejus:

8 ס Fulta in æternum, in seculum; ע facta [d]fideliter & rectè.

9 פ [12]Redemtionem mittens populo suo, צ præcepit in seculum fœdus suum, ק sanctum & reverendum *haberi* nomen suum.

10 ר [e][13]Caput sapientiæ *est* reverentia Jehovæ, ש [f]successus optimus omnibus [14]facientibus ista: ת laus ejus perstat in æternum.

[a] Exod. 16. [6] i. aluit populum quadraginta annis in deserto. Quamobrē Prophetia alimentum deserti, & portionem singulis attributam proprio nomine appellavit prædam. [7] i. perpetuò ad fœdus suum respiciens; non ad indignissima illorū murmura & rebelliones, quibus provocabat ipsū.

[8] quæ duobus seq. versibus exponitur. [9] erga pios qui veritatem amplectuntur. [10] in adversarios. [11] i. stata, firma, quæ neque ab ipso revocantur, neque ab ullo subterfugi possunt. atque hæc per hysterosin sequente ver. exornantur. [d] Heb. *cum fide & recto*. [12] i. quum Jisraelitas tam mirificè liberaret (ut suprà dictum est) hoc officium erga se restipulatus est Deus: ut observatum est in vers. 2. [e] Heb. *principium*. [13] conclusio per [illegible] continens duas narrationis partes; unam, de officio nostro ut revereamur Deum, freti promissione Dei fore ut secundet nos benedictionibus; alteram de laudibus Dei in sempiternum prædicandis, quibus psalmus incipitur & clauditur. Est autem caput sapientiæ non tantùm fons aut principium, sed primaria & summa sapientia: vide Deut. 4. 6. [f] Heb. *secundatio bona: ut accipitur Pro. 3. 4. & alibi, ubi bonum nomen adjunctum est*. [14] nimirum quæ mandavit & stipulatus est Deus, & quæ hoc Psalmo fuerunt exposita.

PSALMUS CXII.

Psaltes pios hortatur ad laudationem Dei, propter fœlicitatem omnimodam quam largitur bonis.

[1] א [a]HAlelu-Jah. [2]Beatus [b]quisquis reveretur Jehovam, ב in mandatis ejus delectatur valde.

2 ג [3]Potens in terra futurum est semen ejus; ד generationi rectorum [c]benedicetur:

3 ה Opes & divitiæ in domo ejus; ו & [5]justitia ejus perstat in æternum.

4 ז [6]Micat in tenebris lux rectorum; ח gratiosus est, misericors & justus.

5 ט Bonus quisque gratiosè largitur, & mutuo dat, י moderatur res suas [7]ex officio.

6 כ [8]Quia [9]in seculum non dimovetur; ל in memoria [10]perpetua *est* justus.

7 מ A [d]rumore malo non timet, נ erecto animo fretus confisus Jehovæ.

8 ס Fultus animo suo non timet, ע [e]donec videat *ultionem* in hostibus suis.

9 פ [11]Dispergit, dat egentibus; צ justitia ejus perstat in æternum, ק cornu ejus elevatur honore.

10 ר [12]Improbus autem videns indignatur, ש dentibus suis frendens contabescit; ת desiderium improborum periturum est.

[1] Psalmus est genere quidem ἰπαινετικὸς, ut hoc principium ostendit; sed tamen rursum totus in narratione fœlicitatis quam pii divinitus consequuntur. Constat itaq; primùm hortatione ad laudem his duobus vocibus; deinde narratione illius fœlicitatis usque ad ver. 9. ac postremò antithesi infœlicitatis quæ conficiuntur improbi, ver. 9. & ultimo. [2] prolepsis, id est, propositio summæ narrationis exponens notas veri boni, nimirum reverentiam Dei & verbi ipsius; deinde una voce summatim fœlicitatem denuncians, quæ in sequentibus explicatur. [a] Heb. *vir: ut infra ver. 5.* [3] explicatio fœlicitatis piorum, cujus partes a Propheta tres constituuntur; prima est fœlicitas totius familiæ domesticæ, duobus versibus; secunda domesticæ fœlicitatis cum exteris communicatio, ver. 4. & 5. tertia, constans animi securitas ab omni malo, vers. 6. 7. & 8. Consistit autem hæc prima fœlicitas in genere, honore, opibus & vita, ut Abrahamo fuerat factum Genes. 24. 34. [4] a Deo atque hominibus. [5] i. justæ vitæ sanctaq; præmia: metonymia. [6] Heb. *oritur in tenebris lux quæ est rectis*. [6] i. ita circumfluit domi secundis rebus (quæ [illegible] ferè appellantur) ut in aliorum calamitatibus prolixè, gratiosè, misericorditer, & justè profundat de benedictionibus suis. [7] tum erga domesticos, tum erga exteros: quod officium luculenter exponit Paulus 2. Corinth. 8. & 9. [8] ætiologia, sive explicatio causæ cur in mediis calamitatibus [illegible]; ut dictum est ver. 4. [illegible] ad tertiam fœlicitatis locum. [9] i. dimovetur quidem, sed non in perpetuum [illegible] calamitatibus, ut loquitur Apostolus 2. Corinth. 4. 8. & 6. 8. & seq. [c] Heb. *seculi*. [d] Heb. *auditione mala*. [e] Heb. [illegible]. [10] i. [illegible] malo, [illegible] proinde multo minus metuit, [illegible] id est, [illegible]. [11] conclusio narrationis, [illegible] fœlicitatis justorum quæ modo dicta est, [illegible] infœlicitatis improbis obventuris, versu sequente. [12] id est, [illegible] 1. Schemuel. 2. [illegible] improbæ cogitationes, consilia, labores, & conatus in bonos [illegible] Dei ut Psalm. 146. 4.

PSAL-

PSALMUS CXIII.

David Ecclesiā Dei provocat ad laudationem ejus propter majestatem, providentiam, & administrationem mirificam ac gloriosam ejus.

1 Psalmus hic ἐπινίκιος primùm hortationem ad laudandum Deum, hoc versu; deinde laudationem, duobus sequentibus; ac postremò laudationis argumēta reliquis continet. Videtur autem David hunc psalmum exarasse, quum divinitùs regnum accepisset, & publicum hoc beneficium cum domestico in Chanaam beneficio comparans canticum hoc cum illo conformasse

1 HAlelu-Jah. Laudate servi Jehovæ, laudate nomen Jehovæ.

2 [2] Sit nomen Jehovæ benedictum, [a] deinceps usque in seculum:

3 Ab ortu solis usque ad occasum ejus, *sit* laudatum nomen Jehovæ.

4 [3] Elatus supra omnes gentes Jehova *est*, [4] supra ipsos cælos gloria illius.

5 [5] Quis *est* par Jehovæ Deo nostro? [b] qui [6] altissimè habitat:

6 [c] Qui demississimè perspicit, in cælis & in terra;

7 [7] Erigens e pulvere tenuem, e sterquiliniis elevans egentem,

8 Faciendo [8] ut consideat cum ingenuis, cum ingenuis populi sui:

9 Faciens ut [d] [1] quæ sterilis erat in familia, sedeat mater liberorum læta. Halelu-Jah.

quod habetur 1.Schem.2. [2] laudatio Dei amplificata circumstantiis temporis & loci, q.d. in tempus infinitum infinitis locis. [a] *Heb. ex nunc & usque.* [3] laudationis argumenta duûm generum; prius est ab ipsa majestate Dei, hoc versu; posterius ab operibus, inde ad finem usq;. [4] i. ἐπουράνιος, supercælestis est. [5] transitio ad commendationem operum Dei per interrogationem: ubi explicantur infinitas providentiæ, potentiæq; ejus, duobus versibus; & operum admirabilitas, reliquis. [b] *Heb. qui exaltat habitando; vide Gen. 12.8.* [6] nimirum in cælis, ver. sequente. [c] *Heb. qui infimè demittit respiciendo.* [7] ut 1.Schem. 2. 8. vide 2.Schem. 7.8. [8] id est, ut principatum obtineat: synecdoche. [d] *Heb. sterilis familiæ.* [1] *1.Schem.2.5.*

PSALMUS CXIIII.

Propheta narrat admirabilem consternationem rerum creatarum in adventu Dei cum populo suo, causamq; consternationis petens eas respondentes fingit, & omnem potentiam, gloriamq; Deo tribuentes.

1 Psalmus est didascalicus, continens narrationē, quatuor versibus; & doctrinam, totidem versibus, petitam ex narrationis argumento.

2 id est, Jisraëlitæ fuerunt populus Dei, & ille vicissim Jisraëlitarum Deus, Exod. 6.6. & 19.6.

[a] Exod. 14.

3 i. sentiens suo modo: prosopopœia.

[b] Jehosch. 3. 14.

[c] Exod. 19. 18.

4 i. juga montana Sinai.

1 EXeunte Jisraële ex Ægypto, familia Jahakobi a populo peregrini sermonis:

2 [2] Fuit Jehuda sanctitatis illius, Jisraël dominiorum illius.

3 [a] Ipsum mare [3] videns profugit, [b] ipse Jarden divertit retrorsum.

4 [c] Ipsi [4] montes subsilierunt velut arietes, colles ut [a] suburnæ pecudes.

5 [5] Quid tibi *erat*, ô mare, cur fugeres; ô Jarden, *cur* diverteres retrorsum;

6 O montes, *cur* subsilieritis velut arietes; colles velut suburnæ pecudes?

7 [6] A præsentia Domini [b] [7] intremisce terra, a præsentia Dei Jahakobi:

8 [8] Qui mutat ipsam rupem in stagnū aquarum, saxum adamantinum in fontem aquarum.

[a] *Heb. filii gregis, sicut ver. 6.* [5] dialogismus, quo per prosopopœiam mare, Jardenem, montesq; interrogat Psaltes, duobus versibus: ad quam interrogationem responsionis loco doctrina subjicitur, duobus alteris. [6] responsio prosopopœætica terræ; cujus appellatione etiam aquæ synecdochicè continentur. [b] *Heb. parturientis more vacillescere* ... *infinitum pro finito tempore.* [7] ut ... præsentiam ejus intremuimus, ita semper ejus præsentiam ... [8] i. e rupe educit ipsos fontes: hyperbole, qua amplificat David historiam quæ legitur Exodi 17. 6. & Num. 20. 11. & sequentibus.

PSALMUS CXV.

Ecclesia servari a Deo petit propter gloriam ipsius, & idololatras perdi: singulos ad fidem hortatur, promissiones accommodat, & laudes Dei in hac vita se prædicaturam spondet.

1 Psalmus est generis mixti, continēs primùm petitionem ut gloriam suam vindicet Deus,

1 NOn nobis Jehova, non nobis; sed nomini tuo [a] da honorem, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.

usq; ad ver. 9. deinde propheticam doctrinam, a ver. 9. ad 17. ac postremò conclusionem laudativam. Quem Psalmum videtur conscripsisse David, quum suscepto regno hostes populi ... singulare aliquod periculum impendere ab idololatris videretur. [a] do effice quicquid novisti nomini tuo fore honorificum, non propter nos; sed propter naturam tuam, promissionemq; fœderis. Est autem hoc loco prolepsis ... summa; ut Deus suis benefaciat tanquā ipsorū Deus, & ... inimicorū ludibria omnipotentia sua, inimicos Dei & populi sui confundat. V. 8.

2 Quare [3] dicerent gentes, ubi *est* nunc Deus istorum?

3 [4] Atqui Deus noster [5] in ipsis cælis *est*, quicquid placet facit.

4 [6] [a] Terriculis illarum argenteis & aureis, operi manuum humanarum,

5 Os *est* eis, sed non loquuntur; oculi *sunt* eis, sed non vident:

6 Aures *sunt* eis, sed non audiunt; nasus *est* eis, sed non odorantur:

7 Manus eis, sed non palpant; pedes eis, sed non ambulant, non mutiunt gutture suo.

8 [7] Similes illis sunt qui faciunt illa, quisquis confidit illis.

9 [8] Jisraël confide Jehovæ, [9] auxilium horum & scutum horum est.

10 *Vos* [10] e familia Aharonis confidite Jehovæ, auxilium horum & scutum horum est.

11 [11] Timentes Jehovam confidite Jehovæ, auxilium horum & scutum horum est.

12 Jehova [12] recordatus nostri [13] benedicet: benedicet familiæ Jisraëlis, benedicet familiæ Aharonis:

13 Benedicet timentibus Jehovam, parvulis simul ac magnis.

14 [a] Augebit Jehova vos, vos & filios vestros.

15 Benedicti eritis Jehovæ, [14] qui fecit cælos & terram:

16 [15] Ipsi cæli, cæli *sunt* Jehovæ, terramq; [16] *quam* dedit filiis hominum.

17 [16] Non qui mortui sunt laudant Jah, neq; quicumque descendunt in [17] locum silentii:

18 [18] Sed nos benedicemus Jah, deinceps usque in seculum. Halelu-jah.

3 nimirum si deseres nos & illorum manibus exponeres, quasi dicat, ludificarentur nos, & blasphemarent te. hæc est explicatio superioris causæ ex absurdo. 4 subjectio ad absurdam istam blasphemamq; ludificationem hostium; qua primùm Deus verus asseritur, hoc vers. deinde dii falsi non cum ipso, sed ne cum ipsis quidem hominibus aut ullo animalculo docentur comparandi esse, usque ad versum 8. neque a cultoribus eorum ampliùs quàm ab idolis ipsis metuendum. 5 id est, suprà omnia, majestate, potentia, & opere, omni loco in omnibus efficiente placita ipsius. [a] *Psal. 135. 15.* 6 ut 1.Sche. 31.9. ἀντικατηγορία sive recriminatio & translatio criminis quod idololatræ objiciunt Deo, in idola ipsa; cujus recriminationis argumenta sunt hæc; primùm ab effectis, quòd nihil sunt nisi dolorifica, & molesta superstitione animos humanos torquentia, non consolantia & servantia, ut Deus est: deinde a materia, quòd (ut sint pretiosissima) tamen res sunt terrestres atque inanimæ, Deus verò incorporeus in cælis habitat: tertiò, ab origine, quòd manus humanæ ea pepererunt, quum Deus æternus contrà atque increatus nutu suo creaverit omnia: postremò quòd ipsa sunt, nulla vitæ facultate prædita; sed potiùs ludicra tantùm viventium simulacra; Deus autem quicquid placet facit. 7 quasi dicat, enervantur, adimunturq; idolorum auctoribus cultoribusq; animi & sensus ipsi, ne gloriæ obsistere aut populo nocere possint. 8 secundus locus psalmi, quo propheta pios ad fidem hortatur in Deum propter promissiones & opera ejus, tribus versibus: deinde promissiones sigillatim populo Dei accommodat, usque ad versum 17. 9 nimirum confidentium Jehovæ. 10 i. Sacerdotes & Levitæ, qui sacerdotibus donati erant. Num. 18. & seq. 11 ex quacunque gente ad cognitionem & cultum Dei venientes. 12 i. qui semper re ipsa demonstrat se rationem habere nostri ex fœdere. 13 promissio universè dicta, quæ deinceps singulis membris accommodatur eodem ordine qui servatur tribus præcedentibus versibus. [a] *Heb. adjiciet Jehova super vos, super vos &c. sic Deut. 1. 11.* 14 i. cujus benedictio plenissima est; quum idem sit auctor, conservator, & Dominus cælorum suorum, & terræ quam attribuit nobis. 15 ac proinde futuri sunt benedictionis divinæ administri, ex præcedente versu. 16 conclusio laudativa, qua exponit Psaltes, quòd non moritur, id gloriæ Dei tribuendum esse, ac proinde vitam in gloria Dei esse occupandam; ut psal. 6. 6. 17 ut psal. 94. 17. viventes nimirum atq; liberati, quemadmodum ante petierat.

PSALMUS CXVI.

David deducta arca Dei Jeruschalaimum, amorem suum erga Deum profitetur beneficiorum acceptorum nomine: pericula sua, fidem, & infirmitatem narrans, salutem Dei prædicat, ac postremò petit in eadem salute servari, ut Deum ampliùs prædicet.

1 SAt [a] habeo, quòd Jehova exaudit vocem meam, deprecationes meas.

1 Psalmus est didascalicus: in quo David in regnum evectus contexit primùm exordium proleptìcum, vers. 1. & 2. ... fidei suæ & amoris erga Deum ab exemplo antecedente vitæ suæ, usque ad ver. 11. deinde propositionem, consilii sui de omni officio ac pietate erga Deum exsequenda in Ecclesia, tum præteritorum beneficiorum, tum futurorum nomine, inde ad finem usque: quæ in exordio per prolepsin omnia proponuntur, vers. postremò Conclusionem ... versibus 4. ultimis. Hoc autem verbum diligendi exponimus sat habere, ut Græci ... verba illi loco Pauli, sufficit gratia mea, &c. 2.Cor. 12.9. [a] *Heb. diligo, quia exaudit Jehova; trajectio.*

2 Quia

2 Quia inclinavit aurem suam mihi, idcircò a diebus meis invocabo ipsum.

3 [3] Circumdantibus me [4] doloribus mortis, angoribúsque sepulchri obvenientibus mihi; angustiam & mœrorem inveniens,

4 Si nomen Jehovæ invoco, *dicendo*; [5] obsecro Jehova, libera animam meam:

5 [6] Gratiosus Jehova & justus; Deus, inquã, noster [b] misericors,

6 Servans [7] simplices Jehova; [c] quum attenuatus sum, mihi confert salutem.

7 [8] Redi anima mea in requiem tuam; quum Jehova beneficus sit erga te.

8 [9] Quandoquidem eripuisti [d] me ipsum a morte; [10] oculos meos a lacrymis, pedem meum a lapsu:

9 [11] Indesinenter ambulabo coram Jehova, in [12] regionibus viventium.

10 [13] Credidi quum *hæc* loquuturus essem; ego fatus fueram [e] supra modum,

11 Ego dixeram [f] [14] accelerando, [15] omnis homo *est* mendax.

12 [16] Quid rependerem Jehovæ? omnia beneficia ejus [g] superant me.

13 [17] Poculum [h] [18] omnis salutis [i] acceptum *exhibebo*, & nomen Jehovæ prædicabo.

14 Vota mea Jehovę rependens, [k] mox [19] coram toto populo ejus, *dicendo:*

15 [20] Pretiosa *est* in oculis Jehovæ, mors intentata iis quos ipse benignitate prosequitur.

16 [21] Obsecro Jehova, [22] quum ego *sim* servus tuus, sim servus tuus, filius ancillæ tuæ; solveris vincula mea:

17 [23] Tibi sacrificem sacrificium gratiarum actionis, & nomen Jehovæ prædicem:

18 Vota mea Jehovæ persolvam, mox coram toto populo ejus,

19 [24] In atriis domus Jehovæ, in medio vestri, Jeruschalaima. Halelu-jah.

a afflictionis meæ; ut sequens versus explicat: sic infrà psal. 137.7. & Lamen. 2.21. 3 ut 2. Schem. 22.5. & 6 & psal. 18. Est autem hæc narratio, secunda pars psalmi, quã Propheta inverso ordine exponit secundũ membrum exordii, id est, constitutionem animi sui, quum esset in angustiis. 4 ut Psalmo 18.5. 5 Tria narrantur in hac constitutione; primùm orationis summa, hoc versu; deinde fides & fidei argumenta, usque ad versum 10. ac postremò infirmitas & perturbatio humana animi, vers. 10. & 11. 6 explicatio illius fidei certissimæ, qua David ad Deum orandum adductus est: ubi primùm naturam officiumque Dei erga fideles omnes & seipsum nominatim explicat ad confirmandum se, duobus versibus; deinde animum suum confirmat ab acceptis beneficiis, in spe salutis & præsentis vitæ, tribus sequent. postremò hanc orationem & exspectationem, fructus esse fidei suæ ostendit, principio ver. 10. b *Heb. miserans.* 7 qui humanis consiliis destituuntur, ab iis abstinent, animoque simplice se committunt Deo. c *Heb.* in *attenuare meo.* 8 i. ne amplius estu perturbata; sed conquiescito in Deo propter naturam & beneficentiam ejus. 9 confirmatio beneficentiæ Dei ab anteacta experientia, quæ enunciatur per apostrophen ad Deum, ut sit emphaticotera. d *Heb. animam meam.* 10 i. non tantùm mortem, verùm etiam dolores & impedimenta avertisti a me, quæ dolorem fuissent allatura: gradatio. 11 i. non peribo ab hoc periculo; sed pro certo habeo me superstitem evasurum, ad gloriam Dei in hac vita procurandam. 12 i. terra: periphrasis. 13 i. tum demum vigebat & triumphabat fides in animo meo, quum Deum hac ratione, & me ipsum his argumentis compellaturus essem, quæ modò dicta sunt. Sic transit ad tertium locum, quo confitetur infirmitatem suæ carnis repudiantem promissiones Dei, nisi spiritus Dei fidem sustentasset in spiritu ejus. e *Heb. valdè.* f *Heb. in accelerare meo.* 14 i. quum præceps raperer in perturbationes carnis; ut accipitur psal. 31.23. 15 i. nunc demum video Schemuelem non Dei spiritu propheticè, sed suo sensu humanitùs ac mendaciter loquutum esse, quum me ad regnum Jisraëlis indicaret perventurum esse. sic David ex infirmitate non Deum quidem apertè, sed Schemuelem perstringebat; quasi Dei voluntatem non satis explorasset Schemuel, & transsiliisset modum vocationis suæ. 16 tertia pars psalmi propositio consilii; cujus cõsultatio hoc versu habetur, definitio verò sequẽtibus. g *Heb.* sunt *supra me.* 17 definitio hujus consultationis duas partes continet: unam, officii præsentis, duobus versibus; alteram causæ, ver. 15. Ac officii leges ponuntur, publica professio nominis Dei, & prædicatio beneficiorum ejus in Ecclesia, duobus ver. Sensus est, holocaustis & eucharisticis oblatis Deo epulum sacrum populo faciam ad recordationem multifariæ salutis quam percepi a Deo: ut narratur fecisse 1. Chron. 16.1. & sequentibus. h *Heb. salutum.* 18 i. gratiarum actionis de omni salute quam Deus in me contulit. i *Hebr. sustinam.* k *coram mox toto:* σύγχυσις, ut v. 18. 19 i. omnibus Jisraëlitis, quos congregaverat Jeruschalaima ad deducendum arcam Jehovæ, 1. Chro. 15.3. 20 i. Deus meo exemplo demonstravit quàm sibi sit chara vita fidelium, qui meam toties, tot modis, tantisque viribus appetitam conservavit. Μετάβασις ad conclusionẽ. 21 Conclusio εὐκτικὰ, ut sibi conscio divinę erga se gratię liceat semper in Dei cultum incumbere. 22 vide suprà psal. 86.16. 23 i. agnoscam & profitear te. 24 i. in Ecclesia.

PSALMUS CXVII.

Psaltes hortatur gentes, ut regnum Christi celebrent.

1 LAudate Jehovam [a] omnes gentes, laudationibus commendate eum omnes nationes:

2 Quia invaluit erga nos benignitas ejus, & fides Jehovæ in seculum. Halelu-jah.

1 Ode est παραινετικὰ, provocans omnes gentes ad agnoscendum regnum Christi, propter benignitatem, & veritatem, ac constantiam promissionum ejus, quæ ex mera ipsius benignitate profectæ sunt. a *Rom. 15.11.*

PSALMUS CXVIII.

David typus Christi Ecclesiam ad Dei laudes prædicandas hortatus, suo exemplo commendat liberationes ejus & suam fidem, cum tum suis, tum Ecclesiæ totius verbis celebrat: figurat Ecclesiam euntem in templum, gratias agentem Deo, precantem in futurum, & Sacerdotes Ecclesiæ benedicentes sacrificiaque imperantes, omnes deniq; Deũ laudibus efferẽtes.

1 CElebrate Jehovam, quia bonus *est*; quia in seculum benignitas ejus.

2 Dicat nunc Jisraël, esse in seculum benignitatem ejus.

3 Dicant nunc [a] qui sunt ex [2] familia Aharonis, esse in seculum benignitatem ejus.

4 Dicant nunc timentes Jehovæ, esse in seculum benignitatem ejus.

5 [3] Ex ipso angore invocavi Jah, respondens *collocavit* me in lato Jah.

6 Jehova *adest* mihi, non timebo, quid faciat mihi homo.

7 [4] Jehova adest mihi cum auxiliatoribus meis: ideò ego [5] despicio osores meos.

8 Melius *est* recipere se ad Jehovam, quàm fiduciam habere in ullo homine.

9 Melius *est* recipere se ad Jehovam, quàm fiduciam habere [6] in ingenuis.

10 [7] Omnes gentes circumdederant me; [b] sed in nomine Jehovæ enervavi eas.

11 [c] Etiam atque etiam circumdederant me; sed in nomine Jehovæ enervavi eas.

12 Circumdederant me [8] tamquam apes, exstinctæ sunt ut [9] ignis spinarum: nam in nomine Jehovæ enervavi eas.

13 [d] [10] Graviter impuleras me ut caderem, sed Jehova auxilio fuit mihi.

14 [f] Robur meũ & carmẽ Jah, is fuit mihi saluti.

15 [11] Vox cantus & salutis *est* [12] in tentoriis justorum; *dicens*, dextera Jehovæ agit strenuè:

16 Dextera Jehovæ elata, dextera Jehovæ agit strenuè.

17 [13] Non moriar, sed vivam, ut enarrem opera Jah.

18 [e] [14] Severè castigavit me Jah; sed morti non tradidit me.

19 [15] Aperite mihi [16] portas justitiæ, *ut* in-

1 Ode est εὐχαριστικὰ, continens exordium ἐπιλευστικὸν ad laudes tribuendas Deo, quatuor versibus; propositionem argumentorum ad laudes Dei pertinentium a singulari exemplo Prophetæ & communi Ecclesiæ, inde ad 19. narrationem causæ ex qua ad mẽbra singula & universum Ecclesiæ corpus illa salus optatissima pervenit, inde ad ver. 28. postremò conclusionẽ laudativam convenientem cum principio psalmi, duobus ultimis. Videtur autem David Psalmum hunc cõscripsisse, quum superatis aliis gẽtibus a postrema sua expeditione in Hammonitas reverteretur, 2. Schem. 12.26. & sequent. a *Heb. familia.* 2 vide supr. psal. 115.10. 3 secunda pars, propositio exempli cùm singularis sui, tum etiam publici. Singularis in summa duo sunt loci; unus, de liberationibus præteritis, hoc versu; alter, de fide & constantia Dei, ac præstantissima fiducia Davidis in promissiones illius; qui loci per prolepsin his duobus vers. positi, deinceps explicantur. 4 ἐργασία secundi loci prolepseos dę divina fide & Prophetæ fiducia, tribus versibus: cujusmodi fiducia prædicatur Psal. 3. & 27. & alibi. 5 i. securus, ac non trepidus in eos respicio. 6 i. etiam in potentibus multis: gradatio. 7 ἐργασία prioris loci prolepseos de liberationibus a Deo acceptis, per ὑστέρωσιν Hebræis frequentissimam; continens brevem narrationem impetuum quos ab hostibus pertulit, & victoriarum quas ipsi attulit gratiosè Deus, usque ad versum 15. b *Heb. in nomine Jehovæ sed, &c. sic duob. ver. seq. trajectio.* c *Heb. circumdederant me etiam circumdederant me.* 8 i. plurimis ac confertis agminibus circumquaque: ut Deu. 1.44. 9 i. quàm ocyssimè velut in fumum abierunt, & inanes effecti sunt: ut Ecclesiast. 7.6. d *Heb. impellendo impuleras.* 10 apostrophe ad hostem unumquemque: in qua David tum jus victoriæ suæ explicat, quòd ab hostibus gravissimè lacessitus esset; tum salutem Dei opponit irritis omnium conatibus. f *Exod. 15.2.* 11 alterum propositionis membrum de publico Ecclesiæ officio, ut antè diximus in versum 1. & 5. 12 i. in urbe populi Dei, & habitationibus Jisraëlitarũ gratulantiũ Deo & regi. 13 ut conspiraverant hostes; quemadmodũ ipse de Pelischtæis docet psal. 9.7. e *Heb. castigando castigavit.* 14 quasi dicat, Dei quidem consiliũ fuit, ut me inimicorũ opera castigaret; sed inimicorũ contrà ut profligarent me, quod non permisit Deus: sic Jeschah. 10.6. & 7. Zecar. 1.14. 15 tertia pars, dialogistica narratio causę qua salus ad Ecclesiã pertinet: cujus partes sunt, aditus in domum Dei, duobus versibus; oratio Ecclesiæ ad Deum, usq; ad ver. 26. & postremò oratio Dei ad regem & populũ per sacerdotes suos, ver. 27. & 28. 16 i. domus Dei, quam soli ingrediuntur justi Deum justissimũ adeuntes ut sequens versus exponit. Est autem hic sermo populi quærentis aditum in Domum Dei, cui responsionem subjicit Deus sequente versu.

[17] Christus, Joan. 10.
[18] oratio populi, constans ex prædicatione beneficioru̅ Dei, tribus versibus; & precatione, vers. 25.
[19] primum beneficium singulare: ut supr. vers. 5.
[20] secundum beneficium publicum pertinens ad regem, hoc versu; totúmque regnum, sequent. quod typicè in Davidis persona stabilitum, perfectè & absolutè institutum est in Christo & in Ecclesia: ut ipse Christus accommodat, Matth. 21.42. & alibi.

gressus per eas celebrem Jah.
20 [17] Hæc ipsa porta ad Jehovam, per quam
justi intrant.
21 [18] Celebrabo te; [19] quia exaudiens me, fuisti mihi saluti.
22 [20] Quem lapidem [21] spreverant structores,
is est in caput [22] anguli.
23 A Jehova est [23] hic, estq; mirabilis in oculis nostris.
24 Hac ipsa die [24] effecit Jehova; exsultemus
& lætemur in ea.
25 Obsecro Jehova, serva nunc; obsecro Jehova, prospera nunc.
26 [25] Benedictus *est* qui venit in nomine Jehovæ; benedicimus vobis [26] e domo Jehovæ,
27 *Dei* fortis Jehovæ, [27] qui illustravit nos;
ligate sacrificia festi funibus, [28] usque ad cornua
altaris.
28 [29] *Deus* fortis meus es, ideò celebrabo te;
Deus meus, exaltabo te.
29 Celebrate Jehovam, quia bonus *est*: quia
in seculum benignitas ejus.

Lapis enim est typicus David, cui vetus Ecclesia tamquam lapidi diatono sive frontato incubuit: verus autem lapis Christus, in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, ut sit templum sanctum domino; Ephes. 2.20. [21] i. proceres in populo Dei, tum Schaülis temporibus, tum etiam Ischboscheti; si Davidem respiciamus: sin autem Christum; sacerdotes & alii omnes, qui ex officio extruere Ecclesiam, non destruere debuerant. [22] i. firmamentum sive fundamentum totius Ecclesiæ coagmentatæ in Christo; prout figuratè Juda & Jisraël coaluerant in Davide. [23] videlicet angulus, id est, constructio & coagmentatio Ecclesiæ. [24] nimirum salutem regi & regno, ut coalescerent & firmè constringerentur. [25] tertia pars gratulationis, ut observatum est in versum 19. continens sacerdotum verba omnibus benedicentium ex officio, Deut. 10.8. & sacrificia imperantium. [26] i. a Jehova, quem vestro nomine accedimus, & cujus nomine benedictionem vobis denunciamus depromptam ex thesauro ipsius, Num. 6.27. [27] i. perfudit nos hac prospera & gloriosa victoria: sic enim lux apud Hebræos prosperitatem & lætitiam sonat: ut Esther. 8.16. [28] i. in toto atrio confertim: nam ulteriùs transire populo nefas erat. [29] conclusio a laudatione Dei singulari & publica, quæ adhibebatur quum ista eucharisteria offerrentur Deo.

PSALMUS CXIX.

David in gravissimo suo exsulio se ipsum hoc Psalmo consolans, fœlicitatem piorum in studio, fide, & obsequio voluntatis Dei positam esse docet: ideóque in notitia illius, studio, fide, & obsequio informari a Deo petit; & ab omnibus impedimentis suæ carnis, peccati, mundi, satanæ, hostiúmque omnium conservari; ac postremò sibi de tota anteacta vita, & æquitate causæ benè conscius, Deo seipsum & reliquæ vitæ suæ administrationem commendat ad gloriam ipsius & salutem suam.

ALEPH

[1] Psalmus est generis mixti, continens promiscua documenta & preces in singulis ogdoadibus; quæ ordine alphabetico a Davide conscriptæ sunt ad insignem Psalmi doctrinã notandã, & faciliùs memoria cõplectendã: ut observatũ est suprà Psal. 111.1. Continet autẽ hæc prima ogdoas integrum totius psalmi argumentum, nimi-

[1] Beati integri [2] viâ, qui ambulant in lege Jehovæ:
2 Beati custodientes testimonia ejus, ex toto
[a] animo quærentes eum:
3 *Qui* etiam non operantur iniquitatem,
sed in viis ejus ambulant.
4 [3] Tu præcepisti mãdata tua, observari valdè:
5 Utinam [4] comparentur viæ meæ, ad observandum statuta tua:
6 Tunc non erubescam, quum [5] intuebor in
omnia præcepta tua.
7 *Sed* celebrabo te [b] recto animo, discendo
jura justitiæ tuæ:
8 Statuta tua observabo, [6] ne derelinquas
me [7] admodum.

rum thesin sive propositionẽ generalem de fœlicitate bonorũ obsequentiũ Deo, tribus versibus; deinde hypothesin sive accõmodationem singularẽ ad personã supplicis, quinq; cæteris. [2] i. instituto vitæ, quũ illa præceptis Dei conformatur; tum animo, seq. versu; tum factis, vers. 3. sic etiam infrà iter & semita appellatur. [a] *Heb. corde: sic deinceps.* [3] transitio ad hypothesin; in qua Psaltes primũ voto se cõmendat Deo, sequente versu; deinde constantiã, gratias, & obsequiũ spondet, sequentibus. [4] i. providentiã tuã disponantur omnia quæ ad vitam meam benè instituendã pertinent, hoc versu; & ego ipse conserver a te, ver. 8. [5] i. recognoscam & tenebo illa, edoctus a te. [b] *Heb. rectitudine cordis.* [6] i. adsis & custodias; ut dictum est in ver. 5. litotes. [7] i. adeò ut a te desertus maneam.

BETH

[1] hac secunda ogdoade primùm διαλογισμῶς Propheta exponit summam superioris thesis, v. 9. deinde rationes vitæ suæ comparat cum hac regula, & committit Deo. [2] *Heb. in quo.* [2] i. vitam beneficio Dei purgatam per remissionem peccatorũ, vindicare a nova peccati sordibus & puram servare poterit. [3] i. filius & servus Dei, quisquis est. [4] propositio instituti singularis, quo Propheta usus est in animo suo informando: quod beatorum attributum est, suprà, ver. 2. Duo itaque continet; petitionem a Deo ut servi sui studia promoveat, & narrationem studii sui.

9 [1] [a] Quomodo [2] purificabit [3] puer semitam suam? observando *eam* secundùm verbum
tuum.
10 [4] Ex toto animo meo [5] quæro te, ne sinas
me errare [6] a præceptis tuis.
11 In animo meo recondo sermonem tuum,
ut non peccem [b] in te.
12 Tu benedicte Jehova, doce me statuta
tua.
13 [7] Labiis meis recenseo omnia jura oris
tui.
14 De via testimoniorum tuorum gaudeo, ut
superiorum omnibus opibus:
15 De mandatis tuis meditor, & intueor semitas tuas:
16 In statutis tuis me ipsum oblecto, non obliviscor verbi tui.

[5] secundùm verbum tuum, quod partim accepi & recondi in animo meo, ver. 11. partim ampliùs doceri peto, ver. 12. [6] quã viã tu quærendus & consequendus es. [b] *Heb. tibi.* [7] altera pars ogdoadis, expositio studii, qua David ostendit se boni & fidelis discipuli officium facere.

GIMMEL

[1] tertia ogdoas est ἱκετεία, in quã per prolepsin beneficentia Dei imploratur, ver. 17. deinde partes ejus duæ nominatim petuntur; una, ut Deus ipsum ab infirmitatibus & impedimentis naturæ inhærentibus liberet, tribus versibus; altera, ut liberet ab adventitiis malis, quibus piorum animos oppugnat mundus, quatuor versibus. [2] i. mentis meæ.

17 [1] Beneficium confer in servum tuum; *ut*
dum vivo, observem verbum tuum.
18 Retege oculos [2] meos, ut intuear mirabilia
ex lege tua.
19 [3] Peregrinante me in hac terra, ne abscondas a me præcepta tua.
20 *Nam* [a] comminuor ipse, ob desiderium erga jura tua omni tempore.
21 *Tu qui* [4] perdis superbos, maledictos; qui
errant a præceptis tuis,
22 Devolve a me opprobriũ & contemtum,
[5] quia testimonia tua custodio:
23 [6] Tum confidentibus principibus, de me
sermones frequentantibus; servus tuus meditatur [7] de statutis tuis:
24 Tum testimonia tua oblectationes meæ
sunt, [b] consiliarii mei.

quasi dicat, explica me ex ignoratione mea. [3] i. quàm diu vivo peregrè a Domino, 2. Corinth. 5.6. [a] *Heb. comminuitur anima mea.* [4] altera pars ogdoadis, petitio, ut Deus servum suum a contumeliosis liberet, & adversus mundi impetus confirmet: quam petitionem confirmat Psaltes argumento a justitia Dei, hoc versu. quasi dicat, tu semper justè pessumdedisti superbos, & tibi constas in judiciis tuis; jam itaque mihi hoc ipsum beneficium præsta. [5] i. quibus eo nomine ab istis afficior, quia testimonia tua, &c. [6] amplificatio superioris petitionis a constante ipsius officio erga legem Dei. [7] nimirum neglecto fortiter ipsorum probro & contemtu. [b] *Heb. homines consilii mei.*

DALETH

[1] i. dejectus & prostratus sum calamitatibus: metaphora. Est autem quarta ogdoas ἱκετικὰ, qua Psaltes primùm precatur se illustrari & regi verbo Dei, quatuor v.; deinde adversantia verbo Dei deprecatur. Precatur autem argumentis sumtis a præsente malo, hoc versu; a præcedentibus

25 [1] Adhæret pulveri [a] vita mea: vivum serva me secundùm verbum tuum.
26 [2] Vias meas recensentem exaudivisti me;
doce me statuta tua.
27 Fac ut viam mandatorum tuorum intelligam, ut mediter de mirabilibus tuis.
28 [3] Stillat anima mea prę mœstitia, erige me
secundùm verbum tuum.
29 [4] Viam falsitatis amove a me, & legem
tuam gratiosè largire mihi.
30 Viam veritatis eligo, judiciorum tuorum
propone *mihi*,
31 Inhæreo testimoniis tuis Jehova, [5] ne sinas me erubescere.

Dei beneficiis, sequente; postremò a studio animi sui flagrantissimo, versu 27. & 28. [a] *Heb. anima mea.* [2] i. quum me, calamitates meas, animum meum, & vitæ institutum exponens, tuæ fidei committerem. [3] i. velut liquefacta contabescit, adeò in lacrymas effundor: hyperbole. [4] i. ignorationem veræ doctrinæ quæ mihi a natura hæret, lege tua per gratiã adime, his duobus versibus; & libera infirmitate vitæ, ut in vera doctrinæ fide & promto obsequio ambulem; duobus aliis. [5] i. eò infirmitatis prolabi atq; decidere, ut mihi probrosa sit vita mea.

32 Viam

32 Viam præceptorum tuorum percurram,
quum [6] dilataveris animum meum.

[6] i. angustum & ærumnis oppressum spiritum meum ampliaveris, & donorum tuorum capacem effeceris, propter quorum tenuitatem nunc moerore conficitur: sic vocatur amplitudo animi, 1.Reg.4.28.

HE

[1] quinta ogdoas in superiore petitione pergens; qua primùm instrui & informari petit in bono, quatuor versibus; deinde impedimenta deprecatur, reliquis quatuor.
[2] i. tota vita: sic infrà vers. 112.
[3] transitio ad deprecationem sequentem, proposita una specie quæ maximè familiaris est, ut conscendatur ad genus proximè sequente versu.

33 [1] Doce me, Jehova, viam statutorum tuorum; quam custodiam [2] *in* finem *usque*.
34 Fac ut intelligam, ut custodiam legem tuam; observémque eam ex toto animo.
35 Fac ut incedam itinere præceptorum tuorum; nam eo delector.
36 Flecte animum meum ad statuta tua [3] neque *sinas deflecti* ad quæstum.
37 [4] Averte oculos meos, ne [5] respiciant vanum; in viis tuis fac ut vivam.
38 Præsta servo tuo sermonem tuum, qui *addictus est* reverentiæ tui.
39 Averte [6] opprobrium meum, quod reformido; quia jura tua bona *sunt*.
40 [7] Ecce desidero mandata tua, in justitia tua fac ut vivam.

[4] i. studia animi mei avoca ab iis rebus quæ hominibus videntur expetendæ & suspiciendæ, duob. versib. & ab omni maleficio libera, quasi dicat, rege & confirma animum, vitámque meam. [5] i. ad res vanas se convertant, abducti a voluntate tua. [6] i. malum quod bono jussi tuo adversatur, ac proinde jam metuo; deinceps verò probrosum mihi futurum esset: ut suprà dixit vers. 31. [7] conclusio summa petitionis, qua transitur ad votum sequentis ogdoadis.

VAV

[1] sexta ogdoas est ἐπαγγελτικὴ, id est, promissionem continens sive votum grati animi erga Deú, acceptorum beneficiorum nomine. Constat autem professio hæc primùm libera declaratione apud adversarios per spiritum Dei, ver. 41. & 42. deinde vitæ integritate & protestatione apud omnes, tribus sequen. ac postremò sancto ac pio usu apud Deum cum animo suo, ver. 47. & 48.

41 [1] Quúmque obvenerint mihi [2] benignitates tuæ Jehova; salus tua secundùm sermonem tuum:
42 Respondebo probro afficienti me [3] rem; quia fiduciam habeo in verbo tuo.
43 Sed ne abripe ab ore meo verbum [4] [a] verum admodú: quandoquidem jura tua expecto:
44 Et observabo legem tuam jugiter, in seculum & sempiternum:
45 Indesinentérque ambulabo [5] in ipsa latitudine, quia mandata tua quæro:
46 Et loquar de testimoniis tuis coram regibus, neque erubescam:
47 Et me oblectans in præceptis tuis, quæ diligo,
48 [6] Attollam manus meas ad præcepta tua quæ diligo, & meditabor de statutis tuis.

[2] quas ego suprà petii, & tu promisisti. [3] i. non dissimulabo; sed ita planè ut se res habuerit eloquar. [4] i. verissimum; periphrasis. [a] *Heb. veritatis admodum.* [5] i. magna, & regia, sive consulari via: metaphora. [6] i. avidè manum admovens excipiam, evolvam, & pervestigabo mandata tua: metaphora.

ZAJIN

[1] Septima ogdoas primùm petitionem gratiæ Dei continet, vers. 49. deinde documentum & expositionem animi sui constantis, 7. reliquis. De hoc autem recordandi verbo vide Genes. 8.1.
[2] narratio animi consolationem percipientis tum ex promissionibus Dei pios confirmantibus, consolantibus, & recreantibus, 6. versibus; tum ex testimonio bonæ conscientiæ.

49 [1] Recordare verbi cum servo tuo *habiti*, de quo spem fecisti mihi.
50 [2] Hæc *est* consolatio mea in afflictione mea: sermonem tuum vivificare me:
51 Superbis deridentibus me admodum, a lege tua me non declinare:
52 Recordari judiciorum tuorum inde a seculo Jehova, & meipsum consolari:
53 [3] Procella prehendente me ab improbis, desertoribus legis tuæ,
54 Psallendi argumenta esse mihi statuta tua, [4] in loco peregrinationum mearum;
55 Recordari me noctu nominis tui Jehova, & observare legem tuam.
56 Hæc *consolatio* est mihi, me mandata tua custodire.

[3] putà celerrima gravissimàque procella; metaphora: vide psal. 11.6. [4] id est, ubicumque locorum verser in terra; periphrasis terræ: vide Gen. 47.9.

CHETH

[1] octava hæc ogdoas tertium consolationis locum explicat; nimirum orationem animi freti promissionibus Dei, & ad ipsius gratiam in sua infirmitate confugientis. Continet itaque primùm petitionem gratiæ fundatam promissione Dei, hoc & sequen. versu; deinde explicationem & accommodationem duarum partium quæ promissione continentur, nimirum professionem officii quod a nobis stipulatur Deus, a vers. 59. ad 64. & petitionem beneficii promissi, vers. 64.

57 [1] Portio mea *es* Jehova, [2] dico; ut observem verba tua.
58 [3] Deprecor faciem tuam ex toto animo, [4] gratiam fac mihi secundùm sermonem tuum.
59 [5] Reputo vias meas, ut [6] referam pedes meos ad testimonia tua.
60 Festino ac non cunctor, observare mandata tua.
61 Turbis improborum dispoliantibus me; legis tuæ non obliviscor.
62 Media nocte surgo ad celebrandum te, propter jura justitiæ tuæ:
63 Socius sum omnibus qui reverentur te, & observantibus mandata tua.
64 [7] Benignitatis tuæ, ô Jehova, plena est terra; statuta tua doce me.

[2] recolens nempe te dixisse, ego sum Deus tuus; continenter ambula coram me, &c. Genes. 17.1. [3] consc.us videlicet imbecillitatis meæ. [4] i. præsta promissionem propter verbum tuum in Christo, non habita ratione infirmitatis meæ. [5] i. contendo ad præstandam stipulationem tuam pro tenuitate mea: sic explicatur secunda pars versus primi, versibus quinque. [6] i. redeam ad obsequium tuum, abs quo natura defecerat; deponámque veterem hominem cum concupiscentiis ejus, & novum induam. [7] petitio, ut Deus tenuitatis misertus promissioné præstet; ad quam adhibetur argumentú a beneficentia Dei in res omnes creatas.

TET

[1] nona ogdoas similiter εὐκτικὴ continet petitionem documentorum Dei, primùm ab anteacta ipsius beneficentia erga supplicem, hoc vers. deinde a persona supplicis fidem offerentis & indignitatem suam confitentis, duobus seq. tertiò a natura Dei, vers. 68. postremò a bona conscientia, reliquis versibus.

65 [1] Bono affecisti servum tuum Jehova, secundùm verbum tuum.
66 Præstantiam rationis & scientiæ doce me: nam præceptis tuis credo.
67 [2] Quum nondum loquerer, ego errabam: nunc autem sermonem tuum [3] observo.
68 Bonus es & beneficus, doce me statuta tua.
69 [4] Concinnantibus contra me falsitatem superbis, ego ex toto animo custodio mandata tua.
70 [5] Obesatur quasi adipe cor illorum, ego lege tua oblecto me.
71 Bono mihi fuit me affligi, ut discerem statuta tua.
72 Melior *est* mihi lex oris tui, multis millibus *nummûm* aureorum & argenteorum.

[2] i. inde ab ortu meo sum peccator, alienus a lege tua, & filius iræ; sed fide teneo promissiones tuas in animo meo: sic psal. 51.7. [3] nimirum animo; ut Genes. 37.11. [4] explicatio bonæ conscientiæ, quæ non tantùm immota est a calamitatibus, hoc & sequente vers. verùm etiam per illas augescit in notitia & studio voluntatis Dei, duobus reliquis. [5] i. magis ac magis in dies induratur: metaphora: sic Jeschah. 6.10.

JOD

[1] decima ogdoade similiter εὐκτικῶς David institui a Deo petit, primùm propter gloriam Dei, quę tum in salute creaturæ illustris futura est coram omnibus bonis, duobus versibus; tum in præstatione promissionum ejus, vers. 75. & 76. secundò a persona sua, vers. 77. tertiò a persona adversariorum, vers. 78. postremò a persona bonorum, vers. 79. quæ omnia deinde promissione animi grati concluduntur.

73 [1] Manus tuæ fecerunt me & aptaverunt me: redde me intelligentem, ut discam præcepta tua.
74 Timentes tui videant me & lętentur, quòd in verbo tuo exspectationem habeam.
75 Agnosco Jehova, [a] justa esse judicia tua; & te [2] in fide afflixisse me.
76 Adsit jam benignitas tua, ut consoletur me, secundùm sermonem tuum *habitum* cum servo tuo.
77 Obveniant mihi misericordiæ tuæ ut vivam: quia lex tua *est* [b] omnis oblectatio mea.
78 Erubescant superbi, quòd [c] falsis de caussis pervertant me; meditante me de mandatis tuis.
79 [3] Convertantur ad me timentes tui, & cognoscentes testimonia tua.
80 Erit animus meus integer in statutis tuis, ut [4] non erubescam.

[a] *Heb. justitiam.* [2] i. justè, ac non præter verbú tuum. [b] *Heb. oblectationes meæ sit* ℣. 92. [c] *Heb. falsitate: sic infra* ℣. 86. [3] i. adjungant se mihi, cognita & demonstrata per judicia tua æquitatę caussæ meæ: sic Ijobi 6.29. [4] quod eveniret, si a statutis tuis recederem: ut suprà vers. 31. & psal. 44.22.

CAPH

81 [1] Consumitur *desiderio* salutis tuæ anima mea, in verbo tuo expectationem habeo.
82 Consumuntur oculi mei *desiderio* sermonis tui; dicendo, Quando consolaberis me?
83 Quamvis [2] sim similis utri ad fumum; statutorum tuorum non oblitus sum.
84 Quanti *erunt* [3] dies servi tui? quando exercebis in persequentes me judicium?
85 Fodiunt mihi superbi fossas, [a] qui se non conformant legi tuæ.
86 Omnia præcepta tua *sunt ipsa* veritas: falsis de causis persequuntur me, auxiliare mihi.
87 Propemodum consumserunt me *dejectum* in terram: ego verò non dereliqui mandata tua.
88 Pro benignitate tua vivum serva me, ut observem testimonium oris tui.

[1] undecima ogdoade David opē Dei & salutem petit primùm a persona sua, tribus versibus; deinde a persona Dei & adversariorum, quorum improbitatem cum justitia Dei & innocentia sua comparat, versibus quatuor; postremò a voto grati animi, versu 88. [2] id est, arefactus, exhaustus viriditate, & quasi confectus, atque in rugas abiens. [3] i. hoc tempus calamitosum quo premitur servus tuus, quamdiu est duraturum? vide suprà psal. 116,2. [a] *Heb. qui non secundum legem tuam* sunt.

LAMED

89 [1] In seculum ô Jehova, verbum tuum [2] consistit in cælis:
90 [a] In unaquaque generatione fides tua: quum statueres terram, illa constabat.
91 Ad [3] judicia tua perstant hodiè, quia illa omnia *sunt* servi tui.
92 Nisi lex tua *esset* omnis oblectatio mea, [b] jam diu periissem in afflictione mea.
93 In seculum non obliviscar mandatorum tuorum: nam illis vivum conservas me.
94 [4] Tuus sum, conserva me; quia mandata tua quæro.
95 [5] Me expectantibus improbis ad perdendū me, testimonia tua considero.
96 Omni [6] perfectioni video esse finem: [7] latum *verò esse* mandatum tuum valdè.

[1] duodecima ogdoade David salutem a Deo petit duobus argumentis: prius est a natura Dei, constantiáque & efficacitate verbi ejus, usque ad versum 94. posterius a persona sua, reliquis. Efficacitatem verbi Dei explicat primùm universè, a generali cæli & terræ creatione, & administratione, hoc & sequent. versu; deinde a singulari & extraordinaria, vers. 91. postremò a sua ipsius experientia. [2] i. constans & firmum permanet. [a] *Heb. in generatione & generatione.* [3] præstanda nimirū atq; exsequenda. [b] *Heb. tunc.* [4] secundus locus, sive argumentatio petitionis: ut dictū est in versum 89. [5] i. ita constanter quæro atq; considero, ut nullis inimicorū tentamentis avocer, adductus majestate verbi tui; in quo omnia invenio amplissima & perfectionis infinitæ, quantumvis gravibus premar angustiis, vers. sequente. [6] videlicet rerum creatarum. [7] ita ut finis illius videri non possit; id est, infinitum; *μείωσις*.

MEM

97 [1] Quàm diligo legem tuam! toto die est meditatio mea;
98 Inimicis meis sapientiorem [2] me reddit præceptis tuis: nam in seculum adest mihi.
99 Omnibus doctoribus meis intelligentior fio, quia testimonia tua meditatio mea *sunt*.
100 Senibus prudentior sum, quia mandata tua custodio.
101 Ab omni [3] semita mali cohibeo pedes meos, vt observem verbum tuum.
102 A judiciis tuis non recedo, quia tu doces me.
103 Quàm suavia sunt palato meo *judicia* sermonis tui; suaviora melli ori meo.
104 Mandatis tuis prudens sum: idcircò odi omnem semitam falsitatis.

[1] decimatertia ogdoade, David occasione sumta ab amplitudine verbi quam modò commendaverat, rapitur in duas exclamationes; quibus celebrat amorem suum erga verbum Dei, primùm propter præstantiam scientiæ & intelligentiæ quam supra omnes est consequutus ex meditatione & studio illius, quatuor versibus; deinde propter præstantiam usus quem percepit ex verbo, cæteris. [2] lex tua informans in præceptis tuis. [3] ut supr. vers. 1.

NUN

105 [1] Lucerna pedi meo verbum tuum *est*, & lux itineri meo.
106 Juravi quod præstabo, me observaturum jura justitiæ tuæ.
107 Afflictus sum admodum; Jehova, vivum conserva me secundùm verbum tuum.
108 [2] Voluntarias oblationes oris mei accepta quæso Jehova, & jura tua doce me.
109 [3] Anima mea in manu mea jugiter *versante*, tamen legis tuæ non obliviscor:
110 Ponentibus improbis laqueum mihi, a mandatis tuis non aberro.
111 Possideo testimonia tua in seculum: quia gaudium animi mei sunt.
112 Inclino animum meum ad faciendum statuta tua; in seculum, [4] *in* finem *usque*.

[1] decimaquarta ogdoade, David ad petitionem regreditur salutis & gratiæ, vers. 107. & sequen. ad quam consequendam adhibet argumenta tria; unum, promissionis Dei & efficacitatis per spiritum, demonstratæ verbo, hoc versu; alterum, studii sui & animi constantissimi ad obsequendum Deo, sequent. versu; tertium, miseriæ suæ, vers. 107. qui loci deinde copiosius exponuntur, vers. 109, & sequentibus. [2] Lotationes meas & gratiarum actiones, q. d. serva me propter laudem tuam, quam salute accepta celebrabo; syllepsis, sive noēma. [3] id est, quamvis ego verser in præsentissimis periculis: sic 1. Schem. 28.21. & Ijobi 13.14. [4] vide suprà vers. 33.

SAMEC

113 [1] Cogitationes *alias* odi, legem autem tuam diligo.
114 Latebra mea & scutum meum es, in verbo tuo expectationem habeo.
115 Recedite a me malefici, ut custodiam præcepta Dei mei.
116 Sustenta me secundùm sermonem tuum, ut vivam; neque pudefacias me ab expectatione mea.
117 Suffulci me ut salvus sim, & respiciam ad statuta tua jugiter.
118 Conculcas omnes errātes a statutis tuis: quia [2] falsus *est* dolus eorum.
119 [3] *Tamquam* scoriæ, facis ut cessent omnes improbi terræ; [4] idcircò diligo testimonia tua.
120 Horret pavore tui caro mea; adeò a judiciis tuis [5] timeo.

[1] decimaquinta ogdoade David pergens in petitione, opem Dei salutémque implorat, ver. 116. & sequent. ideóque primùm studium suum exponit Deo, & adversariis objicit, tribus primis ver. deinde se ipsum confirmat a judiciis Dei; severis quidem in malitiosos, gratiosis verò erga eos qui se ipsos dijudicant, ne cum mundo condemnentur, tribus ultimis versibus ogdoadis. [2] hoc est, inanis, vana est hypocrisis, quæ suos ipsius concinnatores frustratur. [3] i. verbo tuo, & afflictionibus, judiciisque tamquam igne, consumis & abjicis: sic Jeschah. 1.25. & Malachi 3.3. [4] quia latebra & scutum es diligentibus te, improborum verò justus judex. [5] q. d. non quidem a præsentia tua metuo, ut Adam Gene. 3. nam contrà, illam mihi adesse expeto; sed ab infirmitate mea, ne provocem judicia tua: sic ponitur eleganter *ἐπανόρθωσις* eorum quæ suprà dixerat; Horret pavore tui.

HAJIN

121 [1] Exerceo [2] judicium & justitiam: ne permittas me oppressoribus meis.
122 [3] Obi vadimonium pro servo tuo in bonum; ne opprimant me superbi.
123 Oculi mei consumuntur *desiderio* salutis tuæ, & sermonis [a] justi tui.
124 Fac erga servum tuū secundùm benignitatem tuam, & statuta tua doce me.
125 Servus tuus sum, prudentem me redde; ut cognoscam testimonia tua.
126 Tempus est ut faciat Jehova; [4] irritam faciunt legem tuam.
127 [5] Propterea amplius diligo præcepta tua, quàm aurum & *quidem* aurum purgatissimum:
128 Propterea *quòd* omnia mandata de omnibus [b] recta agnosco, omnem semitam falsitatis odi.

[1] decimasexta ogdoade, quæ tota est [illegible], David postulat primùm servari a malo, duobus versibus; deinde affici bonis & instrui verbo, tribus sequent. idque tum a persona sua, cujus obsequium, fidem, & studium explicat sparsim; tum a persona Dei & adversariorum, vers. 126. [2] i. æquo & bono faciendo operam dedi quo testimonio confirmatur animus meus de electione & vocatione mea. [3] id est, compare, & te ipsum siste coram adversariis meis, suscipiens causam meam: metaphora ab usu forensi. [a] *Heb. justitiæ tuæ.* [4] eò audaciæ proruperunt adversarii mei, ut non tantùm contra me, sed contra verbum ipsum tuum apertè veniant, & illud labefactare tentent. [5] ætiologia cur David informari petat in cognitione legis nimirum quòd legem bonam & sanctam esse novit; se autem ultrò diligere bonum, & malum odisse profitetur. [b] *Heb. rectifico.*

PE

129 [1] Mirabilia *sunt* testimonia tua: idcircò custodit ea anima mea.

[1] decimaseptima ogdoas continet primùm professionem studii erga doctrinam Dei, tribus versibus; deinde petitionem, quatuor versibus; postremò expostulationem de adversariis contra legem venientibus, ver. 136. studii autem causæ afferuntur duæ; una, admirabilitas legis altera, efficacitas, de qua Psal. 19.

[a] Heb. janua.
[1] id est, omnibus nervis contendo ut assequar: metaphora ab anhelis & fessis viatoribus.
[3] petitio gratiæ, hoc versu: cujus triplex effectus sequentibus demonstratur; informatio vitæ, ver. sequente. liberatio ab angustiis, vers. 134. & documenta verbi per spiritum, ver. 135.

130 [a] Aditus verborum tuorum illuminat, prudentiâ instruit simplices.
131 [2] Os meum distendo, & anhelo: quia præceptorum tuorum cupidus sum.
132 [3] Respice ad me, & gratiâ fac mihi; prout *est* jus erga amantes nomen tuum.
133 [4] Pedes meos institue in sermone tuo, & [5] ne sinas dominari in me ullam iniquitatem.
134 Redime me ab oppressione hominum, ut observem mandata tua.
135 Fac ut præluceat facies tua servo tuo, & doce me statuta tua.
136 [6] Rivi aquarũ descendunt *ex* oculis meis, propter *eos qui* non observant legem tuam.

[4] i. rationem vitæ meæ: metaphora. [5] i. me a viis tuis abducendo in me eam dominium obtinere: etsi volentibus nobis facere bonum adjacet malum, & peccatum habitat in carne nostra: vide Rom. 7. [6] i. effundor in lacrymas, non tantùm mea, sed etiam improborum causa quorum misereor, ut infra ver. 139. & omniũ maximè legis tuæ causa, quam violari fero indignissimè.

TZADE

[1] decimaoctava ogdoade David viam vitæ ex verbo doceri petit, a justitia, integritate, fide, constantia, & utilitate verbi.
[a] Hebr. justitiam testimoniorum tuorum & fidem: hypallage.
[2] i. non agnoscant.
[3] rex Schaül, proceres, & magnates regni quibuscum se ut parvum, tenuem, & contemtum comparat, duobus versibus sequentibus.

137 [1] Justus es Jehova, & rectus judiciis tuis.
138 Præcepisti [a] justa testimonia tua, & fidelia valdè.
139 Conficit me zelus meus, quòd [2] obliviscantur verbi tui [3] hostes mei.
140 Purgatus *est* sermo tuus valdè; quapropter servus tuus diligit ipsum:
141 Parvus ego & contemtus mandatorum tuorum non obliviscor,
142 Justitiæ tuæ justitiæ [b] perpetuæ, & legis tuæ [c] veracis.
143 Oppressione & angustia obvenientibus mihi, præcepta tua *sunt* oblectationes meæ.
144 Justitia testimoniorum tuorum *est* in seculum: prudentem me effice ut vivam.

[b] *Heb. in seculum.* [c] *Heb. veritatis.*

KOPH

[1] decimanona ogdoade David salutem a Deo petit, primùm a persona sua, quæ obsequium spondet, duobus versibus; & præsens studium explicat, duobus alteris; deinde a persona Dei benignissima, præsentissima, constantissimáque in verbo suo, versibus quatuor reliquis.
[2] i. constituisse ut sint æterna: nam hic versus exegeticè finem superioris explicat.

145 [1] Invocantem ex toto animo exaudi me Jehova, *ut* statuta tua custodiam.
146 Invocantem te serva me, *ut* observem testimonia tua.
147 Veniens ante *te* in ipso crepusculo ut vociferer, in verbo tuo spem habeo.
148 Præveniunt oculi mei excubias, ad meditandum de sermone tuo.
149 Voci meæ ausculta secundùm benignitatem tuam, Jehova: secundùm judicia tua vivum conserva me.
150 Appropinquantibus sectatoribus sceleris, *qui* a lege tua longè absunt;
151 Propinquus es Jehova, & omnia præcepta tua *sunt* veritas.
152 Pridem novi de testimoniis tuis, te [2] in seculum fundasse ea.

RESCH

[1] vigesima ogdoade David salutem petit, primùm a persona sua, æquitate causæ, & æquitatis studio, duobus versibus, quæ causa amplificatur per comparationem adversariorum, ver. 155. deinde a persona Dei, cujus misericordia, benignitate, & fide judiciorum fretus, se constanter salutem expectare testatur, quinq; reliquis.

153 [1] Respice afflictionem meam, & libera me: quia legis tuæ non obliviscor.
154 [a] Suscipe causam meam, & vindica me: pro sermone tuo vivum conserva me,
155 *Ita ut* [b] procul sit ab [2] improbis salus: quia statuta tua non quærunt:
156 Miserationes tuæ amplæ *sunt* Jehova, secundùm judicia tua vivum conserva me.
157 *Ut* multi sint persequentes me & hostes mei, a testimoniis tuis non declino.
158 Simul ac video perfidè agentes, fastidio me ipsum torqueo; quòd sermonem tuum non observent.
159 Vide me mandata tua diligere, Jehova; secundùm benignitatem tuam vivum conserva me.
160 [c] Præstantissimum verbum tuum *est* [3] ipsa veritas: & in seculum *est* quodque judicium [d] justum tuum.

[a] Heb. *contende contentionem meam.* [b] *Heb. procul abessendo ab improbis salutem.* [2] id est, adversariis causam iniquam agentibus.

[c] *Heb. caput sive præstantia verbi tui: hypallage, ut Exod. 30. 23.*
[3] i. certissimum est, fidelissimum, & constantissimum: ut sequentia explicant.
[d] *Heb. justitia tua.*

SCHIN

[1] vigesimaprima ogdoade David primùm constitutionem animi sui erga Deum & verbum ejus explicat; qua continentur metus, oblectatio, amor, laus, & exspectatio, sex versibus, deinde vitæ confirmationem atque obsequium.
[2] non autem a principibus absterretur.
[3] i. sæpenumerò: numerus finitus pro infinito, ut Levit. 26. 18.

161 [1] Principibus persequentibus me immeritò, [2] a verbo tuo pavet animus meus.
162 Gaudeo de sermone tuo, ut qui invenit prædam amplam:
163 Falsitatem odi & abominor, legem tuam diligo.
164 [3] Septies quotidie laudo te, [4] de judiciis justis tuis;
165 Pacem multam esse diligentibus legem tuam, neque esse eis [5] offendiculum.
166 Exspecto salutem tuam Jehova, & præcepta tua facio.
167 Observat anima mea testimonia tua, diligóque ea valdè.
168 Observo mandata tua ac testimonia tua; quia [6] omnes viæ meæ coram te sunt.

[4] quorum summa sequent. versu continetur. [5] quod ipsis pacem adimat. [6] id est, tu vides, agnoscis, instituis, & curas vitam meam.

THAV

[1] ultima ogdoade David doceri, juvari, & servari a Deo petit, primùm propter gloriam Dei, usq; ad versum 173. deinde propter fidem suam in promissiones Dei, ver. 173. & sequent. postremò concludit psalmum generali petitione opis Dei ad gloriam ipsius & salutem suam, duobus vers. ultimis.
[a] *Heb. justitiam.*
[2] nimirum præ rebus omnibus.

169 [1] Appropinquet clamor meus ante faciem tuam, Jehova; secundùm verbum tuum prudentem redde me.
170 Perveniat deprecatio mea ante faciem tuam; secundùm sermonem tuum eripe me.
171 Eructabunt labia mea laudem, quum docueris me statuta tua.
172 Cantabit lingua mea sermonem tuum, omnia præcepta tua [a] justissima esse.
173 Adsit manus tua ad auxiliandum mihi; quia mandata tua [2] eligo:
174 Desidero salutem tuam Jehova, & lex tua *est* [b] omnis oblectatio mea.
175 Vivat anima mea, ut laudet te; & judicia tua auxilientur mihi.
176 [3] Erro ut pecus [4] quæ perit, [5] require servum tuum: nam [6] præceptorum tuorum non obliviscor.

[b] *Heb. oblectationes meæ.* [3] i. incerta sede huc & illuc vagari cogor. [4] i. quæ procul a grege & pastore suo vagatur errabunda; ut sequentia verba ostendunt. [5] ut pastor amissam pecudem: ut Luc. 15. 4. [6] id est, audio vocem tuam, ut ovis tua; Joan. 10. 3. & sequentibus.

PSALMUS CXX.

David rex narrat liberationem divinitùs a suis calamitatibus: orationémque commemorat qua apud Deum questus est de calumniis, persequutionibus & exsulio suo.

[1] CAnticum [a] excellentissimum. Ad Jehovam in maxima angustia mea clamavi, & exaudivit me.
2 [2] Jehova, eripe [b] me [3] a labio [c] falso, a lingua dolosa.

[1] Canticum est generis [illegible], continens narrationem, ver. 1. & orationem, sequentibus. Narrat autem David quomodo conflictans cum gravissimis difficultatibus in exsulio suo Deum inclamaverit, & fuerit exauditus: ex quo apparet Psalmum hunc a Davide jam evecto ad regnum conscriptum esse. [a] *Hebr. excellentiarum: sic psalmis 14. sequent.* [2] hujus orationis partes sunt, petitio ad Deum, hoc versu; reprehensio adversariorum Davidem calumniis obruentium, duobus sequentibus, & postremò flebilis expostulatio, tribus ultimis. [b] *Heb. animam meam.* [3] i. sermonibus improborum Davidem apud regem Schaülem traducentium, ut ipse cum Schaüle expostulat, 1. Schem. 24. & 26. [c] *Heb. falsitatis.*

4 i. quid proderit tibi: apostrophe. 5 i. maximè lethalia, & præsentissimam mortem afferentia, adeoq; obvium quicquid est conflagrantia. 6 quæ dicuntur esse ardentissimę & vivacissimæ: quemadmodum Hieronymus scribit Fabiolæ mansione decimaquinta. sed quid si ad similitudinem doli accommodes? odora sunt in speciem verba tua, prout est odora juniperus: sed non eo minùs urunt, quin potiùs magis fallunt imprudentem. 7 expostulatio de ingrata habitatione, quòd extra regionem promissam habitare cogeretur, hoc versu; & de intolerantia eorum ad quos se recipiebat, sive in Cenaḥanæa, sive in regionibus externis, duobus sequent. d *Hebr. protractionis* peregrinatione, *i. tam longo & continente exsulo*. 8 i. indesinenter vagari & errare cogor, ut incolæ Arabiæ desertæ & petrææ faciunt: sic autem accipere præpositionem Cum, magis placuit; tum quia nusquam legitur David in tantis, tam frequentibus, & variis errationibus ad regiones illas profugisse, tum quia sic accipitur aliis locis; ut Ijobi 3.13. & psal. 143.7. e *Heb. cum tentoriis Kedaris: hypallage.* 9 sic Lampridius vocat, Plinius Kedræos in Arabia Petræa; a Kedare Jischmaḥelis filio, cujus fit mentio Genes. 25.3. f *Heb. habitavit sibi: pleonasmus: ut Gen. 11.33.* 10 i. homines infensos mihi: enallage numeri. 11 exegesis superioris versus.

3 [4] Quid datura est tibi, quídve adjectura
tibi lingua dolosa,
4 *Verba* [5] *similia* sagittis robusti acutis, comparanda [6] prunis juniperorum?
5 [7] Hei mihi, quia peregrinor [d] tam diu,
[8] habito [e] tamquam scenitæ [9] Kedareni.
6 Plurimùm [f] habitasse videtur sibi anima
mea, apud [10] osorem pacis.
7 [11] Ego pacem *diligo*: at quum loquor, ipsi
ad bellum *conclamant*.

PSALMUS CXXI.

David conflictum animi sui in periculis exponens, ad Deum conversa oratione se committit ei, & confirmat in fide promissionum ejus.

1 Canticum est didascalicum, continens propositiones tres: prima est disceptatio animi cōflictātis cum multis calamitatibus, ver. 1. secunda, oratio animi ex disceptatione sua emergentis, & ad fidem in Deum sese erigentis, ver. 2. & 3. tertia est confirmatio erecti animi a promissionibus Dei, ver. 4. & sequentibus.

[1] Canticum [a] excellentissimum. [2] Attollerem
oculos meos ad istos montes? [3] unde veniret auxilium meum?
2 [4] Auxilium meum *sit* a Jehova, qui fecit
cælos & terram.
3 [5] Ne permittat [b] [6] dimoveri pedem tuum,
ne [7] dormitet [8] custos tuus.
4 [9] Ecce non dormitat, neque dormit custos
Jisraëlis.
5 Jehova custos tuus; Jehova umbra tua
[10] *est* ad manum dexteram tuam.
6 Interdiu sol non percutiet te, aut luna noctu.
7 Jehova servabit te ab omni malo, servabit
animam tuam.
8 Jehova servabit [c] [11] processum tuum &
reditum tuum, ex hoc tempore usq; in seculum.

a *Heb. excellentiarum: ut psal. præcedente.* 2 i. frustrà huc illuc circumspectarem ad consequendam opem: nam rationem habet Cenaḥanææ, quæ montosa est; ut dictum est Exo. 15.17. 3 q. d. quocumque me convertero, nulla ex parte nisi a Deo salutem consequuturus sum. 4 oratio superantis certamen animi; qua David se committit Deo propter naturam, opera, & officium ejus ex gratuita promissione in Christo. 5 explicatio auxilii divini, quod David per apostrophen precatione sibi accommodat. b *Heb. dimotioni.* 6 i. titubare, labi, vel corruere te: synecdoche. 7 i. tantillum cesset ab auxilio tuo: humanitùs dictum, ut sequentia. 8 Deus, ex promissione ad quam transitur seq. versu. 9 promissionis Dei explicatio: qua docetur primùm præsentissima illius efficacita, duobus ver. deinde constantissima, reliquis. 10 ut psal. 16.8. c *Heb. procedere tuum, & venire tuum.* 11 i. omnes occupationes tuas: ut Num 27.17.

PSALMUS CXXII.

David Ecclesiæ studiis & officioso cultu Dei recreatus, lætitiam suam prædicat: urbis, Ecclesiæ, & regni totius statum commendat: omnibus benè precatur, & omnia bona a se spondet.

1 Canticum est εὐχαριστικὸν sive gratulatorium; quo David arca Dei recepta in civitatem suam, & Ecclesia constituta, gratulatur sibi & Ecclesiæ toti de hac benedictione Dei: itaque primùm proponit lætitiam suam & illius causas, usque ad ver. 6. deinde omnes cohortatus benè precatur Ecclesiæ, & suum officium erga illam constanter profitetur, ad finem usque. a *Hebr. excellentiarum: ut psal.* 120. 2 propositio lætitiæ qua utitur David, duas habet causas; una est studium quod suo tempore in fidelibus animadvertit, hoc versu; altera, effectus illius studii, cultus Dei assiduus, ver. sequente. b *Hebr. de dicentibus mihi.* c *Hebr. consistentes sunt: qua loquutione notatur in agendo frequentatio: ut Gen. 4.17.*

[1] Canticum [a] excellentissimum Davidis.
[2] Lætor [b] de eo quod dicitur mihi, domum
Jehovæ adeamus:
2 *Quòd* [c] consistunt pedes nostri intra portas vestras, ô Jeruschalaima:
3 [3] Jeruschalaima [d] [4] optimè constructa,
[e] civitas [5] quæ planè coagmentata est inter se
pariter:
4 Quò ascendunt tribus, [6] tribus Jah, [7] *ad*
testimonium Jisraëlitarum; ut celebrent nomen
Jehovæ:
5 Quia ibi consident [8] throni juris, throni
[9] domus Davidis.
6 [10] Expedite [11] pacem Jeruschalaimorum,
dicentes; tranquilli sint amantes tui:
7 Sit pax in præmunitione tua, tranquillitas
in palatiis tuis.
8 Propter fratres meos & amicos meos; eloquor nunc, pax *sit* in te.
9 Propter domum Jehovę Dei nostri, [f] procurabo bonum tibi.

3 ergasia, sive exornatio superiorum causarum ad lætitiæ amplificationem, a laudibus civitatis, hoc versu; Ecclesiæ, ver. sequente; & regni tum spiritalis tum terreni, ver. 5. d *Hebr. construc̄tissima.* 4 ut ostenditur 2. Schem. 5.9. & 1. Chron. 11.8. e *Heb. plane civitas cui coagmentatum est pariter.* 5 i. non tantum ædium structura oppidorum, religione, & administratione differens, (nam tria fuerant oppida, religio verò & administratio duplex, populi Dei & Jebusæorum) sed omnibus modis coagmentata, junctis opidis, hoc versu; religione animorum, sequente; & singulari administratione, ver. 5. 6 i. tribus populi Dei. 7 i. ad arcam testimonii, de qua Exod. 25.21. & 22. 8 i. juridica omnis administratio tum Ecclesiastica, tum civilis; prout mandaverat Deus Deut. 17.8. & sequentibus. 9 i. regni Davidis, cujus complementum Christus. 10 altera pars Psalmi, qua primùm omnes cohortatur David ad conferenda vota, duobus versibus: deinde nominatim ipse idem officium pollicetur Ecclesiæ & Deo, in fine. 11 i. privatam, publicam, intùs & foris: ut sequentes loquutiones ostendunt. f *Hebr. requiram.*

PSALMUS CXXIII.

Ecclesia gravissimè pressa se ad Deum erigit, gratiam implorat, & hostibus Dei malè precatur.

1 Canticum est εὐκτικὸν, continens propositionem duobus versibus, & petitionem, duobus: propositione ostendit Psaltes, quomodo & quantisper sit aditurus Deum: petitione verò postulat primùm gratiam Ecclesiæ fieri, ver. 3. deinde ærumnas impiis hostibus Dei & Ecclesiæ imponi, ver. 4. a *Hebr. excellentiarum: ut suprà* 120. 2 id est, Deus omnipotens: periphrasis. 3 id est, opem & auxilium; non dubitantes de fide, adjumento, & defensione illorum. 4 i. indesinenter atque importunè: ut Lucæ 18. in principio. b *Hebr. satura est sibi: sic suprà* 120.6. 5 imprecatio: alterum petitionis membrum: ut Psalmo 79.6. sic autem accipiendum esse hunc locum voces & distinctiones apertè clamant. 6 id est, qui præsenti suæ tranquillitati confidentes ea abutuntur, & ludificantur nos superbè in calamitatibus nostris.

[1] Canticum [a] excellentissimum. Ad te attollo
oculos meos, ô *tu* [2] qui sedes in cælis.
2 Ecce ut oculi servorum *spectant* [3] ad manum dominorum suorum, ut oculi ancillæ ad
manum heræ suæ; ita oculi nostri ad Jehovam
Deum nostrum, [4] donec gratiam fecerit nobis.
3 Gratiam fac nobis Jehova, gratiam fac
nobis; quia satis *est*, saturi sumus contemtu.
4 Plurimùm [b] saturata est anima nostra:
[5] ista sanna [6] tranquillis ipsis, iste contemtus *obveniat* superbis.

PSALMUS CXXIIII.

Ecclesia mirificas Dei liberationes a conatibus mundi prædicans, benedicit Deo, & se in posterum de ope illius confirmat.

1 Canticum est didascalicum, quo David Ecclesiæ totius nomine omniumq; temporum, primùm narrat mirificas liberationes effectas a Deo, versibus quinque; deinde benedicit Deo propter liberationes suas, ver. 6. & 7. postremò concedit prædicationem gratiæ & opis Dei constantissimæ, ver. ultimo. a *Heb. excellentiarum: ut suprà* 120. b *Hebr. nisi Jehova quod adfuisset: trajectio: sic versu seq.* 2 i. populus Dei: ut ad Galatas 6.16. 3 hyperbola allegorica. c *Heb. transiisset super animam nostram: sic seq. vers.* 4 *Psal.* 121.2.

[1] Canticum [a] excellentissimum Davidis.
[b] Nisi Jehova adfuisset nobis, dicat nunc
[2] Jisraël;
2 Nisi Jehova adfuisset nobis, quum insurgerent contra nos homines;
3 [3] Tunc vivos absorbuissent nos, exardescente ira eorum in nos:
4 Tunc illæ aquæ inundassent nos, torrens
[c] superavisset nos:
5 Tunc superavisset nos *torrens* aquæ superbissimæ.
6 Benedictus Jehova, qui non exposuit nos
prædæ dentibus eorum.
7 Anima nostra ut avicula erepta est a laqueo aucupantium, laqueo effracto nos erepti
sumus.
8 [4] Auxilium nostrum in nomine Jehovæ,
qui fecit cælos & terram.

PSALMUS CXXV.

Psaltes stabilitatem Ecclesiæ prædicat, & instabilitatem afflictionum ejus: Deumq; orat pro sanctificatione illius & prosperitate, improbis ejectis.

1 CAnticum a excellentissimum. 2 Qui confidunt Jehovæ; 3 similes *sunt* monti Tzijonis:
qui non dimovetur, in seculum permanet.
2 Ut Jeruschalaima montes circumstant, ita
Jehova 4 circumstat populum suum; ex hoc tempore usque in seculum.
3 5 Nam 6 non quiescet virga 7 improbitatis,
super 8 sortem justorum; 9 ut non extendant justi
ad ullam iniquitatem manus suas.
4 10 Benefac Jehova bonis, & rectis ex b animis suis:
5 11 Qui autem inclinant *animos suos* ad *itinera* tortuosa sua, c 12 amandet eos Jehova cum iis
qui dant operam iniquitati, 13 pax *sit* super
Jisraëlem.

1 Canticum est mixtum; partim didascalicum ad consolationem Ecclesiæ, tribus versibus; partim κατευκτικόν, duobus ultimis. a Heb. excellentiarum: ut suprà Psal. 120. 2 prioris partis didascalicæ loci sunt duo: unus, de firmitate Ecclesiæ, quæ fundata esse dicitur & circummunita virtute Dei sempiterna, duobus versibus; alter, de instabilitate improborum, si quando videtur Deo Ecclesiam suam per illos castigare, ver. 3. 3 i. ædificati sunt super petram, quam nullæ procellæ ac ne inferorum quidem portæ superabunt, Matth. 7.24. & 16.18. 4 i. circumquaque protegit: ut suprà Psal. 5.13. & 34.8. & 91. & Zecarjæ 2.9. 5 occupatio ad objectionem, atqui videmus Ecclesiam malis persæpè expositam: est quidem exposita, inquit Psaltes; sed tamquam ad momentum, ita ut ipsis calamitatibus fundamentum & defensio piorum efficiatur illustrior. 6 i. non permanet: sed paulo momento transfertur, & liberantur boni, 1. Cor. 10.13. Hoc autem econtrariò sibi arrogantes improbos, & refellentem Deum inducit Jesch. 28.15. & seq. 7 i. improborum, hypocritarumq; a quibus & propter quos Ecclesia Dei ferè exercetur, & quorum meminit Psaltes, ver. 5. 8 i. Ecclesiam, & hæreditatem piorum. 9 i. ut possint sufferre, pietate & sanctimonia integra: prout loquitur Paulus 1. Corinth. 10.13. 10 petitio, altera pars psalmi. b Heb. cordibus. 11 i. hypocritas in Ecclesia versantes. quasi dicat, Ecclesiam suam sanctificet & purget ab omni malo: quo genere imprecationis usus est suprà Psal. 123. c *Heb. faciat ut abeant illi.* 12 i. ejectos ex Ecclesia malè perdat: ut Matth. 21.41. & Lucæ 12.46. 13 id est, ut benè sit Ecclesiæ bonorum, sublatis improbis.

PSALMUS CXXVI.

Ecclesia admirabilem sibi & gentibus liberationem suam a Deo factam prædicat, eamdemq; optat ab illo perfici.

1 CAnticum a excellentissimum. 2 Quum reduceret Jehova multitudinem captivorum
3 Tzijonis, 4 eramus velut qui somniant.
2 Tunc 5 impletum est risu os nostrum, &
lingua nostra cantu; b tum 6 dictum est inter gentes, c magnifica Jehova efficit *opera* erga istos.
3 Magnifica Jehova efficit erga nos, sumus
læti.
4 7 Reduc Jehova, multitudinem captivorum nostrorum; 8 tamquam validissimas *aquas reducens* in regionem siccam.
5 9 Qui seminârunt cum lacrymis, cum cantu metant.
6 *Qui* portans d 10 acquisitum semen, e indesinenter ibat flendo; *is* f omnino redeat cum cantu, reportans manipulos suos.

1 Hujus cantici (quod temporibus Cyri factum esse videtur promulgato illius edicto de reversione Judæorum) partes sunt duæ; narratio, tribus vers. & precatio ut Deus reditum secundet, tribus reliquis. a Heb. excellentiarum: ut suprà 120. 2 in narratione magnificatur opus Dei, duobus argumentis: primum est ab insperato & incredibili liberationis modo, quem priùs admirati sunt quàm agnoscerent pii, ver. 1. deinde a communi populorum testificatione, ver. 2. ex quibus conficitur gloriosa illa lætitia & prædicatio Judæorum, ver. 3. 3 i. Ecclesiæ Jehudæorum: synecdoche. 4 i. videbamur nobis somniare; tanta fuit liberationis admirabilitas: & vix dum nobis persuasimus, donec vidimus gentes prædicare magnificam liberationem nostram, & nobis ministrare: Hezræ 1. 5 i. confirmati & exhilarati sumus; ut exponit ver. 3. synecdoche. b *Heb. tum dixerunt: ut Ijob 7.* 6 i. ipsæ gentes agnoverunt & prædicaverunt. c *Heb. magnificat Jehova efficiendo: sic v. seq. vide Gen. 12.8.* 7 petitio, ut Deus cœptam liberationem perficiat: quæ duabus allegoriis elegantibus exprimitur. 8 comparatio, qua Propheta gratiam Dei liberantis cum fluentis, populū verò cum terra siticulosa comparat; & gratia Dei irrigari petit quam nemo possit avertere. 9 altera allegoria, qua populus in captivitatem abductus egentibus agricolis & semen ad alimoniam suam necessarium terræ committentibus comparatur; rediens verò lætis messoribus ex copiosa messe. d *Heb. acquisitionem seminis.* 10 i. aliunde comparatum prece vel pretio: sic notatur egentissimus agricola, & cum populo captivo comparatur. e *Heb. eundo ibat & flendo.* f *Heb. redeundo redeat.*

PSALMUS CXXVII.

Psaltes nihil posse aut comparari, aut conservari, ac ne genus quidem propagari docet sine benedictione Dei; ac proinde omnia ab illo exspectanda esse.

1 CAnticum a excellentissimum pro Schelomone. Nisi Jehova 2 ædificet domum, frustrà laborent ædificatores ejus de ea: nisi Jehova custodiat civitatem, frustrà sedulus sit custos:
2 Frustrà *sint* vobis b 3 qui summo diluculo
surgant, qui tardè sedeant, qui 4 vescantur cibo
dolorum: 5 ita dat 6 dilecto suo somnum.
3 7 Ecce possessio 8 Jehovæ *sunt* filii: merces
est fructus ventris.
4 9 Ut sagittæ ad manum robusti, ita sunt
c pueri.
5 Beatus vir ille qui 10 impleverit pharetram
suam illis: 11 non erubescent, sed 12 perimient inimicos in porta ipsorum.

1 Canticum est didascalicum: quod videtur David paulò ante mortem suam pro Schelomone filio conscripsisse, ut perpetuum hoc haberet documentum fidei in tota administratione sua: continet itaque documenta duo; unum, de privata & publica rerū administratione, duobus versibus: alterum, de singulari generis propagatione, tribus reliquis: quæ omnia David a Dei benedictione exspectanda docet. Quamobrem nos reddidimus pro Schelomone: ut Psalm. 72.1. a *Heb. excellentiarum: ut suprà* 120. 2 i. benedictione verbi sui adsit ædificantibus. b *Heb. diluculantes surgere, tardantes sedere.* 3 i. operarii vel custodes laboriosissimi, qui nullo pacto suæ quieti aut cibo indulgeant, sed omnes nervos diligentissimè contendant & indesinenter ad perficiendum munus suum. 4 i. qui ne cibum quidem capiant tranquillè, animo a labore, solicitudine, & metu vacuo. 5 *ἀνταπόδοσις* brevissima, ac propterea obscurior: sensus est, Deus ædificat & custodit tutissimè, quemadmodum dictum est, quietemq; liberam ab omnibus impedimentis concedit ei quem diligit, & qui de dilectione ejus confirmatus se committit ei. 6 paronomasia ad alterum Schelomonis nomen de quo 2. Schem. 12.25. 7 alterum membrum, ut dictum est in vers. 1. 8 i. data a Jehova, ut posteà appellatur merces: sic Gene. 15.1. Sunt autem in hoc loco tres benedictionis gradus: generationis, hoc versu; educationis ingenuæ atque morigeræ, seq. versu; & fructus qui ex liberis benè institutis percipitur, versu ultimo. 9 id est, pueri benè instituti sunt optimum patrisfamilias instrumentum, ut sagittæ tersæ sunt apta instrumenta militi. c *Heb. filii pueritiæ: periphrasis.* 10 i. se iis liberis instruxerit: allegoria. 11 i. non cedent inimicis, sed superabunt ipsos, & possidebunt portam inimicorum suorum: ut promittitur Gene. 22.17. 12 ut hoc verbum ita interpretemur, postulat ratio allegoriæ, constructio, & simile exemplum 2. Chron. 29.10.

PSALMUS CXXVIII.

Psaltes piorum fœlicitate proposita, demonstrat quàm grato animo sit percipienda benedictio Dei publica in Ecclesiam, & privata in pios singulos.

1 CAnticum a excellentissimum. Beatus quisque timens Jehovæ, qui ambulat in viis ejus.
2 Labore enim manuum tuarum b fruêris;
beatus eris, & benè erit tibi.
3 Uxor tua ut vitis fructifera 2 ad latera domus tuæ; filii tui 3 ut plantæ olearum, cirumstabunt mensam tuam.
4 4 Ecce quum ita benedicatur vir timens
Jehovæ:
5 Benedicit tibi Jehova 5 e Tzijone: 6 fruere
igitur bono Jeruschalaimorum omnibus diebus
vitæ tuæ.
6 Et c respice natos filiis tuis; 7 pax *est* super
Jisraëlem.

1 Canticum est didascalicū, quo Psaltes primùm generatim benedictionem Dei erga pios prædicat tribus versib. deinde speciatim quasi in rem præsentem ducit fideles singulos, a præsente sua & Ecclesiæ experientia, tribus reliquis. a *Heb. excellentiarum: ut suprà Psal.* 120. b *Heb. vesceris: synecdoche.* 2 i. ut pergulana vitis, quæ ad maceriam apposita sit fructuosior, ita fœcundabitur uxor benedictione Dei. 3 i. virides & semper frondentes augescent. 4 altera pars, qua excitantur pii ad cognoscendas & percipiendas benedictiones Dei, tum publicas Ecclesiæ, sequente versu, tum singulares erga se, versu 6. 5 i. ab Ecclesia in qua habitat, benedictione perfundens Ecclesiam, & te ipsum in Ecclesia. c *Heb. respice: synecdoche.* 6 i. singularem Dei benedictionem percipe erga familiam tuam, vita longæva, & fœcunda prole. 7 Conclusio epiphonematica, de prosperitate perventura ad universum corpus & singula membra ipsius.

PSALMUS CXXIX.

Ecclesia suas afflictiones a mundo & liberationes a Deo prædicat, funestumq; adversariorum exitium.

1 CAnticum a excellentissimum. 2 Multùm affecerunt me angustiis inde a pueritia mea,
3 dicat nunc Jisraël:

1 Canticum est didascalicum; quo Ecclesia docet, primùm se gravissimè ab hostibus oppressam, a Deo liberatam esse, quatuor versibus; deinde hostium & improborum omnium ruinam prædicat, reliquis. a *Heb. excellentiarū: ut suprà* 120. 2 prior pars cantici exponens mala Ecclesiæ, tribus versib. & liberationem, v. 4. 3 id est, agnoscat semper & prædicet salutem suam, & ruinam adversariorum, nimirum tantisper dum præsens tempus durat.

2 Multùm affecerunt me angustiis inde [4] a
pueritia mea; etiam non prævaluerunt mihi.
3 Super tergum meum araverunt [5] aratores,
[6] produxerunt quamque strigarum suarum.
4 Jehova justus, [7] truncavit [8] densos funes
improborum.
5 [9] Erubescent & agentur retrorsum, omnes
osores Tzijonis.
6 Erunt tamquam fœnum tectorum, quod
[10] antè quàm [b] exseratur *falx*, exaruit.
7 [11] Quo non implet manum suam messor,
aut lacertum suum, qui manipulos facit:
8 Neque dicent qui transeunt; benedictio
Jehovæ adsit vobis, benedicimus vobis in nomine Jehovæ.

[4] id est, ab orbe condito, quum cœpit Ecclesia esse, quæ allegoricè cum homine uno comparatur, hic; & cum arvo, versu 3. [5] i. hostes, quibus Deus tamquam administris utitur ad sarciendum, arandum, & colendum Ecclesiam suam. [6] id est, nullam partem agri Dei intactam reliquerunt, quin summo labore effoderent. [7] id est, quamvis valida & firma consilia, conatus, opera illorum, idq; nullo negotio dissecat, quum opus est, ad asserendam justitiam suam. [8] quibus aratrum trahebant in dorso Ecclesiæ: sic perstat in allegoria. [9] secunda pars cantici de funesto adversariorum casu, duobus versibus; jejunitate sive sterilitate illorum ex maledictione Dei, versu 7. & contemtu, versu ultimo: quæ omnia similiter allegoriis a re rustica sumtis exprimuntur. [10] id est, statim exarescit, non exspectato tempore fœnisecii: allegoria prior fœni sive graminis; ut Ijobi 11.12. [b] *Heb. exserat vel extrahat.* [11] posterior allegoria a segetibus.

PSALMUS CXXX.

Psaltes sibi maximas liberationes obtigisse narrat invocanti Deum, ideòque se Deo confidere: & Ecclesiam ad fiduciam eandem hortatur promissionibus.

1 [1] Canticum [a] excellentissimum. Ex [2] profunditatibus [3] inclamavi te Jehova, *dicens:*
2 [4] Domine, ausculta voci meæ: sint aures tuæ intentæ ad vocem deprecationum mearum.
3 [5] Si iniquitates observaveris, Jah, Domine, quis possit consistere?
4 [6] Nam apud te *est* condonatio, [7] ut reverenter colaris.
5 [8] Exspectavi Jehovam, exspectavit anima mea: [9] etiam in verbo ejus exspectationem habeo.
6 [10] Animus meus erga Dominum *studiosior est*; quàm excubiarum erga matutinum, [11] excubantium ad matutinum usque.
7 [12] Exspectationem habeat Jisraël in Jehova; quia apud Jehovam *est* benignitas, & plurimum apud eum [13] redemtionis:
8 Et ipse redimet [14] Jisraëlem, ab omnibus iniquitatibus ejus.

[1] Canticum est didascalicum, quo Propheta primùm historiam suam narrat, sex versibus; deinde Ecclesiam informat in fide ab exemplo suo, duobus ultimis. In historia autem sua primùm res anteactas exponit, vers. quatuor; deinde præsentem constitutionem animi sui a præcedentibus experimentis, versu 5. & 6. Quamobrem hic psalmus appositissimè superiori subjectus videtur. [a] *Heb. excellentiarum: ut suprà* 120. [2] id est, profundissimis & immanibus periculis: metaphora ab aquis, ut Psal. 69. [3] vide similem planè narrationem Psalm. 116. [4] summa orationis quam habuit Psaltes in afflictionibus; cujus partes sunt duæ; petitio salutis, hoc vers. & causa petitionis, duobus sequentibus. [5] ætiologia petitionis. quasi dicat, benefac nobis non propter nos, hoc vers. sed propter gloriam tuam, versu sequente. [6] id est, habeto rationem gloriæ tuæ, quæ versatur tum in fide & veritate promissionum tuarum, tum in cultu ejus; quæ duo planè intercciderent, si iniquitates nostras observaret Deus, & nos judicio suo perderet. [7] id est, ut condonatione tua conserventur qui te colunt: noëmatica paralepsis, ut vers. sequen. [8] & exspectationem meam consequutus sum: paralepsis: sic transitur ad alteram narrationis partem de præsente prophetæ animo, quasi dicat, experientia mea effecit spem, quæ nunquam pudefaciet me: Roman. 5.4. [9] nimirum ut antè habui, & beneficia inde consequutus sum. [10] id est, magis desidero frui Deo, quàm ulli excubitores matutino, utcumque vigiliis defessi. [11] id est, perpetuarum excubiarum, quibus nemo successerit; sed quæ per totam noctem vigilaverint. [12] secunda pars cantici, continens documentum fidei in Deum, hoc versu; & promissionem confidentibus, sequente versu. [13] proficiscentis ex benignitate ejus. [14] quæ exspectationem suam in Jehova habuerit.

PSALMUS CXXXI.

David demissum suum animum simplicémque professus, Ecclesiam ad humilitatem, simplicitatémque cohortatur.

1 [1] Canticum [a] excellentissimum Davidis. Jehova, [2] non fuit altus [b] animus meus, neque elati oculi mei; ac non aggressus sum *res* magnas aut [c] arduas suprà quàm conveniat mihi.
2 An non composui & sedavi animũ meum, similis depulso a lacte apud matrem suam? similis depulso a lacte apud me *fuit* animus meus.
3 [3] Exspectationem habeat Jisraël in Jehova, ex hoc tempore usque in seculum.

[1] Canticum est didascalicum quo Psaltes primùm animi sui simplicitatem exponit, duobus versibus; deinde Ecclesiam hortatur ad imitationem sui, vers. 3. [a] *Heb. excellentiarũ; ut sup. Psal.* 120. [2] id est, neque animo, neque signis, neque facto aspiravi ad regnum & Schaulis eversionem, aut aliud quicquam ingens ex me ipso tentavi; sed certa fiducia recubui in te, & acquievi voluntati tuæ. [b] *Heb. altior.* [c] *Heb. mirabiles præ me.* [3] id est, meo exemplo nunquam alat ingentes spiritus; sed a divina voluntate pendeat.

PSALMUS CXXXII.

David arcam Dei ducturus Jeruschalaiama solicitudinem suam, votum, officiumq; exponit Deo: orat ut Deus veniat in civitatem suam, & regno, sacerdotio, populóque benefaciat: ideóque promissiones antè a Deo factas adducit.

1 [1] Canticum [a] excellentissimum. [2] Memor esto, Jehova, Davidis; [b] cum tota [3] afflictione ejus:
2 [4] Jurasse Jehovæ, vovisse amplissimo [5] *Deo* Jahakobi, *dicendo:*
3 *Dispeream*, si ingrediar tentorium [6] domus meæ, si conscendam spondam [7] stratorum meorum;
4 [8] Si dem somnum *suum* oculis meis, palpebris meis dormitationem:
5 Donec invenero locum pro Jehova, *locum* tabernaculorum pro amplissimo *Deo* Jahakobi.
6 [9] Ecce audiveramus [10] eam *fuisse* [11] in Ephratæa regione, inveneramus eam in agris [12] Jaharis:
7 [13] Accedimus ad tabernacula ejus; incurvamus nos *honorem exhibentes* antè scabellum pedum ejus.
8 [14] Surge Jehova, aditurus requiem tuam; tu & arca roboris tui.
9 [15] Sacerdotes tui induantur justitia, & [16] quos benignè accipis cantent;

[1] Canticum est ἐυκτικὸν constans ex partibus duabus: una est oratio sive petitio, usque ad vers. 11. altera est ætiologia petitionis exponens promissiones Dei, inde ad finem usque. Videtur autem hic Psalmus conscriptus fuisse, quum arca ex domo Hobededomi deducenda esset Jeruschalaima: 1. Chro. 15. [a] *Heb. excellentiarum: ut suprà* 120. [2] i. demonstra te meminisse & respicere ad Davidem, studiumq; animi ejus contentissimum approbare præstando petitionem ejus: ut Gen. 8,1. Est autem hic prolepsis sive generalis petitionis propositio, cujus duæ partes in sequentibus per ὑπόφορασιν explicantur. [b] *Heb. cum toto affligi eum.* [3] i. anxia animi solicitudine, quæ deinceps exponitur usque ad versum 6. [4] expositio afflictionis, ut modo dictum est. quasi dicat, ego semper versor in eadem solicitudine quam habebam antequam in Huzzam irrumperes, nimirum, ut arca fœderis adducatur ad me: & quod prius tibi jurejurãdo adhibito voveram, idem votum adhuc integrum perstare sentio; etsi me jam priùs hoc desiderio afflictum, ampliùs aliquantisper tua irruptione in Huzzam conturbasti atque afflixisti, 2. Schem. 6. & 1. Chro. 13. [5] cujus simile votum benedictione tua comprobasti, Gen. 28. [6] quam recens ædificandam curavi in civitate Davidis: ut ostenditur 1. Schem. 5.9. & 1. Chro. 15.1. Nam non fuit adeò arrogans Dauid, ut voto suo se legem putaret posse Deo præscribere, ut quum primùm veniret arbitratu ipsius; neque adeò temerarius, ut sponderet se sub dio habitaturum, non cubaturum, & noctes insomnes ducturum donec apportaretur arca; quod opus fuit multorum dierum: sed religio fuit illi migrare in novum domicilium suum, nisi priùs Deus ibidem suam sedem constituisset. Similis posteà religio illi fuit, quum de templo ædificando cogitaret; ut testantur ipsius non absimilia ad Nathanem verba, 2. Schem. 7.2. [7] quæ in novo domicilio comparata sunt. [8] nimirum in mea domo. [9] ἐργασία sive exornatio alterius membri prolepseos: in qua David primùm narrat officium suum præteritum, hoc versu; & præsens, sequente; deinde exponit petitionem suam, tribus versibus. [10] nimirum arcam, quæ nominatur infra ver 8. Relativum ante suum antecedens ut alibi. [11] i. Schilunte, in tribu Ephrajimi; ubi asservata est inde a temporibus Jehoschuhæ, usque ad obitum Heli sacerdotis, dum a Pelischthæis capta est 1. Schem. 4.11. [12] sive sylvæ, id est, in urbe Jahharimorum, quæ in loco plano & sylvoso sita est: quamobrem a sylvis dicta est Kirjath-Jeharim, id est, urbs sylvarum; a planitie verò dicitur Bahal, vel Bahala, vel Kirjath-bahal, atque etiam Bahales Jehudæ, id est, plana loca; hic verò agri sive campi. [13] in domum Hobed-Edomi, ubi relicta fuerat arca, quum David judicio Dei in Huzzam exercito fuisset consternatus 2. Schem. 6.10. & 1. Chron. 13.13. [14] petitio, de qua vide 2. Chron. 6.41. Continet autem hæc petitio precationem pro domicilio Dei, & piorum sanctificatione, duobus versibus; & deprecationem iræ quam in priore deductione fuerant experti, ver. 12. [15] id est, administri sacrorum, qui se sanctificârunt ritè, ampliùs sanctificentur a te: sic accommodat ad singularem hanc profectionem promissum illud Dei, de quo infrà vers. 16, confer cum 1. Chro. 15. [16] id est, populus tuus: 1. Chro. 15.18.

10 Propter [17] Davidem servum tuum, ne a-
vertas faciem [18] uncti tui.
11 [19] [f] Juravit Jehova Davidi [20] veritatem, a
qua non avertet se, *dicens*; De fructu ventris tui
ponam in solio tuo.
12 Si observaverint filii tui fœdus meum &
testimonia mea singula quæ docebo eos, etiam
filii illorum usque in sempiternum, sessuri sunt in
solio tuo.
13 [g] Nam elegit Jehova Tzijonem, expetivit
pro habitatione sua, *dicens*:
14 Hæc *est* requies mea usque in sempiter-
num; hîc habitaturus sum, quia hoc expetiveram.
15 [21] Viatico ejus [c] affatim benedicam, egen-
tes ejus saturabo cibo:
16 Sacerdotésque ejus induam salute, & quos
in ea benignè accipio, [d] omnino cantabunt *illi*.
17 Ibi efficiam ut [22] germinet cornu Davidis,
ubi aptavi [23] lucernam uncto meo.
18 Inimicos ejus induam [24] pudore; super ip-
sum verò [25] florebit coronamentum ejus.

17 i. Christum filium Davidis, qui subinde in Prophetis appellatur Davidus Hosch. 3. 5. proprium nomen loco patronymici. 18 i. meam, qui unctus sum in Christo tuo per Schemuelem ex mandato tuo, 1. Schem. 16. His autem verbis paratur transitus ad sequentem ætiologiam; qua copiosè explicatur quod modò dictum est, propter Davidem servum tuum, q. d. propter quem jurasti, &c. quæ in seq. vers. apponuntur. 19 altera pars cantici; explicatio promissionum, quibus freta fides ad orandum Deum superioribus verbis adducta est. [f] 2. *Schem.* 7. 12. 1. *Reg.* 8. 25. & 2. *Chro.* 6. 16. 20 id est, promissionem firmissimam & constantissimam: ut sequentia verba exponunt. Sunt autem hujus promissionis loci quatuor: gentis Davidicæ æternitas, duobus versibus; urbis & regionis sanctificatio ex præsentia Dei, vers. 13. & duobus seq. sacerdotiū, V. 16. & regnum florentissimum, duobus ult. [g] *Psal.* 78. 68. 21 id est, rebus necessariis ad præsentem vitam, quæ peregrinatio est a Domino. [c] *Heb. benedicendo benedicam.* [d] *Heb. cantando cantabunt.* 22 i. amplientur & propagentur vires regni: metaphora ab animantibus quorum ramosa sunt cornua. 23 id est, ubi jam cœpi instituere dignitatem & splendorem regium: ut 2. Schem. 21. 17. & 1. Reg. 11. 36. 24 id est, pudendo exitio, quod saluti opponitur, ver. 16. 25 id est, florens permanebit, nec marcescet unquam: metaphora, ut superiore versu.

PSALMUS CXXXIII.

David communionem sanctorum celebrat; & elegantibus comparationibus figurat bona, amœnitatémque illius.

1 CAnticum [a] excellentissimum Davidis. [2] Ec-
ce quàm bonum & quàm amœnum *est*,
habitare [3] fratres [4] etiam unà.
2 [5] *Est* ut unguentum illud optimum superfu-
sum capiti, descendens super barbam, barbam A-
haronis; quod descendit usque ad oram [6] vesti-
um ejus:
3 [7] Ut ros [8] Chermonis, *ut* qui descendit su-
per montes Tzijonis: [9] nam illic mandat Jeho-
va [10] benedictionem suam, vitam usque in se-
culum.

1 Canticum est didascalicum, quo Propheta communionē sanctorum celebrat, a bonitate & amœnitate ejus. [a] *Heb. excellentiarum: ut suprà* 120. 2 propositio proleptice continens duo epitheta cōmunionis sanctorum, quæ per ὑπέρθεσιν Hebræis familiarem posteà explicantur. 3 id est, filios Dei, Ecclesiæ membra, ejusdem doctrinæ & vitæ participes in Christo. 4 id est, etiam inter se communionem colere, ut Deus cum ipsis colit præcedente Psalmo. est enim communio sanctorum duplex, cum Deo, & cum Ecclesia. 5 expositio amœnitatis per comparationem, de qua vide Exod. 30. 23. & seq. quasi dicat, ut amœnum est oleo unctionis perfundi Aharonem totum, omniaq; vestimenta ejus, & omnibus circumstantibus odori esse; ita amœnum est corpus convenientium in nomine Dei, quos Deus certissimè sua præsentia ornat, & donis spiritus odoratissimis. 6 de quibus Exod 28. 7 explicatio bonitatis; quæ primùm adumbratur duabus comparationibus, posteà nudis verbis exponitur. 8 quo ager Baschanis fertilis redditur. 9 nimirum ubi fratres habitant etiam unà, vers. 1. 10 id est, omne bonum cum remissione peccatorum, & vitam æternam.

PSALMUS CXXXIIII.

Psaltes Ecclesiam totam hortatur ut benedicat Deo, adjunctis promissionibus.

1 CAnticum [a] excellentissimum. [2] Ecce benedi-
cite Jehovæ omnes servi Jehovæ; qui per-
statis in domo Jehovæ [3] singulis noctibus.
2 [4] Attollite manus vestras [5] [b] sanctè, & be-
nedicite Jehovæ.
3 [6] Benedicet tibi Jehova e Tzijone, qui fe-
cit cælos & terram.

1 Canticum est ἐυχαριστικὸν, continens primùm hortationem ad corpus Ecclesiæ ut benedicat Deo, duobus versibus; deinde promissionem, ultimo. [a] *Heb. excellentiarum: ut suprà* 120. 2 quasi dicat, quum tuum, ô Ecclesia, corpus ita sit adunatum in Christo, & tantis benedictionibus cumulatum, ut superiore psalmo dictum est; agedum, benedicite Jehovæ, tum vos Sacerdotes & Levitæ, hoc versu, tum populus totus, seq. 3 id est, non tantum interdiu, sed etiam noctu observatis observationes ejus, ut Num. 18. 1. & seq. & 1. Chro. 9. 33. 4 id est, orate & gratias agite: hortatio ad Ecclesiam totam. 5 aut etiam sanctas, ut 1. Tim. 2, 8. [b] *Heb. sanctitate.* 6 id est, perget ornare gratos animos vestros sua illa benedictione, de qua superiore Psalmo vers. ultimo.

PSALMUS CXXXV.

Psaltes Ecclesiam hortatur ad laudandum Deum, omnipotentiæ in res creatas & inimicos ipsos, bonitatisq; erga Ecclesiam nomine: quæ omnia per comparationem idolorum gravissimè amplificat.

1 [a] HAlelu-Jah. Laudate nomen Jehovæ, lau-
date servi Jehovæ:
2 [2] Qui statis in domo Jehovæ, in atriis do-
mus Dei nostri.
3 Laudate Jah, quia [3] bonus *est* Jehova: psal-
lite nomini ejus, quia amœnum *est*:
4 [f] Quia Jahakobum sibi elegit Jah, Jisraë-
lem in peculium suum.
5 Nam ego novi magnum esse Jehovam, &
Dominum nostrum superiorem omnibus diis.
6 [b] [4] Quicquid placet sibi, Jehova facit; in
cælis ac in terra, per maria & omnes abyssos.
7 Faciens ut ascendant vapores ab [5] extre-
mitate terræ; fulgura cum pluvia facit, depromit
ventum [6] e thesauris suis.
8 [ll] Qui percussit primogenita Ægypti, [c] tam
hominum quàm jumentorum:
9 *Quum* immisisset signa & prodigia in me-
dium tui, Ægypte; contra Parhonem & contra
omnes servos ejus.
10 [l] Qui percussit gentes amplas, & interfe-
cit reges robustos:
11 Sichonem regem Emoræorum, & Hogum
regem Baschanis; omniaq; regna Cenahanæorū:
12 [7] Et dedit terram eorum possessionem, pos-
sessionem Jisraëli populo suo.
13 O Jehova, nomen tuum *est* in seculum; Je-
hova, [8] memoria tui in [d] quamque generati-
onem.
14 [9] *Quòd* si judicat Jehova populum suum,
mox de servis suis pœnitet ipsum.
15 [10] [f] Terriculis gentium argenteis & aureis,
operi manuum humanarum,
16 Os illis *est*, sed non loquuntur; oculi *sunt*
illis, sed non vident:
17 Aures *sunt* illis, sed non audiunt; etiam nul-
lus *est* spiritus in ore illorum.
18 Similes illis futuri sunt qui faciunt illa,
quisquis confidit illis.
19 [11] Domus Jisraëlis benedicite Jehovæ, do-
mus Aharonis benedicite Jehovæ:
20 Domus Leviticæ *tribus* benedicite Jehovę;
timentes Jehovæ benedicite Jehovæ, *dicendo*:
21 Benedictus *sit* Jehova e [12] Tzijone, inha-
bitans Jeruschalaimis. Halelu-Jah.

1 Ode est ἐπιστρεπτικὴ, continens primùm exordium hortatorium ad laudationem Dei, tribus versibus; deinde propositionem argumentorum ad laudes Dei pertinentium: a ver. 3. ad 15. posteà exornationem a cōparatione idolorum & idololatrarum, a ver. 15. ad 19. postremò cōclusionem ejusdem argumenti cum exordio, ad finem usque. [a] *id est, laudate Jah: ut Psal.* 104. 35. 2 i. Sacerdotes, Levitæ, & populus, quibus sua atria erant: ut 2. Chro. 4. 9. 3 propositio summa argumentorum ad laudes Dei pertinentium: nimirum Deum natura sua bonum & amœnum esse, hoc vers. talemq; se exhibere suis, ver. sequente; potentissimum verò, etiam exteris, ver. 5. quæ duo posteà copiosiùs exponuntur per ὑπέρθεσιν. [f] *Exod.* 19. 5. [b] *Heb. quicquid placet Jehovæ, facit: ut Gene.* 9. 6. 4 explicatio posterioris membri prolepseos de omnipotētia Dei, tum in rebus omnibus creatis, duobus versibus; tum in hostibus Dei & populi ipsius demonstrata, a ver. 8. usque ad 12. 5 una ad alteram. 6 id est, specubus & locis abditis, in quibus velut thesauris continet ventos Deus. [ll] *Exo.* 12. 29. [c] *Heb. ab homine usque ad jumenta.* [l] *Deut.* 2. & 3. *Jehosch.* 12. 7 explicatio prioris membri de bonitate & amœnitate Dei erga populum suum; quæ non tantùm in hac traditione terræ posita est, sed in constante beneficentia, quam per exclamationem enunciat Psaltes, sequente ver. 8 i. documenta memoriæ tuæ, quæ tradis populo tuo. [d] *Hebr. generationem, & generationem.* 9 i. si justo suo judicio interdum castigat: occupatio objectionis quæ fieri potuit, Deum non semper indulgere Ecclesiæ suæ, sed graviter flagellare: cui objectioni respondetur, si non semper indulget, at non semper verberat; sed suorum misertus ferulam abjicit, & paternè suos recipit, quasi pœniteret ipsum duriter cum illis egisse: humanitùs dictum, ut Gen. 6. 6. 10 exornatio superiorum documentorum, a comparatione potentiæ Dei cum impotentia idolorum, tribus versibus; & exitus bonorum cum exitu idololatrarum, ver. 18. de terriculis autem vide 1. Schem. 31. 9. [f] *Psal.* 115. 4. 5. & 6. 11 conclusio ut dictum est suprà in vers. 1. singulos ordines nominatim hortans. 12 id est, ubi aspectabilem præsentiam suam constituit, in Ecclesia.

PSALMUS

PSALMUS CXXXVI.

Psaltes hortatur Ecclesiam ad prædicandas Dei laudes propter beneficentissimam naturam & majestatem ipsius, benignáque opera in creatione, administratione, & conservatione rerum omnium, ac inprimis Ecclesiæ demonstrata.

1 CElebrate Jehovam, quia bonus *est*; quia in seculum *est* benignitas ejus.

2 Celebrate [a] Deum Deorum, quia in seculum *est* benignitas ejus.

3 Celebrate Dominum dominorum, quia in seculum *est* benignitas ejus:

4 [3] Eum qui facit mirabilia opera magna solus, quia in seculum *est* benignitas ejus.

5 [‖] Qui fecit cælos [4] intelligentiâ, quia in seculum *est* benignitas ejus:

6 Qui expandit terram [5] super aquas, quia in seculum *est* benignitas ejus:

7 Qui fecit lumina magna, quia in seculum *est* benignitas ejus:

8 Solem ad dominium *obtinendum* interdiu, quia in seculum *est* benignitas ejus:

9 Lunam cum stellis ad dominia *obtinenda* noctu, quia in seculum *est* benignitas ejus.

10 [6] [‖] Qui percussit Ægyptios in primogenitis illorum, quia in seculum *est* benignitas ejus:

11 Et eduxit Jisraëlem e medio illorum, quia in seculum *est* benignitas ejus:

12 Manu robusta & brachio extento, quia in seculum *est* benignitas ejus.

13 [‖] Qui secuit mare algosum [7] in segmenta, quia in seculum *est* benignitas ejus:

14 Et transmisit Jisraëlem per medium illius, quia in seculum *est* benignitas ejus:

15 Excussitq; Parhonem & copias illius in mare algosum, quia in seculũ *est* benignitas ejus.

16 [‖] Qui duxit populum suum per desertum; quia in seculum *est* benignitas ejus.

17 [‖] Qui percussit reges magnos, quia in seculum *est* benignitas ejus.

18 Et interfecit reges magnificos, quia in seculum *est* benignitas ejus:

19 Sichonem regem Emoræorum, quia in seculum *est* benignitas ejus:

20 Et Hogum regem Baschanis, quia in seculum *est* benignitas ejus.

21 Deditq; terram [8] istorum in possessionem, quia in seculum *est* benignitas ejus:

22 Possessionem Jisraëli [9] servo suo, quia in seculum *est* benignitas ejus.

23 [10] Qui in abjectione nostra recordatur nostri, quia in seculum *est* benignitas ejus:

24 Et asserit nos ab hostibus nostris, quia in seculum *est* benignitas ejus.

25 Qui dat cibum [11] omni carni, quia in seculum *est* benignitas ejus.

26 Celebrate *Deum* fortem cælorum, quia in seculum *est* benignitas ejus.

1 Ode est ἐπαινετικὴ, continens propositionem hortatoriam ad laudes Dei, primùm a natura benefica & summa majestate ejus, tribus versibus; secundò ab operibus admirabilibus, inde usque ad ver. 26. & conclusionem hortatoriam ejusdem argumenti cum principio. Est autem hæc ode ἀντίστροφος, sive singulos versus eadem clausula terminans; ut doceatur tum laudum nostrarum, tum operum Dei omnium fontem esse unicum benignitatem Dei: quod documentum quia perpetuum est, propterea hæc ode quotidie in vetere Ecclesia ab Levitis cantata est, 1. Chro. 16. 41. a vide Deut. 10. 17. 3 alterum membrum propositionis de laudatione Dei ab operibus ipsius: quæ hoc quidem ver. proleptice ponuntur, deinde verò distribuuntur in opera creationis, usque ad ver. 10. & opera administrationis, usque ad ultimum. ‖ *Gene. 1.* 4 i. sapientissimè & intelligentissimè: sic Pro. 3. 9. 5 ut suprà Psal. 24. 2. 6 alterum genus operum ad laudem Dei pertinentium, nimirum benigna ipsius administratio, tum singularis cōtra inimicos Ecclesiæ suæ, & erga Ecclesiam ipsam, extra ordinem & ordinariè, usque ad ver. 25. tum universalis erga omnes propter benignitatem ipsius, ver. 25. ‖ *Exo. 12. 29. & seq.* ‖ *Exod. 14. 21.* 7 utrinque disparato mari, Exo. 14. 22. ‖ *Exo. 15. & seq.* ‖ *Nu. 21. 24.* 8 & Cenaħanæorum omnium; ut dictum est superiore Psal. ver. 10. & 11. synecdoche. 9 i. quem in fidem suam recepit, ut sibi serviat. 10 transitio ad ordinariam administrationem Dei beneficentissimam, tum erga Ecclesiam, duobus versibus; tum erga creaturas omnes, ver. 25. 11 & rebus creatis omnibus consulit, synecdochicè.

PSALMUS CXXXVII.

Sacerdotes & Levitæ captivi ad sacras cantiones cantandas sollicitati, renuunt, in luctu permanent, Edomæisq; & Babyloniis severissimum Dei judicium imprecantur atque denunciant.

1 AD [2] flumina Babyloniæ [3] ibi sedentes etiam *atque etiam* flevimus; quum recordaremur Tzijonis:

2 Ad salices [a] in ea, suspendimus [4] citharas nostras:

3 [5] Quamvis ibidem peterent a nobis [b] cantiones lætas qui captivos abducebant nos, & qui [6] contumulabant nos; *dicentes*, canite nobis de [c] canticis Tzijonis.

4 [7] Quomodo fuissemus cantaturi [8] canticum Jehovæ, [9] in solo alienigenarum?

5 [10] Si oblivișcar vestri, ô Jeruschalaima; [11] obliviscatur *sui* dextera mea.

6 [12] Adhæreat lingua mea palato meo, si non [13] recorder tui: si non [d] [14] eveham Jeruschalaima supra caput lętitiæ meæ.

7 [15] Recordare Jehova, [16] contra [e] Edomæos [17] diei Jeruschalaimorum: qui dicebant; [18] nudate, nudate; quantisper fundamentum ejus *erit* in ea.

8 [f] [19] Gens Babylonica vastanda; beatus *sit*, qui repẽdet tibi maleficiũ tuum quo affecisti nos:

9 Beatus, qui [20] prehendet; & dissipabit parvulos tuos *allidens* ad petram.

1 Canticum est generis mixti, didascalicum, & εὐκτικόν, cujus partes sunt tres: prima est narratio ludificationis qua hostes in Jisraëlitas captivos utebantur, tribus ver. secunda, confirmatio facti piorum in gravibus illis tentationibus, ver. 4. 5. & 6. postrema, imprecatio & internunciatio judiciorum Dei, tribus ult. 2 i. monarchiæ Babylonicæ: nam Jehudæi non in solam Babyloniam propriè dictam abducti sunt, sed dispersi in ditionem Babylonicam: ut ex Jechezkele, Danijele, & Hezra constat evidentissimè. 3 i. ad vada consistentes, donec trajecissent omnes. a *Heb. in medio ejus.* 4 i. instrumenta musica nostra abjecimus, & omne canendi studium: synecdoche. Hinc autem videntur Psalmum hunc pii Sacerdotes & Levitæ conscripsisse, ad institutionem & confirmationem Ecclesiæ. 5 i. ne illorum quidem auctoritati paruimus quorum eramus mancipia, ut vel tantillùm dissimulato luctu ipsis in ea re gratificaremur, & sacras cantiones prophano abusu contaminaremus. b *Heb. verba cantici, & contumulatores nostri verba lætitiæ.* 6 id est, & gentem nostram, & habitationes nostras, urbemq; & templum Dei nostri in funestum & miserabilem tumulum redegerant: ut Psal. 79. synecdoche. Sic autem Hebræum nomen interpretamur adducti germano illius etymo, superiorisq; membri & totius argumenti consideratione. c *Heb. cantico: enallage numeri.* 7 confirmatio facti piorum, cur suis hostibus morem non gesserint; cujus partes sunt, ætiologia, hoc versu; & κατάρα sive devotio sui ipsorum, si ab officio suo discederent, duobus seq. 8 prior ratio silentii piorum, a cantionum genere, quas sacras Deo esse agnoscunt, non autem prophanas, ad libidinem inimicorum Dei abutendas. 9 secunda ratio. q. d. non est hujus loci, neque temporis: nam cantica illa ad cultum Jehovæ in Ecclesia aspectabili pertinentia fuerunt tantùm in terra quam sanctificaverat, decantanda. 10 alterum membrum confirmationis, nimirum devotio, quasi dicat, dispeream si fecero; absit a me tam indignum facinus, ut quasi oblitus vestri cantica lætitiæ canam. 11 id est, fiat abalienata atque emortua, potiùs quàm ut canam: metaphora. 12 i. potiùs exarescat quàm ut cantet istorum arbitratu: qua in re perinde facerem, ac si Tzijonis & Jeruschalaimorum oblivișcerer. 13 i. perpetuo luctu meam de te recordationem testatam faciam. d *Hebr. faciam ut ascendent Jeruschalaima.* 14 i. pluris faciam urbem sanctam quàm lætitiam ullam quæ mihi vel maxima offerri possit, & recordatione luctuosa illius omnem materiam recreationis & exhilarationis studiosè obliterem. Est enim caput lætitiæ, præstantissima quævis lætitia, per hypallagen Hebræis frequentatam. 15 tertia pars odes respiciens adversarios, & continens primùm imprecationem, hoc vers. deinde propheticam denunciationem gravissimæ illorum ruinæ. 16 ut Psal. 79. 12. horum autem insanam debacchationem in templum, urbem, & populum Dei vide Jirmeja 49. 7. & Jechezk. 25. 12. prædictionem verò ruinæ ipsorum ibidem, & Lament. 4. 21. e *Heb. filios Edomi.* 17 calamitosi quo eversa sunt: ut Psal. 116. 2. 18 id est, subruite ad ima fundamenta usque; ne fundamentorum quidem vestigia relinquite. in Edomæos autem contrariam denunciationem vide Mal. 1. 2. f *Heb. filia Babyloniæ vastata, id est, quæ certissimè vastaberis.* 19 prophetica denunciatio ruinæ Babylonicæ, cum exclamatione benè optante illis per quos ruina Babyloniorum erat eventura: de quo Jeschah. 13. & Jirmejæ 50. & 51. 20 id est, qui severissimè in te judicia Dei exercebit pro atrocitate maleficiorum suorum: ut Jeschah. 13. 16.

PSALMUS CXXXVIII.

David Deum celebrat propter benignum verbum & opera ejus erga se: a gentibus suo exemplo celebratum iri docet, ac postremò se committit Deo.

1 ODe Davidis. Celebrabo te ex toto [a] animo meo, [2] coram [b] potestatibus psallam tibi.

2 Incurvabo me *honorem exhibens* versus templum sanctitatis tuæ, & celebrabo nomen tuum, [3] propter benignitatem tuam & propter fidem tuam: [4] quia magnificas cum toto nomine tuo sermonem tuum.

1 Ode est generis mixti, ἐπαινετικὴ & εὐκτικὴ: constat itaq; duabus partibus, laudatione Dei, usq; ad ver. 7. & petitione, duobus ult. Laudatio autem duplex est; una, singularis a Davide, tribus versib. altera, cōmunis omnium gentiũ quæ ad Christi regnum vocandæ erant, inde ad ver. 7. a *Heb. corde.* 2 i. publicè, ne apud ullos quidem proceres dissimulabo: ut Psal. 107. 33. & 119. passim: quomodo accipiendum esse docet ℣. 4. b *He. diis.* 3 ut sup. Psal. 115. 1. 4 ætiologia, vel potius exegesis proximè precedentis ætiologiæ propter benig. t. & p. f. t. nã benignitate magnificatur nomen Dei, fide veritas sermonis asseritur, quo nos instituit Deus.

3 [5] Quo die clamavi, eodem exaudivisti me; [6] fecisti ut efferret me animo meo robur.

4 [7] Celebrabunt te Jehova, omnes reges terræ; quum audierint [8] sermones oris tui:

5 Et canent de viis Jehovæ; magnam esse gloriam Jehovæ:

6 Quamvis elatus sit Jehova, tamen depressum [9] aspicere; quamvis altus, e longinquo pernoscere.

7 [10] Si ambulo in media angustia, vivum conservas me: [11] in faciem inimicorum meorum extendis manum tuam, & servat me dextera tua.

8 Jehova perficiat pro me: Jehova benignitas tua in seculum *est*; ab operibus [12] manuum tuarum ne desistas.

5 confirmatio ab exemplo suo. 6 id est, confirmasti & roborasti me. 7 altera pars laudationis, ut dictû est in versum primum. 8 id est, duobus nominibus laudabunt te; de verbo tuo, hic; & de administratione ex verbo, seq. vers. ut 2 Chro. 2.12. & sequentibus. 9 non otiosè, sed cum efficacitate; id est omnino ejus rationem habere: sic sequentia. 10 transitio ad petitionem, cujus argumentum hoc loco ponitur unum, ab anteacta Dei beneficentia hic; alterum, seq. versu, a natura Dei constante in beneficiis. 11 id est, velut sinistra illos percutis, quum me conservas dextera: ut Psal. 3.8. 12 sinistræ nimirum in propulsandis hostibus, & dexteræ in conservando me.

PSALMUS CXXXIX.

David se totum Deo perspectum esse agnoscens, profitetur studium suum adhærendi Deo & fugiendi a malo; & ad confirmandum hanc professionem suam, se ampliùs probandum committit Deo.

Magistro symphoniæ, [1] Davidis Psalmus. Jehova, [2] pervestigas me & cognoscis.

2 Tu cognoscis [3] sedere meû & surgere meum, intelligis cogitationem meam [4] e longinquo.

3 Iter meum & accubitum meum circumplecteris, & omnium viarum mearum [a] peritus es:

4 Quum nondum *est* sermo in lingua mea; en, ô Jehova, nosti ipsum totum:

5 [5] Retrò & antè obsides me, & imponis mihi manum tuam.

6 Mirabilior *est* scientia *tua* [b] quàm ut fallam; edita est, non possum prævalere illi.

7 [6] Quò irem a spiritu tuo? aut quò a facie tua fugerem?

8 Si scanderem cælos, illic es; aut stratum ponerem in sepulcro, ecce ades.

9 *Si* assumerem alas auroræ, habitaturus in extremitate maris;

10 Etiam illuc manus tua deduceret me, & prehenderet me dextera tua.

11 *Sin* autem dicerem; utique tenebræ velut crepusculo obvolvent me: atqui [7] nox lux *est* circa me:

12 Ne tenebræ quidem ita [c] obtenebrare possunt quin tu pervideas: sed nox ut dies illustrat, perinde *sunt* tenebræ atque ipsa lux.

13 [8] Tu enim possides [9] renes meos, [10] *ex quo* obtegebas me in utero matris meæ.

14 [11] Celebro te, [12] eo quòd [d] suspiciendis *operibus istis* in admirationem traducor: *celebro* mirabilia opera tua, [e] [13] quàm maximè novit animus meus.

15 [14] Non celata *est* [15] vis mea tibi; *ex* quo factus sum [16] in abdito, artificiosè confectus, *velut* [17] in imis partibus terræ.

16 [18] Massam meam vident oculi tui, & in libro tuo hæc omnia scripta sunt; *ex quibus* diebus formabantur, [19] quum nondum ullum ex eis *extaret*.

17 [20] Quamobrem apud me, ô quàm pretiosæ sunt cogitationes tuæ, ô *Deus* fortis [21] quàm numerosæ sunt summæ earum!

18 Narrarem illas, *sed* arena plures sunt: [22] invigilo ut adhuc sim tecum.

19 [23] *Quòd* si interempturus es, ô Deus, improbum; & viros sanguinarios *dicendo*, [24] recedite à me;

20 Qui obloquuntur [25] tibi [f] scelerate; *qui* [26] extollunt [g] vanè inimicos tuos.

21 An non osores tuos, ô Jehova, odio habeo? & de insurgentibus in te fastidio me ipsum torqueo?

22 [h] Perfecto odio odi illos? inimicorum loco sunt mihi?

23 [27] Pervestiga me *Deus* fortis, & cognosce animum meum; proba me, & cognosce cogitationes meas.

24 Denique vide [i] an ego ingrediar via molesta tibi: & deduc me [28] via [k] perpetua.

1 Psalmus est proprie εὐκτικός, quem orationis μέγεθος & figurarum poëticarum frequentatio reddit obscuriorem. Constat autem summatim ex tribus partibus: prima est quædam veluti advocatio testificationis Dei; qua David se hominum calumniis obrutum, saltem a Deo pernosci & probari docet, usque ad versum 14. secunda, explicatio animi sui, inde usque ad versum 23. tertia, petitio, ut ampliùs, si opus est, ipsum prober Deus & dirigat, duobus ultimis. 2 id est, explicata est tibi penitùs, & perspecta funditùs conscientia meæ: metaphora. Est autem hæc propositio, quæ sequentibus versibus elegantissimè exornatur. 3 id est, sive sedeam, sive surgam, sive quid agam corpore, sive animo versem, intùs & extrà totus tibi perspectus sum. 4 id est, longè antequàm animo insederit meo, ut ostendit vers. 4. a *Heb. assuefactus es.* 5 id est, omni ex parte me circumtenes, antrorsum, retrorsum, supernè, infernè, dextrorsum, sinistrorsum: synecdoche ut quinque versibus seq. exponitur. b *Heb. præ me: simile vide infrà ver. 12.* 6 explicatio scientiæ Dei mirificæ a duabus circumstantiis; loci, his quatuor versibus; & temporis, versu 11. & sequente. 7 quasi dicat, mihi quidem & rebus creatis obscura & cæca nox est; tibi verò omnia sunt perspecta, nuda, & patentia oculis tuis: Hebr. 4.13. c *Heb. obtenebrarent præ te.* 8 ætiologia superioris professionis sive protestationis, a singulari hominis genitura per mirificam administrationem Dei. q.d. meritò omnia ista tibi perspecta sunt; quia ea non tantùm creatione tibi comparasti singula, verùm etiam adhuc creationis & redemptionis jure possides. 9 id est, quicquid in me latet: synecdoche. 10 id est, inde a conceptu meo. 11 secunda pars psalmi; qua Psaltes explicat studium animi sui, tum in celebranda Dei beneficentia erga se, usque ad versum 17. tum in præstando obsequio, & voluntate ipsius conformanda voluntati Dei, a ver. 17. usque ad versum 23. 12 sic ostendit psaltes se transire ad secundum hunc locum, sumta occasione ex superiore argumento. d *Heb. reverendis.*

e *Heb. ut valdè.* 13 id est, ex toto animo & facultate mea, quam tu inde ab ortu meo optimè cognoscis, duobus sequentibus vers. 14 q.d. te ipsum testem adhibeo hujus integritatis meæ, qua incumbo in laudationem tuam, ut qui me inde a principio noveris. 15 quam totam occupari in laudibus tuis dixi, superiore versu. 16 matris utero. 17 id est, mirificentissimè, & suprà omnem humanam facultatem & artificium. 18 id est, quicquid est in me, expositum est ac velut descriptum in oculis tuis. 19 id est, non tantùm quum cœperunt esse novisti ea, verùm etiam antè quam essent. q.d. ab æterno cognovisti providentia tua. 20 alterum membrum propositionis; in qua David ostendit se his beneficiis adductum eniti ut se totum studio è committat Deo, amando quod Deus amat, duobus versibus; & abhorrendo ab iis quæ odit Deus, ver. 19. & sequentibus. 21 ut Psal. 40.6. 22 i. dies noctesque operam do, ut quemadmodum hactenus, sic etiam in posterum indesinenter adhæream tibi. 23 altera explicatio studii in eos a quibus abhorret Deus; ut dictum est ver. 17. q.d. si tu istos impuros tantopere odisti, ut eos justo judicio tandem perditurus sis, prout tua est vindicta, Deut. 32.35. saltem vides me obsequentem justitiæ tuæ odisse illos, fastidire, & fugere, prout est mei officii. 24 verbo sunt Dei ad solum nutum & mandatum suum impios profligantis. 25 & tuis, odio tui. f *Heb. in scelus.* 26 id est, non solum mala faciunt, sed etiam facientibus patrocinantur, Rom. 1.32. g *Heb. in vanitate.* h *Heb. perfectione odii.* 27 petitio, ut dictum est suprà in versum primum, q.d. tu istorum testis es; ego verò tuus sum: propterea si opus est, ecce me paratum ad subeundum probationes tuas: ut suprà Psal. 26. i *Heb. an via molestiæ in me sit: hypallage: pro eo quod est, an ego sim in via molestiæ.* 28 i. constante in obsequio tuo. k *Heb. seculi.*

PSALMUS CXL.

David Deum supplicat pro liberatione sua; impiis adversariis malè precatur: & se ipsum confirmat in fiducia certa justitiæ salutisque Dei.

Magistro symphoniæ, [1] psalmus Davidis.

2 Libera me, Jehova, [2] ab hominibus malis; [3] a viris [a] violentissimis custodi me:

3 [4] Qui cogitant mala cum [b] animo: quotidie conveniunt [5] *ad* bella:

4 [6] Exacuunt linguam suam [7] similem serpentis, venenum [8] ptyados subest labiis eorum maximè.

5 Serva me Jehova a manibus improborum, a viris violentissimis custodi me, qui cogitant [9] impellere pedes meos.

6 [10] Abscondentibus superbis laqueum mihi, funesq; ; pandentibus rete ad orbitam, tendiculas

1 Psalmus est εὐκτικός, constans ex duabus partibus, petitione, duodecim versibus; & conclusione animum supplicis confirmante de beneficentia Dei, duobus ultimis. Petitionis loci sunt duo: unus, quo precatur David pro salute sua, novem versibus; alter, quo adversariis malè precatur, tribus reliquis.

2 prima petitionis causa, a persona adversariorum injustam causam agentiû & injustissimè. 3 Schaule & administris ipsius, vi & fraude Davidem persequentibus; quemadmodum deinceps explicatur. a *Heb. violentiarum: sic infrà ℣. 5.* 4 id est, qui omne malum fabricantur mihi apertè & clam, animo consilióque, hoc versu; sermone, & opere, ver. 4. & sequentibus: sic amplificat petitionis causam a persona adversariorum, quòd non tantùm causam iniquam agunt, verùm etiam rationibus iniquissimis. b *Heb. corde.* 5 ut suprà Psal. 120.7. 6 id est, cominùs & eminùs vibrant in me virus suum. 7 id est, venenatam, ut vipera. 8 id est, aspidis illius quæ suo loco stans venenum suum procul exspuit. 9 id est, dejicere me: metaphora. 10 secunda petitionis causa, a fide supplicis in Deum, & anteacta experientia veritatis Dei erga ipsum mirificas liberationes præstantis, tribus versibus. Sunt autem hoc versu metaphoræ ab aucupibus & venatoribus.

ponentibus

ponentibus mihi, maximè.

7 Dixi Jehovæ, *Deus* fortis meus es; auribus percipe Jehova vocem deprecationum mearum.

8 Jehovi Domine, robur salutis meæ; obtexisti [11] caput meum [c] tempore pugnæ.

9 [12] Ne concedas, Jehova, [d] quæ concupit improbus; sceleratam cogitationem ejus ne provehas, efferrent se maximè.

10 [13] Venenum circumdantium me, molestia [14] labiorum ipsorum obtegat eos.

11 [15] Demittantur super eos prunæ: in ignem dejiciat eos, in scrobes *unde* non surgant.

12 Vir [e] maledicus ne stabiliatur in terra; viri *dediti* violentiæ malum [16] [f] venando impellat ipsum *variis* impulsionibus.

13 [17] Novi acturum esse Jehovam causam afflicti, jus egentium.

14 Utique justi celebrabunt nomen tuum, confidebunt recti in conspectu tuo.

11 id est, me tanquam galea & scuto.
c Heb. die armorum: metonymia.
12 conclusio superioris petitionis, cujus postremus finis transitum parat ad imprecationem sequentem.
d Heb. concupita improbi.
13 imprecatio ut dictum est suprà in ver. 1. qua David perstans in superioribus allegoriis ea ipsa mala quæ cudunt adversarii in ipsos retorqueri petit; quamobrem nos Hebræam vocem, habita superioris allegoriæ & proximè sequentium verborum ratione, venenum potiùs quàm caput interpretati sumus; ut Deut. 32.33. 14 id est, quam afferunt ipsorum labia. 15 id est, conflagrent, ut corruant. e *Heb. linguæ: metonymia.* 16 id est, malum consilium ipsorum sit consultoribus ipsis pessimum. f *Heb. venetur ipsum ad impulsiones.* 17 conclusio παρακλητικὴ, ut sup. diximus, a salute justorum & gloria Dei, quæ salute justorũ conjuncta est.

PSALMUS CXLI.

David tribulibus suis mandato Schaülis ipsum persequentibus, opem Dei implorat: improbitatem actorum persequutionis suæ exponit, fidémque suam: & servari a Deo petit.

[1] PSalmus Davidis. O Jehova inclamo te, festina ad me; auribus percipe vocem meam, quum invoco te.

2 [2] Statuatur oratio mea, *ut* suffitus coram te; [3] elatio manuum mearum, *ut* munus vespertinum.

3 [4] Compone Jehova, observa os meum; [a] custodiens [5] *moderare* quicquid efferunt labia mea.

4 [6] Ne sinas inclinari [b] animum meum ad rem malam, ad agitandum actiones per improbitatem cum [c] strenuis opera dantibus iniquitati: etiam ne inescer rebus amœnis eorum.

5 [7] Retundat me justus, [8] benignitas *erit*; & corripiat me, unguentum *erit* [d] præstantissimum; [9] ne irritum faciat *a* capite meo: quò ampliùs *fecerit*, eò *ampliùs* oratio mea *erit* [10] in malis eorum.

6 At [11] dimovent se per latera [12] petrarum judices [13] istorum, quamvis intelligant [14] sermones meos amœnos esse.

1 Psalmus est εὐκτικὸς, continens exordiũ, duobus versibus; & petitionem, reliquis: quem videtur conscripsisse David de tempore fugæ suæ, quum ex mandato Schaülis observaretur a tribulibus suis in montibus Hengedi, 1. Sche. 24.
2 id est, ita sit accepta tibi, ut legitimæ illæ ceremoniæ, de quibus Exodi 29. & 30.
3 id est supplicatio: synecdochicè.
4 hujus petitionis partes sunt duæ; prima est precatio pro ductu & salute sua, usque ad ver. 10. secunda, imprecatio, ver. ult. Precationis autem quæ componendi verbo prolepticè continetur, partes sunt duæ; una, ut Deus sermonem, & animum supplicis componat, hic & ver. sequente, eáque prudentia informet, qua sibi ab omni maleficio caveat dum saluti suæ cupit consulere; altera, ut ipsum conservet a malo, ver. 8. & 9. a *Heb. custodi super haurire labiorum meorum.* 5 id est, sermones meos rege; ne quid temerè profundam, aut adversarii mei subdolè aliquid hauriant ex imprudentis animo. 6 id est, confirma me adversus mala & bona; ne ad dexteram aut sinistram traducar minis vel allectamentis. b *Hebr. cor.* c *Hebr. viris.* 7 ætiologia prior petitionis a persona adversariorum per elegantissimam hypothesin & contentionem Rethoricam. quasi dicat, si justus me persequeretur, & justa de causa affligeret; ferrem, & orarem pro illo, hoc versu: sed isti conscii cum animo suo æquitatis meæ, & velint nolint optimè convicti, insidiantur mihi, ver. sequente: adeò ut penè rumpamur afflictionibus, versu 7. 8 id est, ducam pro maximo beneficio. d *Heb. caput: ut Exod. 30.* 9 id est, ne desinat unquam odoratissimis suis reprehensionibus & jucundissimis me aspergere. 10 id est, quæcumque mala feram ab eis, non exacerbabunt animum meum; sed potiùs efficiunt ut gratis precibus eos commendem Deo. 11 ἀνθύφορα præcedentis hypotheseos, ut dictum est, ver. 5. quasi dicat, ut cumque redarguat eos ipsorum conscientia, & doceat æquitatem causæ meæ; tamen omnes angustias & fauces montium observant ut insidientur mihi. 12 id est, arduarum rupium, in quibus habitacula sua statuebat David. 13 id est, non tantùm plebeii populares ex Ziphæis, Mehonitis, & cæteris; sed etiam primores quique certatim Schaüli ministrantes. 14 id est, me ne verbo quidem ullum offendere, sed gratificari quàm possum maximè.

7 [15] Quasi dissecaret quis & diffinderet in terra, disperguntur ossa nostra, *trudenda* in os sepulcri.

8 [16] Quum ad te Jehovi Domine, *respiciant* oculi mei, ad te recipiam me, [17] ne nudes animam meam.

9 [18] Serva me [e] a laqueo *quem* tetenderunt mihi, & tendiculis eorum qui operam dant iniquitati.

10 [19] Cadant in [20] retia jacula *quisque* sua improbi; unà ego dum transiturus sum.

15 id est, jam tanta vi me & meos circumstant, & in nos omnes involaturi sunt, ut nos diffringendi & mẽbratim discerpendi simus illorum impetu, nisi tu, ô Deus, succurreris; quod discrimen elegantissima similitudine lignariorum adumbrat.
16 altera ætiologia petitionis, a fide sua in Deum & promissiones ejusque transitur ad alteram petitionis institutæ partem. 17 id est, ne destitutus defensione & salute tua: metaphora. 18 secunda pars petitionis: ut observatum est in vers. 3. e *Heb. a manibus laquei.* 19 id est, ipsi suis artibus capiantur; ego verò tecum, duce te prætergrediar incolumis: metaphora a piscibus. 20 vide in Jesch. 19.8.

PSALMUS CXLII.

David a Schaüle & comitatu ejus circumclusus Deum orat pro salute sua, ad gloriam ipsius in Ecclesia prædicandam.

[1] ODe didascalica Davidis: [a] quum esset in spelunca, [2] oratio.

2 Voce mea ad Jehovam clamo: voce mea apud Jehovam deprecor.

3 [3] Effundo coram eo meditationem meam, angustiam meam coram eo indico.

4 [4] Quum [5] obrueret se in me spiritus meus, toties tu [6] agnovisti semitam meam: *quum* [7] quocumque itinere pergerem, abderent laqueum mihi.

5 [8] Intuere *ad* dexteram & respice *ad sinistram*: ut non *est* mihi qui recognoscat *me*: periit effugium a me, non *est* qui [a] curet vitam meam.

6 Clamo ad te Jehova, dicens, tu *es* receptus meus, portio mea [9] in terra viventium.

7 Attende ad clamorem meum, nam attenuatus sum valdè: eripe me a persequentibus me, quia fortiores sunt me.

8 [10] Educ [11] e claustro [b] vitam meam ad celebrandum nomen tuum; [12] me cingent justi, quum beneficium contuleris in me.

1 ut Psal. 44.1.
a 1. *Schem.* 24.
2 hujus orationis partes sunt duæ, exordium audientiam faciens, vers. 2. & 3. & petitio, reliquis versibus.
3 ut suprà 102.1.
4 hujus petitionis summa est ut servetur David, distincta tribus causis: prima est ab officio Dei, quod antè servo suo præstiterat ad salutem ipsius, hoc versu; secunda, a persona supplicis in extremis rerum difficultatibus erigentis se ad Deum fide, tribus sequentibus: tertia est a fine, gloria Dei, vers. ultimo. 5 ut suprà Psal. 77.4. 6 ut Psal 1.6. 7 id est, ubique insidiarentur mihi: periphrasis. 8 secundus petitionis locus, ut dictum est superiore versu. Est autem hic ellipsis oppositi. quasi dicat, observa ab omnibus partibus, & animadverte me omni ope destitutum esse. a *Heb. quæras anima meæ.* 9 id est, in hac ipsa vita, ut Psal. 27.13. 10 tertius locus: ut observatum est vers. 4. 11 id est, præsentissimo hoc periculo quo circumclusus sum in hac specu, circumstantibus inimicis. b *Heb. animam: ut* v. 5. 12 id est, conveniet circa me frequens justorum corona, ut me audiat prædicantem nomen tuum, & mecum prædicet.

PSALMUS CXLIII.

David Deum implorans, indignitatem suam confitetur, injuriam sibi factam in hac causa narrat: ac proptereà a Deo servari & institui petit, inimicos verò perdi ad gloriam ipsius.

[1] PSalmus Davidis. O Jehova, audi orationem meam, aures adhibe ad deprecationes meas; [2] pro fide tua exaudi me, pro justitia tua.

2 [3] At ne congrediaris judicio cum servo tuo; nam [4] non esset justus coram te ullus vivens.

3 [5] Persequitur enim inimicus animã meam:

1 Psalmus est εὐκτικὸς, continens exordium, duobus versibus; expostulationem, quatuor seq. & petitionem, inde ad finem usque.
2 id est, propter promissiones gratiosas, justamq; naturam tuam, qua æquam causam ab iniquitate vindicas. 3 elegans deprecatio, ex adverso respondens superiori postulationi, ne respiciat Deus ad indignitatem personæ; sed ad justitiam suam quæ personam quamlibet in æquis causis se defensuram recipit. quasi dicat, justitiam tuam imploro, ut suscipiat defendendam æquitatem causæ meæ; mihi verò, ut personæ cuiquam, agnosco justitiam nullam inesse, si comparanda sit cum Deo: satis est causam meam cum istorum causa comparari; justitiam Dei imploro, non meam assero: atque ita imploro, ut æquitatem causæ meæ (quia ipsius causa est) defendi ab ipso velim; ac proinde me ad probandam causam conservari. 4 si congredereris judicio cum ipso. 5 expostulatio, sive narratio injuriarum ab hostibus acceptarum, hoc versu; calamitatis in quam devenit supplicis animus, seq. versu; & studii ad Deum contendentis, ver. 5. & 6.

[6] atterit, *dejiciens* in terram catervam meam: facit [7] ut resideam in tenebricosis *locis*; [8] *sumus* quasi mortui [a] olim:

4 Adeò ut [9] obruat se in me spiritus meus, in medio mei desolatus videatur sibi animus meus.

5 [10] Recordans [b] dierum priscorum, meditans totum opus tuum; factum manuum tuarum recolens,

6 Pando manus meas ad te; anima mea, ut terra [11] fessa, *sitiente* tui maximè,

7 *Dicens*: [12] Festina, exaudi me Jehova, consumitur spiritus meus; ne abscondas faciem tuam a me, nam [13] consimilis fio descendentibus in [c] sepulcrum.

8 [14] Fac ut audiam manè benignitatem tuam, quia in te fiduciam habeo: notam fac mihi viam qua ambulaturus sum, quia ad te attollo animum meum.

9 Eripe me ab inimicis meis, Jehova: apud te [d] [15] tectum contineo *illum*.

10 Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus *es*: tuo spiritu bono deduc me [16] per terram planam.

11 [17] Propter nomen tuum Jehova, vivum conserva me; propter justitiam tuam educ ex angustia animam meam:

12 Et propter [18] benignitatem tuam exscinde inimicos meos, perdens omnes affligentes animam meam; quia ego *sum* servus tuus.

[6] id est, non tantùm me, sed totũ comitatum meũ familiamq; exagitat: ut 1. Schem. historia factum fuisse ostendit, & ipse conquestus est suprà psal. 141.7. [7] ego cum meis. [8] i. cogimur in tenebrosis speculis versari, & lucem fugere inimicorum importunitate. [a] *Heb. seculi.* [9] ut sup. 77.4. [10] i. me in fide cõfirmans a præcedentibus exemplis. [b] *Heb. dierum ab antiquitate.* [11] ut sup. psal. 63.2. [12] hujus petitionis partes sunt duæ; precatio usque ad ver. 12. & imprecatio, ℣. 12. Precationis summa est, ut Deus Davidem exaudiat, hoc versu, eumq; liberet a malo, & informet deinceps in obsequio suo, seq. versibus tribus: causæ duæ; una, a persona supplicis; altera, a gloria Dei cum salute servi sui conjuncta, ver. 11. [13] nimirum si faciem tuam absconderis. [c] *Heb. cisternam: ut Psal. 28.1.* [14] i. verbo & opere præsta: synecdoche. Est autem in hoc ver. prolepsis sive petitio duplex, cujus duo membra ex ordine sequentibus versibus exponuntur. [d] *Heb. tego.* [15] i. depono apud te conservandum animum meum: ut psal. 31.6. [16] i. sine offensa tui, aut cujusquam. [17] i. prædicationem nominis tui: ut psal. 142.8. [18] erga me servum tuum: imprecatio pertinens ad promissionem Dei, Gen. 11.35.

PSALMUS CXLIIII.

David prædicata Dei erga se & humanum genus beneficentia, hostibus malè precatur; sibi totiq; regno salutem & benedictionem exoptat: & commendat fœlicitatem populi Dei.

[1] ODe Davidis. [‖] [2] Benedictus *sit* Jehova rupes mea; qui docet manus meas prælium, digitos meos bellum:

2 [‖] [3] Benignitas mea & propugnaculum meum, editus locus meus & liberator meus, *assistens* mihi; scutum meum, ad quem me recipio, qui substernit populum meum mihi.

3 [‖] [4] Jehova, quid *est* homo, ut agnoscas eum? filius mortalis, ut rationem habeas ejus?

4 [‖] [5] Homo, vanitati similis *est*; dies ejus *sunt* ut [6] umbra prætereuntis.

5 [7] Jehova, [8] inclina cælos tuos & descende: tange [9] istos montes, & [10] fument:

6 [a] [11] Immitte fulgur, & disperge eos; emitte sagittas tuas, & funde eos:

7 Extende manum tuam ex alto: libera me & eripe, me [12] ex aquis multis, e manu alienigenarum,

8 [13] Quorum os loquitur vanum, & quorum dextera *est* dextera falsitatis.

9 [14] Deus, [15] canticum novum canam tibi; nablio, decachordo psallam tibi.

10 [16] Danti salutem regibus, liberanti Davidem servum suum a gladio [b] malefico.

11 [17] Libera me, & eripe me e manu alienigenarum; quorum os loquitur vanum, & quorum dextera *est* dextera falsitatis:

12 Ut filii nostri tamquam plantæ benè educatæ [18] in [c] tenera ætate sua; filiæq; nostræ sicut [19] antarii lapides [20] excisi, [21] *sint* structura templi:

13 [d] [22] Promtuaria nostra plena proferant [e] juge alimentum: pecudes nostræ millenis pariant, myriadibus auctæ *sint* in chortibus nostris,

14 [23] Bovesq; nostri [f] præpingues: [24] nulla irruptio, nullaq; [g] eruptio, denique nulla *sit* querela in plateis nostris.

15 [25] Beatus ille populus cui ita *est*; beatus *ergo* populus, cujus Jehova *est* Deus.

[1] Ode est generis mixti, διδασκαλικὴ καὶ εὐκτικὴ: quam videtur conscripsisse David, postquàm ad regni fastigium evectus victorias aliquas consequutus esset, quum hostes exteri in ditionem ipsius irrupturi essent, siue Pelischthæi, 2. Sche. 5. sive alii, de quibus 1. Sche. 8. Constat itaque ex tribus partibus; exordio laudativo, usq; ad versum 5. petitione, usque ad 15. & conclusione epiphonematica, vers. ult. [‖] *Psal.* 18.3. & 35. [2] Exordii partes sunt duæ; prior est laudatio Dei a singularibus erga Davidem & regnum ipsius beneficiis, duobus versibus; posterior, amplificatio a publica & communi hominum miseria, ad quorum habendam curam se demittit Deus, vers. 3. & 4. ut 2. Schem. 7.18. & 19. [‖] 2. *Schem.* 22.48. *& psalm.* 18.48. [3] i. fons benignitatis qua perfruor. [‖] *Psal.* 8.5. [4] exclamatio erotematica, amplificans beneficentiam Dei per comparationem majestatis ejus cum indignitate hominis. [‖] *Psal* 62.10. [5] subjectio ad præcedentem interrogationem. [6] i. prætervolantis avis; ut Ijobi 14.3. vel si cui magis placet, umbra præteriens. [7] petitionis loci sunt duo; primus est imprecatio adversus hostes, duobus versibus; secundus, postulatio liberationis, a ver. 7. ad 14. [8] ut 2. Schem. 22.10. humanitùs dictum. [9] id est, hostes potentissimos; quod genus allegoriæ apud Prophetas est frequentissimum. [a] *Heb. fulgura fulgur.* [10] id est, in fumos abeant. [11] i. tuis cælestibus armis, potentiaq; prosterne: humanitùs dicta.

[12] i. irrumpẽtibus torrentibus hominum nequam: ut psal. 18.5. & 124.4. quod sequentium verborum epexegesis commonstrat. [13] prima causa petitionis, ab adversariorum improbitate. [14] secunda causa a prædicatione gloriæ Dei. [15] ut suprà 33.3. [16] argumentum cantici, narratio communiũ & singularium beneficiorum. [b] *Heb. mali, vel malo.* [17] ἀναφορὰ petitionis, qua usus erat suprà ver. 7 & 8. ut commodiùs transeatur ad tertiam petitionis causam. [18] tertia petitionis causa, bonum populi Dei. [c] *Heb. in pueritia: allegoriæ continuatio.* [19] i. angulares, frontati, sive (ut Græci vocant) diatoni, ex quibus duplex murus ducitur. [20] i. ornati, culti, & affabrefacti. [21] i. ædificentur, & coagmentati assurgant in templum sanctum domino: Ephe 2.21. [d] *Heb. angularia: sic vocantur cella & promptuaria, a situ.* [22] i. sit benedictio tua in bona temporaria nostra. [e] *Heb. de alimento in alimentum.* [23] similiter millenis pariant, &c. sic interpretandum esse distinctiones ostendunt. [f] *Heb. graviter onusti.* [24] i. nihil mali invadat, nihil boni evadat, & nihil insit triste; sed jucunda omnia. [g] *Heb. exiens.* [25] conclusio epiphonematica: qua statuit Psaltes, si beati habentur qui benedictiones hujusmodi possident, omninò beatos esse qui possident Deum benedictionum fontem.

PSALMUS CXLV.

David se ipsum & res creatas ad Dei laudes prædicandas excitans, celebrat magnificam potentiam, & justissimam bonitatem illius erga omnes.

א [1] LAudatio Davidis. [2] Exaltabo te Deus mi, Rex; & benedicam nomini tuo in seculum & sempiternum.

ב 2 Quotidie benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum & sempiternum:

ג 3 Magnum esse Jehovam & laudandum valdè, imò magnitudini ejus [3] non esse pervestigationem.

ד 4 [4] Generatio generationi laudibus commendet opera tua, prout [5] *hæc* indicant omnimodam [a] potentiam tuam,

ה 5 *Et* decorem gloriamq; majestatis tuæ; & res mirabiles tuas [6] eloquuturus sum:

ו 6 Et robur mirabilium tuorum operum prædicent; prout [b] singula magna *gesta* tua enarraturus sum.

ז 7 Memoriam amplæ bonitatis tuæ [7] eructent, & justitiam tuam cantent:

ח 8 [8] Gratiosum & misericordem Jehovam *esse*, longanimem & magnum benignitate,

ט 9 Bonum *esse* Jehovam omnibus, & misericordiam ejus in omnibus operibus ejus.

י 10 [9] Celebrent te Jehova omnia opera tua, & quos benignitate prosequeris benedicant tibi:

כ 11 Gloriam regni tui prædicent, & potentiam tuam eloquantur;

[1] Hujus laudationis partes sunt quatuor: prima est professio singularis laudis quam David attributurus est Deo, tribus ℣; secunda, provocatio omnium temporũ, rerum creatarum, factorumq; ad promulgandas communi opera laudes Dei, inde usq; ad ℣. 13. tertia, propositio argumentorum ad laudes Dei pertinentium, a ℣. 13. ad 21. postrema, conclusio, ℣. ult. Est autem hic psalmus alphabetico ordine conscriptus, excepto versu uno: vide suprà psal. 111.1. [2] exordium, cujus duo versus sunt antistrophi. [3] ut Ijobi 5.9. [4] secunda pars, provocatio ætatum omnium ad laudandum Deum ab operibus ejus: quæ prolepticè hoc versu posita, duobus nominibus commendantur, nimirum gloriosæ potentiæ, ver. 5. & 6. & bonitatis justissimæ, vers. 7. posteà verò per hysterosin Hebræorum in sequentib. illustrantur magnificis appellationibus, usq; ad ℣. 13. [5] nimirum facta tua: ut psal. 19. [a] *Heb. potentias.* [6] infrà hoc Psalmo inde a ℣. 12. [b] *Hebr. magnitudines tuas enarraturus sum ipsam.* [7] ut psalm. 19.3. [8] summa propositio justissimæ bonitatis Dei, quam tenentur res creatæ omnes celebrare; ut dictum est in ver. 4. [9] altera propositio gloriosæ potentiæ Dei celebrandæ a rebus creatis; ut sup. ver. 4.

ל 12 Ut notas faciant filiis hominum potentias ejus, & gloriam decoremq; regni ejus.

מ 13 [10] Regnum tuum, regnum *est* omnium seculorum; & dominium tuum [c] in unamquamque generationem.

ס 14 Sustentat Jehova [11] omnes cadentes, & erigit omnes incurvatos.

ע 15 ‖ Oculi omnium ad te spectant, quibus tu das escam suam tempore suo:

פ 16 Aperis manum tuam, & saturas [d] quicquid vivit *ex* beneplacito.

צ 17 Justus Jehova in omnibus viis suis *est*, & benignus in omnibus operibus suis.

ק 18 Propinquus *est* Jehova omnibus invocantibus ipsum, omnibus qui invocant ipsum fide.

ר 19 Placitum timentium se efficit, & vociferationem eorum audiens salutem dat eis.

ש 20 Servat Jehova omnes amantes ipsum, omnes verò improbos perdit.

ת 21 [12] Laudationem Jehovæ eloquatur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto ejus, in seculum & sempiternum.

10 tertia pars, propositio rerum ad laudes Dei pertinentium: quarum, ut suprà, duo sunt capita; unum gloriosæ potentiæ quam Deus omnibus exhibet, his duobus versibus; alterum justæ bonitatis, a ver. 15. ad 20. quo versu summatim, velut corollario, continetur bonitatis & potentiæ Dei prædicatio.
c *Heb. in omnem generationem & generationem.*
11 quos sustentandos novi: pro bonitate sua, sine qua nemo sustentatur, erigitur, &c.
‖ *Psal.* 104.27.
d *Heb. omne vivens.*
12 conclusio hortatoria; qua se & omnes provocat Psaltes ad laudandum Deum, ut in exordio.

PSALMUS CXLVI.

Psaltes se & pios hortatus ad laudes Dei asserendas, eum laudat singularium erga pios beneficiorum, creationis, conservationis, administrationisq; omnium, & regni æterni nomine.

[1] HAlelu-Jah. Lauda anima mea Jehovam.
2 Laudabo Jehovam in vita mea; psallam Deo meo, [a] quàmdiu futurus sum.
3 Ne fiduciam habetote [2] in ingenuis; in *ullo* filio hominum, penes quem nulla *est* salus.
4 Exit spiritus ejus, revertitur in terram suam: [3] die eodem pereunt cogitationes ejus.
5 [4] Beatus, [b] cui auxilio *est Deus* fortis Jahakobi, cujus exspectatio *est* in Jehova Deo suo:
6 Qui fecit cælos & terram, mare & quicquid *est* in eis; qui servat fidem in seculum:
7 [5] Qui exercet judicium erga oppressos: dat cibum famelicis, Jehova solvit vinctos:
8 Jehova aperit *oculos* cæcorum; Jehova erigit incurvatos, Jehova amat justos:
9 Jehova servat peregrinos, pupillũ & viduam statuminat; viam verò improborũ subvertit.
10 Regnabit Jehova in seculum: Deus tuus, ô Tzijon, in [c] unamquamque generationem. Halelu-Jah.

1 Ode est ἐπαινετικὴ, continens primùm hortationem & propositionem laudis divinę, quatuor versibus; deinde argumenta illius laudis inde ad finem usque. Hortationi autem (quæ primo versu continetur) opponitur insignis dehortatio ex contrario propositionem illustrans, ne fiducia, adeoq; fiduciæ & laudis argumenta constituantur in ullo homine, ver. 3. & 4.
a *Heb. quum adhuc ego.*
2 ne in potentissimis quidem; quorum vanitatem ostendit a nascendi sorte, ab imbecillitate vitæ, a moriendi necessitate, & repentino consiliorum casu.
3 quo sunt initæ; id est, repentè momento uno concidunt.
4 propositio argumentorum laudis Dei, quorũ genera sunt tria; primum est, singularis conscientia beneficiorũ ejus erga nos per fidem, hoc versu; secundum, creatio & rerum creatarum administratio præsens, ordinaria, & extra ordinem, quatuor sequentibus; tertium, æternitas regni ejus, in Ecclesia, vers. ultimo.
b *Heb. in cujus auxilio, &c.*
5 id est, qui succurrit singulis, prout opus est: quò sequentia omnia exempla pertinent.
c *Heb. generationem & generationem.*

PSALMUS CXLVII.

Psaltes Ecclesiam hortatur ad prædicandum nomen Dei propter liberationes, beneficiaq; ejus erga ipsam, & propter constantiam operum & verbi.

[1] LAudate Jah, [a] quia bonum *est* psallere Deo nostro: quia amœnũ *est*, decens *est* laudatio.
2 [3] Ædificator Jeruschalaimorum Jehova, [4] depulsos [a] Jisraëlitas congregat:
3 [5] Qui sanat fractos [b] animo, ac *velut* obligat in doloribus eorum.
4 [6] Supputans numerum stellarum, quotquot sunt [7] nominibus vocans,
5 Magnus *est* dominus noster, & multus viribus; [c] cujus intelligentia est innumerabilis.
6 Statuminat mansuetos Jehova, deprimit improbos in terram usque.
7 [8] Acclamate Jehovæ gratiarum actione, psallite Deo nostro cithara:
8 [9] Qui obtegit cælos densis nubibus; qui comparat terræ pluviam, qui facit ut proferant montes fœnum:
9 Dat jumentis cibum suum, [d] [10] pullis corvorum qui [e] crocitant.
10 [11] Non potentia equi delectatur, non crura præstantis viri accipit;
11 *Sed* acceptos habet Jehova timentes sui, qui exspectationem *suam* habent in benignitate ipsius.
12 [12] Laudibus commendate, Jeruschalaima, Jehovam; lauda Deum tuum, ô Tzijon:
13 Nam [13] confirmat vectes portarum tuarum, benedicit filiis tuis in medio tui:
14 Disponens termino tuo pacem, [14] adipe tritici satiat te:
15 Quo emittente sermonem suum in terram, [f] quàm celerrimè excurrit [15] verbum ejus:
16 Qui edit nivem [16] sicut lanam, pruinam quasi cinerem dispergit:
17 Dejicit [17] gelu suum tamquam frusta, coram frigore ejus quis consistat?
18 Emittens verbum suum, liquefacit ista: simulac efflat ventum suum, effluunt aquæ.
19 [18] Indicat verba sua Jahakobo, statuta sua & jura sua Jisraëli.
20 Non fecit ita ulli genti; ideoq; [19] jura ista non noverunt. Halelu-Jah.

1 Ode est ἐπαινετικὴ, Ecclesiam hortans ad laudationem Dei a factis illius, communiter quidem erga omnes; sed imprimis erga Ecclesiam. Constat itaque hic psalmus primùm exordio celeustico ad laudationem Dei, vers. 1. deinde propositione & enarratione rerum ad laudes ejus pertinentium, a ver. 2. ad 19, & conclusione, duobus ultimis.
2 de his duabus caussis vide psal. 133, 1.
3 hujus propositionis pro ratione argumentorũ laudis, tres sunt partes; primum argumentum est de liberatione suorum a malo, usque ad vers. 7. secundum, de beneficentia & gratiosa ipsius administratione, inde ad ver. 12. tertium, de conservatione in bono & forma istius administrationis quam solo verbo præstat, inde ad ver. 19. Est autem ædificator Ecclesiæ Deus, quia illius auctor, fundator, curator, & architectus est.
4 i. electos suos, quibus promissio facta est Deut. 30.4.
a *Heb. Jisraëlis.*
5 ex promissione Exodi 15.26.
b *Heb. corde.*
6 i. Deus ille qui sedet in cælis, qui omnia pernovit vel minutissima, & qui omnibus imperat etiam in ipsis cælis, hic verè magnus est: sic amplificat Psaltes potentiam & providentiam Dei quam adhibet ad liberationem Ecclesiæ, ab exemplo rerum cælestium.
7 i. nominatim imperans cuique pro auctoritate & potentia sua, ut Jeschah. 40.26.
c *Heb. intelligentiæ ejus non est numerus.*
8 secundus locus propositionis, ut dictum est in ver. 2. quò transitur repetita hortatione ad laudem Dei.
9 i. qui omnia sapienter ordinat, ut rebus creatis benefaciat: gradatio, quam sequutus est Hoscheah 2.21. & 22.
d *Hebr. filiis.*
10 vide Ijobi 39.3.
e *Hebr. clamant.*
11 i. hanc beneficentiam exercet Deus, non propter dignitatem ullam rerum creatarum; sed propter se & Ecclesiam suam.
12 tertius locus de confirmatione & conservatione piorum in bono: quò transitur repetita hortatione, ut sup. v. 7.
13 i. munit ab omni malo.
14 vide Deut. 32.14.
f *Heb. in celeritatem usq;.*
15 i. res quam edixit verbo, illicò efficitur: ut psal. 33.9. quod seq. exemplo illustratur tribus versibus.
16 i. lanæ persimilem colore, levitate, & forma: quamobrem vellera nivis a Virgilio nominantur in Georgicis: sic sequentia.
17 i. grandines.
18 conclusio Ecclesiam hortans ad laudandum Deum, pro singulari thesauro verbi, quem cum illa gratiosè communicavit Deus.
19 quæ Deus docet verbo, & quorum nomine laudandus est ab Ecclesia.

PSALMUS CXLVIII.

Psaltes res omnes creatas hortatur ut Deum celebrent, propter majestatem ipsius, & beneficentiam erga Ecclesiam.

[1] HAlelu-Jah. Laudate Jehovam [a] cælites; laudate eum in excelsis.
2 Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes exercitus ejus.
3 Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ [b] lucidæ.
4 Laudate eum [2] cæli cælorum, & [3] aquæ quæ supra hoc cælum *sunt*,
5 Laudent nomen Jehovæ [4] quæ ipso præcipiente illicò creata sunt.

1 Ode est ἐπαινετικὴ, continens hortationem ad res omnes creatas ut celebrent Deum, primùm cælestes, usque ad vers. 7. deinde terrestres, inde usq; ad vers. 13. ac postremò caussas explicat, duobus versibus.
a *Heb. a cælis.*
b *Heb. lucis.*
2 ut 1. Reg. 8.27.
3 i. nubes in expanso collocatæ, Genes. 1.
4 i. creaturæ cælestes & administræ voluntatis ejus: periphrasis, qua Psaltes utitur ad majestatem Dei, verbi, operumq; ejus demonstrandam, & jus in creaturas omnes asserendum.

6 Quæ stabilivit in sempiternum, in seculum; *quibus* decretum dedit quod nullum transgrediatur.

7 Laudate Jehovam [c] [5] terrestria; cete, & omnes abyssi:

8 Ignis, & grando, nix, & exhalatio; ventus [d] turbineus efficiens verbum ejus:

9 Ipsi montes, & omnes colles; arbores [e] fructiferæ, omnésque cedri:

10 Ipsæ bestiæ, & omnia jumenta; reptilia & aves [f] alatæ.

11 Reges terræ, omnésque nationes; principes & omnes judices terræ:

12 Juvenes, etiámque virgines; senes cum pueris,

13 [6] Laudent nomen Jehovæ: quia editum *est* nomen ejus solius, decor ejus supra terram & cælum:

14 Et [7] effert cornu populi sui, laudem omnium quos benignè accipit, Jisraëlitarum, populi propinqui sibi. Halelu-Jah.

c *Heb. e terra: ut suprà v. 1.* 5 i. inferiora omnia, etiam aquatica, & aërea; synecdochicè. d *Heb. turbinis.* e *Heb. fructus.* f *Heb. alæ.* 6 transitio ad laudationis causas: quarum una est ab ipsa majestate Dei, hoc versu; altera, a singularibus ipsius operibus in Ecclesia sua, cujus restitutionem res omnes creatæ exspectant exerto capite, & Angeli ipsi cupiunt introspicere: Rom. 8. 19. & 1. Pet. 1. 12. 7 i. evehit Ecclesiam suam in maximum robur & gloriam per Christum.

PSALMUS CXLIX.

Psaltes Ecclesiam hortatur ut Deum collaudet, propter benevolentiam & salutem ab eo acceptam, denique propter verbum ipsius potentissimum Ecclesiæ traditum.

[1] HAlelu-Jah. Cantate Jehovæ [2] canticum novum; laudem ejus in [3] congregatione eorum quos benignè accipit.

2 Lætetur Jisraël in [a] eo qui fecit ipsum, filii Tzijonis exsultent in [4] rege suo.

3 Laudent nomen ejus [5] tibia; tympano & cithara psallant ei:

4 Quia benevolus *est* Jehova erga populum suum, ornat mansuetos salute.

5 [6] Gestiant benignè accepti præ gloria, [7] cantent in cubilibus suis;

6 [8] [b] Laudationes exaltantes *Deum* fortem in gutture suo; & gladium [c] bipennem in manu sua *habentes*,

7 [9] Ad exercendum vindictam in gentes, increpationes in nationibus:

8 Ad vinciendum reges eorum catenis, & honoratos eorum compedibus ferreis:

9 Ad exercendum in eos [10] jus scriptum; [11] *quod* decus est omnibus iis quos benignè accipit. Halelu-Jah.

1 Ode est *ἐπινικιακὴ*, constans ex duabus partibus; quarum priore hortatur Ecclesiam ut Deum laudet propter gratiam & pacem salutarem ab eo acceptam, usque ad ver. 5. posteriore verò hortatur ad laudationem propter gloriosam communicationem efficaciamq; verbi, inde ad finem usque. 2 ut psal. 33. 3. 3 i. in Ecclesia: periphrasis: sic etiam accipiuntur sequentia. a *He. facientibus ipsum: ut Ijobi 35. 10.* 4 Christo, cujus typus erat David. 5 i. quibuscumque modis fieri poterit ab ipsis legitimè: ut psal. 81. 3.

6 Altera hortatio ut observatum est in ver. 1. 7 i. dies noctesq; in laudationibus perstent. 8 i. decantent ea omnia beneficia quibus singulariter ac supra omnes populos ipsum evexit Deus: ut suprà psal. 148. 14. nominatim verò verbum; qui gladius est oris ipsius, ad eos usus pertinens qui deinceps explicantur: ut 2. Thess. 2. 8. Heb. 4. 12. & Apocalyp. 1. 16. b *Heb. exaltantia Dei fortis.* c *Heb. στομάτων.* 9 vide 2. Cor. 10. 4. & seq. hæ autem allegoricæ loquendi formulæ pertinentes ad spiritualis gladii efficacitatem, summatim exponuntur ver. ultimo. 10 i. prout continetur in scriptura sacra, sine adjectione, diminutione, aut mutatione ulla: ut Deut. 12. 32. & 29. 29. 11 ut Deut. 4. 6. & sequentibus.

PSALMUS CL.

Psaltes Ecclesiam hortatur ut Deum laudet a sanctitate, potentia, & magnificentia ejus.

[1] HAlelu-Jah. Laudate *Deum* fortem de sanctitate ejus, laudate eum de [a] [2] expanso laudato ejus.

2 Laudate eum de [b] [3] omnimoda potentia ejus, laudate eum [4] secundùm amplitudinem [c] maximam ejus.

3 Laudate eum [5] clangore buccinæ, laudate eum nablio & cithara.

4 Laudate eum tympano & tibia: laudate eum hydraulis & organo.

5 Laudate eum cymbalis [d] sonoris, laudate eum [e] sistris.

6 [6] Tota ipsa anima laudet Jah. Halelu-Jah.

1 Ode est *ἐπινικιακὴ*, ac velut conclusio totius libri, continens hortamentum ad laudationem Dei in Ecclesia: in quo primùm exponuntur causæ laudationis, duobus versibus; deinde laudationis genera reliquis. a *Heb. expanso roboris: hypallage Rhetorum.* 2 id est, cujus laus potentissima ad omnes res creatas diffunditur; in quo sunt, moventur, & vivunt. b *Hebr. potentiis.* 3 id est, potentissimis illius factis, & singulari administratione. 4 transitio ad secundam partem de laudationis forma. c *Hebr. magnitudinis ejus: hypallage: ut ver. 1.* 5 id est, omnibus modis: ut suprà 149. 3. d *Hebr. auditionis.* e *Heb. cymbalis clangoris, id est, sistris vel crotalis.* 6 id est, singuli ex tota anima sua spirent laudationem Dei: synecdoche.

PROVERBIA.

ARGUMENTUM.

LIBER *Proverbiorum sacra ethica Christianaq; continet, id est, præcepta moralia de sanctorum officiis erga Deum & homines, pro ratione pietatis quam Deus præstituit, æquitatisq; & humanitatis quam lex naturæ adumbravit in nobis, & Deus expressit verbo: quarum illa novem primis capitibus, hæc verò cæteris ferè ex ordine continentur.*

CAPUT I.

Schelomo exposito usu libri, docet sapientiam in reverentia Dei & studio ejus versari; ad eam homines provocat; & dehortatur a studiis omnibus contrariis, tum propter naturæ legem, tum propter verbum Dei; quod inobsequentibus minas gravissimas, obsequentibus verò pacem denunciat.

1 PROVERBIA [1] Schelomonis filii Davidis, regis Jisraëlitarum:
2 [3] Ad sciendum sapientiam & eruditionem, ad intelligendum dicta [4] prudentiæ:
3 [5] Ad percipiendum eruditionem intelligentiæ; justitiæ, jurisque, & [a] omnis recti:
4 Ad dandum [6] fatuis astutiam, [7] puero scientiam & solertiam:
5 [8] *Quibus* auditis sapiens adjiciat [b] disciplinam, & intelligens industria consilia comparet:
6 Ad [c] docendum [9] proverbium & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum.
7 [10] Reverentia Jehovæ *est* caput scientiæ: sapientiam ac eruditionem stulti spernunt.
8 [11] Audi, [12] fili mi, eruditionem patris tui; [13] neque deseras doctrinam matris tuæ:
9 [14] Nam [15] adjectio[d] gratiosa erunt capiti tuo, & torques faucibus tuis.
10 [16] Fili mi, si pellicere volent te peccatores; [17] ne acquiescito.
11 Si dixerint, [18] veni nobiscum; insidiemur sanguini, abscondamus *nos* contra innocentem [19] impunè:
12 [20] Absorbebimus eos velut sepulcrum vivos, & integros ut descendentes in [e] fossam:
13 [21] Omnem substantiam pretiosam [f] consequemur, implebimus domos nostras spoliis:
14 [22] Sortem tuam conjicies inter nos: [23] marsupium idem esto nobis omnibus:
15 Fili mi, [24] ne ambulato via *communi* cum illis, cohibe pedem tuum a semita illorum.
16 [25] Quia pedibus suis ad malum concurrunt, & festinant ad effundendum sanguinem:
17 [26] Frustrà enim panditur rete, ante oculos omnis [g] alitis:
18 [27] Præthereà ipsi in sanguinem suum insidiantur; *quòd* abscondunt se, in animas ipsorum *est*.
19 [28] Ita *se habent* [29] cœtus [30] omnium [h] deditorum quæstui; *quæstus* animam eorum [i] qui dediti sunt ipsi, intercipit.

[1] i. sententiæ, verba, sive dicta graviter & paucis concinnata, quæ in omnium animis hærere, & in ore versari debent, deniq; speculum esse totius vitæ & administrationis nostræ. Quamobrem nō incommodè etiam potuissent reddi sententiæ: sed quia bene cōvenit proverbiorum appellatio, si latè accipias; propterea communem hanc vocem retinuimus. Sunt autem in hoc libro duo proverbiorum sive sententiarum genera: unum ad pietatem fidemq; pertinens, commune totius vitæ nostræ, quo informamur quomodo oporteat nos constitutos esse & affectos erga sapientiam cælestem, atque ex ea componere vitam nostram, novem capitibus; alterum ad vitam instituendam moresq; pertinens, singulare sive documenta complectens singularia pro ratione personarum, animorum, dictorum, factorum, aliarumq; circumstantiarum, inde a capite 10. ad finem usq;. Hujus porrò capitis summæ partes sunt duæ: prima ἐπιγραφὴ sive inscriptio, 6. ℣: altera, propositio documentorum ad pios pertinentium. Inscriptione docentur duo: quis auctor sit, hoc ℣; & quis finis totius operis, 5. sequentibus. [2] i. quæ eloquutus est Schelomo, alii verò diversis temporibus selecta ex pluribus in hunc librum retulerunt, tamquam magis ad Ecclesiæ institutionē pertinentia, prout innuitur infrà 25.1. & 30.1. & 31. ac videtur quidem prima hæc pars a Schelomone ita ut est fuisse conscripta, usque ad caput 10. altera verò deinde collecta. Quamobrem alienum est de tempore quo hic liber scriptus est laborare. [3] secunda pars inscriptionis, de usu libri. Est autem duplex illius usus, prolepticè hoc loco positus; prior, sapientia, id est, absoluta, constans, & efficax rerum divinarum, humanarumq; scientia, qui finis est præcipuus; posterior, eruditio, hoc est, hominis quia natura rudis est & imperitus, revocatio a ruditate sua, & informatio ad sapientiam: qui duo fines per ὑστέρωσιν Hebræis familiarem in sequentibus ℣. explicantur. [4] i. dicta quibus prudens efficitur homo, ad comparandam & conservandam eruditionē & sapientiam. [5] expositio secundæ partis prolepseos, qua exponitur officium tum discipulorum, hoc ℣; tum docentium, sequente. [a] *Heb. rectitudinum.* [6] i. insipientibus, imperitis, quorum animus tamquam puerorum præ imperitia hûc illûc momento traduci potest. [7] inconsiderato: ut Ephes. 4.14. [8] expositio prioris partis prolepseos: qua ostendit hoc libro non imperitos tantùm erudiri, sed etiam sapientes augeri ac confirmari, hoc versu; atque alios informari, seq. versu. [b] *Heb. perceptionem: sic deinceps.* [c] *Heb. faciendum intelligere.* [9] id est, gravia sapientum dicta: ut prioris membri in hoc versu posterius exegeticum est: hæc autem dicuntur etiam ænigmata, ut psal. 49.5. [10] propositio, summam & argumentum continens novem priorum capitum. Omnis, inquit, scientia nostra quam ad sapientiam & eruditionem spectare diximus, duobus capitibus continetur: unum est, & quidem primarium, reverentia Dei, quæ summa est sapientia, & aditus ad omnem sapientiam: alterum, prudentia sive informatio vitæ nostræ ad sapientiam & eruditionem propter reverentiam Dei, abs qua velut fonte profluunt sapientiæ & eruditionis rivi. Hæc ut ita accipiamus, facit antithesis à Schelomone in hoc libro frequentata, cujus membra ferè sunt ἀνανταπόδοτα. quasi dicat, fons & caput scientiæ est reverentia Jehovæ, rami verò sive rivi manantes ex eo sunt sapientiæ & eruditionis studium; stulti autem rivos eruditionis & sapientiæ spernunt, quia non agnoscunt fontem neque reverentur. Ex hac propositione summa profluunt omnes hortationis & dehortationis loci, qui posteà sequuntur. Nam sapientiæ quidem traduntur documenta quatuor cap. primis, prudentiæ verò ad comparandam & tenendam sapientiam, cap. 5. & seq. ac tum demum confirmatio opponitur cap. 7. 8. & 9.

[11] primum documentum eruditionis & sapientiæ, eam a nobis audiendam & tenendā esse: quod his duobus capitibus exponitur. Ac primùm quidem prolepticè hoc versu, eruditio & sapientiæ doctrina commēdatur; deinde verò per ὑστέρωσιν tractantur copiosè tam eruditio sive revocatio a malo, toto hoc capite inde a ℣. 10. quàm provocatio ad sapientiam, cap. 2. [12] ut psal. 34.12. Huic autem gratiosissimæ appellationi respondēt parentum nomina, id est, patris & matris, quæ Deo & sibi tribuit Schelomo. [13] sed constantissimè teneas. [14] ætiologia hortationis, quæ copiosè secundo capite explicatur: cujus hortationis argumentum hi duo versus continent. [15] eris gratiosus Deo & hominibus, infrà 3.4. Respicit autem ad puerorum studia; qui ut vario ornatu, muneribusq; liberaliter adducuntur, sic homines promissionibus Dei. [d] *Heb. gratia.* [16] explicatio secundæ partis prolepseos, nimirum eruditionis & avocamenti a malo, usque ad versum 16. cujus argumenta sunt duo; unum, ab ipsius naturæ documentis, usque ad versum 20. alterum, a documentis sapientiæ æternæ Dei per verbum, inde usque ad finem capitis. Modus autem pelliciendi quatuor versibus proximè sequentibus exponitur. [17] id est, nullo pacto assentitor, neque aurem advertito: ut exponitur ver. 15. [18] familiaris prosopopœia, qua commodissimè figuratur maleficorum improbitas alienam vitam bonaq; sibi arrogantium, tum fraude, hoc versu; tum apertis viribus, versu sequente. [19] i. nemine percipiente aut pœnas reposcente a nobis: adeò arroganter Deo & hominibus obloquuntur impii: sic autem accipitur hæc particula Ijobi 9. 17. & infrà 23. 29. [20] Thrasonica hyperbole. [e] *Heb. cisternam.* [21] suasionis locus, a specie utilis. [f] *Heb. inveniemus: sic hoc libro passim.* [22] i. partem communis prædæ nostræ tibi recipies sorte nobiscum ex æquo: sumta loquutio a legitima negotiatorum societate. [23] i. agedum, ineamus hanc societatem: sic concluditur hortatione illorum sermo. [24] i. ne te consociato palam, aut clàm. [25] primum naturæ argumentum a justo, quod inter homines coli postulat humanitas. q.d. injusti sunt; te autem natura vetat injustum esse. [26] secundum argumentum ab incerto. q.d. utcumq; sibi videantur esse certi de potiunda præda; tamen non magis confirmare possunt se effecturos consilia sua, quàm auceps se capturum aves prætervolantes & observantes retia. Atque hoc ipsum amplificatur elegantissimè, quum Sapiens inquit, Ante oculos omnis al. pro eo quod est, quæ retia tum homines plerumq; observant, tum Deus hominum custos semper. [g] *domini alæ.* [27] tertium argumentum a funesto ipsorum exitio, quod sibi comparant ipsi malo suo: ut Psal. 7.13. & seq. ac alibi passim. [28] conclusio superiorum argumentorum per affirmationem simplicem. [29] i. societates & corpora (ut jureconsulti vocant) convenientium; ut Gen. 37.25. [30] q.d. nemo illorum evolare aut effugere exitium potest, & inevitabile est judicium Dei: antithesis elegans cum versu 17. [h] *Heb. quæstuosi quæstus.* [i] *Heb. dominorum ipsius.*

20 [k] [31] Summa ſapientia [32] foris [33] recantat,
in plateis edit vocem ſuam:
21 [34] In ſummo turbarum proclamat; [35] ad
fores portarum, in civitate quaq; ſermones ſuos
eloquitur, *dicens:*
22 [36] Quouſque ô fatui amabitis fatuitatem;
& deriſores deriſionem deſiderabunt ſibi: & ſto-
lidi odio habebunt ſcientiam?
23 Revertimini ad correctionem meam: ec-
ce, eructabo vobis ſpiritum meum, nota faciam
verba mea vobis.
24 [37] Quandoquidem invito & renuitis, ex-
tendo manum meam & nemo advertit;
25 Sed [l] [38] abſtrahitis vos ab omni conſilio
meo, & correctioni meæ non acquieſcitis:
26 Ego quoque in calamitate veſtra [39] ride-
bo, ſubſannabo quum advenerit [m] id quod expa-
veſcitis:
27 Quum advenerit tamquám [40] fremebun-
da vaſtatio id quod expaveſcitis, & calamitas ve-
ſtra tamquam turbo adventaverit; quum irruerit
in vos oppreſſio & anguſtia.
28 Tunc invocabunt me, ſed non exaudiam;
[41] manè quærent me, ſed non invenient me:
29 Propterea quòd oderunt ſcientiam, & re-
verentiam Jehovæ non elegerunt;
30 Non acquieverunt conſilio meo, ſed con-
temſerunt omnem correctionem meam.
31 [42] Sic [43] comedent de fructu viæ ſuæ, &
ex conſiliis ſuis pravis ſaturabuntur.
32 [44] Nam [45] quies fatuorum interficiet eos,
& tranquillitas ſtolidorum perdet eos.
33 [46] Qui verò auſcultat mihi habitabit ſecu-
rè, ut tranquillus [47] a pavore mali.

k *Heb. ſapientiæ foris recantant.* 31 ſecundum genus documentorum, ut obſervatum eſt in verſum 10, in quo Schelomo per proſopopœiam inducit ſapientiam Dei homines accedẽtem & proponentem conſiliũ Dei, uſque ad finem capitis. Eſt autem Chriſtus ſumma hæc ſapientia, de qua hic & capite 8. agitur, ipſiſſima Dei ſapientiſſimi ſapientia, in qua reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & intelligentiæ, & per quam ſapientiæ rivi in homines diffunduntur verbo. Quamobrem honoris cauſa plurali numero dicitur ſapientiæ, quaſi dicas, tota ſapientia, & omnis ſapientiæ auctor. 32 i, ubique & palàm, quod ſequẽtia continent. 33 i. ſubinde & indeſinenter proclamat. 34 i. ex edito loco, ubicumque maxima eſt frequentia: ſumta loqutio a concionum ritu. 35 vide Gen. 34.20. 36 hujus orationis partes ſunt tres: revocatio ad reſipiſcentiã, duobus ℣. denunciatio in futurum, a verſ. 24. uſque ad 31. & concluſio ſummam complectens judiciorum Dei, duobus ultimis. Reſipiſcentiæ autem locus continet increpationem mali, hoc ℣; & hortationem ad amplectendum promiſſum bonum, ſeq. ℣. 37 ſecunda pars, denunciatio contra cerebroſos contemnentes ſapientiam Dei: cujus cauſa duobus ℣. continetur, minæ ſeq. l *Heb. abſtrahitis omne conſilium meum a vobis: hypallage, ut infrà* 4.15. 38 i. rebellione veſtra abjicitis conſilium, quod vobis propono ad ſalutem veſtram: ſic infr. 4.15. 39 i. non curabo vos: ut Pſal. 2.4. & infrà 3.34. humanitùs dicta. m *Heb pavor veſter: ſic ſeq.* ℣. 40 i. furens nimbus aut grando maxima vi irrumpens ſubitò. Significat enim hæc vox repentinam & frementẽ rupturam rei cujuſlibet, quicquid obvium eſt perrumpentis atq; devaſtantis: ut Ijobi 30.14. & Jechez. 38.9. 41 i diligentiſſimè & indeſinenter, q.d. inde ab aurora. 42 nimirum neglecti & derelicti a me. 43 i. malum quod ſeverunt metent ad ſatietatem: metaphora, ut infrà 22.8. 44 concluſio exponens ſummam judiciorum Dei contra improbos, hoc verſu; & erga bonos per antitheſin, ſeq. verſu: qua docet Deus exitium improborum ab ipſis eſſe: ut Hoſche. 13.8. 45 i. conſtans & pervicax illorum reſidentia in malo, in quo ſibi allubeſcunt & omnem proſperitatem pollicentur: ut Jirmejæ 48.11. & Tzephanjæ 1.12. 46 altera pars antitheſeos, μεταβατικὴ ſive tranſitiva ad hortationem ſequentis capitis. 47 non autem tantùm a malo: adeò confirmabitur illorum animus promiſſionibus, & defendetur virtute Dei.

CAPUT II.

Schelomo hortatur ad reverentiam Dei, fidem, & ſanctificationem, adductis promiſſionibus ejus de bono, & ſalute noſtra, ac liberatione ab omni malo

[1] FIlli mi, [a] ſi acceperis dicta mea, & præcepta
mea recondèris apud te,
2 *Si* attendendo ad ſapientiam aures tuas,
inclinaveris animum tuum ad intelligentiam:
3 Quin etiam [3] ſi prudentiam inclamave-
ris, ad intelligentiam edideris vocem tuam;
4 Si quæſieris eam velut argentum, & tam-
quam abditos theſauros ſcrutatus fueris eam:
5 [4] Tunc intelliges [5] reverentiam Jehovæ,
& [6] agnitionem Dei [a] conſequeris.
6 Nam Jehova dat ſapientiam, ex ore ejus
ſcientia & intelligentia *procedit:*
7 [7] Repoſitum habet pro rectis [b] quicquid re-
vera eſt; ſcutum pro ambulantibus [c] integrè.
8 Cuſtodiendo itinera juris: & viam eorum
quos benignè accepit conſervat.
9 [8] Tunc intelliges juſtitiam, & jus; & [d] quic-
quid rectum *eſt*, [9] omnem orbitam bonam:
10 [10] Quum venerit ſapientia in animum tu-
um, [e] & ſcientia menti tuæ amœna erit:
11 [11] Solertia obſervabit te, intelligentia cu-
ſtodiet te,
12 Eripiendo te [12] a via mali, a [f] viris loquen-
tibus perverſitates,
13 Qui derelinquunt [13] itinera recti, ut am-
bulent per vias [14] tenebrarum,
14 Qui lætantur faciendo malum, exſultant
in perverſitatibus [g] peſſimis,
15 Qui itineribus ſuis perverſi ſunt, & præfra-
cti orbitis ſuis:
16 Eripiendo te a muliere extranea, ab alie-
nigena *quæ* [h] dictis ſuis blanditur,
17 Quæ derelinquit [15] ducem adoleſcentiæ
ſuæ, & [16] fœderis Dei ſui obliviſcitur:
18 (Nam [17] propendet ad mortem domus e-
jus, & ad [18] expertes vitæ orbitæ ejus;
19 Quicunq; adeunt eam, non revertuntur,
[19] neque aſſequuntur itinera vitæ)
20 [20] Ut ambules per viam bonorum, & itine-
ra juſtorum obſerves.
21 [21] Nam recti [22] inhabitabunt terram, & in-
tegri reliqui fient in ea:
22 Improbi verò e terra exſcindentur, & per-
fidè agentes avellentur ex ea.

1 Hoc toto capite proponit Schelomo hortamentũ ſive provocationem ad bonum, quam alteram eſſe partem documenti prioris diximus ſuprà capite 1. ver. 8. Sunt autem hujus hortationis partes ſummæ tres: prima hypothetica ſive conditionalis propoſitio officii noſtri, verſibus quatuor; ſecunda, expoſitio ſalutarium promiſſionum, quas obſequentibus denunciat & præſtat dominus, inde uſque ad verſum 21. tertia, concluſio, duobus verſibus ultimis. 2 conditio κλιμακώδης, in qua gradatim aſſurgit Schelomo per ſingulas partes officii noſtri: ut doctrinam percipiamus, perceptam teneamus, hoc verſu, & ampliùs percipiendæ tenendæq; operam demus diligente attentione, ſequente verſu; precibus, ver. 3. & labore omni, ſtudio, atque induſtria, ℣. 4. 3 i. Deum adieris caſtè pro conſequenda prudentia, ut Schelomo feciſſe legitur 1. Reg. 3.6. & ſeq. & faciendum docet Jacobus 1.5. ſic enim accipiendum eſſe oſtenditur verſ. 6.

4 expoſitio promiſſionum, quæ certiſſimè conjunctæ ſunt pietati quam modò delineavit Schelomo. Sunt autem promiſſiones duplices, aliæ in cõmunicatione bonorum poſitæ, uſque ad ℣. 11. aliæ in propulſatione mali, uſque ad 21. Rurſum bonorum communicatio duplex promittitur, primum reverentiæ & fidei in Deum, quæ caput eſt ſapientiæ noſtræ, & ſuas promiſſiones habet, uſque ad ℣. 9. prolepticè hoc verſu contentas: deinde obſequii & ſanctimoniæ per fidem, inde ad ver. 12. 5 a quo acceperis, & ampliùs deinceps ſperabis te accepturum: prius membrum prolepſeos, quod explicatur ver. 6. 6 i. hac fide & reverentia præditus experieris te agnoſci a Deo: ſecundum membrum prolepſeos, quod exponitur ver. 7. & 8. a *Heb. invenies: ut ſup.* 1.13. 7 i. adeò agnoſcit Deus & curat rectos, ut omnibus in dies augeat illos, & virtute ſervet. b *Heb. eſſentiam.* c *Heb. integritatis.* 8 alterum genus promiſſi boni, ut obſervatum eſt in ℣. 5. d *Heb. rectitudines: ut ſup.* 1.3. 9 i. rationem benè & ſanctè inſtituendæ vitæ. 10 i. quum ſuperiorem promiſſionem & doctrinam acceperis de reverentia Dei, hac poſteriore abundabis. e *Heb. & ſcire animæ tuæ amœnum erit.* 11 alterum promiſſionum genus de propulſatione malorum omnium ſpiritalium & corporalium, quæ alioqui impendent bonis, tum per maleficia, tum per allectamenta: quorum illa viro, uſque ad ℣. 16. hæc mulieri tropicè attribuuntur. q.d. Deus te ea ſolertia & intelligentia inſtruet, qua tibi caveas ipſe a malis omnibus: quæ totam vitam tuam ita labefactare tentant, ut ſcelerati ganeones & meretrices provocant lubricum adoleſcentiæ. 12 i depravata vita, in quam naturæ infirmitate laberis, & improborum dictis factiſq; provocaris. f *Heb. viro loquente: enallage numeri.* 13 i. illuſtria & ſpectata, quæ lucem amant, neque arguuntur ab ea: ut loquitur Apoſtolus Epheſ. 5.13. 14 i. obliquas, ac proinde lucifugas: ut Rom. 13.12. & 1. Theſſ. 5.4. g *He. mali.* h *He. dicta ſua emollit.* 15. i. juſtũ maritum ſuum: periphraſis. 16 i. conjugalis pacti inter ipſos conventi auctore Deo: ut Maleaci 2.14. 17 i. lethalis eſt & perniciosa: periphraſis. 18 i. mortuos & ſepultos: ut Pſal. 88.11. 19 i. non reviviſcunt, aut in vitam redeunt: periphraſis. 20 i. vitam benè inſtitutas: antitheſis ad ſuperiora reſpiciens, qua munitur ad concluſionem via. 21 concluſio aſſerens juſtitiam judiciorum Dei, duobus membris antithetis: ut ſup. 1.32. & 33. 22 ut Pſal. 37.29.

CAPUT III.

Schelomo pios ad reverentiam Dei, fidem, & obſequium, ac ſui abnegationem vocat elegantiſſimis promiſſionibus: & confirmatis illis auctoritate Dei ab omnibus mundi iſtius avocamentis dehortatur propoſita veritate judiciorum Dei.

[1] FIlli mi, doctrinæ meæ ne obliviſcaris; ſed præ-
cepta mea cuſtodiat [a] animus tuus:

1 Secundũ documentũ ſapientiæ hoc cap. continetur: quo Schelomo docet, primùm verã legem omnis ſapiẽtiæ poſitam eſſe in Dei reverentia, fide, atq; obſequio, abnegatis ſenſibus & ſtudiis carnis noſtræ, uſq; ad ℣. 13. deinde bonorum promiſſiones adducit, quæ ad nos ex illa fiducia in Deũ perveniunt, inde uſq; ad ℣. 27. poſtremò ſtudia contraria reprehendit & ab illis dehortatur propoſita juſtitia judiciorum Dei, ad finem uſque. Eſt autem his duobus verſibus primis commune exordium horum documentorum quæ diximus, hortationum promiſſionũq; ſummam complectens. a *Heb. cor: ſic deinc.*

b *Gr. ambósque vita.* [2] i. omnis generis prosperitate, ut alibi passim. [3] propositio summa documenti. quasi dicat, ne committas incuria aut oblivione tua, ut benignitas & fides, quas tecum voluit communicatas Deus, dimoveantur a te: quod sequentia verba adumbrant allegoriis. [4] i. sermone & animo eas continenter recole, ut obsequaris operei ut Exod. 13.9. [5] propositio summa bonorum ad nos pervenientium, prout deinceps exponuntur inde a versu 17. Sunt autem illa duûm generum: gratia apud Deum, & prosperitas coram hominibus. c *Heb. inveni: sic ver. 13.* d *Heb. secundationem bonam: ut Psal. 111.10.* [6] expositio prioris propositionis quæ posita est versu 3. ubi ostẽdit Schelomo ad benignitatem Dei fidemq; continendam tria nobis opus esse: primùm, ut nos ipsos abnegantes adhibeamus fidem integram in Deum, agnitionem, reverentiam, atque obsequium animo gratissimo, usque ad ℣. 9.

2 Nam longitudinem dierum, b annosamq;
vitam; [2] cum pace adjicient tibi.
3 [3] Benignitas & fides ne derelinquant te;
[4] alliga eas faucibus tuis, inscribe eas tabulæ cordis tui:
4 [5] Ita c consequere gratiam, & d successum
optimum; antè oculos Dei & hominum.
5 [6] Fiduciam habe in Jehova ex toto animo
tuo: intelligentiæ verò [7] tuæ ne initor.
6 In omnibus viis tuis agnosce eum, & ipse
diriget itinera tua.
7 Ne esto sapiens e judicio tuo; reverere Jehovam, & recede a malo.
8 f [8] Salutare *id* erit umbilico tuo, & [9] irrigatio ossibus tuis.
9 Honora Jehovam de substantia tua, &
[10] de præcipuo totius proventus tui:
10 Ita implebuntur horrea tua saturitate, &
musto lacus torcularii tui perrumpent.
11 Eruditionem Jehovæ, fili mi, ne spernito;
neque tædeat te correctionis ejus:
12 Nam quem diligit Jehova corrigit; & quidem ut pater filium, *cui* benè vult.
13 [11] Beatus homo *qui* consequitur sapientiam, & homo [12] *qui* provehit intelligentiam:
14 Melior enim *est* negotiatio ejus negotiatione argenti, & auro effosso proventus ejus:
15 Pretiosior *est* carbunculis, & omnia oblectamenta tua non possunt æquari ei.
16 [13] Longitudo dierum in dextera ejus *est*, in
sinistra ejus divitiæ & honor:
17 Viæ ejus viæ *sunt* amœnitatis; & omnes
semitæ ejus, pacis:
18 [14] Arbor vitæ est præhendentibus eam, denique tenentium eam beatus *quisque*.
19 [15] Jehova sapientiâ fundavit terram, statuit cælos intelligentiâ:
20 Scientia ejus [16] abyssi diffissæ sunt, & superiores nubes destillant rorem.
21 Fili mi, ne decedant ab oculis tuis; custodi g eam quæ verè est *sapientia*, & solertiam.
22 [17] Eruntq; vita animæ tuæ, & gratia [18] faucibus tuis:
23 [19] Tunc obibis securè viam tuam, & pedem tuum non offendes;

secundum, ut rebus prosperis benè utamur ad honorem ejus, ver. 9. & 10. Tertium, ut rebus quoque adversis benè utentes, in officio nostro informemur & crucem feramus patienter, ver. 11. & 12. 1. *Chro.* 28.9. [7] i. humanæ, sive carnis, de qua Rom. 8.5. & sequentibus. *Rom.* 12.16. e *Heb. in oculis tuis, ut Levit.* 13.5. f *Heb. sanatio: Maleaci* 3.10 *& sequentibus.* [8] promissio synecdochica: pro eo quod est intùs & foris, corpore & animo eris optimè affectus. Est autem hæc promissio allegorica, qua pii in Ecclesia foti cum infantibus in utero matrum versantibus comparantur: nam ut illis (inquit) alimentum subministratur umbilico ad intimas etiam partes confirmandas, sic pii in Ecclesia fide, agnitione, reverentia, & obsequio Dei pascuntur atque educantur. [9] i. robur tuum, ut medulla quæ confirmat ossa; sine quo ne id quidem quod in te est valentissimum, posset quicquam: sic Tjobi 21.24. [10] ut Maleaci 1.7. & sequentibus. Heb. 12.5. *apo.* 3.19. [11] secunda pars, prædicans fœlicitatem eorum qui documenta fidei & reverentiæ Dei perceperunt, primùm ab earum præstantia, vers. 14. & 15. deinde ab adjunctis & consequentibus, inde ad ℣. 19, quibus subjicitur confirmatio ab auctore tum hujus sapientiæ, tum bonorum omnium ad sapientiam hanc pertinentium, usque ad versum 27. [12] i. promovet apud se, & proficit in intelligentia. *Psal.* 19. [13] i. omnia bona adjuncta habet, & veluti ambabus manibus largitur. [14] i. certissimum symbolum æternæ vitæ, quam homo priùs sibi abjudicaverat neglecta reverentia Dei atque obsequio, Gene. 3. [15] confirmatio superiorum documentorum & promissionum ab auctore: qui ut cælum, terram, & res omnes creavit, ordinavit, conservat, atque administrat; ita eâdem sapientia in nobis promissa sua effecturus est, ut observatum est in versu 13. Quapropter summatim superiores hortationes repetuntur, & confirmationis locis inseruntur, ver. 21. & 25. [16] id est, fontes & flumina ex intimis terræ specubus & spiramentis manant, quasi diffindat se terra: metonymia, abyssi aquarum pro faucibus aquam manantibus. g *Heb. essentiam: ut suprà* 2.7. *Psal.* 19.11. [17] i. verba hæc semina erunt & alimenta vitæ æternæ atque suavissimæ: auxesis, qua verbum Dei summè vivificum ac suavissimum credentibus, dicitur esse ipsa vita & gratia. [18] i. toti homini: metaphora a gustu. [19] id est, prosperè conficies quicquid agendum erit, & confectis rebus securè conquiesces: allegoria.

[20] id est, ut nullum malum quod expavescimus eveniat tibi, aut certè opprimat quum per voluntatem Dei evenerit: ut infrà 24.16. [21] ne intercipiaris, aut captus constringaris hærcasq; in malis. [22] postremus locus, quo hominem a studiis cõtrariis avocat Schelomo, ut in fide & reverentia Dei possis incedere. quasi dicat, si ritè in Deum credere ipsumq; revereri cupis, cave tibi ne in proximum (quod secunda tabula prohibetur) pecces, sive opere officium quod præstare possis recusando, duobus versibus; sive consiliis &

24 Quum cubabis, non expavesces; sed cubanti suavis erit somnus tuus.
25 Ne timeto [20] a pavore repentino; & a vastatione improborum, ut adveniat:
26 Nam Jehova aderit fiduciæ tuæ, & [21] servabit pedem tuum a captura.
27 [22] Ne cohibeto bonum h ab eis qui opus habent, [23] quum est in potestate manus tuæ efficere *illud:*
28 [24] Ne dicito proximo tuo, abi, deinde revertere, cras enim daturus sum; quum fuerit penes te.
29 Ne fabricator contra proximum tuum rem malam, qui consídet securè tecum:
30 [25] Ne contendito cum ullo homine immeritò, nisi affecerit te malo.
31 Ne invideto ulli violento, neque eligito ullas vias ejus:
32 [26] Nam abominationi *est* Jehovæ præfractus; apud rectos autem [27] arcanum ejus *est*.
33 [28] Exsecratio Jehovæ incumbit domui improbi; at habitaculo justorum benedicitur.
34 [29] Quandoquidem derisores ipse [30] deridet, mansuetis autem dat [31] gratiam:
35 Honorem sapientes [32] possident; stolidos verò [33] tollit ignominia.

verbis offendendo, vers. 29. & 30. sive animum ad æmulationem & imitationem improborum provocando, ver. 31. quibus modis omnibus violatur fides in Deum & reverentia. h *Hebr. a dominis ejus, nimirum cohibiti boni: cujus dominum illum efficit necessitate, & te dispensatorẽ Deus: quamobrem hæc beneficia in scripturis appellantur justitia, ut infrà* 11.18. *&* 2. *Cor.* 8.9. [23] id est, quum potes illis commodè benefacere. [24] id est, ne differto beneficentiam. [25] sive privatis jurgiis, sive litibus in jure. *Psal.* 37.1. [26] ætiologia superiorum documentorum, a justitia Dei & judiciorum ejus. *Psalm.* 25. [27] id est, intima & familiarissima benevolentiæ communicatio, prout sequentis versus membra antitheta ostendunt. [28] id est, maledictio, de qua Maleaci 2.2. [29] conclusio ab omnipotentia & justitia Dei, hoc versu; astruens justitiam judiciorum ejus, sequente versu. [30] id est, ludificatur & ipsorum exspectationem frustratur, ut supra 1.26. [31] id est, quicquid ipsis gratum est & suave. [32] id est, constanter obtinent. [33] id est, momento ipsos, & ipsorum exspectationem abripit.

CAPUT IIII.

Schelomo præcedentia timoris Dei, fidei, resipiscentiæ, & abnegationis nostri documenta confirmat exemplo suo: & ad sapientiam hortatus, suavissimis promissionibus revocat ab omni improborum consortio, rerumq; malarum communicatione.

[1] Hujus capitis partes sunt tres: prima, exordium attentos, dociles & benevolos lectores faciens, tũ a genere doctrinæ, tum ab auctoris exemplo, quatuor versibus; secunda, hortatio ad sapientiam, a ver. 5. usque ad 14. tertia, dehortatio a communicatione cum improbis & conversatione prava inde ad finem usq;. [3] prior locus a genere doctrinæ, quòd & bona est

[1] AUdite filii eruditionem patris, & attendite
ad cognoscendum prudentiam:
2 [2] Nam disciplinam bonam trado vobis; doctrinam meam ne derelinquite.
3 [3] Quum filius essem apud patrem meum,
tener & [4] unicus coram matre mea,
4 [5] Docens ille me dicebat mihi; [6] retineat
verba mea a animus tuus; observans præcepta
mea [7] vive.
5 [8] Acquire sapientiam, acquire prudentiam; ne oblivíscitor, neque declinato a sermonibus oris mei.
6 Ne derelinquito illam, & conservabit te;
dilige illam, & custodiet te.
7 [9] Quæ caput est sapientiæ, *eam* acquire sapientiam; & [10] tota acquisitione tua acquire
prudentiam.

ipsa, & bonum affert percipientibus. [3] posterior locus ab exemplo suo. [4] i. unicè dilectus & singulari studio institutus: nam alioqui plures fuerunt filii Davidis ex eadem matre: 1. Chro. 3.5. [5] nam huic officio erga filium, Davidem minimè defuisse tum pietate illius evincitur, tum etiam confirmatur 1. Chro. 28. [6] prolepsis sive propositio summa sequentium documentorum, continens præcepta & promissiones, quæ deinceps suo ordine explicantur. a *Hr. cor.* [7] i. vita & promissionibus illius fruere: ut Gen. 20.7. [8] secunda pars sua qua proponuntur summatim hortationes & promissiones capitis primi & secundi, de sapiẽtia & prudentia acquirenda, tenenda, amplianda, honoranda, & omnibus modis prosequenda: ut expositum est principio capitis secundi. [9] i. reverentiam Jehovæ: ut sup. 1.7. [10] i. omnia quæ habes, si opus est, exponito illius comparandæ causa: ut Matt. 13.44.

8 Extolle

8 Extolle eam, & exaltabit te; [11] honorabit
te, quum amplexaveris eam.
9 Indet capiti tuo [12] adjectionem gratiæ,
coronam [b] ornatissimam tradet tibi.
10 Audi fili mi, & percipe sermones meos: ita
multiplicabuntur tibi anni vitæ.
11 Viam sapientiæ doceo te, deduco te per
orbitas recti.
12 [13] Quum ambulabis, nihil arctabit gres-
sum tuum: etiamsi cucurreris, non offenderis.
13 Prehende eruditionem illius, ne desistito;
custodi illam, quia est [14] vita tua.
14 [15] Iter improborum ne ingreditor, neque
incedito per viam malorum.
15 [c] Abstrahe te ab ea, ne transito per eam; de-
clina ab ea, & præteri.
16 [16] Nam non dormiunt *illi*, nisi malefece-
rint; & eripitur somnus illorum, nisi fecerint ut
impingat *quispiam:*
17 Quia vescuntur cibo improbitatis, & vi-
num [d] omnimodæ violentiæ bibunt.
18 [17] Iter enim justorum [18] simile *est* luci splen-
didæ, [19] [e] pergenti lucere; adeò ut *eorum quisque
sit* [20] stabilis die:
19 Via *verò* improborum [21] similis *est* caligi-
ni; [22] nesciunt in quid impacturi sint.
20 [23] Fili mi, ad verba mea attende; ad ser-
mones meos inclina aurem tuam.
21 Ne efficiant *illi* ut recedant ab oculis tuis,
serva hæc [f] in animo tuo:
22 Nam *verba* vitæ sunt iis qui consequuntur
ipsa, & toti [g] carni cujusque eorum [h] salutaria.
23 [24] Supra omnem observationem [25] custodi
cor tuum: [26] nam [i] ex eo prodeunt actiones vitæ.
24 Remove abs te perversitatem oris, & pra-
vitatem labiorum procul amove abs te.
25 Oculi tui [27] e regione intueantur, & palpe-
bræ tuæ [k] spectent rectà coram te.
26 Expende orbitam pedis tui, ut omnes viæ
tuæ stabiles sint:
27 [28] Ne declinato dextrorsum aut sinistror-
sum, amove pedem tuum a malo.

[11] ex promissione 1. Sche. 2. 30. [12] ut suprà 1. 9. [b] *Heb, ornatus.* [13] i. omnino prosperaberis, neque dejicieris ullis adversis rebus: ut Psal. 1. 3. & 91. 11. & sequentib. [14] i. administra & dux ad vitam: *αὐξησις.* [15] tertia pars, complectens duo interdictorum genera: unum, ne sit communicatio cum hominibus improbis, usq; ad ♈. 20. alterum, ne sit cõmunicatio cum rebus malis, ad finem usq; i quod genus documentorum propositum est suprà cap. 1. & 3. [c] *He. abstrahe eam a te: ut sup.* 2. 25. [16] i. ut homo jejuno stomacho vix potest indormiscere, sed subinde excitatur fame; ita sunt isti, qui maleficia cibo & potui anteponunt, ac proinde nunquam conquiescunt nisi ipsi perpetraverint maleficia, aut alios ad ea perpetranda adduxerint. [d] *Heb. violentiarum.* [17] ætiologia præcedentis dehortationis ex antithesi sive comparatione beatitudinis bonorum cum improborum infœlicitate: unde apparet dehortationem esse *ἀνταποδοτον.* quasi dicat, ne ingrediaris via improborum; sed justis adjunge te: Iter enim justorum, &c. [18] id est, tota illorum vita illustris est, & abundat bonis: ut Psal. 97. 11. & 2. Schem. 23. 4. [19] id est, nunquam occidenti: ut Jeschah. 60. 21. [e] *Hebr. pergenti & lucenti usque ad stabilem diei.* [20] id est, nunquam concidat, sed semper luce Dei præeunte erectus ambulet, ut loquitur David Psal. 27. sic accipiendum esse docet sequentis versus membrum quod huic respondet. [21] id est, densissimis malis, velut tenebris, circumfusa est; quæ nulla arte possunt effugere, quin justo Dei judicio corruant. [22] tantum abest ut cavere possint, atque avertere judicia Dei. [23] transitio ad alterum dehortationis genus, ut dictum est vers. 14. cujus exordium tribus versibus continetur. [f] *Hebr. in medio cordis tui.* [g] *Heb. carni ejus: syllepsis: ut* ♈. 18. [h] *Heb. curationis verbi.* [24] hujus documenti *ἀντιρρητικοῦ*, sive dehortantis a malo partes sunt quatuor: prima, ut animus sit integer & purus a malo, hoc versu; secunda, ut sermones puri, sequente; tertia, ut oculi & synecdochicè sensus omnes animorum administri continentes sint, vers. 25. quarta, ut conatus & actiones omnes, quas ferè pedibus scriptura tribuit, vers. 26. [25] id est, observa, proba, repurga ab insito malo, & ab adventitio abstine; quàm studiosè fons a purgamentis & sordibus conservatur, ut ex lege 12. tabularum Romanos observasse scribit Frontinus lib. 2. [26] id est, ut fons est vivendi, ita etiam benè vivendi fontem oportet esse, ac proinde sartum tectum servari ab omni malo: vide Matthæi 15. 18. & sequentibus. [i] *Hebr. ex eo sunt egressiones vitæ.* [27] id est, rectà spectent; nihil pravè, aut obliquè, aut denique inconstanter: quod ad alios quoque sensus pertinere supra monuimus. Est autem allegoricum dicendi genus a viatoribus aut cursoribus, quorum oculos non discursare oportet, sed ad iter suum sollicitè attendere. [k] *Hebraicè, dirigant intueri: vide Genes.* 12. 8. [28] conclusio superiorum documentorum: quasi dicat, in omnibus rectum te exhibe & observantissimum itineris quod præscripsit Deus, Deuteronom. 4. 2. & 5. 32.

CAPUT V.

Schelomo pios ad prudentiam hortans, avocat a voluptatis carnalis libidinisq; studio: præsentissima damna exponit quæ eam consequuntur: hortatur ad bona sanctè utenda, & amandam castè colendamq; uxorem, maximè propter cognitionem & judicia Dei.

1 [1] FIli mi, ad sapientiam meam attende; ad in-
telligentiam meam inclina aurem tuam:
2 [2] Ut observes [a] omnimodam solertiam, &
scientiam labia tua custodiant.
3 [3] Quamvis favum stillent labia extraneæ,
& mollius oleo *stillet* palatum ejus:
4 Attamen [4] posterius ejus amarum *est* ut
absinthium; acutum ut gladius [b] bipennis:
5 Pedes ejus descendunt *ad* mortem, [5] *ad*
sepulcrum gressus ejus pertinent.
6 [6] Iter vitæ ne expendas, [7] moventur orbitæ
ejus [c] te imprudente.
7 Nunc itaque filii auscultate mihi, & ne re-
cedite a sermonibus oris mei.
8 [8] Procul facito ab illa iter tuum, & ne ap-
propinquato ad ostium domus illius:
9 [9] Ut non [10] cedas aliis decorem tuum, &
annos tuos [11] crudeli:
10 Ut non satientur extranei [d] facultatibus
tuis, & [12] labores tui *maneant* in domo alieni:
11 Gemasq; [e] tandem consumta carne tua
[13] & corpore tuo,
12 [14] Ac dicas, quomodo odi eruditionem; &
correctionem sprevit [f] animus meus,
13 Neq; auscultavi voci doctorũ meorum, &
ad docentes me non inclinavi aurem meam?
14 [g] Fermè versor in omni malo, [15] in medio
congregationis & cœtus.
15 [16] Bibe aquam e cisterna tua, & fluenta e
medio putei tui.
16 Spargant se [17] fontes tui foras, in plateis
rivi aquarum:
17 [18] Sint tibi [h] seorsim, ac non extraneis tecũ:
18 [19] Erit scaturigo tua benedicta; [20] sed læ-
tare de uxore adolescentiæ tuæ.
19 [21] *Sit* cerva [i] amicissima, & rupicapra

[1] Hoc capite & sequẽte Schelomo proponit documenta prudentiæ, quæ ad comparandum & tenendum sapientiam pertinent: itaque primùm hoc capite hominem prudentia instruit adversus illecebras voluptatis ad quam homo a natura proclivis est. Sunt autem hujus capitis partes præcipuè tres: exordiũ, usque ad ♈. 8. propositio documenti prudentissimi, inde ad ♈. 20. & confirmatio, ad finem usque. [2] i. ut prudentia utaris in administratione sermonibusq; tuis. [a] *Hebr. solertias.* [3] hæc verba ostendunt superiori præcepto suum interdictum opponendũ esse, hoc modo: attende ad me, ac non ad verba simulata & mellita exteræ: cujus dehortationis causæ reddũtur post hujus versus anticipationem; nimirum quòd aliena est a piis natura, animo, religione, & vita, hoc versu; deinde quòd eventus perditionis ex ea consequuturus est, duob. seq. tertiò quòd consilio fraudulento utitur, vers. 6. [4] i. quod posteà consequitur ex ejus cõmunicatione: sic alludit ad corporis cõstitutionem, quasi mulier sit a fronte ornata, a tergo verò teterrima. [b] *He. στομάτων* [5] i. tam propinqui sunt ruinę quos abducit illa, quàm ii quorũ pedes jam orã sepulcri attingunt. [6] i. toto consilio callidè providet, ne ad vitã respectes, aut animadvertas fraudes suas. [7] i. agilitate & volubilitate summa tẽperãtur omnes actiones ejus momentis singulis ad decipiendum te: metaphora ab aurigis. [c] *Heb.* cùm *non noscis.* [8] propositio documenti prudentissimi, distincta duob. membris: unũ est, hoc malum longe fugiendum esse, usq; ad ♈. 15. alterum, bonum prudenter utendum, inde ad 20. In fuga autem mali ponitur præceptum, hoc versu; & causa, sequentibus. [9] causæ fugiendi mali ponuntur quatuor, & quidem a rebus humanis sumtæ; amissio honoris, vitæ, bonorumq; duobus versibus; & sera nimis resipiscentia omnibus amissis, ♈. 11. & sequentibus: divinæ verò causæ in fine capitis continentur. [10] i. honorem tuum prostituas coram omnibus etiam exteris. [11] i. marito, fratribus, agnatis, aut rivalibus: qui omni excusatione aut redemtione abjecta in te sævituri essent: ut copiosiùs exponitur inf. 6. sub finem. [d] *Heb. virtute tua.* [12] i. facultates labore partæ: metony. [e] *Heb. in fine tuo.* [13] i. etiam toto exeso ad ossa & medullas usq; *αὔξησις.* nisi fortè accipiatur pro uxore & liberis, ut Levit. 18. & alibi. q. d. ne teipsum absũmas & familiam tuam, cujus studiũ est tibi a Deo & a natura imperatum. Atq; hæc interpretatio sequentibus videtur confirmari. [14] mimesis, sive hypotyposis miseri resipiscentis serò. [f] *Heb. cor meum.* [g] *Heb. planè parum* abest quin *verser, &c.* [15] i. palàm, effectus omnium misertimus. [16] altera pars prudẽtis documenti, de utendo bono: cujus membra sunt duo ex adverso superiorib. respondentia; unum, potiùs providendum esse pio, ut bonis omnibus benè utarur & augescat benedictionibus Dei, usq; ad ♈. 18. alterum, ut castè & continenter cum uxore vivat, si cupit in his benedictionibus cõfirmari, inde ad 20. Boni autem usus allegoricè cum aquis comparatus constituitur in privata utilitate, hoc versu; & benefica cum aliis communicatione, versu seq. [17] i. salientes aquæ ex fonte tuo, ut sequens membrum explicat. [18] i. ne committas, ut libidine abductus foras dilapides bona tua, & in exteros transfundi sinas. [h] *Heb. soli tibi.* [19] i. affluens benedictionibus Dei, quibus utaris & benefacias aliis. [20] id est, tantùm uxore tua alacri animo contentus esto: secundum membrum documenti, ut dictum est in versum 15. [21] id est, quemadmodum cervus post Arcturi sydus est cervæ amantissimus, illam persequitur, illa se explet, & cum illa intimus oberrat, aut caprea mas fœminam; ita studium tuum adhibeto ad uxorem tuam: elegantissima allegoria. Est autem his verbis eclipsis relati; ut Levitic. 21. 4. pro eo quod est, sit uxor tibi, ut cerva cervo: de quorum natura vide Aristot. lib. 6. de historia animalium cap. 29. & Plin. lib. 8. cap. 32. [i] *Hebr. amorum & capreæ gratiæ.*

gratiosa: ubera ipsius uberent te omni tempore,
in amore ejus errato jugiter.
20 [22] Et quare errares fili mi cum extranea, &
amplecterereris [23] pectus alienæ;
21 Quum coram oculis Jehovæ viæ cujusque
sint, & omnes orbitas ejus expendat?
22 [24] Iniquitates suæ capiēt ipsum, improbum
inquam istum; & funibus peccati sui tenebitur:
23 Ipse morietur [k] expers eruditionis, &
[25] in amplitudine stultitiæ suæ oberrabit.

[22] confirmatio superiorum documentorum: primùm a cognitione Dei, seq. versu, deinde a judiciis justissimis, duobus ultimis. [23] supple, ac nō conquiesceres in uxore tua. [24] id est, ipse suis maleficiis incubans parit malum suum, & sibi restem facit. [k] Hebr. in ineruditione. [25] i. pœnas luet peccatorum suorum, & nunquam consequetur bonum, sed vivus hærebit in perpetua morte.

CAPUT VI.

Schelomo in documentis prudentiæ pergens, dehortatur pios ab inofficiosis & imprudentibus officiis, pigritia, & maleficiis: atque ad contraria studia excitans, concludit hæc documenta generali exhortatione a consequentibus bonis erga morigeros, & eventuris malis in eos qui contra venerint.

1 Fili mi, si [2] spopondisti amico tuo; [3] complo-
sisti extraneo manum tuam:
2 [4] Illaqueasti te sermonibus oris tui, cap-
tus es sermonibus oris tui.
3 Fac istud [5] jam, fili mi, & [6] eripe te, quan-
doquidem [7] convenisti in manum proximi tui:
age, subjice te, & [a] [8] interpella proximum tuum.
4 Ne concedito somnum oculis tuis, aut
dormitationem palpebris tuis:
5 Eripe te ut caprea e manu *venatoris*, & si-
cut avis e manu aucupis.
6 [9] Abi ad formicam, ô piger; aspice [10] vias
ejus, & sape.
7 [11] Cùm non sit illi ductor, moderator, aut
dominator;
8 Comparat æstate cibum suum, comportat
per messem escam suam.
9 Quousque piger jacebis? quando surges a
somno tuo?
10 [b] [12] Pauculis somnis, pauculis dormitatio-
nibus; paucula cōplicatione manuum cubando;
11 Intereà advenit [13] tamquam viator expe-
ditus paupertas tua, & egestas tua tamquam
[c] vir clypeatus.
12 [14] Homo nequam, vir nihili, [15] ambulat
[d] perverso ore:
13 [16] Nictat oculis suis; verba facit pedibus
suis, docet digitis suis:
14 [e] Omnimoda perversitate insidente [f] ani-
mo suo, fabricatur omne malum omni tempore;

1 Schelomo hoc capite proponit tria documenta prudentiæ in administratione nostra: primùm est, de imprudētibus & inconsideratis officiis, usq; ad vers. 6. secundū, de omissis & neglectis officiis, usque ad 12. tertium, de nequitia a justis officiis suis discedente, usque ad 20. postremò hæc prudentiæ documenta concludit hortatione ab adjunctis & consequentib. bonis; cōtrariaq; dehortatione propter eventura mala, inde ad finem usque. Est autē primū hoc documentū de fugiendis inofficiosis officiis, proprium πολυπραγμονεῖν, qui non observa[illegible] [illegible] [illegible]osi esse cupiunt: quod fidejussorū specie hoc loco intelligēdum est. [illegible] fidejussisti pro altero. q. d ne temerè fidejubeto; aut si fidejusseris, mox fidem [illegible]o? nam ut planè non fidejubeatur pro ullo non vetat Schelomo; quum hoc bonorum exemplis confirmetur ut Ge. 42. 37. & 43. 8. & doceatur Ecclesiast. 29. 19. [3] i. jungens dexteram dedisti fidem: syneed. [4] i. imprudens tibi laqueum periculosum induisti. [5] i. quamprimùm ut duos sequentes versus explicant. [6] duobus modis qui sequuntur: te submittendo ei cui dedisti fidem, & eum urgendo pro quo fidejusseras. [7] i. manus complosione conventionem inisti cum amico ut fidejuberes pro eo: ut ♈. 1. sic convenire in fœdus, Jirmejæ 34. 10. [a] Hebr. dominum age in proximum tuum: ut Jeschahi. 3. 5. [8] i. urge ut fidem tuam liberet. [9] secundum documentum, de fugienda officiorum negligentia; quò transitur occasione sumta a proximo mandato fidei illico liberandæ. q. d. ne putes tibi tantum otii esse a rebus tuis, ut alienas levitate cures, aut illis deceptus indormiscas: sed respice ad te, abi, &c. [10] i. rationes agendi singulares; de quibus plura Aristot. li 9. de historia animaliū ca. 38. & Plin. li. 11. ca. 30. [11] i. non habeat ex suo numero qui præsit sibi, & suas actiones dispescat atq; moderetur; sed æquabilitatem inter se colant in rebus & officiis: ut Aristot. ipse narrat libro 1. de historia animal. ca. 1. [b] He. p[a]uco somnorū, pauco dormitationum, pauco complicationis. [12] i. tantisper dum pauculam quietem sumis, ut tu quidem dicis: concessio ironica ethopœiam habens pigrorum elegantissimā. [13] i. involat in te citiùs cogitatione tua; & quidē tanta vi, ut nulla facultas illius propulsandæ tibi superfutura sit. [c] He. vir clypei. [14] tertium documētum de fugienda nequitia: qua descripta usq; ad ♈. 15. denunciatur infœlix exitus illius, ♈. 15. & Dei odiū, ♈. 16. & seq. [15] i. totus perversus est sermone, corpore, & animo: ac perversitati omnium hominū omnino incumbit. [d] He. perversitate oris. [16] i. nihil rotundè eloquitur, omnia sui corporis mēbra ad falsitatem componit: ut infrà 10. 10. [e] He. eversionibus. [f] He. corde: sic deinceps.

contentiones immittit.
15 Idcirco repentè [17] adveniet calamitas e-
jus; ita subitò diffringetur, ut non *sit* curatio.
16 [18] Sex ista odit Jehova, imò septem abomi-
nationi *sunt* animæ ejus:
17 [19] Oculi elati, lingua [g] fallax, manusq; ef-
fundentes sanguinem innocentem:
18 Animus qui fabricatur cogitationes [h] ini-
quas: pedes [i] festinanter currentes ad malum:
19 Conflans mendacia testis falsus, denique
immittens contentiones [20] inter fratres.
20 [21] [1] Custodi, fili mi, præceptum patris tui;
neque deserito doctrinam matris tuæ:
21 [l] Alliga ea cordi tuo jugiter, annecte ea
faucibus tuis.
22 Quocumque itabis, *illa* deducet te; quum
cubabis, observabit te: quum experrectus fueris,
illa confabulabitur tecum;
23 ([22] Nam lucerna præceptum *est*, & doctri-
na lux; viaq; vitæ correctiones [k] erudientes)
24 [23] Ad servandum te a muliere [l] malefica,
a blanditia linguæ alienæ.
25 [24] Ne desiderato pulcritudinem ejus cum
animo tuo, neque capiat te palpebris suis:
26 [25] Nam propter mulierem meretricem *de-
venitur* usque ad frustum panis: etiam [26] uxor vi-
ro *juncta* animam pretiosam [27] venatur.
27 [28] An accepturus esset quisquam ignem in
sinum suum, & vestes ejus non adurerentur?
28 An ambulaturus esset quisquam super pru-
nas, & pedes ejus non cremarentur?
29 Ita *est* qui cōgreditur cū uxore proximi sui:
[29] non relinquetur impunis quisquis tetigerit eā.
30 [30] Non [m] afficitur contemtu fur; qui furatur
ad explendum animum suum, quum esurit:
31 Sed deprehensus, rependit [31] septies:
[32] qualibet substantia domus suæ reddit.
32 [33] Adulterans *autem* mulierem *est* [n] de-
mens: [34] perditurus [o] se ipsum, ipse faciat istud.
33 [35] Plagam & ignominiam [p] consequetur,
probrumq; ejus non delebitur:
34 [36] Nam zelotypiæ *inest* æstus viri; ideò non
utitur clementia [37] die ultionis:
35 Nō habet rationē ullius redemtionis, neq;
acquiescit, quamvis [q] multa adhibeas munera.

[17] ut suprà 1. 27. [18] veluti ad nequitiam, cujus suprà meminit, pertinentia. [19] i. superbus, synecdochicè a signo: sic deinceps mendax, sanguinarius, fraudulētus, maleficus, perjurus testis, rixarū auctor: ut de Paulo illo legitur apud Ammianum lib. 14. qui propterea catena dicebatur. [g] Heb. falsitatis. [h] He. iniquitatis. [i] He. festinantes currendo. [20] i. etiam inter conjunctissimos. [21] conclusio documentorum prudentiæ, continens primùm hortationē propter bonū nostrū, usque ad ver. 25. deinde verò dehortationem a rebus contrariis propter malum, ad finem usque. [1] Suprà 1. 8. [l] Suprà 3. 3. [22] i. cælestia hæc documenta prælucent credentibus, & via sunt ad vitam æternā ut Psal. 19. 9. & 119. 105. [k] He. eruditionis. [23] i. continendū ne aut voluptate carnali abripiaris, aut aliis malis quæ hoc capite proposita sunt synecdochicè. q. d. hæc prudentia te ab illecebris voluptatis & omnibus impedimentis officii tui integrum servabit. [l] Hebr. mali. [24] alterum membrum conclusionis; ut dictum est in versum 20. [25] causa dehortationis; scortatio (inquit) & bona & vitam exhaurit: quæ prolepticè dicta sequentibus exornantur: sic infrà 29. 3. [26] i. juncta viro, sive maritata; ideoq; adultera. [27] i. venatione intercipit: ut Jechezk. 13. [28] exornatio superioris ætiologiæ primùm a similitudine ignis; ut Ijobi 31. 12. his trib. versibus; deinde a comparatione furti cum adulterio, ver. 30. & sequentibus. [29] i. neque jura humana effugiet, neq; judicium Dei, qui scortatores & adulteros damnabit, Heb. 13. 4. [30] comparatio exaggerans indignitatem adulterii a consequentibus malis, hoc modo: furi qui egestati suæ consulit furto, neq; vita neq; honor adimitur; ne tum quidem quum furti tenetur manifesto, aut sæpius in factum recidit; sed satis est justo rei ablatæ domino, ut redhibeat rē suam ex lege; honorem verò & vitam ejus minimè persequitur: adulteri autem conditio planè diversa est: nam petitur illius vita, honor, &c. publico & privato jure, si vel semel evincatur adulterii, & res viro aut agnatis vindicibus innotuerit. [m] He. contēnunt: ut Ijob. 7. 3. [31] i. sæpius, quoties peccaverit: ut Psa. 12. 7. [32] i. ita cum domino rei furtivæ paciscitur & cōponit; ut quicquid in facultate sua habet, res aut personas, offerat ad compensandum damnum arbitratu ejus; honorem autem vitamq; integram servat. [33] ἀπόδοσις sive accommodatio elegans comparationis, quæ prolepticè hoc versu posita sequentibus exornatur. [n] He. defectus corde, ut infrà 7. 7. [34] venustissima concessio ad poenam informandum accommodata: q. d. si salutem cupis, ne facito istud: finito eos facere qui omni animi impetu incumbunt in perditionem sui, facultatum, honoris, vitæ, omnium denique quibus in hac vita fuissent usuri. [o] Heb. animam suam. [35] i. ipsum corpus adulteri plagis exponetur, & vita ignominiæ perpetuæ. [p] Heb. inveniet. [36] i. ipsum adulterum petit vir aut vindex quilibet, ac non acquiescet pretio: ut suprà 5. 9. [37] i. quum primùm oblata est ulciscendi ratio: ac proinde non sinitur adulter sæpius relabi in scelus, quod de fure dixerat suprà vers. 31. [q] Hebr. multiplices munus.

CAPUT VII.

Schelomo hortationes ad sapientiam & prudentiam confirmat, adducta experientia, quam observavit in conditione

conditione miserorum lenociniis voluptatis inservientium, & funesto illorum exitu.

[1] FIlli mi, observa sermones meos; & præcepta mea reconde apud te:
2 Observans præcepta mea vive, doctrinámque meam ut [a] pupillam oculorum tuorum.
3 [3] [3] Alliga ea digitis tuis; inscribe ea tabulæ cordis tui:
4 [4] Dic sapientiæ, soror mea es; & affinem prudentiam voca;
5 Ut servet te a muliere extera, ab aliena [a] sermonibus suis [5] blandiente.
6 [6] Nam per fenestram domus meæ, ex fenestella prospectans,
7 Vidi inter fatuos, animadverti inter filios; puerum [b] dementem:
8 *Qui* transiens per vicum juxta angulum illius, [7] via ad domum illius gradiebatur.
9 [8] Crepusculo, vespere diei; [c] nigra nocte, & caliginosa *animadverti.*
10 Quum ecce mulier *processit* obviàm ei; ornatu meretricio, & [9] [d] circumspecta animo.
11 ([10] *Quæ* [11] strepera est & [12] contumax, [13] in cujus domo non [e] hærent pedes ejus:
12 [f] modò foris, modò in plateis; aut [14] prope quemque angulum insidiatur)
13 Et prehendens eum osculata est eum; [15] obfirmansq; vultum suum, dixit ei,
14 [16] Sacrificia eucharistica apud me *sunt*, hodiè reddidi vota mea:
15 Idcircò prodii obviàm tibi; studiosè quærendo faciem tuam, commodè invenio te.
16 [17] Cadurcis instruxi spondam meam; [g] *variam* emblematis, [h] linteis [18] Ægypti.
17 Suffivi cubile meum; myrrha, santalis, & cinnamomo.
18 [19] Age, incumbamus ubertim amoribus ad matutinũ usq;; nos ipsos exhilaremus amatoriis.
19 Nã [20] nõ *est* vir domi suę, abiit via [i] lõginqua:
20 Loculum pecuniæ accepit in manum suam: die stato redibit domum suam.
21 Flexit eum multitudine [21] disciplinæ suæ, [k] blanditia labiorum suorum impulit eum.
22 [22] Sequitur eam subitò; tamquam bos ad mactationem abit, & [23] velut [l] compeditus ad [24] eruditionem stultorum,
23 Donec [25] dissecet [m] culter jecur ipsius, quemadmodum festinat avis ad laqueum, nesciens contra vitam suam illum esse.
24 [25] Itaque nunc filii, auscultate mihi; & attendite ad sermones oris mei.
25 Ne declinato ad vias illius [n] animus tuus, ne aberrato in semitas illius:
26 Nam multos confossos dejecit, & numerosi *sunt* omnes interfecti ab illa.
27 Viæ [o] ad sepulcrum *sunt viæ ad* domum ejus, descendentes ad [27] penetralia mortis.

[1] His tribus capitibus adhibet Schelomo confirmationem documentorum sapientiæ & prudentiæ, quæ hactenus posita sũt. Est autem confirmatio duplex; una, ab exemplo, quod ipse confirmat testimonio suo, hoc capite; altera a testimonio Dei & sapientiæ ipsius æternæ, duobus seq. Itaq; hujus capitis partes sunt tres: prima, exordium, usq; ad ℣. 6. secunda, narratio, usq; ad 24. postrema, conclusio ἀντιρρητικὴ sive dehortatoria, ejusdem cũ exordio argumẽti, reliquis ℣. [a] *suprà* 2.1. *ut suprà* 4.4. [2] i. studiosissimè: ut psal. 17.8. [3] i. continenter exerce, & recole vide Exo. 13.9 [3] *suprà* 3.3. [4] i. sapientiam prudentiamq; germanè colito, & adjungito te ei quàm familiarissimè: metaph. [a] *Heb. sermones suos molliente:* ut *sup.* 2.16. [5] ut sup. 5.3. & 4. Hæc autem synecdochicè de omni voluptuaria & depravata vita intelligẽda sunt. [6] narratio elegantissima, ut dictum est in ℣. 1. [b] *He. defectum corde: ut su.* 6.32.

[7] contra quàm præcepit, su. 5.8. [8] i. observavi toto noctis tempore: periphrasis κατὰ μερισμόν. [c] *Heb. in nigredine noctis & caligine.* [9] i. astutè circumspiciens omnes artes occultandæ fraudis suæ, ut inescet imprudentes: ut su. 5.6. [d] *Heb. custodita corde.* [10] παρέκβασις sive digressio ab instituta narratione, describens meretricem ad præmuniendos adolescentes. [11] i. loquax, verbis circumfluens ad persuadendum accommodatis: ut inf. ℣. 21. [12] i. Deo, legibus naturæ, honestatis, & mariti immorigera. [13] i. vaga contra officium honestæ matronæ: Judic. 5.24. & Tit. 2.5. [e] *Hebraicè, habitant, ut infrà* 8.12. [f] *Hebr. vicem foris, vicem in, &c.* [14] vide Gen. 31.14. & 15. [15] i. impurè atque impudicè perfricta fronte Deo hominibusq; mentiens: ut sequentis mimeseos verba docent. [16] verba invitantis blandè, duobus versibus: appellat autem sacrificia synecdochicè, quod apud se habet de sacrificiis reliquum, ex lege sacrificantibus attributũ. [17] verba pellicientis a cœna adolescentem ut apud se maneat, præsentium lectisterniorum commoditate, 2. versibus. [g] *He. spondam segmentorum, i. segmentatam, sive tessellatam.* [h] *Hebr. funiculo, id est, filo: metonym.* [18] i. e lino Ægyptio xylino omnibus candore mollitiaq; præferendo: ut loquitur Plin. lib. 18. cap. 1. [19] verba abducentis in scelus adolescentem, 3. versibus. [20] confirmatio securitatis ad licentiùs perpetrandũ scelus, a diuturna absentia viri ex longa profectione: quæ duobus signis ostenditur, seq. versu, numero pecuniæ, & diei certæ ad reditum condictione. [i] *He. versus longinquum.* [21] ut sup. ℣. 11. Nam illa artifex lenociniorum comparatur magistræ, tyrunculis verò quicumq; fidem adhibent illius magisterio: ut ℣. sequente. [k] *He. mollitie.* [22] i. demens tum ab illa trahitur in exitium suum, tum ipse ultrò inescatus advolat: quæ duo elegantissimis comparationibus exornantur. [23] gradatio allegorica. q. d. imprudens quum meretricem sequitur, non animadvertit se lanienam ingredi, & ingressum catenis compedibusq; obligari, ut ligantur boves laniandi; i. se subire judicium capitale a Deo atque hominibus, quod nullo pacto possit effugere: ut suprà 5. & 6. [l] *He. compede.* [24] i. pœnam, qua demum serò sapiunt stulti: periphrasis supplicii. [25] i. viam aperiat effundendo sanguini, ut quum mactatur bos. [m] *Heb. divisorius: communis sagittarii & aliorum punctim ferientium armorũ appellatio: ut* Jechez. 21.26.

[26] conclusio; ut dictum est suprà in ver. 1. revocãs a voluptatibus, metu exitii. [n] *Heb. cor.* [o] *Hebr. sepulcri.* [27] i. mortẽ æternam, abs qua revocari non possunt gradus: metaphora.

CAPUT VIII.

Schelomo documenta sapientiæ & prudentiæ confirmat testimonio cælesti sapientiæ æternæ Dei: quæ omnes homines invitans ad se naturam suam potẽtissimam & beneficentissimam exponit credentibus in se; eaq; confirmata ab essentia sua sempiterna atq; operibus, homines ad sui studium provocat.

[1] NOnne sapientia [2] clamat, & intelligentia edit vocem suam,
2 In fastigio editorum locorum; per viam, in loco multarum semitarum consistens,
3 Ad latus portarum, in [a] aditu urbis; in ingressu ostiorum [3] recantant? dicendo,
4 [4] Vos, ô [5] viri præstantes, inclamo; & vox mea *plebeios* filios hominum.
5 Intelligite fatui astutiam, & stolidi [b] animum advertite.
6 Audite, nam [c] præstantia eloquar; & apertura labiorum meorum *eloquar* recta.
7 [6] Nam veritatem meditatam effert palatum meum, & [d] abominationi labiis meis *est efferre* [7] improbitatem.
8 [e] Justi *sunt* omnes sermones oris mei, nihil *est* in eis contortum aut perversum.
9 Illi omnes *sunt* obvii prudenti, & recti iis qui consequuntur scientiam.
10 Accipite eruditionem meam, ac non pecuniam; & scientiam potiùs quàm *aurum* effossum lectissimum.
11 [ll] Nam melior *est* sapientia carbunculis, & omnia oblectamenta non possunt æquari ei.
12 [8] Ego *sum* sapientia, [f] [9] cohæreo astutiæ; & scientiam [g] summæ solertiæ [h] præsentem habeo,
13 [10] Reverentiam Jehovæ, odium mali: fastum & elationem, viamq; mali, denique os [i] perversitatibus deditum odi.
14 [11] Meum *est* consilium, [12] & [k] quicquid est; [l] mea *est* prudentia, meum robur.

[1] transitio ad alterum confirmationis locum, de quo suprà 7.1. per antithesin æternæ sapientiæ Dei & cælestium documentorum ejus, cum procacissima meretrice & illius lenociniis. Continentur autem hoc capite duo; nimirum brevis narratio velut subjiciens oculis nostris occursantem Dei sapientiam, tribus versibus; deinde sacram illius concionem, ad finem usque capitis. [2] i. palàm prædicat, & nos invitat ad se fiducia & libertate summa; non autem meretriciis susurris, tempore vespertino, clàm, abstrusis locis pueros imperitos dolosè sollicitat: quæ omnia sequentiũ versuum oppositione illustrantur. q. d. quid illam sceleratam auditis admurmurantem? &c. quum se ipsam tam clara voce & illustribus documentis exponat Dei sapientia? [a] *Heb. ore.* [3] sapientia nimirum & intelligentia: ut suprà 1.20. [4] sacra hæc concio continet partes quatuor: exordium, usque ad vers. 12. propositionem dignitatis, efficacitatis, & utilitatis suæ, inde ad 22. confirmationem ab auctoritate sua sempiterna & divina, usque ad 30. & conclusionem, a ver. 30. ad finem usque. Exordio autem hominũ omnis generis attentionem, docilitatem, & benevolentiam captat tum a persona auditorum, usque ad versum 7. tum a natura præstante doctrinæ suæ, sequentibus. [5] ut Psalm. 49.3. huic autem personarum distributioni accommodatur doctrina per ὑπόφορσιν, duobus sequent. vers. [b] *Heb. cor.* [c] *Heb. verba antecessorum, i. principibus digna.* [6] alter locus exordii a genere doctrinæ; quòd vera est, justa, recta, facilis, pretiosissima, & jucundissima. [d] *Hebr. abominatio labiorum meorum.* [7] i. res falsas, quibus improbi delectantur. [e] *Heb. in justitia.* [ll] *suprà* 3.15. [8] secunda pars concionis, propositio, qua exponit Dei sapientia primùm naturam suam, tribus versibus; deinde opera & effecta, a ℣. 15. usque ad 22. [f] *He. in habito astutiam: ut sup.* 7.11. [9] i. quod vos ad me revoco, non injuria facio: nam ego ea sum sine qua nemo sapit; sed in qua & per quam sapientes sunt & efficiuntur quicumque sapiunt. Hæc autem non de verbo sonante aut scripto, atque transeunte; sed de æterno illo Dei sermone Christo accipienda sunt, qui Dei potentia ac sapientia est, & factus est nobis a Deo sapientia, 1. Cor. 1.24. & 30. [g] *Hebr. solertiarum.* [h] *Hebr. invenio.* [10] id est, sum prudentissima: periphrasis, humanitùs dicta. [i] *Hebraicè, eversionum.* [11] id est, sum justissima. [12] id est, sum consultissima in capiendis & potentissima in efficiendis consiliis. nimirum ex consilio; id est, consiliorum effectus & complementum: sic transitur ad alterum propositionis membrum. [k] *Hebr. essentia.* [l] *Heb. ego prudentia: rectum pro obliquo, ut Genes.* 27.36. *& Zecar.* 7.5.

15 [13] Per

15 [13] Per me [14] reges regnant,& dominatores
decernunt juſtitiam.
16 Per me principes gerunt principatum; &
ingenui omnes judices terræ.
17 [15] Ego amantes mei amo,& ſtudioſè quæ-
rentes me inveniunt me.
18 Divitiæ & honor penes me *ſunt* , ſubſtan-
tia [m] perdurans & juſtitia.
19 Melior *eſt* [16] fructus meus *auro* effoſſo , &
quidem purgatiſſimo ; & proventus meus argen-
to lectiſſimo.
20 Per iter juſtitiæ deduco, [n] per medias ſe-
mitas juris;
21 Efficiendo ut poſſideant amantes mei [17] id
quod eſt, denique theſauros eorum impleo.
22 [18] Jehova [19] poſſidebat me principio viæ
ſuæ; ante opera ſua, [o] ante ullum tempus.
23 [20] Ante ſeculum inuncta fui; [21] ante prin-
cipium, ante primordia terræ.
24 [22] Quum nullæ eſſent abyſſi , edita eram;
quum nulli eſſent fontes [p] graves aquis.
25 Quum nondum factū eſſet ut montes de-
merſi incumberent *terræ*, ante colles edita eram.
26 Adhuc non fecerat terram,aut rura: [23] imò
principium, [24] pulveres orbis habitabilis.
27 [25] Quum aptaret cælos, [26] ibi eram;quum
ſtatueret ambitum in ſuperficie abyſſi,
28 Quum [27] fortificaret ſuperiores nubes ſu-
pernè, quum roboraret fontes abyſſi,
29 Quum imponeret mari ſtatutum ſuum, &
aquis, ne tranſgrediantur *præſtitutum* oris ipſius ;
quum [28] ſtatueret fundamenta terræ.
30 [29] Quum itaque ſim apud eum, [q] [30] edu-
cans, & ſim [31] deliciæ [r] quotidianæ ; lætificans
[32] coram eo omni tempore,
31 Lætificans in orbe habitabili [33] terram e-
jus, [34] atque deliciis meis filios hominum:
32 [35] Nunc igitur filii auſcultate mihi : beati
enim *ſunt qui* vias meas obſervant.
33 Audite eruditionem,& ſapite,& ne *vos* ab-
ſtrahite.
34 Beatus homo qui auſcultat mihi, [36] ſedu-
lò inſiſtendo foribus meis quotidiè , obſervando
poſtes oſtiorum meorum.
35 Nam [f] [37] qui conſequitur me,conſequitur
vitam; [38] ut provehit benevolentia a Jehova.
36 At [39] qui peccat in me , vim facit animæ
ſuæ: omnes [40] oſores mei amant mortem.

[13] alterum propoſitionis membrum de operib. & effectis:quo exponit Dei ſapientia omnem communicationem auctoritatis, gratiç, bonorum, gloriæ, juſtitiæ, ſanctificationis, & vitæ æternæ ab ipſa proficiſci. [14] i. a me eſt omnis auctoritas, duob. verſibus, ut Danijel. 2.21. & Rom. 13.1. [15] i. a me eſt gratia Dei erga amātes me, Joan. 14. 21. [m] *Heb. antiqua. i. æterna, ut Dan. 7.9. & ſeq.* [16] i. quem ego cum amantibus meis communico, habitans in eis,& ambulans juſtitia mea. Sunt enim hi fructus in vita quidem præſente remiſſio peccatorum & ſanctificatio, V.20. in futura verò, æterna plenitudo bonorum omnium in communione Dei, V.21. [n] *Heb. per mediū ſemitarum.* [17] i. quod nunquā eſſe deſinit. [18] tertia pars concionis; nimirum cōfirmatio, tum a natura hujus ſapientiç Dei, quòd Deus eſt unus æternus cū Patre & Spiritu ſancto, uſque ad V.27. tū ab operibus, quòd omnia cum patre creavit, conſervat, atque adminiſtrat, Joan. 1.& 5.17. Coloſſ. 1.16. [19] eram apud Deum jam tum, quum creatione rerum omnium impreſſurus eſſet veſtigia majeſtatis ſuæ, Joan. 1.1. quod ſequens gradatio amplificat. [o] *Hebr. ante tunc, ut Pſal. 93.2.* [20] i. in officio meo inſtitutus ſempiterno decreto Dei; ut Prophetam, Sacerdotem, & regem agam, ſimq; Eccleſiæ caput : quo nomine Meſſias ſive Chriſtus metonymicè appellatur. [21] nimirum viæ illius, ut præcedente verſu. [22] i. ab æterno genitus ſum, quod docetur his tribus verſibus. [p] *Hebr. gravitates aquarum.* [23] i. ne quidem cœperat : ſimilis gradatio, ac verſ. 22. [24] i. ne pulverem quidem aut maſſam creaverat, ex quo effictus & formatus eſt orbis : hoc enim ordine univerſitatem rerum creavit Deus in filio : vide Geneſ. 1. 1.& 2. [25] alterum membrum confirmationis ab operibus in cælo, aëre, aquis, & terra : ut dictum eſt in verſum 22. [26] i. unà eram atque operabar, Joan. 1.3. [27] i. potente verbo conſtitueret nubes , ut quaſi doliis utribusq; contineantur firmæ. [28] id eſt, fundaret ut immota ſit: periphraſis. [29] ultima concionis pars, concluſio ; continens primùm anacephalæoſin ſuperiorum, duobus verſibus, deinde hortationem ad percipiendam ſapientiam, reliquis. [q] *Hebr. educando.* [30] i. res creatas conſervans , ac nominatim Eccleſiam alens verbo & ſpiritu, in vita præſente & futura. [31] i. quum ſim veritas & vita æterna tum ſuaviſſima in Deo, tum etiam jucundiſſima in æternum hominibus credentibus in me : quòd universè dictum poſteà accommodatur futuræ vitæ, hoc verſu ; & præſenti, ſequente verſu. [r] *Hebr. die, die: ſic infrà 34. V.* [32] i. homines perfundens lætitia planè divina, quum in cælis perfectè poſſeſſuri ſint ſatietatem gaudiorum , & percepturi ante faciem ejus per magnificā communionem Chriſti, Pſal. 16.11. [33] i. rebus omnibus creatis, quæ in hac terra ſunt, benedicens. [34] i. humanum genus ſuaviſſimis benedictionibus corporalibus, ſpiritualibusq; perfundens ; inprimis verò Eccleſiam, ut corpus ſuum, cujus ſervator eſt Chriſtus. [35] hortatio, alterum concluſionis mēbrum; qua ſapientia homines ad ſe ſalutarib. promiſſionibus advocat,& damnoſis interminationibus deterret a malo. [36] i. toto animo & tota mente requirendo me : metaphora a clientibus fores patronorum obſidentibus. [f] *He. inveniens me, invenit vitam: ut infr. 12.1.* [37] i. ego ſum vita, Joann. 10.25. Ac proinde quotquot me acceperint, nempe qui credunt in nomen meum, dat eis hanc dignitatem Deus per Chriſtum, ut filii Dei fiant, Joan. 1.12. [38] id eſt, quam non ipſius virtus conſequitur, ſed gratia Dei & benevolentia ſalutaris elargitur. [39] id eſt, qui peccatis oppugnat me, itaque ſe alienat a benevolentia Dei : ſic reſpondet hic ver. ſuperiori per antitheſin. [40] qui non oderunt ſe ipſos, & omnia propter me ; ſed magis quærunt quæ ſua ſunt, quàm quæ ſunt Chriſti.

CAPUT IX.

Schelomo ſapientiæ Dei opus potentiſſimum in Eccleſia, doctrinam, & eventa ex opere doctrinaq; ejus conſequentia comparat cum opere, doctrina, & eventis inſipientiæ.

1 [1] [a] SUmma ſapientia ædificavit [2] domum ſuam,
[3] excisis columnis ſuis [4] ſeptem.
2 Mactavit [b] animalia ſua ; miſcuit vinum
ſuum,etiam inſtruxit menſam ſuam:
3 [5] *Et* miſſis puellis ſuis; invitat [6] per [c] col-
legia,& loca excelſa urbis,
4 [7] Quiſquis fatuus, divertito huc ; *quiſquis*
eſt [d] demens, [8] dicit ei.
5 Venite, veſcimini [9] cibo meo , & bibite de
vino *quod* miſcui.
6 Relinquite fatuos,& vivite,ac incedite per
viam prudentiæ.
7 [10] [e] Qui erudit [11] deriſorem , recipit ſibi
[12] ignominiam : & qui corripit improbum, *recipit*
[e] convicium ſibi.
8 Ne corripito deriſorem , ut non odio pro-
ſequatur te:corripe [13] ſapientem,& amabit te.
9 Da ſapienti, ut ſapiat ampliùs : notum fac
juſto , ut augeat diſciplinam,
10 [14] Principium ſapientiæ reverentiam Je-
hovæ, & [15] agnitionem ſanctorum prudentia.
11 Nam per me multiplicabuntur dies tui, &
[f] adjicientur tibi anni vitæ.
12 Si ſapias, ſapies [16] tibi:ſin deriſor eris, ſolus
[17] reportabis.
13 [18] Mulier [g] ſtolida [19] ſtrepera *eſt* : [h] fatua,
etſi neſcit quicquam,
14 Tamen ſedet [20] ad oſtium domus ſuæ

[1] Hujus capitis (quo velut quidam ſuperiorum epilogus continetur) ſummæ partes ſunt duæ ex adverſo inter ſe reſpondentes: una, de cæleſti ſapientia, uſque ad verſum 13. altera de humana inſipientia, quæ cum muliere comparatur, inde ad finem uſque. Divinæ autem ſapientiæ locus tres partes continet ; unam, de opere illius, duobus verſibus; alteram, de verbo humanum genus invitante ad cōmunionem eorum quæ preparavit Chriſtus ſapientia Dei accedentibus ipſum fide, uſque ad verſum 7. tertiam, de uſu verbi communicati a Chriſto, qui hominibus indicitur, inde ad 13. [a] *Hebr.* ſapientia *ſapientiarum: ut ſuprà* 1.20. [2] ſpiritualem videlicet Eccleſiam , quam hic inchoat Chriſtus , in cælis perficit. [3] i. fundavit, ſtabilivit, & ornavit eam abſolutiſſimè : hæc allegoricè de ſacra domo Dei dicta, ſicut epulæ ſequente verſu, vitam æternam & gloriam figurant quam in ea ſancti percepturi ſunt. [4] id eſt, quam abſolutiſſimè : nam numerus ſeptenarius in operibus Dei perfectionem notat. [b] *Hebr. mactationem ſuam: ſynecdoche.* [5] altera pars, de invitatione per adminiſtros verbi, qui cū puellis pudicis, & modeſtis comparantur accommodatè ad allegoriam, ut eò ſit illuſtrior antitheſis illius deſperatæ Thaidis, de qua ver. 13. [6] i. palàm & ubique, in ambitu, foro, plateis opidi. [c] *Hebr. corpora.* [7] hujus breviſſimæ concionis, ac potius invitationis ſumma poſita eſt in reſipiſcentia , cujus partes duæ ; una, invitatio ad convictum ſapientiæ, & conſtantem fructum bonorum ejus; altera, dehortatio, his tribus verſibus. hanc autem ipſam invitandi formam adhibet inſipientia, infrà ver. 16, ſed ſequentibus diſcrepat. [d] *He. defectus cordis.* [8] i, apertè ac non obſcurè eum ſuæ dementiæ atque infantiæ coarguit ex verbo Dei, ut ſibi renunciet, Deumq; accedat in fide & reſipiſcentia. [9] i. quem dedit mihi pater communicandum vobiſcum; non autem furtivo illo, de quo infrà dicit. [10] tertia pars de induſtria ab auctore interpoſita ad explicandum ſuperiorem invitationem; qua docetur quæ perſonæ omittendæ & quæ vocandæ ſint, uſque ad verſum 10. quid docendæ, verſ. 10. & quis eventus ex hac invitatione & alimento verbi conſequuturus, verſ. 11. & 12. [e] *Matth. 7.6.* [11] i. hominem deſperatæ ſalutis, qui oblatrat & obgrunnit verbo ſalutari, ac nefariè ludificatur. [12] exemplum vide Matth. 11.26. [e] *Hebraicè, vitium ſuum.* [13] i. qui animo ita eſt comparato, ut non derideat, ſed audiat ſapientiam & ſe in ea informari ſinat: ut definitur infrà 10. 8. [14] ſumma doctrinç cæleſtis duas partes continens; officium reverentiæ erga Deum, & communionis cum ſanctis, quæ ſignificatur agnitionis nomine. Vocatur autem utrumque principium ſapientiæ, quia hic in nobis inchoatur verbo, neque antè abſolvetur quàm Prophetia ceſſet in nobis , & ſimus in cæleſtibus cum Chriſto. [15] conjunctam ſtudio atq; officiis : ut ſup. 2.5. [f] *He. adjicient tibi annos vitæ Ijob 7.4.* [16] i. bono tuo. [17] nimirum deriſionem, q.d. tua ludificatio non illi (ut putas) fraudi erit qui ſaluti tuæ conſultum voluit ; ſed in te ipſum judicio Dei retorquebitur. [18] ſecunda pars capitis ſuperiori oppoſita, qua exponuntur inſipiētiæ opera, tribus verſibus; invitatio, V. 16 & eventus conſectarius, duobus V. ultimis. [g] *Hebr. ſtoliditatis.* [19] ut ſuprà 7. 11. [h] *Hebr. fatuitatis.* [20] i. ut foris meretrix impudentiſſimè & procaciſſimè inſidiatur & perducit imprudentes; ita inſipientia ſtat in propatulo expoſita , & plurimos abducit, multosq; etiam rectà ad ſapientiam tendentes inverecundè ſollicitat.

ſuper

super solium, in locis excelsis urbis,
15 Ad avocandum [h] viatores, qui *etiam* rectà
eunt itineribus suis:
16 Et [21] quisquis fatuus, divertito huc, & *quis-*
quis est demens, dicit ei.
17 [22] Aquæ [23] furtivæ suaves *quidem* sunt, &
cibus [24] latebrarum amœnus;
18 Sed ignorat ille [25] expertes vitæ illic esse;
[i] in profundissimo sepulcro, [26] invitatos [k] ab ea.

h *Heb. transeuntes via, qui dirigunt iter a sua.* 21 invitatio similis in speciem ei quæ habetur suprà vers. 4. sed abducens tamen a via sapientiæ. 22 expositio eventus quem consequuntur ii qui auscultant insipientiæ. Est autem duplex; unus, suavitatis ad breve tempus sensum hominum titillantis; alter perditionis & mortis æternæ: ut Ijobi 20. 5. & sequentibus. 23 i. non justè, sed præter leges Dei & sapientiæ (in qua, per quam, & propter quam omnia facta sunt) ex perturbatione carnis comparatæ. Hoc autem fit duobus modis; sive quis rebus quas sibi concessit Deus abutatur præter voluntatem illius, sive alienis animum suum expleat: ut vulgò dictum est; dulcia esse poma quum abest custos. 24 id est, qui in latebris editur, ne malum redarguatur a luce: vide Roman. 10. 12. & Ephes. 5. 13. 25 id est, jam in morte versari quum illam adeunt, & quamvis vivant mortuos esse: ut loquitur Apostolus, 1. Timoth. 5. 6. i *Hebraicè, in profunditatibus sepulcri.* 26 & acquiescentes invitanti: synecdoche. k *Heb. ejus.*

CAPUT X.

Schelomo pios omnes instituens tamquam filios, bona honoremq; illis obvenire docet benedictione Dei. Quãobrem informans eos in omni pietate & officio, docet obsequium, integritatem animi, charitatem, prudentiam, beneficentiam, & modestiam in correctionibus tum adhibendis, tum recipiendis: ac postremò divinas benedictiones illis denunciat, & sigillatim quæcunq; de bonis prædicãtur, illustrat improborũ cõparatione.

[1] PRoverbia Schelomonis. Filius sapiens lætitia
afficit [2] patrem, filius verò stolidus [a] mœsti-
tiæ *est* matri suæ.
2 [3] Non prosunt [4] thesauri improbitatis, [5] sed
justitia eripit a morte.
3 [6] Non sinit esurire Jehova animam justi,
[7] substantiam verò improborum depellit.
4 Pauper *fit* [8] qui agit [b] manu dolosa: manus
autem [9] sedulorum ditat *ipsos.*
5 [10] Comportat in æstate [11] filius intelligens:
[12] somno sopitus *est* in messe [13] filius pudefaciens.
6 [14] Benedictiones *adsunt* [15] capiti justi, at os
improborum [16] obtegit violentia.
7 [17] Memoria justi *est* [c] benedicta, nomen
autem improborum [18] putridum est.
8 [19] Sapiens [d] animo [20] accipit præcepta;
stultus verò [21] labiis se ipsum [22] conturbat.
9 Qui ambulat in integritate, ambulat
[23] securè; qui autem pervertit vias suas, [24] [e] docu-
mento erit:
10 [25] Qui nictans oculo [26] dat molestiam; &
[g] stultus labiis se ipsum conturbat.
11 [27] Scaturigo vitæ *perfundit* os justi: [f] at os
improborum obtegit violentia.
12 [28] Odium excitat [29] contentiones: [||] omnes
verò defectiones [30] obtegit charitas.
13 [31] Labiis prudentis adest præsens sapien-
tia, ut virga corpori [32] [f] dementis.
14 Sapientes [33] recondunt [34] scientiam: [35] ori
autem stulti contritio propinqua *est.*
15 [36] Substantia divitis *est* [37] *tã quam* urbs mu-
nita ejus: contritioni *est* tenuibus paupertas eorũ.
16 [38] [g] Quod opere suo comparat justus, *com-*
parat [39] in vitam: proventus improbi [40] in peccatũ.
17 [41] Iter ad vitam *est* servantis eruditionẽ: de-
relinquẽtis verò correptionem *iter* errorẽ affert.
18 [42] Qui tegit odium, labiis est fallacibus; &
qui profert infamiam, est stolidus.
19 [43] Multitudine verborum non cessabit de-
fectio: sed [44] cohibet labia sua intelligens.
20 [45] *Velut* argentum lectissimum *est* lin-
gua justi, [46] animus improborum perparvi *est.*
21 Labia justi pascunt multos, stulti verò [h] de-
mentiâ [47] moriuntur.
22 [48] Benedictio Jehovæ ipsa ditat, [49] neque
addit molestiam secum.
23 [50] Prout ludus *fuerit* stolido facere scelus;
& *exercere* sapientiam; viro intelligenti:
24 Quod [i] formidat improbus, id eveniet
ei; [k] quod autem desiderant justi, dabit *Deus*:
25 [||] Ut tamquam transeunte turbine [51] non
exstet improbus: [52] justo verò sit fundamentum
[l] perpetuum.
26 [53] Ut acetum [54] dentibus, & velut fumus
[55] oculis; ita *est* [56] piger [57] mittentibus ipsum.
27 [58] Reverentia Jehovæ adjicit dies, anni

1 id est, sententiæ ethicæ ad vitæ morimque informationem, omniáque pietatis officia pertinentes. Dicuntur autem Schelomonis, quia ex variis illius scriptis concinnatæ sunt: ut diximus suprà in principium capitis primi. Continentur verò hoc capite tria documentorum genera: primùm, de bonis pervenientibus ad filios pios in Deum & parentes suos, usque ad versum 8. secundum, de officiis illorum, usque ad vers. 22. tertium, de causa istarum benedictionum piis obvenientium & contrà, ad finem usq;: quæ tria prolepticè ac distinctè 3. primis versib. hujus capit. exponuntur. 2 i. parentes synecdochicè; ut etiam in sequente membro. a *He. mæstitia matris suæ.* 3 adversus mala irruentia ad invadentem mortem, psal. 49. 4 i. quicquid improbus improbitate collectum possit objicere ad liberationem sui. 5 etiam sine thesauris ullis omnia mala superat, & efficit ut ne ipsa quidem mors justo sit noxia. 6 *αἴτιον* superioris versus: hæc (inquit) non homines quidem efficiunt; sed moderatur Deus, qui non sinit, &c. 7 aut illam, aut illius usum, aut benedictionem suam adimendo: quarum rationum primam subjicit sequente versu. 8 periphrasis improbi, qui segnis in officio suo res alienas malis artibus tentat avertere. b *Heb. manu doli.* 9 i. qui sedulò satagunt rerum suarum, & ab alienis abstinent. 10 i. comparat facultates & vitæ consulit, dum tempestivum est. 11 ac proinde sua intelligentia præcavens sibi & suis a pudenda paupertate. 12 i. deses, non ampliùs agens quàm si alto somno dormiret, quũ agendi est tempus. 13 i. sibi & suis pudorem afferens insipientia sua. 14 i. omnia bonorum genera divinitùs ipsi tribuuntur, & memoriæ ipsius, versu seq. 15 i. justo synecdochicè: sed quia omne munus bonum donumq; perfectum supernè descendit a patre luminum, Jacobi 1. 17. propterea capitis potiùs meminit; quod primùm perfunditur, optimè percipit, & ex quo ad cætera membra derivatur bonum. 16 i. obstruit, & obthurat, adeò ut sua ipsius violentia præfocetur. 17 i. grata est, suavis, & odora justorum absentium, aut mortuorum recordatio. c *Hebr. in benedictionem.* 18 i. ingratum & exosum, ut quæ putriditate sua fœtent. 19 secundum documentum de officiis pii & benè morati filii tum erga Deum & parentes, usque ad versum 12. tum erga omnes exteros. d *Hebr. corde: sic deinceps.* 20 i. animo composito admittit, & re obsequitur. 21 i. cujus animus incompositus labia commovet ad obmurmurandum præceptis. 22 i. obloquendo & præcepta rejiciendo sibi ipsi malum affert: ut sequens ℣. ostendit. 23 confirmatus de benevolentia Dei, & parentum erga se. 24 castigationibus suis, quæ in exemplum aliis statuentur. e *Hebr. documentum fiet.*

25 exegesis proximè præcedentis membri: perversos (inquit Schelomo) quum dico, duo improborum genera intelligo; unum, hypocritarum & coràm quasi ad oculum se obsequi fingentium, clàm verò omnia ludificantiũ; quod malum *παρακινητικῶς* nictatione oculorum figuratur, ut suprà 6. 13. alterum protervorum, apertè præceptis datis resistentium: vide similem consequutionem infrà ℣. 18. 26 id est, parentes maximis molestiarum molibus exercet, dum officiosum simulat; ac longè gravioribus quam si apertè insaniret. f *ut sup.* ℣. *8.* 27 id est, perennis vita, metaphoricè. ‖ *ut sup.* ℣. *6.* 28 hactenus de piis; nunc de bonis officiis agitur, ut observatũ est in versum 8. Sunt autem hæc duplicia, de amica conversatione cum proximis, animo, verbo, & opere, usque ad versum 17. & de mutua correctione ac institutione, usque ad 22. 29 i. convicia & contentiosas exprobrationes peccatorum ab humanitatis charitatisq; officio alienissimas. ‖ *1. Pet. 4. 8.* 30 id est, non promulgat; sed aut dissimulat quicquid bona fide & conscientia potest, aut corrigit compassione misericordiæ, ex mandato Dei, Lev. 19. 7. 31 i. sapienter ponderat, & facit verba sua. 32 qui imprudenter effutit quicquid in buccam venit. f *Hebr. defecti cordis.* 33 i. reconditam habent, quam depromant ore ubi opus est: ut Matth. 12. 35. 34 conjunctam suo fructu, nimirum salute ipsius & eorum qui audiunt. 35 i. metonymicè, sermonibus, q. d. tanta est inscientia stulti ut vix possit vel semel hiscere, quin profundat ore suo voces aut in jugulum ipsius redituras, aut aliis obfuturas. 36 nunc de officiis opere præstandis agitur: ut dictum est in versum 12. 37 præsidium & munitio est, qua se & alios communicatis beneficiis defendit a malo. 38 confirmatio superioris propositionis a consilio justi bona comparantis: ut Ephes. 4. 28. g *Hebr. opus justi opus in vitam.* 39 i. ad necessitates suæ & aliorum vitæ. 40 i. non ut necessitati; sed ut voluptati, aut depravatis suis studiis inserviat. 41 altera pars de recipiendis documentis & correctionibus a proximo, versibus 5. hoc (inquit) vitæ institutum, & ratio his sapientiæ monitis conformata, salutare est exemplum & documentum ad vitam; ut contrà immorigeri exemplum atq; documentum avocat a vita. 42 exegesis præcedentis membri, qua exponit Schelomo duo illorũ genera qui correctionem derelinquunt: ut suprà vers. 10. nimirum hypocritas, & refractarios stolidos. 43 i. neuter istorum liber est a peccato, qualscumque excusationes facti aut simulationes præ se ferat; quũ non acquiescit reprehensionibus ut desinat malefacere. 44 i. non obmurmurat, sed acquiescit reprehensioni, edoctusq; factum suum damnat. 45 hæ duæ sententiæ ponuntur hortationis loco ad sanctè accipiendas reprehensiones; doctrina (inquit) virorum bonorum & præstantissima est, hoc versu; & utilissima atque salutaris, sequente. 46 nimirum sermone ipsorum explicatus nihili faciendus est. h *Hebr. defectu cordis.* 47 tantum abest ut alios pascant. 48 tertium documentum de causa eorum quæ suprà exposita sunt: hæc (inquit) omnia contingunt divinitùs, ut sup. ℣. 3. 49 i. perfectissimè ditat, procul ab omnibus molestiis quæ improbis comparatæ sunt versib. seq. 50 i. prout ex animo fecerint bonum aut malum, ita Deus reddet secundũ opera ipsorum, Rom. 2. 6. i *He. formido improbi.* k *He. desiderium justorum.* ‖ *psal. 1. 4.* 51 i. pereat: ut deinceps exponitur inde a ℣. 27. ista antithesis. 52 ut Mat. 7. 24. & 16. 18. l *He. seculi.* 53 secundum improborum genus, qui non malum quidem perpetrant sed omittunt faciendum bonum. Est autem membrum *ἀνταποδοτικόν*, q. d. ut facienti scelus, suum scelus rependitur; ita etiam deserenti officium suum, & molestiam afferenti aliis, restituetur sua molestia. 54 quos aceti vis hebetat. 55 quos infestat fumus molestiáque afficit. 56 i quisquis deserit officium suum, synecdochicè. 57 non tantùm ad legationem, sed etiam ad omne opus & officium ipsius. 58 bonos a maleficiis abstrahens, & in officiis continens, contra quàm faciunt improbi.

verò

verò improborum decurtantur.
28 Spes justorum [59] *est* lætitiæ, exspectatio
verò improborum [60] perit.
29 [61] Robori *est* cuique integro [62] via Jeho-
væ, contritioni verò operam dantibus iniquitati.
30 Justus [m] nunquam dimovetur, improbi
verò [63] non inhabitabunt terram.
31 [64] Os justi abundè profert sapientiam: *a*
lingua verò [n] perversitatum rescissa est.
32 Labia justi [65] experientur benevolentiam,
os verò improborum pœnam [o] perversitatum.

59 nimirum quia est ad vitam, versibus sequentib. 60 ac proinde tristissima est, versibus sequent. 61 adversus omne malum & contritionem. 62 i. administratio. m *Hebr. in seculum non.* 63 in seculum scilicet, sed brevi exscinduntur. 64 his duobus versibus Schelomo superiora documenta contrahens exponit tum duo vitæ sermonumq; genera, hoc vers. tum eventa, sequente. n *Hebr, eversionum.* 65 i. fructum percipient, hi benevolentiæ Dei, illi perversitatis suæ. o *Hebr. eversionis: metonym.*

CAPUT XI.

Schelomo documenta proponit de simplicitate, modestia, integritate, justitiaq; hominum in privatis & publicis rebus: item de prudentia in sermonibus habendis & dijudicandis, consiliisq; & officiis præstandis, de honore mulieris, de beneficentia viros mulieresq; decente, de domestica administratione, ac postremò de documentorum & castigationum usu.

LAnces [a][l] dolosæ abominationi *sunt* Jehovæ:
pondus verò integrum acceptum *est* ei.
2 [1] Advenienti superbiæ evenit ignominia:
apud modestos autem *est* sapientia.
3 Integritas rectorum [2] deducit eos: at per-
versitas perfidiosorum [3] devastat eos.
4 [4] Non prodest substantia die furoris: justi-
tia autem eripit a morte.
5 Justitia integri [5] dirigit viam ejus, at im-
probitate sua concidit improbus.
6 Justitia justorum eripit ipsos, at [6] ærumnâ
suâ perfidiosi capiuntur.
7 Quum moritur homo improbus, perit ex-
spectatio; etiam [7] spes [b] valentissima perit.
8 Justus ex angustia liberatur, & devenit
improbus in locum ejus.
9 [8] Ore hypocrita corrumpit proximum su-
um: at [9] scientiâ, justi liberantur.
10 De bono justorum exsultat urbs; & quum
pereunt improbi, [10] cantus *exercetur*.
11 Benedictione rectorum effertur urbs: ore
autem improborum destruitur.
12 [11] Spernente proximum suum [c] demente,
vir [d] prudentissimus surdum agit.
13 [12] Ambulans *cum* detractione revelat ar-
canum: at fidus [e] animo tegit rem.
14 Ubi non *sunt* prudentia consilia, corruit
populus; salus autem *est* in [13] amplitudine con-
siliarii.
15 [f] Omnino confringitur, qui [14] spondet
pro extraneo: [15] qui autem odit complodentes,
securus *est*.
16 [16] Mulier [g] gratiosa continet honorem, ut
[h] potentiores continent divitias.
17 Beneficus *est* [i] sibi ipsi [17] vir benignus,
[18] turbat autem carnem suam crudelis.

a *Hebr. doli, abominatio Jehovæ: & lapis integer, beneplaciti ejus: sic infrà v. 20.* l *Levit. 19.35. Deut. 25.13.* 1 i. superbia parit ignominiam auctori suo: modestia verò sapit, & sibi ab ignominia præcavet. 2 per totam hác vitam, usque in tranquillissimum securitatis portum; prout sequentia explicant usque ad versum 9. 3 id est, profligat & perdit. 4 quin devastetur ab excandescentia & invadente morte: ut suprà 10.2. 5 i. erectum conservat in via. 6 i. qua alios onerant perfidè. 7 i. judicio ipsius firmissima & fulta maximis viribus. b *Hebr. multarum virium.* 8 i. falsis & simulatis verbis alios eodem perducit, quò devenit ipse. 9 id est, cognitione falsitatis & cautione prudente se ipsos a corruptione servant. 10 propter bona ab illis pervenientia ad cives, & ab istis mala, sequente versu. 11 i. contemtum onerante contumeliis, & rodente calumniis: ut sequente versu. c *He. defectu cordis.* d *He. prudentiarum.* 12 ut Levi. 19.16. e *Hebr. spiritus.* 13 id est, in consiliario amplo prudentibus consiliis variisq; instructissimo. f *Heb. confringendo confringitur.* 14 id est, fidem suam interponit negotiis alienis. 15 id est, qui tanquam odisset, improbat eorum levitatem qui porrectis dexteris temerè fide jubent, suprà 6.1. 16 id est, quæ prædita reverentia Dei ornatur occulto illo cordis homine, sito in corruptione lenis & quieti spiritus, qui est coram Deo pretiosus, & apud omnes bonos gratiosus, infrà 31.30. & 1. Petri 3.4. g *Heb. gratiæ.* h *Hebraicè, violenti.* i *Heb. anima suæ vir benignitatis.* 17 qui aliis benefacit; ut contrà crudelis, qui a benefaciendo abstinet. 18 id est, se ipsum damno afficit, naturæ & humanitatis leges abjiciens: ut duo sequentes versus explicant.

18 [19] Improbus [k] comparat præmium [20] fal-
sum, serentis verò [21] justitiam merces *est* fida:
19 [l] Probè adhærens justitiæ *serit* ad vitam;
sectans verò malum, ad mortem suam.
20 [m] Abominationi *sunt* Jehovæ perversi
[n] animo: accepti verò ei integri viâ.
21 [22] [o] Cōjunctis operis non sequitur impuni-
tatem malus, [23] semen verò justorum liberat se.
22 [24] *Velut* monile aureum ad rostrum porci,
est mulier pulcra & aversans rationem.
23 Desiderio justorum tantummodò bonum,
exspectationi improborum *obvenit* [25] furor.
24 Est qui dispergens, tamen augetur ampli-
ùs; sed qui cohibet se a recto, tantummodò [26] ad
egestatem *cohibet*.
25 [p] [27] Animus beneficus pinguis efficitur; &
qui ubertim communicat, idem ampliùs [q] [28] pro-
fundet.
26 Comprimentem triticum, exsecrabuntur
[r] populares: benedictio autem *incumbet* capiti
venum dantis.
27 Studiosè quærens bonum *aliis* [29] conqui-
rit benevolentiam: quærenti verò malum, ipsi e-
venturum est.
28 Qui confidit in divitiis suis, ipse [30] decidet;
at [31] tamquam ramus justi efflorescent.
29 [32] Qui conturbat domum suam, [33] possi-
debit ventum; [34] & stultus, servus *efficietur* sapi-
enti [s] animo.
30 Fructus justi [35] *est fructus* arboris vitæ,
quum disciplnâ imbuit animas sapiens.
31 En justum, in terra hac [36] rependitur *ei*;
quanto magis improbo & peccatori?

CAPUT XII.

32 [37] Qui amat eruditionem, amat scientiam:
qui verò odit correptionem, brutus *est*.

19 nimirum crudelis iste, superiore versu. k *Hebr. facit opus falsitatis: sic Levit. 19.13.* 20 tum quia fallit ipsum quicquid præmii loco exspectavit, tum quia longè diversum præmium consequitur, ver. 19. 21 id beneficium: ut suprà observatum est 3.27. l *Hebr. sic, probus justitiæ: similem consequentiæ vide sup. 4.18* m *Hebraicè, abominatio Jehovæ ut suprà ver. 1.* n *Hebr. cordis; beneplacitum ejus.* 22 i. licet contrahat omnes nervos, omnes machinas admoveat, omnia adjumenta comparet. o *Hebr. manus ad manum: ut infrà 16.5.* 23 i. non tantùm ipse, sed etiam posteri liberantur, q.d. iste asscitis multis servum nequit liberare, hujus verò causa benè est multis, ex promissione Dei facta Abrahamo, Genes. 11. 24 i. tam decet insanam pulcritudo, quam monile suem. 25 id est, malum quo ringantur atque furant: synecdoche. 26 id est, non potest non maledici & fieri egens avaritia istius. p *Hebr. anima benedictionis.* 27 id est, quisquis ex animo benefacit, ampliùs Dei benedictione ditabitur: metaphora, ut Judicum 3.29. q *Hebr. jaciet.* 28 id est, novis bonis quæ profundat, a Deo cumulabitur. r *Hebr. natio.* 29 id est, eam sibi conciliat apud Deum & homines: sic concludit superiorem sermonem de beneficentia. 30 aut folium marcidum, aut putridus ramus. 31 virescens, frondescens, florescens, &c. sic accipitur Nechem. 8.16. 32 stulta administratione sua. 33 id est, faciet ut sua possessio in ventos abeat, sitq; totus vacuus. quasi dicat, aërem tantùm habebit. 34 id est, imò ne seipsum quidem possidebit; debebit animam, quod ajunt. s *Hebraicè, cordo.* 35 id est, vivificus est doctrina sua. 36 id est, castigatur a Deo in hac vita peccatorum nomine: sic accipitur 1. Petri 4.17. 37 id est, justus, qui castigationibus Dei acquiescit, gratias de illis agit, eisq; excitatur ad sapiendum magis ac magis: ut Psal. 94.12.

CAPUT XII.

Bonis benevolentia Dei, malis judicium denunciatur: mulierum conditio, cogitationum & sermonum fructus; misericordiæ, sedulitatis, justitiæ, humilitatis, veritatis, integritatisq;, & contrà exitus proponitur: & explicata prudentium hominum, diligentium, justorumq; ratione, æterna illorum vita prædicatur.

BOnum provehit benevolentia a Jehova: [t] at vi-
rum [a] sceleratum condemnat.
2 [1] Non stabilitur homo improbitate, [2] ra-
dix autem justorum non dimovetur.
3 [3] Uxor [b] strenua [4] corona *est* mariti sui;
sed tamquam [5] putredo in ossibus ejus *est* [6] ea
quæ pudefacit.
4 Cogitationes justorum *sunt* [c] justæ; astu-
ta consilia improborum, [d] dolosa.

t *suprà 8.35.* a *Hebraicè, scelerum.* 1 sed eradicatur, quomodo accipiendum esse docet antithesis. 2 id est, justitia ipsorum radicata in Christo per benevolentiam Dei: sic infrà 12. 3 qualis describitur infra capite ultimo. b *Hebraicè, roboris.* 4 id est, decus & gloria & confirmans virum. 5 id est, malum tabificum, exedens ut 1. Corinth. 11.7. 6 id est, malè morata, quæ suis est pudori. c *Hebraicè, jura.* d *Hebraicè, doli.*

[e] *Heb. inſidiatio inſidiarum pro præſente: ſic evertere ſe proximè ſeq. ver.*
7 quorum ſanguini inſidiantur improbi.
8 i. tandem laudem conſequetur, ita diſpenſante Deo: hujus rei exemplum ſeq. verſ. apponitur.
f *Heb. corde: ſic deinceps.*
9 i. planè nullæ.
10 i. inutilia & aliena a functione & conditione ſua, ut ex priore membro colligitur.
g *Heb. vacua.*
h *Heb. defectus corde.*
11 i. adverſus mala. quaſi dicat, vellet quidem ſtabiliri & defendi ab omni malo; ſed inane eſt deſiderium ejus: ut ſuprà verſ. 2.
i *ſup. 10. 14. infra 18. 7.*
12 i. injuſtus ſuis ipſius verbis ſibi mortem parat, & omnem anguſtiam.
13 i. aut cavet ab anguſtia juſtè expenſo ſermone ſuo, aut ſe, quum inciderit, ab ea liberat: ut ſeq. verſu.
i *Heb. oris viri ſatiatur bonus, & retributionem manuum hominis reducit. vide Geneſ. 9. 6.*
14 amplificatio, qua tranſitur a ſermone ad opera, ſequentibus verſibus.
15 i. cohibet ſe ab indignatione, quæ ipſi futura eſſet ignominioſa.

5 Verba improbrum [e] inſidiantur ſanguini;
os autem rectorum eripit [7] illos.
6 Evertunt ſe improbi ita ut non ſint: familia autem juſtorum ſtabit.
7 Pro ratione intellectus ſui [8] laudabitur
vir: ſed perverſus [f] animo erit contemtui.
8 Melior *eſt* qui agnoſcit ſe vilem & ſervum
habet, eo qui ſe extollit honore & deficitur cibo.
9 Curat juſtus vitam jumenti ſui: miſerationes autem improborum ſunt [9] *miſerationes*
crudelis.
10 Qui colit tellurem ſuam, ſatiatur cibo; qui
verò ſectatur [10] [g] vana, *eſt* [h] demens.
11 Deſiderat improbus præſidium [11] malorum, ſed radix juſtorum dat *illud*.
12 [12] [i] In defectione labiorum *eſt* tendicula
mali, at [13] egreditur ab anguſtia juſtus.
13 Ex fructu [i] oris *ſui* vir ſatiatur bonus, [14] etiam retributionem operum ſuorum homo recipit ſibi.
14 Via ſtulti recta *videtur* in oculis ipſius: at
qui auſcultat conſilio, ſapiens eſt.
15 Stulti ipſius indignatio eodem die agnoſcitur, [15] tegit verò ignominiam aſtutus.
16 Efflat veritatem *qui* indicat quod [k] juſtum
eſt, teſtis autem falſiſſimus *efflat* [l] dolum.
17 Eſt qui pronunciat ſimilia [m] transfodienti
gladio; at lingua ſapientum, medicinæ.
18 Labium [n] verax ſtabilitur in æternum;
[16] donec momentum tranſigam, lingua [o] falſa.
19 [17] Dolus *recidit* in cor fabricantium malum, in conſiliarios autem pacis lætitia.
20 [p] [18] Non abjicietur juſtus in ullam moleſtiam, improbi autem pleni erunt malo.
21 Abominationi *ſunt* Jehovę labia [q] fallacia;
qui autem agunt [r] fideliter, accepti ſunt ei.
22 Homo callidus [19] tegit ſcientiam, animus
autem ſtolidorum proclamat ſtultitiam.
23 [s] Manus ſedulorum dominabitur, [ſ] doloſa
autem erit [t] tributaria.
24 Sollicita anxietas in animo viri [20] deprimit illam, res autem bona [21] lætificat illam.
25 Excellentior *eſt* proximo ſuo juſtus, at via
[22] improborum ſeducit eos.
26 [23] Non aſſabit [u] doloſus quod venando ceperit, ſubſtantia autem hominis pretioſa ſedulus *fruitur*.
27 In itinere juſtitiæ *eſt* vita, & via [24] ſemitæ
ejus [x] immortalis eſt.

k *Heb. juſtitiam.* l *Heb. falſitatem.* m *Heb. transfoſſionibus gladii: hypallage.* n *Heb. veritatis.* 16 i. falſi non ampliùs momento durant, ſequente verſu. o *Heb. falſitatis.* 17 id eſt, ipſi ſuo dolo interimuntur, quod triſtitiam adfert graviſſimam. p *Heb. non objicietur in juſtum ulla moleſtia: hypallage.* 18 i. quæcumque moleſtia obtingat ei, non permanebit abjectus in ea, ſuprà ver. 12. q *Heb. falſitatis.* r *Heb. fidem, benevolentia ejus: ut ſuprà* 11. 1. 19 i. tectam & reconditam penes ſe habet, neque effundit temerè. s *ſup.* 10. 4. ſ *Heb. doli.* t *Heb. in tributum.* 20 i. manum (de qua in præcedente ℣.) remiſſam & ſegnem efficit metus ſollicitus de futuro malo. 21 i. alacrem & promtam efficit fructus præſentis boni. 22 quum ſe anteponant juſtis & excellentiores eſſe judicent, idque (ut verſ. ſequente docetur) falſiſſimè. 23 inter os & offam multa illi accident incomoda, & impedimenra fruendi boni quod captaverat. u *Hebr.* vir *doli, venationem ſuam.* 24 ſimilem vocis compoſitionem vide infrà 30. 31. x *Heb. nec mors.*

CAPUT XIII.

Diſciplinæ ſtudioſis, bonis, modeſtis, diligentibus, veracibus, & integris ſuæ promiſſiones apponuntur, & contrà: divitiarum commoda & incommoda, uſus ſapiens & conſultus, & ratio eas comparandi exponitur: ſpei, doctrinæ, ſapientiæ, prudentiæq; effecta, item veritatis, & diſciplinæ, converſationiſque conſequentia oſtenduntur; & bonis viris opes, liberos, vitámque benè inſtituentibus bona denunciantur, improbis mala.

FIlius ſapiens *auſcultat* eruditioni patris; at [1] deriſor ne ulli *quidem* auſcultat increpationi.
2 [a] Fructu oris *ſui* quiſque fruitur bonus, anima verò perfidioſorum *fructu* [2] violentiæ.
3 Qui [3] cuſtodit os ſuum, conſervat [b] ſeipſum: qui [4] divaricat labia ſua, contritio *evenit* ei.
4 [5] Deſiderio permovetur anima ipſius pigri,
ſed nihil *aderit*: anima verò ſedulorum [6] efficietur pinguis.
5 Rem [c] falſam [7] odit juſtus, [8] improbum
verò *illa* reddit fœtidum atque pudefacit.
6 Juſtitia cuſtodit integrum viâ, improbitas
verò [9] pervertit [d] peccatorem.
7 Eſt qui divitē ſe jactat, quum deſint omnia;
item qui pauperē ſe fingit, cui ſubſtantia *eſt* ampla.
8 [10] Redemtura vitæ viri divitiæ ſuæ: at
pauper non audit increpationem.
9 [11] Lux juſtorum [e] clara erit; at lucerna
improborum exſtinguetur.
10 [f] [12] Merâ ſuperbiâ *vir* edit jurgium, at penes conſultos *eſt* [13] ſapientia.
11 Subſtantia [14] ex vanitate, diminuetur: qui
autem congregat [15] manu, augebit *eam*.
12 Spes protracta ægrum efficit [g] animum:
[16] arbor autem *eſt* vitæ, deſiderium adveniens.
13 [h] Contemtor [17] verbi, corrumpetur ille: qui
autem reveretur præceptum, ipſe donatur pace.
14 Doctrina ſapientis *eſt* [18] ſcaturigo vitæ, ad
recedendum a tendiculis mortis.
15 [h] Succeſſum bonum dat [19] gratia, via autem perfidioſorum *eſt* aſpera.
16 Omnis aſtutus agit ſcientia, ſtolidus autem pandit ſtultitiam.
17 Nuncius [20] improbus incidit in malum;
legatus atem [i] optimæ fidei, [21] medicinam facit.
18 Paupertas & ignominia *erit* [k] abſtrahenti
ſe *ab* eruditione: qui autem ſervat correptionem,
[22] honorabitur.
19 [23] Deſideriū effectū ſuave erit animę *hujus*;
at [24] abominationi *eſt* ſtolidis recedere a malo.
20 Qui ambulat cum ſapientibus, ſapientior
fiet: qui verò ſe conſociat ſtolidis, efficietur pejor.
21 Peccatores inſectatur malum, juſtus autem compenſat bonum.
22 Bonus poſſeſſionem tradit [l] nepotibus,
ſúntque reconditæ juſto opes peccatoris.
23 [m] [25] Multus *eſt* cibus novellantibus pauperibus: ſed eſt qui conſumit ſe [n] inertiâ.
24 Qui cohibet virgam ſuam, odit filium ſuum: qui autem amat eum, tempeſtivè [o] procurat eruditionem ei.
25 [26] [s] Juſtus comedit ad ſatietatem animæ
ſuæ; venter autem improborum eget.

1 Stultè ludificans ſapientiæ documenta: ut opponitur ſapienti, ſuprà 9. 7. & 8. & 12.
a *Heb. de fructu oris viri comedit bonus: ut ſup.* 12. 13.
2 ut Gen. 6. 11.
3 ne videlicet extra metas officii ſui excurrat, aut divagetur ſermone.
b *Heb. animam ſuam.*
4 i. diſtendit quodammodo & proſtituit os ſuum ad ſermones quoſlibet, ut impurum ſcortum, præter officium ſuum: metaphora a pedibus ſcorti; Jechezk. 16. 24.
5 i. tantummodo deſiderat, nec quicquam amplius: ac proinde nihil ex omnibus coacervatis deſideriis cōſequitur. verborū [illegible] ad perſpicuitatem trajecimus.
6 i. ſupra quàm optat, cumulabitur bonis: ut ſuprà 11. 25.
c *Heb. falſitatis.*
7 velut fœtidā & putentē averſatur.
8 i. at contra improbus tantoperè diligit & amplexatur falſitatem: ut malit putridus eſſe & exoſus omnibus bonis, quàm ab ea diſcedere.
9 i. everſū perdet.
d *Heb. peccati virum.*
10 i. divitiæ, æquè ac paupertas ſua habent commoda, atque incommoda: nam ut divitibus ad vitam hanc commodæ ſunt divitiæ, & pauperibus paupertas incommoda; ſic contrà illæ divitibus ſunt incommodæ, quia plurimą creant ab aliis pericula poſſeſſori ſuo: paupertas verò commoda ſaltem eo nomine, quod animus liber eſt ab invidorum inſidiantiū metu, & cantat vacuus coram latrone viator. 11 i. juſti vita, gloria, & gaudio in æternum perfruentur: pro eo quod eſt, juſti in luce ſua lætabuntur: ut pſal. 97. 11. e *Heb. lætabitur.* f *Heb. tantùm in ſuperbia.* 12 id eſt, inconſulto & ferociente animo. 13 induſtriè cavens ab accendendis, inflammandis, aut fovendis jurgiis. 14 i. quibuſcumq; vanis rationibus, aut falſis, nefariiſve comparata. 15 i. juſto labore ſuo: metonymia. g *Heb. cor.* 16 i. proprium medicamentum, & ſalutare animo ægro ex deſiderio. 17 nimirum divini, quod poſteà præceptū & doctrinam vocat. h 1. *Sebem.* 2. 30. 18 i. perennis vitæ: ut ſup. 10. 11. h *Heb. ſecundationem bonam: ut Pſal.* 111. 10. *& ſup.* 3. 4. 19 i. reverentia Dei & ſapientia gratioſa: ut ſup. 11. 16. 20 i. infidus dat pœnas infidelitatis, & ſibi nocet. i *Heb. fidelitatum.* 21 i. ſibi & aliis prodeſt, quum rei veritatem exponit, & bona fide facit officium ſuum. k *Heb. abſtrahenti eruditionem a ſe: ut ſup.* 1. 25. 22 i. divitiis & honore florebit. 23 i. hic qui correctionem recipit; fructum tranquillum juſtitiæ percipiet, & deſideriorum ſuorum: Heb. 12. 11. 24 i. fugit ſtolidus caſtigationes, & abhorret ab earum uſu; ac proinde non explebitur deſiderio ſuo; ſed paupertate & ignominia obruetur. Oratio [illegible], quales multas hoc libro inveniri diximus ſup. 1. 7. l *Heb. filiis filiorum.* m *Heb. multitudo eſcæ.* 25 i. non poteſt non abundare pauper, quum ſedulus eſt, & ſe vel in horrentibus locis colendis occupat: divitem verò ſua exedit inertia, cujus bona hoc pacto ad juſtum transferuntur. n *Heb. in non officio.* o *Heb. quærit mane.* 26 i. juſto, qui ex fide vivit, ſemper eſt ſatis; improbis verò nunquam. s *pſal.* 37. 16.

CAPUT. XIIII.

Mulieris officium; recti, modestiæ, diligentiæ, veritatis, studii ad sapientiam tenendam consequentia; & conversationis leges, judiciique in probandis institutis vitæ, adhibita prudentia, exponuntur: personarum pro ratione opum acceptio damnatur; labor, sapientia, veritas, & reverentia Dei commendatur, civitatis decus, & civium inter se officia humanitatis, justitiæ, & prudentis obsequii prædicantur.

1 [1] SApientum fœminarum quæque [a] ædificat
domum suam; stulta autem manibus suis
destruit eam.
2 [3] Qui ambulat [a] rectè, reveretur Jehovam:
præfractus verò viis suis, spernit eum.
3 Ori stulti inest [4] baculus superbiæ; labiis
verò sapientum conservatio ipsorum.
4 Quum desunt [5] boves, [6] præsepe mundum est; amplitudo autem proventuum, est viribus bovis.
5 Testis [b] optimæ fidei non mentitur, ‖ efflat
autem mendacia testis [c] falsus.
6 ‖ Quærenti derisori sapientiam, ea non exstat; scientia autem, prudenti [7] facilis est.
7 Abi a conspectu viri stolidi, & [d] *quem* nosti
non *esse præditum* verbis scientiæ.
8 Sapientia astuti, *est* advertere ad viam
suam; stultitia autem stolidorum, *ad* dolum.
9 ‖ [8] Stultos conciliat reatus; inter rectos autem, [9] quod acceptum est *conciliationem facit.*
10 [e] [10] Animus agnoscit [f] suam ipsius amaritudinem; & in lætitia ipsius non intermiscet se
[11] extraneum *quicquam.*
11 Domus improborum perdetur: tentorium
autem rectorum florebit.
12 Est via *quæ* recta *videtur* in conspectu virorum, cujus finis *est* [12] [g] via multiplex ad mortem.
13 Etiam ex risu dolet animus: & [h] tandem
lætitia *fit* mæror.
14 Viis suis satiabitur *vir* averso animo, *absistit* autem [i] a consortio ejus vir bonus.
15 Fatuus credit omnibus rebus, astutus autem advertit ad gressum suum.
16 Sapiens timet ac recedit a malo; stolidus
verò [13] infert se, adeò præfidens est.
17 [k] Præceps irâ efficit stultitiam, sed [l] viro
circumspectissimo *est* odio.
18 Possident fatui [14] stultitiam, astuti autem
[15] coronamentum texunt scientiæ.
19 Incurvant se mali coram bonis, & improbi ad portas justi.
20 Etiam proximo ipsius odio est pauper, amici autem divitis multi *sunt.*
21 Qui contemnit proximum suum [16] futurus est peccator: qui autem gratiam facit pauperibus, ô beatum illum.
22 Nónne [17] errant qui fabricant malum? benignitas verò & fides *est* fabricantium bonum.
23 In omni [18] labore *est* emolumentum; at
[m] [19] in verbo labiorum tantùm egestas *est.*
24 [20] Corona sapientum *sunt* divitiæ ipsorum,
stultitia stolidorum stultitia *manet.*

[1] Quæ Deum timent, & domesticas suas occupationes curant in sanctificatione & modestia. [2] i. servat & auget familiam: translatio a structoribus. [a] Heb. *in rectitudine sua.* [3] i. ex genere vitæ, veluti fructibus, homo cognoscitur, utrùm pius sit an impius. [4] i. præstò est pœna & quasi ferula qua præfidentia & superbia ipsorum retundatur puniatúrque. [5] aratores videlicet, domiti & assuefacti culturę: synecdoche, pro operariis omnibus. [6] i. omnia vacua, synecdochicè: ut Hamos 4.6. [b] Heb. *fidelitatum.* ‖ *sup.* 12.16. [c] Heb. *falsitatis.* ‖ *sup.* 3.34. [7] inventu; ut quæ se omnibus exhibet, sup. 1.20. & 8.1. [d] Heb. *non nosti labiorum scientiæ,* ὑστέρωσις. ‖ *sup.* 13.20. [8] i. improborum animos conjunxit scelerum communicatio. [9] i. quicquid Deo & rectis hominibus probatur, hoc rectos alios cum aliis conciliare solet. [e] Heb. *cor: sic deinceps.* [10] ἀντίον superioris sententiæ: malefici maleficos amant, & recti rectos; nam ita est comparatus singulorum animus, ut probet omnia, quæ grata sunt adjungat sibi, & quæ ingrata amaráque sunt refugiat. [f] Heb. *animæ suæ.* [11] i. alienum, abs quo abhorret animus. [12] ut ostendunt duo sequentes versus. [g] Heb. *viæ.* [h] Heb. *fine suo.* [i] Heb. *a juxta eum.* [13] i. nimirum in malum, quod sequentis versus exemplum commonstrat. [k] Heb. *brevis irarum.* [l] Heb. *viro cogitationum.* [14] i. fructum stultitiæ suæ recipiunt, metonymicè: de quo seq. versu. [15] i. scientiæ suæ fructum gloriosissimum consequuntur. [16] i. peccati condemnabitur: metalepsis, ut 1. Reg. 1.21. [17] i. absunt ab itinere vitæ, ad quam benignitas & veritas Dei ducit. [18] i. sedula occupatione hominis ad functionem suam. [m] Heb. *verbum labiorum tantum egestati* est: *hypallage.* [19] i. ubi quiescunt cætera membra ab operibus suis; & lingua tantùm occupatur, estq; actuosissima strepitu inani suo. [20] i. ornamento sunt divitiæ ad sapientiam accedentes: stultorum verò possessorum stultitiam nulla ex parte minuunt.

25 Liberat animas testis [n] verax, [21] conflat
autem mendacia [o] dolosus.
26 In reverentia Jehovæ *est* fiducia [p] valida,
qui [22] filiis suis esse solet receptui.
27 ‖ Reverentia Jehovæ *est* scaturigo vitæ, ad
recedendum a tendiculis mortis.
28 In multitudine populi *est* decor regis; at
defectu nationis contritio dominatoris *advenit.*
29 [q] ‖ Tardus ad iram abundat intelligentia:
[r] præceps autem excitat stultitiam.
30 [23] Vita carnium *est* animus sanans; putredo
verò ossium, invidentia.
31 Qui opprimit tenuem, probro afficit [24] opificem ejus: hunc autem honorat, qui gratiam
facit egenti.
32 In malum suum impellit se improbus;
[25] recipit se etiam in morte sua justus.
33 In animo prudentis requiescit sapientia:
quod autem *est* [s] in stolidis, [26] se cognoscendum
exhibet.
34 Justitia exaltat gentem, [t] probro autem *est*
nationibus peccatum.
35 Benevolentia regis erga servum intelligentem; furor autem ejus *erit* contra [27] pudefacientem.

[n] Heb. *veritatis.* [21] ut animas perdat. [o] Heb. *doli.* [p] Heb. *roboris.* [22] quos genuit in Christo semine incorrupto verbi, ut in sui reverentia ambulent. ‖ *sup.* 13.14. [q] Heb. *longus irarum.* ‖ *sup.* v. 17. [r] Heb. *brevis spiritu, attollit.* [23] i. vir animo humano atque benefico (qui propterea metaphoricè sanans appellatur) toto corpore benè habet, lætus vitam transigit, & alios lætificat: invidiæ verò tormentum ne valentissimas quidem partes corporis integras relinquit; sed eas labefacit, corrumpit, putriditate infestat, & fœtidum omnium judicio totum hominem reddit. [24] i. Deum: vide Matt. 25.35. & sequentibus. [25] a malo, adeò ut ne mors quidem ipsa sit ipsi mala. [s] Heb. *in medio stolidorum.* [26] i. diu dissimulari non potest: est autem hic ellipsis contrarii: ut Gen. 18.17. [t] Heb. *probrum nationum.* [27] ut suprà 10.5.

CAPUT XV.

Leges sermonum qui inter homines habentur, & bona ex legitimo illorum usu consequentia, Dei judicium de bonis & malis, stultorum fastidium in documentis boni & tota sorte sua: iracundiæ, pigritiæ, stultitiæ, imprudentiæ, carnalium studiorum, superbiæ, avaritiæ, temeritatis in homines & in Deum, immodestique erga doctrinam animi, & contrà, consequentia explicantur.

1 [1] REsponsio mollis avertit excandescentiam:
verbum autem [a] molestum excitat iram.
2 Lingua sapientum bonam profert scientiam: os autem stolidorum eructat stultitiam.
3 In omni loco oculi Jehovæ *sunt*, speculantes malos & bonos.
4 Curatio linguæ, [2] arboris vitæ *est*: [3] perversitas autem ex ea, *velut* confractio a vento.
5 Stultus spernit eruditionem patris sui;
qui autem observat correptionem, valdè astutus *est.*
6 In domo justi robur *est* magnum: at [b] proventus improbi, [4] conturbatur ex sese.
7 Labia sapientum spargunt scientiam: [c] animus autem stolidorum, [d] quod abest a recto.
8 [5] Sacrificium improborum, abominationi *est* Jehovæ: oratio autem rectorum, [e] accepta *est* ei.
9 Abominationi *est* Jehovæ via improbi;
eum autem qui sectatur justitiam, diligit.
10 [6] Eruditio *videtur* mala derelinquenti iter;
qui odit correptionem, morietur.

[1] Quatuor primi versus de ratione sermonis nostri, doceat primùm quæ consequantur ex hominum sermone, hoc versu deinde quæ sit sermonis habendi ratio, nimirum ut adhibeatur scientia, vers. 2. & reverentia Dei omnia pernoscentis, vers. 3. ac postremò bona & mala consequentia illustrantur comparationibus, vers. 4. [a] Heb. *molestiæ.* [2] i. medicina salutaris atque vivifica. [3] i. quum lingua perversè agit, subitas & vehementissimas calamitates affert. [b] Hebr. *proventu improbi conturbatur.* [4] videlicet nullo negotio, adeò infirmus est & maledictus proventus ille. [c] Heb. *cor: sic deinceps.* [d] Heb. *non rectum.* [5] i. quantumvis solennis & sumtuosa cultus divini ostentatio: cui simplex justorum oratio comparatur. [e] Heb. *benevolentia ejus.* [6] distributio improborum qui abominationi sunt Jehovæ, superiore versu; alii (inquit) apertè eruditionem fugiunt, & viam justam: alii verò odium animo dissimulant, & illudunt hominibus specie cultus Dei; sed penitissimas illorum cogitationes perspicit Deus, sequente versu.

11 Infernus & perditio coram Jehova *sunt*, quantò magis [f] animi hominum?

12 Non diligit [7] derisor corripientem se, sapientes non adit.

13 Animus lætus benè afficit [8] vultum: & dolore animi [9] spiritus frangitur.

14 Animus prudentis quærit scientiam: os autem stolidorum pascitur stultitia.

15 Omnes dies [10] pauperis, mali *sunt*: [g] læti autem animo, *sunt* [11] convivium juge.

16 Melius *est* parum cum [12] reverentia Jehovæ, quàm thesaurus amplus [13] ubi *est* vexatio.

17 Melius *est* cibarium oleris ubi *est* dilectio, quàm bovis saginati ubi *est* odium.

18 Vir [h] iracundus miscet contentionem, longanimis autem sedat litem.

19 Via [14] pigri *est* velut [15] sepimentum spinosum: iter autem rectorum [16] aggestum *est*.

20 [||] Filius sapiens lætificat patrem, stolidus autem homo spernit matrem suam.

21 Stultitia, lætitiæ *est* [i] dementi; at [k] vir intelligens rectè ambulaturus est.

22 [||] [l] Irritæ fiunt cogitationes, quum deest [m] consilium: at in amplitudine consiliariorum assurgit *cogitatio*.

23 [17] Lætitia huic viro *est ex* sermone oris sui: nam res tempore suo, ô quàm bona *est*!

24 Iter vitæ [18] sursum *est* intelligenti, ut recedat [19] a sepulcro deorsum.

25 Domum superborum [20] evellit Jehova, constituit autem terminum [21] viduæ.

26 Abominationi *sunt* Jehovæ cogitationes mali; mũdorum autẽ *sermones, sunt* sermones amœni.

27 Conturbat domum suam, qui [n] deditus est quæstui; qui verò odit dona, victurus est.

28 Animus justi meditatur ad loquendum: os autem improborum [22] eructat mala.

29 [23] Procul *abest* Jehova ab improbis, orationem autem justorum exaudit.

30 [24] *Ut* lumen oculorum lætificat animum, *ita* auditio bona pinguefacit ossa.

31 Auris auscultans correptioni vitæ, [o] [25] inter sapientes commorabitur.

32 Qui [p] abstrahit *se ab* eruditione, spernit animam suam: qui autem auscultat correptioni, possidet animum.

33 [26] *Anteit* reverentiam Jehovæ eruditio sapientiæ, [27] & ante honorem abjectio.

[f] Heb. corda filiorum hominis. [7] ut sup. 3.34. id est, contemptor Dei doctrinam odit, doctosq; pariter doctrinæ nomine. [8] i. totum hominem, synecdochicè. [9] i. veluti anhelus & suspiriosus efficitur homo, & respiratio ipsius quasi interscinditur. [10] i. hominis sua sorte minimè contenti, ut sequentia ostendunt. [g] Heb. boni corde. [11] i. tam sunt jucundi dies homini quiescenti in sua sorte, quàm si semper lautissimis epulis aleretur. [12] animũ hominis tranquillante. [13] ubi possessor animo fluctuat atq; incertus est, quia destituitur reverentia Dei. [h] Heb. excandescentiæ. [14] qui pigratur officium facere & rectum colere. [15] i. ita lenta est atq; difficilis, ac si tota spinosa & salebrosa esset. [16] i. facillimum & commodissimum, velut instrato aggere. [||] supra 10.1. [i] Heb. defecto corde. [k] Heb. vir intelligenti dirigit ambulare. [||] suprà 11.14. [l] Hebr. irritas facere cogitationes: infinitum pro finito modo. [m] Heb. arcanum. [17] i. vir iste sapiens & consiliis amplissimus plurimùm recreatur & gratulatur sibi, cum videt consilia sua benè cecidisse, & prout dixerat evenisse. [18] i. in cælis vita est, ac proinde cogitat de cælestibus, & ad celestia tendit: Phil. 3.20. & Coloss. 3.1. [19] i. a morte, quam studium harum rerum terrestrium esset allaturũ. [20] i. funditùs & radicitus perdit. [21] i. humiliũ abjectorúmq;, synecdochicè. [n] He. quæstuosus quæstus: ut sup. 1.19. [22] temerè incogitatéque fundit. [23] i. non exaudit: humanitùs dictum. [24] i. quemadmodum oculus rerum bonarum aspectu hominem totum afficit, ita etiam auris rerum bonarum salutariúmque auditu, de quibus sequentes versus. [o] Heb. in medio sapientum. [25] i. in salute erit, quam sapientibus attribuit Deus. [p] Heb. abstrahit eruditionem: ut suprà 1.25. [26] i. antequam vir sapientiam obtineat & reverentia Dei ducatur, quæ caput est sapientiæ; eum erudiri oportet in documentis sapientiæ. [27] i. ordo idem est fructuum qui ex eruditione & reverentia Dei percipiuntur: nam eruditioni abjectio & humilitas; sapientiæ verò & reverentię Dei conjunctus est summus honor, quo Deus sui timentes prosequitur.

CAPUT XVI.

Singularis Dei administratio scientiáque prædicatur, qua homines ad fidem & obsequium evocantur: reverentibus ipsum gratia & pax, superbis ruina denunciatur: etiam reges quacumque auctoritate sint ad idem officium provocantur: sapientiæ, justitiæ, modestiæ, studii in verbo Dei, eloquentiæ, fidelisque doctrinæ fructus exponuntur: cogitationum nostrarum sermonúmque alienorum probatio, veneranda senectutis auctoritas, & hominis animum suum cohibentis virtus commendatur: postremò abdicata fortuna omnia eventa tribuuntur Deo.

[||] PEnes hominem *sunt* [1] acies *cogitationum* [a] animi, sed a Jehova *est* sermo linguæ.

2 *Ut* omnibus [b] viis *suis* vir purus videatur in oculis suis; tamen [2] perpendit spiritus Jehova.

3 [||] [3] Devolve in Jehovam [4] facta tua, & comparabuntur [5] cogitationes tuæ.

4 [6] Omnes operatus est Jehova propter se, etiámque improbum ad diem mali.

5 Abominationi *est* Jehovæ omnis altus animo, [c] [7] conjunctis operis non consequitur impunitatem.

6 [8] Benignitate & veritate expiatur iniquitas: & [9] reverentiâ Jehovæ, receditur a malo.

7 Quum benevolentia prosequitur Jehova vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei.

8 Melius *est* parum cum justitia, quàm [d] amplissimus proventus cum injuria.

9 Animus hominis excogitat viam suam; sed Jehova statuit gressum ejus.

10 [10] Sagacitas *insideat* labiis regis, in judicio ne prævaricetur os ejus.

11 [11] Scapus & lances judicii Jehovæ *sunt*, opus ejus *sunt* omnia [e] pondera loculi.

12 [||] Abominationi *sit* regibus committere improbitatem: nam justitiâ stabilitur solium.

13 [f] Accepta *sunto* regibus labia justa; & loquentem recta, *rex* diligito.

14 *Nuncii* excandescentiæ regis *sunt* [12] nuncii mortis; sed vir sapiens expiabit eam.

15 [g] [13] In lucida facie regis vita *est*, ejusq; benevolentia *est* [14] velut densa nubes pluviæ serotinæ.

16 [||] Comparare sapientiam, *ô* quàm melius *est* auro effosso; & comparare prudentiam, optatius argento!

17 [15] Agger rectorum *est* recedere a malo; conservat [h] se ipsum, [16] qui custodit viam suam.

18 Ante confractionem superbia, & ante lapsum [i] alti *sunt* spiritus.

19 Melius *est* [17] submissum esse spiritu cum mansuetis, quàm [18] partiri spolium cum superbis.

20 Qui attendit [19] ad verbum, consequitur bonum; & qui confidit Jehovæ, ô beatum illum!

21 Sapiens animo vocandus est prudens, [20] suavitas autem labiorum addit disciplinam.

22 [21] [||] Scaturigo vitæ *est* intelligentia [k] possidentis ipsam: at eruditio stultorum, *scaturigo* [22] stultitiæ.

23 Animus sapientis intelligenter moderatur os suum, & per labia sua addit disciplinam.

24 [23] *Ut* favus mellis *sunt* sermones amœni; res dulcis animæ, & sanans [l] ossa.

[||] Infrà 19.21. [1] Id est, innumeras quidem cogitationes homo versat animo; sed ne hiscere quidem potest, aut movere linguam sine dispositione Dei. [a] Heb. cordis: sic deinceps. [b] Heb. viis viri purus videatur: ut Gen. 9.6. [2] i. quasi numero & pondere pernovit omnia, ut qui potentior est corde nostro, 1. Joan. 3.20. [||] Psal. 37.5. [3] documentum ex superioribus: quasi dicat, quum extra ipsum nulla fit operatio, & nulla cogitatio quamvis abstrusa eum fugere possit; vide ut te committas ei. [4] de quibus versu 2. [5] de quibus ver. 1. [6] ætiologia præcedentium a creationis fine, cujus ipse Deus in singulis rationem habet, & a nobis rationem haberi par est: summus est (inquit) creationis finis, gloria Dei; quæ optimè lucet atque explicatur tum in salute æterna vasorum misericordiæ, tum in perditione vasorum iræ destinatorum exitio, Rom. 9.22. [c] Heb. manu ad manum: ut suprà 11.21. [7] i. quamvis omnes artes, vires, & machinas adhibeat adjumentaq; ad perficiendam voluntatem suam. [8] miserentis Dei, ut patris benignissimi. [9] ut studiosus filius fugit offensam patris. [d] Heb. amplitudo proventuum. [10] i. consultissima prudentia in rebus dijudicandis, præcavendis, & veluti addivinandis: nam vox Hebræa media est sive anceps, quæ non tantùm in malam partem accipitur, sed etiam in bonam hic & Jeschah. 3.2. vide Jechezk. 13.6. [11] ætiologia superioris præcepti, quòd judicium Dei ac non hominum est, Deut. 1.17. & 2. Chron. 19.6. judicii autem accuratissimam observationem figurat enumeratis trutinæ partibus. [e] Heb. lapides: metonymicè. [||] Jirm. 19.13. [f] Heb. benevolentia regum, labia justitiæ. [12] i. omnia tum minitantur mortem. [g] Heb. in luce faciei. [13] i. quum placido & sereno vultu, jucundóque respicit. [14] i. non tantùm vitam servat, sed etiam omnibus bonis ad saturitatem cumulat. [||] Suprà 3.14. [15] i. velut in loco circummunito, aggesto, tuto, editóque versantur, qui cavent a malo: metaphora. [h] Heb. animam suam. [16] i. qui se continet in isto aggere. [i] Heb. altitudo spiritus, Suprà 11.2. [17] i. humiliter se gerere, ut qui ab hoste victi & sub jugum missi sunt. [18] i. insolescere, seq; elatè gerere, ut quum milites victoria parta partiuntur prædam. [19] ut sequente membro ostenditur. [20] i. facundia sive eloquentia permagna est ad prudentiam accessio, quo alios in prudentia vir bonus & sapiens informare possit. [21] i. intelligentia subsidio eloquentiæ adjecto exposita, vitam conservat suis discipulis, & contrà. [||] Sup. 13.14. [k] Heb. domini ipsius, id est, intelligentis: simile sup. 1.17. [22] ac proinde mortis. [23] i. sermones pii sunt jucundi, utiles, & necessarii animæ, & corpori. [l] Heb. os.

[l] *Sup.*14.12.
[m] *Heb. via.*
[n] *Heb. anima molesti.*
[24] i. qui res molestas aut temerè, aut improbè eloquitur.
[25] i. molestus sermo in ipsum recidit, metonymicè.
[26] i. malignus & maledicus.
[27] i. omnibus artibus pervestigat viam perficiendi mali: metaphora a cunicularius.
[o] *Heb. perversitatum.*
[28] i. emissarius, explorator, qui captat rumores quos auribus amicorum insusurret ad inflammandas lites.

25 [l] Est via *quæ videtur* recta in conspectu ho-
minis, cujus finis *est* [m] via multiplex ad mortem.
26 [n] [24] Ipse molestus molestiam affert sibi:
nam reflectitur in ipsum [25] os ejus.
27 [25] Vir nequam [27] effodit malum; ejusq;
labiis insidet, velut ignis adurens.
28 Vir [o] perversitatibus deditus immittit con-
tentionem, & [28] susurro [29] disjungit [30] ducem.
29 [31] Vir [p] violentus pellicit proximum suum,
ut deducat eum [q] viâ iniquâ:
30 [32] Connivens oculis suis *connivet* dum co-
gitat res perversas; [33] concidens [r] sermones suos,
perficit malum.
31 Corona [s] ornatissima *est* canities, [34] *quæ*
in via justitiæ invenitur.
32 Melior est longanimis robusto; & qui do-
minatur [t] in animum suum, eo qui capit civita-
tem.
33 [35] In gremium conjicitur sors: a Jehova
autem *est* [36] tota ratio ejus.

[29] supple a popularibus vel subditis suis: pro eo quod est in republica exitiosas dissensiones excitat: eclipsis relati: ut Levit. 21.4. [30] i. principem reipubl. primarium, summum: ut infr. 17.9. & Psalm. 55.14. [31] i. omnes juris, æqui & boni, leges perfringens: quo sensu violentia ferè accipitur, ut Gen. 6.11. [p] *Heb. violentiæ.* [q] *Heb. non bona.* [32] descriptio improbi, de quo superiore versu, a signo oculorum & a sermone; quos accommodare dicitur ad consilia sua pessima, donec perfecerit. [r] *Heb. labia sua, metonymicè.* [s] *Heb. ornatus.* [33] i. non apertè explicans consilium suum; sed dolosè ea tantùm in medium afferens, quæ ad perducendos homines judicat profutura, & studiosè amputans contraria. [34] i. quæ piè & justè vitam transigit; non autem omnis canities promiscuè. [t] *Heb. in spiritum suum.* [35] i. nihil est tam fortuitum judicio hominum, quàm quum sors in gremium aut urnam conjicitur; fortuitus enim videtur eventus sortis: attamen ne sors quidem ipsa casu fortuito contingit; sed Deus infinita providentia sua quicquid sorte accidit sigillatim disponit. [36] id est, singularis singularum rerum dispensatio, quam infinita Dei providentia in infinitum rebus omnibus adhibet singulariter.

CAPUT XVII.

Pacis & prudentiæ bonum Deo probatæ explicatur; malignitas & contemtus pauperum condemnatur; propagatio generis, dignitas incorrupta, charitatis officia, reprehensionum effecta, vitatio stultorum, maleficorum, rixosorum, injustorum, & insipientium, certorum amicorum comparatio, litigiosorum, perversorúmque declinatio; generis depravati, tristitiæ, corruptionis, temeritatis, injustæq; reprehensionis malum, & modestiæ bonum enarrantur.

[l] *Sup.*15.17.
[1] Id est, lautissimarum epularum locus, ac vino abundantium, quo invalescente contentiones fervent.
[a] *Heb. mactationibus contentionis.*
[2] i. prudentia infimos extollit, summos verò dejicit imprudentia.
[3] ut suprà 10.5.
[4] i. hæriditatem cum fratribus adit, filii pudefacientis loco.
[5] i. omnia probant homines arte, præter quàm hominum mentes; quas unus Deus scrutatur: Jirmejæ 17.9. & 10.
[b] *Heb. labium molestiæ.*

[l] MElior est buccea *cibi* sicci, quîcum *est* tran-
quillitas; quàm domus [1] plena [a] mactatis
animalibus, in qua *sit* contentio.
2 [2] Servus intelligens dominatur in filium
[3] pudefacientem, & [4] inter fratres partitur pos-
sessionem.
3 [5] Fusorium vas argento *adhibetur*, & cati-
nus auro: qui autem probat corda, *est* Jehova.
4 Maleficus attendit ad [b] sermonem mole-
stum, [c] fallax autem advertit ad linguam [d] ærum-
nosam.
5 [l] Qui subsannat pauperem, probro afficit
opificem ejus; qui delectatur calamitate, [e] non
impunis erit.
6 Corona senum *sunt* [f] nepotes, & ornamen-
tum filiorum *sunt* patres ipsorum.
7 [6] Ingratus *est* stulto [g] sermo excellentiæ,
multò magis ingenuo sermo [h] vanus.
8 [7] *Velut* [i] gemma gratissima, *est* munus in
oculis [k] dediti ei; [8] quocumque spectet, prospe-
ratur.

[c] *Heb. vir falsitatis.* [d] *Heb. ærumnæ.* [l] *Sup.*14.21. [e] *Heb. non innocens erit: Exod.* 20.7. [f] *Heb. filii filiorum.* [6] si homo nihili (inquit) elegantes sermones & libero homine dignos iniquè ferre solet; quanto magis vir ingenuo & liberali animo sermones illiberales & vanos odisse debet? vel si illum dedecent sermones boni, quanto magis hunc mali? [g] *Heb. labium: sic deinceps.* [h] *Heb. falsitatis.* [7] i. munus corruptionis in constuprandis judiciis gratiosissimũ est apud avaros judices; ac proinde facit, ut qui judicia corrumpit, optatum suum consequatur. [i] *Heb. lapis gratiæ.* [k] *Heb. domini sui: sic sup.* 1.19. [8] i. ad quemcumq; finem munus corruptionis oblatũ sit, is succedit ex sententia animi.

9 [9] Qui tegit defectionem, quærit dilectio-
nem: qui verò [10] renovat rem, disjungit [11] ducem.
10 Urit increpatio prudentem, magis quàm
si [l] percutias stolidum centies.
11 Tantùm rebellionem quærit malus: tan-
dem [12] nuncius crudelis mittetur in eum.
12 [13] Occurrat ursa orba in virum, ac non sto-
lidus in stultitia sua.
13 Qui reddit malum pro bono, non amove-
tur malum a domo illius.
14 [14] Laxat aquas, *qui est* caput contentionis:
quare antequam [15] sese immisceat, litem ipsam
desere.
15 Qui [m] absolvit improbum, & qui [n] condem-
nat justum; abominationi Jehovę *sunt* æquè
ambo.
16 [16] Ecqua re pretium *est* in manu stolidi? ad
possidendum sapientiam? at deest animus *illi*.
17 Omni tempore diligit, qui amicus est; &
frater in angustia [17] enascitur.
18 Homo [o] demens [18] complodit manum,
spondens sponsionem [19] ante amicum suum.
19 [20] Diligit defectionem, qui diligit jurgium:
[p] [21] ampliat januam illius, qui quærit fracturam.
20 Perversus animo non [q] consequetur bo-
num, & versutus lingua sua incidet in malum.
21 Qui gignit stolidum, *gignit* ad mœrorem
sibi; neque lætaturus est pater stulti.
22 Animus lætus [22] benè medicinam facit,
spiritùs autem fractus exsiccat [23] ossa.
23 Munus e sinu [24] improbus accipit, ad per-
vertendum itinera juris.
24 [25] Adest faciei prudentis sapientia, [26] oculi
autem stolidi *vagantur* ad extremitatem terræ.
25 Indignationi *est* patri suo filius stolidus, &
amaritudini genitrici suæ.
26 Mulctare etiam justum, non *est* bonum;
percutere ingenuos præter rectum.
27 Cohibet sermones suos [r] vir scitus; &
[27] frigidus *est* spiritu, vir [s] intelligens.
28 Etiam stultus [t] quietè consistens, sapiens
reputatur; obthurans labia sua, prudens.

[9] i. qui defectiones & offensas partium inter ipsas dissimulat, is optimus est amicitiarum conservator & conciliator.
[10] i. recordando refricat & offensiones instaurat.
[11] ut sup. 16.28.
[l] *Heb. percuties.*
[12] i. carnifex, aut quisquis est administer judiciorum Dei in stultum non resipiscentem plagis.
[13] i. satius fuerit in hoc quàm in illud incidere: de gravitate autem periculi ab ursis, vide 2. Schem. 17. 8. & Hosch. 13.8.
[14] i. perinde facit ac si ora stagnorum & emissaria reseraret, quibus exundet aqua, & abripiat quosque obvios: neque de integrò obthurandi & coercendi aquas facultatem habet.
[15] i. fundatur, & exundet latiùs, quasi dicat, principiis obsta.
[m] *Heb. justificat.*
[n] *Heb. improbat.*
[16] quasi dicat, nihil prodest stulto, imò miserum est manibus plenis esse, & animo nullo, aut planè vacuo: indignus est bonis, qui dedignatur sapientiam.
[17] i. emergit vis amicitiæ illius germanæ, quæ priùs secundis rebus non fuerat explorata. [o] *Heb. defectus corde.* [18] ut suprà 6.1. & 11.15. [19] i. levissimè, non exspectans dum rogetur ab amico suo ut fidejubeat. [20] i. auctor contentionum & inflammator rixosus diligit omne malum, quum nullum malum non oriatur ex contentionibus. [p] *Heb. exaltat.* [21] i. quo magis procurat ut dissuantur & dirumpantur amicitiæ, contentionibus excitatis, eò majorem januam nequitiæ & defectioni aperit. [q] *Heb. inveniet.* [22] i. benè afficit hominem totum, adeò salubris est. [23] i. etiam intima & valentissima corrumpit. [24] sive litigator dans munus deprompturn e sinu suo, sive judex accipiens. [25] i. ipse vultus sapientis constans & placidus index est sapientiæ. [26] i. oculi ipsi stultorum inconstantes & vagi sunt, adeò ut animorum instabilitatem indicent, & vacuitatem sapientię. [r] *Heb. sciens scientiam.* [27] i. moderatus, continens, sedatus animo, qui non præceps exardescit in iram; sed ab æstu animi prudenter cavet. [s] *Heb. intelligentiæ.* [t] *Heb. silens: ut Exod.* 14.14.

CAPUT XVIII.

Obstinatorum vota, improbitatis fructus & sapientia, judiciorum æquitas in sermonibus & prudentia, susurronum pigrorumq; damna, fiduciæ in Deum fructus, confidentiæ in divitias & temeritatis effecta, patientiæ & prudentiæ bona maximè in contentionibus, linguæ usus, piæ uxoris utilitas, divitum pauperumq; ratio, & amicitiæ necessitas exponuntur.

[1] PRo desiderio quærit [a] cerebrosus, [b] omnibus
quæ sunt [2] immiscet se.
2 Non delectatur [3] stolidus intelligentia, sed
[c] [4] iis quæ exsistunt in animo ipsius.
3 [l] Adveniente improbo advenit etiam con-

[1] Id est vir αὐθάδης, pervicax, in sensu animi sui conquiescens, aliena consilia spernens, seque ab omnium consortio & communicatione subducens, denique nihil non fastidiens præ se, nihil procurat nisi pro libito. [a] *Heb. disparans se.* [b] *Heb. in omni essentia.* [2] nimirum pro desiderio rebus æquè alienis ac suis. [3] nimirum cerebrosus iste, & pervicax. [c] *Heb. revelantibus se cordi suo: infinitivus pro participio.* [4] i. omnibus quæ ipsi veniunt in mentem [l] *Sup.* 11.2.

temtus,

temtus, & cum [d] ignominioſo probrum.

4 ‖ *Velut* aquæ profundæ *ſunt* verba ore viri præſtantis *enunciata*; torrens eructans, *eſt* [5] ſcaturigo *præditi* ſapientia.

5 ‖ Accipere [e] perſonam improbi non *eſt* bonum, pervertere juſtum in judicio.

6 [f] Sermones ſtolidi ineunt contentionem, & os ejus [6] contuſiones advocat.

7 Os ſtolidi contritioni *eſt* ei, & labia ejus tendicula [g] vitæ ejus.

8 [7] Verba ſuſurronis ſimilia *ſunt verbis* eorum qui ſæpenumerò contuſi ſunt: attamen ea deſcendunt [8] in penetralia ventris.

9 Etiam ſe gerens remiſsè in opere ſuo, [9] frater eſt [h] diſperdenti.

10 ‖ Turris [i] robuſta *eſt*, nomen Jehovæ; quò accurrens juſtus, in edito collocatur.

11 ‖ Subſtantia divitis *eſt tamquam* urbs [k] munita ejus, & tamquam murus editus in cogitatione ipſius.

12 ‖ Ante confractionem attollit ſe animus viri: anteit verò honorem abjectio.

13 Reſpondenti [l] aliquid, quum nondum audierit; *id* [m] ſtultum *eſt* ei & ignominioſum.

14 Spiritus viri [10] ſuſtentat ægritudinem ipſius, ſpiritum autem fractum quis attollat?

15 Animus prudentis [11] poſſidet ſcientiam, & auris ſapientum [12] quærit ſcientiam.

16 Donum hominis [n] [13] in lato collocat eum, & ante faciem magnatum adducit eum.

17 [14] Juſtus *videtur* qui primus eſt in lite ſua; donec adveniente proximo ejus, perveſtiget illum *judex*.

18 Contentiones [o] ſubmovet ſors, & inter robuſtos dirimit.

19 [15] Frater defectione provocatus *firmior eſt* urbe munita, & contentiones *horum ſunt* ut vectis arcis.

20 ‖ Fructu oris [p] cujuſque ſatiatur venter ejus, proventu labiorum ſuorum *quiſque* ſatiatur.

21 Mors & vita *ſunt* [q] in poteſtate linguæ: [16] prout *quiſq;* amat uti ea, comedet fructum ejus.

22 [17] ‖ Conſequitur bonum, *qui* conſequitur uxorem, ut provehit benevolentia a Jehova.

23 Supplicationes eloquitur pauper, dives autem loquitur [r] aſperè.

24 [ſ] Viro cui ſunt amici, colenda *eſt* amicitia: [18] Eſt enim amicus conjunctior fratre.

d Heb. viro ignominiæ. ‖ Sup. 13.14. 5 i. os ſapientis profundens & communicans largè ſapientiam. ‖ Deut. 1.17. e Heb. vultum. f Heb. labia. 6 i. ſibi accerſit malum: ut ſeq. verſu. g Heb. animæ. 7 i. ſuſurro apud eos quorum perniciem machinatur, ſe quàm maximè abjicit, Deum & homines teſtatur, fidem implorat, & omnibus nervis contendit ut abjectiſſimus eſſe videatur ad tegendas fraudes ſuas, & conciliandam fidem: ut Pſalm. 10.10. 8 i. cor ipſum transfigunt. 9 i. alter bonorum diſſipator eſt: propè tantumdem facit, quantum helluones, nepotes, & patrimoniorum decoctores. h Heb. domino diſperditionis. ‖ Pſal. 61.4. & 91.14. i Heb. roboris. ‖ Sup. 10.15. k Heb. roboris. ‖ Sup. 16.18. & 15.33. l Heb. verbum ſive rem. m Heb. ſtultitia eſt ei & ignominia. 10 i. erectum conſervat, & conſolatur in afflictionibus ejus. 11 i. ita obtinet, ut eam ſibi adimi non ſinat ulla ægritudine aut malo. 12 ſi ea ampliùs opus habet ad ſuſtentandum ſe. n Heb. dilatat eum. 13 i. liberat eum ab anguſtia, & evehit. 14 i. qui primus cauſam ad judices defert, juſtam cauſam videtur agere, donec audiatur adverſarius & de lite cognoſcatur; aut, ſi nulla ſe offert cognoſcendi ratio, ſors litigantes dirimat, ſequente verſu. o Heb. ceſſare facit. 15 i. fratrum offenſorum iræ ſunt acerbiſſimæ & violentiſſimæ: quæ non citiùs domari poſſint, quàm expugnari munita oppida; aut citiùs frangi, quàm vectes validiſſimi. ‖ Sup. 12.13. & 13.2. p Heb. viri. q Heb. in manu. 16 i. ut ſeverit, ita metet: maledicentia quidem mortem, vitam verò bonus uſus linguæ. 17 videlicet quum inde a creatione non fuerit bonum hominem eſſe ſolum, Gen. 2.18. ordinem autem verborum evidentiæ cauſa evertimus. ‖ Infr. 19.14. r Heb. robuſta: ut Gen. 42.1. ſ Heb. viro amicorum. 18 i. inveniuntur amici, qui plùs quàm fraternas amicitias colant: ut ſup. 17.17.

CAPUT XIX.

Integritatis laus, inconſideratæ vitæ reprehenſio, divitiarum pretium, paupertatis uſus, falſitatis, elationisq; in ſtolidis & ſervis indignitas, clementia, regia auctoritas, domeſtica mala a liberis & uxore obvenientia, pigritia, obedientia, miſericordia, liberorum inſtitutio, cogitationum a Deo præſtatio, beneficentia, reverentia Dei, fatuorum informandorum ratio, filiorum inſtitutio, falſorumq; teſtium malitia & pœna exponuntur.

Melior *eſt* pauper ambulans [a] integrè, [1] *divite* perverſo labiis ſuis qui *quidem* eſt ſtolidus.

a Heb. in integritate ſua. 1 Eclipſis contrarii ſupplenda ex comparatione membri comparati oppoſiti: vide Gen. 33.10,

2 [2] Æquè [b] cujus non dignoſcit animus quod non eſt bonum, ac præceps pedibus peccat.

3 Stultitia hominis pervertit viam ipſius, & [3] adverſus Jehovam indignatur [c] animus ejus.

4 ‖ Subſtantia addit amicos multos, tenuis autem ab amico ſuo disjungitur.

5 ‖ Teſtis falſitatum non impunis erit, & conflator mendaciorum non proripiet ſe.

6 Multi precantur faciem ingenui, & quiſque amicus adhæret viro [d] munifico.

7 Omnes fratres pauperis [4] odio habent eum; quanto magis ſocii ejus procul abſunt ab eo? [5] perſequente verbis, [6] non ſunt ii.

8 [7] Poſſidet animum, qui diligit [e] ſe ipſum; qui obſervat intelligentiam [f] eſt conſequuturus bonum.

9 ‖ Teſtis falſitatum non erit impunis, & conflator mendaciorum peribit.

10 [8] ‖ Non decet ſtolidum oblectatio, multò minùs ſervuum dominari in principes.

11 ‖ Intellectus hominis [g] longanimem efficit eum, & ornamento *eſt* ei, [9] præterire defectionē.

12 [10] ‖ Ut rugitus leonis juvenis, *eſt* indignatio regis; ut ros autē ſuper herbā, benevolentia ejus.

13 [h] ‖ Ærumnarum cauſa *eſt* patri ſuo filius ſtolidus, [11] & ‖ ſtilla continua jurgia mulieris.

14 Domus & ſubſtantia poſſeſſio *eſt* [i] patria, [12] ‖ a Jehova autem *eſt* uxor intelligens.

15 [13] ‖ *Dejita* pigritiæ, quæ injicit altum ſoporem; & doloſa anima eſuriet.

16 Qui obſervat præceptum, ſervat [k] ſe ipſum; qui ſpernit vias ſuas, [14] ſupplicio affectus morietur.

17 [15] Mutuat Jehovæ, qui gratioſè largitur tenui; & beneficium ipſius rependet ipſi.

18 Caſtiga filium tuum, dum eſt ſpes; & [l] ad perniciem ejus ne condonato animus tuus:

19 [16] Magnus eſto excandeſcentia, condonans mulctam: *dicens* te, ſi eripias, deinde ampliùs [m] mulctaturum.

20 Auſculta conſilio, & accipe eruditionem; ut ſapias [n] tandem.

21 ‖ Multæ cogitationes inſunt animo cujuſque, ſed conſilium Jehovæ ipſum ſtabit.

22 [17] Quod ſummè [o] deſideret homo, *eſt* benignitas ipſius: at melior eſt pauper [18] viro mendace.

23 Reverentia Jehovæ [p] vitalis eſt: [19] nam ſatur *præditus ea* commoratur, nec viſitatur malo.

24 ‖ Abditam habet piger manum ſuam [20] in ſua manica, etiam ad os non reducit eam.

25 [21] Si deriſorem percutias, fatuus fiet aſtutus; & corripiendo prudentem, intelliget ſcientiam.

2 i. quemadmodum ſibi malè conſulit qui non reſpicit ad pedes, ut diſcernat iter cōmodum ab incommodo; ita etiam peccat, qui animo inconſiderato fertur non ſecernens bonum a malo: cujus inconſiderati animi conſequentia exponitur ver. ſeq. b Heb. in ignorare animam non bonū. 3 i. non ſibi, ſed Deo attribuit caſum ſuum; ut qui inconſideratè offendit, arguit lapidem. c Heb. cor: ſic deinceps. ‖ Sup. 14.20. ‖ Infr. v. 9. d Heb. doni. 4 i. tam negligunt quàm ſi odiſſent: ut Deuter. 21. 5 i. quantumvis illos verbis & precibus ſollicitet. 6 putà qui antè fuerant, q.d. nemo jam frater aut ſocius illius, quamvis ſupplicis, dignatur eſſe. 7 i. pauper & afflictus, ſi amat ſalutem ſuam, non propterea animum abjiciet; ſed patientiâ poſſidet animan ſuam, Luc. 21.19. e Heb. animã ſuã. f Heb. inveniendum. ‖ Supr. v. 5. 8 i. ſtolido conveniunt flagra, ut ſuprà 10.13. & ſervitus ſervo: non autem deliciarum copia, aut dominatio; quibus uti neſciunt. ‖ Infr. 30.22. ‖ Sup. 16.32. g Heb. prolongat iram ejus. 9 nimirum quum aut diſſimulari bona fide poteſt, aut ex uſu & neceſſitate futurum eſt; quo argumento exempla Davidis proponuntur 2. Schem. 3.38. & 16.10. 10 i. lethalis eſt illius indignatio, & vitalis benevolentia. ‖ Sup. 16.14. & 15. h Heb. ærumna. ‖ Sup. 17.25. 11 i. virum familiamque exedit rixoſa mulier, ut ſtillicidium lapidem. ‖ Inf. 27.15. i Heb. patrum. 12 ſingulari modo. ‖ Sup. 18.22. 13 i. & pigri ceſſantes ab officio, & fraudulenti contra officium venientes, judicio Dei punientur. ‖ Sup. 10.4. & 5. & 13.4. k Heb. animam ſuam. 14 hoc verbum, quia ſcriptura compoſitum eſt, ita viſum eſt reddere. 15 i. Jehova beneficium pauperi collatum, fert acceptum ſibi. l Heb. ad mortē afficere eum: infinitivus pro nomine. 16 i. quod ſi videbitur condonare pœnas meritas filio; ſaltem increpa graviſſimè, & indignationem præ te fer in peccatum ejus, addita interminatione hac; te ſi eripias, id eſt, abſolvas ab hac pœna merita, eò gravius deinceps hoc nomine caſtigaturum, quum in peccatum reciderit: ut Deus fecit Exod. 32.34. m Hebr. additurum mulctam. n Heb. in extremitate tua. ‖ Sup. 16.1. & 9. 17 i. nihil eſt tantoperè expetendum homini, inprimis diviti, quàm ut ex animo beneſaciat. o Heb. deſiderium hominis. 18 i. divite beneficentiam denegante paupertatis ſpecie, aut non ex animo conferente. p Heb. ad vitam. 19 i. vitam præſentem & futuram agit beatiſſimè: ut Pſal. 34.10. & ſuprà 14.26. ‖ Inf. 26.15. 20 i. piger ne tum quidem quum opus eſt maximè, manum exerit extra os manicæ ſuæ, ut operi admoveat; ſed illam adeò ſtudioſè in ea continet, ut etiam cibum in os ſuum inſeri patienter ferat. Manicam autem reddidimus a forma gabatæ: cujus nomen per tranſlationem videtur manicis accommodari ironicè, hîc & infrà 26.15. 21 i. duobus modis inſtituuntur fatui ab alieno exemplo, verberibus improborum, & verbis documentiſque bonorum.

[22] i. filius sceleratus parentes evertit bonis; & eorum animos ita avertit a se, ut fugiant & exhorrescant ipsum. [23] vide sup. 10.5. [24] i. totum te dedito doctrinæ sanctæ; ac propterea animum & cogitationem avocato a rerum sermonúmque malorum consuetudine. [25] i. quod iste ludificatur jus, certa malitia facit; quæ ipsum totum possidet, ac velut absorbet sermones ejus, ut nihil nisi iniquitatem crepent eructéntque. Quamobrem illorum supplicium seq. versu exponitur.

26 [22] Devastat patrem, fugat matrem; filius
[23] pudefaciens, & afficiens probris.
27 [24] Desine, fili mi, ut auscultes eruditioni, aberrare a sermonibus scientiæ.
28 Testis nequam deridet jus: [25] adeò os improborum absorbet iniquitas:
29 *Sed* parata sunt in derisores istos judicia, & contusiones tergo stolidorum.

CAPUT XX

Ebriosorum, iras graves concitantium, pigrorumq; vitia exponuntur: improborum probitatem sermone, & opere externo fingentium hypocrisis repudiatur; simplicitas coram Deo & hominibus commendatur; pigritiæ, falsitatis in commerciis, temeritatis, malitiæq; damna, prudentium consiliorum usus, impietatis in parentes, subitarum opum, ultionis, falsitatis, ignorantiæ Dei, sacrilegiiq; mala a Deo & hominum judicio obvenientia, juventutis & senectutis ornamentum, improborumq; fræni ostenduntur.

[1] i. vinum ita ludificatur vinolentos, ut derisores & tumultuosi fiant; itáque apud alios præbeant sese ridiculos. [ǁ] *sup.* 19.12. [a] *Heb. animæ suæ.* [b] *Heb. honor.* [2] i. quum se egentem videt, & vacuitatem solam reportat pigritiæ fructum. [3] i. adeò profundæ sunt hominis cogitationes, ut nemo noverit eas, nisi spiritus hominis qui est in ipso, 1. Corinth. 2.11. sed eas tamen rimatur, observat, recognoscit, & expiscatur prudens, infrà vers. 27. [c] *Heb. corde: sic deinceps.* [d] *Heb. intelligentiæ.* [e] *Heb. multitudo hominum.* [4] i. qui quantum de se prædicat, tantumdem bona fide præstet. [f] *Heb. fidelitatum.* [5] i. jus dicens exsequitur: synecd. [6] i. inspectionem faciens ipse, cognitionem habens, judicium ferens, & judicatum fieri curans, synecdochicè.

[1] DErisor *est* vinum, tumultuosus potus inebrians: ideò quisquis oberrat in eo, non sapit.
2 [ǁ] Ut rugitus leonis juvenis, *est* terror regis; in quem furore percitus fuerit, peccaverit [a] *in* vitam suam.
3 [b] Honorificum viro *est* supersedere a lite: quisquis autem stultus *est*, immiscebit se.
4 *Qui* propter hyemem piger, non arat; mendicabit in æstate, [2] quum nihil *aderit*.
5 [3] Ut aquæ profundæ, consilium *est* in [c] animo viri; attamen vir [d] intelligens haurit illud.
6 [e] Maxima pars hominum, prædicat quisq; benignitatem suam: virum autem [4] usquequaque [f] veracem quis inveniat?
7 Indesinenter ambulans in integritate sua justus, *beatus est*; beati filii ejus post eum.
8 Rex [5] insidens solio judiciali, ventilat in
[6] oculis suis omne malum.
9 [ǁ] Quis dicere possit, purificavi animum meum; mundus sum a peccato meo?
10 [g] Diversa pondera, diversæque mensuræ; abominationi *sunt* Jehovæ æquè utraque.
11 [7] Actionibus suis præbeat se cognoscendum etiam puer, an purum & an rectum *sit* opus ejus.
12 [8] Aurem audientem & oculum videntem, Jehova fecit æquè utrumque.
13 [ǁ] Ne diligito somnum, ut non efficiaris pauper; [9] aperi oculos tuos, satiare cibo.
14 [h] [10] Pessimum *est*, ait emtor; sed quum
[i] digressus fuerit, tum se ipsum laudat:
15 Est aurum & copia carbunculorum *pretiosa*: at instrumentum [k] pretiosissimum *est* labiorum scientiæ.

[ǁ] 1. *Reg.* 8.46. [g] *Heb. lapis & lapis: Deut.* 25.13. *&* 14. *sup.* 11.1. *&* 16.1. *& infra* ℣.23. [7] i. nemo unquam fit hypocrita, aliúdve lingua aut opere simulet, & aliud gestet animo; sed inde a pueritia se totum ad veritatem & simplicitatem componat. [8] ætiologia superioris versus: veritas & simplicitas (inquit) colenda est animo & sensibus. nam Deus homini animum & sensus indidit, ac proinde cognoscit eos penitùs: ut psal. 94.7. & seq. [ǁ] *sup.* 6.9. *& seq. &* 19.15. [9] i. invigila rebus tuis, & benè erit tibi. [h] *Heb. malum mali: vide Genes.* 9.25. [10] i. emtor ut merces minore comparet, linguam versat & commaculat mendaciis dicens, pessimum est tanti facere te mercem tuam; & tantisper (quod ajunt) aginatur dum merces auferat; profectus verò sibi mercatum suum gratulatur: sed utcumque pretiosas merces comparaverit, nihil est labiis scitis & sanctis pretiosius, seq. versu. Similiter autem de venditore dicendum est: qui itidem ut emtor, res suas pluris faciendo pretium oblatum aversatur dicens, hui, tantam rem tam parvi facere? quamobrem sequen. versu utrumque membrum apponitur, & aurum quo emtor merces comparat, & gemmæ quas venditor pretio accepto tradit. [i] *Heb. digressus sibi: ut Genes.* 12.33. [k] *Heb. pretii.*

16 [11] Cape vestem ejus, qui spopondit *pro* extraneo; & pro aliena *spondentem*, pignerare eum.
17 [12] Suavis *est* viro cibus falsitatis; sed posteà impletur os ejus scrupis.
18 Cogitationibus in consilio confirmator, & prudentibus consiliis gere bellum.
19 [13] [ǁ] Revelanti arcanum, qui ambulat cum detractione; & ei qui seducitur labiis suis, ne admisceto te.
20 Maledicentis patri suo aut matri suæ, [14] exstinguetur lucerna [l] in nigris tenebris.
21 Possessioni [15] acceleratæ in principio, etiam fini illius non benedicetur.
22 [16] [ǁ] Ne dicas; rependam malum; [17] exspecta Jehovam, & servabit te.
23 [ǁ] Abominationi *sunt* Jehovæ [m] diversa pondera; & lances [n] dolosæ non *sunt* res bona.
24 [ǁ] A Jehova *sunt* gressus viri: [18] homo autem quid intelligit viæ illius?
25 [19] Tendicula *est* homini deglutire sacrum, & [20] post vota requirere.
26 [21] Ventilat improbos rex sapiens, postquam [22] convertit in eos rotam.
27 [23] [ǁ] *Velut* lucerna Jehovæ *est* anima hominis, *qua* pervestigat omnia penetralia ventris.
28 [24] Benignitas & fides custodiunt regem, & sustentat benignitate solium suum.
29 [o] Ornamento juvenibus *sunt* vires ipsorum, & [p] decori senibus canities.
30 Tumices, vulneráque [q] [25] strigiles *sunt* pro malo, & plagæ *pervadentes* penetralia ventris.

[11] i. ab eo qui leviter se immiscet negotiis alienis, & fidem suam interponit temerè, ne metuito pignus exigere: nam si temerarius est in rebus suis, non sapiet in tuis: quod vulgò dici solet, Qui sibi ipsi non sapit, nec aliis sapit: vide suprà 12,15. neque pugnat documentum hoc cum mandato Dei, Exod. 22.26. nam illic agitur de paupere fratre propter difficultates suas domesticas mutuante; hic autem de sponsore temerario; qui si pauper est, non potest creditoribus satisdare, ac proinde sponsio illius accepta esse: vide infrà 22.26. [12] i. primùm quidem delectat virum falsitatis fructus; sed posteà damnosus est & exitialis: ut sup. 9.17. & seq. & 14.12. [ǁ] *sup.* 11.13. [13] i. consilia ini cum sapientibus: cave a malitiosis detractoribus, & ab imperitis futilibúsque viris. [14] i. omni prosperitate privabitur, planè maledictus erit in hac & futura vita. [l] *Heb. in nigredine tenebrarum.* [15] i. celeriter comparatæ: nam non possunt opes celeriter, nisi ex vanitate comparari. [16] id est, abstine ab omni vindicta, & vindictæ studio. [ǁ] *Levit.* 19.18. [17] i. vindictam committe Deo, dicenti, mea est ultio: Deut. 32.35. [ǁ] *sup.* ℣.10. [m] *Heb. lapis & lapis: ut suprà* ℣.10. [n] *Heb. doli.* [ǁ] *psal.* 37.23. *sup.* 16.9. [18] i. etsi Deus singulis hominum passibus actionibúsque moderatur; tamen infinita est hominis ignorantia, quum non intelligit; & oscitantia, quum non animadvertat mirificam & singularem administrationem illius. [19] i. laqueos mortis sibi induit quisquis Deum offendit, res ipsius aut sacras aut consecrandas avertendo, id est, tollendo quod jam illius est, aut quod illi debetur retinendo. [20] i. laborem in eo consumere, ut retineantur res votivæ & promissæ Deo, Deut. 23.21. & seq. [21] i. bonus rex improbos ferre non potest; sed quàm diligentissimè persequitur atque exterminat, ut bonus colonus paleam & acus disjungit a tritico. [22] i. excussit, velut currente rota discutiuntur grana a paleis in trituratione: de hac trituræ forma, vide Jesaiah 28. sub finem. [23] i. Deus in hominis animo accendit lucem, qua res penitissimas introspiciat: ac proinde regis sapientis animo prælucet, ut recognoscat improbos, terat, & ventilet: vide infrà 25.2. & 3. [ǁ] *sup.* ℣.5. [24] vide psal. 101. [o] *Heb. ornamentum juvenum.* [p] *Heb. decus senum.* [q] *Heb. absterson.* [25] i. mali gravissimis pœnis sunt coercendi & in officio continendi: ut equis strigosis destringendis & cogendis refractariis strigiles, calcaria, & alia ejusmodi adhibentur: ut suprà 10,13.

CAPUT XXI.

Potentissima Dei administratio justissimaq;; inconsiderati animi, malè partarum opum, improbitatis, inconstantia muliebris, invidiæq; damna; documentorum & judiciorum usus; inhumanitatis pœna; donorum vis; injustitia, luxus, muliebrium contentionum mala cum justi administratione comparata fructibusq; justitiæ & sapientiæ; superborum, pigrorum, improborum, mendacium, perversorumq; eventa proponuntur, & omnia consilio Dei tribuuntur.

[1] VT rivi aquarum, *sic* [a] animus regis *est* in manu Jehovæ; quocumque vult, inclinat eum.

[1] i. est quidem animus hominum instabilis, & regum ac principum incertus maximè; de quo Artabanus optimè apud Herodotum in Polymnia, [illegible] verumtamen ne ipsorum quidem regum animus ex seipso permovetur, impellitur, inhibetúrque; sed Deus in singulorum animis veluti clavum tenet agitque arbitratu suo, quemadmodum agricola in aquæ ductibus & sulcis rivos pro arbitrio solet diducere. [a] *Heb. cor: sic deinceps.*

2 ‖ Unaquaque viâ *ſuâ* vir tectus *videtur* in
oculis ſuis; ſed perpendit animos Jehova.
3 [2] Exercere juſtitiam & jus, magis dilectum
eſt Jehovæ quàm ſacrificium:
4 [b] Elatio *verò* oculorum, & amplitudo ani-
mi; [3] aratio *deniq;* improborum, [4] peccatum *eſt*.
5 ‖ Cogitationes ſeduli, tantùm emolumento
ſunt: omnes autem præcipitis, tantùm ad egeſta-
tem *pertinent*.
6 [c] [5] ‖ Comportati theſauri lingua falſitatis;
vanitas impulſa *ſunt hominũ* quęrentium mortem.
7 [6] Vaſtitas improborum diſſecabit ipſos;
quia renuunt exercere jus.
8 Quiſquis [d] viâ *ſuâ* volubilis eſt, is [7] alienus
eſt: purus autem, cujus rectum *eſt* opus.
9 ‖ Melius eſt habitare [8] in angulo tecti; quàm
cum muliere contentioſa, [e] & domo communi *ha-
bitare*.
10 Animus improbi [9] deſiderat malum, non
gratioſus videtur in oculis ejus proximus ipſius.
11 ‖ Quum mulctatur deriſor, reſipiſcit fatuus;
& quum intelligentia imbuitur ſapiens, percipit
ſcientiam.
12 [10] Intelligentiâ imbuit juſtũ ad domum im-
probi, qui pervertit improbos in ipſorum malum.
13 Qui obthurat aurem ſuam a clamore te-
nuis; etiam ipſe clamabit, ſed non exaudietur.
14 [11] ‖ Donum in abdito, evertit iram; & mu-
nus [12] in ſinu, excandeſcentiam vehementem.
15 Lætitiæ *eſt* juſto facere jus, contritioni ve-
rò operam dantibus iniquitati.
16 Homo aberrans a via intelligentiæ, [13] in
cœtu vitæ expertium [14] quieſcet.
17 [f] Vir egens *erit*, [15] qui amat lætitiam; qui a-
mat vinum & [g] unguentum, non erit dives.
18 [16] Redemtio pro juſto *erit* improbus, & lo-
co rectorum perfidus.
19 ‖ Melius eſt habitare in terra deſerti, quàm
cum muliere contentioſa & indignabunda.
20 [17] Theſaurus deſideratiſſimus & unguen-
tum *eſt* in habitaculo ſapientis; ſtolidus autem
homo abſorbet illud.
21 Qui ſectatur juſtitiam & benignitatem;
conſequetur vitam, juſtitiam, & honorem.
22 [18] Civitatem potentium conſcendit ſapi-
ens, ac dejicit robur fiduciæ ejus.
23 ‖ Qui obſervat os ſuum & linguam ſuam,
conſervat ab anguſtiis animam ſuam.
24 [19] Superbi, contumacis, deriſoris nomen *eſt*
illi; qui exercet furore *ſuo* ſuperbiam.
25 ‖ Deſiderium pigri [20] morte afficit eum;
quia renuunt manus ejus facere *quidquam*.
26 Totum diem [h] afficitur [21] deſiderio; juſtus
verò dat, [22] neque cohibet *manum*.
27 ‖ Sacrificium improborum abominationi
eſt; quantò magis, [23] *quum* ſceleratè offert illud?
28 [24] ‖ Teſtis mendaciorum peribit; vir autem
[25] qui auſcultat, [26] in æternum loquetur.
29 [27] Obfirmat vir improbus faciem ſuam; re-
ctus autem, ipſe aptat viam quamque ſuam.
30 Nulla *eſt* ſapientia, nullaq; intelligentia,
& nullum conſilium; [28] ex adverſo Jehovæ.
31 ‖ Equus aptatur ad diem prælii, ſed Jeho-
væ *eſt* ipſa ſalus.

‖ *Suprà* 16. 2. [2] i. mavult Deus obedientiam quàm ſacrificium, 1. Schem. 15. 22, & Jeſchah. 1. 10. & ſeq. Hoſche. 6. 7. & Micæ 6. [b] ſuperciliosa verò, inſolens, & Phariſaica improborum juſtitia eſt abominationi, ſeq. verſu. [b] *Heb. efferri oculorum, &c. infinitivi pro nominibus.* [3] i. quicquid excogitare & perficere improbi operibus ſuis moliuntur. [4] ac proinde ſunt exoſa Jehovæ: noxia. ‖ *ſuprà* 10. 4. *&* 13. 4. [c] *Heb. opus theſaurorum.* [5] i. malè parta malè dilabuntur, & ſuos auctores perdunt, ut ſeq. verſu. ‖ *ſuprà* 10. 2. *&* 13. 11. [6] i. ipſi vaſtabuntur, peribuntq; malo ſuo cum theſauris ſuis. [d] *Heb. volubilis eſt via viri: eclipſis: ut Gen. 9. 6.* [7] ſupple a puritate, de qua ſequentibus verbis: ſic Jacobi 1. 8. ‖ *ſuprà* 19. 13. *infra* 25. 24. [8] i. loco importuniſſimo ſub dio, ubi ſolis, ventorum, pluviæ, omnibus denique cœli injuriis ſis expoſitus. [e] *Heb. idq; domo conſociationis.* [9] i. flagrat invidia, & omnibus malè cupit præterquàm ſibi. ‖ *ſuprà* 19. 25. [10] i. Deus judicia ſua per ſe aut per adminiſtros ſuos perficiẽdo in improbis, infirmat bonos. [11] & oblatum, & acceptum. ‖ *Suprà* 17. 8. *&* 18. 16. [12] ut ſuprà 17. 23. [13] i. corruet ad mortem, in qua ſiſtere gradum & in æternum manere compelletur. [14] nimirum a ſua aberratione, conſtrictus vinculis mortis. [f] *Hebr. egeſtatis.* [15] i. quiſquis Sybariſſat, genio indulget, & luxui: ut duo exempla ſequentia docent. [g] *Hebr. oleum, ut verſ.* 20. [16] i. in malum quod juſtis comparatur, improbi decidunt; & quaſi juſtorum redemtura eſſent, obtruduntur malo: ut ſupra 11. 8. juſti verò ab anguſtiis liberantur. ‖ *Suprà verſ.* 9. [17] id eſt, ſapiens bona & ornamenta ſibi abundè comparat, & conſervat parta, quæ ſtolidus contrà abligurit. [18] id eſt, præſtat & ſuperat ſapientia robur: ut Eccleſiaſtæ 9. 14. & duobus ſequentibus. ‖ *Suprà* 18. 21. [19] i. qui ſuperbè facit, dignus eſt qui publica ſuperbiæ nota inuratur. Hanc autem interpretationem, ex fide antiquiſſimi codicis manu ſcripti de bibliotheca Illuſtriſſimi Principis Palatini electoris amplexi ſumus. ‖ *Suprà* 13. 4. [20] quia non advenit, ut dicitur ſuprà 20. 4. contrà enim arbor eſt vitę deſiderium adveniens: ſuprà 13. 12. [h] *Heb. deſiderat deſiderio.* [21] tantũ abeſt ut bona aliis largiri poſſit. [22] nimirum ab opere, ut piger facit: ac proinde comparat in dies quod det labore ſuo: ut Eph. 4. 28. ‖ *ſup.* 15. 8. [23] i. ſcelerato animo, ut Bilham, Num. 23. & rationibus ſceleratis interdictiſq; a Deo, ut Mal. 1. [24] i. qui temerè mendacia pro teſtimonio dicit, & res incõpertas inauditaſq; effutit. ‖ *Sup.* 19. 5. [25] i. auritus teſtis, etiamq; oculatus; denique quiſquis res compertas cognitaſq; teſtatur, ſynecdochicè. [26] i. omni tempore & loco ſecurè teſtari poteſt: figuratum dicendi genus, & hyperbolicum; ut Horatius, Serviet ęternũ, qui parvo neſciet uti. [27] i. improbus obſtinatè libidinem ſuam, non officiũ curat, & pudorem omnem abjicit: contrà verò rectus officio incumbit, neglectiſq; omnibus ſtudiis & perturbationibus carnis honori ſuo cõſulit: metaphora a viatoribus, quorum illi tumultuariè oberrant, hi verò circumſpiciunt & comparant iter ſuum. [28] i. quę cum ſapientia, intelligentia, conſiliόve Dei comparari poſſint, aut ei obſiſtere: ut ſequentis ℣. exemplo demonſtratur. ‖ *Pſal.* 3. 9. & 33. 17.

CAPUT XXII.

Fama prædicatur, prudentiâ & timore Dei comparata: juventutis inſtitutio, divitiarum uſus, ſuperbiæ abdicatio, ſimplicitatis & gratiæ cura, inertiæ & ſcortationis malum, puerilis diſciplinæ bonum, & mala ex avaritiæ ſtudio provenientia exponuntur: deinde propoſita nova doctrinæ commendatione ſubjiciuntur interdicta de non opprimendis infirmioribus, non adjungendis iracundis, non exhibenda temeritate, neque movendo termino; ſed diligentia ad opus adhibenda.

OPtatius *eſt* [1] nomen divitiis amplis, argento
& auro gratia melior.
2 [2] Dives & pauper inter ſe occurrunt, effi-
ciente hos omnes Jehova.
3 Aſtutus prævidens malum abſcondit ſe, fa-
tui autem [3] tranſeuntes mulctantur.
4 Præmium manſuetudinis *cum* reverentia
Jehovæ; *ſunt* divitiæ & honor, & vita.
5 [4] Aculei, laquei *ſunt* in via perverſi: qui ob-
ſervat animam ſuam, procul erit ab eis.
6 Inſtrue puerum [a] [5] pro ratione viæ ipſius;
etiam quum valdè ſenuerit, non recedet ab illa.
7 [6] Dives in pauperes dominatur: & ſervus
fit qui mutuatur viro danti mutuum.
8 [7] ‖ Qui ſeminat iniquitatem, metet mole-
ſtiam: & [8] virgâ furoris ſui deficiet.
9 [9] Bonus oculo, ipſe benedicetur; quum de-
derit de pane ſuo tenui.
10 [10] Ejiciendo deriſorem, ſimul exibit con-
tentio; ceſſabitq; litigium & ignominia.
11 [11] Qui amat munditiem [b] animi; *pro* gratia
labiorum ejus, Rex amicus ejus *futurus eſt*.
12 Oculi Jehovę cuſtodiunt [12] ſcientiam, per-
vertit autem res perfidioſi.
13 [13] ‖ Dicit piger, leo foris *eſt*, in medio pla-
tearum occiderer.
14 ‖ Ut foſſa profunda, *eſt* os extranearum; qui
deteſtationi *eſt* Jehovæ, corruet illuc.
15 ‖ Stultitiam alligatam animo pueri, eam
virga eruditionis amovebit procul ab ipſo.
16 [14] Qui opprimit tenuem, ut amplificet [c] rem
ſuam: *&* qui dat diviti, tantùm ad egeſtatem
deveniet.
17 [15] Inclina aurem tuam, & auſculta verbis

[1] Id eſt, fama & gloria, ut Eccleſiaſtæ 7. 1. [2] ἐργασία ſuperioris documenti: non eſt (inquit) bonum conſtans in divitiis, aut malum in paupertate poſitum; commeant ſemper; ac veluti viatores, divites in pauperum locum, pauperesq; in divitum bona tranſeunt, auctore & diſpenſatore Deo: ſed prudentia, manſuetudo, & reverentia Dei, duobus ſeq. verſ. nomen & gloriam comparat, quæ omnibus illis caducis divitiis longè anteponenda eſt. [3] i. timerè & imprudenter quocumq; rapit animus ſeſe inferentes, itaq; ſubeuntes mala. [4] antitheſis ſuperioris verſus: ut prudẽtibus, manſuetis, reverentibusq; Jehovam ſunt opulentiſſimi honores & vita; ſic contrà perverſos cõfodiunt duriſſimi infamiæ aculei, & mortis laquei, ſtrangulant juſto Dei judicio. [a] *Heb. ſecundum os.* [5] i. omninò prout ad vitam piè, juſtè, honeſtè, & legitimè tranſigendam informandus eſt, in iis rebus quę ad Dei cultũ, hominum ſocietatem, ſingulariaq; officia pertinent. [6] cujus duę genera exponuntur ℣. 8. & 9. [7] i. ut ſementis, ita eſt meſſis. ‖ *Ijob.* 4. 8. [8] i. ut arrogante ſua indignatione flagellavit pauperes, ita flagellabitur, & conſumetur flabello irę Dei, quod ſibi improbitate ſua accerſiverit. [9] i. miſericors atque beneficus. [10] i. deriſore præſente litigia excitantur ad ignominiam; abſente verò ceſſant. [11] i. hujuſmodi hominem etiam reges ſtudioſè adjungunt ſibi, non ut deriſorem ejiciunt: quin etiam Deus ipſe curat eum ſtudioſiſſimè, ſeq. verſu. [b] *Heb. cordis: ſic deinceps.* [12] i. ſcitam puritatem cordis, & gratiam labiorum. [13] i. laborem fugit, pigritiamq; fovet quibuſcumq; modis, & defendit eam. ‖ *Suprà* 15. 19. ‖ *Sup.* 7. 45. *& ſeq.* ‖ *Sup.* 13. 24. *&* 19. 18. [14] i. ęquè peccant qui ex impotentiorum detrimento ſua emolumenta captant, & qui beneficia quæ in pauperes jure fuiſſent collaturi avertunt ut ad divites transferant; proinde utriſq; maledicturus eſt Deus. [c] *Heb. ſibi.* [15] hortatio ad documenta hęc percipienda, a ſuavitate & utilitate eorum, ℣. 18. & 19. & a præſtantia, ℣. 20. & 21.

sapientum; & [d] animum tuum adhibe ad scientiam meam:

18 Nam amœnum erit, si servaveris hæc [16] in ventre tuo; *si* comparentur pariter in labiis tuis:

19 [e] *Si* fuerit in Jehova fiducia tua; *&* *quod* notum facio tibi hodiè, etiam tu *feceris*.

20 Nónne scripsi tibi [f] præstantissima *documenta, posita* in consiliis & scientia,

21 Notum faciendo tibi quod certum est, sermones [g] veraces; [17] ut referas sermonibus veritatem, missuris ad te?

22 [18] Ne diripias tenuem, eo quòd tenuis sit; neque conteras pauperem [19] in porta.

23 ‖ Nam Jehova agit causam eorum, & rapiet rapientium eos animam.

24 Ne colas amicitiam cum [h] iracundo, & cum [i] furibundo ne congrediaris:

25 Ut non discas itinera ejus, & assumas tendiculam [k] tibi ipsi.

26 ‖ Ne sis ex complodentibus manu, ex spondentibus debita:

27 [20] Si non sit tibi [l] quod reddas, quare acciperet *creditor* cubile tuum [m] a te?

28 ‖ Ne moveto terminum [n] antiquum, quem aptârunt majores tui.

29 Vidisti virum diligentem in opere suo? ante reges [21] consistet, non consistet ante obscuros.

d He. cor appone. 16 i. in animo vel corde: metonymia. e Heb. essendo Jehova. f Heb. ducum verba: simile sup. 8.6. g Heb. veritatis. 17 i. ut consulentibus te responsa certa & vera dare possis. 18 sequentia documenta binis aut pluribus versibus ferè continentur, usque ad cap. 25. quia singulis suæ causæ, aut eventa subnectuntur. 19 i. in judicio, specie juris. ‖ Infr. 23.11. h He. domino iræ. i Heb. viro æstuum. k Heb. animæ tuæ. ‖ Suprà 6.1. & 11.15. 20 q.d. qui pro alienis debitis spondet, se divitem, aut certè solvendo esse profitetur: quamobrem quum ad diem solutionis ventum est, non potest se defendere exceptione legis Exodi 22. 26. sed sponsione minimè præstita ita condemnatur, quasi possit ac nolit facere: quid ergo (inquit) adeò temerarius esses? vide supr. 20.16. l Heb. ad reddendum. m Heb. a sub te. ‖ Deu. 19.14. infrà 23.10. n Heb. seculi. 21 i. dignus est qui consistat; atque etiam in pretio erit per benedictionem Dei.

CAPUT XXIII.

Modestiæ apud principes adhibendæ, avaritiæ, & avarorum stultorumq; conversationis omittendæ præcepta: termini non movendi, disciplinæ tradendæ & accipiendæ, Zeli sancti amplectendi, sapientiæ colendæ, comessationes fugiendi, parentum colendorum, & meretricis aversandæ documenta proponuntur: ac postremò ebrietatis forma effectaq; traduntur.

1 [1] QUando sedebis ad vescendum cum dominante, [a] diligenter considera [2] quid propositurus sis tibi:

2 Alioquin [3] inderes cultellum faucibus tuis, si [b] præditus appetentia esses.

3 Ne afficiaris desiderio cupediarum ejus: est enim [4] cibus [c] mendax.

4 Ne fatiges te ut ditescas; a [5] prudentia tua desiste.

5 An facies ut involent oculi tui in ea quæ *mox* non futura sunt? nam [d] omnino côparant sibi alas; ut aquila avolat cælum versus, *avolantia*.

6 Ne vescitor cibo [6] maligni oculo, neque afficitor desiderio cupediarum ejus:

7 Nam [7] ut æstimat *te*, cum animo suo, ita ille *cibus* est: comede & bibe, dicet tibi; sed animus ejus [e] non adhæret tibi:

8 Bucceam tuam *quam* comederis, [8] ipsam evomes; [9] ubi corruperis res tuas amœnissimas.

9 [f] ‖ Audiente stolido ne loquaris; nam spernet *te* cum prudentia dictorum tuorum.

10 ‖ Ne moveas terminum [g] antiquum, & agros [10] pupillorum ne invadas:

1 Id est, cum principibus summisq; viris agens, judicium & prudentiam adhibeto, ut animum tuum temperes: nam hoc a convictus ratione ad omnem conversationem accommodandum est ἀναλόγως. a Heb. considerando considera id quod ante te. 2 i. quem cibum sumturus. 3 i. ipse tibi crearès periculum mortis intemperantia tua. b Heb. dominus animæ. 4 i. cupediæ aulicæ suos homines decipiunt, quia convictus aulicus & gratia est instabilis. c Heb. mendaciorum. 5 videlicet hac carnali, quæ potiùs est diffidentia, quum homo rapitur ditescendi studio. d Heb. faciendo faciunt. 6 i. sordidi, præparci, & illiberalis viri, cui opponitur bonus oculo, sup. 22.9. 7 i. pluris facit cibum suum quàm te ipsum, ut sequentia hoc versu ostendunt: quamobrem vicissim oportet cibum illius nihili abs te fieri, ac potius tibi fastidiosum esse, seq. vers. e Heb. cor non est tecum. 8 i. quàm celerrimè evomet stomachus tuus, velut gravem & fastidiosam sibi. 9 i. quum primùm ex tædio feceris ut ea quæ tibi sapiebant maximè putriscant cieantq; nauseam tibi. f Heb. in auribus stolidi. ‖ Mat. 7.6. ‖ Sup. 22.28. g Heb. seculi. 10 i. infirmorũ omnium, synecdochicè.

11 ‖ Nam vindex eorum fortis, ipse aget causam illorum contra te.

12 [h] Adhibe ad eruditionem animum tuum, & aures tuas ad sermones scientiæ.

13 ‖ Ne subtrahas a puero castigationem; quũ percusseris eum virgâ, non morietur:

14 Tu virgâ percutito eum: & animam ejus a sepulcro eripies.

15 ‖ Fili mi, si sapit animus tuus; lætabitur animus meus, etiam ego *lætabor*;

16 Et [11] exsultabunt renes mei, loquentibus labiis tuis recta.

17 ‖ Ne æmuletur animus tuus peccatores, sed [i] reverentes Jehovæ toto die:

18 [12] Quum enim sit [k] merces, utique exspectatio tua non succidetur.

19 Ausculta tu fili mi, & sape: ac dirige *in* hac via animum tuum.

20 Ne sis ex ebriosis vino, & [l] comessatoribus *ingurgitantibus* carne sese:

21 ‖ Nam ebriosus & comissator pauper fiet, & [m] pannunculos induit [13] dormitator.

22 ‖ Ausculta patri tuo qui genuit te; neque contemnas, quum senuerit, matrem tuam:

23 Veritatem compara; [14] ac non vendito; sapientiæ eruditionisq;, & prudentiæ.

24 [n] Valdè exsultat pater justi; genitor sapientis lætatur de eo.

25 Lætetur pater tuus & mater tua, exsultetq; genitrix tua.

26 Cedò, fili mi, animum tuum mihi; & oculi tui [15] vias meas studiosè custodiant:

27 ‖ Nam fossa [16] profunda meretrix *est*, & puteus angustus aliena:

28 Etiam ipsa ut prædator insidiatur, & perfidos inter homines adjicit.

29 [17] Cui væ? cui eheu? cui côtentiones? cui loquacitas? cui vulnera impunè? cui rubor oculorũ *est*?

30 ‖ Immorantibus apud vinum, euntibus ad investigandum [18] *vinum* mistum.

31 Ne respicito vinum, quum rubescit: quum [o] exhibet in poculo [p] colorem suum, [19] indesinenter [q] movetur rectissimè:

32 [r] Tandem velut serpens mordebit, & ut hæmorrhois punget.

33 [20] Oculi tui respicient alienas, & animus tuus eloquetur perversitates:

34 Et eris ut qui jacet [s] in medio mari, & ut qui jacet [21] in corona carchesii.

35 [22] Percutientibus me, *inquies, aliis* non ægrotavi, tundentibus me non sensi: quando expergiscar, pergam, requiram istud ampliùs.

‖ Suprà 22.23. h Heb. adduc. ‖ Sup. 13.24. & 19.18. & 22.15. ‖ Suprà 10.1. 11 i. ex intimo animi affectu exsultabo: nam renibus voluntatis sedem scriptura tribuit. ‖ Psal. 37.1. infra. 24.1. i Heb. viros reverentiæ Jehovæ. 12 i. quum certissimum & constantissimum præmium sit a Deo reverẽtibus se repositũ, te quoq; fiducia eadem fretũ côvenit in sancto zelo pergere. k Hebr. finis: metonymicè. l Hebr. comessatoribus carnis sibi. ‖ Suprà 19.15. m Heb. laceris induit dormitatio. 13 ex crapula & ingluvie videlicet. ‖ Suprà 1.8. 14 i. nullo pretio, nullâve ex causa abalienato a te veram sapientiam, &c. n Hebr. exsultando exsultat. 15 i. quas ego doceo te: verbum autem Hebræum studiosè custodire interpretati sumus composita significatione, quia in scriptura compositum est ex volendi & custodiendi verbo. ‖ Suprà 22.14. 16 i. malum est lubricum, & vix evitabile iis qui semel in illud barathrũ & angustias abrepti sunt. 17 quæstio ænigmatica, cujus subjectio habetur v. sequente; & documentum inde eruitur, reliquis vers. sensus est ænigmatis; quisnam est vir idem quiritabundus, suspiriosus, rixator, loquax, plagis abundans, & rubicundus? ‖ Jesa. 5.22. 18 i. infusum quod bibatur, & temperatum ex regionis usu: ut supr. 9.2. & 5. ‖ Ephe. 5.18. o Heb. dat. p Heb. oculum vide Levit. 13.5. 19 i. speciem ambulantis in poculo exhibet, & fervet sua generositate atq; exilit, quæ rectissima sunt generosi vini indicia. q Heb. ibit ad rectitudines: ut Cantic. 6.19. r He. fine suo. 20 i. impudicus, impurus, & perversus omnibus modis efficieris, si te dedas vino: ut proverbio dici solet, sine Cerere & Baccho friget Venus. s He. in corde maris. 21 sive galea (ut Ammianus vocat) ubi maxima sentitur maris agitatio. 22 i. & eò quidem miseriorem te efficiet ebrietas, quod tibi ipse de stupore corporis & animi gratulaberis; & (quod longè pejus est) te ipsum de industria provocabis ad continuandam & augendam lasciviam tuam.

CAPUT XXIIII.

Maleficorũ aversatio, sapientiæ procuratio & usus, diligentia in difficultatibus alienis levandis & sapientiæ comparandæ imperatur: afflictionum nostrarum modus, alienarũ commiseratio, maleficorum instabilitas, reverentia Dei & magistratus, effectaq; reverentiæ tum publica tum privata erga nostros & exteros exponuntur: ac postremò pigri conditio figuratur.

NE æmulator [a] malignos, neq; desiderato esse cum eis:

a Heb. viros mali: suprà 23.17.

2 Nam vastationem meditatur [b] animus eo-
rum,& molestiam labia eorum proloquuntur.
3 [1] [‖] Sapientiâ ædificator domus, & intelli-
gentiâ stabilitor:
4 [2] Et scientiâ penetralia implebuntur,omni
substantia pretiosa & amœna.
5 Vir sapiens *est* cum robore,& vir sciens for-
tificat vires:
6 Nam prudentibus consiliis geres [3] tibi bel-
lum, & salutem *comparabis* amplitudine consilia-
riorum.
7 [4] *Nimis* altæ *sunt* stulto sapientiæ: [5] in por-
ta non aperit os suum,
8 [6] Cogitans malefacere, [c] is vocatur scele-
ratissimus.
9 [7] Scelus [d] stulti *est* damnabile; abominan-
dum verò cuique,derisoris.
10 [8] *Si* remissè te geras, tempore angustiæ
[9] angusta *erit* virtus tua.
11 Eripe [10] raptos ad mortem;nam a declinan-
tibus ad necem an cohiberes te?
12 [11] Si dicas, en, ignoramus hoc: nónne ex-
pendens animos ipse intelliget, & [12] qui custodit
animam tuam ipse cognoscet, & reddet cuique
secundùm opus ipsius?
13 Comede fili mi, [13] mel, quia bonum *est*; &
favum, dulcem palato tuo.
14 Ita sapientiæ cognitio *est* animæ tuæ: si as-
sequutus fueris; utique erit [e] merces, & exspecta-
tio tua non exscindetur.
15 Ne insidiator, ô improbe, habitaculo justi;
ne devastato accubitum ejus:
16 Nam *ut* septies [14] cadat justus, [15] exsurgit
tamen: improbi verò corruunt [16] malo.
17 [‖] Quum cadit inimicus tuus, ne lætator;
quumq; corruit,ne exsultato animus tuus:
18 [f] Ut aspicientis Jehovæ in oculis non vi-
deatur malum,& convertat ab eo iram suam *in te*.
19 [‖] Ne accendaris irâ propter maleficos, ne
invideas improbis:
20 [17] [‖] Nam non erit finis malo, *sed* lucerna
improborum exstinguetur.
21 Reverere Jehovam,fili mi,& regem; [18] cum
variis ne commisceto te:
22 [19] Nam repentè consurget calamitas eo-
rum, & [20] oppressionem istorum amborum quis
novit?
23 [21] Etiam hæc ad sapientes *pertinent*; [22] ag-
noscere [g] personam in judicio non *est* bonum.
24 Dicentem improbo,justus es; exsecrabun-
tur populi, detestabuntur nationes:
25 Corripientibus verò erit amœnitas, & ob-

[b] *Heb. cor: sic deinceps.*
[1] Antithesis superiorum versuum, ad quam demonstrandam imperativo utimur.
[‖] *Suprà* 11.14. & 15.22. & 20.18.
[2] i. quum scienter administrabitur domus, omne genus benedictionum obtinebit.
[3] i. bono tuo.
[4] i. non potest sapientiam stultus pertingere, quæ tamen prudenti facilis est, supra 14.6. quamobrem *supernas* vocat sapientias, quia stultus diffidit se posse tam multa assequi, prout nimis multa sunt opinione ejus.
[5] id est, in publicum consessum minimè vocatur, aut vocatus obmutescit stultitiæ suæ nomine.
[6] id est, qui verò incumbit maleficiis, publico judicio & communi consensu condemnatur.
[c] *Heb. dominum scelerum vocant.*
[7] conclusio duorum præcedentium versuum: longè iniquiùs ferri quæ a derisoribus & contemtoribus æqui boniq; perpetrantur, quàm ea quæ stulti cómittunt: quia illa omnibus abominationi sunt; hæc verò etsi reprobantur, tamen non judicantur tantæ atrocitatis esse. sic accipi vocem peccati ostendit antithesis; ut & peccatoris nomen, 1. Reg. 1.21. [d] *Heb.* hominis *stultitiæ, peccatum.* [8] i. nisi sedulò & proximos tuos adjuveris, duobus ℣. sequentibus; & tibi consulueris in comparanda sapientia, ver. 13. & 14. tandem pessimè futurum est tibi: quapropter age, incumbe documentis quæ sequuntur. [9] i. quicquid virtutis habere tibi videberis, enervabitur, eritq; nihili quum pervadet calamitas. [10] i. iniquè oppressos. [11] q.d. ne putes tibi excusationem fore segnitiæ tuæ, obductis caussis ignorantiæ aut infirmitatis, quasi aut nescíveris pessimè cum illis agi, aut rationem juvandi illos atque liberandi minimè tenueris: nam Deus judex ejusmodi est, qui perpendat intima corda, optimè cognoscat, & justissimè judicaturus sit. [12] a malo videlicet, quò devenit proximus tuus; tu autem ab eo liberaris, ut oppressis opituleris: sic Estheræ 4.13. & 14. [13] nimirum sapientiæ, de qua sequ. vers. [e] *Heb. finis: ut suprà* 23.18. [14] in afflictiones scilicet, insidiante & procurante te. [15] i. restituitur, & redintegratur a malo. [16] i. vel unico malo deficiunt dispereuntq;: quum multis ac propè infinitis non frangatur justus. Ijobi 5. 12. & sequentibus. [‖] *Suprà* 17.5. [f] *Heb. ne videat Jehova, & malum sit in oculis ejus.* [‖] *Suprà* 23.17. [17] i. malum quod intenditur bonis, ad finem exitumq; suum minimè perducetur, abibit irritum. [‖] *Suprà* 13.9. [18] i. variantibus ac perfringentibus Dei suorúmque principum mandata, denique deficientibus vita sua inmorigera a reverentia Dei & regis. [19] ætiologia documenti de reverentia, primùm a malo contrà venientibus accessuro, hoc versu; deinde a sapientum exemplo, ver. sequente. [20] i momentum, quo futurum est ut ista duo hominum genera opprimantur. [21] i. nam etiam sapientes reverentur Deum & regem colunt. [22] regressio ad præceptum vers. 21. qua exponitur fructus utriusq; legitimus reverentiæ Dei & regis, tum in publicis officiis, usque ad ver. 27. tum in privatis. [g] *Hebr. vultum: ut Deut.* 1.17.

veniet eis benedictio [23] *cujusque* boni:
26 [24] [‖] Labia osculabitur ejus [25] qui respondet
verba recta.
27 [26] Apta foris opus tuum,& para illud in a-
gro tibi: posteà etiam exstrues domum tuam.
28 Ne sis testis temerè contra proximū tuum,
aut [27] fatuum agito labiis tuis:
29 Ne dicito, quemadmodum fecit mihi, ita
faciam ei; reddam isti viro secundùm opus ipsius.
30 [28] Juxta agrum viri pigri transivi, & juxta
vineam hominis [h] dementis:
31 Ecce autem, [i] assurrexerant in eo toto cha-
mæleones, tegebatur superficies ejus urticis; &
maceria ejus [k] lapidea destructa erat.
32 Quod videns ego, apposui animum meum;
respiciens percepi eruditionem.
33 [‖] Pauculis somnis, pauculis dormitationi-
bus, paucula complicatione manuum cubando,
34 Intereà advenit, *ut* viator expeditus, pau-
pertas tua; & egestas tuâ, tamquàm vir [l] clypeatus.

[23] i. ab omnibus viris bonis.
[24] i. omnes boni colent te, & spóte se subjicient tibi: vide Gen. 41.40.
[‖] *Supr.* 16.12.
[25] i qui justè judicat.
[26] i. primùm prospice & cura res necessarias, ut sunt quæ foris afferuntur domum: deinde per commoditatem licebit colere domum tuam, & rebus non ita necessariis incumbere: quemadmodum de apibus narrat Plin. lib. 11. c. 10.
[27] huic verbo quod licenter a nomine ductum est & sine exemplo, novam interpretationem tribuimus: pro eo quod est, neque publicè neque privatim ita desipito, aut otium habeto a rebus tuis, ut in proximum tuum inveharis verbis, hoc & seq. versu. [28] Apologus, spectans ad documentum ℣. 27. [h] *Heb. defecti corde.* [i] *Heb. ascenderat ille totus chamæleonibus: hypallage.* [k] *Heb. lapidum.* [‖] *Supr.* 6.10. & 11. [l] *Heb. clypei.*

CAPUT XXV.

Officium regis in suos, & horum in regem, litigiorum modus, reprehensionumq; commodè & modestè faciendarū & accipiendarum: usus amicitiæ, veritatisq; officiorum erga amicos, & inimicos: fugiendæ detractionis & rixæ leges, boni sermonis fructus, adversitatum bonis evenientium a sceleratis indignitas, denique vanitas hominum honori suo velificantium, & effrænatorum proponitur.

1 [1] Etiam hęc proverbia Schelomonis *sunt*, [2] quę
cōtulerunt homines Chizkijæ regis Jehudę.
2 [3] Honor Dei *est* abscondere rem, honor
autem regum [4] pervestigare rem.
3 [5] *Ut* cælo altitudine, terræq; profunditate;
ita animo regum non *est* pervestigatio.
4 *Ut* auferendo scorias ab argento, prodit
conflatori vas;
5 [‖] *Ita* auferendo improbum a conspectu re-
gis, stabilitur justitiâ solium ejus.
6 [6] Ne arrogato tibi decorem coram rege,&
in loco magnatum ne stato:
7 [‖] Nam melius est [a] dici tibi, ascende hûc,
quàm deprimi te coram ingenuo: [7] quòd vident
oculi tui.
8 Ne prodito ad litigandum [8] festinanter: a-
spice quid sis facturus [b] [9] tandem, [10] afficiente ig-
nominia te proximo tuo.
9 [c] [11] Causam tuam age cum proximo tuo;
sed arcanum alterius ne retegito:
10 [12] Ne probro afficiat te qui audit, & infa-
mia tua sit [d] irrevocabilis.

[1] Vide supr. 1.1.
[2] i. ex variis scriptis decerpta in unum corpus redegerunt, ac fortasse ex actis publicis & commentariis rerum gestarum Schelomonis: prout sequentia apophthegmata bona ex parte ad ethicam, & civilem administrationem pertinentia videntur ostendere.
[3] i. gloria Dei eo maximè illustris est, quòd inscrutabilia sunt judicia, viæ impervestigabiles, incognita mens & consilium ejus, Rom. 11.33. sed contrà Regi nihil est tam honorificum, quàm omnia penitùs introspicere, de singulis rebus cognoscere, & in lucem proferre quæcumq; ad regiam dignitatis cognitionem pertinent, quæ quanta sit docetur ℣. seq. [4] & notam facere sententiam suam judicando justè. [5] explicatio superioris documenti de officio regis. q.d. infinita quodammodo esse debet regis sollicitudo & impervestigabilis de cognoscendis & sapienter administrandis rebus: neq; magis ab ullo homine definiri aut circumscribi potest terminus verè regalis animi in pervestigandis rebus, quàm cæli altitudo, aut profunditas terræ cōprehendi. [‖] *Sup.* 20.8. [6] hactenus de officio Principis: jam de officio subditorum in principes, & aliorū in alios. Hic autem datur præceptum modestiæ: ut sup. 23.1. [‖] *Luc.* 14.10. [a] *He. dicere tibi* magistrū aulæ, *ascende hûc, quam deprimere te.* [7] i. quod te communis experientia, & quotidiana exempla docent. [8] i. inconsideratè litem suscipiendo, vel agendo. [b] *Heb. in fine ejus.* [9] ex lege Deut. 19. sub finem. [10] i. quum te ignominiosæ calumniæ evicerit, reumq; peregerit. [c] *Heb. litem tuam litiga.* [11] i. pro eo ac potes, abstineto a proximo in jus vocādo: fraternè illū accedito, cum eo rem perficito, & honori ipsius cōsulito: Mat. 5.25. & 18.15. [12] i. ne tibi ipsi ignominiosum sit, & proximo tuo: tibi quidem quod summo jure ac potiùs summa injuria proximū persequēs diceris inexorabilis & implacabilis: proximo verò, quod eâdem afficietur infamia diuturna: quorum utrumque est ab humanitate alienum. [d] *Heb. non revertatur.*

11 [13] *Velut* mala aurea cum figuris argenteis,
eſt verbum dictum [e] [14] commodè.
12 [15] ‖*Velut* monile aureum, & ornamentum
ex inſigni auro; *eſt* reprehenſor [16] ſapiens apud
aurem auſcultantem.
13 ‖[17] Ut frigus nivale tempore meſſis, *eſt* lega-
tus fidus mittentibus ipſum: nam [18] animam do-
minorum ſuorum reſtituit.
14 [19] *Velut* vapores & ventus, quibus non *adeſt*
pluvia; *eſt* vir qui ſe jactat de dono [f] falſo.
15 Longanimitate pellicetur ductor, &‖lingua
mollis frangit [g] [20] oſſeum.
16 ‖ [21] Mel inveniens [h] comedis quod ſatis eſt
tibi, ne ſaturatus illo evomas illud:
17 [i] Studiosè contine pedem tuum a domo
proximi tui, ne ſaturatus tui odio habeat te.
18 [22] *Ut* marculus, gladiusq́;, ac ſagitta acu-
ta; *eſt* vir teſtans contra proximum ſuum teſtimo-
nium falſum.
19 [23] *Ut* dens fractus, & pes luxatus; *eſt* fidu-
cia [k] in perfidum die anguſtiæ.
20 [24] *Ut* qui [l] imponit *ſibi* veſtem tempore fri-
goris, aut acetum nitro; ita *eſt* qui canit cantica
apud animum malè affectum.
21 [25] ‖Si eſuriat oſor tuus, ciba eum pane; & ſi
ſitiat, da ei bibendam aquam:
22 [26] Nam *velut* prunas coacervabis ſuper ca-
put ejus, & Jehova rependet tibi.
23 [27] Ut [m] cæcias gignit pluviam, ita vultum
indignabundum lingua [n] ſimulantis.
24 ‖Melius eſt habitare in angulo tecti; quàm
cum muliere contentioſa, & domo communi *ha-
bitare*.
25 ‖*Ut* aquæ frigidæ erga animam feſſam, ita
auditio bona e terra longinqua *eſt*.
26 [28] *Ut* fons calcibus conturbatus, aut ſcatu-
rigo corrupta; *eſt* juſtus qui dimovetur coram
improbo.
27 ‖Comedere mellis plurimum, non eſt bo-
num; ita perveſtigare honorem ſuum, [o] inho-
neſtum.
28 ‖*Ut* civitas diſrupta abſque muro; ita *eſt* cui-
cumque non *eſt* imperium in ſpiritum ſuum.

13 i. pretioſiſſimum eſt ac jucundiſſimum: quemadmodum pretioſa ſunt opera ex auro & argento, figuris venuſtis & toris guttisq́; intercurſantibus diſtincta. [e] *Heb. ſecundum modos ſuos.* 14 i. aptè, habita temporis, loci, hominumq́; ratione: ut Cicero lib. 2. de oratore definit. 15 exemplum ſuperioris documenti a ſpecie reprehenſionum. ‖*Sup.* 13. 17. 16 i. prudens, conſideratus, ac non ineptus, ut ibidem Tullius loquitur. ‖*Inf. V.* 25. 17 i. tam ſuavis eſt legatus hujuſmodi, quàm nivarium colum vel ſaccus æſtivo tempore ad refrigerandum adhibitus potui: quo veteres in regionibus illis calidioribus fuiſſe uſos hiſtoriæ omnes teſtantur. 18 quæ exſpectatione nuncii, velut gravi æſtu, priùs confici videbatur. 19 i. jactator chreſtologus, qui montes auri & argenti pollicetur, & nihil efficit (ut ille Antiochus δώσων propterea nominatus) eſt velut nubes ſine aquis: ut loquitur in Epiſtola Juda verſu 12. [f] *Heb. falſitatis: ſic verſ.* 18. ‖*Suprà* 15. 1. [g] *Heb. oſſis virium* 20 id eſt, duriſſimum & rigidiſſimum: ut Gen. 49. 14. Hjus autem rei exempla habentur Judic. 8. & 1. Sche. 25. ‖*Inf. V.* 27. 21 documentum de legitimo uſu amicitię per comparationem mellis: docet enim utriuſque uſum ſuavem ac mellitum eſſe, abuſum verò ἐμετικόν. [h] *Heb. comedere: infinitivus pro præſente: ut Pſal.* 8. 2. [i] *Heb. pretioſum habe.* 22 i. omnibus modis pernicioſiſſimus eſt: ut exemplum eſt 1. Reg. 21. 23 i. amicus incertus in re incerta cernitur: ut dens fractus aut pes eliſus, quum edendum vel incedendum eſt. [k] *Hebr. perfidi.* 24 i. triſtitiam diſſolvit cantus; ut veſtes diſcutiunt frigus, & acetum diſſolvit nitrum; & quidem diſſolvit omnium maximè, quia eſt frigidiſſimum: hanc enim eſſe naturam nitri (quod terrę quoddam opificium eſt ſicco calore condenſatum) docet Ariſtoteles lib. 4. meteorôn, cap. 6. & 7. muſicæ verò harmoniæ (quemadmodum etiam vini infrà 31.) uſum iſtum eſſe docent exempla Schaûlis, 1. Schem. 16. 24. Eliſchahi, 2. Reg. 3. 15. & Darii regis, Danieȷlis 6. 19. [l] *Hebr. ornat ſe veſte, &c.* 25 i. benefac ei qui odio proſequitur te: Matth. 5. 44. ‖ *Exo.* 23. 5. *Rom.* 12. 20. 26 i. benefaciens inimico, duo præſtabis: primùm beneficiis vinces illius malum; deinde ſi non ipſi, ſaltem ſeres domino: quibus ex rebus hæc conſequutura ſunt, tum quòd beneficia tua illi velut prunæ candentes videbuntur, ſive ipſe revocet ſive obfirmet ſe; tum quòd Deus copioſam meſſem rependet tibi. Sic accommodanda eſſe hujus beneficentiæ conſilia cum eventis, oſtendit membrorum inter ſe comparatio: nam priore beneficii conſilium exponitur, eventus Deo relinquitur, ac propterea reticetur; poſteriore verò eventus ponitur, & reticetur conſilium piorum. Eſt autem illud, ut gratè ſerant domino; etiamſi non eſſet ulla remunerationis, aut vitæ ęternæ exſpectatio. 27 hunc ventū, quia Judæam perflat a ſuperiore Aſſyriæ parte, quam ſcriptura Aquilonalem vocat, ita interpretamur; etſi ventus hic propriè inter Aquilonem & orientem ſitus eſt: nam ſcriptura non ita accuratè duodecim, ſexdecim, aut triginta duos (ut nautę) ventos obſervat; ſed cælum ventosq́; in regiones dumtaxat quatuor diſtinguere contenta eſt. Hanc porrò cæciæ naturam eſſe ut obliquè feratur, nubiluſque & pluvioſus ſit, docet Ariſtoteles libr. 2. meteorôn cap. 6. unde proverbium, Ut cæcias nubes. [m] *Hebr. ventus Aquilonis.* [n] *Hebr.* viri *abſconſionis.* ‖ *Suprà* 19. 13. & 21. 9. ‖*Suprà ver.* 13. 28 i. indigniſſimum eſt juſtum ab improbo perturbari, quemadmodum amœnum fontem corrumpi fertur iniquiſſimè: prout cavebatur duodecim tabulis, teſte Frontino de aquæ ductibus lib. 2. ‖*Suprà verſ.* 16. [o] *Hebr.* non *honor.* ‖*Suprà* 16. 32.

CAPUT XXVI.

Inhonora ſtultorū cōditio, inanis maledictio, ſupplicii in ſtultum & reprehenſionis leges, ejuſdem importunitas & imprudentia; arrogantis, pigri, turbulenti, fallacis, ſuſurronis, & inimici fingentis amicum conditio exponitur, cautio imperatur, ſuppliciumq́; denunciatur.

VT nix æſtati, & ut pluvia meſſi; ita non con-
venit ſtulto honor.
2 Ut avicula errando, ut hirundo volitando;
ita maledictio [a] immerita [1] non adventura eſt.
3 ‖Ut flagellum *adhibetur* equo, frænum aſi-
no; ita virga tergo ſtolidorum.
4 [2] Ne reſpondeto ſtolido ſecundùm ſtulti-
tiam ejus, [3] ne adæqueris ei tu quoque.
5 [4] Reſponde ſtolido ſecundùm ſtultitiam
ejus, ne ſit ſapiens in oculis ſuis.
6 [5] *Ut* qui *ſibi* detruncat pedes, [b] ita violentiæ
pœnam ebibet, qui mittit verba [c] per ſtolidum.
7 [6] Tollite [d] cothurnos a claudo, & ſenten-
tiam *quæ eſt* in ore ſtolidorum.
8 [e] [7] Ut qui applicat lapidem baliſtę; ita qui
præbet ſtolido honorem, *facit*.
9 [8] *Ut* ſpina veniens in manum ebrii, ita *eſt*
ſententia in ore ſtolidorum:
10 Ut plurimùm dolore afficit omnes *ebrius*;
ita [9] mercedem dans *ſibi* ſtolidus, etiam mercedem
dat tranſeuntibus.
11 [10] Ut canis redit ad vomitum ſuum, ita ſto-
lidus iterat ſtultitiam ſuam.
12 Vidiſti virum ſapientem in oculis ſuis? ex-
ſpectatio *eſt* de ſtolido *melior* quàm de illo.
13 ‖ Dicit piger, immanis leo *eſt* in via; leo *eſt*
inter plateas:
14 *Ut* janua circumagitur in cardine ſuo, ita
piger in lecto ſuo:
15 ‖Abditam habet piger manum ſuam in ſua
manica, defetiſcitur reducendo eam ad os ſuum:
16 Sapientior *videtur* piger in oculis ſuis, quàm
[11] ſeptem [f] revocantes ad rationem *ipſum*.
17 [12] Prehendit aures canis, qui tranſiens fu-
rentem agit in lite non ſua.
18 [13] *Ut* inſaniens, qui jaculatur [g] malleolos,
ſagittas, & [h] lethalia:
19 Ita *eſt* quiſquis decipit proximum ſuum; &
dicit, nónne ridebam?
20 ‖ *Ut* deficientibus lignis exſtinguitur ignis;
ita quum non *eſt* ſuſurro, ſilet contentio.
21 *Ut* carbo ad prunas, & ligna ad ignem; ita
vir contentioſus *eſt* ad accendendum litem.
22 ‖Verba ſuſurronis ſimilia ſunt *verbis* eorum
qui ſæpenumerò contuſi ſunt; tamen ea deſcen-
dunt in penetralia ventris.
23 [14] *Ut* [i] argenti ſcoria obducta teſtæ, *ita* ſunt
labia proſequentia, & animus malus.
24 Labiis ſuis alium ſe ſimulat oſor, quum in
medio ſui diſponit dolum.
25 [15] Quādo gratioſam prębebit vocem ſuam,

[a] *Heb. gratis.* 1 i. in aërem abibit, ac non incidet in eum cui immeritò maledicitur. ‖*ſuprà* 10. 13. 2 i. prudentiam adhibeto in ſermonibus cum ſtulto, & diligenter obſervato tum quid, quando, quomodo reſpondeas, tum etiam quando non reſpondeas. 3 i. imiteris ſtultitiam ejus, & ęquè ſtolidus habearis. 4 altera ſententia antithetos, quando ſit reſpondendum ſtulto: cui adhærent ſequentia documenta; de ſermonibus illi minimè committendis, & retundenda ipſius arrogantia, adimendisq́; cothurnis quorum nomine gloriatur. 5 i. tam ſibi injuriam facit qui ſtolido ſermones perferendos committit, quàm qui truncat ſeipſum pedibus. Nam neq; ſtultus mandata, neque fractus cruribus iter inſtitutum conficit. [b] *He. violentiam.* [c] *Heb. per manum ſtolidi.* 6 i. ut loripedem recti derident cothurnos induentem quibus ineptus eſt, & perſonam ſive larvam abutenti detrahunt; ita etiam retegendus eſt, ac multò minus ferendus ſtolidus in ſuperbo ſermone ſuo; quem ille vel maximè ridiculū, tamen tot ſententiis quot verbis abundare putat.

[d] *Heb. crura, pro cruralibus ornamentis, metonymicè.* [e] *Heb. ut ligare, i. qui gravem lapidem alligat quem baliſta imponat: ſynecdoche: eſt autem infinitus pro finito tempore.* 7 i. qui ſtolidi perſonę aut verbis honorem habet indebitum gladium porrigit manui furioſi, & ei quodammodo arma ſubminiſtrat ad nocendū, eumq́; confirmat in malo: perinde ac ſi quis lapidem aut miſſile quodvis graviſſimum imponeret tormento illius qui temerè ejaculaturus eſſet. 8 i. non meliùs urinat ſtultus verbis, quàm ebrius ſpinis; qui & ſe ipſum, & quosq́; obvios vino mentem abripiente ulcerat: quod ſequēs verſus explicat. 9 i. plagas, quę præmia ſunt ſtultitiæ ſuæ, non tantùm ſibi infligit; ſed etiam eadem præmia cum aliis communicare cupit, quamvis immerentibus, ac nihil tale cogitantibus. 10 q. d. neq; tamen, ut Phryx, ſapit plagis; ſed eodem ſtultitiæ ſubinde recidit: ſimile vide 2. Petri 2. 22. ‖*ſupr.* 22. 13. ‖*ſupr.* 19. 24. 11 i. plurimi: numerus finitus pro infinito, ſup. 24. 16. [f] *Heb. reducentes rationem.* 12 i. malum accerſit ſibi, ut qui canem auribus prehenſum irritat ad mordendum ſe. 13 i. non majoris faciendus eſt vir fallax & circumveniens amicum ſuum ſpecie ludicra, quàm vir furioſus planè. [g] *Heb. ſcintillarum* tela. [h] *Heb. mortis* inſtrumenta. ‖*ſupr.* 22. 10. ‖*ſupr.* 18. 8. 14 i. inimicus animo ſpeciem amici officioſi prę ſe ferēs, ſimilis eſt teſtę deargentatæ ſcoria. [i] *Heb. argentū ſcoriarū: hypallage.* 15 lex de cautione a perfidioſis,

ne fidito

ne fidito ei: nam [16] septem abominationes insunt animo ejus.

26 [17] Tegit odium deceptionem; *sed* revelabitur malitia ejus [18] in congregatione.

27 [f] Qui fodit foveam, in eam decidet; &[19] qui devolvit lapidem, in ipsum revertetur *lapis*.

28 *Vir* lingua fallace odit [k] quos attriturus est, & ore [l] blando perficit impulsionem.

16 ut suprà v.16. 17 hactenus de maleficiis & cautione: nunc de pœna ad fallaces perventura. 18 i.palàm & publicè. f Psal.7.16. 19 sursum versus videlicet, ac velut in adversum montem. k Hebr. atterendos. l Heb. molli.

CAPUT XXVII.

Præfidentis gloriationis & stultorum indignationis malum; piæ reprehensionis usus, saturitatis & inconstantiæ damna, amicorum usus, filiorum officium, prudentis & imprudentis comparatio, assentatoris malum, rixosæq; mulieris, consuetudinis & officiorum usus, humani vultus & animi instabilitas, stultitiæ vis indomita, & frugalitatis præstantia exponitur.

[a] NE glorieris de die crastino, quia nescis quid pariturus sit dies.

2 Laudet te *os* extranei, non autem os tuum; alieni, non autem labia tua.

3 Gravitas lapidi *est*, & pondus arenæ; sed indignatio stulti [1] gravior *est* duobus illis.

4 [2] Crudelitas excandescentiæ *est* & exundatio iræ: at quis consistat coram invidentia?

5 Melior *est* correptio manifesta, amore [3] occulto.

6 [4] [b] Fidelia *sunt* vulnera amici; [5] deprecanda verò oscula osoris.

7 Anima satura calcat favum; animæ verò famelicæ omne amarum dulce *est*.

8 [6] Ut avicula *quæ* errat a nido suo; ita *est* vir qui errat a loco suo.

9 Ut unguentum & suffitus lætificat animum: ita [7] dulcedo amici sui *quemq;*, magis quàm consilium [a] proprium.

10 Amicum tuum & amicum paternum tuum ne derelinquito, [8] domumq; fratris tui ne ingreditor tempore calamitatis tuæ: melior est vicinus [9] propinquus fratre longinquo.

11 Sape fili mi, & [10] lætifica animum meum: ut [11] respondere possim ei qui exprobraturus esset mihi rem *aliquam*.

12 [c] Astutus prævidens malum abscondit se; fatui transeuntes mulctantur.

13 [d] Cape vestem ejus qui spopondit *pro* extraneo, & pro aliena spondentem pignerare eum.

14 [12] Ei qui benedicit amico suo voce magna manè, tempestivè surgendo; maledictio imputabitur ei.

15 [e] Stilla continua tempore imbris vehementissimi, & mulier [b] contentiosa æquæ sunt inter se.

16 [13] Abscondentium eam *quisque* absconderit ventum: ut unguentum dexteræ ipsius [c] sese prodit *illa*.

17 [14] Ut ferrum ferro acuit *vir*, ita virum [15] acuit facies amici sui.

a Jacobi 4.13.& seq. 1 i.minùs ferri potest: ut sequens vers. exponit. 2 q.d. omnia illius studia neque modum neque finem habent, donec ipsum auctorem perimant: Jiobi 5.2. 3 i.otioso, cessante ab amicitiæ officiis. 4 i.tutum est, ac proinde expetendum, ut amicus ab amico reprehendatur etiam gravissimè: quod hyperbolicè significatur vulnerum appellatione. b Psal.141.4. & 5. 5 quia sunt infida & ad perniciem spectantia: ut habentur Joabi exempla, 2. Schem. 3.27.& 20.9. 6 i.qui temerè sedes mutat, & conditioni suæ non acquiescit, sed nova consilia suscipit non benè explorata voluntate Dei & vocatione sua; is non magis sapit aut constat sibi quàm avicula. 7 i.suavis consiliorum communicatio: sic accommodari dulcedinis vocem consiliis in scriptura receptum est: ut psal. 55.15. a Heb. animæ suæ. 8 videlicet potiùs quam amici domum, qui omni tempore diligit: ut suprà 17.17.& 18.24. 9 i.qui præstò semper est & velut ad manum, ut difficultates tuas sublevet. 10 sapientia animi tui & prudentia instituens in honestate vitam: quibus modis liberi sunt parentibus lætitiæ & honori: suprà 10.1.& 23.24.& sequentib. 11 i.tua ipsius vita cõfirmem, quàm benè functus sim officio parentis boni. c suprà 22.3. d suprà 20.16. 12 i.assentator fallax, qui officia sua singulis momentis fingit & prædicat, maledictus est: hic enim assentatio uno simulati officii genere describitur synecdochicè. e suprà 19.13. b Heb. contentionum. 13 i.nulla ratione potest cohiberi malum istud, aut ignominia contineri, quin pervagetur in aures omnium; citiùs ventum pugno detinueris, aut odorem unguenti compresseris, ne ad alios perferatur, quàm ignominiam hanc averteris ne latè diffundatur. c Hebr. proclamat. 14 i. tanta vi se prodit, ac si quis clamet: metaphora. 15 i. amicus amici consuetudine præsentiaq; informatur, augescitq;, ac veluti acuitur: metaphora similitudinem accommodans. cujus habetur affinis altera, Genes.4.22.

18 Ut qui custodit ficum, comedet fructum ejus; ita qui observat dominum suum, honorabitur.

19 [16] Ut *in* aquis facies faciei *obversatur*, ita [d] animus hominis unius alteri.

20 Ut sepulcrum & perditio non satiantur; ita [17] oculi hominis non satiantur.

21 [18] Fusorium vas argento, & catinum auro; denique *adhibetur* [e] res quæque ex [f] præscripto laudationis ejus:

22 *Sed* si contunderes stultum in mortario [g] cum mola pistillo, non recederet ab eo stultitia ejus.

23 [19] [h] Diligenter cognosce præsentes pecudes tuas, appone animum tuum ad greges:

24 [20] Nam num *est* in seculum robur, & an coronamentum *futurum est* in [i] quamque generationem?

25 [21] Simulac prodit fœnum, & conspicua est tenera herba; colliguntur herbæ montium.

26 Agni *erunt* ad vestitum tuum, & [22] pretium agri hirci:

27 Insuper quantum satis *erit* lactis [k] caprini ad cibum tuum, ad cibum familiæ tuæ, & [l] victum puellis tuis.

16 i.animus quidem hominis indicatur vultu: sed tamen ita multiplex est & instabilis vultus, ut tantùm quodammodo internoscere possit alter animum alterius; quemadmodum in aqua fluctuante atque instabili imago faciei humanæ variis & contortis modis tantùm effingitur. d Hebr. cor hominis homini: sic deinceps. 17 i.concupiscentia oculorum, sive animus oculis utens administris: synecdoche. 18 hic versus cum sequente conjungendus est hoc sensu: est suus singulis rebus & instrumentis usus, suaq; ad usum adhibendi ratio: purgantur aurum & argentum suis modis, omnia denique humana arte suo justo & laudato usui aptantur; sed stultum purgandi, aptandi, informandiq; nulla ratio est. e Hebr. vir. f Hebr. ore. g Hebr. in medio molarum. 19 i.rei tuæ familiari atque domesticæ industriam & diligentiam adhibeto coràm. h Hebr. cognoscendo cognosce faciem pecudum. 20 i.putarésne opes tuas tibi velut affixas esse, neque posse amitti unquam a facultate tua? imò verò lubricæ sunt & fluxæ, quantumvis magnæ atque gloriosæ: propterea convenit te diligentiam in cõservandis illis & administrandis adhibere; idq; coràm, non autem segniter in aliena opera conquiescere. i Hebr. generationem & generationem. 21 exemplum præceptorum domesticorum a re rustica, cujus fructus sequentibus versibus exponitur. 22 i.copiosissimè sobolescent, atque adeò suppeditabunt pretium comparandi agri & amplificandi possessiones tuas. k Heb. caprarum. l Heb. vitam.

CAPUT XXVIII.

Conscientiæ affectus, improborum instabilitas, judiciaq; perversa, integritatis in paupertate & obsequii fructus; usuræ, improbitatis, arrogantiæ, & affinis administrationis eventa; resipiscentiæ & timoris Dei commodum, tyrannidis conditio, homicidarum aversatio, frugalitatis & diligentiæ, corrupti judicii, subitarum divitiarum, filii contumacis, præfidentis viri, maleficiorumq; eventa exponuntur, & contrà.

[g] FUgiunt improbus *quisque*, nemine persequente: justi autem *sunt* similes juveni leoni confidenti.

2 [a] [1] Ubi defectione laborat regio, multi *sunt* principes ejus: ubi autem homo *est* prudens & peritus, prorogat statum.

3 Vir pauper qui opprimit tenues, *similis est* pluviæ everrenti, adeò ut desit panis.

4 Qui derelinquunt legem, laudant improbos; at qui observant legem, [2] miscent *prælia* cum illis.

5 [b] Homines dediti malo non animadvertunt jus, [3] quærentes autem Jehovam animadvertunt omnia.

6 Melior est pauper ambulans [c] integrè, quàm perversus [4] huc illuc se flectens, quamvis sit dives.

7 Qui custodit [5] legem, filius *est* prudens, qui autem se consociat comessatoribus, ignominia afficit patrem suum.

g Levi.26.27. & 36. & Deut.28.7. & 28. a Heb. in defectione regionis. 1 sensus est: quum in República aut reges principesq; viri, aut populus, aut utrique simul desciscunt ab officio suo; frequentes mutationes oriuntur: sed ubi aut utrique simul in officio permanent, aut ab una tantùm parte, principum populariúmve, unus aliquis vir prudens & peritus sua auctoritate utrosque aut certè partem alteram moderatur, status manet diuturnior. Exemplum vide 2. Sche. 20.16. & sequentibus. 2 i.non tantùm damnant, sed etiam re ipsa obluctantur. b Hebr. mali. 3 i.spirituales judicant omnia, 1. Corint. 2. 15. c Hebr. in integritate sua, quàm perversus duabus viis. 4 i.dextera aut sinistra: sive ea quæ per excessum discedit ab integritate, sive ea quæ per defectum aberrat: ut omnis virtus duobus extremis vitiis circumclusa est: sic infrà vers.18. viarum nomen accipitur synecdochicè. 5 i.Dei parentúmque doctrinam, quos obsequio suo honorat: ut suprà 10.1.

8 [l] Qui

8 ‖ Qui auget ſubſtantiam ſuam uſura & fœnore, gratioſè largituro tenuibus congregaverit eam.

9 Qui avertit aurem ſuam ab audienda lege, etiam oratio ejus abominationi *eſt*.

10 Qui ſeducit rectos in viam malam, ‖ in [6] foveam ſuam ipſe decidit; integri verò poſſidebunt bonum.

11 Sapiens *videtur* in oculis ſuis vir dives, ſed tenuis prudens [7] perſcrutatur eum.

12 ‖ [8] Exſultantibus juſtis amplus eſt ornatus; [d] erectis autem improbis perveſtigatur homo.

13 Qui tegit defectiones ſuas, non proſperabitur; qui verò fatetur & derelinquit, afficietur miſericordia.

14 ‖ Beatus homo, qui admodum [9] pavet jugiter, qui autem obdurat animum ſuum, ruet in malum.

15 [10] Ut leo rugiens & urſus diſcurſans, *eſt* dominator improbus in populum tenuem.

16 Anteceſſor carens [e] omni intelligentia, & multus oppreſſionibus [11] *decurtabit*; qui *autem* odit quæſtum, prolongabit dies.

17 [12] ‖ Homo oppreſſus propter ſanguinem [f] hominis; ad foveam uſque fugiat, ne ſuſtentanto eum.

18 [13] Qui ambulat integrè, ſervabitur: qui verò perverſus eſt [g] altera viarum, corruit [h] in eam.

19 ‖ Qui colit tellurem ſuam, ſatiatur cibo: qui verò ſectatur *homines* vanos, ſatiatur paupertate.

20 Vir [i] optimæ fidei amplus *eſt* benedictionibus; ‖ at [14] præceps ad diteſcendum non erit impunis.

21 ‖ Agnoſcere [k] perſonam non eſt bonum: [15] nam propter bucceam panis deficeret vir.

22 ‖ Accelerat ad ſubſtantiam *parandam* vir [16] malignus oculo; ſed ignorat inopiam obventuram ſibi.

23 Qui corripit hominem [17] ut [l] ſequatur me; gratiam conſequetur potiùs, quàm [m] qui blanditur linguâ.

24 Qui [18] diripiens patrem ſuum, aut matrem ſuam dicit, non *eſt* defectio, ſocius eſt viro [n] interfectori.

25 [19] [o] Amplus animo ſuo miſcet contentionem: qui autem cōfidit Jehovæ, pinguis efficietur.

26 ‖ Qui confidit [p] animo ſuo, eſt ſtolidus; qui autem ambulat [q] ſapienter, is eripiet ſe.

27 Ei qui dat pauperi, non *erit* egeſtas; occultans verò [20] oculos ſuos, amplus *erit* maledictionibus.

28 ‖ Erectis improbis abſcondit ſe homo; ſed pereuntibus illis augentur juſti.

‖ ſuprà 13.22. ‖ ſuprà 26.27. [6] nimirum quam ipſe aliis paravit; ac proinde bonum, quod ab aliis avertere tentabat, minimè obtinebit. [7] non ex ſpecie tantùm judicat, ut dives facit: ſed etiam ex doctrina Dei inſipientiam divitiis præfidentis optimè poteſt cognoſcere. q.d. dives non ſe ipſum, ſed res ſuas ſcrutatur; & ſe ex illis æſtimat: prudens verò, etiamſi pauper ſit, & ſe ipſum ſcrutatur & divitem. ‖ ſuprà 11.10. [8] i. ubi imperium eſt penes juſtos, beati ſunt omnes, & omni ornamentorum genere cumulati: dominantibus autem improbis nemo res ſuas ſecurè poſſidet, aut ipſe ſecurus eſt: ſed vi & fraude etiam res penitiſſimæ perquiruntur, ut prædæ ſint improbis: vide ℣. ultimo. [d] *Heb. ſurgendo autem improbos: ſic infrà ℣. ultimo.* ‖ *ſuprà* 14.16. [9] i. ſerio pavore ad confeſſionem peccati ſui, & ad fugam ac reſipiſcentiam illius ſemper abducitur: ut dixerat verſ. præcedente, ex quo hic pavor circumſcribendus eſt. [10] i. tyrannus in populum tenuem infirmumq; graſſans, leones & urſos feritate ſua ſuperat. [e] *Heb. intelligentiis.* [11] eclipſis contrarii, ut dictum eſt Geneſ. 33.10. [12] i. nemo homicidæ miſeretor, aut privatè publicéve foveto: ut Geneſ. 9.7. & Exod. 21.14. ‖ *ſuprà* 24.11. [f] *Heb. animæ.* [13] exornatio ſuperioris præcepti per antitheſin. [g] *Hebr. duabus viis. ut ſuprà ver. 6.* [h] *Heb. in una.* ‖ *ſuprà* 12.11. [i] *Hebr. fidelitatum.* ‖ *ſup.* 20.21. [14] nimirum mala fide corradens, ut demonſtrat antitheſis. ſic ℣. 22. ‖ *ſuprà* 18.5. & 24.23. [k] *Heb. vultum.* [15] i. qui ſemel in judicio fines integritatis tranſilit; poſteà nulla reverentia aut honeſtate retinetur: ſed corrumpere judicia non dubitat ſpe leviſſimi emolumenti. ‖ *ſuprà* 20.21. [16] ut ſuprà 23.6. [17] i. documenta Dei, quæ ego trado. [l] *Heb. poſt me.* [m] *Hebr. qui mollit linguam: ut ſuprà* 2.16. [18] i. filius contumax, qui parentum facultates intervertens reprehenſiones ludificatur, tam reus eſt capitalis criminis quàm ſi homicida eſſet, Deut. 21.18. [n] *Heb. corruptori: ut Exod.* 12.23. [19] i. qui ſibi, ac non Jehovæ fidit, ſuſcipet rixas, quibus tandem conficietur: pius verò conquieſcens in Deo, ditatur Dei benedictionibus: vide ſuprà 11.25. [o] *Heb. latus.* ‖ *ſuprà* 13.10. [p] *Heb. corde.* [q] *Heb. in ſapientia.* [20] nimirum a paupere. ‖ *ſuprà* ℣. 12.

CAPUT XXIX.

Contumacium ruina, publicæ & privatæ adminiſtrationis, corruptionis, aſſentationis, defectionis, negligentiæ in judiciis, ludificationis, ſtultitiæ, inhumanitatis, ſtoliditatis, inclinationis ad res falſas, integritatis, fidei, correctionis privatæ & publicæ, indulgentiæ, iracundiæ, ſuperbiæ, maleficii perpetrati, aut diſſimulati, infidelitatis, impietatiſq; & contrà effecta oſtenduntur.

[a] VIr qui ſæpius correptus obdurat cervicem, repentè confringetur ita ut non *ſit* curatio.

2 ‖ Quum augentur juſti, lætatur populus: quū autem dominatur improbus, ſuſpirat populus.

3 ‖ Vir amans ſapientiam, lætificat patrem ſuum; qui autem conſociat ſe meretricibus, [1] perdit ſubſtantiam.

4 Rex judicio ſtabilit regionem; [b] vir autem oblatis muneribus ſerviens deſtruit eam.

5 Vir qui blanditur amico ſuo, [2] rete pandit contra pedes ejus.

6 [3] Defectioni viri mali ineſt tendicula; juſtus autem cantat & lætus *eſt*.

7 Cognoſcit juſtus cauſam tenuium, improbus [4] non animadvertit ut cognoſcat.

8 Homines [c] deriſores [d] inflammant urbem: at ſapientes avertunt iram.

9 [5] Vir ſapiens ſi diſceptat cum viro ſtulto; ſive [6] commoveatur, ſive rideat, nulla tamen *eſt* quies.

10 Homines ſanguinarii [7] oderunt integrum: recti autem quærunt [e] ipſum.

11 ‖ Totum ſpiritum ſuum profert ſtolidus: at ſapiens [f] ponè reprimit [8] eum.

12 Dominatoris attendentis verbo falſitatis, omnes miniſtri *ſunt* improbi.

13 [g] [9] Rudis & induſtrius inter ſe occurrunt; illuminat oculos amborum Jehova.

14 Regis qui judicat [h] fideliter tenues, ipſius ſolium in perpetuum ſtabilitur.

15 ‖ Virga & correptio dat ſapientiam, at puer permiſſus *ſibi* pudefacit matrem ſuam.

16 [10] Quum creſcunt improbi, creſcit defectio: ‖ juſti verò caſum eorum vident.

17 ‖ Caſtiga filium tuum, & quietem afferet tibi; dabit etiam delicias animæ tuæ.

18 Quum non *eſt* [11] viſio, nudatur populus: qui autem obſervat legem, ô beatum illum.

19 [12] Verbis non caſtigatur ſervus, quum intelligens tamen non reſpondet.

20 ‖ Vidiſti virum præcipitem verbis ſuis; exſpectatio *eſt* de ſtolido *melior* quàm de illo.

21 [13] Qui delicatè educat a pueritia ſervum ſuum, [i] tandem erit orbus liberis.

22 ‖ [k] Iracundus miſcet contentionem: & [l] furibundus multus *eſt* defectione.

23 ‖ Elatio hominis deprimit eum, depreſſum autem ſpiritu ſuſtentat honor.

24 [14] Qui partitur cum fure, odit ſe ipſum; & qui exſecrationem audiens, non indicat.

25 [15] [m] Trepidus homo *ſibi* ponit tendiculam: qui autem confidit Jehovæ, in edito collocatur.

[a] *Heb. vir correptionum.* ‖ *ſuprà* 11.10. & 28.28. ‖ *ſuprà* 10.1. & 15.20. [1] Id eſt, ſe & facultates omnes, ſynecdochicè: ac proinde triſtitiam parentibus affert: ſuprà 5.9. & ſequentibus. [b] *Heb. vir oblationum.* [2] i. perinde facit ac ſi inſidiaretur vitæ: ut Jeſchah. 3.11. [3] i. ſuum cuique peccatum tandem malum & triſtitiam affert: qui autem ſibi benè ſunt conſcii & juſtitiam colunt, pacem & gaudium poſſident. [4] i. negligit. [c] *Heb. deriſionis.* [d] *Heb. ſufflant, i. ſufflando inflammant, ſynecdochicè.* [5] i. quocumque modo ſapiens conetur ſtultum corrigere nihil efficit tamen; ſed ille inquieto animo permanet. [6] ſapiens videlicet, hoc eſt ſeverè, aut jocoſè agat, nihil amplius præſtat. [7] ideoq; averſantur; quum recti contrà requirant, quia amant, ut eum adjungant ſibi. [e] *Heb. animam ejus: ſic infr.* 24. ‖ *ſupr.* 14.33. & 15.2. [f] *He. in poſteriora.* [8] nimirum animum ſuum. i. continet quicquid habet in animo, ut ſuo tempore & loco proferat. [g] *He. pauperis & viri induſtriorum.*

[9] i. duo ſunt in hac vita hominum genera, alii rudes, imperiti & idiotæ ſunt, ac velut pauperes animi facultatibus; alii verò callidi & fraudulenti: quumq; & humanæ ſocietatis & privatorū negotiorum ratio poſtulet ut inter ſe occurrant; videndum eſt utrique ut coram Deo gerant res ſuas, & integrè ambulent; qui idem vitam utrique contulit, & adhuc præſentem lucem commodat. [h] *Heb. in fide.* *ſuprà* 20.28. & 25.5. ‖ *ſuprà* 13.24. & 22.15. & 23.13. & 14. [10] expoſitio quomodo filius ſibi permiſſus pudefaciat parentes: malitia enim (inquit) cum ætate creſcit, ſi flagris non expellitur: unde conſequitur defectio, & poſtremò ruina miſerabilis. ‖ *Pſal.* 91. 8. *Malac.* 4. 21. ‖ *ſuprà* ℣. 15. [11] i. doctrina Dei ex lege & prophetis prædicatio. [12] utiliter, hoc eſt, nuda verborum caſtigatione non emendatur ſervus ſurdum agens, ac proinde hero non obſequens. ‖ *ſuprà* 26.12. [13] i. qui ſervo indulget dominum comparat ſibi & familiæ ſuæ: qui tandem vel ipſos liberos extrudat miſerè, aut etiam enecet. Hanc interpretationem ex R. Jehuda aliis prætulimus: cujus exemplum eſt in Jarobhamo, & compluribus regibus Jiſraelis. [i] *Heb. in fine ſuo.* ‖ *ſuprà* 15.18. [k] *Heb. vir iræ.* [l] *Hebr. dominus excandeſcentiæ.* ‖ *ſuprà* 15.33. & 18.12. *Luke* 14.11. [14] i. in ſeipſum injurius eſt, non tantùm qui committit ſcelus, verùm etiam qui commiſſum diſſimulat: vide Levit. 5.1. [15] i. non ſecurus de benevolentia Dei vide ſuprà 28.14. [m] *Heb. trepidatio hominis: hypallage.*

26 [16] Multi

26 [16] Multi quærunt faciem dominantis: verùm a Jehova *est* jus [o] uniuscuiusque.
27 Abominationi *est* justis vir [p] iniquus, & abominationi improbo rectus via.

[16] i. meritò quidem adeuntur judices; sed inprimis adeundus est Deus, in cujus manu est animus regis, supra 21.1. [o] *Heb. viri.* [p] *Heb. iniquitatis.*

CAPUT XXX.

Agur piorum fidem in Christum & abrogationem sui proponit ex verbo Dei: precationem adhibet de iis rebus quæ ad animum & corpus pertinent: detractione interdicit, reproborum genera explicat; deinde species insatiabiles, incognitas, hominibus intolerabiles, sapientes, & invictas in exemplum proponit; omneisq; ad humilitatem & modestiam hortatur.

[1] VErborum Aguris filii Jake [2] comportatio: [3] dictum viri [4] de Ithiele, de Ithiele *inquam* & Ucale *sit*.
2 [5] Nam brutus sum ego [6] ex *quo vir sum*, nec *est* intelligentia [7] hominis mihi:
3 Neque didici sapientiam, aut [8] scientiam sanctorum novi.
4 [9] Quis ascendat cælos & descendat? quis colligat ventum pugillis suis? quis liget aquas suo pallio? quis stabiliat ullos fines terræ? [10] quod *est* nomen hujus, & quod nomen filii ipsius? si noveris?
5 [11] [q] Totus sermo Dei purgatissimus *est*, scutum est recipientibus se ad ipsum.
6 [r] Ne adjicito ad verba ejus, ut non corripiat te, [12] & efficiaris mendax.

[1] Hoc caput non esse Schelomonis evincunt inscriptio, scribendi forma, & petitio ipsa, v. 7. & sequentibus. Hac enim inscriptione docemur auctor fuisse Agur filius Jake, cujus mentionem alibi in scriptura fieri non meminimus. Est autem proverbiis Schelomonis hoc caput adjunctum propter argumenti similitudinem, & brevitatem ipsius.

[2] id est, collecta documentorum, quæ ex Aguris verbis decerpta sunt & coacervata: ut infrà 31. 1, quod Hebræa voce, ut polysema est, planè significatur eadem ratione, qua verbum alterum est adhibitum supra 25.1. Continentur autem hoc capite documenta primum spiritualis vitæ, usque ad versum 7. deinde præsentis, usque ad 10. ac postremò miscella documenta & observationes. [3] id est, hæc est sententia, tum Aguris Prophetæ, tum virorum omnium qui aguntur spiritu Dei; quam debent constituere apud se, de exspectatione Christi & salutis suæ. [4] id est, Christo Deo, qui nobis præsens est, & per quem omnia possumus: nam Ithiel vox est composita ex tribus partibus, quasi dicas, mecum Deus fortis, ut Himmanuel, Jeschah. 7.14. Ucal verò similiter nomen est factum a verbo quod significat posse: ut his duabus appellationibus monerentur pii de sui sanctificatione per Dei præsentiam & potentiam infinitam in Christo: prout quinque sequentibus versibus exponitur. Tantùm hoc observandum est ex vocali brevi & puncto quod Grammatici vocant Daghesch confectam esse vocalem longam in prima syllaba prioris vocabuli. Repetitionis porrò causa non obscura est, nimirum amplior declaratio præcedentis nominis, hoc modo: Ac meritò quidem pii in Christo gloriari debent, tum quia idem est Deus & homo, adunata hypostaticè natura Dei cum natura nostra in ipso; tum quia omnis potestas data est ipsi in cælo & terra ad perficiendam salutem nostram. Hæc prior est documenti spiritualis confirmatio a persona Christi. Sunt autem hujus spiritualis documenti partes duæ: una, de summa salutis nostræ, quam singuli fideles debent extra se in Christo ponere, usque ad versum 5. altera, de ratione illius salutis participandæ verbo, vers. 5. & 6. [5] altera confirmatio superioris propositionis a natura nostra; quia a natura nihil scimus eorum quæ ad salutem pertinent, duobus versibus, & nihil possumus extra Christum, vers. 4. [6] id est, inde ab ortu meo. [7] id est, quæ primum fuit in homine antequàm obbrutesceret, ac proinde in homine inesse deberet. [8] id est, salutis & vitæ æternæ, quò soli sancti perveniunt. [9] supple alius quàm Jthiel. Jam confirmat ab imbecillitate nostra, quasi dicat, neque scimus viam salutis, neque possumus ex nobis ipsis cognoscere: nam salutis fons apud Deum est supra omnes cælos; non potest autem quisquam cælos conscendere, ut cognoscat viam salutis nostræ & descendens ad nos afferre: deinde subjungitur his verbis gradatio elegantissima ad evincendam infirmitatem nostram: quid dico (inquit) neminem in cælos ascendere? imò ne ventos quidem in aëre, ac ne aquas quidem inferiores gubernare, postremò ne terræ quidem ipsius quam calcamus, finem tantillum stabilire potest: quî ergo ascenderet homo & expiscaretur voluntatem Dei? & quis alius hæc faceret nisi Ithiel & Ucal, id est, Christus omnipotens Propheta, Sacerdos, & Rex noster? vide Joan. 3.13. [10] quasi dicat, expone si vel de nomine saltem, id est levissimè, a natura possis eum cognoscere, qui hæc omnia præstat in rebus creatis, & in nobis quoque præstiturus est; qui & auctor sit salutis quam exspectamus, & eam de cælis ad nos afferat: hæc verò non naturæ sunt bona, sed gratiæ munera: caro & sanguis non revelat ista, sed Pater qui est in cælis, Matthæi 16.17. nemo novit filium nisi pater, neque patrem agnoscit quisquam nisi filius, & cui voluerit filius revelare. Matthæi 11.27. [11] altera pars documenti spiritualis de ratione salutis consequendæ: in qua spectantur duo; unum a Deo, nimirum verbum salutis, & efficacitas Spiritus, hoc versu; alterum a nobis, nimirum fides & obsequium integrum, versu sequente. [q] *Psa.* 12.7. & 18.31. [r] *Deut.* 12.32. [12] id est evincaris mendacii: sensus est, ne minuito aut mutato de veritate illius quicquam; quod mendacii est.

7 [13] Duo peto abs te: ne prohibeas a me, [a] tantisper dum vivo.
8 [14] Vanitatem & rem [b] [15] mendacem longè amove a me: [16] paupertatem aut divitias ne des mihi; ale me cibo demensi mei:
9 [s] Ne [17] saturatus ementiar ac dicam, quis *est* Jehova? néve pauper factus furer, denique [c] abutar nomine Dei mei.
10 [18] Ne [d] insimules servum apud dominum suum; [19] ne maledicat tibi, & reus peragaris.
11 [20] Generatio *est quæ vel* patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit:
12 Generatio munda in oculis suis, quamvis [e] a sorde sua non sit abluta:
13 Generatio cujus oculi quàm elati sunt! & cujus palpebræ extollunt sese:
14 [t] Generatio cujus dentes *sunt* gladii, & cujus molares cultri, ad consumendum pauperes e terra, & egentes ab hominibus.
15 Præter hirudinem [21] *cui* duo sunt [f] rami, [22] præbe præbe; tria sunt insatiabilia, *imò* quatuor non dicentia ohe:
16 Sepulcrum, & [g] [23] occlusa vulva; terra non satiatur aquis, & ignis non dicit ohe.
17 [24] Oculum *qui* subsannat patrem, aut spernit obedientiam matris; hunc effodient corvi vallis, aut comedent cum [h] juvenes aquilæ.
18 Tria ista occulta a me, imò quatuor hæc non novi:
19 Viam aquilæ in cælo, viā serpentis in rupe; viam navis in [i] alto mari, & viam viri in [25] virgine.
20 Ita *est* via mulieris scortantis: [26] comedit, deinde abstergit os suum; tum dicit, non sum operata iniquitatem.
21 Sub tribus commovetur terra; imò sub quatuor, [27] *quæ* non potest ferre;
22 Sub servo, quum regnat; & stulto quum satur est cibo:
23 Sub exosa, quum maritatur; deniq; *sub* ancilla, quum hæres efficitur heræ suæ.
24 Quatuor ista parva *sunt*, [k] humilia; tamen sunt sapientia, apprimè sapientia:
25 Formicæ populus [l] infirmus, quę comparant æstate cibum suum:
26 [28] Mures montani, populus invalidus; disponunt in petra domum suam:
27 Rex non *est* [m] locustis, tamen procedunt confertæ omnes:
28 [29] Aranea [30] manibus prehendit, quæ *est* in palatiis [n] regalibus.
29 Tria ista [o] benè procedunt, imò quatuor benè ambulant:
30 Vetus leo robustissimus inter bestias, qui non retrogreditur metu cujusquam:
31 [31] Accinctus lumbis *equus*, aut caper: & rex, [32] [p] in quem nemo insurgit.

[13] ad vitam spiritualem & corporalem pertinentia, usumq; ejus legitimum; ut ostendunt duo sequentes versus: sic orare nos docuit Christus altera parte orationis suæ, postquā preces exposuit ad gloriam Dei pertinentes; ut hactenus Propheta regnū Dei in nobis explicavit. [a] *Heb. quousq; nondum morior.* [14] i. remitte nobis peccata nostra, & ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo. [b] *Heb. mendacii.* [15] i. alienam a verbo veritatis: ut suprà ver. 6. [16] quod dixit Christus, panem nostrum quotidianum, &c. [s] *Deut.* 8.10. *& seq. &* 32.15. *& seq.* [17] ut Deut. 8.11. [c] *Heb. prehendam nomen.* [18] i. pacem & amicitiam cū quibusque vel tenuissimus colito, & concordiam inter omnes foveto. [d] *Heb. lingua offendas.* [19] i. Deum imploret contra te, qui miserorum patronus est & vindex: Exod. 22.23. [20] sequentes sententiæ ferè sunt tetracoli. Hac autē prima quatuor improborū genera describūtur: pervicaces, hypocritæ, superbi, & calumniatores inhumani. [e] *Heb. ab excremento, sive stercore.* [t] *sup.* 12.17. [21] i. quæ bisulcam habet linguam, itaque binis ramis sanguinem indesinenter sugit, ex quibus etiam præciso ore veluti siphonibus defluit sanguis, ut loquitur Plinius lib. 32. cap. 10. [f] *Heb. filiæ, ut Gen.* 49.22. [22] i. indesinenter sugentes & sanguinem attrahentes, tam aperto studio quasi loquerentur. [g] *Heb. occlusio vulvæ.* [23] videlicet ne concipiat. q.d. quæ semen injectum minimè continet. [24] i. filium immorigerum, aut parentibus iniquum in malam rem condemnabit Deus. [h] *He. filii aquilæ.* [i] *He. corde maris.* [25] i. lupa perfrictæ frontis, quæ se post maleficium virginem impudenter asserit & pro intacta venditat: quomodo accipiendum esse sequens versus ostendit. [26] i. perpetrato maleficio ita se obfirmat quasi integra esset a viro: euphemismus res obscœnas honestis verbis exprimens. [27] nimirū quin commoveatur. q.d. quatuor hæc sunt apud homines intolerabilia. [k] *He. terræ.* [l] *sup.* 6.6. [l] *Heb. non robustus.* [28] quos Græci chœrogylios sive arctomyas vocant, quibus abundare Syriam testatur Hieronymus ad Suniam & Fretelam. vide in Levit. 11. [m] *Heb. locustæ, tamen procedit, &c. Enallage numeri.* [29] de cujus solertia vide Plinium lib. 11. cap. 24. [30] i. pedibus, qui utrimque ita constituti sunt ut patula hominum manus, ad tractanda fila, & escam retibus suis deprehendendam. [n] *Heb. regis.* [o] *Heb. benefaciunt processum, benefaciunt ambulando.* [31] i. equus edoctus militiam, sternax, pugnax, & generosus, de quo Ijobi 39.22. & seq. Hanc autem interpretationem etymo vocis & argumento adducti aliis prætulimus. [32] vide sup. 12.27. [p] *He. non surgere contra ipsum.*

32 [33] Si stultus fuisti efferendo te, sive cogi-
tasti, [34] manum ori imponito:
33 [35] Nam *ut* pressura lactis educit butyrum,
& pressura nasi educit sanguinem; ita pressura
irarum educit litem.

[33] sensus est; ista quæ modò diximus se efferant per nos licet; sed virum Dei nolo altum loqui aut sapere.

[34] i. contineto sermones tuos: proverbiale dictum, ut Ijobi 9.9. [35] id est, stulto sermone tuo litem accenderes, & tibi malum accerseres.

CAPUT XXXI.

Rex docetur cavere a mulieribus & vino, justitiamq; diligenter colere: deinde instituitur ut bonam uxorem a Deo expetat, & encomium illius describitur.

1 VErborum Lemuelis regis [a] comportatio,
quibus erudiverat ipsum [3] mater ipsius.
2 [4] Quid *dicam*, fili mi? ecquid fili uteri mei?
& quid fili [5] votorum meorum?
3 [6] [b] Ne dedito fœminis robur tuum, & vias
tuas [7] facientibus ut deleantur reges.
4 Absit regibus, ô Lemoel, absit regibus [8] bi-
bere vinum; & dominatoribus desiderium potus
inebriantis:
5 Ut non cùm biberit, obliviscatur statuti, &
mutet jus [a] ullorum afflictorum.
6 [9] Date potum inebriantem perituro, & vi-
num amaris animo:
7 Bibat ut obliviscatur [10] paupertatis suæ; &
molestiæ suæ non sit memor amplius.
8 [11] Aperi os tuum [12] pro muto, in causa om-
nium [b] [13] qui jam traduntur excidio.
9 Aperi os tuum, judica [c] justè; causam age
pauperis & egentis.
א 10 [14] Fœminam [d] strenuam quis inveni-
et, quum [e] longè superet carbunculos pretium
ejus?
ב 11 [15] Confidit ei [f] animus mariti ejus, &
[16] spolia non deficiunt.
ג 12 [g] [17] Afficit eum bono, non autem malo;
omnibus diebus vitæ suæ.
ד 13 [18] Quærit [19] lanam aut lina, conficitq;
pro voluntate manuum suarum.
ה 14 Est similis navibus [g] negotiatoriis, e
longinquo advehit cibum suum.
ו 15 Et surgens dum adhuc nox *est*; dat [h] es-
cam domui suæ, & pensum puellis suis.
ז 16 Cogitat agrum, & [20] accipit eum; [21] de
fructu manuum suarum plantat vineam.
ח 17 [22] Accingit robore lumbos suos, & con-
firmat brachia sua.
ט 18 Ipsius gustantis bonum esse mercimo-
nium suum, [23] non exstinguitur noctu lucerna.
י 19 Manus suas immittit ad verticulum, &
manus ejus tenent fusum.
כ 20 [24] Volam suam pandit pauperi, & ma-
nus suas extendit egenti.
ל 21 Non timet familiæ suæ a nive: nam tota
familia ipsius vestitur [i] *penulis* duplicibus.
מ 22 Cadurca parat sibi, xylinum & purpu-
reum *est* vestimentum ipsius.
נ 23 [25] Notus est in portis maritus ejus, -
sidens cum Senioribus regionis.
ס 24 Sindonem conficit ac vendit, & cingu-
lum tradit negotiatori.
ע 25 [26] Robur & decor *est* vestitus ejus, & [27] ri-
det [k] ad tempora sequentia.
פ 26 Os suum aperit [l] sapienter, & doctrina
benignitatis insidet linguæ ejus.
צ 27 Speculatur [m] rationes familiæ suæ, ci-
bumq; pigritiæ non comedit.
ק 28 [28] Assurgentes filii ejus beatam prædi-
cant eam, maritus ejus similiter laudat eam,
ר 29 *Dicens*: [29] multæ [n] fœminæ fecerunt stre-
nuè, tu verò [o] superas omnes illas.
ש 30 [p] Fallax *est* gratia, & vana pulcritudo;
[q] mulier reverentia Jehovæ *prædita*, ipsa laudem
comparat sibi.
ת 31 [30] Date ei de fructu manuum ejus, &
laudent eam [31] in portis facta ejus.

[1] i. quæ Schelomo prius ad se a matre habita monimentis literarum tradidit, quùm rex esset: nam etsi mutatum est Schelomonis nomen, & servatis tantùm literis posterioribus nomē alterum a matre inditum: tamen non dubium est quin illa auditis promissionibus Dei Schelomoni puero, hoc nomine facto gratulata sit, eumq; informârit in futura administratione regni. Formatū est autem nomen Lemuel sive Lemoel vers. 4. a blanda matre per aphæresin primæ literæ de nomine Schelomonis, & adjectionem nominis El, quod est Deus fortis, significatq; Lemuel eum qui Dei fortis est. [2] ut suprà 30. 1. [3] Bathschebah certior facta de institutione Dei, ut manifestum est ex 1. Reg. 1. 13. Continentur autem his verbis primùm exordium 2. versu, deinde genera documentorum duo; unum, de administratione publica & rebus eò pertinentibus, usque ad versum 10. alterum œconomicum, inde ad finem usque. [4] exordium ἐξ ἀπορίας, id est, a dubitatione; quæ sermonis qui mox subjicitur, gravitatem demonstrat evidentissimè. [5] id est, pro quo non desino nuncupare vota Deo, quem unicè diligo. [6] prius genus documentorum πολιτικῶν, continens partes duas; unam, eorum a quibus cavendum est, quinque versibus; alteram, eorum quæ sunt præstanda in tota administratione, vers. 8 9. [b] *Deut.* 17. 16. [7] id est, fœminis, quarum causâ sæpè domus, opida, & regna universa deleta sunt. [8] Avidè & voluptariè, ut sequens membrum ostendit, & ætiologia versus proximi. [a] *Heb. filiorum afflictionis.* [9] id est, ei qui præ anxietate & amaritudine animi propè est ut pereat, vinum dandum esset ut exhilaretur animo & obsit nemini, si quando dari opporteret: concessio duobus versibus. [10] id est, mali, synecdochicè. [11] altera pars documentorum πολιτικῶν, ut dictum est in versum 3. [12] qui suam causam agere, & se defendere non audet vel potest: synecdoche. [b] *Heb filiorum excidii: simile Psalm.* 79. 11. [13] id est, miseros versantes in præsentissimo vitæ discrimine justè vindicato, ut sequens versus imperat. [c] *Heb. justitiam.* [14] altera pars documentorum, continens encomium mulieris alphabetico ordine exaratum: quo videtur Bathschebah Schelomonem filium præmonuisse, tum ut studiosè observaret quam sibi uxorem adjuncturus esset, tum ut sollicitè rem suam commendaret Deo & assiduis precibus piam uxorem exoraret, quam sola benevolentia Jehovæ offerre potest, non autem homo sua industria consequi: suprà 18. 22. & 19. 14. Sunt autem hujus encomii partes tres: exordium, hoc versu; propositio sive descriptio strenuæ mulieris, usque ad vers. 29. & conclusio, inde finem usque. [d] *Heb. roboris.* [e] *Heb. longinquius est carbunculis.*

[15] descriptio mulieris strenuæ a corpore & spiritu a corporali administratio continet duo membra; unum, officii erga virum suum, alterum erga familiam totam: quæ duo proleptice hoc versu posita sequentibus exponuntur usque ad versum 25. [f] *Heb. cor.* [16] i. tam circumfluit bonis omnibus familia ejus, quàm milites spoliis expugnata urbe, aut hoste superato. [g] *Sup.* 12. 4. [17] de officio in virum. [18] de officio domestico in familiam totam. [19] i. materiam quamlibet opificii, in quo se familia exercet. [g] *Heb. mercatoris.* [h] *Heb. prædam: ut Psal.* 111. 5. [20] i. dato pretio comparat, quem colat. [21] i. ex lucro manibus facto. [22] i. ut aliis pensum tribuit, sic ipsa quoque est in opere. [23] i. vigilantiam & diligentiam adhibet operi. [24] i. de fructu laboris sui cum egentibus liberaliter communicat.

[i] *Heb. diploidibus, quas Latini notârunt appellatione Lenæ.* [25] id est, studium ipsius perspicitur etiam in ornamentis viri decoris & convenientibus dignitati ejus: sic enim accipiendum esse versum hunc commonstrant antecedentia & consequentia. [26] alter locus encomii de constitutione animi sermonisque, & ratione quam mulier sancta servat tota vita sua. [27] hoc est, nihil est anxia aut sollicita de rebus venturis; sed freta bona conscientia se comparat in omnem eventum, & ab imminentibus malis, adeoq; morte secura est: quæ securitas ferè ridendi verbo exprimitur: ut Ijobi 39. 10. & 25. [k] *Heb. ad diem posterum: synecdoche.* [l] *Hebr. in sapientia.* [m] *Hebr. ambulationes.* [28] id est, sapiente hac administratione sua laudem sibi comparat, quæ sequentibus versibus conclusionis loco proponitur. [29] conclusio laudativa, ut dictum est suprà in versum 10. Sunt autem laudationis loci sumti a comparatione, primùm administrationis aliarum mulierum, hoc versu; deinde ipsarum personarum inter se, versu sequente. [n] *Hebr. filiæ.* [o] *Hebr. ascendis supra omnes eas.* [p] *Hebr. falsitas gratia & vanitas pulcritudo.* [q] *1. Pet.* 3. 3. *& seq.* [30] id est, tribuite ei laudem quam officiis suis promeretur. [31] id est, palàm, & publica consensione omnium.

ECCLESIASTES.

ARGUMENTUM.

LIBER *Ecclesiastæ professionem continet, qua Schelomo ductus spiritu Dei voluit coram Ecclesia ejus testificari seriam resipiscentiam suam, & instituere omnes in via veritatis. Propterea exponit primum rationem studiorum suorum & institutæ vitæ: deinde observationem omnium earum occupationum quibus se homines dedunt, & impias cogitationes quibus se implicant; ac postremò multiplicem administrationem tum inconstantissimorum hominum, tum Dei sapientissimi: quæ omnia (hac una excepta administratione Dei) omnino vanitatis damnat, administrationem Dei asserit, homines ad publica privatáque humanitatis officia & pietatis revocat, mortem & judicium Dei rebellantibus denunciat, & in officio confirmat pios.*

CAPUT I.

Sapiens omnis humani studii laborisq; vanitatem in hac vita summam esse docet, tum propter hominum ipsorum, tum propter rerum vanitatem de quibus laborant: & ab experientia sua hoc argumentum confirmat de iis rebus quæ in scientia & cognitione positæ sunt.

VERBA [1] [a] Ecclesiastæ filii Davidis, regis, Jeruschalaimis.
2 Vanitas [b] vanissima, inquit Ecclesiastes, vanitas vanissima; [2] ista omnia *sunt* vanitas.
3 Quid emolumenti *est* homini, ex toto labore suo quo laborat, [3] sub sole?
4 [c] [4] Generatio una abit, & altera advenit:
[5] quamvis terra [6] in seculum permaneat.
5 Oritur Sol, & occidit sol, iterumq; [7] ad locum suum aspirat, [d] ubi oriatur:
6 [8] Properat ad meridiem, & circumit ad Aquilonem; [e] conversatione sua circumiens properat [f] aër, & secundùm circuitus suos revertitur aër:
7 Omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur; [9] quocumque loci flumina properant, eòdem [10] revertuntur [g] properè.
8 [11] Singulæ res istæ [12] fatigantur, [13] non posset quisquam eloqui, non satiaretur oculus videndo, neque impleretur auris auditu.
9 [14] Id quod fuit, idem *est* quod futurum est, & id quod fit idem *est* quod fiet; neque *est* quidquam novi sub sole.
10 [15] Est-ne aliquid *de* quo dicitur, aspice hoc, novum est? *quod* jam fuit per secula, [h] quod fuit ante nos.
11 Non *est* memoria de prioribus: etiamq; de posterioribus quæ futura sunt, non erit de ipsis memoria apud *illos* qui erunt in posterum.
12 [16] Ego Ecclesiastes, [17] quum essem rex super Jisraëlem Jeruschalaimis,
13 [18] Applicans animum meum ad disquirendum & ad explorandum sapientiam de omni
[19] eo quod fit sub cælis. (hanc occupationem

1 Totus hic liber didascalicus est, constans ex duobus potissimum documentis: unum est, de vanitate studiorum omnium mundi, quibus homo se addicit, natura duce; alterum, de stabilienda pietatis & reverentiæ Dei supra omnem mundum: quod posterius ex occasione per antithesin quasdam pluribus locis hic illic inculcatum copiosè tandem sub finem libri explicatur. Præfigitur autem toti huic operi inscriptio, qua Schelomo consilium suum in hac scriptione, tempus, & locum explicat. Nam quum se ipsum animam, id est personam Ecclesiasticam nominat; apertè consilium & tempus definiuntur, quo hæc verba ab ipso fuerunt habita: consilium quidem, ut abjuraret sceleratam vitam suam inde a defectione (de qua 1. Reg. 11.) pessimè traductam, ut resipiscentiam profiteretur, & solenni hoc scripto reconciliatus haberetur cum Deo & cum Ecclesia, abs qua fuerat abstentus, ut loquuntur patres: tempus verò, quia hæc a Schelomone tum demum scripta sunt, quum a Deo reprehensus esset, & resipisceret, ætate jam provecta, & comparata rerum tam multarum quæ hoc libro continentur longa experientia: ut observatum est 2. Chron. 11. 17. Quum autem nominat Jeruschalaima, Ecclesiam Dei intelligit, in qua tum hos sermones habuit, & cui traditos in sempiternam memoriam literis consignavit. Quamobrem sive Ecclesiastem interpretemur, id est, sermonem in Ecclesia habentem, ut pœnitentes faciunt: sive Ecclesiasticum, id est, deintegrò Ecclesiæ adunatum, non magni interest: quia duo hæc conjuncta sunt inter se, pœnitere in Ecclesia, & in eam recipi. Illa autem studiorum humanorum vanitas tractatur primùm γενικῶς, propositis rebus quæ tum in cognitione, tum in usu versantur, duobus primis capitibus; deinde verò κατὰ μέρος, i. particulatim sive membratim, ab exemplis singularibus ad scientiam & usum pertinentibus, inde a cap. 3. Cæterùm hujus capitis reliquæ partes sunt tres: prima est, propositio summa de vanitate, vers. 2. & 3. quæ etiam repetitur in conclusione libri; secunda, confirmatio propositionis a nostra ipsorum vanitate & studiorum nostrorum, a versu 4. ad 12. tertia, confirmatio a singulari ipsius Schelomonis observatione & experientia; quæ reliquo hoc capite studio scientiæ, deinceps verò studio aliarum rerum accommodatur. [a] *Heb. anima Ecclesiastica: sic deinceps.* [b] *Heb. vanitatum; vide Gen. 9. 25. sic deinceps.* [2] de quibus deinceps acturus in hoc argumento. [3] id est, in hac vita, quid est quod homo suo labore possit efficere? [c] *Heb. generatio abit & generatio advenit.* [4] subjectio ad præcedentem quæstionem, quasi dicat, nihil profectò emolumenti humanitùs potest homini accedere duabus de causis: una, a natura hominis, quum ipse homo vanitati subjectus sit & celerrimè decedat, hoc vers. imò quamvis non decederet, tenuior tamen est quàm ut ea ipsa quibus operam dat vel absolutè eloqui, vel mente possit comprehendere, vers. 8. altera, a natura rerum creatarum omnium instabili, & vices innumeras quotidie subeunte, 4. sequentibus; in primis verò factorum in quibus occupatur homo, vers. 8. & seq. [5] amplificatio vanitatis humanæ per comparationem aliarum rerum quæ in natura sunt; quarum hæ perstant, aliæ verò etsi ad tempus disparent, tamen in statum suum pristinum revertuntur perpetua sua conversatione. quasi dicat, homo rerum omnium res vanissima est: nam neque immotus permanet, ut terra; sed momento deficit: neque postquam semel abiit revertitur, ut alia faciunt de quibus tribus sequentibus, sed semel mortuus ad vitam hanc nunquam revertitur. [6] hominis vani comparatione: hoc enim κατὰ τι, non simpliciter est accipiendum, ut apparet ex Psalmo 102. 27. & 2. Pet. 3. 10.

[7] i. ad orientem: periphrasis, vide Psal. 19. 6. & 7. [d] *Heb. oriatur ipse ibi.* [8] i. perpetuo motu agitatur, & per cunctas res meabilis totoq; mundo consertus ultrò citroq; commeat: ut loquitur Plinius lib. 2. cap. 5. & 38. [e] *Heb. circumiens circumiens.* [f] *Heb. spiritus: ita Plin. lib. 2. cap. 5. vocat.* [9] i. aquæ in mare profluentes iterū ad eadem principia remeant; sive nubibus liquore egresso in sublime, & ex sede aëris coacto in liquorem genitis (ut ex Aristotele legendum est apud Plinium lib. 2. cap. 42.) sive aquis se mutuo implexu jungentibus terræ, & per venas illius discurrentibus; siphonumq; modo emicantibus; qua ratione manifestum est quare tot fluminum quotidiano accessu maria non crescant, finésve suos transsiliant: ut loquitur idem Plin. lib. 2. cap. 65. [10] a mari in quod influunt. [g] *Heb. properando.* [11] nimirum in quibus laborat homo sub sole: alterum membrum pertinens ad secundam causam vanitatis, ut observatum est in ver. 4. [12] perpetua sui agitatione, ac proinde sua infirmitate in vanitatem abeunt, v. 2. metalepsis. [13] i. prius emoriatur homo & ipse vanitati cedat, quàm possit rerum istarum vanitatem sermone complecti, sensibus percipere, aut mente comprehendere. [14] exornatio superioris documenti de fatigatione & vanitate rerum omnium; tum a naturali earum corruptione, generatione, mutatione, ortu, & interitu, duobus versibus; tum a perpetua earum oblivione, vers. 11. Sensus est: res istæ, facta, & eventa eadem sunt quidem specie tenus, sed mutantur in dies individua (ut vocant) singularia: sive (ut paucis dicamus) omnia sunt eadem specie; sed differente numero, factisq; & eventis variis. [15] i. nihil est, quantumvis videatur novum, & inauditum sit, quod non semper fuerit antehac, aut certè aliquo tempore præcedente. [h] *Heb. ab ante nos.* [16] tertia pars: confirmatio singularis, ut observatum est suprà in versu 1. sub finem. [17] ac proinde potentia, opibus, & facultate plus valerem quàm alii omnes ad ista exploranda: ut ipse loquitur infrà 2. 7. & 12. Ponuntur autem deinceps singularia capita earum rerum quas Schelomo se observasse & explorasse confitetur, ad confirmandum locum de rerum istarum omnium vanitate. Quamobrem nos ea suo quæque loco notabimus. [18] primum caput observationum Schelomonis, de rebus scientia & cognitione comprehensis, historicis atque ethicis. Historicarum autem genera duo ponuntur, physica sive naturalis historia, & gesta: incubui (inquit) comparandæ cognitioni rerum naturalium & gestarum; sed deprehendi tandem, ut res ipsas, ita earum cognitionem vanam esse, homini laboriosam, & ad regnum cælorum inutilem. [19] sive naturæ ordine productum, ut 1. Reg. 3. & 4. sive extra ordinem a Deo aut rebus creatis effectum.

20 i. laboriosam & molestam, ut posteà interpretatur, vers. 14.
21 tum res, factaq; ipsa, tum accurata istorum pervestigatio natura duce, ac non præeunte verbo Dei & percipiente fide.
22 duo de his rebus earumq; scientia hoc loco prædicantur: unum, quòd ipsæ per se vanæ sunt, neq; salutem nobis regnumq; cælorum afferunt;

[20] malum dedit Deus filiis hominum, ut occupa-
rent se in ea)
14 Vidi omnia facta quæ fiunt sub sole; quòd
ecce,[21] ista omnia *sunt* [22] vanitas & afflictio spi-
ritus:
15 [23] Perversum non posse corrigi, & defectū
non posse [i] in numerum venire.
16 [24] Loquutus ego cum [k] animo meo dicen-
do; ecce, ego amplificavi & adjeci sapientiam
supra omnes qui præfuerunt ante me Jeruschà-
laimis, & animus meus [l] percepit multum sapi-
entiæ & scientiæ.
17 Adjeci quoque animum meum ad cog-
noscendum [25] sapientiam, & scientiam [m] omnis
insaniæ & stoliditatis; cognovi [26] etiam hoc
esse afflictionem spiritus.

alterum, quòd magis animos humanos torquent & affligunt: quorum prius vers. seq. posterius vers. 16. & 17. explicatur. 23 i. totam hanc peritiam & pervestigationem rerum adeo vanam esse, ut ne minimam rem quidem contortam corrigere, aut perditam repræsentare possit; nedum cælestem vitam subministrare. i *Heb. numerari.* 24 transitio a physica ad observationem ethicam, de qua hoc & seq. versu. k *Heb. corde: sic deinceps.* l *Heb. vidit.* 25 i. ethicam sive moralem doctrinam, quę in sapientia vitam informat, & de stultitia monet, eamq; fugiendam docet: periphrasis disciplinæ moralis. m *Heb. insaniarum.* 26 ut de historica notitia dictum vers. 14.

CAPUT II.

Sapiens vanitatem rerum humanarum docet ab incerto illarum usu, quem se expertum confitetur: itaque ostendit primùm vanitatem lætitiæ quam ex usu vel maximarum commoditatum perceperat; deinde humanæ illius sapientiæ cum stultitia comparatæ: ac postremò imbecillitatem hominis in bono suo fruendo, aut transferendo; quia omnia pendent ex œconomia Dei.

1 Hunc versum, quia transitum facit a scientia & cognitione animi ad usum corpori animoq; communem, a superiore capite ad secundū transtulimus. Sensus enim est: quū animadverterem non historicam scientiam modò, sed ethicam quoque humanitùs nunquā hominem explere; sed si tota vita nihil velit aliud agere (ut ait Tullius lib. 3. de oratore) ipsâ tractatione & quęstione quotidiè ex se gigni aliquid quod cum desidiosâ delectatione vestigetur, & agitatione rerum sit infinita cognitio, laborem alium ex alio nectens, aut deniq; fastidium afferens; tum retuli me ad observationem commoditatum omnium quæ ad hanc vitam pertinere videbantur, & exploravi si quid tandem earum usus præstaret homini. Sunt autem hujus capitis membra tria: unum est, de usu commoditatum ad hanc vitam pervenientium, usq; ad ℣. 12. alterum, de usu sapientię ad vitam transigendam pertinentis, inde usq; ad ℣. 18. tertium, de jure sive facultate percipiendi ex se bona & commoda hujus vitæ, aut ea in alios arbitratu suo transferendi, ad finem usq;. a *Heb. corde: sic deinceps.* 2 verba hominis se ipsum ad hilariter agendam vitam cohortantis. Hic autem consilium, deinde factum, ℣. 4. & sequentibus; postremò eventus ℣. 11. & 12. proponitur: quæ omnia proleptice hi duo versus continent: quem ordinem Schelomo ferè in sequentibus observavit, priore loco rei veritatem, posteriore judicium carnis explicando, ut infrà 3. 17. b *Heb. cum lætitia: & vide bonum.* 3 i. nunc demum statuo, humano risu lætitiaq; expensa quæ de rebus istis percipitur. 4 i. hominem malè sanum arguit: metonymia. 5 hoc est, quid emolumenti affert tandem? c *Heb. ut protraherem in vinum.* 6 i. quum nondum defecissem a reverentia Jehovæ, quæ caput est sapientiæ; sed me ipsum adhuc in cultu illius externo continerem: sic infrà vers. 10. Sensus est, adhuc integro statu religionis & reipublicæ, sivi me delabi in istas delicias, iisq; ita inescari ut paulatim in Dei & mei ipsius oblivionem traducerer. d *Heb. ut prehenderem.* 7 i. inirem hanc stolidam viam & rationem vivendi voluptariam. 8 i. re ipsa sensi, factoq; ex me periculo fui ad resipiscentiam provocatus. 9 supple, an verò futurum sit melius ut deducant & regant animum suum viâ ipsâ sapientiæ in timore Dei. e *Heb. magnificavi opera mea.*

[1] DEinde quia multitudini sapientiæ inest mul-
tum indignationis, & qui auget scientiam,
auget dolorem:

CAPUT II.

2 Dixi ego cum [a] animo meo, agedum, [2] pro-
bem te [b] lætitia, fruere igitur bono; sed ecce, eti-
am illud *est* vanitas.
3 De risu [3] dico, [4] insanus *est*; & de lætitia,
[5] ecquid ista facit?
4 Exploravi animo meo, [c] continuando po-
tationem in carne mea: idq; [6] animum meum
ducens in sapientiâ ipsâ *exploravi* [d] amplecten-
do [7] stoliditatem, [8] usquedum viderem [9] utrùm
hoc bonum sit filiis hominum, quod facturi sint
sub cælis numero dierum vitæ suæ.
5 [e] Maxima opera feci; ædificavi mihi do-
mos, plantavi mihi vineas:

f *Heb. feci: sic deinceps.*
g *Heb. cujusq; fructus.*
h *Heb. pullulans arboribus.*

6 [f] Paravi mihi hortos & pomaria; in qui-
bus consevi arbores [g] quasque fructiferas:
7 Paravi mihi piscinas aquarum, ad irrigan-
dum illis nemus [h] ferax arborum:
8 Comparavi servos & ancillas, & vernæ
fuerunt mihi; etiam possessio armentorum & gre-
gum multa fuit mihi præ omnibus qui fuerunt
ante me Jeruschalaimis:
9 Congessi mihi etiam argentum & aurum,
& peculium regum ac provinciarum; comparavi
mihi cantores & cantatrices, denique delicias fi-
liorum hominis, [10] symphoniam [i] & quidem om-
nimodam:
10 Ita magnus fui & auxi *ista* plus quàm ullus
qui fuerit ante me Jeruschalaimis; etiam [11] sapi-
entia mea perstante mihi.
11 Quum autem quicquid expetiverant ocu-
li mei non seposuissem ab eis: non cohibuissem
animum meum ab ulla lætitia; sed animus meus
lætaretur ex omni labore meo, & hoc [k] cessisset
in partem meam ex omni labore meo:
12 Respexi ego ad omnia opera mea quæ fe-
cerant manus meæ, & ad laborem quem [l] labo-
riosè feceram: ecce autem, ista omnia *sunt* vani-
tas & afflictio spiritus; [12] ut non *est* emolumen-
tum sub sole.
13 [13] Quamobrem converti me ego ut aspi-
cerem sapientiam, & [m] omnem insaniam ac sto-
liditatem: ([14] quid enim *facturus esset* homo qui
[n] sequeretur eum regem? id quod jam [o] factū est)
14 [15] Vidi quidem ego esse emolumentum sa-
pientiæ pre stoliditate, ut *est* emolumentum [16] lu-
cis præ tenebris:
15 [17] Sapientem ipsum *ut* cui *sunt* oculi in ca-
pite; [18] stolidum autem in tenebris ambulare: sed
agnovi similiter ego eventum eumdem evenire
omnibus istis.
16 Propterea [19] dixi ego cum animo meo,
[20] secundùm eventum stolidi etiam mihi, mihi
eventurum est, cur ergo sapuero ego [21] tum am-
pliùs? & dixi cum animo meo hoc quoque esse
vanitatem.
17 [22] Nam non erit memoria tum [p] sapien-
tis, tum stolidi in seculum; quandoquidem quæ
jam *sunt*, diebus adventuris ea omnia oblivioni
traduntur: [23] at moritur sapiens ipse cum sto-
lido?
18 Itaque odi hanc vitam, quia malum vide-
tur mihi hoc opus quod fit sub sole: nam hæc
omnia *sunt* vanitas & afflictio spiritus.
19 [24] Odi etiam ego omnem laborem meum,

10 i. musicā harmoniam quamque vocis, soni, aut utriusque, & omne genus melodiæ: nam vox Hebræa, de qua tantopere interpretes laborarūt, significat propriè vastationem: & quia ea est natura melodiæ, ut vocibus paribus dispáribusq; itemq; sonis similibus & contrariis conficiatur ipsa; [illegible] ex omnibus concinnum [illegible] μέλος concordiaq; discors (ut Ovidius loquitur) propterea huic musicæ commoditati nomen vastationis inditum est.
i *Heb. symphonias.*
11 ut sup. ver. 4.
k *Heb. fuisset portio mea.*
l *Heb. laborarunt faciendo.*
12 i. ut nullum esse istorum emolumentum confirmavimus sup. 1. 3.
13 transitio ad usum & eventum sapientiæ mundanæ ac stultitiæ, quem secundum locum esse diximus sup. in ℣. 1.
m *Heb. insanias.*
14 occupatio, qua explicat Schelomo emphasin pronominis, quo suprà usus est dicens, converti me ego, & ubique ferè utitur. Dixerit quispiam, quid ergo? tune facere potes judicium de rebus omnibus, vanitatemq; earum evincere a tua unius experientia? falleris, neque enim novisti res omnes, neque potuisti nosse. Respondet, ego verò novi & potui noscere: quia tantus sum rex, ut omnes alios tum scientia, tum facultate superārim. Quamobrem quisquis ampliùs laboraverit in rebus explorandis & cognoscendis, is actum (quod ajunt) egerit; nedum æquaverit me, aut aliqua cognitione vel facultate anteiverit. n *Heb. veniret post.* o *Heb. fecerunt: e personale pro impersonali: ut Jobi 7. 3.* 15 concessio elegans de dignitate sapientiæ præ stultitia in hac vita. 16 i. videntis præ cæco, aut visus præ cæcitate; quo modo accipiendum esse docet versus sequens. 17 i. ut in viro oculato ipsius oculi tamquam speculatores, & in capite tamquam in arce mirificè ad usus necessarios & facti & collocati altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere, (ut loquitur Cicero lib. 2. de natura Deorum) ita sapienti viro sua est sapientia; qua circumspicit multa, res bonas adhibet, & fugit contrarias. 18 ut cæcum, sine judicio & sapientiæ luce vitam hanc transigere. 19 nimirum ex sapientia mundana, & specie rerum quæ huic vitæ eveniunt judicans. 20 i. æquè moriuntur utrique. 21 i. quum mors invadet me, quid profuerit mihi sapuisse ista humana sapientia? 22 confirmatio proximè præcedentis propositionis: nam (inquit) non tantùm morte evanescit ista sapientia, sed etiam memoria illius obliteratur tempore. p *Heb. ipsi sapienti cum stolido.* 23 epiphonema, tamquam indignè ferentis communem illum & perspectum omnibus eventum mortis, qua sapiens ipse sapientia, & memoria ipsius intercidit: quæ indignatio amplificatur seq. vers. 24 tertius locus de jure aut facultate percipiendi transferendive commoda hujus vitæ arbitratu nostro: ut dictum est in vers. 1.

quem ego laboro sub sole; [25] quòd relicturus sum eum homini qui futurus est post me:

20 [26] Et quis scit utrùm sapiens futurus sit an stolidus, qui dominaturus est in omnem laborem meum quem elaboravero, & quem [q] sapienter comparavero sub sole? etiam hoc vanitas *est*.

21 Quapropter ego averti me, [27] destituendo spe animum meum; de isto omni labore quem elaboravi sub sole:

22 [28] Siquidem est homo cujus labor *confectus sit* sapientiâ, scientiaq;, & æquitate: homini autem qui non laboraverit in illo, traditurum esse illum *in* partem ipsius, hoc quoque vanitas *est*, & malum magnum.

23 Nam quid superest illi homini ex omni labore suo & ex afflictione animi sui, qua ille laboravit sub sole?

24 Quum omnibus diebus illius dolores, & indignatio [r] occupaverint eum, ne nocte quidem quieverit animus ejus? etiam hoc vanitas *est*.

25 [29] Non *est* bonum penes hominem; ut comedat, bibat, efficiatq; ut [s] animus suus fruatur bono ex labore suo: etiam hoc vidi ego [30] a manu Dei ipsius esse.

26 [31] (Nam quis [t] esset fruiturus *eo*, & quis [u] confestim fruiturus præterquàm ego?)

27 Homini enim qui bonus *videtur* in conspectu ipsius, *Deus* dat [32] sapientiam & scientiam [33] cum lætitiâ: [34] peccatori autem dat occupationem ad congregandum & ad congerendum, ut tradat ei qui bonus *videbitur* in conspectu [x] suo. [35] Etiam illud vanitas *est*, & afflictio spiritus.

[25] i. non possum ipse toto frui. [26] alterum incommodum, quòd bona quæ relinquit homo non potest transferre ex animi sui sententia. Hæc autẽ duo mala proleptice his duobus versibus posita, per ὕστερον πρότερον sequentibus explicantur. [q] Heb. *sapienter* comparando. [27] i. spem abjiciendo facultatis istius consequendæ: nam utrumque revera Schelomo expertus est; quum & de Rechabhamo incertus esset quod genus vitæ sequeretur, & de bona regni parte avertenda interminationem audivisset, 1. Reg. 11. [28] amplificatio indignationis & abjectionis animi, a comparatione plebeii hominis cujusque. Non mirum est (inquit) si hanc vitam acerbam puto; quum nemo vel tenuissimus sit æquo animo perlaturus, ut bona sua ad exterum transferantur. [r] *Heb. fuerit occupatio ejus.* [29] ἐργασία alterius partis prolepseos, quæ posita est suprà vers. 19. de impotentia hominis ad utendum fruendum ex se bonum. [s] *Heb. videat anima sua bonum.* [30] ut homo utatur fruatur bono ex animi sui sententia. [31] similis occupatio, ut sup. ver. 13. quasi dicat, Ego verò hoc possum confirmare, si quisquam potest; qui alios & commodorum abundantia & facultate supero, diligentiaq; mea comparavi. [t] *Heb. comederet.* [u] *Heb. festinaret* fruendo. [32] ad comparandum bona. [33] i. læto & hilari eorum usu. [34] id est, homini quem improbat, aut quem ut improbum his molestiis exagitare placuerit. [x] *Heb. Dei ipsius: antecedens pro se & relativo suo ad vitandam* ἀμφιβολίαν. [35] nimirum tantopere insudare acquirendis bonis, quibus neque uti ipse possis, neq; ex libito refundere: conclusio sermonis, ut sup. V. 24.

CAPUT III.

Schelomo ex temporis conversionibus confirmans rerum omnium instabilitatem, profectam ex sapientissima Dei administratione homines occupantis & ad reverentiam sui revocantis; docet idipsum ab exteris exemplis eorum qui inhumanè oppriment & qui opprimuntur: & disceptationes quas sensus carnis dictare solet homini, graphicè exprimit.

[1] Cuique sua *est* tempestas, & tempus cuique [2] voluntati sub cælis:

2 [3] Tempus pariendi; & tempus moriendi; tempus plantandi, & tempus exstirpandi *quod fuit* plantatum:

3 Tempus occidendi, & tempus curandi; tempus [4] rumpendi, & tempus ædificandi:

4 Tempus flendi, & tempus ridendi; tempus plangendi, & tempus saltandi:

5 Tempus projiciendi lapides, & tempus congerendi lapides; tempus amplectendi, & tempus longè recedendi [a] ab amplexu:

6 Tempus acquirendi, & tempus perdendi; tempus servandi, & tempus abjiciendi:

7 Tempus lacerandi, & tempus consuendi; tempus silendi, & tempus loquendi:

8 Tempus amandi, & tempus odio habendi; tempus belli, & tempus pacis.

9 [5] Quid emolumenti *est* ei qui facit, *in eo* in quo ipse laborat?

10 [l] [6] Vidi hanc *esse* occupationem, quam dedit Deus filiis hominum ut occupent se in ea:

11 *Ipsum* unum quodq; facere [7] pulcrum suo tempore; [8] etiam [b] quamdiu seculum est, exponere [c] animo illorum ([9] excepto eo quod non assequitur homo) [10] opus quod facit ipse Deus; [11] a principio ad finem usque.

12 [l] Novi non esse bonum penes illos; nisi [12] ut lætetur *quisque*, & ut faciat bonum in vita sua:

13 Quin etiam quicumque homo comedit, & bibit, fruiturq; bono ex toto labore suo; *id* donum Dei esse.

14 Novi quicquid facit Deus, [13] id esse [d] semper; ad illud nihil posse addi, & de illo nihil posse detrahi: Deumq; ipsum facere, ut [14] timeant *homines* a facie ipsius:

15 Id quod fuit jam esse, & quod futurum est jam fuisse: Deum ipsum denique [15] repetere inter se [e] consequentia.

16 [16] Nam adhuc respiciens sub sole; [17] loco juris [18] ibi improbitatem, loco inquam justitiæ ibi improbitatem esse;

17 [19] Dixi ego cum animo meo, justum & improbum ipsum judicaturus est Deus: quia [20] tempus *quidem* est cuiqui voluntati; sed [f] *qui* præest toti isti facto, ibidem *est*.

18 [21] Dixeram ego cum animo meo secundùm rationem [g] humanam, quum [22] declararet eos ipse Deus; & viderem [23] hos bestias esse illis:

19 [24] Eventum filiorum hominis similem esse eventui ipsius bestiæ, & eventum eumdem illis

[1] Hactenus Schelomo de sua ipsius & singulari experientia in cognitione usuq; rerum humanarum: nunc autem transiturus ad observationẽ factorum & eventorum quæ percepit in aliis, transitum parat posita sententia hac generali; qua tum præcedentem doctrinam confirmat, tum sequentium fundamenta jacit. Sensus enim est, nihil mirum esse, quòd & omnem scientiam humanam & usum istius mundi in vanitate posuerit; quia ut fluunt semper & volvuntur ac revolvuntur perpetua conversione tempora, ita etiam res omnes, consilia, facta, & eventa, denique omnia quæ sunt in tempore instabilitati temporis subjecta sunt; ideoq; semper fieri ut unum pereat, alterum succedat pereunti, & omnia suis vicibus eveniant. Non enim his verbis docet quid sit ex jure fieri, aut minti; sed quid fiat in rerum natura, & quid eveniat. Cuique autem, nimirum rei, personæ, facto, & eventui in toto hoc mundo. [2] i. studio & consilio, quod de quacumque re, persona, facto, aut eventu initum est. quasi dicat, omnia intùs & foris corpore & animo instabilitati temporum subjecta sunt: unus Deus supra cælos sempiternam stabilitatem ubique obtinet. [3] i. tempus quo paritur, & sic deinceps. sic etiam Timon apud Athenæum lib. Dipnosph. 7. ὥρα γαμεῖν, ὥρα δ' οὐ γαμεῖν, ὥρα δ' ἀναπαύσασθαι.

[4] quo destruitur diruiturq; quod ædificatum fuerat. [a] *Heb. ab amplexando.* [5] conclusio ex superiore propositione, confirmans quod dictũ est sup. 1, 3. Rerum (inquit) instabilium instabile est, adeoq; nullum emolumentum: Ista autem omnia sunt instabilia: itaq; rerum istarum emolumentum ad neminem, quantũvis contendat, pervenire potest: quod ut meliùs intelligatur, utitur Schelomo commoratione, usq; ad V. 16. [l] *supra* 1. 13. [6] hujus commorationis partes sunt tres, binis versibus distinctæ: prima est, Deum omnes istas res homini exhibere, & mutationibus præesse justissima administratione & convenientissima; secunda, hominem non amplius posse uti aut percipere, quàm videtur Deo; tertia, hanc æternam esse legem administrationis Dei, quam nemo queat infringere; & quidem propter finem sanctissimum. [7] i. bonum, decorum, & omnibus numeris conveniens, denique pro modo justissimæ sapientiæ suæ tum gloriæ ipsius, tum peccatis nostris vanitatiq; respondens. [8] amplificatio qua ostendit Deum non nunc demum administratione ista, sed semper omni memoria usum & usurum esse. [b] *He. cum ipso seculo.* [c] *Heb. cordi: sic deinceps.* [9] i. præter illud genus operum, quæ hominis captum superant, & quod Deus sibi asservat in arcano consilio suo. [10] in quo occupent se, ut præcedente ver. [11] seculi, id est, in æternum, quàmdiu seculum est. [l] *sup.* 2. 25. [12] i. alacriter conquiescat in iis quæ exhibet Deus, & vitam tranquillè justeq; agat. [13] nunquam secus esse quàm placuit Deo. [d] *Heb. in seculum.* [14] revereri & pendere a nutu ipsius discant; quod prius abjecit homo, & quò omnibus modis misericorditer a Deo revocatur. [15] i. efficere administratione sua, ut res aliæ aliis succedant, & per vices revertantur, quasi in orbem agerentur. Loquutio sumta a sphæra cælesti, quæ moderatur tempora. quasi dicat, facit ut ita revolvantur quæ sunt in tempore, quemadmodum tempus ipsum, quod ea continet, revolvitur. [e] *Heb. consequens: enallage numeri.* [16] jam venit Schelomo ad confirmationem vanitatis & instabilitatis universi, ab observatione exemplorum quæ percipit foris. Est autem in hoc capite primum exterorum exemplorum genus de opprimentibus & oppressis. In quo exemplo explicando primùm exponit Schelomo factum, hoc versu; deinde verum judicium de eo, sequente versu; ac postremò judicium ex sensu carnis profectum, usque ad finem capitis: quem ordinem a Schelomone teneri monuimus sup. 2, 2. [17] i. pro justitia in mundo injustitiam cosi. [18] sub sole, in præsente seculo. [19] i. postremò statui & conclusi cum animo meo, postquam emersi ex illis disceptationibus carnis, quæ deinceps exponuntur. [20] i. habent quidem injusti suum tempus, quo animos suos injuria expleant; sed alterum tempus succedet, & jam jam Deus præsens de illorum violentia cognoscit: sic exponendum esse locum hunc commonstrat alter infrà 5. 8. [f] *Heb. qui super totum hoc factum, ibi.* [21] narratio carnalis disceptationis atq; judicii, tum de opprimentibus, usque ad ver. 23. tum de oppressis, inde ad finem usque. [g] *Heb. filiorum hominis: sic infra* V. 21. [22] i. faceret ut innotesceret mihi, perspectaq; esset illorum violentia. [23] i. involare & irruere bestiarum more, ut vorent illos: quod proverbio dicitur, homo homini lupus. [24] quasi dicat, ex factorum similitudine similem utrisque eventum esse statuebam, eandem mortem, eademq; mortis consequentia.

25 ironica confutatio, qua utitur caro adverſus piam doctrinam de differentia inter animas & eventa ex morte. quaſi dicat, audio quidem neſcio quid ſurſurrari de ſubſtantia animæ humanæ, & cæleſtem eam eſſe, & morte ad cælos tranſcendere; beſtiarum contrà animam terrenam quandam facultatem eſſe corporibus ita adhærentem, ut ſine ſuo ipſius interitu anima beſtiæ nunquam a ſuo corpore ſeparetur: ſed quis horum alterum, aut utrumque vidit? certius eſt ex cōmunibus factis & eventis quæ ante oculos ſunt, idem de utroque judicium facere.
h *Heb. videbam.*
26 in hac vita; ac nihil de futura vita ſollicitus eſſet, quam boni prædicant.

eſſe; ut moritur hæc, ita mori illum; & ſpiritum
eumdem omnibus ipſis eſſe: itaque præſtantiam
hominis præ beſtiis nullam *eſſe*, nam omnia iſta
eſſe vanitatem:
20 Horum unumquodque ire in locum eumdem;
unumquodque eſſe ex pulvere, & unumquodque
redire in pulverem.
21 [25] Quis animadvertit ſpiritum humanum
qui aſcenderit ſurſum; & ſpiritum beſtiæ qui deſcenderit
infrà terram?
22 Quapropter [h] videbatur mihi nihil eſſe
bonum, [26] quàm ut lætaretur homo in operibus
ſuis, eò quòd iſta *ſit* pars ejus: [27] quis enim adducat
eum ut videat id quod futurum eſt poſt
ipſum?

CAPUT IIII.

23 [28] Sed [i] rurſus ego quum viderem omnes
oppreſſos qui afficiuntur ſub ſole: [29] ecce quidem
lacrymas eorum qui opprimuntur, ſed nullus
eſt conſolator eis, aut *evadendi* e manu opprimentium
ſe virtus; denique nullus *eſt* conſolator
eis:
24 [30] Laudabam primùm ego mortuos ipſos
qui jam ſunt mortui, præ vivis qui vivunt adhuc:
25 Sed [31] melior poſteà utriſque viſus eſt qui
adhuc non fuit, qui non [k] vidit factum iſtud peſſimum
quod fit ſub ſole.
26 [32] Videbam enim ego omnem laborem &
omnem æquitatem [l] factorum ſuorum ipſam eſſe
invidiæ homini a proximo ſuo. Etiam [33] hoc vanitas
eſt, & afflictio ſpiritus.

27 ætiologia cur non judicet caro curandam eſſe ſibi futuram vitam, ſed abutendum præſentibus: nam (inquit) unde proficiſceretur hæc vita? quo auctore ad hominem perveniret? aut qui certò eam cognoſceret? ut ſuperiore verſ. 28 hunc verſum & ſequentes, quia ad ſuperius argumentum & ſpeciem planè pertinent (ut oſtendimus ſupr. in verſ. 16.) hoc capite concluſimus. Senſus autem eſt, Schelomonem animadvertiſſe fieri non poſſe ut homo perpetuo curſu rerum ſecundarum in hac vita utatur, hoc verſ. ac proinde in aliam ſententiam adductum eſſe, trib. ſeq. i *Heb. reverſus ſum ego & vidi.* 29 hypotypoſis, qua exprimit Schelomo præſentes omnibus ætatibus & graviſſimas calamitates; quaſi omnes homines in rem præſentem vocans. 30 i. mortem anteponebam vitæ. 31 i. meliore conditione anteponenda vivorum & mortuorum ſorti. k *Heb. vidiſſe.* 32 ætiologia, cur meliorem conditionem ejus qui nunquam fuerit, caro exiſtimet: nam (inquit) quum duo ſint ſtudia a natura indita; unum, ut lætetur homo; alterum, ut faciat bonum in vita ſua, ſupr. ver. 12. vidi neutrum homini integrum aut ſalutare eſſe; ſed invidiam homini conciliari utriuſq; nomine: tanta eſt aliorum in alios inhumanitas. l *Heb. facti ſui.* 33 i. totum hoc ſtudium, totaq; diſceptatio & judicium carnis, de quo inde a verſ. 18.

CAPUT IIII.

Schelomo rerum omnium inſtabilitatem vanitatemq; confirmat ab exemplis pigrorum, avarorum, & regum in ſua imprudentia obfirmatorum, deniq; regnorum omnium.

1 Secundum exemplorum exterorum genus, ad confirmandam vanitatem quam prædicavit, pertinens. Eſt autem hoc genus de vanitate & malis quæ non aliunde accedūt, ut in ſuperiore genere; ſed quæ ab ipſis hominibus in ſe proficiſcuntur: quo in genere tria exempla ponuntur hoc capite: primum eſt de ſtolido & deſidioſo, trib. verſib. ſecundum, de avaro & ſordido, qui ſine ulla cauſa aut ſpecie juſti inhiat quæſtui, ſuo magno malo, a ver. 4. uſq; ad 9. tertium, de rege aut quibuſvis potentioribus, qui ſtultis animi ſui ſtudiis abducuntur: quæ duo poſteriora exempla elegantiſſimè illuſtrantur per cōparationem contrarii. 2 ut Prov. 6.10. & 24.33. a *Heb. comedit.* 3 i. ſe ipſum, quum tandem exhauriatur fame. 4 i. ſtatuit ſibi melius eſſe ut poſſideat parum (ita enim neq; ſe fatiget ipſe rebus comparandis, neq; earum nomine ab aliis fatigetur) quàm ut multum obtineat ſe ipſe conficiendo, aut malum ab aliis accerſendo. quaſi dicat, piger longè melius ſecum agi exiſtimat, quàm cum iis qui ſe ipſos labore cruciant, aut rerum partarum nomine ab aliis cruciantur: deniq; omnium maximè ſe putat ſapere, Prov. 26.16. b *Heb. plenitudinem volæ quietis, plenitudine pugnorum, &c.* 5 i. ut ſtudia illa mea & actiones, de quibus capite 2. exemplaq; opprimentium & oppreſſorum, de quibus capite 3. vanitati annumeravi: ſic etiam rurſus pigritiam agnovi vanam eſſe. c *Heb. reverſus ſum ego & vidi: ut ſuprà 3.23.*

1 STolidus [2] complicat manus ſuas, & [a] conſumit
[3] carnem ſuam,
2 [4] Melior eſt, *inquit*, [b] plena vola quietis,
plenis pugnis moleſtiæ & afflictionis ſpiritus:
3 [5] Sed [c] rurſus ego vidi *hoc eſſe* vanitatem
ſub ſole.

4 [6] Eſt unus *aliquis* cui deeſt ſecundus, cui
tum filius tum [7] frater deeſt, nec tamen *eſt* finis
omni labori ejus, [8] etiam oculus ejus non ſatiatur
divitiis; *ut dicat*, Et cui ego laboro, quòd deſtituo
animam meam bono? etiam hoc vanitas
& occupatio [d] mala *eſt*.
5 [9] Meliores *ſunt* duo quàm unus; quia eſt
ipſis præmium bonum ex labore ſuo:
6 [10] Nam ſi cadant, eorum unus erigit ſocium
ſuum; [11] væ autem illi, unico illi qui ceciderit,
quum non adſit ſecundus ad erigendum
illum.
7 Etiam ſive cubent duo, [e] concaleſcunt
illi; unicus autem quomodo incaleſceret?
8 Sive fortior ſit altero unus quiſpiam, ipſi
ambo obſiſtent ei: [12] denique filum triplicatum
non citò abrumpitur.
9 [13] Melior *eſt* puer indigus & ſapiens; rege
ſene & ſtolido, [14] qui neſcit admoneri amplius.
10 [15] Nam *ille* e [f] vinculis prodit ad regnandum:
[16] quum *hic* etiam in regno ſuo naſcatur
pauper.
11 [17] Vidi omnes viventes qui ambulant ſub
ſole; [g] adjungentes ſe puero illi [18] ſecundo qui
ſtaturus eſt loco hujus:
12 [19] Non eſſe finem ulli populo; [h] [20] de ullo
qui præſit ipſis etiam poſteros non lętaturos eſſe:
nam [21] hoc quoq; vanitas *eſt* & afflictio ſpiritus.

6 ſecundum exemplum videlicet avari: ut dictum eſt in ver. 1. 7 id eſt, cognatus, gentilis, vel neceſſarius aliquis. 8 i. ne tum quidem expleretur animus ejus, ſi tantùm poſſideret quantum cernit oculis. d *Hebr. mali.* 9 exornatio ſuperioris documenti de vanitate avaritiæ illius *μονοτρόπου*, a contrario; per contentionem fructuum qui ex ſociali vita percipiuntur, & damnorum ex ſolitaria. quaſi dicat, melius cum illis agitur; meliusq; illis quàm his ſuccedit. 10 expoſitio præmii quod modò dictum eſt, ab exemplis corporeis; quæ ſynecdochicè omnibus fructibus accomodanda ſunt ſocialis vitæ. 11 non imprecantis ſed malum eventurum denunciantis verba. e *Heb. caleſcet illis.* 12 i. imò valentiores erunt, quo plures inter ſe operas conſociaverint: proverbiale dictum. 13 tertium exemplum, ut diximus in ver. 1. quod ſimiliter exornatur per comparationem contrarii. 14 i. obfirmato & pervicace in ſtoliditate ſua; cui ex adverſo ſapiens opponitur, cujus proprium eſt in ſapientiæ monitis proficere, ut Proverb. 1.5. & 10.8. 15 ætiologia duplex: prior eſt a conſtitutione perſonarum de quibus agitur, hoc verſu; poſterior a conſtitutione popularium, v. 12. f *Heb. domo vinctorum.* 16 i. quum utcumque a natura hæres videatur regni, tamen inde ab ortu ſuo pauper ſit primùm quidem mente & conſilio, deinde etiam re ipſa: ut qui inopia conſilii in paupertatem maximam detrudatur: ſic enim pauperis appellationem menti quoque attribuit Schelomo Proverb. 29.13. 17 hypotypoſis rerum novarum & mutationis ſubitæ in regno imprudenter adminiſtrato; quaſi ſubjiciat oculis demētem ſenem deturbatū de ſolio, ſufficiendúmque puerum. g *Heb. cum puero illo.* 18 id eſt, qui ſecundus regnat, ut ſequentium verborum epexegeſis docet. 19 i. populares & ſubditos nunquam ſua ſorte contentos eſſe, ac ne ſapienti quidem regi plurimùm acquieſcere: proptereà non eſſe mirum ſi malè inſipientibus accidat. h *Hebr. ad ullum qui ſit ante ipſos, etiam poſteros non lætaturos de eo.* 20 q.d. non in præſentia tantum populum inconſtantem eſſe, ſed etiam ſemper futurum. 21 nimirum regnare ipſum, & plurimùm auctoritate poſſe.

CAPUT V.

Schelomo rationem docet qua homines ſibi a ſuperiorum vanitatum ſtudiis cavere poſſint, nimirum reverentia Dei, ſanctiſque cogitationibus de providentia & adminiſtratione ejus: deinde vanitatem explicat quæ poſſeſſioni fructuum terræ ineſt, uſúmque a natura nobis attributum.

1 OBſerva pedem utrumque tuum [2] quum
adis domum ipſam Dei, *id*que [a] paratus [3] ad
audiendum potiùs quàm *ad* dandum ſtolido-

1 Hujus capitis documenta ſunt duo; unum eſt de officio noſtro erga Deum & proximos, quod Schelomo de induſtria iſtis generibus vanitatis ſubjicit de quibus hactenus, veluti certiſſimum pharmacum adverſus illa, per digreſſionem, a ver. 1. uſque ad 9. ſecundum eſt explicatio tertii exterorum exemplorum generis, de vanitate bonorum, quæ etiam legitima via ab hominibus comparantur, ad uſum præſentis vitæ pertinentium, inde uſque ad finem capitis. Sunt autem in digreſſione hac duo capita: de reverentia quam exhibere nos convenit Deo, quinque verſibus; & de judiciis ſermonibúſque noſtris temperandis coram Deo & hominibus, trib. ſeq. Quod autem hîc dicit, obſerva, &c. perinde eſt quaſi dicat, neque tibi de ſapientia tua, neque de rebus tuis, neque de potentia tua ad alios opprimendos, neque de ſufficientia (ut ita dicamus) tui ipſius præ aliis tibi gratulator (nam hæc quatuor vanitatis genera in ſuperioribus capitibus ex ordine poſita ſunt) ſed quicquid eſt penes te, Deo acceptum ferto, ipſum quàm reverentiſſimè adito, audito, colito atque honorato. 2 quod tibi omnino faciendum eſt, ſi ſapias & noris bona tua. a *Hebr. propinquus ad audiendum.* 3 i. obſequendum legi Dei quæ in domo ipſius exponitur. q.d. Vide ut te ipſum potiùs tradas ei, quàm ſacrificia: ſic 1. Sch. 15.22.

rum

rum sacrificium: nam hi non advertunt [4] se facere malum.

CAPUT V.

2 Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne festinet [5] proferre quicquam coram ipso Deo: [6] nam Deus ipse in cælis *est*, tu autem super terram; [7] idcircò sunto verba tua pauca:

3 [8] Quia *ut* prodit somnium multa occupatione, ita [9] vox stolidi multitudine verborum.

4 Quum nuncupaveris votum Deo, ne differto persolvere illud; nam [b] non oblectatur stolidis: id quod voveris, persolve.

5 Melius est ut non voveas, quàm ut voveas ac non persolvas.

6 [10] Ne permittito ori tuo ut peccato obstringat [11] carnem tuam; & ne dicito [12] coram angelo illo [13] errorem istud *esse*: [14] ecquid efferversceret Deus ipse propter vocem tuam, & perderet opus manuum tuarum?

7 [15] Nam ut multitudini somniorum vanitates, ita verbis multis *inerunt*: sed [16] Deum ipsum reverere.

8 [17] Si oppressionem pauperis, [c] interversionemq; juris ac justitiæ videris in ipsa provincia; ne mireris [18] de ista voluntate: nam [19] altus superior alto observat, [20] imò [d] altissimus superior istis.

9 [21] Jam [22] emolumentum terræ pro omnibus *est*; [23] Regi de agro servitur.

10 Qui amat pecuniam, [24] non satiatur pecunia; & qui amat ullam multitudinem non *saturabitur* proventu: etiam hoc vanitas est.

11 [25] Quum multum est bonum istud, multi sunt qui comedunt ipsum: quid ergo commodi domino ejus advenit præter aspectum oculorum ipsius?

12 [26] Dulcis *est* somnus illius qui servit, sive parum sive multum comederit: [27] saturitas autem ipsius divitis non permittit ei ut dormiat.

13 [28] Est malum [e] afferens ægritudinem *quod* vidi sub sole: divitiæ quæ asservantur domino suo [29] in malum ipsius,

14 Aut pereunt divitiæ illæ [30] in occupatione [f] mala; [31] ita ut *quem* genuit filium, non *habeat* in manu sua quicquam.

15 [g] Quemadmodum prodiit ex utero matris suæ, nudus [g] iterum abit ut venerat: & quicquam non reportat labore suo, quod deferat in manum suam.

16 Quamobrem etiam hoc malum est afferens ægritudinem; omnino prout venit, ita abit: ecquid emolumenti est ei, quòd [32] laboraverit vento,

17 Etiamq; omnibus diebus suis in tenebris comederit; id est, indignatione multa, & ægritudine sua, & fervente ira?

18 [33] Ecce quod vidi ego, [h] bonum pulcrum esse comedere ac bibere, & [i] frui bono ex toto labore suo quo laborat sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dat ei ipse Deus; nam ea *est* pars ejus.

19 Etiam cuicumque homini dedit ipse Deus divitias & facultates, & cui copiam fecit comedendi ex illis & percipiendi partem suam, ac lætandi de labore suo: hoc donum Dei esse.

20 [34] Quòd si non multum, [35] recordabitur *tamen* dierum vitæ suæ: nam Deus ipse [k] annuit lætitiæ animi ipsius.

4 ut dictum est sacrificiū improborum esse abominationi Jehovæ, Prover. 15. 8. & 21.27.
5 sive petendo a Deo, sive promittendo; ne agas inconsideratè.
6 i. summus & infinitus est; ac proinde nihil abjectissima tenuitas nostra ad amplissimam majestatem ejus.
7 ut commodiùs tibi caveas a festinatione & offensa ejus: vide Matth. 6.7.
8 i. ut multitudo occupationum somnium creat, ita multitudo verborum non potest stulti aliquid non gignere atque profundere.
9 i. sermo stultus, quali utuntur stolidi peccatores.
b *Heb. non est oblectatio in stolidis*, *Deut 23.21. Proverb. 20.25.*
10 i. neque verbo, neque cogitatione obtrectes administrationi Dei; quasi res per fortunam aut imprudentem administrationem accidant: secundum documentum, ut diximus in ver. 1.
11 i. te ipsum: synecdoche. 12 nimirum Christo, de quo Exo. 23.20. & seq. q. d. ne quidem in corde tuo dicito, cujus cognitor est Christus angelus fœderis, Maleaci 3.1. 13 quo aguntur ista, de quibus ver. 8. 14 ut interminatus est Deus ibidem, Exod, 23.21. 15 ætiologia non absimilis ei quam adhibuit in superiore documento, ver. 3. nihil (inquit) proderunt excusationes apud Deum, si ita offenderis; neque majoris fient quàm somnia vanissima: Proverb. 10.19. 16 nimirum illum angelum, servatorem & ducem populi sui. 17 hic nominatim occurrit Schelomo vanitati, quam expressit cap. 3. & 4. & confirmat pios. c *Heb. rapinam.* 18 improbo hominum studio. 19 Deus qui in cælis est, suprà ver. 2. & omnem altitudinem humanam numeris omnibus excellit. 20 cujus infinita est altitudo, omnia observans velut infinitis oculis; Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus: ut figuratur Jechezk. 1. 18. & 10. 12. & Zecar. 3. 9. & 4. 9. d *Heb. alti: plurale pro singulari superlativo, mysterium S. Triados notans, ut Jehosch. 24. 19.* 21 ἀνάϐασις sive regressio ad institutū sermonem de vanitate rerum omnium. Est autem hic tertium exemplum externum, quo transitur per comparationem bonorū inter se. q. d. hæc ergo est bonorum omnium quæ ab homine comparantur vanitas: quumq; horum bonorum duo sint genera; alia quæ ex se ad vitam quodammodo conferunt, ut proventus terræ; alia, quæ non ipsam quidem vitam adjuvant, sed illorum sunt adminicula; quod de bonorum vanitate diximus, ad utrumq; genus pertinet, utriusque enim studium & possessio, vanitatis est. 22 contentio sive comparatio horum bonorum inter se, 2. versibus: nullum, inquit, bonum quod fortuitum vocant, tam est homini necessarium quàm fructus terræ, sine quo ne reges quidem ipsi vivere possent: de altero non vivitur. 23 i. ne Reges quidem carere possunt agri ministerio: sed fructum illius necessariè tenentur percipere ad tolerandum vitam. hanc interpretationem ut germanam & convenientem optimè amplexi sumus, quam confirmant distinctiones veteris codicis manu scripti ex bibliotheca Illustrissimi Principis Electoris Palatini. 24 non potest ex pecunia ipsa sine permutatione tolerare vitam suam. 25 i. etiam istius boni, quo de nunc agitur, tritici, vini, & similium, copia magna possessori vana est; ac non tantùm pecuniæ, de qua superiore ver. 26 amplificatio. q. d. non modò inutilis est, sed etiam molesta; adeò ut meliùs sit servo quàm domino, & quiescat suaviùs. 27 i. copia illa maxima qua abundat & circumfluit: sic accipitur Prover. 3. 10. 28 ἐξεργασία, exornatio, sive singularis explicatio vanitatis, de qua modò dictum est. Hanc autem sic explicat prolepticè: hoc bonum quod non tantùm vanum, sed ægrum quoque esse diximus, vanitatis evincitur duobus modis: Nam aut ipsum domino suo ruinam affert, aut repentè e manibus domini viventis videntisq; elabitur. Quæ duo membra prolepseos his duobus ver. posita, exponuntur per ὕστερον πρότερον hoc & sequente capite. e *Heb. ægrum: metonymia: sic infrà vers. 16.*

29 ut exponitur capite sequente.
30 i. quamvis ille contendat laboriosissimè in conservando & augendo bono.
f *Heb. mali: ut suprà 4.4.*
31 i. ipse cum posteris pauper sit; quo modo amplificatur istius hominis calamitas.
g *Ijobi 1.21. 1. Timoth. 6.7.*
g *Heb. revertitur abeundo.*
32 id est, frustrà opes labore cumulaverit, quæ momento quasi ingruentibus ventis dissipentur: proverbialis loquendi forma, qua vanitatem istius boni explicat, ut etiam molestiam seq. v.
33 propositio judicii quod fecit Schelomo de usu istius boni, ex pensa ejus (sicut aliorum anteà) vanitate: simile est suprà 3.22. h *Hebr. bonum quod pulcrum sit: trajectio.* i *Heb. videre bonum.* 34 supple, est illud quod dederit Deus, ex superiore ver. 35 id est, hoc saltem statuat, Deum sibi gratiosum esse; & utcumque tenuia sint bona quæ ab illo accipit, tamen ad explendum lætitia animum hominis satis esse: quia natura paucis contenta est, adjuncta verò pietate quæstum maximum habet, 1. Timoth. 6. 6. & sequentibus. k *Heb. testimonium perhibet lætitia cordis.*

CAPUT VI.

Schelomo vanitate istorum bonorum demonstrat tum ex eo quòd hùc illùc commeant; tum etiam quòd neque dominum suum, neque se a vanitate vindicant: denique nihilo faciunt meliorem quemquam.

[1] Est malum quod vidi sub sole, idq; maximum super homines:

2 Viro cui dederit Deus ipse divitias, facultatesq;, & honorem, & cujus animus non destituatur ulla re qua delectetur, quum huic non facit copiam Deus ipse fruendi re illa, sed vir alienus fruitur illa: hoc vanitatem & ægritudinem pessimam esse.

3 Si gignat quis centenos *liberos*, & annos multos vivat; quamvis multi sint dies annorum ejus, si anima ejus non satietur bono illo, adeoq; sepultura non sit ei; [2] dico, meliorem esse eo abortivum.

4 [3] Nam [4] in vanitate venit, & in tenebris ambulat; ac in tenebris nomen illius obtegitur.

5 *Hic* [5] etiam solem non vidit, neque expertus est; [a] tolerabiliùs est huic quàm illi.

6 [6] Etiam si vivat bis mille annos, & bono non fruatur; nónne in locum eumdem [7] hi omnes abeunt?

7 [8] Ut omnis labor hominis [9] obveniat ori ipsius, etiam [b] desiderium ejus non expletur.

1 Explicatio prioris membri prolepseos, quæ posita est sup. 5. 13. de bonis istis quæ domino suo ruinam quodammodo afferunt, usque ad vers. 7. Sunt autem hujus capitis duæ partes; una, explicatio ista mēbri prolepeici; altera, conclusio superioris membri de hoc vanitatis genere, per concessionem elegantissimam, a vers. 7. ad finem usque.
2 ex ratione carnis; ut Ijobi 3.
3 confirmatio judicii quod modò dictum est, per comparationem status in quo uterque versatur, tum vir ille liberis & annis abundans, hoc vers. tum abortivus, ver. sequent. 4 id est, vanus est illius ortus, progressus, & interitus, miseriisq; cumulatus; quæ tenebrarū nomine significantur. 5 i. abortivus in ipso ortu finem miseriarum fecit, quæ communes sunt hominum sub sole. a *Heb. quies huic præ illo.* 6 amplificatio per gradationem hypotheticam vitæ quàm longissimæ. 7 nimirum hic bis millenarius, annosusq;, & abortivus, de quibus modò dictum est. 8 altera pars capitis, qua concludit Schelomo superiorem sermonem de bonorum istorum vanitate, hoc modo: bona hæc quæ dicuntur fortuita, non tantùm instabilia sunt, ut duobus capitibus demonstravimus; sed etiam infirma, adeò ut numquam animum humanum expleant. 9 i. velut spontè ingerat se in os, & laboranti commodissimè succedat ex animi sententia: synecdoche. b *Heb. anima: ut Psal. 27. 12. & infrà v. 9.*

[10] confirmatio proximè præcedentis dicti, de infirmitate bonorum ad sedanda hominum desideria, per enumerationem: videamus, inquit, sapientes, stolidos, pauperes, abundantes; quid tandem ampliùs reportant, obsecro? [11] i. in hac vita: periphrasi, [12] hic versus dramaticè responsionem carnis subjicit, & Schelomonis judicium, quod sequentibus versibus confirmatur.

8 [10] Nam quid ampliùs *est* sapienti, quàm sto-
lido ipsi? quid ad pauperem fruens, [11] dum ambu-
lant coram viventibus?
9 [12] Melior est, *inquies*, [13] inspectio oculo-
rum, quàm [c] cursus desiderii: etiam hoc vanitas
est & afflictio spiritus.
10 [14] Quicquid sit, [15] jam inditum est nomen
ejus, & cognitum eum esse hominem; neque
posse contendere cum [16] eo qui valentior est
ipso.
11 Quum adsunt res multæ, multiplicant va-
nitatem, quid ampliùs isti homini *est*?

CAPUT VII.

12 Nam quis novit quod bonum est homini
in hac vita, numero dierum vitæ [d] vanissimæ suæ,
quos transigit velut umbram? [e] quis *est* qui indi-
caturus sit homini [f] id quod [17] instat ipsi posthac
sub sole?

[13] i. rei præsentis fructus atque perceptio, quam alii præ aliis consequuntur: synecdoche. [c] *Hebr. ire animæ.* [14] confirmatio judicii quod modò pronunciavit Schelomo, quia gravissimè confutat illam malam rerum æstimationem. Esto sanè, inquit, hoc habeat ampliùs: primùm non eò minùs est homo vanitati humanæ obnoxius, de qua suprà capite 1. neque se ab ea vanitate potest eximere, hoc vers. deinde quæ cumque comparat, ipsa vana sunt, & vanitatem adjiciunt possessoribus, vers. seq. postremo non ita valet homo judicio a natura sua, aut tantum consequutus est experientia, ut certo possit statuere quid sibi aut in præsentia sit bonum, aut in posterum sit futurum stabile, v. ultimo. [15] i. homo dicitur & est; a quo humani nihil est alienum. [16] i. Deo, quo auctore vanitati ipse cùm rebus creatis subjectus est: Rom. 8.20. [d] *Hebr. vanitatis suæ.* [e] *Hebr. quisquis: ὕστερον πρότερον in celeritate sermonis frequens.* [f] *Hebr. id quod est post ipsum.* [17] i. mox ipsi eventurum est, velut jam a tergo imminens.

CAPUT VII.

Schelomo bonis præsentibus famam, famæ mortem anteponit: itaque homines ad sapientiam, reverentiam, & obsequium Dei per abnegationem sui, & ad charitatem hortatur, opinionem suæ sapientiæ damnat, & infinitam esse hominis malitiam, maximè verò mulieris scelestæ ostendit.

[1] Schelomo exposita bonorum ad vitam præsentem pertinentium vanitate, nunc demum incipit eam gradatim demonstrare per aliarum rerum comparationem. Sunt autem eæ tres, quæ ex ordine istis rebus anteponuntur: prima est fama, quam leviter tantùm perstringit Schelomo, hoc versu; tum quia in hominum opinione tantùm posita est, tum quia incerta propter hominum instabilitatem, quorum fama vix ante mortem certa nominari potest: secunda est mors, quæ non tantùm morientibus finem impônit vanitatis, sed etiam vivis documentum est ad sapientiam, a vers. 1. usque ad 9. tertia verò & suprema est sapientia in rebus præsentibus & ordinatione Dei conquiescens, & ab omni fastidiosa operum Dei hominumq; pervestigatione abstinens, inde ad vers. 23. quæ omnia tandem concluduntur confirmatione a Schelomonis ipsius experientia & observatione, inde ad finem capitis. [2] i. amplissimis & gratiosissimis bonis corporeis, synecdochicè. [3] secundus gradationis locus, quasi dicat, melior est mors ipsa bonis præsentibus, & famæ: nam fama vanitatis consolationem aliquam afferre potest, mors autem vanitatem adimit: & fama quidem ad mortem usque instabilis est; morte autem, si qua fama est, constans efficitur. [4] id est, nativitatis & vitæ totius ex quo natus est; per syllepsin in scripturis frequentatam. [5] explicatio proximè præcedentis membri de præstantia mortis, a duobus locis: prior est a persona adstantium, qui documentum vitæ hauriunt ex morte, usque ad vers. 7. posterior a persona ipsorum morientium, quorum instabilis & varius volubilisq; status morte adimitur, vers. 7. & 8. [6] i. sepulcretum, funus, rogum, aut similia. [7] i. ultimus actus & exitus ipsius vitæ; hæc prior causa ad morientes pertinens. [8] hæc posterior causa, quæ per *ὕστερον πρότερον* proximè explicatur. [a] *Hebr. cordi, sic deinceps.* [9] i. utilius futurum est homini ut versetur cum tristibus, lugentibusq;, ac velut dolore indignabundis, quam cum iis qui læto animo & exporrecta fronte agitant hilaria. [b] *Heb. malo.* [10] i. studiosè persequetur versabiturq; cum calamitosis, ut in dies possit proficere. [11] i. risus est instabilis, ut ignis e spinis subjectus ollæ: in quo exsultare quidem videtur flamma, sed consumtis spinis illicò extinguitur. [c] *Hebr. vox.*

1 MElior est *homini* fama [2] unguento optimo;
[3] sed dies mortis die [4] quo ille nascitur.
2 [5] Melius est adire [6] locum luctus, quàm
adire locum convivii; eo quòd ille [7] *est* finis om-
nium hominum: [8] qui autem vivit, inditurus est
illud [a] animo suo.
3 [9] Melior est indignatio risu, quia [b] tristitia
vultus melior efficitur animus.
4 Animus sapientum [10] *erit* in loco luctus:
animus autem stolidorum in loco lætitiæ.
5 Melius est audire increpationem sapien-
tis, quàm ut quis audiat canticum stolidorum:
6 [11] Nam ut [c] crepitus spinarum sub olla, ita
est risus stolidi: etiam hoc vanitas *est*.
7 [12] Quum oppressio adigat ad insaniam sa-
pientem, & perdat animum donatio,
8 Melior est finis rei [13] principio ejus: melior
est [14] longanimis quàm elatus animo.
9 [d] [15] Ne perturbatè spiritu tuo [16] indigneris:
nam [17] indignatio in sinu stolidorum conquie-
scit.
10 Ne dixeris, quid est cur dies priores fue-
rint meliores istis? nam non ex sapientia rogares
super hoc.
11 [18] Bona est sapientia cum possessione; &
emolumento aspicientibus solem:
12 Nam *alii* in umbra sapientiæ, *alii* in umbra
pecuniæ *sunt*; sed *majoris* emolumenti scientia
est, sapientiam vivum conservare [e] possessorem
suum.
13 [19] Respice opus ipsius Dei: nam quis possit
corrigere id quod perverterit?
14 [f] [20] Tempore boni versare in bono, tem-
pore autem mali [g] utere: [21] etiam hoc ex adverso
illius facit Deus ipse, [h] ea ratione ut non possit
assequi homo [i] *eorum quæ* instant sibi quic-
quam.
15 [22] Ista omnia vidi diebus vanitatis meæ;
esse justum qui pereat in justitia sua, & esse im-
probum qui prolonget *dies* in malitia sua.
16 [23] Ne esto justus [k] nimium, neque sapere
tibi videtor ampliùs: quare [24] desolationem tibi
accerseres?
17 Ne [25] improbus sis nimium, neque sis sto-
lidus; quare morereris [l] ante tempus tuum?
18 [26] Melius est ut prehendas [27] hoc, quin
etiam ab hoc [28] ne remittas manum tuam: reve-
rentem Dei [29] exire ex omnibus istis.
19 Hæc sapientia robur confert sapienti ma-
gis quàm decem dominatores qui sunt in eadem
civitate:
20 [30] Quamvis homo nemo *sit* justus in terra;
qui faciat bonum, ac non peccet.
21 [31] Etiam ad omnia verba quæ [m] dicuntur,
ne adhibeto animum tuum: quum [32] non debeas
audire *vel* servum tuum maledicentem tibi:
22 [33] Nam etiam [n] multoties conscius est a-
nimus tuus, te quoq; maledixisse aliis.
23 [34] Omnia illa probavi [35] in sapientia
[36] quum dicerem, sapio, ipsa longinqua erat a me.

[12] explicatio alterius causæ prolepseos, quæ prior posita est suprà vers. 1. Sensus autem est, quum homo tanta feratur inconstantia, ac ne sapientes quidem sibi cavere in hac vita possint, quin perturbentur & corrumpantur ipsorum animi amore, odio, spe, metu, &c. optabiliorem ipsis esse mortem, quàm lubricam hanc & fallacem vitam. [13] cui plerumq; in rebus humanis non respondet finis. [14] qui sapienter animoq; patiente semper observat finem; non autem elato animo præceps abripitur in præjudicia sua. Sic paratur transitus ad sequentia documenta sapientiæ. [d] *Hebr. ne perturberis in spiritu tuo indignando.* [15] documenta hæc sapientiæ duas partes continent; unam, ut composito & tranquillo animo acquiescamus voluntati & administrationi Dei, usque ad ver. 21. alteram, ut aliena facta, dictáve non inquiramus curiosè, ver. 21. & 22. [16] de præsente administratione, ut sequens versus ostendit.

[17] id est, stolido sunt animo, qui ita indignantur. [18] id est, ne fiducia possessionis tuæ efferaris eò usque, ut obloquaris Deo; sed sapientiam adhibe, quæ te ita recreatura est, ut viatorem solis æstu confectum reficit umbra. [e] *Hebr. dominos suos.* [19] i. agnosce & acquiesce in eo quod exhibet Deus. [f] *Hebr. in die boni: sic paulo post.* [20] id est, utere secundis & adversis rebus prout dabit Deus; neque de venturo tempore laborato. [g] *Heb. respice.* [21] id est, Deus omnia bona & mala compensat, & liberat justissimè trutina sapientiæ suæ; idq; arcano consilio suo & ratione, quam non potest quisquam mortalium investigare & consequi. [h] *Heb. secundùm rationem.* [i] *Heb. post se.* [22] quasi dicat, hæc eadem fuerunt mihi videnda & ferenda; quæ alioqui judicio meo visa fuissent indignissima, nisi animum ad providentiam Dei advertissem. [23] id est, temperato judicio tuo, ne aut plus æquo tibi tribuas, quod capitale est; aut plus æquo te abjicias, quod desperantis est. [k] *Heb. multum: sic ver. seq.* [24] id est, fastu & arrogantia tua rueris in perniciem præceps. [25] nimirum judicio tuo, ut superiore ver. cujus hic est antithetos. [l] *Heb. in non tempore tuo.* [26] supple quàm ut te extollas, aut abjicias. [27] documentum videlicet quod mox subjicitur. [28] id est, firmissimè teneto, amplexator, neque latum unguem a documento hoc discedito. [29] id est, liberum esse immunemq; ab omnibus istis vanis cogitationibus, ac proinde opus esse ut incumbas reverentiæ Dei, cujus fructus duobus versibus proximis exponuntur, & sermonis totius conclusionem efficiunt, versu ultimo. [30] occupatio, qua diluit Schelomo objectionem peccatoris titubantis propter peccata sua: tua est, inquit, infirmitas; sed virtus Dei perficitur in infirmitate tua, si reverentiæ ejus adhæseris, & nitaris veritate ejus. [31] altera pars documenti, de qua diximus in versum 9. [m] *Heb. dicunt, forma impersonali.* [32] sed dissimulare ex prudentiæ & charitatis lege. [33] ætiologia a testificatione nostræ ipsorum conscientiæ, ut Galat. 6.1. [n] *Heb. vicibus multis.* [34] confirmatio vanitatis quam rebus omnibus sub sole attribuit Schelomo, primùm a singulari ipsius experientia, duobus versibus; deinde a communium exemplorum observatione, inde ad finem usque. [35] id est, quum non sum planè in apostasiam ruissem: ut suprà 2.4. & 10. [36] id est, quum mihi viderer ita sapere, ut nihil fugeret cognitionem meam; tum longiùs absui a sapientia quam opinione conceperam.

24 [37] Longinquissimum quicquid fuit *semper*, & quàm profundissimum quis inveniat?

25 [38] Converti me ego, idq; *ex* animo meo, ad sciendum & ad explorandum & quærendum sapientiam, & ratiocinium *ejus*: similiter [39] cognoscendum improbitatem stoliditatis, & stoliditatem [o] omnis insaniæ:

26 [40] Inveni autem ego [41] amarius *quiddam* morte, nimirum [42] fœminam illam cujus in animo *sunt* [43] retia, & plagæ, [44] cujus *in* manibus vincti: [45] qui bonus *videtur* coram Deo ipso, liberatur ea, peccator verò capitur ea.

27 Vide, hoc inveni, inquit Ecclesiastes; [p] semel atq; iterum *quærendo* [46] assequi ratiocinium;

28 Quo ampliùs quærit anima mea *ratiocinium*, tamen [47] non assequi: hominis *quidem* unius *cujusque* ex mille assequi; at fœminæ [q] omnibus istis instructæ [48] non assequi.

29 [49] Solummodò vide, hoc inveni, Deum ipsum fecisse hominem rectum; ipsos autem [50] quærere ratiocinia plurima.

CAPUT VIII.

30 [50] Quis est par illi sapienti? aut quis noscens interpretationem rei? sapientia hominis ita [51] illustrat faciem ejus, ut firmitas vultus ejus [52] duplicetur.

[37] ætiologia, qua exponit Schelomo cur tam procul absit erit à sapientia. Non est, inquit, humanarum virium consequi res remotissimas, abstrusissimas, & quasi in profundo mersas; nihil autem est tam remotum ab homine quàm sapientia, Ijobi 28. & Proverb. 2. 8. [38] secundus confirmationis locus, ab observatione de aliis facta. Docet enim Schelomo se ab opinione sapientiæ suæ traductum esse ad expendendam pariter aliorum sive sapientiam sive stultitiam, quasi animo potuisset modum comprehendere, & utriusque rationes secum subducere. [39] i. ineundum & consequendum ratiocinium ejus: quemadmodum dixit de sapientia. Sunt enim analogica duo hæc contraria membra prolepseos, quæ deinceps per ὕστερον πρότερον explicantur; improbitatis quidem, vers. 4. proximis; sapientiæ verò ratiocinium, V. ult. [o] Heb. insaniarum. [40] explicatio ratiocinii facti de improbitate, ut modò dictum est. Putabam (inquit) me summam aliquam ac velut finem improbitatis consequuturum esse ratiocinando; sed infinitam eam esse deprehendi in isto genere. [41] id est, amarissimum, magis metuendum & fugiendum quàm mors ipsa sit. [42] i. mulierem nequam, animo & corpore spirantem, molientem, & perpetrantem omnia malorum genera. [43] i. doli, artes, & technæ omnis generis ad venandum, irretiendum, decipiendum, & necandum homines, tamquam feras, volucres, aut pisces. [44] i. quæ miseros homines captivos agit, traducit, & præbet ostentui triumphans de illis. [45] q. d. abs qua nemo sine singulari ope, gratiaq; Dei integrum se servare possit; adeò vafra est lenociniorum malorumq; artifex. [p] Heb. una vice ad alteram. [46] videlicet improbitatis quæ est in impura ista muliere. [47] i. planè videre improbitatem mulierum istarum infinitam esse. [q] Heb. cum omnibus istis. [48] conclusio istius ratiocinii de improbitate. q. d. omissa hac infinita quæstione de æstimanda hominum, mulierumq; improbitate, conclusi tandem certissimè, satis esse homini ut prioris suæ conditionis bonum Deo acceptum referat: malum verò, ac potiùs infinitas rationes mali quibus implicatus est, fateatur a se ipso proficisci, deploret, abdicetq; ; ut Deum tandem ad priorem statum recuperandum adeat. [49] i. misso ratiocinio recti quod Deus indiderat & mandaverat ipsi, infinita alia ratiocinia, cogitationes, studiaq; suscepisse. [50] alterum membrum prolepseos; quo ostendit Schelomo definitam quidem esse sapientiam reverentia Dei, supr. V. 18. sed dignitatem & bonum illius infinitum esse: ut dictum est vers. eodem & sequente. [51] i. ipsum gloriosum & illustrem reddit, synecdochicè. [52] i. in dies augescat, confirmeturq; , & in imaginem rectissimi Dei transformetur ex gloria in gloriam, sicut a domini spiritu, 2. Corinth. 3. 28.

CAPUT VIII.

Schelomo exposito popularium in magistratus officio, civilis administrationis vanitatem ostendit ex abusu tyrannico administrantium; quibus mortem & judicium, bonis verò liberationem & præmium denunciat: postremò sententiam carnis cum divino testimonio comparat.

1 [1] PRæstitutum meum, [a] præstitutum regis observa; [2] sed pro ratione juramenti Dei.

2 [3] Ne [b] perturbatè [4] a facie ejus abito, ne persistito [5] in re mala: nam [6] quicquid volet, facturus esset.

3 [7] Ubicumque verbum regis *est*, *ibi* dominatio: ecquis dicat ei, quid facis?

4 [8] Qui observat præceptum, non experitur rem malam: [9] tempus enim ac rationem novit [c] animus sapientis.

5 Nam [10] cuique voluntati est tempus & ratio: sed [11] malum hominis multum incumbit ei,

6 [12] Quum non agnoscit id quod futurum est; [13] nam quomodo futurum sit, quis indicet isti?

7 [14] Nullus homo dominatur spiritui suo [15] ut contineat spiritum suum; nullaq; *est* dominatio in die [16] mortis, nullumq; missile [17] in isto prælio: denique [18] non liberat [d] conflictatio [e] utentem ipsa.

8 [f] [19] In tota hac re vidi, quum adhiberem animum meum ad omne opus quod fit sub sole; tempus *interdum esse*, quo dominatur homo in hominem [20] malo suo.

9 Nam ita *dominatos* animadverti improbos [g] sepeliri, postquàm decesserunt; atque e [21] loco sancti abierunt, & oblivioni tradi in ea civitate in qua sic fecerunt: [22] etiam illud vanitatem *esse*.

10 [23] Quia nullum efficitur decretum, [h] compensatio istius mali citò: idcircò [i] fervet animus hominum in ipsis, ut faciant malum.

11 [24] Quamvis peccatori facienti malum centies, etiam prorogaret Deus *dies*, quin etiam novi ego fore bonum timentibus Dei, qui timuerint a facie ejus:

12 Bonum autem non fore improbo, neque prorogaturum esse dies [25] similes umbræ, illi qui non timet a facie Dei ipsius.

13 [26] Est vanitas quæ fit super terram; quòd sunt justi quibus obtingit secundùm opus improborum, & sunt improbi quibus obtingit secundùm opus justorum: [27] dixeram, hoc quoque *esse* vanitatem.

14 Quapropter laudaveram ego lætitiam, nullum esse bonum homini sub sole, nisi ut comedat ac bibat & lætetur: hoc enim adjacere ipsi ex labore suo diebus vitæ suæ, quos dat ei Deus sub sole.

[1] Schelomo sumta occasione ex tertio documento præcedentis capitis, vanitatem rerum hujus mundi demonstrat ab instabili & incerta administratione ejus, hoc & sequente capite: qui quartus est locus vanitatis a Schelomone in rebus externis observatus. Istius enim administrationis genera sunt duo: unum, ab hominibus, hoc capite; alterum a Deo, sequente: quod utrumque genus ita varium est, ut nihil certum de eo humanitùs ab ullo homine definiri possit. Porrò in hoc capite continentur duo: unum, de officio hominum civiliter inter se conversantium, usque ad versum 8. alterum, de eo quod fit, idq; ferè præter officium, ac de factorum eventu, inde ad finem usque. Est autem in hoc versu 1. summa propositio humani officii erga potestates superiores, quæ sequentibus versibus ad bonos & malos accommodatur. [a] Heb. os: ut Exod. 17. 1. [2] moderatio obsequii quod homines debent potestatibus: parendum est, inquit, sed non nisi bona fide & conscientia: quia non est potestas nisi a Deo; ac proinde jus non habet homines ab obsequio avocandi, quod Deus a suis jurejurando exigit, & illi fide data se exhibituros receperunt.

[3] exornatio superioris documenti, continês primum mandatum obsequii duobus versibus; deinde eventum ad bonos & malos perventurum, reliquis. [b] Hebr. perturberis, a facie ejus abeas: ut 1. Schemu. 2. 3. [4] i. ne ab obsequio illius subducito te animo perturbato. [5] i. perturbatione & rebellione, quæ tibi malum allatura esset. [6] i. ageret tecum arbitratu suo, sive jure, sive injuria: ut sequens versus ostendit. [7] hoc est, verbi sui auctoritate plurimùm efficit; tuum verò quid efficeret apud regem? quid prodesset litigare cum rege? [8] accommodatio ad bonos obsequentes magistratui. [9] nimirum tum obsequendi, tum dissimulandi, tum ab obsequio discedendi. [c] Hebr. cor: sic deinceps. [10] supple efficiendæ legitimè. [11] accommodatio ad malos, qua ostendit improbis illis Schelomo eventurum malè, qui indicantur sequente versu. [12] i. qui insipiens est, neque judicio utitur ad obsequendum potestati. [13] i. quis ex insipiente facere possit sapientem? [14] expositio mali quod insipientibus & inobsequentibus denunciatum est suprà ver. 5. nemo est, inquit, tanta auctoritate, dignitate, potentia, vel armis, agilitate denique industriáque præditus, qui labore ullo & contentione vindictam regis eluctari possit & frangere, sive sua, sive aliorum opera. [15] id est, vitam suam conservet: ut sequentibus explicatur. [16] quam rex mandaverit. [17] quod rex in rebellem aggressus fuerit. [18] i. inane est quicquid tentat & molitur ad depellendam mortem. [d] He. inquies, sive inquietudo. [e] He. dominũ suum. [f] He. cum toto hoc. [19] nimirũ tota hac civili administratione magistratuũ & populariũ. Est autem hic altera pars capitis, de eo quod fit ex vanitate præter jus, ut observatum est in ver. 1. Continentur autem in hac parte duo: unum est, rectum judicium de prava administratione ex testimonio spiritus Dei, usque ad vers. 13. alterum est judicium depravatum carnis, vers. reliquis: quem ordinem a Schelomone servari monuimus, supr. 2. 2. [20] i. improbè, ita ut posteà consequatur præmium mali sui: ut sequentibus exponitur. [g] Heb. sepultos. [21] id est, e magistratu, & judiciali solio; quæ functio & sedes Dei est, Deuter. 1. 17. & 2. Chronicor. 19. 6. [22] dominium ipsorum tyrannicum. [23] gravissima sententia, qua exponitur causa tum hominum improborum audaciæ, hoc vers. tum bonorum liberationis, & mali quod improbi tandem perpessuri sunt, duobus seq. q. d. eò aluntur improbi in maleficiis, quòd vindictam tardam esse vident, ac proptereà sibi impunitatem pollicentur: ut Psal. 50. 21. [h] Heb. factum, pro compensatione facti: metonymia. [i] Heb. plenum est cor filiorum hominis: ut Esther. 7. 5. [24] amplificatio gravissima hujus sententiæ, per hypothesin ὑπερθετικήν. [25] ut Ijobi 8. 9. & alibi passim. [26] propositio sententiæ carnis, ut observatum est suprà vers. 8. [27] vide suprà 3. 12. & sequent.

CAPUT IX.

Schelomo observationem administrationis Dei docet humanas mentes superare: carnales de ea cogitationes explicat quæ hominibus spiritus Dei luce carentibus obversantur;

obversantur; quòd eventa omnia personarum, conatuum, & consiliorum impiè fortunæ tribuant, & ad scelera sua abutantur ista cogitatione.

[1] Qum autem adhiberem [a] animum meum ad cognoscendum [2] sapientiam, & ad perspiciendum ipsum negotium quod fit super terram; [3] si etiam interdiu & noctu somnum oculis suis *quispiam* non [b] percipiat:

2 Animadverti totum opus Dei; non posse hominem assequi illud opus quod fit sub sole, quamvis [c] laboriosè homo quærat, non tamen assequuturum esse: quin etiam si cogitet sapientissimus cognoscere, non tamen posse assequi.

CAPUT IX.

3 [4] Nam [5] totum hoc condidi in animo meo, idq; declaraturus totum hoc; [6] justos & sapientes, factáque eorum [7] in manu Dei ipsius esse: [d] tum re amata, tum exosa [8] non uti homines, [9] *nullam* esse [e] expositam ipsis:

4 [10] His omnibus, quemadmodum reliquis omnibus *evenire*, eventum eumdem esse justo & improbo, bono sive mundo & immundo; tam [11] sacrificanti quàm ei qui non sacrificat; ita bono sicut peccatori, juranti quemadmodum juramentum reverenti:

5 Hoc pessimum *esse* in omnibus quæ fiunt sub sole, quòd eventus idem *sit* omnibus; [12] quin etiam animum filiorum hominum *qui* expletus fuerit malo, & quorum animo *insederit* omnis insania [f] quamdiu vixerunt, itidem [13] posteà *concedere* ad mortuos.

6 [14] Nam [15] uter sit qui eligatur, in tota hac vita [16] adest fiducia: quin [17] cani viventi est melius, quàm leoni mortuo.

7 [18] Viventes enim sciunt [19] se morituros esse; mortuos autem nescire quicquam, nec esse ampliùs eis [20] mercedem, quum oblivioni tradita fuerit [21] memoria eorum:

8 Tum [g] rem amatam eis, tum exosam eis, tum desideratam eis jam periisse; & partem nullam *esse* eis ampliùs [h] unquam in ulla re quæ fit sub sole.

9 [22] Agedum comede cum lætitia cibum tuum, & bibe animo hilari vinum tuum; [23] [i] quandocumque benevolè prosequitur Deus ille facta tua.

10 Omni tempore [24] sunto vestimenta tua [k] nitida, & unguentum infusum capiti tuo ne deficito.

11 Fruere vita cum uxore quam amas, omnibus diebus vitæ vanissimæ tuæ, quam *uxorem* dedit tibi *Deus* sub sole, omnibus diebus vanissimis tuis; quum hoc sit pars tua in vita hac, & in labore tuo quo laboras sub sole.

12 Quicquid assequitur manus tua ut facias pro facultate tua, fac: nam nullum *est* opus, aut ratiocinium, aut scientia, sapientiáve in sepulcro quò iturus es.

13 [25] Convertens me animadvertebam sub sole non esse levium cursum, neque robustorum prælium, nec etiam sapientum cibum, neque etiam prudentum divitias, neque etiam scitorum gratiam; sed tempus & casum accidere omnibus his:

14 Etiam nescire hominem [26] tempus suum, sicut nesciunt pisces qui capiuntur reti [27] malo, & *ut nesciunt* aves quæ capiuntur laqueo; sicut ista irretiri filios hominis tempore mali, quum irruit in eos repentè.

15 [28] Etiam hanc animadvertebam sapientiam sub sole, quæ magna *est* [29] apud me;

16 [30] Civitatem quamdam parvam in qua homines pauci *erant* quum veniens contra eam rex magnus circumsideret, & extrueret contra eam munitiones magnas;

17 Adfuit in ea vir indigus sapiens, qui liberavit [31] ipse civitatem istam sapientia sua: nec tamen quisquam recordatus est viri indigi illius.

18 Dico autem ego, meliorem esse sapientiam robore; quamvis sapientia illius indigi despiciatur, & verba ejus non audiantur:

19 Verba sapientum [l] [32] submissorum audienda esse, potius quàm [33] clamorem dominantis cum stolidis suis:

20 Meliorem esse sapientiam armis bellicis; [34] aberrantem verò unum perdere boni plurimũ:

CAPUT X.

21 Ut muscarum [m] mortuarum *una* [n] efficit ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii; *similiter* pretiosum [o] nomine sapientiæ & gloriæ *virum*, *fœtidum* efficit stoliditatis parum:

22 [35] Animus sapientis *adest* dexteræ ipsius, [36] animus verò stolidi sinistræ ipsius.

23 [37] Nam

[1] duos hosce versus omnino ad sequentia pertinere res ipsa loquitur: nam hoc demum loco Schelomo transitionem facit ab humana administratione ad alterum administrationis genus quod supra homines est, & illud inductionibus explicat, hoc capite; quemadmodum indicavimus supra 8.1. Hoc autem capite tria istius administrationis exempla percurrit Schelomo: primum est, de eventu personarum omnium, usque ad versum 13. secundum, de eventu factorum atque conatuum, ver. 13. & 14. tertium, de eventu consiliorum, inde ad finem usque: quibus omnibus. inductionis locis præponitur commune exordium, duobus versibus, omnia quæ hîc administrantur vindicans & asserens Dei œconomiæ; prout ordinem hunc a Schelomone observari monuimus suprà 2.2. & alibi. [a] *Heb. cor: sic deinceps.* [2] i. peritiam totius hujus administrationis. [3] i. etiamsi aciem oculorum & animi sui contendat indesinenter his observandis & comprehendendis ratione: quod posterius membrum sequente versu ex ordine illustratur, ut versus ille est hujus exegeticus. [b] *Heb. videat.* [c] *Heb. laboret homo quærendo.* [4] primus inductionis locus, exponens judicium carnis de administratione Dei erga personas ipsas, ut diximus in ver. 1. [5] quod sequent. exponitur usque ad 13. Est autem hic descriptio elegantissima totius judicii carnalis, quò fecit transitionem Schelomo. q.d. quæcumque dico me animo meo indidisse, & deinceps expositurus sum; nolo ita accipi quasi nunc demum essem in ea sententia, & dispensationem istarum rerum abjudicarem Deo: absit, imò verò furor est hominem contrà sentire quàm res ipsæ loquantur manifestò: nihil enim vel tantillum aut personis (de quibus usque ad versum 13.) aut factis (de quibus deinceps) evenit, quin ipsæ personæ, res, facta testentur singula quæque nutu & voluntate Dei gubernari; penes hominem nihil esse. [6] similiterque injustos & insipientes cum factis ipsorum: eclipsis contrarii, de qua diximus Genes. 18. 18. Nam ita accipiendum esse ostendit antithesis sequente versu. [7] id est, cognosci, curari, & gubernari à Deo. [d] *Hebr. tum amorem, tum odium nescire homines: amor pro re amata, metonymicè: ut infrà versu 8.* [8] nimirum per se, sua ipsorum facultate, & arbitratu suo. hanc autem esse significationem Hebraici verbi permulti loci indicant: ut Ijobi 38. 33. & 39. 4. [9] eclipsin negationis *ἀπὸ κοινοῦ* repetimus de superiore membro: ut Psalmo 9. 19. & alibi passim. [e] *Hebr. ante eos: ut Genes. 13. 9.* [10] justis & sapientibus, factisque eorum. [11] id est, pio & impio, colenti Deum & non colenti, synecdochicè. [12] amplificatio indignationis, a comparatione eventus eorum qui indignissimè totam vitam suam in impietate & inhumanitate transegerint. [f] *He. in vita ipsorum.* [13] quàm ita vixerint, planè cum aliis omnibus æquari morte. [14] ætiologia atheorum, ex consimili specie eventus humani confirmantium animas cum corporibus emori; cujus partes sunt duæ: una, fructum nullum cui homo jure possit confidere, nisi in hac vita, percipi posse; altera, nihil mortuis superesse, ac proinde quidvis vel obscurissimum & tenuissimum anteponendum esse nobilissimorum animantium cadaveribus. [15] id est, sive justus sive injustus probetur tibi, cujus vitam, studia, & facta imiteris: tamen (inquiunt Epicurei) neutrum genus vitæ aliam exspectationem boni, præterquam præsentis, habere potest. [16] id est, præsentia sunt bona quibus homo confidenter utatur, ac non futurorum exspectatione se ipsum lactet. [17] proverbiale dictum, quo Epicurei vitam solent morti honestæ, quamvis turpissimam, anteferre. [18] confirmatio proximè præcedentis dicti, melius esse vivo quàm mortuo. Viventes enim, inquit, noscunt, utuntur, & percipiunt fructum præsentis vitæ: mortui planè nihil horum. [19] ac proinde sibi hodiè vivendum putant, dicentes, comedamus, bibamus, nam cras moriemur: Jeschah. 22. 13. & 1. Corinth. 15. 32. quod exponitur copiosè, V. 9. & sequentibus.

[20] id est, fructum rerum, quibus confidunt, superiore versu. [21] cum ipsis, id est, quum mortui fuerint: periphrasis mortis. [g] *Heb. amorem eorum, tum odium eorum, tum zelum eorum: ut suprà vers. 1.* [h] *Heb. in seculum.* [22] [illegible] [illegible] ctio documentorum quæ ex sua illa neutra colligunt Epicurei, ut diximus ad in versum 7. [23] id est, quamdiu facultatem habes, sive sit a Deo illo quem isti prædicant, sive aliunde: [illegible] [illegible] [i] *Heb. cum jam.* [24] id est, [illegible] te molliter, synecdochè. [k] *Heb. alba.* [25] secundus locus inductionis de eventu factorum quæ animalis homo attribuit casui ut observatum est suprà in ver. 1. Quod autem dicit (convertens me) notandum est. q.d. quum autem viderem non esse positum in hominum facultate, ut ipsi de se statuant arbitratu suo; converti animum & cogitationem meam ad observationem factorum singularium, de quorum eventu ex sensu carnis hoc modo judicabam. [26] id est, calamitatis suæ. [27] id est, calamitoso & damnoso sibi. [28] tertius inductionis locus de humanorum consiliorum eventu, ut diximus in versum 1. quo ostendit sapientum consilia reipublicæ salutaria apud multos parvum honorem consequi; imprudentia & stolida perpetuam ignominiam: ac propterea [illegible] non pendere consiliorum eventum ab hominum facultate. [29] ut apud omnes sanos, qui ferè sunt pauci. [30] parabola sive exemplum de consiliorum usu. [31] solus, ac non alius. [l] *Hebr. cum quiete.* [32] id est, [illegible] submissè solent apud dominatores agere, adeoq; (ut proverbio dicitur) [illegible] litorum. [33] id est, clamorem stolidi dominatoris, & cunctorum [illegible] rum ejus. [34] id est, unum aliquem sapientem aberrantem a consilio sapientiæ perdere consilia, res, facta, & honorem ipsum, ac existimationem, [illegible] versu. [m] *Heb. mortis.* [n] *Heb. efficit ut fœteat & eructet.* [o] *Heb. a sapientia, a gloria.* [35] id est, sapientem nihil nisi cogitatè agere, & cum animo [illegible] priùs expendere, quàm dexteram ad opus admoveat. [36] id est, stolidum [illegible] cogitatè ferri, & rationem ac sapientiam a se depellere; ut quæ aversantur homines ferè sinistra depelluntur: metaphoricæ loquutiones a gladiatoribus [illegible] tæ, qui dextera adversarios petunt, sinistra depellunt atque propugnant se.

23 [17] Nam etiam in ipsa via quum stolidus ambulat, animus ejus *est* demens; & prædicat omnibus stolidum se *esse*.

17 confirmatio membri posterioris antitheti: stolidus, inquit, non tantum sapientiam a se propulsavit; sed ipso vultu, gressu, & signis omnibus clamat stoliditatem suam. Hos autem tres versus, quia cum superioribus omninò cohærent, in idem caput inclusimus.

CAPUT X.

Schelomo formam docet modestiæ erga potentiores, illius utilitates explicat: administrationis bonæ & malæ eventa prædicat: postremò subditos ad sanctè cogitandum de potentioribus hortatur.

1 Quum spiritus ejus qui dominatur [a] se effert
contra te, [2] locum tuum ne deserito: [3] nam
vir [4] sanans sedat peccata magna.
2 [5] Est malum *quod* vidi sub sole, [6] secundùm
errorem qui procedit a facie imperantis:
3 Poni [7] ipsam stoliditatem in *dignitatibus*
celsis *&* amplis; [8] divites verò in ipsa abjectione
sidere.
4 Vidi servos insidentes equis, principes autem
euntes tamquam servos super terram.
5 [9] Qui fodit fossam, in eam cadit; & qui
perrumpit maceriam, mordet eum serpens:
6 Qui amovet lapides, dolore afficitur eis;
qui findit ligna, periclitabitur eis,
7 [10] Si postquam hebetaverit ferrum, is [b] aciem
non exacuat, sed [11] vires intendat: at emolumento
[c] ad dirigendum *est* sapientia.
8 [12] Si momorderit serpens [d] nondum adhibita
incantatione, tum nullum est emolumentum
incantationis [e] tenenti verba ejus.
9 [13] Verba oris sapientis *sunt* [f] gratiosa, labiis
verò [g] *sui* stolidus [14] absorbet se:
10 Initium verborum oris tui, stoliditatis *est*;
& finis *verborum* oris ejus, insaniæ pessimæ.
11 Ut stolidus ipse multis utatur verbis: nescit
iste homo quid sit *quod dicat*, aut [15] quid futurum
sit posteà; quis indicaret ei?
12 Labor stolidorum fatigat ipsorum *quemque*;
ut qui nesciat [16] ire in civitatem.
13 [17] Hei tibi regio, cujus rex puer *est*; & cujus
principes [18] manè comedunt.

1 Schelomo duobus postremis generibus vanitatis, quæ ex ordine fuerunt exposita capite 8. & 9. sua veluti pharmaca salutariáque documenta opponit eodem ordine, hoc & sequente capite, ac primùm quidem hoc capite (quod octavo capiti respondet) agitur de civili administratione; suntque illius documenta tria: primum est, de modestia & submissione animi prudenter apud principes colenda, usque ad vers. 13. secundum, de eventu humanæ administrationis, usque ad ultimum; tertium, de reprimendis etiam cogitationibus quæ interdum homini super forma administrationis obversantur, versu ultimo.

a *Heb. ascendit.* 2 i. modestè in statione tua te contineto, neque rebellato, ut suprà 8.2. sed potiùs omnes artes ad curandum sanandúmque spiritum ejus adhibeto: quod membrum antitheton supplendum est ex sequente ætiologia. 3 istius documenti causæ exponuntur tres: prima, his verbis, sanari principem & a magnis peccatis revocari; secunda, præcaveri & declinari malum alioqui subdito ipsi eventurum, atque inevitabile, a vers. 2. ad 9. tertia, bonam gratiam recuperari, & reconciliatam retineri, ver. 9 quæ tria oppositione stolidi illustrantur, inde ad vers. 13. 4 nimirum spiritum regis abjectione sua. 5 secundum ἄντιον de antevertendo malo; quod posteà plurimis atque elegantissimis comparationibus exprimitur. 6 i. prout delirant reges & errant humanis suis infirmitatibus, modò hoc modò illud decernentes. 7 i. homines (ut ita dicamus) stoliditate stolidiores: emphasis. 8 nimirum omni genere sapientiæ, ut membrum oppositum docet: sic enim contrà accipitur pauperis nomen, Proverb. 29.13. 9 explicatio mali quod homini creat immodestia & imprudentia, quatuor similitudinibus. 10 id est, si imprudenter & inconsideratè fodiat, subruat, tollat, findátque, tamquam non curato ferro quod fuerit hebetatum, synecdochicè: nam hæc conditio etsi de proxima tantùm similitudine ad verbum dicitur, communicanda est tamen cum superioribus. b *Hebr. faciem.* 11 id est, præsumens se vi effecturum, consumat in eo laborem suum. Sensus horum similium est: videmus ista opera ab hominibus non effici inconsiderata vi, sed arte atque industria: quantò minùs vi perrumpat homo spiritum dominatoris inflammatum? c *Hebr. dirigendi.* 12 amplificatio istius mali ex imprudentia proficiscentis, quòd est immedicabile, & frustrà labor in recuperanda gratia consumitur; ut inania sunt admorso incantatori intempestiváque sua incantamenta. d *Hebr. in non incantatione.* e *Hebr. domino linguæ illius.* 13 ἄντιον tertium, ut diximus in vers. 1. quod illustrat stolidorum antithesis subsequens. f *Hebr. verba gratiæ.* g *Hebr. stolidi ut Gen. 9.6.* 14 id est, perdit, ut tres versus exponunt: quibus gradatim ostenditur ipsum neque apud alios sapere, neque se intelligere, neque labore proficere, aut consequi aliud nisi fatigationem sui ipsius. 15 nimirum quod dicat, quasi dicat, neque principium, neque finem in dicendo suæ orationis videt. 16 id est, vel movere pedem rectè, & urbis suæ viam cognoscere, quam etiam addiscunt cæci. 17 secunda pars, docens eventum quem regiones ex principum administratione consequuntur. 18 id est, intempestivè, ad luxum, non ad confirmationem sui ex sequente versu.

14 O te beatam regionem, cujus rex [19] natus
est clarissimis; & cujus principes suo tempore
comedunt, ad robur, non autem ad compotationem.
15 [20] Pigritiâ [21] ambarum attenuatur contignatio,
& demissione manuum perstillat domus;
16 [22] Eorum qui ad lætitiam parant convivium,
& vinum lætificat viventes; & quorum pecunia
[23] facit ut ista omnia respondeant.
17 [24] Ne quidem in conscientia tua regi maledicito,
& in conclavibus cubilis tui ne maledicito
diviti: [25] nam *vel* avis cœlorum perferret
vocem illam, & [h] ales indicaret verbum.

19 i. benè institutus est & informatus in administratione regni. 20 comparatio rei privatæ cum publica. q. d. nulla domus secundatur, ubi manus ad opus necessarium non adhibentur, sed ad luxum vitámque perditam: quanto minùs respublica, in qua principes profusi & ad omne scelus libidinemque projecti sunt? 21 quæ non curant mederi stillicidio tigna comminuenti. 22 i. quum omnia in luxum profusa sunt. 23 i. comparat ista omnia pretio suo: verbum enim accipimus in tertia conjugatione, ut Job 20.3. 24 tertium documentum, ut suprà diximus. 25 ratio hyperbolica, pro eo quod est, principes & potentiores sunt auritissimi; vix quicquam fit aut dicitur, quod ipsorum cognitionem fugiat. h *Heb. dominus alarum.*

CAPUT XI.

Schelomo hominem ad beneficentiam fidémque in promissiones Dei hortatur; asserit infinitam administrationem ejus; cui obsecundare oporteat: postremò negligentes ad cogitationem mortis, vanitatísque præsentis revocat.

1 PRojice [a] panem tuum [3] [a] secundùm aquas;
nam [4] multiplicantibus diebus inventurus es
eum.
2 [5] Da partem septem, aut etiam octo; [6] quũ
nescias quid futurum sit mali super terram.
3 [7] Quum repletæ densæ nubes pluviâ, super
terram [b] minutim demiserint *eam*, sive deciderit
planta [8] ad meridiem, sive ad Aquilonem:
quo loco ceciderit planta, [9] ibi futura est.
4 [10] Qui observat ventum, non seminabit; &
qui respicit ad densas nubes, non metet.
5 [f] [11] Quemadmodum ignoras [12] quæ *sit* via
venti, ut *ignoras* [13] *qua via* ossium in utero gravidæ;
ita ignoras opus ipsius Dei, qua *via* faciat
hæc omnia.
6 [14] Manè sere semen tuum, & vespere ne remittito
manum tuam: nam ignoras quidnam rectum
sit, hócne, an illud, an verò ambo hæc [c] ex
æquo bona *sint*.
7 [15] *Est* quidem dulcis hæc lux, & bonum
hisce oculis aspicere hunc solem:

1 ad postremũ vanitatis genus, quo animalis homo oppugnat administrationẽ Dei (ut cap. 9. diximus) Schelomo suũ adhibet ἀντίδοτον & salutare documentũ, de officio corporis & animi nostri: corporis quidẽ, per beneficentiã & cõmunicationẽ eleemosynæ; animi verò, per fiduciã certã in Deum, promissionesq; & operationes ejus. Sunt itaq; hujus capitis partes duæ: una, qua utrumq; officium conjunctim explicat, beneficentiæ & fidei, usque ad vers. 7. altera, qua hominẽ ab hujus vitæ amore fiduciáq; revocat, & viam sternit ad sequentis capitis documenta. 2 i. semen, ex quo fit panis: ut Psal. 104.15. quæ synecdochica appellatio a fine in scripturis frequentissima est. 3 i. in locis irriguis, ac proinde feracibus benedictionis; quo modo accipitur Jeschah. 32.20. sensus est, quemadmodũ bonus agricola loca irrigua conserit certa cum fiducia & expectatione benedictionũ Dei; sic te in hac vita memento agricolam esse & operariũ Dei, ut omnibus benefacias & de tuo communices; pro certo habens illud, Jehovæ seri quod benefit, & irrigari benedictione ejus: ut Proverb. 19.17. & Jeschah. 58.7. & seq. a *He. secundum faciem aquarũ.* 4 i. succedente tempore, quo messis advenit. 5 i. distribue quàm plurimis potes: ut Psal. 112.9. est autem hic numerus finitus pro infinito; ut Micæ 5.5. 6 i. quũ omnia ista incertissima sint, & omnibus momentis infesta malis quàm plurimis: ut Luc. 16.9 ac proinde fac ut benè colloces, quod seq. vers. docetur. 7 promissio pergens in eadem allegoria, qua ostenditur non posse meliùs collocari bona quàm apud homines beneficentia: nam (inquit) ut sementem benedictione aspergit Deus, & sator eam ibidem recipit cum fœnore, id ipsum quoq; constat fore in beneficentia tua. b *He. friaverint demittendo. i. asperserint: simile verbũ est, Psalm. 18.44.* 8 i. omnibus promiscuè benefac; nam idẽ dicitur allegoricè, quod scribit Paulus, Gal 6.10. 9 nimirùm tibi, i. certissimè recepturus es mirificâ Dei œconomiâ. 10 occupatio allegorica. q. d. ne diffidentia utitor ut manum a benefaciendo retrahas, néve has aut illas excusationes obtendas, ignavos rusticos imitando; qui dum hæc aut illa causantur justũ sementis messisq; tempus sinunt effugere; sed Dei administrationi confidens, fac quicquid facto opus est, duobus seq. vers. f Joan. 3.8. 11 expositio admirabilitatis quæ est in operibus Dei, ab exemplo duarũ rerum quæ hominibus quotidiè obversantur, venti in aëre, & fœtus in utero. 12 i. unde veniat, quò tendat, & quàm diu: ut Joan. 3.8. 13 i. quæ ratio fingendi & confirmandi fœtus. 14 i. omni tempore benefacito, quantisper tempus est: ut Joan. 9.4. c *He. sicut unum. i. unum sicut alterum.* 15 secunda pars, occupatio qua responsionẽ ignavorum hominum refellit Schelomo: dices, inquit, quorsum ego tam diu laborarem? suavius est in rebus præsentibus conquiescere, & sibi indulgere: respondet, si per aliquot annos suave esset, adeóq; tota vita a mœrore immunis ageretur; duo tamen cogitanda sunt: unum, mortem aliquando esse obeundam: alterum, ea ipsa quæ huic vitæ conceduntur, esse vanissima.

8 Sed si annos multos vivens homo in eis omnibus lætetur: attamen [d] recordari eum oportet [15] dies tenebrarum, multos esse *illos*, quicquid evenit vanitatem esse.

[d] *Heb. recordabitur.*
[16] i. mortem, periphrasticè.

CAPUT XII.

Schelomo hominem sibi præsidentem compellans ad cogitationem Dei, senii, mortísque revocat; & totum opus concludit confirmatione vanitatis rerum istarum omnium, atque hortatione ad studia salutaria in reverentia, obsequio, & spe Dei adventuri, humanúmque genus judicaturi adventu suo.

[1] Hujus capitis duæ sunt partes: prior est conclusio proximè præcedentis loci de administratione Dei, usq; ad vers. 10. posterior, cõclusio totius operis, ad studiũ, reverentiam, & obsequiũ Dei homines excitans, inde ad finem usque. Sunt autem in hac priore parte conjuncta documenta duo, quæ hoc vers. prolepticè continentur: unum, de præsente officio nostro; alterum, de euentu mortis & judicii quod facturus est Deus: quorum prius membrum hoc versu enunciatur, per concessionem ironicam ad juvenem fretum bona ætate sua, & in rebus istis exsultantem.

[1] LÆtare juvenis in juventa tua, & [a] exhilaret te animus tuus diebus juventutis tuæ, denique perge in vijs [b] animi tui & aspectibus oculorum tuorum: [3] sed cognosce fore, ut propter omnia hæc adducat te Deus ipse in judicium.

2 [3] Amove ergo [4] indignationem ab animo tuo, & averte malum a carne tua: [5] nam juventa, & [c] ortus ipse, [6] *est* vanitas:

CAPUT XII.

3 [7] Et recordare creatoris tui diebus juventutis tuæ; [8] tantisper dum non adveniunt [9] dies ipsius mali, & pertingunt anni [10] quibus dicas, non *est* mihi in istis delectatio:

4 [11] Tantisper dum non obtenebrescit sol, & lux, lunáque ac stellæ; [12] neque recurrunt densæ nubes post pluviam:

5 Quo tempore commovebuntur [13] custodes illi domus, & pervertent sese [14] [d] valentes robore; & intermittent [15] molitrices illæ quum [e] mandent, & [16] obtenebrescent illi qui spectant per speculas:

6 [17] Occludentúrque valvæ foro, dejecta [18] [f] sonora molitione; [19] & surget ad vocem aviculæ, [20] deprimentúrque [g] omnia canora:

7 [21] Etiam a re alta timebunt, & contritionibus in via; & [22] efflorescentem amygdalum, & pinguefacientem se locustam, [23] irritam faciet *animus* iste appetens: [24] quum abit homo in locum seculi sui, circumituris in platea lugentibus:

8 [25] Tantisper dum non procul amovetur [26] funis argenteus, & excurrit [27] orbis aureus; [28] & frangitur hydria ad scatebram, disrumpitúrque [29] rota ad cisternam,

9 Redeunte ipso [30] pulvere in terram quemadmodum fuerat; spiritu autem redeunte ad Deum qui dederat illum.

10 [31] Vanitas [h] vanissima, inquit Ecclesiastes; omnia hæc *sunt* vanitas.

11 [32] Quamobrem potiùs ([33] quum fuerit Ecclesiastes sapiens; præterea docuerit scientiam populum, & attendens, scrutatúsque concinnaverit sententias multas:

12 Quæsiverit Ecclesiastes [i] assequi verba delectabilia; & singula scripta rectè, [34] verba fidelia,

13 Verba sapientum [35] similia aculeis, & similia [36] clavis [37] infixis, [k] lectissima; tradita [38] a pastore eodem)

14 [39] Potiùs, inquam, [40] ex istis, fili mi, admonitus esto: faciendi libros multos nullus *est* finis, & lectio multorum [l] fatigationi *est* carni.

15 [41] [m] Summa rei *est*, his omnibus auditis: DEUM IPSUM REVERERE, ET PRAECEPTA EJUS OBSERVA, QUIA HOC *est* [42] TOTUM HOMINIS.

16 Nam [43] omne opus Deus ipse adducet in judicium cum omni re occulta; sive bonum, sive malum.

[21] i. incedentes metuent ne in lapillum exstuberantem offendant: nullum enim erit tam æquabile solum, ubi non metuant ab offensione & attritu pedis.
[22] id est, ne vere quidem ipso (quo arbores & animalia omnia lætari quodammodo & gestire videntur) ipsius fastidium avertetur; sed omnia verni temporis beneficia nihili faciet: hic enim describitur ver ab unius arboris & animalculi exemplo, per synecdochen.
[23] i. abhorrebit tuus iste animus; qui nunc istarum rerum, delectationúmque est cupidissimus.
[24] i. quum jam versatur in ætate decrepita, propediem moriturus, & a propinquis efferendus funere.
[25] i. dum adhuc commodum est & integrum; antequam tibi Deus indignatus adimat tum ornamenta in quibus exsultas, tum subsidia vitæ, hoc vers. adeóque vitam ipsam, versu sequente.

[a] *He. benè faciat tibi cor tuum.* [b] *He. cordis tui esto deinceps.* [2] correctio alterum documentum exponens juveni, ad revocandum eum a consuetudine animi sui & sensuum, de quibus modò loquutus est ironicè. [3] expositio prioris documenti, qua sapiens juvenem ad bonam frugem revocat ab utili. [4] i. peccatum quo indignatio Dei accersitur: metonymia. q. d. animo & corpore tuo peccatum, quod Deo invisum & tibi damnosum est, studiosè aversator. [5] occupatio: quia excipere potest juvenis indignum esse ut ea ætate careat juventutis bonis; respondet Schelomo, non posse de juventute melius judicium fieri, quàm tum à principio ipsius, hoc versu, tum ab exitu, sequentibus. [c] *He. auroræ ortus.* [6] i. instabilis est & momento vanescens. [7] i. studio tuo & obsequio testificator te etiam in lubrica illa ætate duci recordatione & reverentia Dei: hæc enim sola recordatio viros bonos facit. [8] altera confirmatio vanitatis quæ in juventute est, ab interitu illius primùm senio, deinde morte: quorum utrumque deinceps figuratur elegantissimè. [9] i. dies senectutis, quæ propterea veteribus ætas mala dicta est, ut pluribus ostendit Nonius Marcellus: qua eadem ratione juventutem Cicero bonam ætatem vocat, libro de senectute. [10] i. morosi & difficiles anni, quale ferè in senectute sunt. [11] i. dum adhuc es juvenis, & frueris ætate bona. Est enim in his verbis periphrasis allegorica senectutis: qua docet sapiens senes interdiu, noctu, indesinentérque cum difficultatibus perpetuis conflictari; quas scriptura solet cum tenebris, prosperitatem verò cum luce comparare. [12] i. neque calamitates subinde succedunt aliæ aliis, ut in senectute fit. Hæc autem senectutis incommoda universè dicta hoc versu & superioris fine, minutatim sequentibus explicantur. [13] i. brachia quæ ad totius corporis custodiam data sunt, sive adhibendis bonis, sive propulsandis malis; & quibus tu juvenis fretus tantoperè gloriaris. [14] i. tua illa crura, quibus rectè & firmè ingrederis. [d] *Heb. homines roboris.* [15] i. dentes illi tui, quibus strenuè comminuis cibum, hebetabuntur, ita ut subinde recurrentibus doloribus cogaris ægrè & lentè mandere. [e] *Heb. minuunt.* [16] oculi. [17] i. morosissimus eris, ita ut neque foris neque domi ullam delectationem capere possis, aut ex rebus quamvis jucundissimis recreari. Propterea dicit occlusum iri valvas foro, pro eo quod est, a foro abstinere & a frequentia, ubi delectationem juventus percipit. [18] i. valente illa manducatione (qua in juventute uteris) amissa, & prostrata cibi appetentia. [f] *Heb. sono molitionis: hypallage* [19] id est, vel aviculæ unius garritu excitabitur, & cantum illius morosè fastidiet. [20] i. nullam cantionem aut musicam symphoniam (quæ alioqui animos humanos solet afficere, Proverb. 25. 20.) grato animo accipiet, sed jubebit omnia conticescere: vide historiam Barzillai 2. Sche. 19. 35. & sequen. [g] *Heb. omnes filia cantici.*

[26] id est, instrumenta argentea, ut sunt catenæ, lora, cingula, & similia. [27] ut sunt annuli, bullæ, monilia, & cætera ejus generis. [28] id est, abrumpuntur commoditates tuæ ad hanc vitam pertinentes: quod synecdochicè exemplo uno figuratur. [29] qua vertente haustrum in cisternam inducitur educitúrque, quando profunda est, quasi dicat, neque propinquis bonis, neque remotis utendi facultatem habiturus es. [30] id est, humano corpore: ut Genes. 3. 19. [31] conclusio hæc totius operis duas partes continet: unam, qua rerum omnium quæ in hac vita sunt vanitatem (ut antè) asserit, hoc versu; alteram, qua homines ad studium veritatis, reverentiam Dei, obsequium voluntatis ejus, & judicii venturi expectationem revocat. [h] *Hebr. vanitatum: ut suprà 1. 2.* [32] quum ista omnia sint vanitas, ac proinde studium eorum vanissimum: est enim hic transitio ad alterum documentum, ut homines vanitate missa dedant se studiis melioribus. [33] hyperbaton, quo anticipat Schelomo objectionem eorum, qui responsaturi essent se minimè teneri ut auctori habeant fidem. Proponit enim Schelomo causas, cur doctrina ipsius sit accipienda: prima, quòd sapientia fuerit imbutus a Deo, ut doceret populum Dei, hoc versu; deinde, quòd in ea sapientia cognoscenda, consequendáque laboraverit, tum sua ipsius experientia, vers. 12. tum aliorum documentis, maximè verò ductu ipso & auctoritate Dei, vers. 13. [i] *Hebr. invenire verba delectationis, & scriptum rectitudine, verba veritatis.* [34] id est, certissima fide amplectenda: quorum usus & auctoritas sequente versu demonstratur. [35] primus usus verbi Dei, ut stimulis agantur pii, & a naturali sua segnitie ad officium incitentur. [36] secundus usus, ut pii ad officium adducti in eo contineantur, circumclusi certis velut repagulis verbi Dei in Ecclesia ejus. [37] id est, qui palos in terram depactos cum cratibus conjunctos tenent: ut ferè faciunt opiliones in caulis suis ambulatoriis. [k] *Hebr. domini collectionum.* [38] Christo: Joan. 10. cujus unius verbum omnibus seculis in Ecclesia est audiendum. [39] regressio ad institutam hortationem, quæ interrupta fuerat inde a principio versus undecimi. [40] id est, hisce documentis meis instruitor potiùs, quàm ut incumbas cognoscendæ & explorandæ vanitati, quæ inest aliis studiis omnibus; ut sequentia verba commonstrant. [l] *Hebr. fatigatio carnis.* [41] hactenus de studiorum genere: nunc explicatur summa veri & salutaris studii, hoc & sequente versu. [m] *Hebr. finis.* [42] id est, totum in quo homo se occupare debet, & sine quo totus homo nihil est nisi vanitas. [43] id est, omnia facta, dicta, & cogitationes, quamvis occultissimas: quum omnia sint nuda & patentia oculis ejus, Hebr. 4. 13. & summo illo die ante omnium oculos aperiendi libri.

LIBER CANTICI CANTICORUM.

ARGUMENTUM.

LIBER *Cantici, quem Schelomo conscripsit* διαγνώσει, *exponit rationem spiritualium sponsaliorum, quæ inivit Christus cum Ecclesia in terris versante. Itaque declarat primùm sermones ultrò citróque habitos in contrahendis sponsalibus, deinde mutui amoris gravitatem & officia convenientia inter amantes verbo & facto gratulantes. Posteà quia amor ille gratiosè conciliatus mera benevolentia sponsi, non rarò ab Ecclesia in terris imprudenter sponsum suum offendente prætermittitur; laborans Ecclesia de recuperanda sponsi discedentis gratia curatur a sponso, & de constantissima ipsius benevolentia confirmatur: ita communi opera se ad beatissimum illum nuptiarum diem comparant. Postremò quia non potuit matura esse Ecclesia nisi accedente gentium plenitudine, postquam de ea sermo habitus est, canticum totum mutua professione studii inter sponsum & sponsam, officiiq́; concluditur.*

CAPUT I.

Ecclesia studio sponsi abrepta amplexum ejus expetit, nomen ejus commendat, & laudaturam vovet: ab indignate sua se purgat, & sponsum advocat: quam sponsus edocens ornat factis & promissionibus: itaque gratulantes inter se celebrant alter alterum, & bona, habitationémque communem per communionem spiritus.

1 CANTICUM canticorum,
quod *est* Schelomonis.
2 [2]Osculetur me oscu-
lis oris sui: [3] nam *sunt* a-
mores tui [4] [a] meliores
[5] vino.
3 [6] Ad odoratum un-
guentorum tuorum opti-
morum, *velut* unguentum
diffunditur nomen tuum; idcirco puellæ dili-
gunt te.
4 [7] Trahe me, post te [8] curremus: *quum* in-
troduxerit me [9] rex ipse [10] in conclavia sua, ex-
sultabimus & lætabimur in te, commemorabi-
mus amores tuos meliores vino; *& quicumque*
[11] [b] rectissimè diligunt te.
5 [12] Nigra sim, at decora *sum*, [c] ô Jerosolymi-
tanæ: [13] similis *sim* [d] Scenitis Kedarenis, [14] si-
milis *sum inhabitantibus* aulæa Schelomonis.
6 [15] Ne respiciatis ad me, [16] quòd sim subni-
gra, [17] quòd contuitus sit me sol: [18] *quòd* filii ma-
tris meæ [19] accensi irâ contra me [20] disposuerint
me custodem vinearum *aliarum*, [21] [e] *quòd* vineam
meam mihi non custodiverim.
7 [22] Indica mihi, *tu* quem diligit anima mea,
ubi nam pascas, ubinam cures recubare *gregem*
[23] meridie: [24] cur enim essem quasi extendens

1 id est, summum & præstantissimum, vide Gen. 9.25. Est autem hæc generalis totius libri inscriptio, libri argumentum scriptorémque exponens. Argumentum est epithalamium excellentissimum sive connubiale canticum quo Schelomo decantavit sacram illam, augustissimam, & beatissimam desponsationem conjunctionémque Christi cum Ecclesia, quam æternus ipsius amor erga Ecclesiam conciliavit, & continet, beneficentiáque promovet; donec tandem Christus jam Ecclesiæ desponsatus secundo adventu suo sacrum illud conjugium perficiat, coagmétato & adunato totius Ecclesiæ corpore, ut sit Deus omnia in omnibus. Scriptor est Schelomo; quem non dubium est animo & cogitatione res omnes humanas & suum ipsius conjugium cum filia Parhonis longè transcendisse: etsi ubique propè typicè de sancta illa communione loquutus est. Scriptum est dramaticum, in quo colloquentes inter se personæ introducuntur sponsus, sponsa, & amici, amicæque utriusque, huic connubio gratulantes. Cæterùm toto hoc capite exponuntur duo: unum est Ecclesiæ ad Christum aspirantis & Christi amicè eam advocantis colloquium, specie amantium qui diutius ferre non possunt absentiam alter alterius, usque ad vers. 9. alterum, mutua de bonis ipsorum inter se gratulatio, inde ad finem usque. 2 hujus amantium provocationis membra sunt duo; Ecclesiæ flagrantis amore Christi, usque ad vers. 8. & Christi respondentis, Ecclesiæque demonstrantis viam perveniendi ad congressum suum, vers. 8. Sermo autem Ecclesiæ primùm patheticè studium ipsius exponit erga sponsum, usque ad ver. 5. deinde apud amicas se purgat, quòd invenustior, eóque sponso indigna videatur, ver. 5. & 6. postremò ardenter sponsum inclamat: quæ omnia frequentibus apostrophis conscripta grave amantis pathos affectionémque animi repræsentant. Súntque prima hæc optantis Ecclesiæ verba cum animo suo: utinam me, inquit, sponsus ille meus Christus præsens amplectatur, & junctus permaneat mihi, me nunquam deserat; sed amantissima sua conjunctione in æternum prosequatur. 3 apostrophe pathetica ad sponsum, qua Ecclesia exponit causas optati sui: nimirum quòd ex ipso mirificam suavitatem percipiat, etiam tum quum peregrinamur ab ipso, duobus vers. & quòd eò fideliùs atque animosiùs sponsum prædicatura sit, ver. 4. 4 id est, magis suaves atque salutares. [a] *Heb. præ vino.* 5 id est, convivio lautissimo & instructissimo, synecdochicè. 6 id est, odoratissimus es, & odoratissima vel nominis tui recordatio, omnibus unguentis antecellens: ac propterea non tantùm mihi, sed amicis quoque meis dilectissima. 7 id est, infirmissimæ mihi vires tuas adhibe pro gratuito amore tuo, quum nemo ad te venire possit nisi trahatur divinitùs, Johan. 6.44. 8 ego & puellæ meæ, ministerio meo, & virtute tua: quod proximè sequentia verba ostendunt. 9 Christus dominus a patre constitutus, & regia potestate invictáque præditus. 10 in quibus omnes suos thesauros Christus asservat sponsæ. quasi dicat, quò ampliùs bona domus suæ lustraverit mecum, mihíque velut sponsæ crediderit ea; eò meliùs incumbemus laudationi ejus ego & amicæ meæ.

11 id est, non meæ tantùm amicæ, sed amici etiam tui sanctissimum hunc nostrum amorem uno ore prædicabunt. [b] *Heb. in rectitudinibus.* 12 occupatio duplex, qua se purgat Ecclesia apud amicas suas, id est, singularia ipsius membra quæ se in dies adjungunt Ecclesiæ, hoc modo: scio quidem adversariorum probra & criminationes quibus obruor perventuras esse ad aures vestras, sed neque sum mihi conscia, ut isti exprobrant; neque vos oportet eò animum advertere, ut a consortio sponsæ abducamini. Prætereà vos quoque fortasse locum dantes infirmitati vestræ existimabitis me indignam esse quæ conveniam in manum tanti regis; quòd partim afflictionibus, partim peccatis afflictionum causis veluti torrefacta atque exusta sum: sed quoties ego animum adverto ad blandam illam compellationem sponsi, qua utitur infra ver. 9. & seq. quam idem jam nunc testificatur spiritu suo in conscientia mea; omnino statuo me neque afflictionibus neque peccatis meis ab ipso avertendam esse, imò verò gratam & jucundam fore ei; quum ipse me purget ornetque lavacro regenerationis per verbum suum. [c] *Heb. filiæ Jeruschalaimorum.* 13 quasi dicat, oblatrent isti me tam nigram & invenustam esse quam ullus Æthiops. Est autem in his verbis elegans metonymia, qua non observata locus videtur obscurior. [d] *Heb. tentoriis Kedaris: ut Psal.* 120.5. 14 id est, sum ornatissima & venustissima: ne Schelomo quidem cum universa gloria sua, aut comitatus ejus in aulæis degens tam gratiosus est quam ego sum: vide 1 Reg. 10. 15 sed ad Christum sponsum meum gratiosè me compellantem, & suis bonis ornantem: altera occupatio, ut modò diximus. 16 id est, velut infuscata afflictionibus & peccatis, quæ figurantur verbis sequentibus. 17 id est, quòd oppressione vel persecutione, tamquam sole torrefacta sim; ut Matthæi 13.6. accipitur solis appellatio. 18 id est, peccatum originale sive innatum mecum inde ab utero, & in me habitans; cujus vi tum ad committendum malum, tum ad omittendum officium abrepta sum: vide Psal. 51.7. 19 id est, peccatum augescens & se ipsum inflammans, ut fieret summè peccans per legem acceptam a Deo: vide Rom. 7. 20 i. quòd peccatū peccans me ad colenda & observāda opera carnis tenebrarumq́; pertraxerit, & nunc etiam detineat plus satis; quod planè est tum ab officio meo, tum a lege mentis meæ alienum, Rom. 7.22. Hæc autem omnia rustica allegoria exponuntur, ad declarandam ampliùs indignitatem peccati habitantis in nobis, & præstantiā vocationis nostræ. 21 i. quòd ab officio meo, quamvis utili atq́; salutari, discesserim. [e] *He. vineam meam quod mihi.* 22 apostrophe Ecclesiæ ad sponsum. q.d. ne putetis me aut alienis criminationibus, aut mea ipsius indignitate absterreri, quò minùs accedā sponsum: ego jam ad illum converto orationem meam; inclamabo vobis præsentibus, & respōdebit mihi. Sunt autem hæc verba Ecclesiæ inclamantis allegorica; quibus Christum cum pastore comparat ovili suo cibum commodum & quietem prospicientem; ut Psal. 23. Itaq́; ostendit quàm beata sit conditio eorum qui sequuntur Christū; & contrà quàm misera cōditione uteretur, quàm diu in peccato vixit. 23 quo tempore ne mihi quidem capere quietem licet, nisi veniā ad te. 24 ætiologia petitionis a studio ardentissimo Ecclesiæ: nolo, inquit, vel ad tempus cū istis conversari, ac ne quidē præ me ferre quasi apud istos æquo animo agere possem: quò fortasse, nisi maturè responderes, mea infirmitate prolaberer. Quid enim aut honoris tibi, aut emolumēti mihi inde accederet? quapropter peto ut jam nunc indices.

tentorium apud greges [25] sociorum tuorum?
8 [26] QUANDOQUIDEM [27] [e] ignoras, ô
pulcherrima fœminarum; [28] [f] egredere vestigiis
illius gregis, & pasce [29] capellas tuas [30] supra ta-
bernacula aliorum [31] pastorum.
9 [32] Equitio [g] juncto curribus Parhonis
[33] comparo te, amica mea.
10 Decoræ sunt genæ tuæ *velut* [34] lineis la-
pillorum, collum tuum *velut* tomicibus.
11 [35] Lineas aureas faciemus tibi, cum punctis
argenteis.
12 [36] INTEREA dum rex [37] in accubitu suo
est, [38] nardinum edit odorem suum.
13 *Est* amicus meus mihi [39] *ut* fasciculus myr-
rhinus, [40] inter ubera mea pernoctans.
14 *Ut* bacca [41] cypri in plantariis [42] Hen-ge-
di, amicus meus *est* mihi.
15 [43] ECCE pulcra es amica mea, ecce pul-
cra es: oculi tui *sunt* [44] columbini.
16 [45] ECCE te, pulcher es dilecte mi, etiam a-
mœnus, etiam sponda nostra est [46] virens.
17 [47] Tigna domorum nostrarum *sunt e* ce-
dris, [48] ambulacra nostra e brutis.

[25] i. pastorum exterorum, qui nihil te attinent, sed tantùm communicant tecum pastoris specie & appellatione. [26] responsum Christi ad Ecclesiam, ut observatum est 2. versu. continet autem hoc responsum per ὑστέρωσιν primùm sententiam sponsi de prima quæstione versus 7. in hoc versu; deinde benignam testificationem animi sui propensissimi, beneficiorumq; erga Ecclesiam; ut confirmet Christus occupationem qua Ecclesia usa est vers. 5. & 6. & transitionem faciat ad gratulationem illam mutuam in qua secundum hujus capitis membrum constituimus. [27] id est, nondum planè cognoscis, sed ex parte tantùm: ac propterea amplius informari cupis. [e] *Heb. ignoras tibi: pleonasmus.* [28] i. ne tentorium ponito cum istis, quod proximè dixisti, neque illis ratione ulla adhæreto. Sic respondet secundæ quæstionis parti. [f] *Heb. egredere tibi* abeundo *in vestigiis.* [29] fidelium gregem. [30] i. pios supra hunc modum evehe, & cælestis doctrinæ alimento pasce. [31] quos Ecclesia socios propterea vocaverat ver. 7. [32] transitio ad secundum locum gratulationis mutuæ: ut observatum est in ver. 2. in qua primùm ternis versibus inter se gratulantur, deinde singulis; ac postremò quasi symphonia suæ communis domus præstantiam concinunt ambo, vers. ultimo. Prædicat autem Christus in Ecclesia dona sua, Ecclesia verò bona in Christo residentia & ad se pervenientia. [g] *Heb. cum curribus.* [33] i. similem efficio virtute spiritus, & verbo assero te longè ampliùs præstare cæteris ornamento atque dignitate, quam Parhonis equitatum cæteris: quod beneficium ab amore sponsi in sponsam profectum, his tribus versibus explicatur; a dignitate personarum, præsentium ornamentorum, & ampliùs etiam eventurorum ex promissione: quæ omnia similitudine regii equitatus illustrantur. [34] quæ orientalium equitatui ferè adhibebantur: ut Judic. 8. 24. q. d. quemadmodum in regali equitatu illo curules equi aureas habent ornatas gemmis, & tomices, id est, collaria pretiosissima; ita jam pretiosè instructa es. [35] i. etsi jam ornatissima es, ampliùs te ornabimus tamen; hoc enim beneficium est patris, filii, & spiritus sancti: ideóque plurali verbo utitur. [36] reciproca laudatio quam Ecclesia canit Christo propter suavissimum odorem ejus, qui ad ipsam pervenit verbo & administratione spiritus. [37] i. in cælis; dum Ecclesia peregrinatur a Domino. [38] id est, perfundor odoribus suavissimis, tribus ℣; quanto magis quum patefacta vita mea revelabor cum ipso in gloria? Coloss. 3. 4. 13. [39] ὑπερθετικῶς verborum ad evidentiam trajecimus, hîc & seq. versu. [40] ut serta & coronaria odoramenta eo loco a puellis gestari solent. [41] vide Plinium lib. 12. cap. 24. [42] vide Genes. 14. 7. [43] conclusio sponsi gratulabunda. [44] gratiosi, simplices, & casti, ut columbarum sunt. [45] gratulatio sponsæ, a pulcritudine sponsi, & futura liberorum procreatione. [46] id est, fructuosæ synecdochicè. [47] conclusio symphoniaca sponsi & sponsæ, domum suam concelebrantium a pretio & commoditate summa. [48] i. paradromides, sive ambulationes continentes, quibus sponsus & spõsa invisunt inter se. Brutas autem arbores interpretamur, sequuti vocem Hebraicam, quam adhuc sua ætate servatam fuisse ostendit Plin. lib. 12. cap. 17.

CAPUT II.

Sponsus dignitatem suam & sponsæ prædicat: cui sponsa respondens eum laudat, eíque fert accepta omnia bona sua: officia ejus erga se convivio figurat, summúmque suum amorem in eum deliquio: deinde sponsi adventum ad se, vocationem suam, & promissiones amplissimas exponit quæ in Ecclesia percipiuntur Evangelio: ideóque de communione ejus gloriatur, & præsentiam expetit usque ad promissionum complementum secundo adventu ejus.

[1] EGO *sum* [2] rosa Scharonis, lilium convallium.
2 [3] Ut lilium inter spinas, ita *est* amica mea
inter filias.

[1] Hujus capitis partes in universum duæ sunt: una est, vox sponsi se ipsum & sponsam suam prædicantis, duobus versibus; altera, oratio sponsæ prædicantis sponsum, beneficia ejus narrantis atque invocantis ipsum, usque ad finem. Prædicatio autem sponsi continet primùm explicationem allegoricam præstantissimæ & suavissimæ virtutis ejus omnibus testatæ, in primis vero Ecclesiæ per cõmunicationem spiritus, hoc versu: deinde dignitatis quæ ab ipso ad Ecclesiam totam pervenit, seq. vers. [2] i. odoratissima, ut rosa locis apricis gaudet, estq; odoratior: vide 1. Chro. 27. 29. idem judicium de seq. epitheto. [3] id est, tam superat Ecclesia alios omnes cœtus dignitate atque præstantia, quàm lilium spinas: cæteri omnes sunt spinæ, si cum Ecclesia comparantur.

3 [4] UT malus inter arbores sylvæ, [5] ita *est* a-
micus meus inter filios: in umbra ejus summè
desidero [6] ut sedeam, nam fructus ejus dulcis *est*
palato meo.
4 [7] Introduxit me in locum [a] convivii, [8] [b] ha-
bens pro vexillo amorem erga me.
5 [9] Fulcite me [10] lagenis istis, [c] sustentate
me [11] istis malis: [12] nam ægra amore sum.
6 [13] Sinistra ejus *esto* subter caput meum, &
dextra ejus amplectitur me.
7 [14] Adjuro vos [d] Jerosolymitanæ, [15] *emanetatis* cum capreis, aut cum cervis agri: ne excite-
tis, neque expergefaciatis [16] hunc amorem, [17] us-
que dum voluerit.
8 [18] Vox dilecti mei *est*, ecce illũ, advenit; [19] sali-
ens super istos mõtes, subsultãs super istos colles,
9 Similis dilectus meus capreæ, aut hinnu-
lo cervorum; [20] ecce illum stantem post parietem
nostrum, prospicientem e fenestris, [21] [e] emican-
tem ex clathris.
10 [22] Proloquens amicus meus dixit mihi;
[f] surge amica mea, pulcra mea, & veni.
11 [23] Nam ecce, hyems transiit; pluvia præ-
teriit, [g] abiit.
12 Florentia conspiciuntur in terra, tempus
minuritionis advenit; & vox turturis auditur in
terra nostra.
13 Ficus ipsa protulit grossulos suos, & vites
ipsæ primâ uvâ edunt odorem: surge amica mea,
pulcra mea, & veni.

[4] hæc oratio sponsæ continet primùm propositionem dignitatis sponsi & studii Ecclesiæ erga ipsum, hoc versu; deinde narrat mutui illius inter se amoris officia usque ad versum 16. ac postremò fructum istius amoris perpetuum a sponso petit, duobus versibus ult. [5] nimirum fructuosissimus atque suavissimus umbra & fructibus, ut verba sequentia explicãt. [6] id est, permaneam in ipso, & ipse in me; quod duo ultimi versus exponunt. [7] narratio hæc allegorica singularia duo Christi in Ecclesiam officia depingit: unum, vitæ & salutis allatæ, sub specie convivii & curationis, usque ad versum 8. alterum, voluptatis, pacis, & bonorum omnium ad ipsam pervenientium, specie verni temporis, rerúmque vernantium, & se quodammodo coram Ecclesia sistentium ad ministerium ejus, inde usque ad versum 16. [a] *Heb. vini.* [8] id est, unico suo amore erga me, velut insigni ob oculos posito, animum meum ad se pertrahens; ut milites a duce convocantur & continentur sub signis. Sic autem hunc locum distinximus, adducti aliquot veterum exemplarium fide. [b] *Heb. & vexillum ejus erga me amor.* [9] Ecclesiæ ad amicas verba, æstuantis amore Christi & in medio convivio velut deliquium animi ex amore patientis. Sunt autem illius in hac infirmitate adjumenta duo: unum, amicarum ministrantium de bonis sponsi. id est, prophetarum, apostolorum, & servorum Dei, hoc versu; alterum, sponsi ipsius Christi, qui unus efficaciter curat Ecclesiam sequente versu. [10] id est, salutari potu sponsi mei. [c] *Heb. substernite mihi.* [11] pomis odoratis e penu Christi: ut languentibus odoramenta ad nares apponi solent. [12] non desino æstuare, donec perfectè fruar congressu sponsi mei in cælesti gloria. [13] id est, sponsus ipse manum utramque admovet ad sustentandum me in hac infirmitate mea, & in exspectatione futuri illius beatissimi congressus sua virtute sustinet. Est autem hæc sustentandi forma sumta ab antiqua ratione accumbendi in conviviis: prout veteres accumbentes, non sedentes (ut hodie) epulabãtur. [14] verba sponsæ per apostrophen ad amicas, velut requiescentis in ulnis sponsi sui: quibus monet eas, ne Christo conquiescenti in amplexu ipsius ulla ratione molestæ sint. Hæc autem sponsæ potiùs quam sponsi verba esse statuimus; tum quia sponsi non est adjurare, sed jubere pro imperio; tum quia sequentes locos omnes, qui hoc ipso argumento sunt, a sponsa pronunciari constat; tum etiam deniq; quia veterum honestas postulabat ut sponsa amicas suas compellaret, non autem sponsus: quam honestatem alibi in toto hoc libro observat Schelomo; ut contrà sponsus imperat suis amicis, infrà ver 15. [d] *Heb. filiæ Jeruschalaimorum.* [15] id est, foris versamini, ne interturbetis aut negotium facessatis sponso. Nam hoc toto capite ita loquitur sponsa, quasi convivium in prædio rustico haberetur. [16] i. sponsum quem amo unicè: metonymia. [17] id est, nunquam. quasi dicat, ab omni illius offensa, & provocatione vel levissima abstinere. [18] alter locus narrationis de voluptate, pace, & omnibus bonis, ad quæ perlustranda & jam jam ex parte percipienda sponsus advocat sponsam suam, ut dictum est in versum 4. cujus loci partes sunt duæ, quas Christus verbo suo in Ecclesia perficit: una est, quod Ecclesiæ bona exhibet, & velut ex hybernis peccati tempestatibus liberatam recreat, usque ad ver. 15. altera, quòd per amicos administros suos depellit mala, ver. 15. Hæc autem omnia venustissimè figurantur, quasi sponsus quiescente sponsa rus profectus esset, & illa jam ad sponsi redeuntis vocem excitaretur, & exsultaret gaudio. [19] i quàm ocyssimè, ut sequentis versus declarat comparatio. [20] q. d. ecce dicto celeriùs jam astat mihi, est præsentissimus: verba autem hęc sponsæ gradatim explicant mirificum opus Christi erga se; cujus primùm vocem audit. deinde venientem prospicit, & postremò illicò præsentem videt. [21] i. florentissimo, jucundissimoq; conspectu se exhibentem mihi; metaphora a floridis arboribus, quibuscũ Christus est comparatus, sup. ℣. 3. [e] *He. efflorescentem.* [22] prosopopœia sponsi Ecclesiam suam invitantis, non quidem ad plenum & absolutum fructum bonorum omnium, quæ asservantur in cælis; sed ad omnia illa certissima venturi fructus documenta & pignora, quæ verbo & opere per spiritum æternũ cum Ecclesia voluit cõmunicata Christus. [f] *Heb surge tibi pleonasmus: ut Gen. 21. 33. & sic infr. ℣. seq. & 13.* [23] exornatio vocationis sponsæ, qua modò usus est Christus, a comparatione temporis præcedẽtis vocationem, & subsequentis: præcedens tempus, inquit, totum hybernum fuit atq; procellosum, quo aliena fuit a vocatione & in peccatis jacens: hoc verò ex quo vocata es totũ est virens, florens, germinans, jucundum, suave, atq; fructuosum; deniq; animum tuum & sensus omnes amœnissimè expleturum. [g] *Heb. abiit sibi.*

14 [24] Columba mea *degens* in salebris istis pe-
træ, in latibulo [h] prærupto, [25] ostende mihi a-
spectus tuos, fac ut audiam vocem tuam: [26] nam
vox tua suavis *est*, & aspectus tuus decens.
15 [27] Prehendite nobis vulpes, [28] [i] vulpecu-
las corrumpentes vineas; dum vineæ nostræ
[k] efferunt uvam primam.
16 [29] Dilectus meus, meus *est*; & ego illius,
[30] qui pascit in liliis,
17 Donec aspiraverit [31] dies ille, & fugerint
[32] umbræ istæ: [33] revertere, similis esto, dilecte
mi, capreæ aut hinnulo cervorum *currenti* [34] in
montibus disparatis.

[24] id est, pulcherrima, integerrima, & castissima amica mea, quæ ante jacta fundamenta mundi in sempiterno decreto ac electione Dei, tanquam in rupe inaccessa & immota, delituisti, nunc etiam delitescis & in æternum ibidem conquietura es: alterum genus allegoriæ, quo Christus compellat sponsam ad fruenda bona quæ in præsentia exhibet vocatione sua. [h] *Heb. præcipitii.* [25] id est, accede ad me, conversare mecum, confabulare, ambula continenter mecum, & esto integra. [26] id est, tu enim Deo accepta es per gratuitam electionem ejus, interventu Christi. [27] apostrophe sponsi ad amicos: qua intereà dum fruitur sponsæ colloquio, jubet amicos operam dare, ut omnia tollant quæ hæreditati Ecclesiæ essent obfutura, sive doctrinæ sive morum improbitate. [28] q. d. ne minimis quidem parcite: omne malum, & occasionem, speciemq; mali amovete. [i] *Heb. vulpes parvas.* [k] *Heb.* sunt *uva prima.* [29] conclusio superioris narrationis; qua Ecclesia primùm gloriatur de præstantissima sua communione cum Christo; deinde præsentiam illius exoptat toto curriculo hujus vitæ, donec perfectè cum ipso adunata sit in cælis. [30] id est, qui in satietate gaudiorum & amœnitatibus ad dexteram suam alit suos, ut pastor optimus: Psal. 23. [31] gloriosi adventus tui, quo revelabitur Ecclesia perfectè assumta in communionem tuam, & bonis tuis omnibus gloriosè perfruetur. [32] quæ tantisper offusæ sunt, dum Ecclesia versatur in hoc mundo. [33] id est, cura ut mihi adsis quàm velocissimè, neque a me latum unguem discedas. [34] i. Gilhadis, quos fluvius Jarden a reliqua Judæa disparat: ut 2. Schem. 2. 29. Horum autem montium potiùs quàm aliorum in Judæa meminit; quia summa in illis fuit præstantia & commoditas venationis; quum nondum fuisset occupata Chamath & domus ædificata in saltu Libani, quo tempore ista a Schelomone conscripta sunt.

CAPUT III.

Ecclesia exponit studium suum maximum prehendendi & obtinendi sponsi: deinde quia de gloria sponsi confirmata est, ostendit sibi honestius & utilius esse ut hic non detineat sponsum, sed conscendentem in thalamum suum cælestem prosequatur.

[1] IN cubili meo per noctes quæsivi eum quem
amat anima mea; quærens eum, quum [2] non
invenissem eum, *dixi*,
2 [3] Jam surgam, & obibo civitatem, per
vicos & per plateas quæram eum, quem dili-
git anima mea; sed quærens eum [4] non inveni
eum.
3 [5] Invenientibus me custodibus [6] qui obe-
unt civitatem *dixi*, *an* eum quem diligit anima
mea vidistis?
4 Paululùm præteriveram ab illis, quum in-
veni eum quem diligit anima mea: prehendi eum,
[7] non situra eum usque dum introduxero eum
in domum [8] matris meæ, & in conclave gene-
tricis meæ.
5 [9] Adjuro vos [l] Jerosolymitanæ, *eminentes*
cum capreis, aut cum cervis agri: ne excitate,
neque expergefacite hunc amorem, usque dum
voluerit.

[1] Hujus narrationis partes sunt duæ: una est, qua Ecclesia exponit suum studium prehendendi Christum atque possidendi, usque ad versum 6. altera, qua veluti se ipsam corrigens cupit prehendi ab ipso & manere apud ipsum, inde ad finem usque. Prioris autem summa est, Ecclesiam interdiu, noctu, domi, foris, in urbe, in agro, ubivis denique flagrare desiderio Christi, & in eo conquiescere. [2] id est, non satis perciperem eum præsentem pro desiderio meo: nam ad sensum nostrum & Ecclesiæ ipsius interdum videtur abesse Christus, aut non adesse propè; etsi re ipsa est præsentissimus. [3] hæc omnia allegoricè humanitùsque dicta sunt, pro eo quod est, quæram ex toto studio & tota facultate mea. [4] satis ex sententia animi mei, ut suprà versu 1. [5] continuatio allegoriæ, pro eo quod est in quoscumque incidebam, etiam præfectos custodiæ publicæ, non dissimulabam, neque me pudebat Christi; sed palàm exponebam me ejus amore languentem esse, ut dixerat suprà 2. 5. [6] id est, circitores, qui singulas excubias recognoscunt de nocte. [7] quasi dicat, & quidem prehendi eo animo ut diverteret ad me, & permaneat mecum apud matrem meam (est autem hic τὸ ἀπρεπὲς τῆς ἀλληγορίας castimoniam Ecclesiæ honestate humana figurans, quòd puella nihil facit nisi matre conscia) donec dies ille aspiraverit de quo suprà 2. 17. [8] vide infrà 7. 6. [9] propositio Ecclesiæ obtinentis sponsi consortium, ne qua illi fiat molestia, ut suprà 2. 7.

6 [10] Quænam *est* illa [a] [11] quæ ascenderet ex
deserto, velut *suffumigata* [b] excitatis fumis; suffu-
migata myrrha & thure, *præstantiore* quàm omnis
pulvisculus aromatarii?
7 [12] Ecce lectus ejus *præstantior* eo qui *est*
Schelomoni, quem circumstant sexaginta poten-
tes e potentibus Jisraëlis.
8 Omnes [c] stringentes gladium, edocti bel-
lum; quisque *accinctus* gladio suo super femur su-
um, a pavore singulis noctibus:
9 [13] Throno *quem* paravit sibi rex Schelomo,
ex lignis Libani;
10 Cujus columnas fecit argenteas, cujus
stratum aureum, cujus stragula purpurea; cujus
[d] interiora *quasi* pavimentata amore, [14] a puellis
[e] Jerosolymitanis.
11 [15] Prodite, & spectate puellæ Tzijonis re-
gem Schelomonem; cum corona quam [f] curavit
ei mater ejus die sponsaliorum ejus, & die lætitiæ
[g] animi ejus.

[10] nimirum præter me? altera pars qua Ecclesia veluti sermonem corrigens quo usa fuerat versu 4. lustratis bonis sponsi sui dicit; quid? an facerem ut ille apud me diverteret, ac non ego potiùs laborarem ut conveniam in domum ipsius? cui omnia sunt instructissima ordoratissimaq;, & thalamus ipse longè gloriosior omni gloria Schelomonis. Quamobrem gloriam hanc Christi, & ipsius spiritualis thalami, ubi Ecclesia conquiescit cum Christo, commendat allegoricè tum ab odore, hoc versu: tum a securitate, pretio, & ornatu, seq. [a] *Heb ascendens.* [11] i. certa fide extra se & supra totum mundum inanissimum pietatis efferretur ad Christum, suavitate odorum ipsius & ornamentorum delectata? [b] *Heb. elationibus fumi.* [12] amplificatio dignitatis quæ inest cubili Christi & Ecclesiæ, per comparationem cubilis Schelomonis qua seipsam Ecclesia ad officium excitat. [c] *Heb. prehendentes.* [13] i. thalamo conjugali, virente (ut dixit suprà 1. 16. atque fœcundo: nam hoc propriè Hebraica voce designatur. [d] *Heb. medium pavimentatum.* [14] i. quæ omnia plumario opere & phrygionico acu pinxerunt Jerosolymitanæ. [e] *Heb. Jeruschalaimorum.* [15] i. observate & animadvertite: planè videbitis gloriam hanc Schelomonis nihil esse ad sponsi mei gloriam. [f] *Heb. coronavit.* [g] *Heb. cordis.*

CAPUT IIII.

Christus Ecclesiæ perfectionem laudat: & amore illius postquam exclamavit, celebrat suavitatem sermonum, ornamentorum, fidei, officiorum, & fructuum ejus. Quamobrem Ecclesia agnoscens quicquid boni habet, a Christo in se profectum esse, ampliùs ipsum celebrat, & sibi adesse petit: quod Christus ex parte annuit.

[1] ECce pulcra es, amica mea, ecce pulcra es,
[2] oculi tui columbini præ [3] crine tuo: pilus
tuus, [4] ut gregis caprarum [5] quæ detondent de
monte Gilhadis.
2 Dentes tui similes gregi [6] equarum *pecu-*
dum, quum ascendunt ex lavacro; [7] quæ omnes
[a] e gemelliparis *sunt*, in quibus [8] nulla *est* orba:
3 [9] Velut filum dibaphum labia tua, & ser-
mo tuus decens; [10] velut fragmen malogranati
utrumque temporum tuorum præ crine tuo.
4 [11] Simile turri Davidis collum tuum, ædi-
ficatæ ad [12] armaria, de qua millena scuta pen-
dent, omnes umbones [13] potentum:

[1] Hoc toto capite continentur duo: unum est responsum Christi Ecclesiam sponsam suam celebrantis, usque ad versum 15. alterum est oratio Ecclesiæ omnia bona sua ferentis accepta Christo, & præsentissimam illius opem porrò implorantis cum responsione Christi, tribus versib. ultimis. Christi autem responsum continet primùm descriptionem singularem & allegoricam membrorum Ecclesiæ, usque ad vers. 6. deinde verò Christus amorem suum erga Ecclesiam, & promissiones officiaque amoris explicat: postremò ad laudes Ecclesiæ revertitur, inde a vers. 9. [2] descriptio singularis pulchritudinis, quã generatim Ecclesiæ inesse modò dixit, ab enumeratione partium: vide sup. 1. 15. [3] i. crine tuo modestè & pudicè composito, & reducto procul ab oculis; non autem projecto & lascivè exuberante, quod impudicarum est. [4] i. comtissimus & nitidissimus; prout est in capris benè pastis & curatis. [5] i. virgulta decerpunt loco sibi opportunissimo. [6] dentium laus triplex significatur: prima est, omnium inter se æqualitas; secunda, nitor; tertia, perfectus & absolutus numerus duobus ordinibus dentium inter se respondentibus. [7] i. tam similes inter se & convenientes superior dens quisque cum inferiore suo, quàm ferè convenit inter gemellos; quemadmodum etiam utitur infra vers. 5. in comparatione uberum. [a] *Heb. gemellipararum.* [8] i. nullus dens desideratur in suo ordine, ut quum gemelliparæ ovi cuique sui adsunt agni. [9] pro eo quod est, labia sunt tibi parva atque rubentia. [10] i. roseo colore est vultus tuus inde a temporibus cum genis subjacentibus, quæ pari & convenientè rubore decoratæ sunt: synecdoche. [11] i. collo es rectissimo, venustissimo, & rebus pretiosis instructissimo, sicut est turris illa eminentissima Jeruschalaimorum, quæ a Davide extructa fuit in clivo Mikrzoani pro armamentario, ad strictè custodiæ: vide Nechemjæ 3. 19. & 25. [12] ubi appendebantur arma acuta, polita, atque comparata ad usus necessarios: quod compositio vocis Hebrææ sonat, & sequentia verba interpretantur. [13] i. ducum imperium habentium in regis copias; ut 2. Schem. 23. & Nechemjæ 3. 16.

5 [14] Duo ubera tua similia *sunt* duobus hin-
nulis gemellis capreæ, [15] pascentibus inter lilia.
6 Donec aspiraverit [16] dies ille, & fugerint
istæ umbræ; [b] [17] ibo ad montem hunc myrrhæ &
ad collem thuris.
7 [18] Tota pulcra, amica mea, & [19] vitium
nullum *exsistit* in te.
8 [20] Mecum inde a Libano, [21] ô sponsa, me-
cum inde a Libano venies; contemplaberis a
vertice Amani, a vertice [22] Scheniris & Chermo-
nis, e lustris leonum, e montibus pardorum.
9 [23] Rapis animum meum, soror mea spon-
sa: rapis animum meum uno *aspectu* oculorum
tuorum, uno torque [c] a faucibus tuis.
10 Quàm pulcri *sunt* amores tui, soror mea
sponsa! quàm boni sunt amores tui, [24] *præstanti-
ores* vino; & odor unguentorum tuorum præstan-
tior omnibus aromatis:
11 [25] Favum stillant labia tua, ô sponsa; mel
& lac subsunt linguæ tuæ, & odor vestium tua-
rum *est* velut odor Libani.
12 [25] Ut hortus clausus *es*, soror mea sponsa: ut
[27] scaturigo clausa, fons obsignatus.
13 [28] Propagines tuæ *sunt* mali punicæ, *tam-
quam* pomarii, cum fructu rerum pretiosarum;
[29] cypri cum nardis,
14 Nardus & crocus, calamus odoratus, &
cinnamomum, cum omnigenis arboribus [d] thu-
riferis; myrrha & [30] santali, cum omnibus [31] præ-
stantissimis aromatum.
15 [32] O Fons hortorum, putee aquarum
[33] viventium; & fluentium suprà quàm Libani,
16 [34] Evigila Aquilo, & veni Auster; [35] perfla
hortum meum, [36] perfluant *aquæ* aromata ejus:

[14] i. sunt simillima inter se & plenissima, quasi hinnuli optimo loco pasti. Hæc autem omnia hactenus de venustate & elegantia Ecclesiæ dicta, universè denotant eam esse absolutissimam & præfectissimam, ut concluditur vers. 7. neque dubium est quin idem de omnibus membris inde ab uberibus usque ad imos talos analogicè sit intelligendum præterea non dubitamus, quin ut singulis membris Ecclesiæ suæ sunt functiones, ita singularia hæc membrorum attributa sigillatim accommodari possint: sed non fuit consilii nostri in illis excutiendis minutatim operam consumere; ne aut pauciora quàm debentur afferamus, aut plura ingrediamur quàm promisimus. [15] vide sup. 2.16. [16] quo consummabuntur nuptiæ: vide suprà 2.17. Continentur autem his tribus versibus promissiones Christi respondentes ad postulata Ecclesiæ, suprà 3. Pollicetur enim Christus primùm præsentiam suam in Ecclesia quamdiu peregrinamur a domino; deinde illo tempore transacto pollicetur se perducturum Ecclesiam in Domum suam, ver. 8. & 9. [b] *He. ibo mihi: ut Gen. 11.33.* [17] i. Hierusalē cælestem, in cælum, ubi jam recepti sunt amici qui me colunt, & quorum officia mihi sunt odoratissima. [18] altera promissio sanctificationis per spiritum, hoc versu; & vitæ æternæ, seq. [19] quasi dicat, quum effecero ut ab omni peccato & labe peccati liberata summam tuam pulcritudinem perfectionémque consequaris, & te hoc pacto ad beatum illum nuptiarum diem comparavero; tum demum te assumturus sum. jam enim ita es judicio meo, & tum beneficio meo ita futura es. [20] i. totam te colligam, nemo peribit ex manibus meis; sed ex omnibus tuis finibus, quamvis remotissimis recipiam te, & a periculosissima ferissimáque hujus mundi colluvie vindicabo. [21] hîc primùm nomine isto appellatur, ratione diei illius beatissimi qui nuptiis a sponso dictus est: quemadmodum etiam soror seq. versu, intimæ necessitudinis & germanitatis nomine. [22] vide Deut. 3.9. Schenirem autem hîc propriè vocat Chermonis partem quam Emoræi obtinuerant. [23] regressio pathetica ad laudes Ecclesiæ, specie hominis in amorem summum exardescentis: qua simul atque Christus gravissimis acclamationibus adumbravit amorem suum, duobus versibus figuratè exponit suavitatem orationis, ornamentorum, fidei, officiorum, & Fructuum ejus, usque ad versum decimumquintum. [c] *Heb. a collulo tuis*, ὑποκοριστικῶς. [24] ut suprà Ecclesia prædicaverat de sponso 1.2. [25] hoc est, mellitissima est oratio tua, & odor jucundissimus. [26] id est, optima fide castam conservas te mihi, & tuos fructus integros; qui fructus allegoricè duobus sequentibus versib. exponuntur. [27] i. conceptaculū salutaris illius doctrinæ, qua omnes mei agri sive horti partes, areolæ & plantæ irrigantur; & quod nemini extero pervium est, quia nemo ingreditur illûc nisi per me. [28] i. plantæ omnes tuæ sunt pretiosissimæ. [29] vide suprà 1.14. [d] *Heb. thuris.* [30] ut Nume. 24.7. [31] vide Exo. 30.23. [32] altera pars capitis, qua Ecclesia modestissimè accipiens quæ ipsi attribuit Christus suprà vers. 12. & seq. ostendit ipsum omnis boni auctorem esse, & amplius benedici petit præsentia ejus. q.d. quid ergo, ô Christe? quo alio nomine significare possim infinitos illos thesauros sapientiæ & intelligentiæ, plenitudinémq; deitatis quæ in te habitat corporaliter? quòd scaturiginem & fontem me vocas, adnosco me fontis usum præstare meis: verùm tu ille es cui fontis, putei, aquarum perennium, aëris, omnis denique vitæ & salutis nomen attribuendum est: imò verò tu fons ille es, ego tantùm rigo ex fonte tuo; tu puteus ex quo haurio, tu aqua perennis, tu aër vivificus; ego cibum, potum, omnia denique de manu tua dono accipio: quamobrem peto ut porrò imploranti fidem tuam adjumento sis præsentia tua. [33] id est, perennium & abundantissimarum: quibus verbis figuratur infinita omnibus numeris beneficentia Christi. [34] i. tu, qui aëris usum præstas ad fœcundandum hortum tuum, & veluti ventorum percussu aërem perpurgas, tempestatesq; serenas & pluviosas efficis pro commoditate horti tui. [35] i. quasi perflando effice quod mihi ex usu esse videris: petitio accommodata ad posteriorem comparationem ventorum cum Christo, per ἀνταπόδοσιν. [36] nimirum aquæ illæ viventes tui fontis & putei, de quo versu 15. petitio respiciens ad priorem comparationem: utraque autem proximis verbis nudè explicatur.

CAPUT V.

[37] veniat amicus meus in hortū suum, [38] ut com-
edat fructum rerum pretiosarum suarum.
17 [39] Ingressus hortum meum, soror mea
sponsa, [40] decerpo myrrham meam cum aroma-
tibus meis, comedo favum meum cum melle
meo, bibo vinum meum cum lacte meo: comedi-
te amici; bibite & inebriamini dilecti.

[37] i. accedat & habitet in me, ut promiserat Christus suprà ver. 6. [38] i. ut cum sponsa sua conviviatur, quod illa desideraverat sup. 3.4. nam hic quoque, ut in cælis, hortus tuus est, ait illa. [39] excusatio sponsi, cur non statim & omnino votis Ecclesiæ respondeat, nimirum quòd adhuc ipsi tempus est residendi in cælis cum myriadibus angelorum & spiritibus justorum consecratorum, donec advenerit justus nuptiarum dies. [40] i. comparo sanctis locum, & transeuntes ad me excipio amantissimè in cælesti gloria. Hunc autem versum ad superiora pertinere res ipsa loquitur.

CAPUT V.

Ecclesia, Christi a se discessum suis peccatis acceptum ferens, offensionem suam narrat & pœnas meritas: opem piorum implorat ad studium suum erga ipsum communi opera exponendum: sponsum describit & locum quò recepit se, ac seipsam in fide confirmat.

[1] EGo [2] dormivi, licet animo meo vigilante;
quum voci dilecti mei pulsantis, [3] aperi mi-
hi soror mea, amica mea, columba mea, integra
mea; nam [4] caput meum oppletum est rore, ca-
pilli mei aspersionibus [a] nocturnis;
2 [5] *Respondi*, exui tunicam meam, quomodo
induerem eam? lavi pedes meos, quomodo in-
quinarem eos?
3 [6] Dilectus meus demiserat manum suam
[7] a foramine, quum [8] visceribus meis frementi-
bus [b] in me,
4 Surrexi ego ad aperiendum dilecto meo,
[9] & manus meæ stillârunt [c] myrrhinum, digitiq;
mei myrrhinum liquidum [10] in manubriis seræ.
5 [11] Aperui ego dilecto meo, sed dilectus
meus subducens se prætererat: exanimata sum
propter [d] colloquium ejus; quæsivi eum, sed non
inveni eum; inclamavi eum, sed non respon-
dit mihi.
6 [12] Invenientes me custodes qui obeunt ci-
vitatem, percusserunt me, vulnerârunt me; ab-
stulerunt carbasum meum a me custodes mu-
rorum.
7 [13] Adjuro vos [e] Jerosolymitanæ; si invenia-
tis dilectum meum, [14] quid indicaretis eî? ægram
amore me esse.

[1] Hujus capitis, quod dramaticum est, summa partes sunt duæ: una est, lamentatio Ecclesiæ se ipsam incusantis de officio non satis diligenter conveniéntérq; in sponsum præstito, usque ad versum 7. altera est confabulatio sponsæ cum puellis amicis suis; quibus consulentibus Ecclesia respondet de conditione sponsi sui, habitatione, & mutua inter ipsos communicatione, inde ad finem usque. [2] i. torpebam sanè velut somno oppressa fide, minimè verò extincta. Continet autem hæc narratio primùm confessionem delicti, quatuor versibus; deinde calamitatum quæ ex delicto evenerunt, duobus seq. [3] sermo Christi ad Ecclesiam accedentis, cujus commemoratione Ecclesia amplificat indignitatem facti sui: tam blandè (inquit) compellavit me, tam gratiosè, tam honorificè, denique tam sollicitè, quàm si sua res, ac non potiùs mea ageretur. [4] i. nullum malum aut incommodum defugi, quin susceperim propter te. [a] *Heb. noctis.* [5] id est, disceptavi cum animo meo, titubavi fide, & præpedita infirmitate mea ita sum cunctata, quasi non potuissem sine frigoris damno, aut sordium incommodo aperire fores: denique stulta pluris feci tam exiguum incommodum in fungendo officio meo, quàm tot mala & incommoda, quæ sponsus propter me voluntariè susceperat. [6] i. hoc responso audito desistebat, & recipiebat se: humaniùs dicta. [7] nimirum seræ, quo aperiuntur fores. [8] id est, pœnitentia adducta, & respiscens cum animo meo. [b] *vel, de eo.* [9] secundus locus pertinens ad amplificandam indignitatem, nimirum quod Christus foribus vestigia odorata adventus sui nihilominus impressit, ut excitaret & afficeret segnem Ecclesiam. q.d. ita perfudit fores meas copiosè benedictione sua & odore Evangelii, ut illarum ipsarum tactu perfunderer, & revocarer ad cogitationem indigni facinoris mei. [c] *Heb. myrrham, & digiti mei myrrham transeuntem metonymicè.* [10] i. quod sponsus eò infuderat sua injecta manu. [11] explicatio malorum quæ sequuta Ecclesiæ comparata sunt: quorum primum est quòd sponsus se ad tempus subducit; secundum quòd Ecclesia veluti exanimatur propter culpam suam discedente sponso, nec statim se iterum exhibente, hoc versu; tertium, quòd eo absente multa mala Ecclesiæ laboranti obveniunt, seq. vers. [d] *Heb. loqui.* [12] id est, omnes infesti fuerunt mihi, etiam illi a quibus fueram custodienda, ut sup. 3.3. [13] altera pars capitis, dialogismus Ecclesiæ cum puellis amicis suis, ut sup. 1.7. qua postquam confessa est Ecclesia ardentissimum amorem suum, occasionem capiunt puellæ rogandi Ecclesiam primùm de sponso versu 8. & seq. respondetur: deinde verò de loco, vers. 16. ad quæ sigillatim Ecclesia respondet. [e] *Heb. filiæ Jeruschalaimorum: sic infrà ver. 14.* [14] quasi dicat, neque ego vos celo amorem meum, neque a vobis celari peto; sed potiùs liberè expono a vobis, & renunciari dilecto meo.

8 [15] QUID *est* dilecto tuo præ *alio* dilecto, ô
pulcherrima [f] fœminarum? quid *est* dilecto tuo
præ *alio* dilecto, quòd ita adjuras nos?
9 [16] DILECTUS meus [g] candore & ru-
bore, [17] vexillarius est e myriade.
10 Caput ejus, [18] insigne aurum, purgatissi-
mum; capilli ejus crispis discriminibus nigri ut
corvus:
11 Oculi ejus ut [19] columbarum, [20] juxta al-
veos aquarum; [21] loti in ipso lacte, [22] siti insi-
tione:
12 Genæ ejus [23] similes areolæ [h] aromaticæ,
adultis plantis [i] unguentariis; labia ejus [24] liliis
stillantia [k] myrrhinum liquidum.
13 [25] Manibus ejus *insunt* orbes aurei insiti
beryllo thalassio: [26] *est* visceribus ejus nitor ebo-
ris tecti sapphiris.
14 Crura ejus *sunt* columnæ marmoreæ in-
nixæ [27] stylobatis auri purgatissimi; aspectus ejus
ut Libanicarum, lectissimus ut cedrorum illius.
15 [28] Palatum ejus [l] dulcissimum *est*, denique
[29] totus *est* [m] desideratissimus; hic *est* dilectus me-
us, & hic amicus meus, ô Jerosolymitanæ.
16 [30] Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima
fœminarum? quò se vertit dilectus tuus, ut quæ-
ramus eum tecum?

CAPUT VI.

17 DILECTUS meus [n] [31] descendens *abiit*
[32] in hortum suum, ad areolas [o] aromaticas,
[33] ut pascat in hortis, colligátque lilia.
18 [34] Ego sum dilecti mei, & dilectus meus
meus *est*, qui pascit in liliis.

[15] prior quæstio, quid sit in sponso singulare quod tanti faciat Ecclesia. [f] *Heb. inter fœminas.* [16] descriptio sponsi allegorica, qui primùm a vivo colore describitur hoc vers. deinde a singulari membrorum enumeratione. [g] *Hebr. candido & rubente colore,* [17] i. præ omnibus nativo succo, & colore temperatissimo ac conveniente instructus est; quæ sunt indicia firmissimæ valetudinis: metaphora a re militari, [18] pretiosissimũ & splendidissimum. [19] ut suprà 1.15. [20] i. columbarũ lautissimarum: periphrasis. [21] i. quorum album est lacteum, & nitens albedine. [22] i. tam convenientes & apti suis foraminibus, ut insitivæ gemmæ in annulorum palis. [23] i. florentes barba convenientissima & odoratissima. [h] *Heb. aromatis.* [i] *Heb. unguentorum.* [24] i. odoratissima, & tam decorè eminentia quàm liliorum labra. [k] *Hebr. myrrham transeuntem sup. ℣.4.* [25] insunt ei omnia pretiosissima & splẽdidissima. [26] hoc est, pectus ejus, adeóque corpus totum cultum est pretiosissimè & convenientissimè: metonymia. [27] id est, pedibus, qui stylobatarum usum tibiis exhibent. [28] i. sermo: metonymicè. [l] *Heb. dulcedines.* [29] ut psal 45.3. [m] *Heb. desiderabilia.* [30] secunda quæstio puellarum, ut diximus in versum 7. [n] *Heb. descendit.* [31] figurata est loquutio genere eclipseos synecdochico, quod frequentari in scripturis sæpè monuimus. Utitur autem hoc genere loquendi sponsus, rationem habens puellarum quibuscum agebat; quia omni ex parte declivia erant Jeruschalaima: itaque ad hortos suos venientes oportebat descendere. [32] de quo suprà 4.6 & 17. [o] *Heb. aromatis.* [33] i. convivetur, quod dixerat suprà 4.17. [34] conclusio epiphonematica totius sermonis ad puellas, similis ei quæ habetur suprà 2.16. qua profitetur Ecclesia se, quicquid accidat aut dicatur, studio constante esse erga sponsum suum, & de illius erga se studio magis ac magis confirmari, atque hoc pacto alit, & accendit desiderium suum. Hos autem tres postremos versus, quia cum superiore argumento & nihil cum sequentibus commune habent, in hoc caput retulimus.

CAPUT VI.

Christus perhibens studio Ecclesiæ suæ testimonium, prædicat pulcritudinem spiritualem ejus: desiderium nuptiarum quo tenetur explicat; eámque confirmat vocatione, bonorum quæ ipsi credidit celebratione, ac promissione præsentiæ & beneficentiæ suæ usque ad optatissimum nuptiarum diem,

[1] PUlcra es, amica mea, [2] ut Thirtza; decora [3] ut
Jeruschalaima: [4] terrifica, ut vexillationes.
2 [5] Adverte oculos tuos ex adverso mei,
[6] ut illi efferant me: [7] pilus tuus *est* ut gregis ca-
prarum, quæ detundet e Gilhade.
3 [g] Dentes tui similes gregi ovium, quum as-
cendunt e lavacro; quæ omnes *sunt* e gemellipa-
ris, in quibus nulla orba *est*:
4 Velut fragmen malogranati utrumq; tem-
porum tuorum *est*, præ crine tuo.
5 [8] Ut sexaginta *sint* reginæ & octoginta
concubinæ, [a] puellæque innumeræ:
6 [9] Unicam illam columbam meam, inte-
gram meam, unicam illam [10] apud matrem suam,
puram illam apud genitricem suam; simulac vi-
derint puellæ, beatam prædicabunt, reginæ &
concubinæ laudabunt eam *dicentes*:
7 [11] Quæ *est* illa spectata velut aurora; pul-
cra ut luna, [b] pura ut sol, terrifica ut vexillati-
ones?
8 [12] Ad hortos [c] putatos descenderam ad
inspiciendum virentes plantas vallis; ad inspici-
endum [13] an floresceret vitis, germinarent mali
punicæ.
9 [14] Nondum percipientem [15] hæc, animus
meus [16] imposuit me curribus populi mei inge-
nui, *ut dicerem*,
10 [17] Revertere, revertere, ô [d] Schulammitis;
revertere, revertere, [18] ut spectemus te: [19] Quid
spectatis in illa Schulammitide? [20] velut chorum
Machanajimorum.

CAPUT VII.

11 [21] O quàm pulcri sunt pedes tui cum istis
calceis, [22] filia ingenui: [23] ambitus femorum
tuorum *sunt* velut monilia, opus manuum arti-
ficis:
12 Umbilicus tuus *velut* crater rotundissimus;

[1] Hujus capitis (quo anxiam ac velut discursantem Ecclesiam confirmat sponsus) tres sunt præcipuè partes: prima est, qua sponsus laborantem & ingemiscentem de culpa sua sponsam consolatur, & confirmat sibi tam acceptam esse quàm antè unquam fuerit, usque ad versum 8. secunda est, qua sponsus narrat desiderium suum de conficiendis nuptiis, ℣. 8. tertia, qua animum suum studiumque erga Ecclesiam exponit, donec advenerit nuptiarum dies, a versu 9. ad finem usque. Quod autem dicit, pulcra es, ita accipiendum est: ne existimes, ô sponsa, excidisse decorem illum tuum, aut me ab amicitia tua defecisse propter præcedens incommodum: non sum ita fastidiosus, ut istius nævi nomine te deformatam judicem: cum tu jam satis abluisti lacrymis & resipiscentia tua: quamobrem quod dixeram suprà 4.2. & sequentibus, idem etiam nunc confirmo, speciem tuam mihi esse acceptissimam. [2] oppidum amœnissimum in finibus Jisraelitarum ad Euphratem situm, ubi propterea disrupto regno Jarobham constituit regiam, ut legitur 1. Reg. 14.17. [3] olim longè clarissima urbium orientis, ut ait Plinius lib. 5. cap. 14. [4] i. inexpugnata virtute & fide, ut infr. ℣. 7.

[5] confirmantis & erigentis verba, q. d. jubeo te bono animo esse, & fide certa ad me respicere. Hæc autem verba ita accipimus, quia vox Hebræa communem avertendi & advertendi significationem habet: hæc autem ex vers. 10. comprobatur. [6] i. ut consolationem & gloriam percipiam ex fide tua: nam Christus ex dolore Ecclesiæ contristatur, lætitia verò pariter afficitur. [7] i. constans est pulchritudo tua, de qua suprà 4. neque ulla infirmitate tua potest emarcescere, quia posita est tota in gratia & virtute mea. [g] *Sup. 4.2.* [8] amplificatio pulcritudinis Ecclesiæ per hypothesin amplissimam: etiamsi multæ reginæ, concubinæque & innumerus comitatus esset; non tantùm non adæquarent te, sed etiam ipsæ ultrò palmam tibi cederent, tribus versib. [a] *Heb. puellarum non sit numerus.* [9] electam ex omnibus populis, & mihi charissimam. [10] i. quæ dum adhuc in terra hæret necdum convenit in domum sponsi sui, omnino adhæret matri suæ, Jerusalem cælestis atq; hoc pacto circumfulget tanta gloria, ut apud mundum sit in admiratione propter dona & præstantiam spiritualem suam: ut Deut. 4.6. vide infrà 7.6. [11] confessio amplitudinis quæ est in Ecclesia, per gradationem elegantissimam. [b] *vel, lecta.* [12] secunda pars, qua sponsus Ecclesiam consolans ostendit se non fastidio aut indignatione discessisse; sed potiùs ingenti studio quo tenebatur perficiendi sanctissimas illas nuptias profectum esse, ut de tempore illarum cognosceret. Quod autem hortum putatum hoc loco reddimus, eò adducimur ipsius Hebræi nominis notatione, & sequentium verborum convenientia: nam nucem quidem interpretantur Hebræi, quia non invenitur alibi, ne quid non dicerent; sed nulla fuit causa cur hortus nucum potiùs quàm pomorum diceretur, & hoc pacto a nativa radicis significatione discederent. [c] *Heb. putationis vel tonsionis: quia ineunte vere purgantur, collucantur & aptantur pomaria ad commoditatem fructuum.* [13] i. adventaret tempus indictum nuptiis, cujus hæc fuerunt indicia; ut ostendit sponsa infrà 7.3. quam eandem rationem servavit Christus Matthæi 24.32. [14] tertia pars, qua exponit sponsus quid consilii ceperit, postquam animadvertit nondum advenisse tempus illud speratum nuptiarum. [15] nimirum florescere vitem, germinare malum punicam, & tempus adventare. [16] id est, fecit ut quàm celerrimè consilium caperem recurrendi ad te cum amicis & comitatu meo, qui populus ingenuus est & voluntarius: ut Psal. 110.3. [17] hic sermo Christi ad Ecclesiam tria complectitur; primùm vocationem Ecclesiæ, hoc ver. deinde descriptionem formæ & elegantiæ, inde ad 18. postremò promissionem de præstandis officiis erga amicam, donec nuptiæ consummentur, duobus ultimis. Vocatio autem hic repræsentatur specie hominis e longinquo contendentis voce, quàm potest maximè; ut errantem revocet verbo. [d] *id est, reddita perfectissima, ex consilio Dei, & vocatione.* [18] ego & amici, superiore vers. [19] apostrophe ad amicos; quos interrogando excitat sponsus, ut amplitudinis gloriæ, quæ in Ecclesia est, spectatores sint & testes. [20] subjectio, sive amicorum ad sponsum, sive (quod magis probamus) ipsius sponsi ad quæstionem suam: videtis, inquit, quàm gloriosa & quàm spectato fortique comitatu stipata sit Ecclesia. Planè quum hanc turbam occursantem mihi conspicio; videre mihi videor lætum illum diem, quo Jisraelitæ revertentes ad Davidem maximo gaudio & lætitia omnium exceperunt eum Machanajimis, & gratiosè ab eo excepti sunt: vide historiam, 2. Schem. 19. Potest quidem Hebraica vox reddi appellativè: verùm hoc cum Schelomonis scopo & superioribus exemplis convenientius esse judicamus. [21] gratulatio sponsi ad sponsam propiùs accedentem, continens descriptionem illius ab imo ad summum, usque ad ℣. 16. [22] id est, puella nobilissima & generosissima. [23] periphrasis cinguli, quod sponsæ gestare solent quàm maximè pretiosum.

[24] ne deficiat illius mixtio : *sed* venter tuus *sit*
[25] *ut* acervus tritici sepitus liliis.
13 [g]Duo ubera tua similia *sunt* duobus hinnu-
lis, gemellis capreæ:
14 Collum tuum simile turri [26] eburneæ; ocu-
li tui [27] piscinis [e] artificiosissimis ad portam [f] fre-
quentissimam, nasus tuus similis [28] turri Libani
spectanti [g] versus Damascum.
15 [29] *Quod in* capite tuo impositum est tibi, si-
mile *est* coccineo, & vitta capitis tui similis *est*
purpuræ: [30] Rex alligaretur suis ambulacris.
16 [31] Quàm pulchra es & quàm amœna, ô a-
mor, in deliciis istis.
17 [32] Illa statura tua similis *est* palmæ, &
[33] ubera tua botris.
18 [34] Dico [35] conscendam palmam, prehen-
dam palmites ejus: [36] eruntque jam ubera tua si-
cut botri vitis, & odor nasi tui sicut poma;
19 Palatúmque tuum [37] ut vinum *odoris* opti-
mi, [h] movens se amantissimè rectissimeq;, [38] effi-
ciens ut loquantur labia dormientium.

[24] pathetica amantis exclamatio, accommodata similitudini crateris: quasi dicat, utinam nunquam macrescas, vel exhauriaris. [25] i. fructuosissimus sit pariter, & odoratissimus. [g] *Sup.* 4.5. [26] i. albissimæ & nitidissimæ. [27] i. lucidissimis atque clarissimis; ut sunt piscinæ Jerosolymitanæ, quæ omnes secundùm portam gregis factæ sunt. Dicitur autem porta gregis frequentissima, quia illa una simul aditum patefaciebat ad tria Jeruschalaimorum oppida, & ad templum ipsum domúmque Davidis, in eaque habebatur forum maximum, ut observatum est Nechemjæ 3.1. [e] *Hebr. cum artificio* factis. [f] *Heb. filiam multorum.* [28] ædificatæ in domo saltus Libani, de qua 1. Reg. 7.2. [g] *Heb. faciem Damasci.* [29] i. mitra tua, ejusque redimicula. [30] quasi dicat, nullus est rex tanta gloria præditus, qui aspectu tuæ istius gloriæ expleri posset; sed confixus & stupens ad aspectum ejus perpetuo videndi tui desiderio tamquam vinctus teneretur: tanti gloriam tuam præ sua & totius mundi gloria faceret. [31] regressio ad exclamationem patheticam versus undecimi, concludens summam esse pulchritudinem sponsæ, ex superiore enumeratione partium: & tu (inquit) pulchra es, & ornamenta tua. [32] i. corpore es valentissimo atque rectissimo. [33] quasi dicat, mammas geris venustissimas atque firmissimas, ut sunt botri densis acinis. [34] tertius locus sermonis Christi, ut diximus *V.* 10. continens tum promissionem officiorum quæ Christus Ecclesiæ intereà exhibiturus est, tum effectorum quæ ipse Christus ex Ecclesia percepturus. Est autem noëma in hoc verbo, pro eo quod est, promitto tibi, & quod promitto perficiam. [35] i. versabor tecum, purgabo te, & singulares fructus recognoscam ac percipiam ex te; quemadmodum in palmis curantur palmites, qui ex ramis palmarum prodeuntes, flores germináque ad fructum proferunt: de palmis, earumq; palmitibus vide Plin. lib. 13. cap. 4. [36] altera pars promissionis, de effectis præsentiæ & benignitatis Christi erga Ecclesiam suam: hac mea præsentia, inquit, jam jam futurum est ut vegeta sis tota, odora, grata, & omnibus qui ad te accedent salutaris facundiâ tuâ: quæ omnia humanitùs uberibus, vultui, & palato certis comparationibus tribuuntur. [37] i. odoratissimum, suavissimum, & sopitos sensus excitans pura administratione verbi. [h] *Heb. iens ad amores, ad rectitudines: ut Prov. 23.31. Est autem prius nomen amorum euphoniæ causa truncatum postrema litera per apocopen: ut 2. Reg. 11.19. & Psa. 144.2. & infr. 7.6.* [38] hyperbolica loquutio, si spectes similitudinem; sed tamen verissima, si prædicationem Evangelii (quod est verbum vitæ & incorruptum salutis semen) consideramus.

CAPUT VII.

Ecclesia audito sponsi erga se studio, se committit ei: quærit signa futurarum nuptiarum, earúmque diem exoptat: amicas officii admonet: ardentissimum suum amorem in sponsum exponit, & ab illo in perpetuum redamari petit.

1 [1] EGo dilecti mei *sum*, [2] quandoquidem erga
me *est* appetitus ejus.
2 [3] Age, dilecte mi, [4] prodeamus rus, [5] per-
noctemus [a] ad cypros.
3 [6] Surgentes matutino adeamus vineas, vi-
deamus an floreat vitis, an aperiat se prima uva,
germinent mali punicæ: [7] ubi datura sum amo-
res meos tibi.
4 [8] Amabiles istos flores edentes odorem,
& [9] secundùm ostia nostra omnes pretiosos fru-
ctus, recentes simul ac veteres; dilecte mi, repo-
no tibi.

CAPUT VIII.

5 [10] O *si* quis daret te [11] ut fratrem *esse* mihi,
sugentem ubera matris meæ: inveniens te foris
oscularer te, [b] [12] etiam non contemnerer ego.
6 [13] Deducerem te, introducerem te in domũ
[14] matris meæ, [15] quæ docet me: [16] bibendum
darem tibi de vino aromatite, de succo malogra-
natorum.
7 [17] Sinistra ejus sub capite meo, & dextera
ejus amplexante me,
8 Adjuro vos [c] Jerosolymitanæ, quid exci-
taretis, aut quid expergefaceretis hunc amo-
rem, usque dum voluerit?
9 [18] Quæ *est* illa quæ [19] ascendat ex ipso de-
serto associatura se dilecto suo: [20] sub ipsa malo
expergefacio te, ubi enixa est te [21] mater tua, ubi
enixa est *quæ* peperit te.
10 [22] Impone me ut sigillum [d] animo tuo, ut
sigillum brachio tuo, nam fortis *est* ut mors amor,
[23] durus ut sepulcrum zelus: prunæ ejus prunæ
sunt, ignísque [24] [e] flammæ divinæ.
11 [25] Aquæ multæ non possent exstinguere
hunc amorem, ne flumina quidem inundarent
eum; si daret quis totam substantiam domus suæ
pro hoc amore, [f] planè contemneretur.

[1] Ecclesia in his duobus capitibus pro facultate sua Christo par pari referens, studium suum flagrantissimum explicat erga optatissimum illum nuptiarum diem. Quamobrem hoc capite continentur duo: primum enim Ecclesia universè animum suum erga sponsum explicat, *V.* 1. deinde (quia hujus Ecclesiæ subjacentis Christo membra sunt duo, plenitudinis Judæorum, & plenitudinis gentium omnium) exponit vetus Ecclesia se jam tum fuisse in maxima expectatione sponsi, & officia sua exhibere, ad finem usque capitis: de altera autem quæ posita est in plenitudine omnium gentium, agetur seq. capite. [2] i. quandoquidem tantum est studium dilecti mei erga me, ut me aversantem dilexerit prior, aberrantem revocaverit, offendenti condonaverit, certatimque sua beneficia in me contulerit, se denique ipsum mihi tradiderit, quod superiore capite ostendit; non possum non esse illius. Hæc verba totius Ecclesiæ adjungentis se Christo capiti suo. [3] his verbis Ecclesia vetus (quæ jam tum florebat Schelomonis temporibus) per apostrophen sponsum suum invitat primùm ad observandum communi studio tempus venturum connubii, duobus versibus: quia hæc semper fuit certissima piorum nota, ut multis locis exponit Apostolus: deinde bona sua omnia addicit sponso, *V.* 4. ac postremò se ipsam præ gravitate amoris sui, inde ad finem usque. [4] quasi dicat, noli, quæso, solus & seorsim a me studium in cognoscendo optato illo tempore consumere, ut suprà dixisti 6.8. sed cõmunem operam eò conferamus, quum æquè studiosa sim matrimonii istius consequendi. [5] quasi dicat, nolo ampliùs imparata offendi, ut suprà 5. tædet me & pudet oscitationis meæ: meum est vigilare tecum, & noctu æquè ac dies observare signa gloriosi adventus tui.

[a] cognituri videlicet an floreant, ut seq. versu: vide suprà 6.8. [a] *Heb. surgamus ad vineas.* [7] i. quo tempore & quibus signis certissimè percipietur instare nuptiarum diem, quo perfecto amore perfectè adunabimur Christo. [8] secunda pars orationis sponsæ, qua sua omnia addicit Christo, & nominatim ostendit se intereà temporis omnia munera, flores, odoramenta, sertáque connubia comparare in nuptiarum diem. [9] i. etiam ea quibus vestibula domorum & aditus insterni solent diebus nuptialibus. [10] tertia pars, in qua primùm optatum suum exponit Ecclesia, duobus versibus; deinde socias admonet ne sibi cũ sponso versanti impedimẽto sint, *V.* 7 & 8. postremò vehementiã sui amoris ostendit cum petitione. [11] i. germanum mihi esse atque domesticum, ut jamjam tuo amplexu & colloquio frui possem quàm familiarissimè. [b] *Heb. etiam non contemnerent me.* [12] i. libera essem tot ludificationibus & contumeliis, quibus tantisper impii me exagitant dum dies ille advenerit. [13] i. hic ipse dies nuptiarum esset: periphrasis. [14] i. universalis Ecclesiæ, quæ tota assurgens in corpus unum, ut virgo casta, sistetur Domino gloriosa, Ephes. 5.27. Hoc autem ut meliùs intelligatur, ita habendum est: Hebræi unum aliquod totum appellant patrem vel matrem, partes verò nominant filios vel filias. Ecclesia autem in scriptura utroque modo consideranda est, nimirum aut universè, aut ex parte. Universalis autem Ecclesia similiter consideratur duobis modis: nam modò continetur Ecclesiæ nomine Christus cum electis suis omnibus, quę propterea mater quoque sponsi appellatur *V.* 9. & Ecclesia soror, suprà 4.9. & infrà 8.1. modò electi tantum, ut hoc loco, suprà 3.4. & 6.6. & aliis consimilibus. Atque hæc eadem distinctio in novo quoque Testamento servatur, ubi Ecclesia cum capite suo ferè appellatur Christus, 1. Corin. 12.12. & Ephes. 3.4. id est, Christus, ut patres dixerunt, mysticus: seorsim verò a Christo, appellatur Ecclesia Christi aut corpus ipsius. Ex parte verò quoties consideratur Ecclesia, aut temporibus distinguitur, aut locis: a temporibus summa distinctio est, ut altera dicatur vetus ante adventum Christi; altera nova, ex quo Christus disjecta maceria effecit ovile unum. Utraque autem Christi soror est, velut ejusdem matris filia ex electione Dei. [15] i. instituit & informat in omni pietate, officióque maximè erga te. [16] i. exciperem te hilarissimè: metaphora a convivio. [17] apostrophe ad socias, qua informantur quàm religiosè cavere sibi debeant ab omni offensione sponsi, ut suprà 3.5. [c] *Hebr. filiæ Jeruschalaimorum.* [18] expositio summi amoris quo Ecclesia prosequitur sponsum, per comparationem: an fuit (inquit illa) unquam sponsa, quæ tantos labores perferret, tantaq; pericula susciperet ad consequendum dilectum suum? Hæc igitur sunt illa pignora meæ voluntatis erga te, quòd fide superavi omnes difficultates, ut pervenirem usque in domicilium tuum cœleste, de quo Hebr. 12.22. [19] i. veterem hominem deponat, abnegans se & mundum ipsum totum, qui desertum & solitudo in scriptura dicitur ut Jeschah. 40.3. [20] i. in ipsa Jerusalem cœlesti, ac velut in curia & cubili tuo. [21] vide suprà in *V.* 6. [22] petitio pathetice interjecta illi expositioni amoris quæ cœpta est superiore *V.* q. d. Ecclesia, vicissim fer tu me in animo tuo, in oculis, in manibus, &c. ut monilia pectori, & annuli digitis apponuntur. [d] *Heb. cordi.* [23] i. vehementissimus, invictissimus, & ardentissimus: ut sequentis *V.* comparationes ostendunt. [24] i. maximæ, quam Deus potentissima sua luce Spiritus in perpetuum duraturam accendit. [e] *Heb. flamma Jah.* [25] i. adeò firmus est amor, ut neque vi ulla, neque fraude & promissionibus expugnari possit. [f] *Heb. contemnendo contemnerent illum.*

CAPUT VIII.

Ecclesia vetus deliberat de vocatione gentiũ, & partẽ lætitiæ suæ collocat in cooptatione ejus: Christus studiũ suum erga Ecclesiam exponit, & prædicari ab ea cupit: hæc vicissim præsentiã & opẽ illius implorat.

[1] Soror

UMI

[1] Hujus capitis loci sunt tres: primus, quo Ecclesia vetus agit de cooptatione gentium in eamdem gratiam & conditionem per Christum, tribus versibus; secundus, quo Christus suum erga Ecclesiā utramque commune studium exponit, tribus alteris; postremus, quo Ecclesia præsens implorat sponsi fidem & se committit ei, ver. ultimo. Cur autem Ecclesiam hanc nostram ex gentibus collectam sororem nominet, vide suprà 7.6.

1 [1] SOror [2] nobis *est*, [3] parva, cui nondum *sunt*
ubera: [4] quid faciemus sorori nostræ [5] die
quo sermo fiet de ea?
2 [6] Quum murus fuerit *ædificandus*, ædificabimus in eo [7] palatium argenteum: quum autem
janua erit *munienda*, circummuniemus eam tabulato cedrino.
3 [8] Me exsistente *velut* muro, & uberibus
meis velut turribus; tunc fuero in oculis ejus
[9] propè consequuta pacem.

4 [10] VINEA est Schelomoni in [a] loco feraci:
locat vineam suam custodibus, quisque affert pro fructu ejus [11] millenos *siclos* argenti.
5 Vineæ quæ mea *est*, [12] apud me *permanentes*;
milleni illi [13] tui, Schelomo, etiam duceni *sicli*
custodientium fructum ejus.
6 [14] O quæ habitas [15] in istis hortis, [b] [16] sociis attendentibus ad vocem tuam prædica me.
7 [c] [17] ACCURRE, dilecte mi, [18] & [d] similis
esto capreæ aut hinnulo cervorum, *qui versaris*
[19] in montibus aromatum.

[2] i. mihi & tibi, ô sponse. [3] videlicet immatura ante plenitudinem temporum: Galat. 4. quod sequentium verborum epexegesis docet. [4] cùm ego administrando, tum etiam tu dando efficaciter incrementum, & augendo benedictionibus. [5] i. quum mysterium illud sacri connubii a temporibus æternis tacitum, ex imperio æterni Dei omnibus gentibus declarabitur; ut fide adjungantur tibi: ut Rom. 16.25. [6] subjectio ad præcedentem quæstionem, qua inter se statuunt Christus & Ecclesia quid sint facturi in illa temporum plenitudine, per novam allegoriam, duobus versibus. sensus est, quo tempore cooptabitur Ecclesia gentium (quæ angustis Jeruschalaimorum finibus præ multitudine capi non poterit, Jeschah. 49.20. & Zecarjæ 2.8.) erit inducenda nova civitatis forma, & diruto muro mediano meo novus quasi murus & novæ portæ ad ampliandam civitatem curandæ: quapropter nos communem operam in hac Ecclesiæ ædificatione consumemus. Significatur enim civitas appellatione muri, & portæ synecdochicè, ut alibi in scriptura passim. [7] i. regiam pretiosissimam, & magnificentissimam, ut sit domus magni regis, prout vocatur Psal. 48.3. [8] i. quum ego adunato gentium cœtu in civitatem unam cum illis coaluero, tum bonam partem desiderii mei fuero consequuta: nam propè erit tempus, quo in communionem perfectam pacis recipiar adventu sponsi, ut nuptiæ consummentur. [9] i. non procul abero ab illa tranquillitate animi & fœlicitate, de qua nunc laboro tantopere: jam videbor mihi in limine ejus versari: nam illi dies ultimi passim appellantur.

[10] secundus locus, oratio sponsi: qua primùm ostendit quàm pretiosa sit ipsi Ecclesia per comparationem vineæ, duobus versibus; deinde ipsam ad prædicationē sui Evangelii excitat, ver. 6. Est autem hoc cōparationis argumentum: ne rex quidem ipse (ut vineam habeat feracissimam vini generosissimi) eam aut ipse potest colere, aut totum illius fructum percipere; sed colendam aliis locat, & aliquid iis de proventu tenetur attribuere, hoc versu: Ego verò, inquit sponsus, neque aliis colendam loco, neque mihi quicquam de ea detrahi sinam; adeò sum illius zelotypus; sed oculi mei semper versantur in ea, versu sequente. [a] *Heb. domino multitudinis* vini. [11] i. permagnum quidem fructum reddit Schelomoni (numerus certus pro incerto) sed aliquam sibi reservat partem, utpote ducentenos siclos. Est enim hæc oratio ἀνανταπόδοτος, cujus membrum posterius recipiendum est ex sequente versu. [12] videlicet fructus, id est, illius ne tantillum quidem alienari sino, aut aliena voluntate administrari. [13] i. quos tu ex vinea tua percipis, eos ego ipse conficio ex vinea mea, & ampliùs multo: apostrophe sponsi gloriosa ad Schelomonem. [14] apostrophe ad Ecclesiam versantem in terris & peregrinantem a domino, ut dictum est in versum 4. [15] i. singulis Ecclesiis, quas studio singulari Christus ipse excolit. [b] *Heb. socios attendentes ad vocem tuam fac audire me.* [16] i. coram omnibus hominibus in terra conversantibus, qui vivere nolent ut porci & canes; sed doctrinæ salutari animum advertere. [c] *Heb. fuge.* [17] conclusio, qua Ecclesia accipiens mandatum sponsi de prædicando ipsius nomine, præsentiam ipsius implorat ad ducendum atque regendum se. q. d. certum est mihi facere quod jubes; sed tu ipse adesto & dato quæ jubes, promissáque perficere glorioso adventu tuo festinato. [18] ut suprà 2. 17. [d] *Hebr. similis esto tibi.* [19] i. in cœlis, ut supr. 4.6. similis conclusio, ut Apocalypsis 22.20. etiam veni domine Jesu. Amen.

Πάντων δόξα Θεῷ.

Tertiæ partis Bibliorum finis.

BIBLIORUM PARS QUARTA,

ID EST,

PROPHETICI LIBRI OMNES,

numero XVI. Latini recens ex Hebræo facti, brevibúsq; Scholiis ad verborum interpretationem rerúmq; *methodum pertinentibus illuſtrati ab Imm. Tremellio & Franc.* JUNIO.

AUCTORES QUARTÆ PARTIS.

Jeſchahja.	Jona.
Jirmeja.	Mica.
Jechezkel.	Nachum.
Danijel.	Chabakkuk.
Hoſcheah.	Tzephanja.
Joël.	Chaggai.
Hamos.	Zecarja.
Hobadja.	Maleaci.

M. D. XCII.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI ET POTENTISSIMO DOMINO, DOMINO Guilhelmo, Landgravio Hassiæ, Comiti in Catzenelbogen, Dietz, Zigenheim, & Nidda, &c. Gratiam

& pacem à Deo Patre, & Domino Jesu Christo.

ANNUS jam sextus agitur, PRINCEPS Illustrissime, ex quo in novam Testamenti veteris translationem Deo auctore & duce incubuimus. Cujus laboris & lucubrationis nostræ specimen aliquod in publicum edidimus; ut nostram in Deum fidem, in Ecclesiam officium, in omneis studium probaremus: aut testatum certè faceremus animum Christianū nostrum, si qui fortè Censores tam duri ac morosi offenderentur qui improbare possent quod per Christum confidimus Domino probatum esse. Neque verò dubitamus quin illius laboris nostri qui in lucem jam antè prodiit partem aliquam delibaverit T.C. & pro ea pietate ac peritia quam gratiosè voluit communicatam Dominus, interpretationem nostram cum præcedentibus aliis comparaverit. Ac illa quidem interpretatione nonnihil adjumenti pro modulo nostro afferre viris bonis omnino voluimus: attulisse & agnoscunt quidam, & nos citra jactationem omnem confidimus in Domino; etsi non quantum debetur rerum cælestium & divinarum amplitudini, sed quantum tenuitas nostra ad rei tantæ illustrationem potuit optima fide, non mediocri diligentia, reverentiáque maxima comportare. Planè quid præstiterimus & novit Dominus, & boni permulti sentiunt, & T.C. facillimè potest judicare in hoc scriptorum genere exercitatissima: ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι, ut ait Pindarus. Quum autem bonam elaboratæ illius nostræ lucubrationis partem Princeps Illustrissimus piæ memoriæ FRIDERICUS PALATINUS Elector, partémque Illustrissimus Illustrissimi parentis filius D. JOHANNES CASIMIRUS Comes Palatinus, &c. sibi vindicaverint, quæ ipsorum dicatæ nominibus in conspectum publicum pervenerunt, ut subeuntes judicium bonorū omnium Ecclesiam Christi utilitate aliqua, & pios illos Principes honore afficeremus quem deberi à nobis agnoscimus: noluimus profectò, nec verò bona fide potuimus committere, ut in hoc opere nostro, ac potius cultura Domini reticeretur nomen T.C. amplissimum. Te itaque, Princeps Illustrissime, T.C. secundùm Deum appellamus, ut studium illud nostrum, operam, laborem atque industriam fideliter in hoc argumento consumtam accipias humanitate tua, judicio probes, veritate colas, & religione tuearis. Hoc enim consilium nostrum, hæc summa voluntatis nostræ, ut Dei gloria illustretur accessione laboris nostri, ædificetur Ecclesia illius, pietas

T. C. & fides in cultu Dei & veritatis sanctæ pervestigatione occupata apud omnes homines prædicetur, ac nostrum denique in T. C. studium officiúmque constantissimum innotescat. Quòd si ea humanitate quam T. C. omnibus solet exhibere hoc munus nostrum, nostrum autem? imò verò Dei opt. max. acceperit, exemplo tuo futurum novimus atque confidimus ut veritatem, quam sine cujusquam præjudicio, sine offensione, sine contentione, & sine animi (ita nos Deus amet) abalienatione exponimus, eodem animo sanctè ac religiosè amplexentur quicumque hos libros à nobis quàm accuratissimè fieri potuit recognitos & quàm simplicissimè illustratos attigerint. Nihil hîc necesse est de horum librorum auctoritate & argumento agere, eáq; apud T. C. apud viros bonos, apud Ecclesiam sanctam prædicare: quorum dignitas, auctoritas & majestas piis omnibus, & argumentum quoque T. C. est perspectissimum. Nostram operam ut magnopere commendemus vetat pudor, impedit officium nostrum, & avertit præstantissima illa rerum divinarum humanarúmq; notitia quam T. C. jamdiu literarum sacrarum auditione, lectione, meditatione, & oratione adepta est. Formam & præcedentes libri ostendunt, & T. C. optimè omnium pervidebit. Quamquam in hoc opere non injuria possumus confirmare, amplius aliquid in legentium oculis emicaturum esse quàm in præcedentibus libris fuerit cognitum. Nam primùm accuratè verba simplicia & conjuncta expendimus Prophetarum omnium, eorúmq; sensum pro eo ac fieri potuit interpretando expressimus: deinde verò intellectum, siquando opus esse videbatur, breviter aperuimus: tum seriem argumentorum, methodúmq; concionum certam (hanc enim apprimè in his libris ducimus esse necessariam) certis compendiis explicavimus: deniq; omnia à nobis in hac causa eadem fide facta sunt qua nos animas nostras Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi committimus, exertóq; capite jucundissimum & optatissimum illius Domini & Servatoris nostri adventum exspectamus.

Quæ quum ita sint, petimus humillimè à T. C. ut nostrum hoc officium pio humanóq; studio (prout facturam confidimus) accipiat & probet: deinde à piis omnibus, ut auctoritate Dei opt. max. exemplo T. C. suáq; ipsorum pietate & humanitate adducti ita de officio nostro sentiant & de labore judicent, ut pietatis in Deum (cui servimus spiritu mentis nostræ) charitatis erga fratres in Christo singularis, & communis in omneis humanitatis legibus præcipitur.

Illustrissime PRINCEPS, Deum oramus et Patrem Domini nostri Jesu Christi, à quo omnis bona donatio profluit, ut T. C. diutissimè servet incolumem, tibi adsit, te suo Spiritu regat, & confirmet ad omne opus bonum, ac omni benedictionum genere exornet cumulatissimè. Amen.

T. C. servi addictissimi

IMMANUEL TREMELLIUS,
FRANCISCUS JUNIUS.

JESCHAHJA.

ARGUMENTUM.

LIBER *Jeschaħjæ Prophetæ omnia prophetiarum genera complectitur quæ ad verum legis divinæ usum demonstrandum pertinent, nimirum doctrinas, redargutiones, hortationes, reprehensiones, & consolationes omnimodas; quas voluit spiritus Dei & privatim & publicè tum ad tempora ipsius, tum ad sequentia, tum denique ad ultima (quibus exhibitus est Christus) exponere Ecclesiæ ad ædificationem ipsius. Quamobrem optimè in duo prophetiarum genera distribuitur; quarum alia veteres sive legales dicantur, alia novæ & Euangelicæ. Ac veteres quidem hîc illîc Euangelicis promissionibus conspersæ sunt, quia omnes prophetiæ quotquot sunt ab orbe condito complementum suum habent in Christo, per Christum, & propter Christum: sed tamen non inconvenienter in tres classes distingui possunt. Prima est earum quæ ipsi Judææ fuerunt indictæ, usque ad caput 13. secunda, earum quæ exteris Judæorum hostibus in gratiam Ecclesiæ denunciatæ sunt, etiámq; ipsi Jisraëlitarum regno, usque ad caput 29. tertia, earum quæ Judæis excidium per Babylonios venturum, captivitatem, & mala gravissima prædixerunt, adhibitis suis de regno Christi consolationibus, usq; ad caput 40. Nam tria capita historica a capite 37. cur παρέργως fuerint posita, suo loco ostenditur. Euangelicæ verò prophetiæ partim liberationem a captivitate Babylonica, velut symbolum spiritualis liberationis nostræ, exponunt novem capitibus: deinde ad veritatem ipsam & complementum promissionum venientes, Ecclesiam Christianam informant de electione & consilio Dei, de gratuito federe, de perpessionibus & gloria futura Christi, de prædicatione Euangelii, de vocatione gentium, & de communicatione beneficiorum Dei omnium cum Ecclesia Christi, ad gloriam Dei & salutem æternam illius.*

CAPUT PRIMUM.

Propheta contestatus cælos & terram, verbis Dei expostulat de apostasia populi: obdurationem exprobrat adversus calamitates quas fuerat perpessus, hypocrisin illius redarguit, hortatur ad resipiscentiam adjectis promissionibus, scelestam optimatum vitam reprehendit; postremò judicium omnibus durum, bonis salutare, improbis exitiosum denunciat.

VISIO [1] Jeschaħjæ filii Amotzi, [2] quā vidit de Jehuda & Jeruschalaimis; [a] temporibus Huzzijæ, Jothami, Achazi, Jechizkijæ, regum Jehudæ.
2 [3] Audite cæli, & auribus percipe terra; nam [4] Jehova loquitur: [5] filios educavi & ex-

[1] Continetur hoc versu, libri totius ἐπιγραφὴ sive inscriptio generalis; qua auctor, genus, & argumentum scripti, tempúsq; exponuntur. Auctor, ac potius scriptor nominatur Jeschaħja; de cujus parente etsi nihil certi ex scripturis cognoscere possumus, non dubium est tamen quin propheta fuerit summa auctoritate, ut ex 2.Reg.19. & 2.Chronic.32.32. & tota ipsius prophetia constat. Genus scripti demonstratur visionis nomine: est enim visio, omnis doctrina divinitus revelata; quia Deus, quibuscunque visum est revelare, res ipsas quodammodo videndas & spectandas oculis servorum suorum exhibet ad obsignandam earum certitudinem, ut idem Propheta periphrasticè exponit infrà 2.1 & describit cap.6. hic autem visio pro visionum libro vel scripto ponitur metonymicè; quod propriis verbis exprimitur Nachum.1.1. Argumentum est de consilio, voluntate, & administratione Dei ad populum ipsius pertinente & Ecclesiam totam Christi, de qua luculentissimè Jeschaħja concionatus est. Nam etsi hîc illîc prophetiæ de populis regnisque exteris insertæ sunt, Assyriis, Babyloniis, Aegyptiis, Moabitis, Hammonitis, Edomæis, Palæstinis, Tyriis, Tzidoniis, Samaritanis, Græcis, Romanis, omnibus denique impiis Ecclesiæ Dei adversantibus; tamen hæc omnia propterea de Jehuda & Jeruschalaimis dicuntur enunciari, quia ad historiam Ecclesiæ pertinent, cujus tam interfuit adversarios Dei & suos pessumdari potentia regni Dei, quàm se ab illorum impetu & tyrannide vindicari. Tempus quo prophetavit quàm fuerit diuturnum, ex nomine quatuor regum satis indicatur: nam (ut missum faciamus quod a Judæis traditur Prophetam hunc imperio Menaschis serra dissectum esse, & vestigiis tantùm scripturæ sacræ insistamus) si ab ultimo Huzzijæ regis anno, infrà 6.1. dicamus prophetasse, usque ad 15. Jechizkijæ, quo Babylonios legatos ad eum missos fuisse est credibile, 2.Reg.20.12. non potuit minus annis quadraginta quinque prophetasse: amplius utrùm prophetaverit (quod tamen verosimilius est) nihil possumus certò statuere. Duo hîc nobis dicenda restant; unum, de universo ordine prophetiarum; alterum, de quinque primis capitibus hujus prophetiæ. Ad ordinem quod attinet, certum est neque prophetas, neque sacerdotes (per quos prophetiæ in sacrarium relatæ sunt) semper habuisse temporum rationem; sed tamen si capitum seriem observabimus usque ad 40. comperiemus ferè sua tempora prophetiis attributa esse ex ordine: inde ad finem usque, non illud fortè quo prophetiæ dictæ sunt; sed argumenti ipsius tempus observatum esse: nam primùm de instauratione veteris Ecclesiæ agitur, usque ad caput 49. deinde verò de plena restitutione Ecclesiæ per Christum, ad finem usque. Prima autem hæc capita quinque continent purorum & simplicium documentorum summam, quibus Propheta conatus est Ecclesiam benè instituere, antè quàm obsignaretur divinitus illius populi obcæcatio, cap.6. [2] id est, quam non ex animo suo commentus est, ut dicitur Jirme.23.16. sed oblatam a Deo percepit, perceptámq; scriptis consignavit. [a] *Heb. diebus.* [3] hujus capitis partes sunt quinque: prima est propositio, qua Deus expostulat de ingratissimo populo erga se, usque ad versum 5. secunda est redargutio, a vers. 5. usque ad vers. 16. tertia est exhortatio conjuncta promissionibus & minis, inde usque ad 21. quarta, reprehensio impuræ illorum vitæ, usque ad 24. ultima, conclusio prænuncians gravitatem judiciorum Dei certa misericordia temperatam, inde ad finem usque. Hujus autem propositionis exordium est patheticum, ut Deut.32.1. quo Propheta cælum, terrámque contestatur, quasi afficiantur verbo Dei; cùm populus neque verbo, neque beneficiis, ac ne brutorum quidem exemplis revocaretur ad officium suum, duobus versib. quibus subjicitur gravissima indignantis exclamatio, v.4. [4] ad cujus vocem ipsa elementa, inanimáque omnia percelluntur, & obsequuntur voluntati Dei. [5] summa expostulationis: istos adoptavi (inquit Deus) pro meis, adoptatos educavi, educans ornavi & in amplissimam dignitatem evexi.

tuli,ipsi autem [6] deficientes rebellaverunt me.
3 [7] Agnoscit bos possessorem suum, & asinus
præsepe [b] domini sui: Jisraël [8] non agnoscit, po-
pulus meus non animadvertit.
4 [9] Ah,gens peccatrix,populus [c] gravissimus
iniquitate,semen [d] maleficentissimum, filii cor-
ruptores: [10] dereliquerunt Jehovam,contemtim
irritaverunt sanctum Jisraëlis, abalienantes sese
averterunt retrorsum.
5 [11] Quamobrem *quo* percutimini amplius,
augetis apostasiam? [12] totum [13] caput *confectum*
est eadem ægritudine,& totum cor languidum.
6 [14] A planta pedis usque ad caput non est
in isto *corpore* integritas; *sed* vulnus, & tumex, ac
plaga [e] saniosa: neque exprimuntur,neque alli-
gantur,denique nulla emollitur vnguento.
7 [15] Regio vestra desolata *fuit*, [16] civitates
vestræ exustæ igne: terra ipsa vestra, quam co-
ram vobis [17] extranei consumserunt, [18] jam ita
desolata est, ut *soles* subversione extraneorum:
8 [19] Et reliqua facta est filia Tzijonis, ut tu-
gurium in vinea; ut tegillum [20] in cucumerario,
[21] ut civitas obsessa.
9 [22] Nisi Jehova exercituum reliquos fecis-
set nobis superstites,utcunque paucos; ut Sedo-
mum essemus,Hamoræ similes essemus.
10 [23] Audite verbum Jehovæ, [24] ductores Se-
domi: auribus percipite [25] doctrinam Dei nostri,
popule Hamoræ.
11 [26] Quorsum mihi multitudo sacrificiorum

[6] atq; etiamnũ deficiunt,alienatiq; permanent & rebelles. [7] amplificatio per comparationem brutorum animantium. [b] *Heb. dominorũ suorum: syllepsis.* [8] videl. me,dominúmq; suum aversatur. [9] exclamatio pathetica, ut diximus in ℣.2.cõtinens gradationẽ elegantissimã ad exaggerandũ peccatum Jisraëlitarũ; quòd ita in peccatis vivant,ut amplitudine eorum prægraventur,iis velut patriis & avitis hæreant pertinacissimè, denique omnibus nervis contendant ut peccatorũ moles ampliùs accumulent. [c] *Heb gravitatis iniquitatis.* [d] *Heb.maleficiorũ* [10] apostrophe, qua justissimam causam istius exclamationis exponit Deus a sceleribus populi; quæ similiter gradatim tribus verbis ostenduntur, & exaggerantur a natura & gratia Dei quæ illis innotuerat. Reliquerunt me,inquit,revocantẽ spreverunt,& opposuerunt cervicẽ:ut ipse Jechizkija ex Jeschahję verbis docet,2.Chron.29.6. [11] secunda pars,ut diximus in ℣.2.qua primùm statuitur summus redargutionis sequẽtis & reprehẽsionis locus,hoc ℣:deinde verò sigillatim exponitur.Increpationis summa est; nõ potui apud me cõtinere vos beneficiis: qui fit ut ne castigationib.quidẽ asperrimis quas experti estis revocemini ad bonã frugem;sed potius certatim exardescatis in apostasiam? Hæc duo posteà ordine explicantur: afflictiones,usq; ad ℣.10:apostasia verò,ad 16. [12] *ἱεροσία*,allegoricè ostẽdens castigationes Judæorũ per cõparationẽ corporis humani,quæ cõparatio apud Jeschahjam est frequens. [13] i.tota administratio politica & Ecclesiastica infirmata est; & quod maximè in populo firmũ esse deber,idipsum est tenuissimũ. [14] i.in toto regno nihil est integrũ: scatent vulneribus,livore,& pure omnia; atque ejusmodi quæ neq; gravibus medicamentis curari,neq; suavibus unguentis mitigari possint. [e] *Heb.humida.* [15] explicatio superioris allegoriæ,docens quàm miser antè fuerit status procerũ & populi in regno Judæorũ. [16] videlicet invadẽte Chazaële Rege Syriæ, & Joascho Rege Jisraëlitarum, 2.Reg.12.& 14.& 2.Chronic.25. [17] Chazaël rex Syriæ temporibus Joaschi,2.Reg.12.18. & Joasch rex Jisraëlis temporibus Amatzjæ,2.Reg.14.& 2.Chron.25. [18] i.neq; tantùm externis bellis,sed etiam intestinis motibus ab ipsis domesticis attrita est;idq; tam graviter quàm fuissent facturi extranei. Hoc enim primùm a Hathalja cœptum est,2.Reg.11. deinde perfectum a conjuratis cõtra Joaschum & Amatzjam,2.Reg.12.& seq.& 2.Chron.24.& 25. [19] i.totum regnum Judææ ita exhaustum & expilatũ est; ut elapso vindemiæ custodiæve tẽpore tuguriola custodum(ubi instrumenta rustica asservantur)exportari solent: quod fecerunt partim Chazaël,partim stipendiarii Jisraëlitę,partim verò Joasch rex Jisraëlitarum:ut iisdẽ capitibus,quæ modò dicta sunt,exponitur. [20] vel dura tempestate,quæ omnia fermè subverterit. [21] cujus aditus, & exitus aut invius,aut periculosissimus est. q.d.omnes regni partes, omniáq; itinera diligentissimè fuerunt obsessa; quũ bellis non tantùm externis,sed etiam internis fluctuavit. [22] amplificatio peccati Judæorum a misericordia Dei, viam sternens ad exprobrationẽ apostasiæ Judęorum: acceptum,inquit,ferendũ est summæ benignitati Dei,quod non absumti sumus,ut Lament.3.22. nam nisi Deus, qui exercitus illos cõtra nos armaverat propter peccata nostra, sui nominis rationem habuisset, jam diu de nobis actum esset, ut de Sedomo & Hamora olim,Gen.19.Hic autem locus nominatim quidem a Propheta de suis temporibus dictus est: sed universè tamen ad omnia tempora pertinet,quibus Ecclesia tenetur confiteri indignitatẽ suam, & misericordiã Dei ex gratuita electione ejus: ut Rom.9.29. [23] exprobratio apostasię Judæorum,ut dictum est suprà in ℣.5. quos propterea gravissimè & sigillatim contestatur,hoc versu. [24] i.malitia atque sceleribus cum Sedomitis comparandi: quibus propterea non immeritò gravissimum excidiũ importasset Deus,nisi fuisset misertus nostri propter nomẽ suum. [25] quæ sequentibus verbis exponitur,nimirum de improbitate vestra, officio in posterum,& cõstantia judiciorũ promissionúmq; Dei. [26] occupatio gravissima,ut Psal.50. qua anticipat Propheta objectionem Judæorum: quo jure (dixerit quispiã) apostatas,Sedomitas,& Hamoræos nos vocas,qui sacrificia, templũ Dei,solennitates omnes, & cultum externũ lege institutum tam studiosè observamus? imò verò,inquit Propheta, quid ista ad apostatas pertinent? aut quid istis apud Deũ se effecturos putant? Non ista,sed homines ipsos sibi sanctificari jubet Deus,& homines istis(ut vocant)meritis præfidentes aversatur.

vestrorũ? dicit Jehova; [27] Satur sum holocaustis
arietum,& adipe pinguium:& sanguine juvenco-
rum,agnorúmque,& hircorum non delector.
12 Quòd [28] advenitis, *an* [29] ut compareatis
[30] in conspectu meo? quis quæsivit hoc a manu
vestra,ut [31] conculcetis atria mea?
13 Ne pergitote offerre [32] munus vanitatis,
suffitus abominationi est mihi: novilunio,& sab-
batho convocando convocationem, [33] non pos-
sum *ferre* iniquitatem,neque [34] interdicti die;
14 [35] Novilunia vestra,& statas ferias vestras
[36] odit anima mea,sunt mihi [f] laboriosæ; defes-
sus sum ferendo.
15 Propterea [37] expandentibus vobis manus
vestras, occulto oculos meos a vobis; etiam quũ
utimini multa oratione, non exaudio: [38] manus
vestræ [g] cædibus plenæ sunt.
16 [39] Lavate *vos*,purificate vos,amovete ma-
lignitatem actionum vestrarum [40] ex adverso o-
culorum meorum; desinite malefacere.
17 [41] Discite benefacere,quęrite [42] jus,beate
oppressum; jus dicite pupillo, suscipite causam
viduæ.
18 [43] Venite [44] jam,& [45] disceptemus, inquit
Jehova: [46] si fuerint peccata vestra [47] velut di-
bapha,[48] tamquam nix exalbescent; si rubra fue-
rint velut coccineum,similia lanæ erunt.
19 Si acquiescetis ut audiatis, bono hujus
terræ [49] fruemini.
20 Sin autem renuatis atq; rebelletis, [50] gla-
dio consumemini, nam [51] os Jehovæ loquutum
est.
21 Quomodo effecta est meretrix urbs fide-
lis? & plenissima jure, in qua justitia [52] pernocta-
bat,ea nunc homicidarum *plena est*?

[27] i.fastidio, *αἰδρωποιυθῶς*. [28] supple in atria mea, ex fine versus. [29] ex formula legis quæ habetur Exod.23.17. & 34.23. [30] i.non tantùm corpore,sed etiam animo integro sistatis vos & exhibeatis mihi. [31] tantùm;non autem animum vestrum sistatis atque offeratis mihi: quod idem Propheta objicit infrà 29.13. [32] i.quod vanum est apud me,imò verò abominationi est, intolerabile est, ut Proverb.15.8. & 21.27. gradatio,quæ similiter repetitur seq.℣. [33] hanc videlicet iniquitatem apostasiæ & animi per hypocrisin cultum Dei simulantis: pathetica parenthesis, evidentissimè exprimens affectum indignabundi & aversantis animi. Est autem hoc loco ellipsis elegans, indignationis index. Similis exstat 1.Cor.3.2. [34] id est, quocunque die ab omni opere servili cessavistis ex interdicto, sive feriæ essent legitimæ,sive indictivæ,ut Joëlis 1.13. [35] de quibus Num.28.& 29. [36] id est,odi ex animo,*αἰδρωποπαθῶς*,ut sequentia. [f] *Heb.labori.* [37] id est,in vestris difficultatibus inclamantes aversor; ut qui non tantùm indigni estis; sed etiam imparati, illotis & cruentis manibus acceditis. [38] nimirum quas expanditis me versus. q.d.vos adhuc madetis sanguine & cædibus, omniq; peccatorum genere circumfluitis,quum acceditis me: Quamobrem non est cur speretis exaudiri a me, nisi vos ipsos ab ista impuritate repurgetis; quod sequentes versus docent: synecdoche. [g] *Heb.sanguinibus.* [39] tertia pars,exhortatio, conjuncta suis promissionibus & minis, ℣.18. & duobus sequentibus. Exhortationis autem summa est, primùm seria resipiscentia abstinens a malo, hoc versu; & se in bono occupans, sequente: deinde blanda provocatio ad æquam disceptationem causæ,vers.18. Est autem primum hoc verbum metaphoricum, respiciens ad cruentatas manus,quas modò exprobraverat. [40] id est,ex animo & corpore vestro, palàm & clàm: quia omnia penitus introspicit Deus. [41] id est, colite disciplinam, & exercitia beneficentiæ. [42] id est, singuli privatim & publicè quicquid est officii vestri recognoscite; quod prolepticè dictum posteà minutatim accommodatur officiis misericordiæ. [43] secundum exhortationis membrum; ut si Judæi nondum resipiscere a peccatis didicerunt,saltem ex æquo disceptantem Deum & rationes blandè ineuntem cum ipsis audiant; vicissim si quid causæ habent,proferant ipsi, tantisper dum placet Deo a Judicis partibus abstinere. [44] quandoquidem nondum resipiscitis. [45] i. amicè; & ex æquo inter nos de causa conferamus, ut alter alterum patienter audiat; prout fit partibus inter se litigantibus & conferentibus ad transigendam causam: quod genus contestationis adhibet Deus ad frangendam aut evincendam hominum improbitatem, & testandã patientiam ac misericordiã suam,ut Jirmejæ 2.& Micæ 6. [46] q.d. confirmo fore, si tantùm aurem accommodabitis,ut vero sensu justitiæ meæ & peccati vestri afficiamini; & promitto me aboliturum peccata vestra pro misericordia mea. [47] i.gravissima & atrocissima: comparatio est a colore sanguinis, cujus dixerat plenas manus esse. [48] id est,ablutis peccatis fietis albi, & puri: hypallage. Est autem eadem metaphora,Psalm.51.9. [49] non autem fruentur & consument extranei: ut suprà versu 7. [50] vos ipsi, ac non tantùm terra vestra exhaurietur: prout actum esse posteà temporibus Achazi legimus,2.Chron.28. [51] in lege sua,Levit.26.& Deuteronom.28. [52] quarta pars, reprehensio; quam tum demum adhibet Deus, quum Judæi neque ad resipiscentiam adducti sunt,neque ad æquam illam disceptationem oblatam a Deo, suprà 18. Est autem tota hæc reprehensio pathetica per comparationem temporum inter se: priùs (inquit) fideliter audiebant,sapiebant, officium & jus colebant, aut denique resipiscebant moniti; nunc autem ut procacissima meretrix, aut sceleratissimus quispiam homicida; resipiscentiam fugiunt perfricta fronte; monentem Deum non audiunt, ac potiùs prophetas revocantes mulctant; ut de Joascho & Amatzja legimus, 2.Chron.24.20. & 25.15.

22 [53] Argentum

22 [55] Argentum tuum [h] abiit in scorias, me-
rum tuum inspurcatum est aqua.
23 Principes tui contumaces & [54] socii fu-
rum; unusquisque [55] amat munus, & sectatur re-
tributiones: pupillo non dicunt jus, & causa vi-
duæ non pervenit ad eos.
24 [56] Propterea, dictum [57] domini Jehovæ
exercituum, robusti *Dei* Jisraëlis: Eheu, [58] con-
solationem capiam de hostibus meis, & ultio-
nem sumam de inimicis meis.
25 [59] Nam referam manum meam contra te,
[60] ut defæcans scorias tuas [i] *justæ* puritati resti-
tuam te: & amovebo [k] totum stannum tuum:
26 [61] Restituámque [62] judices tuos sicut pri-
mùm, & consiliarios tuos sicut principio; post-
modùm [l] [63] vocaberis civitas justa, urbs fidelis:
27 [64] Tzijon [65] judicio redimetur, & [66] redu-
ces ejus [67] justitia.
28 [m] [68] Fragmenta autem defectorum & pec-
catorum pariter; ac derelinquentium Jehovam,
[69] deficient:
29 [70] Nam pudefient propter [71] lucos quos
[72] desiderastis; & erubescetis propter hortos
quos [73] elegistis.
30 [74] Nam eritis similes quercui defluenti fo-
lio suo; & similes horto cui nulla *est* aqua.
31 [75] Eritque fortissimus quisque [76] velut
[n] stupa, & opus ejus velut scintilla; [77] ardebúnt-
que ambo pariter, adeò ut nullus possit exstin-
guere.

[53] i. dies noctésque colebatur. [h] Heb. est. [54] allegoria ostendens universam optimatum corruptionem & omniũ ordinum, quam sequens vers. exponit: sic Jechezkel. 22. 18. & 19. [55] probatis, & participatis furtis: ut Hosche. 6. 10. [56] ut Exo. 23. 8. & Deut. 6. 19. [57] ultima pars: qua Deus ostendit se invitũ tandem eò pertrahi, ut immorigeros ac ne audientes quidem & præfractos Judęos, tamquam hostes conjuratos verberet, hoc versu: quorum verberum usus & effecta sequentibus exponuntur. [58] qui se prius non tantùm ut patrem, sed etiam ut æqualem Judæis stiterat, V. 18. nunc autem judicis partes assumit, quas æterna potentia sua exsequatur in cõtemtores sui federis gratuiti; quò spectant omnia hæc Dei epitheta. [59] humanitus dictum; ac si Deus ex offensis acceptis contristaretur, & levamen ex ultionibus perciperet. [60] expositio allegorica judicii & ultionis, quam sumturum se dixit Deus, superiore versu: subduxeram, inquit, ferulas meas, de quibus suprà V. 5. & sequentibus; sed eas, & graviores eis repetam atque importabo. [i] *Heb. secundùm suam purgationem.* [k] *Heb. omnia stanna tua.* [61] i. ut manu mea, tamquam artifex, eos qui improbi sunt a probis separem, refundendo totam rempublicam, velut adulterinum nummum: sic Jirmejæ 9. 7. & Maleaci 3. 3. atq; hic generalis est afflictionum effectus, quas denunciat Deus propter duplicem usum qui deinceps exponitur. [62] prior usus instauratio & reformatio totius Reipublicæ atque Ecclesiæ, disparatis improbis, duobus versibus. [l] *Heb. vocabitur tibi civitas justitiæ.* [63] i. summatum ordines, ad quos utraque administratio pertinet, & quibus corruptis non potest totus etiam privatorum status non esse corruptissimus. [64] i. re ipsa eris, & diceris, agnosceris q; ea quæ antè fuisti, suprà V. 21. [65] brevis occupatio; qua Propheta docet nihil esse quod sibi propterea Ecclesia arroget, aut homines ulli: nam totum illud opus a Deo esse, qui judicio suo bonos disparat a malis, & servat propter justitiam suam. [66] illo quod denunciavit V. 25. [67] i. quicunque a peccatis suis revertentur ad Deum vivum, abducti judiciorũ sensu & exemplis ad resipiscentiam. [m] *Heb. fragmentum, ςυντριμμα.* [68] qua Deus justissimè præstat bona omnia quæ promisit verbo, ut Psalm. 51. 16. [69] secundus usus contra improbos, qui hoc versu per eamdem allegoriam metallorum enunciatus, sequentibus explicatur: nam fragmenta vocat particulas & rejectamenta scoriæ, quibuscum improbi comparantur. [70] id est, conflagrabunt omnino, & gravitate ignis divini consumentur. [71] ætiologia a vanitate idolorum, quibus confidunt improbi: consumentur, inquit; nam non poterunt dii ipsorum juvare ipsos. [72] diis illorum consecratos; prout legimus Huzzijæ & aliorum temporibus excelsa non amota fuisse, 2. Reg. 15. 4. & 16. 4. [73] apostrophe ad populum, gravius exprimens ipsius idolomaniam; cujusmodi apostrophæ leguntur in Prophetis passim. [74] non acquiescentes loco quem elegi, Deuter. 12. 5. & 2. Chron. 6. 6. [75] id est, infelicissimè marcescetis & exarescetis, ut illas ipsas arbores & excelsa videtis marcescere, in quibus idola colitis. Exponit enim Propheta his duobus versibus rationem qua Deus improbos perditurus est: primùm, inquit, sua ipsorum infirmitate peribunt, hoc versu; deinde qui volent robore experiri cum Deo, suo robore se conficient ipsi, seq. versu. [76] id est, quisquis robore fretus reluctabitur, suo ipsius labore incendetur & conflagrabit, ut stupa igne. [n] *Heb. in stupam, & opus ejus in scintillam.* [77] id est, peribit ipse cum opere suo, & suo ipsius gladio jugulabitur.

CAPUT II.

Propheta perspiciens obfirmatum populi animum, provocat eum ad zelotypiã prænunciata vocatione, fide, officióque gentium: eum increpat vanitatis, avaritiæ, & idololatriæ nomine: Dei judicia minatur eventura in idola, & populum, ac nominatim summos, infimos, viros, & mulieres propter peccata ipsorum: pios verò consolatur promissionibus de adventu Christi, in quo prædicit gloriosam fore Ecclesiam, percepta sanctitate & vita ejus, remissione peccatorum & defensione singulari.

1 VErbum [1] quod [a] visione percepit Jeschaĥ-
ja filius Amotzi, [2] de Jehuda & Jeruscha-
laimis.
2 [3] Erit ergo [4] [b] ultimis temporibus, [5] *ubi*
constitutus fuerit mons domus Jehovæ in verti-
ce aliorum montium, & elatus supra colles; ut
confluant ad eum omnes gentes:
3 [6] Eántq; populi multi dicentes; venite, ut
ascendamus in montem Jehovæ, in domum Dei
Jaĥakobi, ut doceat nos de viis suis, & ambule-
mus in itineribus ejus, [7] nam Tzijone prodit do-
ctrina, & verbum Jehovæ Jeruschalaimis:
4 [8] Qui judicem aget inter gentes, & corri-
piet populos multos: ut tundant gladios suos in
ligones, & hastas suas in falces; non attollat
[c] gens una in alteram gladium, [9] neque discant
ampliùs bellum.
5 [10] Domus Jaĥakobi, [d] agite, ambulemus
in luce Jehovæ.
6 [11] Quandoquidem [12] deseris populũ tuum,
domum Jaĥakobi; [13] quia pleni sunt suprà quàm
Oriens *malis*, & præstigiatores ut Pelischthæi:
denique [14] natis alienigenarum acquiescunt;
7 [15] Et repleta est terra illius argento & au-
ro, & [e] infinitis thesauris; repletáque est terra
illius equis, & infinitis curribus;
8 [16] Repleta est etiam terra illius idolis; operi

[1] Hanc inscriptionem ad tria capita pertinere constat, quibus Jeschaĥja secundò Judæos docet voluntatem & judicia Dei, piósq; erigit promissionibus. Videtur autem huic concioni habendæ data esse occasio a pervicacia Judæorum, quos superior concio nihil affecerat. Quamobrem ut eos qui neque bonis allici, neq; malis absterreri a peccando poterant, alieno exemplo provocaret; proponit Jeschaĥja primùm doctrinam de Euangelica vocatione gentium, tribus versibus: deinde Judæos ab exemplo illius prophetiæ provocat, vers. 1. & ne iniquè eos provocare videatur, gravissimam peccatorum enunciationem adhibet a versu 6. ad 9. tertiò evictis peccati, interminatur judicia Dei severissima in populum, & idola, a versu 9. ad 19. quæ judicia posteà exornantur sigillatim usque ad caput 4. postremò concludit suam concionem elegantissima consolatione piorum a promissionibus Dei, capite 4. [a] *Heb. vidit.* [2] nam quod vocatio gentium in ipso limine posita est, propter Judæos fiebat; ut hoc pacto, si fieri posset, adducerentur ad resipiscentiam: ut Deut. 32. 21. & Rom. 10. 19. [3] quasi dicat, quandoquidem superiore concione nihil effectum est apud vos, sed permanetis in peccato; propterea gentes assumet Deus: paralepsis in scripturis usitatissima. [4] nimirum Christi adventu, & doctrina Euangelii, qua tandem revelatum est & explicatum totum consilium Dei in Christo. [b] *Heb. in extremitate dierum.* [5] id est, ubi Ecclesia Dei prædicatione verbi ipsius velut spectanda exhibebitur & cognoscenda in oculis omnium: allegoria; qua comparat Propheta Ecclesiam Dei civitati in monte omnium editissimo positæ; unde fax Euangelii totum orbem & ipsas montium angustias perlustrare possit, ac proinde omnibus innotescere. [6] i. accedant fide per charitatem operante ad Deum colendum, audiendum, & obsequendum ei in Ecclesia. [7] ætiologia cur gentes ad Ecclesiam tantùm sibi confluendũ esse profiteantur: nam (inquiunt) nusquam alibi doctrina, verbúmque Dei salutare exaudiri potest: tantùm in Ecclesia est, & ab ea in pios omnes derivatur, prout illa est columna & stabilimentum veritatis, 1. Tim. 3. 15. vide in versum 6. [8] id est, omnes inter se quamvis alienissimas conciliabit, adductas ad unum Deum, unam fidem, unum baptisma, unum corpus, & unum spiritum, id est, Ecclesiam unam, & vocatas in unam spem vocationis suæ, Ephes. 4. 4. quo argumento studebunt servare unitatem spiritus per vinculum pacis: quod hic allegoricè pro temporum ratione Jeschaĥja prænunciat. [c] *Heb. gens in gentem.* [9] sed studeant paci, Ephes. 4. 3. [10] secunda pars, exhortatio, Judæos revocans a viis suis pravis ad bene utendam præsentem lucem, & quasi Ecclesiam ex publico incendio judiciorum Dei colligens, ut Joannis 12. 35. cui ex adverso respondet dehortatio infrà 3. 1. [d] *Heb. venite & ambulemus.* [11] reprehensio ætiologica, sive causam explicans tum superioris prophetiæ de vocatione gentium, tum hortationis proximæ ad Judæos; qua docet Propheta utriusque causam esse positam in sceleribus illorum, & indignatione Dei ipsos propter scelera reprobante: vide Rom. 9. & 10 & 11. Enunciatur autem hic locus per apostrophen ad Deum, velut certissimum testem & vindicem scelerum quæ inficiabantur Judæi, ad exaggerandam reprehensionem. [12] id est, jam jam præsto es, ac velut in procinctu, ut abjicias populum tuum: quod flagellis tuis (de quibus suprà capite 1.) ex parte ostendisti. [13] quasi dicat, ex omnibus populis finitimis & circumstantibus omne genus scelerum hauserunt studiosissimè, & in regione sua accumularunt: nam Syros & Mesopotamienses (quos nefariis artibus abundasse vel una historia Bilĥami docet) ab oriente esse, & Pelischthæos ab occidente docet Propheta infrà 9. 12. [14] id est, non acquiescunt doctrinæ & verbo Dei, quod gentes amplexaturæ sunt, suprà vers. 3. sed extera omnia præferunt simplicitati divinæ legis. [15] id est, exterorum studiis abducti non dant operam regno Dei; sed pecuniæ, opibúsque, & humanis viribus. [e] *Heb. non est finis thesauris illius: & non est finis curribus illius.* [16] id est, exteris studiis abrepti, & locupletati, sua abundantia in dedecus Dei & idololatriam abutuntur; ut Hosche. 2. 8.

manuum suarum *quisque* incurvant se, *illi* quod
fecerunt digiti ipsius;
9 [17] Et se deprimit plebeius homo, seque
demittit vir præstans; [18] propterea ne parcito
istis.
10 [19] Ingredere in rupem, & absconde te in
ipso pulvere; propter pavorem Jehovæ, & prop-
ter decorem excellentiæ ejus:
11 [20] Oculis [f] altis homo demittetur, & de-
primetur altitudo hominum: editúsque erit Je-
hova solus [21] die illa:
12 Quum dies erit Jehovæ exercituum con-
tra omnem [22] superbum & excelsum; & contra
omnem elatum, [23] ut demittatur;
13 Et [24] contra omnes cedros Libani celsissi-
mas, & elatissimas, & contra omnia [25] robora
Baschanis,
14 Et contra omnes montes celsissimos, &
contra omnes colles elatissimos,
15 Et contra omnem turrim altam, & contra
omnem murum munitum,
16 Et contra omnes [26] naves oceani, & con-
tra omnes imagines [g] desideratissimas:
17 Tunc deprimetur [h] altus homo, & demit-
tetur celsitudo hominum; editúsq; erit Jehova
solus die illa:
18 [27] Idolorúmque *celsitudo* penitus [28] trans-
meabit;
19 Quum [29] venient *homines* in speluncas ru-
pium & in hiatus pulveris: propter pavorem
Jehovæ & propter decorem excellentiæ ejus,
quum surget ad violenter exagitandum hanc
terram.
20 [30] Tempore illo abjiciet homo [31] idola ar-
gentea sua & idola aurea sua, quæ fecerunt *quis-
que* sibi ad incurvandum se *illis*, [32] talpis & ves-
pertilionibus:
21 Ingrediendo in cavernas rupium & in sco-
pulos petrarum; propter pavorem Jehovæ &
propter decorem excellentiæ ejus, quum surget
ad violenter exagitandum hanc terram.

[17] id est, omnes sunt idololatræ, tum infima tum summa conditione homines. [18] epiphonema patheticum, quo Propheta exardescens zelo gloriæ Dei judicium ipsius severissimum in idololatras imprecatur, qui non acquieverint domui Jahakobi, & se ad lucem Jehovæ converterint. [19] tertius locus, interminatio gravissimorum judiciorum Dei in Judæos pertinaces, & idola ipsorum. Sunt autem hujus interminationis partes duæ: una est prolepsis sive propositio summa istorum judiciorum, usque ad versum 20. altera est ἐξεργασία sive exornatio prolepseos, explicans copiosiùs singula ipsius membra, ὕστερον πρότερον: primùm enim judicium idolis denunciatur, usque ad finem capitis; deinde hominibus, capite 3. Incipit autem hæc comminatio a vehementissima apostrophe ad populum; quum Propheta per sarcasmum, superbum & præfidentem populum exagitat certissima fiducia judiciorum Dei. q.d. effuge (si potes) manum horrendam Dei, aut terribilem conspectum ejus; sed non succedet: ut ostendit subjectio sequentis versus. [20] subjectio superiorem sarcasmum explicans, & conatus humani vanitatem: ut infrà 8.10. [f] *Heb. altitudinis.* [21] id est, tempore illo, quod octo sequentibus versibus exponitur: videlicet quum in homines judicia exercebit, usque ad versum 17. & in idola ipsa, vers. 18. [22] epitheton eorum qui verbo Dei non acquiescentes extera studia conquirunt, mundo hærent, & idola anteponunt Deo, quod suprà exprobravit Propheta a vers. 6. [23] prout confirmatur ℣. 17. [24] id est, homines quamvis valentissimos, munitissimos, &c. quę allegoricè quatuor versibus subjiciuntur. [25] ut suprà 1.30. [26] id est, homines opulentissimos & ornatissimos, allegoricè. [g] *Heb. desiderii.* [h] *Heb. altitudinis homo.* [27] altera pars divini judicii, ut dictum est in vers. 11. [28] id est, mutabitur planè & abolebitur illorum dignitas, in quam falsa hominum opinione evecta sunt. [29] idololatræ fugientes a judiciis Dei, abjectis idolis suis, ut seq. versus exponit. & antè sarcasticè fuit imperatum, ℣. 10. [30] ἐξεργασία sive exornatio posterioris membri prolepseos, de perditione idolorum; ut observavimus in versum 20. [31] quæ visum hominum superstitiosorum afficiunt dignitate sua. [32] quasi dicat, cæcis & luscitiosis, nihil aut perparum videntibus: ironia lepida.

CAPUT III.

1 ABstinete [1] vos ab ipso homine, [2] cui hali-
tus *est* in naso ipsius: nam [3] quanti æsti-
mandus esset?

[1] transitio ad secundum locum prolepseos de judicio Dei in homines contumaces, per dehortationem ex adverso respondentem hortationi quę proposita est supr. 2.5. q.d. Deo adhærescite, & toti pendete ab ipso, non ab hominibus. [2] i. qui infirmissimus est, cujus vita est fumus, ac proinde nulla ex parte est cum Deo omnipotente comparandus. [3] q.d. quid est homo? quid est homini? aut quid inesse potest tantum, quod nō intereat ex se, aut auferatur per voluntatem Dei momento uno? sic posita thesi deinceps transit Jeschahja ad hypothesin, & Judæis hoc dictum accommodat toto capite.

CAPUT III.

2 [4] Nam ecce dominus ille Jehova exerci-
tuum amoturus est Jeruschalaimis & a Jehuda
[5] scipionem & bacillum; omnem scipionem [6] pa-
nis, & omnem scipionem aquæ.
3 [7] Potentem & bellatorem; judicem & pro-
phetam, [8] sagacémque ac [9] senem:
4 Præfectum quinquagenis, & [a] honorabi-
lem, consiliariúmq; ac [b] peritum artificem, &
intelligentem eloquentiæ.
5 [10] Daturus autem sum (*inquit*) pueros
principes eorum, & facinorosi dominabuntur in
eos.
6 Ita opprimet in populo [c] alter alterum,
quisque proximum suum: superbient puer in se-
nem, & vilis in honoratum.
7 [11] Si prehendat quis [12] fratrem suum e
domo paterna sua, *dicens*, [13] vestis *est* tibi, ductor
esto nobis; [14] ut ruina ista sub manu tua *sit*:
8 [d] [15] Jurabit die illo dicendo, [16] non essem
obligaturus, [17] etiam domi meæ non *est* panis
neque vestis: ne ponatis me ductorem populi:
9 [18] Cùm corruerint Jeruschalaima & Je-
huda ceciderit: [19] quia lingua eorum & actiones
eorum *sunt* adversus Jehovam, ad exacerban-
dum oculos [20] gloriæ illius.
10 [21] Obfirmatio vultus eorum testatur con-
tra ipsos, & peccatum suum [22] sicut Sedom enun-
ciant, non celant: [23] væ animo ipsorum, quia af-
ficiunt se ipsos malo.
11 [24] Dicite justo, bene esse; nam fructu acti-
onum suarum fruituros esse.
12 [25] Væ, [26] improbo malè est: nam retributio
manuum ipsius conficietur ipsi.
13 [27] Populum meum opprimentium quis-

[4] exornatio prioris membri prolepseos judicium Dei hominibus accōmodans, ut dictum est suprà 2.10. Docet enim propheta judicium Dei longè latéq; Judæam totam pervasurum, summos, infimos, viros, & mulieres, bona, & corpora: viros quidem, usq; ad vers. 17. mulieres verò, inde ad finem usque; postquā de bonis & rerum omnium possessione ac usu actum est, hoc versu. Hæc autem judicia non uno tantùm certo tempore effecta sunt, cùm ea jam inde a suis temporibus cœpisse Propheta docuerit supr. 1.5. & sequentibus; sed ad tempora omnia consequentia pertinent, quibus omnia hæc mala mutationésque Judæi perpessi sunt, usque ad plenum rejectionis tempus.

[5] id est, quicquid pertinet ad vitam hominum sustentandam, & magnum, & parvum: metaphora. [6] i. cibi & potus, synecdochicè. [7] denunciatio continens tum judicium divinū in personas; cujus genera sunt hæc, amotio personarum aptarum, duob. versibus; institutio ineptarum ad administrationem, & ἀταξία, illius consequens, ℣. 5. & 6. & ἀναρχία, ℣. 7. & 8. tum confirmationem justi illius judicii, vers. 9. & sequentib. [8] vide in Proverb. 16.10. [9] judicio, ac non ætate tantùm, quomodo pueri posteà sunt accipiendi, ℣. 5. & 13. [a] *Heb. elatum facie.* [b] *Heb. sapientem artificum.* [10] ineptorū regum & principum institutio, efficiens ἀταξίας sequentis ℣. ut diximus ℣. 3. [c] *Heb. vir virum.* [11] ἀναρχία, tertius maledictionis locus: ut diximus ℣. 3. [12] ad quē ex lege deferendus erat principatus, Deut. 17.15. & qui eodē jure fratres suos tenebatur vindicare multò magis in publicis calamitatibus, si facultate instructus esset, quàm in privatis, quarum præceptum habetur Levit. 25. [13] i. facultate ampliore instructus es: synecdoche. [14] i. ut manum admoveas ad labem reipub. nostræ curandam & instaurandam: metaphora a structoribus, qui collectis ruderibus faciunt opus redivivum. [d] *Heb. tollet* manum: *synecdoche: vide Gen. 14.22.* [15] i. ejurabit magistratum, adducta imbecillitate & tenuitate sua. q.d. neminem invenient Judæi qui defensionem ipsorum in se velit recipere: ita a Deo abjecti, ab exteris pressi, & a se ipsis confecti erunt mutuis inter se dissidiis & seditionibus. [17] i. non possem curare aut sanare vulnera vestra: metaphora a re medica. [18] i. ne meis quidē difficultatibus domesticis possem consulere; quanto minus suscipere vestras? [18] i. cùm status publicus semel labefactatus fuerit: prout factum est inprimis inde a temporibus Tzidkijæ Regis. [19] ætiologia a blasphemiis Judæorum & peccatis in Deum: qua transitus comparatur ad confirmationem denunciati illius judicii. [20] i. Dei illius, qui & in seipso gloriosus est, & glorificandus a nobis, atque adeò se in improbis glorificaturus. [21] confirmatio justi illius judicii Dei quod Propheta denunciavit, a Judæorum obduratione in peccatis: quorum proinde damnationē statam esse docet, primùm a naturali judicio & consensu omnium, bonis bene esse oportere, & malis malè, tribus versibus. deinde a justitia Dei jam jam adversus populum disceptantis opere & verbo, ℣. 13. & tribus seq. [22] i. palàm, pertinacissimè & impudētissimè, ut de Sedomitis dicitur Gen. 13.13. & 19.5. [23] q.d. non possunt istis non evenire mala, qui in mala ultrò projecti sunt, & sibi fabricantur mala. [24] amplificatio proximè præcedentis sententiæ a contrario, qua Jeschahja reprehendit securitatem Judæorū secunda omnia sibi pollicentium; ne dicatis, inquit, vobis bene fore, qui injusti estis; nihil ad vos pertinent promissiones justis factæ; sed eas potius justo concedite: vide Deut. 29.18. [25] exclamatio pathetica denunciantis gravissimas calamitates exitiúmq; injusto populo. [26] utcunq; sibi de rebus præsentib. gratuletur. [27] secundus confirmationis locus a justitia Dei: in quo Propheta primùm introducit Deum exponentem populo suo indignissimā administrationem publicam civilem & Ecclesiasticam, singularémq; depravationē omnium, hoc ℣. deinde pertinacem, obfirmatósq; contestantem, tribus versib. seq.

que

que [28] *est* parvulus, & fœminæ dominium exercent in eum: Populc mi, [29] qui ducunt te, seducunt; & viam itinerum tuorum [30] tegunt.

14 [31] Sistit se ad litigandum Jehova, qui consistit ad judicandum populos:

15 Jehova ad judicium advenit contra [32] Seniores populi sui & principes ejus; [33] at vos depavistis hanc vineam, rapina pauperis *est* in domibus vestris.

16 Quid vobis *est*, *quòd* conteritis populum meum, & faciem pauperum commolitis? dictum domini Jehovi exercituum.

17 [34] Præterea ait Jehova, eò quòd [35] altæ sunt filię Tzijonis, & ambulant [36] [e] extento gutture, & [37] nutantes oculis: [f] indesinenter [38] minutis passibus incedunt, pedibúsque suis [39] compeditas agunt:

18 Idcircò scabie afficiet dominus [40] verticem filiarum Tzijonis, & Jehova [41] pudendum earum nudabit.

19 Tempore illo amovebit Dominus ornamentum istud [42] periscelidum, [43] ocellatáque opera, & [44] lunulas,

20 Myrothecidia, [45] catellásque, & [46] bracteolas.

21 Tiaras, & armillas, redimiculáque, [g] [47] bucculásque [48] & amuleta.

22 Annulos, & [49] [h] monilia naso impendentia,

23 [50] Syntheses vestium, & amicula, & ventralia, & [51] aciaria,

24 Speculáque, & [52] sindones, & mitras, & carbasa,

25 Erítque [53] loco aromatis *ut* exsistat [54] tabes, & loco cinguli [55] dissolutio, & loco operis [i] pexi [56] calvitium, & loco [57] segmentatæ cycladis cinctus cilicii, [58] ustio loco pulchritudinis.

26 [59] Homines tui gladio cadent, etiam [k] potentes tui bello.

27 Quamobrem mœrentibus & lugentibus [60] portis illius; quum [61] expurgata [62] desidebit in terra.

CAPUT IIII.

28 [63] Prehendent septem mulieres virum eumdem tempore illo, dicendo, cibum nostrum comedemus, & vestimentum nostrum induemus: tantummodò [64] [l] vocemur de nomine tuo, [65] aufer probrum nostrum.

[28] consilio, judicióque, ut supra vers. 5. quasi dicat, non magis sapiens, consilio, judicio, & administratione valens, quàm parvulus; aut suarum cupiditatū potens, quàm mulier. [29] id est, Sacerdotes & Levitæ, quorum officium esset ducere te in lege & luce Jehovæ: ut Deu. 17.8. & 33.10. [30] id est, celant te doctrinam legis, in qua tibi eundum esset, neque recedendū dextrorsum aut sinistrorsum, Deuter. 5. 38. sic accipitur hoc verbum Numer. 4.20. [31] descriptio Dei comparentis ad contestationem Judæorū, sumta a re forēsi: Judex, inquit, totius terræ (ut vocat Abraham Gen. 18.25.) jam præstò est, ut contendat cum populo. Hinc autem incipit secundus locus, nimirum contestationis, ut diximus superiore versu. [32] officio & dignitate, quamvis re ipsa cum pueris & mulieribus comparandi. [33] Dei contestantis verba per paralepsin. quasi dicat, vestrum erat Seniorum, & verorum principum munere persungi (de quo Exodi 18. & Deuter. 1.) non autem puerorum modo, aut mulierum insolescere: at vos, &c. Continet autem hæc contestatio crimina duo, vim factam alienis bonis, hoc versu; & injuriam personis, sequenti versu. [34] secundus locus judiciorum Dei contra mulieres, ut diximus suprà in versum 2. in quo exponuntur primùm causa, mollities effœminatissima quæ indicium est infiniti luxus, ut ostenditur Deuter. 28. 56. deinde judicia trium generum: quòd delicias suas amittent, versibus septem sequent. quod malis gravissimis, durissimísque afficientur, vers. 25. & quòd sui erigendi facultatem nullam neque viri, neque mulieres deinceps consequentur, tribus ultimis. [35] id est, elatæ animo, quod sequentibus signis ostenditur. [36] id est, exserto, ut erectis cervicibus ostentent frontem. [e] *Hebr. extenta guttur.* [37] id est, suis nictationibus lasciviam suam facientes palàm [f] *Hebr. eundo & parvulas agendo incedunt.* [38] id est, minutim & numerosè passus conserunt, ut natare potius summa terra quàm ambulare videantur. [39] id est, leges numerorum & gressuum modulos observant, ut in saltationibus cinædi faciunt: quasi compedes semper obtinerent, quibus ad modificandos asturconum & tolutariorum gressus utuntur veterinarii, donec modulis assuefacti sint: prout hodie videmus fieri, quum muli aut equi tolutim incedere docentur. [40] quem superbè extollunt, & ornant mollissimè. [41] ac non tantùm pedes, quos suis modulis & sua arte dissimulabant incedentes. [42] id est, ornamentorum crurulium, quibus ad pedes alligatis discebant modificare gressus, ut diximus superiore versu. [43] ut sunt reticula, & quæcunque raro textu confecta sunt, ut sint translucida; impudicarum ornamenta. [44] ut Judic. 8.21. [45] pendentes de collo, aut pro cingulis impositas. [46] sive toramenta auri & argenti, ut Capitolinus vocat in Aelio Vero, id est, tenuia veluti foliorum segmenta ex auro vel argento, quæ vestibus ita appenduntur ut quasi stellæ in oculis micent continuo motu: unde nomen apud Hebræos habent. [g] *Heb. domos animæ.* [47] i. superba illa aulicarum instrumenta, quibus os suum contegunt velut pastomidibus: est enim os meatus animæ sive anhelitus; cujus obex propterea Hebræis domus animæ appellatur. [48] Hebræa vox ab incantando & excantando dicitur: quod cum ea criminatione convenit, qua Propheta usus est suprà 2.6. quamobrem amuleta visum est reddere. [49] i. fronti imposita, cujusmodi ferè baccata gestari solent. [h] *Heb. monilia nasi.* [50] i. multiplicem mundum muliebrem vestimentorum, ad varietatem & mutationē frequentem. [51] sive (ut Græci vocant) *περονίδες*, quibus acus & aciculę infigi aut includi solent. [52] id est, suppara è lino Aegyptiaco: quamobrem etiam Tyriæ sindones veteribus poëtis dictæ sunt. [53] id est, unguentorum, & odoramentorum quibus diffluunt. [54] tum loco mollis unguenti corpora illarum infestans, tum aërem fœtore corrumpens odoramentorum loco. [55] nimirum cinguli, ita ut laceræ sint mulieres, nudæ, atque turpes.

[i] *Hebr. continentis, id est, ita pexi ut contimenti esse videatur.* [56] id est, deformitas summa: quia coma mulieri est gloriæ, 1. Corinth. 11. 15. q. d. tam graves erunt ærumnę & calamitates publicæ privatæque, ut puellæ comā sibi avellant præ luctu, & ultrò gloriam suam & ornamentum a se abjiciant. [57] hanc interpretationem ipsa nominis Hebraici notatio nobis subministrat. Est enim compositum ex nomine frustum sive segmentum significante, & altero significante orbem sive rotunditatem: quamobrem intelligimus hac voce, illa mulierum luxuriosarum ornamenta, quæ quum induenda sunt, a capite primùm inseruntur, & demissa indè supra femora ita constringuntur in speciem cinguli, ut tota cyclas, id est, segmentatus ille orbis ad imos usque talos dependeat ex angusto latus, & ima sui parte velut quoddam tintinnabulum spatium amplissimum circumscribens; quod genus vestimentorum novum non esse ex Græcis auctoribus constat. [58] id est, pro eo quòd colebant faciem suam venustatis causa, & a solis cælique injuriis studiosè defendebant, trahentur & rapientur foras ab hostibus, retectæque soli exponentur atque torrefient. [59] secundum judiciorum genus, ut observatum est suprà in versum 17. per apostrophen ad Tzijonē. [k] *Hebr. viri potentiæ tuæ.* [60] id est, finibus omnibus Judææ, synecdochè. [61] id est, exhausta incolis & bonis, dirutáque ædificiis; quo modo affecta terra lugere dicitur per prosopopœiam. [62] nimirum Tzijon lugens calamitatem suam; *ἀνθρωποπαθῶς*: ab usu lugentium, qui solebant in terra sedere atque recumbere, ut 1. Schem. 12.16. Ijobi 1.20. & 2.13. [63] id est, tanta erit penuria virorum, tanta desolatio mulierum, ut ne unus quidem vir in septenas familias inveniri possit. Amplificatur autem hæc desolatio tribus conditionibus iniquissimis: una, quòd mulieres ambituræ sint & prehensuræ virum; altera, quòd victum & res omnes necessarias ipsi oblaturæ, quod propriè virorum officium est: tertia, quòd plures contra jus, morem, & ingenium in virum unum consensurę. [64] id est, duce nos, maritus esto nobis. [l] *Hebr. in vocetur nomen tuum super nos.* [65] id est, fac ut liberos suscipiamus ex te: nam probrosa olim erat *ἀτεκνία*.

CAPUT IIII.

1 TEmpore [a] [1] illo erit [2] germen Jehovæ gloriæ & honori, & [3] fructus ipse terræ excellentiæ & ornamento [b] [4] superstitibus Jisraëlis.

2 [5] Erit enim *ut* qui relictus fuerit Tzijone, & residuus Jeruschalaimis, sanctus [c] dicatur; [6] quisquis adscriptus fuerit vitæ Jeruschalaimis:

3 [7] Quum laverit Dominus excrementum

[a] *Heb. die.* [1] Conclusio totius concionis, ut observatum est suprà 2.1. continens duo promissionum genera: unum de justitia, sanctificatione, redemtione, & gloria, quam Ecclesia percipit in Christo, usque ad versum 4. alterum, de æterna fide & defensione ejus, duobus sequentibus. Tempus autem illud intelligendum est, quo Christus judicia antè denunciata effecit, & suo adventu populum suum purgavit, infrà vers. 3. [2] id est, Christus Jehova infrà vers. 4. qui intermortuo regno Dei propemodum, excitatus est a Deo patre & submissus, velut germen e radice repullulans. alii pro Ecclesia repullulante accipiunt ex reliquiis Jisraëlis, hoc sensu; Ecclesia e reliquiis Jisraëlis collecta erit ornatissima; alii pro donis spiritualibus quæ Jehova in Ecclesiam profundit: sed cum proprium apud Prophetam nomen Ecclesiæ sit Jisraël aut reliquiæ Jisraëlis, hoc versu, & seq. prætereà gratiæ sive dona Dei evidentissimis verbis exprimantur, deinde hoc proprium sit attributum Christi, quod deinceps procedente tempore copiosiùs exposuit idem Propheta infrà 11. cujus summam hoc caput continet; interpretationem hanc aliis prætulimus: denique ipsa quoque verborum consequutio simpliciùs ita construitur, quam si dixeris, erit germen Jehovæ reliquiis Jisraëlis, id est, germinabunt a Jehova: dona verò nusquam sic appellantur, sed Christus ipse hanc appellationem & cognatas obtinet infrà 11. Jirmejæ 23. & 33. Zecarjæ 3. & 6. [3] epitheton Christi, qui ex radice penè mortua subolescens, cum surculo comparatur qui e terra enascitur, quòd infrà cap. 11. copiosiùs exponitur. [b] *Heb. evasioni.* [4] id est, Ecclesiæ. [5] expositio rationum, quibus Christus gloriam collaturus est in Ecclesiam suam. Sunt autem duæ; Justitia & sanctitas illius quæ efficitur nostra ad vitam æternam, hoc versu, & remissio peccatorum atque abolitio, vers. sequente. [c] *Hebr. dicatur ei, impersonaliter: ut suprà 1.26.* [6] id est, ordinatus ad vitam æternam ex decreto Dei: ut loquitur Lucas Actor. 13. 48. [7] id est, malum ex Ecclesia sustulerit, tum paleam exurendo igne inexstinguibili, tum suorum peccata ventilando atque perpurgando spiritu sancto & igne: ut Joannes prædicabat Matthæi 3. & alibi.

filiarum

[d] *Hebr. sanguines.*
[8] id est, spiritu divino suo, qui unus omnia scrutatur, 1. Cor. 2.10. ac proinde solus justissimo judicio omne malum tollet e populo Dei: quambrem ignis in scripturis appellatur ab officio suo.

filiarum Tzijonis, & [d] cædes Jeruschalaimorum
abluerit e medio ipsorum; [8] spiritu judicii & spi-
ritu sublationis.
4 [9] Creabítque Jehova super unumquodq;
habitaculum montis Tzijonis, & super [10] con-
vocationes ejus, [11] nubem interdiu fumúmque,
& splendorem ignémque [e] flammantem noctu;
nam [12] super totam gloriam *erit* [13] protectio.
5 [14] Cujus protectionis tugurium erit um-
braculo interdiu ab æstu; & receptui atque lati-
bulo ab inundatione & a pluvia.

[9] alterum genus gloriæ, nimirum fides & defensio æterna quam obtinemus in Christo, ne unquam de vita, cui adscripti sumus, decidamus; sed sine metu e manu inimicorum nostrorum liberati serviamus ipsi cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu cunctos dies vitæ nostræ, Lucæ 1.74. [10] id est, singulos cœtus Ecclesiasticos, qui omnes ad Tzijonem spiritualem pertinent. [11] allegoria respiciens ad signum illud aspectabile præsentiæ Dei quod præivit Jisraëlitis proficiscentibus ex Aegypto, Exodi 13.21. pro eo quod est, dux erit & defensor Ecclesiarum singularum, quæ undequaque confluent ad cælestem Jerusalem. [e] *Hebr. flamma.* [12] decorémque, excellentiam, & ornatum præstitutum Ecclesiis, suprà vers. 2. Sensus est, proteget in Ecclesiis suis gloriosum ornatum suum, & dona sua propter nomen suum conservabit. [13] alludit ad tegmina quibus totum opus tabernaculi contectum erat, quod exponit sequen. versu. [14] id est, quemadmodum tabernaculum olim circumtectum erat ab omnibus cæli injuriis, ita unaquæque Ecclesia (prout tabernaculum est & templum sanctum Domino) planè circummunietur adversus omnia mala studio providentiáque Dei.

CAPUT V.

Propheta per vineæ parabolam disceptat verbis Dei cum Ecclesia Judæorum; beneficia illius ingratúmque istorum animum exponit: peccata ex avaritia, luxu, certáq; malitia ab ipsis perpetrata exprobrat: maledictionem & ultionem suam singulis denunciat: præcedentes calamitates peccatis tribuit, & gravissimas a Chaldæis venturas prædicit.

[1] Hujus capitis (quod Jeschaħja carmine cecinit ad exemplum Moschis Deuter. 32.) summæ partes sunt quatuor: prima est propositio, priore parte hujus versus; secunda, narratio, usq; ad versum 7. tertia, denunciatio generalis justorum judiciorum Dei in populum ingratum & rebellantem Deo, inde usque ad vers. 25. quarta, singularis accommodatio judiciorum Dei præteritorum futurorúmque ad præsentem causam, inde ad finem usque. Etsi autem hoc caput nulla inscriptione a præcedentibus distinguitur; tamen quia summatim argumentum continet duarum concionum præcedentium, seorsim visum est ponere, velut concionem disparatam. [2] id est, Christo sponso Ecclesiæ, cujus amicus & administer sum. [3] summa totius argumenti allegorica. [4] narratio continens expositionem rei, hoc versu; factorum, sequente; & consilii, quatuor sequentibus. [a] *Hebr. in cornu filio olei. id est oleoso ac pingui: metaphora.* [5] quasi dicat, quàm commodissimè & convenientissimè, quò etiam spectat prior pars sequentis versus. [6] narratio facti duplicis; nimirum curæ quam adhibuit Christus in informanda, servanda, augenda, & perficienda vetere Ecclesia; & indignitatis qua Ecclesia vetus provocavit Christum. [7] expositio consilii divini in castigandis Judæis: qua primùm ex argumento superioris parabolæ ipsos adigit ad damnandum factum ipsorum, & probandum suum, duobus versibus (qua ratione Nathan apud Davidem usus est, 2. Schem. 12.) deinde sententiam suam judiciúmque denunciat, vers. 5. & 6. [8] quasi dicat, appello conscientiam vestram, vos ipsi cognoscite, & bona fide statuite, per utrum steterit quominùs fructum dignum conditione sua protulerit: si vel tantillum meritò a me desiderabitur, ego præstabo: sed cum partibus meis planè perfunctus sim, quid superest nisi ut vinea in culpa dicatur esse? [b] *Hebr. & inter vineam.* [9] expositio sententiæ aut judicii allegorica, ut diximus in versum 3. pro eo quod est, abjiciam studium illius, nudabo præsidio, bonis, & ornamentis meis, exponámque omnibus injuriis.

ACcinam [1] nunc [2] dilecto meo canticum
dilecti mei, [3] de vinea ipsius: [4] vinea est
dilecto meo [a] [5] in clivo uberrimo;
2 [6] Quam circummunivit, & elapidavit,
consevítque generosis vitibus, & exstruxit tur-
rim in ea, ac etiam torcûlar excîdit in ea: sed
quum expectasset ut ederet uvas, edidit la-
bruscas.
3 [7] Nunc autem habitatores Jeruschalai-
morum, imò viri Jehudæ *singuli*; [8] judicate quæ-
so inter me [b] & vineam meam.
4 Quid faciendum ampliùs fuit vineę meę,
quod non fecerim in ea? Quamobrem quum ex-
spectassem ut ederet uvas, edidit labruscas?
5 [9] Jam itaque, notum faciam quæso vobis
quid facturus sim vineæ meæ; amovendo sepem
ejus ut sit depastioni, disrumpendo maceriam
ejus ut sit conculcationi;
6 Exponam eam desolationi; non putabi-
tur, neque refarrietur, sed assurget sentis & ve-
pres: insuper nubibus interdicam, ne demittant
in eam pluviam.
7 [10] Nam vinea Jehovæ exercituum domus
Jisraëlis, & viri Jehudæ *sunt* planta deliciarum
ejus: & quamvis exspectaverit [11] officium, ecce
[12] pertinacia; justitiam *exspectaverit*, ecce au-
tem [13] clamor.
8 [14] Væ conjungentibus domum domui, a-
grum agro [c] adhibentibus; [15] donec nihil *ampli-
us sit* loci, & efficiamini habitatores vos soli in
media [16] hac terra.
9 [d] [17] Me audiente, Jehova exercituum [18]
dixit: *ne vivam*, nisi domus multæ desolationi
sint, magnæ & præstantes; adeò ut nullus *sit fu-
turus* habitator.
10 Nam decem jugera vinearum reddent [19]
bathum unicum, & sementis [20] cori reddet [21]
epham.
11 [22] Væ surgentibus summo mane, *ut*
potum inebriantem sectentur; prorogantibus
ad crepusculum usque, *ut* vinum incendat ip-
sos.
12 *In* quorum conviviis est cithara ac nabli-
um, tympanum, tibiáque, ac vinum: [23] opus au-
tem Jehovæ non intuentur, & factum manuum
ejus non considerant.
13 [24] Idcircò [25] migrat populus meus, [e] quod
[26] expers *sit* scientiæ: & [f] honoratissimi ejus ho-
mines *sunt* [27] famelici, ac multitudo ejus aret
siti:
14 Idcircò [28] dilatat sepulcrum [g] se ipsum, &
distendit os suum [h] in immensum; ut descendat
[29] decor illius & multitudo illius cum [30] tumul-
tuatione sua, & qui exsultat [31] in illa.
15 [32] Ita deprimitur homo plebeius, & de-
mittitur vir præstans; oculíque celsorum depri-
muntur:

[10] transitio ad tertiam partem, quam diximus esse generalem denunciationem judiciorum Dei, per accommodationem præcedentis allegoriæ ad Judæos; qui hoc versu beneficiorum Dei & improbitatis suæ evincuntur, deinde pro ratione peccatorum verberantur denunciatione parium judiciorum Dei, & peccatis respondentium. Est autem hæc instituti cantici ætiologia: oportet, inquit, accinam: quid ita? quia vinea Jehovę ex. est d. J. &c. [11] id est, ut missa nativa sua cōditione (quę sterilis est & malarū duntaxat rerum ferax) facerent officium suum. [12] nimirum in vetere homine & corruptione naturali, quæ amplificatur demonstrandi particula. [13] vide Genes. 18.20. [14] hujus denunciationis loci sunt tres, quibus singulis continentur exprobratio peccati, & convenientis pœnæ interminatio: primus locus est avaritiæ sordidissimæ, usque ad versum 11. secundus, intemperantissimi luxus, inde usque ad versum 18. tertius, malitiæ & obfirmationis in malo, usque ad versum 25. [c] *Hebr. admoventibus.* [15] quasi dicat, quorum avaritia adeò est insatiabilis, ut ne tum quidem satis habituri sint quum nihil amplius supererit acquirendum, & totam terram soli omnibus expulsis possederint arbitratu suo. Hunc locum adducti distinctionibus Hebraicis sic interpretamur. [16] cujus possessiones neque vendendæ, neque acquirendæ erant lege mancipii, Levit. 25. 23. & Numer. 36.7. Hoc enim indicium est publici status depravatissimi, ut 1. Regum 21. [d] *Hebr. in auribus meis.* [17] hactenus peccatum; sequitur conveniens pœna juramento Dei confirmata, ac proinde inevitabilis: quam se non ex opinione tantum, aut communibus minis comprehensis lege cognovisse docet propheta; sed ex singulari revelatione Dei, prout manifestum est ex singulari illa denunciatione quæ ponitur sub finem capitis. Sunt autem duo denunciationis membra, ut in exprobratione; unum in prædia urbana hoc versu; alterum, in rustica, versu sequente. [18] Ellipsis est frequens: ut 1. Reg. 20.34. & infrà 47.4. [19] id est, amphoram Atticam: vide 1. Reg. 7. 26. [20] vide Levit. 27.16. [21] vide Exodi 16. 35. [22] secundus locus denunciationis, ut dictum est in versum 8. [23] id est, nihil respiciunt, nihil audiunt, nihil denique sapiunt nisi luxum suum; & ad nihil eorum quæ facit Deus animum aut sensus advertunt: sic Hamos 6.6. & sequent. [24] hic subjicitur peccatis interminatio, ut suprà. [25] id est, pergunt Judæi summi & infimi cum iisdem calamitatibus conflictari, quæ cœperunt Joaschi & Amatzjæ temporibus, ut ipse ostenderat suprà 1.5. & sequentibus, & repetit infrà vers. 25. Sunt autem calamitates istæ, exilii, mortis, & abjectionis omnimodæ, tribus versib. [e] *Hebr. ex non scientia.* [26] id est, nulla præditus cognitione, aut animadversione factorum Dei; sed brutus est, ut loquitur David Psalm. 92.7. [f] *Hebr. honor ejus homines.* [27] pro eo quòd cibo & potu luxuriosissimè abusi sunt. [28] prosopopœia, qua insatiabilem conditionem sepulcri comparat cum luxu Judæorum insatiabili. [g] *Hebr. animam suam.* [h] *Hebr. ad non modum.* [29] id est, summi & infimi, patricii & plebeii; hypallage: sic enim accipiendum esse ostendit præcedens versus. [30] id est, strepitu illo, qui in comessationibus & perdito luxu personare solet. [31] videlicet urbe & regione tota. [32] i. his judiciis domantur improbi quicunque sint, hoc versu; Dei gloria asseritur, versu seq. & piis prospicitur, vers. 17.

[33] quibus comparantur pii in scriptura passim. [34] pii restituti in possessione terræ quam improbi occupaverāt, & inimici exhauserant; ut suprà dixit Propheta. [35] tertius denunciationis locus adversus malitiam & obfirmationem Judæorum. Sunt autem hic genera malitiæ plura: primum est studium accumulādi peccata, quo utuntur ii qui ludificantur Deum, duobus versibus; secundum, confusio justi & injusti, & communis omnium perversitas, vers. 20. tertium, præfidens sui existimatio, vers. 21. quartum, affectata totius naturæ & sensuum omnium cōturbatio ad stabiliendum malum, & cōvellendum bonum, vers. 22. & 23. [36] id est, nihil agitantibus nisi malū omni studio suo: allegoria. [37] verba ludificantium Deum, & irrisorum qui in suis ipsorum cupiditatibus incedunt, ut vocantur 2.Pet.3.3. [i] Hebr. *in oculis suis: ut Proverb.* 3.7. [k] Hebr. *viris roboris.* [l] Hebr. *Justificantibus.*

16 Et exaltatur Jehova exercituum judicio
suo, & Deus fortis sanctissimus sanctificatur ju-
stitia:
17 Ut pascant [33] agni pro more suo, & vasti-
tatibus pinguium [34] advenæ fruantur.
18 [35] Væ [36] trahentibus iniquitatem funi-
bus vanitatis; & veluti denso fune plaustri, pec-
catum;
19 Dicentibus, [37] festinet, acceleret opus
suum, ut videamus; & appropinquans adveniat
consilium sancti Jisraëlitarum, ut experiamur.
20 Væ dicentibus de malo bonum *esse*, & de
bono malum: statuentibus tenebras pro luce, &
lucem pro tenebris; statuentibus amarum pro
dulci, & dulce pro amaro.
21 Væ sapientibus [i] judicio suo, & coram fa-
cie sua intelligentibus.
22 Væ valentibus potare vinum, & [k] strenuis
ad miscendum potum inebriantem:
23 [l] Absolventibus improbum propter mu-
nus; & justitiam justorum [m] abjudicantibus ab
unoquoque eorum.
24 [38] Idcircò ut absumit stipulam [39] lingua
ignis, & torridum gramen flammâ deficit; [40] ra-
dici istorum quasi tabes inerit, & flos istorum ut
pulvisculus abibit: Quia contemnunt doctrinam
Jehovæ exercituum, & sermonem sancti Jisraë-
litarum spernunt.
25 [41] Propterea accensus est ira Jehova in
populum suum, & extendens manum suam con-
tra eum, percussit eum [42] adeò ut commoti fuis-
sent ipsi montes, fuítque [43] cadaver istorum suc-
cisum in mediis plateis: his omnibus non est a-
versa ira ejus, sed adhuc [44] manus ejus extenta.
26 Nam quum attollens vexillum ad [45] gen-
tes e longinquo, & sibilans advocaverit ad se
ab extremo terræ; ecce citò, velox adveniet
exercitus.
27 [46] Nullus *erit* fessus, nullúsque impingens
in eo, [47] non dormitabit neque dormiet; etiam
[48] non solvetur zona lumborum ejus, neque a-
velletur corrigia calceamentorum ejus;
28 Cujus sagittæ *erunt* acutissimæ, & omnes
arcus ejus adducti; ungulæ equorum ejus [49] simi-
les rupi reputabuntur, & rotæ *curruum* ejus [50] si-
miles turbini:
29 [51] Rugitus ei ut immanis leonis; rugiénsq;

[m] Heb. *amoventibus ab eo.* [38] exprobrata hactenus malitia, Propheta venit ad denunciationem pœnæ: qua ostendit contumaces istos (qui sibi tam graves visi sunt ad exuendam pietatem & humanitatē) fore aptissimos incendio, atque levissimos, ut nullo negotio judiciis Dei consumantur. [39] id est, extrema flamma in speciem linguæ se ipsam protendens: metaphora. [40] i. ab imo ad summum disperdentur, exstirpabuntur, consumentur radicitus. [41] quarta pars, singularis explicatio judiciorum Dei adversus Judæos, tum eorum quæ priùs fuerant perpessi, ut Joaschi & Amatzjæ temporibus, de quibus suprà diximus, & hoc versu agitur; tum eorum quæ in posterum erant perpessuri ab Assyriis, Chaldæis, finitimísque omnibus, versibus seq. [42] i. gravissimè percussit, & tantis malis affecit, ut ipsi montes fuissent sursum deorsum abituri, si Deus in eos tantam indignationem deonerare voluisset: sic per comparationem durities plus quàm saxea populo exprobratur. [43] tam bellis exteris, quàm civilibus: quia exteris Jeruschalaima bis capta sunt, primùm a Syris, 2. Chron. 24.23. deinde a Joascho rege Jisraëlitarum, 2.Reg. 14. & 2.Chron. 25. civilibus verò, occisi sunt reges ipsi, & occisores mulctati. [44] vexillo sublato accersens hostes, & judicia sua exsequens. [45] Syrorum, Assyriorum, Aegyptiorum & Chaldæorum, quos excitavit Deus ut perficerent judicium ipsius, tanquam datis signis militaribus. [46] exaggeratio interminationis per descriptionem exercitus cujusque qui in Judæam erat irrupturus, primùm a constitutione militum, armorum, equorum, & omnium ad militiam pertinentium, duobus versibus; deinde ab opere ipsorum effectísque, duobus reliquis. [47] id est, non aget segniter; sed ipsas potiùs noctes in obsidione occupabit: ut Jir. 6. 5. [48] id est, indesinenter in armis erit, & sine impedimento in expeditione perget. [49] i. infractę atque durissimæ, quæ nullo itinere atterantur. [50] id est, velocissimæ, ocyores Euro. [51] altera pars descriptionis, exponens mala quæ efficiet exercitus: nimirum quòd sola voce consternabit, fremitu superabit, vi depopulabitur & deportabit prædam, denique omnem sui eripiendi facultatem oppressis adimet.

ut juvenes leones fremet, & prehendet prædam,
salvámque deportabit, & nemo eripiet.
30 Fremet inquam [52] in ipsum [53] tempore il-
lo, quasi [54] fremitu maris: [55] quumque intuebi-
tur in hanc terram, ecce tenebras, *tenebras an-*
gustiæ simulac collustraverit, [n] offundentes se [56]
in ruinis ejus.

[52] nimirum qui se aut populum eripere conatur fuerint e manu Chaldæorum, prout factum est in posteris Joschijæ, & iis qui Gedaljam interfecerunt ut in Aegyptum transfugerent, 2.Reg. tribus ultimis, & 2.Chron. ultimo, & Jirmejæ 41. & sequentibus. [53] quoties rebellionē molietur. [54] id est, gravissimo & horrendo; prout sequentia verba exponunt allegoricè. [55] allegoria, qua Propheta vires hostium effectáque depingit elegantissimè, quibus Judæi quasi in perpetuas tenebras detrudentur. Tanta, inquit, eorum potentia futura est, ut non solùm fremitu consternaturus sit, verumetiam solo velut aspectu perditurus & obruturus gravissimis calamitatibus (quæ cum tenebris in scriptura plurimùm comparantur) universam Judæorum gentem. Quum ergo intuebitur, id est, fermè ad solum aspectum ejus, inhorrescet terra tenebris, ut sequens repetitio docet exegeticè. [n] Heb. *contenebrantes.* [56] in quib. istę tenebrę diu perduraturę sunt.

CAPUT VI.

Propheta Deum conspicit in solio, stipatum satellitio ad judicandum Judæos: verbum prædicantibus angelis terra contremiscit, & ipse exterretur: deinde per signum ab infirmitate liberatus mittitur a Deo, confirmatúrque, ut populo duritiem exprobret, obsignet, & augeat prædicatione, donec novem ferulis correptus decima tandem in exitium abeat.

1 [1] ANno [2] quo mortuus est rex Huzzija,
tum vidi [3] Dominum [4] insidentem so-
lio celso & elato; [5] cujus fimbriæ complebant
templum ipsum:
2 [6] Seraphim astātes [7] supernè *erant* ei, [a] senis
alis unusquisque; quarū binis [8] tegebat faciē suā,
& binis [9] tegebat pedes suos, ac binis [10] volabat:
3 Et [11] clamans [b] alter ad alterum [12] dicebat,

[1] nunc demum est hoc capite secundum tempus, quo Jeschahja prophetavit. Quū enim prius tēporibus Huzzijæ regis populum ad bonam frugem revocasset promissionibus & minis; nunc demū populi obfirmationem & excæcationem denunciat, ut observavimus suprà 1.1. quo magis admiranda est harum prophetiarum auctoritas, cùm obduratio hæc populi & tot flagella quæ deinde fuerunt perpessuri, tot antè annis fuerint prænunciata: nam Jotham sexdecim annis regnavit tranquillè, Achaz hoc tempore quasi puer quadriennis erat; verumtamen Propheta definit eas calamitates quæ deinceps inde a temporibus Achazi erant Judæam pervasuræ. Continentur autem hoc capite tria: primum est magnifica adumbratio majestatis Dei, quinque versibus, secundum, expositio vocationis a Deo, & auctoritatis officiique Prophetæ impetrati, inde ad versum 10. tertium, prophetia gravissimorum malorum quę Judæis erant eventura justo judicio Dei, tribus versibus ultimis. Exponitur verò præstantia majestatis Dei primùm a constitutione ipsius, hoc versu; deinde a persona angelorum cælestium, duobus sequent. postremò ab Ecclesia in terris versante, vers. 4. & 5. [2] id est, quo rex Jotham regnare cœpit: sic autem potiùs definit quàm a Jothami regno, quia Jotham vivo adhuc parente regnum administraverat, 2.Reg. 15.5. itaque hac loquutione omnem dubitationem tollit. [3] Jesum Christum, sermonem æternum Patris, cui Deus omne judicium dedit, ut interpretatur Joannes 12.41. [4] ut regem judicémque potentissimum & magnificentissimum effectum a Patre. [5] id est, gloriosissimum & sanctissimum. Nam gloria dispansis illis fimbriis, id est, regali ornatu synecdochè, sanctitas verò habitatione templi designatur: ut posteà declarant Seraphim, ex quorum verbis interpretamur hoc visionis genus. [6] id est, electi angeli e cælo, urentes tamquam ignis, ac proinde purgaturi bonos per vocationem Dei, & consumturi malos: nam visiones quas Deus exhibet, ad rerum suarum argumenta accommodandas esse pro certo habemus: propterea Deum cum judice, angelósque flammantes cum satellitibus comparari. Est autem hic secundus locus illustrans majestatem Dei a persona factísque angelorum, hoc versu; & a confessione ac prædicatione ipsorum, versu seq. [7] id est, in eodem loco, celso, & elato, ubi inspexi solium Dei. [a] Hebr. *sex alis sex alis.* [8] dans omnem gloriam Deo, & hoc signo publicè testans a sua tenuitate non posse ferri aspectum infiniti splendoris, gloriæ, & majestatis Dei. [9] quasi hominum infirmitati consulens, qui ad aspectum emicantis illius scintillę sive particulæ quam angeli de gloria divina consequuti sunt, planè deficerent. [10] id est, quàm celerrimè ad jussa Dei omnipotentis capessenda expeditus erat. [11] id est, uno ore conclamantes & hymnum Deo concinentes: nimirum postquàm decretum Dei acceptum est de iis exsequendis quæ deinceps narrantur: paralepsis in scripturis ad vitandas repetitiones frequens. [b] Hebr. *hic ad illum.* [12] brevis hymnus iste quem angeli dixerunt Domino, accepto decreto de judiciis ipsius contra Jehudæos, continet duas partes: unam, qua sanctitatem Dei infinitam ipsi viisque ipsius omnibus & judiciis inesse in sempiternum asserunt; quod genus affirmationis triplice ejusdem vocis enunciatione ostenditur, ut Jechezkel. 21.27. quasi dicas, omnino omnium sanctissimus est Deus, & sanctificandus ab omnibus: alteram, qua justitiam confirmant illius judicii, quod Prophetę huic erant indituri, & per ipsum populo denunciaturi; quasi dicat, oportuerat populum hunc sanctificare gloriam Dei sui, prout receperat Exod. 19.8. & 24.3.

sanctus,

ſanctus, ſanctus, ſanctus *eſt* Jeho va exercituum:
implet totam hanc terram [13] gloria ejus.
4 [14] Tum commoti ſunt poſtes liminum a
voce inclamante, & domus ipſa impleta eſt [15]
fumo.
5 [16] Quamobrem dixi, [17] Hei mihi, quòd
exſcindor; quia vir [18] pollutus labiis ſum, & in
medio populi polluti labiis habito: cùm Re-
gem illum Jehovam exercituum viderint oculi
mei.
6 [19] Sed advolavit ad me [20] unus ex iſtis Se-
raphim habens in manu ſua [21] prunam, *quam* for-
cipibus ſumſerat [22] ab altari.
7 Admovítque ori meo dicens, [23] ecce, [24]
attingit hoc labia tua; jam amovetur [25] iniquitas
tua, & peccatum tuum expiatur.
8 [26] Deinde audivi vocem Domini, dicen-
tis: [27] quem miſſurus ſum? & quis iturus eſt [28]
nobis? cui dixi, En ego, mitte me.
9 [29] Tum dixit, i, ut dicas populo iſti: [c] [30]
audite indeſinenter, [31] at ne intelligatis, & [d] vi-
dere indeſinenter, neque cognoſcatis.
10 [32] Fac ut [33] pingueſcat cor populi iſtius, &
[34] aures ejus fac ingraveſcant, oculíque ejus fac
conniveant: [35] ne videat oculis ſuis, & auribus
ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, [36] ſéque con-
vertat, & ſanitas obveniat ei.

[13] quæ Dei eſt, peculiari quodam jure, & in qua coram habitat. [14] id eſt, templum ipſum & res inanimæ audito Angelorum clamore cohorruerunt; poſtquam evicti ſunt Judæi, & percepta ſeveritas judiciorum Dei in illos. [15] ſigno præſentiæ Dei exardeſcentis in juſtiſſimam ultionem Judæorum, ut alibi præſentiam ſuam teſtatus eſt nube ad gratiam & pacem teſtificandũ populo, 1. Reg. 8. 10. [16] conſpecto Deo, & audito ab angelis decreto ejus. [17] vide Geneſ. 16. 13. [18] i. qui ne verbo quidem ritè ſanctificavi gloriam Dei, neque adhuc comparatus ſum aut aptus ad ſanctificandum eam: ſynecdoche. [19] ſecunda pars de vocatione Prophetæ; in qua docetur, primùm quomodo ad vocationem ſuam comparatus atque vocatus ſit: deinde quorſum aut ad quod prophetandi genus. Ratio comparandi ſive informandi Prophetæ eſt duplex; una, quòd abſumtæ & amotæ ſunt infirmitates ejus, duobus verſibus: altera, quòd functio nominatim fuit ipſi impoſita, verſ. 8. [20] adminiſter voluntatis Dei ad confirmandum Prophetam, ut ſequentia oſtendunt: nam non ampliùs hic verbo & ſacramento in Propheta efficit per ſe ipſum, quàm miniſtri Dei in Eccleſia: ſed unus eſt ſpiritus qui operatur omnia in omnibus. [21] id eſt, igniculum virtutis donorúmq; ſpiritus Dei, ad repurgandũ, illuſtrandũ, & confirmandũ me. [22] figura Chriſti, ex cujus plenitudine haurimus omnes per ſpiritũ ipſius. [23] demonſtratio, qua angelus ad ſacramentum adhibita oſtendit tam certum eſſe donum Dei intrinſecus, quàm extrinſecus eſt ſignum. [24] ſic Jirmejæ 1. 9. & Daniel. 10. 16. [25] i. tuus ille metus & pollutio labiorum de qua conqueſtus es, ut fortiſſimus ſis in poſterum in tua hac functione contra Jiſraëlitas: non enim hîc primùm Jeſchaħja vocatur ad prophetandi munus, ſed denuò confirmatur propter gravitatem ſequentis prophetiæ, ne perſpectis difficultatibus animũ abjiceret; ut Jechezkeli perſæpè factũ eſt. [26] poſtquàm me confirmavit Deus. [27] videlicet hominem: quia viſum eſt Deo hos theſauros ſuos in teſtaceis vaſculis collocare, ut ejus virtutis præſtantia ſit Dei, & non ex nobis, 2. Cor. 4. 7. [28] nam conſilium eſt Dei Patris, filii, & ſpiritus ſancti: ut Geneſ. 1. 26. [29] uſus Prophetiæ, quam Jeſchaħjæ imperavit Deus & ſequentibus omnibus, uſque in adventum Chriſti; nimirum ut auditione verbi (quod pii odorantur ad vitam) impii obdurentur, & ipſis fiat odor mortis ad mortem ſuo ipſorum vitio: quamobrem eadem ratione a Chriſto atque apoſtolis duo hi verſus permultis locis contra Judæos adducuntur. [c] *Heb. audiendo.* [30] imperandi modus in hac prophetia tum ſanctam Prophetarum audaciam in prophetando demonſtrat, q. d. audite ô ſcelerati, velitis nolitis, verbum Dei judicis: tum præſentiſſimam veritatem, & efficaciam verbi; quod ita verberat impiorum aures ut animus obſtupeſcat; prout in Judæis factũ eſt, donec planè ſe ipſos reſciderunt a Chriſto. [31] q. d. quandoquidem vitio corruptæ & depravatæ voluntatis veſtræ verbũ Dei non emendavit vos, ſed potius attonitos hactenus reddidit; & nunc quoq; perſtatis in iſta depravatione voluntatis veſtræ: ſtat ſententia Dei judicis ſeveriſſimi, ut quiſquis non habet, aut cui non eſt datum noſſe myſteria regni cælorum, etiam quod habet tollatur ab eo; ac proinde vos non magis reſipiſcatis aut percipiatis verbum ejus quàm deſperati ſontes, qui nullis judicum documentis, promiſſionibus, minis, evictionibúſque ad officium ſuum adducuntur; ſed potiùs vos ipſos adverſus omnia obfirmetis, verſu ſeq. Nam quæcunque hîc dicuntur, ad formam judicialem pertinent; quaſi Deus ſceleratos populi animos tum verbo tum flagellis non edomaret, ſed ipſi ſe adverſus judicem & omnia flagella obfirmarent. [d] *Heb. videndo.* [32] amplificatio. q. d. effice prædicatione verbi & denunciatione judiciorum meorum ut non tantùm contineat ſe in eodem ſtatu malitiæ, non intelligendo; ſed ut omnibus modis augeſcat malitia ipſius irritata verbo, omnibúſque modis obfirmetur: ut de Parħone legimus, & idem Propheta repetit infrà 29. [33] i. obeſum reddatur, occalleſcat, & obduretur magis ac magis: metaphora a rebus corporeis, in quibus omne pingue ſenſus expers eſſe conſentiunt Phyſici. [34] i. quemadmodum qui tonitru graviſſimè percelluntur, eorum auditus & viſus hebetatur; ita indies iſti obſtupeſiant intonante verbo meo. [35] finis obdurationis, nimirum perditio contumacium corpore & animo: qui finis ſingulis ſuperioris obnunciationis partibus ex adverſo reſpondet ordine præpoſtero. [36] id eſt, converſione ſua recipiat ſanitatem corporis & animi, & a peccatis ſuppliciiſque peccatorum ſuorum liberetur.

11 [37] Dicenti autem mihi, [38] quouſque Do-
mine [e] dixit: [39] uſque dum vaſtatis civitatibus
adeò ut nullus *ſit* habitator, & domibus adeò ut
nullus *ſit* homo, etiam ipſa regio vaſtata ſit deſo-
latione:
12 Et procul amovente Jehova hominem
quemque, [40] maxima ſit ipſa derelictio [e] in iſta
terra.
13 [41] Sed adhuc [42] decimæ in ea, quum re-
verterit & [43] depaſtioni fuerit; [44] ejus *ergo* ſtatu-
men futurum eſt ſemen ſanctum, ſicut in quer-
cubus illis & ſicut in roboribus quæ *ſunt* ad *portam*
injectus [45] ſtatumen *eſt*.

[37] tertia pars de graviſſimis malis in Judæos eventuris, quæ Deus occaſione ſumpta a quæſtione Prophetæ deinceps explicat. [38] nimirum ego & Prophetæ omnes tui continenter clamabimus ſine fructu, & refractarios rebelléſq; obfirmabimus verbo?

[39] i. uſque ad excidium totius regni, & deſolationem terræ, Babyloniorum operâ. [40] i. deſolatio eveniat qualis antea non fuit: de qua in fine Regũ, Chronicorũmque, & apud Jirmejam multa. [e] *Hebr. in medio iſtius terræ.* [41] conſolatio ad electas populi reducis reliquias pertinens, a minis antecedentibus. [42] i. partis illius e Judæorum gente quæ ex Babylonia in ſuam hanc regionem reditura eſt: nam hæc vix ac ne vix quidem fuit decima pars populi deportati. [43] i. abſumtus, metaphoricè: ut Num. 24. 22. [44] ætiologia cur Deus non ſit populum omnino perditurus: nimirũ quòd habet rationem Chriſti & corporis electorum ipſi coaleſcentium per fidem in populo, qui cuncti & ſinguli dicuntur ſanctitatis ſemen. Explicatur autem hoc familiari ſimilitudine & ob oculos omnium poſita: videtis, inquit, aggeſtum illud iter, quo a domo regis in templum pergitur, querceto hinc inde confirmatum eſſe, & arbores terram quæ alioqui ruitura eſſet continere firmitate ſua: idem vobis ſtatuendum eſt de reliquiis bonorum quæ inter vos habitant: nam juſto Dei judicio deturbaremini illicò, & periretis funditus, niſi ſuorum rationem haberet Deus: ut ſuprà 1. 9. De hoc autem aggeſto itinere vide 1. Reg. 10. 5. & 2. Reg. 12. 21. & 1. Chron. 26. 14. [45] nimirum terræ injectæ ſive aggeri, quem ſtatuminant & continent utrimque arbores depactæ in aggeris lateribus.

CAPUT VII.

Propheta Achazo de conſpiratione Syrorum & Jiſraëlitarum conſternato liberationem ipſius & excidium illorum denunciat; diffidenti dat optionem ſigni; impiè repudiantem increpat, exprobrátque abjectionem fœderis Dei in Chriſto cum Eccleſia initi: ſignum liberationis exitiique quod denunciaverat, in puero ſuo ſtatuit; ac poſtremò Achazo, familiæ, & regno ſeveriſſima judicia Dei prænunciat propter infidelitatem & rebellionem ejus.

1 FUit [1] autem temporibus Achazi, ‖ filii Jo-
thami, filii Huzzijæ regis Jehudæ, aſcen-
dente Retzine rege Syriæ, & Pekacho filio Re-
maljæ Rege Jiſraëlis Jeruſchalaima, ad oppug-
nandum ea; quæ tamen non potuit expugnare:
2 Ut nunciaretur [2] domui Davidis, dicen-
do, [3] acquieſcit Syria [4] cum Ephrajimo; & com-
moveretur [a] animus illius, animúſque populi il-
lius, ſicut commoventur arbores ſylvæ propter
ventum.
3 Quapropter edixit Jehova Jeſchaħjæ;
prodi jam obviã Achazo, tu & [5] Schear-jaſchub
filius tuus: [b] [6] in extremum aquæ ductum piſci-
næ [7] ſuperioris, ad aggerem agri fullonici.

‖ 2. Reg. 16. 5.

[1] nunc demum pervenitur ad tempus tertium, quo Jeſchaħja prophetavit, nimirum Achazo rege. Continet autem hoc caput primùm narrationem diffidentiæ & infidelitatis Achazi contra promiſſiones annunciatas, ſignúmq; oblatum Dei; deinde ſummam ſententiæ Dei, quæ denunciatur tum in Reges inimicos, tum in ipſum infidelem populum Judæorum; quæ duo capita judiciorum Dei per ὑστέρωσιν explicantur. [2] i. Regi, proceribúſq; regni. [3] i. Retzini regi Syriæ convenit cum Pekacho rege Jiſraëlitarum, ut oppugnent te communi opera. [4] i. Jiſraëlitis, quorũ potentiſſima & præcipua tribus erat Ephrajim, & primus rex Ephrataus: ſynecdoche. [a] *Heb. cor: ſic deinceps.* [5] hoc nomẽ etſi proprium eſt, non eſt tamen fortuitò aut imprudenter puero inditũ; ſed certo conſilio, ad ſignificandum miſericordiam Dei reducendis & ſervandis reliquiis. Eſt enim Schear-jaſchub (ſi verbum de verbo reddas) reliquum revertetur: qua appellatione ſignum dedit Jeſchaħja tum liberationis illius æternæ qua reliquiæ ſalvæ factæ ſunt, ſuprà 1. 9. & 4. 2. & infrà 10. 21. tum liberationum ſingularium, quas reſipiſcentibus pollicebatur Deus, quùm Judæi undequaque cæderentur & in captivitatem raperentur, ut hiſtoria docet 2. Chron. 28. Jubet autem hoc loco Deus Schear-jaſchubum puerum cum Propheta Regem accedere, ut promiſſiones Dei eò certiùs ac vehementius definirentur ad confirmandum Regem, infrà verſ. 15. & ſeq. [b] *Heb. in extremitatem aquæ ductus.* [6] id eſt, extra urbem ex adverſo regiæ, ubi ſpatiatur Achaz: vide 2. Regum 18. 17. [7] id eſt, quæ a ſuperiore Gichone murum ſupremum urbis ambiente efficitur: ſic appellatur comparata cum inferiore, de qua infrà 22. 9.

4 [8] Ubi indíces ei, cave tibi ut sis quietus, ne
timeto, & cor tuum ne mollescat, propter duas
[9] caudas titionum fumigantium istas; propter
[c] accensam iram Retzinis cum Syris, & filii Re-
maljæ:
5 [10] Propterea quod init consilium contra
te Syrus malum; [11] Ephrajim & [12] filius Remal-
jæ, dicendo;
6 Ascendamus contra Jehudæam, ut [d] fa-
tigemus eam, & [e] dissectam adjungamus eam
nobis: aut præficiamus Regem in ea [13] filium
Tabeelis.
7 Ita ait Dominus Jehovi; non exsistet, ne-
que exstabit *illud*.
8 [14] Nam [15] caput Syriæ Damascus, & ca-
put Damasci Retzin; deinde [16] intra sexaginta
quinque annos atteretur Ephrajim, [f] [17] ut non
sit populus,
9 Cum capite Ephrajimi Schomrone; &
capite Schomronis [18] filio Remaljæ. [19] An non
creditis? quòd [20] non confirmamini.
10 [21] Quamobrem perrexit Jehova edicere
Achazo, dicendo:
11 Pete tibi [22] signum a Jehova Deo tuo;
[g] [23] e profundis pete, aut ex rebus altissimis.
12 Dicente autem Achazo, [24] non petam,
neque tentabo Jehovam:
13 [25] Dixit *Propheta*, Audite jam [26] domus
Davidis: [27] an parva res *est* præ vobis, fatigare
[28] homines, quòd etiā fatigatis Deum [29] meum?
14 [30] Idcircò [31] dat Dominus ipse vobis [32] sig-
num. [33] Ecce [34] virgo concipiet & pariet filium;
[35] & [h] vocabis, *ô virgo*, nomen ejus [36] Himma-
nuelem.
15 [37] Butyrum & mel [38] faciet comedamus,
[39] ut sciat hic *puer* spernere malum & eligere bo-
num:
16 Nam quum nondum noverit hic puer
spernere malum & eligere bonum; [40] relinquetur
[41] illa terra, cujus causa tædet te, [i] a duobus re-
gibus suis.
17 [42] Faciet Jehova ut veniant contra te, &

[8] prioris hujus sermonis quem Jeschahja cum Achazo habuit primus locus est hortationis, hoc versu; secundus, denunciationis, qua Deus suis liberationem, hostibus excidium prædicit, usq; ad vers. 9. tertius, reprehensionis propter diffidentiam Achazi, vers. 9. [9] i. a torribus extremis, quos ego jam tantis calamitatibus incendi ut penè exusti sint, ac nihil amplius nisi fumigare possint: & qui propediem omnino exurentur, ut sequentibus propheta explicat. Respicit enim Deus ad præterita bella quibus regna Syriæ & Jisraëlis attrita fuerant: Syriæ quidem, a Joascho filio Joachazi, 2. Reg. 13.25. Jisraëlis verò, intestinis conspirationibus, & bellis, 2. Reg. 15: & utrũque adventu Pulis Regis Assyriæ, 2. Reg. 15.19. & 1. Chron. 5.26. [c] *Heb. accensionem iræ.* [10] secundus locus, quo Deus primùm causam judiciorum exponit, nimirum nefaria consilia Syrorum cum Jisraëlitis, duobus versibus; deinde sententiam pronunciat, tribus. [11] i. Jisraëlitæ, ut suprà V. 2. [12] Pekach, cujus nomen ad indignitatem reticetur. [d] *Heb. tædio afficiamus.* [e] *Heb. dissecemus eam ad nos.* [13] i. certum aliquem Syrum hoc nomine dictũ: nam Tabeel sive Tabrimmon Syrorum est appellatio, qui Rimmonem colebant pro Deo. [14] hanc prophetiam suis terminis a Jeschaja circumscribi pro more certum est; sed in accommodatione temporis variant sententiæ: quamobrem nos duas illarum probatiores lectoribus afferemus. In summa quidem consentiunt omnes exitium regno utrique denunciari; sed tempus plerique ex antecedente Hamosi prophetia petunt in fine capitis septimi, hoc modo: Hamos biennio prophetavit ante terræ motum, quem Zecarja 14.5. temporibus Huzzijæ contigisse docet, Judæi eodem anno putant quo rex Huzzijæ sacrificandi munere sibi arrogato percussus est lepra, (fuit autem is annus vigesimus quartus regni Huzzijæ) itaque hoc modo supputant: a vigesimo secundo Huzzijæ ad ultimum sunt triginta anni, Jothami quindecim, Achazi quatuordecim, Chizkijæ sex: ita conficiuntur anni sexaginta quinque, intra quos regnum Syriæ primùm, deinde regnum Jisraëlitarum deletum est. Nos autem alteram hanc magis probamus, ut in hac prophetia non antecedentium temporum, sed sequentium ratio ex prophetarum usu habeatur. Nam Jeschahja his verbis ostendit primùm regnum Syriæ mox excisum iri, & regem moriturum, quod ad summum quarto pòst anno necesse est evenisse: ut ponamus hæc a propheta dici primo ipso Achazi anno: deinde a Syrorum clade usq; ad plenam Jisraëlitarum deportationem, aut ab ipso tempore hujus prophetiæ, fore ut effluant sexaginta quinque anni. Quamvis enim sexto anno Chizkijæ regnum Jisraëlis fuerit abolitum; tamen non statim Jisraël destitit esse populus, cùm pars tantùm aliqua illius deportata esset: verùm omnino populus esse tum demum destitit, quum per Esar-chaddonem filium Sancheribi novæ coloniæ introductæ sunt, & Jisraëlitæ omnes in servitutem rapti: quod ipsi Samaritani exponunt, Hezræ 4.2. Quamobrem seriem temporum ita statuimus: a quarto Achazi anno, quo regnum Syriæ intercidit, ad finem sunt anni undecim, Chizkijæ viginti novem: ita anno Menaschis regnantis vigesimo quinto fuerit ultima illa Jisraëlitarum translatio: sin autem a Prophetiæ tempore inceperis, dicetur res incidisse in annum vigesimum primum aut vigesimum secundum Menaschis, quo fortè tempore Menasche captivus in Babyloniam abductus est. [15] id est, civitas mater sive metropolis, nimirum atteretur: vide 2. Reg. 16.9. sic sequente versu. [16] i. temporibus Menaschis, quibus Esar-chaddon deportavit totas reliquias Jisraëlis: sive is sexagesimus quintus annus fuerit ab hac prophetia, sive ab exitio Syriæ, quod quarto pòst anno ad summum gestum est. [f] *Heb. a populo.* [17] id est, totus ita atteretur, ut rempublicam nullam omnino habeat: hoc autem tum demum accidit quum reliquiæ deportatæ sunt; non autem quum a Schalman-esere devicti tantùm ex parte fuerunt deportati: quod factum est post annos quasi novemdecim ab hac prophetia; a quo tempore usque ad deportationem ab Esar-Chaddone factam intercesserunt anni fermè quadraginta sex, quibus adhuc suæ fuerunt Jisraëlitis Respublicæ, utcunque tenues. [18] quem quarto pòst anno ad summum interfecit Hoschea, 2. Reg. 15.30. [19] reprehensio diffidentiæ Achazi: quam propterea Jeschahja objicit, quòd Achazum animadverteret perstare in sua illa trepidatione, cujus facta est mentio suprà versu 2. [20] nimirum hac promissione Dei, sed potiùs in vestra trepidatione pergitis. Sic visum est hunc locum potius accipere quàm ut vulgò redditur, tum propter nativam vocum significationem, tum etiam propter antecedentia & consequentia, quibus interpretationem hanc meliùs cohærere omnes vident. confer cum 2. Chron. 20.20. [21] quum nudo verbo non confirmaretur rex, tum placuit Deo adhibere signum ad infidelitatem Achazi evincendam.

[22] quo confirmeris de hac liberatione & salute quam Deus se promittit effecturum, siquidem non confirmaris verbo. [g] *Heb. profunda fac petendo, aut excelsa sursum: vide Genes. 12.8.* [23] quasi dicat, optio tibi datur ut e cælo, aut e terra, aut undevis petas, nā hoc quoque Deus offert, & præstiturum pollicetur. [24] indignantis verba, quibus Achaz primum consilium Prophetæ de petendo signo recusat accipere, deinde promissionem superiorem totam ludificatur, hoc modo: putásne me adeò desipere ut istius Jehovæ, quem prædicas, periculum faciam, cõmittendo ipsi exitum istius belli gravissimi, & in ista opinione fidei, quam a me postulas, vecordia tabescendo? non faciam (inquit) oportet me alia via mihi prospicere. Hunc locum sic interpretamur propter sequentia, & summã illam impietatem Achazi inde a principio regni, quæ exponitur 2. Chron. 28.19. & seq. [25] hujus sermonis partes sunt tres: prima est reprehensio, hoc versu, & seq. secunda, promissionis erga pios confirmatio, duobus seq. tertia, castigationum & judiciorum Dei quæ Regi & Judæis infidelibus ventura erant denunciatio, V. 17. & seq. [26] exaggeratio impietatis Achazi, quasi dicat, ô ingratissimi, degeneres a Davide patre, in Deum impii, & immemores promissionum beneficiorumq; maximorum ejus. [27] ut Num. 16.9. [28] i. facitisne tam parvi hoc malũ, quòd omnibus per scelera & improbitatem vestrã estis molestissimi, ac nominatim mihi, cujus prophetiam tam protervè repudiatis, ut etiam audeatis jam in Deum ipsum invehi arrogantissimè, quasi aut nolit, aut non ampliùs possit promissa efficere? [29] cui hæreo & servio, ac non ampliùs tuum: ut suprà dixerat V. 11. [30] nempe quia nec creditis, nec signum ad confirmandam fidem de instante liberatione petitis, quum Deus ultrò offerat: sed Deum indignissimè fatigatis. aitiologia superioris reprehensionis, amplificans indignissimam Achazi infidelitatem ab æterna benevolentia Dei, quã Ecclesia inde ab orbe condito perceperat ex fœdere illius: qui potestis (inquit Propheta) tã impiè Deo obsistere, cùm ipse benignissimè jam olim semen mulieris, Abrahami filium Davidisq; promiserit, ut in eo promissiones omnes etiã singulares ratæ sint? 2. Cor. 1.19. Atqui idcircò signũ hoc toti Ecclesiæ, ac nominatim familiæ vestræ dedit, ut credatis omnibus universalibus & singularibus, publicis privatisq; promissionibus ejus, ac nõ infidelitate ipsum fatigetis: nam qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, qui nõ etiã cum eo omnia nobis gratificabitur? Rom. 8.32. [31] i. ut Ecclesiæ suæ jam olim exhibuit verbo, ita etiamnũ vobis & regno vestro, in quo est Ecclesia ipsius, gratiosè offert, & suo tẽpore exhibebit. sic enim accipitur dandi vel edendi verbũ Deut. 13.2. & alibi. [32] i. miraculosum documentum, ac fundamentum fœderis omniúmque promissionum ejus. [33] demonstrandi particula tum rei certitudinem ostendit, tum attentionem perpetuam a piis adhibendam docet cæteris rebus omissis. [34] cujus semen conterit caput serpentis, jam olim a Deo promissa, & a patribus exspectata: nimirum Maria, ut interpretatur Angelus Matth. 1.22. [35] id est, vocare poteris, & re ipsa agnosces atque testaberis: apostrophe ad matrem. Etsi haud scio an meliùs per tertiam personam exponi possit, ut fecit Hieronymus: cujus personæ terminatio non est infrequens apud Hebræos in illo verborum ordine. Certè sic longè commodiùs fluxerint omnia. [h] *vel vocabit nomen e.* [36] id est, nobiscum Deum fortẽ: nam sermo caro factus est, &c. Joan. 1.14. [37] confirmatio promissionis Dei erga pios de ea liberatione quam Jeschahja prædicaverat suprà vers. 7. & 8. a præsente signo Schearjaschubi pueri, quem propterea Deus adduci mandaverat V. 3. q. d. Propheta, etsi infidelitate sua depellit a se domus Davidis beneficentiã Dei, non est tamen cur ego aut piorum quisquam dubitemus de hac ventura liberatione: ego verò hoc filio meo spondere ausim, & prout imperavit Deus puerum in signum liberationis nostræ, & excidii istorum statuere, ut ipse meminit infrà 8.17. Est itaque sententia hujus versus, ille Himmanuel nos servaturus est propter gratiam suam, & alimenta suppeditaturus nobis commodè: hujus beneficio fretus ne puer quidem hic damnum accipiet ab istis regibus; sed vivet invitis illis, educabitur, & grandescet: ac proinde hoc signo regnum Judæ de conservatione sua confirmatum esto. deinde subjungitur amplificatio seq. V. imò verò, inquit, jam reges isti perierint, antequàm hic puer incipiat sapere. Quamobrem evidentiæ causã nominativum, qui in seq. vers. expressus est ὑποζευγματικῶς, in hoc versu repetivimus, pro certo habentes hoc simplicissimum esse consilium Jeschahjæ. [38] id est, non destituetur Jehuda commodis hujus vitæ per istos Reges, sed molliter nutrietur. [39] id est, ut educatus adolescat, qua ætate discriminant adulti inter bonum & malum: noëmatica periphrasis, ut seq. vers. [40] id est tollentur morte e regnis suis, 2. Reg 15.30. & 16.9. nam uterque intra quartum Achazi annum periit. [41] Syriæ, & Jisraëlis. [i] *Heb. a facie duorum regum ipsius.* [42] tertia pars, denunciatio pœnarum quas Deus sumturus erat de infidelibus, ut diximus in versum 13. quæ hic per prolepsin dictæ sequentibus exponuntur.

contra populum tuum, & contra domum [k] pa-
ternam tuam; tempora qualia non venerunt,
[43] ex qua die recessit Ephrajim a Jehuda; per
[44] Regem Assyriæ.
18 [45] Erit enim [46] die illa, sibilante Jehova ad
[47] muscas quæ *sunt* in extremitate rivorum Æ-
gypti; & ad [48] apes quæ *sunt* in regione Assyriæ:
19 [49] Ut venientes conquiescant omnes in
vallibus desertorum locorum, & in projecturis
petrarum; & in omnibus [50] virgultis, ac in om-
nibus laudatis arboribus.
20 Tempore illo [51] abradet Dominus nova-
cula ista [52] mercenaria, [l] [53] transfluviali, Rege As-
syriæ, [m] [54] pilum capitis & pedum; etiámq; bar-
bam ipsam consumet.
21 [55] Erítque tempore illo; *ut* qui asservave-
rit buculam [n] armentariam, & duas pecudes,
22 Erit, inquam: *ut* [56] præ copia [o] præbiti
lactis comedat butyrum: [57] nam butyrum & mel
comedet quisquis reliquus fuerit in media hac
terra.
23 [58] Erit etiam tempore illo; *ut* sit omnis
locus [59] ubi *sunt* mille vites, millenum *siclorum*
argenti; sit *inquam* in senticetum & in vepre-
tum:
24 [60] Sagittis & arcu *instructus* venturus sit
eò; quum [p] sentibus & vepribus obsita erit tota
hæc terra.
25 In omnes verò illos montes [61] qui sarculo
sarriendi fuissent, [62] non adveniet eò timor sen-
tium & veprium: sed erit *locus* [q] [63] quò emitta-
tur bos, & quem conculcet parva pecus.

[k] *Hebr. patris tui dies, quales non, &c. sic deinceps.* [43] id est, a defectione Jisraëlitarum, de qua 1. Reg. 12. [44] cui tu, non Jehovæ confidis; ut suprà dixerat Achaz vers. 12. [45] expositio singularis prolepseos, primùm a factis hostium, usque ad vers. 21. deinde ab eventis, ad finem usque cap. [46] qua Deus te & familiam paternam tuam judicaturus est, nimirum temporibus tuis, filiique tui. [47] id est, hostes numerosissimos & velocissimos Ægypti accolas, tum Pelischthæos sub Achazo, Edomæósque, 2. Chron. 28. 17. & 18. tum Æthiopas sub Chizkija, 2. Reg. 19. 9. [48] id est, confertissimos, potentissimos, velocissimos, & militari disciplina instructos Assyrios: allegoriæ. [49] id est, opida & agros occupabunt. [50] vocem Hebræam sic interpretamur hoc loco & infrà 55. 13. propter ipsius etymon. [51] id est, expilabit & exhauriet omnia in regno tuo: altera allegoria. [52] id est, quam mercede conduxisti, obstringens te & regnum tuum fide data Assyrio, & pensitationem exhibens, 2. Reg. 16. 7. & 8. [l] *Heb. in regionibus trans fluvium.* [53] id est, quæ trans Euphratem est. [m] *Heb. caput & pilum pedum: hypallage.* [54] id est, omnia a summo ad imum; nihil relinquet intactum in toto regno, quod allegoricè cum corpore comparatur. [55] amplificatio calamitatis Judæorum ab eventis superiorum calamitatum, ut diximus in versum 18. sunt autem hæc summatim duo; hominum infrequentia, his duobus vers. & regionis totius horriditas, tribus reliquis. [n] *Heb. armenti.* [56] id est, ut abundet lacte propter raritatem inhabitantium, ideóque solus laboret de butyro comedendo, & occupando lacte. [o] *Heb. faciendi lac.* [57] id est, tanta erit penuria habitatorum, ut ad eos alendos ea tantùm futura sint plus satis, quæ ultrò provenient in horrente incultáque terra. [58] alter effectus, ut diximus in versum 21. [59] id est, locus uberrimus, cultissimus, & pretiosissimus horrescet. [60] id est, & quidem adeò horrebit locus, ut feris tantùm propè sit pervius, atque ita abundet illis, ut nemini tutum sit ingredi nisi armata manu. Respicit enim ad interminationem legis Levit. 26. 22. [p] *Heb. sentis & vepres erit.* [61] id est incultos: periphrasis. [62] id est, non defugietur locus ullus qui nunc planè videtur horridus: sed utcunque nunc horreat, præ aliis locis amœnissimus tum videbitur: tam gravis & acerba futura est Dei in regionem hanc maledictio. [q] *Heb. ad immissionem bovis, & ad conculcationem parvæ pecudis.* [63] id est, totius regionis pascuosissimus & feracissimus habebitur.

CAPUT VIII.

Propheta aspectabili symbolo docet judicia Dei in Syros, Jisraëlitásque & Judæos infidelitatis, obfirmationis, & alienationis a Deo nomine: deinde verò consolatur pios, ostendens non fore perpetuas calamitates per benevolentiam Dei, cujus periculum jam anteà persæpe fecerant, sed ipsos Assyrios (quorum facta & consilia reprehenduntur gravissimè) vindictam a Deo severissimam certa ratione, loco, & tempore perpessuros: inprimis verò fundamentum consolationum proponit in Christo, cujus gentem, dona, officia, effectáque in res omnes creatas, in bonos, & malos ad promovendum regnum suum exponit: postremò hujus beneficentiæ nomine Ecclesiam Christi docet laudem ejus de malis depulsis & perceptis bonis.

1 Dixit [1] autem Jehova mihi, sume tibi [2] vo-
lumen magnum; [3] & scribe in eo [4] stylo
[a] humano, pro Maher-schalal-chasch-bazo.
2 [5] Quamobrem [b] adhibui mihi [6] testes [7] fi-
dos, Urijam sacerdotem, & Zecarjam filium Je-
berecjæ:
3 [8] Me enim congresso cum [9] prophetissa,
conceperat *illa* pepererátque filium: & dixit Je-
hovam mihi, voca nomen hujus [10] Maher-scha-
lal-chasch-bazum:
4 Nam [11] quum nondum noverit hic puer
proferre, pater mi, aut mater mea: [12] asportabit
opulentiam Damasci, & prædam Schomronis
[c] servus Regis Assyriæ.
5 [13] Deinde perrexit Jehova alloqui me am-
plius dicendo:
6 [14] Propterea quòd sprevit [15] populus iste
[16] aquas Schiloachi [17] euntes sensim; [18] & gau-
dium *est* apud Retzinem & filium Remaljæ:
7 Idcircò inquam, ecce Dominus faciet ut
ascendant [19] contra istos aquæ [20] illius flumi-
nis fortissimæ & amplissimæ, Rex Assyriæ, & om-
nis [21] gloria ejus: qui [22] ascendens supra om-
nes validas *aquas* suas, iensque super omnes ri-
pas suas,
8 [23] Permeabit Jehudam, inundabit, ac

[1] Superiori prophetiæ, quæ privatim Achazo & domui Davidis prænunciata est, optimè concio hæc ad populum subjicitur: quæ etsi longa est, commodè tamē in quatuor partes distribui potest. Prima est prolepsis sive propositio summa totius concionis, quatuor primis versibus: secunda est denunciatio tum maleficiorum populi, tum judiciorum Dei in populum maleficum, usque ad finem capitis: tertia est consolatio piorū uberrima, tribus seq. capitibus: ultima est conclusio ἐπιφωνητικὴ, duodecimo capite. Sunt autem in hac prolepsi partes duæ prudenter distinguendæ; una est, signi aspectabilis quod Jeschaħja statuit in filio suo; altera verbi, quod non tantùm prædicat, verùm etiam testibus adhibitis conscribit, ut sit Judæis testimonium. [2] tum quia permagna est prophetia quæ in volumen fuit referenda, tum quia grandibus literis fuit exaranda; ut apud omnes testimonio esset. [3] id est, pro filiolo tuo recens edito, quem in signum hujus prophetiæ daturus es ut Schear-jaschubum, suprà cap. 7. ac propterea volumen a Propheta inscribi de nomine filii mandavit Deus. [4] id est, quo efformatas literas quivis hominum etiam rudissimus possit cognoscere, & prophetiam legendo percurrere; ut Chabakuk 2. 2. [a] *Heb. mortalis.* [5] nimirum ut filio nomen imperatum a Deo imponerem coram Ecclesia, & hoc signo adducerer ad prophetiam hanc prædicandam, literarúmque monumentis obsignandam. [b] *Heb. contestatus sum mihi.* [6] id est, viros nominatim advocatos, ut testarentur nomen illud filio meo impositū in Ecclesia, quum circumcideretur: nam eo tempore indita fuisse olim a parentibus nomina constat ex Genes. 21. 3. & 4. & Lucæ 1. 59. & 2. 21. Atque ex hoc ritu profectum esse illum nostrum constat, quo certi homines speciatim, maximè verò calamitosis temporibus (ut ista futura erant) adhibentur testes accessus ad Christum & ad Ecclesiam per baptismum, & nominis baptismo inditi: ex quo ritu Propheta occasionem sumsit, ut testes filii sui ad alterum hoc singulare testimonium adhiberet. hos vulgus compatres & commatres, Græci olim ἀναδόχους appellarunt. [7] id est, fide dignos atque idoneos, quorum auctoritas & testimonium permagni futurum erat in populo: nam alioqui ad probitatem & integritatem fidei in Deum non spectat Propheta, cum Urijæ perfidia satis nota sit ex historia Achazi, quæ posteà evenit, 2. Reg. 16. 10. & sequentibus. [8] hæc historicè (ut narrantur) accipimus. [9] id est, uxore mea. [10] id est, accelerando prædam festinat diripiens, nimirum Assyriorum exercitus: ut sequens versus explicat. Est autem hoc ipsum nomen per anticipationem positum, suprà vers. 1. quo Deus promissionem domui Davidis factam nunc demum voluit in filio Prophetæ coram Ecclesia obsignare. Quamobrem etiam ὁμώνυμα verba in hoc quidem nomine sunt ad celeritatem summam meliùs exprimendam. vide Genes. 41. 32. [11] id est, ante annum, aut breve aliquod tempus simile: periphrasis maximè familiaris. [12] id est, deprædabitur Syros & Jisraëlitas: quod gestum est quarto Achazi anno, 2. Reg. 16. 9. [c] *Heb. qui est coram rege: periphrasis servorum, militum, atque satellitum.* [13] transitio ad secundam hujus concionis partem; qua Jeschaħja judicia Dei denunciat in Syros, Jisraëlitas, & Judæos; quæ infantis nomine fuerant præsignificata. [14] hujus denunciationis partes sunt duæ; exprobratio scelerum quibus populi isti tenebantur, hoc versu; altera, judiciorū quibus illos erat visitaturus Deus, duobus seq. quod utrumque caput deinceps exornatur, usque ad finem hujus capitis. [15] Judæus. [16] id est, istis defensionibus suis non fuit contentus, neque acquievit promissioni Dei ultrò pollicentis se daturum salutem ipsi unica virtute sua; sed copias exteras & arma strepentia conduxit ad depellendum hostem: synecdoche in scripturis frequens, ut Psal. 46. [17] id est, nihil crepantes, aut præ se ferentes magnum, quod infideles æstimant: lentum enim & quasi serpentem fuisse Schiloachi fluxum ostendimus Nechemjæ 2. 13. [18] id est, Syri & Jisraëlitæ ultrò delectantur malo vestro ac petulanter vos infestant ipsi minimè lacessiti, ut expressit suprà 7. 6. [19] Syros & Jisraëlitas, quo consilio Achaz illius operam conduxerat. [20] Euphratis, quem allegoricè accipit pro Assyrio exercitu: quod sequentium verborum exegesis docet. [21] id est, copiæ de quibus gloriatur, infrà cap. 10. [22] id est, transiliens omnes pacti conventi leges, allegoricè. [23] tum superstite adhuc Achazo per expilationes barbaras, 2. Reg. 16. 18. & 2. Chron. 28. 20. tum regnante Chizkija filio, 2. Reg. 18.

transibit,

transibit, [24] usque ad collum pertinget: [d] [25] im-
plebúntque passæ alæ illius latitudinem [26] terræ
tuæ, [27] ô Himmanuel.
9 [28] Consociamini, ô [29] populi, & [30] conte-
rimini; [31] aurémque præbete quotquot *estis in*
locis longinquis terræ: [32] accingimini & conte-
rimini, accingimini & conterimini.
10 Inite consilium, & irritum fiet: loquimini
verbum, & non exsistet; [33] nam Himmanuelis
exsistet verbum.
11 [34] Nam ita edixit Jehova mihi [35] adhibita
confirmatione manus; quum erudiret me non
eundum via populi istius, dicendo:
12 [36] Ne dicatis, conjuratio, in quibuscun-
que [37] dicit populus iste conjuratio: & [38] timo-
re istius ne timeatis, neque expavescendum di-
catis.
13 [39] Jehovam exercituum ipsum [40] sanctifi-
cate, & [e] ipse *sit* timori vobis, idémque *sit* pavori
vobis;
14 Et erit sanctificationi [41] *vobis:* in lapidem
autem allisionis & in rupem offensionis [42] am-
babus domibus Jisraëlis, in laqueum & in tendi-
culam, habitatori Jeruschalaimorum:
15 [43] In quæ offendant multi; & cadentes
confringantur, aut irretiti capiantur.
16 [44] Liga [45] contestationem: [46] consigna
legem inter discipulos meos.
17 [47] Præstolanti mihi itaque Jehovam,
[48] qui abscondit faciem suam a domo Jaħakobi;
& expectanti ipsum *dixit,*

24 id est, usque ad Jeruschalaima, in quibus erat caput regni: allegoria regnum comparans cum humano corpore, ut infrà 30.28. vide Deuter. 33.12. ut 2. Reg. 18. & 2. Chronic. 32. ostenditur. d *Heb. & erit expansionibus alarum suarum plenitudo lat. tudinis, &c.* 25 id est, Judæam totam occupabunt. 26 q.d. quæ neque illius est, neque istorum, sed quam tu tibi vindicasti, & planè absque te perituram ab illo vindicaturus es. 27 id est, Christe, fili Davidis, rex Judæorum, suprà 7.14. 28 superiori denunciationi sua exornatio subjicitur: qua primum, ut antè, populi peccata exponit, usque ad versum 21. deinde ventura judicia, in fine capitis: quæ duo per apostrophen sarcasticam his duobus versibus objiciuntur populo. q.d. agite quidlibet, confirmate vos federibus, consiliis, armis, auxiliis, & si quid est hujusmodi: id tantùm efficietur quod placebit Deo. 29 Syri cum Jisraëlitis, & Assyrii cum Judæis. 30 ex decreto Dei; quod propterea enunciat Jeschaħja imperandi modo. 31 ita ut cognito judicio ipsius celebris efficiatur Deus, & munera Regi Jechizkijæ offerantur: quod legimus factum 2.Chron.32.23. 32 puta ad efficiendum inita consociatione consilia quæ iniveritis. 33 id est, hoc verbum fiet, quod pronunciatur per me Himmanuëlis Christi administrum. Est autem elegantissima hujus loci amphibologia: nam altera quoque se offert sponte interpretatio, hoc modo; loquimini verbum & non exsistet: nam Deus fortis nobiscum est. 34 hujus exornationis qua peccata judiciáq; proponuntur, prior pars exprobrat populo tria peccatorum genera, quæ eadem reprehenduntur in Schaüle, 1.Chron.10.13. primum est infidelitas maxima, præsidia sibi extra Deum comparans, usq: ad versum 16. secundum, obfirmatio pertinacissima, ℣.16.& duobus seq. tertium atque gravissimum, dæmonum consultatio, ℣.19.& 20. 35 id est, me ipsum confirmans adversus populũ & omnia adversa per promissionem & virtutem suam, quemadmodum ostenditur seq. versu: sic 1.Schem.23.16. 36 id est, neque animo consentiatis, neque verbo conveniat vobis cum hoc infideli populo. hîc enim exponitur primum peccati genus, ut diximus proximè præcedenti versu, nimirum infidelitas publica Judæorum non acquiescentium aquis Schiloachi, sed aliena auxilia federáq; Deo neglecto procurantium: quod studium Deus conjurationem vocat, ut eò magis ab illo servos suos deterreat: neque populum totum dehortatur (cujus obfirmationem docet infrà vers. 16.& seq.) sed tantùm Prophetam cum piis & electis e populo, ad quos sermonem habet. 37 id est, statuit federatos sibi esse adjungendos, quorum ope ab exteris incommodis defendatur. 38 id est, infideli timore; qualis timor ita percellit istum ut promissa Dei repudiet, conciliétque in fedus conjuratos. 39 Himmanuelem, Christum, verum Jehovam cum Patre & Spiritu sancto ὁμοούσιον: sic enim accipiendum esse commonstrant sequentia. 40 credendo promissionibus ejus, & fiduciam vestram in eum liberè ostendendo: ut Num.20.12. e *Heb. ipse* sit *timor vester, & faciens ut expavescatis.* 41 eclipsis, quæ ex antitheto membro facilè percipitur. 42 Jisraëlitarum Pekacho, & Judæorum Achazo parentium. Est autem hîc explicatio veri effectus Christi contra infideles, ut infrà 28.16. 43 exegesis superiorum similitudinum, lapidis, & laquei. 44 secundus exprobrationis locus de obfirmatione Judæorum, ut diximus suprà in vers. 11. quem similiter enunciat Deus Prophetæ & piis coram toto populo, ut testatum faciat pervicacem esse illorum obdurationem; ac proinde neque prophetias, neque legem ipsam ad illos ampliùs pertinere; sed ad credentes tantùm διαδιδάσκειν. 45 id est, prophetiam hanc & volumen tuum (de quo suprà vers.1.) involve, ne ampliùs sit in oculis istorum, quandoquidem ut infideles ludificantur eam. 46 id est, eam annuncia, committe, & crede illis quos nosti doctos a Deo esse, ut infrà 54.13. 47 confirmatio decreti Dei contra obstinationem Judæorum, a singulari Jesu Christi Domini & Servatoris nostri testificatione, qua Prophetam adversus scandala populi fortificavit exemplo suo & suorum omnium. 48 id est, se verbúmq; suum subtrahit, & me volumen jubet compilare atque recipere.

18 [49] Ecce ego & nati quos dedit mihi Jeho-
va, in signa & in ostenta apud Jisraëlitas *sumus;* a
Jehova exercituũ habitante in monte Tzijonis.
19 [50] Quum enim edicunt vobis, consulite
[51] Pythones aut ariolos, [52] qui pipiunt & qui mus-
sitant: [53] nónne populus Deum suum consultu-
rus est? pro viventibus [54] mortuos *consulat?*
20 Legem & contestationem *consulunto:* an
non loquuntur [f] in sententiam illam [55] cuicun-
que nulla est [g] lucis scintilla?
21 [56] Quapropter peragrabit [57] illam [58] diffi-
cultatibus pressus atque famelicus: eritq; quum
esurierit & [59] efferbuerit, ut maledicat [60] Regi
suo & [61] Diis suis, ubi aspiciet [62] sursum:
22 Quòd si [63] in terram intueatur; ecce [64] op-
pressionem & tenebras, [65] obscurato angustia &
caligine impulso.

49 q.d. fer æquo animo hanc quamvis duram conditionem tuam: non enim est discipulus supra magistrum, &c. Matth. 10.24. vide Hebr. 2.13. 50 transitio ad tertium peccatorum genus per ætiologiam, hoc modo: meritò sanè populus iste a Jehova deseritur, & signis de gravissimis calamitatibus præmonetur. Nam nõ tantùm infidelitate alienam opem implorat, non tantùm se ipse in peccatis obfirmat, & aversatur Deum, sed diabolo operam dat, & pios in idem scelus sollicitat, ut seducantur si fieri potest. Hoc autem Propheta exprimit sermone converso ad pios, ut eos instituat de atrocitate istius criminis, & confirmet in bono. 51 i. magos aut divinos quoslibet, synecdochicè. 52 amplificatio indigni facinoris populi a vanitate istarum divinationum, quam ipsa forma arguit: non sunt, inquit, isti seductores tanta facultate præditi, ut aut ore aperto claráq; voce enuncient, aut verbis planis explicent quę dicenda forent, sicut nos Prophetæ judicia Dei palàm voce quàm maxima planísq; verbis prædicimus: sed in ventre suo, aut imis faucibus ita pipiunt, ut pulli nondum exclusi suo putamine, aut si quid voce efferunt, ita illud mussant, ut syllaba ex tripode: quam eamdem rationem Propheta explicat infr. 29.4. & historici passim. 53 dehortationis suæ caussas duas Propheta affert: unam ex absurdo, non esse homini communicationem ullam cum Deo, qui mortuos consulat; alteram, rationem istam consulendi mortuos & a lege ac prophetiis aberrandi, gentium earum esse quę ignorant Deum: Deut. 18.9. & seq. 54 i. eos qui rebus mortuis ad divinationem abutuntur. f *Heb. secundùm verbum istud.* 55 i. quisquis planè ignorat Deum. g *Heb. aurora.* 56 conclusio secundæ hujus partis a summa descriptione judiciorum Dei, ut dictum est in ℣.9. tam miseri, inquit, futuri sunt, ut neque in cælo neque in terra ipsis ostendatur salus ulla, spes salutis, aut consolatio. 57 terram Jisraëlis. 58 impius quisque Judæus, & Jisraëlita. 59 præ indignatione & desperatione. 60 vel Milcomo, & Deorum potentissimo: cujus operâ videlicet fuisset servandus ab hostibus & difficultatibus rerum, ac liberandus in terra. 61 quibus confidebat, sentiens se frustrà confisum esse. 62 cælum versus: ut ostendit antithesis sequente vers. 63 ad opem in terra consequendam. 64 gradatio; pro eo quod est, erit calamitas, & vacuitas ab omni luce, aut spe ex calamitatibus evadendi. 65 id est, versanti in densissimis & confertissimis miseriis, atque exagitato ab illis magis ac magis; quod compleri cœptum est inde a temporibus istis, bellis subinde emergentibus.

CAPUT IX.

1 [1] NAm [a] [2] non obscurabitur quę effecta fue-
rit angustia; sicut [3] tempus hoc prius [4] le-
viùs affecit [5] in terra Zebulunis & terra Naph-
thali, & [6] posterius illud affecit graviùs: [7] viâ

1 tertia pars cõcionis, consolatio; qua pii ex Jehuda & Jisraële, cõfirmantur adversus futuras calamitates. Sunt autem hujus consolationis (quo Propheta transit αἰτιολογικῶς, rationem explicans, cur ligari contestationem & obsignari inter discipulos suos præceperit sup. 8.16.) universè argumenta tria; primum est ab instabilitate prædictarum afflictionum, ne forte defetiscantur piorum animi, toto hoc capite, & versibus quatuor primis sequentis capitis: secundum est, a misero casu excidióq; ipsorum hostium, qui populũ Dei malis affecerint, sequente capite inde a ℣.5. tertium & summum est a promissione regni Christi, in quo fons inest liberationum omniũ singularium, cap. 11. Quod autem ad primũ hunc cõsolationis locum, observandum est proponi in genere consolationem totam, duob. primis versibus, non fore nimirũ perpetuas illas oppressiones quibus erat populus Dei castigandus: deinde confirmatur hic consolationis locus a benevolentia Dei erga populum suum propter venturum Christum, usque ad versum 5. 2 id est, postquàm multa incommoda fuerit perpessa terra promissa tota, non semper manebit in illis, ac velut perpetuis tenebris obruetur; sed liberabitur tandem Ecclesia per adventum Christi. a *Heb. non erit obscuratum cui fuerit angustatum, impersonaliter.* 3 nimirum quo mox Tiglath-Pileser rex Assyriæ ab Achazo conductus Jisraëlitas erat invasurus, 2. Reg. 15.29. 4 quam sequens tempus affecturum est: nam pars tantum Jisraëlis deportata, & terræ occupata est, ibidem. 5 id est, Jisraëlitis, per synecdochen: sed horum potissimum fit mentio, quia ab his cœpit tum calamitas per Assyrios, tum liberatio per prędicationem euangelii Christi, seq. versu. 6 quo Schalman-Asar totum Jisraëlem invasurus erat, occupaturus, & deportaturus, 2. Reg. 17. 7 sequitur definitio certissima liberationis per Christum: qua Propheta exponit exortum ac veluti primam lucem Euangelii ibi cœpturam esse nominatim, ubi cœperat calamitas; & locum verbis apertissimis circumscribit, prout accõmodat Matthęus 4.15. His enim verbis definitur inferior Galilæa, non autem superior, ut plerique existimant: quæ secundùm Jardenem protenditur, ad mare Tyberiadis sive lacum Genezareth adjacet, & feracissima regio est, teste Mosche Deut. 33.23. ac proinde populosissima.

UMI

maris, secundùm Jardenem, [8] Galilæa [b] popu-
losa,
2 [9] Populus ejus qui [10] ambulant in tene-
bris, [11] videbunt lucem magnam : super consi-
dentes in terra umbræ lethalis lux splendebit.
3 [12] Amplificans [13] hanc gentem, non mag-
nificasti lætitiam : [14] lætati sunt coram te quasi
lætitia *quæ agitatur* in messe, ut qui exultant par-
tientes prædam;
4 [15] ‖ Quum jugum oneris illius, & virgam
humeri illius, sceptrum opprimentis illum, con-
trivisti, [16] ut die Midjanitarum,
5 [17] Quando tota conflictatio, confligentis
[18] in concussu, & vestimentum volutatum est in
[c] cædibus; denique [d] abiit in exustionem, pabu-
lum ignis.
6 [19] *Sed* quum [20] puer natus fuerit nobis, [21] fi-
lius datus nobis, [22] cujus humero adsit principa-
tus ipse; cujus nomen vocat [23] *Jehova*, [24] admira-
bilem, [25] consiliarium, *Deum* fortem robustissi-
mum, [26] Patrem æternitatis, [27] Principem pacis:
7 ‖ Amplitudini illius principatus, & paci
nullus *erit* finis, in solio Davidis & in regno ejus,
stabiliendo illud & fulciendo illud jure & justi-
tia: ab isto tempore in seculum usque, [28] zelus
Jehovæ exercituum facturus est istud.
8 [29] Verbum misit Dominus [30] Jahakobo,

[8] quòd plerique appellationem hanc tribuunt superiori Galilææ, quia gentibus est contermina, habet quidem speciem; sed loquutio exemplo caret : præterea a circumstãtiis abest quæ modò positæ sunt : ac postremò discedit ab interpretatione Matthæi. Nam has omnes circumstantias nobis quidem constat non ad superiorem, sed ad inferiorem Galilæam pertinere. Fefellit quidem illos nomen gentium; sed nos amphibologiam interpretatione nostra sustulimus.
[b] *Heb.gentium.*
[9] id est, Zebulunitæ & Naphthalitæ. [10] i.non tantùm corporalibus, sed etiam spiritualibus malis, velut densis tenebris, obruuntur. [11] i.incipient videre atq; percipere lucē liberationis suæ, unde cæteris etiam Jisraëlitarum partibus affulgebit : nam in partibus illis primùm prędicavit Christus, lucem suam cum hominibus communicans, & ibi fecit prima miracula. [12] promissionis præcedentis de liberatione & salute populi causa nunc demũ exponitur κατ' σύγκρισιν, ut diximus in ℣.1. Est autem hęc σύγκρισις sive cõparatio instituta inter superiorē administrationem quæ pręcessit adventum Christi, & illam quæ est in regno ipsius : tota, inquit, superior administratio varia fuit secundis, adversis, lætis, tristibus, duris, facilibus, turbulentis, quietis, omnibus denique rebus instabilibus; adeò ut ne magnificentissimæ quidem victoriæ suo luctu vacaverint: sed regni hujus quod suscepturus est Christus, eóq; Ecclesiam suam illustraturus, in eo pax futura est sempiterna : hujus comparationis prius membrũ tribus versib. continetur, posterius ℣.6.& 7. [13] q.d. quum populum tuum insigni aliquo bono, victoria, aut honore auxisti, lętitiam tamen stabilē minimè pręstitisti. [14] i.nullam lætitiam consequuti sunt ἀκονιτὶ καὶ ἀναιμακτὶ, sine sudore & sanguine; sed permagno illis constitit : nam ardui labores lætitiam brevem anteiverunt, ut sudores messem; & pugnæ graves spolia, hoc ℣: quod duobus seq. exornatur. [15] i.quoties liberavisti populũ tuum ab exterorum tyrannide, quæ metaphoris duabus figuratur. ‖ *Judic.*7.8. [16] quo divina victoria a Jisraëlitis reportata est; quam etiam propter nobilitatē in exemplum Propheta iterum adducit inf.10.26. [17] i.quo die tota Midjanitarum castra, divinitus inter se commissa, tamquã igne accenso, cum rebus suis omnibus consumta sunt : etiam huic victoriæ, inquit, suæ fuerunt difficultates; & lætitia quam inde percepit populus, non longo intervallo mutata est. [18] i. repentino motu, quem inter ipsos Midjanitas excitavit Deus, ut obverterent gladium alter in alterum. [c] *Heb.sanguinibus.* [d] *Heb.fuit.* [19] altera pars συγκρίσεως, ut dictũ est in ℣.3. [20] Jesus Christus, is de quo prophetaverat sup.7.14. Etsi puerum fortasse altera etiam de causa nominavit, nimirum ut tenuitatem & infirmitatem quæ illi in speciem futura erat ostenderet, ut Zecarjæ 9.9. qua ratione ampliùs hæc comparatio illustratur. [21] Dei videlicet, qui solus vocavit nomen illius Psalm.2.7. Heb.1.5. quum illum nobis traderet. [22] id est, cui nullum jugum unquam imponi possit, sed qui obtineat amplissimum & constantissimum imperium : ut accipitur infrà 22.22. Hoc enim membrum est antitheton jugi illius & virgæ, quæ humero populi incubuisse dicitur suprà versu 4. Hujus autem regni conditionem deinceps explicat primùm a vocatione Dei, hoc versu; deinde ab effectu, versu sequente. [23] æternus pater æterni filii : nam Deus solus hæc nomina magnifica potest & dare, & accipere; ut ipse dicit infrà 42.8.& 48.11. [24] tum natura ipsius, tum operibus universis, atque inprimis erga Ecclesiam explicatis : est enim Deus qui facit mirabilia solus, Psalm.72.18.& 136.4. [25] ut Proverb. 8.14. [26] qui ipse sempiternus est, & idem in omnibus æternitatis auctor. [27] id est, auctorem & effectorem pacis nostræ, omnes in uno corpore reconciliantem Deo per crucem, peremtis inimicitiis per eam: Ephes.2.16. ut sine metu e manu inimicorum nostrorum liberati serviamus ipsi, Lucæ 1.74. ‖ *Luc.*1.32.& 33. [28] id est, hæc Deus Pater in Christo effecturus est propter nomen suum. [29] exornatio præcedentis consolationis, a circumscriptione prophetica eorum temporum quibus judicia Dei fuit perpessurus populus, donec per zelotypiam Dei missus est Christus ad liberationem ejus; sumta occasione a verbis proximè præcedentibus. Continentur autem hac exornatione tria : primum est, narratio misericordiæ Dei, a peccatis populum revocantis verbo, tribus versibus. secundum, prophetica narratio judiciorum, quæ ita eventura erant immorigeris verbo ut minimè perderentur pro meritis ipsorum, usque ad caput 10. tertium, narratio beneficentiæ Dei propter seipsum servantis reliquias ex populo tam immorigero, versib. quatuor sequentis capitis. [30] i.toti populo, Judæis & Jisraëlitis.

& accidit Jisraëli:
9 Et cognoverunt [31] populus iste totus, [32] E-
phrajim, & habitator Schomronis; *qui* elatione
& [e] insolentia animi dicunt,
10 [33] [f] Lateritia opera ceciderunt, sed lapi-
de cæso exstruemus; sycomori excisæ sunt, sed
cedros sufficiemus.
11 [34] Sed quum [35] in editum sustulerit Jeho-
va hostes Retzinis contra ipsum, etiam inimicos
[36] hujus [37] commiscebit;
12 Syros [g] ab oriente, & Pelischthæos ab oc-
cidente, ut devorent Jisraëlem [38] toto ore : his
omnibus non avertetur ira ejus, sed adhuc ma-
nus ejus *erit* extenta;
13 Quia hic populus non fuerit reversus usq;
ad ipsum percussorem suum, & Jehovam exerci-
tuum non requisierint.
14 [39] Exscindet enim Jehova ex Jisraële [40] ca-
put & caudam; ramum, & juncum die eodem :
15 (Senex & [h] honorabilis is *est* caput : pro-
pheta verò docens falsitatem est cauda)
16 [41] Quòd fuerint [i] ductores populi hujus
seductores; & qui ducuntur in eo, obtecti.
17 Idcircò de juvenibus ejus [42] non lætabitur
Dominus, & pupillorum ejus ac viduarum ejus
non miserebitur, quia totus *est* hypocrita & ma-
leficus, & os omne loquitur flagitia : omnibus his
non avertetur ira ejus, sed adhuc manus ejus erit
extenta.
18 [43] Nam exardescet improbitas velut ignis
qui sentes ac vepres absumit; & incendet per-
plexa *ligna* sylvæ, adeò ut [44] in minutissimum
pulverem abeant [k] elato fumo.
19 Præ excandescentia Jehovæ exercituum
[45] obscurabitur *populus* terræ : erítque iste popu-
lus quasi pabulum ignis, nemo in fratrem suum
clementia utetur.
20 Nam [46] ut scindat ad dexteram, tamen
esuriet; & comedat ad sinistram, tamen non satu-
rabuntur : singuli [47] carnē brachii sui comedent;
21 Menasche Ephrajimum, & Ephrajim Me-
naschen; [48] simul isti contra Jehudam : omnibus
his non avertetur ira ejus, sed adhuc manus ejus
erit extenta.

[31] Judæorum. [32] i. Jisraëlitæ, per synecdochē. [e] *Heb.magnitudine cordis : ut infrà* 10.12. [33] proverbiale dicendi genus, quo pervicaces in Deum utuntur. q.d. utcunq; nos miserè attriverit Deus, tamē vel ipso invito res nostras magnificentiùs instaurabimus & superabimus judicia ejus, resarciemúsq; virtute nostra : sic Maleaci 1.4. [f] *Heb.lateres.* [34] transitio a verbo ad judicia Dei, quia verbo prævidet Propheta non fore ut resipiscat populus. Est itaque in hac continuatione sermonis paralepsis. q.d. sed quandoquidem frustrà Dominus immisit verbum, jam audiamus verbera quibus usurus est. Tres autem illorum gradus pro ratione temporum a propheta statuuntur: primus, adventu Tiglath-Pileseris, tribus his versib. secundus, adventu Schalman-Eseris utroque, a ℣.14. ad 18. tertius, adventu Sancheribi & Esar-Chaddonis in Chizkijam & Menaschem, a ℣.18. ad finem capitis. [35] i.superiores effecerit Assyrios, 2.Reg.16.9. [36] Jisraëlis. [37] i.faciet ut promiscuè omni ex parte convolent operam dantes Assyrio, ut versus seq. ostendit. [g] *Heb.ab anteriore, & Pelischthæos a posteriore : vide Deut.*11.24. [38] i.ferarum more inhumanissimè consumendo, & nulla ratione parcendo. [39] per Schalman-Eserem, 2.Reg.17. atq; hic secundus est judiciorum gradus, ut diximus ℣.11 [40] id est, a summo ad imum, a præstantissimo ad abjectissimum : metaphora ab animantibus & plantis, quas sequens versus explicat. [h] *Heb.elatum facie, ut supr.*3.4. [41] ætiologia a communi corruptione omnium, ut sup.3.3. obtecti autem dicuntur obvelati & cæcati velo ignorantiæ doctrinæque falsæ : nam cæcus cæcum dicitur agere. [i] *vel qui beatum prædicant populum hunc, & qui beati prædicantur in eo, ob.* [42] sed velut invitus suppliciũ sumet de omnibus. [43] tertius gradus judiciorum, quòd populus non tantùm opprimetur Assyriorum dominatu Sancheribo & Esar-chaddone rege, sed etiam sua ipsius operâ magis ac magis labefactabitur; prout nõ dubium est hos in alios fuisse tyrannidis Assyriorum administros, quod malum hoc ℣. allegoricè enunciatum sequentibus exponitur. [44] i.suo ipsorum igne in pulverem & fumum abeant. [k] *Heb.elatione fumi.* [45] i.opprimetur adversitatibus, ut supr. ℣.1. [46] i.licet populus undequaque studeat adipisci victum, & hîc illîc conquirat, erit semper egentissimus. [47] i.propinquos & necessarios suos: auxesis. [48] ut credibile est fecisse, quum Sancherib Chizkijam oppugnavit, & Esar-Chaddon Menaschem deportavit. Sic enim hostes operâ eorum quos bello superaverunt abuti multis exemplis constat, ut 1.Schem.14.22.

CAPUT X.

1 [1] VÆ [2] decernentibus decreta iniqua, &
scribentibus molestiam *quam* illi præ-
scripserint:

[1] tertius exornationis locus, quo narratur primùm gravitas scelerum, quibus Jisraëlitæ tenebantur & maledictionem Dei sibi accersebant (quod spectat ad amplificandam Dei misericordiam) duobus versibus; deinde misericordia Dei succurrentis inopibus ad gloriam suam, duobus alteris. [2] id est, tum auctoribus maleficiorum, tum etiam administris.

2 Ad evertendum de causa tenues,& ad ra-
piendum jus pauperum populi mei ; ut sint vi-
duæ prædæ ipsis,& pupillos diripiant.
3 [3] Ecquid facturi essetis die visitationis &
vastationis e longinquo adventuræ ? ad quem
confugeretis pro auxilio ? aut [4] ubi relinqueretis
gloriam vestram ?
4 [5] Absque me incurvaretur [6] infra vinctum,
& infra interfectos caderent : [7] omnibus illis non
averteretur ira ejus, sed adhuc manus ejus ex-
tenta *esset*.
5 [8] Væ Assyrio [9] virgæ iræ meæ ; [10] quamvis
in manu [11] baculus est indignationis meæ ;
6 [12] In gentem hypocritam immittam ip-
sum,& contra populum [a] in quem excandui da-
bo mandata ipsi ; ut [13] prædetur prædam, & ut
diripiat rapinam,denique ut disponat illum con-
culcationi,tamquam lutum platearum.
7 [14] Ipse verò non ita [b] sibi proponit, & [c] a-
nimus ejus non ita cogitat ; sed perdere *est* [d] in
animo ei,& exscindere gentes [e] non paucas:
8 Nam dicit,nónne [15] principes mei pariter
reges *sunt* ?
9 [16] Nónne ut [17] Carcemisch *est* [18] Calno ?
nónne ut [19] Arpad, [20] Chamath ? an non ut Da-
mascus,Schomron ?
10 Quemadmodū assequuta est manus mea
regna [f] idolorum suorum; quorū sculptilia [21] præ-
stabant *diis* Jeruschalaimorum & Schomronis:
11 An non quemadmodum feci Schomroni
& idolis ejus ; ita facturus essem Jeruschalaimis
& [22] terriculis eorum ?
12 [23] Atqui futurum est, [24] quum perfecerit
Dominus totum opus suum in monte Tzijonis
& Jeruschalaimis ; animadvertam in [25] fructum
[g] insolentis animi regis Assyriæ, & in ornatum
elationémq; oculorum ejus :
13 [26] Quia dixerit, virtute manus meæ feci,
& sapientia mea,quòd prudentia instructus sim ;
ideò amovi terminos populorum, etiam [27] in-
structissimos eorum deprædatus sum & dejeci,ut
potentissimus,habitatores:
14 [28] Imò assequuta est tamquam nidum
manus mea *nidum* opulentiæ populorum,& quasi
reciperem ova derelicta, totam terram ego re-

[3] nimirum sine me,sequ.versu. q.d.nónne peccatis vestris ipsi concideretis,destituti omni ope, & tota gloria vestra spoliati, nisi misereret me vestri ? elegans contestatio ad amplificandam Dei misericordiam erga electos.
[4] i.cujus fidei committeretis ? ubi deponeretis asservandam ?
[5] i.nisi ratione ducerer nominis & veritatis meæ.
[6] id est, fieret omnium longè miserrimus, mancipio abjectissimo aut cadaveri putri minimè comparandus.
[7] id est,necdum conquiesceret ira ejus morte, sed præcipitaret in damnationem æternam.
[8] secundus locus consolationis,a misero exitio eorum qui populum afflixerint, ut diximus suprà 9.1. Sunt autem hujus denunciationis cōtra Assyrios tres partes:prima est propositio summa judicii & maledictionis Dei contra Assyrium,duobus versibus. secunda, narratio consiliorum & factorum Assyrii quibus sibi creabit malum, a versu 7.ad 16. tertia, narratio prophetica tum judicii quod adhibiturus est Deus pro liberatione populi,usque ad V.28. tum expeditionis totius,itineris,loci,& temporis,quo suum illud judicium effecturus est Deus, inde ad finem capitis. [9] id est, quo tamquam virga, iram meam sum in Jisraëlitas profusurus. [10] occupatio, qua anticipat Deus objectionem hanc : atqui si virga tua sunt,quo jure illis maledici potest ? respondet Deus, quamvis utar ipsius operâ, & per injustos administros justissimè & sapientissimè consilium meum exsequar ; tamen non continuò immunes à maledictione putandi sunt. Nam bene foret illis, si quo consilio utitur Deus in administrandis judiciis suis, eodem illi in exsequendis ducerentur : verùm alius est planè eorum animus : sic paratur transitus ad narrationem vers.7. [11] i.ipsi,velut baculo vel fuste cædentes Jisraëlem, exerceant indignationem meam. [12] Jisraëlis & Judæ. [a] *Heb.excandescentiæ meæ.* [13] quod Propheta significaverat suprà 8.3. [14] narratio ætiologica, ut modò diximus,qua exponit Propheta primùm gloriosum consilium invadentis, quinque versibus ; deinde superbissimam gloriationem ex victoria,vers.12.& duobus seq. ac postremò contestationem adjicit ad excutiendam innaem confidentiam ejus,versu 15. [b] *Heb.imaginatur : ut Judic.*20.5. [c] *Hebr. cor: sic deinceps.* [d] *Heb.in corde suo.* [e] *vel non parvas.* [15] id est, duces servientes mihi : ut 2.Reg. 18.24. exponit Rabschake. [16] i.nónne hanc adæquavi illi,utcunque fuerit potens ? [17] de quo 2.Chron.35.20. [18] sive Calne,de qua Gen.10.10. [19] de quo 2.Reg.18.34. [20] vide Gen.10.18.10. [f] *Heb.*quodque *idoli sui.* [21] dignitate, facultate, numero, & si quid est ejusmodi quod censent idololatræ. [22] vide 1.Schem. 31.9. [23] repetitio denunciationis, *μεταβατικὴ* ad narrationem superbæ gloriationis ex victoria, ut diximus in versum 7. [24] id est, castigationem institutam absolverit,tempore Chizkijæ obsessis Jeruschalaimis. [25] id est, insolentissimam jactationem, quam ostendunt proximè sequentes versus. [g] *Hebr. magnitudinis cordis : ut sup.*9.9. [26] confer hos versus cum 2.Reg.18.& 19.& infrà 36. [27] terminos videlicet, id est, regiones potentissimas & munitissimas. Est autem in tota hac verborum serie gradatio elegantissima. [28] thrasonica allegoria,qua Assyrius omnia sibi arrogat, & hostes comparat cum aviculis abjectissimis.

cepi : neque est qui [29] agitet alam, aut [30] aperiat
os, aut [31] pipiat.
15 [32] An gloriabitur securis [33] contra cęden-
tem ipsâ ? an se magnificabit serra contra agita-
torem suum ? quasi *verò* agitaret virga eum qui
tollit ipsam, quasi attolleret baculus, [34] *ac* non
lignum *esset*.
16 [35] Idcircò [36] immittet Dominus ipse Do-
minus exercituum,in [37] pingues ejus [38] maciem:
& [39] loco gloriæ ejus ardebit [40] ardor similis ar-
dori ignis.
17 Erit enim [41] lux Jisraëlis pro igne, & san-
ctus illius pro flamma ; quæ incendet & consu-
met [42] vepres ejus,& sentes ejus [43] eodem die ;
18 [44] Gloriámq; sylvæ ejus, & arvorum ejus,
& [h] spiritu & carne absumet : erítq; [45] tamquam
rebus dissolvendis signifer.
19 Sic [46] reliqua ligna sylvæ illius [i] pauca e-
runt ; adeò ut puer scribere possit ea.
20 [47] Erit autem tempore illo,ut non pergat
ultrà reliquum Jisraëlis, & qui evadet in domo
Jahakobi, inniti [48] percussore suo, sed innitetur
[49] Jehova sancto Jisraëlis [k] fideliter.
21 [50] Reliquum revertetur, reliquum Jaha-
kobi,ad *Deum* fortem robustissimum,
22 [51] Nam si fuerit populus tuus Jisraël *nu-
mero* sicut arena maris, reliquum revertetur ex
eo: [52] consummationem præcisam [53] *consumma-
bit* exundans justitiâ:
23 Nam consummationem,& quidem [54] prę-
cisam,Dominus Jehovi exercituum facturus *est*
in [l] universa hac terra.
24 [55] Idcircò ita ait Dominus Jehovi exerci-
tuum, ne timeto, popule mi habitator Tzijonis,
ab Assyrio : [56] virga sua percutiet te, sed [57] bacu-
lum suum efferet pro te [m] ratione Ægypti:
25 Nam adhuc paulisper, minus pusillo *tem-
pore* ; & [58] consummata indignatione, [59] tum ira
mea incumbet consumtioni istorum.
26 [60] Excitabit enim contra istum Jehova
exercituum flagellum, percussionem [n] similem
Midjanitarum ad rupem Horebi ; & *similem* [61] ba-
culo suo prope mare, & tollet istum ratione Æ-
gypti.

[29] ad evolandum, aut involandum.
[30] ad impetendum me.
[31] ad implorandam opem,aut expostulationem faciendam.
[32] contestatio, ut diximus V.7. qua Deus Assyrium contrà evincit imbecillitatis ipsius, se cum artifice, illum cum instrumento comparans.
[33] ut Assyrius contra Deum extulit vocem suam, sicut idem Propheta loquitur 2.Reg. 19.23.
[34] id est,nulla facultate præditum ad movendum se,aut efficiendum quicquam.
[35] tertia pars, narratio prophetica bimembris, ut dictum est suprà in V.5. Continet autem hoc prius membrum narrationem judicii contra Assyrios,quatuor versibus,& usus ex judicio hoc ad populum perventuri,vers.20. usque ad 28.
[36] qua nocte percussit angelus Jehovæ in castris Assyriorum centum octoginta millia, 2.Reg.19.35.& 2.Chron.32.21.
[37] id est, potentes : sic Judic.3.29.& Psalm.78.31. [38] id est, luem repentè ipsos consumentem macie. [39] id est, ubi gloria Dei habitat ante mœnia Jeruschalaimorum. [40] id est, lues ardentissima confestim Assyrios tabefaciens. [41] Deus Jisraëlitas illustrans & sanctificans. [42] Assyrios,quibus ut sentibus vepribúsque cohorrebat terra. [43] eadem nocte, quæ pars est diei : synecdoche. [44] id est, omnes valentes robore, de quibus gloriatur, 2.Chron.32. [h] *Heb.ab anima usque ad carnem.* [45] quum rex ipse profugus, & quidem contentissimè se proripiens fugâ,quasi persequente igne consumeretur,a filiis cæsus : ut factum esse legimus in libris Regum,& Chronic.ibidem.tum Deus ipse quasi signifer Assyriis ipsis futurus est. [46] i.superstites Assyrii : pergit enim in allegoria. [i] *Heb.numeri, id est, faciliè numerabilia : ut Genes.*34.30. [47] explicatio usus ad populum perventuri ex præcedente judicio & liberatione,nimirum fidei & resipiscentiæ. [48] id est,Assyrio,virga percutiente ipsum, baculo indignationis Dei, supr.V.5. [49] qui verus est percussionis auctor,virgam suam in percussionibus occupans,ut sup.9.13. [k] *Heb.in fide.* [50] expositio nominis Schear-Jaschub,quo suprà usus est 7.3. [51] ætiologia promissionis Dei ergà reliquias, ab æterno consilio & potentia ejus, ut accommodat Apostolus Roman.9.27. [52] qui solus Deus fortis potentissimus per justitiam suam & propter veritatem suam id præcisè consummaturus est quod ab æterno definiverit,ut sequens versus explicat. [53] id est, plenè effecturus est, ita ut nullo consilio, nulla vi, non amplius quàm exundans amnis, sisti aut impediri possit ; etsi primùm in speciem aquula iens sensim videbatur, suprà 8.6.23. [54] id est, præcisè ut decrevit bene placito voluntatis suæ. [l] *Heb. in medio hujus terræ.* [55] Apostrophe ad populum, summam superiorum judiciorum continens ad confirmandum ipsum, quatuor versibus. [56] id est, ita agitabit te Deus per Assyrium, ut per Aegyptium olim majores tuos. [57] Jehova ad defensionem & liberationem tui,ut quum Mosche baculum jussus est protendere ad secandum mare, Exod.14.16. [m] *Hebr. via: sic versu* 26. [58] mea scilicet, qua excandui in te, quemadmodum dixit suprà versu 5.& 6. [59] ut effectum est die illo cujus meminit suprà, versu 17. [60] id est, momento illos ita perdet per noctis unius spatium,ut Midjanitas & Aegyptios olim. [n] *Judic. 7.& Exod.14.* [61] quem protendi mare versus a Mosche imperavit Deus, Exod.14.26.

[62] id est, propter Christum liberaberis, in quo quiescit spiritus Jehovæ, quia unxit eum, infrà 61.1. Sic interpretatur Jonathan Chaldæus. Est autem hoc propterea positum, ut transitio comparetur ad tertium consolationis locum, cap. 11. quod totum hujus promissionis est exegeticum. [63] alterum narrationis membrum, quo Propheta expeditionem totam Assyriæ legationis de qua 2. Reg. 18. 17. & 19. 9. μιμητικῶς, iter, tempúsque, & locum

27 Et erit tempore illo ut amoveatur onus
ejus ab humero tuo, & jugum ejus a collo tuo;
imò disturbabitur jugum [62] propter oleum.
28 [63] Pervenit [64] Hajanam regionem versus,
transit [65] Migrone; [66] Micmaschi deposuit [n] impedimenta sua.
29 Trajecerunt [67] transitum, [68] Gebahi *in* diversorium diverterunt; trepidavit Rama, Gibha
Schaülis fugit:
30 [69] Claram ede vocem tuam filia [70] Gallimorum: fac ut audiatur [71] Lajischum usque, ô
paupercula Hanathoth:
31 Migravit Madmena; habitatores Gebimorum se confirmaverunt *ad migrandum*:
32 [72] Adhuc diem Nobi constiturus est; agitavit manum suam contra montem filiæ Tzijonis, collem Jeruschalaimorum:
33 [73] Ecce, Dominus Jehova exercituum
collocaturus est [74] ramum violenter; adeò ut proceri statura exscindantur, & alti deprimantur;
34 Et circumputabit perplexa sylvæ ferro
suo: denique [75] Libanus ipse [76] per magnificum
casurus est.

circúscribit quo judicium hoc effecturus est Deus, ad finem usque. [64] i. agrum Haji, quod antè eversum fuerat, Jehosc. 8. [65] de quo 1. Schem. 14. 3. [66] de quo 1. Schem. 13. 1. [n] *Heb. instrumenta.* [67] de quo 1. Schem. 14. 1. [68] erat enim Gebahi a meridie, contra alterum scopulum ex adverso Micmaschi, 1. Schem. 14. 6. [69] apostrophe quasi in rem præsentẽ ventum esset, describens miserabilem & altissimũ ejulatum. [70] in tribu Binjaminis, ut alia omnia, præter Lajischum, usque ad vers. 32. [71] i. ad summum usque terminum & remotissimum terræ: vide Judic. 18. [72] i. quum vixdum Nobo profectus, ad urbẽ accesserit. [73] i. quum primùm ad Jeruschalaima probro Dominum affecerit, & prosciderit nefariis illis blasphemiis, de quibus idem Propheta 2. Reg. 19. 21. & sequentib. [74] i. tunc temporis Deus Assyrios profligabit: quod eadem allegoria sylvæ a Propheta figuratur. [75] id est, procerẽ quemque. [76] i. quamvis elatissimi & numerosissimi: allegoria. [77] Deum utentem angeli opera; aut etiam angelum potentia Dei armatum: nam propterea etiam angeli robustissimi appellantur, Psa. 78. 25. itémq; virtutes, & potestates, potentiæ, imperia, dominiáq;, Ephes. 1. 21. & Col. 1. 16.

CAPUT XI.

[1] tertius locus consolationis, ut dictum est sup. 9. 1. a promissione regni Christi, qui fons & causa est liberationũ omnium generaliũ singulariúmque, corporalium & spiritualiũ. Sunt verò in hoc consolationis loco descriptiones duæ: una est personæ, officiorũq; Christi, quinque primis versib. altera effectorum, inde ad finẽ usque. Hoc autem versu allegoricè

1 NAm [1] prodibit [2] virgula e [3] trunco succiso Jischai, & [4] surculus e radicibus ejus
efflorescet,
2 Super quo quiescet [5] spiritus Jehovæ; spiritus sapientiæ & intelligentię, spiritus consilii &
potentiæ, spiritus scientiæ & reverentiæ Jehovę:
3 [6] Cujus [a] odoratus *erit* conjunctus [7] reverentia Jehovæ; non autem [8] ad aspectum oculorum suorum judicabit, neque ad auditum aurium suarum corripiet.
4 Sed vindicabit justè tenues, & corripiet ex
æquo mansuetos terræ: percutiet verò terram
[9] virga oris sui, & spiritu labiorum suorum morte
afficiet improbum.
5 [l] Erit enim justitia, cingulum lumborum
ipsius; & fides ipsa, cingulum feminum ipsius.
6 [10] Quapropter [11] commorabitur lupus cum
agno, & pardus cum hœdo recubabit; vitulúsq;
& juvenis leo, ac *pecus* pingue simul erunt, & puer
parvulus dux inter eos *futurus est*.
7 Et [12] vacca ursáque compascentibus, simul
recubabunt catuli earum; & leo sicut bos [13] comedet stramen:
8 Et oblectabit se lactens super foramen hęmorrhoi; & super specum viperæ depulsus a lacte
manum suam injiciet.
9 Non afficient malo, neque corrumpent
[14] in toto monte sanctitatis meæ; quum plena
erit terra hæc scientiâ Jehovæ, [15] velut aquis
[b] alveum maris operientibus.
10 [16] Erit etiam tempore illo ut ad eum qui e
radice Jischai stabit in signum populorum, gentes [c] consulturæ veniant; & sit requies ejus [d] gloriosa.
11 *Erit enim* tempore illo, ut adhibeat Dominus [17] secundò manum suam ut acquirat reliquum populum suum; qui reliquus fuerit ab Assyria, & ab Ægypto, & a [18] Pathroso, & ab Æthiopia, & a [19] Helamo, & a [20] Schinhare, & a [21] Chamatha, & a regionibus [e] maritimis:
12 Et sublato signo gentibus recipiat [22] depulsos Jisraëlitarum; & dispersa *membra* Jehudæ
congreget ex quatuor [f] oris terræ:
13 Et amota invidentia Ephrajimi, hostibúsque Jehudæ excisis; Ephrajim non invideat Jehudæ, & Jehuda non agat hostiliter contra Ephrajimum:
14 Sed [23] involent in humerum Pelischthæorum [g] ad occidentem, unà diripiant [h] populos
Orientis: in [i] Edomæos & Moabitas immittant
manum suam, & Hammonitæ obediant eis:
15 Etiam devovebit anathemati Jehova [k] sinum maris Ægypti, & agitabit manum suam cõtra [24] ipsum flumen, [25] ea inflante vento ipsius:
percutiénsq; ipsum flumen per [26] septem *fluenta*,
efficiet ut iter habeat *ea* calceis *populus suus*.
16 [27] Erit enim agger reliquo populo suo, qui
reliquus fuerit [28] ex Assyria; quemadmodum fuit
Jisraëli, quo tempore ascendit e terra Ægypti.

prænũciatur Christus, & status stirpis regiæ ex qua nasciturus erat, ut illustrior sit cõparatio beneficentię Dei cũ judicio proximè pręcedente, quod per allegoriã ejusdẽ generis est adumbratum. [2] i. humilis in speciẽ & abjectus Christus, ut observatũ est sup. 9. 6. [3] i. regia stirpe Davidis, quæ tum principatũ omnem amiserit, & exstincta tota videbitur. In summa, hoc ℣. gens ipsa Christi, adeóq; locus nativitatis & ipse Christus describitur; dona in Christũ collata, ℣. seq. regia verò administratio & officiũ ejus sanctissimũ, trib. aliis. [4] vel Nazarenus, natus in Notzerath sive Netzer, quæ vox sonat surculum. [5] i. virtus & dona infinita spiritus, quæ sequente accumulatione a Propheta designantur. [6] i. qui non infirmè, tenuiter, atq; humanitus singula odorabitur, & cognoscet in speciẽ, sed recto judicio penitus omnia cognoscens judicabit. [a] *Heb. odorari.* [7] & reliquis donis spiritus quę modò dicta sunt, synecdochicè: sic enim Hebręi solent ab ultimo per ὑστερον incipere. [8] sine notitia & cęteris donis. [9] i. verbo potente suo. [l] *Ps. 45. 4. & 5.* [10] altera pars cõsolationis, ab effectis Christi quę ad nos perveniũt regno ipsius. Sunt autẽ hæc effectorũ genera, primũ, pacis in universitate conservatio, usq; ad ℣. 10. secundũ, electorũ convocatio & adunatio, usq; ad ℣. 14. tertiũ, adversariorũ edomatio ad cõmoditatem & usum suorum, inde ad finem. Primũ hoc porrò effectorum genus totũ est hyperbolicum: ut infr. 65. 25. [11] i. potentissimi, ferocissimi, & damnosissimi quique ad Ecclesiam adducentur domiti potentia Christi; ac ne trepidi quidem pueruli sibi ab illis ampliùs metuent.

[12] fiduciæ summæ & innocentiæ descriptio allegorica. [13] i. non ampliùs in homines grassabitur, sed communi pabulo utetur creatione instituto, ut Gen. 1. 30. pro eo quod est instaurabuntur omnia. [14] id est, in Ecclesia nihil erit damnosum; sed diligentibus Deum omnia conferent ad bonum, qui ex proposito ipsius vocati fuerint, Roman. 8. 28. [15] q.d. erit in Ecclesia mare immensum cognitionis Dei, ut etiam prophetatur infrà 54. 13. & Jirm. 31. 34. [b] *Heb. mare: metonymia.* [16] secundum genus effectorum, ut diximus in vers. 6. summum ex prophetia Jahakobi, Gen. 49. 10. [c] *Heb. consulent.* [d] *Heb. gloria.* [17] i. Ecclesia, domus Dei, in qua requiescit Christus, ut Psal. 32. 14. [18] ut primò fecerat, quum liberaret ex Aegypto. [19] vide Gen. 10. 14. [20] Gen. 10. 22. [21] Gen. 10. 10. [e] *Heb. maris.* [22] Gen. 10. 18. [f] *Heb. alis.* [23] ex promissione, Deut. 30. 4. [g] *Heb. ad mare.* [h] *Heb. filios Orientis.* [i] *Heb. Edomæi & Moabitæ immissio manus ipsorum, & filii Hammonis obedientia ipsorũ.* [k] *Heb. linguã.* [24] i. mutuas operas præstent, & communes vires uno consensu adhibeant ad subjugandos & domandos hostes regni spiritualis Christi: ut olim in adipiscenda possessione terræ (quæ symbolum erat spiritualis regni) a Deo fuerat imperatum, Judic. 1. [25] Nilum Aegypti. [26] nimirũ fluenta Nili (quæ mox nominantur) & ipsum mare. q.d. ita accumulante aquas vento ipsius, ut omnia cedant & se accommodent ad salutem populi Dei, quemadmodum fuerat olim factum, Exod. 14. & Jehosch. 3. [27] ostiis suis septem irrumpentia in mare. [28] & Babylone cæterísq; de quibus sup. vers. 11. synecdochicè: hæc autem allegoricè dicuntur ad figurandam liberationem spiritualem per Christum, cujus aliæ omnes fuerunt typi atque particulæ.

CAPUT XII.

1 ITaque [1] dices tempore illo, celebrabo te
Jehova, quia iratus fuisti mihi; *sed* aversa
ira tua [2] consolaris me.
2 [3] [l] Ecce *Deus* in fortem salutem meam;
confidam ac non expavescam: nam robur meum
& carmen *est* Jah Jehova, qui fuit mihi saluti.
3 [4] Quúmque hauseritis aquas cum gaudio,
è fontibus hujus salutis;
4 Dicetis tempore illo; [5] [ll] Celebrate Jehovam, proclamate nomen ejus, notas facite in

[1] conclusio laudativa totius cõcionis (ut dictum est suprà 8. 1.) Continet duo laudationis genera pro duabus partibus salutis acceptæ a Deo per Christum: unum est, liberationis a malo, duobus versibus: alterum, infinitæ beneficentiæ quam in Christo percipiunt credentes, versibus quatuor reliquis. [2] verbo & opere. [3] propositio fiduciæ in Deum ad futurum tempus, propter præsentiam, naturam, officium, gratiámque Dei, & experientiam anteactam ejus. [l] *Exod. 15. 2.* [4] transitio ad alterum laudationis genus, ex profusis in Ecclesiam beneficiis Christi salutaribus. [5] laudatio Dei a majestate, operibúsque ejus, & singularibus in Ecclesiam beneficiis. [ll] *Psal. 105. 1.*

populis

populis actiones ejus: commemorate editum
eſſe nomen ejus:
5 Pſallite Jehovæ, quoniam [a] excellenter
fecit: notum *fiat* iſtud in tota terra.
6 Claram ede vocem, & canta quæ habitas
Tzijone: magnum eſſe in medio tui ſanctum Jiſ-
raëlis.

[a] *Hebr. excellentiam.*

CAPUT XIII.

Deus Babyloniis (qui populum erant deportaturi) ruinam denuncians, claſſicum canit, luctum Babyloniis imperat: formámque funeſtiſſimi judicii ſui & adminiſtros explicat, vaſtationem Babyloniæ, & liberationem populi: quæ ut meliùs memoriæ mandari a populo poſſit, Propheta canticum præſcribit, quo horrendum Dei judicium in Babyloniam explicat, deinde continuas calamitates Babyloniis denunciat, & juramento exemplíſque confirmat atque omnipotentia ejus.

1 [a] ONeroſa [1] prophetia in Babylonios, quam
vidit Jeſchahja filius Amotzi.
2 [2] Super [3] montem eminentem attollite
vexillum, [4] efferte vocem ad illos: agitate ma-
num, ut [5] ingrediantur portas ingenuorum.
3 [6] Ego præcepi [7] ſanctificatis meis; etiam [8]
vocavi potentes meos ad iram meam *exſequen-
dam*, exultantes *in* excellentia mea.
4 [9] Vox multitudinis in iſtis montibus *audi-
tur ad* ſimilitudinem populi ampli: vox [b] tumul-
tuoſa, regna gentium congregatarum, Jehova
exercituum luſtrat exercitum [c] bellicum.
5 Veniunt e terra longinqua, [10] ab extremi-
tate cælorum; Jehova & [d] inſtrumenta indigna-
tionis ſuæ, ad corrumpendum [11] totam iſtam
terram.
6 [12] Ejulate, nam propinquus *eſt* dies Je-
hovæ; quum vaſtatio ab omnipotente adven-
tura eſt.
7 Idcircò [13] omnes manus remiſſæ erunt, &
omne cor humanum colliqueſcet;
8 Et conturbabuntur, tormina & dolores
corripient *eos*, ſicut parturiens indoleſcent; quiſ-
que de proximo ſuo [14] admiratione rapientur,
[e] [15] facies inflammatiſſima facies eorum *fu-
tura eſt*.

9 [16] Ecce, dies Jehovæ advenit, [17] ſævus &
excandeſcentiâ & accensâ irâ; ad [18] diſponen-
dum iſtam terram in deſolationem, ut peccato-
res ejus perdat ex ea.
10 [19] Nam [20] ſtellæ cælorum & ſidera eorum
non facient ut luceat lux ſua; tenebroſus erit ſol
ab exortu ſuo, & luna ſplendidam non edet lu-
cem ſuam.
11 Et animadvertam in orbis habitabilis ma-
litiam, & [f] in improborum iniquitatem; faciám-
que ut ceſſet faſtus ſuperborum, elationémque
violentorum dejiciam.
12 [21] Faciam ut pretioſior ſit mortalis au-
ro purgatiſſimo, & homo inſigni auro Ophi-
rino.
13 ([22] Idcircò cælos commoveo, & concuti-
tur terra e loco ſuo; in excandeſcentia Jehovæ
exercituum, [g] & quo die accenditur ira ejus)
14 [23] Nam erit ut caprea depulſa, & ut pe-
cus, [24] nullo colligente: quiſque ad populum
ſuum ſpectabunt, & quiſque in terram ſuam
fugient;
15 Quicunque inventus fuerit transfodietur;
etiam omnis decrepitus cadet gladio:
16 Et [25] parvuli eorum illidentur ante ocu-
los eorum; diripientur domus eorum, & fœminę
eorum vitiabuntur.
17 [26] Ecce ego excito contra iſtos [27] Medum;
qui argentum non æſtimabunt, & ipſo auro non
delectabuntur:
18 Sed *ipſorum* arcus pueros allident; & fruc-
tus ventris non miſerebuntur, filiolis non parcet
oculus eorum.
19 [28] Erítque Babylon, [29] ornamentum reg-
norum, ornatus excellentiá*que* Chaldæorum; ſi-
milis [h] ſubverſioni, qua Deus ſubvertit Sedo-
mum & Hamoram.
20 [30] Non conſidebit in æternum, neque ha-
bitabit in [i] generationem quamque: neque figet
tentorium ibi [31] Arabs; & paſtores non facient
ut recubent ibi *greges*:

[a] *Hebr. onus Babel.* [1] Cùm Propheta ſuprà capite 5. & 6. ſub finem, non obſcurè maximam cladem Judæis, eversionemque regni per Chaldæos fore prænunciaſſet, populum, tempus, expeditionémque futuram ita circumſcribens ut non poſſet de ea dubitari: nunc demùm his duobus capitibus populum Dei conſolatur duobus argumentis, nimirum narratione prophetica judicii quo Deus Babylonios perditurus eſt, hoc capite; & narratione reſtitutionis populi, in qua ſit Deū celebraturus & judicium in Babylonios decantaturus, ſequente capite. In narratione autem hujus capitis (ut nihil de inſcriptione dicamus verſu 1.) tria ex ordine rerum geſtarum exponuntur: primum eſt proclamatio, qua Medi ad arma, Babylonii ad flebilem ejulatum provocantur, uſque ad verſ. 9. ſecundum eſt narratio malorum, quæ Babylonii divinitus & humanitus perpeſſuri ſunt, inde ad verſ. 19. tertium, eventus ex illa clade a Medis accepta conſequuturus, ad finem uſque. Quamobrem huic prophetiæ & aliis ejuſdem argumenti optimè attributa eſt oneris, ſive oneroſæ prophetiæ appellatio. [2] tota hæc proclamatio per hypotypoſin ſcripta, quaſi jam in rem præſentem ventum eſſet, primùm ex auctoritate Dei Medos armat, qui diſertè nominantur infrà verſ. 17. & bellicam rationem apparatúmque deſcribit elegantiſſimè, verſibus quatuor: deinde maximam conſternationem Babyloniis imperat, verſ. 6. & duobus ſequent. [3] nam inde ſolent dari bellorum tumultuúmve ſignificationes in montoſis regionibus & inſulis: cujuſmodi eſt Medorum regio, in qua prædicit fore ut arma conclamentur: ſic infrà 18. 6. [4] id eſt, propinquos voce, & longinquos ſignificatione ad arma convocate. [5] id eſt, invadant & occupent terminos Babyloniorum, qui ex aliena præda erant locupletiſſimi. [6] ætiologia ſuperioris proclamationis, a decreto & arcano inſtinctu Dei. [7] id eſt, Medis & Perſis, quos ego deſtinavi atque comparavi ad exſequendum judicium meum. [8] id eſt, potentia inſtruxi, & excellentia, atque exſultabunda alacritate, quę milites fortes decet. [9] id eſt, conveniunt milites frequentia maxima, & Jehova tamquam imperator congregatos luſtrat. [b] *Heb. tumultus.* [c] *Heb. belli.* [10] id eſt, locis quàm longinquiſſimis: emphatica hyperbole. [d] *Heb. vaſa.* [11] Babyloniam. [12] altera pars proclamationis ad Babylonios, ut diximus in verſ. 2. [13] id eſt, infirmabuntur Babylonii & corpore & animo: vide Danijelis 5. [14] cogitantes ſe priùs ingenuos ſtrenuóſque fuiſſe, & Medis aliiſque gentibus imperaſſe; jam verò ignavia torpere, & in miſeram ſervitutem rapi ignominioſiſſimè. [e] *Heb. facies flammarum.* [15] id eſt, perfuſa rubore & confuſione maxima.

[16] ſecunda pars narrationis, ut diximus in verſum ſecundum, ſimiliter per hypotypoſin calamitates Babyloniorū explicans. [17] i. quo Deus excandeſcens & accenſus ira ſæviet in Babylonios. [18] hoc enim maximè factum eſt quum Cyrus Euphratem derivavit, & in varias paludes diſtraxit per bonam partem Babyloniæ: prout evidètiùs exponitur inf. 14. 23. [19] explicatio ſingularis interminationis quæ poſita eſt ſuperiore verſu: cæli (inquit) & terra omnibus adverſabuntur, uſque ad ✠. 14. & Medi non parcent cuiquam, inde ad verſ. 19. [20] quæ alioqui in Chaldæa ſunt evidentiſſimæ propter patentia camporum æquora (ut ait Cicero lib. 1. de divinatione) & nubium raritatē. Eſt autem allegoria, ad ſignificandum graviſſimas calamitates in Prophetis frequens. Stellam porrò a ſidere hoc loco diſtinguit Propheta, ut Græci aſtéra & aſtrum: nimirum ut ſtella ſive aſter ſit ſingulare aliquid, ſidus verò vel aſtrum ſit quiddam ex pluribus ſtellis coagmentatum, cujuſmodi ſunt ſigna aſtronomiæ. [f] *Hebr. in improbos iniquitatem ipſorum.* [21] id eſt, Medorum Perſarúmq; animos Babyloniam invadentium ita inflammabo, ut omnibus modis ſuperbos iſtos & violentos perſequantur, neque ullo pretio hûc adduci poſſint ut parcant illorum vitæ, ut dicitur infrà verſ. 17. quod non dubium eſt tum demum eveniſſe, quum occupata eſt Babylonia, & rex Belſchatzar interemtus, Danijel. 5. [22] brevis ætiologia, qua Deus hypotheſin judicii ſui venturi in Babylonios confirmat theſi: idcircò (inquit) id eſt, propter malitiam, iniquitatem, faſtum, & violentiam, non poſſum non excandeſcere & accendi ira, quam cælum & terra ipſa perhorreſcunt, & (quum opus eſt) commoventur ad teſtificanda & præſtanda judicia mea: quod ut fieret evidentius, hunc verſum parentheſi incluſimus. [g] *Hebr. & in die accenſionis iræ ejus.* [23] *ἐργασία* comminationis quæ poſita eſt verſ. 12. nullo (inquit) pretio ſuperbi iſti redimentur: nam fugientes illos perſequentur Medi, hoc verſu: inventos confodient; & antequàm confodiant, omnes contumelias atrociſſimas facient vivis illis atque videntibus, verſ. duobus ſeq. [24] id eſt, neque ullus vel ex gentilibus & neceſſariis ipſorum (ut ſequentia verba explicant) audebit iſtorum quemquam in domum ſuam recipere. [25] vide Pſal. 137. 8. [26] concluſio ſuperioris interminationis, in qua judicium graviſſimum & gentem nominatim definit; quam ſuprà obſcurè indicaverat verſ. 2. & tribus ſeq. [27] id eſt, Medorum copias, Cyro duce Medorum & Perſarum rege. [28] tertia pars narrationis, ut diximus ſuprà in verſ. 1. exponens miſerabilem deſolationem, vaſtitatémque Babyloniæ: quæ non tota uno tempore exhauſta eſt; ſed tamen eò redacta tandem, ut tantùm duraret ibi Jovis Beli templum Veſpaſiani temporibus: vide Plin. lib. 6. nat. hiſt. cap. 26. [29] hæc per appoſitionem legenda ſunt, quaſi dicat, quæ nunc caput eſt Chaldaicarum gentium, & ſummam claritatem obtinet in toto orbe, ut ait Plinius ibidem. [h] *Heb. ſubverſioni Dei Sedomum; ut nomina apud Hebræos verborum ſuorum conſtructionem obtinens. Gen. 19.* [30] id eſt, ita vaſtabitur ut neque ſuis incolis futura ſit commoda ad habitationem vel commorationem, neque exteris egentiſſimis; ac ne pecudibus quidem, quum planè diruta fuerit, ad paſcuum. Primùm enim bellis variis attrita eſt, deinde oppreſſa regulorum poſt Alexandri magni mortē tyrannide, ac poſtremò exhauſta vicinitate Seleuciæ, quam propterea Nicator rex condidit intra lapidem nonageſimum. [i] *Hebr. generationem & generationem.* [31] i. Nomades ſcenitæ, & Attali latrones, Babyloniæ contermini.

21 Sed

[k] *Heb. deserta, id est, desertum colentia.*
[l] *Hebr. facientia ah, id est, dolorem & malum hominibus afferentia: est enim participium ductum ex interjectione dolentis.*

21 Sed recubabunt illic [k] feræ, & implebunt
domos eorum [l] noxia animalia: habitabúntque illic [m] ululæ, & [32] scopes saltabunt illic:
22 Clamabítque [33] terrificum animal in viduatis palatiis ipsius, & [n] serpens in templis [o]
voluptariis; propè autem est quum adveniet [34]
tempus ejus, & [35] dies ejus non protrahentur.

[m] *Heb. filiæ ululæ, ut Levit. 11.16.* [32] aves deformes motu satyrico, olim inauspicatæ, voce incondita, quarum meminit Homerus Odyss. 5. Latini etiam asiones vocant, Galli sua appellatione dominas: quæ avis est imitatrix, ac parasita, & quodam genere saltatrix, ut loquitur Plinius lib. 10. natur. hist. cap. 23. Quamobrem nos habita ratione proximè præcedentis membri, & huic adjuncti verbi, malumus sic interpretari; quam ad satyros, faunos, tragopanades, aut ejusmodi portenta accommodare. [33] id est, draco: nam Propheta primùm de quadrupedibus, tum de volucribus egit, superiore versu; nunc de reptilium genere. [n] *Hebr. draco, id est, omnis serpentis genus: vide Exod. 7.12.* [o] *Hebr. voluptatis.* [34] id est, quo incipient hæc mala invadere Babyloniam: cœperunt autem illa post ducentos fermè annos quàm hæc a Propheta fuerunt prænunciata. [35] quibus florebit regnum Babyloniæ, & in Judæos deportatos tyrannidem exercebit. q. d. non durabit diu illorum gloria, aut vestra calamitas: qui finis est μεταβατικὸς ad narrationem sequentem.

CAPUT XIIII.

[1] Altera pars narrationis, in qua exponitur primùm causa & forma instaurationis & amplificationis Ecclesiæ, duobus versibus; deinde usus promissionis Dei perceptæ in Ecclesia, a vers. 3. ad finem usque.
[2] id est, gentem, quæ in speciem fuerat rejecta & alieno dominatui exposita, perinde recipiet quasi de integro electa foret, humanitus dictum.
[3] promissio vocationis gentium per Christũ, in quo demum consummata est instauratio in plenitudine Judæorum & gentium, ut totus Jisraël servetur, Rom. 11.

1 NAm [1] miserebitur Jehova Jaĥakobi, &
[2] eliget rursus Jisraëlitas quos reponat
in terra ipsorum; [3] adjungétque se advena ipsis, & associabunt se domui Jaĥakobi.
2 [4] Nam accipient ipsos populi, adducéntque eos in locum suum; & constituent se possessores eorum [a] Jisraëlitæ in terra Jehovæ, [b] ut servi sint & ancillæ; & captivos ducent eos qui captivis abusi fuerint ipsis, dominabunturque in exactores suos.
3 [5] Et erit, quo die requiem præstiterit Jehova tibi a dolore tuo & a commotione tua; ac a servitute dura illa [c] quæ exercita fuerit in te;
4 Ut proferas [6] parabolam hanc de rege Babyloniæ, ac dicas; [7] quomodo cessavit [8] exactor, cessavit [9] aurea?
5 [10] Fregit Jehova [11] baculum improborum, sceptrum dominantium.
6 [12] Percutientis populos excandescentia
plaga [13] est [d] immota: dominans [e] [14] iracundè
gentibus agitatur persequutione, *quam* non [15]
cohibebit.

[4] allegorica figuratio regni spiritualis Christi, in quo fideles servi & ancillæ comparantur Domino ministerio verbi, ut prædixit Joël 2. 29. infideles verò velut mancipia abjectissima coguntur in ordinem, & subjiciuntur potentiæ Christi & Ecclesiæ ejus. respiciunt autem hæc verba ad historiam quæ habetur Hezrę 1. de Cyri mandato, & populorum ministerio. [a] *Heb. domus Jisraëlis.* [b] *Hebr. in servos & ancillas.* [5] secundus locus de usu proximè præcedentium beneficiorum Dei, quum ab Ecclesia fuerint percepta, ut diximus in vers. 1. Est autem hic usus, prædicatio judiciorum & veritatis Dei, quam præscribit Ecclesię propheta, ad finem usque capitis. [c] *Hebr. qua servitum fuerit de te: sic Deut. 1.23.* [6] i. cantionem quæ in ore sit omnium; ut Num. 21.27. Sunt autem hujus cantionis sive prædicationis quæ imperatur Ecclesiæ, partes quinque: prima est propositio summa ruinæ Babylonicæ a judicio Dei, tribus versibus. secunda, narratio sarcastica, qua res omnes creatæ etiam mortuę utuntur ad ludificandum Babyloniam, a vers. 7. usque ad 18. tertia, narratio prophetica judiciorum quæ Deus ampliùs in Babyloniam exerciturus est, usque ad vers. 24. quarta, confirmatio a promissione, juramento, & exemplis judiciorum Dei, vers. 24. & seq. ultima, conclusio, duobus reliquis. [7] propositio διαλογιστική, qua per admirationem videntur omnes quærere, qui potuerit fieri ut rex tantus & tantum regnum unica nocte intercideret. [8] tyrannus sævus. [9] Chaldaica vox ad perstringendam Chaldaicæ monarchiæ superbiam ex fiducia opum maximarũ conflatam: quò spectat descriptio illa Danijelis 2. & 3. [10] ὑποφορὰ sive subjectio ad præcedentem admirationem, duobus versibus exponens quis, quo, quantóque malo affecerit Babylonios, & quamobrem. [11] id est, durum imperium, quasi exerceretur in belluas: allegoria. [12] id est, Babylonii, qui percutiebat & vexabat populos indignissimè; ut exempla multa apud Danijelem ostendunt. [13] id est, plagam istam neque amoturus est Deus (qui inflixit) unquam, neque ullus effecturus potentia sua ut amoveatur a Babyloniis. [d] *Hebr. sine amotione.* [e] *Hebr. in ira sua.* [14] id est, ista intoleranda iracundia, quæ etiam ἀδύνατα hominibus imperabat, & de omnium vita conscientiaque tyrannicè statuebat, ut apud Danijelem videre est. [15] ipse aut alius quispiam.

7 [16] Quiescit, tranquilla est [17] tota terra;
fragorem edunt cantu.
8 [18] Etiam [19] abietes lætantur de te, cedri
[20] Libani *dicentes*; ex quo occubuisti, non ascendit ullus cæsor contra nos.
9 [21] Sepulcrum infernè commotum est tua causa, ad occurrendum advenienti tibi, excitat tibi expertes vitæ, omnes duces terræ, facit ut surgant e soliis suis omnes Reges gentium;
10 Qui omnes loquentes [22] dicant tibi; [23] etiam tu infirmatus es sicut nos? nobis similis factus es?
11 [24] Deducitur in sepulcrum fastus tuus, strepitus nabliorum tuorum; [25] substernitur tibi lumbricus, & obtegit te vermis.
12 Quomodo decidisti [26] de cælis [27] Lucifer, [28] nate Aurora? [29] succisus es usque in terram? [30] debilis es suprà quàm gentes?
13 [31] At tu dicebas [f] cum animo tuo, [32] in cælos ascendam, supra stellas *Dei* fortis exaltabo solium meum: & [33] sedebo in monte conventus, [34] in lateribus Aquilonis.
14 Ascendam supra excelsa nubis densæ, *me* æquabo excelso.
15 [35] Verumtamen in sepulcrum dejicieris, ad latera foveæ.
16 Videntes te considerabunt te, in te advertent *dicentes*: híccine vir ille est qui commovebat terram, qui concutiebat regna?
17 *Qui* disponebat orbem habitabilem sicut desertum, & civitates ejus destruebat; vinctos suos non solvebat *reversuros* domum?
18 [36] Omnes Reges gentium, quotquot sunt;
occubuerunt [37] [g] gloriosè quisque domi suæ;

[16] altera pars cantionis, ut diximus in versum 4. qua per prosopopœiam res omnes & viventes, & sensus vitæque expertes inducit Propheta lætitiam agitantes de funesto casu Babyloniæ; primùm quidem totam terram, hoc versu; deinde arbores seq. versu; postremò verò mortuos, inde ad versum 18.
[17] id est, habitatores terræ, metonymicè.
[18] amplificatio a rebus sensu carentibus, quibus hyperbolicôs per prosopopœiam elegantissimam exsultatio & sermo tribuitur ex tranquillitatis sensu.
[19] ex quibus terra & mari magnifica opera construebantur ad Regum Babyloniorum libidinem.
[20] cui Reges Babyloniæ ac deinde Persidis præficiebant saltuarios, ut Nechemjæ 2.8. [21] ultimus prosopopœiæ locus (ut observatum est vers. 7.) quo sepulcrum, velut dux mortuorum, suas omnes copias excitat, ut Babylonium collapsum alloquantur, & velut indignum qui sepeliatur secum, repudient a consortio suo. [22] hujus sermonis ficti partes sunt duæ: una est qua fastum immanissimum Babylonii per contentionem exagitant, usque ad versum 15. altera, qua etiam honore & beneficio sepulturę illum indignum judicant & abjiciunt a se, versibus reliquis. [23] ironicus sermo per admirationem, tribus versibus, qui deinde amplificatur per comparationem præfidentis animi & gloriationis qua fuerant usi Reges Babylonii, vers. 13. & 14. [24] id est, cares omni honore sepulturæ, justaque ipsa (quæ tibi ut potentissimo Regi fuerant solvenda) velut sepulta jacent, neque adhibentur tibi. Hoc enim non dubium est evenisse, ex historia quæ habetur Danijelis 5. [25] id est, cares omni pollinctura, dituraque aromatica quæ Regibus adhiberi solet, vermibus & putredini omni ex parte expositus. [26] id est, e summa illa velut cælesti luce & dignitate tua: allegoria dignitatem summam figurans commodissimè. [27] stella præveniens solem, & ante matutinum exoriens, magnitudine alia sidera exsuperans, & claritatis tantæ ut unius hujus stellæ radiis (præter solem & lunam) umbræ reddantur: quam alii Veneris, alii Isidis, alii Junonis, alii matris Deûm appallavêre: ut ostendit Plinius lib. 2. cap. 8. natur. hist. Quamobrem allegoricè ad figurandam dignitatem Babylonii hæc appellatio ipsi attributa est. [28] id est, velut alumnus & comes auroræ, ut pulli hærentes lateribus matrum apud Hebræos nominantur; quemadmodum observatum est Genes. 18.7. [29] altera allegoria, a similitudine arboris cujus nulla exstent vestigia: quæ allegoria similiter de Nebucad-netzare dicitur Danijel. 3. [30] id est, magis dejectus justo judicio Dei quàm unquam gens ulla fuerit: nam aliorum quidem imperiorum, postquàm eversa sunt, sua superfuerunt vestigia; hujus verò ne ipsum quidem nomen aut tenuissima imperii particula mansit. Ita his verbis inest gradatio, cujus causa verbum Hebræum accipimus, ἀμεταβάτως, ut Ijobi 14.11. [31] alterum membrum contentionis, exprobrans gloriationem Babylonio. quasi dicat, ubi nunc est illa gloriatio tua qua tu dicebas, cælestem quamdam dignitatem obtinebo? quod sequentibus verbis proponit thrasonica illa regis gloriatio. [f] *Heb. in corde tuo.* [32] id est, sedem, dignitatem, imperium, potestatem divinam mihi vindicabo: quod finis sequentis versus explicat. [33] id est, Dei ipsius sedem occupabo, & eumdem mihi assumam honorem qui attributus est Deo in monte Tzijonis a Judæa gente. [34] ad quę spectat mons Tzijon, si cum situ Jeruschalaimorum comparetur. [35] altera pars sermonis, ut ostendimus in versum 10. qua exponunt mortui, ne volentibus quidem Medis & Persis sepelire Babylonium, passuros esse mortuos; sed eum recognitum consensu uno e numero suo ejecturos, propter intolerandam ejus tyrannidem. [36] tertia pars, prophetica narratio gravissimorum judiciorum Dei, tum veluti præsentium quæ Judæi erant visuri in regem Babyloniæ, tribus versibus, tum deinceps ampliùs eventurorum, vers. 21. & sequentibus. [37] id est, non ita turpiter ut tu. [g] *Hebr. in gloria.*

19 Tu

19 Tu verò abjiceris [38] e sepulcro tuo, [39] ut
surculus abominandus, *ut* vestimentum interfec-
torum, [h] onustorum *crebris ictibus* gladii : *ut*
descendentes ad lapides foveæ, ut cadaver pro-
culcatum.
20 Non adunaris illis in sepultura, quia ter-
ram tuam corrupisti, populum tuum interfecisti ;
non prædicabitur in seculum [40] semen malefi-
corum.
21 [41] Parate filiis ejus mactationem propter
[42] iniquitatem majorum ipsorum ; ne surgentes
hæreditario jure possideant terram, & impleant
faciem orbis habitabilis civitatibus :
22 Nam insurgam contra eos, dictum Jeho-
væ exercituum ; [43] & excisurus sum Babyloniæ
nomen, & residuum, filiúmque ac nepotem, dic-
tum Jehovæ :
23 [44] Et disponam eam [i] ut sit hæreditaria
possessio [45] anatariæ, & stagna aquarum ; ever-
rámque eam everriculo perditionis, dictum Je-
hovæ exercituum.
24 [46] Juravit Jehova exercituum dicendo : [47]
mentiar, nisi quemadmodum [k] proposui *mihi* ita
fuerit ; & quemadmodum consilium inivi, illud
exstiterit :
25 [48] Quum frangendo Assyrium in terra
mea, super montes meos proculcavero eum ; tum
amovebitur ab istis jugum ejus, & onus ejus ab
humero [49] istius amovebitur.
26 [50] Hoc illud consilium *est*, quod initum fuit
contra totam [51] illam terram ; & hæc illa manus
extensa contra omnes [52] istas gentes.
27 [53] Nam Jehova exercituum inivit consili-
um, & quis irritum faciat ? & manum ejus exten-
tam, ecquis avertat ?

[38] i. in quo alioqui fuisses sepeliendus. [39] triplex similitudo evidentissimè hoc loco describit abjectissimum statum Babylonii : prima est putris surculi : secunda, vestimenti undequaque proscissi & fœdati sanguine ; tertia, cadaveris, quod ita negligitur ut liberè proculcetur omnium pedibus, & ne tum quidem sepeliatur quum fovea præstò est ; sed jacens ad cippum aut monumentum foveæ deseratur. [h] *Heb. onustorum gladio.* [40] i. tuum : sic transitur ad sequentem narrationis partem. [41] alter locus narrationis, quo ostendit Propheta non semel tantùm perditum iri Babyloniam, sed sæpius etiam in posterum, donec tota deserta sit : quamobrem ad majorem emphasim primùm certi velut milites, administri judiciorum Dei accersuntur, & mandatum accipiunt : ut suprà 13.2. & seq. deinde judicium exponit Deus quod ipse effecturus est, duobus seq. Fuerunt autem isti administri judiciorum Dei tum Medi & Persæ, tum etiam Macedones, Characeni, Attali latrones, Parthi, & alii de quibus sparsim in historiis habetur mentio. [42] i. similem omnino ei quam fecerant majores, ut solent accumulare iniquitates quoscunque abdicavit Deus : sic 2. Reg. 24.5. Hanc interpretationem comprobant verba proximè sequentia. q. d. æquè atque majores sui viribus suis abuterentur suáque amplitudine, nisi hoc facto caveretur. [43] istarum copiarum, quas modò accersivi, operâ. [44] i. desertissimam efficiam & palustrem totam : quod factum esse magis ac magis, ex quo tempore Euphrates derivatus est Cyri & Orchoënorum operâ, ipse Ptolemæus testis est. [i] *Heb. in hæreditariam possessionem.* [45] Aquilæ vitam agentis circa lacus ; quam Græci Morphnon & Perenon vocant, alii Plancum, de qua Plinius lib. 10. natur. hist. cap. 3. nam hæc interpretatio magis cum hoc loco videtur convenire ; & vocis etymologia, similiúmque locorum comparatione confirmatur, infra 34.11. & Tzephanjæ 2.4. [46] confirmatio superiorum interminationum in Babyloniam primùm a juramento Dei, hoc versu ; deinde ab exemplo judicii præcedentis contra Assyrios seq. versu. [47] eclipsis in juramentis frequens, ut Num. 14.35. [k] *Heb. imaginatus sum.* [48] prophetica definitio temporis, quo in Babylonios judicia sua exerciturus est Deus ; nimirum postquàm perfecerit interminationem quam priùs Assyrio denunciaverat, cap. 10 26. & 27. sic priorem illam eversionem Assyriorum monarchiæ tamquam signum proponit hujus longo pòst intervallo eventuræ, ut apud Jirmejam exempla leguntur quàmplurima. [49] populi mei. [50] conclusio, ut dictum est suprà in versum 4. [51] Babyloniam. [52] Babylonias, & parentes imperio Babylonico. [53] ætiologia ab ineluctabili Dei omnipotentia : quali utitur Persa quidam apud Herodotum in Calliope verbis elegantissimis.

CAPUT XV.

Propheta Pelischthæis partem Judææ iniquè possidentibus excidium denuncias operâ Regis Chizkijæ : populum Dei confirmat, & instituit Regem.

1 QUo [1] anno mortuus est rex Achaz, fuit
[2] [a] onerosa prophetia hæc.
2 [3] Ne lætator, tu palæstina tota, [4] quòd con-
fracta fuerit virga [5] percutientis te : nam [6] e ra-
dice serpentis prodit [7] hæmorrhous, etiam fruc-
tus illius prester volans.
3 Deinceps pascent [8] primogeniti tenuium,
& egentes securè cubabunt ; quum [9] enecavero
fame radicem tuam, & residuum tuum [10] inter-
fecerit.
4 [11] Ejula porta, exclama civitas, diffluere
Palæstinam totam : nam [12] ab Aquilone [13] *ut* fu-
mus advenit, [14] neque ullus seorsim prospectu-
rus est sibi in cœtibus ejus.
5 [15] Quid ergo responsurus est legatis [16] gen-
tis ? [17] Jehovam fundasse Tzijonem, ut in eam se
recipiant pauperes populi sui.

[1] id est, quum Chizkija solus regnare cœpit : nunc demum incipit tempus quartum Prophetiarum Jeschahjæ, nimirum quas Chizkija regnante prophetavit. Quamobrem ut hoc caput cum præcedente jungatur neque temporum ratio ferre potest, neque argumentum. Sunt autem hujus capitis partes istæ, inscriptio vers. 1. denunciatio instantis mali in Pelischthæos, tribus versibus : & conclusio ab explicatione causæ, vers. ultimo. [2] ut suprà 13.1. [a] *Heb. onus.*

[3] etsi hæc denunciatio ad emphasim compellat Pelischthæos, non dubium est tamen quin ad confirmandam regis novi Judæorúmque fiduciâ hoc modo fuerit enunciata. q. d. non est quod vos, ô Judæi, animum porrò abjiciatis & cedatis potentiæ Pelischthæorū : quin potius bono animo estote : nam hoc ego confidenter Pelischthæis denuncio, non esse cur lætentur ampliùs de victoria sua, de præda, de oppidis captis, 2. Chron. 28. 18. [4] i. quòd inde a temporibus Huzzijæ liberum vobis fuerit per ignaviam Achazi in Judæam involare, depopulari, occupare, conturbare omnia sine ullo impedimento. [5] i. Huzzijæ, qui Pelischthæos affecit malis gravissimis, 2. Chron. 26.6. [6] i. e stirpe Huzzijæ, qui vos momordit graviter ut serpens : allegoria. [7] i. rex Chizkija, qui vos admorsurus est graviùs, imò gravissimis & immedicabilibus malis summa alacritate affecturus : quod sequens gradatio docet. Nam inde a temporibus Chizkijæ Pelischthæos per se tentasse quidquam non meminimus legere. [8] i. tenuissimi Judæi & summè attenuati attritique calamitatibus, in hoc suo Rege velut pastore cõquiescent, & fruentur bono : vide Ijobi 18.13. [9] id est, fame & bello, parentes & liberos, magnos & parvos consumsero, & cùm turres ipsas custodum, tum civitates munitas evertero : quod factum est opera Chizkijæ, 2. Reg. 18.8. [10] Chizkija. [11] explicatio summi illius excidii quod modò attigerat, per prosopopœiam. [12] id est, ex Judæa, quæ ratione Pelischthææ ad Aquilonem sita est. [13] id est, tanta celeritate, vi, & acrimonia, ut non magis obsistere Pelischthæi possint Chizkijæ, quàm venienti fumo & omnia rimanti diligentissimè : & quem ignis iræ meæ accensus excitabit & impellet in vos. [14] id est, non mollescent, aut frangentur animi Judæorum Chizkijæ ministrantium in exsequendis Dei judiciis, sed procedent cuncti alacerrimè. [15] conclusio ; qua Propheta Regem novum informat, quid qua fiducia sit Pelischthæorum legatis responsurus. [16] Pelischthææ. [17] id est, ostendet Rex nihil ad se pertinere quid Pelischthæi obtendant, quid possint, quidve possideant in Judæa ; sed se fretum promissionibus & potentia Dei procuraturum sedulò, ut miseri sui populi sedes recuperentur, & tota Judæa sarta tecta conservetur.

CAPUT XVI.

Propheta Moabitis gravissimas calamitates luctúmq; maximum prænunciat : æquas conditiones a Deo oblatas ipsis in regno Davidis commemorat : insolentiam illorum exprobrat : ultionem Dei describit, & præfinis tempus.

1 ONerosa [1] prophetia Moabi: Quum noctu
vastata fuerit [2] Har-Moabitarum, excisa
fuerit ; quum noctu vastata fuerit [3] Kir-Moabita-
rum, excisa fuerit :
2 [4] Ascendet Bajithū, & [5] Dibonem, [6] Bamo-
thas cū fletu : super [7] Nebunte & super [8] Medeba

[1] vide sup. 13.1. Hujus prophetiæ partes præcipuæ sunt tres : prima est propositio calamitatum luctuosissimarum quæ Moabitis erant eventuræ, usq; ad versum 10. secunda est contestatio exprobrans beneficia a Deo oblata, ingratúmque Moabitarum animum, quo denunciatas calamitates sibi accersiverunt : inde ad vers. 22. tertia, conclusio circumscribens tempus quo Deus suam illam sententiam erat exsequuturus, duobus vers. ult. In hac autem propositione describuntur cladis initia, duabus summis civitatibus per Schalman-Eserem excisis, V. 1. luctus gravissimus totam regionem pervadens, usq; ad vers. 6. & causæ ex quibus Moabitæ in tantum luctum compellentur : nimirum horriditas regionis totius, vers. 6. commeatus qui supererat repentina consumtio, vers. 7. miserabilis incolarum fuga, vers. 8. & horrenda strages, vers. 9. [2] ut Num. 21.28. metropolis Moabitarum in agro ejusdem nominis. [3] i. Kir-cheres sive Kir-chareseth, ut nominatur infrà V. 16. & 20. quod enim vulgò interpretes confundunt cum Kiro, cujus fit mentio 2. Reg. 16.9 planè absurdum est, cùm illud Medorum sit, hoc verò distinctionis causa Kir-Moabitarum appelletur, aut Kir-cheres, id est solis, qui fortasse ibi colebatur. [4] id est, hùc illùc circumcursabit incertus, Deos & homines implorans frustra. Est autem Bajithum oppidum ab insigni idololatria dictum κατ' ἐξοχὴν, quod alibi dicitur Behon, Bahal-Mehon, & Beth-Bahal-Mehon, Numer. 32. 3. & 38. & Jehosch. 13. 17. in finibus Reübenitarum, 1. Chron. 5.8. [5] Reübenitis attributum, Jehosch. 13. 17. [6] sive Bamoth-bahalem, id est, excelsa Bahalis, ut Jehoschu. ibidem. [7] similiter Reübenitarum, Numer. 32. 38. [8] Medava Ptolemæo, termino Reübenitarum, Numer. 21. 30. & Jehoschu. 13. 16.

Moab ejulabit; [9] in omnibus capitibus ejus cal-
vitium *erit*, omnis barba excisa.
3 In compitis ejus accingentur cilicio: super
tecta ejus & in plateis ejus quisque ejulabit, de-
scensurus cum fletu suo.
4 Et exclamabit [10] Cheschbon, Elħaléque;
[11] Jahatzum usq; audietur vox eorum: propterea
expediti Moabi vociferabuntur; [a] vitæ suæ tæ-
debit ipsum, *dicendo:*
5 [b] [12] Animus meus Moabum inclamabat,
[13] [c] clausuras ejus, [14] Tzoħarem usque, *quasi* [15]
vitula trima: [16] quoniam [17] per clivum Luchi-
thæ cum fletu ascendit, quoniam via Chorona-
jimorum clamore [d] fragoso [18] boant.
6 Nam *ad* aquas [19] Nimrimorum [20] desola-
tiones erunt: [21] exarescet enim fœnum, deficiet
tenera herba, viriditas non erit.
7 Idcircò *ut ut* [22] residuum fecerit; at [e] quæ-
cunque recondiderint, [23] in vallem Arabum ex-
portabunt ea.
8 Nam [24] circuibit exclamatio illa termi-
num Moabi; [25] ad confluentes usque ejulatus
ejus, etiam [26] Beer-Elima ejulatus ejus;
9 Quòd [27] aquæ Dimonis plenæ sanguine
futuræ sint, quum [28] disponam in Dimone addi-
tamenta: [29] [f] evadentibus *verò* Moabitis [30] leo-
nem, & residuo terræ.

[9] id est, capillum vellent barbámque præ luctu, quod moris fuisse infidelibus ostendit Mosche Leviti. 19. 27. & 21. 5. & Deut. 14. 1. [10] hæc oppida similiter fuerant Reübenitis attributa, Numer. 32. 37. & Jehoschu. 13. 18. [11] id est, usque ad ultimos fines: locus est insignis clade Sichonis, Numer. 21. 23. & Meraritarum habitatione Jehoschu. 21. 36. [a] *Heb. anima sua mala videbitur ipsi.* [b] *Heb. cor meum.* [12] prosopopœia emphatica strenuorum Moabitarum, tentantiũ populares suos profugientes confirmare. quasi dicat, inclamo ex animo & contendo quàm maxima voce possum, ut fugientes revocem: sed frustrà. [13] i. munitiones limitaneas, quibus aditus & exitus regionum præcluduntur tamquam vectibus: quamobrem Hebræi vectes vocant, Græci φραγμὸς quasi φερόμενος, latini clausuras sive clusuras; unde Suidas κλεισουρὰς appellationem sumsit, & transformavit in græcam vocem quæ significat clavem termini. [c] *Heb. vectes ejus.* [14] de qua Genes. 19. 22. sensus est, tam magna voce contendo (inquit strenuus Moabita) ut mea vox ipsos Moabitarum terminos & lacum Asphaltitem prætervolans Judæam quoque personet, quæ terminatur Tzoħare. [15] comparatio elegans ad explicandam vim maximam contentionémque vocis. quasi dicat, non clamo, sed boo ac velut intono, ut Moabitarum popularium meorum luctum frangam, & animos confirmem: nam certum est juvencam insuetam jugo, minimè effœtam, ac proinde ferociorem, graviores boatus & valentiores edere; cujusmodi ferè est triennis. [16] ætiologia contentionis in clamando, quæ modò dicta est: planè (inquit) mihi summa vi boandum est, cùm hic omnia summo luctu personent; proinde vix nisi adhibito clamore summo, ac ne vix quidem exaudiri possim. [17] id est, montes & valles ejulatibus ipsorum reboant, ab uno termino ad alterum: nam ascensus Luchith Judæam spectabat, descensus verò Choronajimorũ (ut nominatur Jirmejæ 48. 5.) in altera parte ex adverso erat. [d] *Heb. fractionis, vel fragoris.* [18] hic Propheta verbo ficto utitur & κακοφώνῳ, ad repræsentandam inconditam tumultuantium vocem. [19] rivorum confluentium ad Nimram sive Beth-Nimram in Gaditarum agro, Num. 32. 3. & 36. Hi autem propterea hic nominantur, quòd vallem Moabitarum rigant, ubi sita est Nimra attributa Gaditis, Jehoschu. 13. 27. [20] id est, exhaurientur, arescent. [21] i. ipsa convallis, ut ut sit irrigua, tota erit sterilis: quod elegantissima gradatione describit Propheta. [22] concessio ironica. quasi dicat Propheta, comportent illi commeatum arbitratu suo, & de cibario sibi prospiciant per me licet: non effugient tamen hæc judicia Dei. [e] *Heb. repositum eorum.* [23] i. invadentes agrum & occupantes Assyrii, omnia promtuaria vestra exhaurient, & ad finitimos Arabas Assyrio regi federatos spolia asservanda devehent: nam propter hoc officium aliáq; hujusmodi immunes fuisse Arabas antè meminimus ex Herodoto lib. 3. Vallem autem idcircò nominat, quia ex Moabitarum agro in Arabiam desertam ibatur per descensum Choronajimorum, in montibus quos Ptolemæus vocat Alsadamos. [24] i. pervadet agrum totum in oras usq; extimas. [25] fluminis Arnonis, quibus definitur terminus Moabitarum, Num. 21. 15. Hanc vocem, quam alii propriam faciunt, appellativè accipimus. [26] i. puteum potentum, a principibus Jisraëlitarum effossum: sic appellatur locus de quo Num. 21. 16. & sequentibus, communi Moabitarum appellatione, qui principes Elim, id est, potentes, vocant, ut Exod. 15. 15. [27] his verbis alludit Jeschaħja ad historiam illam quæ legitur 2. Reg. 3. quasi dicat, quemadmodum temporibus Jehoschaphati rivus ille, qui a via Edomææ influere tum primùm cœpit in agrum Moabitarum, non tantùm sanguinis specie rubuit, qua Moabitæ decepti sunt; verùm etiam ipsorum sanguine auctus est; ita quoq; deinceps facturus sum, & eo amplius. Videtur enim Dimon nomen esse illius rivi, de quo ternis castris bibendum dederat Deus in illa expeditione, impositum ex eo quòd totus rivus eodem die sanguine Moabitarum infectus est, & sanguineus Moabitis visus. Est enim Dimon, si interpreteris, sanguineus: quò spectat allusio in verbis Prophetæ, quam Latinis verbis assequi non possumus. [28] i. pergam sanguinem Moabitarum fundere, & ampliùs fundam: nam utrumque hoc designant Hebræi, addendi sive pergendi verbo. [29] id est, faciam ut Moabitarum quicunque fugerint extra terminos suos, aut in iis remanserint, sint unguibus dentibúsque ferarum expositi: ut de Jisraëlitis dicitur 2. Reg. 17. 25. [f] *Heb. evasioni Moabitarum.* [30] id est, fera animantia, synecdochicè.

CAPUT XVI.

10 [31] Mittite [32] agnum Dominatoris terræ,
[33] a Petra ad desertum usque; [34] ad montem fi-
liæ Tzijonis.
11 [35] alioqui erit *Moab* quemadmodum avis
vaga, nidus dimissus: [36] erunt [g] Moabitides *ad*
vada Arnonis.
12 [37] Ini consilium, fac judicium, dispone [38]
tamquam noctis, umbram tuam ipso meridie:
absconde propulsos, vagantem ne prodito.
13 Commorentur apud te [39] propulsi mei; ô
Moab, esto latibulum ipsis a conspectu vastato-
ris: [40] nam [41] desinet qui premat, deficiet vasta-
tor, consumentur [h] calcatores singuli e terra;
14 Et stabilietur [42] benignitate solium, cui in-
sideat [i] constanter in tentorio Davidis; [43] judex
& procurans jus, & promtus ad justitiam.
15 [44] *Verùm* audivimus superbiam Moabi,
fastuosi admodum: [45] fastu ejus & superbia e-
jus, & furore ejus, non ita *succedent* mendacia
ejus.
16 [46] Idcircò ejulabit Moabita ad Moabi-
tam, unusquisque ejulabit; [47] de fundamentis
Kir-charesethæ effabimini, [48] verumtamen con-
trita *sunt.*
17 Quin etiã vites Cheschbonis elanguent,
vitis [49] Sibmæ; [50] Domini gentium [51] retundunt
lectissimas plantas ejus, [52] Jaħzerem usque at-
tingunt, errant per desertum: propagines ejus
evelluntur, [53] trajiciunt mare.
18 Idcircò defleo fletum Jaħzeris, vitem Sib-
mæ; irrigo te lacryma mea, ô Cheschbon & El-
ħale: quoniam de æstivis fructibus tuis, & de
messe tua [54] celeusma concidit;
19 Et intercepta est lætitia & exsultatio ex
arvis, & in vineis non cantatur, non agitatur vo-
ciferatio: vinum in lacubus non calcat calcator,
[55] celeusma facio ut cesset.
20 Idcircò [56] viscera mea propter Moabum,
tamquam cithara perstrepunt; & interanea mea
propter Kir-Cheresum.

[31] altera pars prophetiæ, ut diximus in V. 1. qua Propheta contestatur Moabitas, exponens primùm leges & cõditiones quibus Moabitarũ reliquiæ a Davide fuerant conservatæ, & in fidem clientelámque receptæ, ut verbo uno attingitur 2. Schem. 8. 2. deinde indomitam ipsorum superbiam exprobrat. V. 15. ac postremò sententiam dicit severissimam probata justitia Dei, usque ad V. 22. Sunt autem hæ leges trium generum: prima de præstando canone imperato hoc versu: secunda, de officiis omnibus Regi populóque Dei præstandis, versu 12. & 13. tertia, de fide in promissiones Dei, & reciproca Dei regisque in ipsos beneficentia, usque ad versum 15. [32] id est, agnorum numerum imperatum, syllepticè; qui primùm Davidi & Schelomoni pensitatus est, deinde lacerato regno cessit Jisraëlitis, ut apparet ex 2. Reg. 1. 1. & 3. 4. quamobrem hoc loco nominatur agnus dominatoris terræ, id est, regis Judæ, qui ex jure & auctoritate Dei supremus erat illorum Dominus. [33] id est, universi mittite, ex omnibus finibus vestris, qui a meridie agro Edomæorum, a septemtrione deserto Jardenis terminantur. Fuit enim Petra sive Jokteel Edomæorum metropolis 2. Reg. 14. 7. [34] Jeruschalaima ad Regem. [35] nisi pareant Moabitæ domui Davidis, fugabuntur, deportabuntur, & funesta omnia patientur. [36] id est, extra suos terminos deportabuntur. [g] *Heb. filiæ Moabi.* [37] i. vide ne ampliùs Jisraëlitis & populo Dei afflicto desis; sed consilio & modis quibuscunq; poteris adjuves, & desistas ab antiqua inhumanitate tua; ut Deut. 23. 4. nominatim reprehenditur. [38] i. esto illis securum perfugium, & jucundum refrigerium a meridiano æstu. [39] i. e populo meo. [40] tertius locus exponens promissiones Dei accipiendas fide; quarum partes sunt hæ, liberatio a malo, hoc versu; & præstatio omnis boni in regno Davidis per Christum, sequente vers. [41] i. cessabit hostis affligens populum meum. [h] *Heb. calcator.* [42] qua Deus prosequitur domum Davidis in Christo. [i] *Heb. in veritate.* [43] cùm Chizkija typus, tum Christus absolutissima typorum veritas. [44] secunda pars contestationis, ut diximus in V. 10. [45] i. utcunque turgeat, nihilominus plenè de mendace jactatione sua decidet. [46] tertia pars contestationis, sententiæ dictio. [47] quæ sola ex omnibus Moabitarum oppidis vetusta erant, nec fuerant eversa trium regum expeditione, 2. Reg. 3. [48] paralepsis in pathetico sermone frequens: cogitabamus (inquiunt Moabitæ) tam bene hoc tempore constiturum esse Kir nostrum atq; olim stetit, quum a tribus regibus oppugnaretur: sed mendax fuit fiducia nostra: nam & oppidũ corruit, hoc versu; & totus ager exhaustus est: quod per prosopopœiam lugentium deinceps proponitur usq; ad V. 21. [49] Reübenitis attributæ, Num. 32. 38. [50] id est, gentes exteræ imperium occupantes. [51] id est, identidem calcant & atterunt. [52] oppidum Meraritis assignatum ex tribu Gadis, Jehoschu. 21. 39. [53] i. selectæ in alias regiones deportantur. Hac autem specie vinearum synecdochicè comprehenduntur omnia facultatum & possessionum genera, quia vitibus maximè præstabat Moabi regio. [54] i. vox clamantium, & agitantium hilaria ex messe & fructibus perceptis. [55] i. non possum ferre: luctum potiùs quàm lætitiam impero. [56] i. ego ex intimis visceribus meis conturbatus, ut cithara verberata & pulsata, sonitum luctus mei ad populares meos effero.

21 [57] *Itáque*

21 [57] *Itaque* erit quum perspicuum erit fati-
gari Moabum in excelso suo, & veniens [58] ad
sanctuarium suum deprecatum, nihil tamen po-
terit.
22 [59] Illud *est* verbum quo alloquutus fuerat
Jehova Moabum [60] inde ab illo tempore,
23 Nunc verò loquitur Jehova dicendo,
[61] intra tres annos, [62] ut *sunt* anni mercenarii, vi-
lis reddetur gloria Moabi cum tota sua multitu-
dine maxima: ita ut residuum *sit* parvum, minus
pusillo, invalidum.

57 i. desolatio Moabitarũ omnibus exposita erit, non tantùm de hominibus, sed etiã de diis suis desperantiũ. 58 i. templum idolorum suorũ. 59 conclusio, continens primùm definitionem temporis ex quo facta est cum Moabitis contestatio, quæ præcessit inde a versu 10. deinde illius temporis intra quod Deus judicium antè denunciatum effecturus est, sequente versu. 60 ex quo Moabitæ venerant in potestatem Davidis, 2. Schem. 8. 61 ab hac prophetia, quam principio regni Chizkijæ denunciatam esse judicamus ex initio præcedentis capitis: nam quod alii tres hosce annos putant incipere ex quo Samaria cœpit obsideri, id est, ex anno quarto Chizkijæ, præter morem scripturarum est. Fefellit autem eos, quòd existimabant Schalman-Eserem tum demum in Moabitas involasse, cùm Samariam expugnasset: nos autem potius in hac sententia sumus, agrum Moabitarum ab illo occupatum esse cùm ad oppugnandam Samariam veniret, ne quid a tergo relinqueret quod sibi damnosum esset aut copiis suis. 62 i. præcisè ad illud tempus quod præfixit Deus, cui neque addetur neque diminuetur quicquam: sic infrà 21.16.

CAPUT XVII.

Propheta Syris & Jisraëlitis exitium denuncians, officinam ipsorum exponit in perpessionibus, obstinationem narrat, & propterea omnia ipsorum bona Assyriis adjudicat ex auctoritate Dei, ipsos verò excidio & infinitis calamitatibus.

1 [1] Etsi Propheta hoc capite non Damascenis tãtùm, sed Jisraëlitis etiam (quibuscum fœdere juncti erant) Dei judicium denunciat; non dubium est tamen quin ad Damascenos plurimùm pertineat: quia Prophetæ consilium fuit Damasci ruinam per comparationem Jisraëlis confirmare: quasi dicat non esse cur Damasceni meliora sperent, cùm ne suis quidem Jisraëlitis ampliùs sit parciturus Deus.

1 PRophetia [1] [a] onerosa [2] Damasci. Ecce
Damascus amovebitur [b] ne sit civitas; e-
ritque [3] acervus ruinæ.
2 Derelictæ [4] civitates Haroheris; pro gre-
gibus erunt, ubi recubantes nemo [5] exterreat:
3 Desinet enim munitio ab Ephrajimo, &
regnum a Damasco, ac residua Syria, [6] sicut glo-
ria [c] Jisraëlitarum erunt, dictum Jehovæ exerci-
tuum.
4 [7] Erit autem tempore illo, *quo* attenuabi-
tur gloria Jahakobi; & pingue carnis ejus ema-
ciabitur,
5 [8] Erit inquam, perinde ac si colligeret [d]
messor segetem, & brachium ejus spicas deme-
teret: denique erit ut qui legit spicas [9] in conval-
le Rephaimorum.

Continentur itaque hoc capite primùm propositio summa eventuri judicii in utrosque, tribus versibus; deinde enarratio illius judicii, tribus sequentibus; posteà confirmatio a peccatis illorum, tribus aliis; denique conclusio summatim superiora complectens, duobus ultimis. Quod autem ad tempus attinet quo hæc prophetia cõpleta est, non obscurum est ex verbis Prophetę, ℣. 4: nam Jisraëlitę priores expugnati sunt, 2. Reg. 17. deinde verò Syri (qui consilia cum Jisraëlitis rebellantibus cõmunicaverant) eadem opera cum illis deportati; quod per synecdochen ex 2. Reg. 17. intelligendum est. Capta quidem fuerat Damascus a Tiglath Pilesere ante annos aliquot, & Syria occupata, 2. Reg. 16.29. sed tum demum diruta est per Schalman-Eserem, & incolæ deportati in Kirum, quum Jisraëlis regnum eversum est: quod sexto ferme quintóve anno post hanc prophetiam accidit. a *Hebr. onus: ut suprà* 13.1. 2 & Jisraëlis sylleptice: sed nominatim Damasci prophetia appellatur tum propter eam causam quam suprà attigimus; tum quia Damasci ruina posterior fuit, ac proinde priorem cõplectitur. b *Heb. a civitate.* 3 id est, ruderum. 4 id est, totus tractus trans Jardenem (qui suis incolis Reübenitis, Gaditis, & Menaschitis per Tiglath Pileserum exhaustus est, 2. Reg. 16.29. & 1. Chron. 5.26.) propter defectiones quidem Damasci & Jisraëlis conturbatur, commeantibus & remeantibus Assyriorum copiis, adeò ut miseris incolis non sit integrum in agro suo pascere: sed adveniens Schalman-Asar sibi consulet dispendio vestro, ne amplius copiæ transmittendæ sint; nam munitiones evertet & rebelles deportabit. Sic fiet ut regio trans Jardenem (quæ intermedia est) liberata milite liberè depascatur, ut est alioqui pascuosissima, Num. 32. 5 ut nunc exterretur frequente milite. 6 id est, ut regnum & munitiones Jisraëlitis, denique omnia de quibus gloriantur eripientur ipsis, idem quoque Damasco accidet. c *Heb. filiorũ Jisraëlis.* 7 ἐξήγησις propositionis (ut suprà diximus) per similitudines evidentissimas. 8 i. accuratissimè Jisraëlitas & Syros metet ac colliget Assyrius, quos deportet in regionẽ suam. d *Heb. vir messis.* 9 prope Jeruschalaima, Jehos. 15.8. nam similitudine populari Phopheta utitur.

6 Tantùm relinquetur in eo [10] racematio,
ut quum [e] stringitur olea, duæ trésve baccæ in
vertice summi rami: quatuor *aut* quinque in ra-
mis ipsius fructiferæ, dictũ Jehovæ Dei Jisraëlis.
7 [11] Tempore illo respiciet hominem ad o-
pificem suum; & oculos ejus ad sanctum Jisraë-
lis spectare.
8 Non autem respiciet ad ista altaria, *ad* opus
manuum ipsius; & quod fecerunt digiti ipsius,
non spectare, aut lucos, aut subdiales statuas.
9 [12] *Sed* tempore illo erunt civitates [f] ro-
bustæ ejus similes [13] derelicto virgulto summó-
que ramo, quas dereliquerint *Assyrii* [14] propter
filios Jisraëlis: denique erit desolatio:
10 [15] Quia oblita es Dei [16] salutis tuæ, & ru-
pis munitionis tuæ non es recordata: idcircò [17]
ut ut plantaveris plantas [g] amœnissimas, etiam
palmite [h] [18] extraneo conseveris ipsum;
11 Quo die plantasti curaveris ut adolescat,
etiam manè ipso feceris ut semen tuum efflo-
rescat: [19] acervus messis *erit* [20] die [i] ægritudinis
& doloris mortiferi.

10 id est, perexiguus incolarum numerus; quem tamen ipsum deportavit postea Esar-chaddon, ut jam antè observavimus in caput 9. e *Hebr. strictura oleæ.* 11 confirmatio denunciati istius judicii ab obdurationе populorũ quibus interminatur Deus. 12 nimirum quũ adventante hoste non respicient ad Deum, sed potiùs ad idola sua, quæ tum Syris & Jisraëlitis communia erant. f *Heb. roboris ejus ut derelictio virgulti.* 13 i. reliquię Syrorum & Jisraëlitarũ erunt abjectissimę, ut quum putato ligno tenuia virgulta cremiáq; brevissima omittuntur a lignatoribus. 14 his verbis utitur Propheta, respiciens ad consilium Dei; qui totum Jisraëlem noluerat Assyrio tradere, sed partem conservaverat, ut tempus ipsis ad resipiscendum concederet. 15 conclusio per apostrophen ad Jisraëlitas, quibus suum peccatum exprobratur, & pœna indicitur. 16 id est, qui te semper atque adeò a recente illo periculo cujus modò memini, servavit integram atque confirmavit. 17 id est, regionem tuam colueris & studiosissimè confirmaveris, ut certum ex ea fructum percipias. g *Hebr. amœnorum* fructuum. h *Hebr. extranei* 18 id est, exquisitissimo; ut exotica ferè non nisi pretiosa afferuntur. 19 id est, quicquid quocunque studio, & quantacunque copia præparaveris, adventũ Assyriorum momento uno consumetur; tamquam si numerosa castra nanciscerentur parvulum acervum tritici, unde tolerarent vitam. 20 i. obsidionis, vastationis, & ruinę tuæ per Assyrium. i *Heb. ægra plaga.*

CAPUT XVIII.

Propheta gentium quæ Sancheribo operam daturæ erant in opprimenda Jehudaa excidium prædicit, similitérque AEthiopum: & studium Dei erga Judæos explicans, maximam hostium cladem figurat, gratiarum a populo agendarum argumentum.

1 [1] VÆ [2] multitudini populorum amplorum,
qui sicut perstrepere solent maria, per-
strepunt, & tumultuantibus nationibus, *quæ*
tumultuatione qualis est aquarum validarum
tumultuantur.
2 *Multitudini* nationum secundùm tumul-
tuationem aquarum multarum tumultuanti-
um; quum [3] increpabit ipsam ut fugiat [a] quàm
longissimè: nam agitabitur [4] ut gluma montium
coram vento, & ut rota coram turbine.
3 Tempore vespertino, [5] ecce terror; quum
nondum *illuxerit* manè, [6] nemo aderit: [7] Hæc
est pars proculcantium nos, & sors diripientium
nos.

CAPUT XVIII.

4 [8] Væ terræ [b] [9] umbrosæ oris; [c] quæ *est*

1 Etsi huic capiti nulla apposita est inscriptio, tamen non dubitamus quin de Assyriis & AEthiopibus sit accipiendum; cùm ita planè postulet gentium, factorum, judiciorúmque descriptio, qua propheta utitur. Sunt itaque hujus capitis partes præcipuę tres: prima est prophetia contra populos Sancheribo militantes, tribus ℣. secunda prophetia contra Aethiopas; quam certo consilio Deus per anticipationem inseri hoc loco voluit, ne forte Judæi cogitarent fore ut per illum ab Assyrio liberarentur, duobus ℣. tertia est narratio, qua Deus sibi uni vendicat liberationem populi sui, ultionémq; de hostibus, & sibi accepta hæc ferri postulat, inde ad finem usque. 2 i. multis illis populis qui in Assyriorum castra convenerant, ut Sancheribo militarent, cum bellico apparatu maximo: quod Propheta figurat eadem similitudine quam adhibuerat suprà 8.7. 3 i. cohibebit subitò, ut verbo cohibet mare: quod increpatione scriptura designare solet: ut Psal. 106.9. a *Hebr. ultra longinquum, & persequutionem patietur.* 4 vide Psal. 83.14 5 missio videlicet angelo Jehovę, 2. Reg. 19.35. & 2. Chro. 32.21. & inf. 37. 6 cæsis centum octoginta quinque millibus, & aliis fuga dilapsis, ibidem. 7 epiphonema ad populum Dei. 8 altera pars, prophetia in AEthiopas, ut diximus in vers. 1. b *Hebr. umbræ alarum.* 9 id est, cujus oræ montibus maximis & opacissimis circumclusæ sunt, quales undique ad mare rubrum esse testatur Strabo libro Geographicorum ultimo. c *Hebr. a transitu.*

[10] secundùm flumina Æthiopiæ:
5 [11] Mittenti [12] per mare legatos, & [13] in-
strumentis scirpeis per superficiem aquarum, *di-
cendo*; [14] ite nuncii [15] leves ad gentem [16] distrac-
tam & [17] depilatam, ad populum [18] formidabi-
lem ex eo loco atque ulteriùs: gentem [19] omni-
bus [d] delineantem & conculcantem, [20] cujus
terram diripiunt flumina.
6 [21] Omnes incolæ orbis habitabilis, &
habitatores terræ: [22] quum attollam vexillum
montium, videbitis; & quum clangam tuba, au-
dietis.
7 Nam ita ait Jehova alloquutus me, [23]
quiesco, sed [24] intueor in locum meum: [25] ut
æstum serenum super olus, ut densum rorem in
æstu messis, *hunc esse*.
8 [26] Nam ante messem quum perfecta gem-
ma & omphacio educato exstitit flos, ut exscin-
dit flagella suis falcibus, & [27] sarmenta amovet
amputatque *vinitor*:
9 [28] *Ita* derelinquentur [29] pariter volucri-
bus montium & bestiis terræ; [30] ut æstatem tran-
sigant cum hoc volucres, & omnes bestiæ terræ
cum hoc hyement.
10 Tempore illo [31] adducetur munus Jeho-
væ exercituum *de* populo distracto & depilato, de
populo inquam formidabili ex eo *loco* atque ulte-
riùs; gente omnibus delineante & conculcante,
cujus diripiunt flumina terram, ad locum nomi-
nis Jehovæ exercituum, *ad* montem Tzijonis.

[10] id est, Aethiopiæ sub Aegypto, quæ duobus fluminibus maximis alluitur, & profundit Nilum: vide Strabonem lib.17. & Plinium natur. histo. lib.5. cap.9. Aethiopiam autem sub Aegypto in scripturis quoties nominamus, Meroën quoque intelligimus ubi regnabat Candace, prout ab Elephantina & Syene incipere docet Herodotus in Euterpe: quamvis alioqui Geographi inter Aegyptum & Aethiopiam seorsim Meroën collocent. [11] nimirum regi Tirhakæ, qui absente Sancheribo indixit bellum Assyriæ per legatos, & acie instructa tentavit invadere, 2. Reg.19.9. [12] rubrum videlicet, sinúmque Avalitem & Persicum. [13] id est, naviculis e scirpo, junco, aut papyro contextis; qualibus Aegyptii, Aethiopésque propter Catadupos, Cataractas, & periculosa vada utebantur, tum quòd leviores essent, tum quòd adversis fluctibus scopulísque (quibus Nilus abundat) cederent, ac non dissilirent aut frangerentur sicut lignum: vide Plinium lib.6. cap.22. [14] verba regis Tirhakæ legationem mittentis in Assyriam ut eam bello lacesseret, quibus exponit singulas causas consilii & instituti sui. [15] id est, legationem vestram obite quàm velocissimè, ut repentè involem imparata regione, & absente rege. [16] id est, dispersam huc illuc, & multis locis occupatam. [17] id est, exhaustam suo milite. [18] id est, quæ omnibus nationibus terrori est cis, & trans regionem suam. [19] id est, quæ omnibus aliis jus dare arrogat, imperare illis arbitratu suo & pedibus illas iniquissimè terere. [d] *Hebr. lineæ & conculcationis: sic vers.*10. [20] id est, cujus ditio tota fermè horret præ difficultate fluminum exundationibus omnia abripientium. Videndus hac de re Ammianus lib.23. [21] tertia pars, prophetica narratio, qua Deus primùm revocat omnes ab inanibus istis judiciis, ut solùm opus ipsius exspectent, hoc versu: deinde sibi asserit defensionem securitatémque populi sui, & adversariorum excidium, tribus sequent. ac postremò gratias sibi agendas prænunciat, vers. ultimo. [22] id est, quum bellum Assyriis suo tempore inferam: humanitus dictum synecdochicè: nam signum pro re signata de more ponitur, vide suprà 13.2. [23] id est, in præsentia supersedeo ab efficiendo judicio, tamquam otiosus spectator. [24] id est, populo meo & sedi meæ prospicio tamen. [25] id est, animadverto Assyrium hunc planè adversum esse populo & sedi meæ; atque ita damnosum ut torrens æstus oleribus, aut densæ nubes irrorantes messem, quum æstus tempestivus esset. sic Proverb.25.13.& 26.1. [26] expositio promissionis qua modò usus est Deus, se intueri in sedem suam, per similitudinem vinitoris luxuriantia vitis flagella cædentis, ut commodius maturetur vitis, & pascatur alimento suo. sunt autem hujus similitudinis membra ἀνανταπόδοτα, quorum prius supplet ea quæ desiderantur in posteriore, ut contrà posterius ea quæ priori desunt. [27] quæ relinquit humi; non autem curat ut vitem, ex sequenti versu. [28] nimirum excisi Assyrii & amoti per angelū Dei, 2.Reg.19.35. [29] æquè ac Aethiops, de quo versu 4.& 5. [30] id est, ut annum integrum pascantur illis præ occisorum copia. [31] id est, munera de spoliis Assyriorum, qui tam magnifici fuerant, magnifica offerentur Deo: ut factum olim fuisse post insignes victorias legimus Numer.31.& 2.Schem.8.11.

CAPUT XIX.

Deus civiles motus & tyrannidem paulò pòst Aegyptios oppressuram denuncias: Regem & consiliarios compellas ac ludificatur: graviora in futurum prædicit, donec AEgyptus edometur; postremò vocationem illorum, aliarúmque gentium proponit ad communionem cum Deo & Ecclesia ipsius in regno Christi.

1 PRophetia [1] [a] onerosa Ægypti. [2] Ecce Je-
hova [3] insidens densę nubi levi, invasurus
est Ægyptum, [4] adeò ut commoveantur idôla
Ægypti a conspectu ejus, & cor Ægyptiorum
colliquescat in medio ipsorum.
2 [5] Nam commiscebo, *inquit*, [b] Ægyptios
inter se, ut pugnent quisque contra fratrem su-
um, & quisq; contra amicum suum, civitas con-
tra civitatem, regnum contra regnum.
3 Et [6] exhausto spiritu Ægypti in medio ip-
sius, ubi [7] consilium ejus absorpsero; consulent [8]
sua idôla, & præstigiatores, pythonésque, & a-
riolos:
4 [9] Et concludam Ægyptios in manum [10]
dominorum [c] durè dominantium; donec [11] Rex
rigidus dominetur in eos, dictum Domini Je-
hovæ exercituum.
5 [12] Nam deperdent aquas [d] ne influant in
mare, adeò ut [13] fluvius siccetur & arescat:
6 [14] Et retrò abjicientes flumina, exhauri-
ent & siccabunt rivos [e] ductos aggeribus: [15] arun-
do & alga languebunt:
7 [16] Papyri juxta rivos, in [f] ora rivorum; &
omnis sementis rivorum [17] arescet, depelletur,
nec *erit* amplius:
8 [18] Et mœrebunt [19] piscatores, lugebúntque omnes qui projiciunt in rivos hamum; & qui

[1] Hujus capitis, quo Propheta populū Dei consolatur a judiciis ipsius cōtra Aegyptios & vocatione gentium ad regnū Christi, duæ sunt partes: summa prior est judiciorum, usq; ad vers. 18. posterior promissionum, ad finem usque. Judiciorum autem descriptio tribus membris cōstat: primum est de civilibus motibus quibus paulò post quassanda erat Aegyptus, usq; ad versum 11. secundū reprehensionem sarcasticam cōtinet totius administrationis, duobus vers. tertium denunciationem graviorum adhuc judiciorum Dei in posterum, donec se ad Deum cōverterint, inde ad V.18. [a] *Heb. oneris: ut sup.* 13.1. [2] particula demonstrādi emphasim habet, qua propheta res paulò post futuras, velut præsentes, digito cōmonstrat: regnabat enim hoc tempore in Aegypto Sethon sacerdos Vulcani vir stolidus, ut refert Herodotus in Euterpe: quo mortuo sequentia omnia, prout a Propheta fuerant denunciata, evenerunt. Continet autem hic versus prolepsin, id est, propositionem summam totius hujus prophetiæ. [3] synecdoche anthropopathica, quasi Deus quàm velocissimè in nubibus accurreret, ut Psal.18.10.& seq. Hoc autem nominatim Aegypto denunciat Propheta, quia illi nubes hujusmodi habebant pro inauspicatissimis; cùm Aegyptus nubibus minimè infesta sit. [4] finis judiciorum Dei, pertinens ad secundam partem capitis: nimirum ut idôla omnia & homines Deo cedant, illa planè labefactata, hi verò dejecti animis, ut ad Deum vivum convertantur. [5] i. civiles motus & gravissimos excitabo: quod factum est, quum Sethone mortuo duodecim reguli tyrannidem in Aegypto occuparunt, magnifica opera confecerunt miserum populum opprimendo, Psammetichum unum de suo numero expulerunt, & ab eo posteà vicissim expulsi sunt, donec solus regnum obtineret, quo tyrannicè abusus est, ut multis narrant Herodotus & Diodorus Siculus. [b] *Heb. Aegyptios cum Aegytiis.* [6] i. Aegypto veluti exanimata tantis civilibus bellis: hyperbole ex comparatione humani corporis. [7] i. ita exagitavero, ut nesciant quò se vertant, aut quid consilii capiant. [8] i. dæmonia quæ ipsis responsum dabant, maximè verò idōlū Latonę, in oppido quod vocatur Butum contra ostium Nili Sebennyticum, de quo Herodotus ibidem: ubi etiam exponit varias istorum regulorum consultationes. [9] i. constrictos tenebo Aegyptios & obsessos bellis civilibus, regulorúmque suorum tyrannide, ut illi suos pisces in vivariis tenent: elegantissima descriptio tyrannidis. [10] nimirum duodecim tyrannorum, qui Sethoni successerunt. [c] *Heb. duri* cujusque. [11] Psammetichus, qui tandem solus obtinuit tyrannidem. [12] i. omnia opera naturæ miseri sui populi operâ oppugnabunt, & aquas Nili avertent vel ad siccitatem usque, ut stagnum Mœrios cum suis Pyramidibus & Labyrintho perficiant, adducti sola libidine animi sui: vide Herodotum ibidem. [d] *Heb. a mari.* [13] Nilus, divortio facto in stagnum Mœrios. [14] i. non curantes publicam utilitatem, quam Aegyptus tota percipit ex derivato Nilo; sed veluti a tergo ponentes, ut indulgeant suis voluptatibus. [e] *Heb. obsessionis, id est, quos obsidens aggeres: chomata Ulpianus vocat.* [15] palustres herbæ & frutices in ripa Nili nascentes: synecdoche. His autem verbis & tribus versibus sequentibus exponuntur damna perventura ad Aegyptios ex derivatione Nili in stagnum Mœrios, & alia voluptaria. [16] hanc vocē pleriq; pro virentibus rebus accipiunt ex inepta accōmodatione loci alterius: sed nos tum notatione & forma vocis, tum antitheto in altera parte hujus vers. posito adducimur, ut interpretemur βύβλον sive papyrum. Nam vocis etymon & forma accedit ad alterū nomen, quo significatur cutis; quia papyrus Nili in multas cutes sive coria & plagas (ut artifices vocant) dissecabatur arte: vox verò antitheta ostēdit hoc loco agi de rebus insativis quas producit Nilus, cujusmodi esse papyrum (ut carentē semine) testatur Plin. lib.13. nat. hist. cap.11. Accedit huc, quòd papyrus una fuit ex præcipuis opibus Aegypti; quarum detrimenta commemorantem Prophetam non est credibile papyri oblitum fuisse, qui algam & juncum nominaverit. [f] *Hebr. ore.* [17] gradatio elegantissima, qua ex ordine ostenditur ut perrecturum sit judicium Dei in Aegyptiorum damna. [18] exhaustis videlicet rivis, vivariis, & piscinis suis. [19] summi opifices Aegypti, & apprimè necessariam artem exercentes; quia Aegyptus plurimùm piscibus vescebatur superstitiosè à multis carnibus abstinens, & quia noxia animalia quibus abundat Nilus venabantur: ut docent historici.

expandunt

expandunt [29] rete jaculum in superficie aqua-
rum, languebunt:

9 Et [21] erubescent opifices [g] lineorum, ge-
nerosorúm*que*; & textores [22] alborum *operum*.

10 [23] denique erunt [24] propositis ipsius con-
triti; [25] omnes facientes excipulum, stagnáque
[h] voluptaria.

11 [26] Enimverò stulti *sunt* Principes [27] Tzo-
hanis; sapientum *&* consiliariorum Parhonis,
consilium obbrutescet: [28] quomodo dictatis
[29] Parhoni, [30] filius sapientum sum, filius [31] re-
gum [i] antiquissimorum.

12 Ubi *sunt* [32] illi? ubi nam sapientes tui [33] qui
indicent jam tibi? [34] cognoscant igitur quid
consilii ceperit Jehova exercituum contra Æ-
gyptum.

13 [35] Stultè agent [36] Principes Tzohanis,
decipientur Principes [37] Nophi: seducent Æ-
gyptum [38] *usque ad* [k] extremitatem tribuum il-
lius.

14 [39] Jehova miscente in medio ejus spiri-
tum [l] perturbatissimum; facient ut erret Ægyp-
tus in omni opere suo, sicut oberrat ebrius in vo-
mitu suo:

15 [40] Neque exsistet in Ægypto opus; *nihil*
quod faciat [41] caput aut cauda, ramus aut jun-
cus.

16 Tempore illo erit Ægyptus similis muli-
eribus: trepidabit enim & pavebit propter agi-
tationem manus Jehovæ exercituum, quam agi-
tabit contra ipsam.

17 [42] Eritque terra Jehudæ Ægypto titubati-
oni; quicunque mentionem fecerit ejus apud se,
pavebit: propter consilium Jehovæ exercituum,
quod capturus est contra eam.

18 [43] Tempore illo erunt [44] quinque civita-
tes in terra Ægypti loquentes [m] sermone Cena-
hanæo, & juratæ Jehovæ exercituum: civitas
destructionis dicetur unaquæque.

19 Tempore illo [45] erit Jehovæ altare in me-
dia terra Ægypti; & [46] statua juxta terminum e-
jus Jehovæ:

20 [47] Eritq; in signum & testimonium de Je-
hova exercituum in terra Ægypti; quum incla-
mant Jehovam propter oppressores, immittere
eis servatorem & magnatem qui eripiat eos.

21 Ita innotescet Jehova Ægyptiis, agnos-
céntque Ægyptii Jehovam tempore illo: & co-
lent sacrificio & munere, & voventes votum Je-
hovæ pendent.

22 [48] Si plaga afficiet Jehova Ægyptum,
[n] [49] plagis afficit & sanat: quum conversi fuerint
usq; ad Jehovam, exorabitur eis, & sanabit eos.

23 Tempore illo erit [50] agger [51] ex Ægypto in
Assyriam, qua commeent Assyrii in Ægyptum,
& Ægyptii in Assyriam: ut colant Ægyptii cum
Assyriis.

24 Tempore illo erit [o] Jisraëlitarum gens ter-
tia Ægyptiæ & Assyriæ: [52] *denique* benedictio in
medio *populo* terræ:

25 Cui benedicturus est Jehova exercituum,
dicendo; [53] benedictus populus meus Ægyptius,
& opus manuum mearum Assyrius, & possessio
mea Jisraëliticus.

[20] sic vertimus ex Plauto illud retis genus quod Herodotus lib.2. vocat ἀμφίβληστρον. Est enim rete jaculum accipiendum non pro illis permagnis plagis quibus utuntur piscatores multi, neque pro funda aut everriculo; sed pro minoribus illis plagis, quas piscator in superficiem aquarum projiciens revolvit & retrahit ad se peridromo aut reste, piscibus involutis: hoc enim genus esse ex eo demonstrat Herodotus, quòd eos qui in paludibus habitant singulos narrat sua habere retia, quæ per diem adhibeant piscibus capiundis, per noctem verò circumdandis cubilibus adversus culices conopæorum loco, atque ex hoc usu probabile est hæc retia apud Hebræos nomen sortita esse, ab atrore culicum per noctem retibus istis insidentium. [21] id est, præ inopia materiæ, quam inopiam isti effecerint derivato Nilo, sua exspectatione delusi omnes artifices cessabunt ab istis suis opificiis, quorum mercibus olim AEgyptus commendabatur, teste Plinio lib.18. cap.1. [g] *Heb. linorum.* [22] ex lino, bysso, xylino, aliisque rebus pretiosis quas profert AEgyptus, ut Estheræ 1.6. [23] conclusio, incommoda summatim exponens tempore pacis ad AEgyptios perventura, de quibus inde a V.5. actum est. Miser (inquit) populus (ut paucis absolvam) non ab exteris, sed a suis hominibus indignè occupabitur in officiis vanissimis & laboriosissimis, prout Jisraëlitas antè occupaverant. [24] i. consiliis, quæ AEgyptus ipsa, sive ipsi Principes AEgypti sibi proposuerint: quasi dicat, suis cædentur virgis. [25] id est, AEgyptii, quibus reges tamquam mancipiis & abjectis operis ducissimè abutentur: nam [f] fecerunt illi canalem, & instrumenta omnia eò pertinentia, ut excepta Nili aqua in stagnum Mœrios duceretur, & deduceretur de eo arbitratu Regum. Erat enim stagnum ter mille sexcentorum stadiorum in ambitum, quinquaginta passuum justorum altitudine. [h] *Heb. desedersi.* [26] secundus locus, *συμπλοκή*, ut diximus in vers. 1. [27] vide Numer. 13. 22. [28] apostrophe ad consiliarios & adulatores aulicos, quos reprehendit tum mendacis adulationis nomine, hoc versu; tum ignorationis, versu sequente. [29] Sethoni (ut diximus in versum 1.) Regi contemto & stollido. [30] id est, quidam velut alumnus sapientiæ, quæ permansit apud majores meos. [31] nam sacerdotes AEgyptii jactabant a primo rege ad Sethonem progenies hominum fuisse trecentas quadraginta unam, id est, durasse regnum decies mille trecentos quadraginta annos. [i] *Heb. antiquitatis.* [32] nimirum Reges majores tui; apostrophe ad Regem. [33] id est, consilia bona proponant sibi & prospiciant regno, ut fidos consiliarios & viros bonos decet. [34] transitio ad sequentem locum, quasi dicat, veniant saltem, & attendant ad ea quæ ampliùs sum denunciaturus. [35] tertius locus, ut diximus in versum 1. quo exponit Propheta primùm conturbationem summatum populi, & totius regni a præsentibus malis, tribus versibus. deinde consternationem & metum ab aliis opinione præceptis, versu 16. & 17. [36] quorum divulsis consiliis distractum fuit regnum; ut suprà diximus. [37] id est, Mempheos, quod oppidum fuit summum AEthiopiam versus, impositum Nilo, conditum a rege Mene, clarum amplitudine sua, pyramidibus, & monumentis Regum: quod idem appellatur Moph, Hosch. 9.6. a monte propinquo Mophi, cujus meminit Herodot lib. 2. Principes autem hoc pacto distribuit, eò quòd hi duo summi conventus in AEgypto essent; unus, mare mediterraneum; alter, AEthiopiam versus. [38] id est, universam conturbabunt, nullus erit nomos liber ab istorũ insania. [k] *Heb. angulum: ut Judic.* 20.2. [39] id est, fundente in illos efficacitatem erroris; quem velut medicatum poculum exhauriant, ut summatum animi, judicia, consiliáque pervertantur, efficient Reges & Principes illi hoc malum gravissimum, & insania sua miserum populum in tantas angustias conjicient, ut neque bono animo in opus incumbere possit, neque consilium capere. Nam inde a Psammeticho regnum AEgypti continenter infestum fuit maximis calamitatibus: elegans allegoria. [l] *Heb. perversitatum.* [40] id est, nihil ad exitum perducetur, sive instituerint summi, sive infimi; adeò erunt perturbata omnia. Hoc autem effectum esse vel ex eo liquet, quòd Psammetichum in obsidenda Azoto fuisse occupatum per annos viginti octo narrat Herodotus in Euterpe. [41] vide suprà 9.14.

[42] id est, non tantùm a Deo, verùm etiam a populo ejus sibi metuent, & sola recordatione afficientur graviter: sic alludit Propheta ad sermonẽ AEgyptiorũ, Exod. 14.25 [43] secunda pars capitis, de vocatione gentium: in qua duæ partes explicantur; prior de communicatione cum Deo, usque ad versum 23. posterior, de communicatione cum Ecclesia qua delectatur Deus, tribus ultimis. Tempus autem illud intelligit, quo gentes serio metu Dei perculsæ committent se illi, illum alloquentur ut populus ipsius, & fidem dabunt illi: quod synecdochicè AEgypti nomine designatur, quemadmodum AEgypti & Assyriæ, infrà vers. 23. [44] id est, certæ, quæ certò definitæ sunt in consilio Dei ad vitam æternam: numerus finitus pro infinito. [m] *Heb. labio: ut Gen.* 11.1. [45] i. servata, educta ex destructione, ereptáq; divinitus: quasi dicat, reliquias civitatum; ut reliquias populi nominavit suprà 1.9. & 10.21. simile genus constructionis vide infrà 25.6. [46] i. coletur Deus: synecdoche. [47] id est, monimentum & professio publica quam Aegyptii statuent ad testandam fidem, & communionem suam cum Deo & Ecclesia ejus, & ad agnoscendam grato animo misericordiam Dei, servantis reliquias ex beneplacito voluntatis suæ. quibus nominibus Jisraëlitæ olim posuerant monimenta Jehosch. 4. & 22. sic accipiendum esse versus sequentes docent. [48] id est, his modis ostendent se natura, officióque & operibus Dei ita confirmatos esse de salute sua, ut in maximis angustiis glorientur de fide in Deum, & spe certa liberationem ab eo exspectent. [n] *Heb. plaga afficiendo & sanando.* [49] id est, communicabit cum eis promissiones factas Davidi, 2. Schem. 7.14. [50] id est, hoc ipsius est officium atque auctoritas: ut 1. Schem. 2.6. ac proinde præstabit suis, ut sequentia docent. [51] id est, communio spiritualis & Ecclesiastica: quæ allegoricè humanis communicationibus figuratur. [o] *Hebr. Jisraël.* [52] id est, communio hæc erit posterorum Chami cum Jephethi posteris, & utrorumque cum Jisraëlitis ex genere Schemi; ut prædixerat Noach, Gen. 9.27. [53] id est, omnes populi totius terræ benedictione perfundentur in Christo.

CAPUT XX.

Propheta signo denunciat cladem AEgyptiorum atque AEthiopum; qua Pelischthæi abjiciant spem liberationis ab illis exspectatæ.

1 ANno [1] quo venit [2] Tharthan [3] Aschdo-
dum, mittente eum Sargone Rege Assy-
riæ; quo oppugnavit Aschdodũ, & cepit ipsum:

[1] Hujus capitis (quod brevitate sua obscurum, variis interpretationibus ampliùs obscuratum est,) tres sunt præcipuæ partes: notatio temporis, vers. 1. signum a Propheta ex Dei mandato exhibitum, vers. 2. & prophetica signi explicatio, cæteris versibus. summa est, fore ut AEgyptiorum AEthiopúmque copiæ intra triennium fusæ veniant in potestatem Assyriorum; ac proinde frustrà Pelischthæos auxilium & liberationem ab illis exspectaturos. Est igitur hic annus, sententia nostra, duodecimus regni Chizkijæ; quo Sancherib rex Assyriæ, qui hic nominatur Sargon, pergebat occupare civitates munitas Jehudæ; ex quibus tum erat Aschdod; tam propter jus quod Jehudæ attribuitur, Jehoschu. 15. 47. quam propterea quòd Chizkija priùs illud cum Palæstina reliqua occupaverat, 2. Reg. 18.8. & suprà 15. [2] unus e principibus Sancheribi, de quo 2. Reg. 18.17. [3] Azotum vulgò, clarum idolo Dagonis, 1. Schem. 5.2. Satrapia Pelischthæorum, Jehosch. 13. 3. & urbis amplitudine præstantiáque, quam celebrat Herodotus lib. 2.

a *Heb. per manū Jeſchaħjæ filii.* 4 id eſt, villoſum veſtimentum tuum, quo ferè utebantur Prophetæ, ut apparet ex Zecarja 13.4. 5 id eſt, nudatus veſte ſua prophetica, ſynecdochicè; ut 1. Schem. 19. 24. nam hæc ita geſta eſſe adeò apertè ipſa verba docent & ſignum flagitat, ut planè ſit alienum viſionem tantùm hoc quidem loco ſtatuere. Quamobrem hoc ita factum fuiſſe intelligimus; Prophetam exuta toga

2 Tempore illo loquutus eſt Jehova [a] per
Jeſchaħjam filium Amotzi, edicendo; abi, &
ſolve iſtud [4] cilicium a lumbis tuis, & calceamen-
tum tuum extrahe de pede tuo: qui fecit ita, in-
cedens [5] nudus & diſcalceatus.
3 Tum [6] dixit Jehova, quemadmodum in-
cedit ſervus meus Jeſchaħja nudus & diſcalcea-
tus; [7] [b] tertii anni ſignum & oſtentum contra
Ægyptios & contra Æthiopas:
4 Ita abducet rex Aſſyriæ captivam multi-
tudinem Ægyptiorum, & deportandam turbam
Æthiopum [8] puerorum & ſenum, nudam & diſ-
calceatam; etiam denudatos nate, *in* probrum
[9] Ægyptiorum.
5 Ita [10] perterrefacti erubeſcent; ab Æthio-
pibus exſpectatione ſua, & ab Ægyptiis gloria-
tione ſua.
6 Et dicet incola [11] regionis iſtius tempore
illo; Ecce, ita *habet* exſpectatio noſtra, quò con-
fugiebamus ad auxilium, ut eriperemur a con-
ſpectu regis Aſſyriæ: & quomodo evaderemus
[12] nos?

inducatum fuiſſe; deniq; ad eum modum compoſitum quo ſolent eſſe qui in captivitatem rapiuntur; ut rei cum ſigno conveniat. 6 nunc demum apponitur prophetica ſigni explicatio: qua cōtinentur hiſtoria illius victoriæ quam conſequutus eſt Sancherib contra AEgyptios & AEthiopas, & hiſtoria deſperationis Peliſchthæorum, poſtquàm viderunt captivos abduci eos a quibus liberationem exſpectaverant, binis verſibus. 7 id eſt, ſignum eſt tertio anno poſt hanc prophetiam fore ut fundantur, cædantur & captivæ fiant AEgyptiorum & AEthiopum copiæ, quas ducturus eſt Tirhaka: ut per occaſionem attigerat ſuprà 18.4. Nam etſi AEgyptiorum in caſtris nulla fit mentio; tamen cum illorum res magis quàm AEthiopum ageretur, inter ſe federati eſſent, & Sethon rex AEgyptiorum eſſet ignaviſſimus (quæ Herodotus in Euterpe docet) nihil mirum eſt ſi copiæ omnes AEthiopi creditę ſunt. b *Heb. trium vel tertii annorum: nam receptum eſt cardinalia pro ordinalibus ab Hebræis accipi.* 8 nimirum eorum qui duce Tirhaka in aciem proceſſerant extra fines ſuos: pueros enim pro adminiſtris & gregario milite, ſenes verò pro hominibus conſilio & auctoritate valentibus hoc loco accipimus. 9 AEthiopúmque ſynecdochicè. 10 Aſchdodæi & Peliſchthæi reliqui, ut ſeq. verſu. 11 Peliſchthææ: nam quod aliis ad Judæam referri placet, nobis minimè probatur: tum quia ab iſta exſpectatione Chizkija erat alieniſſimus, tum quia vocem Hebraicam qua propheta utitur Judææ accommodari nuſquam meminimus. 12 nimirum ſoli ſine aliorum auxilio: fuerant enim Peliſchthæi omnino debilitati a Chizkija, ſuprà 15. & ampliùs exhauſti hac ſua recente clade, invadentibus Aſſyriis & occupantibus.

CAPUT XXI.

Propheta graviſſimum populi dolorem in deportatione Babylonica exprimens, conſolatur eum ab excidio regni Babylonici per Medos & Perſas: deinde Edomæis ruinam, niſi reſipiſcant; ac poſtremò incolis Arabiæ Petrææ miſerrimam fugam & cladem prænunciat.

1 Etſi hoc caput ſecundùm varias prophetias

1 ONeroſa [1] [a] prophetia [2] deſerti maris: [3] ſi-
cut [b] turbo vehementiſſimus [4] in Auſtrū
permeando, [5] a deſerto eventura, [6] e regione
formidabili:
2 [7] Viſio dura nunciatur mihi: [8] Perfidus
iſte perfidè agit, & vaſtator iſte vaſtat; [9] Aſcen-
de Helam, obſide [10] Madai; totus gemitus [11] hu-
jus faciam ut ceſſet, *dicentis:*
3 [12] Idcirco implentur lumbi mei ægritudi-
ne; tormina corripiunt me quaſi tormina par-
turientis: contorqueor ex auditu, conturbor ex
viſu.
4 Errat animus meus, horror perterrefacit
me; [13] crepuſculum [c] deſideratiſſimum mihi diſ-
ponit in trepidationem mihi.
5 [14] Inſtrue menſam, [15] ſpeculetur [d] ſpecu-
lator, comede, bibe: [16] ſurgite ô Principes, [17] un-
gite ſcutum.
6 [18] Nam ita edixit Dominus mihi: Abi,
[19] conſtitue ſpeculatorem, quod viderit indicet.
7 Quum itaque [20] vidiſſet [e] [21] currus, [22] du-
plices equites, currus aſinorum, & currus came-
lorum: & attendiſſet [f] attentè, attentiſſimè:
8 [23] Clamavit, *ut* leo; In ſpecula, Domine,
ego conſiſtam jugiter interdiu, & in obſervatio-
ne mea ego perſtabo totis noctibus.
9 [24] Intereà ecce jam ingreſſi erant currus

fuit dividendum: tamen tum propter duarum poſteriorum brevitatem conjunctas retinuimus, tum etiam ne capitum numerus augeretur. Sunt itaque hic prophetiæ tres: prima in Babyloniam, 10. verſibus; ſecunda in Edomæam, ℣. 11. & 12. tertia in Arabiam reliquam, ad finem uſque. Primæ autem prophetiæ partes in univerſum duæ ſunt; una, qua hoſtes regni Babylonici a Deo provocantur in Babyloniam, uſque ad verſum 6. altera, qua eventus & funeſtus Babyloniæ caſus exponitur, uſque ad verſum 10. quæ propheta deinde concludit apoſtrophe ad populum elegantiſſima, verſu 10. a *Heb. onus: ut ſuprà 13. 1. & infrà 11. & 13.* 2 id eſt, Babyloniæ: ſic enim appellatur obſcuriore nomine Babylonia & Chaldæa tota, tum propter ingentes paludes & lacus Chaldaicos, in quibus altera pars Euphratis Babylonem & Otrin permeans conſumitur, ut ſcribit Plinius lib. 5. nat. hiſt. cap. 26. tum etiam propter ſtatum in quo futura erat Babylon quum a Cyro obſeſſa eſt. Nam mare ingens ſive palus trecentorum viginti ſtadiorum in latitudinem operâ Nitocris reginæ ſeptentrionem verſus effecta fuerat, & regio quoque ſuprà Babylonem verſus pagum nomine Ardericam, in quamplurimos anfractus deducto Euphrate deſerta facta, ut ſcribit Herodotus in Clio: quæ regionis forma propheticè his verbis præfigurata eſt. 3 id eſt, impetu & celeritate ſumma, quam ſinuoſus & tortuoſus Euphrates minimè ſit impediturus. b *Hebr. turbines.* 4 id eſt, in Babylonem, quam Cyrus a latere ſeptentrionis adorſus eſt.

5 id eſt, ab ea parte quam Nitocris ſinuato Euphrate & mari effoſſo deſertam effecerat. 6 videlicet Media, abs qua jam antè Nitocris illa ſibi metuens curaverat fieri maxima illa opera, quæ modò diximus. 7 quam onus ſive oneroſam prophetiam nominavit, præcedente verſu. 8 hinc uſque ad ℣. 6. populo ſubminiſtrat Propheta Dei verba, quibus in captivitate Babylonica confirmaretur de ruina Babylonis & liberatione ſua: ac propterea advocat Deus illos quorum operâ erat utrumque effecturus. Cauſæ hîc ponuntur duæ: una, impietas & improbitas Babyloniorum; altera, populi calamitas: quæ duo per viſionem ſequentibus explicantur. Perfidi enim & vaſtatoris appellatione Babylonius intelligitur in perfidia ſua contra Deum & inhumanitate pergens quemadmodum apud Danijelem exemplis Nebucad-Netzaris & Belſchatzaris oſtenditur, a primo capite ad 6. 9 id eſt, Perſa ſynecdochicè; eſt enim Helam incola Elymaidis ad Mediam: vide Geneſ. 10.22. 10 ut Gen. 10. 2. ſic nominatim oſtenduntur populi, quibus adminiſtris poſt annos ampliùs centum ſeptuaginta erat uſurus Deus, Cyro duce, ad evertendum imperium Babylonicum. 11 nimirum Eccleſiæ indignè perferentis perfidiam & inhumanitatem iſtius, quam poſtea compellat verſu 10. quaſi dicat, non poſſum amplius ferre iſtorum improbitatem, & hujus querimonias: tempus eſt hanc liberandi, & iſtum perdendi. 12 propter iſtorum perfidiam, inhumanitatem, & ærumnas meas: verba Eccleſiæ gemitus ſuos exponentis allegoriis graviſſimis. 13 id eſt, ne ipſam quidem noctem, humanæ quieti attributam & mihi optatiſſimam, ſinit quietam eſſe; ſed noctes æque ac dies abutitur me, ut duriſſimus dominus mancipio abjectiſſimo: cujus ſola recordatio ita animum meum afficit, ut totas etiam noctes cohorreſcam. c *Heb. deſiderii mei.* 14 hîc Deus ad denunciationem revertens Babylonios primùm per conceſſionem vocat ad diem feſtum celebrandum, de quo Danijel. 5. deinde altera parte verſus obſeſſores excitat & claſſicum canit, ut Babylonem irrumpant. 15 id eſt, genio tantùm indulgeto; ne laborato de cuſtodia Babylonis; qui volet ſollicitus eſto. Nam iſta indefinita imperandi genera ſunt negligentium, ac ferè inutilia, ut docet Xenophon Κύρ παιδείας α. d *Heb. ſpeculatio.* 16 apoſtrophe ad Cyrum, Medorumq; & Perſarum duces. 17 i. arma veſtra comparate ad irruptionē: ſynecdoche. 18 altera pars hujus prophetiæ, qua Deus ſuperiorem denunciationē viſione confirmat, & Babylonis excidium præfinit; quod ſuprà obſcuriùs fecerat, capite 13. & 14. 19 i. ut ampliùs confirmeris de prænunciato excidio Babylonis ad liberationem populi, ac proinde alios in eadem exſpectatione confirmare poſſis; adhibe teſtem alterum, nimirum Prophetam aliquem ex diſcipulis tuis atque ex populo, qui res viſas ad te referat. Hic autem proptereà ſpeculator dicitur, quòd officium eſſet populi, velut e ſpecula venturum in Babylonem judicium certâ fiducia præcipere: quod ſtudium opponitur Babyloniorum oſcitantiæ, de qua præcedente verſu. 20 in viſione a Deo exhibita. e *Heb. currum, par equitum. ſyllepſis: ut 2. Reg. 6.17. & infrà ℣. 9.* 21 ſigna hæc quæ videnda exhibuit Prophetæ Deus figuræ ſunt exercitus, quo Medi & Perſæ Babylonios expugnarunt. Quum enim Babylonii (ut docent hiſtoriæ prophanæ, & nominatim recenſet Herodotus lib. 1.) equitatu valerent plurimùm, viſum eſt Cyro hac arte Babylonios aggredi, ut equis illorum camelos tantùm & mulos Perſicos objicerent; quorum illi equos aſpectu & odore deterrent, hi viribus ſunt valentiores & velociores: quod ſtratagema Cyrus jam anteà experientia didicerat, in prælio ad Sardeis commiſſo contra Crœſum, ut ibidem refert Herodotus. Hoc autem naturale eſſe odium inter camelos & equos docent Ariſt. de hiſtoria animalium, & Plin. lib. 8. cap. 18. Mulos verò orientales viribus & celeritate præſtare, vel ex Abſchalomi hiſtoria conſtat, & ex Perſarum angariis. Etſi haud ſcimus an commodius mulorum nomen impedimētis tribuatur, quum dimidius ferè exercitus in commeatu apportando occuparetur: quia deſerta erat regio ſuprà Babylonem, totus ager operâ Babyloniorum exhauſtus, & in opidum comportatus. Hæc ex Herodoto, Cteſia, & Diodoro Siculo. 22 id eſt, duos ordines equitum, horum supernè, illorum infernè ingredientium Babylonem. f *Heb. attentione, multitudine attentionis.* 23 id eſt, quàm maxima voce potuit teſtatus eſt hanc attentionem ſuam, & ſtudium ampliùs attendendi in poſterum ad ea quæ dicturus, facturus, aut demonſtraturus eſſet Dominus. 24 id eſt, eodem momento, quum nondum abſolviſſet ſpeculator oſtendere ſtudium ſuum, jam illi ordines Babylonem irruperant ab utraque parte.

virorum, duplices equites: tunc [25] eloquutus est dicens, [26] cecidit, cecidit Babylon, & omnes sculptiles [27] Deos ejus [28] perfringens *dejecit* in terram.

10 [29] O tritura mea, & g edite in area mea: quod audivi ex Jehova exercituum Deo Jisraëlis, annuncio vobis.

11 [30] Prophetia onerosa Dumæ: Ad me [31] clamat [32] e Sehire; [33] vigil quid [34] de nocte, vigil quid loquitur?

12 Dicit vigil; [35] advenerat mane, [36] sed etiam nox *advenit*: [37] si quæsituri estis, quærite, revertimini, venite.

13 [38] Prophetia onerosa [39] in Arabiã: [40] Per sylvas, in Arabia pernoctabitis, ô cœtus commeantes [41] Dedanæorum.

14 [42] Obviam sitienti venientes afferant aquas; incolæ regionis Themæ, cibo suo præveniant [43] evagantem:

15 Nam propter [44] gladios evagabuntur, propter gladium [45] extensum, & propter arcum adductum, denique propter gravitatem belli.

16 [46] Sic enim ait Dominus alloquutus me; h intra annum, [47] ut *sunt* anni mercenarii, cum deficiet tota gloria [48] Kedaris:

17 Et reliquus numerus jaculatorum, potentes i Kedareni diminuentur: quoniam Jehova Deus Jisraëlis loquutus est.

[25] speculator. [26] repetitio, summæ lætitiæ & celeritatis signum: cujus lætitiæ rationes subjiciuntur, ab honore Dei & liberatione Ecclesiæ. [27] quos laudabat Belschatsar, quum sacris vasis convivans abuteretur in contemptu Dei, Danjel. 5. 4. [28] nimirum Deus per Medos & Persas. [29] apostrophe ad Ecclesiam: cujus Propheta se membrum esse agnoscens, docet Ecclesiam quantum sit beneficium Dei revelantis consilia sua, & quantum ipsius studium in informanda de illis Ecclesia: trituram autem & editũ in area vocat populum Dei, quia in Babylonia quasi in area fuerat trituratus atque ventilatus, ut quum triturando e gluma, & follibus suis utriculisque triticum educitur: quæ similitudo in scripturis est frequentissima: ut infrà 28. 27. g Heb. *fili areæ meæ*. [30] secunda hæc prophetia, quò brevior, eò est obscurior. Nos sententiam nostram (ut simplicissima videtur) asseremus. Dumam plerique accipiunt synecdochicè pro Jischmaëlitis, ab illo Duma cujus fit mentio Genes. 25. 14. Sed hoc improbamus duabus de causis maximè: una est, quòd Sehir mons Edomæorum hic nominatus est; altera, quòd Duma illa æquè ac Kedar sequente Prophetia continetur. Dumam itaque accipimus pro Edomæa per aphæresin, ut quum Ram pro Aram, Pasdammim pro Ephesdammim, & similia dicuntur: ac propterea duos hosce versus accommodamus Edomæis, hoc argumento: priore versu Edomæi ludificantur studium & attentionem pervigilem piorum, & minas Dei contemnunt; posteriore verò Propheta easdem minas repetens docet judicia Dei instare, nisi mox resipuerint; quæ deinde absolutè & sine ulla conditione denunciantur infrà 34. 5. [31] Edomæus ridens. [32] monte Edomææ, Genes. 36. & Deut. 2. [33] id est, Propheta, qui se custodem esse gloriatur, & excubare pro salute populi, judiciáque Dei explorare. [34] id est, de calamitatibus, quas alii toties cantarunt nobis eventuras esse. [35] id est, excusso jugo Jisraëlitarum e collo tuo (ut dicitur Genes. 27. 42.) libertate, copia bonorum, ac prosperitate usus es. [36] id est, altera tibi instat ab Assyrio calamitas, qua velut tenebris noctis obscuraberis. [37] Deum videlicet resipiscentiâ, quasi dicat, si est vobis in animo, mox facite ut ad Deum convertamini, & statim redite ab instituta via vestra: quæ hortatio fraterna ad Edomæos emphasin habet, positis verbis pluribus asyndetis. [38] tertia hæc prophetia similiter ostendit quantam cladem Sancherib Arabibus Judææ conterminis allaturus sit, postquàm Pelischthæos & alios circumjacentes debellasset, justo Dei judicio: ac propterea primùm calamitatem describit, tribus versibus; deinde præfinit tempus, duobus ultimis. [39] Petræam videlicet Judææ AEgyptóque conterminam, quæ proinde sæpius Æthiopibus & AEgyptiis operam suam commodaverat contra populum Dei, ac fortasse etiam Tirhakæ contra Sancheribum. [40] id est, latebitis metu Sancheribi. [41] posterorum Abrahami ex Ketura, Genes. 25. 3. [42] ironia ab historia incolarum Arabiæ desertæ, ubi sita est Thema Jischmaëlitarum, Genes. 25. 15. qua summam penuriam Petræis Arabibus fore ostendit, quum ab iis ipsis mendicaturi sint victum, qui ex suo agro non possunt se ipsos alere. [43] incolam Arabiæ Petrææ. [44] id est, armatas Sancheribi copias. [45] id est, pervadentem totam Arabiam. [46] confirmatio a tempore, ut antè diximus. h Heb. *in adhuc anno*. [47] vide suprà 16. 14. [48] id est, Arabiæ Petrææ, synecdochicè: vide Psalm. 120. 5. i Heb. *filii Kedaris*.

CAPUT XXII.

Propheta Judæam ab Assyrio vastandam alloquens luctum venturum describit: Judæos reprehendit quòd mediis humanis confidant: severissimam ultionem verbis Dei pronunciat Reipublicæ; & nominatim Schebnæ præfecto prætorio, quem deturbandum de auctoritate sua, & alterum substituendum pronunciat.

1 PRophetia [1] a onerosa [2] vallis visionis: [3] Quid tibi jam *est*, [4] quòd ascendis tota in tecta?

2 *Quòd* tumultuationibus plena, civitas strepera es, ô urbs *quæ* exsultabunda? [5] confossi tui non *sunt* confossi gladio, neque mortui bello?

3 [6] *Quòd* omnes ductores tui [7] evagantes pariter, b [8] ita vincti sunt ut non utantur arcu? quicunque præsentes sunt tuorum, vincti pariter, [9] a longinquo fugiunt?

4 Propterea dico, [10] respicite *aliorsum* a me, amaritudine afficiam me in isto fletu; ne urgeatis in consolando me, [11] *nimirum* propter vastationem [12] filiæ populi mei:

5 [13] Quia dies *est* [14] vexationis, conculcationisque, & perplexitatis Domino Jehovi exercituum, in valle visionis; [15] *dies* destructionis muri, & [16] vociferationis ad montana.

6 Et [17] Helamita gestat pharetram, cum curribus hominum & equitibus: & [18] Kir expromit clypeum.

7 [19] Eveniet enim [20] lectissimis convallibus tuis, *ut* impleantur curribus; & equites ipsi c continenter ponant *castra* [21] ad portam:

8 Quia [22] retegente *hoste* [23] operimentum Jehudæ; [24] intueris quidem eo tempore in arma [25] domus saltus,

9 [26] Et rimas civitatis Davidis considerantes multas esse, colligitis aquas [27] piscinæ [28] inferioris,

[1] Hujus capitis prophetia est duplex: una ad rempublicam totã pertinens, usque ad versum 15. altera, ad Schebnam præfectum prætorio, inde ad finem usque. Primis autem prophetiæ partes sunt tres: prima, est propositio dialogistica calamitatum & luctus Judæis omnibus eventuri, usque ad versum 5. secunda, propositio causarum quibus ad calamitatem istam importandam adducitur Deus, usque ad versum 12. tertia est cõclusio, qua sententiam fert Deus de immittendis in Judæam calamitatibus, vers. 14. a Heb. *onus*: ut *suprà* 13. 1. [2] id est, Judææ; quæ a situ quidẽ vallis nominatur, quia mõtosa est; visionis verò, & quia Deus præsentiam suam quodammodo aspectabilem videndámque populo suo exhibebat, & quia sedes fuit prophetarum Dei, ad quam propriè olim prophetiæ tum aliæ omnes, tum hæc ipsa pertinuerunt: sic infrà vers. 5. Cæterùm quod interpretibus visum est priorem hanc prophetiam referre ad ea tempora, quibus Judæam totam occupavit Babylonius post annos amplius centum, nobis minimè placet: quia singula quæ hic dicuntur animadvertimus planè ad tempora Chizkijæ pertinere, & secunda prophetia hujus capitis confirmat. [3] dialogismus quo Propheta Judæam de calamitatum & luctus causa interrogat, tribus versibus: Judæa verò responsionem subjicit, tribus alteris. [4] id est, comparas te ut publicè in oculis omnium tectorum facias luctum ingentem tuum: nam ita publicè in tectis & plateis agitabatur luctus in malo publico, ut Jirmejæ 48. 38. [5] id est, quòd homines tui non exspectato adventu hostis, velut transfossi, exanimantur metu. [6] i. quòd omnes in fugam se dant, abjectis armis. [7] i. vagi huc illuc discurrunt, & alii concurrunt Jeruschalaima, 2. Chron. 32. 3. b Heb. *vincti sunt ab arcu*. [8] id est, oppressi metu ac velut constricti, ita ut arma capiendi non sit illis animus. [9] id est, quum adhuc procul abest hostis. [10] responsio hæc Judææ primùm gravitatem luctus velut immedicabilis explicat; deinde causam, quæ paucis verbis exposita in fine versus, duobus sequentibus explicatur. Respicite aliorsum, inquiunt, id est, finite me, aliis rebus incumbite quàm ut me consolemini. [11] *exegesis* particulæ *propterea*, positæ in principio versus: quæ ut evidentior fieret, vocem *nimirum* interjecimus. [12] id est, uniuscujusque oppidi in Judæa, quod Jeruschalaimis velut matri paret. [13] exornatio sive explicatio præcedentis causæ a duobus locis: nimirum a persona Dei, hoc versu; & a persona inimicorum, v. seq. [14] id est, quo Judæa, vallis visionis dicta, a Domino vexatur, conculcatur, &c. [15] id est, quo oppida Judææ tormentis bellicis destruuntur: hæc ut ita accipiamus adducimur tum evidentia loci, tum Hebraicis distinctionibus. [16] id est, quo singuli cedentes hosti perfugium vociferando in montanis quærunt. [17] id est, Persa synecdochicè, ut suprà 21. 2. [18] id est, Medus, synecdochicè: vide 2. Reg. 16. 9. [19] secunda pars, prophetica causarum propositio quibus Deus severum hoc judicium exsequitur. [20] id est, agro tuo, quem prius depopulatus est, deinde eo ordine peragravit Sancherib, de quo suprà 10. 28. in secunda expeditione, quum veniret ad obsidendum Jeruschalaima. c Heb. *ponendo ponent*. [21] id est, munitas quasque civitates Jehudæ obsideat diligentissimè, 2. Reg. 18. 13. [22] id est, quum fines tui aut civitates præsidiariæ, & loca limitanea ab inimicis invaduntur atque expugnantur. [23] id est, præmunitiones & propugnacula, metaphoricè. [24] id est, animum appellis ad rationes humanas, quibus prospicias defensioni tuæ, quod non est simpliciter ex sua ipsius natura damnandum: vide 2. Chronic. 32. [25] id est, armamentario regio, ubi ex saltibus & sylvis missa omnia, tormenta, & machinæ omnes bellicæ comparantur. Sic malumus hanc appellationem metonymicè accipere, quàm referre ad domum saltus Libani a Schelomone exstructam, 1. Reg. 7. 2. & 10. 17. & 21. quia hæc jam longo intervallo Judæorum esse desierat. [26] vide 2. Chronic. 32. 5. [27] id est, piscinam novam facitis ad confirmandum locum: itáque nominatur facta Nechem. 3. 16. quia ex aquis fontium extra civitatem erat effecta, 2. Chronic. 32. 3. & 4. [28] vide suprà 7. 3.

10 Domóſque Jeruſchalaimorum [29] recen-
ſentes, diruitis [30] domos quaſdam ad muniendum murum.
11 Inſuper [31] conceptaculum facitis inter duos muros pro aquis [32] piſcinæ veteris; ſed non intuemini [33] in opificem illius, & formatorem ejus [34] e longinquo *tempore* non animadvertitis:
12 [35] Quúmque [36] vocaverit Dominus Jehovi exercituum tempore illo; ad fletum, & ad planctum, & [37] ad calvitium, & ad cincturam cilicii;
13 Ecce lætitiam & gaudium, occidendo boves, & jugulando pecudes, comedendo carnes; & bibendo vinum, *dicentium*; edamus & bibamus, [38] ‖ cras enim morituri ſumus.
14 [39] Atqui revelavit ſe, [d] me audiente, Jehova exercituum; *ne vivam*, ſi expietur iſta iniquitas vobis, [40] donec moriamini, inquit Dominus Jehovi exercituum.
15 [41] Ita ait Dominus Jehovi exercituum; age, accede [42] adjutorem iſtum, Schebnam, qui præeſt domui.
16 [43] Quid tibi hîc? & quis tibi hîc *eſt*? quòd excidiſti tibi [44] hîc ſepulchrum: [45] ô cædens *in* edito ſepulchrum ſuum, ô ſtatuens in petra habitaculum ſibi.
17 [46] Ecce Jehova, [47] qui contegit te integumento [48] *quantum poteſt eſſe* viri; & qui amicit te [e] bellè,
18 [f] [49] Egregiè volutabit te volutatione, *ut* pilam in regionem amplam ſpatiis: ibi morieris, ibíque *deſinent* curricula gloriæ tuæ; [50] ô ignominia domus domini tui.
19 Propulſo te de ſtatu tuo, *inquiens*, de ſtatione tua deſtruet te.
20 [51] Erit autem [52] die illa, ut vocem ſervum meum [53] Eljakimum filium Chilkijæ:
21 Et [54] induens eum tunica tua, baltheóque tuo confirmans eum, dominationem tuam tradam in manum ejus; ut ſit [55] loco patris habitatoribus Jeruſchalaimorum, & domui Jehudæ:
22 [56] Et imponam clavem domus Davidis [57] humero ejus: eo aperiente nemo claudet, & claudente nemo aperiet:
23 Et [58] infigam eum *velut* paxillum in loco firmo; erítque [59] ſolio honori, *&* [60] domui paternæ ſuæ.
24 [61] Nam appendent ei totam gloriam domus paternæ ipſius, proventus ejus & reditus ejus, [62] omnia inſtrumenta *etiam* minimi; [g] [63] tùm inſtrumenta craterum, tum omnia inſtrumenta utrium.
25 [64] Die illa, dictum Jehovæ exercituum, diſcedet paxillus iſte infixus in loco firmo: & amputatus decidet, exſcindetúrq; [65] onus illud quod *erat* impoſitum ei; nam Jehova loquutus eſt.

[29] id eſt, luſtrantes numerum civium, & ſingulos ad munus ſuum bellicum comparantes. [30] ineptas videlicet & incommodas ad defenſionem muri, quæ ſtantes fuiſſent impedituræ. [31] quo deduceretur aqua Gichonis ex ſuperiore alveo inferne ad occidentem civitati Davidis, 2. Chro. 32.30. & 2. Reg. 20. 20. [32] id eſt, ſuperioris, ut ſuprà 7. 3. quam efficiebat Gichon ex vetere porta profluens. [33] id eſt, Deum effectorem illius vexationis, conculcationis, & perplexitatis, de quibus verſ. 5. [34] id eſt, qui jam pridè conſilio ſuo admirabili præſtituit vobis & informavit illud malum. [35] confirmatio præcedentis exprobrationis a ſigno: ad Deum (inquit) vos non reſpicere ſic probo, nam non reſpicitis ad opera ejus: luctuoſa fuerunt temporibus Achazi, & adhuc luctuoſa ſunt; vos autem ridetis, comeſſamini, &c. [36] judiciis ſuis in vos, & in Jiſraëlitas fratres veſtros. [37] id eſt, neque tantùm habendum dolorem in animo veſtro; ſed etiam ſignis publicis & externis teſtando reſipiſcentiam veſtram. Nam etſi calvitium induci pro mortuo interdictum eſt lege (Levit. 19.27. & 28. & Deuteron. 14. 1.) tamen certum eſt in ſancta reſipiſcentia, cui nihil cum deſperatione commune eſt, calvitium probari atque imperari: ut Micæ 1.16. [38] id eſt, poſtmodùm deſinemus eſſe: propterea, dum vita ſupereſt, voluptatibus nos expleamus: ſic 1. Corinth. 15. 32. atheorum & perditorū hominū ſermo. ‖ 1. *Cor.* 15. 32. [39] concluſio hujus interminationis, ut diximus in verſum 1. [d] *Heb. in auribus meis; ut ſuprà* 5.9. [40] id eſt, unquam: nam in hac vita locus eſt remiſſionis peccatorum & veræ reſipiſcentiæ; deinde verò mors ſola manet immorigeros, ut Chaldæus ipſe interpres obſervavit. [41] ſecunda hæc prophetia (quæ cum ſuperioris argumento planè conjuncta eſt, ut oſtendit adjutoris appellatio) duas partes continet; unam, denunciationem judicii in Schebnam, uſque ad verſum 20. alteram, prophetiam de ſufficiendo in locum illius Eljakimo, verſib. ſequentibus. [42] id eſt, fautorem & magiſtrum impiorum iſtorum, quibus modò judicium denunciatum eſt, Schebnam iſtum, præfectum prætorio. Videtur autem hic Schebna ex hoc loco, & 2. Reg. 18. fuiſſe vetus præfectus prætorio inde a temporibus Achazi: quibus vetus illa vulpes in impietate & maleficiis conſeneſcens ita invaluit auctoritate, ut non potuerit quamprimùm a Chizkija abdicari; ac proinde ipſius Chizkijæ temporibus impios & maleficos confirmaſſe, & reformationem publicam & privatam, Eccleſiaſticam & politicam toto conatu impediviſſe: propterea quum percepta fuit ipſius impietas a Rege, ex præfecto prætorio (ut hic nominatur) ſcriba honorarius effectus eſſet, velut emeritus ætatis nomine, 2. Reg. 18.18. [43] id eſt, quam hæreditatem a parentibus tuis, aut quam agnationem habes Jeruſchalaimis, ut hîc tibi inſtituas ſepulcri locum? non meminiſti te hæreditatem planè nullam a parentibus habuiſſe? inopem, egentem fuiſſe, & terræ filium? hic primus locus eſt iſtius partis, nimirum reprehenſio graviſſima; cui ſubjicitur denunciatio, tribus verſibus. [44] in hac civitate, Jeruſchalaimis. [45] id eſt, tu qui ſumma amplitudine & dignitate ſepulcrum tibi hîc curaſti excidendum. [46] hæc denunciatio venturam calamitatem Schebnæ proponit duplice ſimilitudine; una, pilæ quæ in longinquiſſimum projicitur, duobus verſibus: altera ædificii, verſ. 19. [47] id eſt, qui unus te in hoc faſtigium dignitatis evehit: dignitas enim ut ab inſignibus veſtimentis cognoſcitur, ita ſynecdochicè in ſcriptura deſignatur veſtimentorum appellatione, ut Geneſ. 41. 41. & ſequentibus. Hoc autem verbum Hebraicum ex comparatione ſequentis membri ita reddimus, ſervata ſignificatione ſimplicis verbi quod legitur Nechem. 3. 15. [48] id eſt, ampliſſimo: erat enim Schebna ſecundus a Rege. [e] *Hebr. amiciendo.* [f] *Heb. volutando volutabit te.* [49] id eſt, procul arcebit & divexabit te: ſive in exulium fuerit actus a rege, ſive ab Aſſyriis interceptus, ſive ultrò ipſe e Judæa profectus, poſtquam & dignitate ſua & honoribus excidiſſet: nam horum nihil meminimus in ſcriptura definiri. [50] i. qui par pari non retuliſti, ſerviens Domino tuo regi; ſed omne genus ignominiæ domui illius inuſſiſti, qui te omni genere honoris cohoneſtaverat.

[51] altera pars, ut dictum eſt in verſum 15. [52] qua Deus ſententiam hanc contra Schebnam complevit exſequuturus. [53] de quo 2. Reg. 18. 18. & 26. & 37. [54] vide ſuprà verſ. 17. [55] ut Geneſ. 45. 8. [56] id eſt, plenam adminiſtrationem regni ſecundo loco a rege commiſſam ei, ut imperet, vetet, permittat, puniat, denique efficiat quicquid juſtum fuerit, & cohibeat injuſtum: allegoria in ſcripturis frequens. [57] vide ſup. 9.6.

[58] i, confirmabo eum in dignitate ipſius, & ſtabiliā vehementiſſimè; ut erga omnes fungatur officio ſuo, & viciſſim omnes ab ipſo pendeant: vera deſcriptio pii magiſtratus hærentis promiſſionibus Dei, duobus verſ. [59] i. Regi ſynecdochicè. [60] i. Jehudæ, hîc & ſeq. verſu, ut nominaverat ſup. v. 21. [61] officium bonorum popularium erga magiſtratū pium, figuratum eadem allegoria quæ cœpta eſt ſuperiore verſu. omnia, inquit, tam maxima quàm minima fidei illius ſecurè cōmiſſuri ſunt. [62] i. non tantùm homines cum futuri ſunt ipſi, & quidem homines tenuiſſimi; ſed etiam minutiſſima ipſorū inſtrumenta, ne quam jacturam faciant ipſi, aut ab aliis damnum patiantur. [g] *Heb. ab inſtrumentis craterum uſque ad omnia, &c.* [63] id eſt, omnia inſtrumentorum genera ſuſtentabis, & parva, cujuſmodi ſunt crateres; & magna, cujuſmodi utres: quorum hi ad excipiendum, illi ad fundendum liquorem pertinent: ſpecies pro genere, ſynecdochicè. [64] *ἀνάδοσις* ſive regreſſio *ἀνταπόδοτος* ad ſermonem de Schebna, concludens prophetiam hac deſcriptione allegorica judicii quod perpeſſurus erat Schebna, contrariis planè verbis quàm Eljakimo promiſit Deus, verſibus præcedentibus. [65] id eſt, quicunque pependerunt ab eo, & in eo conquieverunt.

CAPUT XXIII.

Propheta promulgans luctum Tyriis & aliis gentibus; faſtum illorum, conſilium Dei in dejiciendo faſtu, & ſententiam ejus explicat; exemplo confirmat; tempora judiciorū circumſcribit per Nebucadnezarem & Alexandrum Magnum: & poſtremò illis promiſſis vocationem ad regnum Chriſti per gratuitam Dei miſericordiam.

1 PRophetia [1] oneroſa Tyri: [2] Ejulate [3] naves Oceani; [4] vaſtatā eſſe [5] [a] a domeſticis,

[1] hæc prophetia ad conſolationē populi, contra Tyrios prænunciata fuit iis tēporibus, quibus ſtare Tyrus & inexpugnabilis eſſe videbatur: nam præter naturā loci munitiſſimā celeberrima victoria acceſſerat cōtra Schalman-Eſeris & Phœnicū claſſem, ut ex Menandro Tyrio Joſephus narrat ſub finem libri 9. antiquitatū Judaicarū. Quum itaq; Tyrii naturæ loci, induſtriæ, opibúſq; ſuis confiderent, & omnibus eo nomine invicti eſſe putarētur, in propinquos Jiſraëlitas & alios ferocirent, nihil denique non arrogarent ſibi; declarat hoc capite Propheta non eſſe cur alii habitationē Tyri expetant, aut ipſi de ea ſibi gratulentur: novas enim in dies illis calamitates exorituras. Continentur itaq; hoc capite documenta quatuor: primum eſt, denunciatio luctus pro ea lætitia quæ tum agitabatur, uſq; ad v. 8. ſecundū, explicatio cauſæ ex qua hic luctus Tyriis importatus eſt, inde ad v. 15. tertium, prophetia ſingularis tēpora ex ordine circumſcribens quibus erat affligēda Tyrus, uſq; ad 18. ultimū, prophetia de vocatione illius ad gratiam Dei & ſui ſanctificationē, v. ult. [2] exordiū ex abrupto per prolepſin, quo ad luctū provocātur omnes Tyrii, & alii victū quærentes Tyria navigatione; & cauſa ponitur, quas Propheta deinceps explicat. [3] i. naviculariī & mercatores ex navigatione facientes quæſtū, metonymicè: ut inf. v. 10. & 14. [4] i. vaſtandā, ut ſequentia omnia propheticè. Hic autem proponuntur tria vaſtationis tempora per congeriem, quæ ſingula ex antiqua hiſtoria conſtant evidentiſſimè. [5] i. ſervis Tyriorum, qui quum attritas Dominorum vires animadverterent, conſpiratione facta omnem liberum populum cum dominis interfecerunt, Rempublicam invaſerunt, & Stratonem fecerunt regem, ut ſcribit Juſtinus lib. 18. [a] *Heb. a domo, ab advenientibus viris.*

[a] ab

[6] ab advenis, a [7] regione Citthæorum, revelatur in illam.

2 [8] Silete habitatores [9] insulæ, tu *quam* mercatores Tzidonis pervagantes mare, implent;

3 [10] Cujus proventus aquis multis *est* [11] semen Schichoris, [12] messis rivi *AEgyptiaci*: & quæ es mercatus gentium.

4 [13] Erubesce Tzidō; quia loquitur [14] mare, [15] munitio maris, dicendo: [16] non parturio, neque pario, neque éduco juvenes, *aut* tollo virgines.

5 Quemadmodum [17] rumore de Ægypto, [18] intremant æquè rumore Tyri.

6 [19] Transite per Oceanum, ejulate habitatores [20] insulæ.

7 [21] Hæccine vobis exsultabunda *videretur*; cujus pedes a diebus [b] præcedentibus, *a* præcedente statu ipsius deducunt eam ad [22] peregrinandum procul?

8 [23] Quis cepit consilium hoc contra Tyrum illam [24] coronariam? cujus mercatores *erant* principes, cujus negotiatores honoratissimi terræ?

9 Jehova exercituum consilium illud cepit; ad [c] fœdandum fastum omnis gloriæ, ad elevandum omnes honoratissimos terræ.

10 [25] Remea *in* terram tuam, [26] similis rivo: [d] navis Oceani, [27] nulla est zona ampliùs.

11 [28] Manum suam extendit super mare, commovet regna: Jehova præcipit [29] contra Cenaħanem, perdere munitiones istius.

12 Dicens, non perges ampliùs exsultare: ô oppressa [30] virgo filia Tzidonis, *ad* [31] Citthæos surge, transi, etiam illîc non erit quies tibi.

13 [32] En terram Chaldæorum, [33] iste populus non fuit, *ex quo* Assyrius [34] fundavit eam pro barbaris: [35] erexerant exploratorias speculas suas, excitaverant palatia illius; *Assyrius* disposuit illam [36] in ruinam.

14 [37] Ejulate naves Oceani, quia vastatur munitio vestra.

15 [38] Erit autem tempore illo, quum [39] oblivioni tradita fuerit Tyrus [40] septuaginta annis, secundùm dies [41] [e] regni unius: *ut* [42] exactis septuaginta annis [43] fit Tyro simile canticum meretricio.

16 [44] Sume citharam, circui civitatem, ô meretrix oblivioni tradita: [f] optimè pulsa, utere quàm plurimo cantico, ut renovetur memoria tui.

17 [45] Erit enim ut exactis septuaginta annis revisat Jehova Tyrum, quę reversa fuerit ad quęstum suum: [46] deinde scortabitur cum omnibus regnis regionis; in superficie terræ.

18 [47] Tandem erit merx ejus, & quæstus ejus [g] sanctificatus Jehovæ; [48] non reponetur in thesaurum neque recondetur: [49] sed pro habitatoribus [h] exposita Jehovæ erit merx ejus, [50] ad comedendum in saturitatem & ad tegumentum validum.

[6] Chaldæis sive Babyloniis, auctore Nebucadnetzare, qui Tyrum annos tredecim obsessam expugnarunt: vide Jirmejæ 47. Jechezkel. 26. & seq. & Josephum lib. 1. contra Apionem Alexandrinum. [7] id est, Cilicia, unde profectus Alexander Macedo irrupit in Orientalē tractum: vide Gen. 10. 4. [8] id est, missam facite istam exsultationem vestram (de qua versu 7.) & a commerciis vestris, præpediti luctu quiescite. Hic enim promulgatur luctus (ut antè diximus) Tyriis, duobus versibus; & commeantibus Tyrum omnibus, in seq. [9] Tyri, quæ insula fuit, donec Alexandri Magni operibus continens effecta est. [10] id est, quæ proventum colligis ex alieno agro tuis navigationibus. [11] id est, linum AEgypti, quæ synecdochicè a termino suo appellatur: vide Jehoschu. 13. 3. [12] i. triticum quo abundat AEgyptus, irrigata rivis e Nilo ductis; ut dictum est sup. 19. [13] apostrophe ad Tzidonem, quæ fuit quodammodo parens Tyri: nam Tzidonii a rege Aschaloniorum expugnati, (ut Justinus ibidem ait) navibus appulsi Tyrum urbem condiderunt. q. d. antehac quidē gloriata es de isto felice partu; jam verò alia sunt tēpora, quibus Tyrus orba & ἄτεκνος futura est. [14] omnibus appellentibus Tyrum: prosopopœia. [15] i. Tyrus, periphrasis [16] id est, jam meis orbata sum, & inepta aliis in posterum comparandis, ac velut gignendis: allegorica expostulatio. [17] quum audientes populi judicium Dei contra AEgyptios, commoti sunt, dolore correpti, turbati, tremefacti, & diffluxerunt irruente super ipsos pavore magno, ut narrat Mosche Exod. 15. 14. & seq. [18] populi perculsi judicio Dei contra Tyrum. [19] hypotyposis elegantissima præcedentis luctus; qua Propheta primùm Tyrios migrare & vagari jubet per maria incertis sedibus (nam etiam hujusmodi occasionibus Tyrii novas sedes compararunt, & Carthaginem, Leptin, Uticam, & Gades condiderunt) deinde sermone ad alias gentes converso Tyrum per ludibrium traducit, seq. versu. [20] Tyri: ut suprà V. 2. [21] sarcasmus, ex comparatióne præsentis abjectionis cum antecedēte fastu & gloria. [b] *Heb. antiquitatis.* [22] i. quærendas peregrinas sedes, de quibus modò diximus. [23] secunda pars, de auctore & causa luctus Tyriorum. [24] i. quæ non tantùm ipsa regina erat, sed etiam gignebat quodammodò reges, & mercatores suos opibus coronabat; ut sequentia verba explicant. [c] *Heb. prophanandum.* [25] apostrophe ad mercatores cæteros, illustrans gravitatem mali Tyriis eventuri. [26] id est, indesinenter & citò, ut rivus a natura fertur secundo alveo. [d] *Heb. filia.* [27] id est, planè infirmata est Tyrus, nullæ sunt ampliùs vires illi, nulla latera, quibus accingatur aut se ipsam confirmet: ut Ijobi 12. 21. [28] explicatio consilii quod Jehova cepisse contra Tyrum dicitur. Sunt autem hæc Prophetæ verba, dicentis; Tyrii Tzidone orti, ac proinde Cenaħanæorum reliquiæ, nunc mare obtinent arbitratu suo, & omnia regna vicina commovent victo Schalmanesere atque Phœnicibus; & his victoriis partis omnes sibi cessuros existimant: sed aliud visum est Jehovæ. [29] id est, Cenaħanæos, qui adhuc supersunt Tyri, Tzidone, & cæteris locis. [30] id est, Tyre a Tzidoniis condita, ut meminimus in versum 4. [31] Cilicas; ut versu 1. [32] confirmatio prophetiæ, exemplo Babylonici regni quod Sancheribi majores occupaverant atque everterant; ut apparet ex 2. Reg. 17. 24. & 30. & 19. 12. cui argumento inest comparatio a majore. [33] id est, jam nulla est ipsorum respublica, sed devēnit in potestatem alterius. [34] id est, statuit in ea colonos barbaros, regioni incognitos. [35] Babylonii sese omnibus modis confirmantes. [36] id est, evertit totam regionem.

[37] *ἀπόδοσις* præcedentis exempli, concludens hanc partem verbis primi versus. Hæc autem prædictio de tempore Nebucadnetzaris accipienda est; qua transit Propheta ad singularem temporum descriptionem, quam suprà diximus. [38] tertia pars exponens statum Tyri, qui fuit primùm septuaginta annis a vastatione effecta per Babylonios, hoc versu: deinde a tempore Cyri ad Alexandrum usque Macedonem, quæ spatia definiuntur ipsis temporibus historiæ Judæorum (ut ex scriptura commonstrabimus) usq; ad versum ultimum. [39] i. neglecta & nullo pretio habita. [40] deportationis Babylonicę a Nebucadnetzare, ad Cyrum usque. [41] nimirum Babylonici. [e] *Heb. regis: ut apud Danijelem sæpe.* [42] i. ineunte regno Persico, quum Cyrus regnare cœpit, qui alienus erat ab odio illo hæreditario, quo prosequebantur Tyrum Babylonii propter obsidionē diuturnam, cujus antè ex Josepho meminimus. [43] i. reflorescens Tyrus opibus, ad se pelliciat iterum mercatores suos; ut ex parte cognoscitur ex Hezræ 3. 7. [44] apostrophe ad Tyrum, qua Propheta oculis subjicit florentē statum & luxuriantem Tyri, ex quo cœpit assurgere ineunte regno Persico: nimirū per annos ducentos triginta fermè, quibus stetit regnum Persarum. [f] *Heb. benefac pulsando, multiplica canticum* [45] explicatio copiosior 15. V. [46] i. ne iterato quidem judicio revertetur in bonam frugem: scribit enim Justinus Tyrios Alexandri auspiciis cōditos parsimonia & labore quærendi citò convaluisse. [47] ultimum documentū de vocatione piorum ad regnum Dei, ut diximus in versum 1. cui simile est suprà 19. 18. & sequentibus. [g] *Heb. sanctitas.* [48] id est, tam seria erit Tyriorum resipiscentia, ut non ampliùs studeant concervandis opibus; sed omnia liberali animo sanctificent & conferant in usum quem præscribit Deus, & exponit Propheta sequente membro. [49] id est, omnes possessiones ac facultates suas consecrantes Deo dispertient Ecclesiæ, prout cuique opus erit, & nullus erit egens inter eos: vide Actor. 2. 44. & seq. & 4. 34. & seq. [h] *Heb. coram Jehova: ut Gen. 13. 9.* [50] id est, ad justum alimentum & amictum, quibus contenti sunt pii, 1. Tim. 6. 8.

CAPUT XXIIII.

Propheta summā contrahens judiciorum quæ suprà denunciaverat, residui servati per electionem Dei lætitiam explicat, & celebrem gratiarum actionem de improbis deturbatis & salute in bonos collata: formam exponit judiciorum, quibus adversarios perditurus & suos traducturus est in admirationem Dei: præscribit laudationem qua Ecclesia suam firmitatem in Deo & fidem in illum prædicet, informat populum de officio ipsius in mediis calamitatibus; adversariorum exitium cum verberibus piorum comparat; gratiam Dei asserit, & de futura liberatione confirmat pios.

1 ECce [1] Jehova [a] exhausturus est [3] terram, & exinaniturus eam; & [4] pervertens su-

[1] Quatuor hæc capita propterea una conjunximus, quòd unius sunt concionis; ut narratio & series argumentationum ostendit. Sunt autem hujus concionis tres præcipuæ partes: prima est, narratio prophetica judiciorum quæ Deus in gratiam populi sui effecturus erat (ut Propheta denunciavit capitibus antecedētibus, quibus hæc concio velut colophon fuit imposita) usq; ad versum 6. capitis 25. secunda pars est, narratio prophetica formæ quam Deus adhibiturus erat in judiciis exsequendis ad Ecclesiæ bonum & consolationem, inde ad finem capitis 26. tertia, est institutio populi in retinendo officio suo, & amplectendis promissionibus Dei, quæ exponuntur inde ad finem capitis 27. In prima autem propositione continentur tria: narratio judiciorum Dei contra peccatores, duodecim versibus, & gratiæ ejus erga Ecclesiam, usque ad versum 16. deinde confirmatio denunciati illius judicii usque ad finem capitis; & postremò usus illius, nimirum prædicatio gloriæ Dei in Ecclesia, quinque primis versibus capitis 25. [a] tum habitatoribus, ut sex primi versus ostendunt; tum rebus omnibus, sex aliis ver. quæ duo his verbis prolepticè continentur. [3] id est, singulas illas regiones suis verberibus castigaturus quamque. [4] id est, ferens, agens sursum deorsum omnia; tum ad personas, tum ad res ipsorum pertinentia: ut sequens versus demonstrat.

perficiem ejus diſperſurus eſt habitatores ejus.
2 [5] Eritq; perinde populo ac [6] præſidi,per-
inde ſervo ac domino ſuo,perinde ancillæ ac he-
ræ ſuæ; perinde emtori ac venditori, perinde
mutuo danti atque mutuo accipienti, perinde
fœnore accipienti ac ei qui fœnerat ipſi.
3 [a] Planè [7] exhaurietur terra, & planè [8] di-
ripietur; quia Jehova eloquutus eſt ſermonem
hunc.
4 [9] Lugebit, [10] concidet terra; [11] languebit,
concidet orbis habitabilis: languebunt [b] [12] celſi
populorum terræ.
5 [13] Etiam hæc terra contaminata eſt ſub
habitatoribus ſuis; quia tranſgrediuntur [14] le-
ges; mutant [15] decretum, irritum faciunt [16] fedus
[c] perpetuum.
6 Idcircò [17] exſecratio conſumet terram, &
deſolabuntur habitantes in ea: [18] idcircò [19] ex-
ardeſcent habitatores terrę,& reliqui fient mor-
tales perpauci.
7 [20] Lugebit muſtum, [21] languebit vitis; ſu-
ſpirabunt omnes læti [d] animo.
8 Ceſſabit gaudium [22] tympanorum, deſi-
net ſtrepitus exſultantium; ceſſabit gaudium ci-
tharæ:
9 Cum cantico [23] non bibet vinum, [24] ama-
reſcet potus inebrians bibentibus ipſum:
10 [25] Confringetur urbs [e] inanis futura; clau-
detur omnis domus, [f] ne *quiſquam* ingredia-
tur.
11 [26] Querela erit ſuper ipſo vino in plateis;
[27] adveſperaſcet omnis lætitia, emigrabit gaudi-
um terræ:
12 [28] Reliquum factum in civitate, deſolatio-
ne; & vaſtitate atteretur porta.
13 [29] Quando [30] ita fuerit in medio terræ,
inter populos iſtos, [31] ſimiles [g] olivis deſtric-
tæ oleæ, ſimiles racemis quum finita eſt vin-
demia,
14 Hi efferentes vocem ſuam cantabunt;
propter excellentiam Jehovæ claram vocem
edent [32] inde a mari, *dicentes*,
15 [33] Idcircò [34] in ipſis ignibus glorificate Je-
hovam; [35] in inſulis maris, nomen Jehovæ Dei
Jiſraëlis.

[5] id eſt, omnes perſonarum omnium ordines confundentur calamitatibus, æquè ſummos atq; infimos opprimentibus. [6] vide Geneſ. 41.45. Nos enim hoc quidem loco hanc ſignificationem malumus, quàm vulgarem illam ſacerdotis, propter antitheton. [a] *Heb. exhauriendo exhaurietur, & diripiendo diripietur.* [7] ut dixerat de Ægypto ſuprà 19.3. [8] ut ſuprà 8.3.& 10.6.& 11.14.& 17.14. [9] ut ſuprà 3.27. & 19.8. [10] ut prædixerat ſuprà 2.30. [11] ut ſuprà 16.17.& 19.8. [b] *Heb. celſitudo populi terræ.* [12] ut interminatus fuerat ſuprà 2.11.& ſequentibus,& 3.1.& 9.14. [13] ætiologia, a peccatis hominum aſſerens juſtitiã Dei; quam Propheta amplificat per comparationem Judæorum, ſeq. verſu; ut ad alterum judiciorum genus tranſeatur, ſimile vide Numer. 35.33. [14] naturales & politicas, ad publica & privata hominũ officia pertinentes. [15] poſitum in ceremoniis & externo Dei cultu. [16] cum Abrahamo initum circumciſione, Geneſ.17.& redintegratũ in traditione legis, Exod.24. [c] *Heb. ſeculi.* [17] videlicet cui ſe Jiſraëlitæ ipſi devoverunt ſi tranſgrederentur leges, mutarent decretum, irritúmq; facerent fedus perpetuum: Exod.24.& Deut.29.10. & ſequentibus. nam hoc prius membrũ ad Jiſraëlitas reſpicit, de quibus nominatim dixerat poſteriore loco. [18] nimirum propterea quòd gentes tranſgrediuntur legem, cujus opus ſcriptum geſtant in cordibus ſuis, unà teſtimonium reddente ipſorum cõſcientia,&c. Rom.2.15. Nam hoc poſterius membrum per ὑστέρον de aliis gentibus eſt accipiendum, quarum Propheta meminerat priore loco. [19] i. incendio iræ Dei conflagrabunt, ut ſup. 9.18.& 10.16. [20] altera pars prolepſeos, de qua verſu 1. expreſſa proſopopœiis vehementiſſimis. [21] ut ſuprà 16.17. [d] *Heb. corde.* [22] de quibus ſuprà 5.12. [23] id eſt, non convivabuntur pergræcando. [24] id eſt, ingratus erit, adeò obruentur calamitatibus: metaphora. [25] ut de Babylone & Tyro dictum eſt ſuprà 13.& 23. [e] *Heb. inanitatis.* [f] *Heb. ab ingrediendo.* [26] ut ſuprà 16.16. [27] id eſt, occidet, ut ſol ineunte veſpera, & terminabitur luctu: metaphora. [28] id eſt, denique nihil omnino integrum relinquetur. [29] ſecundus locus narrationis de gratia Dei erga Eccleſiam, ut monuimus verſu 1. quo continentur primùm explicatio ſalutis percipiendæ a Deo, hoc verſu; deinde profeſſio illius,& gentium omnium provocatio ad percipiendam & agnoſcendam illam, duobus ſeq. [30] id eſt, judicia Dei perfecta fuerint. [31] id eſt, illi qui ſecundum electionem grâtiæ reſidui facti fuerint, & ſervati a Deo: ut ſuprà 17.6.& 9. [g] *Hebr. ſtrigmento oleæ.* [32] id eſt, ubicunque fuerint in omnibus finibus terræ. [33] genus ſive formula profeſſionis, qua boni a Deo ſervati hortantur alii alios, propter probationem ſive experimentum mirificæ liberationis ſuæ; qua ſpem in ſe ipſis confirmant, & in aliis exemplo doctrináque excitant: ſpes autem non pudefacit, Roman. 5.4. Eſt autem in hac laudatione paralepſis Hebræis frequentiſſima; quum reticentur laudationis argumenta. [34] id eſt, vos qui adhuc verſamini in mediis tribulationibus, exemplo noſtro ſecuri de liberatione veſtra, gaudete ſpe, in afflictione tolerantes, Rom.12.12. [35] id eſt, quicunque, quocunque loco,& inter quoſcunque ſitis.

16 [36] Ab ora terræ [37] pſalmos audiveramus,
decorem *fuiſſe* [38] juſto; [39] jam autem dico, [40] ma-
cies *eſt* mihi, macies *eſt* mihi; Hei mihi: perfidi
perfidè agunt, & perfidia quidem [h] perfidiſſima
perfidè agunt.
17 Pavor, & fovea, & laqueus; [i] imminent
tibi, ô habitator terræ.
18 Erit enim *ut* fugiens [k] ab audito pavore in-
cidat in ipſam foveam; & qui aſcendet e medio
ipſius foveæ, capiatur laqueo: [41] nam cataract-
tæ ex alto aperientur, & concutientur funda-
menta terræ.
19 [l] [42] Omnino confringet ſe terra, omnino
diſrumpet ſe terra, omnino nutabit terra.
20 Omnino commovebitur terra tamquam
ebrius,& evagabitur ut tegillum; & ingraveſcen-
te ſuper eam defectione [43] ipſius, ita cadet ut
non ſurgat ampliùs.
21 Et erit tempore illo, [44] animadvertente
Jehova in exercitum excelſi cujuſque cum ipſo
excelſo; & in omnes Reges terræ cum terra ip-
ſorum:
22 [45] Ut colligantur [m] collecti, vincti in fove-
am, & occludantur in clauſtro; & [46] poſt [n] mul-
tos dies deſiderentur.
23 [47] Denique pudebit ipſam lunam, & eru-
beſcet ſol ipſe: quum regnabit Jehova exercitu-
um in monte Tzijonis & Jeruſchalaimis, & co-
ram Senioribus ſuis [48] [o] glorioſè.

[36] confirmatio judiciorum quæ modò prædicta ſunt, primùm a peccatis præſentibus perfidiáq; populi, in quem non poteſt ira Dei non revelari e cælo, tribus verſibus; deinde a fide cæterarum rerum in cælo & terra, in exſequendis & teſtificandis Dei judiciis, ad finem uſque capitis. Sunt autem prima hæc verba emphatica, quibus Propheta amplificat indignitatem præſentem a comparatione priſcæ dignitatis quæ in populo Dei emicuerat; ut Pſalm. 44. [37] id eſt, beneficia Dei quæ Pſalmorum ſunt argumenta, & prædicationis illorum: ſynecdoche.

[38] id eſt, populo Dei alieno a præſente perfidia, & amplectenti juſtitiam Dei per fidem Chriſti. [39] expoſtulatio graviſſima abundans anaphoris, homœoteleutis, antonomaſiis, metaphoris, gradationibus, & comparationibus patheticis; quibus exaggerat Propheta tum peccata, hoc verſu; tum peccatorum pœnas, ſequentibus, uſque ad verſum ult. [40] id eſt, mœrore a rebus iſtis indeſinenter contabeſco. [h] *Heb. perfidorum.* [i] *Heb. ſuper te.* [k] *Heb. à voce pavoris.* [41] id eſt, communis erit cæli & terræ conſpiratio ad efficienda judicia Dei. Sunt autem hæc verba deſumta ex Moſche Gen. 7.11. per allegoriam; & ex Davide Pſal. 18.8. [l] *Heb. confringendo confringet, diſrumpendo diſrumpet, & ſic ſequentia: ut ſuprà verſ. 3.* [42] id eſt, peſſumdabuntur & ruent omnia: quod hic exaggeratur congerie verborum. [43] id eſt, habitatorum, metonymicè, ut ſeq. verſu. [44] id eſt, Reges & ſubditos, ſummos & infimos puniente, ut dixerat ſuprà verſ. 2. [45] id eſt, captivi teneantur potentia Dei quicunque adverſantur ipſi: metaphora a regno humano ad regnum ſpiritale Dei. [m] *Heb. collectio, vinctus: per ſyllepſin.* [46] id eſt, longo intervallo non extollant ſe adverſus Deum, neque extent inimici ejus. Hoc autem propriè ſignificari viſitandi verbo in hac conjugatione, quum abſolutè ponitur, exempla omnia confirmant. [n] *Heb. multitudinem dierum.* [47] id eſt, nulla planè lux ſive gloria lunæ aut ſolis ipſius futura eſt, ſi cum Dei regnantis in Eccleſia luce comparabitur; puderet ipſos, ſi cum Deo committendi eſſent: proſopopœia hypothetica. [48] tum gloria ſua operúmque ſuorum maximè, tum ſanctorum prædicatione: ad quam hæc verba ſunt μεταβατικά. [o] *Hebr. gloria.*

CAPUT XXV.

1 JEhova [1] Deus meus es, exaltabo te, celebra-
bo nomen tuum, quia feciſti mirum: [2] conſi-
lia a longinquo *tempore prædicta* fides *ſunt*, veritas.
2 [3] Nam diſpoſuiſti ex civitate acervum, *ex*
urbe munita ruinam: [4] palatium extraneorum
ex civitate, in ſeculum non ædificabitur.
3 [5] Idcircò honorabunt te populus fortis,
urbs gentium formidabilium reverebuntur te:
4 [6] Quòd fueris munitio tenui, munitio
egenti, quum aliqua anguſtia eſſet ei; receptus

[1] Tertius locus propoſitionis præcedentis, de uſu judiciorum Dei. Eſt autem uſus illorum in Eccleſia, prædicatio gloriæ Dei, qualis habetur his quinque verſibus: in quibus primùm gloria Dei prædicatur, & cauſæ illius prolepticè ponuntur hoc verſu; deinde cauſæ proponuntur duæ: una eſt, judiciorum in hoſtes Eccleſiæ, verſ. 2. altera, beneficiorum in Eccleſiam, verſibus ſequentibus. [2] id eſt, promiſſiones & minæ, quas ab æterno decretas in conſilio tuo prædixiſti ſuo tempore, nunc demum fideliſſimè atque veriſſimè completæ ſunt. [3] exornatio præcedentis ætiologiæ, qua docet Propheta complementum minarum, hoc verſu; & promiſſionum V. 4.& 5. ut antè diximus. [4] id eſt, ita evertiſti,& ſubruiſti opidum, ut ne ab exteris quidem advenis ex totius opidi ruderibus unica domus excitari poſſit. [5] ἐπιμονή ſive repetitio laudationis, tranſitum comparans ad ſequentem cauſam. [6] exornatio beneficentiæ Dei fideique erga pios duabus comparationibus; quæ poſtea his duobus verſibus ordine exponuntur.

ab

ab inundatione, umbra ab æstu, [7] quum spiritus
violentorum similis *esset* [a] inundationi labefa-
cturæ murum:
5 [8] Sicut æstum in siccitate, tumultuationem
extraneorum depresseris; æstum, *inquam*, umbrâ
densâ, [9] *qui* propagini violentorũ respondebat.
6 [10] Faciet autem Jehova exercituum om-
nibus populis [11] in monte hoc [12] convivium *re-
rum* pinguium, convivium [b] *vini* defæcati; pin-
guium *inquam* saginariorum, *vini* fæcibus ex-
purgatis:
7 Et [13] absorbebit in monte hoc [c] speciem isti-
us veli obvelantis omnes populos; & istius operi-
menti obducti super omnes gentes:
8 Absorbebit ipsam mortem [14] in victori-
am, & absterget Dominus Jehovi lacrymas ab
omnibus faciebus; & opprobrium populi sui
amovebit a tota terra (nam Jehova loquutus
est)
9 Ut dicat tempore illo; [15] ecce Deus noster
hic *est*, exspectamus eum, & servat nos: hic *est* Je-
hova quem exspectamus, exsultabimus, & læta-
bimur de salute ejus.
10 [16] Nam quiescet manus Jehovæ in monte
hoc: triturabitur verò [17] Moab [18] in loco suo, ut
trituratur palea [19] ad stercorationem.
11 [20] Expandet enim manus suas in medio e-
jus, sicut expandere solet natator ad natandum;
& demittet [21] superbiam ejus, [22] [d] cataractis ma-
nuum suarum:
12 [23] Ita munitionem editúmq; locum mu-
rorum tuorum deprimet, demittet, deturbabit in
terram, in pulverem usque.

7 ἐργασία prioris comparationis, qua hostes Ecclesię cum aquis inundantibus, Deus verò cum receptus & perfugii loco comparatur. a Hebr. inundationi muri. 8 ἐργασία secundæ comparationis, qua tumultuatio extraneorum cum æstu siccissimo, & Dei protectio erga suos cum densissima umbra comparatur. 9 i. qui ęstus improbis erat optatissimus atque gratissimus: quia illi, dum torrentur pii calamitatibus, se valdè augeri judicant, & tamquam luxuriare suas propagines: pergit enim Propheta in allegoria. 10 secunda hæc prophetia formam exponit tum judiciorum quibus propter Christum usurus est Deus, hoc capite; tum laudum quibus Ecclesia prædicatura est beneficentiam illam Dei, cap. sequente. Forma autem judiciorum est duplex: una, ut inimicæ gentes amicè ad sacrum Christi epulum & communionem provocentur verbo, usque ad ℣. 10. altera, ut contumaces qui extolluntur adversus cognitionem Dei profligentur, vers. 10. & seq. 11 cujus meminit suprà 24.23. ut etiam prædixerat suprà 2.2. 12 i. opimum & munificentissimum, quod exhibetur sanctis prædicatione Euangelii & virtute spiritus Christi: allegoria res spirituales figurans corporeis: ut Matth. 22. & Luc. 14. b *Heb. faecium: quod genus loquutionis explicant sequentia: simile vide suprà* 19.18. 13 enarratio beneficiorum quæ populi in convivio Christi percepturi sunt: primum est, vindicare illos ab excæcatione, & quasi sublato velamine donari cognitione Dei, hoc versu, ut ostendit Paulus 2. Corinth. 3. secundum est, domita potestate mortis donari vita æterna, 1. Cor. 15.54. tertium, donari gaudio & pace per spiritum sanctum, Rom. 14.17. & Apocalyp. 21.4. ex quibus consequitur effectus, vers. 9. nimitum constantissima beneficii divini prædicatio. c *Hebr. faciem.* 14 id est, ita ut in sempiternum devicta & prostrata jaceat, neque ampliùs in beatos illos convivas Christi dominetur. 15 elegantissima prædicatio illius pacis a Deo, & gaudii per spiritum sanctum, de quibus modò diximus. 16 ætiologia superioris prophetiæ a præsentia Dei benigna in Ecclesia; qua transitio comparatur ad alteram speciem judiciorum ejus contra præfractos atque contumaces, ut diximus in versum 6. 17 id est, contumax quisque & perversus hostis Dei & Ecclesiæ, synecdochicè, ut infrà 31. 8. 18 i. ubicunque fuerit. 19 id est, abjectissima palea, quæ nullum alium usum præstat quàm ut ea stercorentur agri. 20 altera comparatio venustissima ad explicandum judicium Dei contra inimicos suos; pro eo quod est, omnia subjiciet sibi. 21 de qua suprà 16.15. 22 i. amplissimis & valentissimis manibus suis, quibus superbiam rebellium ita compressurus est ut obicibus & cataractis coërcentur aquæ. Hanc interpretationem, quia optimè cum allegoria convenit, aliis præferimus. d *Heb. cum cataractis.* 23 apostrophe ad Moabum, & omnes homines adversantes Deo, quos docet ad ferulam ipsius ita diffluxuros ut aqua diffluit; sicut dicitur Exod. 15.15.

CAPUT XXVI.

1 TEmpore [1] illo cantabitur canticũ hoc [2] in
regione Jehudæ: [3] civitas [a] fortis *est* nobis,
[4] salutem disponit muris & præmunitioni *Deus*,
dicendo,
2 [5] Aperite portas, & ingrediatur gens [6] ju-
sta conservans [b] omnem fidem.
3 [7] [c] Cogitationi innitenti custodis [d] con-
tinuam pacem, quum tibi confidit.
3 [8] Confidite Jehovæ usq; in sempiternum:
nam in Jah Jehova [9] rupes seculorum *est*:
5 [10] Nam deprimit [11] habitatores *loci* alti, ur-
bem editam: [12] dejicit eam, dejicit eam usque in
terram, deturbat eam in pulverem usque:
6 Conculcat eam pes; pedes pauperis, vesti-
gia tenuium.
7 [13] Iter [14] justo [e] [15] rebus æquissimis, recto
orbitam justi libras.
8 [16] Etiam [17] *in* itinere judiciorum tuorum,
Jehova, exspectamus te; ad nomen tuum & ad
memoriam tui *fertur* desiderium animæ:
9 Animo meo desidero te per noctem; etiã
spiritu meo *qui est* [f] in me, tempestivè quæro te:
[18] nam quum judicia tua *exstant* in terra, justiti-
am [19] discunt incolæ orbis habitabilis:
10 [20] Quum gratia fit improbo, non discit ju-
stitiam, [21] in terra [g] æquissima iniquè agit; &
non considerat celsitudinem Jehovæ.
11 [22] Jehova [23] *quum* exaltatur manus tua,
non vident: videbunt erubescentes [h] zelum er-
ga populum, quin etiam ignis hostes tuos con-
sumet.
12 [24] Jehova, dispones pacem nobis: nam e-
tiam [25] omnes [i] res nostras confecisti nobis.

1 exposita prophetia de beneficiis Dei erga Ecclesiam, subjicitur pars altera de prædicatione Ecclesiæ; cujusmodi ordinem jam antè observavimus principio capitis præcedentis. Sunt autem in hoc cantico partes quatuor: prima est, exordium prædicans firmitatẽ Ecclesiæ in Deo, ℣. 1. secunda, propositio Ecclesiæ omnes ad se & ad Deum jubentis accedere per fidem, usque ad versum 5. tertia, confirmatio ab operibus Dei, inde ad versum 19. postrema verò conclusio ℣. 19. 2 i. in Ecclesia, quæ olim ea regione circumscripta & figurata erat. 3 i. Ecclesia, in qua nos versamur, est potentissima, quippe quæ munita est præsentia & præsidio Dei. a *Heb. roboris.*

4 id est, in salute quam dedit servat, adeò ut ne ipsæ quidem inferorum portæ prævaleant adversus eam: Matth. 16.18. 5 amplificatio superioris prædicationis, a forma gratiosissima quam observat Deus; tum servos suos & administros Ecclesiæ informando, ut patefiant januæ Euangelii ministerio ipsorum, tum justos & pios in Ecclesiam intromittendo. 6 nimirum ex fide in Christum qui justificat impium, ut sequentia verba docent exegeticè. b *Heb. fides.* 7 transitio ad secundam partem, videlicet propositionem; qua Ecclesia omnes ad Deum provocat in Christo, sumta occasione ex præcedentibus Dei verbis: quæ primùm epiphonemate confirmat hoc versu; deinde omnes jubet eamdem fidem in Deum adhibere ad percipiendam salutem, usque ad versum 7. Est autem cogitationis nomen synecdochicè accipiendum, pro viro qui tota cogitatione & toto animo confidenter nititur Deo per fidem in Christum, ut fine versus explicatur. c *Hebr. figmento.* d *Hebr. pacem pacem.* 8 propositio Ecclesiæ omnes ad fidem hortantis a natura, promissione, & operibus Dei, ut modò diximus. 9 ut Deut. 32.4. id est, immota arx & propugnaculum fidelium; quod illustratur antithesi sequentis versus. 10 tertia pars, narratio confirmans hortationem ab operibus Dei, primùm quidem contra adversarios, 2. versib. deinde verò erga electos, vers. 7. & sequentibus. 11 id est, omnem sublimitatem quæ extollitur adversus cognitionem Dei, 2. Corinth. 10. 5. 12 id est, certissimè & indesinenter dejicit: nam hic est usus ἀναδιπλώσεως, ut suprà versu 3. 13 secundus locus ab operibus Dei: quorum asseritur primùm justitia & æquitas summa in electos usque ad versum 11. deinde veritas usque ad 19. 14 illi qui definitus est suprà vers. 2. & 3. e *Hebr. Rectitudinibus.* 15 id est, facis, ut omnia fidelibus tuis succedant æquissimè, & utramque lancem secundarum & adversarum rerum justiùs quàm ulla aurificis statera moderaris: quod dictum similiter amplificatur repetitione, ut antè vidimus. 16 Accommodatio; qua Ecclesia superiorem thesin de administratione Dei confidit ad se pertinere, & eam a se expeti docet, ut Dei justitiam magis ac magis agnoscat ex ipsius operibus. 17 id est, tantisper dum in hac vita versamur, & exercemur judiciis tuis. f *Hebr. in medio mei.* 18 ætiologia præcedentis propositionis & optati a depravatione carnis nostræ; quæ adeò fera & indomita est etiam in filiis Dei, ut retundi non possit & justitiam illius discere, nisi crebris gravibúsque ferulis revocetur: ac proinde in reliquo mundo longè ferocior est, cùm neque gratiosis verbis, neque verberibus corrigatur; sed tantùm evincatur, velit nolit, ut fiat inexcusabilis. 19 pios quidem ad salutem docentibus calamitatibus justitiam Dei, impios verò convincentibus; ut Judic. 3. 2. 20 ἐργασία superioris dicti ex antithesi diversæ administrationis: verè, inquit, judicia tua opus est adhiberi, si voles ut ad ea animum advertat mundus: nam quò magis certat beneficentia tua cum improbitate illius, eo ampliùs obliviscitur tui & præfidit sibi. 21 id est, quò æquiorem te in ipsum, leniorémque & mitiorem exhibes, eò fit sceleratior. g *Hebr. æquitatum.* 22 altera pars narrationis, qua Ecclesia asserit veritatem judiciorum Dei prolepticè, tum in improbos, hoc versu; tum erga pios sequente: quæ posteà pluribus exponuntur elegantissimè, usque ad versum 19. 23 id est, non considerant celsitudinem tuam (quod dixit superiore versu) sed experientur tandem suo magno malo: sic asseritur cum veritate justitia judiciorum Dei, & cum noxia comparatur pœna. h *Heb. zelum populi.* 24 secundum membrum prolepseos, quo Ecclesia docet improbis velut stipula conflagrantibus, Ecclesiam utcunque ferventem adversis rebus, tamquam in olla, manu Dei conservatam esse; & portò statuit conservatum iri ex anteacta Dei administratione. 25 i. quæcunque adhuc nobis evenerunt, sive quum alii insolenter cruciarunt nos (de quibus agitur duobus versibus proximè sequentibus) sive quum servasti & liberasti nos misericorditer. i *Heb facta nostra, passivè, pro eo quod est, quæ facta sunt nobis.*

[26] exornatio ſuperioris dicti, Deum confeciſſe res omnes Eccleſiæ: quæ per antitheſin hic confitetur ſe ita preſſam fuiſſe mundi tyrannide, ut neque per illum licuerit facere mentionem Dei, neque ipſa per ſe potuerit; ac proinde per Deum ſolum effectum eſſe, ut Eccleſiæ ſua facultas reſtitueretur ad laudandū illum. [27] qui tum illegitimè dominium occupabant in populum Dei, tum eo perinde abutebantur ac ſi Deus non immiſiſſet ipſos; denique nihil minùs quàm de conſilio ipſius cogitabant, ut dictum eſt ſuprà 10. 5. & ſeq.

13 [26] Jehova Deus noſter, imperabant nobis
domini [27] præter te: tantùm per te [28] recordamur nominis tui.
14 [29] *Hi* mortui non reviviſcent; expertes vitæ non reſurgent: propterea viſitans perdidiſti
eos, & profligaſti omnem memoriam eorum.
15 [30] Adjeciſti huic genti Jehova, *vitam*; adjiciens huic genti glorificas te: *genti quam* procul
amoveras *ad* omnes extremitates terræ.
16 Jehova, in ipſa anguſtia viſitaverunt te: fuderunt [31] ſubmiſſam orationem, caſtigatione tua
premente ipſos.
17 Ut prægnans [k] propinqua partui, dolet,
exclamat in doloribus ſuis; ita fuimus à conſpectu tuo, Jehova:
18 Gravidi fuimus, doluimus, quaſi [32] pareremus ventum. [33] [l] ſalutem ullam non fuiſſemus effecturi terræ, neque caſuri fuiſſent incolæ orbis habitabilis.
19 [34] Reviviſcunt tui mortui, [m] cadavera
quæq; mea reſurgunt: [35] expergiſcimini, *inquis*, & cantate qui inhabitatis pulverē; [36] nam ros olerum ros tuus eſt, poſtquam in terram expertes vitæ dejeciſti.

[28] i. ſuperſtites ſumus, ut celebremus te in æternum liberati metu omnium inimicorum, verſu ſeq. [29] id eſt, domini iſti & tyranni non ampliùs impedient nos, quin celebremus te: alludit enim his verbis & ſequentibus ad genus illud liberationis quo uſus eſt Deus quum educeret populum ex Aegypto, Exod. 14. & 15. [30] amplificatio ſuperioris narrationis de veritate judiciorum Dei in Eccleſiam admirabilium, a circumſtantiis: primùm enim, inquit, erant depulſi in terras extimas, hoc verſu: deinde ſummis anguſtiis & doloribus preſſi, duobus ſequentibus. tertio planè perditi & mortui, niſi majeſtas tua ſuccurriſſet verſ. 18. & 19. & tamen (ait Eccleſia) eadem opera gloriæ tuæ conſuluiſti, & ſaluti meæ. [31] ut ſolent qui demiſſi ſunt & dejecti caſtigationibus cum lacrymis ſubmiſsè deprecare. [k] *Heb. appropinquans ad pariendum.* [32] i. nihil unquam poſſemus parere; ſed perpetuis torminum ventorúmq; inter ſe in utero colluctantium cruciatibus conſtringeremur. [33] exegeſis verborum proximè præcedentium. q. d. Eccleſia, non fuiſſet mihi ex me facultas aut virtus pariendi, aut præſtandi quicquam ad ſervandum meos, aut deturbandum adverſarios: ſed utrumq; penes Deum eſt, qui præſtat utrumque verbo, ſequente verſ. [l] *Hebr. ſalutes.* [34] id eſt, inſtaurantur, & ex calamitatibus, tamquam ex morte, rediviva membra Eccleſiæ ſervantur verbo illo potente tuo. Eſt autem hic concluſio cantici, qua Eccleſia ſingulare Dei beneficium prædicans ſibi de mirifica hac ſalute gratulatur. [m] *Hebr. cadaver meum.* [35] proſopœia qua Deus inducitur populum ſuum ex anguſtiis velut e ſepulcro, excitans ad gloriam ſuam. [36] ætiologia a potentia verbi Dei: verbum Dei (inquit Eccleſia) cum cæleſti rore, fideles dejecti malis cum ſemine in terram projecto, corrupto, & moriente comparantur: quemadmodum autem ros e corrupto ſemine excitat herbam, ita verbum Dei reſtituit pios cum putri ſemine comparatos.

CAPUT XXVII.

[1] ultima pars prophetiæ per apoſtrophen ad populum Dei; qua inſtituitur populus de officio ſuo, & promiſſionibus Dei erga ſe: quorum illud hoc verſu continetur, hæ verò reliquo capite: hæ autem partim poſitæ ſunt in profligandis adverſariis, verſ. 2. & 3. partim in ornandis, curandis, educendis, purgandis, & colligendis Jiſraëlitis, inde ad finem.

1 AGe [1] popule mi, [2] intra in conclavia tua,
& occlude fores tuas tibi: latita quaſi exiguo momento, donec præterierit indignatio.
2 [3] Nam ecce Jehova proditurus eſt [4] e loco
ſuo, ad animadvertendum iniquitatem habitatoris terræ in eum; & reteget terra [a] cędes ſuas,
neque obteget vltrà interfectos ſuos.

CAPUT XXVII.

3 Tempore illo animadvertet Jehova [5] gladio ſuo duriſſimo, maximóq; & validiſſimo, [6] in
balænam [b] ſerpentem oblongum, & in balænam ſerpentem tortuoſum; & interficiet draconem
qui *eſt* [7] in mari.
4 [8] Die illa, vineam [9] rubentis meri, acclamate ei.
5 [10] Ego Jehova ſum cuſtoditurus eam, momentis irrigaturus eam; ne *quis* inviſat eam, noctes, dieſq; cuſtoditurus ſum eam.
6 [11] Æſtus non *eſt* mihi: qui [c] induxerit me
[12] ſente *&* vepre ad prælium, *hunc* cautè ingrediens [13] eam ſuccendam *ex* ea [14] ſimul:
7 [15] Sin prehendet robur meum facturus pacem mecum; [16] pacem fecerit mecum.
8 Ut [17] advenientes Jaħakobi *poſteri* radicentur faciet, effloreſcet, & germinabit Jiſraël; denique implebunt ſuperficiem orbis habitabilis proventu.
9 [18] [d] An ut percuſſit [19] percuſſorem ejus, percutit eum? an ut interfecti ſunt [20] interfecti illius,
interficiuntur?
10 [21] [e] Moderatè [22] emittendo eum contendis *cum* eo: [23] *illum* aufert ſpiritu ſuo duro, [24] *quaſi*
tempore Euri.
11 [25] Idcircò hac re expiatur iniquitas Jaħakobi, & hic *eſt* totus fructus, ut amoveat peccatum ejus; [26] quum diſponet omnes lapides altaris ut lapides calcis diſſipatos, [27] nec conſiſtent luci aut ſubdiales ſtatuæ:
12 [28] Sed *illius* civitas munita *erit* ſolitaria,
caula disjecta, & derelicta velut deſertum; [29] ibi paſcet vitulus & ibi recubabit, etiam abſumet ramos ejus.
13 [g] Arefacto ramo ejus, frangentur *ramuſculi*,
[30] mulieres venientes incendent illum: quia non eſt [f] populus ulla intelligentia prędiuus, idcircò non miſeretur ejus, qui fecit eum; & qui formavit eum, non facit gratiam ei.

[b] *Hebr. vectem ut Ijobi 26. 13.* [7] i. in fluctuante hujus ſeculi æſtuario. [8] ſecundus promiſſionum locus; propoſitio ſumma beati ſtatus in quo Eccleſia futura eſt, & ſibi gratulatura in Domino: quæ deinceps exponitur ſuis gradibus a cura & attentione Dei erga illam, ut qui ſolus eſt auctor & effector beatitudinis. [9] id eſt, feracem vini generoſiſſimi, quod in ſcripturis ferè a rubore commendari ſolet: ut Gen. 49. 12. & Proverb. 23. 31. allegoria contraria illi qua Propheta uſus eſt ſuprà 5. 2. [10] pergit in eadem allegoria vineæ, ut ſuprà 5. ubi contrariæ minæ ſimilibus verbis exponuntur. [11] occupatio illius objectionis quam poterant Judæi ex argumento ſuperiorum prophetiarum adducere: quid? dixerat quiſpiam, nihil niſi graviſſimas & ſeveriſſimas minas prophetiæ tuæ denunciant, incurſiones, depopulationes, cædes ab Aſſyriis, Aegyptiis, & Babyloniis: ecquando igitur tempus illius promiſſionis quam modò ſignificat futurum eſſet? hanc objectionem anticipat Deus per Prophetam: ne putetis, inquit, me iracundum eſſe, moroſum, atque difficilem: non eſt in me, ſed in vobis culpa iſtarum calamitatum: ego vos fugientes revoco, accedentes obviis ulnis amplector, & cupientes pace dono. Quamobrem non eſt quod dubitetis de fide & miſericordia mea: ſi pergatis improbitate, pergam in judiciis; ſin autem pacem quæratis, jam expoſita eſt omnibus quærentibus eam: hæc eſt complexio duorum verſuum. [c] *Hebr. dederis me in prælium.* [12] id eſt, obfirmata malitia & peccatis ſuis, allegoricè: ut ſuprà 5. [13] vineam videlicet, id eſt, Eccleſiam, in qua perfidi, hypocritæ, & contumaces ſe extulerint adverſus Deum. [14] videlicet eos omnes qui Deum ad prælium indignis ſuis facinoribus provocaverint. [15] altera pars dilemmatis, promiſſio erga fideles prehendentes Deum fide, & conquieſcentes in robore ejus. [16] i. illicò facta fuerit, quum fidem & reſipiſcentiam ſuam exponet: ſic regreditur Propheta ad promiſſionem cœptam. [17] regreſſio ad promiſſionem, quam præcedens occupatio interruperat; qua Propheta continuat allegoriam vineæ. [18] amplificatio beneficentiæ Dei, quam promiſſionibus ſignificaverat, a fine caſtigationum quibus in Eccleſiam utitur, quæ illuſtrantur per comparationem earum quas in ſuos inimicos adhibet Deus. Hæc autem antitheſis hoc verſu poſita per interrogationem explicatur ſubjectione elegantiſſima, quatuor verſibus ſequentibus. [d] *Hebr. an ſecundum percuſſionem percuſſoris, &c. an ſecundum interfectionem interfectorum.* [19] id eſt, inimicum a quo populus Dei infeſtatur: de quibus caſtigationibus dictum eſt inde a capite 13. ſuprà. [20] id eſt, homines e percuſſoribus & inimicis populi, quos Deus curavit interfici. [e] *Hebr. in modo: metaphora.* [g] *Rom. 11. 27.* [21] ſubjectio ad quæſtionem præcedentem: qua Propheta primùm modum caſtigationum explicat in populum & in adverſarios Dei prolepticè, hoc verſu; deinde uſu propoſito exornat, tribus ſequentibus. [22] e terra promiſſa in miſeram ſervitutem, ſub Aſſyriis & Babyloniis. [23] hoſtem ſuum, percuſſorem populi ſui. [24] id eſt, abripit & convellit radicitus. [25] amplificatio gratiæ Dei in caſtigationibus populi ſui, a fine aut uſu earum, nimirum ut purgetur populus a peccatis ſuis. [26] id eſt, ex animo tollet abolebitque omnia quæ adverſantur gloriæ Dei, ut paſſim imperatur lege. [27] id eſt, evertentur & cædentur. [28] alterum membrum prolepſeos de caſtigationibus Dei in adverſarios, quæ dicuntur fore graviſſimæ, & humanis rebus deſcribuntur. [29] id eſt, omnia ſurſum & deorſum perdet ab humili herba ad ſummas arbores. [30] id eſt, etiam imbecilla mulierum manu conſumentur; adeo dejecta futura ſunt. [f] *Hebr. populus intelligentiarum.*

[2] i. recipe te ad Dei protectionem fide, & in ſtatione in qua ipſe te collocaverit firma patientia in ſpe & ſilentio conquieſce, neq; iſtis calamitatibus quæ terras pervaſuræ ſunt dimovetor. Reſpicit autem propheta his verbis ad formam liberationis ex Aegypto, qua interdixerat Deus ne exiret ullus e porta domus ſuæ, qua nocte proceſſurus erat ad percutiendū Aegyptum. Exod. 12. 22. [3] prior promiſſionum locus, ultio de adverſariis, ut Exod. 22. 23. [4] i. e cælis, unde revelatur ira Dei in omnem impietatem & injuſtitiam hominum, Rom. 1. 18. [a] *Heb. ſanguines.* [5] i. infinita potentia ſua & potente verbo: humanitus dictum. [6] id eſt, in ſublimitatem omnem ſpiritualem & corporalem, quę extulerit ſe adverſus Deum vi, fraude, vel utroque ſimul: quæ omnia allegoricè his appellationibus figurantur.

14 [31] Erit

[31] summa promissionum de restitutione populi quæ est veluti quædam conclusio totius prophetiæ, & signum primum adimiq; ad promissiones reliquas quæ antè dictæ sunt.

14 [31] Erit autem [32] tempore illo, excutiet Je-
hova inde [33] a fluxu illius fluminis usque ad tor-
rentem Ægypti, vos autem [34] colligemini g [35] si-
gillatim, ô Jisraëlitæ.
15 Eritque tempore illo, [36] *quando* clangetur
buccina magna; ut veniant qui perierant in ter-
ra Assyriæ & qui depulsi fuerant in terram Ægy-
pti; & *honorem exhibentes* incurvent se Jehovæ in
monte sancto Jeruschalaimis.

[32] quo Deus inimicos ita consumserit, ut Babylone factum est. [33] ab Euphratis alveo usque ad Schichorem Aegypti terminum, de quo Jehosch. 13.3. [34] i. eruemini & educemini e media illa veluti area, in qua populos per Cyrum est trituraturus Deus. g *Heb. unum unum.* [35] ut etiam prophetat Jirmeja 3. 14. & Jechezk. 39. 28. [36] i. promulgabitur mandato Cyri per totum regnum ipsius. 2. Chron. 36. 22. & Hezra 1. 1.

CAPUT XXVIII.

Propheta Jisraëli propter fastuosum & præfidentem animum ruinam denunciat: Judæis salutem promittit: & quia hos in illorum scelora prolapsos esse cognoverat, ea gravissimè exprobrat, indocilitatem evincit, improbitatem illudentem Deo increpat, exitium perstantibus in ea prædicit: ac postremò resipiscentes confirmat de mirifica Dei administratione.

[1] Hujus capitis duæ sunt præcipuæ partes: una, de regno Jisraëlitarum, quod in exemplum Judæis proponitur versibus quatuor; altera, de regno Judæorũ a versu 5. ad finẽ usque. Tractatur autem prior hæc pars per similitudines elegantissimas, & comparationem singulorum judiciorum Dei cum peccatis Jisraëlitarum, quæ proleptice exposita sunt hoc V. [2] id est, superbissimo regno Jisraëlitarum, ut Hosch. 5. 5. & 7. 9 & infra V. 3.

1 [1] VÆ [2] coronæ fastus, ebriosis Ephrajimi, [3] cu-
jus ornatus decor *est velut* flos caducæ
plantæ, [4] eis a qui præsunt [5] valli b pinguissimæ,
obtusis vino.
2 [6] Ecce [7] robustus & fortis Domino, similis
inundationi grandinis, turbini c exitiali; similis
inundationi aquarum validarum exundantium,
dejiciet in terram [8] manu.
3 Pedibus conculcabuntur; corona fastus,
ebriosi Ephrajimi.
4 Tum erit *velut* turba florum caducæ *plan-
tæ* decor ornatus illius, quisquis præest valli pin-
guissimæ; [9] ut fructus præcox quum nondum *est*
æstas, quem ubi videt d quispiam dum adhuc *est*
in manu sua deglutit.
5 [10] Tempore illo erit Jehova exercituum
[11] pro corona decoris, & pro diademate ornatus;
reliquo populo suo:
6 [12] Et pro spiritu judicii, [13] ei qui præsidebit
judicio, [14] & e potentibus regerentibus bellum
in portam.
7 [15] Verumtamen etiam isti vino errant, &

[3] i. qui momento defluxi sunt, ut flos marcescentis herbæ: nam statim hoc regnum labefactatum est per Schalman-Eserem anno sexto Chizkijæ, 2. Reg. 18. 10. [4] i. principibus opulentissimi regni, ac proinde luxu propter summas opes diffluentis. a *Heb. qui sunt in capite vallis, ut infrà V. 4.* [5] id est, agro Jisraëlitarum, qui tamquam vallis subjacet Libano, estq; hubertimus: ut ostendunt Jaħakob & Mosche Gen. 49. & Deut. 33. b *Heb. pinguedinum.* [6] singularis explicatio maledictionis, a persona Assyrii quem Deus erat in Jisraëlitas immissurus, & a malorum gravitate quæ erant perpessuri. [7] nimirum Schalmaneser Assyrius cum copiis, administer judiciorum Dei contra Jisraëlitas. c *Heb. exitii.* [8] videlicet una, quasi dicat, nullo negotio: nam regnum totum intra triennium occupatum est. [9] id est, velocissimè decerpetur, & avidissimè consumetur; ut sequentia verba explicant: nam una expeditione regnum Jisraëlitarum deletum est; non autem sæpius restitutum, ut regno Jehudæorum fecerunt Babylonii. d *Heb. videns.* [10] secundus locus prophetiæ de regno Jehudæ, ut diximus in versum 1. Sunt autem hujus prophetiæ partes quatuor: prima, est promissio salutis in Judæa permansuræ, quum profligabitur Jisraël, duobus versibus: secunda, querela de peccatis Judæorum, & contestatio, inde ad versum 14. tertia, denunciatio judiciorum Dei in futurum, usque ad versum 22. postrema, conclusio a doctrina & usu superiorum omnium, ad finem usque. Tempus autem illud intelligit quo fuerunt Jisraëlitæ profligati, & Judæi servati incolumes. [11] id est, erit gloria, decus, & ornamentum Judæorum. [12] id est, auctor erit, effectorque judiciorum, quæ in Judæa pacis & belli tempore fuerint opus. [13] id est Regi, & omnibus militiam forensem exercentibus. [14] id est ducibus, militibusq; hostem non tantùm propulsantibus, sed etiam invadentibus terminos illius, ut 2. Reg. 18. 8. e *Heb. viris potentiæ.* [15] Secunda pars prophetiæ, ut diximus in V. 5. continens primùm querimoniam de indignitate Judæorum, V. 7. & 8. deinde contestationem, usque ad versum 14.

potu inebriante oberrant: [16] præses ac Prophe-
ta errant potu inebriante, absorbentur a vino;
oberrant præ potu inebriante, errant in functio-
ne videntis, titubant *in* judicatione.
8 Nam omnes mensæ plenæ sunt vomitu, *&*
excremento, [17] non *superest* locus.
9 [18] Quem doceret scientiam & cui propo-
neret intelligendum documentum? depulsis a
lacte, avulsis ab uberibus?
10 [19] Quum [20] præceptũ præcepto, præcep-
tum præcepto, delineatio delineationi, delinea-
tio delineationi; pauculum hîc, pauculum illîc
fuerit additum:
11 [21] Quum f peregrino sermone, & lingua
exotica alloquutus sit populum istum *Jehova*:
12 [22] Quum dixerit eis, hæc *est* ipsa requies,
[23] quietem tribuite lasso; & hæc *est* respiratio: &
noluerint auscultare:
13 [24] Sed fuerit eis verbum Jehovæ, præcep-
tum præcepto, præceptum præcepto, delineatio
delineationi, delineatio delineationi, pauculum
hîc pauculum illîc; ut pergerent, & corruentes
retrorsũ confringerentur, & irretiti caperentur:
14 [25] Idcircò audite verbum Jehovæ, viri
g irrisores, dominatores populi hujus qui *est* Je-
ruschalaimis.
15 Quoniam dicitis, [26] pepigimus fedus cum
morte, & cum sepulcro [27] egimus cautũ: [28] flagel-
lum inundantis quum transibit, non obveniet
nobis; quia [29] disponimus fallaciam receptum
nostrum, & in mendacio abscondimus nos.
16 [30] Idcirco ita ait Dominus Jehovi, [31] ecce
ego h fundamentum posui in Tzijone lapidem:

[16] ut Gen. 14. 45. nam interpretationem hanc alteri præferimus propter finem versus, quã huc pertinere non dubitamus. [17] videl. purus a sordibus & immunditie ipsorũ. [18] contestatio contra Jehudæos per occupationẽ: diceretis fortasse (inquit Propheta) vos non ita absorberi a vino, & in peccatis sepultos esse, quin adhuc possitis percipere spiritum judicii a Domino; imò vos spiritum illum obtinere: sed frustra illud obtenditis: nam primùm nón magis valetis sensu ad percipienda documenta judiciorum Dei quàm pueruli, sensu infantes estis, hoc versu; deinde verò non estis infantes malitia, sed incuræ, derisores, & contẽtores Dei versu decimo-quarto. [19] ἐργασία proximè præcedentis criminationis in Judæos de infantia & inscientia illorum, quatuor versibus: sic enim argumentatur Propheta, neque puerilia rudimenta domesticorum, & minutissimæ accuratissimæq; præceptiones & institutiones a Deo propositæ, neque extraneorum durities profuit ad vos informandos, neque paternum imperium, tribus versibus: sed his omnibus tamquam pueruli abusi estis in perniciem vestrum V. 13. ecquis vestrûm ergo est quem doceat Deus? [20] alludit Propheta ad viam illam facilem qua informantur pueri, quibus præceptiones subinde dantur & inculcantur, & manus ad scriptionem ducitur, denique documenta singularum rerum singulis propè momentis quàm facillimè fieri potest traduntur eis: quod officium per prophetas a Deo factum esse constat, ut 2. Chron. 36. 15. [21] quasi dicat, quum Deus pueros facilibus & obviis domesticorum suorum documentis non credentes, per extraneos in Judæam introductos exercuerit & castigaverit; quod sæpius factum fuisse commonstrant sacræ historiæ: secundum ad infidelitatem evincendam argumentum, ut loquitur Paulus 1. Corinth. 14. f *Heb. ridiculis lab o. i. peregrinis: quia vulgo peregrinus sermo non intellectus ludibrio est.* [22] tertium argumentum ad evincendam infidelitatem, quasi dicat, quum Judæi ab extraneis vexati atque agitati audiverint Deum sibi redintegrantem promissiones suas, nisi per ipsos staret quo minùs eas obtinerent: ut 2. Reg. 21. 8. & 9. [23] id est, si quidem lassi estis & cruciatibus magnis fatigati; videte ut quietem hanc obtineatis observando præcepta mea. [24] id est, ac potiùs omnia illa documenta Dei (quæ hic synecdochicè intelligenda sunt) Judæorum improbitate in ruinam ipsorum conversa sint: ut infidelibus Evangelium & omnia quæ Deus exhibet per se salutaria, odoris sunt mortis ad mortem per ipsorum vitium; 2. Corinth. 2. 16. [25] tertia pars, denunciatio judiciorum Dei: in qua Propheta Judæis primùm omnem excusationis speciem adimit, exprobrans impietatẽ summam & ludificationem Dei, duobus versib. posteà judicium severissimum prædicit. g *Hebr. irrisionis.* [26] i. nos ab omni malo sumus securissimi: thrasonicæ hyperbolæ. [27] i. tantum nobis prospeximus, quantũ viri cauti & prudentis est prospicere. [28] id est, malũ repentè invadentis Dei, ut torrentes solent irrumpere: duplex allegoria, qua Propheta usus est ad servandã antonomasiam. [29] i. ut moles & obices opponuntur aquis irrumpentibus, ita nos adversus ista mala quæ interminaris nobis, sagacissimè prospeximus, velut objectis aggeribus, quos tu fallaciæ nomine & mendacii appelles licet, nos tamen illis freti in securitate vivimus. [30] jam sequitur denunciatio judicii, ut in V. 14. dictũ est: qua exponitur primùm quæ sit causa & fundamentũ omniũ judiciorum Dei, nimirum Christus, qui unus salutis piorũ & exitii infidelium effector est, hoc versu; deinde quæ forma judiciorũ in derisores istos futura sit, versibus seq. [31] emphatica exprobratio adversus incredulos inest particulæ demonstrandi & toti huic orationi. q. d. ego ab æterno posui fundamentũ Ecclesiæ Christũ, eumdẽ vobis exposui & Ecclesiæ toti, ut fide adhærentes ei nõ traduceremini præcipites ad amplectenda studia & judicia carnis vestræ; sed fide in ipsum (quæ est demonstratio rerum futurarũ) patienter exspectaretis opus Dei: jam verò quum omisso Christo, abjectâq; fide festinetis ad res præsentes, quæ amanteis sui omnino confusuræ sunt; propterea disponam, &c. ut versu seq. h *Hebr. fundator lapidis.*

[32] lapidem

[32] lapidem [33] probationis, [34] angularem, pretiosum, [35] fundationem [i] fundatissimam, qui credit [36] non præfestinabit.

17 [37] Disponam enim judicium ad lineam, & justitiam ad perpendiculum; [38] ut excernat grando receptum fallaciæ, & [k] latibulo *suo* aquæ inundent.

18 Tum abolebitur fœdus vestrum cum morte, & cautio vestra cum sepulcro non stabit: flagellum inundantis quum pertransibit, tum eritis ei conculcationi.

19 [39] Ex quo transiverit, intercipiet vos; nam [l] quolibet mane pertransibit interdiu & noctu: [40] eritque tantummodò commotioni, [m] quum proponet intelligendum documentum.

20 [41] Nam [42] brevius erit stratum quàm ut protendat se; & stragula angusta, quum [43] colliget *se cubans*.

21 Nam [44] sicut *in* monte Peratzimorum exsurget Jehova, sicut *in* valle [45] ad Gibhonem irascetur: ad faciendum factum suum, extraneum factum suum, ad operandum opus suum, [46] alienum opus suum.

22 [47] Nunc itaque ne pergatis ludificari, [48] ut non confirmentur vincula vestra: nam [49] consummationem & *quidem* [50] præcisam audivi a Domino Jehovi exercituum contra totam hanc terram.

23 Aures adhibete, & audite vocem meam; attendite & audite sermonem meum.

24 [51] An totum diem arat arator ad seminandum? sulcat & occat terram suam?

25 An non quum æquavit superficiem ejus, aut spargit melanthium, cyminúmque dispergit; aut disponit triticum præstans, vel hordeum insigne, vel speltam *in* termino suo;

[32] Christum, ut Psal. 118. 22. [33] id est, electum, veluti probatissimum; quomodo interpretatur 1. Petri 2. 6. [34] ut Psal. 118. ibidem. [35] id est, cui omnes qui superstructi fuerint, non poterunt concuti, neque vel ab ipsis inferorum portis superari, Matth. 7. 24. & 16. 18. [i] *Heb. fundationis.* [36] id est, ex impatientia & infidelitate ad res præsentes non confugiet, ut fecit Achaz suprà 7. & vos quoque, ô irrisores, facitis, qui mavultis cum morte & sepulcro pacisci, quàm pendêre ex promissionibus Dei: quod vobis in confusionem exitiúmque cessurum est. Quamobrem hoc verbum per metalepsin a Græcis redditum est καταισχυνθῇ vel καταισχυνθήσεται, Rom. 9. 33. & 1. Petri 2. 6. [37] descriptio judiciorum Dei, illustrata per antithesin peccatorum, quibus suæ comparantur pœnæ a justitia Dei sapientissima: atque hujus veritatem propterea Deus metaphoricè appellat lineæ & perpendiculi nominibus. [38] id est, ut quicquid struxistis (velut straminea casa arenæ imposita) repentino Dei judicio ut grandine corrumpatur, & torrentium impetu abripiatur: allegoriæ, ut Matth. 7. ibidem. Excernere autem quod dicit, accipiendum est de illis quasi ramentis populi sui, quæ non tantum eversurum scopis, ut anteà, sed etiam pala minatur ejecturum e medio suorum & quasi furcillis extrusurum: quod Hebræum verbum significat. [k] *Hebr. latibulo aquarum inundent: ut Genes. 9. 6.* [39] id est, ubi cœperit in vos irrumpere, non desinet donec pereatis e via. [l] *Hebr. in mane mane.* [40] id est, neque tantùm gravitate operum Dei commovebimini in exitium vestrum, verum etiam verbo, quod nunc petulanter ludificamini: denique consternabimini omnibus testimoniis præsentiæ Dei, a quo abhorrebitis tamquam judice severissimo. hæc ut ita accipiamus facit cōparatio versus 9. [m] *Heb. proponendo intelligendam auditionem: sic accipitur auditionis nomen in 53. 1.* [41] ἐργασία proximè præcedentis denunciationis, Deum pertransiturum interdiu & noctu, Judæósque gravitatem judiciorum experturos, quod per ὕστερον πρότερον exponitur: primùm enim nocturnæ angustiæ, hoc versu; posteà diurnæ versu seq. ab exemplo demonstrantur. [42] id est, infernè, supernè, nulla denique ex parte poterit se a Dei flagellis tegere. [43] id est, corpus suum in arctum contrahet. [44] i. ita vos ex improviso opprimet citra humanam artem, ut olim Pelischthæos, 2. Schem. 5. 22. & seq & 1. Chron. 14. 13. [45] percussit enim Pelischthæos Deus inde a Gibhone Gezerum usque, 2. Sche. 5. 25. & 1. Chro. 14. 16. [46] i. insolens & summè admirabile. [47] quarta pars, conclusio, ut diximus in V. 5. cujus in universum loci sunt duo: prior quo revocat Judæorum reliquias ad resipiscentiam, ut sibi præcaveant a malo, duobus versibus; posterior, quo Dei administrationem & veritatem asserit ut tempestivè resipiscant, V. 24. & seq. [48] i. non constringamini valentioribus vinculis potentiæ Dei, ac proinde vincti non permaneatis, donec exardescente igne iræ Dei consumamini. quasi dicat, peccatis vincula hominum confirmantur, solvuntur resipiscentia: videte ergo ut resipiscatis maturè. [49] ut sup. 10. 22. & 23. [50] nisi resipiscatis, ut modò dictum est: nam hæ promissiones & minæ hypotheticæ sunt ex lege. [51] secundus conclusionis locus, quo propheta administrationem & veritatem Dei asserit per comparationem agricolæ; ut illusores humano exemplo evincat suo tempore judicium Dei eventurum, & pios confirmet in exspectatione ejus: sua sunt (inquit Propheta) rebus omnibus agendis tempora, novandi, arandi, occandi, æquandi, serendi, metendi, colligandi, & excernendi grani, & suæ rationes singulis; quæ omnia agricolarum prudentia discernit a Deo indita: qui ergo posset Deus auctor prudentiæ vacare prudentia in administratione sua? populum suum quodammodo novavit, aravit, occavit, &c. jam verò audivit tempus messis impendêre, quod vocatur consummatio præcisa, vers. 22. ne itaque ampliùs ludificemini.

26 Deinde [52] colligat illud [53] ad eam rationem, *quam* Deus ejus docet eum?

27 [54] Nam non tribula trituratur melanthium, aut rota plaustri super cyminum versatur; sed baculo excutitur melanthium, & cyminum virgâ.

28 [55] Panis *verò* [56] comminuitur; quia non in perpetuum [n] pergit triturare ipsum, ubi quassit rota plaustri sui, equitibus suis non comminuit ipsum.

29 [57] Etiam hoc a Jehova exercituum prodit *qui* mirificus est cōsilio, [58] magnificus re ipsa.

[52] id est, ex iis demessis manipulos effecit, circumpositis vinculis, de quibus diximus in V. 24. [53] id est, ut manipulis illis [illegible] faciat quod Deus lege natura faciendum docuit: videlicet excutiendo granum suis modis, aciisque & stipulam ab eo excernendo; ut grana recondantur, & paleæ consumantur. [54] hi duo versus velut per parenthesin inserti sunt, exegetici illius rationis quam proximè Propheta nominavit. Rationem hanc (inquit) Deus indidit agricolis, ut leviora & teneriora semina leviùs, graviora fortioráque graviùs excutiantur. [55] id est, triticum ex quo panis conficitur, metonymicè: ut Ecclesiast. 11. 1. [56] nimirum tribula, rota plaustri, & equitibus, ut sequentia verba ostendunt: quod genus excutiendi frumenti in partibus illis & Italia tota usitatum esse constat. Vide Varronem lib. 1. de re rustica cap. 43. [n] *Hebr. triturando triturat.* [57] alterum exemplum prudentissimæ administrationis Dei, consolandis bonis: ut non semper serit beneficia, ita etiam non semper triturat & affligit malis. His autem verbis observandum est reticeri alteram partem exempli, de judicio Dei adversus improbos: quod modestissimum loquendi genus docet quàm sanctè Propheta de Judæis cogitaverit, quos ad resipiscentiam provocabat. [58] hac eadem prudentia utitur Deus in momentis temporum & rationibus observandis; ut bonos beneficiis & afflictionibus perducat ad perceptionem quietis suæ, & improbos perdat.

CAPUT XXIX.

Propheta urbi & templo Dei excidium a Babyloniis denuncias propter ignorantiam, obfirmationem, & hypocrisin Judæorum: quas ubi comprobavit; primùm in subdolas mentes venturum judicium prædicit, & pios excipit: posteà verò in contumaces, quia regnante Tzidkija auxilium ab AEgyptiis imploratum, prophetarumque monita neglecta sunt; venturam severitatem judiciorum Dei per Babylonios prædicit: reliquiæ verò de salute & gloria promissa exemplo Sancheribi confirmantur, & de hostium profligatione: postremò concio hortatione ad resipiscentiam & promissis concluditur.

1 [1] VÆ [2] Arieli, Arieli, urbi *in qua* [3] castra metatus est David: [4] adjicite annum ad annum; [a] sacrificiis festorum capita exscecent:

2 [5] Attamen angustabo Arielem; eritque [6] mœror & mœstitia, [7] quum erit mihi

[1] Hujus concionis, quam tribus hisce capitibus contineri judicamus, quatuor sunt in universum partes: prima est denunciatio summa judiciorum in totum regnum & populum Judæorum, quæ per Babylonios erat effecturus Deus, usque ad versum 15. secunda & tertia sunt prioris denunciationis partes, quibus judicium illud universè pronunciatum duobus modis accommodat pro personarum ratione: secunda enim pars est denunciatio contra hypocritas, a versu 15. hujus capitis ad finem usque: tertia verò, contra desertores Dei manifestos, capite 30. quarta est conclusio, populum ad bonam frugem revocans, capite 31. Primæ autem denunciationis partes sunt duæ: propositio, usque ad versum 9. & narratio causarum ex quibus hoc judicium eventurum est, usque ad versum 15. Hoc enim væ, non est imprecantis, sed prænunciantis vocabulum, quo Propheta excidium tum ipsius templi, tum civitatis ostendit. [2] id est, altari, ac proinde templo synecdochicè; est autem Ariel vox composita, significans de verbo ad verbum leonem Dei fortis: quo nomine intelligitur ἐσχάρα sive focus ingentis illius altaris arei, de quo 2. Chron. 4. 1. qui velut immanis leo holocausta allata consumebat igne perpetuo, cujus mentio est in fine hujus prophetiæ infrà 31. 9. sic etiam accipitur Jechezk. 43. 15. & 16. Est autem in priore hujus versus membro prolepsis sive propositio summa utriusque calamitatis, quam sequentia verba ex ordine interpretantur. [3] id est, ubi David militiam suam forensem habuit, & totum comitatum suum: nam urbs Davidis ex eo dicta est. [4] apostrophe ad obsessos, qua Propheta ostendit diuturnam fore obsidionem, & inutilem Judæorum laborem in defendenda urbe, atque adeò irritum externum cultum Dei quem adhibuerint: nam obsidionis illius decretum esse irrevocabile. [a] *Hebr. festivitates* Exod. 23. 18. [5] id est, neque viribus vestris, quas ad propulsandos Chaldæos occupabitis, neque sacrificiis quibus vos iram meam amolituros præsumetis, impediar quo minus in summas angustias templum meum, urbémque vestram, & vos ipsos redigam. [6] id est, summa & incredibilis anxietas. [7] id est, quum urbem atque adeò templum perdam.

urbs ut Ariel.

3 [8] Nam castra metabor [9] pilata acie contra te; & obsidens te stativis, erigam contra te obsidionalia munimenta:

4 Adeò ut dejecta [10] e terra loquaris, & e pulvere mussitet sermo tuus, [11] sitque quasi Pythonis e terra vox tua, & e pulvere sermo tuus pipiat.

5 Nam erit [12] ut pulvisculus tenuis multitudo extraneorum tuorum; & [13] velut gluma transiens multitudo violentorum, adeò erit ad momentum repentè.

6 A Jehova exercituum [14] visitabitur [15] tonitru, & terræ motu, sonóque magno, turbine, & procella, flammáque ignis consumentis.

7 [16] Erit enim tamquam somniaret viso nocturno multitudo omnium istarum gentium, quę militaturæ sunt contra Arielem; & singuli militaturi contra eam munitionémq; ejus & angustaturi eam:

8 Erit inquam, [17] ac si somniaret famelicus quòd ecce comedit, quum autem expergiscitur, vacua *est* anima ejus; aut quasi somniaret sitiens quòd ecce bibit, expergefactus autem ecce lassus est, & anima ejus appetit: ita erit multitudo omnium istarum gentium quæ militaturæ sunt contra montem Tzijonis.

9 [18] Cunctantur, quin [19] admiramini; [20] delicias agunt, quin [21] vociferamini: [22] inebriantur, at non vino; vacillant, non autem inebriante potu.

10 ‖ Nam [23] perfudit vos Jehova spiritu soporis alti, & obstipavit oculos vestros; [24] cum prophetis etiam primorum vestrorum prudentissimorum *oculos* obtexit.

11 Ideò est vobis visio istorum omnium similis verbis literarum obsignatarum; [b] quæ dantur [25] scienti literas, dicendo, lege quæso hoc: dicit autem, non possum, quia obsignatum est:

12 Sin autem dentur literæ [26] ei qui nescit literas, dicendo, lege quæso hoc; dicit, nescio literas.

13 [27] Dixit enim Dominus, [28] propterea quòd appropinquans populus iste, ore suo & labiis suis honorant me, cor autem suum procul amovet a me: estque reverentia eorum ega me, [c] quam præcepto hominum edocti sunt:

14 Idcircò ecce ego perrecturus sum res mirificas agere cum populo isto [d] indesinenter, & admirabiles, & ‖ peribit sapientia sapientum ejus, prudentiáq; prudentum ejus [29] sese abdet.

15 [30] Væ [e] [31] abdentibus in profundum a Jehova consilium: qui exsistente [32] in tenebris opere suo *quoque* dicunt, [33] quis videt nos? & quis animadvertit nos?

16 [f] [34] *Res* inverti a vobis, an sicut lutum figuli reputandum est? [35] quum dicet opificium de opifice suo, non fecit me, etiam figmentum [36] de fictore suo, non intelligit.

17 [37] An non adhuc paulisper, *tempore* perpusillo, etiam convertetur libanus in arvum? & arvum pro sylva reputabitur?

18 [38] Et audient die illa surdi isti [39] verba literarum; & [40] ex caligine atque e tenebris oculis cæcorum videbunt:

19 [41] Et cumulabunt mansueti in Jehova lætitiam; egentissimiq; hominum in sancto Jisraëlis exsultabunt:

20 Quòd desierit violentus, defeceritq; derisor; & excisi fuerint quicunque sedulò observant vanitatem,

21 Peccati reum peragentes hominem [42] propter verbum; & corripienti ponentes tendiculam in porta; denique pervertentes sua inanitate justum.

22 [43] Idcircò ita ait Jehova de domo Jahakobi, [44] qui redemit Abrahamum: [45] non jam erubescet [46] Jahakob, neque jam facies ejus expallescet.

23 Nam quum videbit natos suos, [47] opificium manuum mearum in medio sui, sanctificantes nomen meum; tum [48] sanctificabunt sanctum Jahakobi, & Deum Jisraëlis expavescendum prædicabunt:

24 Ut cognoscant [49] errabundi spiritu prudentiam, & [50] susurrones discant doctrinam.

[8] ἐγγαφία superioris denunciationis, usque ad versum 9. [9] ut Ijobi 15. 24. harum autem minarum complementum vide 2. Reg. 25.4. [10] id est, humillimè & submissisimè, ut ii faciunt qui corpore & animo abjecti sunt. [11] vide suprà 8.19. [12] id est, erit multitudo numerosissima: nam omnes copias Nebucadnetzar adduxit. [13] id est, promtissima erit & velocissima ad exsequenda sine mora judicia mea. [14] urbs Davidis videlicet. [15] id est fragosis, repentinis, vehementibus, immedicabilibúsq; plagis: quæ hac verborum congerie allegoricè designantur. [16] ætiologia proximè præcedentis congeriei, qua gravissimas calamitates Propheta designavit: non est mirum, inquit, si Chaldæi in vos intonaturi sunt, &c. nam rapientur odio contra vos insaturabili, neque satis habebunt unquam vos crudelissimè & inhumanissimè contumeliis, plagis, cædibus, incendiisque confecisse: quod genus odii sævissimi & inexplebilis duabus somniantium figuris illustratur. [17] id est, semper ardentissimè esuriet (ut ita loquamur) & sitiet malis afficere te, neque adhuc allatis gravissimis malis acquiescet: quam rabiem optimè describit Jirmeja in Lamentationibus. [18] narratio, ut diximus in vers. 1. qua exponuntur excidii prædicti causæ duæ: una est stupor & cæcitas populi Judæorum, versibus quatuor; altera, obdurationis a Deo sententia, vers. 13. & 14. In his autem verbis (quorum allusiones sunt elegantissimæ) est contestatio, qua Propheta primùm omnibus palàm facit stuporem populi, deinde per apostrophen ad populum ipsius officium ostendit, quod si saperet facturus esset. Hæc ita accipienda esse distinctiones docent, quæ exstant in manuscriptis exemplaribus nostris. Cunctantur, inquit, nimirum resipiscere & credere monitis servorum Dei. [19] id est, rapti in admirationem Deo vos tradite, & glorificate ipsum. [20] id est, genio indulgent & cupiditatibus. [21] ad Deum videlicet, missis deliciis & omni luxu implorantes misericordiam ejus, & tempestivè judicia prævertentes. [22] Judæorum animi studiis occupati, ne accipiant Prophetarum verba: metaphoræ. ‖ *Rom.* 11. 8. [23] id est, Deus obthuravit animum & oculos vestros justo judicio suo: allegoria. [24] id est, neque tantùm plebeios, sed etiam utriusque ordinis, civilis & Ecclesiastici, curatores soporavit: quod sequente similitudine illustratur. [b] *Hebr. quas si dent: impersonaliter dictum.* [25] periphrasis peritorum, ut prophetæ atque primores sunt. [26] periphrasis imperiti & illiterati vulgi. [27] altera pars narrationis, nimirum sententia obdurationis a Deo; exponens causam & judicium ejus. [28] duæ judiciorum causæ; una hypocrisis, altera superbia non acquiescens præceptis Dei, sed humana anteponens. [c] *Heb. præcepto hominum edocta.*

[d] *Hebr. res mirificas faciendo, & mirum.* ‖ 1. *Cor.* 1. 19. [29] id est, non ampliùs exstabit, peribit, ut modò dixit: metaphora. [30] secundus hic concionis locus explicat unum peccati genus, cujus causa in populum judicium denunciatum est, nimirum hypocrisin, ut diximus in vers. 1. Sunt enim tres hujus loci partes: prima est propositio summa judicii in hypocritas, hoc versu: secunda, confirmatio per redargutionem, a versu 16. ad 22. tertia, piorum consolatio, inde ad finem capitis. [e] *Hebr. profundantibus abdere.* [31] id est, iis qui omnem industriam consumunt in consiliis capiendis quæ etiam Deum ipsum fugere videantur; adeò sua hypocrisi conantur celare Deum, & putant notitiam ejus posse subterfugere; ut sequentia verba explicant. [32] id est, in abditissimo occultè institutis, & sententia ipsorum impervestigabilibus consiliis. [33] quasi dicat, ne Deus quidem ipse videt. [f] *Hebr. vertere vos.* [34] confirmatio per redargutionem ἐξ *ἀντιθέτου* a persona ipsorum, & persona Dei: prius enim argumentum est; putatisne vobis esse tam facile factu ut evertatis consilia Dei, & rebus omnibus utamini arbitratu vestro, quàm facile est figulo tractare lutum atque transformare? hoc versu: posterius autem, imò verò hoc unius Dei est, atque ita se habere facto experiemini, versibus sequentibus. [35] hypothesis ironica sive concessio, qua in ludibrium traducit Deus hypocritarum arrogantiam: mirum est, inquit, vos ita desipere, ut ne ipsa quidem naturæ principia cognoscatis: priùs enim opus negabit opificem suum, aut factum infectum erit, quàm consilia & cogitationes vestræ fugiant cognitionem meam: nedum ut minimam meorum consiliorum partem labefactent. [36] id est, dicere poterit: nam potentialis est (ut vocant) significatio. [37] altera pars antitheseos, qua Deus, contra quàm putabant hypocritæ, potentiam suam asserit. quasi dicat, meum est momento dejicere elatos, & exaltare humiles: quod per allegoriam hoc versu dictum, in sequentibus ab effectis illustratur. [38] effectus interminationis de cædendo Libano, quo ferè elati & insolentes homines figurantur: tam graviter (inquit Deus) percutiam illos ut velint nolint cogantur audire, videre, & sentire modis omnibus judicia mea; ad quorum denunciationes agebant surdos, & cæcutiebant ad signa. [39] de quibus suprà vers. 11. & 12. [40] in quam se putaverant profundissimè abditos esse a Jehova, suprà vers. 15. [41] effectus promissionis de arvo in sylvam attollendo, vers. 17. [42] id est, suscepta offensione etiam levissima de causa, aut planè nulla. [43] tertia pars, consolatio reliquiarum, a promissionibus Dei malum arcentis ab Ecclesia, eámque servantis, & informantis. [44] id est, adductus sola sua & gratuita misericordia, qua Abrahamum servavit, ex idololatria liberans, & posterorum salutem spopondit ei. [45] id est, quum prædictum opus effecero. [46] id est, Ecclesia, quæ hactenus abundavit filiis degeneribus, ac propterea probris affecta est atque deformata. [47] id est, regenitos spiritu meo, quomodo accipit Paulus Ephes. 2. 10. [48] Ecclesia cum filiis suis. [49] id est, miseri homines seducti a via veritatis, ac proinde hûc illûc impulsi variis doctrinarum ventis. [50] qui priùs prophetis obstrepuerant, eorúmq; monita tulerant indignissimè, discant conticescere & placidè accipere sermonem Dei.

CAPUT.

CAPUT XXX.

1 [1] VÆ [2] filiis contumacibus, dictum Jeho-
væ ad agitandum [3] consilium, at [4] non
ex me; & ad [5] [a] obducendū tegumentum, at non
spiritus mei: ut adjiciant peccatum peccato:
2 [6] Proficiscentibus ut descendant in Ægyp-
tum, quum os meum [7] non consuluerunt; ut ro-
borentur robore Parhonis, & recipiant se in [8] um-
bram Ægypti.
3 [9] Nam erit vobis robur Parhonis, pudo-
ri; & receptus iste in umbram Ægypti, ignomi-
niæ.
4 Quum fuerint [10] Tzohane principes [11] isti-
us, & legati istius [12] Chanesum pervenerint:
5 [13] Omnes pudefaciet [14] per populum, *per
homines* non profuturos illis: non adjumento, ne-
que emolumento; sed pudori, etiamq; probro
futuri sunt.
6 [15] Onus [16] jumentis australibus; [17] in ter-
ram [18] oppressionis & angustiæ, [19] *ad eos* ex quibus
immanis leo, juvenísq; leo, vipera & prester vo-
lans *proditurus est,* deportabunt humero asinorum
opes suas, & gibbo camelorum thesauros suos,
[20] ad populum *qui* non proderunt.
7 Nam Ægyptii *in* vanum & inaniter adju-
vabunt: idcircò [21] proclamo [22] de hoc, [23] fortitu-
dinem ipsis *fore* ut maneant.
8 [24] Nunc veni, inscribe hoc tabulæ apud
eos, & in libro exara ipsum: [25] ut sit [b] tempori-
bus sequentibus in sempiternum, usque in secu-
lum.
9 Nam populus [c] rebellis est, filii mendaces;
filii *qui* nolunt audire legem Jehovæ.
10 Qui edicunt videntibus, ne videatis, & pru-
dentibus, ne provideatis nobis recta; loquimini
nobis blanda, providete illusiones:
11 Recedite a via, deducite ab itinere; facite
[26] ut cesset a facie nostra sanctus Jisraëlis.
12 Idcircò ita ait sanctus Jisraëlis, quando-
quidem spernitis verbum hoc: confiditis autem
fraudi & [d] præfractæ vitæ, ac innitimini ea:
13 Idcircò erit vobis iniquitas ista, [27] similis
rupturæ cadentis *muri* [e] *quæ* ventrem faciebat in
muro edito: cujus repentè momento advenit
fractura.
14 [28] Franget autem eam quasi fractura utris
figulorum contusi, non est usurus clementia: a-
deò ut non inveniatur in contusione ejus testa
ad capiendum ignem e foco, aut ad depromen-
dum aquas e lacuna.
15 [29] Ita enim dicit dominus Jehovi sanctus
Jisraëlis, [30] reversione & descensu servabimini,
in tranquillitate, & fiducia erit potentia vestra:
non acquiescitis autem:
16 Sed dicitis, [31] nequaquam, nam [32] insi-
dentes equo fugiemus; idcircò fugietis: at levi
jumento vehemur; idcircò leviores erunt qui per-
sequentur vos.
17 [f] [33] Mille hominum ab increpatione uni-
us, ab increpatione quinque fugietis *omnes:* do-
nec [34] reliqui fiatis similes cippo, [35] in vertice hu-
jus montis, & similes vexillo in hoc colle.
18 [36] Idcircò autem [37] exspectabit Jehova
gratiam facere vobis, & idcircò elaturus est se ad
miserendum vestri; [38] quia Deus juris *est* Jehova,
[39] beati omnes qui exspectant eum.
19 [40] Nam populus Tzijone habitabit, Jerus-
chalaimis: [g] porrò non flebis, omnino gratiam
faciet tibi ad vocem clamoris tui; simul ac audie-
rit, exaudiet te.
20 [41] Dabit quidem vobis Dominus panem
angustiæ, & aquas oppressionis: verùm non in-
cludetur angulo ampliùs *ullus* docentium te; sed
oculi tui videbunt doctores tuos:
21 Et aures tuæ audient verbum a tergo tuo,
dicentium: hæc illa *est* via, incedite per eam,
[42] quum dexteram aut quum sinistram petetis:
22 [43] Et polluetis tectorium sculptilium ar-
genti tui, & amictum fusilis *ex* auro tuo: [44] sepa-
rabis ea, ut laborantem ex mensibus; apage, di-
ces eorum cuique;
23 [45] Tum dabit pluviam sementis tuæ qua
conseveris terram, adeò ut panis, proventus ter-
ræ sit uber & pinguis: depascent pecora tua die
illa pascuum latum.
24 [46] Boves etiam, & aselli colentes tellurem
farraginem meram comedent; quæ ventilata
fuerit vanno & ventilabro.

[1] tertius hic concionis locus, qui hoc toto capite exponitur, alterum genus peccati explicat quo populus in se accersivit judicia Dei, nimirum defectionem. Constat autem ex quatuor partibus. prima est propositio & denunciatio summa contra defectores, usque ad versum 8. secunda, narratio mandati quod Propheta accepit a Deo denunciandum populo, inde usque ad ℣. 15. tertia, contestatio gravissima cum populo, usque ad ℣. 27. postrema, confirmatio ab exemplo Assyriorum, ad fine usque capitis. [2] i. Judæis, qui regnante Tzidkija contumaciam majorum sua cumularunt, obdurantes cervicem suam, & animum obfirmantes, &c. 2. Chron. 36. 13. cujus contumaciæ insigne documentum fuit rebellio in Nebucadnetzarem contra fidem datam & prophetarum monita, & consociatio cum Aegyptiis, de qua hîc agitur, & Jirmejæ 37. & Jechezk. 17. [3] de rebellione in Babylonium, & federe cum Aegyptio. [4] cujus videlicet dicuntur filii: sic amplificatur criminis atrocitas. [5] i. asciscendam sibi protectionem defensionémq; aliam, quàm spiritus Dei, nimirum eam quæ sequentibus 6. vers. exponitur; idque tam occultè, ut non priùs de ea Nebucadnetzar cognoverit quàm copias in Judæam immisisset: ac propterea recipere eas coactus est inopinato adventu Aegyptii, Jirmejæ. 37. 9. [a] *Heb. tegendum tegumento.* [6] i. euntibus in Aegyptū, ut fedus jungant & consequātur auxiliares copias. [7] quin potiùs nuncios meos subsannarunt & spreverunt verba mea, 2. Chron. 36. 16. *μείωσις.* [8] ad fruendum protectione ejus, ut modò dixit, & figuratur Jechezk. 17. 7. [9] ἐργασία sive exornatio denunciationis præcedentis, quinque versibus. [10] vide Numeror. 13. 22. hæc autem historia habetur Jechezk. 17. ut antè diximus. [11] regis Jehudæ, nimirum Tzidkijæ. [12] id est, Daphnas Pelusias (ut Herodotus vocat lib. 2.) quæ cæteris scripturæ locis appellantur Tachpenes de nomine illius reginæ quæ memoratur 1. Reg. 11. 19. aut etiam Tachpanches Jermejæ 43. 7. Obiter tamen observandum est corruptum esse Herodoti locum tum in Græco contextu, tum in Latina interpretatione, ubi hoc modo legendum est, ἐπὶ Ψαμμιτίχου βασιλέος φυλακαὶ κατέστασαν ἔν τε Ἐλεφαντίνῃ πόλει πρὸς Αἰθιόπων, καὶ ἐν Δάφνῃσι τῇσι Πηλουσίῃσι ἄλλη πρὸς Ἀράβιων καὶ Ἀσσυρίων, καὶ τὰ λοιπά. Huius interpretationis nostræ auctorem sequuti sumus Jonathanem Chaldæum. [13] nempe rex Judæorum: id est, hac defectione sua & Aegyptiorum societate ruinam pudendam omnibus suis popularibus afferet. [14] i. Aegyptios, qui ipsis potius confusioni & damno futuri erant: ut sequentia ostendunt, & docet Jirmeja 2. 36. [15] amplificatio, per antithesin sive comparationem studii & munerum ad Aegyptios transmissorum, cum malis quibus Judæos ipsos affecturi sunt & beneficia illorum compensaturi. Hæc autem verba non facere initium novæ alicujus prophetiæ tam perspicuè verborum series commonstrat & interpretatio nostra, ut pluribus non sit opus. [16] i. camelis Arabicis & asinis, quemadmodum sequentia docent. [17] i. Aegyptum, ad cujus nomen alludit Hebræum oppressionis vocabulum. [18] i. qua tantùm opprimi & in angustias cogi ex more, non adjuvari Judæi possunt. [19] id est, Aegyptios, Judæis tam mortiferos quàm sunt leones, viperæ, &c. [20] ut suprà ℣. 5. [21] vide Jirmejæ 37. 7. [22] consilio & instituto Judæorum ad legationem mittendam. [23] i. si fortes & salvi esse volunt, ne legationem in Aegyptum mittant. [24] secunda pars hujus loci, nimirum narratio, ut diximus in ℣. 1. cujus membra sunt duo: unum, obsignatio prophetiæ propter incredulitatem populi, quatuor versibus: cujus generis obsignationem adhibuerat Mosche ex præcepto Dei, Deut. 31. 19. & seq. alterum, summa Prophetiæ de exitio populi, usque ad versum 15. [25] ut Deut. 31. 19. [b] *Heb. die pòst venturo.* [c] *Heb. rebellionis.*

[26] id est, desinat nos per prophetas obtundere. [d] *Heb. præfractæ.* [27] id est, proinde facitis hac iniquitate vestra, ac si vectibus aut malleis jam inclinantem murum vestræ reipublicæ momento deturbaretis in cervices vestras; sic Psal. 62. 4. [e] *Heb. tumentis.* [28] id est, & quidem franget minutissimè, ut Jirmejæ 19. 11. amplificatio. [29] tertia pars hujus loci, contestatio: qua Propheta primùm contumaciam populi cum Dei mandato comparat, hoc versu, & sequentis parte; deinde gravissimas calamitates prænunciat, tribus seq. ac postremò piorum animos consolatur erigitque amplissimis promissionibus, usque ad vers. 27. [30] id est, si tranquillis & sedatis animis certa fide conquiescentes in Deo, non autem Aegyptios implorantes (ut suprà versu 7.) ad Chaldæorum regem, cui vos Deus tradidit, revertamini atque descendatis: ut Jirmejæ 38. 17. & seq. [31] id est, nolumus reverti; sed potiùs omnia tentare, ut illorum effugiamus manus: vide Jirmejæ ibidem. [32] vide historiam 2. Regum, & 2. Chronic. ultimis capitibus; & Jirmejæ 39. & 52. [f] *Heb. mille unum.* [33] confer cum Jirmejæ 37. 10. ex decreto Dei Levit. 26. 8. & Deutero. 32. 30. [34] id est, reliquiæ ex vobis servatæ per electionem gratuitam parvo numero, spectandæ proponantur in oculis omnium gentium, ad colligendam Ecclesiam Dei, ut suprà 2. 2. [35] id est, in Ecclesia versantes, quæ Tzijone monte figuratur. [36] tum ut vos perdat, tum ut reliquias ex vobis servet. [37] id est, differet, donec judicium de impiis fuerit exsequutus. [38] id est, propter se utrumque effecturus est. [39] epiphonema *μεταβατικὸν* ad alterum locum de consolatione piorum. [40] consolatio a promissionibus Dei, primum de restitutione Ecclesiæ, hoc versu; tum de incorrupto Dei cultu, tribus sequentibus: postremò de benedictionibus Dei in terra & cælo, vers. 23. & seq. [g] *Hebr flendo non flebis, gratiam faciendo gratiam faciet tibi.* [41] occupatio, ne offenderentur piorum animi malorum sensu quæ inciderunt post restitutionem: docet enim Deus se quidem castigaturum esse virga hominum, sed nunquam suos relicturum esse orphanos, quin a doctoribus & ministris Dei assiduè corrigantur, informentur, &c. [42] id est, quum aberrabitis a recta via; aut aliquantum deflectetis. [43] id est, abhorrebitis ab iis omnibus quæ cultui divino adversantur. [44] id est, abjicies & abstinebis studiosissimè, velut a re turpissima & impurissima. [45] i. Deus tibi se hoc modo colenti benedicet. [46] id est, adeò abundabitis proventu terræ, ut etiam optimus & purgatissimus cibo jumentis esse possit: hyperbole.

25 [47] Erúntq;

25 [47] Eruntq; super omnem montem altum & super omnem collem elatum, rivi, processus aquarum; [48] tempore cædis magnæ, quum ceciderint [49] turres.

26 [50] Et erit lux ipsa lunæ sicut lux solis, lux autem solis erit septupla, ut lux septem dierum; [51] quo die obligaverit Jehova fracturam populi sui, & fractionem plagæ illius curaverit.

27 [52] Ecce [53] nomen Jehovæ venit [54] è longinquo, [55] ardens ira sua & gravitate incendii: cujus labia erant plena indignatione, & lingua ut ignis consumens:

28 Et spiritus ejus tamquam torrens inundans [56] *eum qui* ad collum dividebat; agitando [57] gentes agitatione [58] vanitatis, [59] fecit ut errent [60] fræno imposito maxillis populorum.

29 [61] Illud canticum futurum est vobis, [62] ut noctis qua sanctificatur festum: & [63] lætitia [h] animi, qualis *est* euntis cum tibia, ut veniat in montem Jehovæ, ad rupem Jisraëlis:

30 [64] Fecisse Jehovam ut exaudiatur majestas vocis suæ, & [65] descensum brachii sui demonstrasse, æstu iræ, [66] & flamma ignis consumentis; dispersione, & inundatione, ac lapide grandinis:

31 Quum voce Jehovæ contritus est Assyrius, [67] virga [68] solitus percutere.

32 [69] Sic erit [i] omnis locus quà transibit [70] virga fundatissima, cui imposuerit Jehova eam, [71] cum tympanis & cum citharis; quando [k] [72] bellorum agitationem ipsam expugnaverit.

33 [73] Etenim paratus est [l] jam antè [74] exitii locus, hic etiam ipsi regi constitutus est, [75] profundissimum, latissimum fecit *Jehova*: [76] pyræ ejus, ignis, & lignorum multum *est*, flatus Jehovæ quasi torrente sulphuris incendit eam.

[47] id est, irrigua erunt omnia, etiam quæ natura fuerint aridissima. [48] id est, quum Deus Ecclesiam suam repurgaverit cæsis hypocritis & contumacibus, in quos antè invectus est. [49] ut suprà 2.15. [50] id est, illustrissima erunt & gloriosissima omnia in restitutione Ecclesiæ: hyperbole. [51] id est, quum Ecclesiam ex inutilibus & abalienatis membris laborantem admota manu, tamquam chirurgus, curaverit: metaphora. [52] postrema pars hujus loci, confirmatio prophetiæ ab exemplo Assyriorum quod exponitur versibus quinque, tum verò ad prophetiam accommodatur, duobus ultimis. In exemplo autem proponuntur duo: primum est mirificum judicium Dei contra Assyrios, duobus versibus. alterum fructus inde perveniens cùm ad Judæos exsultantes, tum verò ad Deum ipsum, cujus beneficium & gloria perpetuo cantico celebratur. [53] id est, majestas Dei nominatissima. [54] id est, quando judicio non tantùm Assyriorum, sed Judæorum quoque, ac denique carnis, procul à Judæis abesse videbatur, ut hos liberaret illósque perderet: concessio. [55] id est, zelotypus pro defensione & liberatione Ecclesiæ suæ, ac proinde armis potentissimis instructus ad præstanda judicia sua, quæ allegoricè & humanitus tribuuntur Deo. [56] id est, Assyrium, qui jámque rerum omnium potiri videbatur, omnibus fermè occupatis præ-Jeruschalaima: vide suprà 8.8. [57] ex quibus conflatus erat Assyriorum exercitus. [58] id est, tanta agitatione, ut illi in vanitatem abeant. [59] id est, ita propulsavit ut palantes reliquiæ reverterentur in regionem suam. [60] Vide 2.Reg.19.28. & infrà 37. [61] id est, hoc tanto beneficio habetis quod lætemini, & unde glorificetis Deum. [62] id est, tam celebre & lætum, quàm est principium festorum solennium, quæ à nocte incipiebant ex lege. [63] vide Psal.42.5. & 84.5. & sequent. lætitiæ istius exempla. [h] *Heb. cordis.* [64] argumentum cantici prædicantis beneficium Dei erga Ecclesiam suam, duobus versibus. [65] id est, tamquam homo exerto & vibrato brachio, virium suarum documentum insigne contra Assyrios edidisse. [66] his quatuor comparationibus effecta iræ Dei qua profligati sunt Assyrii, optimè describuntur, perinde ac si igne fuissent consumti, in minutissima frusta (quod suprà dixit versu 14.) dissilivissent, torrentibus abrepti & mersi, aut grandine attriti essent: etsi utrum Angelus Dei his armis adversus Assyrios usus fuerit, an verò hæc dicantur διὰ παραβολῆς, non possumus confirmare. [67] ut suprà 10.5. & 24. [68] nam multoties Jisraëlem afflixerant Pul, Tiglath-pileser, Schalman-eser, & Sancherib, de quibus 2. Regum 15. & sequent. [69] Ἀπόδοσις sive accommodatio exempli ad argumentum hujus prophetiæ, qua docet Propheta populum quidem Dei ab hostibus mala perpessurum, ut castigetur paterna dispensatione; sed tamen semper illis fore exitum lætum a Deo, hostibus verò ingratissimum. [i] *Heb. omnis transitus virga fundationis.* [70] id est, certissima ex Dei decreto immutabili, super quo fundata est; ac proinde immota, & nulla arte evitabilis. [71] id est, reddetur lætissima & exhilarabitur liberatione Dei: synecdoche ab usu veterum, cujus exempla sunt Exodi 15.20. & 1.Schemu.18.5. & Psalm. 68.26. [k] *Heb. bella agitationis: hypallage.* [72] id est, hostes, quorum suos agitat operâ, profligaverit. [73] exornatio proximè præcedentis membri de adversariorum expugnatione, cujus forma allegoricè describitur. [l] *Hebr. ab hesterno die: synecdoche, ut Genes. 32.1. suprà 30.1. & seq.* [74] hîc singularem vocem adhibet ad notandum singulare judicium quo in regem Babyloniæ erat usurus Deus: nam deducitur a nomine Topheth, qui locus fuit amplus (unde nomen habet) ab idololatris celebratus, ut ex Jirm.7. & 19. constat: quemadmodũ etiam ante hæc tempora filios ab Achazo Rege in eodem loco fuisse exustos legimus 2.Chron.28.3. Quum itaq; impurissima illa sacrificia palam fierent ad portam Jeruschalaimorum maxima pompa atque apparatu, Propheta illustrissimum Babylonii regis exitium magnificentissimè efficiendum in oculis Ecclesiæ ipsius nominat conjugata & affini voce; quò etiam spectant singula illa descriptionis verba sequentia. [75] exegesis magnifica loci quem Propheta modò nominavit, ut ostendat convenientia fore Dei judicia cum personis: vide suprà 14. nam quòd illic Propheta prædicit fore ut Babylonius sepulcro cum aliis non capiatur, hic altera loquutione ostendit. [76] sic pergit in allegoria a comparatione eorum qui in valle Hinnomi comburebantur, adhibitis rebus quæ hîc dicuntur ad incendium, & conflagrationem illorum.

CAPUT XXXI.

1 VÆ [1] descendentibus *in* Ægyptum ad auxilium, & *qui* innituntur equis: qui confidunt curribus quum multi sunt, & equitibus quum sunt numerosi valde; neque respiciunt ad sanctum Jisraëlis, & Jehovam non requirunt.

2 [2] Atqui ipse etiam sapiens *est*, qui quum infert malum, verba sua non sinit amoveri: sed insurgit in domum [3] maleficorum, & [4] in auxilium operam dantium iniquitati.

3 Ægyptius verò homo *est*, non autem *Deus* fortis; & equi eorum caro, non autem spiritus: quare Jehova extendente manum suam corruet adjutor, & cadet adjutus, paritérque hi omnes deficient.

4 [5] Sed ita ait Jehova mihi, [6] quèmadmodum rugiens leo & juvenis leo ad prædam suam, quũ vocatur contra eum multitudo pastorum, a voce eorum non terretur, & a strepitu eorum non demittit se: ita descensurus est Jehova exercituum ad militandum [7] pro monte Tzijonis, & pro colle ejus.

5 [8] Sicut aves volucres, sic proteget Jehova exercituum Jeruschalaima; protegendo etiam eripiet, [9] transeundo etiam liberabit.

6 [10] Revertimini ad *eum*, [a] quem summa apostasia provocant filii Jisraëlis.

7 [11] Quum die illa spernent quisque idôla argentea sua, & idôla aurea sua; quod faciunt vobis manus vestræ in peccatum.

8 [12] Tum cadet [13] Assyrius gladio [14] non virili, & gladius non humanus consumet eum; & fugâ consulet sibi [b] metu gladii, juvenésq; ejus & lectissimi ejus [c] [15] tributarii erunt.

[1] ultima pars concionis, conclusio, hoc capite continetur; cujus partes sunt duæ: una est, prophetiæ præcedentis repetitio summa usque ad versum 6. altera, exhortatio ad resipiscentiam promissionibus conjuncta, ad finem usque. Repetitionis porrò duo sunt loci; minæ contra Judæos & Aegyptios, tribus versibus; & promissiones erga Ecclesiam, vers 4. & 5. [2] [illegible], qua refringit Propheta vanam Judæorum, Aegyptiorúmq; confidentiam per comparationem sapientiæ & potentiæ Dei: esto sanè, inquit, sint sapientes, sint potentes Aegyptii: jam verò multoties fecerunt periculum quàm facilè ipsorum sapientiam & potentiam deludat & evertat Deus, ut legimus Exodi 1. & sequentibus. Quamobrem non dubium est quin idem porrò sit facturus ad vindicandum gloriam suam. [3] quos filios contumaces & populum rebellem nominavit, suprà 30.1. & 9. [4] id est, in Aegyptios opitulantes Judæis. [5] occupatio, qua temperat Propheta proximè præcedentes minas; cadent quidem (inquit) adjutor Aegyptius, & Judæus adjutus Babyloniorum operâ; sed reliquias servabo & liberabo e manibus illorum: ut copiosè promisit suprà 30.19. & sequentibus. [6] id est, planè imperterritus a numero potentiáque hostium Ecclesiam infestantium. [7] id est, Ecclesia, synecdochicè. [8] nimirum protegunt nidum suum, ita Deus Ecclesiam suam perget protegere, protegendo eripere, &c. gradatio. Est autem hic ellipsis relati nominis, ut Levit.21.4. [9] quasi dicat, nocte una, sicut in Aegypto factum est, Exodi 12.29. nam nocte una similiter dejectum est Babyloniorum regnum ad liberationem populi, Danijel. 5.30. [10] alter conclusionis locus, reliquias populi exhortans ad resipiscentiam, hoc versu, tum promissiones subnectens. [a] *Hebr. in quem profundant apostasiam, sive profundam faciunt. suprà* 30.22. [11] expositio promissionum in resipiscentes, quorum resipiscentia describitur hoc versu [illegible]. [12] id est, quando reconciliatus fuerit Deus cum resipiscente Ecclesia, omnia succedent optimè: Deus enim ipse Ecclesiam suam protegens victoriam tribuet ab omnibus hostibus, eorum spoliis locupletabit Ecclesiam, denique cumulabit benedictionibus: quæ promissio synecdochicè ab exemplo recentis victoriæ contra Assyrium (quo uno potentissimo hoste fuerat tunc infestata Ecclesia) describitur. [13] i. quisquis, ut Assyrius, fuerit hostis Ecclesiæ: synecdoche, ut suprà 25.10. [14] sed divino, id est, spiritu Dei, ut Zecarjæ 4.6. [b] *Heb. a facie.* [c] *Heb. tributo.* [15] id est, Ecclesiæ ministrabunt & servient: ut Psal.72.8. & sequentibus. hinc autem apparet non propriè hoc quidem loco agi de cæde exercitus Assyriorum regnante Chizkija (quia tunc temporis minimè effectum est, ut ulli Assyriorum fierent tributarii) sed victoriam Ecclesiæ in regno Christi cum illa victoria comparatam, numeris omnibus illi anteferri. quasi dicat, & illud fiet, & multò amplius.

[16] id est, receptus ejus, cui confidit tamquam firmissimo munimento regni dejicietur, & habitatores diffluent formidine.

9 Nam [16] petra ejus præ formidine [d] evanescet, & conterentur [17] præ signo principes ejus; dictum Jehovæ, [18] cui [19] ignis *est* Tzijone, & [20] furnus Jeruschalaimis.

[d] *Hebr. transibit.* [17] id est, metu signi aut vexilli, quod contra ipsos Deus erexerit; ut Exodi 17.15. [18] his attributis Dei summas causas attingit Propheta prædictæ administrationis: Deus (inquit) in Ecclesia sua habitat, & in ea deposuit quicquid tum ad cultum suum, tum ad ultionem de hostibus sumendam pertinet: ac proinde quicunque in Ecclesiam invehuntur & Dei cultum labefactare volunt, se ipsos tamquam in furnum ardentem, ingerunt in iram Dei: ut dictum est suprà 30.30. & 33. [19] ad colendum Deum sacrificiis. [20] ad consumendos adversarios Dei & Ecclesiæ.

CAPUT XXXII.

Propheta administrationem regni Christi a doctrina, veritate, & simplicitate commendans, piósq; ad illius exspectationem erigens, desolationem Judææ antegressuram prænunciat, deinde effecta regni Christi in Ecclesia prædicans concludit sermonem æternæ beatitudinis promissione.

[1] Hujus prophetiæ, quam Propheta scripsit ad consolationem Ecclesiæ per regnum Christi, partes præcipuæ sunt quatuor. prima est hypotyposis sive propositio, oculis piorum subjiciens constitutionem illius regni, usque ad versum 9. secunda est hortatio populi ad prævertendas resipiscentia calamitates eventuras ante illius regni constitutionem, usque ad versum 15. tertia, descriptio bonorum, quæ percepturi fuerunt pii ex regno Christi, usque ad versum 20. ubi est conclusio epiphonematica.

1 EN [1] justè regnaturus est [2] Rex, & [3] principes jure principatum gerent;
2 Et erit [4] vir tamquam absconsio *a* vento, & latibulum ab inundatione: ut rivi aquarum in arido loco, ut umbra petræ ingentis in [5] terra fessa *ex siti*.
3 [6] Neque connivebunt oculi videntium, sed aures audientium auscultabunt:
4 [a] Animúsq; inconsideratorum intelliget scientiam, & lingua balborum [b] expeditè eloquetur *verba* explanata:
5 [7] Neque flagitioso ampliùs indetur nomen ingenui, & tenax non dicetur liberalis:
6 Sed flagitiosus *dicetur* flagitium eloquens, [8] cujus animus efficit iniquitatem; exercendo hypocrisin, & proloquendo in Deum [9] errorem, exhauriendo animam famelici, & potum sitientis subtrahendo:
7 Et tenacis [10] instrumenta mala *dicentur*; [11] qui scelerata consilia init ad perdendum humiles sermonibus falsitatis, etiam quum egens eloquitur jus:
8 Ingenuus verò, qui ingenua consilia init; & qui rebus ingenuis insistit.
9 [12] Fœminæ [13] tranquillæ [14] surgite, audite vocem meam filiæ confidentes, auribus percipite sermonem meum.
10 [15] [c] Annis multis continentibus commovebimini, ô confidentes: quia [16] defecerit vindemia, collectio non provenerit.
11 Trepidate ô tranquillæ, commovemini ô confidentes; [17] exuite atque nudate vos, denique accingimini lumbis.
12 [18] Propter ubera plangant; propter agros [d] desideratissimos, propter vitem frugiferam.
13 In terra populi mei spina sentica assurget: [19] ustio in omnibus domibus lætis, *in* urbe exsultabunda.
14 Nam [20] palatium deseretur, [21] strepitus civitatis derelinquetur: [22] clivus & exploratoria specula erit pro speluncis [23] usque in seculum, gaudio onagris, pascuo gregibus:
15 [24] Donec infundatur super nos [25] spiritus de excelso; & [26] redigatur desertum in arvum, & [27] arvum pro sylva reputetur:
16 [28] Habitétq; in deserto illo judicium, & justitia in arvo resideat.
17 Tunc erit opus justitiæ pax; effectus, inquam, justitiæ tranquillitas & securitas usque in seculum:
18 Nam residebit populus meus in caula pacis; & in habitaculis [e] securissimis, atque in locis ad quietem tranquillissimis;
19 [29] Ut ut grandinet [f] ruente sylva; & depressione deprimatur civitas.
20 [30] O vos beatos, qui severîtis [31] secundùm omnes aquas; [32] qui immiserîtis *eò* pedem bovis & asini.

[15] septuaginta deportationis, & aliis etiam consequentibus; ut ostendit præfinitio temporis, vers. 14. & 15. [c] *Heb. annis dierum super annum: de anno & mense dierum, vide Gen. 29.14.* [16] id est, terra exsolverit sabbatha sua, ut prædixerat Deus Levit. 26.34. & 43. [17] nimirum ordinariis vestibus, ut lugubres induatis, & cilicio accingamini, quo etiam modo hortatur Joël. 1.14. [18] id est, estote in luctu gravissimo, ac ne infantes quidem sugentes ubera ab eo liberate: ut Jonæ 3.5. & sequent. [d] *Heb. desiderii.* [19] sic accipimus hanc vocem, ut suprà 3.25. adducti fide historiæ 2. Regum 25.12. & 2. Chronic. 36.19. & Nechemjæ 1.3. & 2.3. [20] domus regis succensa igne. [21] vel multitudo, ut Lament. 1.1. [22] de quo 2. Chron. 27.3. & Nechemjæ 3.26. ubi erat turris magna & prominentissima (quam ab usu vocabant speculatoriam) teste Nechemja ibidem: Josephus a situ Ophlam vocat propter Hebræam clivi appellationem, libro 6. de bello Judaico, capite 6. [23] id est, diu, per longum tempus: nam tempus calamitatum definitur sequente versu. [24] tertia pars, in qua describuntur bona piis eventura quum extiterit plenitudo temporum. Sunt autem duo bonorum genera prolepticè hoc versu posita: unum, est communicatio spiritus & virtutis Dei in Christo; alterum, effectus sanctæ hujus communicationis, bonis salutaris, & improbis capitalis. [25] qui propter effecta proximè sequentia appellatur spiritus judicii & spiritus sublationis, suprà 4.3. [26] id est, pius, qui priùs horridus esse videbatur, fit tamquam excultus ager fructum ferens Domino. [27] id est, impius elatus, qui prius videbatur esse cultissimus, horrescat: quod nudè dixerat versu 5. & sequent. sic suprà 29.17. [28] ἐργασία sive exornatio effectorum spiritus Dei in sanctis: erunt, inquit, fructus spiritus in arvo, id est, Ecclesia Dei, justitia, pax, & gaudium: ut Roman. 14.17. [e] *Hebr. securitatum.* [29] id est, quamvis totus mundus alioqui inhorrescat malis, hi tamen ab omnibus immunes conservabuntur. Describitur autem mundus κατὰ μερισμὸν, cùm sylvam & civitatem Propheta nominat. quasi dicat, utut perdantur omnia in urbe & ruri: sic etiam piorum securitatem commendat Propheta Psal. 46. [f] *Heb. descendente s.* [30] conclusio epiphonematica, qua Propheta pios cum beatissimis agricolis comparat, qui agrum optimum coluerint, propter venturam messem. [31] i. locis tam irriguis ut est Ecclesia Dei; vide in Ecclesiast. 11.1. [32] id est, colueritis immisso bove, &c. periphrasis culturæ.

Sunt autem in hypotyposi illius regni observanda duo: unum est salutaris administratio, duobus versibus: alterum, vera institutio & simplicitas in publica & privata administratione omnium, versibus seq. [2] Christus: nam de Chizkija aut alio ullo accipere alienum esse a vero tum sequentes promissiones ostendunt, tum verò antecedentium calamitatum descriptio; quam Propheta in hoc capite posuit de industria, ut superiorum esset corollarium. [3] i. administri regis & Ecclesiæ sanctè ministrabunt: allegoria ab humano regno. [4] homo Christus, spes & perfugium nostrum, mala depellet a suis, & bona conferet; quæ figurantur suis comparationibus, hoc versu. [5] ut Psal. 63.2. [6] expositio veræ institutionis in Ecclesia per Christum, hoc versu quidem allegorica, sequente verò plana. quasi dicat, omnes erunt edocti a Deo veritatem, infrà 54.13. Est autem hoc versu oppositio *ἀντιπαράδοτος* sive eclipsis contrariorum, hoc modo; neque connivebunt oculi, neque obsurdescent aures; sed videbunt oculi, & aures, &c. [a] *Hebr. cor præcipitium: sic deinceps.* [b] *Hebr. festinabit loqui nitida.* [7] expositio simplicitatis ex certissima veri notitia profectæ: verè, inquit, discernent spiritus, & verè ac sine hypocrisi agent quoscunque Christus instituerit; ac proinde malum malum, & bonum bonum appellabunt. [8] exegesis flagitiosi, qui designatur ab animo, verbis, & factis in Deum, atque in homines. [9] id est, quicquid aberrat a veritate ejus. [10] id est, non tantùm ipse malus judicabitur; sed etiam omnia quibus utetur ingrata omnibus & fastidiosa erunt, tamquam maculata contagione peccati: quamobrem hac allusione emphatica Propheta usus est, cujus lepos in vertendo perit. [11] exegesis tenacis, quòd falsitate corradit omnia, & ne egentissimo quidem ulli parcit in causa justissima. [12] secunda pars, qua regnum Judæorum singulæque civitates ejus provocantur ad resipiscentiam, ut antevertant judicia severissima, quæ antè denunciaverat Deus, & hic summatim complectitur. [13] id est, civitates diffluentes luxu, & nihil mali jam sentientes, aut in posterum præcaventes animo; sed otio torpentes. [14] ut verbum Dei accipiatis reverenter: vide in Gen. 49.33.

CAPUT XXXIII.

Propheta prædicaturus magnificentiam regni Christi, primùm universè adversariis Dei exitium & piis salutem prænunciat: deinde argumentis a natura gratiáque Dei, & Assyriorum exemplo confirmat justos de fide & defensione Dei, de stabilitate regni Christi, & amplitudine Ecclesiæ ejus: postea adversis excidium, earumque regionibus vastitatem prædicit: quorum judiciorum nomine postremò res omnes docet recreatum iri, itaque ad instaurationem Ecclesiæ conspiraturas, ut regnum Christi ex gentibus conversis constituatur per redemptionem ejus.

1 VÆ [1] tibi vastator, [2] qui ipse non vastaris;
& tibi perfide, [a] contra quem non agitur
perfidè: [3] quum desieris *esse* vastator, vastaberis;
quum absolveris perfidè agere, perfidè agetur
contra te.
2 [4] Jehova, gratiam fac nobis, te exspecta-
mus: esto brachium [5] horum singulis matutinis,
etiam salus nostra tempore angustiæ:
3 [6] [b] A [7] sonoro strepitu pervagantur popu-
li, ab exaltatione tua disperguntur gentes:
4 [8] Et colligitur præda vestra, [9] collecta bru-
chi; [c] discursione qualis est [10] prasocuridum dis-
cursantium in eam.
5 [11] Editus est Jehova, nam habitat altum;
[12] implet Tzijonem judicio & justitia.
6 [13] Est itaque firmitas temporis tui, robur
[d] omnis salutis, [e] sapere te & nosse: reverentia
Jehovæ est thesaurus ejus.
7 [14] En [f] [15] valentissimi horum clamaverant
foris; [16] legati pacis amarè fleverant:
8 [17] Desolati erant aggeres, cessaverat [g] vi-
ator; [18] irritum fecerat fedus, [19] spreverat civi-
tates, non habebat rationem *ullius* mortalis:
9 [20] Lugebat, languebat terra, pudebat Li-
banum, languebat; erat [21] Scharon quasi solitu-
do, rudebátq; [22] Baschan & arvum:
10 [23] Nunc surgam, dixit Jehova; nunc [24] ex-
altabor, nunc extollam me.
11 [25] Concipitis torridum gramen, parietis
stipulam; spiritus vester, *est* ignis consumturus
vos.
12 [26] Ita fuerunt populi *velut incisi* [h] fornaci-
bus calcariis: *ut* spinæ succisæ, igne exusti sunt.
13 [27] Audite longinqui quod feci, & agnosci-
te propinqui potentiam meam.
14 [28] Expaverant Tzijone peccatores, cor-
ripuerat tremor hypocritas: quis diversabitur,
ajebant, ex nobis [29] *cum* igne consumente? quis
diversabitur ex nobis *cum* [30] ardoribus [i] perpe-
tuis?
15 [31] Qui ambulat [k] justissimè, & qui loqui-
tur [l] rectissimè: qui spernit lucrum *ex* fraudibus,
qui excutit manus suas ne teneat munus, qui oc-
cludit aurem suam ne audiat [m] cædes, & obsti-
pat oculos suos ne videant malum.
16 [32] Hic altissima loca habitabit, *erunt* pro-
pugnacula petrarum [33] locus editus ejus, [34] pa-
nis ejus dabitur, aquæ ejus statæ *erunt*:
17 [35] Regem in pulcritudine sua videbunt o-
culi tui, spectabunt terram [n] longinquissimam:
18 [36] [o] Animus tuus [37] meditabitur terrorem;
dicens, [38] ubi est [39] legisperitus? ubi [40] pensator?
ubi [41] censor turrium?
19 Populum robore præditum [42] non vide-
bis; populum [p] profundioris sermonis quàm
ut intelligatur, [q] peregrinæ linguæ, *ac* [r] non in-
tellectæ.
20 [43] Aspice Tzijonem, urbem conventuum
nostrorum; oculi tui videant Jeruschalaïma,

[1] Hæc concio comprehensa tribus capitibus, a Propheta de industria fuit subjecta superioribus omnibus; quia nunc demum singularia judicia omnia omittuntur, ut transeatur ad justam constitutionem regni Christi, quod post judicia illa omnia erat adventurum. Sunt autem in hac concione summatim quatuor partes: prima est prolepsis, sive propositio, universè malis malum, & bonis bonum denuncians, versibus quatuor: secunda propositio sive explicatio secundæ partis prolepseos per *ὕστερον* Hebræis familiarem, toto hoc capite: tertia, explicatio prioris partis prolepseos, toto capite 34. postrema, conclusio, exponens gloriam regni Christi, piorumque gloriationem ex constitutione ejus, capite 35. Hac autem prolepsi primùm mala improbis prædicuntur, versu 1. Deinde bona invocantibus Deum per fidem, tribus sequentibus. nam quæ hoc loco dicuntur, non ad certam aliquam & singularem gentem referimus; sed ad omnes reluctantes Deo, & Ecclesiam ejus vi ac fraudibus infestantes. [2] id est, qui præsentibus commodis, & divitiis benignitatis ac patientiæ Dei abuteris, ut alios non lacessitus circumvenias. [a] *Heb. quum perfidè non egerint contra te: tertia pluralis impersonaliter: sic in fine versus.* [3] id est, quum mensuram scelerum tuorum ad saturitatem impleveris, & cumulaveris. [4] alterum membrum prolepseos exponens fidelium preces, hoc versu; & consequutura bona, duobus sequentibus. [5] id est, tuorum defensio te exspectantium: sic Ecclesia pro singulis precatur, & singuli pro Ecclesia tota. [6] explicatio bonorum quę in salute percipiunt pii: unum est, liberatio a malis, hoc versu; alterum, omnis boni perceptio, versu seq. [b] *Heb. a sono strepitus: hypallage.* [7] i. vel solo auditu judicii adventantis tui perduntur: quæ verba elegantissimè opponit Propheta præcedentibus, esto brachium horum singulis matutinis, etiam salus, &c. [8] i. & vos, ô pii, de hostibus triumphatis, eorúmq; spoliis locupletamini: apostrophe gratulatoria ad pios, quam Propheta conficit ex accumulatione & observatione omnium judiciorum Dei inde a temporibus Abrahami, prout in scriptura leguntur. [9] i. prædæ vobis erit quicquid sibi comparavit hostis, qui tamquā bruchus & locusta depopulatur omnia. [c] *Heb. secundùm discursionem locustarum.* [10] i. locustarum viriditatē terræ exedentium, quæ Græcis dicuntur hoc nomine ab effectu: sic Hamos 7.1. [11] secundus hic locus expositionem continens secundæ partis prolepseos, ut antè diximus, explicat primùm argumenta propositionis, usque ad versum 13. deinde documenta fidei & sanctimoniæ ad obtinendas promissiones, usque ad versum 20. postremò per hypotyposin ostendit promissionum fructum, ad finem usque capitis. Argumenta autem ducuntur a natura & federe Dei, hoc versu; a fide nostra & a pietate in Deum, versu sequente; postremò ab operibus, ac nominatim a recente exemplo rei gestæ contra Assyrios, versibus seq. [12] i. præsens est ex federe cum Ecclesia inito, ut judicet improbos, & justitiam in suis exerceat. [13] sensus est, neque vita stabilis, neque firma salus potest cuiquam contingere, nisi per fidem quæ in sapientia scientiáque certa versatur; & nisi thesaurum pietatis reconditum possideat in bona conscientia, qua repulsa non potest non fieri naufragium fidei, 1. Timoth. 1.19. [d] *Hebr. salutum.* [e] *Hebr. sapientia tua & scientia,* [14] tertium argumentum, ut diximus versu 5. exponens historiam calamitatis Judæorum, vers. 7.8. & 9. & mirificæ liberationis a Deo, tribus sequentibus. quo exemplo voluit Propheta Judæos ita confirmare, quasi in rem præsentem adduxisset manu. [f] *Heb. Ereel, quod dicitur Ariel 2. Schemuel.* 23.20. [15] id est, præfecti Judæorum, missi a rege Chizkija ut audirent legationem Rabschakis, 2. Reg. 18.37. [16] id est, qui bellum refugiebant, & pacem factam cum Assyrio servari & coli postulabant. [17] id est, aversa omnis commeandi ratio, obsessis per Assyrium itineribus: quod genus calamitatis similiter narrat Debora Judicum 5.6. [g] *Hebr. transiens itinere.* [18] Sancherib accepta pecunia, 2. Regum 18.17. [19] tum destruendo, tum etiam gloriando, 2. Regum 18.33. & 19.12. [20] id est, miserrima erant omnia atque miseranda: metaphora prosopopœëtica. [21] vide 1. Chronic. 5.16. [22] id est, pascua & arva, synecdochicè, ut infrà 35.2. [23] altera pars narrationis, ut dictum est versu 7. qua consilium Dei, objurgatio improborum, & profligatio docentur, tribus versibus. [24] opere mirifico: humanitus dicta.

[25] increpatio allegorica, qua Deus Assyriorū consilia & conatus cremio, animos verò igni ardenti comparat, quę unà consumi solent. [26] eventus Assyriorum descriptus allegoricè, prout narratur 2. Reg. 19. [h] *Heb. combustionibus calcis: vide simile Jehoschua. 11.8. & 13.6.* [27] ex superioribus argumentis profluunt duo illi propositionum rivi de quibus in versum 1. prior, vocans pios ad fidem & sanctimoniam, hoc capite; posterior, judicium improbis denuncians, capite sequente. Hujus autem propositionis exordium hoc versu continetur: documenta, sex versibus seq. ac postremò hypotyposis, ut diximus in versum 5. Longinqui autem, id est, omnes, ex Judæis & gentibus. [28] propositio de fide & sanctimonia piorum, occasione sumta a dubitatione & incredulitate hypocritarum, qui instruente obsidionem Sancheribo diffidebant promissionibus Dei, & perfidiam suam obvelabant specie quadam reverentiæ; quasi tenuitatem suam ex animo cognovissent indignam esse quæ accederet infinitam majestatem Dei: cujusmodi exemplum in Achazō vidimus suprà 7.12. [29] sic abutitur hypocrisis apertis Dei verbis; Deuter. 4.24. quasi dicerent, frustrà exspectaretur liberatio a Sancheribo; quia oblita est Judæa federis Jehovæ, & fecit sibi sculptile: quamobrem nihil ampliùs a Deo exspectandum est quàm ut consumat nos, quia ignis consumens Deus zelotes est; ac proinde stat sententia ejus de ulciscendis peccatis, non autem de instaurando federe & continuando nobiscum. [30] id est, quis subsistat ad constantissima judicia ejus? quæ non possunt ab hominibus expugnari: vide suprà 10.16. hæc enim verba sunt desperantium de salute, quam Deus per servos suos promiserat. [i] *Heb. seculi.* [31] subjectio adversans superiori hypocritarum desperationi; qua Deus pios & justos (quorum definitio hoc versu continetur) confirmat in exspectatione promissorum Dei. [k] *Hebr. justitiis.* [l] *Hebr. rectitudinibus.* [m] *Hebr. sanguines.* [32] promissa quæ justo fiunt his quatuor versibus, continent liberationem a malis & malorum metu, bonorúmque omnium communicationem, quam privatè & publicè in Ecclesia pii percepturi sunt. [33] Tzijonem, Ecclesiam Dei. [34] id est, omnibus vitæ ejus commodis a Deo consuletur: synecdoche. [35] id est, non ampliùs squalentem & luctuosum videbis Regem, aut regionem occupatam; sed gloria magnificentissima abundabit Rex, & inimicos superabit, quorum sedes quamvis longinquas te vidente adjunget sibi. Hoc autem typicè quidem in Chizkija factum est, 2. Chronic. 32.23. sed perfectum & consummatum in Christo. [n] *Hebr. longinquitatum.* [36] id est, nihil metues ampliùs; sed habebit delectationem secura præteritorum malorum recordatio, adeò ut liberè queas ludificari omnia consilia, rationes, conatus, & turbas hostium infensorum tibi: atque huc spectavit Paulus 1. Corinth. 1.20. [o] *Hebr. cor tuum.* [37] non solicitus, sed exsultabundus. [38] hic sermo est piorum, qui ad Ecclesiam se recipientes & freti præsidio Dei securè hostibus insultant: quod his interrogationibus Propheta facit, quasi dicat, si quid est in rebus humanis ad bellum rectè gerendum opus, hæc profectò sunt; consilia a peritis, pecuniæ a pensatoribus sive quæstoribus, munitiones a censoribus & tribunis militaribus, robur denique & copia militum: sed ubi sunt ista omnia? si fortè possunt Deo obsistere: evanuerunt jam olim; & in perpetuum; ut liquefit cera ab igne, ita peribunt improbi a conspectu Dei, Psalm. 68.3. [39] videlicet castrensis sive militaris. [40] quæstor præfectus ærario militari. [41] id est, tribunus præfectus censendis & curandis machinis, tormentis, munitionibúsque bellicis, synecdochicè. [42] id est, nullo pacto experieris, ac ne videbis quidem. [p] *Hebr. profunditatum labii præ audire.* [q] *Hebr. ridiculum linguæ, ut suprà 28.11.* [r] *Hebr. cujus non est intelligentia.* [43] hypotyposis confirmans promissiones præcedentes, qua proponuntur oculis piorum duo; præstantia Ecclesiæ propter Deum habitantem & insidentem in ea, tribus versibus, & fructus ad singulos perventuri, duobus ultimis.

[44] caulam tranquillam, tentorium *quod* non dissi-
pabitur, cujus paxillorum nullus recedet un-
quam, neque ulli funes ejus disrumpentur:
21 [45] Sed ibi magnificus Jehova *erit* nobis
loco fluviorum, rivorumque amplorum spatiis:
[46] non itura est in eo [f] classis impulsa remis, ne-
que navis magnifica pervasura eum:
22 Nam Jehova vindex noster, Jehova legis-
lator noster; Jehova rex noster, ipse servabit nos.
23 [47] Deserent rudentes tuos: nondum con-
firmaverint erectum malum suum, nondum ex-
panderint velum, tunc dividetur præda spolii
permulti, [48] claudi diripient prædam.
24 [49] Neque dicet habitator, ægrotus sum:
populus habitans in ea, levatus *erit* ab iniqui-
tate.

[44] allegoria duplex, Ecclesiæ quidem infirmitatem & tenuitatem proponens, sed ita ut eò amplius commendetur Dei erga illam beneficentia. [45] hoc est, quemadmodum Mesopotamia fluviis circumquaque firmata est, Euphrate & Tygri, & sicut Aegyptus Nilo in omnes partes deducto; sic Deus, imò valentius multo Ecclesiam firmaturus est, & futurus pro rivo amplissimo, ut sit Ecclesia extra omnem teli jactum: similiter alibi Deus igneum murum se fore prædicit Ecclesiæ suæ, Zecarjæ 2.8.& 9. [46] id est, non perferet rem ullam adversantem nobis; sed potius judicio suo perdet & immerget, sicut olim Aegyptios: *μετωνυμ.* [f] *Heb. classis remi.* [47] apostrophe gloriosa ad classem inimicorum qui Ecclesiam cogitant invadere: illi, inquit Propheta, primo impetu a Deo consternati cum animis abjicient omnia, & præda erunt Ecclesiæ. [48] i. etiam tenuissimi quique nullo negotio depopulabuntur illos; adeò offendent imparatos a rebus omnibus: proverbium facilitatem rei quæ agitur indicans, ut 2.Schem.5.6. [49] id est, omnes incolumitatem & pacem obtinebunt per remissionem peccatorum, justificati fide in Christum Jesum Regem & servatorem nostrum.

CAPUT XXXIIII.

1 ACcedite [1] gentes ad audiendum, & na-
tiones attendite; audiat terra, & quę im-
plent eam, orbis habitabilis, & quæcunque pro-
gignuntur in eo.
2 [2] Nam fervens ira *est* Jehovæ contra om-
nes gentes, & excandescentia contra omnem
exercitum earum: internecioni devovebit eas,
tradet eas mactationi.
3 Et confossi earum projicientur, cadave-
rúmq; earum ascendet fœtor: & [3] colliquescent
montes ex sanguine eorum:
4 [4] Etiam contabescet totus exercitus cæ-
lorum, convolventúrq; tamquam liber cæli: &
totus exercitus eorum decidet ut decidit folium
e vite, & ut deciduus *fructus* e ficu.
5 [5] Nam inebriatus est in cælis gladius me-
us: ecce [6] super Edomæos descendet in judici-
um, & [7] super [a] populum quem devovi interne-
cioni.
6 [8] Gladius Jehovæ implebitur [9] sanguine,
pinguefiet adipe, sanguine agnorum & hirco-
rum, adipe renum arietum: quum sacrificium
erit Jehovæ [10] Botzræ, & mactatio magna in
terra Edomæorum.

[1] Nunc demum venit Propheta ad priorem partem prolepseos, de qua diximus suprà 33.1. nimirum ad propositionem judicii divini improbis eventuri. Sunt autem hujus propositionis tres partes: prima est exordium, hoc versu, quemadmodum in superiore quoque propositione fuisse ostendimus, suprà 33.13. secunda est narratio judiciorum futurorum a Deo, usque ad versum 16. tertia est confirmatio, duobus ultimis. Est autem exordium hoc patheticum, quo Propheta res omnes creatas provocat, ut afficiantur gravitate judiciorum Dei, quemadmodum fecerat suprà 1.2. [2] narratio hæc judiciorum Dei duas partes continet convenientes exordio: unam, de judiciis Dei contra homines improbos, usque ad versum 9. alteram, de effectis judiciorum in terram ipsam & res creatas omnes, inde ad versum 16. [3] hyperbole elegantissima optimè exprimens severitatem judiciorum Dei, ut sequente versu. quasi dicat, cælum & terra exhorrescent tam atroces pœnas quas Deus sumturus est de inimicis suis, ut suprà 13.10. [4] similem planè hyperbolen, atque hinc desumtam vide Apocalyps.6. 12. & sequent. [5] ætiologia a decreto Dei, pro eo quod est, res jamque in cælis conclusa atque confecta est: fixum est decretum, & immutabile. Inebriari autem dicitur gladius metaphoricè, id est, rubere & circumfluere sanguine, ut Jirm.46.9. [6] hos primo loco Propheta nominat, tum quia ex propinquitate erant notissimi, tum quia Jehudæis ab omni memoria hostes fuerant infensissimi, ut Psalmo 137.7. Hamos 1.11. Hobadjæ 10.& sequent. Lament.4.21. Jechezk.25.12.& suprà 21.11. [7] id est, super alios omnes excidio destinatos. [a] *Heb. populum anathematis mei.* [8] altera descriptio judiciorum Dei: qua ostendit quàm gratum sibi futurum est quum inimicos Ecclesiæ profligabit; a similitudine sacrificiorum, quæ ipsi odora fuerunt olim in Ecclesia per Christum. [9] quasi dicat, consumam eos planè: nam sanguis & adeps in sacrificiis (quibus cum improbi comparantur) solebant consumi Jehovæ, Levit.1.16.& 17. [10] quam Ptolemæus Bostram vocat in Edomæa.

7 Descendent quoque [11] unicornes cum eis,
& juvenci cum robustis *tauris*; [12] adeò ut inebrie-
tur terra eorum sanguine, & pulvis eorum adipe
pinguefiat;
8 Quum dies ultionis Jehovæ, annus retri-
butionum [13] ob causam Tzijonis *erit*.
9 [14] Itaque mutabuntur torrentes ejus in
picem, & pulvis ejus in sulphur; eritq; terra ejus
pro pice ardente.
10 Noctu & interdiu non exstinguetur, in
seculum ascendet fumus ejus: a generatione in
generationem vastata manebit, [b] in sempiter-
num, nemo transibit per eam:
11 Sed hæreditario jure possidebunt eam
[15] platea & [16] anataria, noctuáq; & corvus inha-
bitabunt eam: [17] & extendet super eam lineam
deformationis, & perpendicula inanitatis:
12 [18] Clarissimos ejus *ad* regnum vocabunt,
sed nemo *erit* ibi; & omnes principes ejus futuri
sunt nihil.
13 Et assurget in palatiis ejus spinarum *mul-
titudo*, chamæleon, & spina in munitionibus ejus:
eritq; caula draconum, atrium ululis:
14 Et concurrent [19] feræ animalia cum terri-
fico, & scops proximo suo acclamabit: tantùm
ibi residet strix, inveniétq; sibi quietis locum:
15 Ibi nidificabit [20] merula & [21] ponet, quúm-
que [22] eruperit colliget ad umbram suam: tan-
tùm ibi congregabuntur milvi [c] alter cum altero.
16 [23] Quærite ex [24] libro Jehovæ, & legite,
unum ex his non defuturum est, unum alterum
non desiderabunt: nam [25] os meum est *quod* prę-
cipit, & spiritu suo idem congregabit ea.
17 [26] Nam quum projecerit illis sortem, &
manu sua distribuerit illis ad amussim; usque in
seculum hæreditario jure possidebunt illam, per
[d] generationem quámque habitabunt in illa.

[11] id est, etiam indomiti, & potentissimi quique potentia Dei mittentur sub jugum: nam unicornium natura indomita esse dicitur, ut Ijobi 39. 12.& seq. [12] hyperbole, ut suprà 3.& 4. id est, copiosè perfundatur. [13] id est, propter Ecclesiam. [14] altera pars narrationis ut diximus in versum 2. de effectis Dei terrificis; quorum duo in universum ponuntur capita: unum, fore terrás incendio, duobus versibus; alterum, fore horridas, desertas, & solitariis tantùm bestiis habitabiles. [b] *Heb. in æternitatem æternitatum.* [15] vide Levit. 11.18. [16] vide suprà 14.23. [17] id est, quisquis instaurare conabitur, frustrà consumet operam: ita Deus materiam adimet ædificandi, & res ædificatas destruet, Maleaci 1.4. [18] id est, non poterunt instaurare regnum amissis regibus, neq; domos suas de integro exstruere. Verborum autem *ὑπερβατόν*, quæ versu hoc inest, ad evidentiam transposuimus. [19] vide suprà 13.21. [20] avis solitaria (unde Merulam dictam volunt Grammatici) assultim incedens, qui saliendi usus apud Hebræos avi nomen dedit. [21] ova sua. [22] i. exclusa fuerit pullities, quæ per eclipsin hoc loco intelligitur. [c] *Heb. mulier ad sociam suam: sic versu seq.* [23] confirmatio superiorum denunciationum ab eventu, quo veritatem sermonis sui examinandam & probandã Deus exhibet, ut Deut.18.22. [24] i. libro propheriarum, quas Jehova edit per prophetas suos actos ipsius spiritu. [25] i. dixi & præstabo dictum verbo potentissimo. [26] i. ex quo semel regiones istas feris habitandas assignaverit, nunquam desinet maledictio eis regionibus pronunciata: assignationẽ autem Propheta figurat duobus modis, sorte & funibus, qui modi tunc in usu erant: ut terra tribubus sorte, & agri funibus in familias distributi sunt, Num. 26.54.& Jehosch.18. [d] *Heb. generationem & generationem.*

CAPUT XXXV.

1 [1] LÆtabuntur [2] *de* his [3] desertum & solitari-
us locus; & exsultabit solitudo, ac florebit
tamquam rosa:
2 [a] Magis ac magis florebit, & exsultabit
etiam exsultatione *sua* & cantu, gloria Libani
dabitur ei, decor [4] arvi & Scharonis: ista vide-
bunt gloriam Jehovæ; decorem Dei nostri, *&*
dicent,
3 [5] Confirmate manus remissas, & genua
labantia fortificate:
4 Dicite [b] inconsideratis animo, confirma-

[1] Conclusio totius concionis, ut dictum est suprà 33.1. qua propheta partim hyperbolicis orationibus, partim puris atque simplicibus præstantiam illius regni explicat quod consummatur in Christo. Sunt autem hyperbolæ duorum generum: prius est de rebus creatis rationis expertibus; posterius, de hominibus. Cæteris rebus creatis tribuuntur duo hyperbolicè: unũ est sensus cum effectis suis, alterum est sermo ad homines habitus, quatuor versib. primis. q.d. gestient quodammodo omnia, & gloriam Dei prædicabunt in Christo. [2] tum liberatione bonorum, capite 33. tum judiciis in hostes Ecclesiæ, capite 34. [3] i. etiam loca quæ videntur omnium ineptissima. [a] *Heb. florendo florebit.* [4] ut sup.33.9. [5] i. alii alios docete, jubete bono animo esse, & salutaribus monitis adjuvate: metaphoræ, ut Ijobi 4.3. quæ versu sequente exponuntur. [b] *Heb. præcipitibus corde: ut suprà 32.4.*

mini,

mini, ne timeatis: ecce Deus vester, ultio advenit, retributio Dei, ipse advenit servaturus vos.

5 [6] Tunc aperient se oculi [7] cæcorum, & aures [8] surdorum patefient:

6 Tunc [9] saliet claudus velut cervus, & cantabit lingua [10] muti: [11] erupisse in deserto aquas, & torrentes in solitudine:

7 Abiisse torridum locum in stagnum, & siticulosum in scaturigines aquarum; in caula draconum, [12] cubili cujusque, [13] gramen *esse* cum arundine & junco.

8 [14] Et erit illîc [15] agger & via, quæ via sanctitatis vocabitur, quâ non transibit [16] pollutus, sed erit [17] istorum: [c] viator, ne stulti quidem poterunt deerrare.

9 Non erit ibi [18] leo, & [d] violenta ulla fera non conscendet eam, non invenietur ibi: sed ambulabunt *ea* vindicati:

10 Et redemti Jehovæ revertentur, [19] pervenientque Tzijonem [20] cum cantu, & lætitia [e] [21] perpetua super caput suum: gaudium & lætitiam assequentur, [22] fugientque mœror & gemitus.

[6] alterum genus hyperboles: quod tamen ex parte, quoties visum est in corporibus præstabat Christus, & in animis suorum quotidie præstat.
[7] ut Matth. 9. 27. & 11. 5. & 12. 22. & 20. 30. & 21. 14. & Johannis 9.
[8] ut Matth. 11. 5. & Marc. 7. 32.
[9] ut Matth. 11. 5. & 15. 30. & 21. 14. Johan. 5. & Actor. 3. 2. & 8. 7. & 14. 8.
[10] ut Matth. 9. 32. & 12. 22. & 15. 30.
[11] argumenta cantus fidelium, omnia instaurata & restituta esse in Christo: quod figuratè hoc & sequente versu exponitur. [12] id est, in locis etiam abditissimis & incultissimis: sic accipiendum esse hunc locum Hebraicæ distinctiones docent. [13] id est, locum qui fuerat aridissimus (qualem dracones expetunt) uliginosum effectum esse. [14] secunda pars conclusionis, qua tum Ecclesiæ accessus, duobus versibus; tum fructus, versu ultimo exponuntur: sumta allegoria à constitutione priscæ illius Ecclesiæ, quæ erat Tzijone. [15] i. aggesta & excelsa via: hypallage, sive potius ἓν διὰ δυοῖν, ut Grammatici dixerunt. [16] i. infidelis, aut sceleratus ullus. [17] nimirum quorũ oculi & aures apertæ, crura correcta, & linguæ explicatæ fuerint beneficio Christi ad prædicandum Deum. i. quos ille vindicaverit atque redemerit, ut sequentia docent. [c] *Hebr. incedens via.* [18] i. inimicus ullus Dei, aut Ecclesiæ damnosus. [d] *Hebr. violenta ferarum.* [19] id est, recipientur in Ecclesiam, & ingredientur in ea. [20] ut solebant qui festis anniversariis proficiscebantur Jeruschalaima, ut annotavimus suprà 30. 29. [e] *Heb. seculi.* [21] ac proinde illam priscæ Ecclesiæ lætitiam numeris omnibus superante. [22] id est, & quidem constantissimum assequentur gaudium, nulloq; pacto mutabile.

CAPUT XXXVI.

Eodem est argumento, & propè iisdem verbis cum 2. Reg. 18.

[f] 2. Reg. 18. 13.
[1] Hoc caput & tria sequentia in hunc locum inserta sunt, non tantùm ad lucem superioribus propheticis afferendam, ut a Jeschahja cõscripta sunt; verùm etiam quia commodè ad proximè præcedentis prophetiæ interpretationem pertinent. Nam hac historia gesta, & mirifica liberatione accepta divinitus, occasio Prophetæ data est prophetandi de regno Christi; & ex gloria Chizkijæ ac totius regni, amplificãdi gloriam Christi, & Ecclesiæ, quæ tribus præcedentibus capitibus fuit explicata.
[g] 2. Reg. 18. 17.

1 [f] Fuerat [1] enim decimoquarto anno regis Chizkijæ, ut ascendens Sancherib rex Assyriæ contra omnes civitates Jehudæ munitas occuparet eas.

2 [g] Misit autem rex Assyriæ Rab-schaken Lacischo Jeruschalaima, ad regem Chizkijam, cum copiis numerosis: qui substitit ad aquæ ductum piscinæ superioris, *qui est* in aggere agri fullonis.

3 Et egressus est ad eum Eljakim filius Chilkijæ, qui præerat domui; cum Schebna scriba, & Joacho filio Asaphi a memoria.

4 Quibus dixit Rab-schake, dicite jam Chizkijæ; sic ait rex maximus rex Assyriæ, quæ *est* fiducia ista qua confidis?

5 [a] Dixero (verumtamen verba futilia) *adesse* consilium & fortitudinem ad bellum; nunc cui confidis, quòd rebellas contra me?

6 Ecce fiduciam habueris in scipione arundinis quassatæ isto, in Ægyptio, quo si quis innixus fuerit, intrans volam ejus perforabit eam: ita *est* Parho Rex Ægypti omnibus fiduciam habentibus in ipso.

7 Quòd si dixeris mihi, in Jehova Deo nostro fiduciam habemus: an non is *est* cujus abstulit Chizkija excelsa & altaria, edicens Jehudæ & Jeruschalaimis, coram altari hoc incurvate vos *adoratum*?

[a] concessio ironica: q. d. ut dem te virum esse valentem consilio & fortitudine; certum est tamen te unum nihil præstare contra regem tam potentẽ posse. Hinc conficitur altera pars, cui ergo cõfidis? an Aegyptio? an Deo? &c.

8 Sed nunc misceto quæso *bellum* cum Domino meo Rege Assyriæ: & dabo tibi bis mille equos, si poteris suppeditare qui equitent eos pro te.

9 Quomodo ergo averteres faciem ducis unius e servis domini mei minimis? sed fiduciam tuam habes in Ægyptio, propter currus & propter equites.

10 At nunc an absq; Jehova ascendi contra regionem hanc ad perdendũ eam? Jehova edixit mihi, ascende in regionem istam, & perde eam.

11 Dixit verò Eljakim, Schebnáq; & Joach Rab-schaki, alloquere quæso servos tuos Syrè, intelligimus enim; neque alloquitor nos Judaicè, audiente hoc populo qui *est* super murum.

12 Sed dixit Rab-schake, an ad dominum suum aut ad te misit me dominus meus, ut loquerer verba hæc? nonne ad homines istos qui desident super murum, ut comedant excrementa sua, & bibant lotium suum vobiscum?

13 Itaque subsistens Rabschake exclamavit voce magna Judaicè, & dixit, audite verba Regis maximi, Regis Assyriæ.

14 Ita ait Rex, ne vos decipiat Chizkija: non enim poterit eripere vos.

15 Neque adducat vos Chizkija ut fiduciam habeatis in Jehova, dicendo; certò eripiet nos Jehova; non tradetur civitas hæc in manum Regis Assyriæ.

16 Ne auscultetis Chizkijæ: nam sic ait Rex Assyriæ, transigite mecum munere, & prodite ad me, sic comedite quisque *fructum* vitis suæ, & quisque *fructum* ficus suæ, ac bibite quisque aquas cisternæ suæ:

17 Usque dum veniens assumam vos *deducendos* in terram similem terræ vestræ; terram frumenti & musti *feracem*, terram *abundantem* pane & vineis.

18 *Videte* ne seducat vos Chizkija, dicendo; Jehova eripiet nos: an eripuerunt dii gentium quisque terram suam e manu Regis Assyriæ?

19 Ubi *sunt* dii Chamathæ, & Arpadi? ubi dii Tzepharvajimorum? quin etiam eripuerunt *ne* Schomronem e manu mea?

20 Qui *sunt* inter omnes deos regionum istarum, qui eripuerint regionem suam e manu mea: ut eripiat Jehova Jeruschalaima e manu mea?

21 Obticuerunt autem, neque responderunt ei quicquam: præceptum enim Regis fuerat edicentis, ne respondeatis ei.

22 Venit itaque Eljakim filius Chilkijæ qui præerat domui, Schebnáq; scriba, & Joach filius Asaphi a memoria, ad Chizkijam laceris vestibus; & indicaverunt ei verba Rabschakis.

CAPUT XXXVII.

Eodem est argumento cum 2. Regum 19.

1 Fuit autem quum audiret Rex Chizkija, ut laceraret vestimenta sua; & tegens se cilicio ingrederetur domum Jehovæ:

2 Et mitteret Eljakimum qui præerat domui, & Schebnam Scribam, ac Seniores sacerdotum, tectos ciliciis; ad Jeschahjam filiũ Amotzi prophetam.

3 Qui dixerunt ei, sic ait Chizkija, dies angustiæ, & increpationis, irritationisq; *est* dies hic; cùm venerint filii usque ad os matricis, & vis non *adsit* ad partum.

4 Fortasse auditurus est Jehova Deus tuus verba Rabschakis, quem misit Rex Assyriæ domi-

num ejus ad afficiendum probro Deum viventem, & arguet hujusmodi verba quæ audierit Jehova Deus tuus : si extuleris precationem pro hoc residuo quod præsens est.

5 Quum itaque venissent servi Regis Chizkijæ ad Jeschahjam,

6 Dixit eis Jeschahja, sic dicitote domino vestro, sic ait Jehova, ne timeto propter verba ista quæ audivisti, quibus blasphemarunt pueri Regis Assyriæ me.

7 Ecce ego indam ei spiritum, ut audito rumore revertatur in terram suam : dejiciámque eum gladio in terra ejus.

8 Itaque reversus Rabschake invenit Regem Assyriæ oppugnantem Libnam : audiverat enim eum profectum esse Lacischo.

9 Audiens autem de Tirhaka Rege Cuschi, dicentes, procedit ut pugnet contra te ; audiens inquam, misit nuncios ad Chizkijam, edicendo:

10 Sic alloquimini Chizkijam Regem Jehudæ, dicendo, ne decipiat te Deus tuus, in quo tu fiduciam habes, dicendo; non tradentur Jeruschalaima in manum Regis Assyriæ.

11 Ecce tu audivisti quid fecerint Reges Assyriæ omnibus aliis regionibus, internecioni devovendo incolas earum : & tu eripereris?

12 An eripuerunt eas dii gentium, quas perdiderunt majores mei? Gozanem, & Charanem? & Retzephū, & Hedenitas qui sunt Thelassari?

13 Ubi *est* Rex Chamathæ, & Rex Arpadi? & Rex civitatis illius Tzepharvajimorum? Henæi, & Hivæ?

14 Quúmque accepisset Chizkija literas e manu nunciorum, & legisset illud; ascendens *in* domum Jehovæ, explicavit illud Chizkija coram Jehova.

15 Et precatus est Chizkija Jehovā, dicendo:

16 Jehova exercituum, Deus Jisraëlis, insidēs Cerubimis, tu es Deus ille solus, omnibus regnis terræ; tu fecisti cælum & terram.

17 Inclina, Jehova, aurem tuam & audi, aperi, Jehova, oculos tuos & vide; audi, inquam, omnia verba Sancheribi, qui misit ad probro afficiendum Deum viventem.

18 Verum *est* Jehova; vastaverunt Reges Assyriæ omnes [a] gentes illas, & regionem illarum:

[a] *Heb. terras, metonymicè.*

19 Et tradiderunt deos illarum igni; quia dii non erant, sed opus manuum hominis, lignum aut lapis, ideò perdiderunt eos.

20 Nunc itaque, Jehova Deus noster, serva nos e manu illius; ut cognoscant omnia regna terræ, te Jehovam solum esse.

21 Tum misit Jeschahja filius Amotzi ad Chizkijam, qui diceret; sic ait Jehova Deus Jisraëlis, quòd precatus es me contra Sancheribum Regem Assyriæ :

22 Hoc *est* verbum quo edicit Jehova *responderi* ei : contemnit te, subsannat te virgo filia Tzijonis, post te caput movet filia Jeruschalaimorum.

23 Quem probro affecisti ac blasphemasti? & contra quem extulisti vocem? utique attollis *in* sublime oculos tuos contra sanctum Jisraëlis.

24 Per servos tuos probro affecisti Dominum; quum diceres; multitudine curruum meorum ego ascendi summitatem montium, latera Libani; & succidam proceras cedros ejus, lectissimas abietes ejus; ingrediar etiam [b] celsissimam extremitatem ejus, sylvas, arva ejus.

[b] *Heb. celsitudinem extremitatis ejus.*

25 Ego effodio ut bibam aquas; nam exsicco planta pedum meorum, omnes rivos locorum obsessorum.

26 Annon audivisti inde a longinquo tempore, me id facere? & a diebus priscis formare illud? nunc adduco illud; ut sis ad deturbandum in acervos vastos civitates munitas.

27 Ideò habitatores earum contracti manu, territi sunt & erubuerunt; fuerunt *ut* herba agri, ut holeracea herba tenera, *ut* fœnum tectorum, & ager tactus uredine antequàm in culmum assurgat.

28 Et sessionem tuam, & profectionem tuam, & incessum tuum novi ; etiam furorem tuum contra me.

29 Quoniam tu furis contra me, & tumultuatio tua ascendit ad aures meas ; ideò ponam hamum meum in naso tuo, & frænum meum inter labia tua, ac reducam te viâ illâ per quam venisti.

30 Illud autem esto tibi hujus *rei* signum, comedere vos anno uno sponte natum, & anno altero sponte renatum : anno demum tertio serite & metite, ac plantate vineas, & comedite fructum earum :

31 Nam residuum domus Jehudæ, quod relictum fuerit, rursus radicabitur infernè ; & proferet fructum supernè ;

32 Quum Jeruschalaimis prodibit reliquum, & residuum e monte Tzijonis : zelus Jehovæ exercituum facturus est istud.

33 Propterea sic ait Jehova de Rege Assyriæ, non est ingressurus in civitatem hanc, neque jaculaturus huc sagittam; neque oppositurus ei scutum, neq; diffundet contra eam aggestas moles.

34 Viâ qua venerit, eâdem revertetur : in civitatem verò hanc non ingredietur, dictum Jehovæ.

35 Nam protegam civitatem hanc ad servandum eam, propter me & propter Davidem servum meum.

36 Itaque prodiens angelus Jehovæ percussit in castris Assyriorum centum octogintaquinque millia *hominum* : quúmq; surrexissent manè, ecce omnia illa *erant* cadavera mortuorum.

37 Quare profectus abivit, & reversus est Sancherib Rex Assyriæ ; consedítq; Ninives.

38 Ubi fuit, ipso se incurvante *in* æde Nisroci Dei sui, ut Adrammelech, & Schareetzer filii ejus percuterent eum gladio, ipsi verò proriperent se in terrā Ararati : & regnavit Esar-Chaddon filius ejus pro eo.

CAPUT XXXVIII.

Eodem est argumento cum principio 2. Reg. 20. Inseritur autem ode Chizkijæ, qua ægritudinem & perturbationem animi sui in morbo, orationémq; ad Deum exponit, beneficium acceptum narrat : fidem in Deum profitetur ; & gratias ei immortales spondet.

1 [a] Diebus illis ægrotavit Chizkija læthaliter: ad quem veniens Jeschahja filius Amotzi Propheta dixit ei, sic ait Jehova; da præcepta familiæ tuæ, nā tu brevi moriturus es, ac non vives. [a] 2. Reg.

2 Quapropter advertens Chizkija faciem suam ad parietem, oravit Jehovam.

3 Et dixit; obsecro Jehova, recordare jam me indesinenter ambulasse coram te fideliter & animo integro, & quod bonum videtur in oculis tuis fecisse : flevítq; Chizkija fletu magno.

4 Tum fuit sermo Jehovæ ad Jeschahjam, edicendo:

5 Abi, & dicito Chizkijæ, sic ait Jehova Deus Davidis patris tui, audivi precationem tuam,

vidi lacrymas tuas : ecce ego addam diebus tuis
quindecim annos:
6 Et e manu regis Assyriæ eripiam te,
& civitatem hanc; protegámq; civitatem hanc.
7 Atque hoc tibi *esto* signum a Jehova; fa-
cturum esse Jehovam rem istam quam loquu-
tus est.
8 Ecce ego reducturus sum umbram gradu-
um illorum, quæ descendit [1] gradibus Achazi
solaribus, retrorsum decem gradibus: & reversus
est sol decem gradibus, iisdem gradibus quibus
descenderat.
9 [2] Scriptum Chizkijæ regis Jehudæ;
quum ægrotasset, & [a] revaluisset ex ægritudine
sua.
10 [3] Ego dicebam, [b] rescissis diebus meis
[4] aditurus sum portas sepulcri; privor [5] residuo
annorum meorum.
11 Dicebam, [6] non sum visurus Jah, Jah in
terra viventium : non intuebor hominem am-
pliùs inter habitatores mundi.
12 [7] [c] Habitatio mea transfertur, & trans-
portatur a me, tamquam tentorium pastorale:
[8] ad excidium perduxi, ut textor *stamen*, vitam
meam; [9] a peniculis resecturus est me; [10] a die
usque ad noctem [d] peremturus es me.
13 Proponebam, [11] dum mane erat, tam-
quam leonem, ita fracturum esse *Deum* omnia
ossa mea; a die usque ad noctem te peremturum
esse me.
14 [12] Ut grus *aut* hirundo, ita pipiebam, ge-
mebam ut columba, *dicens*: exhauriuntur oculi
mei *spectantes* in sublime, Jehova [13] oppressio *fit*
mihi, pertexe me.
15 [14] Quod eloquebar, [15] statim prædixit
mihi, idémque fecit: [16] progredior omnibus
annis vitæ meæ ultra amaritudinem animæ
meæ.
16 [17] Domine, per [18] hæc [e] vivitur: etiam his
[19] singulis inest vita spiritus mei, *his* facis ut re-
valescam, & vivum [f] conservas me.
17 Ecce [20] ad pacem *advenit* amara mihi
amaritudo; sed tu propensus amore *eduxisti* a-
nimam meam a fovea [g] excedente, quia [21] abjeci-
sti post tergum tuum omnia peccata mea.
18 [22] Non enim sepulcrum celebrat te, *aut*
mors laudat te : non habent exspectationem in
fide tua [23] qui descendunt in [h] sepulcrum.
19 Vivens, vivens, ipse celebrabit te ut ego
hodie: pater filiis notam faciet fidem tuam.
20 [24] Jehova *præsto est* ad servandum me;
ideò odas lyricas meas pulsabimus omnibus di-
ebus vitæ nostræ in domo Jehovæ.
21 Edixerat enim Jeschahja, [i] sumatur pa-
latha ficuum; & appingatur ulceri, & revales-
cet.
22 Et dixerat Chizkija, quod *est* signum; me
ascensurum esse in domum Jehovæ?

1 i. qui gradus descripti sunt in solario Achazi.
2 hæc inscriptio argumentum sequentis cantici exponit: primùm enim docet Chizkija quid secum Deus egerit, & ipse cum Deo, quo tempore decumbebat, usq; ad vers. 15. deinde sanitatem a Deo receptam narrat, fidémq; in ipsam & immortales gratias profitetur, ad finem usq; cantici.
a Hebr. vivet: ut Numer. 21.8.
3 prior hæc narrationis pars exponit tum expostulationem Chizkijæ cum animo suo, quia intempestivam esse mortem sentiebat apud se, & habendæ prolis desiderio ex promissione Dei tenebatur, quatuor versibus, deinde postulatum a Deo vers. 14.
b Heb. in rescissione dierũ meorũ.
4 id est, si res ita se habet ut propheta denunciavit, præproperè me oportet mori: periphrasis mortis.
5 id est, annis qui mihi supererant agendi ex naturæ lege.
6 q. d. ergo tum a fructu præsentiæ Dei aspectabilis in populo suo, tum a communione Ecclesiæ viventium subtrahar, quæ duo efficiunt ut mihi vita jucunda sit.
7 i. vita mihi adimitur: quod duplice comparatione figuratur, hoc versu, tugurii & telæ.
c Heb. habitare meum.
8 i. quemadmodum textor eousq; perducit telam, donec sit tempus staminis præcidendi, quod involutum est jugo; sic ego pertexui vitã meam.
9 sic pergit Chizkija in textoris similitudine: cùm pertexuerim, inquit, vitam meam, jam advenit tempus quo Deus a peniculis sive peniculamento suo dissecturus est telam vitæ meæ, id est, finem illius effecturus: sunt enim peniculi sive peniculamenta telæ extrema stamina quæ textor circumvolvit jugo, nec potest cũ reliqua tela propter brevitatẽ staminis reliqui percurrere, ac propterea ab ea solet resecare. Hebræum autem vocabulum ita accipimus adducti simili loco Cant. 6,15. ubi accipitur pro vitta sive loro cincinnos capitis discriminãte, ad quam rationẽ peniculi telæ a textoribus cõponi solent.
10 i. hoc ipso die, antequam nox advenerit: ut V. seq. apostrophe ad Deum.
d Heb. absoluturus.
11 i. ipso die, quemadmodum interpretantur sequentia.
12 hic versus constitutionem animi postulantis exponit similitudinibus, & postulati summam: nimirum ita corpore & animo infirmatum fuisse Chizkijam, ut vix posset prologui, ac proinde supplicasse paucis.
13 i. hic morbus me conficit, & intempestivè opprimit, antequàm decurrerim stadium vitæ meæ; & ita intricat quodammodo, ut tela vitæ meæ (quæ adhuc superest pertexenda) nequeat perfici: quamobrẽ tu ipse pertexe me, id est, effice ut justum vitæ spatium percurram, fretus potentia tua. Hæc ita accipienda esse ostendit series allegoriæ. Verbum autem Hebræum quod alii interpretantur fide jubere, alii dirigere, alii recreare, nos pertexendi significatione accipimus, a conjugato nomine subtegmen sive tramam significante, Lev. 13,50. & sequent.
14 altera pars narrationis, continens professionem beneficii a Deo accepti, tribus versibus; & gratiarum actionem ad gloriam Dei, tribus reliquis.
15 Jeschahjam nondum egressum ex atrio mediano præmittens ad me. 2. Reg. 24.
16 i. nunc supervivo illi amaritudini.
17 apostrophe ad Deum, qua Chizkija thesin sive propositionem universalem de virtute verbi operúmque Dei (ex quibus vita constat omnibus hominibus) accommodat suæ hypothesi.
18 quæ dicis & facis.
e Heb. vivunt: impersonale.
19 i. non aliunde vivo quàm ex verbo procedente ab ore suo, Deut. 8,3.
f Heb. conservando.
20 i. postquam mihi & toti regno meo pacem tribueras ab Assyrio & omnibus inimicis meis, statim in morbum gravissimum incidi.
g Heb. consumtionis.
21 id est, texisti & condonasti ea quorum nomine affligebar: humanitus dictum.
22 ætiologia restitutionis vitæ & remissionis peccatorum, nimirum gloria Dei: ut Psal. 6.6.
23 id est, corpora sepulta.
h Hebr. cisternam.
24 conclusio a professione fidei & laudationis Dei.
i Hebr. sumant, & appingant: ut suprà vers. 16. 2. Regum 20.7.

CAPUT XXXIX.

Eodem est argumento cum fine 2. Reg. 20.

1 TEmpore illo misit Merodac Baladan fi-
lius Baladanis rex Babyloniæ literas
cum munere ad Chizkijam; audiverat enim æ-
grotasse, & confirmatum esse.
2 Quibuscum lætatus Chizkija; ostendit
eis totum gazophylacium suum, argentum, &
aurum, & aromata, atque oleum præstantis-
simum, totámque domum vasorum suorum,
denique quicquid inveniebatur in thesauris
suis: non fuit quidquam quod non ostentaret
eis Chizkija, in domo sua, & in tota ditione
sua.
3 Quapropter ingressus Jeschahja Prophe-
ta ad Regem Chizkijam; dixit ei, quid dixerunt
homines illi? & unde venerunt ad te? cui dixit
Chizkija, e terra longinqua venerunt ad me, Ba-
bylone.
4 Iterum dicenti; quid viderunt domi tuæ?
dixit Chizkija, quicquid *est* domi meæ viderunt,
non fuit quicquam, quod non ostenderim eis, in
thesauris meis.
5 Tum dixit Jeschahja Chizkijæ, audi ver-
bum Jehovæ exercituum:
6 Ecce, dies venturi sunt, quibus depor-
tabitur quicquid *est* domi tuæ, & quod recon-
diderunt majores tui usque in diem hunc, in
Babyloniam: non relinquetur quidquam, ait Je-
hova.
7 De filiis etiam tuis qui prodibunt ex te,
quos geniturus es, assument; ut sint aulici in pa-
latio Regis Babyloniæ.
8 Dixit verò Chizkija Jeschahjæ, bonum *est*
verbum Jehovæ quod loquutus es; prætereà
dixit, quòd futura est pax & stabilitas diebus
meis, *bonum est*.

CAPUT XL.

Deus promulgans consolationes Evangelii prædicit duo testimonia illius; unum Joannis Baptistæ, alterum Apostolorum & servorum Christi resipiscentiam & fidem in Christum prædicantium: & quia labefactata eo tempore videbatur Ecclesia, infirmos confirmat, tum a potentia Dei omnes superante, tum a singularibus in Abrahamum & Ecclesiam beneficiis: itaque promissiones amplissimas renovans, idololatras & idola omni facultate nuda esse docens, eam sibi arrogat, & in Christo promittit explicatum iri.

1 Consolamini

1 Horum capitum quæ cōjungimus unicam concionem esse ipsa argumentationum series ostendit manifestissimè. Sunt autem hujus concionis quatuor præcipuè partes: prima est propositio beneficii euangelici, usque ad V. 12. secunda est confirmatio promissionū euāgelicarum luculentissima, usque ad V. 10. seq. capitis: cui adhæret repetitio & exornatio earumdem promissionum inde ad V. 21. tertia est cōfutatio idololatrarum & eorum omnium qui nō acquiescunt in Deo, vers. 21. & quatuor sequent. postrema est conclusio de integro asserēs promissiones Dei, a vers. 26. ad finem usq;. Propositionis verò pars est proleptica, universè euangelii beneficia prænuncians, duobus primis versib.

1 Consolamini [1], consolamini populum
meum; dicit Deus vester;
2 Loquimini [a] quę sunt cordi *urbi* Jeruschalaimorum, & prædicate ei, completum esse tempus præfinitum ejus, exsolutam esse iniquitatem ejus: eam accepisse e manu Jehovæ [b] [2] duplum pro omnibus peccatis suis.
3 [3] Voce clamantis, [4] in deserto parate viam Jehovæ; adæquate in solitudine aggerem Deo nostro,
4 [5] Omnis vallis attolletur, & omnis mons collisque deprimentur; & [c] abibit quod curvum est in planum, & salebrosa in convallem.
5 Ut reveletur gloria Jehovæ; & videant omnis caro pariter, os Jehovæ loquutum esse.
6 [6] Vox dicens, prædica, etiam dicit quid prædicaturus sim; omnem carnem *esse* gramen, etiam omnem [7] benignitatem ejus similem *esse* flori agri.
7 Exarescit gramen, decidit flos, quum spiritus Jehovæ perflat ipsum; utique gramen *est* populus.
8 Exarescit gramen, decidit flos; [8] at verbum Dei nostri permanet in seculum.
9 [9] Montem altum [d] conscende, ô quæ euangelizas Tzijoni, attolle [e] potenter vocem tuam quæ euangelizas Jeruschalaimis: attolle, ne timeto, dic civitatibus Jehudæ, ecce [10] Deus vester.
10 [11] Ecce Dominus Jehovi contra robustum venturus est, & brachium ejus dominaturum est in illum: ecce [12] merces illius apud ipsum *est*, & opus illius coram ipso.
11 Velut pastor gregem suum pascet, in brachium suum congregabit agnellos, & in sinu suo
portabit; fœtas ducet commodè.
12 [13] Quis mensus est [14] pugillo suo aquas, & cælos spithama expendit, aut complexus est trientali pulverem terræ? & ponderavit staterâ montes, & colles lancibus?
13 Quis expendit spiritum Jehovæ? ut [g] vir a consiliis ei, docuit eum?
14 Cum quo communicavit consilium ut instrueret se, doceretque se iter judicii; doceret, inquam, se scientiam, & viam [f] summæ prudentiæ totam faceret sibi?
15 En gentes tamquam gutta e situla, & tamquam [15] flos pulvisculi *in* lancibus reputantur: en, insulas ut rem minutissimam [16] dispositurus esset.
16 Etiam Libanus [17] non sufficeret ad comburendum, & animalia ejus non sufficerent holocausto.
17 Omnes gentes velut nihil *sunt* coram eo, minus nihilo & inanitate reputantur ei.
18 [18] Cui ergo assimilabitis *Deum* fortem, & quam similitudinem comparabitis ei?
19 Sculptile [19] tegit artifex, & aurifex auro obducit illud: & [20] catenas argenteas conflat.
20 [g] [21] Qui ita indigus est ut non habeat quod offerat, lignum non putrescens eligit: artificem peritum quærit sibi ad parandum sculptile, *quod* non dimoveatur.
21 [22] An non cognoscitis? an non auditis? an non indicatur a principio vobis? an non intelligiris *inde a* fundamentis terræ?
22 [23] Eum qui insidet ambitui terræ, cui habitatores ejus *sunt* velut locustæ: qui extendit velut conopæum cælos, & distendit eos sicut tentorium ad habitationem,
23 Qui disponit dominatores in nihilum, judices terræ sicut rem inanem efficit?
24 [24] Neque plantantur, neque seruntur, neque radicatur in terra succisus truncus eorum: quinetiam sufflante eo in illos exsiccantur, ac turbo quasi stipulam tollit eos.
25 [25] Cui ergo assimilaretis me, aut æqualis essem? ait sanctus.
26 [26] Attollite *in* sublime oculos vestros, &

13 confirmatio promissionum proximè præcedentium, ut dictum est in V. 1. petitur a duob. locis, nimirum a cōparatione rerum creatarum cum ipso creatore, quarum natura, vis, opus, efficacitas &c. demonstrantur nihil ad Deū accedere, usq; ad V. 18. unde eruuntur certi doctrinæ loci, usque ad finē capitis: deinde ab enarratione operū singularium Dei in Abrahamum & Ecclesiam totam, capite sequente usque ad vers. 10. ex qua enarratione nascitur repetitio earumdem promissionum & amplificatio, usque ad vers. 26. Sunt autem cōparationis argumenta tria: primum est ab omnipotentia Dei in creatione & sustentatione rerum omniū demonstrata, hoc versu; secundum ab omnimoda sapiētia, duob. seqq. tertiū a majestate infinita, V. 15. 16. & 17. 14 hac voce & sequentibus aliis exponit Propheta quàm sit facile Deo res omnes creatas sustentare & regere, ut quęcunq; promisit nullo negotio & rebus omnibus sibi ministrantibus exsequatur. q. d. quemadmodum res minimas his exiguis modis & instrumentis homines capiunt, tractant & appēdunt; ita Deo tam facile, adeòque facilius est hanc universitatem rerum & singulas ejus partes minimo negotio regere arbitratu suo. [g] 1. *Cor.* 2. 16. [f] *Heb prudentiarum.* 15 i. minutissimū illud quod lancibus hærere solet pre tenuitate sua; adeò leve est natura sua. 16 nimirum si placeret, tanta est majestas ipsius: quod duo seq. versus amplificant. 17 videlicet si litandum esset ipsi pro amplitudine majestatis ipsius 18 præcedenti confirmationis loco, ut diximus in V. 12. subjiciuntur documenta duo, prout legitima concionis forma postulat: prius documentum pertinet ad idololatras; positum partim in reprehensione studii quo Deum idolis suis conantur effingere frustrà, trib. versib. partim in redargutione inscientiæ ipsorum, quinq; versibus; partim in hortatione ad veram cognitionem Dei, V. 26. posterius verò documentum ad Ecclesiam pertinet; in quo partim reprehenditur diffidentia sua, V. 27. partim ad certam fiduciā revocatur, ad finem usq; capitis. 19 pingendo suis coloribus, vestiendo, &c. ut materia incerta sit, & superstitione magis afficiat animos. 20 quibus vinctum idolum stare possit. [g] *Heb. indigus oblationis [illegible] formā, ut in libris nostris manu scriptis legitur.* 21 amplificatio vanissimi illius studii ab exemplo egentium, qui quum non habeant quod offerant, quo tegant, aut ornent idola sua, lignū firmius a carie eligunt: atq; hoc pacto evincuntur omnes vanitatis quæ in idolis est; cùm hic superiorū (tectura, corona & culta fuerint) infirmitatē videat; illi verò qui ditiores sunt damnēt [illegible] tatem hujus, & suorum idolorum inanitatē pigmentis suis testatam faciant. 22 redargutio elegantissima, ut diximus in V. 8. 23 i. Deum, periphrasicôs: sed propterea circumloquutio adhibetur, & hanc congeriem operū mirabilium Dei necesse fuit exponere, ut plana essent hujus redargutionis argumenta, tū ab ordinaria administratione, hoc V. tum a singulari quæ præter naturæ ordinē evenit, duob. seq. 24 *ironia* allegorica a plantarū & seminū similitudine, exponens id quod modò Propheta dixerat, Deum disponere in nihilū, & sicut inanitatē efficere dominatores. Etiā plantis, inquit, seminibusq; &c. a natura plus inest facultatis quā idolis omnib. 25 conclusio redargutionis, ut sup. V. 18. 26 hortatio didascalica, ut diximus in V. 18. de agnoscēdo Deo tum ex creatione hujus universitatis, tū ex imperio [illegible]

pars verò distinctè prędicationem euangelii accommodat primùm Joanni Baptistæ præcursori Christi, V. 3. & duob. seq. deinde apostolis omnib. & ministris euangelii a V. 6. ad 12. quę omnia quum ad consolationē Ecclesię olim labefactatę & jacentis pertinuerint, & mirificentissimè a Deo uno impetu præter exspectationē omnium fuerint præstita; propterea Deus vehementiā & celeritatē facti ex abrupto indicat per repetitionē: cujus repetitionis in scriptura usum vide Gen. 41. 32. [a] *Heb. ad cor Jeruschalaimorū: ut Gen.* 34. 3. [b] *Heb. duplicia.* 2 i. plus satis pœnas luisse ad Dei judicium, ut inf. 61. 7. & Jirme. 10. 18. Deum non amplius meritas ab illa pœnas reposcere, atq; ita contentū esse iis quas Christus vas & sponsor Ecclesiæ pertulit quasi Ecclesia ipsa luisset pœnarum duplū, remissionis peccatorū, & reconciliationis cum Deo nomine: atq; hæc duo sunt officia promissionum Euangelii, remissio peccatorū, & reconciliatio in Christo, quæ seq. versib. circumscribuntur prędicatione Joannis Baptistæ, & sequentiū servorū Dei. 3 hęc verba auctore Christo & Euangelistis omnibus de Joanne Baptista accipienda sunt, cujus exponitur primū prædicationis summa, hoc versu; deinde effecta, vers. seq. ac postremò finis summus, V. 5. nam quod aliis placet ad reversionem ex deportatione pertinere, minimè probatur nobis; tum propter auctoritatē eorum quos modò diximus, tum etiam propter verborum proprietatē, quæ non nisi coactè ad reditum populi possunt accomodari, quum potiùs respiciant adventantem Deum. 4 hoc ita distinguendū esse ostendit Hebræa distinctio, & comparatio sequentis membri; neque dubitamus quin eadem distinctio servanda fuerit in Novo Testamento: sunt autem hęc allegoricè dicta de fide in adventantē Christū, & de resipiscentia 5 i. ex omni hominum genere multos convertet ad Dominum Deum ipsorum, &c. ut paret Domino populum instructū; qui cum agro aut itinere cōparari solet: vide Luc. 1. 16. & 17. & 76. & 3. 3. & seq. [c] *Heb. eris.* 6 altera pars prædicationis, ut dictum est in V. 1. qua exponuntur primū vocatio apostolorum ministrorúmq; Dei ab ipso, secūdò donū quod nunquā a vocatione divellit Deus, tertiò summa prædicationis, ut de Joanne Baptista dictum est. Cōtinet autē prædicatio Euangelica primū doctrinā pœnitentiæ, qua homo totus prosternitur ut salutē extra se quærat, trib. V. deinde doctrinam fidei in Christū & promissiones ejus, tribus versib. alteris. 7 i. quicquid benignissimè in eam contulit Deus ad naturæ ornamentū & bonum. Nam hæc verba hominem animalē spectant, prout in ipso est, ac non regenitum spiritu sanctificationis in Christo. 8 q. d. hoc unum semen incorruptum est & immortale, quod potest servare animas hominū, ut dicitur 1 Pet. 1. 23. & Jacobi 1. 21. sic cōparatur transitus ad sequentē locum de fide in Christum & in verbum ejus. 9 adhortatio ad Ecclesiam, ut palàm, intrepidè & cum libertate summa promulget adventū Christi, doctrinámq; fidei. [d] *Heb. ascende tibi: vide Gen.* 11. 33. [e] *Heb. in potentia.* 10 Christus adveniens, qui posteà dicitur dominus Jehova. 11 promissionū in adventu Christi, quas pii amplectuntur fide, partes exponuntur duæ: una, potentissima operatio in adversarios, hoc V. altera lenissimus piorū ductus, cura, & administratio, V. seq. 12 i. proculdubiò rependet peccata ejus, quę omnia sunt exposita in oculis ejus.

videte

videte quis creaverit ista, producẽs numero suo
exercitum ipsorum : *quis* ista omnia [27] vocet de
nomine præ amplitudine virium, prout fortis *est*
robore, *adeò ut* quidquam [28] non desit.
27 [29] Quare diceres Jahakob, & loquereris,
Jisraël;[30] abscondita est via mea a Jehova, & a
Deo meo causa mea præterit?
28 An non novisti? nónne audivisti Deum æ-
ternum Jehovam, creatorem extremitatum
terræ [31] non defetisci, neque defatigari? nulla
est pervestigatio prudentiæ ejus.
29 Dat defesso virtutem, & defecto viribus
robur copiosè suppeditat.
30 [32] Defetiscuntur quidem pueri & defati-
gantur; & juvenes [h] prorsus impingunt:
31 At exspectantes Jehovam [33] mutant vi-
res, ascendunt [i] pennis velut aquilæ: currunt, ne-
que defatigantur; pergunt, nec defetiscuntur.

[27] id est, nominatim imperet: ut Psal. 147. 4. [28] quin sistat se coram vocante, & ipsi pareat. [29] alter documentorum locus spectans Ecclesiam, ut versu 18. ostendimus. [30] id est, Deus nullam ampliùs habet rationem mei; nec porrò curat me: sic anticipat Propheta infidas populi querimonias, in quas plerique delapsi sunt ante adventum Christi propter diuturnas & graves calamitates suas; quarum nomine dixerat suprà, consolamini, &c. [31] id est, quemadmodum non desinit gubernare extremitates terræ, ita non desinere ipsum, aut cessare a curatione Ecclesiæ suæ. [32] ἐργασία superioris dicti per antithesin luculentissimam: ruunt quidem, inquit Propheta, quicunque aut imprudentia tamquam pueri non respiciunt ad Deum, aut præfidentia tamquam juvenes feroces ipsum negligunt: sed bene est illis qui exspectant Deum. [h] *Heb. impingendo impingunt.* [33] videlicet in melius, id est, augescunt & confirmantur. [34] id est, quàm celerrimè ex difficultatibus evolant; & quemadmodum aquilæ contento in cælum volatu superant omnes alites, ita omnia transcendunt freti benignitate Dei: sic Ijobi 11. 17. [i] *Hebr. penna.*

CAPUT XLI.

1 [1] [a] Silentes accedite me insulæ, & natio-
nes [2] mutent vires; accedant, tunc
loquentur, pariter ad judicium appropinqua-
bimus.
2 [3] Quem excitaverat ab oriente *Deus*,
[4] [b] justè vocans eum [c] ad vestigia sua, exposuit
[d] ei [5] gentes, & fecit ut in Reges dominaretur,
reddidit similes pulveri gladio ejus, similes sti-
pulæ impulsæ arcui ejus.
3 Persequutus illos pervasit [e] incolumis,
[6] itinere *quo* pedibus suis non venerat.
4 Quis operatus est & fecit *illud*? [7] *quis* vo-
cat generationes inde a principio? [8] ego Jehova
primum, etiam ultima ego idem *operor*.
5 [9] Videntes insulæ timent, extrema terræ
trepidant; [10] appropinquant & conveniunt.
6 Quisque proximo suo auxiliantur, & fratri
suo dicit, confirmare.
7 Et confirmat faber lignarius aurifabrum,
[f] malleator eum qui tundit incudem: dicit de
ferrumine, bonum est, & firmat illud clavis *ut*
non moveatur.

[1] secundus confirmationis locus, ut diximus suprà in 40. 12. a singularibus Dei beneficiis in Abrahamum & Ecclesiam totam, nunc demum a Propheta demonstratur, & præmunitur suo exordio. Primùm enim Deus exteros omnes populos contestatur, qui suo malo sæpius Dei fidem in Ecclesiam fuerant experti, hoc versu: deinde narrat sua beneficia in Abrahamum, usque ad vers. 4. itémque in Ecclesiam vers. 4. & sequentibus: ita expositis promissionum euangelicarum argumentis ad eas explicandas Propheta regreditur vers. 10. & sequent. [a] *Hebr. silete ad me.* [2] id est, se confirment quibuscunque modis poterunt, ut fiat inter nos contestatio. [3] id est, Abrahamum, de cujus vocatione Genes. 12. 33. & Jehosch. 24. 3. [4] id est, justissimè & efficacissimè regens pro vocatione sua, cujus lex habetur Genes. 17. 1. indesinenter ambula coram me, & esto integer. [b] *Hebr. justitia.* [c] *Hebr. ad pedem suum.* [d] *Hebr. coram eo: ut Genes.* 13. 9. [5] de quibus Genes. 14. [e] *Hebr. pace.* [6] videlicet Damascum usque, & Chobam, Genes. 14. 15. [7] id est, quis non dico Abrahamo tantum, sed omnibus in universum imperat? sic enim accipitur vocandi verbum, ut suprà 40. 26. [8] quasi dicat, totum est a me: nihil planè a principio ad finem usque geritur sine me. qui sensus ut planior sit, ecliptica verba ex hoc ipso versu expressimus. [9] exornatio beneficentissimæ administrationis Dei in Ecclesiam per antithesin: qua docet Propheta idololatras operibus Dei consternari, indurarique, nec ab idolis tamen juvari posse, tribus versibus; Ecclesiam verò operibus illius & sermone Dei confirmari, versu 8. & 9. [10] id est, magis ac magis alienati a Deo verò confugiunt frequentes ad idolia sua, hoc versu; se obfirmant, sequent. versu; & studiosissimè in dies superstitiones novas excogitant, ut a terroribus quos Deus injicit liberentur terriculorum suorum operâ. [f] *Hebr. Levans, vel levigans malleo.*

8 [11] At tu, Jisraël serve mi, tu Jahakob
quem elegi; semen Abrahami, amici mei:
9 Tu quem prehendi [12] ab extremitatibus
terræ, & [13] a selectis ejus evocavi te; dicens tibi,
servus meus es, elegi te, neque sperno te:
10 [14] Ne timeto, quia tecum sum; ne stupeto,
quia ego sum Deus tuus: fortifico te, etiam auxi-
lior tibi, etiam sustento te dextera [15] [g] justa mea.
11 En erubescent, & ignominia perfunden-
tur quicumque exardescunt contra te; erunt
tamquam nihil, & peribunt [h] adversarii tui.
12 Quærens eos non invenies eos [i] qui con-
certant tecum; erunt tamquam nihil, & tam-
quam nihilum homines [k] oppugnantes te.
13 [16] Cùm ego Jehova Deus tuus, prehen-
dam dexteram tuam; edicens tibi, ne timeto, e-
go auxilior tibi.
14 Ne timeto, [17] vermicule Jahakobi, [l] Jisra-
ëlitarum: ego auxilior tibi, dictum Jehovæ, & re-
demtoris tui, sancti Jisraëlis.
15 [18] Ecce dispositurus sum te in tribulam
stylis recentibus [m] [19] bipennem: triturabis [20]
montes, comminuésque, & colles tamquam glu-
mam dispones:
16 Ventilabis eos, & ventus auferet eos, ac
turbo disperget eos: [21] tu verò exsultabis in Je-
hova, in sancto Jisraëlis gloriaberis.
17 Ipsos pauperes egentésque ipsos, qui quæ-
runt aquas ubi nullæ *adsunt*, quorum lingua siti
deficit; ego Jehova exauditurus sum, Deus Jis-
raëlis non derelicturus sum eos.
18 [22] Aperiam in locis eminentibus flumina,
& in medio convallium fontes; disponam deser-
tum in stagnum aquarum, & terram solitariam
in processus aquarum.
19 Ponam in deserto cedrum, lectissimam ce-
drum, myrtúmque & arborem oleosam: ponam
in solitudine abietem, tædam, [23] arborésque o-
pacas pariter:
20 Ut videant & cognoscant, & [n] adhibeant
se ut intelligant pariter; manum Jehovæ facere
istud; & sanctum Jisraëlis creare ipsum.
21 [24] Producite causam vestram, ait Jehova;
admovete firmamenta vestra, ait Rex Jahakobi.
22 [25] Proponant & indicent nobis ea quæ ob-
ventura sunt: [26] priora quænam sunt indicate, ut
apponamus [o] animum nostrum, & cognosca-
mus [27] finem eorum; aut eventura pronunciate
nobis.
23 [28] Indicate quæ eventura sint in poste-
rum, ut cognoscamus vos esse Deos; [29] etiam be-
nefacite aut malefacite, ut obstupescamus vi-
dentes pariter.
24 En vos minus quàm nihil *estis*, & opus ve-
strum pejus *opere* viperæ: [p] abominabilis *qui* eli-
git vos.

[11] ἀντίθεσις antitheti, de quo diximus in versum 5. transitum cõparans ad sequentem narrationem promissionum Dei. [12] i. ab extrema usque Ægypto, ut narratur in libro Exodi. [13] i. e potestate Regum potẽtissimorũ qui tũ in Ægypto fuerũt. [14] hortatio ad fidem constantem a promissionibus Dei, quarũ partes sunt duæ: prior est præsentiæ & virtutis Dei ad servandũ populũ, hoc versu; posterior, omnipotentiæ ad perdendos adversarios, duobus versibus: quæ duo proleptieè posita deinde per ἐξήγησιν explicantur. [15] i. quæ justitiæ tuæ vindex futura est, & ultrix illorum injustitiæ. [g] *Heb. justitiæ meæ.* [h] *Hebr. homines contentionis tuæ.* [i] *Hebr. homines cõcertationis tuæ.* [k] *Heb. belli tui.* [16] ἐπεξεργασία præcedẽtis hortationis & promissionum Dei: hortationis quidẽ, duobus versibus; promissionum verò seq. [17] i. qui in pulvere prostratus jaces afflictionũ gravitate, ut Psa. 22. 7. [l] *Hebr. hominum Jisraëlis.* [18] exornatio allegorica posterioris mẽbri prolepseos, de excidio adversariorum Dei & Ecclesiæ, duobus versibus, ut supr. ℣. 11. & 12. [m] *Heb. dominam* *στομάτων*: ut Psal. 149. 6. [19] id est, stylorum pinnas utrimque habentem, ut quamcunque in partem vertaris adversarios teras. [20] i. hostes quamvis elatissimos & potentissimos perdes utcunque vermiculus esse videaris. [21] transitio ad prius membrum prolepseos, de quo versu 10. exponens singularem Dei beneficentiam erga Ecclesiam, usque ad ℣. 21. elegantissimis allegoriis rerum omnium ad præsentis vitæ commoda pertinentium. [22] i. irrigabo & fœcundabo terram siccaneam, idq; etiam permutato (si opus erit) natura ordine. [23] Hebræam vocẽ quæ nusquam nisi hic & inf. 60. 13. legitur sic interpretamur, propter etymon conjugatæ vocis, quâ significatur lucus. [n] *Heb. apponant: ut Judic.* 19. 30. [24] tertia concionis pars, confutatio, primùm adversarios provocat sarcasmo, hoc versu; deinde tum ipsorum hominum, tum idolorum quibus cõfidunt vanitatem arguit, tribus versib. ac postremò majestatẽ Dei asserit. ℣. 25. [25] primũ vanitatis argumẽtũ, quòd idola & idolorũ cultores res futuras, ac ne mox quidem futuras, certò possunt prædicere. [26] i. quamprimùm eventura. [o] *Heb. cor.* [27] i. ultimum eventum ex prioribus illis consequentem. [28] secundum argumentum, quòd ne præsignificare quidem illi res venturas possint. [29] tertium argumentum, quòd nihil planè boni malive queant efficere: ex quibus conficitur doctrina sequentis versus. [p] *Heb. abominationis vir.*

25 [30] Excitaturus

[30] antithesis potentiæ Dei, qua prædicit & interminatur subversionem regni tenebrarum per Ecclesiam Christi, ex omnibus orbis terrarum partibus adunatam ad invocandum nomen ejus. [31] & meridie; similiter ab ortu & occasu. est enim eclipsis contrariorum in hac loquendi forma, ut Gen.33.10. [32] Hebraicam

25 [30] Excitaturus sum [31] ab Aquilone qui veni-
at, ab ortu solis *qui* vocet nomen meum, qui ve-
niens [32] proculcet antistites tamquam lutum, &
tamquam figulus cœnum.
26 [33] Quis indicavit *inde* a principio, ut cog-
nosceremus, aut *inde* ab antiquitate, ut dicere-
mus, [34] justus *est*? neque ullus *est* qui indicet,
neque ullus qui prænunciet, neque ullus qui au-
diat sermones vestros.
27 [35] Primarium Tzijoni, *in quo* ecce, ecce
ista; & Jeruschalaimis euangelizantem dabo.
28 [36] Nam *quum* respicio; nullus *est* vir, eti-
am ex istis nullus *est* consultus; ut quum interro-
go eos, respondeant [q] quidquam.
29 En hi omnes *sunt* vanitas, nihil *sunt* opera
eorum; ventus & inanitas fusilia eorum.

verborum ἱμπλοκὴν hoc loco perspicuitatis ergô mutavimus. [33] conclusio totius sermonis, qua Deus summatim superiorem antithesin his duobus versibus repetens sibi omnem gloriam assumit omnia in Christo prædicendi, præsignificandi, & efficiendi arbitratu suo; deinde ἀντιπελογικῶς totam gloriam omnibus idolis hominibúsque adimit, duobus ultimis. Quis ergo, nimirum ex istis diis, aut hominibus. [34] id est, non injustè, sed meritò sibi hanc gloriam arrogat. [35] alterum membrum antitheseos, quo demonstrat Deus se omnia ea præstare in exhibitione Christi quæ modò dicta sunt, quia idem est sapientia Dei & potentia Dei ad salutem credentium: Non efficiuntur, inquit, neque prædicantur hæc ulla virtute aut scientia hominum; sed is demum unus effecturus & prædicaturus est cui donavero. Est autem ille Christus primarius sive caput Ecclesiæ, plenus gratiæ & veritatis, de cujus plenitudine peremni ac præsentissima hausturi sunt omnes, & in quo ecce istarum prophetiarum omnium invenitur complementum: hunc (inquit Deus) dabo Ecclesiæ potentem dictis & factis, ut efficiat res prophetiis prænunciatas, & prophetias euangelicas committat suis ad ædificationem Ecclesiæ, euangelizaturus per ipsos, & futurus cum ipsis usque ad consummationem seculi. Hunc locum ut ita accipiamus cogunt distinctiones Hebraicæ, ipsa argumentatio, & prophetiæ sequentis cōparatio. [36] ætiologia præcedentis promissionis de Christo, qua confirmat Deus se gratiosè propterea mittere filium in mundum, quòd nemo ex diis aut hominibus prophetare possit per se, nedum salutem sibi comparare, aut præstare alteri. [q] *Hebr. verbum.*

CAPUT XLII.

Deus personam, administrationem, vocationémque Christi præfigurat, causas adventus Christi exponit, hostium profligationem & suorum liberationem: populum inobsequentem reprehendit, & ex acceptis plagis evincit injustitiæ: deinde ad exspectationem salutis revocans, promissiones singulares facit fidelibus instaurationis in Christo: quas confirmat auctoritate sua, & Christi Ecclesiæque testimonio.

[1] Concionem hanc commodè præcedenti conjunctam esse ex eo apparet, quòd exponit præcedentis cōclusionis argumētum de Chri-

1 [1] EN [2] servus meus, quem sustento, electus
meus, *quem* benignè accipit anima mea:
[3] indam spiritum meum ipsi, [4] judicium gentibus
proferet.
2 [5] Non vociferabitur, neque attollet; neque
faciet ut audiatur foris vox sua.
3 [6] Arundinem quassatam non franget, &
[a] ellychnium ipsum fumigans non exstinguet;
[7] ad veritatem proferet judicium.
4 [8] Non faciet ut fumiget, neque quassabit,
donec disponat in terra judicium; & in doctrina
ejus [9] regiones exspectationem habebunt.
5 [10] Sic ait *Deus* ille fortis Jehova, creator
cælorum, & qui extendit eos, qui expandit ter-
ram & res prognatas ex ea; qui indit animam
populo agenti in ea, & spiritum ambulantibus
in ea:
6 Ego Jehova vocavi te [b] justè, [11] ut confir-
mem manum tuam: & custodiens te tradam te
[12] in fedus populi, in [13] lucem gentium:
7 [14] Ad aperiendum oculos cæcos, [15] ad e-
ducendum claustro vinctum, e [c] carcere seden-
tes in tenebris.
8 [16] Ego sum Jehova, illud *est* nomen me-
um; & gloriam meam alteri non dabo, & lau-
dem meam sculptilibus.
9 [17] Priora ecce evenerunt: & nova ego in-
dico; quum nondum exoriuntur, [18] pronuncio
vobis.
10 [19] Cantate Jehovæ [20] canticum novum,
canticum laudis ejus ab extremo terræ; qui de-
scenditis in mare, & in *flumina* [d] implentia illud,
insulæ & habitatores earum:
11 Attollant *vocem* desertum & civitates e-
jus, villæ *quas* inhabitat [21] Kedar: canant [22] ha-
bitatores petræ, e vertice montium vociferen-
tur:
12 [e] Tribuant Jehovæ gloriam, & laudem e-
jus in regionibus indicent.
13 [23] Jehova velut robustus prodibit, ut vir
[f] bellicosissimus evigilans [24] zelo: clanget, eti-
am [25] barriet, contra hostes suos potenter se
geret,
14 *Dicens*: [26] silui [g] jam olim, surdum egi,
continui me: ut parturientem viperam desola-
bo, exhauriámque pariter:
15 [27] Vastabo montes & colles, omnémque
herbam eorum arefaciam, & disponam flumina
in regiones, & stagna arefaciam:
16 Ut deducam cæcos per viam *quam* non
noverant, semitis quas ignorabant agam eos:
disponam tenebras coram eis in lucem, & obli-
qua in planitiem, hæ *sunt* res *quas* faciam eis, ne-
que derelinquam eos.
17 Avertentur retrorsum, suffundentur pu-
dore qui confidunt sculptili; qui dicunt fusili, vos
estis dii nostri.

sto capite Ecclesiæ & auctore prophetiarum omnium, ut proximè nominatus est versu 27. Continet autem hæc concio primùm propositionem officiorum Christi ex vocatione Dei patris erga Ecclesiam, & vicissim Ecclesiæ in ipsum, usque ad vers. 13. deinde narrationem prosopopœeticam operum quæ Deus effecturus est in Christo, usque ad vers. 18. tertiò reprehensionem populi, usque ad versum 26. posteà consolationem a promissionibus miserentis Dei, inde ad versum 34. postremò confirmationem, ad finem usque. Quamobrem ut hæc concionis forma & series argumentorum evidentior esset, partem illam quæ vulgò in caput sequens relata est a versu 26. cum superioribus conjunximus. Sunt autem in propositione membra tria: primum, quo exponitur gratiosa Christi administratio atque salutaris, versibus quatuor; secundum, quo exponitur vocatio a Deo ad illam administrationem, versibus quinque sequentibus; tertium, de mutuo Ecclesiæ officio erga ipsum, tribus reliquis. [2] Christus, qui se exinanivit ipse forma servi accepta, similis hominibus factus, &c. Philip. 2.7. sic 1. Chron. 17. 19. [3] ut suprà 11.2. & Joan. 3.34. [4] id est, spiritu instructus sine mensura prophetam aget, Sacerdotem, & Regem: sed ea forma & efficacitate quæ deinceps explicatur. [5] id est, spiritu lenitatis administrabit, in humilitate & misericordia: ut Zecharjæ 9.9. [6] id est, infirmis misericorditer consulet, nutantes in pietate confirmans, & præditos scintilla pietatis aliqua veluti moribunda fovens & excitans: quam in sententiam hic locus adducitur Matth. 12, 17. allegoriæ.

[a] *Heb. linum*, ... *ut infrà 43.4.* [7] i. non falsò odorabitur, cognoscet, atq; judicabit ad aspectum oculorum suorum, vel auditum aurium; sed ex veritate administrabit omnia, ut suprà 11.3. [8] id est, nemini erit offensioni: nam quibus est offendiculo, eos non offendit ipse, sed ipsi offendunt vitiositate sua: ut suprà 8.15. [9] id est, gentes vocatæ ad Euangelium adventu Christi, ut suprà 2.2. & seq. [10] secundum membrum de vocatione Christi, ut antè dictum est: quam præmunit Deus argumentis a mirifica creatione, conservatione, & administratione rerum omnium, hoc vers. [b] *Heb. in justitia.* [11] id est, tibi adsim in tota administratione tua, ut Joan. 5.19. & seq. [12] id est, ut sis angelus fœderis, Maleaci 3.1. & electos omnes in uno corpore reconcilies Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam, veniénsque euangelizes pacem omnibus, Ephes. 2.16. sic distinguuntur officia Christi, sacerdotium, atque Prophetia, quorum effecta per ὕστερον πρότερον sequent. versu exponuntur. [13] ut inf. 49. 6. & Luc. 2.32. [14] ut sup. 35.5. [15] ut sup. 9.2. & inf. 61.1. [c] *Hebr. domo coërcitionis: ut 1. Regum 22. 27. & infrà vers. 22.* [16] confirmatio præcedentis instituti de Christo, primùm a natura vocantis & mandantis Dei, gloriámque suam sibi soli asserentis in Christo, ut qui Deus est unicus cum Patre & Spiritu sancto, hoc versu; deinde a veritate antegressorum operum quæ denunciaverat Deus; quo argumento se effecturum confirmat quicquid prænunciavit, vers. seq. [17] id est, prophetata priùs in nomine meo. [18] ac proinde tam certò eventura sunt quàm evenerunt priora: oratio ἀνταποδοτική. [19] hortatio Ecclesiæ ad mutuum officium gratiarum actionis & prædicationis Dei. [20] ut Psal. 33.3. [d] *Hebr. plenitudinem ejus.* [21] vide Psal. 120.5. [22] id est, etiam ferocissimi homines, omniúmque maximè barbari, a pietate ac humanitate alieni, ad quos perventurum est beneficium Christi. [e] *Hebr. ponant.* [23] secunda pars, nimirum narratio prosopopœetica operum Dei in Christo (ut suprà diximus) tum erga suos, tum in adversarios: quæ duo prolepticè hoc versu posita deinde ὕστερον πρότερον præpostero ordine explicantur. [f] *Hebr. bellorum.* [24] id est, studio zelotypiæ, quo afficitur Deus propter Ecclesiam suam. [25] id est, horrenda voce inclamabit, ut olim fecisse Romanos milites narrat Vegetius quum iniretur prælium ad hostes consternandos. [26] humanitus dicta per gradationem: quibus ostendit Deus & patientiæ suæ magnitudinem, & judiciorum gravitatem fracta patientia, quæ judicia non tantùm homines, sed res ipsorum omnes dicuntur pervasura, ad testandam indignationem ejus & zelum erga Ecclesiam, seq. vers. [g] *Hebr. a seculo: ut Gen. 6.4.* [27] id est, potiùs ordinem naturæ evertam, & cælum miscebo terræ, quàm Ecclesiam deseram. Sunt autem hæ omnes minæ promissionésque allegoricæ ex prophetiarum usu.

18 [28] O surdi, audite; & ô cæci, intuemini ad
videndum.
19 Quis *est* cæcus nisi [29] servus meus? & sur-
dus sicut [30] nuncius meus quem mitto? quis cæ-
cus ut [31] donatus pace, cæcus inquam, ut servus
Jehovæ?
20 [32] Videndo multa tamen non observas,
aperiendo aures tamen non audit.
21 [33] Jehova delectabatur *ipso* propter justi-
tiam suam; magnificabat doctrinâ, & [34] redde-
bat magnificum.
22 At ipse est populus direptus & proculca-
tus; [h] [35] illaqueant juvenes quotquot sunt, & in
carceribus abduntur: sunt prædæ, nemine eripi-
ente; conculcationi, nemine dicente, restitue.
23 [36] Quis inter vos auribus percipit hoc?
attendit, ut auscultet in posterum?
24 Quis exponit proculcationi Jahakobū, &
Jisraëlē diripientibus? nónne Jehova? hic *est* cui
peccavimus; non enim acquieverunt ut in viis
ejus ambularent, neque auscultaverunt legi
ejus.
25 Quapropter [37] effudit super illum excan-
descentia iram suam, & [38] robur belli: sed etsi
inflammat eum circumquaque, non animadver-
tit; & si incendit eum, tamen non reponit in [i] a-
nimo.

CAPUT. XLIII.

26 [39] Nunc verò sic ait Jehova creator tuus
ô Jahakob, & formator tuus ô Jisraël: ne time-
to; nam vindicavi te, [40] vocavi te nomine tuo;
meus es.
27 Quum transis per aquas, tibi adsum, &
per flumina, ne inundent te; quum ambulas per
ignem, non ureris, & flamma non incendit te.
28 Nam ego Jehova Deus tuus, sanctus Jis-
raëlis, servator tuus *sum*: [41] dedi in redemtio-
nem tui Ægyptum, Æthiopiam & Sebam loco
tui.
29 [42] Ex quo pretiosus visus es in oculis meis,
honoratus fuisti, quia ego dilexi te: & subjeci ho-
mines tibi, & nationes [k] desiderio tuo.
30 Ne timeto; nam tibi adsum: ab oriente
reducam semen tuum, & ab occidente congre-
gabo te.
31 Edicam Aquiloni, redde: & meridiei, ne
cohibeto: reduc filios meos e longinquo, & filias
meas ab extremitate terræ;

[28] tertia pars, nimirum reprehensio populi cæcutientis & obsurdescentis ad opera monitáque Dei, ad quam transitus paratur exclamatione, hoc versu. Sunt autē in hac reprehēsione primùm exprobratio cæcitatis, versu 19. & seq. deinde cōfirmatio a justissima administratione Dei, usque ad vers. 26. [29] nimirum populus Judæorum liberatus ex AEgypto & e manu hostium suorum, ut serviret Deo, ut sup. 41.8. [30] i. sicut Sacerdotes & Levitæ mei, instituti ut docerent Jisraēlem judicia & legē Dei, Deut. 33.10. & Maleac. 2.7. [31] i. populus, quicum Deus fœdus æternæ pacis & omnis benedictionis iniverat. [32] hæ frequentes apostrophæ augent pathos. [33] confirmatio cæcitatis surditatísque Judæorum a præsentibus Dei, judiciis justi, castigationibus; cujus peccati indignitas ab antegressa Dei benignitate amplificatur, hoc versu. [34] opere: nam triplex gradus dignitatis ponitur a Deo in populum collatæ, videlicet amoris, colloquii, & operis. [h] *Hebr. illaqueando.* [35] id est, hostes, quibuscumque per iram Dei exponuntur Judæi, etiam fortissimos illorum quosque captivos ducunt. [36] apostrophe ad populum pathetica, quasi dicat, quis vestrûm tam gravia monita accipit, aut his verberibus resipiscit? cæci ergo, & surdi estis, ac sensus expertes. [37] elegans significatio misericordiæ divinæ in ipsa judiciorum exsecutione. Æstu quidem (propheta inquit) afficitur Deus propter peccata nostra; sed tamen æstum illum suum ita moderatur, ut illius particula tantùm nos aspergat, quæ ira dicitur: itaque non consumit nos æstu, sed iræ demonstratione excandescens revocat: hostes verò contrà, ut infrà 66.15. [38] id est, bella vehementissima: hypallage. [i] *Hebr. corde.* [39] quarta pars concionis, nimirum consolatio a promissionibus Dei: quæ confirmantur a natura ejus, ab opere creationis, a vocatione populi, & a singularibus exemplis beneficentiæ Dei erga vocatum ascitúmque populum: quæ omnia prolepticè hoc versu posita sequentibus exponuntur. [40] id est, illis vindiciis singulare dominium mihi in te comparavi (ut suprà 40.26.) ac proinde peculiari ratione meus es: ut Exodi 19.5. [41] his verbis Deus se servatorem esse populi confirmat, primùm a recente exemplo de quo suprà capite 18. deinde generali liberationum omnium commemoratione, sequente versu. Est autem exemplum recens Regis Tirhakæ, qui Sancheribo Judæam infestante cum maximis copiis adventavit AEgyptiorum atque AEthiopum: atque ita deveniens in Judæorum locum (ut loquitur Sapiens Proverb. 11.8.) ipse fusus est, & Judæi liberati; ac proinde quodammodo Judæis redemtioni fuit. [42] quasi dicat, denique ex quo mihi fuisti peculium, præ omnibus aliis populis honore & dominatione valuisti propter amorem meum erga te. [k] *Hebr. animæ suæ: ut Psal. 27.12.*

32 Omnem qui vocat se de nomine meo,
[43] quem ad gloriam meam creavi; quem forma-
vi, etiámque feci:
33 [l] Produc populum [44] cæcum *cui* sunt ocu-
li, & surdos quibus *sunt* aures.
34 [45] Omnes gentes congregentur pariter &
colligantur nationes; quis in illis indicaret
istud? [46] vel priora pronuncient nobis: edant te-
stes suos [47] ut justificentur, aut audiant [48] & di-
cant, verum *est*.
35 [49] Vos testes mei *estis*, dictum Jehovæ, &
[50] servus meus quem elegi: ut sciatis & credatis
mihi, intelligatisque me ipsum esse, [51] ante me
non esse [m] formatum a *Deo* forti, & post me non
futurum *quidquam*.
36 Ego, ego *sum* Jehova; & nullus *est* præter
me servator.
37 Ego indico, & servo, & prænuncio, non au-
tem ullus in vobis alienus *Deus*; & vos testes mei
estis, dictum Jehovæ, me *Deum* fortem esse.
38 Etiam [n] antequàm esset dies, ego ille *sum*;
& nemo e manu mea eripit: quum operor, [52] quis
avertat illam?

[43] gradatio elegans, qua Deus ordinem suæ benignitatis in electos explicat quia primùm inde a creatione instituit illos ad gloriam suam ex proposito æterno bonæ volūtatis suæ, deinde eos vocat & justificat, reformátque spiritu regenerationis, ac postremò ornat & glorificat, ut ait Apostolus Rom. 8.29. hoc autem significari faciendi verbo sæpius ostendimus; ut Deut. 32.6. [l] *Heb. producere.* [44] id est, populum Dei, qui ex cæco & surdo per gratiam Dei oculatus & auritus factus est. [45] ultima pars, confirmatio superiorum omnium, primùm per comparationem Dei loquentis cum gentibus obloquentibus Deo, hoc versu; deinde a sanctissimo testimonio Christi & Ecclesiæ, sequente versu: ex quibus asseritur categoricè majestas & veritas Dei ad præstandum ea quæ dixit, tribus versibus ultimis. Tractatur autem prius argumentum per concessionem sive provocationem ironicam, cujusmodi leguntur in scripturis passim. [46] ut suprà 41.22. [47] ut suprà 41.26. [48] id est, cedant veritati Dei. [49] apostrophe ad pios, qui adunati Christo membra sunt Ecclesiæ. [50] Christus, ut suprà vers. 1. [51] id est, omnia per me fieri, & sine me nihil fieri eorum quæ fiunt, neque futurum esse unquam. [m] *Heb. formatum* Dei *fortis.* [n] *Heb. ante diem.* [52] vide suprà 14.27.

CAPUT XLIII.

Deus Babylonici regni excidium prædicit, & liberationem populi ad gloriam suam: peccata populo exprobrat, ut omni præfidentia spoliet ipsum, & sibi arroget liberationis laudem: ac postremò instaurationem Ecclesiæ catholicæ promittit in Christo.

1 SIc [1] ait Jehova vindex vester, sanctus Jis-
raëlis: [2] propter vos missurus sum in Ba-
byloniam, & dejecturus [3] vectes omnes, Chal-
dæósq; cum navibus [a] [4] celeberrimis ipsorum.
2 [5] Ego Jehova *sum* sanctus vester, creator
Jisraëlis Rex vester.
3 [6] Sic ait Jehova [7] qui edit in mari viam; &
in aquis validis semitam,
4 [8] Qui educit currus, & equos, copias & ro-
bur; pariter jacebunt, non resurgent, exspira-
bunt, ut [b] ellychnium exstinguentur.

[1] Hanc concionem ita componendam esse ut fecimus, res ipsa loquitur: Estque tota quoddam veluti argumentum breve sequentium capitum. Duo enim summatim continet, quæ copiosiùs deinceps exponuntur; casum regni Babylonici, duobus primis versibus; & liberationem populi, reliquo capite. [2] id est, ut vos gratiosè liberem & instaurem. [3] id est, munimenta omnia, synecdochicè: ut 1. Schem. 23.7. [a] *Hebr. cantus ipsorum.* [4] id est, quas ipsi celebrant viribus earum præfidentes, & quarum nomine apud alios decantantur Babyloniorum vires. Nam etsi Babylonia Euphrate, Tygri, Basilio, Naharsariso, Narraga, & fluviis multis aliis, canalibúsque irrigua erat, quibus maxima erat navigandi per Babyloniam commoditas; tamen ipsa quoque navigandi facultas utendarúmque navium a Cyro ademta est in expugnatione Babylonis, ut demonstratum est suprà 21. [5] confirmatio a natura Dei, officio & beneficiis. [6] altera pars capitis: qua Deus primùm liberationem populi profligatis Chaldæis ad gloriam suam promittit, usque ad versum 9. deinde populum hypocriseos nomine reprehendit, ut quisquis gloriatur glorietur in Domino, usque ad versum 16. ac postremò plenam restitutionem prædicit in Christo, ad finem usque capitis. [7] id est, qui invia loca mirificè reddit pervia, non tantum Ecclesiæ suæ, ut eam liberet omnipotentia sua (quemadmodum olim factum est in mari rubro, & in Jardene, Exodi 14. & Jehosch. 3.) sed etiam iis quorum operam Deus adhibet ad vindicandam Ecclesiam, ut Cyro Euphrates factus est pervius ad occupandam Babylonem ab utraque parte oppidi. Herodot. lib. 1. [8] id est, duces Chaldæorum singulos cum Rege. [b] *Hebr. linum: ut suprà 42.3.*

5 [9] Ne

5 [9] Ne recordemini priorum, & antiqua ne
consideretis:
6 Ecce ego facturus sum rem novam, jam
exorietur, an non nosceretis illam? [10] etiam dis-
ponam in deserto viam, in solitudine flumina.
7 [11] Honorabit me bestia agri, dracones, &
[c] ululæ; quum posuero in deserto aquas, flumina
in solitudine, ad præbendum potum populo
meo, electo meo.
8 Populus [12] quem formavi mihi, laudem
meam enarrabunt.
9 [13] Nam me non [14] invocas, Jaħakob; aut
laboras [15] apud me, Jisraël:
10 [16] Non offers mihi parvam pecudem ho-
locaustorum tuorum, & sacrificiis tuis non ho-
noras me: non premo te ut servias munere, ne-
que fatigo te thure.
11 Non comparas mihi pecunia calamum
odoratum, & adipe sacrificiorum tuorum non
irrigas me: quin [17] servitute premis me propter
peccata tua, fatigas me iniquitatibus tuis.
12 Ego, ego ipse deleo defectiones tuas prop-
ter me; & peccatorum tuorum non recordor.
13 [18] Revoca in memoriam mihi, discepte-
mus unà; enarra tu, ut justificeris:
14 [19] Pater tuus primus peccaverit, & [20] in-
terventores tui defecerint a me.
15 Proinde essem prophanaturus principes
[d] sacros; & expositurus anathemati Jaħako-
bum, & Jisraëlem contumeliis.

CAPUT XLIIII.

16 [21] Jam verò audi Jaħakob serve mi, & Jis-
raël quem elegi.
17 Sic ait Jehova qui fecit te, & formavit te
ex utero, adjuvaturus te, ne timeto, serve mi Ja-
ħakob, & [22] Jeschurun quem elegi:
18 Nam effundam [23] aquas super sitientem,
& fluenta super aridam; effundam spiritum me-
um super [24] semen tuum, & benedictionem me-
am super prognatos tuos.
19 Et efflorescent velut inter gramen, velut
salices *inquam* secundùm processus aquarum.
20 [25] Hic dicet, Jehovæ sum, & iste voca-
bit nomine Jaħakobi: ille verò scribet manu sua,
sum Jehovæ, & de nomine Jisraëlis cognomi-
nabit.

[9] expositio usus usti & finis beneficiorum Dei, nimirum gloriæ ipsius in Ecclesia prædicatio. Hoc autem interdictum non simpliciter, sed κατά τι accipiendum est, quasi dicat, etsi præcedentes liberationes vobis in perpetuum celebrandæ sunt, ut de liberatione in Ægypto præcipitur Exod. 12. & 13. tamen tanta erit novi hujus beneficii dignitas, ut huic uni maximè prædicationi vobis sit incumbendũ: ut Jirmejæ 16. 14. & 15.
[10] id est, quemadmodum olim populo viam paravi per avias solitudines, & de viatico prospexi in locis aridissimis; ita etiam facturus sum.
[11] videlicet in populo meo. quasi dicat, nullo damno afficiet meos; sed reverentia prosequentes eum aut cedent ei, aut servient: respicit enim ad historiam exitus ex Aegypto, qua noxia animalia populo cesserũt, Deuter. 8. 15. alia verò fuerunt cibo, ut Exodi 16. 14.
[c] *Hebr. filiæ ululæ: ut Levit.* 11. 16.
[12] id est, qui sunt opus meum, conditi in Christo Jesu ad opera bona quæ præparavi ut versentur in eis, Ephes. 2. 10. [13] ætiologia honoris quem sibi attribui Deus præcipit, ab improbitate populi, cui exprobratur sua hypocrisis, tribus versibus; & a natura ac federe Dei efficace in nobis per remissionem peccatorum, versu 12. quæ duo postea per contestationem confirmantur, usque ad versum 16. [14] id est, colis, synecdochicè: ut Gen. 4. 26. similem exprobrationem vide suprà 1. 11. & sequentibus. [15] i. ante faciem meam, ut dicitur ibidem ℣. 12. [16] sed dæmonibus: quia sacrificium improbi est abominationi Jehovæ, Prov. 15. 8. vide Deut. 32. 17. [17] i. me ipsum angis, mihiq; molestus es: dictum ἀνθρωποπαθῶς; ut suprà 1. 14. [18] contestatio συγχωρητική, ad confirmandum superius documentum de gratuita peccatorum remissione in Christo: quasi dicat, profer justitiã tuam si qua fortè est, & si obliviscor ejus. [19] subjectio ad præcendentem contestationem: si ad disceptationem (inquit Deus) causę veniatur, invenieris non tantùm peccasse in me, sed etiam inde a conceptu peccator esse, ut patres tui; neque tibi ullum esse qui ritè intercedere tua causa possit: adeò omnes ordines tui, omnésq; ætates corruptæ sunt. [20] id est, Sacerdotes & Levitæ ipsi, quorum interventus sacer institutus est a Deo, Numer. 3. Nam distribuuntur Jisraëlitæ, hoc versu, in ordinem popularem & sacrum; & suæ pœnæ utriq; ordini ὕστερον πρότερον denunciantur seq. ℣. quæ fuissent eventuræ nisi ad gloriam suam respexisset Deus. [d] *Heb. sanctitatis.* [21] postremus locus exponens promissiones restitutionis in Christo ex federe æternóq; decreto Dei. [22] vide Deut. 32. 15. [23] i. spiritũ & benedictionem omnimodam in Christo copiosè largiar; quemadmodum hæc allegoria sequente mẽbro exponitur. [24] i. Ecclesiæ filios ex Judæis & gentibus adunatos & genitos in Christo, ut apparet ex versu 20. [25] id est, profitebuntur singuli se filios esse Dei & Ecclesiæ, ut Psal. 87. & fratres in eamdẽ Ecclesiam adscitos & cooptatos prædicatione verbi ac ministererio suo testificabuntur: sive (ut Paulus ait) servabunt se & eos qui ipsos audiverint.

CAPUT XLIIII.

Deus liberationem populi e Babylonia promissurus, fidem suam asseris & promissionum certitudinem, partim ab æternitate sua constantiáque operum & sermonis sui supra Deos & res creatas omnes, partim a federe gratuito & beneficiis ex federe in populum suum collatis: deinde ad promissiones veniens Cyrum nominas, vocationem & facta ejus prophetas quæ per ipsum ad gloriam suam effecturus eras: Babyloniorum blasphemias retundis, & omnia effecturum doces quæ ad regnum Christi viderit pertinere; nominatim verò idôla Babyloniorum exagitas, ex quorum clade suos confirmas de curatione sua, officii admonet, atque redarguis: similiter Babyloniis ruinam prænuncias propter ipsorum inhumanitatem, blasphemam & magicam præsidentiam, luxúmque perditissimum: quorum omnium factorum gloriam Deus sibi arrogans, populum perversitatis increpas, promissiones suas confirmas, & concludis explicatione studii sui erga populum, brevíque promissorum repetitione.

1 [1] SIc ait Jehova Rex Jisraëlis & vindex ejus,
Jehova exercituum; [2] ego *sum* primus &
ego ultimus, ac præter me nullus *est* Deus.
2 [3] Quis ergo ut ego prædicat, & indicat
istud, aut ordinat istud mihi ex quo disposui [4] po-
pulum [a] æternum; ut [5] futura & quæ eventura
sunt [b] indicentur illis?
3 Ne paveatis, neque timeatis; an non *in-
de* [6] ab eo tempore pronunciavi tibi ac indicavi,
& vos testes mei *estis*? an est Deus præter me?
utique nulla *est* [7] rupes, nullam novi.
4 [8] Formatores sculptilis omnes sunt rei in-
anis *formatores*, & desiderabilia eorum non pos-
sunt prodesse: [9] ac testes istorum sunt ipsa; non
vident, neque cognoscunt, ut erubescant.
5 Qui format *Deum* fortem, & sculptile fun-
dit; [c] ad nullam utilitatem *fundis*.
6 En omnes [10] se cõsociantes ei erubescent, &
fabri ipsi [11] magis quàm homines *ulli*: [12] congre-
gẽt se omnes, cõsistant, pavebũt erubescẽt, unà.
7 [13] Faber [d] ferrarius *cum* norma & opera-

[1] Concionem hanc ab hoc loco incipiendam esse tum præcedentis concionis verba ostendunt, tum hujus argumentum: nam quum in præcedente cõcione duæ summatim partes essent expositæ, de reversione populi e Babylonia, & de instauratione regni per Christum; jam Propheta priorem partem aggreditur, & capitibus quinque explicat, quæ propterea in concionem unam copulavimus. Sunt autem hujus concionis (ut eam in pauca membra dividamus) summæ partes quatuor: prima est exordium, toto hoc capite; secunda, narratio prophetica rerum gerendarum ex decreto Dei, tribus capitibus usque ad versum 12. capitis 48. tertia, confirmatio, inde ad vers. 16. deinde conclusio, ad finem usque. Exordium autem, quod hoc capite diximus contineri, sumit Deus a persona sua, fidem suam asserens, & populum suum confirmans de suis promissionibus, duobus argumẽtis: unum est, ab æterna, omnipotente, & constantissima natura sua, operum suorum, & sermonis sui, usque ad versum 16. alterum est a federe & effectis ejus, inde ad finem usque capitis. Prius autem argumentum propositum summatim versu 1. illustratur sequentibus per σύγκρισιν sive comparationem veri Dei cum falsis. [2] id est, natura sempiternus, ac proinde dictis & factis constantissimus, & aliorum omnium principia atque exitus in manu habens. [3] antithesis, qua Deus ex antegressa propositione sibi uni asserit facultatem & officium prophetandi in Ecclesia, aliísque omnibus abjudicat. [4] id est Ecclesiam, quam ab æterno elegit Deus, suóque tempore vocavit ut in æternum sanctificet. [a] *Heb. seculi.* [5] vide suprà 41. 22. & 23. [b] *Heb. indicent, sumtum impersonaliter: ut Ijobi* 7. 3. [6] nimirum ex quo disposui populum æternum. [7] ut Deuteron. 32. 4. hæc autem toties a Propheta inculcantur, ut populus Dei adversus Babyloniorum idôla firmo esset securóque animo; quemadmodum etiam facit Jirmejæ 10. [8] ἐξήγησις proximè præcedentis antitheseos, qua confirmavit Deus nullum esse Deum & nullam rupem præter se: nam cætera, inquit, idôla sunt, quæ nullam utilitatem, sed confusionem justam cultoribus afferunt, hoc versu: cujus utrumque membrum singulis versibus deinde exponitur. [9] id est, idôla ipsa testantur & clamant in ipsorum idololatrarum animis se nihil esse, cum nullo sensu aut intellectu sint prædita: quod unum satis esset ad perfundendos pudore idololatras. [c] *Heb. ad non prodesse.* [10] i. qui adhærent illis, & quasi spirituali conjugio cum illis copulantur: ut Num. 25. 3. [11] ex interminatione Dei Exodi 20. 5. [12] concessio idololatras graviter provocans, infaustúmque exitum omnibus prænuncians. [13] confirmatio præcedentium propositionũ; quarum una est, idola ad nullam utilitatẽ esse, & probatur usq; ad versum 13. altera, confusionem afferri ab illis in cultores ipsorũ, quæ probatur vers. 13. & duob. sequent. Inutilia autem esse, probantur ab operariis, instrumentis, materia, & usu illius, ipsorúmq; impotentia. [d] *Heb. fori-*

tur

tur prunis, & malleis format illud: [14] quum operatur illud brachio [e] robusto suo, etiam esurit & nullis *est* viribus, non bibens aquam defetiscitur.

8 Faber [f] lignarius extendit regulam; delineat ipsum amussi, aptat illud in angulos suos, aut circino format illud: denique facit illud ad structuram viri, secundùm ornatum humanum, ut desideat domi.

9 Cædendo sibi cedros quum sumsit cupressum & robur, [15] aut quæ fortificat se inter arbores sylvæ: ornum *quam* plantaverit, & pluvia educaverit:

10 Tunc est homini ad comburendum, qui sumit ex eis ut calefiat, etiam accendit *furnum* ut coquat panem; etiam operatur *Deum* fortem cui *honorem exhibens* incurvat se, aptat ipsam *in* sculptile ante quod procumbit.

11 Partem ejus exussit igni, ad partem ejus carnes comedit, assat assum, & satiatur; etiam calefit, dicitque, euge, concalui, vidi ignem:

12 Residuum autem ejus in *Deum* fortem aptat exsculpendo illud; procumbit coram eo, incurvátque se, & deprecatur ipsum dicens, eripe me, nam *Deus* fortis meus es.

13 [16] Non norunt, neque animadvertunt; [17] *illud* obducere oculos ipsorum, [g] ne videant, & corda ipsorum, ne intelligant.

14 Neque revocat ad [h] animum suum, neque scientia neque prudentia *inest* ut dicat; partem istius exussi igne, etiámque coxi ad prunas istius panem, assavi carnem quam comedo: & reliquum istius in rem abominandam aptavero? ante [i] id quod provenit ex arbore, procubuero?

15 [18] Pascens cinere animum [19] illusum [20] avertit; adeò ut [21] non eripiat [k] se ipsum, neque dicat, an non falsitas [22] *est* ad dexteram meam?

16 [23] Recordare horum Jahakob, & Jisraël, cùm servus meus sis: formavi te, servus meus es, Jisraël [24] non traderis oblivioni [l] a me.

17 Deleo [25] ut densa nubes defectiones tuas, & velut nubes peccata tua; revertere ad me, [26] nam vindico te.

18 [27] Cantate cæli, facere Jehovam *hæc*, clangite ima terræ; frangorem edite montes cantu, sylva, & quæcunque arbor *est* in ea: vindicare Jehovam Jahakobum, & in Jisraële gloriari.

19 [28] Sic ait Jehova vindex tuus, & formator tuus ex utero: ego Jehova facio omnia, extendo cælos solus, expando terram per me ipsum;

20 [29] *Is sum* qui irrita facturus est [30] signa mendacium, & ex divinis stultos effecturus: reducturus sapientes retrorsum, & scientiam eorum infatuaturus:

21 Præstiturus verbum [31] servi sui, & consiliú [32] nunciorum ejus absoluturus: qui dico de Jeruschalaimis, habitabútur, & de civitatibus Jehudæ, ædificabúntur, & *qui* vastitates istius erecturus sú:

22 [33] Qui edicturus sum ipsi profundo, exsiccare; & flumina tua arefacturus:

23 Edicturus [34] [m] Cyro [35] pastori meo, ut omnem delectationem meam perficiat; [36] útq; edicat Jeruschalaimis, reædificantor, & templo, fundator.

13 id est, etiam in illo opere fenecit lassitudine; neque, a Deo quem cudit sublevatur, neque reficitur: adi sanctis aliqua. Do... ut verus laboriosus... [illegible]

[e] Heb. roboris sui.

[f] Heb. lignorum.

15 id est, sive arborem voluntariam cædat quæ sponte nascitur, sive plantatam & cultam humana arte; materia illa quæcunque tandem sit, in varios & planè differentes usus consumitur; ac proinde nihil divini habet, nisi quantum affingit hominis voluntas & superstitio.

16 confirmatio alterius propositionis, ut diximus in versu 1. nimirum idola confusioni esse suis cultoribus; primùm enim excæcantur idolis suis ipsorum oculi & corda, duobus versibus; deinde etiam in dies obfirmantur ad suam ipsorum perditionem, v. 15.

17 id est, idolum in animis hominum quoddam veluti tectorium & velum esse ad obcæcandos idololatras, non autem specillum ad cernendum Deum.

[g] Heb. a videndo, ab intelligendo.

[h] Heb. cor: sic deinceps.

[i] Heb. proventum arboris.

18 id est, luctificus Deus, nihil nisi luctum & mala omnia importans cultoribus: periphrasis idôli. Nam cinerem pro luctu & miseriis luctuosis accipi omnibus notum est: ut Psal. 102. 10. & infrà 61. 3. aut (si quis mavult) consocians cineri, id est, hominem in terram dejiciens. 19 id est, qui jam idolorum velo captus & excæcatus est. 20 id est, magis ac magis seducit, & transversum rapit: alter gradus confusionis, ut diximus in versum 13. 21 id est, præceps ruat in perditionem suam, ac ne cogitare quidem de salute velit, aut falsitatem cui adhæret agnoscere. [k] Heb. *animam suam.* 22 id est, in falsitatem incumbo, quum do operam idololatriæ: ut Ecclesiast. 9. 22. 23 transitio ad alterum hujus exordii argumentum, in quo Deus Judæos proposito idololatrarum exemplo ad fedus suum revocat, quod a se integrum perstare ostendit. Primùm itaque fedus suum proponit populo, & res omnes creatas contestatur de veritate ejus, tribus versibus; deinde federis effecta futura, a vers. 19. ad finem usque. 24 etsi oblitus mei peccavisti in me: quamobrem sequitur proximè prædicatio remissionis peccatorum gratuitæ: sic infrà 49. 15. [l] Heb. *mihi.* 25 nimirum delet & absuit sordes quæ in terra sunt, quum pluviam profundit in terram: ecclipsis relati, ut Levit. 21. 4. & Proverb. 5. 19. 26 quasi dicat, meliùs agetur tecum quàm cum idolorum cultoribus; quibus nulla utilitas, nullæ vindiciæ, nulla salus, sed totus luctus est ab idolis suis. 27 contestatio, ut diximus in versum 16. 28 transitio ad effecta federis, ut diximus in vers. 16. qua Deus ab exemplo creationis & administrationis rerum omnium, hoc versu, confirmat se promissiones effecturum, quæ summatim proponuntur quatuor versibus sequentibus.

29 propositio summa totius sequentis narrationis; primùm de sapientissimis Babyloniorum consiliis adimendis, & verbo Dei unius præstando, duobus versibus; posteà de modo & instrumento quod Deus erat adhibiturus ad judicia sua, duobus versibus ultimis: quæ duo per ὑστέρωσιν exponuntur; instrumenti quidem ratio, cap. 45. judicia verò, seq. 30 de quibus infrà 47. 10. & seq. 31 i. Christi, cujus spiritu acti Prophetæ loquuti sunt, 2. Petri 1. 21. 32 i. Prophetarum, quorū opera Christus utitur ad nunciandam voluntatem suam. 33 i. Babyloniam palustrem, in qua Judæi demersi quodammodo & sepulti erant futuri, ita comparaturus, ut commodè ex ea liberentur Judæi, & ipsi hostes in eam perrumpant; nam Judæos commodissimè ex Babylonia reversos esse historiæ Hezræ & Nechemjæ docent; Cyrum verò siccato Euphrate Babylonē irrupisse ex Prophetis & historiis antè confirmavimus. 34 primo Persarum Regi, cujus nomen de industria exprimi voluit Deus, ut hoc signo Ecclesia ampliùs cōfirmaretur de veritate sermonis Dei; quemadmodū factum fuerat de Joschija, 1. Reg. 13. 3. nam a tempore hujus Prophetiæ quo enunciata est, usq; ad complementum ejus (ut ab ultimo Chizkijæ anno numeremus) fuerunt minimùm anni 170. [m] *Heb. Coreschi: sic deinceps.* 35 i. pastoris officium facturo erga populum meum, liberando, remittendo, curando, fovendo, omnia denique præstando quæ fuerint opus. 36 quemadmodum narratur 2. Chron. 36. 22. & 23. & Hezræ 1. Est autem totus hic versus ad narrationem *permissantia*.

CAPUT XLV.

1 SIc [1] ait Jehova [2] uncto suo Cyro, [3] cujus confirmaturus sum dexteram, ad sternendum coram eo gentes, ut lumbos regum dissolvam: ad aperiendum coram eo valvas, ut portæ non occludantur:

2 Ego tibi præiturus sum, & [4] inæqualia æquaturus; valvas chalybeas fracturus, & vectes ferreos succisurus:

3 Daturúsque tibi thesauros [a] abstrusissimos, & repositas opes [b] abditissimas: [5] ut cognoscas me Jehovam, [6] qui voco te nominatim, Deum Jisraëlis esse.

4 Propter servum meū Jahakobum, & Jisraëlem electū meū; propterea me vocasse te de nomine tuo, [c] cognominasse te, quāvis ignores me.

5 Ego Jehova & nullus præterea, præter me nullus Deus: accingo te, quamvis ignores me:

6 Ut cognoscant *gentes* ab ortu Solis & ab occasu ejus, nullum esse præter me; me Jehovam *esse*, & nullum præterea:

1 Secunda pars concionis, quam propheticā narrationem esse diximus suprà in caput 44. nunc demum incipit; in qua Deus mirificam suam administrationem prædicit in perdendis Babyloniis, & servandis suis. Sunt autem hujus narrationis duæ partes; una est prolepsis sive propositio & narratio brevis rerum gerendarum, causarū, & consiliorum Dei, hoc capite: altera est ἐξηγησία, id est, exornatio sive explicatio fusior hujus narrationis in sequētibus capitibus. Hujus ergo capitis tria sunt mēbra: primum, de nomine, vocatione, & rebus gerendis a Cyro, tribus versibus, secundū, de causis istius administrationis, inde ad versum 14. tertiū, de consilio promovēdi his rationibus & suo tēpore instaurandi regni per Christum, inde ad finem usque: e quibus primū membrum fusiùs explicatur capite 46. & 47. secundum capite 48. ad tertiū tota reliqua prophetia pertinet, quam non dubiū est permultis vicibus prophetatā esse. 2 i. vocato & instituto divinitus ad perficiendā voluntatem Dei, quæ mox subjicitur: metonymia est signi pro re significata, ex Judæorū usu: ut 1. Reg. 19. 15. 3 i. cui non solùm vocatio, sed etiam donū a Deo obventurū est, ut præstet hæc mandata Dei. q. d. cui assistiturus sum, ut Reges & regiones subjuget; quēadmodū fuisse factū docent historici: synecdoche 4 i. difficultates omnes ita sublaturus, ut nullo negotio etiam potentissimas regiones perdomet. [a] Heb. *tenebrarum.* [b] Heb. *latebrarum.* 5 transitio ad explicationem causarum, ex quibus Deus ad hæc judicia per Cyrum efficienda adducitur; quarum una est, ut agnoscatur Deus, & fides ipsius studiúmq; in populum suum, tum a Cyro, hoc & seq. versu, tum a gentibus, versibus 3. seq. tum a rebus creatis omnibus, v. 8. altera, ut Babyloniorum blasphema & scelerata vita castigetur, a v. 9. ad 14. Hujus autem agnitionis exemplum exstat 2. Chron. 36. 23. & Hezræ 1. 2. nimirum qualis in viro ignorante Dei esse potest, non autem salutaris: ut fine duorum sequentium versuum confirmatur. [c] Heb. *qui voco nomine tuo.* 6 nam proprium illi nomen, teste Herodoto & Justino, fuit Spaco, id est, canis, Medorum lingua, a cane quæ expositum infantem lactaverat. Coresch verò cognomen fuit honorificum a Persis inditum, quod sonat Dominum: nam eadem quoque ratione Coresch apud Persas est Solis (quem colunt) epitheton.

7 id est, omne bonum & prosperitatem; cujus contrarium est malum, quod proximo membro nominatur.
8 provocatio rerum creatarum omnium ad testificandum & prædicandum salutare justúmque Dei opus, & quibuscumque modis poterunt ministrandum ei: quæ omnia enunciantur allegoricè.
9 transitio ad alteram causam judiciorum Dei, nimirum nequitiam Babyloniorum: cujus primùm indignitas conjuncta maledictione, his duobus versibus exponitur, perinde esse ac si figmentum in figulum, aut semen genitale in parentes efferretur: deinde potentia Dei asseritur adversus illorum blasphemias, usque ad vers. 14.
10 id est, qui utcumque alat ingentes animos, tamen æquè testa est fragilis ad voluntatem figuli atque altera quævis: de hoc fastu vide Danijel. 5.

7 Formantem lucem & creantem tenebras,
facientem[7] pacem, & creantem malum; me Je-
hovam facere omnia ista.
8 [8] Destillate cæli supernè, & superiores nu-
bes fluant justitia: aperiat se terra, & *terrestria* e-
dant fructum salutis, justitiáque efflorescat si-
mul, me Jehova patrante illud.
9 [9] Væ litiganti cum fictore suo, [10] testæ cum
aliis testis [d] terreis: [11] an dicturum est lutum fic-
tori suo, [12] quid facturus esses, [13] cùm [e] ad opus
istud tuum nullæ *fini* manus?
10 Væ illi qui dicit patri, [14] quid geniturus
esses? & fœminæ, quid paritura esses?
11 [15] Sic ait Jehova sanctus Jisraëlis, & for-
mator ejus: [16] quæ ventura sunt petite a me, [17] de
filiis meis & de [18] opere manuum mearum inter-
dicite mihi.
12 [19] Ego feci terram, & hominem super eam
creavi; ego manibus meis extendentibus cælos,
omni quoque exercitui eorum præcepta dedi.
13 Ego excitaturus sum [20] illum [21] justè, &
omnes vias ejus æquaturus: ipse [22] reædificatu-
rus est civitatem meam, & deportatos meos re-
missurus [23] non pretio neque munere, ait Jeho-
va exercituum.
14 [24] Sic ait Jehova, [25] labor Ægypti, & merx
Æthiopiæ, Sabæorúmq; [f] [26] procerorum; ad te
transibunt & tua erunt, [27] te sequentur; [g] compe-
diti transibunt: tibíque incurvabunt se, te depre-
cabuntur *dicentes*; tantùm in te *est Deus* fortis, &
nullus *est* prætereà, nusquam prætereà Deus.
15 Utique tu *Deus* fortis [28] abdens te, Deus
Jisraëlis *servator es*.
16 [29] Erubuerunt, etiámq; ignominia affecti
sunt omnes isti; pariter abiverunt cum ignomi-
nia fabri imaginum.
17 Jisraël servatur per Jehovam salute [h] æter-
na: non erubescetis, neque ignominiosi redde-
mini [i] in sempiterna secula.

[d] *Heb. terra.* [11] simile argumentum contra Assyrium vide suprà 10.15. [12] id est, non poteris facere quod dicis: te invito permanebimus, neque Judæi isti eripientur nobis. [13] id est, cum vires te deficiant, & sis imbecillior quàm ut præstes ea quæ prænunciavisti de nostra eversione, istorúmque liberatione. [e] *Heb. opus tuum non* sint *manus ad istud: ἰμπλοκὴ verborum Hebræis recepta in concursu relativi cum antecedente.* [14] quasi dicat, laboras frustrà: penes me est potestas rerum conficiendarum, non autem penes te. [15] assertio potentiæ Dei: ut diximus in versum nonum. [16] objectio ironica in Babylonios: agite, inquit Deus, negate ista si quidem vultis, aut si potestis impedite: sed tamen signa præsentia jam satis evincunt dictorum meorum veritatem, sequent. versu: opus autem meum cui obsistitis, vobis invitis suo tempore consummabo, versu 13. [17] Judæis liberandis. [18] id est, toto eo quod me denunciavi per Cyrum effecturum esse. [19] dicta confirmat Deus a signis & elementis rerum naturalium inanimarúmque. [20] Cyrum, cujus antè memini vers. 1. [21] id est, prout justitia mea denunciat peccatis vestris, & justè effectura est ad meorum liberationem. [22] ut suprà 44. 23. [23] id est, gratis, non tantùm non accipiens munus ad dimittendum populum, sed ipse ultrò offerens liberationem & munera, Hezræ 1. vide infrà 52.3. [24] tertium membrum, ut diximus in versum 1. quo Deus ostendit consilium suum: se non alium ad finem ista effecturum esse, quàm ut promoveat hoc pacto & instauret regnum suum tempore suo per Christum, qui fundamentum est & finis prophetiarum omnium. Quamobrem prædicuntur duo: primum, gentes his principiis adductum iri ad colendum & prædicandum Deum, quatuor versibus; secundum, Deum illas ultrò vocaturum, aucturum esse, & confirmaturum in notitia & fide in Christum, a versu 18. ad finem usque. [25] de quo 1. Reg. 10, 28. [f] *Heb. hominum mensura, ut Num.* 13.32. [26] id est, potentissimorum agro & mercibus: fuerunt enim Sabæi propter thuris & odorum merces clarissimi, ad utraq; maria porrectis gentibus, Persicum & Rubrum, teste Plinio libro 6. natur. histor. cap. 28. [27] id est, adjungent se, & submittent Christo in Ecclesia. [g] *Heb. in compedibus.* [28] id est, qui a temporibus æternis reticuisti apud gentes mysterium tuum, nunc verò fecisti manifestum, & per scripturas ad obedientiam fidei omnibus gentibus declarasti, ut ait Apostolus, Roman. 16. 25. & qui prætereà non adumbras te imaginibus, aut speciem essentiæ tuæ communicas, sed invisibilis permanes. Hæc duo interpretationis membra conjungenda esse ex sequentibus verbis colligimus. [29] exornatio præcedentis dicti a spectato judicio ejus, per antithesin ultionis in idololatras & Babylonios ipsos salutisque communicate cum populo. [h] *Hebr. seculorum.* [i] *Hebr. usque in secula æternitatis.*

18 [30] Nam sic ait Jehova creator cælorum, il-
le ipse Deus, formator terræ & opifex ejus, idem
stabiliens eam, [31] *qui* non ad inanitatem creavit
eam, *sed* ad inhabitandum formavit eam: ego
sum Jehova, & nullus prætereà.
19 [32] Non clàm loquor, *non* in loco terræ [k] te-
nebrosæ, [33] non edico semini Jahakobi, inaniter
quærite me: ego Jehova eloquor justitiam, in-
dico recta.
20 [34] Congregamini & advenite, appropin-
quate unà, qui evasistis ex gentibus, [35] *qui* ig-
nari erant gestantes lignum sculptilis sui, &
deprecantes [l] pro *Deo* forti non valentem ser-
vare:
21 [36] Indicate, & ad movete, etiam consilium
[m] ineatur unà: quis pronunciavit hoc a [n] pris-
cis diebus, ab eo tempore indicavit istud? an non
ego Jehova, nullúsque amplius Deus præter me,
Deus fortis, justus, & servator? nullus præter
quàm ego.
22 Respicite ad me, & servemini omnes fines
terræ: nam ego *sum Deus* fortis, & nullus præ-
tereà.
23 [37] Per me juravi, prodiit ex ore meo [o] ju-
stè verbum, quod non revocabitur; [ll] mihi incur-
vatum iri omne genu, juraturam omnem lin-
guam.
24 [38] Tantummodo in Jehova, de me inqui-
et, [p] omnis justitia & robur *est*: [39] ad ipsum ve-
niat congressurus, at erubescent; quicunque ex-
ardescunt contra eum, *erubescent*.
25 In Jehova justificabuntur, & gloriabuntur
totum [40] semen Jisraëlis.

30 alterum membrum promissionis ex consilio Dei, ut suprà diximus vers. 14. quo Deus confirmat segentes ad ipsum confessuros æterna benedictione & salute donatum esse, quam in fine superioris versus penes Jisraëlem esse confitebamur.
31 i. qui non vult profligatis hostibus & idòlis terram desertam esse, sed habitari a suis; ac proinde statuit gentes cum Judæis in Ecclesiam cooptare. Hæc autem dicuntur allegoricè, comparatione sumta a rebus bellicis.
32 id est, nunc demum me, sermonem, & beneficia mea expono palàm, contra quàm suprà dixerant gentes vers. 15.
[k] *Heb. tenebrarum.*
33 i. non frustra voco Ecclesiam meam, sed ad justitiam & vitam æternam; ut sequentia docent. [34] prænunciatio luculentissima vocationis gentium ad Euangelium Christi, tribus versibus: cui subjungitur confirmatio a juramento Dei patefacti in Christo filio suo, tribus versibus ultimis. [35] id est, qui prius alieni erant a Deo & promissionibus ejus, Ephes. 2.12. [l] *Heb.* Deum *fortem.* [36] id est, nunciate, & vocate alii alios, convenite, & consilia inite fidei & resipiscentiæ, quæ duo ponuntur hoc & seq. vers. [m] *Heb. ineant, impersonaliter.* [n] *Heb. ab antiquitate, ex tunc.* [37] confirmatio a juramento, ut dictum est vers. 20. quæ Christus primùm asserit auctoritatem suam, hoc versu; deinde totam ab Ecclesia sibi attributum & delatum iri docet, duobus sequentibus: quo sensu accipiendum esse locum hunc docet Apostolus Rom. 14.11. & Philip. 2.10. [o] *Heb. justitia.* [ll] *Rom. 14.11. Philip. 2.10.* [38] prædicatio Ecclesiæ gloriantis in Christo, quam Christus de se futurâ dicit. [p] *Heb. justitiæ.* [39] provocatio gloriosa in hostes: quasi dicat Ecclesia, agedum, veniant, siqui pugna experiri cum Christo volent. [40] id est, Ecclesia Dei ex omnibus gentibus adunata.

CAPUT XLVI.

1 [1] PRocubuit [2] Bel, [3] reflexus est [4] Deus va-
ticinus, fuerunt terricula eorum *impo-*

[1] *ἐργασία*, id est, exornatio narrationis, quæ præcedente cap. facta est, nunc demum incipit, ut diximus suprà 45. 1. ac primùm quidem exornantur res gestæ, duobus capitibus; deinde verò caussa istarum, capite 48. Res autem gestæ in duo judiciorum genera dividuntur: narrantur enim judicia Dei effecta contra idòla, hoc capite; deinde contra Babylonios ipsos idololatras, capite seq. & singulis istis narrationis partibus suus usus suaq; doctrina subnectitur. Sunt itaque hujus capitis partes duæ: una est narratio (ut modò diximus) duobus versibus comprehensa; altera est doctrina ad populum Dei, eruta ex narratione præcedente, toto capite. [2] nomen est idòli, quod unum in pretio fuit apud Assyrios, Persas, & Babylonios: alii Saturnû esse volunt filium Oceani; alii Jovem (unde Jupiter Belus appellatur Plinio libro 6. natur. histor. cap. 26.) alii denique Solem: quod magis probamus, quia Solem ab Assyriis, Persis & Babyloniis pro Deo summo habitum esse, & igni tamquam illius particulæ cultum exhibitum omnes historiæ testantur: unde factum est ut temporibus Joschijæ equi, currus, & cultus Soli essent dicati Jeruschalaimi, superstitione invecta per Assyrios, 2. Reg. 23. 11. Dicitur autem Bel illarum gentium sermone tamquam dominus, pro eo quod dicunt Hebræi Bahal. [3] hac loquendi forma non dubium est quin Propheta ad fatidica illa oracula respexerit, quæ religionis specie edebantur: nam stabant procera statuæ, sacerdotes verò ex tripode aut alio instrumento, veluti Deum a tergo consulentes responsa dabant: jam verò, inquit Propheta, illi reflexi & complicati sunt, ademptáque facultas ampliùs edendi oracula. [4] vocem qua Propheta utitur appellativè accipimus pro idòlis omnibus quæ superstitiosi consulebant, a verbo æquè Babyloniis atque Hebræis usitato, quod significat prophetare.

5 nimirum deportanda in Perside veluti captiva, ut prædæ essent, post expugnatam Babylonem: enallage numeri, ut in fine versus.
6 nimirum bestiæ & jumento in Persidem exportanti. Erant enim aurea, pretiosaque & gravia multa; ut constat ex Danijel. 3.
a Heb. *anima ipsorum in captivitatem abivit.*
7 secunda hæc pars didascalica, sumta occasione ex præcedente historia Judæos instituit, primùm fideles & pios, usque ad versum 8. deinde infirmos Judæorum, itémq; impios, & hypocritas, ad finem usque. Est autem utriusque loci commune exordium his duobus versibus, in quibus Deus per antithesin singularia sua officia in populum suum explicat, ostendens quàm procul ab idolorum conditione absit, quæ nisi a suis ferantur & eripiantur pereunt.

sita [5] bestiæ & jumento; gestamina vestra onera-
ta, oneri sunt [6] defessæ.
2 Reflexi sunt, procubuerunt pariter, neque
potuerunt *Babylonii* eripere onus: sed [a] ipsimet
in captivitatem abiverunt.
3 [7] Auscultate mihi domus Jahakobi, totúm-
que residuum domus Jisraëlis; [8] qui bajulamini
inde ab utero, qui gestamini inde a vulva:
4 Et usque ad senium ego idem, & usque ad
canitiem ego portaturus sum: ego feci & ego
gestabo, ego inquam, portaturus sum & erep-
turus.
5 [9] Cui assimilaretis me & æquaretis; aut
compararetis me ut [10] similes essemus?
6 [11] Qui prodigunt aurum e marsupio, & ar-
gentum [12] scapo appendunt; mercede condu-
cunt conflatorem qui faciat *ex* eo *Deum* fortem
cui procumbentes etiam incurvent sese:
7 Gestant eum, humero portant eum, dein-
de collocant eum in sede sua, ubi stat, e loco suo
non recedit; etiam si *quis* clamet ad eum, non ex-
audit, ab angustia ipsius non servat ipsum.
8 [13] Recordamini hujus, & præbete vos vi-
ros; revocate, ô defectores, in [b] animum,
9 Recordamini priorum *inde* a seculo; me
esse *Deum* fortem, & nullum prætereà *Deum esse*,
& neminem parem mihi:
10 Indicantem a principio finem, & ab anti-
quitate quæ nondum facta sunt; [14] dicentem,
consilium meum stabit, & omnem delectatio-
nem meam facturus sum.
11 Voco [15] ab Oriente [16] volucrem, e terra
longinqua [c] effectorem consilii mei: & loquu-
tus sum, & adducam istud; formavi, & faciam
istud.
12 [17] Auscultate mihi robusti animo, qui
longinqui estis a justitia.
13 [18] Admoveo justitiam meam, non longin-
qua est; sed salutem meam [19] non retardabit:
nam disponam in Tzijone salutem, Jisraëli [20] or-
natum meum.

8 id est, quos ego bajulo, quemadmodum portat quis filium suum, Deut. 1. 31. & tamquam Aquila assumens porto vos super alas meas Exod. 19. 4. & Deuter. 32. 11. 9 primus doctrinæ locus, quo præmonentur pii ut sibi prudenter & sanctè a falsis Babyloniorum commentis & superstitionibus caveant, observantes naturam Dei optimi maximi atque in ipsos beneficentissimi. Simile vide suprà 40. 18. & 25. 10 Puta ego & imago cui compararetis me. 11 amplificatio a comparatione idolorum cum majestate Dei (ut suprà ibidem) & officiorum quæ idololatræ coguntur diis suis inutilibus exhibere, cum illis officiis quæ cultoribus suis facit Deus, hoc & sequent. versu. 12 id est, trutina, synecdochicè: est enim scapus trutinæ pars ex qua dependent lances. 13 secundus doctrinæ locus ad Judæos infirmos aut ignorantes Dei, ut consimiliter imbuti vera notitia Dei, si qua infirmitate cedentes Babyloniorum tyrannidi cultum Dei veri dimiserint, saltem his duobus argumentis ad bonam frugem revocentur: primùm documentis rerum creatarum & operum præteritorum Dei, versu 9. & 10. deinde præsentissima liberatione quam per Cyrum promisit Deus, & justo tempore effecit, vers. 11. b Heb. *cor: sic deinceps.* 14 id est, qui solus meritò ac verè possum dicere. 15 id est, Perside. 16 id est, Cyrum, ducem expeditissimum, qui tam leviter difficultates omnes superaturus est quàm si prætervolet. c Heb. *virum consilii mei.* 17 tertius doctrinæ locus ad impios & hypocritas, quibus denunciat Deus se propter nomen suum effecturum promissiones suas, & justitiam adhibiturum ad salutem Ecclesiæ suæ, & ipsorum confusionem. 18 id est, vos inviti & fugientes, experiemini tamen justitiam meam. 19 id est, præcisè complebit suo tempore justitiam meam; neque impedietur nequitiâ vestrâ, aut in supplicio de vobis sumendo ita occupabitur ut gratiæ salutaris opus avertat. 20 ut suprà 44. 18.

CAPUT XLVII.

1 DEscende, [2] ac sede in pulvere, [2] virgo, filia
Babylonis; sede humi, [a] defecta solio
filia Chaldæorum; nam [3] non perges [b] vocari
tenera & delicata.
2 [4] Accipe molas, & mole farinam; [5] rete-
ge crines tuos, [6] denuda vestigium, retege crus,
transi flumina.
3 [7] Retegetur nuditas tua, etiam videbitur
turpitudo tua: ultionem sumam, neque [c] feram
obstare quemquam mihi,
4 [8] *Inquit* vindex noster Jehova exercituum
nomine suo, sanctus Jisraëlis:
5 Sede silens, & ingredere in [9] tenebras fi-
lia Chaldæorum: nam non perges vocari domi-
na regnorum.
6 [10] Efferbueram [11] contra populum meum,
prophanaveram possessionem meam, & tradide-
ram eos in manum tuam: non exhibuisti eis mi-
sericordiam, super senem aggravasti jugum tu-
ùm valde.
7 Et dixisti, in seculum ero domina: unquã
non reposuisti hæc in [d] animo tuo, non recorda-
ta es [12] finem illius.
8 Nunc itaque audi hoc voluptaria desidens
securè, dicens cum animo suo, [13] Ego *sum*, & nul-
la præter me amplius: [14] non sedebo [15] vidua,
neque experiar [16] orbitatem.
9 [17] Imò evenient tibi duo ista momento
die eodem, orbitas & viduitas: [e] planè superve-
nient tibi cum multitudine præstigiarum tua-
rum, [18] cum fortitudine incantationum tuarum
[f] maxima.
10 [19] Quia confisa es malitiæ tuæ dicens,
[20] nullus videt me, [21] sapientia tua & scientia tua
ipsa pervertit te; ut diceres cum animo tuo, ego
sum, & nulla præter me amplius:
11 Idcircò superveniet tibi malum cujus ig-
noras [g] ortum, & obruet te ærumna quam non
poteris [22] expiare; denique superveniet tibi re-
pentè vastitas *quam* ignoras.
12 [23] Sta jam cum [24] incantationibus tuis &
cum multitudine præstigiarum tuarum, in qui-
bus laborasti a pueritia tua; *si* fortè possis profi-
cere, *si* fortè præbebis te fortem.
13 [25] Defetisceris multitudine consiliorum
tuorum: stent jam [h] astrologi, qui contemplan-
tur stellas, qui notas faciunt in menses *prædictiones suas*; [26] & servent te ab iis quæ superventura
sunt tibi.
14 [27] Ecce sunt tamquã stipula, ignis combu-
rit eos, non eripiunt [i] se ipsos e flamma: [28] nullus

1 Altera pars narrationis propheticæ contra Babylonios idololatras (ut diximus sup. 46. 1.) hoc toto capite cõtinetur. Sũt itaq; hujus (ut antè diximus) partes duæ: una, qua judicia Dei gravissima in Babylonios exponuntur, versibus quinque; altera, qua cum Babyloniis Deus contestatur de suorum judiciorũ causis, reliquo capite. 2 i. Babylonia tota sive Chaldæa, cujus monarchia corpori virginis comparatur, quia videbatur sibi indomita, & erat in summo luxu deliciisq; perdita. a Heb. *nullo solio.*

3 sed mancipium eris abjectissimum, duobus versibus sequentibus.
b Heb. *vocabunt te: sic versu 5.*
4 id est, abi in pistrinum & mole, ut mancipium turpissimum & abjectissimũ: vide Exod. 11. 5.
5 id est, luge capillis passis; synecdoche.
6 id est, omissis soccis & mollibus calceamentis, ad tristissimum iter te cõpara: quò etiam spectant verba sequentia: vide suprà 20. 2.
7 id est, pro eo quòd mollissimè & lautissimè induisti te, in miseriam tantam detruderis atque paupertatem, ut ne pudenda quidem de tuo possis contegere.
c Heb. *occurram homini: hypallage, pro eo quod est, occurret mihi homo.*
8 eclipsis ut 1. Reg. 20. 34. & suprà 5. & 9.
9 id est, summas angustias, ignominiámq; maximam; cujus nomine desideratura es ipsa in tenebris delitescere.
10 altera pars capitis, contestatio; qua Propheta suorum judiciorum causas evincit fuisse in Babyloniis ipsis, primùm propter arrogantissimam inhumanitatem ipsorum, usque ad versum 10 deinde propter blasphemam præfidentiam suę magiæ & incantationum, inde ad ℣. 15. postremò propter intolerabilem fastum animo conceptũ ex infinitis opibus, versu ultimo: quibus singulis peccatis suæ minæ judiciáq; attexuntur. 11 idem argumentum vide Zecarjæ 1. 15. d Heb. *corde: sic deinceps.* 12 nimirum possessionis meæ, de qua vers. 6. q. d. non observasti quem finem calamitatum Deus præstare soleat & præstiturus sit Ecclesiæ suæ: ut Deut. 8. 16. 13 q. d. cætera præ me nihil sunt; sic ℣. 10. 14 id est, Regem & regnum florentissimum perpetuò habitura sum. 15 Rege, tamquam marito. 16 a civibus & popularibus, aut subjectis regno, veluti filiis. 17 prænunciatio judicii, de quo Danijel. 1. ℣. ultimo. e Heb. *secundum integritatem suam.* 18 id est, neque te defendent ista: transitio ad secundam causam. f Heb. *valde.* 19 secunda causa, ut diximus in ℣. 6. nimirum blasphema & contumeliosa in Deum persuasio de magicis incantationibus & scientia tota Babyloniorum; cujus crimen, hoc versu; pœna ℣. seq. exponitur: deinde amplificatur utrumque sarcasmo elegantissimo, tribus versibus. 20 q. d. ne Deus quidem novit rationes meas. 21 ea nimirum quæ exagitatur versu 12. & seq. g Heb. *auroram: sic ludificatur astrologos.* 22 id est, avertere incantationibus tuis: sic ludificatur magos. 23 sarcasmus gravis in Babylonios, ut diximus in versum 10. 24 vide Psal. 18. 6. 25 ironica oratio. q. d. frustrà laboras ut te ipsam confirmes tuâ industriâ, nisi sapientissimos quosque doctorum tuorum adhibueris, ut consulant tibi: agedum, experiantur illi. h Heb. *observatores cælorum.* 26 ἰμπλοκὴν verborum, quæ in contextu Hebræo implicata sunt, transtulimus ad evidentiam. 27 emphatica demonstratio vanitatis quæ est in omnibus Chaldæis & mathematicis; quibus eventurum Propheta ostendit ut ab igne ipso, quem pro Deo habebant, consumantur. i Heb. *animam suam e manu flammæ.* 28 id est, planè absumuntur ipsi, & Deus ipsorum cum ipsis exstinguitur.

supereſt carbo ad caleſcendum, *nedum* ignis ad
ſedendum ex adverſo ejus.
15 [29] Ita ſunt tibi quibus *cum* labor aſti: nego-
tiatores tui a pueritia tua, ſinguli in [k] partes ſuas
aberrant, nemo ſervat te.

[29] tertia cauſa, ut diximus in verſum 6. ad quam tranſitur ejuſdem pœnæ accommodatione ad ſummas opes Babyloniorum, & luxum profuſiſſimum. [k] *Heb. tranſitum ſuum: id eſt, quocunque permeare poſſunt ut vitæ ſuæ conſulant.*

CAPUT XLVIII.

1 [1] Audite hoc domus Jaħakobi, qui vocant
ſe [2] de nomine Jiſraëlis, & [3] ex aquis Je-
hudæ prodierunt, [4] qui jurant per nomen Jeho-
væ, & Dei Jiſraëlis mentionem faciunt, non [a] fi-
deliter neque juſtè.
2 Quamvis a civitate ſancta ſe vocent, &
Deo Jiſraëlis [5] innitantur; cujus nomen eſt Je-
hova exercituum.
3 [6] Priora [7] inde ab eo tempore indicave-
ram, & ex ore meo prodeuntia pronunciaveram;
ea [8] repentè effeci, atque evenerunt.
4 [9] Ex præſcientia mea *erat* te durum eſſe;
& nervum ferreum *eſſe* cervicem tuam, frontém-
que tuam chalybeam:
5 Quapropter indicavi tibi ex eo tempore,
quum nondum eveniret pronunciavi tibi; [10] ne
diceres, terriculum meum fecit iſta, & ſculptile
meum aut fuſile meum præcepit iſta.
6 Audiveras, [11] reſpice totum hoc; & vos
[12] an non indicabitis? pronuncio tibi [13] no-
va [b] ex hoc tempore & recondita, quæ igno-
raſti;
7 Quæ [14] nunc creantur, non autem ab eo
tempore, etiam ante diem *quum* [15] non audiviſti;
ut non dicas, ecce noveram ea,
8 [16] Neque audiviſti quicquam, neque no-
viſti, neque ab illo tempore [17] aperuit aurem tu-
am: nam novi te [c] omnino acturum eſſe perfidè,
& defectorem ex utero vocari te:
9 Propter nomen meum [d] longanimis ero,
& laudem meam obſignatam aſſervabo tibi; ut
non exſcindam te.
10 Ecce conflabo te, [18] non autem cum ar-
gento; ſelectum efficiam te catino afflictionis.

[1] Hoc capite (quemadmodum diximus ſuprà 45. 1.) continentur tria: primum eſt expoſitio alterius mēbri quod in narratione poſitum eſt ſuprà 45. 4. de cauſa iſtorum judiciorum Dei, uſque ad verſ. 12. ſecundum eſt confirmatio narrationis, a verſ. 12. ad 16. tertium, concluſio, ad finem uſque, ut ſuprà diximus in principium capitis 44. Summa autem cauſa judiciorum Dei per conteſtationem explicatur; qua Deus populum evincens improbitatis, duobus primis verſibus, per cōparationem exemplorum antecedentium, uſq; ad verſ. 6. oſtendit ſe nulla dignitate populi, V. 7. & 8. ſed ſua unius gloria adductum eſſe ut populum affligat, & ex afflictione liberet juſtitiâ ſuâ, uſque ad verſum 12. [2] idem argumentum ad exprobrationem populi vide copioſè explicatum Hoſch. 12. & 13. [3] id eſt, qui ex Jaħakobo, tamquam ex fonte promanarunt: ut Deuteron. 33. 28. & Pſal. 68. 27. [4] id eſt, qui non eſtis integri erga Deum veſtrum: ſic Jirmejæ 5. 2. [a] *Heb. in fide, neque in juſtitia.* [5] id eſt, ſe niti glorientur. [6] comparatio rerum antegeſtarum prædictarúmque, qua Deus utitur his quatuor verſibus, tota eò ſpectat ut demonſtret ſibi fuiſſe quidem perſpectam improbitatem populi, ſed gratis propter gloriam ſuam immeritis etiam & averſantibus beneficia ſua prædixiſſe, & ſuo tempore contuliſſe: deinde verò ſequitur accommodatio, qua confirmat Deus ſe nunc eandem rationem ſequi ob eandem cauſam. [7] ex quo domus es Jaħakobi, & vocas te de nomine Jiſraëlis. [8] id eſt, ſimul atque viſum eſt, etiam nullis præcedentibus mediis, aut adverſantibus. [9] ut teſtatur Exodi 32. 9. & Deuteron. 31. 27. & 32. toto capite. [10] id eſt, ne res jam olim prædictas & ſuo tempore præſtitas attribueres diis novis, qui e propinquo advenitunt & recèns ſunt facti, ut Deuteron. 32. 17. [11] id eſt, animadverte ut re ipſa effecta ſint quæcunque audiveras ex me, & nihil prædictorum meorum exciderit; ut Jehoſch. 22. 3. & 1. Schem. 3. 19. [12] id eſt, an diſſimulabitis ea omnia quæ in vos fuerunt collata; neque certa fide amplectimini prædictiones meas, quibus vos teſtimonium oportuit perhibere ab anteacta experientia; ut ſuprà 42. 35. [13] tranſitio ad accommodationem exemplorum, de qua in verſum 3. [b] *Heb. a nunc.* [14] nimirum de captivitate per Babylonios, excidio Babyloniorum, & liberatione tua per Cyrum. [15] id eſt, nunc primùm in lucem eduntur, pateſiúntque admirabiliter; ut exponunt verba ſequentia. [16] a divinis & aſtrologis tuis. [17] prophetiæ ſummam incipit Jeſchaħja ab occupatione, quaſi dicat, non eſt quòd metuas ut non præſtem ea quæ antè dicta ſunt propter duritiem tuam: nam propter me effecturus ſum, ſeq. V. [c] *Hebr. perfidè agendo perfidè acturum.* [d] *Hebr. prolongabo iram meam.* [18] id eſt, non agam ſummo jure tecum; quia ſi ab omni ſcoria, ut argentum, expurgandus eſſes, totus diſperires.

11 Propter me, propter me faciam, nam quo-
modo prophanaretur [19] *illud*? & gloriam meam
[20] alteri non dabo.
12 [21] Auſculta mihi Jaħakob, & Jiſraël [22] vo-
cate a me: Ego ipſe ſum primus, etiam ſum ul-
timus.
13 Etiam manus mea fundavit terram, &
[e] dexteræ meæ palmus expendit cælos: me vo-
cante ea, [23] conſiſtunt pariter.
14 Congregamini vos omnes, & audite, quis
[24] ex illis indicat iſta? Jehova diligens hunc fac-
turus eſt delectationem ſuam in Babylonem, &
brachium ejus *in* Chaldæos.
15 Ego, ego loquutus ſum, etiam [25] vocavi
eum; adducturus ſum eum, & ſecundabit viam
ſuam.
16 [26] Accedite ad me, audite iſtud, [27] non
a principio in occulto loquutus ſum; ex quo tem-
pore fuit hoc, [28] ibi ſum: nunc enim Dominus
Jehovi mittit me, & [29] ſpiritus ejus.
17 [30] Sic ait Jehova, vindex tuus ſanctus Jiſ-
raëlis, [31] ego Jehova Deus tuus doceo te profi-
cere, deduco te via *qua* ambules.
18 [32] O ſi attendiſſes ad præcepta mea: ita
[33] fuiſſet tamquam flumen pax tua, & juſtitia tua
[34] ut fluctus maris:
19 Et [g] fuiſſet velut arena ſemē tuum, & prog-
nati e viſceribus tuis ut ſcrupi illius; [35] non *ta-
men* exſcindetur, neque perdetur nomen ejus a
conſpectu meo.
20 [36] Exite a Babylonia, [37] fugite a Chal-
dæis; [38] voce [f] canora indicate, pronunciate
hoc, proferte hoc uſque ad extremitatem terræ:
dicite, vindicavit Jehova ſervum ſuum Jaħa-
kobum:
21 [39] Neque ſitiunt, *quum* per vaſtitates de-
ducit eos; aquas e rupe profundit eis: quaſi fidiſ-
ſet rupem ut fluant aquæ.
22 [40] Nulla *eſt* pax, inquit Jehova, improbis.

[19] nomen meum, de quo verſu 9. [20] id eſt, non finam eripi mihi; aut aliò a me transferri. [21] tertia concionis pars, confirmatio, qua primùm Deus a perſonæ ſuæ operúmque amplitudine prophetiam obſignat quatuor verſibus; deinde Propheta fidem ſuam in ſua vocatione & adminiſtratione teſtatam facit, verſu 16. [22] id eſt, qui vocaris populus meus, ut ſuprà verſ. 1. & 2. [e] *Heb. dextera mea palmavit, ut ita dicamus.* [23] id eſt, ſe ſiſtunt ad exſequenda judicia mea, ut Pſal. 119. 91. [24] diis videlicet, de quibus verſ. 5. [25] Cyrum, de quo ſuprà 45. 1. [26] Prophetæ verba, confirmantis fidem ſuam quam adhibuerat ad enunciandum verbum Dei, & diligentiam ad audiendum ex Deo, prout vocatus fuerat. [27] id eſt, ex quo fuit verbum Dei ad me, non diſſimulavi, ſed palàm concionatus ſum. [28] nimirum in ea tamquam ſpecula ubi me collocavit Deus, ut verbum ab ipſo audiam, & ad vos referam, ut ſuprà 21. 8. & 10. [29] Dei Patris & Filii, cum Patre & Filio unus æternus Deus; quo uno acti olim homines ſancti loquuti ſunt; 2. Petri 1. 21. [30] ultima concionis parte, id eſt, concluſione, Deus primùm officia ſua universè in Jiſraëlitas commemorans, hoc verſu, per hypotheſin ſummas benedictiones exponit eventuras Judæis ſi paruiſſent ipſi, verſ. 18 & 19. deinde ſummatim repetit res antè promiſſas propter nomen ſuum, de beneficentia erga ſuos, & hoſtium ſtatu miſerrimo, tribus verſibus ultimis. [31] quaſi dicat, præſto quod mearum eſt partium. [32] ſimile vide Deuteron. 32. 29 [33] id eſt, nunquam deſiiſſent fluere, ſed omnia bona ſe ultrò dediſſent tibi. [34] id eſt, continenter perrexiſſet, ut fluctus excipiunt alii alios. [g] *Geneſ.* 22. 17. [35] tranſitio ad ſummam promiſſionum, ſimili argumento atque uſus eſt ſuprà verſ. 8. & 9. [36] prophetica hortatio, quaſi in rem præſentem Judæos adducens, & præmonens de liberatione ventura. [37] ne communi cum Babyloniis judicio pereatis, & circumveniamini ira Dei, quæ denunciatur illis verſ. ultimo: ut Jirmejæ 51. 6. & 45. ſimilis cauſa adducitur Geneſ. 19. 15. [38] quaſi dicat, fruimini beneficio Dei, & fruentes animo grato prædicate. [f] *Heb. cantus.* [39] id eſt, æquè admirabiliter illis de viatico proſpicit, atque olim proſpexit majoribus ex Ægypto exeuntibus: vide Hezra 1. [40] ac proinde ne copulemini cum illis, aut conſortium habetote; ſed fugite, ut ſuprà: vide infrà 57. 21.

CAPUT XLIX.

Chriſtus ad Judæos miſſus, poſtquam de illorum contumacia apud Deum Patrem conqueſtus eſt, mittitur ad Gentes, & narrat promiſſiones Evangelicas primùm ſibi factas de reconciliatione, juſtitia, vita, & gloria per ipſum comparanda: deinde factas Eccleſiæ de benevolentia, beneficiiſque Dei in ipſam, & propagatione ipſius in gentibus, invito Satana & omnibus adverſariis, per Evangelium.

1 Auſcultate

[1] Cùm Propheta inde a capite 40. duos consolationis locos sibi proposuerit explicandos, unum de reversione Judæorum ex captivitate Babylonica, alterum de instauratione Ecclesię per Christum; nunc demum incipit speciatim hunc secundum locum exponere, & in eo argumento pergit ad finem usq; prophetiæ. Hoc autem caput quædam est veluti præfatio, ac potius summum argumentum eorum quę sequuntur omnium: nam primùm Christus per prophetam omnes nationes vocans, sibi conciliat auctoritatem a narratione vocationis suæ, 6. versibus. deinde promissiones sibi & Ecclesiæ factas, ad finem usque capitis: in quibus argumentis duobus tota prophetia reliqua consumitur. Ac in vocatione quidem explicatur vocatio Christi a Deo Patre ad sanctam illam functionem Mediatoris inter Deum & Ecclesiam ipsius, duobus versibus:. deinde ostenditur ex quibus Ecclesia sit vocanda per Christum, versibus quatuor.

1 AUscultate [1] insulæ mihi, & attendite nationes [2] e longinquo: Jehova inde ab
utero [3] vocaverat me, e visceribus matris meæ
[4] memoriam constituerat nominis mei.
2 [5] Et disposuit os meum veluti gladium acutum, in umbra manus suæ abscondens me: &
disposuit me in [6] sagittam nitidam, in pharetra
sua abscondens me.
3 Dixerat mihi, [7] servus meus es; [8] Jisraël
est de quo per te gloriaturus sum:
4 Ego verò dixi, [a] [9] frustrà laboro, inaniter
& vanè vires meas consumo: [10] verumtamen
officium meum penes Jehovam *est*, & opus meum penes Deum meum.
5 [11] Nunc autem dicit Jehova, qui [12] formaverat me inde ab utero, [b] ut serviam ipsi; [c] ut reducam Jahakobū ad ipsum, quum Jisraël [13] non
reciperet se: [14] quia gloriosus sum in oculis Jehovæ, & Deus meus est robur meum.
6 Dicit inquam; [15] levior *videris* quàm ut sis
mihi servus ad erigendum tribus Jahakobi, &
[16] custoditos [d] Jisraëlitas reducendum? ergo
constituo te [17] in lucem gentium, ut sis salus mea
usque ad extremitatem terræ.
7 [18] Sic ait Jehova vindex [19] Jisraëlis, sanctus ejus; [20] ei quem contemnit [e] quisque, *quem*
abominatur gens, servo [21] dominantium Reges
videntes assurgent, principésque *honorem habentes* incurvabunt sese: propter Jehovam [22] qui fidelis *est*, sanctum Jisraëlis qui elegit te.
8 [23] Sic ait Jehova, [24] tempore [f] accepto
exaudiam te, & in die salutis auxiliabor tibi; &
custodiens te, disponam te in [25] fedus populi, ad
confirmandum [26] terram, ad efficiendum ut possideat possessiones desolatas:

[2] i. quamvis longè absitis usq; ad extremas terras. [3] i. vocavit ab æterno, ac proinde jam vocaverat quum in utero matris cóciperer. Est enim Christus semen illud benedictum, in quo salus ab æterno constitit Ecclesiæ, & promissiones salutis factæ sunt, Galat. 3. 16. idque ex vocatione Dei Patris, Heb. 5. 4 & 5. [4] ut Gen. 3. 15. [5] i. armavit me verbo suo efficacissimo, quod cum gladio & sagitta acutissima cóparatur adjunctis promissionibus de defensione mei & ministerii: vide Ephes. 6. 17. Heb. 4. 12. & Apocalyps. 1. 16. [6] ut Psal. 45. 6. [7] ut suprà 42. 1. [8] id est, jubeo te primùm Jisraëli proponere verbum gloriosum meum, & in Jehudæis primùm gloriam meam explicare: ut Matth. 10. 6. & 15. 24. Act. 13. 46. & 28. 25. & seq. [a] *Heb. in vacuum laboro, ad inanitatem & vanitatem.* [9] i. non audit, neque accipit verbum Jisraël. [10] amplificatio indignitatis a testimonio conscientiæ, & Dei ipsius in conscientia: ego, inquit Christus, totas vires meas consumsi in Judæis informandis: Deus Pater testis est, & testificatur conscientiæ meæ, qui solus officium meum & opus optimè cognovit. [11] videlicet quum omnibus meis viribus apud Judæos consumptis expertus est illorum contumaciam Deus. [12] id est, æterno decreto suo comparaverat, ut suprà ℣. 1. [b] *Heb. in servum sibi.* [c] *Heb. ad reducendum.* [13] ad Deum vocantem Judæos per Euangelium Christi. [14] i. quia Pater amat Filium, & omnia tradidit in manus illius; non autem eum contemnit, quod perversi Judæi faciunt: ac proinde non vult ferre ut ministerium filii sui inutile sit atq; inglorium: sicut parabola ostenditur Matth. 22. [15] Judæis videlicet, ut explicat sequens versus. [16] i. quos ego singulari studio custodiveram hactenus, veluti peculium præ omnibus aliis populis, & tamquam pupillam oculi: Deut. 32. 10. [d] *Heb. Jisraëlis.* [17] i. ut perfundas omnes gentes illustratione tui Euangelii, ut sup. 42. 6. vide Act. 13. 46. [18] altera pars capitis, propositio nimirum Euangelicarū promissionum, primùm erga Christū, usq; ad vers. 14. deinde erga Ecclesiam in Christo, ad finem usque: quæ duo membra prolepticè hoc versu continentur. [19] i. electorū Dei. [20] id est, Christo, quem quisque ex Judæorum gente spernit, abominatur, ac velut in durissimam servitutem cogit. [e] *Heb. anima.* [21] Judæorum videlicet, qui sibi dominatum cófingebant etiam in servitute gravissima, & libertatem sibi asserebant, ut Joan. 8. 33. [22] i. verax & constans in promissis præstandis, ut 1 Cor. 1. 9. [23] explicatio prioris promissi in Christum; nimirum fore ut in Christo habeatur reconciliatio ex federe, hoc versu; remissio peccatorū & liberatio, seq. versu; omnis benedictio depellens mala, & bona conferens, vers. 10. & 11. mirifica electorum ad ipsum concursatio, vers. 12. denique rerum creatarum omnium gratulatio, vers. 13. [24] quo benevolentia & salus Dei promulgata est per Euangelium, 2. Cor. 6. 2. [f] *Heb. acceptionis, vel benevolentiæ.* [25] id est, ut sis reconciliationi ex federe: sic Danijel. 9. vers. ult. [26] id est, Ecclesiam, & illius habitationem, synecdochicè.

9 Dicendo [27] vinctis, exite; iis qui sunt in
tenebris, revelamini: [28] per vias pascent, & in
omnibus clivis pascuum eorum *erit*.
10 Non esurient neque sitient, neque feriet
eos æstus aut sol: nam qui miseretur eorum ducet eos, & secundùm scaturigines aquarum deducet eos.
11 Et disponam omnes montes meos [g] ut
sint pervii, & *in* aggeribus meis [29] emineant.
12 Ecce isti e longinquo venient: ecce quoque illi ab Aquilone & [h] ab occasu, denique isti
[30] a terra Sinæorum.
13 [31] Cantate cæli, & exsulta terra, & fragorem edite montes cantu: quia consolatus Jehova populum suum, & pauperum suorum misertus est.
14 [32] Quòd si dicat Tzijon, dereliquit me
Jehova; & Dominus oblitus est mei:
15 [33] An oblivisci potest mulier fœtus sui, ut
non misereatur filii uteri sui? [34] etiam hæ oblivisci possint; tamen ego non obliviscar tui.
16 En [35] in manibus sculpsi te: muri tui e regione mei *versantur* jugiter.
17 ‖ Festinabunt [36] filii tui: destructores tui &
vastatores tui *ex* te exibunt.
18 Attolle circumquaque oculos tuos, & vide, isti omnes congregantes se accedunt tibi: *ut*
vivo ego, dictum Jehovæ, istis omnibus tamquam ornamento vestieris, circumligabis eos *sibi* tamquam sponsa.
19 [37] Quum vastitates *erunt* tuæ, & desolationes tuæ, & terra [i] destructa tua; quia jam angustaberis præ habitatoribus, procul profectis
eis [38] qui absorbebant te:
20 Adhuc dicent [k] te audiente [39] filii orbitatis tuæ, angustus est mihi hic locus, retrocede
mihi ut habitare possim:
21 Adeò ut dicas cum [l] animo tuo, quis genuit mihi istos, cùm fuerim orba & solitaria?
hùc illùc migrans ac [m] fugitiva *fui*, & istos quis
educavit? en ego relicta fui sola, isti ubinam
fuerunt?
22 [40] Sic ait Dominus Jehovi, ecce sustollam
ad gentes [41] manum meam, & ad populos efferam vexillum meum; ut afferant filios tuos lacerto, & filiæ tuæ super humerum portentur.
23 Et erunt Reges nutricii tui, & fœminæ
principes eorum [n] nutrices tuæ, vultu in terram
demisso [42] incurvabunt se *habentes honorem* tibi,
[43] pulverémque pedum tuorum lingent: ut experiaris me esse Jehovam, non erubescere eos
qui exspectant me.
24 [44] An auferetur a robusto captura? an

[27] ut sup. 42. 7. [28] id est, ubiq; occurrent ipsis benedictiones Dei, hic & versibus duobus sequentibus: quæ benedictiones allegoricè figurantur, sumtis similibus a tempore liberationis AEgyptiacæ. [g] *Heb. in viam.* [29] nimirū quos Christus e vinculis satanæ & potestate tenebrarum extraxerit. [h] *Heb. a mari.* [30] id est, meridiem versus, quā in partem Sinæi terminum Judææ constituebant, Genes. 10. 17. desertúmque Sinis, & mons Sinai spectabant, Exod. 16. 2. nisi forte intelligantur Sinæ populi Indiæ quæ extra Gangem contermini: hoc enim videtur esse ἰμφαντικώτερον. [31] id est, vos res omnes creatæ gratulamini Christo, & filiis Dei vindicatis in libertatem gloriæ, Rom. 8. 19. & sequent. [32] transitio ad alterum promissionum Euangelicarum caput, quæ sunt de studio Dei erga Ecclesiam, usque ad versum 17. & de propagatione & multiplicatione illius, usq; ad finem. Transitur autem per occupationem. [33] responsio ad præcedentem occupationem a comparatione minoris. [34] hypothesis ad amplificandum studium Dei in Ecclesia. [35] id est, semper obversaris mihi, & nunquam desino curare te; ut Psal. 121. 4. humanitus dictum, ut Exod. 13. & in lege passim. ‖ *infrà 60. 4.* [36] id est, qui tibi gignentur in Christo per semen incorruptum verbi: jam enim hoc versu transitur ad multiplicationem Ecclesiæ, quæ illustratur per hypotyposin, seq. versu; deinde exornatur, tribus. [37] id est, quando terram totam quæ nunc vastata est, &c. occupabis, tamen tanta futura est multitudo filiorum Dei, ut vix possit capere omnes terra: hyperbole. [i] *Heb. destructionis tuæ.* [38] id est, vastatoribus tuis, ut suprà vers. 17. vide Psal. 124. 3. [k] *Heb. in auribus tuis.* [39] id est, gentiles, qui tibi agnascentur quum Judæis orbata fueris. [l] *Heb. corde.* [m] *Heb. recedens.* [40] ὑποφορὰ sive subjectio, qua Deus respondet præcedenti admirationi Ecclesiæ, & docet se ex quavis gente illi conciliaturum liberos, alumnos, &c. [41] cum vexillo Euangelii, quod est potentia Dei ad salutem cuivis credenti; Rom. 1. 16. hæc autem omnia allegoricè dicuntur de amplificatione regni spirituali Christi, ut Prophetæ solent. [n] *Heb. lactantes te.* [42] id est, honorem exhibebunt Christo in te habitanti, velut capiti tuo (ut Psal. 72.) & te in Christo honorabunt. [43] ut Psal. 72. 9. [44] inquient gentes & prædones omnes expilantes Ecclesiam, quorum sermonem anticipat Deus. quasi dicat, ludificantur hostes Ecclesiæ promissiones meas duobus argumentis; tum quòd sibi numeris omnibus videntur valentiores esse, tum quòd justo bello Ecclesiam sibi subjectam & mancipatam putant, ut suprà 45. 9. & seq. sed ad hæc argumenta respondetur versibus seq.

45 mancipis & possessoris: nam etsi Deus populum suum & filios suos vocet, tamen hoc semper sibi arrogant adversarii, ut justi sint illorum domini: sic duobus argumentis utuntur, potentiæ suæ, & juris.

etiam captiva turba 45 justi eriperetur?
25 Quin sic ait 46 Jehova, & turba captiva
robusti auferetur, & captura 47 violenti eripie-
tur: nam adversus contendentes tecum ego
contendam, & filios tuos ego servabo:
26 48 Efficiámque ut comedant oppressores
tui suam ipsorum carnem, & velut musto sangui-
ne suo inebrientur; ut agnoscant 49 omnis caro,
me Jehovam esse servatorem tuum, & vindicem
tuum, robustum *Deum* Jaǹakobi.

46 Deus æternus, ac proinde infinitè omnes hostes superans potentia sua: sic respondetur priori objectionis argumento. 47 ac proinde non justi domini, quod hostes de se prædicant: responsio ad posterius argumentum. Hæc autem responsionis membra deinceps exornantur, hoc & seq. vers. 48 id est, committam ipsos inter se, ut talionis pœnas inferam ipsis, & quemadmodum carnem & sanguinem tuum exhauserunt, sic etiam alii ab aliis consumantur. 49 id est, omnes homines, etiam impii & adversarii.

CAPUT. L.

Christus Judæorum Ecclesiam sibi adversantem objurgans ostendit Deum fedus suum erga ipsam integrum conservasse potentia sua, ac proinde se a Patre missum esse ut eam vocet ad resipiscentiam: itaque contumacibus denunciato judicio, resipiscentes confirmat de gratia Dei ex federe, & gentium exemplo provocat ad fidem & patientiam: deinde Ecclesiam invocantem se confirmat Deus, & consolatur promissionibus perficiendis in adventu suo.

1 tota hęc concio (quemadmodum superiore capite diximus de sequentibus prophetiis omnibus) ad explicationem pertinet illius dicti quo utebatur Christus versu 4. Sunt autem partes illius quatuor: prima est contestatio, qua Christus in judæos utitur usque ad vers. 10. secunda, propositio reliquias Judæorum vocans ad resipiscentiam ut salvę fiant, inde ad vers. 9. sequentis capitis: tertia, oratio reliquiarum quæ sollicitè exspectaverant adventum Christi, usque ad versum 12. postrema, responsio Dei accipientis orationem Ecclesiæ, & promissa sua de integro confirmantis, inde ad finem usque. In hac porrò contestatione Christus Judæos evincit per complexionem, hoc modo: aut per te factum est ut te dimitterem, aut per me: per me autem minimè factum est; quum neque officium meum, neque potentiam, neque voluntatem meritò desiderare possis: sequitur ergo hoc per te effectum esse propter peccata tua: quod posterius complexionis membrum sive dilemmatis, versu primo & parte secundi; prius verò sequentibus reliquis exponitur.

1 SIc 1 ait Jehova, 2 ubi *est* libellus a repudii
matris vestræ quo dimiserim eam? aut
quis *est* ex creditoribus meis cui vendiderim
vos? en 3 iniquitatibus vestris venditis vos, & de-
fectionibus vestris dimittitur 4 mater vestra.
2 Quamobrem quum venio, nemo adest?
quum voco, nemo respondet? 5 b an ullo modo
brevior est manus mea c quàm ut redimat? & an
nullæ *sunt* in me vires ad eripiendum? 6 en in-
crepatione mea 7 exsicco mare, 8 dispono flumi-
na *in* desertum, fœtet multitudo piscium eorum
9 mortua siti, eò quòd desit aqua:
3 10 Induo cælos atrore, 11 velut cilicium
pono operimentum eorum.
4 12 Dominus Jehovi dedit mihi linguam d
eruditissimã, ut sciam e tempestivè eloqui 13 de-
fesso verbum: 14 excitat f uno quoque manè, ex-
citat mihi aurem ad audiendum 15 ut *audiuntur*
eruditissimi.
5 Dominus Jehovi 16 aperit mihi aurem, &
ego non rebello; retrorsum non averto me.
6 17 Corpus meum expono 18 percussoribus,
& malas meas 19 depilantibus; faciem meam
non abscondo a contumeliis & sputo.
7 Quia Dominus Jehovi auxiliatur mihi,
ideò 20 non afficior ignominia: idcircò 21 com-
pono faciem meam tamquam saxum adamanti-
num, quia novi fore ut non pudefiam.
8 Propinquus *est* qui justificat me, 22 quis
contendat mecum? consistamus unà: quis g ex-
periatur g jure contra me? accedat ad me.
9 En, Dominus Jehovi auxiliaturus est mi-
hi, quis est condemnaturus me? en; omnes isti
ut pannus veterascent, tinea consumet eos.
10 23 Quis est inter vos timens Jehovæ, au-
scultans voci 24 servi ejus? qui ambulat 25 in te-
nebris, cui nullus *est* splendor, confidat nomini
Jehovæ, & innitatur Deo suo:
11 26 En vos omnes accendentes ignem, cir-
cumcingentes malleolis: 27 ite in focum ignis ve-
stri, & in malleolos *quos* succendistis; e manu mea
est 28 hoc vobis, in dolore jacebitis.

12 confirmatio alterius partis, nimirum benevolentiæ Dei erga Ecclesiam Judæorum, ut diximus in versum 2. Deus, inquit Christus, tantopere vos amat ut jam mittat filium suum instructum rebus omnibus ad salutem vestram pertinentibus; spiritu & verbo, quod pater suppeditat Filio, & Filius ab ipso accipit, hoc versu; obsequio, sequente versu; patientia, versu 6. & constantia fidei, versu 7. qua armatus Christus audacter lacessit omnes adversarios, vers. 8. & 9. d *Heb. eruditorum.* e *Heb. tempestivare, ut ita dicamus.*

2 ut evidentior sit hæc argumentatio, ita conjungenda est cum sequente versu. miror me, ait Christus, quum ad meos venio, a meis non recipi. Quid verò causæ est cur neque venientem admittatis me, neque respondeatis advocanti? an ego umquam dimisi, aut alienavi vos? neutrum profectò probabitis: sed quòd ita discessionem facitis a me, id planè acceptum ferendum est improbitati vestræ. Neutrum probaturos esse Judæos confirmat Deus ex ritu usitato legis: alienantur, inquit, ex lege liberi a patria potestate, quum aut repudiatur mater propter adulteria cum adulterino semine, ut Hosche. 2. aut venduntur propter paupertatem liberi, ut Exod. 21. 7. horum autem neutrum factum, &c. a *Heb. abscissionis: ut Deut.* 24. 1. 3 id est, iniquè facitis, estísque in me & in vos ipsos injurii; in me, quia jus meum erga vos mihi adhuc servavi integrum; in vos autem, quia ipsi vobis abjudicatis libertatem filiorum Dei: ut si quis miser filiusfamilias nulla necessitate pressus, & omnibus bonis a patre abundans, se ipsum certa malitia venderet. 4 id est, Ecclesia Judæorum: sic enim totum corpus in scriptura solere appellari ostendimus Cantic. 7. 6. 5 quasi dicat, sensistísne ullo pacto minutam esse aut potentiam meam; aut voluntatem erga vos? potentiam confirmat duobus versibus; de voluntate deinceps agit. b *Heb. abbreviando abbreviata est.* c *Heb. a redemtione.* 6 confirmatio potentiæ a priscis quibusdam exemplis; ad quæ iterum præstanda, quum opus fuerit, tam potentem se esse confirmat Deus quàm olim fuit. 7 ut Exod. 14. 8 ut Jehosch. 3. 9 ἐμπλοκὴν verborum evidentiæ causa transponimus. 10 ut Exod. 10. 11 id est, comparatio cæli atri & lugubris cum atratis & lugentibus; quomodo fuit cælum AEgyptiis luctificum, quum nubes procederet inter castra AEgyptiorum & Jisraëlitarum, Exodi 14.20.

13 ut Matth. 11. 28. 14 i. indesinenter me informat spiritu; non autem per momenta, ut omnes prophetas alios. f *Heb. singulo manè singulo manè* 15 i. ad studiosissimè & diligenissimè audiendũ. 16 i. ad obsequium informat me, ut quæ audivi a Patre hæc loquar vobis, Joan. 8. 26. & exsequar voluntatẽ ejus qui misit me, perficiámq; opus ipsius, Joan 4. 34. 17 i. in obsequio ejus qui misit me persto patientissimè, exinanio me, & submitto in omnia mala etiam iniquissima, factus obediens usque ad mortem crucis, Philip. 2. 7. & 8. 18 ut Joan. 19. 19 i. avellentibus barbam indignissimè. 20 id est, totam, quanta quanta est, nihili facio. 21 i. obfirmo me adversus omnes injurias: simile est Jirmejæ 1. 18. & Jechezk. 3. 8. 22 ut Joan. 8, 46. Hoc autem eodem argumento Paulus, ut strenuus miles & imitator Christi, utitur & utendum docet, Rom. 8. 33. & sequent. g *Heb. Dominus causæ meæ.* g *Rom.* 8. 23 altera parte concionis, id est propositione, Christus primùm universè Ecclesiam Judæorum vocat ad fidem in verbum suum & resipiscentiam, hoc versu: deinde seorsim quasi distributa in duas classes Ecclesia, tum impios compellat, sequente versu; tum resipiscentes consolatur, principio capitis sequentis. 24 i. vocis meæ, qui sum servus Dei, ut suprà 42. 1. 25 tum Pharisaicæ ignorantiæ in qua perierant oves Jisraëlis, tum calamitatum omnium, ut suprà 9. 2. 26 prius membrum propositionis: quo Christus primùm superbos illos Pharisæorum spiritus totámq; penè Ecclesiam Judæorum evincit impietatis, quòd in tenebris illis spiritualibus se sibi accensuros lucem putaverint; & humanas traditiones tamquam malleolos comportaverint, neglecta luce verbi Dei & face Euangelii quam offerebat Christus; deinde sententiam fert condemnationis, ut Joan. 9. 41. 27 q. d. quũ non acquiescatis igni sacro, pergitote in prophano vestro; sed perituri tamen, ut filii Aharonis, Levit. 10. sic obsignat Christus primùm obdurationem & excæcationem eorum, deinde æternam condemnationem. 28 nimirum excæcatio ad graviorem condemnationem, ut Matth. 13. 14.

CAPUT LI.

1 1 AUscultate mihi sectatores justitiæ, quæ-
rentes Jehovam; intuemini in 2 rupem

1 posterius membrum propositionis, quo Christus resipiscentes Judæorum reliquias consolatur & confirmat, propositis argumentis primùm spei, fideique certæ in gratiam Dei, usque ad versum 7. deinde patientiæ, vers. 7. & 8. Ad spem autem & fidem comparat, partim recordatione Abrahami & Saræ, ac proinde promissionum federis ad ipsos natura pertinentium, tribus versibus; partim exemplo gentium, quo Judæos provocat Deus ut percipiant efficaciam Euangelii, usque ad versum 6. partim a præstantia beneficiorum suorum v. 6. 2 id est, Abrahamum & Saram, ut sequente versu exegesis ostendit. Est autem hoc dictum allegoricè, sumtum a latumia sive lapicidina unde effodiuntur & eruuntur lapides, quemadmodum propheta allegoriam fontis adhibuit suprà 48. 1. Hæc autem allegoria hic propterea ponitur, quòd magis cum argumento convenit: nam sic argumentatur Christus, promitto me consolaturum & instauraturum Ecclesiam, utcumque vastata sit ac penè nulla, versu 3. hoc autem ut faciliùs credatis, cogitate vos ex eis parentibus ortos esse qui numquam genuissent liberos, nisi Deus potente verbo, tamquam malleo e rupe lapides, exscidisset; ac proinde vos, qui in eodem federe estis, eamdem virtutem Dei ejusdem experturos.

unde excisi estis, & in cavum [a] [1] foveæ *unde* effossi
estis.
2 Intuemini in Abrahamum patrem vestrũ,
& in Saram *quæ* peperit vos: cùm unicum evo-
cans eũ benedixerim ei, & multiplicaverim eum.
3 [3] Nam consolabitur Jehova Tzijonem,
consolabitur omnes vastitates ejus, & disponet
desertum ejus tamquam [+] Hedenem, & solitudi-
nem ejus tanquam hortum Jehovæ: gaudium
& lætitia invenietur in illo, gratiarum actio &
vox [b] psalmodica.
4 [5] Attendite ad me popule mi, & natio mea
ad me aurem advertite: nam doctrina a me
prodibit, & jus meum in lucem populorum [c] col-
locabo.
5 [6] Propinqua *est* justitia mea, prodibit sa-
lus mea, & brachia mea populos judicabunt: in
me insulæ exspectationem habebunt, & brachi-
um meum exspectabunt.
6 [7] Attollite in cælum oculos vestros, & in-
tuemini in terram deorsum; cælos velut fumum
evanituros esse, & terram ut pannum veteratu-
ram, habitatorésq; ejus similiter morituros: salus
verò mea in seculum erit, & justitia mea non at-
teretur.
7 [8] Auscultate mihi qui agnoscitis justitiam,
popule in quorum [d] animo doctrina mea *est*; ne
timetote probrum mortalis, & præ contumeliis
istorum ne consternamini.
8 Nam quasi pannum exedet eos tinea, &
tamquam lanam exedet eos blatta: justitia au-
tem mea in seculum erit, & salus mea [e] in omnes
generationes.
9 [9] Evigila, evigila, indue robur, brachium Je-
hovæ; evigila ut diebus [f] priscis, *in* generationes
æternas: an non tu illud es quod conscidit [g] Æ-
gyptum, *quod* dolore affecit [10] balænam?
10 An non tu illud es quod exsiccavit mare,
aquas abyssi magnæ: quod disposuit profundita-
tes maris *ut essent* via qua transirent vindicati?
11 [11] Ita redemti Jehovæ revertantur, & in-
grediantur Tzijonem cum cantu, lætitiáq; [h] per-
petua super caput suum: gaudium & lætitiam
assequantur, fugiant mœror & gemitus.
12 [12] Ego ego ipse sum consolator vester:
[13] quæ *es* tu quòd timeas a mortali morituro, & a
filio hominis *qui ut* fœnum reddetur?
13 Quòd obliviscaris Jehovæ opificis tui, qui
extendit cælos & fundavit terram; paveasq; ju-
giter quotidie propter excandescentiam ejus qui
angustia afficit, [14] quasi compararet se ad perden-
dum? & [15] ubi *est* excandescentia ejus qui afficit
angustia?
14 [i] Festinanter educet peregrè vinctum, *qui*
solvendus est: non morietur in ista fovea, neque
deficietur pane suo.

[a] *Heb. cisternæ.* [1] *Gen. 11. & seq.* [3] ætiologia, cur debeant pii respicere ad promissiones factas Abrahamo & ad historiam ejus: nam, inquit, si eò respicietis, eamdem salutem cõsequemini, quæ allegoricè figuratur, hoc versu. [+] de quo Gen. 2.8. [b] *Heb. psalmodiæ.* [5] secundum argumentum, quo Christus Judæorum Ecclesiam ad fidem hortatur, æmulatione & exemplo gentium, ut Deut. 32. 21. [c] *Heb. faciam ut quiescat.* [6] i. jam propè est, quum justitiã mea salutarem doctrinã meam, id est Euangeliũ, communicabo cum gentibus, & illæ accepturæ sunt. [7] tertium argumentum ad conciliandã fidem, a præstantia beneficiorum quæ promittit Deus: quæ beneficia amplificantur comparatione rerum creatarum omnium. [8] secundum documentum, ad patientiam adversus momentaneas afflictiones & scandalũ Euangelii Christi, ne Judæi boni & timentes Dei propterea animum abjicerent. [d] *Heb. corde.* [e] *Heb in generationem generationum.* [9] tertia pars, oratio reliquiarum Ecclesiæ exoptantium adventum Christi & declarationẽ Euangelii ad salutem suam: quod optatum Ecclesia ab exemplis antegressis beneficentiæ Dei confirmat, hoc & seq. versu. [f] *antiquitatis, generationes seculorum.* [g] *Heb. Rahab: ut Psal. 87.4. Exodi 7. & seq.* [10] vide Psal. 74. 13. & 14. ubi habetur idem orationis genus. [11] finis petitionis, Ecclesiæ salus, quæ iisdem verbis fuerat promissa, sup. 35.10. [h] *Heb. seculi.* [12] ultima pars, nimirum Dei responsio ad querimonias sanctarum reliquiarum Jisraëlis adventũ Messiæ exspectantium; qua Deus eas consolatur, primùm confirmando a præsente metu per comparationem imbecillitatis hostium cum Ecclesiæ dignitate, & omnipotentia sua, vers. 12. & 13. deinde a promissionibus restitutionis, vers. 14. quibus postremò subjicitur sua exornatio, usque ad finem capitis. [13] objurgatio lenis, qua Ecclesiam quasi labantem in tenebris revocat, tum ad agnitionem dignitatis ad quam electa & vocata fuerat a Deo, hoc versu, tum ad recordationem majestatis Dei, versu sequente: quorum neutrum ostendit Deus ab adversariis labefactari posse. quasi dicat, quid times? quin potius cogitas conditionem tuam, hostiúmq; tuorum, & recordatione Dei consolaris te? [14] i. quasi jam gladium strictum momentis singulis vibraturus esset in cervices tuas. [15] i. etsi gladius strictus est in manibus ejus, quando percepisti adversariũ agere omnia pro furore suo, neque potentia mea cohiberi? [i] *Heb festinabit: ut 1. Reg. 22.9.*

15 [16] Atqui ego sum Jehova Deus tuus, qui
[17] disrumpo mare, cujus fremunt fluctus: Jehova
exercituum nomen *est* ipsi.
16 Qui indidi verba mea ori tuo, umbra ma-
nus meæ tegens te; [18] me plantaturum cælos, &
fundaturum terram, & dicturum Tzijoni, popu-
lus meus es.
17 [19] Expergiscere, expergiscere, surge *urbs*
Jeruschalaimorum, [20] quæ bibisti a manu Jeho-
væ poculum excandescentiæ ejus; [21] crassamen-
tum, poculum [k] horrificentissimum bibisti, ex-
suxisti.
18 [22] Nemo deducebat eam ex omnibus filiis
quos pepererat; & nemo prehendebat manum
ejus ex omnibus filiis *quos* educaverat.
19 [23] Duo ista obvenerunt tibi; [24] quis con-
doleret tibi? vastatio & contritio, faméşq; & gla-
dius, [25] *per* quem consolarer te?
20 Filii tui defecti animo jacent in capite om-
nium platearum, ut bubalus [26] [l] irretitus; pleni
excandescentia Jehovæ, increpatione Dei tui.
21 [27] Idcircò audi jam hoc, ô afflicta, & ebria,
non autem ex vino.
22 Sic ait Dominus tuus Jehova, & Deus tuus,
causam acturus populi sui, ecce recipio de manu
tua poculum horrificentissimum; crassamentum,
poculum istud excandescentiæ meæ non perges
bibere ampliùs:
23 Sed ponam illud in manu affligentium te,
[28] qui dicebant animæ tuæ, abjice te, ut transe-
amus: quibus exponebas tamquam humum cor-
pus tuum, & tamquam plateam transeuntibus.

[16] exornatio superioris reprehensionis qua Deus eadem confirmationis argumenta amplificans a potentia sua, & dignitate Ecclesiæ, ex fœdere & promissionibus ejus, versu 15. & 16. excitat Ecclesiam ad spem præsentissimam liberationis suæ, & ultionis de adversariis, versu 17. & sequent. [17] i. nihil non possum ad liberandam Ecclesiam & profligandos hostes: alludit ad liberationes Aegypti. [18] i. me instauraturum esse omnia per Christum pro Ecclesia mea, ut copiosius promittitur infrà 65. 17. & 66. 22. [19] hypotyposis promissionum Dei de salute Ecclesiæ & hostium internecione, amplificata per antithesin præcedentium Ecclesiæ calamitatum. [20] id est, afflictiones gravissimas perpessa es: allegoria, ut Psal. 75. 9. & 80. 6. & alibi passim. [21] sic interpretamur vocem Hebræam; quia ipsa notatio vocis ostendit id tantùm significari, quod crassum & fæculentum est, atque ex liquidis potionibus excerni solet, colari, aut alio modo auferri: crapulam etiam appellat Plinius. [k] *Heb. horroris: sic vers. 22.* [22] id est, ab omnibus deserta erat, quum ebria esset calamitoso poculo. [23] nimirum vastatio ex gladio, & contritio ex fame, quæ duo per *ὑστερον* inter se componuntur. [24] nimirum hominum, præterquam ego? ait Christus, quandoquidem ab exteris afflicta a tuis deserta es. [25] alium præter me: respicit enim ad illud quod antè dixerat ego ego ipse sum consolator vester, versu 12. [26] ac proinde omnino ἄπορος sui. [l] *Hebr. retis.* [27] alterum membrum antitheseos, cujus meminimus in versum 17. [28] id est, qui insolenter & thrasonicè conculcabant te.

CAPUT LII.

Deus Ecclesiam Judæorum excitat ut se componat in adventum redemtoris Christi, liberationis causas exponit, gloriam suam, jus in Ecclesiam, gratuitámque benevolentiam: tum rationem salutis suæ explicans proponit summam doctrinæ Euangelicæ, quam percipientes ostendit servatum iri perpessionibus & gloria consequente Christi.

1 [1] EVigila, evigila, [2] indue robur tuũ, ô Tzijon:
[3] indue vestes ornatus tui Jeruschalaimo-
rum civitas [a] sancta, nam [4] non [b] perget inva-
dere te ampliùs [5] præputiatus & immundus.
2 Excute te ipsam e [6] pulvere, surge, sede *urbs*
Jeruschalaimorum: [c] explica te e [7] vinculis colli
tui, ô captiva filia Tzijonis.

[1] Postquam Deus reliquias Judæorum promissionibus consolatus est, nunc demum per Prophetam veluti in rem præsentem adducit eos, hoc capite; & Ecclesiam ad præsentem Christum Euangeliúmq; ipsius percipiendum hortatur. Sunt itaque hujus capitis duæ partes: prima est hortatio ad excipiendum grato animo Christum, & salutem ejus ex consilio quod cepit Deus de Ecclesia liberanda per Christum, usque ad versum 7. secunda, descriptio Ecclesiæ qualis fuit in adventu Christi, a persona ministrorum ejus & ministerio. [2] id est, confirma animum, quem abjecisse videbaris, suprà 51. 9. [3] id est, depone luctum, & ad lætitiam te compara in adventum sponsi tui. [a] *Heb. sanctitatis.* [4] i. jam tibi affertur salus sempiterna, vacua omnibus incommodis. [b] *Heb. invadet.* [5] i. quisquis adversatur sanctitati aut saluti tuæ, synecdochicè a ritibus legis. [6] id est, luctu, qui agitabatur in pulvere: ut Ijobi 1. 20. & 2. 8. & 12. [c] *Heb. solve te.* [7] id est, servitute spirituali: ut Lucæ 1. 74.

3 [8] Nam

3 [8] Nam sic ait Jehova, [c] gratis vendidistis
vos; & [d] sine pecunia vindicabimini.
4 [10] Nam sic ait Dominus Jehovi, [11] *in Æ-*
gyptum descenderat populus meus [e] olim [12] ad
peregrinandum illic: [13] Assyrius quoque [14] pro
nihilo oppressit eum.
5 [15] Nunc autem, quid mihi hîc *est*? dictum
Jehovæ, [16] nam captus est populus meus gratis:
[17] dominatores ipsius ejulant, dictum Jehovæ; &
jugiter quotidie nomen meum irritatur.
6 Idcircò experietur populus meus [18] nomen
meum: idcircò, *inquam, experietur* illo ipso die
[19] me eum *esse* qui proloquitur, ecce me.
7 [20] Quàm decentes sunt [21] super istos mon-
tes pedes euangelizantis, pronunciantis pacem,
euangelizantis bonum, pronunciantis salutem:
dicentis Tzijoni, regnat Deus tuus!
8 Vocem speculatores tui, attollunt [f] vocem,
pariter cantant: se [g] oculis suis videre coràm,
quum [22] reducit Jehova Tzijonem.
9 [23] Fragorem edite, cantate pariter [24] va-
stitates Jeruschalaimorum: quia consolatur Je-
hova populum suum, vindicat Jeruschalaima:
10 [25] Nudat Jehova brachium sanctitatis suæ
ante oculos omnium gentium; ut videant omnes
fines terræ salutem Dei nostri.
11 Discedite, discedite, exite [26] illinc, immun-
dum ne attingitote: exite e medio istius; purga-
te vos [27] portantes vasa Jehovæ.
12 Nam [28] non festinatione exibitis, neq; fu-
ga proficiscemini: quia [29] præiturus *est* vobis Je-
hova, & [h] extrema acies vestra *erit* Deus Jisraëlis,
13 [30] Ecce prosperabitur [31] servus meus; ex-
tolletur, & elevabitur, & altus erit valde,
14 Quemadmodũ obstupuerint [32] de te mul-
ti, ita [33] *de* corrupta supra [i] quemlibet specie [k] isti-
us; & forma istius præ filiis hominum:
15 [34] Ita *inquam* persperget *stupore* gentes
multas, propter eum [35] obdent Reges os suum:
quando [36] quod non narratum fuerat eis, [37] vi-
debunt, & quod non audierant animadvertent.

[8] ætiologia lætitiæ, a consilio Dei quod mox efficiendum prædicatur. [9] i. ego qui sum Dominus vester nullum pretium accepi quũ vendereemini, ut Psal. 44. 13. & suprà 50. ac proinde rem venditã meo jure recepturus sum. [c] Heb. non argento. [10] explicatio consilii, quod Deus paucis proposuit, præcedente versu. [11] oratio ἀνταποδοτική, cujus utraq; pars terna membra complectitur, hoc modo; in Aegyptum venit populus, Aegyptius de nihilo oppressit, ego oppressum liberavi: de Assyrio itidẽ, in Babyloniam abductus est, de nihilo oppressit Babylonius, & similiter liberavi: quorum exemplorum subjicitur accõmodatio seq. versu. [e] *Heb in principio.* [12] ut Gen. 47. 4. [13] i. Babylonius, qui idem fuit Rex Assyriorum: nam etiam Babylonia omnium historicorum consensu olim habita est pars Assyriæ. [14] i. gratis, sine pretio (ut dixit præcedente versu) illo tamquã suo mancipio abusus est. [15] accommodatio exemplorum antecedentium ad conditionem Judæorum miserè servientium Satanæ & peccato quũ adventaret Christus: nihil amplius inquit, mihi accessit ex ista Judæorum alienatione, quàm ex superioribus: quamobrem cùm non vendiderim eos, aut nullũ venditionis pretium acceperim, meos esse confirmo, & pro meis vindicaturus sum, hoc & seq. versu. [16] exornatio præcedentis dicti, nihil amplius inde obvenire Deo, per antithesin: primùm enim, inquit, nihil accepi; deinde verò, quod est indignius, non tantùm non accepi, sed injurias patior in servis meis; atque adeò blasphemias in me ipsum, quod est omnium indignissimũ. [17] i. illi ipsi in quos auctoritatem contuleram ut præessent populo meo imperio doctrináq;, ii gravissimè affliguntur, & servitutẽ cum cæteris serviunt. [18] in Christo æterno ęterni Patris filio, ut Exodi 23. 21. [19] i. Christum, sermonẽ Dei Patris, qui Deus est patefactus in carne. [20] secunda pars capitis, qua Propheta rationem describit mirificæ liberationis quam consequutura est Ecclesia in Christo. Sunt autem istius rationis duæ partes summæ, quæ prolepticè hoc versu continentur: una est prædicatio Euangelii de regno Dei, quæ deinde exponitur usque ad versum 13. altera est ipsa constitutio regni in persona Christi, quæ annunciatur Euangelio, tribus versibus ultimis. Transitur verò ad sermonem hunc ex abrupto, perinde atque si piis confidentibus in summis tenebris lux repentè exoriretur, & conspicui fierent ministri Euangelii, ut suprà 9. 2. [21] i. Judæa montosa, ut Exodi 15. 17. [f] *Heb. vocem speculatorum tuorum, ut docent distinctiones.* [g] *Heb. oculo ad oculum videre, id est, cominus, evidentissimè, ut Num. 14. 14.* [22] i. Christus instaurat Ecclesiam, allegoricè. [23] forma prædicationis, quã usuri sunt præcones Euangelii in ipso adventu Christi; cujus duo sunt capita: unum est gloriatio fidei amplectentis beneficium Christi, & omnem gloriam tribuentis Deo, duobus versibus: alterum est seria resipiscentia & sanctificatio nostri ipsorum secura in Domino, ℣. 11. & 12. [24] i. ô Ecclesia Dei, quæ prius vastata miserè & labefactata fuisti. [25] id est, tamquam explicato brachio opus suum erga Ecclesiam efficit: metaphora ab opificibus in aliquid seriò incumbentibus. [26] nimirum e vastitatibus, de quibus suprà ℣. 9. q. d. eripite vos resipiscentia e tantis malis in quibus adhuc versati estis, & sanctificationi vestræ incumbite. [27] i. Christiani omnes, quorum est regnum sacerdotale, qui sunt domus spiritualis, sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Christum, 1. Petr. 2. 5. & Apocalypseos 1. 6. [28] i. cum triumpho provehimini e servitute ista in gloriam filiorum Dei: *pusione.* [29] i. ducturus, & omni ex parte conservaturus, quasi primam aciem & postremam ageret: metaphora a re castrensi, qua gloriam liberationis in Christo omnibus modis præferendã docet Ægyptiacæ. [h] *Heb. colligens vos: vide Numer.* 10. 25. [30] altera pars, de constitutione regni in persona ipsa Christi; qua exponit Deus finem quidem illius fore infinitam gloriam, sed præituras perpessiones & abjectionem maximam, 1. Petr. 1. 11. sequente versu: ex quibus sequetur maxima piorum omnium admiratio, versu ultimo. [31] Christus, ut suprà 42. 1.

[32] nimirum populé Jehovæ, cujus antè meminerat. [33] id est, tantam & tam excelsam gloriam ex tanta Christi abjectione & ignominia mirabuntur atque obstupescent. [i] *Heb. virum.* [k] *Rom.* 15. 21. [34] nimirum ex comparatione tantæ abjectionis & gloriæ Christi, & bonorum quæ hoc pacto nobis afferuntur admiratione. [35] id est, non obloquentur: sed silentium præstabunt, dociles ad prædicationem Euangelii, ut Ijobi 29. 9. [36] id est, Euangelium, quod a temporibus æternis tacitum fuerat inter gentes, Rom. 16, 25. [37] id est, percipient oculis fidei.

CAPUT LIII.

Propheta Ecclesiæ Judæorum objicit quòd præcedenti prædicationi fidem non habeat: propterea historiam Christi explicans agnoscit duo quidem esse in Christo quorum nomine offensa est, infirmitatem Christi, & scandalum crucis; sed adversus has offensionis causas Ecclesiam præmunit, docens Christum infirmitates & crucem ipsam subivisse propter nos, vitam æternam ingressurum esse, & nobis benefacturum, donec in eamdem vitam perveniamus.

1 [1] Quis credit [2] prædicationi nostræ: & [2] bra-
chium Jehovæ in quo revelatur?
2 [b] [3] Assurgit quidem [4] ut tenera planta co-
ram [5] illo, & tamquam radix e terra solitaria,
non *est* forma ei neque decor: & quando [6] in-
tuemur eum, non *inest* species cur desideremus
eum.
3 Contemptus & [c] abjectissimus virorum,
doloribus affectus; & [7] familiaris morbo; & ve-
lut *homo* [8] abscondens faciem a nobis, contem-
tus ita ut non æstimemus illum.
4 [9] Verumtamen [10] morbos nostros ipse per-
tulit, & dolores ipsos nostros bajulavit: quamvis
nos æstimemus [11] eum plaga affectum, percus-
sum [d] a Deo, & afflictum.

[1] Postquam Propheta summam Euangelicæ prædicationis de regno Christi advenientis explicavit; nunc ostendit quomodo Euangelium Christi Judæis fuit scandalo, & scandalum illud anticipat, exponens historiam perpessionum Christi & consequuturæ gloriæ. Sunt itaque hujus capitis partes duæ: una est anticipatio, qua Propheta per admirationem traducit Judæorum incredulitatem, prædicationem Euangelii quæ præcessit abdicantium, vers. 1. altera, qua incredulitatis causas & remedia explicat per narrationem historiæ Christi, & consilii quod Deus inivit de Christo & Ecclesia ejus. [a] *Hebr. auditioni.* [2] id est, Euangelium, potentia Dei ad salutem credentibus, Rom. 1. 16. quod tectum est eis qui pereunt; ut ait Apostolus 2. Corinth. 4. 3. [b] *Hebr. ascendit.* [3] superiori anticipationi subjicit responsionem Propheta, ut Judæos præmoneret totámque Ecclesiam, ne unquam de Christo ex specie judicium facerent, sed partim causas perpessionum, partim eventa observarent. Sunt ergo hujus responsionis præcipui loci duo: unus, quo opponit scandalo infirmitatis Christi facta potentiæ ejus miraculosissima, vers. 3. & 4. & scandalo perpessionum Christi, vitiositatem nostram, cujus nomine Christus spondebat in judicio Dei, usque ad versum 8. alter, quo comparat cum aspectabili infirmitate & ignominia Christi certissimam justissimámque liberationem & gloriam ejus ex consilio Dei ad commune bonum totius Ecclesiæ, inde ad finem. Priore autem loco tenuitas, infirmitas & contemtus Christi exponitur, duobus versibus: causa verò, in versu 4. & sequentibus. quasi dicat, verum quidem est omnia ista quorum aspectu offendimini, in Christo esse humanitus; sed quicquid infirmum est in ipso, a nobis est, a nobis suscepit, & nostra causa perlaturus est: quamobrem iniquum est nos de eo offendi qui fidejubet pro offensis nostris, eásque præstat. [4] ut suprà 11. 1. [5] nimirum qui non credit prædicationi, sed Christi speciem ita observat ut offendat in eum, tamquam lapidem allisionis & rupem offensionis, ut suprà 8. 14. [6] secundum carnem. [c] *Hebr. desitus virorum, vir dolorum, & cognitus morbi.* [7] id est, continenter versans in difficultatibus rerum, & omni infirmitate humana, excepto peccato. [8] id est, quasi leprosus, ab hominum consortio separatus, & faciem obvelans, ex lege Levit. 13. 45. [9] remedium scandali quod percipitur ex infirmitate Christi, hîc exponitur, ut diximus in versum 2. quòd in ea tamen infirmitate ediderit palàm mirifica majestatis divinæ documenta curandis hominibus, & electos in perpetuum ab omni malo curaturus sit. [10] id est, omnes infirmitates nostras; ut exponitur Matth. 8. 17. [11] non autem nos in ipso. [d] *Hebr. Dei.*

5 [12] Nam

5 [12] Nam ipse dolore afficitur a defectioni-
bus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris; ca-
stigatio [13] pacis nostræ imponitur ei, & [14] tumi-
ce ejus fit curatio nobis.
6 Omnes nos, ut ovis erravimus, quisque in
viam suam nos convertimus; & Jehova facit ut
incurrat in eum [e] pœna omnium nostrûm.
7 [15] Exigitur *pœna*, & ipse affligitur, neque
aperit os suum; ut parva pecus ad mactationem
ducitur, & velut ovis coram tonsoribus suis ob-
mutescens: neque aperit os suum.
8 [16] A coarctatione & a judicio tollitur; at
[17] generationẽ ejus quis enarraturus est? [18] nam
exscinditur *quidem* e terra viventium, [19] ex defe-
ctione populi mei plaga *est* ipsi:
9 *Populus* enim exposuit [20] improbis [21] se-
pulcrum ipsius, & [22] diviti in [f] mortem suam: [23] eò
quòd non fecit violentiam; neque *est* dolus in ore
ipsius:
10 [24] At Jehova delectatus conterere ipsum,
morbo affecit, quandoquidem [25] exponebat [g] se
ipse [26] sacrificium pro reatu; *dicens* [27] videbit se-
men, prolongabit dies: & delectatio Jehovæ
[h] per eum prosperabitur.
11 [28] Exemptum molestia [i] seipsum videns
satiabitur, cognitione sui [29] justificabit justus ser-
vus meus multos; quorum iniquitates ipse baju-
laverit.
12 [30] Idcircò partem dabo ei pro multis, ut
cum robustis partiatur prædam; pro eo quòd
profundit in mortem se ipsum, & cum defectori-
bus annumeratus est: nam ipse peccatum mul-
torum perferens pro defectoribus intercessit.

[12] ἐγγασία præcedentis dicti, propter nos Christum affici, duobus modis; primùm quòd peccata nostra tollit, deinde quòd pax nostra est, & nos reconciliat Deo per crucem ipsius, Ephes. 2. 14. [13] id est, pacem nobis conciliatura cum Deo, & prosperitatem omnem comparatura, quas alioqui amiseramus, ut seq. versu exponitur. [14] i. plagis quascunque nostra causa pertulit: synecdoche. [e] Heb. *iniquitas*. [15] videlicet iniquitatum nostrarũ omnium, ut proximè dictum est. [16] alterum membrum responsionis, quod per prolepsin hoc versu positum, sequentibus ordine exponitur: quasi dicat Propheta, verum quidem est vos non tantùm infirmitate illa offendi quæ videtur in Christo, verùm etiam maximè ignominioso judicio & morte ipsius: sed non satis est ad præsentem istius constitutionem respicere; quin potius introspiciendus est eventus ille gloriosus ex consilio Dei, qui exponitur inde a vers. 10. Nam coarctationis nomine omnes angustiæ, injuriæ, contumeliæ, verbera, mala denique omnia intelligenda sunt, quæ tum a Judæis, tum a gentibus perpessus est: judicii verò appellatione denotantur manus & consilium Dei, quo Christus justissimè tamquam sponsor noster fuit a Deo Patre verberatus, infrà vers. 10. [17] id est, æternitatem, sive tempus quo perduraturus est Christus: nam his verbis inest antithesis. Est quidem sublatus, inquit Propheta; sed ab hac mortali vita in immortalem transmissus, nec jam mori potest, aut mors ultrà ei dominabitur. [18] exornatio præcedentis antitheseos, cujus prius membrum, hoc & sequent. versu; posterius, tribus ultimis exponitur. [19] id est, per improbitatem Judæorum, qui deficientes a Deo ex definito consilio & providentia ejus prodiderunt & abnegarunt Christum in conspectu Pilati; ut loquitur Petrus Actor. 2. 22. & 3. 13. hæc ut ita accipiamus efficit sequentis vers. comparatio. [20] id est, gentibus, quæ olim improborum nomine solebant designari, ut Act. 2. 23. quemadmodum etiam gentiles dicuntur peccatores Galat. 2. 15. [21] id est, crucifigendum, trucidandum, & sepeliendum ipsum, synecdochicè. [22] id est, Pontio Pilato præsidi Judææ, idq; in mortem suam, id est, ea lege ut sanguis ipsius super populum & super filios ejus recideret & reposceretur a Deo, si quid ea in re peccatum esset; ut Matth. 27.25. quamobrem etiam Propheta mortes dixit plurali numero. [f] *Heb. mortes suas*. [23] i. quia non poterant ferre justitiam, integritatem, & simplicitatem factorum & dictorum ejus: ut Christus ipse Judæis objicit Joan. 10. 32. [24] exornatio alterius partis prolepseos, de qua v. 8. [25] ut Galat. 2. 20. [g] *Heb. se reatum anima ipsius: metonymia*. [26] ut 2. Corinth. 5. 21. & 1. Petr. 2. 24. [27] id est, filios Dei, quos geniturus est in Ecclesia semine incorrupto verbi. [h] *Heb. per manum ejus*. [28] i. quum declaratus filius Dei per resurrectionẽ ex mortuis ascendet in cælos: tum ipse perfectissima gloria & bonis cumulabitur sedens ad dextram Dei Patris omnipotentis, tum in alios profundet dona sua, ut ostendit Paulus Ephes. 4. 7. & seq. sic Psal. 16. [i] *Heb. animã suam: ut superiore v. & seq.* [29] ut Rom. 3. 26 [30] nimirum ut plenam saluté Ecclesiæ comparare possit, delendo peccata in cruce, & justitiam cum suis communicando. Est autem hîc alterum argumenti amplificans gloriam Christi; quòd ut efficiat ea quæ antè dicta sunt, Deus Pater illum omnibus donis instructurus est quæ fuerint opus.

CAPUT LIIII.

Propheta exposita Christi historia orationem convertit ad Ecclesiam, docens fructus quos ab eo perceptura est: itaque promissiones Euangelicas figuris explicat, de universitate Ecclesiæ, peccatorum remissione, gratia, gloriáq; & salute æterna in Christo.

1 [1] [‖] CAnta [2] sterilis *quæ* non pariit: fragorem
ede cantu, & claram ede vocem *quæ* nõ
dolet: nam plures *futuri sunt* filii [3] desolatæ quàm
filii [4] conjugatæ, ait Jehova.
2 [5] Dilata locum tentorii tui, & aulæa habi-
taculorum tuorum [a] extendantur, ne cohibeto:
prolonga funes tuos, & clavos tuos confirma.
3 Nam dextrorsum & sinistrorsum prorum-
pes: & semen tuum gentes hereditario jure possi-
debit, ac civitates desolatas efficient habitabiles.
4 [6] Ne timeto, quia non erubesces; & ne ig-
nominia confusa esto, quia non pudebit te: sed
verecundiæ adolescentiæ tuæ oblivisceris, &
probri viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs.
5 Nam [b] conjunx tuus *erit* opifex tuus, cu-
jus nomen Jehova exercituum: & vindex tuus
sanctus Jisraëlis, [7] Deus totius terræ, vocabitur.
6 Nam ut [8] uxorem derelictam & dolentem
[c] animo revocat te Jehova: & uxorem adoles-
centiæ, quãvis [9] spreta sis, [d] appellat Deus tuus.
7 Ad momentum parvum dereliqueram te,
sed miserationibus [10] magnis congregabo te.
8 Pauculo fervore [11] absconderam faciem
meam momento a te, sed benignitate [e] sempi-
terna misereor tui; ait vindex tuus Jehova.
9 Nam *ut* aquæ Noachi hoc mihi *est*, qui ju-
ravi nõ transituras [‖] aquas Noachi amplius [12] su-
per terram: sic juro, fore ut non effervescam
contra te, & non increpem te.
10 Quamvis hi montes recederent, & hi col-
les dimoverentur: attamen benignitas mea a te
non recedet, & fedus pacis meæ non dimovebi-
tur, ait miserator tuus Jehova.
11 [13] O afflicta, procellis agitata, consolatio-
ne destituta: ecce ego collocaturus sum cũ [f] or-
namento lapides tuos, & fundaturus te sapphiris.
12 Et disponam [14] pyropo specularia tua, &
portas tuas lapidibus carbunculi; denique totum
terminum tuum lapidibus [g] speciosissimis.
13 [15] Et omnes filii tui [h] edocti *erunt* a Jeho-
va, ampláq; pax filiorum tuorum.
14 Justitia stabilieris: procul esto [16] ab op-
pressione, quia non timebis; & a terrore, quia
non appropinquabit ad te.
15 [i] En, [17] omnino altercetur *homo* nihili *ab-
alienatus* a me: qui altercabitur in te, *ruens* in te
corruet.
16 [18] En ego creavi fabrum sufflantem in ig-
nem prunarum, & proferentem instrumentum
ad opus suum; similiter ego creavi interfectorem
ad perdendum.

[1] Explicatis perpessionibus & gloria consequente Christi, nunc demum Propheta ad Ecclesiam Christianam sermonem habet; ut quæ filios Dei in Christo esset genitura; quia Christus Ecclesiæ veteri sive Judæorum synagogæ erat scandalo, ut superiore capite dictum est; ac proinde hæc filios ex carne tantùm, non ex promissione gignebat Deo. Sunt autem in hoc capite tres promissiones Euangelicæ, quæ fiunt Ecclesiæ: prima est, de multiplicatione & propagatione Ecclesiæ per totum orbem terrarum, tribus versibus: secunda est de redintegrando Dei federe in remissionem peccatorum, & gratuitam reconciliationem vel gratiam æternam, usque ad versum 11. tertia est de tradenda gloria & salute cum hostium excidio conjuncta, ad finem usque. [‖] *Galat. 4.27.* [2] id est, sublimis Jerusalem, Ecclesia libera, mater omnium nostrûm, quæ non secundùm carnem gignit, sed secundùm spiritum ex federe & promissionibus in Christo. Sic autem appellatur Ecclesia Christiana respectu Ecclesiæ veteris, quæ usq; ad tẽpora Christi fuerat conjugata Deo, & filios secundùm carnem genuerat. [3] i. Ecclesiæ illius sterilis, quæ in adventu Christi desolata erat & destituta liberis, ut suprà dixerat 52. 18. [4] id est, veteris Ecclesiæ, cui se Deus sacro connubio junxerat, ut indicatur infrà vers. 5. & 6. [5] id est, ex Ecclesia singulari Judææ fies catholica sive universalis: allegoria, quam sequens versus explicat. [a] *Hebr. extendant: impersonaliter.* [6] secundus promissionum Euangelicarum locus, de peccatorum remissione, hoc vers. reconciliatione, duobus sequentibus, & gratia æterna, a versu 7. ad 11. [b] *Heb. conjuges tui factores tui: de sancta trinitate dictum.* [7] ac non Judæorum tantùm, ut dicebatur priùs. [8] videlicet quæ jam longo intervallo non gignebat ex promissione filios, sed tanquam sterilis spernebatur a synagoga, ut vers. 1. [c] *Heb. spiritu.* [9] ex sterilitate, quæ olim probrosa habebatur. [d] *Heb. dicit.* [10] id est, æternis, ut exponitur seq. versu. [11] i. sterilem & desolatam reliqueram te: humanitus pergit in allegoria. [e] *Heb. seculi.* [‖] *Gen. 8. 21. & 9. 9. & seq.* [12] totam videlicet, ad perdendum omnia. [13] tertius promissionum locus de gloria & salute Ecclesiæ, quæ per allegorias & hyperbolas exprimũtur. [f] *Heb. fuco: ut 1. Chr. 29. 2.* [14] Hebræam vocẽ adducti notatione ipsius sic interpretamur hoc loco, & Jechezk. 27. 16. [g] *Heb. delectationis.* [15] vide sup. 11. 9. [h] *Heb. edocti Jehovæ: Joan. 6. 46.* [16] i. ab omni oppressionis metu abesto animus tuus. [i] *Heb. en habitando habitabit nullus.* [17] id est, neque ego ipse angustia sum affecturus te, neque alios perpessurus; sed impediturus potentiâ meâ, quæ deinceps confirmatur. simili argumento se ipsum confirmat Christus in sua functione, suprà 51. 7. & seq. [18] confirmatio præcedentis promissionis a potẽtia Dei in res omnes, ex creationis & administrationis jure.

17 [19] Nullum instrumentum formatum con-
tra te prosperabitur, & omnem linguam insur-
gentem contra te in jus condemnabis: [20] hæc *est*
possessio servorum Jehovæ, quorum justitia *est* ex
me; dictum Jehovæ.

19 i. nemo factis aut dictis poterit nocere tibi; sed in omnibus plus quàm victrix futura es per Christum qui diligit te, Rom. 8. 37. 20 epiphonema prophetiam claudens, & promissiones omnes asserens unicæ Dei beneficentiæ.

CAPUT LV.

Deus gentes omnes affectas suæ vanitatis conscientia vocat ad fidem & resipiscentiam: hortatur ut doctrinam Euangelii religiosè imbibant: & promissionibus allicit.

1 Post generales promissiones factas Ecclesiæ catholicæ per Christum, superiore capite; nunc demum Christus sigillatim regenerandos quosque Ecclesiæ filios provocat primùm ad fidem, usque ad versum 6. deinde ad resipiscentiam, usque ad vers. 10. ac postremò commendans prædicationem Euangelii, promissiones amplissimas facit singulis ipsum adituris fide & resipiscentia, ad finem usque. 2 id est, quisquis suæ ariditatis conscientia pressus expetit beneficia Dei ad spiritualem vitam pertinentia: quæ omnia allegoricè aquarum, vini, lactis, panum, boni, saturitatis, & pinguedinis nomine designantur, hoc & seq. vers. sic Matth. 5. 6. & Joan. 7. 37.

1 [1] HEus [2] quisquis sitit, venite ad istas aquas,
[3] & cui nulla *est* pecunia: [4] venite, com-
parate & comedite, venite inquam, comparate
absq; pecunia & absq; pretio vinum & lac.
2 [5] Cur expenditis pecuniam pro nullo ci-
bo, & laborem vestrum [a] pro re minimè satiatu-
ra? [b] auscultate indesinenter mihi, & comedite
bonum, atque oblectet se hac pinguedine anima
vestra.
3 Inclinate aurem vestram, & venite ad me,
audite ut vivat anima vestra: & pangam vobis-
cum fedus [c] perpetuum, benignitates [6] Davidis
[7] certissimas *collaturus sum*.
4 [8] En testem nationum constituo eum, [9] an-
tecessorem, & præceptorem nationum.
5 En gentem quam non agnoveras vocabis,
& [d] gentes quæ non agnoverant te [10] ad te accur-
rent: propter Jehovam Deum tuum, & propter
sanctum Jisraëlis, quum [11] ornaverit te.
6 [12] Requirite Jehovam, [e] [13] quum præstò
est; invocate eum, quum est propinquus.
7 Derelinquat improbus viam suam, & vir
iniquus cogitationes suas: revertatúrq; ad Jeho-
vam ut misereatur ipsius; & ad Deum nostrum,
quia [f] plurimùm condonat.
8 [14] Non enim cogitationes meæ *sunt ut* co-
gitationes vestræ, neque *ut* viæ vestræ viæ meæ,
dictum Jehovæ:
9 Sed *ut* alti sunt cæli supra terram; ita altæ
sunt viæ meæ supra vias vestras, & cogitationes
meæ supra cogitationes vestras.

3 id est, qui non tantùm vita cælesti, cujus nunc sitientes estis, a natura destituimini; sed etiam omnibus rationibus omnino caretis quibus cælestis vita comparari possit: nam gratuita sunt piis omnibus donum & vocatio Dei. 4 per fidem, cui gratis confertur donum Dei. 5 reprehensio caussam explicans vocationis præcedentis, nimirum quòd omnes extra Ecclesiam Dei operam consumant in rebus infructuosis & fallacibus, quibus allegoricè res bonæ & pingues opponuntur. a *Hebr. pro non ad saturitatem.* b *Heb. auscultate auscultando.* c *Heb. seculi: sic vers. 13.* 6 id est, ea ipsa beneficia quæ olim federe meo Davidi promiseram in Christo, 2. Schem. 7. 7 id est, firmissimas & constantissimas; prout fuerunt excitato Christo a mortuis, qui non amplius reversurus est in sepulcrum, sed in seculum benignitatem suam Ecclesiæ præstiturus; Actor. 13. 34. 8 *παρέκβασις* sive digressio duobus versibus, qua Deus Pater filios suos cooptans in Ecclesiam Euangelio Christi, confirmat primùm vocationem Christi in animis eorum omnium qui ab ipso vocantur, hoc vers. deinde verò functionem, qua Christus Ecclesiam ex gentibus promiscuè dicitur collecturus efficacitate spiritus, seq. vers. 9 id est, Regem & Prophetam. d *Heb. gens.* 10 ut suprà 2. 2. & seq. 11 id est, declaraverit te filium suum per resurrectionem a mortuis, assumpserit in cælos, & glorificaverit, ut cœptum est compleri die Pentecostes, Actor. 2. 12 alter locus de vocatione ad resipiscentiam, ut dictum est in vers. 1. e *Heb. quum invenitur ipse.* 13 i. se vobis facilem & benignum exhibet: humanitus dictum. f *Heb. multiplicat condonando: vide Gen. 12. 8.* 14 ætiologia, cur Deus homines revocet a viis & cogitationibus ipsorum, hoc & seq. vers. explicans duo verba proximè præcedentia, quòd plurimum condonet Deus. Nam (inquit Deus) etsi facta & cogitationes vestræ videntur in infinitum peccati affines esse, tamen angustiora sunt illa & humiliora factis & cogitationibus meis, quibus sum condonaturus peccata vestra: ego statui, & præstabo, efficiámq; ut infinitas peccatorum vestrorum, si resipiscetis, infinitis modis a misericordia mea superetur: non est infinitas peccati vestri comparanda cum infinitate misericordiæ & condonationis meæ; sic Psal. 103. 10. & 11.

10 [15] Nam quum descendit pluvia aut nix de
cælo, rursus illûc non revertitur, sed inebriat ter-
ram ipsam, facítq; ut pariat ipsa & producat; ut
edat semen satori, & panem comedenti:
11 [16] Sic erit verbum meum quod egressum
fuerit ex ore meo, non revertetur ad me vacu-
um; sed faciet [17] id quo delector, & prosperabi-
tur [18] id quod emisero.
12 [19] Nam cum lætitia egrediemini, & cum
pace deducemini: ipsi montes & colles fragorem
edent coram vobis cantu, & omnes arbores agri
complodent manum.
13 Loco [20] virgulti assurget abies, loco [21] pa-
liuri assurget myrtus: [22] ut sit Jehovæ in no-
men, in signum perpetuum *quod* non exscinde-
tur.

15 tertius locus commendans prædicationem Euangelii a magnificentissimis Dei promissionibus in Ecclesiam, quas Deus explicat similitudine pluviæ & nivis in terram decidentis, hoc versu: deinde verò Ecclesiæ accommodat, sequentibus. De hac autem similitudine vide Matth. 13. 3. & seq. & Hebr. 6. 7. & seq. 16 id est, vos videtote ut sitis bona terra: experimini vos ipsos, & augescite in sensu benedictionum Euangelii. 17 i. fructum acceptum Deo, qui fructus est spiritus & vitæ, Rom. 8. 13. & 14. 18 id est, verbum meum: periphrasis. 19 promissiones allegoricæ lætitiæ & pacis in spiritu, quæ exornantur elegantissimis hyperbolis, ut Psal. 72. & 96. & seq. 20 ut suprà 7. 19. 21 Hebræam vocem ex etymo sic placuit reddere, quia composita est ex duabus vocibus, quarum una spinam, altera oppressionem & exitium significat, quasi dicas spinam exitialem. Est enim spinis paliurus acutis, ut ait Virgil. Eclog. 5. 22 id est, ut de hoc verbo Euangelii, & benedictionibus illud consequentibus celebretur & sanctificetur nomen Dei magis ac magis.

CAPUT LVI.

Deus doctrinam Euangelii de fide & resipiscentia ad omnes gentes doces perventuram esse, sine distinctione personarum: deinde Judæis gravissimum judicium prænunciat propter sceleratam doctorum avaritiam & luxum, popularium oscitantiam, omnimumq; idololatriam, & consociationem cum improbis: tandem promittit se ne his quidem caussis adductum iri ut summo jure agat, sed lugentium se miserturum, & improbos disjecturum ad stabiliendum regnum suum.

1 [1] SIc ait Jehova, [2] observate jus, & exercete
justitiam: nam [a] proximè salus mea ven-
tura est, & justitia mea revelanda.
2 Beatus [3] mortalis *qui* fecerit illam, & filius
hominis *qui* prehenderit illam; [4] observans sab-
bathum ne prophanet illud, & observans manũ
suam ne faciat ullum malum.
3 [5] Neque loquatur alienigena qui se adjun-
git Jehovæ, dicendo, [b] omnino discrevit me Je-
hova a populo suo: neque dicat eunuchus, en e-
go sum [6] lignum aridum.
4 [7] Nam ita ait Jehova de eunuchis, qui [8] ob-
servaverint sabbatha mea, & elegerint id quo de-
lector; apprehenderíntq; fedus meum:
5 Etiam daturus sum eis in domo mea & in-
tra muros meos spatium & nomen [9] melius quàm

1 Hujus concionis (qua continetur summa doctrinæ Euangelicæ) partes præcipuæ sunt tres: prima est propositio doctrinæ Euangelii de fide & resipiscentia, ad omnes homines sine discrimine pertinentis, toto hoc capite; secunda est contestatio sive reprehensio adversus Judæos qui inde a temporibus Jeschahijæ usque ad tempora adventus Christi contumaces Deo fuisse evincuntur, a vers. 1. capitis 57. usque ad vers. 17. postrema est narratio tum promissionum Dei erga bonos, tum judiciorum in improbos, inde ad finem usque. 2 id est, resipiscite; nam propinquum est regnum cælorum: ut Matth. 3. 1. & 4. 17. a *Heb. propinqua est salus mea ad veniendum, & justitia mea ad revelandum: ut Gen. 12. 8.* 3 id est, quisquis sit, sive Judæus, sive alienigena, ut deinceps exponitur. 4 id est, colens pietatem in Deum (cujus documenta & exercitamenta ampliùs observabantur in sabbatho) & officium in proximos; ac proinde doctrina & vita se conformans voluntati Dei: sic vers. 4. 5 occupatio qua ostendit Propheta non esse cur ex legali ritu (Deut. 23.) sibi metuant ulli ut cooptari possint in populum Dei, quia ritus illi in regno Christi dicuntur perituri. b *Heb. discernendo discrevit.* 6 id est, minimè pertinens ad corpus populi, quod comparatur cum arbore virente in domo Dei per benedictionem ejus, ut Psal. 92. 13. & seq. respiciunt autem hæc verba ad legem Deuteron. 23. 1. 7 explicatio promissionum Dei, quæ superioris occupationis partibus respondet per *ὕστερον*. 8 id est, sanctitati doctrinæ & vitæ operam dederint ex federe, ut versu 2. 9 id est, perpetuum, quod non exscinderetur in seculum; cùm tamen generatio filiorum filiarumq; exscindi possit, sic accipiendum ostendunt verba sequentia.

filiorum aut filiarum; nomen [c] perpetuum daturus sum eorum cuique, quod non exscindetur.

6 [10] Alienigenas verò qui adjunxerint se Jehovæ ad ministrandum ei; & ad diligendum nomen Jehovæ, ut sint ei servi; quisquis observaverit sabbathum ne prophanet illud, & apprehendentes fedus meum;

7 Adducam ipsos quoque ad [11] montem sanctitatis meæ, & lætificabo eos in domo orationis meæ; [12] holocausta eorum & sacrificia eorum [d] accepta erunt in altari meo: nam [d] domus mea domus orationis vocabitur [13] omnibus populis.

8 Dictum Domini Jehovi [14] congregantis depulsos Jisraëlis; illos [15] ampliùs aggregaturus sum ei, ad aggregatos ejus.

CAPUT LVII.

1 [1] O Mnes [a] bestiæ agrestes, venite ad comedendum, omnes bestiæ [b] sylvestres.

2 [2] Speculatores istius cæci, quotquot sunt non agnoscunt; quotquot sunt canes, sunt muti, non possunt latrare; tempori serviunt, jacent, amant dormitationem.

3 Et isti canes [c] avidissimi non norunt [4] saturitatem; propterea ipsi pascunt se, nesciunt [5] docere: quotquot sunt, ad viam suam se convertunt, quisque ad lucrum suum ab extremitate illius suæ ad alteram.

4 [6] Venite, inquiunt, sumam vinum, & ingurgitabimus nos potu inebriante: eritq; similis huic dies crastinus, imo major, excellentior valde.

CAPUT LVII.

5 [7] Justus perit, & nemo homo reponit in [d] animo: homines inquam [e] benigni recipiuntur nemine advertente, [f] ante adventum [g] ipsius mali recipi justum;

6 Ingredi [9] pacem, requiescere [10] in cubilibus suis, quisquis ambulat in æquitate sua.

7 [11] At vos [12] appropinquate huc, filii præstigiatricis; semen adulteri, quod scortaris.

8 [13] Contra quem oblectatis vos? contra quem [14] dilatatis os, [15] protrahitis linguam? an non estis nati [16] defectione, semen [g] [17] falsum,

9 Borum [18] qui incaluerunt in lucis, sub [19] omni arbore virente; jugulantes natos ipsos in torrentibus, sub scopulis petrarum?

10 [20] Inter læves lapillos torrentis pars tua est, illi ipsi sors tua sunt: [21] etiam in illis fundis libamen, offers munus; [22] an super istis consolationem caperem?

11 In monte alto & elato ponis cubile tuum; etiam illuc ascendis ad [h] faciendum sacrificium:

12 Etiam [23] post ostium postemq; ponis monimentum tuum: quum a me recedens te ascendis, dilatas cubile tuum, cædens tibi amplius cubile quàm [24] illorum sit, amas concubitum illorum, spatium amplius prospicis:

13 Et contemplata mittis [25] ad regem [26] cum [i] unguentis, & auges pigmenta tua: mittis inquam legatos tuos in longinquum usque, & [27] demittis te usque in sepulcrum.

14 [28] Amplitudine viæ tuæ fatigata non dixisti, animum abjicio: [29] catervam manus tuæ invenisti, idcirco non ægrotas.

15 [30] Et a quo sollicita timuisses ut mentireris, cùm me non recorderis, non reponas in [k] animo tuo? [31] an non me tacens, quemadmodum [l] olim, etiam me non metueres?

16 Ego indicabo [32] justitiam tuam; & facta tua [33] quæ non profutura sunt tibi.

17 [34] Quum clamaveris, eripiant te [35] congregationes tuæ; at qui eas omnes tollet ventus, intercipiet vanitas: [36] qui verò recipit se ad me, [37] possidebit terram, & hæreditario jure obtinebit montem sanctitatis meæ:

18 Et dicet, [38] aggerate, aggerate, comparate viam; tollite offendiculum e via populi mei.

19 [39] Nam sic ait sublimis & elatus, cujus nomen est inhabitans æternitatem, & sanctus, [40] qui in sublimi & sancto habito: etiam [41] cum eo qui attritus est demissusq; spiritu habito, ut vivum conservem spiritum demissorum, & vivum conservem [m] animum contritorum.

20 Nam in seculum non contendam, neque in æternum effervescam: nam spiritus a conspectu meo [42] obrueretur, & animæ quas ego feci.

21 Propter iniquitatem [43] quæstus ejus efferbui & percussi eum, [44] abscondendo me, inquam, efferbui; quia ibat aversus per viam animi sui.

22 [45] Vias ejus video, sed curabo eum: &

[a] Heb. seculi. [11] alterum membrum responsionis ad occupationem versus tertii. [11] i. Ecclesiam ut suprà 2. 2. [12] spirituales hostiæ, de quibus Rom. 12. 1. nam hic allegoricè dicuntur & significantur legalibus. [d] Heb. in beneplacitum erunt. [d] Matth. 21. 13. [13] promiscuè patebit, & cum gentibus, ut in eam recipiantur omnes sine acceptione personarum, ut Mar. 11. 17. [14] ex promissione Deuter. 30. 4. [15] id est, alias oves in hanc caulam cum meo hoc grege adducturus Joan. 10. 16. & Ephes. 2. 13. & seq.

[1] Secunda pars concionis, quæ exponit Prophetæ de depulsos Jisraëlis modò nominaverit, nimirum quia Deus justo judicio suo gentes inimicissimas & ferocissimas contra populum erat accersiturus, Assyrios, Babylonios, Græcos, Syros, Aegyptios & Romanos, qui Judæam infestarent atque consumerent, hoc vers. deinde causas horrendi istius judicii per contestationem proponit, usque ad vers. 17. [a] id est, gentes quas modò nominavimus; sumta allegoria a grege & feris gregem infestantibus; ut alibi a vite, Psal. 80. 9. & suprà 5.

[a] Heb. agri. [b] Heb. in sylva. [3] hæc contestatio (quæ est superioris interminationis causa) exponit primùm oscitantiam & perfidiam ministrorum Ecclesiæ, tribus versibus; deinde populi totius negligentis justos, vers. 5. & 6. postremò his nominibus Deus utrumque ordinem Ecclesiasticum & popularem objurgat, inde a vers. 7. [c] Hebr. robusti anima, id est, desiderio, ut Psal. 27. 12. [4] nimirum quæstus & avaritiæ suæ, ut finis versus indicat; quasi dicat, quærunt avidissime quæ sua sunt, non autem quæ sunt Christi: ut Jechezk. 34. & Jirmejæ 23. [5] id est, pascere populares pabulo sacro verbi Dei. [6] id est, alii avaritia æstuant, alii perduntur luxu. [2] altera pars de oscitantia populi, ut diximus vers. 2. [d] Hebr. corde. [e] Hebr. benignitatis. [f] Hebr. ante faciem: ut Genes. 36. 6. [g] quale denunciavit Deus suprà versu 1. sic de Chanocho dicitur, Sapient. 4. 10. & de Abrahamo, Gen. 15. 15. & de Chizkija, 2. Reg. 20. 18. & 19. & de Joschija, 2. Reg. 22. 20. [9] apud Deum, relictis quacumque ratione agitationibus mundi. [10] id est, in sepulcris, quæ sunt corporibus nostris cubilia usque ad resurrectionis diem. [11] objurgatio; ut diximus vers. 2. qua Deus Judæis omnibus antiquam & a parentibus traductam improbitatem exprobrat, quum matrem præstigiatricem, patrem adulterum, & ipsorum quemque scortatorem vocat. [12] nimirum ad contestationem causæ & judicium, ut suprà 41. 1. [13] contestatio confirmans duo crimina objecta præcedente versu; primùm quidem parentum, hoc & seq. versu; deinde verò ipsorum, vers. 10. & sequent. quasi dicat, nonne contra me spectant hæc omnia, & in me sunt contumeliosa? [14] ut Psal. 22. 14. & 35. 21. [15] ad ludibrium & contumeliam. [16] id est, matre impura quæ defecit a me. [g] Hebr. falsitatis. [17] id est, patre adultero; ut superiore versu.

[18] nimirum in sua scortatione spirituali, servientes dæmonibus, ac non Deo. [19] prout factum fuisse a temporibus Achazi legimus, 2. Reg. 16. 3. & 4. [20] altera pars contestationis, ut dictum est vers. & quasi dicat, & tu ambulas nunc quoque in peccatis parentum tuorum; ista est hæreditas tua, peccati illorum æmulatio omnibus in locis; in torrentibus sub scopulis petrarum, hoc vers. & in excelsis palam, vers. sequente; etiam in domo mea, vers. 12. necdum tibi satis est, vers. 13. & 14. [21] videlicet ut majores tui. [22] indignantis exclamatio pathetica, quasi dicat, an unquam possem conquiescere, nisi scelera tua & contumelias in me illatas ulciscerer? [h] Heb. sacrificandum sacrificium. [23] ubi verba suæ legis inscribi mandaverat Deus, Deut. 6. 9. & 11. 20. [24] videlicet parentum, id est, parentes superas peccatorum gravitate & multitudine. [25] Assyriæ Tiglathpileserum, 2. Reg. 16. 7. [26] i. omnibus modis te comparans ut impurissimum scortū, & alliciens exteros qui scortentur tecum etiam oblatis muneribus, ut ibidem scriptū est: sic Jechezk. 16. 33. [i] Heb. oleo. [27] ut quū dixit Achaz, servus tuus & filius tuus sum, 2. Reg. ibidem: elegantissima hyperbole. [28] i. pertinacissima fuisti nefariæ voluntatis tuæ, ita ut nullum laborē subterfugeres ad conciliandos amatores tuos. [29] i. Assyrios tibi conciliasti, qui tibi sunt ad manum judicio tuo. [30] conclusio præcedentis cōtestationis, q. d. quid pluras? scortum es impudentissimū, quod nemine vereris, a nemine tibi metuis; sed palàm pervicacissimè glorians in scortatione tua, ut suprà 3. 10. [k] Heb. corde. [31] q. d. nonne etiam porrò pergeres, si dissimularem ampliùs & reticerem impuritatem tuam? vide Eccles. 8. 10. [l] Heb. a seculo. [32] antiphrasis ironica. [33] i. non poterunt servare te, ut exponitur principio seq. v. [34] concessio ironica, transitum comparans ad postremam concionis partē, de funesto improborū casu & bonorū salute: quæ duæ partes κατὰ πρόληψιν enunciatæ his duobus vers. exornantur postea & copiosiùs exponuntur per ἀπόδοσιν, ad finem usq; capitis. [35] de quibus sup. v. 13. [36] non autē tu cum omnibus catervis & congregationibus tuis. [37] i. tum ipse benedictiones meas (quarū symbola sunt terra & mons Tzijonis) obtinebit, hoc v. tum etiam ut alii cōmodè obtineant procurabit. [38] i. adhibete quæcunque commoda sunt ad promovendam Ecclesiam, & removete incommoda: allegoria, ut sup. 40. 3. & 4. [39] exornatio antecedentis prolepseos, qua Deus confirmat se utrumque effecturum potentia sua, ut serventur electi, usq; ad vers. 14. & improbi malè pereant, duobus ultimis. [40] i. qui e cælis revelo, & suo tempore revelaturus sum ampliùs sanctitatem & potentiam meam; tum super humilitatem piorum, de quibus proximè; tum super infidelitatem & injustitiam impiorum, Rom. 1. 18. [41] id est, ei adsum, humanitus dictum. [m] Hebr. cor sic vers. 21. [42] ut Psal. 61. 3. & 102. 1. [43] de quo suprà vers. 3. [44] humanitus dictum, ut Psal. 10. 1. [45] q. d. novi quidem totam viam eorum impuram esse, sed tamen propter me curaturus sum.

deducam

[46] ut Matt. 5.4. [47] id est, efficiens magnificentissimè & potentissimè, ut consolationes (quæ [illegible] proventus labiorum, id est, sermonum Dei, appellantur) locum in piis habeant.

deducam eum, reddámq; consolationes ei, &
[46] lugentibus ejus;
23 [47] Creans proventum labiorum; [n] [48] summam pacem, [49] longinquo & propinquo, inquit
Jehova, ut curem eum.
24 [50] Improbi verò *erunt* [51] ut mare [52] propulsum: nam quiescere non potest, & aquæ ejus expellunt [53] cœnum & lutum:
25 *Ita* [l] nulla *est* pax, inquit De[us] meus, improbis.

[n] *Heb. pacem pacem.* [48] i. perpetuam & constantissimam quietem ab antecedentibus malis, facta reconciliatione per Christum: nam regnum Dei est justitia & pax & gaudium per spiritum sanctum, Rom. 14. 17. [49] id est, æquè alienigenis ac Judæis ipsis: ut supra 56. 3. Actor. 2. 39. & Ephes. 2. 17. [50] alterum mẽbrum prolepseos, ut diximus in versum 19. [51] id est, nullam habebunt pacem, ut seq. versu exponitur. [52] videlicet ventis, flatibusq; externis, & fluxu ac refluxu suo, tamquam euripus. Nam hæc duo ad descriptionem improborum pertinent, quia tum ipsi per se, tum adventitio impulsu agitantur. [53] id est, impurissima omnia & ingrata Deo improbi egerunt, ut cœnum ejicitur exagitato mari, quo magis a Deo sollicitantur ad resipiscentiam immissis calamitatum procellis. [l] *Sup. 48. 22.*

CAPUT LVIII.

Propheta Judæorum hypocrisin reprehendit, jejuniorum usum explicat, & promissiones adducit eventuras si pietatem in Deum & officia in proximum coluissent: quòd non obvenerint promissiones, in causa fuisse ostendit Judæorum scelera: quæ postquam Propheta suo & popularium nomine confessus est, promittis fore ut Deus in Christo propter nomen suum adversarios suos profliget, salutem Ecclesiæ conferat, eámq; regat spiritu & verbo.

[1] Hujus concionis (qua Propheta pergit explicare indignissima Judæorum facta & comparare cum infinita Dei misericordia) summæ partes sunt quatuor: exordium, paucis complectens concionis argumentum, duobus versibus; propositio gravissimæ contestationis inter Deum & populum, reliquo capite; confirmatio juncta confutatione, capite 59. usque ad vers. 21. & cõclusio a promissione magnificentissima, versu ultimo.

1 [1] EXclama [2] gutture, ne cohibeto, [3] tamquam
buccina extolle vocem tuam: & indica
populo meo [4] defectionem ipsorum, & domui Jahakobi peccata ipsorum:
2 [5] Ut ut me [a] quotidie [6] requirant & scientia viarum mearum delectentur: velut gens quæ
justitiam facit, & jus Dei sui non dereliquit; rogent me jura justitiæ, [7] accessu Dei delectentur.
3 [8] Quare dum jejunamus, *dicitis*, non respicis? dum affligimus animam nostrã, non agnoscis? [9] en, quo die jejunatis, [b] præstatis id [10] quod
delectat, ut omnes [11] labores vestros exigatis.
4 En ad contentionem & jurgium jejunatis, & ad percutiendum pugno [c] improbissimo; non jejunatis, [d] (prout *sunt* hæc tempora)
[12] ut efferatis in excelsum vocem vestram.
5 [13] An hujusmodi esset jejunium quod eligo,
dies quo affligit homo animam suam? an incurvare ut juncum caput suum? an *ut quis* [14] cilicium
ac cinerem *sibi* sternat? an hujusmodi vocabis jejunium, & diem [e] acceptum Jehovæ?

Est autẽ exordium sumtum a mandato Dei, quo Propheta instructũ se & armatum esse, adeóque impulsum ostendit, ut cum malitia Judæorum certet. [2] videlicet toto, pro eo quod est, plenis faucibus, quàm maxima voce poteris contende: ut illud, *ne cohibeto*, quod proximè sequitur ostendit. [3] i. supra modum: quibus verbis meliùs significatur tum servorum Dei audacia, tum populi surditas obfirmata. [4] quæ describitur inde a versu 3. [5] id est, quamvis hypocritæ sint, & viros bonos simulent externa specie. [a] *Heb. die die.* [6] in speciem videlicet: sic reliqua hoc vers. [7] id est, templi, in quo sedem collocaverat Deus. [8] propositio summi argumenti a populo objecti per expostulationem, cujus nomine deinceps cum eo contestatur Deus. Est autem argumentum a præsumtione meritorum, ut fuit illius Pharisæi apud Lucam 18. 9. & seq. [9] responsio Dei ad expostulationem populi duo complectitur: primum redargutionem hypocriseos popularis, usque ad vers. 8. deinde confirmationem promissionum Dei erga *ἀντιπαρέργως* inde ad finem capitis. Populi autem peccata veluti digito commonstrantur, primùm quòd jejuniorum dies consumunt in maleficiis, deinde quòd jejunia quidem ipsa ad suum usum conferunt, hoc & sequent. versu. [b] *Heb. invenitis delectationem, sic vers. 13.* [10] id est, rerum vestrarum cõmodiùs & diligentiùs satagitis, quod magis vos delectat, quàm ullus cibus aut potus; tanta flagratis avaritia, ut sup. 57. 3. [11] ut Proverb. 5. 10. [c] *Heb. improbitatis.* [d] *Hebr. ut est hac dies, ut audire faciatis.* [12] quæ germana est causa cur jejunium Deus instituerat, Levitici 16. 29. & 23. 27. [13] exornatio præcedentis redargutionis a definitione jejunii, tribus vers. [14] simulato luctu, ut Ijobi 2. 8. & 12. [e] *Heb. benevolentia.*

6 Nónne hoc *est* jejunium quod eligo, ut solvatis [15] nexus improbitatis, dissolvatis [16] fasces
[f] loris *vinctos*: ac dimittatis conquassatos *ut sint*
liberi, & omne lorum disrumpatis?
7 Nónne ut partiaris esurienti panem tuum,
& pauperes [g] ejectos introducas domum? quum
videris nudum, ut tegas eum; & [17] a carne tua
non abscondas te?
8 [18] Tunc erumpet velut aurora [19] lux tua,
& sanitas tua protinus efflorescet, & anteibit te
[20] justitia tua, gloria Jehovæ [h] extremum agmen
tuum aget.
9 Tunc invocantem te Jehova exaudiet, vociferanti dicet, ecce me: [21] si amoveris [i] ab animo tuo lorum, [k] porrectionem [22] digiti, & eloquutionem vanitatis;
10 [23] Expromseris verò famelico animum tuum, & animam afflictam satiaveris; tum exorietur [24] in tenebris lux tua, & in caligine tua tamquam meridiana *lux*;
11 Nam ducet te Jehova jugiter, & exsatiabit
in [l] summa ariditate animum tuum, ossaq; tua
expedita reddet: erísq; tamquam hortus irriguus, & velut scatebra aquarum, cujus non fallunt
aquæ:
12 [25] Ædificabúntq; ex te *geniti* desolationes
[m] antiquas, fundamenta [n] per multas generationes *jacentia* eriges: denique [o] vocaberis instaurator ruinæ, restitutor semitarum in habitationem.
13 Si averteris a sabbatho pedem tuum, ne facias id quo delectaris die [p] sancto meo; & vocaveris sabbathum delicias, sanctúmq; Jehovæ honoratum, honoraverísq; ipsum non exercendo
vias tuas, non præstando id quo delectaris, aut
loquendo verbum:
14 Tunc oblectabis te in Jehova, & [26] veham
te supra excelsa terræ: & faciam [q] ut fruaris possessione Jahakobi patris tui, [27] quia os Jehovæ
loquitur.

[15] i. fraudes vestros, vobis improbissimè temerè deditos, & in servitutem traditos contra legem, Levit. 25. 39. & Deut. 15. 12. Nechem. 5. 8. [16] i. laqueos gravissimos, quibus supra modũ oneratis [illegible] vestros. Nam quo graviores sunt fasciculi, eo validiùs cõstringuntur loris. Sic intelligitur inhumanitas per synecdochen, ut contrà seq. versu imperatur humanitas. [f] *Heb. lori.* [g] *Heb. rebellatos, i. expulsos ac si rebelles essent.* [17] i. [illegible] sic Nechem. 5. [18] altera pars, nimirum confirmatio promissionũ Dei (ut diximus in vers. 3.) hypothetica sive conditionalis, si populus integrè proximis benefaceret, usque ad vers. 13. & Deum coleret, vers. 13. & 14. [19] i. pax & prosperitas gloriosa, ut Esther. 8. 16. [20] i. Christus justitia nostra, Jirmeja 23. 6. & 33. 15. vide supra 52. 12. [h] *Heb. colliget te: ut Num. 10. 25. & suprà 52. 12.* [21] id est, si animo, opere, & sermone averlaberis inhumanitatem, & ab ea abstinebis. [i] *Heb. è medio tui.* [k] *Heb. porrigere digitum, & loqui vanitatem.* [22] id est, manus ad ullum opus improbum, aut etiam extremi digiti, [illegible]. [23] id est, ex animo liberaliter, hilaritérq; communicaveris cum difficultatibus illius. [24] i. nulla tanta adversitatum caligo futura est, quin tu pace & lætitia in Domino veluti luce perfruaris, quam duo sequentes versus exponunt. [l] *Heb. siccitatibus.* [25] id est, omnia per te & tuos quasi recreabuntur, utcunque fuerint conturbata. [m] *Heb. seculi.* [n] *Heb. generationis & generationis.* [o] *Heb. vocabitur tibi sepiens.* [p] *Heb. sanctitatis meæ.* [26] ut Deut. 32. 13. [q] *Heb. ut comedas. suprà 52.* [27] ætiologia promissionum omnium a persona Dei, transitione comparans ad confutationem sequentẽ.

CAPUT LIX.

1 [1] EN non est brevior manus Jehovæ quàm
ut servet; neque gravior auris ejus quàm
ut audiat:
2 Sed iniquitates vestræ [2] disterminant inter
vos [a] & Deum vestrum; & peccata vestra faciunt ut occultet faciem a vobis, ne exaudiat.
3 Nam manus vestræ contaminatæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: labia vestra loquuntur falsum, lingua vestra perversitatem meditatam effert.
4 Nemo *est* [3] qui clamet pro justitia, & nemo
qui disceptet pro fide: *quisque* [b] confidit rei inani, & loquitur vanum, [4] concipit laborem, & parit mendacium.

[1] Tertia pars concionis, [illegible] rum confirmatio redargutionis promissionumq; præcedentium: qua Propheta primùm potentiã Dei & voluntatẽ asserens, vers. 1. peccata, ut calamitatum causas, populo exprobrat, usq; ad v. [illegible] deinde cùm suo ipsius, tum populi totius nomine confitetur illa coram Deo, usq; ad vers. 16. postremò confirmat Deum potentia sua propter se promissiones suas nihilominus effecturum in Christo, usque ad vers. ultimum. [2] velut interjectus paries, ut Jechezk. 43. 8. [a] *Heb. & inter Deum.* [3] i. causam justam agendã suscipiat, aut propugnet fidẽ. [b] *Heb. confidere super inanitate, & loqui vanũ, concipere laborẽ, & parere: infinitivus pro finito modo.* [4] ut Psal. 7. 15.

5 [5] Ova

5 [5] Ova hæmorrhoi excludunt, & [6] telas aranei texunt: qui comedit ex ovis eorum, morietur; etiam qui aspergitur, [7] *quasi* irrumpat vipera.

6 [8] Telæ illorum non erunt pro panno, neque operient se factis suis: *facta illorum sunt* facta [c] iniqua, & opus violentiæ in manibus eorum.

7 [9] Pedibus suis ad malum concurrunt, & festinant ad fundendum sanguinem innoxium: cogitationes eorum *sunt* cogitationes iniquæ, vastitas & contritio in [10] aggeribus illorum *est*.

8 [11] Viam pacis ignorant, & nullum *est* jus in orbitis illorum: semitas suas depravant sibi, quisquis incedit [d] per aliquam earum [12] expers est pacis.

9 [13] Idcircò procul existente jure a nobis, & [14] non assequente nos justitia; dum exspectamus lucem, ecce [15] tenebræ, [e] summum splendorem *exspectantes* in summa caligine ambulamus.

10 [16] Palpamus velut cæci parietem, velut defecti oculis palpamus inquam: offendimus ipso meridie tamquam intempesta nocte, in rebus pinguissimis similes mortuis *sumus*.

11 Fremimus sicut ursi quotquot sumus, & velut columbæ [f] indesinenter gemimus: exspectamus [17] jus, sed nullum *adest*; salutem, *sed* procul abest a nobis.

12 Nam multiplicatæ sunt defectiones nostræ coram te, & peccatorum nostrorum quodque testatur contra nos: defectiones enim nostræ *sunt* penes nos, & iniquitates nostræ; agnoscimus ista:

13 *Nempe nos* deficere, & mentiri in Jehovam, & avertere nos [g] a sequendo Deo nostro; loqui oppressionem & apostasiam, concipere & meditari ex [h] animo verba [i] falsa.

14 Sic aversum est retrorsum jus, & justitia e longinquo consistit: quia corruit in platea veritas, & æquitas [18] non potest incedere.

15 Imò est ipsa veritas sublata, & qui recedit a malo [19] facit ut insanus habeatur: [20] quod videt Jehova, & malum videtur in oculis ejus, nullum esse jus.

16 [21] Quum itaque vidit nullum esse virum, & obstupuit nullum esse [22] interventorem; salutem attulit [23] ei [24] brachium ipsius; & [25] justitia ipsius, hæc fulcivit eum:

17 Nam [26] induit justitiam [27] quasi loricam, & [28] galeam salutis capiti suo; induit inquam, vestium ultionis indumentum, & amicivit se zelo quasi pallio.

18 Planè secundum facta, planè secundum *ea* rependet, excandescentiam hostibus suis, retributionem inimicis suis; [29] insulis ipsis retributionem rependet:

19 Ut revereantur inde ab occasu nomen Jehovæ, & inde ab ortu solis gloriam ejus: quum invadente [30] tamquam fluvio hoste, spiritus Jehovæ contra eum incurrerit:

20 Et advenerit [31] ‖ Tzijoni vindex, & [k] conversis a defectione in Jahakobo; dictum Jehovæ.

21 [32] *De* me autem; hoc *erit* fœdus meum cum istis, ait Jehova, spiritus meus qui *est* in te, & verba mea quæ posui in ore tuo: non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, aut ex ore seminis seminis tui, ait Jehova, [l] ex hoc tempore usque in seculum.

[32] conclusio ab elegantissima promissione spiritus Dei & in æternum cum Ecclesia ejus, & docturi omnia quæ dixit 14. 16. & 26. & capitibus seq. [l] *Heb. ex nunc.*

[5] allegoria vehementissima, ad figurandam malitiam animorum, & vanitatem operum atque perniciem. [c] ut Jobi 8. 14. & 15. [7] gradatio elegantissima, quasi dicat, etiam cui asperguntur guttæ illorum venenatorum operum, is perinde afficitur ac si repente in ipsum vipera irrueret: tanta inest vis malo. [8] id est, utcunque aliis damnosi fuerint, nihil tamen utilitatis ad ipsos perventurum est. [c] *Heb. iniquitatis: sic sequente versu.* [9] hæc verba non tantùm ad Judæos istius temporis pertinuisse ostendit Apostolus, Rom. 3. 15. & sequent. sed etiam ad omnes homines, quatenus deficiunt a gloria Dei & confiderantur extra Christum. Quapropter etiam propheta ipse cum populo suo communiter peccata sua confitetur, vers. 9. & sequentibus. [10] id est, viis aggestis ipsorum studio. [11] id est, neque apud se, neque cum aliis sciunt pacem colere, ut suprà 57. 24. [d] *Heb. per eam.*

[28] ut Ephes. 6. 17. & 1. Thes. 5. 8. [29] i. omnibus ad unum rependet, etiam longinquissimis. [30] i. quum exundantem summo impetu contra Ecclesiam ipsius non tantùm stiterit suo spiritu; sed etiam perdomuerit, atque expulerit. Comparatio a quarum exundantium cum hostibus Ecclesiæ; ut Psal. 124. [31] i. Ecclesiæ, ut sequentia sonant. ‖ *Rom. 11. 26.* [k] *Heb. conversis defectionis.* Christi, mansuri Christus, Joan.

CAPUT LX.

Propheta Ecclesiam excitat ut lucem Euangelii diffundat per orbem, ostendit quàm numerosa futura sit accessione gentium: & promissiones explicat de salute, prosperitate, & gloria æterna illius per Christum.

1 [1] ‖ SUrge, [2] luce, quandoquidem advenit [3] lux tua; & [4] gloria Jehovæ super te orta est.

2 (Nam ecce [5] tenebræ operiunt terram, & caligo nationes) & super te [6] orietur Jehova, & gloria ejus super te conspicua erit:

3 Ut accedant gentes ad lucem tuam, & Reges ad splendorem [a] exortum tibi.

4 ‖ [7] Attolle circumquaque oculos tuos & aspice; omnes isti congregantes se accedunt tibi: filii tui e longinquo adveniunt, [8] & filiæ tuæ [8] ad latus [b] tamquam a nutriciis apportantur.

5 [9] Tunc timebis, [10] deinde confluens; expavescet quidem, sed [11] dilatabitur cor tuum: quando [12] mutabitur erga te fremitus maris, copiæ gentium accedent tibi.

6 Agmen camelorum [13] operiet te, dromades Midjanis & [14] Hephæ, omnes [15] e Scheba

[1] Postquam Deus se unum auctorem salutis Ecclesiæ fore confirmavit propter gloriam suam, præcedente capite; nunc demum Ecclesiam comparata hac salute excitat, ut Dei beneficia erga se agnoscat, & iis in sempiternum perfruatur. Sunt itaque hujus capitis tres partes in universum: prima, qua Deus Ecclesiam ad lucem Euangelii perfundendam excitat, tribus versibus; secunda, qua narrat vocationē efficacem, ministerium, & officia gentium ad Ecclesiam confluentium, a vers. 4. ad 15. tertia, qua narrantur beneficia quæ Deus ipse in Ecclesiam ex Judæis & gentibus adunatam collaturus est, inde ad finem usque. ‖ *Ephes. 5. 14.* [2] id est, lucernam sive facem Euangelii qua tu illustrata es, gentibus præfer. [3] Christus, qui idem lux vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Joan. 1. 9. [4] i. gloriosum ministerium Euangelii per Christum, ut ostendit Apostolus 2. Corinth. 3. 7. & sequent. & 4. 4. [5] id est, adhuc gentes sedent in tenebris ignorationis Dei. [6] id est, hic exortus perlustrabit gentes alias illustratione Euangelii Christi, ut suprà 2. 2. & sequent. [a] *Heb. ortus tui.* ‖ *suprà 49. 18.* [7] secunda pars, ut diximus in versum 1. qua Deus per hypotyposin demonstrat quantus repentè futurus sit fructus prædicationis Euangelii; nimirum quod concursuræ sunt gentes infinito numero, vers. 4. & 5. Deum in Ecclesia culturæ & ei ministraturæ, inde ad vers. 15. [8] ut suprà 49. 22. [b] *Hebr. nutricantur.* [9] amplificatio elegantissima ad figurandum maximam concursationem gentium ab eo quod ferè evenit humanitus: quemadmodum, inquit, si quis repentè maximas turbas concursantes viderit, primùm commovetur animus illius, deinde agnitis illis confirmatur; ita futurum est ut commovearis præ multitudine hominum se adunantium tibi, & obstupescat animus tuus admiratione, ut Actor. 10. 45. [10] id est, deposito tandem timore, vicissim populis concursantibus occurres, officiosè gratulatura atque exceptura, ut Actor. 10. 45. & 11. 1. & sequent. [11] lætitia & charitate erga illos, ut 2. Corinth. 6. 11. & 7. 3. [12] id est, quando gentes, quæ priùs tamquam furens mare perniciem tibi minari videbantur, mutatis animis accedent tibi: ut sequentia verba explicant. [13] id est, terram tuam: sunt autem hæc omnia allegoricè dicta ratione Judææ, ubi tum stabat Ecclesia. [14] populi inter Midjanitas, dicti a primo Midjanis filio, Genes. 25. 4. [15] vide Gen. 10. 7.

[12] id est, per istorum importunitatem nemo degit in pace & prosperitate, ut sequens confessio peccatorum ostendit. [13] secunda confirmationis pars; qua Propheta & populus confitentur justitiam castigantis Dei, & peccata sua, ut dictum est in versum 1. [14] nimirum quamvis nos ea sit persequutus misericors Deus. [15] i. omnis adversitas, ut contrà lucis nomine prosperitatē significari diximus, sup. 58. 8. [e] *Heb. splēdores in caliginibus.* [16] i. ita conturbati sumus justo Dei judicio, ut ne præsentibus quidē commodis iisque amplissimis sciamus uti. [f] *Hebr. gemendo.* [17] nimirum a Domino, qui populi sui salutem curæ sibi futuram promisit. [g] *Hebr. a post Deum nostrum.* [h] *Hebr. corde.* [i] *Hebr. falsitatis.* [18] nimirum per plateam, id est, quia ne in publico quidem veritatem & æquitatem colimus, ut sequens versus confirmat. [19] id est, propinat se deridendum omnibus cum suo justitiæ & æquitatis studio; adeò corrupta sunt tempora: ut 2. Reg. 9. 11. & Sapient. 5. 4. [20] conclusio confessionis *a parte vidimus*: quasi dicat, ac proinde nos ita severè castigat Deus. [21] tertium confirmationis membrum, quo Deus misero populo & peccata sua confitenti (ut antè vidimus) asserit se nihilominus præstiturum promissiones suas, ut dictum est in versum 1. Itaque primùm Dei potentiam velut armatam figurat humanitus, duobus versibus; deinde effecta, nimirum publica ipsius judicia in adversarios & conservationem Ecclesiæ, tribus sequentibus. [22] id est, hominem ullum pium, qui posset intercedere ad servandum Ecclesiam, nisi idem fuisset Deus. [23] nimirum viro, qui neque seipsum poterat sistere coram Deo, neque pro altero intercedere; sed jam erat in peccatis mortuus, Ephes. 2. 1. [24] id est, Christus, potentia Dei, & sapientia Dei, 1. Corinth. 1. 24. [25] idem Christus, qui factus est nobis sapientia a Deo, justitiáq; & sanctificatio, & redemtio, 1. Corinth. 1, 30. [26] videlicet Christus interventor noster, regnum satanæ potestatémq; tenebrarum debellaturus. [27] ut Ephes. 6. 14.

venient; aurum & thus afferent, laudésq; Jeho-
væ prædicabunt:
7 Omnes greges [16] Kedaris congregabun-
tur ad te, arietes [17] Nebajothi ministrabunt tibi:
[c] ascendentes altare meum accepti erunt, quum
domum ornatus mei ornabo,
8 [18] Cujus *sunt, inquies*, isti qui [19] ut densa
nubes convolant, & velut columbę ad [20] fenestras
suas?
9 [21] Nam me insulæ exspectabunt, & classes
Oceani [22] inprimis, ut adducant filios tuos e lon-
ginquo, argentum suum & aurum suum secum;
ad nomen Jehovæ Dei tui, & ad sanctum Jisraë-
lis, quando [23] ornabit te.
10 Et ædificabunt alienigenæ muros tuos, &
Reges eorum ministrabunt tibi; [24] quum fervore
meo percussero te, & benevolentia mea misere-
bor tui.
11 Nam [d] [25] apertas tenebunt portas tuas
jugiter interdiu & noctu, non occludentur: ut
introducant ad te copias gentium, etiam Regi-
bus earum adductis.
12 [26] Nam gens ipsa & regnum quæ non ser-
vient tibi peribunt; & hæ gentes [e] penitus deso-
labuntur.
13 [27] Gloria Libani ad te perveniet, abies, tæ-
da, arborésq; opacæ pariter; ad ornandum [28] lo-
cum sanctuarii mei, ut locum pedum meorum
cohonestem.
14 Et adibunt te [f] demissè filii affligentium
te, & incurvabunt se ad plantas pedum tuo-
rum quicunque spernebant te; atque voca-
bunt te civitatem Jehovæ, Tzijonem sancti Jis-
raëlis.
15 [29] Pro eo quòd fuisti derelicta & exosa, a-
deò ut nullus pertransiret; contrà [g] disponam ti-
bi excellentiam perpetuam, gaudium [h] cujusque
generationis.
16 Nam suges lac gentium, & mammas Re-
gum suges; ut experiaris me Jehovam esse serva-
torem tuum, & vindicem tuum *Deum* robustum
Jaħakobi.
17 Pro ære adducam aurum, & pro ferro ad-
ducam argentum, & pro lignis æs, ac pro lapidi-
bus ferrum: & imponam [i] tibi præfectos pacis,
exactorésq; justitiæ tibi.
18 Non audietur ampliùs violentia in terra
tua, vastatio aut contritio in terminis tuis; sed
prædicabis salutem *in* muris tuis, & *in* portis tuis
laudem.
19 Non erit tibi ampliùs sol in lucem diurnam;
& quod ad splendorem *noctis*, luna non illustra-
bit te: sed erit tibi Jehova luci [k] perpetuæ, &
Deus tuus ornamento tibi.
20 Non óccidet ampliùs [30] sol tuus, & luna
tua non recipiet se: [l] nam Jehova tibi erit luci
perpetuæ, & completi erunt dies luctus tui:
21 Et populares tui quotquot erunt justi, in

[16] vide Psal. 120. 5. [17] qui Nabathæis in Arabia petræa nomen dedit, primogeniti Jischmaħelis, Gen. 25. 13. [c] *Heb. ascendent in benevolentia altare meum.* [18] verba sunt mimetica velut mirantis Ecclesiæ & obstupescentis ad aspectum tantæ propagationis, ut suprà 49. 21. [19] id est, confertis agminibus, atque levissimè: nam levitas nubium est propria; ut sup. 19. 1. [20] id est, columbarii sui: nam columbæ quæ natura sociales sunt, cum piis, & columbarium cum Ecclesia comparatur. [21] exornatio præcedentis promissionis, vers. 7. qua allegoricè demonstrat Deus primùm pios omnes operam consumturos in ornanda Ecclesia, duobus versibus; deinde Ecclesiam vicissim omnibus apertam fore, vers. 11. postremò hostiū alios judicio Dei perituros, vers. 12. alios verò Deo se tandem & Ecclesiæ ipsius submissuros, utcumque fuerint magnifici, vers. 13. & 14. [22] id est, primùm quidem in me habebunt fidem, deinde verò propter me in ornanda Ecclesia mea laborabunt, & quidem ornanda personis, ac rebus suis omnibus pro facultate sua. [23] præsentia sua, & sanctificatione spiritus per verbum. [24] ut suprà 54. 8. & 57. 20. [d] *Heb. aperient.* [25] nimirum ministri Ecclesiæ, quorum opera Deus utitur ut singulis horis animæ lucrifiant Christo, & intromittantur in Ecclesiam. [26] anticipatio objectionis quæ oritur ex præcedente versu: at periculū est (dixerit quispiam) ne hostes Ecclesiæ eo facilius in ipsam involent: minimè verò, inquit Propheta: nam aut peribunt illi divinitus, hoc vers. aut sub jugum missi ministrabunt tibi. [e] *Heb. desolando desolabuntur.* [27] i. per istos, tamquam mancipia & serviles operas, præstabuntur tibi ministeria omnia quæ opus erunt ad excolendam te: allegoria sumta a Nethinæis servis Schelomonis & aliis quorum fit mentio libro 1 Reg. & in libris Hezræ & Nechemjæ. [28] i. templū meum, quod est Ecclesia. [f] *Heb. demittendo.* [29] tertia pars, exponens beneficia quibus Deus ipse Catholicā Ecclesiam suam prosequuturus est, ut diximus in ℣. 1. quæ beneficia generatim promissa hoc vers. seq. exornātur. [g] *Heb. disponā te excellētiæ seculi: hypallage.* [h] *Heb. generationis & generationis.* [i] *Heb. præfecturam tuam pacis, & exactores tuos justitiæ.* [k] *Heb. seculi: ut sup.* ℣. 15. [30] i. prosperitas tua illustrior luce ipsa Solis & Lunæ, quā allatura est tibi perpetua præsentia Domini; ut altera pars versus indicat. [l] *Apoc. 21. 23.*

seculum hæreditario jure possidebunt terram;
[31] ut surculus [32] plantatum [33] ejus, [34] opere ma-
nuum mearum glorietur.
22 [35] Parvus erit in millenos, & exiguus in
gentem numerosam: ego Jehova tempore suo
[36] accelerabo istud.

[31] id est, Christus, cui tamquam surculo e stirpe Davidis, suprà 11. 1. insita sunt Ecclesiæ membra a Domino. [32] id est, piorum Ecclesiæ membrórum, qui tamquam malleoli aut taleæ inoculantur aut emplastrantur in Christo per spiritum, ut sit Ecclesia una gloriosa in ipso: sic infrà 61. 3. [33] nimirum populi, qui nominatus est principio versus. [34] id est, benedictione mea, sequente versu. [35] explicatio præcedentis allegoriæ, fore ut quemadmodum inoculata planta in ramos plurimos diffunditur admirabili Dei operatione, sic piorum etiam minimus in infinitum propagetur. [36] id est, efficiam ut quàm celerrimè Christiana Ecclesia propagetur.

CAPUT LXI.

Christus prædicans plenitudinem spiritus a Patre acceptam & vocationem suam, exponit suas operationes in Ecclesiam, fore ut omnia serviant Ecclesiæ, & Ecclesia Deo ex novo fœdere: quapropter de administratione sua gratulans Deo & Patri, ostendit se ornaturum Ecclesiam sponsam suam justitia, vita, & gloria æterna; eamdémque salutem ab administris suis prædicari verbo, & opere procurari mandat.

1 [1] SPiritus Domini Jehovi *est* super me: [2] eò
quòd unxit Jehova me ad euangelizan-
dum mansuetis, misit me [3] ad obligandum fractos
[a] animo, ad proclamandum captivis libertatem,
& vinctis aperturam ergastuli,
2 Ad proclamandum annum [b] acceptum
Jehovæ, & diem ultionis Dei nostri; ad consolan-
dum omnes lugentes;
3 Ad *consolationem* adhibendam lugentibus
Tzijonis, ad dandum eis ornatum loco [4] cineris,
unguentum gaudii loco luctus, amictum laudis
loco spiritus [5] contracti: ut vocentur illi [6] quercus
justitiæ, [7] ut planta Jehovæ glorietur:
4 [8] Ut ædificent desolationes [c] antiquas, so-
litudines priscas restituant; renovéntq; civita-
tes [d] desolatas, solitudines [e] multarum genera-
tionum.
5 [9] Nam adstantes extranei pascent greges
vestros; & alienigenæ agricolæ *erunt* vestri, &
vinitores vestri:
6 Vos verò sacerdotes Jehovæ vocabimini,
ministri Dei nostri [f] dicemini; [10] opibus gen-
tium fruemini, & gloria earum summè efferetis
vos.

[1] Hac concione, quam Christus per Prophetam habuit, exponuntur tria: primum est, quæ fuerint dona & quæ vocatio Christi, versibus quatuor primis hujus capitis; secundum, quæ operatio, reliquo hoc capite; tertium, quæ functio sive administratio ad præstandum operationes suas ex dono & vocatione Dei, toto capite 62. quæ tria ab uno & eodē spiritu præstari docet Apostolus 1. Corinth. 12. 4. & seq. in Christo quidem absolutissimè, ut qui spiritū sine mensura acceperit; in aliis verò, pro demenso donationis Dei. Hæc autem de Christi persona esse, non de alio Propheta ullo, res ipsæ commonstrant meridie clariùs. Nam his verbis, *spiritus Domini est super me*, plenitudinem spiritus sibi asserit, ex qua accipiunt omnes, Joan. 1. 16. illis verò, *eò quòd unxit, &c.* vocationem plenam similiter arrogat sibi, qua singulares aliorum omnium vocationes nituntur, ut ipse Christus docuit Matth. 28. 18. [l] *Luc. 4. 18.* [2] quasi dicat, non me inermem, aut imparatum a rebus necessariis misit Deus; sed ut mitteret, priùs instruxit spiritus plenitudine. Est enim ungendi verbum hic sumtum metonymicè, ut Psal. 45. & alibi sæpe. [3] id est, ad curandum mortales, liberandum & reconciliandum Deo: quò spectant omnes illę allegoricæ loquendi formæ quæ mox sequuntur. [a] *Heb. corde.* [b] *Heb. benevolentiæ.* [4] id est luctus, metonymicè a signo: ut suprà 58. 5. [5] i. qui præ conscientia malorum suorum angustus atque abjectus est; ut contrà, qûum liberatur ex angustiis animus, dicitur dilatari: vide Psal. 119. 32. [6] i. tamquam arbores, in Christo insiti firmè radicentur per fidem; & in justitia ac sanctificatione spiritus ambulantes per Christum, in Ecclesia pro plantis Dei habeantur; & ab exteris quoque prædicentur, fructuum quos pertulerint nomine: ut 1. Timoth. 3. 7. [7] quæ in Christum, tamquam in truncum educatum ex surculo, fuerit insita a Deo: ut suprà 60. 21. [8] id est, instaurent Ecclesiam Dei, allegoricè. [c] *Hebr. seculi: sic vers. 7. & 8.* [d] *Heb. desolationis.* [e] *Heb. generationis & generationis.* [9] secunda pars capitis de operatione Christi in Ecclesia, nimirum fore ut hostes ipsi ministrent Ecclesiæ, & Ecclesia ministret Deo; ac proinde omnia bonorum genera benedictione Dei consequatur: sic 1. Corinth. 3. 22. [f] *Heb. dicetur vobis.* [10] primum benedictionis genus, nimirum jus & auctoritas Ecclesiæ vindicata per Christum in res omnes creatas; quæ per antithesin miseri & ignominiosi status præcedentis illustratur, seq. versu.

7 Pro *eo quòd* pudorem vestrum [11] duplum, & ignominiam cantabant [12] horum portionem *esse*; idcircò in terra illarum [13] duplum hæreditario jure possidebunt; lætitia perpetua his futura est.

8 [14] Quia ego Jehova [15] amo jus, odi rapinam conjunctam [16] holocausto; ideò [17] disponã opus eorum in veritate, & fedus perpetuum pangam eis.

9 [18] Et innotescet in gentibus semen eorum, & prognati eorum [g] inter populos; omnes videntes eos agnoscent eos, esse semen *cui* benedicit Jehova.

[11] id est, quo plus satis perfusi estis: sic blandè parcit Deus Ecclesiæ suæ, & honorificè loquitur; ut suprà 40.2. [12] id est Judæorum, qui tum erant Ecclesia Dei: apostrophe a secunda persona ad tertiam. [13] id est, abundè, plus satis: numerus finitus pro infinito. [14] secundum benedictionum genus, fore ut Deus fedus perpetuum in Christo ineat cum Ecclesia, & omissis ceremoniis legis cultum spiritualem & verum instituat in Ecclesia sua; adeoq; inscribat utrumque, fedus inquam & cultum spiritualem, in cordibus populi sui: ut Hebr. 8. ex Jirmejæ loco exponitur. [15] ac proinde non possum amare Ecclesiam injustam, servientem Deo non novitate spiritus, sed vetustate literæ. [16] id est, veteri legi, ac ceremoniis, synecdochicè, & toti ministerio literæ, quod ministerium mortis & condemnationis appellatur, 2. Corinth. 3. 7. & sequent. [17] id est, renovabo spiritum mentis eorum, & induam eis novum hominem, qui secundùm Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniam veram, Ephes. 4. 23. ut me colant in spiritu & veritate, Joan. 4. 23. [18] tertium benedictionis genus, nimirum gloria Ecclesiæ per sanctificationem spiritus; etsi intergerini parietis septum solutum erit, & lex ceremonialis per carnem Christi abolita, ut ait Paulus Ephes. 2. 14. [g] *Hebr. in medio populorum.*

CAPUT LXII.

1 [1] [a] OMnino gaudeo in Jehova, exsultat anima mea in Deo meo; quia induit me vestibus salutis, pallio justitiæ amicivit [2] me: tamquam sponsum *qui* administrat [3] ornatum, & veluti sponsam ornantem se instrumentis suis.

2 [4] Nam ut terra profert germen suum, & sicut hortus sata sua producit; ita [5] Dominus Jehovi producturus est justitiam, & laudem coram omnibus gentibus.

CAPUT LXII.

3 Propter Tzijonem non tacebo, & propter Jeruschalaima non quiescam: [6] donec prodeat ut splendor justitia ejus, & salus ejus ut lampas ardeat.

4 Videbunt enim gentes justitiam tuam, & omnes Reges gloriam tuam; & indetur tibi [7] nomen novum quod os Jehovæ præfixerit;

5 [8] Quum eris [b] coronata ornatu manu Jehovæ, & cidari [c] regia manu Dei tui.

6 [d] Non diceris ampliùs derelicta, & terra tua non dicetur ampliùs desolata, sed [e] tu vocaberis deliciæ meæ, & terra tua maritata: quia delectabitur Jehova te, & terra tua maritabitur.

7 Ut quum ducit juvenis virginem, *quum uxores* tibi ducunt filii tui; gaudio, inquam, sponsi cum sponsa, gaudebit tecum Deus tuus.

8 [9] Super muros tuos, *urbs* Jeruschalaimorũ, præficio [10] custodes, toto die & tota nocte jugiter non tacituros: [11] qui commemoratis Jehovam, ne *esto* silentium vobis;

9 Et ne permittatis silentium esse [12] de illo; donec stabiliat, & donec disponat [f] Jeruschalaimis laudem in terra:

10 [13] *Sed dicite*; juravit Jehova per dexteram suam, & per brachium roboris sui; *ne vivam*, si dabo frumentum tuum ampliùs cibo inimicis tuis, etsi bibent alienigenæ mustum tuum, in quo laboraveris:

11 Nam colligentes illud comedent illud, ut laudent Jehovam; & congregantes hoc bibent ipsum [14] in atriis sanctitatis meæ.

12 Transite, transite [15] in portas, [16] parate viam populi; aggerate, aggerate aggerem, amovete lapides, attollite vexillum ad populos.

13 [17] Ecce Jehova pronunciat ad extremum usque terræ, dicite [18] filiæ Tzijonis, ecce [19] salus tua advenit: ecce [20] merces hujus penes ipsum, & operæ pretium hujus ante ipsum *est*.

14 Ut vocent [21] hos populum sanctum, vindicatos Jehovæ; & tu voceris [22] requisita, civitas non derelicta.

[1] Tertia pars, de administratione (ut ante diximus) in qua Christus velut exsultabundus gratulatur Deo de beneficio in se & in Ecclesiam suam sponsam collato per prolepsin, hoc versu; deinde speciatim administrationem explicat, primùm suam ipsius erga Ecclesiam, usque ad vers. 8. deinde ministrorum Ecclesiæ, quibus dat mandata sua, inde ad finem usque. [a] *Heb. gaudendo gaudeo.* [2] Christum videlicet mysticum, hoc est, primùm Prophetam illum nostrum, Sacerdotem, & Regem plenissimè; deinde Ecclesiam totam per ipsum ut sequentia verba explicant. [3] justitiæ & vitæ, quã Christus sponsus exhibet Ecclesiæ. [4] prior pars administrationis, qua Christus erga Ecclesiam utitur, duabus partibus continetur; nimirum quòd Deus per Christum justitiam daturus est Ecclesiæ, deinde quòd laudem & gloriam amplissimam; quæ duo prolepticè hoc versu posita, sequentibus exornantur. [5] id est Christus, æternus Deus cum Patre & Spiritu sancto, per spiritum suum intus secundùm divinam naturam operans, & per verbum suum, quod secundum naturam humanam prædicavit, sequent. versu. [6] i. donec totum opus salutis fuerit consummatum. [7] nimirum quod explicatur versu 6. [8] id est, quando Christus Deus & servator tuus te adjunget sibi, & coronam atque ornamentum suum tibi imposuerit: ut suprà vers. 1. [b] *Heb. cum corona ornatus.* [c] *Heb. regni.* [d] *Heb. non dicetur tibi, &c.* [e] *Heb. tibi vocabitur chephtzibah, i. oblectatio mea in ipsa.* [9] altera pars administrationis Christi, per servos suos in Ecclesiam: qua primùm jubentur usque ad consummationẽ seculi prędicare promissiones Dei juramento confirmatas, quatuor vers. deinde Ecclesiam totam ex Judæis & gentibus tum disciplina sancta, tum Euangelii promulgatione colligere; ut Matth. 28. 18. & seq.

[10] id est, pastores & doctores, allegoricè. [11] apostrophe ad servos Christi, continens mandatum administrationis ipsorum. [12] Christo, Jehova, quem cõmemoratis. [f] *Hebr. Jeruschalaima.* [13] eclipsis contrarij, ut Genes. 33. 10. Est autem hic summa Euangelii, salus ab omnibus inimicis, & vita, gloriáq; æterna. [14] id est, coram Deo, gratias ei agentes tamquam Sacerdotes Jehovæ, ut suprà 61. 6. alludit ad legalem ritum Levit. 6. [15] id est, per totam ditionem, quam latè patet Ecclesia. [16] id est, singulis membris Christi & Ecclesiæ prospicite pro facultate vestra, venientes adjuvando, dormientes excitando, nihil cogitantes & ignorantes accersendo, & si quæ sunt hujusmodi: allegoricè. [17] confirmatio præcedentis propositionis, a continuis documentis quæ Christus Ecclesiæ suæ ubique locorum tradit per spiritum suum, qui operatur omnia in omnibus. [18] id est Ecclesiæ, genitæ per doctrinam quæ Tzijone profecta est: ut suprà 2. 3. [19] id est, Christus salutis auctor. [20] id est, jam re ipsa obtinet mercedem suam pro operibus & perpessionibus suis, nimirum salutem Ecclesiæ quam redemit sanguine suo. [21] i. filios tuos, ô Ecclesia: nam verba sunt doctorum Ecclesiam cõpellantium, & servatos quasi digito commonstrantium. [22] tum a Christo redimente, tum ab electis omnibus, a quibus relicta videbatur, ut sup. 49. & 60.

CAPUT LXIII.

Ecclesia ex adveniente Christo, cognoscit quis sit, & quàm magnificè de hostibus triumphet & suos conservet: sic adducta ad celebrandum illius beneficentiam qua populum ex Aegypto liberaverat, orat eum ut propter Dei fedus & gloriam, ac propter blasphemam & inhumanam impietatem hostium Ecclesiæ, placeat gratis salutem afferre ipsi; Deo se exhibet, profitetur resipiscentiam, salutémq; suorum postulat: quapropter Christus a se Ecclesiam ex gentibus collectum iri respondet, se ultionem de Judæis sumturum, & reliquias servaturum: Judæosq; contestatus fert sententiam condemnationis adversus impios, & pios promissionibus regenerationis, lætitiæ, vitæ, prosperitatis, & omnimodæ benedictionis consolatur.

1 [1] QUis hic *est* veniens [2] ex Edomęa, [3] Botzra, [4] [a] madefactus vestibus, iste [5] decorus

[1] Tota hæc prophetia (in qua tria capita conjungenda esse putavimus) est *διαλογιστική*, ac proinde tribus quæstionibus responsisq; continetur. Quæstiones proponit Ecclesia Judæorum, responsa Christus. Prima quæstione Ecclesia Christum tamquam ex improviso advenientem & hostes suos ulciscentem non agnoscens, quærit quis ille sit, & cognoscit ex Christo, hoc versu: secundâ, cruentatas illius vestes admirans quærit illius rei causam, vers. 2. cui respondet Christus, versibus quatuor: tertiã denique Ecclesia repentè adducta partim in admirationem antegressiorum Dei operum, reliquo capite; partimq; in metum ex peccatorum suorum conscientia, implorat misericordiam Christi, toto capite sequente, cui respondet Christus, capite 65. [2] id est, ex regione hostium Ecclesiæ, synecdochicè. Edomæa autem potius quàm alia ulla regio nominatur, tum propinquitatis, tum gravissimæ ac hæreditariæ hostilitatis nomine: ut Psal. 137. & Lament. 4. 21. [3] Edomæorum metropoli, ut suprà 34. 6. & 1. Machæor. 5. 26. [4] non tam sudore suo quàm hostium sanguine, ut secunda quæstione explicatur. [a] *Heb. fermentatus: metaphora a massa conspersa.* [5] id est, cujus decorem & gloriam ex ipsius veste sanguine conspersa, & reportatam victoriam cognoscimus.

veſte ſua [6] peregrè agens amplitudine virium ſu-
arum? [7] ego qui loquor juſtè, ſufficiens ad ſer-
vandum.
2 [8] Quare rubidus *es* veſtibus tuis, & veſti-
menta tua ut calcantis in torcularis lacu?
3 [9] Torcular calcavi ſolus, nam ex populis
nullus vir *potuit certare* mecum; ſed calcavi eos
ira mea, & conculcavi eos excandeſcentia mea:
ita inſperſus eſt *ſanguis* [b] cujuſque robuſtiſſimi
illorum veſtimentis meis, & omnes veſtes meas
contaminavi;
4 [10] Quando dies ultionis ex [c] animo meo,
& [11] annus vindicandorum meorum venit.
5 Quum autem intuerer [12] nullum eſſe ad-
jutorem, & obſtupeſcerem quòd nemo fulciret;
[13] ſalutem attulit mihi [14] brachium meum, & ex-
candeſcentia mea ipſe fulcivit me:
6 Ita calcavi populos ira mea, & [15] inebriavi
eos excandeſcentia mea: denique dejeci in ter-
ram robuſtiſſimum quemque eorum.
7 [16] Benignitates Jehovæ commemorabo,
laudes Jehovæ, planè pro omnibus quæ contulit
nobis Jehova: & amplitudinem bonitatis erga
domum Jiſraëlis, quam contulit eis ſecundùm
miſericordiam ſuam & ſecundùm amplitudinem
benignitatum ſuarum.
8 [17] Nam [18] dixit; utique populus meus ſunt,
filii [19] non mendaciter acturi: ideò fuit illis ſer-
vator.
9 In omni [20] anguſtia eorum [21] non affecit
eos anguſtia, ſed [22] Angelus faciei ejus ſervavit
eos; dilectione ſua & clementia ſua ipſe vindica-
vit eos; & [23] imponens eos ſibi bajulavit eos om-
nibus diebus ſeculi.
10 Nam ipſis rebellantibus, & [24] dolore affi-
cientibus [25] ſpiritum ſanctitatis ejus; [26] mutaba-
tur quidem ipſis in inimicum, ipſe repugnabat
eis:
11 Sed recordabatur dierum [d] priſcorum,
Moſchis, populi ſui, *dicens*: [‖] [27] ubi *eſſet* qui eduxit
iſtos e mari cum [28] paſtore gregis ſui? ubi *eſſet*
qui poſuit in medio iſtius [29] ſpiritum ſanctitatis
ſuæ?
12 Qui deduxit *iſtos*, [30] ad dexteram Moſchis
exiſtens, brachio ornatus ſui? qui diffidit aquas
propter iſtos, ut compararet ſibi nomen [e] per-
petuum?
13 Qui egit iſtos per abyſſos; tamquam equũ
per deſertum, *adeò ut* non impegerint?
14 [31] Ut jumentum in convalle deſcendens,
ſpiritus Jehovæ quietè egit eum: [32] ita duxiſti
populum tuum, ad comparandum tibi nomen
ornatus.

[6] id eſt, peragrans & pervadens ſecurè omnes hoſtium regiones, non alienis copiis aut collecta manu, ſed ſola potentia ſua. [7] reſponſum Chriſti, quo ſe verum Eccleſiæ Prophetam, Sacerdotem, & Regem profitetur. [8] ſecunda quæſtio. [9] reſponſum Chriſti ad quæſtionem accommodatum, allegoricè explicat victoriam Chriſti de hoſtibus, ut ſuam Eccleſiam potenter ſervet. Hanc autem victoriam commẽdat duobus modis; primùm, quòd nemo hoſtium tam fortis fuit qui poſſet ipſi obſiſtere, duobus verſibus; deinde quòd ſolus eam comparaverit nemine adjuvante, duobus alteris: quæ duo prolepticè his tribus primis verbis expoſuit. [b] *Hebr. robur illorum: ut verſ. 6.* [10] id eſt, quum exoptata mihi plenitudo temporum advenit; ut vocat Paulus Galat. 4.4. [c] *Hebr. corde.* [11] id eſt, verus ille jubilæus, quem legalis ritus figuraverat, Levit. 25. & 27. [12] i. ne Eccleſiam quidem ipſam ad ſalutem ſuam & liberationem ab hoſtibus conferre aliquid poſſe. [13] i. Eccleſiæ meæ, quæ eſt corpus Chriſti & complementum ejus qui omnia implet in omnibus, Epheſ. 1. 23. [14] id eſt, ſola virtus mea, & zelus Jehovæ: ſuprà 8. [15] i. magna pocula atque inſolita afflictionum & iræ meæ epotanda præbui: ut Pſal. 75. 9. & ſuprà 51. 22. [16] hac tertia parte, Eccleſia admirans magnificentiam præſentem Chriſti orat ipſum pro ſalute ſua, uſque ad caput 65. Hujus autem orationis partes ſunt quatuor: prima eſt exordium, quo Eccleſia Deum adducit ad continuandam promiſſionum veritatem, & confirmat ſeipſam in exſpectatione earum, per laudativam narrationem anteactæ Dei beneficentiæ, toto hoc capite: ſecunda, eſt propoſitio poſtulati, principio capitis ſequentis uſque ad verſ. 9. tertia eſt confirmatio poſtulati, tribus verſibus: quarta, concluſio, a verſu 12. ad finem. [17] narratio benignitatis & beneficentiæ Dei erga populum, hoc verſu: quæ deinde amplificatur ab ingratis populi factis, & Dei conſtantia in benignitate præſtanda propter gloriam ſuam, verſu ſeq. atque hæc duo reliquis exornantur. [18] i. humanitus ſecum reputavit, tamquam bonus parens benè ſperans de liberorum fide atque obſequio. [19] quaſi dicat, non erunt tam impii atque impudentes ut degenerent a me: humanitus dictũ. [20] i. qua ii Deum indigniſſimè affecerunt: humanitus dictũ, ut ſeq. verſu. [21] i. non malum, ſed bonum rependit pro malo. [22] i. Chriſtus mediator Dei & hominum, de quo Exodi 23. 20. Propterea autem Angelus faciei appellatur, tum quia tamquam ſacerdos æternus miniſtrat coram facie Dei & intercedit pro nobis, atque adeò eſt in ſinu Patris, Joan. 1. 18. tum quia nobis eſt a Patre imago Dei inviſibilis, Coloſ. 1. 15. quem qui vidit, vidit Patrem, Joan. 14. 9. [23] ut Exodi 19. 4. & Deut. 32. 11. & ſuprà 46. 4. [24] ut Pſal. 78. 40. [25] quem ex communicatis ipſius donis agnoſcebant: nam qui repugnante luce verbi Dei & ſpiritus accenſa in conſcientia ipſius aliquid perpetrat, is ſpiritum dicitur exſtinguere, 1. Theſſ. 5. 19. ſpiritui mentiri, Actor. 5. 3. & dolore eum afficere: ut hoc loco. Eſt autem hæc tota narratio inprimis evidens (ſi qua in vetere Teſtamento) ad confirmandam doctrinã Chriſtianam de uno Deo & tribus perſonis. [26] i. certabat contra ipſorum improbitatẽ, & reprimebat afflictionibus, tamquam ſi fuiſſet hoſtis: humanitus dictum, ut Pſal. 18. 27. [d] *Heb. ſeculi.* [‖] *Exod. 14.* [27] proſopopœia ſummè pathetica, qua figuratur Deus diſceptans cum animo ſuo, & ſe ad miſericordiam revocans propter gloriam ſuam; quo argumento utebatur Moſche, Exodi 32. 11. quaſi dicat, ubi ampliùs videretur gloria Dei? ubi exſtaret ſublato populo ipſius?

[28] i. Moſche. [29] id eſt, Deum ipſum, Patrem & Filium præſentem in ſpiritu ſancto, quem illi quodammodo exſtinguebant, ut dictum eſt verſu 10. [30] id eſt, Moſchem quaſi manu ducens, & dexteram illius agens ad perficiendum opus ſuum. [e] *Heb. ſeculi.* [31] id eſt, leniter & commodè duxit, ut ſolet jumentum duci in deſcenſu montis ardui. [32] apoſtrophe ad Deum, *μετάβασις* ad ſecundam orationis partem.

CAPUT LXIII I.

1 [1] INtuere e cælis, & vide, [a] ex habitaculo ſan-
ctitatis tuæ, & ornatus tui: ubi *eſt* [3] zelus
tuus, [a] & maxima potentia tua? [4] fremitúſne
viſcerum tuorum & miſericordiæ tuæ erga me
continerent ſeſe?
2 [5] Tu enim pater noſter *es*; [6] quamvis Abra-
ham neſciturus nos, & Jiſraël non agniturus
eſſet nos: tu Jehova pater noſter *es*, vindici no-
ſtro a ſeculo nomen *eſt* tibi.
3 Quare ſineres aberrare nos, Jehova, [7] a viis
tuis? [8] torrefaciens obdurares [b] animum noſtrũ
a reverentia tui? [9] revertere propter [10] ſervos
tuos, tribus poſſeſſionis tuæ.
4 [11] Ad minimum uſque hæreditario jure
poſſident populum ſanctitatis tuæ, hoſtes noſtri
conculcant ſanctuarium tuum.
5 [12] Sumus *illi*; [c] nunquam dominatus es
iſtos, neque invocatum eſt nomen tuum ſuper
iſtos.

CAPUT LXIIII.

[13] utinam [14] lacerans cælos deſcenderes, a fa-
cie tua [15] montes diffluerent,
6 [16] Quemadmodum conflagrante igne cre-
mia, [d] aquarum bullas excitat ignis, ut notum
faceres nomen tuum hoſtibus tuis; a facie tua
gentes contremiſcant.

[1] Altera pars orationis, nimirum propoſitio poſtulati, ut diximus ſuprà in verſum 7. præcedentis capitis: qua Eccleſia ſalutem a Chriſto petit, primùm propter fedus cum ipſa initum, officiaq; jam olim promiſſa & præſtita Eccleſiæ, tribus verſibus. deinde propter intolerantiam hoſtium Deo & Eccleſiæ adverſantium, verſu 4. & 5. quibus cauſis expoſitis, poſtulatum quod fuerat cæptum verſ. 1. copioſè explicatur, uſque ad verſum 9. [2] id eſt è cælis, periphraſticè. [3] majoribus noſtris opere demonſtratus ad ſervandum ipſos. quaſi dicat, jam non exſtat, nuſquam apparet ampliùs: humanitus dictum. [a] *Hebr. & potentiæ tuæ.* [4] id eſt, nunquámne velut pœnitentia adductus miſereberis mei? metonymicè: ſic Cantic. 5. 3. [5] prior cauſa poſtulati, ut diximus verſu præcedente, a federe Dei conſtantiſſimo. [6] occupatio brevis: atqui (dixerit quiſpiam) Deus pater eſt Abrahami & Jiſraëlis ambulantium coram ſe; vos autem planè a federe diſceſſiſtis, & majorum veſtigia in fide reverentiáque Dei ambulantium ita omiſiſtis, ut ne ipſe quidem Abraham aut Jiſraël (ſi in vivis eſſent) vos pro filiis agnoſcerent, Deuteron. 32. 5. reſpondent; fatemur quidem nos ita depravatos eſſe vitioſitate noſtra ut indigni ſimus qui Dei, Abrahami, vel Jiſraëlis filii appellemur; ſed nitimur ſolo Dei federe gratuito, quod ſcimus eſſe conſtantiſſimum, ut Deus ipſe eſt. ſic perſtringitur brevi argumentum illud quod poſtea adjicitur verſ. 9. & duobus ſequentibus. [7] id eſt, obſequio, fide, & cultu tuo, quem obſervari vetant adverſarii, & tua gloria flagitat. [8] miſera ſervitute, qua ſervitur ſatanæ, peccato, & omnibus inimicis Dei, tamquam in fornace ferri: ex qua incommodorum conſuetudine ferè exuitur pietas, & induitur obduratio. [b] *Hebr. cor.* [9] id eſt, tamquam reverſus, tuos a ſuis erroribus revoca: humanitus dictum. [10] i. propter gratiam & fedus tuum, quo nos tibi ſervos gratuitò comparaſti. [11] ſecunda cauſa, ut diximus in verſum 1. [12] videlicet in quos dominaris, & ſuper quos invocatur nomen tuum: nam hæc Zeugmaticè petenda ſunt ex ſequente membro, vel potiùs ex verſu 3. reſumenda. [c] *Heb. a ſeculo non dominatus es.* [13] regreſſio ad poſtulatum expoſitis argumentis ejus, quod elegantiſſimis comparationibus illuſtratur. Sunt autem hujus poſtulati duo capita: unum, adverſus hoſtes Dei & Eccleſiæ, uſque ad verſum 8. alterum, pro Eccleſia, ut doctrina Euangelii afferretur per Chriſtum, verſ. 8. [14] humanitus dicta. [15] ut Judic. 5. 5. [16] elegans comparatio montium diffluentium cum aquis ferventibus in olla ad luculentum ignem: quæ allegoria in fine verſus exponitur. [d] *Heb. aquas bullat.*

7 Faciens

7 Faciens terribilia [17] *quæ* nó exspectassemus;
utinam descendas, a facie tua montes diffluant.
8 [18] Et inde a seculo [e] inaudita, auribus mi-
nimè percepta; *quæ* oculus non vidit, ô Deus,
præter te, *Deus* comparet præstolanti ipsum.
9 [19] Occurris [20] gaudenti, & exercenti justi-
tiam, *qui* in viis tuis memores sunt tui: en tu ef-
fervescis quum peccamus; *si* [f] perpetuò [21] in illis
stetissemus, servati fuissemus.
10 Sed sumus [22] ut immundus omnes nos, &
sicut panniculus [g] abjectissimus omnes justitiæ
nostræ; diffluimúsq; velut folium omnes nos, &
iniquitates nostræ ut ventus auferunt nos:
11 [23] Nec ullus *est* qui invocet nomen tuum,
excitans se ad [24] prehendendum te; quum ab-
scondisti faciem tuam a nobis, & dissolvis nos
[h] per iniquitates nostras.
12 [25] Jam verò Jehova, pater noster es: nos
quidem lutum sumus, tu verò fictor noster es, &
opus manus tuæ sumus omnes.
13 Ne efferveſcas Jehova [i] quamplurimùm,
neq; in æternum recorderis iniquitatis: en intu-
ere quæsumus, nos omnes *sumus* populus tuus.
14 Civitates sanctitatis tuæ sunt desertum:
Tzijon est desertum, *est* Jeruschalaimis desolatio.
15 Domus sanctitatis nostræ, & ornatus no-
stri, *in* qua laudarunt te majores nostri, est *expo-
sita* conflagrationi ignis; & unaquæque rerum
desideratarum nostrarum est vastationi.
16 An [26] propter illas contineres te, Jehova?
sileres, & affligeres nos quamplurimùm?

[17] id est, omnem hominum cogitationem superantia, quæ ne in mentem quidem hominis ascenderunt; ut 1.Corinth.2.9. [18] id est, mysteria Euangelii revelata per spiritum, in quæ desiderant angeli introspicere; ut interpretantur Apostoli 1.Corinth.2.9. & 1.Petr.1.12. [e] *Heb. non audiverunt, non perceperunt auribus.* [19] tertia pars orationis, nimirum confirmatio postulati, ut dictũ est in vers.7. capitis præcedentis, qua Ecclesia primùm misericordiam Dei erga resipiscentes & justitiæ studiosos explicat, deinde peccata sua confitetur; qua in confessione syncera posita sunt initia resipiscentiæ, ut ostendit David Psal.32. 5. quæ duo prolepticè hoc versu ponuntur; posteà verò exornatur peccatorum confessio vers. 10. & 11. ex qua postremò conclusio efficitur implorans misericordiam Dei erga resipiscentem Ecclesiam, ad finem usque. Est autem occurrendi verbum humanitus attributum Deo. [20] id est, ei qui cum gaudio incumbit justitiæ. [f] *Heb. seculo.* [21] nimirum viis Dei, quarum meminit priore membro. Est autem in his verbis elegans hypothesis, cui adversativa confessio subjicitur. [22] id est, peccatis nostris, tamquam lepræ sordibus, ab ipsius Dei hominúmq; consortio separati: vide Levit.13.45. [g] *Heb. remotionum.* [23] i. ac ne tuis quidem ferulis cæsi resipuimus: exaggeratio. [24] i. consequendum, ut loquitur Apostolus Philip.3.12. [h] *Heb. manu iniquitatum nostrarum.* [25] conclusio ex antecedentibus confecta: ut dictum est in vers.9. [i] *Heb. usque valde: sic vers. ultimo.* [26] nimirum iniquitates nostras, de quibus suprà, q. d. indignum esset te magis ad peccata nostra respicere, quàm ad gloriam tuam in liberatione Ecclesiæ positam.

CAPUT LXV.

1 [1] [a] EXpositus sum eis qui non interrogabāt,
inventus sum ab eis qui non quærebant
me; dixi, ecce me, ecce me, [2] ad gentem *quæ* non
vocatur de nomine meo.
2 [3] Expanderam manus meas toto die ad
populum rebellem; qui ambulant via non bona,
[b] sequendo cogitationes suas:
3 *Ad* populum qui provocant me [c] in os ju-
giter; sacrificantes [4] in hortis, & adolentes in
[d] [5] lateritiis:
4 Qui [6] sedent ad sepulcra, & apud [7] custo-
dita pernoctant; [8] qui comedunt carnes [e] porci-
nas, & fragmen *carnium* abominandarum *ex* in-
strumentis suis:

[1] Ad antecedentem Ecclesiæ postulationem hoc capite respõdet Christus: ut diximus sup. in 63.1. Sunt autem hujus responsi tres summatim partes: prima est narratio vocationis Ecclesiæ ex gentibus & Judæorũ castigatorũ reliquiis, usq; ad ℣.11. secunda, contestatio Judæorum, inde ad ℣.18. tertia, conclusio a magnificis Dei promissionibus in filios suos, ad finẽ usq; capitis. [a] *Heb. quæsitus: ut Psal.*111.2. *Rom.*10.20. [2] i. gentibus, quæ priùs alienæ fuerunt a republica Jisraëlis, extraneæ a pactis promissionis, &c. Ephes.2.12. [3] secundus narrationis locus, quo Deus exponit primùm improbitatẽ Judæorum, vers. quatuor, & ultiones suas, vers.6. & 7. deinde vocationem reliquiarum secundũ electionem gratiæ, tribus seq. Est autẽ expandere manus humanitus attributũ Deo, pro eo quod est invitare & vocare ad se. [b] *Heb. post.* [c] *Heb. in faciem meam: ut Ijobi* 1.11. [4] pomariis & lucis, quos idolis cõsecraverant: ut sup.1.29. [d] *Heb. lateribus.* [5] i. altaribus suis structilibus, omisso altari Dei. [6] i. necromãtias, de quibus Deut.18.11. & sup.8.19. [7] nẽpe idôla: quæ ita per contẽtũ vocantur, propterea quòd ipsa nõ custodiunt cultores suos, sed custodibus habent opus: ut sup.46. contrà quàm se facere Deus prædicat, Deut.32.10. [8] cõtra legẽ Levit.11. & Deu.14. [e] *Heb. porci.*

5 [9] Qui dicunt, appropinqua [f] ad tuos, ne
attingito me, quia sanctior sum te: [10] istis fumus
est in naso meo, ignis ardens toto die.
6 [11] Ecce scriptum *est* coram me: non tacebo,
nisi rependero, atque rependero [12] in sinum isto-
rum.
7 Iniquitates vestras, & iniquitates patrum
vestrorum pariter, ait Jehova; qui adoleverunt
in istis montibus, & in istis collibus probro affe-
cerunt me; quapropter remetiens opus eorum
[13] primum *regeram* in sinum eorum.
8 [14] Sic ait Jehova; ut cui [g] præsto est mu-
stum in botro, is dicit, ne perdito istum, quia be-
nedictio *est* in eo: ita facturus sum propter servos
meos, ne perdam istos omnes.
9 Nam excipiam e Jahakobo semen, & e Je-
huda hæredem [15] montium meorum: & posside-
bunt hæreditatem istam electi mei jure hæredi-
tario, & servi mei habitabunt istic:
10 Erítq; [16] Scharonitis regio [h] caula gre-
gum, & [17] convallis Hacoris cubile armenti; pro
populo meo, qui requisierint me.
11 [18] Vos verò desertores Jehovæ, [19] qui obli-
viscimini montis sanctitatis meæ; [20] qui instrui-
tis turmæ illi mensam, quique impletis [i] [21] nu-
meris illis libamen:
12 [k] Tradam quoque numeros vestros gla-
dio, & omnes vos mactationi succumbetis, eò
quòd clamanti mihi non respondistis, & loquen-
tem non audivistis; sed fecistis quod malum vi-
detur in oculis meis & id quo non delector ele-
gistis.
13 [22] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, ecce
servi mei comedent, vos autem esurietis; ecce
servi mei bibent, vos autem sitietis: ecce servi
mei lætabuntur, vos autem erubescetis.
14 Ecce servi mei canent præ [l] hilaritate ani-
mi; vos autem clamabitis præ dolore [m] animi,
& præ contritione spiritus ejulabitis:
15 Et dimittetis nomen vestrum *ut sit* exse-
crationi electis meis, quum morte affecerit te
Dominus Jehovi; servis verò suis indet [23] no-
men aliud:
16 Ut qui sibi benedicturus est in terra, bene-
dicat sibi per Deum [24] firmi, & juraturus in terra
juret per Deum firmi: quum oblivioni traditæ
fuerint hæ angustiæ priores, & quum abscondi-
tæ fuerint ab oculis meis.
17 Nam ecce [25] ego creaturus sum cælos no-
vos, & terram novam; neque commemorabun-
tur hæc priora, neque venient in animum.
18 [26] Sed gaudete & exsultate in sempiter-
num, quos ego recreo: nam ecce ego recreo *ur-
bem* Jeruschalaimorum exsultatione, & populum
ejus gaudio.
19 Et exsultāte me de Jeruschalaimis, & [27] gau-

[9] id est, arrogantes & fastuosos hypocritas, quibus etiam integerrimi Prophetæ & germana Ecclesiæ mẽbra præ ipsis sordent. [f] *Heb. ad te.* [10] id est, contra istos exarsit ira mea. etsi hoc quoque modo exponi potest, *ista sunt fumus*, &c. pro eo quod est, hæc fastidio, horum me tædet atque hoc tædio ira mea accenditur. [11] i. mihi est compertissimum, neque umquam excidet e memoria mea: ut Deut.32.34. [12] vide Psal. 79.12. [13] i. in quo inde a principio tum ipsi, tum majores ipsorum sese occuparunt; quo modo Petrus vanam conversationem vocat πατροπαράδοτον, 1.Petr.1.18. [14] jam transit Christus ad exceptionem reliquiarum, tribus vers. [g] *Heb. invenitur.* [15] ut Exod. 15. 17. [16] vide 1.Chro. 5.16. & 27.29. [h] *Heb. in caulã g. &c. H. in cubile.* [17] i. Jerichuntina, per synecdochen, de qua Jehosch. 7.26. & Hosch. 2.15. hæc in regno Judæ, illa verò in regno Jisraëlis; ut significetur illa futura regnorum conglutinatio, de qua Hosche. 1. 11. Jechezk. 27. 34. & alibi. [18] secunda pars responsi, nimirum contestatio & sententia condemnationis adversus Judæos degeneres, hoc & seq. vers. quæ deinde exornantur elegantissima antithesi promissionum erga bonas reliquias, & denunciationum in istos, usque ad vers.18. [19] id est, tamquam obliti negligitis, neque acceditis. [20] sic loquitur Propheta per contemtum, idôla velut digito exerto commonstrans. [i] *Hebr. numero illi. sed numeri pluraliter tantùm hac significatione dicuntur.* [21] quibus velut exercitibus cælum, terra, & aqua instructa sunt, ut Gen. 2.1. nam illis servitur contra præceptum Dei, Exod. 20. 4. [k] *Heb. dinumerabo vos: paronomasia.* [22] exornatio antecedentis sententiæ; ut diximus in ℣.11. [l] *Heb. bonitate cordis.* [m] *Heb. cordis: sic infrà vers.*17. [23] quàm nunc obtineant, videlicet quod exprimitur seq. versu: sic suprà 62.4. & seq. [24] i. populi sancti, qui fundatus & radicatus in Deo immotus permanebit, ac ne portæ inferorum quidem prævalebunt ei. [25] i. omnia instauraturus sum in Christo: ut sup. 25. 8. [26] conclusio responsionis Christi a promissis amplissimis, per apostrophen ad pios: quibus regeneratis prædicuntur lætitia, hoc & seq. versu; vita, versu 20. pax & prosperitas, tribus seq. idq; per efficacitatem providentiæ Dei, vers. 24. quæ omnia exornantur communi hyperbole, vers. ultimo. [27] ut Deut.28.63. & suprà 62. 6. & 7.

UMI

dente de populo meo; non audietur in ea am-
plius vox fletus, aut vox clamoris.
20 Non exsistet illinc ampliùs infantulus [n] æ-
tate, aut senex, cujus non impleat dies *Deus*; nam
puer, [28] natus centum annos morietur; peccator
autem, *etiam* natus centum annos [29] maledictus
erit.
21 Et ædificantes domos inhabitabunt eas;
& plantantes vineas, comedent fructum earum.
22 [30] Non ædificabunt & alius inhabitabit,
non plantabunt & alius comedet: sed [31] ut *sunt*
dies arboris, dies *erunt* populi mei, & opus ma-
nuum suarum deterent electi mei.
23 [32] Non laborabunt inaniter, neque gig-
nent [33] ad conturbationem: nam semen bene-
dictorum a Jehova erunt, & prognati eorum cum
ipsis.
24 Eritq; [34] nondum clamantibus ut ego re-
spondeam; adhuc ipsis loquentibus, ut ego ex-
audiam.
25 [35] Lupus & agnus pascentur unà, & leo ut
bos comedet stramen, serpenti autem pulvis *erit*
cibo: non malefacient, neque corrumpent in to-
to monte sanctitatis meæ, ait Jehova.

n Heb. diebus. [28] id est, justum vitæ spatium decurret sine impedimento ullo. [29] i. quò magis longæva utetur vita, eò majores maledictiones experietur. [30] contrà quàm impiis denunciat Deus, Deut. 28. 30. & seq. [31] i. robusti atque diuturni, ut Psal. 52. 10. & 92.13. [32] quod impiis interminatur Deus, Levit. 26. 16. & Deut. ibidem. [33] i. ut conturbatis rebus omnibus tradantur populo extraneo, & abeant in captivitatem, Deut. 28. 32. & 41 [34] novit enim Pater cælestis nos indigere his omnibus antequàm oremus, Matth. 6. 32. [35] vide sup. 11. 6. id est, nihil damnosum esse poterit Ecclesiæ, ut Hosch. 2. 18. & Marc. 16. 18.

CAPUT LXVI.

Deus sanctimoniam hypocritarum abdicans, ostendit se in humilibus habitare: itaque Ecclesiam confirmans adversus hypocritarum fastum, multiplicationem perpetuam ei pollicetur, Judæos & gentes hortatur ad lætitiam ex fructu operum ipsius: & se impios perditurum, gentes vocaturum, denique æternum triumphum de hostibus paraturum ipsis pollicetur.

1 [1] [‖] SIc ait Jehova, cælum ipsum solium meũ
est, & terra scabellum pedum meorum:
[2] ubinam *esset* domus quam ædificaretis mihi? &
ubinam locus quieti meæ?
2 Atqui, omnia ista fecit manus mea, & *per
eam* exsistunt omnia ista, dictum Jehovæ: sed
[3] in hunc intueor, in pauperem & contritum spi-
ritu, ac trepidantem ad verbum meum.
3 [4] Qui jugulat bovem, *ac si* [5] percuteret vi-
rum; qui mactat parvam pecudem, *ac si* decolla-
ret [6] canem; qui offert munus, *ac si* [7] sanguinem
porci; qui adolet thus, *ac si* [a] muneraretur idô-
lum: etiam isti [8] eligunt vias suas, & abominatio-
nibus suis anima eorum delectatur:

4 Etiam ego [9] eligam propter facinora eo-
rum, & inducam [b] quæ formidant eis; eò quòd
mihi vocanti nemo responderit, loquenti nõ au-
scultaverint: nam fecerunt quod malum *videtur*
in oculis meis, & id quo non delector elegerunt.
5 [10] Audite verbum Jehovæ qui trepidatis ad
verbum ejus: dicunt [11] fratres vestri, osores ve-
stri, [12] procul arcentes vos, [13] propter nomen
meum honoratur Jehova, sed [14] videbimus læti-
tiam vestram, quum isti erubescent;
6 [15] Voce tumultuosa e civitate, voce e tem-
plo; voce Jehovę, rependente retributionem ini-
micis suis.
7 [16] Quum nondum parturiet, pepererit:
quum nondum invadet dolor eam, jam [17] posue-
rit marem.
8 [18] Quis audivit rem hujusmodi? quis vidit
talia? an efficeretur ut pariat [19] terra die uno? an
gigneretur gens vice una? quòd parturit, simúlq;
parit [20] Tzijon filios suos.
9 [21] An ego aperirem os matricis, & non gig-
nerem? ait Jehova: an ego qui gigno, [22] ampliùs
occluderem? ait Deus tuus.
10 [23] Lætamini cum *urbe* Jeruschalaimorum,
& exsultate in ea omnes amantes eam; gaudete
cum ea gaudio [24] quicumque lugebatis de ea:
11 Ut sugatis & saturemini ubere consolatio-
num ejus; ut exprimatis & delicias agatis e splẽ-
dore gloriæ ejus.
12 [25] Nam ita ait Jehova, ecce ego extensu-
rus sum ad eam [26] tamquam fluvium pacem, &
velut torrentem inundantem gloriam gentium,
quam sugatis: ad latus [‖] portabimini, & super ge-
nua oblectabimini.
13 Ut quispiam quem mater sua consolatur;
sic ego consolaturus sum vos, & Jeruschalaimis
consolatione perfundemini.
14 Quod quum videbitis, gaudebit [c] animus
vester, & [27] ossa vestra ut herba tenera reflores-
cent, [28] & agnoscetur manus Jehovæ erga servos
suos, & indignatio contra inimicos suos.
15 [29] Nam ecce Jehova [30] cum igne venturus
est, & curribus suis similibus turbini; ad redden-
dum cum [31] excandescentia iram suam, & incre-
pationem suam cum flammis [d] ardentibus.
16 Jehova enim igne disceptaturus est, & gla-
dio suo contra omnem carnem: & [32] multiplica-
buntur confossi Jehovæ.

[1] Hujus concionis (qua Propheta exitium veteris synagogæ & Christianę Ecclesiæ constitutionem explicat) quatuor sunt capita: primum est contestatio Judęorum & hypocritarum, quibus tum ipsorum scelus & supplicium, tum humilium reliquiarũ salus prenunciatur, vers. quatuor: secundum est propositio ad sanctas Judæorum reliquias, qua de hypocritarum casu & liberorum in Ecclesia gignendorum promissionibus confirmantur, inde ad vers. 10. tertium est hortatio ad amicos Ecclesiæ, ut lætentur cum ea & benedictiones Dei participent ad gloriam ipsius, usque ad V. 15. postremum est narratio benedictionum quas effecturum se Deus promiserat, inde ad finem usque. ‖ 1. *Reg.* 8. 27. *Act.* 7. 49. [2] quasi dicat, putaretísne, ô hypocritæ, me excelsissimũ in manufactis templis habitare? Actor. 7. 48. & 17. 24. ac proinde isto templo capi & includi infinitã majestatẽ meãs? non est illa mea habitatio justa; sed in animo pauperum & contritorum spiritu, ibi unanimiter habitaturus & ambulaturus sum, 2. Corinth. 6. 16. [3] id est, hi demum sunt vera templa mea: nam alioqui structura illa templi aspectabilis destituta veris servis Dei templisq; illius viventibus, erat ingrata Deo: quamobrem utrumque conjunxit Schelomo dicens; ut sint oculi tui aperti erga domum hanc, auscultando orationi qua oravit servus tuus, &c. 1. Reg. 8. 29. & sequent. [4] in templo videlicet ex ritu externo legis; sed non abjecto & contrito animo, ac trepidante ad verba Dei, ut sup. 1. & 58. [5] id est, homicidium perpetraret. quasi dicat, non magis mihi acceptus est, quàm qui scelerate cædem perpetrat contra legem. [6] id est, animal ineptum sacrificiis, synecdochicè. [7] nam utroque interdicitur lege, sanguine, & sue: cùm munera è simila, oleo, & vino, non autem ex sanguine fierent, Levit. 2. sus verò neque in publico Dei cultu, neque in privato usu permissa esset, Levit. 11. 7. [a] *Heb. benedictionem offerret vanitati.* [8] non autem iis insistunt quas ego elegi.

[9] id est, delectũ habebo, & exquisitas pœnas immittam eis. [b] *Heb. formidines.* [10] secunda pars, propositio ad reliquias Judæorum sanctas, ut observavimus in vers. 1. [11] qui in propatulo Judæi sunt secundum literam & carnem, sed revera Judæis germanis inimici. [12] ut suprà 65. 5. [13] fastuosorum hypocritarum verba, qui Deum ingloriũ & inhonoratum fore jactant, nisi ab ipsis coleretur, aliorum cultum præ suo nihili faciunt, & Deum perinde sibi obstrictum putant ac si in ære ipsorum esset. Hæc autem ita fuisse accipienda clarè distinctiones docent. [14] nimirum ego & vos omnes, quum Deus gloriam suam explicaverit illustratione Euangelii ad lætitiam vestram & totius Ecclesiæ, de qua infrà vers. 10 [15] id est, Euangelio, ad cujus auditionem, quasi tumultus invadentis, turbatur mundus (ut Matth. 2. 3.) quia prædicatio illius in iis qui pereunt est odor mortis ad mortem; postquàm Deus hujus seculi excæcavit eorũ mentes, ne irradiet eos lumen Euangelii gloriæ Christi, 2. Corinth. 2. 16. & 4. 4. [16] secundus locus propositionis, de gignendis mirificè Ecclesiæ liberis: ut suprà 49. 18. & seq. & 60. 4. Erit, inquit Deus, hic Ecclesiæ partus longè gloriosior & admirabilior quàm Hebræarum in Aegypto, Exod. 1. 19. [17] i. ediderit: ut de merula dictũ est sup. 34. 15. [18] exaggeratio mirifici operis Dei in genitura Ecclesiæ, per comparationẽ. [19] i. populus, metonymicè. [20] i. Ecclesia. [21] subjectio ad interrogationem præcedentem, qua Deus totum genituræ opus in Ecclesia sibi arrogat, & porrò facturum pollicetur, per comparationem genituræ naturalis: ego, inquit, qui aliis sum gignendi auctor, an non ipse gignerem nunc & in seculum arbitratu meo? [22] i. deinceps non propagarem Ecclesiam, committendo ei semen incorruptum verbi? [23] tertium concionis caput ad Judæos, & gentes amicas Ecclesiæ quæ priùs fuerant illi inimicæ, ut diximus in vers. 1. continens hortationem, duobus vers. & ætiologiam tribus. [24] i. piæ Judæorum reliquiæ bene cupientes Ecclesiæ: nam ex his duobus coagulata est Ecclesia Christi: ac propterea seorsim sui fines proponuntur ὕστερον πρότερον, seq. vers. [25] ætiologia ab amplissimis Dei promissionibus erga Ecclesiam & omnes amantes ejus. [26] vide sup. 48. 18. ‖ *Sup.* 49. 22. & 60. 4. [c] *Heb. cor.* [27] id est, vos qui tam miserè, prostratã & sepultã malis Ecclesia, jacetis velut arida putridáq; ossa per terram, divinitus instaurabimini: ut Jechezk. 37. [28] transitio ad narrationem sequentem, propositis duabus illis partibus, quæ deinde per ὑστέρωσιν explicãtur. [29] ultima pars concionis, narratio operum Dei in Ecclesia: quorum unum est indignatio Dei contra hypocritas, tribus versibus: alterum, Ecclesiæ multiplicatio & dignitas in seq. [30] cujus meminit Joan. Matth. 3. 12. sic perstringitur allegoricè vehementia, celeritas, & gloria judiciorum Dei, hoc & seq. vers. [31] vide sup. 42. 25. d *Heb. ignis.* [32] i. infiniti erunt, quos Deus conficiet suo potente verbo, & spiritu oris sui.

17 [33] Qui sanctificant se, & qui mundant se
[34] in hortis, [e] sequentes *alter* alterum palàm, qui
comedunt carnem porci, & rei abominabilis,
murísque: pariter consumentur, dictum Jehovæ.
18 [35] *De* me autem, [36] quum [f] factorum ergà
hos cogitationúmque erga hos *quæque* adveni-
et, congregando omnes gentes & linguas; quæ
venientes visuræ sunt gloriam meam;
19 [37] Ponam in his signum, & mittam ex his
qui [38] evaserint ad gentes [39] in Oceanum, [40] Pu-
lem, & [41] Ludum [42] jaculantes arcu, [43] Thuba-
lem & Javanem: regiones *denique* longinquissi-
mas, quæ non audiverant [g] famam meam, ne-
que viderant gloriam meam, ut indicent glori-
am meam in gentibus.
20 Et adducent omnes [44] fratres vestros ex
omnibus gentibus muneri Jehovæ, equis, & cur-
ribus, & pilentis, mulísque, ac veredariis, ad
montem sanctitatis meæ Jeruschalajma, ait Je-
hova: quemadmodum offerunt [h] Jisraëlitæ mu-
nus instrumento mundo *in* domum Jehovæ.
21 Atque etiam [45] ex istis assumam in Sacer-
dotes & Levitas, ait Jehova.
22 Nam quemadmodum [46] cæli illi novi
& terra ipsa nova quam ego facturus sum,
[47] constitura sunt coram me, dictum Jehovæ,
ita constiturum est semen vestrum, & nomen
vestrum.
23 [48] Eritque de novilunio [i] in novilunium
alterum, & de sabbatho in sabbathum alterum;
ut veniat omnis caro ad incurvandum se coram
me, ait Jehova.
24 Et egressi videbunt cadavera hominum
illorum qui defecerunt a me: nam vermis eorum
non morietur, & ignis eorum non extinguetur,
erúntque nauseæ omni carni.

[33] explicatio hostium, quos confossurus est Dominus: nimirum qui cultum divinum idôlis exhibent, & vitam instituunt contra legem. [34] de quibus sup. 1.29. & 65.3. [e] *Heb. post unum in medio ipso.* [35] altera pars narrationis, de operibus Dei erga servos suos; ut diximus vers. 14. & 15. in quibus numerantur ista, vocatio gentium in Ecclesiam ministerio sanctarum reliquiarum ex Judæis, tribus vers. communis & æqua illorum dignitas in ministerio Dei, tribus alteris; & Ecclesiæ totius de hostibus triumphus, versu ultimo. [36] id est, quum plenitudo temporum advenerit, qua effecturus sum ea quæ cogitavi & statui in consilio meo, & vocaturus gentes in Ecclesiam. [f] *Heb. factorum horum & cogitationum horum.* [37] i. signabo servos meos intus virtute spiritus, & administrationem ipsorum signis fidei confirmabo, Marci 16. 17. & 20. [38] id est, Judæorum reliquias. [39] id est, mari æquè ac terra ad Euangelium provocabo, ut exempli gratia nationes aliquot deinde nominantur. [40] id est, Cyrenas sive Pentapolim & ulteriorem Aphricam, ubi regnavit Aphulla ab Agathocle Siculo circumventus, corruptè Ophellas apud Justin. lib. 22. [41] vide Gen. 10.22. [42] ut Jirmejæ 46.9. [43] vide Gen. 10.2.

[g] *Heb. auditionem.*
[44] non quidem genitos secundùm carnem (ut suprà vers. 5.) sed a Deo genitos spiritu per fidē.
[h] *Heb. filii Jisraëlis.*
[45] videlicet gentibus, quæ in munus oblatæ fuerint Jehovæ.
[46] de quibus suprà 65.17.
[47] ac proinde ministratura mihi in seculum ad bonum Ecclesię.
[48] id est, Ecclesia indesinenter colet me, non autem anniversariis ritibus ex vetere lege: vide in Hamos 8. 5.
[i] *Heb. in novilunium suum, & sic sequentia.*

JIRMEJA.

ARGUMENTUM.

LIBER *Jirmejæ Prophetæ duo genera documentorum complectitur, prophetica atque historica. Ac Prophetica quidem (prout omnium prophetarum istud commune est) verum legis divinæ usum demonstrant doctrina, redargutionibus, & cæteris: nominatim verò versantur in acerbissimis & gravissimis reprehensionibus suorum temporum, & denunciationibus judiciorum Dei quæ paulo post effecta sunt; deinde verò in consolationibus Ecclesiæ afflictissimæ, tum adductis promissionibus amplissimis de regno Christi; tum etiam prædictionibus singularium aliquot judiciorum quæ in hostes Ecclesiæ erant eventura, capite 46. & sequentibus. Historica verò quæ in hunc librum passim inserta sunt, ad comprobationem prophetiarum evidentiámque pertinent. Prophetavit autem Jirmeja in Judæa & in Ægypto Judæis omnibus, inde a decimo tertio anno Joschijæ, minimùm annos quadraginta tres; ut demus primo ipso anno quo in Ægyptum translatus est, ipsum desivisse. Nam Joschijæ annos novemdecim prophetavit, deinde viginti duos Jehojakimi & Tzidkijæ: hoc deportato Nebuzar-adan in Judæa mansit in sequentem annum: quo profecto, cœperunt civiles illi motus quos Jirmeja ipse perscripsit, capite 40. & sequentibus. postmodùm verò in Ægyptum deportatus est, atque in ea prophetavit cap. 43. & 44. quæ quidem omnia unius anni gesta dici non possunt.*

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Jirmeja vocationem ſuam ex conſilio Dei, excuſationéſque ſuas; deinde repetitum Dei mandatum cum promiſſionibus & ſignis ad prophetiæ argumentum pertinentibus, ac poſtremò ſummam prophetiarum de Judæorum everſione, & ſui confirmationem adverſus Judæos narrat.

1 [1] VERBA Jirmejæ filii [a] Chilkijæ; ex ſacerdotibus qui *erant* Hanathothis in terra Binjaminis.
2 [3] Ad quem fuit verbum Jehovæ [a] temporibus Joſchijæ filii Amonis Regis Jehudæ; decimo tertio anno quo regnabat:
3 *Fuit* etiam temporibus Jehojakimi filii Joſchijæ regis Jehudæ, ‖ donec abſolveretur undecimus annus Tzidkijæ filii Joſchijæ regis Jehudæ: donec deportarentur [b] Jeruſchalaimani menſe quinto.
4 [4] Fuit igitur verbũ Jehovæ ad me, dicendo,
5 Quum nondum formaviſſem te in utero,
[5] agnovi te; & quum nondum prodiiſſes ex vulva, ſanctificavi te: Prophetam ipſis gentibus conſtitui te.
6 Me autem dicente, [6] ahah Domine Jehovi, ecce neſcio loqui; [7] nam puer ſum:
7 Edixit Jehova mihi, ne dicito, puer ſum: ſed ad quæcunque miſero te, ito; & quæcunque præcepero tibi, loquitor.
8 Ne timeto ab iſtis; nam adſum tibi ad eripiendum te, dictum Jehovæ.
9 Et extendens Jehova manum ſuam [8] tetigit os meum; dixítque Jehova mihi, ecce indo verba mea ori tuo.
10 Vide, [9] præficio te hodierno die [10] gentibus ipſis & regnis, [11] ad exſtirpandum, & ad demoliendum, & ad perdendum, & ad deſtruendum; ad ædificandum, & ad plantandum.
11 Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo: quid vides Jirmeja? cui dixi, baculum amygdali video.
12 Tum dixit Jehova mihi, [c] bene vides:
[12] [d] ut citò amygdalus floret, incubiturus ſum in verbum meum ut efficiam ipſum.
13 Poſteà fuit verbum Jehovæ ad me ſecundò, dicendo, quid vides? cui dixi, [13] ollam ferventem video, cujus [14] facies [e] verſus Aquilonem *eſt*.
14 [15] Tum dixit Jehova mihi; [16] ab Aquilone
[f] erumpet [17] iſtud malum ſuper omnes habitatores hujus terræ:
15 Nã ecce ego evocaturus ſum omnes familias, regna Aquilonis, dictum Jehovæ; ut venientes [18] ponant quiſque ſolium ſuum *ad* oſtium portarum Jeruſchalaimorum, & contra omnes muros iſtius *urbis* circumquaque & contra omnes civitates Jehudæ.
16 [19] Quamobrem [20] eloquuturus ſum jura mea contra iſtos propter totam malitiam eorum; quia dereliquerunt me, & adoleverunt diis alienis, & incurvaverunt ſe *honorem exhibentes* operi manuum ſuarum.
17 Tu itaque [21] accinge lumbos tuos; ut ſurgens eloquaris apud eos quicquid ego præcepero tibi: [g] ne conſternator attritus conſpectu iſtorum, ut non conterã te in conſpectu ipſorum.
18 Ego enim [22] ecce pono te hodie [h] velut civitatem munitam, & velut columnam ferream, muróſque aheneos toti huic terræ; regibus Jehudæ, principibus ejus, ſacerdotibus ejus, & populo hujus terræ:
19 Qui oppugnabunt te, ſed non prævalebunt tibi: nam adſum tibi, dictum Jehovæ, ad eripiendum te.

[1] Hoc capite cõtinentur duo, generalis totius libri inſcriptio, tribus verſibus; & ſingularis narratio vocationis qua Jirmejam in functione prophetica conſtituit Deus, reliqua parte capitis. Quamobrem Propheta in univerſum appellavit verba ſive res, quia non tantùm documenta prophetica, verùm etiam hiſtoricæ narrationes hoc libro continentur quæ a Jirmeja conſcriptæ ſunt. [2] non illius filii Schallumi & ſacerdotis ſummi qui legem reperit, 2. Reg. 22. 8. nam ille Jeruſchalaimis, ut ſummus ſacerdos, habitabat; ſed alterius cujuſpiam ex aliis ſacerdotibus qui Hanathothis habitavit: quò relegatum fuiſſe Ebjatharem e genere Ithamaris, quum abdicaretur ſacerdotio, legimus 1. Reg. 2. 26. Quãobrem non dicit Jirmeja, ſacerdotis ſummi, ſed ex ſacerdotibus, &c. [3] id eſt, quem Deus prophetare juſſit annos quadraginta unum, & ampliùs: nam a decimo tertio anno Joſchijæ ad undecimum Tzidkijæ anni ſunt 41. deinde verò in AEgypto aliquantum temporis prophetavit, infrà 43. & 44. [a] *Heb. diebus.* ‖ 2. *Reg.* 25. 11. [b] *Hebr. Jeruſchalaima, metonymicè.* [4] hæc altera pars capitis narrat primam vocationem Jirmejæ a Deo, uſque ad verſ. 8. deinde promiſſionem quæ cum vocatione ſemper conjuncta eſt, verſu 8. tertiò donum verſ. 9. poſtremò adminiſtrationem & operationem ex dono, verſ. 10. quæ omnia deinde adhibitis ſignis confirmata, verſ. 11. & 13. ampliùs explicantur, reliquo capite. [5] id eſt, certo conſilio deſtinavi & ſanctificavi ad hoc munus; ut de ſe loquitur Apoſtolus Galat. 1. 15. [6] excuſatio, qualis fuit illa Moſchis Exod. 6. 11. & 7. 3. [7] ac proinde ad verba tua proloquenda infantiſſimus, & præſtanda infirmiſſimus, ut explicat ſequens Dei confutatio. [8] ut hoc ſacramento & verbo Prophetam inſtitueret & confirmaret: ſic Jeſchaſi. 6. 6. & 7. [9] nimirum Prophetam, ut ſuprà verſu 5. [10] exteris, ac non Judæis tantùm. [11] id eſt, ut aliis ruinam, aliis incolumitatem prædicatione verbi a me teſtatam facias: ſic enim adminiſtri Dei in ſcripturis paſſim id dicuntur facere, quod Deus verbo ipſorum prædicit & præſtat: quemadmodum Moſchem Deus alloquitur ſingulis ferè mandatis contra Parhonem & AEgyptum, Exodi 7. & ſeq. & Jeſchaſi. 6. 10. [c] *Hebr. benefeciſti videndo: vide Geneſ.* 12. 8. [12] id eſt, maturè admodum: nam amygdalus hyeme concipit exoriente Aquila, floret prima omnium menſe Januario, Martio verò pomum maturat: ut ait Plinius lib. 16. cap. 25. unde illam Hebræi a maturandi celeritate nominarunt. [d] *Hebr. amygdalaturus ſum, ut ita dicamus.* [13] figuram Judææ, in qua futurum erat ut Judæi tamquam carnes ferverent calamitatibus; ut Jechezk. 11. [14] id eſt, pars anterior obverſa igni. [e] *Heb. a facie Aquilonis.*

[15] hac exornatione Deus primùm Prophetiarum ſummam exponit, duobus verſibus; deinde vocationem Jirmejæ & conſilium ſuum, duobus alteris: ac poſtremò Prophetam in vocatione confirmat, ut ſuprà verſ. 8. [16] id eſt, a Babyloniis, & aliis gentibus operã navantibus Babylonio, quæ ad Aquilonẽ ſpectant: ut ſequens verſ. explicat. [f] *Heb. aperiet ſe.* [17] vehemente igne figuratum, quod ſigillatim deinceps a Propheta prænunciatum atq; conſcriptum eſt. [18] vide complementum 2. Reg. 24. 4. & 12. & 25. 4. & infrà 52. [19] propoſitio clementis conſilii, de præmonendo adhuc & revocando in bonam frugem populo ante ultimum excidium: quemadmodum etiam publico ordine ex auctoritate Regis Joſchijæ effectum eſt, ac proinde malitia Judæorum ampliùs obſignata, ut narratur 2. Chron. 36. 14. & ſeq. [20] per te, Jechezkelem, Tzephanjam, Cheldam, & alios prophetas ſervos meos. [21] id eſt, compara te ad perfungendum officium tuum: metaphora a viatoribus. [g] *Heb. ne atteritor a facie eorum.* [22] i. confirmo te in hac functione tua, ut ſtes firmus contra obſirmationẽ iſtorum, & invictus atq; immotus permaneas. [h] *Heb. in civ. m. & in colum. ferri, & in muros æris.*

CAPUT II.

Deus animum populi ſibi concilians commemoratione anteactæ benignitatis & federis ſui conteſtatur Judæos, a ſe omnia bona in ipſos profecta eſſe; ipſos verò contrà & majores arguit improbitatis & injuriæ maximæ: quam confirmat exemplis gentium, rerum inanimarum atteſtatione, antegreſſis ſuppliciis, & infami illorum defectione, transfugióque ad exteros homines & Deos: quapropter pœnas indicit pervicaciæ ipſorum poſt oblatam denuò miſericordiam.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, edicendo,
2 [2] Abi ut proclames [a] audientibus Jeruſchalaimanis dicendo, ſic ait Jehova, [3] recordor tibi benignitatis [4] adoleſcentiæ tuæ, amoris ſponſalium tuorum: [b] te proſequutam eſſe me per deſertum, per terram non ſatam:
3 [5] Sanctitatẽ fuiſſe Jiſraëlem Jehovæ [6] pri-

[1] Hujus concionis (quæ temporibus Joſchijæ videtur fuiſſe habita) partes præcipuè ſunt tres: prima eſt exordium, ℣. 2. & duobus ſeq. ſecunda eſt conteſtatio, uſq; ad ℣. 36. tertia, ſententiæ dictio, ad finem uſque. [2] his verbis, ut in ſequentibus omnibus prophetiis, auctoritatem ſibi conciliat Propheta a mandato Dei. [a] *Heb. in auribus Jeruſchalaimorũ.* [3] exordium hoc Deus adhibet ut audientiam faciat apud populum recordatione præteritorum ſuorum beneficiorum, & conſtantis ſuæ miſericordiæ ex fœdere: quibus nominibus ſe adhuc eò adduci oſtendit, ut populum ſuum per adminiſtros verbi ſollicitet, ut diximus ſuprà 1. 16. [4] id eſt, qua te adoleſcentem amplexus ſum, quum ex AEgypto educerem te: ſic ſequentia ὑπαλλαγικῶς. [b] *Heb. euntæ te poſt me: ſic deinceps.* [5] ut Exodi 19. 6. [6] id eſt, qui ſanctus fuit Domino ex omnibus populis terræ, ut primitiæ ex omnibus fructibus agri ſunt ſanctæ; prout interpretatur Deus Exodi 19. 5.

mitias

[7] id est, quemadmodum qui sacrum proventúm intervertit, reus fit & pœnas luit ex lege, Levit.5.21. ita reos peractos esse & pœnas pependisse inimicos ejus; ut AEgyptios, Hamalekitas, Sichonem, Hogum, Midjanitas, Cenahanæos, &c.
[8] contestatio hæc, qua gravissimè in populum suum totũ Deus invehitur, duas partes in universum continet: unã, qua Deus cõtestatur, versib. 4. se planè innocentem esse, neque ullã causam præbuisse maleficiis Judęorum; quæ deinde evincuntur certis argumentis, usque ad ℣. 29. alterã, qua contestatur se e contrario omni benignitate Judæos prosequutũ esse, inde ad vers. 36.
[9] ut Rom. 1. 21.
[10] i. omnem Dei beneficiorumq; ejus memoriã abjiceerẽt.
[11] i. in qua humanitus non potuissetis vivere: ut Deut. 8. 15.
[c] *Heb. fossæ.*
[12] Cenahanæam promissam.
[b] *Judic.* 2. 10. *& seq.*
[d] *Heb.* quæ *non prosunt: sic* ℣. 11.
[13] nimirum ut anteà contendi per Prophetas servos meos.

mitias provẽtus ejus: [7]quotquot comedebant il-
lum, reos fuisse, malum evenisse eis, dictũ Jehovę.
4 Audite verbum Jehovæ, domus Jahakobi;
& omnes familiæ domus Jisraëlis.
5 Sic ait Jehova, [8] quid invenerunt patres
vestri in me iniquitatis, quòd longè abscesserunt
a me; & sequuti vanitatem [9] evanuerunt,
6 Adeò ut [10] ne dicerent *quidem*, ubi *est* Je-
hova, qui eduxit nos e terra Ægypti; qui fecit ut
incederemus per desertum, per terram campes-
trem & [11] [c] sepulcralem, per terram siccam &
umbræ lethalis, per terram quam non pertransi-
bat quisquam, & ubi nullus habitabat homo?
7 [b] Quòd postquam introduxi vos in [12] ter-
ram arvorum, ad fruendum fructu ejus & bono
ejus; ingressi polluistis terram meam, & possessi-
onem meam exposuistis abominationi?
8 *Quòd* sacerdotes non dixerunt, ubi *est* Je-
hova? & qui tractãnt legẽ non agnoverunt me, ac
pastores defecerunt a me: denique prophetæ ipsi
prophetarũt per Bahalẽ, & [d] inutilia sequuti sunt?
9 Idcircò [13] adhuc contendo vobiscũ, dictũ
Jehovæ; etiam [14]cum [e] nepotibus vestris conten-
dam.
10 [15] Nam peragrate regiones [16] Citthæo-
rum, & videte; aut *ad* [17]Kedarem mittite & ani-
madvertite valde: videte inquam an fuerit quid
hujusmodi:
11 An mutaverit gens deos, quamvis illi non
sint dii: at populus meus mutavit [18]gloriam suam
in *idolum* inutile.
12 [19]Obstupescite cæli de hac re; & horres-
cite, desolemini valde, dictum Jehovæ.
13 Nam duo mala fecit populus meus: me de-
reliquerunt scaturiginem aquarum [f] peremni-
um, ut effoderent sibi cisternas, cisternas fractas,
quæ non capiunt aquas.
14 [20] An servus Jisraël, an [g] verna est? quam-
obrem [21] est prædæ?
15 Contra eum rugiunt juvenes leones, edũt
vocem suam: & exponunt terram ejus desolatio-
ni, civitates ejus succenduñtur, ut nullus inha-
bitet?
16 [22] Etiam Nophæi & Daphnæi [23] depas-
cunt te vertice?
17 An non hoc facis tibi; dũ derelinquis Je-
hovã Deum tuũ, quo tempore ducit te [24]via sua?
18 [25]Nunc enim [26] quid tibi *est* in via Ægyp-
ti, bibendo aquas [27]Schichoris? aut quid tibi in
via Assyriæ, bibendo aquas fluminis *Euphratis*?
19 [28] Erudiat te malitia tua, & aversiones tuę
corripiant te; agnosce inquam & vide [29] malum
& *quidem* amarum esse quòd derelinquis Jeho-
vam Deum tuum: non enim pavor mei incessit
te, dictum Domini Jehovi exercituum.
20 [30] Etenim [h] jam olim fregeram jugum tu-
um, disruperam vincula tua, ideóq; dicis, [31] non
servitura sum; quum [32] super omnem collem al-
tum, & super omnem arborem virentem tu pera-
gras [33] scortans.
21 [34] Atqui ego te plantaverã vitem genero-
sam, totũ semen [i] [35] fidele: quomodo ergo [36] mu-
tata es mihi *in* degeneres palmites vitis alienæ?
22 [37] Nam ut abluas te nitro, & [k] plurimũ ad-
hibeas tibi smegmatis; obducat se auro insigni
iniquitas tua coram me, dictum Domini Jehovi:
23 Quomodo dictura esses, non pollui me, Ba-
halimos sequuta non sum? vide viam tuam [38] in
ista valle, agnosce quid feceris: ô [39] dromas ve-
lox, [40] ô [l] quæ corrigia notat vias suas.
24 [41] Onager fœmina *est*, assueta [42] deserto,
quæ pro desiderio animæ suæ [43] haurit ventum,
[44] cujus occasionem quis revocet? [45] omnes quę-
rentes istam non fatigantur, mensibus ejus inve-
nient eam.
25 *Dicenti* enim, [46] cohibe pedem tuũ ne dis-
calceetur, & guttur tuum a siti: dicis, animus ab-
jiceretur? nequaquam: nam amo *deos* exteros,
& eos sequutura sum.
26 [47] Tamquam pudore furis quum depre-
henditur, ita [48] pudefacient domum Jisraëlis, ip-
sos, Reges ipsorum, Principes ipsorum, Sacerdo-
tésque ipsorum, & Prophetas ipsorum:
27 Qui dicunt ligno, pater meus es, & lapidi,
tu peperisti me; quia obverterunt mihi cervi-
cem, non autem faciem: [49] tempore verò mali
sui dicunt, surge & serva nos.
28 At ubi *sunt* dii tui quos fecisti tibi? [50] surgãt,
si sunt servaturi te tempore mali tui: nam *pro* nu-
mero civitatum tuarum sunt dii tui, Jehuda.
29 [51] Quare contenditis mecum? vos omnes

[25] tertium argumentum, a rebus præsentibus; quòd Judæi fiduciam partim in hominibus exteris collocarẽt, duobus vers. partim in idólis, versu 20. & seq.
[26] nempe commodi ex adjunctione istorum.
[27] vide Jehoschuh. 13. 3.
[28] i. ex ipsis malitiæ tuæ fructibus saltem disce sapere; ut Judic. 3. 1. & 2.
[29] i. hoc malum tuum esse gravissimum, ac proinde tibi esse istius amaroris causã ex te ipso: ut Ijobi 20. 11. & seq.
[30] altera pars argumenti tertii, nimirum Judæos immemores beneficiorum Dei inde ab AEgypto, & sponsionũ factarũ Deo, ad idóla perfidè descivisse: quæ duo deinceps exornantur ab assiduitate & obfirmatione illorũ, usque ad ℣. 26.
[h] *Heb. a seculo.*
[31] domino alteri, idólis, Exod. 19. 15. & 24. 3. & Jehosch. 24. 21.
[32] ut Jesch. 57. 9.
[33] scortatione spirituali cum idólis, cui maledicit Deus Exodi 20. 5.
[34] exprobratio allegorica possessionis traditæ, ad amplificationem perfidiæ: ut Exod 15. 17. Psal. 44. 3. & 80. 9. & Jesch. 5. 2.

[14] postremò videlicet: nam Joschijæ nepotes & filii post contestationes multas cum ipsis & toto populo tandem deportati sunt. [e] *Heb. filiis filiorum vestrorum.* [15] confirmatio præcedentis objectionis maleficiorum, ex quatuor potissimum argumentis petitur: primum est ab exemplo & comparatione gentium exterarum, his quatuor vers. secundum a suppliciis quæ immittit Deus judex justissimus, versibus quatuor alteris: tertium, a demonstratione præsentis mali & subjectione ante oculos, quòd Judæi etiam tum auxilia hominum deorúmque alienorum omisso Jehova procurarent, a vers. 18. ad 25. postremum, ab inanitate idolorum cum Deo comparata, usque ad vers. 29. Est autem hujus argumenti summa, gentes non ita diis suis infidas esse, ut Judæi vero Deo: quod tum ipsorum conscientiæ cognoscendum & videndum committit, duobus vers. tum auget communi rerum creatarum testificatione per emphaticam exclamationem, ℣. 12. & 13. ut Deut. 32. 1. & Jeschah. 1. 2. [16] vide Num. 24. 24. [17] vide Psal. 120. 5. [18] ut Psal. 106. 20. [19] exclamatio pathetica, ut diximus in ℣. 10. [f] *Heb. viventium.* [20] secundum argumentum a flagellis Dei, ut diximus in ℣. 10. ad quod transitur per admirationem. Estne hic populus servus? inquit Propheta; qui tractatur servorum more; non autem ampliùs ut filius Dei, aut ut puella libera ipsi conjugata. [g] *Heb. natus domi.* [21] i. non ampliùs a Deo Patre in libertatem asseritur; sed duræ servituti mancipatur, ut fuerat factum temporibus Menaschis, 2. Reg. 21. & 2. Chron. 33. [22] id est, non tantum Assyriis & Babyloniis, sed AEgyptiis quoq; sunt expositi: sunt enim Noph & Daphne AEgypti opida, de quibus vide Jeschah. 19. 13. & 30. 4. hoc autem ad amplificationem ponitur, quia tunc AEgyptii adhuc infirmiores erant; videlicet attriti partim bellis exteris ab Assyrio & Babylonio, partim civilibus, ut dictum est Jeschah. 19. [23] id est, utcumque infirmi sunt, tamen summam partem liberè infestant, id est, oram tribus Judæ meridianam: nam regio vel populus totus corpori comparatur: ut Deut. 33. 12. [24] id est, in qua mandavit ut sequaris ipsum: sic comparatur transitus ad argumentum tertium, per viæ illorum antithesin.

[i] *Heb. firmitatis, sive veritatis.* [35] i. quod non facilè posset amoveri, sed fide perstaret immotum ex promissione: cujus respectu Deus fidelis appellatur, Deut. 32. 4. & Judæi contrà esse dicuntur filii in quibus non est fides, ibidem ℣. 20. [36] ut Deut. 32. 20. & 32. [37] amplificatio criminis superioris per ὑπόθεσιν, a comparatione adulteræ. quasi dicat, lava, munda, orna, compara te utcumque voles, hoc ℣. non potest tamen celari ulla ex parte tua impuritas; quæ non tantùm mihi perspecta est, seq. ℣. sed etiam omnibus adeò manifesta, ut ne ulli quidem imperitissimo sit magnopere laborandum in ea videnda atq; evincenda, ℣. 24. [k] *Heb. multiplices tibi smegma.* [38] tum valle Hinnomi, de qua Jehosch. 15. 8. & infrà 19. tum aliis vallibus, in quibus ad torrẽtes sacrificabatur, Jeschah. 57. 9. & 10. [39] id est, quæ velocissimè ad idololatriam abriperis præceps, velocius dromade. [40] i. scortum adeò effœtum præ assiduitate sceleris, ut quocumq; te vertas, terram velut corrigiis & restibus tuarum sordium ex te diffluentium coinquines. [l] *Heb. corrigiam, ut ita dicamus.* [41] altera comparatio, vehementissimum studium scortationis, & libidinem impotentissimã, obfirmationẽmque denotans. [42] cui comparantur loca idololatriæ destinata. [43] id est, libero cælo fruitur; non quiescit uno loco, sed hũc illũc discursat liberè: ut Ijobi. 39. 8. [44] i. quam nemo oblata veneris occasione ab ea impedire potest: ita fervet & liberè seipsam ad libidinem projicit; ut Jechez. 16. 24. [45] i. si quis adulterã istam quærere instituerit, nullo negotio inventurus esset; quia exstant singulis passibus vestigia sordiũ illius, tamquam mulieris ex mensiũ profluvio laborantis: sic accipitur vocabulum mensium Hosche. 5. 7. [46] verba revocãtis & per euphemismũ scelesta adulteria reprehendentis: nam pedis appellatione crura & pudẽda significari solent; ut Jechez. 16. 24. q.d. ne ampliùs te ipsam ita prostituito; sed animum tuum sitientem nefariæ istius libidinis ab insaturabili ista veneris siti cohibeto. [47] quartum argumentum, ab inanitate & inutilitate exterorũ Deorum, de quibus pręcedente versu. [48] idóla videlicet cultores suos: ut Jeschah. 44. 6. & 15. [49] ut Judic. 10. 10. [50] sarcasmus, ut Deut. 32. 37. Judic. 10. 14. & Hosch. 13. 10. [51] altera pars contestationis, ut dictum est suprà ℣. 5. qua Deus de obduratione Judæorum conquerens, duobus versibus beneficentiam suam commemorat, & comparat cum ingrato Judæorum animo, usque ad vers. 36.

deficientes

deficientes rebellaſtis in me, dictum Jehovæ.
30 In vanum percuſſi filios veſtros, eruditio-
nem non acceperunt: [52] conſumſit gladius ve-
ſtēr Prophetas veſtros, tamquā leo interfector.
31 O generatio, vos animadvertite verbū Je-
hovæ, [53] an *ut* deſertum fui Jiſraëli? an terra fruc-
tum perdens? quamobrē dicunt populus meus,
dominamur, non ſumus venturi ampliùs ad te?
32 An obliviſcitur virgo ornatus ſui? ſponſa
eorum quæ alligat ſibi? at populus meus obliti
ſunt mei diebus [m] innumeris.
33 [54] Quid bonam prædicas viam tuam, quę-
rendo [n] quod amas? [55] idcircò etiam malas ipſas
docuiſti vias tuas.
34 [56] Etiam in alis veſtium tuarum inveni-
untur ſanguis animarum egentium, *ſanguis* inno-
centium; non effoſſione invenio hæc, ſed ſuper
omnia iſta *ſunt*.
35 Attamen dicis; quia innocens ſum, utique
averſa eſt ira ejus a me: ecce ego diſceptaturus
ſum tecum, eò quòd dicas, non peccavi.
36 [57] Quid curſitas adeò, mutando viam tu-
am? etiam [58] ab Ægyptio erubeſces, quemad-
modum erubuiſti [59] ab Aſſyrio.
37 Etiam ab illo prodibis [60] manibus impoſi-
tis capiti tuo: nam ſpernit Jehova fiducias tuas,
[61] ut non ſecunderis in eis.

CAPUT III.

38 ‖ [62] Dicendo, [63] en dimiſerit quis uxorem
ſuam, & illa profecta ab eo [o] nupſerit viro alteri,
[64] an reverteretur ad eam rurſus? nónne [p] om-
nino contaminaretur terra illa? tu verò quamvis
ſcortata ſis cum amicis multis, tamen [65] reverte-
reris ad me, dictum Jehovæ.
39 Attolle oculos tuos ad eminentia loca, &
vide ubi non fuiſti vitiata; juxta vias [66] ſediſti il-
lis, [67] tamquam Arabs in deſerto: & contami-
naſti terram ſcortatione tua & malitia tua:
40 Et quamvis [68] cohiberentur imbres, ſero-
tináque pluvia non eſſet; frons mulieris ſcortan-
tis fuit tibi, renuiſti pudore ſuffundi.
41 An non [69] ſaltē ab hoc tēpore [q] te docuero
ut me voces, pater mi; tu dux adoleſcentiæ meę?

[52] id eſt, homicidæ fuiſtis Prophetarum: ut Aſæ, Joaſchi, & Menaſchis temporibus antè fuerat factū quod exprobrat Chriſtus, Matth. 23. 24. & ſeq. [53] id eſt, quum ego deduxi te ex AEgypto per deſertum, an durus ergà te fui atque difficilis, ut ea ipſa terra qua tu ambulabas? imò verò nónne te ut ſpōſam modis omnibus exornavi etiam in deſerto ipſo? jam verò quum in poſſeſſionem terræ feracis perveniſti, cur tibi dominium arrogas, & me dominum tuum repudias? [m] *Heb. nullo numero.* [54] id eſt, cur adeò es impudens ut te juſtifices? quum tamen vitam tuam conſumas in conciliandis amatoribus, & explenda tantùm tua libidine? ſic accipitur verbum Hebræum, facere bonum, pro eo quod eſt prædicare & jactare bonum; aut etiam profiteri: ut Matth. 12. 33. [n] *Heb. amorem.* [55] id eſt, hac tua impudentia qua omnes ſuperas, etiam improbiſſimos doces improbitatem: quamobrem hæc impudentia veluti digito commonſtratur, verſ. 34. & 35. [56] id eſt, nihil eſt in te aut circa te non commaculatum ſanguine: omnia teſtificantur adverſus te. [57] id eſt, non ſunt clàm peccata tua, ut perveſtigatione ſit opus; palàm ſunt, omnium oculis expoſita. [58] id eſt, quid cauſæ eſt cur te conjungas AEgyptio, & deficias a Babylonio (in cujus manus Menaſche fuerat traditus) atque fiduciam tuam ita in AEgyptio colloces, ut Achaz anteà collocaverat in Aſſyrio? 2. Reg. 16. 7. Nam etſi hoc disertè in ſcripturis legi non meminimus; non dubium eſt tamen quin hoc fedus cum AEgyptio aut per Menaſchem poſtliminio reverſum, aut per improbum Amonem fuerit initum: ac propterea Neco exponit Joſchijæ ſe non adventare ut bellum gerat adverſus ipſum, 2. Chron. 35. 21. Hinc autem incipit ultima pars, nimirum ſententiæ dictio: qua continetur expoſitio pœnarum quas Judæi erant luituri, his duobus verſibus, & earum cauſa, ſequentibus. [59] qui Joſchijam interfecit, Joachazum cepit, & Judæos a Babylonio minimè liberavit. [60] ut exponitur 2. Chron. 28. 20. & ſequentibus. [61] id eſt, in luctu graviſſimo; ut ferè lugebant mulieres, 2. Schem. 13. 19. ‖ *Deuteron.* 24. 1. [62] ſed contrà propter perfidiam tuam in Deum & in Babylonium exſcindaris: λιτότης. [63] hæc verba a præcedentibus divelli eſt iniquiſſimum: pendent enim ab eo quod proximè dixit Propheta, reſpuit Jehova fiducias tuas, & illius dicti cauſam deinceps explicat. Eſt autem ea ab oblata Dei miſericordia hypotheticè, hoc modo: ſi poſt tot ſcelera jam reſipiſceres & reverteréris ad me, adhuc mihi accepta eſſes, hoc verſu: ſed perrexiſti in peccatis tuis, ſequent. verſ. neque ullis ferulis ad me revocari potuiſti, verſu 40. denique ne nunc quidem reſipiſcis, ſed omnibus viribus contendis ad malum, duobus ultimis. [o] *Hebr. fuerit viri alterius.* [64] argumentum a comparatione legalis exempli. [p] *Hebr. contaminando contaminaretur.* [65] id eſt, an revertentem illam reciperet? [66] id eſt, reciperem te. [67] id eſt, ſedens præſtolata es meretricum more: ut Geneſ. 38. 14. [68] id eſt, prædo, ex graſſationibus vivens, & vias obſervans: ut Jeſch. 13. 20. [69] id eſt, aſſiduis & graviſſimis, iiſque manifeſtis afflictionibus revocareris ad reſipiſcentiam a via tua mala. [q] *Heb. vocavi me.*

42 An [70] aſſervaturus eſt *Deus iram* in ſecu-
lum? an [71] obſervaturus in æternum? ecce [72] lo-
queris & perficis iſta mala quantum potes.

[70] id eſt, nunc demum ſaltem reſipiſcens coles me, & adhæreſces mihi. [71] nimirum ſi reſipueris, nónne condonaturus eſſes? ut Pſal. 103. 9. & infrà 3. 7. [72] demonſtratione hac Deus omnem culpam futuri mali in Judæis eſſe arguit, & ſe omni officio erga ipſos perfunctum eſſe confirmat.

CAPUT III.

Propheta per ſimilitudinem ſororum, Jiſraëlis improbitatem & Jehudæ contumaciam exponit: Judæos ad fidem & reſipiſcentiam hortatur, tum propter fedus & promiſſiones Dei, tum propter ventura mala niſi reſipiſcant: quæ mala poſtquam figuravit, confirmat eventura eſſe propter peccata totius populi; cujus conſcientiam appellat, & judicem conſtituit juſtitiæ Dei: tum ad eos orationem convertens qui leniùs cum populo agendum judicabant, ipſos & res creatas omnes provocat in teſtimonium obſirmationis & hypocriſeos ordinum omnium, quas non poſſe non caſtigari a Deo oſtendit: poſtremò Deus Prophetæ functionem acerbam confirmat, eámque Propheta accipiens judicium Dei proponit de populi reprobatione,

1 [1] DIxit autem Jehova mihi [2] temporibus
Joſchijæ regis, vidiſtíne quid fecerit
[3] averſa Jiſraël? [4] profecta eſt illa ſuper omnem
montem altum, & ſub omnem arborem viren-
tem, ubi [5] ſcortaris.
2 Quúmq; dicerem, poſtquam fecit omnia
hæc ad me revertatur, non eſt reverſa; vidente
[6] hoc perfida ſorore ejus Jehuda.
3 Itaque [a] viſum eſt mihi omnibus de cau-
ſis quibus adulterata eſt averſa Jiſraël, [7] dimit-
tere eam, & dare ei libellum [b] repudii: nec ta-
men timuit perfida Jehuda ſoror ejus, ſed abiens
ipſa ſcortata eſt quoque.
4 Fuítque præ [c] famoſa ſcortatione ſua ut
[8] contaminaret terram: nam adulterabatur cum
[9] lapide & cum ligno.
5 [10] Nec tamen [11] toto hoc reverſa eſt ad
me perfida ſoror illius Jehuda ex toto [d] animo
ſuo; ſed [e] falsò, dictum Jehovæ.
6 Quapropter dixit Jehova mihi, [12] juſtifi-
cat [f] ſe ipſam averſa Jiſraël; magis quàm perfi-
da Jehuda.

[1] Hujus concionis (qua Deus in univerſum peccata contumaciſſima Judęis exprobrat, ſuppliciáque denunciat per Babylonios adventura) partes ſunt quinque: prima eſt narratio peccati, cujus Jiſraëlitæ & Judęi rei erant coram Deo, uſque ad verſum 7. ſecunda eſt hortatio ad reſipiſcentiam & fidem ſuis argumentis confirmata, inde uſque ad caput 5. tertia, eſt confirmatio peccati & ſuppliciorum quæ antè fuerant dicta, inde uſque ad verſum 10. capitis 6. quarta eſt confutatio eorum qui negabant ita præcisè deſperandum eſſe de populo & denuncianda judicia Dei, uſque ad verſum 27. poſtrema eſt concluſio ſummatim continens Prophetæ confirmationem in functione ſua, ad finem uſque. Narratio autem quam primo loco ſtatuimus, per antitheſin Jiſraëlitarum Judæ contumaciam & obſtinationem oſtendit, quinque verſibus; ac propterea Jiſraëlitas Judæis anteponit, verſu 6. & minùs injuſtos pronunciat. [2] id eſt, iis ipſis temporibus quibus Judæi recuperata lege, inſtaurato Dei cultu, & ſedere redintegrato cum Deo, ſecum optimè actum hac externa ſpecie judicabant. Nam etſi ad mandatum Joſchijæ Eccleſia inſtaurata eſt, tamen non dubium eſt quin repetito federe perfidia Judæorum magis fuerit aucta evictáque, ut verſu 3. & 5. Propheta exponit. Quamobrem ab eo ipſo tempore quo fedus redintegraverat cum Judæis Dominus, id eſt, ab anno 13. Joſchijæ, peccatum Judæorum incipit, Jechezkel. 4. 6. [3] videlicet a Deo, quicum fedus iniverat & conjugio ſpiritali juncta fuerat, infrà verſu 9. allegoria in ſcripturis frequens. [4] nimirum ex quo cœpit corrumpi animus Schelomonis, 1. Reg. 11. 4. inde ab eo tempore ſcortata eſt cum idolis ſuis, ut tu Jehuda hactenus ſcortata es. [5] tu Jehuda imitaris ſcortationes illius. [6] nimirum averſionem ſcortationémque Jiſraëlitarum, & revocationem meam. [a] *Heb. vidi: ut Deut.* 12. 13. [7] id eſt, abjicere a me, exteriſque tradere ut factum legimus 2. Reg. 17. & 18. [b] *Heb. abſciſſionis ejus: ut Deut.* 24. 1. [c] *Heb. voce ſcortationis ſuæ.* [8] ut adulterio terra contaminari dicitur, Deuteron. 24. 4. [9] id eſt, idolis lapideis & ligneis, metonym. [10] id eſt, tota hæc federis & cultus Dei redintegratio per Joſchijam effecta mera fuit hypocriſis in Judæorum populo. [11] exemplo videlicet averſionis Jiſraëlitarum, & ſeveriſſimi ſupplicii quod de averſa Jiſraële ſumſit Deus. [d] *Heb. corde.* [e] *Heb. in falſitate.* [12] hoc eſt, juſtior eſt, aut potius minùs injuſta, ut expoſuimus ſuprà in verſum 1. ſic Jechezk. 16. 51. & 23. 11. dictum κατὰ τι. [f] *Heb. animam ſuam.*

7 [13] Abi ut proclames verba hæc [14] verſus
Aquilonem, dicens, revertere averſa Jiſraël,
dictum Jehovæ; non faciam ut irruat facies mea
irata in vos. nam benignus ſum, dictum Jehovæ,
non aſſervo *iram* in ſeculum.
8 Tantummodò agnoſce iniquitatem tu-
am, te a Jehova Deo tuo defeciſſe: nam [g] [15] ſpar-
ſim iniviſti vias tuas ad exteros ſub omni arbore
virente, & voci meæ non auſcultaſtis, dictum Je-
hovæ.
9 [16] Revertimini filii averſantes, dictum Je-
hovæ, nam ego conjugio junctus ſum vobis: &
[17] recipiam vos, unum ex civitate, & binos ex fa-
milia, ut adducam vos Tzijonem;
10 [18] Ubi daturus ſum vobis paſtores [h] ex
ſententia animi mei, qui paſcent vos ſcientia &
intelligentia.
11 Eritque quum augeſcetis & fœtificabitis
in hac terra temporibus illis; dictum Jehovæ, ut
[19] non dicant ampliùs, arca federis Jehovæ, ne-
que [i] veniat in animum: neque recordabuntur
ejus, neque recenſebunt, nedum ut [k] magnifice-
tur ampliùs.
12 Tempore illo vocabunt [20] urbem Jeruſcha-
laimorum *urbem* ſolii Jehovæ, & rectà confluent
eò omnes gentes ad nomen Jehovæ, Jeruſcha-
laima: neque [l] ſequentur ampliùs ſententiam
animi ſui mali.
13 Temporibus illis euntes domus Jehudæ
cum domo Jiſraëlis; venient pariter [21] e terra
Aquilonis in terram, quam poſſidendam tradidi
majoribus veſtris.
14 [22] Nam ego indicens quomodo repo-
ſiturus eſſem te inter filios, & daturus tibi ter-
ram [m] deſideratam, poſſeſſionem [n] deco-
ram, exercituum gentium; [23] dico, [24] pater
mi, invocato me, & [o] a me ſequendo ne aver-
tas te.
15 [25] Utique perfidè deſcivit [26] uxor ab a-
mico ſuo; utique perfidè egiſtis in me domus Jiſ-
raël, dictum Jehovæ.
16 Vox [27] in locis eminentibus audiatur, fle-
tus, deprecationes [p] Jiſraëlitarum; quia perver-
terunt viam ſuam, obliti ſunt Jehovæ Dei ſui, *di-
centis,*
17 Revertimini filii averſantes, curabo a-
verſiones veſtras: *vox inquam audiatur,* [28] ecce
nos accedimus te, quia tu *es* Jehova Deus no-
ſter.
18 Utique falsò [29] a collibus, multitudine
montium *exſpectatur:* utique in Jehova Deo no-
ſtro *eſt* ſalus Jiſraëlis.
19 Nam [30] pudendum iſtud conſumſit labo-
rem patrum noſtrorum [31] a pueritia noſtra; gre-
ges eorum, & armenta eorum, filios eorum & fi-
lias earum.
20 Jacemus in pudore noſtro, & operit nos
ignominia noſtra; quia Jehovæ Deo noſtro pec-
cavimus nos & patres noſtri a pueritia noſtra uſ-
que in hodiernum diem: neque auſcultavimus
voci Jehovæ Dei noſtri.

[13] ſecunda pars concionis Judæos & Jiſraëlitas hortatur ad reſipiſcentiam & fidem, hoc & ſeq. verſu, duobus argumentis: primùm a federe & promiſſionibus reſtituendæ & ampliandæ Eccleſiæ, uſque ad verſum 14. quibus ſubnectitur ſua reſipiſcentiæ forma, uſque ad verſum 5. capitis 4. deinde a prophetica venturorum malorum denunciatione niſi reſipiſcant, uſque ad caput 5.
[14] quaſi dicat, hoc ſigno demonſtra a te non tantùm Judæos revocari, ſed etiam Jiſraëlitas; qui in Mediam & Aſſyriam fuerant deportati Aquilonem verſus, 2. Reg. 17.6.
[g] *Heb. ſparſiſti.*
[15] id eſt, non uni tantùm idôlo adjunxiſti te, ſed omnes vias & ſemitas perveſtigaſti, ut cum ſingulis adulterari poſſes.
[16] prius argumentum hortationis, a federe conjugali & promiſſionibus Dei, ut diximus in verſum 7.
[17] id eſt, reſiduum veſtri conſervabo ſecundùm electionem gratiæ, & intromittam in Eccleſiam meam, tum ex Judæis & Jiſraëlitis, tribus verſibus, tum ex gentibus omnibus ad Eccleſiam agglutinatis per fidem & reſipiſcentiam cum Judæorum reliquiis, verſu 12. & 13. [18] ut copioſius promittitur infrà 23. & Jechezk. 34. Sunt autem hæ promiſſiones accipiendæ de regno ſpirituali Chriſti, ut ſequens verſus oſtendit. [h] *Hebr. ſecundum cor meum.* [19] id eſt, non ampliùs glorientur de externis ſymbolis, aut nitantur ceremoniis; ſed veri adoratores adorent Deum ſpiritu & veritate, quales Pater quærit qui ipſum adorent, Joan. 4. 23 Eſt autem in his verbis gradatio elegans; non gloriabuntur ac ne recordabuntur quidem: quorum verborum epexegeſis ſequente membro continetur. [i] *Hebr. aſcendat ſuper cor.* [k] *Hebr. fiat: ut Deuteron.* 22. 6. [20] id eſt, Eccleſiam, quam tum figurabant Jeruſchalaima. [l] *Hebr. ibunt ampliùs poſt aſpectum cordis ſui.* [21] id eſt, e loco ſuæ captivitatis, qua figurata eſt ſpiritualis illa captivitas unde eripiuntur filii Dei per Chriſtum, & vindicantur in libertatem ſuam, atque in Eccleſia collocantur, quam terra promiſſa adumbrabat. [22] ætiologia ſuperiorum promiſſionum erga reſipiſcentes, a decreto Dei gratioſo & immutabili erga filios ſuos: quorum reſipiſcentia informatur primùm ſanctis precibus ad Deum, toto hoc capite; deinde emendatione vitæ, quatuor primis verſibus ſequentis capitis: quæ duo prolepticè hoc verſu proponuntur. [m] *Hebr. deſiderii.* [n] *Hebr. decorû.* [23] id eſt, non aliam viam promiſſionum conſequendarum expono tibi, quam orationem fidei & reſipiſcentiam. [24] quaſi dicat, etſi indigna es quæ voceris filia, tamen freta veritate & conſtantia meâ me agnoſcito tibi patrem in æternum eſſe. [o] *Heb. a poſt me.* [25] exornatio prioris membri prolepſeos; ut Jiſraël evictus perfidiæ ſuæ, hoc verſu, inclamet Deum revocantem ſe, verſibus ſequent. [26] id eſt, domus Jiſraëlis a Deo, ut ſequentia explicant. [27] id eſt, palàm vox illa audiatur confeſſionis veſtræ, quæ exponitur a ſecunda parte verſus 17. ad finem uſque capitis. [p] *Heb. filiorum Jiſraëlis.*

[28] hujus confeſſionis & orationis qua Jiſraëlitæ ſiſtunt ſe Domino, partes ſunt duæ: una, qua ad Deum convertuntur, his primis vocibus; altera, qua cauſas enarrant quibus ſe committunt Deo. Sunt autem illæ primùm a natura & federe gratioſo Dei, hoc verſu: deinde ab effectis ejus, quæ per antitheſin idololatriæ amplificantur, duobus ſeq. poſtremò ab impotentia piorum, qui ſe in peccatis jacère & ſepultos eſſe agnoſcunt, ac proinde ſe minimè poſſe erigere ſentiunt niſi Deus ipſorum miſereatur, verſu ultimo. [29] id eſt, idôlis quæ in montibus colebantur: metonymia. [30] id eſt, idôlum, ut infrà 11.13. & Hoſche. 9.10. [31] id eſt, nunquam deſtitit nobis obeſſe, atque rebus noſtris.

CAPUT. IIII.

1 [1] SI reverſurus es Jiſraël, dictum Jehovæ,
ad me revertere: & ſi amovebis abomi-
nationes tuas a facie mea, [2] ne ergo vageris;
2 [3] Quin jures, vivit Jehova, [a] verè, ritè, &
juſtè; ut [4] benedicant ſibi in ipſo gentes, & in ipſo
laudent ſeſe.
3 [5] Nam ſic ait Jehova viris Jehudæ & Je-
ruſchalaimanis, novellate vobis novale; & ne
ſeratis in ſpinis:
4 [6] Circumcidite vos Jehovæ, & amovete
præputia [b] animi veſtri, viri Jehudæ, & habita-
tores Jeruſchalaimorum: ne prodiens tamquam
ignis excandeſcentia mea ita ardeat ut nullus
exſtinguat, propter malitiam actionum veſtra-
rum.
5 [7] Indicate in Jehuda, & Jeruſchalaimis
pronunciate ac dicite, clangite tuba in terra:
convocate *inquam,* [c] cogite *multitudinem,* & dici-
te, [8] congregamini, & ingrediamur in civitates
[d] munitas:
6 [9] Attollite vexillũ Tzijonem verſus, con-
firmate, ne conſiſtite: nam malum ego adductu-
rus *ſum* [10] ab Aquilone, & contritionem mag-
nam.
7 [11] Aſcendit leo ex [12] perplexo *vepreto* ſuo,
& interfector gentium proficiſcitur, prodit e lo-
co ſuo, ut exponat terram tuam deſolationi, *&*
civitates tuæ deſtruantur, & nemo inhabitet.
8 [13] Propterea accingite cilicia, plangite &
ejulate: quia non eſt averſus æſtus iræ Jehovæ a
nobis.

[1] Altera pars reſipiſcentiæ, de emendatione vitæ, ut diximus ſuprà 3. 14. Eſt autem hæc conceſſio vehementiſſima ad flectendos animos; pro eo quod eſt, ſi umquã debes (ut vulgus loquitur) te convertere, aut ſi umquã futurum eſt ut convertaris, queſo jam convertaris ad me.
[2] i. vias quam plurimas ſparſim ne ineas, ut dixit ſuprà 3. 8. ſed in me uno acquieſcas, ut docent verba ſeq.
[3] contrà quàm facis, ut demonſtratur cap. 5.
[a] *Heb. in veritate, in jure, & in juſtitia.*
[4] ex promiſſione Geneſ. 22. 18.
[5] ætiologia præcedentis hortationis ad reſipiſcentiã & emendationem vitæ (quæ primùm allegoria, hoc verſu; deinde typo circumciſionis figuratur, ſeq. verſu) propter mala graviſſima impendentia eis divinitus qui abnuerint reſipiſcere: ita comparatur tranſitus ad ſecundum hortationis argumentum. Comparatur enim Judæorum populus cum agro jam diu inculto & ſpinis horrente, reſipiſcentia verò cum novatione & runcatione ſpinarum, ut Hoſch. 10. 12. [6] ut Deuter. 10. 16. [b] *Hebr. cordis: ſic deinceps.* [7] ſecundum hortationis argumentum, a prophetica malorum denunciatione quæ obfirmatis erant eventura: quo in argumento continentur tria; primùm, denunciatio, uſque ad verſum 14. deinde hortatio hypothetica, ſi volent Judæi prænunciata mala declinare, inde ad verſum 19. poſtremò pathetica exornatio per hypotypoſin, uſque ad caput 5. Sunt autem hoc loco Dei verba denunciantis trepidationem Judæis ab hoſtis violentia, tribus verſibus; ſtuporem, verſu 9. & 10. & hoſtium violentiam, verſu 11. & duobus ſequentibus. [c] *Hebr. implete.* [8] verba Judæorum inter ſe, in munita loca metu hoſtis ſe recipientium. [d] *Heb. munitionis.* [9] id eſt, conclamate arma, ſynecdochicè. [10] ut ſuprà 1. 14. [11] id eſt, Chaldæus potentiſſimus & ferociſſimus: ut Jeſcha. 5. 29. [12] id eſt, e denſo latibulo perrumpit; etſi jam minimè cernitur. [13] brevis repetitio hortationis ad reſipiſcentiam & tempeſtivum luctum (quem ciliciis ſcriptura depingit ſynecdochicè) propter iram Dei & ſtuporem omnibus obventurum ab hoſtium violentia.

9 [14] Erit

9 [14] Erit enim die illo, dictum Jehovæ, ut
pereat animus Regis, & animus Principum; ob-
stupescántq; Sacerdotes, & Prophetæ mirentur;
10 Et dicā, aha Domine Jehovi, utique [e] pla-
nè dicêris seduxisse populum hunc, & Jeruscha-
laima, [15] dicendo pax erit vobis: [16] quum perti-
gerit gladius usque ad animam.
11 [17] Tempore illo dicetur populo huic & Je-
ruschalaimis, [18] ventus nitidus [19] locorum emi-
nentium in deserto, [f] viâ ad filiam populi mei;
[20] non ad ventilandum neque ad purgandum,
12 Plenus ventus, [21] fortior istis adveniet
[22] mihi: [23] nunc etiam ego eloquor [24] jura eis.
13 Ecce tamquam nubes ascendit, & [25] tam-
quam turbo currus ejus, leviores *sunt* aquilis e-
qui ejus: [26] væ nobis, quia vastati sumus.
14 [27] Ablue a malo cor tuum, Jeruschalai-
ma, ut serveris: quousque pernoctabit *illud* [g] in
animo tuo, cogitationes vanitatis tuæ?
15 [28] Nam vox indicat majorem quàm Danis,
& pronunciat vanitatem majorem quàm mon-
tis Ephrajimi.
16 [29] Commemorate [30] istis gentibus, ecce
pronunciate contra Jeruschalaima [31] custodes
advenire e terra longinqua, [32] qui edunt contra
civitates Jehudæ vocem suam.
17 Ut qui observant [33] agros, sunt contra eam
circumquaque; quia mihi rebellis fuit, dictum
Jehovæ.
18 [34] Via tua & actiones tuæ faciunt ista tibi:
hoc mali tui *est*, quòd amarus sit, quòd pertin-
gat in cor tuum.
19 [35] Viscera mea, viscera mea, doleo, [h] præ-
cordia mea, fremit mihi cor meum, non possum
silere: nam [36] sonum buccinæ audis anima mea,
clangorem belli,

[14] quemadmodum fuisse gestum sacra historia narrat 2. Reg. & 2. Chron. ultimis capitibus, & copiosè infrà 39. & 52. Sunt autem hujus stuporis duo genera: unus est infidelium proprius, ut stupeant attoniti & confundantur judiciis Dei, hoc versu; alter fidelium, ut in tanta rerum cóturbatione de nulla re sint tantoperè solliciti quàm de gloria & veritate Dei, quæ ab improbis ita oppugnari solet ac si Deus ipse Ecclesiam suam fefellisset: atque hoc suo ipsius exemplo demonstrat Propheta, vers. seq.

[e] *Heb. seducendo seduxeris.*

[15] per pseudoprophetas videlicet; qui quum Satanę ministrarent, perversè tamen obtendebant nomē Dei, infrà 6.14. & 7.4. & 10. & 23.1.

[16] id est, quum Deus exsequens severum judicium suum vos morti tradet. [17] narratio prophetica violentæ irruptionis Chaldæorum in Judæam; qua Propheta per antithesin evertit præcedentia pseudoprophetarum verba, & veritatem Dei ex eo asserit, quòd disertè ventura mala prænunciat Deus: quod genus argumentationis sæpius usurpatur apud Jeschahjam capite 40. & sequentibus octo. [18] id est, Babylonius, qui tamquam ventus vehementissimus tollet everrétque omnia: allegoria. [19] id est, qualis loca eminentia in patentibus latísque campis exposita solet percellere: sic ostendit Propheta nihil fore quod Chaldæorum impetum remoretur. [f] *Heb. via filia.* [20] sed ad perdendum videlicet: eclipsis contrarii, ut Genes. 33. 10. [21] id est, qui abripiet istos omnes, quorum meminerat suprà vers. 9. & 11. [22] id est, qui perficiat mandatum & voluntatem meam: quamobrem Nebucadnetzar servus Dei appellatur, infrà 25. & 27. [23] verba Prophetæ, quibus ostendit se fideliter prænunciare populo judicia quæ Deus imperavit verbis præcedentibus. [24] quæ Deus dedit superioribus verbis, & Propheta exponit sequente versu, pergens in eadem allegoria. [25] ut Jeschah. 5. 28 [26] Prophetæ verba, communem Judæorum calamitatem deplorantis. [27] hortatio ad resipiscentiam, ut diximus suprà in vers. 5. conjuncta primùm contestatione, hoc & sequente versu; tum denunciatione infesti adventus Babyloniorum, duobus sequentibus; ac postremò malitiæ Judæorum incusatione, versu 18. [g] *Hebr. in medio tui.* [28] exornatio præcedentis dicti de cogitationibus vanitatis Judæorum: clamare nimirum iniquitatem ipsorum plusquam Jisraëlitarum, quorum fines Dane & Ephrajimo terminabantur, ubi idôla sua collocaverant, 1. Reg. 12. 29. simile est suprà 3. 6. [29] denunciatio adventus Babyloniorum in Judæam obfirmatam, ut diximus suprà versu 14. [30] id est, Judæis, ut sequens membrum ostendit. [31] qui videlicet observant agros, seq. versu, ne quid effugiat aut eripiatur sibi. [32] id est, invadunt cum barritu militari, Synecdochicè. Dicuntur autem hi duo versus allegoricè a similitudine venatorum, qui concæde facta in ambitum sylvæ omnes transitus observant ne feræ vociferatione facta consternatæ & perterritæ effugiant in patentes campos. [33] id est, agrorum aditus, ne erumpant e sylvis feræ. [34] incusatio Judæorum, ut diximus in versum 14 qua docet Propheta quòd hostis tam infestus est, & quòd morte ipsos mulctaturus est, id suis ipsorum peccatis acceptum ferendum esse, propter quæ Deus Chaldæis ipsos, ut feras venatoribus, exposuerit. [35] exornatio pathetica præcedentis denunciationis, primùm per hypotyposin Prophetæ deplorantis calamitates populi, tribus vers. & maleficia calamitatum causas, usque ad versum 27. deinde judicium Dei ad luctus sui confirmationem repetentis, ad finem usque capitis. Quamobrem ad exprimendam hujus σχετλιασμοῦ vehementiam initium fit per congeriem & eorumdem verborum repetitionem, ut ferè lugentes faciunt. [h] *Heb. parietes cordis mei.* [36] id est, denunciationem belli spiritu Dei afflatam intelligis.

20 [37] Contritionem super contritionem pro-
clamari, quia vastanda est tota hæc terra: re-
pentè vastabuntur tentoria [38] mea, momento au-
læa mea.
21 [39] Quousque visurus sum vexillum? audi-
turus sonum buccinæ?
22 [40] Quoad stultus erit populus meus, *quoad*
me non agnoscent, *quoad* filii stolidi erunt, neque
intelligentes erunt: *quoad* sapientes erunt ad
malefaciendum, & benefaciendi ignorantes.
23 [41] Quum respicio in terram, ecce [42] res
inanis *est* & vacua: sin autem cælos, [43] nulla *est*
lux eorum.
24 Si respicio istos montes, ecce [44] commo-
ventur: & omnes isti colles levissimè movent se.
25 Si aspicio, ecce nullus *est* homo: etiam
omnes aves cælorum evagantur:
26 Si aspicio, ecce arva ipsa *sunt* desertum: &
omnes civitates istius dejectæ sunt propter Je-
hovam, propter æstum iræ ejus.
27 [45] Nam sic ait Jehova, desolata futura est
tota hæc terra: [46] sed consummationem nondum
fecero.
28 Ad hæc [47] lugebit terra, & [48] atrati erunt
cæli supernè; eò quòd loquutus sum, cogitavi,
neque pœnitet me, neque avertam me ab eo.
29 A sono equitum & jaculantium arcu [i] fu-
gient omnes opidani. [49] venient in ipsas nubes,
& in petras ascendent: omnis civitas derelinque-
tur, & nemo habitator in eis *erit*.
30 [50] Tu autem *regio populi* vastandi, quid fa-
cis, quòd induis te dibapho, quòd ornas te orna-
tu aureo, quòd laceras [51] fuco oculos tuos? in
vanum reddis te pulcram: respuunt te amasii,
[52] animam tuam quærunt.
31 Nam vocem quasi parturientis audio, an-
gustiam similem [53] primiparæ, vocem filiæ Tzijo-
nis subinde anhelantis, pandentis manus suas,
dicendo, væ jam mihi, [54] quòd fessa fuerit anima
mea ab interfectoribus.

[37] i. novas subinde clades aliis aliis succedere usque ad deletionem regni: prout factum esse inde a temporibus Joschijæ legimus, 2. Reg. 24. & 25.

[38] id est, populi mei habitationes, synecdochicè: sic inf. 6. 24.

[39] interrogatio lugubris, viam faciens ad maleficiorum hypotyposin.

[40] subjectio ad præcedentem interrogationē, exponens peccata supplicióq; populi, quæ enumeratione singulari demonstrantur quatuor versibus seq.

[41] id est, omnia horrent peccatis ubique, ac proinde tam severa Dei judicia in regionem hanc propter peccata immittentur, ut omnia Judæis futura sint luctuosissima; quod hyperbolis elegantissimis Propheta narrat versib. quatuor.

[42] quum prius afflueret lacte & melle, dum ambularent coram Deo: Exodi 3. 8.

[43] id est, velut atri ac lugubres erunt: ut Jesch. 50. 3. [44] abhorrentes a peccatis, & severis Dei judiciis, ac proinde decutientes habitatores suos ut sequens versus indicat. [45] confirmatio præcedentis hypotyposeos a decreto Dei irrevocabili, quemadmodum Deus jam antè per Chuldam prophetissam dixerat, 2. Reg. 22. 14. Sunt autem hujus confirmationis partes duæ: una, qua Deus gravissimum judicium enunciat, tribus versibus: altera, qua per apostrophen Judæorum fiduciam inanem excutit, duobus ultimis. [46] id est, nondum consummavero iram & judicium meum, quum terram desolavero; sed desolatam perdiu cōtinebo, ut permaneat in luctu longissimo, seq. versu; secundùm legis interminationē, Levit. 26. 34. & 43. [47] id est, desolata manebit, allegoricè. [48] ut suprà vers. 23. nam priùs insignis erat & illustris terra, quum oculi Jehovæ curarent eam, Deut. 11. 12. [i] *Heb. fugit tota civitas: metonymia.* [49] i. in loca præalta & ardua, ut consulant vitæ suæ: hyperbolæ. [50] apostrophe ad Judæam, quæ cum scorto impudentissimo comparatur, mangonio suo & lenociniis pelliciente amatores suos. [51] ut de Izebela dicitur, 2. Reg. 9. 30. [52] id est, vitam, ut alibi passim. [53] nam a natura difficiliores esse primos quosque partus inter medicos convenit. [54] id est, quòd ad lassitudinem usque maximam discursaverim, ut amatores conciliarem mihi, & pro amatoribus interfectores comparaverim. Nam ita allegoricè Judæi confitentur se perniciem sibi justo Dei judicio accersivisse ab iis, quorum operam sibi jucundum fore speraverant: ut de Assyrio narrat Jeschahja, 8.7.

CAPUT V.

1 [1] PErcurrite [2] plateas *urbis* Jeruschalaimo-
rū, & videte jam atq; cognoscite & dis-
quirite in plateis ejus, an inveniatis virum, an sit
qui exerceat jus, requirat fidē; & cōdonabo [3] illi.

[1] Tertia pars concionis, nimirum confirmatio tum peccati quod Judæis Propheta exprobrat, versib. quinque; tum supplicii denunciati, v. 6. quæ duo primùm exornantur per contestationem, usque ad v. 20. deinde amplificantur, usque ad vers. 10. seq. capitis. Exprobratur autem peccatum Judæorum primùm ex eo quòd nemo justus in illis inveniri possit, etsi unius causa Deus se urbis totius misertorum esse pollicetur, duobus versibus; deinde ex eo quòd ferulis non corriguntur, sed obdurantur magis, v. 3. postremò quòd ne ipsi quidē præfecti & administratores populi resipiscerent, sed januam omnis licentiæ sibi totique populo aperirent. [2] vide in Gen. 18. 26. [3] nimirum urbi propter justum illum, ut Gen. 18. 23. & seq.

2 Sed

2 Sed quum, vivit Jehova, dicunt; [a] hoc pa-
cto falsò jurant.
3 [4] O Jehova, oculi tui an non *spectarent* ad
fidem? [5] percutis eos, sed non dolent; consumis
eos, renuunt accipere eruditionem; reddunt fa-
ciem suam obfirmatiorem petra, renuunt con-
verti.
4 Quamobrem ego dicebam, utique tenues
sunt [6] isti: stultè agunt, quia [7] ignorant viam Je-
hovæ, jus Dei sui.
5 [b] Ibo ad magnates ipsos, ut alloquar eos;
nam ipsi norunt viam Jehovæ, jus Dei sui: at ipsi
pariter fregerunt [8] jugum, diruperunt vincula.
6 [9] Idcircò percutiet eos [10] leo e sylva, [11] lu-
pus [c] vespertinus vastabit eos, [12] pardus obser-
vabit ad civitates eorum, quisquis egredietur ex
eis, discerpetur: quia plurimæ sunt defectiones
eorum, numerosæ aversiones eorum.
7 [13] Ubi est huic *urbi unde* condonē tibi? [14] fi-
lii tui derelinquunt me, & jurant per [d] eos qui
non sunt dii: simulac satiavi eos adulterantur, &
in domum meretricis turmatim conveniunt.
8 *Ut* equi pasti sunt quum manè surgunt:
quisque ad uxorem proximi sui adhinniunt.
9 An propter ista non visitarem? dictum Je-
hovæ: & an de gente hujusmodi non sumeret
ultionem anima mea?
10 [15] *Dicens*, Ascendite in muros ejus, ac per-
dite, & [16] consummationem ne facitote: [17] amo-
vete pinnas ejus, quia isti non *sunt* Jehovæ.
11 Nam [e] omninò perfidè egerunt contra
me, domus Jisraëlis, & domus Jehudæ, dictum
Jehovæ.
12 Ementiuntur Jehovam, & dicunt, [18] non
ita est: neque eventurum est nobis malum, &
gladium & famem non [f] experturi sumus:
13 Et isti Prophetæ [g] abibunt in ventum, &
verbum nullum *est* in eis: [19] ita fiet ipsis.
14 [20] Idcircò sic ait Jehova Deus exercitu-
um, eò quòd loquimini verbum istud; ecce ego
redditurus sum verba mea in ore [21] tuo velut ig-
nem, populum autem hunc *velut* ligna quæ ille
consumat.
15 Ecce ego adducturus sum cōtra vos [22] gen-
tem e longinquo, ô domus Jisraëlis, dictum Je-
hovæ: *quæ* gens robusta est, gens [h] [23] antiquissi-
ma est, gens cujus ignorabis linguam, neque in-
telliges quid loquetur:
16 Cujus pharetra [24] velut sepulcrum aper-
tum, omnes erunt potentes.
17 Et comedet messem tuam, & cibum tuum,
quem comedissent filii tui & filiæ tuæ, comedet
greges tuos & armenta tua, comedet vites tuas
& ficos tuas: depauperabit civitates munitas tu-
as gladio, quibus tu confidis.
18 Sed ne temporibus quidem illis, dictum
Jehovæ; fecero vobiscum [25] consummationem.
19 Nam erit quum dicetis, propter quid facit
Jehova Deus noster nobis omnia ista? ut dicas
eis, quemadmodum dereliquistis me, & servivi-
stis diis alienigenarum in terra vestra, ita servi-
turi estis exteris in terra non vestra.
20 [26] Indicate hoc in domo Jahakobi, & pro-
nunciate ipsum in Jehuda, dicendo,
21 Audite jam hoc, popule stolide & excors;
[27] quibus oculi *sunt* & non vident, quibus aures &
non audiunt:
22 [28] An me non reverebimini? dictum Je-
hovæ, an a facie mea non contremiscetis? qui
disposui arenam terminum mari, statuto [i] perpe-
tuo, quod non transgredietur: quamvis incuti-
ant se, non tamen prævalent; quamvis fremant
fluctus ejus, non tamen transgrediuntur illud.
23 At populo isti *est* [k] animus contumax &
rebellis: [29] ut recesserunt, pergunt:
24 [30] Neque dicunt cum animo suo, reverea-
mur jam Jehovam Deum nostrum, qui dat plu-
viam, tempestivam & serotinam tempore suo:
[31] septimanas, [32] statuta messis servat nobis.
25 Iniquitates vestræ avertunt ista, & pec-
cata vestra cohibent bonum hoc a vobis.
26 [33] Nam [l] præstò sunt in populo meo im-
probi: *quisque* [34] contemplatur [m] ut tendentes
aucupes, statuunt perditionis instrumenta, ho-
mines capiunt.
27 Ut cavea plena avibus, ita domus eorum
plenæ *sunt* [35] dolo: [36] propterea magni & divites
sunt,
28 Pingues, nitidi sunt; etiam [37] transcen-
dunt [n] res malas, causam non judicant, causam
pupilli, tamen prosperantur: & jus egentium non
judicant.
29 [38] An propter ista non visitarem? dictum
Jehovæ: an de gente hujusmodi non sumeret
ultionem anima mea?
30 [39] Res stupenda & horrēda fit in terra hac:
31 Prophetæ ipsi prophetant [o] falsò, & sacer-
dotes [40] dominatum exercent [p] horum operâ, &
populus meus ita amant: quid autem [41] facturi
essetis [q] tandem?

[a] *sic* 1. *Scbem.* 37.6. & 28.2. [4] apostrophe ad Deum, velut testem, cognitorem, & judicem obfirmationis populi. [5] id est, & infideles sunt; & quò magis verberas, eo magis in perfidia obfirmantur. [6] nimirum qui renuunt accipere eruditionem, & obfirmant sese. Tenues enim hic accipiuntur pro vulgo & plebe infima: ut 2. Reg. 24.16. & 25.15. & inf. 40.7. [7] i. imperiti sunt: periphrasis: sic Joan. 7.49. [b] *Heb. ibo mihi:* ut *Gen.* 11.13. [8] Dei, legis, & omnis disciplinæ. [9] brevis pœnæ instantis denunciatio, scatens allegoriis. [10] ut suprà 4.7. [11] i. hostis veteratorius, qui similis est lupo jam diu exercitato in præda vespere comparanda, ut feræ solent, Psal. 104.20. sic Chabakuk. 1.8. & Tzeph. 3.3. [c] *Heb. vesperarū.* [12] cujus proprium est insidere condensis arborum, occultari earum ramis, & in prætereuntia desilire, ut narrat Plinius libr. 10. nat. hist. cap. 73. sic Hosc. 13.7. [13] exornatio duarum præcedentium confirmationis partium, ut diximus versu 1. quæ confirmat tum Judæorum peccata per contestationem, usque ad versum 14. tum supplicia divinitus infligenda, usque ad vers. 20. quibus duabus partibus deinde sua sigillatim amplificatio subjungitur. Incipit autem hæc contestatio ab eodem argumento quod proposuerat Deus, vers. 1. condonarem (inquit) si quisquam aut quicquam esset quare ad condonandum adducerer: sed ubi est? quasi dicat, nusquam est in tota civitate sancta. [14] id est, omnes deficiunt a Deo, in idôlis gloriantur, & in spirituali atque corporali scortatione volutantur. [d] *Hebr. non deos.* [15] brevis descriptio judicii ex mandato Dei per Chaldæos exsequendi, ut habetur 2. Regum 24. & 25. [16] id est, sed ne his quidem rebus gestis existimate vos consummasse judicia mea: adhuc plura vobis & mihi restabunt facienda, ut suprà 4.27. & infrà versu 18. [17] id est, diruite muros, ut 2. Regum 15.13. & Nechemja 1.3. & 2.3. [e] *Heb. perfidè agendo.* [18] ut Jehova per Prophetas dicit: vide 2. Chronic. 36.15. [f] *Heb. visuri: ut Psal.* 34.13. [g] *Heb. erunt vento.* [19] id est, potiùs hæc mala in ipsos recident, & nos malè mulctabimus ipsos: prout denunciant nobis, ipsos gladio perdemus & fame: sic tentatum fuisse in Jirmejam legimus infrà 11. & 18. & 20. & 26. & 37. & sequent. [20] exornatio suppliciorum, ut diximus in versum 7. quâ Deus primum Prophetam instruit & armat potente verbo, ut liberè judicia pronunciet, hoc versu; deinde judicia illa explicat, quinque sequentibus. [21] apostrophe ad Jirmejam, qui prænuncians verbo calamitates populi illud facere dicitur quod Deus præstat opere, versibus seq. sic Jechezk. 24.3. & 9. vide suprà 1.10. [22] ut Jesch. 5.26. ex lege Deut. 28.49. [h] *Heb. a seculo.* [23] id est, cujus monarchia & Respublica jam olim fuit rerumpublicarum princeps: vide Genes. 10.10. [24] id est, multos conficiet & consumet sagittis e pharetrâ, metonymicè.

[25] ut suprà versu 10. [26] jam sequitur amplificatio duorum præcedentium locorum confirmationis, ut diximus versu 7. primùm enim contestatio peccati Judæorum illustratur, hoc toto capite; deinde judiciorum prænunciatio, versibus novem capitis seq. [27] ut Jeschah. 42.18. & 33. [28] primum contestationis argumentum, increpans obfirmationem Judæorum ab exemplo admirabilis operis Dei, qui arena coërcet immanes fluctus maris. [i] *Heb. seculi.* [k] *Heb. cor: sic vers. seq.* [29] id est, nulla re coërcentur, quum decretum Dei arenâ coërceat fluctus maris ingētissimos. [30] secundum contestationis argumentum: neque revocantur (inquit Deus) singularibus erga ipsos beneficiis. [31] id est, annos illos intermissionis terræ; quibus singularem benedictionem Deus promiserat Levit. 25.20. & sequent. [32] quæ ipse promisit in messem, Levit. 26.4. & 10. [33] descriptio iniquitatis Judæorum, quam neque exemplis omnipotentiæ, neque beneficentia Dei corrigi Propheta demonstravit trib. versib. [l] *Heb. inveniuntur.* [34] descriptio allegorica obfirmatæ & accuratissimæ malitiæ populi, hoc & sequente versu, cui similis est Proverb. 1.17. [m] *Heb. secundùm tendere.* [35] id est, rebus dolo partis. [36] id est, neque tantùm non afficiuntur conscientia mali, sed etiam ex illis augescunt, in illis gloriantur, ditantur, pinguescunt, &c. [37] id est, expertes sunt omnis mali: non sunt nexus eis usque ad mortem eorum, &c. ut Psalm. 73.4. & sequent. [n] *Hebr. res mali.* [38] regressio ad contestationis verba, suprà versu 9. [39] videlicet quæ exponitur sequente versu. [o] *Heb. in falsitate.* [40] id est, dominos agunt in hæreditatem Domini, ut dicitur 1. Petr. 5.3. idque ministerio pseudoprophetarum, quos sacerdotes ad conciliandam sibi auctoritatem submittebant. [p] *Heb. per manum horum.* [41] videlicet nisi reprimeremini suppliciis, quæ mox denunciantur. [q] *Heb. in extremitate hujus.*

CAPUT VI.

1 [1] Congregate vos [2] Binjamitæ [3] è medio
Jeruschalaimorum, & [4] Tekohi clangite

[1] Amplificatio alterius partis in confirmatione positæ: quâ Propheta veluti bellicum canens maximas clades Judæis prænunciat, usque ad versum 10. [2] id est, Judæi omnes, synecdochicè: sed Binjaminitæ probrosè videntur appellari propter scelus Gibhæ, de quo Judicum 19. & sequent. ut Hosch. 9.9. & 10.9. quasi dicat, scelerati adulteri: quomodo vocantur principes Sedomi & populus Hamoræ, Jeschah. 1.10. [3] id est, excurrite in fines vestros ad repentinam hostilis adventus significationem. [4] quod opidum erat Jehudæ, ut apparet ex 2. Chron. 2.24. & 4.5. & 10.9. & 1. Machæorum 9.33.

buccina,& [5] Beth-ceremum versus extollite [a] incendium : quia malum prospectatur ab [7] Aquilone,& contritio magna.

2 [8] Decoræ & delicatæ assimilaveram filiam Tzijonis :

3 Ad eam venturi sunt [9] pastores cum gregibus suis ; fixuri adversus eam tentoria circumquaque,depasturi quique spatium suum.

4 [a] [10] Comparate contra eam bellum, surgite & ascendamus [11] ipso meridie : [12] væ nobis quia abiit dies, quia inclinarunt umbræ vespertinæ:

5 [13] Surgite & ascendamus ipsa nocte ; & perdamus palatia ejus.

6 [14] Nam sic ait Jehova exercituum, cædite ligna , & diffundite contra Jeruschalaima [b] missilia catapultaria ; hæc ipsa civitas visitanda est, [c] quanta quanta est,oppressio *est* in medio ejus.

7 Sicut manat puteus aquas suas, ita manat *illa* malitiam suam ; violentia & vastatio auditur in ea,ante faciem meam jugiter ægritudo & percussio *est*.

8 Erudire,ô urbs Jeruschalaimorum,ut non [15] luxetur anima mea a te ; ut non reddam te desolatam,terram non inhabitatam.

9 Sic ait Jehova exercituum, [d] prorsus racemabunt, tamquam vitis, reliquias Jisraëlis: [16] *dicentes*, refer manum tuam, ut vindemiator cum qualis.

10 [17] Quos alloquar & contestabor ut audiant ? ecce [18] præputiata *est* auris eorum, adeò ut non possint attendere: ecce verbum Jehovæ est eis [e] probrosum,non delectantur eo.

11 Quamobrem [19] excandescentia Jehovæ plenus sum, defessus sum continendo, effusurus sum super parvulum foris, & super cœtum juvenum pariter : quin etiam vir cum fœmina capientur,senex cum [f] decrepito.

12 Et devolventur domus eorum ad alienos, agri & uxores pariter: quum extendam manum meam super habitatores istius terræ, dictum Jehovæ.

13 [g] Nam a minimo eorum usque ad maximum eorum quisquis est, [g] deditus *est* quæstui ; etiam tum Propheta tum Sacerdos, quisquis est agit falsò.

14 Nam curant contritionem filiæ populi mei [20] [h] secundùm curationem mali leviculi, dicendo, pax pax ; etsi nulla *est* pax.

15 [21] Fecerúntne ut erubescerent quum abominationem fecerunt? neque [22] *illi* [i] prorsus erubescunt, neque ignominia afficere sciunt [23] *illi*, idcircò cadent cum illis cadentibus, tempore quo visitabo illos corruent, ait Jehova.

16 [24] Sic dicente Jehova, [25] state secundùm vias & aspicite, ac interrogate de semitis [k] antiquis, quænam sit via boni, & ambulate per eam, ita invenietis requiem animæ vestræ : dixerunt, non ambulabimus.

17 Me constituente etiam super vos [26] speculatores, *dicendo*, [27] attendite ad sonum tubæ ; dixerunt,non attendemus.

18 [28] Idcircò audite ô gentes, & agnosce ô cœtus, [29] quæ insint istis.

19 Audi ô terra, ecce ego adducturus sum malum in populum istum ; [30] fructum cogitationum ipsorum; quia ad verba mea non attendunt, & ipsam quoque legem meam spreverunt.

20 [l] Quorsum mihi thus è Scheba advenit,& calamus odoratus præstantissimus e terra longinqua ? holocausta vestra non *sunt* [l] accepta, & sacrificia vestra non sunt suavia mihi.

21 Idcircò sic ait Jehova, ecce ego dispositurus sum populo huic [31] offendicula ; in quæ offendant [32] patres & filii pariter, vicinus, & amicus ejus,pereántque.

22 Sic ait Jehova,ecce populus venturus est [33] e terra Aquilonis ; & gens magna excitabitur e lateribus terræ.

23 Arcum & hastam vexillarem tenebunt, crudelis erit *quisque*, neque miserebuntur, vox eorum quasi mare fremet, & equis vehentur ; *gens* instructa ut vir ad bellum, contra te, ô filia Tzijonis.

24 [34] Audientibus nobis rumorem ejus,remittentur manus [35] nostræ ; angustia prehendet nos,dolor tamquam parturientis.

25 Ne exitote in agrum, & via ipsa ne pergitote ; quia gladius inimico *est*, formido circumquaque.

26 O filia populi mei, accinge cilicium, voluta te in cinere, luctum unigeniti [m] age, planctum [n] amarissimum; nam repentè venturus est vastator contra nos.

27 [36] *In* exploratoria specula constitui te apud populum meum, *in* munitione; ut cognoscas & explores viam eorum.

28 Omnes sunt [o] contumacium contumacissimi, ambulantes *cum* detractione, [p] chalybei & ferrei : omnes corruptores sunt :

29 [37] Exarescit follis, igne consumitur plumbum ; in vanum [q] pergit conflare [38] *conflator*, nam mala avelli non possunt.

[5] in Binjamine, ut colligitur ex Nechem.3.14. [a] i. ignis significationem, ut Plinius nominat: Græci appellant φρυκτὰς, & speculatorias turres φρυκτωρίας. [7] ut suprà 1.14. vide suprà 4.6. & 20. [8] id est,pace,& bonis omnibus, gloriáque Judæam exornaveram, & saturaveram : ut suprà 5.7.& 24. sed ea ipsa ornamenta hostes adversus Judæam provocatura sunt, ut prædixerat Jeschahja Chizkijæ 2.Regum 20.17. [9] id est, Reges, Principes, & duces cum copiis ; sic infra 12.10. [a] Heb. sanctificate. [10] ethopœia, qua Propheta verba Regum & ducum exprimit studio & celeritate interse contendentium, ut certatim invadant Jeruschalaima. [11] id est, quàm primùm, antequàm inclinet dies. [12] indignantium verba, quòd non maturè satis ex sententia animi sui impressionem fecerint. [13] q.d. noctes potiùs insomnes ducamus, quàm ut obsidionem & eversionem Jeruschalaimorum differamus : ut Jeschah.5.27.

[21] i. an unquam Prophetæ isti populum reprehenderunt maleficiorum nomine? [22] populares. [i] Heb. erubescendo. [23] Sacerdotes & Prophetæ, quibus hæc cura fuerat mandata, Levit.10. sic infrà 8.9. [24] summa præcedentis rebellionis explicatio qualis fuit in populo, hoc versu; & in Prophetis ac Sacerdotibus, vers. seq. [25] id est, non tantùm ex privata, sed etiam ex publica majorum administratione & vitæ genere observate, atq; cognoscite quod vitæ genus sit vobis amplectendum, ut securam porrò agatis vitam: allegoria. [k] Heb. seculi. [26] Sacerdotes & Prophetas tùm ordinarios, tum extra ordinem : sic Jescha.57.2. [27] videlicet quem significetis & pronuncietis populo : ut Jechezk.3.17. & 33.7. [28] altera pars confutationis, qua Deus præfractos Judæos omissos faciens, gentes omnes & terram ipsam contestatur, duobus versib. hypocrisin redarguit, vers. 20. & sententiam fert exitii, vers.21. quam sequentibus explicat. [29] id est, peccata quorum isti peraguntur rei, & sententiam meam.

[14] confirmatio præcedentis denunciationis a decreto Dei, quo primùm hostes provocantur, deinde causa justitiam Dei asserens exponitur, hoc & seq. versu: tum patheticè Judæa ad resipiscentiam revocatur, vers.8. ac postremò judicium destinatum pronunciatur, ℣.9. [b] *Heb. catapultaria* : *metonym. ut* 2.Reg.19.32. [c] *Heb. tota ipsa.* [15] id est, tamquam luxatum aut elisum membrum discedat abs te, & tu abscindaris ab illa tamquam abalienatum membrum : metaphora optimè communionem Dei cum fidelibus explicans: ut Jeschezk.23. [d] *Heb. racemando.* [16] id est, subinde revertentes ad spolia Judææ exportanda, donec tota fuerit exhausta. Nam sæpius & per partes Judæa expilata est: ut narratur infrà 52.28. [17] quarta pars concionis, nimirum confutatio vanæ Judæorum præfidentiæ (qui negabant ita præcisè desperandum de populo, & denuncianda judicia Dei) a malitia & obfirmatione illorum adversus verbum ejus usque ad versum 18. deinde ab hypocrisi & simulatione externa cultus, versu 20. quibus malis suæ pœnæ denunciantur, versibus sequentibus. Exponitur autem illa malitia ab enumeratione partium : duæ sunt (inquit) Judæorum partes, popularis & Ecclesiastica : ut suprà 5.31. popularis obstinatio deplorata est, hoc versu ; ac proinde maledicta, duobus seq. ecclesiastica verò eo deterior est, quòd non tantùm Prophetæ & Sacerdotes ipsi obfirmantur, sed alios etiam obdurant falsis promissionibus, tribus sequentibus. Quamobrem rebellio utriusque ordinis tandem concluditur, vers.16.& 17. [18] id est, occlusa & obstructa, veluti obducta cute aut adipe, atque obstipata, ne accipiat verbum Dei : nam præputium Hebræis accipitur pro re quavis putanda resecandáque ; ut Levit.19.23. [e] *Heb probro.* [19] id est, verbis propheticis gravissimam Dei indignationem testificantibus ; ut sup.4.19. [f] *Heb. pleno dierum.* [g] infrà 8.10. [g] *Heb. quæstuosus est quæstum.* [20] id est, ut curantur afflatu vel palpatione leviculi puerorum casus, cùm tamen gravissima sint & mortifera mala populi. [h] *Heb. secundùm leviculum.*

[30] ut Proverb.1.31. [l] *Jeschah.1.11.* [l] *Heb. benevolentiæ.* [31] id est, instrumenta exitialis ruinæ, quæ exponuntur duobus ℣. seq. [32] ut suprà ℣.11. id est, omnes promiscuè, synecdochicè. [33] ut suprà 1.14. [34] exornatio præcedentis interminationis a consternatione, vastatione, & luctu Judæorum gravissimo, tribus versib. [35] id est, Judæorum : in quorum numero modestè se ipsum comprehendit Propheta per synecdochen. [m] *Heb. age tibi : pleonasmus.* [n] *Heb. amaritudinum.* [36] conclusio totius concionis : qua primùm Deus Prophetam confirmat in functione sua, hoc versu ; deinde Propheta, tamquam rebus cognitis & exploratis, summam totius concionis repetit de improbitate & reprobatione populi : similem allegoriam vide Jeschah.1.16. & seq. [o] *Heb. contumaces contumacium* : *ut* Gen.9.25. [p] *Heb. æs & ferrum.* [37] ὑπερβολὴ præcedentis dicti, Judæos in se ipsis ferreos & chalybeos esse, & adjuncta sibi omnia corrumpere : vere (inquit Propheta) sunt ferrum & chalybs ; non autem argentum, ut videri volunt : nam tantùm abest ut mala, tamquam scoriæ, ab ipsis disparentur, ut contrà non magis fundi & conflari possint quàm ferrum aut chalybs : imò potius exsiccantur Aeoli pylæ, contrahuntur & exuruntur folles, plumbum totum (quod ad commoditatem fusuræ adhiberi solet) omnino evanescit, quàm ut liquari possint ad purgationem sui. [q] *Heb. conflat conflando.* [38] sive Deus opifex summus, sive administri ipsius.

30 [39] Argentum

30 [39] Argentum reprobum [r] vocantur illi, quia
reprobat Jehova illos.

[39] appellatio ἀντιφραστικὴ ſive per conceſſionem dicta: argentum, inquit, dici volunt: dicantur ſanè; ſed reprobos tamen eſſe, & reprobatos a Deo artifice ſapientiſſimo cognoſcent omnes. [r] *Heb. vocabunt illos, imperſonaliter: ut Ijob 7.3.*

CAPUT VII.

Propheta Judæos a prava converſatione revocans, ad reſipiſcentiam & fidem hortatur promiſſionum ab ipſo acceptarum nomine: illorum peccata conteſtatur, & certiſſimas pœnas denunciat: ſtuporem, obfirmationem & præſumtionem arguit, judiciáq; Dei ventura explicat: propter quæ ſeſe ad luctum convertens, populum ſuum deflet: abeſſe ab illo deſiderat, ne peccata illorum horrendáque judicia videre cogatur: inanem illorum fiduciam in legem, & Prophetarum delinimenta evincit a rebellione ipſorum: luctum omnibus indicit: ac poſtremò conſolatus bonos, fore prænunciat ut Judæi uno cum reliquis gentibus judicio divinitus retundantur.

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam a Jehova,
dicendo,
2 Sta [2] in porta domus Jehovæ, ut procla-
mes ibi verbum hoc: dices igitur, audite verbum
Jehovæ omnes Jehudæi, qui intratis per portas
has incurvando vos *adoraturi* Jehovam.
3 [3] Sic ait Jehova exercituum Deus Jiſraë-
lis, [4] bonas efficite vias veſtras & actiones ve-
ſtras: tum faciam ut habitetis in loco hoc.
4 [5] Ne habetote fiduciam veſtram in rebus
[a] falſis, dicendo: [6] templi Jehovæ, templi Jeho-
væ, templi Jehovæ iſta *ſunt*:
5 Sed omnino bonas efficitote vias veſtras
& actiones veſtras; ſed omnino exercetote jus
inter virum unum [b] & alterum.
6 Peregrinum, pupillum, & viduam ne op-
primitote, & ſanguinem innoxium ne effundito-
te in loco hoc: denique [c] Deos alienos ne proſe-
quimini malo veſtro:
7 Et faciam ut habitetis in loco hoc, in ter-
ra quam tradidi majoribus veſtris, inde a ſeculo
uſque in ſeculum.
8 [7] Ecce vos habetis fiduciam veſtram in
verbis falſis, [d] minimè profuturis.
9 An furando, occidendo & adulterando,
jurandóq; falsò, & adolendo Baſiali; denique ſe-
quendo deos alienos quos non noviſtis,
10 Etiam venietis & ſtabitis coram me in
domo hac [e] quæ vocatur de nomine meo, & di-
cetis, [8] eripimur? [9] ut perficiatis omnes abomi-
nationes iſtas.

[1] Hujus concionis (quæ eodem ferè eſt argumento quo ſuperiores duæ) partes ſunt quinque: prima eſt exordium per narrationem mandati a Deo accepti, duobus verſibus; ſecunda eſt propoſitio hortans ad reſipiſcentiam & fidem, promiſſionéſq; & minas denuncians, uſq; ad verſum 17. tertia eſt confirmatio ſingularum propoſitionis partium, uſq; ad verſum 12. capitis 9. quarta eſt confutatio inanium defenſionum quibus Judęi ſe purgare conabantur, inde ad verſum 23. poſtrema eſt concluſio bonis conſolationem afferens, & impiis omnibus promiſcuè judicium denuncians, ad finem. [2] atrii maximi, quod etiam atrium populi appellatur. [3] ſecunda hæc pars, propoſitio, continet hortationem ad reſipiſcentiam & fidem veram, uſque ad verſ. 7. idq; propter certiſſimas Dei promiſſiones, verſ. 7. deinde a contrario côteſtatur peccata Judęorum, pœnáſq; denunciat irrevocabiles, inde ad 17. [4] propoſitio ſumma hortationis & promiſſi, quæ ſeq. quatuor ✠ exponuntur. [5] i. ne arrogetis promiſſiones vobis, tamquam ſi perpetuò hærerent vobis & ſine côditione fuiſſent datæ: quod eſt falſiſſimum. [a] *Heb. falſitatis: ſic inf. ✠.8.* [6] i. quid reprehendis, ô Propheta, in operibus noſtris? aut cur conſtantiſſimas Dei promiſſiones in dubium vocas? de iſtis omnibus quæ in adducis ſumus adeò confirmati, ut nihil ſuprà. Nam opera hæc noſtra nónne ſunt templi Jehovæ, a Jehova imperata lege? promiſſiones verò nónne huic templo conjunctæ ſunt? ac proinde nónne tam firmæ atque conſtantes ſunt erga nos, quàm firmum eſt templum? hoc templum requies eſt Dei uſque in ſempiternum, Pſal. 132.14. Quamobrem pro certo habemus fidelem Deum propter templum ſuum conſervaturum eſſe regionem noſtram, & nos cultores ſuos. [b] *Heb. & inter amicum ipſius.* [c] *Heb. ne ite poſt Deos alienos in malum vobis: ſic verſ. 9.* [7] altera pars propoſitionis, qua Propheta ex contrario primùm peccata redarguit & hypocriſin Judęorum, uſque ad verſum 11. deinde pœnas denunciat graviſſimas, ſequentibus. [d] *Hebr. ad non prodeſſe: ut Jeſchah. 44.5.* [e] *Hebr. ſuper qua vocatur nomen meum: ſic deinceps.* [8] id eſt, tuti ſumus ab omni periculo, nihil poteſt damno eſſe nobis, quia ſervat nos Deus quem colimus in templo ſuo. [9] id eſt, ut porrò ad maleficia veſtra revertamini.

11 An ſpelunca effractorum fuerit domus
hæc in oculis veſtris, quæ vocatur de nomine
meo? [10] etiam ego ecce proſpexi, dictum Jehovę.
12 [11] [g] Nam ite jam in locum meum qui *erat*
Schilunte, ubi feceram ut habitaret nomen me-
um primùm; & videte id quod feci ei propter
malitiam populi mei Jiſraëlis.
13 Itaque nunc eo quòd facitis omnia opera
iſta, dictum Jehovæ; & dum alloquor vos [f] inde
a diluculo indeſinenter, non auditis, & incla-
manti vos non reſpondetis:
14 Ideò facturus ſum huic domui quæ voca-
tur de nomine meo, in qua vos confiditis, & huic
loco quem dedi vobis & majoribus veſtris; quē-
admodum feci Schilunti:
15 Et abjiciam vos a facie mea; [12] quemad-
modum abjeci omnes fratres veſtros, [13] totum
ſemen Ephrajimi.
16 [14] Tu ergo ne orato pro populo iſto, ne-
que efferto pro iſtis clamorem & orationem, ne-
que intercedito apud me: nam minimè eſſem
exauditurus te.
17 [15] An minimè vides quid iſti faciant in
civitatibus Jehudæ; etiam in plateis Jeruſcha-
laimorum?
18 [16] Ipſi filii colligunt ligna, eorúmq; patres
accendunt ignem, ac fœminæ depſunt maſſam;
ad faciendum [17] popana [g] [18] rebus cæleſtibus,
& libandum libamina diis alienis, ut irritent
me.
19 [19] An contra me *eſt*, *quòd* iſti irritant? di-
ctum Jehovæ; an non contra ipſos, propter pu-
dorem faciei ipſorum?
20 Idcircò ſic ait Dominus Jehovi, ecce ira
mea & excandeſcentia mea effundetur in locum
hunc, ſuper homines & ſuper jumenta, & ſuper
arbores agri, ac ſuper fructum terræ; ardebitq;
ita ut non extinguatur.
21 [20] Sic ait Jehova exercituum Deus Jiſra-
ëlis: [21] holocauſta veſtra adjicite ad ſacrificia
veſtra, & comedite carnem *eorum*.
22 Nam [22] non ſum loquutus cum majoribus
veſtris, neque præcepi eis quo die eduxi eos è
terra Ægypti; de rebus holocauſti & ſacrificii:
23 [i] Sed rem hanc præcepi eis, edicendo, auſ-
cultate voci meæ, & ero vobis Deus, & vos eritis
mihi populus; & ambulate in tota via illa quam
præcepi vobis, ut bene ſit vobis.
24 Non tamen auſcultarunt, neque inclina-
runt aurem ſuam, ſed ambularunt in conſiliis, in
[h] ſententia animi ſui peſſimi; denique [23] hæc
fuerunt ipſis a tergo, non autem a fronte.

[10] id eſt, quandoquidem non pluris domum meam facitis quàm ſpeluncam latronum, jam proſpexi quid mihi ſit faciundum: ut ſequentibus per Prophetam explicat. Hic enim tranſitio eſt ad judicia Dei denuncianda templo & populo: quæ duobus exemplis antè geſtis illuſtrantur. [11] prius exemplum de abjectione templi, de quo 1. Schem. 4. Pſal. 78.60. & 132.6. [g] *1. Schem. 4.* [f] *Heb. manè ſurgendo & loquendo.* [12] ſecundum exemplum de abjectione populi, de quo 2. Reg. 17. [13] i. regnum Jiſraëlitarum, ſynecdochicè: ut Jeſch. 7.8. [14] id eſt, fixum & certum eſt decretû, quod neminis cauſa revocaturus ſum. [15] tertia pars concionis, nimirum confirmatio ſingularum antecedentium in propoſitione partium: qua primùm evincit Judæorum peccata, ✠.17. & 18. deinde juſtiſſimas pœnas ſtatuit, duobus ſeq. quarum partium ſequitur ἐργασία ad confutationē uſque. Confirmatur autem peccatum, non amplius ab ipſa populi conſcientia (ut altera concione factum eſt ſuprà 5.1.) ſed a Prophetæ ipſius teſtimonio. [16] i. omnes a ſummo ad infimum certatim exercent idololatriam. [17] vox Hebræa peculiaris eſt hujus Prophetæ, qua ſignificantur liba quædam ἔκτυπα, id eſt, certas formas expreſſas habentia pro ratione idolorum quibus erant offerenda: quod genus liborum Romani & Aegyptii a Græcis deſumta voce dixerunt popana, eo quòd τῶν θεῶν, id eſt, deorum effigie inſignita eſſent quibus offerebantur. Juvenalis Satyra 6. Scilicet & tenui popano corruptus Oſiris. [g] *Heb. operi calorum: ſic opus pro re uſurpatur, Gen. 33.14. ſic infrà 44.* [18] de quibus copioſè infr. 8.2. [19] hoc eſt, non mihi, ſed ſibi ſuo facto malefaciunt ipſi, ut declarat ſeq. ✠. [20] ἐργασία hæc confirmationis (ut diximus in verſum 17.) præcedentia Prophetæ verba exornat primùm explicatione peccatorum pœnarúmque, uſque ad verſum 4. capitis 8. deinde amplificatione, uſque ad 18. tertiò pathetica lamentatione Prophetæ, inde ad verſum 12. capitis 9. Explicantur autem in hac prima parte peccata Judæorum, tum majorum, uſque ad verſum 26. tum eorum qui temporibus Jirmejæ vixerunt, ✠.27. & 28. deinde ſubjiciuntur pœnæ quas ſe ſumturum interminatur Deus. [21] i. abite cum ſacrificiis & holocauſtis veſtris, & ea omnia ad uſus veſtros & comeſſationes traducite; ingrata ſunt mihi; ut Jeſchah. 1.13. & Hamos 5. [22] videlicet ſolùm aut ſimpliciter: eclipſis; ut Gen. 32.28. nam præceperat quidē Deus per Moſchen, ſed alio reſpectu; ac proinde alia magis obſervari voluerat. [i] *Exod. 19.5. & 24.3.* [h] *Heb. aſpectu cordis: ut Deut. 29.19.* [23] nimirum auſcultare mihi, & inclinare aurem ſuam ad verba mea, &c. q. d. oculos confixerunt tantùm in externos ritus; hæc autem quæ præcipua ſunt, tamquam a tergo reliquerunt; ut loquitur Chriſtus, Matth. 23.23.

25 Inde a tempore quo exiverunt majores vestri è terra Ægypti usque ad diem hunc; cùm miserim ad vos omnes servos meos Prophetas quotidie [i] diluculo & indesinenter:

26 Non tamen auscultaverunt mihi, neque inclinaverunt aurem suam; sed obdurarunt cervicem suam, pejus fecerunt quàm majores ipsorum.

27 [24] Quum eloqueris apud istos omnia verba ista, similiter non auscultant tibi; & quum inclamas eos, non respondent tibi.

28 [25] Quamobrem dices eis, hæc *est* gens [26] qui non auscultant voci Jehovæ Dei sui, neque accipiunt eruditionem: periit fides, & excisa est ex ore ipsorum.

29 [27] Tonde comam tuam, & abjice, & extolle [28] in locis eminentibus lamentationem; quia spernit Jehova & deserit generationem [k] in quâ excandescit.

30 Quia fecerunt Jehudæi quod malum *videtur* in oculis meis, dictum Jehovæ; [29] posuerunt abominationes suas in hac domo quæ vocatur de nomine meo ad polluendum eam,

31 Et ædificaverunt excelsa [30] Thophethi, quod *est* in [31] valle filii Hinnomi, ad comburendum filios suos & filias suas igne; quod non præceperam, neque [l] subierat in animum meum.

32 Idcircò ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quum non dicetur ampliùs [32] Thopheth & vallis filii Hinnomi, sed vallis interfectionis: nam ita sepeliverunt in Thophetho, ut nullus *superstit* locus.

33 Itaque erunt cadavera populi istius escæ volatilibus cæli & bestiis terræ; nemine deterrente.

34 Ita faciam ut cesset ex civitatibus Jehudæ, & ex plateis Jeruschalaimorum vox gaudii & vox lætitiæ, [33] vox sponsi & vox sponsæ: nam vastationi erit hæc terra.

[i] *Heb. manè surgendo & mittendo: ut 2. Chron. 36.15.*
[24] alterũ membrum explicationis peccatorum quibus Judæi tenebantur tempore Jirmejæ, ut majores sui.
[25] cùm neque majores auscultaverint, neque isti auscultent.
[26] id est, gens ab omni pietate in Deum & officio erga homines aliena; ac proinde toti legi Dei immorigera.
[27] altera pars explicationis de pœnis divinitus eventuris; qua Deus Judæis luctum imperat, primùm quia deserturus est ipsos peccatorum causa, tribus versibus; deinde quia est omneis hostibus expositurus, qui neque vivis neque mortuis parcant, inde ad versum 4. sequentis cap. Luctus autem synecdochicè tonsura & miserabilibus lamentis significatur; ut Ijobi 1.20.
[28] ut supr. 3.16.
[k] *Heb. excandescentia sua.* [29] ut narratur 2. Reg. 21.4. & 2. Chron. 23.4. [30] vide Jeschah. 30.33. [31] de qua Jehosch. 15.8. [l] *Heb. ascenderat in cor.* [32] id est, amplus & latus locus, Syriaca appellatione: quomodo accipiendum sequens antithesis ostendit. Nam (inquit Propheta) non erit spatiosus satis ut omnes sepeliendos capiat: propterea non ampliùs obtinebit antiquam suam appellationem. [33] i. festivum ullum epithalamium; sic infrà 16.9.

CAPUT VIII.

1 TEmpore illo, dictum Jehovæ, [1] depromentes ossa regum Jehudæ & ossa principum ejus, ossáq; Sacerdotum, & ossa Prophetarum, denique ossa habitantium Jeruschalaimis, e sepulcris ipsorum,

2 Expandent ea soli, & lunæ, totíque exercitui cælorum, [2] quæ diligunt, & quæ colunt, & [a] quæ sequuntur, & quæ [3] consulunt, denique quibus incurvant se *honorem exhibentes*: non colligentur, neque sepelientur, pro fimo in superficie terræ erunt:

3 Et optatior erit mors quàm vita toti residuo, iis qui residui erunt ex [4] familia pessima hac; residuis in omnibus locis quò depulero illos, dictum Jehovæ exercituum.

4 [5] Prætereà dices eis, sic ait Jehova, [6] an *ita* cadunt ut non possint resurgere? si converteretur, an non reverteretur *Deus*?

[1] videlicet eversis omnium sepulcretis atque monumentis, ut indicatur 2. Chron. 36.19. quum dicuntur Chaldæi omnia instrumenta desiderabilia perdidisse, & Nehem. 2.3.
[2] id est, quibuscum scortantur, synecdochicè.
[a] *Heb. post quæ ambulant.*
[3] sive res cælestes observando, sive petendo oracula.
[4] vide Levit. 20.5.
[5] secundus ἐργασίας locus, ut diximus suprà 7.21. nimirum amplificatio tum peccati Judæorum usque ad vers. 10. tum pœnæ, inde ad 18. Amplificatur autem peccatum per comparationem misericordiæ Dei præsentissimæ, hoc versu, cum stupore & obfirmatione Judæorum, tribus seq. & cum fastuosa præsumtione, vers. 8. & 9. [6] i. præcipitantur quidem Judæi in ruinam suam gravissimè: sed quantus quantus sit casus, omnino major est Dei misericordia, qua erigerentur si resipiscentes ad ipsum sese converterent.

5 Cur aversus est populus hic, *urbs* Jeruschalaimorum, aversione [b] pervicacissima? retinent dolum, renuunt converti.

6 Attendi & audivi, [c] prava loquuntur, nullum virum pœnitet malitiæ suæ, ut dicat, quid feci? quisque eorum conversus est in cursu suo, ut equus [d] præceps ruens in prœlium.

7 [7] Etiam ciconia in cælo novit stata tempora sua, & turtur, grúsque, & hirundo observant tempus adventus sui: at populus meus non noverunt jus Jehovæ.

8 [8] Quomodo dicitis, sapientes sumus, & lex Jehovæ penes nos *est*? utique ecce ad falsitatem operatur, stylus, falsitatem legisperitorum *operatur*.

9 [9] ‖ Fecerúnt*ne* sapientes ut [10] erubescerent, [11] consternatí*ne* sunt & capti? ecce verbum Jehovę spernunt, & cujus rei sapientia *inessit* eis?

10 [12] Idcircò tradam uxores eorum aliis, agros eorum possessuris hæreditario jure, ‖ nam æquè minimus ac maximus, quisquis est, [e] deditus est quæstui: etiam Propheta tum Sacerdos, quisquis est, agit [f] falsò.

11 Nam curant contritionem filiæ populi mei [g] secundùm curationem *mali* leviculi, dicendo, pax, pax: etsi nulla *est* pax.

12 Fecerúnt*ne* ut erubescerent, quum abominationem fecerunt? neque *illi* [h] prorsus erubescunt, neque ignominia sciunt affici, idcircò cadent cum illis cadentibus, [i] quo tempore visitabo illos corruent, ait Jehova.

13 [k] [13] Omnino exstirpabo eos, dictum Jehovæ; nullæ *sunt* uvæ in ista vite, nullíque fici in ista ficu, etiam ipsa folia deciderunt, & [14] quæcunque [l] adhibeo eis prætereunt,

14 ‖ *Dicentes*, quorsum nos [15] desidemus? congregamini, & ingrediamur civitates [m] munitas ut [16] consileamus ibi: [17] nam Jehova Deus noster silentium indixit nobis, quum dedit bibendum nobis [n] [18] succum cicutæ, quia peccavimus Jehovæ.

15 [19] Exspecta pacem, sed nihil *erit* boni; tempus curationis, sed ecce *aderit* terror.

16 Inde [20] a Dane auditur ronchus equorum illius, à sono hinnituum robustorum ejus contremiscit tota terra; qui veniunt ut consumant terram & [o] quæ implent eam, civitatem & qui habitant in ea.

17 [21] Nam ecce ego immissurus sum in vos serpentes hæmorrhoidas, contra quas nulla prodest mussitatio; ut mordeant vos, dictum Jehovę.

18 [22] [p] *Anima* mea recreatura se, *est* in mœrore:

[b] *Heb. aversa, sive perseverans.*
[c] *Heb. non rectum.*
[d] *Heb. inundans.*
[7] argumentum amplificationis per comparationem volucrium remeantium & commeantium suis temporibus, cui similis est Jeschah. 1.3.
[8] redargutio falsæ præsumtionis & confidentiæ ab effectis contrariis, ut Rom. 2.17. & Jacob. 2.16. & seq. Est autem hic apostrophe ad Sacerdotes, Prophetas, & doctores legis.
[9] i. an ullum specimen fructúmve sapientiæ suæ in docendo & reducendo populo ediderunt?
‖ *suprà 6.15.*
[10] populares, quos doctrina ipsorum mandaverat Deus vocari ad fidem & resipiscentiam.
[11] auctoritate Dei & legis videlicet, ut renuncient malo suo: nam hic primus est aditus, quo captivæ ducuntur omnes cogitationes ad obediendũ Christo, ut ostendit Apostolus 2. Cor. 10.5.
[12] altera pars amplificationis de pœnis (ut diximus in vers. 4.) qua in parte exponuntur duo; primùm quæ & quàm graves pœnæ ipsos maneant pro peccatis suis, usque ad versum 16. deinde quomodo & per quos, v. 16. & 17.

‖ *sup. 6.13. & seq.* [e] *Heb. quæstuosus quæstu.* [f] *Heb. falsitatem.* [g] *Heb. secundùm leviculum: ut sup. 6.14.* [h] *Heb. erubescendo.* [i] *Heb. tempore visitationis illorum.* [k] *Heb. recipiendo recipiam eos.* [13] exornatio præcedentis interminationis per similitudinem plantæ inutilis, quam Deus velut bonus agricola eradicatum iri denunciat: ut Jeschah. 5. [14] id est, nullam culturam a me admittunt; sed operam & exspectationem agricolarum meorum ludificantur: ut suprà 5.12. [l] *Heb. addo.* ‖ *suprà 4.5.* [15] videlicet exspectantes Deum, & hærentes istis Prophetarum verbis. [m] *Heb.* [illegible] [16] id est, silentio transigamus hanc procellam freti opidis munitis receptus nostri, in quibus consistemus donec Chaldæi abiverint. [17] id est, nam hac occasione luculentè satis demonstrat nobis Dominus, jam non esse tempus quo in aciem prodeamus, aut cum firmissimis hostium copiis dimicemus. [n] *Heb. aquas.* [18] soporiferum videlicet, atque lethiferum, q. d. soporabit exponendos morti. [19] ironia traducens Judæorũ præfidentiã, neq; pacẽ illis fore, neq; spem recuperandæ pacis quũ adempta fuerit: sed fore quũ liberationẽ sperabunt, ut eo magis ingravescant mala: ut Jeschah. 5.30. [20] i. ab extremis finibus: hyperbole. [o] *Heb. plenitudinem ejus.* [21] comparatio ad exponendum implacabilem Chaldæorum animum & virulentissimum accommoda. De hac autem comparatione vide Psal. 58.6. [22] tertius ἐργασίας locus, pathetica Prophetæ lamentatio: quæ primùm luctum suum & causas exponit prolepticè, quatuor versibus; deinde optatum, tribus; postremò causas luctus sui copiosè explicat, usque ad versum 12. capitis sequentis. Est autem periphrasis animæ in his verbis, *recreatura se*: nam animus lætus bene medicinam facit, Proverb. 17.22. [p] *Heb.* [illegible]

rore: in me [q] animus meus languidus est.
19 [23] Ecce sonus vociferationis filiæ populi
mei propter *advenas* terræ [r] longinquissimæ, *di-
centis*, an Jehova minimè *est* Tzijone? an rex e-
jus minimè *est* in ea? cur irritaverunt me *ais ille*,
sculptilibus suis, vanitatibus alienigenarum?
20 [24] Præteriit messis, finita est æstas; & nos
non servamur.
21 Propter contritionem filiæ populi mei
conteror; atratus incedo, stupor corripit me.
22 [25] An [26] opobalsami nihil *est* in Gilhade?
an medicus nullus *est* ibi? nam cur non [s] conva-
luit filia populi mei?

q Hebr. cor meum.
23 causæ luctus ponuntur duæ: una quædam veluti discessio & separatio Dei a populo suo, de qua Ecclesia conqueritur: altera est peccatorum gravitas, quam Deus Judæis exprobrat per dialogismum, hoc versu: unde consequuntur publicæ calamitates, v. 20. & Prophetæ luctus, vers. 21. r Heb. longinquitatum. 24 videlicet a nobis. q.d. Judæorum Ecclesia, omnia commoda omnésque eorum percipiendorum rationes nobis perierunt, & nos pariter perivimus. Nam lætitia in scripturis tempore messis & vindemiæ (quæ in desinentem æstatem incidit) figurari solet: ut Psal. 4.7. & Jescha. 9.3. 25 secundus lamentationis locus, continens optata tria: unum, ut curetur populus Judæorum, quod metaphoricè significatur rebus corporeis, hoc versu: alterum, ut Propheta condignè pro atrocitate supplicii miserias popularium deflere possit, versu 1. sequentis capitis; tertium, ut jam jam sibi liceret abesse per voluntatem Dei, ne tantarum calamitatum spectator esset, malorumq; præsentium, quæ deinde enarrantur a vers. 2. 26 vide Gen. 37.25. s Hebr. ascendit sanitas filiæ: ut 2. Chron. 24.13. & Nechem. 4.7.

CAPUT IX.

1 O *Si* quis daret caput meum *esse* aquas, &
oculum meum scaturiginem lacryma-
rum; ut deflerem interdiu & noctu confossos fi-
liæ populi mei.
2 *O si* quis poneret me in deserto, in diverso-
rio viatorum, ut derelinquerem populũ meum,
& abirem ab eis: [1] nam omnes sunt adulteri, [2] in-
terdicti *die* perfidè agunt:
3 Et intendunt lingua sua arcum suum [a] fal-
sum, neque in fide invalescunt in terra; sed de
malo in malum procedunt, neque agnoscunt
me, dictum Jehovæ.
4 [3] Quisque ab amico suo cavete, & ulli fra-
tri ne confiditote: nam omnis frater [b] omnino
supplantat, & omnis amicus *cum* detractione
ambulat:
5 Et quisque amico suo illudunt, ac verita-
tem non loquuntur: docent linguam suam loqui
falsum, perversè agendo defetiscuntur.
6 Tua habitatio *est* in medio [c] dolo; [4] pro
dolo renuunt cognoscere me, dictum Jehovæ.
7 [5] Idcircò sic ait Jehova exercituum, ecce
[6] ego conflans eos probavi eos: [7] nam quomodo
facturus essem propter filiam populi mei?
8 Culter jugulans lingua eorum *est*, dolum
loquitur: ore suo cum amico suo pacem eloqui-
tur, at [d] in animo suo disponit insidias suas.
9 [f] An propter ista non visitarem eos? dic-
tum Jehovæ; an de gente hujusmodi non sume-
ret ultionem anima mea?
10 [8] Propter hos montes [9] extollam fletum
& lamentum, & propter caulas [10] deserti la-
mentationem, nam [11] accendentur adeò ut
nullus transeat, neque audiatur vox pecoris:
[e] tam aves cæli quàm jumenta, evagabuntur,
abibunt:
11 Et disponam Jeruschalaima in acervos,
lustrum draconum; & civitates Jehudæ dispo-
nam *in* desolationem, adeò ut nullus inhabi-
tet.

1 Ætiologia optatorum præcedentium a duabus causis; una est, indignissima & impurissima vita populi, usq; ad versum 7. altera, pœna gravissima divinitus infligenda, inde ad versum 12.
2 exaggeratio perfidiæ a tempore: ne ipsis quidem diebus qui festi erant Domino, integram fidem conservasse.
a Heb. falsitatis.
3 apostrophe ad populum suum κατ' αὔξησιν: ut vers. 6.
b Heb. supplantando.
c Heb. doli.
4 id est, malunt adhærere suo dolo, quàm eo omisso mihi se adjungere.
5 altera causa luctus: ut ostendimus vers. 2.
6 ut suprà 6.29.
7 id est, cùm videam me in vanum conflare, & ab istis mala avelli non posse (ut suprà ibidẽ) quid porrò faciendum esset aliud mihi? hæc autem consultationis species summè est emphatica: ut Jesch. 5.3.
8 quæ montosa est, Exod. 15.17. & Deuter. 11.11.

d Heb. in medio. f suprà 5.9. & 29. 8 id est, Judæam, quæ montosa est, Exod. 15.17. & Deuter. 11.11. 9 id est, faciam ut extollantur lamenta. 10 id est, planitiei pascuæ inter montes sitæ: ut Jehosch. 15.61. 11 id est, planè desolabuntur, tamquam pervadente igne. e Heb. ab ave cæli & usque ad jumentum.

12 [12] Quis est vir ille sapiens qui doceat
istud, & id quod edixerit os Jehovæ sibi indicet?
propter quid pereat hæc terra, incendatur tam-
quam desertum, adeò ut nullus pertranseat?
13 Dicit enim Jehova, quia derelinquunt le-
gem meam quam exposueram eis; neque auscul-
tant voci meæ, neque ambulant in illa;
14 Sed [f] sequuntur sententiam animi sui; &
Bahalimos, quod docuerunt ipsos majores ipso-
rum:
15 Idcircò sic ait Jehova exercituum Deus
Jisraëlis, ecce ego cibaturus sum istos, populum
hunc [13] absinthio; & bibendum daturus eis [g] suc-
cum cicutæ:
16 Nam dispergam eos in gentes quas non
noverunt ipsi, aut patres ipsorum; mittámq; post
eos gladium donec consumsero eos.
17 Sic ait Jehova exercituum, animadver-
tite, & vocate lamentatrices ut adveniant; & ad
[h] præficas mittite ut adveniant,
18 Et [i] festinanter extollant de nobis lamen-
tum; descendentibus lacrymis ex oculis nostris,
& ex palpebris nostris fluentibus aquis.
19 Nam [k] sonorum lamentum auditur de
Tzijone, quomodo vastamur? erubescimus val-
de, quia derelinquimus terram, quia dejiciunt
nos tabernacula nostra.
20 [14] Nam audite fœminæ verbum Jehovæ,
& percipiat auris vestra verbum oris ejus; ut do-
ceatis filias vestras lamentum, & [l] altera alteram
doceat lamentationem.
21 Nam ascendit mors ad fenestras nostras,
ingressa est in palatia nostra; ad exscindendum
parvulos è vicis, juvenes è plateis,
22 ([15] Eloquere, sic *habet* dictum Jehovæ) &
ceciderunt cadavera humana ut fimus in super-
ficie agri; & [16] ut manipulus a tergo messoris,
quæ nullus colliget.
23 [17] Sic ait Jehova, ne gloriator sapiens in
sapientia sua, neque gloriator potens in poten-
tia sua; neque gloriator dives in divitiis suis:
24 [f] Sed in hoc glorietur qui gloriatur, se in-
telligere & cognoscere me; me esse Jehovam ex-
ercentem [18] benignitatem, jus, & justitiam in ter-
ra: quia istis delector, dictum Jehovæ.
25 Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ;
quibus animadvertam, in omnem [19] circumci-
sum cum præputiato,
26 [20] In Aegyptios, & in Jehudæos, & in Edo-
mæos, & in Hammonitas, & in Moabitas, deni-
que in omnes [21] amputatos latere, qui habitant
in deserto: nam omnes istæ gentes [22] præputia-
tæ *sunt*, etiam tota domus Jisraëlis præputiati
sunt corde.

12 quarta pars concionis, confutatio: atqui habemus (dicebant Judæi) legem & Prophetas: non est peritura lex ex ore nostro: ut suprà 8.8. & infrà 18.18. Babeis quidem, ait Propheta: sed neque Propheta est ullus qui eloquatur, hoc versu; neque ullus in populo qui auscultet legi, duobus seq. ac proinde duo vobis restant: unum, ut pœnas pendatis Deo, v. 15. & 16. alterum, ut præficas deflenteis mala vestra conducatis, quia ne vobis quidem lugendi tempus dabitur; usque ad versum 23. sic Jechezk. 24.16. & seq.
f Heb. eunt post aspectum cordis sui & post Bahal.
13 id est, rebus amarissimis tractabo: nam amaritudinem absinthio comparat scriptura, ut Proverb. 5.4. infrà 23.15. Lament. 3.15. & 19. & Apoc. 8.11.
g Heb. aquas: ut supr. 8.14.
h Heb. peritas.
i Heb. festinent ut extollant.
k Heb. sonum lamenti.
14 amplificatio. q.d. non vacat diu aut longiùs excurrere ad conducendas præficas: agite, ò mulieres, ad planctum aliæ alias & puellas vestras informate, qui describitur duobus versibus proximis.

l Heb. fœmina amicam suam. 15 exaggeratio lamenti, cujus gravitatem sibi necessariò fuisse enunciandã Propheta docet ab iterato præcepto Dei: quod nos propterea parenthesi inclusimus. Sic autem præscribitur lamentum istud, ut olim a Mosche canticum jussu Dei, Deut. 31.19. & seq. 16 id est, confertim, per strues cadaverũ quàm plurimas. 17 conclusio bimembris, qua primùm revocantur pii a fiducia rerum omnium ad fidem in Deum ipsos consolaturam in maximis angustiis, duob. versibus; deinde impiis judicium denunciat, duobus ultimis. f 1. Cor. 1.31 & 2. Cor. 10.17. 18 erga pios, & jus in impios: ut Psalm. 101.1. ex justitia quæ regula est utriusque. 19 Judæos promiscuè cum alienigenis: prout per Regem Babyloniæ factum est, ut idem prophetat infr. 27.6. & seq. 20 quibus omnibus sigillatim suas calamitates prænunciat, infrà 46. & seq. 21 id est, Arabas, quos eodem modo Propheta nominat infrà 25.23. & 49.32. de qua consuetudine ita ait Herodotus in Thalia: dicunt Arabes tonderi sui capillamenti comam, ut ipse Dionysius tonsus est: tondentur autem in subrotundam formam, circumradentes tempora. 22 ut Deut. 10.16. & suprà 4.4.

CAPUT X.

Propheta Judæos ab idololatria revocat ad reverentiam Dei: stuporem illorum & dementiam in sequen-

dis idôlis Deo neglecto redarguit; & palàm gentibus prædicare jubet idolorum vanitatem: contumacibus clades eventuras prænunciat: postremò pii se sistentes Deo judicia ipsius æquo animo subeunt, & moderationem petunt ad gloriam Dei & salutem suam.

1 [1] Audite hoc verbum quod eloquitur Jehova vobis, ô domus Jisraëlis:
2 [2] Sic ait Jehova, *incedere* in [3] viam gentium
istarum ne discitote, & [4] a signis cælorum ne
consternemini; [5] quia consternantur Gentes ab
illis:
3 [6] Nam statuta populorum sunt [7] vanitas:
[8] quum lignum ipsum ex sylva cæcidit, [9] opus
manuum artificis ad normam,
4 [10] Argento & auro pulcrum reddit ipsum;
clavis & malleis confirmant ista, [11] ut non [a] amittat.
5 [12] Tamquam palma [13] opere continente
sunt, ne loquuntur quidem, [14] [b] omnino portandi
sunt, quia non possunt incedere: ne timetote
ab istis, quia non affectura sunt malo, etiámque
benefacere non *est* penes ipsa.
6 [15] Ex eo quòd nullus *est* par tibi, ô Jehova;
quòd maximus es, & maximum nomen tuum potentia,
7 Quis non revereatur te, [16] Rex Gentium?
cùm in te conquiescat [17] *illa*; cùm *maximus sis* in
omnibus sapientibus Gentium & omni regno
ipsarum, ex eo quòd nullus *est* par tibi.
8 [18] At [19] [c] unà obbrutescunt & stolidi fiunt;
eruditio [20] vanitatum *eruditio* [21] ligni est.
9 Argentum ductum ex Oceano advehitur,
& aurum ex [22] Uphazo, opus artificis & manuum
conflatoris: hyacinthinum & purpureum
vestimentum eorum, opus peritorum sunt
omnia.
10 Jehova verò Deus [23] [d] verus *est*, Deus
[24] [e] vivens, & Rex [f] [25] sempiternus: a [26] cujus
fervore commovetur terra, neque sustinere possunt
Gentes indignationem ejus.
11 (Sic dicitote illis, dii isti qui cælos & terram
non fecerunt; perituri sunt è terra, & è *regionibus*
sub cælo ipsi)
12 [27] Qui fecit terram virtute sua, stabiliit
orbem habitabilem sapientia sua; & prudentia
sua extendit cælos;
13 Quo vocem suam edente, fremitus aquarum
est in cælis, qui effert vapores ab extremitate
terræ? fulgura cum ipsa pluvia facit, & producit
ventum e thesauris suis.
14 [28] Magis obbrutescit omnis homo, quàm
ut animadvertat, [29] pudefacit omnis conflator
sculptili: nam falsum *est* fusile ejus, nec spiritus
est in *ullo* eorum.
15 Vanitas sunt, opus [g] aberrationis maximæ;
[h] [30] quo tempore visitabuntur illi, peribunt
ista.
16 [31] Non sicut istarum *est*, sed formator omnium
est Jahakobi portio; vicissim Jisraël tribus
possessionis ipsius: Jehova exercituum nomen
est ei.
17 [32] Recipe e terra [33] mercem tuam, quæ
habitas [34] in munitione hac.
18 Nam ita ait Jehova, ecce ego fundam
ejaculaturus sum habitatores hujus terræ hac
ipsa vice; & angustia affecturus sum eos, ut [35] deprehendant
ista & dicant,
19 [36] Hei mihi propter contritionem meam,
[i] ægerrima est plaga mea: [37] ego autem dicebam,
utique hic morbus *est* quem perferam.
20 Tentorium meum vastatum est & omnes
funes mei dirupti; filii mei exeunt *a* me adeò ut
non exstent ulli, nullus extendat amplius tentorium
meum & erigat aulæa mea.
21 [38] Nam obbrutuerunt ipsi pastores &
Jehovam non consuluerunt: idcircò non secundabuntur,
& totus grex pascalis eorum dispergetur.
22 [k] [39] Sonorus rumor ecce advenit, & commotio
magna e [40] terra Aquilonis: ad disponendum
civitates Jehudæ *in* desolationem, lustrum
draconum!

[1] Hujus concionis membra præcipua sunt quinque: primum est exordium simplicissimum, audientiam faciens ab auctoritate Dei, & auditorum officio, versu 1. secundum, propositio doctrinæ de contemnendis idôlis, & reverendo Deo, a versu 2. ad 8. tertium est redargutio Judæorum qui se implicaverant gentili idololatriæ, usque ad versum 17. quartum prophetica venturæ cladis denunciatio, usq; ad versum 23. quintum, conclusio ab oratione quam Propheta habet coram Deo æquè bonorum omnium ac suo nomine, tribus versibus ultimis. [2] hujus propositionis capita sunt duo: unum, de idôlis minimè curandis, versibus quatuor; alterum, de reverentia uni Deo habenda, vers. 6. & 7. Neglectus autem idolorum duo continet, ut non detur illis opera, & non timeantur: quia timor & superstitio religionem idolorum solet efficere, hoc versu; causæ verò exponuntur, sequentibus. [3] id est, ritus ad idololatriam pertinentes, & ad studia aliena ab honore Dei: quæ Gentes propinquæ per totam Syriam eo colebant studiosiùs, quo propiùs a luce Judæorum aberant. [4] quæ Gentes reverentur & colunt, habentes pro diis; ut suprà Judæis fuit exprobratum 7.18. Sensus est, duo sunt gentibus Deorum genera: uni sunt ficti nuda cogitatione; alteri sunt quidem in rebus creatis, sed ab illis gentibus coluntur pro Deo. Vos autem ne ab illis quidem debetis metuere qui in maxima auctoritate & existimatione sunt apud gentes, ut sunt corpora cælestia. [5] id est, ne proptereà timeatis ab illis, si istæ gentes ab illis stolidè sibi metuant. [6] ætiologia superioris documenti, continens causas ex quibus contemnenda sunt idôla. Est autem hæc prima ab efficiente causa: quid enim ex illis effecit deos, nisi stulta opinatio & institutum populorum? [7] secunda causa a natura idolorum & fine, quæ copiosiùs exponuntur infrà vers. 14. & 15. ut Jeschah. 44.4. [8] tertia causa a materia, ut Jeschah. 40.20. & 44.9. [9] quarta causa ab instrumentis, ut Jeschah. ibidem, versu 7. & 8. [10] quinta causa a forma, quam ipse artifex adeò conscius est cum animo suo inanem & caducam esse, ut operam consumat plurimam ad idôlum suum a deformatione, ruina, & perditione vindicandum, ut Jeschah. 40.19. & 44.7. [11] id est, ut factus ille Deus non finat suum aurum & argentum emungi sibi. [a] *Hebr. finat exire.* [12] sexta causa ab inutilitate ipsorum: nam rigidi sunt ut trunci, neque sibi utiles, neque aliis: ut Jeschah. 44.5. [13] id est, ut stipites rigent. [14] ut Jeschah. 46.1. & 7. [b] *Hebr. portando.* [15] alterum caput propositionis de reverentia Dei, ut diximus in versum 2. [16] id est, qui regnum & imperium summum obtines in eas ipsas gentes quæ non agnoscunt te, eóque uteris ex sententia tua. [17] potentia, cujus meminit superiore versu: nam his & sequentibus verbis per *ὑπέρθεσιν* verborum ex usu Hebræorum easdem causas reverentiæ Dei repetit, quæ positæ sunt præcedente versu. [18] tertia pars, ut diximus in versum 1. nimirum redargutio Judæorum in communem idololatriam cum gentibus delapsorum: quæ hoc versu generatim proposita, deinde per antithesin naturæ, operúmque Dei & idolorum confirmatur, usque ad versum 14. & tandem amplificatur antithesi effectorum erga cultores, versu 14. & duobus sequentibus. [19] id est, Judæi cum gentibus convenientes in eamdem idololatriam. [c] *Hebr. in uno.* [20] id est, in omnem vanitatem homines seducens, ut vers. 15. & suprà 2.5. [21] id est, idôli e ligno, metonymicè ad contemtum: etsi per synecdochen comprehenduntur idôla omnia. [22] id est, Ophiro, de quo 1. Reg. 9.28. ut Dan. 10.5.

[23] non autem eruditionem tradens vanitatis, ut idôla. [d] *Heb. veritatis.* [24] non mortuus & rigens, ut illi, pes. [e] *Heb. viventes: ut Jehosch.* 24.19. [f] *Heb. seculi.* [25] non ex materia corrupta, & ab hominibus principium habens. [26] id est, qui omnia agit, sursum deorsum vertit arbitratu suo; non autem artificum manu & voluntate agitur, aut portatur humeris. [27] *ἐπεξεργασία* præcedentis antitheseos per apostrophen ad Judæos; qua docet illos armatos fide certa in Deum verum, viventem, & sempiternum, potiùs debere nô tantùm ab idôlis abstinere, sed etiam gentes sermone ipsarum redarguere cum omni fiducia & libertate sancta: ut fecerunt tres illi, Dan. 3. Quamobrem hic versus Syrico sermone conscriptus est. [28] regressio ad commendationem Dei primùm ab operibus creationis, hoc versu; deinde administrationis, versu sequente. [29] amplificatio præcedentis redargutionis a rebus consequentibus idololatriæ; nimirum quòd homines dementes facti ampliùs dementantur, & ipso sensu communi carent: ut exponitur Jeschah. 44.13. [g] *Heb. aberrationum, sive seductionum.* [h] *Heb. tempore visitationis illorum.* [30] id est, sibi ab artifice afferri maximum pudoris, ignominiæ, & confusionis argumentum; cùm homo verus falso, animatus inanimo honorem divinum habeat, hoc versu; vanitatem pro veritate amplectatur, aberrationem pro recto itinere, & mortem pro vita, sequente versu. [31] id est, uno momento peribunt cum suis cultoribus, quando Judæos idololatras visitabit Deus: sic Jeschah. 46. [32] epiphonema, quo Propheta indignitatem idololatriæ qua Judæi cum gentibus communicabant summatim ostendit, a mutuo fœdere, quo Deus se populo, & populus Deo sese obstrinxerat. Longè præstantius, inquit, est jus Jisraëlitarum cum Deo: qui non idôla gentium amplectuntur (quid enim Deo cum idôlis?) non Solem, Lunam, aut cælestia corpora, quæ usu cum illis obtinent, ut Deuteron. 4.19. & 29.& 29. 26. sed Deum ipsum verum, viventem, & sempiternum possident. [32] quarta pars, nimirum denunciatio judicii divinitus in Judæam immittendi, quod perstrinxerat versu 15. Continet autem hæc denunciatio primùm præceptum allegoricum, ut Judæi consarcinent & convasent omnia, pro eo quod est, ut se ad fugam aut captivitatem comparent, ut Jechezk. 12. deinde planam & apertam denunciationem illius judicii, versibus sequentibus. [33] id est, pretiosas facultates tuas, & eas maximè de quibus suprà versu 9. ironicè. [34] id est, Jeruschalaimis. [35] id est, reipsa experiantur id quod prædicenti per Prophetas mihi noluerunt credere. [36] formula luctus quo usuros Judæos Propheta narrat, duobus versibus. [i] *Hebr. ægritudo.* [37] amplificatio luctus ab antegressa confidentia, quasi dicat, me miseram, quòd præcedentibus jam olim minimè crediderim; sed si quod malum mihi obveniret, illud fore putaverim velut accessiunculam febriculæ, unde illicò liberarer. [38] ætiologia præcedentis denunciationis; cujus ampla interpretatio petenda est ex duabus concionibus præcedentibus. [k] *Hebr. sonus auditionis.* [39] hypotyposis ad exaggerationem prophetiæ. [40] ut suprà 1.14.

23 [41] I Novi

23 14[1] Novi Jehova, non esse penes hominem
viam ipsius; non esse penes virum ambulantem
vel dirigere gressum suum.
24 Castiga me Jehova, verumtamen [l] modicè; ne *castiges* in ira tua, ut non comminu-
as me.
25 [ll] Effunde excandescentiam tuam in eas
Gentes quæ non agnoscunt te, & super familias
quæ nomen tuum non invocant: nam comedunt
Jaħakobum, ac ita comedunt eum ut absumant
eum, & caulam ejus desolant.

[ll] Sup.9.11.

41 cōclusio, qua Propheta animum suum exponit, & informat pios in eodem instituto, ut se totos cōmittant Deo, & ipsum orent pro salute Ecclesiæ ad gloriam Dei. sensus est: Ego (inquit Propheta) & pii omnes sentientes mecum, credentes huic decreto tuo quod planè statuisti contra Judæam exsequi, non præsumimus de virtute aut arte nostra, ut judicia tua possimus effugere, aut ab iis vel gressum unum & latum (quod aiunt) unguem discedere: sibi confidunt impii, ut sup.8.14. nos contrà nobis omnino diffidimus, hoc versu: sed quandoquidem stat sententia ut nos omnes castiges propter peccata nostra, non refugimus paternam castigationem tuam; ecce sistimus nos tibi, facito quod bonum & æquum est in nobis; sed in justitia tua memor esto miserationum tuarum, pro gloria tua & infirmitate nostra temperans castigationes tuas, vers.24. Quòd si æstus iræ tuæ profundendus est; ecce gentes, quæ neque gloriæ tuæ curam habent, neque populi tui miserentur, vers. ultimo: hæc illa est materia æstui iræ tuæ commodissima. [l] Heb. in modo. [ll] Psal.79.6.& 7.

CAPUT XI.

Deus Jirmejæ & Sacerdotibus Ħanathothanis imperat ut fedus legis exponant populo cum promissionibus & minis: Jirmeja solus id explicat, & popularibus suis accommodans primùm contestatur eos peccatorum nomine, deinde severissimum judicium pronunciat: utrumque confirmat partim Dei ipsius testificatione, partimque sua experientia a suis civibus: tum se ipsum confirmans adversus præsentia scandala, præsumtionem Judæorum confutat proposito Dei consilio rigidissimo, & bonos promissis consolatur.

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam a Jehova,
[2] edicendo,
2 Audite verba federis hujus; [3] quæ eloquamini viris Jehudæ & habitatoribus Jeruschalaimorum,
3 [4] Dices ergo illis, sic ait Jehova Deus Jisraëlis; [ll] maledictus vir ille qui non auscultaverit
verbis federis hujus,
4 Quod præcepi majoribus vestris, quo
[a] tempore [ll] eduxi eos e terra Ægypti ex catino
ferri, edicendo, auscultate voci meæ, ut faciatis
ista omnino prout præcipio vobis: eritísque mihi in populum, & ego ero vobis Deus:
5 Ut præstem juramentum quod juravi majoribus vestris me daturum eis terram affluentem lacte & melle, prout *est* hodie: [5] cui respondens dixi, Amen, Jehova.
6 [6] Deinde edixit Jehova mihi, proclama
omnia verba ista in civitatibus Jehudę & in plateis Jeruschalaimorum, dicendo, auscultate verba federis hujus ut faciatis ea.

[1] Hujus concionis (quæ eodem ferè argumento est cum superioribus) capita sunt quinque: primum est exordium, versibus quinque; secundum, propositio, usque ad versum 15. tertium, confirmatio rerum in propositione enarratarum, ad finem usque capitis 11. quartū, confutatio ad eandem confirmationem pertinens, capite 12. usque ad vers.14. quintum, cōclusio prophetica, inde ad finem usque. Exordiū autem facit audientiam primùm ab auctoritate imperātis Dei, vers.1. deinde a recordatione federis jam olim initi, vers.2. postremò a denunciatione pœnarum quas de ruptoribus sui federis sumturus est Deus, & contrariarum promissionum erga obsequentes, trib. reliquis versib. [2] tum ipsi Jirmejæ, tum Ħanathothanis gentilib. ipsius; qui Sacerdotes erant, ac proinde ex officio promulgare legem tenebantur. [3] videlicet vos, qui Sacerdotes estis, ut doceatis Jaħakobum judicia Dei, & Jisraëlem legem ejus: Deut.33.10. [4] tu & Sacerdotes ipsi, synecdochicè. Continet autem hoc mandatum thesin sive propositionem generalem legis, qua maledictio immorigeris importatur, & promissiones obsequentibus. [ll] Deut.27.26. [a] Hebr. die: synecdoche. [ll] Deut.4.20. [5] i. ego solus acquievi vocationi & mandato Dei ad pronunciandum doctrinam generalem legis, quod Sacerdotes præstare tenebantur: sic accipiendum esse commonstrant ea quæ sequuntur, vers.18.& sequent. Sacerdotes non tantùm recusasse promulgationem federis, sed periculum etiam Jirmejæ intendisse. [6] secunda hæc pars, quam propositionem appellavimus, continet primùm summā theseos præcedentis, sive universæ doctrinæ federis ex lege, hoc versu; deinde contestationē Judæorum, usque ad V.11. tertiò sententiæ irrevocabilis dictionem, quatuor versibus.

7 [7] Nam [b] omnino contestatus sum majores vestros, quo tēpore evexi eos e terra Ægypti usque in diem hunc, [c] inde a diluculo indesinenter dicendo; auscultate voci meæ:
8 Non tamen auscultarunt, neque inclinarunt aurem suam, sed ambulaverunt quisq; [d] ex
sententia animi sui pessimi: ideò adduxi super
eos omnia verba federis hujus quod præceperam facere, ac non fecerunt.
9 Dixit itaque Jehova mihi; [8] præsto est
conjuratio, in viris Jehudæ & habitatoribus Jeruschalaimorum;
10 Aversi sunt supra iniquitates majorum suorum priscorum, qui renuerant auscultare verbis meis, & ipsi sequuntur deos alienos colendo
eos; irritum fecerunt domus Jisraëlis & domus
Jehudæ fedus meum quod pepigeram cum majoribus ipsorum.
11 [9] Idcircò sic ait Jehova, ecce ego adducturus sum contra eos malum ex quo non poterunt exire: [10] etiamsi inclamarent me, non exaudirem eos.
12 Tunc abeuntes civitates Jehudæ & habitatores Jeruschalaimorum inclamabunt Deos
illos quibus ipsi suffitum faciunt: sed [e] omnino
non servabunt ipsos tempore mali ipsorum:
13 Nam *pro* numero civitatum tuarum sunt
dii tui, ô Jehuda, & *pro* numero platearum Jeruschalaimorum disposuistis altaria [11] pudendo, altaria ad suffitum faciendum Baħali.
14 [12] Tu ergo ne orato pro populo isto, neque efferto pro istis clamorem & orationem:
nam minimè essem exauditurus quo tempore
inclamarent ipsi, propter malum ipsorum.
15 [13] Quid est [14] dilecto meo domi meę, [15] faciente ista suum gravissimum scelus? *quibusque* amplissimis? [16] nam [17] [f] carnes sanctæ perierunt
abs te: quum *adest* malum tuum, tum demum exsultas.
16 [17] Olivam virentem, [18] pulcram fructus
specie vocaverat *te* Jehova nomine tuo: [19] ad sonum conflictus procellarum maximi incendet
ignem prætereà, & frangent propagines ejus.
17 Nam Jehova exercituum qui plantaverat
te, eloquutus est contra te malum; propter malitiam domus Jisraëlis & domus Jehudæ quam
exercuerunt inter se, ad provocandum me adolendo Baħali.
18 [20] Ac Jehova quidem ostendit mihi ita ut
agnoscerem: [21] tum demonstravisti mihi actiones eorum;
19 Quum essem [22] velut agnus *aut* bos *qui*

[7] contestatio, ut modò diximus, totam Judæorū gentem respicit, primùm majores ipsos, hoc & seq. V. deinde illud ipsum seculū in quo Propheta versabatur, duobus alteris. [b] *Hebr. contestando.* [c] *Heb. manè surgendo & contestando.* [d] *Heb. aspectu cordis sui: ut Deut.29.19.* [8] i. hæc generatio certissimè cum majoribus suis & inter se conjurata est quodammodo, ut se adversus me obfirmarent: quod exponitur seq. versu. [9] tertius locus propositionis, sententiæ dictio. [10] i. decretum hoc meum futurum est irrevocabile, neq; ipsorum causa mutabitur, neque tua, inf. V.14. [e] *Heb. servando non servabunt.* [11] ut sup.3.19. [12] vide sup.7.16. [13] tertia pars, confirmatio duarum præcedentium in cōtestatione partium, tum objurgationis acerbissimæ de peccatis ipsorum, tum sentētiæ latæ; primum a juridica cognitione Dei, quæ falli non potest, usque ad versum 18 deinde ab ipsius Prophetæ testimonio contra Judæos omnes, & suos ipsius cives, inde a vers.18. [14] nimirū prophetę & pio cuique in tanta confusione rerum. [15] q.d. an incesta & impurissima ista scortatio cum idolis mihi allubesceret, aut cuiquam bono? nam istis rebus ego semper fui infensissimus, velut zelotes juris conjugalis mei. Nam rem ita habuisse, & omnes etiam amplissimos ruisse in idololatriam præcipites, constat ex historia Joschiję, item sup.5.4.& 5.& Jechezk.8. [16] i. nullū sacrificium justū (quod synecdochicè carnis appellatione designatur) offerre potes ad abolenda peccata & conciliandum Deum; quia & impura es ipsa, ac proinde non potes non impurare oblationes tuas, Levit.23.25.& tua impuritate pertinacissimè delectaris. [17] allegoria, qua Propheta antegressam populi dignitatē exprobrat, & futuram calamitatem figurat elegantissimè. [f] *Heb. caro sancti: satis transiverunt.* [18] i. pulcherrimè efflorescentem, quæ faciebat spem maximā sui. [19] futuræ calamitatis figuratio: erunt (inquit Propheta) veluti cōcursantes ventorū procellæ, quæ in hunc locū irruentes decutient flores tuos, perfringent ramos, id est, parvos & magnos trucidabunt; deinde opidum ipsum tamquam arboris truncum cōsument igne: quæ quidem gesta esse ostendunt ultima capita Regum, Chronicorū & Jirmeję. [20] alter locus cōfirmationis a testimonio Prophetę: qui modestissimè ostēdit se non curiosè quidē pervestigasse peccata populi sui, tamquam si odio studióve aliquo abduceretur; sed quum nihil ejusmodi cogitaret, a Deo adductum esse ad notitiam improbitatis suorum popularium. [21] apostrophe ad Deum emphatica, ut hoc pacto magis evincat populares suos se nihil dicere de suo, Deum ipsi auctorem & testem esse. [22] i. simplicissimo animo obirem functionem meam (ut Christus Apostolis præcepit Matth.10.16.) & mei contra quærerent necem meam; ut sequentia explicant.

ducitur

ducitur ad mactandum : nam ignorabam eos
contra me inire cogitationes, *dicendo*, [23] perda-
mus culmum cum [g] grano ejus, & exscindamus
eum e terra viventium, ut nomen ejus non com-
memoretur ampliùs.
20 At ô Jehova exercituum judex [h] justissi-
me, [ı] probator renum & cordis: visurus sum ulti-
onem tuam de eis, nam tibi [24] revelavi causam
meam.
21 [25] Idcircò sic ait Jehova [i] de Hanatho-
thanis, quærentibus animam tuam, dicendo; ne
vaticinator in nomine Jehovæ, & non morieris
manibus nostris:
22 Idcircò *inquam* sic ait Jehova exercitu-
um, ecce ego animadversurus sum in istos : ipsi
juvenes morientur gladio; filii eorum, & filiæ eo-
rum morientur fame:
23 Et residuum non erit ipsis; quum adducam
malum in Hanathothanos anno visitationis eo-
rum.

[23] id est, enecemus eum fame, aut gladio, ut demonstrat antithesis pœnarum vers. 22. Est autem loquutio conjuratorum emphatica, translatione sumta a segetibus. q. d. eradicemus istum, adeò ut ne stipula quidem exstet ipsius.
[g] *Heb. pane: metonymia, ut Eccl.* 11.1.
[h] *Heb. justitia.*
[ı] *Psal.* 7.10.
[24] id est, revelatam committo.
[25] denunciatio pœnæ singularis in Hanathothanos, tribus versibus; quæ singulis improbi illorum consilii partibus respondet. [i] *Heb. hominibus Hanathotharum: sic* ℣. 23.

CAPUT XII.

1 [1] JUstus es Jehova, [2] si contendere velim te-
cum : [3] verumtamen judicia eloquar [a] tua,
cur via improborum succedit? cur tranquilli sunt
[b] quicumque agunt perfidè?
2 *Cur* plantas eos, etiam radicantur? per-
gunt, etiam edunt fructum *ii*; quorum in ore
propinquus es, sed longinquus a renibus ip-
sorum?
3 [4] Nempe tu Jehova agnoscis me, pervides
me; ideò probas animũ meum, [c] *ut* adhæreat tibi:
[5] avellendo istos ut oves *trahendas* ad mactatio-
nem, & præparando eos ad diem interfectio-
nis,
4 [6] Quousq; *ais*, lugeret terra? & herba toti-
us agri exaresceret? præ malitia habitantium in
illa, deficiunt singula jumenta & volatilia, [7] quia
dicunt, non videt finem nostri.
5 [8] Quando cum peditibus curris, defati-
gant te; quomodo ergo misceres te cum equis?

[1] Quarta concionis pars, confutatio: quid ita vaticinaris, inquient, quum illis bene sit adhuc, & tibi malè? respondet Propheta, neque hoc quod in præsentia est, neque illud quod prædico, alienum est a justitia Dei: & res præsentes & futuras illa administrat, neque ab eo abjudicari potest justitia, ullius hominis quantumvis justi operâ; sed ipse sibi invitis omnibus eam vindicaturus est, ut Psal. 51.6. [2] id est, si prosperitatem improborum, & meam bonorúmque calamitatem ægrè ferens tecum disceptare audebit quisquam: ut Ijobi 8.3. & 9 2. & sequentib. Est autem elegans *προθεραπεία*, homine pio Prophetáque digna. [3] proposita confessione de justitia Dei inexpugnabili, jam exponitur objectio duobus vers. quæ a Propheta solvitur vers. 3. deinde exornatur sequentib. Est autem objectio *ἀνανταπόδοτος*, cur improbi & hypocritæ prosperentur, inquit: reticetur enim contrarium membrum, cur justi utantur rebus adversis, ut ostendit responsum vers. 3. [a] *Hebr. penes te.* [b] *Heb. omnes agentes perfidè perfidiam.* [4] subjectio ad præcedentem objectionem, qua primùm usum adversitatum in bonis explicat, deinde prosperitatum in improbis: nam (inquit) boni rebus adversis agnoscuntur & respiciuntur, id est, curantur a Deo, probantur ad tempus, & docentur adhærere Deo: improbi verò prosperè intereà agentes saginantur, ut pecudes ad mactationem: sic Psal. 94.13. [c] *Heb.* ut sit *tecum.* [5] id est, quum intereà improbos alios momento abripis tamquam in lanienam e saginario, alios ad futura judicia comparas justissimè, prout illi afficere bonos cogitant, suprà vers. 19. [6] ethopœia, qua Propheta Dei consilium explicat humanitus, quod paucis dixerat præcedente vers. Sunt autem hujus consilii partes duæ: una, de causis; altera, de judiciis quæ toti Judææ pronunciat Deus. Causæ sunt totius regionis & omnium animantium horriditas propter atrocitatem scelerum, hoc ℣. & bonorum omnium qui Deo curæ sunt defatigatio, ℣. 5. & 6. [7] i. quia præfractè negant providentiam Dei, omnipotentem illius administrationem nihil ad se pertinere jactant, & prophetias ludificantur, tamquam si non essent sibi eventura mala. [8] secunda causa, ut modò diximus: cujus hic est sensus, Judæi omnes nunc ita se habent, ac si castra adversus Deum facerent & adversus bonos. Quemadmodum autem in castris alii sunt pedites, alii equites, quorum hi longè illis sunt velociores; ita etiam in Judæorum cœtu alii sunt omnium obfirmatissimi & velocissimi ad maleficia, ut sup. 8.6. alii nondum tantoperè obdurati aut apti ad ea perpetranda: sed tamen tanta est illorum omnium pervicacia, ut ne minimum quidem calonem sistere possis, aut superare & revocare a malitia ad Deum. Quid ergò cum Jerosolymitanis facias, qui maleficiorum auctores sunt obstinatissimi, si apud tuos nihil efficis? qui tyrunculi sunt, si cum illis comparentur.

[9] etiam in terra [d] prospera [10] *cui* confidis, *defati-
gant te*; ecquî faceres in elatione Jardenis?
6 Quandoquidem etiam fratres tui & dome-
stici patris tui, etiam ipsi perfidè agunt in te, ipsi
quoq; convocant post te multitudinẽ; ne credi-
to istis, quamvis alloquantur te bonis *verbis*.
7 [11] Derelicturus sum Domum meam, deser-
turus possessionẽ meam; traditurus [e] eam quam
diligebat anima mea in manũ inimicorũ ipsius.
8 [12] Est mihi possessio mea similis leoni in
sylva; edit cõtra me vocẽ suam; idcircò odi eam.
9 Avis [13] digitata *est* mea possessio mihi, [14] ô
aves, circumquaq; in eam: agite, cõgregate om-
nes bestias agri, facite ut veniant ad comedẽdũ.
10 [15] Pastores multi corrupturi sunt vineam
meam, conculcaturi portionem meam; redactu-
ri portionem mihi [f] desideratissimam in deser-
tum desolatissimum.
11 Dispositurus est eam *quisq;* in desolationẽ,
lugebit per me desolata; desolabitur tota hæc
terra, quia nemo *est* qui reponat in [g] [ı] animo.
12 In omnes clivos per desertum venturi sunt
vastatores, nam gladius Jehovæ cõsumturus est
ab extremitate terræ [h] una ad alteram; nulla pax
erit ulli carni.
13 [16] Quum seminaverint triticũ, spinas me-
tent; quum indoluerint *laboribus*, non proficient:
nam erubescetis ex proventibus vestris præ æstu
iræ Jehovæ.
14 [17] Sic ait Jehova de omnibus vicinis meis
malis, [18] qui attingunt possessionem quam pos-
sidendam tradidi populo meo Jisraëli: ecce ego
convulsurus sum eos e terra sua, quum domum
Jehudæ convellero e medio eorum.
15 Eritq; postquam convulsero illos, ut [i] rur-
sus misereat me istorum, & reducam ipsorum
quemque [19] in possessionem suam, & quemque
in terram suam.
16 Erit etiam si [k] omnino didicerint vias po-
puli mei jurando per nomen meum, vivit Jeho-
va, quemadmodum docuerunt populum meum
jurare per Bahalem; ut [20] ædificenter in medio
populi mei:
17 Quòd si non auscultaverint; tum convel-
lam gentem illam [l] indesinenter, & perdam; dic-
tum Jehovæ.

[9] sensus est, Judæa quodammodo in duo hominum genera divisa est: quorum uni non ita exundant peccatis, sed æquiore (ut ita dicam) conditione sunt: alteri præcipites exundant in omnia peccata & augescunt, ut quum Jarden fluvius diffunditur præter ripas suas: vide Jehosch. 3.15. [d] *Heb. pacis.* [10] i. de qua bene speras; ut cum Hanathothanis fecit: nam sequens versus est hujus exegeticus. [e] *Heb. dilectionẽ animæ meæ: metonymia.* [11] altera pars consilii, de judiciis Judææ eventuris, ut diximus in versum 4. quæ comprehenditur versibus 7. [12] exornatio justitiæ Dei duabus comparationibus, leonis, hoc vers. & avis rapacis, sequẽte. [13] i. rapax, uncis unguibus tamquam digitis in prædam involãs: sic vocat Plin. li. 11. nat. hist. c. 47. [14] provocatio Chaldæorum & cæterarum gentium contra Judæos, per *ὑπόζευξιν*: nam Deus priore loco aves provocat contra digitatã avem, & posteriore bestias contra leonem, servatis comparationibus. [15] ut sup. 6.3. [f] *Heb. desiderii mei in desertum desolationis.* [g] *Heb. corde.* [ı] *Jeschah.* 57.5. [h] *Heb. usque ad extremitatem terræ.* [16] ex interminatione Levit. 26.16. & Deut. 28.38. [17] conclusio qua Deus primùm in summa judicium se effecturum esse de Judæis & gentibus promiscuè denunciat, hoc ℣. ut sup. 9.25. deinde bonos consolatur promissa instauratione Ecclesiæ ex Judæis & gentibus conversis ad ipsum, tribus ultimis. [18] i. sunt finitimi Judææ. [i] *Heb. revertar ut miserear.* [19] spiritalem videlicet, id est, Ecclesiã. [k] *Heb. discendo didicerint.* [20] i. cooptentur in Ecclesiã per fidẽ. [l] *Heb. cõvellendo & perdendo.*

CAPUT XIII.

Deus typo sua in populum beneficia, illius ingratum animum & maleficia, eventuramq; perditionem præfigurat: judicium in omnes pronunciat: populares, Regem, Reginámq; ipsam ad humilitatem, fidem, & resipiscentiã revocat, ut præverteant casum: postremò peccata & pertinaciam eorum contestatus fert sententiam de publico Judæorum casu.

1 [1] SIc ait Jehova mihi, [2] abi, ut compares ti-
bi cingulum [a] lineum, & imponas illud

[1] Hujus concionis, exitium Judæis similiter denunciantis, summæ partes sunt tres: prima est propositio judicii, usque ad versum 15. secunda est hortatio ad omnes ordines ut auscultent Deo, usq; ad versum 21. tertia est confirmatio judicii propositi per contestationem, ad finem usque. Propositionis autem membra sunt duo: unum est typus cum suo exegemate, 11. primis versib. secundum est allegoria consimiliter explicata, vers. 12. & duob. seq. [2] in hoc typo repræsentat Propheta Deum, cingulum verò populum quem sibi adjunxit Deus; ut exponitur vers. 9. & sequent. [a] *Heb. linorum.*

lumbis

lumbis tuis; [3] in aquas autem ne inserto ipsum.
2 Itaque comparans cingulum ex verbo Je-
hovæ, imposui lumbis meis.
3 Deinde fuit verbum Jehovæ ad me [b] ite-
rum, edicendo,
4 [4] Accipe istud cingulum quod compara-
sti, quod impositum est lumbis tuis: & surge, abi
ad Euphratem, & [5] absconde illud ibi in proje-
ctura petræ.
5 Tum abiens abscondi ipsum ad Euphra-
tem, quemadmodum præceperat Jehova mihi.
6 Fuit autem [c] exactis diebus multis; ut edi-
ceret Jehova mihi, surge, abi ad Euphratem, &
recipe inde illud cingulum quod præceperam
tibi ut absconderes illic.
7 Quamobrem abiens ad Euphratem,
quum effodissem recepi cingulū illud e loco ip-
so ubi absconderam ipsum: sed ecce [6] corruptū
erat cingulum, non erat aptum ad rem ullā.
8 Tum fuit verbū Jehovæ ad me dicendo,
9 Sic ait Jehova; ita corrumpam fastum Je-
hudæ & fastum Jeruschalaimorum maximum,
10 Populi istius pessimi, qui renuunt auscul-
tare verbis meis, qui ambulant [d] ex sententia a-
nimi sui, & sequuntur deos alienos colendo eos,
& incurvando se eis: eritque similis cingulo isti
quod non est aptum ad rem ullam.
11 Nam quemadmodum adhæret cingulum
lumbis viri, ita feceram ut adhæreret mihi to-
ta domus Jisraëlis & tota domus Jehudæ, dic-
tum Jehovæ, ut esset mihi populus, & ad nomen,
& ad laudem, & ad ornatū: sed non auscultarūt.
12 [7] Quapropter dices eis verbum hoc, sic ait
Jehova Deus Jisraëlis, omnis [8] uter implendus
est vino; dicentibus autem eis tibi, [e] an verò ig-
noramus utrem implendum esse vino?
13 Dices eis, sic ait Jehova, ecce ego repletu-
rus sum omnes habitatores terræ hujus; etiam
ipsos reges, qui insident pro Davide in solio illi-
us, & Sacerdotes, & Prophetas, denique omnes
habitatores Jeruschalaimorum [9] ebrietate:
14 Et dissipabo eos [f] unum cum altero, tum
patres, tum filios pariter, dictum Jehovæ: non
utar clementia, neq; parcam, neque miserebor,
quin perdam eos.
15 [10] Audite & auribus percipite, ne exalte-
tis vos: nam Jehova loquitur.
16 Cedite Jehovę Deo vestro gloriā, [11] quum
nondum tenebras effecerit, & quum nondum
offenduntur pedes vestri in [g] montibus cæcio-
ribus intempesta nocte: quum exspectantibus
vobis lucem disposuerit eam in umbram letha-
lem, redegerit in caliginem.
17 [12] Quòd si non auscultabitis hoc, in late-
bris flebit anima mea propter superbiā: & [h] valde
lacrymabitur, descendent inquam ex oculo meo
lacrymæ, quia captivus abducendus est grex Je-
hovæ.
18 [13] Dic Regi & [i] Augustæ, [k] abjectissimè
considite: nam descensurus est principatus utri-
usque vestrum, corona ornatus vestri.
19 [14] Civitates [l] Australes occludentur ita ut
nullus aperire possit: deportabitur Jehuda tota,
deportabitur [15] *civitas* pacatorum.

[3] id est, hoc cingulum tibi semper adhæreto, & ab omni humore qui ipsum corrupturus esset conservato: typus curæ & beneficiorum Dei erga populum. [b] *Heb. secundò.* [4] hic jam Propheta typus esse populi ex parte incipit, ut ostendat facto Judæorum accidisse ut corrumperentur ipsi; quia ad Euphratem profecti sunt, ut Assyriorum copias sibi adjungerent: prout exprobratur infra vers. 21. [5] typus Judæorum existimantium se in umbra Assyriorum securè delitescere. [c] *Heb. a fine dierum multorum.* [6] ut Judæi corrupti fuerant Assyriorum contagio, 2. Reg. 16. & se corrumpendos ac perdendos exhibuerunt judicio Dei, ℣. 9. [d] *Heb. in aspectu cordis sui, & ambulant post Deos.* [7] altera pars propositionis, allegoria: ut diximus in ℣. 1. [8] id est, lagena figulina, per κατάχρησιν: ut Jeschah. 30. 14. [e] *Heb. an noscendo non novimus.* [9] i. vehementissimis calamitatib. quib. ita obruētur, ut non ampliùs sciant quò se vertant quàm ebrii sepulti vino: sic Jeschah. 51. 17. & seq. [f] *Hebr. virum ad fratrem suum.* [10] secunda pars, hortatio ad humilitatem, fidē, & resipiscentiā, ut antevertatur severissimū judicium illud Dei: qua primum populares admonentur, tribus versibus. deinde Rex, Reginàque, tribus alteris. [11] id est, antequam teterrimas illas calamitates importet, quæ cum tenebris ferè in scriptura cōparantur, ut contrà cum luce prosperitas. [g] *Heb. montibus intempestæ noctis.* [12] modestissima explicatio infelicitatis inobsequentib. eventuræ. q. d. vos omnino peribitis, & ego lugebo cāsum vestrū, propter peccata vestra. [h] *Heb. lacrymando lacrymabitur.* [13] altera pars hortationis, ut diximus, ℣. 15. [i] *Heb. Dominæ.* [k] *Heb. abjicite & sedete.* [14] i. opida Ægypti, in quæ vos effugituros confiditis, non recipient vos, sed occlusa permanebunt Chaldæorum metu. [l] *Heb. austri.* [15] id est, Jerusalem, in qua pace perpetua & prosperitate usuri vobis videmini: est autem allusio ad nomen Jeruschalaimorum.

20 [16] Sustollite oculos vestros, & respicite is-
tos venientes ab Aquilone: ubi *est* [17] grex ille qui
traditus fuerat tibi? pecudes [18] ornatus tui?
21 [19] Quid dictura es, quum animadvertet in
te? nam [20] tu docuisti istos supra te, duces, in ca-
pite *esse*: an non dolores corripient te, quales
mulieris [m] parturientis?
22 Quòd si dicas cum [n] animo tuo, cur ob-
ventura sunt mihi ista? propter amplitudinem
iniquitatis tuæ [21] retegentur fimbriæ tuæ, vio-
lenter auferentur [o] soleæ tuæ.
23 An mutare potest Æthiops cutem suam,
aut [22] pardus liventes maculas suas? etiam vos
possetis benefacere, edocti malefacere.
24 [23] Ideò dispergam eos velut stipulam [24]
prætereuntem, ad ventum [25] deserti.
25 Hæc sors tua; portio [p] demensa tibi a me,
dictum Jehovæ; [26] quæ oblita es mei, & fiduciam
habes in falso.
26 Nam [27] etiam ego denudaturus sum *te*,
fimbriis tuis obductis faciei tuæ; ut videatur ig-
nominia tua.
27 Adulteria tua, & hinnitus tui, [q] scelesta
scortatio tua supra colles *fuerunt* in agro, vidi a-
bominationes tuas: væ tibi, urbs Jeruschalaimo-
rum; num mundabis te? [r] [28] post quantum adhuc
temporis?

[16] hypotyposis emphatica. [17] videlicet populus Jehovæ (ut sup. ℣. 17.) cui tu pastor datus es. [18] nam in multitudine populi est decor Regis, Proverb. 14. 28. [19] ultima pars, contestatio cōfirmans judicia modò denunciata primùm ab explicatione causarum, tribus versibus: deinde sententiæ dictione, quatuor ultimis. Sunt autem causæ tres: infidelium consociatio & honor atque imperium illis attributum, hoc versu; maleficiorum ab illis haustorum perpetratio, versu seq. & obfirmatus atque impœnitēs animus, ℣. 23. [20] advocante videlicet Achazo, 2. Reg. 16. 7. [m] *Heb. partus.* [n] *Heb. corde.* [21] i. in captivitatē traheris miserrimè: nam hoc significant hæ loquutiones duæ per synecdochen, ut Jeschah. 20. [o] *Heb. vestigia, metonymicè.* [22] epicœnè: nam mares non dicuntur varii, sed fœminæ variæ, ut testis est Plin. lib. 8. nat. hist. cap. 17. parœmiæ. [23] sententiæ dictio, ut annotavimus in ℣. 21. [24] i. levissimā, quæ non potest loco uno consistere; sed minimo vento hūc illūc impellitur. [25] i. plenissimè, & sine impedimento perflantem, ut sup 4. 11. [p] *Heb. mensurarum tuarum.* [26] i. me negligens retexisti, & prostituisti te aliis. [27] videlicet quemadmodū oblita es mei, & fiduciam in aliis collocans denudavisti te. [q] *Heb. scelus scortationis tuæ.* [r] *Heb. post quando adhuc.* [28] q. d. quod spaciū ampliùs tibi concedi velles ut resipisceres a maleficiis tuis, cùm sis pervicacissima? frustra prorogaretur tempus: emphatica contestatio.

CAPUT XIIII.

Deus famem gravissimam Judææ denunciat: quamobrem Propheta videns malorum initia esse, implorat Dei fidem & misericordiam, cui respondet Deus se nulla causa decretum suum revocaturum esse; & transferente Jirmeja crimen in Pseudoprophetas, tum his, tum popularibus ruinam denunciat: tertiò deprecante Jirmeja, ampliùs decretum suum confirmat. Itaque Jirmeja sollicitus de salute Ecclesiæ & ad flebile lamentum conversus consolationem a Deo accipit, & exposita fide quam adhibuerat ad perfungendam vocationem suam, in functione porrò adversus omnia mala confirmatur.

1 [1] VErbum Jehovę quod fuit ad Jirmejam,
super [2] verbis cohibitionum.

[1] Hujus concionis argumentum totum ab ipsa inscriptione quæ habetur ℣. 1. facilè cognosci potest: nam tota est ἱκετευτική, continens ex parte deprecationes Prophetæ & piorum omnium, partimque denunciationes & responsa Dei. Sunt itaque hujus concionis (si ἐπιγραφὴν sive inscriptionem excepens) partes sex: prima est prophetica propositio eventuræ famis, usque ad versum 7. secunda est deprecatio Ecclesiæ, vers. 7. 8. & 9. cui respondet Deus ac Prophetæ nominatim, sibi decretum esse irrevocabile cùm de immittenda fame, tum de aliis omnibus calamitatibus, vers. 10. & duobus seq. tertia est deprecatio transferens crimen in Prophetas ad populum excusandum, vers. 13. cui respondet Deus ipsos æquè perituros, & luctum indicit Prophetæ ad significandum populo decretum Dei, inde ad vers. 19. quarta est deprecatio similiter confitens peccata publica & misericordiam implorans, ad finem usque capitis; cui respondet Deus per confirmationem & amplificationem decreti sui, primis versibus 9. capitis 15. quinta est lugubris expostulatio Prophetæ, qui maximam peccantium contradictionem expertus conqueritur de difficultatibus administrationis suæ, vers. 10. & eum confirmat Deus, quatuor sequentib. ultima est oratio Prophetæ pro salute sua omisso populo, vers. 19. & trib. seq. cui omnia spondet Dominus, tribus versib. ultimis. Ἐναλλαγὴν autem verborum, quam inscriptio habet, mutavimus ad evidentiam. [2] i. deprecationibus, quas Propheta & boni fundebant coram Deo, ut amolirentur judicia Dei publicè denunciata.

2 [3] Lugebit

2 [3] Lugebit Jehuda & [4] portæ ejus elanguescent, atrati erunt *jacentes* humi, & querela Jeruschalaimorum [5] ascendet.

3 Etiam magnifici eorum emittent [6] minimos suos ad aquas: venientes ad fossas nõ invenient aquas, revertentur suis vasis vacuis, erubescent & pudore suffusi [7] operient caput suum.

4 Propter terram attritam, eo quòd non fuerit pluvia in terra; erubescentes agricolæ operient caput suum.

5 Quin etiam cerva in agro, quod pepererit derelinquet; quia non erit tenera herba:

6 Et onagri stantes in clivis, [8] haurient ventum ut dracones; deficient oculi eorum, quia nulla *erit* herba.

7 [9] Quandoquidem iniquitates nostræ testantur contra nos, ô Jehova, fac propter nomẽ tuum: nam multæ sunt aversiones nostræ, tibi peccavimus.

8 O spes Jisraëlis, servator ejus tempore angustiæ: [10] quare esses ut peregrinus in hac terra, & tamquam viator *qui* divertit ad pernoctandum?

9 Quare esses [11] ut vir fatiscens, tamquam robustus non valens servare? atqui tu [12] in medio nostri *es* Jehova, & [a] de nomine tuo vocamur; ne relinquas nos.

10 [13] Sic ait Jehova de populo hoc, [14] ita diligunt evagari, pedes suos non cohibent: ideò Jehova non accipit eos benevolè; nunc recordatur iniquitatis eorum, & visitat peccata eorum.

11 Deinde edixit Jehova mihi, [15] ne orato pro populo isto in bonum.

12 Quum jejunabunt, non exaudiam clamorem eorum, & quum offerent holocaustum & munus; non sum benevolè accepturus ea; sed gladio, & fame ac peste sum consumturus eos.

13 [16] Quamobrem dicente me, Aha, Domine Jehovi, ecce isti Prophetæ dicunt eis, non estis [b] experturi gladium, & fames non erit vobis: sed pacem [c] firmam daturus sum vobis in loco hoc:

14 [17] Dixit Jehova mihi, falsum Prophetę isti prophetant in nomine meo; non misi eos, neque præcepi eis, neque alloquutus sum eos: visione [d] falsa, & divinatione, ac re nihili, dolóque [e] animi sui isti prophetas agunt [f] bono suo.

15 Idcircò sic ait Jehova contra Prophetas istos qui prophetant in nomine meo, cùm ego non miserim eos; isti dicunt gladius aut fames non erit in terra hac: gladio & fame deficient ipsi Prophetæ isti.

16 Populus autem iste, quibus ipsi prophetant, erunt projecti in plateis Jeruschalaimorum præ fame & gladio, nec ullus *erit* sepeliens eis, ipsos, uxores ipsorum, filiósque ipsorum, ac filias ipsorum; adeò effundam super ipsos [18] malitiam ipsorum.

17 Dices itaq; ipsis verbum hoc, [g] [19] descendant ex oculis meis lacrymę noctu & interdiu, & ne desistant; nam contritione magna frangetur virgo filia populi mei, percussione ægra valde.

18 Si exeam in agrum, ibi ecce confossi gladio; sin autem ingrediar civitatem, ibi ecce ægrotantes fame: nam tum Propheta, tum Sacerdos [20] nundinantur contra terram, [21] & non agnoscunt.

19 [22] An [h] omnino spernis Jehudam? an Tzijonem [23] fastidit anima tua? quare percutis nos ita ut nulla *supersit* nobis curatio? *quare* [24] exspectando pacem nullum *adest* bonum; & *exspectando* tempus curationis, tantùm ecce terror?

20 Agnoscimus Jehova improbitatem nostram, iniquitatem patrum nostrorum; nos peccasse tibi.

21 Ne contemnito propter nomen tuum, ne vilipendito [25] solium gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facito fedus tuum nobiscum.

22 An sunt inter [26] vanitates gentium qui pluviam edant? & an [i] cælestes *dii* edunt imbres? [27] nónne tu is *es* Jehova Deus noster? ideò exspectamus te, quia tu facis omnia ista.

[3] prima pars, denunciatio famis vehementissimæ, quam denunciationem factam esse temporibus Joschijæ, ut præcedentes conciones omnes, minimè dubitamus. Nam integrum hujus concionis argumentũ refertur in illud Joschijæ tempus 2. Reg. 23.26. & sequentibus.
[4] id est, incolæ totius Judææ, metonymicè.
[5] i. quàm maxima voce edetur passim.
[6] i. etiam eos ipsos qui ministerio inepti sunt propter ætatem imbecillam, pressi aquarũ inopia: ut de Achabo legimus, 1. Reg. 18. 5. & seq.
[7] ut 2. Schem. 15.30. sic seq. v.
[8] i. nihil habebunt unde famẽ aut sitim expleant: ac proinde enecabuntur inopia cibi & potus, quam dracones, serpentes & venenata pleraque ferunt sine graviore incommodo, modò libero cælo perfruantur: ut narrant Aristotel. lib. 8. de historia animalium, cap. 4. & Plinius lib. 10. natur. hist. cap. 72.
[9] secunda pars, ut diximus in versum 1. continens deprecationem, tribus versibus: & decretum Dei, tribus alteris. Deprecationis partes sunt duæ, confessio, hoc vers. & deprecationis argumenta a gloria Dei & promissionibus federis, duobus seq. [10] i. quare negligeres administrationem nostram, neque magis te immisceres rebus nostris quàm peregrinus in Republica aliena: quod tibi foret contumeliosum, ac si tantùm diversaturus fuisses ad tempus, non autem permansurus in seculum cum populo tuo ex promissione tua, fide nostra, & antegressa experientia. [11] i. defessus præ anteactis laboribus; quasi non posses ampliùs servare tuos, deminuto & fracto robore: nam hujus verbi epexegesis sequentibus continetur. [12] i. Deus es constantissimus, & semper idem in populo tuo: propterea nos gloriamur de te, colimus & profitemur te. [a] *Heb. nomen tuũ super nos vocatur.* [13] decretum Dei compensantis errores spirituales populi suppliciis paribus, hoc versu, & decreti immutabilitatem ostendens, duobus seq. [14] quasi dicat, ipsi sunt in causa, amant errare hũc illũc & discursare ad idola sua: itaq; faciam ut errent. [15] ut suprà 7.16. & 11.14. quasi dicat, frustra tu & ipsi operam consumseritis; stat sententia. [16] tertia pars continens deprecationem per translationem criminis in Pseudoprophetas, hoc vers. & ampliorem explicationem decreti, quinq; seq. [b] *Heb. visuri.* [c] *Heb. firmitatis.* [17] hoc decreto primùm indicatur falsitas Prophetarum, hoc versu; deinde tum ipsorum exitium, vers. sequente; tum populi adhærentis ipsis, vers. 16. postremò luctus prophetæ imperatur ut certissimam calamitatem præfiguret, vers. 17. & 18. Complementum autem istorum habetur in fine 2. Reg. & 2. Chron. & Jirmejæ. [d] *Heb. falsitatis.* [e] *Heb. cordis sui.* [f] *Heb. sibi.*

[18] i. pœnas malitię ipsorum debitas.
[g] *Hebr. descendant oculi mei lacrymæ: hypallage emphatica.*
[19] i. jã verò me lugere oportet palã, & deflere miserias vestras.
[20] ut sup. 5.31.
[21] i. populares terrę non vident exerceri nundinationem sui, utque ita amant: ut suprà ibidem, & hic vers. 10.
[22] quarta pars, continens primùm deprecationem pro salute Ecclesiæ ad Dei gloriam, quatuor versibus: deinde iteratam explicationem & cõfirmationem decreti irrevocabilis, v. 9. sequentis capitis. Sunt autem in deprecatione primùm querimonia, hoc versu; deinde confessio peccati v. 20. ut supr. v. 7. postremò deprecatio ipsa propter gloriam Dei, duob. ultimis. [h] *Heb spernendo.* [23] ex lege Levit. 26.11. [24] ut sup. 8.15. [25] i. Judæã, qua regnum Dei tum continebatur, synecdochicè. [26] i. idola, quæ Judæi a gentibus colenda receperant, de quib. sup. 10.2. ut Deut. 32.21. [i] *Heb. cæli.* [27] ut Psa. 147.8. & Hosc. 2.21. & Zecar. 10.1.

CAPUT XV.

1 [1] SEd dixit Jehova mihi, [2] si instaret Mosche & Schemuel coram me, minimè *esset* animus meus erga populum istum: [3] emitte a facie mea, & exeant.

2 Eritque, si dicant tibi; quò exibimus? ut dicas eis, sic ait Jehova, qui ad mortem *exiturus est*, ad mortem *exito*, & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captivitatem, ad captivitatem.

3 [4] Præficiam enim istis quatuor [a] genera, dictum Jehovæ, gladium ad interficiendum, & canes ad trahendum; & volatilia cælorum, ac bestias terrę ad comedendum & ad perdendum:

4 Et [5] tradam eos in commotionem omnibus regnis terræ; propter Menaschem filium Jechizkijæ regis Jehudæ, ob ea [6] quæ fecit Jeruschalaimis.

5 Nam quis uteretur clementia erga te, urbs Jeruschalaimorum? aut quis condoleret tibi? aut quis accederet [7] ad interrogandum de [b] prosperitate tua?

6 Tu deseruisti me, dictum Jehovæ, retrorsum abivisti; ideò extendo manum meam contra te ut perdam te; defessus sum [8] pœnitendo.

7 Itaque [9] ventilabo eos ventilabro [10] in portis hujus terræ; orbabo, perdam populum meum; quum a viis suis non revertantur.

8 Numerosiores mihi erunt viduæ ejus quàm arena [c] marina: adducam eis contra [d] [11] metropolin juvenem vestatorem ipso meridie; faciam ut irruat in eam repentè, [e] terroribus civitas abundabit.

[1] Hoc responsum confirmat sententiam antè latam per concessionem vers. 1. & categoricam denunciationem, vers. 2. quæ sequentibus exornatur.
[2] hypothetica enunciatio per conditionem impossibilem, quasi dicat, si duo isti viventes in medio istius populi essent, nihil efficerent apud me: ut Jechezk. 14.13.
[3] id est, prophetando denuncia ipsos a me repudiatos & rejectos esse.
[4] exornatio præcedentis decreti, duobus versibus, quod deinde amplificatur per contestationem, v. 5. & 6. & denunciationem summæ calamitatis promiscuè omnes pervasuræ. [a] *Heb. familias.* [5] ex lege Deuter. 28.25. [6] id est, quæ ut reciperentur & observarentur in Judæa auctor fuit Menasche. [7] id est, salutandum te vel unico verbo: gradatio elegantissima. [b] *Heb. pace.* [8] ut Gen. 6.6. [9] ut Lev. 26.33. [10] i. in omnibus terminis, synecdochicè. [c] *Heb. marium.* [d] *Heb. matrem.* [11] hanc genuinam interpretationem esse commonstrant sequentia. [e] *Heb. civitas & terrores.*

9 Elan-

9 Elanguescet [12] quæ pariebat septenos, efflabit animã suam, [13] occidet sol ejus, dum adhuc futurus esset dies ipsorum, erubescet & pudebit eam: deniq; residuum istorum gladio exponam coram inimicis ipsorum, dictum Jehovæ.

10 [14] Hei mihi mater mea, quòd peperisti me [f] in quem intendatur lis, & in quem intendatur contentio a tota hac terra: [15] non dedi mutuum, neque mutuo dederunt mihi; unusquisque maledicit mihi.

11 [16] Ait Jehova, [17] an non [g] residuo tuo esset bene? an non intervenirem pro te tempore mali & tempore angustiæ apud inimicum?

12 [18] An ferrum fractum esset [19] ferrum [h] Aquilonare, & chalybem?

13 Opes tuas & thesauros tuos direptioni exponam [20] absque pretio; idque propter omnia peccata tua, & in omnibus terminis tuis:

14 Faciámque ut transeas penes inimicos tuos, in terram *quam* ignoras: quum [i] ignis accensus ira mea in vos inflammatus fuerit.

15 [21] Tu nosti Jehova, recordare mei, & visita me, ac ultionem sume pro me de persequentibus me; pro longanimitate tua [22] ne intercipito me: agnosce me ferre propter te opprobrium.

16 [23] Quum adfuerunt verba tua, [i] admisi illa, fuítque verbum tuum mihi gaudio & lætitiæ [k] animi mei: quandoquidem vocor de nomine tuo, ô Jehova Deus exercituum.

17 Non sedi in consilio irrisorum, aut exsultavi: [l] propter manum tuam solitarius sedi: quia [24] indignatione replevisti me.

18 Quare esset dolor meus [m] æternus? & plaga mea mortifera? *si* renueret curari, [n] omnino esses mihi [25] similis fallaci, [26] aquis instabilibus.

19 [27] Idcircò sic ait Jehova, quandoquidem [28] converteris prout converto te, [29] coram me stas; quandoquidem inquam [30] educis rem pretiosam a vili, tamquã os meum es: [31] reverti debuerant isti ad te, [32] non autem tu reverti ad eos.

20 [33] Ideò oppono te populo isti pro muro æneo munitissimo, ut oppugnantes te non prævaleant tibi: quia [l] tecum sum ad servandũ te & ad eripiendum te, dictum Jehovæ.

21 Eripiam enim te e manu malorum, & redimam te e manu violentorum.

[12] i. fœcunda mulier & valentissima, multorũ futura mater numerus certus pro incerto.
[13] i. momento mutabitur clarissima quæque & illustrissima gloria in calamitates tenebrosissimas: sic enim lucem & tenebras a Prophetis accipi sæpè docuimus.
[14] quinta pars, lugubris expostulatio Prophetæ de difficultatibus administrationis suæ, hoc vers. de quibus ipsum consolatur & confirmat Deus, quatuor seq.
[f] *Hebr. virum litis & virum contentionis totius terræ.*
[15] i. hæsi quàm simplicissimè functioni meæ, nihil præterea egi cũ istis hominibus; ab omni occasione litis quę humanitus moveri potuisset, supersedi prudens: quod synecdochicè designatur hic mutui contractus nomine.
[16] responsum Dei primùm cõfirmat Prophetã adversus inimicos omnes internos & externos, hoc & sequent. versu; deinde prophetiam adversus Judæos, duobus alteris.
[17] i. isti qui residuum a se superstes fore putant, te verò exstinctum iri interminantur, peribunt ipsi a Chaldæis, tu autẽ residuus eris, & beneficia ab illis accipies: ut narratur inf. 40. nam (inquit Deus) ego sum intercessurus, ut defendam te ab hoc populo qui inimicus est tibi, & gratiosum te apud Chaldæos reddam.
[g] *Heb. residuum tuum* esset *in bonum.*
[18] cõfirmatio præcedentis promissionis per comparationem: sunt isti ferrei (inquit Deus) sed ego qui intervenio pro te, sum tibi murus chalybeus: non est quòd metuas ut frangaris ab istis hominibus.
[19] i. chalybem, ut sequens epexegesis docet: nam Chalybes populi sunt in Ponto ad Aquilonem siti, a quib. chalybs appellationem habet teste Virgilio lib. 2. Georg. & Strabone lib. 12. Geographic.
[h] *Hebr. ab Aquilone.*
[i] *Inf.* 17.3.
[20] ut Psal. 44.13.
[21] ultima pars, oratio; qua Propheta Deo se, suam fidem, & administrationẽ probans totum committit ipsi ad servandũ ipsum, & adversarios judicandos, quatuor versib. cui Deus spõdet vicissim omnia salutaria, trib. ultimis.
[22] sed servato in functione mea: eclipsis contrarii; ut Gen. 33.10.
[23] exornatio præcedentis propositionis, qua Propheta primùm fidẽ suam, obedientiã, & studium (de quo dixerat, tu nosti, præcedente ℣.) exponit duob. versib. deinde curari & servari petit suo & piorum nomine, ℣.18.
[i] *Heb. comedi, metaphoricè: ut Jeschez.* 3.1.
[k] *Heb. cordis: quia vocatur nomen tuum super me.*
[l] *Heb. a facie.*
[24] adversus populum hunc in peccatis obfirmatũ & rejectum a te: quamobrem se solitarium sedisse ait, ut Moschem fecisse legimus Exod. 33.7. & ipse optavit suprà 9.2.
[m] *Heb. æternitatis, & percussio m.*
[n] *Heb. exsistendo esses.*
[25] quum salutem & curam Ecclesię tuę in te receperis ab æterno.
[26] i. torrentibus, qui momento coorti momento evanescunt: ut depinguntur Ijobi 6.15. & seq. Nam contrà Deus fons appellatur salutis Ecclesiæ, Jeschah. 12.3.
[27] responsum Dei probantis officium Jirmejæ, hoc ℣. & cõfirmantis ab omnib. adversis, duob. seq.
[28] i. adhibes te ad ea quæ impero tibi, synecdochicè.
[29] i. ministras mihi, ut interpretatur Mosche Deut. 10.8.
[30] i. prophetando discernis quicquid bonũ est a malo, & incorruptè ac sine acceptione personarũ verũ doces, & falsum abdicas, tamquã si ego ipse loquerer.
[31] nimirũ si vellent servari; quod planè negligunt perstantes in obfirmatione sua.
[32] Pseudoprophetarum exemplo videlicet, qui ad illos revertuntur aversi a me, & sua dicta illorum studiis accommodant: ut sup. 14.14. & Micę 2.11.
[33] nempe quia non revertuntur ad te, sed opponunt se ipsos tibi.
[l] *Ut sup.* 1.8. & 19.

CAPUT XVI.

Deus gravissimas calamitates populo denunciaturus, typicè conjugio, liberorũ procreatione, luctu, convivijsq; interdicit: deinde Judæorũ peccata cõtestatus & sententia lata, pios promissa redintegratione Ecclesiæ ex Judæorũ reliquiis & gentibus cõsolatur: omnia cõfirmat a justitia, scientiáq; infinita, & præsentia sua: quamobrẽ Propheta petit judicia ipsius effici, se a Deo curari, & veritatem prophetiarum suarũ asseri: ac postremò accepto Dei mandato fedus cum populo jam olim initum, promissiones, mináſq; repetit.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, edicendo,
2 [2] Ne [a] ducito tibi uxorem; neque sunto tibi filii aut filiæ in loco isto.

3 Nam sic ait Jehova de filiis & de filiabus natis in loco isto; & de matribus ipsorum quæ pepererint ipsos, & de patribus ipsorum qui genuerint ipsos in terra ista:

4 Mortibus [b] ægerrimis morituri sunt, non plangentur, neq; sepelientur, pro fimo in superficie terræ erunt: & gladio ac fame deficient, eritque cadaver eorum cibo volatilibus cæli & bestiis terræ.

5 [3] Quin sic ait Jehova, ne ingreditor in domum designatoris, neque ito ad plangendum, neque condoleto eis: nam [4] recepi pacem meam a populo isto, dictum Jehovæ, benignitatem & miserationes.

6 Quum mortui fuerint magni & parvi in terra ista, [5] non sepelientur; neq; plangent eos, [c] [6] neque cæsuram sibi, neque calvitium inducet sibi pro illis *quisquam:*

7 [7] Neque impartientur *cibum* illis in luctu ad consolandum ullum de mortuo; neque bibendum dabunt eis *ex* poculo consolationum de patre ullius & de matre ullius eorum.

8 Deniq; *in* domũ [8] convivii ne ingreditor, ut assideas eis; ad comedendũ & ad bibendum:

9 Nam sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis; ecce ego facturus sum ut cesset a loco isto ante oculos vestros & diebus vestris; [9] vox gaudii & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ.

10 [1] [10] Erit autem quum indicaveris populo isti omnia verba hæc; si dixerint tibi, propter quid eloquutus est Jehova contra nos totum malum maximum istud? & quæ *est* iniquitas nostra, aut quod peccatum nostrum, quo peccavimus Jehovæ Deo nostro?

11 Ut dicas eis, eò quòd dereliquerunt majores vestri me, dictum Jehovæ, & [d] sequuti deos alienos coluerunt eos & incurvaverunt se eis *honorẽ exhibentes:* me autẽ dereliquerunt, & legem

[1] Hujus concionis, quæ eodem argumento est cum præcedẽtibus summę partes sunt quatuor præter inscriptionẽ ℣.1. prima est propositio judiciorum Dei cum typo triplice, usq; ad ℣.10. secunda est contestatio Judæorum de peccatis ipsorum, inserta piorum consolatione de instauranda Ecclesia, & judicii denunciatione, usq; ad ℣.5. cap. 17. tertia est confirmatio propositionũ præcedentium, usq; ad ℣.19. postrema est conclusio a brevi repetitione federis promissionũque, & minarum cõprehensarum federe.
[2] hujus propositionis typi & partes sunt tres: primus typus vẽturas calamitates exponit, trib. versib. secundus & tertius gravitatem earũ amplificant, nimirũ nullum fore cõsolationis locũ, a ℣.5. ad 8. & nullam planè lætitiam, ℣.8. & 9.
[a] *Heb. accipito.*
[b] *Hebr. ægritudinum.*
[3] alter typus & pars propositionis, ut modò diximus: in quo propheta gradatim funebres ceremonias & ordine persequitur: prima est, ut qui in luctu sunt, antequam efferatur funus, a designatoribus sive magistris funebrium ceremoniarum informentur de cultu, amictu, ritu, ordine, & cæteris rebus ad compositum luctum pertinentibus, quos homines Tullius & Seneca designatores vocãt; secunda est prosequutio funeris: tertia est lugentium consolatio elato funere: quas partes Propheta persequitur, versib. seq.
[4] i. subtraxi & ademi.
[5] i. nulla adhibebuntur designatorũ documenta, tumultuariè fient omnia.
[c] *Heb. neq; cædetur, neque calvabitur ipsis: impersonaliter.*
[6] quam a gentibus acceptam Judæi observabant, contra legem, Levit. 19. & Deut. 14.
[7] i. comites qui funus prosequuti fuerint, non cõficient silicernium, id est, cœnam qua veteres funus exsequuti utebantur ad consolandos proximos & necessarios mortui: sic Jechezk. 24.17. & seq.
[8] videl. ullius quod celebretur hilariter & festivè inter populares.
[9] ut sup. 7.34.
[1] *Sup.* 5.19.
[10] secũda pars concionis (ut diximus in vers. 1.) qua Deus per Prophetam primùm Judæos contestatur & sententiam fert exsulii, quatuor versib. deinde bonos promissionibus instaurandæ Ecclesiæ erigit, ℣.14. & 15. ac postremò singulas hujus cõtestationis & promissionis partes exornat, sequentib.
[d] *Heb. abeuntes post.*

meam

meam non observarunt:

12 Vos verò [e] pejus fecistis quàm majores vestri; nam ecce [f] sequimini quisque sententiam animi sui pessimi, non auscultando mihi:

13 Propterea ejiciam vos e terra ista, in terrã quam ignorastis vos & majores vestri: & coletis ibi Deos ‖ alienos interdiu & noctu, [11] quamdiu non dedero vobis gratiam.

14 [12] Idcircò ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ; quibus [13] non dicetur ampliùs, vivit Jehova qui evexit Jisraëlitas e terra Ægypti:

15 Sed, vivit Jehova, qui evexit Jisraëlitas e terra Aquilonis & ex omnibus regionibus quò depulerat eos: postquam reduxero eos in terram suam quam dederam majoribus ipsorum.

16 [14] Ecce ego missurus sum ad [15] piscatores multos, dictum Jehovæ, ut piscentur eos: & postmodùm missurus sum ad multos [16] venatores, ut venentur eos ex omni monte, & ex omni colle, etiam ex projecturis petrarum:

17 Quia oculi mei *advertunt* ad omnes vias eorum, non sunt absconditę a facie mea; neq; est abdita iniquitas eorum ex adverso oculorum meorum.

18 Et rependam [17] priùs [18] duplum iniquitatis eorum & peccati eorum, eò quòd prophanaverint terram meam; [19] cadaveribus rerum detestabilium suarum, & [20] abominationibus suis impleverint possessionem meam.

19 [21] Jehova robur [22] meum & munitio mea, perfugiúmq; meum in die angustiæ: ad te gentes [23] venient e finibus terræ ac dicent, utique [24] falsum possidebant majores nostri, vanitatem & [g] inutilia.

20 An facturus esset sibi homo deos? atqui isti [25] non *sunt* dii.

21 [26] Idcircò ecce ego faciens ut experiantur [27] illi vice hac, demonstrabo [28] his manum meam & potentiam meam; ut cognoscant nomen meum esse Jehovam.

[e] *Hebr. malè egistis faciendo præ majoribus.*
[f] *Hebr. itis post aspectum cordis vestri.*
‖ *Infrà* 23.7. *&* 8.
[11] i. toto tempore quo vos decrevi exsulare, neq; vobis conciliare gratiam apud dominos vestros; ut factũ est temporibus Cyri. Sunt autẽ hæc verba *μεταβατικὰ* ad sequentem promissionem.
[12] nimirũ quia tempus similiter constitui quo gratiam ineatis apud regem Cyrum, qui dominabitur vobis.
[13] i. majus erit posterius beneficium priore, ac proinde prioris recordationem obscurabit. Nam beneficium hoc non simpliciter ad tempus reversionis Cyro regnante pertinet; sed ad totũ illud tẽpus quod reversionem est cõsequutum, usque in adventum Christi: ut perstringit versus sequens, & copiosiùs explicant tres versus ultimi, hoc cap.

[14] exornatio, ut diximus in ✠.10. primùm judicii efficiendi in Judæis, quod ✠.13. Deus denunciaverat, comprehensa tribus versib. deinde promissę instaurationis, trib. alteris; ac postremò contestationis qua Deus ad severam sententiam ferendam adducitur, versib. quatuor cap. seq. [15] i. Ægyptios versantes in aquis & piscationi deditos: ut narrat Jeschahja 19. nam Parho Neco interfecit Joschijam, Joachazum vinctũ abduxit, & regioni imposuit multam præficiens Jehojakimum, 2. Reg. 23. 29. & seq. [16] Chaldæos sive Babylonios, inde a temporib. Nimrodi celebres ab isto venationis genere, id est, latrones maximos; vide Gen. 10. 8. & 9. cõplementum verò 2. Reg. 24. & 25. & ins. ultimo. [17] videlicet quam dies illi veniant qui fuerunt promissi, ✠.14. & 15. [18] i. pœnarum abundè, ut Jeschah. 40. 2. [19] i. humanis sacrificiis, quib. se litare abominandis suis idólis existumabant: ut infrà 19. & Jeschezk. 16. [20] i. idólis abominandis. [21] apostrophe ad Deum, qua transit Propheta ad secundum exornationis locum de promissionibus magnificis restituendæ Ecclesiæ, tum ex piis Judæorum reliquiis, de quibus sup. ✠.15. tum ex Gentibus ad Deum conversis per illustrationẽ Euangelii gloriæ Christi. [22] & sanctarum videlicet reliquiarum, quas ad salutem prædestinaveris ex populo meo. [23] fide & resipiscentia. [24] cõfessio Gentiũ, quam confirmant seq. ✠. de vanitate idololatriæ. [g] *Heb. in quib. nihil utile.* [25] re ipsa videlicet, etsi opinione sunt: sup. 10. 3. [26] nimirum ut Gentes cum Judæorum reliquiis vocentur ad participatiõnẽ gloriæ Dei. [27] Judæi, exsequutione sententiæ meæ. [28] gentibus convocandis ad fidem Euangelii.

CAPUT XVII.

1 [1] PEccatum Jehudæ scriptum est [a] stylo ferri, & [a] scalpro [3] lapidis perdiuturni; [4] exaratum in tabula cordis eorum, ad cornua [5] altarium vestrorum:

2 [6] Cùm recordentur filii illorum altarium suorum, & lucorum suorum; ad arbores virentes, ad colles altissimos.

3 [7] ‖ Montem meum cum [8] ipso agro, copias tuas, omnes thesauros tuos direptioni exponã; excelsa tua, propter peccatum in omnibus terminis tuis:

4 Ita [9] intermissionem facies tu, & *qui sunt* apud te a possessione tua quam dederam tibi, faciámque ut servias inimicis tuis in terra quam ignoras: nam ignem accendistis in ira mea, *qui* usque [10] in seculum inflammabitur.

5 [11] Sic ait Jehova, maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine, & statuit [12] carnem brachium suum; a Jehova autem recedit [b] animus ejus.

6 Erit enim similis [13] nudatissimæ *arbori* in loco campestri, quæ non [c] sentit quum advenit [14] bonum; quæ [d] sita est *in* siccissimis *locis* in deserto, terra [15] salsuginosa & inhabitabili.

7 Benedictus vir ille qui fiduciam habet in Jehova, & cujus confidentia *est* Jehova.

8 Nam erit similis ‖ arbori plantatæ secundùm aquas & secundùm processum *aquarum* mittenti radices suas, quæ non sentit quum advenit æstus, sed sunt folia ejus virentia: & anno [16] cohibitionis non est [17] sollicita neque desinit quin faciat fructum.

9 [18] Fraudulentum [19] cor ipsum supra omnia, & mortiferum est, quis cognoscat ipsum?

10 ‖ Ego Jehova scrutator cordis, probator renum: ídque ut dem cuique secundùm vias suas, secundùm fructum actionum suarum.

11 [20] *Ut* perdix colligit ova sed non [e] excludit; ita comparans divitias sed injuria; [21] mediis diebus suis derelinquet eas, [f] tandem erit stultus.

12 [22] Solium gloriæ, *solium* excelsi inde [g] a principio; *est* locus sanctuarii [23] nostri.

13 [24] O exspectatio Jisraëlis Jehova, omnes

[1] Tertia pars exornationis de peccato Judæorum, duob. versib. & sententia contra eos lata, duob. alteris, ut fuerant proposita sup. 16. 11. & seq. sensus est, peccatum adeò tenaciter hærere animis Judæorum, adeò firmè impressum esse, & ipsos adeò obduratos, ut desperetur de ipsorum resipiscentia. [2] id est, fortissimo, qualem esse oportet quo ferrum inciditur. [a] *Heb. ungula, sive ungue.* [3] id est, scalpro valentissimo, quali opus est ad scalpendos lapides firmissimos, qui in æternitatem servantur, neq; gelicidiorum tempestate, neq; tactu ignis, neq; asperginibus, neque alia ulla ratione facilè corrumpuntur: cujus generis Statonienses lapides esse narrant Vitruvius lib. 2. de architectura cap. 7. & Plin. lib. 36. nat. hist. ca. 22. Nam ab hac firma & solida natura istius lapidis orta est Hebręa appellatio, quasi lapidem servabilem dicas: quod plerosque interpretes adduxit ut exponerent adamas.

[4] id est, ita impressum ut intimè hæreat, & foris sit expositũ, privatè & palã.
[5] apostrophe ad Judæos, idololatriam indignissimam exprobrans.
[6] confirmatio præcedentis dicti de obfirmatione Judæorum, ab ipsa puerorum testificatione; qui parentum idololatriam imbibentes numquam Jehovæ, sed idolorum semper recordantur: ut sup. 7. 18.
[7] Tzijonem, ubi erat templum, de quo sup. 7.
‖ *Sup.* 15. 13.
[8] i. Judæa tota.
[9] i. ad tempus exsulabis, & terra habebit intermissionem a te tuísque omnibus: allusio ad legem, Exod. 23. 11. Deuter. 16. ex interminatione quæ est Levit. 26. 34. & seq.
[10] id est, longum tempus, ut Exod. 21. 6. fuit enim spatium annorum septuaginta, infrà 25. 11. & 29. 10.
[11] tertia pars, confirmatio prędentium propositionum de improborum casu & bonorum salute. Continet autem hæc confirmatio membra duo: primum est propositio justitiæ Dei in omnes, versibus quatuor; secundum, exornatio, quatuor alteris; tertium est optatum Prophetæ pro salute Ecclesiæ & sua, vers. 13. & 5. sequentibus. justitiæ autem divinæ argumenta sunt duo: unum contra improbos, hoc & sequent. versu; alterum erga bonos, vers. 7. & 8. prout superiore capite posita fuerant in contestatione. [12] vide Jeschah. 31. 1. & sequent. [b] *Hebr. cor.* [13] vide Psal. 102. 18. Hoc autem de arbore accipiendum esse tum adjuncta ostendunt, tum antithesis vers. 8. [c] *Heb. videt: sic vers.* 8. [14] id est, imbrem, aut aliud aliquid tempestivum plantis & commodum. [d] *Hebr. habitat.* ‖ *Psal.* 1. 1. [15] id est, infructuosa: ut ostendit antithesis Psal. 107. 44. [16] id est, quo cohibentur tempestates fructibus accommodæ, sive imbres, sive æstus, sive aliud impedimentum, tamquam vindemians intempestivè proventuros fructus. [17] metaphoricè, ad significandã fidei in viro bono πληροφορίαν. [18] secundum membrũ, ut diximus in versum 5. quo tacitè occupatur objectio: atqui unde futura esset ista administratio, ut bonis benè sit, & malis malè: cum hominis improbi animus ita sit multiplex, ut a nemine pervestigari possit; bonorum verò exspectatio nusquam appareat? respondet Propheta, & improborum animos quantumvis tortuosos novit & corrigit Deus, tribus versib. & bonis certissimè prospicit, ✠.12. unde sequitur precatio Prophetæ ad Deum, 6. ✠. [19] videlicet hominis; cum neque aliis notum esse possit, neque ipsum sibi: adeò malitia, infirmitatibúsque abundat, & ignoratione: perstringit autem Judæos qui fraudibus putabant Deum & Prophetas ejus a se ludificatum iri, quum in idololatria pergerent, & Prophetis molirentur mortem. ‖ *Psal.* 7. 10. [20] sensus est, quemadmodum perdicem videmus ova multa collectim ponere, ut ea foveat & excludat simul; persæpe tamẽ accidere ut aut ipsa intercipiatur ab aucupe, aut ova frangantur a mare pruriente, aut a cucullo, deniq; aliqua ratione impediatur ne collecta ova per justum tempus fovere possit ut excludantur pulli: sic etiam accidit iniquis providentia Dei, ut dementes homines congestis suis thesauris spolientur tempestivè, & rebus partis abuti non possint pro exspectatione sua. [e] *Heb. parit.* [21] ut Psal. 102. 25. [f] *Heb. & in fine suo.* [22] altera pars responsionis, unde sit benè bonis: nimirum a Deo Rege glorioso, excelso, sempiterno, & semper in Ecclesia versante, bonísq; adstante. [g] *Heb. a primo.* [23] i. piorũ, ex quib. constituitur Ecclesia. [24] oratio brevis Prophetę, sumta occasione ex præcedente versu, qua Deũ precatur ut inimicos suos perdendo gloriæ suę consulat, & Prophetę suo: quæ duo proleptice hoc ✠. posita in seq. copiosius exponuntur.

25 id est, conciones quascumq; habui ad castigandum & reducendum populum hunc.
26 id est, hîc te præsente, & coram illis a te velut judice in acta referantur.
27 ut suprà 2.13.
28 prior postulati locus spectans ad secundum membrum prolepseos præcedentis vers. περιώσμου Hebræis frequentissimam. Petit enim Propheta sibi a Deo prospici, versibus quatuor; deinde retundi adversarios, vers. 18. Petitionis autem quam facit pro se ipso, membra sunt duo: unum, ut Deus ipsum magis ac magis sanctificet, & cõservet ad gloriam suam, hoc versu; alterum, ut Deus testimonium perhibeat functioni ipsius adversus refractarios & illusores Dei, tribus seq.
29 videlicet ampliùs: prout fideles omnes dum in hac vita versantur, laborant ex suis infirmitatibus, & Dei beneficio ab eis exoptant liberari, quod figuratur Joan. 13.10.
30 id est, certa fiducia glorior de te apud omnes adversarios; ac proinde me hærere in meis infirmitatibus, futurum esset tibi inglorium.
31 ut apud Jeschah. 5.18. & 19.
32 defensio Prophetæ adversus ludificationes contumacium, a vocatione Dei & functione sua:

derelinquentes te erubescant: [25] castigationes
meæ in hac terra [26] conscribantur, quia dereli-
querunt [27] scaturiginem aquarum peremnium,
Jehovam.
14 [28] Sana me Jehova & [29] sanabor, serva me
& servabor; quia [30] laus mea es.
15 Ecce isti [31] dicunt mihi; ubi *est* verbum
Jehovæ? eveniat jam:
16 Atqui ego [32] non ursi ne *essem* pastor [g] ob-
sequens tibi, & diem mortiferum non concupivi,
tu nosti: quod prodiit ex labiis meis, coram facie
tua est.
17 Ne sis mihi [33] terrori, [34] receptus meus es
in die mali.
18 Erubescant qui persequuntur me, ne autẽ
erubescam ego; terreantur ipsi, ne autem terrear
ego: adduc contra eos diem mali, & [h] [35] dupla
contritione frange eos.
19 [36] Sic edixit Jehova mihi, abi ut consistas
in porta [i] popularium istorum, per quam ingre-
diuntur reges Jehudæ, & per quam egrediuntur:
atque in omnibus portis Jeruschalaimorum:
20 Et dices eis, audite verbum Jehovæ Reges
Jehudæ, omnésque Jehudæi, & omnes habita-
tores Jeruschalaimorum; qui ingredimini per
portas istas.
21 Sic ait Jehova, cavete [k] vobis ipsis: & [37] ne
portetis onera die sabbathi, aut inferatis *ea* in
portas Jeruschalaimorum:
22 ‖ Neque educatis onera e domibus vestris
die sabbathi, neq; ullum opus faciatis: sed sancti-
ficetis diem sabbathi, quemadmodum præcepe-
ram majoribus vestris:
23 Qui non auscultarunt, neq; inclinarũt au-
rem suam; sed obdurarunt cervicem suam ut non
auscultarent neque acciperent eruditionem.
24 Erit enim si [l] omnino auscultaveritis mi-
hi, dictum Jehovæ, non inferendo onera in por-
tas civitatis hujus die sabbathi; & sanctificando
diem sabbathi, ne faciatis in eo ullum opus;
25 [38] Ut ingrediantur per portas civitatis hu-
jus Reges ac Principes sedentes super soliũ Da-
vidis, vecti curribus & equis, ipsi, & Principes eo-
rum, viri Jehudæ, & habitatores Jeruschalaimo-
rum: [m] consistátque civitas hæc in seculum:
26 Et veniant ex civitatibus Jehudæ; & ex
locis circum Jeruschalaima, tum e terra Binja-
minis, [39] tum ex loco humili, & ex ipso monte,
atque ex Australi plaga afferentes holocaustum
& sacrificium munúsque cum thure: & adducen-
tes [n] eucharistica *in* domum Jehovæ.
27 Quòd si non auscultaveritis mihi ut sanc-
tificetis diem sabbathi, & non portetis onus in-
grediendo in portas Jeruschalaimorum die sab-
bathi; utique accendam ignem [40] in portis ipsi-
us, qui consumet palatia Jeruschalaimorum, &
non exstinguetur.

quicquid mihi exprobrent (ait Propheta) tu laus mea & vindex meus es: nam primùm vocatio mea est a te, cui ego malui obsequi quàm subterfugiendo officium vitam mihi expetere a vocatione liberam; quæ quidem vita mihi futura fuisset mortifera, ut tu fueras interminatus suprà 1.17. & anteà Jonæ exemplo ostenderas: deinde functio mea, fidésq; & diligentia quã ad functionem adhibui, tibi sunt perspectissimæ: denique tum in vocatione, tum in functione explorata est tibi conscientia mea. g *Heb. post te.* 33 quem interminatus fueras subterfugienti vocationẽ tuam, sup. ibid. 34 ex promissione, sup. 1.8. & 19. & 15.20. h *Heb. duplo contritionis.* 35 ut suprà 16.18. 36 ultima pars, conclusio a summa repetitione federis, usq; ad v. 24. deinde conjunctarũ promissionum, minarúmque, inde ad finem. i *Heb. filiorũ populi.* k *Heb. animabus vestris.* 37 i. ne violetis cultũ Dei, cujus documẽta & exercitamenta proponebãtur sabbathis: synecdoche: ut Jeschah. 56.2. Nam eo die commodiùs sibi suis rebus incumbere videbantur: ut Nechem. 13.15. & seq. ‖ *Exod. 20 8. & 23 22. & 31.13.* l *Heb. auscultando.* 38 i. ut regnũ totũ permaneat florentissimũ. m *Heb. considerat.* 39 i. ex singulis partibus ad tribum Jehudæ pertinentibus: nam ita distribuitur sors Jehudæ, Jehosch. 15. n *Heb. gratiarum actionem: synecdoch.* 40 i. in toto termino, synecdochicẽ.

CAPUT XVIII.

Deus typo & sermone Judæis suum jus in ipsos exponit; & ad resipiscentiam hortatus contestatur ipsos impietatis nomine, judiciúmque venturum denunciat: postremò Propheta impium contra se consilium exponens, Dei fidem implorat ad defensionem sui, & pœnam adversariorum.

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam a Jeho-
va dicendo,
2 Surge, ut descendas *in* domum figuli, & ibi
faciam ut audias verba mea.
3 Descendit itaque *in* domum figuli; ubi ec-
ce is faciebat opus in suis [2] sellis.
4 Quúmque corrumperetur vas illud quod
ipse faciebat ex argilla, in manu figuli; [a] iterum
fecit ex ea vas alterum, quemadmodum rectum
visum est in oculis ipsius figuli facere.
5 Tum fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo;
6 [3] An sicut figulus iste non possem facere
vobis, ô domus Jisraëlis? dictum Jehovæ: ecce
ut argilla in manu figuli, ita vos *estis* in manu
mea, ô domus Jisraëlis.
7 *Quo* momento eloquar contra gentem &
contra regnum; me convulsurum & demolitu-
rum & perditurum esse:
8 Si convertatur gens illa a malo suo, con-
tra quam loquutus fuero; [4] pœnitebit quoq; me
ejus mali quod cogitaveram facere ei.
9 *Quo* autem momento loquar de Gente &
regno, me ædificaturum & plantaturum esse:
10 Si fecerit quod malũ *videtur* in oculis meis
non auscultando voci meæ; vicissim pœnitebit
me illius boni quod dixero me benefacturum ei.
11 ‖ Nunc itaque, alloquere jam viros Jehudæ
& habitatores Jeruschalaimorum, dicendo, sic
ait Jehova, ecce ego [5] fingo contra vos malum,
& cogito cõtra vos cogitationem: ‖ revertimini
jam quisque a via sua pessima, & bonas efficite
vias vestras, actionésque vestras.
12 [6] Dicunt autem, animum abjicimus *rever-
tendi*: sed [b] cogitationes nostras sequamur, &
quisque ex sententia animi sui pessimi faciamus.
13 ‖ [7] Idcircò sic ait Jehova, interrogate jam
inter gentes [8] quis audierit talia: rem fœdam
valde fecit virgo Jisraëlis.
14 [9] An derelicturus esset *viator* præ rupe
[10] agros meos? *præ* [c] nivoso Libano? an desere-
rentur aquæ *præ* [d] insolenter frigidis fluentes?
15 Nam obliti sunt [11] mei populus meus, va-
nitati adolent: & [12] faciunt ut impingant inter
se in viis suis, [13] a semitis [e] perpetuis, [14] eundo
itineribus *multis*, via non aggesta:
16 ‖ Ut exponam terram eorum desolationi,
sibilis perpetuis: quisquis transiturus est per eam
obstupescat, & [15] agitet caput suum,

1 Hujus concionis præter inscriptionem versus 1. tres sunt in universum partes: prima est propositio omnipotentiæ Dei Judæos gubernantis, coërcentis, & justo judicio perdituri, usque ad versum 12. secunda est contestatio ipsorum contumaciæ, usque ad versum 18. tertia est Prophetæ oratio propter nefariam illorum contra ipsum conspirationem & Dei gloriam. Propositionis partes sunt typus, usque ad vers. 5. & anagoge typi, usque ad 12.
2 figularibus.
a *Heb. reversus est & fecit.*
3 anagoge sive summa accommodatio typi: quæ deinde exornatur per thesin, versibus quatuor; & accommodatur hypothesi, vers. 11.
4 ut Genes. 6.6. De hoc autem argumento vide Jechezk. 3. & 33.
5 videlicet ut argillam figulus: alludit enim ad præcedentem typum.
‖ *Sup. 7.3.*
6 transitio ad secundam partem, de qua in versum 1. per narrationem Judæorum pervicaciæ Deo rebellantium & inter se animos contumaces confirmantium. b *Heb. post cogitationes nostras eamus, & quisque affectum cordis sui, &c.* ‖ *Sup. 2.10.* 7 contestatio similis ei quæ habetur suprà 2. qua Propheta Judæorum improbitatem primùm evincit exemplo gentium, hoc versu; & duabus similitudinibus, vers. 14. & 15. deinde judicium eventurum confirmat, vers. 16. & 17. 8 nedum fecerit: emphasis, ut 1. Corinth. 5.1. 9 sensus est; nullus est viator tam demens, qui asperum iter aut saxosum nivosúmque anteponat plano & facili & amœno: neque est homo qui aquas salubres postponat illis quæ aut nimio gelu, aut nimia frigiditate sua sunt periculosæ. Hunc versum sic accipiendum demonstrat ἀπόδοσις sequentis vers. similia hæc duo per ὑστερον πρότερον explicans. 10 id est, quibus ego benedico ut meis. c *Heb. nive Libani: hypallage.* d *Heb. extraneè frigidis: sic accipitur vox extraneæ Jeschah. 28.21.* 11 qui sum scaturigo aquarum perennium, suprà 2.13. & 17.13. 12 ut suprà ostendit vers. 12. 13 id est, itinera plana & trita, quæ Deus proponit, deserentes. e *Hebr. seculi: sic v. seq.* 14 id est, vagando, ut faciunt idololatræ: periphrasis. ‖ *Infrà 19.8. & 25.9.* 15 id est, ludificetur & subsannet, ut 2. Reg. 19.21.

17 *Velut* [f] Euro dispergam illos coram inimi-
co; [16] cervice, non autem facie *obversa* respiciam
cos tempore calamitatis ipsorum.
18 [17] Prætereà dicunt, [g] agite, cogitemus
contra Jirmejam cogitationes; [18] nam non est
peritura lex a Sacerdote, & consilium a sapiente,
& verbum a Propheta: agite, percutiamus eum
[19] propter istam linguam, & [20] ne attendamus
ad ulla verba ejus.
19 [21] Attende Jehova ad me, & audi vocem
contendentium mecum.
20 [22] An rependendum est pro bono malum,
quòd fodiunt fossam [h] mihi? recordare me ste-
tisse coram te, ut loquerer pro eis bonum, ad a-
vertendum excandescentiam tuam ab eis.
21 [23] Idcircò expone filios eorum fami, & fac
ut diffluant [i] per gladium; síntque uxores eoru...
orbæ ac viduæ, & viri eorum [k] interfectione mo-
riantur: juvenes eorum percutiantur gladio in
prælio.
22 Audiatur clamor e domibus eorum, quum
adduxeris contra eos turmam repentè: quia fo-
derunt fossam ad capiendum me, & laqueos oc-
cultarunt pedibus meis.
23 Nam tu Jehova, nosti totum consilium eo-
rum contra me ad mortem, ne expiato iniquita-
tem eorum, & peccatum eorum a conspectu tuo
ne deleto: sed [l] propellantur in offendiculum
coram te, tempore iræ tuæ age contra eos.

[f] *Heb. vento Orientali: ut Exod.* 14.21.
[16] id est, non dignabor vos respicere, ut qui misericordiam capiunt solent aspicere; sed aversus a vobis permanebo: humanitus dictum: sic Proverb. 1.26
[17] transitio ad tertiam partem, per narrationem improbi & præfracti Judæorum consilii adversus Jirmejam: quæ occasio fuit ut eo ampliùs seipsum Deo cõmitteret oratione sequente.
[g] *Heb. venite, bis hoc vers.*
[18] id est, Pseudopropheta est, non possunt quæ iste prophetat evenire omnibus ordinibus quos constituit Deus: Ecclesia penes nos est, non potest Deus Ecclesiam suam & ordines quos in Ecclesia constituit perdere; ut sup. 5.12.
[19] id est, quia audacter res importunas, falsas, & odiosas lingua sua effutit, & impudens Pseudopropheta est. [20] id est, nihil accipiamus eorum quæ dicit, ne curemus aut quæcunque prophetat, aut quæcunque ad probationem sui adducturus esset: nam indignus est qui audiatur, jam plus satis auditus est, qui non assentitur nostris ordinibus; sed ab illis condemnatus est. Quamobrem hoc ipso verbo in oratione Jirmeja utitur: non attendunt isti (inquit) tu igitur Jehova attende, &c. [21] hæc oratio duas partes continet; unam, de Prophetæ bono; alteram, de adversariorum suppliciis: quæ duo prolepticè notata hoc vers. sequentibus exponuntur. [22] expositio prioris membri prolepseos, qua ostendit Propheta se indignissimè mala ab eis perpeti quibus bene cupiverat fecerátque. [h] *Heb. animæ meæ.* [23] expositio posterioris membri: cujus postulata non ex studio carnis, sed ex testificatione spiritus Dei profecta sunt, qui Prophetam tum de obfirmatissima illorum malitia, tum de judicio irrevocabili fecerat certiorem. [i] *Heb. per manus gladii: κατὰ χεῖρας.* [k] *Heb. sint interfecti mortis.* [l] *Hebr. sint propulsi.*

CAPUT XIX.

Deus typo & sermone Judææ toti eversionem summam prænunciat: qua audita Paschchur Jirmejam in carcerem trudit, & postridiè injuriæ factæ nomine Dei sententiam de captivitate sua ignominiosa & suorum per Prophetam accipit: tum Jirmeja ad Deum conversus adducit vocationem suam, expostulat de suis perpessionibus, fidem Dei vocantis implorat in adversarios, fiduciámque certam præcipiens animo Deum suorum liberatorem & vindicem prædicari jubet.

1 [1] SIc ait Jehova, abi ut compares [2] lagenam
figuli testaceam; [a] adhibens [3] de Senio-
ribus populi, & de Senioribus sacerdotum.
2 Deinde [4] progressus in [5] vallem filii Hin-
nomi, quæ *est* ad ostium [6] portæ [b] orientalis; pro-
clamabis [7] illic verba illa quæ edixero tibi.
3 [8] Et dices, audite verbum Jehovæ reges
Jehudæ, & habitatores Jeruschalaimorum: sic
ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis, ecce ego
adducturus sum malum contra locũ hunc, quod
quisquis audiverit, [9] tinnient aures ejus.
4 [10] Eò quòd dereliquerunt me, & [11] alie-
num reddiderunt locum hunc, adolentes in eo
diis alienis quos non noverunt ipsi, majorésque
eorum, & Reges Jehudæ; ac impleverunt locum
hunc sanguine [12] innocentum:
5 Et ædificaverunt excelsa Baħalis ad com-
burendum filios suos igne, holocausta Baħali:
quod non præceperam, neque loquutus fueram,
neque [c] venerat in animum mihi:
6 Idcircò, ecce dies venturi sunt, dictum Je-
hovæ, [‖] quum non vocabitur locus hic ampliùs
[13] Thopheth, aut vallis filii Hinnomi; sed vallis
interfectionis.
7 Nam exhauriam consilium Jehudæ & Je-
ruschalaimorum in [14] loco hoc, faciens ut cor-
ruant gladio coram inimicis suis, & manu quæ-
rentium animam ipsorum: tradámque cadaver
eorum cibo volatilibus cæli, & bestiis terræ:
8 [‖] Et exponam civitatem hanc desolationi
& sibilo: quisquis transibit prope eam, stupebit,
& sibilabit propter omnes plagas ejus.
9 Faciámque ut comedant carnem filiorum
suorum, & carnem filiarum suarum, & quisque
carnem amici sui comedant; [15] præ oppressione
& præ angustia qua angent eos inimici eorum,
& quærentes animam eorum.
10 [16] Deinde franges lagenam ipsam, ante
oculos illorum hominum qui ituri sunt tecum:
11 Et dices eis; sic ait Jehova exercituum, ita
frangam populum hunc & civitatem hanc, ut
qui frangit vas figuli, [17] quod non potest curari
ampliùs: & Thophethi [d] sepelientur, eò quòd
nullus superérit locus ad sepeliendum.
12 Ita facturus sum loco isti, dictum Jehovæ,
& habitatoribus ejus: & redditurus civitatem
istam similem Thophetho.
13 Et erunt domus Jeruschalaimorum, do-
músque Regum Jehudæ ut locus Thophethi, im-
mundissimæ: omnes domus illæ super quarum
tecta adoleverint toti exercitui cælorum, & li-
baverint libamina diis alienis.
14 Deinde reversus Jirmeja Thophetho, quò
miserat ipsum Jehova ad prophetandum; sub-
stitit [18] in atrio domus Jehovæ, dixítque toti po-
pulo:
15 Sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis,
ecce ego adducturus sum contra civitatem hanc,
& contra omnes civitates ejus totum illud ma-
lum quod eloquutus sum contra eam: quia ob-
durarunt cervicem suam, ut non auscultarent
verbis meis.

[1] Duo hæc capita, quia perpetuam narrationem continent, unà conjunximus. Continentur autem hac narratione tria potissimùm: primum est de prophetia quam ex mandato Dei typo & sermone Judæis præsignificavit Jirmeja, toto hoc capite; secundum est de certamine quod servo Dei prophetanti fuit oblatum, & singulari denunciatione Prophetæ in adversarios, 6. primis versibus capitis 20. tertium est precatio, inde ad finem usque. [2] ad typum qui exponitur infrà vers. 12. [a] *Heb. & de senioribus.* [3] id est, certos homines auctoritate præditos ex utroque ordine civili & Ecclesiastico tibi adjungito; ut in illis sistas quodammodo totum Judææ corpus. [4] nimirum a suburbano figulorum vico, qui extra portam Orientalem ad vallem filiorum Hinnomi pertinebat: qui tractus erat argillaceus & figlinæ accommodus. [5] de qua Jehosch. 15.8. [6] de qua Nechem. 3.29. nam eamdem esse demonstratur infrà vers. 14. [b] *Heb. solaris.*

[7] videlicet utrobique, in valle Hinnomi, & ad portam Orientalem, ut fecisse posteà videbimus.
[8] hujus prophetiæ partes sunt duæ: prophetia ipsa, usque ad versum 10. & typus, versib. quatuor; Prophetiæ autem summa est hoc versu; exornatio seq.
[9] vide 1. Schem. 3.11.
[10] exornatio cõtinet primum causas, duobus versib. deinde judicium & pœnas, v. 6. & seq.
[11] id est, effecerunt peccatis suis ut non ampliùs agnoscam pro meo.
[12] quos sacrificarunt Moleco sup. 7.31. & proximè seq. versu; & inhumanissimè passim occiderunt, ut fuit temporum illorum licentia, quæ objicitur Jechezk. 11.6. & 7. & alibi.
[c] *Heb. ascenderat in cor meum.*
[‖] *sup.* 7.32.
[13] vide Jeschah 30.33.
[14] id est, urbe Jeruschalaimorum, & toto agro synecochicè.
[‖] *sup.* 18.16.
[15] ex comminatione Deut. 28.53.
[16] typus, ut diximus in versum 3. cujus explicatio sequentib. continetur.
[17] i. restitui in statum pristinũ. Nunquam enim Judæorũ regnũ a deportationis tempore fuit redintegratum, & pristinæ dignitati ac amplitudini restitutum.
[d] *Heb. sepelient: impersonaliter.*
[18] ad ostium portæ Orientalis, de qua v. 2.

CAPUT XX.

1 [1] AUdiens autem Paschchur filius [2] Im-
meris Sacerdos, qui erat [3] præfectus
antecessor in domo Jehovæ; Jirmejam prophe-
tantem verba ista,
2 Percussit Paschchur Prophetam Jirme-
jam: posuítque eum in [4] cippo qui *erat* [5] in porta
Binjaminis summa, quæ *erat* ad domum Jehovæ.
3 Fuit autem postridie quum eduxisset

[1] Secunda pars de certamine quod pro veritate Dei fuit subeundum Prophetæ, duobus versibus; & singulari denunciatione publicorum privatorúmque judiciorum Dei, quatuor sequentibus. [2] ex decimasexta Sacerdotum sorte, 1. Chron. 24.14. [3] id est, secundus a Sacerdote summo, ut erat El-ħasar vivo Aharone patre, Num. 4. [4] vide 2. Chron. 16. 10. [5] de qua 2. Chron. 23.20.

Paschchur

Paſchchur Jirmejam e cippo; ut [6] diceret ei Jir-
meja, non [7] Paſchchurem vocat Jehova nomen
tuum, ſed [8] Magor-miſſabibum.
4 Nam ſic ait Jehova, ecce ego [a] inditurus
ſum tibi formidinem, tibi & omnibus amicis tuis,
qui corruent gladio inimicorum ſuorum oculis
tuis videntibus: quum totum Jehudam tradam
in manum Regis Babyloniæ, qui deportabit eos
in Babyloniam, & percutiet eos gladio;
5 Quum tradam totum robur civitatis hu-
jus, totúmque laborem ejus, & quicquid ejus eſt
pretioſum; deniq; omnes theſauros Regum Je-
hudæ tradam in manum inimicorum ipſorum, ut
diripiant eos & capiant eos & deducant eos in
Babyloniam:
6 Tu quoque Paſchchur & omnes [b] domeſ-
tici tui abibitis in captivitatem; & Babylonē per-
venies, ibíque morieris, & ibi ſepelieris tu & om-
nes amantes tui, quibus prophetaſti falsò.
7 [9] Pellexiſti me Jehova, quando [10] pellec-
tus ſum; fortior fuiſti me, & prævaluiſti: ſum de-
riſioni toto die, totus iſte *populus* ſubſannat me.
8 Nam [11] ex quo proloquor, [12] exclamo;
violentiam & vaſtationem clamo, quia eſt ver-
bum Jehovæ mihi probro & ludificationi totum
diem.
9 [13] Si dicam, non commemorabo eum, ne-
que loquar ampliùs nomine ejus, atqui [14] eſt in
[c] animo meo quaſi ignis ardens incluſus oſſibus
meis, & defetiſcor ſuſtinendo, [15] nec poſſum am-
pliùs:
10 Quia audivi infamem ſermonem [16] mul-
torum, Magor miſſabibi, [17] *dicentium* indicate
quod indicemus, omnis mortalis [d] qui pacem
colere debebat mecum, obſervantium [18] clau-
dicationem meam: fortaſſis pellicietur & præ-
valebimus, aut ſumemus ultionem noſtram de
eo.
11 Atqui Jehova *adeſt* mihi, ſimilis potenti
formidabili, idcircò qui perſequuntur me impin-
gent, neq; prævalebunt; erubeſcent valde quum
[19] non ſecundabuntur, ignominia [e] perpetua non
poterit tradi oblivioni.
12 [20] [‖] Itaque ô Jehova exercituum probans
juſtum, inſpiciens renes & cor; videam ultionem
tuam de iſtis, quia tibi revelavi cauſam meam.
13 [21] Canite Jehovæ, laudate Jehovam,
quia eripuit animam egentis e manu malefico-
rum, *dicentis*.
14 [22] Maledictus dies quo genitus ſui, dies
quo peperit me mater mea, ne ſit benedictus.
15 Maledictus ille vir qui nunciavit patri
meo, dicendo, natus eſt tibi filius mas; [f] valde læ-
tificavit eum:
16 Sítque vir ille [23] ſimilis civitatibus quas
evertit Jehova, neque pœnituit eum; [24] quum
audiviſſet clamorem manè, & vociferationem
tempore meridiano:
17 Quòd non affecerit me morte, *egreſſum* ex
vulva; aut fuerit mihi mater mea ſepulcrum me-
um, & vulva ejus *ut* gravidæ perpetuò.
18 Quare e vulva egreſſus ſum ut viderem
moleſtiam ac mœrorem; & conſumerentur pu-
dore dies mei?

[6] ſingularis denunciatio judicii divini in Paſchchurem, cum notatione certa formæ, temporis, & aliarum circumſtantiarū, ac cauſæ. [7] id eſt, qui extendit pallorem; ſive efficit auctoritate & violentia ut palleſcant homines undique & ab ipſo metuant: ſicut in Jirmeja opere demonſtraverat. Hoc vocis etymon amplectimur adducti contrariæ appellationis antitheſi. Vox enim cōpoſita eſt ex duobus verbis, quorū prius diffundere eſt, ut Levit. 13. poſterius palleſcere, Jeſchaſ. 29. 22. [8] id eſt, formidinem circumquaque, pro eo quod eſt, qui omnibus ex partibus formidine percelletur. [a] *Heb. daturus ſum te formidini: hypallage.* [b] *Heb. habitatores domus tuæ.* [9] tertia hæc pars duobus membris continetur, oratione, uſque ad verſ. 13. & laudatione, inde ad finem uſque. In oratione verò primùm Prophetā narrat neceſſitatem functionis ſuæ & adverſantium certamina, quatuor verſ. deinde opem Dei præſentiſſimam, ♂. 11. ac poſtremò optatum, ♂. 12. [10] ad ſuſcipiendam & obeundam functionem meā q.d. tu unus mihi auctor es vocationis meæ, & recuſanti vim quodammodo attuliſti, ſup. 1. 17. & 17. 16. [11] i. cœpi obire prophetandi munus. [12] i. infinitis ludificationibus, probris, contumeliis, & malis exagitor; quæ mihi clamores miſerabiles extorquent, faciúntq; ut expoſtulem tecum de violentia & vaſtatione quam moliuntur adverſum me metalepſis. [13] id eſt, atq; nunc etiam ſi impedimentis illis deterritus ſtatuerem ſuperſedere a functione hac, non poſſem; tanta eſt vis verbi & vocationis tuæ, ut me oporteat ĩā voces aut in ſermonem propheticū erumpere: ſic Ijobi 32. 18. & ſeq. [14] videlicet verbum Jehovæ, cujus meminit præcedente ♂. [c] *Heb. corde.* [15] videlicet ſuſtinere aut inhibere verbum Dei. [16] qui ſequentibus verbis ſpeciatim exponuntur, nimirū Paſchchuris, Pſeudoprophetarū, amicorū & inimicorū. [17] periphraſis Pſeudoprophetarū, qui nundinantur cum populo dicentes, quid vultis prophetari vobis? & prophetabimus: ut Mica 2. 11. [d] *Heb. pacis meæ.* [18] tum a functione, tum a vita mea, ut ſequentia verba docent. eamdem metaphorā vide Pſal. 35. 15. & 38. 18. [19] i. non ſuccedet quod optant adverſum me; ſed ipſi perpetua confuſione a Deo afficientur. [e] *Heb. ſeculi.* [‖] *infrà* 23. 4. *ſup.* 11. 20. [20] oratio, ut antè diximus, ultionem petens de adverſariis nō ex carnali & privato ſtudio, ſed ex teſtificatione ſpiritus Dei, cōſcientia decreti irrevocabilis contra Judæos, & divinę glorię deſiderio in defendēda pręſtandáq; veritate. [21] altera pars, laudatio Dei, ut diximus in verſum 7. quam Propheta prædicari jubet ex præcepta animo fiducia de liberatione ſua & piorum omnium, quos graviſſimæ calamitates opprimunt: quæ calamitates ſequentibus verſibus amplificantur per ethopœiam, tamquam ſi quis pius obſeſſus malis conturbaretur ne acquieſceret Deo, & ſermone inveheretur in diem nativitatis ſuæ, quaſi dicat, eum meritò celebrandum eſſe, qui bonos circumventos malis, nullum modum aut finem videntes calamitatum, ſed de exitu propè deſperantes liberat providentia omnipotente, paternáque benevolentia.

[22] ethopœia pii circumventi malis graviſſima, cui ſimilis eſt Ijobi 3. [f] *Heb. lætificādo.* [23] id eſt, male perierit, ut civitates illæ, Geneſ. 19. 24. & ſeq. [24] id eſt, quum noctu & interdiu, clàm & palàm, privatè publicéque impudentiſſimam & projectiſſimam ad omnia peccata audaciam libidinémque civium percepiſſet Deus: ut Deus ipſe teſtatur, & facta comprobat e Geneſ. 18. & 19. ſic enim accipitur clamoris vocabulum Gen. 18. 20. & 19. 13.

CAPUT XXI.

Tzidkija obſeſſis Jeruſchalaimis Prophetam conſulit; qui ad poſtulatum Regis peſtem, famem, & gladium prænunciat, expugnationémque opidi: quamobrem populo dat conſilium ut ſibi proſpiciat deditione, & domui Regis reſipiſcentia.

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam a Jeho-
va; quum miſiſſet ad ipſum Rex Tzid-
kija Paſchchurem [2] filium Malcijæ, & Tzephan-
jam [3] filium Maňaſſeję Sacerdotem, ut dicerent,
2 Conſule quæſo pro nobis Jehovam, quia
Nebucadretzar Rex Babyloniæ bellū gerit con
tra nos: fortè facturus eſt Jehova nobiſcum pro
omnibus mirabilibus ſuis, ut aſcēdat ille a nobis.
3 [4] Dixit autem Jirmeja eis; ſic dicitote
Tzidkijæ:
4 Sic ait Jehova Deus Jiſraëlis, ecce ego
[5] averſurus ſum inſtrumenta bellica quæ *ſunt* in
manu veſtra; quibus pugnatis adverſus Regem
Babyloniæ, & adverſus Chaldæos qui obſident
vos extra murum; & recepturus illos [a] intra civi-
tatem hanc.
5 [6] Nam præliaturus ſum ego vobiſcum ma-
nu extenta & brachio forti; idque ira & excan-
deſcentia ac fervore magno,
6 Et percuſſurus habitatores civitatis hujus,
tum homines, tum jumenta: peſte magna mo-
rientur.
7 [7] Poſteà autem, dictum Jehovæ, tradam
Tzidkijam Regem Jehudæ, ſervóſque ejus, & po-
pulum ipſum, id eſt, qui reſidui fuerint in civita-
te hac a peſte, a gladio, & a fame, in manum Ne-
bucadretzaris Regis Babyloniæ, & in manum
inimicorum ipſorum, ac in manum quærentium
animam ipſorum: qui percutiet eos acie gladii,
non parcet eis, neque clementia utetur, neque
miſerebitur.
8 [8] Populo verò huic dicito, ſic ait Jehova;
ecce ego propono vobis [9] viam vitæ, & viam
mortis.
9 Qui deſidebit in civitate hac, morietur
gladio, aut fame, aut peſte: qui autem egreſſus
defecerit ad Chaldæos qui obſident vos, utique
vivet, eritque ipſi anima ſua [10] loco ſpolii.

[1] Hujus capitis duæ ſunt partes: narratio occaſionis ex qua Prophetam Rex voluit conſuli, duobus verſ. & prophetia, reliquis. [2] e quinta ſacerdotum ſorte, 1. Chronic. 24. 9. [3] e vigeſima quarta ſacerdotum ſorte, 1. Chron. 24. 17. [4] hujus prophetiæ partes in univerſum duę ſunt: una qua denunciatur publica calamitas, uſque ad verſum 8. altera, qua conſilium datur, & domus regia populúſque totus ad bonam frugem revocatur, propoſitis intermīnationibus, inde ad finem uſque. Calamitates autem prolepticè ſeq. verſu, in duo tempora diſtribuuntur: unum eſt, quam magna & multa incommoda ſuſtinere oporteat antequam opidum capiatur, quod exponitur ♂. 5. & 6. alterum eſt, quæ mala opido capto conſequutura ſint, ut exponuntur ♂. 7. [5] i. reducturus a muris; quia nemo poterit iis uti ad defenſionem, multis gladio cadentibus, aliis peſte & inedia deficientibus: ut indicatur ♂. 6. & 7. [a] *Heb. in medium civitatis hujus.* [6] nimirum peſte, fame & gladio: prius membrum prolepſeos. [7] ſecundum membrum prolepſeos, ut ſuprà diximus in ♂. 3. de calamitatibus Tzidkijæ & populo eventuris. [8] altera pars, continens duo conſiliorū genera: unum, deditionis, tribus verſ. alterum, juſtitiæ colendæ, verſ. 11. & ſeq. [9] quæ exponitur ſeq. ♂. [10] id eſt, ſaltem vitam incolumem reportabit pro deditionis pretio. ſic infrà 39. 18. & 45. 5.

10 Nam [11] opposui iratam faciem meam ci-
vitati huic in malum, ac non in bonum, dictum
Jehovæ: in manum Regis Babyloniæ tradetur,
ut exurat eam igne.
11 [12] Quod autem ad domum Regis Jehu-
dæ, audite verbum Jehovæ.
12 O domus Davidis, sic ait Jehova, [b] exer-
cete quolibet manè jus, & eripite eum qui [c] ra-
pinam patitur e manu opprimentis: ne prodiens
velut ignis excandescentia mea ita ardeat ut
nullus exstinguat propter malitiam actionum
vestrarum.
13 Ecce me contra te, [13] ô quæ insides [14] isti
convalli, rupes istius planiciei; dictum Jehovæ:
[15] qui dicitis, quis descendet ad nos? aut quis in-
trabit in habitacula nostra?
14 Nam animadvertam in vos secundùm
fructum actionum vestrarum, dictum Jehovæ; &
succendam ignem [16] in sylva illius, qui consu-
met omnia quæ circumstant illam.

[11] ut Levit. 17. 10. & 20. 5. [12] altera pars consilii; quia regnum amplius stare non potest judicio Dei, ut stirps regia saltem vitæ suæ consulat resipiscentia. [b] *Heb. Judicate.* [c] *Heb. raptum.* [13] periphrasis propugnaculi Tzijonis, quod appellatur civitas Davidis, 2. Schem. 5. 9. Nam Tzijonem ab omnibus partibus circumstabant convalles, erátque ab ortu planicies, quam rupes sive propugnaculum illud defendebat. [14] quæ dicitur convallis Rephaimorum & vallis Hinnomi, ut continentes sunt, Jehosch. 15. 8. [15] videlicet præfidentes naturæ loci & munitionibus, ut Jebusæi fecerāt, 2. Schem. 5. 6. [16] id est, in domo Jehovæ, & domo Regis, domibúsque magnatum, quæ ex pretiosa materia & copia maxima a sylva Libani apportata fuerant exstructæ: metonymia; ut Jeschah. 22. 8. sic accipimus adducti comparatione aliorum locorum, 2. Reg. 25. 12. & 2. Chron. 36. 19. & infrà 22. 7. & 52. 13.

CAPUT XXII.

Propheta Dei mandato Regem, Principes, & populum ad resipiscentiam hortatur promissionibus & minis: deinde observata omnium ordinum malitia, primùm Regibus singulis, Joachazo, Jehojakimo, & Jeconjæ suas calamitates prædicit; tum etiam omnibus magistratibus, adhibita consolatione de futura Ecclesiæ restitutione & amplificatione per Christum: postremò tum pseudoprophetas falsitatis redarguit, tum populares impietatis, ludificantes Prophetas Dei: & severissimum Dei judicium utrisque pronunciat.

1 [1] Sic ait Jehova, descende *in* domum Re-
gis Jehudæ; ut eloquaris ibi verbū hoc;
2 Et dicas, audi verbum Jehovæ, Rex Jehu-
dæ, qui sedes in solio Davidis; [2] tu, servíque tui,
& populus tuus, qui intratis per portas istas.
3 [3] Sic ait Jehova, [a] ‖ exercete jus & justiti-
am, & eripite [b] eum qui rapinam patitur e manu
oppressoris: & peregrino, pupillo, ac viduæ ne
vim faciatis, ne violentia utamini, & sanguinem
innocentem ne effundatis in loco isto.
4 Nam si [c] omnino feceritis rem hanc; uti-
que ingredietur per portas domus hujus, ‖ Reges
sedentes pro Davide in solio ejus vecti curribus
aut equis, ipse *Rex* cum servis suis & populo suo:
5 Sed si non auscultaveritis verbis istis: per
me juro, dictum Jehovæ, in vastitatem [d] abitu-
ram esse domum hanc.
6 [4] Nam sic ait Jehova [5] de domo Regis

[1] Ab hoc capite ad finem usq; prophetiarum Jirmejæ non est solum observata temporum ratio in illis conscribendis, sed etiam argumentorum genere aut specie inter se cohærentium: tum quia liber qui primùm a Jirmeja cōscriptus fuerat, bona ex parte conscissus & exustus est, infrà 36. tum quia verisimile est sequentes prophetias (ut erant tempora) a Jirmeja fuisse compositas citra accuratam observationem temporum, ubi commodius visum est. Videtur autē prophetia hæc in Jehojakimi tempora incidisse, quū cœpisset ille regnare beneficio Regis AEgypti: ut narratur 2. Reg. 23. 34. Sunt verò in hac prophetia tres in universum partes: prima est exordium, duobus versibus; secunda est thesis sive propositio generalis petita ex lege, tribus seq. tertia est hypothesis sive prophetia singularis præcedē-tem thesin ad omnes ordines accōmodans, ad finē usq; seq. capitis. [2] prolepsis, sive distributio summorum ordinum regni, ad quos deinde Propheta in sua hypothesi sigillatim orationem habet. [3] thesis summatim complectens documenta legis: mandata quidem & interdicta synecdochicè, hoc vers. promissiones, v. 4. & minas, v. 5. [a] *Heb. facite.* ‖ *sup.* 21. 12. [b] *Heb. raptum.* [c] *Heb. faciendo.* ‖ *Sup.* 17. 25. [d] *Heb. futuram.* [4] prophetica hæc hypothesis (ut suprà attigimus) singularia Dei judicia prædicit ordinibus singulis eventura: ac primùm quidem universè toti regno, his quatuor versib. deinde verò minutatim regibus ipsis, toto hoc capite; tum principibus & toti stirpi regiæ, 8. primis versibus seq. capitis; postremò verò popularibus, ad finem usque. [5] id est, de regno toto, ut sequentia ostendunt.

Jehudæ, [e] *velut* Gilhad tu mihi *fuerat, ut* caput Li-
bani: *mentiar,* nisi disposuero te *ut* desertum, ut
civitates non habitabiles;
7 Et præparavero contra te perditores, quem-
que cum instrumentis suis; qui cædent lectissi-
mas cedros tuas, ac dejicient in ignem.
8 Itaque transeuntibus gentibus multis pro-
pe civitatem hanc; si dixerint [e] alter alteri, prop-
ter quid fecit Jehova ita civitati maximæ isti?
9 Tum dicent, eò quòd dereliquerunt fedus
Jehovæ Dei sui; & incurvantes se diis alienis
coluerunt eos.
10 [7] Ne fleatis [8] pro mortuo, neque condo-
leatis ei: [f] omnino flete pro [9] abeunte, quia non
revertetur ampliùs ut videat solum [g] natale su-
um.
11 Nam sic ait Jehova de [10] Schallumo filio
Joschijæ Regis Jehudæ, qui regnabat loco Jo-
schijæ patris sui, qui egressus est e loco hoc: non
est reversurus eodem ampliùs:
12 Sed in loco quo deportaverunt eum, illic
moriturus est; ita terram hanc non videbit am-
pliùs.
13 [11] Væ [12] ædificanti domum suam [h] injusti-
tiā, & cœnacula sua [i] injuria; amici sui [13] servi-
tutem exigenti gratis, & [k] [14] mercedem operis
ejus non danti ei:
14 Qui dicit, ædificabo mihi domum [l] am-
plissimam, & cœnacula spatiosissima; & [15] lace-
rat sibi fenestras meas & tectum [m] cedrinum,
[16] deinde pingit Indico.
15 [17] An regnaturus es, quia tu [18] misces te
cum ista cedro? pater tuus an non [19] comedit ac
bibit? quum exercuit jus & justitiam, tum bene
fuit ei.
16 *Quum* judicavit causam pauperis & egen-

[6] summa hæc denunciatio proponit primùm judicium Dei severissimum, duobus vers. deinde causas, duobus alteris. Exponitur autem judicium, & amplificatur allegoricè per comparationem præcedentis status, hoc modo: fuisti mihi in tanto pretio ac celeberrimum te effecerim (inquit Dominus ad regnum Jehudæ) & tam frequens atque populosum, quàm fuit unquam Gilhad nobilibus suis emporiis celebre, opidis frequentissimum, ac munitissimis, Gen. 37. 25. & Deut. 3. jam verò contra exhauriam te civitatibus & habitatoribus. Præterea instruxeram te & locupletaveram rebus optimis atque amplissimis, quarū præstantia cedrorum Libanicarum amplitudinem longè superabas: jam verò immissurus sum quosdam veluti putatores, qui omnem tuam dignitatem abripiant tibi, & perdant funditus sine spe ulla restitutionis. [e] *Heb. vir ad amicum suum.* [7] singularis hæc prædicatio judiciorum Dei eventurorum Regibus, tres partes continet: prima est de judicio in Joachazum sive Jochananem, usque ad vers. 13. secunda, in Jehojakimum fratrem illius, usque ad vers. 24. tertia, in Jeconjam filium Jehojakimi, usque ad finem capitis. [8] id est, pro Joschija qui in bello occubuerat. quasi dicat, non est cur Joschijam defunctum lugeatis: bene consultum est ipsi, ut non videret omnia mala quæ mox eventura sunt. 2. Reg. 22. 20. Præterea ne illum quidem deflere vobis vacabit per tempus, quia jam adveniet novum luctus argumentum. Nam Joachaz ita captivus abducitur, ut pro mortuo civiliter jam jam habendus sit, & celebrandus luctus ipsius. [f] *Heb. flendo.* [9] Joachazo videlicet in captivitatem, 2. Reg. 23. 33. [g] *Heb. nativitatis suæ.* [10] id est, Joachazo (vide in 1. Chron. 3. 15.) cui fortè boni ominis causa hoc nomen a populo quum ungeretur inditum est: etsi probabilius videtur Jirmejam hoc nomen Joachazo tribuere ironicè. quasi dicat, hunc alterum fuisse Schallumum, qui non multo ampliùs regnum obtinuerit, quàm Schallum filius Jabeschi præfuit Jisraëlitis. 2. Reg. 15. 13. [11] secunda pars exponens copiosiùs judicium Dei in Jehojakimum, ut diximus vers. 10. qua primùm exponuntur causæ judicii, usque ad vers. 18. deinde judicium ipsum describitur, ad vers. 24. usque. Causæ autem exponuntur primùm per thesin, quam ne ipse quidem Jehojakim fuisset oppugnaturus, duobus versib. deinde per contestationem singularem Jehojakimi, vers. 15. & sequent. [12] ut Jeschah. 5. 8. Estque tem gradatio in hac thesi: quia primùm objicitur injusta rei alienæ occupatio, deinde alieni laboris abusus ingratissimus, ac postremò rerum sacrarum usurpatio: quæ omnia ne Regibus quidem licere Propheta docet. [h] *Heb. in non justitia.* [i] *Heb. in non jure.* [13] exemplo AEgyptiorum, quibuscum fedus perfidè junxerat, ut a Chaldæis deficeret. [k] *Heb. opus.* [14] contra legem Levit. 19. 13. & Deuter. 24. 14. & 15. [l] *Heb. mensurarum: ut Numer.* 13. 32. [15] id est, ad usum suum. [m] *Heb. in cedro.* [16] id est, rerum e domo mea amotarum loco obducit colorem floridum Indici, ne fraus manifesta sit. Est enim Indicum floridi coloris genus, quod Hebræi vocant Schaschar, hic & Jechezk. 23. 14. a Sasuris (ut vocat Plin. lib. 6. natur. histor. cap. 19.) Indiæ populis ultra Gangem a quibus exportatur. Arabes composita voce appellant Sarcin. quasi dicas, Sar-cannæ; quia in cannis nascitur, ut testis est Dioscorides lib. 5. cap. 67. [17] contestatio singularis præcedentem thesin applicans Jehojakimo: quam Propheta exaggerat exemplo patris Joschijæ, duobus versibus. quasi dicat, an his artibus regnum tuum stabilitum iri existimas? quod in Deum contumeliosus es, hoc vers. & in homines injustissimus, vers. 17. non ita se gessit pater. [18] id est, res sacras admisces tuis: hypallage. [19] id est, prosperè potitus est regno, synecdochicè.

tis, tum bene fuit: [20] an non illud *est?* hujus rei
scientia *est* apud me, dictum Jehovæ,
17 Minimè *spectare* oculos tuos & [n] animum
tuum, nisi ad quæstum tuum; & ad sanguinem
innocentem quem effundas, & ad fraudem, & ad
concussionem quam perficias.
18 [21] idcirco sic ait Jehova de Jehojakimo fi-
lio Joschijæ Regis Jehudæ, non [22] plangent e-
um, heu frater mi, aut heu soror: [23] non plangent
eum, heu domine, aut heu decus ejus:
19 [24] Sepultura asini sepelietur; tractus &
projectus ultra [25] portas Jeruschalaimorum.
20 [26] Ascende Libanũ & clama, ac in Bascha-
ne ede vocem tuam: clama etiam trans [27] vada,
quum [28] fracti fuerint omnes amatores tui.
21 Alloquutus sum te in summa tranquillita-
te tua, dixisti, non auscultabo: hæc via tua *est* à
pueritia tua; nam non auscultasti voci meæ.
22 Omnes [29] pastores tuos [30] depascet ven-
tus, & [31] amatores tui in captivitatem abibunt:
tunc enim erubesces, & rubore suffunderis prop-
ter omnem malitiam tuam.
23 [32] O quæ desides in Libano, quæ nidificas
in ipsis cedris; quàm [o] gratulaberis tibi, quum in-
vadent te tormina, dolor tamquam parturientis.
24 [33] Ut vivo ego, dictũ Jehovæ; etiamsi esset
[34] Conja filius Jehojakimi Regis Jehudę [35] sigillũ
in manu dextera mea; tamen inde [36] evellam te:
25 Et tradam te in manum quærentium ani-
mam tuam, & in manum eorum [p] a quibus tu
formidas; nempe in manum Nebucad-retzaris
Regis Babyloniæ, & in manum Chaldæorum.
26 Et ejiciam te, ac matrem tuam quæ pepe-
rit te, in terram alienam, ubi non fuistis nati: &
ibi moriemini.
27 De terra verò ad quam isti elaturi sunt
[q] desiderium suum ut revertantur illûc, illûc non
sunt reversuri.
28 [37] An simulacrũ contemtũ, quod dispergi-
tur, esset vir iste Conja? an instrumentum in quo
nulla *est* delectatio? cur ejecti essent ipse & [38] se-
men ipsius, & projecti in terrã quam non norunt?
29 O terra, terra, terra, audi verbum Jehovę.
30 Sic ait Jehova, [39] scribite virum istum li-
beris carentem *fore*, virum non prosperaturum
[r] unquam: nam non prosperabitur [40] de semine
ejus quisquam sessurus in solio Davidis, & domi-
naturus ampliùs in Jehudam.

[20] id est, nónne nulla facis quæ antè dicta sunt? nónne illorum criminum reus es, ut neges pertinacissimè, & omnes alii ignorent, ego certè optimè novi. [n] Heb. cor. [21] descriptio judicii, ut dictum est in vers. 13. [22] qui sunt e stirpe regia, Regem aut Reginam deflebunt. [23] populares. [24] id est, insepulta sepultura, ut Cicero in Philip. 1. vocat: quę sequentibus verbis explicatur. [25] id est, terminos Judææ, synecdochicè. [26] sarcasmus ad familiam Jehojakimi; quo ostendit Propheta sive Libanum & Baschanem versus Assyrios inclamet ut suppetias ferant, sive vada transmeet ad inclamandos Aegyptios, omnia fore inutilia: ut narratur 2. Reg. 24. 9. [27] Schichoris fluvii, paludis Sirbonidis, & Nili, ad Aegyptum pertinentia. [28] id est, Assyrii quidem domiti & sub jugum Babyloniorum missi, Aegyptii verò attriti: ut modò diximus. Nam hi fuerunt amatores Judææ: sicut meminit supra 2. 36. & Jechezk. 16. & 23. [29] i. Principes regni. [30] habitabunt illi in ventũ. [31] i. Sacerdotes & Prophetæ quibuscũ scortaris, ut exprobratur infrà 23. 9. & 10. [32] ironia, hanc partem judicii concludens ab infausti exitii comparatione cum præsente gloria. [o] Heb. gratiosa eris. [33] tertia pars, exponens judicium Dei in Jeconjam, ut diximus vers. 10. qua primùm ipsius, domûsque totius calamitas prædicitur, versibus quatuor: deinde ne ex ipsis quidem in posterum futurus Rex ullus prędicitur, tribus vers. ultimis. [34] id est, Jeconja per aphæresin, qui etiam Jehojakin dictus est. [35] id est, annulus signatorius, pro eo quod est, etiamsi fuisset Jeconja mihi carissimus, quem semper in oculis ferrem. [36] ut narratur 2. Reg. 24. 14. & seq. [p] Heb. à quorum facie. [q] Heb. animam: ut Psal. 27. 12. [37] interrogatio pathetica, transitum faciens ad alterum judiciorum genus de perdenda tota Jeconjæ stirpe: perinde ac si Judæi in admirationẽ adducti dicerent, non esse credibile fore ut ita perderetur totum genus regium: cui admirationi respondet Propheta per exclamationẽ, & terram testem adhibet fore ut tota hæc gens pereat. Nam post deportationem dominatus ad posteros Davidis ex Nathane recidit, ut diximus 1. Chron. 3. 17. [38] id est, gens ipsius tota ex semine Joschijæ profecta. [39] id est, referre in acta sententiam hanc a Deo latam & decretum irrevocabile. [r] Heb. diebus suis. [40] id est, de hac gente, ut vers. 28. diximus, ex qua regnavit quidem Tzidkija, sed minimè prosperatus est.

CAPUT XXIII.

1 [1] VÆ pastoribus qui perdunt & disper-
gunt gregem pascui mei, dictũ Jehovæ.

[1] Secunda prædicatio judiciorũ singularium (ut diximus in V. 6. capitis præcedentis) adversus regiam stirpem, Principes, & magistratus, duobus versib. cui gravissimæ interminationi (quia non poterat compleri nisi cum integra eversione regni) Propheta consolationem subjicit promissa instauratione absolutissima per Christum, 6 versibus seq.

2 Idcircò sic ait Jehova Deus Jisraëlis con-
tra istos pastores [2] qui pascunt populum meum;
vos dispergitis oves meas & dispellitis eas, non
autem visitatis eas; ecce ego animadversurus
sum in vos malignitatem actionum vestrarum,
dictum Jehovæ.
3 [3] Deinde ego congregabo residuum [4] ovi-
um mearum ex omnibus regionibus quò dispu-
leram eas; & reducam eas ad caulam suam, ubi
[5] fœtificabunt & augescent:
4 Constituámq; super eas pastores, qui pas-
cent eas; ita ut non timeant ampliùs, neq; con-
sternentur, neque [6] desiderentur, dictum Je-
hovæ.
5 Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ,
quibus excitabo [7] Davidi [8] germen justum: qui
regnabit rex, secundabitúrque, ac exercebit jus
& justitiam in terra.
6 Diebus ejus servabitur Jehuda, & Jisraël
habitabit securè: atque [9] hoc nomen ejus est quo
vocabit eum *Jisraël*, ô Jehova justitia nostra.
7 [s] Idcircò ecce dies venturi sunt, dictum Je-
hovæ; quibus non dicetur ampliùs, vivit Jeho-
va, qui evexit [a] Jisraëlitas e terra Ægypti:
8 Sed vivit Jehova, qui evexit & qui dedux-
it semen domus Jisraëlis e terra Aquilonis & ex
omnibus regionibus quò depuleram eos; quum
residebunt in terra sua.
9 [10] *Quòd* ad Prophetas ipsos, frangitur cor
meum [b] in me, eliduntur omnia ossa mea, [11] sum
ut vir ebrius, & similis viro quem superat vinum:
[12] propter Jehovam, & propter verba sanctitatis
ejus.
10 [13] Nam adulteris plena est hæc terra, nam
propter exsecrationem luget hæc terra, arescunt
caulæ deserti; éstque concussio istorum pessi-
ma, & potentia istorum [c] iniquissima:
11 Quia tam Propheta quàm Sacerdos con-
taminant *eam*: [14] etiam domi meæ invenio ma-
litiam eorum, dictum Jehovæ.
12 Idcircò erit via sua ipsis [d] quasi [15] lubricis-
sima cum caligine, in qua impellantur & cadant;
quum adduxero contra eos malum, annum visi-
tationis ipsorum, dictum Jehovæ.
13 [16] In Prophetis quidem Schomronis vi-
deram insulsitatem; prophetabant [17] per Baha-
lem, & seducebant populum meum Jisraëlem:

[2] id est, quorum est pascere, quemadmodum Græci vocant ποιμένας λαῶν. [3] promissio instaurationis Ecclesiæ, hoc vers. per Euangelium seq. vers. sub Episcopo summo & pastore animarum nostrarum Christo, V. 5. ad justitiam & salutem nostram, V. 6. & ad Dei gloriam, vers. 7. & 8. [4] non tantùm Jehudæ, sed etiam Jisraëlis, V. 6. ex quo manifestum est non esse hæc verba restringenda ad reversionem e Babylonia, sed liberationem spiritualem per Christum hîc agi. [5] gignendo gentes in Christo prædicatione Euangelii. [6] id est, desit ulla ovis tradita in manum Christi, Joan. 10. 28. & 29. [7] q. d. non autem ex vobis, ac ne ex Schelomone quidem; sed ex Davide per Nathanis genus. Confer singula hujus promissionis membra cum Jeschah. 11. [8] i. Christum, qui tamquam surculus ex trunco intermortuo repullulascens germinavit justitiam ad salutem Ecclesiæ suæ: sic inf. 33. 14. & Zecarjæ 3. & 6. [9] i. Christum Jehovam qui justitia nostra est, Ecclesiam suam vocabit salutis & securitatis populum, infrà 33. 14. ac revera ornabit his tantis beneficiis: illa autem vicissim grato animo prædicabit eum & beneficia ejus, hoc versu; cultúmque ejus profitebitur constantissimè, sequentibus. Est autem hic locus evidentissimus ad confirmandum naturam divinam, & beneficium Christi; sicut humanam demonstraverunt præcedentia. [s] Sup. 16. 14. [a] Heb. filios Jisraëlis. [10] tertia prædicatio singularium judiciorum Dei, ut diximus in versum 6. capitis præcedentis, nimirum contra omnes subditos: qui distribuuntur in duos ordines, unum Ecclesiasticum Prophetarum Sacerdotúmque, alterum popularem: Ecclesiastico fit denunciatio, usque ad versum 33. populari, ad finem usque. In hac autem denunciatione contra Ecclesiasticos proponitur primùm summa totius argumenti, versibus quatuor: deinde exornatio sequentibus. hæc autem sunt verba Prophetæ indignantis. [b] Heb. in medio mei. [11] i. totus perturbatus sum. [12] i. ita afficior zelo Dei graviter, & studio vindicandæ veritatis illius. [13] ætiologia: indignissimè fero (inquit) quia tota Judæa circumfluit maleficiis per Prophetas & Sacerdotes ipsos. [c] Heb. non recta: ~~[illegible]~~. [14] i. ne in ædo quidẽ mea a sceleribus suis abstinent, ubi saltem eos oportuit affici mei præsentiæ reverẽtia: ut Jechezk. 8. [d] Heb. lubricitates. [15] ut Psal. 35. 6. elegans allegoria, ad significandum malũ inexpugnabile. [16] exornatio hæc sententiæ præcedentis in Prophetas latæ duas partes conjunct, ex prophetarum distributione: prior est, de Prophetis jactantibus visiones & oracula a Deo, usq; ad versũ 25. posterior est de Prophetis revelationes per somnia sibi factas prædicantibus: quæ duo revelationis genera fuisse olim in Ecclesia ostendit Deus, Num. 12. 6. In hoc autẽ membro primùm indignitas sceleris per comparationẽ exponitur, duobus versibus, & denũciatur pœna, V. 15. deinde populus de falsitate & judicio in ipsos venturo præmonetur, usq; ad versum 23. ac postremò confirmatur ab omni præsentia & omniscientia Dei, ut ita loquamur, V. 23. & 24. [17] quod videlicet fuit tolerabilius quàm si prophetassent in nomine meo: quod isti impiè perfidéque faciunt.

[18] id est, quòd etsi Dei jura cognoscunt, eos qui talia faciunt dignos esse morte; non solùm ea faciunt ipsi, sed etiam facientibus patrocinantur tum exemplis vitæ, tum nefariis documentis, ut loquitur Paulus Rom. 1.32. [19] ut Jeschah. 1.9. & 10. [20] id est, enecabo eos amarulentissimis & gravissimis mortis generibus, quorum amaror absinthio, pernicies verò cicutæ succo figuratur: ut suprà 8.14. & 9.15. [e] *Heb. cordis: sic deinceps.* [f] *Heb. dicendo.* [g] *Heb. in aspectu cordis sui.* [21] nimirum alius præter nos; eclipsis in hoc genere loquutionis frequens, ut Proverb. 30.4. Sic Jirmejæ & Prophetis bonis qui præterea fuerunt eodem tempore, suam ordinariam dignitatem & auctoritatem objecerunt: ut suprà 7. & 8. & 18. 18. quod confirmat comparatio versus 22. [‖] *Infrà 30.23.* [22] descriptio judicii per comparationem illius de quo Genes. 19.24. [h] *Heb. in extremitatem dierum.* [23] id est, certissimè & evidentissimè. [24] id est, si me consuluissent, & ex ore meo acceptas prophetias voluissent proloqui, hæc bonorum Prophetarum officia fuisse facturos.

14 At in Prophetis Jeruschalaimorum video rem horrendam, adulterando & ambulando in falsitate, [18] quòd cõfirmant etiam manus maleficorum, ut non revertantur ullus a malitia sua: sunt mihi omnes isti ut [19] Sedomi, & habitatores istius *urbis* ut *habitatores* Hamoræ.

15 Idcircò sic ait Jehova exercituum de istis Prophetis, ecce ego [20] facturus sum ut comedant isti absinthium, & facturus ut bibant isti succum cicutæ: quia a Prophetis Jeruschalaimorum prodiit contaminatio in totam hanc terram. [e]

16 Sic ait Jehova exercituum, ne auscultetis verbis istorum Prophetarum qui prophetant vobis, vanos efficiunt isti vos, visionem [e] animi sui eloquuntur, non ex ore Jehovæ.

17 Dicunt [f] indesinenter iis qui spernunt me, loquutus est Jehovà, pax erit vobis: & cuique ambulanti [g] ex sententia animi sui dicunt, non superveniet vobis malum:

18 Nam [21] quis stetit in consilio Jehovæ, & vidit vel audivit verbum ejus? quis attendit ad verbum ejus & audivit?

19 [‖] Ecce [22] turbo Jehovę excandescentia proditurus est, ac turbo permanens: super caput improborum permanebit.

20 Non avertetur ira Jehovæ donec perfecerit, & donec præstiterit cogitationes animi sui: [h] tandem animadvertetis hoc [23] animadversione.

21 Me non mittente Prophetas istos, ipsos cucurrisse; me non alloquente ipsos, prophetasse ipsos:

22 Quòd si [24] stetissent in consilio meo; utique pronunciaturos fuisse verba mea populo meo, & revocaturos eos a via sua mala, & a malignitate actionum suarum.

23 [25] An Deus e propinquo *sum* ego? dictum Jehovæ; ac non Deus e longinquo?

24 [‖] An delitescere potest quisquam in latebris, ut ego non videam ipsum? dictum Jehovæ: an non cælos & terram ego impleo? dictum Jehovæ.

25 [26] Audio quid dicant isti Prophetæ qui prophetant nomine meo falsum, dicendo somniavi, somniavi.

26 [27] Quousque tandem? an est *somnium* in animo istorum prophetarum qui prophetant falsum? imò *sunt* Prophetæ doli animi sui:

27 Qui putant se facturos ut obliviscatur populus meus nominis mei per somnia sua, quæ enarrant quisque amico suo; quemadmodum obliti fuerant patres eorum nominis mei [28] per Bahalem.

28 Propheta ille penes quem somnium *est*, enarret somnium; & penes quem *est* verbum meum, eloquatur verbum meum [i] verè: [29] quid isti paleæ cum tritico? dictum Jehovæ.

29 [30] An non ita verbum meum *est* ut ignis? dictum Jehovæ, & sicut malleus efficiens ut dissiliat petra?

30 [31] Idcircò ecce me contra istos Prophetas, dictum Jehovæ; qui [32] suffurantur verba mea quisque ab amico suo.

31 Ecce me contra Prophetas istos, dictum Jehovæ; qui [k] adhibent linguam suam [33] ut dicant dictum.

32 Ecce me contra prophetantes somnia falsa, dictum Jehovæ, qui enarrantes ea seducunt populum meum falsitatibus suis, & [34] rapiditate sua: cùm ego non miserim eos, neque præceperim eis, & omninò [35] non prosint populo huic, dictum Jehovæ.

33 [36] Quum itaque rogabit te populus hic, aut aliquis Propheta, aut sacerdos, dicendo, [37] quæ *est* [l] onerosa prophetia Jehovæ? tum dices eis id quod *est* onerosæ prophetiæ, nempe deserturus sum vos, dictum Jehovæ:

34 Nam *in* Prophetam illum ac *in* Sacerdotem illum, & *in* ipsum populum [38] qui dixerit, onerosam prophetiam Jehovæ; utique animadvertam in virum illum & in domum illius.

35 [39] Sic dicturi estis quisque amico suo & quisque fratri suo; quid respondit Jehova? aut, quid loquutus est Jehova?

36 Onus autem Jehovæ ne commemorate ampliùs: nam ipsum onus futurum est cuique [40] verbum suum, si perverteritis verba [m] Dei viventis, Jehovæ exercituum Dei nostri.

37 Sic dicturus es Prophetæ ipsi; quid respondit tibi Jehova? aut, quid loquitur Jehova?

38 Sed quandoquidem onerosam prophetiam Jehovæ dicitis; idcircò sic ait Jehova, eò quòd dicitis verbum istud, onerosa prophetia Jehovæ: quamvis miserim ad vos qui dicant, ne dicatis, onerosa prophetia Jehovæ;

39 Idcircò ecce me, qui [41] oblitурus sum vestri [n] indesinenter: nam deseram vos, & civitatem quam dederam vobis & majoribus vestris, *abjectos* a conspectu meo:

40 Et imponam vobis [o] [‖] opprobrium perpetuum; ignominiámque perpetuam, quæ non poterit tradi oblivioni.

[30] amplificatio præcedentis argumenti a duplice comparatione: quid dico (ait Deus) nihil istorum paleæ cum tritico cõmune esse; imò verò hæc sunt certissima verorum falsorúmq; Prophetarum, ac veri falsiq; verbi documenta; quòd Propheta bonus, tamquam aurifex igne, verbo Dei utitur in probandis & purgandis piis, ducendisque & informandis in omni opere bono; cùm alii contrà nundinentur dicentes, indicate quod indicemus vobis, suprà 20.10. Præterea Propheta bonus non cedit perversorum & saxeorum hominum pertinaciæ, sed verbo Dei tamquam malleo perfringit: isti contrà obdurationem confirmant blandimentis suis. [31] sententię latio, ut diximus in versum 26. ἀναφορικῶς ad vehementiam. [32] id est, verbum meum sibi cognitum, quo tamquam igne aut malleo deberent uti, sacrilegè dissimulant: primus gradus sceleratæ prophetiæ.

[25] confirmatio præcedentis denunciationis a natura Dei (ut diximus in versum 13.) qua Pseudoprophetarum conscientias transverberat: putatisne (inquit Deus) humani aliquid de majestate mea? si existimatis me velut longinquum & residentem in cælo res vestras ignorare; at Deum me e longinquo esse vester ipsorum animus testis est: sin autem propinquum putatis certis latebris deludi posse, at scitis nullas esse adversum me latebras, cùm cælos & terram impleam majestate mea; dilemma gravissimum per comparationem humani status cum natura Dei. [‖] *Psal. 139.* [26] posterior pars sententiæ de Prophetis somnia venditantibus, ut diximus in versum 13. quos primùm redarguit Deus; quatuor versibus sequentibus, deinde fert sententiam, tribus. [27] redargutio hæc primùm negat somnia divina pseudoprophetis obvenire, hoc vers. deinde consilium ipsorũ dolosum reprehendit, seq. versu; ac postremò docet nihil eis commune cum Prophetis aut cum verbo Dei esse, ℣. 28. & 29. [28] id est, nomine Bahalis; ut factum fuerat Achazi, Menaschis, Ammonis, aliorúmque temporibus. [i] *Heb. veritate.* [29] id est, quid commune est istis pseudoprophetis & doctrinæ eorum cum Prophetis doctrináque Dei? proverbiale dictum.

[k] *Heb. accipiunt.* [33] id est, ut commenta sua pro dictis Jehovæ in populum disseminent; nam hoc tritum erat Prophetarum jam olim exordium; secundus gradus. [34] id est, volubilitate sermonis & sapientia humana verborum, qua ferè enituntur præstare qui rei veritate carent, ut fucum faciant imprudentibus; tertius gradus. [35] sed obsint: *μείωσις*, ut suprà ℣. 20. [36] secundum membrũ prædicationis tertiæ judiciorũ Dei, ut diximus in versum 9. quo Propheta toti populo ludificanti Prophetas Dei (ut dicitur 2. Chron. 36.16) gravissimum judicium denunciat summatim, duobus versibus. deinde admonet, tribus sequent. ac postremò sententiam fert, tribus ultimis. [37] ironicum interrogandi genus, quo Judæi præfracti & minas Dei habentes pro fabulis exagitabant Prophetas ejus. [l] *Heb. onus: sic deinceps: ut Jesch. 13.1.* [38] nempe ironicè & per ludibrium, ut modò demonstravimus. [39] videlicet consulentes seriò, ac sine ludibrio. [40] id est, sermo iste ironicus, quo Jehovam & verbum ipsius ludificabitur, ipsi constabit magno. [m] *Heb. Deorum viventium.* [41] humanitus dictum, cujus exegesin sequentia verba continent. [n] *Heb. oblivioscendo.* [o] *Heb. opprobrium seculi, & ignominiam seculi.* [‖] *Supra 20.11.*

CAPUT XXIIII.

Deus typis & sermone instaurationem Ecclesiæ, tum Judæorum, tum etiam catholicæ; & novi Regis populique deportationem futuram prænunciat.

1 [1] VIsionem ostendit mihi Jehova; nempe ecce duo calathi ficuum cõpositi [a] ante templum Jehovæ: [‖] postquam deportasset Nebucadretzar Rex Babyloniæ Jeconjam filium

[1] Hujus prophetiæ tẽpus manifestum est ex ℣. 1. partes verò duæ sunt: una typica, tribus primis versibus; altera anagogica. typos quos Deus exhibuerat Prophetæ explicans, reliquo capite. [a] velut in conspectu domini justi & judicis, qui posteà sententiam pro jure suo de illis laturus est. [‖] *2. Reg. 24.12. &c.*

Jehojakimi

Jehojakimi Regis Jehudæ, Principésq; Jehudæ,
& fabros ipsos lignarios, ac fabros ferrarios Je-
ruschalaimis, & abduxisset eos *in* Babylo-
niam.
2 Calathus unus *erat* ficuum bonarum valde
quales *sunt* [a] præcoces ficuum: & calathus alter
ficuum malarum valde, quæ non possent come-
di præ pravitate.
3 Dicenti autem Jehovæ mihi, quid tu vides
Jirmeja? dixi, ficus: has bonas ficus, bonas valde;
illas verò malas, malas valde, quæ non possunt
comedi præ pravitate.
4 [3] Tum fuit verbum Jehovæ ad me, dicen-
do,
5 Sic ait Jehova Deus Jisraëlis, ut ficus bo-
nas istas; ita [4] agnoscam [b] deportatos Jehudæos,
quos emisi ex loco hoc *in* terram Chaldæorum,
in bonum:
6 Et [c] adjiciens oculos meos ad illos in bo-
num, reducam illos in terram hanc; ubi ædifica-
bo illos, ac non demoliar, & plantabo illos, ac
non evellam.
7 Nam [5] inditurus sum illis cor ad cognoscen-
dum me, me esse Jehovam, eruntq; mihi [d] po-
pulus, & ego ero illis Deus: quum reversi fuerint
ad me ex toto corde suo.
8 [6] Quemadmodum verò ficus istas malas
quæ non possunt comedi præ pravitate: ([7] nam
sic ait Jehova) ita exponam Tzidkijam Regem
Jehudæ, & Principes ejus, ac residuum Jeruscha-
laimorum qui residui sunt in terra hac, [8] etiam
qui habitaverint in terra Ægypti:
9 [‖] Exponam, inquam, eos cōmotioni in ma-
lum apud omnia regna terræ; opprobrio, & pa-
rabolæ, dicterio, & maledictioni in omnibus lo-
cis quò depulero eos:
10 [‖] Et mittam in eos gladium, famem, ac pe-
stem; donec consumti fuerint e terra quam de-
deram ipsis & majoribus ipsorum.

[a] *Heb. ficuum præcocium: hypallage.* [3] transitio ad anagogen, cujus partes (ut typi) sunt duæ: una, promissionis erga pios deportatos, & universè totam Ecclesiam Christi: altera, comminationis in cæteros impios, qui deportandi erant & exagitandi infinitis cruciatibus, ternis versib. [4] ex electione videlicet: atque hic primus gradus est beneficiorum Dei, quæ allegoricè seq. versu; deinde simpliciter & nudè vers. 7. proponuntur. [b] *Heb. deportationem Jehudæ: metonymia.* [c] *Heb. apponens.* [5] promissio evangelica: ut infrà 31.33. [d] *Heb. in populum, & ego ero illis in Deum.* [6] id est, ut solent abjici acerbæ ficus atque immaturæ, & omnium arbitrio exponi. [7] parenthesis ad confirmationem dicti; quia hæc denunciatio humanitus incredibilis esse videbatur, constituto per Nebucad-retzarem novo Rege beneficiario. [8] id est, qui occiso Gedalja in Aegyptum sese receperint: ut narratur infrà 43. & 44. [‖] *Deut. 28. 37.* [‖] *Suprà 15.4.*

CAPUT XXV.

Propheta Regem & Judæos contestatur, quòd Deo fuerint immorigeri: ac propterea captivitatem annorum septuaginta prædicens eis, judicia quoque in alias gentes, & in Babylonios tandem pronunciat: sententiámq; fert de omnium ruina, & luctu funestissimo.

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam contra
[2] totum populum Jehudæ anno quarto
Jehojakimi filii Joschijæ Regis Jehudæ ([3] qui
annus *est* primus Nebucad-retzaris Regis Ba-
byloniæ)
2 Quod eloquutus est Jirmeja Propheta, a-
pud totum populum Jehudæ & apud omnes ha-
bitatores Jeruschalaimorum, dicendo,
3 [4] A decimotertio anno Joschijæ filii Amo-
nis Regis Jehudæ usque in diem hunc (hic vice-
simus tertius annus *est*) fuit verbum Jehovæ ad
me; quod eloquutus sum vobis [a] inde a diluculo
indesinenter, nec tamen auscultastis.
4 Misit etiam Jehova ad vos omnes servos

[1] Hujus capitis summæ partes sunt quatuor, præter inscriptionem contentam duobus versibus: contestatio, inde ad vers. 8. interminatio tanti mali, inde ad vers. 15. typus, inde ad vers. 30. ac postremò sententiæ latio, inde ad finem usque. [2] & alios similiter, per synecdochen, qui postea in hoc capite recensentur. [3] quemadmodum etiam apparet ex 2. Reg. 24. 14. & 25. 11. incidit autem hic primus Nebucadnetzaris annus in desinentem annum tertium Jehojakimi, & ineuntem quartum, ut constat ex Danijel. 1.1. [4] contestatio, qua suum & aliorum Dei Prophetarum officium Jirmeja comparat cum rebellione Judæorum. De tempore autem vide suprà 1.2. [a] *Heb. manè surgendo & loquendo: ut suprà 7. 3.*

suos Prophetas [b] inde a diluculo indesinenter,
quibus non auscultastis (ac ne inclinastis *quidem*
aurem vestram ut audiretis)
5 Qui dicerent, revertimini jam quisque a
via sua mala, & a pravitate actionum vestra-
rum, ita manete in ea terra quam tradidit Jeho-
va vobis & majoribus vestris; a seculo usque in
seculum:
6 Et ne [c] prosequamini deos alienos colen-
do eos & incurvando vos eis; neque provocetis
me opere manuum vestrarum, ut non malefa-
ciam vobis.
7 Sed non auscultastis mihi, dictum Jehovæ:
ut provocaretis me opere manuum vestrarum,
malo [d] vestro.
8 [5] Idcircò sic ait Jehova exercituum; eò
quòd non auscultastis verbis meis:
9 Ecce ego [6] missurus sum ut assumam omnes
[e] nationes Aquilonis, dictum Jehovæ, *missurus* in-
quam ad Nebucad-retzarem Regem Babyloniæ
[7] servum meum; & adducturus illas contra terrã
hanc & contra habitatores ejus, atque contra
omnes gentes istas circumquaque: quas inter-
necioni devovens [‖] exponam eas desolationi, &
sibilo, ac vastitatibus [f] perpetuis:
10 [‖] Et faciam ut pereat ex eis vox gaudii, &
vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ; [8] sonus ma-
lorum, & lux lucernæ:
11 Eritq; tota terra ista vastationi, *&* desola-
tioni: ac servient [9] gentes istæ Regi Babyloniæ
septuaginta annis.
12 Deinde erit completis septuaginta annis,
ut animadvertam in Regem Babyloniæ & in gen-
tem illam, dictum Jehovæ, iniquitatem ipsorum,
denique in terram Chaldæorum: [10] exponámq;
gentem illam desolationibus perpetuis:
13 Et adducam contra terram illam omnia
verba mea quæ loquutus sum contra illam; quic-
quid scriptum est in libro isto, quod prophetavit
Jirmeja contra omnes gentes istas.
14 Quum [g] servitutem exegerint ab his ipsis
quoq; gentibus amplis, & Regibus magnis; tum
rependam eis secundùm opus eorum, & secun-
dùm factum manuum eorum.
15 [11] Nam sic edixit Jehova Deus Jisraëlis
mihi, sume [12] poculum istud vini, istud *poculum*
excandescentiæ è manu mea: & [13] bibendum
dabis istud omnibus illis gentibus ad quas ego
mitto te,
16 Ut bibant & concutiantur atque insaniant;
propter gladium quē ego missurus sum inter eas.
17 Itaque sumpsi illud poculum e manu Jeho-
væ; ut bibendum darem omnibus istis gentibus
ad quas mittebat me Jehova:
18 Jeruschalaimis, & civitatibus Judææ, regi-
búsq; ejus, *&* principibus ejus; [14] tradendo eos
vastitati, desolationi, sibilo, & maledictioni ipso
hodierno die:
19 [15] Parhoni Regi Ægypti & servis ejus, Prin-
cipibúsq; ejus & toti populo ejus:
20 Et toti isti [16] miscellaneę turbæ, id est, om-
nibus Regibus terræ [17] Hutzi; & [18] omnibus re-
gibus terræ Pelischthæorum, & Aschkeloni, &
Hazzæ, Hekroniq;, & [19] residuo Aschdodi:

[b] *Heb. manè surgendo & mittendo: ut suprà 7. 25.* [c] *Heb. eatis post.* [d] *Heb. vobis.* [5] secunda pars, interminatio in Judæos æquè ac in omnes finitimos (ut suprà 9.25.) usque ad vers. 12. deinde verò in Chaldæos ipsos ad consolationem Ecclesiæ, vers. 12. & duobus seq. [6] id est spiritu, velut nuncio transmisso, excitaturus: humanitus dictum. [e] *Heb. familias.* [7] id est, effectorum voluntatem meam velut administrum, ut Cyrus appellatur illius pastor, Jeschah. 44.28. [‖] *suprà 18.16.* [f] *Heb. seculi: sic deinceps.* [‖] *sup. 7. 34. & 16. 9.* [8] i. omnis commoditas victus, & vel minima prosperitas, quæ lucis nomine in scripturis figuratur. [9] i. Judæa cum aliis Gentibus, synecdochicè: ut copiosiùs explicatur infrà 29. 10. & seq. [10] ut prædixerat Jeschahja 13. & 14. & 21. & 47. narratúrq; gestum, Dan. 5. [g] *Heb. servivērint sibi per hos: ut Exod. 1.14.* [11] transitio ad quartum locum de typo mandato divinitus; qui ætiologicus est eorum quæ modò Propheta dixit, fore ut Babylonius servitutem exigat nō tantùm a Judæis, sed etiam a Gentibus Regibusq; magnis. [12] ut Jeschah. 51.17. [13] nempe Prophetiæ; id est, bibituras illas prophetato: vide sup. 1.10. sic deinde illi Deus tradere quod prophetet, & ipse vicissim sumere, ac bibendum dare dicitur, versibus seq. [14] id est, pronunciando sententiam excidii, quam contra Judæam jam tulit Dominus. [15] ut copiosius exponitur infrà 46. [16] i. variis populis, quorum nomina sequentibus exponuntur; fines autem inter ipsos non tantùm conjuncti, sed etiam confusi erant & permixti dominatus. [17] vide Gen. 10. 23. [18] i. tum regibus, tum rebus publicis quæ in Pelischthæa erant: vide infrà 47. [19] nam Aschdodum sive Azoton Psammetichus pater Parhonis Neconis annis vigintinovem obsederat, itaque bona ex parte everterat Rempublicam, teste Herodoto in Euterpe.

21 [20] Edomæis

21 [20] Edomæis, & [21] Moabitis, & [22] Hammo-
nitis:
22 Et omnibus Regibus [23] Tyri, omnibúsq;
Regibus Tzidonis; & omnibus Regibus [24] regio-
nis illius quæ *eſt* [h] ſecundùm mare:
23 Item [25] Dedani, & Themæ; Buzoq; & om-
nibus amputatis latere;
24 Id eſt, omnibus Regibus [26] Arabiæ; & om-
nibus Regibus [27] miſcellaneæ turbæ habitanti-
bus in deſerto:
25 Itē omnib⁹ regibus [28] Zimræi, omnibúsq;
Regibus [29] Helami & omnibus Regibus Mediæ:
26 Et omnibus Regib⁹ Aquilonis, propinquis
& remotis [30] [i] uni cum altero, ac omnib⁹ regnis
cujuſq; regionis [31] quæ *eſt* ex adverſo hujus terræ;
denique Rex [32] Scheſchaci [33] bibet poſt iſtos.
27 Et dices eis, ſic ait Jehova exercituum,
Deus Jiſraëlis, bibite & inebriamini, [34] etiam vo-
mite, ac cadite ita ut non ſurgatis: propter gla-
dium quem ego immiſſurus ſum inter vos.
28 Erit autem ſi renuant accipere poculum e
manu tua bibendum; ut dicas eis, ſic ait Jehova
exercituum, [k] omnino bibituri eſtis.
29 [35] Nam ecce in ea civitate [l] quæ de nomi-
ne meo vocatur, ego initium feci afficiendi ma-
lis, & vos [m] omnino impunes eſſetis? non eritis
impunes, nam gladium ego proclamo contra
omnes habitatores iſtius terræ, dictum Jehovæ
exercituum.
30 [36] Tu itaque prophetato ad illos omnia
verba iſta: & dicas illis, Jehova ex alto [37] rugiet,
& [38] ex habitatione ſanctitatis ſuæ edet vocem
ſuam, [n] omnino rugiet in habitaculo ſuo, [39] ce-
leuſma quale *eſt* calcantium efferet contra om-
nes habitatores iſtius terræ.
31 Pervadet ſtrepitus uſque ad extremitatem
terræ, quia contentio *eſt* Jehovæ cum gentibus
iſtis, diſceptat ipſe contra omnē carnem: impro-
bos iſtos expoſiturus eſt gladio, dictum Jehovæ.
32 Sic ait Jehova exercituum, ecce afflictio
proceſſura *eſt* de gente in gentem; & turbo mag-
nus excitabitur e lateribus terræ:
33 Erúntq; confoſſi Jehovę tempore illo [o] ab
extremitate una terræ ad alteram: non plangen-
tur, neque recipientur, neque ſepelientur, pro fi-
mo in ſuperficie terræ futuri ſunt.
34 Ejulate paſtores, & clamate, & volutate vos
magnifici [p] pecuarii, quia cōpleti ſunt dies veſtri
[q] ut mactemini: *dies* inquam diſperſionū veſtrarū,
quibus cadetis, [r] ut ut *fictis* vaſa deſiderabilia:
35 Peribítq; perfugium a paſtoribus; & [ſ] ra-
tio evadendi a magnificis pecuariis.
36 Vox [t] clamoſa paſtorum, ejulatúſq; mag-
nificorum pecuariorum *audietur*; quia vaſtaturus
eſt Jehova paſcuum eorum:
37 Et ſuccidentur caulæ [u] utentes pace, pro-
pter æſtum iræ Jehovæ
38 *Aeſtuantis*, ut juvenis leo [40] derelinquens
tugurium ſuum: nam erit terra iſtorum deſola-
tioni propter æſtum [41] *gladii* opprimentis, & pro-
pter æſtum iræ ipſius.

[20] de quibus infrà 49.7. & ſeq.
[21] de quibus infrà 48.
[22] de quibus infrà 49.1.
[23] de quibus infrà 47.4.
[24] i. Syriæ ſuperioris, Peliſchthæis federatæ; infrà 49.23.
[h] *Heb. in tranſitu maris.*
[25] i. gentibus Arabiæ petrææ de quibus infrà 49.28. Hoc autē Dedane & ſeq. ſynecdochicè continentur poſteri plures Keturæ, Nachoris, & Jiſchmaħelis. Nam Dedan filius eſt Keturæ, Gen.25.13. Thema Jiſchmaħelis, Gen.25.15. & Buz Nachoris, Gen.22.21. & vide ſup. 9.26
[26] petrææ videl. ut docet ſequentium cōparatio.
[27] i. Arabum Scenitarum, Nomadum, Attalorum, aliorumq; ſine clauſtris & civitatibus in Arabia deſerta degentium, ut ſcribitur infrà 49.31. & ſeq.
[28] i. incolarum felicis Arabiæ, ſynecdochicè. Sunt enim Zimræi ſive Zimranæi populi felicis Arabiæ, dicti a Zimrane cujus mentio eſt Gen. 25.2. Zamarenos vocat Plinius lib.6. natur. hiſt. capite 28.
[29] vide Gen.10. 22. & infrà 49.34.
[30] i. promiſcuè, ut dictum eſt ſuprà 9.25.
[i] *Heb. viro cum fratre ſuo.*
[31] periphraſis circumjacentiū & finitimarum regionum.
[32] i. Babyloniæ feſta agentis, ut ſcribitur Danijelis 5. & apud Herodotum lib.2. Eſt enim Scheſchac lingua Babylonica feſtum diem celebrans, & Schace feſti dies, ut refert Athenæus lib. 14. ex Beroſo & Cteſia. Eſt autem hæc nominis mutatio referenda ad σεμνότητα orationis, de qua Hermogenes tomo quarto de inventione: qua commutatione idcircò Propheta uſus eſt, quòd hac una appellatione vellet diem ipſum caſus Babylonici velut digito cōmonſtrare, hic & infrà 51.41. confer cum Jeſchaħ.21.5. [33] alludit ad convivium, de quo Danijel. 5. [34] i. ita obruimini poculo indignationis Dei, ut non tantùm conturbemini, ſed omnem facultatem vos exonerandi & vitam ipſam amittatis. Pergit enim propheta in typica ſua allegoria. [k] *Heb. bibendo.* [35] elegans ætiologia, de qua vide 1.Petr.4.17. & ſeq. ſic Jechezk. 9.6. [l] *Heb. ſuper quam vocatur nomen meū.* [m] *Heb. innocentes præſtando innocentes exſiſteretis: vide Exod.20.7.* [36] ultima pars ſententiæ latio, concludens præcedentem conteſtationem & typum: qua primùm terrores denunciantur, duobus verſibus; deinde horrendæ ſtrages, luctúſq; funeſtiſſimus verſ. ſeq. [37] i. ut leo in prædam viſam incurſurus, horrendum intonabit: nam tota hęc ſententia eſt allegorica, Deum cum leone, Reges & Principes cum paſtoribus, populos cum gregibus, regiones cum paſcuis & cauſis comparans. [38] i. e cælo. [n] *Heb. rugiendo rugiet.* [39] vide Jeſchaħ. 16.18. [o] *Heb. ab extremitate terræ uſq; ad extremitatē terræ.* [p] *Heb. gregis: ſic duob. v. ſeq.* [q] *Heb. ad mactandum.* [r] *Heb. ut vas deſiderii.* [ſ] *Heb. evaſio.* [t] *Heb. clamoris.*

[u] *Heb. pacis.*
[40] nimirum ut in prædam involet.
[41] ut infrà 46. 16. & 50.16.

CAPUT XXVI.

Jirmeja ineunte Jehojakimi regno omnes ad reſipiſcentiam hortatur, recuſantibus judicium denunciat: ac propterea comprehenſus a Sacerdotibus & Prophetis accuſatur, publico judicio purgatur, & auctoritate Achikami a violentia Regis defenditur.

1 [1] PRincipio regni Jehojakimi filii Joſchijæ,
Regis Jehudæ; fuit verbum hoc a Jehova,
edicendo,
2 Sic ait Jehova, ſta in atrio domus Jehovæ;
ut eloquaris apud omnes [2] civitates Jehudæ ve-
nientes ad incurvandum ſe *in* domo Jehovæ, om-
nia verba quæ præcipio te eloqui eis: ne ſubtra-
hito verbum:
3 *Si* fortè auſcultantes revertantur quiſque
a via ſua mala; ut [3] pœniteat me mali quod ego
cogito facere illis propter pravitatem actionum
illorum.
4 Itaque dices eis, [4] ſic ait Jehova: niſi auſ-
cultaveritis mihi, ut ambuletis in lege mea quam
propoſui vobis;
5 Auſcultando verbis ſervorū meorum Pro-
phetarum quos ego mitto ad vos; ut [a] inde a di-
luculo mittenti nondum auſcultaſtis;
6 Utique reddam domum hanc ſimilem Schi-
lunti; & civitatem hanc tradam maledictioni a-
pud omnes gentes terræ.
7 [5] Audiebant autem Sacerdotes, ac Pro-
phetæ, [6] totúſq; populus; Jirmejam proloquen-
tem verba iſta in domo Jehovæ.
8 Quare fuit quum abſolviſſet Jirmeja pro-
loqui quæcunque præceperat Jehova proloqui
apud totum populum; ut prehenderent eum Sa-
cerdotes, & Prophetæ, totúſq; populus ille, di-
cendo, [b] omnino moriturus es.
9 Cur prophetaſti nomine Jehovæ, dicen-
do, ſimilis Schilunti futura eſt domus hæc, & ci-
vitas hæc ita vaſtabitur ut nullus *ſit* habitator?
congregabatúrq; [7] totus populus ad Jirmejam
in domum Jehovæ.
10 [8] Audientes autem principes Jehudæ res
iſtas, aſcenderunt e domo regis *in* domum Jeho-
væ: & conſederunt ad oſtium portæ Jehovę [9] re-
centioris.
11 Tum alloquuti ſunt Sacerdotes, & Pro-
phetæ [10] Principes illos, & omnes *Seniores* popu-
li, dicendo: [c] crimen capitale *eſt* in viro iſto, nam
prophetavit contra civitatem hanc, quemad-
modum audiviſtis auribus veſtris.
12 [11] Tum alloquutus eſt Jirmeja omnes illos
Principes, totúmq; populū, dicēdo: Jehova miſit
me ad prophetandum contra domū hanc & cō-
tra civitatem hanc omnia verba quæ audiviſtis.
13 Nunc ergo bonas efficite vias veſtras, &
actiones veſtras, & auſcultato voci Jehovæ Dei
veſtri: & pœnitebit Jehovam iſtius mali quod
eloquutus eſt contra vos.

[1] Totum hoc caput eſt διηγηματικόν, id eſt, narrativum: nam poſt obſervatam temporis circūſtantiam verſ.1. narrantur quatuor: primum eſt prophetiæ argumentum, quam ex mandato Dei pronunciavit Jirmeja, uſque ad verſ.7. ſecundū, criminatio, tribus verſibus; tertium, litis conteſtatio, uſque ad verſ. 16. quartū, ſententia Prophetam abſolvens, conjuncta exſequutione illius.
[2] i. cives, metonymicè.
[3] vide Gen.6.6.
[4] ſumma Prophetiæ, nimirum hypothetica interminatio: ut ſup.7. cui ex adverſo reſpōdens promiſſio (quæ hic reticetur) ponitur infrà verſ.13.
[a] *Heb. mane ſurgendo & mittendo.*
[5] ſecunda pars narrationis, de criminatione Jirmejæ.
[6] qui tum videlicet in atrio aderat: ſic ſeq.
[b] *Heb. moriendo* [illegible]
[7] reliquus videlicet, qui per urbem erat.
[8] tertia pars narrationis de litis conteſtatione: qua accuſatur Jirmeja, verſ. 11. & Propheta ſeipſum defendit, verſibus quatuor ſeq.
[9] id eſt ſupremæ, quam Rex Jotham curaverat ædificari, 2.Chron. 23.7. [10] i. totum conſilium juſtè conſtitutum ex utroque ordine: ut apparet ex verſ.17. [c] *Heb. jus mortis viro [illegible] ſic infr. verſ.16.* [11] defenſio Jirmejæ juridicialis abſoluta (ut vocant Rhetores) incipiens & concludens a vocatione Dei, & jure ab ipſo factam aſſerens: quapropter promiſſionem hypotheticam proponit, verſ. 13. & hypotheticam interminationem, duobus ſeq.

14 De me autem, ecce me in manu vestra: facite mihi ut bonum & ut rectum *videtur* in oculis vestris.

15 Verumtamen [d] omnino scitote, si morte afficitis me; [12] sanguinẽ innocentẽ vos imponere vobis, & civitati huic, & habitatoribus ejus: nam [e] verè misit me Jehova ad vos, ad proloquendũ [f] vobis audientibus omnia verba ista.

16 [13] Tunc dixerunt Principes illi, omnésq; *Seniores* populi Sacerdotibus & Prophetis; nullum *est* in viro hoc crimen capitale, quum nomine Jehovæ Dei nostri sit alloquutus nos.

17 Et surgentes [g] quidam e Senioribus terræ; alloquuti sunt totam congregationem populi, dicendo:

18 [14] Mica Moraschthites [h] prophetabat tẽporibus Chizkijæ regis Jehudæ; & alloquebatur totum populum Jehudæ, dicendo, sic ait Jehova exercituum, Tzijon *ut* ager arabitur, & urbs Jeruschalaimorum *in* cumulos erit, & mons hujus domus in excelsa [i] sylvosa.

19 An [k] omnino morte affecerunt illum [15] Chizkija Rex Jehudæ, & totus Jehuda? an non reveritus est Jehovam? imò quum deprecatus est faciem Jehovæ, pœnituit Jehovam illius mali quod eloquutus fuerat contra eos: nos ergo facimus malum magnum contra [l] nosipsos.

20 [16] Et quamvis etiam quidam prophetans nomine Jehovæ, Urija filius Schemahjæ ex Kirjath-Jeharimis; prophetasset contra civitatem hanc & contra terram hanc omnino secundùm verba Jirmejæ,

21 Quũq; audivisset Rex Jehojakim & omnes potẽtes ejus, omnésq; Principes verba ejus, [17] & quæsivisset Rex eum afficere morte (quod audiens Urija timuit, fugiénsq; venit in Ægyptum:

22 Sed misit Rex Jehojakim quosdam *in* Ægyptum, Elnathanem filium Hacboris, & [m] alios cum eo in Ægyptum,

23 Qui educentes Urijam ex Ægypto, reduxerunt eum ad Regem Jehojakimum) & percussisset eum gladio; abjecissétq; cadaver ejus in sepulcra [18] [n] popularium:

24 Verùtamen [19] manus Achikami filii Schaphanis adfuit Jirmejæ; ut non traderet eum in manum populi ad morte afficiendum ipsum.

[d] *Heb. sciendo.* [12] id est, vos vestra ipsorum culpa, reos peragi injustissimę & crudelissimæ cędis meæ. [e] *Heb. in veritate.* [f] *Heb. in auribus vestris.* [13] sententia, cujus αἴτιον exponitur tribus vers. seq. & exsequutio, reliquis. [g] *Heb. viri: sic infrà vers. 23.* [14] confirmatio sententiæ, a præjudicato similis exempli. [h] *Heb. erat prophetans: ut vers. 20. Micæ 3. 12.* [i] *Heb. sylvæ.* [k] *Heb. morte afficiendo.* [15] i. justum legitimumq; consilium ex regiis & popularibus: ut sup. vers. 11. [l] *Heb. animas nostras.* [16] narratio exsequutionis sententiæ, & liberati justo judicio Jirmejæ, contra illegitimam Regis violentiam: cujus exemplum his quatuor versib. continetur. [17] sine consilio legitimo, re non quæsita, cognita, & legitimè judicata, denique sine ulla juris formula. [m] *Heb. viros.* [18] i. contemtissima & abjectissima: cujusmodi fuerunt quos Latini vocabant puticulos, teste Varrone lib. 4. de lingua Lat. [n] *Heb. filiorũ populi.* [19] i. auctoritas & auxilium: fuerat enim Achikam jam diu consiliarius in comitatu Regis Joschijæ, ac proinde plurimùm auctoritate poterat.

CAPUT XXVII.

Deus Nebucadnezzaris dominatũ prædicit in gentes finitimas, & ipsis consulit: deinde Regem futurũ Judæorum similiter admonet ut se dedat Babylonio, & a Pseudoprophetis caveat: & omnes ordines ad Babylonii obsequium provocat minis & promissionibus.

1 [1] IN [2] principio regni Jehojakimi filii Joschijæ regis Jehudæ; fuit verbum hoc ad Jirmejam a Jehova, edicendo,

2 [3] Sic edixit Jehova mihi, [4] compara tibi vincula & lora; quæ [5] indas collo tuo.

[1] Hujus prophetiæ (quæ inscriptionem suam habet vers. 1.) summę partes sunt duæ: una est denunciatio prophetica servitutis, quam servitura erant finitima regna omnia regi Babyloniæ, usq; ad vers. 12. altera est prophetia didascalica ad populum Dei, inde ad finem usque. [2] id est, ante annos undecim quàm Tzidkija cœpisset regnare, revelata est divinitus prophetia hæc, & a Jirmeja obsignata; quum nondum magnus ille Nebucadnezzar in Babylonia regnaret: ut ostenditur suprà 25. 1. [3] prior hæc prophetiæ pars continet typum, duobus vers. & explicationem sequentibus 6. [4] videlicet in tempus illud quo cœpturus erat Tzidkija regnare; sic enim auctoritas conciliatur prophetiæ, & omnis malè de Propheta suspicandi occasio tollitur. [5] videlicet illorum unum, ad figurandum regnum Tzidkijæ, ut apparet ex seq. cap.

3 Deinde mittes [6] illa ad Regem Edomæorum, & ad Regem Moabitarum, & ad Regem [a] Hemmonitarum, & ad Regem Tyri, & ad Regem Tzidonis; [b] per legatos qui [7] venturi sunt Jeruschalaima ad Tzidkijam Regem Jehudæ:

4 Et mandabis illis ut dominis suis indicant; sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis, sic indicitote dominis vestris:

5 [8] Ego feci terram, homines, & jumenta quæ *sunt* in superficie terrę virtute mea maxima, & brachio meo extento, ideò trado illam cui rectum videtur in oculis meis.

6 [9] Nunc itaque ego trado omnes regiones istas in manum Nebucadnetzaris [10] Regis Babyloniæ servi mei: quin etiam bestias agri trado ei ut serviant ei.

7 Servient autem ei omnes istæ gentes, [11] filioq; ejus, & [c] [12] nepoti ejus; donec adveniat [13] tempus terræ ipsius etiam illud, quum [d] servitutem exigent ab eo [14] gentes amplæ & Reges magni.

8 Erit igitur ut in gentem illam & in regnum illud quę non servient ipsi Nebucad-netzari Regi Babyloniæ, & quæ non indet collum suum jugo Regis Babyloniæ; gladio & fame, ac peste animadvertam in gentem istam, dictum Jehovæ, donec consumsero eas manu illius.

9 [15] Vos ergo ne auscultetis Prophetis vestris, aut divinis vestris, aut somniis vestris, aut planetariis vestris, aut præstigiatoribus vestris; qui alloquuntur vos dicendo, non estis servituri Regi Babyloniæ.

10 Nam falsum isti prophetant vobis; ut longè abducam vos a terra vestra, & quum depulero vos pereatis.

11 Gentem verò illam quæ inducet collum suum in jugum Regis Babyloniæ, & serviet ei; ipsam utique relinquam in terra sua, dictum Jehovæ, ut colat eam & habitet in ea.

12 [16] Etiam Tzidkijam Regem Jehudæ alloquutus sum secundùm omnia verba ista, dicendo: inducite colla vestra in jugum Regis Babyloniæ, & servite ei, populóq; ejus; ita vivite.

13 [17] Quare moreremini tu & populus tuus gladio, fame, & peste; quemadmodum [18] eloquutus est Jehova de gente quæ non servierit Regi Babyloniæ?

14 Ne ergo auscultetis verbis istorum prophetarum qui alloquuntur vos, dicendo, non estis servituri Regi Babyloniæ: nam falsum isti prophetant vobis,

15 (Non enim misi eos, dictum Jehovæ, sed ipsi prophetant nomine meo falsò) ut depellam vos, & pereatis vos & ipsi prophetæ qui Prophetant vobis.

16 Etiam Sacerdotes, & totum populum ipsum alloquutus sum, dicendo, sic ait Jehova; ne auscultetis verbis Prophetarum vestrorum qui prophetant vobis, dicendo, ecce [19] instrumenta domus Jehovæ reducentur ex Babylonia jam [e] mox: nam falsum isti prophetant vobis.

17 Ne auscultetis eis, servite Regi Babyloniæ, ita vivite: quare esset civitas hæc [f] desolationi?

18 [20] Quòd si prophetæ sunt, & [21] si est verbum Jehovæ cum ipsis; intercedant, quęso, apud Jehovam exercituum, ut non veniant hęc instrumẽta quæ reliqua sunt in domo Jehovę, domóq;

[6] nimirum alia ad Reges exteros pertinentia. [a] *Heb. filiorum Hemmonæ.* [b] *Heb. per manũ legatorum.* [7] & conspirationem juncto federe endituri, de qua 2. Chron. 36. 13. [8] thesis sive propositio generalis, exponens causam & fundamentum hypotheseos quæ sequent. versib. continetur. Est autẽ causa sumta a creatione & jure Dei in res creatas omnes. [‖] *Danjel. 2.* [9] hypothesis continens primùm explicationem typi, tribus versibus, deinde consilium tribus alteris. [10] futuri post quadriennium ut suprà 25. 1. [11] Evilmerodaco, cujus mẽtio est 2. Reg. 25. 30. & infrà 52. 31. [c] *Heb. filio filii ejus.* [12] Bel-schatzari, de quo Danijel. 5. 1. [13] i. quo visitaturus sum terram ut infrà vers. ultimo: nimirum post annos septuaginta, sup. 25. 12. & infr. 29. 10. [d] *Heb. servient sibi per eum tot Exod. 1. 14. & suprà 25. 14.* [14] Persæ & Medi, de quibus Jeschah. 21. [15] propositio consilii, ut diximus in vers. 6. [16] secunda pars Prophetiæ, qua datur consilium primùm Regi Judæorum, 4. versib. deinde sacerdotib. & populo toti, 3. versib. ac postremò ultima deportatio prænunciatur, reliquis vers. [17] ἀνάκρισις præcedentis consilii, ad quod regreditur Propheta seq. vers. [18] suprà vers. 8. [19] quæ deportata fuerant in Babyloniam temporibus Jehojakimi & Jeconjæ, 2. Chron. 36. 7. & 10. [e] *Heb. celeriter.* [f] *Heb. desolatio.* [20] ἀντιπαραστάσις, quâ Propheta docet prophetas illos, si sunt servi Dei, non debere illius iram mendaciis suis cumulare; sed certissimè eventuram amoliri atque deprecari coram Deo: sic comparatur transitus ad propheticam denunciationem sequentem. [21] id est, si Deo sunt chari, & ullam cum eo communicationem habent.

Regis

Regis Jehudæ ac Jeruschalaimis in Babyloniam.
19 Nam sic ait Jehova exercituum de istis
[22] columnis, & de isto lacu, ac de basibus; deni-
que de [g] reliquis instrumentis quæ reliqua sunt
in civitate hac;
20 ‖ Quæ non accepit Nebucad-netzar Rex
Babyloniæ, quum deportaret Jeconjam filium
Jehojakimi Regis Jehudæ Jeruschalaimis in Ba-
byloniam; & omnes clarissimos Jehudæ & Jeru-
schalaimorum:
21 Nam, *inquam*, sic ait Jehova exercituum
Deus Jisraëlis; de istis instrumentis quæ reliqua
sunt *in* domo Jehovæ, & in domo Regis Jehudæ,
ac Jeruschalaimis:
22 ‖ In Babyloniam deferentur & illic erunt;
usque [23] in diem quo visitaturus sum hos, dictum
Jehovæ, quo faciam ut ascendant, & reducam
illa in locum hunc.

[22] de quibus 1.Reg.7.
g *Heb. reliquo instrumentorum.*
‖ *2.Reg. 24.14. & sequent.*
‖ *2.Reg.25.16.*
‖ *2.Chron.36.18. & infrà 52.*
[23] de quo 2.Chron.36.22. & Hezræ 1.

CAPUT XXVIII.

Jirmeja præcedentem concionem Judæis significans, a Chananja reprehenditur: quem bona Judæis, finitimísq;, & mala Chaldæis ominantem Jirmeja redarguit, & protervè in se irruenti cedit; donec a Deo remissus prophetiam suam amplificat, & mortem Chananjæ prædicit, quam eventus comprobavit.

1 [1] QUum autem [a] fuisset *illud* anno illo &
principio regni Tzidkijæ regis Jehudæ,
anno quarto, mense quinto: alloquutus est me
Chananja filius Hazzuris [3] Propheta qui erat e
Gibhone, in domo Jehovæ, ante oculos Sacer-
dotum & totius populi, dicendo,
2 Sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis,
dicendo; [4] fregi jugum Regis Babyloniæ.
3 Intra biennium [a] justum ego reducturus
sum in locum hunc omnia instrumenta domus
Jehovæ; quæ accepit Nebucadnetzar Rex Ba-
byloniæ e loco hoc, & deduxit in Babyloniam:
4 Etiam Jeconjam filium Jehojakimi Re-
gis Jehudæ, & [b] omnes deportatos Jehudæ qui
venerunt in Babyloniam, ego reducturus sum in
locum hunc, dictum Jehovæ: quum fregero ju-
gum Regis Babyloniæ.
5 Tum alloquens Jirmeja Propheta Chanã-
jam Prophetam illum, [5] ante oculos sacerdotum,
& ante oculos totius populi, qui adstabant in do-
mo Jehovæ:
6 [6] Dixit Jirmeja Propheta, amen, ita faciat
Jehova: præstet Jehova verba tua quæ prophe-
tasti, reducendo instrumenta domus Jehovæ, &
omnes deportatos, e Babylonia in locum hunc.
7 Verumtamen audi quæso verbũ hoc quod
ego loquor, [c] te audiente; & audiente toto hoc
populo.
8 [7] Prophetæ illi qui fuerunt ante me & an-
te te inde a seculo; illi prophetaverunt contra
regiones amplas & contra regna magna bellum,
& afflictionem *famis*, & pestem:
9 Propheta ille qui prophetat pacem; quum

[1] Totum hoc caput narrativum est eorum quæ consequuta sunt ex præcedente prophetia. Narrat enim Jirmeja primùm cõtradictionem Chananjæ, vers. 4. & redargutionem suam; vers. 5. sequentib. deinde contrarium typum a Chananja exhibitum cum sua interpretatione, vers. 10. & 11. & interminationem Dei a Jirmeja prænunciatam, effectámq; a Deo, inde ad finem usque.
[2] id est, quum typo & sermone, quem Deus imperaverat suprà 27.3. voluntatem Dei judiciumq; significare perrexissem per annos fermè quindecim, ut ex proximè præcedente cap. v. 1. & 12. colligitur. nempe Jojakimi, Jojakinis, & Tzidkijæ temporibus.

[3] officio videlicet, quamvis re ipsa falsus esset: nam ex gente Sacerdotum erat ad quos pertinebat Gibhon, Jehosch. 21.17. [4] i. in consilio meo cõstitutum est frangere. [a] *Heb. dierum: ut Gen. 41.1. sic infrà vers. 11.* [b] *Heb. omnem deportationem: sic vers. 6.* [5] i. publicè, prout publicè peccaverat: quò spectat documentum Pauli 1. Timoth. 5.20. [6] hujus redargutionis duæ sunt partes; exordium a voto, captans auditorum benevolentiam; ac potiùs (ut Rhetores vocant) insinuatio, hoc & seq. versu; deinde confutatio, seq. [c] *Heb. in auribus tuis, in aurib. &c.* [7] confutationis duo sunt argumenta: prius, quòd populo improbissimo pacem & prosperitatem prædicat, id a lege & omnibus sanctorum Prophetarum testimoniis discrepare, vers. 8. deinde eventum ipsum esse commonstraturum quàm falsa sit Chananjæ prædicatio: quas duas pseudoprophetarum notas, a doctrina videlicet & ab eventu, docuit Mosche Deut. 13. & 18.20.

evenit verbum ipsius Prophetæ, cognoscitur ille
Propheta esse quem misit Jehova [d] verè.
10 Tum capiens Chananja Propheta [8] lorum
illud a collo Jirmejæ Prophetæ; fregit illud:
11 Et loquutus est Chananja ante oculos to-
tius populi, dicendo, sic ait Jehova; ita frangam
jugum Nebucad-netzaris Regis Babyloniæ in-
tra biennium justum e collo omnium [9] istarum
gentium: tum [10] abibat Jirmeja Propheta itine-
re suo.
12 Sed fuit verbũ Jehovæ ad Jirmejam; post-
quam fregisset Chananja Propheta lorum illud
è collo Jirmejæ Prophetæ dicendo,
13 Abi ut alloquaris Chananjam, dicendo, sic
ait Jehova, lora lignea fregisti; sed comparo lo-
co illorum lora ferrea.
14 Nam sic ait Jehova exercituum Deus Jis-
raëlis, jugum ferreum impositurus sum collo om-
nium gentium istarũ, ut serviant Nebucad-net-
zari Regi Babyloniæ, & servituræ sunt ei: quin
etiam bestias agri traditurus sum ei.
15 Deinde dixit Jirmeja Propheta ad Cha-
nanjam prophetam; audi jam Chananja; non
misit te Jehova, sed tu fecisti ut fiduciam pone-
ret populus hic in falso.
16 Idcircò sic ait Jehova, ecce ego emissurus
sum te a superficie terræ, hoc anno tu moriturus
es; quia [11] apostasiam suasisti contra Jehovam.
17 Et mortuus est Chananja Propheta, anno
illo mense septimo.

[d] *Heb. in veritate.*
[8] quod ipsi superat, ut figuraret jugum Babyloniorum Judæis imponendum; ut diximus suprà 27.2.
[9] contra quas antè prophetasti.
[10] contentionem fugiens videlicet, & consulens ædificationi (quæ inter rixandum nulla est) donec Deus opportunitatem exhiberet servo suo commodam ad ædificandum, ut factum fuisse narratur seq. vers.
[11] ut Deut. 13. 5. & infr. 29.13.

CAPUT XXIX.

Propheta Judæos in Babylonia admonet de officio in captivitate, de promissæ liberationis tempore, & de calamitatibus eorum qui deportationem refugerint pseudoprophetarum mendaciis: itaque pseudoprophetas reprehendit, & funestum exitium singulis prænunciat.

1 [1] HÆc autem *sunt* verba Epistolę quam mi-
sit Jirmeja Propheta Jeruschalaimis: ad
[a] reliquos Seniores deportatos, & ad Sacerdo-
tes, & ad Prophetas, atque ad totum populum,
quem deportaverat Nebucad-netzar Jerușcha-
laimis in Babyloniam:
2 Postquam egressus esset Jeconja Rex &
Augusta, ac aulici Principes Jehudę ac Jerușcha-
laimorum, fabríq; lignarii, & fabri ferrarii Jeru-
schalaimis:
3 [b] Per El-hasam filium Schaphanis & Ge-
marjam filium Chilkiję (quos mittebat Tzidkija
Rex Jehudæ ad Nebucad-netzarem Regem Ba-
byloniæ in Babyloniam) dicendo:
4 [2] Sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis;
[c] omnibus deportatis, quos curavi deportari Je-
ruschalaimis in Babyloniam:
5 [3] Ædificate domos, & inhabitate: ac [d] cõ-
serite hortos, & vescimini fructu eorum.
6 Ducite uxores, & gignite filios ac filias; ac-
cipite etiam filiis vestris uxores, & filias vestras
tradite viris ut pariant filios filiásq;: & augescite
istîc, ac ne minuamini.
7 Deniq; quærite [e] prosperitatem istius [4] ci-
vitatis quò deportavi vos, & orate pro ea Jeho-

[1] Hujus capitis partes in universum duæ sunt: inscriptio, tribus versib. & epistola prophetica, ad finem usque.
[a] *Heb. reliquum seniorum deportationis.*
‖ *2.Reg. 24.14. & sequent.*
[b] *Heb. per manum El-hasæ.*
[2] hæc epistola (cujus inscriptionem hic versus continet (duo habet prophetiarum genera: unum commune & ad Judæos omnes spectans, usque ad vers. 20. alterum singulare contra Pseudoprophetas & adversarios Jirmejæ, ad finem usque. Communis autem prophetiæ tres sunt partes: prima, quà Deus deportatos pedem in Babylonia figere jubet, usque ad vers. 10. secunda, qua liberationem in suum tempus pollicetur resipiscentibus, usque ad vers. 16. tertia, qua reliquis in Judæa consistentibus aut alibi extra Babyloniam, infinita mala prænunciat, vers. 16. & tribus seq.
[c] *Heb. toti deportationi quam &c. sic deinceps.* [3] i. ita inite rationes vestras & vitam instituite, ut diu mansuri in Babylonia: synecdoche. [d] *Heb. plantate: sic infrà 28.* [e] *Heb. pacem: sic deinceps.* [4] id est, totius regni Babylonici synecdochicè.

vam;

[5] videlicet prędicando mox futuram eſſe liberationem, ac proinde vos a veris prophetiis & juſtis actionibus quas indixi vobis avertendo.
[6] falſi, quorum duo pronuntur genera, ut totidem verorum Prophetarum ſunt Num. 12. nam Prophetæ boni ex viſionibus & ſomniis agunt, mali verò divinationibus & commentis ex animo ſomniis abutuntur.
[7] exegeſis præcedentis dicti: verè, inquit, veſtra ſunt ſomnia: nam vos illa pretio redimitis, ut ſuprà 20.10.
[g] 2.Chron.32.26.
[8] ſecunda pars communis prophetiæ, confirmans monita præcedentia de ſede Babylonica colenda, & averſandis Pſeudoprophetis, a definito promiſſionis tempore, de quo ſup. 25.12.
[9] id eſt, quando mihi viſum fuerit præſtare promiſſiones meas.
[e] *Heb. pacis, non autem mali.*
[f] *Heb. & exſpectationis.*
[10] ex promiſſione Levit. 26.40. & ſeq. & Deut. 30.1. & ſequent. cujus rei complementum exſtat Danijelis 9. & in libris Hezrę & Nechemjæ.
[g] *Heb. corde.*
[h] *Heb. captivitatem veſtram.*
[11] i. quum longis perpeſſionibus edocti fueritis gloriam tribuere Deo, & veritatem prophetiarum ejus confiteri, ut Danijel 9.6. & 12.
[12] id eſt, ſubeundam eſſe captivitatem iis qui ſibi conſultum voluerint: ſic

vam; nam in proſperitate ejus futura eſt vobis proſperitas.

8 Sic enim ait Jehova exercituum Deus Jiſraëlis, [5] ne decipiant vos [6] prophetæ veſtri qui *ſunt* inter vos, & divini veſtri; neque auſcultetis ſomniis veſtris, [7] quæ vos ipſi curatis ſomniari:

9 Quia falsò iſti prophetant vobis nomine meo: non miſi eos, dictum Jehovæ.

10 [g] [8] Sic enim ait Jehova; nam ubi implebuntur Babyloniæ ſeptuaginta anni, viſitabo vos: & præſtabo erga vos verbũ meum illud optimum, reducendo vos in locum hunc:

11 [9] Quum ego agnovero *dandas vobis* cogitationes quas ego cogito de vobis, dictum Jehovæ, cogitationes [e] proſperitatis, non autem adverſitatis; dandum vobis finem, [f] eúmq; exſpectatiſſimum.

12 [10] Quum invocaverîtis me ut abeatis, & oraverîtis me; tum exaudiam vos:

13 Et quærentes me invenietis, quum requiſiverîtis me ex toto [g] animo veſtro.

14 Præſtò enim futurus ſum vobis, dictũ Jehovæ; & reducturus [h] captiuos veſtros, congregaturúſq; vos ex omnibus gentibus, & ex omnibus locis quò depulero vos, dictum Jehovæ: & reducturus vos in locũ hunc unde deportavi vos:

15 [11] Quum dixerîtis, excitaverat nobis Jehova Prophetas *prophetantes*, [12] *eundum* in Babyloniam.

16 Nam ſic ait Jehova de Rege qui ſedet in ſolio Davidis; & de toto populo qui reſidet in civitate hac; fratribus veſtris qui non egreſſi ſunt vobiſcum [13] in illa deportatione:

17 Sic ait, *inquam*, Jehova exercituum, [i] ecce ego immiſſurus ſum in hos gladium, famem, ac peſtem: & expoſiturus ſum eos tamquam ficus horrendas, quæ non poſſunt comedi præ pravitate.

18 Nam perſequar eos gladio, fame, ac peſte; & exponam eos commotioni apud omnia regna terræ, exſecrationi, & deſolationi, ſibilóq;, & opprobrio apud omnes gentes quò depulero eos.

19 Eo quòd non auſcultant verbis meis, dictũ Jehovæ; quum miſerim ad iſtos ſervos meos Prophetas [l] inde a diluculo indeſinenter, & non auſcultetis, dictum Jehovæ.

20 [14] Vos itaque audite verbum Jehovæ; omnes deportati quos miſi Jeruſchalaimis in Babyloniam.

21 Sic ait Jehova exercituum Deus Jiſraëlis de [k] Achabo filio Kolajæ, & de Tzidkija filio Maħaſejæ, qui prophetant vobis nomine meo falſum: ecce ego traditurus ſum eos in manum Nebucad-retzaris Regis Babyloniæ, ut [15] percutiat eos ante oculos veſtros:

22 Et ſumetur ab ipſis [l] maledictionis formula apud omnes deportatos Jehudę qui *ſunt* in Babylonia, dicendo; diſponat te Jehova ut Tzidkijam, & ut Echabum, quos torreſecit Rex Babyloniæ igne:

23 Eò quòd cõmiſerunt flagitium in Jiſraële;

tranſitur ad ſequentem locum de graviſſimis eorum calamitatibus, qui ſpernentes Prophetarum monita dedere ſe recuſaverint, & ultrò ſubire captivitatem. [13] de qua ſuprà verſ. 2. Eſt autem hic pars tertia communis prophetiæ, non eſſe expetendum ut qui in Babylonia ſunt in Judæam revertantur, quod pſeudoprophetæ narrabant: nam peſſimè cum illis actum iri. [i] *ſup. 24.* [l] *Hebr. manè ſurgendo & mittendo: ut 2. Chron. 36.15.* [14] ſecunda pars epiſtolæ, cujus exordium, hoc verſu, reſpicit ad monitum quo utebatur ſuprà, verſ. 8. Sunt autem in hac parte prophetiæ duæ: una, contra pſeudoprophetas, tribus verſibus ſeq. altera, contra quemdam prophetam ex proceribus adverſantem Jirmejæ, verſ. 24. & ſeq. [k] *qui idem dicitur Echab, ſeq. verſ.* [15] i. quaſi plaga impoſita morti tradat eos: nam torrefacti dicuntur mandato ejus, ſeq. verſ. [l] *Heb. maledictio metonym.*

adulterantes cum uxoribus amicorũ ſuorum, & loquentes verbum nomine meo [m] falſum quod non præceperam eis: [16] ego verò *ſum* iſtorum cognitor ac teſtis, dictum Jehovæ.

24 [17] Schemaħjam verò [18] Nechelamæum alloquitor dicendo,

25 [19] Sic ait Jehova exercituum Deus Jiſraëlis, dicendo; eò quòd tu miſiſti nomine tuo literas ad totum populum qui *eſt* Jeruſchalaimis, & ad Tzephanjam filium Maħaſejæ Sacerdotem, atque ad omnes Sacerdotes, [20] dicendo,

26 [21] Jehova diſpoſuit te Sacerdotem in loco Jehojadaħi Sacerdotis, cùm ſitis præfecti *in* domo Jehovæ contra omnem virum [22] amentẽ & Prophetam agentem; ut ponas eum in cippo, aut in [n] [23] ſcapha:

27 Nunc ergo, quare non increpaſti *ſaltem* Jirmejam Ħanathotanum; qui Prophetam agit vobis?

28 [l] Quandoquidem miſit ad nos *in* Babyloniam; dicendo, longa eſt *captivitas:* ædificate domos, & inhabitate; ac conſerite hortos, & veſcimini fructu eorum.

29 [24] Legit autem Tzephanja Sacerdos literas iſtas, [o] audiente Jirmeja Propheta:

30 Fuit itaque verbum Jehovæ ad Jirmejam, dicendo,

31 Mitte ad omnes deportatos dicendo, ſic ait Jehova de Schemaħja Nechelamæo: eò quòd prophetat vobis Schemaħja, quamvis ego non miſerim ipſum, facítq; ut fiduciam ponatis in falſo:

32 Idcircò ſic ait Jehova, ecce ego animadverſurus ſum in Schemaħjam Nechelamæum, & in ſemen ejus; non erit quiſquam qui habitet in medio populi hujus, neque videbit bonum quod ego facturus ſum populo meo, dictum Jehovæ: quia apoſtaſiam ſuaſit contra Jehovam.

[m] *Heb. falſitatis.*
[16] confirmatio judicii prænunciati, a certiſſima notitia teſtimonióque Dei.
[17] altera prophetia, ut diximus verſ. 20.
[18] hanc vocem patronymicam eſſe demonſtrat terminatio: ſed utrum a patre, an verò a patria ducatur incertum eſt. Nos ſuſpicamur hic ineſſe paronomaſian, & Schemaħjam fuiſſe Nachamæum, a Nachamo progenitore cujus mentio eſt 1. Chron. 4.19. alluſiſſe verò Jirmejam per epentheſin unius literæ, ut perſtringeret illius ſtudium erga pſeudoprophetarum ſomnia.
[19] hęc prophetia duo continet: narrationem cauſæ, quinque verſibus, & dictionem ſententiæ, tribus ultimis.
[20] id eſt, in hęc verba, aut in hanc ſententiam, quam tres verſus ſequentes exponunt. [21] ſumma epiſtolæ, qua Schemaħja ſacerdotibus primum exponit officium ipſorum, hoc verſ. deinde reprehendit delictum, duobus ſeq. Quemadmodum (inquit) magnus ille Jehojadaħ ſacerdos vindex olim fuit Reipublicæ, 2. Reg. 11. & 2. Chronic. 23. ita vos vindices ſanæ doctrinæ in Eccleſia conſtituit Deus. Erat enim Tzephanja Sacerdos ſecundanus, ut habetur, 2. Reg. 25.21. [22] ut 2. Reg. 9. 11. ſic a viris prophanis appellantur ſervi Dei. [n] *Hebr. ſugentis naviculis.* [l] *ſuprà verſ. 5.* [23] Hebraicam vocem, quæ nuſquam alibi legitur, penuria Latinitatis ita ſumus coacti reddere, ut nefarius iſte zelus gradatione aliquatenus explicetur. Eſt enim vox Hebræa compoſita, ſignificans genus illud cruciatus cujus meminit Plutarchus in Artaxerxe: compingebantur duæ ſcaphæ pari commenſu inter ſe reſpondentes, ita ut corpus hominis inditum quaſi in vagina eſſet. Quod genus cruciatus ſive ad cuſtodiam atrociſſimam, ſive ad quæſtionem, ſive ad necem offerretur vinctis, præbebatur illis mel temperatum lacte, & invitis etiam infundebatur in os unde viverent, &c. quæ ibi Plutarchus copiosè narrat. Quamobrem Hebræi ex forma cruciatus & victus una voce dixerunt naviculas ſugentis, quia homo in binas naviculas hoc pacto inditus alebatur ſuctu, & hac appellatione anguſtiſſimum quemque carcerem duriſſimúmq; deſignarunt: qualis hodie videtur in muris quem Galli vocant caligam a ſimilitudine illius ſacci ubi fit & percolatur aromatites, quod vinum Hippocraticum vulgo appellatur. [24] nimirum quum accepiſſet ex Babylonia. [o] *Hebr. in auribus Jirmeja Propheta.*

CAPUT XXX.

Propheta juſſus promiſſiones de inſtauranda Eccleſia conſcribere, figuras malorum quibus Judæa opprimenda erat amplitudinem: deinde expoſita promiſſione pios hortatur ad fidem, docens Deum cùm in afflictionibus præſentem eſſe, tum fore magnificum in perdendis adverſariis, & ſervandis ſuis: quamobrẽ promiſſiones magnificas de regno Chriſti prædicat ad Judæos & gentes perventuro; & quamvis Eccleſia hîc tum externis incurſionibus, tum ſuis ipſius infirmitatibus infeſtetur; fideles tamen conſolatur benedictionibus, ſtudióq; & fœdere Dei efficaciſſimo, & confirmat documentis & comparationibus.

1 [1] Verbum

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam a Jehova, dicendo,

2 Sic ait Jehova Deus Jisraëlis, edicẽdo; scribe tibi omnia verba quibus alloquor te, in libro:

3 [2] Quòd ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quum reducam captivam multitudinem populi mei Jisraëlis & Jehudæ, ait Jehova; & me reducente eos in terram quam dederam majoribus ipsorum, possidebunt eam.

4 Hæc ergo *sunt* verba quę eloquutus est Jehova, [3] de Jisraële & de Jehuda.

5 [4] Nam sic ait Jehova, vocem trepidationis [5] audimus; pavoris, nulliusq; pacis.

6 [6] interrogate jam, & videte an pariat mas: cur video unumquemq; virum *stare* manibus suis *appositis* ad lumbos suos, velut puerperã, & [7] conversos esse omnes vultus [a] in speciem morbi regii? *dicendo*,

7 Eheu, quia magnus *est* dies hic, adeò ut nullus *fuerit* par ei: [8] ut ut tempus angustiæ *est* Jaħakobo, tamen ex eo servabitur.

8 Erit enim die illo, dictum Jehovæ exercituum, ut frangam jugum [9] istius a collo tuo, & vincula tua disrumpam; neque [b] servitutem exigent ab ipso ampliús extranei:

9 Sed servient Jehovæ Deo suo; & [10] Davidi Regi suo, quem excitabo ipsis.

10 [11] Tu ergo ne timeto, serve mi Jaħakob, dictum Jehovæ, neque consternator Jisraël, nam ecce ego servaturus sum te e longinquo, & semen tuum e terra captivitatis suæ: ut reversus Jaħakob quiescat ac tranquillus sit, nemine perterrefaciente.

11 Tibi enim adsum, dictum Jehovæ, ad servandum te: quum faciam consummationem in omnibus gentibus quò dispersero te, verumtamẽ in te non facturus sum consummationem; sed castigaturus sum te [c] modicè, non autem [d] prorsus impunem relicturus te.

12 [12] Nam sic ait Jehova, [13] mortifera *erit* confractio tua; ægerrima percussio tua.

13 [14] Nemo adjudicabit causam tuam [15] compressioni; curationes, emplastrum nullum *proderit* tibi.

[1] Hujus prophetiæ (quæ capitibus duobus continetur, & exegetica est illius quam perstrinxerat sup. 23. 3. & seq.) partes sunt in universum quinque: prima est inscriptio generalis, primis quatuor versib. secunda est propositio tum miseriarum præsentium, tum venturæ liberationis & gloriæ filiorum Dei, usque ad vers. 12. tertia est exornatio & prophetica enarratio singularum propositionis partiũ, usque ad V. 35. seq. capitis: quarta est confirmatio tribus versib. postrema, conclusio typica, promissiones summatim repræsentans ad catholicam Ecclesiam perventuras, tribus vers. ultimis. Inscriptionis autem mẽbra sunt hæc: Deum prophetię auctorem esse, hoc vers. mandare ut literis obsignetur, seq. versu; & summã prophetiæ spectare ad restitutionem Ecclesiæ, vers. 3. ut summatim concluditur vers. 4. [2] summum argumentum totius prophetiæ, ut modò diximus. [3] i. de toto populo suo, & Ecclesia Christi. [4] propositio hæc, quæ principium est prophetiæ, duabus partibus continetur: quarum una miserias populi Dei, dolorem, luctúmq; explicat, tribus versibus; altera, liberationem mirificam, salutem, & gloriam a Deo obventuram, in fine vers. 7. & duobus seq. ac tum demum hortatione concluditur vers. 11. & 12. [5] hæc verba sunt Dei condolentis Ecclesiæ suæ, & seipsum communicare cum afflictionibus illius paternè ostendentis. q. d. verum quidem est omnia jam personare terroribus & adversa esse, hoc vers. frangi animos etiam fortissimos seq. versu; & lugere omnes, vers. 7. sed longè alia ratio posteà futura est. [6] elegans hypotyposis doloris acerbissimi, a forma parturientium. [7] id est, expallescere, ac potiùs exhausto sanguine livescere tamquã mortui sint. [a] *Heb. in morbum regium, sive aurugine‍m.* [8] transitio ad alterum propositionis locum, ut diximus in versum 5. de promissione salutis: cujus ratio, seq. versu, & usus, vers. 9. explicatur. [9] videlicet qui te premit jugo. [b] *Heb. servient* sibi *per eum: ut Exodi* 1. 14. [10] Christo, filio dilectionis Dei; ex semine Davidis: ut dixerat suprà 23. 5. sic Jechezk. 34. 23. & 37. 24. [11] hortatio ad constantem fidem in Deum, ab antecedentibus propositionis argumentis per *ὑϛέρωσιν*; nimirum a liberatione & salute divinitus consequutura hoc versu; & ab usu calamitatum, quibus impii judicantur, & castigantur boni, seq. versu. [c] *Heb. admodum.* [d] *Heb. innocentem declarando non declarabo te innocentem, vide Exod.* 20. 7. [12] tertia hæc pars propositionem explicat, primùm enarratione singularum illius partium, usque ad vers. 23. deinde exornatione, sequentibus. In enarratione autem exponuntur primùm miseriæ & calamitates præsentes in Ecclesiam immittendæ justitia Dei, usque ad vers. 16. deinde liberatio Ecclesiæ, & gloriosa instauratio per unicam Dei misericordiam in Christo, inde ad vers. 23. [13] nimirum humanitus. q. d. gravissimè quidem affligêris, atque ita ut omnes desperent de restitutione tui, tribus versib. sed ne exclames; quia ictus salutares, non lethales futuri sunt, vers. 15. [14] allegoria ab arte chirurgica. quasi dicat, tam desperatum erit ulcus tuum, ut neque curationem, neque solamen adhibere quisquam possit, & vel amici tui ad recordationem tui perhorrescant. Nam etiam Judæi captivi cum mortuorum ossibus comparantur, Jechezk. 37. [15] id est, ut comprimatur ad suppurationem, sicut fit in vomicis.

14 Omnes amantes tui obliviscentur tui, te non requirent: quum [16] plaga inimici percussero te, castigatione *inimici* sævi; propterea quòd multa est iniquitas tua, numerosa peccata tua.

15 [17] Quid exclamares propter confractionem tuam, mortiferum *esse* dolorem tuum? proptereà quòd multa est iniquitas tua, numerosa sunt peccata tua, [18] facio ista tibi.

16 [19] Idcircò quicunque [20] consumunt te consumentur, & omnes prementes te quotquot sunt in captivitatẽ abibunt: & erunt conculcantes te conculcationi, & omnes diripientes te exponam direptioni:

17 Quum faciam ut ad justam constitutionẽ [e] assurgas, & a percussionibus tuis curabo te, dictum Jehovæ: quia [21] depulsam vocaverint te, *dicentes*, [22] Tzijon ista *est*, nemo requirit eam.

18 [23] Sic ait Jehova, ecce ego reducam captivam turbam tentoriorum Jaħakobi, & tabernaculorum ejus miserebor: ædificabitúrq; civitas [24] in aggere suo, & palatium pro ratione sua [f] consistet.

19 Et [25] prodibit ex eis *vox* gratiarum actionis, & vox ridentium: quum multiplicabo eos & non minuentur, amplificabóq; eos, & non exigui fient:

20 Erúntq; filii ejus ut olim, & cœtus ejus coram me stabilietur; animadvertam verò in omnes opprimentes eum:

21 Et erit [26] magnificus ejus ex ipso, & dominator ejus e medio ipsius prodibit, quem [27] jubebo accedere ut appropinquet ad me: nam [28] quis ille est qui spondeat cum [g] animo suo se appropinquaturum ad me? dictum Jehovæ:

22 Denique eritis mihi populus, & ego ero vobis Deus.

23 [29] Ecce turbo Jehovę excandescentia proditurus est, turbo [30] indesinenter hospitans; super caput improborum permanebit.

24 Non avertetur [h] æstuans ira Jehovæ, donec perfecerit & donec præstiterit cogitationes animi sui; [i] tandem animadvertetis illud.

[16] i. per inimicum Chaldæum, & tibi infensissimum, ac supra modum sævientem illata; quam tamen Deus potentia sua moderaturus est, ut castigationis auctor; ex promissione vers. undecimi. [17] respiciens ad sævitiem durissimam hostiũ, & miserias tuas; non autem ad justam administrationem meã. [18] nempe ut ab illis te purgem igne afflictionũ, veluti candente ferro, sive cauterio. [19] ut experiaris me ista facere ad purgationem tui, inquit, tum adversarios aliud spectantes perdam propter blasphemias & scelera ipsorum, duobus vers. tum etiam liberabo te, sequentibus. [20] i. student cõsumere; non autem curare, ut est consilii mei. [e] *Heb. ascendas sanitas tibi: ut 2. Chron.* 24. 13. [21] videlicet per ludibrium & blasphemã contumeliam. [22] allusio ironica ex vocis ambiguo etymo, qua hostes Tzijonis nomen traducunt in contemtum, quasi significet arentem & desertũ locum: quam ironiam sequentes voces confirmant. [23] promissio liberationis & instaurationis allegorica: nam etsi particula ejus aliqua exactis septuaginta annis fuit præstita, fuit tamen illud quædam veluti prolusio perfectæ liberationis in Christo; ad quam Prophetam respexisse sequentes versus docent manifestissimè. [24] qui definitur infrà tribus versib. ultimis seq. capitis. [f] *Heb. sedebit.* [25] i. offerentur sacrificia laudis, fructus labiorũ per Christum, Hebr. 13. 15. [26] i. Rex & dominator Christus, idémq; Sacerdos in æternum sistens nos Deo & Patri. [27] i. vocabo in sacerdotium: sic accipiendum esse docetur Psal. 2. 8. & 110. & infrà 33. sub finem. [28] i. quis sibi ipsi sumat hunc honorem nisi Christus vocatus a Deo, & factus Pontifex? Heb 5. 4. & seq. [g] *Heb. corde: sic vers.* 24. [i] *sup.* 23. 19. [29] exornatio, ut diximus in vers. 12. illustrans præcedentia propositionis & enarrationis membra: ac primùm quidem futurum impiorum statum elegante allegoria, duobus versib. deinde piorum ad Ecclesiam Dei pertinentium, versib. 35. seq. capitis. [30] id est, inimicos Dei & Ecclesiæ pervadens, & quasi hospitium ex hospitio quærens, donec singulos consumserit. [h] *Heb. æstu iræ.* [i] *Heb. in extremitate dierum.*

CAPUT XXXI.

1 [1] TEmpore illo, dictum Jehovæ, ero Deus omnibus familiis Jisraëlis; & ipsi erunt mihi populus.

[1] secundus locus exornationis, quo primùm communio & benedictio Dei erga fideles proponitur, usque ad vers. 15. deinde quædam incommoda diluuntur quæ non viderentur alioqui cum regno Christi consentire, inde ad versum 23. ac postremò benedictiones Dei in Ecclesiam copiosiùs exponuntur, versibus 13. sequentibus. In prima autem propositione duo beneficia continentur: unum, communionis cum Deo & federis ejus ex beneplacito æterno, tribus versib. alterum, benedictionum ex federe vers. 4. & 5. quas Deus opera piorum testatas facit tum inter ipsos in Ecclesia Judæorũ, usque ad vers. 12. tum etiam palàm & universè spectantibus audientibúsq; gentibus, & ad Ecclesiam convocatis, inde ad vers. 15. quæ omnia evincunt tempus illud de regno Christi accipiendum esse.

2 Sic ait Jehova,[2] invenit gratiam in deser-
to populus [3] eorum qui supersunt a gladio, Jisra-
ël,me eunte ad collocandum eum.
3 [4] A longinquo *tempore* Jehova apparebat
mihi,*inquies*; [5] imò dilectione [a] perpetua diligo
te,idcircò extendo *erga* te [6] benignitatem.
4 [7] Adhuc ædificaturus sum te,ut ædificeris,
virgo Jisraëlis; adhuc ornabis te tympanis tuis,
& procedes cum choro ludentium.
5 Adhuc conseres vineas in montibus Schô-
ronis; plantabunt plantatores, & [b] solutis sacris
vescentur.
6 Nam dies est futurus,quo clamabunt [8] cu-
stodes in monte Ephrajimi; [9] surgite,& ascenda-
mus Tzijonem; ad Jehovam Deum nostrum.
7 Sic enim ait Jehova;cantate Jaħakobo læ-
titiam,& claram vocem edite [c] palàm ante ipsas
gentes: pronunciate, laudate, ac dicite, Serva
Jehova populum tuum, residuum Jisraëlis.
8 Ecce ego adducam [10] eos e terra Aquilo-
nis, & congregabo eos e lateribus terræ; inter
ipsos [11] cæcum, & claudum, gravidam, & puer-
peram pariter: congregatione magna rever-
tentur huc.
9 [12] Cum fletu venientes & cum deprecati-
onibus reducam eos; faciam ut eant [13] secun-
dùm torrentes aquarum via recta, in qua non
impingant: quia sum Jisraëli pater, & Ephrajim
primogenitus meus est.
10 [14] Audite verbum Jehovæ,ô gentes,& an-
nunciate in regionibus e longinquo *sitis*; ac dici-
te,qui sparserat Jisraëlem congregat eum,& ser-
vat eum ut pastor gregem suum:
11 Quia redimit Jehova Jaħakobum; & vin-
dicat eum e manu fortioris eo.
12 Tum [15] venientes cantabunt in excelso
Tzijonis; & confluent ad bonitatem Jehovæ;
[16] cum frumento, & cum musto, & cum oleo, &
cum fœtibus gregis & armenti: éritq; anima eo-
rum similis horto irriguo, neque pergent mœre-
re ampliùs.
13 Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes
ac senes pariter, quum mutavero luctum eorum
in gaudium, & consolatus fuero eos, ac lætifica-
vero eos a mœstitia ipsorum:
14 Et irrigabo animam Sacerdotum pingue-
dine; & populus meus bonitate mea saturabun-
tur, dictum Jehovæ.
15 [17] Sic ait Jehova, [18] vox in Rama audita
est, lamentum *&* fletus [d] multus amarissimus,
[19] Rachel deflet filios suos: renuit consolationem
admittere de filiis suis,quia nullus superest.
16 [20] Sic ait Jehova; cohibe vocem tuam a
fletu, & oculos tuos a lacrymis; quia [21] est mer-
ces operi tuo, dictum Jehovæ, quòd reversuri
sunt e terra inimici:
17 Est, inquam, exspectatio [e] tandem tibi,
dictum Jehovæ; fore ut revertantur filii [22] ad
terminum suum.
18 [f] [23] Omnino audio [24] Ephrajimum con-
dolentem sibi *dicendo*, [25] castigasti me,ut castiga-
rer,tamquam vitulus non assuetus: converte me
ut convertar,quia tu es Jehova Deus meus.
19 Nam postquam cõversus fuero,pœnitebit
me;& postquam ostensum fuerit mihi, [26] applau-
dam femori: erubesco,etiámq; suffundor rubore,
quòd feram opprobrium pueritiæ meæ.
20 [27] An filius charus mihi *est* Ephrajim? an
natus [g] summæ oblectationis? *est*, nam ex quo
[28] loquutus sum contra eum, [h] omnino recordor
ejus adhuc: idcircò [29] perstrepunt viscera mea
propter eum, [i] omnino miserebor ejus, dictum
Jehovæ.
21 [30] Statue tibi [31] hermas,dispone tibi [32] py-
ramidas, adhibe animum tuum ad istum [33] ag-
gerem *qua* via ivisti: revertere,virgo Jisraëlis,re-
vertere ad civitates tuas istas.
22 [34] Quousque pergeres subducere te, ô fi-
lia [35] aversa? [36] nam patrat Jehova *rem* novam
in terra,fœmina ambit virum.
23 [37] Sic ait Jehova exercituum Deus Jisraë-
lis,adhuc dicturi sunt verbum hoc in terra Jehu-
dæ & in civitatibus ejus, quum reduxero multi-
tudinem captivam earum: benedicat tibi Jeho-
va,ô [38] habitaculum justitiæ,mons sanctitatis.
24 Nam habitabunt in ipsa Judæa, & omni-
bus civitatibus ejus pariter; [39] agricolæ,& [k] pe-
cuarii:

[2] argumentum promissionis præcedentis,quo Deus ad liberandum Ecclesiam adducitur,a beneplacito æterno & anteacta beneficentia: de cujus fide & cõstantia dubitantem quodãmodo piorum animum Deus confirmat *διαλογισμῷ*,seq.versu. [3] i.Judæorum & Jisraëlitarũ;quia una voce dicuntur Jisraël sequente membro per epexegesin. [4] quasi dicant nutãtes pii, olim quidem exercuit,sed jam refrixisse & obsoleta videtur Dei beneficentia. [5] correctio dicti præcedentis,qua Deus infirmam piorum fidem statuminat. [a] Heb.*seculi*. [6] quæ sequentibus continetur, nimirum ut benedictionibus perfundatur pius coram tota Ecclesia & gentibus omnibus. [7] promissiones allegoricæ (ut antè diximus) de instauratione a Deo,& gratiarũ actione solenni ab Ecclesia, hoc versu; ac postremò de usu commoditatum omnium legitimo, versu seq. [b] Heb *prophanabũt:ut Deut*.20.6. [8] i.præcones Euangelii,Episcopi gregis & administri Christi,etsi hic fortè allusio est Prophetica ad Nazarenorum appellationem, quæ Ecclesiæ Christi olim fuit attributa, Actor. 24.5. ut hodie quoque a Judæis observatur: nam custodes Hebræis eadem voce designantur. [9] Summa præconii Euangelici, quo primùm Judæorũ populus vocatur ad Deum & Ecclesiam,hoc V.& in fide salutis suæ instituitur,tribus seq,deinde gentes ipsæ,V.10.& seq. [c] *Heb.in capite ipsarum gentium.* [10] videlicet qui morem gerentes mandato meo laudabunt & precabuntur me. [11] i.ne minimum quidem, aut infirmissimum perire sinam de manu mea. [12] id est,sollicitos de salute sua, ut dixerat V.7. [13] ut Psal.23.2. [14] altera pars præconii Euangelici, de vocatione gentium, ut diximus in vers.6. [15] electi videlicet ex Judæis & gentibus: quorum status allegoricè legalibus figuris exprimitur,& terrenis promissionibus. [16] id est,omnia grati animi testimonia perhibentes; ut olim fiebat eucharisticis. [17] exposita præstantia regni Christi,ne quis existimet omnia in hoc seculo corpore & animo fore absolutissima, duas occupationes gravium incommodorum,quæ fideles in regno Christi hic experiuntur, Propheta diluit, ut diximus in vers. 1. prior est, externas tamen perpessiones in regno Christi non esse hìc desituras,sed fore ut statim a Christo nato furorem suum Satanas exerceat, tribus versib. posterior est, etiam remansuram in piis suæ infirmitatis internæ conscientiam,quæ exponitur sequentibus. Prioris occupatio habetur hoc vers. solvitur duobus sequentibus. posterioris verò occupatio continetur vers.18. & 19. solutio, tribus seq. [18] id est, in agro Ramæ, & toto Bethlechemi tractu: ut exponitur Matth.2.17. [d] *Heb.amaritudinum.* [19] elegans prosopopœia, quasi dicatur sepulcrum aut Rachel ipsa in sepulcro suo luxisse, & deflevisse stragem illam miserabilem, quæ ab Herode fuit edita. Erat enim sepulcrum Rachelis Bethlechemum versus in confinio Jehudæ & Binjaminis,Gen.35.16.& 1.Schem.10.2.

[20] solutio præcedentis occupationis; utcumque furat Satanas & sanctorum vitam appetat, Ecclesiam tamẽ liberos novos indies habituram esse tum ex Jisraëlitis, tum ex coopratis gentibus; qui in terra inimici latent, id est, in regno Satanæ & in potestate tenebrarũ, donec revertantur ad Ecclesiam, vocati a Christo. [21] i. non erit irritum tuũ hoc studium erga liberos; sed ampliore beneficio a Deo compensabitur,quòd alii comparabuntur & se adjungent tibi. [e] *Hebr.ad extremum tuum.* [22] i.in Ecclesiam: servatur enim priscus terræ promissæ typus, qui adũbrabat Ecclesiam. [f] *Heb.audiendo audivi.* [23] secunda occupatio, ut diximus in vers. 15. qua Deus primũ Ecclesiam perculsam suæ infirmitatis præsentis & malorum conscientia, & se ipsi committentem & orantem pro fide ac salute sua inducit per ethopœiam, duobus versibus; neque propterea a se abjici testatur, sed potiùs se animo esse benevolo in eam, vers.20. verbo docere eam, vers.21. ac mirificè potentissimo suo opere amplificare,vers.22. [24] id est,Ecclesiam Christi ex Jisraëlitis collectam, synecdochicè. [25] hæc orationis formula tres partes continet: prima est confessio peccatorum & justitiæ Dei peccatores coërcentis & revocantis afflictionibus; secunda est petitio, ut Deus misericordia sua ex gratuito federe plenum usum fructúmque afflictionum præbeat Ecclesiæ, id est, veram fidem, resipiscentiam, & fructus dignos resipiscentia in suis ingeneret, hoc versu; tertia est professio tum offerendorum in posterum fructuum acceptis donis a Deo, tum præsentis zeli a præteritis peccatis & pœnis eorum abhorrentis, sequente vers. [26] ex animo dolens gravissimè: synecdoche a signo, ut Jechezk.21.17. [27] responsio ad præcedentem occupationem; quis putaret, inquit Dominus, Ecclesiam cum superioribus his malis conflictantem mihi charam esse? sed tamen omnino chara est,&c.ut suprà vers.18. exposuimus. [g] *Heb.oblectationum.* [28] id est,his malis afflixi eum immissis verbo meo,q.d.in acerbissimis malis semper capio de eo misericordiam,ut Chabbak.3.2. [h] *recordando recordor.* [29] humanitus dictum,a comparatione terrestrium progenitorum. [i] *Heb.miserendo miserebor.* [30] allegorica docendi ratio, qua Deus Ecclesiam veluti a se peregrinantem, monet ut indicia & documenta ipsius animo observans ipsum sequatur liberationem præstiturum, tamquã cippis,dædalis, & aliis viarum monimentis positis. [31] i.statuas & signa iter commonstrantia. [32] i. obelos & columnas mucronatas sive fastigiatas,ut summi arborũ rami, unde nomẽ habent. [33] videl.quo itum est ex Judæa in Assyriam: sed allegoricè accipiendus est pro via totius Ecclesiæ,ut Jesch.19.23. [34] q.d.procede in medium,neq; pudore aut metu a sequenda vocatione mea deterretor: nã si pudet te tui ipsius, sum honori tibi: si metuis, sum virtus tua: ego recipio in me,& præbebo virtutem tibi plus quàm virilem ad salutẽ tuam. [35] i.quæ a me abieras in perditionem tuam. [36] q.d.vide ut confestim arripias occasionem oblatam: nam si Ecclesia Dei(quæ cum fœmina comparatur)te & Judæis propriis suis liberis caruerit propter aversionem vestram,non potest illa profectò orba permanere; sed tamquam vidua &(quẽadmodum appellatur Jescha.54.1.)sterilis virum ambiet, & filios aliunde sibi comparabit filiásq;. [37] expositio benedictionum Dei,ut diximus suprà in V.1. Continentur autẽ in his benedictionibus primùm beneficia liberationis,habitationis, vitæ, cõmodorúmq; omnium quæ promittit Deus, trib.V.deinde causa benedictionum,amor Dei efficacissimus,trib.alteris; tertiò instrumenta:nimirum justissima Dei administratio,V.29.& 30. & federis novi cõmunicatio verbo & spiritu suo,V.31.& quatuor seq. [38] i.Ecclesia,allegoricè. [39] id est,optimi quique populares, simplicissimi,& utilissimi,ut probat Arist.lib.6. Politic.cap.4. [k] Heb.*&* qui *proficiscuntur cum grege*.

25 Quum ſatiavero animam defeſſam, & omnem animam mœſtam explevero:

26 [40] In hoc invigilo, & inſpicio; etiam ſomnus meus ſuavis eſt mihi.

27 Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ; quibus [41] conſeram domum Jiſraëlis & domum Jehudæ ſemine hominum & ſemine jumentorum:

28 Et erit quemadmodum [42] ſedulus fui contra eos exſtirpando, & demoliendo, & deſtruendo, perdendóque, ac malis afficiendo; ita ſedulus ero erga eos ædificando & plantando, dictum Jehovæ.

29 [43] Temporibus illis [44] non dicentampliùs; [45] ‖ patres comederunt omphacen, & dentes filiorum obſtupeſcunt:

30 Sed quiſque propter iniquitatem ſuam morietur: omnis hominis qui comederit omphacen, obſtupeſcent dentes ipſius.

31 ‖ Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ; quibus pangam cum domo Jiſraëlis & cum domo Jehudæ fedus novum:

32 [46] Non ſecundùm illud [47] fedus quod pepigeram cum majoribus eorum, quo die prehendi manum eorum, ut educerem eos e terra Ægypti: nam ipſi irritum fecerunt fedus meum, [48] & ego conjugio junctus manſiſſem eis? dictum Jehovæ.

33 Nam hoc illud *eſt* fedus quod pangã cum domo Jiſraëlis poſt dies hos, dictum Jehovæ, indam legem meam [l] menti eorum, & [49] cordi eorum inſcribam eam; & ero eis Deus & ipſi erunt mihi populus.

34 [50] Non autem *ſolum* docebunt ampliùs quiſque amicum ſuum & quiſque fratrem ſuum, dicendo; cognoſcite Jehovam: nam quotquot erunt, cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum eorum, dictum Jehovæ, ‖ me cõdonare iniquitatem ipſorum, & peccati ipſorum non recordari ampliùs.

35 [51] Sic ait Jehova, ‖ qui diſponit ſolem ad lucem interdiu, ſtatuta lunæ & ſtellarum ad lucem noctu; ‖ qui diſrumpit mare & fremunt fluctus ejus; cui nomen *eſt* Jehova exercituum:

36 Si amovebuntur ſtatuta iſta a conſpectu meo, dictum Jehovæ; etiam ſemen Jiſraëlis ceſſabunt eſſe gens in conſpectu meo omnibus diebus.

37 Sic ait Jehova, ſi poterunt menſurari cæli supernè, aut perveſtigari fundamenta terræ infernè; etiam ego ſpernam totum ſemen Jiſraëlis propter omnia quæ fecerunt, dictum Jehovæ.

38 [52] Ecce dies *venturi ſunt*, dictum Jehovæ; quum ædificabitur Jehovæ civitas hæc [53] a turri Chananeelis uſque ad portam anguli:

39 Et procedet adhuc linea menſoria e regi-

[40] id eſt, oculis fero (quod aiũt) Eccleſiam; ut Jeſchah.49.15. & 16. vigili & dormienti mihi ſemper obverſatur recordatio & ſtudium illius: humanitus dictum. Eſt autem hic ſecundus promiſſionum locus, ut diximus in verſ.23.
[41] id eſt, Eccleſiam, quæ priùs inculta videbatur deſertáque, multiplicabo veluti ſementem: metaphora.
[42] ut figuraverat Deus ſup.24.
[43] tertius promiſſionum locus, de forma & ratione qua Eccleſiam adminiſtraturus eſt Deus, ut diximus ſuprà 23.
[44] id eſt, opere demonſtrabo juſtitiam meam, & a blaſphemis iſtorum cõtumeliis vindicabo: ſic Jechezk.18.2.
[45] proverbiale dictum, pro eo quod eſt, majorum delicta luunt immerentes filii: ſic Judæi Deum injuſtitiæ criminabantur, ut ſibi juſtitiæ gloriam aſſererent.
‖ *Jechezk*.18.
‖ *Hebr*. 8.8.
[46] ſed præſtantioribus promiſſis ſancitum in Chriſto, ut ſequentes verſus tres exponunt: quod pluribus oſtẽditur 2. Cor. 3. & Hebr.7. & tribus ſeq.
[47] ſcriptum in tabulis lapideis, ut docet promiſſionum ſequentium antitheſis.
[48] indignantis Dei verba, quæ ad evidentiam negatione categorica exprimit Apoſtolus Heb.8.9.

[l] *Heb. medio eorum.* [49] i. non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, ſed in carneis tabulis cordis exaratum: prout repetitur duobus proximè ſequentibus capitibus, Jechezk.36. & 2. Cor.3.3. [50] vide Jeſchah.11.9. id eſt, in priore federe docuerunt Moſche & Prophetæ litera tantummodò; in poſteriore verò erunt omnes docti a Deo, venient ad Chriſtum quos Pater traxerit, & unctionem habentes a ſancto illius ſpiritu cognoſcent omnia, Joan.6.44. 1.Corinth.1.7. & 2.20. & ſequent. & 1. Joan.2.20. Eſt autem in his verbis eclipſis apud Hebræos frequens, ut obſervavimus Gen.32.28. & 1.Schem.8.7. ‖ *Rom*.11.27. [51] confirmatio, ut diximus in verſum 1. a comparatione rerum creatarum, quas potiùs perituras confirmat Deus quàm ut jota unum promiſſionum ſuarum excidat. ‖ *Gen*.1.14. ‖ *Jeſchah*.51.15. [52] concluſio a repetitione promiſſorum typica. [53] id eſt, tota ab extremitate una ad alteram. Perſequitur autem his & ſequentibus verbis juſtum ambitum Jeruſchalaimorum, incipiens a Meridiano latere, quà templum & Regia conjungebantur alteris Jeruſchalaimis ad portam Chananeelis, & inde procedens ad Orientem, ubi porta anguli communis erat terminus ab Oriente & Septemtrione: vide Nechemjæ 3.1. & 2.Regum 14.13.

one illius, verſus [54] collem ſcabioſi; ac [55] deflectet Goham verſus:

40 Et tota [56] convallis cadaverum ac cineris, cum omnibus agris illis, uſque ad torrentem Kidronis, ad angulum uſque [57] portæ equorum Orientem verſus, *erit* [m] ſancta Jehovæ: non exſtirpabitur, neque deſtruetur ampliùs [n] umquam.

[54] id eſt, collem in quo impuri aut immũdi quacunque ſcabie, extra opidum relegati ex lege, habebant ſuas habitationes: quapropter etiã in eam partem deducebantur rei plectendi morte, in loco qui dictus eſt Gulgolta, ſive calvariæ locus: ut eſt in Euangelio. Terminat autem hic collis Jeruſchalaima ab Aquilone occaſum verſus. [55] videlicet ab Aquilone Meridiem verſus, ubi terminus Occidentalis Jeruſchalaimorum eſt, habens a Septemtrione collem ſcabioſi & a Meridie Goham. Eſt autem Goha arduus collis in parte exteriore civitatis Davidis, terminum ab Occaſu & Meridie finiens: fortaſſe ita dictus quòd aſcenſum haberet laborioſiſſimum. [56] i. vallis Raphaçorum & filiorum Hinnomi, ubi ſacrificabantur liberi, & abibant in cineres: ut meminimus ſupr.7.30. & alibi ſæpè. A Goha autẽ incipit reflecti terminus ab Occidente in Meridiẽ. [57] de qua vide Nechem. 3.28. Ante hanc autem erat angulus civitatis Davidis, qui introrſum reflectebatur a Meridie Aquilonem verſus. [m] *Heb. ſanctitas.* [n] *Heb. in ſeculum.*

CAPUT XXXII.

Propheta agrum comparat promiſſione reſtitutionis a Deo accepta, & cum Deo expoſtulat quòd non videretur præſens obſidio & propinqua captivitas promiſſioni reſpondere: quamobrem Deus judicium mox futurum, & promiſſiones affirmat conſequuturas.

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam a Jehova, anno decimo Tzidkijæ Regis Jehudæ: [2] is annus *eſt* annus decimus octavus Nebucadretzaris.

2 Tunc autem copiæ Regis Babyloniæ obſidebant Jeruſchalaima; & Jirmeja Propheta erat incluſus atrio cuſtodiæ quæ *erat* in domo Regis Jehudæ.

3 Nam incluſerat illum Tzidkija Rex Jehudæ, dicendo: cur prophetas dicendo? ſic ait Jehova, [3] ecce ego traditurus ſum civitatem hanc in manum Regis Babyloniæ ut capiat eam,

4 Etiam Tzidkija Rex Jehudæ non eripiet ſe e manu Chaldæorum: ſed [a] omnino tradetur in manum Regis Babyloniæ; & alloquetur os illius [b] eum in os, & oculi hujus oculos illius videbunt:

5 Denique *in* Babyloniam abducet Tzidkijam, ubi futurus eſt donec viſitem ipſum, dictum Jehovæ: quòd pugnatis contra Chaldæos, non proſperabimini.

6 Dixit ergo Jirmeja; fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,

7 [4] Ecce Chanameel filius Schallumi patrui tui venit ad te, dicturus, compara tibi agrum meum qui *eſt* ad Hanathotas; nam [5] tuum *eſt* jus redemturæ ut compares.

8 Quum ergo veniens ad me Chanameel filius patrui mei ſecundùm verbum Jehovæ, ad atrium cuſtodiæ; indixiſſet mihi, compara quæſo agrum meum qui *eſt* ad Hanathotas, qui *eſt* in terra Binjaminis, nam tuum *eſt* jus hæreditatis, & tuum redemturæ, compara tibi: & agnoviſſem verbum Jehovæ id eſſe:

9 Comparavi a Chanameele filio patrui mei agrum illum, qui *eſt* ad Hanathotas, & appendi ei pecuniam, [c] ſeptemdecim ſiclos argenti:

10 Et ſcribẽs in literis obſignavi, & [d] adhibui teſtes; quum appendiſſem pecuniam trutina.

11 Deinde ſumens literas emtionis; *tum* obſignatas [6] præcepti & ſtatutorum, tum [e] [7] publicas;

[1] Hujus capitis partes ſunt quatuor: prima eſt inſcriptio, narrationem continens temporis & occaſionis hujus prophetiæ, quinque verſib. ſecunda eſt propoſitio ſumma narrationis typicæ & promiſſionis Dei, uſque ad verſum 16. tertia eſt expoſtulatio Prophetæ cum Deo, uſque ad verſ.26. poſtrema confirmatio, inde ad finem uſque.
[2] vide ſuprà 25.1.
[3] vide complementum 2. Reg. & 2. Chron. ultimis capitibus, & infrà 39. & 52.
[a] *Hebr. tradendo tradetur.*
[b] *Heb. cum ore hujus.*
[4] ſecunda hæc pars, propoſitio, continet narrationem typi divinitus imperati, uſque ad verſ. 15. deinde uſum illius, verſ.15.
[5] ex lege Levit. 25.32. & ſeq. Eſt autem in hoc v. apoſiopeſis, qua reticet Propheta mandatũ Dei, ne idem bis repetendum eſſet.
[c] *Heb. ſeptem ſiclos & decem argenti.*

[d] *Heb. conteſtatus ſum: ut Jeſchah.8.2 ſic deinceps.* [6] id eſt, quibus literis obſignatis continebatur tum diſerta narratio mandati quod Propheta a Deo acceperat, tum accurata deſcriptio ſingularum cautionum ad jura privati iſtius contractus pertinentium. [e] *Heb. patentes.* [7] i. fide publica confirmatas a magiſtratu, ad ratihabitionem privati contractus.

12 Tradidi

12 Tradidi literas emptionis Baruco filio Nerijæ filij Machsejæ; ante oculos Chanameelis [f] patruelis mei, & ante oculos testium qui subscripserant literis emtionis: ante oculos omnium Jehudæorum qui residebant in atrio custodiæ.

13 Et præcepi Baruco ante oculos eorum, dicendo,

14 Sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis, sume literas has, literas emtionis has, tum obsignatas, tũ literas publicas hasce; quas reponas in vase testaceo; ut permaneant dies multos.

15 [8] Nam sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis; adhuc comparabuntur domus, & agri, vineæq; in terra hac.

16 [9] Itaque oravi Jehovam; postquàm dedissem literas emtionis Baruco filio Nerijæ, dicendo,

17 [10] Eheu Domine Jehovi; ecce [f] tu fecisti cælos, & terram virtute tua maxima, & brachio tuo extento: [11] non potest occultari [g] tibi ulla res:

18 Exerces benignitatem in millesimos, & rependis iniquitatem patrum [12] in sinum filiorum ipsorum post ipsos: *Deus* ille fortis, maximus, potentissimus, cujus nomen *est* Jehova exercituum,

19 Magnus consilio, & amplus actione: cùm oculi tui aperti spectẽt in omnes vias hominum; ut des cuique secundùm vias ipsius & secundùm fructum actionum ipsius;

20 Qui disponens signa & ostenta in terra Ægypti, usque in diem hunc, tum in Jisraële, tum in *reliquis* hominibus; [h] comparasti tibi nomen, quale *est* hodierno die.

21 Nam eduxisti populum tuum Jisraëlem e terra Ægypti; signis, & ostentis, ac manu forti, brachióq; extento, & terrore magno;

22 Et dedisti eis terram hanc quam juraveras majoribus eorum te daturum eis; terram affluentem lacte & melle.

23 Sed quia ingressi & hæreditario jure possidentes eam non auscultarunt voci tuæ, & in lege tua non ambulaverunt, quæcunque præceperas eis facere non fecerunt; fecisti ut eveniret eis tota afflictio hæc.

24 Ecce aggestæ moles venerunt *in* civitatem hanc ad capiendum eam; & civitas traditur in manum Chaldæorum qui oppugnant eam, propter gladium, & famem, ac pestem: denique quod proloquutus es fit, ut ecce tu vides.

25 Intereà tu edicis mihi, Domine Jehovi, cõpara tibi agrum istũ pecunia, & adhibe testes: quũ civitas ipsa traditur in manũ Chaldæorum.

26 [13] Fuit verò verbum Jehovæ ad Jirmejam, dicendo,

27 [i] Ecce ego *sum* Jehova Deus omnis carnis: an mihi occultari posset ulla res?

28 Idcircò sic ait Jehova; [14] ecce ego trado civitatem hanc in manum Chaldæorum, & in manum Nebucad-retzaris Regis Babyloniæ, ut capiat eam,

29 Et ingressi Chaldæi qui oppugnant civitatem hanc succendant civitatem hanc igne, & comburant eam: adeóque domos ipsas, [15] super quarum tectis adoleverunt Baħali, & libaverunt libamina diis alienis, ut provocarent me:

30 Quia fuerunt filii Jisraëlis & filii Jehudæ tantummodò facientes quod malum *videtur* in oculis meis inde a pueritia suæ: quia filii Jisraëlis tantummodò provocant me opere manuum suarum, dictum Jehovæ:

31 Quia in iram meam & in excandescentiam meam [i] incumbit civitas hæc, ex quo die ædificaverunt eam usque in diem hunc; ut amoveam ipsam a facie mea:

32 Propter omnem malitiam filiorum Jisraëlis & filiorum Jehudæ, quam exercuerunt ad provocandum me, ipsi, Reges eorum, Principes eorum, Sacerdotes eorum, & Prophetæ eorum; cùm viri Jehudæ, tum habitatores Jeruschalaimorum:

33 Qua [16] obverterunt mihi cervicem, non autem faciem; & docenti eos [k] inde a diluculo indesinenter, minimè auscultant ad percipiendum eruditionem;

34 Sed posuerunt abominationes suas [17] in domo [l] quæ vocatur de nomine meo, ad polluendum eam.

35 Et ædificaverunt excelsa Baħali, quæ *sunt* in valle filii Hinnomi, ad traducendum filios suos & filias suas [18] Molecho; etsi non præceperam eis, neque [m] venerat in animum meum ut facerent abominationem hanc; ut ad peccandum inducerent Jehudam.

36 [19] Nunc, inquam, idcircò sic ait Jehova Deus Jisraëlis; de civitate hac quam vos dicitis tradi in manum Regis Babyloniæ, gladio, & fame, ac peste:

37 Ecce ego congregaturus sum illos ex omnibus regionibus, quò depulero ipsos ira mea, & excandescentia mea, ac fervore magno: & reducens eos in locum hunc facturus sum ut habitent securè.

38 [n] Denique erunt mihi populus, & ego ero ipsis Deus.

39 [n] Indam enim illis cor unum & viam unã ad reverendum me omnibus diebus; ad bonum ipsorum & filiorum ipsorum post ipsos.

40 Et pangam ipsis fedus [n] perpetuum, fore ut non avertam me a prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis: & reverentiam mei indam [o] animo ipsorum, ut non recedant a me.

41 Ita gaudebo de ipsis, benefaciendo ipsis; quum plantavero ipsos in terra hac [p] firmè, ex toto corde meo & ex tota anima mea.

42 Nam sic ait Jehova, quemadmodum adduxero in populum hunc totum malum maximũ istud; ita ego adducturus sum super eos totum hoc bonum quod ego [q] promitto ipsis.

43 [20] Tum comparabitur ager in terra hac; quam vos dicitis desolatam esse adeò ut nullus *insit* homo aut jumentum, traditam esse in manũ Chaldæorum:

44 Agros pecunia comparabunt, & inscribendo literis, & obsignando, atque adhibendo testes; [21] in terra Binjaminis, & in circumjacentibus locis Jeruschalaima, ac in civitatibus Jehudæ, tum in civitatibus [r] montanis, tum in civitatibus humilis regionis, tum in civitatibus plagæ Australis; quum reduxero captivam multitudinem illorum, dictum Jehovæ.

[f] *Heb. patrui.*

8 q.d. post tempus a Deo constitutum mihi futuræ sunt usui: est autem hic anagoge typi.

9 transitio ad tertiam partem, expostulationẽ, ut diximus in vers. 1.

10 expostulatio hæc duo continet; narrationẽ bonitatis & beneficentiæ Dei erga suos, usque ad vers. 23. & expositionem præsentis ac futuri judicii contra Judæos, quod conqueritur Propheta non satis cum typo imperato, convenire, vers. 23. & duobus sequentib.

[f] *Genes.* 18.14.

11 q.d. fateor quidem (prout omnium scientiam obtines) te videre istud; sed ego planè non video quo pacto hæc se habitura sint.

[g] *Heb. a te: sic infrà vers.* 27.

12 vide in Psal. 79.12.

[h] *Heb. fecisti: ut Gen.* 12.2.

13 transitio ad quartã partem, nimirum confirmationem præcedentis typi atque prophetiæ; qua Deus primùm jus & scientiam totius administrationis sibi arrogat, seq. versu; deinde judicium suum justissimum in Judæam asserit, usque ad V. 36. ac postremò promissiones confirmat a se nihilominus effectum iri.

[i] *Genes.* 18. *Num.* 16.22.

14 secunda hęc confirmationis pars est hyperbaties: nam cœpit Deus dicere, idcircò, id est, ut cognoscas me effecturum esse promissiones meas: quamobrem in regressione eadem particula, idcircò, repetitur finito hyperbato, infrà vers. 36.

15 vide 2. Reg. 23.12. & suprà 19.13.

[i] *Heb. incumbit mihi: pleonasmus.*

16 ut suprà 2.27.

[k] *Heb. manè surgendo & docendo.*

17 ut suprà 23. 11. vide 2. Reg. 23.4.

[l] *Heb. super quã vocatur nomen meum.*

18 vide Levit. 18.21.

[m] *Heb. ascenderat in cor.*

19 regressio ad promissionem cœptam suprà vers. 28. cujus promissionis duę sunt partes; una Euangelica, pertinens ad catholicam Ecclesiam Christi, usque ad vers. 43. altera, singularis de reversione Judæorum, duobus ultimis.

[n] *Suprà* 24.7.

[n] *Suprà* 31.33.

[n] *Heb. seculi.*

[o] *Heb. cordi.*

[p] *Heb. in firmitate.*

[q] *Heb. loquor erga ipsos: ut Gen.* 18.19.

20 i. quum incipiam præstare has promissiones meas.

21 i. in toto regno Jehudæ, cujus fuerunt partes Binjamin & Jehuda. De hac autem distributione Jehudæ vide Jehos. 15.

[r] *Heb. montis.*

CAPUT XXXIII.

Deus Ecclesiam ad erigendos animos hortatus, promissiones facit de ipsa liberanda, instauranda, ornandáque pace & stabilitate æterna ad gloriam suam in Christo: & promissis suis confirmatis aliorum sententias, judiciáq; confutat naturæ documentis.

1 [1] Fuit autem verbum Jehovæ ad Jirmejam, secundò; quum ipse adhuc detineretur in

1 Hæc prophetia etsi eodẽ argumento cum superiore est, diversa tamen est tempore, ut inscriptio docet vers. 1. Sunt autem partes illius quatuor: prima est exordium V. 2. & 3. secunda propositio prophetię, inde ad V. 19. tertia, confirmatio, ad V. 23. usque; postrema, confutatio, reliquis.

atrio custodiæ, dicendo,
2 [2] Sic ait Jehova facturus [3] istud, Jehova
[4] formans istud ad stabiliendum ipsum; Jehova
nomine:
3 [5] Invoca me, & respondebo tibi; ac indica-
bo tibi magna & abstrusa, [6] quæ non agnoscis.
4 [7] Nam sic ait Jehova Deus Jisraëlis, de fa-
miliis civitatis hujus & de familiis Regum Jehu-
dæ, demoliendis, *exponendis* in [a] missilia catapul-
taria & in gladium,
5 [8] Venientibus ad pugnandũ contra Chal-
dæos, [9] imò ad explendum ipsas cadaveribus ho-
minum quos percussero ira mea & excandescen-
tia mea; & [10] propter quorum omnem malitiam
abscondi faciem meam a civitate hac:
6 [11] Ecce ego [b] faciens ut assurgat ad justam
constitutionem & sanitatem, curabo eos; & re-
velabo eis abundantiam pacis, [c] & quidem sta-
bilissimæ.
7 [12] Nam reducam captivam multitudinem
Jehudæ, captivámq; multitudinem Jisraëlis; &
ædificabo eos ut anteà:
8 Et mundabo eos ab omni iniquitate ipso-
rum qua peccaverint mihi; & condonabo omnes
iniquitates ipsorum quibus peccaverint mihi, &
quibus deficientes in me rebellaverint:
9 Quod erit mihi [d] celebri gaudio, laudi, &
ornamento apud omnes gentes terræ; quæ au-
dient totum hoc bonum quod ego facturus sum
illis; & expavescentes commovebuntur ad to-
tum illud bonum & ad totam illam pacem qua
ego affecturus sum illam.
10 [13] Sic ait Jehova, adhuc audietur in loco
hoc, quem vos dicitis vastari adeò ut nullus *insit*
homo, nullúmq; jumentum; in civitatibus Jehu-
dæ, & in plateis Jeruschalaimorum desolatis a-
deò ut nullus *insit* homo, nullúsque habitator, &
nullum jumentum;
11 ‖ *Audietur, inquam,* vox gaudii, & vox læti-
tiæ, vox sponsi, & vox sponsæ; vox dicentium, ce-
lebrate Jehovam exercituum, quia bonus *est* Je-
hova, quia in seculum *est* benignitas ejus, offe-
rentium gratiarum actionem *in* domo Jehovæ:
quum reduxero captivam multitudinem hujus
terræ ut anteà, ait Jehova.
12 Sic ait Jehova exercituum; adhuc erit in
loco hoc vastato adeò ut nullus *insit* homo [e] aut
jumentum, & in omnibus civitatibus ejus, caula
pastorum facientium ut accubent greges.
13 In civitatibus [f] montanis, in civitatibus
humilis loci, & in civitatibus Australis plagæ, &
in terra Binjaminis, ac in locis circumjacentibus
Jeruschalaima, denique in civitatibus [14] Jehu-
dæ; adhuc transibunt greges [g] opera [15] nume-
rantis, ait Jehova.
14 [16] Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ;
quum præstabo verbum istud optimũ quod pro-
loquutus sum erga domum Jisraëlis, & erga do-
mum Jehudæ.
15 ‖ Diebus illis & tempore illo faciam ut ef-
florescat Davidi germen justum; qui exercebit
jus & justitiam in terra.
16 Diebus illis servabitur Jehuda, & Jeruscha-

[2] hujus exordii (quo Deus propositionis sequentis fundamenta proponit) duo sunt loci: unus, a persona Dei promissiones præstituri ex natura & fœdere suo, hoc versu; alter a persona Judæorum, quũ fuerint comparati ad percipiendam sanctè liberationem suam, versu seq.
[3] quod deinceps promissurus est.
[4] ut Jeschah. 46.11.
[5] secundus locus exordii per hortationem expressus.
[6] i. præ infirmitate non potes cernere, attendens ad præsentia mala, & illis velut caligine quadam excæcatus: ut ipse Jirmeja confessus fuerat suprà 32.17.
[7] hujus propositionis primùm subjectum (ut ita dicamus) exponitur, duob. versibus; deinde promissio per prolepsin, V. 6. quę posteà exornatur seq.
[a] Heb. catapultatas 2. Reg. 19.32.
[8] videlicet consilio suo.
[9] correctio, qua Deus cõsilio Judæorum opponit suum.
[10] ἀμετάλλακτον Hebraici sermonis ad evidentiã transtulimus.
[11] prolepsis sive propositio summa promissionum sequentium, quæ allegoricè hoc vers. posita seq. explicatur. Sunt autem earũ partes duæ; restitutionis, quæ exponitur tribus versib. & fructuũ ex restitutione eventurorum, usque ad V. 19. qui fructus hic significantur pacis & stabilitatis nomine.
[b] Heb. faciens ei ascendere curationem ut 2. Chron. 24.13.
[c] Heb. & veritatis vel fidei.
[12] restitutionis promissæ partes ponuntur liberatio a peccatis & salus, duobus versib. & finis sive usus illius, gloria Dei, vers. 9.
[d] Heb. nomini gaudii: hypallage, pro gaudio nominatissimo.
[13] prior liberationis fructus, ut diximus in V. 6. hic primùm exornatur, quatuor V. & auctor effectórq; illius Christus promittitur, V. 14 & 15. deinde posterior fructus, nimirum stabilitatis æternæ exponitur, versib. seq. ‖ sup. 7.34. Psal. 136.
[e] Heb. usque ad jumentum.
[f] Heb. montis.
[14] i. totius regni.
[g] Heb. per manus.
[15] pro ratione illa quam exposuimus Levit. 27.32.
[16] promissio de Christo effectore bonorum præcedentium, in quo omnes promissiones Dei sunt etiam & amen ad Dei gloriam, 2. Cor. 1.20.
‖ Supr. 23.5.

laimorum *civitas* habitabit securè: is autẽ [17] qui
vocabit eam, *erit* Jehova justitia nostra.
17 [18] Nam sic ait Jehova; non exscindetur
Davidi vir sedens in solio domus Jisraëlis:
18 Etiam sacerdotibus Leviticis non exscin-
detur vir a conspectu meo; [19] offerens holocau-
stum, & adolens munus, ac faciens sacrificium
omnibus diebus.
19 [20] Deinde fuit verbum Jehovæ ad Jir-
mejam, dicendo,
20 ‖ Sic ait Jehova, si irritum facere potestis
fœdus meum *de* die & fœdus meum *de* nocte; ídq;
ut non sit diurnum tempus & nocturnum tem-
pore suo:
21 Etiam fœdus meũ cum Davide servo meo
irritum fiet, ne sit ei filius regnans in solio ejus;
& cum Levitis sacerdotibus ministris meis.
22 Ut non potest numerari exercitus cælo-
rum, nec potest mensurari arena maris; ita au-
gebo [21] semen Davidis servi mei, & Levitarum
ministrantium mihi.
23 [22] Rursus fuit verbum Jehovæ ad Jirme-
jam, dicendo,
24 An non animadvertis quid [23] populus iste
loquantur? dicendo, duas istas familias quas ele-
gerat Jehova jam spernit ipsas: & populum me-
um [24] contemnunt *illi*, adeò ut non *videatur esse*
ampliùs gens in conspectu illorum.
25 Sic ait Jehova, [25] si non fœdus meum in-
terdiu & noctu; *si* statuta cæli & terræ non dis-
ponam:
26 Etiam semen Jaħakobi & Davidis servi
mei spernam, ne sumam de semine ejus qui do-
minentur in semẽ Abrahami, Jitzchaki, & Jaħa-
kobi; quum reduxero multitudinem captivam
eorum, misertus ipsorum.

[17] nimirum ad promissam hanc salutem prædicatione Euangelii, & perficiet potentia sua.
[18] altera pars promissionis de stabilitate regni, hoc vers. & sacerdotii, seq. V. quæ duo in uno Christo concurrere demonstravimus suprà 30. 21.
[19] id est, fungens sacerdotio, & perficiens ministerium totum a Levitarũ gente figuratum.
[20] confirmatio præcedentis stabilitatis a documentis naturalibus, usque ad V. 23. tum in persona Christi, vers. 20. & 21. tum in omnibus Ecclesiæ membris, versu 22.
‖ Sup. 31.35.
[21] i. pios insitos in Christum Davidis filium, qui fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo, 1. Petr. 2.5. & Apoc. 1.6. & 5.10.
[22] confutatio ludificationum quibus utuntur hostes Ecclesię, & infirmi percelluntur, eodem argumento quo confirmatio, præsentibus malis.
[23] infirmus videlicet, & abjiciens spem promissionum ex
[24] hostes Ecclesiæ.
[25] id est, potiùs aliquis fœdus meum de naturæ conservatione initum præstari a me impediverit, quàm ut sempiternam Ecclesiæ administrationem ex promisso mihi extorqueat.

CAPUT XXXIIII.

Propheta exitium Regis Tzidkijæ prænuncias; deinde quum Judæi contra legem & fœdus suum venissent, quos ser vos manumiserant, reprehendit illos impii & inhumani facti, & compensationem maleficii a Deo Regi populóq; eventuram docet.

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam a Jehova
(quum Nebucad retzar Rex Babyloniæ,
& omnes copiæ ejus, omniáque regna terræ [2] in
dominio ejus, omnes denique populi oppugna-
rent Jeruschalaima & omnes civitates eorum)
dicendo,
2 ‖ Sic ait Jehova Deus Jisraëlis, abi, & allo-
quere Tzidkijam Regem Jehudæ: ut indicas ei,
sic ait Jehova, ecce ego traditurus sum civitatem
hanc in manum Regis Babyloniæ, ut comburat
eam igne:
3 ‖ Tu autem non eripies te e manu ejus, sed
[b] omnino prehenderis, & in manum ejus trade-
ris: ita oculi tui oculos Regis Babyloniæ vide-
bunt, & os ejus [c] in os te alloquetur, ac *in* Baby-
loniam pervenies.
4 Verumtamen audi verbũ Jehovæ, Tzid-
kija Rex Jehudæ: sic ait Jehova de te, non es
moriturus gladio:
5 [2] Cum pace moriturus es, & [3] ustionibus
majorum tuorum, Regum præcedentium qui
fuerunt ante te, similiter *ustiones odorum* com-
burent

[1] Hoc caput duas prophetias continet: unam de Rege, usq; ad V. 8. alteram de regno toto, ceteris. In priore prophetia præter inscriptionẽ V. 1. narrantur mandatum de pronunciando eventu Tzidkijæ, versibus quatuor, & obsequium Prophetæ, V. 6. & 7.
[a] Heb. dominii manus ejus.
‖ 2. Reg. 25.
[b] Heb. prehendendo prehenderis.
[c] Heb. os tuum alloquetur.
‖ Suprà 32.4.
[2] i. naturali, nõ violenta morte.
[3] vide 2. Chron. 16.14.

burent *populares* tibi, & *dicentes* eheu Domine,
plangent te: nam verbum *hoc* ego loquutus sum,
dictum Jehovæ.
6 Itaque eloquutus est Jirmeja Propheta
apud Tzidkijam Regem Jehudæ; omnia verba
ista Jeruschalaimis,
7 Copiis Regis Babyloniæ oppugnantibus
Jeruschalaima, & omnes civitates Jehudæ reli-
quas, Lacischum & Hazekam, nam hæ reliquæ
erant e civitatibus Jehudæ, civitates [d] munitæ.
8 [4] Verbum quod fuit ad Jirmejam a Jeho-
va; postquàm pepigisset Rex Tzidkija fedus cum
toto populo qui *erat* Jeruschalaimis, de promul-
ganda ipsis libertate;
9 [l] Ut dimitteret quisque servum suum &
quisque ancillam suam, Hebræum Hebreámque,
liberos; ut non [e] exigeret servitutem ab ipsis, a
Jehudæo fratre suo, quisquam.
10 Et auscultantes omnes Principes, totúsq;
populus qui convenerant in fedus, ut dimitteret
quisque servum suum, & quisque ancillam suam
liberos, ut non exigeret servitutem ab ipsis am-
pliùs, auscultantes, inquam, dimisissent:
11 [f] Iterum verò posteà recepissent servos
illos & ancillas, quos dimiserant liberos; & subi-
gerent eos in servos & in ancillas.
12 Fuit ergo verbum [5] Jehovæ ad Jirmejam
[6] a Jehova, dicendo,
13 [7] Sic ait Jehova Deus Jisraëlis; ego pe-
pigeram fedus cum majoribus vestris qua die
eduxi eos e terra Ægypti, e domo servorum, di-
cendo,
14 [l] A fine septem annorũ dimittitote quis-
que fratrem suum Hebræum qui se vendiderit
tibi, postquam servierit tibi sex annis, dimittes
eum liberum abs te: sed non auscultarunt majo-
res vestri mihi, neque inclinarunt aurem suam.
15 Reversi quidem vos hodie fecistis quod
rectum videtur in oculis meis, promulgando li-
bertatem quisque amico suo; quum pepigistis
fedus coram me in domo [g] quæ vocatur de no-
mine meo:
16 Sed [h] rursus prophanastis nomen meum
recipientes quisque servum suum, & quisque an-
cillam suam, quos dimiseratis liberos ad [i] desi-
derium suum; quos subigitis ut sint vobis servi &
ancillæ.
17 Idcircò sic ait Jehova; vos non ausculta-
stis mihi, promulgando libertatem quisque fratri
suo & quisque amico suo: ecce ego promulgo
contra vos libertatem, dictum Jehovæ, gladio,
pesti, & fami, & tradam vos commotioni apud
omnia regna terræ.
18 Tradam enim homines istos qui trans-
gressi sunt fedus meum, qui non præstiterunt
verba federis quod pepigerant coram me; [8] quũ
transiverunt inter dimidiatas partes ejus vituli
quem dissecuerant in duo:
19 *Nempe* Principes Jehudæ, & Principes Je-
ruschalaimorum, aulicos, & Sacerdotes, totúm-
que populum hujus terræ, qui transiverunt inter
dimidiatas partes vituli illius:
20 Tradam, inquam, eos in manum inimico-
rum ipsorum; & in manum quærentium animam
ipsorum, & erit cadaver ipsorum cibo volucribus
cælorum, & bestiis terræ.
21 Etiam Tzidkijam Regem Jehudæ, &
Principes ejus tradam in manum inimicorum
ipsorum, & in manum quærentium animam ip-
sorum: in manum, inquam, copiarum Regis Ba-
byloniæ, [9] quæ [k] abiverunt a vobis.
22 Ecce ego præcepturus sum, dictum Jeho-

[d] *Heb. munitio-nis.*
[4] in secunda hac prophetia narrantur primũ occasio, versib. 4. deinde verò denunciatio ipsa, reliquis. Occasio autem fuit hujusmodi: obsidẽtibus Babyloniis Jeruschalaima, visum est Judæis, ad deprecandũ Deum & præsentem iram ipsius avertẽdam, promulgare libertatem servorum ex lege: quum autẽ Babylonii advẽtante Aegyptio obsidionem ad tẽpus solvissent, ut narratur infrà 37.5. tum Judæi ad pristinam suã nequitiã revertentes in servitutem iterum eos vindicarũt, quos publico judicio & fide publica liberaverant. Quamobrẽ Deus judicium suum comparat elegantissimè cũ illorum maleficio.
[l] *Exod.* 21.2.
[e] *Heb. serviret sibi per ipsos: ut Exod.* 1.14. *sic vers. seq.*
[f] *Heb. & reverterentur postea & reducerent.*
[5] Christi Dei æterni cum æterno Patre & Spiritu sancto.
[6] a Deo Patre.
[7] hujus denunciationis partes sunt duæ: prior est contestatio, versib. quatuor: posterior, sententiæ dictio, postquàm Judæorum populus reus peractus est, ad finem usque.
[l] *Exod.* 21.12. *Deut.* 15.12.
[g] *Hebr. super quã vocatur nomen meum.*
[h] *Hebr. reversi estis & prophanastis.*
[i] *Heb. animam, ut Psal.* 27.12.
[8] ex antiqua federis jungentium formula: de qua Gen. 15.17.
[9] solventes obsidionem (ut diximus in V. 8.) ad obsistendum Aegyptio.
[k] *Heb. ascenderunt.*

væ, & revocaturus eos contra civitatem hanc ut
oppugnent eam, & capientes eam comburant
eam igne; & civitates Jehudæ ita exponam de-
solationi ut nullus *insit* habitator.

CAPUT XXXV.

Deus proposito Recabæorum exemplo Judæos contestatur, inobsequentem ipsorum animum redarguit, & Judæis mala quàm plurima, Recabæis bona prænunciat.

1 [1] VErbum quod fuit ad Jirmejam a Jehova;
temporibus Jehojakimi filii Joschijæ Re-
gis Jehudæ, edicendo,
2 Abi ad [2] familiam Recabæorum; & allo-
quutus eos adduces eos *ad* domum Jehovæ in u-
num cubiculorum, ut des bibendum eis vinum.
3 Itaque assumens Jaazanjam filiũ Jirmejæ
filii Chabatzinjæ & fratres ejus, omnésq; filios
ejus; denique totam familiam Recabæorum,
4 Adduxi eos *ad* domum Jehovæ, in cubi-
culum filiorum Chananis filii Jigdaljæ [3] viri Dei;
quod *est* prope cubiculum [4] Principum, quod *est*
supra cubiculum Mahasejæ filii Schillumi, obser-
vantis limen.
5 Quúmq; proposuissem coram filiis fami-
liæ Recabæorum scyphos plenos vini, & pocula;
dixi eis, bibite vinum:
6 Qui dixerunt, non sumus bibituri vinum;
nam Jonadab filius Recabi [5] pater noster [6] inter-
dixit nobis, dicendo, ne bibitote vinum, vos, aut
filii vestri [a] umquam:
7 Et domum ne ædificatote, & semen ne se-
ritote, vineámque ne [b] conseritote, neque esto
vobis: sed [7] in tentoriis habitetis omnibus die-
bus vestris, ut vivatis diebus multis in superficie
terræ, ubi inquilini estis.
8 Itaque auscultantes voci Jehonadabi filii
Recabi patris nostri in omnibus quæ præcepit
nobis; ut non bibamus vinum omnibus diebus
nostris, nos, uxores nostræ, filii nostri, & filiæ
nostræ,
9 Utque non ædificemus domos ad habita-
tionem nostram; & vinea, aut ager, aut sementis
non sit nobis;
10 Sed habitemus in tentoriis: auscultantes,
inquam, facimus omnino prout præcepit nobis
Jonadab pater noster.
11 [8] Fuit autem quum ascenderet Nebucad-
retzar Rex Babyloniæ in terram hanc; ut dice-
remus, [c] agite, ingrediamur Jeruschalaima [d] me-
tu copiarum Chaldæorum, & metu copiarum
Syriæ: ita considemus Jeruschalaimis.
12 [9] Tum fuit verbum Jehovæ ad Jirmejam,
dicendo,
13 Sic ait Jehova exercituum Deus Jisraë-
lis, abi, & dicas viris Jehudæ, & habitatoribus Je-
ruschalaimorum: [10] an non percepturi estis eru-
ditionem, ut auscultetis verbis meis? dictum Je-
hovæ.
14 Præstatur *unumquodque* verborum Jeho-
nadabi filii Recabi, qui interdixerat filiis suis ne
biberent vinum, non enim biberunt usque in di-
em hunc, quia auscultant præcepto patris sui:
ego autem alloquor vos [e] inde a diluculo indesi-
nenter, nec tamen auscultatis mihi.
15 Quúmq; mitto ad vos omnes servos meos
Prophetas [f] inde a diluculo indesinenter, dicen-

[1] Prophetia hæc (cujus inscriptio continetur vers. 1.) duas habet partes, typum, usq; ad V. 12. & anagogen sive accommodationẽ propheticam, reliquis.
[2] qui orti erant ex Kinæorum gente, ac proinde nullam possessionem sibi attributam lege obtinebant; sed victum comparabãt ex publicis ministeriis, vide 1. Chron. 2.55.
[3] ut Deut. 33.1. sic commendatur pietas & functio hujus Sacerdotis.
[4] i. præfectorum templo.
[5] id est, celebris ille progenitor familiæ nostræ timens Dei, cujus mentio est 2. Reg. 10.15.
[6] ductus non humano consilio tantùm, quo inquilinis modestia, sobrietas, humilitásq; inter cæteros maximè commendatur; sed spiritu prophetico, quo eventuras Jisraëlitis omnibus calamitates præsignificabat.
[a] *Heb. usque in seculum.*
[b] *Heb. plantate.*
[7] ut majores anteà fecerant, Judic. 4.17.
[8] occupatio: cur ergo, dixerit quispiam, in tentoriis modò non habitatis? respondent hoc a se non de industria, sed ex necessitate fieri.
[c] *Heb. venite & ingrediamur.*
[d] *Heb. a facie.*
[9] transitio ad anagogen, ut diximus V. 1. Sunt autem illius partes duæ; contestatio, tribus versib. seq. & sententiæ dictio, quatuor ultimis.
[10] propositio contestationis, quæ illustratur per comparationem minoris, id est, præcedentis exempli, vers. 14 & 15.
[e] *Heb. mane surgendo & loquendo.*
[f] *Heb. mane surgendo & mittendo: ut 2. Chron. 36.15.*

do, revertimini jam quiſque a via ſua peſſima, & bonas efficite actiones veſtras, neque [g] ſequamini deos alienos colendo eos, ita manete in hac terra quam tradidi vobis & majoribus veſtris: non tamen inclinatis aurem veſtram, neque auſcultatis mihi.

g *Heb. eatis poſt.*

16 [11] Quandoquidem præſtant filii Jehonadabi filii Recabi præceptum patris ſui quod præcepit ipſis; populus verò iſte non auſcultant mihi;

17 [12] Idcircò ſic ait Jehova Deus exercituum, Deus Jiſraëlis, ecce ego adducturus ſum cōtra Jehudam, & contra omnes habitatores Jeruſchalaimorum totum illud malum quod proloquutus ſum contra eos: eò quòd mihi alloquenti ipſos non auſcultarunt, & revocanti ipſos non reſponderunt.

18 [13] Familiæ verò Recabæorum dixit Jirmeja, ſic ait Jehova exercituum Deus Jiſraëlis, eò quòd auſcultatis pręcepto Jehonadabi patris veſtri, & obſervantes omnia præcepta ejus facitis omnino prout præcepit vobis;

19 Idcircò ſic ait Jehova exercituū Deus Jiſraëlis; [14] non exſcindetur vir Jonadabo filio Recabi, qui ſtet coram me omnibus temporibus.

11 replicatio præcedentis cōteſtationis, continens membra duo comparationis; de quibus deinceps ſententia fertur a Deo, ὕστερον πρότερον.
12 prior ſententiæ pars in Judęos, hoc verſ.
13 poſterior ſententiæ pars de Recabæis, duobus verſib.
14 id eſt, perpetua erit gens iſta coram me, ex prædictione Jehonadabi ſuprà verſ.7. nam illos ex captivitate fuiſſe reduces oſtendit Hezra 1.Chron.2. ſub finem.

CAPUT XXXVI.

Jirmeja prophetias ſuas per Barucum ſcribi, & ſolenni die apud populum pronunciari jubet: Principes Barucum advocant, legentem audiunt, & metu Regis admonent ut Jirmeja & ipſe deliteſcant: Rex audita parte voluminis, illud comburi jubet, Jirmejámq; & Barucum capi: quamobrem Jirmeja Regi, regnóq; mala prænunciat, & volumen de integro conſcribi curat.

1 [1] Fuit autem [2] anno quarto Jehojakimi filii Joſchijæ Regis Jehudæ; fuit verbum hoc ad Jirmejam a Jehova, dicendo,

2 Sume tibi volumen libri; ut ſcribas in eo omnia verba quæ proloquutus ſum tibi de Jiſraële, & de Jehuda, ac de omnibus gentibus; ex *quo* die alloquutus ſum te, a diebus Joſchijæ uſque in diem hunc:

3 *Si* fortè audiant domus Jehudæ totum illud malum quod ego cogito facere ipſis: ut revertantur quiſque a via ſua peſſima, & cōdonem iniquitatem ipſorum & peccatum ipſorum.

4 Quamobrem vocavit Jirmeja Barucum filium Nerijæ: ſcripſitq; Baruc ex ore Jirmejæ omnia verba Jehovæ, quæ eloquebatur ipſi *Jirmeja*, [3] in volumine libri.

5 [4] Deinde pręcepit Jirmeja Baruco, dicendo, [5] ego detentus, non poſſum venire *ad* domum Jehovæ:

6 Quare ibis tu & leges in hoc volumine, quod ſcripſiſti ex ore meo, verba Jehovæ, [a] audiente populo, *in* domo Jehovæ, [6] die jejunii: atq; etiam audientibus omnibus Jehudæis, qui venerint ex civitatibus ſuis, legito illa:

7 *Si* fortè [b] procidant deprecantes ipſi coram Jehova, & revertantur quiſque a via ſua peſſima: nam magna *eſt* illa ira & excandeſcentia qua eloquutus eſt Jehova contra populum hunc.

8 Et fecit Baruc filius Nerijæ omnino prout præceperat ipſi Jirmeja Propheta; legendo in eo libro verba Jehovæ *in* domo Jehovæ.

9 Fuit enim anno quinto Jehojakimi filii Joſchijæ Regis Jehudæ, menſe nono, [c] indicto jejunio coram Jehova toti populo Jeruſchalaimis: quum totus populus, venientes ex civitatibus Jehudæ *eſſent* Jeruſchalaimis,

10 Ut legeret Baruc in libro verba Jirmeję *in* domo Jehovæ; in cubiculo Gemarjæ filii Schaphanis ſcribæ, in atrio ſuperiore, *ad* oſtium portæ domus Jehovæ [7] recentioris, audiente toto populo.

11 [8] Quum autem audiviſſet Mica filius Gemarjæ filii Schaphanis, omnia verba Jehovæ ex illo libro,

12 Deſcendit *in* domum Regis ad cubiculum [d] [9] juriſperiti, ubi ecce omnes principes conſidebant: Eliſchamaħ juriſperitus, & Delaja filius Schemaħjæ, & [10] Elnathan filius Hacboris, & Gemarja filius Schaphanis, ac Tzidkija filius Chananjæ, omnes denique Principes.

13 Indicavítq; ipſis Mica omnia verba quæ audiverat, quum legeret Baruc in libro audiente populo.

14 Tum miſerunt omnes Principes ad Barucum [11] Jehudin filium Nethanjæ filii Schelemjæ filii Cuſchi, qui ediceret; volumen illud in quo legiſti audiente populo, ipſum accipe in manum tuam, ac veni: accipiens itaque Baruc filius Nerijæ volumen illud in manum ſuam venit ad illos:

15 Qui dixerunt ei, ſede jam & lege illud nobis audientibus: legitq; Baruc audientibus illis.

16 Fuit autem quum audiviſſent omnia verba illa, ut [e] [12] expaveſcentes alloquerentur alter alterum; & dicerent Baruco, [f] omnino indicabimus Regi omnia verba iſta.

17 Barucum autem interrogaverunt, dicendo; indica jam nobis, quomodo ſcripſeris omnia verba iſta ex ore illius:

18 Quibus dixit Baruc, ex ore ſuo pronunciabat mihi omnia verba iſta; & ego ſcribebam in libro atramento.

19 Tum edixerunt Principes Baruco, abi, abſcondere tu & Jirmeja; & ullus neſciat ubi ſitis:

20 Venerúntque ad Regem in atrium, quum volumen illud depoſuiſſent in cubiculo Eliſchamaħi juriſperiti; & indicaverunt audiente Rege omnia verba iſta.

21 Mittens itaque Rex Jehudin ad accipiendum volumen illud, accepit illud e cubiculo Eliſchamaħi juriſperiti: legitq; ipſum Jehudi audiente Rege & audientibus omnibus Principibus qui adſtabant Regi.

22 Rex autē ſedebat in domo hyberna, menſe nono; ídq; cum foco ante ipſum accenſo.

23 Fuit ergo quum legiſſet Jehudi tria [g] folia aut quatuor; *ut* laceraret illud [h] ſcalpro librario, & projiceret in ignem qui *erat* in foco; donec conſumeretur totum volumen igne illo qui *erat* in foco.

24 [13] Non autem expaverunt, neque laceraverunt veſtimenta ſua; Rex, & omnes ſervi ejus, qui audiebant omnia verba illa.

25 Quin etiam Elnathane, Delajáq; & Gemarja

1 Totum hoc caput narrativum eſt, cujus hiſtoria tria maximè capita cōtinet: primum eſt fidei quam Jirmeja & Baruc adhibuerunt ad teſtandum voluntatem Dei, 10. primis verſibus. ſecundum, contradictionū quæ a ſummatibus obvenerunt, & periculorum a Rege, uſque ad verſ.27. tertium, ſententiæ dictio in contravenientes, ad finem uſque.
2 videlicet ſub finem illius, habitis duabus illis concionibus quę poſitæ ſunt ſuprà 25. & 35. quod confirmatur infrà verſ.5. & 9.
3 id eſt, libro plicatili, qui in cylindrum convolvebatur, ut erant priſcorum libri: ſic Pſal.40.8.
4 perſcripto volumine: quod fuit anno quinto menſe nono, ut oſtendit verſ.9.
5 hujus detentionis cauſas etſi præſcriptis verbis in Scriptura legi non meminimus, tamen tres ſimul putamus in hoc tempus concurriſſe: prima eſt interdictum Regis, qui principio Regni ediderat inſignia impietatis & crudelitatis ſuæ documenta, ſuprà 26. ſecunda fuit abſtentio (ut Patres loquebantur) Eccleſiaſtica, qua putamus Principes Sacerdotum regi aſſentantes Jirmejam quodammodo excommunicaſſe, ne orationem ampliùs haberet ad populum aut templum accederet, adductos duabus illis prophetiis quas enunciaverat anno quarto, ſuprà 25. & 35. tertia eſt mandatum Dei, quo voluit Deus conſulere Prophetæ ſuo, & abſentia ſilentióque illius (quod improbi in beneficio ponebant) punire Eccleſiam Judæorum.
a *Heb. in auribus populi: ſic deinceps.*
6 non imperati lege, ſed conceptivi: ut apparet ex verſ.9.

b *Heb. procidat deprecatio eorum: hypallage Rhetorum.*
c *Heb. cùm indixiſſent jejunium, impersonaliter.*
7 vide ſuprà 20.10.
8 ſecunda pars narrationis, ut diximus in verſum 1.
d *Heb. ſcribæ: ſic deinceps.*
9 nimirum Eliſchamaħi, qui mox nominatur. Erat autem ille quidam veluti rector & moderator in conſilio Regis & Principum.
10 de quo ſuprà 26.22.
11 apparitorem Regis, ut ex ſequentibus conſtat.
e *Heb. expaveſcerent vir ad amicum ſuum.*
12 id eſt, capita conſerrent, affecti quodammodo & perculſi prophetiæ gravitate: ut demonſtrant conſilio ſuo, verſ.19.
f *Heb. indicando.*
g *Heb. valvas.*
h *Heb. novacula ſcribæ.*
13 id eſt, ne parùm quidem perculſi ſunt, ut illi verſ.16.

marja intercedentibus apud Regem ne combureret volumen; non tamen auscultavit eis:

26 Imò præcepit Rex Jerachmeeli [14] filio Regis, & Serajæ filio Hazrielis, & Schelemjæ filio Habdeelis, ut caperent Barucum scribam, & Jirmejam Prophetam; sed abscondit eos Jehova.

27 [15] Fuit autem verbum Jehovæ ad Jirmejam (postquam exussisset Rex volumen illud, & verba quæ scripserat Baruc ex ore Jirmejæ) dicendo,

28 [i] Iterum accipe tibi volumen alterum; & scribe in eo omnia verba priora, quæ erant in volumine illo priore, quod exussit Jehojakim Rex Jehudæ.

29 [16] De Jehojakimo autem Rege Jehudæ, dicito, sic ait Jehova: tu exussisti volumen illud dicens, quare scripsisti in eo, dicendo [k] omnino venturus est Rex Babyloniæ, & perditurus terram hanc, facturúsque ut cessent ex ea homines & jumenta?

30 Idcircò sic ait Jehova de Jehojakimo Rege Jehudæ, non erit ei sedens in solio Davidis: & cadaver ejus erit projectum æstui [l] diurno, & gelu nocturno.

31 Nam animadvertam in eum, & in semen ejus, & in servos ejus iniquitatem ipsorum: & adducam contra eos, & contra habitatores Jeruschalaimorum, ac contra viros Jehudæ totum illud malum quod [17] proloquebar eis, ac non auscultarunt.

32 Itaque Jirmeja accipiens volumen alterum tradidit ipsum Baruco filio Nerijæ scribæ; qui scripsit in eo ex ore Jirmejæ omnia verba libri quem exusserat Jehojakim Rex Jehudæ igne: & adhuc [m] addita sunt illis verba multa ejusmodi.

14 i. suo: quamobrem toti Jojakimi familiæ deinde maledicitur, infrà V. 30.
15 tertia pars, ut diximus in V. 1.
i *Hebr. revertere accipe.*
16 hujus prophetiæ partes sunt, contestatio, hoc vers. & sententiæ latio, duobus sequentibus.
k *Heb. veniendo.*
l *Hebr. in die, & gelu in nocte.*
17 eo volumine quod ab illis exustum est.
m *Heb. additum est, impersonaliter.*

CAPUT. XXXVII.

Tzidkija, Chaldæis obsidentibus Jeruschalaima, quum Ægyptios sibi adjunxisset, Deum a Propheta pro communi salute orari jubet; Propheta sententiam judicii a Chaldæis venturi pronunciat: quamobrem soluta obsidione Jirmeja capitur, & cæsus in carcerem durum a Principibus detruditur: liberatus a Rege, & secunda criminatione obrutus in duriorem conjicitur: unde iterum pii cujusdam aulici opera eductus a Rege consulitur, & repetito judicio contra Judæam in custodia servatur.

1 [1] POstea [g] regnavit Rex Tzidkija filius Joschijæ; pro Conja filio Jehojakimi, quem constituit Regem Nebucad-retzar Rex Babyloniæ in terra Jehudæ.

2 Sed non auscultavit ipse, aut servi ejus, & populus terræ; verbis Jehovæ quæ loquebatur per Jirmejam Prophetam.

3 [2] Miserat quidem Rex Tzidkija Jehucalem filium Schelemjæ, & Tzephanjam filium Mahasejæ Sacerdotem ad Jirmejam Prophetam, qui dicerent; ora, quæso, pro nobis Jehovam Deum nostrum:

4 Et Jirmeja liberè [a] versabatur in medio populi: nec dum positus erat in [b] carcere.

5 Quum copiæ Parhonis egrederentur ex Ægypto; & audientes Chaldæi qui obsidebant Jeruschalaima famam de illis, abirent a Jeruschalaimis.

6 Fuit verò verbum Jehovæ ad Jirmejam Prophetam, ut diceret:

7 Sic ait Jehova Deus Jisraëlis, sic dicitote Regi Jehudæ, qui misit vos ad me ad consulendum me: [3] ecce copiæ Parhonis quæ egressuræ sunt vobis in auxilium, revertentur in terram suam, in Ægyptum:

8 Et reversi Chaldæi oppugnabunt civitatem hanc; & capientes eam comburent eam igni.

9 Sic ait Jehova, ne decipiatis [c] vos ipsos dicendo; [d] omnino abituri sunt a nobis isti Chaldæi: nam [4] non sunt abituri:

10 [5] Quin si percuteretis omnes copias Chaldæorum oppugnantium vos, & reliqui essent ex eis homines transfixi; quisque in tentorio suo exsurgerent, & comburerent civitatem hanc igne.

11 Fuit autem, quum abducerentur copiæ Chaldæorum a Jeruschalaimis; propter copias Parhonis,

12 Ut exiret Jirmeja Jeruschalaimis, profecturus *in* terram Binjaminis; ad delabendum inde, [6] in medio populi:

13 Quúmque esset in porta Binjaminis, ubi *erat* magister præfecturæ, nomine Jireija filius Schelemjæ filii Chananjæ; prehendit Jirmejam Prophetam, dicendo, [7] ad Chaldæos tu deficis.

14 Cui dixit Jirmeja, falsum *est*, minimè deficio ad Chaldæos; non tamen auscultavit ei: sed prehendit Jireija Jirmejam, & abduxit eum ad Principes.

15 Tum effervescentes Principes contra Jirmejam percusserunt eum, & posuerunt eum [e] *in* vinculis *in* domo Jehonathanis scribæ: nam eam aptaverant pro carcere.

16 Quúmque venisset Jirmeja [f] in foveam illam, [8] & in cellulas illius; mansit ibi Jirmeja diebus multis.

17 Tandem mittens Rex Tzidkija recepit eum, & interrogavit eum Rex domi suæ [g] clàm, dicens, éstne verbum a Jehova? cui dicens Jirmeja, est, ampliùs dixit, in manum Regis Babyloniæ traderis.

18 Deinde dixit Jirmeja ad Regem Tzidkijam; quid peccavi tibi, aut servis tuis, aut populo isti, quòd posuistis me in carcere isto?

19 [9] Et ubi sunt Prophetæ vestri, qui prophetant vobis, dicendo; non est venturus Rex Babyloniæ contra vos & contra terram hanc?

20 Nunc ergo audi quæso, domine mi Rex; [h] procido jam deprecans te, ne quæso jubeas me redire in domum Jehonathanis scribæ, ut non moriar ibi.

21 Quamobrem præcepit Rex Tzidkija ut [i] committerent Jirmejam in atrio custodiæ; & darent ei tractam panis in diem ex vico pistorum, donec consumptus est omnis panis ex civitate; ita manebat Jirmeja in atrio custodiæ.

1 Duo hæc capita perpetuam historiam continent, quomodo Jirmeja exceptus fuerit Jeruschalaimis toto Regis Tzidkijæ tempore.
g 2. Reg. 25.
2 id est, Rex quidem ipse primùm facilis esse visus est, & Deum seriò accedere, usque ad vers. 11. sed evanuit totum illud speciosum studium prætexto metu, & aulicis improbè in Jirmejam invehentibus, in quorum voluntatem Rex illicò traductus est, versu 11. & 5. sequentibus: cujus facilitatis ac potiùs socordiæ exempla deinceps ponuntur, hoc, & sequente capite.
a *Hebr. ingrederetur & egrederetur: vide Numer. 27. 21.*
b *Hebr. posuissent eum in domo coërcitionis: sic infrà. vers. 15. & 18.*

3 hic Jirmeja pro deprecatione quam postulabat Rex sententiam pronunciat, & causam apertè ostendit: nam (inquit Propheta) Rex fucum Deo se facturum putat: ita accedit is me quasi resipisceret seriò, & certa fiducia in Deum unum recumberet: intereà verba facitis: Rex enim de Ægyptiorũ copiis adhibendis cogitat: quã obrem sententia duobus membris continetur: unum est inanes fore auxiliares Ægyptiorum copias & re infecta abituras; alterum, Regem, populúmque, & regnum Judæorum per Chaldæos eversum iri.
c *Hebr. animas vestras.*
d *Hebr. abeundo.*
4 videlicet omnino, ita ut dicitis: nam abiverunt quidem, infrà vers. 11. sed paulò post redintegrarunt obsidionem cœptam.
5 amplificatio per hypothesin hyperbolicam, qua ostendit etiamsi Chaldæi circũvenirentur (ut adhibitis Ægyptiis facturum se Tzidkija præfidebat) nihil tamen ex eo effectum iri.
6 id est, Binjaminitarum & tribulium suorum, in agros suos & possessiones obsidione soluta redeuntium.
7 quorum potentiam magnificè Propheta prædicaverat: sic impius iste perfidè dissimulans odium prophetiarum, perfidiæ & transfugii Jirmejam criminatur: ut solent qui honestè videri volunt procurare turpia.
e *Hebr. in loco vinculi.*
f *Hebr. in locum foveæ.*
8 id est, de alia in aliam circumducentes reclusissent eum in penitissima, ubi vix sontes nisi perduelles collocabantur.
g *Hebr. in abdito.*
9 quasi dicat, age, si placet, compareant illi, ut prophetiarum comparatione apud æquos judices audita innotescat veritas: nam spiritus Prophetarum sunt Prophetis subditi, 1. Cor. 14. 32. Ad hoc autem postulatum reticente Rege Jirmeja saltem sibi petit de æquiore loco prospici, si negligitur causa veritatis.
h *Hebr. procidat jam deprecatio mea coram te: ut suprà 36. 7.*
i *Hebr. deponerent.*

CAPUT XXXVIII.

1 AUdiens verò Schephatja filius Matthanis,& Gedalja filius Paschchuris & Jucal filius Schelemjæ, & Paschchur filius Malcijæ; verba quibus Jirmeja alloquebatur [1] totum populum, dicendo,

2 Sic ait Jehova; qui manserit in civitate hac, morietur gladio, fame, aut peste: qui autem exierit ad Chaldæos ut vivat, utique erit ipsi anima sua loco spolii,& vivet.

3 Sic ait Jehova; omnino tradetur civitas hæc in manum copiarum Regis Babyloniæ,quę capient eam.

4 Dixerunt Principes Regi, morte afficiatur quæsumus vir iste;quandoquidem iste remissas reddit manus [a] bellatorũ qui reliqui sunt in civitate hac, & manus totius populi, alloquendo eos [b] in hanc sententiam : nam vir iste [2] minimè quærit pacem populo huic, sed malum.

5 Quibus dixit Rex Tzidkija, ecce est in manu vestra : nam minimè *is est* Rex *qui* possit contra vos quicquam.

6 Accipientes itaque Jirmejam [3] qui *erat* in atrio custodiæ, conjecerunt eum in illam foveam *quæ erat* Malcijæ filii Regis, demittentes Jirmejam funibus : in fovea autem illa nulla *erat* aqua, sed lutum, adeò ut immergeretur Jirmeja luto.

7 Sed quum audivisset [4] Hebed-melec Æthiops, vir aulicus qui *erat* in domo Regis, positum esse Jirmejam in illa fovea; [5] Rege sedente in porta Binjaminis,

8 Egressus Hebed-melec e domo Regis, alloquutus est Regem, dicendo,

9 Domine mi Rex, malè fecerunt homines isti in omnibus quę fecerunt Jirmejæ Prophetę, eò quòd conjecerunt eum in istam foveam: [6] qui moriturus fuerat [7] *in* loco suo propter famem, quia nihil *est* panis ampliùs in hac civitate.

10 Quapropter præcepit Rex Hebed-meleco Æthiopi, dicendo : sume ad manũ tuam hinc triginta homines, ut educas Jirmejam Prophetam ex ista fovea quum nondum moritur.

11 Tum sumens Hebed-melec homines illos ad manum suam, venit [8] *in* domum Regis, in locum subjacentem ærario, unde sumsit veteramenta [c] abjecta, veteramenta inquam evanida : quæ demisit ad Jirmejam in foveam illam funibus:

12 Et dixit Hebed-melec Æthiops ad Jirmejam, pone jam veteramenta ista abjecta evanidáque [d] sub axillis tuis; subtus cum funibus : & fecit Jirmeja ita.

13 Sic trahentes Jirmejam funibus eduxerunt eum ex illa fovea;& mansit Jirmeja in atrio custodiæ:

14 Deinde mittens Rex Tzidkija recepit Jirmejam Prophetam ad se, ad [9] ingressum principalem qui *erat* ad domum Jehovæ : & dixit Rex Jirmejæ, peto ego abs te verbum, ne celato me illud.

15 [10] Dicente autem Jirmeja Tzidkijæ, si indicem tibi, an non [e] certè morte afficies me ? & si consulam tibi, *an* non auscultabis mihi ?

[1] Id est, Judæos omnes qui adibant ipsum in atrium custodiæ.
[a] *Heb. virorum belli.*
[b] *Heb. secundum verba hæc.*
[2] id est, animo perduellis est; ut fuerant criminati superiore capite.
[3] hæc verba de industria transposuimus, ut ἐμπλοκὴ Hebraici contextus illustris esset : hic autem ars nefaria aulicorum observanda est, qui hominem addictum morti clàm tollendum putant, & carcere (qui ex omni jure ad custodiam, non ad supplicium constitutus est) pro supplicio abutuntur.
[4] de quo infrà 39.16.
[5] id est, in publico judicio, ubi Principes alii non audebant cum Propheta experiri jure.
[6] id est, debebat illis fuisse satis quòd Jirmeja communi hac fame erat moriturus, nec fuerat acceleranda mors illius infami carcere.
[7] i. atrio custodiæ, ubi locum & alimentum ejus Tzidkija constituerat suprà 39.21.
[8] ubi erat fovea Malcijæ filii Regis, de qua vers. 6.
[c] *Heb. abjectorũ, evanidorum : sic deinceps.*
[d] *Heb. manuum tuarum.*
[9] i. ascensum illum versus repagulis munitum, de quo 1. Reg. 10.5. & 12. Est autem Hebræa vox ambigua, quæ modò significat tertium ordine, modò ducalem (ut ita dicamus) sive ad duces pertinentem : quos Hebræi vocant tertios a Rege cõmuni appellatione.
[10] his verbis annuit quidem Jirmeja se verbum Dei prolaturum esse: priùs tamen stipulatur duo : unum, vitam sibi servari, quod Rex spondet sequent. versu; alterum, consilium suum accipi, cui Rex non respondet : nam hæ interrogationes non semper affirmant apud Hebræos, sed etiam de re ipsa quærunt.
[e] *Hebr. morte afficiendo.*

16 Juravit Rex Tzidkija, Jirmejæ [f] clàm, dicendo; vivens Jehova qui fecit nobis animam hanc *mihi adimat eam,* si morte affecero te, aut si tradidero te in manum hominum istorum qui quærunt animam tuam.

17 Dixit itaque Jirmeja Tzidkijæ, sic ait Jehova Deus exercituum, Deus Jisraëlis, si [g] omnino egressus fueris ad Principes Regis Babyloniæ, utique vivet anima tua, & civitas hæc non comburetur igne : ita vives tu & familia tua:

18 Sin autem non egrediaris ad Principes Regis Babyloniæ, utique tradetur civitas hęc in manum Chaldæorum qui comburent eam igne; tu verò non eripies te e manu eorum.

19 [11] Dicente verò Rege Tzidkija Jirmejæ; ego sollicitè timeo Jehudæos qui deficiunt ad Chaldæos, ne tradant me in manum eorum, & ludificentur me:

20 Dixit Jirmeja, non sunt traditurі : ausculta quæso voci Jehovæ quam ego eloquor tibi, ut bene sit tibi & vivat anima tua.

21 Quòd si tu renuas exire; hoc *est* verbum illud quod ostendit mihi Jehova:

22 Quòd ecce omnes mulieres quæ reliquæ sunt in domo Regis Jehudæ [12] deducentur ad principes Regis Babyloniæ; quamvis [13] dicant illæ incitavisse te & prævaluisse tibi viros [h] pacem colentes tecum, [14] demersos esse in cœno pedes tuos, aversos retrorsum;

23 Tamen e manu eorum qui omnes uxores tuas filiósque tuos deducent ad Chaldæos, tu quoque non eripies te: sed manu Regis Babyloniæ prehenderis, & civitas hæc comburetur igne.

24 Tum edixit Tzidkija Jirmejæ; quisquam nesciat verba ista, ita non morieris.

25 Quòd si audientes Principes me loquutũ esse tecum; venerint ad te, edixeríntque tibi, indica jam nobis quid loquutus es apud Regem, ne celato nos, & te non afficiemus morte: quid item dixerat tibi Rex;

26 Tum [15] dices eis, [i] procidens ego deprecatus sum coram Rege; ut [16] non sineret me redire in domum Jehonathanis ad moriendum ibi.

27 Venientes autem omnes Principes ad Jirmejam interrogaverunt eum, qui nunciavit eis omnino secundùm verba ista quæ præceperat Rex: sic [k] [17] silentes abstinuerunt ab eo, quum non fuisset [18] auditum verbum illud.

28 Mansitque Jirmeja in atrio custodiæ usque in diem quo capta sunt Jeruschalaima : ubi erat, quum caperentur Jeruschalaima.

[f] *Hebr. in abdito: ut sup. 37.17.*
[g] *Hebr. egrediendo.*
[11] i. excusante se quòd consilium deditionis non acciperet: quam excusationem diluit Propheta, sequentibus.
[12] videlicet quũ primùm Chaldæi irruperint Jeruschalaima, & Tzidkija se in fugam vertet; nam illæ continuò oblatæ sunt principibus, ut quæstio de consiliis & factis Tzidkijæ haberetur.
[13] i. crimen totum defectionis a Chaldæis in consiliarios tuos & federatos exteros transferãt, ad excusandum te.
[h] *Heb pacis tuæ.*
[14] i. per illos effectum esse, ut in hanc malorum abyssum devenires, & a Chaldæis deficeres.
[15] hoc consiliũ neque præcepit Rex, neque Jirmeja sequitur falsò: nam in ipso principio sermonis ultrò citróque habiti caveri sibi Jirmeja postulaverat, ne aut morte afficeretur a Rege, aut adversariis traderetur; & Rex vicissim spoponderat, suprà vers. 15. & 16. jam verò partem sermonis explicat, partémque reticet, quam exponi principibus futurum fuisset inutile & damnosum.
[i] *Heb. procidit deprecatio mea: ut suprà 36.7. &* 37.20.
[16] id est, non ferret me trudi in molestiorem carcerem quàm sit atrium custodiæ; sive domum Jonathanis, de qua 37.15. sive Malcijæ, de qua sup. vers. 6. synecdoche.
[k] *Heb siluerunt ab eo.*
[17] i. acquieverunt ut Jirmeja consisteret in atrio custodię, observantes fortasse dum novam criminandi occasionem possent arripere.
[18] reliquum, quod fuerat habitum cum Rege.

CAPUT XXXIX.

Jirmeja malè a suis exceptus, occupatis Jeruschalaimis liberatur ab exteris, & honestè accipitur: similitérq; pio illi aulico per quem fuerat sublevatus pronunciat liberationem ab omnibus periculis.

1 [1] ‖ ANno nono Tzidkiję Regis Jehudę, mense decimo; venit Nebucad-netzar Rex

[1] Hoc capite continentur duo, narratio gravissimi judicii contra Judæos, & servati ex eo Jirmejæ, usque ad vers. 15. & prophetia de Hebed-meleco servando, inde ad finem
‖ *2. Regum 25. vers. 4.*

Babyloniæ cum omnibus suis copiis ad Jeruschalaima,& obsederunt ea.

2 Undecimo anno Tzidkijæ,mense quarto, nono *die* mensis; perrupta est civitas:

3 Et ingressi omnes Principes Regis Babyloniæ consederunt [a] in porta mediana; Nergal-schareetzer [3] præfectus ærario sacro, Sarsecim præfectus aulicus, Nergal-schareetzer præfectus metationi castrorum, [a] & omnes principes reliqui Regis Babyloniæ.

4 Fuit autem quum videret eos Tzidkija Rex Jehudæ, & omnes bellatores, ut fugientes exirent noctu e civitate via horti Regis per portam *sitam* inter duplicem murum; exivitque via campestrium.

5 Sed persequentes copiæ Chaldæorũ eos; assequutæ sunt Tzidkijam in campestribus Jerichuntis; & capientes eum deduxerunt eum ad Nebucad-retzarẽ Regem Babyloniæ Riblam in terram Chamathæ: qui [b] tulit in eum sententiã.

6 Nam jugulavit Rex Babyloniæ filios Tzidkijæ Riblæ ante oculos ejus;etiam omnes [4] claros Jehudæ jugulavit Rex Babyloniæ:

7 Tum oculos Tzidkijæ excæcavit,& vinxit eum numellis chalybeis; ut deduceret eum in Babyloniam.

8 Domum verò Regis, & [c] domos populi combusserunt Chaldæi igne; murósque Jeruschalaimorum demoliti sunt.

9 Denique residuum populi qui reliqui erant in civitate, & defectores qui defecerant ad ipsum,ac residuum populi qui reliqui erant; deportavit Nebuzar-adan præfectus satellitum in Babyloniam.

10 De populo verò tenuissimos quibus nihil *erat* quicquam,reliquit Nebuzar-adan præfectus satellitum in terra Jehudæ: quibus dedit vineas & agros die illo.

11 Præceptum autem dederat Nebucad-retzar rex Babyloniæ de Jirmeja; [d] Nebuzar-adani præfecto satellitum,edicendo.

12 Accipe illum, & [e] oculos tuos adhibe illi, neq; afficito eum ullo malo;sed quemadmodum indixerit tibi, ita fac cum eo.

13 Quapropter mittens Nebuzar-adan præfectus satellitum,& [f] Nebu-schazzeban præfectus aulicus, & Nergal-schareetzer præfectus metationi castrorum, denique omnes præfecti Regis Babyloniæ,

14 Mittentes acceperunt Jirmejam ex atrio custodiæ, [5] tradiderúntque eum [6] Gedaljæ filio Achikami filii Schaphanis, ut deduceret eum domum:ita mansit in medio populi.

15 Ad Jirmejam autem fuerat verbũ Jehovæ; quum esset detentus in atrio custodiæ,dicendo,

16 Abi,& alloquitor [7] Hebedmelecum Æthiopem,dicendo, sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis, ecce ego effecturus sum ut eveniant verba mea contra civitatem hanc in malum, non autem in bonum: & erunt in conspectu tuo die illo.

17 Sed eripiam te die illo, dictum Jehovæ; neque traderis in manum [8] istorum hominum a quibus formidas.

18 Nam [g] [9] omnino liberabo te,& gladio non cades: eritque tibi [h] vita tua spolii loco, quia fiduciam habuisti in me,dictum Jehovæ.

[a] id est, jam uno ex opidis occupato, propè esset ut in alterum ingrederentur, ubi porta mediana erat in mediano muro.
[3] qui hæc omnia nomina propria esse putant, falluntur sententia nostra, ut Hebraicæ distinctiones cõfirmant: adduntur enim propriis appellationibus officiorum nomina Babylonica, quæ nos ad evidentiam Latinis nominibus utcumque accommodavimus: hi autẽ propterea nominantur, quòd fuerunt strenui, & inter primos ordines primi irruperunt in Jeruschalaima.
[a] *Hebr. & totum reliquum principum.*
[b] *Hebr. loquutus est cum eo judicia.*
[4] qui Tzidkijæ auctores fuisse rebellionis putabantur, supra 38.22.
[c] *Heb. domum, enallage.*
[d] *Heb. in manum Nebuzar-adanis præfecti.*
[e] *Hebr. pone oculos tuos super eum.*
[f] *qui suprà Sarsecim vers.3.*
[5] ut narratur infrà 40.
[6] quem præfecit Judæis Rex Babyloniæ, 2. Reg. 25.25. & deinceps.
[7] de quo suprà 38.7.& seq.
[8] i. aulicorum principũ Tzidkijæ, a quibus odium gravissimum sibi conciliaverat liberatione Jirmejæ.
[g] *Heb. liberando.*
[9] videlicet tum ab istis infensis tibi, tum ab externis hostibus.
[h] *Heb. anima tua.*

CAPUT XL.

Jirmeja ex vinculis liberatur; duces ad Gedaljam veniunt, & Jischmaħelis conspirationem adversus ipsum indicant: cujus conspirationis indicium quum Gedalja neglexisset, perfidissimè a Jischmaħele occiditur ipse & omnes quos stare a partibus ipsius Jischmaħel judicavit; reliqui capiuntur ad Hammonitas deportandi: huic Jochanan cum aliis ducibus obsistens Jischmaħelem fundit, profectionémque in AEgyptum instituit cum reliquiis Judæorum: cujus profectionis consilium volentes a Deo comprobari, Jirmejam accedunt callidè, prohibentem Dei verbis malè excipiunt, & cum Barucho Judæorúmque reliquiis in AEgyptum trahunt: ubi Jirmeja prædicit fore ut a Babylonio AEgyptus occupetur.

1 [1] VErbum illud quod fuerat ad Jirmejam a Jehova, postquam dimisit eum Nebuzar-adan præfectus satellitum [2] Rama: recipiendo eum, quum *jam* esset vinctus catenis in medio totius multitudinis deportãdæ Jeruschalaimis & e Jehudæa, qui deportabantur in Babyloniã.

2 Recepit ergo præfectus satellitum Jirmejam;dixitque ei, Jehova Deus tuus proloquutus fuerat malum istud contra locum hunc:

3 Itaque adduxit & fecit Jehova quemadmodum proloquutus fuerat: quia peccastis Jehovæ,neque auscultastis voci ejus, ideò [a] evenit vobis verbum illud.

4 Sed nunc ecce, solvo te hodie a catenis istis quæ *sunt* super manus tuas;si bonum *videtur* in oculis tuis venire mecum in Babyloniam, veni,& [b] adhibebo oculos meos in te, sin autẽ malum *videtur* in oculis tuis venire mecum in Babyloniam,desiste: vide, tota hæc terra exposita est [c] tibi;quò bonum rectúmque *videtur* in oculis tuis abire,abi:

5 Aut [3] quia ille nondum revertitur,diverte ad Gedaljam filium Achikami filii Schaphanis, quem præfecit Rex Babyloniæ civitatibus Jehudæ, & mane cum eo in medio populi, aut quocunque rectum *videtur* in oculis tuis abire, abi: deditq; ei præfectus satellitum viaticum & munus;ac dimisit eum.

6 Venit itaque Jirmeja ad Gedaljam filium Achikami [4] Mitzpam; & mansit cum eo in medio populi qui reliqui erant in terra.

7 [g] Audientes autẽ omnes Principes copiarum qui *erant* in agro, ipsi & homines ipsorum, Regẽ Babyloniæ præfecisse Gedaljam filium Achikami regioni ipsi; & cõmisisse ei viros ac mulieres,parvulósque, idq; e tenui populo terræ,ex iis qui non deportabantur in Babyloniam;

8 Venerunt Mitzpam ad Gedaljam;& Jischmaħel filius Nethanjæ, & Jochanan, ac Jonathan filii Karechi, & Seraja filius Thanchumethi,filiíque Hephai Netophatitæ, ac [d] Jezanja filius Maħacatitæ,ipsi cum hominibus suis:

9 Quibus juravit Gedalja filius Achikami filii Schaphanis, & hominibus illorũ,dicendo, ne timete quin serviatis Chaldæis:manete in ista terra,& servite Regi Babyloniæ,ita bene erit vobis.

10 De me autem, ecce consisto Mitzpæ, ad [e] ministrandum Chaldæis qui veniunt ad nos: vos autem colligite vinum, [f] æstivósque fructus, & oleum,ac reponite in vasis vestris, & manete in civitatibus vestris quas occupastis.

11 Et etiam omnes Jehudæi qui *erant* apud

[1] Hæc inscriptio universè ad quatuor sequentia capita pertinet,quæ ut communem habent inscriptionem, ita perpetuam narrationem cõtinent; quamobrem ea conjunximus. Tota autem narratio hæc res gestas explicat ab eo tempore quo Nebuzar adani mãdata est provincia a Rege Babyloniæ, ut quicquid supererat conficiendum in Judæa conficeret auctoritate Regis: ut narratur 2. Reg.25. 11. & seq.& sup. 39.9. Dicitur verò tota hæc narratio esse *verbum quod fuerat ad Jirmejam a Jehova,* quia hæc ipsa mala Deus jam olim per Jirmejam prædixerat, ut [illegible] verb. sequent. quasi dicat Propheta,his capitibus explicari complementum illius verbi,quod longo tempore anteà significaverat Deus,& Jirmeja prænũciaverat.
[2] quousque Nebuzar-adan imprudens Jirmejam siverat a suis trahi cum deportanda multitudine.
[a] *Hebr. fuit: ut Gen.24.15.*
[b] *Hebr. ponam oculũ meum super te: ut sup.39.12.*
[c] *Hebr. coram te: ut Gen.13.9.*

[3] videlicet Gedalja,qui mox nominatur. Sensus est,si non placet mecũ esse, præmisi Gedaljam Mitzpam; qui in legatione sua occupatus,ad me nondũ revertitur:si itaq; videbitur,poteris te ad ipsum recipere. [4] illam videlicet quæ erat Binjaminitarum, de qua Jehoschu. 18. 26. ut ex sequentibus historiis colligitur. [g] 2.Reg.25.26. [d] *qui etiam Joazanja, 2.Reg.25.26 de quo infrà 42.1.* [e] *Heb. standum coram Chaldæis: ut interpretatur loquutionem hanc Mosche Deut. 10.8.* [f] *Heb. æstatem, metonymicè: sic vers.12.*

Moabitas,

g Hebr. filios Hammonis: sic vers.14.

Moabitas, & g Hammonitas, & apud Edomæos, & qui *erant* in omnibus illis regionibus, audientes dedisse Regem Babyloniæ reliquias Jehudæ; & præfecisse eis Gedaljam filium Achikami filii Schaphanis:

12 Reversi sunt omnes Jehudæi isti ex omnibus locis quò depulsi fuerant; ut venirent in terram Jehudæ, ad Gedaljam, Mitzpam & collegerunt vini & æstivorum fructuum multum valde.

13 Jochanan autem filius Karechi & omnes principes copiarum quæ *fuerant* in agro, venientes Mitzpam ad Gedaljam;

h Hebr. noscendo.

14 Dixerunt ei, an h omnino nosti Baħalisum Regem Hammonitarum mittere Jischmaħelem filium Nethanjæ ad percutiendum te i lethaliter? sed non credidit eis Gedalja filius Achikami.

i Heb. anima: ut Gen.37.21. & sequent. vers.

k Hebr. in abdito.

15 Quin Jochanane filio Karechi alloquente Gedaljam k clàm Mitzpæ, dicendo, eam quæso, ut percutiā Jischmaħelem filium Nethanjæ, & nemo cognoscet: quare percuteret te lethaliter, & dispergerentur omnes Jehudæi qui congregati sunt ad te, perirentq; reliquiæ Jehudæ?

16 Dixit Gedalja filius Achikami Jochanani filio Karechi, ne feceris rem hanc: nam falsum loqueris contra Jischmaħelem.

CAPUT XLI.

l 2.Reg.25.28.

1 Sic paucis odii & cōspirationis causa ostēditur, quòd hic regnū, & illi decē principatū in regno sibi asserebant, indignúmq; putabant novū hominem in administratione anteponi sibi. Quāobrem non hos solos venisse putandum est, sed cum suo comitatu singulos, ut ex sequente historia liquet.

1 l FUit ergo mense septimo, ut veniens Jischmaħel filius Nethanjæ filii Elischamaħi 1 e semine regio, & præfecti regii, id est decem viri cum ipso, ad Gedaljam filium Achikami Mitzpam; comederent ibi cibū *cum* illo Mitzpæ.

2 Deinde surgens Jischmaħel filius Nethanjæ, & decem illi viri qui erant cum ipso, percusserunt Gedaljam filium Achikami filii Schaphanis gladio, ita morte affecit eum; quem præfecerat Rex Babyloniæ illi regioni.

3 Etiam omnes Jehudæos qui erant cum illo, cum Gedalja, Mitzpæ, atque ipsos Chaldæos qui præsentes erant illic; a bellatores percussit Jischmaħel.

a Heb. viros belli: sic inf. v.16.

4 Fuit autem die secundo, ex quo morte affecerat Gedaljam; quum *adhuc* nemo cognosceret;

2 id est, e tribu Ephrajimi, unde proficiscentibus in locum sanctū iter erat per Mitzpam Binjaminitarum.

3 i. externo cultu testificantes luctū suum de calamitate publica, more a gentibus accepto, cōtra legem Levit. 19.27.

4 i. locum ubi fuerat domus Dei a Deo electum, Deut.12.11.

5 Ut venirent homines 2 Schecemo, Schilunte, & Schomrone, octoginta viri 3 rasi barba, & laceri vestibus, ac incidentes sese; in quorum manu *erat* munus & thus, ut afferrent 4 *in* domum Jehovæ.

b Heb. iens eundo.

5 i. perfidissimè eundem luctum simulans.

6 Et egressus est Jischmaħel filius Nethanjæ obviam eis Mitzpa, b indesinenter procedens & 5 flens: fuitque quum occurrisset eis, 6 ut diceret eis, venite ad Gedaljam filium Achikami.

6 probans videlicet illorū animū, & tamquam poëticus ille Sinon expiscans quo animo in Gedaljam essent.

7 Sed fuit quum pervenissent in medium civitatis; ut jugulans eos Jischmaħel filius Nethanjæ *projiceret* in medium foveæ, ipse & viri qui *erant* cum ipso.

8 Decem autem homines inventi sunt inter illos, qui dixerunt Jischmaħeli, ne morte afficias nos, nam sunt nobis abditi thesauri in quodam agro, tritici, & hordei, oleíque, & mellis: ita destitit & non affecit eos morte c inter fratres ipsorum.

9 Fovea autem quò projecit Jischmaħel omnia cadavera hominum illorum quos percusserat d ad latus Gedaljæ, ea *est* quam fecerat 7 Rex Asa e metu Baħaschæ Regis Jisraëlis; eam

c Heb. in medio fratrum. d Heb. ad manum. 7 qui ex lapidibus & lignis Rama ædificavisse Mitzpam legitur, 1.Reg.15.22. vide 1.Macb.7.19. & 2.Macb.13.14. e Heb. a facie Baħascha.

replevit Jischmaħel filius Nethanjæ confossis.

10 Et captivas fecit Jischmaħel totas reliquias populi qui *erat* Mitzpæ, 8 filias Regis, totúmque populum qui reliqui erant Mitzpæ, quibus præfecerat Nebuzar-adan præfectus satellitum Gedaljam filium Achikami: quos captivos ducens Jischmaħel filius Nethanjæ abibat transiturus ad f Hammonitas.

8 de quibus infrà 43.6.

f Hebr. filios Hammonis: sic infra vers.15.

11 Sed audiens Jochanan filius Karechi & omnes principes copiarum qui *erant* cum eo, totum illud malum quod fecerat Jischmaħel filius Nethanjæ,

12 Acceptis omnibus suis hominibus abiverunt ad pugnandum contra Jischmaħelem filium Nethanjæ: quem invenerunt ad 9 aquas amplas quæ *sunt* in Gibħone.

9 id est, piscinam magnam, de qua 2.Schem.2.13.

13 Quare fuit quum vidisset totus populus qui *erat* cum Jischmaħele Jochananem filium Karechi & omnes principes copiarum qui *erant* cum eo; ut afficerentur lætitia:

14 Et divertētes totus ille populus quem captivum abducebat Jischmaħel Mitzpā; g rursus venirent ad Jochananem filium Karechi:

g Heb. revertēbatur & redierunt.

15 Jischmaħel verò filius Nethanjæ eripiens se cum octo hominibus a conspectu Jochananis; abiit ad Hammonitas.

16 Accipiens itaq; Jochanan filius Karechi, & omnes Principes copiarum qui *erant* cum eo totas reliquias populi quem recuperavit a Jischmaħele filio Nethanjæ ex Mitzpa, postquam percussisset Gedaljam filium Achikami; deducénsq; viros bellatores, fœminásq; ac parvulos, & eunuchos quos recuperavit, e Gibħone;

10 locus videtur fuisse Cimhamo filio (ut putatur) Barzillai a Davide attributus de patrimonio ipsius, in tribu Jehudæ: vide 2.Schem.19.38. & sequentibus.

17 Abiverunt, & consederunt 10 in hospitio Cimhami, quod *est* juxta Bethlechemum; ut proficiscentes abirent in Ægyptum;

h Heb. a facie Chaldæorum, quia timebant a facie eorum.

18 h Propter Chaldæos, quia timebant ab eis: eò quòd percussisset Jischmaħel filius Nethanjæ Gedaljam filium Achikami, quem præfecerat Rex Babyloniæ regioni.

CAPUT XLII.

1 DEinde appropinquantes omnes principes copiarum, & Jochanan filius Karechi, & Jezanja filius 1 Hoschaħajæ, totúsque populus a minimo usque ad maximum,

1 Qui erat Maħacathita e tribu Jehudæ, posteris Calebi, suprà 40.8.

a Hebr. procidat quæso deprecatio nostra a conspectu tuo.

2 Dixerunt Jirmejæ Prophetæ, a procidens, quæso, deprecare nomine nostro, & ora pro nobis Jehovam Deum tuum pro omnibus his reliquiis: nam relicti sumus pauci ex multis, quemadmodum oculi tui vident nos *esse*:

3 Ut indicet nobis Jehova Deus tuus viam qua ambulemus; & rem quam facturi simus.

4 Quibus dixit Jirmeja Propheta, ausculto, ecce oraturus sum Jehovam Deum vestrum secundùm verba vestra; eritq; *ut* quodcumq; verbum responderit Jehova vobis, indicem vobis, 2 non cohibebo a vobis verbum.

2 i. non reticebo, aut dissimulabo quicquam eorum quæ Deus mihi significaverit.

b Heb. in testem veritatis & fidelem.

5 Vicissim illi dixerunt Jirmejæ, sit Jehova nobis b testis verus & fidus; nisi prorsus secundùm verbum cujus *causa* miserit te Jehova Deus tuus ad nos, ita fecerimus.

6 Sive bonum sive malum *fuerit*, voci Jehovæ Dei nostri cujus *causa* mittimus te ad eum auscultabimus; ut bene sit nobis quum auscultaverimus voci Jehovæ Dei nostri.

7 Fuit autem exactis decem diebus; quum fuisset verbum Jehovæ ad Jirmejam,

8 Ut convocaret Jochananē filium Karechi, & omnes principes copiarū qui *erant* cum eo; totúmque populum a minimo usq; ad maximum.

9 Et dixit eis, sic ait Jehova Deus Jisraëlis; ad

ad quem misistis me [c] ut procidens deprecarer
eum nomine vestro?
10 Si [d] [3] reversi manseritis in terra hac, utiq;
ædificabo vos ac non destruam, & plantabo vos
ac non evellam: quia [4] pœnituerit me ejus mali
quo afficio vos.
11 Ne timeatis [e] a Rege Babyloniæ, a quo vos
timetis; ne timeatis ab eo, dictum Jehovæ, quia
vobiscum sum ut servem vos, & ut eripiam vos e
manu ejus,
12 Nam præstabo vobis misericordiã, ut mi-
sereatur vestri; & restituat vos in terra vestra.
13 Sed si dixeritis, nõ sumus mansuri in terra
hac; non auscultando voci Jehovæ Dei vestri;
14 *Et* dicendo, nequaquam, sed terrã Ægypti
ingrediemur, ut non [f] experiamur bellum, & so-
num buccinæ non audiamus; [g] & cibi famem
non patiamur, denique illic [5] habitemus:
15 Nunc ergo idcircò audite verbum Jeho-
væ, reliquiæ Jehudæ: sic ait Jehova exercituum
Deus Jisraëlis, si vos [h] omnino disposueritis faci-
em vestram ut ingrediamini Ægyptum, & in-
gressi fueritis ad commorandum ibi;
16 Utiq; futurum est, *ut* gladius a quo timetis,
illîc assequatur vos in terra Ægypti: & fames il-
la de qua solliciti estis, illîc [i] persequatur vos *in*
Ægypto, & ibi moriamini.
17 Ita erunt omnes homines qui disposuerint
faciẽ suam ut ingrediantur Ægyptũ ad commo-
randum illic, morientur gladio, fame, ac peste:
neque erit eis superstes, aut qui evadat, propter
malum illud quod ego adducam contra eos.
18 [6] Nam sic ait Jehova exercituum Deus Jis-
raëlis; quemadmodum effusa est ira mea & ex-
candescentia mea super habitatores Jeruscha-
laimorũ, ita effundetur excandescentia mea su-
per vos quum ingressi fueritis Ægyptum: & eri-
tis exsecrationi, & desolationi, maledictioni-
que, & opprobrio, neq; videbitis ampliùs locum
hunc.
19 [7] Alloquitur Jehova vos, ô reliquiæ Jehu-
dæ, ne ingrediamini Ægyptum: [k] omnino scito-
te me contestari vos hodie.
20 [8] Quandoquidem [9] fefellistis animis ve-
stris; quòd misistis me ad Jehovam Deum ve-
strum, dicendo, ora pro nobis Jehovam Deum
nostrum: & omnino prout edixerit Jehova Deus
noster ita indica nobis, & facturi sumus.
21 Quum autem indico vobis hodie, non au-
scultatis voci Jehovæ Dei vestri, & omnibus
quorum causa mittit me ad vos:
22 Nunc, inquam, omnino scitote vos gladio,
fame, & peste morituros; in loco quò placet vo
bis ire ad commorandum ibi.

[c] *Heb. ut projiceram deprecationẽ vestram coram eo.* [d] *Heb. revertẽdo.* [3] videlicet ab instituta profectione in AEgyptũ, quã falsò dissimulaverant coram Propheta, vide sup. 41.17. & inf. vers. 20. [4] humanitus dictum, ut Gen. 6. 6. Sunt autem hujus prophetiæ partes duæ: prior dilemmatica, qua hypotheticè Propheta cõsilio Dei exposito declarat, tum quid Deus manentibus promittat, his tribus versibus, tum quid interminetur proficiscentibus in AEgyptum, usq; ad ℣. 19. posterior verò categorica, qua reprehendens Propheta ludificationem illorum & consilium Deo immorigerum, denunciat Dei verbis judicium severissimum, ad finem usque capitis. [e] *Hebr. a facie Regis: sic deinc.* [f] *Heb. videamus.* [g] *Heb. ad cibum non esuriamus.* [5] non autem in diem commoremur, aut vagemur incertis sedibus, ut hîc nobis propter Chaldæos faciundum esset. [h] *Hebr. disponẽdo.* [i] *Heb. adhærescat post vos: sic 1. Chron. 10.2.* [6] confirmatio minarum præcedentium a recente & domestico exemplo. [7] alterum membrum Prophetiæ, ut diximus in ℣. 10. non a me, inquit, ista profectio, sed a Deo interdicitur: quamobrẽ protestor hodie rem vobis malè cessuram esse, me autem ab omni culpa liberari hac protestatione mea. [k] *Heb. sciendo scitote: sic* ℣. 22. [8] hyperbatica causarum explicatio ex quibus sententiam fert Dominus in reliquias Judæorum, duobus versib. Quamobrem illud, *omnino scitote*, quod habetur præcedente ℣. finito hyperbato repetitur ℣. ult. [9] me videlicet, non autẽ Deum, qui minimè omnium irrideri potest, Gal. 6.7. q. d. certo consilio & deliberata malitia, quum jámq; proficiscendi consilium cepissetis, me ludificati estis; quum interventorem adhibuistis apud Deum, omnia promisistis; & nihil demum præstatis, postquam omnibus meis partibus erga Deum atque vos ipsos defunctus sum.

CAPUT XLIII.

1 **F**Uit verò quum absolvisset Jirmeja elo-
qui apud totum populum omnia verba
Jehovæ Dei eorum, quorum *causa* miserat ip-
sum Jehova Deus eorum ad eos; omnia verba
illa:
2 Ut loqueretur [1] Hazarja filius Hoschahjæ
& Jochanan filius Karechi, omnésque homines
illi superbi; dicentes Jirmejæ, falsum loqueris,
non misit te Jehova Deus noster ad dicendum,
ne ingrediamini Ægyptum ad commorandum
illic:
3 Sed Baruc filius Nerijæ incitat te contra
nos; ut tradat nos in manum Chaldæorum ad
morte afficiendum nos, aut ad deportandum
nos in Babyloniam.
4 Itaque non auscultans Jochanan filius
Karechi, omnésque Principes copiarum, & totus
populus voci Jehovæ; ut maneret in terra Je-
hudæ:
5 Assumsit Jochanan filius Karechi, & omnes
principes copiarum; omnes reliquias Jehudæ;
quæ reversæ erant ab omnibus gentibus quò de-
pulsæ fuerant, ut commorarentur in terra Je-
hudæ:
6 Viros, & fœminas, parvulósq;, & filias Re-
gis; & omnes animas quas reliquerat Nebuzar-
adan præfectus satellitum cum Gedalja filio A-
chikami filii Schaphanis: Jirmejam quoq; Pro-
phetam, & Barucum filium Nerijæ:
7 Et profecti *in* terram Ægypti, quia non
auscultarunt voci Jehovæ; pervenerunt [a] Daph-
nas usque.
8 [2] Fuit autem verbum Jehovæ ad Jirmejam
Daphnis, edicendo,
9 Accipe in manum tuam lapides magnos,
& abde eos in argilla [b] laterariæ illius quæ *est*
ad portam domus Parhonis Daphnis; ante ocu-
los hominum Jehudæorum:
10 Et dices eis, sic ait Jehova exercituum
Deus Jisraëlis, ecce ego mittens assumam Ne-
bucad-retzarem Regem Babyloniæ servum me-
um, & ponam solium ejus supra lapides istos
quos abdidi; tendétq; augustale suum super eos:
11 Nam progressus percutiet terram Ægyp-
ti; *eum* [3] qui morti *addictus est* ad mortem *trahens*,
& qui captivitati ad captivitatem, & qui gladio
ad gladium:
12 Et succendam ignem in domibus deo-
rum Ægypti, ut comburat illas, & captivos de-
portet eos: & amiciet [4] terram Ægypti quemad-
modum amicit pastor vestimentum suum, & exi-
bit inde cum pace;
13 Postquam fregerit statuas [c] [5] Heliopole-
os, quæ *est* in terra Ægypti; & domos deorum
Ægypti combusserit igne.

[1] Qui primus videtur palàm Jirmejæ obstitisse, & alios hærentes in pristino consilio suo confirmasse. [a] *Hebr. Tachpanchesum: vide Jescha. 30.4.* [2] hoc verbum duo continet: signum, seq. ℣. & prophetiam significatam de occupatione AEgypti per Babylonium, versibus reliquis. [b] *Hebr. in lateraria illa.* [3] judicio Dei, per quem vocatus fuerat Babylonius, ut sup. 15.2. [4] i. spolia terræ, metonymicôs. [c] *Heb domus solis.* [5] opidi in quo erat insignis idololatria, teste Herodoto lib. 2. ex quo præfectura Heliopolitana dicta est, quam Hebræi appellant On: vide Gen. 41. 45.

CAPUT XLIIII.

Propheta Judæos in AEgypto commorantes exemplis præcedentibus deterret ne porrò sint idololatræ, pergentibus severissimum judicium pronũciat: pertinaciter ludificantes exempla, a sua ipsorum experientia illos redarguit; Dei justitiam asserit, sententiam repetit, pios revocat, prophetiámque totam confirmat signo ab exitio Regis AEgypti.

1 [1] **V**Erbum quod fuit ad Jirmejam contra
omnes Jehudæos habitantes in terra
Ægypti; qui habitabant [2] Migdoli, & [3] Daphnis,
& [4] Nophi, atque in terra [5] Pathrosi, dicendo,
2 [6] Sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis,

[1] Hujus capitis partes omnino sunt quatuor: inscriptio ℣. 1. prophetia adversus Judæos, ℣. 13. Judæorum responsum pertinax, usque ad ℣. 20. & prophetiæ amplificatio, ac confirmatio, ad finem usque. [2] opidi nomen in Nomo Heroopolitico, cujus mentio est Exod. 14.2. [3] vide Jeschah. 30.4. [4] vide Jeschah. 19.3. [5] vide Gen. 10.14. [6] hujus prophetiæ tria sunt membra: primum est thesis sive propositio generalis judiciorum Dei adversus impietatem ab antecedentibus exemplis, usque ad ℣ 7. secundum est libera in Judæos contestatio coràm a Propheta facta præsentis impietatis nomine, versib. 4. ultimum est sententiæ denunciatio nisi resipuerint, versib. 4.

vos vidiſtis totum illud malum quod adduxi
contra Jeruſchalaima,& contra omnes civitates
Jehudæ; ut ecce ſunt vaſtitas hodierno die,ita
ut nullus in eis habitet:
3 Propter malitiam illorum quam exercue-
runt ad provocandũ me, euntes ad adolendum,
ad colendum deos alienos; quos non noverunt
ipſi,vos,aut majores veſtri:
4 Quòd quum mitterem ad [7] vos omnes
ſervos meos prophetas [a] inde a diluculo indeſi-
nenter,edicendo;ne queſo faciatis [b] rem abomi-
nabilem iſtam quam odi;
5 Non tamen auſcultarunt, neque inclina-
runt aurem ſuam ut reverterentur a malitia ſua;
ne adolerent diis alienis.
6 Quapropter effuſa eſt excandeſcentia
mea & ira mea, exarſitque in civitatibus Jehu-
dæ,& in plateis Jeruſchalaimorum; adeò ut fu-
erint vaſtationi,& deſolationi,ut *ſunt* hodierno
die.
7 [8] Nunc autem ſic ait Jehova Deus exer-
cituum Deus Jiſraëlis, quare vos facitis malum
maximum contra [c] vosipſos,[9] ut exſcindatis vo-
bis virum & fœminam,parvulum & lactentem e
medio Jehudæ; ut non reliquas faciatis vobis
reliquias;
8 Provocando me operibus manuũ veſtra-
rum,adolendo diis alienis in terra Ægypti, quò
veniſtis ad commorandum;ut exſcindatis vobis
reliquias, & ut ſitis maledictioni & opprobrio a-
pud omnes gentes terræ?
9 An obliti eſtis mala majorum veſtrorum,
& mala Regum Jehudæ, & mala uxorum [d] cu-
júſque illorum,maláque veſtra, & mala uxorum
veſtrarum; quæ fecerunt in terra Jehudæ, & in
plateis Jeruſchalaimorum?
10 [10] Non attriti fuerant uſq; in diem hunc:
neque timuerant, neque ambulaverant in lege
mea & in ſtatutis meis; quæ propono vobis, ut
majoribus veſtris.
11 [11] Idcircò ſic ait Jehova exercituum De-
us Jiſraëlis,ecce ego diſpono faciem meam con-
tra vos ad malum; ídque ut exſcindam omnes
Jehudæos.
12 Tollam enim reliquias Jehudæ,quæ diſ-
poſuerunt faciem ſuam ut ingrederentur ter-
ram Ægypti ad commorandum ibi; conſumen-
túrque omnes, in terra Ægypti cadent, gladio,
fame conſumentur a minimo uſque ad maxi-
mum,gladio ac fame morientur:eruntque exſe-
crationi, & deſolationi, maledictionique, &
opprobrio:
13 Et animadvertam in eos qui habitant in
terra Ægypti; quemadmodum animadverti in
Jeruſchalaima,gladio, fame,& peſte;
14 Adeò ut non ſit futurus qui evadat,& reſi-
duus reliquiis Jehudęorum, qui venerunt ut cō-
morarentur illic in terram Ægypti: præter eos
qui [12] attollunt animam ſuam ut revertantur in
terram Jehudę, revertantur inquam ad habi-
tandum illic, nam non ſunt reverſuri [13] niſi qui
evaſerint.
15 [14] Reſponderunt autem Jirmejæ omnes
viri illi qui ſciebant uxores ſuas adolere diis ali-
enis,& omnes fœminæ ipſæ quæ adſtabant con-
gregatione magna; totus denique populus ha-
bitantium in terra Ægypti, in Pathroſo, di-
cendo,
16 *In* verbo quod indixiſti nobis nomine Je-
hovæ;minimè ſumus auſcultaturi tibi:
17 Sed [e] omnino facturi [15] quodcumque ver-
bum prodierit ex ore noſtro, adolendo [f] rebus

[7] id eſt, gentem veſtram.
[a] Hebr. *mane ſurgendo & mittendo:ut* 2.Chr.36.15.
[b] Heb. *rem abominationis iſtius.*
[8] ſecundum mēbrum ſyllogiſmi prophetici; ut diximus in V.2.
[c] Hebr. *animas veſtras.*
[9] i. impietate veſtra ſceleribúſq; excidii cauſam vobis comparetis ipſi: ſic verſ. ſeq.
[d] Hebr. *ipſius: ſyllepſis.*
[10] i. (ut vulgò loquuntur) humiliati calamitatibus.
[11] tertium mēbrum prophetię, concluſio ſyllogiſtica pœnam immorigeris denuncians.
[12] vide Deut. 24.15. Eſt autem in his verbis ἱμπλοκὴ, quam perſpicuitatis cauſa mutavimus ex comparatione verſ.28.
[13] i. qui affecti ſtudio reviſendi terram ſuam, ab illis hominibus, qui obnitentes Deo venerunt in Ægyptum, ſeſe explicaverint maturè.
[14] tranſitio ad pertinax Judęorum reſponſum, exemplum quod Propheta adduxerat ſuo ipſorum exemplo & antecedente experientia deludentium.
[e] Heb. *faciendo.*
[15] i. quicquid voverimus, ut exponit Propheta infrà verſ. 25. Sunt enim hic duo defenſionis loci: unus eſt a religione: jam enim (inquiunt) religioſa hæc officia vovimus, ſi incolumes in Ægyptum perduceremur, hoc verſ. alter eſt ab auctoritate hominū; nam Principes noſtri (inquiunt) hanc religionem demandarunt nobis, verſ.19.
[f] Heb. *operi cælorum: ut ſup.*7. 18. *ſic deinceps.*

cæleſtibus, & libando eis libamina: quemad-
modum fecimus nos, majoréſque noſtri, Reges
noſtri,ac Principes noſtri in civitatibus Jehudæ
& in plateis Jeruſchalaimorũ: nam ſatiabamur
cibo,& eramus [g] hilares, ac malum non [h] expe-
riebamur.
18 Ex quo verò deſiimus adolere rebus cæ-
leſtibus; & libare eis libamina, eguimus omni-
bus: & gladio,ac fame conſumti ſumus.
19 Quum autem nos adolemus rebus cele-
ſtibus, & libamus eis libamina; an abſque præ-
ſtantibus viris noſtris facimus illis [16] popana,
[17] terriculorum cultum exhibendo eis, & liban-
do eis libamina?
20 Alloquutus verò eſt Jirmeja totum popu-
lum illum;viros,& mulieres,totúmque populum
qui reſponderant ei verbum,dicendo,
21 [18] An non illius ſuffitus quem adoleviſtis
in civitatibus Jehudæ & in plateis Jeruſchalai-
morũ,vos,& majores veſtri, Reges veſtri, Prin-
cipéſque veſtri,& populus terræ; illorum *ſuffitu-
um* recordatus eſt Jehova,& *hoc* [i] venit in ejus a-
nimum?
22 Quúmq; non poſſet Jehova ampliùs fer-
re propter malignitatem actionum veſtrarum,
propter abominationes quas feciſtis; fuit terra
veſtra vaſtitati,& deſolationi, ac maledictioni,
abſque ullo habitatore, ut *eſt* hodierno die.
23 Propterea quòd adoleviſtis & quòd pec-
caſtis Jehovæ, neque auſcultaſtis voci Jehovæ,
ac in lege ejus,ſtatutíſque ejus & teſtimoniis e-
jus non ambulaſtis: propterea evenit vobis ma-
lum hoc,ut *eſt* hodierno die.
24 [19] Dixit pręterea Jirmeja toti illi populo,
& omnibus illis mulieribus; audite verbum Je-
hovæ omnes Jehudæi qui *eſtis* in terra Ægypti:
25 Sic ait Jehova exercituũ Deus Jiſraëlis di-
cēdo, [20] ô vos cum fœminis veſtris,[21] & loquun-
tur iſtæ ore veſtro, & manibus veſtris impletis
dicēdo, [k] omnino perfecturę ſumus vota noſtra
quę vovimus, adolendo rebus cæleſtibus, & li-
bando eis libamina:[l] [22] omnino pręſtant illæ vo-
ta veſtra, & omnino illæ perficiunt vota veſtra.
26 Idcircò audite verbum Jehovæ, omnes
Jehudæi qui habitatis in terra Ægypti:ecce ego
juro per nomen meum maximum, ait Jehova,
[23] *pereat*, ſi fuerit ampliùs nomen meum prędi-
catum ore ullius viri Jehudæ qui dicit,vivit Do-
minus Jehovi,in tota terra Ægypti.
27 Ecce ego [m] citò incubiturus ſum eis in
malum,non autem in bonum: ut conſumantur
omnes viri Jehudę qui *ſunt* in terra Ægypti gla-
dio,ac fame,donec deficiant.
28 [24] Qui itaque evaſuri ſunt gladio, rever-
tantur e terra Ægypti *in* terram Jehudæ, [25] ho-
mines [n] pauci:nam experientur omnes reliquiæ
Jehudæorum qui venerunt in terram Ægypti ut
commorentur ibi, utrius verbum præſtabitur,
meum an ipſorum.
29 [26] Hoc autem vobis *eſto* ſignum, dictum

[g] Heb. *boni.*
[h] Heb. *videbamus*
[16] vide ſuprà 7.18.
[17] i. tribuendo corporibus illis cæleſtibus cultum, quem imperiti idololatræ ex gentibus tribuunt ſuis ſomniis & diis excogitatis, qui non ſunt in natura rerum: vide ſup 10.2.
[18] confutatio præcedentis defenſionis: diſſimulavit quidem aliquantiſper Deus tempus ignorationis & impietatis veſtrę; ſed quum non reſiperetis, neque ille ampliùs ferre potuit, neque vos impunè abire. Quamobrem tolerantiam & miſericordiam Dei, quæ vos ad reſipiſcentiam invitabat, iniquè ad probationem ſcelerum veſtrorum pertrahitis, tribus verſibus. poſt hanc autē confutationem Propheta ſententiam Dei judiciúmque repetit, uſque ad verſ.29. ac poſtremò confirmat ſigno, duobus ultimis.
[i] Heb. *aſcendit ſuper cor.*
[19] repetitio ſententiæ, ut modò diximus.
[20] reprehenſio Judæorum, oſtendens ſententiæ quæ ſtatim fertur argumentum: quandoquidem (inquit) in vobis manus manum fricat, & eodem animo in eamdem pertinaciam verborum factorúmq; conſpiratis viri & mulieres, & mutuas inter vos operas præſtatis alacerrimè, idcirco, &c.
[21] i. vos mulie-
bres perturbationes interpretamini coram Deo & me, earúmque comprobatores eſtis coram omnibus hominibus, quum illarum vota niſi a vobis confirmarentur futura eſſent irrita ex lege, Numer.30. quamobrem Propheta conſcios illos nominaverat ſuprà verſ.15. [k] Hebr. *perficiendo perfecturæ: ſic paulò infrà.* [l] Heb. *præſtando.* [22] id eſt, jam non ſunt ampliùs mulierum vota duntaxat; ſed veſtra ipſorum fiunt; & vos planè rei illorum eſtis rati habitione & diſſimulatione veſtra. [23] apoſiopeſis in juramentis frequens. quaſi dicat, mallem memoriam nominis mei planè intercidere, quam ſordido iſtorum ore prædicari, hoc verſ. ac proinde eos perditurum ſum qui in maleficio perſtiterint, duobus ſequent. [m] Heb. *amygdalaturus: ut ſup.*1.12. [24] concluſio ſententiæ, pios utcumque parvo ſint numero in officio confirmans, ut attigerat ſuprà verſ. 14. [25] i. utcumque pauci ſint numero, ne dubitent in iter ſe dare, & reverti Deo auctore & duce. [n] Heb. *numeri: ſic Gen.*34.30. [26] confirmatio a præituro ſigno.

Jehovæ,

Jehovæ, mę animadversurum esse in vos in loco
hoc; ut sciatis [o] omnino præstitum iri verba mea
contra vos in malum:
30 Sic ait Jehova, ecce ego trado Parhonem
[27] Chophrahum Regem Ægypti in manū [28] ini-
micorum ipsius, & in manum quærentium ani-
mam ipsius: quemadmodum tradidi Tzidkijam
Regem Jehudæ in manum Nebucad-retzaris
Regis Babyloniæ inimici ejus, & quærentis ani-
mam ejus.

o *Heb. stando statura verba mea.*
[27] qui Eusebio Vaphres & Apries Herodoto lib. 2. dicitur.
[28] id est, Amasis, & AEgyptiorum qui cum Amasi adversus Regem suum conspiraverant: nam ab illo captivus asservatus, & ab his tandem strangulatus est: vide Herod. lib. 2.

CAPUT XLV.

Deus Barucum auditis severissimis minis & scriptis consternatum reprehendit infirmitatis, & confirmat promissione vitæ.

1 ‖ [1] VErbum quo alloquutus est Jirmeja
Propheta Barucum filium Nerijæ;
quum scriberet verba ista in libro ex ore Jirmę-
jæ, anno quarto Jehojakimi filii Joschijæ Regis
Jehudæ, dicendo;
2 Sic ait Jehova Deus Jisraëlis; de te, ô
Baruc;
3 [2] Dixisti, eheu jam mihi, quia adjicit Je-
hova mœrorem [3] dolori meo; laboro in gemitu
meo, & quietem non invenio.
4 Sic indicturus es ei, sic ait Jebova, [4] ecce
quod ædificaveram ego destruo, & quod planta-
veram ego evello; denique totam hanc terram.
5 Et tu [5] quæreres tibi res magnas? [6] ne
quærito: nam ecce ego adducturus sum malum
super omnem carnem, dictum Jehovæ, sed dabo
tibi animam tuam pro spolio in omnibus locis
quò abiturus es.

‖ *Sup.* 36. 1.
[1] Hæc prophetia (cujus inscriptio continetur vers. 1. παρακλητικὴ est sive consolatoria, propterea quòd Baruc prophetias Jirmejæ exscribens afficiebatur horrore judiciorum Dei, & de se ipso erat plus æquo sollicitus infirma quadam diffidentia: vide suprà 36.
[2] in hac consolatione exponuntur luctus Baruci perterriti judiciorum gravitate, hoc ℣. stabilitas Dei in exsequendis suis judiciis contra populum suum, quamvis summè sit misericors, vers. sequente: & Baruci consolatio a promissione, vers. ultimo. [3] percepto ex Joschijæ morte, Joachazi captivitate, regni oppressione, & omnium depravatione. [4] argumentum a comparatione majoris: hæc omnia (inquit Deus) ego feceram, fundaveram, colueram, ornaveram, & si quid est hujusmodi; ac proinde non possum non affici misericordia erga Rempub. téque ipsum propter me: sed cum tanta sit communis improbitas, ut invitus cogar omnia pessumdare; ne putes umquam te aut majore esse misericordia erga res omnes quàm ego sim, aut majore studio tibi ipsi prospicere quàm ego facturus sum, sed ex hoc communi incendio satis esto quòd liberabo te. [5] id est, magnificè tibi prospectum velles, & in communibus procellis ac tempestatibus tamquam e portu naufragium publicum prospectare? [6] id est, satis esto quòd te e mediis procellis erepturus sum, & vitam conservaturus tibi; ut Deus Hebedmeleco promiserat suprà 39. 16. & sequent.

CAPUT XLVI.

Deus Aegyptiis cladem eventuram ad Euphratem prænuncias: deinde AEgyptum post annos aliquos a Nebucadnetzare occupatum iri, idq; cum vastatione quæ non poteris nisi post annos quadraginta resarciri: denique hoc argumento populum suum consolatur.

1 [1] VErbum Jehovæ, quod fuit ad Jirmejam
Prophetam contra gentes ipsas.
2 [2] De Ægyptiis. [3] Contra copias Parhonis
Neconis Regis Ægypti, [4] quæ fuerunt juxta flu-
men Euphratis ad [5] Carcemischum; quas per-
cussit Nebucad-retzar Rex Babyloniæ, [6] anno
quarto Jehojakimi filii Joschijæ Regis Jehudæ.
3 [7] Instruite vos clypeo & scuto, & appropin-
quate ad prælium:
4 [a] Jungite equos & ascendite, ô equites,
ac sistite vos cum galeis; tergite spicula, induite
loricas.
5 [8] Cur video istos consternatos, actos re-
trorsum; & potentes eorum contusos, atque ita
fuga fugientes ut [9] non obvertant faciem? for-
mido *est* circumquaque, dictum Jehovæ:
6 Ne effugiat qui levis est, neque eripiat se
qui potens est: versus Aquilonem ad ripam flu-
minis Euphratis impingunt & cadunt.
7 [10] Quis hic *est qui* [11] ut rivus ascendit; ut
flumina, cujus commoventur aquæ?
8 Ægyptius *est qui* ut rivus ascendit, & ut flu-
mina commotis aquis: dicit enim, ascendam,
operiam terram, perdam civitatem & habitan-
tes in ea:
9 [12] Ascendite ô equi, & [b] insano impetu
agitamini ô currus, & prodeant potentes: Æthi-
opes, & [13] Putæi [c] tractantes clypeum, & [14] Lu-
dæi tractantes & tendentes arcum.
10 Atqui dies ille Domino Jehovi exercitu-
um dies *erit* ultionis, quo ultionem sumet de ho-
stibus suis, consumétque gladius, & satiabitur,
etiam inebriabitur sanguine istorum: nam victi-
ma domino Jehovi exercituū *erit* in terra Aqui-
lonis ad flumen Euphratis.
11 [15] Ascende [16] Gilhadem, & accipe opobal-
samum, virgo filia Ægypti: in vanum multas
adhibes curationes, emplastrum nullum *prodest*
tibi.
12 Audiunt gentes ignominiam tuam, & cla-
more tuo plena est terra: [d] [17] potentes unum in
alterum impingere, pariter cadere ambos.
13 [18] Verbum quod eloquutus est Jehova Jir-
meję Prophetæ; [19] de venturo Nebucad-retzare
Rege Babyloniæ ad percutiendū terrā Ægypti.
14 [20] Indicate in Ægypto, & promulgate
[21] Migdoli, promulgate etiam Nophi, & Daph-
nis: dicite, consiste & compara [e] te, sed consum-
turus est gladius [f] te circumquaque.
15 Cur everritur *quisq;* robustorum tuorum?
non consistit, quia Jehova impellit eum.
16 [22] Facit ut impingant multi: etiam conci-
det [g] alter cum altero, & [23] dicent, surge ut re-
vertamur ad populum nostrum, & ad [h] solum na-
tale nostrum, metu gladii istius opprimentis;
17 Clamantes illic; Parho Rex Ægypti
[i] [24] streperus *est*, prætermittit constitutum tem-
pus.
18 [25] Ut vivo ego, dictum Regis illius cujus

[1] Hic versus generalem inscriptionem continet hujus capitis & sequentiū quinque, quibus Deus sigillatim gentibus Judæam circumstantibus judicia sua prænunciat. Totum verò hoc caput reliquum contra AEgyptios duas prophetias explicat; unam, contra copias Parhonis Neconis in Babyloniam irrumpentes, usque ad vers. 13. alteram, in totam Aegyptum ipsam inde ad ℣. 27. ac postremò populū Dei consolatur duobus versibus ultimis. [2] hæc hujus capitis inscriptio est, quo duas clades Aegyptiis prænunciat, ut modò diximus. [3] inscriptio prioris Prophetiæ de priore clade, cujus circumstantiæ hoc versu accuratè observantur. [4] hæc per anticipationem dicta sunt: hæc enim antè prophetavit Jirmeja quàm AEgyptiis acciderent. [5] vide 2. Chron. 35. 20. [6] qui primus est Nebucad-retzaris magni, suprà 25. 1. nam sex ista capita sunt illius exegetica. Hoc autem anno quo primùm regnare cœpit Nebucad-retzar, hæ prophetiæ rerum ab illo gerendarum Jirmejæ demonstratæ sunt.

[7] hujus prophetiæ (quæ tota ferè per hypotyposin ironicam describitur) occasio fuit, quòd AEgyptius ex victo Joschija, comparata Judæa & Syria, superatóque Nebucad netzare priore plus ęquò insolesceret: itaque hic proponuntur duo adversus Neconē inflatum victoriis suis: unum est, quòd revocatur ad arma capienda ineunte regnum Nebucadretzare filio, hoc & seq. versu, alterum quòd clades ipsius prædicitur ℣. 5. & 6. quæ duæ partes reliquis exornantur.
[a] *Heb. ligate.*
[8] hypotyposis cladis (ut modò diximus) per interrogationem, cujus hypophora est sub finem versus; nimirum in causa esse pavorem illum, cujus mandatum Dei verbis enunciatur, seq. versu.
[9] videlicet ad resistendum hosti.
[10] exornatio pręcedentis cladis, primùm ab insolentia suscipientis expeditionem AEgyptii cum auxiliaribus copiis, tribus versibus. deinde a magnitudine cladis immedicabilis & ignominiosissimæ, tribus alteris.
[11] id est, assurgit & exundat potentia summa, ut in Aegypto Nilus.

[12] sarcasmus. [b] *Hebr. insanite, ô currus.* [13] vide Genes. 10. 6. [c] *Heb. prehendentes: ut Gen. 4. 21.* [14] de quibus Gen 10. 13. [15] sarcasmus alter. [16] ut suprà 8. 22. vide Genes. 37. 25. [d] *Hebr. potentem in potentem.* [17] id est, AEgyptios, qui se priùs invictos prædicabant, alios ab aliis elidi, dejici, & perdi fuga præcipite, qua sibi volunt consulere. [18] Inscriptio secundæ prophetiæ, de qua diximus suprà in ℣. 1. [19] ut prædixerat suprà 43. 8. & seq. & 44. 30. [20] hujus prophetiæ partes in universum duæ sunt: una, propositio interminationis de AEgypto occupanda per Babylonium, hoc versu; altera propositio causæ, seq. versu: quæ duæ propositiones sequentibus explicantur. [21] id est, in singulis finibus: nam Migdol erat ab Oriente in termino AEgypti, Noph a Meridie, Daphnæ a Septemtrione: terminum Occidentis propterea missum facit, quòd illac non esset venturus Babylonius. De istis autem opidis vide suprà 44. 1. [e] *Hebr. tibi.* [f] *Heb. ambitus tuos.* [22] exornatio prioris propositionis, de clade AEgypti a Babylonio occupandæ, quam Propheta (ut viso oblatam divinitus) per præteritum tempus enunciat propheticè, nos ad evidentiam futuro reddimus. [g] *Hebr. vir cum amico suo.* [23] auxiliares & stipendiarii milites, de quibus infrà vers. 21. [h] *Hebr. terram nativitatis nostræ.* [i] *Hebr.* Rex *strepitus.* [24] id est, dat verba, res magnas pollicendo strepit, & promissis personat; sed justo tempore nihil efficit: sic auxiliares copiæ & AEgyptii abjicientes animum curam defensionis deserturi figurantur. [25] confirmatio cladis prænunciatæ, a juramento Dei.

nomen *est* Jehova exercituũ; [26] quamvis ut Thabor in montes & ut Carmel in mare procedat, *tamen hæc futura sunt.*

19 Instrumenta deportationis para tibi, ô [27] deses filia Ægypti, Noph enim desolationi erit, & succendetur ita ut nemo habitet.

20 Ut [28] vitula speciosissima *est* Ægyptus: *sed* excidium ab Aquilone [k] omnino venturum est.

21 Etiam mercenarii ejus in medio ejus ut vituli [29] saginati, nam etiam ipsi obvertent faciem, fugient pariter, non consistent: quum dies calamitatis eorum supervenerit eis, tempus visitationis eorum.

22 Vox illius [30] quasi serpens ibit; quando copiis procedent, & cum securibus venient ad eam, tamquam putatores arborum:

23 Cædent sylvam ejus, dictum Jehovæ, [31] quamvis non possit pervestigari; quamvis plures sint *arbores* locustis, & nullus *sit* eis numerus.

24 Erubescet filia Ægypti; tradetur in manum populi Aquilonis.

25 [32] Ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis, ecce ego animadversurus sum in [33] nutritiũ No, id est, in Parhonem, & in Ægyptum, & in deos ejus, & in omnes regulos ejus: denique in Parhonem, & in eos qui confidunt ei:

26 Et tradam eos in manum quærentium animam ipsorum, nempe in manum Nebucad-retzaris Regis Babyloniç & in manum servorum ejus: [34] postmodùm autem [35] [l] habitabitur ut diebus [m] priscis, dictum Jehovæ.

27 [36] Tu autem ne timeto, serve mi Jahakob, neque consternator, ô Jisraël, nam ecce ego servaturus sum te e longinquo, & semen tuum e terra captivitatis suæ: reversúsque Jahakob quiescet, ac tranquillus erit nemine deterrente.

28 [f] Tu *inquam* ne timeto, serve mi Jahakob, dictum Jehovæ, nam tibi adsum: nam faciam consummationem in omnibus gentibus quò depulero te, tecum verò non sum facturus consummationem, sed castigaturus te modicè, non autem prorsus relicturus impunem.

[26] id est, quamvis AEgyptus situ & natura loci videatur esse munitissima, & circumvallata montibus ac mari, non secus ac Thabor montibus circumcluditur, & Carmelus in mare projectus est; ac proinde sibi AEgyptius omnino confidat, ut dicitur infrà V. 25. tamen has minas meas effecturus sum, & jamque impero ut se ipsam ad perpessiones earum comparet, versibus sequentibus. [27] id est, quæ jam tibi regina sedere videris, comparatis a Necone tam amplis victoriis & regionibus. [28] amplificatio denunciatæ cladis a comparatione præsentis gloriæ, hoc & seq. versu, cum ventura ignominia & ruina, tribus sequentib. [k] *Heb. venturum venturum est.* [29] nimirum in saginario, ac proinde imbelles planè, ut exponitur sequentibus. [30] id est, non ampliùs mugiet aut boabit immani strepitu, ut faciebat anteà; sed humi serpet, nec magis audietur quàm serpentis incessus audiri solet: sic Jeschah. 29.4. Summa est, hactenus ferocivisti, & immanes boatus edidisti insolẽtia tua, ut de voce vitulæ trimæ legimus Jeschah. 16.5. & infrà 48.33. sed advenientibus meis lanionibus e Chaldæa non audebis hiscere, ac vix spirare quidem: & quemadmodum vitula efferata per densas sylvas discurrit, sic etiam tu recipies te in paludes tuas, sed frustrà: ut sequent. versibus exponitur. [31] id est, utcunque frequens sit AEgyptus opidis & munitionibus, ut sylvæ arboribus. Nam ipso Amasis tempore urbes in Aegypto fuisse mille & viginti legimus apud Herodotum sub finem lib. 2. [32] conclusio summa præcedentis interminationis. [33] id est, Alexandriam matrem & quasi nutriciam totius AEgypti opum amplitudine & celebritate emporii: sic Nachum. 3.8. [34] id est, post annos quadraginta quàm fuerit occupata, Jechezk. 29. 11. & seq. [35] id est, pristinam dignitatem recipiet, ut factum esse temporibus Amasis narrant historici. Etsi obiter hoc dicendum est, deceptum fuisse Herodotum & alios astu AEgyptiorum sacerdotum suas plagas gloriosè dissimulantium, quòd illos quadragina annos in regno Amasis cõprehendunt: qui tamen non antè regnavit, sed post illos 40. annos, ut ratio ipsa temporum ostendit: cùm idem Amasis regnante Cyro, & Cambyse proregẽ agente, AEgypto imperaverit, ex Herodoto lib. 3. [l] *Heb. habitavit.* [m] *Heb. antiquitatis.* [36] consolatio ad populum Dei, ut diximus in vers. 14. a judicio Dei in adversarios, & paterna administratione in populũ suum. [f] *sup.* 30.11.

CAPUT XLVII.

Propheta Pelischthæis, Tyriis, Tzidoniis, & Syriæ toti maritimæ cladem a Chaldæis prænunciat obventuram justo judicio Dei.

1 [1] VErbum Jehovæ quod fuit ad Jirmejam Prophetam contra Pelischthæos, quum nondum Parho percussisset Hazzam.

2 Sic ait Jehova ecce [2] aquæ ascendunt [3] ab Aquilone, & [a] evadunt in torrentem inundantem, ut inundent terram & quæ implent eam, civitatem & qui habitant in ea: itaque clamabunt homines, & ejulabit quisquis habitat in ea terra.

3 [b] A sonoro plausu ungularum fortium *equorum* ejus, a commotione curruum ejus, strepitu rotarum ejus; [4] non advertent faciem patres ad filios, præ remissione manuum:

4 Propter diem illum venturum, [c] quo vastaturus est omnes Pelischthæos, [d] excisurus [5] Tyrum, & Tzidonem, totúmque residuum auxiliare: quum vastaturus *est* Jehova Pelischthæos, reliquias [6] regionis Caphthoris.

5 Obveniet [7] calvitium Hazzæ, exscindetur Aschkelon, *&* reliquiæ [8] convallis eorum: [9] quousque induces tibi cæsuras?

6 *Dicens:* Eheu [10] gladie Jehovæ, usque quò non es requieturus? recipe te in vaginam tuam, quiesce & subsiste.

7 Quomodo requiesceres? atqui Jehova præcepit ei: contra Aschkelonem, deniq; [11] contra portus maris, ibi constituit illum.

[1] Hujus prophetiæ inscriptio vers. 1. argumentum ejus, & tempus continet. Ac argumentum quidem est de clade lugubri Pelischthæorum; tempus verò quo prophetata est in dubio esse solet: nam alii quod hic dicitur de percussa Hazza, post mortem Joschijæ factum putant, redeunte Necone & de Syria capta triumphante: alii referunt ad annum illum 4. Jehojakimi, quo expeditionem suscepit contra novum Regem Nebucad-retzarem magnum; alii ad tempora Tzidkijæ, quum procedentibus obviam Chaldæorum copiis pedem referret in AEgyptum. Sed nobis nihil istorum probari potest. Nam quum Neco temporibus Joschijæ Syriam totam occupasset, ac posteà infestante Babylonio liberè in agrum Carcemischi procederet obviam Babylonio (quo tempore Rex Joschija exstinctus est) non est verisimile illum neglectis hostibus propinquis & qui præ foribus erant ad longinquos excurrisse, atque ad Syriam & regiones remotas occupandas imprudentissimè regnum AEgypti reliquisse, dum conterminos Pelischthæos haberet hostes. Quamobrem cùm Herodotus & Josephus testentur Syriam totam excepta Judæa a Necone fuisse occupatam, & inde a tempore Joschijæ usque ad magni Nebucad-retzaris regnum Neco totáque AEgyptus quietè de importatis exterorum spoliis triumphaverit (ut dictum est præcedente capite) magis placet nobis Hazzam in prima illa Neconis expeditione, superstite adhuc & florente Joschija fuisse captam, ac proinde prophetiam hanc tempore Joschijæ prophetatam. Nec obstat quòd caput præcedens posterius est tempore: nam in prophetia Jirmejæ temporum seriem non observari liquet, ut annotavimus suprà 22. 1. & aliis locis. deinde verò has prophetias contra gentes non dubitamus confusè in fine libri conjectas esse. Prophetia autem summatim duo continet, narrationem propheticam luctuosæ cladis quæ Pelischthæis totique Syriæ maritimæ erat obventura, usque ad versum 6. deinde causam ostendit διαλογιστικῶς, duobus vers. ultimis. [2] id est, copiæ Babyloniorum potentissimæ, quç cum aquis exundantibus ferè comparantur: ut Jeschah. 8. 7. & Jechezk. 26. De hoc autem argumento vide Jeschezk. 25. & seq. [3] ut suprà 1. 14. [a] *Heb. sunt.* [b] *Heb. a sono plausus.* [4] id est, adeò urgebuntur calamitate ut ne patres quidem de liberis solliciti sint, sed tantùm cogitent de vita sua: simile est Matth. 24. 17. & seq. [c] *Heb. ad vastandum.* [d] *Heb. ad exscindendũ.* [5] vide suprà 25. 22. [6] vide Genes. 10. 14. [7] id est, luctus, synecdochicè: ut Jeschah. 3. 25. [8] id est, regionis maritimæ in convalle sitæ. [9] apostrophe sarcastica Prophetæ ad Palæstinam, luctum gentium ludificantis, de quo Levit. 19. 28. [10] id est, qui a Jehova immissus es. Est autem expostulatio hæc dicta humanitus ab iis qui non consulunt os Jehovæ, sed manum fugiunt. Quamobrem Propheta per apostrophen respondet sequent. versu, primùm ad gladium, deinde ad Pelischthæos ipsos. [11] id est, regiones totas quæ sunt secundùm mare, suprà 25. 22.

CAPUT XLVIII.

Propheta Moabitis excidium per Chaldæos prænunciat propter ipsorum fastum, idololatriam, blasphemias in Deum, & contumelias in populum ejus, denique propter odium Chaldæorum infensissimum: ac eos postremò euangelica promissione consolatur.

1 [1] COntra Moabum sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis, vç [2] Nebunti, nam

[1] Hujus prophetiæ (qua Moabitis exitium a Babylonio eventurum prædicitur) partes universè sunt tres: prima est propositio, usque ad V. 11. secunda, exornatio propositionis, ad V. 43. usque: postrema conclusio, reliquis versibus. In propositione autem continentur duo; denunciatio cladis, 6. versib. & causæ, quinque sequentibus. [2] de hac civitate Moabitarum, & permultis sequentibus vide Jeschah. 16. Quamobrem hic ea tantum explicabimus quæ apud Jeschahjam non inveniuntur.

vastabitur, erubescent, capientur [3] Kirjathajima: erubescet [4] *civitas* [a] sita edito loco, & consternabitur.

2 Nulla *erit* ampliùs laus Moabi; [5] de Cheschbone, cogitabunt contra eam malum, *dicentes*, agite, exscindamus eam [6] ne sit gens: etiam Madmen exscinderis, [b] te persequetur gladius.

3 Vox [c] clamosa *inde* a Choronajimis, *dicentium*, [7] ô vastitatem & contritionem magnam:

4 Confractus est Moab; edent clamorem parvuli ejus.

5 Nam clivum Luchithæ [d] continuus ascẽdet [8] fletus: nam in descensu Choronajimorum [e] [9] hostes *fragosi* clamorem fragosum audient,

6 *Dicentium*; fugite, eripite [f] vos ipsos; & [10] estote ut nudatissima arbor in deserto.

7 [11] Nam eò quòd fiduciam habes [g] in rebus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris: & exibit [12] Cemosch in deportationem, Sacerdotes ejus, & Principes ejus pariter.

8 Quum veniet vastator contra [h] unamquamque civitatem, non eripies te, sed peribit convallis, & perdetur planities: quia edicit Jehova:

9 [13] Date, inquit, [i] pennatam alam Moabo, ut [k] ea utendo exeat: nam civitates ejus desolationi erunt, adeò ut nullus habitet in eis.

10 [14] Maledictus qui facit opus Jehovæ fraude; & maledictus qui cohibet gladium suum à sanguine.

11 [15] Tranquillus *est* Moab inde a pueritia sua, & desidet super fæces suas, neque transfusus est de vase in vas, id est, in deportationem non abiit: propterea [16] mansit sapor ejus in eo, & odor ejus non est mutatus.

12 Idcircò ecce dies venturi *sunt*, dictum Jehovæ, quum immittam ei [17] peregrinantes, qui peregrè agant eum; & [18] vasa ejus [l] depleant, ac utres eorum dissipent.

13 Tum erubescet Moab a Cemoscho; quẽadmodum erubuerunt domus Jisraëlis a Bethele fiducia ipsorum.

14 [19] Quomodo dicitis, potentes sumus; & viri [m] strenui in bello?

15 Vastabitur Moab, & *e* civitatibus suis ascendet, & [n] lectissimi juvenes ejus descendent ad mactationem: dictum Regis, cui nomen *est* Jehova exercituum.

16 Propinqua *est* calamitas Moabi eventura; & malum ejus festinat valdè.

[3] civitas attributa Reübenitis, deinde verò a Moabitis occupata, Jehosch. 13.19. [4] id est, Bamothæ, sive Bamoth-baħalis, quæ nominantur Jeschaħjæ 16.2. [a] *Heb. editus loci: ut verbi genus ostendit.* [5] alludit fere Propheta ad singularum civitatum nomina, quod non satis commodè aliis linguis ostendi potest: ut verbi gratia, Cheschbon rationes significat: ait verò Propheta nullam fore ampliùs laudem Moabo de rationibus; sed futurum esse ut hostes longè diversas rationes ineant cõtra illum: sic etiã de Madmene & aliis compluribus. [6] ut infrà ℣.42. [b] *Heb post te ibit.* [c] *Heb. clamoris: ut sup.25.36.* [7] ethopœiæ elegantes, quibus luctum Moabitarum Propheta exprimit pervadentem a termino uno ad alterum, ut Jeschaħ. 16.5. qui versus hos quatuor interpretatur. [d] *Heb. cum fletu ascendet fletus.* [8] id est, Moabitæ effugiendo flentes: synecdoche. [e] *Heb. hostes fragoris, clamorem fragoris.* [9] i. tantus erit Moabitarũ ejulantium fragor, ut hostium ipsorum (qui ferè victoria insolescunt & tumultuantur in præda) strepitum fragorémque maximum superent. [f] *Heb. animas vestras.* [10] id est, abjecti & contemti delitescite: vide de hac voce Psal. 102.19. [11] altera pars propositionis causas exponens accommodatas judiciis. Sunt autem eæ tres: prima est præfidentia Moabitarum in ipsis & in idólis suis, hoc vers. secunda est ira Dei justissimum judicium denuncians, duobus sequent. tertia est studium inimicorum acerbissimum accensum divinitus vers. 10. [g] *Heb. in operibus, id est, rebus a te comparatis.* [12] vide Num. 21.29. [h] *Heb. omnem civitatem & civitatem.* [13] prosopopœia, qua Deus inevitabile judicium suum Moabitis denunciat hyperbolica concessione. quasi dicat, si alas habuerint ad volandum, evolent; sed nullo pacto effugient: nam velut aquilæ futuri sunt ii qui persequentur eum. [i] *Heb. pennam.* [k] *Heb. penna utendo.* [14] verba Dei inflammantis hostes ad ultionem acerbissimam sumendam de Moabitis, & animo adeò infenso ut ipsi inter se cohortentur in perniciem Moabitarum. [15] secunda pars prophetiæ, exornatio, qua singulæ propositionis causæ cum judiciis venturis comparatæ ordine explicantur: ac primùm quidem præfidentia insolentissima, usque ad vers. 26. deinde ira Dei, usque ad vers. 40. ac postremò hostium acerbitas, ad ℣.43. Præfidentiæ autem, quæ hoc vers. demonstratur comparatione elegantissima, argumenta ponuntur duo: ab ipsorum persona, hoc ℣. & a fiducia in Deum ipsorum vers. 13. quæ argumenta confutat Propheta vers. 14. & seq. [16] id est, sibi constat in facultatibus, malitiáque sua, & rebus omnibus [17] Chaldæos. [18] quibus Moabitarum opida figurantur. [l] *Heb. evacuent.* [19] contestatio, qua præfidentiam Moabitarũ Propheta exagitat adductis judiciis, quæ deinceps narrantur usque ad vers. 26. [m] *Heb. roboris.* [n] *Heb. dilectus juvenum.*

17 Condolete ei omnes circumstantes eum, & quicunque novistis nomen ejus: dicite, quomodo fractus est [20] baculus [o] robustissimus? virga [p] ornatissima?

18 Descende de gloria & sede [q] in sicco, ô deses filia Dibonis: nam vastator Moabi ascendet contra te, corrumpet munitiones tuas.

19 Juxta viam consiste, & speculare habitatrix [21] Haroħeris: interroga fugientem *virum*, & fœminam eripientem se; dic, quid factum est?

20 Erubescit Moab, *inquiens*, quia contritus est, ejulate & clamate: indicate ad Arnonem vastari Moabum.

21 Nam judicium adveniet in [22] terram planitiei; in Cholonem, & in Jahatzum, & in [23] Mephaħatam,

22 Item in Dibonem, & in Nebuntem, & in [24] Bethdiblathajima,

23 Et in Kirjathajima, & in Beth-gamulum, & in [25] Beth-meħonem,

24 Et in [26] Kerijothas, & in [27] Botzram; denique in omnes civitates terræ Moabi, longinquas & propinquas.

25 Succidetur [28] cornu Moabi, & brachium ejus frangetur; dictum Jehovæ.

26 [29] Inebriate eum, quia contra Jehovam magnificavit se: [30] ut plaudat Moab in vomitu suo, & sit risui ipse quoque.

27 [31] Nam an non risui tibi fuit Jisraël? [32] an inter fures inventus est? quòd quum verba tua *facis* de eo, [33] commoves te.

28 Relinquite civitates, & habitate in petra, ô incolæ Moabi: & estote similes columbæ nidificanti [r] in lateribus hiatus cavi.

29 Audivimus superbiam Moabi, fastuosum esse admodum; altitudinem ejus, & superbiam ejus, fastúmque ejus, & elationem [s] animi ejus.

30 Ego novi, dictum Jehovæ, [34] excandescentia ejus tamen non ita *efficiet:* mendacia ejus non ita efficient.

31 [35] Idcircò propter Moabitas ejulo, & propter Moabum totum clamo; propter homines Kir-cheresi gemit *animus meus*.

32 [36] Supra fletum Jaħezeris defleo te, ô vitis Sibmæ, propagines tuæ trajicient mare, usque ad mare Jaħezeris pertingent; super æstivos fructus tuos & super vindemiam tuam vastator irruet:

33 Et intercipietur lætitia & exsultatio ex arvis e terra Moabi: & vinum e lacubus faciam ut cesset, non calcabit celeustes, celeustæ non *erit* celeusma.

34 Præ clamore Cheschbonis Elħalen usque, Jahatzum usque edent vocem suam, a Tzoħare Choronajima usque *quasi* vitula trima: nam etiam aquæ Nimrimorum [t] desolatissimæ erunt.

35 [37] Ita faciam ut cesset Moabo, dictum Jehovæ; qui offerat *in* excelso, & adoleat diis ipsius.

36 [38] Idcircò animus meus propter Moabum ut tibiæ perstrepet, & animus meus propter homines Kir-cheresi ut tibiæ perstrepet: idcircò [39] *quamvis* residuum fecerit, peribunt *tamen*.

37 Nam [40] omni capiti calvitium *erit*, &

[20] id est, regnũ & potentia amplissima cui confidebant. [o] *Heb. roboris.* [p] *Heb. ornatus.* [q] *Heb. in loco sitis.* [21] vide Deut. 2.35. & 3.12. [22] Cujus opida in ditione Moabitarum sita sequentibus nominantur. [23] attributam Reübenitis in jure Levitarum, Jehoschu. 13.18. & 21.37. [24] sive Diblatajima tantùm, de quibus Numer. 33.47. [25] Bajithum vocat Jeschaħ. 16.2. [26] opidum nobile, de quo Hamos 2.2. [27] sive Betzerum Reübenitarum, attributum Meraritis, Jehosch. 21. 36. deinde verò a Moabitis occupatum: aliis verò locis, Botzra Edomæorũ est. [28] ut 1. Schem. 2.1. [29] secundus exornationis locus ab ira Dei, cujus effundendæ argumenta ponuntur duo: unum est insolentia ipsorum contra Deum & populum ejus, quam Deus prædicit se judiciis retusurum esse, usque ad vers. 35. alterum est idololatria, usque ad ℣. 40. Dicit autem inebriate, ut dixerat suprà 25.21. [30] id est, plausu totius corporis volutet se in suo vomitu, ex ebriorum more. [31] apostrophe ad Moabitas, exprobrans insolentiam illorum in populum Dei. [32] videlicet quòd pudore fueris populum meum afficis [l] ut jobi 30.5. & suprà 2.26. [33] i. prorumpis in risum, & impotentissimè cachinnaris. [r] *Heb. in transitibus oris fossæ. Jeschaħjæ* 16.15. [s] *Heb. cordis: sic deinceps.* [34] i. furat & rumpatur licet, ac mendaciter glorietur, plurimùm tamẽ aberit a suis rationibus. [35] amplificatio indictæ calamitatis a persona Prophetæ: tanta, inquit, & tam insperata calamitas Moabitis eventura est, ut perhorrescã totus ad cogitationẽ illius, & me misereat ipsorum: sic etiam in altero membro infrà ℣.36. [36] i. ampliùs defleo quàm olim deflevit Jeschaħja 16.18. Ac propterea in sequentib. Jeschaħjæ verba amplificat. [t] *Heb. in desolationes.* [37] alterũ iræ divinæ argumentũ, ut diximus in ℣.26. [38] i. propter idololatriam quæ modò dicta est. [39] vide Jeschaħ. 16.7. [40] i. omnes prementur luctu acerbissimo: synecdoche.

omnis barba exsecta; in omnibus manibus cæsu-
ræ,& super lumbos cilicium:
38 Super omnia [41] tecta Moabi, & in plateis
ejus totus *erit* planctus; quum fregero Moabum
ut [42] instrumentum in quo nulla *est* delectatio,
dictum Jehovæ.
39 Quomodo contrita est? Ejulate, quomo-
do obvertit cervicem Moab pudendè? éstq; Mo-
ab risui & consternationi apud omnes circum-
stantes ipsum?
40 [43] Nā sic ait Jehova, ecce [44] similis aquilę
involabit *hostis*; pandétq; alas suas in Moabum,
41 Capientur Kerijothæ, & *unaquæque* muni-
tionum occupabitur: & erit animus potentum
Moabi die illo, ut animus mulieris perpetientis
tormina:
42 Et exscindetur Moab ne sit populus; quia
contra Jehovam magnificavit *se*.
43 [45] Pavor,& fossa,ac laqueus; imminet tibi,
ô incola Moabi, dictum Jehovæ.
44 Qui effugerit [u] a pavore incidet in fossam,
& qui ascenderit ex fossa capietur laqueo: quum
inveham in ipsum, in Moabum, annum visitatio-
nis ipsorum, dictum Jehovæ.
45 In umbra Cheschbonis stabant qui fugie-
bant a vi: ‖ sed ignis egredietur Cheschbone, &
flamma e medio Sichonis, qui consumet latus
Moabi,& verticem [x] eorū qui nihil nisi strepunt.
46 Væ tibi Moab, periturus est populus Ce-
moschi: nam rapientur filii tui in captivitatem,
& filiæ tuæ in captivitatem.
47 Attamen reducam multitudinem capti-
vam Moabi [y] ultimis temporibus, dictum Jeho-
væ: hactenus judicium Moabi.

[41] ubi idôla coluerant, in propatulo.
[42] ut sup. 22.28.
[43] tertia pars exornationis, a persona hostium, ut diximus suprà in ✠. 11.
[44] ut suprà 4.13.
[45] conclusio, continens primùm summam judiciorum præcedentium, quatuor versibus; deinde promissionē Euangelicam de vocatione ad regnum Christi, vers. ultimo. Similem autem huic versum vide Jeschaħ. 24.16.
[u] *Heb. a facie pavoris.*
‖ *Num.* 21.28.
[x] *Heb. filiorum strepitus.*
[y] *Heb. in extremitate dierum.*

CAPUT XLIX.

Propheta ruinam Hammonitis, Edomæis, Syris, Arabibúsq; a Nebucad-netzare prænunciat: & confirmat altera clade proximè per Scythas regno Medorum eventura.

1 [1] Contra [a] Hammonitas, Sic ait Jehova,
[2] an filii nulli *sunt* Jisraëli? an hæres
nullus *est* ei? cur hæreditario jure possidet Rex
istorum [3] Gadem, & populus illius in civitatibus
hujus habitat?
2 Idcircò ecce [4] dies venturi *sunt*, dictum Je-
hovæ; quum faciam ut audiatur cōtra [5] Rabbam
Hammonitarum clangor belli, sítq; tumulus va-
stitatis,& [b] pagi ejus igne succendantur: ita hæ-
res erit Jisraël hæredum suorum, ait Jehova.
3 Ejula [6] Cheschbon, quum vastata fuerit
[7] Hai, clamate pagi Rabbæ; accingite vos cilici-
is, plangite, & cursitate per septa: nam Rex isto-
rum in deportationem abibit, Sacerdotes ejus,
& Principes ejus pariter.
4 Quid gloriaris de convallibus, affluentę
convalle tua, ô filia aversa? quæ confidit in [8] the-
sauris suis, *dicens*, quis invaderet me?

[1] Hoc capite cōtinentur quinque prophetiæ suis inscriptionibus distinctę, pro ratione populorum adversus quos fuerunt enunciatæ. Hæc autem prima cōtra Hammonitas tres partes continet: nam primùm de injuria populo suo facta cum Hammonitis contestatur Deus, ✠. 1. & supplicium denunciat, duobus sequentibus. deinde cōtestatur insolentis fiduciæ nomine,& pœnam indicit peccato parem, ✠. 4.& 5. postremò promissionem Euangelicam adhibet, ✠. 6. ut suprà 48. 47. [a] *Heb. filios Hammonis: sic deinceps.* [2] id est, an nulli sunt ampliùs posteri ex Jaħakobo, qui majoribus aut agnatis suis succedant ex lege; quòd Gadis sortem obtines? aut etiam nónne est Jehuda legitimus hæres sortis suæ, quòd tu infestas eum? 2. Reg. 24. 4. [3] i. sortem attributam Gadi, quam sibi primùm Hammonitæ vindicare voluerant, Judic. 11. deinde verò deportatis in Assyriam Reübenitis & Gaditis cum Pule aut Tiglath-pileesere convenerunt de ea possidenda, magna tum aliorum Jisraëlitarum, tum Judæorū injuria. [4] videlicet post eversum Judæorum regnum: vide Jechezk. 21.33.& seq. [5] civitatem Regiam Hammonitarum, de qua Jehos. 13.25.& 2. Schem. 11.1. [b] *Heb. filiæ: sic deinceps.* [6] Civitas Gaditarum, de qua Jehoschu. 21.39. [7] alterum Gaditarū oppidum trans Jardenem situm, ac proinde distinguendum ab eo cujus historia habetur Jehosch. 7. [8] id est, opibus & commeatu abundantissimo.

5 Ecce ego immissurus sum in te pavorem,
dictum domini Jehovi exercituū, ex omnibus lo-
cis circūstantibus te; a cujus præsentia dispelle-
mini quisque, & nullus *erit* qui cōgreget errantē.
6 Verumtamen posteà reducam captivam
multitudinem Hammonitarum, dictum Jehovę.
7 [9] Contra Edomæos, Sic ait Jehova exer-
cituū, an nulla *est* ampliùs [10] sapientia in [11] The-
mane? periítne consilium [c] a prudentibus, exo-
levit sapientia eorum?
8 Fugite (fiet ut avertentes se [d] [12] petant
habitationes profundas) ô habitatores Dedanis:
nam calamitatē Hesaui adducturus sum in eum,
quo tempore visitabo eum.
9 ‖ [13] Si vindemiatores advenirent tibi, nón-
ne relinquerent racemos? si fures noctu, perde-
rent [14] quod satis esset ipsis.
10 ‖ Atqui ego denudaturus sum Hesauū, re-
tecturus abdita ejus, adeò ut sese abscondere nō
possit: vastabitur semen ejus, fratrésque ejus, &
vicini ejus, adeò ut nullus supersit, *qui dicat*,
11 Relinque pupillos tuos, ego in vita conser-
vabo; & viduas tuas, mihi confiditore.
12 ‖ [15] Nam sic ait Jehova, ecce, quorū [16] nul-
lum *erat* jus bibendi hoc poculum, *ii* [e] omnino bi-
bunt, tu autem ipse [f] omnino esses impunis? non
eris impunis, sed omnino bibes.
13 [17] Nam per me juro, dictum Jehovæ, deso-
lationi, opprobrio, vastitati, & maledictioni fore
Botzram: & omnes civitates ejus [g] abituras in
vastitates [h] perpetuas.
14 ‖ [i] Rumorem audivi a Jehova, & legatum
ad gentes missum; *dicentem*, congregate vos,& in-
vadite eam, ac surgite ad prælium.
15 Nam ecce parvum dispositurus sum te in-
ter gentes, contemtum inter homines.
16 [18] Horror tuus decipit te, superbia animi
tui, ô qui habitas in fissuris petræ, qui [k] carpis
altitudinem collis: quamvis exaltares ut aquila
nidum tuum, inde dejicerem te, dictum Jehovæ:
17 Erítque Edomæa desolationi: quisquis
transibit juxta eam, [19] obstupescet & sibilabit
propter omnes plagas ejus.
18 *Erit* sicut subversio Sedomi & Hamoræ ac
[20] vicinorum ejus ait Jehova: non habitabit ibi
quisquā, neq; cōmorabitur in ea filius hominis.
19 [21] Ecce quasi leo ascendit [22] supra altitu-
dinem Jardenis contra habitaculum [23] robustis-
simi; sed [l] momento fugabo eum ex hac terra,&
eum qui electus *est* in hac præficiam: [24] nam quis
est par mihi? aut quis contestetur mecum? deni-
que quisnam *est* [25] pastor qui obsistat mihi?
20 [26] Idcircò audite consilium Jehovæ, quod
[m] iniit contra Edomæos, & cogitationes ejus,
quas cogitavit contra habitatorés Themanis:
mentiar nisi abjicient eos [27] minimi *ex* ipso grege,
nisi desolet cum illis habitacula illorum.

[9] secunda hæc prophetia tribus partibus continetur: primùm enim sapientiā carnalem Edomæis Deus objicit,& interminatur de judicio gravissimo ignominiáq; importanda, usque ad ✠. 16. deinde objicit præsidētiā propter munitionem loci, & ruinam denunciat, usq; ad ✠. 19. postremò injurias populo suo factas exprobrat, quarū nomine Deus se par pari relaturum dicit, inde ad ✠. 23. Confer cū Jechezk. 25. [10] cujus nomine Themanæi olim erant commendati, Hobadjæ vers. 8. [11] gente Edomæorum, denominata a Themane nepote Hesaui ex Eliphazo, Gen. 36. 15. Etsi hac voce synecdochicè comprehenduntur omnes posteri Hesaui, ut voce Dedanis posteri Abrahami ex Ketura, proximè seq. versu: sic sup. 25.23. [c] *Heb. ab intelligentibus.* [d] *Heb. profundabunt habitare: sic infrà* ✠. 30. [12] i. effugiant e montibus suis in latibula: ut Jeschaħ. 9.19.& 21. ‖ *Hobadj.* 5. [13] amplificatio calamitatis prænunciatæ per comparationem minoris, hoc & seq. versibus duobus. [14] ac non ampliùs dilapidarent. ‖ *sup.* 25. 29. [15] confirmatio a comparatione minoris, adducto exemplo judiciorū Dei in eos qui minùs fuerāt promeriti. [16] videlicet comparatione tui; dictū κατὰ τι. [e] *Heb. bibendo: sic paulo post.* [f] *Heb. impunis exsistendo.* [17] alter cōfirmationis locus a juramento, hoc ✠.& decreto lato, duobus seq. [g] *Heb. futuras.* [h] *Heb. seculi.* ‖ *Hobadja* ✠. 1. [i] *Heb. auditionē: sic* ✠. 23. [18] secundus locus, ut diximus sup. in ✠. 3. intelligit autem horrentē Edomæorū regionē præ asperitate montium Chorræorū: unde etiā montes Sehiris, i. horrentis regionis, vidētur dicti. [k] *Heb. prehendis.* [19] vide 1. Reg. 9. 8. [20] qui nominantur Deut. 29. 23. [21] tertius locus, ut diximus in ✠. 7. quo ostendit Deus quanto furore Edomæi indesinenter Judæos infestaverint, & ipse eos propulsans quanta potentia electos suos sit restituturus, quod sequentibus versibus exornatur. [22] i. ampliùs exundat quàm soleat Jarden: vide Jehoschu. 3.15. nam Edomæi semper Judęos atrocissimè infestarunt. [23] i. Dei: periphrasis Judææ. [l] *Heb. momento agam faciam ut excurrat.* [24] confirmatio a potentia Dei infinita & incomparabili. [25] i. Rex populos regens, ac velut pascens auctoritate sua: ut suprà 23.1. [26] exornatio cōminationis, quæ præcessit ✠. proximo. [m] *Heb. cōsuluit: sic inf.* ✠. 30. [27] i. infirmissimi & abjectissimi quique. q. d. ita frangam eos ut omnium etiam infirmorum terantur pedibus: ut dixerat David Psal. 60. 10.

21 Præ sono casus illorum commovebitur ip-
sa terra: [28] *præ* clamore, ad mare algosum audie-
tur vox illorum.
22 [29] Ecce velut aquila ascendens *hostis* in-
volabit, & pandet alas suas contra Botzram; e-
rítque animus potentium Edomi die illo sicut a-
nimus mulieris perpetientis tormina.
23 [30] Contra Damascum. Erubescet [31] Cha-
math & Arpad, quum rumorem malum audie-
rint, diffluent: [32] in ipso mari sollicitudo *erit*, qui-
escere non poterit.
24 Remissa erit Damascus, fiet ut convertat
se ad fugiendum, & [33] horrorem febrilem pre-
hendet: angustia cum doloribus corripiet eam,
tamquam parturientem.
25 [34] Quomodo non relinqueretur civitas
[n] laudatissima? urbs gaudii mei? *dicebat illa*:
26 Idcircò cadent juvenes ejus in plateis ejus:
& omnes [o] bellatores ejus exscindentur die illo,
dictum Jehovæ exercituum:
27 Et succendam ignem in muro Damasci;
qui consumet palatia [35] Benhadadi.
28 [36] Contra Kedarem, & cōtra regna Chat-
zoris, quæ percussurus est Nebucadretzar Rex
Babyloniæ, sic ait Jehova: surgite, ascendite
contra Kedarem, & vastate [p] Orientales.
29 Tentoria eorum & greges eorum [37] capi-
ent, aulæa eorum cum omnibus instrumentis
ipsorum, & camelos eorum sument sibi; & procla-
mabunt contra eos formidinem circumquaque.
30 [38] Fugite, emigrate valde, petite profun-
das habitationes, habitatores Chatzoris, dictum
Jehovæ: nam init contra vos Nebucad-retzar
Rex Babyloniæ consilium, & cogitat contra vos
cogitationem.
31 Surgite, ascendite ad gentem tranquillam
habitantem securè, dictum Jehovæ; cui non *sunt*
valvæ neque vectis, soli habitant.
32 Et erunt cameli eorum prædæ, & multitu-
do pecorum ipsorum spolio, spargámque eos in
omnem ventum *qui sunt* [39] amputati latere: & ex
omnibus partibus ejus *gentis* adducam calamita-
tem eorum, dictum Jehovæ.
33 Ita erit Chatzor habitaculum draconum,
[q] desolatissima usq; in seculū; non habitabit ibi
quisquā, neq; cōmorabitur in ea filius hominis.
34 [40] Verbum Jehovæ quod fuit ad Jirme-
jam Prophetam contra [41] Helamum; in prin-
cipiò regni Tzidkijæ Regis Jehudæ, dicendo:
35 Sic ait Jehova exercituum, ecce ego frac-
turus sum [42] arcum Helamitarum, præcipuum
potentiæ ipsorum.
36 Adducam enim contra Helamitas [43] qua-
tuor ventos a quatuor extremitatibus cælorum,
spargámque eos in omnes ventos istos; adeò ut
non sit futura gens quò non perveniat *aliquis* de-
pulsorum [r] e Helamo:
37 Et [44] consternatos reddam Helamitas co-
ram inimicis suis & coram quęrentibus animam
ipsorum, adducens contra ipsos malum, cum
æstu iræ meæ, dictum Jehovæ: & mittam post
eos gladium donec consumam eos.
38 Deinde reponam [45] solium meum in He-
lamo; quum perdidero inde [46] Regem ac Prin-
cipes, dictum Jehovæ.
39 [47] Erit tandem ultimis temporibus, quum
reducam multitudinem captivam Helami, dic-
tum Jehovæ:

[28] i. tanta erit vociferatio ut inde ad mare rubrum usque, quāvis sit remotum, audiatur. [29] ut dixerat in Moabum suprà 48.40.& 41. [30] tertia hæc prophetia regno Damasceno exitium prænunciat paulò pòst a Nebucad-retzare eventurū duobus ℣. deinde causam adducens a præsidētia & luxu illius, ℣. 25. ampliùs confirmat, duobus reliquis. [31] de qua Gen. 10.18. Num. 13. 21. & alibi passim. Arpad verò continēt reliquā Syriæ partem supra regnū Chamathæ: denique totum tractum qui mōti Tauro & Amano substernitur: quod nobis observandum fuerat in 2. Reg. 18.34. [32] i. Antaradus, & omnes maris insulæ percellentur. [33] i. veluti ex febre horrens trepidabit. [34] i. quis vellet, aut posset tam celebre opidum pervertere? [n] *Heb. laudis.* [o] *Heb. viri belli.* [35] Regis Syriæ potentissimi, cujus mentio est 1. Reg. 15.18. & sequent. capitibus: sic Hamos 1.4. [36] quarta hæc prophetia prædicit mala incolis Arabiæ Petrææ & desertę eventura, qui synecdochicè Kedaris & Chatzoris nominibus intelligendi sunt. Sunt autē illius duæ partes: propositio summa hostium adventantium & cladis, duob. ℣. & exornatio, reliquis. De Kedare autem vide Psal. 120.5. Chatzor verò in Arabia deserta fuit, quò Chatzoritani a Jehoschuha fusi sese contulerunt: vide Jehoschu. 11.11 & Judic. 4.2. [p] *Heb. filios Orientis: ut 1. Reg. 4.29.* [37] Chaldæi, duce Nebucad-retzare. [38] exornatio, ut diximus ℣. 28. continens primùm hypothesin fugæ Arabū, & Chaldæorum irruptionis, duobus versib. deinde narrationē ruinæ Arabibus eventuræ, duobus alteris. [39] vide sup. 5.26. [q] *Heb. desolatio.* [40] postrema hæc prophetia (cujus inscriptio continetur hoc ℣.) narrat primùm cladem Helamitarum, i. totius Medorum regni, synecdochicè versib. tribus: deinde exponit promissiones duobus ultimis. [41] hanc gentē dictam a filio Schemi, Gen. 10.22. antè ostendimus sitam esse in confinio Medorū, Persarúmque. Quum autē paulò ante hæc tempora Phraortes Arjoci (quem Dejocē Herodotus vocat) filius Persidē totā regno suo adjunxisset; non est dubiū quin synecdochicè (ut modò dicebamus) totum regnum Mediæ intelligendū sit Helami nomine. Quamobrem prædictionē hanc referimus ad illam historiā quæ a Scythis gesta est cōtra Medos, quo tēpore Nebucad-retzar in Judæa & citerioribus regionibus erat occupatus. Scythæ enim tēporibus Cyaxaris filii Phraortis totum Mediæ regnū leguntur occupasse, expilasse, & annis 28. egisse atque rapuisse omnia arbitratu suo; ut refert Herodot lib. 1. Sed quid ad hoc argumentū? inquies. Hæc prophetia superioribus adjecta est tamquā sigillum, quo Ecclesia de veritate earum confirmaretur. Hoc enim Jirmejæ frequentissimū est, ut prophetias confirmet prophetiis, & res propinquiores adhibeat ad cōfirmādas eas quę posteà longiore intervallo eventuræ sunt: cujusmodi exempla vidimus sup. 20. & 28. & 4[illegible]. & ejusmodi exstat evidentissimum 1. Schemu. 2.34. Ac propterea nominatim designatum est tempus quo hæc prophetia dicta est, quia paulò pòst, & ante capta Jeruschalaima (ut ratio temporum confirmat) hanc cladem acceperunt Medi.

[42] id est, potentiam; ut sequentia exponunt. [43] id est, infinitos hostes, ex populis innumeris Boreæ accolis: quos omnes cōfuse solebant veteres Sarmatarū & Scytharum appellatione, designare, ut ex ipsis Geographis constat. [r] *Heb. Helami.* [44] i. perculsos metu, & primo impetu fusos ita frangam animis, ut ab hostibus Scythis agantur pro libidine, & premantur servitute rigidissima. [45] id est, regnū Cyri servi mei, quem etiam unctum Dei Jeschahja nominat: vide Jeschah. 44. & 45. atque hæc prima promissio. [46] Cyaxarem patrem Astyagis: nam illo exstincto regnavit Astyages qui venit in Cyri manus. quasi dicat, post Regem hunc, atque ætatem hanc. [47] altera promissio, videlicet Euangelica, qualem habuimus suprà vers. 6. & 48.47.

CAPUT L.

Deus Babyloniis judicium severissimum denunciat, & populum suum instituit confirmátq; promissionibus. Ac judicium quidem exponens, ostendit Babylonios, ipsámque Babylonem pessumdatum iri per Medos & Persas, itinera, adventum, obsidionem, occupationem, & damna Babyloniis futura præscribit: populo verò spem facit recuperandæ libertationis: quæ duo confirmans a potentia sua & juramento, præsidentiā Babyloniorum consutat, suorúmq; diffidentiam; ac postremò prophetiam anacephalæosi & typo concludit.

1 [1] VErbum quod loquutus est Jehova con-
tra Babylonem, & cōtra terram Chal-
dæorum; [a] per Jirmejam Prophetam.
2 [2] Indicate [3] in gentibus, & pronunciate ac
[4] tollite vexillum, pronunciate, ne celetis: dicite,
capietur Babylon, erubescet [5] Bel, conteretur
[6] Merodac; erubescent terricula illius, conteren-
tur stercorei dii illius.

[1] Inscriptio hęc duorum capitum communis est; ac propterea ut commune est illorum argumentum, ita conjunximus. Sunt autem, si hujus prophetiæ inscriptionem exceperis, in hoc versu, sex ejus in universum partes: prima est propositio summa, versibus 4. secunda est propositionis enarratio, usque ad vers. 33. tertia est confirmatio narrationem illustrans, inde usque ad versum 41. capitis 51. quarta est confutatio, inde ad vers. 50. quinta conclusio, usque ad vers. 59. postrema verò, typus a Deo adhibitus ad prophetiam illustrandam, ad finem usque. [a] *Hebr. per manum Jirmejæ.* [2] prima hæc pars, prolepsis sive propositio generalis totius argumenti, duobus membris continetur: unum est de ruina Babyloniorum, duobus vers. alterum, de liberatione populi propter quam evertendi fuerant Babylonii, duobus alteris. Utrumque autem propositionis membrum Propheta consulto enunciat Judæis, (qui jam tum ex parte deportati fuerant, ut apparet ex vers. 59. cap. 51.) tum ad confirmandum eos in exspectatione liberationis suæ, & in gravissimis malis consolandum; in quibus illos stantes & erectos fide jubet gloriosè Babyloniorum exitium & suam salutem prædicare, & inter se informare: tum etiam ad bene utendum commoditate divinitus oblata hortatur. [3] id est, fratribus nostris, qui jam per varias gentes huc illuc dispersi sunt, ac proinde coràm nequeunt in cœtu nostro institui de his promissionibus Dei. [4] id est, fratres vestros in cœtus & congregationes sanctas convocate, tamquam elato vexillo verbi Dei, ad communicandas cum ipsis promissiones Dei vobis expositas: sic enim pios clàm temporibus angustiæ convenisse testantur historiæ sacræ: ut annotavimus, 2. Chronic. 35.3. Mordecaii exemplum docet Esther 4. & jubet Apostolus Heb. 10.24. & seq. [5] vide Jeschah. 46.1. [6] id est, ad verbum, σκηπτοῦχος sive sceptrifer, Chaldaica appellatione: nomen fuit apud Babylonios commune Dei ipsorum Beli, & Regum omnium, inde a Beli Regis ipsorum temporibus. Nos ut pro Belo accipiamus hoc quidem loco ab adjunctis adducimur, & maximè sequentis membri comparatione: quasi dicat Propheta, ut summus illorum Deus erubescet conteretúrque, sic etiam minorum gentium dii exemplo illius: metaphoræ.

3 Nam ascendet contra illam gens [7] ab Aquilone, quæ rediget terram illius in desolationem, adeò ut non sit habitator in ea: [b] tam homines quàm jumenta emigrabunt, abibunt.

4 Diebus illis & tempore illo, dictum Jehovæ, veniant filii Jisraëlis, ipsi cum filiis Jehudæ unà: [c] [8] indesinenter flendo eant, & Jehovam Deum suum quærant:

5 *De* Tzijone interrogent, in via, [9] illûc facies eorum *spectent*: agedum *dicant*, & adjungant se Jehovæ fœdere [d] perpetuo *quod* non tradatur oblivioni.

6 [10] Grex *ovium* pereuntium sunt populus meus, [11] pastores eorum faciunt ut aberrent, *per* montes avertunt eos: de monte in collem abeunt, obliti cubilis sui.

7 Quicumque inveniunt eos comedunt eos, & hostes eorum dicunt, [12] non erimus rei, eò quòd peccant Jehovæ [13] *in* caula justitiæ, [14] ii quorum majoribus exspectatio *fuis* Jehovæ.

8 Migrate e media Babylonia, & e terra Chaldæorum exite, [15] & estote velut hirci ante gregem.

9 [16] Nam ecce ego excitaturus sum & adducturus contra Babylonem congregationem [17] gentium magnarum e terra Aquilonis, quæ disponent *acies* contra illam, [18] inde capietur: cujus sagittarum, ut potentis [e] [19] interficientis, nulla [f] resiliet frustrà:

10 Et erit *regio* Chaldæorum prædæ: omnes prædatores ejus satiabuntur, dictum Jehovæ.

11 [20] Quum lætati fueritis, quum exsultaveritis, ô direptores possessionis meæ; quum abundaveritis ut vitula herbilis, & claram vocem edideritis ut robusti *Juvenci*:

12 Erubescet [21] mater vestra valde, pudebit genitricem vestram; *dicendo*, ecce [22] postremum gentium, desertum, siticulosum & campestrem locum.

13 Præ fervore Jehovæ [23] non habitabitur, sed erit [g] desolatissima tota: quisquis transibit juxta Babylonem, obstupescet, sibilabítq; propter omnes plagas ejus.

14 [24] Disponite contra Babylonem circumquaq; omnes tendentes arcum, jaculamini contra eam, ne parcatis sagittæ; nam Jehovæ peccavit illa:

[7] id est, e Media, quæ magis Aquilonē spectat respectu Babyloniæ; & ex Assyria, qua iter fecit Cyrus venturus ad Babylonem expugnandam, infra vers. 21.
[b] *Heb. ab homine usque ad jumentum.*
[c] *Heb. eundo & flendo ibunt.*
[8] id est, flagrent tanto desiderio revisendi Ecclesiam Dei, ut neque flendi neq; pergendi finem faciant donec ad locum exoptatissimum pervenerint, ut amplificatur seq. ℣. Hæc autem per hortationem potiùs quàm per narrationē propheticam dici statuimus, tum ex præcedentis partis comparatione, tum ex complemento & veritate rei. Nam revera Deus edicto Cyri libertatem omnibus tribuit, & re ipsa mandavit ut Ecclesiam repeterent, Hez. 1.3. sed quàm pauci justissimam conditionem oblatam amplexi sint etiam exoptimatibus Jehudæ, historiæ omnes testātur; & ipse Hezra tum in libro suo, tum etiam 1. Chron. 4.21. & seq. manifestò docet. [9] i. nihil loquantur, ad nihil advertant aliud; sed toti ferantur animo & corpore Tzijonem versus: similes loquutiones sunt Gen. 19.17. & 2. Reg. 4.29. & Lucæ 10 4. [d] *Heb. seculi.* [10] secunda pars, enarratio propositionis, ut antè diximus: cujus prius membrum per *ὑστερον* Hebræis familiarem posteriore loco inde a versu 9. posterius verò priore loco illustratur, his tribus vers. quorum duo allegoricè figurant miserum statum populi a domesticorum fraudibus, hoc vers. exterorúmque oppressionibus & propriis peccatis, seq. versu; ultimus ad diem illum prænunciatum liberationis venturæ revocat. [11] id est, principes & præfecti omnes ordinis utriusque, Ecclesiastici atque politici. [12] id est, impunè facturi sumus: vide supra 2. 3. [13] id est, in Ecclesia Dei, cujus symbolum erat Judæa. [14] i. optimorum parentum degeneres filii, de quibus Deut. 32. [15] i. exemplo vestro præeatis etiam gentibus, eásq; ad Ecclesiam invitetis. [16] ætiologia *μεταβατικὴ* ad priorem propositionis locum de judicio in Babylonios; quod duobus ℣. expositum, deinde exornatur primùm per apostrophen ad Babylonios, tribus versib. tum ad hostes Babyloniorum, tribus alteris; ac postremò amplificatur a causis, quibus suæ judicii venturi narrationes adhibentur, usque ad ℣. 33. [17] id est, Medorum, Persarúmque, ut Jeschah. 21. 2. [18] id est, a copiis inde ab Aquilone venientibus: nam ex Assyria in Babyloniam irruerunt, infrà 21. [e] *Heb. orbantis.* [19] id est, ut sagittarii peritissimi, qui valentissimè transfigit vitales adversarii partes prout optaverit. [f] *Heb. revertetur.* [20] apostrophe ad Babylonios, ut diximus in vers. 9. delicias illorum & perditum luxum hilariorum denotans, in quibus capta est Babylon, ut notavimus suprà 25. 26. [21] id est, Babylon metropolis, ac velut totius regionis mater. [22] quasi dicat, hui, tam citò me, quæ primas obtinebam & regina sedebam in gentibus, postremam omnium effectam esse, & horrere totam? prosopopœia. [23] id est, ex quo semel ruere cœperit, ut ædificium inclinans magis ac magis labefactabitur, donec tota corruerit. Cœpit enim hoc judicium per Cyrum primò, deinde per Darium Persam promotum est, tum per Alexandrum Macedonem: ac postremò in solitudinem redacta vicinitate Seleuciæ conditæ intra nonagesimum lapidem a Seleuco Nicatore, teste Plin. lib. 6. natur. hist. cap. 26. [g] *Heb. desolatio.* [24] apostrophe ad Medos & Persas, ut diximus in vers. 9.

15 [25] Vociferamini contra eam circumquaque, [26] [h] junxit manum suam, cadant fundamēta ejus, destruantur muri ejus: quum ultio Jehovæ sit, ultionem sumite de ea; quemadmodum fecit facite ei:

16 [27] Excidite satorem e Babylonia, & qui tractat falculam tempore messis; metu gladii opprimentis quisq; ad populum suum revertant, & quisque ad terram suam fugiant:

17 [28] Parva pecus dispersa *fuit* Jisraël, *quam* leones depulerunt: prior comedit eam [29] Rex Assyriæ, hic autem posterior [30] ossa ejus comminuit, Nebucad-retzar Rex Babyloniæ.

18 Idcircò sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis, ecce ego animadvertam in Regem Babyloniæ & in terram ejus; quemadmodum animadverti in Regem Assyriæ:

19 Et faciam ut revertatur Jisraël ad caulam suam, & [31] depascat Carmelum & Baschanem; & in monte Ephrajimi atque Gilhade satietur anima ejus.

20 Diebus illis & tempore illo, dictum Jehovæ, si quæratur iniquitas Jisraëlis, nulla exstabit, & peccata Jehudæ, nulla invenientur: quia condonavero *iis* quos faciam reliquos.

21 [32] Contra terram hanc ipsam [33] Merathajimis ascende, & per [34] habitatores Pekodi: devasta & internecioni devove [35] post eos, dictum Jehovæ; denique effice omnino prout præcipio tibi,

22 Sonum belli in ista terra, & contritionem magnam.

23 [36] Quomodo succideretur & confringeretur malleus totius terræ? quomodo esset stupori Babylonia in gentibus?

24 [37] Laqueum tetendi tibi, & etiam capieris, ô Babylon, [i] te imprudente: invenieris, etiámque deprehenderis, quia cum Jehova miscuisti *bellum*.

25 Aperuit Jehova [k] repositorium suum, & depromsit instrumenta indignationis suæ: quia opus hoc *est* Domini Jehovi exercituum in terra Chaldæorum.

26 Convenite in eam [38] ab extremo; aperite granaria ejus, contumulate eam quasi acervos, & anathemati devovete eam; ne supersint ei reliquiæ.

27 Gladio tollite omnes juvencos ejus, descendant ad mactationem: væ illis, quum advenerit dies illorum, tempus visitationis eorum;

[25] elegantissima descriptio causæ propter quam Medi & Persæ fuerunt infensissimi Babyloni, & alii alios provocarunt ad sumendam ultionem de ea.
[26] id est, federati fuerunt cum hoste, & se ad Crœsum Lydorum Regem juvandum comparaverunt: vide Levit. 5. 21. & 1. Macbæ. 11. 50. Nam Belschatzarem regem (quem Berosus Nebo-nidum, Herodotus Labynitum vocat) fuisse fœdere junctum Crœso testatur Herodotus lib. 1. sic Jechezk. 17. 18. cui non absimile est loquendi genus Ijobi 17.3.
[h] *Heb. dedit.*
[27] i. ne agricolis quidem (qui minimi ac ferè inermes & summè in republica sunt necessarii) parcite: sic figuratur excidium gravissimū. Nam Babyloniam ipsam ne herbas quidem, sed tantùm segetem copiosissimam habere testantur Herodotus ibidem, & Plinius lib. 18. natur. hist. cap. 17.
[28] amplificatio præcedentis propositionis, a causa propter quam Deus ad judiciū hoc exercendum adducitur. Proponitur itaque causa ab insolentia & tyrannide Babyloniorum in populum Dei, hoc vers. deinde promissio fit restitutionis populo, tribus versibus: ac postremò propheticè narratur excidium Babylonis, inde ad versum 33. [29] id est, Reges syllepticè, qui decem tribus deportaverunt, de quibus 2. Reg 16. & 17. & 1. Chron. 5. [30] id est, absumsit quicquid erat reliquum: elegans allegoria. [31] id est, fruatur suo. [32] narratio prophetica, ut diximus in vers. 17. qua res gerendæ ex ordine exponuntur mandato Dei. [33] id est, ex Assyria: nam in Assyria superiore erant Mardi ab opido Marde trans Tigrin, & cis Tigrin in Armenia Mardi ex adverso Mardorum Assyriæ (ut ostendit Ptolemæus lib. 5. Geographic. capit. 13.) a quibus dicebantur Martyeni montes (Mantyenos vocat Herodotus) Gyndem fluvium profundentes, supra utrosque Mardos. [34] id est, partis Assyriæ inferioris, qua Cyrus transvexit in Babyloniam: sic autem videtur dicta hæc Assyriæ pars, hic & Jechezk. 23. 22. eo quòd summa illic præfectura fuisset regni Assyriorum, & in ea Nineve eversa jam eo tempore. [35] id est, postquam istos Assyriæ tractus occupaveris, tum omnia ferro & flamma consumito: similes loquutiones vide Deuter. 24. 20. & 1. Schemu. 21. 10. [36] occupatio, qua populum Cyrúmque confirmare voluit Deus, diluendo omnem difficultatis metum, verbis sequentibus; tum ad Babyloniam ipsam, vers. 24. tum ad Medos & Persas, sequentibus. [37] allegoria venustissima, qua Deus potentissimū illū malleum ostendit sibi non ampliùs fore quam bubalum, ex vers. 27. aut feram venaticam, ad quam capiendam omnia jam sibi comparata esse docet, seq. ℣. [i] *Heb. quum tu nescies.* [k] *Heb. thesaurum.* [38] id est, etiam gentes longinquissimæ.

28 [39] Vox fugientium & evadentium e terra Babyloniæ; ut indicet Tzijone ultionem Jehovæ Dei nostri, ultionem [40] templi ejus.

29 Promulgate *convenire* in Babyloniam amplissimos, omnes qui tendunt arcum, ponite castra cōtra eam circumquaque, ne sit ei effugium, rependite ei secundùm opus ejus, omnino prout fecit facite ei: nam contra Jehovam superbivit, contra sanctum Jisraëlis.

30 Idcircò cadant juvenes ejus in plateis ejus; & omnes [l] bellatores ejus exscindantur die illo, dictum Jehovæ.

31 [41] Ecce me adversum te, ô [m] superbissime, dictum Domini Jehovi exercituum: quia advenit dies tuus, tempus *quo* visitem te,

32 Quo impingat superbissimus, & corruat ita, ut nemo ipsum erigat, & succendam ignem in civitatibus ejus, qui consumet omnes ambitus ejus.

33 [42] Sic ait Jehova exercituum, opprimuntur filii Jisraëlis & filiæ Jehudæ pariter: & quicunque captivos fecerunt eos detinent eos, renuunt eos dimittere.

34 Vindex eorum fortis, Jehova exercituum nomine, [n] omnino aget causam eorum: [43] ut quietam reddat hanc terram, & commoveat habitatores Babyloniæ.

35 [44] Gladius *irruet* in Chaldæos, dictum Jehovæ; & in habitatores Babylonis, & in Principes ejus & in sapientes ejus:

36 Gladius in [45] mendaces ejus, ut defetiscantur; gladius in potentes ejus, ut conterantur:

37 Gladius [46] in equos ejus, & in currus ejus, & in totam miscellaneam turbam quæ *est* in medio ejus, [47] ut sint velut fœminæ: gladius in [48] thesauros ejus, ut diripiantur.

38 [49] Siccitas in aquas ejus, ut arefiant: [50] quia terra sculptilium est, & apud [51] terricula [52] insanè agunt.

39 [53] Idcircò habitabunt [54] feræ cum terrificis, & manebunt in ea [o] ululæ; non considebit ampliùs usque in æternum, neque habitabit usque [p] in generationem quamque.

40 Simili subversione qua Deus subvertit Sedomum & Hamoram, & vicinos ejus, dictum Jehovæ; non habitabit ibi quisquam, neque commorabitur in ea filius hominis.

41 ‖ [55] Ecce populus venturus est [56] ab Aquilone; & gens magna ac [57] Reges ampli excitabuntur è lateribus terræ:

42 Arcum & lanceam tenebunt, crudeles erunt *quisque*, neque utentur misericordia, vox eorum ut mare fremet, & cum equis vehentur: instructus *quisque* ut vir præstans ad bellum contra te, ô filia Babyloniæ.

43 Audientis Regis Babyloniæ [q] rumorem de eis, illico remittent se manus; angustia apprehendet eum, dolor tamquam parturientis.

44 ‖ Ecce quasi leo ascendit supra altitudinem Jardenis, contra habitaculum robustissimi, sed [r] momento fugabo eum ex hac terra, & eum qui electus *est* in hac præficiam: nam quis *est* par mihi? aut quis contestetur mecum? denique quisnam *est* pastor qui obsistat mihi?

45 Idcircò audite consilium Jehovæ quod [f] iniit contra Babyloniam, & cogitationes ejus quas cogitavit contra terram Chaldæorū: *menstuar*, nisi abjiciant eos minimi ex ipso grege, nisi desolet cum illis habitaculum.

46 Præ sono occupatæ Babyloniæ commovebitur ipsa terra, & clamor in gentibus audietur.

[39] q. d. non superarunt alii, quàm ii quos Deus misericordia sua servaverit ad celebrandum in Ecclesia nomen suum: ut Jeschah.45.24. & seq.
[40] i. quam ultionem sumserit pro salute Ecclesiæ suæ.
[l] *Heb. viri belli.*
[41] apostrophe ad Babylonium, ut cœperat sup. vers. 24.
[m] *Heb. superbia: sic vers. seq.*
[42] tertia pars prophetiæ, ut diximus in vers. 1 confirmatio præcedentis narrationis, primùm a potentia Dei; cujus causæ, instrumenta, operarii, administriq; judiciorū, atque effecta describuntur, usque ad vers. 14. seq. capitis; deinde a juramento, vers. 14. & sequentibus.
[n] *Heb. causam agendo aget.*
[43] causæ sive fines judicii ponuntur duo: unus, liberatio & tranquillitas Ecclesiæ; alter, Babyloniorum supplicium: quæ per ὕστερον deinceps explicātur.
[44] ἐργασία finis qui posteriore loco dictus est, usque ad vers. 5. capitis seq.
[45] i. astrologos, & magos, quorum triplex quidem disciplina erat, ut ait Plinius, sed numerus infinitus.
[46] i. militarem apparatum totū, de quo Herodotus lib. 1.
[47] prout factū est, postquam prælium cum Cyro adventante commisissent: ex quo tempore delituerunt Babylone, donec occupata est.
[48] non auri & argenti tantùm, sed commeatus militaris quem in permultos annos intrò comportaverant. [49] ut infrà 51.32. vide rationem hujus rei totam apud Herodot. lib. 1. [50] i. quia deos colunt hujusmodi qui seipsos nequeunt defendere, nedum cultores suos. [51] vide 1. Schem. 31. 9. [52] ironia gravissima, per antithesin sapientum cum factis & ritibus ac ceremoniis ipsorum. [53] enarratio effectorum, ut diximus in vers. 33. [54] vide Jeschah. 13.21. [o] *Heb. filiæ ululæ.* [p] *Heb. in generationem & generationem.* ‖ *Jeschahjæ* 34.19. [55] enarratio instrumentorum & operariorum Dei, ad finem usq; capitis; quæ deinde illustratur similitudine, 4. primis versib. capitis seq. [56] ut sup. v. 3. [57] Cyrus & omnes federati ejus, aut etiā subditi, de quibus infrà 51.27. & seq. [q] *Heb. auditionē eorū.* ‖ *sup.* 49.19. & 20. & 21. [r] *Heb. momento agam faciā ut excurrat.*
[f] *Heb. consuluit.*

CAPUT LI.

1 [1] SIc ait Jehova, ecce ego excitaturus sum contra Babyloniam, & contra eos qui inhabitant [2] [a] meditullium insurgentium in me, [3] ventum corrumpentem:

2 Et immissurus sum contra Babyloniam ventilatores qui ventilabunt eam, & exhaurient terram ejus: quum fuerint contra eam circumquaque die mali.

3 [4] Contra [5] *eum qui* tendit tendat [b] sagittarius arcum suum, & contra *eum qui* extollit se lorica sua; neque clementia utamini erga electos juvenes ejus, internecioni devovete totum exercitum ejus:

4 Ut cadant confossi in terra Chaldæorum; & transfixi in plateis ejus.

5 [6] Quia [7] non viduatus *est* Jisraël & Jehuda Deo suo, Jehova exercituum; quia terra istorum [8] plena est reatu a sancto Jisraëlis.

6 [9] Fugite e medio Babyloniæ & eripite quisque [c] se ipsum, [10] ne exscindamini in iniquitate ejus: quum tempus ultionis erit Jehovæ, retributionem ipse rependet ei.

7 [11] Poculum aureum Babyloniæ [12] manu Jehovæ inebriavit totam terram; de vino ejus biberunt gentes, propterea insaniunt gentes.

8 Repentè cadet Babylon, & perfringetur: [13] ejulate apud eam, [d] sumentes adhibete [14] opobalsamum contra dolorem ejus, si fortè posset curari.

9 Quamvis curaremus Babylonem, *inquietis*, tamen non esset curata, derelinquite eam, & abeamus quisque in terram suam: nam [15] pertingit ad cælos judicium ejus, & elatum est usque ad superiores nubes.

10 Protulit Jehova totā justitiam nostrā; agite, enarremus Tzijone opus Jehovæ Dei nostri.

11 [16] Purgate sagittas, cogite utentes umbonibus; excitat Jehova spiritum Regum Mediæ, quia contra Babyloniam cogitatio ejus *est* ut perdat eam: nam ultio Jehovæ *est*, [17] ultio templi ejus.

12 In muris Babylonis attollite vexillū, confirmate custodiam, statuite vigiles, comparate insidiatores: nam & cogitavit Jehova & facturus est quod dixit contra habitatores Babylonis.

13 [18] O quæ habitas secundùm aquas multas, ô ampla thesauris; advenit finis tuus, *pro* [e] mensura quæstus tui.

[1] exornatio præcedentis dicti per similitudinem venti & ventilatorum, ut diximus suprà in vers. 41.
[2] periphrasis Babylonis; tamquam Reginæ sedentis in medio inimicorum Dei Judæam infestantium.
[a] *Heb. cor.*
[3] elegans allegoria: pro eo quod est, quemadmodum venti quidam noxii & Typhones adurunt segetes; ita judicio meo tamquam vento Babylonios infirmaturus & enervaturus sum: prout dixerat futuros velut fœminas, sup. 50.37. Ex quo alterum judicium consequitur, quòd ventilatores ipsos perdituri sint, seq. vers.
[4] expositio præcedentis allegoriæ, qua Deus apertè mandat fieri judicatum suum, ut pronsiciaverat suprà 50.9.
[5] periphrasis Babylonii omnibus gentibus infesti.
[b] *Heb. tendens arcum.*
[6] ἐργασία finis prioris, qui positus est sup. 50.34. ex qua conficitur hortatio sequentis vers.
[7] i. non desertus est planè; sed Deus tamquam conjux ad tēpus visus est discedere; qua occasione isti criminum multorum rei effecti sunt, insolescentes in sponsam Dei, ac proinde in ipsum peccantes gravissimè. Est autem hæc ἐργασία prioris membri, ὕστερον πρότερον, quod diximus suprà 50. 34. in qua Ecclesia de præsidio Dei confirmata admonetur sui officii, usque ad vers. 11. deinde illuditur Babyloniæ, tribus seq. [8] contrà quàm dixerat sup. 5. 7. [9] propositio consilii duo continet: primùm, ut Ecclesia Deum vocantem sequatur, & sibi caveat, ne particeps sit malorum inevitabilium & eventurorum Babyloniæ, tribus versib. alterum, ut in eo judicio agnoscat vindicias sui, & prædicet beneficium Dei, vers. 9. & 10. [c] *Hebr. animam suam: sic deinceps.* [10] prohibentis verba, pro eo quod est, ne committatis ut exscindamini. [11] vide sup. 25.15. [12] i. œconomia & dispensatione ejus. [13] elegans concessio ad quoscumque homines per hypothesin ἀσύνετον, ut demonstratur seq. vers. [d] *Heb. sumite: ut Exod.* 25.2. [14] vide Gen. 37.25. & sup. 46.11. [15] i. summū est: metaphora. [16] apostrophe ironica ad Babylonios, ut diximus in v. 6. [17] ut sup. 50.28. [18] i. munitissima Babylon situ, & opibus instructissima: nam Babylonē perlui Euphrate, & fossis amplissimis circumductam fuisse testantur veteres. [e] *Heb. cubito.*

14 [19] Jurat

14 [19] Jurat Jehova exercituum per se ipsum: *mentiar* nisi te impleam [20] hominibus quasi melolonthis, qui canant de te [21] celeusma:

15 ‖ *Jurat* qui fecit terram virtute sua, stabiliit orbem habitabilem sapientia sua; & prudentia sua extendit cælos:

16 Quo vocem suam edente fremitus aquarum *est* in cælis, & qui effert vapores ab extremitate terræ; fulgura cum ipsa pluvia facit, & profert ventum è thesauris suis.

17 Magis obbrutescit omnis homo quàm ut animadvertat, pudefacere omnem conflatorem sculptili: nam falsum est fusile ejus, nec spiritus est in *ullo* eorum.

18 Vanitas sunt, opus maximæ aberrationis; *quo* tempore visitabuntur illi, peribunt *ipsa*.

19 Non sicut istarum *est*, sed formator omniũ est Jahakobi portio, & ille *est* tribus possessionis ejus: Jehova exercituum nomen *est* ei.

20 [22] Cestra fuisti mihi, instrumenta bellica: ut dissiparem per te Gentes, & perderem per te regna:

21 Ut dissiparem per te equũ cum sessore suo; & dissiparem per te currum cum sessore suo:

22 Ut dissiparem per te virum & mulierem, & dissiparem per te senem & puerum; dissiparémq; per te juvenem & virginem:

23 Ut dissiparem per te pastorem cum grege suo, & dissiparem per te agricolam cum [f] jumentis suis conjugatis; dissiparémq; per te Principes & antistites.

24 Jam rependam Babyloni, & omnibus habitatoribus *terræ* Chaldæorum, totum malum ipsorum quo affecerunt Tzijonem, ante oculos vestros: dictum Jehovæ.

25 [23] Ecce me contra te, ô [24] mons perditor, dictũ Jehovæ, qui perdis totã terram: ut extendens manum meam contra te devolvam te ex ipsis petris, & disponam te in [g] montem luderum ex incendio.

26 [25] Neque accipient ex te lapidem ad angulum, aut lapidem ad fundamenta: nam [h] desolatissimus in seculum eris, dictum Jehovæ.

27 [26] Attollite vexillũ in terra, clangite buccina in gentibus, comparate contra istam gentes, promulgantes convocate contra istam regna [27] Ararati, [28] Minni, & [29] Aschcenazi: præficite contra istam [30] imperatorem, adducite equos [31] pares melolonthis hispidis.

28 Comparate contra istam gentes, [32] reges Mediæ, & Principes ejus, omnésque antistites

[19] secundus locus confirmationis, ut diximus sup. in vers. 33. in quo primùm exornatur juramentum a magnifica descriptione majestatis Dei, usq; ad vers. 20. deinde narrationis argumentum (quod hîc juramento sancitur) amplificatur pluribus, usque ad vers. 41. [20] hostium, Medorum, Persarúmq; copiis. [21] i. epinicium de victis & proculcatis Babyloniis, ut suprà 25.30. ‖ *sup.* 10.12. [22] amplificatio hæc primùm universè exponit quid sit quod juramento confirmat Deus, nimirum Babylonium non fuisse auctorem præteritorum judiciorum, sed instrumentum Dei, ut dixerat sup. vers. 7. & quid Babylonio effecturus sit docet, vers. 24. deinde minutatim exornat narrationis partes. Est autem *Cestra* apud Julium Pollucem non quivis malleus, ut ferè solet accipi; sed malleus verutus & res obvias penetrando perfringens, quo equites ferè ad pertundenda inimicorum arma uti solent. Nam hanc esse propriam Hebrææ vocis significationem sequentia commonstrant, & ipsum etymon: quemadmodum in Græca dictione quam adhibuimus latinitatis inopia, quum κέστρον cestrúmq; similiter Græci & Latini vocent veruculum, quo encaustum faciunt artifices, tesserasq;, & alia id genus; unde etiam Livius cestrophendonas nominavit. [f] *Hebr. jugo suo.* [23] hypotyposis, qua Deus venit ad amplificationem prænunciati judicii, duobus versib. cujus deinde instrumẽta convocat, duobus alteris; formámq; explicat accuratissimè, vers. 29. & tribus seq. ac postremò dialogisticè Ecclesiam expostulantem consolatur severissimi judicii hujus prophetia, usque ad vers. 41. [24] i. Babylon, instar montis assurgens vastitate murorum & amplitudine: nam muri in crassitudinem quinquaginta, in altitudinem ducentos cubitos regios capiebant: testes Herodotus, Strabo, Plinius, Diodorus Siculus. [g] *Heb. montem incendii.* [25] i. numquam reparaberis ex opere redivivo, ut sequentia verba docent. [h] *Heb. desolationes seculi: sic vers. 62.* [26] apostrophe ad hostes, tamquam administros judiciorum Dei. [27] i. Armeniæ majoris: ut Gen. 8.4. [28] i. Armeniæ minoris; quæ nomen suum habet compositum ex Aram, id est, Syria, & antiqua hac ipsius appellatione Minni. Nam Armeniam olim Syria fuisse cõprehensam testis est Plin. lib. 5. natur. hist. cap. 12. [29] vide Gen. 10.3. has autem regiones omnes, id est, Armeniam utramque & minorem Asiam, synecdochicè notatam Aschcenazi nomine, antè fuisse a Cyro occupatas quàm Babylonem invaderet, testantur omnes historiæ. [30] videlicet exercitus: qui imperator in exercitum imperium habeat, & Cyri mandata ad exercitum perferat. Vox enim est composita, perinde sonans atque si dixeris, instillationis & interpretationis Principem: sic Nachum 3.17. [31] videlicet numero: ut sup. vers. 14. [32] i. eos qui parent Medo.

ejus; denique totam terram dominatus ejus:

29 [33] Et commota terra indolescet; quum præstabitur contra Babyloniam *una quæque* cogitationum Jehovæ, redigendo terram Babyloniæ in desolationem, quam nemo inhabitet.

30 [34] Desinent potentes Babyloniæ pugnare, desidebunt in munitionibus, oblivioni erit [35] potentia eorum, erunt velut fœminæ: [36] accendent *hostes* habitacula ejus, confringentur [37] vectes ejus.

31 Cursor obviam cursori curret, & index obviam indici; ad indicandũ Regi Babyloniæ captam esse civitatem ejus [38] ab extremitate:

32 [39] Et ipsos [i] angustos aditus occupatos esse, etiam [40] stagna *hostes* combussisse igne: viros autem [k] bellatores perturbatos esse.

33 [41] Nam sic ait Jehova exercituum Deus Jisraëlis, *qui* filiam ipsam Babyloniæ sicut aream [l] tempestivè solidat: adhuc paululum, tum adveniet [42] tempus messis ei.

34 Exedit me, quatit me Nebucad-retzar Rex Babyloniæ; statuit me [43] *ut* vas [m] inutile, deglutit me ut draco, implet ingluviem suam deliciis meis; dispellit me:

35 [n] Injuria quæ fit mihi & carni meæ, in Babyloniam *recidat*, dicit habitatrix Tzijonis; & sanguis meus in habitatores *terræ* Chaldæorum, dicunt Jeruschalaima.

36 [44] Idcircò sic ait Jehova, ecce ego confecturus sum causam tuam, & [o] ulturus ultionem tuam; ideò exsiccabo [45] mare illius, tamquam si arefecissem scaturiginem illius.

37 Et [p] abibit Babylon in acervos, *in* habitaculum draconum, stuporem & sibilum, adeò ut nemo inhabitet.

38 Pariter ut juvenes leones [46] rugient, vociferabuntur ut catuli leonum.

39 Incalescentibus illis [47] disponam potiones eorum, & inebriabo eos ut exsultent, sed dormient [48] somno [q] perpetuo, neque expergiscentur; dictum Jehovæ.

40 Deducam eos velut agnos ad mactandũ; ut arietes cum hircis.

41 [49] Quomodo caperetur [50] Scheschac, & occuparetur laus totius terræ? quomodo esset desolationi Babylon inter gentes?

42 [51] *Quasi* ascendat contra Babylonem [52] ipsum mare; fremitu fluctuum ejus operiatur,

43 Erunt civitates ejus desolationi, terra siticulosa, & campestris: terra in cujus opidis non habitabit ullus vir, neque transibit per eas filius hominis.

44 Animadvertam etiam contra Belum Babylone, & [r] extraham [53] quod deglutit ex ore

[33] enarratio formæ qua judicia sua præstiturus est Deus, ut diximus in v. 25. [34] postquàm primo prælio fusi fuerint; ut annotavimus suprà 50.37. [35] quam nunc plenis buccis jactant. [36] videlicet quum intra opidũ perruperint. [37] id est, tum singularium habitaculorum quæ modò nominavit vectes, tum portarum minorum, quibus maceria aggeri ad Euphratem intus conjuncta de nocte occlusa erat: nã ita fuisse exstructam Babylonẽ docet Herodotus lib. 1. & ita postulat narrationis series. [38] utraque videlicet, quà in opidum influit, & quà effluit Euphrates in utrumque opidũ. [39] id est, accessus intimos quibus ibatur a ripa Euphratis in utrũque opidum. [i] *Heb. transitum: ut 1. Schem. 14. 1.* [40] i. non tantùm ipsum Euphratis alveum tamquam igne arefactum esse, sed etiam stagnantes rivos ex eo ductos intra opidum; quibus æquè ac muri interioris portis Medi & Persæ intrò venerunt. [k] *Heb. belli.* [41] transitio ætiologica ad dialogismum, de quo suprà 25. Hæc (inquit Propheta) quæ modò dixi effatus est Deus, & jámq; res omnes ad hæc præstanda comparat, ut peritus agricola tempestivè aream solidat ad triturationem. [l] *Hebr. tempore calcat.* [42] id est, quo messis quæ intrò comportata est per administros Dei triturabitur. [43] id est, ut testam, ex qua marmoratum structores faciunt ad incrustandum & solidandum areæ solum. Hic autem versus & sequens continent expostulationem Ecclesiæ: cujus exempla apud Danijelem & Zecarjam exstant. [m] *Hebr. vacuum.* [n] *Heb. injuria mei, & carnis meæ, super Babylonem: ut Gen. 16.5.* [44] responsum Dei ad antegressam expostulationem. [o] *Heb. contendam contentionem.* [45] i. maximas aquas, ut Gen. 1.10. vide sup. vers. 31. & 32. [p] *Heb. erit.* [46] videlicet Babylonii, celebrantes festum insolentissimè quo die capti sunt, Danijel. 5. ut etiam annotat Herodotus. [47] vide hæc apud Danijelem ibidem. [48] i. dormitione mortis, ut Psaltes nominat Psal. 13.4. [q] *Heb. seculi.* [49] quarta pars, confutatio, ut diximus suprà 50. 1. cujus loci sunt duo, unus, quo confutat fiduciam Babyloniorum, versib. quatuor; alter, quo refellit metum & diffidentiam piorum, eosq; confirmat promissionibus, usque ad versum 50. [50] vide suprà 25.26. [51] responsio ad objectionem præcedentis versus. [52] i. Euphrates ipse inde a mari Persico remeans in Babyloniam exundaret, quamvis illi confidant tantopere, ut sup. vers. 36. [r] *Hebr. deglutitum ipsius.* [53] i. innumeras illas immanésq; oblationes quibus colitur, abripiam a templo ipsius: vide in historia Beli, & Herodotum lib. 1.

ejus, neque confluent ad eum ampliùs gentes: etiam murus Babylonis corruet.

45 ‖ [54] Exite e medio ejus, popule mi, & eripite quiſque animam ſuam; ab æſtu iræ Jehovæ:

46 Et [55] *videte* ne molleſcat [ſ] animus veſter, & timeatis propter rumorem qui audietur in ea terra; quum advenerit [56] anno uno rumor ille, & poſteà [57] anno altero idem rumor violentiaq; in terram, denique dominator ſupra [58] dominatorem.

47 Idcircò ecce dies venturi ſunt, quum animadvertam in ſculptilia Babylonis, & tota terra ejus pudefiet; omnéſq; confoſſi ejus cadent in medio ejus:

48 Et [59] cantabunt de Babylonia cæli & terra, & quæcunque *ſunt* in eis; quum ab Aquilone venerit ad eam iſtorum vaſtatorũ quiſque, dictum Jehovæ.

49 Et Babyloni cadendum eſt, ô confoſſi Jiſraëlis: & cum Babylone caſuri ſunt confoſſi totius terræ illius.

50 [60] O qui evaſiſtis a gladio, abite, ne conſiſtatis: recordamini è longinquo Jehovæ, & Jeruſchalaima veniant in animum veſtrum, *dicendo*,

51 [61] Erubeſcimus quòd audiamus opprobrium, operit ignominia faciem noſtram; quòd ingrediantur extranei in ſanctuaria domus Jehovæ.

52 Idcircò, ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quum animadvertam in ſculptilia illius; & in tota terra illius exclamabit confoſſus.

53 Etiamſi aſcenderet Babylon in cælum, etiamſi muniret [t] [62] altiſſimum robur ſuum; a me venturi ſunt vaſtatores in eam, dictum Jehovæ;

54 Vox [u] clamoſa a Babylone; & contritio magna a terra Chaldæorum:

55 Nam vaſtaturus eſt Jehova Babylonem, & perditurus ex ea *robur cum* voce magna; etiamſi fremant fluctus illorum ut aquæ multæ, edatur ſtrepitus vocis illorum:

56 Quum venerit contra eam, contra Babylonem vaſtator, capientur potentes ejus, conteretur quiſque arcuum ejus; quia *Deus* fortis retributionum Jehova [x] omnino rependet.

57 Inebriabo, *inquit*, principes ejus, & ſapientes ejus, duces ejus, antiſtitéſq; ejus, & potentes ejus, ‖ ut dormiant ſomno perpetuo ac nõ expergiſcantur; dictum Regis cui nomen *eſt* Jehova exercituum.

58 Sic ait Jehova exercituum, [y] murus uterque Babylonis [63] latiſſimus [z] planè nudabitur, & portæ ejus [64] altiſſimæ igne ſuccendentur: ita [65] laboraverint populi pro inanitate, & nationes pro igne, ac defatigatæ fuerint.

59 [66] Verbum quod præcepit Jirmeja Propheta Serajæ filio Nerijæ, filii Machaſejæ; quum iret a Tzidkija Rege Jehudæ in Babyloniam anno quarto regni ejus; *erat* autem Seraja Princeps [67] Menuchæ:

60 Poſtquàm deſcripſiſſet Jirmeja totum malum quod eventurum erat contra Babylonem, in libro uno; omnia verba hæc quæ ſunt ſcripta contra Babyloniam.

61 Edixit ergo Jirmeja Serajæ; quum veneris ad Babylonem, tum aſpiciens leges omnia verba hæc,

62 Ac [68] dices, ô Jehova, tu eloquutus es contra locum hunc te exciſurum eum, adeò ut non ſit in eo habitator [a] tam ex hominibus quàm ex jumentis; ſed deſolatiſſimum in ſeculum fore.

63 Deinde erit quum abſolveris legere libellum hunc; *ut* alligans ei lapidem, projicias eum in medium Euphratis:

64 Et dicas, ita ſubmergetur Babylon, & non exſurget [b] a malo quod ego inducturus ſum contra eam, [69] quàvis defatigentur: hactenus [70] verba Jirmejæ.

‖ ſup. 6.
[54] alter locus conſutationis, per apoſtrophen ad populum Dei.
[55] ellipſis, de qua Gen. 3. 22.
[ſ] *Heb. cor: ſic deinceps.*
[56] nimirum quo nuncius allatus eſt de inſtituta & ſuſcepta expeditione Cyri: nam priore anno cœpta expeditione, Cyrus in Aſſyria moratus eſt importunitate vadorum; maximè ad Gyndem fluvium.
[57] nimirum quum alterum ver illuxit, quo ineunte Cyrus perrexit in Babyloniam, & violentiam adhibuit contra Babylonem: vide Herodotum ibidem.
[58] Belſcharzarem, qui eadem nocte trucidatus eſt qua fuit occupata Babylon, Danijel. 5.
[59] hyperbole.
[60] concluſio prophetiæ, qua Deus primùm ſuos hortatur ad fidem & obſequium, duobus verſib. deinde judicium in Babylonios eventurum ſummatim repetit, uſque ad verſ. 59.
[61] q. d. pudeat vos Eccleſiam Dei incultam & deſertam eſſe, a vobis adeò negligi, & ab exteris propter peccata & ignaviã veſtram proculcari; ac proinde reſipiſcentiam veſtram coram Deo & Eccleſia his verbis teſtatam facite, Eccleſiámq; ſanctitate doctrinæ & vitæ a maledictis & malefactis adverſariorum vindicate.
[t] *Heb. altitudinem roboris: hypallage.*
[62] id eſt, muros & munitiones ſuas ampliùs confirmaret: vide ſup. 25.
[u] *Heb. clamoris.* [x] *Heb. rependendo rependet.* ‖ *ſup. verſ.* 38. [y] *Heb. muri.* [63] vide ſup. 25. [z] *Heb. nudando.* [64] videlicet proportioni latitudinis & altitudinis murorum reſpondentes. Hoc autem quando effectum ſit, attigimus ſup. 50. 13. [65] videlicet quicunque ædificationi, munimento, & exornationi Babylonis operam dederint. [66] jam ſequitur pars ultima, nimirum typus adhibitus ad confirmationem præcedentis prophetiæ, ut diximus ſup. 50. 1. [67] qui tractus eſt in confinio Jehudæ & Danis, alibi Manachath dictus, aut etiam (quia tractus diviſus erat inter Jehudam & Danem) plurali numero Menuchothæ; vide 1. Chron. 2. 52.

[68] oratio ad typum adjecta, qua accedente ex verbo Dei typus verè ſacramentalis eſt.
[a] *Heb. ab homine uſque ad jumentum.*
[b] *Heb. a præſentia mali.*
[69] id eſt, quantumcunque laborem ad recolligendum ſe inſtaurandúmq; conſumſerint.
[70] perſcripta a Jirmeja: nam ſequens caput a Jirmeja minimè fuiſſe ſcriptum vel ex eo colligimus, quòd pertexit hiſtoriam uſque ad regnum Evilmerodaci, totúmq; tempus quo Rex Jehojacin ſupervixit; ac proinde ſtatuimus ab aliquo viro Dei, aut Eccleſiæ conſilio fuiſſe additum ad Jirmejæ ſcripta: ut ſcriptis Moſchis factum eſt Deut. 34.

CAPUT LII.

Eodem eſt argumento cum 2. Reg. 25.

1 ‖ NAtus unum & viginti annos Tzidkija quũ regnare inciperet, undecim annis regnavit Jeruſchalaimis: cujus matri nomen Chamutal filia Jirmejæ e Libna:

2 Qui fecit quod malum videtur in oculis Jehovæ, omnino prout fecerat Jehojakim.

3 Quúmq; ſecundúm iram Jehovæ fieret Jeruſchalaimis & in Jehuda, adeò ut abjiceret eos a facie ſua; rebellante Tzidkija contra Regem Babyloniæ:

4 Fuit anno nono regni illius, menſe decimo, decimo die menſis; *ut* adveniens Nebucadretzar Rex Babyloniæ, ipſe & omnes copiæ ipſius contra Jeruſchalaima, caſtra facerent juxta ea: exſtruentes contra ea propugnacula circumquaque.

5 Sic proceſſit civitas in obſidione; uſque ad undecimum annum Regis Tzidkijæ.

6 Menſe quarto, nono *die* menſis; quum invaluiſſet fames in civitate; adeò ut non eſſet panis populo regionis;

7 Tum perrupta civitate, omnes [a] bellatores fugerunt & egreſſi ſunt è civitate noctu, via portæ inter duplicem murum, quæ *erat* juxta hortũ Regis, Chaldæis civitatem obſidentibus circumquaque: & abiverunt via campeſtrium.

8 Sed perſequentes copiæ Chaldæorũ Regem, aſſequutæ ſunt Tzidkijam in campeſtribus Jerichuntis; quum omnes copiæ ejus diſperſæ eſſent ab eo:

9 Et prehendentes Regem deduxerunt eum ad Regem Babyloniæ Riblam in terra Chamathæ; ubi [b] tulit [1] de eo ſententias.

10 Ex quibus jugulavit Rex Babyloniæ filios Tzidkijæ ante oculos ejus; etiámq; omnes Principes Jehudæ jugulavit ad Riblam:

11 Deinde oculos Tzidkijæ excæcavit: & quum vinxiſſet eum numellis chalybeis deduxit eum Rex Babyloniæ in Babyloniam, & poſuit eum [2] in loco aliquo præfecturarum uſque ad diem mortis ejus.

12 Deinde menſe quinto, decimo die menſis, ipſo decimo nono anno Regis Nebucad-retzaris Regis Babyloniæ; [3] poſtquàm veniſſet Nebuzaradan præfectus ſatellitum, *qui* [c] miniſtrabat Regi Babyloniæ, Jeruſchalaima,

‖ 2. *Reg.* 25.
[a] *Heb. viri belli: ſic deinceps.*
[b] *Heb. loquutus eſt cum eo judicia.*
[1] Et domeſticis ejus, per ſynecdochen quã ſequentia explicant.
[2] i. in certa aliqua cuſtodia: nam certis præfectis pro ratione criminum cuſtodiæ committi ſolent, ut apparet ex ipſa Jirmejæ hiſtoria ſuprà 37. & 38.
[3] nam ingreſſus eſt die ſeptimo Jeruſchalaima, 2. Reg. 25. 11. deinde verò cõparatis per biduum rebus, decimo die incepit mandata exſequi.
[c] *Heb. ſtabat coram facie: vide interpretationem Deut. 10. 8. & 2. Reg. 25. 11.*

13 Com-

13 Combussit domum Jehovæ, & domũ Regis; omnésq; domos Jeruschalaimorum, id est, omnes domos magnatum combussit igne:

14 Et omnes muros Jeruschalaimorum circumquaque; destruxerunt omnes copiæ Chaldæorum quæ *erant* cum præfecto satellitum.

15 E tenuibus populi, id est, reliquum populi, eos qui relicti fuerant in civitate, & defectores qui defecerant ad Regem Babyloniæ, & reliquũ vulgi; deportavit Nebuzar-adan præfectus satellitum.

16 Tantùm è tenui populo terræ reliquos fecit Nebuzar-adan præfectus satellitum; [d] qui essent vinitores & qui agricolæ.

[d] *Heb. in vinitores & in agricolas.*

17 Præterea columnas æreas quæ *erant* domui Jehovæ, basésq;, & lacum æneum qui *erat* in domo Jehovæ fregerunt Chaldæi; detulerúntq; totum æs eorum in Babyloniam:

18 Item ollas, & hamas, & instrumenta musica, craterásq; & acerras, omniáq; instrumenta ærea quibus ministraverant acceperunt:

19 Etiamq; pelves, & trullas, cum crateribus, & ollis, & lychnuchis, & acerris, ac scopulis, [e] quæcumque aurea, & quæcumque argentea; accepit præfectus satellitum:

[e] *Heb. quæ auri auri, & quæ argenti argenti.*

20 Columnas duas, lacum unum, bovésque duodecim æreos qui *erant* sub basibus, [f] quę paraverat Rex Schelomo pro domo Jehovæ; non fuit pondus æri eorum, omnium instrumentorum istorum.

[f] 1.*Reg.*6.*&*7.

21 [g] Columnis autem istis, octodecim cubitorum altitudo *erat* columnæ unicuique, & filum duodecim cubitorum circumdabat eam: densitas autem ejus quatuor digitorum, cava *erat*:

[g] 1.*Reg.*7.15.

22 Cui imposita *erat* corona ærea, & altitudo coronæ unius [4] quinque cubitorum, encarpus, & malogranata ad coronam circumquaque omnia ærea; & similia *erant* columnæ secundæ, cum malogranatis.

[4] vide 1.Reg.7.16.

23 Erántq; malogranata [5] nonoginta sex in plagam *quamque*: omnia malogranata centena in encarpo circumquaque.

[5] exceptis angularibus quatuor: quæ si comprehenderis, efficientur centena singulis ordinibus, 1.Reg.7.20.& 2.Chron.4.13. ut verbis sequentibus ostenditur.

24 Item cepit præfectus satellitum Serajam Sacerdotem primarium, & Tzephanjam Sacerdotem secundanum; ac tres custodes liminis.

25 E civitate verò cepit aulicum unum qui fuerat præfectus bellatoribus, [6] cum septem viris ex [f] intimis Regis qui inventi sunt in civitate, & scribam primarium exercitus, qui exercitum conscribebat e populo terræ: ac sexaginta viros e populo terræ qui inventi sunt in civitate.

[6] id est, qui aulicus imperium in copias habens (quemadmodum etiam scriba cujus posteà habetur mentio) comprehenditur numero horum septem intimorum Regis: quapropter ubi nominatim excipiuntur ex hoc numero, quinque tantùm homines dicuntur capti, 2.Reg.25.22. ita hoc inclusivè (ut vulgò loquuntur) accipiendum est, illud verò exclusivè.

[f] *Heb. videntibus faciem Regis* ut 2.Reg.25.22.

26 Hos ipsos capiens Nebuzar-adan præfectus satellitum, deduxit ad Regem Babyloniæ Riblam:

27 Quos percutiens Rex Babyloniæ, morte affecit Riblæ in terra Chamathæ: sic migravit Jehuda a terra sua.

28 Hic *est* populus quem deportavit Nebucad-retzar; [7] anno septimo, Jehudæi ter mille viginti tres:

[7] videlicet regni Nebucad-retzaris, quo deportatus est Jehojacin sive Jeconja: vide 2.Reg.24.16.

29 [8] Anno decimo octavo Nebucad-retzaris; deportavit Jeruschalaimas animas octingentas triginta duas:

[8] quum expugnata sunt Jeruschalaima, & captus Tzidkija.

30 Anno [9] vicesimo tertio Nebucad-retzaris; deportavit Nebuzar-adan præfectus satellitum Jehudęos, animas septingentas quadraginta quinque: omnes animæ quater mille sexcentæ *sunt*:

[9] id est, quinto pòst anno quàm urbs capta fuerat: nam occasionem novam Judæi attulerunt suis illis motibus quos Jirmeja enarravit sup. 40. & seq.

31 [h] Postea fuit trigesimo septimo anno a deportatione Jehojacinis Regis Jehudæ, duodecimo mense, vigesimo quinto die mensis; *ut* efferret Evilmerodac Rex Babyloniæ anno quo regnare cœpit caput Jehojacinis Regis Jehudæ, educens eum e carcere:

[h] 2.*Reg.*25.30.

32 Cum quo loquutus est bonis *verbis*; & posuit solium ejus supra solium Regum qui *erant* secum Babylone.

33 Et mutatis vestimentis carceris sui; comedebat cibum coram illo jugiter omnibus diebus vitæ suæ:

34 Nam cibarium ejus cibarium juge dispositum fuit ei a Rege Babyloniæ, [g] demensum diei cujusque in diem quemque, usque ad diem mortis ejus; omnibus diebus vitæ ejus.

[g] *Hebr. rem diei die suo.*

LAMENTATIONES JIRMEJÆ.

ARGUMENTUM.

LIBER *Lamentationum querimonias lugubres continet de miserabili Judæorum statu inde a morte Joschijæ Regis; quo tamquam calamitatum omnium primordio Jirmeja adductus est ad deflendum præsentes & instantes Ecclesiæ regniq, totius miserias. Quapropter ipse tum suo, tum piorum omnium nomine conqueritur de malis gravissimis acceptis, peccata publica privatáq, confitetur, omnes ad resipiscentiam, fidem, & orationem revocat, iram Dei deprecatur, gratiam petit, & misericordiam implorat ex fœdere.*

CAPUT

CAPUT I.

Ecclesia exstincto Joschija, & regno Judææ per Aegyptios divexato, de calamitatibus suis conqueritur; quas peccatis suis acceptas ferens, Deum orat pro remissione peccatorum & saluto sua: deinde sermone ad Gentes converso ostendit omnia a Deo profecta esse; ipsarum fuisse ut afflicti populi misererentur; Deumq; orat pro earum excidio ad gloriam ipsius.

א 1 QUOMODO [1] desidet [2] solitaria, civitas amplissima populo, similis est viduæ? amplissima inter gentes, princeps inter provincias *quomodo* est [a 3] tributaria?

ב 2 *Quomodo* [b 4] planè flet noctu, & lacrymæ ejus descendunt in maxillas ejus, nullo eam consolante ex omnibus amantibus ejus? omnes amici ejus perfidè agunt contra eam, [c] effecti in eam inimici?

ג 3 *Quomodo* [5] migrat Jehuda præ afflictione & præ amplitudine servitutis, & ipsa residens in gentibus non invenit quietis locum? [6] quicunque persequebantur eam, assequuntur eam [7] inter angustias?

ד 4 *Quomodo* [8] viæ Tzijonis lugent quòd nulli veniant ad solennitatem, omnes portæ ejus *sunt* desolatæ, Sacerdotes ejus gementes: virgines ejus mœstæ, & ipsa amaritudini *est* sibi?

ה 5 [9] Effecti sunt hostes ejus in caput, inimici ejus [10] tranquillè agunt, quia Jehova mœstitia afficit eam propter amplitudinẽ defectionũ ejus: [11] parvuli ejus abeunt *in* captivitatẽ corã hoste.

ו 6 Et excedit e filia Tzijonis totus decor ejus: sunt principes ejus, ut cervi non invenientes pascuum, abeunt absque virtute coram persequente:

ז 7 Recordatur *urbs* Jeruschalaimorum diebus afflictionis suæ & ploratuum suorum, omnes res suas desiderabiles, quæ adfuerant a diebus [d] priscis; cadente populo suo manu hostis, & nemine auxilium ferente sibi, quum videntes eam hostes irrident [12] cessationes ejus.

ח 8 Peccatum [e] perpetravit urbs Jeruschalaimorum, propterea [f 13] tamquam ex immunditia separata est: omnes qui honore afficiebant eam vilipendunt eam, quia vident nuditatem ejus; etiam ipsa gemit, & [14] avertit se retrorsum.

ט 9 [15] Immunditiæ suæ in fimbriis suis [g] mercedem *esse* nondum recordata, [16] descendit [h] mirabiliter, nemine consolante ipsam: respice Jehova afflictionem meam, quòd magnificet se inimicus.

י 10 Manum suam pandat hostis ad omnes res desiderabiles ipsius: quòd videat gentes [17] ingredi sanctuarium suum *ipsa*, cui præcepisti, ne adveniunto in congregationem tibi:

כ 11 Totus populus suus gemant quærentes panem, exponant res suas desiderabiles pro cibo, ad [i] reficiendum se: respice Jehova & intuêre, me [k] vilipendi.

ל 12 [18] Nihil ad vos, ô viatores omnes; intuemini & videte [19] an sit dolor par dolori meo, qui factus est mihi: quam afficit Jehova mœrore die æstus iræ suæ.

מ 13 E sublimi immittit ignem in ossa mea, [20] cui dominatur: pandit rete pedibus meis; [21] avertit me retrorsum, reddit me desolatam, toto die languidam.

נ 14 [22] Compactum est jugum defectionum mearum manu ejus, *quibus* contortis & ascendẽtibus super collum meum labefactat virtutem meam: tradit me Dominus in manus *eorum a quibus* non possum exsurgere.

ס 15 Conculcat omnes robustos meos Dominus in medio mei, convocat contra me conventum ad frangendum juvenes meos: [23] torcular calcat Dominus virgini filiæ Jehudæ.

ע 16 Propter hæc ego fleo, [m] *ex* oculo meo, ex oculo meo descendit aqua, quia longè abest a me consolator qui reficiat [n] me: sunt filii mei desolati, quia invalescit inimicus.

פ 17 *Quamvis* pandat Tzijon manus suas, nemo consolatur eam, [24] præcepit Jehova de Jahakobo qui circumstant ipsum hostes ipsius *esse*: [25] effecta est *urbs* Jeruschalaimorum ut separata propter immunditiam inter illos.

צ 18 Justus est Jehova, eo quòd contra [o] præstitutum ejus rebellavi: audite quæso omnes populi, & aspicite dolorem meum, virginum mearum, & juvenum meorum abeuntium in captivitatem.

[1] Etsi hic Lamentationum liber non unam tantùm calamitatem Judæorũ deflet; sed multiplices, quæ inde a Joschijæ temporibus cohortæ sunt subinde usque ad excidium totius regni, ac fermè populi: non dubium est tamen (ut auctor est Hezra 2. Chron. 35. 25.) quin occasione mortis Joschijæ a Propheta fuerit conscriptus, & Ecclesiæ traditus. Nam quũ vidit Propheta (qui prius prophetias de excidio regni audiverat, & ipse prophetaverat per revelationes Dei) Joschijam a Necone occisum, ac proinde regnum delabi in fiduciam Regis Aegyptiorum, ut historia sacra ostendit; ex istis malorum gravissimorum primordiis lamentũ conscripsit, quo tum res præsentes, tum etiam successuras alias comprehendit: ut præmonita Ecclesia tunc resipisceret, aut saltem futuræ Ecclesiæ Dei reliquiæ post ictum in fide & veritate Dei magis confirmarentur, peccata confiterentur, sibi renunciarent, Deum castè accederent, justitiam ejus prædicarent, & implorarent misericordiam. Sunt autem hujus capitis (quod alphabetico ordine conscriptum est, ut sequentia tria, iis de causis quas proposuimus in Psalmum 111.) summæ partes duæ: una est propositio malorum quibus Ecclesia obruta est, V. 11. altera est contestatio adversus hostes Ecclesiæ, usque ad finem. Propositionis autem loci sunt tres: primus est quæstio ex præsentibus & impendentibus Ecclesiæ Judæorum calamitatibus, versibus quatuor: secundus est hypophora sive responsio, qua Ecclesia confitetur & statuit malorum suorum causam in peccatis suis, quatuor alteris: tertius est precatio, tribus. [2] exhausta plurimum civibus, amisso Rege optimo, qui regni quasi maritus est, & popularium quasi pater. [a] *Heb. in tributum.* [3] videlicet Regi Aegypti, per quem Joachas deportatus est, mulcta imperata, canon indictus, & Jojakim Rex fiduciarius sive beneficiarius institutus, 2. Reg. 23. & 24. & 2. Chron. 36. [b] *Heb. flendo flet.* [4] i. tam acerba est calamitas, ut ne ipsum quidem tempus quietis in quiete possit transigere. Est autem pathetica gradatio, hoc vers. tum hic, tum etiam in sequentibus plurimis observanda. [c] *Heb. sunt illi in inimicos.* [5] i. cives & incolæ regni sponte diffugiunt, pertæsi calamitatum & servitutis durissimæ, qua regnum totum opprimitur. [6] i. finitimi, qui semper fuerunt Judæis hostes infensissimi. [7] videlicet quasi domesticas in regno; & exteras apud finitimos. [8] id est, cultus Dei desertus est & omnia luctifica: prosopopœia. [9] responsio ad præcedentem quæstionem lugubrem, ut diximus in vers. 1. De hoc autem loquendi genere vide Deuter. 28. 13. & 44. [10] id est, commodè & nullo negotio Judæam vexant. [11] id est, nemini parcitur planè aut ætatis causa aut sexus. [d] *Heb. antiquitatis.*

[12] cessare totũ decorem illum qui nominatus est antè, nempe Principes, & omnes res desiderabiles.
[e] *Heb. peccavit.*
[f] *Heb. est in separatam propter immunditiam.*
[13] i. quia peccavit in Deum spiritualẽ suum conjugem, Deus abjecit illam & separavit a se ex ceremonia legis, Levit. 12. & 15. Hæc enim omnia dicuntur allegoricè, per comparationem mulieris impuræ.
[14] repulsam passa & separata a Deo.
[15] tertius locus propositionis, quo Ecclesia piorum primùm agnoscit justitiã Dei perstantis in judiciis suis propter pertinaciã populi non advertentis ad immunditiam suã; deinde precatur tum ab afflictione sua, tum ab insolentia hostiũ tum denique a gloria Dei, trib. vers.
[g] *Heb. finem.*
[16] i. decrescit, & tamquam dejicitur de arce decoris sui: nam viginti duobus annis a morte Joschijæ regnũ Jehudæ totum labefactatũ est.
[h] *Heb. miraculis.*
[17] i. terram sanctam suam: ut Exod. 15. 17. sensus est, videt eos potiri rerum omnium, quibus vel minimã administrationem in populo tuo non permiseras lege, Deut. 23. 3. & sequent. [i] *Heb. restituendam animam: sic vers. 16. & 19.* [k] *Heb. esse vilem.* [18] secunda hæc pars capitis, qua Ecclesia gentes contestata se committit Deo, duos locos summatim continet: unus est contestationis & πάθους ad permovendum gentes, flectendúmq; ad misericordiam, octo versib. alter est precationis, ut Deus gentes immisericordes Ecclesiæ misertus vicissim puniat, tribus ultimis. Prioris autem loci summa argumenta sunt duo: unus est, non esse a gentib. sed a Deo ipso calamitates Judæorum; ac proinde non posse illas jure sibi in hac causa quidquam assumere, versibus quatuor: alterum, potiùs debuisse gentes misereri afflictorum, conscientia judiciorum Dei æquè sibi impendentium, quàm miserias accumulare implorantibus misericordiam, quatuor alteris: quæ duo summatim in principio hujus versus proponuntur. quasi dicat, statuitis quidem cum animis vestris hæc nihil ad vos attinere; sed tamen, si sapitis, attendite penitus, & animadvertite exemplo meo rem longè aliter habere quàm existimatis. [19] quasi dicat, ex infinitate mali mei expendite non humanum opus esse, sed flagellum Dei; ut exponunt tres sequentes versus allegoricè. [20] id est, cujus Dominus est & moderator Deus, ac non homines ulli: quod vobis ipsi tribuitis. [21] id est, depellit me & dejicit a se in terram, ut dicitur infrà 2. 1. [22] secunda allegoria a comparatione jumenti subjugis: defectiones meæ (inquit) sunt tamquam lora & vimina; hanc materiam assumit Deus, compingit, contorquet tamquam victa vimina, & imponit cervicibus meis illarum jugum tam grave, ut infirmet vires meas. [23] tertia allegoria, cui similis est Jeschah. 63. 3. [m] *Hebr. oculus meus oculus meus descendit aquis: hypallage emphatica.* [n] *Heb. animam meam: ut vers. 19.* [24] quasi dicat, idq; justo judicio Dei, qui solus bene utitur malis. [25] i. abjecta ab omnibus, prout à Deo abjecta est, suprà vers. 8. [o] *Heb. os.*

[26] id est, eos quibus amor mei & cura a Deo fuerat cómissa: atque hi deinde per epexegesin nominantur.
[27] id est, non præstiterunt exspectationem meam: nam tantum absuit ut mihi possent prospicere, ut ne sibi quidem ab exitio caverint.
[28] i. curatores rei Ecclesiasticę apud Deum, atque politicę apud homines, quorum consiliis oportet stare rempublicam.

ק 19 Me inclamantem [26] amantes meos ipsi [27] fefellerunt, [28] Sacerdotes mei & Seniores mei in ipsa civitate exspirarunt: quum quærerent escam sibi qua reficerent seipsos.

ר 20 [29] Aspice Jehova, nam angustia *est* mihi, viscera mea [30] lutulenta facta sunt, versat se cor meum in medio mei, quia [o] omnino rebellavi: foris orbat gladius, intus *est* planè mors.

ש 21 Audientium me in gemitu esse nemo consolatur me, omnes inimici mei audito malo meo gaudent te *id* facere; adduces [31] diem *quem* promulgasti, ut sint pares mihi.

ת 22 Veniat tota malitia eorum in conspectū tuum, & confice eis, quemadmodum confecisti mihi propter omnes defectiones meas: nam amplissimi *sunt* gemitus mei, & cor meum languidissimum.

[29] oratio bimembris, ut diximus in vers. 12. pro salute Ecclesiæ, & adversariorum excidio. [30] i. ut mare procellosum æstuant, fluctuántq;, tamquam si vehementissimis fluctibus lutum excitarent: synecdoche allegorica elegantissima, cui similem, etsi vario sensu, vide Jeschaħ. 57. 24. Hoc enim amplius est quàm si diceretur, fluctuant, aut strepunt, ut alibi in scriptura legitur: sic infrà 2. 11. [o] *Heb. rebellando.* [31] nimirum prædictionibus Prophetarum adversus gentes; cujusmodi apud Jeschaħjam & Jirmejam habentur multa.

CAPUT II.

Propheta lamentum facit de everso populo, regno, cultu Dei, & regione tota: gravitatem malorum & indignitatem amplificat: Judæósq; instituit quomodo sint imploraturi Dei misericordiam.

[1] Hujus capitis duæ sunt in universum partes: prior est expostulatio pathetica pro toto populo Judæorum, decem versib. altera est documentorum Prophetę ad populum, inde ad finem usque. Expostulationis autem membra sunt tria: primùm enim conqueruntur Judæi de calamitatibus totius regni a Deo importatis, versib. quatuor sequēt. secundò de cultu ipsius dejecto, versib. duobus, ac postremò de ipsa metropoli, in qua stabant regnum Davidis & cultus Dei, tribus versibus, quæ omnia proleptice hoc vers. continentur, & per ὕστερον deinceps exornantur.

א 1 [1] Quomodo [a] [2] densa obtegit nube iræ suæ Dominus filiam Tzijonis, dejicit e cælis *in* terram ornatum Jisraëlis? ac non recordatur scabelli pedum suorum die iræ suæ?

ב 2 *Quomodo* [3] absorbet Dominus non utens clementia omnia habitacula Jaħakobi, destruit furore suo munitiones filiæ Jehudæ, [b] deturbans in terram? [c] ut prophanum abjicit regnum cum principibus ipsius?

ג 3 *Quomodo* succidit æstu iræ totum [4] cornu Jisraëlis, adducens retrorsum dexteram suam [d] ne obsistat inimico, & exardescens in Jaħakobum, ut ignis [e] inflammatus consumens circumquaque?

ד 4 *Quomodo* adducit arcum suum velut inimicus, constitutus dextera sua velut hostis, ut interficiat omnes desiderabiles oculo: in tentorio filiæ Tzijonis effundit, ut ignem, excandescentiam suam?

ה 5 *Quomodo* est Dominus similis inimico, absorbet Jisraëlem, absorbet omnia palatia ejus, perdit omnes munitiones ejus: & plurimum affert in filia Jehudæ mœroris & mœstitiæ;

ו 6 Et [5] vi abripit ut horti sepem suam, perdit locum conventus sui; prorsus obliviscitur Jehova [6] *habendi* Tzijone conventus, & sabbathi, ac spernit indignatione iræ suæ Regem & Sacerdotem?

ז 7 *Quomodo* rejicit Dominus altare suum, detestatur sanctuarium suum, tradit in manum inimici muros, palatia illius: vocem edunt *inimici* in domo Jehovæ, [7] ut die conventus?

[a] *Hebr. obnubilat ira sua.*
[2] elegans metaphora, continens tacitam antithesin nubis gloriæ, quæ prius apparuit Jeruschalaimis in dedicatione templi, 1. Reg. 8. 10. & præsentium calamitatum quæ cum densa nube & caligine fere comparantur. [3] id est, tollit momento funditus, tamquam absorberet: nam hæc omnia figuratè tribuuntur Deo. [b] *Hebr. facit ut pertingat.* [c] *Hebr. prophanat.* [4] vide 1. Schem. 2. 1. [d] *Heb. a facie inimici.* [e] *Heb. flamma.* [5] sic Psal. 80. 13. & 89. 41. & Jeschaħ. 5. 5. [6] ex promissione & lege ipsius, Exod. 23. & 25. & antiquo more. [7] edebatur a populo Dei precibus & laudibus, quum tres anniversariæ solennitates agerentur.

ח 8 *Quomodo* cogitat Jehovam corrumpere muros filiæ Tzijonis, [8] extendit regulam, non retrahit manum suam quin absorbeat; & luctum affert præmunitioni & muro, pariter [9] languescentibus?

ט 9 *Quomodo* demerguntur in terram portæ ejus, perdit & confringit vectes ejus: Rex ejus & Principes ejus *sunt* inter gentes [10] sine lege, etiā Prophetæ ejus, [f] non habent præsentem visionem a Jehova?

י 10 *Quomodo* sedentes humi conticescunt Seniores filiæ Tzijonis, imponunt pulverem capiti suo, accingunt ciliciis; demittunt in terram caput suum virgines Jeruschalaimorum?

כ 11 [11] Deficiunt lacrimis oculi mei, [12] lutulenta fiunt viscera mea, effunditur in terram [13] jecur meum, propter contritionem filiæ populi mei; dum obruitur [14] infans & lactens in plateis urbis,

ל 12 Matribus suis dicentes, ubi *est* frumentum & vinum? dum obruunt sese similes confosso in plateis civitatis, dum effundit sese anima eorum in sinum matrum suarum.

מ 13 [15] Quod testimonium afferre tibi? quod exemplum darem tibi, ô filia Jeruschalaimorū? quid æquarem tibi ut consoler te, ô virgo filia Tzijonis? nam magna *est* velut maris contritio tua, quis curaturus esset te?

נ 14 [16] Prophetæ tui vident tibi vanum & insulsum, neque retegunt iniquitatem tuam ad avertendum captivitatem tuam; sed vident tibi onerosas prophetias [g] rerum vanarum & ad depulsionem spectantium.

ס 15 [17] Plaudunt super te manus suas omnes [h] viatores, [18] sibilant & [19] movent caput suum contra filiam Jeruschalaimorum: hęccine, *inquiunt*, civitas illa, quam dicebant [20] perfectam pulcritudine, gaudium toti terræ?

ע 16 [21] Dilatant contra te os suum omnes inimici tui, sibilant & [22] frendunt dentibus suis dicentes, absorbuimus: utique hic dies ille *est* quem exspectabamus, præsentem habemus, [i] fruimur.

פ 17 Facit Jehova quod cogitaverat, perficit sermonem suum quem præceperat a diebus [k] priscis, destruit non utens clementia: & lętificat contra te inimicum, extollit cornu hostium tuorum.

צ 18 [23] Clamat cor istorum [24] contra Dominum: ô mure filiæ Tzijonis, fac ut descendant tamquam torrens lacrymę interdiu ac noctu, ne permittas intermissionem tibi, ne desistat pupilla oculi tui.

ק 19 Surge, vociferare [25] de nocte, in principio vigiliarum, effunde ut aquas cor tuum coram facie Domini: attolle ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui obruuntur fame in capite omnium vicorum, *dicens*:

[8] videlicet ut evertatur funditus & æquetur solo: sic 2. Reg. 21. 13. & Jesch. 34. 11. quod confirmāt sequētia. [9] ac proinde ad ruinam luctuosam, veluti mortem spectātibus: allegoria. [10] i. legibus gentium constricti, & publico ordine Ecclesiæ, legisq; & prophetarum documentis carentes, quæ antè publicè in Judæa personaverant. [f] *Heb. non inveniunt: sic infrà vers. 16.* [11] secunda hæc pars (qua Propheta affert documenta Ecclesiæ laboranti) tria membra continet: primum est quoddā veluti exordium a commiseratione, duobus versib. secundum est exaggeratio mali, usque ad vers. 18. tertium est consilium conversionis ad Deum & orationis, quinque versib. ultimis. [12] vide sup. 1. 20 [13] i. sanguis e jecore diffugit, velut profusus in terram. [14] amplificatio ab ætate & circumstantiis. q. d. dū omnes pereunt miserrimè, ac ne parvulis quidem (quorum miserabilior cōditio est) consulitur. [15] transitio ad secundum membrum, cōmiserationem *di' exergasías*, i. per elaborationem quæ in animorum permotionibus est vehementissima. Continet autē hæc commiseratio duplicem exaggerationem: primùm quòd nullum malum cum hoc comparari potest, hoc vers. deinde quòd nusquam apparet spes boni tamquam media tempestate in alto versantibus, neque ab ipsis, seq. vers. neque ab exteris vers. 15. & 16. neque a Deo, v. 17. [16] i. qui modò prophetant tibi: nam hoc crimen suis temporibus Jirmeja plurimùm exprobrat: ut 23. 9. & sequentib. ubi habetur plenissima hujus versus interpretatio. [g] *Heb. vani & depulsionum.* [17] sic Ijobi 26. 23. [h] *Heb. transeuntes via: ut sup. 1. 12.* [18] sic 1. Reg. 9. 8. [19] sic 2. Reg. 19. 21. [20] ut Psal. 10. 2. [21] ut Psal. 22. 14. [22] ut Ijobi 16. 9. [i] *Heb. videmus.* [k] *Heb. antiquitatis: ut suprà 1. 7.* [23] consilium Prophetæ, ut diximus in vers. 11. cujus partes sunt duæ: una, qua Propheta Judæos docet quibus argumentis & qua ratione Deum oporteat accedere, duobus versib. deinde formulam orationis præscribit, tribus. Argumenta autem sunt hæc, blasphemia adversariorum, principio hujus vers. & resipiscentia Judæorū, cujus forma duobus his versib. ostenditur per prosopopœiam. [24] id est, non contra te, sed contra Dominum sunt istorum blasphemiæ: ut 2. Reg. 19. 22. [25] id est, indesinenter, palàm, ex animo toto, omnibus signis & modis miseriam tuam expone Domino.

ר 20 [26] Respice

ך20 [26] Respice Jehova, & intuêre [27] quibus
opereris ita: comederéne mulieres fructum suum, parvulos palmares? interficíne in sanctuario
Domini Sacerdotem & Prophetam?
ש21 Jacent humi in vicis puer ut senex, virgines meæ ut juvenes mei cadunt gladio: interficis die iræ tuæ, mactas non utens clementia.
ת22 Convocas quasi ad diem conventus formidines meas circumquaque, neque est die iræ Jehovæ qui evadat aut superstes maneat: quos palmis gestabam & educabam, hos inimicus meus consumit.

[26] propositio summa precationis, cujus ἐπιχείρησις habetur versibus duobus sequentibus.
[27] amplificatio est ad captandã misericordiam a natura, ætate, & ordine personarum: nam a natura est alienissimum ut matres comedant liberos: ætas, ut quum pueri adhuc palmares sunt, misericordiam movet: dignitas verò ordinis reverentiam habet, cujus caussa Sacerdotibus ampliùs parcitur, ut Numer. 16. & 26.

CAPUT III.

Ecclesia Judæorum de malis gravissimis a Deo immissis expostulat: certamina spiritualia sua exponens, declarat se fide in Deum ex rebus præsentibus, antecedentibus exemplis, natura & promissis Dei in spe salutis vivere: ac postremò confitens peccata sua, & pœnas præsentes amplificans, Deum supplicat pro salute sua & adversariorum exitio.

א1 [1] EGo vir ille sum qui [a] experitur afflictionem, virga furoris [2] illius.
2 Me ducit & agit [3] tenebris, non autẽ luce:
3 Tantùm mihi adversans, [4] obvertit manum suam toto die:
ב4 Terit carnem meam & cutem meam, confringit ossa mea:
5 [5] Exstruit contra me, & cingit cicuta & molestia:
6 In tenebrosis locis collocat me, ut mortuos [b] olim:
ג7 Sepit circum me ut non exeam, aggravat chalybeam numellam meam.
8 Etiam quum clamo & vociferor, obstruit orationi meæ;
9 Sepit vias meas [c] cæso lapide, semitas meas pervertit:
ד10 Ursus insidians est mihi, leo in latibulis,
11 Vias meas vagas efficit & [7] discerpit me, reddit me desolatum,
12 Adducens arcum suum statuit me sagittæ suæ ut scopum,
ה13 Immittit in renes meos [c] tela pharetræ suæ.
14 Sum risui cum toto populo meo, modulatio [8] istorum toto die.
15 Satiat me [d] summa amaritudine, inebriat me absinthio:
ו16 [9] Et comminuit in scrupis dentes meos, deprimit me in cinere.
17 [10] Adeò rejicis a pace animam meam, ut oblitus sim boni,
18 [11] Et dixerim, periit robur meum, & spes mea a Jehova.
ז19 [12] Recordando afflictionis meæ & ploratus mei, [13] absinthii & cicutæ,
20 [e] Planè inquam recordando, meditatur
apud me anima mea;
21 Hoc revoco in [f] animum meum, ac proptereà spero;
ח22 [g] [14] Summæ benignitatis est Jehovæ quòd non sumus absumti, [15] quòd non finiuntur miserationes ejus,
23 Novæ sunt singulis matutinis, amplissima [16] fides tua.
24 Pars mea Jehova est, inquit anima mea; proptereà spero in eo.
ט25 [17] Bonus est Jehova exspectantibus ipsum, animæ requirenti ipsum.
26 Bene est & speranti & acquiescenti in salute Jehovæ.
27 Bene est viro huic, quum tulerit [18] jugum in pueritia sua;
י28 Qui sedens solitarius acquiescit, quòd imposuerit ipsi Deus;
29 Qui [19] indit pulveri os suum dicens, [20] fortè est exspectatio,
30 Præbet percutienti se genam, satiatur opprobrio.
כ31 [21] Nam nõ rejicit in seculum Dominus;
32 Nam quum affecit mœstitia, etiam miseretur pro amplitudine benignitatum suarum:
33 Non enim affligit [22] ex animo suo, mœstitiáq; afficit filios viri.
ל34 Conterere sub pedibus suis omnes vinctos terræ,
35 Detorquere jus viri coram facie superioris,
36 Pervertere hominem in caussa sua, Dominus non [h] probat.
מ37 [23] Ecquo dicente exstitit aliquid, si Dominus non præceperit?
38 Ex ore Excelsi an non prodit [i] malum quodque & bonum?
39 Cur quiritaretur homo vivens, vir propter [k] pœnas peccatorum suorum?
נ40 [24] Perscrutemur vias nostras, & pervestigemus; atque revertamur usque ad Jehovam.
41 Attollamus animum nostrum cum manibus, ad Deum fortem in cælis, dicentes,
42 [25] Nos defecimus & rebellavimus, [26] tu non condonas.
ס43 Obtegis ira & persequeris nos, interficis, non uteris clementia:
44 [27] Obtegis nube te, ne pertrãseat oratio:
45 [28] Purgamentum & rejectamentum statuis nos in medio istorum populorum:
פ46 Dilatant contra nos os suum omnes inimici nostri:
47 Pavor & fovea adest nobis, vastatio, & contritio:
48 Rivis aquarum [l] perfluit oculus meus, propter contritionem filiæ populi mei:
ע49 Oculus meus defluit nec desistit, ex eo quòd nullæ sint intermissiones,

[1] Hujus capitis in universum partes præcipuæ sunt tres: expostulatio de perpessionibus gravissimis quæ Judæis obvenerunt, versibus 18, deinde narratio spiritualium certaminum & felicis victoriæ quã reportat pius animus ex certaminibus per fidem, usque ad vers. 42. postremò oratio piorum ex certaminibus suis fide emergentium, ad finem usque. Est autem tota expostulatio figurata, scatens allegoriis: in quã totus populus Judæorum specie unius hominis narrat perpessiones suas.
[a] Heb. videt.
[2] videlicet Dei, ut docent sequentia.
[3] nempe densissimarum afflictionum, ac omni prosperitate carentium.
[4] id est, hinc inde continenter verberat.
[5] id est, obsidet me circumquaque, & circumvenit molestiis amarissimis, tamquam militibus oppugnantibus me. [b] Heb. seculi. [6] i. infractis & inexsuperabilibus impedimentis. [7] ut ovem vagam ursus aut leo, cujus meminit superiore vers. [c] Heb. filios, id est, prodeuntes e pharetra. [8] hostium. [d] Heb. amaritudinibus. [9] id est, tanta vi deturbat me ac prosternit in terram, ut elisi dentes comminuantur scrupis, & os repleatur cinere. [10] apostrophe ad Deum, exaggerans præcedentem expostulationem, & transitum comparans ad secundam partem. [11] id est, propè in abyssum desperationis corruerim. [12] secunda hæc pars capitis primùm narrat certamen piorum, tribus versibus; deinde victoriam, usque ad versum 40. ac postremò hortatione concluditur, vers. 40. 41. [13] ut suprà vers. 5. & 15. [e] Heb. recordando recordatur.

[f] Heb. cor: sic deinceps.
[g] Heb. benignitatum.
[14] nobilissima hæc victoriæ prædicatio exponitur per ethopœiam, cujus argumenta omnino sunt quatuor: primum est conscientia benignitatis Dei ab experientia ipsa in mediis malis, his trib. versibus; secundum est explorum gratiæ Dei erga omnes humiles fide perferentes mala, usque ad vers. 31. tertium est naturæ Dei & gratiosæ erga suos, v. 31. & duob. seq. & alienæ ab injustitia adversariorum tyrannica, inde ad v. 37. quartum est omnipotentiæ Dei, quæ alterum est fulcrum fidei nostræ, sine quâ nihil fit, & per quã quicquid nobis fit mali, justè fit propter peccata nostra, usque ad vers. 40. Conscientia porrò benignitatis Dei ex re præsente confirmatur, hoc modo: tanta est est peccatorum nostrorum gravitas, tanta pœnarum acerbitas, ut si summo jure ageretur, jam millies actũ esset de nobis infirmissimis homuncionibus: atqui servamur a peccatis & in mediis pœnis nostris: hoc ergo non virtutis nostræ est, sed infinitæ benignitatis Dei quòd adhuc vivimus, ut Jeschah. 1.9.
[15] i. perstant erga nos.
[16] i. promissorum tuorum ex fœdere constantia & veritas.

[17] secundum argumentum, ut diximus in vers. 22. [18] videlicet crucis a Deo impositæ, ut dicitur seq. vers. [19] id est, habens reverentiam Deo & prostratus in terram conticescit, ut loquitur Apostolus 1. Corinth. 14.25. [20] sic excludi solet in scripturis diffidentia, ut Jehosch. 14.12. [21] tertium argumentum ethopœiæ, ut diximus in vers. 22. [22] quasi dicat, contra animum suum, & quodammodo invitus facit Pater miserationum ut affligat suos. [h] Heb. videt: ut Deut. 12.13. [23] quartum ethopœiæ argumentum, ut vers. 22. observavimus. [i] Heb. mala. [k] Heb. peccata: μετωνυμικῶς; ut Gen. 4.13. [24] hortatio, ut diximus v. 22. ad tertiam capitis partem præparans. [25] tertia hæc pars, oratio Ecclesiæ, continet primùm confessionem peccati, hoc vers. cum amplissima expostulatione malorum ex peccatis advenientium, usque ad vers. 55. deinde verò postulata salutis ad populum Dei perventuræ, & judiciorum in adversarios, ad finem usque. [26] id est, ac proinde jam nos flagellas defectionum nostrarum & rebellionum nomine. [27] ut suprà vers. 8. [28] id est, quod veteres Latini dicebant exvertas: sic 1. Corinth. 4.13. [l] Heb. descendit.

²⁹ id est, opere demonstret se prospicere: humanitus dictum.
ᵐ Heb. venando.
³⁰ ut Psal. 124. 4. & 5.
³¹ secundum orationis membrum comprehendit postulata duo suis causis conjuncta: unũ est, salus piorum tum propter fidem & antegressam beneficiorum Dei experientiam, hoc vers. & trib. sequent. tum propter inimicorum perversitatem, vers. 59. alterum est excidium & ultio inimicorum propter improbitatem cogitationum, sermonum, & factorum, cujus illi sunt rei coram Deo usque ad vers. 65. quæ duo summatim repetuntur, duobus reliquis versib.
ⁿ Heb. cisterna infimorum locorum: ut Psa. 88. 7.
ᵒ Heb. meam.
³² ut sup. V. 14.
³³ ut Psal. 28. 4. & 94. 2.

50 Donec ²⁹ prospiciat & videat Jehova e
cælis.
51 Oculus meus afficit animam meam, pro-
pter omnes filias civitatis meæ.
צ52 ᵐ Omnino venantur me, tamquam avi-
culam, inimici mei immeritò:
53 ³⁰ Exscindentes *deficiunt* in foveam vitam
meam, & projiciunt lapides in me.
54 ³⁰ Exundantibus aquis supra caput me-
um dico, succisus sum.
ק55 ³¹ Invoco nomen tuum Jehova, e ⁿ fovea
infima.
56 Vocem meam exaudivisti; ne occultes
aurem tuam, ad respirationem meam, in vocife-
ratione mea.
57 Appropinquans quo die invocabam te,
dicebas, ne timeto:
ר58 Agens, Domine, causas animæ meæ,
vindicabas vitam meam.
59 Vides, ô Jehova, perversitatem ᵒ quæ ex-
ercetur in me, judica judicium meum.
60 Vides totam ultionem istorum, omnes
cogitationes istorum contra me:
ש61 Audis probrum istorum, ô Jehova, om-
nes cogitationes istorum adversus me,
62 Sermones insurgentium in me, & medi-
tationem istorum adversus me toto die.
63 Sedere istorum & surgere istorum intue-
re, me esse ³² modulationem istorum.
ת64 ³³ Redde eis retributionem, Jehova, se-
cundùm opus manuum ipsorum.
65 ³⁴ Indito illis abjectionem animi, exse-
crationem tuam ipsis:
66 Persequere ira & perde eos, ne sint sub
³⁵ cælis Jehovæ.

³⁴ id est, humilia illos quocunque modo. Hanc interpretationem cõfirmant sequentia. ³⁵ amplificatio per antithesin insolentissimæ hostium arrogantiæ; qui non modò terram, sed ipsum quoque cælum (cujus aërem vivis omnibus communem esse natura docet) sui juris esse confidunt; ac proinde non dubitant bonis eripere, quos hæredes cæli & terræ constituit Dominus.

CAPUT IIII.

Propheta Ecclesiæ & populi mala deplorans, causam eorum narrat positam esse in judicio Dei, qui cõtra Judæos propter peccata ipsorum, vanitatem obfirmationémq; exarserit: postremò adversariis exitium, piis liberationem suo tempore venturam prænunciat.

¹ Hujus capitis summæ partes sunt tres: prima est erotematica expostulatio de rebus omnibus divinis & humanis eversis, sæviente gladio & fame, usque ad V. 11. secunda est ὑποφορὰ, causas & rationes calamitatum illarum explicans, usque ad V. 21. tertia est denunciatio judicii hostibus eventuri, & salutis Ecclesiæ, duob. ultimis. ² i. res pretiosæ ministrantes sacris exolescunt, tamquam si res claræ nitorem suum amitterent. ³ i. abrepti e loco sacro ab impurissimis hostibus, & profusè usurpantur, & nefariè disjiciuntur, perinde ac si res nihili essent: sic in sequentibus. ⁴ amplificatio calamitatis gravissimæ a comparatione animantium: ipsi, inquit, vituli marini liberè ad litus accedentes fœtus suos educant mammis, & locum receptus habent ubi contineant fœtus suos, donec in mare deducantur & assuefiant in eo: hujus verò populi mulieres tantum abest ut liberos suos lactare possint sine impedimento, ut contrà omnibus odio sint (tamquam avibus ululæ) ipsæ & ipsarum quoque parvuli, ab omnibus infestentur, & ipsæ alendi partus suos commoditate careant. Vox quidem Hebræa latè patet, significans serpentes, & reptilia magna, sive terrestria sive aquatica: sed cùm non omnium reptilium sint mammæ, neque aquaticorum sint ii quos Propheta vocat catulos; necesse fuit hunc locum ad phocas, id est, marinos vitulos accommodari, qui a natura sunt quasi amphibii: vide Plin. lib. 9. nat. hist. cap. 13. Nam draconibus accõmodari non potest, cùm volucrium solus vespertilio mãmas habeat: serpentium terrestrium nulla species mammata est; ac proinde hæc ad marinum illud genus referri debent. ᵃ Heb. exuunt: translatum a mulierib. lactantibus.

א1 ¹ Quomodo ² obscuratur aurum, muta-
tur insigne aurum præstantissimum:
³ diffunduntur lapides sanctitatis in capite om-
nium vicorum?
ב2 Filii Tzijonis pretiosissimi, qui taxandi
essent auro purgatissimo: quomodo reputantur
pro utribus testaceis, opere manuum figuli?
ג3 ⁴ Etiam phocæ ᵃ præbent mammam, lac-
tant catulos suos: *quomodo* filia populi mei prop-
ter crudelem *inimicum* est similis ululis in de-
serto?
ד4 *Quomodo* adhæret lingua lactentis palato
ipsius præ siti; parvulis ipsis petentibus panem
qui partiatur nemo *est*?
ה5 Qui comedebant in deliciis, *quomodo*
desolantur per vicos? *quomodo* qui nutriebantur
in coccino ⁵ amplexantur stercora?
ו6 Et ⁶ major est ᵇ pœna filiæ populi mei
⁷ supplicio Sedomi: quo everso quasi momento,
non manserunt in eo ⁸ manus?
ז7 ⁹ Puriores erant Naziræi illius nive; ni-
tidiores lacte: rubebant corpore magis quàm
carbunculi, Sapphirina polities eorum:
ח8 *Quomodo* obscurior est nigredine forma
eorum, non agnoscuntur in vicis: concreta est
cutis eorum cum osse ipsorum, aret, est similis
ligno?
ט9 *Quomodo* ᶜ melius habent confossi gla-
dio, quàm confossi fame: *melius* ¹⁰ qui perfluunt
transfixi, ᵈ quàm *destituti* proventibus agrorum
meorum?
י10 *Quomodo* manus mulierum ¹¹ misericor-
dium coquunt natos ipsarum; sunt alimento ip-
sis in contritione filiæ populi mei?
כ11 ¹² Consummat Jehova excandescenti-
am suam, effundit æstum iræ suæ; & accendit ig-
nem Tzijone, qui exedat fundamenta ejus:
ל12 Non credidissent Reges terræ, & omnes
habitatores orbis habitabilis; ingressurum esse
hostem & inimicum in portas *urbis* Jeruschalai-
morum.
מ13 Propter peccata ¹³ Prophetarum ejus,
iniquitates Sacerdotum ejus; effundentium in
medio ejus sanguinem justorum:
נ14 ¹⁴ *Qui* evagantibus ¹⁵ cæcis per vicos,
contaminatis sanguine; ¹⁶ *quem* non possunt quin
tangant vestimentis suis:
ס15 Recedite impurus *quisque*, proclamant
eis, recedite, recedite, ne attingitote, ¹⁷ quum a-
volant, etiam evagantur: dicunt ¹⁸ in Gentibus,
non ampliùs commorabuntur:
ע16 Irata facies Jehovæ dispertiet eos, non
est intuitura in eos ampliùs; *hostes* ᵉ rationem
Sacerdotum non habebunt, senibus non facient
gratiam.
פ17 ¹⁹ *Et* adhuc nos, oculi nostri consumun-
tur ᶠ desiderio auxilii nostri ᵍ vanissimi: specu-
latione nostra speculamur versus Gentem non
servaturam.
צ18 ²⁰ Venantur gressus nostros, ne eamus
per plateas nostras: appropinquat finis noster,
implentur dies nostri, imò advenit finis noster.
ק19 Leviores sunt qui persequuntur nos a-
quilis cæli: ²¹ in ipsis montibus insectantur nos,
in ipso deserto insidiantur nobis.

⁵ id est, ipsi fimeta victum quæritant præ inopia.
⁶ hoc est, gravior re ipsa & diuturnitate temporis, ut deinceps exponitur.
ᵇ Heb. iniquitas filiæ populi mei, quam peccatum: ut sup. 3. 39.
⁷ de quo Gen. 19.
⁸ videlicet quæ diutius affligerent postquam momento eversum fuit cum civitatibus cæteris.
⁹ amplificatio calamitatis a cõstitutione Naziræorum, per antitheses hyperbolicas.
ᶜ Heb. meliores sunt.
¹⁰ id est, quorum sanguis effunditur.
ᵈ Heb. a proventibus: ellipsica locutio.
¹¹ id est, quæ a natura fere sunt misericordes & indulgentiores liberis: simile vide 2. Reg. 6. 26.
¹² [illegible], ut diximus in V. 1. quæ Propheta respondet erumnas illas a Deo esse supra omnẽ exspectationem hominum, duob. versib. & quidem irato propter peccata Judæorum, tam præterita quæ ipsi hostes damnant atque ulciscantur, usque ad vers. 17. tum etiam præsentia quæ documenta sunt obstinatissimæ Judæorum pervicaciæ, quatuor versib.
¹³ ac multo magis cæterorum ordinum: vide 2. Chron. 36. 14.

¹⁴ Exegesis præcedentis dicti de peccatis prophetarum, Sacerdotum, totiúsque populi, quibus tum eos qui in Judæa supererant, tum deportatos exsules corrumpebant, duobus versibus. ¹⁵ ut Jeschahjæ 42. 18. & sequent. ¹⁶ prout narratur de temporibus Menaschis, 2. Regum 21. 16. cui conjungendum est quod scribitur 2. Reg. 24. 2. & 5. & 11. & 25. 2. ¹⁷ id est, quamvis miseri non ambulent, non currant; sed præcipites profugiant quàm longissime, ne rebus istis contaminentur. ¹⁸ id est, Judæi qui jam ad Aegyptios & Chaldæos fuerant deportati, prædicebant liberationem ex animo suo brevi affuturam esse: ut exemplum exstat Jirmejæ 28. 2. & sequent. ᵉ Hebr. faciem Sacerdotum non susceperunt. ¹⁹ secundus peccatorum gradus, obstinatio: quòd videlicet Judæi Deo infenso & potentibus rerum hostibus adhuc obfirmatè confidunt rebus inanibus; nempe exteris Aegyptiorum aliorúmque copiis auxiliaribus (ut apparet ex Jirmejæ 27.) item fugæ, ac denique regi suo, quasi non potuisset sibi regnum illud Davidis temporarium eripi, versib. quatuor. ᶠ Heb. ad auxilium, ut Psal. 119. 81. & 82. ᵍ Heb. vanitatem. ²⁰ nimirum exstructis contra urbem propugnaculis, e quibus plateæ urbis observabantur: 2. Regum 25. 4. ²¹ i. omnibus ex partibus sunt deprehensuri nos: vide 2. Reg. 25. 5.

ר20 ²² Spira-

ר 20 [22] Spiramentum narium nostrarum,
unctus Jehovæ, capitur in foveis istorum; de
quo dicebamus, [23] in umbra ejus nos victuros inter
ter Gentes.
ש 21 [24] Gaude & lætare, ô [25] filia Edomi, ô
quæ habitas in terra [26] Hutzi: etiam ad te transiturum
siturum est [27] poculum, inebriabis te, & [28] nudabis
bis te.
ת 22 [29] Consumpta iniquitate tua, ô filii Tzijonis,
jonis, non perget in deportatione relinquere te:
animadvertet tuam iniquitatem, ô filia Edomi,
[30] deportabit propter peccata tua.

[22] id est, Rex noster e posteritate Davidis, quo freti saltem nobis datur aliqua interspirandi occasio in quibuslibet angustiis: nam præfidebant Judæi dignitati illius regni, tamquam si purè & per se ipsum fuisset stabile; non autem spectabant Christum, qui finis est & complementum illius typi, neque conditiones sibi imperatas. [23] id est, adjumento ejus tamquam umbraculo recreati, ne defetiscamur aut exarescamus, velut æstu, malorum nostrorum amplitudine: metaphora, cujusmodi est Danijel.4.9. [24] tertia pars, ut diximus in vers.1. cujus membrum prius exprimitur per ironiam. [25] id est, inimici omnes, synecdochicè: qui duabus gentibus hic exprimuntur Judææ propinquissimis & infestissimis, in Edomæa & Syria sitis: vide Jirme. 49.7. [26] vide Gen.10.23. [27] vide Jirm.25.15.& seq. [28] nimirum dementata potu quem præbiturus est Dominus, ut faciunt qui inebriantur vino: sicut exemplum habetur in Noacho, Genes.9.21. [29] id est, exactis annis septuaginta, quibus statuit Deus non intueri te, suprà vers.16. [30] ut prædictum est Jirmejæ 49. Hoc autem verbum hac conjugatione ita interpretamur, ut passivum illius Nachum.2.7.

CAPUT V.

Ecclesia Judæorum de malis suis cum Deo expostulans confitetur peccata sua: de illis, de suppliciis, & sua eversione gemis: iram Dei deprecatur, & implorat misericordiam.

1 [1] RECordare Jehova quid sit nobis; intuere
& aspice opprobrium nostrum.
2 Possessio nostra aversa est ad extraneos,
domus nostræ ad alienigenas.
3 Pupilli sumus ac nullo patre, matres nostræ
stræ tamquam viduæ.
4 Aquas nostras [2] pecunia bibimus, ligna
nostra pretio obveniunt.
5 *Ab* [3] incumbentibus collo nostro persequutionem
quutionem patimur; laboramus, non permittitur
tur quies nobis.
6 Ægyptio [4] porrigimus manum; Assyrio, ut
satiemur pane.
7 [5] Patres nostri peccaverunt & non supersunt:
sunt: nos verò [a] pœnas eorum ferimus.
8 [6] Servi dominantur in nos, asserente nemine
mine e manu illorum.
9 [b] Periculo vitæ nostræ afferimus panem
nostrum, propter [7] gladium deserti.
10 Pelles nostræ ut furnus atratæ sunt, propter
ter [8] procellas famis.
11 Mulieres Tzijone opprimunt, virgines in
civitatibus Jehudæ.
12 Principes manu istorum suspenduntur,
facies senum non afficiuntur honore.
13 Juvenes [9] ad molendum portant, & [10] pueri
eri ad ligna corruunt.
14 Senes [11] e porta cessant, juvenes a modulatione
latione sua.
15 Cessat gaudium animi nostri, convertitur
in luctum chorus noster.
16 Cadit [12] corona capitis nostri; væ jam
nobis quòd peccaverimus.
17 [13] Propter hoc est languidū cor nostrum,
propter hæc [14] obtenebrati sunt oculi nostri:
18 Propter montem Tzijonis qui desolatus
est, per quem [15] vulpes eunt liberè.
19 [16] Tu Jehova [17] in seculum manes, solium
um tuum in [c] unam quamque generationem.
20 Quare [18] in æternū obliviscereris nostri,
derelinqueres nos [d] quàm diu longa erunt tempora?
pora?
21 [19] Restitue nos Jehova tibi, ut revertamur;
mur; renova dies nostros, ut [e] priscis *diebus*.
22 [20] Nam an omnino sperneres nos, effervesceres
vesceres contra nos [21] admodum?

[1] Postremum hoc caput libellum oratione terminat, cujus membra sunt tria: primum pathetica expostulatio, usque ad vers. 16. secundum, confessio peccatorum & promeritæ pœnæ, usque ad 19. tertium, petitio misericordiæ ad finem usque. Dicuntur autem hæc verba humanitus, recordari, intueri, & aspicere, ut sæpe dictum est. [2] id est, utcunque juris nostri sint, cogimur tamen redimere. [3] id est, inimicis insolentibus, quibus non satis est quòd insident nobis & agunt nos tamquam jumenta vectaria, nisi etiam indesinenter exagitent, quod ne suis quidem jumentis faciunt. Contrariam allegoriam vide Hosch.11.4. [4] id est, tanta servitute a Chaldæis pressi ne tenuissimum quidem alimentum pro officiis nostris consequimur, sed mendicare cogimur apud hostes ipsos alienos, & miserrimè victum quærere.

[5] amplificatur calamitas a cōparatione, ut suprà 4.6.& 9. Melius (inquiunt) actum est cum patribus nostris, quàm agatur nobiscum: nam peccaverunt illi quidem, sed brevi supplicio de peccatis suis affecti sunt: nos verò eo sumus infeliciores, quòd eorundem peccatorum rei pœnas diuturnas ferre compellimur, quib. foret jucundius semel emori quàm vitā invitam vivere. [a] *Heb. peccata, ut suprà 3.39.* [6] i. non tantùm imperia a Dominis, sed etiam a conservis sordidissimis ferre cogimur, & mediastinos agere ad libidinem domesticorum omnium. [b] *Heb. pro anima nostra: ut 2. Schem.23.17.& 1. Chron.11.19.* [7] i. inimicum, qui agrum totū obtinet: synecdoche. [8] i. famem vehementissimam, qua tamquam procella exagitamur omnes atque consumimur. [9] id est, ad officium quodque abjectissimum: vide Exod.11.5.& 12.29. [10] id est, a minimis & infirmissimis exiguntur ministeria supra ipsorum vires: adeò sæva est barbaries in hostibus nostris. [11] id est, a judiciis & consessu forensi: vide Genes.34.20. [12] id est, omnis gloria nostra; tantummodò sumus probro. Hinc autem principium ducitur secundi membri, quo Judæi singulas hasce calamitates peccatis suis acceptas ferunt. [13] totum quod suprà dictum est, videlicet peccatum & peccati pœnam; sensus est, infirmantur & afficiuntur gravissimè animi & corpora nostra, tum nostra ipsorum causa; hoc vers. tum verò maximè totius Ecclesiæ, seq. vers. [14] id est, vires nos deficiunt: vide 1.Schem.14.28. [15] quibus hostes Ecclesiæ figurantur, ut Cantic.2.15. [16] tertium membrum continens deprecationem, duobus versibus, & postulatum, duobus alteris. Deprecationis autem argumentum sumitur hoc vers. a persona Dei. [c] *Psal.102.13.* [17] id est, non tantùm natura, sed consilio etiam & voluntate es constantissimus, quam olim nobis explicasti federe: ut Galat.3.20. [c] *Heb. generationem & generationem.* [18] contra quam promisisti federe: vide 2.Schem.7.14. [d] *Heb. in longitudinem dierum: ut Psal.23.6.* [19] ut Psal.80.4. Nam eodem modo accipiendum esse ostendit secunda pars versûs. [e] *Heb. antiquitatis: ut suprà 1.7.& 2.17.* [20] ætiologia pathetica, qua permovetur Deus ad misericordiam ab antegresso federe. Has autem voces ita reddendas esse ut fecimus, & sensus loci & Hebraica distinctio docet. [21] id est, supra modulum nostrum, pro infinita potentia tua.

JECHEZKEL.

ARGUMENTUM.

LIBER *Jechezkelis Prophetæ versatur omnino in prophetico documentorum genere. Primùm enim typo & sermone Dei confirmata vocatione sua & toto prophetiarum suarum argumento, tribus capitib. novis typis & prædictionibus improbitatem & impietatem Judæorum redarguit, judiciáque divinitus eventura pronunciat & circumscribit evidentissimè, usque ad cap. 25. deinde verò clades finitimis Judæorum hostibus paulò pòst superventuras per Nebucad-retzarem prædicat, usque ad caput 33. tum deportatos omnes reprehendens & increpans gravissimè, ad resipiscentiam hortatur, certámq; fiduciam restitutionis eventuræ. Cúmq; restitutionis duo futura essent genera; unum inchoatum, quando populus reversus est e Babylonia; alterum perfectum, quum Deus patefactus est in carne: idcircò Propheta, postquàm priorem illam restitutionem adumbravit & prædixit, docet non propterea desituras esse calamitates Ecclesiæ Judæorum; sed eam gravissimè, indesinenter, & acerbissimè ab hostibus plurimis infestatum iri. Sic librum suum concludit elegantissimo typo perfectæ illius restitutionis & instaurationis Ecclesiæ, quæ nobis temporibus ultimis patefacta est Euangelio gloriæ Christi.*

CAPUT PRIMUM.

Propheta divinitus viso admonetur de obsequio & administratione Angelorum, totiúsq; mundi per spiritum Dei, & de gloria ac auctoritate Christi in Angelos & res creatas omnes, ad perficiendum voluntatem suam: deinde hoc viso perculsus, postquam Dei verbo ac spiritu confirmatus est, mandatum & typum vocationis suæ contra Judæos deportatos exsequendæ accipit: quod ille acerbè ferens subterfugis, & inter populares conatur delitescere.

1 Quum [1] agereretur [2] trigesimus annus, quarti mensis *die* quinto, & versarer inter deportatam multitudinē ad [3] fluviū Cebaris; [4] aperti sunt cæli, & vidi [5] visiones Dei:

2 Quinto *die* mensis; ipso anno [6] quinto *qui fuit* a deportatione Regis Jojacinis,

3 [a] Omnino fuit [7] verbum Jehovæ ad Jechezkelem filium Buzi Sacerdotem, in [8] terra Chaldæorum ad fluvium Cebaris: fuítq; super eum [9] manus Jehovæ illic.

4 [10] Vidi ergo, quum ecce [11] ventus turbineus veniret ab Aquilone, [12] nubem magnam & [13] ignem [b] sese accendentem, [14] & splendorem ejus circumstantem: [15] e cujus medio *emicabat* tamquam [c] color [d] [16] vividissimus e medio illius ignis.

5 [17] E medio *autem* illius, similitudo [18] qua-

[1] Hæc duo capita simul conjungenda esse, & secundum ibi terminandum ubi nos terminavimus, res ipsa loquitur. Nam inscriptione communi conjunguntur, versibus 2. & 3. deinde verò visio exponitur, toto hoc capite: & vocatio ad functionem propheticam, capite sequente. Est autē primus hic versus generalis totius libri inscriptio. Utraque inscriptione proponuntur tempus, locus, forma, argumentum, persona, denique circumstantiæ ad perspicuam rei narrationem necessariæ; quas quia lectores periti facilè observare possunt, iis tantùm immorabimur quæ obscuritatis speciem habent. [2] nimirum a decimo octavo anno Joschijæ, quo lex inventa fuit, fedus redintegratum cum Deo, & cultus instauratus: quorum beneficiorum solennis recordatio novam numerandi annos rationem Judæis suppeditavit; ut alibi numerantur a vocatione Abrahami, a promissione facta Abrahamo, a Jitzchako nato, ab exitu ex Aegypto, a regno Jisraëlitarum diviso, & similibus. Hoc enim beneficiū recordari multo fuit æquius, quàm ab inauguratione aliqua regis novi (ut ferè fit) ab Olympiadibus ut Græci, & ab urbe condita aut exactis regibus ut Romani, numerare. Hunc autem Jubilæi annum fuisse minimè probamus omnium, quia Jubilæi anni computandi sunt ab eo anno quo populus missus est in possessionem terræ, Levit. 25. Annus verò ab hoc trigesimus, id est, decimus octavus Joschijæ, plurimum a justo & legitimo Jubilæi tempore abfuit: ut videre est, si rationem temporum justam subduxeris. [3] sive (ut Ptolemæus vocat in Geographicis) Chaboræ, in Mesopotamia ex Masio monte in Euphratem influentis ad opidū ejusdem nominis. [4] vide in vers. 4. humanitus dictum. [5] id est, a Deo oblatas, hoc capite. [6] his autem quinque si undecim Jehojakimi conjunxeris, & quatuordecim ultimos Joschijæ; assurget numerus triginta annorum, positus præcedente ♥. [a] *Heb. exsistendo exstitit.* [7] quod habetur capite 2. usque ad versum 20. [8] Mesopotamia Chaldææ parte. [9] id est, spiritus, a quo sublatus est, & invitus quodammodo raptus ad functionem suam, infr. 2. 22. & seq.

[10] primæ partis hujus prophetiæ, id est, visionis comprehensæ toto hoc capite (ut diximus in versu 2.) finis est, adumbratio gloriæ Dei in Christo, ut ipse Propheta interpretatur versu 28. ad confirmationem Prophetiæ, & fidem prophetiarum sequentium. Summa, Deum gloriæ & Dominum Jesum Christum spiritu æterno suo cælum & terram & omnia quæ in eis sunt administrare, adeóque ministerium angelorum spiritu suo & potente verbo adhibere ad res hasce inferiores regendas arbitratu suo. Sunt itaque in visione hac membra duo: primum est descriptio administrationis Dei, superiorum, inferiorúmque, & totius illorum ministerii, ad versum 25. secundum est gloriæ Christi in cælis figuratio, ad finem usque. [11] tamquam præcursor gloriæ & majestatis Dei: vide Ijobi 38. 1. Est autem hic ventus præditus ea facultate ut depellat nubes: docet itaque Propheta per voluntatem Dei hoc vento impellente dissiluisse & diffugisse nubes, ut cælum nitens & res e cælo aperto ostensas liberè prospectaret. [12] aspectabile signum præsentiæ Dei, qui sine nube & obscuritate ab infimis hominibus videri non potest. [13] id est, indesinenter ardentem, & res quasque proximas inflammantem, qua specie Deus ferè exhibet majestatis suæ documenta: Exod. 19. Chabakuk 3. 4. & alibi. [b] *Hebr. qui se accipiebat: ut Exod. 9. 24.* [14] id est, splendentem circumquaque & radiantem, velut sol; non autem subinde tantùm micantem, ut fulgura faciunt. [15] id est, quæ intra illud splendentis ignis spatium continebantur, nimirum animalia sive angeli, de quibus posteà, micabant supra ignem illum, tamquam prunæ fornacis ardentissimæ, ut exponitur versu 13. Hæc autem propterea in hunc versum inseruit Propheta, quia una opera totum colorem explicare visum est rerum cælestium, tamquam accensarum ad obsequium promptissimum & studiosissimum majestatis Dei. [c] *Heb. oculum: vide Levit. 13. 5.* [d] *Heb. vividissimi, sic infrà vers. 27.* [16] Hebræam vocem quàm variè interpretentur multi nemo ignorat, quàm bene autem, penes doctos judicium esto. Nos ex versu 27. hujus capitis, & 8. 2. statuimus vocem esse compositam e duobus Hebraicis vocabulis, quibus significantur prunæ ardentissimæ & quasi festinantissimæ ad consumendam aut inflammandam materiam objectam, cujusmodi prunæ aliis longè sunt rubicundiores. Atque hoc etiam respectu videmus angelos vocari Seraphim, Jeschahjæ 6. 2. & 6. [17] exegesis proximè præcedentis dicti de angelis, quorum colorem modò perstrinxerat. [18] ut qui administratione in quatuor orbis partes, id est, in universum orbem ex Dei mandato perfunguntur.

tuor [19] animalium: atque hæc illorum [20] species, [21] similitudo humana *erat* illis:

6 Et [22] quaterni vultus unicuique, quaternæque [23] alæ unicuique illorum.

7 Et pedes illorum, pes *quisque* [24] rectus (sed pes imus ipsorum [25] similis *erat* imo pedi vituli) [26] scintillantésq; ut color chalybis tersi:

8 Et [27] manus humanæ sub alis eorum in quaternis [e] partibus ipsorum *erant*: [28] faciésq; eorum, & alæ eorum in quaternis *partibus* illis.

9 [29] Conjunctis [f] una ad alteram alis ipsorum; [30] non divertebant eundo, unumquodque [g] in tractum faciei suæ *objectum* ibant.

10 [31] Ac similitudo quidem faciei ipsorum, faciei humanæ *fuit*; sed facies leonis ad dexteram ipsis quatuor, & facies bovis a sinistra ipsis quatuor: itémque facies aquilæ ipsis quatuor *erat*.

11 [32] Facies autem eorum, & alæ eorum porrectæ *erant* sursum; unicuique binæ conjunctæ *erant* cujusque, & [33] binæ tegebant corpora ipsorum:

12 [34] Et quisque in tractum faciei suæ *objectum* ibant; quocunque [h] erat [35] spiritus ipse iturus ibant, [36] non divertebant eundo.

13 Similitudo autem istorum animalium, species ipsorum velut carbonum ignis, ardentium in speciem [37] lampadum, hæc *ergo similitudo* [38] indesinenter ibat inter ipsa animalia: & splendor *erat* huic igni, atque ex igne prodibat fulgur.

14 Ita hæc animalia [39] excurrebant & [40] revertebantur, in speciem [i] fulguris vehementissimi.

15 [41] Ut autem vidi animalia illa, ecce, [42] rotam unam in terra [43] secundum illa animalia in quatuor facies ipsius.

16 [44] Species rotarum & [45] opus earum, quasi colore [46] berylli thalassii, & similitudo eadem ipsis quatuor *erat*; earúmq; species & opus earum, [47] ac si esset, rota *una* in rota *altera*,

17 *Ita ut* in quatuor partes suas euntibus illis irent, non diverterent eundo.

18 [48] Et apsidibus earum tanta altitudo *erat* ipsis, ut [k] timorem injicerent: & canthi earum pleni [49] oculis circumquaque in ipsis quatuor.

19 [50] Euntibus autem illis animalibus, ibant hę rotæ secundùm illa; & quum attollerent se animalia sursum a terra, [51] attollebant se rotæ.

20 Quocumque iturus erat illorum spiritus ibant, eò iturus erat spiritus illorum: & rotæ attollebant se e regione illorum, nam spiritus [52] vitalis aderat rotis.

21 [53] Euntibus illis ibant, & illis consistentibus consistebant: & attollentibus se illis sursum a terra attollebant se rotæ e regione illorum, nam spiritus vitalis aderat rotis.

22 [54] Similitudo autem expansi *erat* supra capita animalium, quasi [55] speciei [l] crystalli formidabili extensi supra capita eorum supernè:

23 [56] Et sub isto expanso alæ illorum rectæ, *pertinentes* una ad alteram: cuiq; [m] binæ tegentes hinc, & binæ tegentes inde corpora ipsorum.

24 Et audiebam sonum alarum ipsorum quasi sonum [57] aquarum multarum, quasi [58] sonum omnipotentis euntibus illis, sonum [59] conflictus quasi sonum exercitus: quum starent illi, [60] consistebant alæ ipsorum.

25 [61] Sed erat supernè sonus expanso illi quod *erat* supra capita illorum; quando stantibus illis consistebant alæ illorum.

26 [62] Supernè autē ad expansum illud quod *erat* supra caput illorum, [63] quasi specie lapidis Sapphiri similitudo solii *erat*; & super similitudinem illius solii similitudo [64] quasi species hominis supernè insidentis ei.

[19] id est, angelorum, qui adumbrabantur animalium speciei, infrà 10.15. & 20. [20] quod ad corporis staturam attinet: videlicet exceptis rebus illis singularibus, quæ aut adjectæ, aut variæ ab hominis forma dicuntur fuisse, quinque versibus sequentibus. [21] id est, erecta, rationem & intelligentiam præ se ferens, atque ad rationis usum & officium accommoda: quod in rebus aspectabilibus solius hominis est proprium. [22] quibus figuratur omnimoda aptitudo ad jussa Dei nullo negotio capessenda in omnes partes: ut vers. 5. [23] celeritatis indices. [24] ut crus est hominis: suprà vers. 5. nam Hebræi pedum appellatione inferiores artus accipiunt synecdochicè. [25] id est, rotunda, ut in omnes partes sine conversatione ire possent (quod pes humanus non potest) & solida firmáque, ut est ungula vitulina: nam cætera ferè calceari solent in veterino genere. [26] id est, tanta agilitate conficiebant iter & obsequebantur Deo, ut scintillare ipsorum pedes præ celeritate viderentur; neque tamen terrenas ullas sordes in administratione sua contraherent, sed purè agentes manerent purissimi, & puritate prælucerent rebus creatis omnibus. [27] quibus ministrant voluntati Dei in omnes partes, ut versu 5. [e] Heb. quadrantis: sic vers. 17. [28] id est, in omnes partes sine conversatione sui respiciebant, ibant, & operabantur omnia. [29] id est, concorditer & unanimiter omnia Dei mandata omnibus locis spectabant, præstabántque, & ad ea præstanda proficiscebantur. [f] Heb. fœmina ad sororē suæ: vide Levit. 18.18. [30] id est, ad omnes partes videndas, obeundásq; omnibus numeris parati erant: nihil aversum erat ab ipsis, sed omnia exposita quum in omneis partes vultus eorum respicerent, essentque illis anteriora omnia. [g] Heb. transitum faciei: sic vers. 12. [31] ut omittas faciamus tam multas multorum interpretationes, sententia nostra est hæc: hoc versu definiri angelorum naturam figuratè ab aliarum rerum proprietatibus; itaque angelos ex hoc versu definiri posse, hoc modo: spiritus esse intelligentes ut homo est, potentes ut leo, ministratorios ut bos, & celeres ut aquila, atque adeò res alias creatas suis proprietatibus istis longo intervallo superare: sic Apocal. 4.7. Ac de hominis quidem intelligentia omnibus satis constat, & nos diximus suprà in vers. 5. leonis vim passim scriptura prædicat, bovis ministerium laudant Mosche & Schelomo, Deuter. 33.17. & Proverb. 14.4. pernicitatem denique aquilæ Physici & poetæ omnes dilaudant, Jovis alitem in suis fabulis appellantes. Hunc genuinum esse hujus loci sensum animadversuros esse confidimus qui propiùs ad rem attenderint. [32] id est, vultus ipsorum & alæ conversæ erant ad Deum: ut significetur angelos tanquam erectis capitibus observare nutum Dei, & alas suas volatúmque, id est, functiones omnes unanimiter permittere voluntati ejus: vide infrà in vers. 24. [33] vide causam Jeschah. 6.2. Hoc autem loco non additur tertius alarum ordo qui habetur Jeschah. 6.2. & Apoc. 4. quia angeli in hac visione non dicuntur circumstare Deum, ut illic; sed esse sub expanso, infrà vers. 22. & proinde in rerum inferiorum administratione occupari. Ita quod officium tertius alarum ordo angelis præstitit in illis locis, hic facit expansum interjectum angelis & solio Dei. Hactenus formæ animantium: deinceps sequitur tradition, trib. versib. & actionum modus, vers. 24. [34] id est, ea dispositione, erectis ad Deum capitib. alisq; & obvelato corpore; ut inciperent, pergerent, & desisterent omnino ex nutu Dei. [h] Heb. erit spiritus ipse ad eundum: sic vers. 20. [35] nimirum Dei, quo auctore & duce angeli exsequuntur omnia: sic infrà vers. 20. [36] hoc ipsum agentes, quod in mandatis habebant; & nullo impedimento averti quin mandata Dei conficerent expeditissimè. [37] quarum non tantùm materia ardet, sed flamma diffunditur: sic dicuntur angeli non tantùm ardere ipsi, sed etiā res proximas luce sua perlustrare splendidissimè, igne accendere, & tamquā fulgura coruscare: his etenim modis & ipsi sunt sancti & contemplantur, & alias res creatas afficiunt emicantibus in se scintillis gloriæ Dei, quas habent ad ministerium documentúmque bonorum, ac improborum exitium. [38] id est, nunquam quiescebat, erat in perpetuo motu.

[39] id est, obibant functiones suas expeditissimè. [40] etsi minimè divertebant, cùm facies ipsorum in omnes partes spectarent, suprà ver. 9. [i] Heb. fulguris dispergentis. [41] alter locus de rebus & causis inferioribus, pertinens ad prius membrum visionis, ut dictū est in vers. 4. in quo primùm rotarum constitutio, versibus 4. deinde conversatio & agitatio exponitur, tribus. [42] figurantem totam materiam ac velut corpus unum rerum inferiorum conversionibus & mutationibus infestarum. [43] id est, exposita angelorum administrationi, tamquam ad pedes ipsorum. [44] id est, color & forma. [45] id est, operosum artificium, quod deinceps exponitur. [46] id est, marini, cærulei: quo significatur rerum inferiorum vanitas, & fluctuans tamquam maris, fluxáque constitutio. [47] id est, quasi sphæricæ erant, ut nullo negotio in omnes partes impellerentur sine alia conversione, quæ moram fuisset allatura: quod sequens versus apertè docet. [48] id est, rotæ erant amplissimæ, adeò ut mihi respicienti esset mirifica & formidabilis earum conversatio. [k] Heb. timor illis inesset. [49] id est, infinita Dei providentia, qui totus ubique est oculus, ut Augustinus loquitur: sic Zachar. 3.9. & 4.9. [50] id est, agebantur omnino cælesti nutu. Nam quum angeli adventabant & exsequebantur mandatum Dei in rotis, sequebantur illæ; quum supersedebant, stabant illæ; quum quasi relato gradu efferebantur ad Deum ut mandata nova acciperent, similiter rotæ sistebantur Deo per angelorum ministerium: ita significatur nihil fieri, nihilque omitti nisi ex auctoritate Dei, & angelorum ipsius administratione. [51] angelos velut sequebantur desinentes a conversatione sua, donec præcepisset Deus angelis, & ipsis per spiritum suum, sequente versu. [52] id est, quo agebantur animalia: unus enim spiritus Dei operatur omnia in omnibus. [53] anacephalæosis duorum præcedentium versuum Jechezkeli frequens: ut Joannis 1. 2. [54] tertia pars visionis de gloria Christi; quæ ostenditur primùm a loco, hoc vers. deinde ab effectis, tribus sequentibus; tertio ab officio & auctoritate, vers. 26. postremò a personæ ipsius gloria, duobus ultimis. [55] id est, pellucidus erat, sive διαφανὴς & nitens: unde cùm ipse omnia inferiora prospectabat, tum angeli & res omnes creatæ suo modulo majestatem ejus gloriámque poterant contemplari. [l] Heb. geli formidabilis, id est, vehementissimi, periphrasis crystalli: vide Plin. lib. 37 cap. 2. & Gell. [56] vide suprà vers. 11. [m] Heb. duabus tegentibus ipsa, & cuique duabus tegentibus ipsa. [57] id est, vehementissimum; congeries similium faciens ad amplificationem. [58] id est, tonitru: sic infrà 10.5. [59] vide Jirm. 11.16. de hac voce. [60] id est, erectas quidem tenebant cælum versus, sup. 11. & 23. sed non passas & ad volandum compositas. [61] prænuncius verbi Dei ad comparandum Prophetam, ut diligenter intenderet, fideliter acciperet, sanctéque obsequeretur mandato Dei, quod ipsi datum est per Christum. [62] descriptio personæ Christi, ut diximus in vers. 22. ad cujus observationem Propheta excitatus est sono illo cujus meminit præcedente versu; & repentino angelorum silentio. [63] id est, coloris cælestis diaphanus gloriosissimus. [64] id est, Christi Dei & hominis redemptoris nostri.

[61] exegesis vocis proximè præcedentis: vividissimus color, inquit, non tantùm is intelligendus est qui videtur in communi igne; sed is qui in intimis fornacibus est ardentissimus: non quidem flavescens, ut ignis

27 [64] Et vidi quasi colorē vividissimum, [65] qua-
si speciem ignis intimi circumquaque, inde
a specie lumborum illius sursum versus: a spe-
cie verò lumborum illius deorsum versus, vidi
quasi speciem ignis, & splendoris circumstantis
eum.
28 [66] Qualis *est* species arcus qui exsistit in
nube tempore pluviæ, talis species illius splendo-
ris *erat* circumquaque; hæc visio similitudinis
gloriæ Jehovæ: hæc videns [67] procidi in faciem
meam, & audivi vocem loquentis:

ille splendens cujus meminit sequente membro; sed rubens & rutilus: vide suprà vers. 4. Itaque Christus totus quidem ignis esse dicitur, sed qua parte ad res creatas vergit & se cum illis communicat, quasi defervescere: quia sic ipsi visum est infirmitati & tenuitati rerum creatarum omnium consulere, quas alioqui tantus ignis momento consumeret. Lucem enim habitat inaccessam, ac proinde ejus majestatem nemo vidit hominum, neq; videre potest, 1. Timoth. 6. 16. [66] id est, non tantum ignis est & splendet circumquaque igne suo: sed splendorem illum suum floridis & jucundis velut coloribus aspergit ad afficiendum res creatas ampliùs reverentia sui: sic Apocal. 4. 3. [67] non modò humiliter adorans, ut Num. 9. 24. & alibi passim, sed etiam perculsus præsente gloria & majestate Dei: ut Danijel. 8. 17. sic comparatur transitus ad narrationem sequentem.

CAPUT II.

[1] Hoc capite (quo alteram partem hujus prophetiæ contineri diximus suprà 1. 1.) docentur duo: vocatio Prophetæ ad functionem propheticam, usque ad vers. 20. & narratio eventus, ad finem usque capitis. Vocationi autem præcedit quædam confirmatio Prophetæ duobus primis versibus verbo & spiritu; eo quòd visione perculsus & prostratus esset, ut dictum est proximè præcedente vers. [2] hujus vocationis ad functionem propheticam membra sunt tria: primum est propositio nuda vocationis, usque ad v. 8. secundum, typus, usque ad vers. 14. tertium, confirmatio vocationis & typi, inde ad 20. Vocationem autem incipit Deus ab anticipatione: ne forte objiceret Prophetes duritiem Jisraëlitarum, ac propterea se a functione mandata excusaret.

1 [1] NAm edixit mihi; fili hominis, consiste in
pedes tuos & alloquar te.
2 Tum ingressus est in me spiritus quum al-
loqueretur me, & statuit me in pedes meos; ut
audirem eum qui sermocinaturus erat mecum.
3 [2] Dixit igitur mihi, fili hominis, missurus
sum ego te ad filios Jisraëlis, ad gentes rebelles
quæ rebellarunt contra me; istæ ut majores
ipsarum defecerunt *rebellantes* in me ad hunc
ipsum usque diem:
4 Utut filii isti *sint* obdurati vultu, & [a] obfir-
mati animo ego te sum missurus ad eos: ut [3] di-
cas eis, sic ait Dominus Jehovi,
5 Ut ipsi, sive audiant sive desistant, quia do-
mus rebellionis sunt; ut inquam [4] sciant Prophe-
tam fuisse in medio sui.
6 Tu ergo fili hominis, ne timeto ab istis, &
a verbis istorum ne timeto, quòd refractarii &
[5] spinei sint in te, & apud scorpiones habites: a
verbis eorum ne timeto, & a facie eorum ne
consternator, quòd domus rebellis sint:
7 Ut eloquaris verba mea ipsis, sive audiant,
sive desistant; nam rebelles sunt.
8 [6] Sed tu, fili hominis, ausculta quod ego
sum dicturus tibi, ne esto [b] rebellis ut domus re-
bellis ista: aperi os tuum, & comede quod ego
daturus sum tibi.
9 Quum itaq; respicerem, ecce manū emis-
sam ad me; ecce autem in ea [7] volumen libri;
10 Quod explicavit in conspectu meo, erát-
que [8] scriptum a fronte & a tergo: & scriptura in
eo *erat* lamentationum, lugubrisque carminis, &
væ.

CAPUT III.

11 Edixit igitur mihi, fili hominis, [c] quod
præsens est tibi comede: comede volumen hoc,
deinde abi, alloquere domum Jisraëlis.

[a] *Heb. duros faciei, & fortes cordis.* [3] id est, proloquare verbis meis. [4] ac proinde evincantur rebellionis & pervicaciæ suæ: quod alterum est opus prophetiæ, ut Evangelii, 2. Cor. 2. 16. [5] id est, non tantùm refragantur bono, verum etiam tamquam spinus sunt accedentibus nocui, tum apertè, quod hæc similitudo ostendit; tum etiam dolosè & clàm, quod sequente similitudine designatur. [6] typus, ut diximus in vers. 3. [b] *Heb. rebellionis.* [7] quo significatur donum prophetiæ Jechezkeli infundendum, & quasi vorandum avidè ab ipso, postpositis rationibus & consiliis omnibus carnis & sanguinis, ut Apostolus loquitur Galat. 1. 16. [8] id est, omnibus ex partibus consertum maledictionum & lugubrium malorum contra Jisraëlitas & alios argumentis: hæc enim est ferè summa prophetiæ usque ad caput 40. [c] *Heb. quod inveneris.*

12 Itaque [9] aperui os meum, fecitque ut co-
mederem volumen illud,
13 Edicens mihi, fili hominis, ventrem tuum
cibato, & viscera tua impleto volumine hoc
quod ego do tibi: quod ubi comedi, fuit in ore
meo par melli dulcedine.
14 [10] Deinde edixit mihi; fili hominis, abi,
accede domum Jisraëlis, ut alloquaris verbis
meis ipsos.
15 Quia non ad populum [d] utentem ignoto
sermone & [11] impedita lingua mitteris; ad do-
mum Jisraëlis quum mitteris:
16 Non ad populos multos utentes ignoto
sermone & impedita lingua, quorum non intel-
ligas verba (nonne si ad eos mitterem te, ipsi
[12] auscultaturi essent tibi?
17 Domus verò Jisraëlis nolent auscultare
tibi, cùm nolint auscultare mihi: nam tota do-
mus Jisraëlis [e] obfirmata fronte & duro corde
sunt)
18 Ecce [13] dispono faciem tuam obfirmatam
adversus faciem eorum, & frontem tuam obfir-
matam adversus frontem eorum:
19 [14] Similem lapidi perdiuturno, firmiorem
rupe disposui frontem tuam: ne timeto istos, ne-
que consternator a facie istorum, quòd domus
rebellis sint:
20 [15] Posteà edixit mihi; fili hominis, omnia
verba mea quibus alloquar te excipe animo tuo
& auribus tuis audi:
21 Sic abi, proficiscere ad multitudinem
istam deportatam, ad [f] populares tuos, ut allo-
quens eos indicas eis, sic ait Dominus Jehovi,
sive audiant sive desistant.
22 [16] Tum sustulit me spiritus, & audivi post
me sonum concussionis magnæ; [17] Benedictam
gloriam Jehovæ, e loco ipsius:
23 [18] Et sonum alarum illorum [19] animalium
[g] contingentium alterius alteram, sonúmq; [20] ro-
tarum e regione illorum, sonum inquam concus-
sionis magnæ.
24 Quum autem spiritus tollens me assum-
sisset me; abibam [21] amarulentus æstu spiritus
mei, sed [22] manus Jehovæ fuit superior me.
25 Itaque veni ad multitudinem deportatā
[23] Thel-abib, accolas fluvii Cebaris & Haësche-
ri, ubi habitabant illi: & [24] desedi illic septem
dies, [25] agens desolatum [h] inter illos.

[9] id est, accepi argumentum, & hausi quodammodo donum prophetiæ. Atque hac quidem in re benè se gessit Jechezkel; sed accepto dono per infirmitatem posteà vocationem indignatur, sub finem capitis. [10] confirmatio præcedentium, vocationis & typi: ut diximus in vers. 3. [d] *Heb. profundorum labii, & gravium linguæ: ut vers. seq.* [11] id est, in qua intelligenda impeditus sis, & illi in intelligenda tua: ut exegesis docet sequens vers. [12] videlicet potius quàm Jisraëlitæ: dictum [illegible] ad exaggerandum obfirmationem Judæorum. [e] *Heb. fortes frontis, & duri cordis.* [13] id est, confirmo te ipsum ad perfungendum, velim nolint, functione tua: synecdoche. [14] [illegible] promissionis: per comparationem [illegible] mam: videlicet hac voce Hebraica [illegible] 17. 1. [15] transitio ad narrationem, de qua diximus in vers. 1. per summam antegressæ vocationis repetitionem, duobus versib. [f] *Heb. filios populi tui.* [16] narratio hæc exponit duo: quid fecerit spiritus Dei, videndúmque & audiendum exhibuerit Prophetæ ad confirmandum eum de vocatione ipsius, duobus versibus; & quid vicissim Propheta, duobus ultimis. [17] id est, Christum sedentem in gloria, quam descripsit sup. 1. 22. & sequentib. [18] i. acclamationem & applausum rerum omnium cœlestium & terrestriū ad vocem Christi, qui Deus est benedictus in sempiterna secula. [19] de quibus sup. 1. 5. & sequentib. [g] *Heb. osculantium mulieris sororem suam.* [20] de quib. sup. 1. 15. & sequentib. [21] i. acerbè & iniquo animo ferens argumentum prophetiæ & vocationis meæ. [22] i. vis divina spiritus: ut sup. 1. 3. & infr. 3. 7. [23] [illegible] Thel-Abib judicio nostro tractus est Mesopotamiæ a Monte Masio ad Euphratem pertinens, inter duos fluvios Cebarē sive Chaboram & Saocoram [illegible] Propheta Haëscherū vocat: cujus regionis superior tractus compositâ Græca voce a Ptolemæo dicitur Acrabene; quasi [illegible] diceres. [illegible] verò quæ ad fluviorū ripam est, propter aggestas moles appellatur Thel Hebræis, id est, Choma sive aggestum tractum, nemo Grāmaticus [illegible] [24] otiosus & cessans ab imperata functione, donúmq; acceptū [illegible] [25] puta abreptus in stuporem & admirationem tam insperatæ [illegible] & injucundæ prophetiæ in populares meos. [h] *Heb. in medio illorum.*

CAPUT III.

Deus Prophetam refugientem iterum de vocatione admonet, officiúmque explicat adhibitis promissionibus & minis: deinde signo eodem repetito confirmans Prophetam, verbo suo munus ipsius auget, & mandato novo ejus vocationem sancit.

1 [1] Fuit

1 [1] Fuit autem [a] exactis septem diebus; fuit inquam verbum Jehovæ ad me, dicendo:

2 Fili hominis, [2] speculatorem dedi te domui Jisraëlis; ut audias ex ore meo verbum, & admoneas eos a me.

3 Quum dixero improbo, [b] utique moriturus es; tu autem non admonueris eum, neque alloquutus fueris, ut admoneas improbum *revocans* a via ejus improbissima, ut serves eum: iste improbus in sua iniquitate morietur, sed sanguinem ejus e manu tua [3] reposciturus sum.

4 Tu verò quum admonueris improbum, & non reversus fuerit ab improbitate sua, & a via illa sua pessima; iste in sua iniquitate morietur, & tu animam tuam [4] eripueris.

5 Sin autem avertetur justus a justitia sua, & faciet iniquitatem, [5] me disponente offendiculum coram eo morietur ille: quum non admonueris eum, in peccato suo morietur, neque [c] recordationi erunt omnia justa ejus opera quæ fecerit, sed sanguinem ejus e manu tua reposcam.

6 Tu verò quum admonueris justum ut non peccet justus, si ipse non peccet ampliùs: [d] omnino vivet quia admonitus fuerit, & tu animam tuam eripueris.

7 [6] Deinde fuit super me ibi [7] [8] manus Jehovæ; & dixit mihi, surge, egredere in istam convallem, & ibi alloquar te.

8 Itaque surgens exivi in illam convallem; ubi ecce gloria Jehovæ stabat, ut gloria illa quam videram ad flumen Cebaris: & procidi in faciem meam,

9 Sed ingressus in me spiritus fecit ut consisterem in pedes meos; & alloquutus me *Jehova* [8] edixit mihi, ingredere, include te intra domum tuam.

10 [9] Tu autem, ô fili hominis, ecce; indiderunt tibi densos funes & vinxerunt te illis; ut [10] non prodeas in medium ipsorum.

11 Ideóque linguam tuam agglutinaturus sum palato tuo, ut obmutescas, ac [e] non agas reprehensorem apud illos; quia domus rebellis sunt:

12 Sed quum alloquendo te [11] aperiam os tuũ, [12] indices eis, sic ait Dominus Jehovi: [13] qui auditurus est audiat, & qui desiturus, desistat; nam domus rebellis sunt.

[1] Hoc caput a præcedente ita distinguimus, quia visum est septemdiale intervallum hac ratione denotare, etsi alioqui cum præcedente simili est argumento: a sequente verò capite (quod tamen continuatum fuisse eodem tempore minimè dubitamus) ideo distinguimus, quòd argumento diversum est. Hic enim vocatio quam Propheta refugerat, de integro mandatur atque confirmatur; sequens verò materiam prophetiarum ingreditur. Sunt itaque hujus capitis membra duo: unum, repetitio vocationis præcedentis adjunctis minis & promissionibus, 6. primis versibus. alterum, confirmatio, sex alteris.

[a] *Hebr. a fine septem dierum.*

[2] id est, Prophetam, ut Jeschah 52.8. & 57.2. & Jirmejæ 6.17. Continet autem hæc repetitio primùm propositionem mandati, hoc vers. deinde explicationem officii tum erga improbos ut resipiscere, tum erga justos ut perstare doceantur: quibus singulis officiis suæ promissiones & minæ accedunt, ut Propheta desinat subterfugere. [b] *Hebr. moriendo.* [3] ut Genes. 9.5. pro eo quod est, tum ipse morietur culpa sua, tum etiam tu veluti reus ejusdem culpæ dissimulatione tua: sic deinceps. [4] a reatu illo & participatione alienæ culpæ: ut 1. Timoth. 4.16. [5] id est, justissima & providentissima administratione mea efficiente ut convertatur contra ipsum iniquitas sua, & ea ipsa velut offendiculo posito corruat: sic Psalm. 94.23. [c] *Hebr. commemorabuntur justitiæ.* [d] *Hebr. vivendo.* [6] altera pars, ut diximus in vers. 1. comprehendens confirmationem vocationis antecedentis tum oblato signo, duobus versibus, tum verbo addito, reliquis. [7] ut supra 2.24. [8] *Supra 1.* [8] per Ironiam: quo etiam modo accipiendi sunt duo sequentes vers. Etsi hæc verba per *ἀποστροφὴν* hoc quoque modo exponi possent, tene ingredi & includere te ipsum domi tuæ, quum mandatum a me acceperis in publicum prodeundi? [9] id est, siquidem ita se res habet, planè oportet te popularium tuorum miserrimum mancipium esse, quasi in ergastula conjectum; ut ab illorum nutu dependeas. [10] id est, non audeas hiscere & pronunciare coram illis verba mea. [e] *Hebr. ut non sis illis in virum.* [11] id est, quamvis refugientem comparabo te ad proloquendum sermonem meum. [12] vide supra 2.4. [13] id est, sive audiant, sive desistant, quid ad te? tu facito officium tuum: penes me verò esto electio judiciumque eorum qui audituri & qui non audituri sunt: ut supra 2.5. & 21.

CAPUT IIII.

Deus Prophetam typis & sermone instruit, quibus totum populum de obsidione arctissima Jeruschalaimorum eventura, de fame, cædibus, deportatione, & exitio totius Gentis certiorem facit: ac propterea typis editis sententiam hoc argumento fert contra Jisraëlem.

1 [1] Tu ergo fili hominis, accipe tibi [a] [2] laterem quem [3] ponas in conspectu tuo; ut incidas in eum civitatem, Jeruschalaima:

2 [4] Et disponens obsidionem in eam, extruénsque in eam propugnacula diffundes in eam aggestas moles: & disponens in eam castra pone contra eam primores *exercitus* circumquaque.

3 Deinde tu accipe tibi [5] sartaginem ferream, quam ponas *pro* muro ferreo inter te [b] & civitatem istam: ut obfirmata facie tua adversus eam, cingatur obsidione, te obsidente illam: signum hoc [6] in domum Jisraëlis.

4 [7] Tu autem [8] incumbe lateri tuo sinistro, quum apposueris ei iniquitatem domus Jisraëlis; numero dierum quibus incumbes ei, ferens iniquitatem illorum.

5 Ego verò [9] do tibi annos iniquitatis illorũ

[1] Duo hæc capita eòdem pertinere manifestò docet communis typorum interpretatio quæ habetur 5.5. & sequent. Quamobrem quum prophetia una sit, ea inter se visum est adunare. Docentur autem hac prophetia summatim tria: obsidio & fames Jeruschalaimorum, hoc capite; & plenum excidium totius populi, capite sequent. In descriptione autem famis, obsidionis atque excidii, quæ fit propheticis typis, triplex figura est: una, validissimæ obsidionis quam Jeruschalaimis pronunciat Deus, octo versibus: altera, famis gravissimæ atque sævissimæ, versibus reliquis; tertia excidii, capite sequent. in quarum prima Propheta agit personam Dei tum obsidentis per Chaldæos & affligentis Jeruschalaima, versibus 3. tum peccatorum rationem justam cum populo suo ineuntis ad asserendam justitiam suam, 4 sequentibus: in posteriore verò repræsentat populum ex illa fame laborantem. Summa est, Deum toti suo populo Jisraëlis, & Jehudæ propter diuturnas offensiones iratum acerbissimè exponere eum hostibus, fami, gladióque, & ipsam Metropolim sedem cultus Dei & regni (cujus spe captivi ipsi recreabantur inter gentes, & in qua reliquiæ aliquem sibi fore cogitabant receptus locum) a se abjicere, ne Jisraëlitis aut Judæis perfugium esse possit. [a] *Hebr. laterem, i. tabulam planam instar lateris & æqua superficie: sic Exod. 24.10.* [2] figuram totius regni Davidis: in cujus medio regia Jeruschalaimorum sita erat; ac proinde jubetur insculpi in ea tum ipsa civitas, hoc vers. tum obsidionis ratio, duob. vers. sequentibus. [3] sicut exponitur infrà vers. 3. [4] Id est, insculpens tabulæ lateritiæ, ut modò diximus, & figuram obsidionis arctissimæ statuens in ambitu Jeruschalaimorum: nam totus hic vers. pertinet ad scalpturam tabulæ. [5] ponendam videlicet ex adverso tabulæ; ut eo signo testaretur Deus tamquam muro ferreo odium suum ferreum & obsidionem durissimam urbis, qua eversa omnem fiduciam & gloriationem toti Jisraëli præcidit Deus. [b] *Heb. & inter civitatem.* [6] id est, ut hoc signo testatum facias non tantùm iis qui supersunt in Judæa, sed etiam his apud quos versaris Judæis & Jisraëlitis omnibus deportatis, utcumque ipsos Pseudoprophetæ inani spe alant, me ipsis esse infensissimum, inexorabilemque, & restitutionis spem quam sibi proponunt adimere. [7] ætiologia typica obsidionis nunc demum ostenditur, nimirum peccatorum antè commissorum ratio; qua subducta Deus se Jisraëlitarum reliquias e terra perditurum esse denunciat: itaque dies typicos imperatos Prophetæ numerat de numero annorum quibus Jisraëlitas & Judæos exspectavit patienter Deus, ferens & observans peccata ipsorum, quasi ad deditionem & resipiscentiam provocaret: quam quia non exhibuerunt, ferrum tandem flammámque præsentissimam obfirmata illa obsidione interminatus est Deus, præcedente vers. Sunt autem (ut in universum dicamus) hi numeri incipiendi a defectione postrema utriusque populi, & terminandi postrema deportatione quæ per Nebuzar-adanem effecta est, Jirme. 52.30. Nam etsi præcedentibus peccatis multis gravissimè fuerat & sæpissimè provocatus Deus; tamen eo illustrius explicat fidem & veritatem suam, quòd superiora omnia peccata velut ex fœdere abolita omnino reticet, eorúmque duntaxat rationem init quæ a tempore postremi fœderis fuerunt perpetrata, ut deinceps suis locis commonstrabimus. [8] id est, cùm propheturus in publicum prodibis, hoc tantùm a me significato adhibita tabula, sartagine, & cubatu tranquillo tuo: nullo alio prophetiæ argumento utitor toto hoc tempore. Figurat autem cubatus patientiam Dei; qui non irruit in ipsos propter peccata ipsorum, quæ observavit & penes se numerata habuit; sed iniquitatem ipsorum tamdiu pertulit, ne funditus eos perderet & spem salutis libe rorúmque præriperet. [9] id est, indico, & indicare jubeo signis a me datis.

10 hic numerus (ut antè diximus) a postrema Jisraëlitarū defectione incipit, postremaq; deportatione populi terminatur. Postremæ autem defectionis tempus non aliunde petendum est quàm ex postremi federis tempore, quum primùm illud Jisraëlitarum culpa fuit irritum. Quòd si postremum fedus ex scriptura recordabimur, inveniemus illud fuisse postremò a Jisraëlitis cū Deo initum, quo templum a Schelomone consecratum est & Dei majestate præsente confirmatum. Atque hoc quidem in federe annis aliquot Jisraëlitæ constiterunt, nimirum usque dum senescens Schelomo ad cultum deorum alienorum abduceretur, 1. Reg. 11.

pro numero annorum, [10] trecentos nonaginta dies; quibus [11] feres iniquitatem domus Jisraëlis.

6 [12] Quúmque eris absoluturus [13] eos, incumbes lateri tuo dextero secundò, ut feras iniquitatem domus Jehudæ: quadraginta dies, d diem unumquemque do tibi pro unoquoque anno.

7 Ad obsidionem verò Jeruschalaimorum obfirmato faciem tuam, cum brachio tuo nudato; sic [14] prophetabis contra ea.

8 [15] Ecce autem impono tibi densos funes; [16] ut non obvertas te a latere uno in alterum, donec absolveris dies obsidionis tuæ.

9 [17] Tu quoque accipe tibi [18] triticum, & hordeum, fabásque, & lentes, & milium, ac zeam, quæ indas in vas unum ut facias tibi ex eis panem: *de* numero dierum quibus incumbes lateri tuo, trecentis nonaginta diebus comedes illum.

10 Cibus autem tuus quem comedes, pondere viginti [19] siclorum in diem erit: [20] de tempore in tempus *statum* comedes illum:

11 Et aquam ad mensuram bibito, [21] sextam hinis: de tempore in tempus *statum* bibito.

12 Comedes autem eum *ut* placentam hordeaceam:& ad [22] orbes excrementi humani e parabis placentam istam in oculis illorum.

13 Prætereà dixit Jehova, ita comedent Jisraëlitæ cibum suum immundum; [23] inter gentes quò dispellam ipsos.

14 Tum dixi, [24] Aha Domine Jehovi, ecce

4. quo exemplo Jisraëlitæ traducti primùm a Deo defecerunt in idololatriam, deinde pauco tempore nutantes fide regnum Davidis abjecerunt. Fuit autem annus istius defectionis primus, ferme vigesimus septimus ex quo Schelomo regnare cœperat: ab eo si ex ordine tempora computes, invenies ad postremæ deportationis tempus usque intervenire annos 390. nimirum ann. 13. Schelomonis, tum ann. 78. regum quatuor sequentium, qui relati sunt in argumentum 1. Reg. item ann. 294. usque ad finem Tzidkijæ, ut ex ordine relati sunt Reges in argumentum 2. Reg. ac postremò annos quatuor inde a Tzidkija, quibus elapsis anno demum quinto reliquiæ totę deportatæ sunt & Judæa planè desolata, ut diximus ex Jirmejæ 52. 30. Ne quis autem miretur nos hoc deportationis tempore numerum annorum terminare, ipse Jechezkel nobis est interpretationis auctor infrà 5. 4. ut ex loci illius interpretatione constabit evidentissimè. [11] ut typus Dei misericordis, benignitate ad resipiscentiam populum revocantis, Rom. 2. 4. [12] altera pars ætiologiæ typicæ; qua Deus occupat objectionem Judæorum qui adhuc in regno permanserant, aut reversionis proximæ spe sustentabantur, quasi dicat, dixerint fortasse Judæi se nihil cum his rationibus habere commune, se fretos esse redintegrato federe cum Deo temporibus Joschijæ, ac proinde minimè metuere sibi ab hac interminatione. Tu itaque quum ad justum numerum perveneris illius anni quo fedus redintegratum est, inito rationem novam, & ostendito Judæos inde ab ipso anno redintegrati federis defecisse, ac potius in defectione sceleratissimè perstitisse: adhuc quidem exspectari a me, sed idem judicium in dies sibi accersere & accumulare obstinatione sua: ut cum multis locis Jirmeja exprobrat, tum cap. 25. evidentissimè, & confirmatur 2. Chron. 34. 33. [13] id est, post ann. 350. quibus exactis 40. cæteri novam rationem hanc desiderabant: sic accipiendum esse vers. 9. indicat. d *Heb. diem pro anno, diem pro anno.* [14] cùm hoc typo, tum verbo, in seq. capitib. [15] id est, auctoritate verbi mei constringo, & virtute spiritus confirmo te tamquam vinculis adhibitis, ne ullo pacto desistas ab institutæ obsidionis typo; sed palàm signo aspectabili testatam facias firmitatem decreti mei. Inest autem his verbis præclara antithesis, respiciens ad ea quæ dicta sunt sup. 3. 10. [16] nimirum dum publicè typum hunc propheticum demonstrabis, ut diximus in vers. 4. [17] posterior typus repræsentans famem quam Judæi in obsidione Jeruschalaimorum perpessi sunt, ut diximus in vers. 1. [18] id est, promiscuam farraginem, ut solent obsessi. [19] communium (ut opinio nostra est) pro eo quod est, esto cibarium tuum unciarum quinarum: nam communes sicli quaterni efficiunt unciam: ut dictum est Exod. 21. 32. [20] id est, in stata tempora compartito, ut vers. sequent. [21] vide Exod. 29. 40. id est, quantum ova duodecim capiunt. [22] ad figurandum penuriam pecoris, & ligni ex obsidione diuturna. e *Heb. placentato: ut ita dicamus.* [23] id est, Chaldæos urbem obsidentes. [24] excusatio Prophetæ a studio sanctificationis: ego, inquit, ut Sacerdos tuus cavi semper quam maximè fieri potuit ne immunditiam ullam susciperem (quod sequentibus exemplis per synecdochen ostenditur) Est autem excrementum hominis, id est oletum, impurum ex lege, Deut. 23. 9. & seq. Quamobrem peto ut me hac in re excusatum habeas, ne propter impuros Judæos cogar impurari vescens impuro cibo.

[25] anima mea non *est* impurata; nam cadaver, aut discerptum non comedi a pueritia mea huc usque, neque intravit os meum caro f abominanda:

15 [26] Et dixit mihi, vide, do tibi egesta boum pro orbibus stercoris humani; ut pares panem tuum ad illa:

16 Nam, inquit mihi, fili hominis, ecce ego fracturus sum [27] baculum panis Jeruschalaimis, ita ut comedant panem pondere ac cum sollicitudine; & aquas mensura ac cum stupore bibent:

17 Ut defecti pane & aqua, obstupescant g singuli atque contabescant in iniquitate sua.

25 vide Levit. 21. & 22. de singulorum Sacerdotum puritate. f *Heb. abominationis.* 26 responsio Dei, qua ostendit se personę quidem privilegium hoc irrogare, sed tamen stare sententiā ut Judęi cibū cū sollicitudine maxima comedāt, & oleto cogantur coquere. 27 ut Lev. 26. 26. g *Hebr. vir & frater ejus.*

CAPUT V.

1 [1] Postea tu, fili hominis, accipe tibi gladium acutum, novaculam tonsoriam accipito tibi, ut [2] transmittas eam super caput tuum & per barbam tuam: [3] suménsque tibi trutinam *justi* ponderis, divides *pilos* eorum.

2 Tertiam partem [4] igne combures in civitate, quando completi erunt dies obsidionis: & accipiens alteram tertiam percuties gladio [5] circa illam, reliquam verò tertiā disperges in ventum, nam a gladio exserto persequar istos.

3 Attamen excipies inde [6] paucos numero, quos [7] ligaturus es in alis tuis:

4 Et ex istis adhuc accipies [8] quos projicies in ignem, & combures eos igne: inde [9] prodibit ignis in totam domum Jisraëlis.

5 [10] Sic ait Dominus Jehovi, ista *sunt* Jeruschalaima, *urbs* quam [11] in medio Gentium posueram; & cui circumdederam regiones,

6 Sed mutavit jura mea in improbitatem plus quàm Gentes ipsæ, & statuta mea plus quàm regiones quæ circumstant eam: quia jura mea spreverunt, & in ipsis statutis meis non ambulaverunt.

7 [12] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, eo quòd cumulatim plus quàm Gentes ipsæ quæ circumstant vos in statutis meis non ambulastis, & jura mea non fecistis; ac ne quidem secundùm [13] jura gentium quæ circumstant vos fecistis:

8 Idcircò sic ait Dominus Jehovi, ecce me, irruentem in te, me quoque ut efficiam in medio tui judicia in oculis ipsarum Gentium:

9 Facturus enim sum in te *judicium* cujusmodi non feci, & cujusmodi non sum facturus amplius; propter abominationes tuas.

10 Idcircò [14] patres comedent filios in medio tui, & filii comedent patres suos; & exercens in

1 Secunda pars prophetiæ de pleno Judæorū excidio (ut diximus sup. 4. 1.) hoc capite continetur: ac primùm quidem ponitur typus, versibus 4. deinde hic typus cum præcedentibus exponitur, ad finem usque. 2 ut effingas hoc pacto excidium totius populi. 3 ut figura sit perfectissimę exsequutionis decreti Dei in singulos, & iis rationibus quæ visæ sunt ipsi in consilio suo: ut Jirmejæ 15. 2. prout sequentibus exponuntur. 4 id est, fame, peste, & aliis modis qui durante obsidione opidanos, ut ignis ardens, pervaserūt & maxima ex parte consumserunt. 5 id est, diffugientes ex illo omneis obsidionis & occupationis tempore, 2. Reg. 25. Sunt autem hæc gesta temporibus Tzidkijæ: illud verò quod posteà dicitur, est consequutum postquam terra potitus est Babylonius. a *Heb. gladium exeram post istos: sic V. 12.* 6 quibus figurantur Gedalja, & cæteri illi e populo quos reliquit Nebuzar-adan, ut essent vinitores & agricolæ, 2. Reg. 25. 12. 7 id est, adhuc in terra Judææ retinendos esse [illegible]. 8 id est, significato eos inter se exarsuros esse in perniciem suam, ut [illegible] Gedalja per Jischmaëlem occiso, & cæteris rebus gestis de quibus Jirmejæ 40. & seq. 9 id est, ultimo exitio conflagrabunt, & per Nebuzar-adanum deportati prorsus in Babyloniam; & aliis in locis penitus absumti. 10 secunda hæc pars, *ætiologiæ* typorum præcedentium, duo complectitur: [illegible] parasceven narrativam ad sequuturam sententiam, his duobus versibus: deinde sententiæ dictionem, quasi Deus coram Judæos omnes [illegible] reos condemnaret, a vers. 7 ad finem usque. 11 id est, proposueram in exemplum eam gentibus omnibus, ut prælucerct eis, tamquam ex [illegible] quædam magistra esset vitæ in pietate & sanctimonia informandæ, Deut. 4. 6. 12 sententia quam fert Dominus primùm causas per [illegible] ponit, hoc vers. deinde judicium severissimum generatim pronunciat, [illegible] bus seq. quod posteà speciatim persequitur, ad finem usque. 13 id est, ea ipsa quæ Gentes sine lege bene observant: nam sequentes [illegible] & rebelliones regum post fidē datam deficientium, 2. Reg. 24. & 25. 14 explicatio typi, de quo sup. 4. 9. & sequentib. vide Deut. 28. 53. & sequentibus & Lament. 4. 10.

te judicia dispergam omnes reliquias tuas in
omnem ventum.
11 [15] Idcircò *ne* vivam ego, dictum domini
Jehovi, nisi eo quòd sanctuarium meum impu-
rasti omnibus rebus detestandis tuis, & rebus
omnibus abominandis tuis; ideò tum ego succi-
dam, ut non parcat oculus meus, tum etiam ego
non utar clementia.
12 [16] Tertia tui peste morientur & fame cō-
sumentur in medio tui; tertia autem altera gla-
dio cadent circa te; reliquam verò tertiam in
omnem ventum dispergam, & exserto gladio
persequar eos.
13 Ita consummabitur ira mea, & collocans
excandescentiam meam in istis, ultione [17] con-
solabor me: experientúrque me Jehovam elo-
quutum esse in zelo meo, quando consummabo
excandescentiam meam in ipsis,
14 Et disponam te in vastitatem & in oppro-
brium apud Gentes quæ circumstant te, in ocu-
lis omnium transeuntium:
15 [18] Et erit opprobrium convitiúmque eru-
ditioni & stupori Gentibus quę circumstant te;
quum exercuero in te judicia ira, excandescen-
tiáque, & correptionibus excandescentiæ (ego
Jehova eloquutus sum)
16 Quum immisero sagittas famis pessimas
in eos qui fuerunt ad corruptionem, quas im-
mittam ad corrumpendum vos: & famem col-
ligens contra vos fregero vobis [19] baculum pa-
nis:
17 Immisero inquam contra vos famem,
[20] bestiámque pessimam, orbaturas te, pestísque
& [d] cædes pervaserit te: denique vastationem
immisero in te; ego Jehova eloquutus sum.

[15] *ἐργασία* hæc sententię quæ modò summatim dicta est, juramento Dei confirmata, primùm tres illas plagas confirmat superioribus typis prænunciatas, usque ad vers. 15. deinde gravitatem judicii amplificat a testimonio & ludificatione Gentium omnium, apud quas Judæi priùs fuerant admirationi, vers. trib. ult.
[16] explicatio typi, qui habetur principio capitis.
[17] ut Jeschah. 1.24.
[18] ex intermi-natione legis, Deut. 28.37.
[19] ut suprà 4.16.
[20] ex lege Levit. 26.22.
[d] *Hebr. sanguis.*

CAPUT VI.

Propheta exitium terræ, idolis, & idololatris prænunciat; reliquias in captivitate Deum agnituras prædicit; & piis luctum velut clade jam accepta imperat.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, edi-
cendo,
2 Fili hominis, [a] dispone faciem tuam ver-
sus [3] montes Jisraëlis; & propheetam age apud
eos.
3 Tum dices eis, ô montes Jisraëlis, audite
verbum Domini Jehovi: [4] sic ait Dominus Je-
hovi montibus, & collibus, alveis aquarum, &
vallibus; ecce me, me inquam adducentem con-
tra vos gladium, & perditurum excelsa vestra.
4 Nam desolabuntur altaria vestra, & con-
fringentur subdiales statuæ vestræ; proster-
námque confossos vestros coram diis stercoreis
vestris.
5 Disponam etiam cadavera Jisraëlitarum
[5] coram diis stercoreis ipsorum; & dispergam
ossa vestra circùm altaria vestra:
6 In omnibus sedibus vestris [6] ipsæ civitates
vastabuntur, & excelsa desolabuntur: ut vasten-
tur & desolentur altaria vestra, confringantur-
que & aboleantur stercorei dii vestri, & succi-
dantur subdiales statuæ vestræ, ac deleantur
opera vestra:

[1] Hujus capitis (quod post superiores typos concionémque Propheta divinitus promulgavit ad ampliorem illorum interpretationem) partes in universum tres sunt: prima, qua Deus toti Jisraëlis habitationi exitiū denunciat idololatrię nomine, usque ad vers. 8. secunda, qua pios ad Dei flagella resipiscentes aliquos fore prænunciat, usque ad V. 11. tertia, qua jámque luctum imperat istius ruinæ indictæ nomine, ad finem usque.

[a] i. hoc signo externo ostende quò spectet tua prophetia. [3] i. montosam Jisraëlitarum regionem, Exod. 15.17. & Deuter. 11.11. [4] minarum partes sunt hæ, in sedem idololatriæ, in idôla, & in idololatras: quamobrem Propheta per prosopopœiam ad montes, colles, &c. ubi idôla colebantur orationem habet: vide Jeschah. 57.9. & seq. [5] qui non servabunt eos in manu mea. [6] q.d. fundum ipsum & solum evertam, ut superstantia corruant: pro eo quod est, omnia evertam funditus.

7 Et cadent confossi in medio vestri, ut ex-
periamini me esse Jehovam.
8 [7] Sed reliquos faciam, quum erunt vobis
qui evaserint gladio, in Gentibus; quum dispersi
fueritis in regiones,
9 Et qui ex vobis evaserint recordabun-
tur mei in Gentibus ubi captivi detinebuntur:
[8] me fractum fuisse ab [a] animo ipsorum scortante
qui recessit a me, & ab oculis ipsorum qui scor-
tantes [b] sequebantur stercoreos deos ipsorum,
& [9] fastidio erunt [c] sibi ipsis, *respicientes* ad mala
quæ fecerint, ad omneis res [10] abominandas
suas.
10 Et agnoscent me esse Jehovā; non frustrà
loquutum fuisse, me affecturum ipsos hoc malo.
11 [11] Sic ait Dominus Jehovi, [12] percute ma-
nu tua, & [d] plaude pede tuo, & dic, ah, [13] *respiciens*
ad omnes abominationes pessimas domus Jis-
raëlis: quibus gladio, fame, & peste casuri
sunt.
12 Longinquus peste morietur, & propin-
quus gladio cadet, reliquus autem & obsessus,
fame morietur: denique consummabo excan-
descentiam meam in eos:
13 Ut agnoscatis me esse Jehovam, quum e-
runt confossi eorum inter deos stercoreos ipso-
rum, circa altaria illorum; ad omnem collem ex-
celsum, in omnibus cacuminibus montium; &
sub omni arbore virente, ac sub omni quercu
densa, ubicunque loci posuerint odorem gratum
omnibus stercoreis diis ipsorum:
14 Quum extendens manum meam contra
eos, reddidero terram hanc [e] desolatissimam,
magis desolatam quàm [14] desertum ad Diblam
in omnibus sedibus ipsorum; ut agnoscant me
esse Jehovam.

[7] altera pars promissio; ut diximus in vers. 1.
[8] id est, me qui in promissis sum constantissimus, invitum planè adductum esse ipsorum perfidia ut refringeretur cursus misericordiæ meæ.
[a] *Hebr. corde: sic deinceps.*
[b] *Hebr. post stercoreos.*
[9] detestantes ex animo vitam anteactam suam, & tristitia affecti secundùm Deum ad resipiscentiam & salutem: ut loquitur Apostolus 2. Cor. 7.9. & sequent.
[c] *Heb. facies sua.*
[10] id est, abominanda & damnata idôla sua.
[11] tertia pars, qua Deus luctum imperat Prophetæ & piorum reliquiis, propter mala Judæis impendētia ex judicio ejus, ut diximus vers. 1.
[12] præ dolore, cujus signum est hic complosio manuum: ut Numer. 24.10. quemadmodum etiam alibi lætitiæ, Psal. 98. 8. & infrà 25. 6. Nam duo hæc signa, aliáque hujusmodi, media sunt quodammodo, & modò ad lætitiam, modò ad dolorem spectantia. [d] *Heb. pavi.* [13] id est, duabus de causis luctum age, tum propter maleficia populi, tum propter horrenda judicia ex maleficiis obventura. [e] *Heb. desolationem* [14] situm in regione Moabitarum, horriditate nobile, quo Jisraëlitę transiverunt quum Cenaħanæam primùm essent ingressuri unde dictum est opidum Diblathajima Numer. 34. 6. & Jirmejæ 48. 22. ad fines immanis illius deserti, quod innuit Mosche Deut. 8, 15.

CAPUT VII.

Propheta Judæis in terra commorantibus exitium proximè venturum denunciat, gladium, famem, pestem, sævissimáque omnia; adeò ut neq; in rebus humanis subsidium, neque in Deo gratiam inventuri sint: ac typo funis adhibito ipsos partim mactandos, partimque in servitutem rapiendos dicit.

1 [1] DEinde fuit verbum Jehovæ ad me, di-
cendo,
2 Heus tu fili hominis, *dic*, sic indicit Domi-
nus Jehovi terræ Jisraëlis finem: advenit ipse fi-
nis in quatuor [a] oras istius terræ.
3 Jam finis impendet tibi, quum immittens
iram meam in te judicabo te secūdùm vias tuas,
& reponā super te omnes abominationes tuas.
4 [2] Neque parcet oculus meus tibi, neq; utar
clementia: nam [2] vias tuas super te reponam, &
abominationes tuæ [3] in medio tui erunt, ut ex-
periamini me esse Jehovam.

[1] Hoc caput, quemadmodum proximè præcedens, non dubium est quin Propheta sit concionatus post dies illos trecentos nonaginta de quib. suprà 4.5. ad exponendum ampliùs & obsignandum eandem prophetiam de eversione Judæorum: ac propterea etiam vehementioribus quàm superiore capite verbis atque sententiis exitium idem prænunciat. Sunt autem hujus capitis partes in universum duæ: prima est propositio summæ, usque ad vers. 5. secunda, exornatio propositionis, inde ad finem usque. [a] *Heb. alis.* [2] *Sup.* 5.11. [2] id est, pœnas vitæ sceleratæ tuæ; metonymicè, et sequentia. [3] i. non poterunt a te propulsari supplicia tua, sed te indesinenter oppriment; ut in exornatione ostenditur.

5 [4] Sic

5 ⁴ Sic ait dominus Jehovi; malum,⁵ unicum
malum ecce ádvenit.
6 ⁶ Finis ádvenit, ádvenit ille finis, ⁷ pervigil
irruit in te; ecce ádvenit *illud*.
7 Supervênit ⁸ matutinum illud tibi, ⁹ ô ha-
bitator iſtius terræ: advênit tempus illud, pro-
pinquus eſt dies ille, vexationis, ¹⁰ non autem
echûs montium.
8 Jam ᵇ ¹¹ cominùs *adſum*, effundam excan-
deſcentiam meam ſuper te, & cōſummans iram
meam in te judicabo te ſecundū vias tuas: deniq;
reponam ſuper te omnes abominationes tuas.
9 Neque parcet oculus meus, neque utar
clementia; ſecundùm vias tuas tibi reponam, &
abominationes tuæ in medio tui erunt, ut expe-
riamini me Jehovam *eſſe* percuſſorem.
10 ¹² Ecce ¹³ diem illum, ecce adveniens *ma-
tutinum*: prodiit matutinum illud, ¹⁴ effloruit
virga iſta, germinavit ſuperbiam:
11 Ipſa violentia aſſurrexit ad virgam impro-
bitatis: nemo ¹⁵ ex eis, neq; ex multitudine ipſo-
rum, neque ex Thraſonibus ipſorum, *ſuperfuturus
eſt*, ¹⁶ neque lamentum de ipſis *erit*.
12 ¹⁷ Advênit illud tempus, pertigit dies illa,
emtor ne ¹⁸ lætetur, & venditor ne ¹⁹ lugentem
agat: quia æſtus *iræ* impendet toti multitudini
ejus.
13 Nam venditor ad rem venditam ²⁰ non
eſt reverſurus, quamvis adhuc in integro ſit ca-
tervâ eorum *quæ vendidit*: viſio enim toti multi-
tudini ejus ²¹ non reverſura eſt, & ſinguli in ini-
quitate ſua non ſunt confirmaturi ſe caterva
ſua.
14 ²² Clangent claſſico ut comparent omne-
is, ſed nullus prodibit ad bellum; quia ²³ æſtus *iræ*
meę *exarſit* in totam multitudinem ejus.
15 Gladius ipſe foris, peſtis autem & fames
intus: qui in agro *erit*, gladio morietur; qui verò
in civitate, eum fames & peſtis conſumtura eſt.
16 ᶜ Sed ex eis qui evaſuri ſunt evadent, &
erunt ²⁴ in ipſis montibus velut columbæ valliū,
trepidantes omnes; quiſque propter iniquita-
tem ſuam.
17 Omnes manus debilitabuntur, & omnia
genua in aquas abitura ſunt:
18 Et accingent cilicia, tegente ipſos horro-
re; denique in omni facie erit pudor, & in omni-
bus capitibus ipſorum calvitium.
19 ²⁵ Argentum ſuum per plateas abjici-
ent, & aurum ipſorum ²⁶ ſeparationi erit; ar-
gentum ipſorum & aurum ipſorum non pote-
rit eripere ipſos die furoris Jehovæ; ᵈ ſe ipſos
non ſatiabunt, & viſcera ſua non explebunt:
eo quòd ²⁷ offendiculum iniquitatis ipſorum
aderit.
20 ²⁸ Quin ²⁹ decorum ornatus ſui, illum ad
excellentiam poſuerat, imagines abominatio-
num ſuarum, *&* rerum deteſtabilium ſuarum fe-
cerunt in eo: idcircò illum ſtatui ipſis in ³⁰ ſepa-
rationem.
21 Tradam enim illud in manum extraneo-
rum direptioni, & improborum hujus terrę præ-
dæ; qui ³¹ prophanabunt illum:
22 Et avertente me faciem meam ab ipſis
ubi prophanaverint ᵉ aditum meum; invadent
civitatem ipſam effractores & prophanabunt
ipſam.
23 ³² Para funem: quia terra iſta plena eſt
ᶠ cauſis capitalibus, & ipſa civitas plena eſt vi-
olentia.
24 Ideò adducam ³³ peſſimos gentium ut
hæreditario jure poſſideant domos iſtorum: fa-
ciámque ut ceſſet excellentia ³⁴ fortium, & pro-
phanentur ³⁵ ii qui ſanctificant ipſos.
25 In excidium devênit, & quærentibus pa-
cem nulla erit.
26 Ærumna ſuperveniet ærumnæ, & rumor
ad rumorem erit; ᵍ deſiderabúntque viſionem a
Propheta, & lex peribit a Sacerdote, conſiliumq;
³⁶ a ſenibus.
27 Rex ipſe continenter lugebit, & Princeps
induet ʰ veſtem deſolationis, ac manus populi
terræ conturbabuntur: pro via ipſorum agam
cum eis, & ⁱ prout jus ipſorum eſt judicabo ipſos;
ut experiantur me eſſe Jehovam.

4 exornatio hæc tres omnino partes complectitur; prima eſt quædam hypotypoſis velut præſentiſſimæ calamitatis ex juſto judicio Dei, uſq; ad V. 12. ſecunda eſt deſcriptio effectorum quæ ex invadente calamitate fuerunt eventura tum populo, uſq; ad V. 20. tum ſacrario Dei, uſq; ad V. 23. tertia eſt captivitatis, & tyránnicæ dominationis in reliquias Judæorū omnes deſcriptio, ad finem uſque.
5 id eſt, ſemel eventurum, idque tam grave ut non ſit ampliùs repetendum: quod interminatus fuerat Deus ſup 5. 9.
6 hæ frequentes anaphoræ tribus de cauſis adhibentur, nempe tum ad certitudinem rei, tum ad celeritatem, ut diximus Gen. 41. 32. tum ad permovendos afficiendóſque auditorum animos.
7 id eſt, hactenus in conſilio Dei tamquam dormitavit; ſed jamjam exſurgit, & comparatur ut propediem in vos irruat: nam tertio pòſt anno incepta eſt a Chaldæis obſidio Jeruſchalaimorum. 8 vide infrà in verſ. 10. 9 id eſt, qui adhuc in Judæa habitatis, propè eſt tempus quum deſinetis iſthic habitare: gravis apoſtrophe. 10 id eſt, non panici terroris aut inanis conſternationis; qualis ferè oritur ex confragoſis montibus remugientibus, quem Græci vocant ὀρυμαγδόν. ᵇ *Hebr. e propinquo* ſum, *ſupra* 3. *&* 4. 11 id eſt, hactenus ita abſtinui a vobis, ut viſus ſim vobis in altitudine cæli deliteſcere, & ambitum cælorum obambulare (ut dicitur Ijobi 22. 12. & ſequent.) ſed jam longè aliter experiemini. His autem verſibus mutatur genus, quia Deus per proſopopœiam terram alloquitur; & non tantùm populo, ſed terræ ipſi ſequentia mala denunciat. 12 hypotypoſeos quæ habetur ſup. V. 5. & 6. brevis repetitio, qua illuſtratur judicium Dei allegoricè; nam primùm judicium Dei velut oculis ſubjicitur, deinde crimine Judæorum expoſito per graviſſimum aſyndeton ampliùs exponitur, his duobus verſ. 13 videlicet conſtituti & denunciati judicii: ſic etiam matutinum illud. 14 ætiologia denunciati judicii a Judæorum ſceleribus per allegoriam: cujus τὸ δεινὸν (ut Hermogenes vocat) eſt elegantiſſimum ex ambigua voce. Nam tribus Judæorum ſurculo depacto comparatur, qui germina ſuperbiæ & ramos violentiæ dicitur protuliſſe, ac proinde iram Dei conciliaſſe: ut Jeſchah. 5. 15 prolepticè; nam ſequentia populum diſtribuunt in humilem plebem aut vulgus, & optimates glorioſos perſtrepentes de virtutibus ſuis, atque (ut Suetonius vocat) aretalogos. 16 id eſt, ne ex illis quidem ſupererunt qui lamentum faciant de mortuis: vide Jirmejæ 16. 17 ſecunda pars exornationis, ut diximus in verſ. 5. cujus ſumma eſt: neque mercium, duobus verſ. neque armorum & rerum militarium, duobus alteris; neque fugæ & roboris, verſ. 16. & duobus ſeq. neque facultatum omnium, verſ. 19. fructum ullum Judæos percepturos eſſe, ſed omnia in ventos eſſe abitura. 18 velut re commodè empta. 19 velut re incommodè vendita. 20 id eſt, non eſt cur ſit ſolicitus de re alienata: nam ſi reciperet eam, aut etiam non vendidiſſet, nihil ex eo habiturus eſſet commodi; quum ne ſuam quidem ipſius vitam, nedum poſſeſſionem, ab hoſtibus intactam ſervare poſſit. 21 id eſt, omnes omnino eſſe perituros propter peccata ſua. 22 videlicet claſſici ſive tubicines. 23 cujus documenta exponuntur ſeq. verſ. ᶜ *Heb. qui evaſerint evadentes eorum.* 24 id eſt, etiam tum quum erunt in ſpecubus & locis abditiſſimis montium; eorum tamen animus non magis confirmabitur quàm ſecuræ ſunt columbæ in locis planis & apertiſſimis vallibus: ſunt enim imbelles columbæ a natura trepidiſſimæ.

25 vide in verſ. 12.
26 id eſt, æquè ab ipſis abjicietur atque res propter immunditiam ſeparanda ex lege; quia non erunt adjumento, ut conſervent. ᵈ *Heb. animam ſuam.*
27 id eſt, quod ipſorum iniquitas ipſis excitaverit: ut ſupra verſ. 10 & 11.
28 amplificatio ab excidio ſacrarii, ut diximus in verſ. 5. quâ oſtendit Deus eo fore graviores prædictas calamitates, quòd ne Deum quidem accedendi facultas erit; quia ſigna præſentiæ ſuæ ſubmoverit propter peccata ipſorum.
29 id eſt, arcam Dei: vide capite ſequent.
30 id eſt, illud ipſum templum, quod dederam eis & ubi in arca federis excellentiam meam collocaveram, tam a me repudiabitur quàm res immundę repudiari ſolent: vide Jirmejæ 7.
31 id eſt, tamquam rem prophanam & abjectiſſimam conturbabunt, miſcentes in eo omnia. ᵉ *Hebr. abſconditum.* 32 tertia pars exornationis, ut diximus in verſ. 5. typum imperans, his verbis; & exponens ſequentibus. Funis enim typus eſt tum reorum capitalium qui ducuntur vincti, hoc verſ. tum captivorum qui in ſervitutem pertrahuntur, verſibus ſequent. 33 velut carnifices, qui corpora trucident, & involent in publicam bona. ᶠ *Heb. judicio ſanguinum.* 34 id eſt, thraſonum illorum de quibus verſ. 11. in reipub. adminiſtrationem incumbentium. 35 id eſt, Sacerdotes, Prophetæ, & cæteri illi impuri Eccleſiæ adminiſtri. Hæc ut ita accipiamus, tum prioris membri comparatione, tum ſequentium adducimur: hæc enim eſt prolepſis, quæ in ſequentibus [illegible] exponitur. ᵍ *Hebr. quærent.* 36 utriuſque ordinis, Eccleſiaſtici, & politici, ad quem tranſitur ſequent. verſ. ʰ *Hebr. deſolationem, metonymicè.* ⁱ *Heb. juribus ipſorum.*

CAPUT VIII.

Deus viſione indicat Prophetæ ſceleratiſſimam & confertiſſimam Judæorum idololatriam; deinde ſupplicia docet propter illam eventura, tum lamentabili ſtrage contra opidanos edita præterquàm electos Dei, tum etiam horrendo igne qui Deo auctore in opidum obſidionis & expugnationis tempore erat exarſurus, tum promiſcuis per Judæam totam cædibus, tum denique (quod fuit maximum) profectione Dei abdicantis Jeruſchalaima: qui tamen e diverſo pios in Babyloniam deportatos præſentia ſua ſanctificatione, & Euangelicis in futurum promiſſionibus conſolatur; omniáque confirmat unius Principis morte.

CAPUT

1 Quatuor hæc capita visionem unicam continent, ac proinde placuit nobis ea conjungere. Est autem hujus visionis inscriptio summa, hoc vers. posita, partes verò totidem quot sunt capita, eadem fere ratione distinguendæ. Primum enim Judæorum qui Jeruschalaimis supererant impietas variis modis ostenditur, capite 8. Secundò strages civium edenda in ipso oppido figuratur, iis tantùm exceptis quos Deus obsignaverat, capite 9. tertiò ignis, quo flagrans & indignatus Deus tum fame & peste ante expugnationem urbis oppidanos profligavit, tum post expugnationem incendit, exhausit, & sursum deorsum evertit civitatem totam cum ipso templo, unde abibat gloria Jehovæ, capite 10. postremò reliquiarum ex clade & incendio urbis ereptarum infensissima persequutio & ruina, cui subnectuntur promissiones Evangelicæ ad bonorum consolationem capite 11.

1 [1] Fuit autem [a] anno sexto, mense sexto,
die quinto illius mensis, me sedente [3] do-
mi meæ, [4] Senioribúsq; Jehudæ sedentibus co-
ram me; ut accideret mihi illic [5] manus Domi-
ni Jehovi.
2 [6] Etenim *visionem* vidi, quòd [7] ecce simili-
tudo *hominis* quasi specie ignis, a specie lumbo-
rum ejus deorsum versus *specie* ignis: à lumbis
autem ejus sursum versus quasi specie solis ruti-
li, similis colori [a] vividissimo.
3 Qui extendens formam manus, assumsit
me cincinno capitis mei: & attollens me spiritus
inter terram [b] & cælum deduxit me Jeruscha-
laima visionibus Dei, [8] ad ostium portæ in-
terioris spectans ad Aquilonem; ubi *erat* se-
des [9] idoli zelotypiæ quod provocat ad zeloty-
piam.
4 [f] Ecce autem illic gloriam Dei Jisraëlis,
secundùm speciem quam videram [10] in ipsa
convalle.
5 [11] Tum edixit mihi, fili hominis, attolle
jam oculos tuos *ad* viam *quæ fert* Aquilonem ver-
sus; quúmque sustulissem oculos meos *ad* viam
Aquilonem versus; ecce ab Aquilone ad [12] por-
tam ipsius altaris idolum illud zelotypiæ in ipso
ingressu.
6 Postea dixit mihi, fili hominis, videsne
quid isti faciant? abominationes *sunt* maximæ
quas domus Jisraëlis faciunt hic, [13] ut longè re-
cedam a sanctuario meo; sed ampliùs [e] iterum
videbis, abominationes maximas.
7 [14] Et deduxit me ad portam [15] atrii alteri-
us: ubi quum aspicerem, ecce [16] foramen unum
in ipso pariete.
8 [17] Itaque edixit mihi, fili hominis, fode
jam in isto pariete; quúmque fodissem in ipso
pariete, ecce portam unam,
9 Tum edixit mihi, ingredere & aspice abo-
minationes pessimas quas isti faciunt hic.
10 Ingressus itaque aspexi; ecce autem om-
nes formas reptilium & jumentorum, detestan-
dorum, omniúmque stercoreorum deorum do-
mus Jisraëlis: [18] expressum *opus* in pariete ipso
circumquaque:
11 Et [19] septuaginta viros e Senioribus do-
mus Jisraëlis, cum [20] Jaazanja filio Schapha-
nis stante in medio ipsorum, [21] stantes coram
illis, quemque thuribulum suum *habentem* in
manu sua; ita ut [d] abundans nubes suffitus as-
cenderet.
12 Post dixit mihi, vidistine, fili hominis, quæ
Seniores domus Jisraëlis faciant [22] in tenebris,
quisque in conclavibus [f] figuratis suis? quia di-
cunt, [23] non *est* Jehova qui videat nos, dereliquit
Jehova terram hanc.
13 [24] At, inquit mihi, amplius, adhuc videbis
abominationes maximas quas isti faciunt:
14 Et deduxit me [25] ad ostium portæ domus
Jehovæ quæ *est* ad Aquilonalem tractum: ecce
autem [26] mulieres sedebant, [27] deflentes Tham-
muzum.
15 Postea dixit mihi, vidistíne, fili hominis?
amplius adhuc visurus es abominationum, *abo-
minationes* [28] majores istis.
16 [29] Et deduxit me in atrium domus Jeho-
væ [30] interius; ecce autem in porta templi Je-
hovæ inter [31] porticum & altare [32] quasi viginti-
quinque viros: quorum posteriora *obversa erant*
versus templum Jehovæ, facies autem Orientem
versus, & adoratio ipsorum Orientem versus

17 hujus effractionis causa duplex est exposita legentibus in ipso contextu: prior est, quòd occlusæ erant fores, & illi in tenebris mysteria impietatis suæ exercebant, vers. 12. posterior, quòd Deus hoc typo confirmare voluit atrium cæteráque omnia, quæ prius sancta habebantur, sibi prophana esse & paulò pòst tempore eversum iri.
18 sive cælo, sive pictura.
19 id est, publicum populi Judaici summúmque consilium, quod institutum fuisse a Deo legimus Numer. 11.16. & sequentibus.
20 fortè qui consilio septuaginta præerat.
21 id est, ministrantes coram illis, synecdochicè: ut hoc loquutionis genus interpretatur Mosche Deuter. 10.8.

2 id est, absoluto illo superiore typo, & enunciata prophetia, cujus tempus fuerat imperatum suprà 4.5. nam hæc visio præcisè post menses quatuordecim exhibita est Prophetæ quàm typus ille fuerat mandatus. 3 nempe in Mesopotamia, quò fueram deportatus. 4 nempe deportatis ante annos sex cum Jeconja Rege. Videntur autem hi studio ad Prophetam accessisse, ut Deum consulerent & prophetias cognoscerent ad populum suum pertinentes: & præterea certo Dei consilio providentiáque videtur effectum esse, ut tum interfuerint quum Propheta extra se raptus est; quia hoc pacto illustrata est & obsignata Dei veritas, quum Propheta eo ipso momento & consilium improbum duorum principum quod Jeruschalaimis imbatur palàm enunciat, in principio capitis 11. & unius mortem indicat, infra 11.13. 5 ut supra 1.3. 6 in prima hac visionis parte primùm exponitur ratio illius exhibendæ, usque ad vers. 5. deinde Judæorum scelera velut sequentium judiciorum causæ gradatim & ordine Prophetæ demonstrantur, reliquo capite 7. 7 vide supra 1.27. a *Hebr. vividissimi.* b *Hebr. & inter cælum.* 8 id est, ad ingressum ipsum atrii maximi sive popularis. 9 id est, Baalis illius, cui Achaz altare Damasceno simile fabricandum curaverat, & altare æneum Jehovæ adhibuerat suo Aquilonem versus, denique totum cultum Dei a Sacerdote in illo exhiberi mandaverat, 2. Reg. 16. 10. & sequentibus, quæ posteà per Chizkijam eversa omnia, per Menaschem fuerunt restituta, 2. Reg. 21.3. & sequentibus: iterúmque post Joschijam instaurata per Joachazum & fratres, 2. Reg. 23.31. & sequentibus capitibus. f *Supra* 1. 10 id est, in Mesopotamia ad fluvium Cebarem: nam Mesopotamia monte Tauro & Masio a Septemtrione, & Chaldaicis montibus a meridie terminatur. 11 expositio primi sceleris & impietatis in Deum, quam gradatim describi diximus suprà vers. 2. nimirum Baalis cultus. 12 id est, ante quam stare debebat altare æneum holocausti, ex lege. 13 id est, quo scelere & impietate ita deficiunt à me, ut ego non statuam ampliùs in sanctuario hoc consistere; sed tum sanctuarium hoc aspectabile, tum hanc terram & populum relinquere; ut posteà fecisse dicitur, infrà 22. & 23. Etsi hæc verba de populo quoque possunt non incommodè accipi, & ita reddi, *procul* vel longissimè *absistendo a sanctuario meo*, &c. e *Hebr. reverteris, videbis: sic deinceps.* 14 secundi sceleris & impietatis in Deum narratio, nimirum cultus rebus creatis exhibiti etiam impurissimis & abjectissimis; ex Ægyptiorum usu, quibuscum juncta erant recentia fœdera. 15 id est, Levitarum; ex quo amplificatur Judæorum scelus, quòd extranei a gente Levitica atrium illud ingrederentur contra legem, & propius Deum suam impietatem importarent: atque hoc communiter observandum est in hoc exemplo, & duobus sequentibus. 16 id est, apertura quædam, quanta fuit opus ut in Levitarum cellas Propheta introspiceret, quas muro obduxerant ne ab aliis spectari possent.

d *Hebr. abundantia nubis.* 22 id est, ut faciant mysteria, cujusmodi fuerunt apud Græcos Cereris Eleusiniæ, id est, operta sacra, sive (ut Latini vocant) opertanea; & cujusmodi fuerunt apud Romanos Bonæ Deæ, & apud Ægyptios Osiridis sacra Pamylia, quæ a Persarum voce Mithriaca vocat Lampridius in Commodo: ex quibus hic cultus & sequentes tamquàm ex fœderatis ad Judæos manaverant. e *Hebr. picturæ sua.* 23 q.d. quum Jehova non amplius curet nos, ac potius terram hanc omnino reliquerit, profectò est æquissimum nos & terram nostram fidei aliorum deorum committi, atque eorum maximè a quibus per cultores ipsorum speramus adjumentum: quo argumento utebatur Achaz 2. Chron. 28.23. & Judæorum reliquiæ in Ægypto, Jirmeja 44. 15. & sequent. 24 narratio tertii sceleris, nimirum Isiacarum Sacerdotum cultus impius, inhumanus, & impudicissimus, quem describunt Herodotus, Diodorus Siculus, Plutarchus in libro de Iside & Osiride, & Eusebius tribus primis libris de præparatione Euangelica. 25 id est, proximè portam atrii Sacerdotum. 26 id est, Sacerdotes Isidis impudicissimas, quæ phallos & ithyphallos gestabant, (quemadmodum & [illegible], id est, Pamylii viri Sacerdotes Osiridis) indutæ vestibus lineis, & publica lupanaria incolebant in domo Jehovæ cum pueris meritoriis Osiridis administris de quibus 2. Regum 23.7. 27 id est, lugentes Osiridem virum Isidis, ut Ægyptii narrabant; quem amissum in Ægypto quotannis defleri Isis mandaverat. Hæc enim præstigiis suis & incantationibus magicis tantam sibi viróque suo auctoritatem apud Ægyptios comparavit, ut pro diis summis haberentur, & mense quarto (qui mensis est ad messem in eo tractu ordinarius) colerentur. Est enim Isis Ægyptiis eadem quæ Ceres dea frugum, Osiris verò (ut Plutarchus eodem libello testatur) est dictus Ægyptiis Ammuz, unde (inquit ille) Jovis Ammonis nomen corruptè est derivatum. Vocem verò Ammuz, quam Herodotus & Plutarchus usurpant, non dubitamus ex corrupto Tammuz derivatam esse; cujus vocis duplex est significatio: primùm enim Ægyptiis abstrusum & occultum significat, ut Manetho Sebennites apud Plutarchum ibidem interpretatur; quamobrem sacra illius quoque erant opertanea: deinde verò mensem quartũ significat, a solenni festo Tammuzi sive Osiridis requisiti per Sacerdotes administras Isidis cum ejulatu & planctu maximo. Qui plurima volet de his cognoscere, consulat Plutarchum ibidem, & Eusebium de præparatione Euangelica. 28 re ipsa, loco, & aliis circumstantiis, quæ evidentissimè ostenduntur seq. v. 29 narratio quarti sceleris & impietatis in Deũ, quòd Judæi proxime Deum & sanctuarium ejus constituti de industria aversabantur Deum, & adversi solẽ colebant pro Deo. 30 i. penitissimum atrii quod erat Sacerdotum, proximum porticui domus Dei. 31 de qua 1. Reg. 6.3. 32 videl. Principes populi, ut nominantur inf. 11.1. id est, præfectos tribuũ, & quasi tribulis suorum magistros in Jehuda & Binjamine; ex instituto Moschis Exo. 18.25. Ita ostendit Propheta generalem omnium depravationem,

[f] ad [33] Solem *ferebatur*.
17 Tum dixit Deus, vidistíne, fili hominis?
an levius est quicquam visum domui Jehudæ
quàm facere abominationes istas quas faciunt
hîc? [34] nam impleverunt terram hanc violen-
tia, & aversi sunt ad provocandum me, [35] ecce
autem jam præmittunt plantarum surculos an-
te faciem suam:
18 Propterea etiam ego [36] facturus sum
factum in excandescentia, non parcet oculus
meus, neque utar clementia; & quamvis cla-
ment in auribus meis voce magna, non exaudi-
am eos.

f Heb. Soli. 33 & res cælestes, synecdochicè. Solem autem Persæ Mithram, Assyrii Osiridem (nam hi omnes colebant Solem) AEgyptii verò vocabãt Orum, filiúmque Isidis esse prædicabant, magica virtute ab ipsa ex mortuis excitatum: ac proinde cultus infinitos illi exhibebant; vide 2. Reg. 23. 11. Sic Judæi hoc capite impiè idôla commentitia, & imagines rerum creatarũ omnium, animatarum, inanimatarúmque terrestrium & cælestium, hominum & bestiarum dicuntur colere. 34 transitio ad argumentum sequentium capitum; videlicet judicium Dei contra Judæos eventurum propter peccata ipsorũ: quod prolepticè enunciatur hoc & seq. versu. Peccata autem ponuntur duo, inhumanitas, atque impietas: & sententia fertur de putatione, tamquam in ramos putridos; qua comparatione utitur Apostolus Rom. 11. 17. & sequēt. 35 amplificatio a re præsente, q. d. quòd eos aversantes Deum ad solem videas respicere eúmque adorare, gravis quidem est impietas: sed vide quid in manibus habeant oblaturi. Jam enim ramos omni fructu suo ἐνόγκους onustos quasi primitias soli & suis idolis hoc loco offerunt. Vide Jirm. 44. & Hosche. 2. 36 ellipsis conjugati, ut Gen. 33.

CAPUT IX.

1 [1] DEinde inclamavit [a] me audiente voce
magna, dicendo, admovete [2] præfectu-
ras istius civitatis; & instrumentum quisque su-
um [b] lethiferum *habens* in manu sua.
2 Tum ecce [3] sex homines venientes a via
[4] portæ superioris, quæ est obversa [5] ad Aquilo-
nem, quemque cum instrumento dissipationis
suo in manu sua, & [6] virum unum [c] inter eos in-
dutum [7] *vestibus* lineis [8] cum atramentario scri-
bæ ad lumbos suos: qui venientes constiterunt
[9] juxta altare æneum.
3 Gloria autẽ Dei Jisraëlis extulit se [10] a Ce-
rubinis quibus insidebat, ad limen ipsius do-
mus; & inclamavit virum illum, indutum *vesti-
bus* lineis, ad cujus lumbos *erat* atramentarium
scribæ;
4 Edixítque Jehova ei, transi per medium
istius civitatis, per medium *urbis* Jeruschalai-
morum; & insignito [11] signo frontes illorum ho-
minum [12] qui suspirant & qui exclamant prop-
ter omnes abominationes istas quæ fiunt in
medio illius.
5 *Reliquis* autem illis edixit me audiente,
transite per hanc civitatem post eum, & percu-
tite; ne parcito oculus vester, neque utamini cle-
mentia;
6 [13] Senem, juvenem, & virginem, parvulós-
que & fœminas interficitote ad internecionem,
sed ad ullum virum cui inerit hujus signum ne
acceditote, & [14] a sanctuario meo incipitote (ita-
que incipiebant ab [15] hominibus illis Senioribus
qui *erant* ante ipsam domum)
7 Et impurate, ait illis, domum ipsam, & im-
plete atria ipsa confossis; exite: ut [16] exeuntes
percutiant in civitate ipsa.
8 [17] Fuit autem percutientibus ipsis, quum
reliquus essem ego, ut procidens in faciem me-
am clamarem, & dicerem, Aha Domine Jeho-
vi, an perditurus es omnes reliquias Jisraëlis, ef-
fundendo excandescentiam tuam super Jerus-
chalaima?
9 [c] Qui dixit mihi, iniquitas domus Jisraëlis
& Jehudæ magna est [d] supra modum, & repleta
est ista terra [e] cædibus, ipsáque civitas plena
[f] perversione: quia dixerunt, dereliquit Jehova
hanc terram, neque Jehova *est* qui respiciat.
10 Quapropter etiam ego non parcet ocu-
lus meus, neque utar clementia: viam eorum in
caput ipsorum reponam.
11 Tum ecce [18] vir ille indutus *vestibus* lineis,
ad cujus lumbos *erat* atramentarium, retulit
[g] rem dicendo; feci quemadmodum præcepe-
ras mihi.

1 Secunda pars visionis hoc capite comprehẽsa stragem Jeruschalaimorum figurat, ut diximus sup. 8. 1. itaq; primùm præceptum Dei datur administris de interficiendis opidanis, præterquàm electis & signatis à Deo, usque ad vers. 8. deinde expostulatio Prophetæ narratur, vers. 8. & responsum Dei, seq. a Heb. in auribus meis: sic v. 5. 2 i. angelorum cohortes quos ad judicium hoc exsequendum præfecit Deus. nam hæc verba habentur ad Angelicarum copiarum præfectos sive Archangelos, ut dicuntur vulgo. b Hebr. corrumpens. 3 i. Angelos humana specie: sex autem propterea videntur poni, quòd tria fuerunt Jeruschalaimorum opida, & in singulis binæ primariæ portæ ad quas regiones urbis totius pertinebant. Nam in urbe Davidis erāt porta Davidis sive piscium, & porta vetus: in opido Binjaminis erant porta Ephrajimi, & porta anguli: in eo verò quod fuit Jehudæ, porta sterquilinii & porta gregis, ad quas omnes portas (ut diximus) spectabant vici maximi quos Angeli in visione hac obiverunt. Sunt autem hi Angeli Chaldaicarum copiarum veluti principes; ut Dan. 10. 4 de qua 2. Chro. 27. 3. 5 ac si Chaldæam prospectaret, unde clades erat Judæis eventura. 6 videlicet Christum Mediatorem & servatorem nostrum, qui unus auctor est gratiæ, obsignationis, & salutis nostræ; quæ in sequentibus huic Angelo fœderis tribuuntur. Nam non movet nos quòd multi existimant unum Christum non posse variis figuris in uno viso adumbrari: quum enim varia sint officia Christi, quæ res unica non potest adumbrare simul, certum est Deum pro misericordia infinita sua cum in visionibus extra ordinem exhibitis, tum in ordinariis legis ceremoniis eumdem Christum propter varia officia & beneficia erga nos figuris variis repræsentavisse: ut exempli gratia idem est altare, idem sacrificium pro peccato, idem holocaustum, idémque munus, &c. quæ omnia universè & absolutissimè in Christo posita particulatim adumbrari necesse fuit propter infirmitatem nostram. Hoc igitur modo Christus (qui est imago Dei inconspicui) idem cum Patre & Spiritu sancto insidet solio, ut sup. 1. 27. idémque homo secundùm eam conditionem qua minor est Patre, mandata accipit, exsequitur, & sistit se patri. c Heb. in medio eorum. 7 tamquam Sacerdos noster expiationem facturus coram Deo, ut figuratus est ordinario Sacerdotio, Exod. 28. 43. & Levit. 16. 4. 8 ad obsignandum electos, & salutem in illis imprimendam sanguine suo: prout Propheta noster est, & interpres voluntatis paternæ erga nos. 9 ubi erant accepturi mandatum Dei. 10 qui tegebant operculum propitiatorium super arcam in sancto sanctorum: Nam illis hactenus Deus insederat, & inde responsa dederat, 1. Schem. 4. 4. Sic incipit Deus discedere a pristina statione sua: vide infrà 10. 1. & 4. Quo in argumento misericordia Dei gradatim demonstratur, quòd non deserit Judæam momento uno; sed pedetentim & gradu lentissimo primùm a sanctuario limen templi petit, hoc v. deinde Cerubinos adit qui ad dexteram atrii constiterant, infrà 10. 1. tum ostium Orientale & primum atriorum aditum, infrà 10. 19. ut opidum ad resipiscentiam provocaret, discessúmque palam testatum faceret: ac postremò extra civitatem in montem evolat, infrà 11. 23.

11 salutari, quale fuerat in Ægypto factum, Exod. 12. 12 i. piorum, ab istis malis abhorrentium: periphrasis. 13 vide complementum 2. Chro. 36. 17. 14 i. pergentes rectà inde a loco ubi constitimus, obviam quemque per opidum [illegible] trucidate: sic manifestum [illegible] viginti quinque, de quibus sup. 8. 16. & inf. 11. 1. [illegible] Angeli non processerunt trans altare, sed in civitatem perrexerunt; illi autem viginti quinque & Propheta ipse erant in atrio interiore domus, suprà ibidem. 15 seniores, de quibus sup. 8. 11. 16 porta conjugatur illa quam horum præfecturæ Deus commiserat. 17 expostulatio, ac potius deprecatio Prophetæ, ut diximus suprà vers. 1. cui respondetur duobus seq. c Sup. 8. 17. d Heb. valde valde. e Heb. sanguinibus. f Heb. perversione. 18 vide suprà in vers. 2. g Heb. verbum.

CAPUT X.

1 [1] ME autem vidente, quum ecce [2] in illo ex-
panso quod *erat* supra caput Cerubino-
rum, [3] similem lapidi sapphirino, quasi speciem
similitudinis solii; apparuit [4] super ipsos *Je-
hova*;
2 Qui alloquutus virum illum indutum *ve-
stibus* lineis, dixit, ingredere intervallum [5] orbi-
um in locum Cerubinorum, & imple pugnos tu-
os prunis igneis ex intervallo Cerubinorum, &
sparge contra istam civitatem: qui ingressus est
ante oculos meos.
3 Cerubini autem stabant [6] a dextera do-
mus, quum ingrederetur vir ille; & [7] nubes im-
plebat atrium interius.
4 [8] Tum extulit se gloria Jehovæ a Cerubi-
nis [9] supra limen domus; éstque impleta domus
nube, atrium verò impletum splendore gloriæ
Jehovæ.

1 Tertia hæc visionis pars gloriam Dei figurat e sanctuario discedentis, & ignem furoris sui contra civitatem immittentis; ut diximus suprà 8. 1. At primum quidem mandatum igni injiciendi & ratio ostenditur, usque ad vers. 8. deinde gloria Dei è domo sua ad portam atrii in publicum civitatis conspectum discedentis figuratur, reliquo capite. 2 de quo suprà 1. 22. 3 ut suprà 1. 26. 4 id est in solio ipso videndum se exhibuit gloria illa Jehovæ, quæ prius insidebat Cerubinis templi in operculo propitiatorio & inde ad limen domus sese receperat, suprà 9. 3. atque hoc secundum est Dei proficiscentis documentum. 5 id est, rotarum versatilium, ut Propheta exponit infrà vers. 13. 6 id est, longissimè ab ea parte ubi exercita fuerat idololatria, ut [illegible] suprà cap. 8. 7 testata Christi ingredientis gloriam, ut qui Deus sit æternus & ὁμοούσιος cum Patre & Spiritu sancto. 8 nempe ut quo tempore mandabat judiciorum suorum exsequutionem, eodem Judæis testatam faceret indignationem suam, quum se ab illis tamquam destinatis exitio discessurum ostenderet hac significatione. 9 sursum versus.

5 Et

[10] gloriam Dei recipientium, & quasi applaudãdentium Christo ipsos accedenti. [11] ut sup. 1.24. [12] ut Psal. 29. & suprà 1.24. [13] regressio ad sermonem institutum suprà ℣.2. [14] ministrans Christo, ut Christus ministrat Deo Patri. [15] ut suprà 1.8. ‖ Sup. 1.15. [a] *Heb. rota una juxta Cerubinum unum & rota una juxta Cerubinum unum.* [16] descriptio visionis repetitę; qua ostendit Propheta primùm quid simile fuerit cum visione capitis primi, tribus versib. deinde quid dissimile, aut ad ampliorem evidentiam & confirmationem additum. [17] id est, spiritus Dei Cerubinos & rotas agẽs pro voluntate Dei, ut exponitur suprà 1.20. & infrà 17. translatio a re militari quia spiritus Dei dux & princeps harum copiarum est. [18] id est, omnia in omnes partes illustrabat Dei providentia, adeò ut nihil vel minimum cæco impetu ageretur. Hæc autem in parte visio hæc est gloriosior superiore: vide suprà 1.18. [b] *Heb. rore.* [c] *Heb. ipsis vocatum est orbis in auribus meis.* [19] videlicet ut orbem nostrum in quo versamur figurarent; ut suprà 1.15. Sic docet Propheta se ex Dei ipsius verbo, suprà ℣.2. rotarum significationem percepisse. [20] id est, humana quidem, sed splendidissima: qua in re hæc

5 Et sonus alarum [10] Cerubinorum audiebatur usq; ad atrium exterius; [11] quasi sonus *Dei* fortis omnipotentis [12] quum loquitur.

6 [13] Fuit autem quum præcepisset viro illi induto *vestibus* lineis, dicendo, accipe ignem ex intervallo horum orbium, ex intervallo Cerubinorum; ut ingressus ille consisteret juxta rotas.

7 Et extendens Cerub unus manum suam ex intervallo Cerubinorum ad ignem illum qui *erat in* intervallo Cerubinorum, [14] sumsit & indidit pugnis *illius* induti *vestibus* lineis: qui accipiens exivit.

8 [15] Apparebat enim in Cerubinis, forma manus hominis sub alis ipsorum.

9 [16] ‖ Tum vidi, quòd ecce quatuor *quidem* rotæ juxta ipsos Cerubinos; [a] rota una quæque juxta Cerubinum unumquemque: quarum rotarum species *erat* similis colori lapidis berylli thalassii:

10 Et species illarum quatuor *erant* similitudine una, ac si esset rota *una* in medio rotæ *alterius*:

11 Euntibus illis *Cerubinis*, in quaternas partes ipsarum ibant, non divertebant eundo; nam ad locum quò spectabat [17] ipsum caput sequebantur ipsum, non divertebant eundo.

12 Sed [18] totum [b] corpus illorum, dorsáque illorum, ac manus illorum, alæq; illorum: etiam rotæ ipsæ plenæ oculis *erant* circumquaque, ipsorum quatuor, rotarúm*que* ipsorum.

13 Hæ autem rotæ, [c] ipsæ vocatæ sunt [19] orbis me audiente:

14 Quatuor verò facies *erant animali* unicuique: facies unius facies *erat* [20] Cerubi; facies autem alterius facies hominis, & tertii facies leonis, & quarti facies aquilæ.

15 ‖ [21] Ita extulerunt sese Cerubini, hoc *est* animal quod videram ad flumen Cebaris.

16 [22] Euntibus Cerubinis autem [23] iverunt rotæ ipsæ juxta illos; & attollentibus Cerubinis alas suas ad efferendum se e terra, non divertebant rotæ ipsæ quoque [d] ab illis:

17 Consistentibus illis constiterunt, & efferentibus se illis extulerunt se cum illis; quia spiritus vitalis aderat ipsis.

18 [24] Egressa igitur gloria Jehovæ e *loco qui erat* supra limen domus, & stans super Cerubinos;

19 Quum levantes Cerubini alas suas, extulissent se e terra ante oculos meos eundo, & rotæ e regione illorum, substitit *animal ad* [25] ostium portæ domus Jehovæ primum, & gloria Dei Jisraëlis insidens illis supernè.

20 ‖ Ipsum *est* animal illud quod videram subjectum Deo Jisraëlis ad flumen Cebaris, & cognovi Cerubinos eos esse.

21 [e] Quaternæ facies unicuique, & quaternæ alæ unicuique; similitudóq; manuum hominis sub alis illorum *erat*.

22 [26] *De* similitudine denique faciei ipsorum, eadem facie quam videram ad flumen Cebaris, *erant* species ipsorum, illarúmque: quisque in tractum faciei suæ *objectum* ibant.

quoque visio a superiore differt, sup. 1.10. ‖ *Suprà 1.5. & seq.* [21] tertium Dei proficiscentis documentum; quod a dextera parte domus ubi Cerubini steterant, suprà ℣.3. progreditur ad ostiũ orientale, inf. ℣.19. vide suprà 9.3. Extulerunt autẽ sese sursum versus ad Deum Patrẽ, quum Christus, cui ministrari oportuerat, ab ipsis abiisset. [22] ut sup. 1.19. & seq. [23] videlicet ad ostium orientale domus; ut narratur inf. ℣.19. [d] *Heb. de juxta illos.* [24] ut narratum est sup. ℣.4. eò conscendisse Dominũ. [25] portam atrii maximi vel popularis extimam. ‖ *suprà 1.5.* [e] *Heb. quatuor quatuor; &c.* [26] his verbis summatim concludit Propheta narrationem suam: quasi dicat, omnino ita erant in speciem constituti Angeli & rotæ, & ita agebant, ut diximus suprà 1. si ea tantùm exceperis quæ dicta sunt ℣.12. & sequentibus.

CAPUT XI.

1 [1] Tum attollens me spiritus adduxit me ad [2] portam domus Jehovæ primam, quæ spectat Orientem versus, ubi ecce in ostio illius portæ [3] vigintiquinque viros: [a] inter quos videbam Jaazanjam filium Hazzuris, & Pelatjam filium Benajæ principes populi:

2 Dixitque mihi; [4] fili hominis, hi *sunt* viri isti qui cogitant vanitatem, & qui [b] ineunt consilium malum in hac ipsa civitate:

3 [5] Qui dicunt, non in propinquo ædificandæ *sunt* domus; hæc *urbs futura esset* olla, & nos caro [6] illa.

4 [7] Idcircò propheta contra istos; propheta, ô fili hominis.

5 Et accidente mihi spiritu Jehovæ; edixit mihi, dic, sic ait Jehova, [8] ita dicitis ô domus Jisraëlis; nam [c] eorum quæ veniunt in spiritum vestrum unumquodque ego novi.

6 Multiplicatis confossos vestros in civitate hac, & impletis vicos ejus confossis.

7 [9] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, confossi vestri quos disponitis in medio ejus, hi *sunt* illa caro, & hæc *urbs* olla ipsa *est*: [10] vos autem educam e medio ejus.

8 Gladium timetis; & gladium adducam super vos, dictum Domini Jehovi.

9 Nam educens vos e medio ejus tradam vos in manum alienorum; & exercebo contra vos judicia.

10 Gladio cadetis, in termino Jisraëlis judicabo vos; ut experiamini me esse Jehovam.

11 Hæc non est futura vobis olla, aut vos futuri in medio hujus caro; *disjectos* in terminum Jisraëlis judicabo vos:

12 Ita experiemini me esse Jehovã, quicunque in meis statutis non ambulatis, & mea jura non facitis; sed secundùm jura Gentium quæ circumstant vos facitis.

13 [11] Fuit autem me prophetante, ut Pelatja filius Benajæ moreretur: quapropter procidens in faciem meam, & exclamans voce magna dixi, aha Domine Jehovi, tu [12] consummationem

[1] Hujus capitis (quo postrema pars visionis exponitur de persequutione ruináque insensissima reliquiarum ereptarum ex clade & incendio urbis, & de bonorum liberatione) partes præcipuæ sunt tres: prima est, contestatio & sententia adversus improborum reliquias, duodecim versib. adjuncto sigillo ℣.13. secunda est consolatio bonorum usque ad ℣.22. tertia, narratio profectionis Dei derelinquentis Jeruschalaima, & confectæ visionis, quatuor ℣. ultimis. [2] de qua suprà 10.19. [3] de quibus suprà 8.16. Isti autem revertebantur a cultu quem intus Soli exhibuerant, sup. 8.16. & de opidi confirmatione agebant inter se progredientes, ut docent sequentia. [a] *Heb. in quorum medio.* [4] propositio infidorum consiliorum quæ istis subministrabant Regi Tzidkijæ, totique populo: quã via sternitur ad contestationem Prophetæ imperatam, ℣.4. & sequentibus. [b] *Heb. consulunt.* [5] hunc vers. planè aliter quàm vulgus interpretum coacti sumus reddere, tum quia hæc nativa est significatio vocum & consequutio, tum quia illorum interpretatio nititur fundamento quod omnino adversatur Prophetæ verbis, vers. 8. Nam hæc verba putant ex nimia securitate & præfidentia proficisci, quum Propheta ex contrario diffidentiam & metum exprobret. Sensus igitur est, istos Principes populi perculsos metu a Chaldæorum potentia, & diffidentia a Deo, omnem lapidem movisse ut sese adversus Chaldæos confirmarent, & populum ab auscultando Jirmeja averterent. Quapropter statuunt (quemadmodum fit in obsidionum metu) suburbana in propinquo ædificia diruenda esse, neque porrò ædificanda, ut Chaldæis obsessuris nullus sit receptus: deinde traducentes non tantùm in ludibrium, verùm etiam in quandam proditionis speciem prophetiam Jirmejæ 1.13. confirmant ita futurum esse, si sarta tecta manerent suburbana ædificia: nempe Chaldæos illorum ædificiórum ope adjutos fervefacturos esse populum Judæorum, tamquam in olla quam Jirmeja prædixerat, & costuros atque absumturos intra mœnia Jeruschalaimorum. [6] videlicet quam prædixit Jirmeja 1.13. [7] mandatum prophetiæ, ut diximus in vers. 2. qua Propheta primùm Judæos contestatur, vers. 5. & 6. deinde sententiam a Deo latam pronunciat sex sequentibus. [8] contestatio duo Judæis exprobrat, consilia nefariæ diffidentiæ, hoc vers. & maleficia, sequente. [c] *Heb. ascensiones spiritus vestri.* [9] sententia hæc blasphemias Judæorum retorquet in ipsos, & ostendit istis principibus non illud ipsum quod metuunt, sed aliquid gravius eventurum esse. Est quidem (inquit Propheta) hæc urbs velut olla, & multitudo quam vos gladio & durissima tyrannide vestra confoditis, velut caro quæ in olla ferventissima percoquitur: sed tam multi sunt confossi vestri, ut iniquum sit vos capi eadem olla; ac propterea ampliorem vobis comparavi, nimirũ terminum totum Jisraëlis, ℣.10. & 11. [10] ut sequens exegesis docet versibus quatuor. [11] sigillum prophetiæ præcedentis, ut diximus in vers. 1. quo via sternitur ad sequentem piorum consolationem. [12] id est, video te jámque manum admovere ad consummandum judicia tua, & perdendum reliquias Judæorum.

facis cum reliquiis Jisraëlis.
14 Sed fuit [13] verbum Jehovæ ad me, dicendo;
15 Fili hominis, [14] *sunt* fratres tui, fratres tui, [d] necessarii tui, & tota domus Jisraëlis, quãta quanta est; quibus dicunt habitatores Jeruschalaimorum, [15] longè abeste a Jehova, nostra est, *nobis* data est hæc terra in hæreditatem.
16 Idcircò dic, sic ait Dominus Jehovi; quòd procul abegerim eos in gentes, & quòd dispersim eos in regiones: attamen [16] sum eis sanctuarium [17] paulisper in ipsis regionibus quò venerunt.
17 [18] Idcircò dic, ita ait Dominus Jehovi; & congregabo vos ex istis populis, & recipiam vos e regionibus in quas dispersi estis: & dabo vobis terram Jisraëlis.
18 Quúmq; venerint illuc; amovebunt omnia detestabilia ejus omnésque abominationes ejus ab ea.
19 [g] Nam indam ipsis [19] cor unum, & [20] spiritum novum ponam in medio vestri: amovens, inquam, [21] cor lapideum a carne eorum indam eis cor carneum:
20 Ut in statutis meis ambulent, & jura mea observantes faciant illa: síntque mihi populus, & ego illis sim Deus.
21 At illis [22] *quorum* [e] animus obibit [f] intima detestabilia & abominationes istorum, [h] viam suam in capite ipsorum reponam, dictum Domini Jehovi.
22 [23] Deinde quum extulissent Cerubini alas suas, cum rotis e regione ipsorum; quibus insidebat gloria Dei Jisraëlis supernè:
23 [24] Ascendit gloria Jehovæ e medio civitatis ipsius; substititque super [25] montem qui *est* ab Oriente civitati.
24 Et spiritus attollens me reduxit me in Chaldæam, ad multitudinem deportatam hac ipsa visione *oblata* per spiritum Dei; quum [26] ascendisset a me visio hæc quam videbam.
25 Et eloquutus sum apud [27] multitudinem deportatam; omnia verba Jehovæ, quæ ostenderat mihi.

[13] secunda hæc pars consolatur pios duobus argumentis: primùm injuriæ nomine, quam faciebant Judæi qui in terra substiterant, piis fratribus suis deportatis, v. 15. deinde promissionibus Dei tum de restitutione fidelium & beneficio Euangelii, usque ad versum 21. tum de justo illius judicio adversus immorigeros, v. 21. [14] videlicet qui deportati sunt in Babyloniam, hi sunt (inquit Deus) quibus isti injuriam maximã faciunt, tũ quia ex præsente sua habitatione statuunt se viros bonos esse, Deo acceptos, eáque re in possessione terræ ab ipso conservatos; tum quia ex deportatione tua & aliorum judicant malè de vobis, tamquam si exosi essetis Deo; a cultu illius vos præfidẽter abdicant, & omnia sibi ipsis velut re optimè gesta adjudicãt. [d] *Heb. viri vindiciarum tuarum.* [15] ut qui ultrò prodieritis cum Jeconja, & commiseritis vos in manum Babylonii ex consilio Jirmejæ 27. ac proinde terra & cultu Dei cesseritis: hæc verba hominum insolentissimorum, & de calamitosis fratribus ex re præsente judicantium. [16] id est, etsi deportati mei carent sanctuario vestro aspectabili, & coràm illud colere nequeunt; tamen ego (qui sum veritas ipsa sanctuarii) sum præsens ipsis, & ipsi me præsentem colunt spiritu: quòd ipsius Jechezkelis, Danijelis, & aliorum exempla docent. [17] id est, ad breve illud tempus quo in deportatione mansuri sunt extra promissam terram. [18] exegesis promissionis quam modò fecit Deus, de pauco illo tempore quo populus erat mansurus in regionibus exteris. Sunt autem hæ promissiones Euangelicæ, ut tribus versibus deinceps confirmatur. [g] *infrà 36.26.* [19] id est, integrum ipsum, atque in veritate solidéque adunatum Deo & toti corpori Ecclesiæ: est enim cor studiorum & voluntatum sedes. [20] id est, renovationem Christianam spiritu mentis vestræ, ut loquitur Paulus Ephes. 4.23. [21] id est, durum atque indocile: vide 2. Corinth. 3.3. ut contrà carneum appellatur molle. [22] id est, qui se dabunt in penitissimam idololatriam, & adhærebunt istis. [e] *Heb. cor.* [f] *Heb. cor detestabilium istorum & abominationum istorum.* [h] *suprà 9.10.* [23] conclusio visionis de discessu Dei ab urbe, duobus versibus, & de reversione Prophetæ ad suos in spiritu, duobus alteris. [24] vide suprà in 9. 3. [25] videlicet olivarum, ut nominatur 2. Schem. 15.30. & Zecarjæ 14.4. [26] id est ascendens disparuisset: ut Genes. 17.22. [27] id est, tum seniores populi (de quibus suprà 8.1.) velut testes divinitus adhibitos, tum verò populum ipsum deportatum in Babyloniam.

CAPUT XII.

Deus typis & verbis Tzidkijæ regis comitiúmque nocturnam fugam, & Judæorum deportationem prædicit, & calamitates ipsis ante deportationem eventuras; ac postremò Judæorum insolentiam impunitatem sibi pollicentium retundit auctoritate verbi & juramenti sui.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 [2] Fili hominis, in medio domus
[a] rebellis consides; quibus *sunt* oculi ad videndum, nec viderunt, quibus aures ad audiendum, nec audiverunt, quia domus rebellis sunt.
3 [3] Tu itaque, fili hominis, para tibi [4] instrumenta migrationis, & migra de die ante oculos eorum: [5] quum emigraveris e loco tuo in locum alterum antè oculos eorum, [6] fortasse visuri sunt; nam [7] domus rebellis sunt.
4 Quum autem extuleris instrumenta tua ut *efferuntur* instrumenta migrationis, [8] de die ante oculos eorum: tu egreditor [9] vesperi ante oculos [10] ipsorum, [b] ut qui procedunt in migrationem.
5 Ante oculos illorum perfode tibi in muro *foramen*, per quod [11] educas *illos*:
6 Ante oculos illorum [12] super humerum portans, cæca nocte educito, [13] faciem tuã operito, ut non aspicias [14] terram hanc: nam [15] ostentum propono te domui Jisraëlis.
7 Ita igitur faciens quemadmodum jussus fueram; instrumenta mea extuli ut *efferuntur* instrumenta migrationis de die, ac vesperi perfodi mihi in muro *foramen* manu: cæca nocte educens *illos*, super humerum portavi ante oculos illorum.
8 Deinde fuit verbum Jehovæ ad me [16] manè, dicendo,
9 Fili hominis, [17] an non dixerunt tibi domus Jisraëlis, domus ista rebellis; quid facis?
10 Dic illis, sic ait Dominus Jehovi; ipsius *est* principis [c] [18] onerosa hæc prophetia *qui est* Jeruschalaimis, & totius domus Jisraëlis, qui sunt [19] illîc.
11 Dic, ego sum ostentum [20] vestrum: quemadmodum feci sic fiet illis; migratione in captivitatem [21] abibunt.
12 Nam princeps ipse qui *est* in medio illorum, super humerum portans, cæca nocte egredietur, in muro perfodient *foramen* ad [22] educendum eo: faciem suam [23] operiet, ut non aspiciat ipse oculo suo terram.
13 [24] Sed expandam rete meum contra ipsum, & capietur sagena mea; deducámque eum in Babyloniam terrã Chaldæorum, quam [25] non videbit, & [26] ibi morietur.

[1] Hujus prophetiæ tria sunt membra: e quibus primum deportationem, captivitatẽ, cladémque Tzidkijæ, & Judæorum in Judæa commorantium prædicat, usque ad v. 17. secundum ostendit mala ultimam hanc cladem proximè secutura judicio Dei, usque ad vers. 21. tertium denique confutat protervam Judæorum verba propherias ludificantium, ad finem usque. In hoc autem primo duę sunt omnino partes: typus, usque ad v. 8. & anagoge sive accommodatio typi, versibus seq. [2] hoc vers. præmunit Prophetam Deus fortitudine animi constantiáque adversus obduratas Judæorum mentes, ut audacter exhibeat typum qui imperatur versibus seq. [a] *Heb. rebellionis: sic deinceps.* [3] vide Jeschah. 6.9. & 42.18. [4] jam proponitur typus generatim, hoc vers. & speciatim enarratur, quatuor sequentibus. [5] id est, supellectilem & sarcinas tuas, ut solent migrantes. [6] hac dubitandi particula Deus Prophetam excitat, ut spe aliqua sibi facta contra spem ad typum hunc populo exhibendum adducatur. [7] q. d. quia nondum aures ipsorum meis verbis, oculive antegressis exemplis affecti sunt; sed in sua rebellione perstant; hac etiam tentandum est via, ut his rebus tam accuratè prædictis & præfiguratis evincantur. [8] videlicet ut oculati sint testes prophetiæ tuæ. [9] ut figures nocturnum Tzidkijæ aliorúmque effugium, de quo 2. Reg. 25. & Jirmejæ 39. & 52. [10] videlicet quos testes adhibueris typicæ fugæ tuæ per noctem: sic vers. seq. [b] *Heb. secundùm processus migrationis.* [11] nimirum testes advocatos, quibus repræsentatur comitatus ille qui prosequutus est fugientem Regem. [12] i. sarcinulam, qualem Rex dissimulato habitu gestaturus est ut consulat vitæ suæ. [13] i. cæcum agito, ut cæcitatem Tzidkijæ præfigures. [14] Babyloniam in qua versaris: nam Tzidkija excæcatus Riblæ, venit quidẽ in Babyloniam; sed non vidit eam. [15] vide Psal. 71.7. [16] diei illius: jam sequitur anagoge typi, ut diximus in v. 1. [17] q. d. nónne vides quantoperè obstupuerint, cùm ne hoc quidẽ typo exhibito permoveantur ad consulendum te, & cognoscendũ judicia mea: nam videtur hæc interrogatio negare potiùs hoc loco, quàm affirmare: quia deportati Judæi falsis pseudoprophetarum prædictionibus fascinabantur, ut apparet ex Jirmejæ 28. & 29. & infrà cap. 13. [c] *Heb. onus.* [18] vide Jeschah. 13.1. & Jirmejæ 23.33. & sequentibus. [19] puta in urbe Jeruschalaimorum. [20] i. vobis divinitus exhibitum ad portendendum illis deportationem; non autem vobis reversionem, quam prædicant pseudoprophetæ vestri. [21] tum Rex ipse Tzidkija, duobus versibus sequentibus, tum comitatus ejus, vers. 14. tum populares omnes, vers. 15. & 16. [22] nimirum comitatum suum secum: ut sup. v. 5. & 6. [23] i. dissimulabit se quàm diligentissimè, ne innotescat, adeò ut ne sibi quidem discedenti potestatem facturus sit inspiciendi terram: sic loquitur ratione typi. [24] i. circumveniam eum copiis Babylonicis. [25] videlicet antè captus oculis quàm eò veniat. [26] ut prædixit etiam Jirmeja 32.4. & 34.3. & seq.

14 Et omnes circumstantes eum, [d] auxiliares ejus, & [e] omnia agmina ejus dispergam in omnem ventum; & [f] gladio exserto persequar eos:

15 [27] Ut experiantur me esse Jehovã; quum sparsero eos in gentes, & dispersero eos per regiones.

16 Reliquos autem faciam ex eis homines [g] paucos a gladio, a fame, & a peste: ut enarrent omnes abominationes eorum in gentibus quò devenerint; denique ut [28] cognoscant me esse Jehovam.

17 [29] Iterum fuit verbum Jehovæ ad me edicendo,

18 Fili hominis, panem tuum in commotione comedito; & aquas tuas cũ tremore & [30] cum solicitudine bibito:

19 Posteà indices populo hujus terræ, sic ait Dominus Jehovi in habitatores *urbis* Jeruschalaimorũ, in terram Jisraëlis, panem suũ cum solicitudine comedẽt, & aquas suas cum desolatione bibent: ut [h] desolata terra illius destituatur iis quibus plena est, præ violentia omnium qui habitant in ea:

20 Et ipsæ civitates habitatæ devastentur, ac terra ipsa desolata sit; ita experiemini me esse Jehovam.

21 [31] Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,

22 Fili hominis, quid *sibi vult* proverbium istud apud vos de terra Jisraëlis, dicentiũ: [32] producentur dies illi, aut peribit omnis visio?

23 Idcircò dic eis, sic ait Dominus Jehovi, [33] facturus sum ut cesset proverbium hoc, neque utantur eo ampliùs in Jisraële: quin potiùs, dic eis, propè sunt dies ipsi, & res cujusque visionis:

24 [34] Non enim erit amplius ulla visio vanitatis, aut divinatio blandientis; in medio domus Jisraëlis.

25 Nam *ut* ego *sum* Jehova, eloquar quodcunque verbum [35] eloquuturus sum & fiet, non protrahetur *tempus* ampliùs: quum diebus vestris, ô domus rebellis, eloquar verbum, etiam efficiam illud, dictum Domini Jehovi.

26 Denique fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,

27 Fili hominis, ecce domus Jisraëlis dicunt, visio ista quam iste videt, ad dies multos *visa est*, & in tempora longinqua prophetat iste.

28 Idcircò dic eis, sic ait Dominus Jehovi, non protrahetur ampliùs *tempus* omnium verborum meorum: quod eloquutus fuero verbum, etiam fiet, dictum Domini Jehovi.

[d] Heb. *auxilium ejus.* [e] Heb. *omnes alas.* [f] Heb. *gladium exseram post eos.* [27] fines judiciorum Dei: nimirum impiorum eversio, hoc vers. & bonorum separatio ad gloriam Dei prædicandum & amplificandum Ecclesiam ejus, versu seq. [g] Heb. *numeri: ut Gen.* 34.30. [28] tum ipsi agnoscentes Deũ, tum gentes ab illis edoctæ. [29] secundum mẽbrũ prophetiæ, ut diximus in vers. 1. de malis captivitatem prædictã proximè sequuturis, quorum typus ponitur vers. 18. & anagoge, duobus seq. [30] vide suprà 4.16. [h] Heb. *desoletur terra illius a plenitudine sua.* [31] tertiũ membrum prophetiæ, quo proponitur ludibundum & blasphemum Jisraëlitarum dictum adversus Prophetas, vers. 22. & confutatur sequentibus. [32] quasi dicant, nihil ad nos istæ prophetiæ: nam aut longo pòst intervallo, aut nunquam eventuræ sunt: quæ duo rejicit Propheta ℣. seq. [33] confutatio hæc primùm veritatem Dei asserit contra Judæorũ ludibria, duobus vers. deinde confirmat juramento, vers. 25. ac postremò amplificat, reliquis. ut Exod. 33.19. [34] vide infrà 13.23. [35] id est, statuero eloqui:

CAPUT XIII.

Deus pseudoprophetas & pseudoprophetissas increpans mendaciorum nomine, quibus pacem & prosperitatem Judæis constantissimè futuram verbis Dei pollicebantur, in ludibrium traducit artes ipsorum, & ipsis, ipsorúmque operi exitium denunciat.

1 [1] DEinde fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,

2 Fili hominis, propheta contra prophetas Jisraëlis istos prophetantes: dices autem prophetis *prophetantibus* ex animo suo, audite verbum Jehovæ.

3 Sic ait Dominus Jehovi, væ istis prophetis stultissimis, [2] qui [a] sequuntur spiritum suum, & [3] quæ non viderunt.

4 [4] Similes vulpibus [5] per vastitates; prophetæ tui sunt, ô Jisraël.

5 [6] Non [7] ascenditis ad irruptiones, aut [b] obducitis sepem pro domo Jisraëlis; [8] ut consistat in bello die Jehovæ.

6 Vident vanitatem & divinationem mendacii, qui dicunt, dictum Jehovæ, quum Jehova non misit ipsos, & spem faciunt fore ut præstet [9] verbum.

7 An non visionem vanitatis videtis, & divinationem mendacii dicitis, dicentes, dictum Jehovæ, quum ego non loquutus sum?

8 [10] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, eo quòd loquimini vanitatem & videtis mendacium; idcircò ecce me contra vos, dictum Domini Jehovi.

9 Erit enim manus mea contra Prophetas istos, qui vident vanitatem & qui divinant mendacium; [11] in consilio populi mei non erunt, & in descriptione domus Jisraëlis non conscribentur, neque in terram Jisraëlis venient: ita experiemini me esse Dominum Jehovim.

10 [c] Eo quòd multis modis fecerunt ut erraret populus meus, *dicentes* pacem *esse* ubi nulla *esset* pax: [12] quúmque hic exstruit [13] luteum parietem, ecce illi obducunt ipsum [d] inepto *tectorio*;

11 Dic obducentibus ineptum *tectorium*, atqui [14] casurus est: [15] erit imber inundans, & vos ô lapides immanis grandinis casuri estis, & ventus [e] procellosissimus diffindet *eum*.

12 Quum ecce ceciderit paries iste; an non dicetur vobis, ubi *est* tectorium illud quod obduxistis?

13 Idcircò sic ait Dominus Jehovi, & diffindam vento procellosissimo in excandescentia mea: & imber inundans in ira mea futurus est, lapidésque immanis grandinis in excandescentia ad consumtionem:

14 Ita destruam parietem quem obduxeritis inepto *tectorio*, & [f] prosternam eum in terram, adeò ut retegatur fundamentum ejus; [16] eáque irruente consumemini in medio ejus, ut experiamini me esse Jehovam.

15 Sic ubi consummavero excandescentiam meam in parietem istum, & in eos qui obducunt illum inepto *tectorio*; dicam de vobis, minimè *est* paries ille, & minimè qui obducebant illum.

16 *Isti* Prophetę Jisraëlis qui prophetant pro *urbe* Jeruschalaimorum, & qui vident ei visionem pacis; quum nulla sit pax, dictum Domini Jehovi.

[1] Hujus capitis partes sunt duæ: quarum unâ Deus reprehendit & interminatur pseudoprophetis, usq; ad ℣. 17. altera, prophetissis populum Dei fallentibus, ad finem usque. Propheris autem primùm denunciat Deus maledictionem per prolepsin propter mendacia ipsorum, ℣. 3. deinde sigillatim contestatur ipsos de improbissimis ipsorũ mendaciis, usq; ad ℣. 8. tum judicia ex eo malo consequutura pronunciat, sententiã ferens & in prophetas ipsos, ℣. 8. & 9. & in totum eorum cœtum qui ipsis auscultaverint, usque ad vers. 15. ubi demum prophetia hæc concluditur vers. 15. & 16.

[2] vide Jirmejæ 14.14. & 23.9. & sequentibus. [a] Heb. *ambulant post.* [3] id est, quorum visio non est a Deo oblata ipsis. [4] vide Cantic. 2.15. [5] id est, famelicis vulpibus, quę in desertis regionibus versantur, ac proinde inedia pressæ feruntur majore impetu in prædam etiam tenuissimam: ut de prophetissis dicitur infrà vers. 19. [6] contestatio exornans superius dictum: non facitis (inquit) officium bonorum prophetarum, hoc versu; sed contrà mendacia solitis, ℣. seq. ut testis est vestra ipsorum cõscientia, ℣. 7. [7] id est, neque obsistitis Satanæ & malo irrumpenti in Ecclesiam vos ipsi, neque obstacula alia adhibetis, denique salutem populi negligentes causa perditionis ipsorum estis: venustissima allegoria a re castrensi, ut Psal. 106. 23. & 30. [b] Heb. *sepitis.* [8] id est, ut Ecclesia infracta maneat, quum Deo videbitur ipsam probare, & piis sanctisq; certaminibus exercere. [9] quod ipsi videlicet comminiscuntur & dicunt. [10] proposita litis contestatione sequitur bimembris sentẽtia, ut diximus in versum 1. [11] i. neque in Ecclesia, neque in libro vitæ comprehendentur, neque restitutionem consequentur; sed a Deo, Ecclesia, & tesseris Ecclesiæ aspectabilibus abalienati permanebunt. [c] *Heb. eo quo & eo quo, ut Levit.* 26.43. [12] elegans allegoria, qua transitus comparatur ad alterum sententiæ membrum: ita sunt (inquit Deus) pseudoprophetæ isti ut structores nequam inter se colludentes; quorum si quis lutum e plateis comportaverit, & lutacei parietis formam construxerit; omnes uno consensu advolant, & operam suam consumunt in colendo & ornando falso pariete: ita exstruunt illi, ac potiùs destruunt Ecclesiam Dei, quorum fuerat ascendere ad irruptiones, & firmam sepem obducere, sup. ℣. 5. [13] Hebræam vocem ex etymo ita accipimus, pro pariete qui ex luto materiáq; per plateas jacente efformatur. [d] *Heb. insulso: sic deinceps.* [14] i. ruiturus omnibus modis: qui sequentibus verbis similiter per allegoriam exprimuntur conjunctã ironiæ. [15] i. inundabit imbre, grandine, vento, & modis omnibus Deus in opus vestrũ, & labefactabit totum. [e] *Heb. procellarum: sic* ℣. 13. [f] *Heb. faciam ut pertingat.* [16] videlicet excandescentia vel æstu iræ meæ, qui nominatus est vers. 13. nam eò referri commonstrat mutatio generis.

17 [17] Tu quoque, fili hominis oppone faci-
em tuam filiabus populi tui quæ prophetissas a-
gunt ex [g] animo suo; & propheta contra eas,
18 Dicens, sic ait Dominus Jehovi, væ [18] cō-
suentibus pulvillos pro omnibus axillis [h] brachi-
orum *populi* mei, & parantibus [19] consibulas pro
capite cujusque staturæ ad venandum animas:
[20] animas venamini in populo meo, & animas
[21] vobis vivas conservatis:
19 Et prophanatis me apud populum me-
um [22] pro pugillis hordei, & frustulis panis; mor-
te afficiendo animas quæ non morerentur, &
[i] victuras prædicando animas quę non sunt vic-
turæ: mentiendo apud populum meum, qui au-
scultant mendacio.
20 Idcircò sic ait Dominus Jehovi, ecce me
contra pulvillos vestros quibus vos [23] illic vena-
mini animas [24] *abductura* in floralia, & lacerabo
illos a brachiis vestris: & dimittam animas qui-
bus vos in floralia *abducentes* venamini animas
virorum:
21 Et lacerabo consibulas vestras, ut eripiam
populum meum e manu vestra, neq; sint ampliùs
in manu vestra [k] prædæ: ita experiemini me es-
se Jehovam.
22 [25] Eo quòd atterunt animum justi [l] falsò,
quem ego non eram affecturus dolore; & confir-
mant manus improbi, ut non revertatur a via
sua pessima ut in vita conservem eum:
23 Idcircò [26] vanitatem non estis visuræ, &
divinationem non divinaturæ ampliùs; sed eri-
piam populum meum e manu vestra, & experie-
mini me esse Jehovam.

[17] hujus prophetię quā Deus Jechezkeli imperat hoc vers. partes sunt totidem, quot in superiore diximus: prolepsis sive propositio summa, vers. 18. contestatio, vers. 19. & sententiæ dictio, sequentibus. [g] *Heb. corde: sic* ℣. 22. [18] pseudoprophetissas his verbis Propheta figurat a ritu ipsarum duplice: nam quum vellent ipsæ quietem, eámq; firmissimam & immotam Judæis significare, pulvillos assuebant, velut quietis cōstantissimæ typos: & capitia pro omni sexu ac ætate confingebant certis loris, fibulis, aut consimilibus adstricta; ut figurarent populum certissimè protegi & constantissimè divina ope, nunquam fore ut defensio hæc ab ipsis cessaret. Atque his modis populum fallebant, vitæ suæ falsis artibus consulebant, & Dei nomen dedecorabant adhibentes prophetiis suis, atque impiè blasphemabant. [h] *Heb. manuum mei.* [19] Hebræa vox universè (ut ipsius etymon ostendit) significat ea quibus res constringuntur atque adhærescunt: ut sunt fibulæ, lora, harpedonæ, unci, pedes quos jureconsulti vocant, offendices, & si quæ sunt hujusmodi: quamobrem vocem latè patentem ad exprimendam utcunque illius vim adhibuimus. fortè etiam tiaras sive (ut propriè vocat Livius) apices commodè reddideris. [20] contestatio; id est, an dispendio vitæ animarúmque populi mei oportet vos victum quærere sceleratissimè? allegoria. [21] id est, quum utile vobis futurū est, eis pronunciatis vitam. [22] id est, pro re tenuissima, adeóque nihilo: ut Micæ 3.5. [i] *Heb. vivificando.* [23] videlicet in Judæa, ubi prophetissæ tenueis Judæos explebant spe, & exhauriebant domos. [24] id est, ut eas abducatis in hortos vestros floribus consitos & in lucos vestros ubi sunt lupanaria ad perditionem animarum constituta. Ejusmodi hortos floralia appellari testis est Varro lib. 1. de re rust. cap. 23. [k] *Heb. venationi.* [25] conclusio summa prophetiæ. [l] *Heb. falsitate.* [26] id est, perituræ estis; noēma, ut suprà 12. 24. pro eo quod est, non eritis ampliùs; nedum ut vanitatem videatis & prophetetis populo.

CAPUT XIIII.

Deus Seniores Jisraëlis Prophetam accedentes impietatis arguit; docet neque illis, neque Judæis ampliùs responsurum esse, nisi increpationes & minas; ac postremò sententiam fert irrevocabilem de gladio, fame, peste, bestia, & captivitate durissima.

1 [1] DEinde quum venientes ad me quidam
[2] e Senioribus Jisraëlis, sederent co-
ram me:
2 Fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo;

[1] Hujus capitis præter inscriptionem (quæ duobus versib. continetur) propheticæ partes sunt duæ: prior est propositio impietatis Judæorum, & judiciorum Dei contra illos & Prophetas illorum, usque ad vers. 12. posterior, propositio decreti irrevocabilis, ad finem usque. [2] plerique omnes ex deportatorum numero hos Seniores fuisse putant, neque repugnamus valde: sed tamen videtur potiùs ex prophetiæ argumento statuendum esse hos fuisse liberos, ac non deportatos, qui ad Judææ regnum adhuc pertinuerint, & cum legatione Tzidkijæ venerint in Babyloniam: ut solent legatis Seniores consiliarii, & viri auctoritate, ingenio, scientiáque præstantes adhiberi. Legationem autem ante hæc tempora fuisse a Tzidkija missam in Babyloniam, ut fiduciario Rege apparet ex Jirmejæ 51.59.

3 [3] Fili hominis, [4] viri isti induxerunt ster-
coreos deos suos in [a] animum suum, & offendi-
culum iniquitatis suæ positum habent e regione
faciei suæ: [5] an [b] ullo pacto consulor ab eis?
4 [6] Idcircò alloquere eos, dicens eis, sic ait
Dominus Jehovi, [c] quisquis e domo Jisraëlis in-
duxerit stercoreos deos suos in animum suum,
offendiculum iniquitatis suæ positum habens e
regione faciei suæ, & venerit ad Prophetā: [7] *ut*
sum Jehova, responsabo ei eodem *tempore* [8] de
multitudine stercoreorum deorum ipsius:
5 Ut reprehendam domum Jisraëlis [9] in a-
nimo ipsorum; quòd averterint se a me, adhæsu-
ri stercoreis diis suis omnes.
6 [10] Idcircò dic domui Jisraëlis, sic ait Do-
minus Jehovi, convertimini, & avertite *animos* a
stercoreis diis vestris; avertite, inquam, ab om-
nibus abominationibus vestris faciem vestram.
7 Nam quisquis e domo Jisraëlis, aut ex pe-
regrinis qui peregrinantur in Jisraële, averterit
se [d] a sequendo me, inductis stercoreis diis suis
in animum suum, & offendiculum iniquitatis suę
positum habuerit e regione faciei suæ: quum ve-
nerit ad Prophetam ut consulat per eum me; *ut*
sum Jehova, responsabo ei per me,
8 Et opponens iratam faciem meam viro
isti, ponam eum in [11] signum & in [12] parabolas,
denique exscindam eum e medio populi mei; ut
experiamini me esse Jehovam.
9 Ipse autem Propheta quum pellectus fue-
rit ut eloquatur [13] verbum; ego Jehova [14] pel-
lexero Prophetam ipsum: & extendens manum
meam contra ipsum, perdam ipsum e medio po-
puli mei Jisraëlis.
10 Ita ferent [e] pœnam iniquitatis suæ; æquè
pœna consulentis, ac pœna Prophetæ erit.
11 Ut non aberrent ampliùs domus Jisraëlis
a sequendo me, & non polluant se ampliùs om-
nibus defectionibus suis; sed sint mihi populus,
& ego sim eis Deus, dictum Domini Jehovi.
12 [15] Iterum fuit verbum Jehovæ ad me, di-
cendo,
13 Fili hominis, quum regio peccaverit mihi
prævaricādo prævaricatione, & extendens ma-
num meam contra illam fregero illi scipionem
panis: denique immisero in eam famem qua ex-
scindam ex ea homines & jumenta:
14 [16] Etiamsi essent hi tres viri [f] in ea, Noach,
Daniel, & Ijob; ipsi cum justitia sua eriperent
[g] [17] se ipsos, dictum Domini Jehovi.

[3] priore hac propositione cōtinentur duo: hypothesis, quæ materia est sive occasio totius prophetiæ, hoc vers. deinde thesis, sive prophetia generatim & ad Judæos omnes, & ad hos qui coram erant sermonem Dei accommodans. [4] id est, totum animum suum addixerūt idololatriæ, & adhuc iniquitatibus suis immersi sunt: qua fronte, obsecro, audent isti comparere in conspectu meo ad consulendum me? indignissimum est me ab istis vel momento uno appellari, qui me non consulunt ex animo: sed suis studiis dum cōsultores agunt coram te, indesinenter traducuntur: vide infrà 20. 4. [a] *Heb. cor: sic deinceps.* [5] vel, an ullo pacto expositus essem eis? puta qui me non proponunt sibi ante oculos suos. Hoc sensu accipitur Hebræum verbum Jeschaji. 65. 1. [b] *Heb. consulendo.* [6] thesis, ut diximus in præcedentem versum: cujus argumentum summum ponitur duobus versib. deinde verò ἐργασία sive exornatio illius, usque ad vers. 12. [c] *Heb. vir vir e domo Jisraëlis, qui ind. &c. sic* ℣. 7. [7] jurantis verba, ut multa hoc cap. exstant ad confirmationem dicti. [8] id est, non de illis rebus quas rogaturus est; sed de hoc uno argumento, quod exponitur seq. versu. [9] id est, verberem & evincam, velint nolint, ipsorum conscientias impietatis suæ. [10] ἐργασίας membra sunt hæc: revocatio ad resipiscentiam, hoc vers. interminatio contra obnitentes tum populares, tum pseudoprophetas, quatuor sequentibus, & judiciorum finis, vers. 11 [d] *Heb. a post me: sic vers.* 11. [11] id est, tum anteacti judicii monimentum, tum demonstrationem justorum judiciorum Dei eventurorum immorigeris, ut loquitur Apostolus 2. Thess. 1. 5. [12] ex interminatione Deuter. 28. 37. [13] videlicet quod illi postulaverint, ad voluntatem prophetans ipsis. [14] id est, quemadmodum avis imprudens pellicitur esca, ita effecero ut iste perfidus & nequam pelliciatur ipsis muneribus donariisque consulentium: sed tandem quoties commodum videbitur, ut auceps plagarum funes retrahens aut piscator retium peridromidas, ita inclinans manum meam intercipiam ipsum. [e] *Heb. iniquitatem: sic sequentia: ut Gen. 4. 13* [15] secunda pars prophetiæ, qua Deus nunc demum recusantibus Judæis pedem referre ab idololatria & suis iniquitatibus, sententiam fert irrevocabilem, primùm de quatuor plagis pronunciatis lege, usq; ad versum 21. deinde verò de funestissima captivitate & reliquiarum salute ex promissionibus Evangelii, ℣. reliquis. [16] hypothetica denunciatio, ut Jirm. 5. 1. q. d. Propheta, si intercederent homines mihi acceptissimi, & in quibus edidi hactenus documēta spectatissima misericordiæ, non tamē duceret misericordia. In his enim tribus fuerunt illustrissima gratiæ divinæ exempla: cùm Noach ex cōmuni diluvio, Ijob ex gravissimis post omnem hominū memoriam calamitatibus, & Daniel ex communi sapientū cæde ereptus atq; evectus sit. [f] *Heb. in medio ejus.* [g] *Heb. animā suā: sic deinceps.* [17] solùm, ut seq. exprimitur.

15 Si bestias malas transmisero in terram or-
baturas eam; adeò ut sit [h] desolatissima absque
transeunte propter illas bestias;
16 Tres viri isti in ea, *ne* vivam ego, dictum
Domini Jehovi, si filios aut si filias eriperent;
ipsi se solos eriperent, terra autem esset desola-
tissima.
17 Aut *si* gladium induxero in regionem il-
lam; edixeróque, gladius pertranseat terrã, quo
exscindam ex ea homines & jumenta:
18 Etiamsi tres viri isti *essent* in ea, *ut* vivo ego,
dictum Domini Jehovi, non eriperent filios aut
filias; sed ipsi se solos eriperent.
19 Aut *si* pestem immisero in terram illam;
effundens excandescentiam meam super illam
[i] [18] ad cædem, ad exscindendum ex illa homines
& jumenta:
20 Etiamsi Noach, Daniel, & Ijob *essent* in ea,
ne vivam ego, dictum Domini Jehovi, si filium
aut filiam eriperent; ipsi cum justitia sua eripe-
rent seipsos.
21 [19] Nam sic ait Dominus Jehovi, etiã quum
quatuor judicia mea hæc pessima, gladium, ac
famem, bestiásq; malas, & pestem immisero con-
tra *urbem* Jeruschalaimorum; ad exscindendum
ex ea homines & jumenta:
22 Si ecce [k] reliqui fient in ea qui evadant,
qui educantur, filii aut filiæ; ecce ipsi [20] proce-
dent ad vos, ut videatis [21] viam ipsorum, & ac-
tiones ipsorum: & [22] consolemini *ipsos* in malo
quod induxero contra *urbem* Jeruschalaimorum
in omnibus quæ induxero contra eam.
23 [23] Et consolationi erunt vobis, quum vi-
deritis viam eorum & actiones eorum: ut agnos-
catis me non immeritò fecisse quæcunque fece-
ro in eam, dictum Domini Jehovi.

h *Heb. desolatio: sic vers. seq.* i *Heb. pro sanguine: ut suprà* 5.17. 18 id est, pestis certissimam & præsentissimam mortem afferens. 19 alterũ membrum denunciationis, de captivitate accessura ad superiores plagas; ut diximus in versum 12. k *Heb. reliqua fiet in ea evasio.* 20 id est, in deportationem vobiscum venient: sed longè aliter instituent res suas quàm rebelles isti, nempe in resipiscentia & fide in Christum. 21 id est, justam mercedem anteactæ vitæ eorum, qua tam protervè abutuntur ad blasphemandum nomen meum, & ludificandum; ut dicitur suprà 11.15. 22 i. annunciatis promissionibus Euangelii ex peccatorum conscientia & malorum acerbitate ad certam fidem & conscientiam promissionum & gratiæ Dei erigatis. 23 id est, tandem id assequentur ut erecti fide & certiores facti de gratia Dei & salute sua vos ipsos attonitos ad gravitatem judiciorum Dei quibus pressi fuerint consolentur.

CAPUT XV.

Deus typo & sermone Judææ toti exitium denunciat, propter peccata & contumaciam ipsius.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 Fili hominis, [2] quid *est* lignum vi-
tis præ omni ligno? *quid præ* putato ramo qui *est*
in lignis sylvæ?
3 An sumitur ex illo lignum ad aptandum
operi? [a] an assumitur ex illo paxillus ad appen-
dendum ei ullum instrumentum?
4 [3] Ecce igni traditur in escam, quum duas
extremitates ejus consumserit ignis, & medium
ejus ustulatum fuerit, an proderit ad opus?
5 Ecce quum esset integer, non aptabatur
operi; quantò igitur minus quum ignis consum-
sit ipsum & ustulatus est, aptaretur adhuc operi?
6 [4] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, quem-
admodum *est* lignum vitis inter ligna sylvæ, quod
trado igni in escam: ita traditurus sum habitato-
res Jeruschalaimorum.
7 Nam opponam faciem meam iratam eis,
[5] quum ab uno igne exiverint, alter ignis con-
sumet eos: ut cognoscatis me esse Jehovam,
quum objecero faciem meam iratam eis:
8 Exponámque terram ipsam desolationi;
eò quòd prævaricantur prævaricatione, dictum
Domini Jehovi.

1 Hæc prophetia velut præcedentium corollarium est, continens typum, versib. quatuor sequentib. & anagogen illius propheticam, tribus ultimis. 2 typus Judæorum in Judæa adhuc commorantium. quasi dicat, quid est in istis hominibus cur se ipsi faciant tanti, aut ego ad parcendum ipsis amplius adducar? imò verò (inquit sequentib.) ut modò se habent, sunt isti omnium hominum indignissimi. a *Heb. assumunt, impersonaliter.* 3 id est, sarmentum exsectum non potest, ut ut sit integrum, ad ullum opus accommodari; sed cogitur & in ignem abjectum uritur, ut Joan. 15.6. posteà verò sequitur comparatio minoris exposita V.5. 4 anagoge sive accommodatio typi, ut diximus in versum 1. 5 i. ignis prodiens ab ira Dei indesinenter ardebit; & qui ab uno evaserit, deprehendetur & consumetur altero; quemadmodum superioribus prophetiis omnibus indicatum est, inde a capite 5.

CAPUT XVI.

Deus gentem Judæorum increpans narrat illius historiam specie puellæ expositæ & in morte versantis, donec ipse misertus curavit, educavit, duxit, purgavit, & ornavit eam: deinde ingratissimi animi crimina exprobrat, scortationis cum idolis gentibúsque exteris, ac inhumanissimæ liberorum cædis: propterea sententiam fert in eam tamquam homicidam & adulteram, mortis ignominiæque æternæ: & reliquiis exponit promissiones Euangelicas.

1 [1] ET fuit verbum Jehovę ad me, dicendo,
2 Fili hominis, notas fac [2] *urbi* Je-
ruschalaimorum abominationes ipsius,
3 Dicens, [3] sic ait Dominus Jehovi *urbi* Je-
ruschalaimorum, [4] commercia tua, adeóq; [5] ge-
nituræ tuæ *sunt* e terra Cenaħanæorum; *quasi*
[6] pater tuus *sit* Emoræus ipse, & mater tua Chit-
thæa.
4 [7] Nam *ad* genituras tuas, [8] quo die genita
fuisti, [9] non fuerat præcisus [10] umbilicus tuus, &
[11] aquis non eras lota [12] [a] quum aspexi te: neque
[13] sale fueras condîta, nec fasciis eras fasciata.
5 [14] Non pepercerat tibi oculus, ut faceret

1 Hujus capitis (quod perpetua allegoria exprimit Dei administrationem erga Judæos & Jeruschalaima) præter inscriptionẽ duobus primis versib. comprehensam, partes omnino sunt tres: prima est narratio allegorica ex comparatione spiritualis conjugii inter Deum & Ecclesiam Judæorum, usque ad V.35. secunda est sententia Dei Ecclesiam veterem, velut perfidissimam conjugem, repudiantis & flagellantis gravissimè, usque ad V.60. postrema, est promissio redintegrandi federis & connubii sacri cum electis reliquiis, quatuor versib. ultimis. 2 id est, Judææ synecdochicè: nam Jeruschalaimis sedes erat Ecclesiæ, & regni caput: sic deinceps. 3 hujus narrationis prolepsis sive propositio summa hoc vers. continetur. Sunt enim duo illius membra hîc singulis vocibus expressa: unum est genituræ, quæ exponitur a vers. 4. ad 13. alterum verò commercii & conversationis, usque ad vers. 35. quæ duo hoc versu posita ὕστερον πρότερον deinceps explicantur. 4 i. conversatio tota, synecdochicè. 5 id est, ortus, curatio, educatio, & institutio prima: nam hoc genus synecdoches frequentat scriptura sacra, ut Genes. 3.16. & 1. Tim. 2.15. 6 id est, si patre Abrahamo essetis, faceretis opera Abrahami; sed degenerastis ab illo, & in familiam Cenaħanæam malitiosè transivistis: quin imò ita obfirmati estis in vestris iniquitatibus, ut si patre Emoræo & matre Chitthæa essetis orti: sic infrà V.45 q. d. ista non ascita est, sed hæreditaria & nativa malitia vestra. 7 prius hoc narrationis membrum per antithesin exponit duo; nimirum statum calamitosum miserúmq; Gentis ex Abrahamo ortæ, donec educeretur ex AEgypto, usque ad vers. 6. & beneficia ornamentáque a Deo in gentem collata, versibus seq. In hac autem narratione tota gens cum corpore unico comparatur, & status ejus cum infantis recèns in lucem prodeuntis statu, ac paulatim per sua incrementa provehentis. 8 id est, quum in hanc lucẽ venisset, & hac vita uteretur Abraham progenitor gentis vestræ, ex quo velut trunco gens propagata est. Nam ut ad hæc tempora procul referamus, adducimur tum Prophetæ ipsius narratione, tum verbis Jehoschuħæ 24.2. & sequentib. tum historiæ fide: maximè quum iniquum sit ortum, educationem, augmentum, & cætera quæ deinceps ponuntur, ad unicum tempus referre captivitatis in AEgypto, & tempora (quæ accuratissimè Propheta ubiq; observat) confundere. 9 i. a natura in morte, in sordibus peccatorum, infirmitate, & vanitate eras: quæ omnia allegoricè significantur verbis sequentibus. 10 id est, longum illud intestinum ab utero matris pertinens ad umbilicum fœtus, quo dum in utero est vivit fœtus: synecdoche. Nam hoc intestinum in fœtu continet omnia vitæ instrumẽta, venam umbilicalẽ ad alimoniam, arterias duas ad respirationẽ, & οὐραχὸν ad exsudanda fœtus excrementa. Hoc autem intestinum nisi præciditur, matri & infanti lethale est; nisi resectum curatur, est exitiosum partui, quia totum profundit sanguinem & exhalat spiritum meatu illo. 11 i. ut cui non sunt ablutæ sordes recèns in lucẽ edito, ita jacebas in sordibus peccati; ut ostenditur Jehosch. 24. 12 quantopere se torqueant interpretes in hac voce explananda nihil attinet dicere; nos verò eam non Chaldæorum, sed Hebræorũ vocem esse confirmamus, pro certo habentes Deum his verbis loqui humanitus: ut infrà V.6. & 8. & seq. a *Heb. ad aspectum meũ: similẽ loquutionem vide Gen. 30.30.* 13 quo aqua macerato lavari infantem præcipiunt medici, tum ad callum obducendũ umbilico, totiq; cuti, tum ad interiores partes confirmandas, & decoquendos absumendósq; humores pravos: quibus omnibus utilem esse hanc perfrictionem docent Galenus & Avicenna. 14 i. a nemine curata fueras, ac potius non poteras curari sine me, sed in peccatis tuis fuisses mortua: tanta est naturæ humanæ infirmitas. Sed hęc allegoricè dicta prudenter accommodanda sunt veritati: non enim propterea concedit Deus humanã infirmitatem ab homine curari posse; sed ita sentit incurabilem fuisse prorsus a natura hominem, atque tanta fœditate ut rebus omnibus creatis fastidio esset, nedum ab ulla earum rerum curaretur.

[b] *Heb. animæ tuæ.*
[15] jam sequitur narratio beneficiorum Dei, ut diximus in versum 4. qua gradatim exponuntur rationes federis a Deo cum Ecclesia initi & suo ordine præstiti, primùm quidem collata vita, hoc ✠.ex qua propagatio & incrementum Ecclesiæ promanasse dicuntur, versu seq. deinde ornamenta vitæ ex liberatione, & conjugium sacrum, ✠.8.& sequentibus.
[16] id est, expositam morti, malisque omnibus ad mortem: nam ea conditione fuisse Abrahamum cum cæteris usque dum a Deo vocatus esset, Genes. 11. suprà ostendimus.
[c] *Heb. in sanguinibus tuis: sic in sequentibus.*
[17] id est, virtute verbi promissionúmque mearum te a morte præsentissima liberavi,in qua æquè versabaris ac infans cujus profluit umbilicus; & nihilominus vitam dedi tibi.

tibi unum ex istis,clementia utendo erga te : sed
projecta fueras in superficiem agri cum fastidio
[b] tui,quo die genita fuisti.
6 [15] Transiens autem juxta te, quum viderem te [16] præbentem conculcandam te [c] in sanguine tuo; [17] dixi tibi, [18] in sanguine tuo vive,
[19] iterúmque dixi tibi, in sanguine tuo vive.
7 [20] Copiosam ut germen agri reddidi te, adeò ut creveris & adoleveris pervenerísque
[21] [d] ad summum ornatum : ([22] ubera *tua* [e] sororiaverant, & pilus tuus germinaverat) [23] quamvis esses [f] nudissima & retectissima.
8 [24] Quapropter transiens juxta te, quum viderem te, quòd ecce tempus tuum [25] tempus amorum esset, [26] expandens alam *vestis* meæ super te, operui nuditatem tuam: juránsque tibi
[27] conveni tecum in fedus, dictum Domini Jehovi, [g] [28] ut nuberes mihi.
9 [29] Itaque [30] lavi te aqua, ut inundans *eluerem* sanguinem tuum a te; & [31] unxi te unguento:
10 [32] Vestiénsque te versicoloribus, calceavi te [h] melinis; & accingens te xylino, operui te serico:
11 Et ornavi te ornatu; indens armillas manibus tuis, & torquem collo tuo:
12 Apposui etiam monile supra nasum tuum, & inaures auribus tuis; coronámq; ornatus capiti tuo.
13 [33] Et ornasti te auro & argento, vestimentúmque tuum fuit xylinum & sericum, ac versicolor, similam & mel oleúmque comedisti; denique pulcra fuisti [i] supra modum, & prosperata in regno:
14 Adeò ut prodiret de te [34] [k] fama in gentes propter pulcritudinem tuam; quia perfecta erat,

[18] id est, utcunque in peccatis tuis demersus sis & a natura mortuus, tamquam infans exhausto sanguine. [19] id est, non semel, sed sæpius repetitis promissionibus confirmavi : ut Genes. 12. & 13. & 15. & 17. & sequentibus. [20] quasi dicat, multiplicavi gentem tuam præter naturæ ordinem & exspectationem omnium, dans Abrahamo & Saræ emortuis Jitzchakum, Jitzchako binos liberos ex uxore sterili, Jahakobo duodecim filios, ex quibus deinceps innumera populi multitudo propagata est in AEgypto, quamvis obnitentibus AEgyptiis. [21] id est, pulcritudinem & speciem omnium elegantissimam, cujus causam vide Deut. 7.7. & 8. [d] *Heb. ad ornatum ornamentorum.* [22] id est, quasi pubes effecta eras, nubilis, & apta viro : quod hîc duobus signis exprimitur. [e] *Hebr. constituta fuerant.* [23] id est, non propter ullam elegantiam aut bonum quod inesset in te visa es mihi ad summum ornatum pervenisse, & perplacuisti mihi; sed propter unicum amorem meum ex consilio & electione gratuita: ut Deut. 7. [f] *Heb. nuditas & retectio: sic vers. 22. & 39.* [24] jam venitur ad conjugium sacrum initum cum Ecclesia Jisraëlitarum, quo tempore liberata fuit a servitute AEgypti, & donata tabulis federis, ut diximus in ✠.6. [25] id est, tempus justum quo conjugareris mihi, ut prædictum fuerat Abrahamo Genes. 15. 13. [26] id est, te uxorem ducens, & agens virum ac servatorem tuum : vide Ruth. 3.9. quamobrem sequentia verba sunt exegetica hoc vers. [27] vide Exod. 19. & 24. [g] *Heb. fuisti mihi* uxor. [28] id est, vicissim in fedus convenires mecum, ibidem. [29] expositio beneficiorum ex connubio acceptorum a Deo; quorum partes sunt duæ, sanctificatio a sordibus peccatorum, & communicatio omnium bonorum : quæ deinceps exponuntur usque ad vers. 13. [30] alludit ad ritum legis Levit. 15. 28. pro eo quod est, plenissimè mundavi & purgavi te. [31] id est, ornavi unctione spiritus, per cujus regenerationem restituta es elegantiæ tuæ, sic Reges olim curabant suas conjuges comparari, ut est in historia Esther. [32] id est, instruxi te rebus omnibus tum ad necessitatem tum ad voluptatem pertinentibus, gratiam tibi gloriámque summam indidi, denique regina effecta es conjugio meo. Hæc autem inde a liberatione cœpta pertinent ad tempora Schelomonis usque. [h] *Heb. melis, id est, pellibus melium: ut Exod.* 25. 5. [33] altera pars narrationis, de commercio sive conversatione indignissima Ecclesiæ veteris, ut diximus in versum 3. cujus prolepsis sive propositio summa est versibus quinque; deinde exornatio, usque ad vers. 35. ac in prolepsi quidem ad amplificationem pertinent duo versus, quibus Deus summatim commemorat amplitudinem beneficentiæ suæ in Ecclesiam; deinde verò duplicem abusum beneficiorum exprobrat: unum, quòd cum gentibus exteris scortata sit, vers. 15. alterum quòd cum diis alienigenarum, versum 16. & 17. quæ duo membra posteà ὕστερον πρότερον explicantur. [i] *Hebr. ad valde valde.* [34] de qua 2. Schemu. 8, 13. & 1. Reg. 4. 30. [k] *Heb. nomen.*

[l] propterea quòd majestatem meam imposuissem tibi, dictum Domini Jehovi.
15 Tum confisa pulcritudini tuæ scortata es
[35] cum nomine tuo, & profudisti scortationes tuas omni [m] viatori, illi fuit *pulcritudo tua.*
16 Etiam sumens de vestibus tuis, parasti excelsa tibi [36] latis maculis interstincta, ut scortareris ad ea; *scortationibus* [37] non eventuris *porrò,* & *cujusmodi* non erit.
17 Et sumens instrumenta ornatus tui ex auro meo & ex argento meo quæ dederam tibi, fecisti tibi imagines masculi; ut scortareris cum eis.
18 [38] Capiens enim vestes versicolores tuas operuisti illas; & unguentum meum suffitúmque meum proposuisti illis;
19 Cibum quoque meum quem dederam tibi, similam & oleum ac mel *quibus* cibabam te, hoc proposuisti illis in odorem [n] gratum, [39] & fuit: dictum Domini Jehovi.
20 [40] ‖ Præterea sumés filios tuos & filias tuas quas pepereras mihi, hos mactasti illis [41] consumendos: [42] ‖ an minus *hoc* fornicationibus tuis?
21 Jugulavisti inquam [43] filios meos & exposuisti eos, traducendo eos illis.
22 [44] Et cum omnibus abominationibus tuis, & scortationibus tuis non es recordata dierum pueritiæ tuæ; [45] quum esses nudissima & retectissima, præbens te conculcandam in sanguine tuo:
23 Sed fuit post totam malitiam tuam (væ væ tibi) dictum Domini Jehovi,
24 Ut [46] exstrueres tibi fornicem, & faceres tibi suggestum in omni platea,
25 Et in omni capite viæ exstructo suggesto tuo, abominandam redderes pulcritudinem tuam, divaricans pedes tuos omni viatori: denique
[o] plurimùm scortata es.
26 Scortata enim es [47] cum [p] Ægyptiis vicinis tuis [q] [48] torosis; & quidem plurimùm scortata es ad provocandum me.
27 [49] Quúmque ecce extendens manum meam contra te [50] diminuerem demensum tuum;
& traderem te [r] desiderio odio habentium te
[s] [51] Pelischthæarum, [52] quæ confusæ erant

[l] *Heb. propter majestatem meam quam imp. trajectio.*
[35] id est, apud te cum rebus tuis ipsius, quæ erant nominatissimæ. quod totum inde a temporibus Schelomonis per trecentos nonaginta annos fuisse factum historiæ sacræ testantur, & Deus per prophetam exprobravit sup. 4.5.
[m] *Heb. transeunti: sic* ✠.25.
[36] id est, pantherina, ut veteres appellarunt; quæ non emblemate vermiculato aut parvulis maculis insignita essent (nam hæc non ita evidenter e longinquo discernuntur) sed latis plagis & tesseris colorata; quæ melius e longinquo spectantur, & velut signa sunt ad provocandos amatores.
[37] id est, horrendis, insolentibus, atque inauditis.
[38] exornatio proximè præcedentis membri in prolepsi, de insano Jisraëlitarum studio in idololatriam, per ὑστερον, quam diximus suprà vers. 13. qua continentur duo crimina; unum, de rebus omnibus ad idôla translatis, duobus vers. alterum, de filiis oblatis inhumanitate & impietate summa, duobus alteris. [n] *Heb. quietis: ut Genes.* 8. 21. [39] illis puta in odorem gratum. [40] alterum crimen, ut modò diximus : de quo si quis multa volet cognoscere, legat Eusebium sub finem lib. 2. de præparatione Euangelica. Interdictum autem disertè habetur Levit. 18.21. & 22.& sequent. ‖ *2. Reg. 16.3. & 17.17. & 21.6.* [41] igne videlicet, ut a rege Moabitarum factum est, 2.Reg 3.27. [42] quasi dicat, hoc verò facinus altero est longè indignius, & me adhuc amplius afficit, quòd exposuisti eos idôlis qui federe erant mei. ‖ *suprà 6. & 7.* [43] id est, ipsos quoque primogenitos : vide infrà 20.26. [44] exornatio prioris membri prolepseos, de federibus procuratis & junctis cum his & illis gentibus promiscuè, omissa fide & veritate promissionum Dei, & totius conjugalis federis ratione. [45] id est, jam olim futurum fuisse ut nulla esses, nisi cepissem de te misericordiam; & quod nunc superstes sis, id a me uno gratiosè profectum esse. [46] id est, omnia comparares quæ ad commoditatem tuæ scortationis putabas pertinere, ut palam faceres te prostibulum esse impurissimum, & te oculis omnium obtruderes: quod generatim exprobratum hoc & seq. versu. deinde minutatim explanatur, tum nominatis gentibus quæ ad scortationem hanc fuerant adductæ, versibus quatuor; tum expresso hippomane quo in scortationem istam exarserunt Jisraëlitæ, vers. 30. & quatuor sequentibus : vide similia Jirmejæ 2. & sequentibus [o] *Heb. multiplicasti scortationes tuas : sic deinceps* [47] ut factum est temporibus Chizkijæ Jeschah. 30. & 31. deinde Jehojakimi & Tzidkijæ, 2. Reg. 24. & 25. contra mandatum Dei, Deut. 17.16. [p] *Heb. filiis AEgypti.* [q] *Hebr. magnis carnis: euphemismum, ut Levit.* 15. 3. [48] sic pergit in allegoria, & designat accuratissimè Jisraëlitarum libidinem, ut infrà 23. 20. [49] transitio ad secundos amatores, videlicet Assyrios; in quorum fidem Achaz se contulit propter immissas a Deo castigationes : vide 2. Reg. 16.7. & 2. Chronic. 28. [50] ex comminatione Levit. 26.20. & Deut. 28. 23. & 33. [r] *Heb. animæ: ut Psal. 27.12.* [s] *Heb. filiarum Pelischthæarum.* [51] vide 2. Chron. 28. 18. & Jeschah. 15. [52] id est, quas etiam pudebat maleficiorum tuorum, licet projectæ essent ad omnem impuritatem, adeò fuerunt turpia & gravia scelera tua : vide Jirm. 2. 33.

propter

propter viam tuam [t] ſceleratam:
28 Scortata es cum Aſſyriis, eò quòd non
ſatiareris: ſed ſcortata *cum* eis ne ſic quidem ſa-
tiata fuiſti.
29 Quapropter plurimùm ſcortata es in Ce-
naħanæam, [53] in Chaldæam *diſcurrens*: ſed ne
hoc quidem ſatiaris.
30 [54] Quàm languidus eſt [u] animus tuus, di-
ctum Domini Jehovi; faciendo omnia iſta, opus
mulieris meritoriæ [x] pervicaciſſimæ?
31 In [y] pagis tuis fornicem tuam, in capite
cujuſque viæ, & ſuggeſtum tuum facis in omni
platea; nec dum es ut [55] ſcortum ludificaturum
mercedem,
32 Ut mulier adultera, loco viri ſui recipiens
extraneos:
33 Omnibus ſcortis dant *illi* pretium: tu ve-
rò dediſti [56] pretia tua omnibus amatoribus tuis,
munerans eos ut congrederentur tecũ circum-
quaque, pro ſcortationibus tuis.
34 Itaque fuit in te [z] contra quàm in iſtis fœ-
minis ſcortationibus tuis, quum [a] proſequeretur
te nemo ad ſcortandum: nam quòd das merce-
dem, ac merces non datur tibi, hoc contrarium
eſt.
35 [57] Idcircò, ô ſcortum, audi verbum Jeho-
væ;
36 Sic ait Dominus Jehovi, eo quòd profu-
ſum eſt [b] [58] virus tuum, retecta nuditate tua, in
ſcortationibus tuis cum tuis amatoribus; etiam
ſuper omnibus ſtercoreis diis [c] abominandis
tuis, denique propter [d] cædes filiorum tuorum
quos expoſuiſti eis:
37 [59] Idcircò ecce ego congregaturus ſum
[60] omnes amatores tuos quibus ſuaviter uſa es,
& quoſcunque amas, cum omnibus quos odiſti:
& ubi congregavero illos contra te circumqua-
que, retegam nuditatem tuam illis, ut videant
totam nuditatem tuam:
38 Et judicabo te judiciis [61] adulterarum &
[62] effundentium ſanguinem; exponens te [e] cæ-
di proficiſcenti ab [63] excandeſcentia & zelo-
typia.

39 Nam quum tradidero te in manum eo-
rum, demolientur [64] fornicem tuam, & diruent
ſuggeſta tua, & exuentes te veſtibus tuis ſument
[65] inſtrumenta ornatus tui; ac relinquent te nu-
diſſimam & retectiſſimam:
40 Deinde adducentes contra te congrega-
tionem, [66] obruent te lapidibus; & transfigent
te gladiis ſuis:
41 Poſteà [67] comburent domos tuas igne,
exercentes contra te judicia [68] ante oculos mul-
tarum fœminarum: ita faciam ut deſinas eſſe
meretrix, etiámq; mercedem non poteris dare
ampliùs.
42 Denique faciam ut requieſcat excande-
ſcentia mea in te, [69] donec recedat zelotypia
mea a te; donec quieſcens nõ indigner ampliùs.
43 [g] Eo quòd non es recordata [70] dierum pue-
ritiæ tuæ, & commoviſti te contra me omnibus
his: ideò etiam ego ecce viam tuam in caput re-
pono, dictum Domini Jehovi, ut non facias iſtud
ſcelus cum omnibus [71] abominationibus tuis.
44 Ecce [72] quiſquis utitur parabola, de te pa-
rabola utetur, dicendo; qualis mater, talis filia
ejus.
45 [73] Filia matris tuæ es, [74] faſtidientis virum
ſuum & filios ſuos: & ſoror *utriuſque* ſororis tuæ
es, quæ faſtidiverunt viros ſuos, & filios ſuos,
[75] mater veſtra Chitthæa, & pater veſter E-
moræus.
46 Soror autem tua [76] major *eſt* Schomron,
ipſa cum filiabus ſuis, quæ ſedet [77] ad ſiniſtram
tuam; ſoror tua verò minor te, ſedens [78] a dex-
tera tua, *eſt* Sedom cum filiabus ſuis.
47 [79] Neque verò in viis earum ambulaſti, &
ſecundùm abominationes earum feciſti: tam-
quàm parvum faſtidio fuit *hoc*; ideò corruptio-
nem adhibuiſti majorẽ eis in omnibus viis tuis.
48 [80] *Ne* vivam ego, dictum Domini Jehovi,
ſi fecit Sedom ſoror tua ipſa & filiæ ejus; quem-
admodum feciſti tu & filiæ tuæ.
49 Ecce hæc fuit iniquitas Sedomi ſororis
tuæ, [81] excellentia, ſaturitas cibi, & [82] tranquil-
litas quieta fuit ipſi & filiabus ejus, & [83] manum
pauperis & egentis non confirmavit:
50 Quum itaque exaltantes ſe facerent abo-
minationem [84] coram me; amovi eas, prout [f] vi-
ſum eſt.
51 [85] Schomron quoque ad dimidium pecca-
torum tuorum non peccavit; amplificaſti enim
abominationes tuas præ ipſis, & [86] juſtificaſti
ſorores tuas omnibus abominationibus tuis
quas feciſti.

t *Heb. ſceleris.* 53 videlicet ex quo tempore Merodac-baladan legationem ad Chizkijam transmiſerat, 2. Reg. 20.12. & Jeſchahj. 39. eſt autem hæc oratio aſyndetos tota commodiſſima ad hippomanes Jiſraëlitarum præ amore ac furore potiùs inquietorũ demonſtrandum. 54 expoſitio elegantiſſima hippomanis per admirationem, ut diximus in v.25. qua gradatim oſtenditur inſanus Judæorum furor in conciliandis exteris, primùm per cõparationem meretricis quæſtuariæ, hoc verſ. deinde adulteræ libidinoſiſſimæ, quæ abjecto & contemto omni quæſtus ſtudio libidine tantùm perfidiosè abripitur (ut de Meſſalina Clodii res portentoſas ſcribunt hiſtorici) duobus verſ. ſequentib. ac poſtremò illius quæ tantoperè fertur præceps in libidinẽ, ut ipſa amatores redimat de ſuo atque muneretur, qui ſummus eſt gradus libidinis. quaſi dicat Propheta, nequeo ſatis mirari cum animo meo tantum furorem tuum, quæ tibi ſcortando nunquam ſatisfacis; ſed adhuc contabeſcis præ ardore libidinis, eamq; nulla ratione nullis amatoribus adhuc explere potuiſti: cujus hoc documentum eſt certiſſimum, quòd non exſpectas dum ab amatoribus redimaris, prout meretrices quæſtuariæ ſolent, neque ſatis habes ut gratis concilies amatores & adjungas tibi, ſed ultrò exhauris facultates tuas, & meas ipſius res ſacrilegè profundis ad illos redimendos comparandóſque. u *Heb. cor.* x *Heb. dominantis.* y *Heb. filiabus tuis.* 55 i. ne cum adultera illa quidem comparari debes quæ non exercet quæſtum meritorium, ſed gratis proſtituit ſe percita ſtudio libidinis: ut exponitur ſequente verſ. 56 videlicet plurima & ampliſſima: quod facit ad amplificationem ſceleris. z *Heb. contrarium ab iſtis.* a *Heb. poſt te non ageretur ſcortatio.* 57 tranſitio ad ſecundam partem prophetiæ, nempe dictionem ſententiæ, ut diximus in verſ. 1. Continet autem hæc ſententia propoſitionem, & exornationem ſive confirmationem ejus. Ac propoſitionis quidem partes omnino duæ ſunt, quarum una ſummatim cauſas ſententiæ ferendæ explicat, verſ. 36. altera judicium in ſceleratam adulteram eventurum, uſque ad verſ. 45. Exornationis verò partes ſunt totidem, ut ſuo loco dicturi ſumus. b *Heb. ærugo: ſic infrà 24. 11.* 58 id eſt, ſordes tuæ profluentes ex te propter frequentiam & aſſiduitatem ſcortationis tuæ: confer cum Jirm. 2. 23. & ſequentibus. Vox autem Hebræa propriè quidem æs ſignificat; ſed metonymicè quoque pro ærugine, id eſt, virulenta illa & damnoſa materia accipitur quam æs madefactum generat, ac proinde ad omne vitus accommodatur. Novimus quidem a pleriſque aliter accipi, videlicet pro fundo & ima parte rei alicujus: ſed tota illa interpretatio manàvit ex falſa hujus loci intelligentia; quum tamen hoc membrum fuerit ex ſequente intelligendum, & ex adjuncto verbo. c *Heb. abominationum tuarum.* d *Heb. ſecundum ſanguines.* 59 ſententiæ dictio ſive judicium duas partes continet, ſupplicium, & ignominiam, hoc verſ. è quibus ſupplicium exponitur deinceps uſque ad verſ. 43. ignominia verò, verſ. 43. & 44. 60 ex quibus conſtabat exercitus Babylonii. 61 de quo judicio vide Levit. 20. 10. & Deut. 22. 22. 62 de quo judicio vide Geneſ. 9.6. & Exod. 21.12. e *Heb. ſanguini æſtus, & zelotypia.* 63 videlicet Dei, qui ut juſtus judex in ſanguinolentos exæſtuat, & tamquam juſtus maritus zelotypus eſt uxoris adulteræ.

64 de qua ſuprà 24. & 31. id eſt, in urbe Jeruſchalaimorum ſedes adulteriorum tuorum à te comparatas. 65 de quibus ſuprà verſ. 10. & ſequentib. 66 ut jus eſſe contra adulteras homicidáſq; ex lege ſuprà oſtendimus. 67 vide complementum 2. Reg. 25. & 2. Chron. 36. & Jirmejæ 52. 68 id eſt, palàm, ita ut ſis omnibus exemplo, multiſq; ludibrio: prout de Edomæis legitur Pſal. 137.7. & Lament. 1. & 4. de Hammonitis verò, Moabitis, Tyriis, & Tzidoniis, infrà 25. & ſequentibus. 69 i. donec cõſummavero in te ardorem totum meæ zelotypiæ: ut ſequentia verba explicant. g *ſuprà 22.* 70 id eſt, primæ conditionis tuæ, & beneficentiæ meæ, de quibus ſuprà verſ. 4. & ſequentibus. 71 id eſt, idolis abominandis. 72 id eſt, ludibrio eris in ore omnium: cujus ludibrii argumẽtum in fine verſus poſitum; eſt *μεταβατικὸν* ad exornationem ſententiæ. 73 exornatio ſententiæ præcedentis, ut diximus in verſ. 35. duabus partibus continetur: una eſt, exornatio cauſarum ab exemplo Cenaħanæorum, Sedomi, & Schomronis, uſque ad verſ. 52. altera eſt exornatio & confirmatio judicii, inde ad verſ. 60. Horum autem verborum ſenſus eſt, nullo pacto à parentibus tuis, ſororibus tuis, & gente tua degeneras, duobus verſibus, imò verò hos omnes omnibus numeris malitia ſuperas, verſ. 47. & quatuor ſequentibus. 74 notat Propheta his verbis Cenaħanæos tum à Deo & pietate Noachi defeciſſe, tum filios ſuos Moleco traduxiſſe, Levit. 18. 21. & 24. quo etiam modo ſequentia de Sedomitis & Jiſraëlitis ſunt accipienda. 75 ut ſuprà verſ. 3. 76 plures tribus & regiones continens. 77 id eſt, Septemtrionem. 78 id eſt, ad Meridiem: ut Exod. 26. 18. etſi fortè hac diſtinctione ſitus pariter judiciorum & ſcelerum gravitas diſtinguitur. 79 amplificatio per gradationem, de qua in verſ. 45. 80 confirmatio præcedentis dicti, tum a juramento, hoc verſ. tum a demonſtratione *κατὰ σύγκρισιν*, tribus ſequent. 81 ex illa abundantia & tranquillitate, quas deinde Propheta nominat: vide Geneſ. 13. 10. & ſequentib. 82 ex quo gentem liberaverat Abraham, Geneſ. 14. 83 nam etiam duos angelos ſituri erant in platea pernoctare, eoſq; & Lotum ipſum ſumma injuria perſequuti ſunt, Geneſ. 19. 84 vide Gen. 13.13. f *Heb. vidi.* 85 i. regnum Jiſraëlitarum: quod propterea longè minus peccaſſe dicitur, quia neque tanta à Deo beneficia acceperat quum regnum & Sacerdotium in Judæa eſſent, neque fuerat revocatum tam diuturna patientia: ſed Judæa plura habuit & diuturniora beneficia quibus alliceretur, atque exempla judiciorum quibus deterreretur; & tamen malitia ſua obfirmata cum beneficiis, judiciis, & documentis Dei aſſiduè concertavit. 86 vide Jirm. 3.6.

52 [87] Tu etiam fer ignominiam tuam, [88] quã
adjudicas *utrique* sorori tuæ, propter peccata tua
quibus abominabiliùs egisti quàm illæ, justiores
sunt te: tu, igitur, etiam erubesce & fer ignomi-
niam tuam, quum justifices sorores tuas.
53 [89] Si reduxero reducem turbam illarum,
reducem turbam Sedomi & filiarum ejus, ac re-
ducem turbam Schomronis & filiarum ejus; etiã
reducem turbam multitudinis captivorum tuo-
rum *reducam* [g] inter illas:
54 Ut feras ignominiam tuam, & afficiaris
ignominia propter omnia quæ fecisti; [90] conso-
lationi exsistendo illis.
55 Si sorores tuæ Sedom & filiæ ejus rever-
tentur ad pristinum statum suum, & Schomron
ac filiæ ejus revertentur ad pristinum statum
suum; tu quoque & filiæ tuæ revertemini ad pri-
stinum statum vestrum.
56 [91] Quum non fuerit Sedom soror tua
[h] [92] in auribus, in ore tuo; tempore [i] summę ex-
cellentiæ tuæ;
57 [93] Nec dum revelata fuerit malitia tua,
[94] quum *esses* tempus probri [k] a filiabus Syriæ &
omnibus circumstantibus eam, filiabus Pelisch-
thæorum; [95] quæ depopulaturæ fuissent te cir-
cumquaque:
58 Scelus tuum & abhominationes tuas tu
reportas, dictum Jehovæ.
59 Nam sic ait Dominus Jehovi, vicissim fa-
ciam tibi quemadmodum fecisti; quæ sprevisti
[96] exsecrationem irritum faciendo fedus.
60 [97] Verumtamen [98] recordatus ego federis
mei tecum *initi* temporibus pueritiæ tuæ, præ-
stabo tibi fedus [l] perpetuum.
61 Nam recordata viarum tuarum, pudore
suffunderis, [99] assumendo sorores tuas majores
te cum minoribus te: & [100] dabo tibi eas in filias,
quamvis [101] non ex federe tuo.
62 Sed præstabo ego fedus meum erga te; &
agnosces me esse Jehovam:
63 [102] Ut recorderis & erubescas, [103] nec sit
tibi ampliùs apertio oris propter ignominiam
tuam; quum expiavero te ab omnibus quæ fece-
ris, dictum Domini Jehovi.

[87] altera pars exornationis de sententia lata, ut diximus in ℣. 45. qua primùm affirmatur certissimè eventura & cõstantissima futura sententia Dei, versib. quatuor; deinde universè concluditur, quatuor alteris. [88] i. quam justissimè illis importatam esse evincitur, & agnoscit tua ipsius conscientia. [89] hypothetica enunciatio constantiæ Dei in exsequenda sententia sua. q. d. si illos reduxero, vos etiam reducturus sum; at non sum reducturus illos: igitur neque vos reducam, quicquid pseudoprophetę vaticinentur vobis ad gratiam. Sic Deus Judæis illius tẽporis comminatur; ex quorum tamen posteris reliquias servatum iri docet infrà vers. 60. & sequentibus. simile judicium vide Numer. 14. [g] *Heb. in medio illarum.* [90] ut suprà 14. 22. [91] conclusio sententiæ, causam & judicium breviter complectens, binis versib. Causa autem ponitur unica, nimirum obfirmatus animus & ἀμεταμέλητος, quamvis revocatus fuisset duobus exemplis gravissimis severitatis Dei; uno in Sedomitas, hoc vers. altero in Jisraëlitas, vers. sequente. [h] *Heb. in auditione,* [92] i. fugeris de industria omnem recordationem tanti judicii, quamvis ad eum finem illud effecisset Deus, Gen. 18. 19. [i] *Heb. excellentiarum tuarũ.* [93] i. nondum evicta fueris apud animũ tuum & agnoveris malitiam tuam, ex quo Jisraëlitæ flagellati & pessumdati sunt in conspectu tuo, ut præmonita eorum exemplo resipisceres. [94] i. quum probrosè Schomron soror tua à Syris, & Pelischthæis, finitimisq; profligaretur duce Assyrio. [k] *Heb. filiarum, &c.* [95] i. æquè te ac Schomronem profligassent, nisi custos fuissem tuus, teq; ab illis vindicassem: ut promiserat Deus Jeschaĥ. 7. & 8. [96] i. negligens & frangens fidem mihi jurejurando datam (ut sup. vers. 8.) exsecratione federi conjuncta te obstrinxisti: synecdoche. [97] ultima pars prophetiæ, promissio erga reliquias electas, ut diximus in ℣. 1. [98] vide Gen. 8. 1. [l] *Heb. seculi.* [99] i. cooptando tecum ex Jisraëlitis & gentibus electos in Ecclesiam Christi. [100] i. efficiam ut parias spirituales liberos verbo Euangelii, ut Jeschaĥ. 54. & sequentibus. [101] id est, non ex illo federe Legis quod tu fregisti; sed ex federe novo Euangelii, non in tabulis lapideis, sed in tabulis carneis cordis inscripto per spiritum Dei vivi, ut dicitur versu sequente, vide Jirm. 31. 31. & sequentibus, 2. Corinth. 3. 3. & Hebr. 8. 8. [102] id est, ut tu recepta in illud fedus ducaris pœnitentia anteactæ vitæ; ac proinde sola fide expiationem à me in Christo perfectam complectaris, & gloriam totam soli Deo tribuas servatori tuo. [103] id est, planè obmutescas, tibi confusionem tuæ faciei tribuens & Deo salutem tuam: ut Ijobi 5. 16. & Psal. 107. 42.

CAPUT XVII.

Propheta ænigmate figurat, & prophetia explicat captivitatem Jeconjæ, beneficium Nebucad-netzaris in Tzidkijam, & hujus perfidiam: deinde severissimum Dei judicium denunciat: promissiones denique Euangelii subjicit ad consolandum pios in Ecclesia catholica.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, edicendo,
2 Fili hominis, propone ænigma, &
utere parabola; [2] de domo Jisraëlis;
3 Dicens; [3] sic ait Dominus Jehovi, [4] aqui-
la quædam maxima, magna alis, [5] [a] alatissima,
plena plumis, cui *est* [b] species artificiosissima;
[6] veniens ad Libanum desumsit [7] calamum sum-
mum cedri:
4 [8] Summitatem tenerorum ramorum ejus
decerpsit; & deferens illam in [9] terram [c] nego-
tiatoriam, in [10] civitate aromatariorum posuit
illam.
5 Accipiens verò [11] è semine illius terræ,
posuit ipsum [12] in agro [d] sativo; acceptum [13] se-
cundùm aquas multas, [14] [e] circumspectissimè
posuit.
6 [15] Atque hæc quidem germinavit, [f] abiit
in vitem luxuriantem humilis statura, spectanti-
bus palmitibus hujus ad illam, & radicibus hujus
subjectis illi: abiit, inquam, in vitem, ediditq; ra-
mos; & emisit ramusculos:
7 Sed fuit [16] aquila [g] quędam magna, mag-
na alis, & copiosa plumis; ad quam ecce [17] vitis
ista applicuit [18] radices suas, & palmites suos e-
misit ad eam, ut [19] irrigaret ipsam [20] ex areolis
plantationis ipsius;
8 [21] Ista in agro bono ad aquas multas plan-
tata; editura ramos, & latura fructum, *denique*
futura vitis magnifica,
9 [22] Dic, sic ait Dominus Jehovi, *an* prospe-
raretur? an non radices ejus [23] disrumpet, & fru-
ctum ejus succidet, ut sicca fiat? omnibus fron-
dibus germinis sui exsiccabitur? & *an* non bra-
chio magno & populo multo [h] exstirpaturus est
eam radicitus?
10 [24] Ut ecce plantata *sit*, prosperabitúrne?
an non attingente ipsam [i] [25] Euro exsiccabitur
prorsus? [26] cum areolis germinationis suæ exsic-
cabitur?

[1] Hujus prophetiæ, præter inscriptionem duobus versib. comprehensam, partes omnino sunt duę: una est, narratio prophetica funestissimi excidii eventuri Tzidkijæ Regi & Judææ toti, usque ad vers. 22. altera est promissio Euangelica pro electis reliquis, tribus vers. ultimis. [2] id est, de toto Jisraële, tum ratione calamitatum quæ denunciantur reprobis, tum etiã promissorum: quæ duo sunt capita hujus prophetiæ. [3] prior hæc pars prophetiæ de Judæorum ærumnis duas partes complectitur, typũ, usq; ad vers. 11. & enarrationem illius, usque ad 22. Utrobique autem narrationis summa sunt capita duo; nimirum causarũ explicatio ex quibus judicia consequutura sunt, & prophetia judiciorum quæ in Judæam erant eventura propter antegressas causas. [4] typus magni Nebucad-netzaris regis potentissimi: ut exponitur vers. 12. [5] id est, omnium instructissima iis rebus quæ ad volatum pertinent: sic una voce Propheta ostendit quàm Aegyptio præstiterit Babylonius, de quo vers. 7. [a] *Hebr. longa ala.* [b] *Hebr. phrygioni cum opus.* [6] id est, invadens regnum Judææ, quod cum præstantissima Libani sylva comparatur. [7] id est, cacumen, & surculum summum; sive taleam quæ ad insitionem ex arbore avelli solet, unde vox Hebræa appellatur. Est autem typus Jeconjæ regis. [8] id est, principes Judææ; ut dicitur vers. 12. [9] id est, in Babyloniam emporiis celebrem. [c] *Hebr. negotiatoris.* [10] id est, mollissima & luxuriosissima, quasi omnes Babylonis cives præ mollicie redolerent aromata, aut facerent aromatariam. [11] id est, semine regio, ut ipse interpretatur vers. 13. nimirum Tzidkijam patruum Jeconjæ. [12] id est, in Judæa ipsa restituit, ubi adhuc futura erat sementis non incommoda (ut sequentia docent) nisi ipsius culpa aliter accidisset. [d] *Hebr. seminis.* [13] id est, in loco irriguo: vide Eccles. 11. 1. [14] id est, omnibus legitimis cautionibus adhibitis quæ ad stabiliendum fedus & firmanda illius jura omnino pertinebant, nempe legibus & conditionibus in federe dictis, jurejurando præstito, obsidibus acceptis, & si qua sunt ejusmodi quibus de stabilitate federis provideri potest: ut dicitur vers. 13. & 14. [e] *Heb. circumspectione accuratissima.* [15] id est, huic Regi Tzidkijæ (qui cum vite humili comparatur) optimè cessit, dum in obsequio Nebucad-netzaris permansit. [f] *Heb. fuit: sic deinceps.* [16] typus Aegyptii, ut exponitur vers. 15. [g] *Heb. una.* [17] id est, Rex Tzidkija fedus iniit cum Aegyptio, fidem frangens Babyloniis, vers. 15. [18] id est, legationes clàm quasi per cuniculos emisit ad Aegyptium: vide Jirmejæ 37. & 38. sic exponitur infrà vers. 15. [19] id est, currus & equos suppeditaret ad firmandum ipsum. [20] id est, copiis Aegypti, quæ tota interluitur Nilo, & rivis per areas ductis irrigatur: sic alludit Propheta ad rationẽ Aegyptiorum. [21] amplificatio, ex eo quòd nulla fuerat Regi Tzidkijæ justa occasio adsciscendi Aegyptium, ut vers. 6. [22] secundum caput typi, ut diximus in vers. 3. judiciorum denunciatio. [23] nimirum Babylonius, ut exponitur vers. 16. & 20. [24] occupatio. q. d. esto sanè, sit bene plantata & loco optimo: peribit tamen. [h] *Heb. sublaturus eam à radicib. ipsius.* [25] noxio vitibus, teste Columella lib. 5. cap. 5. Est autem hic typus divini judicii per Babylonium. [i] *Heb. vento orientali.* [25] i. quoscunque aquæ ductus ad se ab Aegypto derivaverit. [26] anagoge sive accommodatio typi, ut diximus in vers. 3.

11 [27] Deinde

11 [27] Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,

12 Dic jam domui isti [k] rebelli, an nescitis quid *sibi velint* hæc? dic, ecce venerat Rex Babyloniæ *in urbem* Jeruschalaimorum, cujus accipiens Regem & Principes abduxit eos ad se in Babyloniam:

13 ‖ Deinde accipiens de semine [l] regio, pepigerat cum eo fedus; & adigens eum ad [28] exsecrationem potentes istius regionis acceperat,

14 Ut esset regnum humile, ne efferret se, ut observando fedus suum staret.

15 Sed rebellavit contra illum, mittendo legatos suos *in* Ægyptum, ut det sibi equos populúmq; multũ: an prosperabitur? an eripiet se qui facit ista? qui irritũ fecit fed[9], etiámne eripiet se?

16 *Ne* vivam ego, dictum Domini Jehovi; nisi [29] in loco illius regis qui regem constituerat ipsum, cujus spernit exsecrationem, & cujus irritum facit fedus; apud illum in medio Babyloniæ moriatur.

17 Neque copiis magnis aut congregatione multa [30] facturus *quicquam* est cum ipso Parhò in bello, quum [31] diffundet *ille* aggestas moles, & quum exstruet propugnacula; ad exscindendum animas multas.

18 Quum spernat exsecrationem irritum faciendo fedus; quia ecce [32] junxit manum suam, & omnia ista facit, non eripiet se.

19 [33] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, *ne* vivam ego: nisi exsecrationem [34] meam quam spernit & fedus meum quod irritum facit; hoc reponam in caput ipsius.

20 ‖ Nam expandam super ipsum rete meũ, & capietur sagena mea; deducensq; ipsum in Babyloniam, disceptabo cum ipso ibi *de* prævaricatione ipsius qua prævaricatur contra me:

21 Et omnes profugi ejus cum omnibus agminibus ejus gladio cadent, & qui reliqui erunt in omnem ventum dispandentur; ut experiamini me Jehovam loquutum esse.

22 [35] Sic ait Dominus Jehovi, attamen accipiens ego [36] è summo calamo illius cedri proceræ reponam: è summitate tenerorum ramorum ejus tenellum decerpens, plantabo ego super montem altum & aggestum:

23 [37] In monte celsitudinis Jisraëlis plantabo eum, & proferens ramum faciet fructum, & abibit in cedrum magnificam: habitabúntq; sub ea omnes aves cujuscunque alæ, in umbra palmitum ejus habitabunt.

24 Ita experientur omnes arbores agri me esse Jehovam, dejicere arborem altam, exaltare arborem dejectam, exsiccare arborem virentem, & facere ut floreat arbor sicca: ego Jehova dixi & faciam.

[27] ut sup. 16.59. vide 2.Chron. 36.13.
[k] *Heb. rebellionis.*
‖ 2.Reg. 24.19.
[l] *Heb. regni.*
[28] i. Babylone, regia Nebucadnetzaris: sic Jirm. 32. 5.& 34. 3.& sequentib.
[29] i. adjumento futurus est: nam priùs fractus est quàm copias Judæis conjungeret.
[30] nempe Babylonius, obsidens Jeruschalaima pertinacissimè.
[31] vide Jirm. 50.15.
[32] confirmatio judicii per juramentum.
[33] i. juratam in nomine meo, & auctore me per Prophetas meos Jirm. 38.
[34] altera pars prophetiæ, continens promissionem restitutionis & amplificationis Ecclesiæ in Christo.
‖ *suprà* 12. 13.
[35] i. de reliquiis stirpis regiæ, ex qua fuit Zerubbabel, & ex eo Christus.
[36] i. in Ecclesia, ut Jesch. 2. 2.
[37] triplex promissio his verbis continetur per Christum ad Ecclesiam pertinens: prima est amplitudo Christi: secunda, beneficia ad Ecclesiam in Christo pertinentia: tertia denique, Ecclesiæ per totum orbem propagatio, hoc vers. quorum omnium finis est illustratio gloriæ Dei, vers. ultimo.

CAPUT XVIII.

Deus Jisraëlitis expostulantibus quòd patriorum scelerum pœnas darent, administrationem justitiæ suæ erga justos & peccatores explicat: adducentes exemplum suum arguit improbitatis, justitiam suam a calumniis illorum vindicat: & spem veniæ facit resipiscentibus.

1 [1] Fuit quoque verbum Jehovæ ad me, dicendo,

2 [2] Quid vobis *est, heus* vos qui utimini parabola hac de [3] terra Jisraëlis, dicendo; patres comederunt omphacen, & [4] dentes filiorum obstupescunt?

3 [5] *Ne* vivam ego, dictum Domini Jehovi [6] si erit vobis ampliùs *unde* utamini parabola hac in Jisraële.

4 [7] En omnes animæ meæ sunt, æquè anima patris atque anima filii meæ sunt: anima [8] quæ peccat, ipsa morietur.

5 [9] Nam quum quis erit justus, [a] exercebitq; [10] jus ac justitiam,

6 In [11] istis montibus [12] non comederit, & [13] oculos suos non sustulerit ad stercoreos deos domus Jisraëlis; uxorémq; [14] proximi sui non polluerit, & ad uxorem ex immunditia separatam non appropinquaverit,

7 [15] Neminémq; oppresserit, [16] pignus suum debitori reddiderit, [17] rapinam non rapuerit; [18] panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit veste,

8 [19] In usuram non dederit, & fœnus non acceperit, ab iniquitate retraxerit manum suam; jus [b] verum exercuerit inter [c] unum & alterum,

9 In statutis meis fideliter ambulaverit, juráq; mea observaverit [d] colendo veritatem; justus hic [e] omnino vivet, dictum Domini Jehovi.

10 [20] Quòd *si* genuerit filium effractorem, effusorem sanguinis; qui faciat fratri præter [21] ullum istorum:

11 Qui ista omnia non faciat; quin etiam in istis montibus comedat, & uxorem proximi sui polluat,

12 Pauperem & egentem opprimat, rapinas rapiat, pignus non reddat, & ad stercoreos deos attollat oculos suos abominationem faciens,

13 In usuram det & fœnus accipiat, *hiccine* viveret? non vivet; omnes abominationes istas fecit, [f] omnino afficietur morte; [g] cædis ipsius causa in ipso erit.

14 [22] Quòd *si* ecce genuerit filium qui animadvertat omnia peccata patris sui quæ facit; & animadvertens non faciat secundùm illa,

15 In istis montibus non comedat, & oculos suos non attollat ad stercoreos deos domus Jisraëlis; uxorem proximi sui non polluat,

16 Et neminem opprimat, pignus non [h] accipiat, & rapinam non rapiat; panem suum esurienti det, & nudum operiat veste,

17 [23] A paupere retrahat manum suam, usuram aut fœnus non accipiat, jura mea faciat, in statutis meis ambulet; hic non morietur propter iniquitatem patris sui, omnino vivet:

18 Pater *verò* ipsius quia oppressit oppressione, rapuit rapinam fratris, & quod non est bonũ fecit [i] inter populares suos; ideò ecce morietur propter iniquitatem suam.

[2] propositio blasphemi dicti quod etiam habetur Jirm. 31. 29 & 30. cujus ἀνασκευὴ habetur sequentibus.
[3] i. Jisraëlitis, metonymicè.
[4] i. filii luunt injustè scelerum paternorum pœnas.
[5] præcedentis blasphemiæ ἀνασκευὴ primùm universè fit per enunciationem justitiæ Dei juramento confirmatam, duobus vers. deinde per accommodationem promissorum & minarum ejus ad tria personarum genera: nempe ad justũ, vers. 5. & quatuor sequentib. ad injustum justi filium, versibus quatuor; & ad justum injusti filium, ad vers. 19. usque.
[6] id est, nisi manifestò, & illicò, ac præsentissima edam judicia mea in singulos vestrûm quum peccaveritis; quandoquidem tam studiosi estis cavillandi ea.
[7] ætiologia proximi præcedentis dicti a natura studioq; Dei in res creatas suas: quòd dicitis, inquit, vos injustè culpam alienam luere, estis in me contumeliosi: nam ego ut omnium creator sum, ita paterno studio erga omnes ducor: non possum a me temerè abalienare quemquam; sed si quis abalienatur, id ipsi sua injustitia evenit, non injuria mea: ac propterea statui non ampliùs ita dissimulare justitiam meam sicut antè feci, ut me a calumniis improborum vindicem. Hoc generatim dictum per gradationem deinceps exornatur. [8] ac proinde peccato suo se ipsam alienat a me, qui sum vitæ & salutis auctor. [9] primum gradationis membrum, ut diximus in vers. 3. [a] *Heb. faciet: sic deinceps.* [10] videlicet erga Deum & homines bona fide & conscientia, ut sequentia exempla commonstrant. [11] i. in excelsis, ut i idôla colebantur, ut Deut. 12.2. [12] videlicet idolothyta, de quibus Psal. 16.& 1.Corinth. 8.& 10. [13] i. non implorans idôla, synecdochicè a signo, ut Psal. 123. 1. [14] i. ullius: vide Levit. 18. 19. & 20. [15] ex lege Exod. 22. 21. & Levit. 25. 14.& 17. [16] ex lege Levit. 22. 26.& Deut. 24. 12. [17] ex lege Levit. 19. 13. [18] ex lege Deut. 15.7.& sequentib. ut Jeschah. 58. 7. [19] ex lege Exod. 22. 25. Levit. 25. 35. & sequentibus. [b] *Hebr. veritatis.* [c] *Heb. virum cum viro.* [d] *Heb. faciendo.* [e] *Heb. vivendo: sic deinceps.* [20] secundum gradationis membrum, de quo in vers. 3. [21] nempe statutorum & judiciorum Dei, de quibus vers. 9. [f] *Heb. moriendo.* [g] *Heb. sanguines ipsius in ipso erit: ut Levit.* 20. 9. [22] tertium gradationis membrum, de quo vers. 3. [h] *Heb. pignoretur.* [23] videlicet opprimendo. [i] *Heb. in medio popularium suorum.*

[1] Hujus prophetiæ, quæ tota est ἐπιμυκτηρισμὸς, partes omnino sunt tres; prima est reprehensio acerrima impii Jisraëlitarũ dicti judicia Dei ludificantium, usque ad vers. 18. secunda est confutatio firmamentorum quibus Jisraëlitæ suas blasphemias adversus Deum enitebantur stabilire, usque ad vers. 30. tertia est conclusio asserens justitiam Dei, & omnes revocans ad resipiscentiam certissimámq; salutis exspectationem.

19 [24] Sed

19 [24] Sed dicitis, [25] cur? nónne fert filius ipse propter iniquitatem patris? [26] quum filius jus & justitiam exercet, omnia statuta mea observat & facit ea, omnino vivet.

20 Anima quæ peccat, ipsa morietur: filius non feret propter iniquitatem patris, & pater non feret propter iniquitatem filii, [27] justitia justi cum ipso erit, & improbitas improbi cum ipso erit.

21 Quum autem improbus conversus ab omnibus peccatis suis quæ fecit, observabit omnia statuta mea, & exercebit jus & justitiam; omnino vivet, non morietur:

22 Omnes defectiones ejus quas commisit non commemorabuntur ei; in sua justitia quam exercet vivet.

23 [28] An [k] ullo pacto delector morte improbi? dictum Domini Jehovi: an non quum revertitur a viis suis, ut vivat?

24 Sed quum avertens se justus a justitia sua facit iniquitatẽ, secundùm omnes abominationes quas fecerit improbus facit, hiccine viveret? [l] omnia justè facta ejus quæ fecerit non commemorabuntur, propter prævaricationẽ ipsius qua prævaricatur, & propter peccatum ipsius quo peccat, propter hæc morietur.

25 [29] Quòd autem dicitis, non est [m] æqua via Domini: [30] audite jam, ô domus Jisraëlis, an via mea non esset æqua? an non viæ vestræ non sunt æquæ?

26 Quum avertit se justus à justitia sua, & faciens iniquitatem, moritur [31] in illis; propter iniquitatem suam quam facit moritur.

27 Quum autem revertens improbus ab improbitate sua quam faciebat, exercet jus & justitiam; hic animam suam vivam conservat:

28 Quia animadvertens revertitur ab omnibus defectionibus suis quas commisit; omnino vivet, non morietur.

29 [32] Attamen dicunt domus Jisraëlis, non est æqua via Domini: an viæ meæ non essent æquæ? ô domus Jisraëlis; an non viis vestris non est æquitas?

30 [33] Idcircò quemque secundùm vias suas judicabo vos, ô domus Jisraëlis, dictum Domini Jehovi: revertimini, & avertite *vos* ab omnibus defectionibus vestris, [34] ut non sit vobis offendiculo iniquitas.

31 Abjicite a vobis omnes defectiones vestras quibus defecistis, & [35] facite vobis cor novum & spiritum novum: nam quare moreremini, ô domus Jisraëlis?

32 Non enim delector morte morientis, dictũ Domini Jehovi: avertite itaque vos, & vivite.

[24] secunda pars prophetiæ, confutans verba Jisraëlitarum responsantium Deo. Sunt autem hujus confutationis partes duę ad duas objectiones Jisraëlitarum: quorum prior objectio fuit, exemplum suum satis documento esse ut filii dent pœnas paternorum scelerum, hoc vers. huic respondetur usque ad vers. 25. posterior fuit hominum præfractorum, qui quamvis evicti obganniebant tamen; utcumque se res haberet, non satis æquam esse administrationẽ Dei: cui respondetur ad vers. 30. usque. [25] q. d. quamobrem hoc negas tu? aut nos non ausimus confirmare ab exemplo nostro, qui inculpati luimus parentũ criminosorum culpas? [26] jam incipit Deus confutare præcedentem blasphemiam eadem gradatione quæ ante dicta est; justi videlicet, duobus vers. injusti resipiscentis, vers. 21. & duobus sequent. ac justi sese avertentis, vers. 24. [27] i. præmium justitiæ synecdochicè, ut in mẽbro antitheto improbitatis pœna est intelligenda. [28] argumentũ à natura Dei quod perstrinximus in vers. 4. ut infrà duobus versibus ultimis, accipiendum κατὰ τι. quasi dicat, nónne majorem delectationem capturus essem ex resipiscentia improbi ad salutem, quàm ex ipsius morte, si sese daret in resipiscentiam? [k] *Heb. delectando.* [l] *Hebr. omnes justitiæ.* [29] secundus confutationis locus, ut diximus in vers. 19. [m] *Heb. disposita: sic deinceps.* [30] hac confutatione Deus primùm κατὰ θέσιν æquitatem suæ administrationis asserit, & iniquitatis Judæos damnat, hoc vers. deinde sigillatim gradationi sermonem accommodat, ut suprà: nisi quòd ejus qui sibi in justitia sua constat mentio omittitur, quia extra controversiam est. [31] videlicet viis suis iniquis, à quibus minimè resipiscit. [32] indignantis verba, quibus ad conclusionem transitur a confutatione. [33] conclusio prophetiæ, qua primùm Deus se omnia justè administraturum esse confirmat, deinde Jisraëlitas ad justitiam & regenerationem provocat, hoc & seq. vers. ac postremò causam hortationis adducit a studio paterno suo in homines, & ipsorum bono, versu ultimo. [34] id est, ne corruatis iniquitate vestra, ut Jirm. 5. 25. [35] id est, deposito vetere homine, qui secundùm cupiditates fallaces corrumpitur, renovamini spiritu mentis vestrę, & induite novum hominem qui secundùm Deum conditus est in justitia & sanctimonia veritatis; ut nihil sapiatis corde, nihil spiretis aut velitis spiritu, nisi novitatem puram: quæ quidem omnia sunt ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum, Ephes. 4. 22. & 2. Corinth. 5. 17. & seq.

CAPUT XIX.

Deus lamentationem præscribit de Judæorum regno; quòd Regum culpa jam propè labefactatum sit, & mox sine spe restitutionis sit collapsurum usque in adventum Christi.

1 [1] Tu autem profer lamentationẽ de [2] principibus Jisraëlis,

2 Dicens, [3] quid *erat* mater tua? leæna inter leones recubans; [a] inter juvenes leones educans [4] catulos suos.

3 Sed evehente ipsa unum è catulis suis, quũ juvenis leo factus esset; & quum didicisset prædari prædam, [5] homines comedisset:

4 Audientes *concurrerunt* in eum gentes, quarum in fovea captus est; & deduxerunt eum [b] [6] uncis in terram Ægypti.

5 Videns autem illa, quum [7] spe aluisset se se, periisse exspectationem suam; accepit [8] unum è catulis suis quem effecit juvenem leonem.

6 Hic indesinenter ambulans inter leones, juvenis leo factus; didicit prædari prædam, homines comedit:

7 [9] Etiam cognovit de [c] viduatis palatiis eorum, & civitates eorum vastavit; adeò ut desolaretur terra & [d] quæ implent eam, a voce rugitus ejus.

8 Quapropter disposuerunt contra eum [10] gentes circumquaque ex provinciis; & expanderunt contra eum rete suum, quorum in fovea captus est.

9 Tum ponentes eum in claustro [e] uncis adhibitis, deduxerunt eum ad regem Babyloniæ; [11] deducturi eum [12] in munitiones, ut non exaudiretur vox ejus ampliùs in montibus Jisraëlis.

10 [13] In quiete tua mater tua similis *erat* viti plantatæ secundùm aquas; fructifera & frondosa erat ab aquis multis.

11 [14] Erántq; ei scipiones [f] robusti cum virgis dominantium, & alta erat statura [15] ejus, supra [16] intercurrentes ramos densos; ita ut conspicua esset altitudine sua cum multitudine palmitum suorum.

12 Sed [17] avulsa per excandescentiam in terram dejecta est, & [g] Eurus arefecit fructum ejus; defregerunt sese, & aruerunt scipiones robusti ejus, ignis consumsit eos:

[1] Hujus capitis argumentum omnibus est evidens ex mandato Dei quod habetur vers. 1. & ultimo. Est enim toto hoc capite lamentatio de flebili regni Judæorum statu inde a morte Joschijæ: qui status exponitur duabus allegoriis; una, leænæ & catulorum, usque ad vers. 10. altera, vitis & fructuum versibus quinque sequentibus. [2] id est, regulis; qui jam non poterant meritò dici reges, quum omnes a Joachazo fuerint beneficiarii primùm regis Aegyptiorum, deinde Babyloniorũ. [3] priore hac allegoria gens Judæorum & regnum totum cum leęna comparatur, Reges verò cum illius catulis. Ac leænæ quidem conditio describitur, hoc vers. deinde verò duorum catulorum; quorum unus typus est Joachazi sive Jochanani, vers. 3. & 4. alter Jehojakimi; vers. 5. & sequentibus. In conditione autem leænæ duo observanda sunt; tum quòd inter leones, i. finitimos feros & crudeles, securè prius habitaverat, tum etiã quòd ipsa catulos suos educaverat & Reges instituerat sibi: quæ dignitatis & roboris commemoratio exaggerat lamẽtationis argumentũ, ut in secunda allegoria, v. 10. & 11. [a] *Heb. in medio juvenum leonum.* [4] ex prophetia Jaħakobi, Genes. 49. 9. [5] i. abusus esset auctoritate sua ad inhumanitatem feram, 2. Reg. 23. 32. [b] *Heb. hamis.* [6] i. captivum, ibidem vers. 33. & Jirm. 22. 11. & sequentib. [7] videlicet redhibendi & recuperandi Regis sui precario ab Aegyptio. [8] Jehojakimũ Joachazi fratrẽ, datum ab Aegyptio, 2. Reg. 23. 34. [9] i. nõ tantum in homines feritatem exercuit; sed etiam de bonis illorum & facultatibus pro libidine sua statuit, nulla Dei aut hominum reverentia adductus quin sursum deorsum verteret omnia. Cognoscendi autem verbũ hoc modo accipi cum aliis locis monuimus, tũ Ijobi 38. sæpius. [c] *Heb. viduis.* [d] *Heb. plenitudo ejus.* [10] de quibus 2. Reg. 24. 4. [e] *Heb. cum uncis.* [11] i. animo deducendi: nã in itinere mortuus est, ut prophetaverat Jirmeja 22. 18. & 19. [12] i. Babylonẽ munitissimã: vide Jirm. 51. 25. & 53. [13] secunda allegoria, ut diximus in vers. 2. qua primùm præstantia antiqua regni Judæorũ & Regũ adumbratur, duobus vers. deinde inclinatio & ruina, tribus. Quod autem vertimus, in quiete tua, adducti tum præcedentis allegoriæ cõparatione fecimus, tum sequente antithesi: nã quod alii vertunt similitudinẽ, sine exemplo est; quod alii sanguinẽ, difficile est accõmodatu atq; violentũ. Quãobrẽ nos Hebræum vocabulũ ab alia radice ducimus quæ significat quiescere, ut notetur hac voce prisca Judææ tranquillitas. [14] i. typicè, florebant Reges potentissimi & principes regni, eminebátq; regnũ Judææ supra alia, Regum suorũ majestate, & principũ amplitudine, populariúmq; frequentia. [f] *Heb. roboris: sic v. 12. & ultimo.* [15] videlicet Regis cujusque, qui cum scipione robusto comparatus est. [16] i. inter principes eminens. [17] videlicet iis rationibus quæ dictæ sunt superiore allegoria. [g] *Heb. ventus orientalis.*

13 Nunc

13 Nunc enim [18] plantata est in deserto, in terra sicca & siticulosa:

14 Et exiens ignis [19] è scipione ramorum ejus, fructum ejus consumit, [20] adeò ut non sit in ea scipio robustus, virga dominatura: [21] hæc lamentatio *est*, quæ sit pro lamentatione.

[18] id est, deportata in locum servitutis miserrimæ, tam contrarium regno quàm desertum siccum infestum est viti.

[19] id est, ab ipso Jehojakimo rege, ipsius culpa, quia frangens fœdus rebellavit contra Babylonium, 2. Reg. 24. 3. [20] id est, ut neque jam adsit rex ullus firmus, neque sit ullus in posterum exstiturus, donec adventet Christus: vide Jirmej. 22. 30. [21] conclusio, verbis Dei mandans lamentationem.

CAPUT XX.

Propheta seniores ad Deum consulendum accedentes redarguit hypocriseos: & in totum populum invehens, narrat beneficentissimam Dei administrationem monitaq;, & indignissima populi maleficia, ab exitu Aegypti ad sua usque tempora: deinde omnes contestatus pronunciat calamitates eventuras omnibus, minas contra idololatras, & promissiones erga bonos, è quibus Deum illos perditurum, hos liberaturum dicit ad gloriam ipsius.

1 [1] Fuit autem anno septimo, [a] quinto mense, die decimo illius mensis, venientes quidã e Senioribus Jisraëlis [2] ad consulendum Jehovam, quum sedissent coram me,

2 Ut esset verbum Jehovæ ad me, dicendo,

3 Fili hominis, alloquere Seniores Jisraëlis, dicens eis, sic ait Dominus Jehovi, [3] an ad consulendum me venitis? *ne* vivam ego, si consulor à vobis, dictum Domini Jehovi.

4 An [4] causam ageres istorum? an causam ageres, fili hominis? [5] abominationes majorum ipsorum notas fac ipsis.

5 [6] Indices igitur eis, sic ait Dominus Jehovi; quo die [7] eligens Jisraëlem [8] sublata manu mea semini domus Jahakobi *juraveram*, [9] ‖ notúmq; feceram me ipsis in terra Ægypti; (*juraveram* autem sublata manu mea ipsis, dicendo, ego Jehova Deus vester.)

6 Die *inquam* illo *quo* sublata manu mea *juraveram* istis me deducturum illos e terra Ægypti; in terram quam [10] exploraveram ipsis, affluentem lacte & melle, [11] decus ipsum omnium regionum;

7 [12] Edixeram eis, quisque [b] res detestandas oculis suis abijcite, & stercoreis diis Ægypti ne polluatis vos; ego sum Jehova Deus vester:

8 Rebellantes contra me [13] noluerunt auscultare mihi, quisque res detestandas oculis suis non abjecerunt, & stercoreos deos Ægypti non dereliquerunt: quamvis [14] dixissem me effusurum excandescentiam meam super eos, ad consummandum iram meam in eis in media terra Ægypti;

9 Attamen [15] feci propter nomen meum, ut non prophanaretur ante oculos illarũ gentium [c] inter quas erant; quum notũ feci me ipsis ante oculos illarum, educendo ipsos è terra Ægypti.

10 ‖ Itaque eduxi ipsos è terra Ægypti, & abduxi ipsos in desertum:

11 ‖ Ubi dedi ipsis statuta mea, & jura mea nota feci ipsis; ‖ quæ qui faceret homo, viveret per ea:

12 ‖ Ac etiã sabbatha mea dedi ipsis, ut essent signo inter me & ipsos; [d] ut sciretur me Jehovam sanctificare ipsos.

13 ‖ Sed rebellarunt contra me domus Jisraëlis in ipso deserto, in statutis meis non ambulantes, & jura mea spernentes quæ qui fecisset homo vixisset per ea, & sabbatha mea prophanantes valde: quapropter dixi me effusurum excandescentiam meam super eos in ipso deserto ad consumendum eos.

14 Sed feci propter nomen meum, ut non prophanaretur ante oculos illarum gentium in quarum oculis eduxeram eos.

15 ‖ Verumtamẽ etiam ego sublata manu mea *juravi* eis in deserto; me non introducturum illos in terram quam dedi affluentẽ lacte & melle, decus ipsum omnium regionum:

16 Eo quòd jura mea spernerent, & in statutis meis non ambularent, ac sabbatha mea prophanarent: quòd [e] stercoreos deos suos cor illorum sequeretur.

17 Pepercit tamen oculus meus illis ne perderem illos, neque feci *ex* eis consummationem in deserto:

18 ‖ Edixi enim filiis illorum in deserto, in statutis patrum vestrorum ne ambuletis, & jura illorum ne observetis; neque stercoreis diis illorum vos polluatis:

19 Ego *sum* Jehova Deus vester, in statutis meis ambulate; & jura mea observate, ac facite ipsa:

20 Et sabbatha mea sanctificate, ut sint signo inter me [f] & vos, ut sciatur me Jehovam esse Deum vestrum.

21 Rebellarunt autem contra me [16] ipsi filii, in statutis meis non ambulantes, & jura mea nõ observantes ut facerent ea, quæ qui faceret homo viveret per ea, sabbatha mea prophanantes: quapropter dixi me effusurum excandescentiam meam super eos, consummando iram meam contra eos in deserto.

22 Sed reducens [17] manum meam feci propter nomen meum; ut non prophanaretur ante oculos illarum gentium in quarum oculis eduxeram eos.

23 *Nam* [18] etiam ego sublata manu mea *juraveram* eis in deserto; me dispersurum eos in gentes, & sparsurum eos in regiones:

24 Eo quòd jura mea non facerent, & statuta mea spernerent, ac sabbatha mea prophanarent; denique [g] stercoreos deos patrum suorum sequerentur oculi ipsorum.

25 Atque etiam ego dederam ipsis statuta [19] non bona, & jura [20] per quæ non viverent,

26 [21] Impurans ipsos cum donis ipsorum, eo

[1] Hujus prophetiæ inscriptio ostendit tum ipsum tempus & occasionem illius, vers. 1. tum mandatum Dei, secundo versu: tempus verò manifestum est, nempe quinto anno prophetatam esse ante expugnata & eversa Jeruschalaima. Sunt autẽ totius propheticę partes duæ: una, hypothesis quã Deus speciatim Seniores Jisraëlis coràm hypocriseos scelestæ reprehendit, vers. 3. & 4. altera, thesis qua universè Jisraëlẽ redarguit, impiis minatur, & pios promissis erigit, inde à vers. 5.

[a] *Heb. quinto mense decimo mensis.* [2] simulatè, quamvis consilia sua stata afferrent in animis suis, ut dicitur infrà ℣. 32. [3] animo integro, docili, & ad consilium capiendũ comparato. q. d. nónne præjudicata affertis domo, & consilia quæ verbo tenus petitis jamdiu cudistis animo? [4] i. ampliùs intercederes apud me istorum nomine? quibus non intercessione ampliùs (ut fingunt) opus est, sed reprehensione acerbissima, & minarum denunciatione: idem argumentum est Jirm. 14. sic suprà 14. 2. & 3. [5] transitio ad thesin, de qua in ℣. 1. [6] hujus theseos membra omnino sunt tria: primum est narratio, qua singula Dei beneficia comparantur cum indignissimis Jisraëlitarum maleficiis & ingrato animo, usque ad vers. 30. secundum est sententiæ dictio adversus ingratos & contumaces Jisraëlitas, usque ad vers. 40. tertium est piarum sanctarũmq; reliquiarum consolatio à promissis Dei, inde ad finem usque. Narrationis autem (quæ, ut diximus, per ἀγῶνα sive contentionem tota illustratur comparatis Dei operibus cum malefactis populi) partes per sua tempora distinguuntur: primum tempus est rerum in Aegypto gestarum, usque ad vers. 9. secundum, rerum in deserto gestarum tum erga patres, usque ad vers. 17. tum etiam erga filios, usque ad vers. 27. tertium rerum in terra gestarum quam ex promisso majoribus tradiderat Deus, usque ad vers. 30. [7] i. declarans me elegisse, misso Mosche & Aharone, Exod. 2. & sequentib. [8] vide Gen. 14. 22. q. d. juramentum antè majoribus præstitum per me ipsum confirmavi, Exod. 3. 6. [9] verbo, signis, & miraculis, Exod. 3. & 4. ‖ *Exod.* 3. 8. [10] i. prospexeram tamquam certissimus explorator, ut Num. 10. 33. humanitus dictum. [11] epitheton terræ Cenahanis, ut infrà vers. 15. & Dan. 8. 9. [12] etsi verba hæc disertè à Mosche non exprimuntur, nõ dubium est tamen quin ex contrario intelligenda sint, quum jubentur Jisraëlitæ servire Deo, Exod. 3. 12. & Mosche hanc causam non tantùm populo suo, sed ipsi quoque Parhoni exponere, Exod. 5. 1. [b] *Heb. detestationes oculorum suorum: sic deinceps.*

[13] i. neque fidẽ habuerunt mihi, ut ipsorũ verba & facta demonstrarunt, Exod. 5. 21. & 6. 8 neque ab idôlis discesserunt, ut eventus ostendit Exod. 32. [14] videlicet nisi servirent Deo, ut agnoscit Mosche Exod. 5. 3. sic in sequentibus. [15] i. in præstanda liberatione perstiti: sic vers. 14. & 22. [c] *Heb. in quarum medio.* ‖ *Exod.* 14. ‖ *Exod.* 15. 25. *&* 20. *& sequent.* ‖ *Levit.* 18. 5. *& Deut.* 30. 15. ‖ *Exod.* 16. 24. *&* 31. 13. [d] *Heb ad sciendum: sic infrà vers.* 20. ‖ *Exod.* 20. 5. *&* 23. 21. ‖ *Num.* 14. 28. *& sequent.* [e] *Heb. post stercoreos deos suos cor illorum ibat.* ‖ *Num.* 15. *&* 18. [f] *Heb. & inter vos.* [16] eorum videlicet qui occubuerunt in deserto: nam his pepercit Dei oculus, sup. ℣. 17. [17] nimirũ quã interminatus fueram, ut dicitur proximè præcedente versu, & quam ex parte feceram ut experirentur ipsi, versib. quatuor sequentibus. [18] exegesis præcedentis sermonis, quòd Deus *reduxerit manum suam*, quam in Jisraëlitas duobus modis exercuerat: nempe & per hostes, quum aliquos ex illis captivitati traderet, ut Numer. 20. & per se ipsum, quum eos ipse castigaret acerbissimè, ut Numer. 21. & 25. vide Psal. 106, 26. & sequentib. [g] *Heb. post stercoreos deos patrum suorum essent.* [19] i. ipsis incõmoda noxiaq;, ut fuerunt hiatus terrę & ignis, Numer. 16. plaga pestilens, Num. 17. serpentes, Num. 21. 6. sententiāq; juridica, Num. 25. [20] i. quæ sententias mortis cõtinerent. [21] i. impuros esse ostẽdens, ut impuros tractans, & a me abdicans.

quòd

quòd traducerent [22] omnem aperienté vulvam;
ut desolaré eos, ut experirentur me esse Jehovã.
27 Idcircò alloquere domum Jisraëlis, fili ho-
minis, indicens eis, sic ait Dominus Jehovi: ad-
huc hac *re* blasphemaverunt me patres vestri
prævaricando contra me prævaricatione,
28 Quòd quum introduxissem eos in terram
quam sublata manu *juraveram* me daturum ipsis;
[23] aspexerunt omné collem excelsum, & omnem
arborem densis ramis, ubi sacrificarunt sacrificia
sua, & ubi dederunt irritamentum oblationis
suæ, & ubi disposuerunt [f] odores gratos suos, de-
nique ubi libarunt libamina sua;
29 [24] Et quamvis dicerem iis ipsis qui venie-
bant [25] eodem quò vos, [26] quid *sit* ipsum excel-
sum; tamen [27] vocatum est nomen illius excel-
sum, usque in diem hunc.
30 [28] Idcircò dic domui Jisraëlis, sic ait Do-
minus Jehovi, an in via patrum vestrorum vos
ipsos impuraveritis; & [g] detestationes eorum
sequendo vos scortati fueritis,
31 Et offerendo dona vestra, traducendo fi-
lios vestros per ignem, vos ipsos impuraveritis in
omnibus stercoreis diis vestris in hunc usque
diem, & ego consular à vobis, ô domus Jisraël?
ne vivam ego, dictum Domini Jehovi, [29] si con-
sular à vobis.
32 Ideóque [30] quod ascendit in spiritum ve-
strum [h] minimè omnium futurum est; quod vos
dicitis; [31] erimus ut istæ gentes, ut nationes ista-
rum regionum, ministrando ligno & lapidi.
33 Ne vivam ego dictum Domini Jehovi; nisi
manu robusta, & brachio extento, ac excande-
scentia effusa [32] regnabo super vos,
34 Quum educam vos ex populis, & congre-
gabo vos ex regionibus in quas dispersi fueritis;
manu robusta, brachióq; extento, & excandes-
centia effusa.
35 Nam [33] deducam vos in desertum popu-
lorum, ubi disceptabo vobiscum [i] in os:
36 Quemadmodum disceptavi cum majori-
bus vestris in deserto terræ Ægypti; sic discepta-
bo vobiscum, dictum Domini Jehovi:
37 [34] Et transmittam vos sub virgam; ut in-
ducam [35] vos ad exhibitionem federis:
38 Seligénsq; ex vobis eos qui rebellant &
qui deficiunt a me, [36] è terra peregrinationũ ip-
sorum emittam eos, & *eorum nemo* in terrã Jisraë-
lis redibit; ita experiemini me esse Jehovam.
39 [37] Vos itaque ô domus Jisraëlis, sic ait do-
minus Jehovi, quisq; stercoreos deos suos agedũ
colite, [38] etiam posteà, si quidem non ausculta-
tis mihi: [39] nomen verò sanctitatis meæ ne pro-

[22] id est primogenitum, qui ex lege sacer est Domino, Exod. 13. 2. vide suprà 16. 21. & infrà vers. 31. atque hæc quidem à Jisraëlitis fuisse facta disertis verbis non exponit Mosche; sed tamen non dubium est quin fecerit Jisraël, quando copulatus est cũ idólo Pehoris Midjanitarum Deo, Numer. 25.
[23] i. oculos animúmq; suum adjecerunt: vide Jeschah. 57. 9. & sequentib.
[f] *Heb. odorem quietum suarum.*
[24] videlicet per legem, Sacerdotes pios, Prophetas, & servos Dei admonerem: ut per singulas ætates servos excitavit Deus ad revocãdum populum suum a maleficiis: sic infrà 23. 43.
[25] i. ad excelsa, quò vos etiam convenitis, ut scelerati idololatræ.
[26] i. quàm invisum & exosum sit Deo, ac proinde pernitiosum suis cultoribus: ut Deut. 12. & 13.
[27] i. permansit, & integrum est conservatum: ut Jeschah. 1. 25.
[28] secunda pars theseos, ut diximus in V. 5. sententię dictionem continet; in qua comprehenduntur primùm contestatio Jisraëlitarum propter peccata ipsorum & impudentissimam hypocrisin, duobus versib. deinde judicium juramento confirmatum, usque ad vers. 39. & conclusum præsentissima abdicatione repudioq; populi, vers. 39. [g] *Heb. post detestationes ipsorum.* [29] i. si in posterum patiar vos ea hypocrisi perfidiaq; ad me accedere, ut docet mandato vers. 39. [30] i. non succedent cogitationes vestræ, plurimum aberitis à vestris rationibus. [h] *Hebr. existendo.* [31] i. eodem loco habebimur, & perfruemur tranquillè iisdem cõmodis, si communem cultum cum gentibus illis observabimus: ut illi dicebant Jirmejæ 44. [32] i. Regem me vobis gentibúsq; invitis demonstrabo, impios affligendo & perdendo, piosq; secernendo, ut explanatur vers. 35. & tribus seq. [33] i. non sinam vos quiescere, ut putatis, ô idololatræ; sed vexabo vos & exagitabo plurimùm per varios populos locis importunissimis. [i] *Heb. facie ad faciem.* [34] i. totum populum Jisraëlis ita probabo & recognoscam ut pastor gregem, ad recipiendos in fedus & in caulam meam bonos, improbosq; abdicandos: de hac autem ratione vide Levit. 27. 32. [35] id est, bonos ex vobis, synecdochicè: de quibus posteà vers. 40. & sequentibus. [36] i. è terra Jisraëlis, cujus hæredes falsò & justos dominos se gloriabantur esse qui in Judæa cum Rege Tzidkija remanserant: vide suprà 11. 14. & sequentibus. [37] gravissima abdicationis denunciatio, ut diximus in vers. 30. [38] videlicet quàm fueritis è Judæa deportati; cujus non hæredes, sed inquilini ad momentum estis. [39] i. ne ampliùs abutimini nomine meo, neque commune quicquam mecum habetote; siquidem idólis vestris adhæretis, quorum contagio impurari nolo cultum meum: ut hypocritas compellat Deus Jeschah. 1. & 66.

phanate ampliùs donis vestris; & stercoreis diis
vestris.
40 [40] Nam in [41] monte sanctitatis meæ, in
monte celsitudinis Jisraëlis, dictum Domini Je-
hovi, ibi colent me [42] tota domus Jisraëlis,
[k] quanta quanta erit in ea terra; ibi acceptos
habebo eos, ac ibi [43] requiram oblationes ve-
stras, & primitias munerum vestrorum cum om-
nibus rebus sanctis vestris;
41 Cum odore [l] grato acceptos habebo vos,
quando eduxero vos ex populis, & congregave-
ro vos ex regionibus in quas dispersi fueritis: &
sanctificabo me in vobis ante oculos ipsarum
gentium.
42 Et experiemini me esse Jehovam; quum
reduxero vos in terram Jisraëlis; in terram illam
quam sublata manu mea *juraveram* me daturum
majoribus vestris:
43 [l] Ubi recordati viarum vestrarum, omni-
umq; actionum vestrarum quibus vos ipsos im-
purastis; fastidio eritis vobis ipsis propter omnia
mala vestra quæ feceritis.
44 Ita agnoscetis me esse Jehovam, quum
hæc fecero erga vos propter nomen meum, non
secundùm vias vestras pessimas, & secundùm
actiones vestras corruptissimas, ô domus Jisraë-
lis, dictum Domium Jehovi.

[40] tertium membrum, consolatio, ut diximus in vers. 5.
[41] vide suprà 17. 23.
[42] nimirum selecta, ut dixit antè versu 38.
[k] *Heb. una ipsa.*
[43] non autem vetabo & interdicam vobis, ut feci hypocritis, vers. 39.
[l] *Heb. quietis.*
[l] *suprà 6. 9.*

CAPUT XXI.

Deus exitium Judææ primùm allegoria, deinde apertis verbis typoq; prænuncians, ostendit quàm graviter sit per Babylonium affligenda: expeditionis illius consilia effectáq; declarat, prædicit cladem Tzidkijæ, & subversionem regni in Christo demum instaurandi: postremò per occasionem Hammonitis nomine insolentiæ par exitium per Chaldæos futurum pronunciat.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 Fili hominis, dispone faciem tuam
[2] dexteram versus, & [3] fac ut stillet versus Au-
strum; ac prophetato in [4] sylvam agrestem me-
ridiem *versus*:
3 Dicens sylvæ meridianæ, audi verbum
Jehovæ: sic ait Dominus Jehovi, ecce ego [5] ac-
censurus sum in te igné qui consumat in te [6] om-
nem arborem viridem, & omnem arborem ari-
dam, non exstinguetur flamma [b] inflammatissi-
ma, & adurentur ea omnes facies [7] à meridie ad
Aquilonem:
4 Et [c] experientur omnis caro [8] me Jeho-
vam incendere illam; non exstinguetur.
5 [9] Me autem dicente, aha Domine Jehovi;
ipsi dicunt de me, nónne [d] artifex *est* parabola-
rum iste?

CAPUT XXI.

6 Fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
7 [10] Fili hominis, dispone faciem tuam ver-
sus Jeruschalaima, & fac ut stillet [11] loca sancta
versus: & prophetato contra terram Jisraëlis,

[1] Hujus prophetiæ duæ sunt in universũ partes: prima est prolepsis sive propositio ἀπόλλυσα gravissimorum Dei judiciorum contra Jisraëlẽ totam, usq; ad V. 13. secunda est enarratio sive exornatio copiosior ejusdem prophetiæ, inde ad finem usque. In prolepsi autẽ exponenda tres rationes Propheta adhibet; primùm quidem allegoricã, usque ad vers. 5. deinde verò anagogicã, occasione sumtã ab expostulatione Prophetæ, usque ad vers. 11. postremò verò typicam, duobus versib. [2] i. respice versus situm Jeruschalaimorũ, ut exponit anagoge V. 7. nã Prophetæ in Mesopotamia versanti Judæa a meridie erat. [a] *Heb. via dextrorsum.* [3] i. obversa facie eloquere prophetiam tuã: sic Ijobi 29. 22. Hamos 7. 16. & Micæ 2. 6. [4] i. terrã Jisraëlis, quæ cum sylva horrente & infructuosa comparatur: sic deinceps. [5] i. crudelissimũ hostẽ immissurus. [6] i. justum æquè ac improbum, omnes promiscuè: eadẽ similitudine utitur Christus Lucæ 23. 31. [b] *Heb. flamma.* [7] i. ab una extremitate ad alterã omnes judicio Dei afficientur gravissimè: ut ostenditur seq. versu. [c] *Heb. videbuntur: ut Psal. 90. 15. sic deinceps.* [8] i. non humanum opus, sed divinum esse, ac proinde inexpugnabile. [9] transitio ad anagogen ab expostulatione Prophetæ, ut diximus vers. 1. [d] *Heb.* [illegible] *ut infrà 24. 3.* [10] enarratio præcedentis allegoriæ ferè de verbo ad verbum. [11] id est, templum ipsum, & singulas illius partes sine exceptione.

8 Dicens

8 Dicés terrę Jisraëlis, sic ait Jehova, ecce me
contra te exserturum [12] gladium meum è vagina
sua; ut exscindam ex te [13] justum & improbum:
9 Ut exscindam ex te justum & improbum;
idcircò prodibit gladius meus è vagina sua cõtra
omnem carnem à meridie *ad* Aquilonem:
10 Ut experiantur omnis caro me Jehovam
exserere gladium meum e vagina sua, [14] non re-
vertetur ampliùs.
11 [15] Tu ergo fili hominis suspira: [16] cum
fractione lumborum & amaritudine suspirato
ante oculos istorum.
12 Erit autem, quum dicent tibi, quamobrẽ
suspirabundus es? ut dicas, propter [e] rumorem
qui advenit, quo liquescet omne cor, & remit-
tentur omnes manus, caligabítq; omnis spiritus,
& omnia genua [f] diffluent *ut* aquæ, ecce advenit
& fit, dictum Domini Jehovi.
13 [17] Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, di-
cendo,
14 Fili hominis, prophetato dicens, sic ait
Dominus; dic, [18] gladius gladius exacutus, atq;
etiam extersus est:
15 Ut mactet [g] mactandos exacutus est, ut sit
ei [19] coruscatio extersus est: [20] aut gauderemus,
[21] virga filii mei [22] spernente omne lignum?
16 Nam tradidit illum extergendum, capi-
endũ manu: ipse exacutus est vastationi, idémq;
extersus, quem tradat in manum interfectoris.
17 Clama & ejula fili hominis, quia ipse est
contra populum meum, idémq; contra omnes
principes Jisraëlis: [23] detrusi in gladium erunt
cum populo meo; idcircò [24] applaude femori.
18 [25] Quum *fuit* probatio, quid tandem fuit?
[26] an etiam virgæ spernentis non esset? dictum
Domini Jehovi.
19 Tu itaque fili hominis propheta, & [h] [27]
complode manibus: nam [28] iterabitur gladius

[12] i. Chaldæum a me armatum, quo velut gladio usurus sum ad perficienda judicia mea. [13] videlicet per comparationem, id est, eum qui non usque adeò cõtumax & ad injustitiam projectus est: nam alioqui cœtus omnium sylva agrestis nominata est, vers. 2. & ipse Propheta id ipsum ostendit capite sequente, vers. 18. vide Jirme. 3. 6. [14] videlicet donec funditus cõsumpserit: quod dixerat, non extinguetur, suprà vers. 4. sic comparat postremã hanc cladẽ cum superioribus; in quibus castigato aliquantisper populo tamquã recondebat gladium in vaginam suam. [15] tertium mẽbrum, typus, ut notavimus ℣. 1. [16] i. te ipsum exhibeto typum venturæ Judæorum calamitatis, quasi delumbis esses & acerbissimè ex malo tuo ejulares; prout Judæi facturi sunt, quod exponitur seq. ℣. Etsi haud scio an potiùs metonymicè fractio lumborum pro disruptione cinguli ad lumbos accipienda sit: qui alter typus est luctus vehementissimi, ex usu veterum. [e] *Heb. auditionem.* [f] *Heb. abibunt.* [17] postquam Propheta denunciavit rumorem appropinquantis mali; nunc demum transit ad secundã partem, i. enarrationem præcedentis prophetiæ, ut diximus in ℣. 1. per hypotyposin: qua primùm instrumenta judicii divini quasi subjiciuntur oculis, & forma illius, usq; ad ℣. 23. deinde consilia, usq; ad ℣. 28. ac postremò causę eventáq; reliquo cap. [18] i. jam certissimè & accuratissimè comparata sunt arma præstandis judiciis: sic deinceps. [g] *Heb. mactationẽ.* [19] i. summa aptitudo ad cædendum: nam rubiginem impedimento esse omnibus notum est: ac propterea gladius coruscus dicitur Ijob. 20. 25. [20] paralepsis, qua Propheta suspiriorum suorum causam exponit breviter, & incusat surditatẽ cæcitatémq; Judæorũ his impendentibus malis lascivientium. q. d. aut si sumus securi, neque hujus denunciationis sensu afficimur, an eo magis nos oportet in Deum insolescere? [21] i. quum virga sive flagellum quo Jisraëlẽ solitus eram castigare per Christum filium dilectionis meæ jam nõ sit ejusmodi; sed effecta sit gladius crudelissimus, qui omnes omnino spernat, i. æque bonos atque improbos perditurus sit promiscuè, ut antè dixerat: sic inf. ℣. 18. [22] i. cujus aciei nullum lignum possit momentum obsistere; sed ea omne lignum promiscuè æquè viride ac siccũ dejectura sit. [23] videlicet principes, quos modò nominavit, æquè ac tenues è populo. Hoc autẽ participium ducimus ab Hebræo verbo quod habetur Psal. 89. 45. [24] ut Jirm. 31. 19. [25] ipsius judicii quod modò denũciavit Deus, primùm à causa, nempe obfirmato Judæorum animo, nec resipiscente ullis castigationibus, hoc ℣. deinde ab usu impendentis & instantis judicii, versib. seq. sensus est, quum tãtummodo probo ad ignem afflictionum, ecquid tandem efficio in populo isto? inanes sunt omnes castigationes, ut Jescha. 1. 5. & Jirme. 6. 28. & sequentib. [26] i. nónne jam pro virga quam adhibui antehac, gladio illi spernenti ac omnes promiscuè perdituro populum istum exponerem? de quo ℣. 15. [h] *Heb. percute manum ad manum: sic infr. ℣. 22.* [27] i. significatione manuum gratulare, & exhortare Chaldæos ut perficiant judicia mea contra istum contumacem populum. Sic Deus se quoque Chaldæos animaturum esse prænunciat infrà vers. 22. [28] id est, tribus distinctis vicibus cædentur Judæi, & profligabuntur a Chaldæorum copiis. Primùm enim nono die mensis quarti irruptio in opidum facta est, Tzidkija rex captus, & copiæ ipsius fusæ: deinde verò septimo die mensis quinti anno decimo nono Regis Nebucadnetzaris ingressus Nebuzar-adan destruxit opidum, populares deportavit, & principes captivos trucidavit: postremò denique anno vigesimo tertio quum Gedalja præfectus regioni fuisset occisus, & seditiones ortæ, de quibus Jirmejæ 40. & sequentibus, adveniens Nebuzar-adan reliquias deportavit, terrámq; totam desolavit: vide 2. Reg. 25. & Jirmejæ 52.

[i] tertiò, gladius [29] confossorum, idémq; gladius
confossorum magnatum, cubicula permeans il-
lorum.
20 Ut diffluente [k] animo multiplicentur
[30] offendicula, contra [31] omnes portas eorum
disposui mucronem gladii: [32] ah, factus est ad co-
ruscationem, [33] acuminatus ad mactationem.
21 [l] [34] Unis viribus dexteram pete, composi-
tis pete sinistram; quocunque occurrent tibi res
comparatæ.
22 Nam etiam ego [35] complodam manibus
meis, & [36] faciam ut requiescat excandescentia
mea: ego Jehova eloquutus sum.
23 [37] Et fuit verbum Jehovę ad me, dicendo,
24 Tu autem fili hominis, [38] propone tibi
duas vias, adveniente gladio regis Babyloniæ, è
terra [39] unius procedentes ambas; & [40] latus
selige, in [41] capite viæ [42] ad civitatem *spectantis*
selige.
25 Viam *inquam* proponito, qua adveniat
gladius contra Rabbatham Hammonitarum;
aut contra Jehudæos *versantes* in *urbe* Jeruscha-
laimorum munita.
26 [43] Nam stabit rex Babyloniæ in [m] bivio,
in capite duarum viarum, ad divinandum divi-
nationem; [44] terget [n] cultros, consulet imagines,
inspiciet jecur.
27 [45] In dextera ipsius erit divinatio hæc
[46] Jeruschalaima, [47] disponendos esse primores
exercitus, os aperiendum [48] in occisione, tollen-
dam vocem cum clangore: [49] disponendos *igitur*
primores exercitus contra portas, effundendas
aggestas moles, exstruendas munitiones.
28 [50] Erit quidem *hoc* istis tamquam [o] si di-
vines vanitatem in oculis ipsorum, [51] istis [p] ju-

[i] *Heb. aditernam vicem.* [29] id est, confossurus nõ paucos, aut tenues, aut in publicum venientes tantùm; sed quàm plurimos, etiam summos, & in intimis conclavibus pervestigaturus. [k] *Heb. corde.* [30] in quæ miseri imprudentes ruant dum vitæ consultum cupiunt. [31] i. terminum ditionémque totam, synecdochicè: ut Exod. 20. 10. [32] exclamatio pathetica, ut Jescha. 1. 4. sed Prophetæ verbis. [33] i. elaboratus & exacutus, ut stylus acui solet ad exarandum commodissimè & valentissimè: nam vocem Hebræam exemplo R. Jonæ ab Hebræa styli appellatione ducimus quę habetur Jirmeję 17. 1. [l] *Heb. adunate dexteram pete, compone pete sinistram; quo faciei tua comparata erunt.* [34] apostrophe Dei ad gladium, cui mandat exsequutionem sententiæ suæ, per translationem. q. d. pervade omnes partes totius Judææ, neque sinito quicquam tibi effugere. [35] ut suprà vers. 19. [36] ut suprà 16. 42. [37] secundum membrũ enarrationis de consultatione Nebucad-netzaris in suscipienda expeditione: ut diximus in ℣. 13. quam primùm figurat typo, duobus vers. deinde apertis verbis explicat, tribus seq. [38] videlicet in tabula, ut supra 4. 1. qua expressus est typus expeditionis Babylonicæ. [39] id est, ipsius Babylonii, qui procedens è regione sua dubitavit in utros prius irrumperet, Judæósne an Hammonitas, & quod iter suscepturus esset. [40] i. utram viam sequuturus sis. [41] i. principio bivii, ubi via una in duas bifidata est; quo modo capita viarum appellant Jureconsulti: sic infrà ℣. 26. [42] Jeruschalaima, ut primùm expugnentur, dilata contra Rabbatham Hammonitarum expeditione. Hanc verò interpretationẽ freti distinctionibus libri manuscripti aliis præferimus. [43] explicatio typi: ut notavimus vers. 23. [m] *Heb. matre viæ.* [44] superstitiosos ritus Propheta exponit, quibus Nebucad-netzar deos suos erat consulturus & litaturus eis. Sacrificia (inquit) faciet quamplurima (quod synecdochicè hac loquutione *terget cultros* denotatur) præterea idôla sua cõjectis sortibus consulet, & quia ipsa sunt muta neque responsa dare possunt consulentibus, adhibebit extispicia; ut olim apud gentes fuerunt haruspices quorũ judiciis statuebantur æquè belli ac pacis leges. Novimus quidem alias interpretationes placere aliis, sed hanc ex loci ipsius natura & aliorum comparatione simplicissimam esse judicamus. [n] *Heb. divisorios.* [45] i. omnia divinorum aruspicúmq; responsa summa consensione ostendent invadenda Jeruschalaima: & quæcunque sortes ad manum venient, docebunt eamdem expeditionem primùm suscipiendam esse. [46] hanc vocem accipimus pro inscriptione calculorum qui sorte accidebant. q. d. omnibus calculis dicentur invadenda esse Jeruschalaima. [47] id est, facienda esse castra & ordinanda, quæ certissimè victoriam gloriosam reportatura sint expugnatis Jeruschalaimis: huic enim victoriæ ferè adjuncti sunt barritus militaris, vociferatio & clangor insolens: ac propterea victoriam a signis prædicat Jechezkel συνεκδοχικῶς. [48] habitatorum urbis expugnatę. [49] i. cùm dii sortibus & extis res tam lætas portendant, instituendam esse obsidionem arctissimam. [50] occupatio elegantissima, qua Deus Prophetam suum confirmat adversus scandalum obfirmatorum Judæorum, & transit ad tertiã partem enarrationis, ut diximus in vers. 13. id est, causas & eventa prænunciati judicii: sic enim Deus Moschem, Jirmejam, & nostrum hunc Prophetam persæpè confirmavit. q. d. ludificabuntur te, adeóque te ipsum divinationis nefariæ quam de Nebucad-netzare prædicas incusabunt: sed ne curato, non enim tibi, verùm sibi ipsis nocituri sunt sua ipsorum perfidia. [o] *Heb. divinare.* [51] id est, perjuris istis infamibus, qui toties jurati Deo & hominibus impudentissima perfidia sese polluerunt, & semper pejerant ultrò, denique animos gerunt perfidiosissimos, & jusjurandum (quod aiebat Pacuvius) tamquam mantile adhibent quo novæ noxæ quotidie extergeantur. [p] *Heb. juratis juramentorum.*

52 i. hoc ipſum improbiſſimum iſtorum factum, quòd ludificantur te & prophetas meos, calumniisq; ſceleratiſſimis obruunt, efficit ut tota ipſorum iniquitas jámque coram me & coram hoſtibus in rationē veniat, ut brevi deprehendantur in ſuis iniquitatibus, viſitentúrq; de hoc peccato & præcedentibus omnibus: ut loquitur Moſche Exo. 33. 34.
53 tranſitio a cauſis ad eventa, ut diſtinximus præcedente ℣. Sunt autem eventa alia in populares, hoc ℣. alia in Tzidkijam Regem regnúmq; totum, tribus ſeq.
54 videlicet mihi & Babylonio, ut præcedente verſ.
55 i. contumax veſtra in peccatis obduratio palàm ſe ipſam prodit hac ludificatione veſtra.

ratis in juramenta multa: [52] ſed hoc revocabit in
memoriam iniquitatem qua capiendi ſunt.
29 [53] Idcircò ſic ait Dominus Jehovi, eò
quòd [54] revocatis in memoriam iniquitatem ve-
ſtram, dum [55] retegunt ſe defectiones veſtræ,
dum apparent peccata veſtra in omnibus actio-
nibus veſtris: quia verſamini in memoria, [56] ma-
nu illa capiemini.
30 [57] Tu autem prophane improbe, ô prin-
ceps Jiſraëlis; cujus advenit dies, *ſuo* tempore
[q] iniquitatis terminus:
31 [58] Sic ait Dominus Jehovi, [59] amove [60] ci-
darim iſtam, & tolle coronam: [r] [61] hæc futura
non eſt; [62] eum qui in depreſſum *abiis* exalta, &
[63] eum qui altus eſt deprime.
32 [64] Perverſam, perverſam, perverſam red-
dam illam: [65] etiam hæc non futura eſt, donec
venerit is cujus *eſt* jus ipſum, & tradidi illud.
33 ‖ [66] Tu autē fili hominis propheta dicens,
ſic ait Dominus Jehovi de [ſ] Hammonitis, & de
[67] opprobrio illorum: dices igitur, [68] gladius gla-
dius [t] diſtrictus *eſt*, ad mactationem exterſus, ad
conſumendum, *exterſus* propter [69] coruſcationē;
34 [70] Dum vides tibi vanitatem, dum divinas
tibi mendacium; [71] applicando te ad cervices
confoſſorum [u] ab improbis quorum dies adve-
nit, *ſuo* tempore iniquitatis terminus.
35 [72] Repone *gladium* in vaginam ſuam: [73] in
loco ubi procreata fuiſti, in terra converſatio-
num tuarum judicabo te:
36 Et effundam ſuper te indignationem me-
am, [74] igne furoris mei efflans in te; tradámque
in te malum [75] hominum ardentium, [x] artifi-
cum perditionis.
37 Igni eris ad conſumendum, ſanguis tuus
erit in terra fuſus: non verſaberis in memoria
ullius, nam ego Jehova eloquutus ſum.

56 Babylonii, de quo ℣. 24. & ſequentibus. q. d. non ampliùs rejicietur de die in diem veſtra perditio: jam in promtu, jam cōparata eſt manus mancipatura vos. 57 eventus in Regem Tzidkijam per apoſtrophen, quem Propheta compellat Dei verbis: ac propterea omiſſa honorifica omni præfatione (quæ principibus viris tribuitur ex lege, Exod. 22. 28.) ſententiam pro auctoritate dicit, ut 1. Schem. 13. 13. & 1. Reg. 18. 18. & 2. Reg. 3. 13. q *Heb. iniquitas termini: hypallage, ut infr.* ℣. 34. 58 expoſitio proximè præcedentis denunciationis, quam Propheta narrat ſibi à Deo imperatā eſſe. 59 id eſt, prophetando indica mox amovendam eſſe: ſic ſequentia. 60 i. regnum, ſynecdochicè à ſignis, ornamentis regalibus. r *Heb. hæc non hæc.* 61 i. non ampliùs manſurū eſt regnum, ut apertè exponitur ſeq. verſ. 62 nempe Jeconjam, ut narratur 2. Regum 25. 30. & Jirmejæ 52. 31. 63 Tzidkijam. 64 i. funditus everſum & proſtratum erit regnum, deletúmq; ex judicio meo, iteratis & repetitis cladibus per Babylonium: ut dictum eſt ſup. verſ. 19. 65 nempe corona Jeconjæ, i. regnum ita everſum nunquam emerget è tanta perditione, niſi adventu Chriſti; ad quem jus regni ex ordine naturæ & vocatione mea perventurum eſt. Nam utcunque congregatæ fuerint reliquiæ, reſpub. inſtituta, & principes dati poſt edictum Cyri; omnia tamen fuerunt tenuiſſima & conturbatiſſima: ut hiſtoria Hezræ, Nechemjæ, & Macbæorum, prophetiáque Danijelis oſtendunt duobus ultimis capitibus. ‖ *Jirm. 49.* 66 παρέργως in hanc prophetiam inſerta eſt prophetia contra Hammonitas, propter illam propoſitionem quæ habetur ſup. ℣. 24. & duobus ſeq. tum ut Judæi pii qui ſupererant conſolationē caperent de judiciis Dei contra adverſarios ipſorum; tum etiam ut Hammonitæ intelligerent ſe non propterea impunè abituros, quòd Nebucadnetzar priùs ſuſciperet expeditionem contra Jeruſchalaima, ſed ſuas ſibi adventuras vices. alioqui ſingularis horum prophetia continetur inf. cap. 25. ſ *Heb. filius Hammonis.* 67 quo meos indeſinenter affecerint; vide infrà 25. 6. & Tzephan. 2. 8. 68 hujus denūciationis capita ſunt hæc; propoſitio venturi in Hāmonitas excidii per hypotypoſin illius & antegreſſarum occaſionum, hoc & ſeq. ℣. & judicii præfiguratio, trib. ultimis. Hoc autem judiciū per Nebucad-netzarem effectū eſſe docetur Jirm. 25. 21. anno (ut probabile eſt) vigeſimo tertio Nebucad-netzaris, quo ultima deportatio Judæorum facta eſt, Jirm. 52. 30. poſtquam Jiſchmaĥel ab Hammonitis profectus Gedaljam Judææ præfectum occidiſſet, & fuga ſeſe ad Hammonitas recepiſſet, Jirm. 41. 15. t *Heb. apertus.* 69 vide ſup. in verſ. 15. 70 i. intereà dum confidis viſionibus vanis, mendacibúsq; divinationibus (quibus Hāmonitas abundaſſe apparet ex Num. 24.) eáq; fiducia inſolentiſſimè inſultas in miſera Judæorum cadavera, qui judicio Dei fuerunt confoſſi, & infeſtas inhumaniſſimè eorum reliquias quæ jam cum mortuo corpore ſunt comparandæ præ infirmitate ſua; intereà inquam non animadvertis tibi quoque exitium inſtrui, & arma ad manum eſſe quibus tu ipſe pariter conficiaris, adeóque graviùs. 71 id eſt, in miſera Judæorum corpora involando, ut exprobrat Tzephan. 2. 9. u *Heb. improborum.* 72 id eſt, abjice gladium quo infeſtas iſtos, neque ampliùs thraſonem age. 73 id eſt, in tua ipſius regione: periphraſis. 74 id eſt, quæ indignatio ſimilis preſteri aut adurenti vento futura eſt: ut interminabatur Judæis ſuprà verſ. 3. 75 Chaldæorum, animo & facto infeſtiſſimorum tibi. x *Heb. fabrorum.*

CAPUT XXII.

Deus ſeveriſſimum judicium Judæis interminatur propter impia & inhumana omniū facinora: oſtendis ipſos non majoris eſſe quàm ſcoriam impuriſſimam: & Prophetarum, Sacerdotum, Principum, & popularium peccata narrans confirmas interminationem.

1 ‖ [1] ET fuit verbum Jehovę ad me, dicendo,
2 Tu autem fili hominis, an cauſam
ageres? an cauſam ageres civitatis iſtius [a] ſan-
guinariæ? imò notas facies ipſi omnes abomi-
nationes ſuas,
3 [2] Dicens, ſic ait Dominus Jehovi, civitatis
effundentis ſanguinem in medio ſui adventurum
tempus: quæ facit ſtercoreos deos apud ſe ad
impurandum ſe.
4 Sanguine tuo quem effundis rea es & ſter-
coreis diis tuis quos facis impura es; [3] feciſti ut
appropinquent dies tui, & perveniſti ad annos
tuos: idcircò [4] exponam te probro apud gentes,
& ludificationi apud omnes regiones.
5 Quæ propinquæ ſunt & longinquæ a te
ludificabuntur te; [5] ô [b] infamis, copioſa divexa-
tione.
6 [6] Ecce principes Jiſraëlis, [7] pro brachio
cujuſque ſunt in te; ut effundant ſanguinem.
7 [8] Patrem ac matrem vilipendunt in te,
cum peregrino agunt fraude in medio tui; pupil-
lo & viduæ vim faciunt in te:
8 Sanctas res meas ſpernis, & ſabbatha mea
prophanas.
9 Homines [c] detractores ſunt in te ut effun-
dant ſanguinem; & [9] per ipſos montes comedunt
in te, ſcelus faciunt in medio tui:
10 Nuditatem patris [10] *filius* retegit in te;
impuram ex ſeparatione comprimunt in te:
11 Et [d] ‖ alius cum uxore proximi ſui facit
abominationem, & alius nurum ſuam impurat
[e] ſceleratè; & alius ſororem ſuam filiam patris
ſui comprimit in te:
12 Munus accipiunt in te ut effundant ſan-
guinem: uſuram, & fœnus accipis, & quæſtum fa-
cis a proximis tuis fraude, me autem obliviſceris,
dictum Domini Jehovi.
13 Ideò ecce [11] complodo manum meam
propter quæſtum tuum quem facis; & propter
ſanguinem tuum, quæ ſunt in medio tui.
14 [12] An perſtabit [f] animus tuus? an con-
firmabuntur manus tuæ diebus illis quibus ego
acturus ſum tecum? ego Jehova dixi & faciam.
15 Diſpergam enim te in gentes, & ſpargam
te in regiones; faciámq; ut abſumatur [13] impu-
ritas tua ex te:

‖ *ſuprà 20. 4.*
1 Hujus prophetiæ inſcriptio, verſibus duobus, tum Dei mandatum continet, tum etiam prophetiæ totius argumentum de abominationibus regni Judaici & metropoleos, & de judiciis a Deo propter illas eventuris. Sunt itaque hujus prophetiæ mēbra tria, quæ ſingula cauſas cum judiciis explicant. Primum eſt propoſitio, uſque ad verſ. 17. ſecundum, exornatio per ſimilitudinem elegantiſſimam, uſque ad ℣. 23. tertiū, confirmatio ab enumeratione partium, inde ad finem uſque.
a *Heb. ſanguinum.*
2 hæc propoſitio primum quidem prolepticè judicium Dei & cauſas exponit duas, nimirum injuſtitiam & impietatem, trib. ℣. deinde prolepſin enarrat exponens per congeriem cauſas, a ℣. 6. ad 13. poſteà verò judicia, ad 17. uſque.
3 i. acceleraſti judicium tuum, & impleviſti tempus quo luas tuarum iniquitatum pœnas.
4 ex comminatione Deut. 28. 37.

5 verba Dei infamiam & improbitatem maximam ac turbulentiſſimam exprobrantis urbi Jeruſchalaimorum: ita comparatur tranſitus ad enarrationem prolepſeos. b *Heb. impura nomine.* 6 enarratio prolepſeos, ut diximus in verſum 3. 7 id eſt, omnis injuſtitiæ ſunt adminiſtri, & ſuam auctoritatem tamquam injuſtitiæ brachium omnibus vendunt & commodant, contra leges Exod. 23. 6. & Deut. 16. 19. 8 congeries ſcelerum quibus univerſis eſt interdictum, Levit. 18. & 19. & 20. 9. c *Heb. detractionis.* 9 ut ſuprà 18. 6. 10 ellipſis relati nominis, ut Levit. 21. 4. d *Heb. vir: ſic deinceps.* ‖ *Jirm. 5. 8.* e *Heb. cum ſcelere.* 11 ut ſuprà 21. 17. & 23. quaſi dicat, excito omnes, & provoco adverſum te. 12 interrogatio continens latentem ironiam: videris tibi (inquit Deus) præpotens & firma futura animo viribúsque; ſed quid iſta ad potentiam meam? non poterit animus tuus, ut ut modò inſoleſcat, neque vires tuæ, quantæcunque eſſe videantur, perferre gravitatem judicii mei. f *Heb. cor tuum.* 13 id eſt, homines impuri tui: hypallage.

16 [14] Et

14 id est, abdicata a Deo sancto Jisraëlis, prophanisque gentibus exposita.
15 secunda pars prophetiæ, expositio propositionis per comparationem Jisraëlis cum metallorum scoriis, ut diximus suprà in vers. 1.
g Heb. sunt mihi in scoriam: sic deinceps.
h Jeschah. 1.25. & Jirm. 6.30.
16 id est, scoria & excrementa omni utilitate & voluptate carentia; idque eo indignius, quòd antè pro argento lectissimo habebantur mihi.
h Heb. sunt fundere ver- ... fuus.
17 velut catinum fusorium, sequentis.
l Heb. congregatione argenti.
k Heb. in medium ejus; sic V. 22.
18 fame, peste, & gladio obsessis ... Jeruschalaimi ... Deus ... & 5. & alias ...
19 tertia pars, confirmatio, ut diximus in versum ...
20 ...
21 propositio ... impuritatis Judææ: cujus complexio habetur post sex versibus.
21 id est, nullo pacto liberaberis, ac ne levaberis quidem exardescente judicio meo: metaphora ab incendio, ad quæ restinguenda solet aqua comportari; vide V. ultimo.

16 [14] Et prophana effecta in te ante oculos gentium, experieris me esse Jehovam.
17 [15] Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
18 Fili hominis, [16] [g] effecti sunt mihi domus Jisraëlis pro scoria: omnes sunt [h] æris, ferri, & stanni, ferrique, ac plumbi in catino, [i] scoriæ ex argento effecti sunt.
19 Idcircò sic ait Dominus Jehovi, eo quòd effecti estis vos omnes scoriæ, idcircò ecce ego congregaturus sum vos [17] intra Jeruschalaimum.
20 Ut congregatur argentum, & æs, ferrúmque, ac plumbum, & stannum [k] in catinum, sufflatur circa eum ignis ad fundendum; ita congregabo ira mea & excandescentia, & collocans illic [18] fundam vos:
21 Nam comportabo vos, & sufflabo circa vos ignem furoris mei, ut fundamini in medio ipsius urbis.
22 Ut funditur argentum in catino, ita fundemini in medio illius; & experiemini me esse Jehovam effundentem excandescentiam meam super vos.
23 [19] Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
24 Fili hominis, dic isti, [20] tu terra es quæ mundata non es, [21] non perfunderis pluvia die indignationis.
25 [22] Conjuratio prophetarum ejus in medio ejus est, similes sunt leoni rugienti, prædanti prædam: animas comedunt, [23] robur & res pretiosas capiunt, viduas ejus multiplicant in medio ejus.
26 Sacerdotes ejus [24] vim faciunt legi meæ, & prophanant res sanctas meas; inter sanctum & prophanum non discernunt, & inter impurum & purum discrimen non ostendunt, ac a sabbathis meis occultant oculos suos, denique prophanor inter eos.
27 Principes ejus in medio ejus sunt tanquam lupi prædantes prædam ad effundendo sanguinem, perdendo animas ut faciant quæstum:
28 Prophetæ verò ejus [25] obducunt eis ineptum tectorium, videntes vanitatem, & divinantes eis mendacium; dicentes, sic ait Dominus Jehovi, quum Jehova non loquutus est.
29 Populus ipse terræ fraudant fraude, & rapiunt rapinam: pauperemque & egentem opprimunt, ac peregrinum fraudant [l] injuria.
30 Dum autem quæro ex eis aliquem [26] qui obducat sepem, & consistat in irruptione coram me pro ipsa terra ne corrumpam eam; non invenio.
31 Quapropter effundens super eos indignationem meam, igne furoris mei consumam eos: [27] viam suam in caput ipsorum reponam, dictum Domini Jehovi.

22 enarratio hæc impuritatis, ut diximus suprà in versum 1. fit per enumerationem partium quæ in regno Judæorum erant: quamobrem recensentur eius malefacta primùm Prophetarum & Sacerdotum, duobus versibus; deinde Principum, duobus alteris; postremò populárium, vers. 29. tum verò vacuitas ab omni bono, cujus boni ratione judicia fuisset misericorditer cohibiturus Deus, versu 30. 23 id est, opes & facultates quibus homines se solent confirmare: sic accipitur Proverb. 15.6. & 27.24. 24 id est, planè palámque contrà faciunt quàm ipsis imperavi lege: sic Tzephan. 3.4. 25 ut suprà 13.5. & sequentibus. l Heb. non jure. 26 ut suprà ibidem: vide idem argumentum Jirm. 5.1. 27 ut suprà 16.43.

CAPUT XXIII.

Deus allegoria impietatem & inhumanitatem Jisraëlitarum Judæorumque explicat, quòd inter se, cum diis nationibus, externis perfidè scortati sint: judicium ostendit ab amatoribus repudiatis eventurum, quia neque monitis, neque exemplis resipuerint: deinde ad ipsa tempora veniens exaggerat illorum iniquitatem, judiciumque gravissimum præsentibus esse docet.

1 [1] Fuit quoque verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 Fili hominis, [2] duæ fœminæ, filiæ matris unius fuerunt.
3 Quæ scortantes in Ægypto in pueritia sua scortabantur, ibi compressa fuerant ubera earum, ac ibi subegerant mammas [a] virginales earum.
4 Nomina autem earum, Ahola majoris, & Aholiba sororis ipsius, [3] quæ [b] nuptæ mihi pepererunt filios ac filias: nomina inquam earum, [4] Schomeronis Ahola, Jeruschalaimorum autem Aholiba.
5 Sed scortata est Ahola [c] exteros recipiens loco meo, egitque amasiam cum amatoribus suis, cum Assyriis [5] propinquis,
6 [7] Indutis hyacinthino principibus & antistitibus, juvenibus [c] desideratissimis omnibus, equitibus, qui vehebantur equis.
7 Et exposuit scortationes suas ipsis, delectissimis [d] Assyriorum omnibus: & quorumcunque amasiam egit, ipsorum stercoreis diis omnibus impuravit se.
8 Denique scortationes suas [8] deditas ab Ægypto non dereliquit; quòd ei concubuissent in pueritia ejus, & ipsi subegissent mammas virginales ejus: sed effuderunt scortationem suam in eam.
9 Idcircò tradidi eam in manum amatorum ipsius; in manum Assyriorum, [9] quibus cum amasiam egerat.
10 Ipsi retexerunt nuditatem ejus, filios ejus filiásque ejus ceperunt, & eam gladio occiderunt: ita fuit [e] celebris reliquis fœminis, quum judicia exercuissent in eam.
11 [10] Videns verò soror ejus Aholiba, [f] corruptiùs egit amasiam quàm illa, & scortationes suas corrupit præ scortationibus sororis suæ.

1 Hujus prophetiæ, cui cum superioribus argumento convenit, partes omnino sunt duæ: una est sententia Dei κατὰ ... adversus Jisraëlem totum propter continuam impietatem & improbitatem ipsius, usque ad V. 36. altera est sententia singularis adversus ætatem illam quæ majorum peccatis graviora peccata accumulaverat, inde ad finem usque. Quamobrem in utraque hac prophetia bina sunt membra; videlicet narratio peccatorum præcedentium, & prophetica judicii futuri denunciatio. Ac in priore quidem prophetia narratio fusa est, & protenditur usque ad V. 22. prophetia verò judiciorum comprehenditur V. reliquis. 2 tota hæc narratio (ut supr. 16. & 20.) est allegorica; quia conjunctio Ecclesiæ cum Deo & spiritualis conjugii humano conjugio comparatur: eadem Deus est in allegoria, respublica Jisraëlis mater ex qua progenita sunt duo regna, Jisraëlis & Jehudæ; quæ cum filiabus comparantur, & quum ... fœdus pepigissent Deo, sceleratissimè dicuntur defecisse ab illo, & turpissima idololatria se inquinasse: quod prolepticè dictum, his tribus versibus, postea particulatim narratur tum de Jisraëlis regno, vers. 5. & quinque sequentibus; tum verò de regno Jehudæ, usque ad versum 22. 3 id est, a prima sua ætate ... defectione a Deo & idololatria communicârunt cum Aegyptiis: ut suprà 20.8. Hæc autem omnia, ut mox monuimus, dicuntur allegoricè. a Heb. virginitatis: sic infrà vers. 8. b Heb. quum fuissent mihi. 4 id est, regni Jisraëlis, synecdochicè; ut Jeruschalaimi quoque designat regnum Jehudæ. Sunt autem duæ istæ voces, Ahola & Aholiba, de industria fictæ ad ostendendam divisionem & constitutionem utriusque regni; nam quòd regnum Jisraëlis vocatur Ahola, id est, tentorium suum, ostendit Jisraëlitas inde a tempore illius discessionis non ampliùs habuisse templo Dei, & domui Davidis; sed tentorium suum sibi habuisse seorsim, ut ipsi nominatim proclamasse leguntur 1. Regum 12.16. Quòd verò regnum Jehudæ vocatur Aholiba, id est, tentorium meum in ea, ostendit Judæos apud se templum Dei, sacerdotium, regnum, atque adeò ipsam majestatem Dei apud se præsentem habuisse, prout rex Abija Jisraëlitis explanat 2. Chronicon. 13.5. & sequentibus. 5 prius membrum prolepseos, ut diximus in versum 2. de quo argumento legendum suprà 16. 6 id est, qui regnante Pulo Syriam occupaverant regno Jisraëlis proximam, ex qua propinquitate factum est ut Menachem sibi Assyrium adjungeret: vide 2. Reg. 15.19. & in Jeschah. 7.8. 7 id est, opulentissimis, speciosissimis, & potentissimis: vide 2. Reg. 18.24. & Jeschah. 10.8. c Heb. desiderii: sic deinceps. d Heb. filiorum Assyriorum: sic deinceps. 8 id est, quas primùm in Aegypto hauserant, ut suprà mammis virginalibus figuravit. Nam vituli cultum, quem inde acceperant, instauravit Jarobhamus, &c. quæ perdurarunt usque ad excidium regni. Præterea non dubium est quin Jarobhami & successorum opera Aegyptii, Aethiopésque Judææ regnum infestaverint, 1 Regum 14.25. & 2. Chron. 12. & 14. 9 & a quibus postea luxata anima ipsius defecerat per ultimum regem suum, 2. Regum 17.4. e Heb. nominis. 10 id est, quamvis regnum Judæ palàm animadverteret malefacta Jisraëlitarum, & pœnas de illis sumtas. Est autem hic narratio secundi membri prolepseos, ut diximus in versum 2. f Heb. corrupit suam (ut ita dicamus) amasiationem præ illa. vide comparationem hanc Jirm. 2. & sup. 16. hujus autem propositionis κατὰ ... dicta enarratio sic deinceps: nam adjuncto primùm Assyriorum, vers. 12. & 13. deinde Chaldæorum usque ad vers. 18. ac postremò Aegyptiorum aliorumque exponitur.

12 Cum Assyriis amasiam egit, principibus & antistitibus [e] propinquis, indutis perfectissimè, equitibus qui vehebantur equis; juvenibus desideratissimis omnibus:

13 Adeò ut viderem ipsam impuratam esse, [14] viam eamdem esse ambabus ipsis.

14 [15] Sed adjecit ad scortationes illius; [16] nam videns homines [g] expressos in pariete, imagines Chaldæorum expressas [17] Indico,

15 Accinctos cingulo lumbis suis, redundantes [h] coloribus ad capita sua, specie ducum omnes; similitudinem [i] Babyloniorum Chaldæorum, [k] in solo natali suo sunt:

16 Amasiam egit cum eis ad aspectum oculorum suorum; [18] missis legatis ad ipsos in Chaldæam.

17 Congressi itaque cum ea Babylonii concubitu [l] amatorio impurarunt eam scortatione sua: & postquam impuravit se cum eis, [19] luxata est anima ipsius ab eis.

18 Quum itaque [20] retegat scortationes suas, retegátq; nuditatem suam; luxata est anima mea ab ea, quemadmodum luxata fuerat anima mea a sorore ejus.

19 Multiplicat enim scortationes suas; [21] recordando dies pueritiæ suæ quibus scortata fuerat in terra Ægyptiorum,

20 Et amasiam agit [22] cum concubinis eorum; [23] quòd velut caro asinorum caro eorum sit, & velut [24] fluxus equorum fluxus eorum.

21 Sic [25] revisis scelus pueritiæ tuæ; subigendo ab Ægyptiis mammas tuas, propter subacta ubera pueritiæ tuæ.

22 [26] Idcircò ô Aholiba, sic ait Dominus Jehovi; ecce ego excitaturus sum amatores tuos in te, eos a quibus luxata est anima tua; & adducturus eos contra te circumquaque,

23 Babylonios, omnésq; Chaldæos; [27] Pekodæos, [28] Schohæósque, & [29] Kohæos, omnes Assyrios cum ipsis; juvenes desideratissimos, principes & antistites omnes, duces, & [m] celeberrimos, vectos equis omnes:

24 [30] Qui invadent te falcatis curribus, plau-

strus, & essedis, & congregatione populorum, clypeum, & scutum, & galeam disponent contra te circumquaque: & proponam illis jus ut judicent te judiciis suis.

25 Nam opponam [32] zelum meum tibi, ut agant tecum in excandescentia; [33] nasum tuum & aures tuas amovebunt, & tandem gladio concidas; ipsi filios tuos, filiásq; tuas capient, & [n] tu tandem consumaris igne.

26 Postquam nudaverint te vestibus tuis, & ceperint instrumenta ornatus tui:

27 Ita faciam ut [34] cesset scelus tuum a te, & scortatio tua allata e terra Ægypti; adeò ut non sis sublatura oculos tuos ad eos, & Ægyptiorum non recordatura amplius.

28 Nam sic ait Dominus Jehovi, ecce ego trado te in manum [35] eorum quos odisti; in manum eorum a quibus luxata est anima tua:

29 Ut agant tecum odio, & accipiant totum laborem tuum, & derelinquant te [o] nudissimam & retectissimam; retecta nuditate scortationum tuarum, & scelere tuo cum scortationibus tuis.

30 [36] Faciendo ista tibi; [p] eò quòd scortando persequeris gentes, eò quòd impuras te stercoreis diis earum;

31 Quòd in via [37] sororis tuæ ambulas; ideò trado [38] poculum ejus in manum tuam.

32 [39] Sic ait Dominus Jehovi, poculum sororis tuæ bibes profundissimum & latissimum, erit [q] capacissimum; [40] ad faciendum risum & subsannationem.

33 Ebrietate & mœrore repleberis; poculo desolationis [r] & quidem desolatissimæ, poculo sororis tuæ Schomronis.

34 [41] Bibes enim illud & exsuges, [42] & testas ejus volens comminues; potiùs mammas tuas avelles: nam ego eloquutus sum, dictum Domini Jehovi.

35 [43] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, quia oblita es mei & [44] rejecisti me post tergum tuum; ideò etiam tu reporta scelus tuum & scortationes tuas.

36 [45] Deinde dixit Jehova mihi, fili hominis, an causam ageres Aholæ & Aholibæ? imò indica eis abominationes ipsarum:

37 [46] Quòd adulterantur, & sanguis inest manibus ipsarum, & cum stercoreis diis suis adulterantur: [47] etiámq; filios suos quos pepererant mihi traducunt illis consumendos:

38 Ad hæc istud faciunt mihi, [48] polluunt sanctuarium meum eodem die, & sabbatha mea prophanant:

39 Nam postquàm jugularunt filios suos stercoreis diis suis, veniunt ad sanctuarium meum eodem die ad prophanandum ipsum: imò ecce sic faciunt [f] [49] in medio domo mea:

40 [50] Quin etiam quòd mittitis ad homines

[12] ut narratur 2.Reg.16.7. & Jeschah.7.11. [13] ut suprà vers.5. [14] id est, hoc Judææ regnum æquè teneri impietatis & sceleratæ vitæ, ac tenebantur Jisraëlitæ. [15] exaggeratio a secundo crimine, ut diximus in vers.11. [16] nam ad solam memoriam & imaginationem Chaldæorum, non satis habuit Assyriis, sed exarsit levitate summa & furore vehementissimo in amorem & studium adjungendi eos sibi, quos tantùm per umbram & imaginem aspexerat: elegantissima levitatis idololatrarum & infidelium descriptio, prostibulorum specie. [g] Hebr. rei expressa. [17] vide Jirm. 22.14. His autem verbis ordinaria Chaldæorum constitutio describitur, ut exponit Propheta in fine sequentis vers. [h] Heb. infectis. [i] Heb. filiorum Babylonis: sic deinceps. [k] Heb. terra nativitatis suæ. [18] primùm (ut credibile est) per Chizkijam, quando legatio Berodac-baladanis in Babyloniam reversa est; unde gravissima illa denunciatio est consequuta quæ legitur 2.Reg.20. & Jesch. 39. deinde verò per Menaschem conjunctam, & sequentes reges. [l] Heb. amorum. [19] id est, quamvis artissimo fœdere conjuncta esset, offensione tamen aliqua suscepta discessit ab eis, ut se ad Aegyptios reciperet: & vide metaphoram hanc Jirmeja 6.8. qua deinceps toto hoc capite habetur frequentissimè. [20] id est, palàm se prostituat Aegyptiis & vicinis omnibus abjecto Babylonio: vide infrà vers.40. & sequentibus. [21] i. revocando primam scortationem suam, atque exercendo. [22] i. ut alii populi Aegyptio adjuncti, similiter fœdera conjungit cum illo, certatímque omnes inter se exercent rivalitatem apud Aegyptium: quod ampliùs exponitur infr. V.42. [23] ut suprà 16.26. [24] i. profluvium genitale, allegoricè pro eo quod est, qui circumfluunt & exundant omni scelere & impietate copiosissimè. [25] id est, repetis eamdem scortationem quam primùm cœperas, & redis ad principia sua, de quibus supr. V.3. [26] secunda pars prioris prophetiæ, exponens judicia Dei contra Judæos propter præcedentia scelera: qua in parte primùm judicia sua exponit nudis verbis, usque ad V.32. deinde figurat, tribus versib. ac postremò summam sententiæ repetit, vers.35. [27] vide Jirm.50.21. [28] populos in media Assyria sitos sub Meratajimis, in quibus situm est opidum Sia apud Ptolemæum. [29] populos item Assyriæ in interiore illius parte positos ad Arbelitidem, ubi fuit opidum olim munitissimũ Koah, historicis Gauga (ut literam Rajin mutari in G. observavimus Genes. 10. & alibi passim) ex quo factum est ut Strabo vocet Gaugamelam, quasi Gaugam munitionem dicas, voce composita. [m] Heb. vocatos. [30] veterem militiã his verbis describit Propheta evidentissimè, exponens primùm vecturæ genera, deinde armorum ad defensionem comparatorum. Tria autem vecturæ ponuntur genera: primum est falcatorum curruum, quos scriptura ferratos, id est, ferro armatos vocat: secundum, plaustrorum sive arcerarum (ut vocant veteres) quæ cameratæ erant ad commoditatem & defensionem vectorum: tertium est χειραμαξιῶν, chiramaxiorum, id est, arcuniasũ (ut veteribus fuisse dictas testatur Festus) levissimorum curruum & trusatilium manu, quibus unus tantùm vir capi poterat, capso angustissimo insidens & ex eo depugnaturus: quod genus curruum quia propemodum solis constabat rotis, apud Hebræos rotarum nomen obtinuit synecdochicè, apud Latinos in re militari dicuntur ab essedo essedæ. Armorum verò ratio tota quæ hic ponitur, est ipsa per se evidentissima.

[31] Largiar spiritum virtutemque eam, ut exequantur judicia mea quæ deinceps exponuntur. [32] i. zelotypiam maritalem meam. [33] ignominiosè & deformem te reddent velut adulteram, qua forma sua indignissimè abusa fuerit: allegoria, ut sup. [n] Heb. forma. [34] i. tu ipsa, desinas sceleratam esse: hypallage. [35] de quibus suprà V.22. & 23. [o] Heb. nuditatem & retectionem, ut suprà 16.6. [36] repetitio brevis præcedentium judicii, & per allusionem ad figurationem aliam, vers.32. & sequentibus. [p] Heb. sequendo scortationem post gentes. [37] Aholæ, de qua V.4. & seq. [38] ut Jesch. 51.17. & Jirm. 25.15. [39] figuratio elegans notæ gressa judicii, ut diximus in vers. 22. per allegoriam poculi quod miscet Deus, & ebrietatis mœstissimæ qua Judæorum regnum periturum & ludibrio apud gentes futurum erat. [q] Heb. amplum ad capiendum. [40] i. ut ridendam te omnibus propinet pro judicii quod subitura es gravitate: vide 2.Reg. 21.13. [r] Heb. & desolationis. [41] vide Jesch. 51.17. [42] i. quæcumque rima aut contentione adhibueris ad effugiendum aut frangendum poculi, allegoricè designatur propter appellationem scorti. Idem altera allegoria propheta retat Jeschahja, in fine capitis quinti. [43] summa sententiæ, ut diximus in V.32. [44] ut 1.Reg.14.9. & Nechem.9.26. [f] suprà 20.4. & 22.2. [45] secunda hujus prophetiæ (ut diximus in vers.2.) similiter membra sunt duo: unum est narratio, sive contestatio, exponens illius seculi malefacta, usque ad V.43. alterum judicii pronunciatio sententiáq; ad finem capitis. [46] narratio hæc duo crimina summatim continet: unum, est intestinorum scelerum, tribus versib. alterum verò scelerum perpetratorum cum exteris, vers.40. & sequentibus: qua in re gradatio est vehementissima, quòd ne intestinis quidem suis sceleribus & gravissimis habentes satis, exotica omnia consquirerint studiosissimè; quæ omnia hic per prolepsin universè dicta, deinceps minutatim exponuntur. [47] vide sup.16.20. hæc omnia gradatim ut diximus. [48] id est, ut polluti sunt, accedunt me, & exercent cultum externum meum, ut religiosi habeantur: sic Jeschah.66.3. [f] Heb. in medio domus meæ. [49] videlicet exemplo Menaschis, quem imitati sunt posteri, 2.Reg.21.4. & sequent. [50] secundus locus criminum, ut diximus in vers.37. de consociatis exteris; qui per apostrophen ad Judæos enunciatur emphaticè, tanquam ad scorta mœchos invitantia: ut sup.16.31. & sequentibus.

venturos

venturos e longinquo; [51] qui legato misso ad se statim ecce veniunt, quorum causa [52] lavas te, fucas oculos tuos, & ornas te ornatu,

41 [53] Insides lecto honorato cum mensa instructa ante ipsum; qui *lecto* suffitum meum ac unguentum meum adhibes.

42 [54] Quúmq; vox multitudinis tranquilla *est* in ea; ad homines quoque e [t] vulgo *missitis*, qui adducuntur ebriosi ex deserto; [55] ac si daturi essent armillas manibus ipsarum, & coronam ornatus capitibus ipsarum.

43 [56] Et quamvis dicam isti effœtæ adulteria; modò scortari istos scortationibus hujus, & *modò* illius:

44 Congreditur *quisque* cum ea, ut congreditur *quis* cum muliere scortante: ita congredisitur cum Ahola & cum Aholiba, fœminis [u] sceleratissimis.

45 [57] Quare homines justi, ipsi judicabũt istas [58] judicio adulterarum, & judicio effundentium sanguinem: nam adulteræ sunt, & ‖ sanguis *est* in manibus ipsarum.

46 [59] Nam sic ait Dominus Jehovi; faciendo ut ascendat super istos [60] congregatio, & tradendo eas commotioni & direptioni,

47 [61] Obruent eas lapidibus congregatio, & putabunt eas gladiis suis: filios earum & filias earum interficient, & domos earum igne comburent.

48 ‖ Ita faciam ut cesset scelus ab hac terra: & erudientur omnes fœminæ, ne faciant secundùm scelus vestrum;

49 Cùm regesserint illi scelus vestrũ in vos, & peccata stercoreorum deorum vestorum feretis: ita experiemini me esse Dominum Jehovim.

[51] id est, qui ad minimam significationem tuam advolant. [52] id est, omnino te comparas ut Thais impudentissima, ad pelliciendos & inescandos amatores: quod eodem modo figuratur hoc & sequente vers. quo figurat sapiens Proverb. 7. [53] id est, accumbis & convivas accipis lautissimè. [54] amplificatio a sordidus istius meretricis, quòd non tantùm honoratos amatores, sed etiam turpissimos accipiat & provocet in amplexum suum, idque ex intemperantia & libidine maxima, quòd honorati amatores non satis furere viderentur, & amatoriè circumstrepere. Hoc enim strepitu turpissima ferè prostibula gloriari solent. Sic suprà 16.24. & sequentibus. quasi dicat, non satis fuit quòd Assyrios, Babylonios, Aegyptiósq; nobiles populos tibi adjunxeris, sed infimos quoque & abjectissimos, de quibus Jirm. 27.3. [t] *Heb. multitudinis hominum: periphrasis.* [55] i. essent muneraturi eam amplissimis muneribus. [56] i. doceam, reprehendam, & comminer gravissimè adulteriorum nomine per Prophetas meos, ut suprà 20.29. amplificatio a contemtu monitorum Dei & contumacia. Sunt autem duo monitorum genera: prius, perfidè agere Judæam erga Deum suum; posterius, ne illos quidem quorum consortium expetit fideles fore, sed fide instabili modò ipsis, modò aliis adhæsuros, prout dabunt tempora: ut monuit Propheta de Hammonitis suprà 21.33. & sequentibus. [u] *Heb. sceleris.* [57] transitio ad pronunciationem sententiæ atque judicii, ut notavimus in vers. 36. [58] ut suprà 16.38. ‖ *Suprà vers. 37.* [59] explicatio singularis judicii, quod universè fuerat denunciatum, præcedente V. [60] i. Chaldæorum copiæ. [61] explicatio commotionis & direptionis quæ modò dicta est propter pœnas superventuras, qualeis Deus in adulteras Lege instituerat. ‖ *Supr. vers. 27.*

CAPUT XXIIII.

Deus regnum Judææ ipsámq; metropolim typicè impietatis summæ & inhumanitatis accusans, ostendit se cõsumturum ipsos & ipsorum sedes funditus: deinde in Propheta alterum typum exhibet excidii generalis atque gravissimi; in quo typo illum perstare jubet usque ad minarum suarum complementum.

1 [1] DEinde fuit verbum Jehovę ad me, ‖ anno [2] nono, mense decimo, *die* decimo mensis, edicendo,

2 Fili hominis, scribe tibi nomen hujus diei, hunc eumdem diem: [3] incumbit rex Babyloniæ in Jeruschalaima hoc ipso die.

3 [4] Et [a] utere contra domum istam [b] rebellem parabola, indicens eis, [5] sic ait Dominus Jehovi; [6] dispone istam ollam, dispone; & etiam infunde in eam [7] aquas.

4 [8] Colligendo membra [9] ejus in ipsam, omne membrum bonum, femur & [c] armum; [10] dilectu ossium implendo,

5 [11] Delectum gregis accipiendo, & etiam [12] pyram ossium sub ipsa; [13] fervefac [d] eam quamplurimùm, [14] elixant etiam ossa ejus in medio ipsius.

6 [15] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, væ civitati isti [e] [16] sanguinariæ; ollæ in qua *est* [17] spuma sua, & ex qua non exivit spuma ipsius, [f] [18] mẽbratim, membratim extrahe illam, [19] non accidat in eam sors.

7 [20] Quia sanguis ejus in medio ejus *est*, [21] in loco arduo petræ posuit eum; non effudit eum super terram ad tegendum eum pulvere:

8 [g] Accendendo excandescentiam ad sumendum ultionem, [22] disponam sanguinem istius in arduo petræ; ut non tegatur.

9 [23] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, væ civitati isti sanguinariæ: etiam ego magnam efficiam ejus pyram,

10 Multiplicando ligna, accendendo ignem, consumendo carnem; ut [h] conditura conditissima ossáque ipsa adurantur,

11 Et statuendo eam super prunas suas [24] vacuam; ut incalescat & aduratur [25] ærugo ipsius, fundatúrque in medio ejus immunditia ipsius, consumatur spuma ipsius.

[1] Hujus prophetiæ (qua postremò ante excidium regni Judaici miserabilem ruinam illius Prophetę pręnunciavit) præter inscriptionem comprehensam vers. 1. & 2. summæ partes sunt duæ: una est explicatio venturi contra Judæos gravissimi judicii a Domino, usque ad versum 15. altera est typorum, quibus velut sigillis confirmatum est argumentum totius prophetiæ, ad finem usque capitis. ‖ 2. *Reg.* 25.4. & *Jirm.* 52.4. [2] a deportatione Jeconjæ, unde ferè numerat Jechezkel: ut notavimus sup. à 1.2. [3] his verbis exponit Deus cur nominatim diem monimentis literarum inscribi velit; nempe quòd eo ipso die quo primùm Nebucad-netzar instituebat obsidionem Jeruschalaimorum, eodem die Propheta versans in Mesopotamia rem quæ ad Jeruschalaima, id est, quàm longissimè gerebatur, propinquis suis exponebat, atque ita prædictionem rerum futurarum quæ posteà sequitur confirmabat.

[4] prophetia hæc judiciorum duabus potissimùm partibus continetur: quarum una est allegoria sive parabola, exponens tum impietatem Judæorum, usque ad versum 6. tum judicia propter impietatem eventura, usque ad vers. 9. altera est exornatio ejusdem prophetiæ partim verbis propriis, partimque figuratis, ad versum 15. [a] *Heb. παραβάλλει: ut suprà 17.2. & 18.2. & 3.* [b] *Heb. rebellionis.* [5] in priore hac parte allegoriæ Deus per Prophetam jubet impietatem Judææ totius figurari olla: nam olla typus fuit Jeruschalaimorum, ut suprà 11.3. & 7. & sequentibus: membra gregis, & ossa, omniáque in ollam indita, typi fuerunt Judæorum illic commorantium regnante Tzidkija: aqua fervens & ignis, typi fuerunt malorum quæ illi omnes inter se alii aliis importaverant, ut ibidem Propheta memorat. Quamobrem judicium quoque maleficiis accommodatur posteà, vers. 6. & sequentibus. [6] id est, ut hactenus verbo indicasti Judæis abominationes ipsorum (ut dictum est suprà 14. & 20. & 23.) ita jam ipsis exprobra, hoc signo aspectabili figurans scelera quæ fecerunt, & adhuc faciunt. [7] quibus alii fervefecerunt alios: sic allegoricè notantur intestina odia, & peccata quibus planè immersi erant. [8] id est, omnes æquè parvos ac magnos hoc signo ostende æstuare & fervere maleficiis in medio Jeruschalaimorum: nam summates membris pretiosis & electis, infimi & contemti ossibus figurantur; utrique verò sua impietate & maleficiis fervere quamplurimùm dicuntur, tamquam in olla disposita, duobus versibus. [9] id est, eos qui sunt in illa urbe figurando membris in ollam comportandis; tum bonis & pretiosis, quibus viri principes significantur; tum grege ossibúsque, quibus significatur vulgus. [c] *Heb. humerum.* [10] id est, opimis & præpinguibus omnibus. [11] id est, populares & plebeios; qui in duas similiter classes distribuuntur, ut nobiliores distributi sunt, pręcedente vers. quasi dicat, assiduos e plebe primùm, locupletes, & commodè vitam suam degentes, deinde alios abjectissimos & exesos aliorum injuriis. [12] id est, tenuissimos, qui velut ossa coacervata negliguntur & a potentioribus consumuntur. [13] id est, hac tua olla ferventissima demonstra quantoperè ferveant omnia scelera Jeruschalaimis, & fervefiant omnes mutuis maleficiis; prout exponit Deus verbis sequentibus. [d] *Heb. fervefactiones ejus.* [14] id est, nulli maleficio parcunt, & nudos etiam ipsos spoliant, ut vulgò dici solet. [15] propositio allegorica judicii, propter mala quæ figurata sunt superioribus versibus. [e] *Heb. sanguinum: sic vers. 9.* [16] id est, confertæ cædibus: ut 2. Regum 21.16. quod exponitur sequente versu per allegoriam. [17] id est, sordes publicæ, & magis magisque ebullientes ex indignissimis sceleribus. [f] *Heb. per membra ipsius per membra ipsius.* [18] id est, exinaniendo hanc ollam tuam, prout singula membra ad manum venerint, donec totam exhauseris; ostende hac figura fore ut minutatim omnes incolæ Jeruschalaimorum dispereant, donec desertum sit opidum: ut dictum est supr. 21.19. & sequentibus. [19] id est, nihil refert quod primum extrahas: tantùm ut obvenerint membra & ossa, ita educito, modò educas omnia. [20] ætiologia allegorica ejus quod dixerat, civitatem sanguinariam esse & plenam sordibus, a figura legis. Nam, inquit Deus, similes sunt carni cujus non est depuratus sanguis; & si quem sanguinem depurarunt, fecerunt contra legem: qua imperatur primùm ne comedatur sanguis; deinde ut qui sanguis effunditur, fundatur in terram & obtegatur pulvere, Levit. 17.12. & 13. [21] id est, in propatulo peccat, & peccati sui monimenta ponit. [g] *Heb. faciendo ut ascendat: vide Exodi 25. 37.* [22] id est, vicissim illam ulciscar palàm, & in publico documenta statuam æterna severissimæ ultionis meæ. [23] secundus locus, exornatio: qua primùm causas judiciúmque proponit Deus allegoria; deinde apertissimis verbis explicat, ternis versib. judicii verò effecta ponuntur duo; prius, contra personas & facultates omnium, vers. 10. posterius, contra urbem ipsam figuratam olla, vers. 11. [h] *Heb. condire conditionem; infinitivus pro nomine.* [24] incolis & rebus. [25] ut suprà 16.36.

12 [26] Mendaciis fatigavit *me*, ideò non exibit
ab ea copiosa spuma ejus, indetur igni spuma
ejus.
13 [27] Pro immunditia tua *est* scelus; eò
quòd [28] mundavi te, sed non es mundata, ab
immunditia tua non mundaberis ampliùs, do-
nec [29] fecero ut quiescat excandescentia mea
in te.
14 [30] Ego Jehova dixi, eventurum est & fa-
ciam, [31] non abstraham me, neque parcam, ne-
que pœnitebit me: secundùm vias tuas & secun-
dùm actiones tuas [32] judicabunt te, dictum Do-
mini Jehovi.
15 [33] Et fuit verbum Jehovæ ad me, di-
cendo,
16 Fili hominis, ecce ego tollo a te [34] desi-
derium oculorum tuorum plaga: sed [35] ne plan-
gito, neque fleto, neque prodeunto lacrymæ
tuæ:
17 Clamare [i] desiste, mortuorum luctum
ne facito, [36] tiaram tuam alliga tibi: & [37] cal-
ceos tuos apponito pedibus tuis: neque [38] ob-
velato mystacem, & [39] cibum [k] ullorum ne co-
medito.
18 Quæ quum eloquutus essem apud popu-
lum manè, mortua est uxor mea vespere: itaque
feci postero manè quemadmodum jussus fue-
ram.
19 Dicentibus autem mihi [l] popularibus; an
non indicaturus es nobis, quid ista ad nos *pertine-
ant* quæ tu facis?
20 [40] Dixi eis; verbum Jehovæ fuit ad me,
dicendo,
21 Dic domui Jisraëlis, sic ait Dominus Je-
hovi; ecce ego [41] prophanaturus sum [42] sanctu-
arium meum, [43] excellentiā roboris vestri, [44] de-
siderium oculorum vestrorum, & [m] [45] cui indul-
get anima vestra: etiam filii vestri & filiæ vestræ
[46] quas reliquistis, gladio concident.
22 Tum facietis quemadmodum facio: my-
stacem non obvelabitis, & cibum ullorum non
comedetis,
23 Et tiaris vestris *inditis* ad capita vestra,
calceísq; vestris ad pedes vestros non plangetis,
neque flebitis; [47] sed tabescetis in iniquitatibus
vestris, & gemetis [n] alter cum altero.
¶ 24 Est enim Jechezkel vobis [48] ostento, om-
nino prout facit facturi estis: quum advenerit
istud, utique experiemini me esse Dominum Je-
hovim.
25 [49] Tu autem fili hominis, an non [50] qua

[26] alterum exornationis membrum, ut diximus vers. 9. [27] apostrophe ad Judæam & metropolim: scelera tua (inquit Deus) sunt mihi tamquā immūditia, spuma, ærugo, & si quid est ejusmodi quod in ollis soleat improbari. [28] id est, verbo præcepi te mundari, & toties ac tam diu per Prophetas imperavi, 2. Chron. 36. 15. & apud Jirmejam passim. [29] ut suprà 16. 42. [30] confirmatio a persona Dei loquentis. [31] id est, non sinam me ulla ratione aut interventore abstrahi; stat decretum meum irrevocabile: sic Jeschah. 47. 3. [32] id est, judicia exercebunt in te Babylonii. [33] secunda hæc pars typos duos continet, qui Prophetæ imperantur, vers. 16. & 17. ab ipso exhibentur, vers. 18. & quærenti populo exponuntur versibus sequentibus, usque ad vers. 25. denique prædictione singulari omnia concluduntur, tribus versibus ultimis. Est autem prior typus mors uxoris, cujus interpretatio habetur vers. 21. posterior verò est vacatio a luctu, quæ exponitur versib. 22. & 23. ut antè Jirmeja prophetaverat, capite 9. & 10. [34] id est, uxorem carissimam tuam, ex versu 18. [35] id est, luctum ne facito, neque ullum ejus signum populo exhibeto de sublata uxore tua: quod per congeriem pluribus exponitur: hoc & sequente versu. [i] *Heb. sile.* [36] id est, usitatum tuum capitis tegumentum: nam lugentes retegebant caput, & inspergebant pulvere. [37] quos lugentes soliti erant ponere: ut 2. Schemuelis 15. 30. [38] prout faciebant lugentes ex aliqua gravi causa: ut Levitici 19. 45. & Micæ 3. 7. [39] id est, convivium ab amicis exhibitum ad levandum luctum: vide Jirmejæ 16. 7. [k] *Hebr. hominum.* [l] *Hebr. populo.* [40] expositio prioris typi, ut diximus in versum 15. [41] id est, gentibus prophanis expositurus, ut sit documentum subductæ a vobis præsentiæ meæ. [42] id est, locum sanctum & omnia ad cultum sacrum pertinentia, synecdochicè [43] id est, regnum & principatum; ut suprà 7. 24. & sequentibus. [44] id est, uxorem cujusque: ut suprà versu 16. [m] *Hebr. indulgentiam animæ vestræ.* [45] id est, res omnes vobis charissimas. [46] id est, qui supersunt in Judæa, ex quo cum Jeconja rege fuistis deportati. [47] id est, prius consumemini quàm vacet vobis agitare luctum: ut copiosius exponit Jirmeja 9. & 16. [n] *Hebr. vir cum fratre suo.* [48] vide in Psalmum 71. 7. [49] conclusio hujus prophetiæ per prædictionem singularem quamdam, cujus complementum habetur infrà 33. 21. & sequentibus. [50] id est, quo tempore sive anno: fuit autem ille annus decimus nonus Nebucad-retzaris, Jirmejæ 52. 12. postquam anno 18. Tzidkijam regem cepisset, & ipsa Jeruschalaima, ibidem.

die [51] tollam ab eis [52] robur eorum, [53] gaudium
ornatus eorum; desiderium oculorum ipsorum;
& [o] id ad quod attollunt animam suam, filios ip-
sorum & filias ipsorum:
26 Ea ipsa die veniet qui evaserit ad te, [p] ad
significandum auribus?
27 [54] eo ipso die aperietur os tuum apud ip-
sum qui evaserit, ut eloquaris, nec obmutescas
ampliùs; intereà [55] eris illis ostento, ut cognos-
cant me esse Jehovam.

[51] id est, planè auferam: nam anno demum illo eversa sunt Jeruschalaima, & consecta omnia quæ commemorantur hoc versu, 2. Regum 25. 11. & sequentibus. [52] ut suprà vers. 21. [53] id est, ... cta omnia, de quorum ornatu gloriantur: vide Jirmejæ 7. 4. [o] *Hebr. elationem animæ suæ.* [p] *Hebr. ad effectionem auditionis auribus.* [54] quo ille nuncium ad te pertulerit. Sensus est, Prophetam hactenus satis prænunciasse cladem Jeruschalaimis, regnóque toti eventuram: inposterum debere ipsum supersedere ab hoc argumento, donec Deus eventu rem totam comprobaverit: tum demum fore ut nuncio de rebus illis confectis accepto prophetia nova instruatur, quemadmodum narratur infrà 33. Quamobrem ab hoc loco ad illud usque caput prophetiæ tantùm in extraneos continentur. [55] id est, ita perges ut tibi imperatum est suprà vers. 16. & 17.

CAPUT XXV.

Propheta Hammonitis, Moabitis, Edomæis, & Pelischthæis propter ipsorum blasphemias in Deum, crudelissimáque malefacta in Judæos, vastationem terræ & exitium æternum prænunciat.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo.
2 [2] Fili hominis, [3] dispone faciem
tuam versus [a] Hammonitas ut prophetes contra
eos.
3 Dices ergo Hammonitis, audite verbum
Domini Jehovi; sic ait Dominus Jehovi, [4] eò
quòd dicis, euge, de sanctuario meo quum pro-
phanatur, & de terra Jisraëlis quum desolatur,
ac de domo Jehudæ quum abeunt in deporta-
tionem:
4 Idcircò ecce ego traditurus sum te [b] [5] o-
rientalibus in hæreditatem, ut collocent arces
suas in te, & ponant in te tabernacula sua;
ipsi comedent fructus tuos, & ipsi bibent lac
tuum.
5 Redigámque [6] Rabbam in habitaculum
camelorum, & Hammonitarum *regionem* in cubi-
le gregis; ut experiamini me esse Jehovam.
6 [7] Nam sic ait Dominus Jehovi, eò quòd
complodis manum, & plaudis pede; & lætaris ex
animo de tota depopulatione tua contra terram
Jisraëlis:
7 Idcircò ecce ego extēdens manum meam
contra te, traditurus sum te in prædam genti-
bus, & excisurus te ex populis, ac perditurus te è
regionibus: profligabo te, ut experiaris me esse
Jehovam.
8 [8] Sic ait Dominus Jehovi: eò quòd dicit
Moab & Sehir, ecce [9] ut omnes aliæ gentes *est*
domus Jehudæ;

[1] Hujus prophetiæ quatuor sunt capita, quibus Deus Gentibus finitimis Judæos a Babylonio debellatos atrocissimè infestantibus ultionem prædicit severissimam. Sunt enim hæ gentes quatuor: primi ponuntur Hammonitæ, usque ad versum 8. secundi Moabitæ, usque ad versum 12. tertii Edomæi usque ad versum 15. ultimi Pelischthæi, ad finem usque. [2] hac prophetia primùm occupatio regionis per Babylonium, usque ad versum 6. deinde populi excidium Hammonitis prænunciatur, vers. 6. & 7. utrique autem judicio sua causa præmittitur, impietas in Deum, & inhumanitas in populum ejus. [3] *Jirm. 49. 1. & sequentibus, & suprà 21. 33.* [3] ut suprà 6. 2. [a] *Hebr. filios Hammonis: sic deinceps.* [4] id est, quòd cultum meum, regionem, & populum prophanis exponi videns tibi gratularis & exsultas. [b] *Hebr. filiis orientis: sic vers. 10.* [5] id est, Babyloniis, Jirmejæ 25. 21. sic infrà vers. 10. [6] de qua 2. Schemuel. 11. 1. [7] alterum membrum prophetiæ, per gradationem augens & causam & pœnam. Hic enim causa amplificatur, quòd non tantùm lætati sunt depopulantibus Judæam Babyloniis; sed ipsi quoque perditis rebus insultarunt Judæósque perfidè sunt depopulati: vide suprà 21. 34. judicium verò, quòd non tantùm servituri sunt & venturi in potestatem alienam, sed gens tota peritura. [8] inscriptio hæc secundæ & tertiæ prophetiæ communis est: nam Sehiris nomine intelliguntur Edomæi ex Genes. 36. & Deuter. 2. Moabitarum autem prophetia causam unicam exponit, nimirum blasphemam ludificationem Judæorum (quæ etiam causa est cur Edomæi quoque in versum hunc relati sunt) hoc vers. & judicia tribus sequentibus. [9] id est, non magis servatur a Deo suo, quàm gentes cæteræ, contra incursantem Babylonium.

9 ‖ Idcirco ecce ego [10] aperturus sum
latus Moabitarum inde ab ipsis [11] Haris, a ci-
vitatibus ejus *quæ sunt* ab extremitate ejus;
[12] decus, terram [13] Beth-jeschimotharum,
[14] Bahal behonis, & [15] Kirjathajimorum:
10 Per Orientales, [16] cum Hammonitarum
regione quam [17] dedi in hæreditatem: ut non fiat
mentio Hammonitarum in gentibus.
11 Etiam in Moabum exercebo judicia, ut
experiantur me esse Jehovam.
12 ‖ [18] Sic ait Dominus Jehovi, [19] eò quòd
Edomæi [c] sumendo ultionem faciunt contra do-
mum Jehudæ; & reos se statuunt [d] indesinenter
sumentes ultionem de eis,
13 Idcirco sic ait Dominus Jehovi, extendens
quoque manum meam contra Edomæam ex-
scindam ex ea homines & jumenta: exponámque
eam vastationi [20] a Themane, & [21] Dedanem
usque gladio concident:
14 Edámque ultionem meam in Edomæ-
os [22] manu populi mei Jisraëlis, agentque
contra Edomæos secundùm iram meam & se-
cundùm excandescentiam meam, ut expe-
riantur ultionem meam, dictum Domini Je-
hovi.
15 ‖ [23] Sic ait Dominus Jehovi, eò quòd a-
gunt Pelischthæ per ultionem, & sumunt ulti-
onem ex animo depopulatione, perdendo ini-
micitia [e] perpetua,
16 Idcirco sic ait Dominus Jehovi, ecce ego
extendens manum meam contra Pelischthæos,
excisurus sum [24] Cerethæos, & perditurus [25] re-
siduum portus maris:
17 Et exercebo in eos ultiones magnas [f] sum-
ma increpatione excandescentiæ, experientúr-
que me esse Jehovam, quum edidero ultionem
meam in eos.

[*] Jirm. 48. [10] id est, faciturus ut regionem Moabitarum pervadat hostis, quamvis latera ipsius firma Arnone fluvio & munitis opidis esse videantur: simile est Num. 24. 17. [11] hanc vocem propria significatione accipimus ad significandum duo Moabitarum opida Arnoni fluvio imposita, quorum unum est Har, Numer. 21. 28. & Jeschah. 16. 1. alterum Haroser, distinctionis causa appellatum nomine composito: sic enim appellatur Deuter. 2. 35. quamobrem exegeticè Propheta addidit verba sequentia, exponens se de illis civitatibus agere quæ in extremo sunt Moabitarum agro. [12] id est, regionam totam opimam ac præstantissimam, ut fuit terra planitiei quam idcirco nominat Jirm. 48. 21. [13] de qua Jehoschuh. 13. 20. [14] id est, Bajithi, de quo vide Jeschah. 16. 2. [15] ut Jirm. 48. 1. 10. [16] id est, prout Hammonitas & regionem ipsorum perdidero (ut suprà dixi) ita in Moabum per Babylonios mea judicia exercebo. [17] id est, jam adjudicavi sententia mea, suprà vers. 4. ‖ *Jirm.* 49. 7. [18] hæc prophetia similiter causam quidem eamdem comprehendit quæ dicta est suprà vers. 8. impiarum videlicet blasphemiarum in Deum; sed alteram quoque hoc loco exponit, nimirum importunissimum Edomæorum odium & pertinacissima malefacta in populum Dei: deinde sententiam excidii contra eos pronunciat. [19] id est, quòd exercent simultatem illam avitam inde a majoribus haustam, de qua Genes. 27. 43. & populum meum oppugnant infensissimè. [c] *Hebr. ulciscendo ultione: sic infrà vers.* 15. [d] *Hebr. reos se flammendo.* [20] vide Jirm. 49. 7. [21] id est, per omnes Edomæorum terminos, Jirm. ibidem vers. 8. [22] id est, ea ipsa Chaldæorum manu, qua populum meum antè percussero: sic enim accipiendum demonstrant sequentia: vide Hobadjam. ‖ *Jirm.* 47. [23] hæc prophetia simili cum præcedentibus argumento, primùm animosissima Pelischthæorum malefacta, hoc vers. deinde pœnas quas daturi sunt explicat duobus sequentibus. [e] *Hebr. seculi.* [24] vide 1. Schem. 30. 14. sic autem Pelischthæos Propheta nominat, ut alludat ad exscindendi verbum. [25] id est, regionem Pelischthæorum maritimam portuosámque; sed priùs tum a rege Chizkija, Jeschah. 15. tum a Psammeticho Ægyptiisque attritam, ut observavimus Jirmejæ 25. 20. [f] *Hebr. increpationibus.*

CAPUT XXVI.

Deus Tyro de eversione Jeruschalaimorum exultanti a Chaldæis excidium venturum pronunciat, tam admirabile ut omnes exteri aspicientes & recordantes præteritam illius gloriam subitámque casum perhorrescant & luctum agant de Tyro consternati: deinde exprobrata Tyriorum Regi insolentia animi, idem pronuncias eventurum ipsi, finitimisque Tzidoniis, ad gloriam Dei & Ecclesiæ bonum: cujus promissione prophetia hæc terminatur.

F[1]Uit autem [2] undecimo anno, primo die
[3] mensis illius; ut esset verbum Jehovæ ad
me, dicendo,
2 [4] Fili hominis, eò quòd dicit Tyrus de Je-
ruschalaimis, euge, fracta est *tubi* [5] portis [a] popu-
losissimis, [6] avertitur ad me; replebor ex *quo* va-
stata est:
3 [7] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, ecce me
contra te, ô Tyre; ut deducam contra te [8] gen-
tes multas, ac si deducerem mare cum fluctibus
ipsius:
4 Quæ perdant muros Tyri, & destruant
turres ejus; adeò ut abradam pulverem ejus ab
ea; redigámque eam in [b] arduam petram.
5 [9] Locus [c] expandendis plagis erit in me-
dio maris, nam ego eloquutus sum, dictum Domi-
ni Jehovi: ideò erit direptioni gentibus.
6 [10] Filiæ quoque ejus quæ in agro *sunt*, gla-
dio interficientur; ut experiantur me esse Je-
hovam,
7 [11] Nam sic ait Dominus Jehovi, ecce ego
adducam contra Tyrum Nebucad-retzarem re-
gem Babyloniæ ab Aquilone, [12] regem regum;
cum equis, curribúsque, & equitibus, & congre-
gatione, populoque multo.
8 Filias tuas per agrum gladio interficiet; &
disposito contra te propugnaculo, diffundet in
te [d] aggestas moles, & statuet contra te clypeū:
9 Et [e] [13] helepolin disponet in muros tuos;
& turres tuas demolietur [14] cultris ejus.
10 Præ agminibus equorum ejus operiet
te pulvisculus eorum; præ strepitu equitum,

[1] Tria hæc capita eodem spectare res ipsa loquitur, ac propterea in unum omnia conjungimus. Sunt autē illius prophetiæ tres in universum loci: quorum primus est de Tyro, usque ad V. 20. capit. 28. secundus de Tzidone, usq; ad V. 23. tertius verò de populo Dei, cui promissiones fiunt ad consolationem ipsius; ut hac conclusione præcedentium propheticarum finis & usus legitimus a bonis cognosceretur. Ac primi quidem loci quo mala Tyro denunciantur, membra sunt duo: primùm enim toti reipublicæ suæ calamitates pronunciantur, duobus capitibus; deinde verò nominatim sua denunciatur Tyriorum Regi, capite 28. In utraque porrò prophetia tum ad Rempublicam tum ad Regem ipsum pertinente partes sunt duæ; quarum priore narratur ventura calamitas, posteriore autem lamentum de casu illo & calamitate conscribitur. Quod ad rempub. itaque sua mala narrantur ipsi, toto hoc capite; lamentum verò capite 27. continetur. Narrationis propheticæ quam hoc capite contineri diximus, pars prima est prolepsis, sive narratio summa casus horrendi Tyriorum, usque ad vers. 7. secunda, narratio singularis primùm malorum quæ Tyro importaturi erant Babylonii, usque ad vers. 15. deinde verò horroris & consternationis gentium omnium, ad aspectum & recordationem tam gravis & insperati casus obstupescentium, ad finem usque capitis. [2] a deportatione Jeconjæ, ut Jechezkel numerare solet, quo anno capta sunt Jeruschalaima: sic prophetiam hanc videmus quamdam fuisse præmunitionem ad consolandum bonos qui jam fuerant deportati, & qui mox deportandi erant. [3] etsi quotus hic mensis fuerit, disertis verbis Propheta minimè explicat, tamen ex comparatione sequentis versus planè statuimus mensem quintum intelligendum esse, quo Tyrii accepto nuncio de captis Jeruschalaimis gloriosam illam fiduciam prædicabant quæ exponitur sequente vers. Nam ut accipiamus de primo mense (quod omnes interpretes videntur facere) prohibet sermonis Hebræi ratio, cum Hebræi nusquam hac periphrasi utantur, nisi ubi expressa est in narratione aliorum temporum comparatio *διαχρονικῶς*: ut Genes. 8. 13. & Exod. 40. 2. & 17. sed simpliciter principium anni nominent: ut inf. 40. 1. Est ergo mensis ille sententia nostra hoc loco dictus, qui sequutus est proximè post capta Jeruschalaima: capta sunt autem mense quarto, Jirm. 52. 6. [4] hæc prolepsis narrat duo in universum, nimirum peccatum ipsorum insolentissimum, hoc vers. deinde peccatorum pœnas, quatuor sequentibus. Est autem peccatum Tyriorum, quòd de alieno malo gavisi sunt, & sibi ex ruinis populi Dei montes aureos ominati. [5] id est, frequentissima tum civibus, tum etiam advenis, proselytis, & mercatoribus exteris. Fuerunt enim Jeruschalaima longè clarissima urbium Orientis, non Judææ modò, ut ait Plinius lib. 5. natur. hist. cap. 14. [a] *Heb. populorum.* [6] id est, bona, merces, commoda, & negotiationes omnes huc transferentur. [7] alterum membrum prolepseos, ut diximus superiore vers. quo exponuntur obsidio maxima, hoc vers. expugnatio, vastatio, & eversio urbis, duobus sequentibus; & totius agri desolatio, vers. 6. De hac autem historia vide annotata in Jeschah. 23. 1. & Jirm. 47. [8] copias Nebucad-retzaris, vers. 7. [b] *Heb. arduum petram: sic suprà 24. 7. & 8. & infr. 14.* [9] id est, abibit in littus desertissimum, ut sunt ea importuna littora ad quæ piscatores solent plagas suas expandere. [c] *Heb. expansio: sic V. 14.* [10] id est, non tantùm urbs infestabitur, sed etiam in omni Tyriorum ditione contra omnem sexum atrocissimè sævietur. [11] narrationis singularis pars prior, ut diximus in V. 1. qua Babyloniorum expeditio & Tyriorum regni eversio sigillatim exponitur, usque ad V. 15. [12] vide Gen. 9. 25. [d] *Heb. aggerem: ut 2. Reg. 19. 32.* [e] *Hebr. delentem quod adversum est sibi: periphrasis.* [13] machinam obsidionalem quam describit Ammianus Marcellinus lib. 23. Hebræis dictam *περιφραστικῶς* ex eo quòd instrumentum fuit expugnandis evertendisque opidorum muris commodissimum. [14] id est, ferramentis mucronatis helepoleos, qui in muros impacti subruebant eos.

& [15] essedorum, currúsq; commovebuntur mu-
ri tui, quum intrabit intra portas tuas, ad ingres-
sus civitatis disruptæ pluribus.
11 Ungulis equorum suorum calcabit omnes
vicos tuos: populum tuum gladio interficiet, &
stationum [f] robustarum tuarum unaquæque in
terram descendet:
12 Et prædabuntur opes tuas, diripientque
mercem tuam, ac destruent muros tuos, & do-
mos [g] desiderabiles tuas demolientur, & lapides
tuos, lignáque tua, etiam pulverem tuum [16] in
medio aquarum ponent.
13 Ita faciam ut cesset strepitus canticorum
tuorum, & sonus citharарum tuarum non audie-
tur ampliùs:
14 Et redigam te in arduam petram, locus
expandendis sagenis eris, [17] non ædificaberis
ampliùs; nam ego Jehova loquutus sum, dictum
Domini Jehovi.
15 [18] Sic ait Dominus Jehovi Tyro; nónne a
sono casus tui quum clamabunt confossi, quum
interficientur interfectione in medio tui, com-
movebuntur [19] insulæ?
16 Nam descendent e soliis suis omnes prin-
cipes maris amoventes pallia sua, & vestibus
versicoloribus suis nudantes se se: [20] trepidatio-
nes induent, in terra sedebunt, & trepidantes sin-
gulis momentis stupebunt de te:
17 Proferentésque de te lamentationem di-
cent tibi, quomodo periisti, quæ habitabaris [h] a
maritimis? civitas laudatissima, quæ erat firma
in mari ipsa cum habitatoribus suis, [21] quinam
sunt qui indiderunt terrorem sui omnibus habi-
tatoribus ejus?
18 [22] Nunc trepidabunt reliquæ insulæ die
casus tui; & turbabuntur insulæ quæ sunt in ma-
ri, propter exitum tuum.
19 [23] Nam sic ait Dominus Jehovi, quum red-
didero te civitatem desolatam, similem civitati-
bus quæ non habitantur; [24] adducendo contra
te abyssum, ut operiant te aquæ plurimæ:
20 [25] Faciénsq; ut descendas cum descenden-
tibus in [i] foveam, ad populum [k] antiquum, collo-
cavero te in terræ imis partibus, in vastitatibus
[l] priscis, cum descendentibus in foveã, ut non ha-
biteris; [26] ut reponam decus in terra viventium:
21 In [m] terrorem summum exponam te; quòd
[27] nusquam futura sis; & quæsita non invenieris
[n] unquam, dictum Domini Jehovi.

[15] vide suprà 23. 24. [f] Heb. roboris tui. [g] Heb. desiderii tui. [16] id est, proturbabunt in mare cui superstructa es. [17] videlicet ea dignitate, elegantia, & celebritate qua fuisti. Nam posteà quòd instauratum est in eodẽ loco, dictum est Palætyrus. [18] posterior narrationis pars; qua Propheta ostendit fore ut edatur strages tanta Tyriorum omnium, ut nemo supervivat ad faciendum luctum; sed nationes solùm exteræ horrendum illius casum defleant, aspectúq; & recordatione illius percellantur. [19] id est, regiones aliæ maritimæ. [20] id est, non modò lugebunt eversionem tuam, sed etiam obtegentur ipsi, tamquam veste, metu gravissimo propter violentiam Chaldæorum: metaphora. [h] Heb. a maribus: metonymia. [21] quasi dicat, quos & quantos oportet esse qui munitionem adeò firmam superaverint? [22] id est, hoc demum tempore, quod modò dictum est. [23] confirmatio a Dei verbis. [24] ut suprà v. 3. [25] i. funditus perdidero te: circumloquutiones metaphoricæ. [i] Heb. cisternæ. [k] Heb. seculi. [l] Heb. a seculo cum descendentibus cisterna. [26] i. ut restituam populum meum Jisraëlem hostibus deturbatis: qua in re demonstratur proprius istorum judiciorum finis, videlicet salus Ecclesiæ ad gloriam Dei: ut copiosius exponitur infrà 28. 25. 26. [m] Heb. terrores. [27] ut suprà vers. 14. [n] Heb. in seculum.

CAPUT XXVII.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 Tu autem fili hominis, profer de Tyro
lamentationem,
3 Dicens Tyro, ô urbs sita ad aditus maris,
mercatrix [a] populosissima apud insulas multas;
sic ait dominus Jehovi, [2] ô Tyre, tu dicebas, ego
sum perfecta pulcritudine.
4 [3] In [b] intima parte marium erant termini
tui; ædificatores tui [4] perfecerant pulcritudinem
tuam.
5 [5] Abiegna e [6] Senire ædificabant tibi om-
nia [7] tabulata; cedrum e Libano accipiebant ad
parandum malum navis in te.
6 [c] Roboreos e Baschane faciebant re-
mos tuos; transtra tua faciebant [8] ex [d] ebore
tritissimo artifices ex insulis Cittheorum.
7 [9] Xylinum cum Phrygiano opere ex Æ-
gypto erat carbasus tua, ut esset tibi velum, hya-
cinthinum, & purpureum ex insulis [10] Elischæ
operiebat te.
8 [11] Habitatores Tzidonis & [12] Arvadi erant
remiges tibi; periti tui, ô Tyre, erant in te, ipsi
erant [13] gubernatores tui.
9 Seniores [14] Gebalis ac periti ejus erant in
te [15] curatores labis tuæ: omnes classes maris &
nautæ earum erant in te ut commiscerent se
commercio tuo.
10 [16] Persæ, [17] Ludæique, & [18] Putæi erant in
copiis tuis, [e] bellatores tui: scutum & galeam
[19] suspendebant in te, ipsi præstabant decorem
[f] tibi.
11 Arvadæi cum copiis tuis super muros tuos
circumquaque, & [20] Gammadæi in turribus tuis
erant: umbones suos suspendentes ad muros tu-
os circumquaque ipsi perficiebant pulcritudi-
nem tuam.
12 [21] Tharschisch negotiatrix tua præ copia
omnium opum; cum argento, ferro, stanno
& plumbo, [g] negotiabantur in nundinis tuis.
13 [22] Javan, Thubal, & Meschec erant mer-
catores tui; [h] [23] hominibus & vasis æreis negoti-
abantur in commercio tuo.
14 Qui erant e domo [24] Thogarmæ; equis,
equitibúsque, ac mulis negotiabantur in nundi-
nis tuis.
15 [i] Dedanitę mercatores tui, insulæ multæ
mercatrices mercium manus tuæ, [25] cornibus e-
boris, [26] hebenóque reddedant pretium tuum.

[1] Narratio copiosa lamenti de eversa Tyro toto hoc capite continetur, ut diximus suprà 26. 1. In hac autem lamentatione duæ sunt præcipuè partes ad calamitatis amplificationem pertinentes; prima est antithesis præcedentis gloriæ cum sequente ruina, usque ad vers. 28. secunda est explanatio luctus & stuporis ingentis qui ex ea ruina ad nationes exteras perventurus est, inde ad finem capitis. Ac in antithesi quidem gloria amplissima describitur, usque ad vers. 26. ruina verò vers. 26. & 27. Ad gloriam autem pertinent hæc; structura opidi artificiosissima, vers. 4. res navalis, versibus quinque sequentibus; potentia, vers. 10. & 11. negotiatio & emporii celebritas, usque ad vers. 25. denique communis omnium nationum prædicatio, versu 25. Quæ omnia per prolepsin continentur, versu 3. & per congeriem similiter repetuntur versu 27. [a] Hebr. populorum: ut suprà 26. 2.

[2] propositio summa gloriæ per apostrophen ad Tyrum quæ minutatim illustratur sequentibus. [3] id est, intra mare sævissi urbem tuam, velut insulam, fluctuationibus & molibus impositam. [b] Heb. corde; ut Exod. 15. 8. sic deinceps. [4] id est, ornaveram te perfectissimè; sic infrà vers. 11. Primus locus, urbis elegantia. [5] secundus locus gloriæ, res navalis, ut diximus in vers. 1. [6] vide Deut. 3. 9. [7] e quibus videlicet compinguntur naves; hic enim describitur rei navalis gloria; ut diximus in versum 1. [c] Heb. roboribus. [8] id est, re navali non tantùm ad necessitatem aut commoditatem utebantur, verùm etiam ad delicias luxúmque profusissimum; quum materiam pretiosissimam ad res navium fœdidissimas adhiberent. Nam etsi ebur ex dentibus elephantorum aliqua paratur arte; tamen illud demum germanum est ebur & præstantissimum, quod elephantes defodiunt in terram, & in ea per justum tempus pedibus tritum est. Quamobrem Hebræi hoc genus eboris dentem filium gressuum nominarunt: vide Plinium naturalis histor. lib. 8. capite 3. [d] Hebr. dente filio gressuum. [9] id est, deliciosissima erant vela & conopæa tua: quibus notis facilè cognoscitur divitiarum & luxus copia. [10] vide Genes. 10. 4. [11] id est, his gentibus, velut operis, utebaris ad navigationem tuam & tuos gubernatores illis præponebas, hoc & sequent. versu. [12] vide Genes. 10. 18. [13] clavum tenentes in navi sive gubernaculum, ad agendam navim: vide 1. Regum 10. 11. 22. [14] de quibus 1. Regum 5. 18. & Psalm. 83. 8. [15] id est, naupegi tui, ædificatores, & curatores navium. Erant enim Gebalitæ architecturæ peritissimi. [16] tertius locus, potentia & gloria militaris, quòd gentes longinquæ & bellicosæ stipendia facerent Tyriis. [17] vide Genes. 10. 13. [18] vide Genes. 10. 6. [e] Hebr. viri belli: sic vers. 27. [19] id est, stativa agebant, & præsidia erant tibi: synecdoche a more militum in præsidiis agentium. [f] Heb. tuum. [20] qui Pygmæos interpretantur nituntur sola notatione vocis, quia Hebræa vox conjugata significat cubitum, quasi cubitales dicas, ut interpretati sumus Judic. 3. 16. Sed quàm benè conveniat ludicra hæc interpretatio cum re militari, ipsi viderint. Nos Gammadæos quidem existimamus a cubito dictos esse; sed quia regio fuit Phœniciæ cubitali forma projecta in mare, quæ posteà devorata est a mari, Gammades putamus dictam: ut scribit Plinius lib. 2. naturalis hist. capite 91. Etsi eo loco mutatione unius literæ Gammales nominavit pro eo quod est Gammades. Sed quid si robustos viros & lacertosos intelligamus ex vocis etymologia? Certè appositissima futura est interpretatio. Viderint docti. [g] Heb. dabant, synecdochicè pro eo quod est, dabant, accipiebant, & negotiationem exercebant: sic deinceps. [21] quartus locus Tyriorum gloriæ, de divitiis & emporio celeberrimo, ut diximus in versum 1. [22] vide Gen. 10. 2. [h] Heb. anima hominum. [23] i. mancipiis venalibus. [24] de qua & sequente Gen. 10. 7. [i] Hebr. filii Dedanim. [25] id est, dentibus ipsis elephantorum prægrandibus, formáque incurvis, ut sunt cornua: quomodo Jubam appellasse testis est Plinius lib. 8. nat. hist. cap. 3. [26] ex India & Æthiopia allata; quæ quia duûm est generum plurali numero ab Hebræis appellatur: vide Plinium lib. 12. natural. hist. cap. 4.

16 Syria negotiatrix tua, præ multitudine operum tuorum; chryſophraſo, purpura & phrygiano opere, byſſoque, & [27] ſandaſtro, ac pyropo negotiabantur in nundinis tuis.

17 E Jehudæa & regione Jiſraëlitarum, erant mercatores tui: tritico [28] Minnithæ, & [k] Phœniciæ, melléque, & oleo, ac [29] opobalſamo negotiabantur *in* commercio tuo.

18 Damaſcus negotiabatur tecum de multitudine operum tuorum, præ copia omnium opum, vino [30] Chelbonis, & lana nitida:

19 Et Dan, ac Javan [l] circumforaneus in nundinis tuis negotiabantur; ferro nitido, caſia, & calamo odorato, in commercio tuo erat.

20 [31] Dedan mercabatur tecum, pannis [m] ingenuorum *advectis* curru.

21 Arabes, & omnes principes [32] Kedaris erant negotiatores *mercium* manus tuæ; agnis, arietibúſque, & hircis, his *erant* negotiatores tui.

22 Mercatores [33] Schebæ & Raſmæ ipſi mercabantur tecum; [n] præſtantiſſimo quoque aromate, & omni lapide pretioſo, ac auro negotiabantur *in* nundinis tuis.

23 [34] Charan, & [35] Canne, ac [36] Heden, mercatores [37] Schebæ; [38] aſſyrius, & [39] Cilmadæus mercans tecum:

24 Hi mercatores tui *erant* rebus perfectiſſimis, involutis hyacinthinis, & phrygianis, [39] gazíſque *gentium* in ſuperioribus *habitantium*, [o] quæ funibus circumligantur, & [40] includuntur cedrinis *capſis* in mercatu tuo.

25 [41] Claſſes oceani decantabant te commercio tuo; denique plena eras & gravis valde in intima parte marium.

26 [42] In aquas multas adduxerunt te [43] qui remis agebant te; [p] Eurus confregit te in intima parte marium:

27 Opes tuæ, & nundinationes tuæ, commercium tuum, nautæ tui, & gubernatores tui; curatores labis tuæ, & miſcentes commercium tecum, omnéſque bellatores tui qui in te *erant*, cum tota congregatione tua quæ *eras* in medio tui, ceciderunt in intimam partem marium die caſus tui.

28 [44] Ad vocem clamoris [45] gubernatorum tuorum, [46] commoti ſunt fluctus jactati.

29 Deſcendentéſque e claſſibus ſuis omnes [q] tractantes remum, nautæ, omnes gubernatores [r] marini, in terram conſtiterunt:

30 Facientéſque ut audiretur de te vox ipſorum clamaverunt [r] amarè; & [47] impoſito pulvere capitibus ſuis, in cinere volutaverunt ſe:

31 Inductóque propter te calvitio accinxerunt cilicia; & defleverunt te amaritudine animi, planctu amaro:

32 Ac protulerunt propter te in lamento ſuo lamentationem, quum lamentarentur de te dicentes; [48] quæ *erat* par Tyro, par ſuccisæ in medio maris?

33 Procedentibus nundinationibus tuis e maribus, ſatiabas populos multos; amplitudine opum tuarum, & commerciorum tuorum ditabas reges terræ.

34 Quo tempore confracta es [49] a maribus, in profundiſſimis aquis; commercium tuum & tota congregatio tua in medio tui ceciderunt.

35 Omnes habitatores inſularum obſtupeſcunt de te; & Reges illorum horreſcunt horrore, [50] percelluntur vultu.

36 Negotiatores in populis [51] ſibilant de te: [t] terrori ſummo es, quòd nulla ſis uſque in ſeculum.

Notes (left margin): [27] vide Ijobi 28.18. & Jeſchah. 54.12. [28] vide Judic. 11.33. [k] Hebr. Pannag: unde corruptè profluxit Phœniciæ nomen. [29] vide Gen. 37.25. [30] i. Chalybonis (ut Ptolemæus vocat) in Syria, quæ Chalybonitidi nomen dedit. [l] Heb. factus proficiſci (ut ita loquamur) id eſt ut Homerus vocat, πολυπλαγχθείς. [31] ea poſteris Ketunæ, inter Jiſchmaëlitas habitans, Geneſ. 25.3. [m] Heb. libertatis. [32] vide Pſalm. 120.5. [33] in Arabia felice vide Gen. 10.7. [n] Heb. capitum aromatum ... Ezek. 30.23. [34] vide Gen. 11.31. [35] i. judicio noſtro, Calne, Gen. 10.10. [36] vide Gen. 2.8. [37] Arabiam deſertam incolentis ſub Meſopotamia, de quo Geneſ. 25.3. & Ijobi 6.19. [38] i. Media ulterior, inter Margianam & Parthiam, ut ex Chaldæi interpretatione colligimus, & affinitate vocis quæ apud Geographos exſtat: dicitur enim tractus ille Chorozmienus, mutato in r, quod mutationis genus Hebræis quoque receptum eſt. [39] denique (ut plura gentium nomina commemorem) comportant merces pretioſiſſimas ab omnibus illis gentibus quæ ſuprà habitant: puta, Hyrcanis, Margianis, Bactrianis, Sogdianis, Sacis, Seribus, & ceteris ad Aquilonem ſpectantibus. [40] id eſt, quæ optimè, accuratiſſimè, & pretioſiſſimè funibus firmis, ſtegeſtribus, & capſis incorruptis, & adverſus omnem cæli injuriam validis involvuntur. [o] Heb. cedrantur, ut ita dicam. [41] quintus gloriæ locus, celebritas; ut diximus in verſ. 1. [42] ſecunda pars antitheſeos, de ruina Tyri, quæ cum nave in alto verſante comparatur, duobus verſibus. [43] id eſt, rectores & gubernatores tui: quo nomine compellat Regem ipſum cap. ſeq. [p] Heb. ventus Orientalis. [44] explanatio luctus exterorum & ſtuporis horrendi ex Tyriorum clade, ut diximus in verſum 1. [45] de quibus verſ. 26. Hic autem pergit in allegoria naufragii. [46] hyperbole elegantiſſima: tantus fuit clamor, (inquit) Tyriorum pereuntium, ut mare ipſum quaſi perculſum exhorruerit, & fluctus excitari fluctus. Hanc interpretationem, auctore R. Jehuda, ex vocis etymo & forma ſic interpretamur, comparato altero loco Jeſchah. 57.24. [q] Hebr. prehendentes: ſynecdoche. [r] Hebr. maris. [r] Heb. amaro clamore. [47] id eſt, plurimùm lugebunt, quod exponitur à ſignis, hoc & ſeq. verſ. ut Jirm. 6.26.

Notes (right margin): [48] nimirum ingentium comprehendens paucis lugubrem illam antitheſin præcedentis gloriæ & præſentis miſeriæ, quam obſervavimus in verſum 1. ut exponitur ſequentibus. [49] id eſt, fluctibus maris jactatis Euro, de quo ſuprà verſ. 26. [50] id eſt, perculſi expalleſcunt, velut exſangues & exanimati horrore & metu: metalepſis. [51] vide 1. Reg. 9.8. [t] Heb. terroribus, ut ſup. 26.21.

CAPUT XXVIII.

1 [a] ET fuit verbum Jehovæ ad me dicendo,

2 Fili hominis, dic anteceſſori Tyri, ſic ait Dominus Jehovi, [2] eò quòd elatus eſt [a] animus tuus, adeò ut dicas, *Deus* fortis ſum, habitationem [b] divinam inhabito in [c] intima parte marium: cúmque ſis homo, non autem *Deus* fortis; tribuis tamen animum tibi parem animo Dei;

3 Ecce [3] ſapientior es Danijele, quicquam occultum non [d] abſconditur tibi:

4 Sapientia tua & prudentia tua comparaſti tibi facultates; & congeſſiſti aurum & argentum in theſauros tuos:

5 Amplitudine ſapientiæ tuæ in mercatura tua amplificaſti facultates tuas; adeò ut elatus ſit animus tuus in facultatibus tuis:

6 [4] Idcircò ſic ait Dominus Jehovi, eò quòd tribuis tibi animum parem animo Dei,

7 Idcircò ecce ego adducturus ſum contra te [5] extraneos violentiſſimos gentium; qui exſertis gladiis ſuis contra pulcritudinem ſapientiæ tuæ confodient [6] ſplendorem tuum.

8 In foveam demittent te, morietíſque [7] mortibus confoſſorum in intima parte marium.

9 [8] An [e] perges dicere, Deus ſum, coram interfectore tuo? atqui tu homo *futurus es*, non autem *Deus* fortis, in manu confodientis te.

10 [9] Mortibus præputiatorum morieris, manu alienorum; nam ego eloquutus ſum, dictum Domini Jehovi.

11 [10] Et fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,

12 [11] Fili hominis profer lamentationem de Rege Tyri: dicens ei, ſic ait Dominus Jehovi,

Notes (right margin): [1] Secundum hoc membrum prophetiæ contra Tyrios (ut diximus ſup. 26. 1.) primùm quidem Regi Tyriorum exitium prænunciat, uſque ad verſum 11. deinde verò lamentationem deſcribit & luctum, quem de perditione illius agitaturi ſunt exteri, uſque ad verſ. 20. In prænunciatione autem judicii continentur cauſæ uſque ad verſum 6. deinde judicii explicatio ſive ſententiæ dictio cum regreſſu cauſis, v. 6. & quatuor ſequentibus. [2] cauſa judiciorum, nempe infinita animi præfidentia & elatio in rebus omnib. quam Rex Tyri oblitus ſe hominem eſſe ſibi arrogabat. [a] Heb. cor, tuum: ſic deinceps. [b] Heb. Dei. [c] Heb. corde; ſic verſ. 8. [3] nimirum in oculis tuis. q.d. videris tibi plus ſapere quam ipſe Danijel, cui res occultæ revelantur beneficio Dei. Danijel enim jam eo tempore propter dona a Deo accepta ſapientiſſimus habebatur, & in proverbium abierat: vide Danijelis 1.17. ſic ſequentia omnia de præſumta a rege Tyriorum ſui ipſius opinione accipienda ſunt. [d] Hebr. abſcondunt: impersonaliter. [4] ſententiæ dictio, ut obſervavimus in verſum 1. [5] quorum meminit ſuprà 26.7. [6] id eſt, te, quemque ſplendeas & majeſtate indutus ſis: hypallage. [7] id eſt, violenta morte, ut quivis e vulgo; quamvis fiduciam ponas in munitione urbis tuæ. [8] conteſtatio ironica. [e] Hebr. dicendo dices. [9] id eſt, morte præſente & æterna, quæ juſta eſt eorum pœna qui aut deficiunt a Deo, aut ſibi arrogant majeſtatem Dei. [10] ſecundus locus, videlicet deſcriptio luctus; ut diximus in verſ. 1. nam quia non vacabit lugere Tyriorum regi (adeò repentè futurum erat ut occuparetur morte) ideò Propheta inducit lugentes alios; ut notavimus ſuprà 26.15. [11] hujus lamentationis argumentum idem eſt cum lamentatione capitis 27. Primùm enim Propheta Regi Tyriorum per eamdem antitheſin præcedentem gloriam exponit & præſens exitium, uſque ad verſum 17. deinde gentium admirationem narrat, tribus ſeq.

13 Tu

¹² prolepsis sive propositio summa trium capitum ad gloriam regis Tyrii pertinentium, quæ minutatim sequentibus exponuntur ὑστέρῳ ἀφτήσει.
¹³ id est, qui imperium habes in merces, easque præcludis & aperis arbitratu tuo: sic Ijobi 37.6.
¹⁴ explicatio tertii in propositione membri, de perfecta Tyri pulcritudine, quæ statuitur in habitationis elegantia cum Hedene comparata, ut infr. 31.8. & 9. & in ornamentis, in deliciis, & in majestate summa, antiquissima, ac gloriosissima, hoc & seq. vers.
¹⁵ id est, deliciæ tuæ, non tempore & usu comparatæ; sed tecum natæ videntur esse.
¹⁶ elegantissima regiæ illius majestatis descriptio, per comparationem Cerubi illius qui in horto Hedenis a Deo dispositus est, Gen. 3.24. Quemadmodum (inquit) Angelus præpositus est ei horto ad protegendum eum, & gladio illo versatili armatus omnibus est terroris: ita etiam tu, ex quo regnum tibi est traditum, visus es tibi æquare gloriam angelorum Dei.
¹⁷ id est, constitui & præposui, ut sequens verbum explicat: συνωνύμως.
¹⁸ id est, Deus eras judicio tuo.

¹²tu ¹³ obsignans summam, plene sapientiæ, & perfectæ pulcritudine.

13 ¹⁴ In Hedene horto Dei eras, omnes lapides pretiosi operiebant te, pyropus, topazius, & adamas, beryllus thalassius, sardius, & jaspis, sapphirus, chrysoprasus, smaragdusque cum auro: ¹⁵ opus tympanorum tuorum & fistularum tuarum in te, die quo procreatus fuisti, parata erant.

14 ¹⁶ Tu Cerub *eras* ex quo ¹⁷ unxi te protectorem; ex quo præposui te, ¹⁸ in monte ᶠ sancto Dei eras, ¹⁹ inter lapides ᵍ ignitos indesinenter ambulabas.

15 ²⁰ Integer eras in viis tuis inde a die quo procreatus fuisti; donec præstò fuit ʰ iniquitatis pœna in te.

16 ²¹ In amplitudine mercaturæ tuæ ²² pleni erant ⁱ in te violentia, qua peccabas: ideò confodiens te *dejectum* ²³ e monte Dei perdidi te, ô Cerub protector, e medio lapidum ignitorum.

17 ²⁴ Elatus fuerat animus tuus propter pulcritudinem tuam, corruperas sapientiam tuam cum splendore tuo; in terram dejeci te, Regibus exposui te ut aspiciant te:

18 Præ multitudine iniquitatum tuarum, propter improbitatem mercaturæ tuæ prophanasti ²⁵ sanctuarium tuum; ideò eduxi ignem e medio tui, qui consumsit te, & redegi te in cinerem super terram ante oculos omnium videntium te:

19 Quicunque noverunt te in populis obstupuerunt de te; ᵏ terrori summo es, quòd nulla *sis* usque in seculum.

20 ²⁶ Fuit etiam verbum Jehovæ ad me, dicendo,

21 Fili hominis, ²⁷ dispone faciem tuam Tzidonem versus, & propheta contra eam,

22 Dicens, sic ait Dominus Jehovi, ecce me contra te, ô Tzidon, ut glorificer in medio tui: ut ˡ cognoscatur me esse Jehovam, quum exercuero in ea judicia, & sanctificavero me in ea.

23 Nam immittam pestem in eam, & ²⁸ sanguinem in vicos ejus, & judicabuntur confossi in medio ejus, gladio incumbente ei circumquaque; experienturque me esse Jehovam.

24 ²⁹ Ita non erit ampliùs domui Jisraëlis spinus dolorificus, & spina dolorem afferens, præ omnibus locis circumstantibus eos, qui depopulentur eos; experienturque me esse Dominum Jehovim.

25 ³⁰ Sic ait Dominus Jehovi; quando congregabo domum Jisraëlis ex populis in quibus dispersi sunt, sanctificans me in eis in oculos gentium: ut habitent in terra sua quam dederam servo meo Jahakobo:

ᶠ Heb. *sanctitatis.* ¹⁹ id est, putabas te ut Deum imperium habere in ipsa fulgura: periphrasis. ᵍ Heb. *ignis: sic vers. 16.* ²⁰ explicatio secundi in propositione membri, nimirum sapientiæ, de qua suprà vers. 12. ʰ Heb. *iniquitas.* ²¹ explicatio primi in propositione loci. ²² id est, qualis erat Rex, tales populares; violenti omnes. ⁱ Heb. *in medio tui.* ²³ id est, summa illa gloria tua, qua Deus esse videbaris tibi: ut sup. vers. 14. ²⁴ repetitio trium præcedentium prolepseos capitum cum judiciorum antithesi, hoc & seq. versu, μετάβασις ad maximam illam gentium admirationem, ut diximus in versum 11. ²⁵ id est, sedem illam majestatis tuæ, quæ tibi divina esse videbatur. ᵏ Heb. *terroribus: ut sup. 26.21. & 27.36.* ²⁶ secunda prophetia, contra Tzidonem: ut diximus sup. 26.1. qua primùm per prolepsin judicium Dei & finis illius exponuntur vers. 22. deinde explicantur, duobus seq. ²⁷ ut sup. 6.2. ˡ Heb. *cognoscant: impersonaliter: ut sup. 4.3.* ²⁸ id est, cruentam cædem per Babyloniorum copias. ²⁹ finis præcedentium judiciorum salus Ecclesiæ, & gloria Dei. ³⁰ tertia prophetia, ut diximus sup. 26.1. de pace & tranquillitate Ecclesiæ Dei cœpta per Euangelium, & absoluta futura secundo adventu Christi. Nam promissionem hanc Euangelicam esse, & ad Ecclesiã Christi vetere Ecclesia figuratam propriè pertinere res ipsa docet: quamvis typo terræ, & verbis allegoricis exponatur.

26 Tunc habitabunt in ea securè, ædificabúntque domos, & plantabunt vineas habitantes securè: quum exercuero judicia in omnes qui depopulabantur eos e locis circumstantibus ipsos, ut cognoscant me Jehovam esse Deum ipsorum.

CAPUT XXIX.

Deus Chophrasho Ægyptiorum Regi propter superbiam ejus, inanemque Judæorum confidentiam, cladem a Cyrenæis eventuram prædicit; deinde regnum per Babylonios subversum iri; sed post certum annorum numerum restitutum ad gloriam ipsius, & Ecclesiæ bonum.

1 ¹ ANno decimo, decimo *mense*, duodecimo *die* mensis, fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,

2 Fili hominis, ² dispone faciem tuam versus ³ Parhonem regem Ægypti; ut prophetes contra eum & contra Ægyptum totam.

3 Eloquere dicens, ⁴ sic ait dominus Jehovi, ecce me contra te, ô Parho rex Ægypti, ⁵ balæna maxima quæ cubat inter rivos suos; qui dicit, ⁶ mihi *est* rivus meus, nam ego feci mihi.

4 ⁷ Indam enim hamos maxillis tuis, faciámque ut adhæreat multitudo piscium rivorum tuorum squamis tuis; ut deducam te e medio rivorum tuorum, & totam multitudinem piscium rivorum tuorum, squamis tuis adhærentem.

5 Posteà deseram te *abductum* in ⁸ desertum, te & totam multitudinem piscium rivorum tuorum, in superficie agri ⁹ cades, non recipieris, neque congregaberis: bestiis terræ & avibus cælorum exponam te in cibum:

6 Et experientur omnes habitatores Ægypti me esse Jehovam, ¹⁰ eò quòd sunt ¹¹ scipio arundineus domui Jisraëlis.

¹ Videlicet a deportatione Jeconjæ, ut suprà persæpe diximus. A hoc autem capite usque ad 33. prophetiæ singulares contra Ægyptum regnum continentur in quatuor capita, ratione magis argumenti quàm temporum: nam temporum seriem minimè observari, sed Jechezkelem certo consilio ad argumenti conjunctionem potius respexisse quàm ad prophetiarum tempora ex ipsa capitum serie cognoscimus. Primum enim hæc prophetia cladem proponit Ægyptiorum quam ad Cyrenas acceperunt, postquam Babylonio Jeruschalaima obsidenti & occursanti cessissent, Jirm. 37.7. & ex ea occasione desolationem regni prædicit universè: in sequenti verò prophetia minatoria, velut instante jam prioris prophetiæ complemento, desolationem hanc universam Ægypti explicat copiosissimè, capite 30. Posteà autem tertia prophetia exemplo confirmat desolationis illius pronunciatæ amplitudinem, capite 31. quarta denique lamentum luctumque ex horrifica illa ruina ad Ægyptios perventurum præfigurat, capite 32. eodem ordine quem suprà de Tyro annotavimus. Hujus ergo capitis duæ sunt partes: una, quæ cladem illam describit a Cyrenæis illatam paulò post fugam ignominiosam Ægyptii (quæ hoc ipso anno contigit) usque ad versum 7. altera, quæ futuram post annos multos eversionem totius Ægypti & restitutionem prædicat, ad finem usque capitis: quam eversionem generatim hic propositam, Propheta post annos septemdecim confirmavit, & copiosius explicavit capite 30. ² ut suprà 6.2. ³ Chophrashum Jirm. 44.30. ⁴ prior hæc prophetia contra Regem Chophrashum duas partes comprehendit, causam, hoc vers. & narrationem propheticam malorum quæ erant ipsi eventura, tribus sequent. Causa est maxima & insolentissima Regis prudentia; qui (ut narrat Herodotus in Euterpe) eo fuit persuasione ut ne Deum quidem ullum sibi putaret posse regnum adimere, quod hoc vers. exprimitur elegantissimè: altera verò causa subditur in fine versus, quod Judæos præsidente illa gloriatione in se acquiescentes fefellerit. ⁵ epitheton regis Ægypti qui suis viribus ita præstare omnibus videbatur sibi, ut balæna omnib. feris; de qua vide Ijobi 41. Posset etiã non incommodè pro crocodilo accipi qui rivos Nili incolit: sed alterum magis convenit seq. ⁶ quasi dicat, nemo est qui rivum meum mihi possit adimere & vindicare sibi. ⁷ narratio hæc prophetica ostendit consilium & expeditionem Parhonis contra Cyrenæos, hoc vers. deinde infelicem exitum & cladem gravissimam, sequent. versu: quo de argumento consulendus est ibidem Herodotus. Allegoricè autem hæc pronunciat Deus per comparationem balænæ, ostendens se consilio suo velut abditis hamis educturum esse ipsum cum copiis extra terminos Ægypti. ⁸ id est, in Libycas solitudines ad agrum Cyrenaicum. ⁹ id est, cadet exercitus tuus; sic sequentia synecdochicè: nam Hophra in Ægyptum reversus est. ¹⁰ secunda causa, ut diximus in versum 3. sed propterea hic rejecta, ut sit μετάβασις ad sequentem locum. ¹¹ ut 2. Reg. 18.21. quod exponitur planissimè seq. versu.

7 ¹² Quum

[12] secunda prophetia, ut diximus in versum 1. causam judicii explicat, hoc versu; deinde judicium narrat, quinque sequentibus; ac postremò aliquam restitutionem promittit, inde a vers. 13.
a Heb. fulu.
l Jirm. 44.30. & 46.13. & seq.
b Hebr. desolationis: sic vers. 12.
[13] i. a termino uno ad alterum. Nam Syene terminus erat meridianus Aegypti in Thebaide, Cusch verò terminum Septemtrionalem notat, qua AEgyptus partim Syrico mari, partim Arabia petræa (quæ terminus est posterorum Cuschi) definitur; vide Gen. 3. 13. & 10.7. & Herodotum lib. 2. cujus locum adduximus antè in Jeschah. 30.4. sic infrà 30.11.
[14] i. infrequens erit & deserta plurimùm: ut exponitur seq. vers.

7 [12] Quum prehendunt illi te manu, quas-
saris & findis eis totum humerum: qúmque in-
nituntur tibi, confringeris, & eis totos lumbos
a cohibes.
8 Idcircò sic ait Dominus Jehovi, ecce ego
adducturus sum contra te gladium; & excisurus
ex te homines & jumenta:
9 Ut sit terra Ægypti desolationi & vastita-
ti, & experiantur me esse Jehovam: eò quòd
dixerit, rivus meus *est*; nam ego feci.
10 Idcircò ecce me contra te, & contra rivos
tuos; ut tradam terram Ægypti vastitatibus, va-
stitati b desolatissimæ, [13] a turri Syenes usque ad
terminum Cuschi.
11 [14] Non transibit eam pes humanus, & pes
jumentorum non pertransibit eam; neque habi-
tabitur quadraginta annis.
12 [15] Reddam enim terram Ægypti desolatis-
simam inter regiones desolatas, & civitates ejus
inter civitates devastatas erunt desolatissimæ
[16] quadraginta annis: quum dispergam Ægyp-
tios in gentes, & spargam eos in regiones.
13 [17] Nam sic ait Dominus Jehovi; c [18] exac-
tis quadraginta annis congregabo Ægyptios e
populis quò dispersi fuerint:
14 Et reducam captivam multitudinem Æ-
gyptiorum, reducam inquam eos in terram [19] Pa-
throsi, in terram conversationis eorum; ut sint
ibi [20] regnum humile.
15 Præ reliquis regnis erit humile, neque se
se extollet ampliùs supra gentes: imminuam e-
nim eos ne dominentur in gentes:
16 [21] Ut non sit ampliùs domui Jisraëlis fi-
dentiæ revocaturæ *mihi* in memoriam iniquita-
tem, his avertentibus se post illos: sed agnoscant
me esse Dominum Jehovin.

[15] videlicet cladibus infinitis a Cyrenæis primùm (ut suprà diximus) deinde ab intestinis bellis (ut narrat Herodotus) & a Chaldæis potissimùm, ut hic & Jirm. 46. prophetatur. [16] transitionis argumentum ad promissam restitutionem. [17] narratio prophetica restitutionis promissæ, ut diximus in versum 7. Fuit autem hæc restitutio temporibus Amasis, qui regnum inclinantibus Babyloniorum rebus Cyri tempore occupavit: quem credibile est præfectū fuisse AEgypto per Babylonium post interfectū Chophrahium, & eadem occasione AEgypti regem effectum esse, quum præfecturam tantùm fiduciariam prius obtineret; qua in re fefellerunt sacerdotes AEgyptii, ut multis aliis, Herodotum. c *Heb. a fine quadraginta annorum.* [18] ex quo AEgypti regnum fuerit eversum ut fusius exponitur cap. seq. [19] vide Gen. 10.14. [20] tributarium, nec ita potens, ut antè fuit: nam Persis post Chaldæos paruit: vide similem loquutionem suprà 17.14. [21] finis judiciorum præcedentium, nimirum avocatio Ecclesiæ a fiducia rerum humanarum ad fidem in Deum certissimam. q. d. ne in posterum AEgyptius sua amplitudine Judæos traducat ad fallacem illam confisionem quam antè habuerant, ac proinde efficiat ut ego animadvertam in ipsos propter peccata ipsorum: similem loquutionem vide sup. 21.28. & 29.

CAPUT XXX.

Deus mercedem expugnatæ Tyri dat Babylonio regnū AEgypti, ut eo sublato eveniat suis interspiratio: deinde judicium suum AEgyptiis federatisq; prænuncians, exponit se omnibus cladem, consternationem, subversionémq; per Babylonios allaturum esse.

[1] Hujus prophetia (quæ superiorem post annos septemdecim subsequuta est) idem est argumentum

1 [1] Qlum esset [2] vigesimus septimus annus
primo *mense*, primo *die* mensis; fuit ver-
bum Jehovæ ad me, dicendo,
2 [3] Fili hominis, Nebucad-retzar Rex Baby-
loniæ a exegit a copiis suis servitutem magnam
contra Tyrum, [4] omne caput decalvatum est, &
omnis humerus b nudatus: merces autem non
est ipsi & copiis ejus de Tyro, propter illam ser-
vitutem quam serviverunt contra eam.
3 Idcircò sic ait Dominus Jehovi, ecce ego
trado Nebucad-retzari regi Babyloniæ terram
Ægypti; ut tollat multitudinem ejus, & spoliet
spolium ejus, ac prædetur prædam ejus, unde sit
merces copiis ipsius.
4 c Operæ pretium suum cujus nomine ser-
viverit, trado illi terram Ægypti, quia operati
sunt mihi, dictum Domini Jehovi.
5 [5] Die illa d efferam [6] cornu domui Jisraëlis,
& [7] tibi dabo aperturam oris inter illos; ut [8] cog-
noscant me esse Jehovam.

; sed quod in ea obscurius fuerat prædictum, hic denunciatur apertis verbis, nimirum subversio AEgyptiorum regni, in quod Nebucad-netzar occupata Tyro involavit. Continet itaque hæc prophetia primùm narrationem consilii Dei contra AEgyptum pro Ecclesiæ bono, usque ad vers. 6. deinde enarrationem singularē illius subversionis in AEgypto eventuræ, ad finem usque capitis. [2] nempe a deportatione Jeconjæ, ut Jechezkel numerare solet; qui annus erat undecimus ante mortem Nebucad-retzaris. Nam huc referendum esse annorum numerum evincit ipsa historiæ series, quum anno undecimo a deportatione capta sint Jeruschalaima, duodecimo & decimotertio occupatæ sint & firmatæ regiones finitimæ Moabitarum, Hammonitarumque; deinde Tyrus per annos tredecim obsessa, ut ante observavimus in Jeschah. 23.1. Ad quæ tempora prophetiam hanc pertinere ostenditur vers. 2. & sequentibus.

[3] priore hac prophetiæ parte Deus quodammodo Prophetam in consiliū suum adhibet, & tamquam imperator summus narrat Nebucad-netzarem cum copiis se auctore & duce maximis incommodis laboribúsque contra Tyrum militasse, hoc V. Ac propterea se Nebucad-netzari & militibus nunc demū totum AEgypti regnum tradere evertendum atque spoliandum, pro mercede laboris diuturni consumti in expugnatione Tyri, V. 3. & 4. ac postremò exponit se, qui brutas quodammodo & alienas a fide promissionibúsque operas muneretur, multo ampliùs beneficium erga Ecclesiam suam collaturum esse, vers. 5.
a *Heb. servire fecit.*
[4] i. diuturna illa obsidione tantopere sunt artriti ut ne capillos quidem integros habere videantur, aut vestes unde humeros tegant.
b *Hebr. depilatus.*
c *Hebr. opus: metonymia: ut Levit. 19.13.*
[5] nimirum qua profligato AEgyptio adempta fuerit Judæis fiducia in illum.

CAPUT XXX.

6 [9] Rursus fuit verbum Jehovæ ad me, di-
cendo,
7 Fili hominis, prophetato dicēs, sic ait Do-
minus Jehovi; ejulate, *dicentes* Ah, de [10] die ista.
8 Nam propinqua *est* dies; propinqua *est*,
inquam, dies Jehovæ: dies e nubila, tempus
[11] gentium erit:
9 Quum invadet gladius Ægyptum, eritq;
gravis dolor in Æthiopia cadentibus confossis
in Ægypto: quum intercipient multitudinem
ejus, & destruentur fundamenta ejus.
10 Æthiopes, [12] Putæique & [13] Ludæi, totáq;
[14] miscellanea turba, [15] Cubæi quoque, denique
f juncti federe; cum illis gladio cadent.
11 [16] Sic ait Jehova, & cadent sustentantes
Ægyptum, [17] descendétq; fastus roboris ejus; in-
de a turri [18] Syenes gladio cadent in ea, dictum
Domini Jehovi:
12 Et [19] desolabuntur g inter regiones desola-
tas; & civitates illius inter civitates vastatas e-
runt:
13 Ut experiantur me esse Jehovam; quum
[20] posuero ignem in Ægypto, & fracti fuerint
omnes auxiliarii ejus.
14 Die illo prodibunt nuncii [21] a conspectu
meo navibus, ad exterrendum Æthiopiam h se-
curam: & erit gravis dolor in eis, ut [22] diei Ægyp-
ti, quum ecce advenerit.

Est autem hæc præcedentis prophetiæ corollarium, quo ostenditur fore ut eversa Aegypto, & monarchia Nebucad-retzaris constituta, Judæis levetur sua captivitas, & aliqua detur piis Prophetis ac servis Dei auctoritas consitendi & promulgandi nomen Dei inter ipsos Babylonios: cujus rei complementū narratur Danijelis 2 & seq. & 2. Reg. 25.30. d *Heb. faciā efflorescere.* [6] i. robur & potentiam Christi in domo Jisraëlis aliquo pacto promovebo, ne planè sepulta & exstincta esse videatur. [7] & populo Dei; synecdoche. Nam Danijeli, tribus sociis illius, bonisq; aliis tradita est auctoritas promulgandi nomen Dei. [8] non Judæi modò, sed Nebucad-retzar ipse, Babyloniique, & exteri. [9] secunda hæc pars, enarratio (ut diximus in V. 1.) cōplectitur propositionem summam illius judicii contra AEgyptios, & federatos omnes, usq; ad versum 11. deinde ἐξήγησιν, reliquo capite. Propositio autē primùm luctum imperat, V. 7. tum explanat causam, tribus seq. [10] quæ sequentibus exponitur. e *Heb. nubis.* [11] i. quo gentes per voluntatem Dei sunt puniendæ; nimirum AEgyptii, V. sequente; & federati V. 10. [12] vide Gen. 10.6. [13] vide Gen. 10.13. [14] auxiliarium stipendia in AEgypto facientium. [15] i. Libyæ interioris incolæ ad fluvium Nigrim, ubi positum est opidum Cuphe Ptolemæo, Geographicor. lib. 4. f *Heb. filii terræ federis: periphrasis federatorum.* [16] propositionis ἐξήγησις tribus potissimùm membris concluditur: primum est de AEgyptiorum calamitate & federatorum omnium consternatione, versibus 4. secundum, de instrumentis & administris judicii istius, tribus sequentibus; postremum, de terræ ipsius desolatione, inde a V. 18. [17] i. concidet & ruet. [18] qui terminus est AEgypti meridiem versus: ut sup. 29.10. [19] id est, erunt desolatissimæ omnium: sic sequentia. g *Heb. in medio: sic sequens hoc vers.* [20] i. violentia Chaldæorum tamquam igne pervasero. [21] i. me auctore evolabunt ad AEthiopas qui nuncium perferant. h *Heb. in securitate.* [22] id est, ut quo die AEgyptum percussit Deus, quum per Moschen populum suum ex ea educeret.

²³ secundus ἐργασίας locus, ut ♈.11. diximus.
²⁴ i. iter tam facile præbens Babylonio quàm si rivi arefacti essent & complanata terra.
ⁱ Hebr. plenitudinem ejus.
²⁵ tertius ἐργασίας locus, ut diximus in ♈.11.
²⁶ vide Jeschah. 19.13.
²⁷ erat enim Noph altera regia, ut ibidem observavimus.
²⁸ vide Gen. 10.14.
ᵏ Heb. tradam ignem in Tzohane.
²⁹ vide Num. 13.22.
³⁰ i. Alexandriã, ut Jirm. 46.5.
³¹ i. Pelusium clausuram AEgypti ex adverso Arabiæ Petrææ, quę deserto Sinis nomẽ dedit.
ˡ Heb. dolendo.
ᵐ Heb. erit ad disrumpendum.
³² vide Gen. 41.45.
ⁿ Heb. Pibeseth.
³³ vide Jeschah. 30.4.
³⁴ i. imperiũ tyrannicum, quod scriptura ferè denotat loris: ut Levit. 26.13.

15 ²³ Sic ait Dominus Jehovi; & faciam ut
cesset multitudo Ægyptiorum per Nebucad-retzarem Regem Babyloniæ;
16 Ipsum, & populum ejus cum ipso, violentissimos gentium adductos ad perdendum istam
terram, qui exserentes gladios suos contra Ægyptum implebunt eam terram confossis.
17 Et ²⁴ redigens rivos *in* siccitatem, vendam terram illam in manum malorum: deniq;
desolabo terram & ⁱ quæ eam implent manu extraneorum; ego Jehova dixi.
18 ²⁵ Sic ait Dominus Jehovi; & perdam
deos stercoreos, & faciam ut cessent idôla
²⁶ e Nopho, & ²⁷ princeps e terra Ægypti non
erit ampliùs: quum indidero timorem terræ
Ægypti.
19 Nam desolabo ²⁸ Pathrosum, & ᵏ tradam igni ²⁹ Tzohanem; ac exercebo judicia in
³⁰ No:
20 Et effundam excandescentiam meam in
³¹ Sinem robur Ægypti, quum exscidero multitudinem No.
21 Quum ponam ignem in Ægypto, ˡ valde
dolebit Sin, & No ᵐ disrumpetur; & Noph, hostibus quotidianis.
22 Juvenes ³² Heliopoleos & ⁿ Bubasti gladio cadent, ipsæ verò *puellæ* in captivitatem
abibunt:
23 Et ³³ Daphnis obscurabitur dies, quum
frangam ibi ³⁴ lora Ægypti, & cessabit in ea fastus roboris ejus: ipsam nubes operiet, & filiæ ejus in captivitatem abibunt:
24 Denique exercebo judicia in Ægyptum,
ut experiantur me esse Jehovam.

CAPUT XXXI.

Deus attritis AEgyptiorũ copiis per Cyrenæos, exponit nunquam fore ut clades illa reparetur; sed potiùs AEgyptum ruituram, proturbante Domino: deinde per comparationem Assyrii, ostendit AEgyptium non magis posse Dei judicium effugere.

¹ Hoc membrũ prophetiæ sequentibus potiùs quàm antecedentibus conjungendum esse tum inscriptio ipsa, tum etiam argumentum docet. Pertinet enim prophetia hæc propriè ad caput 29. non

1 ¹ Fuerat verò undecimo anno, primo *mense*,
septimo *die* mensis; fuerat inquam verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 ² Fili hominis, ³ brachium Parhonis regis Ægypti fregi; ⁴ quod ecce non alligabitur
inditis medicamentis, imposita fascia ad obligandum ipsum, ut confirmetur ad ᵃ tractandum
gladium.
3 Idcirco sic ait Dominus Jehovi, ecce me
contra Parhonem regem Ægypti, ut cõfringam
brachia ejus, ⁵ illud quod firmum est & quod
fractum fuit: ⁶ ut dejiciam gladium e manu
ejus:
4 ᵍ Et dispergam Ægyptios in gentes, spargámque eos in regiones.
5 Ideo confirmabo brachia regis Babyloniæ, tradens gladium meum in manum ejus; ut
confringam brachia Parhonis, & ⁷ gemat gemitibus confossorum coram illo.
6 Confirmabo autem brachia regis Babyloniæ, brachia verò Parhonis concident; ut ʰ cognoscatur me esse Jehovam, quum tradidero gladium meum in manum regis Babyloniæ ut extendat illum contra terram Ægypti.
7 Similiter dispergam Ægyptios in gentes,
& spargam in regiones; ut cognoscatur me esse
Jehovam.

CAPUT XXXI.

8 ⁸ Deinde fuit undecimo anno, tertio *mense*, primo *die* mensis; fuit *inquam* verbum Jehovę
ad me, dicendo,
9 Fili hominis, dic Parhoni regi Ægypti,
& multitudini ejus; ⁹ cui similis es in magnitudine tua?
10 ¹⁰ Ecce Assyrium, ¹¹ *erat* cedrus in Libano, pulchra ramis, & virgulti umbrosa, altáque
statura; ¹² cujus calami summi erant inter densos ramos.
11 ¹³ Aquæ educaverant eam, abyssus extulerat eam: ¹⁴ fluentis suis *abyssus* obibat circumquaque plantarium ejus, & ¹⁵ aquæ ductus suos
mittebat ad omnes arbores agri.
12 Idcirco exaltavit se statura ejus præ omnibus arboribus agri, & multiplicabantur ramusculi ejus, prolongabanturq; rami ejus, ᶜ quos emittebat, aquis multis:
13 In ramusculis ejus ¹⁶ nidificabant omnes
aves cæli, & sub ramis ejus pariebant omnes
bestiæ agri; ac in umbra ejus sedebant omnes
gentes amplissimæ.
14 Denique pulcra erat magnitudine sua, *&*
longitudine palmitum suorum; quia erat radix
ejus ad aquas amplas.
15 ¹⁷ Cedri ¹⁸ in horto Dei non abscondebant eam, ¹⁹ abietes non erant similes ramusculis ejus, & castaneæ non erant pares ramis ejus;

⁶ id est, ut præripiam omnem belli gerendi facultatem, ferendique auxilii: interminatio allegorica; cujus efficiendę modus ponitur vers. 5. finis verò, duob. seq.
ᵍ *sup.* 29.12.
⁷ nam invadente AEgyptum Babylonio Chophrah per Amasin & AEgyptios deditus, in custodia servatus est, & miserè strangulatus: etsi Herodotus (ut antè monuimus) hac in re falsus est, quòd Amasin jam tum Regem fuisse dicit qui prorex fuit Babylonii.
ʰ *Heb. cognoscant: sic* ♈. *seq.*
⁸ secunda hæc prophetia (ut sup. diximus in vers. 1.) superioris est confirmatio ab exemplo Assyrii, cui comparatur AEgyptius vers. sequente, & vers. ultimo; reliqui intercedentes ♈. Assyrii exemplem explicant trib. locis: quorum primus est narratio amplitudinis & fastus illius, usque ad vers. 17. secundus est casus & ruina præceps, usque ad vers. 22. tertius est calamitas & luctus aliarum gentiũ cum ipso, inde ad vers. ultimum.

autem ad 30. quia aliquod complementum hoc loco demonstratur eorum quæ fuerant prædicta in principio capitis 29. Quamobrem quum prophetia hæc multis annis superiorem præcesserit, placuit verbum substantivum plusquam perfecto reddere: quia hæc eodem anno prophetata sunt, quo expugnata Jeruschalaima; superior verò prophetia eo anno, quo expugnata est Tyrus, id est, post annos quindecim. Hujus autem capitis duæ sunt partes; prior, quâ ex inchoata AEgyptiorum ultione Deus ostendit ea tantum initia dolorum esse, & multo graviora AEgyptiis post annos quindecim eventura (ut antè vidimus) deleto regno, usque ad vers. 8. posterior verò, quæ causam & judicium illud illustrat & confirmat exemplo, inde a ♈. 8. ² priore hac parte exponuntur duo; occasio prophetiæ, hoc vers. & futuri gravioris mali denunciatio, sequentibus. Occasio autem prophetiæ fuit, quòd Chophrah rex AEgypti cedens occurranti Babylonio, copias suas (quas in adjumentum Judæorum comparaverat) trajectas AEgypto contra Cyrenæos transtulerat, a quibus accepit plagam gravissimã & ignominiosissimam, ut diximus sup. 29.1. & ibidem prophetatum est, usque ad ♈. 7. ³ i. roboris partem; ea videlicet clade, quam modò diximus. ⁴ i. nunquam acceptum damnum resarciet; neque per exteros, neq; per suos populares ab isto malo curabitur. Nam Chophrahum hac clade accepta ipsis AEgyptiis exosum invisumque fuisse narrat Herodot. lib. 2. quod malum hic narratur allegoriã; cujus similis habetur Jeschah. 1.6. ᵃ *Heb. prehendendum; synecdoche: ut Gen. 4.21.* ⁵ i. tum reliquam virium partem quæ adhuc integræ permanserunt adimã, tum eas ipsas quę fractę sunt planè comminuam.

⁹ hæc interrogatio, qua Deus conscientiam appellat AEgyptii, viam sternit ad propositionem sequentis exempli. quasi dicat, ne putato nunquam fuisse quemquam cujus amplitudo cum tua amplitudine potuerit comparari: sunt certè quibus compareris, & in iis ecce tibi exemplum recens Assyrii, cujus amplitudo omnino fuit par aut superior tua, versibus seq. & animum adverte ad casum illius, &c. quamobrem hæc eadem verba ἐπαναλιπτικῶς repetuntur vers. ultimo. ¹⁰ exemplum Assyrii totum allegoricum, sive expressum per comparationem elegantissimam: cui similis est sup. 17.3. & sequentibus; & Danijel. 4. ¹¹ id est, erat similis arbori procerissimæ, speciosissimæ, opacissimæ, frondosissimæ, vividissimæ, &c. quæ omnia ex sequentibus adjunctis intelligenda sunt; hoc est (uno verbo) omnium erat præstantissimus dum staret. ¹² id est, conferta ramusculis in omnibus brachiis sive ramis suis, quod melius Græcè exprimas, πυκνόκλαδος κλαδίσκοις ἐν τοῖς ἀκρέμοσιν. ¹³ id est, omnibus modis secundabatur, & provehebatur felicissimè. ¹⁴ expositio felicitatis Assyrii per comparationem aliarum; quemadmodum (inquit) arbor non rivulis manu ductis, sed plenis fluentis irrigata reliquas sitientes aut non ita copiosè irrigatas vi sua superat, primùm diffusis undequaq; radicibus, hoc vers. & vers. 14. deinde trunco, brachiis, ramis, & ramusculis ad commoditatem rerum creatarum omnium, vers. 12, & 13. denique omnibus numeris antecellit; ita fuit Assyrius cum reliquis gentibus comparatus; quæ omnes non fluentis circumquaque, sed tamquam jejunis aquæ ductibus rigabantur, si cum Assyrio compares. ¹⁵ videlicet tantùm: quia hæ arbores non fluentis, sed ductibus tantùm erant irriguæ; quam allegoriam modò interpretati sumus. ᶜ *Heb. emittente ea.* ¹⁶ ut Dani. 4. ¹⁷ amplificatio a comparatione aliorum regum & principum omnium qui ea tempestate vixerunt, quòd non æquarent Assyrium, hoc vers. & quòd inviderent, vers. seq. ¹⁸ i. in plantario irriguo atque uberrimo, quod nominaverat sup. ♈. 11. ¹⁹ i. maximæ & crassissimæ arbores neque trunco, neque brachiis, neque ramis, neque specie ulla erant cum ea comparandæ.

nulla

nulla arbor in horto Dei similis erat ei pulcritudine sua.

16 Pulcram effeceram eam cum multitudine palmitum ejus; adeò ut inviderent ei omnes arbores Hedenis quæ *erant* in horto Dei.

17 [20] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, eò quòd te exaltas statura: quum edidisset *ille* summũ calamum suum inter densos ramos suos, & elatus est [d] animus illius in altitudine sua:

18 Tum tradidi eum in manum [21] fortissimi gentium; hunc [e] liberè acturum in illum propter improbitatem illius impuli.

19 Ita cædentes eum extranei violentissimi gentium deseruerunt eum: in montibus, & in omnibus vallibus deciderunt palmites ejus, & fracti sunt rami ejus in omnibus alveis terræ, descendentésque ab umbra ejus omnes populi terræ deseruerunt eum:

20 Super [f] cadivum truncum ejus habitant omnes aves cæli; & in ramis ejus sunt omnes bestiæ agri.

21 [22] Ut non exaltent se de statura sua ullæ arbores [g] irriguæ, & [23] non proferant summum calamum suum inter densos ramos; neq; [h] conquiescant in se ipsis altitudine sua, [i] ullæ riguæ: quandoquidem omnes illi traditi sunt morti, *dejecti* in terram imam inter filios hominis, ad [k] eos qui descenderunt in foveam.

22 [24] Sic ait Dominus Jehovi, quo die descendit in sepulcrum, [l] luctu quem importavi [25] obtexi pro eo abyssum, cohibens fluenta ejus, ut coërcerentur aquæ multæ: & atratum reddidi pro eo Libanũ, & omnibus arboribus agri propter eum fuit defectio animi.

23 Præ sono casus ejus cõmovi gentes, quum demitterem eum in sepulcrum cum descendentibus in foveam: unde consolationem ceperunt in terra ima [26] omnes arbores Hedenis, delectus & præstantia Libani, omnes riguæ.

24 Etiam ipsi cum illo descenderunt in sepulcrum ad confossos gladio; qui *domiti* brachio illius resederant in umbra illius inter gentes.

25 [27] Cui ex arboribus Hedenis [28] ita similis es gloria & magnitudine? dejicieris ergo [29] cum arboribus Hedenis in terram imam, in medio [30] præputiatorum cubabis cum confossis gladio; [31] ille *est* Parho, & tota multitudo ejus, dictum Domini Jehovi.

[20] secundus locus de casu Assyrii, ut diximus in vers. 8. ad quem transitur brevi apostrophe ad AEgyptium, principio hujus vers. [d] *Heb. cor.* [21] id est, Babylonii, ut jam suprà nominatus est 28. 7. & 30. 16. & vers. seq. Nam Esar-chaddon Assyrius per Berodac-baladanem Babylonium oppressus est & ejectus: quamobrem defecerunt ab eo omnes, plurimique ad Babylonium transfugerunt seq. vers. adeò ut jam regio Assyriæ ignominiosissimè tereretur pedibus omnium, & in contemptum venisset, vers. 20. [e] *Heb. agendo agerei.* [f] *Heb. casum.* [22] finis præcedentis judicii effecti contra Assyrium, nempe ut gentes omnes edoctæ exemplo illius discant non exaltare se, non luxuriari, neque in se ipsis conquiescere fiducia sui; ne tandem in parem aut graviorem calamitatem delabantur. [g] *Heb. aquarum.* [23] videlicet ut fecit Assyrius. [h] *Heb. stent.* [i] *Heb. bibentes aquas; sic v. 23.* [k] *Heb. descendentes in cisternam: sic vers. 23.* [24] tertius locus; ut diximus in vers. 8. tam horrendum fuisse judicium Dei contra Assyrium, ut res omnes creatæ inanimæ & animatæ horrore illius affectæ sint, ex quo ad æmulos pervenit consolatio, vers. sequente; & exitium ad eos qui hærebant Assyrio vers. 24. [l] *Heb. lugere feci, obtexi.* [25] id est, feci ut abyssus qua irrigabatur Assyrius quasi lugens se se compimeret & fluenta sua subtraheret; quemadmodum lugentes solent in ædibus se se continere: sic sequentia dicta humanitus. [26] id est, alii reges & principes de quibus suprà 15. & 16. [27] ἐπάνοδος, sive repetitio propositionis dictæ vers. 9. qua concludit Propheta omnino AEgyptium gloria cum Assyrio comparandum esse; ac proinde supplicio quoque comparatum iri. [28] videlicet ut similis es Assyrio. [29] id est, cum principibus, quos præter AEgyptium Nebucad-retzar perditurus erat, ut superioribus prophetiis dictum erat. [30] vide suprà 28. 10. [31] ironia. quasi dicat, ecce Parhonem illum cum tota ipsius gloria.

CAPUT XXXII.

Deus insolentiam Regis AEgypti exprobrans, prædicit illum captum & laniatum iri per Babylonium, tam severo judicio, ut omnes gentes perhorrescant; deinde alios reges populósque potentissimos qui tum perierint ipsi de adventu ad sepulcrum gratulaturos esse.

1 [1] DEinde fuit [2] duodecimo anno, duodecimo mense, primo *die* mensis; fuit, *inquam,* verbum Jehovæ ad me, dicendo,

2 Fili hominis, profer [3] lamentationẽ contra Parhonem regem Ægypti, dicens ei, [4] juveni leoni inter gentes similis es: imò es similis [5] balænæ per maria, quum prodiens [6] per flumina tua conturbas aquas pedibus tuis, & perturbas flumina [7] illarum.

3 [8] Sic ait Dominus Jehovi, [9] at expandam contra te rete meum per congregationem [10] populorum multorum; qui educent te plagis meis;

4 Et deserens te in terra, in superficie agri dejiciam te; [11] faciámque ut habitent super te omnes aves cæli, & saturabo ex te bestias totius terræ,

5 Exponens carnem tuam super montes, & implens valles [12] altitudine tua,

6 [13] Et irrigans terram natationis tuæ sanguine tuo usque ad ipsos montes; adeò ut alvei impleantur te.

7 [14] Et operiam, quum exstinguam te; cælos, atratásque reddam stellas eorum: Solem nube operiam, & Luna non faciet ut luceat lux sua:

8 Omnia luminaria [a] lucida in cælis atrata reddam super te; & disponã tenebras super terram tuam, dictum Domini Jehovi:

9 Et ad [15] indignationem provocabo [b] animum populorum multorum; efficiendo ut perveniat confractio tua ad gentes, in regiones *populorum* quos non nosti:

10 Faciámque ut obstupescant de te populi multi, & reges eorum horrescant propter te horrore, [c] [16] vibrante me gladium meum ante faciem illorum; ut trepident singulis momentis quisque propter [d] se ipsum, die casus tui.

11 [17] Nam sic ait Dominus Jehovi, gladius regis Babyloniæ invadet te.

12 Gladiis robustorum dejiciam multitudinem tuam, violentissimorum [e] in gentibus omnium: qui vastabunt fastum Ægypti, ut perdatur tota multitudo ejus.

13 Perdam etiam omnia [18] jumenta ejus, ne superveniant aquis multis; [19] ut non conturbet eas pes humanus ampliùs, etiam [f] ungulatus jumentorum non conturbet eas.

14 Tunc faciam [20] ut sidant aquæ illarum & flumina illarum [21] tamquam oleum faciam ut ambulent; dictum Domini Jehovi.

15 Quum reddidero terram Ægypti [g] desolatissimam, terram destitutam [h] iis quæ implebant eam, quum percussero omnes habitantes in ea; ut experiantur me esse Jehovam.

[1] Duplex in hoc capite prophetia contra AEgyptum continetur, utraque eodem argumento; prior, ad vers. usque 17. posterior, inde ad finem capitis. Prioris autem membra sunt tria; primum est propositio improbitatis & insolentiæ AEgyptii, quæ causam judiciis consequentibus attulit, vers. sequente: secundum, narratio judiciorum, usque ad versum 16. tertium, epilogus, vers. 16. [2] a captivitate Jeconjæ, ut antè diximus; quo anno eversa fuerant Jeruschalaima. [3] id est, prophetiam lamentabilem & exitialem AEgyptiis. [4] comparatio, ut suprà 19. 2. & sequentibus. [5] ut suprà 29. 3. [6] id est, commoditate Nili, qui multis ostiis in mare profunditur. [7] videlicet aliarum gentium. q. d. finitimos omnes, qui sub aliena potestate sunt, ad res novas defectionémque sollicitas & permoves: ut Tzidkijam moverat AEgyptius. [8] prophetica hæc narratio venturi judicii primùm docet quale judicium futurum sit, usque ad versum 11. deinde per quos & quamobrem, versu undecimo, & quatuor sequentibus. [9] judicium duo summatim continet, perditionem AEgypti, descriptam allegoricè ab eadem balænæ similitudine, versibus 4. deinde horrorem rerum creatarum omnium inanimatarum, animatarúmque, in cælo & terra præ gravitate judicii, quatuor alteris. [10] qui futuri sunt velut piscatores mei, duce Babylonio: qua piscandi similitudine ferè utuntur Prophetæ, quum de AEgypto agitur. [11] id est, exponam te omnibus consumendum. [12] id est, cadavere tuo, quamvis immanis sis & altissimus videaris tibi. [13] id est, faciens ut terra, in qua tamquam balæna natas, ipsa natet in sanguine tuo: elegantissima hyperbole. [14] alterum membrum judicii hyperbolicum, ut diximus in versum 3. de rebus cælestibus & terrestribus, binis versibus. [a] *Heb. lucis.* [15] videlicet ex horrore & metu, quem auditâ AEgyptiorum clade perceperint. [b] *Hebr. cor.* [c] *Hebr. quum faciam ut volet.* [16] id est, quam celerrimè judicium meum contra te exsequente, illis spectantibus. [d] *Heb. animam suam.* [17] altera narrationis pars, ut diximus vers. 3. [e] *Hebr. gentium.* [18] id est, equos, quorum multitudine fretus AEgyptius obsistebat Babylonio, & alios ad defectionẽ provocabat amplissimis promissis: vide Jeschah. 31. 3. [19] id est, non ampliùs abducat populos finitimos ab officio suorum: ut suprà vers. 2. [f] *Heb. ungularium.* [20] id est, ut quietè se contineant gentes, quas prius balæna infestaverat: allegoria, ut principio capitis. [21] id est, faciam ut leniter agant, prout lenis est fluxus & sedatus pinguis olei. [g] *Heb. desolationem & desolatam.* [h] *Heb. plenitudine sua.*

16 Lamentatio [22] hæc *est*, qua lamentabuntur illam, filiæ gentium lamentabuntur illam; de Ægypto & de tota multitudine ejus lamẽtabuntur illa, dictum Domini Jehovi.
17 [23] Deinde fuit duodecimo anno, decimo quinto die ejusdem mensis; fuit, *inquam*, verbum Jehovæ ad me, dicendo,
18 Fili hominis, ede lamentum de multitudine Ægypti, & [i] [24] effer eam; ipsam, ut filias gẽtium validarum, in imas terræ *partes* cum descendentibus in foveam,
19 *Dicens*, [25] quo amœnior esses? descende, ut prosternaris cum præputiatis;
20 Inter cõfossos gladio *qui* ceciderint: [26] gladius positus est, trahite eum & omnes copias ejus.
21 [27] Alloquantur illum duces potentum e medio sepulcri cum auxiliaribus ejus; *qui* descenderint, jacuerint [28] præputiati *apud* confossos gladio.
22 [29] Ibi *alloquatur* Assyrius cum tota congregatione sua, circumstantibus [30] illum sepulcris [31] hujus: omnes confossi qui ceciderunt gladio;
23 Cujus sepulcra disposita sunt in lateribus foveæ, ut ejus congregatio [32] circumstet sepulcrum illius; omnes confossi qui ceciderunt gladio, qui terrorem indiderant terræ viventium.
24 Ibi *alloquatur* Helam cum tota multitudine sua circumstans sepulcrum illius; [33] omnes confossi qui ceciderunt gladio, qui descenderunt præputiati in imas terræ *partes*; qui indiderant terrorem suum terræ viventium, & reportant ignominiam suam cum descendentibus in foveam:
25 Cui inter confossos [k] positum est cubile cum tota multitudine ipsius, circumstantibus illam sepulcris ipsius: omnes præputiati confossi gladio, qui [l] indito terrore suo in terra viventium, jam reportant ignominiam suam cum descendentibus in foveam, inter confossos positi:
26 Ibi *alloquantur* [34] Meschec, Thubal, cum tota multitudine sua circumstantes illum sepulcris suis; omnes præputiati confossi gladio, quum indiderint terrorem suum terræ viventium.
27 [35] Quamvis non cubent cum potentibus
qui ceciderunt ex præputiatis: qui [36] descendent *in* sepulcrũ cum instrumentis [m] bellicis suis, positis gladiis ipsorum sub capitibus ipsorum, [37] quum incumbat iniquitas eorum ossibus ipsorum, quia terror potentum in terra viventium *fuit*.
28 [38] Tu quoq; inter præputiatos confringẽris, & jacebis cum confossis gladio.
29 Ibi *alloquatur* Edom, reges ejus, & omnes principes ejus, qui collocabuntur potentia [39] illorum apud confossos gladio; ipsi cum præputiatis cubabunt, & cum descendentibus in foveam.
30 Ibi *alloquantur* [40] Toparchæ Aquilonis quotquot sunt, & omnes Tzidonii; qui descendent ad confossos cum terrore suo, a potentia illorum erubescentes, cubabúntque præputiati cum confossis gladio, reportantes ignominiam suam apud descendentes in foveam.
31 [41] Hos videns Parho consolationem capiet de tota multitudine sua; confossi gladio, Parho, & omnes copiæ ejus, dictum Domini Jehovi.
32 Quum indidero terrorem meum terræ viventium; & prostratus fuerit inter præputiatos cum confossis gladio, Parho & tota multitudo ipsius, dictum Domini Jehovi.

[22] epilogus, ut diximus vers. 3. [23] secunda hæc prophetia sarcastica est tota adversus Aegyptum: qua Propheta AEgyptiorum funus a se efferri fingit, & ab aliis gentibus quæ interciderant in medium ipsarum accipi. Sunt itaque hujus Prophetiæ partes, (præter inscriptionem comprehensam hoc versu) prima, funeris descriptio, tribus sequentibus; secunda, prosopopœia mortuorum AEgyptio gratulantium, usque ad versum 31. tertia, conclusio totam consolationem AEgyptii fore, quòd socios habeat in suis calamitatibus. [i] *Heb. fac eam descendere.* [24] videlicet funus ejus in sepulcrum, sive typo aliquo prophetico, sive sermone tantùm fuerit Propheta usus. [25] id est, cui putares te anteponendum esse & habendum meliore loco? [26] hypotyposis funeris venustissima, qua Propheta ostendit quandoquidem tam fortis & strenuus fuit AEgyptius, planè æquum esse ut sepeliatur strenuorum more, quibus in sepultura ad caput substernebatur gladius indicium militaris fortitudinis: ut infrà vers. 27. ostenditur. Agito (inquit Propheta) jam positus est & stratus gladius, trahite cadaver AEgyptii potentissimi, ut ipsius caput pro cervicali incumbat gladio. [27] jam incipit prosopopœia, hoc versu, ut diximus in versum 17. cujus gravitas amplificatur a populorum certorum enumeratione, versibus sequent. Similem prosopopœiam vide Jeschah. 14. 12. & sequentibus. [28] ut suprà 28. 8. [29] ἐργασία prosopopœiæ (ut diximus) per enumerationem tum duarum monarchiarum quæ jam ceciderant, quatuor versibus; tum aliorum populorum qui propheticè casuri prædicuntur, versibus quinque. Est autem prior Assyriorum monarchia, posterior Helamitarum sive Medorum, vers. 24. [30] AEgyptium adventantem recens in sepulcrum suum. [31] Assyrii, ut solet corona convenientium ad novos advenas concurrere. [32] id est, medium locum & eminentissimum tribuat AEgyptio: sic deinceps. [33] jam enim Helamitæ regnante Cyaxare fuerant per Scythas domiti sub primum annum Tzidkijæ, ut annotavimus Jirmej. 49. 34. Quamobrem statim a Helamitis ad Meschecum, Thubalem, & cæteros qui Helamitas domuerant transit Propheta. [k] *Hebr. posuerunt.* [l] *Hebr. quum inditum est terror: impersonali constructione Hebræis frequentissima: ut in fine versûs.* [34] vide Genes. 10. 2. Sunt enim hi Scytharum sive Sarmatarum primi aditus in Asiam irrumpentium. [35] occupatio ad hos & sequentes populos pertinens: dixerit quispiam, atqui isti non occubuerunt, sed rerum potiuntur in parte Asiæ; quid ergo causæ est cur istos ponas in numero mortuorum AEgyptio gratulantium? respondet Propheta; etsi nondum ceciderunt, cadent tamen antequàm cadat AEgyptius: quamobrem sequentia sunt accipienda prophetice.

[36] id est, efferentur funere magnifico, quale viris strenuis solet fieri: ut diximus suprà vers. 20. [m] *Heb. belli ipsorum.* [37] antithesis vehemẽtissima, qua ostendit Propheta etsi strenui illi in morte quasi triumphare videntur sibi, subdito cervicibus ipsorum gladio, eos tamen esse miserrimos, quia jam iniquitas ipsorum (qua ad terrendos & domandos homines abutuntur) incumbit capitibus ipsorum & post funera ossa quoque ipsorum prosequutura est. [38] Meschec, Thubal, & tota multitudo, quæ modò in Helamum dominaris. [39] videlicet Chaldæorum, ut prophetatum est Jirmej. 49. 7. & suprà 25. 12. sic vers. seq. [40] id est, Tyrii, Damasceni, & Syri alii, de quibus fuerat prædictum Jirme. 47. & 49. 22. & suprà 26. & duobus seq. [41] epilogus, ostendens omnem justam consolationem AEgyptio defuturã, ut annotavimus in V. 17.

CAPUT XXXIII.

Deus Prophetam revocans ad prædicandum inter populares, confirmat ipsum de functione Ecclesiastica, & præmunit contra Judæorum calumnias; deinde completo signo quod antè promiserat, jubet Judæis in terra commorantibus exitium prænunciare; deportatis exprobrare hypocrisin, & se in functione adversus omnia scandala confirmare.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 [2] Fili hominis, alloquere [a] populares tuos indicens eis, quum [3] adducturus sum contra terram aliquam gladium; si acceperint

[1] Finitis prophetiis ad gentes exteras pertinentibus, nunc demum Propheta ad popularium suorum documenta revertitur, a quibus abstinuerat inde a capite 24. Sunt autem hujus capitis (in quo certa documenta traduntur Prophetæ, ut confirmetur ad sequentes prophetias intrepidè hominibus istis pronunciandas) partes omnino duæ: una, qua Deus Prophetam de integro instituit de vocatione & doctrina ipsius, usque ad versum 2. altera, qua præmunit ipsum contra blasphemias & offensiones popularium, inde ad finem capitis. Prioris autem partis documenta sunt, primùm de vocatione & functione prophetica, tum κατὰ θέσιν & comparationem nobilissimam, usque ad versum 7. tum speciatim de vocatione Jechezkelis & summa doctrinæ populo exponendæ; καθ' ὑπόθεσιν, vers. 7. & duobus seq. deinde verò de doctrinæ confirmatione, & rerum ei adversantium confutatione, vers. 10. & sequentibus. Quam documentorum formam Deus jam antè adhibuerat quum Prophetam vocaret primùm, suprà cap. 3. [2] propositio theseos (ut modò diximus) persuasoria ad comparationem minoris. quasi dicat, si qui populus aut respubl. in bellorum suspicione aut metu speculatorem posuerit, ipsius est monere populares suos: quod si tempestivè fecerit, non tenebitur præstare culpam eorum quos hostis interceperit; si non fecerit, luet pœnas suæ aut perfidiæ, aut indiligentiæ. Jam verò te non populus, aut humana ulla auctoritas; sed ego ipse speculatorem constitui in populo meo, suprà 3. & quamvis per aliquod tempus jusserim te obmutescere apud populares tuos, suprà 24. tamen jam te ad præcedentem functionem revoco, quando ille qui evasit ad te venturus est, infrà vers. 21. ut tibi a me prædictum fuerat: nunc itaque age, attende ad functionem tuam, &c. & necessitatem illius perfungendæ tibi impositam explica tuis popularibus. [a] *Hebr. filios populi tui: sic infrà vers. 12. & 17.* [3] nam nullum est malum, nulla calamitas in civitate aut regione ulla, cujus non sit auctor & effector Deus, Hamos 3. 6.

populus illius terræ [b] unum quempiam [c] ab extre-
mitatibus suis, qui imponant sibi speculatorem;
3 Et videns [3] gladium supervenientem ter-
ræ, clanxerit buccina & monuerit populum.
4 Audiens verò [c] quisque sonum buccinæ
non [d] acceperit monitum, & adveniens gladius
sustulerit ipsum; [e] cædis suæ *causa* [4] in capite ip-
sius erit:
5 Sonum buccinæ audivit, sed monitum non
accepit; cædis suæ causa in eo erit: si enim mo-
nitum accepisset, [f] seipsum eripuisset.
6 Ipse verò speculator quum viderit gladi-
um advenientem, si non clanxerit buccina, po-
pulúsque non fuerit monitus, & adveniens gla-
dius sustulerit ex eis [g] aliquem: hic propter ini-
quitatem suam tolletur, sanguinem verò ejus e
manu speculatoris reposcam.
7 [7] Te autem, ô fili hominis, te *inquam* spe-
culatorem dedi domui Jisraëlis; ut audiens ex
ore meo verbum moneas eos ex me.
8 [†] Quum dixero improbo, improbe [h] omni-
no moriturus es, si non loquaris monendo im-
probum *ut desistas* a via sua: ipse improbus prop-
ter iniquitatem suam morietur, sanguinem verò
ejus e manu tua requiram.
9 Tu verò si monueris improbum de via sua,
ut revertatur ab ea, neque reversus fuerit a via
sua, ipse propter iniquitatem suam morietur, tu
autem te ipsum eripueris.
10 [8] Tu itaque fili hominis, dic domui Jisraë-
lis, ita loquimini, dicendo, quia defectiones nostræ
& peccata nostra incumbunt nobis; ideò in ipsis
nos tabescimus, ecqui viveremus?
11 [†] Dic eis, [9] *ne* vivam ego, dictum Domini Je-
hovi, si delector morte improbi; sed *delector* quum
revertitur improbus a via sua, ut vivat: reverti-
mini; revertimini a viis vestris pessimis; cur e-
nim moreremini domus Jisraëlis?
12 [10] Tu ergo, fili hominis, dic popularibus
tuis, justitia justi non est ereptura ipsum tempo-
re defectionis suæ, & [i] in sua improbitate impro-
bus non corruet quo tempore reversus fuerit ab
improbitate sua: ut justus non poterit vivere illâ
quo tempore peccabit.
13 Quum dixero justo, [k] omnino victurus es;
si ipse confisus justitiæ suæ fecerit iniquitatem,
omnia justè facta ipsius non memorabuntur, sed
in iniquitate illa sua quam facit morietur:
14 Et quum dixero improbo, omnino mori-
turus es; si reversus a peccato suo exercuerit ju-
dicium & justitiam;
15 Pignus restituerit improbus, rapinam
reddiderit, in [11] statutis vitæ ambulaverit non
faciendo iniquitatem; omnino vivet, non mo-
rietur:
16 Omnia peccata ejus quibus peccavit non
memorabuntur ei; judicium & justitiam exercu-
it, omnino vivet.
17 [12] Intereà dicunt populares tui, [†] non est
[l] æqua via Domini, quum ipsorum, ipsorum via
non sit æqua.

b Heb. extremum eorum.
c id est, e terminis regionis suæ, quia ipsis terminorum incolis magis perspectæ sunt omnes viarum & aditionum commoditates, in quibus exploratores observent quæ omnia.
3 id est, hostem armatum, synecdochicè: sic deinceps.
c Heb. qui audit.
d Heb. monitus fuerit: sic deinceps.
e Heb. sanguis ejus: ut Levit. 20 9.
4 solùm videlicet; non autem a speculatoris capite reposcetur pœna.
f Heb. animam suam; sic v. 9.
g Heb. animam.
† suprà 3.2. & seq.
7 accommodatio præcedentis theseos & comparationis militaris, ut indicavimus in versum 2.
h Heb. moriendo: sic v. 14.
8 ἐπεξεργασία præcedentis vocationis & functionis propheticæ, a repetitione documentorum legis de misericordia Dei erga resipiscentes: cujus occasio, nimirum summo diffidentiæ ex qua laborabant Jisraëlitæ, ponitur hoc versu: responsio verò, sequentibus. Nam objectio Jisraëlitarum fuit hujusmodi; tu ipse nobis prophetasti nos morituros esse, & tabefactum iri in peccatis nostris, suprà 24. 23. & tempus nunc demum ostendit omnem restitutionis speciem & spem a Deo nobis præcisam esse: quamobrem qui fieri posset ut nos viveremus, aut tu bona fide nobis vitam prædiceres? respondet Propheta, illud ego quidem dixi quod jam a vobis adducitur; sed ampliùs etiam dixi quod vos reticetis sive oblivione, sive diffidentia, sive malitia vestra, nempe Deum non delectari morte improbi, &c. suprà 18. 23. † suprà 18. 9 summa responsionis, quæ amplificatur sequentibus eadem ratione qua usus fuerat Propheta sup. 8. 10 ἐπεξεργασία, sive amplior exornatio responsionis quæ posita est proximè præcedente vers. i Hebr. in improbitate ipsa improbi non corruet: ut Genes. 9. 6. k Hebr. vivendo: sic vers. 15. & 16. 11 id est, ad salutem vitámque pertinentibus & quibus promissa est vita, Levit. 18. 4. 12 amplificatio præcedentis documenti per contentionem patheticam, quam exponunt tres sequentes versus. † suprà 18.25. l Heb. disposita: sic deinceps.

18 Quum avertit se justus a justitia sua, & fa-
cit iniquitatem, etiam moritur in [13] istis:
19 Quum autem avertit se improbus ab im-
probitate sua, & exercet judicium & justitiam; in
his ipse vivit.
20 Et dicitis, non est æqua via Domini; quem-
que secundùm vias suas judicabo vos, ô domus
Jisraëlis.
21 [14] Fuit autem duodecimo anno, decimo
mense quinto *die* mensis à deportatione nostra,
ut veniens ad me quidam qui evaserat Jeruscha-
laimis diceret, percussa est civitas:
22 [15] Manus autem Jehovæ adfuerat mihi ve-
spere, ante adventum ejus qui evaserat, ut ape-
riret os meum, donec is veniret ad me mane;
aperueràtque os meum, ut non obmutescerem
ampliùs.
23 [16] Fuit ergo verbum Jehovæ ad me, di-
cendo,
24 [17] Fili hominis, qui habitant vastitates is-
tas in terra Jisraëlis, loquuntur dicendo, [18] uni-
cus erat Abraham qui hæreditario jure posside-
ret hanc terram: nos autem multi *sumus*, nobis
tradita est hæc terra in hæreditatem.
25 Idcircò dic eis, sic ait Dominus Jehovi,
cum sanguine ipso comeditis, & oculos vestros
attollitis ad stercoreos deos vestros, sanguinémque
effunditis: & istam terram hæreditario jure
possideretis?
26 [19] Insistitis gladio vestro, facitis abomina-
tionem, & quisque uxorem amici sui impuratis;
& istam terram hæreditario jure possideretis?
27 Sic dicito eis, sic ait Dominus Jehovi, *ne*
vivam ego; nisi qui in vastitatibus *sunt* gladio ca-
dant, & qui *est* in superficie agri, bestiis eum ex-
ponam quem comedant; qui verò in munitioni-
bus & in speluncis, peste moriantur.
28 Ita reddam istam terram [m] desolatissi-
mam, & [†] desinet fastus roboris ejus: desolabun-
túrque montes Jisraëlis adeò ut nullus transeat:
29 Ut experiantur me esse Jehovam, quum
reddidero istam terram desolatissimam propter
omnes abominationes istorum quas faciunt.
30 [20] Tu etiam, fili hominis, populares tui
frequenter prædicantes de te [21] juxta parietes &
in portis domorum: quorum alloquitur [n] alter
alterum, *&* quisque fratrem suum, dicendo, ve-
nite jam, & audite quod *sit* verbum quod prodit a
Jehova:
31 Venientes ad te [22] quasi adventu populi,

13 videlicet aversione sua a justo, & perpetratione iniquitatis.
14 secunda pars capitis, in qua Deus exhibito signo quod ante annos quatuor promiserat, suprà 24. 26. Prophetam de integro informat ut prophetet suis popularibus. Ac signi quidem explicatio duobus versibus cõtinetur; prophetiæ verò popularibus annunciandæ, reliquis. Signum est duplex; unum, hominis cujusdam per quem renunciata est subversio Jeruschalaimorum, de qua 2. Reg. 25. 11. & sequentibus, hoc vers. alterum, spiritus Dei præmonentis Prophetam, & tamquam nova vocatione instruentis, vers. sequente, ut promissum fuerat suprà 24.
15 vide suprà 1. 3.
16 hæc prophetia Jechezkel populares suos reprehẽdit duobus nominibus: primùm reliquias Judæorum adhuc in Judæa commorantes quòd non resipiscerent antegressis castigationibus; sed jus terræ eodem modo sibi arrogarent quo factum fuerat tempore Tzidkijæ, ut vidimus suprà 11. 15. qui locus expositus usque ad versum 30. deinde verò Judæos deportatos, quòd prophetias sibi Deo auctore indictas ludificarentur, ad finem usque. 17 hæc prophetiæ pars continet primùm propositionem superbi dicti Judæorum hoc versu reprehensionem ipsorum; duobus seq. & interminationem judicii, tribus. 18 quasi dicat, si Deus uni Abrahamo adjudicavit hanc terram promissionibus, quid faceret nobis? qui plurimi sumus, ac hæredes Abrahami, nostra igitur est terra ex hæreditate. Quod argumentum refellit Propheta sequentibus, dicens, non estis filii aut hæredes Abrahami; nam si filii essetis Abrahami, opera Abrahami faceretis, ut Joan. 8. 39. Jam autem contrà facitis quàm fecit Abraham. 19 id est, confiditis & nitimini violentia vestra, cujus administer est gladius. m Heb. desolationem & desolationem: sic v. seq. † suprà 24. 21. 20 altera hæc pars prophetiæ pertinet tam ad reprehensionem Judæorum qui deportati erant, tum ad Prophetæ confirmationem, ne animus ipsius popularium offensis frangeretur. Nam superior prophetiæ pars ostendebat duo: quorum unum expressum est, eos qui in Judæa commorabantur profligatum iri, alterum etsi dissimulatum est, ea continetur tamen; non fore ut deportati restituantur brevi, ut pseudoprophetæ promiserant Jirm. 28 & 29. His itaq; verbis Prophetam Deus admonet, utcunq; populus afficiatur concionibus ipsius & præ se ferat pietatis studiũ, tamen vacare illũ pietate, & tantùm delectationis ergò, non pietatis & reverentiæ Dei nomine cõciones ipsius accedere; proinde neq; concionibus credere, neque obsequi, tribus versibus: sed tamen Prophetæ videndũ esse, ut pergat prophetare, fretus Dei promissionibus certissimè eventuris ad convincendum infidelem populum, vers. ultimo. 21 id est, vicatim & ostiatim, ubiq; commendantes te. n Heb. unus unũ, vir fratri suum. 22 id est, magna frequentia & diligentia, ac si verè populus meus essent, & membra Ecclesiæ meæ: sic interpretantur verba sequentia.

sedentésque coram te *quasi* populus meus, & au-
dientes verba tua, ipsa non faciunt: [23] quamvis
[o] suavissima ore suo ipsi faciant, [p] quæstum su-
um animus ipsorum persequitur.

32 Nam ecce tu *es* eis quasi canticum suavis-
simum pulcrum sono, & quidem [q] optimè pulsan-
tis: sed ut audiant verba tua, minimè faciunt
ea.

33 Quum igitur evenerit [24] illud (ecce adve-
nit) tum experientur Prophetam fuisse in me-
dio sui.

[23] id est, utcunque suaves sibi esse ducant conciones tuas, & pro suavissimis sibi prædicent: sic interpretamur faciendi verbum ex seq. versu, pro eo quod est, agnoscere, confiteri, & dicere, ut Matth. 12. 33.

[o] *Heb. amationes: sic versu seq.* [p] *Heb. cor ipsorum post quæstum suum it.* [q] *Heb. bene facientis pulsando.* [24] quod dictum est in priore parte prophetiæ, ut explicavimus in versum 30.

CAPUT XXXIIII.

Deus omnibus reipubl. & Ecclesiæ administris maledictionem denunciat propter impiam & inhumanam ipsorum administrationem: deinde promisso Christi regno ostendit Ecclesiam malis purgatum iri, & fedus cum bonis initum; ex quo omnis benedictio, propagatio, & salus.

1 [1] ET fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 [1] Fili hominis, propheta contra
pastores Jisraëlis: propheta dicens istis, pastori-
bus ipsis, sic ait Dominus Jehovi, væ pastoribus
Jisraëlis [2] qui erant pasturi ipsos, [3] an non grex
est quem pascunt pastores?

3 Adipem comeditis, & lanam induitis,
quod opimum est mactatis: gregem non pasci-
tis.

4 Morbo affectas non confirmatis, ægro-
támque non curatis, & confractam non obliga-
tis, ac depulsam non reducitis, pereuntémque
non requiritis: sed vi dominamini in eas, & per
sævitiam:

5 Adeò ut [4] dispergantur destitutæ pastore,
& sint cibo omnibus bestiis agri dispersæ:

6 Deerrent oves meæ in omnibus monti-
bus, & super omnem collem excelsum; denique
in superficie totius terræ dispersæ sint oves gre-
gis mei, [5] nemine reposcente & nemine requi-
rente.

7 [6] Idcircò ô pastores, audite verbum Je-
hovæ:

8 [7] Ne vivam ego, dictum Domini Jehovi,
nisi ([8] eò quòd est grex meus direptioni, & sunt
oves gregis mei cibo omnibus bestiis agri, desti-
tutæ pastore, & non reposcentibus pastoribus
meis gregem meum: pascunt enim pastores se
ipsos, gregem autem meum non pascunt)

9 [9] Idcircò, ô pastores, audite verbum Je-
hovæ:

[1] Hujus prophetiæ partes in universum duæ sunt; quarum una gubernatores Jisraëlitarum tam politicos quàm Ecclesiasticos reprehendit gravissimè præteritæ administrationis nomine, usque ad versum 7. altera, judicium Dei pronunciat, & bonos consolatur promissionibus, ad finem usque; quæ duo κατὰ προέκθεσιν summatim enunciantur vers. 2.

[1] *Jirm.* 23. 1.

[2] exegesis, quasi dicat, pastores voco non ex re, quòd ita se re ipsa gerant; sed ex officio, quòd debuerant pascere.

[3] contentio adversus pastores; qua contenditur comparatúsque officium ipsorum, ut pascant gregem, hoc vers. cum operibus ipsorum planè repugnantibus, quæ narrantur versibus quatuor sequentibus: atque hic totus locus proponitur allegoricè. [4] id est, exhausta sit Ecclesia & regnum populi Dei, gentibúsque exteris tamquam feris exponatur. [5] pastorum videlicet, quibus fuerat commissa populi Dei procuratio, etsi hoc ex officio debuerunt, ut infrà vers. 12. [6] transitio ad secundam partem prophetiæ, nimirum denunciationem in futurum tum de perditione pastorum improborum, tum de ovium liberatione: quæ duo per prolepsin dicta vers. 10. deinde ὕστερον πρότερον explicantur. [7] ὅρκος gravissimum, ac si perturbato ex indignatione animo loqueretur Deus interrumpens sententiam cœptam propter hyperbaton ætiologicum, hoc vers. ac deinde sententiam suam repetens nova constructione: cujusmodi ἀνακολουθίας exempla apud probatos auctores exstant quamplurima. [8] ætiologia, ut modò diximus, quam Deus dictioni sententiarum solet præmittere ad demonstrandum justitiam suam: ut fit in rebus forensibus. [9] ἀναφορὰ propter præcedens hyperbaton.

10 [10] Sic ait Dominus Jehovi, ecce me con-
tra istos pastores, ut reposcam gregem meum e
manu ipsorum, & faciam ut cessent a pascendo
grege, ut non pascant ampliùs isti pastores se
ipsos: eripiam enim gregem meum ex ore ipso-
rum, ut non sint *oves* illis cibo.

11 [11] Nam sic ait Dominus Jehovi, ecce me
inquam ut reposcam *oves* gregis mei & anquiram
eas.

12 [a] Sicut anquirit pastor gregem suum quo
tempore est in medio gregis sui, ovium dissipa-
tarum, ita anquiram gregem meum; ut eripiam
illas ex omnibus locis, quò dispersæ fuerint, tem-
pore nubis & caliginis:

13 [l] Educens eos e populis, congregánsque
eos ex regionibus, ac reducens eos in terram su-
am; ut pascam eos in montibus Jisraëlis ad al-
veos, & in omnibus locis [b] habitabilibus hujus
terræ.

14 In pascuo bono pascam eos, & in monti-
bus [12] excelsis Jisraëlis erit caula eorum; ibi re-
cubabunt in caula bona, & pascuum pingue de-
pascent in montibus Jisraëlis.

15 Ego pascam gregem meum, & ego faci-
am ut recubent; dictum Domini Jehovi.

16 Pereuntem requiram, & depulsam redu-
cam, fractámque obligabo, & ægrotam confir-
mabo: [13] pinguem verò & firmam perdam; pas-
cam [c] unamquamque jure;

17 [14] Vos enim, ô mi grex, sic ait Dominus
Jehovi; ecce ego judicaturus sum [d] inter [15] par-
vas pecudes, arietes, & hircos.

18 An parvum *est* præ vobis vos pascuum op-
timum depascere, quòd reliquum pascuorum ve-
strorum conculcatis pedibus vestris? & vos [e] ni-
tidam aquam bibere, quòd reliquas pedibus ve-
stris conturbatis?

19 Ut *oves* gregis mei conculcatum pedibus
vestris depascant, & conturbatum pedibus ve-
stris bibant?

20 Idcircò sic ait Dominus Jehovi illis; ecce
me, me *inquam*, ut judicem inter pecudem [16] o-
pimam, & pecudem macilentam.

21 Eò quòd latere & armo impellitis, & cor-
nibus vestris impetitis omnes morbo affectas;
eousque ut dispersceritis eas foràs.

22 Ideò servabo gregem meum ut non sint
ampliùs direptioni: & judicabo inter [f] pecudes.

23 [17] Nam excitabo eis pastorem unum qui
pascat eas, servum meum [18] Davidem: ipse pas-
cet eas, & ipse erit eis pastor:

24 Ego verò Jehova ero eis Deus, & servus
meus David princeps in medio eorum: ego Je-
hova eloquutus sum:

25 Et pangens eis fedus [19] pacis, [20] faciam ut
cessent bestiæ malæ e terra: ut habitent in deser-
to securè, & dormiant in sylvis:

26 Reddámque ista & quæ sunt circa collem
meum, [g] conferta benedictione; ac demittam
imbré tempore suo, imbres benedictionis erunt:

27 Ut edat arbor agri fructum suum, & terra
det proventum suum, síntque in terra sua securè:

[10] prolepsis sive propositio summa, ut diximus in versum 7. continens minas adversus pastores mercenarios & lupos, ac promissiones erga gregem Dei: quibus promissiones quidem exponuntur ad versum usque 17. minæ verò, usque ad versum 23. a quo versu ad finem usque capitis eædem promissiones Dei explicantur.

[11] explicatio posterioris membri prolepseos, ut modò diximus; qua Deus promittit se anquisiturum, educturum, congregaturum, reducturum, pasturum, tranquillaturum, & curaturum suos, per gradationem allegoricam.

[a] *Heb. secundum inquisitionem pastoris gregis sui.*

[l] *infrà 36. 24.*

[b] *Heb. habitationum.*

[12] id est, excellentissimis, per hypallagen.

[13] id est, eam quæ saginata confidet robori suo, & petulca erit: sic transitio paratur ad alterum membrum prolepseos.

[c] *Heb. ad, vel ut*

[14] apostrophe ad pios: quibus Deus ad ipsorum consolationem exponit priorem partem prolepseos, de judicio contra improbos pastores, & petulcas pecudes.

[d] *Heb. pecudem ad pecudem, ad arietes, & ad hircos.*

[15] id est, oves bonas, & malas; ut arietum hircorúmque nomine boni & mali pastores allegoricè designantur: quæ duo genera deinde compellat per ὑστέρωσιν; pastores quidem, duobus versib. sequentibus; oves autē, duobus alteris. [e] *Heb. sedimentum aquarum purissimas, in quibus omnes subsidunt sordes.* [16] i. pinguem illā, cujus meminit V. 16. ut exponit seq. V. [f] *Heb. pecudē ad pecudē, sup. V. 17.* [17] enarratio præcedentiū promissionū Evangelicarū, ut inf. 36. quibus primùm fit promissio Christi, duobus versib. deinde federis benedictionúmq; ex federe in Christo. V. 25. & tribus seq. ac postremò propagationis Ecclesiæ, tribus ultimis. [18] i. Christum Davidis semē, ut vocatur Jirm. 23. 5. & 33. 17. & seq. [19] i. quietis & prosperitatis gloriosam Jeschah. 11. 10. [20] ut Jeschah. 11. 6. & Hoschea. 2. 20. [g] *Heb. benedictionem: αὔξησις.*

agnoscéntque

[23] ut sup. 30.23. h Heb. [illegible] tertius promissionis locus, ut diximus in versum 23. 24 i. Ecclesiam plantatam & radicatam in Christo, qui propterea & surculus plantatum appellatur, Jeschah. 11.1. & 60.21. 25 i. ut sic celebretur non tantùm apud Judæos, ut olim; verùm etiã passim

agnoscéntque me esse Jehovam; quum fregero
[illegible] lora jugi ipsorum, & eripuero eos e manu [h] exi-
gentium servitutem ab ipsis.
28 Ita non erunt ampliùs direptioni genti-
bus, & bestiæ terræ non comedent eos; sed ha-
bitabunt securè, nemine deterrente.
29 [24] Denique excitabo eis [25] plantam [24] ad
celebritatem; ut non sint ampliùs [i] quos interci-
piat fames in terra, neque ferant ampliùs igno-
miniam gentium:
30 Sed [k] cognoscatur me Jehovam Deum ip-
sorum cum ipsis esse; & ipsos esse populum me-
um, domum Jisraëlis, dictum Domini Jehovi;
31 [25] Quum vos, vos, *inquam*, [26] homines grex
meus eritis, grex pascui mei; ego Deus vester,
dictum Domini Jehovi.

apud gentes ex quibus erit colligenda; ut demonstratur V. ultimo, & infrà capite 36. copiosiùs. i *Heb. interceptos fame.* k *Heb. ut cognoscãt; impersonaliter.* 25 i. quum vos ex toto humano genere adunati coalueritis in Christo, ut sitis Ecclesia mea. 26 i. non tantùm Jisraëlitæ, sed ex toto hominũ genere in Christũ insiti per fidem; sic vocem hanc interpretandã esse, & [illegible] tum loci natura evincit, tum etiã docet capitis 36. cõparatio.

CAPUT XXXV.

Deus Edomæis Judæos vexantibus, Dei nomen blasphemantibus, regionem invadentibus, & de illorum clade gaudentibus vastitatem æternam prænunciat: deinde suos illius judicii nomine consolatus, promissiones Evangelicas subjicit de æterna nostra hæreditate typo terræ promissæ adumbratæ, & vocationem, regenerationem, justificationem, sanctificationémque promittens per Spiritum, hortatur Ecclesiam ad resipiscentiam, & confirmat promissionibus.

a supra 25.12. 1 In his duobus capitibus prophetiam unam contineri docet hujus capitis cũ principio sequẽtis comparatio. Hujus autẽ prophetiæ partes sunt duæ; una, qua sententia pronunciatur Edomæis, hoc capite; altera, Jisraëlitis adhibentur consolationes cum propositis judiciis in adversarios, cum promissionibus Euangelicis erga ipsos. In hoc igitur capite continentur duo; propositio summa sententiæ latæ contra Edomæos, usque ad versum 5. & sententiæ ἐξεργασία sequentibus. a ut suprà 6.2. b *Heb. desolationum & desolationum.* h *Heb. desolatio: sic V.15.*

1 [1] DEinde fuit verbum Jehovæ ad me di-
cendo,
2 Fili hominis, [a] dispone faciem tuam con-
tra montem Sehiris; & propheta contra eum,
3 Dicens ei, sic ait Dominus Jehovi, ecce
me contra te, ô mons Sehiris; ut extendens ma-
num meam in te, reddam te [a] desolatissimum.
4 Civitates tuas *in* vastitatem redigam, &
tu [b] desolatissimus eris; ut experiaris me esse Je-
hovam.
5 [3] Eò quòd est tibi inimicitia [c] perpetua,
facísque ut diffluant Jisraëlitæ [d] per gladium;
tempore calamitatis suæ, [e] *quo* tempore iniqui-
tatis *est* terminus:
6 Idcircò ut vivo ego, dictum Domini Je-
hovi, in [e] cædem comparabo te, & cædes perse-
quetur te: quandoquidem odisti [f] vacuitatem a
cæde, etiam cædes persequetur te.
7 Nam tradam montem Sehiris [g] summæ
desolationi; exscindens ex eo [h] viatorẽ omnem:
8 Et replebo montes ejus confossis ipsius; in
ipsis collibus tuis, vallibúsque tuis, & omnibus al-
veis tuis confossi gladio cadent.
9 Desolationibus perpetuis tradam te, &
civitates tuæ non [i] restituentur; ut experiamini
me esse Jehovam.
10 [5] Eò quòd dicis, [6] duæ istæ gentes, & duæ
regiones istæ meæ erunt, jam possessuri sumus
istam hæreditario jure; ubi Jehova fuit:
11 Idcircò ut vivo ego, dictum Domini Jeho-
vi; facturus sum secundùm iram tuam & secun-
dùm invidiam tuam quam exercuisti præ odio
tuo contra illos: ut agnoscar ab eis quum judica-
vero te.
12 Et experieris me esse Jehovam; audivisse
omnes irritationes tuas quibus loquutus es de
montibus Jisraëlis, dicendo, desolati sunt: [7] no-
bis traduntur ad consumendum.
13 Ut magnificastis vos contra me ore ve-
stro, fecistísque ut abundarent contra me verba
vestra; me audivisse.
14 [9] Sic ait Dominus Jehovi; prout lætatur
tota [10] ista terra, desolationẽ sum effecturus tibi.
15 Secundùm lætitiam tuam, de possessione
domus Jisraëlis, eò quòd desolaretur, ita faciam
tibi: desolatissimus eris, ô mons Sehir, & tota
Edomæa quantacunque est; [k] ut cognoscatur
me esse Jehovam.

3 ἐξεργασία sententiæ præcedẽtis tribus omnino definitur mẽbris, in quibus singulis causæ cum judiciis, i. maleficia cum pœnis comparantur ad justitiã Dei illustrandam. Primũ igitur est infensissima vexatio & insectatio Judæorum, V.5. cui paria judicia sequentibus denunciantur: secundo loco subjicitur blasphema, sacrilega, & inhumana alienæ possessionis arrogatio, V.10. tertium deniq; est lætitia de alieno malo, V.14. adjectis utriq; suis & cõvenientibus judiciis, ut antè diximus. c *Heb. seculi: sic V.9.* d *Heb. per manus gladii.* 4 ut sup. 21.30. & sequentibus. e *Heb. sanguini: sic deinceps.* f *Heb. non sanguinem.* g *Heb. desolationi & desolationi.* h *Heb. transeuntem & revertentem.* i *Heb. revertentur.* 5 secunda causa, ut diximus in versum 5. 6 videlicet Jisraëlitarum qui prius ab Assyrio fuerant domiti; & Judæorum quos recèns Nebucadretzar sub jugum miserat.

7 nempe Judæam, quam blasphemantes despiciunt a domicilio Jehovæ; ac proinde non Judæos tantùm, sed Deum ipsum ludificantur; ut ipse exprobrat vers. 13. 8 ut Psal. 137.7. 9 tertium membrum, ut diximus in vers. 5. 10 id est, Edomæi omnes, metonymicè. k *Heb. ut cognoscant: impersonaliter.*

CAPUT XXXVI.

1 [1] TU quoque, fili hominis, propheta de
montibus Jisraëlis; dicens; [2] montes
Jisraëlis, audite verbum Jehovæ.
2 [3] Sic ait Dominus Jehova, eò quòd dicit
[4] iste inimicus de vobis, euge; & [5] excelsa seculi
[a] hæreditario jure futura sunt nobis:
3 [6] Idcircò propheta dicens, sic ait Domi-
nus Jehovi: [b] quia multis modis desolaverunt &
exhauserunt vos circumquaque, ut essetis hære-
ditaria possessio reliquiis gentiũ, & traducti estis
[c] in labia nationum, infamiámque populorum:
4 Idcircò montes Jisraëlis, audite verbum
Domini Jehovi: sic ait Dominus Jehovi istis
montibus & collibus, alveis, vallibúsque, & vasti-
tatibus desolatis, ac civitatibus derelictis, quæ
sunt direptioni & subsannationi reliquiis genti-
um quæ circumquaque *sunt*:
5 Idcircò sic ait Dominus Jehovi; *mentiar*
nisi igne zeli mei loquar contra reliquias genti-
um & contra Edomæam totam: quæ attribue-
runt terrã meam sibi in hæreditatem cum læti-
tia totius cordis, cum depopulatione [d] animosa,
ut [e] sedes expulsorum ejus *sit* direptioni.
6 Idcircò propheta de terra Jisraëlis: & di-
cito ipsis montibus & collibus, alveis ac vallibus,
sic ait Dominus Jehovi, ecce ego zelo meo & ex-
candescentia mea loquor, eò quòd ignominiam
gentium fertis.
7 [7] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, ego [8] sub-
lata manu mea juro; *mentiar*, nisi gentes illæ quæ
circumstant vos, ipsæ ignominiam suam repor-
taturæ sunt:
8 Vos verò montes Jisraëlis ramum vestrũ
edituri estis, & fructum vestrum laturi populo
meo Jisraëli; [9] quum [f] propè advenerint.
9 Nam ecce me apud vos; qui [10] respiciam
ad vos, ut colamini & seramini:
10 Et multiplicabo in vobis homines, totam

1 Secunda hujus prophetiæ ad Judæorum consolationem pertinentis, ut diximus sup. 35.1. duo summa sunt capita: unũ de judiciis Dei venturis contra Edomæos, usque ad versum 7. alterũ de promissionibus Euangelicis, ad finem usque: quorum commune exordium hoc vers. continetur. 2 i. montosa Jisraëlitarũ regio, quam per prosopopœiã alloquitur Deus, quia ab hominibus deserta erat; ut ostenditur V. 4. 3 hac propositione judicii, quæ summa est præcedentis capitis, similiter continentur causæ eædem, tribus versibus; & sententiæ dictio, V. 5. & 6. 4 Edomæus, ut præcedente capite. 5 vide Deut. 32. 13. a *Heb. in hæreditatẽ futura est.* 6 transitio ad secundam partem prophetiæ, per antithesin præcedentis judicii & futuræ in Ecclesia benedictionis Dei, hoc & seq. versu. Quamobrem nos ab hoc versu promissionẽ inchoari diximus suprà in versum 1. Continet autem hic promissionum Euangelicarũ locus primùm propositionem summã benedictionum Dei erga hæreditatem & hæredes ejus, usque ad versum 13. deinde ἐξεργασίαν singularum partium quas definit propositio, inde ad versum 33. ac postremò conclusionẽ, ad finem usque. b *Heb. quia & quia: ut Levit. 26.43.* c *Heb in labium linguæ, i. nationum: ut Jesch. 66.18.* d *Heb. animi.* e *Heb. expulsio ejus.* 7 ut Gen. 14.22. humanitus dictũ. 8 i. quum restituã Jisraëlitas in vobis. Atq; hæc quidẽ promissio sequentib. exponitur: primùm enim hæreditatis præstantia, V.9. deinde hæredũ exponitur, tribus sequentibus: quæ omnia allegoricè dicta sunt de hæreditate & hæredibus illis sanctis quorũ mentio est 1. Petri 1.4. & seq. 9 i. curabo vos: ut Deut. 11.12. f *Hebr. appropinquaverint veniendo.* 10 videlicet ex aliis gentibus cooptatis in hæreditatem populi mei: ut suprà 34.31.

domum Jisraëlis quanta quanta est; ut inhabi-
tentur civitates, & vastitates reædificentur:
11 Multiplicabo, inquam, in vobis homines &
jumenta, quæ augescent & fœtificabunt: faciám-
que ut habitetis sicut priscis temporibus vestris,
benefaciens ampliùs quàm primordiis vestris, ut
agnoscatis me esse Jehovam.
12 Adducam enim ad vos [11] homines cum
populo meo Jisraële, qui hæreditario jure possi-
deant te, erisque eis in possessionem: [12] neque
perges ampliùs orbare eos.
13 [13] Sic ait Dominus Jehovi, eò quòd di-
cunt vobis exedentem homines te esse; & or-
bantem gentes tuas esse te:
14 Idcircò homines non exedes ampliùs, &
gentes tuas non orbabis ampliùs, dictum Domi-
ni Jehovi:
15 Neq; sinam ut audiatur in te ampliùs ig-
nominia gentium, & opprobrium populorum
non feres ampliùs; & gentes tuas [14] offendere
non sines ampliùs, dictum Domini Jehovi?
16 [15] Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, di-
cendo,
17 [16] Fili hominis, domus Jisraëlis quum
habitarent in terra sua, impurarunt eam via
sua & actionibus suis: tamquam impuritas [17] se-
paratæ ex immunditia, erat via ipsorum coram
me:
18 Idcircò effudi excandescentiam meam su-
per eos, [f] eò quòd sanguinem effundebant su-
per terram; & stercoreis diis suis impurabant
eam:
19 Et dispersi eos in gentes, sparsique sunt
per regiones: secundùm viam eorum & secun-
dùm actiones eorum judicavi eos.
20 Etiam quum venissent in gentes quò ve-
nerunt, similiter prophanarunt nomen sanctita-
tis meæ; [18] quum dicerent *illæ* de eis, populum
Jehovæ ipsos esse, & e terra ejus prodiisse:
21 Sed [19] clementia usus sum propter nomen
sanctitatis meæ, quod prophanant domus Jisraë-
lis in gentibus quò venerunt,
22 [20] Idcircò dic domui Jisraëlis, sic ait Do-
minus Jehovi, non propter vos ego facturus sum,
ô domus Jisraëlis: sed propter nomen sanctitatis
meæ quod prophanastis, apud gentes quò ve-
nistis:
23 Ut Sanctificem nomen meum maximum
quod prophanatum fuit in gentibus, quod pro-
phanastis in medio earum: ut sciant gentes me
esse Jehovam, dictum Domini Jehovi, quum
sanctificabo me in vobis, [21] ante oculos earum.
24 [22] Recipiens enim vos ex ipsis gentibus,
congregabo vos ex omnibus regionibus, ac re-
ducam vos in terram vestram.
25 Et aspergens vos [23] aquis mundis, ut
mundemini, ab omnibus impuritatibus vestris
& ab omnibus stercoreis diis vestris mundabo
vos:
26 Et dabo vobis [24] cor novum, & spiritum
novum ponam in medio vestri, & amovens cor
lapideum e carne vestra, indam vobis cor car-
neum:
27 Et spiritum meum ponam in medio ve-
stri; quo faciam ut in statutis meis ambuletis, &
jura mea observetis facientes ea.
28 [25] Ita habitabitis in terra quam dederam
majoribus vestris, eritisque mihi populus, & ego
ero vobis Deus.
29 Nam servabo vos ab omnibus impuritati-
bus vestris; & [26] advocans frumentum augebo
illud, neque imponam vobis famem,
30 [g] Et augebo fructus arborum & proventum
agri, ut non suscipiatis ampliùs opprobrium fa-
mis in gentibus:
31 [27] Quum recordabimini viarum vestra-
rum pessimarum, & actionum vestrarũ quæ non
sunt bonæ; & [28] fastidio eritis vobis ipsis propter
iniquitates vestras, & propter abominationes ve-
stras.
32 [g] Non propter vos ego facturus sum, dic-
tum Domini Jehovi, notum esto vobis: erubesci-
te, & rubore afficiamini a viis vestris, ô domus
Jisraëlis.
33 [29] Sic ait Dominus Jehovi, quo tempore
mundabo vos ab omnibus iniquitatibus vestris;
faciam quoque ut habitentur civitates & ædifi-
centur vastitates illæ:
34 Et terra desolata colatur; pro eo quòd
fuerat [h] desolatissima ante oculos omnis [i] via-
toris:
35 Adeò ut dicant, terra hæc ipsa quæ deso-
lata erat est similis [30] horto Hedenis; & civita-
tes quæ vastatæ desolatæque & destructæ erant,
munitæ inhabitantur:
36 Ut cognoscant gentes quæ reliquæ factæ
fuerint circa vos, me Jehovam reædificare *civi-
tates* destructas, [k] conserere desolatum *agrum*:
ego Jehova dixi & faciam.
37 [31] Sic ait Dominus Jehovi, præterea
[32] [l] expositus ero domui Jisraëlis ut hoc faciam
eis, multiplicabo eos quasi grege [33] hominibus:
38 [34] Quasi grege [m] sacrificiorum, quasi gre-
ge *urbis* Jeruschalaimorum in solennitatibus e-
jus; ita erunt civitates quæ vastatæ sunt repletæ
gregibus hominum, ut [n] cognoscatur me esse Je-
hovam.

[11] videlicet, aut consumendo eos in terra, aut extra terram evo mendo: quæ duo genera minatus lege fuerat Dominus, Levit. 18. 28. & 20. 22. & 26. 20. & 32. [12] ἐπάνοδος propositionis, ut diximus in v. 7. duas partes cōplectitur: primùm enim exornantur promissiones hæreditatis æternæ (ad quas fuerunt μεταβατικοί verba proximè præcedentia) & cōfirmantur, his tribus versib. deinde verò promissiones hæredum illustrissimæ & amplissimæ enarrantur: confer cum Jeschah. 33. 20. & sequentibus. [13] vide Jeschah. 35. In hujus autem loci interpretatione libri manuscripti fidem sequuti sumus: atq; hoc modo concluditur locus promissione universali, fore ut in rebus omnibus terra obsecundet justis suis possessoribus, ut Hosche. 2. 22. [14] alterū membrum ἐπάνοδος, de promissionibus Dei gratuitis erga hæredes propter nomen suum. Qua in parte duo membra observanda sunt: primum est narratio peccatorum ex quibus Jisraëlitæ laborabant, & legalis administrationis Dei, usque ad versum 22. secundum, enarratio promissionum Euangelicarum, quæ illustrantur per comparationem occidentis legis, & spiritus efficacis operantisque per Euangelium, usque ad versum 32. [15] hujus narrationis capita sunt hæc, Jisraëlitas peccasse, hoc vers. castigatos esse, duobus seq. & perseverasse in peccatis, quia lex habuit literam tantum, non autem Spiritum vivificantem: ac proinde quòd aliquæ supersunt eorum reliquiæ, illud ex Dei misericordia proficisci, qui velit efficere promissiones Euangelicas, vers. 21. [16] de qua Levit. 12. & 15. [17] amplificatio peccati Jisraëlitarum a circumstantia; quòd ipsæ gentes observarent illos, & ad vitam sermonésque illorum attenderent, his nominibus maximè quòd populus Dei erant, & prodierant tamquam e schola ipsius: ut videlicet haberent unde Jehovam blasphemarent: quamobrem eo indignius fuit Jisraëlitas non abstinere a malo & mali specie, ad asserendam & vindicandam gloriam Dei: prout exprobratur infra vers. 23. & Roman. 2. 24. [f] *Hebr. propter sanguinem quod fundebant: trajectio.* [18] id est, nondum tamen propterea perdidi: sic transitur ad comparationem promissionum Euangelii, quas Deus propter fidem suam repetit, vers. sequentibus, & suo tempore præstitit. [19] jam sequitur secundum ἐπανόδου membrum, de promissionibus Euangelicis: in quibus exponuntur primùm causa, quæ est gloria Dei & sanctificatio nominis ipsius, duobus versibus; deinde promissiones spirituales vocationis, & regenerationis, vers. 24. & tribus sequentibus; ac postremò benedictiones a Deo in filios regeneratos per Christum manaturæ, tribus. [20] hanc lectionem servat Chaldæus paraphrastes, & habet liber manuscriptus; etsi in vulgatis exemplaribus legitur ante oculos vestros, præter ipsum Massoritarum testimonium.

[21] generatio & benedictio spiritualis per vocationem Dei, hoc versu, justificationis, & sanctificationis, regenerationis, vers. 25. & sanctificationis vitæ, duobus, [23] sanguine Jesu Christi: singulas has partes paucis complectitur Apostolus, 1. Petri 1. 2. [g] Act. Jirmej. 32. 39. & suprà 11. 19. [24] tertius promissionum gradus, ut diximus in versu 22. [25] id est, efficaci verbo ut compareat velut accersitum ut Psal. 105. 16. [26] conditio resipiscentiæ, ut diximus in vers. 16. [g] suprà 34. 29. [27] vide suprà 6. 9. [28] conclusio totius prophetiæ per anacephalæosin promissionum tum ad hæreditatem pertinentium, quatuor versibus; tum ad hæredes ipsos duobus ultimis. [g] Deut. 9. 5. [29] vide suprà 28. 13. [h] Heb. desolatio. [i] Heb. transeuntis. [30] altera pars conclusionis, ut diximus in vers. 33. [k] Heb. plantare. [31] id est, promittis & paratus ut beneficium hoc in omnes conferam: significat quòd augebitur hoc pacto & propagabitur in infinitum Ecclesia. [l] Heb. quæsitus: ut Psalm. 111. 2. [33] ut suprà versu 20. & 11. & 34. 31. [34] elegans comparatio, qua fidelium omnium cœtus cum gregibus sacrificiorum comparantur; quemadmodum Christiani omnes Sacerdotes effecti in Christo se ipsos sistunt hostias vivas Domino, Rom. 12. 1. [m] *Heb. verbum sanctiarum.* [n] *Heb. cognoscent; impersonaliter.*

CAPUT XXXVII.

Deus oblato typo uno, & altero imperato, promittit a se Judæos restitutum iri in terram ipsorum, & Ecclesiam catholicam liberandam esse per Christum; ut adunata in ipso fruatur æterno Dei fœdere, eum colat, & ab ipso inhabitetur regatúrque ad gloriam ipsius sempiternam.

1 ¹ ª Supervenit mihi ² manus Jehovæ, & e-
ducens me ³ in spiritu Jehova, collocavit me in medio cujusdam ⁴ convallis, quæ *erat*
plena ossibus;
2 Et traduxit me per illa circumquaque;
ecce autem *erant* multa valde in superficie illius
convallis, & ecce arida *erant* valde.
3 Quum autem dixisset mihi, fili hominis,
an ⁵ reviviscerent ossa ista? dixi, Domine Jeho-
vi tu nosti.
4 Edixit verò mihi, propheta de ossibus
istis; ⁶ indicens eis, ô ossa arida, audite verbum
Jehovæ:
5 Sic ait Dominus Jehovi ossibus istis; ec-
ce ego inducturus sum in vos spiritum, ut vi-
vatis.
6 Nam addam vobis nervos, & obducam
vobis carnem, & superindam vobis cutem, po-
námq; in vobis spiritum, & vivetis: ut cognosca-
tis me esse Jehovam.
7 Quum itaque prophetarem quemadmo-
dum jussus fueram; fuit ⁷ sonus me prophetante,
& ecce concussio, appropinquantibus ossibus
ᵇ uno ad suum alterum.
8 Deinde quum aspicerem quòd ecce super
ea nervi & caro ᶜ assurrexisset, & superindita
esset eis cutis supernè; spiritus autem nullus in-
esset eis:
9 Dixit mihi, propheta alloquens Spiritum;
propheta fili hominis, dicens Spiritui, sic ait Do-
minus Jehovi, à quatuor ventis adveni, ô spiri-
tus, & perflato interfectos istos ut vivant.
10 Quamobrem prophetavi quemadmodū
præceperat mihi; & ingressus est in illa spiritus
& revixerunt, steterúntq; super pedes suos co-
piæ magnæ ᵈ quamplurimum.
11 ⁸ Deinde dixit mihi; fili hominis, ossa ista
tota domus Jisraëlis sunt; ecce dicunt, ⁹ aruerunt
ossa nostra, & periit exspectatio nostra, succisi
fumus ¹⁰ quod ad nos.
12 Idcircò propheta indicens eis, sic ait Do-
minus Jehovi; ecce ¹¹ ego aperiens sepulcra
vestra deducam vos è sepulcris vestris, popule
mi; reducámq; vos in terram Jisraëlis;
13 Ut cognoscatis me esse Jehovam, aperi-
ente me sepulcra vestra & deducente vos è se-
pulcris vestris, popule mi:
14 Et indam spiritum meum vobis ut revi-
viscatis, & collocabo vos in terra vestra; ut cog-
noscatis me Jehovam ¹² dicere & facere, dictum
Jehovæ.
15 ¹³ Fuit etiam verbum Jehovæ ad me, di-
cendo,
16 Tu autem fili hominis, accipe tibi ¹⁴ lig-
num unum, & ¹⁵ inscribe ei, Jehudæ, & ¹⁶ filiis
Jisraëlis sociis ejus: deinde accipe lignum ᵉ al-
terum, & inscribe ei, Josepho lignum Ephrajimi,
cum tota domo Jisraëlis sociis ejus.
17 Tum ¹⁷ admove ea unum ad alterum tibi
in lignum unum; ut sint ᶠ adunata in manu
tua.
18 ¹⁸ Quum autem alloquentur te ᵍ popu-
lares tui dicendo, an non indicaturus es nobis
quid ista *significent* tibi?
19 Dic eis, sic ait Dominus Jehovi, ecce ego
accepturus sum ¹⁹ lignum Josephi quod *fuit* in
manu Ephrajimi cum tribubus Jisraëlis sociis e-
jus; & componam has conjunctas illi cum ligno
Jehudæ, efficiámq; eos lignum unum, ut sint u-
num ²⁰ in manu mea.
20 ²¹ Quúmque fuerint ligna ista quibus in-
scripseris, in manu tua ante oculos illorum;
21 Dic illis, ²² sic ait Dominus Jehovi; ecce
ego recepturus sum filios Jisraëlis è medio ipsa-
rum gentium quò abiverint, & congregans eos
circumquaque reducam eos in terram suam:
22 Et efficiam eos gentem unam in illa terra
in montibus Jisraëlis, & rex unus erit ipsis om-
nibus Rex: neque erunt ampliùs duæ gentes,
neque dividentur ampliùs in duo regna dein-
ceps;
23 Neque impurabunt se ampliùs diis sterco-
reis suis, & rebus detestandis suis, aut ullis defe-
ctionibus suis; sed servabo eos ex omnibus habi-
tationibus ipsorum in quibus peccaverint, &
mundabo ipsos, ut sint mihi populus & ego sim
ipsis Deus.
24 Et ²³ servus meus David rex erit super ip-
sos, ac ²⁴ pastor unicus erit omnibus ipsis; ut in
judiciis meis ambulent, ac statuta mea obser-
vent facientes ea.
25 Et residebunt in ea terra quam dederam
servo meo Jahakobo, in qua resederunt majores
vestri; residebunt, inquam, in ea ipsi, filiiq; ipso-
rum, ac ʰ nepotes ipsorum usque in seculum, &
David servus meus princeps ipsis *erit* usque in
seculum:
26 Quum pepigero ipsis fœdus pacis, fœdus
ⁱ perpetuum futurum cum ipsis, & disponens ip-
sos multiplicabo ipsos, ponámque sanctuarium
meum ²⁵ in medio ipsorum in seculum.
27 ᵏ Ut existente tabernaculo meo apud ip-
sos, sim ipsis Deus; & ipsi sint mihi populus:
28 Et cognoscant gentes me Jehovam sancti-
ficare Jisraëlem, quum erit sanctuarium meum
in medio ipsorum in seculum.

¹ Hujus capitis partes omnino duæ sunt: una, quæ prædicitur restitutio Jisraëlitarum è captivitate, usq; ad vers. 15. altera, qua prædicitur perfecta Ecclesiæ instauratio per Christum, adunatis Judæis & Jisraëlitis, ut sit Ecclesia una subdita Domino. Utraque autem prophetia typū suum habet, & anagogen typi. Ac primis quidē typus oblatō visio demonstratus est Prophetæ, ut ipse narrat usque ad vers. 11. deinde verò accommodatio typi explicatur popularibus, v. 11. & sequentibus. ª Heb. existente super me. ² vide sup. 1.3. ³ id est, per visionem, quasi fuissem abreptus spiritu, ut loquitur supra 3.12. ⁴ cujusmodi erat Mesopotamia & Chaldæa tota, Gen. 11.2. ⁵ id est, videtúrne fieri posse ut recipiant vitam, & restituantur in statum pristinum præsentis vitæ? Nam responso suo non est putandum Prophetam dubitare de resurrectione carnis futura ad vitam æternam; sed recuperatione præscatis status, quam idcircò Propheta committit notioni & providentiæ Dei. ⁶ i. interpres esto voluntatis Dei, qui potente verbo suo vivificat mortuos, & quæ non sunt vocat tamquam sint, Rom. 4.17. ⁷ qui ferè præcursor est advenientis majestatis Dei, & magnificorum illius operum, ut suprà 1.4. & 3.12. ᵇ Heb. *assued ut suum.* ᶜ *Heb. ascendisset.* ᵈ *Heb. valde valde.* ⁸ anagoge totius præcedentis typi; qua primùm exponitur miserabilis & desperata Jisraëlitarum conditio; quibus non ampliùs ostendebatur spes restitutionis quàm spes vitæ ossibus aridissimis, hoc vers. deinde mirifica liberatio & restitutio à Deo prædicatur, tribus sequentibus. ⁹ id est, ne in parte quidem nostra firmissima & solidissima vestigium est ullum vitæ præteritæ, aut signum in futurum adipiscendæ unquam: adeò gravis est deportationis nostra calamitas. ¹⁰ quasi dicat, spe alant se ipsos qui volent; nos verò eam planè abjicimus, statuentes actū de nobis esse. ¹¹ i. solutis ruptisq; moris & impedimentis omnibus liberabo vos; sed perstat Propheta in allegoria: ut Jeschah. 26. 19. ¹² ut suprà 17.24. & 22. 14. vide Jeschah. 48. 11. ¹³ secunda hæc prophetia (ut antè diximus) de instauratione Ecclesiæ in Christo, comprehendit typum, usque ad vers. 18. & accommodationem illius exegeticam, versibus reliquis. ¹⁴ id est, virgam è ligno; ut solebant olim virgis adumbrari & significari tribus, ut Numer. 17. 17. ¹⁵ id est, inscriptione facta, speciatim designato qui populus adumbretur virga. ¹⁶ id est, tribui Levi & Binjaminis, quæ regno Jehudæ adhæserant quum laceraretur regnum, 2. Chron. 11.

ᵉ *Heb. unum, ut seq. vers.* 17. ¹⁷ id est, hoc typo vel figura unitatem futuram per Christū, ut exponitur vers. 22. ᶠ *Heb. unum.* ¹⁸ transitio ad interpretationē typi, per occasionem consilentium de ea Jisraëlitarum: cujus interpretationis partes cum typo convenientes sunt duæ; una, de conciliando & conjungendo Jehuda & Jisraële, vers. 19. altera, de populo Dei postquam adunatus fuerit servando, regendo, & propagando, ex æterno Dei fœdere in Christo, versibus reliquis. ᵍ *Heb. filii populi tui.* ¹⁹ id est, Josephum & Jisraëlem totum hac virga adumbratum. ²⁰ id est, in potestate Christi, qui sermo æternus est Patris Deus unus cum Patre & Spiritu sancto; hic enim David ille est de quo infrà vers. 24. in cujus manum Pater tradidit omnia: Joan. 3.35. & Matth. 28.18. ²¹ videlicet adunata, ut dictum est suprà v. 17. hic transitur ad explicationem loci alterius de regno Christi in Ecclesia ex variis populis adunata, ut notavimus in versum 18. ²² hæc narratio promissorum Dei antecedentia omnia complectitur; primùm quidem liberatæ à Deo Ecclesiæ coagmentationem & unionem, duobus versib. deinde administrationem Christi, & fructus illius ex fœdere æterno Dei per Spiritum habitantem in nobis, usque ad versum 27. ac postremò finem, nimirum gloriam Dei in Ecclesia catholica, versibus duobus ultimis: quæ omnia typicè à Prophetis dicta de uno populo & terrâ, ad veritatem Christi infinitam esse accommodanda sæpè monuimus. ²³ Christus, qui propterea venit ut faceret voluntatem Patris in forma servi: quamobrem appellatur servus, 1. Chronic. 17. 19. & Jeschah. 42. 1. ²⁴ ut Joan. 10.16. ʰ *Heb. filii filiorum.* ⁱ *Heb. seculi.* ²⁵ id est, in ipsorum cordibus habitabo & inambulabo; vide 2. Corinth. 6.16. & sequent. ᵏ *2. Cor. 6.16.*

CAPUT XXXVIII.

Deus prænunciat Judæis calamitates, quæ ipsis ex quo reduces fuerint à deportatione erant eventuræ, operâ regum Asiæ minoris & Syriæ: gravissima judicia exponit quæ contra illos per Judæos, per alienigenas, & sua ipsius manu effecturus est: gloriam ad Judæos ex hostium strage perventuram docet: omniáq; tandem concludit Evangelicis promissionibus.

1 ¹ Deinde

1 Duo hæc capita eôdem pertinere apud omnes constat: sed varia eis illorum accommodatio. Nos omissis tam variis interpretationibus statuimus ea per spiritum Dei hoc loco esse posita ad anticipationem, quasi eadem sit concio cum præcedente capite. Nam quum Deus superiore capite duo prænunciaverit, restitutionem populi ex captivitate Babylonica, & instaurationem per Euangelium Christi; ne fortè Judæi præsumerent utrumque eodem tempore eventurum; aut si non eveniret, animis deficerent; propterea anticipatione Deus antevertit opinionem illam, docens post reversionem populi ex captivitate, ante adventum Christi & justam regni Dei instaurationem multas populo Dei calamitates eventuras, & multa in hostes Ecclesiæ à Deo judicia, quemadmodum etiam prophetavit Danijel. 9. capite. 10. & 11. similem anticipationem vide Jirmejæ 31. 15. Summa igitur est, reverso in Judæam populo fore ut multa mala ipsi importentur ante adventum Christi, & contra Deus quamplurima edat documenta severissimæ justitiæ suæ in adversarios Ecclesiæ ad gloriam suam & salutem ejus. Partes (præter inscriptionem & mandatum Dei, duobus versibus comprehensum) omnino sunt quatuor: prima est propositio summa tum hostium & rerum ab eis gestarum, tum eventorum à Deo, usque ad versum 10. secunda est enarratio propositionis, usque ad versum 9. capitis 39. tertia, exornatio propositionis enarrationisq; præcedentis, usque ad versum 25. postrema conclusio. 2 ut suprà 6. 2. 3 hanc vocem propriam esse constat inter omnes: sed plerique adducti interpretatione hujus & sequentis capitis, propriam viri esse putant, & regis alicujus quo auctore futurum erat ut infestaretur Dei populus, alii regionis: nos verò comparato loco Apocalypseos 20. 8. loci quidem & gentis appellationem esse statuimus; sed à Rege certo derivatam, nimirum à Rege illo Gyge qui Candaulem Lydum ante hæc tempora occiderat: nam ab eo orti Gygades, & lacus Gygæus denominatus est. Gog igitur est minor Asia, quam his temporibus Halyattes obtinuit, deinde Crœsus: à quo fines regni sui in Syriam propagante inditum nomen est cuidam parti Syriæ proximæ Jisraëlitarum agro & junctæ Libano, ubi situm fuisse opidum docent omnes Geographi nomine Gygarta, pro eo quod est Gog-karta, id est, Gogi urbs, Syro vocabulo: ac proinde locum hunc ita accipimus, Prophetam ex ordine gentes quæ supra Judæam sunt hoc loco percurrere, ut denotet maximè a regno Asiæ minoris, Syriæq; Judæam infestatum iri: quod illi Antiochi, Seleuci, Demetrii, Nicanoresq; tenuerunt, qui multa mala Judæis intulerunt, & plurima ab eis perpessi sunt. 4 id est, Scythiæ sive Sarmatiæ incolas, synecdochicè, qui tum Mediam obtinebant, ut meminimus Jirm. 49. 34. & suprà 32. 24. Asiam depopulabantur & vastabant omnia usque ad Syriam cœlen, ubi primas tenebat omnis idololatriæ Hierapolis a Scythis condita, quæ Syris dicebatur Magog, teste Plinio lib. 5. capite 23. 5 hoc asyndeton ostendit quod modò diximus, Prophetam percurrere certarum gentium nomina, ut synecdochicè intelligantur omnes ex quarum opera usi sunt Reges ad grassandum in Judæa: ut apparet ex vers. 5. & sequentibus. 6 vide Genes. 10. 2. 7 hac propositione summa Deus consilium suum explicat de convocandis & excitandis hostibus contra Judæam, usque ad versum 8. & 9. 8 id est, vos gentes omnes ministraturæ regi Syriæ ad evertendum populum meum. 9 puta in Syriam Judæámq; unde ultrò cessisti, & te in tuas sedes recepisti. 10 videlicet è regionibus suis nationes singulas in Judæam involaturas, quæ nominantur versibus sequentibus. 11 ut suprà 23. 6.

a *Heb. perfectionis.* b *Heb. clypei & scuti, prehendentium, &c.* 12 quorum pars Antiocho Epiphani paruit tributaria: vide 2. Mac. 3. 38. 13 quorum opera fugatus Alexander, & Demetrius in regnum restitutus est per Ptolemæum Evergetem, 1. Macb. 10. & 11. quod etiam de Putæis sive Cyrenæis accipiendum esse commonstrant verba sequentia. c *Heb. scuto & galea.* 14 vide Genes. 10. 2. hujus autem posteri Seleucis & Antiochis paruerunt. 15 vide Gen. 10. 3. 16 id est, ut circumventas multitudine copiarum tuarum montes Jisraëlis, qui nominantur seq. vers. & Judæos omnes tamquam carcere aut cavea circumclusos tenere videaris tibi: sic enim fecisse Reges Syriæ omnes historiæ testantur; sic vers. 9. 17 i. annos ampliùs ducentos ab hac prophetia, quum cœpit Judæa vexari à Syriæ regibus; ac proinde a temporibus Seleuci Nicanoris mirifica cœperunt Dei judicia pro defensione populi exerceri. d *Heb. visitaberis.*

1 [1] Deinde fuit verbum Jehovæ ad me, dicendo,
2 Fili hominis, [2] dispone faciem tuam versùs [3] Gogum, [4] terram Magogi, [5] principem, primarium [6] Mescheci & Thubalis; & propheta contra eum,
3 Dicens, sic ait Dominus Jehovi: [7] ecce me contra te, ô [8] Gog, princeps, primarie Mescheci, & Thubalis:
4 [9] Nam reducam te imponens hamos maxillis tuis; & [10] educam te & omnes copias tuas, equos & equites [11] indutos [a] perfectissimè omnes, congregationem multam [b] clypeatorum & scutatorum, tractantium gladios omnium.
5 [12] Persas, [13] Æthiopas, & Putæos cum illis; omnes [c] scutatos & galeatos;
6 [14] Gomerum cum omnibus agminibus suis, domum [15] Thogarmæ *ad* latera Aquilonis cum omnibus agminibus suis; populos multos tecum.
7 Comparator, & compara te, tu & omnes congregationes tuæ quæ congregantur ad te; [16] ut sis istis custodiæ.
8 Post dies [17] multos [d] animadvertetur in te; qui [e] consequentibus annis invasurus es terram [18] reducem a gladio, congregatam ex populis multis, invasurus montes Jisraëlis, qui fuerant vastati jugiter: quum ipsa ex populis educta habitabunt securè omnes:
9 Et ascendens [19] quasi fremabunda vastatio invasurus es, similis nubi operiendo illam terram futurus; tu, & omnia agmina tua, populiq; multi tecum.
10 [20] Sic ait Dominus Jehovi: nam erit die illa ut [f] venientibus rebus multis in animum tuum, cogites cogitationem malam,
11 Dicens, ascendam contra terram [21] pagorum, invadam istos tranquillos habitantes securè; qui omnes habitant [22] absque ullo muro, & quibus nullus *est* vectis, aut valvæ:
12 Ad prædandum prædam, & ad diripiendum direptionem; [23] reducendo manum tuam contra vastitates inhabitatas, & contra populum receptũ ex gentibus, facientem pecuariam & [g] negotiantem, habitantes [24] in [h] editiore loco istius terræ.
13 [25] Scheba, & Dedan, [26] negotiatorésq; Oceani, & omnes [27] juvenes leones ejus dicent tibi, an ad prædandum prædam [28] advenis? an ad diripiendum direptionem congregasti congregationem tuam? ut deportes argentum & aurũ, ut accipias pecora & merces, ut prædaris prædam magnam?
14 [29] Idcircò propheta, fili hominis, dicens [30] Gogo, sic ait Dominus Jehovi; an non die illa, [31] habitante populo meo Jisraële securè; [32] experturus esses,
15 Postquàm veniens è loco tuo, à lateribus Aquilonis, tu & populi multi tecum, insidentes equis omnes, congregatio magna, & copiæ multæ,
16 Ascenderis contra populum meum Jisraëlem, ut nubes ad operiendum terram? [i] consequentibus temporibus [33] erit, quum adduxero te contra terram meam, ut agnoscant gentes me, quum [34] me sanctificabo in te ante oculos ipsarum, ô Gog.
17 [35] Sic ait Dominus Jehovi, an tu es de quo loquutus fuero diebus priscis [k] per [36] servos meos Prophetas Jisraëlis, qui prophetarunt diebus illis annos *multos*; me adducturum te contra illos?
18 [37] Atqui erit die illa, qua die invaserit Gog terram Jisraëlis, dictum Domini Jehovi: ascendet excandescentia mea in faciem meam:

e *Heb. in sequentiis annorum.* 18 id est, cujus incolæ reversi fuerint & liberati à captivitate, ut promissum fuit suprà 37. 19 vide Prov. verb. 1. 27. 20 secunda pars prophetiæ, enarratio antegressæ propositionis: quam ponit Propheta primùm res hostium, id est, consilia ipsorum & facta, usque ad versum 14. deinde verò eis adversò comparat consilia Dei & facta cum illorum consiliis & factis; inde ad vers. 9. sequentis capitis. f *Heb. ascendentibus in cor tuum.* 21 id est, ex pagis tantummodò constantem, non autem munitionibus & opidis; ut interpretantur verba sequentia. Nam munitis locis planùm Judæam caruisse inde à temporibus Nebucadnetsaris ex historiis est evidentissimum. 22 id est, sine munitione ulla, ut Deut. 3. 5. 23 id est, semel atque iterum, ac subinde expilando. g *Heb. facientem negotiationem.* 24 id est, in Judæa montosa cujus edita loca ferè Judæi incolebant securitatis ergò. h *Hebr. umbilico: ut Jud. 9. 37.* 25 i. Arabes viventes latrociniis, ut notavimus Jeschah. 13. 20. 26 Tyrii, Tzidonii, & cæteri naviculariam facientes, & lucrũ quærentes mari. 27 id est, rapaces mercatores, & ad quæstum projectissimi. 28 videlicet sine nobis: quasi dicant, & nos quoque eôdem convolabimus. 29 altera pars enarrationis, ut diximus in vers. 10. qua Propheta primùm per contentionẽ justitiam asserit judicii quod posteà denunciaturus est, usque ad vers. 17. deinde ostendit Deum tum cognitione absolutissima, vers. 17. tum studio sanctissimo, potentiáq; summa instructum esse ad præstandum judicium ipsius justissimum (quæ tria in bono judice opus sunt) vers. 18. & duobus seq. ac postremò judicium explicat, inde a vers. 21. 30 omnibusq; hostibus, synecdochicè. 31 i. neminem lacessente, & pacem cum omnibus colente. 32 videlicet judicium meum, quod posteà denunciatur vers. 21. & sequentibus. i *Heb. in consequentia dierũ: ut Gen. 49. 1.* 33 judicium superventurum tibi, ut modò dictum est. 34 efficiendo judicia mea sanctissima, ut Levit. 10. 3. 35 enarratio cognitionis Dei quæ falli non potest, ut neque judicium potest ab ullo effugi: non fallis (inquit Deus) cognitionem meam: jam enim antè multa secula cognovi quicquid in populũ meum effecturus es: quamobrem etiam prædico per servos meos; neque tantum res quas gesturus es, sed etiam consilium meũ eventáq; tibi funestissima prænuncio: vide Jeschah. 48. de hoc argumentationis genere. k *Heb. per manũ servorum.* 36 videlicet nostrum hunc Prophetam, Danijelem capite 11. & Zecarjam 14. 37 enarratio studii & potentiæ Dei, tribus vers. armatæ ad exsequendum judicium ipsius, de quo vers. 21. & deinceps. Est autem mutila oratio ad exprimendum pathos; ut suprà 34. 8.

19 Et zelotypia meâ, igne furoris mei loquar: *moriar* nisi die illa fuerit concussio magna in terra Jisraëlis:

20 [58] Adeò ut concutiantur à facie meâ pisces maris, & volucres cæli, ac bestiæ agri, & omnia reptilia reptantia super terram, omnésque homines qui *erunt* in superficie terræ: & diruantur ipsi montes; concidántque [59] præcipitia, & omnis murus in terram corruat.

21 [40] Advocabo enim contra illum pro omnibus [41] montibus meis gladium, dictum Domini Jehovi; gladius cujusque contra fratrem suum erit:

22 Et [42] disceptabo cum illo peste, & [l] cæde; & imbrem inundantē, lapidésque immanis grandinis, ignem, & sulphur depluam super illum, & super agmina illius, ac super populos multos qui *erunt* cum illo.

23 Ita magnificabo me, & sanctificabo mē, & innotescam in oculis gentium multarum; ut [m] cognoscatur me esse Jehovam.

[58] hyperbolicæ minæ, qua ratione Deus gravitatem exprimit iræ venturæ suæ. [59] i. immanes rupes, ac velut in aëre pendentes, ut Cantic. 2.14. [40] nunc demùm judicii contra Judæorum hostes venturi qualitatem explicat primùm in regione ipsa Judæorum, hoc capite; deinde in hostiū ipsorum sedibus, capite sequente. Ac in Jisraëlis quidem agro tria judiciorum genera dicuntur eventura hostibus; primùm à Judæis, ut per Machabæos factum est, deinde ab ipsis inter se, ut factum est inter Demetrium & Alexandrum, itēm Seleucum filium Gryphii & cæteros, quæ notantur hoc vers. ac postremò à Deo ipso, versu sequente, quorum omnium finis ponitur vers. ultimo. [41] i. montosa regione populi mei, ut suprà vers. 8. [42] id est, quamplurimis & vehementissimis judiciis continenter agitabo & perdam. [l] *Hebr. sanguine.* [m] *Heb. cognoscant, impersonaliter.*

CAPUT XXXIX.

1 [1] PRæterea tu, fili hominis, propheta contra [a] Gogum, dicens, sic ait Dominus Jehovi; ecce me contra te Gog, princeps, primarie Meschecci & Thubalis.

2 Ut reducam te, [3] senario unco trahens te, & deducens te è lateribus Aquilonis; & adducam te in montes Jisraëlis.

3 Ubi [4] percutiens arcum tuum è manu sinistra tua *deturbabo*, & sagittas tuas è manu dextera tua dejiciam.

4 In montibus Jisraëlis concides, tu & omnia agmina tua, & populi qui *erunt* tecum; volucribus, avibus [a] omnibus alitibus, & bestiis agri trado te comedendum.

5 In superficie agri concides; quia ego eloquutus sum, dictum Domini Jehovi.

6 Deinde immittam [5] ignem in Magogum, & in habitatores insularum [b] securos; ut experiantur me esse Jehovam:

7 Et nomen sanctitatis meæ notum faciam in medio populi Jisraëlis, neq; prophanabo nomen sanctitatis meæ ampliùs; sed cognoscent gentes me esse Jehovam sanctum in Jisraële.

8 Ecce adventurum est & fiet, dictū Domini Jehovi; illo ipso die quem proloquutus sum.

9 [6] Tunc exibunt habitatores civitatum Jisraëlis, & incendentes exurent arma, scutáq; & clypeos, arcus & sagittas, [c] jaculáq; & spicula: & incendent ea igne [7] septem annis.

[1] amplificatio judicii contra reges Asiæ Syriæq; & auxiliares copias eventuri, ut diximus sup. 38.2. sæpquòd Deus nō tantùm in terra Jisraëlitarum se perditurus ipsos, versibus quinque; verùm etiā quodam veluti igne regiones ipsorū per Romanos incensurum, v. 6. quorum judiciorum finis & confirmatio posteà adhibetur, usque ad vers. 9. [2] vide suprà 38.2. & 14. [3] hunc locum eodem planè sensu accipimus quo superiorem 38.4. verbū verò Hebræum (quod perinde sonat quasi sextare dicas, ut Latini decimare, vicesimare, & centesimare dixerunt) deducimus ab eo harpagum genus sive ferrearum manuum quibus situlæ è puteis hauriri solent, aut naves cōprehendi; propter senos uncorū ordines. Hoc genus lupos appellat Livius lib. 8. de bello Punico. [4] i. exarmabo te, ut factū fuisse sæpenumerò testantur historiæ. Hoc autem & seq. versu prolepsis est sive propositio summa trium judiciorū Regibus Syriæ in Judæa eventurorum: primum est quòd arma amissuri, hoc versu; secundum, quòd ipsi morituri; tertium, quòd insepulti esca ferarum futuri sunt: quæ tria deinceps exornantur vers. 9. & sequentib. [a] *Heb. cujuscunque alæ: sic vers. 17.* [5] i. perniciem & vastitatē maximam, tamquam pervadente igne: prout factum est, postquam Romanis Judæos ex fœdere adjutaris accessus in Asiam minorem patuit per Regē Attalum, qui infensus Demetrio populum Romanum instituit hæredē regni sui. [b] *Heb. in securitate.* [6] exornatio primi membri prolepseos, ut diximus in vers. 3. [c] *Heb. baculum manus: periphrasis jaculorum quæ non arcu emittuntur, sed manu.* [7] i. quàm diutissimè atque sæpissimè; numerus finitus pro infinito: ut Genes. 4.15. sic infrà vers. 12. & 14.

10 Neque ferent ligna ex agro, neque cædent è sylvis, nam armis accendent ignem; quum prædabuntur prædatores suos, diripientq; direptores suos, dictum Domini Jehovi.

11 [8] Et erit die illa, ut [a] dem Gogo locum sepulcri ibi in Jisraële, [10] vallem [d] viatorum ad Orientem maris; [11] ut illa obturet [e] ora viatorum, quúmq; sepeliverint ibi Gogum & totam multitudinem ejus, vocabunt eum vallem multitudinis Gogi.

12 [12] Nam sepelient eos domus Jisraëlis, ut [f] mundent terram, septem mensibus.

13 Sepelient, inquam, totus populus ipsius terræ, quū [14] fuerit ipsis *comparaturum* nomen: quo die glorificavero me, dictum domini Jehovi.

14 [15] Homines autem [f] assiduos separabunt transituros per regionem, transituros [g] ut sepeliant eos qui remanserint in superficie terræ, ad mundandum ipsam; [h] [16] exactis septem mensibus pervestigaturos.

15 Atque hi [17] transeuntes transibunt per terram, ut [18] dispiciat *quisque* ossa hominum, extruátq; juxta illorum quodque monimentum: donec sepeliverint eorum quodque [i] vespillones in valle multitudinis Gogi.

16 [19] Quin etiam [?] nomini civitati erit multitudo ipsius postquam mundaverint terram.

17 [21] Tu autem fili hominis, sic ait Dominus Jehovi, dic avibus, omnibus alitibus & omnibus bestiis agri, congregamini & venite, colligite vos circumquaq; ad mactationem meam quam ego mactaturus sum vobis, mactationem magnam in montibus Jisraëlis: ut comedatis carnem & bibatis sanguinem;

18 Carnem potentum comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis; arietum, agnorum, & hircorum, juvencorum, pinguium Baschanis omnium.

19 Comedetis autem adipem ad satietatem, & bibetis sanguinem ad ebrietatem; ex mactatione meā quam mactaturus sum vobis.

[8] exornatio secundi membri prolepseos, ut diximus in v. 3. quod membrum habetur in principio versus 4. quia exponere Propheta quàm multiplex frequentesq; casuri sint, à circumstantiis sepulturæ, usque ad versum 17. [9] i. non possessionem terræ, quam ambiebās, ipsis tradituris sim; sed contrà morte affecturus ipsos, adeò ut in ea ipsa terra pars sepeliatur, usq; ad versum 17. pars insepulta à bestiis laceretur, inde ad vers. 21. [10] i. Gilhaditidis vallem, quam mercatores Gilhaditæ emporia adeuntes frequentabant. Erat autem duplex, una, cis Jardenem, ubi sita erant Dothajina, Gen. 37.17. altera, trans Jardenem ad Orientē maris Genesareth, sive lacus Tyberiadoes: quamobrem, verba sequentia [?] Propheta adjecta sunt. [d] *Heb. transeuntium.* [11] id est, ut documento illius vallis discant extranei sinere Judæos, & ne hiscere quidē adversus illos ampliùs audeant. Fuerunt quidē tyrannorū copiæ aliis locis cesæ, ut ex historiis constat; sed hac loquendi forma primùm synecdochicè alia pugnarum & victoriarum insignium loca comprehenduntur; quia plurimum in eo tractu contra Reges Syriæ bellatum est; deinde verò hunc tractum nominatim adducit Deus, ut celebritatem judiciorum suorum denotet: nam tractus hic erat totius Judææ frequentissimus, ab exteris plurimùm frequentatus, & illis proximus; quum aliæ partes contrà in Judæa aut mari, aut montibus arduis definirentur, ac proinde minùs ab extraneis colerentur. [e] *Heb. viatores.* [12] exegesis præcedentis vers. qua propheta docet primùm tantam fore exterorum stragem, ut Jisraëlitæ omnes diu in sepeliendis illorum cadaveribus occupentur, duobus versib. deinde post diuturnos labores fore ut propter continuas victorias curatores publicos funerum instituant, ac ordinarios, vers. 14. & 15. postremò extiturum perpetuum istius conservatæ sepulturæ documentum, v. 16. [13] cadaveribus impuratam, quia per legem nefas erat (ut res omnes immundas) superesse insepulta in terra. [14] id est, celebres effecti fuerint victoriis. [15] secundum exegeseos membrum, ut diximus vers. 12. de ordinariis curatoribus sepulturæ, ne impurata sit terra à constratis cadaveribus. [f] *Hebr. jugis.* [g] *Hebr. sepulturos.* [h] *Hebr. à fine septem mensium.* [16] id est, post diuturnam illam occupationem laborémq; Jisraëlitarum omnium, de quo suprà vers. 12. Istius autem curationis, quam [?] Græci vocant, ratio exponitur diligentissima sequente versu. [17] publici curatores, ut modò diximus. [18] id est, perquirat, & pervestigata ut condantur suis sepulcris curet, in ea valle quam Propheta nominavit. [i] *Heb. sepelientes.* [19] tertius exegeseos locus, ut diximus in versum 12. quo Propheta ostendit non istius modò multitudinis quæ hîc illîc victa & cæsa fuerit, aliquam fore Judæis gloriam; sed in ipsa quoque Jeruschalaimorum urbe fore ejusdem gloriæ documenta, atque adeò celebraturos esse Judæos stragem illam & liberationem suam Jeruschalaimis. Quod nominatim Simone sacerdotium exercente factum est, expulsis omnibus exterorum copiis cùm ex toto Judæorum agro, tum ex ipsa turri Jeruschalaimorum: unde factum est, ut ab eo tempore in acta publica tabulásq; notaretur tempus à summo sacerdotio, gubernatione, & principatu Simonis: vide 1. Macb. 13. & 14. [20] id est, ex ista multitudine nomen & gloria civitati comparabitur, cùm apud ipsos (ut modò diximus) tum apud exteros, ut ibidem narrat historicus. [21] exornatio tertii membri prolepseos, ut diximus in versum 3. cui similem vide Jirm. 12.9.

20 Et satiabimini de mensa mea [22] equis &
cursibus, potentibus, & omnibus [k] bellatoribus;
dictum Domini Jehovi.
21 [23] Sic edam gloriam meam in gentibus: ut
videant omnes gentes judicium meum quod fe-
cero, & [24] manum meam quam imposuero illis.
22 Et cognoscant domus Jisraëlis, me Jeho-
vam Deum ipsorum esse a die illo & deinceps.
23 Cognoscant verò gentes propter iniqui-
tatem ipsorum deportatos fuisse domum Jisraë-
lis, eò quòd prævaricati essent contra me, & ab-
scondissem faciem meam ab eis: ideò me tradi-
disse eos in manum hostium suorum ut cade-
rent gladio omnes:
24 Secundùm impuritatem eorum & secun-
dùm defectiones eorum me egisse cum eis, quũ
[25] abscondissem faciem meam ab eis.
25 [26] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, jam re-
stituam captivam multitudinem Jahakobi &
miserebor totius domus Jisraëlis, & zelotypus
ero nominis sanctitatis meæ:
26 Quum tulerint ignominiam suam & to-
tam prævaricationẽ suam qua prævaricati sunt
contra me, quando habitabant in terra sua se-
curè, nemine deterrente:
27 Reducendo eos ex populis, congregabo
eos è regionibus inimicorum ipsorum, ut sancti-
ficer in ipsis ante oculos gentium multarum;
28 Ut cognoscant me Jehovam Deum ipso-
rum esse qui deportavi ipsos in gentes, colligam
eos in terram ipsorum; neque relinquam am-
pliùs ullum ex eis ibi:
29 Neque abscondam ampliùs faciem meam
ab eis; [27] quum effudero spiritum meum super
domum Jisraëlis, dictum Domini Jehovi.

[22] id est, viris militaribus, qui vehuntur equis aut curribus: metonymia. [k] Heb. viris belli. [23] postremus ... cus de fine judiciorum præcedentium, ... gloria Dei ... in perdendis adversariis, hoc versu; eum in regendis suis apud omnes populos explicata, tribus sequentibus. [24] id est, plagã qua illos affecero: ut Ijobi 23,2. [25] humanitus dictum: sic Psal. 10,1. & 13,2. & alibi passim. [26] conclusio, ut ... 1. a magnificis Dei promissionibus: in quibus ... tria prolepticè ... hoc vers. beneficium restitutionis, quod exponitur duobus versibus proximè sequentibus; causa beneficii, unica Dei misericordia ex foedere; & finis, videlicet gloria Dei, cujus ratio ostenditur duobus versibus ultimis. [27] ... Evangelium meas promissiones ipsis exhibuero, de quibus vide Actor. 2.17.

CAPUT XL.

Deus visionem exhibet de instauratione Ecclesiæ, regni, & populi per Christum: itaque primùm tribus capitibus sedem Ecclesiæ Jeruschalaimis statuens, magnificentissimam illius figuram adumbrat ambitu uno maximo, tribus atriis templum antecedentibus, templo elegantissimo, septo ad templum adjecto, & atrio à posteriore ipsius parte ipsum terminante: & harum partium membra, structuras, lumina, ornamentaq; describit accuratissimè.

1 [1] Vicesimo quinto anno a deportatione no-
stra, in [2] principio anni, decimo die men-
sis, quarto decimo anno postquam [3] percussa
fuerat civitas, ipso eodem die fuit super me [4] ma-
nus Jehovæ, ut deduceret me illuc.

2 [5] Visionibus Dei duxit me [6] subvectum in terram
Jisraëlis, & collocavit me in [7] monte alto valde,
secundùm quem *erat* quasi [8] structura civitatis a
meridie.
3 Quúmq; duxisset me illuc, ecce [9] virum
cujus aspectus *erat* [10] similis aspectui [a] chalybeo,
cum [11] funiculo lineo in manu sua, & [12] calamo
mensuræ; qui stabat in porta.
4 [b] Edixit autem mihi vir ille, fili hominis, a-
spice oculis tuis, & auribus tuis audi, & [b] adverte
animum tuum ad omnia quæ sum ostensurus ti-
bi, nam ut ostenderem tibi adductus fuisti huc:
indica omnia quæ tu vides domui Jisraëlis.
5 [13] Ecce *autem* murus *erat* a parte extima
domus circumquaque, & in manu illius viri cala-
mus mensuræ, sex cubitorũ, [14] ex cubito & [15] pal-
mo, quo mensus est latitudinem [16] illius structu-
ræ calamo uno, & altitudinem calamo uno.
6 [17] Venitq; ad portam [c] quæ spectabat Ori-
entem versus, ascendens [18] per gradus ejus; &
[19] mensus est [20] limẽ portæ [21] calamo uno latitu-
dine, & limen alterum calamo uno latitudine:
7 [22] Et thalamum quemq; calami unius lon-
gitudine, & calami unius latitudine, [23] inter tha-
lamos verò quinque cubitos: [24] limen quoque

[1] A deportatione Jeconjæ, unde Jechezkelem ferè numerare persæpè diximus. Ab hoc autem loco ad finem usque libri Propheta postquàm calamitates Judæis eventuras, tum deportationis, tum reversionis tempore prænunciarit; nunc demum instaurationem spiritualem Evangelio Christi ad Ecclesiam ipsius perventuram adumbrat typis & figuris rerum corporalium, pro ratione temporis, & populi apud quem agebat, & loci; denique propter communem humani ingenii imbecillitatem, cui oportet figurari terrenis comparationibus eas res quas oculus non vidit, nec videre potest. In hac autem instauratione, perfectissima Christianæ Ecclesiæ constitutio præfiguratur duabus rebus maximè; primùm instauratione templi, tribus capitibus; & totius ministerii cultusq; sacri, cap. 43. & 44. deinde restitutione totius terræ & Reipub. ac totius regni, ad finem usque. Quamobrem etsi hæc omnia inter se conjuncta sunt; tamen quia in certas classes distincta queunt faciliùs comprehendi, placuit seorsim capita alia ab aliis disponere: videlicet primo loco ea conjunctim quæ ad templi structuram pertinent, secundo quæ ad cultum sacrum, tertio verò quæ ad Rempublicam. [2] id est, primo mense, sive principe anni: ut accipiendum esse arguunt sequentia. [3] & captus Tsidkija, 2. Reg. 25.7. qui fuit annus trigesimus secundus Nebucad. tetzaris magni. [4] ut sup. 1.3. hoc autem vers. & tribus sequentib. exponit Propheta rationem totius Prophetiæ, & authoritatem fidémq; hoc pacto conciliat doctrinæ suæ. [5] id est, ad civitatem percussam Jeruschalaimorum: sic vers. 3.

[6] ut sup. 8.3. [7] ut Jeschah. 2.2. nominatur Tzijon, typus Ecclesiæ. [8] quæ describitur posteà sub finem prophetiæ: nam intelliguntur hoc nomine Jeruschalaima quæ comparata cum Tzijonis situ magis ad meridiem spectabant. [9] Christum, informatorem & ædificatorem Ecclesiæ, heredémq; omnium à Patre constitutum. [10] id est, lucidissimo, & splendidissimus puritate & gloria: quæ duo comparatione chalybis tersi designantur, ut supra 1.7. [a] Heb. chalybis. [11] ... infra 47.3. [12] ad dimetiendum majora spatia mensoribus percommodo. [12] id est, pertica mensoris: quæ in illis regionibus ferè ex cannis sive calamis adhiberi solet; quia levitate sua, æquabilitate, & rebus aliis sunt ad metiendum aptissimæ; sic Apocal. 11. 1. & 21.15. Hujus autem calami magnitudo exponitur vers. 5. [b] *Heb. appone cor: ut Ijobi 1.8.* [13] tota hæc narratio quinque omnino membra structuræ minutatim explicat: primum est ambitus universus, qui delineatur hoc versu, & infra 42.15. & sequentib. secundum est atrium extimum, quod atrium primum a situ, sive atrium *δημόσιον* ab usu ipsius appellatur: tertium, atrium interius sive medianum, quod *σκευοθήκην* à nobis sive armamentarium appellamus, ubi erant instrumenta Levitarum, & curabantur ea quæ anteire oportebat sacrificiis & oblationibus ex Lege: quartum, atrium intimum sive pronaum, ubi erat altare holocausti: quintum denique templum cum suo vestibulo, substructionibus, & duobus atriis. Ac de maximo quidem ambitu primùm hic agitur, usque ad versum 17. de atrio extimo, inde ad versum 28. de mediano, inde ad versum 44. de intimo atrio, usque ad versum 48. de templo verò capite 41. usque ad versum 15. capitis 42. In hoc porrò ambitu (cujus frons tantùm hoc capite sive pars anterior describitur, qua iter ad atria) partes ponuntur istæ; murus, hoc vers. porta, versu sequente, procœtones ad latera portæ, vers. 7 vestibulum, vers. 8. & 9. & spatia sequentibus. [14] id est, cubitorum regiorum, quos tribus pollicibus ampliores esse cubitis communibus apud veteres legimus: atque ita accipiendus est locus Herodoti libro 2. ubi digitos nominat, non autem pollices in descriptione Babylonis. [15] id est, tanto spatio quantum definiunt digiti quatuor, sive tres pollices. [16] id est, muri ambientis, sive claustri, cujus amplitudo delineatur infrà 42. hîc verò crassitudo & altitudo unius calami, id est, cubitorum sex regiorum: quod non de hac modò parte, sed de omnibus in ambitum intelligendum est. [17] descriptio portæ ad Orientem spectantis: quæ comprehensis postibus dicitur fuisse cubitorum duodecim; ut contra postibus seorsim consideratis ostium, sive lumen & apertum portæ dicitur esse cubitorum decem, vers. 11. erant enim cubitales postes. [c] *Heb. cujus facies via ad Orientem: sic deinceps.* [18] nam templum in cacumine montis situm erat; hic verò ambitus, & sequentes domus partes in declivi erant: vide infrà vers. 19. & 26. & 34. [19] id est, porta erat duplex sive biforis; ac proinde duo habebat limina a poste suo utrimque ad medianum ipsius antepagmentum concurrentia, ita ut porta tota cum suis postibus duodecim cubitorum regiorum esset, aut (si postes exceperis) cubitorum decem, ut modò diximus. [20] videlicet inferum in utroque portæ ostio: nam superũ contrahebatur in rotunditatem, infrà v. 21. [21] prout definita est mensura illius suprà vers. 5. [22] hi procœtones, qui intus istius muri erant appendices, tum ad decorem, tum ad usum & commoditatem loci pertinebant: ut apud Græcos ostiariis cellæ (quæ pyloria vocabant) iisque advenientibus *προθυρα* attribuebantur, quæ poetis veteribus dicta fuisse thalamos docet Eustathius. Hoc autem spatium inter duas januas situm, id est, inter portam muri portámq; vestibuli, & ad latera septum procœtonibus, illud est quod Græcè *διάθυρον* appellatur. Atque hoc quidẽ si in omnes partes spectaveris, ferè quadratum fuit; sex cubitorũ in longitudinem secundùm longitudinem procœtonum, v. 8. decem verò in latitudinem secundùm amplitudinem luminis quod erat in porta. [23] videlicet qui alteris secundùm murũ erant, ut exponitur v. 10. & in utraque parte quasi observabant portam ingressus. Quũ autem terni essent procœtones isti, certũ est duo tantùm spatia intervenisse quibus cingebatur medianus procœton, & ea spatia fuisse tantùm cubitorũ duorũ cum dimidio quodque. Quamobrẽ hîc inter procœtonas quinque cubiti dicuntur intercessisse hoc vitatis ... sic infr. v. 9. & 41.24. [24] à limẽ interius portæ ingressus, quo ... opus propter densitatem muri: quod ita accipiendũ esse monstrat Propheta versibus sequentibus, quâ se notet agere de eo limine quod spectat vestibulum versus, & quod est intrinsecus, ut ab externo limine distinguatur.

portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus, [25] calami unius,
8 [26] Ita quum mensus esset [27] vestibulum ipsius portæ intrinsecus, calami unius,
9 Mensus est [28] vestibulum portæ [29] octo cubitorum, [30] cum [d] liminibus ejus [31] binûm cubitorum; nempe vestibulum portæ intrinsecus.
10 [32] Thalami autem portæ [e] versus Orientem tres *erant* [33] hinc, & tres inde, mensura eadem ternis ipsis; etiam mensura eadem [34] liminibus hinc & inde.
11 Et mensus est latitudinem [35] ostii istius portæ, decem cubitorum, [36] longitudinem quoque ipsius portæ, tredecim cubitorum.
12 [37] Terminus autem ante thalamos *erat* unius cubiti *hinc*, & unius cubiti terminus inde: [38] & quisque thalamus senûm cubitorum hinc, & senûm cubitorum inde.
13 [39] Itaque mensus est [f] præter portam à tecto thalami *unius* ad tectum [40] alius, latitudinem vigintiquinque cubitorum; [41] ostium è regione ostii.
14 Ita fecit [g] subgrundarum supercilia [42] sexaginta cubitorum; [43] & versus limen ipsum atrii, [h] circumcirca portam.
15 [44] A fronte autem hujus portæ ingressus, usque ad frontem [45] vestibuli, portam interiorem, *erant* quinquaginta cubiti.
16 [46] Denique fenestræ [47] clausæ erant thalamis, & [48] superliminaribus eorum [49] intrinsecus circumcirca portam, [50] ac ipsis etiam pteromatis *vestibuli*: [51] *in* fenestris autem circumquaque intrinsecus, & in *unoquoque* [52] limine palmæ.
17 [53] POSTEA introduxit me in atrium extimum, ubi ecce *erant* [54] cellæ & pavimentum factum isti atrio circumquaque; [55] triginta cellæ in ipso pavimento.
18 [56] Atque hoc pavimentum ad latus portarum, [57] è regione longitudinis portarum, pavimentum [i] depressius erat.
19 [58] Mensus etiam est latitudinem inde à fronte [59] portæ infimæ ad frontem atrii interioris intrinsecus, centum cubitos; [60] Orientem & Aquilonem *versus*:
20 Quum [61] portæ spectantis versus Aquilonem in atrio extimo, metiretur longitudinem & latitudinem,
21 Ejúsque [62] thalami tres hinc & tres inde, limina quoque ejus, & vestibula ejus *erant* unumquodque secundùm mensuram portæ prioris: [63] quinquaginta cubitorum longitudine sua, latitudine verò [64] vigintiquinque cubitorum.
22 Etiam fenestræ ejus, & vestibula ejus, & palmæ ejus *erant* secundùm mensuram [65] portæ quæ spectabat versus Orientem: quò gradibus [66] septem ascendebatur, cum vestibulis ejus ante ipsas.
23 Ubi autem porta *erat* [67] atrio interiori è regione portæ Aquilonem & Orientem versus, mensus est a porta *una* ad [k] alteram centum cubitos.
24 Posteà deduxit me [l] versus meridiem, ubi ecce porta *erat* meridiem versus: cujus mensus est limina & vestibula secundùm mensuras illas;
25 Cui *erant* fenestræ, & vestibula sua circumquaque, similes [68] fenestris illis: quinquaginta cubitorum longitudine, latitudine verò vigintiquinque cubitorum:
26 Septem quoq; [69] gradus ascensuum ejus, ubi [70] vestibula ejus ante ipsos *erant*; & palmæ una hinc, & altera inde ad limina ejus.
27 [71] Ad portam autem atrii interioris meridiem versus; mensus est à porta *illa* ad portam hanc versus meridiem centum cubitos.
28 [72] TUM perduxit me in atrium alterum

[25] nempe unumquodque limen: nam duo erant limina æquè in hoc ac in cætero limine, de quo proximè præcedente vers. [26] nimirum pro amplitudine procœtonum circumstantium: erant enim cubitorum sex, vers. 7. [27] id est, *Sυparium*, ut antè diximus, quod Hebræis quoq; vestibulum portæ appellatur. [28] videlicet interius, ut exponit finis versus. [29] in longitudinem ejus. [30] non comprehensis liminum spatiis in octo cubitorum numero: quorû liminum alterû ad portam & *Sυparium* spectabat, alterum verò introrsum spectabat ingressum atrii: intercedente spatio hypæthro sive subdiali, de cujus amplitudine dicetur vers. 15. [d] *Heb. superliminaria: sic deinceps.* [31] id est, quorum quodque seorsim erat duûm cubitorum: conjunctim autem hic numerus brevitatis causa proponitur, ut suprà vers. 7. [32] quorum mensura & situs dictus est, vers. 7. [e] *Hebr. via Orientis.* [33] id est, a dextera & a sinistra ipsius portæ secundum murum; ut diximus vers. 7. [34] nimirum externis & internis portæ & vestibuli, quorum capacitas idcircò describitur sequente vers. [35] id est, luminis (ut Vitruvius vocat) sive aperturæ quam circumscribunt limina; vide suprà in vers. 6. [36] id est, altitudinem: nihil enim est aliud altitudo, quàm stans & erecta longitudo portæ. Ita ostendit Propheta portam hanc in summo contractam fuisse, rotundatámque tertia antepagmenti parte, quam symmetriam Dorici (ut vocant) generis tradit Vitruvius lib. 4. de architectura, capite 6. [37] id est, procœtones ab omni parte loricati erant & armati suggrunda in cubitum quaquaversum projecta: quæ suggrunda hoc loco terminus appellatur, videlicet tecti, quod nominatur sequente versu. [38] ut suprà vers. 7. [39] id est, descripsit spatium ab extremi procœtonis suggrunda usque ad finem alius procœtonis ad portam pertinentis & principium portæ, cubitos vigintiquinque. Nam suggrunda erat unius cubiti, vers. 12. tres procœtones cubitorum senûm capiebant cubitos octodecim, & inter procœtonas erant quinque cubiti, suprà vers. 7. ac postremò limen sive antepagmentum portæ cubitale: quæ omnia conjuncta efficiunt cubitos vigintiquinque usque ad lumen portæ. [f] *Hebr. cum porta.* [40] nimirum portæ utrimque procœtonibus tamquam alis circumdatæ. [41] id est, ad amussim, sive parallelogrammis lineis: nempe ita inter se respondentibus procœtonibus, ut ab extremo uno procœtone apertis foribus extremum alterum procœtonem intrinsecus potuisses pervidere, & consimiliter extrinsecus ab extremitate una ad alteram. [g] *Hebr. superliminaria, id est,* ὑπόζωμα, *sive* [illegible], *ut Græci vocant: metaphora à forma jugamenti quod est in superliminaribus.* [42] nimirum ex decem cubitis portæ, & vicenis quinis ad latera illius, quos modò descripsimus. [43] id est, eodem modo suggrundarum projectura circummunitum erat ab injuria cæli vestibulum, quà ibatur ad limen atrii templum versus. [h] *Hebr. portam circumcirca: anastrophe; ut seq. vers.* [44] id est, ab ipso ingressu hujus ambitus usque ad ingressum primani atrii erant omnino quinquaginta cubiti: e quibus vigintiquinque erant tecti, nimirum usque ad finem vestibuli; vigintiquinque verò subdiales, à vestibulo ad murum usque atrii; a procœtonibus verò subdiales erant triginta octo; ultra procœtones denique omnia in aperto erant. [45] latè accepta significatione: nam est quidem propriè vestibulum quod trans portam situm est; sed Propheta hoc loco portam ipsam, *Sυparium*, vestibulúmq; propriè dictum accipit synecdochicè: quamobrem sequentes duæ voces adduntur [illegible]. [46] expositis membris structuræ quæ in ambitu erat, jam de luminibus & ornamentis agitur, hoc vers. [47] ut 1. Reg. 6. 4. [48] id est, supra ipsas portas etiam fenestræ erant, ut singulæ partes essent luminosæ. [49] nam extrinsecus non comparebant fenestræ, erátq; murus perpetuus, & ubique circum præter aperturam portæ. [50] id est, singulis muris vestibuli ab Occidente, Meridie, & Aquilone, ut tota structura ad portam usque amplius illustraretur istis vestibuli interioris luminibus. Hos autem muros in pronais & vestibulis Vitruvius appellat pteromata.

[52] id est, quacunque portæ aut fenestræ erant, ornata erant jugumenta & antepagmenta earum palmis, id est, encarpis, helicibus, & volutis; synecdochicè. [52] id est, in unoquoque antepagmento portæ, sive in poste palma erat, qua tum ornabantur postes ipsi, tum etiam hyperthyrum sive superliminare, quasi ex coëuntibus palmis: vide infrà vers. 26. [53] transitio ad secundum membrum loci sancti, quod atrium extimum antè appellari diximus in vers. 5. id est, atrium populi, quod in templo Schelomonis, & secundo illo quod a captivitate exstructum est dicebatur maximum propter amplitudinē: in hac verò structura non ampliùs spatium capit quàm cætera. [54] in quas se recipiebant quicunque purificabantur ex lege, ut se & res suas componerent curarêntq; commodè, quum vota eucharistica aut similia erant facienda. [55] sitæ in area pavimentata atrii, quindenæ in utramque partem. [56] id est, pavimentum convexum erat in speciem, & in latera atrii declive, ut quæcunque fundebantur, commodiùs everri & ablui possent; atriúmq; purum conservari. [57] id est, secundum longitudinem atrii, quà ibatur à porta extima ad portam atrii mediani; quæ longitudo convexa erat, & declivia latera. [i] *Heb. inferius.* [58] id est, hoc atrium populare in universum erat centum cubitorum longitudine. [59] id est, Orientalis, quæ [illegible] sita erat inter portam claustri sive ambitus, & portam atrii mediani; hæc autem infima dicitur, quia acclivis erat ascensus in domum Dei. [60] id est, in longitudinem & latitudinem: ut vers. 23. synecdoche, ac potiùs ellipsis, ut vers. seq. [61] id est, spatii a porta Aquilonali ad meridianam: ellipsis relati: ut Levit. 22. 4. [62] attributi janitoribus, ut cellæ (de quibus vers. 17.) erant attributæ populo. [63] excepto decem cubitorum spatio quod capiebat porta: ut suprà vers. 11. [64] nimirum à fronte portæ cujusque ad finem sui vestibuli: nam in porta claustri Propheta statuit sex cubitos portæ, sex *Sυparii*, octo vestibuli, binos liminum illius, & unum suggrundæ sive loricationis; quam mensuram æquè hic fuisse servatam docet. [65] i. portæ claustri quam delineavit sup. vers. 6. & sequentibus: vide V. 16. [66] erat enim ambitus depressior atrio: sic in sequentib. [67] id est, mediano, quod velut armarium & repositorium erat, ut diximus sup. in vers. 5. [k] *Heb. portam.* [l] *Hebr. via meridiei: sic deinceps.* [68] de quibus sup. vers. 16. & 22. [69] iter aperientes in atrium medianum, de quibus V. 22. [70] id est, *Sυparium* ac vestibulum; synecdochicè. [71] id est, quum me eduxisset ex atrio populari per meridianam portam, secundùm murum processit per claustrum sive ambitum usque ad portam meridianam secundi atrii, quod scriptura interius vocat; lineaq; recta mensus est a porta una ad alterum spatium cubitorum centum; in quorum medio intrinsecus erat murus atria duo inter se dividens. Est itaque hic versus [illegible] ab explicatione primi atrii ad descriptionē secundi interioris sive mediani. [72] descriptio hæc interioris sive mediani atrii continet primùm delineationem illius, usque ad vers. 38. deinde narrationem instrumentorum quæ continebantur eo, usque ad vers. 44.

interius portâ meridianâ; ubi mensus est portam meridianam secundùm mensuras [73] illas:

29 Et thalamos ejus, & limina ejus, vestibuláque ejus secundùm mensuras illas, cum fenestris ejus & vestibulis ejus [74] circumquaque: quinquaginta cubitorum longitudine, latitudine autem vigintiquinque cubitorum.

30 Nam vestibula *erant* circumquaque; [75] longitudine vigintiquinq; cubitorum, & latitudine [76] quinque *decadum* cubitorum:

31 Cum vestibulis suis [77] secundùm atrium exterius, & palmis ad limina ipsius; gradibúsq; octo *in* ascensus suos.

32 Deinde abduxit me in ipso atrio interiore versus Orientem; ubi mensus est portam secundùm mensuras illas:

33 Thalamos quoque ejus, & limina ejus, vestibuláque ejus secundùm mensuras illas, fenestras etiam ejus, & vestibula ejus circumquaque: longitudine quinquaginta cubitorum, latitudine autem vigintiquinque cubitorum:

34 Cum vestibulis ejus versus atrium exterius, & palmis ad limina ejus [m] utrimque; & octo gradibus *in* ascensus suos.

35 [78] Similiter deducens me ad portam Aquilonalem, mensus est secundùm mensuras illas:

36 Thalamos ejus, limina ejus, & vestibula ejus, fenestrásq; ejus circumquaque; longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine vigintiquinque cubitorum;

37 Cum liminibus ejus ad *partem* atrii exteriorem, & palmis ad limina ejus utrimque; & octo gradibus *in* ascensus suos.

38 Ac [79] cellæ quidem cum ostiis ipsarum *erant* ad limina singula portarum; ubi [80] abluebant holocausta:

39 Sed in vestibulo [81] hujus portæ [n] binæ mensæ *erant* utrimque; ad jugulandum in eis holocaustum, & [82] peccatum, & reatum:

40 Et ad latus foris ascendenti ad ostium portæ Aquilonalis duæ mensæ; similiter ad latus alterum quod *erat* vestibulo ejusdem portæ, duæ mensæ:

41 [83] Quatuor mensæ hinc, & quatuor mensæ inde lateribus istius portæ: in his octo mensis jugulabant.

42 Quatuor autem mensæ pro holocausto *erant* è cæsis lapidibus, longitudine [o] sesquicubiti, & latitudine sesquicubiti, altitudine autem cubiti unius; in quibus etiam deponebant instrumenta quibus jugulabant holocaustum & sacrificium.

43 Et [84] lapides focarii [85] palmi unius dispositi erant [86] intus circumquaque; & [87] in mensis caro [p] rerum oblatarum.

73 quę definitæ sunt suprà in porta ambitus, & atrii popularis. 74 excepto muro ad atrium intimum pertinente Occidentem versus. 75 quòd suprà latitudinem nominavit eam quæ hîc eadem longitudo dicitur, & contrà; nõ temerè factũ est; sed pro ratione itineris quod faciebat Propheta. Hîc enim ingreditur per meridianam portam; itaque rectà ab eadem porta tendens ad finem usque vestibuli, spatiũ illud numerat in longitudine, structuram verò quæ ad latera portæ utrimque erat ponit in latitudine: vide sup. vers. 21. & 25 76 ellipsis denarii numeri, qualem observavimus 2. Schẽ. 8. 4. & 10. 17. quã quidem ellipsin hîc statuendam esse omnino evincunt iidem ꝟ. 21. & 25. quos modò diximus. 77 i. eadẽ planè symmetria & proportione quę in atrio præcedente adumbrata est. m *Heb hinc & inde: sic vers. 37.* 78 ut de porta meridiana ꝟ. 28. & de Orientali, vers. 32. dictũ est. 79 id est, ad singulos ingressus areæ sitæ erant cellæ in atrio, quarum aditus obversus erat limini vestibulorum ad eum usum qui exponitur in fine versus; atque hîc finis est *παραδειγματικῶς* ad secundam hujus loci partem de quo suprà in vers. 28. 80 vide 2. Chron. 4. 6. In hac autem parte exponuntur instrumenta atrii hujus ad ministerium pertinentia, usque ad vers. 44. ut monuimus in vers. 28. 81 id est, Aquilonalis, convenienter cum lege Levit. 1. 11. n *Heb. duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde.* 82 id est, hostiam pro peccato aut reatu, metonymicè: ut Levit. 5. & sequentibus. 83 videlicet binæ cuique lateri intra vestibulum, & binæ extra. o *Hebr. cubiti unius & dimidii: sic in sequentibus.* 84 vide in Psal. 68. 14. 85 videlicet densitate, ut firmiores essent. Erant autem hi lapides dispositi ad commoditatem ministrantium, qui multa curare & multa comedere in loco sancto jubebantur lege. 86 in atrio, ubi vacuus erat ambitus areæ. 87 id est, aderant mensæ in circuitu atrii ad lapides illos focarios, quæ inserviebantur iis oblationibus aut oblationum partibus quas popularibus, Levitis, & sacerdotibus attribuit lex: nam superiores illæ de quibus vers. 40. & sequentibus, ad ministerium Dei pertinebant, hæc verò ad Levitarum usum. p *Hebr. oblationis.*

44 [88] POSTEA [89] [q] ab exteriore loco portæ [90] intimæ *vidi* cellas [91] cantorum, *unas* quæ in atrio intimo *erant* ad latus portæ Aquilonalis spectantes meridiem versus; [r] alteras in latere portæ Orientalis versus Aquilonem spectantes.

45 Tum dixit mihi; hæ cellæ quæ spectant versus meridiem, sacerdotum sunt [92] observantium observationem domus:

46 Cellæ autem istæ quæ spectant versus Aquilonem, sacerdotum observantium [93] observationem altaris: hi *sunt* [94] filiorum Tsadoki, qui appropinquant è posteris Levi ad Jehovam, ut ministrent ei.

47 Atque hoc atrium mensus est longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum, quadratum; [95] cum altari ante domum.

88 hic versus propter breviloquentiam Hebræorum obscurus quidem est; sed tamen intelligi facilè potest ex præcedentiũ comparatione: nam quum ex ipsis Prophetæ verbis constet evidentissimè Prophetam de atrio intimo sacrificiorum agere, videnda sunt duo: unum, ut quæ communia sunt atriorum omnium hîc accommodentur; alterum, ut quæ hoc versu propria hujus atrii exponuntur interpretationem suam habeant ex versibus sequentibus, ut minutatim ostendemus. 89 i. quum Deus me ex atrio mediano porta Aquilonali eduxisset, & per spatium ambitus sive claustri maximi secundùm atrii murum ab eadem porta usque ad portam Aquilonalem atrii intim. provexisset, deinde verò ingressum in portam illam perduxisset ad finem usque vestibuli: sic accipiendum esse ostendit analogia quæ est sup. vers. 28. Nam quemadmodum illic Prophetam ex primo atrio porta meridiana exeuntẽ abduxit Deus rectà in portam meridianam secundi atrii; sic etiam hoc loco intelligendus est Deus servum suum porta Aquilonali profectum ex atrio mediano ad portam Aquilonalem intimi atrii *ἀναλογικῶς* deduxisse. q *Heb. a foris.* 90 i. area istius atrii, cum circuitu portæ atque vestibuli. 91 id est, atrii intimi, proximè accedentis ad vestibulum templi Dei. 91 i. ubi Levitæ musici erant, de quibus 1. Chron. 25. r *Heb. unum ordinem.* 92 i. janitorum præfectorum atriis, & apothecis & purgationi loci sancti, 1. Chron. 23. 27. de quibus 1. Chron. 26. Hi autem dati erant a Deo & constituti ad manum Sacerdotum, ut ministrarent ipsis: quapropter hic cellarum ordo Sacerdotum esse dicitur, quia Levitæ dativi tantùm erant illorum administri: sic seq. vers. vide Num. 3. 93 i. attendentium ad omnem oblationem holocaustorum Jehovæ ad manum Sacerdotum, & ipsis ministrantium: vide 1. Chron. 23. 30. & 24. 20. & sequentibus. 94 i. legitimorum sacerdotum sunt administri: vide infrà 44. 10. & sequentibus. 95 videlicet holocausti, quod ante portam domus erat collocandum ex analogia legis Exod. 40. 6. & 29. id est, præcisè in media hujus atrii latitudine; è regione aditus in domum Dei: vide rationem hujus altaris infrà 43. 13. & sequentibus. Ex hoc autem versu & justa structurarum inter se analogia colligimus id quod antè à nobis observatum est in vers. 44. nempe res multas quæ huic atrio fuerunt communes cum superioribus brevitatis ergò reticeri; ut de constitutione portæ, *θυρωρείων* vestibuli, procœtonúmq; ubi janitores stabant, & si quid aliud fuit hujusmodi.

CAPUT XLI.

1 [1] DEinde adducens me ad [2] vestibulum domus; mensus est [3] limen vestibuli quinque cubitorum hinc, & quinque cubitorum inde: latitudinem autem [4] portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde.

2 [5] Longitudo vestibuli viginti cubitorum *erat*, & latitudo [6] undecim cubitorum, idque cum [7] gradibus quibus ascendebatur ad ipsum: & [8] columnæ *erant* ad limina, una hinc & altera inde.

CAPUT XLI.

3 [9] Posteà adducens me ad ipsum templum; mensus est limina sex cubitorũ latitudine hinc,

1 Ab hoc versu initium faciendum esse capitis quadragesimi primi declarat ipsius argumentum. Nam [illegible] hinc demum incipi constat; [illegible] vestibulum templi, duobus vers. templum ipsum cum appendicibus & ornamentis ipsius, usque ad finem capitis; & aedificia [illegible] Sacerdotum cellæ, earúmq; usus usque ad vers. 15. capitis quadragesimi secundi. 2 id est, quà ingressus patebat in templum Sacerdotibus, ut forma illius exponitur versib. duobus. 3 id est, porta bifores duo habebat limina ab ante [illegible] utrimque ad medianum antepagmentum concurrentia in cubitorum quinum longitudinem: ut suprà 40. 6. similiter interpretati sumus. 4 id est, ostii sive aperturæ, ita ut limen utrimque cubito uno latitudinem ostii superaret. 5 id est, interius spacium a porta muri ad portam usque vestibuli: nam murus neuter hoc spacio comprehendendus est. Itaque vestibulum cum porta sua erat cubitorum viginti sex longitudine. [illegible] interior area vestibuli utrimque excedebat semicubito limina ipsius [illegible] quà ad portam templi pertinebat, ejus limina obtegebat dimidia ex parte, ut commonstrat sequentium versuum comparatio. 7 ut dictum est in portis atriorum antecedentium. 8 prout fuerant in Schelomonis templo 1. Reg. 7. 21. 9 altera pars descriptio templi cum substructionibus, appendicibus, & ornamentis ipsius.

& sex

& sex cubitorum inde latitudine, [10] *pro* latitudi-
ne tentorii:
4 Latitudinem autem [11] ostii decem cubi-
torum; & [12] latera ostii quinque cubitorum hinc,
& quinque cubitorum inde: mensus etiam est
longitudinem ejus quadraginta cubitorum, &
latitudinem viginti cubitorum.
5 Et ingressus [13] intrinsecus mensus est li-
men ostii [14] duorum cubitorum; & [15] ostium sex
cubitorum, latitudinem autem ostii septem cubi-
torum.
6 Tum mensus longitudinem [16] ejus viginti
cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum, in
parte interiore templi; dixit mihi, hoc *est* [17] san-
ctum sanctorum.
7 Item mensus est parietem istius [18] domus
sex cubitorum; & latitudinem [a] [19] substructio-
nis quatuor cubitorum circa domum circum-
quaque.
8 Substructiones autem istæ, substructio
[b] una ad alteram, [20] ternæ *erant*, [21] idque trigin-
ta vicibus, perveniebántque [22] ad parietem qui
erat domui, [c] trabeа substructionum circumqua-
que [d] [23] ut hærerent; sed [24] non hærebant pa-
rieti domus.
9 [25] Nam dilatabatur *paries* [26] *muri* [e] in am-
bitum supernè [27] pro substructionibus, quæ [f] am-
bitum ipsius domus efficiebant supernè circum-
circa domum, idcirco [28] latitudo domus *erat* su-
pernè: atque ita infimæ *latitudo* [g] excrescebat in
summa *sui parte* [29] pro mediana.
10 Similiter vidi ad domum *substructionem*
[h] supremam circumquaque; [30] fundamenta sub-
structionum [i] justi calami, sex cubitorum [31] ad
alam usque.
11 Latitudo [32] parietis qui *erat* substructioni
extrinsecus, quinque cubitorum *erat*: itémque
[k] [33] area pura locus substructionum quæ *erant*
domui:
12 [34] [l] Inter quas & cellas latitudo *intercede-*
bat [35] viginti cubitorum, circa domum circum-
quaque.
13 Ostia autem [36] substructionum ad aream
puram, [37] ostia una *spectabant* [m] Aquilonem ver-
sus, & ostia altera versus meridiem: erátque la-
titudo loci areæ illius puræ, quinque cubitorum
circumquaque.
14 [38] Structura verò quæ *erat* ante [39] septum
latere versus [n] Occidentem, latitudine [40] sep-
tuaginta cubitorum *erat*, cujus structuræ paries
quinque cubitorum *erat* [41] latitudine circum-
quaque: longitudine autem sua, [42] nonaginta
cubitorum.
15 Deinde mensus est domum illam longi-
tudine centum cubitorum; [43] id est, septum, stru-
cturámque; & parietes ejus longitudine centum
cubitorum:
16 Similiter latitudinem partis anterioris
domus cum septo Orientem versus, centum cu-
bitorum:
17 Denique mensus est longitudinem [44] stru-
cturæ in conspectu illius septi, quæ *erat* post il-
lud, & [45] peristylia ejus hinc & inde, centum cu-
bitorum; comprehenso [46] templo ipso interio-
re, & [47] vestibulis atrii.
18 Limina, & fenestræ [48] clausæ, & peristylia
circumquaque *erant* [49] tribus istis, e regione li-
minis cujusque tectorium ligneum circumqua-
que: a solo inquam usque ad fenestras, etiam
ipsæ fenestræ tectæ *erant*,
19 Ad superiorem usque partem ostii, & us-
que ad domum intimam extimámque, denique
in omni pariete circumquaque interno & exter-
no, [o] convenientissimè.
20 *Erátque* fabrefactum Cerubinis & palmis;
palma [p] inter duos Cerubos, & binæ facies cui-
que Cerubo,

[10] id est, prout latum fuerat tentorium imperatum lege, & curatum a Mosche: nam tentorio illi fuerunt in latitudinem asseres octo singuli lati sesquicubitum: ex quo conficitur justam tentorii totius latitudinem fuisse duodecim cubitorum, prout fuerunt hæc limina: vide Exod. 26.22. & sequentibus. [11] non habita ratione mediani antepagmenti, quo ostium efficiebatur biforum, infrà versu 25. [12] id est, partes muri intrinsecus quinûm cubitorum erant: ita assurgunt viginti cubiti in latitudinem qui mox nominantur, decem nimirum ostii, decémque muri adhærentis ostio: sic interius hoc templum duplo excedebat amplitudinem tentorii in longitudinem & latitudinem, cujus mentio facta est superiore versu. [13] id est, sanctuarium versus, ut dicitur versu sequente. [14] in densitatem sive crassitudinem: erat enim sepimentum illud tenuius reliquo ædificio. [15] id est, aperturam qua ibatur in sanctuarium biforam, ut dicitur infrà vers. 25. quarum utraque ternûm cubitorum erat: atque hi conjuncti efficiunt cubitos sex; quibus si antepagmentum medianum quod cubitale erat adjunxeris, efficitur latitudo totius ostii cubitorum septem; ut explicat Propheta verbis sequentibus. [16] sanctuarii, quod quadratum erat. [17] i. sanctuarium, & locus sanctissimus: ut Exod. 26.33. vide in Genes. 9.25. [18] i. totius templi. [a] *Heb. costæ, metaphora: sic deinceps.* [19] vide 1. Reg. 6.5. & 6. hæc autem substructio cubito fuit angustior quàm ea quæ a Schelomone exstructa est secundùm diversam proportionem templi: quæ continentem quidem habebat speciem pteromatis & corium (ut Vitruvius appellat) muri, in longitudine templi & latitudinem; sed in triginta conclavia inter se distincta dividebatur, ad quæ suis triginta januis patebat aditus. [b] *Heb. ad substructionem.* [20] i. tria habebant sola sive contignationes, erántque (ut Græci vocant) tristega. [21] i. omnia illa conclavia, quæ triginta erant numero, ternas suas habebant contignationes. [22] videlicet ab opis aut columbariis alæ ad parietem usque templi: medianæ quidem, in cubitos quinque; tertianæ verò in cubitos sex; ut sequentibus exponitur. [c] *Heb. costis, sive substructionibus, pro trabibus earum, synecdoche.* [d] *Heb. ut essent comprehensa.* [23] videlicet muro alæ, sive pteromatis, cujus mentio est versu 10. Nam ab ea parte tigna & trabes ita erant inditæ in columbaria, ut nullam in partem dimoveri possent. [24] videlicet templum versus: ut 1. Regum 6.6. [25] id est, in muro contracturæ inditæ erant domui circumquaque extrinsecus, quibus incumberet substructionum istarum trabeatio: ut 1. Regum 6.6. [26] videlicet templi, qui per spatium primæ contignationis sex cubitorum erat, per spatium verò medianæ inde a solo quinque cubitorum erat, ut sexto muri cubito (velut denticulo) incumberet trabeatio, similitérque per spatium summæ contignationis quatuor demum cubitorum erat (prout etiam dictum est 1. Regum 6.) ad capiendas substructionis sive supremæ contignationis trabes. [e] *Hebr. in ambiebatur supernè supernè, id est, in contignatione quaque: sic infrà eodem versu.* [27] id est, substructionum trabibus suscipiendis: synecdoche. [f] *Hebr. ambitus domus erant supernè supernè.* [28] id est, latius in muro domus exhibebatur spatium, ut latiores sursum versus substructiones essent: quod deinceps exponitur, hoc & sequente versu. [g] *Hebr. ascendebat.* [29] id est, ut medianæ contignationis solum & spatium infimam contignationem cubito uno ad murum templi admorso excederet. [h] *Hebr. altitudinem.* [30] id est, solum summæ substructionis, auctum cubito uno quà incumbebat muro templi. [i] *Hebr. plenitudinis calami.* [31] id est, inde a muro domus usque ad pteromata: de quibus vide 1. Regum 6.5. & vers. seq. [32] id est, alæ sive pteromatis.

[k] *Heb. quod concessum erat, id est, spatium purum & vacuum citra substructiones: sic deinceps.* [33] quæ erat chors quædam libera ab omni ædificio inter substructiones de quibus antè egimus, & cellas, de quibus vers. sequente, & deinceps. [34] sive (ut idem apertè dicatur) à substructionibus ad murum atrii erant viginti quinque: nam cellæ capiebant cubitos quinque adhærentes muro. [l] *Heb. & inter cellas: ecclipsis, ut 1. Chron. 2.7. & 47. & 3.18. & 20. & 4.7. & alibi passim.* [35] quorum decem in peristylia occupati erant, & decem in areas cubitorum quinûm, ut posteà videbimus. [36] videlicet cujusque substructionis. [37] nominatim earum substructionum quæ sitæ ab Aquilone erant: ut quæ ad meridiem erant, & quæ ad occidentem, singulæ spectabant ad plagas suas ἀναλόγως. [m] *Heb. via Aquilonis.* [38] hic locus ut planiùs possit intelligi, ita habendum est. Antehac ex universo ambitu (qui cubitorum quingentorum in partes omnes fuisse dicitur infrà 42.16. & sequentibus) cubiti trecenti quinquaginta in pronaô, id est, in primo ambitus spatio, & in tribus atriis occupati sunt; supersunt occupandi in templo & appendicibus ejus cubiti centum quinquaginta. Hi autem centum quinquaginta cubiti occupati sunt hoc modo: templum cum suo vestibulo antrorsum, & cum structuris suis retrorsum præcisè cubitos centum occupavit, ut dicitur versu sequente. Verùm anterior pars cubitos quinquaginta seorsim habuit versus partem anteriorem templi, qui certo quodam muro a centum posterioribus cubitis fuerunt distincti. Itaque anterius septum quod erat quinquaginta cubitorum longitudine, a Propheta dictum est Gizra, id est, dissepimentum sive segmentum, nos septum facilitatis causa reddidimus; posterius verò septum a Propheta nominatur atrium exterius, infrà 42.1. & sequentibus. Atque hic murus est interjectus, septum ab atrio exteriore dividens, quem Propheta hoc loco structuram vocat. [39] id est, anterius segmentum, ut modò diximus, sic propterea dictum, quod velut particula esset resecta e suo atrio. [n] *Heb. mare.* [40] id est, sub medium templi dividebat illud spatium longum centum quinquaginta cubitos per cubitorum septuaginta latitudinem. Nam procendebatur hæc structura à muro templi (in quem cubitus unus erat indutus ab unaquaque parte) usque ad murum extimum atrii in utrumque latus illius, per tricenos quinos cubitos: qui numerus conjunctus efficit septuaginta. [41] i. spissus erat sive densus cubitos quinque. [42] nimirum in longitudinem areæ: alioqui comprehenso muro quinûm cubitorum utrimque atrium dicitur cubitorum centum, infr. vers. 17. [43] exegesis præcedentis dicti: domum (inquit Propheta) quum nomino, intelligi volo spatium inde a porta ubi est vestibulum, templum, & appendices ejus sive substructiones cum area usque ad parietem ultimum quo area templi terminatur Occidentem versus. Hujus autem parietes loco sui ab Occidente, erant cellæ Aquilonem & Meridiem versus. [44] id est, atrii, quod structura disparabatur a septo, ut diximus in versum 14. [45] i. ambulationes columnatas ab aliis structuris sepositas, & templum ab atrio dirimentes. Nam Hebræa vox sonat habitationes avulsas & sepositas ab aliis. [46] id est, eo spatio posterioris in templo partis, quod intra atrium hoc incurrebat per cubitos quadraginta quinque. [47] quæ erant huic atrio, ut dictum est in atriis præcedentibus: ac propterea satis habuit Propheta unico verbo perstringere. [48] ut 1. Reg. 6.4. [49] i. septo, templo, & atrio extimo, quæ singillatim persequitur Propheta seq. vers. [o] *Heb. mensuris.* [p] *Heb. inter Cerubum & Cerubum.*

21 Nempe [50] facies humana versus palmam *unam* hinc, & facies juvenis leonis versus palmam *alteram* inde; fabrefactum in tota domo circumquaque:

22 A terra usque ad superiorem partem ostii Cerubini & palmæ fabrefactæ *erant*, etiam *in* pariete templi.

23 Templo *erat* postis quadratus, & parti interiori loci sancti, hujus aspectus, sicut aspectus illius.

24 [51] Altare ligneum *erat* tres cubitos altum, & longitudine duorum cubitorum, cum angulis suis ad ipsum *pertinentibus*, cujus longitudo & [52] parietes lignei *erant*; [53] dixitque ille mihi, illa *est* mensa quæ *est* coram Jehova.

25 [54] Binæ autem fores *erant* templo, & loco sancto;

26 Et binæ valvæ foribus: binæ versatiles valvæ, duæ foribus unis, & duæ valvæ alteris.

27 Fabrefactiq; *erant* in illis, in foribus templi, Cerubini & palmæ, quemadmodum fabrefacti *erant* parietibus; etiam [55] denso ligno in fronte vestibuli extrinsecus.

28 Et fenestris clausis quoque palmæ hinc & inde in lateribus vestibuli; & substructionibus domus, densisque trabibus.

50 vide suprà 1.10. 51 videlicet thymiaterium suffitus, quod Deus poni jusserat ante velum & arcam testimonii, Exod. 30.6. Hic autem mensura longè amplior traditur in omnes partes, quàm fuerit circumscripta a Mosche, ibidem. 52 id est, tabulata, ex quibus latera altaris confecta erant: χαταχρηστιχῶς. 53 spectans videlicet Aquilonem versus, & quasi digito commonstrans mensam quæ panibus faciei instructa erat jugiter ante faciem Domini: de qua Exod. 25.23. & sequentibus. 54 vide suprà in vers. 4. 55 ex quo scapi illius portæ, tympanáque (ut vocant artifices) & cætera constabant.

CAPUT XLII.

1 [1] DEinde educens me ad [a] atrium exterius eâ viâ [2] quæ spectat Aquilonem; adduxit me ad eas cellas quæ *erant* e regione septi, & quæ *erant* e regione [3] structuræ ad Aquilonem,

2 [4] In conspectum longitudinis cubitorum centum, *ad* ostium Aquilonale; & latitudinis, quinquaginta cubitorum.

3 E regione [5] viginti illorum qui *erant* [6] atrio interiori, & e regione [7] pavimenti quod *erat* atrio exteriori; *erat* [8] peristylium e regione peristylii [9] tribus *ordinibus*.

4 Ita ante cellas [10] ambulacrum *erat* denûm cubitorum latitudine introrsum, [11] viâ cubiti unius; ostiáq; [12] eorum ad Aquilonem.

5 Cellæ autem summæ contractiores *erant*; quia [13] superare debuerant peristylia ipsas, ex imis, & medianis [14] ædificium erat.

6 Nam tristegæ *quidem* erant, sed non *erant* eis [15] columnæ similes columnis [16] atriorum istorum: idcircò contractius erat *ædificium* præ imis & medianis *contignationibus* inde a solo ipso.

7 [17] Maceriæ autem quæ extrinsecus *erat* ex adverso cellarum, versus atrium exterius in fronte cellarum; longitudo *erat* quinquaginta cubitorum.

8 Nam longitudo cellarum quæ *erant* atrio exteriori, quinquaginta cubitorum *erat*: ita ecce ante templum [18] centum cubitorum cellas.

9 [19] A loco autem cellarum [20] istarum; [21] is qui deducebat me [22] ab Oriente venturus ad illas de exteriore atrio,

10 [23] Per latitudinem maceriæ atrii versus Orientem; in frontem septi, & in frontem structuræ cellarúmque:

11 ([24] Ante ista autem *erat* [25] via secundùm aspectum illarum cellarum quæ spectabant Aquilonem, secundùm longitudinem illarum similitérq; latitudinem illarum: & omnes exitus illarum tum secundùm rationes illarum, tum secundùm ostia illarum *erant*:

12 Et simile ostiis illarum cellarum quæ spectabant meridiem [26] ostium in capite viæ; viæ *inquam* quæ erat ante [27] maceriam rectam Orientem versus, [b] quà venitur ad illas)

13 Dixit ille mihi, cellæ Aquilonis, cellæque meridiei quæ *sunt* [28] in fronte septi; sunt cellæ sanctitatis, ubi comedunt sacerdotes, qui *sunt* propinqui Jehovæ, res sanctas sanctarum: ibi deposituri sunt res sanctas sanctarum, & munus, & peccatum, & reatum, quia locus ille sanctus *est*.

14 [29] [a] Quum ingressi fuerint sacerdotes, tum non exibunt ex hoc sancto in atrium exterius, quin ibi reposuerint vestes suas in quibus ministraverint, quia sanctæ sunt; induentur vestibus aliis, quum appropinquabunt ad *ea* quæ *sunt* populi.

15 [30] Quum itaque absolvisset mensuras domus interioris, deduxit me [31] viâ illius portæ quæ spectat Orientem versus; & mensus est illam circumquaque.

16 Mensus est plagam Orientalem calamo mensuræ; quingentorum cubitorum calamis, calamo mensuræ circumquaque.

17 Mensus est plagam Aquilonalem; quingentorum calamis, calamo mensuræ circumquaque.

18 Plagam meridianam mensus est; quingentorum calamis, calamo mensuræ.

19 Divertens ad plagam [c] occidentalem; mensus est quingentorum calamis, calamo mensuræ.

20 In quatuor plagas mensus est illam *structuram*, murum illius circumquaque, longitudine quingentorum & latitudine quingentorum *cubitorum*; ad distinguendum inter sanctum & prophanum.

1 Hactenus delineato templo & membris ad illud pertinentibus, nunc demum Propheta figurat atrium ultimum quod posteriorem templi partem circumplectebatur, & septum illius terminabat (ut superiore capite diximus) usque ad versum 13. deinde jus utriusque loci explicet, duobus versibus; ac postremò ambitus totius circumscribitur, ad finem usque. 2 videlicet templi, quod extra septum erat Occidentem versus. a Heb. viâ Aquilonis; sic deinceps. 3 id est, muri interjecti, septum ab atrio exteriore dividentis, supr. 41.14. 4 id est, quo ex cellarum loco patebat oculis meis aspectus tum in longitudinem atrii, quæ erat cubitorum centum; tum in latitudinem templi cum membris ipsius, quæ erat cubitorum quinquaginta, & longè procurrens intra hoc atrium denos cubitos utrique parti atrii relinquebat toto spatio suo. 5 de quibus sup. 41.12. 6 i. septo: periphrasis. 7 id est, areæ pavimentatæ. 8 ut supr. 41.17. 9 nimirum infimo, mediano, & summo. 10 in peristylio, cujus modò meminerat. 11 i. in quod ambulacrum aditus patebat ex atrio portulis angustis, ut singuli tantum per eas intrare possent. 12 videlicet ambulacrorum quæ erant ex adverso cellarum Aquilonalium. 13 i. quia hoc postulabat templi dignitas & decor, ut circûstantes atrii cellæ aut structuræ aliæ non haberent prospectum in templum aut membra ipsius; ideò effectum erat tum ut peristyliorum ambulatio superaret cellas altitudine, tum ut cellarû tertia contignatio inclinante tecto bona ex parte consumeretur. 14 i. commoda ædificiorum habitatio: nam tertia stega sive contignatio erat ad habitandû inepta. 15 i. trabes arrectariæ sive columnæ earum loco, quibus tectû altius incumberet; sed incumbebat solo ipsi contignationis tertiæ. 16 i. ambulacrorum quæ in peristylio erant. 17 quæ circumcludebat peristylium.

18 nempe quinquaginta cubitorum in septo sive interiore atrio, & quinquaginta in exteriore. De cellis autem interioris atrii vide suprà 41.12. 19 hac verborum congerie transitum Propheta explicat a cellis Aquilonalibus ad Meridianas. 20 videlicet Aquilonalium. 21 Deus per spiritum humana specie, supr. 40.3. 22 id est, per tractum Orientalem atrii exterioris, propinqui templo. 23 id est, secundùm maceriam illam transversam, quæ membra ultima templi ab exteriore atrio dividebat. 24 id est, septum & structuram, quæ modò nominavit. 25 id est, eadem erat omnino proportio viæ, ædificiorum, formæ, adituum, & si quæ sunt ejusmodi quæ antè dicta sunt de Aquilonali parte. 26 quo terminabatur via atrii, & ad septum patebat aditus, quod ostium tam angustum erat quàm cujusque cellæ. 27 id est, structuram illam sive dissepimentum, cujus fit mentio supr. 41.14. b Heb. introitu illarum. 28 sed inclusa septo, sive intra septum; ut docet versus sequens. a Infrà 44.17. 29 ex analogia legis Exod. 28.43. 30 postrema pars descriptionis: ut diximus suprà in versum 1. 31 primæ, qua Prophetam Deus introduxerat primùm intra ambitum maximum; ut ipse narravit supr. 40.6. c Heb. maris.

CAPUT XLIII.

Deus Prophetam de instauratione Ecclesiæ & perpetua præsentia sua in Ecclesia confirmans, promissionem gratiæ & sanctificationis populi effectum iri prædicat; propterea renovat ceremonias, & delineato altari holocausti, formam expiandi & consecrandi ejus, usumq; quotidianum explicat: deinde proposita sacerdotii summi dignitate atque officio, sacerdotes indignos exauctorat, resipiscentes ab externo cultu capite minuit, & fidos confirmat: postremò omnibus leges officiorum præscribit.

1 [a] POstea quum [b] reduxisset me ad [2] portam illam; ad portam quæ spectat versus Orientem:

2 Ecce [4] gloria Dei Jisraëlis veniebat viâ Orientali; cujus sonus similis *erat* sono [5] aquarum multarum, & a cujus gloria [6] relucebat terra.

3 Similisq; *erat* aspectus hujus visionis quam videbam prorsus [7] visioni illi quam videram veniens [c] ad *prænunciandum* perdendam civitatem; [8] visionésque similes visioni illi [9] quam videram ad flumen Cebaris: quapropter [10] procidi in faciem meam.

4 Gloria verò Jehovæ ingrediente domum, viâ portæ quæ spectat versus Orientem;

5 Tollens me spiritus deduxit me in atrium intimum: ecce autem plena erat [11] gloriâ Jehovæ domus:

6 Et audivi sermocinantem mecum e domo, [12] viro illo adstante mihi.

7 [13] Dicebatur autē mihi, fili hominis, [14] *neque* [15] locum solii mei & [16] locum plantarum pedum meorum ubi habitaturus sum [b] inter filios Jisraëlis in seculum; neque nomen sanctitatis meæ contaminaturi sunt ampliùs domus Jisraëlis, ipsi, & reges ipsorū [17] scortatione sua, & [18] cadaveribus regum suorum, & excelsis suis;

8 [19] Apponendo limen suum limini meo, & postem suum ad postem meum, [20] parietémque inter me & ipsos: nam impuraverunt nomen sanctitatis meæ abominationibus suis quas faciebant, & [21] consumsit eos in ira mea.

9 [22] Nunc longè amovebunt scortationem suam, & cadavera regum suorum a me: & habitabo inter eos in seculum.

10 Tu fili hominis, indica domui Jisraëlis [23] domum istam, quum pudore suffusi fuerint propter iniquitates suas; [24] ut metiantur [e] universè!

11 Quum, inquam, pudore suffusi fuerint propter omnia quæ fecerunt, formam domus & constitutionem ejus, exitúsq; ejus cum aditibus ejus & omnibus formis ejus, omniáque statuta ejus cum omnibus formis ejus omnibúsq; legibus ejus notas fac eis, & describe ante oculos eorum: ut observantes totam formam ejus & omnia statuta ejus, faciant ea.

12 [25] Hæc *est* lex ipsius domus: [26] in vertice montis totus terminus ejus circumquaque [27] sanctus sanctorum *est*, ecce hæc *est* lex istius domus.

13 [28] Hæ verò *sunt* mensuræ altaris [29] iisdem cubitis, cubito uno quoque *ex* cubito & palmo: primùm [d] [30] basis *altitudine* cubitali & cubitali [31] latitudine, cujus [e] crepido versus labrum ejus circumquaque [32] spithamæ unius, nam hujusmodi est [33] [f] projectura altaris.

14 Tum a basi [g] solo juncta usque ad [h] [34] diazoma inferius duo cubiti, cujus latitudo cubiti unius: deinde a diazomate minore usque ad diazoma majus quatuor cubiti, cujus latitudo cubitalis *est*;

15 Ita ipsum [35] Hareel quatuor cubitorum *est*: ab ipso denique Ariele sursum versus cornua *sunt* quatuor.

16 *Est* autem ipsum Ariel duodecim *cubitorum* longitudine, cum duodecim latitudine; quadratum, in quatuor [i] partibus suis.

17 Diazoma verò *cubitorum* quatuordecim longitudine cum quatuordecim latitudine in quatuor partibus suis: circa quod crepido *est* dimidii cubiti, & basis ei cubitalis circumquaque, cum gradibus ejus spectantibus Orientem.

18 [36] Tum dixit mihi, fili hominis, sic ait Dominus Jehovi, hæc sunt statuta hujus altaris, quo die factum fuerit; ut offeratur in eo holocaustum, & spargatur in eo sanguis.

19 [37] Dabis itaq; sacerdotibus Leviticis [38] qui *sunt* e semine Tzadoki, qui appropinquant ad me, dictum Domini Jehovi, ut ministrent mihi; [39] juvencum [k] suburnum pro peccato:

20 Et sumens e sanguine ejus, impones quatuor cornibus illius, & quatuor angulis [40] diazomatis, & crepidini circumquaque: ita purgabis ipsum, & expiabis ipsum.

21 Deinde accipies juvencum illum pro peccato; ut comburat ipsum *sacerdos* in loco destinato [41] domus, extra locum sanctum.

22 Die quoque secundo offeres [42] hircum caprarum integrum pro peccato; ut purgent altare, quemadmodum purgaverint juvenco.

23 Quum absolveris purgare; offerto juvencum suburnum integrum, & arietem e grege integrum:

1 Duo hæc capita eodem argumento esse de sacro ministerio & cultu ostendimus supra 42. quapropter ea conjunximus. Sunt autem in hac descriptione tota partes duæ: prior, narratio typorum quibus suum Prophetam Deus de toto argumento confirmavit, sex primis versibus; posterior verò, propositio amplissima rum promissionum Dei, ceremoniarumque ad eas pertinentium, ad finem usque capitis sequentis. Ac typi quidem exponuntur duo: unus, quo Deus per visionem confirmat sequentia documenta, tribus versibus; alter, quo præfigurat restituendam populo suo præsentiam suam tum majestate sua, tum etiam verbo, tribus alteris versibus.
2 a plaga Occidentali, ad quam postremò diverterat, suprà 42. 19.
3 videlicet ambitus universi, de qua suprà 40.6.
4 id est, visio gloriæ, cujus exegesis habetur sequente vers.
5 vide suprà 1.24.
6 ut splendor fuisse illi circumquaque dicitur suprà 1.27.
7 de qua suprà 10. sensus est, eadem planè majestas se se repræsentavit quum rediret in domum suam, quæ prius se se mihi ostenderat quum abiret domo & domicilium suum abjiceret: quod me jusserat Deus verbis suis prophetare.
c Hebr. ad perdendum, nimirum verbo: ut Jirmeja 1.10.
8 id est, singulæ visionis partes.
9 suprà 1.
10 vide suprà 1.28.
11 id est, nube, quæ signum erat aspectabile præsentis majestatis Dei; synecdoche, ut 1. Regum 8.10.
12 de quo suprà 40.3.
13 secunda hæc pars, propositio documentorum Dei locis duobus concluditur; nimirum promissionibus Dei, usque ad versum 12. & umbris ac ceremoniis ad fœdus promissionésque pertinentibus. In promissionibus autem duo sunt membra, ut observavimus Genes. 17.1. unum est sponsio promittentis Dei, tribus versibus, alterum, restipulatio, vers. 10. & 11.
14 promissio remissionis peccatorum, justitiæ, & sanctificationis in Christo adumbrata typis: est autem in his verbis ζευγματικὴ ellipsis, ut Psalm. 9.19.
15 id est, regiam, Jerusalemam, urbem Regis magni, Psalm. 48.3. & Jirmejæ 3.17.
16 id est, scabellum, ἀνθρωποπαθῶς; ut nominatur 1. Chronic. 28.2. & Lament. 2.1.
b Hebr. in medio filiorum: sic deinceps.
17 spirituali; ut sequentia verba indicant.
18 id est, corporibus humanis, quæ idolis suis antea sacrificarunt Jisraëlitæ; ut Jirm. 16.18. idola autem regum appellatione nonnunquam in scriptura designantur, ex Hammonitarum usu, de quo Levit. 18.21. sic Hamos 5.26.
19 i. adhibendo traditiones suas ad præcepta mea, de quibus Jeschah. 29.13. & sequentibus.
20 elegans metaphora, pro eo quod est, iniquitatibus suis disterminantes se & Deum [illegible] Jeschah. 59.2.
21 id est, judicavi ipsos, & [illegible] prænunciatas lege, Levit. 26. & Deut. 28. vide promissionem hanc Deut. 32.36.
22 i. hoc ipso tempore; quod præsens erat quodamodo Prophetæ per visionem Dei.
23 id est, hanc visionem domus, qua figuratur ventura tum demum Ecclesiæ instauratio quum Judæi resipuerint.
24 i. ut singulas quasque dimensiones præceptas & informatas in animo habeant, & Ecclesiam certò agnoscant a signis ipsius quæ Deus testificatur & instituit verbo; quod typicè hoc loco & generatim dictum, copiosius exponitur seq. vers.
e Heb. summam.

25 secundus locus propositionis de umbris ac ceremoniis, ut diximus in versum 7. tria in universum capita comprehendit: primum est de circumscriptione loci sancti, hoc versu; secundum de altari holocausti, reliquo capite; tertium, de sacerdotibus domui, loco sancto, & altari ministrantibus, capite sequente.
26 nam ad eam gradibus ascendi Propheta ostendit, suprà 40. & 41.
27 id est, sanctissimus: vide Genes. 9.25. sensus est, tanta erit illius sanctitas, ut nemini extraneo liceat illûc appropinquare: ut Exod. 19.21. & sequentibus.
28 secundum membrum umbratile, ut diximus præcedente versu: in quo exponuntur primùm forma altaris, usque ad vers. 18. deinde officia in eo altari exhibenda, ad finem usque capitis.
29 qui definiti sunt suprà 40.5. ut sequentia docent ἀνθρωποπαθῶς.
d Heb. sinus.
30 id est, infima pars altaris solo juncta, ut dicitur seq. vers.

31 i. cujus projectura exuberabat justo cubito præter corpus altaris in latitudinem circumquaque, prout etiam dicitur de diazomatis seq. vers. Ex hoc autem membro eruitur præcedentis interpretatio, quia solent Hebræi relatorum ellipsin usurpare in locis evidentibus, ut persæpè monuimus. Nullum enim corpus nisi mathematicum, habet latitudinem quod non idem constet sua altitudine: longitudo verò definitur V. 17.
e Heb. terminus: sic deinceps.
32 i. duodecim digitorum. Erat autem hic ambitus vigintiocto cubitorum, ac proinde sexdecim in area pura sive pede plano & constrato basis, duodecim verò in crepidine sive ora artificiosa cōsumebantur.
33 i. eadem proportione erant inter se basis & duo diazomata, de quibus seq. V. tres enim projecturæ erant.
f Hebr. dorsum, sive gibbus.
g Hebr. terra.
h Heb. adjumentum: sic deinceps, ab usu diazomatum.
34 i. projecturam cingentem & circumplectentem murum altaris: quæ quidem inferior sive minor hoc versu dicitur per comparationem majoris sive superioris, in quo erant cornua altaris fixa, infrà vers. 19. Ex hoc autem & præcedente versu apparet altitudinem istius altaris esse cubitorum novem: quorum unus basi, duo spatio, unus diazomati inferiori, quatuor spatio intercurrenti inter diazomata, & unus denique superiori diazomati tribuitur.
35 i. ignis sive focus altaris holocausti, & spatium illud vacuum in quod indebantur ligna atque holocausta imposita crati sive reticulo, ex analogia legis Exod. 27.4. vide Jeschah. 29.1.
i Heb. quadraturis: ut sup. 1.8. & deinceps.
36 est narratio officiorum quæ ad altare holocausti fuerunt præstanda (ut diximus in vers. 13.) officia duo explicat: unum extra ordinem, de expiatione & consecratione altaris, usque ad V. 27. alterum ordinarium, de jugi & quotidiano cultu, V. ultimo.
37 confer hæc omnia cum Exo. 29. & Levit. 8.
38 vide infrà 44. 10. & sequentibus.
39 hircúmq; & arietem: quæ duo synecdochicè intelligenda esse docent sequentia.
k Heb. filium bovis: sic deinceps.
40 superioris, in quo erant cornua.
41 i. structuræ maximæ sive ambitus: erat autem in eo destinatus locus ex analogia legis, Levit. 4.12.
42 pro ariete altero qui imperabatur lege: quo indicio demonstrat Propheta ambulatorias esse legis ceremonias & desituras in Christo.

24 Quos ubi obtuleris coram Jehova; sacerdotes injicient in eos [43] salem, & offerent eos holocaustum Jehovæ.

25 [44] Septem diebus parabis hircum peccati quolibet die; prout juvencum subrumum, & arietem e grege integros [45] parare debent.

26 Septem diebus expiabunt altare, & purgabunt ipsum; [1] consecrabúntque ministerium *quisque* suum.

27 [46] Quúmq; absolverint istos dies; erit die octavo & deinceps, parabunt sacerdotes illi in ipso altari holocausta vestra, & eucharistica vestra, & acceptos habebo vos, dictum Domini Jehovi.

[43] ad significandum æternam & incorruptam fœderis, altaris, cultus, rerúmque omnium sanctitatem, vide Levit. 2.13. [44] id est, æquè curabis offerri hircum, ut tenentur sacerdotes offerre juvencum & arietem ex lege: sic inest his verbis occupatio, ne cui mirum videretur hircum imperari a Propheta contrà quàm a lege fuerat mandatum. [45] sacerdotes ex lege consecrationum, Exod. 29. [1] *Heb. implebunt manum ipsum*: *ut Exodi* 28.41. *&* 29.9. *& sequentibus*. [46] jam agit Propheta de ministerio ordinario, ut diximus in versum 18. vide exod. 29.38. & sequent.

CAPUT XLIIII.

1 [1] Tum reduxit me [a] viâ portæ [3] sanctuarii exterioris quæ spectat Orientem; erátq; clausa;

2 Et dixit mihi Jehova, porta hæc clausa esto, non aperitor, & [4] quisquam non ingreditor per eam, quia Jehova Deus Jisraëlis [5] ingressus est ea; erit igitur clausa.

3 [6] Penes principem *est*, princeps ipse [7] assidebit ei ut comedat panem coram Jehova: viâ vestibuli hujus portæ ingredietur, & viâ suâ egredietur.

4 [8] Quapropter duxit me viâ [9] portæ Aquilonalis [10] in cóspectum domus; unde [11] vidi quod ecce implebat gloria Jehovæ domum Jehovæ: & [12] procidi in faciem meam.

5 Edixítque mihi Jehova, fili hominis, [a] adhibe animum tuum, & [l] vide oculis tuis, auribúsque tuis audi, quæcunque ego eloquor tibi de omnibus statutis domus Jehovæ & de omnibus legibus ejus; ut adhibeas animum tuum ad [13] *leges* aditus domus, cum omnibus *legibus* exituum [b] e sanctuario.

6 [14] Indices igitur [c] rebelli, domui Jisraëlis, sic ait Dominus Jehovi; satis *esto* vobis, *discedite* ab omnibus abominationibus vestris, ô domus Jisraëlis;

7 Qui introduxistis [15] alienigenas, præputiatos corde & præputiatos carne, ut essent in sanctuario meo; ut prophanarent ipsam domum meam, quú obtulistis cibum meum, adipem & sanguinem, quum illi irritum facerent fœdus meum, præter omnes abominationes vestras.

8 Neque observastis observationem rerum sanctarum mearum; sed [d] substituistis observatores observationis meæ in sanctuario meo [e] arbitratu vestro.

9 Sic ait Dominus Jehovi; [16] ullus alienigena, præputiatus corde & præputiatus carne, non venito ad sanctuarium meum: ullus, inquá, alienigena qui *sit* [f] inter filios Jisraëlis.

10 Sed Levitæ isti, qui longè recesserunt a me quum errarent Jisraëlitæ; qui erraverunt a me [g] sequuti stercoreos deos illorum; etiam reportabunt iniquitatem suam.

11 [17] Nam erunt in sanctuario meo ministri, præfecturarum ad portas domus, & ministrantes domui: ipsi jugulabunt holocaustum & sacrificium populo, & ipsi stabunt coram eis ad ministrandum eis.

12 Eò quòd ministrarunt eis coram stercoreis diis ipsorum, & fuerunt domui Jisraëlis offendiculo ad iniquitatem; idcircò sublata manu mea *juravi* contra eos, dictum Domini Jehovi, reportaturos ipsos iniquitatem suam:

13 Et non accessuros ad me, ut sacerdotio fungantur mihi, & accedant ad ullas res sanctas meas, ad res sanctas sanctarum; sed reportaturos ignominiam & abominationes suas quas fecerunt.

14 Itaque disponam eos observantes observationem domus; in toto ministerio ejus, & in omnibus quæ sunt in ea.

15 [18] Sacerdotes verò Levitici, [19] filii Tzadoki, [20] qui observarunt observationem sanctuarii mei aberrantibus Jisraëlitis a me, ipsi [21] appropinquabunt ad me, ut ministrent mihi; & stabunt coram me offerendo mihi [22] adipem & sanguinem, dictum Domini Jehovi.

16 [23] Ipsi accedunto sanctuarium meum, & ipsi appropinquanto ad mensam meã ministrando mihi, ut observent observationem meam.

17 [g] Erit autem quú accedent ad portas atrii intimi, ut vestes lineas induant; neque [h] impositum esto ipsis vestimentum laneum, quum ministrabunt in portis atrii intimi & intus;

18 [i] Tiaræ lineæ sunto in capite eorum, & femoralia linea sunto ad lumbos eorum, non cingunto se [i] [24] ulla re sudatoria.

19 [l] Exituri autem in atrium exterius, *&* in atrium extimum, ad populum; nudanto se vestimentis suis quibus ministrant, deponentes illa in cellis sanctitatis; ut induant vestes alias, neq; [25] sanctificent populum vestimentis suis.

20 [26] Caput quoque suum ne radunto, & cæsariem ne promissam habento; [k] omnino tondento capita sua.

21 [l] Item vinum ne bibunto ullus Sacerdos; quum erunt ingressuri in atrium intimum.

22 [l] Et viduam aut repudiatam non ducunto sibi uxores; sed virgines e semine domus Jisraëlis, aut viduam quæ sit vidua ex Sacerdote ducent:

23 [l] Et populum meum docento *discrimen* inter sanctum & prophanum; & inter immundum & mundum instituunto eos.

24 [l] In lite autem ipsi insistunto juri, secundùm jura mea judicanto illam, legésq; meas, & statuta mea cum omnibus solennitatibus meis observanto, & sabbatha mea sanctificanto.

[1] Hoc capite (ut diximus suprà 43.13.) describitur ministrorum ratio & constitutio, duobus modis: primùm enim ordines illorum exponuntur, usque ad vers. 17. deinde verò leges feruntur illis, ad finem usque. Ordines autem tres ponuntur sacerdotum: primus est principis sive sacerdotis summi, tribus primis versib. secundus, posterorum Ithamaris, qui propter peccata sua capite minuti sunt & tamquam mediastini effecti in ministerio divino, usque ad vers. 15. tertius verò, posterorum El'azaris & Tzadoki, sacerdotio honesto fungentium, v. 15. & 16. [2] id est, per vestibulum quod nominatur vers. 3. [3] id est, anterioris partis templi: nam templi duo erant sanctuaria, sanctum ubi erat mensa cum thymiaterio, & sanctum sanctorum sive sanctuarium interius. [4] videlicet popularium, ac ne ministrorum quidem meorum, convenienter cum lege Exod. 19.22. exceptis iis de quibus sequente vers. [5] at proinde intus residet; noëma. [6] id est, princeps sacerdotum sive summus, sive secundarius vices illius gerens ipse ingreditor, & de aliis ex officio admittendis diligenter cognoscito. [7] id est, manebit ad eam portam in loco sancto, ubi panem faciei sive propositionum comedet ex lege Levit. 24.9. [8] videlicet quia nó licebat ingredi porta templi, ut modò dictum est. [9] atrii ultimi quod junctum erat septo templi ut expositum est suprà 41. [10] id est, intra septum, quod ab atrio divisum erat peristyliis. [11] id est, nubem quæ implebat templum percepi per fenestras templi: synecdoche. [12] ut supr. 1.28. hac autem narratione transitus comparatur ad alios sacerdotum ordines. [a] *Heb. pone cor tuum: sic deinceps.* [l] *Supr.* 40.4. [13] id est, pertinentes ad personas accessuras templum, & earum jura; quæ duo ad cognitionem quidem sacerdotis summi pertinent, ut modò dictum est; sed non obscurè in sequentibus præscribuntur. [b] *Heb. sanctuarii.* [14] hac denunciatione instauraturus ordinem Ecclesiæ Deus primùm Jisraëlem totum increpat impietatis nomine, tribus versibus; deinde Ithamaris posteros capite minuit, quia se se accommodaverant ad libidinem Jisraëlitarum, v. 9. & quinque sequentibus; postremò Tzadoki posteros confirmat, ut meminimus in vers. 1. [c] *Heb. rebellionis* domui. [15] id est, constituistis ineptos sacerdotes; & alienos a me sive infidelitate cordis, sive præputio carnis infidelitatis signo. Nam hæc duo sunt alienorum a Deo genera; quæ Jisraëlitæ quidem instituerant inde a temporibus Schelomonis & Jarobhami; Judæi verò ab Achazi tempore, ut ex Chizkijæ & Joschijæ historia constat.

[d] *Heb. posuistis.* [e] *Heb. vobis.* [16] hujus legis gradus usque ultimus fuit: primus, hujus omnino arcendi facti, hoc versu; secundus ministrorum legitimorum, qui infirmitate fuerint traducti in communia peccata loco movendos esse, & quasi residentes capite minuendos, usque ad vers. 15. tertius, integros & constantes in fide a Deo confirmari in suis officiis, vers. 15. & 16. vide 2. Reg. 23.8. & sequent. [f] *Heb. in medio filiorum.* [g] *Heb. post suos* [illegible]. [17] id est, accensebuntur infimis Levitarum ministeriis, ex sacerdotibus effecti Levitæ popularisimque suorum administri. [18] tertius gradus, ut diximus in vers. 9. [19] quibus sacerdotium perpetuum fuerat promissum inde a Pinchaso, Numer. 25.12. & 13. confirmatum, 1. Schem. 2.35. ex parte præstitum, 1. Reg. 2.35. & amplius effectum, 2. Reg. 23. [20] convenienter cum benedictione Moschis, Deut. 33.9. & sequentibus. [21] ut sup. 40.46. [22] i. sacrificia justa cultu legitimo, quo adeptis illo colebant Deum, Levit. 3.16. & seq. [23] [illegible] ad alteram partem de legibus sacerdotii, quæ omnes cū lege Moschis cōparandæ sunt. [g] Exod. 28.43. [h] [illegible]. [i] Exod. 28. in [illegible]. [24] qualia sunt vestimenta lanea, quorum meminit præcedente versu. [l] Supra 42.14. [25] vide infra [illegible]. [26] Lxeque radunto prorsus, neque similem [illegible]. [k] [illegible] Deut. 14.1.

sed modestiam colunto, & mediocritatem pro se servanto.

[l] *Levit.* 10.9. [l] *Levit.* 21.14. [l] *Levit.* 10.10. *&* 11.

25 [l] Et

[a] Levit. 21.1. & seq. [27] quibus habebitur impuritas e mortuo, secundum eam legem Mosis [illegible] Numer. 19. [b] Heb. mundationis ipsius. [illegible] [c] Levit. 6. 29. & 7. 15. & Num. 18. [28] id est, oblationem pro peccato. [29] videlicet sacrificii pro peccato commode, aliisque sacrificiis, [illegible] ut, [illegible] sequentium versuum. [d] Numer. 18. 20. [e] Levit. 22. 8.

25 [a] Et ad mortuum hominem non venito sa-
cerdos ad impurandum se: sed de patre, & de
matre, & de filio, ac filia, de fratre ac de sorore
quæ non nupserit viro impurari poterunt.
26 Ac post tempus purificationis ipsius, [27] sep-
tem dies [b] numeranto ei:
27 [c] Quo autem die venturus est in sanctum,
in atrium interius, ut ministret in sancto, offerto
[28] peccatum suum, dictum Domini Jehovi.
28 [29] Quod erit ipsis in possessionem, ego sum
possessio ipsorum; jus autem possessionis ne tra-
datis eis in Jisraële; ego sum jus possessionis ip-
sorum.
29 Ipsum munus, peccatúmque, & reatum ip-
si comedent; & omne anathema in Jisraële ip-
sorum esto.
30 [d] Item præcipuum omnium primitiarum ex
omnibus, & omnis oblationis omnium ex omni-
bus oblationibus vestris, sacerdotum esto; eti-
am principium conspersionum vestrarum da-
bitis sacerdoti, ut sistat benedictionem in
domo tua.
31 [e] Nullum morticinum aut discerptum, ex
avibus aut jumentis, comedunto sacerdotes.

CAPUT XLV.

Deus constituto templo & cultu sacro, novam Reipublicæ & Ecclesiæ formam per Christum instituendam figurat primùm generali distributione terræ, deinde publicis & privatis principum popularíumque officiis ordinariis & extra ordinem erga Deum & homines; & certis prærogativis in Ecclesia & sanctitime terræ attributis. Principi æquitatem ipsi imperat: ritum & locum sacrificiorum obeundorum instituit: præstantiam terræ adumbrat rivo benedictionum fœcundante ipsam; terminos ipsius circumscribit; sortes assignat, & statuit civitatis formam.

[a] Altera hæc pars visionis, adumbrans perfectissimam Ecclesiæ instaurationem & constitutionem per Christum, ut diximus suprà 40. 1. in duas partes universè distribuenda est: quarum una est [illegible] sive propositio generalis & summa distributionis sacræ, usque ad vers. [illegible] altera, [illegible] sive explicatio singularium comprehensarum propositione summa, inde ad finem prophetiæ. Summa itaque propositio primùm sortes tribuum singularum perstringit, statim in principio; deinde nominatim excipit certam agri portionem separatim quatuor dividendam: ita ut pars ejus ad domum Jehovæ & sacerdotum pertineat, quatuor primis versib. pars ad Levitas, v. 5. pars ad populum [illegible] communiter, v. 6. pars ad Principem, v. 7. & 8. quæ omnia deinde suis locis explicantur. Atque hæc quidem distributio tota planè differt ab ea quæ [illegible] partim per Moschen, partimque per Jehoschuham effecta fuerat: [illegible] totus ordo & civilis & Ecclesiasticus novus instituitur; tum ut Propheta populares suos doceret veterem illam formam interituram esse, & fuisse tantùm introductionem spei melioris; tum verò ut ostendat omnia in Christo nova effecta esse, etsi propter ruditatem populi & communem hominum infirmitatem augusta illa instauratio typis Ecclesiæ priscæ [illegible]. [1] Heb. *faciens ut accidat terra.* [2] singulis videlicet tribubus assignandam: ut fit infrà 48. [3] id est, consecrate, prout oblationes consecrabantur Domino: [illegible] [b] *Heb. sanctitatem: sic deinceps.* [c] Heb. [illegible] [4] id est, pro structura loci sancti qui delineatus est sup. 40. & 41. & circumscriptus, sup. 42. 15. & sequentibus. [5] in longitudinem videlicet per quingentos latitudinis: similem loquutionem vide infrà 48. 20. [6] id est, area circumjacens, pura & vacua omni ædificio & cultura: sic infrà 48. 17. [7] id est, locus sanctus, qui definitus est præcedente vers.

1 [1] Quum autem [a] sortiemini terram [2] in
possessionem, [3] offertote oblationem
Jehovæ [b] sanctam ex ipsa terra, [c] longam vicies
quinquies mille *cubitorum* longitudine, & latitu-
dine decies mille: hæc sancta *esto* in toto termi-
no suo circumquaque.
2 Esto ex hoc *spatio* [4] in locum sanctum
[5] quingentorum *cubitorum* per quingentos *cubi-
tos* quadratus *locus* circumquaque; & quinqua-
ginta cubitorum [6] suburbium eis circumqua-
que:
3 Quúmque de mensura hac mensus fueris,
longitudine vicies quinquies mille, & latitudine
decies mille *cubitorum*; in eo *spatio* [7] sanctuarium
& sanctum sanctorum esto.
4 Sanctum e terra illud *est*, Sacerdotum ad-
ministrorum sanctuarii esto, qui appropinquant
ad ministrandum Jehovæ: [8] ut sit eis locus pro
domibus, & sanctus locus pro sanctuario.
5 Quinquies verò & vicies mille *cubitorum*
longitudo & decies mille latitudo, [9] similiter erit
Levitis in jus possessionis, [10] ipsis ministris do-
mus [11] *ministrantibus in* [12] viginti [d] cellarum or-
dinibus.
6 In justam autem possessionem [13] civita-
tis datote quinquies mille cubitos latitudine, &
longitudine vicies quinquies mille e regione
[14] oblationis [e] sanctæ: [15] pro tota domo Jisraë-
lis esto.
7 [16] Ipsi autem Principi [17] ab hac & ab illa
parte [18] oblationis sanctæ & justæ possessionis
civitatis, [f] ante oblationem sanctam & ante ju-
stam possessionem civitatis, a latere Occidentis
partis Occidentem versus, & a latere Orientis
partis Orientem versus: [19] longitudo verò ex ad-
verso unius cujusque [20] istarum partium *porrige-
tur*, a [21] termino Occidentis ad terminum Ori-
entem versus;
8 Ipsi, *inquam, portio* hujus terræ *esto* in jus
possessionis apud Jisraëlem, [22] ut non oppri-
mant ampliùs principes mei populum meum, sed
terram [23] reddant domui Jisraëlis per tribus ip-
sorum.
9 [24] Sic ait Dominus Jehovi, [25] satis *esto*
vobis, principes Jisraëlis, violentiam & vastatio-
nem amovete, jusque & justitiam exercete; tol-
lite [26] depulsiones vestras a populo meo, dictum
Domini Jehovi.
10 Lances [g] justæ, & [h] Epha justum, & Bath
justum esto vobis.

[8] id est, ut spatium illud totum conservetur integrum domicilio Dei & sacerdotum ejus. [9] ut eadem mensura modò attributa est sacerdotibus. [10] emphatica distinctio Levitarum, qui instaurationis tempore judicio Ecclesiæ comprobati fuerint & in ministerium recepti, eos hac sorte usuros esse. Nam alii etiam post reversionem Babylonicam recusati sunt, Hezra 2. & alii exauctorati propter scelera sua, ut Nechem. 13. quam puritatem multo ampliùs desiderari in Ecclesia Christi his verbis Propheta docet. [11] id est, janitores, cantores, & administros sacrorum agentibus in domo Dei ad sacerdotum manum: Hæc enim tria fuerunt officia Levitarum, ut monuimus sup. 40. 44. [12] in omnibus ipsorum stationibus, ubicunque legitimè præstare officia sua poterant in domo Dei. Fuerunt autem harum stationum ordines viginti, ut facile est cuivis hac ratione colligere: in domo Dei ambitus maximus unicam habebat portam, atria verò populi & Levitarum communia (quæ tria erant numero) portas ternas: sic ad Levitas in universum per decem portas ministerium pertinebat. Singulæ autem portæ sua habebant vestibula, quorum interventu bini cellarum ordines efficiebantur: sic ergo portis decem fuerunt viginti cellarum ordines in quibus Levitæ musici, janitores, & administri consistebant ad sua officia obeunda. [d] Heb. *cellis.* [13] i. urbis metropolitanæ, quæ describitur infrà 48. 15. & quinque sequentibus, & in fine ejusdem capitis. [14] ut sup. v. 1. [e] Heb. *sanctitatis.* [15] i. quia hæc regia futura est, communis omnium tribuum esto. Propterea etiam in vicos duodecim dividitur, & singulæ portæ suæ tribui assignantur, infrà 48. 31. & seq. [16] descriptio portionis ad Principem pertinentis, ut diximus sup. in v. 1. [17] id est, utrimque ab Occasu & Ortu, ut sequentia verba explicant. [18] i. illorum vicies quinquies mille cubitorum, qui Sacerdotibus, Levitis, & communi suprà fuerunt assignati. [f] *Heb. in conspectu.* [19] videl. duplicis illius portionis attributæ Principi, q. d. alas duas circumjacentes quadratum illud spatium (quod oblationem Propheta nominavit) sive duos illos tractus ab Ortu & Occasu sitos quàm longè & latè patebunt obtinebit. At latitudo quidem certa & definita est vicies quinquies mille cubitorum, prout erat latitudo oblationis quam Sacerdotes Levitæ & communitas obtinebant, a tribu Jehudæ ad tribû Binjaminis usque: longitudo verò indefinita relinquitur, quia Propheta ostendit eam utrimq; ab extremitate oblationis illius ad extremos totius terræ terminos per eamdem latitudinem vicies quinquies mille cubitorum pervenire: hoc est (ut Geometricè loquamur) aream vicies quinquies mille cubitos latam ab extremitate Orientali terræ ad Occidentalem [illegible] regionem totam dividere inter tribum Jehudæ & Binjaminis; qua in media area rectum quadrum vicies quinquies mille cubitorum ad oblationem & possessionem civitatis exceptum est; latera verò utrimque adjudicantur Principi, quacunque fuerint longitudine. [20] trium comprehensarum in oblatione. [21] qui in latere quidem Occidentali portionis principalis pertinet a mari magno ad finem Occidentalem quadri, in Orientali verò percurrit a fine Orientali quadri usque ad extremum terræ. [22] ætiologia novæ istius distributionis, [illegible] ad sequentem locum de civilibus officiis. [23] i. ademtam popularibus restituant, & restitutam servent, ut sequens versus explicat. [24] secunda hæc pars (ut antè in v. 1. diximus) propositionem summam sigillatim explicat [illegible]. Primùm enim justum & legitimum usum tum civilem, tum Ecclesiasticum hujus distributionis exponit, usque ad caput 47. deinde verò præstantiam terræ demonstrans, minutatim explanat singularem omnium sortem, ad finem usque Prophetiæ. Ac in justo quidem legitimóque usu ponuntur duo, civilis administratio, usq; ad v. 13. & Ecclesiastica, ad finem usque sequentis capitis. [25] id est, contenti estote hac portione dupla quæ attribuitur vobis. [26] quibus populum meum depulistis ex hæreditate ipsius & tyrannica violentia, & fraude, qua æquè Principi ac popularibus omnibus interdicitur, versib. sequent. [g] Heb. *justitiæ.* [h] *Levit. 19. 35. & seq.*

11 [27] Epha & Bath summæ unius esto, ut excipiat decimam [28] Chomeris Bath; & decimam
Chomeris Epha *capitis*, ad ipsum Chomerẽ esto
summa cujusque.
12 [29] Similiter *ad* siclum viginti obolorum;
vicenûm siclorum *mnmi*, vicenûm quinûm siclorum *mnmi*, quindenûm siclorum *mnmi*, [30] ipsius
minæ *summa* esto vobis.
13 [31] Hæc oblatio *esto* quam offeretis; sextam
Ephæ e Chomere tritici, similiter sextam offeretis Ephæ e Chomere hordei:
14 Statutum autem de oleo (Bathus *enim est*
mensura olei) decimā Bathi [32] e Coro *vel* Chomere decem Bathorum: nam decem Bathorum
est Chomer:
15 Parvam verò pecudem e grege, unam de
ducentenis, [33] ex irriguis *pascuis* Jisraëlitarum in
munus & in holocaustum, & in eucharistica, ad
expiationem faciendam pro ipsis, dictum Domini Jehovi.
16 Totus populus terræ [h] censentor in [34] oblatione hac; [35] cum Principe in Jisraële.
17 Nam [i] Principi incumbet *dare* holocausta
cum munere & libamine; diebus festis, noviluniísque, & sabbathis, in omnibus solennitatibus
domus Jisraëlis: ipse parato peccatum cum munere & holocaustum atque eucharistica, ad expiationem faciendam pro domo Jisraëlis.
18 Sic ait Dominus Jehovi; primo *mense*, primo *die* mensis [k] [36] accipiens *offerto* juvencum
[l] subrumum integrum; quo purges sanctuarium:
19 Accipiensq; Sacerdos de sanguine [m] [37] catharmatis hujus, indet posti domus & quatuor
angulis [38] diazomatis, altari; atque posti, portæque atrii intimi.
20 Similiter quoque facito septimo die ejusdem mensis, nomine cujusvis errore peccantis,
& nomine fatui; ut expietis domum.
21 Primo *mense*, quarto decimo *die* mensis
esto vobis Pascha: [l] festo septem dierum azymi
[n] comeduntor.
22 [39] Et parabit Princeps ipse die illo pro se
& pro toto populo terræ; juvencum peccati:
23 Et septem diebus ipsius festi, parabit holocaustum Jehovæ septenûm juvencorũ, & septenûm arietum integrorum in diem, septem diebus illis; hostiámque pro peccato hircum caprarum in diem:
24 Munus verò Epham in juvencũ, & Epham
in arietem parato; ac olei hinem in Epham.
25 [l] Septimo *mense*, decimo quinto *die* mensis
in festo illius, parato hujusmodi septem illis diebus: æquè peccatũ, æquè holocaustum, & æquè
munus, ac æquè oleum.

[27] id est, ne ullo pacto mensuras justas minuito. De Epha autem vide Exodi 16.37. de Batho verò 1. Reg. 7.26. [28] tantumdem aridorum capientis, quantum liquoris capit Corus: vide Levit. 27.16. [29] 7. una pariter esto lex nomismatis & ponderum, atque ac mensurarum; ut omnia nomismata pendentur ad justam rationem sicli, quæ hic prescribitur, ut Exod. 30.13. Hunc autem locum (utcunque interpretentur Hebræi) sic omnino accipiendũ esse ut fecimus, res ipsa loquitur: maximè quum illi minam constare dicant ex sexagenis siclis, abutentes hoc loco imperitissimè, & ignorantes ipsam scripturæ interpretationem quam demonstravimus 1. Reg. 10.17. [30] sive pondo, ut ibidem interpretati sumus ex secundi Chron. 9.16. [31] hac descriptione juris Ecclesiastici (ut diximus in vers. 9.) exponuntur officia primùm ordinariarum oblationum pro Ecclesia exhibendarum a populo & a Principe diebus profestis, festis, & solennitatibus, usque ad vers. 16. capitis seq. deinde verò leges humanorum munerum, usque ad vers. 19. ac postremò titus & locus parandis eis attributus, ad finem usq; capitis 46. sensus est, cautum quidem fuerat lege Num. 28. & 29. ut populus offerret quod ad juge sacrificium pertinebat, & ordinaria omnia; sed quia rebus præcisè minimè taxatis multa inordinatè solent evenire; propterea placuit Deo pro modo facultatum oblationes singulis imperare, ut his versibus definitur: nempe ut rei triticeæ sexagesima, oleariæ & vinariæ centesima, pecuariç ducentesima offerretur Deo. [32] de quo 1. Reg. 4.21. [33] id est, bene pastam, ac nullo vitio laborantem, Levit. 22.18. & seq. Hæc autem duo membra *ἀναλόγως* ad alia genera pertinere liquidorum & animantium aptarum sacrificiis docet versus decimi tertii comparatio. [h] *Heb. sunto.* [34] muneris, holocausti, & eucharisticorum, quæ dicta sunt præcedente V. [35] cujus oblatio definitur universè primùm sequente vers. deinde speciatim illustratur, ad finem usque capitis: ac postremò offerendi ratio Principi populóq; præscribitur, usque ad vers. 16. capitis seq. [i] *Heb. super Principem erit.* [k] *Heb. accipito: ut Exod. 25.2.* [36] apostrophe ad Principem. [l] *Hebr. filium bovis.* [m] *Heb. peccati.* [37] id est, sacrificii oblati ad purgandum sive purificandum. [38] vide suprà 43.14. Hæc autem ceremonia tota singularis est, neque docetur lege: ut sequentia multa. [l] *Exod. 23.15.* [n] *Hebr. comeditor; impersonaliter.* [39] confer cum Num. 28.19. & sequentibus. [l] *Num. 29. 12. & sequentibus.*

CAPUT XLVI.

1 [1] Sic ait Dominus Jehovi; porta [2] atrii interioris quæ spectat Orientem esto clausa
sex diebus [a] profestis: [3] die verò sabbathi aperitor, & die novilunii aperitor:
2 Ut adveniens Princeps viâ vestibuli ipsius portæ foris, consistat ad postem ipsius portæ,
dum parabunt Sacerdotes holocaustum ipsius,
& eucharistica ipsius, & postquam incurvaverit
se in limine ipsius portæ abeat; porta verò non
clauditor usque ad vesperam;
3 Ut incurvent se populus terræ ad ostium
portæ illius, sabbathis & noviluniis; coram Jehova.
4 [4] Holocaustum autem quod oblaturus est
Princeps Jehovæ; *esto* die sabbathi sex agnorum
integrorum, & arietis integri:
5 Munus verò Ephæ in arietem, & in agnos
munus [b] prout donatum fuerit manui ipsius; &
oleum hinis in Epham.
6 [5] Die autem novilunii, juvencum [c] subrumum quemque integrum; & sex agnos ac arietem, integri sunto:
7 Ephæ quoq; in juvencum, & Ephæ in arietem parato munus, & in agnos prout assequuta
fuerit manus ejus, & oleum hinis in Epham.
8 [6] Veniens autem Princeps; viâ vestibuli
ejusdem portæ venito, & eâdem viâ sua abito.
9 Sed quum veniet populus terræ ante Jehovam in solennitatibus; qui venerit viâ portæ
Aquilonalis ad incurvandum se, abito via portæ
meridianæ, & qui venerit via portæ meridianæ,
abito via portæ Aquilonem versus: non revertitor via portæ qua venerit, sed e regione illius
abeunto.
10 [7] At princeps inter eos, quum advenient,
advenito; & quum abibunt, [d] abeat ipse cum comitatu suo.
11 Denique in festis & in solennitatibus esto
munus Epha in juvencum, Ephâq; in arietem, in
agnos autem prout donatum fuerit manui ejus:
oleúmque hinis in Epham.
12 Quòd si parabit Princeps [8] voluntarium,
holocaustum aut eucharistica, voluntariè Jehovæ; tum aperiet ei *Sacerdos* portam quæ spectat
Orientem, ut faciat holocaustum suum, & eucharistica sua, quemadmodum facit die Sabbathi: posteà abibit, & claudet *Sacerdos* portam
post abitum ejus.
13 Præterea agnum [e] anniculum integrum
parato holocaustum in diem, Jehovæ; [f] unoquoque manè parato illum:
14 Et munus adhibeto ipsi unoquoque manè
sextam Ephæ, & olei tertiam Hinis ad conspergendum similam; munus Jehovæ statutis [g] perpetuis jugiter.
15 Ita parabunt agnum, & munus, & oleum
unoquoque manè; holocaustum juge.
16 [9] Sic ait Dominus Jehovi, si dederit Princeps donum alicui e filiis suis, possessio ejus est,
filiorum ipsius esto: juris ipsorum est possessione.
17 Sin autem dederit donum de possessione
sua ulli e servis suis, [10] erit quidem illius usque ad
[11] annum libertatis, quo revertetur ad ipsum
Principem: verumtamen [12] possessio ipsius est,
ipsorum filiorum ejus esto:
18 Ut non accipiat Princeps de possessione
populi, oppressione detrudendo eos de jure possessionis ipsorum, de jure suo possessionem tradet

[1] Jam exponit Deus rationes & ritus in [illegible] reddendis [illegible] bus [illegible] a Principe populóq; [illegible] dos; [illegible] suprà 43. [illegible] [2] i. interioris [illegible] erat [illegible] locaudi: vide sup. 40. [illegible] [a] *Heb. operis.* [3] i. diebus festis, synecdochicè. [4] longè amplius quàm imperabatur lege Num. 28. [illegible] [b] *Heb. [illegible] manus ipsius [illegible]* Deut. 16. 17. [illegible] inf. vers. [illegible] [5] oblationem quam imperabatur lege, Num. 28. 11. [c] *Heb. filium bovis integros.* [6] ritus accedentium domũ Dei: quo porta Orientalis atriorum Principi tantùm cum sacerdotib. & Levitis concedatur; popularib. verò tribuuntur laterales portæ. [7] i. eodem tempore adorato quo populus totus, & totũ tempus in actione sacra consumito. [d] *Hebr. abeunto, nempe ipse & comitatus.* [8] quod synecdochicè significat fuerat eucharisticorũ [illegible] sup. 45. 17. & [illegible] hujus capitis. [e] *Heb. filium anni sui.* [f] *Heb. manè manè: per [illegible].* [g] *Heb. [illegible]* [9] leges in hunc locum [illegible] ferentur de donariis Principis [illegible] erga liberos, tum erga eos qui nihil [illegible] [illegible] [illegible] sup. 45. [illegible] [illegible] [illegible] Principe [illegible] [illegible] 25. 13. [10] i. jubilæi, quo libertas [illegible] Levit. 25. [illegible] [12] i. ipsi possessionis [illegible] [illegible] percipiat donatarius.

det filiis suis: ut non dispergantur populus meus, ullus de jure possessionis suæ.

19 [13] Posteà duxit me per [14] aditum qui *est* in latere portæ; ad Sacerdotes, in cellas [h] sanctas spectantes Aquilonem versus: ubi ecce [15] locus *erat* in duobus lateribus ejus Occidentem versus:

20 Et dixit mihi, hic *est* locus ubi elixant Sacerdotes reatum & peccatum: ubi coquunt munus, ne non efferant in [16] atrium exterius [17] ad sanctificandum populum.

21 [18] Tum educens me ad atrium exterius, fecit ut transirem in quatuor angulos atrii: ecce autem [i] atrium unum in unoquoque angulo ipsius atrii.

22 In quatuor angulis istius atrii atria *erant* [k] caminata, quadragenûm *cubitorum* longitudine, & tricenûm latitudine: mensura eadem ipsis quatuor angularibus.

23 In quibus quatuor [l] [19] popina *erat* circumquaque; quæ quidem [m] focis instructa erat sub ipsis popinis circumquaque:

24 Et dixit mihi: in his *est* locus [n] poparum, ubi elixant ministri domus sacrificium populi.

[13] jam venit Propheta ad explicationem locorum in quibus parabantur sacrificia a sacerdotibus & Levitis; utrimq; projectorum extra illos centum cubitos quib. definita erant atria, ad finem usque capitis.
[14] tertiani illius atrii, quò Principi & populo ingredi nefas erat, sed Levitis solùm patebat & Sacerdotibus: de quo suprà 42. 44. & sequentibus.
[h] *Heb. sanctitatis.*
[15] i. atriola duo Sacerdotum a duabus partibus templo propinquioribus, ut aperte ostendit esse demonstrat sequentium versuum comparatio. [16] populo attributum & commune omnium: ut suprà 42.14. & 44.17. sic vers. sequente. [17] id est, quod si facerent, populum (cujus nomine sanctificati sunt ad ministerium Dei,) eadem religione sui ministerii obstringerent, ac proinde omnem ordinem perturbarent, ut suprà 44.19. de vestibus & instrumentis dicitur ea sanctificari Deo, id est, a communi usu ministerio ipsius vindicari; sic Exod. 29. 37. & 30. 29. [18] sequuntur jam quatuor Levitarum atriola ipsis attributa ad ministerium populi. [i] *Heb. atrium in angulo ipsius atrii, atrium in angulo ipsius atrii.* [k] *Heb. fumaria, sive vaporaria.* [l] *Hebr. ordo.* [19] id est, ambitus effectus coquendis sacrificiis: cujusmodi loca veteribus popinæ dicebantur. [m] *Heb. elixantibus facta.* [n] *Heb. elixantium, id est, victimariorum: σιτωνικῶν χυτῶν.*

CAPUT XLVII.

1 [1] POsteà reduxit me ad ostium [a] domus; ubi ecce [2] aquas exeuntes [a] ex inferiore parte liminis domus Orientem versus, nam frons domus Orientalis *erat*: & aquæ descendebant infernè a latere domus dextero, ab Australi parte altaris.

2 Inde educens me via portæ Aquilonem versus; circumduxit me via extima ad portam [4] extimam, viâ quæ spectat Orientem; ubi ecce aquæ [b] manabant tamquam e phiala a latere dextero.

3 Quúmque progressus esset vir ille ad Orientem cum linea in manu sua; mensus mille cubitos traduxit me per aquas illas, [5] aquas [c] talares.

4 Posteà mensus iterum mille, traduxit me per aquas illas, aquas [d] genua pertingentes: rursus mensus mille, traduxit me aquis [e] lumbos pertingentibus.

5 Eo denique menso mille, torrens *fuit* quem non potui transire quia altæ erant aquæ, aquæ enatandæ, torrens qui transire non posset.

6 [6] Quum itaque dixisset mihi, vidistíne, fili hominis? deducens me collocavit me in ripa ipsius fluminis.

7 Me autem reverso, ecce in ripa fluminis arbores magnæ valde, hinc & inde.

8 Et dixit mihi, aquæ istæ [7] procedunt in Galilæam primam, & descendunt in campestria: tum veniunt [8] ad mare, & in ipsum mare exoneratis eis [9] curantur aquæ ipsius.

9 Ita fit *ut* omnis [f] animans quæ repit, quocunque pervenient [10] flumina, vivat, & fit multitudo piscium ampla valde: nam venientibus illuc aquis istis curantur & vivunt, quæcunq; pervenit hoc flumen:

10 Fitq; *ut* stent juxta illud [11] piscatores a [12] Hengedi usque ad fontem [13] Heglajimorum, [g] locus sunt expandendis plagis: in speciem suam est multitudo piscium eorum par multitudini piscium maris magni, copiosa valde:

11 [14] Cœnosorum ejus *inquam*, & palustrium *locorum* ejus, quæ non curabantur, sali attributa erant.

12 Ad flumen autem assurgunt in ripa ejus hinc & inde omnes arbores [h] esculenti fructus, quarum folia non decidunt, & quarum fructus non consumuntur, mensibus suis [i] præstantissimos fructus edunt, quia aquæ earum ex sanctuario prodeunt: idcò sunt fructus earum cibo, & folia earum curationi.

13 [15] Sic ait Dominus Jehovi, hic terminus *est* quo possessores constituetis vos hujus terræ per duodecim tribus Jisraëlis; Josepho [16] funiculis *duobus attributis*:

14 Ut possideatis eam [k] unusæquè ac alter, quam sublata manu mea *juravi* me daturum majoribus vestris; prout acciderit terra hæc vobis in possessionem.

15 Hic ergo terminus *est* terræ: in latere Aquilonali, a [17] mari magno [18] via Chethlonis [l] Tzedadum usque:

16 [19] Chamath, [20] Berotha, [21] Sibrajima, [22] quæ *sunt* [m] inclusa termino Damasci, & termino Chamathæ; pagi [23] mediani qui adjacent termino Chavranis.

17 Ita est terminus a mari, [24] Chatzar-Henon terminus Damasci, & [n] qui maximè Aquilonalis *est*, terminus Chamathæ: atque hoc latus Aquilonale.

18 Latus autē Orientis [o] a [25] Chavrane, & a Damasco, & a Gilhade, & a terra Jisraëlis, [26] terra Jardenis, a termino *hoc* ad [27] mare Orientale metiemini: atque hoc latus Orientem versus.

[1] Hic secundus hujus loci locus (ut diximus suprà 45.1.) exponit, primùm præstantiam terræ profectam ex Dei benedictione in templo suo habitantis, usque ad vers. 13. secundò terminos totius terræ, usque ad vers. 21. tertiò rationem illius dividendæ, usque ad vers. 30. capitis sequentis: postremò formam civitatis sanctæ, in fine prophetiæ. In prophetia autem declaratio observanda hæc, primùm causa & progressus benedictionum Dei, quæ cum templo comparantur, usque ad vers. 6. deinde verò effecta, usque ad 13. [a] id est, templi. [2] significatio spiritum Dei & dona illius in Ecclesiam, quæ prima quidem specie levissima sunt & tenuissima; sed paulo post invalescunt, quod ex his de aquis gradatim ostendit Propheta, sequentibus. [3] *Heb. de sub limine.* [4] id est, claustri sive ambitus maximi. [b] *Heb. phialabant.* [5] id est, breves, in quibus plantæ duntaxat pedum mergi possent. [c] *Hebr. plantarum.* [d] *Hebr. aquas genuum.* [e] *Hebr. lumborum.* [6] ad explicationem effectorum ex benedictione Dei consequentium, per interrogationem. Sunt autem effecta duo: unum, quòd bona omnia exoriuntur, augescunt, & perficiuntur in Ecclesia virtute Dei; alterum, quòd curantur mala: ut synecdochicè ostenditur ab exemplo Asphaltitis lacus.

[7] id est, totam terram irrigant. Nam Galilæa summa est pars Judææ; campestria definiunt mediam, ubi erat Jericho, infima pars terminabatur Asphaltite lacu. [8] mortuum (ut vocant) quod nulla alia animalia, nec ullum corpus animalium recipit importatum, ut omnes uno ore testantur historici. Quamobrem scriptura mare salis & Sedomi vocat, historici Asphaltiten lacum, eo quòd nihil præter bitumen gignit. [9] id est, utiles, & salubres fiunt, quod commonstrat exegesis sequens duorum versuum. [f] *Heb. anima vivens.* [10] id est, aquæ maximè istius fluminis. [11] qui prius nunquam dederant operam Asphaltiti. [12] de quo vide Gen. 14.7. [13] qui locus est in ipso principio Asphaltitis lacus, ubi Jarden in eum influit, teste Hieronymo. Sensus est, piscatores totum illum tractum Asphaltitis lacus colunt studiosissimè, & amplissima ex eo percipient commoda. [g] *Heb. expansio ut sup. 26.1.* [14] id est, omnium locorum quæ neque fructuosa erant, neque piscosa, neque ulla arte effici poterant talia, eorum fructus est amplissimus, & multitudo piscium copiosissima. [h] *Heb. esca.* [i] *Hebr. primogenita proferunt: vide Ijob 18.13. & Jeschah. 14.30.* [15] secundum membrum de universo termino terræ sanctæ, ut diximus in versum 1. [16] vide Deuter. 32.9. de Josephi autem jure vide Genes. 48.5. & 49.22. & 1. Chron. 5.1. & sequentibus. [k] *Hebr. vir ut frater suus.* [17] id est, mediterraneo: vide Numer. 34.7. sic infrà 19. & 20. [18] id est, ab extremitate una regni Damasci ad alteram, quarum una est Chethlon Occidentem versus, cujus mentio fit infrà 48.1. altera Tzedad, de quo Numer. 34.8. ab Orientali regni Damasceni parte. [l] *Heb. ad ingressum Tzedadi.* [19] de qua Num. 13.21. & 34.8. & 2. Reg. 8.9. [20] sive Berothai, 2. Sehem. 8.8. Barathena Ptolemæo, quam in fine statuit Arabiæ desertæ. [21] alterum opidum, a Geographis Arabiæ desertæ attributum, ut adjuncta docent. [22] id est, totus ille tractus qui ad duo hæc regna pertinet. [m] *Hebr. inter terminum Damasci & inter terminum.* [23] id est, inter Chamatham & Chavranem interjecti: est enim Chavran Arabiæ desertæ opidum, quod Ptolemæus Auranam appellat: unde Chavranensis ille dux copiarum Lysimachi, 2. Macb. 4.40. [24] opidum regna Judææ, Damasci, & Chamathæ discriminans in parte Aquilonali maximè; quod etiam dicitur Chatzar-Henan, Numer. 34. 9. & 10. & infrà 48. 1. [n] *Hebr. Aquilonem ad Aquilonem.* [o] *Hebr. ab inter Chavranem, & ab inter Damascum, & sic deinceps.* [25] de quo vers. 16. [26] id est, trans Jardenem sita, in parte Israëlitico. [27] id est, mare mortuum, de quo suprà vers. 8. ut Joel. 2. 20. & Zecarja 14.8.

19 Latus

19 Latus verò Australe meridiem versus, à
[21] Thamare usq; ad [22] aquas contentionum Kaq-
deschi *latus* possessionis ad mare magnum; atq;
hoc latus meridianum Austrum versus.
20 Denique latus [p] Occidentis, mare mag-
num, a termino *hoc* usque ex adverso [2] aditus
Chamathæ: hoc latus *est* Occidentis.
21 [31] Partiemini autem terram hanc vobis
per tribus Jisraëlis.
22 Erit autem, quum sortiemini eam in pos-
sessionem; vobis & peregrinis qui peregrinantur
[q] inter vos, qui genuerunt filios inter vos, [32] cùm
sint vobis ut indigena in filiis Jisraëlis, vobis-
cum acciduntò in possessionem inter tribus Jis-
raëlis.
23 Quamobrem erit in ea tribu qua cum pe-
regrinatur peregrinus; ubi tribuetis possessio-
nem ejus, dictum Domini Jehovæ.

[1] oppido ultimo Judææ sub Engadda sive Hengedi ad Asphaltitem lacum, quod Ptolemæo dicitur Tamaro. [2] de quibus Numer. 20. sic Numer. 27. 14. [p] Heb. maris. [3] id est, itineris quo a mari mediterraneo Chamatham pergitur. [3'] tertium membrum (ut diximus suprà in ℣. 1.) de ratione dividendæ terræ: quæ ratio bifariam exponitur; primùm quidem universè, quomodo & quibus distribuenda sit, hoc capite reliquo; deinde verò sigillatim, quæ sedes quibus assignandæ, usque ad versum 30. sequentis capitis. [32] id est, accensentor vobis, & habentor pro tribulibus vestris, ut sit unum ovile & unus pastor. [q] Heb. in medio vestrûm: sic deinceps.

CAPUT XLVIII.

1 [1] HÆc autem *sunt* nomina tribuum: [a] ab
extremitate versus Aquilonem, [a] se-
cundùm viam Chethlonis, aditus Chamathæ,
Chatzar-Henanis termini Damasci Aquilonem
versus, secundùm Chamatham (hæc enim sunt
[3] ei latus Orientale & Occidentale) Dani *tri-*
bus una:
2 Juxta terminum autem Danis, a latere O-
rientali usque ad latus [b] Occidentis, Ascheris
una:
3 Et juxta terminum Ascheris, a latere Ori-
entem versus usque ad latus Occidentis, Naph-
thali una:
4 Et juxta terminum Naphthali, a latere O-
rientem versus usque ad latus Occidentis, Me-
naschis una:
5 Et juxta terminum Menaschis, a latere
Orientem versus usque ad latus Occidentis, E-
phrajimi una:
6 Et juxta terminum Ephrajimi, a latere
Orientis usque ad latus Occidentis, Reübenis
una:
7 Et juxta terminum Reübenis, a latere O-
rientis usque ad latus Occidentis, Jehudæ una:
8 Juxta terminum verò Jehudæ, a latere O-
rientis usq; ad latus Occidentis; esto [4] oblatio il-
la quam oblaturi estis vicies quinquies mille *cu-*
bitorum latitudinis, [5] longitudinis verò ut una
[6] reliquarum portionum a latere Orientem ver-
sus usque ad latus Occidentis, in cujus medio sit
[7] locus sanctus.
9 Oblatio illa quam oblaturi estis Jehovæ;
longitudine vicies quinquies mille, & latitudine
decies mille *cubitorum.*
10 [8] Horum autem erit hæc oblatio [c] sancta,
nempe sacerdotum; *ampla* [8] Aquilonem versus
vicies quinquies mille, & Occidentem versus la-
titudine decies mille *cubitorum*, & Orientem ver-
sus latitudine decies mille, versus Meridiem ve-

[a] Explicatio singularis partium tribubus assignatarum: ut diximus suprà 47. 21. quæ sortes suæ singulis tribubus ex ordine assignantur, initio facto ab Aquilonali tractu. [a] quæ sequentibus verbis per congeriem exponitur, quia copiosiùs fuerat explanata suprà 47. 15. & seq. [a] Heb. ad manum sive latus: sic deinde eodem ℣. [3] nimirum extremitati versus Aquilonem, quam totam longitudinem terræ hæc tribus per suos tractus obtinebat; quemadmodum cæteræ sequentes ex æquo habere dicuntur in sua sorte totam regionis longitudinem: est autẽ longitudo ab Orientali ad Occidentalem terminum, ex constante Geographorum usu; sic inf. 8. & seq. [b] Heb. ad mare: sic deinceps. [4] de qua sup. 45. 1. & sequentibus: cujus pars (ut ibi diximus) Jehovæ & sacerdotum esse dicitur, usque ad vers. 13. pars Levitarum, vers. 13. & 14. pars civium usque ad ℣. 20. pars denique constans ex duabus alis sive extremitatibus ad Orientem & Occidentem spectantibus attribuitur Principi, usque ad ℣. 23. [5] vide sup. in ℣. 1. [6] videlicet quæ singulis tribubus assignatæ sunt per totam longitudinem ab Oriente ad Occidentẽ. [7] i. sanctificatus Jehovæ pro sanctuario ipsius & sacerdotum habitatione, ut sequẽtes versus ostendunt & exponunt. [b] Sup. 45. [c] Heb. sanctificationis: sic deinceps. [8] i. in termino suo Aquilonali, qui porrigitur ab Ortu ad Occasum in longitudinẽ vicies quinquies mille cubitorũ: sic sequẽtia.

rò longitudine vicies quinquies mille *cubitorum*:
in cujus medio erit sanctuarium Jehovæ.
11 Sacerdotum; quisquis sanctificatus fuerit
e filiis Tsadoki, qui observarũt observationem
meam; qui non erraverunt errantibus [d] Jisraëlitis,
quemadmodum erraverunt alii Levitæ:
12 Erit, inquam, istorum collativa ex oblati-
one terræ, res sancta sanctitatum; adjacens ter-
mino Levitarum.
13 Levitarum autem, ex adverso termini sa-
cerdotum, vicies quinquies mille *cubiti* longitu-
dine, & latitudine decies mille; omnis longitudo
vicies quinquies mille, latitudo verò decies mil-
le *cubitorum.*
14 [l] [10] Non autem vendent ex eo, neque per-
mutabit *quisquam*, neque transferet primitias ter-
ræ; quia [e] sancta *est* Jehovæ.
15 Quinquies verò mille *cubitorum spatium* re-
liquum in latitudine, in fronte vicies quinquies
mille *cubitorum* [f] commune est [11] civitati ad habi-
tationem & ad suburbia; in cujus medio erit ip-
sa civitas:
16 Cujus hæ *sunt* dimensiones; latus Aqui-
lonis quater mille quingentorum, & latus Au-
stri quater mille quingentorum: & a latere
Orientis quater mille quingentorum, latus verò
Occidentis quater mille quingentorum *cubito-*
rum.
17 Sic erit [12] suburbium civitati; Aquilo-
nem versus ducentorum quinquaginta, & Me-
ridiem versus ducentorũ quinquaginta; & Ori-
entem versus ducentorum quinquaginta, ac
Occidentem versus ducentorum quinquaginta
cubitorum.
18 Et quod reliquum erit in longitudine ex
adverso oblationis sanctæ, *id est*, decies mille
cubiti Orientem versus, & decies mille Occi-
dentem versus, quod erit ex adverso oblationis
sanctæ; ejus proventus sit in cibum [13] ministris
civitatis:
19 Ut minister quisque civitatis, ex omnibus
tribubus Jisraëlis, ministrent [14] ei.
20 Totam hanc oblationem [15] vicies quin-
quies mille *cubitorum* per vicies quinquies mille
cubitos; quadratam, offeretis oblationem sanc-
tam cum justa possessione civitatis.
21 Quod autem reliquum erit Principi ab
hac & ab illa *parte* oblationis sanctæ & justæ pos-
sessionis civitatis, [16] in fronte vicies quinquies
mille *cubitorum* oblationis usque ad terminum
Orientem versus; & ab Occidente in fronte vi-
cies quinquies mille secundùm terminum Oc-
cidentis ex adverso *harum* portionum, Principis
esto; ita erit oblatio sancta, & sanctuarium do-
mus in medio illius:
22 [17] Ejusdem a justa possessione [18] Levita-
rum, justâque possessione civitatis, interjectis *pos-*
sessioni quæ Principis erit: *id quod* inter terminum
Jehudæ & terminum Binjaminis *erit*, Principis
esto.
23 Residuum verò tribuum; a latere Orien-
tem versus usq; ad latus Occidentis, [g] *tribus* Bin-
jaminis una:
24 Et juxta terminum Binjaminis, a latere
Orientem versus usque ad latus Occidentis,
Schimhonis una:
25 Et juxta terminum Schimhonis, a latere
Orientem versus usque ad latus Occidentis, Jis-
sacaris una:
26 Et juxta terminum Jissacaris, a latere O-
rientem versus usque ad latus Occidentis, Zebu-
lunis una:

[9] vide sup. 44. 15. & sequentibus. [d] Heb. filiis Jisraëlis. [l] Levit. 25. 34. [10] lex per occasionem huic loco inserta, de jure possessionis sanctæ. [e] Heb. sanctitas. [f] Heb. prophanũ: vide Deut. 20. 6. [11] regiæ & metropoli, cujus mensura vers. seq. constituitur, verò ℣. 30. & sequentibus exponitur. [12] ut sup. 45. 2. [13] i. incolis civitatis, qui omnes fratribus tribulibusque suis ad conventus Ecclesiasticos aut civiles accedentibus ministrare tenebantur, & illorum procuratores esse: quod apertè docet exegesis sequentis versus. [14] nempe Jisraëli quamobrem, ut locus evidentior esset, iteravimus verborum [illegible] vinum. [15] de hac locutione vide sup. 45. 2. [16] i. præcisè ex adverso totius latitudinis, quã tripartitam esse Deus in sacerdotes, Levitas, & cives. [17] i. quicquid utrinque superest in longitudine, sibi [illegible] oblationis sanctæ per longum illud spatium vicies quinquies mille cubitorum quod interjectum inter duas tribus, Jehudæ & Binjaminis [illegible] [illegible] ad fratres reliquos. [18] [illegible] Levitarum [illegible]

27 Et

27 Et juxta terminum Zebulunis, a latere Orientem versus usq; ad latus Occidentis, Gadis una:
28 Et juxta terminum Gadis, ad latus Australe meridiem versus; ibi erit terminus à Thamare, ad aquas contentionis Kadeschi, ad [20] torrentem, ad mare magnum.
29 Ista est terra quam sortiemini inde a torrente, pro tribubus Jisraëlis; & istæ sunt distributiones earum, dictum Domini Jehovi.
30 [21] Hi autem sunt exitus civitatis; a latere Aquilonis, quater mille quingentorum cubitorum mensura.
31 Portæ verò civitatis de nominibus tribuum Jisraëlis erunt, portæ tres Aquilonem versus; porta Reubenis una, porta Jehudæ una, porta Levi una;
32 Et in latere Orientem versus cubitorum quater mille quingentorum, similiter portæ tres; nempe porta [22] Josephi una, porta Binjaminis una, porta Danis una:
33 Et lateris Austrum versus, quater mille quingentorum cubitorum mensura, & portæ tres; porta Schimhonis una, porta Jissacharis una, porta Zebulunis una:
34 Lateris Occidentem versus quater mille quingenti cubiti, quorum portæ tres: porta Gadis una, porta Ascheris una, porta Naphtali una.
35 Ambitus decies octies mille cubitorum: nomen verò civitatis a deinceps futurum est, ibi Jehova.

[19] vide suprà 47.19. [20] Schichorem, de quo Jehoschuæ 13.3. [21] quartum membrum, de constitutione urbis sanctæ: ut dictum est sup. 47.1.

[22] i. Ephrajimi & Menaschis conjunctim. Nam Levi portam unam obtinere dictum est v. 31. ut conventum quoque Ecclesiasticorum & consilii ibidem esse commoditas. a Heb. ab hodie.

DANIJEL.

ARGUMENTUM.

LIBER *Danijelis ex parte rerum gestarum historias continet usque ad caput 7. ex parte verò gerendarum rerum prophetias. Ac in rebus quidem gestis habentur singularia tum pietatis ipsius sociorúmque documenta, tum verò fidei in Deum constantissimæ & invictæ a malis omnibus, donorúmque mirabilium, ex quibus Danijel somnia oblivioni tradita in memoriam revocavit, obscura explicavit, & scripta ignota legit atque interpretatus est. In prophetia verò illustria exstant monimenta & certissimæ circumscriptiones temporum, quibus Christus Deus in carne patefactus est & consummatum mysterium redemtionis nostræ: in cujus boni exspectatione Danijel, ne Ecclesia Dei malis obsessa fatisceret, historiam singularem & accuratissimam prædicit rerum in Ecclesia gerendarum ad Christi adventum usque: & perpessiones gravissimas Ecclesiæ non tantùm prædictione, præmonitionibúsque levat; sed etiam consolationibus & certa fiducia promissionum Dei cùm ad temporariam, tum ad æternam liberationem in Christo pertinentium.*

CAPUT PRIMUM.

Danijel cum sociis deportatus in Babyloniam Regis cibario recusat vesci, ne contra legem Dei & conscientiam impuretur: itaque parcè triennium educatus, a Deo benedicitur tum corporis elegantia, tum donis spiritalibus: & a Nebucad-nezare in ministerium aulicum adsciscitur.

1 ANNO [1] tertio regni Jehojakimi Regis Jehudæ, [2] venerat Nebucad-nezar Rex Babyloniæ Jeruschalaima, & obsederat eam:
2 Quúmque tradidisset Dominus in manum ejus Jehojakimum Regem Jehudæ, & [4] partem instrumentorum domus Dei [5] quos deportavit in terram [6] Schinharis in domum [7] Dei sui: instrumenta verò illa exportavit in thesaurum Dei sui.
3 Edixerat etiam Rex Aschpenazo præfecto aulicorũ suorum; ut exportaret e filiis Jisraëlis tum ex semine regio, tum ex proceribus,
4 Pueros quibus nullum inesset vitium, & [a] elegantes aspectu, & intelligentes [b] omnis sapientiæ, præditósque notitia, & instructos intelligentia, & [8] quibus inesset facultas, [9] constituros in palatio Regis; útque doceret eos literas & linguam Chaldæorum;

[1] Desinente videlicet tertio, & ineunte quarto: ut notatur Jirmejæ 25.1. [2] id est, expeditionem in Babylonia instituerat anno tertio desinente, atque deinde quarto prout Jirmeja prædixerat) obsederat Jeruschalaima. [3] Magnus historicis dictus, prioris Nebucad-nezaris filius, quia Parthiae Necone successitus, Jirmejæ 46.2. Syriam pervasit, & Judæam (quam Parthus tributariam fecerat) occupavit. [4] Nam altera pars providentia Dei conservata est in domo ipsius, quæ partim ad tempora usque Jechojæ deportati, partim ad eversionem usq; oppidi apud Judæos mansit: vide Jirmejæ 27. 18. & sequentibus.

[5] nempe Regem & Jehudam populum ipsius. [6] vide Genes. 10.10. [7] Beli (ut probabile est) maximi Dei Babyloniorum de quo vide Jeschah. 46. 1. [a] Heb. bonos. [b] Hebr. in omni intelligentia cognoscentes notitiam, & intelligentes cogitationem. [8] exegesis vocũ præcedentium, q. d. non quidem omnia illa jam eo tempore adeptos, sed qui ingenio valerent, & apti ad ea capienda & continenda animo viderentur; denique optima indole essent & valere putarentur industria. [9] ministraturos Regi, ut seq. versu: quod prædixerat Jeschahja 39.7.

5 Et

c Hebr. rem diei die suo: ut Exod. 5.13.
d Hebr. a fine illorum[illegible] infrà vers. 18. & 18.
a a ex [illegible] tyrannorum, quemadmodum Pharaone primum fuisse observatum legimus Gen. 41.45. tum ut dissimularent nomina captivorum, cætera, & exosarum gentium, vel ut abductos a Dei sui & populi recordatione, diis suis & sibi (quantum in ipsis erat) administros suos obstringerent: ut ostenditur infrà 4.8.
1 1 sensus est, sed quum Danijel animadverteret inde a principio ex mutatis nominibus, nihil aliud tentari per Babylonios, quàm ut agnitionem Dei veri & populi sui abjicerent, & malorum consuetudine occallescentes in omnem impietatem delaberentur; injuriam quidem mutati nominis pertulit quam non poterat corrigere: sed quantum in ipso fuit, sanctè & liberè professus est se ex animo abhorrere a rebus impuris & earum specie, ac proinde opere ab eis abstenturum esse.
e Heb. ponens Danijel in corde suo.

5 Et constituerat Rex eis c demensum diei
cujusque in diem quemque de portione cibi regii & ex vino potionum ejus; quo educaret eos
annis tribus: ut d exactis illis consisterent coram Rege.
6 Fuit autem inter hos e filiis Jehudæ; Danijel, Chananja, Mischaël, & Hazarja:
7 Quibus imposuit princeps aulicorum
nomina: imposuit enim Danijeli nomen Beltschatzaris, & Chananjæ Schadraci, & Mischaëli
Meschaci, ac Hazarjæ Habednegonis.
8 11 Sed e statuens Danijel cum animo suo,
ut non 12 contaminaret se portione cibi regii &
vino potionum ejus; 13 requisivit a principe aulicorum, ut non contaminaret se:
9 Et f 14 conciliavit Deus Danijeli benignitatem & misericordiam; coram principe aulicorum.
10 Dixit enim princeps aulicorum Danijeli,
15 timeo Dominum meum regem, qui constituit cibum vestrum & potiones vestras: nam quare videret facies vestras 16 mœstiores quàm puerorum g qui similiter ut vos ad tempus alendi sunt, & efficeretis me reum capitis apud regem?
11 17 Dixit itaque Danijel ipsi promo; quem
præfecerat princeps aulicorum Danijeli, Chananjæ, Mischaëli, & Hazarjæ,
12 Proba quæso servos tuos diebus decem;
h dentúrq; nobis de leguminibus quæ comedamus, & aquæ quas bibamus;
13 Deinde inspiciantur coram te i vultus nostri, & vultus puerorum qui comedunt portionem cibi regii; & prout videris, age cum servis tuis:
14 Qui auscultans eis in re hac, probavit eos
diebus decem.
15 Exactis autē diebus decē, apparuit vultus
eorum 18 elegans, ut pinguiū carne; præ omnibus pueris qui comedebant portionem cibi regii;
16 Itaque k perrexit promus ipse tollere portionem cibi ipsorum, vinúmque potionum ipsorum; & dare ipsis legumina.
17 Interea pueris istis quatuor dedit Deus
notitiam & intelligentiam in omnibus literis & sapientia: Danijelem verò peritum reddidit in omni 19 visione & somniis.
18 Quapropter exactis diebus illis, quibus
edixerat Rex ut adducerent eos; quū adduxisset eos Princeps aulicorū corā Nebucad-netzare;
19 Et alloqueretur eos Rex; non est inventus
ex omnibus his par Danijeli, Chananjæ, Mischaëli, & Hazarjæ: 20 steterúntque coram Rege.
20 Omnibúsq; in l rebus ad peritiam intelligendi pertinētibus, quas requirebat ab eis Rex, inveniebat eos m decuplo superiores omnibus Magis & Astrologis qui in toto regno ipsius erāt.
21 21 Sic fuit Danijel usque ad annum primum Cyri regis.

12 quod fuisset facturus si comedisset de cibario ipsis attributo: tum quia multa comedebant Babylonii interdicta ex lege, Levit. 11. & Deut. 14. tum quia ne illa quidem quorū usus permittitur lege integra erant apud Babylonios aut ab impuritate aliqua & vitio quod vetuerat lex, aut a superstitione & idololatria: prout Babyonii ac reges maximè ante cibum suū habebant prothymata, & laudabant deos suos infrà 5.4. aut denique sine offensa infirmiorum gustari poterant quam religionem Cæcilius apud Minutium Christianis exprobrans, præcerptos, inquit, cibos & delibatos altaribus potus abhorretis. 13 id est, modestà & legitima ratione cum præfecto agens prospexit conscientiæ suæ. f Heb. dedit Deus Danijelem benignitati & misericordiæ coram illo: ut Psal. 106. 46. 14 id est, quamvis Deus animum præfecti eò non adduxerit ut ipse apertè concederet & præstaret illud quod a Danijeli petebatur; flexit tamen animum illius, ut ita ad factum conniveret quasi clam & imprudente ipso gereretur. Ac propterea non negat quidem, sequente versu; sed periculum a se graviter metui ostendit; proinde verò se iniquo animo minimè laturum esse, modò fiat sine suo periculo. 15 quasi dicat, annuerem nisi me deterreret metus: quamobrem per me licebit, modò me ab hoc metu liberum præstetis. 16 id est, deformiores, ut sunt hominum indignantium & mœstorum vultus: ut Genes. 40.6. g Hebr. qui secundum revolutionem vestram sunt, i. pariter ut vos educandi sunt triennium, & eo evoluto sistendi coram Rege. 17 quum videlicet Danijel perciperet rem non esse curæ præfecto, modò ne periculum crearetur ipsi. h Hebr. dentur, impers. similiter. i Hebr. aspectus. 18 i. nitido colore præditus, ac minimè omnino macilentus; sed ita constitutus planè ut si curati fuissent optimè, ex promissione Prov. 13.25. 19 omni propheticarum genere: vide Num. 12.6. k Heb. fuit tollens, & c. & dans, & c.

20 i. delecti fuerunt qui Regi in aula ipsius ministrarent: ut sup. v. 4. quo in ministerio fuisse acceptissimos docetur versu seq.
l Heb. rebus sapientiæ intelligentiæ. 21 i. in existimatione & dignitate eminuit in regibus Babyloniæ usq; ad illud tempus, de quo infrà capite 6. m Heb. decem partibus supra: Sebem. 12. 21.

CAPUT II.

Nebucad-netzar oblitus somnii quod sibi Deus obtulerat, a Chaldæorum consilio somnium suum cum interpretatione sibi proferri jubet: quod quum illi non possent, rex eos trucidari jubet: Danijel verò, quum judicatum cœpisset fieri, causam rei cognoscens, dilationem a Rege impetrat; Deum cum sociis & Ecclesia orans somnium interpretationémque [illegible], Regem de consilio Dei certiorem facit, & [illegible] quatuor tempora [illegible], in quibus populus Dei [illegible], donec Christus advenerit Rex sempiternus. [illegible] Rex [illegible] honoribus Danijelem prosequitur [illegible] ab ipso reprehenditur, & ipsum cum sociis ornat dignitatibus amplissimis.

1 ANnó autem 1 secundo, 2 *nempe* regno Nebucad-netzaris, somniavit Nebucad-

1 Unde hic numerus sit incipiendus, plurimùm ambigitur: nam alii principium numeri istius ducunt ab anno illo primo, cujus facta est mentio capite præcedente, & statuunt somnium hoc cōtigisse, postquàm Nebucad-netzar superato Necone & Jehojakimo recepto in fidē suā reversus est in Babyloniā; atq; ita sine distinctione has voces cōjungendas putant, *anno secundo regni Nebucad netzaris*: quod interpretationis genus tū Hebræi contextus distinctionib. confutatur, tum etiam ratione temporis quod in pueris instituendis imperatū & consumptum fuisse dicitur sup. 1. 5. & 18. alii secundum annum ex eo tempore numerari putant, quo Nebucad-netzar magnus [illegible] imperium obtinuit: historiam verò prioris capitis gestam fuisse tradunt, quum viva Nebucad-netzare patre filius [illegible] regno [illegible]. Ac [illegible] quidem Berosi verbis ostēdit libro primo contra Apionem, Nebucad-netzare patrem vita defunctum esse quum Nebucad-netzar filius expeditionem in Ægyptum suscepisset, quam expeditionē fuisse omnium ultimam demonstravimus Jechezk. 30.1. & inde audito patris obitu & cōstituta Ægypto filium Babyloniam repetivisse, ut iniret regnum: quæ sententia etsi in speciem videtur discrepare, re ipsa tamen est eadem cum Josephi interpretatione, qui libro Antiquitatū Judaicarum 10. cap. 11. scribit exacto biennio post Ægypti populationem hoc somnium Nebucad-netzari oblatū esse. Nam si ad rem penitius attendamus, constabit planè eundē fuisse annum quo Nebud netzar expeditiones terminavit & suscepit regnum: nos itaq; posteriorem quidem interpretationem hanc priori omnib. modis anteponimus, quia tolerabilis est, & cū ratione temporum conveniens: sed tamen certa sunt capita quæ in hac interpretatione cogimur desiderare. Primùm enim negligitur distinctionum Hebraicarū ratio, ut in altera interpretatione: deinde verò non dubitamus quin ante reversionem illam ultimam Nebucad netzaris & gloriosam monarchiæ constitutionē per multos annos celeberrima fuerit Danijelis fama tum propter dignitatem precum ejus, tum propter sapientiam admirabilē. Nam dignitatem sanctarum orationū ejus, & precum quas fudit corā Deo pro salute aliorum, celebrari a Jechezkele Propheta legimus cap. 14. 14. & sequentib. quod caput ante eversa Jeruschalaima fuit propheticū: gloriam verò apud omnes exteros sapientiæ nomine fuisse amplissimam ostendit idem Jechezkel 28. 3. quàm prophetiam Jechezkel conscripsit ante annos minimū sexdecim quàm Nebucad-netzar ab expeditionibus discedens in Babyloniam reverteretur: hos verò locos de Danijele a Propheta dictos non fuisse per prædictionē, sed in exemplum rei jam antè gestæ & [illegible] adductos judicabunt facillimè quicunq; argumentum Prophetæ & adjuncta exempla perpenderint. Quamobrē nos Hebraicā distinctionem [illegible] mus retinendā hoc loco, & annum secundum ex eo tempore numerandum quo pueri quatuor adducti ad Regem steterunt coram eo, sup. 1. 18. & 19. quia versus ultimus nihil est aliud quàm [illegible] & [illegible] hanc ad confirmationē vers. 20. præcedentis capitis adhibitam [illegible] camus: nàm hoc exemplum peritiam primùm Danijelis, precibus & [illegible] demonstrat: sequentis verò capitis exemplū peritiam, & pietatē simul sociorum ejusque omnia [illegible] sup. 1. 17. & sequentib. [illegible] bus exemplis cōprobantur: atq; hoc quidem genus confirmandi [illegible] onēs ab exemplo aliquo singulari in scriptura petitū frequenter [illegible] vavimus. 2 hæc verba [illegible] fuerunt adjecta ad [illegible] phiboliam, ut ostendat propheta non esse hunc numerū secundarium [illegible] gendū cum primo proximè præcedentis versus (quem versum per [illegible] diximus esse [illegible] capitū sequentium) sed cum aliis [illegible] tibus, q. d. secundū annū hunc non a tempore Cyri, qui proximè [illegible] est, numerari volo; sed ab eo tēpore quo pueri corā Rege [illegible] Nebucad-netzar filius regnaret unà cum patre, & quiescē in Babylonia degeret, nondū secūdò defectione Jojakimi provocatus ad capessendū bellum

netzar

netzar [3] somnia; [4] quibus consternavit se spiritus
ejus, [a] [5] quum adhuc somnum caperet.
2 Quapropter edixit Rex, vocari [6] magos,
[7] astrologósque, & præstigiatores, [8] Chaldæos
denique ad indicandum Regi somnia ipsius;
qui venientes steterunt coram Rege.
3 Et dixit eis Rex, somniū somniavi; & consternavit se spiritus meus *sollicitus* de cognoscendo somnio.
4 Dixerunt autem Chaldæi Regi [9] Syrè: ô
Rex [10] in secula vive, dic somnium servis tuis,
tum interpretationem indicabimus.
5 Respondens verò Rex dixit Chaldæis,
[11] verbum a me abiit: nisi notum feceritis mihi
somnium & interpretationem ejus, [b] in membra
laniabimini, & domus vestræ [c] in sterquilinium
redigentur:
6 Sin autem somnium & interpretationem
ejus indicaveritis, dona [12] cum honorario &
gloriam multam recepturi estis [d] a me: itaque
somnium & interpretationem ejus indicate
mihi.
7 Respondentibus secundò ac dicentibus;
Rex somnium dicat servis suis, tum interpretationem indicabimus:
8 Respondit Rex dicens, [e] verè agnosco vos
[13] tempus redimere; quandoquidem videtis
abivisse a me verbum.
9 [14] Quia si ipsum somnium notum non feceritis mihi, una hæc *est* sententia vestri, ideò
verbum mendax ac corruptum comparatis vos
ad dicendum coram me, usq; dum tempus mutetur: itaq; somnium dicite mihi, ut cognoscam
vos interpretationē ejus indicaturos esse mihi.
10 Responderunt Chaldæi [f] Regi, dicentes,
[15] non est quisquam in [g] terra qui verbum Regis
possit indicare; propterea nullus Rex, princeps,
aut dominator verbum hujusmodi petiit ab ullo
mago, astrologôve, aut Chaldæo.
11 Nam verbum quod Rex petit tam pretiosum est; ut alius non sit qui indicare ipsum possit
Regi: sed dii [16] quorum habitatio cum carne
non est.
12 [17] Propter hoc Rex in ira & fervore magno; edixit [h] perdi omnes sapientes Babyloniç.
13 Quúmque sententiâ profectâ sapientes
interficerentur; quærebant etiam Danijelem
& socios ejus ut interficerentur.
14 Tunc Danijel [18] retulit consilium & causam Arjoco præfecto satellitum Regis, qui profectus erat ad interficiendum sapientes Babyloniæ:
15 [19] Respondénsque dixit Arjoco dominatori regio, [20] quare sententia ista [i] accelerare
exsequutionem a rege? tunc [21] verbum hoc notum
fecit Arjoc Danijeli.
16 Itaque Danijel ingressus petiit a Rege; ut
tempus daret sibi, & interpretationem se indicaturum *promisit* Regi.
17 Tunc Danijel domum suam profectus est;
[22] & Chananjæ, Mischaëli, & Hazarjæ sociis
suis verbum notum fecit:
18 Et misericordiam petendam esse a Deo
cæli super arcano isto, ut non perirent Danijel & socii ipsius cum reliquis sapientibus Babyloniæ.
19 Tunc Danijeli visione [k] nocturna arcano
revelato; tunc, *inquam*, Danijel benedixit Deo
cæli.
20 Respondens Danijel dixit, [23] sit nomen
Dei benedictum a seculo usq; in seculum: [24] nam
sapientia & potentia ejus est:
21 Et ipse [25] mutat tempora & tempestates,
transfert reges & constituit Reges: dat sapientiam sapientibus, & scientiam [l] scitis & intelligentibus:
22 Ipse revelat profunda & abscondita: novit quod in tenebris *est*, & lux cum eo habitat.
23 Tibi, ô Deus patrum meorum, gratias ago, & laudo ego *te*, qui sapientiam & [26] potentiam dedisti mihi: jam enim notum fecisti mihi
quod quærebamus a te, quum [27] verbum Regis
notum fecisti [28] nobis.
24 Propter hoc Danijel ingressus est ad Arjocum, quem constituerat Rex ad perdendum
sapientes Babyloniæ: & veniens ita dixit ei, sapientes Babyloniæ ne perdas, introduc me coram Rege, ut interpretationem Regi indicem.
25 Tunc Arjoc [m] festinantissimè introduxit
Danijelem coram Rege; & ita dixit ei, [n] invéni
[29] virum ex [o] deportatis Judææ, qui interpretationem Regi notam facturus est.
26 Respondens Rex dixit Danijeli, cujus nomen *erat* Beltschatzar; ésne præditus facultate
ut notum facias mihi somnium quod vidi, & interpretationem ejus?
27 Respondens Danijel Regi dixit; [30] arcanum quod Rex petit non sapientes, astrologi,
magi, [31] haruspices possunt indicare Regi:
28 Sed est Deus in cælo revelans arcana, qui
notum facit Regi Nebucad-netzari id quod futurum est [p] consequentibus temporibus: somnium tuum cum visionibus capitis tui incumbentis cubili tuo [32] illud est.

3 id est, somnium unum multiplex, quod deinceps enarratur vers. 31. & seq. 4 vide Genes. 40.6. a Hebr. cùm somnus ejus fieret in ipso. 5 id est, etiam tum incessit animam ejus consternatio tanta, ut ne ipsius quidem somnus tranquillus esset. 6 id est, doctores & peritos damnabilium disciplinarum, qui, Chaldæis & Aegyptiis denotantur hac voce ex appellatione styli; ut Hebræi doctores appellant scribas. 7 quos Hebræi ex eo nominant quòd cælum crepusculi tempore observarent: veteres corrupta voce Græciophantas pro Recinphantis, id est, expansi observatores nominarunt: sic enim legendum apud Plinium lib. 6. natur. hist. cap. 26. 8 id est, divinos omnes: nam disciplina Chaldæorum vocatur divinatio, teste Cicer. in libris de divinat. quamobrem posteà Chaldæi nominantur generatim omnes, vers. 4. & seq. 9 id est, sermone Babylonico: nam Babyloniam fuisse olim comprehensam in Syria testantur Strabo & Plinius.

10 precationis formula, qua divini omnes blandè & impiè id exoptant Regi quod Dei unius est, & hac ratione captant benevolentiam ejus: sic infra 3.9. & 5.10. aut certè longævam vitam precantur ipsi, ut fecit Danijel 6.22. 11 i. excidit mihi e memoria somnium. b Chald. membra efficiemini. c Chald. sterquilinium disponentur. 12 id est, sportula & præmio divinorum ordinario, quod ipsis tribuitur divinationis causâ. Hîc enim spectat Chaldaicæ vocis notatio. d Chald. a coram me: sic deinceps. e Chald. ex firmo. 13 id est, diem diffindere, ut consumatur tempus & vobis detur effugiendi occasio. 14 exegesis præcedentis versus: videtis, inquit Rex, statam esse sententiam meam de vobis; idcircò laboratis in protrahendo & fallendo tempore: sed agite, jam non est tergiversandi locus, dicite somnium, &c. f Chald. coram Rege: sic deinceps. 15 excusatio hęc tribus argumentis nititur: primum est ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, non esse hoc penes hominem: secundum, ab exemplo, nunquam visum vel auditum esse exemplum Regis qui hoc a divinis postulaverit: tertium præcedentium duorum ætiologicum, a natura Dei, quòd hoc ad divinam tantùm naturam fatentur pertinere. g Chald. arida. 16 id est, qui sunt puri spiritus, ab omni carnis involucro & infirmitate liberi. 17 quia Regis postulato non satisfaciebant & exspectationi ipsorum, & quia regem non obscurè tyrannicæ novitatis reprehendebant, qui res inauditas & planè divinas ab ipsis exigeret. h Chald. perdere. 18 i. communicavit placidè consilium, causis expositis quibus differri erat necesse exsequutionem sententię. Videtur autem ex hoc loco Danijel cum sociis a conventu illo abfuisse, neq; vocatus fuisse duab. de causis: tum quia hic juvenis erat, & tamquam prolyta aliorum comparatione, qui jam diu magisterium in schola Babylonica fecerant, & pro exercitatissimis ac peritissimis doctoribus jam olim habebantur; tum etiam quia non dubium est quin Chaldęi indigenæ hunc honorem accedendi regis hominibus exteris inviderint.

19 ad sermonē Arjoci, indicantis sententiam a Rege latam de Magophonia. 20 id est, nónne posset differri & rejici in aliquod tempus cruenta hæc exsequutio, si spes fieret Regi exponendi somnium & interpretationem illius? nam quod Rex mandavit, ideò mandatum est quòd alii se neutrum posse confitentur: nos verò si Regi placuerit, intra certum tempus somnium & interpretationem prolaturos esse confidimus. i Chald. accelerat a coram rege. 21 i. consilium de adeundo Rege, quod Danijel fecisse dicitur seq. versu. 22 nam horum preces sanctè adhibuit Danijel, & fructum earum agnoscit, posteà vers. 23. & 36. k Chald. noctis. 23 breve hoc canticum est eucharisticum, quo primùm laudatio nominis divini proponitur, hoc vers. deinde narrantur laudationis causę duę, sapientia & potentia ejus, duobus versibus, ac postremò conclusio ponitur a singulari & præsente beneficio per apostrophen ad Deum, V. 23. 24 propositio causarū proleptica, quę duobus versibus deinde exponitur ὕστερον πρότερον. 25 his verbis respicit Danijel ad argumentū somni de temporibus regnorū & mutationibus, & ad donum somniorum visionúmq; propheticum. l Chald. scientibus intelligentiæ. 26 i. facultatem & prærogativam cognoscendę hujus admirabilis sapientiæ. 27 i. negotium. 28 i. meis, & sociorum meorum, ac Ecclesiæ precibus: vide sup. in vers. 17. m Chald. in festinatione, sive conturbatione. n Chald. quod inveni; pleonasmus. 29 i. Danijelem. Ex his autē Arjoci verbis & sequentibus Nebucad-netzaris apparet Danijelem adhuc fuisse hominem novum, cui nondum magna conciliata esset auctoritas: ac proinde his verbis nostram interpretationem confirmari quam in vers. 1. adduximus. o Chald. filiis deportationis. 30 hoc Danijelis responsum duo in universum continet, exordium, versib. quatuor, & narrationem, a V. 31. ad 46. Exordii autem partes duæ sunt: primum enim universè affirmat Danijel non humanas esse, sed divinas revelationes hujusmodi; quas neq; sapientes arte divinare, neque Rex ipse cogitationibus consequi potuerit, sed Deus solus gratiosè cōmunicet, trib. versibus: deinde verò eodem argumento facultatē divinationis istius sibi abjudicans, & Deo gloriā cedens, finē revelationis istius ostendit, V. 30. 31 i. agones & victimarii, qui ex harugis, id est arietibus & victimis sectis, futura prædicebant; unde Chaldęis sectores appellantur: vide Jechezk. 21.26. p Chald. in consequentia dierum. 32 id est, eo argumento est, & illud ipsum significat quod futurum est consequentibus temporibus, prout tu ipse cogitationibus tuis anticipaveras, & Deus suggessit tibi, versu sequent.

19 Tibi

q *Chald. ascendebant.*
33 id est, non propter me aut ullam dignitatem quæ insit mihi, sed propter populum & Ecclesiam suam quam habes in imperio tuo.
34 id est, Judæorum & totius Ecclesiæ Dei, cujus precibus tradita est somnii & interpretationis revelatio: qua etiam ratione Dominus suis in AEgypto consulue-rat, Gen. 41.
35 id est, ut animadvertas sollicitè quid cogitandum, statuendum, faciendúmque tibi sit in posterum erga Ecclesiam Dei.
36 narratio bimembris exponens somnium, versibus quinq; , & somnii interpretationem, usque ad versum 46.
37 per somnium, ut apparet ex vers. 1. & sequentibus.
r *Chald. videns fuisti: sic vers.* 34.
38 typus mundanæ administrationis, quæ perduravit, etsi per membra varians, usque ad adventum Christi.

29 Tibi, ô Rex, cogitationes tuæ incumbenti cubili tuo [q] obvenerant quid futurum sit posthac: & revelans arcana ostendit tibi id quod futurum est.

30 *De* me autem, [33] non per sapientiam quæ sit in me præ omnibus viventibus arcanum istud revelatum est mihi; sed propter causam [34] *eorum*, qui interpretationem Regi notam facturi sunt, [35] ut cogitationes cordis tui cognoscas.

31 [36] Tu, ô Rex, [37] [r] vidisti, quòd ecce [38] imago una magna, imago ista [39] ampla, & splendore excellente stabat ex adverso tui; cujus [s] forma terribilis *erat*.

32 Istius imaginis caput *erat* ex auro [t] præstante, pectus ejus & brachia ejus ex argento; venter ejus & latus ejus ex ære:

33 Crura ejus ex ferro, pedes ejus [u] partim ex ferro & partim ex luto.

34 [40] Vidisti, usque dum [41] excisus est lapis qui non *est* in *ullis* manibus, & percussit imaginem ad pedes ipsius ferreos & luteos; adeò ut comminueret eos.

35 Tunc comminuta sunt pariter ferrum, lutum, æs, argentum, & aurum, fuerúntque ut gluma ex areis æstivis, ita abstulit ea ventus, & nullus locus inventus est eis: lapis autem qui percusserat imaginem, effectus est mons magnus, adeò ut impleret totam terram.

36 [42] Hoc *est* somnium illud, cujus interpretationem [43] dicemus coram Rege.

37 [44] Tu, ô Rex, [45] Rex Regum: cùm Deus cæli regnum, potentiam, firmitatémque, & gloriam [46] det tibi,

38 Et [47] quibuscunque *locis* habitant filii hominum, bestiæ agri, & aves cæli, *ea* det in manum tuam, & dominatorem constituat te in omnibus illis; [48] tu *inquam* es [49] caput illud [50] aureum.

39 Posteà autem exsurget [51] regnum alterum [52] humilius tuo; & [53] regnum tertium aliud æneum, quod dominabitur in tota terra.

39 omnia hæc imaginis istius epitheta pertinent ad ostendēdam amplitudinem, gloriam, & majestatem tyrannicam regnorum quæ per mēbra illius adumbrata sunt. s *Chald. aspectus.* t *Chald. bono.* u *Chald. ex ipsis ferri, & ex ipsis luti: sic infr.* 41. 40 nimirum stantem imaginem. 41 e monte, infrà V. 45. 42 transitio ad interpretationem, ut diximus in versum 31. 43 non ego solùm, sed socii mei & tota Ecclesia verbis meis: vide suprà 17. & 30. 44 prætersilit quidem hoc loco Danijel interpretationem versus 31. quia satis visum est membra singularia explicari: sed tamen hoc & sequent. versu paulò copiosius declarat amplitudinem, splendorem, & terribilem constitutionem regni Babylonici, ut idem de regnis sequentibus intelligatur ἀναλόγως. Exponit igitur his duobus versibus primam partem somnii, quæ habetur in principio versus 32. 45 vide Genes. 9.25. 46 hoc verbum & sequentia placuit præsente potius reddere quàm præterito, quia certum est in hac quoque parte demonstrasse Deum id quod futurum erat; quasi dicat Danijel, jam his paucis annis Deus te secundavit plurimùm, qui AEgyptium cecidisti, Syriam occupasti, Judæam tributariam effecisti, & imperium permagnum obtines: sed tamen adhuc versatur Dominus in eadem cogitatione conservandi & ampliandi regni tui, & ita eventurum est; quemadmodum prædixerat Jirmeja 25. & 27. ac proinde dignitas tua Deo auctore cum aureo capite comparatur. 47 videlicet regionum istarum & finitimarum: quo modo universales particulas in scriptura synecdochicōs accipi omnibus notum est; ut Genes. 41. 54. 48 cum tuis successoribus; per synecdochen: nam in singulari hac membrorum interpretatione non unus tantùm Rex, sed continens Regum in uno regno series intelligenda est appellatione regni: sic sequent. versu. 49 id est, regnum primum temporum ordine, ut caput in statua primas obtinet. 50 id est, felix & tolerabile populo Dei, si cum aliis comparetur. 51 figuratum pectore & brachiis argenteis, suprà 32. Est autem hoc Persarum regnum, cujus duo fuerunt summi populi, tamquam brachia illius regni, nimirum Medi & Persæ, prout nominantur Jeschah. 21.2. 52 id est durius, & deterius, ac minus tolerabile, quàm sit hoc tuum regnum: quamobrem ex argento futurum dicitur, suprà vers. 32. 53 id est, imperium Græcorum, quod Alexander magnus Dario victo comparavit, adumbratum ventre & latere ex ære.

40 [54] Denique regnum quartum erit [55] durum ut ferrum: quandoquidem ferrum comminuit & debilitat omnia; [56] etiam sicut ferrum quod confringit [57] omnia ista, comminuet, & confringet.

41 [58] Quod autem vidisti [59] pedes & digitos partim ex luto figuli & partim ex ferro, regna [x] [60] diversa erunt in quibus de firmitate ferri futurum est: quandoquidem vidisti ferrum mixtum cum luto cœnoso.

42 Et digiti pedum, partim *sunt* ex ferro & partim ex luto: *quia* ex parte regnum futurum est [61] durum, & ex parte futurum est fragile.

43 Quod *verò* vidisti ferrum mixtum luto cœnoso, [62] commiscebuntur *quidem* inter se semine humano, sed non cohærebunt [y] aliud cum alio: perinde ac ferrum non hæret commixtum cum luto.

44 [63] Temporibus autem [64] Regum istorum

54 quartum hoc genus imperii quàm variè interpretentur multi, nemo est qui nesciat. Alii enim ad quatuor monarchias duraturas ad consummationem usque seculi locum hunc putarunt pertinere; alii ad monarchias quidem illas retulerunt, sed usque in priorem adventum Christi, & in earum numero Romanam rempublicam cum imperatoria majestate conjunxerunt. Ac priorem quidem sententiam patres ferè omnes sequuti sunt, adducti (ut probabile est) verbis Prophetæ suprà vers. 28. ubi non animadverterunt quid sibi vellent ea verba quæ nos interpretati sumus ex versu 29. quia vox Hebræa non tantùm significat id quod postremum est; sed etiam posterius sive postventurum & consequuturum, quamvis non postremum illud sit. Posteriorem verò sententiam quicunque attulerunt, bene quidem illud viderunt consilium Dei fuisse ut per Danijelem obsignaretur prophetia usque ad priorem adventum Christi & declarationem Euangelii, de quo versu 44 & sequent. verùm hoc quoque illis fuerat animadvertendum non declarari a Deo universè statum totius orbis, sed tantum de eo statu perstringere quantum ad populum Judæorum, id est Ecclesiam, pertinebat. Quamobrem illud judicio nostro minimè probandum est quod regnum hoc quartum dicitur esse imperium Romanorum. Nam primum ut hic versus acccommodetur cum sequentibus, oportet illos popularem statum cum imperio unius de quo hic agitur confundere: deinde verò certum est neque a Republica Rom. in Judæam quidquam tentatum esse, nisi iis ipsis auctoribus qui Judææ dominatum sibi arrogabant, usque ad Cleopatræ Herodisque tempora; a monarchia autem cœpta usque in adventum Christi nihil prorsus innovatum (quod enim Pompeius & Crassus fecerunt, ipsorum Judæorum nomine regumque auspiciis de regno concertantium, quod Marcum Antonius, nomine Cleopatræ tamquam hæredis ex Ptolemæo factum est) postremò, constituta monarchia sub Augusto nihilo fuit Judæa graviùs pressa tyrannide antequam exhiberetur Christus quàm sub Antiochis: quod tamen hoc loco apertè confirmaretur. Quamobrem nos animadvertentes ad consilium, finem, verba, & eventa hujus prophetiæ, planè statuimus hanc eandem prophetiam deinceps procedente tempore Danijeli a Deo explicatam esse clarius magis ac magis, inde a capite 7. ac proinde hujus loci interpretationem genuinam petimus ex ipso Danijele infrà 11.4. & sequentibus, ubi apertè ostendit monarchiam Alexandri Macedonis mox perituram esse, & regna alia exstitura quæ Judæam torqueant, divexent & affligant omniū durissimè, prout etiam prophetavit Jechezkel 38. & 39. Neque obstat quòd regnum singulari numero appellatur, quod ἀναλόγως cum præcedentibus accipiendum est de Seleucidarum regno: Nam difficultas hæc ab ipso Propheta tollitur, quum crura ejus ferrea dicuntur pedibus & digitis fuisse partim ferreis, partímque luteis, vers. 33. regna diversa, vers. sequent. & reges varii fuisse intelligantur versu 43. nominentúrque vers. 44. Est igitur hoc regnum dominatus in Judæam, quem eversa Alexandri magni monarchia Reges Asiæ minoris, Syriæ, & AEgypti obtinuerunt durante Seleucidarum regno, quibus præmium per vices fuit Judæa victoribus. Jam itaque ad singularum partium demonstrationem venie-mus. 55 id est, sævissimum & omnium maximè tyrannicum: ut explicatur capite 8. & 11. 56 auxesis, pro eo quod est, non quidem ut vulgare ferrum, sed ut chalybs induratissimus: quam malorum vehementiam & atrocitatem vide infrà 11. & tribus Machabæorum libris. 57 id est, res omnes istas aspectabiles. 58 typum qui positus est suprà vers. 33. quia maximè ad institutum pertinet ut confirmaretur Ecclesia adversus persecutiones eventuras, exponit Propheta accuratissimè, tribus versibus. Primùm itaque docet ex comparatione typi non fore stabilia regna, sed variantes illorum regnorum successus, modò ad hos, modò ad illos perveniente victoria, hoc versu: deinde ne semper quidem Judæis imperaturos, sed interdum ipsorum potentiam a Deo & Judæis ipsis refractum iri, vers. sequente: postremò providentia Dei effectum iri ut nulla conspiratione, nullis pactis, nulla sanguinis conjunctione, & affinitate inter se firmè coalescant, versu 43. 59 prolepsis: nam pedum typus exponitur hoc versu; digitorum, sequente. x *Chald. divisum* 60 nam pedes duo regna AEgypti Syriæque adumbrarunt; digiti verò adjunctas illis provincias, & singulares toparchias. 61 ut suprà vers. 40. pro eo quod est, modò Judæam infestabit gravissimè, modò a Judæis infestabitur: vide Jechezk. 38.21. & sequentibus. 62 id est, fœdera inibunt & sancient matrimoniis: ut dicitur infrà 11. sed frustra. y *Chal. hic cum illo.* 63 explicatio vers. 34. & 35. 64 i. quum adhuc ex isto regulorum genere obtinebunt quidam, qui Judææ regnum tyrannicè sibi arrogabunt: Sic enim fuit Herodes genere Arabs, quamvis Judæum simularet studiosissimè; quo regnante nascebatur Christus.

suscitabit Deus cæli [65] regnum, quod in secula non destruetur, & regnum ipsum [66] populo alieno non relinquetur; [67] comminuturum & consumturum omnia illa regna, ipsum autem staturum in secula.

[65] spiritale Christi, positum in scientia & virtute spiritus, ac comparatum prædicatione Euangelii. [66] id est, penes Christum in æternum erit. [67] id est, cujus regni infinita potentia futurum est, ut singula regna (de quibus antè diximus) suo tempore perdantur: ut Jeschah. 60. 12. Atque huc spectabat Danijel suprà versu 20. & 21. quum divinæ majestatis potentia ostenderet regna constitui & dejici: quod opus Christo vero Deo & homini, Regi & servatori nostro hoc & seq. vers. tribuitur.

45 Quandoquidem vidisti [68] e monte [69] exscindi [70] lapidem [71] qui non *est* in *ullis* manibus, & comminuere [72] ferrum, æs, lutum, argentum, & aurum, Deus maximus notum facit Regi id quod futurum est [73] posthac: ac verum *quidem est* somnium, & fidelis interpretatio ejus.

46 Tunc Rex Nebucad-netzar [74] procidebat in faciem suam, ut Danijelem adoraret: & munere ac odoribus gratis edicebat libari ei.

47 *Deinde* [75] respondens Rex Danijeli dixit, ex veritate *est*, quòd Deus vester *est* Deus deorum, & Dominus regum, ac revelans arcana: cùm potueris revelare arcanum hoc.

48 Tunc Rex Danijelem magnificavit, & dona amplissima multa dedit ei, dominatorémque constituit eum in tota provincia Babyloniæ: & præfectum antistitum super omnes sapientes Babyloniæ.

49 Denique Danijele petente a Rege, constituit super negotium provinciæ Babyloniæ Schadracum, Meschacum, & Habed-negonem; Danijel verò *præerat* [76] portæ Regis.

[68] id est, e cælis, & loco Dei altissimi. [69] id est, repentè atque ex insperato mitti hominibus nihil tale cogitantibus, & in tenebris umbráque mortis residentibus. [70] angularem & summum totius ædificii, nempe Christum: qui etsi in speciem usus adventu abjectissimo, tamen lapis est allisionis & rupes offensionis, quo confringuntur cadentes & irretiti capiuntur quicunque offendunt ipsum, Jeschah. 8. 14. & 15. [71] hæc verba, ut suprà vers. 34. interpretes ad cæsuram sive resectionem lapidis referre solent, quæ nos potius ad causam efficientem & formam administrationis referrimus. quasi dicat Propheta, nulla humana arte vel auctoritate Christum impelli in administrationem regni sui, aut ratione humana agi; sed tantùm pro voluntate Dei Patris ac sua per operationem spiritus. [72] id est, statuam antè oblatam Regi per visionem: nam Christus manu sua potentissima labefactavisse regna omnia quæ statua adumbraverat his verbis dicitur: ut suprà versu 35. Sunt enim hæc omnia statuæ illius somniatæ membra, quæ statua his verbis denotatur a materia παρεγχειρητικῶς. [73] ut suprà versu 28. [74] id est, ignarus veri & legitimi cultus Dei, & oblitus moniti quod diligenter inculcaverat Danijel suprà 27. & sequentibus, denique raptus in admirationem & opinionem divinitatis alicujus in Danijele (prout fieri ab idololatris exempla docent Actor. 14. 11. & 28. 6.) divinum honorem Danijeli impiè exhibebat, & exhiberi a suis mandabat, nisi Danijel pio & forti animo obstitisset. Obstitisse autem duobus argumentis facile est confirmare: primùm Danijelis pietate, qui multo minus ferre potuit sacrilegam sui adorationem quam contaminationem ex cibario regis, suprà 1. 8. deinde verò responsione Nebucadnetzaris in versu sequente: quam responsionem nunquam fuisset Rex enunciaturus ad gloriam Dei, nisi Danijel sanctissimis monitis revocasset ipsum ad resipiscentiam, idque repetitis eisdem argumentis quæ præmiserat statim a principio suprà 27. & sequentibus. [75] Danijeli videlicet monenti, sanctéque a tam gravi idololatria revocanti. [76] id est, erat summus præfectus prætorio, & admissionalis (ut Imperatores in Codice vocant) maximus: nam mos erat Chaldæis & Persis ut certis tantùm satrapis pateret ad Regem aditus: neque id promiscuè, sed per aliquem eorum unum summa auctoritate præditum apud Regem.

CAPUT III.

Nebucad-netzare statuæ amplissimæ, divinos honores jubente exhiberi, tres Danijelis socii qui conventui intererant recusant pollui idololatria: quamobrem apud Regem accusati fidem suam in Deum testantur, quem neque vitæ pretio abnegare velint, neque metu mortis: conjecti in fornacem servantur a Deo incolumes, & a Rege cariùs omnibus evocantur: qui hoc signo edoctus Deo gloriam cedit, cavet ne ipsius nomen blasphemetur, & illos evehit.

1 [1] NEbucad-netzar Rex [a] facta imagine aurea, altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorũ sex; erexit eam in [3] convalle Duræ in provincia Babylonica.

2 Deinde Nebucad-netzar Rex misit [a] qui congregarent satrapas, antistites, & duces, senatores, præfectos thesauris, legisperitos, exactores, omnésque dominatores provinciarum; ut venirent ad dedicationem Imaginis quam erexerat Nebucad-netzar Rex.

3 Tunc congregati satrapæ, antistites, & duces, senatores, thesauris præfecti, legisperiti, exactores, omnésque dominatores provinciarum ad dedicationem imaginis quam erexerat Nebucad-netzar Rex; stabant coram imagine quã erexerat Nebucad-netzar:

4 Et præco proclamavit [b] strenuè; vobis [a] edicitur, ô populi, nationes, & linguæ:

5 Quo tempore audietis sonum cornu, fistulæ, citharæ, sambucæ, psalteriorum, symphoniæ, & omnium generum musices; procidito, & adorate imaginem auream quam erexit Nebucad-netzar Rex:

6 Nam is qui non prociderit & adoraverit, eadem hora projicietur [d] in mediam fornacem ignis accensam.

7 Propterea eodem tempore quum audirent omnes populi sonum cornu, fistulæ, citharæ, sambucæ, psalteriorum, omniúmque generum musices: procidentes omnes populi, nationes, & linguæ adorarunt imaginem auream quam erexerat Nebucad-netzar Rex.

8 Propterea eodẽ tempore appropinquantes viri Chaldæi, [e] [4] accusarunt Judæos:

9 Et proloquentes dixerunt Nebucad-netzari Regi; ô Rex, [5] in secula vive.

10 Tu Rex proposuisti edictum; ut quisquis audiret sonum cornu, fistulæ, citharæ, sambucæ, psalteriorum, & symphoniæ, omniúmque generum musices; procidens adoraret imaginem auream:

11 Is autem qui non procidens adoraret, projiceretur in mediam fornacem ignis accensam,

12 Sunt viri Judæi, quos præfecisti negotio provinciæ Babyloniæ, Schadrac, Meschac, & Habed-nego; viri isti [f] non habuerunt tui, ô Rex, rationem, deos tuos non colunt, & imaginem auream quam erexisti non adorant.

13 Tunc Nebucad-netzare per iram & excandescentiam edicente [g] adduci Schadracum, Meschacum, & Habed-negonem; tunc *inquam* viros istos adduxerunt coram Rege:

14 Quibus proloquutus Nebucad-netzar dixit, [6] an [h] certo consilio, Schadrac, Meschac, & Habed-nego; deos meos non colitis, & imaginem auream quam erexi non adoratis?

15 Nunc si parati estis ut quo tempore audieritis sonum cornu, fistulæ, citharæ, sambucæ, psalteriorum, & symphoniæ, omniúmque generum musices procidatis & adoretis imaginem quam feci, [7] *bene est*; sin autem non adoraveritis,

[1] Hujus historiæ tempus etsi minimè definitur, non dubium est tamen ex V. 12. quin historiam superioris capitis subsequuta sit: quàm longo intervallo ignoratur: atque hoc quidem loco ponitur commodè ad probandum alterum membrũ propositionis quæ enunciata fuerat παρενθετικῶς, suprà 1. 17. [2] quamquam faciendæ erigendæque hujus statuæ occasio non satis ex verbis textus confirmari potest, tamen probabile videtur nobis ex comparatione sexti capitis Chaldæos invidia Judæorum summis honoribus a Rege affectorum abreptos, occasionem quæsivisse ut eos miserè de fastigio (quò erant evecti) deturbarent in perniciem ipsorum. Quod quidem videtur historia duobus modis innuere: quorum unus est, quòd dicuntur Chaldæi non hos tantùm, sed Judæos in universum accusasse, versu 8. & 12. alter, quòd Nebucad-netzar observata & explorata conservatione illorum omnes alios qui in auctoritate erant apud ipsum, ad observandum idem miraculum convocavit de industria, veritúsque ipsis ac omnibus, ne quod dictum, ne per errorem quidẽ, indignum Deo profunderent, versu 27. & 29. [3] id est, in campo Deera sito inter Chaltapitida & Cissiam in Susianæ agro, teste Ptolemæo libro Geographicorũ sexto. [a] *Chald. ad congregandum.* [b] *Chald. cum robore.* [c] *Chald. dicunt, impersonaliter.* [d] *Chald. in medium fornacis ignis accensa: sic deinceps.* [e] *Chald. proclamaverunt accusationes Judæorum, sive obtrectationes.* [4] i. cupidè arrepta hac occasione tum gentem ipsam, hoc versu, tũ præfectos illos tres V. 12. calumniis & obtrectationibus inter accusandum obruerũt apud Regem. [5] ut sup. 2. 4. [f] *Chald. non posuerunt super te, ô Rex, rationem.* [g] *Chald. adducere.* [6] id est, certúmne & deliberatum fuit cũ animis vestris ita vos gereres sic enim accipitur hæc vox apud Hebræos quoque, ut Exod. 21. 13. [h] *Chald. an quæstio est.* [7] sermo ἀνανταπόδοτος per λῆψιν cõtrarii, quod genus sermonis in omnibus ferè linguis receptum est.

eadem hora projiciemini in mediam fornacem
ignis accenſam: quis verò eſt Deus, qui eripere
poſſit vos e manibus meis?
16 Reſponderunt Schadrac, Meſchac, & Ha-
bed-nego, ac dixerunt Regi: Nebucad-netzar,
[8] ut reſpondeamus tibi, non ſumus ſolliciti de
hoc negotio:
17 [9] Sive futurum eſt *ut* Deus noſter quem
nos colimus, *qui* potens eſt ad eripiendum nos; a
fornace ignis accenſa & a manu tua, ô Rex, eri-
piat *nos*,
18 Sive non; notum ſit tibi, Rex: deos tuos
nos non eſſe culturos, & imaginé auream quam
erexiſti non adoraturos.
19 Tunc Nebucad-netzar adeò repletus fuit
excandeſcentia, ut imago vultus ipſius immuta-
retur contra Schadracum, Meſchacum, & Ha-
bed-negonem; reſpondénſque edixit ut accen-
derent fornacem [i] ſeptuplo magis quàm ſolebat
accendi:
20 Et viris valentibus robore qui *erant* [10] in
copiis ipſius edixit ut vincirent Schadracũ, Me-
ſchacum, & Habed-negonem, projiciendos in
fornacem ignis accenſam.
21 Tunc viros iſtos vinxerũt [11] cum ſuis chla-
mydibus, ſubligaculis ſuis, paludamentíſque ſuis,
& veſtimentis ſuis; & projecerunt in mediã for-
nacem ignis accenſam.
22 Propterea eo quòd verbũ regis accelera-
bat, & fornax accenſa erat valdè; viros iſtos qui
intrudebant Schadracum, Meſchacum, & Ha-
bed-negonem interfecerunt ſcintillæ ignis:
23 Quum autem viri illi tres, Schadrac, Me-
ſchac, & Habed-nego; [12] cecidiſſent in mediam
fornacem ignis accenſam vincti:
24 Tunc Nebucad-netzar rex trepidus ſur-
rexit cum perturbatione; & proloquutus dixit
gubernatoribus ſuis, an non viros tres projeci-
mus in medium ignis vinctos? *quibus* reſponden-
tibus & dicentibus regi, verum *eſt*, Rex;
25 Reſpondit & dixit, ecce video viros quatu-
or ſolutos ambulantes in medio ignis, in quibus
non eſt corruptio: forma autem quarti [13] ſimilis
eſt filio Dei.
26 Tunc appropinquãs Nebucad-netzar ad
portã fornacis ignis accenſæ; proloquutus eſt &
dixit, Schadrac, Meſchac, & Habed-nego ſervi
Dei excelſi, egredimini & venite: tunc egreſſi ſũt
Schadrac, Meſchac & Habed-nego e medio ignis.
27 Et congregati ſatrapæ, antiſtites, ducéſ-
que, & gubernatores regis; quum inſpicerent vi-
ros iſtos, non eſſe dominatum ignem in corpus
eorum, & pilum capitis eorum non eſſe aduſtum,
neque eorum chlamydes mutatas; deniq; odo-
rem ignis non pervaſiſſe eos:
28 Proloquutus Nebucad-netzar dixit, bene-
dictus *ſit* Deus horum, Schadraci, Meſchaci, &
Habed-negonis, qui mittens angelum ſuum eri-
puit ſervos ſuos qui confiſi ſunt in ipſo; quum ver-
bum Regis mutantes expoſuerunt corpus ſuum,
ut non colerent neque adorarent ullum Deum
præterquàm Deum ſuum.
29 Quamobrem a me proponitur edictum;
ut omnis populus, natio, aut lingua, quæ [k] dictis
erraverit contra Deum horum, Schadraci, Me-
ſchaci, & Habed-negonis, [l] in membra lanietur,
& domus ejus [m] in ſterquilinium redigatur: prop-
tereà quòd [14] non eſt Deus alius qui poſſit eri-
pere hoc modo.
30 Tunc Rex [15] proſperari juſſit Schadra-
cum, Meſchacum, & Habed-negonem, in pro-
vincia Babyloniæ.

[8] id eſt, ut paucis habeas reſponſum tuum, ſic habeto nos non laborare de effugiendo hoc præſente periculo, quod minaris nobis.
[9] reſponſum dilemmaticum: in utrumq; eventum (inquiunt) comparati ſumus: nobis ſatis eſt ſive vivere ſive mori nos oporteat, ut vivamus moriamúrque in Domino.
[i] *Chald. ſemel ſepties ſuprà quàm.*
[10] id eſt, cohortibus prætoriis & comitatu ſuo.
[11] id eſt, non detractis neque poſitis veſtibus ipſorum pretioſis, adeò feſtinabant ſatellites obſequi mãdato Regis: ut oſtenditur ſeq. verſu.
[12] & ſoluti ambularent in igne ſine ulla noxa, cum filio Dei, verſ. 25.
[13] i. venuſtiſſima & quaſi divina: ut Homerus *ἀντιθέους, θεοεικέλους*, & *διογενεῖς* nominat; vide verſu 28.
[k] *Chald. dixerit errorem.*
[l] *Chald. membra efficiatur.*
[m] *Chald. ſterquilinium diſponatur: ut ſuprà 2.5.*
[14] hunc ſermonem ſtatuit Nebucad-netzar ab experientia, quòd Deus optimus maximus ſervos ſuos in ignem injectos liberaſſet; ſatellites verò ipſius, non obſiſtente Belo aut ullo Babyloniorum Deo, igni tradidiſſet: qua ſeveritate judicii animus Nebucad-netzaris ad tempus aliquod refractus eſt.
[15] id eſt, reſtituit honoribus, & vetuit ſuis omnibus ne illis porrò malefacerent.

CAPUT IIII.

Nebucad-netzar in ampliſſimum gloriæ faſtigium evectus atque inſoleſcens, ſomnio divinitus percellitur: cujus interpretationem non a Chaldæis, ſed a Danijele accipit, fore ut de ſumma gloria in ſortem brutorum abjectiſſimam detrudatur, donec agnito Deo reſtituatur per beneficentiam ejus: cujus rei præſignificatæ, prænunciatæ, & ſuo tempore perfectæ nomine Nebucad-netzar promulgat beneficium erga ſe, & gloriam Dei apud omnes gentes.

1 [1] NEbucad-netzar Rex omnibus populis,
nationibus, ac linguis, quæ habitant in
tota terra; pax veſtra multiplicetur.
2 Signa & miracula, quæ fecit erga me De-
us excelſus; decet [a] me indicare:
3 Signa ejus quàm magna *ſint*, & miracu-
la ejus quàm fortia: regnum ejus regnum [b] æter-
num, & dominium ejus [c] in omnes generatio-
nes *eſſe*.

CAPUT IIII.

4 [2] Ego Nebucad-netzar [3] tranquillus eram
domi meæ, & virens in [4] palatio meo:
5 *Quum* ſomnium viderem quod exterruit
me; ita ut cogitationes in cubili meo, & viſiones
capitis mei conturbarent me.
6 Quamobrem a me propoſitum eſt edictũ,
[d] ut adducerentur coram me omnes ſapientes
Babyloniæ; qui interpretationem ſomnii notam
facerent mihi.
7 Tunc acceſſerunt [5] magi, aſtrologi, Chal-
dæi, & haruſpices; quúmque ſomnium dixiſſem
coram eis, interpretationem ejus notam non fa-
ciebant mihi:
8 Tandem autem acceſſit coram me Dani-
jel, cujus nomen *eſt* Beltſchatzar [6] ſecundùm no-
men Dei mei, in quo *eſt* ſpiritus deorum ſancto-
rum; & ſomnium coram eo dixi:
9 Beltſchatzar, *inquam*, præfecte magorum;
quia novi ſpiritum deorum ſanctorum ineſſe ti-
bi, & ullum arcanum [7] non premere te: viſio-
nes ſomnii mei quod vidi, id eſt, interpretatio-
nem ejus, dic.
10 Viſionibus igitur capitis mei in cubili meo:
videbam quum ecce arbor in medio terræ *eſſet*
altitudine magna,
11 Creviſſe arborem, & roboratam eſſe; &
altitudine ſua perveniſſe ad cælum, aſpectúque
ſuo ad finem totius terræ:
12 Ramos ejus pulcros, & fructus ejus mul-
tos, cibúmque pro omnibus ineſſe ei: ſub ea um-
bram captare beſtias agri, & in ramis ejus habi-
tare aves cæli; denique ex ea cibum percipere
omnem carnem,
13 Videbam in viſionibus capitis mei ſuper
cubile meum; quum ecce [8] vigil & ſanctus e cæ-
lo deſcenderet,

[1] Hujus programmatis quod a Rege Nebucad-netzare emanavit ſumma eſt, Deum admirabiliter egiſſe cum Nebucad-netzare, ut faſtum ipſius intolerandum deprimeret, & ad officium revocaret: finis verò, ut omnis gloria concedatur Deo. Sunt itaq; hujus programmatis tres omnino partes: exordiũ, tribus primis verſibus: narratio, uſq; ad verſum 37. & concluſio, verſu ultimo. Exordio continentur ſalutatio verſu 1. & propoſitio ſumma, duobus ſequentibus. Quòd autẽ ad tempus quo programma hoc fuit promulgatũ, etſi diſertis verbis in ſcriptura minimè ponitur; non dubium eſt tamen quia totum hoc argumentum & geſtũ & promulgatum fuerit poſtquam devictis aliis regnis, ex Ægypto (quam poſtremò expugnavit) rediit in Babyloniam. Quum autem a tempore reverſionis hujus ad finem uſq; regni anni ad ſummũ decem interceſſerint, ut oſtendimus Jechezk. 30, 1. certum eſt hoc programma ſub finem regni ipſius editum in lucẽ eſſe fermè ante biennium quàm de vita deceder et.

[a] *Chald. coram me.* [b] *Chald. ſeculi: ſic infrà ℣.33.* [c] *Chald. cum generatione & generatione: ſic inf. ℣.33.* [2] narratio, ut diximus in verſum 1. [3] ab omni hoſte, & hoſtium metu, quos debellaveram. [4] quod erat Babylone: ut apparet infrà verſ. 29. & 30. vide Herodotum de palatio Babylonico. [d] *Chald. adducere.* [5] vide ſuprà 2.2.7. [6] etymon illius nominis quod Danijeli inditum eſt a Babylonio ſuprà 1.7. his verbis perſtringitur. Eſt enim Beltſchatzar Babylonica vox, compoſita ex tribus dictionibus: quæ idem ſonat ac ſi dicas, Beli abdita theſaurizans ſive conſervans; erat enim Bel ſummus Babyloniorum Deus, Jeſchah. 46.1. [7] id eſt, non faceſſere negotium tibi; ſed promtam eſſe atque expoſitam intelligentiam ejus. [8] id eſt, angelus ſanctus, & diligenter excubias agens ad cognoſcendam, prædicandam, & perficiendam voluntatem Dei: quo nomine plures oculi ipſi ſcribuntur Jechezk. 1. Atque hoc quidem elogium hiſtoriæ eſt convenientiſſimum; quia adhue verſante ſermone in ore Regis vox angeli e cælis accidiſſe dicitur infrà verſu 31.

14 Clamans [d] strenuè, & ita dicens, exscindite istam arborem, & amputate ramos ejus, dejicite folia ejus, & spargite fructus ejus: vagentur bestiæ [e] ne subsint ei, & aves a ramis ejus.

15 Verùm stirpem radicum ejus in terra relinquite, & cum vinculo ferreo chalybeoque apud teneram herbam agri: ut rore cæli intingatur, & cum bestiis *sit* portio ejus in herba terræ:

16 [f] Animus ejus [9] ab humano mutetur, & cor bestiæ detur ei; septémque [10] tempora prætereant eum.

17 [11] Ex decreto [12] vigilum verbum hoc, & ex sermone sanctorũ hoc postulatum *est:* [g] [13] usque dum adducatur, [14] ut agnoscant viventes, dominari excelsum in regno hominum, adeò ut cui vult tradat illud, & abjectissimum hominũ constituat in illo.

18 Hoc somnium vidi ego Rex Nebucad-netzar: jam tu Beltschatzar interpretationem dic, propterea quòd nulli sapientes regni mei possunt interpretationem notam facere mihi, tu autem potes, quia spiritus [15] deorum sanctorum inest tibi.

19 Tunc Danijel cujus nomen *est* Beltschatzar, quum [16] obstupuisset quasi horam unam, & cogitationes ejus conturbassent eum: proloquenti Regi ac dicenti, ô Beltschatzar, somnium & interpretatio ne perturbet te, respondens Beltschatzar dixit, [17] Domine mi, somnium hoc [18] *eveniat* osoribus tuis, & interpretatio ejus inimicis tuis.

20 [19] Arbor illa quam vidisti, quæ crevit & roborata est; cujus altitudo pervenit ad cælum & aspectus in totam terram,

21 Cujus rami pulcri, & fructus multi, & cui cibus pro omnibus infuit; sub qua habitabant bestiæ agri, & in cujus ramis sidebant aves cæli:

22 Tu es, ô Rex, qui crevisti & roboratus es: nam amplitudo tua ita crevit [20] ut pervenerit ad cælum, ac dominium tuum ad finem terræ.

23 [21] Quòd autem vidit Rex vigilem & sanctum descendentem de cælo ac edicentem, exscindite arborem istam ac perdite eam, verùm stirpem radicum ejus in terra relinquite, & *quidem* cum vinculo ferreo chalybeóque apud teneram herbam agri: ut rore cæli intingatur, & cum bestiis agri *sit* portio ejus, usq; dum septem tempora transeant super eum;

24 Hæc interpretatio *est* [22] Regis; & decretum excelsi est quod superventurum est Domino meo Regi.

25 Nam te depellent [h] homines a se, & cum bestiis agri futura est habitatio tua, herbámque ut bobus tibi gustandam dabunt, & rore cæli te intingent, septémque tempora præteribunt te: usque dum noscas dominari excelsum in regno hominum, & cui vult dare illud.

26 [23] Quòd autem dicebant relinquendam stirpem radicum illius arboris, regnum tuum tibi stabile erit; ex quo agnoveris [24] cælos dominari.

27 [25] Quapropter, ô Rex, consilium meum placeat tibi, & [26] peccata tua justitia abrumpe, & iniquitates tuas gratia [i] erga afflictos: [27] si *fortè* erit prorogatio tranquillitati tuæ.

28 Totum hoc supervenit Nebucad-netzari Regi.

29 Exactis mensibus duodecim, in palatio regni Babyloniæ obambulabat,

30 Et proloquens Rex dicebat, an non hæc *est* Babylon illa magna; quam ego [28] ædificavi, ut esset regia & ornamentum decoris mei robore potentiæ meæ?

31 Adhuc sermone illo *versante* in ore Regis, vox e zelo accidit, *dicens*; tibi indicitur Nebucad-netzar Rex, [29] regnum istud discedere a te:

32 Et homines te depulsuros a se, ut cum bestiis agri *sit* habitatio tua, herbam sicut bobus gustandam tibi daturos esse, & septem tempora præteritura te: usque dum agnoscas dominari excelsum in regno hominum, & cui vult dare illud.

33 Eadem hora verbum illud completũ est in Nebucad-netzare; nam ab hominibus depulsus herbam ut boves comedit, & rore cæli corpus ejus intinctum est: usque dum pili ejus ut aquilarum *plumæ* crevissent, & ungues ejus ut avium.

34 Exactis verò temporibus illis, ego Nebucad-netzar oculos meos ad cælũ sustuli, & mente mea ad me reversa Excelso benedixi, & viventem [k] in perpetuum laudavi ac glorificavi: quòd dominatus ejus *sit* dominatus æternus, & regnum ejus in omnes generationes:

35 Omnes verò habitatores terræ ut nihili reputentur, & pro voluntate sua faciat in exercitu cæli, & habitatoribus terræ: neque est qui prohibeat manum ejus, aut dicat ei, quid facis?

36 Eo tempore mente mea reversa in me, & ad gloriam regni mei *capessendam* decore meo, & splendore meo reverso in me, tum me gubernatores mei & proceres mei requisiverunt: & in regno meo ita confirmatus sum ut amplitudo major addita sit mihi.

37 [30] Nunc ego Nebucad-netzar laudo, extollóque, & glorifico Regem cæli, cujus omnia opera *opera* veritatis, & cujus viæ *sunt viæ* judicii: qui denique ambulantes in superbia potest dejicere.

CAPUT V.

Belschatzar epulo magnificentissimo proceres excepturus vasa domus Dei in ostentationem traducit, ut Deum verum contumelia, falsos laudibus prosequatur: quamobrem Deus immissa manu impendens judicium describit ante oculos omnium; quod Chaldæis nescientibus legere, Danijel arcessitur, qui exemplo Nebucad-netzaris adducto Belschatzarem redarguit, & scripturam exponens judicium Dei explicat, quod fuit proxima nocte consequutum.

1 [1] BElschatzar Rex facturus [2] convivium magnum proceribus suis mille, [3] coram mille his vinum bibiturus erat.

2 Belschatzar edixit [a] [4] ad gustandum vinum afferri vasa aurea & argentea, quæ expor-

---

[d] *Chald. cum robore.*
[e] *Chald. de sub ea.*
[f] *Chald. cor ejus ab hominibus mutent.*
[9] id est, obbrutescat, nihil humanum sapiat is qui adumbratur arbore.
[10] id est, anni synecdochicè, ut Propheta ipse interpretatur infrà 11.13. sic deinceps.
[11] confirmatio præcedentis mandati a consensu angelorũ omnium, decretum Dei contra arborem tum judicio suo, tum postulato apud homines comprobantium. quasi dicat, quod vos jubeo operam consumere ut exscindatis arborem, &c. stirpem radicum ejus relinquatis, &c. denique eum tempora septem sinatis cum brutis degere; hæc non mea unius sententia putanda est, quam ego solus ad vos a Deo perferam; sed totius cœlestium angelorũ consessus unà id ipsum prædicat, & fieri a vobis postulat; ut hoc judicio cùm Nebucad-netzar ipse potentiam Dei cogatur agnoscere, tum alii omnes promulgatam ab illo discere.
[12] vide sup. 13.
[g] *Chald. ad adductionem usque.*
[13] hoc membrũ sic reddendum esse ostendit Danijel infrà vers. 25. & Angelus versu 32.
[14] prædicatione Nebucad-netzaris: ut ipse ait versu 2. & 37.
[15] ethnici hominis verba.
[16] perculsus gravitate somnii & novitate judicii in tantum Regem; cujus pax cum ipsi Danijeli, tum toti Judæorum populo erat utilis, & commendata per Jirmejam 29.7. [17] hoc responsum Danijelis tribus membris comprehenditur: primum est precatio, his verbis; secundum, enarratio somnii, septem versibus seq. tertium, hortatio ad resipiscentiam, vers. 27. Atque hæc causa est cur Danijel precatione in principio utitur, quia sentiebat Dei minis & promissionibus hærere conditiones suas: quamobrem primùm orat Deum ut melius Nebucad-netzari consulat, & tantum judicium avertat misericordia sua; deinde viam misericordiæ hujus consequendæ Nebucad-netzari aperit. [18] id est, absit tibi. [19] explicatio primæ partis somnii, quæ habetur suprà 10. & 11. [20] i. omnia impleverit: hyperbole accommodata ad verba somnii, v. 11. [21] explicatio secundæ partis somnii, quæ habetur suprà 13. & seq. [22] id est, spectans ad Regem, ut sequentia exponunt. [h] *Chald. ab hominibus: sic v. 32.* [23] tertia pars somnii posita versu 15. & repetita vers. 23. de restitutione Regis.
[24] id est, Deum cælorum μετωνυμικῶς: ut Matth. 21.25.
[25] tertius locus responsi, ut diximus in versum 19.
[26] id est, plus satis hactenus peccasti injustitia & inhumanitate, ut ostenditur infrà 5. 19. nunc verò quum Deus te præmoneat gratiosissimè, anticipa judicium ejus vera resipiscentia, injustitiam & inhumanitatem abrumpe, & te ipsum confer ad colendam justitiam & exercendam gratiam erga populũ Dei, & omnes afflictos duritia dominatus tui.
[i] *Chald. afflictorum.*
[27] ut Jehoschuh. 14.12. & 1. Sche. 14.7.
[28] id est, maximis operibus, ædificiisque exornavi: vide Josephum lib. 10. antiquitatum Judaicarum cap. 11.
[29] id est, te mox desiturum regem esse: ut ostenditur vers. 33.
[k] *Chald. seculi.*
[30] conclusio ἐπιφωνηματική, ut diximus suprà in versum 1.
[1] Nepos Nebucad-netzaris magni, filius Evil-merodaci.
[2] de quo Herodotus lib. 1. & Xenophon lib. 7.
vide in Jirmej. 25. 26. [3] ut convivas melius acciperet: nam alioqui cum proceribus cibum non capiebat Rex, & paucissimis ad ipsum patebat aditus. [a] *Chald. pro gustu vini afferre.* [4] id est, ad faciendum delicias, translatis contumeliosè vasis Jehovæ ad insolens istud & intempestivum convivium: quod reprehendit Danijel infrà 23.

tavcrat Nebucad-netzar [b] avus suus ex templo quod *fuerat* Jeruschalaimis: ut biberent in eis Rex ipse, proceresque ejus, uxores ejus, & concubinæ ejus.

3 Tunc allatis vasis aureis quæ ‖ exportaverant e templo domus Dei quę *fuerat* Jeruschalaimis; bibebant in eis Rex ipse, proceresque ejus, uxores ejus, & concubinæ ejus:

4 Bibentes vinū; etiā [5] laudabāt deos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneos, & lapideos.

5 Eadem hora egressi [6] digiti manus humanæ scripserunt e regione [7] lychnuchi, [c] in tectorio, parietis palatii Regii; Rege vidente partem manus quæ scribebat.

6 Tunc [d] [8] toto regis splendore immutato, & cogitationibus ejus conturbantibus ipsum; quum [9] cingula lumborum ejus dissoluta essent, genuáque ejus colliderent alterum alteri,

7 Inclamavit Rex [e] strenuè, ut adducerentur astrologi, Chaldæi & haruspices: *&* proloquens Rex dixit sapientibus Babylonis, quisquis legerit scripturam hanc, & interpretationem ejus indicaverit mihi, purpura induetur cum torque aureo ad collum ipsius, ac tertius in hoc regno dominabitur.

8 Tunc accedentes omnes sapientes regis; quum non possent scripturam illam legere, & interpretationem notam facere Regi;

9 Tunc, inquam, Rege Belschatzare valde conturbato, adeò ut totus splendor ejus mutatus esset in eo; & proceribus ejus attonitis,

10 [10] Regina propter verba Regis & procerū ejus ad domū cōvivii accessit; proloquutáq; Regina dixit, Rex [11] in secula vive, ne conturbent te cogitationes tuæ, & splendores tui ne mutentur.

11 ‖ Est vir in regno tuo, cui spiritus deorum sanctorum inest; & in quo temporibus avi tui lux, intelligentiáque, ac sapientia par sapientiæ Deorum inventa est: quapropter ‖ Rex Nebucadnetzar avus tuus præfectum magorum, astrologorum, Chaldæorum, haruspicum constituit eum, avus tuus Rex.

12 Quandoquidem spiritus excellens, ac cognitio, & intelligentia, interpretatio somniorum, & indicatio ænigmatum, ac solutio [f] rerum implexarum inventa est in ipso Danijele, cui Rex imposuerat nomen Beltschatzar; nunc Danijel vocetur, [12] & interpretationem indicabit.

13 Tunc Danijele adducto coram Rege, proloquutus Rex dixit Danijeli, es tu ille Danijel, [g] ex deportatis Jehudææ, quos adduxit Rex avus meus e Jehudæa?

14 Audivi enim de te spiritum Deorum inesse tibi; & lucem, intelligentiámque, & sapientiam excellentem inveniri in te?

15 Nunc ergo adducti sunt coram me sapientes, astrologi, ut scripturam istam legerent & interpretationem ejus notam facerent mihi: sed nō possunt interpretationē verbi istius indicare.

16 Ego autem audivi de te, posse te interpretationes [h] afferre, & res implexas solvere: nunc si poteris scripturam istam legere, & interpretationem ejus indicare mihi, purpura induëris cum torque aureo ad collum tuum, & tertius in hoc regno dominaberis.

17 Tunc respondens Danijel dixit coram Rege, dona tua tibi sint, & [13] honoraria tua alii da: verùm scripturam istam legam Regi, & interpretationem notam faciam ei.

18 Tu ô Rex, ([14] Deus excelsus ‖ regnum, & amplitudinem, gloriámque, & decorem dederat Nebucad-netzari avo tuo;)

19 Et ob amplitudinē quam dederat ei, omnes populi, nationes, & linguæ tremebant ac timebant a conspectu ejus: quem volebat occidebat, & quem volebat in vita conservabat, & quē volebat extollebat, & quem volebat deprimebat:

20 Sed quum elatus esset [i] animus ejus, & spiritus ipsius obduratus esset ad superbè agendum; depositus est e solio regni sui, & gloriam amoverunt ab eo.

21 Nam ab [k] hominibus depulsus animum suum [l] ad bestias applicuit, & cum onagris habitationem suam, herbam ut bobus gustandam dederunt ei, & rore cæli corpus ejus intinctum est: donec agnovit, dominari Deum excelsum in regno hominum, & quem vult constituere in eo)

22 [15] Tu igitur fili ejus Belschatzar, non depressisti animum tuum; quamvis totum hoc cognosceres:

23 Imò contra Dominum cæli adeò extulisti te, ut vasa domus illius attulerint coram te, in quibus tu, proceresque tui, uxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibatis; deósque argenteos, & aureos, æreos, ferreos, ligneos, & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque cognoscunt laudavisti: Deum verò in cujus manu *est* anima tua, & penes quem totum iter tuum *est*, non glorificasti.

24 Tunc a conspectu ejus missa est [16] pars illa manus; unde scriptura ista exarata est.

25 Atque hæc scriptura illa quæ exarata *est*; Mene mene, tekel, upharsin, *id est numeravit, numeravit, appendit, dividúntque*.

26 Hęc interpretatio verborum; NUMERAVIT, [17] numeravit Deus regnū tuū, & [m] [18] perfectissimè numeravit illud.

27 APPENDIT; appensus fuisti lancibus, & inventus es [n] [19] minore pondere.

28 DIVISIT; divisum est regnum tuum, traditúmque Medis ac Persis.

29 Tunc edicente Belschatzare, induerunt Danijelem purpura, cum torque aureo ad collum ejus: & proclamaverunt de eo, ipsum futurum dominatorem tertium in eo regno.

30 Eadem nocte [20] interfectus est Belschatzar Rex Chaldæorum.

CAPUT VI.

Danijel à Dario Medo in dignitatem evectus ampliúsque evehendus consilio Regis, a proceribus observatur; qui frustrà occasione captata illius obruendi, comminiscuntur edictum ut soli Regi ad tempus supplicetur: Huic edicto quum non paruisset Danijel, urgentibus proceribus leonibus obruditur, & servatur a Deo: quamobrem Darius educto Danijele accusatores leonibus objicit, & promulgat edictum de reverentia Dei.

1 [1] DArius autem Medus accepit regnum fermè [a] natus annos sexaginta duos.

2 *Et* placuit corā Dario præficere ipsi regno

satrapas

[b] *Chald. pater.*
‖ 2. *Regū* 24. *&* 25.
[5] tum tribuentes ipsis laudes victoriæ spoliorúmque domus Dei quibus abutebantur, tum etiam libantes ipsis epuli sui prothymata, ut diximus sup. 1.8.
[6] ac non manus integra: quamobrem pars vel portio manus in sequētibus appellatur, hoc versu & 24.
[7] videlicet pensilis, qui proptereà comparatus erat ut in eo lucernæ accenderentur protracto in noctem convivio. Nam alioqui non fuisse hoc convivium de nocte cœptum ex eo apparet, quòd Danijel purpuratus & torquatus tertius a Rege in regno promulgatus est; infrà vers. 29. quod factum diurnum, non autem nocturnum esse nemo est qui nesciat.
[c] *Chald. super calcem, μετωνυμικῶς.*
[d] *Chald. Regis splendoribus immutatis ipsi: sic* ℣. 9.
[8] id est, tota illa festivitate & hilaritate quam præ se ferebat in excipiendis convivis.
[9] id est, solutæ essent ipsius zonæ, ut fit hominibus quos ex gravi aliqua corporis aut animi ægritudine invadit λειποθυμία.
[e] *Chald. cum robore, ad ducere astrologos.*
[10] non uxor quidē Belschatzaris Regis (nam uxores illius dicuntur adfuisse suprà 2. & 3.) sed Regis mater aut avia, nomine (ut credibile est) Nitocris dicta, Herodoto lib. 1.
[11] vide sup. 2.4.
‖ *suprà* 4.8. *&* 9.
‖ *suprà* 2.48.
[f] *Chald. nodorū; sic infrà* ℣. 16.
[12] q. d. confirmo illum indicaturum esse: adeò explorata est illius certaq; sapientia. [g] *Chald. qui e filiis deportationis.* [h] *Chald. interpretari.* [13] vide sup. 2.6. hujus autem responsi partes sunt hæ: exordiū munera honestè recusantis & spondentis interpretationē, hoc ℣. propositio sive narratio rerū gestarū a Nebucad-netzare, & Belschatzare κατὰ σύγχυσιν, usq; ad versum 24. & scripturę explicatio, seq.

‖ *suprà* 4.
[14] hoc membrum ad priorem partem συγχύσεως pertinens, quia hyperbaticum est, placuit parenthese os nota includere.
[i] *Chald. cor: sic deinceps.*
[k] *Chald. filiis hominum.*
[l] *Chald. cum bestiis posuit.*
[15] altera pars συγχύσεως, nimirum ἀντίθεσις ad prius exemplum præsentia accommodans.
[16] de qua suprà vers. 5.
[17] id est, annos quibus duraturum fuit regnum Babylonicum, & Judaici populi captivitas, in numerato habet.
[m] *Chald. perfecit numerare.*
[18] sic redditur ratio geminati verbi.
[n] *Chald. deficiens.*
[19] id est, abjiciendus, ut nummus reprobus, justóque longè levior.
[20] a Gobrya & Gadata satrapis Cyri, teste Xenophonte lib. 7.
[1] Versum hunc (qui ferè cum præcedentibus conjungitur) quia magis ad sequentia pertinet, visum est huic capiti connectere. Est autem hic Darius Medus idem quem historici corruptè Labonidum sive Labynitum vocant pro Nebo-niddocho, ut vocat Alphæus apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euang. qui annuente Cyro factus est Rex Babyloniæ: ut observavimus 2. Chron. 36.23. [a] *Chald. filius annorum.*

satrapas centum viginti, qui [b] præessent toti regno:

3 Supra istos antem Eparchos tres, quorum Danijel [2] primus esset: quibus essent satrapæ illi reddituri rationem, ne Rex damno afficeretur.

4 [3] Tunc Danijele isto [c] pergente præesse Eparchis atque satrapis; & propterea quòd spiritus excellens inesset ipsi, Rege cogitante præficere ipsum toti regno suo:

5 Tunc Eparchi & satrapæ quærebant ut occasionem invenirent [d] [4] ab administratione regni; sed nullam occasionem aut vitium potuerunt invenire, propterea quòd fidus esset, & nullus error aut vitium inveniretur in eo.

6 Tunc viri illi dicentes, non sumus inventuri contra Danijelem istum ullam occasionem; nisi inveniamus contra eum *occasionem* de lege Dei ipsius:

7 Tunc, *inquam*, Eparchi & satrapæ illi convenientes ad Regem; ita dixerunt ei, Darîe Rex, in secula vive:

8 [5] Consilium iniverũt omnes Eparchi regni, præsides, & satrapæ, gubernatores, ac duces, de statuendo statuto regio, & firmando interdicto: ut quisquis petierit petitionẽ ab ullo Deo aut homine per dies triginta, præterquàm a te Rege, projiciatur in foveam leonum.

9 Nunc, ô Rex, statue hoc interdictum, & exara scripturam; ut non mutetur, [6] secundùm jus Medorum & Persarum quod non [e] intercidit.

10 Quamobrem, Rex Darîus exaravit scriptum & interdictum.

11 Danijel autem quum cognovisset exaratum esse scriptum illud, ingressus est domum suam, cui fenestræ apertæ *erant* in cœnaculo ejus [7] ex adverso Jeruschelemi: & [8] temporibus tribus de die ipse [f] procumbens in genua sua orabat & confitebatur coram Deo suo, quemadmodum fecerat [g] antea,

12 Tunc viri illi convenientes, postquam invenissent Danijelem; orantem & supplicantem coram Deo suo:

13 Tunc, *inquam*, appropinquarunt & dixerunt coram Rege de interdicto Regis; nónne interdictum exarasti ut quisquis petierit ab ullo, Deo aut homine per dies triginta nisi a te, ô Rex, projiciatur in foveam leonum? respondit Rex dicens, verum *est* verbum hoc, secundùm jus Medorum & Persarum quod non intercidit.

14 Tunc responderunt dicentes coram Rege; [h] Danijel qui *est* ex [i] deportatis Jehudææ [k] non habuit tui, ô Rex, rationem, aut interdicti quod exarasti: nam temporibus tribus de die petit petitionem suam.

15 Tunc Rex simulac verbum hoc audivit, multùm tristatus est apud se, & pro Danijele adhibuit [9] cogitationem ut liberaret eum: & usque ad occasum solis conabatur eripere eum.

16 Tunc viri illi convenerunt ad Regem; & dixerunt Regi, scias, ô Rex, jus Medis & Persis esse, ut nullum interdictum aut statutum quod Rex statuerit non mutetur.

17 Tunc Rege [10] dicente adduxerunt Danijelem, projeceruntq; in foveam leonum: & proloquutus Rex dixit Danijeli, Deus tuus quem tu colis [11] jugiter, ipse liberet te.

18 Et allato [12] lapide uno, ac imposito super os foveæ; obsignavit eum Rex [13] annulo suo & annulo procerum suorum, ne mutaretur [14] voluntas de Danijele:

19 Tunc profectus Rex in palatium suum & pernoctavit jejunus, & [15] exhilarantium nihil jussit afferri coram se; somnúsque ejus recessit ab eo.

20 Tunc Rex summa aurora surgens cum luce; [l] festinantissimè ad foveam leonum profectus est:

21 Et appropinquando ad foveam Danijelem voce tristi inclamavit: proloquutus Rex dixit Danijeli, ô Danijel serve Dei viventis, Deus tuus quem tu colis jugiter, potuerítne liberare te a leonibus?

22 Tunc Danijel cum Rege loquens, *dixit*: Rex in secula vive.

23 Deus meus misit Angelum suum, qui occlusit os leonum ut non læderent me: [16] propterea coram eo puritas invenitur in me; etiámque corã te ô Rex, [m] maleficium non cõmisisse me.

24 Tunc Rex multùm lætatus de eo, Danijelem jussit [n] educi e fovea illa: eductóque Danijele e fovea illa, nulla læsio inventa est in eo, quia crediderat in Deum suum.

25 Deinde edicente Rege *satellites* adduxerunt viros illos qui [o] accusaverant Danijelem, & in foveam leonum projecerunt eos, [17] filios eorum, & uxores eorum: neque pervenerant ad [p] imum foveæ, quum dominium exercuerunt in ipsis leones, & omnia ossa ipsorum comminuerunt.

26 Tunc Darîus Rex scripsit omnibus populis, nationibus, ac linguis habitantibus in terra, pax vestra multiplicetur.

27 [q] A me proponitur decretum; ut in toto dominatu regni mei tremant & timeant *omnes* a conspectu Dei Danijelis: quia ipse *est* Deus vivens & stabilis in secula, & regnum ejus incorruptum, ac dominatus ejus ad finem usque.

28 Liberat, & eripit, facítque signa ac miracula in cælo & in terra; qui liberavit Danijelem a [r] leonibus.

29 Itaque Danijel iste prosperè egit in regno Darii, & [18] in regno Cyri Persæ.

[b] *Chal. essent in toto regno.* [2] id est, summus, ut exponitur seq. versu. [3] duæ hic causæ explicantur quibus satrapæ ad procurandum Danijelis exitium adducti sunt: una, quòd jam præsentem hominis exteri sibi imperantis dignitatem ferrent indignissimè; altera, quòd consilium Regis cognoscerent de Danijele ampliùs erehendo in universam administrationem regni. [c] *Chald. existente præfecto.* [d] *Chald. a latere regni.* [4] i. si fortè deprehenderetur peccasse in rationibus regni, quas ab ipsis satrapis ex auctoritate Regis exigebat. [5] hujus consilii finis quidẽ apertissimis verbis ostenditur; verùm species qua Darius ad illud probandum adductus est & ferendam legem, paulò est obscurior: nobis videtur illud probabile, Darîum hac ratione voluisse novo suo regno gratiam & auctoritatem maximam conciliare ab omnibus, & munificẽtiam non regalem modò sed quasi divinam supplicantibus ostendere. [6] vide Esther. 2.1. & 8.8. [e] *Chal. transit: sic vers. 13.* [7] secundùm postulatum Schelomonis, 1. Reg. 8.48. [8] id est, quoties commodum est ipsi versari domi suæ per occupationes publicas: videlicet matutino tempore, antequàm prodeat ad negotiorum procurationem; meridiano, quum ad cibum capiendum revertitur, ut de Josepho legimus Genes. 43. 16. & vespertino, quum se a negotiis recipit: quò non dubium est quin respexerit David Psalm. 55. 18. [f] *Chald. ingeniculans.* [g] *Chald. ab ante hoc.* [h] *Chald. quòd Danijel: pleonasmus.* [i] *Chald. filiis deportationis.* [k] *Chal. non posuit super te, ô Rex, rationem.* [9] Chaldaicam vocem (quam variè interpretantur multi) visum est ex affini sermone Arabico sic interpretari. [10] id est, annuente & concedente illud quod honestè non putabat a se impediri posse.

[11] id est, constantissimè & infracto animo: sic prædicat & admiratur Darius fidem constantiámque Danijelis, qua admiratione adducitur ut commendet salutem ipsius Deo. [12] ad obthurandum os foveæ; ne fortè Danijel ipse exeundi facultatem consequeretur, aut aliorum operâ extraheretur: quod homines illi tum a Rege, tum ab amicis, tum ab administris, tum a gentilibus Danijelis metuebant, quia Danijel maximam fidẽ apud omnes prophetia & interpretationibus, gratiam & auctoritatem sanctissima administratione sibi comparaverat. Atque hoc quidem ex loco & ex comparatione vers. 25. videntur illi animadvertisse, ut leones a Danijele in foveam injecto abstinerent: propterea lapidem & signaculum ad cautionem majorem adhibuisse. [13] id est, annulo (ut vocant) maximo regni, quod diplomatis ex auctoritate Regis & summi totius consilii descriptis apponi solet.

[14] id est, decretum communi voluntate & auctoritate factum. [15] id est, abstinuit ab omnibus rebus quæ ipsum a dolore suo avocare, aut tristitiam lenire potuissent: adeò afficiebatur Danijelis cura. [l] *Chald. cum perturbatione.* [16] hanc vocem sic interpretandam esse confirmat distinctio. Sensus est, eo quòd visum est Deo angelum mittere ad salutem meam & me integrum a leonibus cõservare, planè comperta est mea integritas: cujus tum Deus ipse hac mirifica conservatione testis est apud omnes, tum verò testem appello tuam ipsius conscientiam. [m] *Chald. læsionem non fecisse.* [n] *Chald. educere.* [o] *Chald. proclamaverant accusationes, sive obtrectationes ipsius: ut suprà* 3.8. [17] tum propter detestationem sceleris in Deum & in Regem commissi, adeóque in regnum totum quod a Danijele tranquillè administrabatur; tum propter exemplum: nam tanti sceleris familiæ ipsæ tenebantur, & exemplo aliæ deterrebantur a similibus maleficiis. [p] *Chal. solum.* [q] *Chald. a coram me.* [r] *Chald. manu leonum: ut Genes. 9. 5.* [18] ut dictum est suprà 1.21. nam hactenus historica illa prolepsis a Propheta fuit explicata, ut ibi diximus.

CAPUT VII.

Danijel visione quatuor bestiarum oblata, & Dei tradentis omne imperium filio hominis, interpretationem visorum postulat: propterea docetur de quatuor regnis in Judæam dominaturis, maximè verò de postremo, in quo populus Judæorum per Antiochum Epiphanem fuit gravissimè infestatus, cultus Dei eversus, & conturbata omnia; donec per Dei providentiam Seleucidarum regnum deletum est, ut omne imperium Christo in Ecclesia traderetur.

1 [1] ANno primo [2] Belschatzaris Regis Ba-
bylonicæ, Danijel somnium vidit, &
visiones capitis sui incumbens cubili suo: tunc
somnium scripsit, [a] summam verborum expo-
nens.
2 [3] Proloquutus Danijel dixit, videbam
in visione mea per noctem; quòd ecce [4] qua-
tuor venti cæli irrumpebant [5] in mari mag-
no:
3 Et [6] quatuor bestiæ magnæ ascendebant
e mari, [b] diversæ una ab altera.
4 [7] Prima similis [8] leoni, [9] cui *erant* alæ aqui-
læ; *hanc* vidi, usque dum [10] avulsis alis ejus qui-
bus [11] efferebatur e terra, [12] in pedes velut homo
stare coacta est, & [13] cor humanum inditum est
ei.
5 Deinde ecce [14] bestia altera secunda, [15] si-
milis urso, [16] quæ dominatum unum erexit, [17] ha-
bens tres [18] costas in ore suo inter dentes suos:
[19] cui ita [c] dicitur, surge, comede carnem mul-
tam.
6 Posteà videntem me, [20] ecce alia [illegible] similis
pardo, cui [22] alæ quatuor volucris *erant* in dorso
ipsius: & [23] quatuor capita bestiæ isti, cui potes-
tas [24] data.
7 [25] Posteà videbam visionibus nocturnis,
quòd ecce [26] bestia quarta [27] timenda, terribilis-
que, ac dura valde, cui *erant* [28] dentes ferrei mag-
ni, comedebat & comminuebat, ac [29] reliquum
pedibus suis conculcabat: [30] erátque diversa ab
omnibus bestiis antegressis, & *erant* [31] cornua de-
cem ei.
8 [32] Animum advertebam ad cornua, quum
ecce cornu [33] ultimum parvum succresceret [34] in-
ter illa, adeò ut tria ex cornibus illis prioribus e-
radicarentur a conspectu ejus: [35] & ecce oculi si-
miles oculis [d] humanis *erant* in cornu isto, sed os
loquebatur grandia.
9 [36] Videbam, donec [37] solia [e] abjecta sunt,
& [38] antiquus dierum sedit: [39] cujus vestimen-
tum ut nix album *erat*, & pili capitis ut lana
munda, solium *ut* scintillæ ignis, rotæ *ut* ignis ar-
dens,
10 A cujus conspectu [40] fluvius ignis mana-
bat prodiens, cui [41] millies mille ministrabant, &
coram quo myrias myriadum stabant: *donec* ju-
dicio considente [42] libri aperti sunt.
11 [43] Videbam, tunc [f] [44] ex quo cœpit vox
verborum grandium quæ cornu illud loqueba-
tur; videbam inquam, usque dum [45] occisa est
bestia illa, [46] perditúmque corpus ejus, ac tradi-
tum incendio ignis:
12 Etiam [47] residui bestiarum [g] ablatus est
dominatus; [48] quia spatium in vita datum *fuerat*
eis usque ad tempus & [49] constitutum tempus.

1 Hactenus explicatis narrationibus historicis eorum quæ Danijeli obvenerunt, deinceps exponit Danijel narrationes propheticas earum rerum quæ Ecclesiæ Dei eventuræ erant usque ad adventum Christi & promulgationem Evangelii. Hoc autem capite continetur prophetia de quatuor illis administrationibus quas Ecclesia Judæorum erat perpessura; ut diversa quidem visione, sed eodem argumento fuerat demonstratum Nebucad-netzari, & a Danijele expositum suprà 2. tantùm illud observandum est, quòd regna illa quatuor crassiùs tum fuerant adumbrata; succedente verò tempore singulares circumstantiæ regnorum & administrationum magis ac magis explicantur, ut in hac prophetia primùm, deinde in sequentibus juvante Deo ostendemus. 2 de quo suprà 5. a *Chald. caput verborum dicens.* 3 posita inscriptione versu præcedente, jam narrationem ingreditur Danijel, primùm quidem visionum, usque ad vers. 15. deinde verò petitæ exoratæque interpretationis, usque ad versum 28. quo versu prophetia hæc concluditur. 4 id est, administri procellarum sequentium, ac velut angeli nominatim a Deo immissi ad excitandas procellas & motus maximos, quibuscum bestiæ, seq. versu, id est, regna illa quatuor excitata sunt. Voluit enim hoc pacto Dominus ostendere, non consilio humano, aut casu omnia hæc fuisse orbi terrarum eventura, & Ecclesiæ suæ; sed certissima ipsius providentia & singulari œconomia. 5 id est, in terra, ut ostendit sequentis versus cum versu 17. comparatio. Nam terram ferè cum mari scriptura comparat propter æstuantes & reciprocantes mutationum fluctus, quibus infesta est totius terræ administratio. 6 quarum interpretationem vide vers. 17. & suprà 2. 37. & sequentibus, bestiis autem comparantur regna, quia ex belluarum more acquisita & administrata sunt. Quamobrem quum franguntur & tunduntur regna, ex contrario dicuntur tamquam homines restituti pedibus insistere, & cor humanum possidere, quia desinunt agere belluas, seq. versu. b *Chald. hæc ab illa.* 7 typus regni Babylonici. 8 typus præstantiæ quæ fuit in regno Babylonico, ut figurata est auro suprà 2.32. 9 id est, velocissima celeritate cum aquilis comparanda: vide Jirmj. 4.13. & 48. 40. & Jechezk. 17.3. & sequentibus. 10 id est, detractis regionibus, facultatibus, & ornamentis imperii per Darium & Cyrum: ut factum esse narrant historici, & prædicit Jirmeja 50. 21. & seq. 11 id est, extollebat se supra communem hominum aliorum sortem, & tamquam bestia sæviebat. 12 id est, deplumis effecta in communem sortem reducta est. 13 id est, abjectum, trepidum, & fractum, loco illius ingentis animi quo antè efferebatur ut leo. 14 typus regni Persici. 15 typus barbaricæ crudelitatis & ferinæ, quæ in regibus Persarum exstitit. Quamobrem illorum administratio minoris quàm Babyloniorum æstimatur, & comparatur cum argento suprà 2.32. 16 id est, quæ bestia alias secum dominantes ferre non potuit; sed dominio suo arrogavit illas, nec potuit quiescere donec illas imperio suo adunasset: sic exponuntur principia Persarum monarchiæ quibus primùm Medorum regnum, deinde Babylonicum adjunxit sibi. Non sumus nescii plerósque hanc vocem aliter interpretari, quia litera Schin modò in dextera sui parte, modò in sinistra puncto afficitur, & Hebraica exemplaria hoc loco variant: sed nos fidem librorum emendatissimorum sequuti maluimus hoc modo reddere, quem argumento & rei ipsius veritati convenientiorem esse putavimus. 17 id est, ampliùs etiam exedens & rodens in tres plagas orbis habitabilis, quæ disertè nominantur infrà 8.4. & suo loco exponentur. 18 id est, reliquias exesarum gentium, & a Persarum tyrannide absumtarum. 19 i. cui mandatur divinitus ut propaget imperium suum, & sub jugum mittat nationes quàm plurimas, eásque ut fera bestia devoret. c *Chald. dicunt.* 20 typus regni Macedonici. 21 id est, fraudulentissima & rapidissima: nam his duobus nominibus in scriptura celebratur pardus; Jirmej. 5. 6. & Chabakuk. 1. 8. Novimus quidem non ita fuisse vafrum & subdolum Alexandrum, ut fuerat Philippus ipsius pater: sed recordandum est semper his locis non tam respici unicam personam Regis, quàm regnum consiliúmque & administrationem ejus. Erat quidem Alexander Magnus homo furibundus, ebriosus, & circumfluens vitiis omnibus, qui quocunque aspirabat, temeritate potius quàm certo consilio judicióque ferebatur; sed usus est consiliariis patris, qui assiduè versati in technis illius solebant antevertere temeritatem Alexandri sapientissimis consiliis. Quamobrem dolus & rapiditas velocitásque maxima administrationis Macedonicæ hoc typo adumbratur.

22 indices pernicitatis summæ, quocunque illa se verteret. 23 id est, quatuor satrapiæ ejusdem regni, quod ad Alexandrum & Herculem filios Alexandri Magni fuerat perventurum jure hæreditario; sed post ingentes motus ad Aridæum fratrem Alexandri delatum & per satrapas administratum est: qui primùm ab Aridæo præfecti, deinde ab Antipatro regum tutore dato commutati, postremò mutuis inter se conspirationibus reges effecti sunt, & domini hæreditatis alienæ; interfectis Alexandro & Hercule per Cassandrum, qui Aridæo successit in regno Macedonico: vide infrà 11.4. 24 judicio Dei, ut suprà vers. 5. 25 typus regni Asiatici, quod regnum Seleucidarum dixerunt historici. Nam etsi Seleucus Nicanor inde ab Alexandri morte fuit inter satrapas numeratus, tamen exstincto in universum Alexandri genere Babylonem occupavit, & novum regnum instituit, a quo Judæi infinita mala perpessi sunt. In iis autem exponendis occupatur maxima pars capitum sequentium, prout monuimus suprà 2. & sequentia omnia commonstrabunt evidentissimè. 26 sed quæ propter infinitas varietates non potuit cum certa animantis specie comparari. 27 populo Dei, ad quem Danijel propriè respicit: ut suprà 2. 40. 28 id est, duces & copiæ, tamquam instrumenta commolendis & minuendis Judæis accommoda. 29 id est, quos non consumebat, eos calcabat indignissimè & quasi terebat pedibus, omnibus malis atrocissimis afficiens eorum mentes & corpora, ut deinceps planiùs exponetur. 30 præ tyrannidis gravitate, id est, non poterat aut cum superiorum ulla, aut cum alia specie comparari: ut antè diximus. 31 id est, Reges; ut exponitur infrà versu 20. 32 expositio singularis rerum quæ spectabantur in ea bestia, ut exponuntur infrà vers. 20. & sequentibus. 33 videlicet illorum decem, ut ibidem demonstrabimus. 34 id est, in eorum numero. 35 id est, quamvis humani aliquid præ se ferret, tamen specie tenus erat in eo humanitas; nam sermone Deum, & factis homines pios proscindebat, ut deinceps ostendemus. d *Chald. hominis.* 36 altera pars visionis de ratione quam observavit Deus in tollenda bestia, cujus duo sunt gradus: unus, quòd maxima patientia & longanimitate usus est antequàm bestiam pessumdaret, usque ad versum 13. alter, quòd filium suum æternum, hæredem constitutum rerum omnium, misit in possessionem regni sui, vers. 13. & 14. Videbam ergo, id est, observabam stantem hanc bestiam. 37 id est, regnum & dominatus regum illorum, infrà versu 26. e *Chald. abjecerunt.* 38 id est, Deus sempiternus: [illegible]. 39 id est, qui justitia integerrima & potentia absolutissima instructus est ad perficiendum judicia sua: quò spectant typi omnes positi hoc & sequent. versu. 40 typus judiciorum Dei constantissimorum, perlustrantium, pervadentiúmque omnia, & adversa quæque consumentium. 41 id est, infiniti angeli. 42 id est, acta rerum ab hac bestia & cornu gestarum in judicium producta, & a Deo cognita: humanitus dictum; ut Apocal. 20.12. 43 nempe Deum in judicio considentem, ut omne regnum traderet filio, vers. 13. & 14. f *Chald. a voce verborum.* 44 nam inde a tempore Antiochi Epiphanis cœpit Deus quatere & labefactare Seleucidarum regnum externis & internis motibus. 45 id est, regnum Seleucidarum ad Tygranem translatum, teste Justino libro 40. 46 id est, delata regni species capto Tygrane, & Syria in provinciam redacta per Pompeium. 47 id est reliquiæ antecedentium regnorum cum hoc interciderunt, & a Romanis funditus sublatæ sunt. g *Chald. abstulerunt dominatum: sic versu 26.* 48 id est, quia hæc omnia regna temporaria sunt; non autem æterna, quemadmodum illud est quod pater tradit filio, versibus duobus sequentibus. 49 id est, certum & definitum providentia Dei, cujus fines nulla vi aut arte transilire potuerunt.

13 Videbam

13 Videbam visionibus nocturnis, quòd ecce
cum nubibus cæli [50] similis filio hominis [51] venie-
bat: [52] deinde usque ad antiquum dierum per-
venit, [53] ut [h] sisteretur ante eum:
14 Et huic datus *est* dominatus, gloriáq; ac
regnum, ut omnes populi nationes & linguæ ei
serviant: cujus dominatus dominatus *est* [i] per-
petuus qui non præterit, & regnum ejus *regnum*
quod non corrumpitur.
15 [54] Transfixus est spiritus meus, mihi Da-
nijeli, intra [k] corpus; & visiones capitis mei con-
turbaverunt me.
16 Appropinquavi ad unum ex [55] adstanti-
bus, & veritatem quæsivi ab eo de tota re hac:
qui alloquens me interpretationem verborum
notam fecit mihi, *dicens*,
17 Hæ bestiæ magnæ quæ sunt quatuor; qua-
tuor *sunt* [56] reges surrecturi è terra.
18 [57] Qui accipient regnũ hoc, regnum san-
ctorum excelsorum; [58] qui possessuri sunt reg-
num ipsum usque in seculum, & usque in seculum
seculorum.
19 [59] Tunc optavi veritatem cognoscere de
[60] bestia illa quarta, quæ erat diversa ab omni-
bus illis; timenda valde dentibus ferreis, & [61] un-
guibus chalybeis, comedente, comminuente, &
reliquum pedibus suis conculcante:
20 Similiter de cornibus decem quæ *erant* in
capite ejus, & ultimo [62] quod succrevit cadenti-
bus a conspectu ejus tribus: de cornu, inquam,
ejusmodi cui *erant* oculi & os loquens grandia,
[63] cujus denique species major fuit quàm socio-
rum ejus.
21 [64] Videram cornu ejusmodi gerere bellum
cum sanctis; & prævalere eis:
22 Usque dum veniret antiquus dierum, & ju-
dicium [65] daretur sanctis excelsorum; & tempus
perveniret quo regnum illud possiderent sancti.
23 Ita autem dixit; bestia illa quarta [66] regnũ
quartum erit in terra, quod [67] diversum erit ab
omnibus illis regnis: consumet enim totã [68] ter-
ram, conterétq; eam, & comminuet eam:
24 Et cornua decem ex illo regno, [69] decem
Reges exsurgent; post quos exsurget [70] postre-
mus, qui erit [71] diversus à prioribus, & [72] tres
reges deprimet:
25 [73] Et verba adversus excelsum loquetur;
ac sanctos excelsorum deteret: [74] adeò ut cogi-
tet se mutaturum tempora & jus, [75] tradantúrq;
per manum ejus, [76] usque ad tempus & tempora
particulámq; temporis.
26 [77] Sed judicium considebit; & dominatus
ejus auferetur profligando & perdendo usque in
finem.
27 [l] Regnum autem, dominatúsq; & ampli-
tudo regnorum sub toto cælo dabitur populo
sanctorum excelsorum: cujus regnum regnum
erit perpetuum, & omnes dominatores ei servi-
ent, & auscultabunt.
28 Hucusque finis *est* sermonis illius: ego Da-
nijel quum valde cogitationes meæ conturba-
vissent me, & [l] totus splendor meus mutatus
fuisset in me, verbum hoc apud [m] animũ meum
servavi.

[50] id est, figura Christi Dei & hominis veri, in persona una: nam Deitas illius figuratur adventu è nubibus, humanitas verò nomine ipso confirmatur. [51] perfecturus in terris mysterium redemtionis nostræ. [52] i. redemtione consummata ascendit in cœlos ad Patrem. [53] i. ut sistens seipsum Deo ac Patri sederet ad dexteram illius, & omnem dominatũ gloriamq; ac regnum acciperet, seq. vers. [h] *Chald. sisterent eum.* [i] *Chald. seculi.* [54] altera pars narrationis, ut diximus in ℣. 2. qua Propheta primùm petit, hoc & seq. versu; deinde accipit visi interpretationẽ, ad finẽ usq;. [k] *Chald. vaginæ: quam metaphorã servavit in Hermotimi Clazomenii historia Plinius lib. 7. natur. hist. cap. 52.* [55] angelis, de quibus versu 10. [56] i. regna, de quibus sup. ℣. 3. & sequentibus. [57] i. quæ regna dominabuntur in Judæos, qui μετοχικῶς vocantur sancti excelsorum, hic & infrà 21. & 22. quia penes illos fuit Ecclesia Dei usque in adventum Christi. Est autem hæc verissima Ecclesiæ definitio, ut dicatur esse cœtus sanctorũ ad excelsa, hoc est, ad cælestem vitam pertinentium. [58] videlicet sancti excelsorum in Christo: sic perstringit Angelus totius visionis summã, indignitatémq; belluinæ hominum administrationis in Ecclesiam amplificat per comparationem futuræ sanctorum gloriæ. [59] i. quum non satis mihi fuisset factũ hoc breviore responso. [60] de qua suprà vers. 7. & 8. [61] quibus figuratur hoc regnum laniasse sanctos: prout legitur in Machabæorum libris. [62] etsi primùm minimum fuerat, suprà vers. 8. nam Antiochum Epiphanem, de quo hæc dicuntur, nullo jure fuisse Regem demonstrabimus in ℣. 24. & hominem fuisse impurissimum ostendit ipsa nominis antiphrasis. [63] i. qui tandem Seleucidas alios omnes amplitudine superavit. [64] his duobus versib. causam exponit Danijel, cur tam sollicitè verum de hac bestia, singularibúsq; illius partibus & factis voluerit cognoscere; nempe quòd ab eo tempore Judæorum populus erat infestandus atrocissimè, donec liberaretur Ecclesia ab inimicis suis adventu Christi. [65] in Christo. [66] Seleucidarum, ut antè diximus. [67] crudeli administratione, quam exponunt sequentia. [68] populi Dei sive Jehudæam, ut planè accipiendum est ex vers. 21. [69] a cœpto Seleucidarum regno usque ad Antiochum Epiphanem decem Reges numerantur: Seleucus Nicanor primus, Antiochus Soter secundus, Antiochus Theos tertius, Seleucus Callinicus quartus, hoc expulso Ptolemæus Evergetes quintus, ejecto Ptolemæo Seleucus Ceraunus sextus; Antiochus Magnus sive Hierax, id est accipiter, pater Seleuci Philopatoris & Antiochi Epiphanis, septimus, magno Antiocho ejecto & aliis rebus occupato Ptolemæus Philopator octavus, Ptolemæo depulso per Antiochum magnum & filios Seleucus Philopator nonus, & Seleuco occiso frater minor Antiochus Epiphanes decimus. [70] istorum decem quos numeravimus. [71] ut præcedente versu. Nam & in gentem suam, & in exteras fuit perfidiosissimus. [72] nimirum Ptolemæum Philopatora, quem collatis cum patre & fratre viribus Syria depulit; deinde Seleucum fratrem suum majorem, qui Demetrium filium Romam mittebat ut ipsum Epiphanem liberaret; ac postremò ipsum Demetrium obsidem, ad quem jus regni pertinebat.

[73] id est, blasphemus erit in Deum, & contumeliosissimus atrocissimúsq; tyrannus in populũ ejus: quod amplissimè enarrat Danijel infrà 11. [74] i. tam blasphemus & importunus erit, ut ipsam Dei auctoritatem sibi in populum ejus arroget, tempora sabbathorum, festorum, & circumcisionis abolendo, & legem ipsam Dei juráq; omnia nefariè convellendo. [75] i. novæ leges & ceremoniæ ab ipso imperentur, & instituantur in populo Dei arbitratu ejus. [76] i. per spatium annorum trium, & dierum decem: nam die decimoquinto mensis Cislevi anno centesimo quadragesimo quinto regni Seleucidarum hoc effectum est, 1. Macb. 1. 57. deinde verò die vigesimo quinto mensis Cislevi anno centesimo quadragesimo octavo legitimus Dei cultus instauratus est, 1. Macb. 4. 52. Quamobrem prima vox, tempus, annum significat corruptũ sive constantem ex duobus diversorum annorum partibus; tempora biennium justum; particula temporis dies decem: vide suprà 4. 16. [77] id est, sed Deus justus judex ex eo tempore non desinet judicia exercere in Seleucidas, ut diximus sup. in vers. 9. & 11. [l] *sup. vers. 14.* [l] *Chald. splendores mei mutati fuissent.* [m] *Chald. cor.*

CAPUT VIII.

Deus Danijeli tum visionibus figurat, tum verbis explicat constitutionem futuram regni Persici, Macedonici, & Seleucidarum; & calamitates obventuras Ecclesiæ Judæorum per Antiochum Epiphanem: quarum tempus circumscribit ad piorum consolationem.

1 [1] ANno tertio regni Belschatzaris Re-
gis; visio apparuit mihi, mihi Da-
nijeli, post *illam* quæ apparuerat mihi [2] prin-
cipio.
2 Respiciens igitur ad visionem illam (erat
autem quum viderem, ut essem [3] Schuschane *in*
palatio quod *est* in [4] Helami provincia) respici-
ens inquam, ad illam visionem, quum essem ad
fluentum [5] Ulaii,
3 Sustuli oculos meos, & vidi quòd ecce [6] a-
ries unus stabat ante fluentum illud, [a] bicornis:
duo autem illius cornua *erant* alta, sed unum al-
tius [b] altero, & quod altius erat [c] assurrexit [7] po-
sterius.
4 Videbam istum arietem cornu peten-
tem [d] [8] Occidentem, Aquilonémque, &
meridiem versus, cui nullæ bestiæ obsiste-
bant, neque ullus eripiebat è manu ejus, sed fa-
ciebat pro voluntate sua, [e] & quidem res mag-
nificas.

[1] Hujus prophetiæ præter inscriptionem comprehensam vers. 1. partes duæ sunt: visio, ad versum usque 15. & visionis interpretatio ex optato Danijelis, inde ad versum ultimum. Continet autem pars utraque tertiam descriptionem regnorum, de quibus suprà capite 2. & 7. hoc tantùm interest, quòd in superioribus mentionem fecit regni Babylonici; hic verò trium duntaxat consequentium, quia regnum Babylonicum erat triennio ruiturum: quam eamdem rationem servavit Danijel in prophetiis sequentibus, quia tum jacebat Babyloniorum regnum, quum oblatæ sunt ei visiones illæ, & exaratæ prophetiæ. [2] id est, anno primo, suprà 7. 1. [3] id est, Susis, ut Geographi vocant, quod opidum circumluitur Eulæo fluvio, & nomen Susianes indidit regioni toti. [4] vide Genes. 10. 22. Nam Susiane olim pars fuit Helamitidos, Persiam interiùs ab oriente habens discretam fluvio Oroatide. [5] id est, ad Eulæum fluvium, ut a Geographis appellatur. [6] typus regni Medorum Persarúmque, ut exponitur versu 20. [a] *Hebr. cui cornua duo.* [b] *Hebr. secundo.* [c] *Hebr. ascendit: sic deinceps.* [7] tempore: nam prius erat Medorum quàm Persarum regnum. [d] *Hebr. mare.* [8] vide suprà 7. 5. [e] *Hebr. & magnificabat.*

5 Me autem considerante, ecce [9] hircus [f] è capris veniebat ab occasu in superficiem totius terræ, [10] quem nemo attingebat in terra: & hirco isti cornu [g] [11] conspicuum *erat* inter oculos ipsius.

6 Veniens itaque ad illum usque arietem [h] bicornem, quem videram stantem ante ipsum fluentum; incurrit in eum [i] excandescens viribus suis.

7 Quum autem vidissem eum pervenientem ad illum arietem, exacerbans se contra illũ ferivit arietem, adeò ut frangeret ambo cornua illius, nec esset vis in ariete obsistendi ei: & dejiciens illum in terram conculcavit illum, nec fuit qui eriperet arietem ex manu ipsius.

8 Hircus verò è capris, magnus evasit [k] admodum: sed quum roboratus esset, [12] fractum est cornu illud magnum, & assurrexerunt conspicua *cornua* quatuor loco ejus in quatuor ventos cæli:

9 Et [13] ab uno ex ipsis prodiit cornu unum [14] perparvum; quod magnificavit se excellenter [15] versus Meridiem & versus [16] Orientem, & versus [17] decus ipsum:

10 Ubi magnificavit se contra [18] exercitum cæli; adeò ut dejiciens in terram de exercitu illo & [19] de stellis ipsis, conculcaret eas.

11 Etiam usque ad [20] Principem illius exercitus magnificavit se: nam [21] ab ipso sublatus est jugis *cultus*, & abjectum habitaculum sanctuarii illius,

12 [22] Exercitúsq; expositus est defectioni contra jugem *cultum*: adeò ut dejiciens [23] veritatem in terram, faceret & prosperaretur.

13 Tunc audivi quemdam [24] sanctum loquentem: dixit enim quidam sanctus [25] illi qui occulta in numerato habet loquenti; quousque ista visio *erit* de jugi *cultu*, de defectione desolante? *quousque* exponetur & sanctitas, & exercitus conculcationi?

14 Dixitq; [26] mihi, [27] usque [l] ad [28] vespertina matutináque tempora bis mille trecenta: [29] tum [m] justè restituetur sanctitas.

[9] typus regni Macedonici, ut exponitur infrà 21.
[f] *Heb. caprarum.*
[10] id est, qui solo adventu victor erat; tantùm abest ut quisquam obsisteret, donec venit ad arietem.
[g] *Heb. visionis: sic deinceps.*
[11] præ magnitudine, ut exponitur infrà vers. 8. & 21.
[h] *Heb. dominum duorum cornuum: sic versu 20.*
[i] *Hebr. excandescentia virium suarum.*
[k] *Heb. usque valde.*
[12] typus mortis Alexandri Macedonis, ut infrà vers. 22.
[13] id est, a Seleuco Nicanore.
[14] ut suprà 7. 8. hæc autem de Antiocho Epiphane dicta sunt, ut suprà capite 7.
[15] id est, Aegyptum, quam cepit & obtinuit Antiochus Epiphanes sive Illustris, donec a Romanis per Caium Popilium decedere coactus est.
[16] nam pervasit etiam Persida, & regni fines Ptolemaida usque ampliavit. [17] i. Judæam, terram populi Dei: nam his ellogiis celebratur regio illa in scripturis, ut Psal. 48. 3. & Jechezk. 20. 6. [18] i. populum Dei, sive Ecclesiam in Judæa olim circumscriptam: cujus singula membra nominantur sancti Excelsorum, suprà 7. 18. & sequentib. quamobrem populus sanctorũ cõmuniter appellantur, infrà vers. 24. [19] i. viris principibus & illustribus inter cæteros, qui administratione sua quũ in Republica tum in Ecclesia aliis præluxerint. [20] i. Deum in populo suo singulari modo imperantem: quapropter princeps principum nominatur infrà 25. [21] Antiocho, quem figurat cornu. [22] i. populus Dei vi, dolo, & modis omnibus sollicitatus est, multiq; adducti ut deficerent a legitimo Dei cultu, & ad gentium nefarios ritus transfugerent. [23] i. legem & doctrinam veritatis. [24] Angelum videlicet: ut desiderant angeli introspicere in mysteria Dei, 1. Petr. 1. 12. [25] id est, Christo, sapientiæ æternæ & sermoni Patris: nam hæc duo sunt propria personæ Christi epitheta; unum, quòd sapientia est Dei Patris, & arcana illius omnia ab illo apud se habet, tamquam numerata & perfectissimè cognita; alterum, quòd sermo est Dei Patris, & arcana illius prout commodum & tempestivum est angelis suis hominibúsq; eloquitur in Ecclesia: quamobrem hîc ab Angelo ut inferiore consulitur. Novimus quidem Hebræam vocem a Judæis aliter accipi, compositionem durissimam duarum vocum effingentibus, ut deludant veram hujus nominis interpretationem: sed nos rationem habuimus tum ipsius veritatis, tum etiam punctorum in hac nostra interpretatione. [26] non autem sciscitanti Angelo: quia Angelus non sua, sed Danijelis & Ecclesiæ causa rogaverat: ut antè diximus ex 1. Petr. 1. 12. [27] i. futura est funesta hæc calamitas annos sex tres menses & dies fermè octodecim, si in hoc septem annorum spatio bis intercalaveris. Hoc autem quomodo & quando gestum sit, colligendum est ex 1. Macb. 1. 12. nam evenit primùm desolans illa defectio anno centesimo quadragesimo primo Seleucidarum, 1. Macb. 1. 12. ex quo Menelaus Regis Antiochi mandatis instructus advenisset, 2. Macb. 4. 25. qua in defectione perseveratum est sequente anno, quũ Antiochus Aegyptum occuparet; tertiò verò reversus Jeruschalaima devastavit, ibidem ℣. 21. & suam impietatem produxit usque ad annum centesimum quadragesimum octavum, cujus mense nono die vigesimo quinto repurgatum est templum & cultus instauratus, 1. Macb. 4. 52. [l] *Heb. usque ad vesperam manè.* [28] i. dies bis mille trecentos, qui περιφραστικῶς a suis partibus nominantur: ut infrà 26. sic Græci τὸ νυχθήμερον dixerunt.

15 [30] Fuit autem quum viderem ego Danijel istam visionem; ut requirente me intelligentiam, ecce staret coram me [31] quasi species viri:

16 Et audirem vocem [32] humanam [33] inter Ulajum; quæ inclamans dixit, Gabriel declara huic visionem istam.

17 Itaque venit ad stationem meam, quo adveniente [34] conturbatus procidi in faciem meam: sed dixit mihi, animadverte fili hominis, nam tempore [n] definito hæc visio *futura est.*

18 Quum autem loquente eo mecum, sopore obrutus jacerem pronus in terra; [35] tangens me fecit ut starem in statione mea.

19 Et dixit, [36] ecce ego notum facturus sum tibi id quod futurum est usque ad extremitatem istius indignationis; nam constituto tempore finis *erit.*

20 [37] Aries, quem vidisti, bicornis; *est* regum Mediæ & Persidis:

21 [38] Hircus autem ille [39] villosus, *est* [40] regis Græciæ: cornu autem magnum interjectum oculis ejus, est [41] rex primus.

22 Atque hoc [42] effracto quòd consurgent quatuor pro illo; [43] quatuor regna [44] ex *sua* gente [o] assurrectura, sed non cum robore [45] illius.

23 [p] [46] Procedente autem regno [47] istorum, [48] quum *defectionem* consummabunt defectores isti; exsurget [49] Rex [q] impudens & [r] cautus:

24 Cujus robur ita invalescet, etsi [50] non robore ipsius, ut [s] mirificentissimè perdat, prosperetúrq; & efficiat; perdet enim [51] validos, populúmq; sanctorum:

25 Et incumbens intelligentię suæ prosperabit dolum [t] actionum suarum, & [u] cum animo suo magnificabit se, & [52] in tranquillitate perdet multos: denique [53] principi principum obsistet, & [54] absque manu frangetur.

26 [55] Visio autem illius vespertini & matutini temporis quæ dicta fuit [x] verissima est: quare tu [56] occlude hanc visionem, quia [57] dierum multorum *est.*

27 Tunc ego Danijel [y] affectus ægritudine *aliquot* dies, assurgens feci [58] officium regis; [59] quamvis obstupescerem super visione hac, nemo tamen animadvertebat.

[29] id est, præcisè hoc elapso tempore cultus Dei instaurabitur: ut ex 1. Mac. 4. modò ostendimus.
[m] *Heb. justificabitur.*
[30] transitio ad secundam partem, nempe interpretationem visi: ut diximus in vers. 1.
[31] id est, angelus humana specie, qui proptereà dicitur Gabriel, id est, vir Dei fortis, versu sequente, & infrà 9. 21.
[32] illius videlicet qui occulta in numerato habet, id est, Christi, de quo versu 13. Nam idem Angelis imperat, & interpres est judiciorum Dei & promissionum in Ecclesia.
[33] id est, inter duas ripas illius fluvii, de quo suprà 2.
[34] ut Jechezk. 1. 28.
[n] *Heb. finis.*
[35] id est, recreavit & confirmavit me ab infirmitate mea: ut 1. Reg. 17. 5. & 7.
[36] exordium explicationis ad visum superius pertinentis habetur hoc versu; explicatio autem, septem sequentibus.
[37] de quo vers. 3. & 4.
[38] de quo versu 5. 6. & 7.
[39] id est, horribilis, a signo. [40] i. regnorum, quæ posteà distribuit Propheta. [41] Alexander Magnus, qui primus Græcorum Judæam comparavit. [42] ut suprà ℣. 8. [43] Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, & Aegypti. Fuit autem regnum illud Syriæ, quod Seleucidarum historici appellant, de quo deinceps Propheta acturus est. [44] i. non è gente Alexandri (nam totum illius genus duodecim annis intercidit) sed ex suis gentibus singula. [o] *Heb. stabunt: sic vers. seq.* [45] Alexandri, q. d. viribus imparia. [p] *Heb. in consequentia autẽ regni istorum.* [46] nimirum anno centesimo trigesimo septimo Seleucidarũ, ut antè diximus ex 1. Macb. 1. [47] ac Seleucidarum maximè, à quibus Rex iste ortus est. [48] de qua 1. Mac. 1. 12. ut ℣. 14. notavimus. [49] Antiochus Epiphanes, sive Illustris per antiphrasim dictus, quem propterea (Polybio teste) alii vocarunt petulantiæ nomine ἐπιμανῆ, quasi furiosum dicas. [q] *Heb. durus faciè, ut Deut. 28. 50.* [r] *Heb intelligens ænigmata.* [50] i. non strenuè, sed tantùm impurissima fraude, ut dicitur seq. vers. [s] *Heb. mirabilibus.* [51] i. summos cum infimis: vide 1. Mac. 1. 25. & sequentib. [t] *Heb. in manu sua.* [u] *Heb. in corde suo.* [52] i. neque lacessitus, neque lacessens armis; sed pacem simulans tyrannicas cædes exercebit. [53] vide sup. in vers. 11. [54] i. languore & morbo conficietur ex animi cruciatu, divina vindicta illum persequente, 1. Mac. 6. & 2. Mac. 9. [55] de qua sup. vers. 14. [x] *Heb. veritas.* [56] i. quasi obseratam & obsignatã reconde in animo tuo, & piis tantùm omnibus confirma; apud istos verò dissimula: ut ostenditur seq. vers. sic Jechaŝ. 8. 16. & infrà 12. 4. [57] nempe trecentorum ampliùs annorum, ab ineunte Persarum dominatu in Babyloniam, ad Antiochi Illustris exitium. [y] *Heb. affectus fui & ægrotavi.* [58] id est, mihi a rege imperatum atque impositum. [59] id est, dissimulabam optimè affectionem animi mei, atque ita occlusam in animo meo visionem continebam, prout me facere Deus mandaverat præcedente versu.

CAPUT.

CAPUT IX.

Danijelem anno liberationis promissæ cogitantem & precibus flagitantem a Deo remissionem peccatorum suorum & popularium, gratiam, misericordiam, liberationem, & restitutionem Ecclesiæ, Deus confirmat de proxima liberatione, & eo vestigio perducit ad spiritualem liberationem quam Christus per Euangelium effecit in adventu suo: ac propterea tempora definiens accuratissimè, exponit salutem Ecclesiæ, & Judæorum contumacium ruinam.

1 [1] ANno [a] primo [2] Darîi filii Assueri ex semine Medorum, quo factus est Rex in regno Chaldæorum:
2 Anno primo regni ejus, ego Danijel considerans [3] [8] ex libris; numerum annorum, quibus fuerat verbum Jehovæ ad Jirmejam Prophetam [b] completas fore vastitates Jeruschalaimorum, septuagesimum annum *esse*,
3 Adhibui faciem meam ad Dominũ Deũ, quærendo oratione & deprecationibus; cum jejunio, ciliciôq;, & cinere:
4 [4] Et orans Jehovam Deum meum, confessus sum; ac dixi, [5] obsecro, Domine, [8] *Deus* fortissime, maxime, & summè reverende; servans fedus & benignitatem amantibus ipsum & observantibus præcepta ipsius:
5 Peccavimus, & perversè egimus, improbéq; fecimus, ac rebellavimus; & *quidem* recedendo a præceptis tuis & a juribus tuis.
6 Non enim auscultavimus servis tuis Prophetis, qui alloquebantur nomine tuo reges nostros, principes nostros, & patres nostros; ac totum populum terræ.
7 Penes te, ô Domine, *est* justitia ipsa, at penes nos pudor faciei, qualis *est* die hoc; penes viros Jehudæ, & penes habitatores Jeruschalaimorum, & penes omnes Jisraëlitas, propinquos & longinquos, in omnibus regionibus quò depulisti eos, propter prævaricationem ipsorum qua prævaricati sunt in te:
8 Domine, penes nos *est* pudor vultus, penes Reges nostros, penes principes nostros, & penes patres nostros; quia peccavimus in te.
9 Penes dominum Deum nostrum *sunt* miserationes & condonationes, [6] quia rebellavimus contra ipsum,
10 Ac non auscultavimus voci Jehovæ Dei nostri; ut ambularemus in legibus ejus, quas proposuerat nobis per servos suos prophetas:
11 Sed omnes Jisraëlitæ transgressi sunt legem tuam, idq; recedendo ut non auscultarent voci tuæ: quapropter effusa est super nos [8] illa exsecratio & illa adjuratio quæ scripta *est* in lege Moschis servi Dei, quia peccavimus in eum.
12 Itaque præstitit unumquodque verborum suorum quæ loquutus fuerat contra nos & contra judices nostros qui judicabant nos, inducendo super nos malum [7] magnum: non enim factum fuit *malum* sub toto cælo, quemadmodum factum est contra Jeruschalaima.
13 Quemadmodum scriptum *est* in lege Moschis, totum hoc malum supervenit nobis; nec tamen deprecati sumus faciem iratam Jehovæ Dei nostri, revertendo ab iniquitatibus nostris, & animum advertendo ad veritatem tuam.
14 Ideò sedulus fuit Jehova in illo malo quod adduxit super nos: nam justus *est* Jehova Deus noster in omnibus factis suis quæ fecit, quum non auscultaverimus voci ipsius.
15 [8] Nunc ergo, Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum e terra Ægypti manu forti; & comparasti tibi nomen quale *est* hoc die: peccavimus, improbè egimus.
16 Domine secundùm [c] totam justitiam tuam summam, avertat se jam ira tua & excandescentia tua a civitate tua Jeruschalaimis, monte sanctitatis tuæ: nam propter peccata nostra & propter iniquitates patrum nostrorũ Jeruschalaima, populúsq; tuus opprobrio *sunt* omnibus circumstantibus nos.
17 Nunc inquam ausculta, Deus noster, orationi servi tui & deprecationibus ejus, & fac ut luceat facies tua super sanctuarium tuum quod desolatum est, [9] propter Dominum.
18 Inclina, Deus mi, aurem tuam & audi; aperi oculos tuos & vide desolationes nostras, & civitatis [d] quæ vocata est de nomine tuo: non enim propter [e] ullam justitiam nostrã nos [f] procidentes deprecamur te, sed propter miserationes tuas amplissimas.
19 Domine exaudi, Domine condona, Domine attende & effice, ne tardato: propter te, Deus mi, quia de nomine tuo vocatur civitas tua & populus tuus.
20 [10] Me autem adhuc loquente, & orante, ac confitente peccatum meum & peccatum populi mei Jisraëlis; & prono deprecante iratam faciem Jehovæ Dei mei pro monte [g] sancto Dei mei,
21 Adhuc, inquam, me loquente in oratione; [11] vir ille Gabriel, quem videram in illa visione principiò, jussus advolare [h] contentissimè, [12] tetigit me [13] sub tempus muneris verspertini:
22 [14] Et [i] informans me loquutus est mecum; ac dixit, ô Danijel, nunc prodii ut [k] imbuam te intelligentia.
23 [15] In principio deprecationum tuarum prodiit verbum, ad quod indicandum venio, quia [l] [16] desideratissimus es; quapropter animadverte ipsum verbum, & intellige visionem istam.
24 [17] Septimanæ septuaginta [m] decisæ sunt

[1] Hujus capitis tres sunt in universum partes: prima est, narratio occasionis qua adductus est Propheta ad requirendam & exorandam revelationem propheticam, tribus versib. secunda est oratio, usque ad vers. 20. tertia denique prophetica revelatio de tempore adventus Christi & effectis illius. [a] *Heb uno Darjaveschi filii Achaschveroschi.* [2] de quo suprà 6.1. [3] tum prophetiarum Jirmejæ quibus annorum numerus fuerat præfinitus, tum historiis temporum quæ a deportationis initio effluxerant. [8] *Jirm. 25. 29.* [b] *Heb. completurum vastitatibus.* [4] hujus orationis quam Danijel adhibet coram Deo, suo & popularium suorum nomine, duo sunt præcipua in universum capita; prius est confessio peccatorum, & justitiæ Dei peccatores castigantis, usque ad vers. 14 posterius, petitio liberationis & gratiæ, usque ad vers. 20. quæ duo præpostero ordine proponuntur hoc vers. [5] tota hæc confessio duobus argumentis nititur, natura Dei qui gratiosè fedus inire, misericordiámq; & judicium exercere dicitur; & hominum imbecillitate, quam de se & popularibus Danijel prædicat, ad gloriam Dei confusione ipsorum illustrandum. [8] *Deut. 7. 9. & c. 21.* [6] *αἰτιον* hoc ostendit cur penes Dominum dicantur miserationes & condonationes esse, & ab illo tantùm salus exspectari: nempe quòd homines quamvis sanctissimi suæ rebellionis in Deũ sunt conscii, ac proinde a se nihil nisi perditionem suam proficisci agnoscunt, salutem verò contrà ab unica Dei misericordia, ut infrà vers. 18. [8] *Levit. 26. & Deut. 28.* [7] videlicet quantum non fuerat auditum usquam, visum, aut effectum anteà: quod significatur verbis sequentibus, & confirmatur Lamentationibus Jirm.

[8] transitio ad secundam orationis partem, per cõparationem anteacta Dei beneficentiæ, & præcedentis confessionis anacephalæosin, hoc vers. [c] *Heb. totas justitias tuas.* [9] id est, Christum mediatorem, qui hæres & Dominus constitutus est omnium. [d] *Heb. super quam vocatur nomen tuum: sic vers. 19.* [e] *Heb. justitias nostras.* [f] *Heb. projicimus deprecationes nostras coram te: sic versu 20.* [10] transitio ad narrationem propheticæ revelationis, quæ facta fuit Danijeli, vers. 21. & sequentibus. [g] *Heb. sanctitatis.* [11] de quo sup. 8. 16. [h] *Heb. cum lassitudine: hyperbole.* [12] ut suprà 8. 18. [13] vide 1. Reg. 18. 29. [14] hujus revelationis exordium continetur hoc & sequente vers. propositio, quatuor sequentibus. Tota autem eò pertinet ut Danijel intelligat minimè sibi hærendum esse in temporali hac restitutione; sed eam cognoscat potiùs typum fuisse & particulam quamdam æternæ liberationis in Christo. Quamobrem pro septuaginta annis captivitatis prædicit septuaginta septimanas annorum commorationis in terra, & regnum Christi explicat evidentissimè. [i] *Heb. faciens intelligere.* [k] *Heb. faciam ut percipias intelligentiam.* [15] id est, quum primùm cœpisti orare, mandatum accepi a Deo ut responderem tibi. [l] *Heb. vir desideriorum: ut infrà 10. 11.* [16] id est, Deo acceptissimus. [17] videlicet annorum, quæ septimanæ universè efficiunt annos 490. Est autem hic numerus integer sive rotundatus propriè accipiendus ab anno 2. Darii Nothi Persarum Regis ad excidium usque Jeruschalaimorum quod anno 2. Vespasiani patris per Titum effectum est: ut ipse Danijel temporibus minutatim & accuratè distinctis deinceps explicat. Hos autem annos facilè & apertè hoc modo supputaveris. Ab anno 2. Darii Nothi regnum Persarum duravit annos 92. Dario Kodmanno ultimo Persarum Rege profligato, Alexander magnus (cujus mors incidit in annum primum 114. Olympiadis) regnavit annos 6. nam in hac temporis definitione Arrianus & probati auctores quique consentiunt. Christus passus est (ut doctè monet Scaliger) ineunte anno primo Olympiadis 203. quæ interjectæ Olympiades 89. efficiunt annos 356. Post annos 36. quàm Christus pro nobis passus est, eversa sunt Jeruschalaima anno 2. Vespasiani Cæsaris. His omnibus præcisè hebdomades 70. annorum, quas Propheta ponit, continentur. [m] *Hebr. decisum est: impersonaliter.*

92	*Pers.*
6	*Alex.*
356	*pass.*
36	*destr.*
490	

sunt [18] super populum tuum, & super civitatem [n] sanctam tuam, [19] cohibendo defectionem illam, & obsignando peccata, & expiando iniquitatem, & [20] abducendo justitiam [o] perpetuam: [21] idque obsignando visionem ac Prophetam, & ungendo sanctum sanctorum.

25 [22] Igitur cognoscito & intelligito [23] ab [p] enunciatione verbi [24] de restituendo, & [25] de ædificandis Jeruschalaimis [26] usq; ad Christum antecessorem *fore* [27] septimanas septem; deinde [28] septimanas sexaginta duas, [29] *quum erit* [q] rursus ædificata platea & fossa, idq; [30] in angustia temporum.

26 [31] Post septimanas autem illas sexaginta duas, [32] exciso Christo, quum [33] nihil *erit* ipsi: civitatem ipsam & sanctum [34] perdet, [35] populum antecessoris [36] venturum, [37] *erit*q; illius finis [38] cum inundatione, & usque ad finem belli [r] præcisè desolatio maxima.

[18] id est, intra illud tempus præcisè populus, urbs, & natio tota destruetur: quo tempore beneficia quæ sequuntur præstabit Christus. [n] *Heb. sanctitatis suæ.* [19] id est, quo tempore Christus Deus in carne φανερωθεὶς, ex Euangelio in Ecclesiam suam præstabit hæc beneficia omnia, quæ in hoc versu exprimuntur: nempe liberationem a malo, & communicationem boni, per veram & constantem officiorum exsequutionem quæ Pater ipsi mandavit ad salutem nostram perficiendam. Nam primùm continebit & confirmabit bonos prædicatione Euangelii ne deficiant a Deo (prout gravissima & universalis ferè defectio invasit inde a temporibus Antiochi Illustris, de quo sup. 8. 13. & sequentibus) & obsignabit, id est, teget peccata, & tollet expiatione iniquitates electorum: quæ tria gradatim prædicantur de Christo forensi quadam ratione: quia ille unus est agnus Dei, & propitiatio pro peccatis nostris. [20] altera pars beneficiorum Christi, qui non tantùm peccata adimit; sed æternam quoque justitiam confert omnibus credentibus in se. [o] *Heb. seculorum.* [21] id est, quæ quidem beneficia duo amplissima, abolitionis peccatorum, & justitiæ æternæ Christus tunc duobus modis præstiturus est: nimirum prophetia Euangelica, qua visio, prophetiáq;, & ministerium literæ, mortis, & condemnationis aboletur, ut copiosè explicat Apostolus 2. Corinth. 3. & sacerdotio, quo Christus pontifex noster, sanctuarii minister, ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus & non homo, per proprium sanguinem ingressus semel in sacrarium æternam redemtionem nobis comparavit, antiquata legali illa & aspectabili unctione, Hebr. 8. & 9. & 10. [22] ἐξήγησις & singularis explicatio dicti præcedentis, qua Angelus septuaginta hebdomadas distribuit in tria tempora, nimirum in septem, in sexaginta duas, & in unam, quæ fuit ultima. [23] id est, ab edicto Darii Nothi, cujus anno secundo Judæi ab omni impedimento liberati ædificaverunt per voluntatem Regis, Hezræ 4. 24. & 6. 1. [p] *Hebr. eductione.* [24] templo vel domo Dei. [25] ex mandato Artaxerxis, de quo Nechem. 2. [26] id est, ad illud tempus quo Christus se & Dominum esse demonstrabit judicio severissimo, in urbem populumq; tuum, & beneficio Euangelii principem & caput Ecclesiæ, qui regnat in domo Davidis in æternum. [27] id est, annos quadraginta novem, in quibus Judæi reduces templum & urbem restituerunt prosperè & sine gravi impedimento, Darii Nothi & Artaxerxis Mnemonis temporibus: nam a secundo anno Darii Nothi ad 32. annum Artaxerxis res Judæis fluxerunt commodè, usquedum Nechemja in Persidem ad Regem fuit revocatus. Quamobrem in hoc membro latet ellipsis contrarii: quia sequentes septimanæ fuisse dicuntur in angustia, hæ verò non item. [28] id est, quadringentos triginta quatuor annos; qui incipiunt ex quo tempore Nechemja ad Regem fuit revocatus, quum Artaxerxes annum 32. ageret regni sui, Nechem. 13. 6. & septimo anno ante destructionem Jeruschalaimorum terminantur. Horum verò annorum supputationem in præcedentem versum ostendimus. [29] id est, stante urbe Jeruschalaimorum. [q] *Hebr. revertetur & ædificabitur.* [30] id est, quo spatio annorum 434. non cessabit premere Judæos angustia atque calamitas; quæ statim importata est Hierosolyma, ut Nechemja pedem inde extulit ad Regem profecturus: quemadmodum ab ipso narratur capite ultimo. Has autem angustias prædixerunt Jechezkel 38. & 39. & Danijel passim: & obtigisse narrant libri Hezræ, Nechemjæ, Machbæorum alii. [31] id est, septimana septuagesima, inde ab anno 484. post restitutionem templi. [32] id est, quum Christus morte crucis sublatus fuerit, & boni tantam persequutionem patientur, ut membris ejus omnibus promiscuè eripiatur vita: quemadmodum desinente septimana 69. id est, anno 7. Neronis Jacobum fratrem Domini morte affectum legimus & gravissimam persequutionem secundò excitatam, narrat Eusebius libr. 2. histor. Eccles. capite 23. [33] id est, nihil ampliùs Jeruschalaimis erit habiturus Christus; sed ea reprobaturus planè, & suos inde educturus. Nam populus Ecclesiæ quæ erat Jeruschalaimis ex quodam oraculo & revelatione ante bellum & obsidionem jussus est emigrare, & se in civitatem Peræ cui Pella nomen erat, recipere: ut idem auctor narrat lib. 3. histor. Eccles. capite 5. [34] nimirum Christus, cui Pater omne judicium dedit. [35] id est, populum Judææ, qui secundum electionem & secundum carnem populus erat Christi. [36] id est, qui tum futurus est, & Christum popularem suum in propria sua venientem minimè omnium recepturus. [37] id est, exundabit in eum populum severissimum diluvium judiciorum Dei usque ad internecionem ejus, quod sequentia verba declarant optimè. [38] id est, omnes promiscuè abripiet, ut exundans aqua. Consule Josephum, Hegesippum, Eusebium, &c. [r] *Hebr. præcisum desolationum erit.*

27 [39] Corroborabit quidem fedus multis septimana [40] una: sed [41] *in* medio septimanæ ipsius [42] abolebit sacrificium & munus, & [43] per [f] legiones detestationum desolantes, etiam usque ad consummationem eámq; præcisam, in desolatum effundetur *desolatio.*

[39] i. multos in federe Dei prophetia sua, ac sacerdotio, regnóq; confirmabit, faciens ut gratia Dei & donum per gratiam quæ est unius hominis Jesu Christi, in multos redundet, Rom. 5. 15. & multi ex illa communi Judæorum clade eripiantur providentia Dei, antequam instituatur obsidio, ut paulò antè diximus de migratione ex oraculo divino facta. [40] nimirum reliqua, quæ numero est septuagesima. Hoc autem membrum de parte dimidia septuagesimæ hebdomadis intelligendum esse docet membri sequentis comparatio κατ' ἀντίθεσιν ἀνάλογον. [41] i. ineunte anno quinto ultimæ septimanæ, quo cœpta est Jeruschalaimorum obsidio institui per Vespasianū Nerone adhuc superstite. [42] nimirum piis quidē unica oblatione sui ipsius per spiritum æternum facta, qua consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur, Heb. 10. 14. impiis verò atque hypocritis oppugnantibus gratiam Euangelii abolebit ex facto, quia premente obsidione urbis destituentur commoditatibus sacrificiorum. [43] id est, per copias Romanorum: quæ propterea quòd idôlis serviebant, dicuntur legiones detestationum, hìc, & detestatio, infrà 12. 11. & quia populum Judæorum multoties ceciderunt ac postremò perdiderunt, copiæ desolantes sive vastatrices appellantur. Atque hunc quidem germanum esse utriusque loci sensum ostendit comparatio locorum novi Testamenti, Lucæ 21. 20. cum Matth. 24. 15. & Marci 13. 14. Nam quod apud hos dicit Christus fore ut videant Judæi abhominationem desolationis quæ dicta est a Danijele Propheta stantem in loco sancto, ubi non oportet; sic interpretatur Lucas; cùm autem videritis circumdari ab exercitibus Jeruschalaima, tunc scitote imminere desolationem ejus, &c. [f] *Heb. alam detestationum desolantem: ala pro copiis, metaphoricè: ut Jeschah. 8. 8.*

CAPUT X.

Danijel deflens popularium in Judæa versantium calamitates & impeditum Dei cultum, a Deo confirmatur bis: deinde informatur de conditione Ecclesiæ Judæorum sub Persarum, Græcorúmq; regno, maximè verò Seleucidarum: quorum tractata serie ad Antiochum usque Epiphanem prædicit illius dolos, maleficia, impietatem, tyrannidemq; maximam; & res ab illo gerendas narrat accuratissimè, ostendens Christum Ecclesiæ præfuturum in calamitatibus, & tandem liberaturum potentia sua: postremò tempora & momenta rerum prædictarum circumscribit apertissimè.

1 [1] ANno tertio Cyri Regis Persarum, verbū revelatum est Danijeli, qui vocabatur nomine suo [2] Beltschatzar; [3] veritásq; ipsius verbi ac constituti temporis magni, & [a] intellectus illius verbi ac intelligentia ipsi *obvenit* visione.

2 [4] Diebus illis; ego Danijel [5] fueram [b] in luctu

[1] Quum tria hæc capita sint communi argumento, ut res ipsa docet evidentissimè; idcirco placuit ea simul conjungere. In hac igitur prophetia continentur ista: primùm inscriptio prolepticè omnes partes prophetiæ istius explicans, hoc vers. deinde narratio qua se comparaverit Danijel, & Deus visionem illi obtulerit, hoc capite reliquo; tertium, propositio verbi verissimi, & longi illius temporis ad probationem Ecclesiæ constituti, rerúmq; singularium quæ per illud tempus futurant eventuræ, capite 11. & quatuor primis versib. capitis 12. quartum, explicatio intelligentiáq; illius verbi & temporis constituti, inde ad finem usque prophetiæ: quæ omnia (ut diximus) paucissimis verbis in hac inscriptione ponuntur. Quod autem anno tertio Cyri revelatio hæc facta est Danijeli, non temerè factum est: quum enim anno secundo ex quo venerant Judæi Jeruschalaima ad domum Dei, secundo mense cœpissent curare ædificationem templi Dei, Hezræ 3. 8. non dubium est quin eodem anno adversarii intercesserint ne opus illud Dei promoveretur. Quamobrem oportuit tum ætatem illam, tum pòst venturas generationes adversus illud malum præeuntibus visionibus, revelationibus, signis, & monitis sanctissimè confirmari, & adversus alia quoque incommoda, periculáq; Judæis eventura armari Ecclesiam per spiritum Dei & prædictiones hujusmodi, velut certissimas futuras testes infinitæ illius & ineluctabilis providentiæ, paternæq; Dei benevolentiæ erga Ecclesiam. [2] vide sup. 1. 7. & 4. 8. [3] id est, verbum, & revelatio verissima factorum & temporum quibus Deus suum opus erat effecturus ab eo tempore in longinquum. [a] *Heb. intelligere ipsum verbum: infinitivum pro nomine.* [4] videlicet anno tertio ineunte, ut apparet ex vers. quarto. Hujus autem narrationis partes sunt hæ: occasio visionis a Deo oblatæ, nempe sollicitus Danijelis animus, vers. 2. & 3. visionis genus, versu quarto & duobus & sequentibus; audientium, & videntis Danijelis consternatio, vers. 7. & duob. seq. ac postremò confirmatio signis, verbis, & opere Danijeli facta atq; repetita, reliquo capite. [5] propterea quòd ne Judæis quidē reducibus fausta erant & secunda omnia; sed opus templi mandato Cyri inchoatum per Cambysen emissariósq; ipsius aulicos Judæis infensos interrumpebatur, & jamq; planè desierat. [b] *Heb. lugens.*

luctu trium septimanarum diebus:

3 [a] Cibum *verum* desiderabilium non comederam, nec caro aut vinum intraverat os meum, nec [c] unguento unxeram me; donec complerentur trium septimanarum dies.

4 Die autem vigesimoquarto mensis primi; quum essem ad [d] ripam fluminis magni, *qui* est [7] Chiddekel:

5 Sublatis oculis meis vidi, quòd ecce [8] vir unus indutus [9] *vestibus* lineis *aderat*; cujus lumbi accincti erant [10] insigni auro Uphazi;

6 Corpus ejus [11] simile beryllo thalassio, & [12] vultus ejus similis speciei fulguris, oculiq; ejus similes tædis [e] ardentibus, & brachia ejus ac pedes ejus [13] similes colori æris tersi: sonus autem verborum ejus similis [14] sono multitudinis.

7 Videbam verò ego Danijel [15] solus visionem istam, homines autem qui *erant* mecum nō videbant visionem ipsam; sed trepidatione magna accidente eis, fugerunt [f] ut absconderent se.

8 Quum itaque relictus essem solus, & viderem visionem maximam istam, [16] non fuerunt reliquæ in me vires: sed [17] decor meus [g] mutatione corruptus est in me, adeò ut non obtinerem vires.

9 Tunc audivi sonum verborum illius; & quum audirem sonum verborum illius, ego fui oppressus sopore [h] pronus, & facie mea *dejecta* in terram.

10 Ecce autem [18] manus tetigit me; & [19] commovit me super genua mea, & palmas manuum mearum.

11 [20] Edixitq; mihi, Danijel, vir [i] desideratissime, considera verba quæ ego eloquuturus sum tibi, & sta [k] rectus, nam nunc missus sum ad te: quúmq; loquutus esset mecum verbum istud, constiti tremens.

12 [21] Quamobrem dixit mihi, ne timeto Danijel; nam inde a die primo quo applicuisti animum tuum ad [22] considerandum & ad [23] affligendum te, coram Deo tuo exaudita sunt verba tua: & ego veni propter verba tua.

13 [24] Sed [25] Princeps regni Persici [26] stetit coram me [27] uno & viginti diebus, quum ecce [28] Micaël [l] [29] primus e principibus primariis venisset [30] ad adjuvandum me: ego [31] relictus sum ibi apud [32] Reges Persiæ.

[a] i. corpori non indulgebam, sed macerabam ipsum jejunio, ut hac ratione corpus communicaret afflictionibus cum fratribus meis, & animus eo liberior & promptior ad Deum accedendum esset. [c] Heb. *ungendo.* [d] Heb. *manum, sive latus.* [7] i. Tigris: ut Genes. 2.14. [8] id est, Christus specie viri, ut apparet ex Danijelis verbis infrà 12.6. & 7. [9] i. splendidissimis; quales a regibus, potentioribus, sacerdotibusq; ferebantur: ut alibi ex Herodoto, Diodoro Siculo, Aeliano, Plinio ostendimus. [10] i. cingula ex auro præstantissimo: metonymia; vide Jirm. 10.9. [11] i. cælesti colore atque cæruleo. [12] rutilans & coruscus, ut Jechezk. 1.27. [e] Heb. *ignis.* [13] i. scintillantes purissimè: ut Jechezk. 1.7. [14] vide Jechezk. 1.24. [15] ut cui soli Deus aperiret oculos ad visum percipiendum, quemadmodum Paulo Act. 9. [f] Heb. *pro abscondi.* [16] i. penè exanimatus sum præ visionis amplitudine, & tenuitate mea. [17] i. ita expallui & formam hominis viventis amisi, ut cadaver magis viderer esse quàm homo vivens. [g] Heb. *mutavit se in me ad corruptionem.* [h] Heb. *super faciem meam.* [18] ut sup. 8.18. [19] i. aliqua ex parte erexit me perculsum & prostratū metu. Atq; hic primus confirmationis gradus. [20] secundus confirmationis gradus. [i] Heb. *desideriorum: sic vers. 19.* [k] Heb. *in statione tua.* [21] tertius confirmationis gradus, quum erecto corpore animus erigitur. [22] i. animadvertendum mala præsentia, quibus populus Dei prægravatur. [23] vide Levit. 16.29. [24] Cambyses qui Cyro in expeditionem exteram profecto tenebat regni gubernacula. Est autem hoc & sequēte versu præcedentis explicatio per occupationem: miraberis fortasse, inquit Angelus, quid sibi hoc velit, te inde ab eo tempore exauditum esse, & tamen responsum accipere post tantum dierum numerum: sed (inquit) duo sunt quæ ad tui exauditionem pertinent; unum, ut ex consilio Dei prospiciatur de impedimentis quæ ab hostibus Ecclesiæ offeruntur; alterum, ut consilium Dei quo rebus Ecclesiæ adversantibus prospexerit tibi exponatur ad ædificationem illius. Ac consilium quidē Dei in Christo his diebus omnibus prospexit impedimētis quę a Persarū Rege afferuntur, cúmq; veluti in jus perduxit me administro, ut de consiliis & factis ejus præsentibus ac futuris cognoscerer, hoc versu. Nunc demum verò cognitis & curatis rebus huc mittor ad consilium totum Dei tibi explicandū, prout fit deinceps. [25] i. Cambyses filius Cyri. [26] i. quasi in jure aut judiciali foro comparuit, ut de consiliis & factis ipsius cognoscerem & statuerem auctore Christo. [27] i. tribus illis hebdomadibus, de quibus sup. 2. & 3. [28] Christus, sic appellatus voce composita, quasi dicas, qui par est aut æqualis ipsi Deo forti, quemadmodū loquitur Apostolus scribens ad Philippenses. [l] Heb. *unus: ut sup. 9. 1.* [29] i. princeps angelorum; qui cum principibus humanis comparati optimè dicuntur principes primarii, quemadmodum etiam appellantur imperia ac potestates in cælis, Ephes. 3.10. [30] i. informandum, confirmandúmq; ad perficiendam hanc administrationem meam. [31] videlicet illis uno & viginti diebus. [32] id est, Cambysem cum primoribus & consiliariis regni.

14 Jam venio ut edoceam te id quod obventurum est populo tuo [m] consequentibus temporibus: nam adhuc visio *est* de illis diebus.

15 Quum autem colloqueretur mecum verbis hujusmodi, [n] [33] demisi faciem meam in terram obmutescens.

16 Sed ecce [34] quasi similitudo [o] humana [35] attigit labia mea: tunc aperiens os meum loquutus sum, dicens ei qui stabat e regione mei, [36] domine mi hac visione [p] irruerunt dolores mei in me, adeò ut non obtinerem vires:

17 Quomodo ergo poterit serv[9] domini mei [37] hic loqui cum domino meo illo; cùm *in* me [38] ex hoc tempore, in me, inquam, non constiterint vires, & anima non reliqua sit in me?

18 Pergens itaque tetigit me quasi aspectus hominis, [39] & confirmavit me:

19 Ac dixit, ne timeto, vir desideratissime, pax tibi; [q] etiam atq; etiam confirmare: quúmq; eo loquente mecum confirmatus essem, dixi, loquatur dominus meus, quia confirmasti me.

20 Qui dixit, [40] nostine quamobrem venerim ad te? nunc enim [41] revertor ad pugnandū contra Principem Persiæ; donec [42] me egresso ecce Princeps Græciæ adveniat.

21 [43] Sed indicabo tibi id quod exaratum est in scripto [r] verissimo: nam [44] ne unus quidem est qui se confirmet mecum ad ista, nisi [45] Micaël princeps [46] vester.

[m] Hebr. *in consequentia dierum.* [n] Heb. *posui.* [33] vide suprà 8. & 9. Est autem inde ab hoc versu narratio occasionis ex qua Danijelem a Deo oportuit de integro confirmari, ad finem usque. [34] id est, Angelus Gabriel, qui nominatus est suprà 9.21. [o] Heb. *filiorum hominis.* [35] ut suprà vers. 10. [36] excusatio est Prophetæ a minore: si sola hac, inquit, visione oblata tam graviter affectus sum, sup. vers. 8. & 9. quanto magis afficerer colloquio hoc quod instituis mecum? [p] Heb. *obverterunt se.* [37] emphasis. quasi dicat, qui tantulus sum & tam imbecillis; ut contrà Dominum vocat illum, id est, tantum, tam præstantem, & admirabilem. [38] ex quo mecum cœpisti colloquium instituere. [39] adeò ut non starem tremens, ut factum fuerat in priore confirmatione, suprà 11. [q] Hebr. *confirmare, & confirmare.* [40] prolepsis sive propositio summa totius prophetiæ, primùm universè de regnis, hoc versu; deinde verò de singulari illorum administratione, sequente versu, quæ omnia sequente capite (ut diximus) suo ordine exponuntur. [41] id est, discedam a te; ut quemadmodum antè cognovi de constitutione regni Persidis & curavi eam, sic in posterum contrà faciam, & oppugnem reges Persidis. [42] ad adducendum ac confirmandum Alexandrum Macedonem, qui princeps Græciæ appellatur. [43] i. jam verò transibo ad singularem aliquam explicationem eorum quæ modò dicta sunt, prout relata est in consilium Dei: quod cum scripto verissimo comparatur ex usu forensi. [r] Heb. *veritatis.* [44] i. solus Christus stat ab Ecclesia sua; quam totus mundus infestat, sed ab eo ut justo principe adversus omnes etiam inferorum portas defenditur. [45] ut sup. vers. 13. [46] i. Judæorum tuorum popularium: quo sensu dicitur alibi servator corporis sui & caput Ecclesiæ: & suprà antecessor populi cap. 9.25. & 26.

CAPUT XI.

1 [1] EGo [2] igitur [3] anno primo Darîi Medi; steti, ut ei essem confirmationi & robori.

2 [4] Jam verò [5] veritatem indicabo tibi: ecce [6] adhuc tres reges stabunt Persidi, deinde [7] quartus [8] ditabitur divitiis maximis omnium; & ubi confirmaverit se in divitiis suis, excitabit [9] omnes contra regnum Græciæ.

[1] Tertia pars prophetiæ, ut diximus suprà 10.1. qua exponit angelus primùm quid sibi faciendum & docendum fuerit mandatum de regno Persico, duobus versibus; secundò de Macedonico, duobus alteris; tertiò de Seleucidarum regno & perpessionibus Ecclesiæ, usque ad caput duodecimum; ac postremò de confirmatione piorum in perpessionibus per prophetiam & promissiones Dei; quatuor primis versibus capitis duodecimi. [2] id est, ut intelligas quod modò perstrinxi paucis, V. 20. & 21. præcedentis capitis, hęc quæ geruntur & in posterum gerenda sunt ita se habere planè ex voluntate consilioq; Dei, & meo ac angelorum ejus ministerio. [3] id est, inde ab eo tempore quo monarchia Babylonica fuit a Medis & Persis occupata, versor in monarchiæ Persicæ administratione, ipsam protegens & regens ex decreto Dei, prout ex usu est Ecclesiæ. [4] nimirum quum non modò administrationis curandæ munus accepi a Domino; sed etiam recens ad verba tua explicanda & informandam Ecclesiam missus sum, sup. 10.11. & sequentibus. [5] eam videlicet quæ exarata est tāquam scripto in consilio Dei, sup. 10. 21. [6] videlicet a Darîo Medo qui nominatus est præcedente versu. Sunt autem illi, Cyrus, Cambyses Cyri filius, & Darius Hystaspis. [7] nempe Xerxes, qui primùm terror fuit appellatus Græciæ, posteà verò ludibrium. [8] tum illis quas Darius pater congerebat ex tributis provincialibus, qui propterea caupo regni sui dicebatur, ut annotavimus Esther. 10. 11. tum illis quas ipse Xerxes provinciis ad quas progrediebatur imperabat, quum in expeditione esset. [9] tum populos Orientis, tum verò posteros ipsius; qui hæredes fuerunt ejusdem belli, & ruinam sibi ex eo accersiverunt, ut explicant duo sequentes versus.

3 Sed [10] obsistet [11] rex potens; qui dominabitur dominatione ampla, agétq; pro voluntate sua:

4 [12] Et quum obstiterit, [13] frangetur regnum ejus, & dividetur [14] in quatuor ventos cæli: [15] sed non posteritati ejus, neque [16] secundùm dominatum ejus quo dominatus fuerit: nam [17] evelletur regnum ejus, & aliis præter [18] illos *cedet*.

5 Itaque confirmabit se [19] Rex [20] Austri, & [21] *alter* ex principibus ejus; qui [22] confirmabit se supra illum & dominabitur, dominium amplum *erit* dominium ejus.

6 Et [a] exactis aliquot annis [23] consociabunt se, & [24] filia Regis Austri [25] veniet ad Regem Aquilonis, ad faciendum [b] æquis conditionibus *pacem*: sed [26] non obtinebit illa vires brachii, [27] neque *ipse* consistet cum brachio suo; [28] sed tradetur ipsa, & qui adduxerint eam, & qui natus ejus fuerit, & qui confirmaverit eam illis temporibus.

7 [29] Posteà exsistet e surculo [30] radicum ejus *in* statu illius; qui veniens cum copiis suis aggredietur munitiones [31] regis Aquilonis, agétq; contra eas ita ut occupet:

8 [32] Atque etiam deos horum cum [33] toparchis ipsorum, cum instrumentis [c] desideratissimis ipsorum, argento, & auro, in captivitatem abducet *in* Ægyptum: & ipse annis *multis* stabit [d] valentior Rege Aquilonis:

9 Ita veniet in regnum rex Austri, ac revertetur in terram suam.

10 Sed [34] filii illius [35] miscebunt bellum, & postquàm collegerint multitudinem, copias amplas, [36] veniet [e] subinde, [37] exundabitq;, & [38] transibit: & [39] reversus miscebit bellum usque ad [40] munitionem illius.

10 id est, hic stabit, & prosternet Persas. 11 Alexander Macedo, cognominatus Magnus. 12 i. fractis Persis, per septenniũ monarcha vixerit. 13 ut prædictũ fuerat sup. 2.44. & 7.6. 14 i. secundùm quatuor plagas seu regiones cæli dirimetur in regna quatuor. Nam Seleucus Nicanor obtinuit primùm Babyloniam ab Oriente, Cassander Macedoniã ab Occidente, Antigonus Asiã minorem a Septentrione, & Ptolemæus Lagi filius Aegyptum a Meridie. 15 nam Alexander & Hercules filii Alexandri Magni brevi tempore sine liberis exstincti sunt: ut diximus sup. 7.6. 16 i. longè impari ac minimè comparanda dominatione. 17 i. tolletur funditus, sive radicitus. 18 videlicet posteros & necessarios Alexandri Magni. 19 id est, Ptolemæus Lagi filius: nam tantùm eos reges perstringit Propheta, quorum tyrannide populus Dei afflictus est; de quibus hic fuit primus ab Alexandro Magno, qui Jeruschalaima dolo cepisse, & captivos quamplurimos abduxisse legitur apud Josephum lib. 12. Antiquitat. Judaic. cap. 1. 20 i. Aegypti, quæ ratione Judææ ad Austrũ sita est, ut diximus vers. 4. 21 i. Ptolemæus Philadelphus, secundus Rex Aegypti ex serie hac. 22 i. amplius dominium obtinebit quàm pater. a *Heb. sub finem annorum.* 23 id est, fedus inibunt sancientq; matrimonio Rex Aegypti Ptolemæus Philadelphus, & Rex Syriæ Antiochus Theos Antiochi Soteris filius, & nepos Seleuci Nicanoris, a quo dictum est Seleucidarum regnum. 24 Bernice (quam alii ad euphoniam Berenicen, alii meliùs Beronicen, id est, filiam innocentiæ vel puritatis vocant) Ptolemæi Philadelphi filia. 25 i. nubet Antiocho Theo regi Syriæ; qui ad hanc ducendam, & constituendam (ut sibi videbatur) pacem, justam uxorem Laodicen repudiavit, ex qua binos liberos sustulerat. b *Heb rectitudines: sed nos periphrasi ad evidentiam utimur.* 26 i. non poterit Bernice efficere ut fedus initum & matrimonio suo confirmatum permaneat integrum & inviolatum: vide sup. 2.43. 27 id est, neq; Antiochus Theos (qui Bernicen duxerit quasi brachium ad firmandam & continendam pacem cum Ptolemæo initam) constabit sibi, & hoc velut brachium retinebit; sed Laodicen repudiatam recipiet: quam ob causam Antiocho Theo adhuc superstite Ptolemæus Evergetes filius Philadelphi bellum instauratus est. 28 Bernice videlicet in potestatem hostium; adeò ut a Seleuco Callinico privigno suo occidatur cum toto comitatu, cum filio, & cum asseclis omnibus ipsius. 29 id est, in statum Ptolemæi Philadelphi succedet Ptolemæus Evergetes filius, tamquam e stirpe illius sobolescens scapus, sive validus & potens ramus. 30 id est, ex quibus Bernice processerit: fuit enim Evergetes Bernices frater. 31 id est, Seleuci Callinici, qui Rex erat Syriæ. 32 id est, Syriam totam opibus spoliabit, quas in Aegyptum deportet; unde comparatum est ei Evergetæ nomen. 33 qui obsides dati sunt & accepti, ut caveretur de obsequio & fide totius Syriæ. c *Hebr. desiderii ipsorum.* d *Hebr. præ Rege.* 34 Seleuci Callinici, quem antè nominavimus: quorum nomina sunt Seleucus Ceraunus, & Antiochus Magnus. 35 id est, instituent bellum contra Evergeten, ut debellent duces ab eo in Syria constitutos: qua in expeditione Seleucus Ceraunus anno tertio regni occisus est. Hæc quia variè ab historicis tradita sunt, maluimus Polybium auctorem sequi: apud quem libro secundo legimus peridem tempus Ptolemæum Evergeten & Seleucum Ceraunum vita defunctos esse. 36 videlicet Antiochus Magnus, postquam occubuerit Seleucus Ceraunus frater. e *Hebr. veniendo: sic vers.* 13. 37 id est, summo impetu, summáq; vi, & frequentissimis incursionibus occupabit Syriam & Judæam. 38 videlicet Raphiam usque, in fines Aegypti. 39 in possessionem ademtam a Rege Aegypti. 40 Raphiam, quam modò nominavimus.

11 Unde exacerbatus [41] Rex Austri, [42] prodibit, pugnabítq; contra illum, contra [43] Regem Aquilonis; opponétq; multitudinem magnam, adeò ut tradatur [44] multitudo illa in manum ipsius.

12 Itaque sublata illa multitudine [45] extollet animum suum; & quum [46] dejecerit myriadas, non corroborabitur.

13 Nam reversus [47] Rex Aquilonis constituet multitudinem majorem priore; deinde [f] [48] exactis illis temporibus, annis *illius*, veniet subinde cum copiis magnis & cum facultatibus amplis:

14 Quibus temporibus [49] multi [50] obsistent Regi Austri; [51] filii verò effractores populi tui [52] tollentur [53] ad stabiliendum visionem, & corruent.

15 Etenim veniens Rex Aquilonis [54] diffundet aggestas moles, & capiet civitates munitionum: & [55] brachia Austri non constabunt, nec populus delectuum ejus, nullæ denique *erunt* vires ad consistendum.

16 Quúmq; fecerit [56] aggrediens eum pro voluntate sua, nullo obsistente ipsi; stabit etiam [57] in terra decoris, quam consumet manu sua:

17 [58] Deinde disponet faciem suam ut ingrediatur cum robore totius regni sui, [59] & rectis adjunctis [g] sibi, [60] efficietq;: & [h] [61] virginem dabit ei [62] corrumpendo illam, sed [63] non perstabit *illa*, neque pro eo erit.

18 Posteà convertet faciem suam [64] ad insulas, capietq; multas: sed reprimens [65] ductor [66] opprobrium ejus [i] commodo suo, [67] vacuus opprobrio illius [68] regeret in illum.

19 Ita [69] convertet faciem suam ad munitiones terræ suæ; & [70] impingens corruet, ac non invenietur.

20 Et stabit in statu hujus [71] traductor ex-

41 Ptolemæus Philopator filius Evergetæ, quem historici per antiphrasin amantem patris dictum fuisse docent, eo quòd parentes necaverit: etsi Polybius Evergeten hujus patrem morbo scribit consumtum esse. 42 anno quarto Antiochi magni. 43 videlicet Antiochũ magnum, cujus copiæ a Philopatore fusæ, & Syria recepta est. 44 id est, exercitus Antiochi in manum Philopatoris. 45 Ptolemæus Philopator secundis rebus diffluens. 46 id est, homines infinitos ex populo Dei cruentissima morte affecerit insolentissimè: vide librum tertium Machæorum, & Josephum lib. 12. Antiquit. Judaic. cap. 3. 47 idem Antiochus Magnus restitutus in possessionem Syriæ. f *Hebr. sub finem illorum temporum.* 48 i. mortuo Philopatore, cui successit puer Ptolemæus Epiphanes. 49 i. bona pars Judæorum, qui alioqui toto hoc bellorum tempore erant in multas factiones scissi, teste Josepho lib. 12. Antiq. Judaic. cap. 3. 50 adjungentes se Antiocho contra Philopatorem. 51 i. præfracti contemptores Dei, qui ab obsequio Dei per Philopatoris artes fuerint abreptii de quibus vide Mach. 3. 52 a vindice Antiocho Aegyptum occupaturo, ut dicitur sequente vers. 53 i. ut quum Deus hanc visionem præstabit atque efficiet, quæ his versibus exponitur, Ecclesia Dei ampliùs de hac prophetia reliqua confirmetur. 54 id est, obsidebit, expugnabit, occupabitq; Agyptum. 55 i. duces & copiæ Aegyptiorum: ut Jechezkel. 31.2. & sequentib. 56 Antiochus Magnus, ut antè dictum est. 57 vide sup. 8.9. Hæc autem intelligenda sunt de calamitatibus quibus affecta est Judæa propter ambitionem & avaritiam sacerdotum inter se concertantium. 58 i. postquam Judæã malè affectã consilium redintegraverit de repetenda Aegypto, partim copias maximas adhibebit, partimq; fraudes. 59 i. maxima recti æqui & boni specie, qua circumveniret Ptolemæũ Epiphanem. Fuit autem species illa consociatio matrimonii, de quo verbis sequentib. g *Heb. secum.* 60 nempe militare aliquid, Aegyptũ callidè tentans & aliquò usque occupans; sed re non ita feliciter succedente consilium inibit matrimonii. h *Heb. filiam mulierum.* 61 Cleopatram filiam Antiochi magni; quam non succedentibus technis Antiochus Ptolemæo Epiphani elocavit, ut circumveniret eum. 62 i. corruptissimis ac perditissimis consiliis illã imbuendo, ut maritum illius futurum perderet. 63 videlicet in consilio primùm cum patre inito, id est, non stabit a partibus patris, sed adjunget se viro; ut sequentia verba explicant. 64 i. regiones longinquas & dissitas mari, tam insulas quàm continentes regiones, ut Cyprum, Phocæam, Samum, Rhodum, Colophonem, Eubœam, &c. 65 i. non Rex aliquis singularis, sed administer Romanæ Reipub. Marcus Acilius consul, Livius prætor, & Lucius Scipio. 66 i. dedecus illatum Romanorum reipub. tum multarum urbium in Asia minore, mari Mediterraneo, Græciaq; occupatione, tum contumeliis in Romanos importatis. i *Heb sibi.* 67 hoc est, quũ resarciverit ante accepti opprobrii recuperatis rebus, & vindicatis probris. 68 i. mulctabit illũ probrosa amissione partis alicujus regni: nam ultra Taurum montem se recipere coactus est ignominiosè. 69 i. recipiet se in regnum suum, & tamquam imbellis munitionibus se se continebit. 70 tumultuariè a suis interfectus ad defensionem templi concursantibus, quod spoliaturus erat Antiochus. 71 i. Seleucus ille, qui Philopator & Soter dictus est: periphrasticè autem nominatur traductor exactoris, tum propter infamem illius avaritiam qua totum ditionis suæ agrum infestabat atrocissimè, tum verò propter ablegationem Heliodori Jeruschalaima, de qua 2. Mach. 3.

actoris

actoris, *in* decore [k] regio; qui diebus [l] [72] paucis
frangetur, quamvis [73] neque [m] ira, neque bello.
21 In hujus autem statu stabit [74] despectus,
[75] quamvis non imposuerint ei decorem regium:
sed veniens [n] tranquillè usurpabit regnū [76] blanditiis;
22 Et [77] brachiis [o] inundantibus inundabuntur a conspectu ejus, & frangentur; etiámque
[78] antecessor federis.
23 Nam [79] ex consociatione sua cum illo faciet dolum; & [80] ascendens [81] roborabit se cum
[82] parva gente.
24 [83] Tranquillè etiam opima loca provinciæ
invadet; [84] faciétque quod non fecerant patres
ejus & [p] majores ejus, prædam, spoliúmque, &
facultates illis disperget: & contra munitiones
[85] cogitabit cogitationes suas, *eás*que ad tempus
usque.
25 [86] Posteà excitabit vires suas [q] animúmq;
suum contra [87] Regem Austri copiis magnis; &
Rex Austri [88] miscebit se bello copiis magnis &
validis admodum: sed [89] non cōsistet, quia [90] cogitaverint contra eum cogitationes.
26 Nam [91] comedentes portionem cibi ejus
frangent eum, quum exercitus [92] illius exundabit; & concident confossi multi.
27 [93] [r] Tunc utrorumq; regum istorū animus
erit malefaciendi, & in mensa eadem mendacium loquentur: sed non prosperabitur [94] *illud*,
quia adhuc *supererit* terminus [95] constituto tempori.
28 Itaque [96] redibit in terram suam cum facultatibus magnis, & animo suo [97] contra fedus
[r] sanctum; [98] quúmque fecerit, revertetur in
terram suam.
29 [99] Constituto tempore [s] rursus invadet
[100] Austrum: sed [101] non erit ut prior *expeditio*,
aut ut posterior.

[k] *Heb. regni.* [l] *Heb. unis.* [72] videlicet postquàm contra Judæos a Simone exacerbatus Heliodorum transmiserit, prout appáret ex 2. Macb. 4. [73] id est, non apertis odiis aut aperto marte; sed veneno per Heliodorū quæsitum ingratiam fratris Antiochi, de quo seq. ℣. [m] *Heb. iris.* [74] i. Antiochus Epiphanes, sive Illustris & nobilis per antiphrasin dictus: quāobrem hîc ex rei veritate despectus sive contemtus appellatur, ut Græci annominantes vocarunt Epimanem, id est, furiosum. [75] id est, qui ipse invadet & occupabit regnū Seleuco fratre occiso, filio ejus dejecto, & Demetrio quamvis majore natu circumvento. [n] *Heb. in tranquillitate: sic* ℣. 24. [76] quibus & Demetrium Seleuci fratris filium heredem justum fallebat, & populi simplicitate abutebatur, tamquā si non Regem se ipsum, sed pro Rege haberi vellet administratione tutelæ. [77] i. repentinis illius copiis opprimentur, tamquam aquis exundantibus, ii qui noluerint ipsi imponere decorem regium. [o] *Heb. inundationū.* [78] i. Seleucus Philopater frater ipsius, qui novas res cogitans fedus cum Antiocho Epiphane fratre inierat, quum adhuc obses Romæ detineretur: Seleucus enim ad Romanos obsidem misit Demetrium filium suum ut Antiochum fratrem liberaret: quem sibi novi federis necessitudine conjunxerat, ut in Ægyptum communi consilio involarent, specie adjuvandi Physconem contra Ptolemæum Philometora. [79] i. specie illius necessitudinis quam modò diximus, dolos nectet contra fratrem Seleucum Philopatora, & per Heliodorum e vita tollet dolo, antequam in Syriam veniat. [80] in Syriam. [81] i. primùm confirmabit se conciliatis amicis, clientibus, & opidis dolosè in regno Syriæ, quasi tutorem ageret, & Demetrio fratris filio (qui obses apud Romanos erat) consuleret. [82] i. exiguo comitatu. [83] exegesis præcedentis versus. [84] i. militē stationarium in munitionibus collocabit, quē corrumpet muneribus & obstringet sibi. [p] *Heb. patres patrum.* [85] i. jam tum consilia inibit de occupanda firmandáq; sibi Syria: quæ consilia per annum integrum cum animo suo fabricata perficiet, ut Demetrium hæredem justum regni hæreditate spoliet: fuit autem hoc anno primo quo regnavit Antiochus, id est, 137. anno Seleucidarum, 1. Macb. 1. 11. [86] quàm fuerit firmata Syria, id est, anno secūdo regni sui: ut modò diximus. [q] *Heb. cor: sic deinceps.* [87] Ptolemæum Philometora. [88] auctoribus & consulentibus potissimum Eulaio & Lenæo, qui studebant partibus Philometoris. [89] id est, fundetur Ptolemæus inter Pelusium & Casium montem. [90] id est, consiliis proditoriè cum Antiocho multi Ægyptiorum proceres communicaverint, ut exponitur seq. ℣. [91] id est intimi, qui ordinariè a consiliis erant Philometori. [92] videlicet Antiochi irruentis in copias Philometoris. [93] videlicet quum fuso Ptolemæo Philometore, & bona Ægypti parte occupata, ad instituendā pacē convenerint. [r] *1. Macb. 1. 19.* [94] videlicet quod uterque illorū dolosè in socium suum machinabitur, quia aliter videbitur Deo antiquo temporum, & tempora occasionésque singulas dispensanti arbitratu suo. [95] de quo infrà vers. 29. [96] vide 1. Macb. 1. 21. & 2. Macb. 5. 11. [97] id est, exacerbato contra Deum, contra populum ipsius, contra fedus tabulásque federis, contra legem, & contra cultum universum Dei. [r] *Heb. sanctitatis: sic deinceps.* [98] id est, quam animi sui libidinem quum persecerit atrocissimè in Ecclesia Dei, &c. vide 1. Macb. 1. 17. [99] id est, post biennium, quum Ptolemæus Philometor cum Physcone fratre reconciliatus auxiliares Romanorum copias postulasset. [s] *Heb. revertetur & invadet.* [100] id est, Ægyptum. [101] id est, non ita succedet ut priore expeditione, de qua vers. 25. aut ut posteriore, de qua vers. 40.

30 Venientibus enim contra eum navibus
[102] Cittæis [103] dolore afficietur, [t] rursúsque indignabitur contra fedus sanctum atque efficiet;
reversus enim [104] animum adhibebit ad eos qui
dereliquerint fedus sanctum:
31 [105] Et brachia ab ipso stabunt; prophanabúntque [106] sanctuarium, [107] *&* munitionem,
& amovebunt [108] jugem *cultum*, imponéntque
[109] detestationem desolantem.
32 [110] Nam improbè agentes in fedus [111] cōtaminabit blanditiis: ut populum cognoscentium Deum suum prehendant, sicut facient.
33 Ita erudientes populum, instruentes multos, corruent gladio, & flamma, captivitate, & direptione diebus *multis*:
34 Et corruendo [112] adjuvabuntur adjumēto
parvo, quia adjungent se ipsis multi blanditiis.
35 [113] Ex ipsis autem erudientibus corruent,
ad conflandum eos; & ad purificandum, & ad
dealbandum, usque ad tempus [u] determinatum,
[114] quia adhuc *supererit terminus* constituto tempori.
36 [115] Nam faciet pro voluntate sua iste Rex,
& extollet se, ac magnificabit se supra omnem
Deum fortem, etiam supra [x] *Deum* fortissimum
omnium, loquens mirabilia: & prosperabitur,
usque dum [116] consummet indignationem, dum
id quod fuerat [117] præcisum efficiatur.
37 [118] Ne ad deos quidem majorum suorum
attendet, neque ad desiderium fœminarum, neque ad ullum Deum attendet; sed supra omnes
magnificabit se:
38 Et quod ad [119] Deum [y] summi roboris, in
sede ejus honorabit; honorabit, inquam, [120] Deum quem non agnoverint majores ejus auro, &
argento, & lapidibus pretiosis, ac *rebus* desideratissimis.
39 [z] Committénsq; [121] munitiones *Dei* summi roboris Deo alieno, [122] quos agnoverit, *hos*
augebit gloria: & dominatores eos faciet in
multos, ac terram partietur pretii loco.

[102] Cilicibus ac potiùs Romanis, quæ in Ciliciæ portubus ferè servabantur, ut mari Mediterraneo omnibus ex partibus imperarent: vide Gen. 10. 4. [103] per Caium Popilium Lænatem, qui a Romanis in Ægyptum legatus missus est. [t] *Heb. & revertetur & indignabitur.* [104] id est, attendet ad consilia Jasonis, Menelai, & aliorum apostatarum, ut populum Dei infestet. [105] id est, copias maximas habebit, per quas vim Judæis afferet inhumanissimè; ut exponitur novem versibus. [106] ingrediendo, contrectando, exportando, & distribuendo res sacras illius, 1. Macb. 1. 23. & 2. Macb. 5. 15. [107] id est, Jeruschalaima cædibus funestando, ibidem. [108] vide suprà 8. 11. [109] id est, militem detestandum, qui desolet magis ac magis cultum Dei, in stativis collocabunt: vide suprà 9. 27. [110] id est, stationarium illum militem propterea Jeruschalaimis & per Judæam collocabunt, ut malos apostatas foveant, & bonos crudelissimè persequantur. [111] in hypocrisi ipsorum confirmet, obdurétque magis ac magis. [112] id est, perpaucos habebunt adjutores, & pleróśque ex iis hypocritas, qui lingua tenus ac non opere miseros Dei servos adjuvabunt: quarum rerum exempla in libris Macbæorum exstant quamplurima. [113] occupatio, quam Angelus adhibet ad confirmandum Ecclesiam contra tam acerbas tentationes! quid causæ est (inquies) cur istos sinat Deus corruere impiorum manibus? respondet spectari in hac Dei administratione duo oportere; finem, ut probentur, purificentur, & dealbentur; & deinde tempus, nempe momentaneas fore has afflictiones. [u] *Heb. termini.* [114] vide suprà vers. 27. [115] hunc versum & sequentes quàm variè plerique omnes explicent, nihil attinet dicere. Nos ex antecedentium & sequentium comparatione, adéoque ex historiæ fide statuimus hæc omnia de Antiocho Epiphane esse intelligenda, cujus impietas primùm quidem κατὰ πρόληψιν, hoc vers. deinde verò κατὰ μέρος & particulatim exponitur, tribus sequentibus. Ac prolepseos quidem partes duæ sunt; una, fore ut Antiochus nullius Dei reverentia ducatur; altera, ne summi quidem Dei metu abductum iri ab impietate & maleficiis; sed illum ultrò adversus Deum potentissimum magis ac magis exsurrecturum: quæ duæ res deinceps exponuntur. [x] *Heb. Deum fortem deorum fortium.* [116] videlicet Deus, perficiens severissimum judicium suum in sceleratum Antiochum, & alios improbos. [117] videlicet decreto Dei. [118] id est, planè impius & inhumanus erit, vacuus tum omni numinis reverentia (quæ eo altiùs animis infigitur quum a majoribus accepta est) tum omni naturali studio & amore erga suos, qui amor in mulieribus solet esse tenerrimus: ut 2. Schem. 1. 26. Atque hæc in Antiocho ita se habuisse res ipsius gestæ ostendunt, quum nihil unquam fecisse legatur nisi suo ipsius erga se studio, nulla Dei, nulla naturæ & sanguinis, nulla federis ratione habita, ut jam superioribus exemplis demonstravimus. [119] id est, Deum Jisraëlis. [y] *Heb. roborum: sic* ℣. 39. [120] id est, Jovem Olympium, de quo vide 2. Macb. 6. quamobrem Deus alienus vocatur seq. vers. [z] *Heb. faciens munitionibus roborū cum Deo alieno.* [121] id est, Judæam totam, synecdochicè. [122] id est, viros obscuros, ignotos, terra natos evehet arbitratu suo: cujusmodi exemplum est de illo veteratore 2. Macb. 6. His autem amplificatur tyrannidis indignitas, quòd Antiochus extraneos impurissimos præfecturus erat populo, & hæreditatem Dei pro libidine distributurus: quæ duo maximè cavebantur lege.

40 [123] Sub tempus autem finis, confliget con-
tra eum [124] Rex Austri, [125] irruétque ut turbo in
illum [126] Rex Aquilonis curribus, equitibúsque,
& classibus amplis; & ingressus regiones [127] in-
undabit & transibit.
41 [128] Deinde regredietur in regionem deco-
ris, quum [129] multæ corruerint: hæ auté [130] eri-
pient se e manu ejus, Edomæa & Moabitis, ac
[a] præcipua Hammonitarum.
42 [131] Quum autem extendet manum suam
in regiones, etiam terra Ægypti non [b] evadet.
43 Sed dominabitur in recondita auri, & ar-
gẽti, & in omnia desideratissima Ægypti; [132] Li-
byésque & Æthiopes [c] comitabuntur gressus e-
jus.
44 Sed rumores cõturbabunt eum [133] ab Ori-
ente, & [134] ab Aquilone: quamobrem [135] exibit
cum excandescentia magna, ad perdendum &
ad internecioni devovendum multos:
45 [136] Et [d] figet tentoria palatii sui inter
[137] maria in monte decoris [e] sancti: quúmque
venerit ad [138] finem suum, nullus *erit* auxilio ei.

[123] id est, biennio post institutam idololatriam, & quasi biennio altero ante mortem Antiochi, qui Physconis partibus semper studuit contra Prolemæum Philometora, ut antè diximus. [124] Prolemæus Philometor. [125] id est, nomine Physconis Prolemæum e regno pellet, & AEgyptum pervadet; prout factum esse a Physcone minore fratre legimus apud Florum in Liviana epitome libri 46. & colligimus ex Zonara tomo annalium secundo. [126] Antiochus, agens Physconis partes. [127] id est, summo impetu & celeritate percurret. [128] ut versu ultimo. [129] de quibus 42. & 43. [130] id est, expertes erunt cladis istius, quia ipsis optimè conveniet cum Antiocho. [a] *Heb. principium filiorum Hammonis.* [131] exegesis præcedentis versus: qua ostendit Danijel primùm quàm valde Antiochus AEgyptum aliásque regiones infestaturus sit, duobus versibus; deinde quàm trepidè celeritérque dimissurus, duobus alteris. [b] *Heb. erit evasioni.* [132] id est, populi Aphricæ AEgypto contermini, qui priùs auxiliares fuerant Prolemæi Philometoris, ipsi ministrabunt & ipsum sequentur ducem. [c] *Heb. ad gressus ejus* erunt. [133] id est, a Rege Parthorum Antiochi fines invadente, ut meminit Zonaras. [134] id est, a Romanis, quorum navalia erant in Cilicia & Cypro, ut antè diximus. [135] ex AEgypto. [136] id est, hoc furore percitus duo sibi proponet consilia: unum, ut regiam suam in Judæa stabiliret ad Judæos edomandos; quamobrem Antiochum filium commisit Lysiæ, quem negotiis regni præfecerat ab Euphrate ad fluviũ AEgypti, 1. Macb. 3. 32. alterum, ut in Persarum regionem excurreret, & Parthos coërceret. [d] *Heb. plantabit.* [137] Mediterraneũ & Mortuum, qui fines sunt Judææ. [138] id est, in Elymaida ad nobile Persarum opidum, qui finis erat ditionis ejus; ubi concitata multitudine fugatus est, & ab omnibus destitutus: vide 1. Macb. 6. & 2. Macb. 9. [e] *Heb. sanctitatis.*

CAPUT XII.

1 [1] TEmpore autem illo, [2] adstabit Micaël
princeps ille maximus qui stat pro [a] po-
pularibus tuis; quum fuerit tempus angustiæ
qualis non exstiterit ex quo fuit gens usque ad
tempus istud; & tempore illo [3] eripietur populus
tuus, [4] quisquis invẽtus fuerit scriptus in libro illo.
2 Tandémque [5] multi ex dormientibus [b] in
pulverulenta terra expergiscentur; hi ad vitam
[c] æternam, illi ad opprobria & contemtum æter-
num:
3 Et erudientes splendebunt quasi splendo-
re expansi; & justificantes multos, ut stellæ, in
sempiterna secula.

[1] nempe quo Antiochus rei summam Lysiæ commiserit, ut petat Elymaida: nam sub idem tempus recuperata sunt Jeruschalaima, & cultus Dei restitutus, 2. Macb. 10. [2] id est, administrans & regens omnia Christus: vide suprà 10. 13. [a] *Heb. filiis populi tui.* [3] id est, incipiet eripi & salus Dei demonstrari, per suos temporum gradus promovenda, tandémque perficienda secundo adventu Christi. [4] id est, quemcunque visum fuerit Deo ex decreto suo irrevocabili conservare. [5] id est, omnes quidem resurgent; sed multi resurgentium ad vitam, & multi ad mortem æternam, per Christum, qui factus est primitiæ dormientium. [b] *Heb. terra pulveris.* [c] *Heb. seculi: sic deinceps.*

4 [6] Tu verò Danijel occlude hæc verba, &
obsigna hunc librum ad tempus [d] determina-
tum usque: [7] percurrent multi, & augebitur cog-
nitio.
5 [8] Tum videbam ego Danijel, quòd ecce
duo [9] alii adstabant; unus hinc ad ripam rivi, &
alter inde ad ripam ejusdem rivi.
6 Qui dixit [10] viro illi induto vestibus line-
is, qui *erat* supra aquas ipsius rivi; [11] quousque
terminus *erit* horum mirabilium?
7 Audivi autem illum virum indutum *vesti-
bus* lineis qui erat super aquas ipsius rivi, qui ef-
ferens dexteram suam & sinistram suam versus
cælos, juravit per viventem in æternum: [12] post
constitutum tempus, constituta tempora, par-
témque *temporis*, & quum [13] absolvet dissipare
[e] [14] vires populi [f] sancti, fore ut absolvantur om-
nia ista.
8 Quúmque ego audiens non intelligerem;
dixi, domine mi, quis finis *futurus* istorum?
9 Et *ille*, [15] abi, inquit, Danijel; nam occlusæ
sunt & obsignatæ hæ res usque ad tempus deter-
minatum.
10 [16] Purgabuntur, dealbabuntur, & confla-
buntur [17] multi, quum [18] improbè agent impro-
bi, nec animadvertent ulli improbi: sed erudien-
tes animadversuri sunt.
11 A tempore autẽ quo ablatus fuerit [19] ju-
gis *cultus*, & posita [20] detestatio desolans; [21] dies
erunt mille ducenti nonaginta.
12 [22] Beatus qui præstolabitur, & perveniet;
ad dies mille trecentos triginta quinque.
13 Tu autem [23] abi ad terminum: & quies-
ces ac perstabis in sorte tua ad terminum usque
dierum.

[6] vide suprà 8. 26. [d] *Heb. termini: sic V. 9.* [7] id est, quamvis jam sint perpauci qui tecum laborent de futuro Ecclesiæ statu; veniet tamen illud tempus quum plurimi ad Ecclesiam contendentes operam dabunt huic cognitioni sanctæ; & scientia augebuntur. [8] ultima pars hujus Prophetiæ, explicationem continens illius verbi & tẽporis constituti, cujus mẽtio plurimùm facta est, ut diximus sup. 10. 1. Fit autẽ explicatio hæc ex postulato angelorum, vers. 5. & 6. per Christum, V. 7. quæ posteà amplius illustratur postulante Danijele, ad finem usque capitis. [9] sancti angeli, qui in res istas desiderãt introspicere 1. Petri 1. 12. [10] de quo suprà 10. 5. [11] i. quando tandẽ desinent ista, quæ summè nobis videntur & sunt admirabilia? [12] id est, post spatium illud annorum trium dierúmq; decem, de quo suprà 7. 25. [13] i. quum inclinantes percellens res Seleucidarum, dissipabit eorum vires potentia sua: ut diximus sup. 7. 26. [e] *Heb. manũ: ut Deut. 32. 36.* [14] id est, vires populum sanctum infestantes, & a quibus populus sanctus maxima accipiet incommoda. Constructio enim passiva est, ut Gen. 16. 5. [f] *Heb. sanctitatis.* [15] i. quiesce, tibi satis esto, ut exponitur V. 13. [16] anacephalæosis præcedentis prophetiæ, de malis ab Antiocho importandis, quæ attigerat Angelus sup. 11. 35. [17] i. omnes quidem Judæi; sed multi boni, & multi improbi: similis loquutio, ut sup. V. 2. [18] i. reprobi ex Judæis tentationi cedent ab Antiocho, neq; sibi proderunt, neq; animadvertent prædicta mea: sed quicunq; tenebuntur studio erudiendi fratres suos, illi animadvertent & prædictiones colent ex animo. [19] de quo sup. 8. 11. & sequentibus, & 9. 27. & 11. 31. [20] vide sup. 9. 27. & 11. 31. Hoc autem & sequente V. categoricè respondet Christus quæstioni Danijelis, & præter illud tempus quo Judas Macbæus vi armata cultum Dei Jeruschalaimis instauravit, indictum sup. V. 7. duo alia tempora adjicit: unum, quo Antiochus coactus est Judæis permittere ut in legitimis suis ritibus ambularent, 2. Macb. 11. 33. alterum, quo Antiochus vita sublatus est, 1. Macb. 6. 16. [21] i. a tempore istius desolationis per Antiochum factæ præterlabentur anni tres menses septem & dies quasi tredecim, usq; ad illud tempus quo cultum a Judæ instauratum Antiochus permittet confirmabítq; diplomate: quod factũ est die decimo quinto mensis Xanthici, id est, penultimi; anno cẽtesimo quadragesimo octavo Seleucidarum, 2. Macb. 11. 33. [22] i. sed multo adhuc melior conditio futura est post dies quadraginta quinque, quibus exactis populus Judæorum planè a tyranno isto liberabitur. Hoc autem factum est morte Antiochi Epiphanis, qui decessit de vita ineunte anno centesimo quadragesimo nono Seleucidarum 1. Macb. 6. 16. Nam etsi nominatim mensis diésque minimè in historiis exprimitur, non dubium est tamen quin sub principium anni exstinctus sit: ut evidentissimè constat ex iis rebus, quas gessit filius Antiochus Eupator eodem anno. [23] id est, vide ut pergas in curriculo quod superest vitæ tuæ, contentus hac revelatione mea: sic interpretatur hæc verba Christus exegeticè in sequente membro.

HOSCHEAH.

HOSCHEAH.

ARGUMENTUM.

LIBER *Hoschehæ Prophetæ versatur totus in prophetico documentorum genere. Primum enim duobus typis publicam privatámque Jisraëlitarum apud quos prophetabat depravationem præfigurat, judicium depravationis nomine ipsis superventurum, & gratiam quam Deus erat facturus ipsorũ reliquiis: deinde verò tria eadem capita apertis verbis copiosiùs explicat, de peccatis gravissimè objurgans populares suos, severissima Dei judicia fortiter pronuncians, & resipiscentibus reliquiis, quas Deus ex communi velut incendio conservaverit in Christo filio suo, gratiam, pacem & salutem æternam prædicens.*

CAPUT PRIMUM.

Deus Prophetæ imperat ut typum pronunciet, quo Jisraël totus impietatis evincatur, & severissima judicia perhorrescat propediem in totum corpus eventura: itaque pios hortatur ut sollicitè Ecclesiam moneant, omnes judiciorum acerbitate à malo revocat, castigationibúsque promittit effecturum ut ad ipsum revertantur, & reconciliati per Christum vindicentur ab omni malo, obtineant omne bonum, & inter se in communione gratuiti cum Deo fœderis gratulentur.

⁹ Duo hæc capita inter se cõjungenda esse nemo dubitabit, qui typum cum sua anagoge statuerit comparandum. Sunt itaq; hujus prophetiæ tres omnino partes: inscriptio *catholica*, sive universalis, versu 1. typus propheticus reliquo capite primo; & anagoge sive accommodatio typi, capite 2.

1 ¹ VERBUM Jehovæ quod fuit ad Hoschehham filium Beeri, ᵃ temporibus ² Huzzijæ, Jothami, Achazi, Jechizkijæ regum Jehudæ; & tẽporibus ³ Jarobhami filii Joaschi regis Jisraëlis.

2 ⁴ Quum ᵇ primò alloquutus est Jehova
Hoschehham, edixit Jehova Hoschehæ, abi, ⁵ assume tibi uxorem ᶜ scortũ ⁶ & natos scorti, ⁷ quum
ᵈ omnino scortetur hæc terra ᵉ aversata Jehovã.

3 ⁸ Abiens itaq; ⁹ assumsit ¹⁰ Gomerã ᶠ Di-
blajimanam, quæ concepit & peperit ei ¹¹ filium.
4 Tunc edixit Jehova ¹² ei, voca nomen ejus
¹³ Jizrehhelem; nam ¹⁴ adhuc paulisper, & animadvertam ᵍ ¹⁵ cædes Jizrehhelis in domum Jehu, faciámque ut cesset ¹⁶ regnum *in* domo Jisraëlis.
5 ¹⁷ Eritque die illo, ut frangam ¹⁸ arcum
Jisraëlis, ¹⁹ propter vallem Jizrehhelis.
6 Deinde concipiens iterum peperit ²⁰ filiam, edixitque *Jehova* ipsi *Hoschehæ*, voca nomen
ejus ²¹ Lo-ruchamam: nam non pergam ampliùs misereri domus Jisraëlis, ut ʰ ullo pacto
²² condonem istis.

⁸ Propheta in Ecclesiam sive cœtum Jisraëlitarum.
⁹ i. prophetavit typum hoc argumento, ut diximus proximè præcedente versu.
¹⁰ fictis argumentis ficta nomina, sed accõmodata tribuuntur. Totum enim Jisraëlis regnum typicè cum muliebri corpore

ᵃ Heb. *diebus: sic deinceps.* ² etsi ex istis regum appellationibus tempus quo prophetavit Hoscheah, planè circumscribi non potest, si tamen vel inde ab ultimo Jarobhami anno placeat numerare (qui fuit Huzzijæ regis tricesimus nonus) usq; ad principium regni Jechizkijæ, comperies Prophetam hunc nostrum minimùm annis tribus & quadraginta prophetasse; ut ex Chronica supputatione promtum est cognoscere. ³ & cæterorũ qui in Jisraële regnarunt: nam ultimus Rex Jisraëlitarum anno sexto Jechizkijæ sublatus est, ad cujus tempora hic noster prophetasse dicitur synecdoche. Videtur autẽ consultò Jarobhami duabus de causis meminisse; una, ut demonstraret apertiùs, sub quæ tempora Huzzijæ cœperit prophetare; altera, ut majorẽ fidem & auctoritatem conciliaret prophetiæ, quum florentissimo Jisraëlitarum regno, nec dum inclinãte, funestã ejus ruinã tam longo intervallo prædixerit, nempe (ut minimũ tribuamus) annos quadraginta novem. ⁴ typus hic a Deo imperatus nõ aliter a Propheta effectus est, quàm prophetica prædicatione. Nam quæcunq; hoc modo prophetis imperantur, si contra naturam, bonos mores, aut fidem veniunt, ea non propriè effecta atq; ex facto exhibita, sed figuratè imperata & prophetice denunciata fuisse, permultis scripturæ locis exemplisq; confirmari potest. Quum autẽ futura fuisset contra bonos mores lege Dei præscriptos istius typi exsequutio, non est credibile ea quæ hic scribitur fuisse a Propheta opere præstita, sed typum Ecclesiæ pronunciatũ. Est autẽ hic typus primùm imperatus a Deo, vers. 2. deinde verò pronunciatus, reliquo capite: & duas partes in universum continet; unam de uxore, quæ typus fuit totius regni & Ecclesiæ Jisraëlitarum, v. 3. alterã de liberis, quibus figuravit Propheta certas partes & tẽpora regni Jisraëlitarũ, ut suis locis commonstrabimus. ᵇ Heb. *principio.* ⁵ videlicet prophetia, id est, propheta to hunc typum, te similẽ esse homini, qui assumserit sibi uxorem & liberos hujusmodi. Sic accipiendam esse vocẽ hanc infinitis scripturæ locis confirmari potest, vide Deut. 13. 1. ᶜ Heb. *scortationum: & sic deinceps.* ⁶ hæc verba evincunt manifestò rem non gestam, sed prædicatam esse; quum non potuerint iidem liberi a Propheta & assumi cum matre, & ex ea gigni, quod dicitur sequentibus. ⁷ summa interpretatio typi, qua ostendit Deus se Jisraëlem totum tanquam uxorem & liberos impurissimos pertulisse. ᵈ Heb. *scortando.* ᵉ Heb. *de post Jehovam.*

comparatum vocatur Gomer, id est, integritas; ut doceat Deus a se totum Jisraëlem sine exceptione in conjugium sacrum ascitum fuisse. Ex Diblajimis autem fuisse dicitur, id est, ex deserto immani & horrendo, de quo Jechezkel. 6. 14. ut demonstret Deus se gratiosè Jisraëlitas ad dignitatem illam evexisse sine ullo ipsorum merito, ut idem Jechezk. 16. narrat copiosissimè. ᶠ Heb. *filiam Diblajimorum.* ¹¹ nunc demum transitio fit ad alteram typi partem, de liberis quos Propheta dicitur sustulisse. Hi autem liberi tres ætates Jisraëlitarum designant: primus enim ætatem illam significat, quæ gravissimis & periculosissimis motibus exagitata est, quando Schallum posteros Jehu sustulit, 2. Reg. 15. secundus ætatem illam, quæ a Thiglath-pilesere vastata, capta, & deportata est, 1. Chron. 5. 26. tertius denique ætatem illam, quæ tota eversa est per Schalmanasarem, quum regnum Jisraëlis totum intercidit, 2. Reg. 17. ¹² Prophetæ, tamquam parenti. ¹³ de nomine opidi & regiæ Jisraëlitarũ, ubi Joram rex Jisraëlis per Jehu interfectus est, & regnum ab ipso occupatum, 2. Reg. 9. & 10. ¹⁴ nam Zecarjæ filius Jarobhami sex mensibus tantùm regnavit, & per Schallumum sublatus est, regnúmque posteris Jehu ademtum, 2. Reg. 15. 10. ᵍ Heb. *sanguines.* ¹⁵ id est, stragem horrendam a Jehu in Jizrehhele editam, 2. Reg. 9. & 10. ¹⁶ domus Jehu, quæ modò nominata est. ¹⁷ id est, & ex eo tempore quo sublata fuerit domus Jehu, non desinam tum intestinis malis, tum etiam externis quatere & labefactare vires Jisraëlitarum. ¹⁸ id est, robur, synecdochicè: ut interpretatur Channa, 1. Schem. 2. 4. ¹⁹ id est, propter cædes in ea valle factas, ut dictum est præcedente vers. ²⁰ secundus hic partus (ut diximus in vers. 3.) secundam ætatem denotat, qua Pekach filius Remaljæ a Thiglath-pilesere spoliatus est, & Gilhhaditæ deportati, 1. Chron. 5. 26. Quamobrem etsi permagnum damnum Jisraëlitæ acceperunt multati regione trans Jardenem sita; quum tamen adhuc longè amplior regni pars penes Pekachum remanserit, hæc ætas cum filia comparatur, sequens verò cum filio, vers. 8. ²¹ id est, non adeptam, sive non consequutam misericordiam, vel (ut interpretatur Paul. Rom. 9. 25.) non dilectam ex misericordia. Sic nominatur ætas & pars illa populi quæ cladem illam tempore Pekachi ab Assyrio pertulit. ʰ Heb. *condonando.* ²² Jisraëlitis, ac proinde istos semel deportatos gratiosè restituam.

7 [23] Domus autem Jehudæ miſerebor, ſer-
vabóque eos [24] per Jehovam Deum ipſorum: ac
non ſervabo eos [25] arcu, gladióve, aut bello, e-
quis, aut equitibus;
8 Quumq; a lacte depuliſſet Lo-ruchamam,
rurſus concepit peperítque [26] filium:
9 Et dixit *Jehova*, voca nomen ejus [27] Lo-
ħammin: quia vos *eſtis* non populus meus, nec
ego ſum futurus veſter.
10 [28] Quamquam futurus eſt numerus [i] Jiſ-
raëlitarum par arenæ maris, quæ neque menſu-
rari neq; numerari poteſt: erítque [k] pro eo quod
dicitur iſtis, non populus meus eſtis, *ut* dicatur il-
lis, filii *Dei* fortis viventis *eſtis*:
11 Quando congregantes ſe [l] Jehudæi & Jiſ-
raëlitæ unà, & præponentes ſibi caput unum
[29] aſcendent e terra hac: [30] quum magnus fue-
rit dies Jizreħelis.

[23] id eſt, regni Jehudæ, quod vos Jiſraëlitæ, conſociatis vobiſcum Syris, tentatis & conamini occupare, ut narrat Jeſchaħ. 7. 5. & ſequentibus. [24] id eſt, per Jeſum Chriſtum filium virginis, Deum æternum cum Patre & Spiritu ſancto, & verum hominẽ nobiſcum; qui ſignum æternum eſt, fundamentúmque federis & omnium promiſſionum Dei: vide Jeſchaħ. 7. 14. [25] id eſt, domeſticis ipſorum, aut extraneis viribus. [26] tertius hic partus tertiam ætatem denotat, quum Jiſraëlitæ reſiqui fuerunt per Schalmanaſarem deportati: quorum corpus cum filio potius quàm cum filia comparatur (ut diximus in verſum 6.) quia adhuc potentior erat, quàm unquam tribus illæ trans Jardenem ſitæ. [27] id eſt, non populum meum, ut Propheta interpretatur ſequente ℣. 10. [28] hi duo verſus correctione quadam acerbitatem ſuperioris typi temperantes ſunt paraſcevaſtici ad ſequentis capitis documenta. Docet enim Deus univerſum quidem Jiſraëlitarum corpus a ſe profligatum iri; ſed reliquias aliquas ſervandas eſſe ſecundùm electionem gratiæ in adventu Chriſti, quando omnes in unum populum ſub uno rege & paſtore in unum ovile coaleſcent, ut ait Jirmeja 3. 18. & Jechezkel. 34. & 37. [i] *Heb. filiorum Jiſraëlis: ſic ℣. ſeq.* [k] *Heb. loco ejus.* [l] *Heb. filii Jehudæ.* [29] videlicet Jeruſchalaima, pro eo quod eſt, redeuntes ad Eccleſiam Dei inſtaurabunt cultum ejus. Sic enim Prophetæ typis Eccleſiæ veteris ſpiritualem Dei cultum adumbrarunt. [30] id eſt, poſtquam illæ graves, acerbæ, & ampliſ vindictæ meæ, quas adhibiturus ſum contra Jiſraëlitas inde a primo impetu, qui Jizreħelis nomine deſignatur, effectæ fuerint; ſynecdoche. vide Jeſchaħ. 9. 1. & ſeq.

CAPUT II.

1 [1] DIcite fratribus veſtris, [2] ô popule mi, &
ſororibus veſtris, ô miſericordiam con-
ſequuta;
2 [3] Contendite cum matre veſtra, contendi-
te, ipſam non eſſe uxorem meam, & me non eſ-
ſe virum ipſius: ut amoveat ſcortationes ſuas a
conſpectu ſuo, & [4] adulteria ſua e medio uberum
ſuorum:
3 [5] Ne denudem eam [a] planè, & ſtatuam e-
am ut [6] die *quo* genita fuit; diſponénſque eam ve-
lut [7] *in* deſerto, & redigens eam velut *in* terra ſi-
ticuloſa, [b] extinguam eam [8] ſiti;
4 Et filiorum ejus non miſerear, eo quòd filii
[c] ſcorti ſint.
5 [9] Nam [10] ſcortatur mater ipſorum, ſcelus
pudendum committit genitrix ipſorum; nam di-
cit; [d] proſequar amatores meos dantes cibum
meum, & aquas meas, lanam meam, ac linum
meum, oleum meum, & potiones meas.
6 [11] Idcircò ecce ego obſepiam viam tuam
ſpinis; & [e] obducam maceriam, [12] ut ſemitas ſu-
as non inveniat:
7 Et ſectata amatores ſuos non aſſequatur
eos, & quærens eos non inveniat; tandem dicat,
[f] age, revertar [13] ad virum meum priorem illum,
nam melius mihi tum erat quàm nunc.
8 [14] Etenim ipſa non agnoſcit me dare ſibi
frumentum, muſtúmque, & oleum; etiam argen-
tum copiosè ſuppeditare ipſi & aurum, [g] *quo*
conficiunt Baħalem.
9 Idcircò reverſus recipiam frumentũ me-
um tempore ſuo, & muſtum meum tempeſtate
ſua; eripiámque lanam meam & linum meum,
tecturum nuditatem ipſius;
10 Et nunc retegam fœditatem ejus in ocu-
lis amatorum ejus, nemine erepturo eam e ma-
nu mea.
11 Et abolebo omne gaudium ejus, feſtivita-
tem ejus, novilunium ejus, & ſabbathum ejus;
denique omnem ſolennitatem ejus:
12 Et deſolabo vites ejus & ficus ejus, *de* qui-
bus dicit, [15] merces hæ *ſunt* mihi quas dederunt
mihi amatores mei; [16] redigámque eas in ſyl-
vam, ut comedant eas beſtiæ agri.
13 Ita [h] animadvertam in illam dies Baħali-
morum, quibus ſuffitum facit eis, & ornans ſe in-
aure ſua & monili ſuo proſequitur amatores ſu-
os; mei verò obliviſcitur, dictum Jehovæ.
14 [17] Idcircò ecce ego pellecturus ſum eam,
[18] quum deduxero eam *in* deſertum; & eloquu-
turus ſum [i] quæ ſint ei cordi:
15 Et daturus ei vineas ipſius [19] inde ab eo
loco, & [20] vallem Hacoris [21] pro foribus ſpei; ut
canat illic ſicut diebus pueritiæ ſuæ, & quo die
aſcendit e terra Ægypti.
16 Erítque die illo, dictum Jehovæ, *ut* [22] vo-
ces me, vir mi; ac non voces ampliùs, [23] mi Ba-
ħal:
17 [24] Amovebo enim nomina Baħalimorum
ab ore ejus, ut non commemorentur ampliùs
nomine ſuo:
18 [l] Et pangã pro ipſis fœdus die illo cum be-
ſtiis agri, & cum avibus cœli, reptilibúſque terræ:
& [l] arcum, gladiúmque, ac bellum confringens e
terra, faciam ut jaceant securè:
19 Et deſponſabo te mihi in ſeculum; de-
ſponſabo te, inquam, mihi [24] juſtitia, judició-
que, & benignitate, ac miſericordia:
20 Et deſponſabo te mihi [25] fide, ut agnoſcas
Jehovam.
21 [27] Erit etiam die illo, ut [28] exaudiam, dic-
tum

[1] Hæc præcedentis typi anagoge ſive enarratio (ut diximus ſuprà 1. 1.) eſt [illegible], & tribus omnino partibus concluditur; prima eſt adhortatio piorum, ut fratres ſuos Eccleſiámque Jiſraëlitarum revocent ad reſipiſcentiam, verſibus quatuor; ſecunda eſt ætiologia, a narratione maleficiorum quibus Jiſraëlitæ tenebantur, & futuræ adminiſtrationis Dei, verſ. 5. & duobus ſeq. tertia eſt ſuperiorum concionis partium exornatio, ad finem uſq; capitis. [2] i. vos qui nondum planè reprobati & rejecti eſtis decreto Dei; ſed adhuc in ſpe eſtis retinendæ gratiæ Dei, ſi reſipiſcitis. Idem judicium de altero membro faciendum. [3] i. liberè indeſinenterq; toti Eccleſiæ ſua crimina ante oculos proponite, ut reſipiſcat irámque venturam fugiat. [4] id eſt, adulterinos fucos quibus ad ineſcandos amatores faciem exornant ſcorta: quamobrem etiam priſcis Latinis ſchœnicolæ dicebantur. [5] ut copiosè exponit infrà verſ. 9. & ſequentibus. [a] *Heb. nudam.* [6] vide Jechezkel. 16. 4. [7] cujus allegoriam poſuerat ſuprà 1. 3. & reponit infrà verſ. 14. [b] *Heb. morte afficia.* [8] id eſt, omni calamitoſorum judiciorum genere: ſynecdoche. [c] *Heb. ſcortationũ.* [9] ætiologia, ut diximus in verſum 1. exponit cauſas ſuperioris hortamenti ad reſipiſcentiam, tum a maleficiis præteritis præſentibúſque, & ſcelesta in futurum obfirmatione, tum ab adminiſtratione Dei conſequutura, caſtigandis maleficiis, verſ. 6. & frangenda tandem obfirmatione, ut ineatur reſipiſcentia, verſ. 7. [10] cum diis & gentibus exteris, neglecto conjugali fœdere cum Deo: itaq; illi dicuntur amatores, ſequente membro. [d] *Heb. ibo poſt: ſic infrà ℣. 13.* [11] denunciatio conſequuturæ Dei adminiſtrationis allegorica, per apoſtrophen irarum indicem.

[e] *Heb. maceriabo: ut ita dicamus.* [12] ut cum illis ſcortari ampliùs nequeat, prout amplificatur ſeq. verſu. [f] *Heb. ibo & reverſar.* [13] id eſt, Deum, juſtum conjugẽ a quo deſciveram. [14] tranſitio ad exornationem, per brevẽ anacephalæoſin maleficiorum quæ Jiſraëlitæ perpetrabant, hoc verſu. Hujus exornationis partes ſunt hæ; explicatio caſtigationum Dei quæ indictæ fuerant ſuprà verſ. 3. & 4. & copioſiùs exponuntur uſque ad verſum 14. & revocatio per ſpiritum, verbum, beneficiáque Dei, ad utenda fruendáque mutua Dei & Eccleſiæ inter ſe officia, ad finem uſque capitis. [g] *Heb. quod fecerunt in Baħalem.* [15] id eſt, pretia meritoria; [illegible] vide Jeſchaħ. 1. [illegible] [h] *Heb. viſitabo ſuper illam.* [17] [illegible] pars exornationis, de adminiſtratione Dei revocantis ſuos a maleficiis: ut diximus in verſum 8. [18] id eſt, [illegible] ſtatero ut [illegible] interminatus ſuprà verſ. 3. Ponuntur autem primùm in hoc verſu & ſequente, tria Dei erga electos officia; vis ſpiritus pelliciens, verbum Dei permovens, & beneficia ejus quæ ad ſpiritum & verbum accedentia ſpem & lætitiam animis piorum ingenerant; deinde verò reciprocum Eccleſiæ officium erga Deum, ℣. 16. [i] *Heb. ſecundum cor ejus: ut Gen. 34. 3.* [19] i. ab ipſo deſerto trans Jardenem, cujus meminit præcedente verſu. [20] in Jardenem, ad quam trajecto Jardene appulerunt Jiſraëlitæ, quum in poſſeſſionẽ terræ primùm mitterentur. [21] i. pro acceſſu primo ſperatæ atque exoptatæ hæreditatis & benedictionum Dei; quemadmodum Jiſraëlitis Jardenem petentibus hæ primæ fuerunt tamquam fores quibus in ſuam poſſeſſionem ingreſſi ſunt: allegoria ex veteris Eccleſiæ typo. [22] imò pro juſto conjuge habeas, colas & profitearis. [23] i. mi Domine q. d. hæc vox etſi per ſe juſta atque honeſta eſt, jam tamen mihi eſt odio & horrori propter communicationem hujus appellationis cum idolis tuis. [24] ex lege Exod. 23. 13. Hoc autem verſu & ſequentibus exponit Deus ſua & Eccleſiæ officia inter ſe mutua: quorum prius eſt liberatio ab omni malo, tum ſpirituali, hoc verſu, tum corporali, ſeq. verſu ex fide & conſtantia federis mutui, verſu 19. & 20. poſterius verò, communicatio omnis boni, ſive corporalis, quoad opus futurum eſſe Deus cognoverit, verſ. 21. & 22. ſive ſpiritualis, verſ. 23. [l] *Hoſ. 5. 23.* [l] *Jeſchaħ. 2. 4.* [25] id eſt, conferens in te donis juſtitiæ, &c. [26] i. ita te adjungam mihi, ut dona illa a me proficiſcentia percipias fide augeſcente in omnem cognitionem mei. [27] poſterius officiorum genus, ut diximus in verſum 17. [28] humanitus dictum, pro eo quod eſt, res omnes creatas in cœlo & in terra ſtudentes & cooperantes in Eccleſiæ bonum, ac ſuo modo procurantes coram me ut ſubminiſtrare poſſint Eccleſiæ quicquid debent; res, inquam, creatas (tamquam ſi invocarent me) benedictionibus cumulabo ad uſum Eccleſiæ meæ.

tum Jehovæ; [29] exaudiam cælos, & ipsi exaudiant terram;

22 Et terra exaudiat frumentum, & mustum & oleum; & ista exaudiant [30] Jizreħelem.

23 Nam conseram [31] eam mihi in terra, & miserebor [32] Lo-ruchamæ; & dicam *ipsi* Lo-ħammi, populus meus es, & ipse dicet, Deus mi.

29 id est, ipsis velut exorantibus suppeditabo quæ fuerint opus, & ipsi vicissim terræ: sic deinceps. 30 id est, partus Ecclesiæ & reliquias Jizreħelis illius de quo suprà 1.4. quas illa mihi pepererit in Christo, & quibus Ecclesiam consevero, sequente versu. Sic ostenditur etymon illius nominis quod prius ad significationem judicii spectabat, suprà 1.4. hic verò ad significationem gratiæ a Deo percipiendæ pertinet. 31 Ecclesiam matrem germani Jisraëlis. 32 cujus miserturum se negaverat supr. 1.16. hic verò reliquias se excepturum promittit, quemadmodum etiam judicandum est de tertio nomine.

CAPUT III.

Deus proponit typo diuturnam labefactationem Ecclesiæ & regni Jisraëlis: deinde restitutionem promittit gratia obventuram in Christo.

1 [1] DEinde edixit Jehova mihi, iterum abi, ama mulierem, amatam [a] ab amico, & adulterantem: qualis *est* amor Jehovæ erga [b] Jisraëlitas, quum ipsi [2] respiciant ad deos alienos, & [3] ament lagenas [c] vini.

2 Quum itaque [4] comparassem eam mihi quindecim *siclis* argenti, & [d] [5] sesquichomere hordei:

3 Edixi ei, [6] diebus multis desideto [e] [7] mea causa, ne scortator, neque [f] adjungito te cuiquã; vicissim etiam [8] ego [g] tua causa.

4 Nam [9] diebus multis desidebunt Jisraëlitæ, [10] nullo rege, nullóque principe, & nullo sacrificio, ac nulla statua; nullo denique amiculo, aut imaginibus:

5 [11] Posteà reversi Jisraëlitæ [12] quærent Jehovam Deum suum, & Davidem regem suum; & [h] [13] pavidi accedent ad Jehovam & ad bonitatem ejus [14] ultimis temporibus.

1 Secunda hæc prophetia continet typum non admodum priori absimilem, tribus versibus; & explicationem illius, ✠ 4. & 5. a *Heb. amici.* b *Heb. filios Jisraëlis.* 2 id est, explorantes attenta observatione sequantur animum suum & oculos ad scortandum, ut loquitur Mosche Numer. 15.39. 3 id est, perditè vivant: synecdoche. c *Heb. uvarum; metonymia.*

4 sic ostendit Propheta populum Jisraëlitarum (qui hac muliere adumbratus est) servitutem servivisse, donec Deus ipsum vindicavit sibi: nã mancipia tantùm & quidem extera erant venalia. d *Hebr. chomere hordei, & leteco hordei.* 5 de Chomere vide Levit. 27.16. & Jechezk. 45.11. Letec autem Hebraicum non aliud est quàm semichomer. Quamobrem conjunctim pro Chomere & Leteco sesquichomerem diximus. 6 hîc Propheta noster prosequitur ritum legis qui imperatus est Deut. 21.13. e *Heb. mihi.* 7 id est, ut te justo tempore confecto uxorẽ ducam. f *Heb. esto viri.* 8 supple desidebo, neque me conjungam alteri. g *Heb. ad te.* 9 nam ex quo Jisraëlitæ in Assyriam fuerunt deportati per Schalman-asarem, i. ab anno sexto Chizkijæ usque ad redemtionem comparatam in Christo & restitutionem Jisraëlis, fuerunt anni sexcenti octoginta. Est autem hîc typi accõmodatio, ut diximus vers. 1. 10 i. sine ulla forma reipub. & Ecclesiæ, ac ne illius quidem depravatissimæ quę tum apud Jisraëlitas erat, & circumfluebat idololatria. 11 nimirum quàm dies multi quos præfinivit Deus effluxerint, id est, quum Christus Deus fiet manifestus in carne, qui idem est Jehova & David, ac proinde unica Jisraëlitarum salus. 12 id est, dedent se Ecclesiæ, & regno Christi Jehovæ & Davidis nostri. h *Heb. pavebunt ad Jehovam.* 13 ex documento Davidis, Psal. 2.11. 14 quibus Deus nos per filium suum compellat prædicatione Euangelii, Hebr. 1.1.

CAPUT IIII.

Deus Jisraëlem totum vanitatis summæ, inhumanitatis, & impietatis redarguit; & a præsente regni administratione confirmat reprehensionem suam: postremò Jehudam a Jisraëlitarum factis dehortatur tum horrore injustitiæ, tum suppliciorum metu.

1 [1] AUdite verbum Jehovæ, ô [a] Jisraëlitæ: nam contentio *est* Jehovæ cum habitatoribus hujus terræ, quòd [2] nulla *sit* fides, nulláq; benignitas, & nulla agnitio Dei in hac terra.

2 [3] Pejerando, & mentiendo, & occidendo, furandóque, & adulterando; effringunt *legem*, & [b] [4] cædes aliæ aliis sunt contiguæ:

3 Propterea [5] lugebit hæc terra, & languebit quicquid habitat in ea, [c] tum bestiæ agri, tum aves cæli: quin etiam pisces maris [d] interibunt.

4 [6] Verumtamen quisquam [7] ne contendito, & ne increpato quemquam: nam [e] populares tui [8] similes *sunt* contendentibus cum sacerdote.

5 Itaque [9] corrues interdiu, corruétque etiam Propheta tecum noctu; & exscindam [10] matrem tuam.

6 [11] Exscindentur populus meus, [f] eò quòd vacet [12] scientia: [13] quia tu [14] scientiam sprevisti, spernam quoque te, ne sacerdotio fungaris mihi; quia oblitus es legis Dei tui, [15] obliviscar filiorum tuorum ego quoque.

7 [16] Prout aucti sunt, ita peccant in me; gloriam eorum ignominia commutabo.

8 [17] Peccatum populi mei comedunt; & ad iniquitatem eorum [18] attollunt animum suum *quisque*.

9 [19] Quapropter erit ut populus, ita sacerdos; & [g] animadvertens in eum vias ejus, actiones ejus retribuam ei.

10 Nam comedentes [20] non saturabuntur, scortantes non erumpent *in multitudinem*; quia Jehovam desierunt observare.

11 [21] Scortatio, vinúmque, & mustum; intercipit [h] mentem.

12 [22] Populus meus [23] lignum suum consulit, ut baculus ejus indicet ipsi; nam spiritus [24] scortationum in errorem agit, ut scortentur aversi [i] a Deo suo.

13 [25] In verticibus montium sacrificant, & in

1 Hujus concionis partes in universum duæ sunt: una ἐπιτιμητικὴ, qua Jisraëlitæ increpantur, & gravissimis minis proterũtur judiciorum Dei impendentium, usque ad vers. 15. altera διδασκαλικὴ, qua Jehudæi ab Jisraëlitarum exemplo officii sui admonentur, ad finem usque. Increpationis autem prolepsis, sive propositio summa contentionis Dei cum Jisraëlitis & causarum ejus ponitur versu 1. deinde verò prolepseos exornatio ex causarum ordine, versibus sequentibus. a *Heb. filii Jisraëlis.*

2 tres causæ litigandi his verbis exponuntur, quas deinceps Propheta illustrat tum rerum gestarum narratione, tum judiciorum comparatione quæ Deus erat immissurus, ἀναλόγως sive convenienter maleficiis. 3 primus exornationis locus ostendit primùm nullam esse fidem, hoc versu; deinde propter perfidiam Jisraëlitarum judicium Dei exponit, sequente versu; non esse cur Jisraëlitæ confidant terræ suæ & bonis illius, eò quòd Deus in omnia luctuosissimam calamitatem immissurus est. b *Heb. sanguines sanguinibus sunt contigui.* 4 ex his & sequentibus verbis videtur nobis probabile hanc prophetiam post Jarobħami mortem & Zecarjæ filii, quam prædixerat suprà 1.4. pronunciatam esse.

5 id est, horrebunt, & vasta erunt omnia: prosopopœia hyperbolica. c *Heb. in bestia agri, & in ave.* d *Heb. recipientur.* 6 secundus exornationis locus, nullam esse benignitatem in terra; ac potius feritatem & barbariem tantam, ut ne moneteis quidem benignè ferre possint, nedum peccantes benignè admonere: cui secundæ contentionis causæ hoc versu positæ comparatur judicium suum, sequente versu: nolunt erigi, inquit, ac propterea singuli corruent. 7 id est, ne operam ludito quisquam in reprehendendis obfirmatis istorum animis: omnes reprehensiones in ventos abituræ sunt. e *Heb. populus tuus.* 8 id est, voluntariè peccant, & superbè cõmittunt quidquid committunt; ac proinde tam rei sunt quàm qui non auscultant sacerdoti Dei, Deut. 17.12. ut exemplum habetur Num. 16. 9 apostrophe ad populum, quem indesinenter prædicit esse deinceps ruiturum: ut gestum esse historiæ testantur. 10 id est, regnum totum; vide suprà 1.3. 11 tertius exornationis locus, nullam esse agnitionem Dei tum in populo, tum in sacerdotibus; quorum crimina suppliciáque universè posita hoc versu, sequentibus explicantur. f *Heb. ex non scientia.* 12 id est, agnitione Dei, cujus meminit ✠ 1. 13 apostrophe ad sacerdotes. 14 quã colere & tueri debent ex officio sacerdotes, Deut. 33.9. & 10. & Maleaci 2.7. 15 id est, non modò te spernam, sed etiam filios tuos. 16 i. in honorem evecti nomine meo. Hoc autem & sequente vers. exaggerat Propheta indignum sacerdotum facinus, tum ab honoribus & beneficiis quæ speciatim contulerat in sacerdotum ordinem, tum ab arrogantissima ipsorum confidentia indulgentium peccatis populi, ut gulæ, ambitioni, & avaritiæ suæ inservirent: deinde verò simul populi & sacerdotum pœnas prænunciat, vers. 9. 17 i. oblationes & sacrificia pro peccatis. quasi dicat, peccare populum non indignè ferunt, sed potiùs maximam peccandi licentiam invehunt, quia ex sacrificiis habent unde vitæ suæ ac voluptatibus indulgeant. 18 vide in Deuter. 24.15. 19 denunciatio pœnæ, ut diximus in vers. 7. qua primùm vitæ & voluptati suæ consulentibus inopia victus voluptatúmque prædicitur, usque ad versum 12. deinde scortantibus cum idolis prænunciantur domestica adulteria familias ipsorum impunè conturbatura, inde ad versum 14. ac postremò καθόλου sententia a Deo fertur, versu 14. g *Heb. visitabo super eum: sic vers. 14.* 20 i. tantum abest ut saturentur propagentúrque, ut contrà fame & tabe conficiantur ipsi; ut in Schomronis obsidione factum est: μείωσις. 21 γνώμη, qua ostendit Propheta adeò obrutos & sepultos esse Jisraëlitas in adulteriis & ingurgitationibus, ut ad nullas minas & pœnas quamvis præsentes animum advertant. h *Heb. cor.* 22 altera denunciatio, ut diximus in versum 9. 23 id est, imaginem ligneam, metonymicè. 24 id est, idololatriæ, quæ scortatio spiritualis est. i *Heb. de sub Deum suum.* 25 vide Jeschaħ. 57.9. & sequentib.

26 conclusio sententiæ Dei in omnes Jisraëlitarum ordines & sexus, propter repudiatam cognitionem Dei, ut diximus in versum 9. 27 i. res opimas domi suæ eligãt, quas palàm Deo hominibúsque testantibus consumant cum scortis, religionis specie. 28 eo quòd non intelligit, neque animum adhibet ad cognitionem Dei. 29 secunda pars concionis, ut diximus in versum 1. qua Propheta Judæos primùm

collibus suffitum faciunt sub quercu, populóque,
& robore, eo quòd bona *sit* umbra ejus: idcircò
scortantur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulterantur.
14 [26] Non animadverterem in filias vestras
quòd scortentur? & in sponsas vestras quòd adulterentur? quòd isti cum scortis [27] separent,
quæ cum meretricibus sacrificent? imò populus
[28] non intelligens conturbabitur.
15 [29] Si scortaris tu Jisraël, ne reatum obeat
Jehuda: & [30] ne accedatis Gilgalem, neq; ascendatis [31] Beth-avenē, neq; juretis, *ut* vivit Jehova.
16 [32] Nam ut juvenca refractaria, refractarius *est* Jisraël; [33] nunc pasturus est eos Jehova
tamquam agnum in loco spatioso.
17 [34] Conjunctus est [35] terriculis Ephrajim:
[36] sine illum.
18 [37] Refractarium est merum eorum; [k] indesinenter scortantur, [38] amant, date, *cum* ignominia [l] protectores ejus.
19 [39] Ligat ventus [40] eam alis suis; erubescéntque propter [41] sacrificationes suas.

dehortaur a communicandis operibus Jisraëlitarum, hoc versu; deinde causas dehortationis explicat, reliquis. 30 apostrophe ad Jehudam. quasi dicat, cavete, ô Jehudæi, ne vel terminum ipsum Jisraëlitarum communicandæ idololatriæ causa attingatis: nam terminus erat Gilgal Jardenem versus. Deinde verò per gradationem alia duo interdicta subjiciuntur: unum, ne cum idôlo Beth-elis communicent: alterum, ne blasphement Deum suum obstringentes se idololatriæ. 31 id est, Beth-elem, quo in opido Jarobhʿam instituerat idololatriam, 1. Regum 12.29. Dicitur autem Beth-aven, id est, domus vanitatis, hîc & infrà 10.5. pro eo quod antè fuerat dicta Beth-el, id est, domus Dei fortis, Genes. 28. 32 propositio summa causarum ad dehortationem pertinentium. Sunt autem duæ hoc versu positæ; una, Jisraëlitas turpis rebellionis, & contumaciæ adeóque transfugii reos esse, quod exponitur versu 17. & 18. altera, impendere ipsis a Deo judicium severissimum, quod exponitur versu ultimo. 33 id est, jam jam incipit, & porrò hoc effecturus est ut perinde expositus sit Jisraël prædæ, ut misellus agnus solitarius in patente campo. 34 id est, transfugit a Deo vero ad falsos. 35 vide 1. Schemuel. 31.9. 36 id est, tibi, ô Jehuda, nihil cum illo commune esto. 37 i. merum quo se obruunt, istos efficit refractarios: quo nomine Ephrajim persæpè a Prophetis reprehēditur: ut Jeschahʿ. 28.1. metonymia, cui planè similis habetur Prov. 20.1. Hanc autem interpretationē aliis anteponimus ex versu 16. k *Heb. scortando.* 38 elegans ethopœia, qua exprimitur continens virorum principum desiderium & labor in coacervandis muneribus: cui similis est Proverb. 30.15. l *Heb. clypei.* 39 altera causa, ut diximus in versum 16. levissimi, inquit, & ignominiosissimi principes isti, tamquam vento paleæ, abripientur judicio Dei; quamobrem meritò Jehuda ab istis abstinere debet: allegoria in scripturis frequens. 40 puta ignominiam (cujus modò meminit) ut obruat ea Jisraëlem. 41 id est, impios cultus ab ipsis exercitos: synecdoche.

CAPUT V.

Deus Jisraëlitas & Judæos scortationis aversionisque obfirmatæ nomine reprehendens certissimam ruinam ipsis prænunciat: & criminibus ordine exprobratis, obsequio traditionum humanarum, extraneorum advocatione, verbi divini contemtu, federis cum Deo abdicatione, maleficiisq;, concludis sermonem denunciatione judicii, & hypocriseos exprobratione.

1 Tria hæc capita ad prophetiam eamdem pertinere res ipsa loquitur. Sunt autem hujus prophetiæ

1 [1] Audite istud, [2] ô sacerdotes, & attendite
[3] domus Jisraëlis, & [4] domus Regis aurem præbete, nam ad vos [5] judicium *pertinet:* qui
velut laqueus estis [6] in Mitzpa, & rete expansum
super [7] Thabore.

partes in universum quatuor: exordium, duobus versibus; propositio criminum suppliciorúmque propter crimina impendentium, usque ad versum 11. confirmatio propositionis, inde ad versum 8. capitis 7. & conclusio, ad finem illius usque. Exordium autem facit audientiam a persona Jisraëlitarum, versu 1. & a persona Dei, versu 2. 2 tum illegitimi Jisraëlitarum, tum verò in Judææ regno legitimi: nam etsi propriè compellat Propheta regnum Jisraëlitarum; eadem tamen occasione cum regno Jehudæ agit, velut criminum eorumdem conscio & obnoxio paribus judiciis; ut ipsa argumentationum series ostendit. 3 id est, regnum Jisraëlitarum. 4 id est, regnum Judæorum, quod domui Regis a Deo instituti hæsit: vide 1. Regum 12.16. & sequentibus. 5 ex lege Deuteron. 18. 6 monte ad Libanum, ubi ferè agebant aucupes, sicut in Thabore; vide Jehosch. 11.3. 7 de quo Judic. 4.6.

2 [8] Qui *ad* jugulationē declinantes [a] profunda petunt, iis ego castigationi sum omnibus.
3 [9] Ego novi Ephrajimum, & Jisraël non est
celatus [b] mihi: nunc [10] scortari te, Ephrajim,
impurum esse Jisraëlem.
4 [11] Non [c] adhibent actiones suas, ut revertantur ad Deum suum: nam spiritus [12] scortationum [d] in ipsis *est*, & Jehovam non agnoscunt.
5 [13] Etiam testificatur fastus Jisraëlis in
faciem ipsius: quamobrem Jisraël Ephajímque
corruent iniquitate sua, corruet etiam Jehuda
[14] cum illis.
6 [15] *Ut* cum [16] gregibus suis, & cum armentis
suis eant ad quærendum Jehovam, non invenient: [17] eruit se ab eis.
7 In Jehovam [18] perfidè egerunt, nam [19] filios extraneos pepererunt: nunc [20] consument
eos menses, parteis eorum.
8 [21] Clangite buccina [22] Gibhʿæ, tuba Ramæ; vociferamini [23] Beth-avene, [24] [e] posterior
te, ô Binjamin, *clangat*.
9 Ephrajim desolationi futurus est die correctionis; *quo* in tribubus Jisraëlis notum fecero
[25] *illam* certam *esse*.
10 Sunt Principes Jehudæ [26] similes iis qui
movent terminum; super eos effundam [27] velut
aquam furorem meum.
11 [28] Opprimitur Ephrajim, conteritur [29] judicio; [30] quia placet, [f] sequitur mandatum.
12 [31] Quapropter ego [32] tamquam tinea *fui*
Ephrajimo, & quasi [33] putredo domui Jehudæ.

8 periphrasis latronumquemadmodum (inquit Deus) aucupes in profundis latitare solent ad intercipiendas volucres; sic etiam vos, ô latrones, ex abdito loco alienæ vitæ insidiamini. Hos verò mearum est partium, ut eos castigem, primùm quidem verbis evincendo revocandóque; deinde etiam verberibus atque suppliciis: sic comparatur transitus ad propositionem sequentem. a *Heb. profundant: ut ita dicamus.* 9 secunda hæc pars, propositio, declarat primùm crimina Jisraëlitarum, vers. 3 & 4. deinde supplicia, tribus sequentibus; ac postremò exornatur,

tribus alteris. b *Hebr. a me.* 10 id est, corpore & animo in omnem impuritatem ruere: ut in tertia prophetiæ parte videbimus. 11 id est, non student resipiscentiæ & fructibus ejus. c *Hebr. dant.* 12 id est, impurissimus, ut spiritus perversitatum nominatur Jeschahʿ. 19.14. d *Heb. in medio ipsorum.* 13 quasi dicat, sed quid opus est diu multúmque de probanda Jisraëlis improbitate laborare? ipsius conditio fastuosissima plus satis testis est, & palàm facit impuritatem omnium: sic loquitur Jeschahʿ. 3.10. 14 id est, consors maleficiorum & pœnarum quæ de Jisraële enunciantur. 15 id est, nullo pacto judicium Dei effugient, neque Deum reconciliabunt sibi ullo externo cultu, quin pœnam quam modò dixi a Deo immissam subeant. 16 id est, amplissimis sacrificiis & oblationibus. 17 id est, deseruit eos, tamquam profectus aliò, ut dicitur infrà 15. & ostendit visum Jechezkel. 10. 18 ut adulteræ oblitæ sui conjugalis officii, suprà 3. 19 id est, semen suum cum diis populísque exteris perfidè commiscuerunt. 20 id est, tamquam mulieres effœtæ & fractæ assidua venere diffluent mensibus, atque contabescent singula ipsorum membra: sic Jirmejæ 2.24. 21 exornatio propositionis (ut diximus in versum 3.) per hypotyposin, quasi Deus conclamaret arma ad efficienda judicia quæ posteà exponit, duobus versibus. 22 qui terminus erat regni Jehudæ, ut Rama Jisraëlis; vide 1. Regum 15.21. & 22. 23 qui locus erat in solitudine utriusque regni contermina, Jehoschu. 7.2. & 18.12. ad Beth-elem & regnum Jisraëlitarum pertinens. 24 id est, Jehuda quoque ad bellicas clades perferendas se ipsum comparet, qui post regionem tuam habitat: quamobrem de Jisraële agitur, vers. 9. & de Jehuda, ℣. 10. simile vide Judic. 5.14. e *Heb post te.* 25 videlicet correctionem a me prænunciatam, quam isti ut incertam ludificantur, ac minimè omnium ad se perventuram putant. 26 id est, fines transgrediuntur sui officii, neque iis terminis quos posui se ipsos continent; sed ultrò malitioséq; transcendunt & movent eos. Magnum autem fuisse termini moti crimen jura divina & humana testantur: vide Deuter. 19.14. & 27.13. Jehudæos verò temporibus Achazi in hæc scelera proruisse regis operâ & sacerdotis summi, apparet ex 2. Reg. 16. & 2. Chron. 29. 27 i. abundantissimè. 28 tertia pars, ut diximus, confirmat propositionem præcedentem de maleficiis Jisraëlitarum, Judæorúmque, & venturis a Deo judiciis, per enarrationem κλιμακωδῆ certorum facinorum, quibus sigillatim sua judicia comparantur. Primum facinus est, quòd mandata hominum prætulerunt voluntati Dei, hoc vers. secundum, quòd revocante illos Deo castigationibus, exteris se auxiliis confirmarunt, ℣. 12. & 13. tertium, quòd verbo Dei moniti ut auxilia extera desererent, neque castigationibus neque verbo adducti sunt ut Deum ex animo requirerent, inde ad versum 5. capitis 6. quartum, quòd eò dementiæ insaniæq; prolapsi sunt ut Dei fedus perfidia summa in Deum & homines irritum fecerint neglectis Dei mandatis, & perpetratis adulteriis & homicidiis, inde ad finem capitis; postremò quòd alii alios provocarint certatim ad maleficia, adulteria, & homicidia, usque ad versum 8. capitis 7. 29 videlicet Dei, quod ad ipsos pertinere dixit suprà vers. 1. 30 id est, nec tamen judiciis quibus frangitur, deterretur a mandatis & traditionibus hominum; unam tantùm ob causam quia placent traditiones ipsi, & magis arrident quàm præcepta Dei. f *Heb. it post mand.* 31 transitio ad secundum facinus, ut diximus præcedente versu. 32 id est, consumsi eos ut tinea vestem, sic Ijobi 14.1. Proverb. 25.20. & alibi. 33 eas res quibus adhæret exulcerans & putrefaciens, quemadmodum ostenditur sequente versu.

13 Sed

[34] id est, Menachem rex Jisraëlitarum, de quo 2.Reg.15.19. [35] i. infirmitatem suam: nam opus habuit Menachem adjumento, ut se in regno quod occupaverat confirmaret. [36] Achaz rex Jehudæ: vide 2.Reg.16.7.

13 Sed videns [34] Ephrajim [35] morbũ suum,&
[36] Jehuda ulcus suum, abiit Ephrajim ad Assyrium, misitque *Jehuda* ad Regem [37] propugnaturum: sed ipse non poterit mederi vobis, neque curabit vos ab ulcere.
14 [38] Nam ego ut ferox leo *sum* Ephrajimo, & velut juvenis leo domui Jehudæ: ego, ego rapiam & abibo; deportabo, & nemo eripiet.
15 [g] [39] Abiens revertar in locum meum, donec reos peragant se & quærant faciem meam; quum angustia fuerit ipsis, quærent me [40] diluculo, *dicentes*:

[37] id est, qui servaret Achazum e manu regum oppugnantium ipsum, ibidem & 2.Chron.28. [38] transitio ad tertium facinus, ut diximus in ℣.11. qua demonstratur tum consilium Dei misericors de revocando Jisraële flagellis ad seriam resipiscentiam, usque ad versum 4. capitis seq. tum hypocrisis utriusque regni vers.4. [g] *Heb. abibo revertar.* [39] i. subducam me ab illis quodammodo, ut me sibi non sentiant ampliùs præsentem esse: humanitus dictum. [40] id est, tempestivè & studiosissimè.

CAPUT VI.

[1] Forma veræ & sanctæ resipiscentiæ, qua alii alios hortantur primùm ad agnoscendam resipiscentia, & cõfitendam justitiam manus Dei antegressæ; deinde ad manum eamdem fide adeundam pro restitutione sui; ac postremò ad fructus fidei & resipiscentiæ proferẽdos certã fiduciã benedictionis Dei. [2] i. recepturus & instauraturus, utcunque direpti & dilacerati sumus. [3] i. medicamento ad vulnera, quæ inflixit nobis, adhibito impositurus fasciam, ut chirurgi solent fascias obducere vulneribus & medicamentis.

1 [1] Agite, revertamur ad Jehovam, nam ipse rapuit & [2] curaturus est nos: percussit, &
[3] obligaturus est nos:
2 Vitæ restituet nos [4] post biduum; die tertio excitabit nos, & vivemus coram ipso:
3 [5] Si [a] cum scientia prosequamur, ad cognoscendum Jehovam, [6] tamquam auroræ cõparatus est exortus ejus: [7] adveniétq; ut pluvia nobis, tamquam serotina *&* tempestiva terræ.
4 [8] Quid facerem tibi, Ephrajim? quid facerem tibi, Jehuda? quum benignitas vestra tamquam nubes matutina, & velut ros [b] manè stillans [9] abeat.
5 [10] Propterea [11] cæcidi per Prophetas, interfeci istos sermonibus oris mei; & [12] judiciorum tuorum lux exorta est,
6 Me benignitate delectari, [13] non autem sacrificio; & cognitione Dei magis quàm holocaustis.
7 [14] At isti [15] tamquam hominis transgressi sunt fedus, [16] ibidem perfidè egerunt contra me.
8 [17] *In* Gilħade, [18] urbs *erat* operantium iniquitatem *quaque*, [c] vestigiis sanguinolentis.
9 [19] Sodalitium verò sacerdotum *est* simile [20] præstolantibus [d] aliquem turmis, [21] *qua* via ad Schecemum *factum est* occîdunt: nam [22] scelus faciunt.
10 [23] In domo Jisraëlis video rem horrendam; ibi scortatione [24] Ephrajimi pollui Jisraëlem:
11 [25] Etiam, ô Jehuda, *Ephrajimum* [26] posuisse messem in te; [27] quum reducerem captivam multitudinem populi mei.

[4] i. brevi redintegrabit nos, si seriò accedamus ipsum, & curabit nos efficacissimè: numerus certus pro incerto. [5] finis restitutionis nostræ a Deo effectæ, nimirum constans agnitio Dei freta benedictionibus ejus. [a] *Hebr. agnoscamus persequamur.* [6] id est, quemadmodum ex quo aurora exorta est, res videntur, magis ac magis innotescunt, & procedente sole facillimè dignoscuntur; ita nos augescemus & continenter roborabimur in cognitione Dei & professione ejus: vide Judic.5.31. & Proverb.4.18. [7] i. indesinenter & opportunissimè, benedictionibus suis asperget atq; perfundet nos. [8] videlicet aliud quam quod exposui sup. ℣.14. & 15. capitis præcedentis. Est autem hæc pathetica contestatio, qua verberat Deus gravissimè Jisraëlitarum & Judæorum cõscientiam. [b] *Heb. matutinans: ut ita dicamus.* [9] id est, quasi momento dispereat. [10] transitio ad quartum facinus, ut diximus sup.5.11. quòd omnes, quamvis sollicitati verbo Dei, a federe tamen desciverunt, & in omnibus maleficiis sese occuparũt: propterea igitur, (inquit) quòd benignitas vestra tamquam nubes & ros evanescit illicò, idcircò cæcidi, &c. [11] i. feci ut Prophetæ mei enunciantes verba mea docerent populum, & perterrefacerent verberum meorum lethaliúmq; judiciorum sensu: vide Jirm.1.10. [12] i. prædicatione verbi jussi Prophetas prælucere tibi, ut ea veluti face jura tua officiáque cognosceres quę explicantur seq. ℣. Hic enim alter usus est prophetię, ut non tantùm deterreantur homines a malo, sed etiam ad bonum adducantur. [13] vide 1.Schem.15.22. & Jeschaħ.1.11. & seq. [14] narratio prophetica ac vehementissima quarti facinoris, cujus singula verba singulas habent emphases ad amplificandam indignitatem rei. [15] i. tamquam si cum homine vanissimo sibi res esset. [16] ubi eos cædebam per prophetas, & prælucebam ipsis: vide 2.Reg.17.7. & sequentibus. [17] confirmatio pręcedentis accusationis, ab enumeratione partium singularum in quas populus Dei divisus erat, usque ad caput septimum. Est autem hæc prima pars, Gilħadis, id est, regionis trans Jardenem sitæ, συνεκδοχικῶς ideò seorsim posita quòd jam eo tempore exemplo esset a Pule Assyriorum Rege, & coloni deportati, 1.Chron.5.26. Quamobrem verbum substantivum noluimus per præsens reddere, sed per præteritum; ut palàm fieret hic a Propheta causam anteacceptæ cladis demonstrari. [18] id est, urbani omnes erant nequissimi, & sanguinarii palàm passimque.

[c] *Heb. vestigiata (ut ita dicamus) sanguine.* [19] secunda pars enumerationis, in qua Propheta transgressionem perfidiámque populi commonstrat: ac primùm quidem Sacerdotum, hoc vers. deinde verò popularium, cùm Jisraëlitarum, sequent. versu, tum Jehudæorum versu 11. [20] id est, latronibus & grassatoribus, quos ab explorandis & obsidendis itineribus veteres Latini Græca voce dixerunt Hodœdocos, ut narrat Festus. [d] *Hebr. virum.* [21] id est, via & ratione dolosa, qua Schimħon & Levi Schecemitas oppresserunt, Genes.34. [22] videlicet idem quod a Levi parente ipsorum factum est, proditione eos qui ipsis fidem habent tradentes morti. [23] jam ad popularium facta Propheta venit, ut diximus præcedente versu. [24] id est, quæ ab Ephrajimo primùm profecta est. Erat enim Jarobħam Ephrathæus, 1.Reg.11.26. qui idololatriã instituit proflagato cultu Dei, 1.Reg.12.26. & seq. [25] id est, animadverto Ephrajimum non tantùm suis Jisraëlitis auctorem fuisse nefandæ idololatriæ, verùm etiam Judæos in eamdem labem pertraxisse; tum inde a temporibus Achabi, qui cum regibus Jehudæ affinitate contracta intromisit idololatriam, tum verò ipsis Prophetæ nostri temporibus & Achazi regis, quo tempore Jehuda in manum regis Jisraëlitarum traditus est, 2.Chron.28.5. [26] id est, sementem idololatriæ, q.d. sevisse & disseminasse idololatriam in populo Jehudæ; cujus eventum ac veluti messem & fructum populus Jehudæ posteà percepturus sit: elegans metalepsis. [27] i. quum ego Hodedi prophetæ prædicatione efficerem & potente meo spiritu, ut ex captivitate misera, (inquam Jisraëlitæ vos rapiebant) reduceremini: quod factum etsi Jisraëlitæ arrogant beneficentiæ suæ, & vos tribuitis; tamen ego jure optimo vindico soli misericordiæ meæ: vide 2. Chron.28.8. & sequentibus.

CAPUT VII.

[1] Quintus & postremus locus facinorũ, quòd alii alios provocant ad maleficia, ut diximus sup.5.11. & se in iis de industria obfirmant: quod genus malitiæ Propheta figurat allegoria hominum, qui eò ampliùs exardescunt in sua studia, ut ut capitalia sint, quo magis saluti ipsorum a perito & diligente medico consulitur.

1 [1] Dum curo Jisraëlem, tum revelatur iniquitas Ephrajimi, & [a] malitia summa Schomronis, [2] operari eos falsitatem: nam fur ingreditur, irruit turma foràs:
2 Neque dicunt [b] cum animo suo, me omnis malitiæ ipsorum recordari: nunc [3] circumstant eos actiones ipsorum, coram facie mea sunt.
3 Malitia sua exhilarant regem, & mendaciis suis principes.
4 Quotquot sunt adulterantur, [4] similes fornaci ardenti [5] a pistore; [6] qui desinit esse [7] vigil, ex quo subacta est massa usque dum fermentata sit.
5 [8] Die regis nostri, [9] morbo afficientibus Principibus [10] utre vini; [11] extendit manum suam cum [12] derisoribus.

[a] *Heb. malitia.* [2] id est, quòd eo magis aguntur feruntúrque ad maleficia omnibus rationibus, locis, temporibúsque perpetranda sine ulla reverentia Dei; aliorum, aut sui ipsorum ratione; quod sequentibus versibus ostenditur. [b] *Hebr. cordi suo.* [3] id est, abundant & circumfluunt maleficiis, de quibus tamquam de stipante corona satellitum gloriantur. [4] id est, tam sunt ardentes & inflammati ad adulteria, quàm ardens est furnus igne maximo fervefactus, quum pistor oppressus somno non meminit ignem subducere: sic enim hunc locum accipiendum esse demonstrat versus 6. [5] id est, pistoris qui ignem accendit operâ. [6] id est, qui ferè non ampliùs temporis in capienda quiete solet consumere, quàm horã unam aut alteram, dum massa quam depsuit fermentata sit. [7] hanc vocem ita interpretamur, ut Danijel 4.13. & 17. [8] id est, ne ipso quidem die quo rex Jisraëlitarum institutus est, quum Deus fuisset castè invocandus & Rex populúsque admonendus sui officii, illo inquam die non abstinetur a maleficiis; sed omnes certatim principes quorum consiliis stare oportet rempub. se in rebus perditissimis occupant, adeóque Rex ipse consociat se impietati illorum. [9] ac potiùs febri ex nimio vini potu, quod incendit potores suos, ut loquitur Jeschaħ.5.11. [10] id est, vino ex utribus immodico, quum non cyathi, sed quadrantalia epotantur. [11] id est, æquè utrem vini epotandum suscipit atque alii populares & principes valentes potare vinum, ac proinde ad omnem justitiam convellendam comparati; ut ostenditur Jeschaħ.5.22. [12] id est, hominibus desperatæ salutis: ut Proverb.9.7. qui tum sua ipsorum malitia, tum ebrietate abripiuntur eò impudentiæ, ut ludificentur Deum & homines; vide Proverb.1.22.

6 [13] Nam

6 [13] Nam ad insidias suas applicarunt [c] ani-
mum suum similem fornaci; *quæ* totam noctem
dormiente [14] pistore ipsorum, ardet manè tam-
quam ignis [d] flammans.
7 Quotquot sunt incalescunt ut fornax il-
la, & consumunt [15] judices suos; omnes reges
ipsorum cadunt, [16] nemine ex eis clamante
ad me.
8 [17] Ephrajim cum populis ipse [18] confundit
se: Ephrajim est [19] *ut* placenta non versa.
9 Comedunt extranei vim ipsius, nec tamen
agnoscit ipse; etiam canities aspergit eum, nec
tamen agnoscit ipse:
10 Et quamvis [20] testificetur fastus Jisraë-
lis in faciem ipsius; non revertuntur ad Jeho-
vam Deum suum, nec quærunt eum omnibus
his:
11 Sed est Ephrajim [21] similis columbæ fa-
tuæ, [e] demens; [22] Ægyptium vocant, [23] Assyri-
um adeunt.
12 Quum adibunt, [24] expandam super eos
rete meum, quasi aves cæli deducam eos: casti-
gabo eos, [f] prout [25] auditum est a cœtu ipso-
rum.
13 [26] Væ eis, quoniam vagantur a me, va-
statio eis, quoniam deficiunt *rebellantes* in me:
[27] quum ego redemturus sum eos, tum ipsi allo-
quuntur me mendaciis.
14 Neque inclamant me ex animo suo, quum
ejulant in cubilibus suis; *quum* propter frumen-
tum & mustum congregantes se divertunt ad
me.
15 Quum *autem* ego castigavi, [28] confir-
mavi brachia eorum; tum contra me cogitant
malum:
16 [29] Revertuntur non *ad* excelsum, [30] sunt
velut arcus [g] fallax, [31] concidunt gladio prin-
cipes eorum [32] ab indignatione linguæ ipsorum:
[33] hæc sanna ipsorum in terra Ægypti.

[13] explicatio præcedentis similitudinis, qua Propheta ostendit regem inter principes velut pistorem esse, qui ex officio debeat cùm omnia incendia publica, tum suorum principum ardores auctoritate sua restinguere; principes verò tum animos habuisse similes fornacibus, qui concalefacti vino studerent rebus novis & inter se conspirarent, hoc versu; atque ex eo profectum esse illud periculosissimum malũ, quòd reges multi in Jisraële tẽpore pauco ceciderint, sequent. vers. [c] *Hebr. cor.* [14] quem modò diximus typum esse Regis. [d] *Heb. flammæ.* [15] id est, Reges, necessarios, & asseclas ipsorum, ut factum est Zecarjæ, Schallumo, Pekachjæ, & Pekacho, de quibus vide 2. Reg. 16. [16] nam impios fuisse reges istos sacra testatur historia, ibidem. [17] postrema hujus concionis pars, conclusio, res antè dictas summatim comprehendit. Primùm enim Jisraëlitarum in peccatis obfirmationem, aversionem a Deo, dementissimámque extraneorum consociationem exponit, versibus quatuor; deinde judicium illis superventurum denunciat, vers. 12. & 13. ídque maximè hypocriseos ipsorum nomine, quæ explicatur ad finem usque capitis. [18] quod dixerat suprà 5. 7. [19] hanc similitudinem variè quidem accipiunt interpretes: sed nos eam sequentibus verbis a Propheta de more exponi statuimus in hunc sensum: placuit Jisraëlitis (inquit Deus) se potiùs gentibus adjungere quàm hærere mihi: sed quid tandem ex eo consequutum est? Jisraëlitæ suo ipsorum facto eò delapsi sunt, ut gentes circumstantes habeant ipsorum regnum pro dulciaria placenta & tracta suavissima, quæ propter jus & condimentum suum non solet verti, sed suo tantùm fundo incumbere. Itaque nunc quia suum condimentum habet, a finitimis gentibus velut convivis absumitur, & quicquid superest ipsum per se mucescit ac quasi obducta canitie per se corrumpitur, sequent. vers. [20] vide suprà 5. 5. [21] id est, maxima cum simplicitate & credulitate in sua fatuitate ac dementia pergit, advocans eos qui consumant ipsum, & sibi induens rete judiciorum Dei. [e] *Hebr. nullo corde.* [22] ut fecit Rex Hoscheaħ, 2. Regum 17. 4. [23] ut dixit suprà 5. 13. [24] tamquam auceps super columbam, cujus meminit præcedente versu. [f] *Hebr. secundum auditionem cœtus ipsorum.* [25] prædicantibus Prophetis & contestantibus, 2. Reg. 17. 13. [26] denunciatio judicii superventuri, ut diximus in vers. 8. cujus partibus suæ causæ adhibentur, nimirum alienatio & defectio a Deo, atque hypocrisis. [27] id est, quum opus habent ut ipsos redimam. Nam dilemmaticè Propheta hypocrisin Jisraëlitarum ostendit, si (inquit) difficultatibus premuntur, inclamant per hypocrisin me, his duobus versibus: sin autem per me difficultatibus eruditi & instructi liberantur, æquè insistunt pravis suis cogitationibus, vers. 15. & 16. [28] id est, infirmitates & difficultates eorum sublevavi, ut medicus ægrotum sublevat; ex allegoria versus 1. [29] expositio mali quod a Jisraëlitis cogitari Propheta dixit, præcedente versu; nempe quòd aversi a Deo suis dolis fraudibusq; nituntur, & solam perfidiam pro telo habent. [30] ut Psal. 78. 57. [g] *Heb. fallaciæ.* [31] i. Reges & principes eorũ domesticis ipsorũ inter se conspirationibus tolluntur; ut suprà demonstravimus ℣. 7. [32] i. qui gladius cõspirationũ minister acuitur stringitúrq; virulentis linguis indignationem inter partes concitantibus. [33] id est, hac frequentia cædium & novarum rerum passim ludibrio & dicterio sunt omnibus hominibus, etiámque federatis, ut sunt Ægyptii.

CAPUT VIII.

Deus judicium suum Jisraëlitis obventurum, & causas illius explicat, quòd tum à spirituali regno, & cultu ipsius defecerint, tum a temporali Davidis; & quòd in hypocrisin prolepsi ultrò omne bonum abdicaverint: itaq; Jisraëlitis contestatus de præsidente ipsorum lætitia egestatem, deportationem, amissionem divini cultus, mortem, & vastationem ipsis prænunciat: deinde sacrilega ipsorum studia factáque hæreditaria ipsis esse majorum exemplis ostendens singulis maleficiis judicia sua accommodat; postremò concludit repetitione summa.

1 [1] ADhibita palato tuo buccina *dicito,* [2] *in-*
volat [3] similis aquilæ in [4] domum Jeho-
væ; eò quòd transgrediuntur fedus meum, &
contra doctrinam meam deficiunt.
2 [5] Ad me clàmant Jisraëlitæ, Deus mi ag-
noscimus te:
3 Deseruit Jisraël bonum, inimicus perse-
quetur eum.
4 [6] Ipsi [7] constituunt reges, at non ex me,
præficiunt principes, quos non agnosco: argen-
to suo & auro suo faciunt sibi [8] terricula, [9] ut ex-
scindatur *Jisraël.*
5 [10] Deseret *eos* vitulus tuus, ô Schomron,
exardescente ira mea in ipsos: quousque non
poterunt *colere* [11] innocentiam?
6 [12] Nam a Jisraële [13] ipse quoq; *est,* artifex
paravit illum, neque Deus est: nam *in* fragmen-
ta erit vitulus Schomronis.
7 [14] Quum vento seminaverint, etiam tur-
bini metent: culmus nullus *erit* ei, germen non
efficiet farinam, *si* fortè fecerit, [15] extranei ab-
sorbebunt ipsam.
8 Absorbebitur Jisraël: mox fuerint in gen-
tibus [16] similes instrumento in quo nulla *est* de-
lectatio.
9 [17] Quia isti [18] ascenderunt *ad* Assy-
rium, [19] onagrum [a] solummodò studentem *si-*
bi; Ephrajimitæ mercede conduxerunt amores:
10 Etiam quia [20] mercede conduxerunt *alios*
in gentibus, mox [21] congregaturus sum [22] eos:

[1] Hujus concionis, quæ eodem argumento cum superiore est, partes sunt quinque: propositio judicii a Deo venturi & causarum ejus, tribus primis versibus; enarratio propositionis, toto cap. 8. contestatio Jisraëlitarum ex propositionis argumento, septem primis versibus capitis 9. confirmatio antecedentium documentorum, inde ad versum 11. capitis 10. & conclusio ad finem usque. Ac propositio quidem judicium venturum per hypotyposin militarem explicat, in priore membro versus 1. causas verò tres ex ordine recenset; defectionem, versu 1. hypocrisin, ℣. 2. & abdicationem omnis boni, ℣. 3.

[2] nempe hostis vel inimicus, qui nominatur ℣. 3. [3] i. assiduus hostis, velocissimus, & potentissimus. [4] populum Jisraëlis, antè effectum domesticum Dei per gratiam ipsius, ut deinceps sæpius nominatur. [5] i. simulata pietate invocant & profitentur me. [6] enarratio hæc propositionis judicia Dei sigillatim atq; ex ordine accommodat primùm in defectionem Jisraëlitarum, usq; ad vers. 11 deinde in hypocrisin ℣. 11. & duobus seq. ac postremò in abdicationem boni, vers. ult. Defectionis autem duo ponuntur genera: unum, a temporali Davidis regno figurante regnum Christi; alterũ, a spirituali cultu & sacro: quę duo prolepticè hoc versu posita deinceps per ὑστέρων explicantur. [7] inde a temporibus Jarobħami: nam Jarobħam & quicunq; sequuti sunt non venerunt in regnum ex promissione Davidi facta; sed aut populi defectione, aut ipsorum occupatione Reges sunt creati. [8] vide 1. Sche. 31. 9. [9] i. ut suo ipsius gladio juguletur, & suo facto pereat; ut dicitur inf. 10. 15. [10] expositio judicii divini cõtra defectionẽ a cultu sacro, usq; ad ℣. 9. quam ingreditur Propheta per apostrophen ad Samariam regiam & metropolim Jisraëlitarũ regni: non juvabit te, inquit, vitulus tuus. [11] quæ posita est in observatione conjugalis officii nostri erga Deum nostrum. [12] ætiologia prædictionis antecedentis, tum ab ipsa origine naturáq; fictilium vitulorum, tum ab exitio ipsorum, hoc versu; quod suis quoq; cultoribus perditionẽ est importaturum, duob. seq. [13] ut primus ille in deserto fusus, Exod. 32. [14] i. ut severint ita metent, adeóq; difficilius atq; molestiùs: quod sequentibus verbis exponitur. [15] prout cœptum est fieri, quum diuturna fame premeretur Schomron, & post obsidionẽ triennii caperetur, 2. Reg. 17. 5. [16] i. abjectissimi, & expositi indignissimis contumeliis, tamquam pelves & matulæ. [17] expositio judicii divini contra defectionem Jisraëlitarum a temporali Davidis regno ad extera, hoc & seq. ℣. ut diximus in ℣. 4. [18] 2. Reg. 15. 19. [19] i. cui non magis curę sunt homines ut ipsos adjuvet, quàm onagro, de quo Ijobi 39. 8. & sequentibus; sed sibi tantum prospicit. [a] *Heb. solitarium sibi.* [20] i. conducto milite extero sese confirmaverunt, ut de Hoscheħa Rege legimus 2. Reg. 15. 19. [21] id est, acervatim perditurus, ut infrà 9. 6. [22] videlicet Jisraëlitas in quorum regionem involabunt conductæ gentes: quemadmodum Achazo interminatur Deus Jeschaħ. 8.

[23] cœperunt

UMI

[23] videlicet alios mercede conducere contra fidem datam: vide 2. Reg. 17.4. [24] id est, propter tributum quo Reges Jisraëlis populum suum onerarunt, ut Reges Assyriæ sibi adjungerent. Hoc enim tributum pendebat Hoschea Rex Schalmaneseri, 2. Reg. 17.3. [25] id est, Regis Assyriorum potentissimi & maximi, qui in principes multos

[23] cœperunt enim paululum, [24] propter onus [25] Regis principum.

11 [26] Quia [27] multiplicavit Ephrajim altaria ad peccandum; sunt ipsi altaria ad peccandum;

12 [28] *Quæ* præscribo ei [b] documentis amplissimis legis meæ, tamquam *res* extera reputantur:

13 [29] Sacrificia ipsa [30] donariorum meorum, sacrificantes carnem comedentésque Jehova non accipit; nunc recordatur iniquitatis eorum, & animadvertit peccata eorum, [31] ipsos *in* Ægyptum reverti.

14 [32] Denique oblitus est Jisraël opificis sui, exstruxitq; templa, & Jehuda [33] multiplicavit civitates munitas: ideò immittam ignem in civitates [34] hujus, ubi consumserit palatia [35] illius.

dominabatur: vide 2. Reg. 18. 19. & sequentibus, & Jeschah. 10. 8. [26] accommodatio judiciorum Dei in hypocrisin Jisraëlitarum, ut diximus in ✠. 4. [27] id est, non satis habuit legitimo altari meo. [28] id est, ego ritus & ceremonias externas istorum omnes nihili facio: ut Jeschah. 1. & 66. sic exponimus ex versu seq. [b] *Heb. amplitudinibus.* [29] ut Proverb. 15. 8. & 21. 27. [30] id est, etiamsi donentur mihi. [31] id est, neque adhærere Deo ex federe, neque servire Assyrio secundum fidem datam; sed missis nunciis cum Aegyptio conspirare, 2. Reg. 17. 4. [32] accommodatio judiciorum Dei contra perversitatem Jisraëlitarum de industria abdicantium omne bonum, in omne malum incumbentium, & Judæos sermone, exemplóq; ad idem scelus provocantium: postremus locus; ut diximus in vers. 4. [33] quod Deus reprehendit acerbissimè Jeschah. 22. 8. [34] videlicet Jehudæ, qui a copiis Sancheribi gravissimè infestatus est, & damna accepit quàm plurima: vide 2. Reg. 18. & 19. [35] Jisraëlis, qui antè eversus & deportatus est quàm oppugnaretur Jehuda: sic accipiendum esse locum hunc [illegible] generis relativorum varietas.

CAPUT IX.

[1] Tertia pars, [illegible] confutatio Jisraëlitarum de [illegible] ipsorum lætitia & [illegible] [illegible] bus [illegible] versu [illegible] [illegible] Prophetæ [illegible] [illegible] versu 2. [illegible] [illegible] versu 3. [illegible] & [illegible] [illegible] versu 6. & 7. [2] id est, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [3] id est, [illegible] [illegible] Deo in [illegible] [illegible] [illegible]

1 [1] NE læteris, Jisraël, [2] ad exsultationem similem *exsultationi* populorum, quòd [3] scorteris a Deo tuo; diligas mercedem meretriciam in omnibus areis frumentariis.

2 Area & lacus torcularis non pascet istos, & mustum [4] mentietur isti.

3 Non habitabunt in terra Jehovæ; sed reverteretur Ephrajim *in* Ægyptum, & in Assyria [5] pollutum *cibum* comedent.

4 [6] Non libabunt Jehovæ vinum, neque suavia erunt ipsi *libamina*; sacrificia eorum ut [7] cibus lugentium *futura essent* eis, quicumque comederent ipsum, polluerent se: [8] nam cibus eorum pro [a] mortuo ipsorum non venit *in* domum Jehovæ.

5 Quid facturi essetis, die [9] solennitatis, & die festo Jehovæ?

6 Nam ecce, interituri sunt a vastatione, Ægyptus congregabit eos, [10] Moph sepeliet eos; [b] desideratissima *thesauris* ad argentum ipsorum [11] chamæleon hæreditario jure possidebit, spina in tentoriis ipsorum *erit*.

[illegible] & [2] [illegible] prostituas eis: allegoria frequentissima. [4] id est, fallet spem illius, per prosopopœiam. [5] id est, impurum, neque primitiis [illegible] ulla ratione consecratum & acceptum Deo: vide Danijel. 1. 8. [6] id est, nefas erit ipsis libare, [illegible] sacrificare Domino. [7] id est, si sacrificaverint; illegitimè & impurè sacrificaturi essent, cùm sacrificare [illegible] se Deus imperet Deuteron. 12. 5. & sequentibus: [illegible] in deportatione & servitute miserrima facient nihil futurum sit. [8] explicatio similitudinis. quasi dicat, quemadmodum ex lege nefas est [illegible] pro mortuo sit, cibum [illegible] inferri in domum Dei, quia sacrificia [illegible] facturi celebranda ex lege Deuteron. [illegible] ita etiam [illegible] [illegible] futura essent istorum hominum sacrificia: quò pertinent sequentia [illegible]. [a] *Heb. animæ: ut Levit.* 21. 1. [9] quum agitanda est lætitia, Numer. 10. 10. [10] vide Jeschah. 19. 13. [b] *Heb. desiderii.* [11] id est, etiam intima ipsorum penetralia quibus desideraverint abscondere pecuniam suam, horrescent spinis & sentibus. [12] ut Proverb. 24. 31.

[13] quarta pars, confirmatio, judicium Dei venturum asserit a sacrilegis studiis, & inhumanis odiis populi Jisraëlis & prophetarum ejus, ✠. 8. & 9. quæ mala per comparationem majorum Propheta deinde ostendit hæreditaria Jisraëlitis esse, judiciáq; paria in ipsos accersere. Ac sacrilega quidē illorum studia posita in consociatione idolōrū, & Dei federisq; ipsius repudiatione cum suis judiciis persequitur Propheta, usque ad ✠. 9. cap. 10. & concludit, ✠. 9. & 10. [14] videlicet qui falsis prophetiis populum alunt & confirmant in malo, atque irretiunt, ex seq. versu. [c] *Heb. venti.* [15] i. quæ animadversio & retributio propter has duas causas superventura est, nimirum iniquitatem in Deum, & inhumanitatē odiáq; intestina

7 [13] Advenisse dies animadversionis, advenisse dies retributionis agnoscent Jisraëlitæ; [14] stultos Prophetas istos, dementes, viros [c] ventosos esse, [15] propter amplitudinem iniquitatis tuæ & amplum intestinum odium.

8 [16] Speculatur Ephrajimum [d] conjunctum Deo meo; [17] *ut* laqueus aucupis in omnibus viis Prophetæ ipsius *est*, intestinum odium in domo Dei ipsius.

9 [18] In [e] profundissimam corruptionem [19] conjiciunt, [20] similem temporibus Gibhæ: recordabitur iniquitatis eorū, animadvertet peccata eorum, *dicens*;

10 [21] Tamquam uvas in deserto inveneram Jisraëlem, ut primum fructum in ficu principio ipsius, videram majores vestros: [f] ipsi venerunt *ad* Bahalpehorem, & separarunt se [22] pudendo, & [23] fuerunt detestationes [f] prout amaverunt.

11 Ipsorum Ephrajimitarum, tamquam volucris, evolabit gloria; inde à partu, & ab utero, & à conceptu.

12 Quòd si educaverint filios suos, [g] ita orbabo eos ut non supersit ullus: quin etiam væ eis, quum discessero ab ipsis.

13 [24] Ephrajim, quemadmodum video Tyrum, plantata *est* in amœno habitaculo; sed Ephrajim [25] producturus est ad interfectorem filios suos.

14 [26] Da eis Jehova, quod daturus es: da eis vulvam abortientem, & ubera flaccida.

15 [27] Totum malum istorum [28] in Gilgale *est*, nam ibi odi istos, propter malitiam actionum istorum, è domo mea expellam istos; non pergam amare eos, omnes principes eorum *sunt* refractarii.

16 [29] Percutietur Ephrajim, radix ipsorum

& crudelissima, ex quibus tam multi reges pauco tempore in Jisraële exstiterunt. [16] narratio improbitatis duplicis, qua Pseudoprophetæ apud Jisraëlitas tenebantur: una, quòd pios indesinenter observabant & prodebant sceleratissimè quasi prophetarent; altera, quòd intestinis illis & publicis odiis abutebantur ut Jisraëlitas inter se committerent, & illis tamquam laqueis ipsos impediebant & perdebant improbissimè religionis specie. [d] *Hebr. cum.* [17] id est, Propheta passim tendiculas ponit ad intestina odia inflammanda. [18] [illegible] confirmationis, ut diximus in ✠. 7. qua Propheta docet adducta majorū comparatione studia sacrilega odiáq; esse in Jisraëlitis hæreditaria, ac proinde ipsos judiciis iisdem puniendos; sacrilega autem studia hæreditaria confirmat tum consociatione idolōrum, ut Bahal pehori majores sese adjunxerant, ✠. 10. cui malo sua judicia subiternuntur, usque ad ✠. 15. tum abdicatione Dei & federis ipsius, quod Gilgale [illegible] tum cum incircumcisis majoribus, inde ad vers. 9. capitis seq. [e] *Hebr. profundarunt corruperunt.* [19] videlicet alii alios. [20] id est, non latentem aut singularem aliquam; sed apertissimam & communem omnium, ut fuit scelus Gibhæ Judic. 19. 20. [21] narratio idololatriæ qua Jisraëlitæ coram Deo inde ab exitu ex Aegypto commaculati sunt: in qua Deus beneficium suum comparat cum ingratissimis illorum maleficiis: deinde judicia subjicit, ut diximus in versum 9. tanto amore (inquit Deus) Jisraëlitas complexus sum quanto amari solent à viatoribus uvæ, aut præcoces ficus: at ipsi amorem suum idōlis tradiderunt: sic Deut. 32. 10. & sequentibus. [f] *Numer.* 25. [22] vide Jirm. 3. 19. [23] id est, assumtam semel idololatriam auxerunt arbitratu suo. [f] *Heb. secundum amore ipsorum.* [g] *Heb. orbabo eos ab homine.* [24] amplificatio impietatis Jisraëlitarum ab insulsa ipsorum præfidentia, quòd tam firmè fundati & radicati in sua amplitudine sibi viderentur, quàm Tyrus in sua sede. [25] id est, cruentis cædibus suos expositurus. [26] Prophetæ verba, erumpentis in preces cognita gravitate judiciorum Dei. Duo (inquit) interminatus es: unum, gloriam ipsorum a nativitate, utero, & conceptu avolaturam; alterum, parentes liberis quos educaverint orbatum iri. Quum autem tolerabilior sit eorum conditio quos judicio priore affeceris, quæso ut illud perficias: ut aut non nascantur liberi, aut nati moriantur illicò inopia educationis. [27] secundus locus sacrilegorum studiorum in quæ Jisraëlitæ exarserant, ut dictum est in versum 9. Fuerat, inquit Deus, majorum incircumcisorum scelus Gilgale devolutum atque condonatum, Jehoschuha; isti verò eum ipsum locum ubi majores sanctificaveram prophanis suis & impiis factis contaminant: ut infrà 12. 12. & quamvis præputium carnis ipsorum fuerit in Gilgale exsectum, tamen malitia ipsorum adhæsit eis, quam inde ab eo tempore odio prosequutus sum, & deinceps ulturus, ut sequentes versus explicant. [28] id est, non amotum est ab ipsis; sed adhuc in ipsis hæret, odiumq; meum concillat. [29] narratio judicii allegorica, quam interpretatur Propheta hoc & seq. versu.

exarescet,

exareſcet, fructum non ſunt facturi: etiamſi genuerint, morte afficiam tamen *liberos* deſideratiſſimos uteri ipſorum.

17 Spernet eos Deus meus, quia non auſcultant ei; ideò erunt errabundi in Gentibus.

CAPUT X.

1 [1] Vitis vacua *eſt* Jiſraël, [2] fructum reponit ſibi; ſecundùm multitudinem fructus ſui multiplicat altaria, ſecundùm bonum terræ ſuæ benefaciunt ſtatuis.

2 [3] Impertitur [a] animus eorum, jam rei ſunt; [4] ille [b] decutiet altaria iſtorum, vaſtabit ſtatuas iſtorum.

3 [5] Nunc enim dicunt, [6] nullus rex *eſt* nobis: nam non timemus Jehovam, & Rex ipſe quid facturus eſſet nobis?

4 [7] Loquuntur verba exſecrando [c] falsò, pangendo fœdus; & [8] floret ſimile cicutæ judicium per porcas agrorum meorum.

5 [9] Propter [10] vitulas Beth-avenis formidabunt *quiſque* habitator Schomronis; quum lugebit de eo populus ipſius, etiam [11] atrati ejus *qui* de eo exſultant, [d] propter eà quòd gloria ejus migraverit ab eo.

6 Etiam [12] ipſe in Aſſyriam deportabitur, munus Regi [13] propugnanti; pudorem Ephrajim percipiet, & erubeſcet Jiſraël à conſilio ſuo.

7 Exſcindetur ipſius Schomronis [14] Rex, ſimilis ſpumæ in ſuperficie aquarum:

8 Et ſuccidentur excelſa [15] Avenis, [16] peccatum Jiſraëlis, ſpina & tribulus [e] aſſurget ſuper altaria eorum; & dicent ipſis montibus, tegite nos; & collibus, cadite ſuper nos.

9 [17] Inde à diebus Gibhæ peccaſti Jiſraël: ibi [18] ſteterunt, non aſſequutum eſt eos Gibhæ bellum contra [f] [19] iniquos *geſtum*.

10 In voluntate mea *eſt*, & vinciam eos: congregabuntur enim contra eos populi, vinciendo eos *deducendos* [20] in duabus habitationibus ipſorum.

11 [21] Nam Ephrajim vitula eſt [22] edocta, amans triturare, quamvis [23] ego tranſiviſſem ſuper præſtantiam colli ejus: [24] uſurus ad equitandum fuiſſem Ephrajimo, araturus Jehuda, [g] occaturus Jahakob.

12 Seminate vobis, *dicebam*, ad juſtitiam, metite ad benignitatem, novellate vobis novale: nam tempus eſt quærendi Jehovam, donec veniat, & perfundet vos pluvia juſtitiæ.

13 Araſtis improbitatem, iniquitatem metitis, comeditis fructum mendacii: quia confidis viæ tuæ, multitudini potentium tuorum.

14 Quapropter exſurgit tumultus in populis tuis; & unaquæque munitionum tuarum vaſtabitur, ut vaſtavit [25] Schalman [h] [26] Arbelitida die belli: [27] mater cum filiis collidetur.

15 [28] Ita efficit vobis Beth-el propter [i] ſummam malitiam veſtram; [29] in ipſa aurora [k] planè exſcindetur Rex Jiſraëlis.

1 ἐπ[illegible]ανία præcedentis ſententiæ, continens primùm narrationem criminum quibus tenebantur Jiſraëlitæ, verſibus 4. deinde judiciorũ quæ erant ſuperventura divinitus, alteris quatuor.
2 id eſt, nemini eſt fructuoſa: ſi quid profert, eo toto in libidinem ſuam abutitur, ut ſequentia verba exponunt.
3 id eſt, iſti ex animo ſuo impertiuntur idôlis quicquid habent.
a Heb. cor.
4 videlicet Deus meus, qui nominatus eſt ſup. 9. 17.
b Heb. decollabit.
5 propoſita ſummatim duobus verſibus prolepſi de malitia Jiſraëlitarum & de judiciis Dei contra illos, jàm ſigillatim exponit Propheta, malitiam quidem verſ. 3. & 4. judicia verò, ſequentibus.
6 i. non reges noſtri nobis; ſed nos ipſi regibus noſtris imperamus, leges ferimus, exauctoramus, &c. quæ fuiſſe facta ſacræ hiſtoriæ teſtantur.
7 i. omnes perjuri & fœdifragi ſunt, ac novæ conſpirationes quotidie inter ipſos pullulant: quod indigniſſimum eſt inquilinis meis, quos ex meo ipſius agro mea ſuſtentat liberalitas.
c Heb. vanitate.
8 id eſt, omnia ſunt depravatiſſima: ne judicium quidem ipſum (quod ſacrum eſt Jehovæ) integrum eſt, ſed conſtupratiſſimum & exitioſum omnibus.
9 narratio judicii, ut diximus in verſum 3.
10 id eſt, idôla Bethelis & Danis, ſynecdochicè: vide ſuprà 4. 15.
11 vide 2. Reg. 23. 5.
d Heb. propter gloriam ejus quòd migraverit: trajectio.
12 habitator Schomronis, de quo præcedente verſu.
13 vide ſuprà 5. 13.
14 Hoſcheah filius Elæ, de quo 2. Reg. 17.
15 id eſt, Beth-avenis ſive Beth-elis, de quo ſuprà 5. per aphæreſin.
16 id eſt, quibus in excelſis Jiſraëlitæ peccatis graviſſimis ſeſe obſtrinxerunt.
e Heb. aſcendet.
17 concluſio idipſum repetens quod dictum eſt ſuprà 9. 9. per apoſtrophen ad Jiſraëlitas, quibus ſubnectitur judicium ſuum ſeq. verſu.
18 id eſt, non fuerunt dejecti & perditi majores tui, prout peccatis ſuis merebantur.
f Heb. filios iniquitatis.
19 Binjaminitas.
20 i. in Jehuda & Jiſraële; Hæc enim prolepſis concluſionis eſt, quæ in ſequentibus fuſiùs exponitur.
21 hæc concluſionis exornatio primùm comparat ſtudia Jiſraëlitarum cum gratioſo Dei conſilio, verſu 11. deinde documenta ejus, v. 12. cum factis illorum, v. 13. ac poſtremò judicium propinquum denunciat, duobus verſib. ultimis.
22 i. quæ inſeſſa quidem eſt in pietate erga Deum, cultu & officio ſuo; ſed omittens fugiensq; cultum & laborem juſtum, in illud tantùm incumbit ut percipiat commoda.
23 id eſt, domuiſſem, & aptaſſem ferendo jugo & trahendo aratrũ meum.
24 id eſt, Jiſraëlem & Jehudam, ſingulos denique occupaturus in cultu meo jut proſopopœia ſeq. oſtenditur: hæc omnia allegoricôs.
g Heb. occaturus ſibi; pleonaſmus.
l Jirm. 4. 3.

25 ſive Schalmanaſar Rex Aſſyriæ, de quo 2. Reg. 17.
h Heb. [illegible] Arbeli.
26 regionem Aſſyriæ infra Arpadum à Schalmane occupatam ea expeditione quæ perſtringitur 2. Reg. 18. 34. & 19. 13. Dicitur autem Arbelitis à oppido Arbelorum, quod Darii clade apud auctores celebratum eſt.
27 vide Gen. 32. 11.
28 id eſt, horum in cauſa eſt impia ſceleratiſſimaq; veſtra idololatria; quæ de nomine Beth-elis ſynecdochicè deſignatur.
i Heb. malitiam malitiæ veſtræ.
29 i. momento uno, & ex improviſo.
k Heb. exſcindendo.

CAPUT XI.

Deus paterni amoris ſui ergà Jiſraëlem fundamentum ſtatuens in Chriſto, oſtendit ſe (etſi neque Prophetis, neque lege, neque beneficiis, neque verberibus Jiſraëlem adduxit ad reſipiſcentiam) tamen effecturum ut electi Chriſtum converſi amplectantur fide, & fruantur promiſſionibus.

1 [1] Quia [2] puer Jiſraëlis *eſt*, & [3] diligo eum; ideò [4] ex Ægypto [5] vocavi [6] filium meum.

2 [7] *Prout* [8] revocant eos; ita [9] abeunt a con-

1 Expoſitis hactenus Jiſraëlitarum peccatis & interminationibus Dei contra illos, prout duobus typis Propheta figuraverat capite 1. & 3. nunc demum tranſit Propheta ad explicationem alterius partis adumbratæ typo, nimirum ad enarrationem gratioſarum promiſſionum de reconciliatione Jiſraëlitarum cum Deo, id eſt, ſanctarum reliquiarum ſecundum electionem gratiæ in Chriſto. Quamobrem tria hoc loco à Propheta exponuntur: primum eſt, propoſitio cauſarum gratiæ & promiſſionum Dei, verſu 1. ſecundum, narratio ingratiſſimæ Jiſraëlitarum adminiſtrationis pro [illegible] a Deo beneficiis, uſque ad verſum 8. tertium, immutabilium Dei promiſſionum explicatio miſeros Jiſraëlitas & ultro [illegible] in perniciem [illegible] miſericorditer conſervantis. Ac in propoſitione quidem non [illegible] difficultas ex eo ineſſe viſa eſt, quòd interpretes ferè omnes, [illegible] Judæorum interpretatione traducti, locum hunc ad tempus illud [illegible] runt reſpicere, quo populus Jiſraëlis Deo auctore & duce Moſche ex Aegypto egreſſus eſt: ſed quum nos propiùs introſpicimus conſilium Prophetæ toto hoc capite, & attendimus ad interpretationem quæ habetur Matth. 2. 15. planè ſtatuimus germanam hujus loci interpretationem ex illo petendam eſſe. Senſus igitur eſt, amorem Dei ergà populum ipſius æternum eſſe; quumq; gratuiti illius amoris & beneficentiæ fundamentũ ſit in Chriſto (quẽ exhibitum & natum in carne neq; Judæi neque Jiſraëlitæ agnoverant) quamvis non fuiſſet futurum à juſtitia Dei alienum ut eo in æternum privarentur (quod ſubductio illius in Aegyptum videbatur portendere) Deum tamen ſibi in amore ſuo ergà populum ſuum conſtare, & propterea Chriſtum (quem ad ſua venientem minimè receperant) ex Aegypto, quò fuerat ſubductus, in terram Jiſraëlis revocare. Eſt autem hæc Dei argumentatio: Ego hunc diligo: ac [illegible] quoſcunque diligit & pro quibus intercedit, eos dilecturus ſum. Diligo [illegible] Jiſraëlem: nam puer eſt primogenitus Jiſraëlis, pro ipſo apud [illegible] intercedens: quapropter Jiſraëli benefacturus ſum in eo quem diligo, & ad hunc finem revocaturus eundem ex Aegypto. [illegible] id eſt, primogenitus & caput Eccleſiæ: ſic accipitur Exod. 24. 5. quamobrem primogenitos Deus appellat filios ſuos Jecchezkel. 16. 21. ex lege Exodi [illegible] id eſt, filius eſt dilectionis meæ, in quo *acquieſco*. 4 ubi aliquot annos delituit Chriſtus, declinans ſævitiam Herodis, & quodammodo [illegible] populo abdicationem ipſius propter ingratum animum & maleficia, niſi Deus ad veritatem ſuarum promiſſionum reſpiceret. 5 id eſt, ſtatui vocare decreto meo, & ſuo tempore certiſſimè revocaturus ſum. 6 unigenitum Chriſtum, ut interpretatur Matthæus. 7 altera hæc pars, ut ſuprà diximus, eſt σύγκρισις beneficiorum Dei cum ingratiſſimis Jiſraëlitarum maleficiis: qua oſtendit Deus omnino neceſſarium eſſe ut Chriſtum (in quo omnes ipſius promiſſiones ſunt etiam & amen) ad Jiſraëlem vocet. [illegible] primùm revocanti per Prophetas non auſcultarunt, ſed ad idôla transfugerunt, hoc verſu: deinde quum ipſe Deus lege & ceremoniis [illegible] idôla ſuffecerunt in locum mandatorum ejus, v. 3. propterea ne beneficiis quidem devinciuntur Deo, ſed ad cæteros confugiunt, v. 4. [illegible] ne verberibus quidem reſipiſcunt, verſ. 6. & 7. Sic oſtendit Deus nihil jam amplius ſupereſſe quàm ut plenitudine gratiæ & veritatis exhibeat in Chriſto, ut juſti ambulent in illa, & impii impingant in illam; ut idem ait infrà [illegible]
9 Prophetæ ad Deum & doctrinam ejus. [illegible] id eſt, obvertunt [illegible] cervicem, non autem faciem: ut ait Jirmeja 2. 27.

ſpectu

spectu illorum, Baħalimis sacrificant, & sculpti-
libus suffitum faciunt:
3 [10] Quum ego [11] assuefacio Ephrajimum,
accipit [12] illa [13] in brachiis suis; ac non agnos-
cunt me curare ipsos.
4 [14] Funiculis humanis traho eos, densis fu-
nibus amoris, & sum eis ut qui levant jugum
impositum maxillis eorum; ut admoveam ei ci-
bum.
5 [15] Non erat ipsi revertendum [16] in terram
Ægypti, nec [17] Assyrius *erat futurus* Rex ejus; sed
[18] renuerunt converti.
6 [19] Denique quum residet [20] gladius in ci-
vitatibus ejus, & consumit membra ejus, devo-
ratque; propter consilia eorum;
7 Populus meus [a] suspensi hærent aversioni
à me: [21] quamvis ad excelsum revocent eum,
pariter [22] non exaltat.
8 [23] Quomodo exponerem te ô Ephrajim?
dederem te, ô Jisraël? quomodo disponerem te
ut [24] Admam? ponerem te ut Tzebojima? [25] se
versat in me [b] animus meus, simul æstuant [c] vi-
scera mea pœnitentia.
9 Non perficiam æstum iræ meæ, [d] non per-
dam amplius Ephrajimum: [26] quia *Deus* fortis
sum, ac non [27] vir; in medio tui sanctus, non au-
tem [28] invasurus civitatem.
10 [29] [e] Jehovam sequentur tamquam leo-
nem [30] rugientem; quum ipse rugiet, tum [f] tre-
pidè accurrent [31] filii inde [32] a mari.
11 [33] Trepidi accurrent ut avicula ex Ægyp-
to, & ut columba è terra Assyriæ; & collocabo
eos in domibus ipsorum, dictum Jehovæ.

[10] secundus gradus συγχέσιως; ut diximus in versum 2. [11] id est, informo & instituo, ut accipiat legem meam. [12] Baħalimos videlicet & sculptilia, quorum meminit præcedente versu. [13] ut scortum impudens, & in libidinem omnem exardescens, passis ulnis amplexans amatores. [14] tertius gradus συγχέσιως, ut diximus in versum 2. per similitudinem optimi agricolæ & jumentis suis studiosissimè consulentis: qua similitudine usus erat suprà 10. 11. [15] id est, nihil erat, cur à me aversus in Aegyptii aut Assyrii fidem sese reciperet, quum omnia affatim & indulgentissimè à me subministrata essent.

[16] ut fecisse legitur Rex Hoscheaħ, 2. Reg. 17. 4. [17] cui regnum Jisraëlis est tributarium inde a temporibus Menachemi, 2. Reg. 15. 19. [18] quamvis tot modis qui antè dicti sunt, revocarentur. [19] quartus & postremus locus συγχέσιως, ut diximus in versum 2. [20] sive intestinus (ut mutuis Jisraëlitarum conspirationibus factum est) sive alienus ab hoste illatus, aut ab auxiliaribus accitus. [a] *Heb. appendens aversioni mei.* [21] id est, quamvis hæc omnia, prophetia inquam, lex, administratio paterna Dei, & verbera documento sint ipsis, ut missa omni disceptatione & hæsitatione se committant Deo, non possunt tamen gloriam Deo solidè tribuere. [22] videlicet excelsum Deum. [23] tertia hæc pars continet primùm pathos elegantissimum, hoc versu; deinde promissiones Euangelicas in Christo, tribus sequentibus. Sensus autem est τῶ πάθους: ô Jisraël, si ad tua ista ingratissima & indignissima facta respicerem, non secus tecum agerem quàm olim cum civitatibus quæ incendio è cælo perierunt: sed ut ut in te sis perditus, & perdendus propter te; attamen in consilio meo servaris, & propter misericordiam meam in Christo servaberis. [24] quam subvertit Jehova cum Tzebojimis, & duabus aliis civitatibus, Genes. 19. quarum simul habentur nomina Deut. 29. 23. [25] id est, in dubio est animus, incertus sum quid agam, quum hinc atrocitas peccatorum tuorum me ad supplicium sumendum provocat, inde paternus meus amor & misericordia ad sustinenda & inhibenda judicia compellit, gratiamq; meam in Christo explicandam: denique certat virtus misericordiæ meæ cum vitiositate tua, & me tamquam patrem optimum filios castigantem flectit ad faciendam gratiam, quæ deinceps exponitur: humanitus dicta. [b] *Heb. cor meum.* [c] *Heb. pœnitentia meæ.* [d] *Heb. non revertar ad perdendum.* [26] αἴτιον promissionum Dei duplex; unum, à natura Dei, quòd Deus fortis est, ac proinde irrevocabile & infractum est decretum ipsius de servandis electis; alterum, ab officio & fœdere, quòd sanctus est, sanctificationis auctor, & in populo suo habitans ad æternam sanctificationem ejus. [27] qui cùm à se, tum ab alio mutabilis est: sic Nemer. 23. 23. & 1. Schem. 15. 29. [28] id est, hostis & adversarius tuus, qui infensa acie irrumpam in te, & flamma ferróq; prophanem omnia. [29] id est, Christum, quem vocavero ex Aegypto; ac non abibunt à conspectu ejus, ut fecisse dicuntur suprà v. 2. [e] *Hebr. post Jehovam ibunt.* [30] id est, maxima voce personantem, & potentissima Euangelii: vide Hebr. 12. 26. [f] *Heb. trepidabunt: sic sequente versu.* [31] in Christo effecti, Joan. 1. 12. velut catuli se ad rugientem leonem solent recipere. [32] id est, ab extremitatibus terræ, quam mare circumluit. [33] id est, advolabunt: amplificatio præcedentis promissionis altera similitudine.

CAPUT XII.

Deus Jisraëlitas à perfidia, idololatria, & inhumanitate revocans domesticis majorum exemplis, texit narrationem ipsorum avaritiæ, idololatriæ, & intolerandi fastus: quæ postquam exaggeravit majorum exemplis, & promissorum suorum recordatione, narrat se profligatis impiis reliquias gratiosè conservaturum esse: omnes ad resipiscentiam hortatur, curationem æternam pollicetur, & prophetiam gravi sententia decretóq; terminat.

1 [1] Circumdederunt me mendacio Ephraji-
mitæ, & dolo domus Jisraëlis; [2] quando
Jehuda adhuc [3] dominabatur cum *Deo* forti, &
cum [4] sanctis fidelis erat.

CAPUT XII.

2 Ephrajim [5] depascens ventum, & perse-
quens Eurum, toto die mendacium & vasti-
tatem multiplicat: nam ubi [6] fœdus cum Assy-
rio pangunt, [7] unguentum in Ægyptum depor-
tatur.
3 [8] Etiam disceptatio *est* Jehovæ cum Je-
huda; qui animadversurus in Jaħakobum se-
cundùm vias ejus, secundùm actiones ejus red-
det ei.
4 [8] [9] In ipso utero calcaneum tenuit fra-
tris sui; & robore suo principem se gessit cum
Deo.
5 [ll] Principem, inquam, se gessit cum ange-
lo, & potentia valuit, [10] flevit & supplex oravit
eum; Beth-ele [11] invenit eum, & ibi loquutus est
nobiscum.
6 Atqui [12] Jehova Deus exercituum, Jeho-
va *est* memoriale ejus.
7 Tu ergo ad Deum tuum convertere; [13] be-
nignitatem & judicium observa, & exspectatio-
nem habe in Deo tuo jugiter.

[1] Hæc tria capita ejusdem argumenti esse, & ad concionem unicam pertinere, nemini dubium esse potest qui ad rem penitiùs attenderit. Nam in concione hac utitur Propheta primùm prolepsi sive propositione summa tum peccati Jisraëlitarum, tum etiã revocationis ad resipiscentiam, usque ad vers. 8. in quibus duabus partibus tota concio versatur: deinde verò ex ordine duas illas partes sigillatim explicat; primùm quidem peccata Jisraëlitarum, usque ad versum 9. capitis 13. deinde verò revocationem, usque ad versum 9. capitis 14. ac postremò concludit voto & sententia elegantissima, versu ultimo. In hac verò prolepsi exponitur peccatorum summa, tribus versibus; & revocatio à peccatis ad bonam frugem, quatuor sequentibus. Peccata autem per gradationem Ephrajimo, id est Jisraëlitis, exprobrantur, primùm quòd ipsi principes fuerunt & auctores peccandi, quum à regno Jehudæ & religione vera deficerent, hoc versu; deinde quòd pergentes in malo defectionis, exteris sese copularunt, versu 2. & postremò quòd Jehudæam suo exemplo & facto in eadem scelera provocarunt, quibus effectum est ut Deus ipsis infensus esset. Quod autem Deus inquit, *circumdederunt me*, perinde est ac si diceret, volunt quidem haberi in servorum meorum numero qui stantes coram me ministrent mihi & circumpedes sint; verùm perfidiosè omnia; nam omnes omni ex parte dolis circumfluunt, quibus me putant circumventum & delusum iri. [2] id est, quo tempore adhuc regnum Jehudæ legem & cultum integrum servabat, adhærens Deo & promissionibus patrum per fidem. [3] id est, strenuè se gerebat in cultu Dei; non autem ferebat ut iniquitas, quam Deus damnat, dominaretur sibi. [4] patribus, quibus fuerant promissiones factæ. [5] id est, inani spe seipsum lactans, & sectans eam contentissimè. [6] vide suprà 5. 13. & 7. 11. [7] id est, munus honorarium ad conciliandum regem, de quo 2. Reg. 17. 4. sic Jeschaħ. 57. 13. [8] tertius gradationis locus, ut diximus in versum 1. de quo suprà 4. 15. & 6. 11. [ll] *Genes.* 25. 26. [9] alterum propositionis membrum de revocatione à peccato duo continet: argumentum ab exemplo Jahakobi commune Judæorum & Jisraëlitarum parentis, tribus versibus; & hortationem ex eo argumento sumtam, versu 7. Nihil non tentavit Jaħakob (inquit Dominus) ut gratiam Dei & benedictionem obtineret: de gratia cum fratre in utero certavit, de benedictione cum angelo, quam supplex a Deo consequutus est, & Deus sæpius deinceps confirmavit; cujus promissa non sunt momentanea, sed tam certò æterna sunt quàm ipse a natura sempiternus est: agite ergo, si Jaħakobi semen estis, ad Deum revertimini, &c. [ll] *Genes.* 32. 24. *& seq.* [10] etsi hoc apud Moschen disertè non legitur, non dubium est tamen quin ex rebus adjunctis auctore spiritu Dei Propheta collegerit alterum antagonistarum flevisse: cujusmodi eclipses à scriptura frequentari sæpè monuimus. Uter autem fleverit, quæstio est apud interpretes. Nos ad Jaħakobum magis probamus pertinere, cùm adducti serie ipsa verborum, quibus eumdem nominandi casum antecedere communis usus & ratio postulat; tum verò ex narratione Moschis, in qua res adjunctæ manifestò docent fletum a Jaħakobo factum esse. Nam quum luxata fuisset vertebra femoris Jaħakobi, quúmq; angelus nomen suum roganti Jaħakobo non indicavisset (quorum altero potentiam suam, altero majestatem Jaħakobo non obscurè innuebat) certum est Jaħakobum his indiciis adductum benedictionem a Deo cum fletu petiisse, quam deinde Angelus testificatus est nova impositione nominis: quæ impositio primùm eodem loco facta, posteà Beth-ele repetita est, & ipsi ac posteritati ejus confirmata, Gen. 35. 10. & sequentibus. [11] i. apparuit & obvenit ei Deus, Gen. 35. 9. [12] id est, Deus est æternus & potentissimus ad præstanda & asserenda in æternum promissa sua. [13] vide Psal. 101. 1.

14 secunda hæc concionis pars primum peccata Jisraëlitarum, deinde revocationem exornat copiosissimè, ut diximus suprà in versum 1. & peccata singula amplificat per comparationem amplissimorum beneficiorum Dei contra perfidiam Jisraëlitarum misericorditer concertantis. Sunt autem peccata tria ordine posita; primum est vafra & dolosa avaritia, usque ad versum 12. secundum, idololatria, usque ad versum 6. capitis 13. tertium, præsidentia intolerabilis & fastus

8 [14] Mercator *est*, in manu ejus *sunt* lances
a dolosæ; opprimere amat.
9 Ac dicit Ephrajim, utique ditatus sum,
assequutus sum opes mihi; omnes labores mei
non sufficiunt mihi, [15] iniquitatis pœna *est illi* cui
peccatum *est*.
10 [16] Et ego Jehova Deus tuus inde a terra
Ægypti; adhuc facerem ut sedeas in istis tentoriis, [17] ut diebus solennitatis?
11 Et loquens per ipsos Prophetas ego visionem multiplicarem; & b per Prophetas ipsos
proponerem [18] similitudines?
12 [19] An in Gilhade iniquitas, tantummodò
vanitas fuerunt? [20] in Gilgale *tantùm* boves sacrificant? etiam altaria [21] istorum *sunt* [22] tamquam acervi per porcas agrorum meorum.
13 [23] Illuc fugerat Jahakob *ex* agro Syriæ;
quum servivisset Jisraël propter uxorem, & propter uxorem custodivisset *gregem*.
14 *Huc* [24] quoque per Prophetam adduxit
Jehova Jisraëlem ex Ægypto, quum per [25] Prophetam servatus esset.
15 [26] Provocavit Ephrajim *indignationem* c amarissimam; ideò d cædes ejus in eum expandit, & opprobrium ejus reddit ei Dominus
ipsius.

ex copia bonorum regniq; amplitudine, inde ad versum 9. quibus expositis transitur ad revocationem. Primum hoc peccatum exponitur duobus versibus, amplificatur verò tum comparatione beneficiorum Dei quibus Jisraëlitas oportuerat confidere, versu 10. tum etiam promissorum per Prophetas ipsius, versu 11. quæ duo indignitatem peccati istius non mediocriter exaggerant. Mercatoris autem appellatio hic significat eum qui veteribus aginator, ærillator, sive cocio dicebatur, nimirum qui ora contrahentium oblinens blandis verbis, fallit argutissimè, & perfidè ex rebus minimis sibi comparat lucrum. a *Hebr. doli.* 15 id est, ex eo facilè constat me non esse peccati reum, quòd mihi bene est: nam qui rei sunt, eos Nemesis impunè abire non sinit. 16 indignantis verba peccatum superius exaggerantia, ut modò diximus. 17 id est, festivè & tranquillè, ut fit in solennitatibus imperatis lege. b *Heb. per manum Prophetarum.* 18 typicas & allegoricas, qualibus Propheta usus est suprà 1. & 3. & passim. 19 expositio secundi peccati, id est, idololatriæ, ut diximus suprà in versum 8. sensus est, putatisne Gilhaditas qui deportati sunt per Tiglath-peleserum ipsos fuisse reos idololatriæ? vos autem minimè, qui ab Assyrio intacti remansistis? atqui ipse aditus regionis vestræ adeò abundat idololatria, ut (quod proverbio dicitur) ex unguibus leo facilè cognosci possit. 20 quasi dicat, an ipsi aditus solùm aut celebria quædam loca impurantur idololatria? imò verò nullus est locus non impurissimus. 21 qui cis Jardenem habitant, neque fuerunt deportati. 22 id est, infinita sunt. 23 exaggeratio præcedentium peccatorum ab anteactis Dei beneficiis, quæ ibidem ubi accepta fuerant Jisraëlitæ obscurabant. quasi dicat, impium sanè fuerat Gilhadem ab illis sacrilega iniquitate & vanitate profanari, quem Deus velut asylum Jahakobo patri vestro ex servitute misera redeunti & fugienti Labanem constituerat, Genes. 31. at quàm impium est Gilgalem à vobis sacrificiis & altaribus profanari? quem Deus duce Jehoschuha consecraverat ad purgationem majorum vestrorum, Jehoschuh. 5. & quò primo accessu majores vestros miserat in possessionē terræ. 24 Jehoschuham. 25 Moschem, qui populum eduxit ex Aegypto. 26 regressio ad explicationem peccati, quæ fuerat interrupta per exaggerationem duobus versib. comprehensam. c *Heb. amaritudinum.* d *Heb. sanguines.*

CAPUT XIII.

1 Amplificatio peccati idololatriæ quam objicere cœperat Propheta suprà 12.12. tum ab infelice successu qui Jisraëlitis obvenit ex quo

1 [1] Quum eloqueretur Ephrajim a tremorem; [3] *eum* a excitabat ipse in Jisraële; sed simul ac reatum obiit cum Bahale, [4] mortuus est.
2 Nunc verò pergunt peccare, & parant sibi
fusione ex argento suo pro intellectu suo terricula, opus artificum quodque: de quibus isti
dicunt, b [5] homines qui sacrificant, vitulos [6] osculantor.
3 Idcircò sunt [7] ut nubes matutinæ, & veluti ros c manè stillans qui abit; ut gluma turbine
abrepta ex area, & velut fumus ex d camino
summo.
4 Atqui ego *sum* Jehova Deus tuus inde a
terra Ægypti; & Deum præter me non expertus
es, ac servator nullus *est* præter me.
5 Ego agnovi te in ipso deserto, [8] in terra
e torridissima.
6 [9] f Prout *erant* pascua eorū, saturati sunt;
simulac saturati sunt, elatus est f animus eorum:
idcircò obliti sunt mei:
7 [10] Et fui eis tamquam vetus leo, velut
[11] pardus in via contemplatus sum:
8 Occurri eis [12] ut ursus orbatus, & laceravi g præcordia eorum; exedíque eos ibi
ut immanis leo, *ut* bestia agrestis diffindens
eos.
9 [13] Perdidit te ô Jisraël; quum in me, [14] in
auxilio tuo staturus essem.
10 [15] Ubi *est* Rex tuus? ubinam est? [16] *is* servet
ergo te in omnibus civitatibus tuis: ubi vindices tui, de quibus dixeras, f da mihi regem &
Principes?
11 [17] Do tibi regem in ira mea, & recipio furore meo.
12 Servatur in fasciculo iniquitas Ephrajimi,
reconditum *est* peccatum ejus:
13 Dolores parturientis evenient [18] ei: [19] ipse
filius *est* insipiens, nam *tanto* tempore non maneret [20] in h ore matricis.
14 [21] E i potestate sepulcri redimam eos, a
morte vindicabo eos: ubi *sunt* pestes tuæ, ô mors?
ubi exitium tuum, sepulchrum? [22] pœnitentiâ
absconsâ ab oculis meis.
15 [23] Nam ipse inter fratres fructificabit;
postquam veniente [24] Euro, vento Jehovæ è deserto ascendente, exaruerit scaturigo ejus, &
exsiccatus fuerit fons ejus, [25] illo diripiente thesaurum omnium instrumentorum k desiderabilium.

b *Heb. sacrificantes hominum.* 5 i. quicunque Deum colere statuit, honorem illius & cultum vitulis exhibeto, ex præscripto Jarobhami & consilio populi, 1. Reg. 12.28. 6 vide Genes. 41.40. 7 vide sup. 6.4. c *Heb. matutinus* (*ut ita dicam.*) d *Heb. cataracta sive specu.* 8 vide Deuter. 8.15. e *Heb. inflammationum.* 9 expositio tertii peccati, nimirum præsidentis fastus: ut diximus sup. 12.8 a quo jusserat caveri Deus Deut. 8. f *Deut.* 32.15. f *Heb. cor.* 10 i. invasi eos & tractavi duriter. 11 vide Jirmej. 5.6. 12 i. infensissimo animo; sic 2. Schem. 17.8. & Proverb. 17.12. g *Heb. clausuram cordis.* 13 nempe Rex tuus, de quo sequente versu. Hinc autem incipit revocatio, ut diximus sup. 12. i. cujus revocationis partes sunt duæ, eodem ordine quem demonstravimus

idôla coluerunt, tribus versibus; tum à federe & beneficentia anteacta Dei, versu 4. & 5. Infelix autem successus est triplex: primus, quòd qui prius terrori erant omnibus jam contemtui sunt ut cadaver mortuum, versu 1. secundus, quòd ne hac quidem insperata mutatione resipiscunt, sed stupidè & dementer in idolorum cultum amplius exardescunt, versu 2. tertius, quòd stulti effecti tandem evanescunt justo judicio Dei, versu 3. 2 id est, minas quibus alios percelleret & tremefaceret. 3 id est, totum Jisraëlem commovebat gravissimè. a *Heb. attollebat.* 4 id est, pro mortuo habitus, nullius pretii, nullarúmq; virium.

suprà 2. 8. una est explicatio sive narratio malorum populo evenientium propter maleficia ipsius, & bonorum ex promissione Dei eventurorum si resipuerit, ad finem usque capitis; altera est hortatio ad resipiscendum & recipiendum promissiones Dei, capite sequente. Narrationis verò propositio summa continetur hoc versu; cujus prius membrum de malis Jisraëlitarum exponitur versibus quatuor sequentibus; posterius de bonis divinitus obventuris, vers. 14. & sequentibus. 14 id est, qui sum auxilium tuum: appositio. 15 contentio elegans, qua Deus concessionem adhibens Jisraëlitas evincit juris sui, improbitatisq; ipsorum, hoc vers. & sequente, & justitiæ quam servat Deus in judiciis suis exsequendis, vers. 12. & 13. 16 concessio sarcastica: ut Deuter. 32.38. & Judic. 10. 14. f *1. Schem.* 8.5. 17 id est, jam vides ut Reges tibi paulo momento obtrudam & detrudam arbitratu meo propter indignationem meam. Nam his temporibus mutationes fuerunt quamplurimæ Regū in Jisraële, 2. Reg. 15. & 17. 18 nimirum toti Jisraëlis reipubl. quæ cum matre comparatur, ut suprà 1. & 3. 19 videlicet Ephrajim: sensus est, si saperet maturè erumperet ex utero, & se Dei manibus velut obstetricantis committeret. 20 Hebræam vocem hoc modo reddimus, ut 2. Reg. 19.3. quæ hoc loco futura fuisset ambigua & pro fluctibus accipi potuisset, ut Psal. 42. 8. nisi Propheta de industria genitivum addidisset. Nam & irrumpentes fluctus & matrix puerperæ Hebræis communi fracturæ nomine significantur: sed hæc [illegible] fractura esse non fluctuum, sed filiorum à Propheta dicitur. h *Heb. fractura filiorum.* 21 alter explicationis locus, ut diximus in versum 9. si resipuerint, inquit Deus, nullum erit tam forte vinculum quo ipsos non solvam: etiam à morte & sepulcro absumtos vindicabo. Quamobrem evidentissimū hîc habetur resurrectionis futuræ ellogium, ut ostendit Paul. 1. Corinth. 15. 54. & sequentib. i *Heb. manu.* 22 id est, & quidem in æternum ero, conferens meis vitam ἀμεταμέλητον. 23 confirmatio præcedentis promissionis allegorica, continens elegantissimā occupationem. Atqui abreptus est tamquam vento Jisraël, dixerit quispiam, & ita exarefactus ut nulla amplius spes instaurationis ostendatur: Esto sanè, inquit Deus, ut Jisraëlem exarefecero, ut thesauros exhausero, ut desolavero, ut cruentissimis cædibus exposuero; efficiam tamen ut reflorescat promissione mea. 24 quo adumbratur Assyrius. 25 nempe Assyrio tamquam vento & turbine evertente omnia. k *Heb. desiderii.*

CAPUT XIIII.

16 *Postquàm* desolata fuerit Schomron, quòd rebellavit contra Deum suum, gladio ceciderint, parvuli eorum collisi fuerint, & prægnantes eorum diffissæ.

CAPUT XIIII.

[1] Convertere Jisraël, usq; ad Jehovam Deum
tuum; quando corruisti propter iniquitatem
tuam,
2 [2] Sumite vobiscum verba, & reverti-
mini ad Jehovam: dicite ei, omnem condo-
na iniquitatem, & [a] acceptum confer bonum, &
rependemus [3] juvencos labiis nostris.
3 [4] Assyrius non potest servare nos, equo
non vehemur, neque dicemus ampliùs, ô Deus
noster, operi manuum nostrarum: quia per te
misericordiam consequitur [5] pupillus.
4 [6] Curabo aversionem eorum, amabo eos
[b] 7 benevolentiâ, quum aversa fuerit ira mea
ab eo.
5 [8] Ero velut ros Jisraëli, florebit ut lilium; &
[c] propagabit radices suas ut Libanicæ *arbores*.
6 [d] Diffundent se teneri rami ejus, eritq; [9] qua-
si oliva decus ejus; & [10] odor ejus quasi Libani.
7 Revertentur sessuri in umbra ejus, [11] in vi-
tam producent *ut* frumentum, & efflorescent
tamquam vitis: memoria ejus *fragrabit* [12] ut vi-
num Libani.
8 [13] Ephrajim, quid mihi ampliùs cum ter-
riculis? ego exaudiam & contemplabor [14] eum,
[15] ego *sum* tamquam abies virens, [16] ex me fru-
ctus tuus [e] prætiò est.
9 [17] Qui *est* sapiens intelligat ista, intelligens
etiam agnoscat ista: [18] nam rectæ *sunt* viæ Je-
hovæ & justi [19] ambulabunt in eis, defectores
autem [20] impingant in eis.

[1] Secundus revocationis locus, hortatio ad resipiscendum, ut diximus sup. 13.9. cujus hortationis duo sunt argumenta, declinatio, & fuga mali, tribus vv. & prosequutio boni quod promissionibus Dei exponitur, vers. 4. & sequentibus. [2] declaratio resipiscentiæ quæ imperata est præced. v. cujus partes Ecclesia profitetur duas, abdicationem mali quod condonari petit à Domino, & perceptionem boni: fructum verò unicum, gratiarum actionẽ ad gloriam Dei. [a] *Heb. accipe bonum: ut Exo.* 25.2. [3] id est, gratias maximas, quæ ex ritu legitimo olim figurabantur sacrificiis: Levit. 3.3. & Psal. 51.21. synecdoche. pro eo quod est, omne sacrificium laudis, fructumq; labiorum confitentium nomini Dei, ut interpretatur Apostolus. Hebr. 13.15. [4] i. nulli confidimus præterquam tibi. [5] i. quemcumque vires deficiunt ab ipso & ab aliis, synecdochicè. [6] alterum hortationis argumentum à promissionibus Dei, qui se quærentibus inveniendum exhibet, pulsantibus aperit, & petentibus daturum promittit. [b] *Heb. voluntatis.* 7 id est, ἐν εὐδοκίᾳ.

[8] allegorica explicatio promissionum Dei, tribus vv. respondens ex adverso judicio illi gravissimo quod dictum est suprà 13.15. [c] *Heb pangat.* [d] *Hebr. ibunt.* [9] i. perpetuò virens, ut Psal. 52.10. [10] ut Cant. 4.11. [11] i. progignent liberos copiosissimè. [12] i. erit odoratissima, quale vinum est secundùm Libani tractum nascens in Chelbone, Ampeloëssa, & aliis partibus: quæ vina Græci & Romani celebrârunt, Berytia & Tyria appellantes, de nomine portuum ex quibus deportabantur. [13] anacephalæosis, sive repetitio summa præcedentis revocationis, qua Deus Jisraëlitas monet ut ab idolis abstineant, & adhæreant sibi ipsos in omne bonum & gloriam evecturo; quod antè copiosè docuerat. [14] à terriculis abstinentem, ut se recipiat ad me. [15] i. sum procerissimus & opacissimus. [16] i. sum fructuosissimus bono tuo: sine me nihil potes facere, Joan. 15. [e] *Heb. invenitur.* [17] conclusio gnomica, qua Propheta bonos quidẽ ad intelligentiam, agnitionem, fructumq; documentorum Dei provocat hortatione vehementissima; improbos verò deficientes à doctrina Dei judicio Dei cõmittit: ut Apoc. 22.11. [18] causæ cur boni intelligant & agnoscant doctrinã Propheticam ponuntur duæ: una est amor Dei, & recti quod definivit Deus; altera, amor salutis ipsorum, quæ cùm Dei & recti amore conjuncta est. [19] i. fæliciter procedent: ut Judic. 5.31. non autem corruent, ut improbi atque defectores. [20] id est, corruant in æternam perniciem; quandoquidem Deum, rectum, & viam salutis fugiunt, ad quam Prophetarum monitis provocantur. sic Apoc. 22.11.

JOEL.

ARGUMENTUM.

LIBER Joëlis Prophetæ versatur in Prophetico documentorũ genere: nam occasione sumta ex immissis insectis gravissimæ famis prænunciis, populum ad sensum præsentis mali, maleficiorum conscientiam, & seriam resipiscentiam hortatur: atque ita resipiscentibus promissiones Dei, cùm temporarias de liberatione ab illo malo, tum perpetuas in Christo, evangelicásque prædicat.

CAPUT I.

Propheta ex imbribus post sementem coortis, animalibusq; verno tempore germina, flores, fructumq; nascentem perdentibus, denique æstiva siccitate immodica, Judæos indormiscentes in judiciis Dei admonet, ut tandem aliquando afficiantur illorum sensu: sacrum cœtum jejuniumq; indici jubet, totiq; Ecclesiæ formulam præscribit querimoniæ & resipiscentiæ.

VERBUM [1] Jehovæ, quod fu-
it ad Joëlem filium Pethu-
elis.
2 [2] Audite hoc, ô [3] Senio-
res, & auribus percipite om-
nes habitatores hujus terræ;
an fuit [4] hoc temporibus ve-
stris, aut etiam [a] temporibus
majorum vestrorum?
3 De hoc filiis vestris narrate: & filii vestri
filiis suis, & filii illorum generationi posteræ.
4 [5] Reliquum erucæ comedit locusta, & reli-
quum locustæ comedit melolontha; ac reliquum
melolonthæ comedit bruchus.
5 [6] Expergiscimini ebriosi ac flete, ac ejulate
omnes vini potores; propter mustum, quòd [7] ex-
cisum sit ex ore vestro.
6 [8] Gens enim ascendit super terram meam,
robusta & innumera; cujus dentes dentes *sunt*
leonis, cui molares immanis leonis *sunt*:
7 Disponens vites meas in vastitatem, & fi-
cus meas in [9] clavum: [b] omninò [10] nudavit eas,
ac dejecit, [11] albi evaserunt botri illarum.

[1] Etsi non definitur disertè tempus quo hæc prophetia promulgata est, pro certo tamen statuimus eam temporibus iisdem prædicatã quibus Hoscheah prophetabat; non tantùm quia proximè Hoschehæ subjungitur sine ulla temporis diversi notatione, quod existimavit Hieronymus; sed etiam maximè quia argumenta de quibus Propheta agit omninò in Huzzijæ & Jarobhami tempora inciderunt, ut suis locis demonstrabimus. Apud Judæos verò prophetâsse res ipsa loquitur. Continentur autem hoc capite, inscriptio καθολική, vers. 1. exordium, vers. 2. & 3. Propositio, versu 4. & documentorum loci ex propositione antecedente profluentes, reliquo capite. [2] hoc exordio Propheta Judæos attentos & dociles facit, à rei quam dicturus est novitate, ut quæ nec antè visa fuerit, hoc vers. nec post tempus illud futura sit; sed tantùm memoria in omnem posteritatem recolenda, seq. vers. [3] id est, magistratus, & populares, ut infrà versu 13. [4] quod narratur versu 4. vide Exod. 10.14. [a] *Heb. diebus.* [5] propositio sive narratio brevis, famis ingentissimæ quam in Judæam immisit Deus. Ac fames quidem in Judæa fuisse legitur primum Jorami temporibus, 2. Reg. 8. deindè verò Joschijæ, ut docetur Jirm. 14. sed nobis ad neutrum horum temporum referri placet. Potiùs famem hanc tempore Huzzijæ certo consilio immissam à Deo confirmamus ex Jeschah. 5.14. maximè cùm sequentis apud Hamosum prophetiæ argumentum constet ad tempora eadem pertinere.

[6] hi documentorum loci (ut diximus in v. 1.) ex antegressa narratione profecti, duo universè cõplectuntur capita: unum, ut tam gravis & acerbi judicii sensu omnes afficiantur, usque ad vers. 13. alterum, ut ex eo sensu ad jejunium, conventus sacros, resipiscentiam, & orationem fidei adducantur, indè ad finem capitis. Ut autem adducantur omnes, non tantùm sobrios compellat Propheta, sed ipsos ebrios, qui illa ingurgitatione tempus à se falli putant & levari acerbitatem malorum, hoc versu; deindè causam communis luctus exornat, duobus versibus; ac postremò gravitatem luctus ostendit, quinque sequentibus. [7] id est, subitò imprudentibus ereptus vitis fructus, quem jamq; ore pleno haurire vobis videbamini. [8] allegoria hyperbolica de animalibus quæ nominavit Joël versu 4. sic Proverb. 30.25. [9] sic interpretamur Hebræam vocem à candescente spuma derivatam: est enim clavus (quem etiam fungum sive patellam vocant) tuber illud adnascens imis arboribus, quæ aut vetustate aut alio vitio fructum afferre desinunt, quum humor (ut vocatur) radicalis crudus circa imam arborem subsidit, & clavos, tubera, aliáque vitia tamquam despumans excreat. [b] *Hebr. nudando.* [10] folio, fructu, cortice, &c. quibus per mala illa advenientia consumtis emoriuntur ficus. [11] id est, omphacia vinearum (quæ natura virent) amisso succo expalluerunt, ut quum animantia fiunt exsanguia.

8 Ejula, [12] ut virgo accincta cilicio propter maritum adolescentiæ suæ.

9 [13] Factum est ut succideretur munus & libamen à domo Jehovæ; lugent Sacerdotes ministri Jehovæ:

10 Vastatus est ager, luget terra: quia vastatur frumentum, exarescit mustum, languet oleum.

11 Erubescunt agricolę, ejulant vinitores propter triticum & propter hordeum; quia periit messis agri,

12 *Quia* vitis exaruit, & ficus elanguit: malus Punica, etiam palma & malus, omnes arbores agri arent, quia exaruit [14] gaudium è filiis hominum.

13 [15] Accingite vos & plangite, ô Sacerdotes, ejulate ministri altaris, ingredimini, pernoctate in [16] ciliciis, ministri Dei mei: quia cohibetur à domo Dei vestri munus & libamen.

14 [c] Indicite jejunium, proclamate [17] diem interdicti, congregate Seniores *&* omnes habitatores terræ *in* domum Jehovæ Dei vestri: & clamate ad Jehovam, *dicentes*,

15 [18] Eheu diei isti; nam propinquus est [19] dies Jehovæ; qui similis vastationi ab omnipotente advenit.

16 Nónne coram oculis nostris cibus exscinditur; è domo Dei nostri lætitia, & exsultatio?

17 [20] Mucida facta sunt sata sub glebis suis, desolata sunt horrea, destructa granaria; quoniam exaruit [21] frumentum.

18 Quàm ingemiscit jumentum! perplexa sunt armenta boum, eo quòd nullum sit pascuum eorum! etiam greges ovium desolantur!

19 Ad te, ô Jehova, clamo; quia [22] ignis consumsit habitacula deserti, & flamma inflammavit omnes arbores agri:

20 Etiam bestiarum agri *quæque* [23] glocitat te versus, eo quòd [24] exaruerint alvei aquarum, & ignis absumserit habitacula deserti.

[12] id est, tenerrimè, gravissimeq;. [13] ætiologia tam gravis luctus imperati, quòd neque adest quod in cultu Dei consumatur, neq; quod ad præsentem hominum necessitatem & gaudium: quæ duo incommoda ipsi agri, ipsa terra, segetes, vites, oleæ, &c. lugere dicuntur per prosopopœiam. [14] ex messe & vindemia: vide Psal. 4. 8. [15] secundus documentorum locus, ut diximus in versum 5. quo primùm Sacerdotes ad officium provocantur, hoc versu; deindè alios jubentur provocare, versu 14 ac postremò communis omnium resipiscentia & oratio describitur. [16] plangentium vestibus: ut Gen. 37. 34. [c] Heb. *sanctificate.* [17] vide Levit. 23. 36. [18] formula hæc querimoniæ tria membra complectitur: primùm enim miserabiliter expostulat cū de præsente malo, tum de aliis gravissimis ex eo consequuturis, hoc V; deinde præsens malum exponit per hypotyposin, tribus versib. postremò rem Deo committit, ut populi sui, animantium, & terræ suæ misereatur, duobus versib. ultimis [19] id est, quo Jehova, ut judex, adventurus & vastationem immissurus est: nam sequentia sunt exegetica, ut Jeschah. 13. 6. [20] ex nimiis imbribus sementem corrumpentibus. [21] quod supererat ex illa semente. [22] id est, sol assus & torridissimus, siccitate summa infestans omnia. [23] id est, ad te spectat, & quodammodo implorat te: ut dicitur Psal. 104, 27. [24] vide Jeschah. 5. 13. & Hamos 4.

CAPUT II.

Deus Judæos præsentium malorum occasione ad sacros cœtus hortatur, ad preces, seriamq; resipiscentiam, & per Prophetam spem facit misericordiæ resipiscentibus: quumq; misericordia in perpetuum sit opus; ostendit se cùm ab illa calamitate Judæos liberaturum, tum benedictionem æternam per Christum cum Ecclesia communicaturum, hostes perditurum, illam vocatis gentibus propagaturum, & in illa habitaturum esse.

[1] Clangite [2] buccina Tzijone, & vociferamini in monte sanctitatis meæ, commoveantur omnes habitatores hujus terræ: nam advenit [3] dies Jehovæ, nam propinquus *est*:

2 [4] Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obscuritatis, [5] ut *nubes* auroræ panditur super montes; [6] populus [7] amplus & robustus, cui par non fuit à seculo, & post quem non ampliùs erit usq; ad annos [a] multarum generationum.

3 [8] Ante eum consumet ignis, & post eum inflammabit flamma: [9] ut similis [10] horto Hedenis sit terra [11] ante eum, post eum desertum *erit* [b] desolatissimum, adeoq;, [c] quod evadat non est futurum ei.

4 [12] Quasi species equorum species ejus; & & ut equites, ita current:

5 Quasi strepitu curruum super cacumina montium salient, quasi strepitu flammæ ignis cōsumentis stipulam; quasi populus robustus instructus *ad* prelium.

6 A conspectu ejus dolebunt populi, omnes facies [13] contrahent nigrorem.

7 [14] Sicut potentes current, ut [d] bellatores scandent murum; & quisque per vias suas procedentes [15] non pervertent semitas suas:

8 Et unus alterum non prement, quisque per aggerem suum procedens; etiam in ensem ruentes non sauciarentur.

9 Civitatem percurrent, per murum discurrent, in domos ascendent; per ipsas fenestras ingredientur tamquam fur.

10 [16] Ante illum movebitur terra, commovebuntur cæli: Sol & Luna obscurabuntur, & stellæ recipient splendorem suum.

11 [17] Jehova autem edente vocem suam ante copias suas; quum ampla admodum *sint* castra ejus, quum robustus sit qui efficit verbum ejus: (magnus enim est futurus dies Jehovę & timendus valdè) ecquis sustinebit eum?

12 [18] Quapropter [19] etiam nunc, dictum Jehovæ, convertimini ad me ex toto [e] animo vestro; & jejunio, & fletu, & planctu.

13 [20] Lacerate igitur corda vestra, [21] ac nō vestes vestras, & revertimini ad Jehovam Deum vestrum; quia gratiosus & misericors est, longanimis, & amplus benignitate, & quem [22] pœnitet mali:

14 [23] Quis scit an reversum pœniteat ipsum? & reliquam faciat post [24] illum benedictionem *futuram* munus & libamen Jehovæ Deo vestro?

15 [25] Clangite buccina Tzijone: [f] indicite jejunium, proclamate diem interdicti.

[1] Duo hæc capita omninò inter se conjuncta esse argumentationum series docet manifestissimè. Quod autem à præcedente disjunximus, non eò factum est, quòd dissimili esse putemus argumento; sed quia iteratam esse putamus prophetiam, altero fortasse pronunciatam sabbatho; ut olim fuisse in more positum aliquot Jechezkelis exempla ostendunt. Quum itaque superiore capite Propheta Judæis tum gravitatem mali, tum expostulationis formulam proposuisset, jam hac concione altera primùm idem argumentum repetit usq; ad vers. 18. deinde exponit Dei miserentis responsum, ad finem usque prophetiæ. Ac in repetitione quidem Propheta solenni exordio adhibito, ver. 1. quod etiam sub finem repetitur κυκλοειδῶς, versu 15. primùm gravitatem mali explicat, usque ad versu 12. deinde si resipiscant Judæi, ad spem misericordiæ erigit, tribus versibus; ac postremò ordinem resipiscentiæ, & orationem Ecclesiæ resipiscentis præscribit, tribus alteris. [2] qua Levitæ in tota terra indicebant conventus sacros, ut sacerdotes tuba. q. d. vos, ô Levitæ, populo toti indicite Tzijone conventum habendum esse.

[3] qui deinceps exponitur: ut supra 1. 15. [4] id est, tristissimus & luctuosissimus: ut contra gaudium allegoricè figuratur lucis & lætitiæ nomine, Esth. 8. 16. [5] id est, tempus tam injucundum atque difficile, quàm solet ille dies esse quo exoriente nubes densissimæ in montes assurgunt, quæ solem celsiq; obtegunt prima luce, aërem obscurant, & minantur imbres certissimos: vide Hamos 4. 13. [6] hac populi appellatione plerīq; interpretes Assyrium intelligunt, adducti certis rationibus, quas ideò probare minimè possumus quod infirmiores sint: Nos itaque interpretationem alteram amplectimur, Prophetam videlicet de eadem calamitate hoc loco agere, de qua superiore capite. Locustas autem & similia populum appellari non magis mirum videri debet, quàm formicas & mures montanos, Proverb. 30. 25. & 26. quemadmodum etiam his attributum est gentis nomen sup. 1. 6. & castra copiæq; Dei nominantur infrà vers. 11. & 25. [7] ut novem sequentes versus comparationibus ostendunt, primum quidem robur, usq; ad vers. 10. deinde innumerabilitatem, V. 10. & 11. [a] Heb. *generationis & generationis.* [8] i. ut ignis edax rerum, ita consumet omnia in omnes partes iste infestus exercitus. [9] i. quamvis solum esset uberrimum & abundaret bonis, nihil tamē manebit reliqui. [10] de quo Gen. 2, 8. & sequent. similitudo frequēs, ut Gen. 13. 10. & Jechezkel 28. 13 [11] i. ante adventum ejus: ut Gen. 30. 30. & alibi, sic in sequent. post eum. [b] Heb. *desolationis.* [c] Heb. *evasio.* [12] i. horridus erit populus & velocissimus. [13] i. atrabuntur præ horrore & luctu. [14] i. infesto agmine procedent, neque ullo pacto deterrebuntur quin pervadant regionem totam & ipsa domorum penetralia ad perficiendum voluntatem Dei, tribus vers. [d] Heb. *viri belli.* [15] i. nemini cedent de via. [16] id est, tam numerosus erit, ut terra exhorrescat, & cæli facies obtegatur. [17] id est, quum Deus tamquam imperator exercitus animalia hæc animabit verbo, & armabit potentia sua ad præstandam voluntatem ipsius, nemo est homo qui imperium ejus sustinere possit: sic Jeschah. 14, 27. [18] secundus repetitionis locus, ut diximus in versum 1. doctrinam resipiscentiæ proponens ex lege. [19] videlicet ut vos jam ante sum hortatus concione præcedente, dum adhuc tempus est & locus resipiscentiæ. [e] Heb. *corde.* [20] Prophetæ verba dictum Jehovæ explicantis, & ad seriam cōversionem, ac non simulationem populares suos provocantis, tum à natura Dei, tum à spe remissionis consequendæ. [21] videlicet solummodo: cujusmodi ellipsin frequentem esse demonstravimus Gen. 32. 28. [22] id est, abstinet ab immittendo malo quod statuit, & quod verbis ipsius denuncio vobis: vide Gen. 6. 6. [23] formula non dubitantis quidem, sed à rei difficultate ad fiduciam gratiæ & promissioni Dei animos erigentis: ut annotavimus Jehoschuh. 14. 12. sic Jonæ 3. 9. [24] videlicet populū sive exercitum animalium quem statuit immittere, ut saltem possitis in cultum ejus incumbere; qui sequentibus verbis denotatur synecdochicè. [25] tertius repetitionis locus ut diximus in V. 1. publicam resipiscentiam omnibus sine exceptione imperans, formamq; ejus, & orationis apud Deum habendæ describens. [f] Heb. *sanctificate.*

16 Colligite populum, indicite congregationem, congregate ſenes, colligite parvulos & ſugentes ubera, egrediatur ſponſus è cubiculo ſuo, & ſponſa è thalamo ſuo:

17 Inter ipſum veſtibulum & altare fleant Sacerdotes miniſtri Jehovæ: & dicant [26] parce Jehova populo tuo, & ne exponas poſſeſſionem tuam opprobrio, ut dominentur in eos gentes, cur dicerent in populis; ubi *eſt* Deus iſtorum?

18 [27] Jam zelotypia affectus Jehova terræ ſuæ; clementia [28] uſus eſt erga populum ſuum:

19 Responditq; Jehova, dicens populo ſuo, [29] ecce ego mittam vobis frumentum, & muſtum, & oleum, ut ſaturemini eo: neque expoſiturus ſum vos ampliùs opprobrio in gentibus,

20 Nam [30] *ex eo* Aquilonalem longè amovebo à vobis, & depellam *ex eo* in terram [31] ſiticuloſam & deſolatam; [g] primum agmen ejus in mare Orientale, & [h] poſtremum in [32] mare poſterum: adeò ut aſcendat fœtor ejus & aſcendat putor ejus; quia [i] magnificè *Jehova* agit.

21 [33] Ne timeto terra, exſulta & lætare; quia magnificentiſſimè Jehova aget.

22 Ne timetote beſtiæ agrorum meorum, nam herbaſcent habitacula deſerti: nam arbor proferet fructum ſuum, ficus & vitis edent vim ſuam.

23 Filii quoque Tzijonis exſultate & lætamini in Jehova Deo veſtro, nam daturus eſt vobis ipſum imbrem tempeſtivum [k] juſtè; & demiſſurus vobis pluviam tempeſtivam & ſerotinam primo quoque *tempore*.

24 Ita implebuntur horrea frumento, [34] plateasq; perfundent torcularium lacus muſto & oleo.

25 Et rependam vobis annos illos quos abſumſit locuſta, melolontha, bruchúſque & eruca; copiæ meæ maximæ, quas immiſi in vos.

26 [35] Comedentéſque indeſinenter ac ſaturati laudabitis nomen Jehovæ Dei veſtri, quòd ſe [l] geſſerit erga vos mirificè, neque erubeſcent populus meus in ſeculum:

27 Sed agnoſcetis in medio Jiſraëlis me eſſe, méque eſſe Jehovam Deum veſtrum, & nullum eſſe ampliùs: neque erubeſcent populus meus in ſeculum.

28 [36] Erítque poſteà, *ut* effundam [37] ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſeniores veſtri [38] ſomnia ſomniabunt, juvenes veſtri viſiones videbunt.

29 [39] Quin etiam ſuper ſervos, & ſuper ancillas; diebus illis effundens ſpiritum meum,

30 Edam oſtenta in cælis & in terra; [40] ſanguinem, & ignem, & elationes fumi.

31 Sol ipſe [41] vertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, [42] antequàm veniat dies Jehovæ magnus & reverendus.

32 Eritq; *ut* quiſquis [43] invocaverit nomen Jehovę eripiat ſe: quia in monte Tzijonis & Jeruſchalaimis erit liberatio, quemadmodum [44] dixit Jehova, & in [45] reſiduis quos Jehova vocaverit.

[26] oratio pro peccatorum remiſſione unicum finem proponit, gloriam Dei tum in Eccleſia, tum coram gentibus omnibus aſſerendam: ut Exodi 32.12. Numer. 14.13. & ſequentibus, Pſal. 115. & alibi paſſim. [27] videlicet quũ Eccleſia tota fuerit ad ſeriam hanc reſipiſcentiam adducta, cui Propheta nunc demùm conſilium Dei certiſſimum explicat, & oſtendit utens præterito ſe promiſſiones ſequentes à Deo accepiſſe. Hinc autem incipit ſecundus locus Propheticæ, nimirùm Dei miſerentis reſponſum, ut diximus verſu 3. hujus reſponſi partes in univerſum tres ſunt; enarratio promiſſionum Dei erga Eccleſiam, hoc capite; enarratio judiciorum contra adverſarios pro Eccleſia, capite 3. uſque ad verſum 18. & concluſio ſummam earumdem promiſſionum continens, ad finem uſque. Promiſſionum autem duo ſunt genera: nam prior temporalis eſt, de liberatione ab eo judicio quod antè fuerat denunciatum, uſque ad verſ. 28. poſterior verò ſpiritualis & æterna in Evangelio Chriſti, ad finem uſque capitis.

[28] id eſt, ſtatuit uti & uſurum eſſe narravit mihi. [29] prolepſis ſive propoſitio ſumma promiſſionum Dei temporariarum, quarum prior pars de inopia tollenda & conferenda copia exponitur uſque ad verſum 26. poſterior, de tollendo opprobrio & aſſerenda gloria ſua & populi, verſ. 26. & 27. [30] id eſt, exercitus animalium iſtorum partem quam in Aquilonem à regione veſtra depulſurus ſum: ſenſus eſt, planè vos animalibus iſtis liberabo, eáque depellam procul à vobis in quatuor cæli plagas, partim Aquilonem, partim Meridiem, partim Orientem, partímque Occidentem verſus. [31] id eſt, Meridianum, ubi eſt deſertum illud horrendum de quo Deuteron. 8. [g] *Hebr. faciem ejus* [h] *Hebr. finem ejus*. [32] vide Deuteron. 11. 24. [i] *Hebr. magnificet faciendo: ſic verſ. ſequent.* [33] exornatio præcedentis promiſſionis per gradationem, tribus verſibus. [k] *Hebr. in juſtitia*. [34] id eſt, tanta erit vini oleíque copia, ut in ipſas quoque plateas exundent torcularia: hyperbole; ut infrà 3. 13. [35] altera pars promiſſionum temporariarum, ut diximus in verſum 19. [l] *Hebr. fecerit vobiſcum mirificando.* [36] ſecundum genus promiſſionum, videlicet ſpiritualium, ut diximus in verſum 18. ad quas tranſitur ex temporalium promiſſionum argumento; prout ſolitus eſt Deus à rebus corporalibus ad ſpirituales populum manu ducere, & eodem ordine per Prophetas informare. [37] id eſt, de ſpiritu meo, ſynecdochicè: ut interpretatur Petrus Actor. 2. 17. [38] id eſt, habebunt divinas revelationes, ut ex iis prophetent; nam duo illa fuerunt olim revelationum genera, Numeror. 12, 6.

[39] promiſſionis ſpiritualis Dei partes ſunt duæ; una, benedictionum quibus perfundit ſuos, præcedente verſu; altera, terrorum & judiciorum quibus percellit & perturbat impios ad defenſionem Eccleſiæ, uſque ad verſum 32. ex quo conficitur ſalutem Dei ad electas tantùm reliquias perventuram eſſe exſerto capite diem Jehovæ exſpectantes, verſu ultimo. [40] id eſt, omnia horrenda iræ divinæ documenta cùm in terra, hoc verſu; tum etiam in cælo, verſu ſeq. ὑστερον πρότερον, pro eo quod eſt, miſcebuntur omnia, in terris quidem ferro & flamma, in cælo verò portentis horridiſsimis. [41] id eſt, obſcurabitur, ut exponitur infrà 3. 15. [42] id eſt, maniſeſtiſsima erit adminiſtratio hæc effectióque judiciorum Dei toto tempore Evangelii, donec pateſiat Dominus Jeſus de cælo cum angelis potentiæ ſuæ, flammeo incendio inflicturus ultionem iis qui non noverint Deum, & ſe glorificaturus in ſanctis ſuis: ut loquitur Apoſtolus 2. Theſſ. 1. [43] i. fide coluerit, & ipſum in anguſtiis ſuis oratione fidei acceſſerit. [44] Deut. 30. ubi ſingulæ hujus promiſſionis partes evidentiſsimè proponuntur, & à prophetis repetuntur paſsim. [45] Judæorum adunatorum in Chriſto, & cum gentibus in unum gregem & unum ovile coëuntium, ut docent ſeq.

CAPUT III.

1 [1] NAm ecce diebus illis & tempore illo; quo [2] reducam captivam multitudinem Jehudæ & Jeruſchalaimorum,

2 [3] Congregabo quoque omnes gentes, & deducam eas [4] in convallem Jehoſchaphati; ut diſceptem cum eis ibi pro populo meo & poſſeſſione mea Jiſraële, quòd diſperſerint *eum* per gentes, & terram meam partitæ fuerint,

3 Et in populum meum [5] projecerint ſortem; expoſuerintq; puerum [6] pro meretrice, & puellam vendiderint pro vino quod biberent.

4 [7] Quin etiam quid [a] vobis mecum, Tyre, & Tzidon, & omnes termini Palęſtinæ? [8] an retributionem rependitis mihi? & an retribuitis mihi? [b] velociſſimè reddam retributionem veſtram in caput veſtrum:

5 [9] Qui argentum meum & aurum meum capitis, & deſiderabilia mea optima infertis in templa veſtra:

6 Et filios Jehudæ, filiosq; Jeruſchalaimorum venditis filiis Græcorum; ut longè abigatis eos à termino ſuo.

7 Ecce ego excitaturus ſum eos è loco ipſo quo *abducendos* vendidiſtis eos; ut reddam retributionem veſtram in caput veſtrum:

8 Vendam enim filios veſtros & filias veſtras *tradens* in manum filiorum Jehudę, qui vendent eos [10] Sabæis *abducendos* in gentem longinquam: quum Jehova loquutus fuerit.

[1] Secunda pars reſponſi, enarratio judiciorum Dei in adverſarios Eccleſiæ, ut dictum eſt ſuprà 2. 18. qua primùm judicium in gentes adverſarias generatim proponitur, tribus verſibus, deindè conteſtatio adhibetur, verſibus quinque; tum exornatio per hypotypoſin militarem & hyperbolicam, à verſu 9. ad 17. poſtremò finis judiciorum iſtorum oſtenditur, verſu 17. [2] id eſt, Eccleſiam liberabo, inſtauraboq;. [3] id eſt, ſiſtam, velut judex, omnes adverſarios coram me & coram cœtu Eccleſiæ. [4] id eſt, in conſpectum totius Eccleſiæ meæ, quemadmodum convallis Jehoſchaphati (quæ nomen habuit à victoria inſigni, de qua 2. Chron. 20.) ſita erat proximè Jeruſchalaima in conſpectu urbis ipſius; ſic oſtendit Deus ſanctos mundum judicaturos eſſe, 1. Corinth. 6. 2. ſumto typo ex conſtitutione veteris Eccleſiæ, quæ definiebatur Tzijone & Jeruſchalaimis: ut Propheta dixit ſuprà 2. 32. [5] id eſt, ſortitione facta impiè ſibi arrogaverint dominum in ſervos meos, & eos alienaverint arbitratu ſuo, adeóque libidine; ut ſequentia verba oſtendunt. [6] id eſt, ignominioſiſsimè, pretio viliſsimo & ſordidiſsimo addixerint meos. [7] conteſtatio, ut diximus in verſum 1. qua Propheta gentes aliquot propinquas nominatim perſtringit, & judicium generale in die illo futurum confirmat prædictione judiciorum ſingularium quæ propediem erant gentibus illis ſuperventura. Nam hæc eadem judicia ſub idem tempus copioſiùs prophetavit Jeſchahja 15. & 23. [a] *Heb. vos mihi.* [8] i. an vos ullo pacto antè offenderam, ut offenſam acceptam retalietis mihi? imò provocatis me nihil tale à vobis meritum, ut rependam vobis maleficia veſtra. [b] *Heb. levis feſtinatione.* [9] ætiologia denunciationis præcedentis, per congeriem criminũ quæ tunc temporis Syri contra Judæos perpetrabant, atq; Peliſchthæi: quorum hi irruentes in Judæam depopulabantur omnia & captivos abducebant, quos Tyriis Tzidoniiſq; venderent, 2. Chron. 28. 18. illi verò, ut mancipia miſerrima, emtitios ſervos in regiones longinquas deportabant, ut ſervituti perpetuæ mancipárentur, præciſa ſpe reditus aut redemtionis. [10] poſteris Schebæ emporia celeberrima in Arabia fælice obtinentibus, Gen. 10. 7.

9 [11] *Quum dixerit*, proclamate hoc in gen-
tibus, [c] indicite bellum; excitate potentes,
appropinquent, ascendant omnes [d] bellato-
res;
10 [12] Tundite ligones vestros in gladios, &
falces vestras in spicula; qui debilis est [13] dicat,
potens sum;
11 Coite & convenite omnes gentes undiq;,
quumq; congregati fuerint: [14] illùc fac, Jehova,
ut descendant [15] potentes tui.
12 [16] Excitabuntur & ascendent gentes istæ
[17] in convallem Jehoschaphati: nam ibi se-
debo ad judicandum omnes istas gentes un-
diquè,
13 [18] *Dicens*, [19] immittite falculam, nam ma-
turuit messis: venite, descendite, quia plenum
est torcular, plateas perfundunt torcularium la-
cus, nam ampla *est* malitia istorum.
14 [20] Multitudines [e] passim *erunt* in convalle
[21] concisionis: quum [22] propinquus *fuerit*

[11] hypotyposis (ut diximus in versum 1.) à re militari, qua Deus primùm gentes ad bellum provocat per ironiam, ut Jeschah. 8. 9. & 10. deinde judicium suum illis tumultuantibus super venturum explicat, versu 12. & sequentibus. [c] Hebr. *sanctificate*. [d] Heb. *viri belli*. [12] pro eo quod est, omnia in usus bellicos convertite, etiam quæ ad præsentem vitam inprimis sunt necessaria: ut contrà pax permutatione instrumentorum militarium in rustica denotatur, Jeschah. 2.4. & Micæ 4.3. [13] id est, ita confirmet animum suum, ut solent milites inhiantes prædæ; qui ut infirmi sint, tamen proposita præda efficiuntur alacriores. [14] apostrophe ad Deum, qua precatur Propheta ut judicium illud fiat quod in sequentibus prædicitur. [15] sancti, angeli & homines, judiciorum Dei administri. [16] responsum Dei annuentis optatum postium superiore versu. [17] ut suprà versu 2. [18] potentibus suis, de quibus versu 11. [19] id est, dimittite istas gentes, & calcate: allegoriæ, judicium Dei operarumq; ministerium graphicè exprimentes: ut Matth. 13. [20] id est, strages tanta erit, ut passim compareant cumuli coacervati cadaverum: allegoria significans infinitam fore reproborum multitudinem. [e] *Hebr. multitudines.* [21] anticipatio, qua Propheta convallem Jehoschaphati nominat convallem concisionis, ab argumento hujus prophetiæ: quemadmodum ab argumento historiæ antegressæ nominatam fuisse monuimus convallem Jehoschaphati, suprà in ver. 2. [22] id est, appropinquaverit, advenerit.

dies Jehovæ, in convalle concisionis.
15 Sol & Luna obscurabuntur, & stellæ recipi-
ent splendorem suum.
16 Quum Jehova è Tzijone [23] rugiet,
& ex Jeruschalaimis edet vocem suam, tum
commovebuntur cæli & terra: nam Jeho-
va receptus *est* populo suo, & robur filiis Jis-
raëlis.
17 Ita agnoscetis me Jehovam Deum ve-
strum esse, habitantem Tzijone monte sanctita-
tis meæ: eritq; urbs Jeruschalaimorum [f] san-
cta, & [24] extranei non transibunt per eam am-
pliùs.
18 [25] Erit autem die illo, stillabunt montes
ipsi mustum, & colles [g] diffluent lacte, & omnes
alvei Jehudæ diffluent aquis: & [26] fons è domo
Jehovæ prodibit, qui irrigabit [27] vallem cedro-
rum lectissimarum.
19 Ægyptus desolationi erit, Edomeaq; in
desertum [h] desolatissimum erit: propter violen-
tiam [l] in filios Jehudæ, in quorum terra effude-
runt sanguinem innocentum:
20 Jehuda autem in seculum permanebit, &
Jeruschalaima in [k] quamque generationem.
21 Ubi mundabo [28] *eos* quorum sanguinem
non mundabam, [29] *ego* & Jehova habitans Tzi-
jone.

[23] vide Jirmeja 25.30. [f] Hebr. *sanctitas*. [24] id est, non intrabit in Ecclesiam Christi quidquam quod inquinet, &c. ut Apocal. 21. 27. [25] conclusio summatim repetens promissiones antecedentes Dei, quæ per allegoriam hoc versu enunciatæ sequentibus explicantur. [g] Hebr. *illuvies sic paulo post*. [26] ut Jechezk. 47.1. & Apocal. 22.1. [27] id est, Ecclesiam, in qua justi plantati crescunt ut cedri lectissimæ: vide Psalm. 92. 13. [h] *Hebr. desolationis.* [l] *Hebr. filiorum.* [k] *Hebr. generationem & generationem.* [28] id est, gentes in Ecclesiam cooptatas, quæ priùs erant mortuæ in offensis & peccatis suis, absque Christo, alienæ à Republica Jisraëlis, extraneæ à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo, Ephes. 2. [29] verba sunt Dei Patris loquentis de Filio Jehova, qui manet in nobis & nos in illo, & in quo Pater nos purgat ut feramus fructum.

HAMOS.

HAMOS.

ARGUMENTUM.

LIBER *Hamosi Prophetæ versatur in prophetico documentorum genere; primùm enim hostibus Ecclesiæ, Dei judicia superventura prædicat; deinde Judæos & Jisraëlitas idololatriæ, inhumanitatis, & luxus nomine reprehendens severissimè, ostendit eos proptereà divinitùs castigatum iri, & regnum utrumque perditum: quod postquàm aliquot typis illustravit, tandem prophetiam concludit Evangelicis promissionibus.*

CAPUT I.

Deus prænunciato terræ motu & fame, Syris, Pelischthæis, Tyriis, Edomæis, Hammonitis, Moabitisq; prædicit superventura judicia sua propter injurias Ecclesiæ factas: deinde Judæis & Jisraëlitis propter contemtum sui, legisq; & cultus corruptionem & abdicationem, ostendit se ab iis pœnas repositurum esse bellicis cladibus & deportatione.

1 VERBA Hamosi [1] qui fuit in-
ter pecuarios, [a] [3] Tekohani:
quæ vidit de Jisraële tem-
poribus Huzzijæ regis Je-
hudæ, & temporibus Jarob-
hami filii Joaschi regis Jis-
raëlis, biennio ante [4] motum
terræ.
2 [5] Dixit ergo, [6] Jehova è Tzijone rugiet, & è
Jeruschalaimis edet vocem suam; quandoquidē
[7] luxerunt habitacula pastorum, & aruit prestan-
tissimum arvorum.
3 [8] Sic ait Jehova, [‖] [9] propter tres defectiones
[10] Damasci, etiam propter quatuor non avertam
[11] istud, eo quòd [12] trituraverint tribulis
ferreis [13] Gilhadem:
4 Sed immittam ignem in domum [14] Cha-
zaëlis, qui consumet palatia [15] Ben-hadadi:
5 Et [16] confringam vectem [17] Damasci, ex-
scindamq; habitatorem è [18] convalle Avenis, &
[19] tenentem sceptrum è [20] domo Hedenis: mi-
grabuntq; populus Syriæ in [21] Kirum, ait Jehova.
6 [22] [‖] Sic ait Jehova, propter tres defectiones
Hazzæ, etiam propter quatuor, non avertam
istud; eo quòd [23] deportaverint hos [24] deportati-
one perfecta tradendos [25] Edomęis:
7 Sed [26] immittam ignem in murum Haz-
zæ, qui consumet palatia ejus:
8 Et exscindam habitatorem ex Aschdodo,
& tenentem sceptrum ex Aschkelone: convertā-
q; manum meam contra Hekronem, & peribunt
[27] reliquiæ Pelischthæorū, ait Dominus Jehovi.
9 [28] [‖] Sic ait Jehova, propter tres defectiones
Tyri, etiam propter quatuor, non avertam istud:
eo quòd [29] tradiderint *hos* deportatione perfecta
Edomæis, neq; sint recordati fœderis [b] [30] fraterni:
10 Sed immittam ignem in murum Tyri, qui
consumet palatia ejus.
11 [31] [‖] Sic ait Jehova, propter tres defectio-
nes Edomi, etiam propter quatuor, non avertam
istud, eo quòd [32] persequatur gladio [33] fratrem
suum corrumpens miserationes suas, [34] discerpat-
q; in perpetuum ira ejus, & furor ejus observet
in æternum:
12 Sed immittam ignem in [35] Themanem,
qui consumet palatia [36] Botzræ.
13 [37] [‖] Sic ait Jehova, propter tres defectio-
nes [c] Hammonitarum, etiam propter quatuor, nō
avertam istud; eo quòd [38] diffiderint gravidas
Gilhadis, [39] ut dilatarent terminum suum:

[1] Etsi hujus prophetiæ tempus aliqua ex parte hoc versu circūscribitur, tamen quod pleriq; omnes terræ motum hunc referunt in eum ipsum annum quo Rex Huzzija elephantiasi affectus est, minimè firmum esse cogitamus, tum quia non aliud fundamentum habent quam locum Jeschahjæ 7.8. prout in eumdem locum observavimus, tum verò quia illustriùs potuisset Propheta tempus illud plaga Huzzijæ quàm terræ motu denotare: quorum alterum in libro Regum & Chronicorum exponitur luculentissimè, alterum reticetur planè. Hoc autem in Propheta, & quidem tam populari quam hic noster est, vacare obscuritatis vitio minimè videretur. Quòd si divinare licet, nobis videtur esse verisimilius terræ motum hunc mortuo Jarobhamo exstitisse, quum inciperent omnia in regno Jisraëlitarum fervere conspirationibus & cruentis cædibus, quæ ab Hoschеha exprobrantur passim, quasi terra ipsa Deo ductore tam atrocia confertaq; scelera perhorresceret; ac proinde Hamosum hunc nostrum putamus incepisse paulò ante mortem Jarobhami anno quasi 37. Huzzijæ qui fuit Jarobhami (ut vulgò loquuntur) penultimus: nam eadem planè de Jisraëlitis prædicit & narrat quæ ab Holcheha & Joële prædici antè ostendimus; si hoc exceperis, quòd Joël famem Judæorum narrat, hic verò etiam Jisraëlitarum, quæ dicitur versu 2. & immissa narratur infrà capite 4.7. Est autem in hoc versu generalis inscriptio totius libri; prima verò prophetia duobus capitibus quæ nos copulavimus continetur. [2] vide infrà 7. 14. & sequentibus. [a] *Heb. è Tekoha.* [3] ac proinde oriundi è Jehudæa, & inquilini in regno Jisraëlis: quò spectant verba Amatzjæ infrà 7. 12. [4] de quo Zecarjæ 14. 5. [5] prophetia hæc tres partes universè continet: prima est, prædictio terræ motus paulo pòst eventuri, ut esset tamquam tessera reliquarum prophetiarum quas in longinquum prædicturus erat Hamos, hoc versu; secunda est prædictio in gentes aliquot exteras, toto capite; tertia, in Jehudam & Jisraëlem capite sequente. [6] id est, voce sua personabit & movebit terram: quæ verba specialim hoc loco de terræ motu dicta accommodat in universum Joël effectioni judiciorum Dei, Joël, 3.16. [7] id est, pascua & arva torrefacta sunt, & advenit fames, de qua infrà 4. & Joël 1. & 2. metaphora prosopopœetica: hanc autem famem à Joële dictam præcessisse ostenditur infrà 4. evidentissimè. q. d. quandoquidem hac proximè præcedente plaga non resipuistis, ut infrà 4. 11. [8] secundus hic locus prophetiæ sex nationibus Judææ & Jisraëli conterminis sua judicia prænunciat, de quibus ferè omnibus apud alios quoque Prophetas agitur; & judiciis singulis suas attribuit causas ad Ecclesiam Dei spectantes. Hæc autem judicia extera ideò præmittit domesticis, quòd voluit Deus exterorum exemplo apud suos expergefactos auctoritatem suam justitiamq; asserere, quam in aliis demonstrari & in se ipsis dissimulari æquo animo pertulissent: tum etiam quòd eadem ratione conciliata est Prophetæ gratia atque auctoritas; antequam domesticis ventura mala prædicaret. [‖] *Jeschah. 7.8.* [9] id est, propter quamplurimas: numerus finitus pro indefinito. Sensus est, si tantum aliquoties peccâssent Damasceni & Syri in Ecclesiam meam, averterem hæc judicia mea, & clementiam castigandis illis adhiberem: sed quum tribus peccatis quatuor adjecerint, & multis plurima, certum deliberatumq; est judicia mea in ipsis perficere. [10] id est, regni Syriæ, cujus caput erat Damascus, Jeschah. 7.8. synecdoche. [11] quod mox dicturus sum versibus 4. & 5. sic deinceps. [12] id est, gravissimis suppliciorum generibus affecerint: synecdochicè: nam tribulæ ferreæ adhibebantur ad afficiendos rebelles & contumaces supplicio ultimo, 2. Schemu. 12.31. Per quos autem gestum sit, exponit versu sequente. [13] id est, Jisraëlem sibi conterminum.

[14] qui plurimùm exagitavit & cruciavit Jisraëlem, 2. Reg. 10.32. & 13.18. ut prædixerat Elischah, 2. Reg. 8.12.
[15] filii Chazaëlis, qui imitatus patrem afflixit Jisraëlitas, 2. Reg. 13.3.
[16] id est, labefactabo munitiones, synecdochicè.
[17] id est, Damasceni tractus, sive Decapolitani: nā Syriam totam in tres partes hoc versu Propheta dividit.
[18] id est, tractu Chamathæ, qua Syria conjuncta erat desertæ Arabiæ: ubi Aveni am opidum statuit Ptolomæus.
[19] id est, Principem, περιφραστικῶς.
[20] id est, Cœle Syria, ubi opidum erat Heden, quod Græci vocârunt Paradisum.
[21] vide 2. Reg. 16.9.
[22] secunda prædictio extera in Pelischthæos, quorum satrapiæ quatuor hoc loco numerātur, quintam complectitur Propheta synecdochicè; vide Jehoschuh. 11.3. [‖] *Jeschah. 15. Joël. 3.4.* [23] ut exemplū habetur, 2. Chron. 21, 6. & seq. & exprobrat Joël 3.4. [24] i. ea deportatione, cui spes restitutionis omnis adimitur: ut Joël 3.6. sic infr. V. 9. [25] qui inde à Jorami tempore defecerant, 2. Chro. 21.10. & infensissimo in populum odio abrepti mancipia conficiebant durissima servitute. [26] i. perdam & profligabo Pelischthæam totam: vide Jeschah. 15. & 20. [27] videlicet quæcumq; reliquæ factæ fuerint ex superioribus judiciis per Chizkijam & Sancheribum administratis; vide Jirm. 25.20. & 47.4. [28] tertia prædictio extera. [‖] *Jeschah. 23. Joël. 3.4.* [29] nempè quum Chazaeli & Benhadado serviverunt populum Dei infestantibus. [b] *Heb. fratrum.* [30] quod iniverat cum Chiramo David, 2. Sche. 5. 11. & Schelomo religiosè coluerat, 1. Reg. 5.1. cujus respectu alter alterum appellabat fratrem, 1. Reg. 9.13. [31] quarta prædictio extera contra Edomæos. [‖] *Jeschah. 34.* [32] i. animo infensissimo necem Judæorum quærat (qui tamē sunt ejus necessarii) contra jus naturæ ab humanitatis officio, & contra fidē datam ab obsequio Judæorū discedentes, atq; cum hostibus sese conjungentes: ut exprobrat Hobadja V. 11. [33] ex posteritate Jahakobi, qui fuit Hesavi sive Edomi frater: sic Deut. 23.7. [34] i. nunquam non moliatur lacerationem populi vi aperta; & si quando vi non potest, intùs simultatem alat, quæ jam olim animo Hesavi parētis sui insederat, Ge. 27.43. [35] vide Jirm. 9.47. [36] vide Jesch. 34.6. [37] quinta prædictio extera. [‖] *Jirm. 49.* [c] *He. filiorū Hāmonis.* [38] i. omnes trucidaverint inhumanissimè; nemini, ac ne gravidis quidē & fœtui earū pepercerint. [39] vide Jirm. 49.1. contestationem ad argumentum hoc pertinentem.

14 Sed accendam ignem in murum [40] Rab-
bæ, qui conſumet palatia ejus: cum clangore die
belli, [41] cum procella die turbinis:
15 Et abibit Rex eorum in deportationem; ip-
ſe cum principibus ſuis ſimul, ait Jehova.

CAPUT II.

16 [42] [a] Sic ait Jehova, propter tres defectiones
Moabi, etiam propter quatuor, non avertam i-
ſtud; [43] eo quòd combuſſerit oſſa Regis Edomæ-
orum, [44] [d] ut calcem:
17 Sed immittam ignem in Moabum, qui
conſumet palatia [45] Kerijotharum; & morietur
in ſtrepitu Moab, in clangore, in ſono buccinæ:
18 Exſcindamq; judicem è medio ejus; &
omnes principes ejus interficiam cum eo, ait
Jehova.

[40] vide 2. Sche. 11.1. [41] allegoria figuratè illuſtrans calamitatem bellicam quæ ſuperioribus verbis expreſſa eſt. [42] ſexta prophetia extera. [a] Jeſchaiah 16. [43] i. eo quòd poſtquam à Jiſraële defeciſſet, 2. Reg. 1. tam pertinaciter ſeſe in odio Jiſraëlitarum confirmaverit, ut non tantū in Jiſraelitas ipſos; ſed in auxiliares quoque atrociſſimè ſævierit: quemadmodum vel hoc unum exemplum oſtendit, quòd Rex Moabitarum Kir-chareſethæ à tribus regibus obſeſſus eruptionem tentavit, & capiens filium Regis Edomæorum primogenitum qui regnaturus erat pro illo effecit ut frangeretur animus Edomæi, inſtitutaq; obſidio ſolveretur: qua ſoluta non tamen deſivit Moabita in Jiſraëlem, & auxiliares ſævire; ſed filium Edomæi captivum in holocauſtū obtulit: undè fervor magnus Edomæo, & ſemen defectionis paulò poſt ſequutæ enatum eſt, 2. Reg 3.25. & ſeq. [44] i. in holocauſtum, abſolutiſſimè. [d] *Heb. ad calcem.* [45] ut Jirm. 48.24.

CAPUT II.

[1] SIc ait Jehova, propter tres defectiones Je-
hudæ, etiam propter quatuor, non avertam
iſtud: eo quòd ſpernunt legem Jehovæ, & ſtatu-
ta ejus non obſervant, ſeducuntq; ipſos menda-
cia ipſorum, [a] quę ſequuti ſunt majores ipſo-
rum:
2 Sed immittam ignem in Jehudam, qui
conſumet palatia Jeruſchalaimorum.
3 [2] Sic ait Jehova, propter tres defectiones
Jiſraëlis, etiam propter quatuor, non avertam
[3] iſtud; [4] eo quòd [5] vendunt pecunia juſtum, &
egentem [6] pro pari calceorum,
4 [7] Qui anhelant in caput tenuium *dejecturi*
in pulverem terræ, & viam manſuetorum per-
vertunt; & vir ac pater ipſius accedunt ad *ean-
dem* puellam, ut profanent nomen ſanctitatis
meæ:
5 [8] Et ſuper veſtes in pignus acceptas incli-
nant *ſe* juxta omne altare; [9] vinumq; damnato-
rum bibunt in domo deorum ſuorum:
6 [10] Quamvis ego perdiderim Emoræum à
facie ipſorum, [b] cujus altitudo ſimilis *erat* altitu-
dini cedrorum, & robuſtus erat ut robora;
[11] perdiderimq; fructum ejus supernè, & radices
ejus infernè:
7 Et ego eduxerim vos è terra Ægypti; de-

[1] Præcedentem proximè prædictionem cum aliis fuiſſe conjūgendam omnes vident. Jam verò hoc capite (ut diximus ſuprà 1. 2.) Propheta ad domeſtica judicia tranſſilit, ut oſtendat ſi Deus exteros in Eccleſiam peccantes ita judicaturus eſt, multò æquius fore ut ipſius domeſtici & in ipſum peccantes judicentur, niſi audita judiciorum per Prophetas denunciatione expergiſcantur atque reſipiſcant. Diſtribuuntur autem domeſtici in familias duas, Jehudam, cui ſua prædictio fit duobus verſibus, & Jiſraëlem, indè à verſu 3. [a] *Heb. poſt quę iverunt.* [2] hæc prædictio contra Jiſraëlem primùm prolepſin continet peccatorum judiciorumque, principio verſus, deindè peccata narrat, uſque ad verſum 10. ac poſtremò judicia prædicit, ad finem uſque capitis. [3] quod prædicturus ſum verſu 10. & ſequentibus. [4] tria peccatorum genera Jiſraëlitis hoc loco exprobrantur, primum eſt inhumanitas & barbaries crudeliſſima, hoc verſu & ſequentis parte; ſecundum, impuritas maxima & inceſtus libidinoſiſſimi, altera verſus ſequente parte, tertium denique impia de peccatis gloriatio coram idolis, & pervicax idololatria, verſu 5. quæ crimina exaggerantur ſequentibus. [5] id eſt, jus omne pervertunt muneribus corrupti, contra legem, Exod. 23.6 & ſequentibus. [6] id eſt, pretio viliſſimo: ut infrà 8.6. [7] has voces obſcuriorem paulò ἱμεπλοκὴν habentes in Hebræo textu, evidentiæ cauſa tranſpoſuimus. [8] id eſt, de injuriis in proximum illatis, tamquam de re benè geſta, idolis ſuis gratulantur: qua in re duplex crimen erat, detentio & abuſus veſtis pigneratitiæ, Exodi 22.26. & 27. & impia coram idolis gratulatio. [9] id eſt, de ſpoliis eorum qui injuſtè damnati fuerint, epulum diis ſuis faciunt, palamq; inter ſe convivantur. [10] exaggeratio præcedentium criminum per comparationum rerum à Deo geſtarum tribus verſibus cum Jiſraëlitarum factis, verſu 9. Rerum autem geſtarum tres ſunt loci; exemplum judiciorum Dei in hoſtes quamvis potentiſſimos, hoc verſu; beneficium liberationis & poſſeſſionis datæ, verſu 7. ac poſtremò beneficium doctrinæ & cultus ſacri, verſu 8. [b] *Num. 13.28. & ſequent.* [11] id eſt, funditùs ſuſtulerim: allegoria.

duxerimq; vos per deſertum quadraginta annos,
ad poſſidendum hæreditario jure terram ipſius
Emoræi:
8 Et excitaverim è filiis veſtris Prophetas, &
ex juvenibus veſtris [12] Neziræos: [13] an verò
[b] non *eſt* ita, ô filii Jiſraëlis, dictum Jehovæ?
9 [14] At bibendum dediſtis Neziræis [15] vi-
num; & Prophetis interdixiſtis, dicendo, ne pro-
pheteris.
10 [16] Ecce ego preſſurus ſum locum veſtrum;
[17] quemadmodum premit plauſtrum quod [c] ple-
num eſt manipulis.
11 Itaque peribit effugium à levi; & robuſtus
non fortificabit vires ſuas, ac potens non libera-
bit [d] ſeipſum.
12 Et tenens arcum non conſiſtet, levisq; pe-
dibus ſuis non liberabit, neq; inſidens equo libe-
rabit ſeipſum:
13 Sed fortis [e] animo inter potentiſſimos;
[18] nudus fugiet die illo, dictum Jehovæ.

[12] id eſt, homines voluntariè operam ſuam in cultu meo conſumentes ex legis præſcripto, Numer. 6. [13] conteſtatio vehementiſſima, ad verberandam graviùs Jiſraëlitarum conſcientiam. [b] *Heb. non hoc.* [14] alterum membrum συγκρίσεως ad exaggerationem pertinentis, ut diximus in V. 6. quo Propheta per ὑπόφορσιν objectionibus reſpondet præcedentis verſus. [15] contra legem Num. 6.4. q.d. neq; ipſi auſcultatis Domino, neq; ſervos ipſius parere ei ſinitis: ut poſteà ipſi Hamoſo factum eſſe legimus cap. 7. [16] prædictio judiciorum Dei, ut diximus ſuprà in verſ. 3. quæ primùm ſimilitudine figurantur, hoc verſu; deindè apertè enunciantur, reliquis. [17] i. triturabo vos violentiſſimè; adeò ut quemadmodum manipulus tritici preſſus plauſtro onuſtiſſimo ſingula grana ejicit, ita vos omnes ejiciat locus veſter; nec tantùm ejiciat, ſed in eo ipſo comminuamini. [c] *Heb. plenum ſibi.* [d] *Heb. animam ſuam; ſic V. ſeq.* [e] *Heb. corde ſuo.* [18] i. ſi qui non comminuatur planè, ſaltem vitam ſuam ſolummodò ſpolii loco reportabit, ſimilis grano tritici, quod trituratione non comminuitur quidem; ſed ex gluma folliculóque ſuo decuſſum exſilit.

CAPUT III.

Deus Jiſraëlitis benificentiam ſuam paternam exprobrans, pœnas denunciat, eo quòd deficientes ab ipſo prædæ ſe expoſuerint, & judicia ipſius peccatis acceſſiverint: itaq; Prophetam probans ab utilitate prophetiæ ad Eccleſiam (ſi reſipiſcat) perventura, & à neceſſitate ipſi impoſita, alios Prophetas hortatur, exterosq; teſtes appellat iniquitatum populi, & clades à domeſticis exteriſq; ſuperventuras prædicit.

[1] AUdite verbum hoc quod loquitur Jehova
contra vos, filii Jiſraëlis; contra [2] totam
familiam illam quam eduxeram è terra Ægypti,
dicendo,
2 [3] Solummodò vos [4] agnoveram ex omni-
bus familiis terræ: [5] idcircò animadvertam in
vos omnes inquitates veſtras.
3 [6] An ambulaturi eſſent duo unà, niſi con-
venirent?
4 [7] An rugiturus eſſet leo in ſylva, ſi præda
nulla *adeſſet* ei? an editurus eſſet juvenis leo vo-
cem ſuam è luſtro ſuo, niſi ſi [8] capturus eſſet?

[1] Hujus concionis tres ſunt omninò partes; exordium, hoc verſu; propoſitio prophetiæ, uſque ad verſum 9. & prophetiæ enarratio, ad finem uſque. [2] id eſt, totam gentem Jiſraëlitarum, in duo regna Jehudæ & Jiſraëlis laceratam. [3] brevis propoſitio argumenti quod prophetia hac continetur, per comparationem paternæ illius beneficentiæ anteactæ Dei cum ingratiſſimis Judæorum iniquitatibus, in quas Deus ſe juſto judicio animadverſurum profitetur: cui ſubjicitur primùm exornatio per comparationes elegantiſſimas, tribus verſibus; deinde occupatio factum Prophetæ aſſerens, tribus alteris. [4] id eſt, elegeram mihi in peculium præ omnibus aliis populis, & fueram curator veſter, Exod. 19. 5. & Deut. 4.20. [5] videlicet quia vos gratioſè aſſumti à me in omnem iniquitatem prolabimini. [6] exornatio illuſtrans propoſitionem præcedentis verſus, videlicet Deum qui priùs ipſos curaverat, & cum ipſis ambulaverat cum ſignis aſpectabilibus, tum re ipſa atque opere, non poſſe aſſentari & convenire ampliùs cum ipſis; ſed animadverſurum eſſe: quam propoſitionem Propheta illuſtrat gradatim tribus comparationibus: prima eſt, à viatoribus iter ſimul facientibus; qua exponit Deus non ampliùs poſſe ſibi cum Jiſraëlitis convenire hoc verſu: ſecunda, non modò non convenire, ſed jámque Deum ut leonem infeſtum minari necem Jiſraëlitis, eo quòd ipſi non ampliùs agnoſcantur ab illo, ſed peccatis ſuis effecerint ut prædæ judiciiſque acerbiſſimis exponantur, verſu ſequente; tertia, nullo jam labore, nulla contentione opus eſſe, ut intercipiatur præda; ſed omnia jamq; providentia Dei eſſe comparata, & ipſos ſibi laqueum induiſſe ex quo minimè ſe erepturi ſint, verſu 5. [7] i. an Deus minas intonaret contra vos, ſi animadverteret vos ea conditione eſſe qua debetis, ac non potiùs in prædam abire peccatis veſtris? ſic accommodandum eſſe rugiendi verbum oſtenditur, ver. 8. [8] i. haberet animum capiendi, & rapiendi prædam viſam & rugitu conſternatam.

5 [9] An casura esset avis in laqueum [a] humi-
lem, si tendicula non *adesset* ei? an elaturus esset
ancepi laqueum e terra, si [b] prorsus non capitu-
rus esset?
6 [10] Quum [11] clanxit buccina in civitate, si
populus [12] trepidè non accurrerint; ah erit
[13] malum in civitate quod Jehova non effici-
at?
7 [14] Non enim facit Dominus Jehovi quic-
quam, nisi quum revelaverit secretum suum ser-
vis suis Prophetis.
8 Leone rugiente quis non timeat? Domino
Jehovi edicente [15] quis non prophetet?
9 [16] Promulgate in palatiis Aschdodi, & in
palatiis in terra Ægypti; & dicite, colligite vos
per montes Schomronis, & videte vexationes
plurimas in [c] ea, & oppressos in ea.
10 Ut ignorent facere rectum, dictum Jeho-
væ; qui thesauros faciunt violentiæ & vastatio-
nis in palatiis suis.
11 [17] Idcircò sic ait Dominus Jehovi, [18] ho-
stis, etiam qui circumstat hanc terram; is deji-
ciet a te [19] robur tuum, & diripientur palatia
tua.
12 [20] Sic ait Jehova; quemadmodum eripit
pastor ex ore leonis ambo crura aut particulam
[d] auritam; [21] ita eripientur Jisraëlitæ, [22] qui
desident Schomrone in latere lecti, & in crure
spondæ.
13 [23] Audite & testificamini in domo Ja-
hakobi, dictum Domini Jehovi Dei exerci-
tuum,
14 [24] Quo die animadvertam defectiones
Jisraëlis in ipsum; me animadversurum quoque
in altaria Beth-elis, adeò ut exscindantur cor-
nua altaris, & cadant in terram:
15 Et percussurum domum [e] hyemalem cum
domo [f] æstivali: denique perituras domos [g] ebur-
neas, & defecturas domos amplas, dictum Je-
hovæ.

9 id est, putaretisne vos fortuitò oppressum iri & irretitum calamitatibus? non autem providentia Dei effici ut judiciis ejus irretiremini, tamquam laqueis aviculas? imo verò, inquit, proptereà Deus efficit, & per Prophetas prædicit effecturum, ut cognoscatis omnia hæc agi sapientissima administratione ejus. Nam quemadmodum avis, ne minima quidem, laqueo decipitur, neque cadit humi sine Patre nostro, Matth. 10. 29. ita etiam ac multò minus casuri essetis, aut ipse laqueum e letitus sine maxima providentia sua, consilióque sapientissimo.
a Hebraicè, terræ.
b Hebraicè, capiendo.
10 secundus locus exordii, quo amolitur Deus invidiam a Propheta suo, quam apud populum odiosi hujus argumenti nomine fuisset susceptaurus, duobus modis: primùm enim ostendit se populo suo de vigilibus prospexisse, qui voce veluti tuba Ecclesiam moneant afflictiones maximas a Deo ipso, nisi auscultet, subituram: quod argumentum est ab utilitate Ecclesiæ, hoc & sequente versu: deinde ostendit, ut nullus ex populo audiat, Prophetas tamen ad prophetandum Dei auctoritate cogi: quod argumentum est a necessitate functionis, vers. 8. 11 per ministerium prophetarum, qui sunt speculatores Ecclesiæ dati, Jechezk. 3. 12 i. non convolaverint ad significationem voluntatis Dei, cui tamquam imperatori summo parendum est. 13 id est, afflictio: ut Jeschah. 45. 7. 14 ætiologia præcedentis versus, Deum nolle populum suum inopinantem opprimere, sed longo intervallo sanctis præmonitionibus cavere ipsi per Prophetas suos, ut promissis revocentur & contineantur in bono, minis a malo deducantur, Jirme. 18. 7. & sequentibus. 15 quasi dicat Hamos, ac proinde qua fronte ego, utcumque tenuis fuerim & misellus pecuarius, possem a prophetia quam Deus mihi imperat abstinere? sic 1. Corinth. 9. 16. 16 apostrophe ad Prophetas, ut non ipsi tantùm judicent, sed vel exterorum & alienissimorum a Deo hominum judicia adhibeant qui de Jisraële cognoscant. Est autem hic prior pars ἐργασίας sive exornationis pertinentis ad propositionem versus 2, amplificans iniquitatem Jisraëlitarum ab ipsarum gentium exterarum testificatione: tam crassa (inquit) sunt peccata vestra, ut vel ipsi Pelischthæi atque Ægyptii ea tamquam manibus palpare possint. Quamobrem illos Dei verbis appello testes & judices impuritatis vestræ, siquidem vos ultrò non afficimini malefactorum vestrorum conscientia. c Hebraicè, in medio ejus. 17 altera pars ἐργασίας judicium Dei peccatoribus superventurum explicans, duobus versibus; & ampliùs explicari jubens a Prophetis, versu 13. & sequent. 18 id est, inimicus tuus, administer judiciorum Dei, neque tantùm extraneus, sed etiam domesticus qui intra tuos terminos habitat, comparatus est ad perdendum te: nam Jisraëlitæ primùm intestinis bellis attriti, deinde exteris profligati sunt; vide 2. Reg. 15. & duobus sequentibus. 19 quo thesauros violentiæ & vastationis accumulas. 20 ἐργασία denunciationis præcedentis per rusticam & pastoritiam similitudinem, quam ex arte sua petivit Hamos, ut alias ferè omnes. d Hebraicè, auris. 21 id est, perpaucæ reliquiæ conservabuntur ex plebe tenuissima. 22 id est, qui nunc sunt tam molles & omni luxu diffluunt: ut ampliùs ostendit versu 15. 23 apostrophe ad Prophetas, ut diximus in versum 11. 24 id est, me propter ipsorum idololatriam & luxum, tum religiosa ipsorum loca, hoc versu; tum opera omnia magnifica labefactaturum esse, versu sequente. e Hebraicè, hyemis. f Hebraicè, æstatis. g Hebraicè, eboris.

CAPUT IIII.

Deus Jisraëlitas increpans violentiæ, cædem & captivitatem futuram pronunciat: ostendit quamvis frequentibus gravibusq; malis ad resipiscentiam ipsos sollicitaverit, in obfirmatione perdurasse: ac propterea minis & promissionibus eos denuo ad se revocat.

1 Audite verbum istud, [2] vaccæ Baschanis,
quæ *estis in* montanis [3] Schomronis, quæ
opprimitis tenues, quæ confringitis egentes;
[4] quæ dicitis [5] dominis illorum, affer ut [6] biba-
mus.
2 [7] Jurat dominus Jehovi per sanctitatem
suam, quod ecce dies superventuri sunt vobis;
quum tollet vos [8] aculeis, & posteritatem ve-
stram hamis [b] piscatoriis,
3 Et [9] *per* rupturas exibitis [10] quæque e re-
gione sui, ac abjicietis [11] quæ *erunt* in palatio,
dictum Jehovæ.
4 [12] Ito [13] Beth-elem & deficite, Gilgale au-
gete [c] defectionem, & afferte unoquoque ma-
nè sacrificia vestra [d] [14] tertio quoque anno ple-
no decimas vestras;
5 Et [15] adolendo e fermentato [e] eucharisti-
cum, etiam indicite sacrificia [16] voluntaria,
[f] [17] inclamate: siquidem ita amatis [g] Jisraëlitæ,
dictum Domini Jehovi:
6 [18] Nam etiam ego dedi vobis munditiem
dentium in omnibus civitatibus vestris, & pe-
nuriam cibi in omnibus locis vestris; nec tamen
conversi estis ad me, dictum Jehovæ:
7 Etiamq; ego cohibui a vobis [19] imbrem,
[20] quum adhuc tres menses *superessent* ad messem,
& demisi pluviam super civitatem unam, super
civitatem verò alteram non demisi pluvi-
am: portio una compluta est, & portio [21] quæ
non scivit pluviam descendere super se exa-
ruit:
8 Ita evagabantur duæ, tres civitates ad ci-
vitatem unam ut biberent aquas, neque satura-
bantur; tamen non estis reversi ad me, dictum
Jehovæ.
9 [22] Percussi vos uredine, & rubigine; au-
gentibus hortis vestris & vineis vestris, ficubusq;
vestris, & oleis vestris; *ea* consumsit eruca;
nec tamen reversi estis ad me, dictum Jeho-
væ.
10 Misi in vos pestem [h] [23] pro ratione

1 Hujus concionis partes sunt quatuor; exordium, vers. 1. propositio judicii, v. 2. & 3. confirmatio inde ad versum 12. & conclusio ad tempestivam resipiscentiam Jisraëlitas revocans, duobus ultimis.
2 i. Jisraëlitæ refractarii, & similes juvencæ refractariæ, quæ opimo Baschanis pascuo saginata impatiens est jugi, petulca, & ferox: sic Hosch. 4. 16.
a Hebraicè, monte.
3 id est, regni Jisraëlitici cujus caput fuit Schomron, Jeschah. 7. 9.
4 id est, vos qui non tantùm infirmiores opprimitis ipsi, sed etiam alii alios adhortamini ad omnem violentiam & oppressionem, ut de miserorum spoliis inter vos epulemini.
5 id est, potentioribus, abutentibus contra infirmiores potentia sua, ut injustè dominentur ipsis.
6 id est, convivia de rapto agitemus, synecdochicè: vide Gen. 43. 34. 7 propositio, ut diximus superiore versu. 8 id est, hamis aculeatis, tamquam pisces: allegoria; ut 2. Reg. 19. 28. b Hebraicè, piscationis. 9 id est, rumpentur & labefactabuntur munitiones vestræ, atque ita singuli per labes quasque obvias diffugietis. 10 respicit ad allegoriam vaccarum positam vers. 1. 11 id est, dona, thesauros, & res omnes carissimas, quas firmo loco asservatis studiosissimè. 12 confirmatio hæc prophetiæ duabus partibus continetur; adhortatione sarcastica, versu 4. & 5. quam diluit contraria planè conclusio versu 12. & narratione præcedentium castigationum, quibus nunquam effectum fuerat ut Jisraëlitæ se ipsos colligerent & converterentur ad Deum, versibus 6. sequentibus. 13 vide Hosche. 4. 15. & 12. 12. c Hebraicè, deficere. d Hebraicè, triade dierum, subaudi anni: vide Levit. 25. 29. 14 alludit ad legem Dei, Deuter. 14. 28. quam Jisraëlitæ in suo impuro cultu imitabantur: atque hoc pacto Propheta scelus illorum exaggerat, ut sequente versu. 15 ex ritu legis Levit. 7. 3. similes autem ironias, vide Jeschah. 29. 1. & Jirm. 7. 21. e Hebraicè, gratiarum actionem. 16 de quibus, Levit. 7. 6. f Hebraicè, facite ut audiamini. 17 id est, quam maxima voce orate deos vestros: sic 1. Reg. 18. 27. g Hebraicè, filii Jisraëlis. 18 altera pars confirmationis, ut diximus in versum 4. quod neque fame, hoc versu; neque siccitate, duobus sequentibus; neque vi majore (ut Jureconsulti vocant) & cæli injuria, versu 9. neque peste & bello, versu 10. neque opidorum & agrorum subversionibus, versu 11. ad Deum reversi sint. Famis autem exempla in Jisraëlitis habentur, Achabi tempore, 1. Reg. 17. & 18. & Jorami, 2. Reg. 4. 19 ut 1. Reg. 17. 20 id est, pluviam (ut Prophetæ vocant) serotinam alendis & maturandis frugibus necessariam. 21 id est, qua atrocitate peccatorum suorum avertit a se hanc Dei benedictionem. 22 Vide Joëlis 1. & 2. h Hebraicè, via: sic Jeschah. 18. 23 de qua Exod. 9.

Ægypti, interfeci gladio juvenes vestros [i] adjuncta [24] captivitate equorum vestrorum; feciq; ut ascenderet fœtor castrorum vestrorum etiam in nasum vestrum; nec tamen conversi estis ad me, dictum Jehovæ.

11 [25] Subverti ex vobis [k] prout subvertit Deus Sedomum & Hamoram, adeò ut fueritis similes torri erepto ab incendio; nec tamen conversi estis ad me, dictum Jehovæ.

12 [26] Idcircò [27] sic facturus sum tibi ô Jisraël: proptereà quòd hoc facturus sum tibi, [28] paratus adesdum obviam Deo tuo, ô Jisraël.

13 [29] Nam ecce formator montium, & creator venti, & [30] indicans homini quæ *sit* sua meditatio, [31] efficiens auroram [l] obscuram, & [32] proculcans excelsa terræ; Jehova Deus exercituum *est* nomine.

i Hebr. *cum captivitate.* 24 ut 2.Reg.5.2. 25 videlicet ante tempora Jarobhami secundi: vide 2.Reg.13.3. & sequentibus, & 14.26. k Hebr. *secundùm subversionem Dei Sedomum, &c. nam actionem significantia nomina constructionem verborum conjugatorum obtinent, ut Jeschah. 13.19.* 26 conclusio, ut diximus in versum 1. denuncians malum & ad resipiscentiam Jisraëlitas vocans, hoc versu, propter majestatem Dei quæ adumbratur sequente versu. 27 videlicet ut dictum est versu 2.& 3. 28 id est, vide ut tui tædeat te, & resipiscendo ad Deum tuum (quum nondum planè te abdicat) revertaris, ut antevertas faciem iratam ejus. 29 ætiologia. 30 ut supra 3.7. 31 vide Joëlis 2.2. id est, cælum & terram conturbans arbitratu suo. l Hebraicè, *obscuritatem.* 32 vide Deuteronom. 32.13. & 33.29. quasi dicat quem nullæ munitiones vestræ a perficiendo judicio suo averturæ sunt, sed vos ipsi amolitum mica resipiscentia.

CAPUT V.

Deus Judæis & Jisraëlitis ruinam pronunciat; ipsos ad pietatem revocat, abnuentibus exitium denunciat impietatis, superbiæ, inhumanitatis, luxusq; nomine: postremò juramento sententiam confirmans ostendit, fore gravissimam ruinam & ineluctabilem.

1 Audite verbum hoc, quod ego profero contra vos [a] [2] lamentabile, ô domus Jisraëlis.

2 [3] Cadit, non perget stare [4] virgo Jisraëlis; [5] deserta erit in terra sua, nemo eriget eam.

3 [6] Sic enim ait Dominus Jehovi, [7] civitas illa quæ procedit millenis, reliquos faciet centenos; & quæ procedit centenis, reliquos faciet denos, domui Jisraëlis.

4 [8] Nam sic ait Jehova domui Jisraëlis, quærite me, ita [9] vivite.

5 Et ne quæratis [10] Beth-elem, & Gilgalem ne adeatis, & [11] Beerschebahum ne transeatis: quia [12] Gilgalita [b] omnino migrabit, & Beth-elita [c] abibit in nihilum.

6 [13] Quærite Jehovam, ita vivite: ut non pervadat [14] velut ignis [15] domum Josephi, & consumat Beth-elitas, nemine exstinguente,

7 [16] Mutantes in absinthium jus, & justitiam [17] humi collocantes.

8 *Quærite* [18] opificem [19] Pleiadum & Orionis, qui & [20] mutat in matutinum [d] densissimam umbram, & diem nocte obtenebrat, [21] advocantem aquas maris, & effundentem eas in superficiem terræ, Jehovam nomine,

9 [22] Qui recreat se vastatione contra fortem, ut vastatio munitioni obveniat.

10 [23] Oderunt [24] in porta corripientem, & loquentem integrum abominantur.

11 Propterea, eo quòd calcaturam agitis contra tenuem, & onus frumenti accipitis ab eo, domos cæso lapide ædificastis, sed non habitabitis in eis; vineas [e] desideratissimas conseviistis, sed non bibetis vinum earum.

12 Quia novi multas defectiones vestras, & ingentia peccata vestra; affligentium justum, accipientium redemtionem, & egentes in porta pervertentium:

13 Idcircò [25] intelligens tempore illo [26] silebit, quum tempus mali erit.

14 [27] Quærite bonum, neque malum, ut vivatis: aderitq; ita Jehova Deus exercituum vobis, ut prædicatis.

15 Odio habete malum, & amate bonum, ac constituite in porta jus; [28] fortasse gratiam faciet Jehova Deus exercituum, [29] reliquiis Josephi.

16 [30] Idcircò sic ait Jehova, Deus exercituum, Dominus, [31] in omnibus plateis planctum, & in omnibus vicis dicent, heu, heu: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum cum peritis lamenti.

17 [32] Etiam in omnibus vineis *erit* planctus, quum [33] transibo in medio tui, ait Jehova.

18 [34] Væ [35] concupiscentibus diem Jehovæ: quorsum vobis diem Jehovæ? [36] tenebrarum *est*, [37] non autem lucis:

19 [38] Tamquam si cui fugienti a conspectu leonis occurrat ursus; aut [39] ingressum domum,

a Hujus concionis partes omnino sunt quatuor: exordium, vers. 1. propositio judiciorum Dei in Jisraëlitas, causarumq; ad ea pertinentium usque ad versum 18. confirmatio, usq; ad versum 8. capitis 6. & conclusio inde ad finem. a Hebraicè, *lamentationis.* 2 hac voce amolitur Propheta odium Jisraëlitarum, ostendens se dolore flebili in hoc ipso argumento affectum esse, ac non ullo carnali studio invehi in Jisraëlitas. 3 propositio hæc summatim primum judicium lamentabile Jisraëli super venturum proponit, duobus versibus; deinde verò enarrat, usque ad versum 14. ac tum demum brevi repetitione transitus ad confirmationem comparatur, versibus quatuor. 4 id est, populus: ut corpus aliquod populi, regni, aut reipublicæ in scripturis nomine filiæ, aut virginis denotari solet. 5 id est, ab omnibus destituta: ut verba sequentia explicant, hoc & sequente versu. 6 exegesis præcedentis versus; ruinam Jisraëlitarum nudis verbis explicans. 7 id est, vix decimus quisque conservabitur: ut infrà *6.9.* 8 enarratio propositionis duobus membris continetur; primùm documentis resipiscentiæ quæ Deus per Prophetas suos Jisraëlitis exposuerat, usque ad versum 10. deinde verò judiciis in refractarios, usque ad 14. Ac documenta quidem resipiscentiæ per θέσιν καὶ ἀναίρεσιν proponuntur, hoc & sequente versu: aliis verò subsequentibus amplificantur tum a persona Dei, tum etiam a persona Jisraëlitarum. 9 ut Genes.20.7. 10 vide suprà 4.4. 11 opidum hoc non Jisraëlitarum, sed regni Jehudæ fuisse tum ex situ constat, tum ex 1.Reg.19.3. ubi Elija ad Beerschebahum quod est Jehudæ dicitur pervenisse. Quamobrem non dubitamus quin Propheta his verbis Judæorum quoque idololatriam perstrinxerit, prout se in totam familiam quam eduxerat Deus ex Ægypto prophetaturum dixit supra 3.1. quam eamdem rationem sequitur infrà 8.14. Idololatria autem cur eo loco, unde, & quando fuerit, etsi ex scripturis non satis apparet; pro certo tamen statuimus religionem illius loci in quo patres Abraham, Jitzchak, & Jahakob consederant, Deum coluerant, & præsentem viderant, in superstitionem (ut ferè fit) apud Judæos abiisse. 12 tum habitator, tum cultor cum idolis suis. Est autem in Hebræis verbis allusio venustissima ad ipsa locorum nomina. b Hebr. *migrando.*

c Hebraicè, *erit in nihilum.* 13 amplificatio documentorum resipiscentiæ, ut diximus in versum 4. 14 quem denunciavit utrique regno, supra 2. 15 id est, regnum Jisraëlitarum, cujus obtinebat primas tribus Ephrajimi ex posteris Josephi. 16 id est, jus & judicium (quod optimæ Reipubl. suave, utile, & salutare est) efficientes acerbissimum perversitate sua: sic infr. 6.13. 17 id est, abjicientes & proculcantes sceleratissimè omne æquum bonum. 18 id est, creatorem cæli, & terræ, marisq; & omnium quæ sunt in eis: qui tum ordinariè res creatas suas administrat, hoc versu; tum extra ordinem consilio judiciisq; singularibus, versu sequente: etsi hæc ferè omnia dicuntur synecdochicè. 19 vide Ijob. 9.9 & 38.31. 20 id est, vices diei & noctis regit. d Hebr. *umbram mortis.* 21 id est, vapores ex aquis efferentem, ut pluvia fermentet terram. 22 id est, qui vastatos confirmat, & operâ eorum quotiescunque visum est perdit potentissimos, hos deprimens, & illos extollens, ut Psal.75.8. 23 alter locus enarrationis, de judiciis comparatis a Deo in adversarios: ut diximus suprà in versum 4. 24 id est, eum qui justè judicat: vide Genes.34.20. sic vers. 12. & 15. e Hebraicè, *desiderii.* 25 id est, quisquis tum supererit præditus prophetiarum nostrarum intelligentia, & justo sensu judiciorum Dei. 26 id est, tacitus judiciis Dei acquiescet: ut infrà 6.10. 27 repetitio superiorum documentorum comprehensa versibus quatuor, μεταβατικὰ ad tertiam concionis partem. 28 vide Jehoschuh.14.12. 29 id est, illis Jisraëlitis quos ex maxima illa quam prædixi clade, velut torres ex incendio, visum fuerit eripere: ut suprà 4.11. 30 videlicet quia odistis bonum, & malum diligitis, suprà versu 10. contra quàm a Deo præceptum est. 31 id est, summus, publicus, & generalis luctus futurus est; quo vel agricolæ & vinitores ipsi cogentur ab opere quamvis necessariò desistere, ut totos se tradant luctui. 32 quasi dicat, omnis vindemia & messis, quæ ferè hilaritatem habet, erit luctuosa. 33 videlicet visitaturus te & effecturus ea quæ jam pronuncio: humanitùs dictum, ut Exod. 11.4. & 12.12. 34 tertia concionis pars, confirmatio (ut diximus suprà in versum.1.) ostendit non posse Deum non supplicium sumere de Jisraëlitis propter odium suum in peccata illorum gravissima: itaque peccatorum genera ponuntur duo; contemtus & ludificatio Dei quæ ab idololatris solet adhiberi, ab hoc versu ad finem usque capitis; & vita illorum luxu & inhumanitate perdita, septem primis versibus capitis sequentis: quibus peccatis sua judicia ex adverso comparantur. 35 id est, ita loquentibus ut si seriò diem Jehovæ expeterent, sive præfidentia imbuti, ut sunt hypocritæ; sive contemtu atque ludibrio, ut Jeschah. 5.19. 36 ut Joël.2.2. 37 id est, cùm nulla lux usquam sit affulsura; sed continentes tenebræ miseros persequuturæ & fluctus alii alios excepturi, denique mala superventura malis: ut ostenditur sequente versu. 38 exornatio rustica, eodem spectans quò illud Jirm.48.43.& 44. 39 leonis aut ursi metu.

& innitentem manu sua ad parietem mordeat serpens.
20 [40] An non esset tenebrarū, dies Jehovę, non autē lucis? & caliginosus, cui non messet splēdor?
21 [z] Odi, sperno dies festos vestros; neque [41] odoraturus sum diebus interdicti vestris.
22 Nam si obtuleritis mihi holocausta & munera vestra, non accepta habebo; & euchari-sticum pinguium vestrorum non intuebor.
23 [42] Amovendo a me strepitū canticorū tuorum, etiam melos nabliorum tuorum nō audiā.
24 [43] Sed fluet tamquam aqua jus, & justitia ut torrens validus.
25 [44] An sacrificia & munus obtulistis [45] mihi in deserto quadraginta annis, domus Jisraëlis?
26 Imò [46] portâstis tabernaculum Meleci vestri, & basin imaginum vestrarum; [47] sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.
27 Quapropter deportabo vos [48] ulterius [f] Damascenis, ait Jehova Deus exercituum nomine.

[40] cōtestatio appellans Jisraëlitarū cōscientiā, hoc v. & justitiā judiciorū Dei asserens tū a præsentib. ipsorū peccatis, v. 21. & trib. sequent. tum a peccatis majorū, versu 25. & 26. a cui contestationi subjicitur sententiæ dictio, ver. 27. z Jeschah. 1, 11. & sequent. [41] i. odoramenta accepturus, ut Levit. 26.31. [42] i. pluris facio obedientiam quā sacrificiū, 1. Sche. 15.22. quāobrem non tantū ea nō intuebor, sed etiā planè amovebo: sic ostendit inesse μείωσιν verbis præcedentib. [43] i. faciam ut exundent in vos judicia mea, quibus vos ipsi cum omni fiducia vestra perdemini, & tamquā torrentē in tractus longinquissimos deportabimini. [44] amplificatio a peccatis majorū; ut diximus in vers. 20. [45] ac non dæmonibus; ut exprobrat Mosche Deut. 32, 17. quod confirmat correctio sequentis versus. [46] i. ministravistis specie quidem tabernaculo Dei vivi; re autem vera coluistis Melecum Hammonitarum Deum (quem vestrum impietate vestra effecistis) & alios gentium exterarum deos, synecdochicè. Hunc autem Deum Hammonitarum Propheta solummodò hoc loco nominat, quia Hammonitæ in propinquo erant; ut acriùs foderet ipsorum idololatriam. de hoc autem loco ampliùs scripsimus in paralipomenis. [47] i. imagines corporum cælestium, quæ pro diis habuistis, & simulacris adorastis. [48] i. ultra Babylonem, ut interpretatur Stephanus ibidem. Nam Damasceni quidem in Syromediam deportati sunt Susianæ finitimam, 2. Reg. 16, 9. Jisraëlitæ verò tum in Persida longè ulteriùs, tum in regionem Caspiorum: ut apparet ex Hezra 8.17. [f] Hebr. Damasco.

CAPUT VI.

1 VÆ [2] tranquillis Tzijone, & [3] fiduciam habentibus in monte Schomronis; [4] qui mentes expressè nominantur præcipuum suarum gentium, ad quos conveniunt domus Jisraëlis.
2 [5] Transite [6] Calnen, & aspicite, & ite illinc
[7] Chamatham maximam; tum descendite Gathum Pelischthæorum, an sunt præstantiores
[8] regnis istis? an amplior est terminus earum termino vestro?
3 Væ [9] longè repellentibus diem mali,
[10] qui admovetis sedem violentiæ:
4 [11] Accumbentibus in lectis [a] eburneis, &
[12] redundantibus super spondas suas; & comedentibus agnos e grege, & vitulos è medio saginarii:
5 Modulantibus [b] ad præscriptum nablii; qui [13] sicut David excogitant sibi instrumenta [c] musica:

[1] Alter confirmationis locus (ut diximus supra 5.18.) a perdita Judæorum & Jisraëlitarum vita, quos æquè hoc loco perstringit simul, ut supr. 5.5. In hoc autem membro tria maximè peccata utrisque vertuntur crimini: primum est præfidens fastus, hoc & seq. versu; secūdum, injustitia & inhumanitas, v. 3. tertium, luxus immoderatissimus, tribus alteris; atq; ita judicium superventurum describitur, vers. 7. [2] i. incolis regni Jehudæ, qui in Tzijonis munitione & cultu externa fiduciam ponunt. [3] Jisraëlitis. [4] i. quibus in locis est regnorum sedes, & maximi conventus habentur tum ad rem forensem, tum etiam ad Ecclesiasticam pertinentes. [5] exaggeratio indignissimi Jisraëlitarum & Judæorum fastus per comparationē aliorum regnorū quæ tum adhuc stabant, sed non longo post intervallo eversa sunt; ut apparet ex 2. Reg. 19.12. & seq. Sensus est, beneficia a Deo accepistis amplissima, quanta in regno ullo finitimo, quamvis potente, nequeant inveniri: perlustrate ipsi, inquit Propheta, & cōperietis rem ita se habere: & quàm iniquum est, obsecro, vos his ipsis bonis ornamentisq; abuti ad fastum & insolentiam? [6] de qua Gene. 10. 10. [7] opidum maximū, in scripturis nominatissimum, quod regno toti nomen dedit Jisraëlitis contermino, ad pedem Libani. [8] Jehudæ & Jisraëlis. [9] i. per ludibrium traducentibus verbū Dei, quo ipsis dies malus obventurus pronunciatur, eodemq; modo ludificantibus quo fecisse Judæi leguntur Jechezkel. 12. 27. & infr. 9, 10. quasi ne ad nepotes quidē ipsorū minæ Dei perventuræ essent. [10] i. freti hac inani confidentia, quasi judicia Dei in longinqua tempora rejicerentur, in omne scelus & inhumanitatē ruitis. [11] ad capiendum cibum, ut moris fuit veteribus. [a] He. eboris. [12] i. circumfluentib. per singula cōvivia sua omni deliciarum & luxus perditissimi genere: in cibo, hoc versu; in musica, v. seq. in potu & unguētis, v. 6. ut omnem doloris sensum quamvis urgentē oblitterent: quæ omnia una voce dicuntur redundantia, hic & v. 7. [b] He. secundū os. [13] studiosissimè ad excogitanda & abutenda omnia luxus allectamēta profusi, Davidis exemplo defendunt factum suum; tamquam si David illis ad luxuriæ irritamenta, non ad pietatis incitamenta fuisset usus. [c] Hebr. cantici.

6 Bibentibus in crateribus vini, & qui præstantissimo unguentorum ungunt sese; [14] neque afficiuntur ægritudine propter contractionem Josephi.
7 [15] Idcircò mox migrabunt [16] inter primos migraturos; tunc cessabit, amovebiturq; [17] designatio redundantium.
8 [18] Jurat Dominus Jehovi [d] per se ipsum, dictum Domini Jehovæ exercituum, detestor ego fastum Jahakobi, & palatia ejus odi; ideoq; traditurus sum civitatem, & [e] quæ implent eam.
9 Eritq; si relicti fuerint decem homines in domo una, ut moriantur:
10 Quumq; tollet aliquem [19] amicus ejus, aut ustor ejus educturus ossa e domo; si dicat [20] ei qui erit in lateribus illius domus, an quis præterea apud te est? is dicet, minimè: & dicet, [21] tace, quia [22] non erunt commemoraturi nomen Jehovæ.
11 Nam ecce Jehova [23] præcepturus est, & [24] percussurus domum majorem velut aspersionibus; & domum minorem rupturis.
12 [25] An cursuri essent in petra equi? an araturus illam quis bobus? [26] nam mutastis in cicutam jus, & fructum justitiæ in absinthium.
13 O vos lætantes de nihilo! qui dicitis, nónne robore nostro assumsimus nobis [27] cornua?
14 Nam ecce ego excitaturus sum contra vos, ô domus Jisraëlis, dictum Jehovæ Dei exercituum, [28] gentem; qui prement vos [29] ab aditu Chamathæ usque ad torrentem campestrium.

[14] i. nullo sensu tanguntur, nulla commiseratione fratrum indignissimè oppressorum & fractorum malis. [15] propositio judicii, ut diximus in versum 1. [16] videlicet Jisraëlitæ non diu post Syros, de quibus 2. Reg. 17. [17] i. descriptio illa quæ in conviviis accuratissimè solebat fieri a modiperatoribus & magistris conviviorum; ordines convivantiū, triclinia, fercula, cantiones, pocula, unguenta, coronas, odoramenta, & reliquū luxum moderantibus. [18] conclusio (ut diximus sup. 5.1.) adhibito juramento Dei, summatim tum odii sui, hoc versu; tum judiciorum gravitatem explicans, tribus seq. deinde per apostrophen ad Jisraëlitas ostendens judicium fore inevitabile, tribus versibus ultimis. [d] Hebr. per animam suam. [e] Heb. plenitudinem ejus. [19] i. quisquis necessitudine sanguinis aut familiaritatis adducetur, aut necessitate functionis cogetur ad hoc officium præstandum & facienda justa; quo in genere posteriore fuerunt ii quos Martialis ustores vocat, quibus demandata erat cura sive accendendi rogi, sive odoramentorum comburendorum: etsi hac appellatione reliqui omnes curatores funerum, libitinarii, pollinctores, vespillones, & cæteri id genus synecdochicè continentur, ut Jechezk. 39.14. [20] id est, superstiti ex denis, ἀναλόγως cum interminatione posita sup. 5.3. [21] i. acquiesce judicio Dei: ut supra 5.13. [22] i. homines isti erant deploratæ vitæ, & nullius fidei; quamobrem Deus fidem minarum suarum in illis demonstravit. [23] id est, daturus mandata Assyrio & Babylonio. [24] i. quasi densissimo lethalium judiciorum imbre perfusurus: quemadmodum prunas, ignem, sulphur, &c. depluere dicitur Psalmo 11. 6. [25] apostrophe ad Jisraëlitas (ut diximus in versum 8.) qua Deus primùm fieri non ampliùs posse docet ut stent peccatores, quàm ut in rupe, cursus aut aratio fiat, hoc versu; deinde ostendit lætitiam ipsorum & fastum certissimo judicio suo periturum. [26] altera allegoria: ut supr. 5.7. quod dulce est (inquit) & salutare, id amarum & exitiale effecistis peccato vestro; & illud quod planum erat effecistis ut jam sit asperum; adeò ut cadendum sit vobis e præcipitio, & moriendum tamquam cicuta pota. [27] id est, vires amplificavimus nobis; vide 1. Schem. 2, 1. [28] Assyriorum & Babyloniorum. [29] id est, ab extremitate una ad alteram: quarum hæc a Septentrione Chamatha definitur, Num. 34. 8. illa verò a Meridie Schichore fluvio, de quo Num. 34. 5. & Jehosch. 13. 3. qui idem torrens campestrium hoc loco appellatur.

CAPUT VII.

Deus visione ostendit futuram famem, clades, & deportationem totius Jisraëlis post sublatam Jarobhami domum: offensus Amatzja Hamosum accusat conspirationis, discessumq; ipsi consulit: quod ex vocatione Dei recusat Propheta, & Amatzjæ eventura mala pronunciat.

1 SIc ostendit mihi Dominus Jehovi, quòd ecce formaret [a] prasocutidas, quum primùm

[1] Hoc capite cōtinentur prophetiæ duæ; una publica, de toto regno Jisraëlitarum, ad versum usque 10. altera privata, contra Amatzjam & familiam illius, inde ad finem usque. In publica autem prophetia tria judiciorum genera denunciantur, prout ex ordine contra Jisraëlitas illa effecit Deus: primum est famis illius maximæ, de qua jam antè egimus Joel 1. & 2. & suprà 1. & 4. qui locus prophetiæ tribus primis versibus continetur; secundum est gladii tum domestici, tum etiam externi, qui tamquam ignis pervasit Jisraëlem totum, tribus alteris versibus; tertium, extremæ cladis qua Jisraëlitæ per Schalmanasarem affecti sunt, tribus aliis. [a] vide in Jechah. 33.4.

[a] succrescit cordum fœnum: quum ecce cordum fœnum *esset*, post [b] fœnisecia Regis.

2 Fuit autem quum [3] absolveret comedere herbam terræ, ut dicente me, Domine Jehovi, [4] condona obsecro, quis [5] staret Jahakobo? nam [6] parvus est,

3 [7] Pœniteret Jehovam hujus rei; non est futurum, dixit Jehova.

4 [8] Sic ostendit mihi Dominus Jehovi, quòd ecce proclamaret se [9] contendere igne Dominus Jehovi: qui [10] postquam consumsisset abyssum magnam, consumsit [11] portionem quandam.

5 Sed me dicente, Domine Jehovi, desiste obsecro, quis staret Jahakobo? nam parvus est,

6 Pœnituit Jehovam hujus rei; etiam hoc hoc non est futurum, dixit Dominus Jehovi.

7 [12] Sic ostendit mihi, quòd ecce Dominus stabat super [13] murum [c] ad libellam positum, habens in manu sua libellam.

8 Quumq; dicente Jehova mihi, quid vides Hamos? dixissem, libellam: dixit Dominus, ecce ego [14] dispositurus sum libellam in medio populi mei Jisraëlis, non perrecturus sum amplius [15] præterire ipsi.

9 [16] Nam desolabuntur excelsa Jischaki, & sanctuaria Jisraëlis in solitudinem redigentur, quum insurrexero [17] contra domum Jarobhami gladio.

10 [18] Tum misit Amatzja sacerdos Beth-elis ad Jarobhamum Regem Jisraëlis, dicendo, [19] conjuravit contra te Hamos [20] in medio domus Jisraëlis, non posset hæc terra sustinere omnia verba ejus:

11 Nam sic ait Hamos, gladio morietur Jarobham; Jisraël autem [d] omnino migrabit e terra sua.

12 Deinde edixit Amatzja Hamoso, [21] videns, abi, [e] aufuge in terram Jehudæ, & comede ibi panem, & illic prophetato:

13 Beth-ele verò ne pergito amplius prophetare; [22] nam sanctuarium Regis est, & domus [f] regia est.

14 [23] Respondens autem Hamos dixit Amatzjæ, [24] non Propheta eram, neque filius Prophetæ eram: sed bubulcus eram, & perquirens [25] sycomora:

15 Quum assumsit me Jehova [g] a sequendo grege, & edixit mihi Jehova, abi, prophetato apud populum meum Jisraëlem.

16 Nunc igitur audi verbum Jehovæ; tu edicis, ne prophetato apud Jisraëlem, neque [26] facito ut stillet *prophetia* apud domum Jischaki.

17 Idcircò sic ait Jehova, uxor tua in ipsa civitate scortabitur, & filii tui filiæq; tuæ gladio cadent, & terra tua [27] funiculo dividetur; tu verò in terra [28] immunda morieris, quum Jisraël omnino migrabit a terra sua.

a *Hebr. ascensûs.*
b *Hebr. tonsiones.*
3 Deus per præsocuridas.
4 ac proinde ne perge populum tuum hac ratione perdere.
5 id est, superstes mansurus esset, si in hac fame augenda perges.
6 id est, numero, viribusq; infirmus: ut antè ostendimus ex 2. Reg. 14.
7 humanitùs dictum: ut Genes. 6.6.
8 secundus locus propheriæ, ut diximus in vers. 1.
9 id est, debellaturum esse Jisraëlitas gladio, qui cum igne comparatus est sup. cap. 1. & 2.
10 id est postquã per Tiglath-pileserem regnum Damasci totamq; Syriam exhausisset, quæ deportatis Syris vasta & similis abysso effecta est: ut narratur 2. Reg. 16.9.
11 regni Jisraëlitarum, nimirum quicquid trans Jardenem erat; ut narratur 1. Chro. 5.26. & Jeschahi. 9.1.
12 tertius locus prophetiæ, ut diximus in versum 1.
13 typum Jisraëlis, quem tamquam structuram affabrefactam, ad amussim curaverat ornaveratq; Dominus.
c *Hebr. libellæ.*

14 id est, quemadmodum ad libellam priùs exegi structuram populi mei Jisraëlis; ita ex contrario ad libellam exacturus sum destructionem ejus, ut totum hoc regnum simile reddatur ædificio quod æquatur solo. 15 id est, condonare, & peccatorum ejus rationem prætermittere. quasi dicat, jam in universum statui eum propter ipsius peccata pessumdare. 16 ut per Tiglath-pileserem & Schalman-asarem effectum est, 2. Reg. 16. & 17. 17 id est, contra Zecarjam Jarobhami filium, & familiam totam; vide 2. Reg. 15.10. 18 altera pars capitis, ut diximus in versum 1. continens primùm narrationem occasionum quibus Hamos ad privatam hanc prophetiam adductus est, deinde verò prophetiam contra Amatzjam istum. In narratione autem duplex Amatzjæ fraus exponitur; unà, quòd Prophetam perfidè accusat apud Regẽ, hoc & seq. versu; altera, quòd Prophetæ veluti consulens jubet ipsum ex Jisraëlis regno excedere, versu 12. & 13. cui subjicitur responsum Prophetæ, ad finem usque. 19 atrox quidem, sed mendax criminatio. 20 id est, publicè apud populum tuum, quod est indignissimum. d *Hebraicè, migrando: sic v. 17.* 21 ut 1. Schem. 9.9. e *Hebraicè, fuge tibi: pleonasmus: vide Gen. 11.33.* 22 duas adducit causas cur non debeat Hamos Beth-ele prophetare, unam religiosam (ut ipsi quidem videbatur) quòd Beth-el sanctuarium esset idoli, quod Jisraëlitæ colebant pro Deo & rege summo; quemadmodum idolis ex uso Hammonitarum nomen Regis indebant Jisraëlitæ, ut supr. 5.26. alteram verò civilem, quòd regia esset, in qua non prophetiæ exteræ, sed res forenses ex auctoritate Regis curabantur. Prius autem membrum ut ad religionem referamus, adducit nos vox sanctuarii, quæ (utcunque aliter Hebræi sentiant) nusquam nisi de rebus sacris & religiosis enunciatur. f *Hebraicè, regni.* 23 hac responsione Hamos primum asserit vocationem suam, confirmans æquum esse ut potiùs Deo pareat quàm hominibus, duobus versibus; deinde in Amatzjam verbis Dei fert sententiam, duobus alteris. 24 quasi dicat, non ex me, neque ex humana institutione factum est ut prophetem.

25 ad victum: nam sycomori in Judæa sunt frequentes, & in Samaria, sicut est, non victus causa prophetas; nam didici victum sycomoris & agrestibus aliis tolerare.
g *Hebr. a post gregem.*
26 vide Jechezk. 21.2.
27 vide Deut. 32.9.

28 id est, extera, quam sibi non sanctificavit Deus, ut hanc Assyriam puta intelligit.

CAPUT VIII.

Deus typo figurat subversionem Jisraëlitarum, & inhumanitatem, scelera ipsorum exprobrans, fore pronunciat luctum gravissimum, ex gravissimis calamitatibus, præcisa ipsis omni consolationis via.

1 SIc ostendit visionem mihi Dominus Jehovi, quòd [2] ecce fiscum æstivorum fructuum.

2 Quumq; dicenti, quid vides Hamos? dixissem, fiscum æstivorum fructuum; dixit Jehova mihi, [3] advenit ipse finis populo meo Jisraëli, non pergam amplius præterire ipsi.

3 [4] Nam ejulabunt [5] cantica templi die illa, dictum Domini Jehovæ; plurimum erit [a] cadaverum, *quæ* in omnem locum projecerit [6] tacitus:

4 [7] Audite hoc [8] qui anhelatis *deglutire* egentem, & [b] [9] deleturi pauperes terræ,

5 Dicendo, quando transiverit [10] hoc novilunium, ut vendamus commeatum? & sabbathum, ut aperiamus frumenti *horrea*? minuendo [11] Epham, & majus faciendo pondus, ac pervertendo lancibus [c] dolosis,

6 [12] Comparando pecunia tenues, & egentem [d] [13] pari calceorum; *ut* denique [e] [14] quisquilias frumenti vendamus.

7 [15] Jurat Jehova per [16] excellentiam Jahakobi; *ne vivam* si obliviscar in æternum ullum operum istorum.

8 [17] An propter hoc non commoveretur hæc terra, & lugeret quisquis habitat in ea? & ascenderet [18] velut rivus *in* totam ipsam, quo expelleretur & submergeretur, ut rivo Ægypti?

1 Hujus prophetiæ tria sunt omnino membra: propositio summa visi atque anagoges, tribus primis versibus; contestatio contra Jisraëlitas propter indignissima ipsorum scelera, usque ad versum 9. & exaggeratio propositionis visio adumbrata, inde ad finem capitis.
2 typica hac visio populum Jisraëlis adumbrat; finis verò qui Jisraëli denunciatur, adumbratur est allusione sive διὰ παρονομασίας, quam nos Latinè non possumus exprimere. Nã vox Hebræa quæ ὀπώραν, id est, fructus æstivos significat, proximè accedit ad vocem alteram qua significatur finis: quamobrem venustatem quidem verbo non assequimur, sed nobis videtur satis ut rem aperiamus legentibus. 3 anagoge sive accommodatio typi, eodem argumento cum prophetia quæ habetur suprà 7.7. & sequentibus. 4 id est, luctuosissima erunt omnia; & tum res divinæ & sacræ, tum etiam humanæ prophanæq; jacebunt perditissimè. 5 quasi dicat, templum quod priùs læis & festivis cantionibus personabat, flebili ejulatu ac vociferatione complebitur. a *Hebraicè, cadaver.* 6 nimirum vir intelligens, ut dixit Propheta suprà 5.13. & 6.10. 7 secunda pars, contestatio gravissima, Jisraëlitis peccata exprobrans, avaritiam, fraudem, & inhumanitatem usque ad versum 7. & Dei consultationem exponens, vers. 7. & 8. 8 ut suprà 2.4. b *Hebraicè, facturi ut cessent.* 9 id est, vos inhumani, per quos non stat quo minùs perdatis bonos, nisi averteret Dei misericordia. 10 nam noviluniis Sacerdotes clangentes tubis habebant cœtus sacros, Numeror. 10.10. Psal. 81.4. singularia sacrificia offerebant Deo, Numeror. 28.11. precibus & verbo communicabant cum populo, 2. Reg. 4.23. & sacrum epulum celebrantes, sanctificationi suæ, non privatis negotiationibus incumbebant; ut apparet ex 1. Schem. 20,5. ac propterea in restitutione Ecclesiæ conjunguntur noviloniis sabbathis, Jeschahi. 66.23. 11 id est, mensuras, & pondera corrumpendo contra legem. c *Hebraicè, doli.* 12 abutendo permissione legis, Levit. 26.39. ut exempla habentur Jirm. 34.8. & sequentibus, & Nechem. 5. d *Hebraicè, propter par.* 13 ut supr. 2.3. e *Hebraicè, cadivum, sive caducum.* 14 id est, acus, glumas, folliculos, omniaq; frumenti sphæremata pro justo frumento. 15 consultatio antecedens dictionem sententiæ, ut diximus in versum 4. qua Deus primum judicium suum ostendit, hoc vers. deinde probat omnium hominum conscientiis, versu sequente. 16 id est, Christum, in quo gloria nostra est: sic Nachum. 2.2. 17 pathetica interrogatio gravitatem iræ divinæ exponens vehementissimè, a testificatione omnium hominum conscientia quam appellat Deus. 18 i. Nilus, qui Ægyptum quotannis inundare solet.

9 [19] Imò

9 [19] Imò erit die illo, dictum Domini Jeho-
vi, efficiam [20] ut sol occidat ipso meridie; & ob-
tenebrabo terram die [f] lucido:
10 Et cõmutabo dies festos vestros in luctũ,
omniaq; cantica vestra in lamẽtationẽ, inducẽs
super omnes lumbos cilicium, & super omne
caput calvitiũ; disponamq; illã quasi [21] luctus u-
nigeniti, ut finis illius *sit* tamquã diei amarissimi.
11 [22] Ecce dies venturi sunt, dictum Domini
Jehovi, quibus immittam famem in hanc ter-
ram; non famem [g] habendi panis, neque sitim
aquarum, sed [23] audiendi verba Jehovæ:
12 Et vagabuntur a mari uno ad alterum, &
ab Aquilone ad Orientem usque: discurrentes
ad pervestigandum verbum Jehovæ, non tamen
invenient.
13 Die illa continenter deficient animo vir-
gines pulcræ, & ipsi juvenes ea siti,
14 Qui jurant per [24] reatum Schomronis, &
dicunt [25] *ut* vivit Deus tuus, ô Dan, & *ut* vivit
[26] *Deus* viæ Beerschebah; denique cadent, nec
resurgent amplius.

[19] enarratio propositionis quam visio superior adumbraverat, ut diximus in ver. 1. de malis gravissimis Jisraëli obventuris; quorum malorum effecta primùm, duobus versibus; deinde causæ exponuntur, quatuor ultimis. [20] i. ut nulla lux planè affulgeat, aut spes liberationis consequendæ, & adipiscendæ lætitiæ; ne illis quidem diebus qui omnium sunt festivissimi: ut supr. 5.18. & sequentibus: sic ℣. seq. hujus est exegeticus. f *Hebr. lucis.* [21] i. omnium amarissimi, & cui nullum adhiberi potest remedium aut consolatio, ut sequentia verba interpretantur: sic Zecarjæ 12.10. [22] enarratio luctus illius amarissimi a causa efficiente, hoc & sequente versu, & ab effectis, versu 13. & 14. Causa luctus est destitutio ab omni consolatione; quæ hoc versu elegantissima allegoria figuratur, & explanatur sequente. g *Hebr. pro pane, neque sitim pro aquis.* [23] i. saltem hoc beneficium à Deo consequendi, ut in suis angustiis percipiant consolationem ex verbo ipsius. [24] i. idola, quæ reges Jisraëlis Schomrone habitantes statuerunt & continenter statuunt, ut populum suum magis ac magis efficiant reum defectionis sacrilegæ. [25] formula juramenti, quo idololatræ honorem Dei viventis attribuebant idolis suis ab extremitate una terræ sanctæ ad alteram. Nam Dan terminus erat Jisraëlitarum Septemtrionem versus, Beerschebah verò terminus Jehudæ ad Meridiem. [26] i. Deus ille, cui ritus sui & ceremoniæ exhibentur secundùm traditiones & placita hominum: vide supr. 5.5.

CAPUT IX.

Deus typo discessionis a templo figurans abdicationem Judæorum & Jisraëlitarum, judicia eis denunciat, confirmatq; a majestate sua, & ab illorum sceleribus: reliquias electas excipit, & promissionibus Evangelicis de gentium cum Judæis vocatione concionem terminat.

[1] Vidi Dominum stantem [2] super altari, ac di-
centem, percute [3] istud malogranatum ut
commoveantur postes ipsi, & [4] divide ipsos in
capite ipsorum omnium, [a] [5] quod autem post
ipsos est [6] gladio interficiam: [b] non effugiet ex
eis profugus, neque liberabit se ex eis qui eva-
serit.
2 [7] Si foderent *latitaturi* in sepulcro, inde
manus mea caperet eos; & si ascenderent *in*
cælum, illinc deducerem eos:
3 Et si abderent se in vertice Carmeli, inde
scrutatus caperem eos: & si occultarent se a con-
spectu oculorum meorum in [b] fundo maris, in-
de præciperem serpenti ut mordens *tolleret* eos:
4 Quòd si abirent in captivitatem coram
inimicis suis, inde præciperem gladio ut inter-
ficiens *tolleret* eos: [c] adhibebo enim oculum
meum contra eos in malum, non autem in bo-
num.
5 [8] Nam Domino Jehovi exercituum tan-
gente terram, dissolvitur, & lugent quicunque
habitant in ea: [9] conscenditq; quasi rivus to-
tam ipsam, quasi rivus Ægypti, [10] atque sub-
mergitur:
6 [11] Qui exstruxit in cælis [12] cœnacula sua,
& [13] cuneum suum super terram fundat: [14] qui e-
vocans aquas maris effundit eas in superficiem
terræ, Jehova nomine.
7 [15] An non pares filiis Æthiopum estis mi-
hi, ô filii Jisraëlis? dictum Jehovæ: an non Jis-
raëlitas deduxero è terra Ægypti, ut Pelisch-
thæos è Caphthore, & Syros è Kiro?
8 [16] Ecce oculos Domini Jehovi contra
hoc regnum [17] peccans, ut perdam ipsum a su-
perficie terræ; nisi quòd non [d] omnino perdam
domum Jahakobi, dictum Jehovæ.
9 Nam ecce ego [18] præcipiens agitabo inter
omnes gentes domum Jisraëlis; quemadmodum
agitantur grana in vanno, ita ut [19] non decidat
lapillus in terram.
10 Gladio morientur omnes peccatores po-
puli mei; [20] qui dicunt, non assequetur aut ob-
veniet nobis hoc malum.
11 [21] Tempore illo erigam [22] tugurium Da-
vidis quod decidit; & sepiam rupturas [23] earum,
ac demolitiones [24] ejus restituam, & reædifi-
cabo illud, [25] sicut [e] olim:
12 [26] Ut hæredes sint cum reliquiis Edomi, &
omnibus gentibus [f] quæ vocantur de nomine
meo; dictum Jehovæ qui facit istud.
13 [27] Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ,
quibus attinget arator messorem, & calcator u-
varum [g] satorem: & stillabunt montes mustum,
& omnes colles [28] colliquescent:

[1] Hujus prophetiæ duæ sunt omnino partes, denunciatio mali gravissimi, usque ad versum 11. Evangelica promissio, ad finem usque. Ac denunciationis quidem membra habentur tria: primum est propositio typi cum sua interpretatione juncti, hoc versu & tribus sequentibus; secundum confirmatio propositionis, versu 5. & duobus sequentibus; tertium exornatio, inde ad versum 11. [2] videlicet extra templum suum, qua ratione demonstrabat Deus a se templum suum & populum abdicari: ut Jechezk. 19. [3] nimirum quod in summo templi fastigio erat inter acroteria: quemadmodum ferè fit in structuris & templis magnificis. Ad quem autem hoc mandatum pertinuerit vix potest certò definiri. Prophetam quidem audivisse certum est, sed hoc mandatum accepisse quod exsequeretur nobis non videtur verisimile: nam etsi Propheta se audisse narrat, tamen cæleste aliquod opus visione oblatum esse res ipsa ostendit, quod nos ministerio Angeli sive fulgur, sive vim aliquam majorem importantis adumbratum fuisse judicamus, quasi dicat, malogranatum istud templo summo impositum deturbato, & templum ipsum usque ad imos postes, percellito atque disrumpito, ut quicunque in eo sunt hoc casu frangantur, & ita comminuantur ut nemo istorum effugiat. [4] id est, non modò templum summum, sed a summo ad imum deturbatorum, & ipsos postes quosque in capite ipsorum, id est, a summa parte diffringe. [a] *Hebraicè, postremum autem ipsorum.* [5] i. Judæos & Jisraëlitas omnes, qui freti istius templi umbraculo post ipsius postes veluti delitescunt, & impietatem inhumanitatemq; colunt, a quibus in speciem se abhorrere simulant; vide supr. capite 6. [6] Assyriorum & Chaldæorum, aliisq; verberibus, synecdochicè. [b] *Supr. 2.14.* [7] amplificatio hyperbolica, ad demonstrandum quàm sit inevitabile judicium Dei, tribus versibus, ut Psal. 139.7. & sequentibus.

b *Hebr. solo.*

c *Hebr. ponam, ut Genes. 44.21.*

[8] Confirmatio propositionis præcedentis, primùm a descriptione majestatis Dei, duobus versibus; deinde a criminatione ingratissimi Jisraëlitarum animi, quos Deus supra omnes gentes prosequutus fuerat beneficiis, ver. 7. [9] i. exundat in eam malum illud cujus meminit supr. vers. 4. sic supr. 8.8. [10] ὑστέρωσιν Hebraicam ad perspicuitatem sustulimus. [11] i. qui cæli, terræ, maris, & rerum omnium quæ in eis sunt creator ac dominus est omnipotens. [12] de quibus vide Ps. 104.3. nam utramque vocem eadem accipimus significatione. [13] ut accipitur 2. Schem. 2.25. pro eo quod est, qui statuit hominum & rerum omnium creatarum turmas comparatas ad exsequenda judicia sua. [14] i. qui diluvium aquarum immisit, Gen. 7. ac proinde eadem virtute armatus est ad perficiendum hoc judicium quod modò imperavit. [15] contestatio vehementissima; elegeram vos, inquit Deus, præ omnibus populis, & beneficiis amplissimis prosequebar: jam verò quo in pretio esse vos putatis apud me? non majores facio vos quàm Æthiopas, & beneficium inde ab Ægypto in vos collatum eodē loco habeo, neque meliùs collocatũ apud vos judico quàm quum olim Pelischthæos è Caphthore eduxi, Deut. 2.22. aut si adversarios Dei & Ecclesiæ Syros, qui recens in Kirum deportati sunt (ut prophetatum fuerat supr. 1.5.) reducerem a deportatione sua, & in libertatem indignissimos homines vindicarem. [16] exornatio propositionis, de judiciis Dei contra Jisraëlitas peccatores; in qua Deus reliquias secundùm electionem gratiæ servandas nominatim excipiens, transitum comparat ad promissiones Evangelicas. [17] id est, perseverant in peccatis suis. d *Hebr. perdendo.* [18] Assyriis & Babyloniis. [19] id est, nemo planè Judæorum & Jisraëlitarum ab agitatione hac & ventilatione immunis sit. [20] vide supr. 6.3. [21] tertia concionis pars de promissionibus Evangelicis, quæ summatim dictæ duobus versibus, & adumbratæ typo veteris Ecclesiæ & regni, posteà exornantur adjunctis magnificis Dei promissionibus in revocatum populum, tribus versibus ultimis. [22] id est, regnum Domini nostri Jesu Christi, quod (utut jam humile est) prosequitur pl... [23] nempe maceriarum sive sepium: quasi dicat, ne minimam quidem labem relinquam in Ecclesia mea. [24] Davidis, cujus regno adumbratum est regnum Christi. [25] id est, ut quemadmodum olim stetit floruitq; Davidis & Schelomonis regno, ita porrò ac longè ampliùs floreat: quod sequente versu ostenditur. e *Hebr. diebus seculi.* [26] id est, ut non tantùm Judæi, verùm etiam gentes reliquæ communi cum illis hæreditate perfruantur, & communem patrem hæreditati suæ donatorem invocent: sic interpretantur ex Actor. 15.17. f *Hebr. super quas vocatum nomen meum, Lev. 26.5.* [27] exornatio sive amplificatio promissionis præcedentis a benedictionibus spiritualibus in Ecclesiam, quum instaurata fuerit per Christum, profundendis; quæ temporalibus hyperbolicè figurantur: ut Joel. 3.18. g *Heb. protrahentem semen.* [28] i. tantam liquoris vim manabunt, ut in liquorem abire ipsi videantur.

14 Et

14 Et reducam captivam multitudinem po-
puli mei Jisraëlis, qui ædificabunt civitates de-
solatas ut inhabitent, & conserent vineas ut bi-
bant vinum earum: facientq; hortos ut come-
dant fructum eorum.

15 Et [29] plantabo eos in terra ipsorum: ac non
evellentur ampliùs à terra sua quam dedero ip-
sis; dicit Jehova Deus tuus.

[29] i. firmè collocabo & stabiliam eos, ut Esa. 35.17. nam virtute Dei custodimur per fidem ad salutem quæ parata est patefieri tempore ultimo, 1.Petr.1.5.

HOBADJA.

Propheta Edomæis calamitatem & ruinam denuncians, ipsorum fastum, fœdera, & sapientiam ludificatur: vim Ecclesiæ illatam exprobrans dehortatur ne ipsi porrò malefaciant: postremò contumacibus inimicis exitium prædicens propter Ecclesiam obventurum, liberationem hæreditatis, ampliationem & salutem illius prædicat in regno Christi.

1 Visio Hobadjæ. [2] Sic ait
Dominus Jehovi de Edo-
mæa, [a] rumorem audivi-
mus a Jehova, & lega-
tum ad gentes missum *di-
centem*, Surgite, ut insur-
gamus adversus eam in
prælium.
2 Ecce, [3] parvum dispositurus sum te inter
gentes; contemtus eris valdè.
3 [4] Superbia [b] animi tui decipit te, ô qui
habitas in fissuris petræ, *in* [c] altissima habitatio-
ne sua; dicens cum animo suo, quis dejiceret me
in terram?
4 [5] Si exaltares velut aquila, & si inter stel-
las poneres nidum tuum; inde dejicerem te, di-
ctum Jehovæ.
5 [6] Quomodo excisa es? si fures advenirent
tibi, si vastatores [d] nocturni, nónne furarentur
quod satis esset ipsis? si vindemiatores adveni-
rent tibi, nónne relinquerent racemos?
6 Quomodo [7] pervestigantur Hesaui, per-
quiruntur abdita ejus?
7 [8] Usque ad terminum deducent te omnes
[e] fœderati tui, decipient te, prævalebunt tibi
[f] qui pacem colunt tecum: [8] convivæ tui [9] im-
ponent vulnus loco tuo, cujus *vulneris* nulla *erit*
intelligentia.
8 [10] Nónne die illa, dictum Jehovæ; quum
perdidero sapientes ex Edomæa, & [h] intelligen-
tes e monte Hesaui,
9 Tum terrebuntur potentes tui, ô The-
man; ut exscindatur quisque e monte Hesaui a
strage?
10 [11] Propter violentiam [i] in fratrem tuum
Jahakobum, operiet te pudor; & exscindêris
in seculum:
11 Quia eo die [12] stas ex adverso, quo die
captivas abducunt extranei copias ejus, quumq;
alienigenæ ingressi portas ejus, super Jeruscha-
laima [13] projiciunt sortem, tu quoque ut unus il-
lorum es.
12 [14] Ne ergo aspicias [15] diem fratris tui, diem
alienationis ejus, neque læteris de [k] Jehudæis,
quo die pereunt; neque [16] magnifices os tuum
die angustiæ.
13 Ne ingrediaris portam populi mei die ca-
lamitatis eorum, ne aspicias tu quoque malum
ejus die calamitatis ipsius: neque extendant se
manus in facultates ejus die calamitatis ejus:
14 Neque persistas [17] in diruptione, ad exscin-
dendum qui evadunt ex eo: neque prodas super-
stites ejus die angustiæ.
15 [18] Nam propinquus *est* dies Jehovæ con-
tra omnes istas gentes: quemadmodum feceris,
fiet tibi, retributio tua revertetur in caput
tuum.
16 [19] Nam [20] quum biberitis in monte sancti-
tatis meæ, bibent omnes gentes jugiter: bibent,
inquam, & absorbebunt, [21] eruntque ac si non
fuissent:
17 In monte verò Tzijonis erit [l] qui evadet
eritq; [m] sanctus, & hæreditario jure posside-
bunt domus Jahakobi hæreditarias possessiones
suas:
18 [22] Eritq; domus Jahakobi, [23] *velut* ignis,
& domus Josephi flamma, domus autem He-
saui in [24] stipulam, ut accensi in hos consumant
ipsos; neque erit superstes [25] domui Hesaui,
quia Jehova eloquitur.
19 Ita hæreditario jure possidebunt [26] austra-
lem regionem [27] cum monte Hesaui, & locum
humilem cum Pelischthæis, [28] hæreditario in-
quam jure possidebunt cum agro Ephrajimi &
cum agro Schomronis; Binjaminisque cum
Gilhade:

[1] Hujus prophetiæ, qua Deus superventuram Edomæis cladem pronunciat, tempus disertè quidem non exprimitur; sed ex argumento facile est colligere tum pronunciatū esse, quum Jirmeja quoque & Jechezkel prophetarent; vide Jirm. 49. & Jechezk. 25. partes omnino sunt quatuor: prima est propositio judiciorum quæ Deus immisso milite in Edomæa exsequuturus erat, duobus versibus: secunda est propositionis enarratio, tum causarum, tum judicii ad causas suas accommodati, usque ad versum 12. tertia est dehortatio a maleficiis, usque ad versum 16. quarta, conclusio a promissionibus Dei amplissimis ad salutem Ecclesiæ & adversariorum ejus exitium, inde ad finem. [2] propositio hæc continet hypotyposin militarem, hoc versu; & effectum ejus, versu sequente. [a] *Hebraicè, auditionem*, Jirme. 49.14. [3] i. profligaturus te ita ut minimus tuorum numerus supersit: sic alludit ad deminutionem capitis Hesaui, amissaq; primogenita; ut habetur Genes. 21.23. & 27.31. [4] enarratio hæc propositionis duas causas continet, quibus ex ordine sua judicia connectuntur, ut Jechezk. 25. prior est superbia, hoc versu; cui sua supplicia eáque gravissima & accuratissima subjiciuntur, usque ad vers. 10. posterior verò violentia atrocissima contra Judæos fratres, vers. 10. & 11. [b] *Hebr. cordis: sic deinceps.* [c] *Hebr. altitudine habitationis suæ; hypallage.* [5] amplificatio per concessionem hyperbolicam. [6] altera amplificatio per admirationem gravitatis quam Deus erat adhibiturus in perficiendo judicio suo. Est autem in Hebræo contextu verborum ὑπαλλαγὴ, quam visum est nobis perspicuitatis causa invertere. [d] *Hebr. noctu*, Jirm. 49.9. [7] nimirum ab avaro milite, ut Jirme. 49.10. [8] amplificationis locus tertius a persona eorum qui Edomæos infestaturi sunt: tui ipsius, inquit Deus, fœderati, &c. ex terminis tuis ejicient te maxima perfidia & proditione, & sedem tuam depopulabuntur. [e] *Hebr. homines fœderis.* [f] *Hebr. homines pacis tuæ: sic Psal.* 41.10. [8] *Hebr. cibi tui* homines. [9] id est, tanta plaga afficient regionem tuam, ut mens humana ipsam nequeat comprehendere nedum curare arte & intelligentia. [10] exornatio proximè præcedentis dicti, nullam fore illius vulneris intelligentiam: nam, inquit, ne tu quidem ipse, ô Edomæe & Themanita, poteris capere & consequi animo intelligentiam illius vulneris, quamvis apud omnes obtineas nomen sapientiæ & intelligentiæ; vide Jirm. 49.7. [h] *Hebraicè, intelligentiæ viros.* [11] secunda causa, ut diximus in versum 3. quam optimè interpretatur Jechezkel 25. & ostendit versus sequens. [i] *Heb. fratris tui Jahakobi*: ut Genes. 16.5.

[12] i. observas & exploras diligentissimè quibus modis expilare possis fratres tuos, ut faciunt extranei. [13] ut Joel. 3.3. [14] tertia pars, dehortatio, ne Edomæi excidium Judæorum proximè eventurum æquo animo & siccis oculis spectent, rideantq;, hoc versu; ne in facultates eorum involent, sequente versu; neque in homines profugos inhumani sint, vers. 14. Cujus dehortationis causa subjicitur versu 15. [15] id est, afflictionis illius: ut psal. 116.2. [k] *Hebr. filiis Jehudæ.* [16] id est, protervè cachinneris: synecdochicè. [17] qua Edomæi, posteà quàm occupata sunt a Babyloniis Jeruschalaima, Judæos ipsos & regionem ipsorum totam infestârunt: ut apparet ex Psal. 137.7. quod malum per ipsos fieri hic propheticè interdicit Deus. [18] ἀῤῥιον dehortationis a talione & pari judicio, quod effecturus est Deus, hoc versu. [19] apostrophe ad Judæos, transitum faciens ad quartam concionis partem; qua primùm Deus prædicit internecionem adversariorum Ecclesiæ, hoc versu; deinde salutem suorum, versu sequente, ac postremò utrumque exornat brevi enarratione, ad finem usque capitis. [20] prout judicium Dei oportet incipere a domo ipsius: ut Jeschah. 10.12. & Jirme. 25.29. [21] id est, interibunt, & omnis eorum memoria delebitur. [l] *Hebraicè, evasio.* [m] *Hebraicè, sanctitas.* [22] exornatio præcedentis prolepseos, qua primùm Edomæorum pernicies, hoc versu; deinde Jisraëlis hæreditas & salus exponitur, duobus sequentibus. [23] hoc est, Jisraëlitæ erunt quædam veluti materia incendii, quod ego Edomæis Chaldæorum manu importaturus sum, quia tam multis malis populum meum affecerunt: ut antè ostendimus ex Jirmeja, Jechezkele, & Hamoso, vers. 11. & 12. [24] quæ nullo negotio consumitur; & a natura sua fomes igni est. [25] id est, impiis istis & inhumanis Edomæis: ex quibus tamen reliquiæ secundùm electionem gratiæ conservabantur quidem, Hamos 9.12. sed cum Judæis & Jisraëlitis cooptatæ, & in familiam Dei adscitæ Evangelio Christi, sequente versu. [26] id est, veterem Judææ terminum obtinebunt, ac multo amplius; quia gentes cum Judæis hæreditate communicaturæ sunt: quæ terrenis umbraculis Prophetæ solent designare. [27] id est, cum Edomæis: vide Hamos 9.12. [28] id est, nec Judæi tantùm, sed etiam Jisraëlitæ omnes decem tribuum & trans Jardenem societatem inibunt hæreditatis sanctæ, vide Jechezk. 37.16. & sequentibus.

[a] i. Ecclesia hæc instaurata justos suos terminos obtinebit, qui ab antiquis finibus describuntur... 1.Reg.17.9. Judæorũ verò terminus fuit in civitatibus australibus, de quibus Joshua 15.21. & seq.

20 [29] Et [n] deportatæ copiæ istæ Jisraelitarum, quod *fuit* Cenahanæorum Tzarphatham usque, & [o] deportati Jerusc halaim [illegible] quod est in Sepharad, [illegible]

Nam Jisraelitarum terminus a Septentrione fuit Tzarphathe, quod oppidum fuit maritimũ ad Tzidonem, de quo 1.Reg.17.9. Judæorũ verò terminus fuit in civitatibus australibus, de quibus Josh.15.21. & seq. [n] *Heb. deportatio copiarum istarum.* [o] *Heb. deportatio Jeruschalaimorum.* [30] i. justos limites suos obtinebunt: nam quod Judæi omnes sequuti Chaldæum paraphrasten Hebræam vocem hoc loco positam, ut proprium regionis nomen, interpretantur Hispaniam, dignum est tam audacibus fabularum auctoribus: nos verò Hebræam vocem appellative accipientes (ut loquuntur Grammatici) confirmamus ex duabus esse compositam, quæ conjunctæ significant terminationem dominatus.

ne dominatus; *id* hæreditario jure possidebunt cum civitatibus australibus.

21 [31] Quùmque ascenderint [32] servatores in monte Tzijonis, ad judicandum montem Hesavi, erit [33] Jehovæ regnum.

[31] id est, quum prædicatione Evangelii, fideliumque servorum opera adhibita Christus Ecclesiam servaverit ex inimicis ipsius & e manu omnium eorum qui oderant eam (ut dicitur Lucæ 1.71.) cum regnabit Christus super Ecclesiam in æternum, & regni ejus non erit finis: ut Lucæ 1.33. [32] id est, administros salutis per doctrinam Evangelii: ut 1.Timoth.4.16.& Jacob.5.20. [33] id est, Christo: ut modò diximus ex Lucæ 1.33.

JONA.

ARGUMENTUM.

LIBER *Jonæ Prophetæ totus est historicus: quo narratur vocatio Jonæ duplex; una, quam contumaciter tentavit subterfugere, donec persequutus ipsum Deus deduxit in mortem præsentissimam, & mirificè ad vivos revocavit, ut refractarium ipsius animum edomaret, atque ad obsequium sui abduceret; altera, cui auscultans Jonas apud Ninevitas prædicavit, eosq. adduxit ad resipiscentiam: quibuscum indignè misericordiam Dei communicatam ratus, a Deo informatus est de iniquitate studii sui, & de æquitate Dei misericordiæ.*

CAPUT I.

Jonas fugiens vocationem Dei se committit mari, ubi procella divinitus excitata nautæ jacturam faciunt, deos suos implorant, & sorte Jonam reum deprehendunt: quod ille confessus sententiam mortis in seipsum dicit, ac propterea quamvis parcentibus nautis tandem in mare projicitur: sedato æstu, nautæ agnoverunt Dominum, Jonas in ventrem piscis receptus orat Deum, miseriam suam exponens, & salutem expetens ad gloriam illius.

[a] His duobus capitibus continetur historia, cujus apud omnes constat; qua narratur quo pacto Jonas Dei vocationem subterfugere conatus sit, & Deus fugientem domuerit, atque ad voluntatem obsequium comparaverit. Quo autem tempore hæc omnia gesta sint, etsi præcisè a nobis definiri nequit; tamen non dubitamus quin hæc acciderint Jarobhami secundi temporibus, sub ipsius principium; regni illius gesta sint: ut apparet ex 2.Reg.14.25.

[b] qui erat Zebulonitæ tribu, e Gatho Chepheris, ut ibidem scriptum est.

[c] de qua Gen. 10.11. & 12. & infra 3. metropolin Assyriorum.

Quum fuisset verbum Jehovæ, ad Jonam filium Amitthai, edicendo,

2 Surge, adi [b] Nineven civitatem maximam, & clama contra eam; [c] ascendisse enim malitiam eorum in conspectum meum.

3 Surrexit Jonas ut fugeret [e] Tarsum a conspectu Jehovæ: quapropter descendens [f] Japhuntem, inventa navi quæ ibat Tarsum, dedit [a] naulum ejus, descenditq; in eam, ut abiret cum [b] nautis Tarsum a conspectu Jehovæ.

4 Jehova autem [c] injecit ventum magnum in mare, fuitq; procella magna in mari, adeò ut [e] navem illam cogitarent fractum iri.

5 Quare timentes nautæ inclamaverunt quisque Deum suum, projeceruntq; instrumenta quæ inerant navi in mare, [f] ut levarent se illis: Jonas autem descenderat ad latera navigii, & jacebat somno sopitus.

6 Sed appropinquans ad eum [a] nauclerus, dixit ei, quid tibi est, somnolente? surge, inclama Deum tuum, si fortè suscipiat cognitionem Deus ille de nobis, ut non pereamus.

7 Deinde dixerunt [g] alter alteri, agite, projiciamus sortes, ut cognoscamus cujus causa malum hoc *est* nobis; & quum projecissent sortes, accidit sors Jonæ.

8 Cui dicentibus illis, indica jam nobis cujus causa malum hoc nobis est; quæ *est* [h] ars tua? & unde venis? quæ *est* regio tua? denique ex quonam populo *es*?

9 Dixit illis, Hebræus sum; & Jehovam Deum cælorum ego revereor, qui fecit mare & aridam.

10 Tunc timentes homines illi timore magno, postquam dixerunt ei, ecquid fecisti? quum cognovissent homines illi eum a conspectu Jehovæ fugere, quia indicabat ipsis:

11 Dixerunt ei, quid facturi sumus te, ut conticescat mare [i] ab infestandis nobis? nam mare [k] magis ac magis procellosum erat.

12 Qui dixit eis, [8] tollite me, & projicite me in mare, ut conticescat mare ab infestandis vobis; nam agnosco propter factum meum procellam maximam hanc [l] infestare vos.

13 Tunc [m] [9] remigantes homines illi ut reducerent navem ad aridam, quum non potuissent; quia mare magis ac magis procellosum infestabat eos;

14 Inclamaverunt Jehovam, dicentes, obsecramus Jehova, ne jam pereamus pro anima viri istius, & ne reponas nobis [10] sanguinem innoxium; nam tu, Jehova, quemadmodum vis facis.

15 Deinde tollentes Jonam projecerunt eum in mare, destititq; mare ab [n] æstu suo.

16 Quapropter reveriti sunt homines illi reverentia magna Jehovam; & sacrificaverunt sacrificium Jehovæ, voveruntq; vota.

CAPUT II.

1 [17] Paraverat autem Jehova piscem magnum, qui absorberet Jonam; fuitq; Jonas in visceribus illius piscis tribus diebus, & tribus noctibus.

[d] id est, tam magnam esse, ut jam quasi terram & cælum compleat; quo nomine Deus rationem cum illis subducturus sit: metaphora a rebus corporeis: vide infra cap. 4.5. [e] vide Gene. 10.4. [f] oppidum maritimum, posteà appellatum Joppen, de quo Jehoschuh. 9.46. & 2.Chron.2.16. [a] Heb. mercedem. [b] Heb. cum, videlicet qui in navi erant. [c] id est, repentinissimè excitavit ac vehementissimè, adeò ut divinum aliquod & singulare judicium esse ipsi infideles nautæ cognoscerent. [e] Heb. navis cogitavit fractum iri: metonymia. [f] Heb. ad levandum contra se. [a] Heb. magister funis. [g] Heb. somno sopitus. [g] Heb. vir ad amicum suum.

[h] Heb. opera tua.

[i] Heb. a contra nos; sic vers. seq.

[k] Heb. ibat & procellosum erat: sic vers. 13.

[8] i. consilium hoc Jonæ fide datum esse, & ex resipiscentia profectum verba ipsa & eventus ostendunt.

[l] Heb. contra vos esse.

[m] Heb. fodientes, videlicet remis: id est, sulcantes, ut Latini dixerunt.

[9] i. quum priùs omnia tentassent humanissimè, quàm ut ad consilium Jonæ (quod inhumanum ipsis videbatur) efficiendum descenderent.

[10] a homine isto, qui nos minimè offendit, sed te auctore per sortem, & ipso consitente huic pœnæ adjudicatus est.

[n] Heb. indignatione sua.

CAPUT II.

1 Nimirum triduo illo quo in ventre piscis inclusus erat, ut habetur vers. 4. calamitatem suam exponens Deo, misericordiam implorans, & officium suum erga Deum (a quo imprudenter discesserat) profitens: quod totum sequente oratione ostendit; quam exaravit, ubi salutem & liberationem a Deo accepisset.
2 postquam liberatus fuit, ut modò diximus: est enim canticum hoc eucharisticum ex propositione summa, hoc versu; narratione, usque ad vers. 8. & conclusione votiva ac eucharistica constans, duob. versib. ultimis.
a Heb. mihi.
b Heb. sepulchri.

1 ORavit autem Jonas Jehovam Deum suum; e visceribus illius piscis:

2 2 Deinde dixit, inclamavi ex angustia a mea Jehovam, & exaudivit me: e ventre b sepulcrali vociferatus sum, exaudivisti vocem meam.

3 Nam projeceras me *in* profundum, in c intimam partem marium, & flumen circumdabat me: omnes irrumpentes fluctus tui & undæ tuæ super me transibant:

4 Adeò ut 3 ego dicerem, ejectus sum a conspectu oculorum tuorum; verumtamen 4 pergam intueri in templum sanctitatis tuæ.

5 Circumiverant me aquæ 5 usque ad animam, abyssus circumdabat me; 6 alga alligata *erat* capiti meo.

6 7 Ad d præcisas radices montium descenderam, terrâ 8 vectibus suis obstiturâ mihi in seculum: attamen eduxisti 9 a corruptione vitam meam, Jehova Deus mi.

7 Quum obrueretur in me anima mea, Jehovæ recordatus sum; perveniti; ad te oratio mea, in templum sanctitatis tuæ.

8 10 Qui observant 11 vanitates e mendaces, 12 benignitatem f erga se derelinquunt:

9 Ego verò cum voce gratiarum actionis sacrificabo tibi, quæ vovi, rependam: 13 omnimoda salus *est* Jehovæ.

c Heb. c. r, ut Exod. 15. 8. 3 summa argumenti quod oravit Jonas in ventre piscis; nimirum quòd miseriam suam a peccato profectam exposuit Deo, & quòd liberationem petiit ut gloriæ ipsius porrò in Ecclesia inserviret. 4 precantis verba: pro eo quod est, ne hîc obscurè moriar, & ad gloriam tuam inutilis; sed quandoquidem me hîc integrum & valentem intrusisti, fac ut eam palam colere, atque prædicare possim beneficium tuum. 5 vide in Psal. 69, 2. 6 id est, tam versabar in profundo, demersus profundissimè, quàm si alga (quæ in fundo maris solet succrescere) caput meum detinuisset obvolutum. 7 quibus montibus asperis mediterraneum mare inde a Japhunte in Judæa, Syria, Ciliciaq; circumvallatum est. d Heb. præcisa montium. 8 id est, inaccessis rupibus, quibus terra importuosa efficitur. 9 quæ mihi per mortem fuerat in ventre piscis eventura. 10 conclusio eucharistica, ut diximus in vers. 2. per antithesin vehementissimam idololatrarum, hoc vers. cum gratissimo Prophetæ officio quod vovet Domino, sequente versu. 11 id est, idola vanissima per se, vanitatem docentia, & mendacia suis cultoribus. e Heb. mendaces. 12 id est, quandoquidem ita cæci sunt ut bona a Deo accepta minimè agnoscant, sed mendacibus suis idolis tribuant: non impedio quò minùs fordescant ampliùs, & pereunt; derelinquunt Deum, ita benignitatis aditum ipsi intercludant sibi, adeoq; maledictionem horrendam accersant in cervices suas. f Heb. suam. 13 epiphonema gnomicon, ut Psalm. 3. 9.

CAPUT III.

Jonas iterata vocatione Dei Ninevitis prædicat: qui postquam credentes Deo, resipiscentiam coluerunt & testificati sunt, veniam a Deo impetrârunt: itaque Jonas ægrè ferens misericordiam Dei illis exhibitam, tanquam si prophetia ipsius esset inutilis & ipsi dedecorosa, a Deo reprehenditur: deinde verò observans quid Ninevitarum oppido futurum esset, divinitùs informatur quàm æqua sit Dei in res creatas suas misericordia.

1 Versum hunc ad sequentia pertinere, non ad præcedentia res ipsa loquitur. Jam enim narrat historia quid secundò imperaverit Deus Jonæ liberato, & quid Jonas, quid Ninevitæ fecerint.
2 nam erat in ambitu illius stadiorum quadringentorû stadiorum, quam circumstabat murus instructus mille quingentis turribus: ut testantur Herodotus & Diodorus. a Heb. magna Deo: ut Gen. 10. 8. 3 videlicet in ambitum, si quis pedibus voluisset totum civitatis ambitum murum turresq; prominentes extrinsecus perlustrare.

1 QUum autem edicente Jehova pisci illi, evomuisset Jonam in aridam;

CAPUT III.

2 Fuit verbum Jehovæ ad Jonam iterum, edicendo,

3 Surge, adi Nineven civitatem maximam; & proclama in eam proclamationem illam quã ego edico tibi.

4 Surgens itaque Jona abivit Nineven secundùm verbum Jehovæ; Nineve autem erat 2 civitas a perquàm maxima, 3 itinere tridui:

5 Ubi quum 4 cœpisset Jonas ire per civitatem itinere diei unius, & proclamavisset dicens, 5 adhuc quadraginta dies, deinde Nineve subvertetur:

6 Crediderunt b Ninevitæ 6 Deo; & indicentes jejunium induerunt 7 cilicia *omnes* a maximo ipsorum usque ad minimum ipsorum.

7 Quum enim pervenisset hoc verbum ad Regem Nineves, surgens e solio suo deposuit paludamentum suum a se, & operiens se cilicio sedit 8 in cinere:

8 Et postquam convocasset *populum*, edixit Nineves ex sententia Regis & procerum ejus, dicendo: homines & jumenta, armenta, & greges ne gustanto quidquam, ne pascuntor, & aquas ne bibunto:

9 Sed operiunto se ciliciis homines cum jumentis, & inclamanto Deum c fortiter; ac revertuntor quisque a via sua pessima, & ab ipsa violentia quæ inest 10 manibus ipsorum.

10 11 Quis scit *an* reversurus sit, & pœniteat Deum, ut reverso eo ab æstu iræ suæ non pereamus?

11 Quare quum vidisset Deus opera eorum, eos reversos esse a via sua pessima; pœnituit Deum ejus mali quo se dixerat affecturum eos, & non affecit.

4 id est, nondum oppidum totum percurrisset: sic commendatur Ninevitarum fides. 5 denunciatio hypothetica, ut sunt minæ & promissiones legis, & confirmat sequentia: vide in Gene. 20. 3. b Heb. homines Nineves. 6 i. verbo Dei, & Jonæ servi ejus: ut Exod. 14. 31. 7 ad luctum, ut Gene. 37. 34. 8 ut Ijobi 2. 8. 9 quorum triste spectaculum fuit utile & ad docendum, & ad permovendum: docendum quidem gravitatem peccatorum & iræ Dei contra peccata accensæ, permovendum verò & ad horrorem peccati quo homo res omnes inficit, & ad seriam resipiscentiam: quæ omnia Deus spectavit lege in sacrificiorum ritibus. c Heb. in fortitudine. 10 ut Psal. 7. 4. 11 vide Joel. 2, 14.

CAPUT IIII.

1 id est, quum Jonas indignè ferret Deum Ninevitis resipiscentibus condonantem non efficere quod per ipsum prænunciaverat, quia veritatem & complementum sermonis sui annotabat Jonas salutis illorum omniû, ad quam Deus arcano consilio suo respexerat.
a Heb. malum videbatur apud Jonam, malum magnum.
2 Humana infirmitas malè affectus, qua primùm superiorem suam contumaciam quodammodo probans Deo dicens, sciebam te misericordem esse, & argumentum prophetiæ quam ingerebas mihi

1 QUod quum a malè haberet Jonam, pessimè; & accensa esset *ira* ejus,

2 2 Oravit Jehovam dicens, quæso Jehova, an non erat hoc verbum meum, dum essem adhuc in terra mea? idcircò anteverteram fugiendo Tarsum: sciebam enim te *Deum* fortem, gratiosum, & misericordem, longanimem, & amplum benignitate, ac pœnitentem mali esse.

3 Nunc ergo Jehova accipe quæso animam meam a me: nam b præstat mori me quàm vivere.

4 Dixit verò Jehova; an factum bene, quòd accensa est *ira* tibi?

5 Nam egressus Jonas e civitate residebat ab Oriente civitatis: ubi fecerat sibi tugurium, ut resideret sub eo 3 in umbra, usque dum videret quid futurum esset civitati.

6 4 Paraverat enim Jehova Deus 5 ricinum, qui ascenderet supra Jonam, ut esset umbra super caput ejus erepturа eum a 6 malo ipsius, lætabaturq; Jonas de ricino illo lætitia magna.

7 Deinde paravit Deus vermem ascendente aurora, postero mane, quo c lædente ricinum exaruit.

8 Fuit itaque oriente sole, quum 7 parasset

cum natura sua comparans statuebam fore ut aliud per me diceres & aliud præstares opere: hac verò ratione omnino exponor ludibrio ego cum prophetia mea, hoc versu; deinde mortem iterum expetit, non acquiescens voluntati Dei, versu seq. a Exod. 34. 6. b Hebr. bona est mors mea, præ vita mea: sic vers. 8. 3 nimirum illius ricini, de quo sequente ver. 4 i. jam antè depoluerat in eam partem oppidi ricinum, quem nactus Jonas substruxit tugurium in quo resideret. 5 Hebræam vocem quam variè torserint interpretes nihil attinet dicere. Nos tum ex linguarum affinium comparatione, tùm verò ex iis rebus quæ hoc loco dicuntur, judicamus esse crotona sive tritin, quam Latini ricinum a similitudine seminis appellaverunt, quod semen Hebræi in libris suis & Ægyptii (apud quos frutex est frequentissimus) appellant kiki: unde factum est ut oleum ex eo semine Græcis & Latinis cicinum extera voce nuncupetur, quemadmodum ficinum externa voce appellatur susinû: murrinû videlicet nominibus ex iis partibus unde usus eorum allatus est, aut ubi sunt frequentissima. 6 quod fuisset passurus Jonas a sole æsto & æstu gravissimo. c Heb. percutiente. 7 i. duobus incommodis momento uno Jonam affecisset, nimirum vento calente sed lenissimo (qui ferè sudorem excitat) & sole torridissimo.

Deus

Deus [d] Eurum [8] silentem, ut percuteret sol caput
Jonę adeò ut deficeret animo; expeteretq; [e] se ip-
sum mori, dicens, præstat mori me quàm vivere.
9 Dixit autem Deus Jonæ, [9] an factum benè
quòd accensa est tibi *ira* propter istum ricinum?
qui dixit, factum benè *quòd* accensa est mihi *ira*
[10] ad mortem usque.

d *Heb. ventum Orientis.* 8 tenuissimum, qui aërem a sole inflammatum nō possit ita perspirare ut corrigeret, sed potiùs adjuvaret æstum: quamobrem silens aut surdus dicitur hic ventus διακριτικῶς, ut distinguatur ab altero Orientis vento qui sonorus est violentusq;, ut Exod. 14. 21. e *Heb. animam suam.* 9 a judicio singulari quod Jonas fecit de ricino, Deus tamquam typo adhibito evincit ipsum de jure & justitia sua in salute Ninevitarum procuranda, per comparationem minoris. 10 id est, eousque ut mortem expetiverim, fractus & confectus malis.

10 Cui dixit Jehova, [11] tu parcis isti rici-
no; pro quo non laborasti, & quem non edu-
casti; [f] qui [12] una nocte exstitit, & una nocte
periit:
11 Et ego non parcerem Nineve, civitati ma-
ximæ; in qua sunt plures duodecim myriadibus
hominum, [13] qui non norunt discrimen inter
dexteram suam & sinistram suam, jumentáque
multa?

11 id est, conservatum cupis: argumentatio vehementissima, illustrata multis & gravissimis antithetis, hoc & seq. versu. f *Heb. filius noctis exstitit, & filius noctis periit.*

12 id est, qui momento nascitur & emoritur: proverbialis circumloquutio rei momentaneæ: etsi ricinum repentè nasci testis est Plinius lib. 15. naturalis historiæ capite 7. 13 id est, planè pueri; periphrasis.

MICA.

ARGUMENTUM.

LIBER *Micæ Prophetæ totus versatur in prophetico dicendi genere: nam primùm impietatem & inhumanitatem Judæorum Jisraëlitarumq; a primoribus & prophetis fotam redarguit, & horribiles Dei minas de eversione proximè futura pronunciat; deinde verò sanctas reliquias secundùm electionem Dei liberandas consolatur promissionibus de Christo, de Evangelio, de administratione Evangelica, & de fructibus ad Ecclesiam perventuris.*

CAPUT I.

Propheta Judæis & Jisraëlitis eversionem utriusque regni, opidorumq; & regionis vastationem prædicit propter ipsorum maleficia: ideoq; popularibus, magistratibus, & prophetis inhumanitatem & impietatem exprobrat, quas in causa esse ostendit venturi illius judicii: ac postremò Ecclesiam consolans, amplitudinem ejus, liberationem a malis per adventum Christi, bonorumq; omnium plenitudinem ipsi prædicit affore in Evangelio.

VERBUM [1] Jehovę, quod fuit
ad Micam [2] Moraschthitem,
diebus Jothami, Achazi,
Jechizkijæ Regum Jehudæ;
quod vidit [3] super Schom-
rone & Jeruschalaimis.
2 [4] Audite populi, [a] quot-
quot estis, attende terra &
[b] qui eam implent: sitq; Dominus Jehovi [5] in
vobis testis, Dominus [6] e templo sanctitatis suæ.
3 [7] Nam ecce Jehova proditurus est [8] e loco
suo, & descendens calcabit [9] excelsa terræ:
4 Et [10] liquefient ipsi montes sub eo, & ipsæ
convalles [c] diffilient; [11] tamquam cera a con-
spectu ignis, [12] ut aquæ profusæ in declivem
locum:
5 Propter defectionem Jahakobi totum istud,
& propter peccata domus Jisraëlis: [13] cujus *est*
defectio [14] Jahakobi? [15] an non Schomronis? &
cujus excelsa Jehudæ? an non Jeruschalaimorū?
6 [16] Itaque disponam Schomronem [17] in a-
cervum [d] agrestem, ad plantaria [e] vineatica; &
[18] faciam ut diffluant in vallem lapides ejus, &
fundamenta ejus retegam.
7 Et omnia sculptilia ejus contundentur, ac
omnia donaria ejus comburentur igne, omniá-
que [19] terricula ejus disponam in vastationem;
quia [20] ex mercede meretricia collegit, [21] & dum
merces meretricia est avertuntur.
8 [22] Propterea plangam & ejulabo, incedens
[23] spoliatus & nudus: edam planctum [24] sicut dra-
cones, & luctum ut [f] pulli ululæ:
9 Quòd ægra sit *Schomron* [25] plagis suis; quòd
[26] pervenerit usque ad Jehudam, pertigerit usque
ad portam populi mei, Jeruschalaima usque.
10 [27] Gathi ne indicetis, [g] omnino ne fleatis:

1 Quinque hæc capita inter se cōjungenda esse & efficere justam concionem unam, facilè animadversuri sunt qui cum judicio & ratione Prophetæ verba expenderint. Sunt itaque duo hic distinguenda, inscriptio καθολικὴ sive universalis, versu 1. & prophetia ipsa ejus argumenti quod inscriptione continetur. Inscriptio autem (ut in cæteris Prophetis) exponit rem, personam, tempus, & argumentum prophetiæ: quæ singula ita sunt plana ut non videantur egere singulari aliqua interpretatione. 2 id est, oriundum ex oppido Morescheth, cujus mentio est infra ver. 14. Nam ut ad Mareschum alterum Jehudæ oppidum referamus prohibet forma nominis. 3 i. super regnis duobus, Jisraëlis & Jehudæ, quorum hæ fuerunt metropoles, & unde manarunt regnorum evertendorum causæ, vers. 5. synecdoche. 4 hujus prophetiæ (si exordium exceperis hoc versu comprehensum) duæ sunt omnino partes; una, propositio judiciorum Dei contra Judæos & Jisraëlitas, tribus capitibus; altera, consolatio sanctarum reliquiarum per promissiones Evangelicas, capite 4. & 5. a *Heb. omnes ipsi, ut Ijobi 17. 9.* b *Heb. plenitudinem ejus.* 5 cùm improbis & defectoribus, ut verbo Dei ampliùs evincantur & percellantur minis; tum etiam bonis, ut in promissionum exspectatione confirmentur: quæ duæ sunt concionis partes. 6 id est, e cælo, ut Psal. 11. 4. periphrasis, quam duo sequentes versus confirmant hoc loco statuendam esse. 7 in narratione hac judiciorum Dei primùm observanda est prolepsis, sive generalis propositio & judiciorum Dei, hoc & sequente versu; & causarum, ℣. 5. deinde verò singularis enarratio duorum membrorum prolepseos; tum judiciorum, reliquo capite: tum etiam causarum, duobus sequentibus: etsi utrique membro pro occasione, id est, judiciorum enarrationi interdum causæ asperguntur, & causarum enarrationi judicia. 8 id est, e cælo, ut modò diximus, Psal. 115. 3. 9 ut Deute. 32. 13. & 33. 29. 10 ut Psal. 97. 5. c *Heb. se diffindent.* 11 illustrat Propheta duo proximè præcedentia dicta comparationibus. 12 id est, ita abibunt convalles in glebas minutissimas & friatæ diffilient judicio Dei, ut aqua deorsum dejecta ex præcipitio hùc illùc diffilit in minutissimas guttulas.

13 ætiologia proximè præcedentis dicti a ratione peccatorum quæ in Jisraële & Jehuda obtinebant. Non est, inquit Propheta, singularis alicujus viri, familiæ, civitatis, loci, aut hujus tantùm ætatis, istorum regnorum defectio; sed ab ipsis regibus, regiisq; civitatibus profecta est, ab illis augetur, & in illis confirmatur: denique metropoles istæ in reatum publicum omnes regni utriusque cives adduxerunt, ipsosq; in eo obfirmant. 14 i. Jisraëlitarū regnum, quod decem partes in rege obtinebat, ut illi loquuntur, 2. Sche. 19. 44. 15 i. nonne reus est Rex, principes, comites, & populares Schomrone habitantes? sic seq. 16 prius hoc membrum prolepseos, ut diximus in ℣. 3. judicia Dei primùm enarrat in Jisraëlitas, duobus versib. & in Judæos, duobus alteris; deinde verò figurat ratione castrensi tamquam speculator, minutatim Judæis suis res futuras præsignificans, reliquo cap. 17 i. ut nihil è Schomrone supersit quàm acervus lapidū ruderumq; ut vinitores, quum plantaria vinearum curant, & novellant, lapides solent coacervare ad itinera extra vinearū septum. d *Heb. agri.* e *Heb. vineæ.* 18 gradatio. q. d. ac ne acervos quidem ipsos lapidum relinquam; sed exundabit judiciū meum ut torrens, lapides ejus ad ima usq; fundamenta everret, atq; deportabit: ut per Assyrios effectū est. 19 ut 1. Schem. 31. 9. 20 i. idololatriæ suæ & idólis accepta tulit bona sua, ut Hosche. 2. 5. & 8. & 12. 21 i. tantisper dum sua bona possident (quæ non mihi, sed suis idólis tamquam mercedes meretricias accepta ferunt) tantisper, inquam, avertuntur a me benignitate mea abutentes; Hosch. 2. 5. & seq. 22 enarratio judicii Dei contra regnū Jehudæ, ut diximus in ℣. 6. 23 nimirū veste mea prophetica; ut Jesch. 20. 2. 24 sic Ijob. 30. 29. f *He. filiæ.* 25 de quibus ℣. 6. & 7. 26 i. non constiterit plaga in Jisraëlis regno, sed Jehudā quoq; invaserit. 27 hypotyposis castrensi forma denuncians & figurans calamitates Jehudæ. De hac autem loquendi forma vide 2. Schem. 1. 20. g *Heb. flendo.*

[28] in domo Hophræ [29] pulvere te voluta.
11 h [30] Transi habitatrix elegantis *loci*, [31] nu-
data pudendis: non exibit habitatrix *loci* peco-
rosi, planctus *erit* i in [32] locis adjacentibus; *quæ*
accipiunt à vobis [33] constitutionem suam.
12 Nam dolebit [34] propter bonum habitatrix
k asperarum *sedium*; quum descenderit malum a
Jehova in portam Jeruschalaimorum.
13 [35] Junge currum [36] angariis, habitatrix La-
cischi; [37] origo peccati ipsa est cum filia Tzijonis,
quia in te inventæ sunt [38] defectiones Jisraëlis.
14 Idcircò [39] dato munera cum [40] Moresche-
tha Gathi: domus Aczibi [41] *erunt* l mendaces re-
gibus Jisraëlis.
15 Adhuc [42] hæredem adducam tibi, ô habi-
tatrix Mareschæ; [43] Hadullamum usq; perveniet,
[44] gloriam Jisraëlis.
16 [45] Glabra te & [46] tonde, propter filios de-
liciarum tuarum; dilata calvitium tuum, [47] ut a-
quilæ, quia migrant a te.

[28] i. in Binjamine; Jehosch. 18. 23. q.d. luctum proculagitato a Pelischthæorum finibus. [29] i. esto in luctu amarissimo: ut Jirmej. 6. 26. synecdoche. Alludit autem hîc & seq. versib. ferè Propheta ad ipsa locorum nomina quæ hîc adducuntur. h *Heb. transi vobis: pleonasmus.* [30] i. migra è regione tua cum luctu & dedecore maximo. Voces autem hoc versu positas, quas interpretes ferè ut proprias accipiunt, nos appellativè reddimus: nam consilium Prophetæ est inde ab hoc versu, Jehudæ suas calamitates prædicare, ut Binjamini proximè præcedente. Jehudæ autem agrum dividit in elegantem uberemque, & in asperum ac steriliorem: futurumq; omnino prædicit ut totus ager acerbissimo luctu perfundatur: quod ampliùs exornat seq. [31] i. non tantùm inelegans, sed etiam affecta dedecore turpissimo: ut Jeschah. 47. 3. i *Heb. in loco illius lateris: sic accipitur, 1. Sehem. 20. 41.* [32] i. incultioribus, quæ secundùm agros uberes sunt & de illorum copia fructum percipiunt. [33] i. rationem & quasi leges vitæ suæ accipiunt à locis uberibus, quia ex illorum copia aluntur commodiùs, ex inopia verò gravissima sentiunt incommoda; quod sequentis versus exegesis commonstrat. [34] videlicet amissum clade publica: ut sequentia docent. k *Heb. amararum.* [35] id est, fuge quàm poteris maximè & contentissimè; non effugies tamen; quum Regem tuum fugientem ad te non siveris effugere. [36] i. equis celeribus cursum latum (ut Jureconsulti vocant) decurrentibus. [37] i. Lacischani cives conscii, adeoq; auctores sunt cum civibus Jeruschalaimorum perfidæ illius conspirationis contra Regem Amatzjam factæ, quem Jeruschalaimani persequuti sunt, Lacischani verò prodiderunt & morte affectū miserunt Jeruschalaima: vide 2. Reg. 14. 19. [38] i. rea es earumdem defectionum quibus tenentur Jisraëlitæ, cùm hoc tuo facto peræque a domo Davidis defeceris. [39] i. redime pacem cum propinquis tuis quantùm voles: concessio ironica. [40] i. opido à Binjaminitis occupato, quod priùs ad regnum Gathi pertinebat: sic interpretamur ex 1. Chro. 8. 13. [41] i. fallent exspectationem regum Jehudæ imperantium reliquiis Jisraëlis. l *Heb. mendacio.* [42] i. extraneum, qui per longum tempus hæreditario jure obtineat possessionem tuam. De hoc autem & superiore opido vide Jehos. 15. 44. [43] de quo Jehos. 15. 35. [44] i. Jeruschalaima metropolin, & Tzijonem Dei Regisq; sedem, quam nominaverat suprà ver. 9. [45] apostrophe ad Tzijonem & Jeruschalaima: vide Jeschah. 22. 12. [46] ut Ijobi 1. 20. [47] Nam aquilæ calvitium est maximum.

CAPUT II.

1 VÆ cogitantibus iniquitatem, & dantibus
operam malo [2] in cubilibus suis; quod il-
lucescente manè faciant, quum est in potestate
manus ipsorum:
2 Qui concupiscunt agros quos rapiant, &
domos quas adimant: opprimentes virum cum
domo ejus, quemque cum possessione sua.
3 [3] Idcircò sic ait Jehova, ecce ego cogito
contra [4] familiam istam malum; unde non amo-
vebitis colla vestra, neque ambulabitis a [5] elatè,
quum tempus mali erit.
4 Tempore illo proferet de vobis parabo-
lam, & lamentabitur lamentum b summum *lamen-
tator* dicens, c [6] prorsus vastati sumus, portionem
populi mei [7] commutat *Deus*: quomodo adimit
mihi, *&* avertendo agros nostros partitur?
5 [8] Idcircò, *inquam*, non erit tibi [9] projici-
ens funiculum ad sortem, in congregatione Je-
hovæ.
6 [10] Ne stilletis, *inquiunt*, [11] stillent *istis*: [12] non
stillant secundùm istos, [13] non hæsurum esse *po-
pulum* ignominiis.
7 [14] O quæ diceris domus Jahakobi, [15] an
[16] angustatus esset spiritus Jehovæ? an [17] hæ
essent actiones illius? [18] nónne verba mea profu-
tura essent apud d *eum* qui rectè ambulat?
8 [19] Atqui heri [20] populus meus e [21] quasi
hostis insurgebat, f [22] quum adest vestis, togam
detrahitis; [23] a transeuntibus securè, quietis g a
bello.
9 Uxores populi mei expellitis, *quamque* e
domo [24] delitiarum suarum; a parvulis ejus au-
fertis [25] decorem meum [26] in seculum.
10 Surgite & abite, quia non *est* [27] hæc re-
quies; [28] propter impuritatem perditura est *vos*,
& quidem perditione præcisa.
11 [29] Si vir h ventosus, & falsus mentiatur
dicens, stillabo tibi pro vino aut pro potu inebri-
ante; [30] is stillator est populi hujus.
12 i [31] Omnino recipiam te, Jahakob, totum,
k omnino congregabo reliquias Jisraëlis, [32] simul
disponam eum ut [33] oves Botzræ; ut grex in

[1] Enarratio alterius membri prolepseos, ut diximus suprà 1. 3. videlicet causarum propter quas Deus adstatuendū & denunciandum tam grave judicium adducitur. Sunt autem hujus enarrationis causæ in universum duæ, quæ cum judiciis suis sigillatim comparantur: una est, inhumanitas cogitationum factorumq;, duob. ver. accersens severissimum Dei judicium, quod tribus versib. deinde exponitur; altera est impietas verbum Dei repudians & legem Deo ac prophetis dicens, vers. 6. quæ duo mala primùm redarguuntur cōtestatione vehementissima popularium, inde ad finem capitis; deinde verò principum primorumq; populi & prophetarum, tamquam inhumanitatis & impietatis auctorum, capite 3. [2] i. ne nocte quidem, quietis tempore & loco, supersedentibus a cogitando & informando malo. [3] applicatio judicii (ut diximus in vers. 1.) quo continetur servitus abjectissima, hoc versu, dedecus luctuosissimum, & depulsio ab Ecclesia & hæreditate Jehovæ, duobus ᴠᴠ. [4] Jisraëlis totius. a *Heb. elatione.* [5] ut modò facitis, infra ver. 8. b *Heb. lamentabile.* c *Hebr. vastando.* [6] hoc lamento continentur duo; querimonia, & postulatio causæ, cui Deus subjicit responsum sequente vers. [7] suos in regionem exteram deportando, & regionem suam exteris partiendo.

[8] ἀνθυποφορὰ respiciens ad principium versus tertii. Non erit (inquit Deus) quòd lamentatores tui queritentur quo pacto fiat ut hæc vobis adimam & illis concedam: jam enim exposita est causa, me idcircò effecturum esse quòd cogitetis iniquitatem, &c. [9] i. qui possessionem ampliùs distribuat tibi quod Deus primùm per Jehoschuham effecerat: vide Deutero. 32. 8. & 9. [10] altera causa, ut diximus in ver. 1. quam Propheta ex abrupto affert ad testandum indignationem gravissimam. Sunt enim hæc verba principum & popularium de prophetiis arbitratu suo judicantium. Nam hoc scelus eodem tempore in Jehuda factum esse ostendit Mica & Jeschah. 30. 10. quo etiam in Jisraële factum est, ut vidimus Hamos 7. 12. & 16. [11] videlicet pseudoprophetæ, qui blanda loquuntur nobis. De hoc autem stillandi verbo, vide Jechezk. 21. 2. [12] i. non prophetant ut isti prophetæ nostri: sic causam reddit populus cur prophetas Dei jubeat conticescere: ut 1. Reg. 22. 8. & seq. [13] summa pseudoprophetiarum quæ arridebant populo tamquam faustæ, contra quam Prophetæ Dei prædicabant ignominiosa omnia populo eventura: ut antè vidimus. [14] i. qui estis populus & Ecclesia Dei nomine tenus. Hinc autem (ut diximus in ver. 1.) incipit contestatio, qua Propheta vim spiritus Dei opponit populi instituto, hoc vers. quod institutum deinde explicat a populi inhumanitate à Deo punienda, usque ad ver. 10. & ab infidelitate, ver. 11. [15] contestationis fundamentum à persona Dei & populi, nititur dilemmate: si ita ut vultis (Propheta inquit) nos conveniret prophetare, alterutrum oporteret, aut Deum, aut vos reprehendendos esse novitatis istius nomine: nam aut spiritus Dei angustatus esset, ut non ampliùs posset, auderet, aut vellet eamdem rationem in dicendo & operando sequi, aut vos contumaces: atqui Deus est constantissimus semperq; sui similis in dicendo & benefaciendo rectis, hoc versu. Superest igitur ut vos ipsos damnetis contumaciæ, quum asperiores vobis enunciantur prophetiæ. [16] ne posset vobis mala prædicere, prædictaq; efficere. [17] i. an ita se gereret vera Ecclesia Dei & germana Jahakobi domus, ut vos geritis? quod exponitur versibus seq. [18] i. nónne si recti essetis animo, & rectè vivendi studio duceremini, apud vos locus esset sermoni meo? & meliores efficeret vos instituto vitæ, augeretq; promissionibus? d *Heb. rectum ambulantem.* [19] explicatio antithetos inhumanitatis & infidelitatis populi; ut diximus præcedente versu. [20] i. his paucis annis, memoriaq; recentissima: synecdoche, ut Jeschah. 30. 34. e *Heb. in hostem.* [21] i. non secus quàm hostis, tum in reges suos conspirabat, & in regno utroq; maximam portam aperiebat nequitiæ & latrociniis, tum regnū unum in alterum invehebatur hostilibus grassationibus. Nam in regno quidem Jehudæ Joasch, & Amatzja suorum conspirationibus occisi sunt, in Jisraële verò Nadab conspiratione Bahascha & Joram conspiratione Jehu: denique regnū unum ab altero est frequentissimè infestatum. f *Heb. e regione vestis togam denudatis.* [22] i. quum nulla necessitate constringimini, sed rebus omnibus abundatis; nihilominus tamen adducti sola libidine in res alienas involatis: nam species una latrociniorum pro genere accipitur. [23] exaggeratio criminis a persona eorum quibus fit injuria. g *Heb. belli.* [24] i. charissima, ubi ipsis futuræ essent deliciæ in virorum liberorumq; complexu: sic gradatim auget maleficentiam populi, quòd nulla sexus aut ætatis ratione abducatur à malo. [25] i. ornamenta juraq; omnia honoratissima quæ ipsis attribui lege. Nam Jisraëlitæ omnes inde à cōceptu libertatem & gloriam omnem filiorum Dei Ecclesiæq; obtinebant; sed latrociniis & bellis inter duo regna intercedentibus ne pueros quidē pro fratribus & cohæredibus fœderis promissionumq; habebant, sed in miseram duramq; servitutem trahebant, velut extraneos: vide exempla, 2. Chro. 28. [26] i. ista indesinenter facitis. [27] nimirū terra, q.d. non ampliùs futura est vobis stabilis & tranquilla sedes. [28] quā impurastis ipsam: confer cum Levit. 8. 25. & seq. [29] altera pars explicationis de infidelitate, ut diximus versu 7. h *Heb. ambulans ventis, & falsitate.* [30] id est, Propheta acceptus populo: vide suprà vers. 6. i *Heb. recipiendo.* [31] παρεμβολὴ sive interjectus minarum quas Deus in populum Jehudæ & Jisraëlis pronunciavit antè dictæ inhumanitatis & infidelitatis nomine: prout causarum enarrationi monuimus judicia interseri suprà 1. 3. Ludit autem Propheta ex ambiguo in hoc versu, & ludificatur pseudoprophetarum verba, quasi promissiones amplissimas faceret verbis Dei de ventura Jehudæ & Jisraëlis adunatione; sed quo consilio faciat demonstrat apertissimè sequente versu. k *Hebr. congregando.* [32] ut simul quàm maximo numero in captivitatem tamquam in exteram caulam deportentur. [33] de qua Jirmej. 48. 24. oppidi Moabitarum, qui pecuarii erant maximi, 2. Reg. 3. 4.

medio

medio ovilis sui, perstrepent præ *multitudine* hominum.

13 [34] Ascendit [35] effractor in conspectu eorum, [36] perruperunt transeuntes portam qua egrediuntur: transitq; [37] Rex eorum ante ipsos, & Jehova [38] in principiis illorum.

[34] hypotyposis, qua Propheta judicium populo superventurum quodammodo oculis exhibet, & res quasi præsentes narrat. [35] Assyrius & Babylonius. [36] sic enim capta sunt Schomron, & Jeruschalaima. [37] Hoschean, & Tzidkija, 2. Reg. 17. & 25. in captivitatem abducti. [38] i. dux primi agminis, totiusq; hostilis exercitus, ut perficiat quæ dixit præcedente versu.

CAPUT III.

[1] QUapropter dico, [a] audite jam primores Jahakobi & ductores domus Jisraëlis; an non vestrum *est* scire ipsum jus?

2 Osores *sunt* boni, & amantes mali; [2] rapientes cutem istorum ab eis, & carnem eorum ab ossibus ipsorum:

3 Et [3] quod comedunt caro *est* populi mei; & cutem eorum ab eis nudant, ac ossa eorum diffringunt: dividuntq; ut quod *est* in olla, & velut carnem quæ *est* in lebete.

4 [4] Tunc inclamabunt Jehovam, & non exaudiet eos: sed abscondet faciem suam ab eis tempore illo, quemadmodum malè instituerint actiones suas.

5 [5] Sic ait Jehova contra illos Prophetas, qui in errorem inducunt populum meum; qui [6] mordentes suis dentibus proclamant pacem, & in eum qui non indiderit ori ipsorum, indicunt bellum:

6 Idcircò [7] nox *erit* vobis a visione, quæ obscuritatem afferet vobis ne divinetis; & occidet sol super istos Prophetas, atrabitúrque super eos dies:

7 Ita erubescent isti videntes, & pudore suffundentur isti divinatores, [8] obvelabúntque mystacem suum quotquot erunt: quia [9] nulla *erit* exauditio Dei.

8 [10] Verumtamen ego repletus sum [11] virtute a spiritu Jehovæ, judicióque, & potentia; ad indicandum Jahakobo [12] defectionem ipsius, & Jisraëli peccatum ipsius.

9 [13] Audite jam hoc primores domus Jahakobi, & ductores domus Jisraëlis; qui abominantur jus, & quicquid est rectum pervertunt:

10 Quisquis [14] ædificat Tzijonem cædibus, & Jeruschalaima iniquitate.

11 Quorum primores munere judicant, & quorum sacerdotes pretio docent, & quorum Prophetæ pecunia divinant; intereà [15] Jehova nituntur dicendo, an non Jehova in medio nostri *est*? non superveniet nobis malum.

12 Idcircò vestra causa [16] Tzijon *ut* ager arabitur; & Jeruschalaima [a] in acervos abibunt, & mons ipsius domus in excelsa [b] sylvosa.

[1] Altera pars cōtestationis, qua Propheta (postquam populum totum admonuit capite proximo) nominatim principes populi & prophetas velut inhumanitatis & impietatis auctores compellat: quemadmodum exprobrat infrà ver. 12. principes quidem, versibus quatuor; prophetas verò, quatuor alteris: ac postremò universalem denunciationem adhibet ut finem cōtestandi faciat, quatuor ultimis. [a] *Deut. 17. 18. & seq.* [2] i. omnibus modis absumentes ferissimè. [3] ut Psal. 14. 4. hic autem ferinam principum inhumanitatem Propheta persequitur lanionum & coquorum similitudine. [4] videlicet quum immittet ea quæ denunciavit, suprà 2. 12. & 13. [5] contestatio in pseudoprophetas: ut diximus ver. 1. [6] id est, quum ipsis datur quod mordeant, & undè curent abdomen suum, ut suprà 2. 11. [7] i. tot & tantis malis (quæ cum nocte tenebrisq; ferè comparantur) obruemini, ut ampliùs non vacet vobis noctu somnia, interdiu visiones adducere, & divinationes vestras in locum eorum obtrudere. [8] ut Levit. 13. 45. & Jechezk. 24. 17. & 22. [9] ut suprà vers. 4. [10] oratio antithetos; qua Propheta administrationem suam & prædicationem comparat cum pseudoprophetarum factis, & transitum facit ad sequentem conclusionem hujus contestationis. [11] non cibo, potu, aut humanis muneribus; ut illi dicuntur versu 5. [12] conjunctam supplicio suo, non autem pacem quam illi prædicant suprà 2. 6. & 11. & hujus capitis versu 5. [13] conclusio totius contestationis, ut diximus vers. 1. [14] id est, domos exstruit, & urbem excolit artibus nefariis. [15] id est, eo niti se prædicant, ut Jirm. 7. [16] id est, vestra illa urbs cui confiditis ita evertetur, ut pars in arva, pars in rudera, pars denique in sylvam abeat. [a] *Hebr. acervi erunt.* [b] *Heb. sylva.*

CAPUT IIII.

[1] [a] SEd erit [a] ultimis temporibus, *ubi* constitutus fuerit mons domus Jehovæ in vertice aliorum montium, & elatus fuerit supra colles; ut confluant ad eum populi:

2 Eántque gentes multæ dicentes, venite ut ascendamus in montem Jehovæ, & in domum Dei Jahakobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus; nam Tzijone prodit doctrina, & verbum Jehovæ Jeruschalaimis:

3 Qui judicem aget inter populos multos, & corripiet gentes validas [2] in longinquum usque; ut tundant gladios suos in ligones, & hastas suas in falces, non attollant [b] gens una in alteram gladium, neque discant ampliùs bellum;

4 Sed [3] confideant quisque sub vite sua, & sub ficu sua, nemine deterrente: quia os Jehovæ exercituum loquutum est.

5 [4] Nam omnes populi ambulant quisque in nomine Dei sui; nos autem ambulabimus in nomine Jehovæ Dei nostri in seculum & in æternum.

6 [5] Tempore illo, dictum Jehovæ, recipiam [6] claudicantem, & [7] depulsam congregabo; [8] & quam malis affecero:

7 Et disponam claudicantem in reliquias, & procul disjectam in gentem validam; regnabitq; [9] Jehova super eos in monte Tzijonis ex hoc tempore usque in seculum.

8 Et tu [10] turris gregis, [11] clive filiæ Tzijonis, ad te usq; perveniet; & adveniet dominium illud primarium, regnum [12] filiæ Jeruschalaimorum.

9 [13] Nunc quare vociferaris [c] indesinenter? an Rex nullus *est* in te? an consiliarius tuus periit, quòd deprehenderit te dolor similis parturientis?

10 [14] Parturi & ede *partum*, filia Tzijonis, tamquam puerpura; quum jam egressa ex urbe habitaveris in agro, ac perveneris Babyloniam usque, ibi liberaberis, ibi vindicabit te Jehova e manu inimicorum tuorum.

11 Nam quamvis jam conveniant contra te gentes multæ, quæ dicunt, [15] contaminetur, [16] & videat in Tzijone oculus noster:

[1] Jam sequitur altera concionis pars, ut diximus supra 1. 2. nimirum consolatio sanctarum populi reliquiarum per promissiones Evangelicas. Qua in parte tria potissimum habentur membra: primum est, prolepsis sive propositio summa Evangelicarū promissionum, de bonis conferendis, & avertendo omni malo, versibus quinque; secundum, enarratio promissionis ὕστερον πρότερον, de malis avertendis quibus potuisset abduci & labefactari piorum fides, usque ad finem capitis; tertium denique bonarum promissionum amplior enarratio, capite 5. De hac autem prolepsi vide Jeschah. 2. unde hæc ferè ad verbum exscripta sunt. [a] *Jescha. 2.* [a] *Heb. in extremitate dierum.* [2] i. usque ad fines terræ extimos, Psal. 2. 8. & 72. 8. [b] *Heb. gens in gentem.* [3] i. securissimè fruantur suo: ut 1. Reg. 4. 24. quā securitatem aliter figurat Jeschah. 11. 6. & sequentibus, & 35. [4] ætiologia antegressæ promissionis à natura & fœdere Dei, quæ amplificatur antithesi deorum quibus confidunt exteri: similem vide Psal. 20. 8. [5] secundum membrum (ut diximus ver. 1.) per ὑστέρωσιν ostendit piis non esse metuendum ut ullo malo à fruendis Dei promissionibus avertantur. Deum enim omnia mala tum ab ipsorum infirmitate, tum ab exterorum injuriis importata sublaturum esse adventu Christi, tribus versib. qui promissionis locus exornatur reliquo capite. [6] vide Jeschah. 35. [7] ex promissione, Deut. 30. 3. & sequent. [8] brevis occupatio, ne pii malorum sensu fatiscerent; qua ostendit Deus non omnes quos malis affecerit perituros in malis, sed virorum bonorum esse, ut mala superent freti exspectatione promissorum Dei. [9] Christus, æternum Ecclesiæ caput. [10] hoc nomen etsi alibi non meminimus in scriptura legere, tamen ex analogia statuimus eam fuisse turrim quæ imposita erat portæ gregis ad meridiem urbis, de qua Neehem. 3. 1. quemadmodum proxima turris centenaria, & tertia ab hac turris Chananeelis vocabatur: atque eandem ob causam fuisse turrim gregis appellatam, quia per portam huic turri substructam greges intromittebantur in forum pecuarium proximum, & in piscinam de qua Joan. 5. 2. sic confirmat Deus fore ut Christus in possessionem justam Ecclesiæ mittatur, cujus olim typus fuit Jeruschalaimis: nam hac porta patebat aditus tum in regiam, templum, & munitionem Tzijonis, tum in utraque Jeruschalaima. [11] de quo 2. Chr. 27. 3. & Neche. 3. [12] i. Ecclesiæ regnaturæ in Christo. [13] exornatio præcedentis promissionis per occupationem: dixeris fortasse (inquit Deus) te gravissimis angi doloribus, qui nihil commune habeant cum magnificis promissis meis; ac propterea abrepta infirmitate judicabis tibi jam Regem nullum aut consiliarium superesse, hoc versu; sed Jehova Rex æternus & consiliarius est, versu sequente; qui consilium hostium novit, suumq; asservat, & suo tempore exsequitur ad gloriam suam, Ecclesiæ salutem, & adversariorum exitium, tribus versibus ultimis. [c] *Heb. vociferatione.* [14] id est, perfer æquo animo ad tempus hunc dolorem tuum, imitata puerperam, & sciens tristitiam tuam evasuram in gaudium: ut Christus loquitur Joan. 16. 20. & sequentibus, sic infrà 5. 3. [15] id est, polluamus eam cædibus: ut Numer. 35. 33. & Psalm. 106. 38. [16] nimirum præstitam contaminationem hanc: sic explicat consilium adversariorum Ecclesiæ, ut Jeschah. 10. 7. & sequentibus.

12 Ipsi ignorant cogitationes Jehovæ, neque
intelligunt consilium ejus; eum congregare ipsas
[17] velut manipulum in aream.
13 [18] Surge & tritura filia Tzijonis, nam [19] cor-
nu tuum reddam ferreum, & ungulas tuas red-
dam chalybeas, ut comminuas populos multos:
& anathemate devovebo Jehovæ quæstum eo-
rum, & facultates eorum Domino totius terræ.

17 i. triturandas, ut mandatur Ecclesiæ sequente versu. 18 hortatio ad Ecclesiam piorum per hypotyposin, quasi jam in rem præsentem adducta esset Dei promissionibus: nam promissiones ponuntur duæ, Ecclesiam confirmatum iri ut hostes expugnet, & prostratos conculcaturam esse, idque sola virtute Dei Ecclesiam fortificantis, & hostes cum rebus ipsorum omnibus devoventis anathemati perpetuo. [19] ut 1. Schem. 2. 1.

CAPUT V.

[1] NUnc turmatim coito, [2] ô [a] turmaria, [3] obsi-
dionem disponens contra nos: [4] virga per-
cutiant in maxilla judicem Jisraëlis.
2 [5] At tu Beth-lechem [6] Ephratæ, [7] minima
[b] ut sis [8] in ducibus Jehudæ, ex te mihi prodibit
[9] futurus dominator in Jisraële; [10] cujus exortus
inde a principio, a diebus seculi *sunt*.
3 [11] Idcircò exponet *quidem* eos usq; ad tem-
pus [12] *quo* parturiens pepererit; quum [13] residu-
um fratrum ejus revertentur cum [c] Jisraëlitis;
4 Et permanebit ac pascet robore Jehovæ,
excellentia nominis Jehovæ Dei sui: & habita-
bunt, quum jam magnus erit usque ad fines terræ.
5 Eritq; ille [14] pax: [15] quum venerit Assyrius
in terram nostram, & quum calcaverit palatia
nostra, constituemus super eum [16] septem pasto-
res, & octo toparchas [17] ex hominibus:
6 Qui pascant terram Assyriorum gladio, &
terram [18] Nimrodi in ostiis ejus: [19] eripietq; ab
Assyrio, quum veniet in terram nostram, & quum
calcabit terminum nostrum.
7 [20] Itaque erunt reliquiæ Jahakobi [d] inter
populos multos, [21] sicut ros à Jehova, & ut te-
nues pluviæ super herbam; [22] quæ non exspectat
virum, neque præstolatur filios hominis.
8 Erunt etiam reliquiæ Jahakobi in gentibus,
inter populos multos, velut leo inter bestias syl-
væ, ut juvenis leo inter greges ovium; qui si *quà*
transit, & calcat & rapit nemine eripiente.

1 Altera pars enarrationis, de bonis à Deo promissis Ecclesiæ; quò transitus comparatur sarcasmo in hostes amarulentissimo, quum Ecclesia freta præcedente Dei promissione adhibet, ut meliùs exponat gloriationem suæ fidei adversus omnes injurias, hoc vers. Continet itaque hic secundus enarrationis locus primùm promissionem personæ Christi, in quo totus sermo Dei est etiam & amen; deinde officia illius reliquo capite. 2 gens Assyriorũ & Babyloniorum. a *He. filia turmæ.* 3 i. nos agens, & crucians, circumsidensq; malis ab omni parte. 4 i. indignissimè & abjectissimè populum totum Jisraëlis & reges exagitent: proverbiale loquendi genus, ut Psal. 2. 8. 5 primus enarrationis bonorũ promissorum locus, de persona Christi, quæ una turmariis omnibus ab Ecclesia objicitur, ut Jesch. 9. 6. 6 genitivus additus *διακριτικῶς*, quia alterum fuit Beth-lechem Zebulunis, Jehoschu. 19. 15. Hoc autem est Jehudæ, nominatum ab Ephratha uxore Calebi, cujus mentio est 1. Chro. 2. 19. & seq. 7 occupatio, qua ostendit Propheta non deterreri Ecclesiam tenuitate loci ubi Christus erat nasciturus, quin certa fide amplectatur promissiones Dei: quam occupationem Pharisæi Herodem compellantes ex veritate & pro temporũ ratione non imprudenter commutârunt, Matt. 2. 6. b *Heb. ex sistendo.* 8 sic interpretamur ex Matthæo, ut Judic. 6. 15. 9 Christus caput Ecclesiæ. 10 i. declarationes & demonstrationes tamquam exorientis solis, q. d. qui inde a principio se ipsum patefecit demonstravitq; rebus creatis omnibus luce verbi sui, & virtute operum; quemadmodum exoriens sol luce & effectis suis inde ab exortu se ipsum aperit. Nam in principio erat verbum, &c. omnia per ipsum facta sunt, &c. Joan. 1. 11 secundus enarrationis bonorum promissorum locus duas partes continet: unam, simplicem propositionem propheticam, usque ad ver. 10. alteram, confirmationem verbis ipsius Christi jam tum Ecclesiæ suæ promissiones easdem prædicantis, ad finem usque. Utrobique autem continentur duo: nimirum electorum salus, & in hostes imperium. 12 vide supra 4. 10. 13 i. reliquiæ gentium à Deo cooptatæ in Christo se adjungent Ecclesiæ: ut Heb. 2. 11. & 12. c *He. c. filiis Jisraëlis.* 14 ut sequentibus verbis exponitur typicè pax Ecclesiæ in Christo. 15 quod prædixit suprà 4. 9. & seq. de Assyrio & Babylonio: synecdoche. 16 i. tot præsides & præfectos, quot erunt opus ad regendos & continendos hostes ex auctoritate Christi & Ecclesiæ: numerus finitus pro infinito. 17 i. & quidem tanta facilitate hostibus imperabit virtus Christi, ut vel ii qui minimi fiunt in Ecclesia, coërcere illos & regere possint dono & vocatione ejus: nam Jisraëlitæ & Judæi omnes inde à deportationis tempore gentibus abjectissimi & ad servitutem nati dicebantur. 18 i. Babyloniam, & terram Schinharis, Gene. 10. 10. 19 i. ab omnibus hostibus vindicabit, Luc. 1. 71. 20 *ἐργασία* duarum præcedentium promissionis partium per elegantissimas similitudines: nam sancta Ecclesiæ inter electos è gentibus administratio per Evangelium, cum rore & pluvia commoda, hoc ver. terribilis verò administratio contra hostes cum leonis violentia comparatur, duobus seq. d *Heb. in medio populorum: sic V. seq.* 21 nam administris Evangelii ipse effectus verbi tribuitur, tamquam si ipsi ros essent qui irrorant agrum Dei; simile vide 2. Cor. 2. 15. 22 i. quæ a solo Deo pendet, liberrimeq; ab ipso defunditur.

9 [23] Elata erit manus tua supra hostes tuos, &
omnes inimici tui exscindentur.
10 [23] Nam erit die illo, dictum [24] Jehovæ,
[25] quum exscidero equos tuos in medio tui, &
perdidero currus tuos,
11 Exscindensq; civitates terræ tuæ, destruxe-
ro omnes munitiones tuas,
12 Et exscidero præstigias è manu tua, adeò
ut planetarii non sint tibi,
13 Exsciderőq; sculptilia tua, & statuas tuas
è medio tui, ut non incurves te ampliùs *honorem*
habens operi manuum tuarum,
14 Et evellero lucos tuos è medio tui; [26] ut
perdam adversarios tuos,
15 Faciamq; ira & excadescentia vindictam
contra gentes; quæ non auscultaverint.

23 altera pars secundi in enarratione loci, ut diximus versu 3. 24 i. Christi dominatoris, cujus exortus inde a principio, &c. ut suprà vers. 2. Hæc enim de Christo accipienda esse hoc saltem indicat, quòd Jehova hîc se facturum dicit ea quæ Propheta dixerat à Christo factum iri, nimirum abolitionem mali, de qua præcedente capite; & communicationem boni, hoc capite promissam. 25 id est, quum te malis quamplurimis oneravero, duobus versibus, atque ita purgavero à maleficiis, & impietatis tuæ instrumentis, tribus V. 26 id est, ut tum demum severitatem judiciorum meorum in illis exerceam.

CAPUT VI.

Deus agrum Jisraëlitarum contestatus contendit cum populo suo, exponens beneficia in eum collata, documentaq; tradita de officio ejus; & contrariam populi vitam redarguens minas legis denunciat ipsi; reliquias verò piorum tenuissimas ac penè nullas monet, ut à seculo suo caveant, Deo uni confidant, peccata confiteantur, justitiamq; ejus exspectent, & promissiones instaurationis gloriosæ: quarum nomine Ecclesia consolationem accipiens celebrat gratuitam Dei misericordiam.

[1] AUdite jam quod Jehova edicit; surge, con-
tende cum [2] istis montibus, & audiant isti
colles vocem tuam.
2 Audite montes [3] contentionem Jehovæ,
& robustissima [4] fundamenta terræ: nam con-
tentio Jehovæ *est* cum populo suo, & cum Jisra-
ële disceptaturus est.
3 [5] Popule mi, quid feci tibi? & quo [6] fatiga-
vi te? testificare contra me.
4 [7] Quum educens te e terra Ægypti, e do-
mo servorum redemissem te; & præmisissem tibi
Moschen, Aharonem, & [8] Mirjamum:
5 Popule mi, recordare jam [9] quid consilii
iniverit [10] Balak rex Moabitarum, & quid respon-
derit ei Bilham filius Behoris; [12] ut agnoscens
[a] justè facta Jehovæ à Schittimis Gilgalem us-
que, *dicas*,
6 [11] Quánam re *instructus* veniam ante Jeho-
vam, incurvabo me *honorem habens* Deo [b] excelso?
veniámne ante eum cum holocaustis? cum vitu-
lis [c] anniculis?
7 An accepta haberet Jehova millia arietũ?
[12] myriadas torrentium olei? an darem primo-

1 Hujus prophetiæ in universum membra sunt tria: primum est exordium conjunctũ inscriptione totius prophetiæ, duobus versibus; secundum, contentio sive contestatio contra Judæos & Jisraëlitas, reliquo capite; tertium, querimonia bonorum, & consolatio à promissionibus Dei, capite 7. Primæ autem partis emphasis est vehementissima per prosopopœiam, quòd Deus cum Jisraëlitis disceptaturus montes potiùs & cautes durissimas quàm Jisraëlitas ipsos contestatur: ut Deut. 32. 1. 2 id est, montosis regionibus istis Jisraëlis & Jehudæ; ut Exod. 15. 17. 3 quæ deinceps exponitur à vers. 3. 4 i. montes ad imum usque: ut Deut. 32. 22. & Psal. 18. 8. 5 contentio hæc tribus partibus continetur: prima est propositio juridica per interrogationem, hoc versu, cujusmodi habetur Jeschah. 5. secunda est narratio beneficiorum Dei & documentorum ad officium populi pertinentium, usque ad vers. 10. tertia est peccatorum populi exprobratio, conjuncta denunciatione judiciorum Dei, ad finem usque capitis. 6 nimirum ut fastidias cultum meum & officium tuum. 7 narratio beneficiorum Dei summatim, hoc & sequente ver. cui subjicitur narratio documentorum, quatuor reliquis. 8 sororem Moschis & Aharonis; quam propterea hoc loco nominat quod propheticum quoque spiritum habuerit, eáque duce mulieres ex Ægypto egressæ hymnum Deo cecinerint: vide Exod. 15. 20. & seq. & Num. 12. 2. 9 i. cogita apud te, cum quibus artibus & quàm variis eversionem tuam hostes tui procuraverint; tum quàm justè & gratiosè Deus malefacta tua partim castigaverit Schittimis, Nu. 25. partim purgaverit renovato ad Gilgalem fœdere, Jehos. 5. [10] Nu. 23. & 24. 10 Hebræam verborũ *ὑπαλλαγὴν* perspicuitatis causa mutavimus. a *Heb. justitias.* 11 propositio documentorũ, primùm per *ἄρσιν* sive *ἀναίρεσιν*, duobus versibus; deinde per *θέσιν*, duobus alteris. b *Hebr. excelsitatis.* c *Hebr. filios anni.* 12 elegantissima hyperbole, ut Ijobi 20. 17.

genitum

genitum meum *pro* defectione mea? fructum ventris mei *pro* peccato animæ meæ?

8 [13] [c] Indicavit tibi, ô homo, quid *sit* bonum: [d] ecquid Jehova requisivit abs te, nisi ut exerceas jus, & ames benignitatem, & [d] modestè ambules cum Deo tuo?

9 Vox Jehovæ [14] ipsi civitati prædicat, ([15] nam quod res est videt [16] nomen tuum) audite [17] virgam, & quis [e] accersat istud.

10 [18] Adhuc [19] sitne cuiquam domus improbi? thesauri improbitatis? & epha [f] minutum detestabile?

11 An purum haberem *quemquam* cum lancibus improbitatis, & inditis loculo [g] ponderibus dolosis?

12 Cujus *civitatis* divites pleni sunt violentia, & habitatores loquuntur falsum; quorum lingua dolosa *est* in ore ipsorum?

13 [20] Quin imò ego [21] ægritudine afficiam percutiendo te; desolando propter peccata tua.

14 Tu comedes, sed non saturaberis, & depressio tua *erit* in medio tui: & [22] amovebis, sed non liberabis, quod autem liberaveris, gladio tradam.

15 Tu seres, sed non metes; tu calcabis olivas, sed non unges te oleo, & mustum, sed non bibes vinum.

16 Etenim assiduè observat statuta [23] Homri, & totum opus domus [24] Achabi, ambulatisque in consiliis eorum: ut dedam te desolationi, & habitatores ipsius [25] sibilo, itaque [26] opprobrium populi mei portetis.

[13] hæc documentorum διαίρεσις exponit duo: nam primùm ostendit generalia documenta legis de officio humanitatis atque pietatis, hoc versu; deinde singularia propheticarum documenta, reprehensiones, & minas, versu seq. [c] Deu. 30.15. [d] Deu 10.12. [d] Heb. modestè facias ambulando. [14] Jeruschalaimorum, ac proinde Jisraëlitis omnibus; cum in ea civitate fuissent omnia officia pietatis & humanitatis colenda longè religiosius quàm alibi, propter præsentem majestatem Dei: sic inest huic voci emphasis synecdochica. [15] id est, pernovisti quicquid in civitate est, etiam occultissimū: apostrophe ad Deum: sic transitum parat Propheta ad tertium contentionis locum, perstringens peccata populi & judicia sua, hoc versu. [16] id est, majestas tua nominatissima. [17] id est, & prædictionem de judicio quo flagellandi estis, & quis in causa sit cur hac virga flagellandi sitis: quæ duo in sequente loco ὕστερον πρότερον explanantur. [e] Heb. desponsit. [18] tertius contentionis locus, ut diximus in versum 3. quo exponitur primùm qua culpa flagellum Dei accersatur, tribus versib. deinde virga sive flagellum venturum exponitur, tribus alteris; & utrumque summatim conjungitur, versu ultimo. [19] id est, an adhuc, postquam tot monitis sollicitavi vos, perstare oportet familias in improbitate sua, & a majoribus quamdam velut hæreditatem maleficiorum obtinere? [f] Heb. macici. [g] Heb. lapidibus doli: ut Levit. 19.36. [20] declaratio virgæ, qua populum cæsurus erat Deus; ut diximus versu 10. [21] ex interminatione Levit. 26.16. ut Jeschah. 1.5. [22] nimirum res tuas pretiosas à conspectu hostium. [23] de quo 1. Reg. 16.27. [24] de cujus malitia ibidem versu 32. [25] vide 1. Reg. 9.8. [26] id est, quo ego justè sum affecturus populum quem mihi adoptavero.

CAPUT VII.

[1] HEi mihi, [2] quum sim tamquam [a] interceptis æstivis fructibus, tamquam *interceptis* racemis vindemiæ; [3] nullus *est* botrus ad comedendum, præcocem fructum desiderat anima mea.

2 [4] Periit benignus è terra hac, & rectus in hominibus his nullus *est*: [b] quotquot sunt, ad cædes insidiantur, quisque fratrem suum venantur plagis.

3 Ut malefaciant ambæ manus [c] strenuè, princeps poscit, & judex [5] pro retributione: & qui magnus est, eloquitur [6] ærumnam [d] desideratissimam sibi ipse, [7] quam contorquent.

4 Optimus istorum similis *est* [8] spinæ, rectissimus [9] præ spineto *est*: dies [10] speculatorum tuorum, animadversio tua advenit, [11] nunc erit perplexitas istorum.

5 Ne creditote amico, ne confiditote duci: [12] ab ea quæ cubat *in* sinu tuo observa fores oris tui.

6 Nam filius turpitudine afficit patrem, filia insurgit in matrem suam, nurus in socrum suam; inimici cujusque *sunt* [e] domestici ipsius.

7 [13] Quapropter ego Jehovam versus speculabor, præstolabor Deum salutis meæ; exaudiet me Deus meus.

8 [14] Ne lętator, inimica mea, de me, quum cecidero, surgam: quum sedero in tenebris, Jehova illucescet mihi.

9 [15] Indignationem Jehovæ feram, quia peccavi in eum; usque dum contendat [16] contentionem meam, & exerceat jus meum, producens me in lucem ut [f] fruar justitia ejus.

10 Nam [17] respiciens inimica mea operies eam pudore, dicentem mihi, ubi est Jehova Deus tuus? oculi mei videbunt illam, nunc futura est conculcationi ut lutum platearum.

11 [18] Quo die [19] ædificaturus est macerias tuas, eo die in longinquum abibit [20] decretum:

12 Die *inquam* illo, quum [21] ad te venturus est inde ab Assyria usque ad [22] civitates [g] munitas; & inde à civitatibus munitis usque ad flumen, & [h] ad mare unum ab altero, & à monte uno ad alterum:

13 [23] Postquam fuerit hæc terra desolationi propter habitatores ipsius, propter fructum actionum ipsorum:

14 [24] Pasce populum tuum cum [25] pedo tuo, gregem possessionis tuæ [26] habitantem solitariè, *in* sylva, in medio arvorum; depascant Baschanem & Gilhadem, ut diebus [h] priscis:

15 Ut diebus quibus egressus es è terra Ægypti, faciam ut videat ille mirabilia.

16 Videntes Gentes erubescent præ tota potentia illorum; imponent manum ori, aures illarum obsurdescent:

17 [27] Lingent pulverem ut anguis, ut serpentes [i] terrestres, commovebuntur è claustris suis: ad Jehovam Deum nostrum [k] pavidi accurrent, & timebunt à te.

18 [28] Quis *est Deus* fortis par tibi? condonans iniquitatem, & præteriens defectionem reli-

[1] Tertia hæc concionis pars duo summatim continet, querimoniam Prophetæ & piorum omnium, quòd nusquam ne apud intimos quidem & summè necessarios inveniant pietatem & fidem, septem versib. & consolationem, toto capite reliquo. [2] id est, cùm æquè destituar bonis & justis viris, atque destituuntur viatores fructibus & uvis, quum pomaria aut vites pervasit vis aliqua major, & fructus speratos sustulit. [a] Heb. interceptionibus æstivi fructûs. [3] exegesis verborum præcedentium per ὑστέρησιν. [4] explicatio similitudinis præcedentis de communi improbitate popularium, hoc versu; principum primorumque, versu 3. & 4. & necessariorum sive conjunctissimorum hominum perfidia inter se, versu 5. & 6. gradatio. [b] Heb. omnes ipsi ad sanguines. [c] Heb. benefaciendo. [5] maleficii sui accuratissimi. [6] qua afficiat fratrem suum, prout exprobratum est suprà 2.1. [d] Heb. animi, id est, desiderii sui. [7] id est, quam injuriam communicatis inter se consiliis confirmant, & tamquam lorum aut restem ex multiplici filo contextam (ut Plautus loquitur) contortuplicant. [8] ut Jechezk. 2.6.

[9] id est, tortuosior est & magis aculeatus quam spinetum ullum. [10] id est, prophetarum tuorum casus communis tecum: hoc enim translatitium est prophetarum in scripturis epitheton, quò spectat Propheta ver. 7. [11] id est, quando quidem perplexitate delectantur, implicabuntur inter se omnes gravissimis malis judicio Dei. [12] id est, conjuge, periphrasis. [e] Heb. homines domus. [13] quum nulla sit pietas, justitia & fides, ab omnibus istis planè abstinebo, ut me sistam & adhæream Deo meo, sic ex antithesi sermonis præcedentis transitur ad secundum locum de consolatione Ecclesiæ. [14] consolationis ecclesiæ, quam postremo loco à Propheta poni diximus supra versu 1. argumenta duo per prolepsin ponuntur, hoc versu: unum, instabilitas lætitiæ quam hostes percipiunt ex Ecclesiæ malis, alterum, mirificentissima Ecclesiæ liberatio, & salus gloriosissima: quorum prius duobus versibus proximè sequentibus, posterius verò septem aliis proponitur: ac postremò horum beneficiorum causa fertur accepta soli gratiæ, misericordiæ, & fidei quam ex fœdere præstiturus est Deus, tribus ultimis versibus. Hæc autem prolepsis fit gravior, enunciata per apostrophen ad inimicas gentes: cui respondentem alteram ironicè vide Lamen. 4.20. [15] id est, æquo animo perfero, quia justè flagellat Jehova injustitiam meam, sed ad tempus: ac propterea patienter exspectaturus sum donec justitiam suam in me proferat, & in vos exsequatur, hoc & seq. versu. [16] id est, causam meam agat contra te, quæ justè importatas mihi à Deo pœnas vobis arrogatis blasphemantes Deum; ac proinde quod ad vos, causam injustam agitis. [f] Heb. videam: ut Psal. 34. [17] nimirum Deus: emphatica est apostrophe. [18] secundus locus consolationis, quo Propheta Ecclesiam informat de promissionibus Dei, ut Ecclesia hostes informaverat proximis versibus. Sunt autem promissionum erga Ecclesiam instauratam partes duæ: una, de salute & pace Ecclesiæ, usque ad versum 16. altera, de vocatione gentium, versu 16 & 17. [19] id est, instauraturus te: ut Hamos 9.11. & sequentibus. [20] quod exponitur versu 14. id est, emanabit, & ad gentes omnes è terræ sanctæ terminis diffundetur. [21] id est, in Ecclesiam concursuri Jisraëlitæ & Jehudæi undequaque libertate summa, & tamquam aggestis itineribus: ut prophetaverat Jeschah. 19.23. [22] Ægypti; ad cujus nomen alluditur. [g] Heb. munitionis. [h] Heb. ad *mare à mari, & à monte ad montem.* [23] id est, ceciderit & corruerit in tenebras maximas, ut dixit vers. 8. [24] decretum Dei, administris Christi & Ecclesiæ officium præscribendis, typo veteris Ecclesiæ. [25] typo administrationis Evangelicæ. [26] id est, qui jam solitarius discurrit, & huc illuc per arva sylvasque spatiatus est. [h] Heb. sæculi. [27] ut Psal. 72.9. & Jeschah. 49.23. [i] Heb. terræ: ut Deu. 32.24. [k] Heb. pavebunt: ut Hos. 3.5. *Exo. 34.6. & 7.* [28] conclusio consolationis per apostrophen ad Deum: qua primum natura Dei describitur, hoc versu; deinde gratia & beneficentia in Ecclesiam prædicatur, tamquam unicus fons salutis, justitiæ, & gloriæ ejus, tum propter naturam Dei, tum propter fœdus gratuitum cum majoribus initum, duobus sequentibus.

quiis possessionis suæ; non retinens in æternum
iram suam, eo quòd delectetur benignitate?
19 [l] Conversus miserebitur nostri, [29] subiget
iniquitates nostras: [30] imò projecturus es [m] in
profundissimum maris omnia peccata istorum.
20 Præstabis fidem *datam* Jahakobo, benigni-
tatem *datam* Abrahamo; quam juraveras majo-
ribus nostris à diebus [n] priscis.

l *Hebr. convertetur miserebitur.*

29 id est, anteà quidem à natura venditi eramus sub peccato, quod tyrannicè dominabatur nobis tamquam mancipiis, Jeschah. 50.1. & Rom. 6. & 7. Jam verò Deus tyrannica peccati vincula dissolvens, & subigens iniquitates inimicas gloriæ suæ & saluti nostræ, redemit nos & asseruit in libertatem gloriæ filiorum Dei.

30 gradatio per apostrophen: non tantùm, inquit, subiges; sed omne vestigium memoriámque peccati delibis, Psal. 103. 12. & Jeschah. 43.12. & immerges sepeliésque oblivione sempiterna: metaphora. m *Heb. profunda maris.* n *Heb. antiquitatis.*

N A C H U M.

CAPUT I.

Propheta administrationem Dei pro suis & contra hostes potentissimam asserens, Nineve & Assyriorum regno prænunciat excidium ad consolationem Ecclesiæ: illius rationem, formámque & effecta describit; causas narrat inhumanitatem, & idololatriam: jus prænunciatum confirmat ab exemplo Alexandriæ: denique omnibus summis & infimis animi abjectionem, & infamem fugam, incendia, cædes promiscuas prædicit, ignominiámque occupatis ipsorum munitionibus.

[1] PROPHETIA onerosa
[2] Nineves, liber visionis
Nachumi Elkoschæi.
2 [3] [ll] *Deus* fortis zelotes
& ultor *est* Jehova, ultor
est Jehova & [a] excandes-
cens; ultor *est* Jehova in
hostes suos, & asservat
iram in inimicos suos.
3 Jehova longanimis *est*, & magnus virtute,
sed [b] ullo pacto non absolvit; Jehovæ via [4] cum
turbine & procella *est*, & nubes [5] pulvis pedum
ejus *est*.
4 [6] [ll] Increpans mare arefacit ipsum, & om-
nia flumina exsiccat; languescit Baschan &
Carmel, etiam flos Libani languescit.
5 Montes commoventur ab eo, & colles se
se dissolvunt; conflagrátque terra à conspectu
ejus, & orbis habitabilis cum omnibus habitan-
tibus in eo.
6 Coram indignatione ejus quis subsistat? &
quis consistat in æstu iræ ejus? *quum* excandes-
centia ejus funditur velut ignis, ipsę rupes [c] ever-
tuntur ab eo.
7 Bonus *est* Jehova, robori *est* tempore an-
gustiæ; & agnoscit recipientes se ad ipsum.
8 [7] Itaque [8] inundatione pervadente, affe-
ctuturus est consumtione locum [9] illius: & inimi-
cos [10] ejus persequentur tenebræ.
9 [11] Quid cogitaretis adversus Jehovam?
consumtione affecturus est; [12] non surget bis an-
gustia.
10 Nam [d] [13] æquè ac spinæ perplexi, & tam-
quam si mero obruti essent, [e] inebriati; consu-
mentur, velut stipula arida, [f] planè.
11 [14] Ex te prodiit; [15] cogitans contra [16] Je-
hovam malum; consultor nequam.
12 [17] Sic ait Jehova, si [18] pacem coluissent,
ita etiam ampli fuissent; [19] aut *fuissent* ita tonsi ut
transivisset: [20] ut afflixeram te, non afflicturus
fuissem te ampliùs.
13 Nunc verò fracturus sum lorum istius, [g] ne
incumbat tibi; & vincula tua disrumpam.
14 Præcipit enim Jehova contra te, *ô Nine-
vita*, [21] non seretur de nomine tuo ampliùs: è
domo Deorum tuorum excindam sculptile & fu-
sile, disponam sepulcrum tuum, [22] postquam
vilueris.
15 [23] Ecce super his montibus [24] pedes evan-
gelizantis, promulgantis pacem, *dicentis*, celebra
Jehuda festa tua, repende vota tua: nam non
perget ampliùs transire in te nequam, totus exci-
sus est.

1 Vide Jeschah. 13.1. Hujus libelli partes sunt istæ; inscriptio, versu 1. exordium, versibus 6. sequentibus; propositio, reliquo capite 1. enarratio & propositionis exornatio, usque ad versum 8. capitis 3. & confirmatio, inde ad finem usque. Inscriptionis autem partes sunt duæ; quarum una argumentum prophetiæ summatim explicat, altera auctorem. Temporis nulla habetur mentio: sed tamen si ad argumentum hujus prophetiæ & historias attendemus, constabit prophetiam hanc sub finem regni Joschijæ conscriptam esse, quo eodem tempore Jirmeja prophetabat in Judæa. Nam consilium Dei in hac prophetia est, ut Judæos & pias Jisraëlitarum reliquias consoletur denunciatione judicii hujus contra Assyrios, qui Jisraëlem infestaverant atrocissimè Pule, Thiglath-pilesero, Schalmanasare, Sancheribo, & Esar-chaddone regibus, per quem postremò Jisraël populus esse destitit regnante Menasche: ut observavimus Jeschah. 7. Quapropter non dubitamus quin hæc post ea tempora, antequàm Judæi deportarentur, fuerint ad consolationem bonorum pronunciata contra Assyrios, quemadmodum Chabakkuk sequens contra Babylonios prophetavit. 2 id est, contra Nineven Assyriorum metropolin, & contra regnum ipsum; synecdochicè. 3 exordium hoc totum sumitur à natura Dei, in maleficos hostes potentissimi ac severissimi, versib. quinque; & in bonos ac fideles gratiosi, versu 7. ll *Exod. 20.5 & 34.6.* a *Heb. dominus excandescentiæ* b *Heb. absolvendo: ut Exod. 34.7.* 4 id est, tota ejus administratio potentissima est, & improbis omnibus summè formidabilis. 5 id est, vestigia ejus, aut pedes pulverulenti aut cinerei videntur esse, quum ruit imber vehemens. sic Propheta Deum contra improbos invehentem comparat cum viro pulverem excitante cursu, quamvis insideat nubi velocissimæ, Psal. 104.3. & Jeschah. 19.1. 6 exornatio potentiæ Dei à testimonio rerum creatarum omnium, quæ illi omnino cedunt arbitratu ipsius, hoc & seq. versu. ll *Jeschah. 50.2.* c *Heb. demoliuntur: si passivè dici posset.* 7 propositio hæc duo universè explicat; judicium Dei Assyriis superventurum, tribus versib. & causas judicii, quinque sequentib. 8 id est, fluctibus bellorum quamplurimis & vehementissimis magis ac magis destruetur & tandem corruet Nineve, regnúmque Assyriorum intercidet. Nam primùm Phraortes rex Medorum Nineven diutissimè obsessam, & Cyaxares filius ejus post eum tenuerunt: deinde à Scythis occupata est in ea expeditione cujus meminit Jirmeja 49 34. tertiò à Cyaxare fuit debellatis Scythis capta: ac postremò tam diuturnis bellis & frequentibus attrita, (ne ampliùs Assyrii freti opportunitate ejus contra Medos rebellarent) ab Astyage eversa est. Quæ omnia inundatione Propheta figurat elegantissimè.

9 Nineves. 10 nempe Dei: vide Psal. 35.6. 11 id est, quid possetis cogitando consequi? apostrophe ad Ninevitas. 12 id est, continenter procedet & sine intermissione, & ne ad momentum quidem poteritis judicium ipsius vestris cogitationibus à vobis avertere. d *Heb. usque ad spinas.* 13 id est, foris quidem circumclusi & implexi inextricabilibus difficultatibus, intus verò cum animis suis ita obstupefacti ut nesciant omnino quid capiant consilii. e *Heb. mero obruti.* f *Heb. plenè.*

14 secundus propositionis locus, duas causas judicii pronunciati ostendens: unam, improbitatem consiliorum factorúmque in Assyriis, hoc versu; alteram, liberationem & salutem Ecclesiæ, optimo Dei consilio, sed pessimo Assyriorum, anteà satis afflictæ, versibus seq. 15 nimirum Pul, Thiglath-pileser, Schalman-asar, Sancherib, & Esarchaddon reges, eorúmque consiliarii. 16 & populum ejus, synecdochicè. 17 altera causa ad Ecclesiam spectans: ut modò diximus. 18 Jisraëlitæ videlicet mecum, & ipsi inter se; sic Jeschah. 48.18. 19 id est, aut certè si fuisset mihi aliquid de rebus ipsorum resecandum castigationibus, hunc adhibuissem modum ut Assyrii totondissent quidem aliquantum, sicut locustæ prata; sed illicò se in regiones suas recepissent. 20 prima vice, q.d. non fuissem perrecturus ampliùs in calamitatibus importandis: satis fuisset futurum mihi quod Pul primus Jisraëlitas quodammodo totondisset, 2. Reg. 15.19. g *Heb. de super te.* 21 id est, intercides: allegoria, quam sequentia verba explicant. 22 id est, quum regnum amiseris ereptum à Scythis atque Cyaxare. 23 hypotyposis, qua Deus superstiti Judæorum regno eversionem Assyriorum gratulatur, & sibi de ea gratias agi ab Ecclesia jubet. 24 ut Jeschah. 52.7.

CAPUT II.

[1] AScendit [a] dissipator contra faciem tuam,
Nineve, [b] custodi munitionem: speculare
viam, confirma lumbos, fortifica vires valdè.

1 Exornatio propositionis, ut diximus in versum 1. continet prolepsin, id est, repetitionem summam propositionis, duobus versibus (nam judicium denunciatur ver. 1. & causa, 2.) deinde *ἐργασίαν* singularem, primùm quidem judicii, usque ad finem capitis hujus; deinde verò causarum, principio capitis sequentis. a Scytha & Medus, ut antè diximus. b concessio ironica q.d. omnia fac & experire; tamen dissipator futurus est: ut Jeschah. 8.9, & 10.

2 Nam reversus est Jehova [4] cum excellen-
tia Jahakobi, [5] ut *qui sit* excellentia Jisraëlis: quia
evacuârunt [6] eos [a] depopulatores, & palmites
eorum corruperunt.
3 [7] Clypeus potentium [8] ejus [9] rubricatus,
[b] bellatores coccinati, [10] cum igne tædarũ *erunt*
currus quo die instruet *prælium*; quum [11] abietes
agitabuntur horridè.
4 Per vicos insanient currus, allident sese
per plateas; species earum tamquam tædarum
erit, tamquam fulgura perrumpent.
5 [c] [12] Recensebit magnificos suos, *sed* [13] cor-
ruent in ambulatione illorum; [14] festinabunt ad
murum illius, quasi paratus fuisset protector.
6 [15] Portæ fluminum aperientur, & ipsum
templum dissolvetur:
7 Et [16] statione posita deportabitur *Nineve*,
deducetur: [17] cum ancillis suis [d] comitantibus
voce simili columbarum, quæ tympana pulsant
ex [e] animo suo.
8 [18] *Fuit* quidem Nineve [19] velut piscina
aquarum, [f] ex quo tempore est; sed ipsos fu-
gientes, *dicens*, consistite, consistite, nullus a-
vertet.
9 [20] Diripite argentum, diripite aurum; &
infinitum apparatum istum, gloriam ex omni-
bus instrumentis [g] desiderabilibus.
10 Vacuitas, & quidem vacuissima & exina-
nita erit: & [21] animus liquefactus, ac [22] collisio
genuum, ac dolor in omnibus lumbis, & [23] fa-
cies eorum omnium contrahent nigrorem, *di-
centium*,
11 [24] Ubi *est* lustrũ leonum, & *quod* pascuum
erat juvenum leonum? quò ibat leo, quò leun-
culus, catulus leonis, nemine deterrente?
12 Leo *inquam* rapiens quantum sufficiebat
catulis suis, & strangulans leunculis suis; qui
implebat rapina cavernas suas, & lustra sua
rapto?
13 [25] Ecce me contra te, dictum Jehovæ exer-
cituum, ut comburam in fumum currus ejus, &
juvenes leones tuos consumat gladius, ita exscin-
dam è terra rapinam tuam, neque audietur am-
pliùs vox [26] nunciorum tuorum.

[4] id est, cum Christo, ut Hamos 8.9. nempe ut stet in posterum cum populo; ac non ampliùs per te affligat ipsum, sed propter ipsum perdat te.
[5] sic 2. Schem. 1.19.
[6] nempe Jisraëlitas Assyrii: qui non illorum tantùm exhauserunt opes, sed gentem quoque exstirpare voluerunt.
[a] *Heb. evacuatores.*
[7] hæc judicii exornatio describit Scythas & Medos, factáque eorum, usque ad versum 8. deinde effecta, vers. 8. & quatuor sequentibus: ac postremò attribuit totum auctoritati Dei justum judicium suum exsequentis, vers. 13.
[8] dissipatores, de quo vers. 1.
[9] nam eo colore in bellis usos esse Scythas, Medos, Persásque narrant Herodotus, Xenophon, & Diodorus Siculus.
[b] *Heb. homines coccineorum.*
[10] id est, tanta rapiditate ferentur, ut ignis ex rotis versantibus emicet, qui tædas accensas æquare videatur & eas accendere posse: hyperbole, quæ exponitur seq. ver. [11] id est, abiegna arma: metonymicè [c] *Heb. commemorabit.* [12] nempe Cyaxares Medus, Nineven primò obsidens: quæ obsidio advenientibus Scythis & irruentibus in Medos soluta est. [13] Medi videlicet in ea Scytharum expeditione; quæ ambulatio potiùs & velitaris cursus, quàm dominatio & administratio dicenda est. Nam Scythæ Mediam, Assyriam, Asiamque spatio annorum viginti octo percurrerunt, occupârunt, atque amiserunt. [14] id est, festinanter advolabunt in opidum, quasi ipsi à Cyaxaris violentia liberassent & porrò protecturi essent; ut speraturi esse dicuntur infrà 3.11. [15] id est, debilitabitur opidum, abjectis munitionibus quæ secundùm Tigrin erant & aliis omnibus in opido; inter quas erat templum Jovis Belli, quem Nini regis patrem prædicabant. [16] à Scythis Assyriam obtinentibus, ut modò diximus. [17] id est, heri heræque cum servis & ancillis suis eodem loco habebuntur à Scythis: & pro eo quòd ancillæ psaltriæ, sambucistriæ, & symphoniacæ prosequuntur dominas, tum omnes in deportationem abeuntes edent concentus querulos & lamentabiles. [d] *Heb. deducentibus.* [e] *Hebr. corda: sic deinceps.* [18] jam transit Propheta ad enarrationem effectorum, ut diximus in versum 3. qua Propheta primùm fugam hominum trepidissimam, hoc versu; deinde direptionem & vacuitatem loci luctuosissimam, quatuor sequentibus; postremò cædem & incendium peccatis antecedentibus respondens, versu ultimo prænunciat. [19] id est, locus abundantissimus & fructuosissimus, ut est piscina firmè aquam continens: sed (inquit Propheta) erunt pleni rimarum obices, & dehiscet agger, ita ut aquæ omnes ex parte diffugiant, & nemo possit obsistere. [f] *Hebr. à diebus* quibus est *ipsa*. [20] apostrophe ad Scythas & Medos, quibus mandatur Dei verbis Nineves direptio. [g] *Hebr. desideriis.* [21] cujus tria signa sequentibus verbis proponuntur. [22] ut Danijel. 5.6. [23] ut Joel. 2.6. [24] lugentium verba, & Nineves casum deplorantium per comparationem præteritæ Ninevitarum gloriæ, amplitudinis, frequentiæ, & vitæ licentiosissimæ cum abjectione & ruina præsente: quamobrem incolæ omnes leonum appellatione denotantur. [25] conclusio hujus partis, qua Deus sibi totum hoc judicium arrogat, ut diximus in vers. 3. [26] id est, nullum tibi amplius erit imperium, nulla auctoritas, ut tuis legationibus leges feras gentibus exteris; sed contrà audientes rumorem tuum complodent manu super te, infrà 3.19.

CAPUT III.

1 VÆ civitati [a] sanguinariæ; *quæ* tota est men-
dacio *&* lacerato plena, [2] non amovet ra-
pinam.
2 [3] Sonus flagelli, & sonus cõmotionis rotæ;
& equi plaudentis, currusque salientis *futurus
est*.
3 Eques inducens & [b] flammantem gladi-
um, & coruscam hastam, & multitudinem con-
fossorum, & ingentem numerum cadaverum;
denique infinita corpora, *adeò ut* [c] [4] impingatur
in corpora illorum:
4 [5] Propter amplitudinem [6] scortationum
scorti, [d] pollentis gratia, magistræ præstigiarum;
[7] quæ venumdabat gentes scortationibus suis,
& familias præstigiis suis.
5 Ecce me contra te, dictum Jehovæ exerci-
tuum, & [8] retegam fimbrias tuas *replicans* in fa-
ciem tuam: ut ostendam gentibus nuditatem tu-
am, & regnis ignominiam tuam:
6 Et [9] projiciens in te res detestandas, turpi-
tudine afficiam te; [10] disponámque te ut spe-
culum.
7 Erítque ut quisque videntium te [11] aberret
à te, ac dicat, vastata est Nineve, quis condoleat
ei? unde quærerem consolatores tibi?
8 [12] An meliùs esset tibi quàm [13] No nutri-
ciç, sitæ inter rivos, aquis circumdatæ; cui præ-
nitio *est* mare, à mari *est* murus ejus?
9 Æthiopia robori *erat*, & Ægyptus, infini-
tæque *gentes*: Putæi, & Libyes erant [14] [e] auxilio
tibi?
10 [15] Etiam hæc deportationi fuit, abivit in
captivitatem, etiam parvuli ejus illisi sunt in ca-
pite omnium vicorum: & super honoratos ejus
[16] projecerunt sortem, deníque omnes magna-
tes ejus vincti fuerunt compedibus.
11 [17] Tu quoque [18] inebriaberis, eris lati-
tans; tu quoque [f] desiderabis robur propter
inimicum.

[1] Altera pars ἐργασίας, ut diximus suprà 2.1. qua Propheta causas exponit duas importatæ in Nineven calamitatis: unam, inhumanissimæ administrationis per vim & fraudes, versu 1. alteram, scortationis, præstigiarum, & nefariæ idololatriæ, versu 4. quibus singulis suæ pœnæ accommodantur.
[a] *Hebr. sanguinum.*
[2] id est, quisque indefinenter rapit, neque ullo pacto resipiscit; quamvis Jonæ prædicatione ad tempus visi sint resipiscere.
[3] expositio illius væ, id est, judicii, quod sanguinariæ civitati indixit Deus, duobus vers.
[b] *Heb. flammam gladii & fulgorem hastæ.*
[c] *Heb. impingant.*
[4] id est, nusquam iter fieri possit nisi per cadavera.
[5] altera causa, ut diximus in versum 1. cui accommodantur judicia sua, tribus seq.
[6] id est, idololatriæ quam reges Assyriæ per Orientem propagârũt, etiam apud Jisraëlem & Jehudam: ut Achazi exemplum ostendit 2. Reg. 16.10. [d] *Heb. bona.* [7] id est, quæ tum suæ religionis specie, tum subdolis aliis artibus atque (ut Græci vocant) πραξικοπίαις populos ita mancipabat sibi, ut eos venderet, ageret, & ferret arbitratu suo. [8] ut Jesch. 47.3. & Jechezk. 16.37. [9] in signum detestationis maximæ. [10] id est, faciam ut exemplo sis aliis omnibus in memoriam sempiternam. [11] id est, deflectens ab itinere refugiat conspectum tuum, & te de industria negligat propter antegressa maleficia tua. [12] confirmatio prophetiæ, ut diximus suprà 2.1. ab exemplo potentissimi & munitissimi opidi, tribus versib. cujus exemplo Nineve quoque ruitura dicitur, tribus alteris; & ratio exponitur, ad finem capitis. [13] id est, Alexandriæ in Ægypto; vide Jirmej. 46.25. [14] apostrophe ad Alexandriam. [e] *Hebr. in auxilio tuo.* [15] etsi hujus historiæ singularem aliquam descriptionem non meminimus alibi legere, tamen quia hîc à Propheta ad confirmationem judicii alterius adducitur, sententiam nostram afferemus paucis. Ac primùm quidem ad futurum tempus hæc verba referri minimè putamus omnium, quia nullus esset confirmationis locus: ad præterita autem ut referamus tempora flagitat argumentum: sed alii hanc rem à Sancheribo gestam putant, qui tamen (ut testis est Berosus apud Josephum) nunquam Pelusium excessit, sed adventu Tir-hakæ regis Æthiopum referre pedem coactus est: alii ad Tyrios, qui multos annos ex quo classem Schalmanasaris fuderant, mari imperârunt. sed hæc nuda conjectura est, neque sententia nostra probabilis. Quamobrem quum animadvertimus Jeschah 19. nullam planè fieri mentionem Alexandriæ, ubi celeberrimarum Ægypti civitatum adducit nomina, statuimus urbem Alexandriam ante illud tempus fuisse dirutam, cujus eo capite Jeschahja rationem habet, nimirum tempus Sethonis regis atque Psammetichi. quò spectare videtur quod narrat Herodotus in Euterpe, mortuo Asychi quum regnaret cæcus quidam nomine Anysis, excurrisse in Ægyptum cum magna Æthiopum manu Regem Sabacum, & in Ægypto annos quinquaginta regnasse. Hunc verò, sive Alexandria obstiterit consiliis ejus (quod magis probatur) sive ipse diruendam & deportandas colonias judicaverit militari stratagemate, ut infirmata Ægypto imperium suum confirmaret; putamus fuisse hujus eversionis auctorem atque effectorem; deinde autem ex eo tempore redintegratam esse, ut Jirmeja & Jechezkel in prophetiis suis meminerunt. [16] id est, sortitione mancipia inter se diviserunt inimici. [17] accommodatio judicii pronunciati ad exemplum Alexandriæ, tribus versibus. [18] ut Jirm. 25. [f] *Hebr. quæres.*

12 Omnes

[19] id est, nullo negotio concident ad votum obsidentium. [g] Heb. aperiendo. [20] id est, omnia patebunt hostibus, eruntque pervia, nullis copiis aut munitionibus obsistentibus. [21] id est, compara & imple cisternas tuas, ac de commeatu & munimento tibi

12 Omnes munitiones tuæ [19] *similes* ficubus
cum primitivis fructibus; si moveantur, illicò ca-
dent in ôs comedentis.
13 Ecce populus tuus, *ut* fœminæ, in medio
tui *erit*: inimicis tuis [g] [20] omnino aperientur
portæ terræ tuæ; absumet ignis vectes tuos.
14 [21] Aquas obsidionis hauri tibi, firma mu-
nitiones tuas: [22] ingredere in lutum, & calca ar-
gillam, refice fornacem laterariam:
15 Ibi consumet te ignis, exscindet te gladius,
comedet te [23] ut melolontha: [24] numerosum
effice te ut melolontha, numerosam effice te ut
locusta.

prospice, ironia: ut Jeschah. 8.9. & 10. Hic autem & sequentibus versibus, Propheta rationem seu formam judicii exsequendi explicat (ut diximus in versum 8.) nempe munitionum eversionem, hoc & seq. versu; omnium fugam, versu 16. & 17. vacuitatem consilii, versu 18. denique plagam immedicabilem, vers. 19. [22] id est, facturus intritam ad munitiones firmandas. [23] id est, inimicus numerosissimus, ut melolonthæ solent magno numero involare. [24] altera concessio ironica, qua Ninevitas ut viros, ac potiùs fœminas (quemadmodum dixerat ver. 13.) ludificatur, monens ut numerosis copiis quantas volent se ipsos confirment, nihil tamen effecturos esse.

16 Multiplicasti negotiatores tuos præ stellis
cæli; [25] *ut* melolontha irruit & avolat, *avola-
bunt:*
17 Diademati tui similies locustæ, & impera-
tores tui ut prasocuris foraminum; quæ castra
metantur per sepes [26] tempore frigoris, sed sole
exorto errant, ita ut non dignoscatur locus ullius
earum ubi fuerint.
18 [27] Dormitabunt [28] pastores tui, ô Rex As-
syriæ, jacebunt magnifici tui; [29] abundabunt po-
pulus tuus super istos montes nemine congre-
gante.
19 [30] Nulla *est* contractio fracturæ tuæ, ægra
est plaga tua: quicunque audient [h] rumorem
tuum [31] cõplodent manu super te, nam [32] [i] quem
non pervasit afflictio tua jugiter?

[25] id est, tota illa negotiatorum tuorum frequentia, quæ cum melolonthis numero comparatur, reipsa morem melolontharum servabit: nam ut illæ momento ex agro in quem irruerunt avolant, ita se gerent mercatores tui: sic etiam accipiendus est versus sequens. [26] i. nocturno. [27] apostrophe ad regem Assyriæ.

[28] vide Jirmej. 23.1. [29] id est, abundantissimè diffugient. [30] id est, ne minimum quidem levari potest afflictio tua, nedum ut ab ullo curari possit. [h] *Heb. auditionem.* [31] læti de eversione tua, & lætitiam complosione testantes, synecdoche: ut Psalm 47.2. [32] id est, nulla gens fuit immunis à tua tyrannide, ac propereà non poterit sibi non gratulari de exitio tuo. [i] *Hebr. ad quem non transivit.*

CHABAKKUK.

ARGUMENTUM.

LIBER *Chabakkuki Prophetæ totus versatur in prophetico scribendi genere: primùm enim conquestus de sceleratissima* Judæorum *vita prophetat eversionem per Chaldæos adventuram; deinde ægrè ferens tam impios hostes ad flagellandum populum Dei adhiberi, docet Dei verbis non propereà labefactum iri piorum fidem; sed ipsos in fide victuros, Chaldæos verò in peccatis suis ruituros. Quamobrem Propheta documentum illud fidei obsignat elegante oratione; cùm suo, tum reliquiarum sanctarum nomine.*

CAPUT I.

Deus Prophetæ expostulanti de improbitate perfidiáque Judæorum, respondet se Chaldæorum opera Judæos perditurum esse: quo audito Propheta ampliùs expostulat, propter improbitatem & impietatem Chaldæorum indignum ratus ut per illos Judæi affligantur: quamobrem Deus publico testimonio docet Chaldæos quidem, tamquam prædatores, judicium ipsius effecturos esse; verùm ambitionis, avaritiæ, inhumanitatis, luxus, & idololatriæ pœnas daturos: tantùm piis videndum esse ut justè vitam in fide transigant.

[a] *Hebr. onus quod, &c. ut Jeschah. 13.1.* [1] Hujus prophetiæ argumentum & auctor ex inscriptione ipsa hoc versu cognoscitur: tempus verò quia nominatim hic in contextu aut alibi

ONEROSA [a] [1] prophe-
tia, quam vidit Cha-
bakkuk Propheta.
2 [2] Quousque, Jehova,
quum vociferatus fuero,
non exaudies? quum
clamavero ad te [3] vio-
lentiam, non servabis?

non ostenditur, variæ de eo habentur sententiæ. Nobis magis probatur nostrum hunc Prophetam sub tempus regni desinentis Joschijæ, aut regno filiorum ejus prophetiam hanc conscripsisse; cùm propereà quòd populi obdurationem & contumaciam deflet, ut faciebat Jirmeja eodem tempore; tum etiam propereà quòd Deus disertis verbis exponit se opus iis ipsis diebus operaturum esse, id est, propediem Chaldæos in Judæam immissurum. Est autem prophetia hæc διαλογιστικὰ, comprehensa partibus in universum quatuor, si inscriptionem hoc versu exceperis: prima est, expostulatio & querimonia Prophetæ de licentiosa & perdita Judæorum vita, tribus versib. secunda, responsio Dei clades à Chaldæis eventuras in desperatum populum prædicantis, & Chaldæorum arrogantiam, usque ad versum 12. tertia, altera Prophetæ expostulatio de indignissima oppressione quam boni à Chaldæo Rege improbo blasphemóque cum malis promiscuè erant perpessuri, ad finem usque capitis; quarta est responsio altera Dei, qua officium bonorum explicat in tantis confusionibus, & improborum impiorúmque Chaldæorum exitium, capite 2. [2] expostulationis exordium patheticum ex abrupto, quo Propheta exaggerat indignissimam Judaici populi administrationem, ab indesinentibus suis querimoniis, & precibus coram Deo. [3] summum argumentum querimoniæ, quod deinde exponitur duobus versibus, vide Genes. 6,11.

3 [4] Quare facis ut videam iniquitatem, &
intuear molestiam, vastitatémque ac violentiam
è regione mei? & *quare* est [5] litem & jurgium *qui*
efferat?
4 [6] Idcircò intermittitur lex, & non
procedit [b] unquam jus: quia improbus [7] cir-
cumcidet justum, idcircò prodit jus perver-
sum.
5 [8] Respicite in gentibus, [†] & intuemini, ad-
miratione abrepti admiramini: nam opus ope-
ror diebus vestris, *quod* non credituri estis quum
narrabitur.
6 [9] Nam ecce ego excitaturus sum Chal-
dæos, gentẽ [c] accerbissimam, & [10] festinã; ambu-

[4] id est, finis populares meos me præsente & vidente in sua impietate & inhumanitate pergere, & magis magísque animos inter se accendere? [5] id est, qui nequeat patienter ferre admonitiones sanctas ex verbo tuo: ut Hosche 4.4. [6] videlicet quòd isti impatientes doctrinæ Dei jurgium & litem efferant contra servos Dei: ut Jirm. 11, & 12. [b] *Heb. in æternum.* [7] id est, non tantùm non repugnat, sed obsessum tenet, & potitur rerum: sic Psal. 12.9. & 22.13. [8] secunda hæc pars (ut diximus in versum 1.) continet responsum Dei ad præcedentem expostulationem: ubi Deus oratione ad Judæos impios conversa docet futurum ut violentiam ipsorum altera retundat violentia per mirificam providentiam & administrationem ipsius: quod summatim positum versu 5 in sequentibus enarratur. [†] *Actor. 13.41.* [9] ἐργασία præcedentis versus; qua primùm totius gentis intolerantia, versibus quatuor; deinde verò Regis ipsius inhumana & impia arrogantiã proponitur, versu 10. & 11. [c] *Heb. amaram.* [10] vide Jescha. 5.26. & sequentibus.

laturam

laturam [11] per latitudines terræ ad possidendum
habitacula non sua jure hæreditario:
7 Formidabilem & terribilem illam; [12] abs
qua judicium istius & deportatio istius prodeant.
8 Nam leviores erunt pardis equi ejus, &
acutiores [13] lupis [d] vespertinis, abundabúntque
equites ejus: & equites ejus è longinquo veni-
entes involabunt, ut [14] aquila celer ad escam:
9 Illa tota ad violentiam veniet, [15] haustus
faciei ipsorum Orientem versus *spectante:* ut col-
ligat [16] tamquam arenam captivam turbam.
10 [17] Et ipse *Rex* regibus illudet, & domina-
tores risui *erunt* ei; ipse omnem munitionem de-
ridebit, & [18] coacervato pulvere capiet eam.
11 Tunc [19] remeante spiritu ubi transiverit, rea-
tum obibit; *prædicans* hanc vim suam Dei sui *esse*.
12 [20] Nonne tu ab [e] æterno es? [21] Jehova
Deus meus *est*, sanctus meus, [22] non moriemur:
Jehova [23] ad judicium disponis eum, & ô [24] rupes
ad corripiendum fundas eum.
13 Purior *es* oculis quàm ut aspicias malum,
& intueri molestiam non potes: quare intuereris
[25] perfidos? surdum ageres, dum absorbet impro-
bus justiorem se?
14 Et [26] faceres homines velut pisces maris?
ut reptile cui non *est* dominator?
15 [27] Quotquot sunt hamo educit, congregat
illos plagis suis, & recipit eos retijaculo suo; id-
circò lætatur & exsultat.
16 Idcircò [28] sacrificat plagis suis, & suffitum
facit retijaculo suo; quia per hæc pinguis *est* por-
tio ejus, & cibus ejus opimus.
17 [29] An propter hoc educet plagas suas, &
jugiter occidendo gentes non utetur clementia?

[11] id est, quàm latè patet terra. [12] id est, quæ gens hunc populum, de cujus iniquitate & violentia mecum expostulant boni, tum judicio meo castigabit & puniet in terra hac, tum etiam reliquos in terram illam deportabit. Hunc locum sic interpretamur ex sequentium comparatione: nam hic & præcedens versus duobus sequentibus ordine illustrantur; estque octavus sexti, nonus verò septimi exegeticus. [13] vide Jirmej. 5.6. [d] Heb. *vesperæ.* [14] vide Jechezk. 17.2. [15] id est, quum irruet in Judæam, nihil aliud spectabit, quàm ut regionem totam spoliet atque exhauriat, spoliaque deportet in regionem suam quæ sita est Orientem versus. [16] id est, innumerabilem, ut exponitur Genes. 32.12. [17] ut prophetaverat Jirm. 25. [18] id est, factis aggeribus, ut prisca erat militandi ratio. De multis autem populis à Nebuchad-nezzare debellatis vide Jirmej. 25. & Jechezk. 25. & sequentibus. [19] id est, quando cum animo suo ultrò statuerit cessare ab expeditionibus exteris, ac proinde reversus in Babyloniam fuerit: tum eripiens gloriam rerum gestarum vero Deo, illam idolis suis tribuet: cujus rei complementum vide apud Danijelem quinque primis capitibus. [20] tertia pars, ut diximus in versum 1. continens alteram expostulationem Prophetæ, natam ex superioris responsi argumento. Sunt autem hujus expostulationis partes duæ; pathetica causarum propositio ad consequendam misericordiam; & indignissimorum malorum quæ Chaldæus erat patraturus enarratio σχετλιαστικὴ, ternis versib. causæ verò a natura Dei sumuntur omnes, eo quòd æternus sit consilio, sermone, & administratione, ac sibi in æternum constans: quo ex fundamento assurgunt causæ tres; una fœderis erga populum suum constantissimi etiam in medio judiciorum (ut dicitur infrà 3.2.) & castigationum paternarum ejus, hoc versu; altera odii contra malos & maleficia illorum gravissimi, vers. 13. tertia denique εὐταξίας sive optimè ordinatæ & constitutæ administrationis, cui cum tanta tyrannide non potest convenire, versu 14. [e] Heb. *antiquitate.* [21] gloriosa fidei prædicatio recumbentis in Deum ex fœdere, & de vita æterna confirmatæ, ac propterea præsentibus Dei castigationibus bono animo acquiescentis. [22] id est, quantacumque sit futura ista calamitas, perdurabimus tamen virtute Dei. [23] id est, castigationem & emendationem nostram, non autem ad mortem. [24] ut Deuter. 32.4. [25] Chaldæos: vide Jescha. 21.2. [26] id est, non magis curares salutem nostrum & prospiceres administratione tua quàm pisciculorum? qui in mari prædæ sunt aliis, defensore carent, & sine ordine consumuntur: sic comparatur transitus ad sequentem allegoriam, & secundum expostulationis locum. [27] altera expostulationis pars (ut diximus in versum 12.) Nebuchad-nezzarem promiscuè omnibus inhumanum esse, & duriter accipere probos & improbos, hoc versu; & (quod gravius est) Deo ipsi contumeliosum esse, sequente versu; quamobrem expostulationem concludit per ἐρώτησιν, versu ultimo: omnia allegoricè. [28] id est, sibi ipsi honores divinos arrogat; & artibus, instrumentis, viribus, adjumentisque eosdem honores tribuit neglecto Deo. [29] id est, quandoquidem ita est in homines ferox, & in te blasphemus; an semper improbitatem istam laturus es, ut plagas tendat & homines venetur inclementissimè?

CAPUT II.

1 IN custodia mea stanti & consistenti mihi in
munitione, ac speculanti ad videndum quid
[2] eloqueretur mihi, & quid [3] responsurus essem
[4] post correptionem meam,
2 [5] Respondit mihi Jehova dicens, scribe vi-
sionem, & *quidem* [a] perspicuè in istis tabulis; ut
percurrat lecturus eam.
3 Nam adhuc visio ad constitutum tempus
rejecta est, quam effabitur suo termino; neque
fallet: si cunctabitur, exspecta eam, nam [b] omnino
eventura est, ac non tardabit.
4 [6] Ecce [7] ebullat in quo non est rectus ani-
mus ipsius: justus autem ex fide sua vivet.
5 [8] Quin etiam quùm vino perfidiosus sit,
vir arrogans, neque maneat in habitaculo; cùm
dilatet velut sepulcrum animum suum, sitque ve-
lut mors quæ non saturatur, & recipiat ad se
omnes gentes, congregetque ad se omnes populos:
6 An non [9] isti omnes de eo parabolam pro-
laturi essent, [10] & interpretationem *cum* ænigma-
tis de eo? & [11] dicturus *ille*, [12] væ multiplicanti
non sua (quousque tandem?) & numerosè ag-
greganti penes se [13] densissimum lutum?
7 [14] An non repentè [15] consurgent qui mor-
deant te, & expergiscentur divexaturi te; & eris
[c] continenti conculcationi eis?
8 Quia tu spoliasti gentes multas, spolia-
turæ sunt te omnes reliquiæ populorum; prop-
ter [d] cædes humanas, & violentiam [16] terræ,
[17] urbem, & omnes habitantes in ea.
9 [18] Væ [e] dedito quæstui malo [19] pro domo
sua; ut disponat in excelso nidum suum, quo eri-
piatur è [f] potestate mali.
10 [20] Consilium inivisti pudendum domui
tuæ; scindendi populos multos, & peccasti *contra*
[g] te ipsum:
11 Nam lapis è pariete exclamat, & nodus è
ligno testificatur istud.
12 [21] Væ ædificanti civitatem [h] cædibus; &
stabilienti urbem iniquitate.
13 [22] An non ecce à Jehova exercituum *est*; ut

[1] Quarta pars prophetiæ ut diximus suprà 1.1. responsum Dei alterum continet ad expostulationem proximam; quod responsum non sine attentione maxima vigiliisque à se exoratum esse Propheta narrat, hoc versu; deinde verò responsum tradit sequentibus. Attentionem autem hanc pro ratione castrensi figurat Propheta, quasi explorator esset in custodia aut in arce munitionis collocatus; ut Jescha. 21.8. & sequentibus.

[2] Deus. [3] populo verbis Dei. [4] nempe quam ego Dei verbis pronunciaveram populo, suprà 1.5. & sequentibus. [5] hujus responsi partes omnino sunt tres: prima, qua Deus hoc suum responsum publico programmate ac evidentissimè jubet in oculis omnium confirmari, duobus versib. altera thesis qua injusti facta, & justi officia eventáque proponit, versu 4. tertia, hypothesis, qua Deus cùm omnium hominum, tum justorum sermone sententiam contra Chaldæum injustum pronunciat, inde ad finem capitis. [a] Heb. *declarando: ut Deut. 27.8.* [b] Heb. *veniendo.* [6] secunda pars responsi, per antithesin injusti factum cum justi officio comparans, ac proinde eventum vitæ salutarem justo, injusto verò exitium denuncians: thesis, secunda pars responsi. [7] id est, injustus ex infidelitate & improbitate laborans, etsi in clivum specie videtur assurgere & permagnus mons effici, ebullat tamen, hoc est, non magis est quàm bulla, crescat, & sua ipsius imbecillitate rumpitur: sic accipiendum esse monstrat oppositi membri comparatio. [8] tertius responsi locus, hypothesis, de Babyloniis statuens, usque ad versum ultimum: & de justis, versu ultimo. In causa autem Babyloniorum Deus primùm per congeriem malefacta ipsorum explicat, hoc versu; deinde sententiam suam omnium testimoniis & votis comprobatam pronunciat, sequentibus. [9] populi quos cœpit & congregavit ad se. [10] id est, non tantùm obscurè, sed etiam nudis & apertis verbis maledicturi Babylonio, & prolaturi sententiam meam. [11] videlicet justus ex fide sua vivens, versu 4. [12] sententia hæc Dei contra Babylonium causas quinque ex ordine complectitur, quibus Deus ad sententiam hanc ferendam adductus est: prima est ambitio inexplebilis, hoc versu; secunda, avaritia apud omnes populos testata bellis, versu 9. tertia, tyrannis & inhumanitas ex ambitione avaritiáque proficiscens, versu 12. quarta, luxus & infamis libido, versu 15. postrema, idololatria, versu 18. & 19. quibus causis suæ confirmationes accedunt, & judicia cum illis comparantur singillatim. [13] id est, frequentiam maximam spoliorum aliis gentibus ereptorum; quæ omnia non magis commodant avaris ambitiosisque possidentibus, quàm si densissimo luto se se immergerent. [14] comparatio judicii hoc versu posita, & sequente exornata, exponitur copiosissimè Jescha. 13. & 14. & 21. & Jirmej 50. & 51. [15] Medi & Persæ. [c] Heb. *conculcantibus.* [d] Heb. *sanguines hominis: sic ver. 17.* [16] id est, quam violentiam toti terræ intulisti. [17] videlicet Babylonem, tuam illam urbem (inquit) cujus confidis munitionibus, & habitatores illius spoliabunt: synchysis: hoc enim membrum ad versus principium pertinet: sic ver. 17. [18] secundus causarum locus, ut diximus in versum 6. [e] Heb. *quæstuoso quæstus mali.* [19] id est, stabiliendum domum suam quæstu consceleratissimo: ut sequentia verba exponunt metaphoricè, ad historiam illius turris alludentia, de qua Genes. 11. [f] Hebr. *manus.* [20] exornatio causæ præcedentis, qua Propheta per apostrophen ad Babylonium vehementius exprobrat malefacta, hoc versu; & auget hyperbole, sequente. [g] Heb. *animam tuam.* [21] tertia causa, ut dictum est, ver. 6. cui judicium suum à Deo venturum subjicitur per διαίρεσιν elegantissimam, versib. sequentib. [h] Hebr. *sanguinibus.* [22] explicatio judicii in peccatum istud Babyloniorum per thesin, Convenit (ait Propheta) justitiæ Dei, ut quicunque populi ita laborant & fatigantur, operis sui jacturam faciant, & malè ab ipsis parta malè dispereant, hoc versu: cui subjicitur antithesis: contrà verò (Propheta inquit) æquum est atque verissimum, ut quacunque in terra gloria Jehovæ cognoscitur, ejus non exhauriantur incolæ, sed impleantur benedictionibus abundantissimè, ut aquæ abundant in mari, sequent. versu.

[8] laborent

[f] Jirmej.51.58. [g] Jehosch. 10.14. [i] Heb. in mari. [23] quarta causa (ut diximus in versum 6.) pari judicio copanda. [24] id est, ut cum eis facias & patiaris muliebria: nam ita ferè scriptura loquitur, & sequens versus confirmat; denique huic prædicationi infestos fuisse Babylonios narrant Herodotus, Ctesias, & alii. [25] id est, adeò circumfluis gloria & amplitudine ut abutaris ea in omnem ignominiam. Nam ferè apud homines fit, ut bona maxima in luxum maximum, maximáque gloria in ignominiam maximam consumatur.

laborent populi pro igne, & nationes pro inanitate fatigentur?
14 [h] Nam implebitur terra, cognoscendo gloriam Jehovæ; ut aquæ operiunt [i] alveum maris.
15 [23] Væ potum præbenti proximo suo, abhibenti utrem tuum, & etiam inebrianti; [24] ut intuearis nuditatem eorum.
16 [25] Saturatis ignominia præ gloria, [26] bibe tu quoque & retege præputium: [27] divertet ad te poculum dexteræ Jehovæ, & vomitus ignominiosus ad gloriam tuam.
17 [28] Nam violentia Libani operiet te, & vastitas bestiarum terrefaciens eas; propter cædes humanas & violentiam terræ, [29] urbem, & omnes habitantes in ea.
18 [30] Quid profuerit sculptile, quòd sculpserit illud formator illius; fusile & doctor falsi, quòd confidit formator figmenti sui ipsi, faciendo idola muta?
19 Væ illi qui dicit ligno, expergiscere, evigila, lapidi silenti: [31] ipse docebit? ecce ipsum, continetur quidem auro aut argento, sed omnino spiritus nullus est in medio ejus.
20 [32] Jehova verò [33] in templo sanctitatis suæ est; sile à conspectu ejus, ô universa terra.

sumatur. [26] id est, eadem perfer judicia, adeóque omnium gravissima, Jirmej. 25.26. [27] id est, eodē poculo inebriaberis, & ita perfunderis, ut gloria tua tamquam vomitu ignominiosissimo conspergatur: ut Jirmej. 51.57. [28] explicatio poculi quod Deus Babylonio præbiturus est, per alteram allegoriam. Similes, inquit, erunt hostes tui venatoribus feras in Libano vehementissime persequentibus; quorum cassibus & plagis intercipieris, & in vastitatem maximam redigeris. Est igitur violentia Libani, quæ in Libano à venatoribus adhibetur consequendæ prædæ. [29] ut suprà versu 8. [30] transitio ad quintam causam, de qua versu 6. à vanitate idolorum neque sibi, neque suis cultoribus commodantium, sed falsa tantùm exspectatione eos implentium: quamobrem eis denunciatur maledictio, sequente versu. [31] videlicet lapis se silentem esse, mutum, & vita vacuum. [32] secundus locus hypotheseos de justis, ut diximus in versum 5. quo Propheta concionem terminat; ut tum justorum vitam ex fide in Christo æternam esse doceat, tum ad præsens ipsorum officium provocet, nempe ut acquiescant Dei judiciis & castigationibus, præcepta animo fiducia liberationis adventuræ. [33] id est, in Ecclesia, quam præsentia sua sanctificat per communicationem spiritus in Christo.

CAPUT III.

Propheta infirmitatem suam confessus salutem & fidei conservationem petit à Dei misericordia: recordatione operum & promissionum ejus seipsum confirmat: postremò gloriatur se in gravissimis angustiis exsultaturum in Domino certa fiducia liberationum ejus.

[1] Hæc inscriptio satis apertè demonstrat quodnam sit capitis argumentum. Nam Propheta quum Dei revelationibus tam multas calamita-

1 ORatio Chabakkuki Prophetæ: [2] secundum [a] odas mixtas.
2 [3] O Jehova, audiens [4] [b] pronunciatum tuum timeo: Jehova [5] opus tuum [c] [6] intereà temporis [d] conserva, intereà temporis [7] notum fac: in commotione iræ misereri recordare.

tes cognovisset populo suo eventuras; cùm suo ipsius, tum aliorum fidelium nomine se ipsum coram Deo tamquam judice sistit, & orationem hanc fundens formulam afflictis fratribus præscripsit qua Deum possent accedere. Sunt autem hujus orationis tres omnino partes: petitio, versu 2. narratio argumentorum quibus fides piorum in petitione confirmatur, usque ad versum 17. & fidei sanctorum gloriatio, tribus versib. ultimis. [2] id est, conscripta non uno tantùm aut altero certo metrorum genere, sed ex variis intercurrentibus. [a] Heb. odas erraticas; ut Psal. 7.1. [3] brevis petitio hæc duo complectitur, occasionem postulati, nempe timorem quo se Propheta perculsum confitetur; & postulatum de salute & documentis illius cum populo communicandis deportationis tempore per Dei misericordiam. [4] id est, acerbissimum illud judicium quod pronunciasti mihi, & audiendum jussisti populo tuo promulgari, suprà duobus capitibus. [b] Heb. auditionem tuam. [5] id est, factum in populo tuo quem comparasti tibi, ut Jeschah. 45.11. quasi dicat, nisi populum tuum conservaveris, perierint opera tua antecedentia. [c] Heb. in medio annorum, bis eodem versu. [6] id est, toto illo deportationis tempore quod constituisti. [d] Heb. vivifica. [7] tum apud exteros magnificis operibus, tum apud tuos salutari verbo: ita duo sunt petitionis capita, & eorum consequendorum via unica, nempe Dei misericordia: quæ omnia ut Propheta exoptavit fide, ita res ipsa esse completa liber Danijelis comprobat.

3 [8] [e] Deo à meridie veniente, & sancto è monte Paranis [9] summè; [10] operuit cælum decor ejus, & lux ejus implevit terram:
4 Et splendor tamquam [11] lucis affuit, [12] cornuáque [e] ad latus ipsius ei; [13] ubi absconsio erat roboris ejus.
5 [14] Anteivit ipsum pestis, & præcessit anthrax ad pedes ejus.
6 [15] Ubi autem constitit, mensus est [16] terram, [17] vidit, & disturbavit gentes, & dissipati sunt [18] quorum erant montes [f] æterni, incurvati sunt quorum erant colles [g] perpetui: cujus fuerant ambulationes perpetuæ.
7 [19] Locum vanitatis vidi esse [20] tentoria Æthiopidæ; commota sunt aulæa terræ Midjanis.
8 [21] An contra flumina accensa fuit, Jehova; an contra flumina ira tua? an contra mare furor tuus; quum [22] insideres equis tuis, curribus tuis [h] salutaribus?
9 [i] [23] Nudus alveus factus est [24] arcu tuo, [25] juramentis tribuum, sermone maximè: flumina diffidisti terræ.
10 [26] Te videntes contremuerunt montes, [27] inundatio aquarum transiit; edens abyssus vocem suam, in altum [28] latera sua extulit.
11 [29] Sol, Luna stetit in habitatione: [30] ad lucem sagittæ tuæ itârunt, ad splendorem [k] coruscantis hasta tua.
12 [31] Indignatione progressurus in terram, irâ trituraturus gentes.
13 Processisti ad salutem populi tui, ad salutem cum uncto tuo; fregisti [32] caput è domo improbi, usque ad collum, [33] nudando fundamentum maximè.
14 [34] Perforasti virgis illius caput pagorum ejus, quum procellam excitarent ad dispergendum me; quum exsultatio eorum esset ac si comesturi fuissent pauperem latentem in abscondito.

[8] secunda hæc orationis pars narrationem continet argumentorum quæ fides adduxit in proximo postulato: quorum prius est à divinis operibus, usque ad versum 16. posterius verò à verbo & promissionibus ipsius, versu 16. In operibus autem proponitur primùm demonstratio gloriæ & majestatis Dei toti populo spectata, tribus versib. & populis exteris terribilis, versu 6. & 7. deinde exornatio. [e] Deu. 33.2. [9] id est, summa cum dignitate & excellentia, ac majestate amplissima, vide Psal. 3.3. [10] propositio summa gloriæ Dei in majestate ipsius res omnes creatas superare. [11] id est, Solis, ut Ijobi 31.26. & 37.20. [12] id est, omnipotentiæ signa: nam robur cornibus scriptura figurate solet, quò spectant sequentia. [c] Hebr. a latere. [13] id est, quamvis ne ita quidem explicaret totam majestatem & potentiam suam; sed potiùs illis velut umbraculis obtegeret, ne infinita ipsius gloria rebus creatis proposita ipsas laborantes sua infinitate absorberet. [14] id est, omnibus armis lethalibus fuit circummunitus, ut judicia sua præstaret arbitratu suo, quocunque pergeret. [15] id est, in Cenahanæa, ut precabatur Mosche. Exodi 15. [16] quam attribuit populo suo in hæreditatem. [17] id est, ad solum aspectum disturbavit, quamvis firmè in ea regione radicati essent: quod amplificatur verbis sequentibus. [18] id est, qui jam olim tamquam ab æterno Cenahanæam montibus circummunitam possederant. [f] Heb. æternitatis. [g] Heb. seculi, bis hoc vers. [19] id est, vidi Scenitas Arabas Cuscho Æthiopum patre ortos trepidantes in loco suo, & Midjanitas consternatos, id est, finitimos omnes, synecdochicè, ut Exodi 15.14. & sequentib. [20] id est, Arabas Æthiopidas in tentoriis habitantes: hypallage: sic sequens locus de Midjanitis. [21] exornatio operis Dei à singulari narratione rerum quarumdam mirificè gestarum, primùm in aquis, tribus versib. deinde in cælo, versu 11. ac postremò in terra, sequentibus. Primus autem locus de maris & Jardenis divisione tractatur dialogisticè: quo docet Propheta non propter ullam maris aut Jardenis culpam, hoc versu; sed propter promissionem & jusjurandum à Deo præstitum, fissuram eorum effectam esse omnipotentia ejus, duobus seq. [22] id est, proveheretis ante populum tuum, tamquam imperator strenuus ad salutem tuorum: humanitùs dictum. [h] Heb. salutis. [i] Heb. nudatio nudata est arcu. [23] subjectio ad interrogationem præcedentem. [24] id est, omnipotentia, quam suprà vocaverat cornua. [25] id est, propter promissiones quas juramento tribubus confirmaveras. [26] vide Psal. 114.4. [27] id est, inundantes & æstuantes aquæ Jardenis & maris rubri: hypallage Rhetorum. [28] diffissarum aquarum videlicet, per quarum intervallum transibat populus. [i] Jehoschu. 10.12. [29] id est, pergente lucere sole præter naturæ ordinem. [30] id est, lapides grandinis, de quibus Jehoschu. 10.11. qui etiam coruscantis hastæ nomine designantur, quia cum fragore, tonitribus, & fulgetris immissi sunt. [k] Heb. fulgor hastæ tuæ. [31] tertium exornationis argumentum, de rebus in terra gestis ex quo visum est Deo regnum in familia Davidis constituere, & per illud hostes qui in terra erant reliqui profligare, 2 Schem. 5. & 8. & 10. [32] id est, unumquemque principem inimicorum populo tuo adversantium jam sustulisti funditus, ut quum caput humanum à collo præciditur. [33] id est, terram tuam ab hostibus tuis liberando, ut suprà V. 6. qui priùs eam tenebant quasi perpetuò fuissent in ipsa radicati: nam fundamentum pro solo accipi quod calcamus, est omnibus notissimum. [34] id est, principem quemque inimicorum, qui in pagis finitimisque regionibus hîc illic erant reliqui, sic dejecisti, ut si montes & munitiones quibus confidebant terebra perfodisses, idque nullo negotio, quia virgæ ipsius tibi fuerant ad perforandum satis.

15 [35] Iter

15 [35] Iter feciſti ad mare equis tuis, *ad* [36] a-
cervum aquarum multarum.
16 [37] Audivi; [38] commotus eſt venter meus,
[39] ad vocem palpitant labia mea, invadit putre-
do oſſa mea, denique commoveor in loco meo;
audiens quieſcendum eſſe mihi in die anguſtiæ,
quum aſcendit contra populum [40] *hoſtis* turma-
tim populaturus eum.

[35] id eſt, regionem totam inde a mari magno uſque ad Euphratem fluvium magnum pervaſiſti, & expoſuiſti uncto tuo poſſidendam, 2. Schem. 8, & 1. Chron. 18. [36] periphraſis Euphratis, quem fluvium maximum ſcriptura vocat, Deut. 1. 7. & alibi paſſim. [37] ſecundum argumentum fidei, a verbo Dei & promiſſionibus (ut diximus verſu 3.) pios ab omni hoſtium metu liberantibus, & ab infirmitate carnis vindicantibus virtute ſpiritus. [38] i. me graviſſimè conſternato & perculſo propter ſuperiorum viſionum gravitatem: quæ conſternatio hic exponitur ſignis compluribus. [39] viſionum præcedentium, ut modò diximus. [40] id eſt, Chaldæus; qui etiam turmatim invaſiſſe Judæam dicitur, 2. Reg. 24. 4.

17 [41] Quamvis ficus non effloreſceret, &
nullus *eſſet* proventus in vitibus, mentiretur opus
olivæ, & agrorum nullus ederet cibum; abſcin-
deret *hoſtis* ab ovili gregem, & nullum *eſſet* armē-
tum in bubilibus:
18 Ego tamen in Jehova exſultabo, geſtiam
in Deo ſalutis meæ.
19 Jehovi Dominus robur meum *eſt*, qui
[42] diſponit pedes meos tamquam cervarum, &
ſuper excelſa mea facit ut incedam: magiſtro
ſymphoniæ [43] [i] fidium mearum.

[41] concluſio orationis, a gloriatione fidei innitentis operibus & verbo Dei, qui ſuos intus a natura ſua & fœdere confirmat adverſus præſentes rerum difficultates: quæ per conceſſionem elegantiſſimè deſcribuntur hoc verſu; ut Pſal. 46.

[42] ut 2. Schem. 22. 34. & Pſalm. 18. 34. [43] id eſt, quam orationem ad fides ſum etiam tum cantaturus Domino, quum publicus ordo fuerit interverſus violentia Babylonii. [i] *Heb. impulſatilibus: ut Pſal. 4. 1.*

TZEPHANJA.

CAPUT I.

Deus populo ſuo excidium idololatriæ, violentiæ, & fraudis nomine pronunciat: improbos, & pios admonet, ut illi reſipiſcant, hi augeſcant in ſeria reſipiſcentia, cum deterriti judiciis Dei graviſſimis contra gentes aliquot exteras, tum fracti ſingularibus interminationibus: poſtremò judicio contra Judæos primum, deinde contra alios populos definito, promiſſiones Evangelicas ſubjicit de vocatione gentium, Eccleſiæ inſtaurationem, remiſſione peccatorum, ſanctificatione, & gloria æterna per Chriſtum.

1 VERBUM Jehovæ quod fuit
ad Tzephanjam filium Cu-
ſchi, filii Gedaljæ, filii
Amarjæ, filii Chizkijæ;
[1] [a] temporibus Joſchijæ,
filii Amonis, regis Jehudæ.
2 [b] [3] Omnino receptu-
rus ſum omnia a ſuperficie hujus terræ, dictum
Jehovæ.
3 Recepturus ſum homines & jumenta, [4] re-
cepturus ſum aves cæli, & piſces maris, & [5] rui-
nas cum ipſis improbis: denique exſcindam ho-
mines a ſuperficie hujus terræ, dictum Jehovæ.
4 [6] Extendens enim manum meam ſuper Je-
hudam, & ſuper omnes habitatores Jeruſchalai-
morum; exſcindam e loco hoc [7] reſiduū Bahalis,
& nomen [8] atratorum cum ipſis [9] ſacerdotibus:
5 Et qui incurvant ſe [10] ſuper tecta exercitui
cælorum; etiam qui [11] incurvantes ſe jurant per
Jehovam, & jurant per [12] Melecum ſuum:
6 Tum qui retrò aguntur [c] a ſequendo Je-
hova; tum qui non quærunt Jehovam, neque
requirunt ipſum.
7 [13] Sile [14] a conſpectu Domini Jehovi;
[15] propinqua enim *eſt* dies Jehovæ, nam appa-
ravit Jehova [16] [d] mactanda animalia, [e] præpa-
ravit [17] invitatos ſuos.
8 [18] Erit autem die mactationis Jehovæ, ut
animadvertam in ipſos principes, & in filios Re-
gis, & in omnes [19] qui induuntur indumento a-
lienigenarum:
9 Et animadvertam in [20] omnē qui inſilit in
limen die illa; qui implent domum dominorum
ſuorum violentia & dolo:
10 [21] Eritq; die illa, dictum Jehovæ, vox cla-
moris a porta piſcium, & ejulatus a parte ſecun-
da; & confractio magna ab ipſis collibus.
11 [22] Ejulate [23] habitatores [f] cavi: nam ſuc-
cidetur totus populus [24] mercaturam faciens,
exſcindentur omnes [g] argentarii.
12 Eritq; tempore illo, [25] ſcrutante me Je-
ruſchalaima lucernis; ut animadvertam in iſtos
homines qui [26] concreti ſunt cum fœcibus ſuis,
dicentes cum [h] animo ſuo, non benefacit Jeho-
va, neque malefacit.
13 Erunt enim facultates eorum direptioni
& domus eorum deſolationi: ædificant quidem
domos, ſed non inhabitabunt, plantantq; vi-
neas, ſed non bibent vinum earum.
14 [27] Propinqua *eſt* dies Jehovæ maxima,
propinqua & feſtina valdè; ſonus diei Jehovæ,

[1] Unicam hujus prophetiæ concionem eſſe res ipſa declarat. Ac inſcriptio quidem hoc verſu continetur, concionis verò tres ſunt omnino partes: prima eſt propoſitio judicii ſeveriſſimi contra Jeruſchalaima & Judæam totam capite 1. ſecunda eſt revocatio Judæorum ad bonam frugem, cum alienæ calamitatis exemplis, tum interminationibus ex verbo Dei, uſque ad verſum 8. capitis tertii; tertia eſt concluſio a promiſſionibus evangelicis, ad finem uſque. [2] poſt reformatam Eccleſiam, ut demonſtrat infr. V. 4. & 7.

[15] cœpit enim dies illa inde a morte Joſchijæ, ex quo tempore regnum Judæorum clades indeſinenter pertulit, uſque dum funditus everſum eſt: ſic verſ. 14. [16] ut Jeſcha. 34. 6. & Jirm. 46. 10. & Jechezk. 39. 17. & ſequentib. [d] *He. mactationē.* [e] *Heb. ſanctificavit.* [17] Ægyptios primùm, deinde Babylonios & auxiliares eorum, 2. Reg. 23. & ſequentibus. [18] ſecundum enarrationis membrum, ut diximus in verſ. 4. [19] i. omnibus deliciis & vanitati ſtudent, palámque oſtendunt invectis exoticis moribus & veſtimentis. [20] i. effractorem,

[a] *Hebr. diebus.* [b] *Hebr. recipiendo.* [3] hujus propoſitionis ſumma duobus verſibus continetur; enarratio verò reliquis, ad finem uſque capitis: ſumma autem eſt Deum omnia ſublaturum eſſe, quaſi ad ſe ipſum ea reciperet. [4] id eſt, efficiam terram hanc deſolatiſſimam: hyperbole; ut Hoſche. 4. 3. [5] id eſt, ne ipſa quidem rudera ab hac vindicta eximentur. [6] enarratio propoſitionis duas partes continet; quarum una explicat qui quibus de cauſis judicium illud ſubituri ſint, & quomodo, uſque ad verſum 14. altera exornat, ad finem uſque capitis. Tria itaque ponuntur hominum genera pro offenſarum ratione: primum eſt popularium idololatrarum, verſibus quatuor; ſecundum, familiæ regiæ & ſatraparum violenter ſua auctoritate abutentium, tribus verſibus; tertium, mercatorum in quæſtum ſuum ſecurè incumbentium ſine ulla Dei reverentia, aut hominum ratione, tribus alteris. [7] nimirum quod non potuerat perveſtigare Joſchija: ut ſunt ingenioſi ad tegenda maleficia ſua idololatræ; vide 2. Reg. 23. [8] de quibus, 2. Reg. 23. 5. [9] legitimis videlicet, non autem voluntariis hominum auctoritate cooptatis in ſacerdotium; ut ferè illi erant quos atratos vocant. [10] vide 2. Reg. 23. 12. [11] Bahalimis; id eſt, qui profitentur ſe incurvatione ſua non idola quidem, ſed Deum verum ex animo in ſtatuis colere, hos æquè perdam atque illos. [12] ſive Regem, prout idola ſumma ab idololatris dicebantur: vide Hamos 5. 26. & 7. 12. [c] *Hebraicè, a poſt Jehovam.* [13] apoſtrophe ad idololatras: ne putes, ô idololatra, te obloquendo effecturum ut probetur Domino cauſa tua: confecta atq; evicta eſt; ſed tantùm ad judicium ſubeundum te ipſum compara. [14] cui omnis res creata manifeſta eſt, Hebr. 4. 13.

adminiſtrum violentiæ quam potentiores in tenues adhibent. [21] i. tota Jeruſchalaima trib. ſuis opidis luctuoſa vociferatione perſonabunt. Nam porta piſciū ad civitatem Davidis pertinebat, 2. Chro. 33. 14. ſecunda pars denotat alterū opidum Jeruſchalaimorū, hic & 2. Reg. 22. 14. colles verò extremitati opidi tertii impēdebant portam ſterquiliniorum verſus, ubi erat olivetum. [22] tertium enarrationis membrum, ut diximus V. 4. [23] i. negotiatores omnes in cavo opidorum interſtitio habitantes, inde a porta gregis ad portam Ephrajimi, ubi erat vicus aurifabrorū, pigmentariorum, aromatariorū, &c. Nech. 3. 8. & 32. [f] *Heb. mortariatu Judic. 15. 19.* [24] vel Cenahanæus: ludit enim Propheta ex ambiguo; & populares ſuos docet, ipſos cum moribus Cenahanæorum impuriſſimis idem quoque nomen ſibi comparaſſe & accerſiviſſe judicium Dei. [g] *Hebr. tollentes argentum.* [25] i. quum minutatim cognoſcam de peccatis populi, & cum eo inibo rationes meas accuratiſſimè, ut ſolent qui adhibitis lucernis perluſtrant omnia: humanitùs dictum. [26] id eſt, obfirmatè hærent in malo ſuo, ludificantes Deum & homines; metaphora; ut Jirme. 48. 11. [h] *Hebraicè, corde.* [27] altera pars enarrationis nimirum exornatio; qua Propheta gravitatē judicii per congeriem explicat tribus verſibus; deinde amplificat, primùm ex eo quòd univerſalis cædes futura eſt, verſu 17. & quòd clades inevitabilis, verſu 18.

[28] i. qua die Judæi (qui nunc viribus suis præfidunt, & se pro robustissimis venditant) amarissimos ejulatus edent destituti robore.
i *Heb. & vastationis.*
[29] i. turres potétissimas, quales in angulis ædificari solent.
[30] i. copiosissimè & abjectissimè.

[28] amarè clamaturo ibi robusto:

15 Dies furoris, dies illa; dies angustiæ & oppressionis; dies vastitatis [i] & quidem vastissimæ, dies tenebrarum & obscuritatis, dies nubis & caliginis:

16 Dies buccinæ & clangoris; contra civitates munitas, & contra [29] angulos altissimos:

17 Qua angustiis afficiam homines, ut ambulent tamquam cæci; quia Jehovæ peccaverunt: & effundetur sanguis eorum [30] velut pulvis, & caro eorum velut stercora.

18 Neque argentum eorum, neque aurum eorum poterit eripere eos die furoris Jehovæ, quum igne zeli ipsius consumetur tota hæc terra: nam consummationem utiq; acceleratam confecturus est cum omnibus habitatoribus hujus terræ.

CAPUT II.

[1] Secunda concionis pars Judæos primùm revocat ad bonam frugem, tribus versibus; deinde argumenta adducit duo resipiscétiæ: prius est ab exemplis formidabilibus judiciorum quæ Deus contra gentes exteras erat effecturus superstitibus adhuc Judæis, usque ad caput 3. posterius verò, a singularibus minis & sermonibus Dei per Prophetas denúciatis, principio capitis tertii. In hortatione autem ad resipiscentiam duo compellat Judæorum genera; hos torpentes & omni sanctimoniæ cogitatione & studio vacuos, versu 1. & 2. illos verò, in quibus aliquæ

[1] EXcutite vos, iterumq; excutite; ô gens, [a] vacua desiderio:

2 [2] Quum nondum [b] exsequitur decretum, *quum nondum* ut glumæ transit dies; quum nondum invadit vos æstus iræ Jehovæ, quum nondum invadit vos dies iræ Jehovæ.

3 Quærite Jehovam omnes mansueti terræ, qui jus ejus operantur: quærite justitiam, quærite mansuetudinem, [3] fortasse [4] abscondemini die iræ Jehovæ.

4 [5] Nam Hazza [6] derelicta erit, & Aschkelon desolationi: Aschdodum [7] in ipso meridie depellent, & Hekron exstirpabitur.

5 [8] Væ habitatoribus tractus [c] maritimi, genti [9] Cerethæorum: verbum Jehovæ contra vos est, [10] Cenahanæa terra Pelischthæorum, me ita perditurum esse te ut nullus *sit* habitator.

6 Eritq; tractus maritimus *pro* caulis, [11] fossuris pastorum, & septis gregum.

7 [12] Et erit tractus pro residuo domus Jehudæ, *ut* apud eos pascant: in domibus Aschkelonis vespere accubabunt, quum reviserit eos Jehova Deus ipsorum, & reduxerit captivam turbam ipsorum.

8 [13] Audivi opprobrium Moabitarum, & convitia [d] Hammonitarum; quibus *probris* affecerint populum meum, [14] ut ampliaverint *illud* per terminum illorum.

pietatis & humanitatis scintillæ adhuc emicabant, vers. 3. [a] *Hebr. non affecta desiderio.* [2] i. quum nondum dies ille advenit quo excutiamini & ventilemini, ut gluma solet excuti. Quamobrem etiam monuit ut se ipsi excuterent, præcedente versu: quam eamdem allegoriam servavit Joannes Baptista, Matth 3, 12. [b] *Heb. parit* Deus. [3] vide Jehosch. 14. 12. [4] i. mitiùs beneficio Dei tractabimini, & sub fide illius latebitis. [5] prius argumentum resipiscentiæ ab exẽplis exteris nunc demũ a Propheta exponitur, idq; eo ordine quo res ante eversa Jeruschalaima successerunt. Primùm enim a Parhone Necone Pelischthæa occupata est, ut annotavimus in Jirm. 47. de qua hic agitur ad vers. 8. usque: deinde Moabitæ, Hammonitæq;, ac Syri alii in Parhonis potestatem devenerunt, usq; ad ꝟ. 12. tum etiam Ægyptii cum Æthiopibus auxiliaribus cæsi sunt, Jirm. 46, 2. de quibus hic agitur ꝟ. 12, ac postremò Ninevitæ & Assyrii omnes in Scytharũ potestatẽ redacti sunt, ut observavimus, Jirm. 49. 34. & in Propheta Nachum: quod postremum est hujus capitis exemplum, tribus versibus ultimis. [6] alludit quidem Propheta in enunciandis judiciis ad propria opidorum nomina, aut notationem eorum; sed hoc linguæ proprium est, neque a nobis commodè potuit repræsentari. [7] i. vi aperta: fuerat enim Azotus antè infirmata plurimum diuturna obsidione Psammetichi, cujus in Jirmejam Prophetam meminimus. [8] ἐργασία præcedentis proximè exempli, tribus versibus. [c] *Heb. maris: sic ꝟ. sequent.* [9] de quibus 1. Schem. 30. 14. [10] id est, terra quæ Cenahanææ accenseris, Jehosch. 13. 3. ac proinde a Pelischthæis injustè detineris: ut apparet ex Gen. 10. 14 & 19. [11] quæ excavantur in locis arentibus, ad aquandum & abluendum greges. [12] id est, veniet in potestatem Judæorum: pro eo quod est, adjungetur Ecclesiæ, & ad eam pertinebit. Quod typicè a Propheta dictum accipiendum est de regno spirituali Christi, & sequentibus etiam gentibus accommodandum ἀναλόγως. [13] secundum exemplum exterum, Moabitarum, Hammonitarumq;, ut diximus in versu 4. [d] *Hebraicè, filiorum Hammonis.* [14] id est, ut irruentes in terminum Jisraëlis gloriabundi occupaverint de possessione illius: vide Jirmej. 48. & 49.

9 Idcircò ut vivo ego, dictum Jehovæ exercituum, Dei Jisraëlis, Moab tamquam Sedom erit, & Hammonitæ ut Hamora, locus derelictus urticæ, & fodinæ salis, ac desolationis *locus* usq; in seculum; reliquiæ populi mei diripient eos, & reliquum gentis meæ possidebunt eos.

10 Hoc eis *erit* pro fastu eorum; quia probris affecerunt, & ampliârunt *ea* per populum Jehovæ exercituum.

11 [15] Terribilis *erit* Jehova in eis, quum [16] emaciabit omnes deos terræ; & incurvabunt se *honorem habentes* ei quisque e loco suo, omnes regiones gentium:

12 [17] Etiam vos Æthiopes, [18] confossi gladio meo istis.

13 [19] Nam extendet manum suam versus Aquilonem, ut perdat Assyriam; disponetq; Niniven [20] desolationi, siccam ut desertum:

14 Et accubabunt in ea greges, omnes bestiæ gentium, [21] tum platea, tum anataria, in [22] malogranatis ejus pernoctabunt: [23] vox cantabit in fenestra, desolatio in poste, quum opus [24] cedrinum ejus nudaverit.

15 Hujusmodi *erit* civitas illa exsultabunda, quæ residet securè, quæ dicit cum animo suo, [25] ego *sum*, & præter me nulla *est* amplius: quomodo est desolationi? cubile bestiis? *dicens* quisquis transibit per eam [26] sibilabit, [27] agitabit manum suam.

[15] propositio hæc summa judiciorum Dei contra deos & homines in Moabitide & Hammonitide versantes, est μετάβασις ad sequentia duo exempla, ut finis versus ostendit. [16] id est, perdet illos, adimendo cultores ipsorum, omniaq; sacrificia quibus turgebant abolendo: humanitùs dictũ. [17] tertium exemplum externum (ut diximus in versu 4.) videlicet Æthiopum Ægyptiorumq;, qui Parhoni Neconi contra Nebucadnezzarem erant ministraturi; etiam vos (inquit) æquè ac superiores populi desolabimini, deinde verò populo Dei adjungemini per regnum Christi. [18] id est, postquam ego per vos gentes istas quas modo dixi cæcidero. [19] hæc ætiologia respicit ad ꝟ. 11. & ostendit adeò fore terribilem Deum in gentes exteras, ut ne ipsi quidem Assyrii, aut Nineve urbs potentissima immunes sint a judicio ipsius; sed in exemplum Judæis statuantur. Est itaq; hic exemplum quartum, ut diximus vers. 4. [20] quæ pluribus signis exprimitur seq. versu. [21] vide Jeschah. 34. 11. [22] i. ornamentis summarum ædium, quæ inter acroteria numerantur: ut Hamos 9. 1. [23] videlicet inauspicatarum avium; cujusmodi nominantur Jeschah. 13. sub finem, & 34. 11. & sequentibus. [24] i. cedrina ejus tabulata, intestinumq; opus omne Deus per Scythas sustulerit. [25] ut Jeschah. 47. 8. [26] ut 1. Reg. 9. 8. [27] i. digito per ludibrium demonstrabit, & jactato brachio ludificabitur: synecdoche.

CAPUT III.

[1] Posterius argumentum revocandi Judæos ad resipiscentiam, ut diximus sup. 2, 1. nempe denunciatio maledictionis & horrendi judicii contra illos, nisi tempestivè resipiscant. Continet autem hæc denunciatio ꝟ. 1. sententiam Dei, deinde caussas exponit, usque ad vers. 8.
[a] hanc vocem ita accipimus, ut Levit. 1. 16.

[1] VÆ [2] ingluviei, & contaminatæ; civitati huic opprimenti.

2 [3] Non auscultat voci, non accipit disciplinam; Jehovæ non confidit, ad Deum suum non appropinquat.

3 Principes ejus in medio ejus, *sunt* leones rugientes: judices ejus [4] lupi vespertini, [5] *qui* non rodunt ossa in matutinum usque.

4 Prophetæ ejus rapidi, viri [a] [‖] perfidiosissimi; Sacerdotes ejus prophanant rem sanctam, vim faciunt legi.

5 [6] Jehova justus in medio ejus, non facit iniquitatem; [b] [7] unoquoq; manè jus suum edit in lucem, nõ deest, sed nescit iniquus erubescere.

6 Exscidi gentes, [c] [8] desolatæ sunt extre-

Est autem metaphorica Jeruschalaimorum descriptio: nam quemadmodum avium ingluvies alimenta concipit, & sordes cum alimentis plurimas; ita etiam innuit Propheta Jeruschalaima fuisse conceptaculum quò reges, principes, & sacerdotes omneis Judææ opes & omnes sordes congesserunt; quarum illas ex officio debuerant popularibus distribuere, has verò e regno toto tamquam ex alvo ejicere. Quamobrem etiam urbem simpliciter ingluviem vocat: qua in appellatione auxesis est elegantissima, quasi dicat, eam non cum onocrotalo, sed cum onocrotali ingluvie esse comparandam. [3] expositio caussarum, ut diximus ꝟ. 1. qua singulorum ordinum peccata exponit, popularium, hoc versu; magistratuum, sequente; Ecclesiasticorum, versu 4. deinde verò contumaciam probat, sequentibus. [4] vide Jirm. 5. 6. [5] id est, qui brevissimo tempore comminuunt & vorant prædam, ac ne ossa quidem præ fame & aviditate reliqua faciunt. [a] *He. perfidiarum.* [‖] *Jirmej. 23. 11. & seq.* [6] probatur jam populi Dei contumacia duobus argumentis: unum est, quòd verbo Dei sollicitè per Prophetas suos admonentis non resipuerint, hoc versu; alterum, quod ne ex severissimi quidem in exteros judicii exemplis fuerint deterriti a maleficiẽdo, ꝟ. 6, & 7. [b] *He. manè manè: ut Exod. 16. 22.* [7] vide 1. Chro. 36. 15. [c] *Hebr. desolati sunt anguli: ut Judic. 20. 1.* [8] id est, in universum desolatæ ab extremitate una ad alteram.

mitates

mitates earum, destruxi vicos earum adeò ut
nullus transiret: ita sunt exinanitæ civitates ea-
rum, ut non *sit* quisquam, ut nullus *sit* habita-
tor.
7 [9] Dicebam, utique timebis me, accipies
disciplinam, [10] ut non exscinderetur habitacu-
lum ejus, [d] quibuscunque animadverterem in
eam: verumtamen [11] [e] inde a diluculo corrupe-
runt omnes actiones suas.
8 [12] Idcircò [13] præstolamini me, dictum
Jehovæ, in diem quo surrecturus sum ad præ-
dam; nam jus meum *est* ut recipiam gentes, ut
congregem regna, ut effundam super illas indig-
nationem meam, totum æstum iræ meæ,
quum igne zeli mei absumta fuerit tota hæc
terra.
9 [14] Tunc enim [15] mutabó in populis labi-
um *ut* purum *sit*; quo invocent omnes nomen
Jehovæ, colendo eum [16] humero uno.
10 [17] E transfluvialibus *partibus* Æthiopiæ;
[18] supplices mei, filia dispersorum meorum affe-
rent munus meum.
11 [19] Tempore illo non erubesces ab omni-
bus actionibus tuis, quibus defeceris a me: nam
tunc amovero e medio tui exsultantes de fastu
tuo, ut non pergas efferre te ampliùs in monte
sanctitatis meæ;
12 Reliquero autem in medio tui populum
pauperem, tenuémque; qui se recipient ad no-
men Jehovæ.
13 Reliquiæ Jisraëlis non facient iniquita-
tem, neque loquentur mendacium, neque
invenietur in ore earum lingua dolosa: sed
ipsi pascentur & recubabunt, nemine perter-
rente.
14 [20] Cane filia Tzijonis, clangite Jisraëlitæ;
lætare & exsulta ex toto [f] animo, filia Jeru-
schalaimorum,
15 Amovisse Jehovam judicia tua, expedi-
visse inimicos tuos: regem Jisraëlis Jehovam *esse*
in medio tui, fore ut non timeas malum am-
pliùs.
16 Die illa dicetur urbi Jeruschalaimorum,
ne timeto; Tzijoni, ne remittuntor manus
tuæ.
17 Jehova Deus tuus in medio tui potens
servaturus est; gavisurus de te lætitia, [g] con-
quieturus id amore suo, exsultaturus de te cantu,
dicens,
18 [21] Mœstos propter conventum recipiam,
qui [22] ex te sunt: *mæstos propter* onus impositum
[23] ei, *propter* opprobrium.
19 Ecce me [24] conficiente cum omnibus af-
fligentibus te, tempore illo, simul servabo
claudicantem, & depulsam congregabo, dispo-
namq; [h] eis laudem & nomen in tota terra,
[i] quod illos pudeat.
20 Tempore illo adducam vos, *quo* inquam
tempore congregavero vos: nam dispositurus
sum vobis nomen & laudem in omnibus popu-
lis terræ, me reducente captivas turbas vestras
in oculis vestris, ait Jehova.

[9] i. Judæos monebam exemplis, eísq; propheta-rum sermone inculcabam, ut adducerentur ad timorem mei. [10] id est, ut si Judæam propter peccata ipsius cogeret flagellare; saltem ab exitio monitis, exemplis, verberibusq; meis revocata servari posset. [d] *Heb. omni quo animadverterem.* [11] id est, indesinenter, ac studiosissimè. [e] *Hebr. diluculârunt corruperunt, ut ita loquamur.* [12] tertia concionis pars, ut diximus supr. 1. 1. qua Propheta primùm vocationem gentium ad cultum Dei & ministerium Ecclesiæ, tribus versibus; deinde Ecclesiæ ipsius constitutionem exponit, tribus alteris; postremò hortationem propheticam ad Ecclesiam Dei adhibet, reliquo capite. [13] apostrophe ad pios, ut germana Ecclesiæ membra: quandoquidem (inquit Deus) est vita istius populi, & salus perdita; vos saltem quorum animis adhæret pietas, videte ut patienter feratis temporariam illam deportationem, & vestram exspectationem in me collocetis; qui gentes inimicas perditurus, hoc versu; electasq; cooptaturus in populum meum, & ad cultum meum asciturus sum, versu sequente, ut vos & illi communicatis operis accedatis me, ver. 10. [14] videlicet quum vos primùm, deinde illas judiciis meis exercuero. [15] id est, communicatione spiritus renovabo populos in spiritu mentis ipsorum, ut purificati per fidem puritatem sermone & opere colant coram Deo. [16] id est, unanimiter, ut apparet ex Jirm. 32. 39. Est enim synecdoche in proverbiali hac loquendi forma. [17] i. e locis remotissimis: vide Jeschah. 18. 4. [18] tum ex populis, tum ex gente Judæorum dispersa. [19] secundus locus, de constitutione Ecclesiæ; illam fore vacuam improbis, & sanctam in Christo.

[20] tertius locus, hortatio prophetica, ut sancta Ecclesia beneficentiam Dei erga se prædicet, duobus versibus. cujus prædicationis causæ proponuntur duæ: una est communis omnium testificatio quasi Ecclesiæ acclamantium, vers. 16. altera, prophetarum ex Dei verbo confirmatio inde ad finem capitis. [f] *Hebraicè, corde.* [g] *Hebraicè, taciturus.* [21] id est, pios, qui tanto studio conventus sacri constringuntur, ut tantisper dum a Deo absunt, sint in mœrore & luctu. [22] ἀστοὶ; hi enim (inquit Deus) tui sunt veri, ô Ecclesia, & germani partus. [23] nimirum Ecclesiæ, cujus vicem pios omnes persanctè miseret. [24] nimirum consummationem, ut dixerat supr. 1. 18. [h] *Heb. eas laudi: hypallage, ut seq. vers.* [i] *Hebr. pudore illorum.*

CHAGGAI.

CAPUT I.

Deus negligentiam Judæorum in exstruendo templo reprehendit; & convincens eos partim a rei familiaris procuratione, partim ab anteactis Dei judiciis, hortatur ut resipiscentes seriò in opus ipsius incumbant: incumbentes promissione præsentiæ suæ confirmat: tum promovente opere ostendit, utcunque structura non sit cum altera priore comparanda, gloriam tamen majorem adfore præsentia Dei, sanctificatione, & pace in Christo: omnia commoda promittit adventura: ac postremò omnibus subnectit prophetiam de regno Christi in Evangelio.

1 [1] ANNO [2] secundo [a] Darii
Regis, mense sexto, die
primo mensis; fuit ver-
bum Jehovę [b] per [B] Chag-
gaium Prophetam ad
Zerubbabelem [3] filium
Schealthielis ducē Je-
hudæ, & ad Jehoschu-
ham filium Jehotzadaki Sacerdotem maximum,
dicendo;
2 [4] Sic edixit Jehova exercituum ut dicam;
populus hic dicunt, [5] non advenisse tempus,
tempus quo domus Jehovæ ædificetur.
3 Fuit itaq; verbum Jehovæ per Chaggaium
Prophetam, dicendo,
4 [6] An tempus *est* vobis, *heus* vos, [7] desi-
dendi in domibus vestris contabulatis; quum
domus hæc vasta *est*?

[1] Hujus prophetiæ pro ratione temporum & argumentorum ipsius, partes sunt quinque: prima est, propositio peccati Judæorum & redargutionis ad peccatum ipsorum evincendum pertinentis, usque ad versum 12. secunda, promissio promovendi & perficiendi opus Dei, postquam se se Judæi ad illud incipiendum accinxerunt, reliquo capite; tertia, promissio gloriæ quam Deus cum secunda domo erat communicaturus, novem primis versibus capitis 2, quarta, promissio singularis divinæ benedictionis in fruges & omnem fructum terræ ad usum populi obsequentis Deo, inde ad versum 20. postrema, promissio regni Christi, abs quo superiores omnes dependebant, inde ad finem usque. [2] de quo Hezræ 4. 24. [a] *Hebraicè, Darjevesch: sic deinceps.* [b] *Hebraicè, per manum Chaggaii.* [B] Hezræ 5. 1. [3] id est, nepotem: vide 1. Chronic. 3. 17. & sequentibus. [4] primus hic locus prophetiæ continet expositionem peccati Judæorum, hoc versu; redargutionem, usque ad versum 7. & mandatum, sequentibus.

[5] excusatio hæc populi partim ex diffidentia, partimque ex rerum privatarum studio proficiscens, in speciem aliud planè obtēdit, quā quod ex re & veritate erat. Nam quòd nondū advenisse tēpus aiunt, videbatur eo tempore maximūm momentum ad excusationē afferre, quasi dicerent; videmus jam sæpiùs repetitis interdictis ex auctoritate Regū antecedentium fuisse cautū ne institutū hoc opus perficeretur: ab hoc autē novo rege nihil audivimus, quo sententiam mutatā esse & jus ædificandi restitutū nobis confirmetur. Quamobrē plurimùm metuimus ut hæc nobis vertātur vitio, & rerum novarū incusemur: nec videmus qui ostendi possit aliud tēpus nobis jam oblatū esse. Ita non obscurè servos Dei alicujus rebellionis reos fore apud regē Dariū prætexebant; quod Propheta redarguit optimè, seq. [6] redargutio hæc nititur duobus argumentis: prius est, ab improba desidia & negligentia Judæorū; ipsos æquo animo ferre ut domus Dei inculta atq; abjecta sit, dum ipsi deliciis suis perfruuntur & sibi student, hoc ℣. posterius, ab antegressis Dei castigationib. quibus Deus palam evidēterq; testificatus sit quam indignè ferat jacere tēplum & cultum suum diversis Judæorū studiis, ℣. 5. & 6. Qua ex redargutione deinde nascitur hortatio, ℣. 7. & 8. eamque Propheta exornat promissionum Dei cum antegressis castigationibus comparatione, tribus seq. [7] i. acquiescendi rebus privatis & commodis vestris, contra quàm virum pium decet; ut exemplum est Davidis Psa. 132. & 2. Schem. 7. 2.

5 Quapropter nunc ſic ait Jehova exercitu-
um,[c] [8]adhibete animum veſtrum ad vias veſtras.
6 [9]Seritis multum, & infertis parum,come-
ditis, minimè verò ad ſaturitatem, bibitis, ſed
minimè [d] affatim, induimini, ſed nemo *ita* ut ſit
calor ipſi: & qui mercedem reportat ſibi, mer-
cedem reportat [10] in loculum pertuſum.
7 Sic ait Jehova exercituum, adhibete ani-
mum ad vias veſtras.
8 Aſcendite in [11] iſtum montem, & afferen-
tes ligna ædificate domum hanc, ut acceptum
habens illud [12] glorificem me, ait Jehova.
9 [13] Spectatis ad multa, ſed ecce ad pauca
pervenitis, & *quod* infertis [14] domum [15]efflo illud:
quamobrem? dictum Jehovæ exercituum,[e]prop-
tereà quòd domus mea eſt vaſta, & vos excur-
ritis quiſque pro domo ſua.
10 Idcircò contra vos, [16] cohibentur cæli a
rore, & terra cohibetur frumento ſuo.
11 Me advocante ſiccitatem ſuper hanc ter-
ram, & ſuper hos montes, & ſuper frumentum,
& ſuper muſtum, & ſuper oleum, & ſuper id
quod prolatura eſſet hæc terra: etiam ſuper ho-
mines, & ſuper jumenta, denique ſuper omnem
laborem manuum.
12 [17] Auſcultavit autem Zerubbabel filius
Schalthielis, & Jehoſchuah filius Jehotzadaki
ſacerdos maximus, & totæ reliquiæ populi, voci
Jehovæ Dei ſui, & verbis Chaggaii Prophetæ,
quum miſiſſet eum Jehova Deus ipſorum: timue-
runtq; populus a facie Jehovæ.
13 [18] Tunc loquutus eſt Chaggai legatus Je-
hovæ ex legatione Jehovæ populo, dicendo;
[19] Ego vobiſcum *ſum*, dictum Jehovæ:
14 [20] Concitavitq; Jehova ſpiritum Zerub-
babelis filii Schalthielis ducis Jehudæ, & ſpiritũ
Jehoſchuhę filii Jehotzadaki ſacerdotis maximi,
& ſpiritũ reliquiarũ totius populi; ut venientes fa-
cerent opus in domo Jehovæ exercituũ Dei ſui:

CAPUT II.

15 Die vigeſimo quarto menſis, ſexto *menſe*;
anno ſecundo Darii Regis.

c Hebr. *ponite cor veſtrum: ſic deinceps.* 8 i. attendite meliùs ad rationes veſtras, & expendite inſtitutum vitæ veſtræ, neque vobis ipſi abblandimini; ut qui videatis Deum peccatis veſtris infenſum graves caſtigationes omnibus importaſſe, ut narratur ſeq. ℣: nam ſi vos ipſos dijudicaretis, non ita a Deo puniremini, 1. Corinth. 11.31. 9 ex maledictione legis, Deut. 28. 15. & ſequẽtibus. d Hebr. *ad ebrietatem, ut Geneſ.* 43.34. 10 i. non meliùs conſervat res partas quàm ſi loculo pertuſo inderet; dicto citiùs omnes dilabuntur: proverbiale dictum. 11 Tzijonem. 12 i. gloriam meam vobis teſtatam faciam, proſperando res & facta veſtra, quum ſervieris mihi; ex promiſſione 1. Schem. 2.30. 13 ἐργασία proximè præcedẽtis promiſſionis, fore ut Deus ſe glorificet profuſis benedictionibus, per antitheſin maledictionum quas antè populus fuerat expertus dum cultũ Dei negligeret, ſuiſq; ſtudiis inſerviret. 14 quiſque ſuam videlicet. 15 i. diſperdo, tamquam ventis impellentibus. e Hebr. *propter domum meam, quòd eſt vaſta; trajectio.* 16 ex lege, Deutero. 28.23. 17 i. auſcultantes & timore Dei adducti cœperunt ædificare: ita hæc narratio tranſitum facit ad ſecundum locum prophetiæ. 18 nimirum die vigeſimo quarto (ut habetur ℣. ultimo) ad quem uſque diem ædificaverant tribus hebdomadis: tum verò per obnunciationem Thatnai & aliorum nutare fides populi videbatur, Hezræ 5. 3. quamobrem mandatum Dei neceſſe fuit a Propheta repeti, & ſingularem promiſſionem adhiberi. 19 i. adſum vobis, ut cœptum & redintegratum opus perficiatis me auctore & duce, ac invitis omnibus. 20 i. Deus hac voce Prophetæ ſui omnium animos adhuc concitatiores reddidit, ut in cœpto opere pergerent.

CAPUT II.

[1] MEnſe ſeptimo, vigeſimo primo die men-
ſis; fuit verbum Jehovæ [a] per Chaggaium
Prophetam edicendo,
2 Alloquere jam Zerubbabelem filium
Schalthielis ducem Jehudæ, & Jehoſchuham
filium Jehotzadaki ſacerdotem maximum; &
reliquias populi, dicendo,
3 [2] Quis inter vos *ſit* reliquus, qui viderit
domum iſtam in gloria ipſius priore? etſi qualem
vos videtis eam nunc, nónne [b] [3] ad illam tam-
quam nihil *eſt* in oculis veſtris?
4 Attamen nunc confirmare Zerubbabel,
dictum Jehovæ, & confirmare Jehoſchuah fili
Jehotzadaki Sacerdos maxime, & confirmare u-
niverſe popule hujus terræ, dictum Jehovæ, &
perficite: ſum enim vobiſcum, dictum [4] Jehovæ
exercituum,
5 [5]Cum [6]VERBO, [7] quo pepigeram vo-
biſcum, exeuntibus vobis ex Ægypto, & ſpiritu
meo [8] ſtante in [c] vobis: ne timeatis.
6 [8] Sic enim ait Jehova exercituum, [9]adhuc
ſemel [10] parum illud eſt: tum ego [11] commotu-
rus ſum cælos, & terram, & mare, & ſiccum:
7 Et cõmoturus ſum omnes gentes, ut veni-
ant [d] [12] deſiderati omnium gentium; & impletu-
rus domum hanc gloria, ait Jehova exercituum.
8 [13]Meum *eſt* argentum, & meum *eſt* aurum;
dictum Jehovæ exercituum:
9 Major futura eſt gloria domus hujus po-
ſterioris quàm illius prioris, ait Jehova exerci-
tuum; nam in loco hoc diſponam pacem, dictum
Jehovæ exercituum.
10 [14]Vigeſimo quarto *die* noni *menſis* anno ſe-
cundo Darii; fuit verbũ Jehovæ per Chaggaium
Prophetam, dicendo,
11 Sic ait Jehova exercituum, interroga
jam [15] Sacerdotes *de* lege, dicendo;
12 [16] En, tulerit aliquis carnem [e] ſanctam in
ala veſtis ſuæ, vel tetigerit ala ſua panem, aut
pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut ullum
cibum; [17] an ſanctificabitur? cui reſpondentes
Sacerdotes dixerunt, non.
13 Deinde dixit Chaggai, ſi tetigerit immun-
dus [f] *ex* cadavere quicquam iſtorum, an immun-
dum erit? cui reſpondentes Sacerdotes dixerunt,
immundum erit.
14 Reſpondens itaque Chaggai dixit, [18] ita

1 Tertia pars prophetiæ, ut diximus ſuprà 1.1. qua Propheta anticipans dubitationem quæ poterat piorum animis inſidere propter anguſtiam & tenuitatem domus quæ exſtruebatur, verſ. 3. eos nihilominùs jubet bono animo eſſe, fretos Dei promiſſionibus; primùm de præſentia ipſius in Chriſto per ſpiritum, ℣. 4. & 5. ſecundò de gloria; ad cujus conſpectum cæli, terra, & res omnes creatæ commoveantur, verſ. 6. & 7. denique de omni bono & proſperitate ex præſente ipſius gloria, verſu 8. & 9. quæ omnia typicè prædicata de ſecunda hac ſtructura templi, complementum habent in Eccleſia Chriſti, ut oſtendit Apoſtolus Hebr. 12.26. a *Hebraicè, per manum Chaggai: ſic verſu* 10.

2 occupatio, ut diximus in verſum 1. quam Propheta conſultò adhibet, quia jam ante annos ampliùs 106, quum ex dicto Cyri fundamenta primùm jacerentur, idem dolor bonorum animos invaſerat, Hezræ 3.12. b *Hebraicè, ſicut illa.* 3 id eſt, comparata cum illa quã Schelomo ædificaverat, & quæ ante annos quã plurimos everſa fuerat. 4 Dei Patris ſeſe explicantis in Chriſto verbo æterno ſuo, & per eum communicantis cum Eccleſia ſua. 5 hunc locum quicunque aliter interpretantur, aut συγχυσιν duriſſimam horum duorum verſuum coguntur invehere & a Prophetæ conſilio alienam, aut vim facere particulę qua hic Propheta utitur: nos verò quum myſteria Dei præcedente tempore magis ac magis innotuiſſe prophetis & fuiſſe Eccleſiæ propoſita ex ipſo Dei verbo cognoſcamus; ſimplicitatem verborum ſequuti & argumenti genus, ſtatuimus Deum Patrem præſentiam ſui ipſius cum Chriſto ſervatore noſtro & cum Spiritu ſancto promittere Eccleſiæ ſuæ, atque hoc vindice adverſus omnia mala confirmare. Eſt itaque hic locus de ſancta trinitate evidentiſſimus. 6 ut etiam vocatur 2. Schem. 7.21. 7 i. in quo, per quem, & propter quem vos acceptos habuerã, & receperam in fœdus: quamobrẽ idem etiam appellatur Angelus fœderis, Maleac. 3.1. 8 ut Rom. 8.9. & 11. c *Hebr. medio veſtri.* 8 Heb. 12.26. 9 i. hac una tantùm fœderis repetitione, redintegratione, & cõfirmatione opus eſt per Evangelium Chriſti. 10 nempe quod pepigeram vobiſcũ exeuntibus ex Ægypto. Nam lex præ impotentia nihil potuit efficere, ſed literam ſeneſcentem & occidentem habuit, Rom. 8.3. & 2. Corinth. 3. 6. Evangelium verò (quod ſucceſſit legi) miniſterium eſt Spiritus vivificantis: vide Jirm. 31.30. & ſequentib. & Jechezk. 36.26. & ſequentibus. 11 virtute ſpiritus, & prædicatione Evangelii apud omnes gentes, ſeq. ℣. vide Hebr. 12. 25. & ſequentibus. d *Heb. deſiderium.* 12 i. quoſcunque ex gentibus elegero. 13 i. quòd fuit prior domus auro & argento ornata, ne afficiat vos: nam illa tam mei juris ſunt quam olim fuerint; ſed ego huic domui ornatum longè ampliorẽ & gratiorem adhibebo, nempe pacem æternamq; proſperitatem, ſeq. ℣. 14 quarta pars prophetiæ, ut diximus ſup. 1.1. qua propheta iterum evincit peccata Judæorum antecedentia, & obſequentibus benedictionem in futurum pollicetur, primùm typis legalibus, uſq; ad ℣. 14. deinde nuda typo ſũ explicatione, inde ad ℣. 20. Hoc autem tempore voluit Deus argumentũ iſtud prophetiæ populo ſuo exponi, quaſi intermedio tempore inter ſementes duas, autumnalẽ & vernam; ut promiſſio Dei hoc pacto fieret illuſtrior. 15 quorum fuit reſpondere de lege conſulentibus: Levi. 10. 10. & 11. & Deu. 33.10. 16 typi duo gradatim a Propheta exponuntur: unus eſt, hominem ex contactu rei ſanctæ non trahere ſibi ſanctitatem ullam, hoc verſu; alter eſt, ſi immundus erit, tantùm abfore ut ſanctitatem inde percipiat, ut contrà rem ſanctam impuraturus ſit: quibus typis innuit Deus illorum judiciorum cauſas quæ in Judæa hactenus exercuerat; nimirum quòd nullam ſanctitatem ex altari ſancto, aut rebus ſanctificatis Deo percepiſſent, quia impuri animis ſuis fuerant, non ſecus quàm illi qui ex cadavere impuritatem contraxerunt: vide Numer. 5.2. & Levitic. 22.25. e *Heb. ſanctitatis.* 17 ipſe ex geſtatione, aut contactu ſuo. f *He. animæ.* 18 accommodatio typorum præcedentium: non fuit hic populus (inquit) rerum ſanctarum contrectatione ſanctificatus; ſed potiùs ipſi, (ut impuri fuerunt hactenus) oblationes ſanctas impurārunt, ac proinde acceſſiverunt ſibi præcedentes caſtigationes: ſic tranſit Propheta ad enarrationem caſtigationum, tribus verſibus ſequent. & populum hortatus promiſſiones ſubjicit, uſque ad verſum 20.

populus iste; & ita gens ista coram me *fuit*, di-
ctum Jehovæ, & ita totum opus manuum isto-
rum: imò quod obtulerunt [19] ibi, immundum
fuit.
15 [20] Nunc enim adhibete jam animum ve-
strum ab hoc die [g] ad eos qui præcesserunt; [21] ex
quo nondum [22] impositus fuit lapis lapidi in tem-
plo Jehovæ.
16 Ex quo sunt *dies* illi, [23] si *quis* venit ad acer-
vum vicenum *modiorum*, est denûm; si venit ad
lacum ut exhauriat quinquagenas *mensuras* tor-
cularis, vicenarum est.
17 Percussi vos uredine, & rubigine, ac gran-
dine, totum opus manuum vestrarum, & nullus
apud vos ad me *venit*, dictum Jehovæ.
18 Adhibete jam animum vestrum a die hoc
ad eos qui præcesserunt: [24] a die vigesimo quarto
mensis noni, [h] inde a die quo fundatū fuerat tem-
plum Jehovæ, adhibete animum vestrum.

[19] in altari Jehovæ, quod ante annos 107. fuerat exstructum, Hezræ 3.2. [20] confirmatio ab administratione judiciorū Dei, & eventu ipso; ut suprà 1.5. [g] Heb. & sursum: ut v.18. [21] i. inde ab annis 106. quibus intermissa fuit templi ædificatio: ut legimus Hezr. 4. nam fundamenta solùm fuerant jacta; ex eo tempore non fuerat lapis fundamentis impositus. [22] id est, continuata ædificatio. [23] quasi dicat, semper vos fefellit opinio vestra, & maledictionem pro sperata benedictione reportastis. [24] repetitio exegetica emphasin habens, quasi dicat, ab hoc ipso die qui dies est vigesimus quartus, &c. [h] Hebr. ad a die.

19 An adhuc semen [i] granarii, adeoq; vitis, &
ficus, & malus punica, & [k] olea non protulit? ab
hoc ipso die benedicturus sum.
20 [25] Deinde fuit verbum Jehovæ secundò ad
Chaggaium, vigesimo quarto *die* mensis, di-
cendo,
21 Alloquere Zerubbabelem ducem Jehu-
dæ, dicendo; ego commoturus sum cælos &
terram,
22 Et [26] subversurus sum solium regnorum, ac
perditurus firmitatem regnorum ipsarum genti-
um; subversurus, inquam, currum & sessores ejus,
[l] ruentibus equis & sessoribus eorum unoquoque
per gladium fratris sui.
23 Die illo, dictum Jehovæ exercituum, assu-
mam te [27] Zerubbabel fili Schealthielis serve
mi, dictum Jehovæ, [28] ponamq; te ut annulum sig-
natorium; quia [29] te elegi, dictum Jehovæ exer-
cituum.

[i] *Heb.* quod erat *in granario.* [k] *Heb. arbor olivæ.* [25] postrema pars prophetiæ de cæli & terræ reverentia exhibenda regno Christi, hoc versu; hostibus perdendis, sequente versu; & Christo rege in sempiternū præficiendo Ecclesiæ, vers. ultimo. [26] vi Evangelii, & spiritu oris Christi: vide 2. Corinth. 10.5. & 2. Thess. 2.8. [l] *Heb. descendentibus.* [27] id est, Christe, fili Davidis & Zerubbabelis: nam illi Christum ut typi adumbrârunt, & quodammodo in lumbis suis habuerunt; ut loquitur Apostolus de Abrahamo, Heb. 7.9. [28] id est, curabo te, in te conquiescam, te in oculis manibúsque feram: vide Canticorum 7.10. [29] ut Jeschah. 42.1.

ZECARJA.

ARGUMENTUM.

LIBER *Zecarjæ Prophetæ est totus propheticus & didascalicus, & typis abundat maximè. Primùm enim populum hortatus ad resipiscentiam, figurat typis majestatem Christi intercedentis apud Deum Patrem, misericordiam Dei Ecclesiam restituentis, Gentes infestas Ecclesiæ, hujus instaurationem, illarum eversionem, Christi & Ecclesiæ bona, Ecclesiasticam animadversionem in Judæos improbos, bonorumq; in Babylonia hærentium & ubivis terrarum apud Gentes versantium sanctificationem in Christo: deinde verò consulentibus de jejunio respondet minimè hoc a Deo imperari, sed vitæ sanctimoniam; & promissiones dari, de quibus exsultandum sit in Domino, ac non jejunandum. Posteà autem a suis temporibus descendens ad tempora Christi, duabus prophetiis adventum ipsius præfinit signis evidentissimis; hostium Ecclesiæ internecionem, suorum liberationem & defensionem gloriosam, & Judææ subversionem sublato Christo pronunciat: postremò vim Ecclesiæ ex Dei præsentia & beneficiis perceptam describit in reliquiis permansuram, quas Deus electas ex Judæis & Gentibus gratiosè convocaverit.*

CAPUT I.

Deus Judæos reducens ad resipiscentiam hortatus, visiones varias exhibet Prophetæ, & populo pronunciari jubet. Primùm enim providentiam suam infinitam, & administrationem exitiosam hostibus, & suis salutarem figurat: deinde Babyloniorum ruina, & revocatione suorum propter Christum exposita, firmitatem sacerdotii Christi, & Ecclesiæ ac cultus sui stabilitatem in virtute sua docet constituram: impiis in Judæa torpentibus exsecrationem præfigurat, & electis ex Babylonia gentibusq; exteris salutem prænuncians, publicum in Ecclesia monimentum statuit regni universalis Christi per Evangelium.

1 MENSE octavo, anno se-
cundo Darii; fuit verbum
Jehovæ ad Zecarjam fili-
um Berecjæ filii Hiddonis
Prophetam, dicendo,
2 [2] Efferbuit Jehova con-
tra patres vestros, [a] fer-
vente ira:

[1] Id est, altero post mense quàm prophetare cœperat Chaggai: vide Hezræ 5. Sex autem capita hæc placuit de industria conjungere, quia per Dei administrationem una fuit continens eorum visio, non autem seorsim exhibita; & quia similiter unicum est & continens argumentum, si primos sex versus exceperis: nam in eis quædam præfatio totius libri a Propheta præfixa est, quam nos brevitatis ergô non duximus esse a Prophetia altera dividendam. Sunt itaque hic prophetiæ duæ: una, hortatoria ad resipiscentiam, sex primis versibus; altera narrativa administrationis præteritæ, præsentis, & futuræ, qua Deus in Ecclesiam Judæorum usus est, usque dum regnum Christi in gentes propagatum est Evangelio. [2] brevis hujus prophetiæ partes sunt, propositio duobus versib. & exornatio tribus. Propositionis autem summa est hortatio ad resipiscentiam; argumenta verò illius duo, a minis majorum exemplo confirmatis, hoc ver. & a promissionibus Dei, vers. seq. [a] Heb. fervore iræ.

3 Quamobrem edices istis, sic ait Jehova
exercituum; revertimini ad me, dictum Jeho-
væ exercituum, & [3] revertar ad vos, ait Jehova
exercituum.
4 [4] Ne sitis similes majoribus vestris quibus
proclamaverant Prophetæ priores, dicendo, sic
ait Jehova exercituum; revertimini jam a viis
vestris pessimis & ab actionibus vestris pessimis:
non enim auscultârunt, neque attenderunt ad
me, dictum Jehovæ.
5 [5] Majores vestri ubinam sunt? & prophetæ

[3] id est, reconciliatus vobiscum, adeo & benedicam vobis; ut Micæ 7.19. [4] exornatio (ut diximus ver. secundo) primùm per interdictum antitheton, hoc vers. deinde per experimentum majorum, & confessionem ab ipsis vel invitissimis extortam, duobus sequentibus. Is. & Jiro. 16.16. jirmeja 18.11. & 25. & seq. & 35.15. [5] sensus est, communem quidem istius vitæ exitum majores vestri & Prophetæ mei habuerunt: sed non propterea mortuis prophetis meis intermortua sunt verba mea; vixerunt planè, & in majoribus effectum suum consequuta sunt, adeò ut ipsi viventes videntésque coacti sint agnoscere stabilitatem verborum meorum, etiam sublatis Prophetis meis.

 ipsi?

[a] *Lamen.* 1, 18. & 2, 17.

[6] tempus hoc (ut suprà diximus) demonstrat alteram esse prophetiam a superiore, sequentia verò omnia usque ad caput 7. inter se continuanda esse. Est autem prophetia hæc ὀπτασιαστική, id est, tota ex visionibus constans quibus suæ interpretationes suis locis subnectuntur. Continetur verò prophetia hæc tribus in universum partibus: prima est prolepsis sive propositio summa visionum & prædictionum sequentium, toto hoc capite; secunda, narratio modi quem Deus ad illud usque tempus tenuerat in administratione sua ut præstaret consilium & promissiones suas, secundo capite; tertia, consiliorum Dei quæ inde ab eo tempore præstare cœpturus erat copiosa enarratio, usque ad caput 7. quæ partes singulæ suas visiones suis rebus conjunctas habent. [7] qui plurimùm respondet Januario. [8] visio hæc proleptica (ut diximus præcedente versu) primùm figurat Christum inter pios in Ecclesia habitantem, angelosq; & res creatas ministrantes ei, hoc versu; & tribus sequent. deinde verò generalem administrationem Christi, inde ad finem capitis. [9] quod tempus ordinarium est habendis visionibus. [10] Angelus Dei humana specie, nimirum Christus, qui Angelus Jehovæ deinceps appellatur, & inter Deum patrem genusq; humanum intervenit tamquam verbum, sapientia, & potentia Dei. [11] id est, coloris ignei, quo prodest Ecclesiæ suæ, & consumit adversarios. [12] adumbrantes Ecclesiam ipsius, quæ vivit, viret, floret, fructum edit, & odora est in ipso. [13] id est, in loco fluctibus & procellis exposito; quemadmodum tum erat Ecclesia Judæorum, gravissimas calamitates in Babylonia Judæaq; perferens: & communis est sors Ecclesiæ Dei. [14] cum equitibus synecdochicè; pro eo quod est, omnis generis administros, qui ut Regi cursores, ita Christo Domino suo parent fidelissimè, sive ad judicia ejus præstanda, sive ad beneficia, sive ad utrumque conjunctim; quod equis baliis figuratur. [15] sive varios: sic enim Hebræis appellantur a colore uvarum præstantissimarum, qui in eo tractu est varius. [16] vir idem insidens equo rufo, de quo præcedente versu: sic deinceps. Quapropter in sequentibus Propheta sic disertè ait, angelo qui alloquebatur me, versu 13. Angelus qui alloquebatur me, versu 14. eodemq; modo in aliis capitibus, discretionis causa. [17] id est, sunt nuncii & exploratores a Deo missi, per quos placuit cognoscere quid rerum agatur in terra: nam etsi Deo sunt omnia præsentissima expositaq; ante oculos ejus, Hebr. 4. 13. tamen & angelos administros ac testes adhibet voluntatis suæ, & hac ratione in scripturis adumbrat majestatem suam; regum humanorum exemplo, quos frequens administrorum satellitumq; comitatus stipare solet. [18] i. Deus Pater per me: quamobrem etiam angeli ad Christum ipsum responsa sua perferunt; ut qui sit interpres Dei Patris apud res creatas omnes, & omnium Mediator apud Patrem. [19] hoc angelorum responso demonstratur absolutissima cognitio rerum omnium, qua præditus est Christus; non tantum earum quæ in Ecclesia geruntur, sed etiam apud adversarios illius. Hic autem & duobus sequentibus narratur quo pacto Deus adductus sit ut misereretur Ecclesiæ Judæorum; deinde verò consilium ejus misericors, quod jam cœptum erat aliqua ex parte præstari, exponitur. [20] id est, delicias agit Babylonius, & quisque adversarius Ecclesiæ, dum Ecclesia tua maximis tempestatibus agitatur. Nam hæc verba figurant illud tempus quo Judæi in Babylonia detinebantur, unde liberati dicuntur interventu Christi, versibus seq. [21] Christus intercessor pro Ecclesia apud Deum Patrem. [22] id est, jam toto tempore quod præfiniveras atq; prædixeras, Jirmej. 25. & 29 sic demonstrat illud, quousque? non esse dubitantis, sed urgentis promissionum complementum. [23] videlicet de amore Dei erga Ecclesiam, ira in adversarios, & effectis earum, quæ deinceps exponuntur. Atque hactenus quidem typus est administrationis Christi, quum Judæi detinerentur in Babylonia. [24] jam Propheta transit ad præsentem constitutionem rerum. quasi dicat, quia jam ante annos ampliùs centum Deus Pater verbis bonis & Ecclesiæ salutaribus alloquutus est filium & sermonem suum æternum; ideò nunc filius ipse Dei vocavit me ut eadem bona verba confirmem vobis, tum de animo ipsius erga Ecclesiam hoc versu; & contra hostes, versu sequent. tum de officiis ipsius, versu 16. & 17. quæ omnia ex ordine sequentibus enarrantur.

ipsi? an in seculum vivunt?
6 [a] Verumtamen verba mea & statuta mea
quæ præceperam servis meis Prophetis, nonne
assequuta sunt majores vestros? adeò ut reversi
dixerint, quemadmodum cogitaverat Jehova
exercituum facere nobis secundùm vias nostras
& secundùm actiones nostras, ita egit nobiscum.
7 [6] Die vigesimo quarto undecimi mensis, is
est mensis [7] Schebat, anno secundo Darii; fuit
verbum Jehovæ ad Zecarjam filium Berecjæ filii
Hiddonis Prophetam quod diceret:
8 [8] Vidi [b] nocte, quòd ecce [10] vir insidebat
equo [11] rufo, & stabat [12] inter myrtos quæ *erant*
in [13] profundo: posteà verò [14] equos rufos, [15] balios, & albos.
9 Quumq; dicerem, quid *sibi volunt* isti, Domine mi? dixit mihi [16] angelus ille qui alloquutus est me, ego ostendam tibi quid *sibi velint* isti.
10 Tunc respondens vir ille qui stabat inter
myrtos, dixit; [17] hi *sunt* quos misit [18] Jehova ad
perambulandum terram.
11 Et respondentes angelo Jehovæ stanti inter myrtos, dixerunt, [19] perambulavimus terram;
& ecce tota terra [20] desidet, & tranquilla *est*.
12 Tunc loquutus [21] angelus Jehovæ dixit; ô,
Jehova exercituum, quousque tu non misertus
es Jeruschalaimorum, & civitatum Jehudæ: *in*
quas indignatus es [22] jam septuaginta annis?
13 Respondit autem Jehova exercituum angelo illi qui alloquebatur me, [23] verba bona; verba consolatoria.
14 [24] Quamobrem edixit mihi angelus qui
alloquebatur me, proclama dicendo, sic ait Jehova exercituum; zelo prosequor Jeruschalaima
& Tzijonem, zelo maximo.
15 Fervore enim maximo ferveo contra gentes istas tranquillas: quia me effervescente paululùm, ipsæ [25] adjutrices fuerunt in malum.
16 Idcircò sic ait Jehova, reversus sum ad urbem Jeruschalaimorum misericordia, domus
mea [26] ædificabitur in ea, dictum Jehovæ exercituum; & [27] regula extendetur super Jeruschalaima.
17 [28] Ampliùs proclama dicendo, sic ait Jehova exercituum, [29] adhuc dispergentur civitates
meæ præ bono; [30] consolante Jehova adhuc Tzijonem, & eligente adhuc Jeruschalaima.

[25] id est, afflictis aggravaverunt afflictionem tota facultate sua: quod de Babyloniis dicitur, Jesch. 47. 6. de aliis verò gentibus Jechez. 25. [26] id est, perficietur invitis hostibus: sic populum in opere incepto confirmat, ut fecit Chagg. 1. 13. prior promissionum locus. [27] id est, urbs quoque ipsa ædificabitur, synecdochicè: prout post annos fermè triginta septem Nechemja duce effectum est, Nechem. 2. & sequentibus. [28] alter promissionum locus, quasi dicat, non tantùm promissiones illas temporarias & aspectabiles effecturus sum, sed infinitas alias & inæstimabiles profusurus in Ecclesiam re ipsa & verbo, secundùm electionem & consilium æternum meum in Christo. [29] id est, adeò Ecclesiam meam prosequar & cumulabo beneficiis, ut pii præ sua bonorumq; suorum copia non capiantur angustis Judææ finibus, sed in totum orbem terrarum diffusi propagent benedictiones suas: vide Jeschah. 49. 18. & sequentibus. [30] id est, promissas suas consolationes, & præfinitam electionem præstante. Nam semel ab æterno suos elegit Deus: sed electionis suæ consilium perficiendo eligere quoque in scriptura dicitur, per metalepsin; id est, in electione semel facta pergere, eamq; patefacere ac declarare palàm.

CAPUT II.

1 ET sublatis oculis meis vidi; ecce autem [2] quatuor cornua.
2 Dicente autem illi angelo qui alloquebatur me, quid *sunt* ista? dixit mihi, ista *sunt* illa cornua quæ sparserunt Jehudam, Jisraëlem, & Jeruschalaima.
3 Deinde ostendit mihi Jehova [3] quatuor
fabros:
4 Et quum dicerem, quid isti veniunt facturi? eloquutus est dicendo, illa cornua quæ sparserant Jehudam, adeò ut quisquam non extulerit
caput suum, jam venerunt isti ad deterrendum
illa, ad dejiciendum cornua gentium, quæ sustulerant cornu in terram Jehudæ ad spargendum eam.

CAPUT II.

5 [4] Iterum sublatis oculis meis videns, quòd
ecce virum; & in manu ejus funiculum [a] mensorium;
6 Dixi, quò vadis? qui dixit mihi, [5] ad mensurandum Jeruschalaima; ut [6] videant quanta *sit futura* latitudo ejus, & quanta longitudo
ejus.
7 [7] Ecce autem angelo illo qui alloquebatur me [8] procedente; [9] angelus alter processit
obviam ipsi;

[1] Secunda hæc pars, narratio (ut diximus suprà 1. 7.) exponit modum quo Deus usus est in præstandis promissionibus antecedentibus. Primùm enim adversariorum Ecclesiæ ruina exponitur, versibus quatuor; deinde urbis ædificatio, versu 5. & 6. ac postremò Ecclesiæ Christi amplificatio per Evangelium, versu 7. & sequentibus: quæ tria ex ordine posita fuerant, tribus versibus proximè præcedentibus. [2] quibus adumbrantur hostes qui populum Jisraëlis omnibus ex partibus infestaverant: videlicet Syri, Assyrii, & Babylonii a Septemtrione, Hammonitæ & Moabitæ ab Oriente, Edomæi, Ægyptiiq; a Meridie, & Pelischthæi ab Occidente: ut ex Jirmeja & Jechezkele constat. [3] id est, administros, artificesq; judiciorum Dei, quos Deus undequaque congregaverat ad perdendos Babylonios, & congregaturus erat ad deturbandos hostes Ecclesiæ suæ, qui structuram templi & urbis impediebant. [4] secundus typus de ædificatione urbis, ut diximus in versum 1. [a] *Hebr. mensuræ.* [5] id est, demetiendum & delineandum formam urbis quæ brevi instaurabitur: ut diximus suprà 1. 16. [6] structores videlicet, quos adhibiturus erat Deus architectus Ecclesiæ. [7] tertius narrationis locus, de promissionibus Evangelicis, quas perstrinxerat Propheta suprà 1. 17. [8] videlicet ut alloqueretur me propiùs, & promissiones sequentes exponeret. [9] qui præstò erat ad observandum & accipiendum mandatum Christi: sic figuratur voluntarium, studiosum, & promptum ministerium angelorum Dei, quum hic obviam occurrit Christo, tamquam Regi, ut perficiat voluntatem ejus.

8 Cui edixit, [10] curre, alloquere [11] puerum istum, dicendo; [12] *per* pagos habitabunt *cives urbis* Jeruschalaimorum præ multitudine hominum & jumentorum *versantium* [b] in ea:

9 Et ego ero ei, dictum Jehovæ, [13] murus igneus circumquaq;; & gloriæ ero in medio ejus.

10 [14] Heus heus, jam [15] fugite è terra Aquilonis, dictum Jehovæ; [16] quum expanderim vos [c] quàm latè patent quatuor venti cælorum, dictum Jehovæ.

11 Heus Tzijon, [17] libera te; quæ desides apud filiam Babyloniæ.

12 [18] Nam, sic ait Jehova exercituum; [19] *qui* post *indictā* gloriam, misit me contra gentes istas quæ deprædatæ sunt vos: quia qui tangit vos, [20] tangit pupillam oculi ipsius:

13 Nam ecce ego [21] agitaturus sum manum meam contra illas, & erunt prædæ [22] servis suis: ita agnoscetis [23] Jehovam exercituū misisse me.

14 Cane & lætare filia Tzijonis; quia ecce venturus sum & habitaturus in medio tui, dictum Jehovæ:

15 Et adjungentes se gentes multæ Jehovæ die illo, erunt mihi populus: & habitante in medio tui, me agnosces [24] Jehovam exercituum mittere me ad te.

16 Tum possidebit Jehova [25] Jehudam portionem suam in terra sancta; & [26] eliget rursus Jeruschalaima.

17 [27] Sile, uuiversa caro à facie Jehovę; quum [28] excitatus fuerit ex habitaculo sanctitatis suæ.

[10] hoc verbo demôstratur quasi procul stetisse Zecarjā; ac proinde Christum voluisse ipsum accedere, ut quamprimùm notas faceret promissiones sequentes; nisi Angelus tamquam cursor operam suam Christo obtulisset [11] Zecarjam. [12] id est, innumera erit civium Ecclesiæ multitudo: ut suprà 1. 17. Tria autem hoc Christi sermone continentur: primum, promissionum summa, duobus versibus; secundum hortatio ad Jisraëlitas, ut freti promissionibus ad Ecclesiam convolent, duobus alteris; tertium, promissionum ἐργασία, ad finem usque capitis. Promissionum autem loci sunt hi, ampliatio Ecclesiæ, hoc versu; protectio Dei, & sanctificationis gloriæque communicatio cum Ecclesia per præsentiam ipsius, sequente versu. [b] *Heb. in medio ejus.* [13] id est, planè salutaris, ut Jeschah. 26. 1. & 60. 18. Nam ut ignis res objectas consumit, ita Deus se tam terribilem & gravem ultorem fore adversus Ecclesiæ hostes pollicetur. [14] hortatio ad reliquos in Babylonia commorantes, ut promissiones Dei amplectantur, & bonorum ejus conscientia affecti accedant Ecclesiam ejus: quamobrem bona à Deo oblata mox narrantur, reliquo capite, & duobus sequentibus; maledictio verò iis denunciatur qui gratiosè huic vocationi non obsecundaverint, capit. 5. [15] i. tamquam fuga ex malis præsentibus & venturis (quæ commorantibus in Babylonia denunciantur) vos eripientes, ad Ecclesiam advolate. [16] id est, quum vobis, qui priùs in servitute angustissima tamquam aviculæ in cavea detinebamini, copiam tam illustrem fecerim utendi cælo libero, & extra Babylonicum ergastulum ex animi vestri sententia evolandi. [c] *Heb. secundum quatuor ventos.* [17] quasi dicat, per te unam stabit, nisi feceris, tanta commoditate oblata. [18] toto hoc versu verba sunt angeli illius qui obviam Christo processisse dictus est, suprà versu 7. quam ob rem sequente versu fit causalis particulæ epanalepsis, post hujus versus hyperbaton. [19] id est, qui duo significavit mihi & fieri per me imperavit: unum, ut gloriam quam in vobis collacaturus est indicem; alterum ut in hostes immittam ignem judiciorum ipsius: quæ duo Christus dixerat suprà versu 9. & hic angelus repetit, ὕστερον πρότερον. [20] ut Deuter. 32. 10. & Psal. 17. 8. [21] id est, percussurus sum & cæsurus, synecdoche. [22] id est, Judæis, qui servitutem ipsis servierant. Est autem hoc & sequente versu ἐργασία versus 9. ut contrà sequentibus per ὑστέρωσιν ἐργασία est octavi versus. [23] id est, me filium & sermonem Dei Patris æternum, eum esse qui mittor ad vos, ut hæc jamque prænunciem, & præstem suo tempore. [24] id est, me filium Dei à Patre missum esse ut habitem in medio vestri, & vos cum gentibus adjuncti mihi, sitis mihi populus: sic demonstrat Christus se Jehovam esse, id est, verum & æternum Deum cum Patre & Spiritu sancto. [25] id est, Ecclesiam suam, typicè. [26] ut suprà 1. 17. [27] apostrophe ad hostes, gloriosè prædicans majestatem & amplitudinem regni Christi in Evangelio, cui nemo ausit obmurmurare, nedum obsistere. [28] id est, processerit tamquam è cubili suo in publicum, ad regendam Ecclesiam suam Evangelio.

CAPUT III.

[1] POsteà ostendit mihi [2] Jehoschuham Sacerdotem maximum [3] stantem coram angelo Jehovæ: & [4] Satanam stantem ad dexteram ejus, ut adversaretur ei.

2 Dicebat autem [5] Jehova Satanæ, [6] increpet Jehova te, ô Satan, increpet, inquam, te Jehova, [7] qui eligit Jeruschalaima: [8] nónne hic *est* titio ereptus ex igne?

3 Jehoschuah autem *quum* esset indutus [9] vestibus sordidis, & staret coram ipso angelo:

4 [10] Respondens *angelus* alloquutus est [11] eos qui stabant coram se, edicendo, amovete vestes istas sordidas ab eo; & dixit ei, [12] vide, transtuli à te iniquitatem tuam, ut induam te [a] mutatis vestibus;

5 Ideóque dico, [13] imponunto cidarim mundam capiti ejus: imposuerunt itaque illi cidarim mundam capiti ejus, & induerunt eum vestibus, [14] angelo Jehovæ adstante.

6 [15] Tum contestatus est angelus Jehovæ Jehoschuham, dicendo,

7 Sic ait Jehova exercituum, si in viis meis ambulabis, & si observationem meam observabis, & tu cùm jus dices domui meæ, tum etiam observabis atria mea; utique [16] disponam tibi qui ambulent inter [17] adstantes istos.

8 [18] Audi jam, Jehoschuah Sacerdos maxime, tu & [19] amici tui qui sedent coram te, quandoquidem [b] [20] ostento sunt: [c] ecce ego adducturus sum servum meum, [21] GERMEN.

9 Nam ecce [22] lapis ille *est* quem pono [23] coram Jehoschuha, [24] apponens lapidi unico septem oculos: ecce ego [25] sculpturus sum sculpturam ejus, dictum Jehovę exercituum, & amoturus iniquitatem terræ istius die uno.

10 Die illo, dictum Jehovæ exercituum, [26] vocabitis quisque amicum suum; sub vitem, & sub ficum.

[1] Tertia pars prophetiæ, ut diximus sup. 1. 7. nimirum enarratio consiliorū Dei quæ ad gloriā suam erat præstiturus, duobus membris continetur: prius est de administratione Dei in Judæa, in qua agitur de beneficiis Dei erga suos, hoc & sequente capite; & de judiciis contra immorigeros, capite 5. quæ duo perstrinxerat Propheta præcedēte capite: posterius, de servandis electis è media Babylonia, capite 6. Eorum autem quos Deus agnoscit pro suis in Ecclesia quam patres mysticam nominârunt, primas obtinet caput, tum Christus Sacerdos summus, de quo hoc capite; secundas verò corpus Christi, i. Ecclesia catholica ex electis Dei adunata, de qua sequente capite. Capitis autem Ecclesiæ, & Sacerdotis summi ratio duplex est: una, typica in Jehoschuha, usq; ad versum 8, altera, simplex quam typus significabat, tribus versibus ultimis. In typo tria observanda sunt; defensio quam Christus suscipit pro servis suis adversus satanam, duobus versibus; remissio peccatorū & justificatio per fidem, tribus sequentibus; & officii debiti restipulatio promissione conjuncta, versu 6. & 7. [2] de quo Chaggai 1. 1. & 12. & 2. 2. [3] i. ministrantem Christo, & agentem typum ipsius in Ecclesia.

[4] id est, adversarium: ut Ijobi 1. 6. [5] Christus angelus Jehovæ, coram quo Jehoschuah stabat. [6] id est, Deus pater verbo suo potente depellat te à tribunali suo, & accusandi facultatem adimat tibi; justificans servum suum, & secundùm eum pronuncians. [7] id est, propter electionem suam faciat. [8] brevis contestatio evincens malitiam satanæ, q. d. quid? nónne audis hoc esse consilium Dei? quin potiùs nónne vides ex liberatione mirifica jam antè præstita, & cognoscis Deum in hoc homine, quem ex incendio eripuit, statuisse efficere voluntatem suam? quid tu Jehovæ obniteris? [9] infirmitatum suarum peccatorúmque suorum symbolis. [10] Christus, peccata remittens, & justificans impios, [11] id est, angelos, qui ministerii causa mittuntur propter eos qui hæredes salutis futuri sunt, Heb. 1. 14. est autem hoc humanitus dictum: nam remissionem peccatorum & justificationem unius Christi est conferre per spiritum. [12] id est, ex hoc signo rei veritatem perspice: ut Jirme. 1. 10. [a] *Heb. mutationibus.* [13] id est, induatur hic rebus omnibus tum ad Sacerdotium perfungendum pro Ecclesia, tum ad suam ipsius vitam sanctè traducendam & Deo probandam necessariis. Nam omnis Sacerdos & minister Ecclesiæ Christi tum pro Ecclesia instruendus est à Christo donis suis publicis (quæ hîc designantur cidari sacerdotali ornamento) tum etiam pro se ipso donis suis singularibus. Habent enim (ait Augustinus) duo quædam: unum, quòd Christiani sunt; alterum, quòd præpositi sunt. Illud quòd Christiani sunt, propter ipsos est; quòd autem præpositi sunt, propter Ecclesiam est. In eo quòd Christiani sunt, attenditur ipsorum utilitas; in eo quòd præpositi sunt, non nisi Ecclesiæ. [14] id est, illicò: dictum ac factum, quod ajunt. [15] tertius locus typi, restipulatio cum promissione, ut diximus in versum 1. [16] id est, constituam te cum posteris tuis in eadem dignitate qua sunt angeli Dei in cælo, & inter ipsorum myriadas in eadem Ecclesia conversaberis: Matth. 22. 30. & Heb. 12. 22. [17] id est, angelos, ut supr. ver. 4. [18] altera pars capitis, ut diximus supr. ver. 1. qua Propheta instituto in Ecclesia typico Sacerdotio, transit ad complementum & veritatem illius in Christo, & tria illa membra typo attributa veritati accommodat. Primùm enim Christo, qui promittitur hoc versu, attribuit firmitatem administrationis & consiliorum omnium ad defensionem Ecclesiæ, deinde justitiam ad justificationem & sanctificationem illius, ac postremò redemtionem ad promissiones æternæ pacis præstandas: ut Christus nobis à Deo patre factus est sapientia, justitia, sanctificatio, & redemtio, 1. Corinth. 1. 30. [19] id est, Sacerdotes omnes, quorum præpositus es administrationi, ut magister discipulis præest, & præses assessoribus. [b] *Heb. viri ostenti.* [20] vide Psal. 71. 7. [c] *Heb. quod ecce: pleonasmus.* [21] id est, Christum Jehovam: ut Jescha. 4. 1. Jirme. 23. 5. & 33. 15. de quo etiam copiosiùs infra 6. 12. & seq. [22] altera allegoria, significans firmitatem Christi, & Ecclesiæ superædificatæ Christo. [23] id est, in Ecclesia, ubi Jehoschuah typū agit illius. [24] id est, perfectissimè adhibens ei absolutissimam providentiam meam, ut infrà 4. 10. & in eo collocan ipsam, ut perfungatur administratione sua ex voluntate Patris. Nam providentia Dei, oculis; perfectio septenario numero figuratur. De lapide autem vide Psal. 118. 22. & Jescha. 28. 16. [25] id est, eâdem operâ, & ornamenta omnia in eo depositurus sum, tradito sine mensura spiritu justitiæ, sanctificationis, & vitæ; & per eum remissionem peccatorum, ornamentáque omnia cum ecclesia communicaturus: metaphora à structoribus lapides politos sculpentibus, rudes verò & impolitos cædentibus, ut apti sint ædificio. [26] id est, agetis in pace, ut 1. Reg. 4. 24.

CAPUT IIII.

[1] DEinde [2] reversus angelus ille qui alloquebatur me, excitavit me ut virum qui excitatur à somno suo:

2 Dixitque mihi, quid tu vides? cui dixi, video quòd ecce [3] lychnuchus aureus totus, cujus lecythus supra summitatem ejus *est*, & septem lucernæ ejus in eo, [a] septémque infundibula septem illis lucernis quæ *sunt* in summitate illius:

3 Et duæ oleę ad illum; una à dextera lecythi, & altera ad sinistram ejus.

4 [4] Quúmque respondissem, loquutus sum ad angelum qui alloquebatur me dicendo; quid ista *sibi volunt*, domine mi?

5 Respondens autem angelus qui alloquebatur me, dixit mihi, an nescis quid sibi *velint* ista? cui dixi, non, Domine mi.

6 [5] Respondens itaque alloquutus est me, dicendo, hoc *est* [6] verbum Jehovæ [7] ad Zerubbabelem, dicendo; [8] non virtute, neque vi, sed spiritu meo, ait Jehova exercituum.

7 [9] Quis es, ô mons magne, coram Zerubbabele? [10] in planitiem *es*: [11] nam proferet lapidem summum, [12] *cum* [b] fragosis acclamationibus, gratia gratia ei.

8 [13] Fuit enim verbum Jehovæ ad me, dicendo,

9 Manus Zerubbabelis fundaverunt domum istam, & manus ejus perfecturæ sunt; ut agnoscas Jehovã exercituum [14] misisse me ad vos.

10 [15] Nam quis spreverit diem [16] parvorum *operum*? nam lætantur aspicientes [17] ad lapidem illum [c] perpendiculum in manu Zerubbabelis [18] septem isti; [19] oculi *inquam* Jehovæ, ipsi peragrantes terram?

11 [20] Ampliùs respondens dixi ei; quid *sibi volunt* duæ oleæ istæ, ad dexteram lychnuchi, & ad sinistram ipsius?

12 Et respondens [21] denuò dixi ei; quid duæ baccæ olivarum, quæ *sunt* in spatio duorum tuborum auri effundentium ex se [d] aureum liquorem?

13 Qui quum alloquutus esset me, dicendo, [22] an nescis quid *sibi velint* ista? dixi, non, Domine mi,

14 Itaque dixit, [23] hæ *sunt* duæ [e] oleosæ; [24] quæ permanent apud Dominum totius terræ.

[1] Transitio ad descriptionem secundæ materiæ beneficiorũ Dei, id est, Ecclesiæ catholicę: ut diximus suprà 3.1. ad cujus contemplationem Propheta se translatum fuisse dicit excitatione, tamquam si ad amplitudinem superioris visi infirmitate carnis suæ obdormivisset, hoc versu. Sunt autem in hac Ecclesiæ descriptione partes duæ; typus, versu 2. & 3. & interpretatio typi, sequentib. quæ duo toto hoc capite tractantur διαλογιστικῶς. [2] id est, à Jehoschuha conversus ad me, & mecum sermonem habens. [3] typus Ecclesiæ pretiosissimæ coram Deo, cujus singula membra deinceps à Christo explicantur. [a] *Heb. septem septémque infundibula lucernis: σύγχυσις verborum, quam tractatione verborum fecimus evidentiorem.* [4] id est, potenti angelo narrassem visionem oblatã. Hic autem transitur ad interpretationem typi, quã Propheta postulat, hoc versu; & angelus ad eam accipiendam Prophetam excitat, sequente ver. tum ad singularem interpretationem descendit. [5] quemadmodum typi duæ sunt partes duobus versibus distinctæ, ita etiam quæstiones Prophetæ & responsiones Christi in duas partes distinctæ sunt: prior respondet typo secundi versus, usq; ad ver. 11. posterior verò respondet typo versus tertii, quatuor versibus ultimis. In hoc autem priore responso ponitur primùm interpretatio κατ᾽ ἀντίθεσιν καὶ θέσιν, hoc & sequente ver. deinde confirmatio, tribus alteris. [6] adumbratum hujus visionis typo. [7] ducem populi Dei, ac proinde typum Christi Regis æterni nostri. [8] q.d. quemadmodum lychnucho illi & instrumentis illis sive faciendis & constituendis, sive curandis, nulla ars humana, nullæque vires adhibentur; sed Deus spiritu fecit, & superne curat per eumdem spiritum: ita etiam populus meus & Ecclesia mea nullo consilio aut humanis viribus restitutus est; curabiturque porrò & conservabitur ne sua quidem & ducum suorum opera, sed unica virtute spiritus mei. [9] apostrophe ad adversarios, qui sibi præ Zerubbabelis Judæorúmque tenuitate montes magni esse videbantur, & officiebant ei, ut narratur Hezræ 4. & 5. q.d. putatisne vos vestri juris esse? omnes homines superare? aut populum meum esse in jure vestro? imo verò quicquid agatis, mei juris estis, neque potestis manus meas effugere. [10] i. plana sunt virtute spiritus mei Zerubbabeli, & facilia omnia. [11] i. exædificabit invitis vobis, & lapidem summum imponet ædificii. [12] i. favente & acclamante cum summa lætitia populo; cujus clamoris summa effingitur à Propheta, quum dicit, gratia gratia, q. d. gratiã Dei domus perfecta est, non merito aut virtute nostra; & gratia Dei porrò curabitur, quod exoptamus ex animo. Sic jubet Propheta populum agnoscere & prædicare veritatem superioris typi. [b] *Heb. fragoribus.* [13] confirmatio, ut diximus versu 6. à testimonio Dei patris consilium suum exponentis Christo, quod ipse Propheta narrat nudis & apertis verbis. [14] ut suprà 2. 13. [15] alterum argumentum, à providentia & studio Dei patris. Deus (inquit Christus) non tantùm dixit, sed etiam procurat infinita providentia sua: quis ergo interverterit? Deus delectatur eo, quis spreverit? [16] i. tenuium principiorum istorum, quæ ducta sunt in exstruenda domo. [17] summum, de quo versu 7. [c] *Heb. stannum: metonymia.* [18] de quibus suprà 3. 9. [19] i. infinita Dei providentia. [20] secunda pars anagoges, ut diximus in ver. 6. quã Propheta sciscitatur, duobus versibus; & angelus respondet, duobus alteris. [21] i. accuratiùs & minutatim sciscitans: hîc enim exprimuntur visionis partes quas antè Propheta reticuerat, ver. 3. Nam utrimque adstabant lychnucho erectæ oleæ, quarum rami ad lecythum lychnucho impendentem spectabant: supra lychnuchum duo erant tubi aurei, quorum os inferius lecytho oleum infundebat, superius verò (quod spatii majoris erat) accipiebat ex olearum baccis, quæ memorantur hoc versu.

[d] *Heb. aurum.* [22] ut suprà versu 5. excitantis ad attentionem verba. [23] hoc responso Angelus satis habuit demonstrasse interpretationis viam, quum priorem tantùm quæstionem explicat. q.d. duæ istæ arbores figurant omnimoda spiritus dona a Deo in æternum ad Ecclesiam perventura per Christum. Hinc autem facilè eruitur secundæ quæstionis interpretatio, nempe duas baccas tubósque significare demensum spiritus abundans, & in Ecclesiam a plenitudine Christi suis modiis, tamquam tubulis, indesinenter defluens. [e] *Heb. filii oleæ.* [24] id est, quæ in Christo sunt, & per Christum Ecclesiam perfundunt benedictionibus æternis.

CAPUT V.

[1] DEinde [a] rursus attollens oculos meos vidi; quòd ecce [2] volumen [3] volabat.

2 Quumque diceret mihi, quid tu vides? dixi, video volumen volans, [4] longitudine viginti cubitorum, & latitudine decem cubitorum.

3 Tum dixit mihi, [5] hæc exsecratio processura in superficiem totius terræ; quia [6] quisquis furatur ex hoc *populo*, [7] ut illa, se [b] innocentem asserit; & quisquis jurat ex hoc *populo*, ut illa, se innocentem asserit.

4 Hanc profero, dictũ Jehovæ exercituum, ut invadat domum furis, & domum jurantis per nomen meum falsò: commoransq; in domo ejus consumat eam, [8] & ligna ejus, ac lapides ejus.

5 [9] Posteà progressus angelus qui alloquebatur me; dixit mihi, attolle jam oculos tuos, & vide quid *sit* hoc quod procedit.

6 Dicenti autem mihi, quid est? dixit, est Epha quæ progreditur, dixitque, [10] hic *est* oculus ipsorum in tota hac terra.

7 Ecce autem [11] massam plumbi allatam, cum ea, [12] mulierem unam quę sedit in medio illius Ephę.

8 Dixitque *ille*, [13] hæc *est* ipsa improbitas, quum projiceret eam in medium Ephæ; projecítque [c] massam illam plumbi [14] in os ipsius *Ephæ*.

9 [15] Tum attollens oculos meos vidi, quòd

[1] Tertiam partem propheticæ, diximus suprà 3. 1. enarrare duo genera consiliorum Dei. Ac de beneficiis quidem illius in suos dictum est duobus capitibus: nunc posterius consiliorum genus agitur, nempe judiciorum contra Judæos immorigeros, toto hoc capite. Tria autem typicè simul & anagogicè ad illud pertinentia hoc capite proponuntur: primùm est, exsecratio descripta & quasi relata in acta Ecclesiæ ex consilio Dei, quatuor versibus; secundum, improbitatis, scelerumque gravissimorum quibus irritatus est Deus descriptio, & divini ordinis in eis observanda, quatuor alteris; tertium, sententiæ exsequutio, tribus versibus ultimis. [a] *Heb. reversus extuli.* [2] ubi descripta erat sententia exsecrationis. [3] i. celerrimè obibat terram. [4] i. volumen amplissimum, quo tum innumera peccata hominum, tum infinita maledictio continetur copiosissimè. [5] i. quæ hoc volumine continetur: synecdoche. [6] i. hujus voluminis scriptura sententiam fert in Judæos pervicaces qui hîc in peccatis vivunt, & se nihilominus justitiæ alicujus specie innocentes plane confirmant esse; quamvis maximorum scelerum teneantur cùm in secundam legis tabulam, tum etiam in primam; quæ duo synecdochicè designantur furti & juramenti nominibus. [7] i. æquè ac reliqua terra impudentes sunt in defendendo & probando peccato suo; haud secus ac si nunquam novissent Deum ampliùs quam terra reliqua. [b] *Heb. innocentem agit.* [8] i. perdat eam funditùs, ita ut ne vestigia quidem reserventur. [9] secunda pars capitis, nempe communis improbitatis descriptio, & divini ordinis, ut diximus in versum 1. quã Propheta docet omnes improbos ex Judæis providentia Dei in acervum unum & quasi modium comportatum iri, & gravissimo decreto ejus ac ineluctabili obsignatum iri. [10] i. hæc est cognitio illa verissima quam Deus habet in Ecclesia sua de toto sceleratorum corpore. Sic autem agit cum Propheta Deus, ut primùm è longinquo cernat, deinde specie illa appropinquante discernat tres illius partes quæ ponuntur sequente versu, & exponuntur ver. 8. [11] typum firmitatis & immutabilitatis quæ futura erat in decreto Dei adversus Judæos, qui sanctum fœdus faciebant irritum, quasi pondus imponeretur, ne ligati judicio Dei & Ecclesiæ ipsius effugerent è suo carcere. [12] figurantem corpus impiorum omnium Judæorum ejiciendorum ex Ecclesia. [13] i. hæc mulier typus est impiorum ex Judæis, qui in unum collecti asservantur & obsignantur, comparati ad illud judiciũ Dei subeundũ quod sequentibus exponitur. [c] *Heb. lapidem.* [14] super fœminam videlicet, ut asservaretur inclusa & ligata velut firmo carcere, donec judiciũ efficeretur quod exhibuit Christus videndũ, sequentibus. [15] tertia pars capitis, de exsequutione sententiæ Dei, facta in Ecclesia post cognitionem legitimam: quod libri Hezræ & Nechemjæ docent. In qua exsequutione duo sunt observanda; unum, eviotos impietatis & improbitatis extra Ecclesiam deportari, hoc versu; alterum, in Babyloniam relegari, pro eo quod est, adjudicari atque implicari eodem judicio, quod manebat Judæos cæteros qui Babylonicam vitam piæ & sanctæ in Judæa vitæ prætulerant, versibus sequentibus.

[16] quæ designant Ecclesiam duorum temporum: unum est, quum Hezra ex Babylonia in Judæam missos Ecclesiam constituit, & ab impiis illis quibus commaculata erat Ecclesia repurgavit, Hezræ 9. & 10. alterum quum Nechemja adhibito Sacerdotum consilio similiter fecit, ut legimus Nechem. 13. Quamobrem hæc tempora appellationem mulierum habent, quia ferè cum muliere comparatur Ecclesia, sive singularis aliqua sit, sive catholica: duæ verò ponuntur mulieres ad distinguenda duo illius tempora. [17] i. expeditissimæ ad exsequendum voluntatem Dei, ut Hezræ 10 8. quò spectat etiam alarum amplitudo sequentibus verbis exposita. [18] i. palàm, publica sententia & exsequutione illius; ut quæ efferuntur in aërem, oculis omnium quàm longissimè exponuntur. [d] *Heb. & inter cælum.* [19] i. relegat foras extra Ecclesiam relegatione perpetua. Nam quum perpetua habitatio, aut certè diuturna in scripturis dicitur, figuratur sæpè domus ædificatione: ut Jirm. 29. 5. & 28. [20] vide Genes. 10. 10. [21] i. in sede illa, ubi jam anteà fundati & radicati corruptissimos suos mores hauserant, & ubi fratres ipsorum neglectis Dei beneficiis sedes suas fixerant; ut narratur 1. Chron. 4. 22, & 23.

ecce [16] duæ mulieres prodibant [17] habentes ventũ in alis suis; quibus *erant* alæ similes alis ciconiæ; efferebantq; Epham illam [18] inter terram [d] & cælum.

10 Me autem dicente illi angelo qui alloquebatur me; quò istæ deferunt Epham hanc?

11 Dixit mihi, [19] ut ædificet sibi domum in terra [20] Schinharis, ubi stabiliatur & collocetur [21] in basi sua.

CAPUT VI.

[a] Posterius hoc tertiæ partis in prophetia membrum (ut diximus suprà 3. 1.) ostendit quamvis perdita & deplorata esse videantur omnia in Babylonia, electos tamẽ inde servatum iri per misericordiam ipsius: quamobrem primùm exponit ministerium quod Deus adhibet perficiendis suis consiliis, usq; ad versum 7. deinde narrat singulare symbolum quo Deus Ecclesiam electorum cùm in Babylonia, tum in Judęa versantium de reconciliatione, gratia, & cura sua, promissionibusq; in Christo implendis confirmavit, ad finem usque capitis. [a] *Hebr. reversus sustuli.* [2] hos currus plerique omnes numero decepti putârunt ad monarchias quatuor pertinere, & se ipsos plurimùm torserunt ad detorquendum contextum in varias interpretationes: nos missis præjudicatis omnibus visionem ex verbo angeli interpretamur, & assensuros nobis confidimus qui ad argumentum benè attenderint. Sunt igitur quatuor currus, acies vel comitatus angelorum ex mandato Dei diligentissimè omnes orbis partes obeuntium, & capessentium jussa illius: montes duo chalybei sunt signa potentissimæ & impervestigabilis Dei providentiæ, ex cujus abdito firmissima & ineluctabilia cõsilia prodeunt: equi celeritatem significant: itaque summa est, Deum quidem tum ad superiora, tum etiam ad cætera sua consilia præstanda & perficienda (quæ in recessu latent providentiæ ejus) abundare administris, per quos omnia cognoscat verissimè, & perficiat justissimè ac fidelissimè; quemadmodum etiam Christo æterno Dei Patris filio in eamdem sententiam equi attributi sunt, suprà 1. 8. quia Christus est sapientia Dei & potentia Dei: sed in hoc singulari negotio angelis uti tamquam salutis bonorum administris, ad pios in media Babylonia regendos, reconciliandos sibi, & adducendos ad cultum suum; ne fortè omnes qui extra Judæam erant excidisse à salute Dei putarentur, aut ipsi in desperationem conjicerentur. [3] vide suprà 1. 8. [4] nempè divinitùs, & omnes ad singulare opus quò accingebantur, singulari virtute Dei exornati. [5] id est, angeli ex quatuor cæli partibus se sistentes Deo, & ab illo excurrentes ad exsequenda mandata illius; ut Ijobi 1. 6, & 1. Reg. 22. 19. [b] *Hebr. à consistendo.* [6] id est, equi illi rufi, nominati versu 2. quos digito indicabat Christus. Sensus est istorum angelorum & administrorum Dei pars major in Babyloniam profecta est, ut curarent Judæos qui adhuc hærebant inter hostes: pars verò in Judæa fuit occupata, ut populo Dei in illa versanti ministraret. [7] id est, Babyloniam, quæ respectu Judææ Aquilonalis dicitur. [8] id est, Judæam, quæ respectu Babyloniæ (ad quam angeli alii profecti erant) meridiana est. [9] altera pars capitis, narratio curæ quam Deus ministerio angelorum gerit tum in Judęa, hoc versu; tum in Babylonia, versibus sequent. [10] id est, deposcebant sibi ultrò Judeæ procurationem. [11] Christus angelorũ princeps. [12] hanc vocem in contextum visum est inserere, quia verbum genere fœmininum est. Constat autem equabus celeritatem inesse maximam, quod Propheta genere innuit.

[1] DEinde [a] rursus attollens oculos meos vidi, quòd ecce [2] quatuor currus prodibant è medio duorum montium; qui montes *erant* montes chalybei.

2 In curru primo equi [3] rufi *erant*, & in curru secundo equi nigri:

3 In curru autem tertio equi albi; & in curru quarto equi grandine guttati, [4] confirmati.

4 Itaque proloquens dixi angelo qui alloquebatur me; quid *sibi* hęc *volunt*, Domine mi?

5 Et respondens angelus dixit mihi; hi quatuor *sunt* [5] venti cælorum procedentes [b] inde ubi constiterant, apud dominatorem totius terræ.

6 [6] Qui sunt in illo *curru, &* equi illi nigri egrediuntur [7] in terram Aquilonalem, & albi illi egrediuntur post eos; grandine verò guttati egrediuntur in [8] terram Meridianam.

7 [9] Confirmati itaque illi egressi [10] quærebant eundo ut obambularent terram hanc; quapropter [11] edixit, ite, obambulate terram hanc: sic obambulârunt [12] *equæ* terram.

[13] secundus narrationis locus, (de qua proximè præcedente versu) exponit primùm efficacitatẽ Dei in suorum animis, hoc versu; deinde professionem publicam piorum erga Deum, & Dei vicissim erga ipsos, reliquo capite. [14] i. & certos homines ad resipiscentiam pietatẽq; adducendo, & alios in ea continendo effecerunt, ut Judęos omnes qui in Babylonia hærent non excludam gratia mea: sic Deus opus sui spiritus tribuit angelis administris honorificè. [15] transitio ad narrationem publicæ illius professionis quam Judæi pii, quotquot in Babylonia supererant, fecerunt per legatos suos; & vicissim testimonii quod illis publicè perhibuit Deus factis coronis, hoc & sequente versu, promissionibus subjectis de regno Christi, versu 12, & 13. donario palàm in Ecclesia ad documentum publicum proposito, duobus versib. ultimis. [c] *Heb. deportatione.* [d] *qui etiam Chelem, infrà ver. 14.* [e] *qui etiam dicitur Chen, infrà ver. 14.* [16] religiosè oblationem facturi Domino. [17] qui typus erat Christi; ac proinde coronis impositis regnum illius figurabat, de quo versu 12 & 13. [18] quasi dicat, ecce typus es viri illius, &c. [19] de quo suprà 3. 8. [20] id est, propria sua gente ac sede, quam veteres Prophetæ designârunt: puta è Nazarath, ex qua Nazaræus fuit appellatus. [21] prophetia & prædicatione Evangelii. [22] id est, evangelizabit pacem æquè iis qui procul sunt atque iis qui in Judæa sunt, utrosque in uno corpore reconcilians Deo per crucem, Ephes. 2. 13. & sequent. [23] & longinquis omnibus, qui cum ipsis & ipsorum exemplo Deum accessuri sunt: synecdoche. [24] id est, ut hoc monimento confirmentur pii longinqui se Deo acceptos fore, & propinqui intelligant jus longinquis esse cum ipsis ad Deum accedendi: quo consilio Reübenitæ, Gaditæ & Menaschitæ altare cis Jardenem olim exstruxerant, Jehoschu. 22. [25] ut suprà 2. 15. [26] id est, post illud tempus quo ædificaveritis templum Dei, & Prophetias singulares suprà enunciatas feceritis; post illud, inquam, tempus regnum hoc Christi ad Ecclesiam venturum est. [f] *Heb. auscultando.*

8 [13] Et accersens me alloquutus est me, dicendo; vide, hi qui egressi sunt in terram Aquilonalem, [14] tranquillârunt spiritum meum in terra Aquilonali.

9 [15] Tum fuit verbũ Jehovæ, edicendo mihi,

10 Accipe à [c] deportatis, à [d] Cheldaio, & à Tobija, & à Jedahja; veniens tu die eodem, veniens inquam *in* domum [e] Joschijæ filii Tzephanjæ, [16] qui veniunt è Babylonia:

11 Et accipiens argentum & aurum, facies coronas; ac impones capiti [17] Jehoschuhæ filii Jehotzadaki, Sacerdotis maximi:

12 Quem alloquêris, dicendo, sic ait Jehova exercituum dicendo, [18] ecce virum, cujus nomen *est* [19] GERMEN, qui è [20] loco suo germinabit, & ædificabit templum Jehovæ.

13 Is enim [21] ædificaturus est templum Jehovę, idemq; reportaturus decorem, & sessurus ac dominaturus in solio suo: eritq; Sacerdos in solio suo, & [22] consilium pacis erit inter utrosque.

14 Quamobrem illarum coronarum quæq; *esto* [23] pro Chelemo, & pro Tobija, & pro Jedahja, & pro Chene filio Tzephanję; [24] in memoriale, in templo Jehovæ.

15 Nam longinqui advenient & ædificabunt in templo Jehovę, ita cognoscetis Jehovam exercituum [25] misisse me ad vos: atque *hoc quidem* futurum est, [26] quum [f] omninò auscultaveritis voci Jehovæ Dei vestri.

CAPUT VII.

Deus Judæos de jejunio propter eversum templum instituto consulentes, admonet de jejuniorum vanitate, nisi pietati justitiæq; studeatur: eos ad præsentis misericordiæ sensum, beneficiorumq; promissorum revocans, ad pietatem & veritatem hortatur, jejuniumq; abolens lætitiam imperat propter præsentem gratiam, & futurorum bonorum amplitudinem.

[1] Duo hæc capita unius concionis esse res ipsa indicat. Continẽtur autẽ illis hæc in universum duo: quæstio de ratione victus à Judæis proposita, his tribus v; deinde verò responsum prophetieum, utroq; capite. [2] de quo sup. 1. 1. [3] qui plurimùm respondet Novembri nostro. [4] occasio hujus prophetię hoc & sequente versu exponitur brevissimè, ac propterea variè ab interpretibus accepta est. Nam alii homines à Scharetzero & Regem-Meleco è Babylonia missos esse, alii Scharetzerum ipsum & Regem-Melecum à deportata multitudine putaverunt: omnes uno ore legationem hanc è Babylonia docuerunt advenisse. Sed nos occasionem & argumentum ipsum postulati spectantes, confirmamus fuisse legationem à populo ipso reduce & in Judæa versante; ut moris erat per legatos viros honestissimos, cum Sacerdotibus & prophetis agere. Nam occasio fuit, quòd templum eo tempore absolutum esset; jejunium autem quinti mensis observatum fuerat propter eversionem templi eo mense per Nebuzaradanem factam, 2. Reg. 25. 8. Argumentum itaq; postulati à populo qui in Judæa agebat fuit hujusmodi: quum jejunium mensis quinti propter eversionem illam fuerit à majoribus constitutum, utrum hoc ipso tempore & jam instaurato templo, teneantur Judæi in eodem jejunio pergere, & luctum celebrare prioris templi nomine. Quam quæstionem non minùs, atq; adeò magis ad Judæos reduces pertinere constat, quàm ad illos qui in deportatione Babylonica desidebant.

[1] POsteà fuit anno quarto [2] Darii regis; fuit verbum Jehovæ ad Zecarjam, quarto *die* mensis noni, [3] Cislevo *mense*:

2 [4] Quum misisset *populus in* domum Dei

Scharetze-

Scharetzerum & Regem-Melecum,[5] & viros ſuos; ad deprecandum faciem Jehovæ,

3 *Et* alloquendum Sacerdotes qui aderant domui Jehovæ exercituum & Prophetas, dicendo; an fleturus ſum [6] menſe quinto [7] ſeparando me, quemadmodum feci jam [8] aliquot annis?

4 [9] Fuit igitur verbum Jehovæ exercituum edicendo mihi,

5 Alloquere [10] totum populum hujus terræ, & Sacerdotes, dicendo; [11] quum jejunatis & plangitis quinto & [12] ſeptimo *menſe*, ut illis [13] ſeptuaginta annis, an [a] ullo pacto mihi, mihi inquam jejunatis?

6 Et quum comeditis, aut quum bibitis; nonne vos comeditis & vos bibitis *vobis*?

7 Nónne *facturi fuiſtis* ſecundùm verba illa quę proclamavit Jehova per prophetas priores, quum eſſet urbs Jeruſchalaimorum deſes, & trãquilla, & civitates circumſtantes eam; [14] quum auſtralem locum & humilem regionem *populus* inhabitaret?

8 [15] Fuitq; verbum Jehovæ ad Zecarjam, ut diceret:

9 Sic loquutus fuerat Jehova exercituum, edicendo; jus veritatis [b] dicite, benignitatemq; & miſericordiam exercete [c] alter in alterum:

10 Viduamq;, aut pupillum, peregrinum, aut pauperem ne opprimitote: & malum [d] alter alterius ne cogitate cum [e] animo veſtro:

11 Sed renuerunt attendere, & præbuerunt [16] humerum refractarium; aureſq; ſuas aggravarunt ne audirent:

12 Et cor ſuum diſpoſuerunt *ut* [17] lapidem perdiuturnum, ne audiret legem ipſam & verba quæ mittebat Jehova exercituum ſpiritu ſuo *dicenda* [f] per Prophetas illos priores: unde fuit fervor *iræ* magnus à Jehova exercituum.

13 Fuit enim quemadmodum clamantem ipſum non audiverant; *ut* ita clamantes ipſos non audirem, ait Jehova exercituum:

14 Sed turbine disjicerem eos in omnes gentes quas non noverant, & terra hæc deſolaretur [18] poſt eos, deſtituta tranſeunte & redeunte: ita diſpoſuerunt terram [g] deſiderabilem in deſolationem.

[5] i. reliquam legationem ſuam; ut propter ordinem & honeſtatem convenit à cœtu magno certos homines conſiliis capiendis, & rebus gerendis delegari. [6] i. Quintili ſive Julio, die decimo menſis, quo everſum eſt templum, Jirm. 52.12. quod jejunium in diem nonum Judæi retulerunt. [7] i. abſtinendo à perſonarum conſortio, & rerum omnium uſu quæ ad lætitiam facerent, ut quàm ſtudioſiſſimè poſſum affligam animam meam. Hujus cautionis in jejuniis obſervãdæ exemplum, vide Joël 2.15. & ſequentibus. [8] nimirùm quinquaginta novem annis in Babylonia à tempore everſi templi, & centum ampliùs octo ab edicto Cyri ad quartum Darii Regis, quo anno hæc demũ geſta ſunt. [9] reſponſum hoc propheticum duobus membris continetur: unum eſt theſis ſive propoſitio generalis documentorum ad pietatem & fidem pertinentium; quam de induſtria adhibuit Deus ut oſtenderet populo regnum ſuum in cibo & potu minimè conſiſtere, ut Jeſcha. 58. ſed in pietate & juſtitia, uſque ad verſum 18. capitis ſeq. alterum eſt hypotheſis ſive reſponſum ſingulare ad quæſtionem propoſitam temperatum θέσεως antegreſſæ documentis, ad finem uſque capitis. In theſi autem partes ſunt hæ; redargutio præcedentis illorum doctrinæ & vitæ, tribus verſibus ſequentibus; confirmata per brevem majorum hiſtoriam, reliquo capite; deinde propoſitio gratiæ præſentis, & promiſſionum futurarum Dei, octo primis verſibus capitis 8. poſtremò hortatio ad fidem & obedientiam ex antecedentium locorum argumento, ad verſum 18. uſque. [10] i. & conſulentes, & conſultos admone. [11] redargutionis ſumma eſt, jejunia hæc vobis non imperavit Deus: ſi jejunatis, nihil accedit; ſi comeditis & bibitis, nihil decedit ipſi: videndum fuit vobis, ut ſive jejunaretis, ſive comederetis, viveretis Domino ex præſcripto legis formaq; documentorũ quam priſci prophetæ patribus tradiderãt. An verò ita ſenſiſtis? an ita feciſtis? hic ergò redargutionis locus. [12] propter interfectum Gedaljam jejunio inſtituto. 2. Reg. 25.28. & Jirme. 41. [13] & iis ampliùs ex quo Judæi fuerant deportati: ut demonſtravimus ſup. in ♈. 1. ſynecdoche. [a] Hebr. *jejunando.* [14] id eſt, quum ſtaret regnum Jehudæ & tribus integra; cujus poſſeſſio in his verſabatur maximè, Jehoſchu. 15. [15] exornatio confirmans redargutionem præcedentem per enarrationem verborum quæ Jehova proclamaverat per Prophetas ſuos majoribus, verſu 9. & 10. immorigeri majorum animi & obfirmati in Deum, ac poſtremò pœnarum quas Deus ſumſit de immorigeris, verſibus binis à verſu 11. [b] *Heb. judicate.* [c] *He. vir cum fratre ſuo.* [d] *He. vir fratris ſui.* [e] *He. corde.* [16] metaphora à bobus obnitentibus jugo. [17] ſic Jechez. 11.19. & 36.26. de hoc autem lapide vide Jirm. 17.1 [f] *Heb. per manum Prophetarum.* [18] id eſt, eis deportatis. [19] id eſt, ipſi ſuis peccatis effecerunt: ut confitetur Dan. 9.16. [g] *Heb. deſiderii.*

CAPUT VIII.

[1] DEindè fuit verbum Jehovæ exercituum, dicendo,

[1] Secundus locus θέσεως, ut diximus in verſum 4. propoſitio cauſæ qua Deus ad benefaciendum populo ſuo adducitur, (ea autẽ eſt ſola ipſius zelotypia ex gratuito fœdere aſſerens & vindicans Eccleſiam ſuã) ver. 2. & 3. & promiſſionum conſequentium, ad verſum uſque 9.

2 Sic ait Jehova exercituum, Zelotypus fui Tzijonis zelotypia magna; & excandeſcentia magna zelotypus fui ipſius.

3 Sic ait Jehova, reverſus ſum ad Tzijonem, & habito in medio Jeruſchalaimorum; ut vocetur urbs Jeruſchalaimorum civitas [2] veritatis, & mons Jehovæ exercituum mons ſanctitatis.

4 Sic ait Jehova exercituum, [3] adhuc ſedebunt ſenes & anus in plateis Jeruſchalaimorum; habens quiſque ſcipionem ſuum in manu ſua prę multitudine dierum:

5 Et plateæ civitatis replebuntur pueris & puellis, ludentibus in plateis ejus.

6 [4] Sic ait Jehova exercituum, quia mirabile eſt in oculis reliquiarum populi hujus diebus his; *an* etiam in oculis meis [5] mirabile eſſet? dictum Jehovæ exercituum.

7 Sic ait Jehova exercituum, ecce ego ſervaturus ſum populum meum, [6] è terra Orientis; & è terra occaſus ſolis.

8 Et reducturus eos ut habitent [a] Jeruſchalaimis; eruntq; mihi populus, & ego ero eis Deus in veritate & juſtitia.

9 [7] Sic ait Jehova exercituum; [8] confirmantor manus veſtræ, qui audiſtis diebus his verba iſta; [9] ex ore Prophetarum ipſorum, *ex* quo die fundata eſt domus Jehovæ exercituum, [10] templum ædificandum fuiſſe.

10 Nam ante [11] dies hos [12] merces hominis non efficiebatur, & merces jumenti nulla erat; & exeunti ac egredienti nulla *erat* pax ab hoſte, ſed cõmittebam omnes homines [b] unum cum altero.

11 [13] Nunc verò non *ſum* ut diebus illis prioribus ego, reliquiis populi hujus; dictum Jehovę exercituum.

12 Nam ſementis [14] pacis *eſt*, vitis edit fructum ſuum; & terra edit proventum ſuum, cæliq; edunt rorem ſuum; deniq; facio ut poſſideant reliquiæ populi hujus omnia iſta.

13 [15] Eritq; *ut* quemadmodum fuiſtis maledictioni in gentibus, ô domus Jehudæ, & domus Jiſraëlis, [a] ita ſervem vos & ſitis benedictioni: ne timetote, confirmantor manus veſtræ.

14 Sic enim ait Jehova exercituum; quemadmodum cogitaveram malo afficere vos, [b] quum ferveſeciſſent me patres veſtri, ait Jehova exercituum; neque pœnituit me:

15 Ita converſus cogito diebus his bono afficere Jeruſchalaima & domũ Jehudę; ne timetote.

16 [a] Hæ *ſunt* res quas facturi eſtis: loquimini veritatem alter cum altero, [c] veritatis & pacis jus dicite in portis veſtris:

17 Et alter malum alterius ne cogitetis cum [d] animo veſtro, & juramentum [e] falſum ne ametis: nam omnia hæc *ſunt* quæ odi, dictum Jehovæ.

18 [16] Fuit igitur verbum Jehovæ exercituum, dicendo mihi,

[2] i. in qua veritatem ſuam Deus exhibet, & quam ſanctificat ex promiſſionibus. [3] i. longævi & trãquilli erunt, fœcundabunturq; benedictione mea: nam temporarias promiſſiones ad bona ſpiritualia regni Chriſti referendas eſſe nemo eſt qui neſciat, etſi temporali quoque modo ad ſignum veritatis hæc promiſſio fuit præſtita in Zerubbabele, Jehoſchuha, Hezra, Nechemja & aliis: ut manifeſtè temporũ ratio docet. [4] occupatio, qua Deus titubanti reliquiarum fidei gratioſè proſpicit, oſtendens nõ eſſe cur ex præſente ſua tenuitate diffidant tam magnificis promiſſionibus: ac propterea efficiendarum illarum rationem exponit, ſequentibus. [5] ac proinde mihi factu impoſſibile. [6] i. inde ab omnibus extremitatibus terræ, ſynecdochicè. [a] *Heb. in medio Jeruſchalaimorũ.* [7] tertia pars θέσεως, hortatio ad pietatem & fidẽ, ut diximus ſup. 7. quam Propheta *ἀναλογητικῶς* exponens hoc verſu, explanat ſequent. Nam hortationis primùm documentum affert, deinde verò exemplum præſens quæ duo per *ἐναλλαγὴν* ſequent. exponuntur; exemplum tribus verſ. & hortationis documentũ, reliquis. [8] ut Jeſch 35.3. [9] nẽpè Chaggaii & Zecarjæ, Hezræ 5.2. amplificatio hortationis à perſona prophetarum, quorum fides jam ſpectata & explorata erat antecedentibus prophetiis & eventis earum. [10] i. fuiſſe pergendum in ædificatione. [11] quibus incubuiſtis in abſolutionem templi. [12] i. quemadmodum non operabamini pro Domino, ita mercedem per Prophetas promiſſam non præſtabat Dominus: ſed rerum omnium penuria afficiebamini, & ab hoſte vexabamini: vide Chaggai 1.6. & 2.15. & ſeq. [b] *Heb. virum cum amico ſuo: ſic* ♈. 16. & 17. [13] poſtquam incubuiſtis in ædificationem templi Dei. [14] i. tranquilla eſt ab hoſte. [15] tranſitio ad prius membrum, ut diximus in ♈. 9. per propoſitionẽ ſummam tum beneficiorum Dei, quæ exponitur ♈. 14 & 15. tum officiorum populi, ♈. 16. & 17. [a] *Chaggai* 2.19. [b] *Sup.* 7.11. *& ſeq.* [a] *Sup.* 7.9. [c] *Heb. veritatis & jus pacis judicate: trajectio.* [d] *He. corde.* [e] *Heb. falſitatis.* [16] altera pars prophetiæ, ut diximus ſup. 7.4. quã poſtquã Propheta θέσιν ſubſtruxit de jejuniorum inanitate, & veritatis, juſtitiæ, pietatisq; colendæ neceſſitate; nunc demùm oſtendit expreſſis verbis non eſſe tantopere de jejuniis laborandum: ſed lætandum in Domino de præſente beneficio, pacem veritatemq; colendam, hoc ♈; & promiſſiones fide amplectendas, ſequẽtibus. Quamobrem copulam Hebraicam interpretati ſumus igitur, ut oſtenderemus hoc membrum eſſe propriè quæſtionis propoſitæ ſup. 7.3 ἀνταποδοτικῶς.

19 Sic ait Jehova exercituum, jejuniũ [17] quarti *mensis*, & jejunium [18] quinti, & jejunium septimi, jejuniumq́; [19] decimi futurum est domui Jehudę gaudio, & lætitiæ, & in solennitates [f] hilares; sed veritatem & pacem amate.

20 [20] Sic ait Jehova exercituum; adhuc *erit* quum venient populi, & habitatores civitatum multarum:

21 Et adibunt habitatores unius alteram, dicendo, eamus [g] indesinenter ad deprecandum faciem Jehovæ, & ad [21] quærendum Jehovam exercituum; eam ego quoque.

22 Ita venient populi multi, & gentes numerosæ, ad quærendum Jehovam exercituum Jeruschalaimis; & ad deprecandum faciẽ Jehovæ.

23 Sic ait Jehova exercituum; *erit* diebus illis, [22] quum prehendent decem homines ex omnibus linguis gentium; prehendent inquam alam viri Jehudæi, dicendo, ituri sumus vobiscum, quia audimus Deum *esse* vobiscum.

[17] quo perrupta fuit civitas Jeruschalaimorum: ut Jirm. 52.6. & 7. [18] de hoc & sequente suprà 7. 3. & 5. [19] quo mense instituta & cœpta est obsidio Jeruschalaimorum, Jirm. 52.4. [f] *Heb. bonas.* [20] amplificatio lætitiæ quam Deus populo suo imperat, à promissionibus Evangelicis de regno Christi ex Judæis & gentibus adunando. [g] *Heb. eundo.* [21] i. consulendũ: sic versu sequente nam hæc duo sunt piorum officia coram Deo, orare & consulere. [22] id est, pii ex gentibus acervatim se adjungent Ecclesiæ Dei studiosissimè: numerus finitus pro infinito: ut Jeschah. 3. 28.

CAPUT IX.

Deus gentibus exteris supplicia prædicit gravissima, donec Ecclesiæ adunentur & se recipiant ad protectionem Dei: itaque Ecclesiæ piorum quasi digito commonstrans Christum, redemtionem, pacem, salutem, & bona omnia prænunciat; Judæos omnes hortatur ut à Deo potiùs quàm ab idolis pendeant, restitutionem Ecclesiæ magnificè præfigurans illis: ac postremò non resipiscentibus ruinam prænunciat propter oppressos fratres & repudiatum Christum; qui gratiam Dei & pacem Ecclesiæ sublaturus esse ab eis ostenditur, ut mali perdantur malè.

1 PRophetia [a] onerosa *est* verbi Jehovæ [2] in terram circumstantem te, [3] & Damascus requies *erit* illius: [4] quia Jehovæ est oculus *spectator* hominum, ut omnium tribuum Jisraëlis.

2 [5] Quin etiã Chamatham [6] terminabit [7] illa; Tyrum & Tzidonem, quamvis [8] sapiens sit valdè,

3 Et ædificaverit Tyrus munitionem sibi; coacervaveritq́, argentum quasi pulverem, & effossum *aurum* quasi lutum platearum.

4 Ecce Dominus expellet eam, & percutiens *deturbabit* in mare præmunitionem ejus; & ipsa igne absumetur.

5 [9] Videns Aschkelon timebit, & Hazza dolebit quoque valdè; etiam Hekron, quòd pudefecerit *ipsam* exspectatio sua: peribitq; Rex è Hazza, & Aschkelon non [b] permanebit:

6 Et habitabit [10] nothus Aschdodi, denique exscindam fastum Pelischthæorum.

7 Quumq́; [11] amovero cædes cujusque ab ore ipsius, & detestationes ejus [c] è dentibus ejus, [12] relinquetur etiam ipse Deo nostro; [13] ut sit tamquam dux in Jehuda, & Hekron ut [14] Jebusæus:

8 Et [15] castra habebo ad domum meam [16] propter exercitum, propter transeuntes, & propter redeuntes, ut non pervadat eos ampliùs [17] exactor: [18] quia jam [d] visum est mihi in oculis meis.

9 [19] Exsulta valdè filia Tzijonis, clange filia Jeruschalaimorum, ecce Rex tuus adveniet tibi, justus & salute præditus est; pauper, & insidens asino, idq́; pullo nato [20] asinabus.

10 [21] Nam [22] exscindam currus ex Ephrajimo, & equos è Jeruschalaimis, exscindetur etiam arcus bellicus, pacemq́; eloquetur gentibus; & dominatus ejus [e] à mari uno ad alterum, & à flumine usq; ad fines terræ *protendetur*.

11 [23] Tu autem [f] infecta sanguine fœderis tui, [24] emisi vinctos tuos è [25] cisterna, in qua nullæ *sunt* aquæ:

12 Revertimini [26] ad munitionem, [27] vincti [g] sperantes: tum [28] illo die, [29] *quod* indico duplum: restituam tibi:

13 [30] Quum

[1] Hujus prophetiæ (quæ tribus capitibus comprehenditur) partes in universum sunt quatuor: prima est prophetia de hostibus Ecclesiæ frangendis & domandis, octo primis versibus; secunda, de Ecclesia per adventum Christi pace, salute, gloriáque decorando ad gloriam ipsius, reliquo hoc capite; tertia, confirmatio est & exornatio utriusque loci per hortationem, capite decimo; quarta denique prophetia est de judicio Dei horrendo adversus gentem Judæorum obfirmatè reluctantem administrationi Christi, capite 11. Hanc autem inscriptionem ad totam prophetiam pertinere minimè putandum est; sed tantùm ad primam illius partem, prout modò à nobis distincta est; quæ hostibus Ecclesiæ universè exitium denunciat una voce; Damascenos primùm, hoc versu; deindè Chamathæos, Tyrios, Tzidoniósque, tribus sequentibus; ac postremò Pelischthæos, tribus alteris; atque his finem judiciorum subjicit, octavo versu, qui versus est ad prophetiam secundam μεταβατικός. [a] *Heb. onus: ut Jeschah.* 13. 1. [2] id est, Deus gravia illis regionibus mala prænunciat quæ sunt in circuitu tuo, Judæa, & quæ per vicinitatem impia sæváque odia & bella in Judæos exercuerunt. Aliter quidem interpretantur omnes illud vocabulum, quo Zecarja utitur; perindè ac si Chadrac nomen esset proprium loci, regionis, aut Regis in Damasco regnantis; sed quum nihil horum aut in scripturis, aut in historiis fide dignis exstet, quod meminerimus, maluimus vocem hanc ex Syrica lingua interpretari, tum quia Propheta de illis gentibus agit apud quas lingua Syrica obtinebat, tum verò quia sic interdum Prophetæ ludificantur gentes ex ipsorum linguis venustatis ergò, ut Jeschah. 14. 4. & Jirme. 25. 26. & 51. 41. Hunc autem sermonem Propheta habet ad promissam terram, quæ temporaria fuit Ecclesiæ sedes. [3] id est, regno Damasceno insidebit & incumbet onus hac prophetia denunciatum, ac si in eo conquiesceret. [4] id est, quia Deus infinita majestate sua tam benè perlustrat homines reliquos, quàm populum suum Jisraëlem; & quemadmodum in populum suum animadvertit, ita etiam de aliis cogniturus & in eos animadversurus est pro officio suo, Genes. 18. 25. [5] secundus locus in regnum Chamathæ, Tyrum, & Tzidonem, ut diximus versu præcedente. De regno autem Chamathæ vide 2. Chron. 8. 15. & 16. [6] terminos ejus de integro disponet oculis sive providentia Dei arbitratu suo: pro eo quod est, edomabit & reget ad Ecclesiæ bonum. [7] videlicet requie onerosæ prophetiæ, hoc est, onerosa hac & gravi prophetia, quæ suo tempore incumbet ipsi: sic sequentibus.

[8] vide Jechezk. 28. 3. & sequentibus. In omnibus autem his prædicit Propheta res gerendas ab Alexandro Macedone, & porrò prosequendas ad regnum usque Christi, ut priores quum evenissent, populum de venturis posterioribus confirmaret: quod summopere fuit necesse in maximis rerum difficultatibus quibus Judæi oppressi sunt, usque ad adventum Christi. [9] tertius locus in Pelischthæos, ut diximus in versum 1. [b] *Heb. sedebit.* [10] id est, non suus ac legitimus hæres, sed infamis extraneus Pelischthæam obtinebit. [11] i. remisero peccata præcedentia & expiavero: promissiones Evangelicæ de vocatione gẽtium, quæ quum inimicæ essent reconciliatæ sunt Deo per mortem filii ejus, Rom. 5. 10. [c] *Heb. ab inter dentes.* [12] id est, reliquiæ ex ipsis servabuntur per electionem gratiæ. [13] id est, eodem loco habeatur cooptatus in populum Dei, ac si una tribus Judæorum esset: quæ tribus ducis nomine designatur synecdochicè, ut Judic. 6. 15. [14] Aravna, qui honorabilem obtinuit locum in populo Dei, 2. Schemu. 24. 16. & sequentibus. [15] id est, protegam ab omnibus impressionibus & periculis hostium, allegoricè. [16] hostium irrumpentium. [17] id est, ullus qui opprimat, ut infrà 10. 4. [18] id est, hæc faciam adductus solo beneplacito meo. [d] *Hebr. vidi: ut Deuter.* 12. 13. [19] secunda pars prophetiæ, hortatio ad lætitiam propter adventum Christi, hoc versu; & constitutionem Ecclesiæ futuram per adventum ejus, sequentibus. Hoc autem versu etsi in genere Propheta lætitiam imperat Ecclesiæ propter regnum adveniens Christi; tamen non dubium est quin Propheta actus spiritu Dei illum diem quasi digito commonstraverit quo Christus (apud quem justitia & salus latebant in infirmitate carnis) ingressus est Jeruschalaima, paupercula & abjecta specie ac mansuetissima insidens asello: vide Matth. 21. 1. & sequentibus, & Joann. 12. 14. [20] id est, ex asina subjugi, ut interpretatur Matth. 21. 5. quæ quia abjugari non solet, pullus natus asinarum, id est, paris unius subjugis dicitur. [21] secunda exsultationis causa, quòd non tantùm Rex adventurus est, sed optimam Ecclesiæ constitutionem effecturus collata pace maxima & gentibus ad eamdem pacem convocatis in Ecclesia ipsius; quæ beneficia conferendi rationem & viam Propheta exponit sequentibus, nempè remissionem peccatorum & liberationem in sanguine Christi, versu 11. & 12. eversionem omnis altitudinis & potestatis adversantis Deo, ac protectionem piorum, versu 13. & 14. & 15. salutémque & omnis boni gloriosam communicationem cum Ecclesia, duobus versibus ultimis. [22] id est, faciam ut omnis curruum, equorum, instrumentorumq; militarium usus cesset in Ecclesia mea, gentibus reconciliatis cum Deo & Ecclesia per sanguinem Christi, verbo Evangelii pacis: ut narrat Petrus Actor. 10. 34 & sequentibus, & Paulus Ephes. 2. 17. [e] *Heb. à mari ad mare.* [23] id est, tu Ecclesia Judæorum, ex reliquiis constituta quæ integrum in animis suis & intemeratum servarunt sanguinem inspersum fœdere in Christo, quod fœdus olim fuerat initum, Exod. 24. His autem verbis confirmat Deus & amplificat liberationem futuram Evangelio Christi, à recente illa liberatione quæ Judæis divinitùs obtigerat [f] *Heb. in sanguine.* [24] i. partem tui ex captivitate Babylonica liberavi. [25] i. carcere Babylonico: periphrasis. [26] i. Jeruschalaima, quæ urbs munitionum Judęis fuerat. [27] id est, vos pii & fideles; qui acquievistis promissionibus Dei per Prophetas factis quum ad vincula raperemini, & stetistis fide. [g] *Heb. spei.* [28] nimirùm quò Rex tuus adveniet tibi, versu 9. [29] id est, beneficium illud infinitum & hoc antecedente longè augustius; quod jam expono promissionibus præstabo gloriosissimè.

[30] i. quum populum meum bellis aliquamdiu exercuero & confirmavero contra vires Regum Aſiæ & Syriæ: quod geſtum eſt Macbæorum temporibus. Eſt autem allegorica loquendi forma, quaſi Jehuda arcus eſſet, & Ephrajm ſagittarum pharetra.

[31] ἐργασία præcedentis promiſſi, à magnifica everſione hoſtium, hoc verſu; & defenſione Eccleſiæ verſu ſequente.

13 [30] Quum tetendero mihi Jehudam, arcum implevero Ephrajimo, & excitavero filios tuos, ô Tzijon, contra filios tuos, ô Javan; diſponens te tamquam gladium potentis.

14 [31] Nam Jehova contra hos conſpicuus erit, prodeunte velut fulgure ſagitta ejus: & Dominus Jehovi [32] buccina clanget, & progredietur procellis meridianis.

15 Jehova exercituum proteget illos; [33] ut comedant, poſtquam ſubegerint [34] lapides fundæ, & bibant [35] ſtrepentes quaſi vino; [36] implebuntq; tum cratera, tum angulos altaris.

16 Denique ſervabit eos Jehova Deus ipſorum die illa, tamquam gregem populi ſui; quum [37] lapides [h] coronarii pro vexillis erunt in terra illius.

17 [38] Nam quantum *erit* bonum ejus? & quanta pulcritudo ejus? frumentum juvenes, & muſtum facundas faciet virgines.

[32] i. intonabit in illos, ut quum procellas notus excitat qui à meridie ſpirat. [33] i. tranquillè fruantur rebus ſuis, hoſtiumq; ſpoliis. [34] i. hoſtes, in quibus olim erant multa funditorum agmina, qui fundis & ceſtroſphendonis utebantur. [35] i. hilares & gratulabundi; animo ipſorum ita efferveſcente in laudem Dei, ut ſi ferverent vino. [36] id eſt, gratias agent Deo pro beneficiis acceptis prolixiſſimè; ut olim ſolebat Eccleſia ſacrificiis; quorum ſanguis indebatur crateribus, & angulis altaris inſpergebatur ex præſcripto legis. [37] id eſt, tropæa coronario opere cincta & lemniſcata poſita fuerint, & ſtatuta grato animo monumenta liberationum acceptarum à Deo. [h] *Heb. coronamenti vexillabunt.* [38] concluſio fœlicitatis ad Eccleſiam pertinentis in regno Chriſti, quam Propheta velut in admirationem abreptus duobus modis amplificat; primùm quòd tantum futurum eſt bonum & tanta pulcritudo Eccleſiæ ut nequeat explicari; deindè quòd tantoperè abundabit, ut juvenes ipſi & puellæ (quorum ætas lubrica faciliùs indormiſcit in luxu) ad gloriam Dei prædicandam excitentur.

CAPUT X.

[1] Tertia pars prophetiæ, hortatio altera confirmans & exornans locos præcedentes, ut diximus ſuprà *9.1.* qua poſita Propheta primùm confirmat quæ pro Eccleſia & contra adverſarios illius dixerat, quinque primis verſibus, deinde exornat promiſſiones, reliquo capite. Confirmat autem eccleſiam tum à recente documento benedictionis Dei in terram, poſtquàm Judæi in opus Dei incumbentes oraverunt ipſum; quod beneficium præſtò eſſe affirmat ipſis ſi in officio perrexerint, hoc verſu; tum à malis quæ impiis & inobſequentibus evenire ſolent judicio Dei, quæ demonſtrantur primùm ab idolorum & idololatrarum vanitate, verſ. 2. deindè ab antecedente experimento deportationis, verſ. 3. 4. & 5.

[1] PEtite à Jehova pluviam tempore ſerotinæ, [2] Jehova efficiente nimbos, & pluviam [a] imbriferam eſt editurus eis, cuique herbam in agro ſuo.

2 [3] Nam imagines loquuntur vanitatem, & divini vident falſum, & ſomnia vana loquuntur, vanitate conſolantur: idcircò [4] proficiſcentes velut grex, [5] teſtificati ſunt nullum fuiſſe paſtorem.

3 [6] Contra paſtores iſtos accenſa eſt ira mea, & in iſtos hircos animadverti: nam viſitavit Jehova exercituum gregem ſuum, domum Jehudæ, & [7] diſpoſuit illos velut equum decoris ſui in bello.

4 Ab ipſo *fuit* [8] angulus, ab ipſo [9] clavus, ab ipſo arcus [b] bellicus; ab ipſo proceſſit omnis [10] exactor pariter.

5 Fueruntq; ſimiles potentibus conculcantibus lutum platearum in bello, quum prœliabantur, quia Jehova cum ipſis *erat*; & pudefecerunt [11] eos qui inſidebant equis.

6 [12] Corroborabo autem domum Jehudæ, & domum Joſephi ſervabo, & tranquillè collocabo eos, quia miſereor eorum, eruntq; ac ſi non abjeciſſem eos: quia ego *ſum* Jehova Deus eorum, & [13] exaudiam eos.

[2] ex promiſſione Chaggai *1.6.* & *2.15.* cui eventus jam cœperat reſpondere, ſuprà 8.9. & ſequent. [a] *Heb. imbris.* [3] ætiologia, cur Eccleſia à Jehova petat quæ ſibi ſunt opus, nempè à vanitate idolorum & idololatrarum miſeriis: μεταβατικῶς ad ſecundum hortationis argumentum. [4] Judæi in deportationem Babylonicam: vide Jirmejæ 23.1. & Jechezk. 34. [5] ut palatæ oves ſolent balatum edere, ita vociferantes propter miſeriam ſuam. [6] i. duces & principes populi in utroque ordine, de quibus Jirmeja & Jechezkel ibid. [7] i. hoſtes magnificavit, & quaſi habenis duxit ad exſequendum voluntatem ſuam. [8] i. turris oppugnatoria, quam adhibuit Nebuchadnetzar: ſic autem turres dicuntur ſynecdochicè, ut Tzephan. 1. 16. [9] i. tentoria militaria quæ panguntur clavis. [b] *Heb. belli.* [10] ut ſup. 9.8. [11] i. non tantùm vos, ſed etiã Ægyptios auxiliares veſtros: vide 2. Reg. 24.9. & Jeſch. 31.1. [12] exornatio prioris cauſæ in hortatione poſitæ, id eſt, promiſſionum Dei, quarũ complementum pertinet ad regnum Chriſti. [13] ut pollicitus eſt ſuprà verſu 1.

7 Eruntq; ſimiles potenti Ephrajimitæ, & lætabitur [c] animus eorum quaſi vino; & filii eorum videntes lætabuntur, exſultabit animus eorum in Jehova.

8 Sibilans ad eos congregabo eos, quum redimam eos: & multiplicabuntur ſicut multiplicati fuerant:

9 Et diſſeminabo eos in populos, ut in longinquis locis [14] recordentur mei; & viventes cum [15] filiis ſuis revertentur.

10 Ita reducam eos è terra Ægypti, & ab Aſſyria congregabo eos; & in terram Gilhadis, Libaniq; adducam eos, & [16] non ſufficiet eis.

11 [17] Quamobrem tranſiens per mare anguſtiâ, [18] percutiet in mari fluctus, [19] areſcentq; omnia profunda rivi; & dejicietur faſtus Aſſyriæ, ſceptrumq; Ægypti amovebitur.

12 Roborabo autem illos [20] in Jehova, ut in nomine ejus continenter ambulent; dictum Jehovæ.

[c] *Heb. cor: ſic deinceps.*

[14] i. annuncient Evangelium, & diſcipulos comparent Chriſto.

[15] quos genuerint Evangelio, ſive recordationes mei.

[16] vide Jeſcha. 49.20. & ſeq.

[17] i. eo quòd tam numeroſa & copioſa erit Dei benedictio in Eccleſia, amplificabit populus Dei ſedes ſuas, & quaſi miſſis coloniis Aſſyrios, Ægyptios, & gentes omnes ſubdet imperio Chriſti.

[18] i. ſuperabit omnes fluctus, nec illis detinebitur quin propaget imperium Chriſti. [19] i. tam commodè prætemavigabunt Nilum, quàm ſi areſactus eſſet, ut olim fuit mare rubrum & Jarden. [20] i. in Chriſto capite Eccleſiæ.

CAPUT XI.

[1] Quarta hæc pars prophetiæ (ut diximus ſuprà *9.1.*) exponit judicium Dei horrendum Judæis superventurum propter repudiatum Chriſtum & Evangelium ipſius: quod judicium primùm allegoricè proponitur ſummatim tribus verſibus; deindè verò minutatim explicatur cum cauſis antegreſſis ſuis, altera allegoria, ad finem uſque capitis.

[1] APeri Libane [2] januas tuas, ut conſumat ignis [3] cedros tuas.

2 Ejula [4] abies, quia corruit cedrus, quia magnifici vaſtantur: ejulate [5] robora Baſchanis, quia concidit [6] ſylva vindemiæ.

3 Vox ejulatus [7] paſtorum, eo quòd vaſtetur [8] magnificentia eorum; vox [9] rugitus leonum, eo quòd vaſtetur [10] faſtus Jardenis.

4 [11] Sic ait Jehova Deus meus; paſce [12] oves has interſectionis,

5 Quas poſſeſſores earum interficiunt, [13] neque habentur rei, & eorum [14] qui vendunt ipſas quiſque dicit, benedictus Jehova, quòd ditatus ſim; & paſcentium eas nemo clementia utitur erga eas.

6 [15] Nam non utar clementia ampliùs erga [16] habitatores hujus terræ, dictum Jehovæ:

Eſt autem prior hæc allegoria per proſopopœiam enunciata Libano & regioni toti; cujus ſummis, infimis, nobilibus, obſcuris, potentibus tenuibusq; incolis ultimum judicium prædicitur. [2] id eſt, clauſtra tua & aditus quibus circumnitus es: nam Libano præfectus erat à regibus Perſidis ſaltuarius, Nechem. 2.8. & obſervati aditus. Ita demonſtrat Propheta, nihil fore tam firmum quin perrumpatur potente judicio Dei, ut Judæa tota cum incolis ſuis, quicumque tandem fuerint, velut accenſo igne conſumatur. [3] i. proceres, magnificos, & potentes quoſque; ſic deinceps, ut exponitur ſequente verſu. [4] id eſt, populares quique. [5] id eſt, potentes quique. [6] i. promiſcuus ille numerus tenuium è populo: ſic convertitur propoſitio, ut infimi de ſummis lugeant, ſummi de infimis, omnes denique de communi malo: quod ſequens verſus altera allegoria oſtendit: quæ eſt ad ſequentem locum μεταβατικῶς. [7] i. eorum quibus in Republica & Eccleſia cura populi commiſſa eſt. [8] i. tota multitudo populi, in qua eſt decor principum, Prover. 14.28. & ex cujus ſpoliis iſti ſeipſos manificabant, non ut paſtores ſtudioſi; ſed ut leones; quemadmodum eos hoc verſu nominat, & exponit ſequentibus. [9] ex deſolatione & fame. [10] i. faſtus Judææ, quam definit Jarden: qui fluvius propterea hîc nominatur, quòd leones ferè verſabantur in ſolitudinibus ejus. [11] fuſa hæc judiciorum Dei explicatio (ut diximus in verſum 1.) enarrat primùm quidem vocationem & inſtitutionem Chriſti in paſcendo populo, uſque ad verſum 7. deindè officia ejus, verſu 7. ac poſtremò judicia, ad finem uſque capitis. In vocatione duo ſtatuuntur Judæorum genera; quorum uni paſcendi committuntur Chriſto, alteri verò propter impietatem & inhumanitatem ſuam abdicantur. [12] i. tenuem hunc populum qui expoſitus eſt paſtorum ſuorum violentiæ, eúmque ab illis vindica. Chriſtus enim revera poſt ea tempora quæſiturus oves Jiſraëlis amiſſas venit, quibus temporibus fuerant diù à ſuis paſtoribus excarnificatæ indè à Joannis Hyrcani temporibus per Ariſtobulum priorem, Alexandrum, Hyrcanum & Ariſtobulum poſteriorem, Antipatrum, Herodem, Sacerdotes, Phariſæos, & Sadducæos, ut veteres hiſtoriæ docent. [13] id eſt, his ſceleribus perpetratis impunè abeunt. [14] i. ita cum illis agunt, quaſi juſtum in illos dominium obtinerent: quæ mala vide apud Joſephum indè à 19. capite libri 13. Antiquit. [15] ætiologia, cur Deus Pater ſolas oves interſectionis commendet Chriſto, alias morti adjudicet. [16] id eſt, corpus & univerſitatem hujus populi, exceptis illis ovibus quæ modò dictæ ſunt.

sed ecce ego [17] faciam ut præstò sint homines
[a] alter in manu alterius & in manu regis sui, qui-
bus contundentibus terram hanc non eripiam è
manu eorum.
7 [18] Itáque pavi oves interfectionis, vos, *in-
quam*, ô pauperes gregis; & accipiens mihi duos
baculos, quorum unum vocavi amœnitatis, &
alterum vocavi [19] devincientium, pavi oves
illas.
8 [20] Et excídi [21] tres pastores [22] mense uno:
[23] imminuto animo meo propter illos, quod eti-
am animus eorum coqueret *consilia* in me:
9 [24] Et dixi, non sum pasturus vos; [25] quæ
moritura est moriatur, & quæ exscindenda est
exscindatur, & reliquæ comedant [b] altera car-
nem alterius.
10 [26] Itáque accipiens baculum meum, *bacu-
lum* jucunditatis, succidi ipsum; irritum faciendo
fœdus meum quod pepigeram cum omnibus
[27] populis istis.
11 Irritóque facto die illa; agnoverunt rectè
[28] pauperes illius gregis qui observabant me, ver-
bum Jehovæ esse.
12 [29] Dixeram enim illis, si bonum *videtur* in
oculis vestris, date mercedem meam, sin minus,
desistite: [f] qui appenderunt mercedem meam, tri-
ginta argenteos.
13 Edixit autem Jehova mihi, [30] projice eos
conferendos in figulum, [c] [31] magnificum pretium
quo pretiosè æstimatus sum ab illis; ita accipi-
ens illos triginta argenteos projeci eos *in* do-
mum Jehovę *conferendos* in figulum.
14 Posteà succidi baculum meum secundum,
baculum devincientium; [32] irritam faciendo fra-
ternitatem inter Jehudam & [d] Jisraëlem.
15 [33] Tandem edixit Jehova mihi, ampliùs
[34] sume tibi instrumentum pastoris stulti.
16 [35] Nam ecce ego suscitaturus sum pastorem
in hac terra *qui* [e] erraticas non visitabit, [f] ætate
teneram non requiret, & fractam non curabit:
restitantem non portabit, sed carnem pinguioris
comedet, & [36] ungulas harum perrumpet.
17 Væ pastori meo nihili, derelinquenti gre-
gem, gladius imminet brachio ejus, & oculo
dextero ejus: brachium ejus [g] prorsus arescet,
& oculus dexter ejus [h] omnino caligabit.

[17] id est, tradam alios aliis perdendos intestinis motibus, ac postremò prodendos regibus ipsorum, postquam ipsi se vulneribus mutuis confoderint. Primum enim ferbuit Judæa tota seditionibus domesticis, ex quibus innumera multitudo potentium cecidit; ac postremò per Romanos Alexandri & Hyrcani discidio provocatos venerunt in manus Antipatri & Herodis magni, qui omnem operam in potentioribus perdendis studiosissimè consumserunt.
[a] *Hebr. vir in manu amici sui.*
[18] secundus locus de officio Christi quod ovibus suis exhibuit, nimirum pastione, & ductu, qui ratione pastoritia figuratur duobus baculis pastoralibus: horum autem prior, qui amœnitatis dicitur, figuravit gratiam & beneplacitum Dei conquiescens in populo ipsius per Christum prædicatione verbi: posterior verò, qui devincientium baculus appellatur, significat Ecclesiam ex Jehudæ & Jisraëlis reliquiis adunatam; quod præcessurum erat ante vocationem gentium, ut prædictum fuerat per Prophetas, & ipse Christus ostendit Matth. 10.5. & 6. [19] supple inter se Judæorum & Jisraëlitarum, ut communi opera serviant Domino: alias interpretationes novimus quidem, sed quod magis probamus & confirmatur infrà versu 14. illud adduximus. [20] tertius locus, ut diximus suprà in versum 4. duo judicia per Christum in Judæos effecta narrat: unum, quòd omnem benedictionem sustulit & curam eorum salutarem abjecit, usque ad versum 15. alterum, quòd omnia malorum genera importavit donec consumerentur illi, reliquo capite. Bona autem quæ fuerint diximus præcedente versu: jam eadem bona ademtum Judæis iri ostendit Christus eodem ordine qui superiore versu positus est, & causæ istorum judiciorum attexuntur. [21] id est, omnes doctores, qui Judæis supererant ut instituerentur in cognitione verbi Dei. Nam tria erant summa inter Judæos doctorum genera, Pharisæi, Sadducæi, & Esseni: è quibus quamvis Pharisæi essent probatissimi, si ad legem respexeris, tamen apertissimè primùm reprehenduntur Evangelio, deinde reprobantur planè sententia Christi, ut legimus Mat. 23. [22] i. eodem tempore atq; brevissimo. [23] i. non tantùm alienato, sed etiam exacerbato & ad indignationem provocato: *μείωσις*. [24] nempe toti populo, ut videmus factum Matt. 23.37. [25] i. sublata virga & curatione mea (ut typus ponitur seq. ver.) estote deinceps expositi malis omnibus exteris & domesticis ad internecionem. [b] *Hebr. mulier carnem amicæ suæ.* [26] typus superioris abdicationis. [27] i. tribubus Jisraëlitarum; ut Judic. 5.14. [28] ut vocavit suprà versu 7. reliquias electas & commissas Christo, nimirum Apostolos & discipulos illius. [29] ætiologia, cur Christus curam pascendi Judæos abjecerit, & pastores repudiaverit. Nam (inquit) jusseram illos mihi conferre mercedem suam, & ad efferendos fructus dignos resipiscentia fueram hortatus: illi verò contrà infensissimo odio persequuti me appenderunt mercedem proditori meo, ut me illo administro perderent. [f] *Mat. 26.3. & seq.* [30] id est, prophetia tua ostende sic futurum esse: nempe proditorem Judam tactum indignatione facti sui mercedem istam reportaturum esse; quæ Sacerdotibus reddita collocabitur in agro figuli comparando, ut narratur Matth. 27. [c] *Hebr. magnificentiam pretii.* [31] ironicè dictum. [32] id est, testificando hac specie typi illos non ampliùs inter se adunatos esse, sed dissipatos, & porrò ad extremum usque dissipandos judicio Dei, ut sequens typus demonstrat. [d] *Hebr. & inter Jisraëlem.* [33] alterius judicii typus, de quo diximus in versum 8. ostendens fore ut tota Judææ administratio sublato Christo sit stulta, ac proinde exitialis populo. [34] id est, hæc sumens demonstra typo, & verbo prænuncia. [35] explicatio typi est bimembris; fore ut Judæa per Reges, administratores, & procuratores sceleratos exhauriatur atq; cōsumatur, hoc versu: deinde etiam futurū, ut qui pastores inutiles in Judæa superfuerint, maledictione obruātur: quæ omnia quàm verè gesta sint demōstrāt planè Joseph. libris de bello Judaico, atq; Hegesippus.

[e] *Heb. celatas.* [f] *Heb. puerum.* [36] nempe restitantium ex infirmitate. q.d. urgebit & coget illas, quamvis languidas, ad necem usque durissimā. [g] *Heb. arescendo.* [h] *Heb. caligando.*

CAPUT XII.

Deus hostibus Ecclesiæ suæ perniciem ab illa, suis verò protectionem a se & salutem prænunciat, si resipuerint & ad Christum propter peccata nostra transfixum reverterint: deinde remissione peccatorum in sanguine illius, sanctificatione, & illustratione Evangelii promissa, prædicit Christum percussum iri; sed eventuras promissiones ipsius: ac perituram quidem maximam Judæorum partem, verùm reliquias adveniente majestate Dei luce, & gratia bonisq; omnibus in regno Christi fruituras, & gentes quoque perituras, exceptis illis reliquiis quas Deus Ecclesiæ suæ donaverit, & cultui suo consecraverit.

1 [1] ONerosa prophetia verbi Jehovæ pro [a] Jis-
raële: [3] dictum Jehovæ, qui extendit cæ-
los, & fundat terram, formátque spiritum ho-
minis [b] in eo.
2 [4] Ecce ego dispositurus sum [5] Jeruscha-
laima, *ut* [6] pelvem [c] soporiferam omnibus popu-
lis circumquaque; [7] quando tum contra Jehu-
dam erit in obsidione, *tum* contra Jeruscha-
laima.
3 Quin futurum est die illo, *ut* disponam
Jeruschalaima *velut* lapidem onerosissimum om-
nibus populis, quo quicunque onerant se [d] om-
nino cæduntur; etiam si congregentur contra
illa omnes gentes terræ.
4 Die illo, dictum Jehovæ, [8] percutiam om-
nem equum stupore, & sessorem ejus amentia:
& [9] super domum Jehudæ aperiens oculos
meos, omnes equos populorum percutiam cæ-
citate:
5 Adeò ut dicant duces Jehudæ cum [e] ani-
mo suo; fortitudo *est* mihi, *&* habitatoribus Je-
ruschalaimorum, in Jehova exercituum [10] Deo
ipsorum.
6 Die illo disponam duces Jehudæ tam-
quam [11] foculum ignis [f] invadentis ligna, & ut
tædam ignis [g] invadentis manipulum, qui con-
sumant ad dexteram & ad sinistram omnes po-
pulos circumquaque: ut permaneant Jeruscha-
laima adhuc loco suo Jeruschalaimis.

[1] Hujus prophetiæ (quæ tota ad Ecclesiam Evangelio per Christum collectam pertinet) partes omnes sunt allegoricæ, sumtæ ex typo Ecclesiæ veteris. Sunt autem partes præter inscriptionem his paucis verbis comprehensam, Exordium, hoc versu; prolepsis sive propositio summa cùm judiciorum Dei contra adversarios Ecclesiæ, tum beneficiorum in Ecclesiam ipsius, usque ad versum 9. & enarratio prolepseos, ad finem usque prophetiæ. Hac autem inscriptione non tantum exponit Propheta de more quis quid denunciet, verum etiam quamobrem: nempe finem esse hujus prophetiæ bonum & salutem Ecclesiæ, propter quam omnes adversarii, sive exteri sive domestici, dicuntur fore infesti gravissimis Dei judiciis; quæ vocabulo onerosæ prophetiæ designari solent. [a] *Hebr. anus: ut Jeschah.* 13.1. [2] id est, pro germana Ecclesia Christi ex Judæis & gentibus adunata, ut Galat. 6.16. [3] exordium audientiam faciens a natura operibúsque Dei. [b] *Hebr. in medio ejus.* [4] secunda hæc pars, prolepsis sive propositio duo summatim complectitur; judicium Dei contra adversarios Ecclesiæ ipsius, usque ad versum 7. & salutem Ecclesiæ conferendam, versu 7. & 8. quæ duo posteà per *ὑστέρωσιν* explicantur. Judiciorum autem; quæ tum Deus ipse per se, tum per servos suos Ecclesiámque effecturus est descriptio fit triplice allegoria: prima est potionis soporiferæ, versu 2. quæ exornatur versu 4. & 5. secunda est lapidis gravissimi adversarios contrituri versu 3. tertia denique ignis adversarios pervasuri atque consumturi, vers. 6. [5] id est, Ecclesiam: sic deinceps. [6] id est, vas ingens, quo populi omnes poti ita soporenturut dicitur vers. 4. [c] *Hebr. soporis.* [7] epexegesis nominis Jeruschalaimorum quo ante usus est, non simpliciter eum locum, sed Ecclesiam totam quam adversarii pressuri sint hac voce intelligendam esse. [d] *Heb. cædendo.* [8] id est, consilium & mentem adimam, ut subjiciantur, & ipsi corruant in exitium gravissimum. [9] i. Ecclesiæ misertus: humanitùs dictum. [e] *He. corde.* [10] i. qui Deus est piorum omnium in Ecclesia habitantium. [11] sive (ut Græci vocant) *ἐσχαρίδιον*, quod Hebræi appellant a forma labri vasis, de quo Exod. 30.18. sensus est, utcumque tenues sint in speciem Ecclesiæ vires, tamen eas esse obvia & adversa omnia consumturas ut ignis facit. [f] *Hebr. in lignis.* [g] *Heb. in manipulo.*

[12] altera pars prolepseos, ut diximus in versum 2. de salute communi totius Ecclesiæ, hoc versu; & protectione Dei gloriaque ad Ecclesiam perventura, seq. versu.
[13] sensus est, salutem ex æquo omnibus Ecclesiæ membris daturus est, eaque ad defensionem sui armaturus, ne alter alterius salutem sibi vel tantillum arroget; sed gloriam salutis suæ ex æquo omnes concedant Domino.
[14] nempe quia illos prius invadebant hostes quàm pertingere possent Jeruschalaimai hæc enim pro ratione typi dicta sunt; ut ostendatur non potentia humana, sed per minimos etiam Deum

7 [12] Ita servans Jehova [13] tentoria Jehudæ
[14] primùm; ut non magnificet se [15] ornatus do-
mus Davidis, & ornatus habitantium Jeruscha-
laimis supra Jehudam,
8 Die illo proteget Jehova habitantes Jeru-
schalaimis: eritque [h] abjectissimus ex eis, die
illo [16] similis Davidi, & domus Davidis ut [17] dii,
ut angelus Jehovæ coram illis.
9 [18] Erit enim die illo; [19] *quum* quæram per-
dere omnes gentes quæ invaserint Jeruscha-
laima,
10 Ut [20] effundam super domum Davidis, &
super habitatores Jeruschalaimorum [21] spiritum
gratiæ & deprecationum, [22] respicientque ad me
quem transfixerint: clangéntque super hoc, tam-
quam planctu de unigenito; & [i] amarè plangent
de eo ut amarè quis plangit de primogenito.
11 Die illo magnus erit planctus Jeruscha-
laimis; ut planctus [23] Hadadrimmonis, in con-
valle Megiddunis:
12 Planget enim terra, [k] quæque familiæ
seorsim; familia [24] domus Davidis seorsim, &
fœminæ eorum seorsim, familia [25] domus Na-
thanis seorsim, & fœminæ eorum seorsim:
13 Familia [26] domus Levi seorsim, & fœminæ
eorum seorsim; familia [27] Schimhitica seorsim,
& fœminæ eorum seorsim:
14 Omnes familiæ reliquæ, familiæ singulæ
seorsim; & fœminæ eorum seorsim.

salutem effecturum; quod illustratur sequente ver. [15] id est, familia regis & civitas regia, quæ & ipsæ sunt ornatissimæ, & se toti regno ornamento esse putant, ac proinde ferè sibi arrogant protectionem & salutem illius. [h] *Heb. collapsus.* [16] id est, robustissimus, & inprimis strenuus: ut 2. Schem. 17.8. harum autem virium causa redditur sequentibus. [17] id est, angeli: ut Psal. 8.6. [18] tertia pars prophetiæ (ut diximus in versum 1.) videlicet enarratio proximè antecedentis prolepseos duo ejus membra exponit ὕστερον πρότερον: primùm enim salutem Ecclesiæ & rationem illius enarrat copiosissimè, usque ad versum 12. capitis 14. deinde verò exitium adversariorum, sequentibus. Ad salutem autem Ecclesiæ ex ordine ponuntur ista: primùm resipiscentia vera animis piorum à Deo indita per spiritum, toto hoc capite; deinde remissio peccatorum resipiscentibus attributa in Christo per fidem, versu 1. capitis 13. tertiò doctrinæ Evangelii vindicatio ab omni corruptione ut pura & syncera sit, inde ad versum 7. ac postremò reliquiarum ad electionem pertinentium separatio, in fine sequentis capitis; cujus demum separationis ratio explicatur undecim versib. capitis 14. [19] id est, quum erit mihi in animo perdendi planè, & dabo operam ut profligem eos. [20] ut Joel 2.28. [21] id est, gratiosum spiritum regenerationis, qui ex gratia Dei & in gratia Dei est, ac proinde resipiscentes à peccato suo adducit ut deprecentur ipsum & implorent ipsius misericordiam: sic Actor. 2.37. [22] fide amplectentes Christum: ut Apocalypl. 1.7. [i] *Heb. amaricando* plangere *de eo secundum amaricare* plangere *de primo, &c. ut ita loquamur.* [23] loci in convalle Megiddunis siti, tribu Menaschis, ubi rex Joschija occubuit: fuit enim luctus publicus omnibus pro statuto in Jisraele imperatus, 2. Chron. 35.24. & sequentibus, quò spectant sequentes versus. [k] *Heb. familiæ familiæ: sic ver. 14.* [24] id est, reliquæ familiæ è regia stirpe ortæ, [25] ad quam exstincto Schelomonis genere jus regni pervenerat: ac propterea hîc seorsim à reliquis familiis numeratur. [26] id est, Sacerdotum, κατ' ἐξοχήν. [27] una è posteris Gerschonis, qui primus numeratur in filiis Levi, 1. Chron. 6. 1. hoc autem exempli causa ponitur, ut de cæteris idem judicium fiat ex seq. versu.

CAPUT XIII.

[1] Secundus locus, de remissione peccatorum ad salutem in Christo pertinente, ut diximus supra 12.9.
[2] id est, facilis erit & expositus omnibus accessus

1 Die illo erit [2] fons apertus domui Davidis, &
habitatoribus Jeruschalaimorum; [3] pro
peccato, & pro separatione ex immunditia.
2 [4] Erit etiam die illo, dictum Jehovæ exer-
cituum, ut exscindam nomina [5] terriculorum è
terra, adeò ut non commemorentur ampliùs:
quin etiam eorum Prophetas & [6] spiritum im-
puritatis [7] amoturus sum à terra.
3 Eritque quum prophetaverit quispiam
ampliùs; ut dicant ei [8] pater ejus & mater ejus
qui genuerint eum, non es victurus, quia falsita-
tem loquutus es nomine Jehovæ: & [9] transfigent
eum pater ejus & mater ejus qui genuerint eum,
quum prophetaverit.
4 Ita erit die illo, ut erubescant isti prophetæ
quisque à visione sua quum prophetaverit; neque
induant [10] togam [a] villosam [11] ut mentiantur:
5 Sed dicat, [12] non sum Propheta; vir agri-
cola sum, nam instituit me [b] aliquis à pueritia
mea.
6 Quòd si dixerit ei *quisquam*, [13] quid plagæ
istæ [c] in manibus tuis? dicet, *plagæ sunt* quibus
percussus fui in domo amantium me.
7 [14] Gladie, evigila contra pastorem meum,
& contra [15] virum proximum meum, dictum Je-
hovæ exercituum; percute pastorem, & disper-
gentur oves, at [16] reducam manum meam ad
parvulos.
8 [17] Nam erit in tota terra, dictum Jehovæ,
ut patribus duabus in ea excisis & exspirantibus;
tertia relinquatur in ea:
9 Et inducam tertiam istam [18] in ignem,
conflansque eos ut conflatur argentum, probabo
eos quemadmodum probatur aurum: hic invo-
cabit nomen meum, & ego exaudiam eum, di-
cam, populus meus est, & ipse dicet, Jehova *est*
Deus meus.

[7] aut perdendo ipsos, ex lege Deut. 13. quod ostenditur sequente versu; aut ad abjurationem falsæ doctrinæ suæ compellendo, sive pudore sive suppliciis, versibus tribus seq.
[8] auxesis, q.d. ne ipsi quidem parentes parcent; adeò studium naturale in liberos subjicient pietatis studio, ex lege Deut. 13.8.
[9] perciti zelo, ut fuit Pinchas, Num. 25.
[10] qui communis erat amictus prophetarum, ut de Elija legitur 2. Reg. 1.8. & de Joanne Baptista, Matth. 3.4. vide in Jescha. 20.2.
[a] *Heb. pili sive villi.*
[11] id est, prophetias mendaces enuncient.
[12] videlicet ampliùs. q.d. discessi

gracia Dei abluentis peccata & sordes nostras, velut in fonte purissimo, in sanguine Christi, cujus aspersio peremnis pios sanctificat. [3] id est, quo abluantur peccata, sordésque omnes vanitatis ex peccato contractæ, quas Propheta adumbrat legali typo, de quo Levit. 12. & 15. [4] tertius locus rerum ad salutem pertinentium, ut diximus suprà 12.9. de puritate doctrinæ Evangelii vindicata ab omni idololatria, hoc versu; & item à falsitate, versibus sequent. [5] vide 1. Schem. 31.9. [6] id est, doctrinam impuram ab impuro diaboli spiritu in animos suorũ inspiratam, ut impurati impurent alios, & seducant seducti.

ab illo vivendi genere, & me ad justum laborem contuli quem Deus imperavit, & me amici antè docuerunt. [b] *Heb. homo.* [13] sensus est, recentes hæ plagæ quæ extant in corpore tuo videntur ostendere te adhuc pseudoprophetam esse: quæ objectio in responso unica voce diluitur, quum eos qui ipsum à malo instituto ad bonum avocaverint agnoscit & prædicat esse amantes sui. [c] *Heb. inter manus tuas.* [14] postremus locus rerum ad salutem pertinentium, ut diximus suprà 12.9. de separatione electarum reliquiarum per Christum. Ad hunc autem locum Propheta transit occupatione, hoc modo: videbitur fortasse inanis esse tota superiorum bonorum promissio, quum pastor meus Christus opprimendus vi & percutiendus sit tam graviter atq; si pseudopropheta esset: quo ex scãdalo tam graviter ipsæ oves, hoc est, discipulorũ grex afficietur, ut momento uno diffugiãt, Mat. 26. sed, inquit Deus, hoc saltẽ pii recordari debent à me ante tot secula illud ipsum scandalũ prædici atque imperari, ne quum eveniet ipsorũ animi conturbentur: ut ipse Christus admonuit, Mat. 26.31. & Joa. 14. & 16. & 18. deinde verò hoc cogitandum est me nullis vinculis distineri posse, quominus in electis meis efficiam promissiones meas; quæ ponuntur duobus versibus, & enarrantur principio sequentis capitis. [15] hoc nomine Deus Pater honorificè appellat Christum, quia Christus est alter idem, imago Dei invisibilis, character hypostaseos Patris, & splendor gloriæ illius tamquam ex adverso micans in conspectu rerum creatarum omnium. Nam Hebræa vox proximum aut amicum sonat, qui stat è regione alterius, & præstò est ad omnia amici officia comparatus: quamobrem idem in sinu Patris esse, & ad dexteram illius sedere dicitur intercedens pro nobis. [16] id est, recuperabo manu mea, & recuperatos conservabo meos in æternum: qui parvuli ea de causa dicuntur quam exponit Christus Matth. 18. [17] expositio promissionis præcedentis de manu Dei ad parvulos reditura; qua prædicit Deus excidium maximæ Judæorum partis, hoc versu; & perpetuam illorum curationem qui ad salutem pertinebunt, versu seq. [18] afflictionum & crucis, in qua tamquam in catino tum conflantur & formantur, tum etiam reformati probantur pii.

CAPUT XIIII.

[1] Ecce dies ventura est Jehovæ, quum divide-
tur [2] spolium tuum in medio tui.
2 Recipiam enim omnes gentes contra Je-
ruschalaima ad bellum; & capietur civitas, di-
ripienturque domus; & fœminæ comprimentur;
& exeunte parte civitatis in deportationem, [3] re-
siduum populi non exscindetur [4] à civitate.

[1] Enarratio promissionis quæ modò summatim dicta est: qua Propheta ostendit, primùm quomodo futurum sit ut duæ Judæorum partes exscindantur, duobus ver. quod

dixerat versu 8. deinde quomodo sit servaturus tertiam partem, eamque restituturus paterna administratione sua sequentibus. [2] apostrophe est ad Judæam & urbem Jeruschalaimorum, quæ per Romanos hæc omnia perpessa est. [3] id est, minimam illam partem quæ nominata est tertia suprà 13.8. & 9. sic transitur ad secundam promissionis partem. [4] id est, quominus sit civitas, & constituatur Ecclesia Dei ex ea parte Judæorum quam Deus servaverit & gentibus adunaverit. Jam enim Propheta omisso urbis Jeruschalaimorum typo agit de Ecclesia, quæ est civitas, domus, & Templum spirituale Dei.

[5] secundus hic promissionum locus duas formas explicat quibus salutem suis Deus collaturus est; una est adversariorum profligatio, hoc versu; altera, rerum omnium ad salutem populi commodarum subministratio, versibus seq.

[6] id est, omnibus modis quibus unquam usus est ad debellandum & perdendum hostes suos, iis inquam omnibus utetur armaque omnia expediet, ac copias exponet quibus illos fundat deleatq;.

[7] formas quibus Deus suorum commoda subministraturus est exponit Propheta magnificis allegoriis. Est autem primum commodum, adventus Dei cum sanctis suis ut in æternum Ecclesiam inhabitet, duobus versibus; secundum, lux perpetua per illustrationem Evangelii gloriæ in spiritu, ver. 6. & 7. tertium, fluxus peremnis aquarum salutarium in regno Christi, ver. 8. & 9. quartum, impedimentorum omnium sublatio ad Ecclesiæ Dei securitatem, versu 10. & 11.

3 [5] Nam procedens Jehova pugnabit contra
gentes illas; [6] ut quo die pugnavit, die cōflictus.
4 [7] Et [8] stantibus pedibus ejus die illo super
montem olivarum, qui *est* in conspectu Jeruschalaimorum ab Oriente; scindetur mons olivarum
[a] medius Orientem & Occidentem versus, *in*
vallem magnam valdè : & recedet pars ipsius
montis ad Aquilonem, & pars ejus ad Austrum.
5 Tum fugientes [9] vallem montiū, [10] quum
pertinget vallem montium, [11] ad *montem contendetis quem* selegit; & fugietis quemadmodum fugiebatis metu [12] terræ motus diebus Huzzijæ
Regis Jehudæ : veniente Jehova Deo meo, omnibúsque [13] sanctis [b] adstituris tibi.
6 Et erit die illo, [14] *ut* non sit lux [c] pretiosa
& densa:
7 Sed erit dies unus [15] qui agnoscetur à
Jehova, non *ex* die & nocte; nam erit *ut* [16] tempore vespertino sit lux.
8 Erit etiam die illo, prodeuntibus [17] aquis
[18] vivis è Jeruchalaimis [19] parte sui ad [20] mare
Orientale, & parte sui ad mare [21] posterum (quod
æstate & hyeme futurum est)
9 Erit, inquam, Jehova [d] Rex super totam
terram; die illo [22] erit Jehova unus, & nomen
ejus unum.
10 [23] [e] Redigetur tota hæc terra quasi campestria, [24] à Gebaħo, ad Rimmonem *in* Australi
parte Jeruschalaimorum : & exaltata *urbs* manebit [25] in loco suo à [26] porta Binjaminis usque
ad locum portæ primæ, usque ad portam angulorum, & [27] *à* turri Chananeelis usque ad lacus
torcularium regis:
11 Et habitabunt in ea, & anathema non erit
amplius; nam residebit urbs Jeruschalaimorum
securè.
12 [28] Hæc verò erit plaga qua afficiet Jehova
omnes populos qui turmatim convenerint contra Jeruschalaima : tabefaciet carnem cujusque
[29] ipso stante super pedes suos, & oculi cujusque
tabefient in foraminibus suis, & lingua cujusque
tabefiet in ore ipsorum.
13 [30] Erit etiam die illo, *ut* sit vexatio Jehovę
magna in illis; adeò ut [31] prehendant [f] alter manum alterius, & ascendat manus unius in manum alterius.
14 Et *tu* quoque, Jehuda, pugnabis Jeruschalaimis, & recipientur opes omnium gentium circumquaque, aurum, & argentum, vestésque
[g] multæ admodum.
15 Et similiter futura est plaga equorum, mulorum, camelorum, asinorúmque, & omnium jumentorum quæ erunt in castris illis, similis
[32] plagę illi.
16 [33] Erítque ut quisquis residuus fuerit ex
omnibus gentibus quæ venerint contra Jeruschalaima; ascendant de anno in annum [34] ut
incurvent se *honorem exhibentes* Regi Jehovæ
exercituum, & ut celebrent festum tabernaculorum.
17 Et erit *si* qui non ascenderint ex familiis
terræ Jeruschalaima, ad incurvandum se *exhibituri honorem* regi Jehovæ exercituum; [35] ut non sit
super eos imber:
18 Quòd si familia Ægypti non ascenderit,
neque advenerit, [36] super quos non *est imber*;
[37] erit illa plaga qua affecturus est Jehova gentes quæ non ascenderint ad celebrandum festum
tabernaculorum.
19 Hęc erit peccati pœna Ægypti; & peccati pœna omnium gentium, quæ non ascenderint
ad celebrandum festum tabernaculorum.
20 [38] Die illo erit *inscriptum* [39] tintinnabulis
equorum; sanctitas Jehovæ, ut sint ollæ in domo
Jehovæ [40] quasi crateres coram altari:
21 Imò erit omnis olla Jeruschalaimis & in
Jehuda sanctitatis Jehovæ exercituum, & venientes omnes sacrificaturi accipient ex eis, & coquent in eis : neque erit [41] Cenaħanęus ampliùs
in domo Jehovæ exercituum die illo.

[28] altera pars enarrationis, ut diximus supra 12.9. quam perstrinxerat Propheta, tertio versu hujus capitis, de judiciis Dei contra adversarios. Sunt autem duo judiciorum genera quæ hic enarrantur: unū, perditum ipsos divinitùs & à Judæis mancipatum iri, omnesque opes & instrumenta ipsorum, usque ad versum 16. alterum, reliquias tum ex ipsis, tum ex rebus ipsorum conservatas Deo consecratum iri, ad finem usque capitis: quæ omnia typis Ecclesiæ veteris delineantur.

[29] id est, momento uno, antequàm sedere aut recumbere ex infirmitate possit.

[30] id est, neque tantùm Deus perdet illos manu sua, præcedente versu; sed etiam per ipsos inter se, hoc versu; & per Ecclesiam quoque suam, versu seq. ut prophetat in Gogum Jechezk. 38.21.

[31] id est, invadant alter alterū.

[f] *Hebr. vir manum amici sui & ascendat manus ejus ad manum amici sui.*

[8] q.d. quum primùm appropinquaverit conspicuè & gloriosè ad Ecclesiam suam, dissilient montes ipsi, & ipsa quoque membra Ecclesiæ perculsa tanta Dei majestate trepidabunt, denique nihil non commovebitur: sic ostendit Propheta typis gloriosiorem fore Dei adventum ad Ecclesiam in regno Christi, quàm olim fuerit in tradenda lege, Exod. 19. & 20. [a] *Hebr. à medio ipsius.* [9] id est, quam Deus adveniens efficiet ex monte olivarum dissiliente in partes. [10] Deus adveniens. [11] id est, recipietis vos domum Dei versus attoniti, & obstupefacti novitate & majestate appropinquantis Dei. [12] de quo Hamos 1.1. [13] angelis, administris Dei & eorum qui hæredes salutis instituti sunt : ut Danijel. 8.13. [b] *Heb. tecum.* [14] i. dies non sit varius & instabilis, modò serenus, modò nubilus. [c] *Heb. pretiorum & densitatis.* [15] id est, quem curabit & conservabit Deus. [16] id est, quo tempore advesperascere & nox esse solet. q.d. dies semper erit, & nulla nox: Sol tuus non occidet; ut Jesch. 60.20. [17] ut Jechezk. 47.1. & Joël. 3.18. [18] ut Genes. 26.19. [19] id est, Ecclesiam totam irrigantibus, quam Judææ typo Propheta adumbrat, mari mediterraneo circumclusæ, & Asphaltite lacu. [20] de quo Jechezk. 47.18. [21] de quo Deut. 11.24. & 34.2. [d] *Heb. in regem,* [22] id est, unicus & solus in Ecclesia agnoscetur, prædicabitur, & invocabitur. [23] q.d. æquabuntur in Ecclesia & plana erunt omnia, eminente sola statione Dei, Jescha. 2.2. & 40.4. [e] *Hebr. revertetur.* [24] id est, ab extremitate una Jehudæ ad alteram: nam Gebaħ limitaneum erat opidum Binjaminitarum ad Septemtrionem in finibus regni Jehudæ, 1. Reg. 15.27. Rimmon verò, Jehudæ & Schimħonis Meridiem versus, Jehoschu. 15.32. & 19.7. [25] ut suprà 12.6. [26] qua ibatur in agrum Binjaminitarum, ut Jirmej. 37.13. Erat autem porta illa ad Septemtrionem sita inter duas portas quæ proximè nominantur : è quibus una (quæ porta prima dicitur, aut etiam vetus Nechem. 3.6.) erat in parte occasus; altera, quæ angulorum dicitur, spectat ortum, de qua 2. Chron. 25.24. [27] id est, à Meridie ad Septemtrionem. Nam turris Chananeelis Meridiem, torcularia Regis Septemtrionem spectabant : vide Nechem. 3.1.

[g] *Heb. in multitudinem.* [32] quam homines experturi dicuntur, tribus versib. antecedentib. [33] alterum genus judiciorum, de perdomandis reliquiis gentium & offerendis Domino usque ad versum 20. (ut diximus in versum 12) & rebus ipsarum consecrandis, versu 20. & 21. [34] id est, colant legitimè, synecdoche. [35] id est, ut maledictæ sint; quod malum difficultate quadam ad vitam præsentem pertinente effingitur. [36] videlicet Ægyptios : nam Ægyptum ferè non perplui historiæ docent, & testatur Mosche Deut. 11.10. [37] id est, nihilo minus easdem difficultates divinitùs perferent quas aliis gentibus solet afferre inopia imbrium, & maledicentur à Deo. [38] secundum membrum, de rerum consecratione, ut diximus in versum 16. [39] quæ ferè in regionibus montosis appenduntur equis, q.d. illa omnia metallica describentur & referentur in ærarium domus Dei, ut deinceps in sacros usus occupentur: allegoria, ut sæpè diximus. [40] id est, ut sint ollæ copiosissimæ, quemadmodum crateribus ad ministerium abundat altare Dei: pro eo quod est, ut sit maxima ministrorum omnium & ministerii totius in Ecclesia commoditas, quod ostenditur sequente versu. [41] id est, extraneus, aut impurus ullus, synecdochicè: quod prædictum fuerat Jescha. 35.8. & Joël. 3.17. ubi hic locus apertissimè exponitur.

MALEACI

MALEACI.

CAPUT I.

Deus exposito beneficio electionis suæ collato in posteros Jaħakobi, & reprobatione Hesaui, Judæos omnes, imprimis sacerdotes arguit polluti cultus sui; quem vocatis ad Evangelium gentibus, & abjecto sacerdotio Levitico se confirmat asserturum: deinde connubia cum infidelibus, polygamiam, divortiorúmque licentiam, ludibria in Deum contumeliosa, sacrilegia, & blasphemam omnium contumaciam reprehendit, subjectis promissionibus erga bonos, & interminationibus contra improbos; quos omnes ad resipiscentiam hortatur, & fidem in venturum Christum.

1 Hanc prophetiam unicam esse toto hoc libello res ipsa indicat; quamobrem tria hæc capita unà conjungimus. Continentur autem hoc libello primùm inscriptio, hoc versu; deinde exordium à gratuita electione Dei & beneficiis in Jisraëlitas, versibus quatuor sequentibus; tum propositio rerum de quibus populum & nominatim Sacerdotes custodes legis contestatur Deus ex lege, usque ad versum 22. capitis 3. postremò, hortatio ad resipiscentiam propter adventum Christi & promissiones Evangelicas illius: quæ omnia διαλογιστικῶς ad majorem emphasin à Propheta exponuntur.

1 PROPHETIA [a] onerosa verbi Jehovę, [2] ad
Jisraëlem; [b] per [3] Maleacin.
2 [4] Diligo vos, ait Jehova, & [5] dicitis, [6] in
quo diligis nos? [7] nónne frater *fuit* Hesau Jaħakobo? dictum Jehovæ, dilexi autem Jaħakobum,
3 Hesauum verò odio habui; [8] ideò disposui
montes ejus desolationi, & possessionem ejus
draconibus deserti.
4 [9] Quòd dicit Edomæa, depauperati su-
mus *quidem*, at revertemur & ædificabimus va-
stata loca, sic ait Jehova exercituum, ipsi ædifi-
cent, at ego destruam: & [c] vocabuntur terminus
improbitatis, & populus cui indignatur Jehova,
usque in seculum:
5 Quod oculi vestri visuri sunt [10] ex termino
Jisraëlis; & vos dicturi, magnificat se Jehova.
6 [11] Filius honorat patrem, & servus [d] do-
minum suum; quòd si pater sum, ubi *est* honor
meus? & si [e] dominus sum, ubi reverentia mei?
ait Jehova exercituum vobis, ô Sacerdotes con-
temtores nominis mei, qui dicitis, qua in re con-
temnimus nomen tuum?
7 Qui afferentes super altare meum ci-
bum [12] pollutum, dicitis, qua in re polluimus te?
in eo [13] quòd dicitis mensam Jehovæ contemti-
bilem esse.
8 [14] Nam quum affertis *animal* cæcum ad sa-
crificandum, nihil*ne est* mali? & quum affertis
claudum aut ægrotum, nihil*ne est* mali? offer illud
jam duci tuo, an acceptum habiturus sit te, aut an
suscepturus vultũ tuum, ait Jehova exercituum.
9 [15] Nunc itaque deprecamini jam faciem
Dei fortis, ut gratiam faciat nobis; [16] *dum* è manu
vestra est hoc, an suscepturus est *ullius* ex vobis
vultum? ait Jehova exercituum.
10 [17] Quis etiam inter vos *est* qui claudat fo-
res *gratis*? aut num illustratis altare meum gratis?
nulla *est* mihi delectatio [18] in vobis, ait Jehova
exercituum, & munus acceptum non habeo è
manu vestra:
11 [19] Nam ab ortu Solis usque ad occasum
ejus magnum *erit* nomen meum in gentibus, &
in omni loco [20] suffimentum afferetur nomini
meo, & munus purum: quia magnum nomen
meum *erit* in gentibus, ait Jehova exercituum.
12 [21] Etenim vos profanatis illud; [22] in eo
quod dicitis, mensam Jehovæ pollutam esse, &
proventus ejus [23] contemtibilem *esse* cibum:
13 Et dicitis, [24] ecce quantum fatigationis,
quum [25] exsufflare possetis illud, ait Jehova exer-
cituum, affertis etiam [26] raptum, & claudum, &
ægrotum, afferentes munus: an acceptum ha-
bebo illud è manu vestra? ait Jehova.
14 Imò maledictus *est* machinator, *qui* quum
sit in grege ipsius masculus, vovet & sacrificat
corruptum Domino: nam [27] rex magnus sum,
ait Jehova exercituum, & nomen meum *est* reve-
rendum in gentibus.

[a] *Heb. onus: ut Jeschaħ.13.1.* [2] id est, populum totum à captivitate reducem. [b] *Heb. per manum Maleaci,* [3] ultimum Prophetarum qui habetur in vetere Testamento: non enim hortatur populum ad ædificationem templi, ut Chaggai & Zecarja fecerunt; sed exstructo jam templo & instituto cultu turpissimas ejus depravationes reprehendit; de quibus habentur in libris Hezræ & Nechemjæ multa. [4] exordium hoc Judæos dociles facit à Dei amore, electione gratuita, & beneficiis erga illos: quæ Deus ab ipso primorum parentum Jaħakobi & Hesaui exemplo confirmat, hoc versu; & in posteritatem continuata fuisse ostendit versu 3. & continuatum iri vers. 4. & 5. Quod autem dicit, diligo vos, in eo comprehendit Deus non tantùm amorem suum & electionem gratuitam, verùm etiam omnia ex electione beneficia. [5] cùm infirmitate, tum contemtu malitioso: ut exponitur posteà inde à versu 6. [6] id est, qua in re demonstras nos tibi curæ esse? qui æquè ac aliæ gentes affligimur & nulla singularia nobis videmur percipere aut cernere dilectionis tuæ erga nos documenta. [7] primum dilectionis documentum; quòd Deus ex solo beneplacito voluntatis suæ horum parentem jam olim elegerit, illorum verò reprobaverit, quum nondum nati fuissent, & nihil fecissent boni vel mali, Rom. 9. 11. [8] secundum dilectionis documentum à præsente gentis utriusque statu: dilectionem meam (inquit) ad illos nihil pertinere cernitis ex eo quòd regio illorum permanet desolata, ut prædixerat Jirmej. 49. 7. & sequent. & Jechez. 25. 12. & seq. Vos autem in possessionem vestram me auctore rediistis: quod secundum membrum hoc loco subintelligendum est, quia oratio (ut ferè fit in contentionibus & contrariorum oppositionibus) est ἀνανταπόδοτος. [9] tertium electionis documentum, quòd Deus reducem Jisraëlem deinceps confirmaturus, terram defensurus, & se in omnibus magnificaturus est: contrà verò Edomæis quos reprobavit, quamvis obnitentibus, omnem revertendi & instaurandi res suas facultatem ademturus, hoc & seq. versu. vide Jeschaħ. 9. 10. [c] *Heb. vocabunt eos.* [10] q. d. inde à sedibus vestris: tam illustria & perspicua erunt judicia Dei. [11] tertia hæc prophetiæ pars, ut diximus in versum 1. gravissimas contestationes continet adversus plurima Jisraëlitarum peccata. Est autem prima contestatio adversus contemtum & prophanationem cultus Dei, cujus oportuerat esse vindices Sacerdotes; ac proinde graviùs in ipsos dominus invehitur, usque ad versum 10 capitis seq. secunda contestatio est, adversus connubia cum infidelibus inita & polygamias, inde ad versum 17. tertia est adversus proterviam & certam malitiam qua plerique reduces ludificabantur justitiam & judicium Dei, inde usque ad vers. 7. capitis tertii; quarta est adversus sacrilegas detentiones earum rerum quæ ad Deum ex lege erant perventuræ, usque ad versum 13. postrema denique adversus contumaciam ἄθεον & nequissimum contemtum cultus Dei ac resipiscentiæ, versibus seq. In primam autem hanc contestationem ingreditur, proposita sententia elegantissima. [d] *Heb. dominos suos.* [e] *Heb. domini.*

[12] id est, illegitimum, cujusmodi exempla aliquot deinceps adducuntur interdicta lege, Levitici 22. 20. & sequentibus, & Deuter. 15. 21. [13] id est, existimatis cum animis vestris non esse tanti faciendum ministerium Jehovæ, ut magnopere sit de lectissimis oblationibus laborandum. [14] ἐργασίας contestationis primùm per comparationem tenuis alicujus præfecti cum summa majestate Dei, duobus versibus, deinde per beneficentiam Dei antè spectatam erga eos qui colunt ipsum, versu 10. postremò per comparationem cultus in futurum apud omnes gentes Evangelio propagandi, versu 11. rejectis Judæis & eorum cultu. [15] concessio ironica: quandoquidem placet vobis (inquit) ita affectis animo & reprobato sacrificio instructis, agite experimini damno vestro: sacerdotium vestrum ingratum est Domino, ac proinde neque vobis, neque nobis utile ad conciliandam gratiam. [16] id est, tantisper dum vos ita in Deum geritis. [17] secundum ἐργασίας argumentum, ut diximus in versum 8. non esse cur Judæi se excusent quasi Deus honorantes se non honorasset, cùm ne inter Levitas quidem ostiarios aut sacrorum administros ullus non extiterit cui piè officiũ persungenti Deus non benefecerit, ut repetit Deus infrà 3. 10. [18] id est, universitate gentis vestræ: nam reliquiæ servatæ sunt ex ea secundum electionem gratiæ. [19] ex denunciatione Deuter. 32. 21. [20] id est, cultus meus apud omnes populos instituetur legitimè: qui spiritualis quidem est in Evangelio, sed legalibus olim typis per Prophetas adumbratus. [21] ætiologia præcedentis reprobationis, ad finem usque capitis. [22] ut suprà versu 7. [23] id est, nihil referre ut usque adeò accurata sint quæ offeruntur Domino. [24] hypocritarum verba, qui quum res levissimas & quæ solo propemodum flatu dispelli potuissent præ macie, offerebant Domino, prædicabant tamen se supra modum defessos esse, & omnem suam operam in cultu Dei consumsisse. [25] id est, solo flatu ut plumam dispellere: hyperbole. [26] id est, oblationem quamque illegitimam: ut ostendimus suprà in versum 7. [27] ac proinde cuilibet duci & præfecto anteponendus, cujus meminerat versu 8. sic appellatur Psal. 47. 3.

CAPUT II.

1 NUnc itaque ad vos *spectat* [2] præceptum
istud, ô Sacerdotes;

[1] Amplificatio præcedentis contestationis adversus Sacerdotes, ab interminationibus Dei, tribus versibus; quæ interminationes posteà confirmantur primùm documentis legis, versu 4 exemplisq; contrariis beneficiorum in Sacerdotes morigeros, tribus versib. deinde præsente rerum constitutione, quòd jamq; Sacerdotes propter contemtũ Dei in contemtũ populi abiissent, vers. 8. & 9. [2] de curãdo cultu Dei, & averlando cõtaminatione,

2 Nisi

2 Nisi auscultaveritis,& nisi [a] indideritis ani-
mo *studium* tribuendi gloriam nomini meo, ait
Jehova exercituum, utique immittam in vos ma-
ledictionem, & maledicam benedictionibus ve-
stris: quin etiam maledixi earum cuique, quia
minimè inditis animo.
3 Ecce ego corrupturus sum vobis semen-
tem, & sparsurus fimum in facies vestras, fimum
[b] sacrificiorum vestrorum, [3] adeò ut [c] abripiat
vos ad se.
4 [4] Nostis enim me misisse ad vos præcep-
tum istud; ut sit fœdus meum cum *tribu* Levi, ait
Jehova execituum:
5 Fœdus meum fuisse cum illa vitæ & pacis,
& [5] dedisse eas ipsi *propter* reverentiam qua reve-
ritus est me; & propter nomen meum [6] contri-
tam fuisse:
6 *Quum* lex veritatis fuit in ore ejus, & ini-
quitas non est inventa in labiis ejus; in pace & in
æquitate ambulavisse mecum,& multos avertisse
ab iniquitate:
7 Quum labia Sacerdotis observarent sci-
entiam, & [d] lex requireretur ex ore ipsius: nam
[7] angelus Jehovæ exercituum est.
8 At vos recessistis ab illa via, fecistis ut im-
pingerent multi in legem; corrupistis fœdus Le-
viticum, ait Jehova exercituum.
9 Ideoq; etiam ego reddidi vos contemtos &
abjectos toti populo; prout vos minimè observa-
tis vias meas, sed [8] attollitis faciem contra le-
gem, *dicendo*,
10 [9] Nónne pater unus omnibus nobis *est*?
nónne Deus fortis unicus creavit nos? [10] quare
perfidi sumus [e] alter in alterum, profanando fœ-
dus majorum nostrorum?
11 [11] Perfidè agit Jehuda, & abominatio fit
in Jisraële & Jeruschalaimis: profanat enim Je-
huda sanctitatem Jehovæ [12] quam amaturus fu-
erat, [13] ducens filiam Dei alieni.
12 Exscindet Jehova virum [14] vigilantem &
responsantem qui fecerit [15] illam, è tentoriis Ja-
hakobi; etiam offerentem munus Jehovæ exerci-
tuum.
13 [16] Atque hoc secundùm facitis, [17] operien-
do lacrymis altare Jehovæ fletu, & exclamatio-
ne; adeò ut minimè ampliùs respiciat *Deus* ad
munus: & benevolentia *ejus* recipiat oblationem
è manu vestra.
14 Dicitis autem, propter quid? proptereà
quòd Jehova testificatus est inter te [f] & uxorem
adolescentiæ tuæ, contra quam tu perfidè agis,
quum sit socia tua & uxor [g] fœderata tibi.

[a] *Heb. posueritis in corde: sic in fine V.*
[b] *Heb. festorum: ut Exod. 23.18.*
[3] i. tanta copia stercorabo vos sementis loco, ut fimo inquinati planè obruamini, & rusticus agrum stercoraturus vos cum stercore simóre abripiat imprudens pala stercoraria.
[c] *Heb. tollat.*
[4] primus confirmationis locus, à Sacerdotum ipsorum conscientia in cognitione legis & vocationis suæ instructorum à Deo, tum documentis legis, tum exemplis: ut diximus in vers. 1.
[5] i. præstitisse vitam & pacem ex fœdere.
[6] id est, vita & pace promissa fuisse destitutam, eo quòd non sanctificasset nomen Dei ex fœdere.
[d] *Heb. legem requirerent: impersonaliter.*
[7] sive nuncius & interpres voluntatis Dei: ut Judic. 2.1.& Chaggai 1.3.
[8] i. protervè & pervicaciter legem à Deo datam infringitis, ut demonstratur sequentibus contestationum locis.
[9] secunda contestatio, ut diximus suprà 1.6. illegitima Judæorũ connubia damnat, tum propterea quòd contra fœdus Dei cum infidelibus inibantur, tribus versib. tum etiam quòd contra fidem justæ uxori datam, vers. 13. & seq. Est autem hoc versu illorum objectio qui illegitima matrimonia defendebant, & illis utebantur: quid? inquiunt: nónne gentiles quoque Deum creatorem habent communem, & Adamum communem patrem? an verò homines creatione & natura cõjunctos nobis possumus justè dedignari? aut si cum illis connubia jungimus, an propterea justè possumus perfidiæ accusari? nam accersere alios ad fœdus & eos in communionem ejus cooptare est justissimum; tantùm abest ut his connubiis nos perfidè agere, & profanare fœdus possimus. [10] i. perfidè agimus & in fratres nostros quibuscum jungimus matrimonia, & in Deum auctorem fœderis: quæ duæ partes ὕστερον πρότερον in sequentibus explicantur, atque hæc generalis est ὑποφορὰ sive subjectio ad occupationem præcedentem. [e] *Hebr. vir in fratrem suum.* [11] specialis expositio antecedentis ὑποφορᾶς: qua demonstratur primùm injuriam fieri Deo, hoc versu; ac proinde ulturum ipsum, seq. versu; deinde injuriam fieri uxori, vers. 13. & 14. ac postremò naturæ ipsi & naturali connubiorum legi, versu 15. & 16. [12] i. quum sanctitatem adeò debuerat amare quisque, ut illius studio omnibus aliis amoribus renunciaret, & ab eis diligentissimè abstineret: exaggeratio criminis. [13] ut historia docet Hezr. 9. & 10. & Neche. 13.12. [14] i. non tantùm ipsum perfidum, verùm etiam defensorem omnem, adjutoremq; & patronum perfidiæ; etiam quum muneribus oblatis Deum sibi placare videbitur. [15] abominationem, de qua præcedente versu. [16] alterum perfidiæ crimen, ut diximus in versum 11. quòd justa uxor altera uxore superinducta non possit non angi, indignari, & fletu altare Jehovæ complere propter indignitatem facti: vide Levit. 18.18. [17] i. efficiendo ut justa uxor prorumpat in lacrymas, & de injuria sibi facta conqueratur coram Deo. [f] *Heb. & inter uxorem.* [g] *Heb. fœderis tui.*

15 [18] Nam nónne unum effecit, quamvis re-
liqui spiritus ipsius *essent*? quid autem unum? quæ-
siturum semen Dei: ideò cauturi estis spirtui ve-
stro, & in uxorem adolescentiæ tuæ perfidè ne
quisquam agito.
16 [19] Sibi odio esse dimissionem ait Jehova
Deus Jisraëlis, nam *eum* operire violentiam pal-
lio ipsius ait Jehova exercituum: quare cavebi-
tis spiritui vestro ut non perfidè agatis.
17 [20] Fatigatis Jehovam verbis vestris, & di-
citis, qua in re fatigamus? in eo quòd dicitis,
quisquis facit malum bonus *videtur* in oculis Je-
hovæ, & istis ipse dilectatur, aut ubi *est* Deus
judicij?

[18] exegesis proximè præcedentis dicti, uxorem sociam viri & fœderatam esse communibus legibus matrimonii. Nam (inquit) Deus instituens matrimonium fecit ut duo tantùm essent una caro; & quamvis esset reliquorum spirituum pater, tamen unum tantum par conjugavit, quod semen Dei, id est justos liberos, progigneret: quicquid supra est, perfidiæ vestræ acceptum ferendum est: sic Matt. 19.4 & sequentib. [19] occupatio defensionis Judæorum: atqui dimittetur uxor ex lege, Deut. 24. ut adducitur Matt. 5.31. Respondet Propheta, hoc verò odit Deus, neque passurus est ut legem suam adhibeatis tamquam pallium ad tegendam & defendendam injuriam quam veritati ipsius facitis & vestris ipsorum uxoribus: neq; enim Deus dimissionem probavit, sed odio habet; ut ipsa legis verba ostendunt Deut. 24.4. [20] tertia contestatio; ut diximus suprà 1.6. qua objicit Propheta indignissimas Judæorum blasphemias, quasi Deus aut justitia vacaret, aut judicio ad justitiam asserendam, hoc versu; deinde verò tantis blasphemiis respondet sex primis versib. sequentis capitis. Est autem hoc humanitùs dictum: ut Jescah. 43.24.

CAPUT III.

[1] ECce ego missurus sum [2] angelum meum, qui
expediat viam ante me: & [3] repentè veniet
in templum suum [4] Dominus quem vos quæritis,
& [5] angelus fœderis [6] quo vos delectamini ecce
venturus est, ait Jehova exercituum.
2 Quis autem sustineat diem adventus ejus?
aut quis consistat quum apparuerit? nam ipse
[7] quasi ignis conflatoris, & ut smegma fullon-
um *est*.
3 Ut sedet conflans & purgans argentum,
ita purgabit filios Levi, defæcans eos velut au-
rum & argentum; ut sint Jehovæ, [8] qui offerant
munus [a] justè:
4 Et suave sit Jehovæ munus Jehudæ & Je-
ruschalaimorum; ut diebus [b] priscis, & ut annis
antiquis.
5 Accedam autem ad vos in judicium; & ero
testis festinantissimus contra præstigiatores &
contra adulteros, & contra jurantes falsò: & con-
tra [c] oppressione detinentes mercedem merce-
narii, viduam & pupillum ac pereginum perver-
tentes, neque timentes mei, ait Jehova exerci-
tuum.
6 Quia ego Jehova [9] non mutor; ideò vos,
fili Jahakobi, [10] non consumti estis.
7 [11] Inde a diebus majorum vestrorum reces-
sistis à statutis meis, neque observastis, revertimi-
ni ad me, & revertar ad vos, ait Jehova exerci-
tuum: sed dicitis, [12] qua in re reverteremur?
8 An spoliet homo Deum, quòd vos spolia-
tis me? & dicitis, qua in re spoliamus te? [13] deci-
mis & oblatione.
9 Maledictione estis maledicti, eo quod vos
me spoliatis; [14] gens ipsa tota.
10 Afferte omnes decimas in [d] thesaurum, ut
sit cibus in domo mea, & probate me jam in hoc,
ait Jehova exercituum: si non aperuero vobis
[15] cataractas cælorum, & [e] proferam vobis bene-
dictionem, adeò ut non sufficiatis:

[1] Responsio ad præcedentes blasphemias, asserens judicium & justitiam Dei à prædicatione Joannis Baptistæ & Christi, hoc vers. cujus potentia exponitur vers. 2. effecta verò primùm in pios salutaria, vers. 3. & 4. deinde in impios exitialia, vers. 5. & 6.
[2] Joannem Baptistam prænuncium & præcursorem Christi, Mat. 11.10, & Marci 1.2.
[3] i. eodem tempore subsequuturus est.
[4] Jesus Christus.
[5] nimirum idem Christus, in quo Deus mundum conciliavit sibi, 2. Cor. 5.19.
[6] id est, in cujus ludificatione delicias agitis, ut dictum est præcedente versu: sic Jeschah. 5.19. & Hamos 5.18.
[7] cujus effecta sequentibus versibus exponuntur.
[8] vide Rom. 12.1.
[a] *Hebr. in justitia.*
[b] *Hebr. seculi.*
[c] *Heb. opprimentes mercedem.*
[9] ac proinde consilium meum quod promiseram præstabo. [10] tantis calamitatibus, sed adhuc servati benignitate mea, Lament. 3.22. [11] hortatio ad resipiscentiam, μεταβατικῶς ad contestationem quartam, de qua diximus suprà 1.6. [12] q. d. quid commisimus? aut quando aversi fuimus à te? quòd nos reverti imperes. [13] vide Nechem. 13.10. & seq. [14] i. non tantùm vos, ô Sacerdotes; sed etiam populares omnes. [d] *Heb. locum thesauri.* [15] ut Gen. 7.11. & 2. Reg. 6.35. [e] *Heb. evacuem.*

11 Et increpabo veſtri cauſa [16] exedentem, ut non corrumpat vobis fructum terræ; neque orbet vos vitis in agro, ait Jehova exercituum.

12 Itaque beatos prædicabunt vos omnes gentes, quia eritis terra oblectationis, ait Jehova exercituum.

13 [17] Invaluerunt contra me verba veſtra, ait Jehova; ſed dicitis, quid obloquuti ſumus contra te?

14 Dixiſtis, vanum *eſt* colere Deum; & quod lucrum *erit*, quum obſervaverîmus obſervationem ejus, & quum ambulaverîmus [18] atratè metu Jehovæ exercituum?

15 Imò nunc fœlices prædicamus ſuperbos: &
[19] ædificantur qui faciunt improbitatem, & qui
[20] probant Deum, [21] liberantur:

16 Tunc [22] timentes Jehovæ frequenter prædicant [f] alter apud alterum, *dicentes:* enimverò attendit Jehovæ & audit, atque conſcriptum eſt [23] in libro commentarii coram eo pro timentibus Jehovæ & cogitantibus *de* nomine ejus.

17 Hi erunt mei, ait Jehova exercituum, quo die ego confecturus ſum peculium: & clementia utar erga ipſos, quemadmodum quis utitur clementia erga filium ſuum qui colit ipſum.

18 Tunc converſi videbitis inter juſtum, & improbum *quid interſit*, inter colentem Deum, & eum qui non colit ipſum.

[16] i. quicquid abſumit fructus veſtros.
[17] ultimus conteſtationis locus adverſus ἄθεον Judæorum contumaciam, ut diximus ſuprà 1.6. quorum impia & blaſphema dicta proponuntur verſu 14. & 15. deinde verò evincuntur contrariis Dei promiſſionibus erga bonos, & minis contra malos; quæ generatim enunciatæ, uſque ad verſ. 19. per ὑςέρωσιν deinde exornantur, uſque ad ver. 22.
[18] i. in luctu, ſynecdochicè.
[19] i. aſſurgunt fœliciſſimè, & augentur bonis atque honoribus: metaphora a ſtructuris.
[20] ut Pſal. 95. 9.
[21] i. liberi ſunt ab omni malo: antitheſis.
[22] i. pii qui reverentia Dei continentur in cultu ejus per fidem, alter alterum conſolantur, & exſpectant glorioſum adventum Chriſti patientia. [f] *Heb. vir apud amicum ſuum.* [23] humanitùs dictum, a re forenſi; cujus exemplum eſt, Eſther 6, 1.

CAPUT IIII.

19 [24] Nam ecce dies ille adveniet, ardens tamquam fornax; quo erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes improbitatem ſtipula, & inflammabit eos dies ille venturus: ait Jehova exercituum, adeò ut non derelinquat eis radicem aut ramum.

20 Exorietur autem vobis, ô timentes nominis mei, [25] ſol juſtitiæ cum curatione [26] in alis ipſius; & procedetis, augeſcetisq; ut vituli ſaginarii:

21 Et conculcabitis improbos, nam futuri ſunt cinis ſub plantis pedum veſtrorum; quo die ego effecturus ſum, ait Jehova exercituum.

22 [27] Recordamini ‖ legis Moſchis ſervi mei; cui præcepi in Chorebo *perferenda* ad totum Jiſraëlem ſtatuta & jura.

23 [28] Ecce ego miſſurus ſum vobis [29] Elijam Prophetam, antequàm veniat dies Jehovæ maximus & reverendus:

24 [30] Ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipſorum [31] ne veniens percutiam terram anathemate.

[24] exornatio præcedentis dicti ὕςερον πρότερον, de diſcrimine piorum impiorumq; ut diximus in ver. 13. idque comparationibus evidentiſſimis.
[25] Chriſtus ſervator Eccleſiæ ſuæ, juſtitiam Dei contra improbos aſſerens, & electos juſtificans ab injuſtitia ipſorum.
[26] i. tamquam radiis juſtitiâ ſuâ perſundens electos, & curans eos à peccatis ipſorum.
[27] ultima pars prophetiæ, hortatio ad reſipiſcentiam ex lege, hoc verſu; ut certa fiducia exſpectetur adventus Chriſti, cujus præcurſor dicitur fore Joannes Baptiſta ad expediendum viam coram Domino: ut Jeſchah. 40. 3. & ſuprà ver. 1. ‖ *Exod.* 20. *& Deut.* 5. [28] ſenſus eſt, utimini lege tamquam pedagogo, qui vos deducat ad Chriſtum; & adventum ipſius hoc ſigno agnoſcite, quòd Joannes præcurſurus eſt, ut Dominũ advenientem indicet. [29] i. Joannem Baptiſtam inſtructum ſpiritu & virtute Elijæ, ut exponit angelus Lucæ 1. 17. & Chriſtus Matt. 11. 14. [30] i. miniſterio ſuo Evangelico electos ad reſipiſcentiam & fidem charitatemq; revocet in vinculo pacis: quod Judæi ſub adventum Chriſti ignorabant planè, ferventes ſchiſmatis & & diſcidiis infidelitatis; ut obſervavimus Zecarjæ 11. 8. [31] i. ut ſaltem aliquos reſipiſcentes ſervem, qui antè ordinati fuerint ad vitam æternam.

Πάντοτε δόξα Θεῷ.

Quartæ partis Bibliorum finis.

LIBRI APOCRYPHA,

SIVE

APPENDIX TESTA-MENTI VETERIS AD CANONEM

CAPVT IIII.

LIBRI APOCRYPHI, SIVE APPENDIX TESTAMENTI VETERIS AD CANONEM

priscæ Ecclesiæ adjecta, Latináque recens è Græco sermone facta, & notis brevibus illustrata

per Franciscum Junium.

Ordo librorum Apocryphorum.

HISTORICI, EX TEMPORUM SERIE DISPOSITI.

Tobiti liber I.
Oratio Menaschis.
Judithæ lib. I.
Baruci lib. I.
Epistola Jirmejæ.
Adjectiones ad Danijelem.
Hezræ lib. III.
Hezræ lib. IIII.
Adjectiones ad librũ Estherę.
Schimhonis lib. I. qui vulgo Macbæorum III.
Macbæorum lib. I.
Macbæorum lib. II.

DIDASCALICI.

Liber Sapientiæ.
Ecclesiasticus.

M. D. XCII.

LIBRI
APOCRYPHI
SIVE
APPENDIX TESTA-
MENTI VETERIS AD CANONEM

priscae Ecclesiae adjecta, Latináque recens é Graeco sermone facta, & notis brevibus illustrata

per Franciscum Junium.

Ordo librorum Apocryphorum.

HISTORICI, EX TEMPORUM SERIE DISPOSITI.

Tobit liber I.
Oratio Menaschis.
Judithae lib. I.
Baruci lib. I.
Epistola Jirmejae.
Adjectiones ad Danjelem.
Hezrae lib. III.
Hezrae lib. IIII.
Adjectiones ad librũ Esther.
Schimhonis lib. I. qui vulgo Machabaeorum III.
Machabaeorum lib. I.
Machabaeorum lib. II.

DIDASCALICI.

Liber Sapientiae.
Ecclesiasticus.



M. D. XCII.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, D. GUILHELMO PRINCIPI AURAICO, COMITI in Naſſau, Catzenelbogen, Dietzs, & Vianden, Domino in Breda, &c. Domino ſuo clementiſſimo,

S. P.

QUOTIESCUMQUE mihi in mentem venit, Princeps illuſtriſſime, ſententiæ illius quam olim canebat Lyricus, ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει, equidem aut à ſcribendo planè deterreor conſcius imbecillitatis meæ, aut totus perhorreſco ſiquando me vela, quod aiunt, dare ventis neceſſe eſt, & publico ſcriptum aliquod committere. Nam quid eſt quod mea tenuitas auſit publico apertóq; cælo in oculis & auribus omnium exponere? quid palàm Eccleſiæ Chriſti tot tantorum hominum ſcriptis ornatæ & cultæ proponere, niſi me in ſpectatum hoc literarum ſtadium ſententiæ bonorum pertraherent? quibus poſt emenſos veteris Teſtamenti libros canonicos viſus ſum aliquid præſtare debere & poſſe in hoc ſcriptorum genere. Ac mihi quidē longè fuit antehac gravius aliquid in canonicos libros ſcribendū inſtituere: quorū auctoritate conſtantiſſima ac fide certiſſima nititur Eccleſia Chriſti; ex quibus tamquam ex uberibus lac vitæ ſugendum & tamquā ex penu cibum liberis præbet eſurientibus, ægrotantibúſque medicinam; quorum nulla juſta eſſe poteſt interpretatio ſine ſtudio pietatis maximo, ſine cæleſti ſancti ſpiritus illuſtratione, ſine ſcientia peritiáque multiplice, & ſine inſtrumentorum omnium commoditate ad rem tantam pertinentium; quorum denique ſenſa tam multis veterum, recentium, probatiſſimorum, doctiſſimorúmque hominum libris perveſtigata & enucleata ſunt, ut quicumque memoria noſtra animum ad ſcribendum appellunt, magis actum agere videantur, quàm Eccleſiæ Chriſti ſatagere: & fuiſſet illud profectò futurum graviſſimum; niſi ſecundùm Deum fuiſſem fretus clariſſimi viri ac mihi conjunctiſſimi D. Immanuelis Tremellii conſortio, cujus peritia jamdiu Eccleſiæ cognita, mihi verò jam eſt exploratiſſima, conſpectus fuit jucundiſſimus, & ſuaviſſima ſtudiorum inter nos communicatio, quæ memoriam abſentis fecerunt acerbiorem. Sed in hoc opere etſi non ita deterret me librorum iſtorum auctoritas fretum veteris Eccleſiæ canone (errare enim & labi in ſcriptis hominum adeò miſerum non eſt ac periculoſum, quàm ſi in divinis offenderis) duæ res tamen exſtiterunt quæ me ab hoc inſtituto multùm & ſæpe deliberantem revocarunt, incipientem retardarunt, & ſollicitaverunt provectum, ut me ad meum tranquillitatis navale reciperem, navigarémque in domeſtico meorum ſtudiorum portu. Una eſt, quòd neque meus ille Immanuel mihi conjunctus adfuit, nec alter ab illo, cujus ſuccedanea opera in hac remigatione mihi commodaretur; ſed ſolus neceſſe habui remos impellere Deo duce, pro Cynoſura habens authenticos libros Scripturæ ſacræ omni exceptione majores, & pro remigibus tenuem ſupellectilem librariam meam. Altera, quòd

permulti ubique inveniuntur loci varii, distorti, depravati : depravati autem? imò profligati æquè in contextu Græco atque in translationibus; quos quidem locos partim ex canonicorum scriptorum auctoritate, partim ex ipsorum auctorum secum aut aliorum cum ipsis comparatione, partímque ex judicio necesse fuit emendare : quod cùm in aliis, tum in duobus Machæorum libris T.C. nullo negotio animadversura est. Sed quid ego de illis dicam qui hos libros tanta animi contentione pro canonicis venditant, ut actum esse de totius Scripturæ auctoritate clamitent, si expungantur isti ex albo canonis? Equidem & consuetudinem istam, immanem istam (ut Augustinus appellat) belluam ferúmque tyrannum expugnarem, & audaciam eorum qui primi auctores fuerunt facti istius ostenderem qui rebus humanis divinum honorem tribuerunt, nisi plenæ essent hoc argumento paginæ in libris veterum : quorum testimoniis ac potius auctoritate Scripturæ canonicæ belluam istam expugnatam atque prostratam jacere putaremus. Quid enim si libri in hoc numero non pauci exstant canoni sacro adversantes quibusdam locis, & diversum à veritate Dei constantissima prædicantes? quid si interdum sibi non constant ipsi? quid si in Ecclesiæ veteris sacrario judicio certo nunquam fuerunt repositi, non tantùm Jehudæis librarijs Ecclesiæ nostræ, sed Irenæo ipso, Origene, Hieronymo, Augustino, Epiphanio, & Joanne Damasceno testibus? quid si post quadringentos demum annos à salute parta, non divina illa, sed Ecclesiastica auctoritate donati sunt? Communis error in legem abiit, quod ne in causis quidem civilibus Jurecoss. ferendum esse putaverunt. Quæ quum ita sint, quum his nominibus & compluribus aliis de his scriptis grave sit agere, maluissem quidem certè heroëm (ut ita dicam) & coryphæum aliquem Scripturæ sacræ peritissimum recipere in se laborem istum quàm à me expeti, ut illius operâ tædium exhaustum, correctos locos, bestiámq; domitam atque confectam videremus : sed quia res à me desiderata est, ecce, partibus meis qua fide potui & diligentia maxima perfunctus sum. Verùm ut ad rem ipsam veniamus, habentur in hoc opere duo scriptorum genera : nam pleraque sunt historica, & duo didascalica.

Tobiti liber varius est : Chaldæus venit in manus Hieronymi, qui desideratur memoria nostra : Hebræi exstant duo, sed exercitationis gratia confìcti, siquid in Hebræo sermone possum judicare : Græcus liber, si finem exceperis, auctore Tobito inscribitur. Certè in Chaldæa Assyriáve scriptus est, idq; (opinor) Chaldaicè ab homine pio quidem, sed eruditione mediocri & non paucis ex deportatione tenebris obruto, quibus hoc quoque scriptum offunditur. Menaschis oratio pia est, habetur Græcè, auctore Menasche Rege an alio, incertum. Judithæ librum Hebræum fuisse putat Hieronymus, Chaldæum scribit habuisse : mirum est sanè historiam rei tam celebris in Jehudæa gestæ neque in Ecclesia Hebraicè fuisse habitam, neque a Josepho præcone gentis suæ memoratam : hunc itaque & Tobiti librum poëma sacrum potiùs quàm historiam dixeris; adeò vir pius meritò veritatem utrobique, honestatem verò prudentiámque in hac re, siquando gesta est, desideraverit. Baruchum & Jirmijæ epistolam non haberi inter Hebræos libros testis est Hieronymus: Græcè quidem habentur, sed novitatem sapiunt sermone suo. Danijelis auctarium sive adjectio Græca est, pium canticum : reliquas Danijelis & Estheræ accessiones planè adscribo poëmatis. Hezræ libros duos me tacente evincit veritas : quos neque Hebraicè neque Græcè vidi, aut fuisse visos memini legere; sed justissima coram Deo & bonis omnibus analogia rem ad veritatem, sermonem ad Latinitatem revocavi, verbis (quoad ejus fieri potuit) cum vetere exemplo conformatis. Nihil habent Hezræ quàm falsò emendicatum nomen, & injuriâ maximâ : Auctorem enim, quem puduit sui operis, longè ampliùs debuerat puduisse quum suis somniis nomẽ viri tanti præfigeret, & impudenter Ecclesiam vellet fallere. Estheræ fragmenta neque sunt canonis, neque cum canone admodum consentiunt : scripsit ea Græcanicus aliquis matæologus, qui sermonis sui elegantiam in postremo capite ostentavit.

Tres postremos libros communi appellatione (ut apud Eusebium testis est Origenes) prisca Ecclesia apud Syros Scharbit sarbane el, id est, virgam rebellantium Deo nominavit, vel contumacium in Deum; Græci dixerunt τὰ μακκαβαϊκὰ per synecdochen à maxima argumenti parte. Schimhonis, qui dicitur

Hist. eccles. lib. 6. cap. 25.

vulgo

vulgo Macbæorum tertius, liber ab eodem auctore profectus est quo Sapientia: nam ovum ovo non est magis simile quàm unius libri sermo sermoni alterius: fluit utrobique, sed redundat oratio, & eadem ferè verba ac sententias adhibet. Hunc ego Philonem Alexandrinum fuisse puto: adeò verba Philonium spirant, & Alexandrinum hominem arguit descriptio. Schimhonem inscripsi de Sacerdotis qui tum erat nomine, sequutus exemplum Scripturæ canonicæ, in qua virorum primariorum qui pars suæ historiæ fuerint in populo Dei, eorum inquam nomina tribuuntur libris: fuit enim Schimhon Sacerdos, quo tempore Ptolemæo Philopatori visum est in sacrarium involare. Atque hunc quidem librum sententia mea in Galeato prologo Hieronymus vocavit πάστορα, sive Pástorem Latino casu, non autem Pastôrem, ut plerique omnes putaverunt: nempe ἀπὸ τῆς παστάδος sive παστάδα, id est, ab atrio, in quo sacerdos summus cum fideli comitatu suo intercessit ne rex veniret in sanctuarium, quo ex principio reliqua historia consequuta est. Sed nos inscriptionem evidentem, licet novam, veteri obscuræ & de qua controverti possit anteposuimus. Quòd enim tertius Macbæorum liber nominatur, hoc fecit injuria temporum ex illa synecdochica loquutione quam modò diximus, quum post annos quinquaginta minimùm Judæa Macbæorum nomen audiverit: quapropter immutato ordine hunc librum ante alios collocavimus. PRIOREM Macbæorum librum Hebraicè à se visum narrat Hieronymus, eúmq; temporibus Jochananis sive Joannis Hyrcani, qui filius fuit Schimhonis Macbæi, verisimile est fuisse scriptum: hunc Græcè habemus tantùm & corruptissimum, sed tamen haudquaquam argumento inutilem, neque scriptum incommodè. POSTERIOREM Græcum esse tantùm & auctor indicat cap. 2. & idem Hieronymus ostendit, & evincit phrasis. Auctor quisquis fuerit, plus Jasoni Cyrenęo cuidam & sibi quàm veritati tribuit, inerticulus pariter & audax; re, ratione, verbis ab omni lege discedens historiæ, judicia sua intempestivè apponens passim, ac nonnunquam etiam præter fidei sanctæ analogiam. Jam ad didascalicos veniamus. SAPIENTIÆ liber (quem olim prisca Ecclesia, teste Epiphanio, vocabat πανάρετον, id est, omnium virtutum librum) non pauca pietatis documenta & singulares è Scriptura sacra observationes continet. Hunc Hieronymus Philonis (cujus antè meminimus) opus esse putat; Augustinus primùm quidem putavit Siracidæ duobus locis, sed posteà illud ipsum quod opinatus fuerat revocavit; vulgus Schelomoni tribuit ex auctoris ipsius verbis. Comta ejus & fluens oratio fecit ut Philonis esse diceretur: utrumque si dixeris, forte à vero non aberraveris; nempe à Schelomone quidem fragmenta esse, prout capite nono verbis Schelomonis agitur, & Philonem composuisse illa atque interpretatum esse Græca facundia.

ἐν λόγῳ ἀγχι- εστῶν.
Lib. 2. de doctrina Christiana.
Lib. 17. de civitate Dei, cap. 20.
Lib. 2. retract. cap. 4.

De ECCLESIASTICO, in suis præfationibus & quinquagesimo capite sustulit auctor omnē dubitationis causam tum avi parentísq; tum suū ipsius nomē exprimendo: quo in libro Ethica sancta plurimùm compilavit. Hi autem omnes libri vulgo dicuntur ἀπόκρυφοι, Apocryphi Græca appellatione, id est, occulti, propterea quòd Ecclesiæ non fuerunt traditi cum certa Spiritus Dei testificatione, ut in arca Ecclesiæ conderentur ἀρχείοις, & palàm ex authentico illorum canone Ecclesia doceretur; sed velut humanæ artis opera clàm tantùm & inter privatos parietes, singularibus Ecclesiæ membris, volentibus legere permissi sunt, ut ex iis adjumenta fidei cum judicio expromantur, non autem pro fundamentis fidem obstringentibus censeantur. Hieronymus verò quibusdam locis hagiographa hæc scripta nuncupat, voce apud ipsum quoque Hieronymum ambigua. Sed de auctoritate posteà. Atque hos quidem libros olim cum scriptura canonica fuisse conjunctos & Testamento veteri adaptatos communis veterum nostrorúmque hominum docet consensio: ut jungerentur, etiam à nobis fuit postulatum. Fecimus, utinam fructu tam magno quàm molestia. Etenim fructus quidem certè non mediocris ex his libris ad prudentes lectores & pios perventurus est; sive exempla historiarum species, quibus nihil ad delectandum suavius, nihil ad docendum accommodatius exponi potest; sive didascalicorum librorum argumenta ad docendum æquè ac permovendum pertinentia: molestiæ verò nunquam pœnitebit me, si communem aliquem in Ecclesia fructum enasci animadvertero, & T.C. placere operam. Tuam enim C. Princeps Illustrissime, hîc visum est appellare & tuâ ipsius causâ, & Illustrissimę Principis ac con-

 jugis

jugis tuæ, fœminæ lectissimæ. Quid ita? fortasse inquies. Certè quia utrique vestrum, si cuiquam homini Principi memoria nostra, multa evenerunt ejusmodi, qualia in historiis istis explicantur: multa vidistis, sensistis, probastis, perpessi estis quę legendis istis facile erit vobis memoria recolere, & res anteactas vestras tamquam in speculo contemplari coràm. Deinde quid restet expenditis & novistis, scio: iter lubricum, anceps, periculosum, præceps; ubi infracta pietas, fides, veritas, zelus, prudentia, justitia, fortitudo, temperantiáque sunt opus, ut in nomine Domini consistatis: quarum omnium virtutum documenta hîc amplissima obversantur æquè principibus viris ac tenuibus è plebe necessaria. Quid eventurum sit porrò, didicistis jamdiu; & ex certissima Dei ὑψιμέδοντος (ut cum Poëta loquar) testificatione cognovistis promissiones Dei de vita præsente futuráque fuisse pietati factas; ac proinde reverentibus Dominum, credentibus, quærentibus semper faciem ipsius, & intrepidè ac constanter adhærentibus ipsi, æternam in cælis hæreditatem comparatam esse, quam traditurus est Dominus justus judex iis qui sanctè & syncerè confessi fuerint nomen suum. Quas ob res primùm supplex oro Deum opt. max. & Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut T. C. infinitis penè molestiarum molibus oppressam procellosisque fluctibus jactatam magis ac magis in omni sancto pietatis humanitatísque confirmet officio, animum stabiliat gratia, & cunctis benedictionibus ex sancto verbo ac promissione sua ornet augeátque: deinde verò à T. C. obnixè peto ut meam hanc operam quàm potui fidelissimè catholicæ Ecclesiæ præstitam & tibi oblatam accipias in bonam partem; & monimento hoc de meo erga T. C. studio officiísque, siqua T. C. grata poterunt à mea tenuitate proficisci, ampliùs confirmeris. Princeps Illustrissime, Deum iterum oro ut T. C. quàm diutissimè servet incolumem, tibi adsit, te suo Spiritu reverentiæ ac prudentiæ regat, & omni benedictionum genere exornet è cælis cumulatissimè.

T. C. studiosissimus,
Franciscus Junius.

Φλαβίυ Ιωσήπυ κατ᾽ Απίωνος α.

Εἰκότως, μᾶλλον δὲ ἀναγκαίως (ἅτε μήτε τὸ ὑπογράφειν αὐτεξουσίου πᾶσιν ὄντος, μήτε τινὸς ἐν τοῖς γραφομένοις ἐνούσης διαφωνίας, ἀλλὰ μόνων τῶν προφητῶν τὰ μὲν ἀνωτάτω καὶ παλαιότατα κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ μαθόντων, τὰ δὲ καθ᾽ ἑαυτοὺς ὡς ἐγένετο σαφῶς συγγραφόντων) οὐ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ᾽ ἡμῖν ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων· δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία, τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν, τὰ δικαίως πεπιστευμένα.

Καὶ μετ᾽ ταῦτα.

Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα, πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν.

Επιφάνιος ἐν λόγῳ εἰσαγωγικῷ.

Αὗται χρήσιμοι μέν εἰσι καὶ ὠφέλιμοι· ἀλλ᾽ εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται. διὸ οὐδὲ ἐν τῷ ἀαρὼν ἀνετέθησαν, τουτέστιν ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ.

Hieronymus ad Dommionem & Rogatianum.

Nec Apocryphorum, tertii & quarti Esdræ libri *somniis delectetur* quisquam: *quia & apud Hebræos Esdræ Nehemiæq; sermones in unum volumen coartantur, & quæ non habentur apud illos, nec de viginti quatuor* libris sunt canonicis, *senibus sunt procul abjicienda.*

Augustinus lib. 15. de civitate Dei cap. 23.

In Apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas.

TOBIT.

Tobit Naphthalita adversis ac secundis rebus in Deum pius, & in fratres officiosus, facultatum amissione, exsilio, & cæcitate probatus, posteà benedictione Dei visum recipit, videt filium cum nuru adventantem, & sobolem numerosam ex eis habet: quibus omnibus moriens benedicit, & ex prophetarum doctrina consulit.

CAPUT PRIMUM.

1 [1] COMMENTARIUS [a] Tobiti filii
Tobjelis filii Chananeelis, filii
Hiddui, filii Gebahelis, è semine
[2] Jachtzielis de tribu Naphthali:
2 [3] Qui captivus abductus
est diebus [4] Schalman-asaris regis Assyriorum
[5] e Thischbe, quæ *regio* sita est [6] ad dexteram ejus
quæ propriè *dicitur* Naphthali in Galilæa, supra
Ascheris *tribum*.
3 [7] Ego Tobit [b] fideliter ac justè ambulavi
singulis diebus vitæ meæ, eleemosynas multas
faciens fratribus meis ac genti meæ, *&* iis qui
venerant mecũ in regione Assyriorũ Nineven.
4 Nam quum essem in regione mea in terra
Jisraëlis [c] juvenis adhuc, deficiente tota tribu
Naphthali patris mei a [8] domo Jeruschalaimorum,
quæ electa fuerat ex omnibus tribubus Jisraëlis,
5 Ut sacrificarent *illic* omnes tribus, ubi sanctificatum
fuerat templum [d] pro tabernaculo
Altissimi, ex quo exstructum fuerat, in generationes
omnes [e] æternas; & omnibus tribubus, quæ
unà defecerant, sacrificantibus [f] Baali deo, cum
domo Naphthali patris mei:
6 Ego tamen [9] solus ibam sæpe Jeruschalaima
diebus festis, quemadmodum præscriptum
est toti populo Jisraëlis præcepto æterno, primitias
decimásq; fœtuũ, & [g] prima vellera habens;
& dabam ea Sacerdotibus posteris Aharonis ad
altare *offerens*.
7 Primas [10] omnium fœtuum decimas dabam
posteris Aharonis, qui ministrant Jeruschalaimis;
secundas verò decimas vendebam, &
profectus expandebam eas Jeruschalaimis unoquoque
anno:
8 Tertias denique dabam iis quibus conveniebat
dari, quemadmodum præceperat Debora
mater patris mei; quia orphanus relictus fueram
a patre meo.
9 Quúmque [h] ad viri ætatem pervenissem,
ducens Channam uxorem [i] e gente nostra,
genui ex ea Tobijam.
10 Sed quũ captivus Nineve abductus essem,
11 Omnibus fratribus meis ac gentilibus meis
vescentibus [k] cibis gentium;
12 Ego continui [l] me ipsum, ne comederem
eos:
13 [11] Quia memor erã Dei ex toto animo meo.
14 [m] Conciliavit autem Altissimus gratiam
[n] decorémque *mihi* coram Schalmanasare, ut
essem [12] opsonator ipsius.
15 [13] Itaque profectus sum in Mediam:
16 [14] Deposuique apud Gebahelem fratrem
Gobrajæ [15] Rageschi civitate Mediæ argenti talenta
decem.
17 Postquàm verò mortuus est Schalmanasar,
regnavit Sancherib filius ejus pro eo.
18 [16] Cujus [o] rationes quum incertæ essent,
non potui ampliùs proficisci in Mediam.
19 Ac in diebus quidem Schalmanasaris eleemosynas
multas feceram fratribus meis,
20 Cibos meos dederam esurientibus, & vestimenta
mea nudis; & si quem ex gente mea videram
mortuum, projectúmque [17] ad murum [p]
Nineves, eum sepeliveram.
21 Præterea si quem occidebat Sancherib
rex, quum venisset fugiens ex Jehudæa, furtim
abripiens sepeliebam eum (multos enim perdebat
indignatione sua) & requisita a rege corpora
eorum non inveniebantur.
22 Profectus verò quidam Ninevitarum indicavit
regi me sepelire eos; quamobrem abdidi
me, & cognoscens me quæri [q] ad mortem, ex
metu me recepi aliò.
23 Tum raptæ sunt omnes facultates meæ:
neq; relictum est mihi quicquam præter Channam
uxorem meam, & Tobijam filium meum.
24 [r] Sed non præteriverant dies quinquaginta
quinque, quum occiderunt eum duo filii ipsius,
fugerúntq; in montes [r] Armeniæ, & regnavit [18]
Esarchaddon filius ejus pro eo, qui præfecit Achikarum
filium fratris mei Chananeelis omnibus
rationibus patris sui, & toti procurationi.
25 Postulante itaque Achikaro mea causa,
reversus sum Nineven: (erat enim Achikar a poculis,
& ab annulo, [19] procuratórque & rationarius,
constitueratque eum Esarchaddon [s] secundum
a se, [t] filium fratris mei)
26 Reversóque mihi domum restituta est
Channa uxor, & Tobija filius meus.

[1] Hujus libri varia quidem sunt exemplaria: nã ex Chaldæo transtulit Hieronymus, memoriáq; nostra duo Hebræa in lucem prodierunt, quæ ab audaculis hominibus fuisse scripta spondeo, & malè cùm de Hebræa lingua tum de Ecclesia merentibus: Nos verò editionem Græcam omniũ probatissimã judicamus. Quamobrẽ in hac translatione nostra plurimũ sequemur vestigia ejus, & mutationũ (si quæ adhibebuntur) causas explicabimus. Scriptus est a Tobito liber, cujus inscriptio versus duos cõtinet: in historia liber reliquus consumitur. Tempus ex hoc capite est evidentissimum.
[a] *Græc. liber sermonũ, vel rerum: Hebraismus, ut* 1. *Regum* 11. 41.
[2] sic restituendum ex 1. Chro. 7.13.
[3] vide 2. Reg. 17. & 18.
[4] vel Schalmaneseris ex 2. Reg. 17. 3. & 18. 9. nam quod Græci Enemessarum legunt corrupta est appellatio, ut infrà vers. 14. 17. & 19. [5] non civitatis sed regionis bello partæ nomine, cujus situm optimè describunt sequentia: vide 1. Regum 17. 1. annot. [6] id est, ad Orientem tribui Naphthali. [7] hic versus per prolepsin duas partes exponit quæ reliquo capite enarrantur: unam de instituto vitæ quod Tobija in solo natali suo sequutus est, alteram, de ratione vitæ postquam in Assyriam fuit deportatus, quarum partium, enarratur prior usq; ad versum 10. posterior reliquo capite. Hanc verò distributionẽ (quam Hieronymus minimè intellexit) nos adjecta conjunctione fecimus evidentiorem. [b] *Græ. viis veritatis & justitiæ: Hebraismus, cui similem, vide* 1. *Reg.* 3. 6. *&* inf. 3. 5. [c] *Græ. juvene exsistente me.* [8] i. templo Dei, ut sequentia verba docent exegeticè. [d] *Græ. Tabernaculi.* [e] *Græ. seculi.* [f] *Græ. generi Baali, Bathaliæ, Exo.* 22. Num. 18. [9] i. aut sine comitatu, aut certè comitatu minimo, tanquam essem solitarius, ut ipse ait inf. 5. 21. [g] *Græc. primam tonsuram.* [10] hæc verba in contextu Græco imperitè conjunguntur præcedenti versui, ut res ipsa loquitur. De hoc autem triplice decimarũ genere, quæ hoc loco distinguuntur evidentissimè, vide Num. 18. & Deut. 14. 22. & sequent. [h] *Græc. factus essem vir.* [i] *Græc. e semine familiæ nostræ.*

[k] *Græ. panibus: Hebraismus, ut vers.* 20.
[l] *Græc. animam meam.*
[11] hoc est, nolebam sinere, ut meus animus ullo pacto a recordatione reverẽtiáq; Dei abduceretur, inescatus allectamentis gentium: vide annotata Danijelis 1. 8.
[m] *Græc. dedit, ut Exod.* 3. 21.
[n] *Græc. formam.*
[12] sic Græcam vocem reddit Athenæus: Sitonẽ vel Sitarchũ vocant Jurecõsulti, aut etiam Sitocomum, id est, annonæ curatorem.
[13] nempe quia regis aulam tenebat sequi pro officio Sitocomiæ. Reges enim stationem æstivam habebant in Media, ut annotavimus Hezræ 6. 2.
[14] nempe pecuniam in loculis obsignatã, quam Tobit Gebaheli accepta cautione chirographi dederat asservãdam, ut ostenditur infr. 9. 6. & 7.
[15] i. in opido Ragæ, cujus opidi ex Aristobulo & Charete meminit Athenæus li. 12. Dipnosoph. his verbis, Καὶ οἱ Περσῶν δὲ βασιλεῖς ἰαρίζουσι μὲν ἐν Ῥάγαις, χειμάζουσι δὲ ἐν Βαβυλῶνι [o] ... τὸ ἐν ... vide inf. 6. 11. [16] i. quum præpeditus occupationibus non posset vacare constituendis & disponendis officiis domesticorum. Nam primùm ex cæde patris conturbatis omnibus fuit regno adversus fratres consulendum: deinde verò expeditiones suscipiendæ, de quibus 2. Reg. 18, & 19. [o] *Græ. viæ.* [17] ubi habebatur forum, ex usu veterum: quomodo apud Romanos pomœrium fuit appellatum. Sic intelligendum docent verba filii inf. 2. 2. [p] *Græ. in Nineven.* [q] *Græ. mori.* [r] 2. *Reg.* 19. 37. [r] *Græ. Ararat: vide Gen.* 8. 4. [18] Græcè Achirdon quidem appellatur, aut Sechaddon; sed utrumq; corruptum est, ut alia in his libris quamplurima. [19] nempe qui regia negotia mandato ipsius administraret; quem Jurecõsulti Græci διοικητὴν appellant, Dorotheus, Theophilus, Harmenopulus, alii. [s] *Græc. a secunda.* [t] *Græc. erat autem filius fratris mei.*

CAPUT

CAPUT II.

1 DIe feſto pentecoſtes, qui *dies* ſanctus eſt
[1] ſeptimanarum ſeptem, [a] compara-
tum eſt [2] prandium lautum mihi: quúmque
accumbens ad edendum contemplarer cibaria
multa, edixi filio, abi, adduc quemcunque in-
veneris fratrum noſtrorum egentem, qui memor
ſit domini: Ecce autem [3] ſum exſpectaturus te.
2 Ille adveniens dixit, pater, [b] quidam e ge-
nere noſtro projectus jacet [4] in foro ſtrãgulatus.
3 Tum ego antequàm guſtarem, exſiliens
ſuſtuli eum, & *exportavi* in domum quamdam,
donec occidiſſet ſol:
4 Deinde reverſus [5] lavi, & comedi cibum
meum [c] triſtis,
5 Recordando prophetiæ Hamoſi, quem-
admodum dixerit,
6 ‖ Convertentur feriæ veſtræ in luctum, &
omnia hilaria veſtra in lamentum; ac flevi.
7 Quum autem occidiſſet ſol, abii, & effoſſa
fovea ſepelivi eum.
8 ‖ Vicini verò *me* irridebant dicentes, non
ampliùs metuit iſte interfici propter factum iſ-
tud, quamvis antè aufugerit: ‖ Nam ecce mortu-
os iterum ſepelit:
9 Eadémque nocte decubui [6] pollutus ad
murum [7] hypæthri, facie mea non obtecta; ne-
que animadverti paſſeres in eo muro eſſe.
10 [8] Itaque oculis meis apertis excreverunt
paſſeres calidum *ſtercus* in oculos meos, unde
enatæ ſunt albugines in oculis meis; & quamvis
adirem medicos, tamen non adjuverunt me.
Achikar verò aluit me, donec [9] profectus eſſet
in [10] Elymaida.
11 Channa autem uxor mea lanificium exer-
cebat in [11] gynæceis:
12 Cui, quum remiſiſſet *opus* ſuum [12] dominis,
rependerunt quoque illi mercedem, & ampliùs
etiam donarunt hœdum.
13 Quum verò veniſſet ad me, balare cœpit:
Quamobrem dixi ei, unde hœdulus iſte? [13] non-
ne furto ſublatus eſt? Redde eum [14] dominis,
nam nefas eſt comedere furto ablatum *quicquã*:
dicente verò illa, [d] dono datus eſt mihi, præter
mercedem, tamen [15] non credidi illi, ſed edixi
reddi eum dominis.
14 Me itaq; cõtra illã [e] [16] exardeſcẽte, reſpõ-
dẽs illa mihi dixit, [17] ubi ſunt tuæ eleemoſynæ, &
juſtè facta tua? Ecce ſpectata ſũt omnia apud te.

[1] Sic appellatur pentecoſte Exod. 34. 22. Levit. 23. 15. & Deut. 16. 10.
[a] *Græc. factum eſt prandium bonum.*
[2] ex lege Deut. 26. 11.
[3] q. d. non antè guſtabo cibum quàm fratres egenteis adduxeris.
[b] *Græc. unus.*
[4] vide ſup. 1. 20.
[5] ex lege Levit. 21.
[c] *Græc. in triſtitia.*
‖ *Hamos* 8. 10.
‖ *Suprà* 1. 22.
[6] ex mortuo, cujus tactus hominem inquinabat, Num. 9. 6.
[7] vel ſubdialis ambulationis. Hoc enim ſonat Græcum αὐλῆς vocabulũ, teſte Athenæo lib. 5. dipnoſophiſtarum. Hoc autem faciebat Tobit ex luctus ſui gravitate, a cubiculo, tecto, & cubili abſtinens.
[8] hæc verba viam ſternunt ad eam fabulam, quæ traditur infrà cap. 6. & 11.
[9] ſic reſtituimus ex conjectura, ſublata litera una. Nam Tobitum ex eo loco minimè profectũ eſſe docet caput 14. Achikarum verò de ſua dignitate dejectum eſſe, ipſe Tobit narrat infrà cap. 14. 10. De hoc autem Achikaro vide ſuprà 1. 24. & 25.
[10] regionem Aſſyriæ, de qua vide 1. Mac. 6. 1. [11] i. muliebribus officinis, quæ gynæcea ſive gynæconitidas antiqui appellarunt, eorúmque præfectos Gynæciarios, qui penſa diſtribuebant ſingulis, & munerabantur operas. Hæc autem gynæcea cellas familiaricas Vitruvius nominat lib. 6. de Architect. cap. 10. atq; in hæc gynæcea non dubito quin Tobiti uxor per Achikarum admiſſa ſit. [12] i. Gynæciariis, de quibus modò diximus. [13] his verbis Tobit non incuſat uxorem furti, eóque nomine pertinaciter in eam contendit, ſed potiùs admonet permulta in aulis principum furto injuriáq; dominis juſtis adimi, ac propterea ſe ab hœdulo quẽ Gynæciarii uxori dederant de induſtria abhorrere, ne ullo pacto cum injuſtitia illorum communicet, rem ullam accipiens ab injuſtis poſſeſſoribus. Nam juſtus (ait Ambroſius) non tantum crimen metuit, ſed contagionem peccati. [14] i. Gynæciariis, ut ſuperiore verſu diximus. quaſi dicat, illi ſunto domini, ſi placet: ego rerum ab illis donatarũ nolim eſſe dominus, quia de alieno magis, quàm de ſuo ferè largiuntur. [d] *Græc. donum.* [15] nempe rem datam volenti retinere. [e] *Græc. vehemens.* [16] propterea quòd rem datã recuſaret reddere ex mandato meo. [17] q. d. quid? tene unum putas eſſe præditum bona fide & conſcientia, qui tam malè de viris bonis, ac de nobis optimè meritis judicare audes? quin potius reſpice ad te, & fidem tuam explora: Nam ſi optima fide eleemoſynas tuas & ſimilia antè præſtitiſſes, putarén̄e futurum fuiſſe, ut tu his malis obruereris a Deo? Spectata verò ſunt facta tua; & quo animo antehac uſus ſis, res præſentes omnes plus ſatis clamitant: ſic Ijobi 4. 6. & alibi paſſim.

CAPUT III.

1 ITaque contriſtatus [1] flevi, & oravi cum do-
lore, dicendo,

[1] Egreſſus ex ædibus in aliquam ſolitudinem, ut apparet infrà verſ. 25.

2 Juſtus es Domine, omniáq; opera tua &
omnes viæ tuæ ſunt miſericordia & veritas: etiã
[a] judicio vero, juſtóque tu judicas in ſeculum.
3 Memento mei, & reſpice ad me: ne ulciſ-
caris me pro peccatis meis, atque [b] erroribus
meis, & majorum meorum qui peccaverunt co-
ram te.
4 Nam non [2] obedivimus præceptis tuis:
quamobrem [c] expoſuiſti nos direptioni & capti-
vitati mortíque, & dicterio [d] probroſo omnibus
apud quos diſperſi ſumus.
5 Nunc ergo, *ut* multa judicia tua ſunt & ve-
ra, me facito propter peccata mea majorúmque
meorum, quia non fecimus præcepta tua (non
enim ambulavimus [e] fideliter coram te)
6 Nunc, inquam, [f] prout placuit tibi facito
me, præcepto [g] tolle ſpiritum meum ut diſſolutus
redigar in terram: quoniam utilius eſt mihi mori
quàm vivere, quandoquidem exprobrationes
falſas audivi, ac triſtitia multa [h] inceſſit me; præ-
cipe inquam me ſolutum a [3] neceſſitate hac, jam
concedere in æternum locum; ne avertas faciem
tuam a me.
7 Eo ipſo die accidit filiæ Rehuelis Saræ [4] in
Ecbatanis Mediæ, ut ipſi quoq; objiceretur pro-
brum ab ancillis patris ipſius,
8 Quia tradita fuerat viris ſeptem; ſed [5] A-
ſchmadæus improbum illud dæmonium occide-
rat eos, antequàm congrederentur cum ea, ut fit
mulieribus.
9 Dicebant enim ipſi, [6] an nondum intelli-
gis te præfocare viros tuos?
10 Jam ſeptem viros habuiſti, neque vocaris
de ullius eorum nomine.
11 Quid nos verberas propter [7] illos, ſiqui-
dem mortui ſunt? abi cum illis: ne videamus ex
te filium aut filiam in ſeculum.
12 Hæc quũ audiſſet, triſtata eſt valdè, adeò
ut ſtrangulatione premeretur: [8] ſed dixit, equi-
dem unica ſum patri meo; [9] ſi fecero hoc, pro-
broſum fuerit ipſi; & ſenium ejus deduxero cum
dolore in ſepulcrum.
13 Poſteà oravit ad [10] feneſtram quamdam,
dicens,
14 Benedictus es, Domine Deus mi, & bene-
dictum nomen gloriæ tuæ, ſanctum & pretio-
ſum in ſecula; benedicant tibi omnia opera tua
in ſeculum.
15 Nunc autem, Domine, oculos meos & fa-
ciem meam [i] converti ad te,
16 Dicens ut liberes me ab hac terra, ac non
audiam ampliùs exprobrationem.
17 Tu noſti, Domine, me puram eſſe ab om-
ni [11] peccato viri,
18 Ac non coinquinaſſe nomen meum,

[a] *Græc. judicium verum.*
[b] *Græc. ignorationibus.*
[2] Eſt quidẽ plurale verbũ perſonæ tertiæ in contextu Græco: ſed facilis fuit mutationis lapſus, & quod Hieronymus prima perſona legit, judicamus eſſe adjunctis convenientius.
[c] *Græc. tradidiſti nos in direptionem, &c.*
[d] *Græc. exprobrationis.*
[e] *Græc. in veritate.*
[f] *Græc. ſecundum placitum coram te, facito mecum.*
[g] *Græc. tollere præcipe*: Hebraiſmus.
[h] *Græc. eſt in me.*
[3] ducendæ vitæ & audiendorum probrorum, quæ duo invitus facio, ex neceſſitate non ex voluntate.
[4] montoſa regione Mediæ, ubi fuit metropolis, quam vocant Geographi κατ' ἐξοχὴν Ecbatana, ut 2. Mac. 9. 3. vide Hezræ 6. 2.
[5] hoc nomen in ſcripturis Canonicis nuſquã legere memini; nec dubito ex portentoſis Judæorum fabulis profectum eſſe, qui Aſchmadai Syra voce appellant principem dæmoniorum; ſive a perditione & profligatione hominum, ſive ab apoſtaſia, quæ duo Syrorum verbo denotantur. Atque hoc ſpectat quod nominatim additur impuri illius dæmonii epitheton, quæ phraſis illorum fabulas, non ſcripturæ veritatem ſapit. Quamobrem, ut nomen fabuloſum, ita etiam quæcumque hic ab eo dicuntur geſta fabuloſa eſſe confirmamus. Nam certè non eſt tantum otii a rebus ſuis dæmoniorum principi, ut neglecta hominum perditione ſtudeat amoribus, & rivalem agat. [6] id eſt, an ſemper amore cæco rapieris? an ſemper dolore de viris amiſſis excæcaberis? an ſemper tibi indulgebis, & in alios immerentes fures? an ſemper in nos tam indignè ſævies, quam ſi viris tuis intuliſſemus mortem? at ejus ſi qua culpa in ullo reſidet, ea profectò eſt in te quæ vivos enecas, mortuorum verò deſiderio conſumeris. [7] Græcas voces ita diſtinguimus, τί ἡμᾶς μαστιγοῖς περὶ αὐτῶν, εἰ ἀπέθανον; &c. id eſt, nulla profectò cauſa eſt cur tam indignè nos excipias plagis; niſi fortè dolorem tuum de amiſſis viris in nos deoneras impotentiſſimè; in quorum morte ſi qua culpa eſt, eam nos minimè, ſed tu ipſa præſtare debes. Si ergo furis amore illorum, abi ad illos, & nos tandem aliquando ſine quieſcere. Hæc ita accipienda eſſe, oſtendunt verba Saræ, verſ. 15. [8] nempe animum reſumens, & ſe confirmans a ſtrangulationis periculo, quod periculum mulieres ferè ex mœrore opprimit. [9] id eſt, ſi me animo abjecto contingat ſtrangulari. [10] ſuperioris contignationis, ut finis capitis demonſtrat. [i] *Græc. dedi.* [11] id eſt, concupiſcentia illa, ea qua me ancillæ, velut ultrò percitam objiciunt furere.

neque

neque nomen patris mei in terra captivitatis
meæ.
19 Unica sum patri meo, neque est ipsi alter
natus qui percipiat hæreditatem ejus:
20 Neque [k] agnatus propinquus, neque fi-
lius ex eo, [l] cui me conservem ut nubam ipsi.
21 Jámque perierunt mihi septem; quorsum
me *in tempus* reliquum vivere?
22 Quod si non visum fuerit tibi occidere me;
23 Precipe respiciens ad me, & misertus mei,
ut non audiam amplius exprobrationem.
24 Exaudita autem est oratio utriusque co-
ram gloria Dei maximi:
25 Et missus est [12] Rephaël curaturus hos du-
os, Tobiti desquamaturus albugines, & Saram
Reĥuëlis filiam traditurus Tobijæ Tobiti filio
uxorem, ac ligaturus Aschmadæum improbum
illud dæmonium, quia Tobijæ *sui* acciderat, ut
illam hæreditario jure duceret: eodémque mo-
mento reversus Tobit ingressus est domũ suam,
& Sara Reĥuëlis filia descendit e cœnaculo suo,

[k] *Græc. frater.*
[l] *Græc. ut conservem me ipsam illi uxorem.*
[12] hoc nomen Hebræum nihil aliud sonat quàm curatorem Dei fortis, i. a Deo forti missum: Quod nomen in canonicis scripturis exstare non meminimus de Angelo dictum; in Judæorum verò commentariis plurimùm. Quamobrem historiam quæ de Rephaëlis curatione dicitur, tantidem facimus quàm amatorios illos furores Aschmadæi.

CAPUT IIII.

1 DIe illo recordatus Tobit [f] pecuniæ quam
deposuerat apud Gebaĥelem Rageschi
civitate Mediæ,
2 Dixit apud se ipsum, ego postulabam mor-
tem: quid non advoco Tobijam filium meum,
ut ipsi indicem antequàm moriar? Itaque voca-
to illo dixit,
3 [g] Fili, quum mortuus fuero, sepeli me, ac ne
despicias matrem tuam: honora eam omnibus
diebus vitæ tuæ, & fac [a] quod placuerit tibi, ne-
que contristes eam.
4 Memento, fili, ipsam multa pericula [b] ex-
pertam esse propter te *latentem* in utero.
5 Quum mortua fuerit, sepeli eam apud me
in eodem sepulcro.
6 Omnibus diebus, fili, Domini Dei nostri
recordare, neque [c] voluntariè pecces, & trans-
grediaris mandata ejus; sed justitiam [d] exerce
omnibus diebus vitæ tuæ, ac ne ambules viis [e]
iniquis: nam te [f] colente veritatem prosperi suc-
cessus aderunt tuis operibus, & omnibus exer-
centibus justitiam.
7 De facultatibus tuis fac eleemosynam, ac
ne invideto oculus tuus quum facies eleemosy-
nam; ne avertas faciem tuam ab [g] ullo paupere,
& a te minimè avertetur facies Dei.
8 Prout tibi aderunt in multitudinem, faci-
to ex eis eleemosynam:
9 [h] Sin parum tibi fuerit, pro paucitate ne
metuas facere eleemosynam:
10 Thesaurum enim bonum [h] comparas tibi
ipsi [2] in diem necessitatis:
11 Nam eleemosyna a morte [3] liberat, nec
sinit *auctorem suum* ingredi in tenebras:
12 Donum enim bonum est eleemosyna om-
nibus facientibus eam, [4] coram Altissimo.
13 [i] Attentè cave tibi ipsi, fili, ab omni scor-
tatione; & [l] uxorem inprimis assume de semine
majorum tuorum, ac ne assumas uxorem extra-
ram quæ non sit de tribu patris tui, quia filii [5]
prophetarum sumus: Noachum, Abrahamum,
Jitzchakum & Jaĥakobum majores nostros [k]
olim memento, fili, omnes istos duxisse uxores
e cognatis suis, & benedictos fuisse in filiis suis,

[f] de qua suprà 1.16.
[g] *Exod.* 20.12.
[a] *Græc. placitum est.*
[b] *Græc. vidisse.*
[c] *Græc. volu peccare & trãsgredi.*
[d] *Græc. fac; sic deinceps.*
[e] *Græc. iniquitatis.*
[f] *Græc. facientes.*
[g] *Græc. omni.*
[h] *Infra vers.* 17. *Deut.* 15.
[h] *Græc. thesaurizas.*
[2] i. in illud tempus, quo rerum difficultatibus & angustiis oppressus eris, reposita erit, tamquam thesaurus beneficij tui compensatio; vide Eccles. 11.
[3] i. liberatores comparat, qui beneficiorum acceptorum memores a suis benefactoribus propulsant mortis pericula, & a tenebris, id est calamitatibus, vindicant: Nam tenebrarũ nomine adversitates, ut contra res prosperæ nomine lucis designantur.
[4] i. pio & casto animo, qui Deo acceptus est, cõferatur eleemosyna sic Matth. 6.
[i] *Græc. attende tibi.*
[l] *Exod.* 20.14.
[5] i. ex eorũ genere, quos Deus adoptavit Gratuito fœdere in Christo, ut gloriã ipsius prædicemus. Nam prophetæ in scriptura appellantur non tantùm qui res futuras prædicunt, sed etiam quicunq; spiritu Dei acti fedus ipsius profitentur, & gloriã prædicant: ut Gen. 20.7. & Psal. 105.15. [k] *Græc. a seculo memento fili, omnes istos sumsisse uxores a fratrib. suis.*

ac semen [6] ipsorum terram hæreditario jure pos-
sessurum esse.
14 Nunc etiam, fili, dilige fratres tuos, ac ne
superbè [l] fastidias cum animo tuo de fratribus
tuis, & popularibus tuis, de illis, inquam, sume-
re tibi ipsi uxorem: nam superbiæ adest perditio
multa, ac non stabilitas; & [m] arrogantiæ dimi-
nutio indigentiáque maxima: arrogantia enim
mater est famis.
15 [7] Merces omnis hominis qui operã com-
modaverit tibi apud te ne pernoctato, sed redde
ei illicò; [8] quòd si servieris Deo, reddetur tibi.
16 [l] Attẽde tibi ipsi, fili, in omnibus operibus
tuis, ut sis eruditus in tota conversatione tua;
Itaq; quod odisti nemini feceris; vinum ad ebri-
etatem ne bibas, [9] neque ambulet tecum [n] ebri-
us in via tua.
17 De [o] cibo tuo da esurienti, & nudis de ve-
stibus tuis, omnium quæ abundaverint tibi fac
eleemosynam; neque invideat oculus tuus quum
facies eleemosynam.
18 [10] Effunde cibos tuos in monimentum ju-
storum, neque des peccatoribus.
19 Consilium ab omni prudente quære, neq;
contemnas [p] unquam consilium utile.
20 Omni autem momento benedic Domino;
& ab eo postula ut viæ tuæ efficiantur rectæ, &
omnes calles tui consiliáque tua prosperè suc-
cedant. Nam [q] gens ulla non habet consilium,
sed ipse Dominus dat omnia quæ bona sunt, &
quem vult deprimit prout vult: Nunc ergo, fili,
recordare mandata mea, ac ne deleantur ex [r]
animo tuo.
21 Jam verò indico tibi decem talenta ar-
genti *esse*, quæ deposui apud Gebaĥelem filium
Gobrajæ Rageschi Mediæ; neq; propterea me-
tuas, fili, quòd pauperes facti sumus; sunt tibi
multa, si timeas Deum, & desistens ab omni pec-
cato feceris quæ [s] placent ipsi.

[6] nempe æquè mulierum ac virorum; ac proinde ex utroq; hõ esse promissiones factas.
[l] *Græc. superbias in corde tuo a fratribus, & filiis filiabúsque populi tui.*
[m] *Græc. agrestis natura.* *Proverb.* 11.2. *Levit.* 19.13.
[7] contextus græcus omnino ita distinguendus est.
[8] quasi dicat, penes Deum solum esto facultas retinendi mercedem, apud quem certissimè est reposita: quamobrem illi servito fide, &c.
[9] i. ne consectator cum isto hominum genere.
[n] *Græc. ebrietas; pro eo quod Hebræi dicerent, vir ebrietatis.*
[o] *Græc. pane; sic vers. sequenti.*
[10] i. benefaciendum quidem est omnibus, sed imprimis domesticis fidei, Galat. 6.10. Neque tantùm illis, sed etiam illorum posteris tamquã hæredibus ejusdem benedictionis, ut hac beneficentia ostendas virum bonum a te, & viventem coli & mortuum, ut loquitur Ruth. 1.8. Hęc autem beneficentia in virorum bonorum recordationem collata allegoricè hic exprimitur ab usitata illis temporibus forma humanitatis, qua amici singuli posteris qui parentibus orbati erãt convivia exhilarandis eis & recreandis adhibebant; de quibus vide Jir. 16.7. Est ergo [illegible] idem quod si dixisset [illegible] hypallage Rhetorũ. [p] *Græc. inanem.* [q] *Græc. omnis Hebraismus, ut sup. v. 7.* [r] *Græc. corde.* [s] *Græc. placitũ corã ipso;*

CAPUT V.

1 TUm respondens Tobija dixit, pater, faci-
am quæcunque mandasti mihi:
2 Verùm quomodo potero recipere pecuni-
am illam, quum non cognoscam eum?
3 Itaq; dedit ei *pater* chirographũ, & dixit ei,
4 Conquire tibi ipsi aliquem, qui dum vivo
proficiscatur tecum, & dabo ei mercedem; ita
profectus pecuniam illam recipe.
5 Abiens igitur ad conquirendum aliquem
invenit Rephaëlem, qui
6 Erat Angelus, sed nesciebat *Tobija*:
7 Et dixit ei, an posses proficisci mecum in
civitatem Mediæ Rageschum?
8 Et an peritus es locorum illorum?
9 Cui dixit Angelus, sum profecturus te-
cum, & apud Gebaĥelem [a] agnatum nostrum
commoratus sum.
10 Dixit verò ei Tobija, exspecta me, ut di-
cam patri meo: qui dixit ei, abi, ac ne tardes.
11 Ingressus itaque dixit patri, ecce inveni
qui proficiscatur mecum: edicente autem patre,
voca illum ad me, ut cognoscam, ex qua tribu sit,
& an certus *homo* sit ad proficiscendum tecum,
vocavit eum:

[a] *Græc. fratrem.*

12 Quúmque

12 Quúmque venisset intrò, salutarunt alter
alterum:
13 Et dixit ei Tobit, frater, ex qua tribu, & ex
qua familia es tu? Indica mihi.
14 Quo dicente ei, túne tribum & familiam
quæris, an mercenarium, qui proficiscatur cum
filio tuo? dixit illi Tobit, [b] cupio, frater, cognos-
cere genus & nomen tuum.
15 Dixit verò ille, [1] ego sum Hazarja *nomine*,
genere verò filius Chananjæ illius magni & fra-
tris tui.
16 Tum dixit Tobit, [c] prosperè adveneris,
frater:
17 Sed ne irascaris mihi, quòd quæsivi tribum
tuam, & familiam tuam cognoscere.
18 Tu verò agnatus meus es ex [d] optimo ge-
nere: Novi enim Chananjam, & Jonathanem fi-
lios Schemahjæ illius magni:
19 Ut qui iverimus [e] und Jeruschalaima ado-
raturi, [2] afferentes primogenita *animalia* deci-
másque fœtuum:
20 Et ipsos *novi* non seductos esse errore fra-
trum nostrorum.
21 Ex [f] stirpe magna es, mi frater, sed dic
quam tibi mercedem daturus sim, drachmam in
diem *spondeo*, & quæ erunt opus, ut etiam filio
meo; etsi ampliùs adjecturus sum tibi ad merce-
dem hanc, si incolumes reversi fueritis.
22 Atque hoc modo inter ipsos convenit.
23 Tum edixit Tobijæ, [g] compara te ad iter
istud, & itinere prospero utimini.
24 Paravítque filius, quæ ad iter illud *pertine-
bant*; cui dixit pater illius, proficiscere cum ho-
mine hoc: qui autem in cælo habitat Deus, pro-
speret iter vestrum, & Angelus Dei proficiscatur
vobiscum.
25 Itaque egressi sunt ambo ut proficisce-
rentur, & [3] canis filii comitatus est eos. Fle-
vit autem Channa mater ejus, & dixit Tobito,
quid emisisti filium nostrũ? nónne scipio manus
nostræ est, [h] res nostras agens arbitratu nostro?
26 [4] Utinam argentum [5] huic argento non
antecessisset, sed [6] ramenta nos circumstantia
filii nostri essent.
27 Nam prout datum est nobis [i] unde viva-
mus a Domino, hoc sufficiens nobis est.
28 Dixit verò ei Tobit, ne curam habeas so-
ror; incolumis veniet, & oculi tui videbunt eum:
29 Angelus enim bonus proficiscetur cum eo,
& prosperabitur iter ejus, revertetúrque incolu-
mis: ita clamare destitit.

[b] *Gr. volo.*
[1] Hunc locum in contextu Græco corruptum esse, tum ipsa Tobiti quæstio, tum series historiæ evincit manifestissimè. Quamobrem ex verbis Hieronymi, & sequentium comparatione ita restituimus. Nam hic se Hazarjam nominat, non Hazarjæ filium Angelus; atque ita deinceps appellatur. Hoc autem mendacium est, quod neque Deus, neque veri ipsius angeli in Canonicis libris leguntur usi; quod mendacium ut excusemus, non magnopere putamus esse laborandum; quia (ut multæ rationes hinc inde comportentur) mendacium est mendacium, a Deo & ab electis ejus Angelis alienissimum.
[c] *Gr. salvus.*
[d] *Gr. Pulcro & bono: Hellenismus: sic infrà* 7. 7.
[e] *Gr. communiter, ut infrà* 9. 8.
[2] vide suprà 1. 6.
[f] *Gr. radice.*
[g] *Gr. paratus efficitor.*
[3] cujus fit mentio propter historiam capitis 11.
[h] *Græ. in eo quòd ingrediebatur ille, ac egrediebatur coram nobis*, Hebraism. ut *Num.* 27. 17.
[4] sensus est, quē non incommodè expressit Hieronymus, utinam numquam fuisset pecunia ista pro qua misisti eum, nec alia tibi antehac pecunia adfuisset, quàm hæc quæ nobis præsens est: Nam etsi præsens hæc pecunia nostra vix digna est, quæ cum ramentis facultatum quas prius habebamus, comparetur, tamen filio nostro futura fuisset satis, quæ nobis satis est. [5] id est, præsenti pecuniæ nostræ, quam hîc habemus. [6] id est, tennes hæ facultates nostræ, quas tamquam ramenta tergendo radendóq; ægrè corrasimus. Hunc locum ut ita interpretemur, tum Græca verba effecerunt, tum versus sequentis ratio. [i] *Græc. vivere.*

CAPUT VI.

1 ILli autem profecti eo itinere, venerunt ve-
spere ad [1] Tigrim fluvium, ubi commorati
sunt.
2 Quúmque filius loturus descendisset, ex-
siluit piscis ex eo fluvio,
3 Qui volebat devorare filium.
4 Dixit verò Angelus illi, prehende piscem
istum.
5 Itaque firmè prehendens piscem illum fi-
lius projecit eum in terram:
6 Dixítq; ei Angelus, disseca piscem istum,
& excipiens cor hepárque & fel, repone ea tutò.
7 Fecit ergo filius ut dixerat ipsi Angelus;
piscem verò assatum comederunt, perrexerúnt-
que ambo, donec appropinquarent ad Ecbatana.
8 Quúmque dixisset filius Angelo, Hazarja
frater, [a] quid sibi volunt cor istud, & hepar, ac fel
istius piscis?
9 Dixit ei, [2] cor & hepar istud, si quem tur-
bet dæmonium aut spiritus malus, ea adole co-
ram viro aut muliere illa, ac nullimè turbabitur
ampliùs.
10 Felle inunge hominem qui habet albugi-
nes in oculis suis, ita curabitur.
11 Quum autem ad Rageschum appropin-
quassent,
12 Dixit Angelus ille filio, frater, hodie com-
moraturi sumus apud Rehuelem, qui idem est cog-
natus tuus: est autem ei filia unigenita, nomine
Sara: loquar de ea ut detur tibi illa in uxorem.
13 Nam tibi accidit jus hæreditatis illius,
quia tu solus es ex genere illius: puella autem
pulcra & prudens est.
14 Nunc ergo ausculta mihi, & compellabo
patrem illius, quúmque revertemur Rageschο,
[b] celebrabimus nuptias: Nam scio Rehuelem mi-
nimè daturum esse illam viro alteri, secundum
legem Moschis; neque [c] sibi comparaturum
mortem: quia tibi convenit ut hæreditatem per-
cipias, potiùs quàm ulli homini *alteri*.
15 Tunc dixit filius Angelo, Hazarja frater,
audivi ego puellam septem viris fuisse traditam,
& omnes in thalamo ipso periisse:
16 Nunc autem ego unicus sum patri, & me-
tuo ne ingressus moriar, ut etiam priores illi, quia
dæmonium diligit eam, id quod neminem inju-
ria afficiat præter eos qui accedunt ipsam: Nunc,
inquam, metuo ne moriar, & deducam vitam pa-
tris mei, & matris meæ ex dolore [d] mea causa
percepto in sepulcrum ipsorum: Filius autem al-
ter non est ipsis, qui sepeliat ipsos.
17 Dixit verò ei Angelus, annon meministi
sermonum quos præcepit tibi pater, ut assume-
res uxorem de gente tua?
18 Nunc ergo ausculta mihi frater, nam [e] tua
erit uxor, illius verò dæmonii nullam rationem
habe:
19 Nam hac ipsa nocte tradetur tibi illa in
uxorem: quum autem ingressus fueris thalamũ,
si accipiens cinerem [3] thymiamatum imposueris
de corde istius piscis & hepate, atque adoleve-
ris,
20 Quum odoratum fuerit Dæmonium, fu-
giet; neque ampliùs revertetur ut impetum fa-
ciat [f] in sempiternum.
21 Sed quando eris congressurus cum ea, ex-
surgite ambo, & inclamate Deum misericor-
dem, qui misertus conservabit vos.
22 Ne metuas; nam illa tibi [g] jam olim erat
præparata, & tu illam [4] servabis, ac proficiscetur
tecum: etiam præcipio *animo* tibi fore ex ea li-
beros.
23 Quúmque Tobija audivisset ista, dilexit
eam, & animus ipsius adhæsit ei pervalde: sic ve-
nerunt Ecbatana.

[1] Tigris enim anfractuosus est, & ventrem facit amplissimum Adiabenen versus, quâ faciendum est iter Niniveve petentibus Ecbatana.
[a] *Græc. quid est.*
[2] consilium non divinum aut cæleste, sed planè magicum, ut partim doctrina Democriti, quæ apud Plinium habetur, partimque impura Judæorum traditione possumus confirmare, qui harum nugarum doctores sunt alii, & inter se quoque exercitores superstitiosissimi, ut ipsorum libri usuales (ut ita vocem) ostendunt. Quamobrem cum argumento hoc, tum multis aliis adducor, ut Judæum aliquem rhapsodum fuisse hujus libri consarcinatorem putem.
[b] *Græc. faciemus.*
[c] *Græc. formidare ...*
[d] *Græc. de me.*
[e] *Græc. tibi erit in uxorem.*
[3] nempe eorum quibus tu ex legis analogia respicere uteris in tuis precibus: Nam thymiamata ut significant precŭ conjuncta erant precibus, ut interpretatur David Psalm. 141. 2.
[f] *Græc. in seculum seculi.*
[g] *Græc. a seculo.*
[4] ut Ephes. 5. 23.

CAPUT VII.

1 ADvenerunt itaque ad domum Rehuelis;
Sara autem obviam facta illis salutavit
illos; & illi *resalutarunt* eam.
2 Postea introduxit illos domum, dixitque

Rehuel

Rešuel Hednæ uxori suæ, quàm similis est ado-
lescens iste Tobito cognato meo!
3 Rogavítque eos Rešuel, unde estis, fra-
tres?
4 Qui dixerunt ei, e filiis Naphthali, qui
captivi sunt Nineves.
5 Dixítque illis, nostis Tobitum [a] cogna-
tum meum? Qui dixerunt, novimus.
6 Dicente autem illo, valétne? dixerunt
ipsi, & vivit & valet; dixítque Tobija, pater me-
us est.
7 Tum exsiliens Rešuel, & osculatus eum
flevit, & benedixit ei, dicens ei, [b] optimi viri filius
es. Audiens verò Tobitum amisisse oculos suos,
dolore affectus est, & flevit.
8 Hedna quoque uxor ipsius & Sara filia ip-
sius fleverunt.
9 Posteà excipientes eos studiosè mactâ-
runt arietem [c] subrumum, apposuerúntque ciba-
ria multa: dixit verò Tobija Rephaëli, Hazarja
frater, loquere de iis quæ dicebas in itinere, ut
perficiatur negotium: ita communicavit [d] rem
cum Rešuele.
10 Tum dixit Rešuel Tobijæ, comede & bi-
be, & [e] age hilariter: tibi convenit filiam meam
ducere:
11 Verum tamen indicabo tibi veritatem; de-
di filiam meam septem viris, & quando congres-
suri erant cum ea, mortui sunt de nocte: sed in
præsentia hilariter age.
12 Dixit verò Tobija, non gustabo quicquam
hîc donec [1] adstantes constitueritis mecum. Ita-
que dixit Rešuel, [f] accipito illam jam ex jure: tu
agnatus es illius, & illa *vicissim* tua.
13 Misericors autem Deus [g] prosperet vos
rebus optimis.
14 Quum autem vocâsset Saram filiam su-
am, venit ad patrem suum;
15 Qui prehendens manum illius [2] tradidit
illam Tobijæ uxorem dicens, ecce secundum
legem Moschis accipe illam, & abduc ad pa-
trem tuum; & benedixit eis.
16 Deinde vocavit Hednam uxorem suam,
& accipiens libellum scripsit [h] instrumentum
conventionis, atque obsignavit.
17 Tum [3] cœperunt edere.
18 Posteà vocavit Rešuel Hednam uxorem
suam, & dixit ei, soror [4] præpara alterum cubi-
culum, & introduc eam;
19 Quæ fecit prout dixerat, & introducens
eam illuc flevit, [i] mutuásque lacrymas accepit
filiæ suæ:
20 Dixítque ei, bono animo esto filia; Domi-
nus cæli & terræ det tibi lætitiam pro tristitia
hac tua: Bono animo esto, ô filia.

[a] *Græc. fratrem: sic deinceps.*
[b] *Græc. pulcri mei & boni homi-nis: ut sup. 5. 18.*
[c] *Græc. ovicum, Hebraismum.*
[d] *Græc. sermo-nem: Hebraismum.*
[e] *Græc. suaviter efficere.*
[1] Nempe tu & uxor, & si qui sunt alii, ad quos hujus connubii cognitio perti-nebit.
[f] *Græc. exporta illam ex nunc, se-cundùm judicium.*
[g] *Græc. prospe-rum successum det vobis optimo-rum.*
[2] ex prisco ma-trimoniorum ritu.
[h] *Græc. syngra-pham.*
[3] sic enim Tobi-ja dixerat suprà versu 12.
[4] sponsæ enim priores in thala-mo jugali a ma-tribus familiâs honestè collo-cabantur, an-te adventum viri: Qua ratio-ne factum est, ut falleretur Jaha-kob Gen. 29. 23.
[i] *Græc. & recepit lacrymas: phrasis elegantissima.*

CAPUT VIII.

1 Quum autem absolvissent cœnare, [1] in-
troduxerunt Tobijam ad illam:
2 Qui adiens meminit [a] verborum Re-
phaëlis, acceptóque cinere thymiamatum im-
positum cor illius piscis, & hepar adolevit:
3 Quem odorem quando sensit dæmonium,
abiit in [3] *partes* superiores Ægypti, & ligavit eum
Angelus.
4 Conclusis autem duobus illis simul ascen-
dit Tobija in lectum, & dixit, surge soror, pre-
cemúrque, ut misericordiam faciat nobis Do-
minus.
5 Itaque cœpit Tobija dicere, benedictus
es, ô Deus majorum nostrorum, & benedictum
nomen tuum sanctum, gloriosúmque in secula:
benedicant tibi cæli, & omnes res creatæ tuæ.
6 Tu fecisti Adamum, & dedisti ei adjumen-
tum Chavam, firmamentum uxorem ipsius, e
quibus factum est hominum [a] genus; tu dixisti
non esse bonum ut sit homo solus, faciamus ipsi
adjumentum simile ipsi.
7 Nunc autem, Domine, non ad scortatio-
nem accipio sororem meam hanc, sed [4] ex ve-
ritate.
8 Præcipe misertus mei ut cum hac conse-
nescam: quæ dixit cum eo, Amen. Ita cubuerunt
ambo ea nocte.
9 Surgens autem Rešuel abiit, effodítque
sepulcrũ dicens, nónne hic etiã mortuus fuerit?
10 Et veniens Rešuel domum suam, dixit
Hednæ uxori suæ,
11 Mitte unam ancillarum quæ videat an vi-
vit: sin minus, [5] *renuncies*, ut sepeliam eum, & ne-
mo noverit.
12 Tum veniens ancilla quum aperuisset ja-
nuam, invenit duos ipsos dormientes;
13 Egressáque renunciavit eis illum vivere.
14 Itaque benedixit Rešuel Deo, dicens, be-
nedictus es, ô Deus, omni benedictione pura,
& sancta, & benedicant tibi omnes sancti tui,
omnésque res creatæ tuæ, benedicant, inquam,
tibi omnes angeli tui & electi tui in omnia secu-
la: benedictus es quòd exhilaraveris me, ac non
fuerit factum mihi prout animo præceperam,
sed pro multa misericordia tua [b] te gesseris er-
ga nos.
15 Benedictus *es* quòd duorum unigenito-
rum misertus sis: fac eis Domine misericordi-
am, [c] fac ut percurrant vitam suam incolumes
cum lætitia, & misericordia.
16 Jussitq; famulis ut obruerent sepulcrum.
17 Posteà exhibuit eis nuptiale convivium
dierum [d] quatuordecim; dixítque ei Rešuel an-
te quàm absolverentur dies nuptiales adhibito
juramento, eum non egressurum esse, donec
completi essent illi quatuordecim dies nuptia-
les convivii:
18 Tum verò accepto dimidio facultatum
ejus abiturum incolumem ad patrem: reliquo ve-
rò, *inquit, accipies* quum mortui fuerimus ego &
uxor mea.

[1] Nempe Rešu-el & Hedna uxor, pro eo ritu quem superiore capite attigi-mus.
[2] de quibus vi-de sup. 6. 8.
[3] id est, Monta-na illa, quibus Aegyptus a Li-bya dirimitur. Fabulosum ar-gumentum, ut in 6. caput docui-mus.
[a] *Græc. semen.*
[4] id est, ex verbo tuo, & lege, quæ lex veritatis est.
[5] ellipsis fre-quens quam ex vers. 16. implevi-mus.
[b] *Græc. feceris nobiscum.*
[c] *Græc. eorum vitam perfice.*
[d] nempe septe-nûm dierum in sposum & spon-sam unigenitos, ut dixerat suprà vers. 15. alioqui septemdialia e-rant nuptiarum convivia, Genes. 29. 27. & Judic. 14. 15. & sequen-tibus, & infrà 11. 20.

CAPUT IX.

1 Tum vocans Tobija Rephaëlem.
2 Dixit ei, Hazarja frater,
3 Accipe tecum puerum & duos camelos,
ac proficiscere Rageschum Mediæ ad Gebašie-
lem, & referens ad me pecuniam illam, ipsum
adduc ad nuptias: quandoquidem juravit Re-
šuel, me non egressurum esse:
4 Nam pater meus numerat hos dies:
5 Quòd si tardavero multùm, dolebit ad-
modum.
6 Ita profectus Rephaël commoratus est a-
pud Gebašielem, & exhibuit illi [1] chirographum
ipsum:
7 Ille verò afferens loculos ipsos cum sigil-
lis, vicissim tradidit ei.
8 Posteà manè surgentes, [2] simul venerunt
ad nuptias, [a] & benedixit Gebašiel Tobijæ & uxo-
ri ejus.

[1] Nempe quo Tobito pecuni-am deponenti depositarius ca-verat se aut ipsi Tobito, aut alte-ri mandatario ipsius redditu-rum qui exhibu-erit chirogra-phum: ut sup. 5. 3.
[a] *Græc. commu-niter: ut sup. 5. 19.*
[2] sic contextum Græcum visum est emendare, tum ex rei natu-ra, tum ex Hiero-nymi ipsius te-stimonio.

CAPUT X.

1 Pater autem illius Tobit supputabat uno-
quoque die: quumque impleti essent dies
profectionis,

professionis, nec venissent illi, dicebat Tobit;
an fortè [1] confusus est?
2 An fortè mortuus est Gebahel, ut nemo
illi reddat pecuniam istam?
3 Et contristabatur valde: dicebat verò illi
uxor, periit puer, quandoquidem tardavit.
4 Cœpitque ea lugere ipsum dicens;
5 [2] Eheu, pœnitet me fili, quòd dimiserim
te, lucem oculorum meorum.
6 Cui dixit Tobit, tace, ne curam habeas,
incolumis est.
7 Sed dicebat illa ei, tace, ne fallas me, peri-
it puer meus, & abibat quotidie in viam foras,
quà discesserant.
8 Interdiu autem [a] cibum non capiebat, no-
ctes verò totas non desinebat lamentari Tobi-
jam filium suum.
9 Tantisper dum absoluti essent dies quatu-
ordecim nuptiarum, quos juraverat Rehuel eum
illic [b] consumturum esse.
10 Dixit autem Tobija Rehueli, dimitte me,
nam pater meus & mater mea non amplius spe-
rant visuros esse me.
11 Cui dixit ipsius socer, mane apud me, &
ego mittam ad patrem tuum, qui significent ipsi
[c] res tuas. Sed Tobija dixit, nequaquam; verùm
dimitte me ad patrem meum. surgens itaq; Re-
huel dedit ipsi Saram uxorem ipsius cum dimi-
dio facultatum, [3] corporibus, jumentisque, & pe-
cunia.
12 Et benedicens eis dimisit eos, dicendo,
prosperum successum det vobis Deus, ô nati, De-
us cæli, antequàm moriar: dixit verò filiæ suæ,
honora [4] soceros tuos: illi nunc parentes tui
sunt: audiam de te [d] sermonem bonum; & oscu-
latus est eam.
13 Hedna autem dixit Tobijæ, frater care,
constituat te Dominus cæli; & det mihi ut vide-
am liberos tuos ex Sara filia mea, ut exhilarer
coram Domino. Ecce autem depono apud te fi-
liam meam in depositum: ne ergo contristes e-
am. posteà abiit etiam Tobija benedicens Deo,
qui prosperaverat viam suam, quum benedixis-
set Rehueli, & Hednæ uxori ejus.

[1] i. lusit operam, & cõsumsit frustra; nempe ea ratione quam exponit Tobit versu sequenti, bonus vir bene de Gebahele cogitans.

[2] non dubium est cùm ex Hieronymi interpretatione, tum ex rei ipsius argumento, quin verba Græca corrupta sint. Est enim οἱ pro οὐ legendum, qua mutatione facta totus locus est evidentissimus.

[a] Græc. panem non comedebant. Hebraismus.

[b] Græc. facturum.

[c] Græc. ea quæ de te sunt.

[3] nempe humanis, id est, mancipiis κατ' ἐξοχήν.

[4] i. socerum & socrum. Hebraismus.

[d] Græc. auditionem.

CAPUT XI.

1 Quum autem profectus esset donec ap-
propinquarent ipsi ad Nineven,
2 Dixit Rephaël Tobijæ, nosti frater, ut di-
miseris patrem tuum:
3 Præcurramus ante uxorem tuam, ut com-
paremus domum:
4 Et accipe ad manum istud fel piscis.
5 Ita processerunt, & unà abiit canis [1] se-
quutus eos.
6 Channa autem sedebat circumspiciens
pro filio suo in via, & animadvertens eum veni-
entem dixit patri ejus:
7 Ecce filius tuus advenit, & vir ille qui erat
profectus cum eo, & dixit Rephaël, scio ego, To-
bija, aperturum oculos suos patrem tuum esse:
8 Tu itaque inunge felle hoc oculos ipsius,
nam [2] mordicatus exteret abjiciétque albugi-
nes, & videbit te.
9 Accurrens verò Channa [a] irruit in collum
filii sui, & dixit ei, videam te fili, deinceps mori-
ar; fleveruntque ambo.
10 Tobit quoque exibat ad januam; sed im-
pegit: filius autem ejus accurrit ad eum, & pre-
hendens patrem suum inspersit fel illud oculis
patris sui, dicens, [b] bono animo esto pater; ut
autem mordicati sunt, extrivit oculos suos, & [3]
desquamatæ sunt de angulis oculorum ejus al-
bugines.
11 Ita videns filium suum irruit in collum e-
jus & flevit:
12 Deinde dixit, Benedictus es, ô Deus,
13 Et benedictum nomen tuum in secula:
14 [4] Et benedicant tibi omnes sancti tui An-
geli, quia flagellasti, & misericordia usus es:
15 Nam ecce video Tobijam filium meum.
16 Itaque ingressus est filius ejus gaudens,
17 Et renunciavit patri suo res illas magnas,
quæ factæ fuerant in Media.
18 Tum egressus est Tobit [c] obviam nurui suæ
gaudens & benedicens Deo, ad portam Nive-
nes, & mirantibus iis qui contemplabantur ip-
sum incedentem, eò quòd recepisset visum, To-
bit profitebatur coram omnibus misertum ipsi-
us fuisse Deum; quumque appropinquasset To-
bit ad Saram nurum suam, benedixit ei dicens,
[d] prosperè advenerit filia; benedictus sit Deus
qui adduxit te ad nos, & pater tuus, ac mater
tua; fuitque lætitia omnibus qui erant Nineves,
[e] cognatis ejus.
19 Adfuit enim [5] Achikar, & Nitzba filius
fratris ejus,
20 Et agitatæ sunt nuptiæ Tobijæ [f] hilariter
diebus [g] septem.

[1] Inde a profectione, ut dictum est suprà 5. 25. nam hoc præeunte signo intelligitur Channa e longinquo Tobijam filium agnovisse.

[2] illiti fellis acrimonia.

[a] Græc. incidit, sic infrà vers. 11.

[b] Græc. aude.

[3] id est, pelliculæ squamis similes ex oculis ipsius exciderunt.

[4] ad verbum sic habetur, & benedicti omnes sancti Angeli tui. Sed quorsum hoc ad agendas de curatione gratias? Quamobrem ego sic legendum sentio ut reposuimus, aut certè intelligendum passivum verbum ex Atticorum usu.

[c] Græc. in occursum nurus.

[d] Græc. incolumis.

[e] Græc. fratribus.

[5] de quo suprà 1. 24. Hunc autem locum sic legendum suspicor, [illegible] (sic Græci legunt) Nasbas, proco quod est, Achikar qui etiam appellabatur Nitzba, quasi dicas præfectus, sive procurator, & gestor negotiorum regis, quod significatur appellatione Nitzba. [f] Græc. cum lætitia. [g] vide suprà 8. 17.

CAPUT XII.

1 Posteà advocans Tobit Tobijam filium
dixit ei, vide fili ut des mercedem homi-
ni huic, qui profecturus est tecum: etiam ampliùs
ei oportet addere.
2 Cui dixit Tobija, pater [a] non esset mihi
grave dare ipsi dimidium eorum quæ attuli,
3 Quia me reduxit ad te incolumem, &
uxorem meam curavit, & pecuniam meam at-
tulit, denique te curavit consimiliter; dixitque
senex, justè fiet si dabitur ei.
4 Et [1] accersens Angelum dixit ei:
5 Accipe dimidium eorum quæ attulistis,
6 Ita discede incolumis.
7 Tum *Angelus* vocans duos ipsos clàm, dix-
it eis, benedicite Deo, eúmque celebrate, &
amplitudinem [b] tribuite ei; celebrate, inquam,
coram omnibus viventibus, pro iis rebus quas
fecit erga vos; bonum est benedicere Deo, &
efferre nomen ejus, [c] res a Deo gestas honori-
ficè ostendendo, ac ne pigremini celebrare ip-
sum.
8 Arcanum enim regis bonum est occulta-
re, opera autem Dei revelare gloriosum; bonum
facite, & malum non assequetur vos.
9 Bona res est oratio cum jejunio, miseri-
cordiáque, & justitia: melius est parum cum ju-
stitia, quàm multum cum injustitia: melius ex-
ercere misericordiam, quàm auri thesauros cõ-
portare. misericordia enim ex morte liberat, &
ipsa expurgat omne peccatum. qui [d] exercent
misericordiam & justitiam omnimodam, imple-
buntur vita:
10 Qui autem peccant, hostes sunt suæ ipso-
rum vitæ.
11 Minimè occulturus sum a vobis [e] ullum
verbum, ut qui dixerim arcanum regis occulta-
re bonum esse, opera verò Dei revelare glori-
osum.

[a] Græc. non lædor dans ei.

[1] Nempe senex Tobit: quamobrem pluralis utitur sequente versu dicens, dimidium eorum quæ attulistis.

[b] Græc. date.

[c] Græc. sermones Dei: Hebraismus.

[d] Græc. facientes misericordias et justitias.

[e] Græc. [illegible]

12 Jam

12 Jam itaque quando orabas tu & sponsâ
tua Sara, [2] ego afferebam monimentum oratio-
nis vestræ coram sancto;
13 [3] Et quando sepeliebas mortuos, similiter
aderam unà tibi; & quando non dubitabas sur-
gere ac relinquere prandium tuum ut profectus
circumtegeres mortuum, [f] non erat ignotum
mihi benefactum tuum, sed tecum eram.
14 Nunc ergo emisit me Deus ad curandum
te, & sponsam tuam Saram.
15 Ego sum Rephaël, unus [4] ex septem Ange-
lis illis sanctis qui referunt preces sanctorum, &
egrediuntur coram gloria sancti.
16 Ipsis autem duobus turbatis, & prociden-
tibus in faciem, quia metuebant,
17 Dixit, ne metuite, pax enim vobis futura
est:
18 Verùm Deo benedicite; quia non mea ip-
sius gratia, sed voluntate Dei nostri veni; quam-
obrem benedicite ei in secula.
19 [g] Quotidie spectabar a vobis, ac non co-
medebam, neque bibebam; sed visum vos con-
templabamini.
20 Nunc autem celebrate Deum, quia ascen-
do ad eum qui miserat me; & scribite omnia quæ
confecta sunt in libro.
21 Tum [5] surrexerunt; quúmq; ampliùs [6] non
viderent eum, celebraverũt opera magna adeó-
que mirabilia Dei.

[2] possent quidem hæc verba de Christo accipi, qui Angelus est æterni nostri cum Deo foederis, ut Justinus Martyr contra Tryphonem, & plerique patrum multos veteris Testamenti locos sanctè de Christo interpretati sunt. Sed quum sequentia omnia circumspicimus, hæc omnia (ut pleraque hujus argumenti) deputamus fabulę; neque laboramus, ut auctorem hunc (qui dogmata non pauca corrasit ex Judæorum fæce) ampliùs hoc loco quàm in aliis excusemus: alioqui nusquam scriptura istud officium Angelis tribuit, sed Christo soli vindicat.

[3] apostrophe ad Tobitum, ut ad Tobijam sermonẽ convertit in fine sequentis versus. [f] *Græc. non latebas me benefaciens.* [4] si unus hic locus exstaret ad revincendam libri istius impuritatem, mihi quidem satis futurus esset; nihil enim profectò in toto orbe terrarum magicum dici potest, aut hoc ex principiis magiæ petitum est, quorum doctores primarii ex India & Bactriana profecti cum Judæis suum virus communicaverunt: Nam statuunt illi Angelos horarios, diarios, & alios cæli regionibus attributos, principes, ministros, &c. ex quibus Zoroastres Bactrianus, Menastor Indus, & alii scelerum concinnatores suas magiæ observationes elaboraverunt. Atqui hoc quidem vitio Judæos fuisse non mediocriter inquinatos, ostendit Epiphanius tomo 1. sui Panarii, ubi de Pharisæis agit; & ipsorum quoque libri, diurnæque observationes testantur, quibus diem Solis Rephaëli, diem Lunæ Gabrieli, diem Martis Sammaëli, diem Mercurii Micaëli, diem Jovis Tzidkieli, diem Veneris Hanaëli, diem Sabbathi Kepharjeli tribuunt, eósque dominos statuunt totius administrationis in diem illum necessariæ. Quamobrem ita statuimus, qui ex hoc libro veritatem petunt, aut se confirmaturos putant, eos perinde facere, atque si molem gravissimam statuminare velint arundine. [g] *Græc. omnibus diebus.* [5] e terra, in quam prociderant. [6] ut ascendendo ex oculis ipsorum disparuerat.

CAPUT XIII.

1 POstquam ergo apparuisset ipsis Angelus
Domini, Tobit scripsit orationem ad ex-
sultationem, dicens,
2 Benedictus *sit* Deus vivus in secula, & reg-
num ipsius, quia ipse flagellat miseretúrque, de-
ducit ad inferos & reducit, neque est qui effugiat
manum ipsius.
3 Celebrate eum filii Jisraëlis coram gen-
tibus, quandoquidem ipse disseminavit nos in
eis; ibi ostendite amplitudinem ejus, & exaltate
ipsum coram omni vivente, quandoquidem ipse
dominus noster est, & Deus ipse pater noster in
omnia secula.
4 Si flagellabit nos propter injusta facta no-
stra, at rursum miserebitur, & congregabit nos
ex omnibus gentibus, in quibus nos dissemina-
verit: si quidem convertimini ad ipsum toto cor-
de vestro, & toto animo vestro ad exercendam
coram ipso veritatem, tunc convertetur ad vos,
& minimè abscondet faciem suam a vobis, sed
contemplabimini quæ facturus est erga vos.
5 Celebrate igitur eum toto ore vestro, &
benedicite Domino [a] potentissimo, atque exal-
tate regem seculorum.

[a] *Græc. potentia.*

6 Ego in terra captivitatis meæ celebro
eum, & indico robur ac amplitudinem ejus genti
peccatrici.
7 Quis novit utrum [b] benevolè sit accep-
turus nos, & facturus misericordiam nobis?
8 Deum meum exalto, & animus meus re-
gem cæli, qui exsultabit de amplitudine ejus.
9 Dicant omnes, & celebrent eum [c] justè.
10 Jeruschalaima civitas sancta, flagellabit
quidem te propter opera filiorum tuorum; sed
rursum misericordiam faciet filiis justorum:
11 Celebra Dominum, quoniam bonus *est*, &
benedic regi seculorum, ut rursum tabernacu-
lum ejus exstruatur in te cum lætitia,
12 Et exhilaret in te captivos tuos, idque di-
ligendo in te miseros in omnes generationes se-
culi.
13 Gentes multæ e longinquo venient ad
nomen Domini Dei, dona in manibus haben-
tes; dona regi cæli *offerendo*; [d] generationes om-
nes laudabunt te, & dabunt [e] exsultationis mu-
nera.
14 Maledicti omnes qui oderunt te, benedi-
cti erunt omnes qui diligunt te in seculum.
15 Lætare & exsulta, [f] propterea quòd filii
justorum congregabuntur, & benedicent Domi-
no justorum *dicentes*,
16 O beatos qui diligunt te, lætabuntur de
tua [g] prosperitate; beatos qui contristati sunt
pro omnibus flagellis tuis; quia de te lætabuntur
contemplantes omnem gloriam tuam, & gaude-
bunt in seculum.
17 Anima mea benedicat Deo regi magno:
18. Quia exstruentur Jerùschalaima sapphi-
ro, & smaragdo, ac lapide precioso;
19 Muri tui, turrésque, ac præmunitiones
ipsæ auro puro;
20 Et platea Jeruschalaimorum beryllo, &
carbunculo, lapillísque [h] insitis ophirino tessel-
labuntur; dicéntque omnes, *incolæ* vicorum *civi-
tatis* illius, Halleluja; & laudabunt dicentes,
21 Benedictus Deus, qui exaltavit *nos*, *in* om-
nia secula.

[b] *Græc. volet nos.*
[c] *Græc. in justitia*
[d] *Græc. generationes generationum.*
[e] *Græc. exsultationem: metonymia.*
[f] *Græc. propter filios justorum, quòd congregabuntur: trajectio.*
[g] *Græc. pace.*
[h] *ex ophirino.*

CAPUT XIIII.

1 POsteà cessavit celebrare Tobit.
2 Erat autem annorum quinquaginta-
octo,
3 Quando amisit [1] oculos; post annos verò
octo recepit visum,
4 Et fecit [a] opera misericordiæ,
5 Perrexítque timere dominum Deum, &
celebrare ipsum.
6 Plurimùm autem quum senuisset, vocavit
filium suum cum sex [b] nepotibus suis, & dixit ei,
fili accipe filios tuos (ecce consenui, & jam
[c] propè est ut excurram ex hac vita) abi in Me-
diam, fili, quia persuasus sum de iis omnibus quæ
dixit [2] Jona propheta de Nineve, ipsam eversum
iri (in Media verò plus erit pacis ad tempus) &
fratres nostros qui [3] in ipsa terra sunt dispersum
iri ex optima illa terra, & Jeruschalaima fore
deserta, domúmque Dei illic exustum iri, deser-
támque fore ad tempus usque:
7 Sed iterum misert urum ipsorum Deum, &
reducturum ipsos in terram illam, ubi ędificaturi
sunt domum cum priore minimè [d] comparan-
dam, donec [4] completæ sint tempestates seculi:
posteà verò reversuros ex [e] variis suæ captivita-
tis locis, & ædificaturos Jeruschalaima honorifi-
cè, domúmq; ipsam Dei illic ædificatum iri, & in

[1] i. visum oculorum: synecdoche: nam oculos quidẽ habebat; sed obtectos squamis albuginis.
[a] *Græc. misericordias.*
[b] *Græc. filiis filii sui.*
[c] *Græc. ad excurrendum ex hac vita sum.*
[2] de his Jonæ prophetiis nihil exstat; sed Nachum hoc argumento prophetavit: erratum puto.
[3] i. in Jehudæa.
[d] *Græc. non qualis prior.*
[4] usque ad illam temporum plenitudinem qua venturus erat Christus, ut vocat Apostolus ad Galat. 4.4.
[e] *Græc. captivitatibus suis.*

omnes generationes seculi ędificium gloriosum, quemadmodum loquuti sunt de eo prophetæ:

8 Et omnes gentes conversum iri [f] ex veritate ad timendum Dominũ Deum, suffossurásq; idôla sua, & benedicturas omnes gentes Domino; ac populum ejus celebraturum Deum, Dominum verò exaltaturum populum suum: ita lætabuntur omnes qui diligunt Dominum Deum, in veritate & justitia, [g] exercentes misericordiam erga fratres nostros.

9 Nunc ergo, fili, abi Nineve, quia omnino futura sunt, quæ dixit propheta Jona; tu verò observa legem & præcepta, estoq; studiosus misericordiæ, & justus, ut tibi benè sit; & sepeli me honestè, matrémq; tuam mecum, neq; ampliùs commoramini Nineves.

10 Fili, observa quid fecerit [5] Haman Achikaro, qui educaverat ipsum; quemadmodum ex luce deduxerit eum [6] in tenebras, & quantis malis compensaverit eum.

11 Ac Achikar quidem servatus est, illi verò retributio est facta, quum ille in tenebras descenderit: [7] Nitzba in misericordia [h] se occupaverat, & servatus est e laqueo mortis quem posuerant ipsi, Haman verò incidens in laqueum periit.

12 Nunc ergo, fili, vide quid misericordia faciat, & quomodo justitia liberet.

13 Hæc autem dicente illo, [i] exhalata est anima ejus in lecto, (erat autem annorum centũ quinquagintaocto) & sepelivit eũ gloriosè *filius*.

14 Quúmq; mortua esset Channa mater ipsius, sepelivit eam cum patre suo: abiit verò Tobija cum uxore sua liberisq; Ecbatana ad Rehuelem socerum suum:

15 Ubi consenuit honoratè, mortuosq; [8] soceros suos sepelivit gloriosè, hæreditatémq; percepit facultatum illorum, & Tobiti patris sui.

16 Obiit autem ipse quoque annos centum viginti septem natus, Ecbatanis Mediæ:

17 Et audivit antequàm moreretur perditionem Nineves, quam cepit [9] Nebucadnetzar & Assuerus: itaq; ante mortẽ de Nineve lætatus est.

[f] *Græc. verè.*

[g] *Græc. facientes misericordiam fratribus.*

[5] de hac historia nihil alibi legitur: videtur quidem in mortis genere ad Hamanem illum alludere, cujus historia in libro Estheræ narratur: sed si ita est, toto cælo errat.

[6] i. in conditionem obscuram miserámq;: sic deinceps.

[7] hanc vocem in contextu Gręco certissimis argumentis corruptam suspicor, neque his verbis a te præsenti discedi puto: quamobrem pro Menaschis voce quæ ibi legitur, conjicio legendum esse ὁ Νασβᾶς, ut sup. 11. 19. quo pacto evidentiam habet locus.

[h] *Græc. erat.*

[i] *Græc. defecit anima ipsius.*

[8] ut sup. 10. 12.

[9] i. Cyaxares Phraortis filius, & Astyages Medorum reges: quorum alter Nineven cepit post obsidionem gravissimam, alter captam evertit sub extremum Tobiti tempus. vide in prophetam Nachum.

ORATIO MENASCHIS REGIS JEHUDÆ.

MENASCHE *vinctus fidem suam confirmans a natura Dei confitetur peccata sua, gratiam & misericordiam petit, & votum laudis nuncupat Domino.*

1 DOMINE Deus omnipotens majorum nostrorum, Abrahami, Jitzchaki, & Jahakobi ac seminis eorum,

2 Qui fecisti cælum & terram cum toto ornatu eorum,

3 Qui obsignasti mare verbo præcipiente tuo, qui conclusisti abyssum obsignatum terribili & glorioso nomine tuo,

4 Quem omnia horrent, & contremunt a facie potente tua,

5 Quia perferri non potest majestas gloriæ tuæ, aut sustineri interminatio iræ tuæ contra peccatores,

6 Cujus promissionum immensa & impervestigabilis est misericordia, quoniam tu Domine altissimus, benignus, longanimis, & plurimùm misericors, pœnitentia duceris erga filios hominum;

7 Tu domine, qui pro amplitudine bonitatis tuæ promisisti pœnitentia te adductum iri, & remissurum iis qui peccaverint in te, & multitudine miserationum tuarum ex decreto tribuis resipiscentiam peccatoribus ad salutem:

8 Tu, inquam, Domine Deus justorum non imposuisti pœnitentiam justis Abrahamo, Jitzchako & Jahakobo, iis qui non peccaverunt contra te; sed imposuisti pœnitentiam mihi, qui sum peccator,

9 Quoniam plus peccavi quàm numerosa sit arena maris, plurimæ sunt iniquitates meæ, Domine, plurimæ sunt iniquitates meæ; nec sum dignus qui intentis oculis contuear altum cęlum præ multitudine iniquitatum mearum:

10 Incurvatus sum graviter vinculo ferreo, adeò ut non possim efferre caput meum, sed non est relaxatio mihi, quia excitavi iram tuam, faciens quod malum videtur in oculis tuis, quum non fecerim voluntatem tuam, & mandata tua non observaverim, sed statuerim abominationes, offensas multas commiserim.

11 Nunc ergo flecto genua cordis mei, exoptans a te benignitatem tuam; peccavi Domine, peccavi, & iniquitates meas agnosco.

12 Quamobrem peto & oro te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, ac ne perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus asserves mala mihi, aut damnatum adjudices me locis infimis terræ, quia tu Deus es, Deus pœnitentiæ;

13 Sed ostende in me totam bonitatẽ tuam, indignum me servando, secundùm magnam misericordiam tuam.

14 Et laudabo te semper singulis diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cælorum, & tua est gloria in sempiterna secula, Amen.

JU-

UMI

JUDITH.

JUDITH Schimhonitis, Nebucadnetzare Babylonia Rege per Holophernem potentissimarum copiarum ducem Judæam infestaturo, & Beth-choglam obsidente, ad Holophernem proficiscitur in castra; ubi freta forma suæ elegantia paucos dies intacta ab Holopherne consumens eum mendaciis decipit, & de nocte circumvento cervices præcidit ei. Quo facto, caput ad cives suos reportans consilium dat eis, quo Assyrii fusi & profligati, Jehudæi liberati sunt, nomen ipsi comparatum, & gratia cantata Domino.

CAPUT PRIMUM.

1 [1] ANno duodecimo regni Nebucadnetzaris, qui regnabat Nineves in civitate magna temporibus [2] Arpacschadi regnum tenētis Medorū Ecbatanis,

2 (Qui exstruxit Ecbatanis circumquaque muros ex lapidibus cæsis in longitudinem cubitorum ternûm, in latitudinem cubitorū senûm, faciens [a] murum altum cubitos septuaginta, & latum cubitos quinquaginta,

3 Et turres ejus imposuit portis ejus, centenûm cubitorum,

4 [b] Statuens latitudinem fundamentorum ejus in cubitos sexaginta,

5 Fecitque portas ejus portas [c] exstantes in altitudinem cubitorum septuaginta, quarum latitudo cubitorum quadragenûm fuit, [d] ut procedere possent copiæ potentes ejus, & acies instrui peditatus ejus)

6 Gessit erga bellum temporibus illis rex Nebucadnetzar contra regem Arpacschadum in planitie magna, quę planities est in finibus [3] Cragi, ad quem convenerant omnes qui incolebant montana, & omnes accolentes Euphratem, & Tigrim, & Hydaspen, & planitiem [4] Arjoci regis Elymæorum, & convenerant gentes multæ admodum [e] ex [5] Gelodeis in aciem.

7 Misit autem Nebucadnetzar rex Assyriorum ad omnes habitatores Persidis, & ad omnes habitantes occasum versus, id est, incolentes Ciliciam, & Damascum, Libanumq;, & Antilibanum, omnésque [f] accolas maris,

8 Et [6] ad [g] gentes Carmelum & Gilhadem, superiorēmq; Galilæam, & magnam planitiem [7] Chatzar-allom *incolentes*,

9 Et omnes habitantes Samariam ac civitates illius, deniq; trans Jardenem usque Jeruschalaima, & [8] Batanæam, & [9] Aulonas, & Kadeschū; & flumen Ægypti, & Daphnas, & Ramessesum, & totam regionem Goschenis,

10 Usque quà venitur ad ulteriora Taneos & Mempheos, deniq; omnes habitantes Ægyptum usque quà venitur ad fines Æthiopiæ.

11 Sed nihili fecerunt omnes habitatores regionum istarum verbum Nebucadnetzaris regis Assyriorum, neque convenerunt ad ipsum [h] bellaturi, quia non metuebant ipsum; sed [i] videbatur ipsis non majoris quàm alius quilibet, & remiserunt legatos ejus [k] re infecta ignominiosè a conspectu suo.

12 Quamobrem animatus Nebucadnetzar contra omnes regiones istas valde, juravit per thronum & regnum suum omnio se ulturum esse omnes fines Ciliciæ, & Damasci, Syriæq;, ac sublaturum gladio suo omnes habitantes in regione Moabi, & Hammonitas, & totam Judæam, omnésq; Ægyptios, usque quà venitur ad fines utriusque maris.

13 Et aciem instruxit copiarum suarum contra Arpacschadum regem anno decimoseptimo, ubi confirmatus ipse in bello suo cum omnibus curribus ipsius dominatus est civitatibus ejus,

14 Et perveniens Ecbatana usque occupavit turres, & devastavit plateas *civitatis* illius, & ornatum illius [l] exposuit opprobrio:

15 Ipsum verò Arpacschadū capiens in montanis Cragi confixit jaculis ipsius, atque profligavit eo ipso die;

16 Eoq; confecto rediit Nineven ipse [m] cum tota turba miscella sua, multitudine hominum bellatorum permagna, ubi soluto animo convivatus est ipse cum copiis suis per dies centum viginti.

[1] Historiam hancquàm variè interpretentur quicunque eam attigerunt nihil attinet dicere; tantùm tres sententias in hunc locum afferre statuimus paucis, & quid magis probemus ostendere. Ac veterū quidem sententia fuit, teste Augustino lib. 18. de civit. Dei, cap. 16. hæc ad historiam Cambysis filii Cyri Persarum regis pertinere; Arphaxadū verò esse Arbactum quendam, quo auctore (quū Cyri apud Massagetas clades audita est) Medi in regem Persarum rebellaverint: quam sententiam ex Hebræorum testimoniis confirmare volebat Beda, eò quòd Cambysen Hebræi Nebucadnetzarem alterū vocaverint: sed neque tam diu regnavit Cambyses, ut hîc dicitur, & inf. 2. 1. neque rex Assyriorum diceretur. Altera sententia est eorum qui Philonem sequuti Dario Hystaspis filio ista tribuerunt: sed ne hoc quidem probatur nobis, quia illud historiæ sacræ planè repugnaret, & præterea Nineven longo anteà tempore ab Astyage eversam fuisse confitentur historici. Quamobrem nos sententiam aliam magis amplectimur, nempe quum Nebucadnetzar commune sit regum Babyloniorum nomen, Nebucadnetzarem hîc eum appellari, quem Scriptura vocat Merodac-Baladanem, avum Nebucadnetzaris illius qui fuit magni Nebucadnetzaris pater, per quem Menasche rex Judææ captus, in Babyloniam deportatus, ac postremò vinculis solutus est. Is enim rex Babyloniæ primùm, posteà verò Assyriæ quoque effectus est, succedens in regnum Esar-chaddoni magno, quum fratres illius patricidæ regno indigni haberentur, unde tota Asia mutuis bellis exarsit diutissimè. [2] i. Artecarmis, qui Media divisa regnum suum Nineves confirmavit, ut eo propugnaculo fretus tum Dejoci regi, tum irrumpentibus aliis hostibus obsisteret. [a] *Græc. altitudinem muri.* [b] *Græc. fundans latitudinem.* [c] *Græc. excitata.* [d] *Græc. ad processum copiarum, &c.* [3] Græcam vocem Ragau sic omnino intelligendam esse ostendit historiæ cum Geographicis comparatio, & legendum *κράγυ*. Est autē Cragus pars Tauri montis, cui subest campus amplissimus in accessu Mediæ. Cragum nominat Plinius lib. 5. natural histo. cap. 27. [4] i. Dejocis, qui alteram Mediæ partem obtinebat. [e] *Græc. filiorum Gelod.* [5] i. Scythis, & superioribus gentibus trans montem Taurum ad septemtrionem habitantibus, Gelas vocant Geographi, Græci Cadusios.

[f] *Græc. habitantes secundum faciem maritimæ.* [6] i. ad novos terræ Jisraëlis incolas, per Schalmana-sarē & Esarchaddonem missos, de quibus 2. Reg. 17. [g] *Græc. eos qui sunt in gentibus.* [7] hanc vocem in Canonicis libris legere non meminimus, sed tantùm hoc in libro hîc & infr. 3. 14. & 7. 3. Quibus ex locis campum esse intelligimus inter montana duo, ex forma vestibuli protractum in magnam longitudinem: qua ex forma Chatzar, id est atrium, appellatur, Allom verò a montibus sylvosis campum illum definientibus: sunt autem hæc montana Thaboris, de quibus Jehoschu. 16. & sequētibus. hæc enim a Galilæa superiore ad inferiorem, id est Samariam, protenduntur. [8] i. Trachonitidem, & cæteras partes in ventre montium Alsadamorum sitas, ut appellat Ptolemæus. [9] Græcam vocem Chellos sic interpretamur, quia fit ex Hebræa Cholon sive Chillen, quam vocem imitati Græci Aulonas dixerunt, affini significatione cum Chatzar, de quo modò dicebamus. Duo autem fuerunt Aulones in terra Jisraëlis, ut ex sacris libris est manifestissimum: sed hîc Aulones ii sunt intelligendi qui secundum montes Arabiæ ad AEgyptum usque protenduntur, ad quos Hammonitica regio, Moabitica, Nabathæa, & aliæ pertinent. [h] *Græc. ad bellum.* [i] *Græc. erat coram ipsis ut vir unus.* [k] *Græc. vacuus in ignominia.* [l] *Græc. dedit in probrum ipsius.* [m] *Græc. post eum.*

CAPUT II.

Sup.1.12.

1 A[a]Nno autē decimo octavo, die vigesimo
secundo mensis primi factus est sermo in
domo Nebucadnetzaris regis Assyriorum de ul-
ciscendis omnibus illis regionibus, quemadmo-
dum dixerat.
2 Et convocatis omnibus administris ejus,
& omnibus magnatibus ejus, proposuit eis arca-
num consilii sui, [a] [1] colligens omne malum re-
gionum istarum ore suo,
3 Illi autem judicarunt profligandam esse
omnem carnem eorum qui non obsequuti essent
verbo oris ipsius.
4 Fuit itaque quum absolvisset consultatio-
nem suam, ut vocaret Nebucadnetzar rex Assy-
riorum [2] Holophernem primarium ducem copi-
arum suarum, qui secundus erat ab ipso, ac edi-
ceret ei,
5 Hæc dixit rex ille magnus Dominus to-
tius terræ, ecce tu profectus a conspectu meo as-
sumito tecum viros fretos robore suo, peditum
ad centum viginti millia, equorum verò multitu-
dinem cum sessoribus ad duodecim millia: &
procedito [b] contra totam regionem illam quæ
ab occasu *est*, quia non paruerunt verbo meo;
ac denunciato ipsis, ut terram & aquam compa-
rent mihi, quia indignatione mea superventurus
sum ipsis, & obtegens totam superficiem terræ
pedibus copiarum mearum expositurus ipsos di-
reptioni eis, adeò ut saucii illorum impleant val-
les, ac torrentes illorum, & fluvii exundantes
mortuis illorum impleantur; denique acturus
turbam [c] captivam illorum in extremitates to-
tius terræ: tu ergo egressus præoccupa mihi to-
tum terminum illorum; quumq; dedent se ipsos
tibi, conserva eos mihi ad diem illum [d] quo sum
castigaturus eos:
6 Erga eos autem qui erunt immorigeri ne
clementia utitor oculus tuus, ut [e] exponas eos
cædi & rapinæ in tota terra tua, quia *ut* vivo ego
& potentia regni mei constat, ita quæcunque lo-
quutus sum ea quoq; efficiam manu mea. Tu igi-
tur ne transgreditor [f] quicquam verborum Do-
mini tui; sed [g] omnino conficito prout præcepi
tibi, ac ne longior esto in efficiendis illis.
7 Egressus itaque Holophernes a conspectu
Domini sui, vocavit omnes dynastas, ducésq;, &
præfectos copiarum Assyriæ, numeravítq; lectis-
simos viros in aciem, quemadmodum præcepe-
rat ipsi Dominus ipsius ad myriadas duodecim,
& equites sagittarios duodecies mille:
8 Quorum aciem instruxit, quemadmodum
militaris multitudo disponi solet, & sumsit came-
los asinósque ad impedimenta ipsorum multitu-
dine permagna, & oves bovésq; & capras, [h] ut
expeditiores essent, innumeras:
9 Item commeatum in virum quemq; [i] nu-
merosissimum,
10 Aurúmque & argentum ex domo regis
permultum.
11 Ita processit ipse cum omnibus copiis suis
in expeditionem præiturus regi Nebucadnetza-
ri, ut obtegeret totam superficiem terræ ad oc-
casum *sitæ* curribus & equitibus, peditibúsque
lectissimis ipsorum: multi etiam miscelli con-
veniebant ad ipsos *numerosè* ut locustæ, aut ut
arena terræ: innumerabiles denique erant præ
multitudine.
12 Processerunt ergo Nineve itinere trium
dierum [k] in campum [3] Betilath; castráque fecit
supra Betilathum prope [4] montem illum qui a
dextera est superioris Ciliciæ, ubi assumens om-
nes copias suas, pedites, & equites, atque currus
suos discessit inde in regionem montanam.
13 Et concidit [5] Phudum, ac Ludum, vasta-
vítq; omnes [l] Tarsenses, & Jischmaëlitas, qui
ad Austrum *erant* [6] in superficie deserti Aulonum,
quum trajecisset Euphratem & transiisset Meso-
potamiam.
14 Nam subruit omnes civitates excelsas im-
positas torrenti [7] Arbonæ, donec veniatur ad
[8] mare;
15 Et occupans terminos Ciliciæ concidit
omnes qui obsistebant sibi, pervenítq; ad termi-
nos usque Japhonis meridiem versus, & [m] pro-
spectum Arabiæ.
16 Posteà circumveniens omnes Midjanitas
incendit tabernacula eorum, & vastavit caulas
eorum,
17 Descendítq; in campum Damasci [n] tem-
pore messis triticeæ, ubi incendens omnes agros
illorum, & greges armentáque [o] exponens de-
lenda, civitates eorum deprædatus est, & agros
eorum excutiens cæcidit omnes adolescentes e-
orum [p] acie gladii.
18 Itaq; accidit metus & tremor de eo omni-
bus habitantibus *regionem* maritimam, qui erant
Tzidone, & Tyri, habitantibúsq; [9] Suri, & [10] Ha-
cone, omnibúsque habitantibus [11] Jemnane: e-
tiámque [12] habitatores Aschdodi, & Aschkelonis
timuerunt ab eo valdè.

a Græc. convocans.
1 i. congerens ea omnia animo infensissimo, quę malè facta ab illis fuisse confirmabat, ut eo pacto commune odium in consiliariorum suorũ animis incenderet.
2 Chaldaicum esset Cholparneaſh: sed usitatam vocem hic visum est retinere.
b Græc. in occursum toti regioni.
c Græc. captivitatem.
d Græc. castigationis illorum.
e Græc. tradas.
f Græc. unum aliquod.
g Græc. conficiens conficito.
h Græc. ad apparatum ipsorum, quarum non erat numerus.
i Græc. in multitudinem.
k Græc. in faciem campi.
3 vocem hanc corruptam esse res ipsa loquitur. Ego si quid conjectura possum, existimo regionem esse & planitiem illam, quæ inter montem Taurum & Edessam sita est, ubi Bichias & Samesata in Geographicis a Ptolemæo collocantur: Est enim Bet-tilla Chaldæis agnorum locus, ut ferè sunt pascua mõtanis subjecta. Erat autem hic locus ad Euphratem trajiciendũ commodissimus.

4 i. Taurum.
5 i. Cappadocię & Armeniæ minoris incolas. Est autem hic versus prolepticus, summatim exponens ea quę posteà minutatim explicantur.
l Græc. filios Tarsis, & filios Jischmaëlis.
6 i. in toto illo deserto, quod secundum montes a summa Syria ad Arabiam & Aegyptum usque protenditur.
7 ex notatione vocis (Hebraicè enim dicitur Charbonai ex nigrore) & natura ipsius fluvii quam tradunt historiographi, fluvius est Melas Cappadociam & Armeniam minorem præterfluens.
8 nempe Cilicium.
m Græc. faciem.
n Græc. diebus.
o Græc. dans ad deletionem.

p Græc. ore. 9 locus est maritimus inter Tyrum & Ptolemaida, quem a situ Geographi vocarunt Sandalium. 10 i. Ptolemaide, ut Plinius testis est: vide in Judic.1.31. Sed Græca vox est corruptissima. 11 opido sito sub Carmelo monte. 12 i. Pelischthai, synecdochicè.

CAPUT. III.

1 QUamobrem miserunt ad eũ legatos, qui
verbis ad pacem spectantibus dicerent,
2 Ecce nos [a] servi Nebucadnetzaris regis
magni [b] expositi sumus tibi:
3 Utere nobis, quemadmodũ placuerit [c] tibi.
4 Ecce prædia nostra, & omnia loca nostra,
omnésq; agri tritici, gregésq;, & armẽta, & om-
nes caulæ tentoriorum nostrorum expositæ sunt
tibi, utere quemadmodum placuerit tibi.
5 Ecce etiam civitates nostræ, & qui inco-
lunt eas, servi tui sunt; veniens [d] exhibe te illis,
ut videtur bonum in oculis tuis.
6 Quum ergo accedentes viri illi Holopher-
nem, renunciavissent ipsi [e] in hanc sententiam,
7 Descendit in maritimam regionem ipse
cum copiis suis.
8 Et custodia imposita civitatibus excelsis,
acceperunt ex eis ad auxilium viros delectos.
9 Exceperunt autem eum ipsi cum tota cir-
cumjacente regione ipsorum coronis, choreisq;,
& tympanis.
10 Ipse verò evertens omnes terminos eo-
rum, lucos eorum excidit:
11 Placebat enim ipsi profligare omnes Deos
terræ,
12 Ut solùm Nebucadnetzarem illum cole-
rent omnes gentes; & omnes linguæ, atque na-
tiones ipsorum, illum invocarent Deum.
13 Quum autem venisset e regione [1] Chatzar-
allomi prope [2] Dothajima, qui locus est ex ad-
verso [3] Serræ magnæ, ut *vocant* Jehudæi,

a Græc. pueri.
b Græc. adstamus coram te; ut Gen. 13.9. sic deinceps.
c Græc. faciei tuæ.
d Græc. occurre illis quod est bonum.
e Græc. secundum verba hæc.
1 De quo sup. 1.8
2 de quo Gen. 37.17.
3 sic vocant Jehudæi accessus angustos per fauces mõtium, quum longiores sunt angustiæ; quia montes utrinq; inter se adversantes figuram serræ denticulatæ quodammodo exprimunt. Atque hanc quidē fuisse regionis illius constitutionem apparet ex 2. Reg. 6. Quamobrem cum ad commoditatē exercitus in omnes terræ partes transmittendi occupavit, ut fecit Jonathã, 1. Mac. 9.73. Hæc autē serra id est, serrata quodãmodo angustia, magna dicitur discretionis ergò; quia minor fuit serra prope Micmaschi, cujus habetur mentio 1. Schem. 13. & 14. & 17. Et Jesch. 10. Has serras veteres Hebræi potius Maſhberoth, i. transitus, nominarunt.

14 Castra

4 quam Hebræi prius Beth-schehanem appellabant.
f Græc. dierum.

14 Castra fecit inter Gebaſiim & 4 Scythopolin: ubi fuit mensem f integrum, ut omnia impedimenta copiarum suarum colligeret.

CAPUT IIII.

a Græc. filii Jisraëlis: sic deinceps.
b Græc. dedisset in deletionem.
c Græc. a facie ejus.
1 Hæc de Babylonica deportatione & reversione minimè intelligenda esse & verba hæc non obscurè docent, & suprà in primum caput ostendimus; sed potiùs ad illud tempus referenda esse, quo Menasche solutus vinculis ex Babylonia redierat: quo tempore captivi quidē reversi sunt; sed cultus Dei, quem ipse contaminaverat, instauratus est Jeruschalaimis, quemadmodum legimus 2. Chron. 33. 13. agnovisse Menaschen, quòd Jehova sit Deus, &c.
2 has voces depravatissimas ita restituendas esse videbit facilè quisquis tum historiam sacram, tum chorographiam cognoverit: ut apparet ex Jehosch. 16. & 17. & Judicum 7.
3 de qua Genes. 14.
4 sic legendum esse in contextu Græco, ipso meridie clarius est.
5 hic verò is esse minimè putandus est, qui Darii & Artaxerxis temporibus vixit, de quo Nechemjæ 12. 10. & 26. sed ille potiùs cujus fit mentio in historia Chizkijæ, 2. Regum 18. & 19. de quo insignis habetur prophetia Jeschaſi. 22. Quam prophetiam si quis huic historiæ aptare velit, non magnopere contendam: nam idem est Jojakim & Eljakim. Nec obstat quòd eo tempore regnabat Menasche, cujus hîc nulla mentio: nam prudentis regis fuit ab his negotiis in speciem abstinere, & Jehojakimo viro auctoritate summa prædito committere curam agendi quæ fuerunt opus tam in regno Jehudæ, tum in sociis finitimis: quod si procurasset Rex, speciem rebellionis habuisset. d Græc. diebus illis. 6 cujus mentio est Jehoschu. 18, 19. & 21. civitas fuit partim ad Binjaminem, partimque ad Ephrajimum pertinens. 7 ut Judic. 7. 22. e Græc. contra faciem agri. f Græc. ascensio. g Græc. omnis vir Jisraëlis. h vide in Jonæ 3. h Græc. versus faciem templi: sic deinceps. i Græc. a contentione. k Græc. hereditatis. l Græc. lætitiæ gentibus.

1 Audientes verò a Jisraëlitæ, qui habitabant in Jehudæa, quæcumque fecerat gentibus Holophernes primarius dux Nebucadnetzaris regis Assyriorum, & quomodo spoliasset omnia loca sacra earum, eáque b delevisset:
2 Metuerunt valdè c ab eo, & Jeruschalaimorum causa ac templi Jehovæ Dei ipsorum conturbati sunt, 1 quia recens ascendebant e captivitate, & nuper totus populus congregatus fuerat ex Judæa, vasáq; & altare ac domus ipsa a profanatione fuerant sanctificata.
3 Itaque miserunt in totum terminum Samariæ & vicos illius, & Beth-choronem, & 2 Baſial-majima, & Jerichuntem, & Mecholam, & Tzorſiam, & convallem 3 Schalemi, qui præoccuparent omnes vertices montium excelsorum;
4 Et muris cingentes vicos qui *erant* in eis 4 deponerent illic commeatum ad apparatum belli, quia recèns fuerant agri eorum demessi.
5 Scripsit etiam 5 Jojakim Sacerdos magnus, qui erat d tempore illo Jeruschalaimis, ad habitatores 6 Beth-choglæ, & 7 Beth-haschittæ, quæ sita est e regione Chatzar-allomi e adversus agrum propinquum Dothajimis, edicens ut obtinerent ascensus montanæ *regionis*,
6 Quia per ipsos ingressus patebat in Judæam, erátque facile prohibere illos aggredientes, quum angustus esset transitus in viros f ad summum binos.
7 Fecerúntque Jisraëlitæ prout constituerat ipsis Jojakim Sacerdos magnus, & Senatus totius populi Jisraëlis, qui cōsidebant Jeruschalaimis.
8 Et inclamaverunt g omnes Jisraëlitæ Deum contentione magna, deprimentes animos suos contentione magna ipsi cum uxoribus suis,
9 8 Et infantes ipsorum, ac jumenta ipsorum cum omni inquilino & mercenario, & *mancipio* ipsorum pecunia emto, imposuerunt cilicia lumbis suis.
10 Et unusquisque vir, muliérque, & pueri, atque habitatores Jeruschalaimorum prociderunt h ante templum.
11 Et inspergentes cinere capita sua expanderunt cilicia sua coram Domino,
12 Et altare ipsum cilicio circumdederunt:
13 Exclamaverúntque apud Deum Jisraëlis unanimiter i contentione magna, ne exponeret direptioni liberos ipsorum, & uxores prædæ, & civitates k hæreditarias ipsorum deletioni, & res sanctas profanationi & probro, l unde lætaturæ essent gentes.
14 Et exaudiens Deus deprecationem ipsorum, ex tribulatione ipsorum servavit eos:
15 Quum jejunaret populus dies complures
in tota Judæa, & Jeruschalaimis coram m loco sancto Domini omnipotentis.
16 Et Jojakim Sacerdos magnus, omnésque qui astabant coram Domino Sacerdotes, & qui ministrabant Domino, ciliciis accincti lumbos suos offerrent holocaustum n juge, & vota, & voluntaria dona populi,
17 Et versante cinere super cidares ipsorum inclamarent Dominum omnibus viribus o ut benignè respiceret in totam domum Jisraëlis.

m Græc. sanctis.
n Græc. jugitatis.
o Græc. ad bonum us visitares.

CAPUT V.

1 Sed quum renunciatum esset Holopherni primario duci copiarum Assyriæ Jisraëlitas se comparavisse ad bellum, & accessus *regionis* montanæ occlusisse, muróque firmasse omnem verticem montis excelsi, & in agris disposuisse a res ad quas impingeret:
2 Iratus b & indignatus vehementer accersivit omnes principes Moabi omnésque duces Hammonitarum, & omnes satrapas *regionis* maritimæ, & dixit eis,
3 Renunciate jam mihi, ô c Cenaſianæi, quis sit populus iste qui considet in *regione* montana, quæ civitates quas habitant, quæ multitudo copiarum ipsorum, qua in re *positum sit* robur ipsorum & potentia ipsorum, quis exstiterit apud eos rex aut princeps exercitus ipsorum.
4 Et quamobrem contrà statuerint quàm omnes habitantes ab occasu, ne d obviam mihi procederent.
5 Cui dixit Achior dux omnium e Hammonitarum, audiat jam Dominus meus f rem ex ore servi sui: nam renunciabo tibi veritatem de populo isto domicilia habente prope te, qui inhabitat montanam *regionem* istam, non enim prodibit mendacium ex ore servi tui.
6 Populus iste à g Chaldæis oriundus est;
7 Fuerunt autem inquilini primùm in Mesopotamia, eo quòd nollent obsequi Diis majorum suorum, qui erant in terra Chaldæorum;
8 Sed excedentes ex instituto gentis suæ adorarent Deum cæli, Deum quem agnoverant: quamobrem ejicientibus ipsos *patribus* à conspectu deorum suorum fugerunt in Mesopotamiam, ubi fuerunt inquilini diebus multis; quúmque edixisset Deus ipsorum, ut egressi ex incolatu suo proficiscerentur in terram Cenaſianis, inquilini fuerunt illic, & multiplicati sunt auro & argento, ac pecoribus multis valdè.
9 Posteà descenderunt in Ægyptum (obtexerat enim superficiem terræ Cenaſianis fames) & inquilini fuerunt illic, donec reverterentur; ubi h abierant in multitudinem plurimam, adeò ut innumerum esset genus ipsorum.
10 Quum autem insurrexisset in eos rex Ægypti, ut astutis consiliis opprimerent eos, & labore ac i lateritio opere deprimentes eos k efficerent eos servos:
11 Inclamaverunt Deum suum, qui percussit totam terram Ægypti plagis immedicabilibus, adeò ut ejicerent eos Ægyptii à conspectu suo:
12 Et exarefecit Deus mare rubrum coram eis:
13 Et adducens eos in montem Sinai & Kadeschum Barnehæ, ejecit omnes qui habitabant in deserto.
14 Ita habitaverunt in terra Emoræorum.
15 Et omnes Cheschbonis *incolas* profligarunt potentia sua.
16 Et postquàm trajecerunt Jardenem,

a Græc. offendicula.
b animo.
c Græc. filii Cenaſianis.
d Græc. in occursum mihi.
e Græc. filiorum Hammonis.
f Græc. sermonem.
g Græc. sunt progeniti Chaldæorū.
h Græc. facti sunt.
i Græc. latere.
k Græc. ponerent eos in servos.

17 Hæreditario jure possederunt montanam istam *regionem* totam.

18 Ejectisq; a conspectu suo Cenahanæo, & Perizzæo, Jebusæoque, Schecemita, & Girgaschæis omnibus habitarunt ibidem [l] diu.

19 Denique tantisper dum non peccaverunt coram Deo suo, fuerunt penes ipsos bona, quia Deus osor iniquitatis adest ipsis:

20 Quando verò discesserunt à via quam disposuerat ipsis, profligati sunt multis bellis quamplurimum,

21 Et captivi abducti in terram alienam, & templum Dei ipsorum [m] habitum est ut profanum solum, & civitates ipsorum captæ ab adversariis.

22 Nunc autem conversi ad Deum suum ascenderunt è dispersionis locis, in quæ dispersi fuerant, & obtinentes Jeruschalaima (ubi sanctuarium ipsorum est) habitatores effecti sunt regionis istius montanę, quòd deserta esset.

23 Nunc ergo, Domine imperator, si quis est error in populo isto, & peccavit contra Deum suum, considerandum est: quia hoc ipsis offendiculo futurum est, & ascendentes debellabimus eos.

24 Sin autem non est iniquitas in gente istorum, prætereat quæso Dominus meus; ne fortè protegat Dominus ipsorum & Deus ipsorum ipsos, simúsq; probro coram universa terra.

25 Fuit autem quum desivisset Achior loqui sermones istos, ut murmuraret totus populus, qui in circuitu tentorii circumstabat,

26 Dicerentque magnates Holophernis, & omnes habitatores regionis maritimæ & Moabitidis, ipsum discindendum esse; non enim metuemus, *inquiebant*, [n] ab Jisraëlitis. Nam ecce populus est cui non adsunt vires, neque robur ad aciem validam *constituendam:*

27 Quamobrem jam ascendemus, eruntque [o] tamquam esca devoranda toti exercitui tuo, Domine Holophernes.

[l] *Græc. dies multos.*

[m] *Græc. factum in solum.*

[n] *Græc. a facie filiorum Jisraëlis.*

[o] *Græc. in devorationem.*

CAPUT VI.

1 Postquam verò cessavit tumultus hominũ qui consessum circumstabant, dixit Holophernes primarius dux copiarum Assyriæ Achiori [1] coram toto populo alienigenarum,

2 [2] At quisnam es? quòd tu Achior coram toto populo alienigenarum & apud omnes [a] Moabitas, [3] & quicunque sunt mercenarii Ephrajimi, quòd tu prophetavisti apud nos, prout *audimus* hodie, & dixisti gentem Jeruschalaimorum non esse debellandam, quia Deus ipsorum sit protecturus ipsos: at quis Deus est nisi Nebucadnetzar?

3 Hic missurus est potentiam suam, & profligaturus eos è superficie terræ: neque liberabit eos Deus ipsorum, sed nos servi illius profligabimus eos tamquam virum unum: neque sustinebunt potentiam equorum nostrorum, nam iis proculcabimus illos.

4 Imò illorum montes inebriabuntur sanguine illorum, & illorum campi complebuntur mortuis ipsorum; neque obsistet vestigium ullum pedum ipsorum ex adverso nostri, sed peribunt [b] planè, ait rex Nebucadnetzar Dominus totius terræ: dixit enim, [4] non irrita fient verba [c] mea.

[1] Hæc circumstantia non mediocriter amplificat Holophernis arrogantiam; quòd non huic tantùm, sed exteris quoque & sociis omnibus propter hunc contumeliosus fuerit: quod sequentis versus oratio indicat.

[2] hi duo versus leguntur variè, sed nos illud sequimur quod probabilius judicavimus.

[a] *Græc. filios Moabi.*

[3] sic perstringit Holophernes Achioris perfidiam, & aliorum in castris versantiũ quos dicit a Judæis & Ephrajimitis redemtos esse, ut ita prophetent & frangant militũ animos: quomodo Achiorem mercenarium Hammonitã vocat v. 5. [b] *Græc. perditione.* [4] q.d. Rex dixit, & statuit potius movere omnia, quàm ferre ut verbum suum intercidat. [c] *Græc. sermonũ meorum.*

5 Tu verò Achior mercenarie Hammonita, qui proloquutus es sermones istos [5] die injustitię tuæ, non visurus es ampliùs faciem meam, inde à die hoc, donec ultus fuero gentem istorum [d] advenarum Ægypti, ac tum pervadet ferrum exercitus mei, & grex servorum meorum latera tua, & corrues inter vulneratos istorum, [6] quando revertar *ad te.*

6 Quamobrem constituent te servi mei [e] *abducentes* in regionem montanam, & collocabunt te in una ex civitatibus, [e] ad quas ascensuri sumus; neque peribis, donec profligeris cum illis. Quòd si speras animo tuo fore ut non prehendantur, [7] ne concidat vultus tuus: dixi, & nullum verborum meorum excidet.

7 Præcepit itaque Holophernes servis suis, qui aderant tentorio suo, ut comprehendentes Achiorem statuerent eum ad Beth-choglam, & traderent in manus Jisraëlitarum:

8 Et comprehendentes eum servi illius abduxerunt eum extra castra in campum, & profecti è medio campestris regionis in montanam pervenerunt ad fontes qui subsunt Beth-choglę: quúmque viderent eos [f] oppidani qui erant in vertice montis, omnes funditores obtinuerunt ascensum [g] quò contendebant illi, & lapides in eos immiserunt.

9 Quamobrem illi subeuntes montem ligaverunt Achiorem, & dimiserunt abjectum sub radice montis: posteà ad Dominum suum reverterunt.

10 Descendentes verò Jisraëlitæ è civitate sua adstiterunt ipsi, & solventes eum abduxerunt Beth-choglam,

11 Stiteruntq; eum apud principes civitatis suæ, qui erant eo tempore Huzzija filius Micæ è tribu Schimhonis, & Chabri filius Hotnielis, & Carmi Malcielis.

12 Hi postquam accersivissent omnes Seniores civitatis, concurrentibus omnibus adolescentibus eorum & mulieribus in congregationem, stiterunt Achiorem in medio totius populi sui, & interrogavit eum Huzzija quidnam accidisset:

13 Qui respondens renunciavit eis verba consessus Holophernis, & omnia verba quę proloquutus fuerat apud principes Assyriæ, & quæcumq; magnificè jactaverat Holophernes contra domum Jisraëlis.

14 Itaque procidentes populares adoraverunt Deum, & inclamaverunt Deum dicentes,

15 Domine Deus cæli, respice ad [h] immensam superbiam ipsorum, & miserere abjectionis gentis nostræ, ac intuere faciem eorum qui sanctificati sunt tibi hoc tempore.

16 Deinde consolati Achiorem laudaverunt eum valdè.

17 Et assumpto eo Huzzija ex congregatione in domum suam, [i] exhibuit convivium Senioribus:

18 Qui invocaverunt Deum Jisraëlis ad auxilium tota nocte illa.

CAPUT VII.

1 Postridie verò denunciavit Holophernes toti exercitui suo & toti populo suo, iis qui advenerant ad auxilium ipsius, ut conjunctis copiis ascendentes contra Beth-choglam ascensus regionis montanæ præoccuparent, & *inferrent* bellum [k] Jisraëlitis.

2 Ita conjunctis copiis eo ipso die procedentes

[5] id est, hodie, quum perfidiam tuam ut mercenarius improbus retexisti.

[d] *Græc. ex Aegypto, i. Aegyptios istos.*

[6] id est, quando recipiam te è medio illorum, quos fudero potentia mea; sic accipiendum esse docent sequentia.

[e] *Græc. ascensuum.*

[7] i. si ita securus es de salute illorum, nihil de tua metuito: nam vestra sors communis futura est.

[f] *Græc. viri civitatis.*

[g] *Græc. illorum.*

[h] *Græc. superbiam.*

[i] *Græc. fecit.*

[k] *Græc. filiis Jisraëlis ... bellum.*

tes quique viri potentes ipsorum (quorum copiis
erant [b] bellatorum peditum centum septuagin-
ta millia, & equitum duodecim millia præter im-
pedimenta, & viros alios qui pedibus comita-
bantur ipsos multitudine quàm plurima)
3 Castra posuerunt in valle propinquo Beth-
choglæ, ad fontem, protenderúntq; in latitudi-
nem a Dothajimis usque Bahalmajima, & in
longitudinem a Beth-chogla usq; ad Fabarium
agrum, qui est è regione Chatzar-allomi.
4 Jisraëlitæ verò ut viderunt eorum multi-
tudinem, turbati sunt valdè, dixerúntque [c] alter
alteri, nunc occludent isti superficiem totius hu-
jus terræ: & neque montes excelsi, neque con-
valles, neque colles sustinebunt [d] gravem hunc
numerum istorum.
5 Et Assumtis quisque armis suis bellicis
quum accendissent pyram in turribus suis, man-
serunt excubantes totam noctem illam.
6 Die autem [e] postero eduxit Holophernes
totum equitatum suum in os Jisraëlitarum qui
erant Beth-choglæ, ut recognosceret ascensus
civitatis ipsorum:
7 Et fontes aquarum ipsorum invadens oc-
cupavit eos, ac instituit in eis præsidia bellato-
rum: ipse verò conjunctis copiis ad populum su-
um regressus est.
8 Nam accedentes eum omnes principes
[f] Edomæorum, & omnes ductores populi Moa-
bitarum ducésque regionis maritimæ dixerant,
audiat jam sermonem Dominus noster, ne fiat
[g] labes in copiis tuis:
9 Nam populus iste Jisraëlitarum non con-
fidunt hastis suis, sed [h] istis præaltis montibus
in quibus ipsi habitant: non enim fuerit facile
ipsos antevertere per vertices montium ipso-
rum.
10 Nunc ergo Domine, ne bellum gerito
contra eos, ut fit bellum instructa acie, & non ca-
det ex populo tuo [i] vel unus: permane in castris
tuis præservans unumquemque virum in copiis
tuis, & obtineant servi tui fontem aquæ, qui e-
greditur è radice istius montis (nam illinc a-
quantur omnes habitatores Beth-choglæ) ita
tollet eos sitis, aut dedent civitatem suam: nos
verò & populus noster conscendemus propin-
quos vertices montium, & in eis castra metabi-
mur ad præsidium, ne exeat civitate ullus; &
contabescent fame ipsi, uxorésque ipsorum, &
liberi ipsorum; denique antequam gladius su-
perveniat eis, subvertentur in plateis habitatio-
nis suæ. Sic rependens ipsis [k] malum, eò quòd
seditionem moverint, neque auscultaverint [l] tibi
placidè.
11 Atque horum sermones placuerant [m] Ho-
lopherni, & omnibus ministris ejus, constitue-
rátq; facere prout loquuti fuerant.
12 Profecta igitur castra Hammonitarum, &
cum eis quinque Assyriorum millia, metata sunt
in valle, & præoccuparunt aquas & fontes aqua-
rum Jisraëlitarum. Ascendentes verò Edomæi
& Hammonitæ metati sunt in regione montana
ex adverso Dothajimorum, ex quibus miserunt
ad Notum & Subsolanum ex adverso [1] Beth-ha-
rabæ, quæ est propinqua [2] Kerzitzo ad torren-
tem [3] Mochmur: reliquo Assyriorum exercitu
castra metantibus in campo, adeò ut obtegerent
totam superficiem terræ, quum tentoria & impe-
dimenta ipsorum metata essent in multitudinem
quàm plurimam.
13 Tunc Jisraëlitæ inclamarunt Dominum
Deum suum minuto spiritu ipsorum, eò quòd
ipsos circumdedissent omnes hostes ipsorum,
adeò ut non esset effugiendi è medio illorum
via. Quum enim mansissent in circuitu ipsorum
tota congregatio Assyriorum, pedites, currúsq;,
ac equites ipsorum dies triginta quatuor, defici-
ebant omnes habitantes Beth-choglam omnia
vasa aquaria ipsorum, ac cisternæ ita exhaustæ
erant, ut non haberent aquam unde biberent ad
satietatem die uno, quia ex demenso dabatur bi-
benda ipsis. Itaque abjicientes animum liberi
ipsorum & mulieres ac adolescentes deficientes
ex siti concidebant in plateis civitatis, & in biviis
portarum; nec erat virtus amplius in ipsis. Et
congregati sunt totus populus ad Huzzijam, &
principes civitatis, cum adolescentibus mulieri-
búsq; & liberis, & exclamantes voce magna di-
xerunt coram omnibus Senioribus, judicet De-
us inter nos & vos, quandoquidem affecistis nos
injuria magna, qui non loquuti estis [n] de pace
cum Assyriis.
14 Nunc autem non est adjutor noster, sed
vendidit nos Deus in manus illorum, ut sterna-
mur coram eis siti & perditione magna.
15 Nunc igitur accersite eos & tradite civi-
tatem totam [o] diripiendam populo Holopher-
nis, & omnibus copiis ejus.
16 Præstat enim nos ipsis rapinæ esse, quàm
siti emori. Erimus enim [p] servi; sed vivet anima
nostra, neque videbimus mortem infantium no-
strorum oculis nostris, & mulieres liberósq; no-
stros deficientes animis ipsorum.
17 Contestamur vobis cælum & terram, De-
úmque nostrum & Dominum majorum nostro-
rum, qui ulciscitur nos secundum peccata no-
stra, & peccata majorum nostrorum; [4] *videte* ut
non faciat, quemadmodum diximus hodierno
die.
18 Ita fuit fletus magnus omnium unanimi-
ter [q] in ecclesia, inclamantium dominum Deum
voce magna.
19 Dixit verò illis Huzzija, bono animo e-
stote, fratres: toleremus adhuc dies quinque,
quibus advertet dominus Deus noster miseri-
cordiam suam in nos; non enim derelicturus est
nos [r] in æternum:
20 Quòd si præterlabentur illi, nec super-
venerit nobis auxilium, faciam secundùm ser-
monem vestrum. Sic dispersit populum in [s] sta-
tiones ipsius; qui ad muros, & turres civitatis
suæ abeuntes, in domos suas uxores liberósque
remiserunt, fuerúntque [t] plurimùm abjecti in
civitate illa.

CAPUT VIII.

1 Audiês verò diebus illis Judith filia Mera-
ri, filii Achsai, filii Josephi, filii Huzzielis,
filii Chilkijæ, filii Chananjæ, filii Gidhonis, filii
Rephaplis, filii Achitubi, filii Elijæ, filii Eliabi, filii
Nethanaëlis, filii Sammielis, filii [a] Schimhonis
filii Jisraëlis:
2 Cujus vir Menasche ex tribu & familia
eadem mortuus erat [a] tempore messis hordea-
ceæ.
3 ([a] Instabat enim *messoribus* ligantibus ma-
nipulos in campo, & supervenienti æstu capiti
ejus decubuerat in cubili suo, sepeliverántq; eum
cum majoribus ejus in agro inter Dothajima, &
Bahalmajima *sito*.
4 Fuerat autem Judith domi suæ [b] in vidui-
tate annos tres & menses quatuor;
5 Et fecerat sibi tentorium in [3] cœnaculo
domi

[b] Græc. virorum bellatorum, sic vers. 7.
[c] Græc. quisque ad proximum suum.
[d] Græc. gravitatem.
[e] Græc. secundo.
[f] Græc. filiorum Hesavi, sic V. 12.
[g] Græc. fractura.
[h] Græc. altitudinibus montium.
[i] Græc. ut ne unus.
[k] Græc. retributionem malam.
[l] Græc. faciei tuæ in pace.
[m] Græc. coram Holopherne & coram omnibus.
[1] sic legimus ex Jehoschu. 18.22. transpositis literis.
[2] sic appellatur ibidem Binjamitarum opidum.
[3] id est, atrum & palustrem; quamobrem etiam torrens kanæ, id est, arundine abundans, appellatur Jehosch. 16.8. & sequentibus.
[n] Græc. pacifica cum filiis Aschur.
[o] Græc. ad direptionem.
[p] Græc. in servos.
[4] ellipsis, ut Genes. 3.27 Sensus est, videte ne per vos fiat, ut armis victi gravius ab hoste ex victoria insolescente cruciemur.
[q] Græc. in media ecclesia.
[r] Græc. ad finem.
[s] Græc. castra.
[t] Græc. in abjectione magna.
[1] Sic omnino legendum est ex Hieronymo, & vers. 2. capitis sequentis.
[a] Græc. diebus.
[2] hos septem versus hyperbaticos esse, res ipsa loquitur. Quamobrem parentheseos signo inclusimus.
[b] Græc. viduam agens.
[3] sic accipitur his libris ὑπερῷον, ut rectè observat in epistolis Hieronymus.

domi suæ, imposito lumbis ipsius cilicio, & indutis vestibus viduitatis suæ.

6 Jejunabátque omnibus diebus viduitatis suæ præterquàm [4] pridie sabbathorum, & sabbathis, & pridie noviluniorum & festis, hilariisque domus Jisraëlis.

7 Erátque speciosa forma, & venusta aspectu valdè, cui reliquerat Menesche vir ipsius aurum, & argentum, famulósque, & ancillas, & pecora, & agros in quibus manebat:

8 Nec erat qui [c] insimularet eam rei ullius malæ, quia timebat Deum valdè.)

9 Audiens igitur verba populi iniqua adversus magistratum, quia minutus erat ipsorum animus ex aquarum raritate; audiens quoque omnes sermones Judith, quibus alloquutus erat Huzzija ipsos, ut jurasset eis se traditurum civitatem post dies quinque Assyriis, missa puella honoraria sua quæ præerat omnibus facultatibus ipsius, vocavit Huzzijam & Chabrim, & Carmin Seniores civitatis suæ:

10 Qui quum venissent ad ipsam, dixit eis, audite, quæso, me, principes habitatorum Bethchoglæ: nam non est rectus sermo vester, quem eloquuti estis coram populo hodierno die; statuentes jusiurandum illud quod loquuti estis, inter Deum atque nos; & dicentes vos traditurος civitatem hanc hostibus nostris, nisi intra dies illos conversus Dominus auxilietur nobis.

11 Nunc enim quinam estis vos, qui tenteris Deum hodierno die, & [5] stetis loco Dei [d] inter filios hominum?

12 Nunc enim Dominum omnipotentem [6] disquirite, & nihil pernoscetis [e] unquam.

13 Nam profunditatem cordis humani non invenitis, & verba cogitationis ipsius non comprehenditis; & quomodo Deum qui fecit omnia hæc scrutabimini, & mentem ejus pernoscetis, & ratiocinationem ejus percipietis mente?

14 Nequaquam, fratres; ne provocate ad iram Dominum Deum nostrum: nam si nolit intra hos quinque dies adjuvare nos, ipse habet potestatem, quibuscumque vult, imò omnibus diebus protegendi nos, aut etiam profligandi nos coram inimicis nostris.

15 Vos autem [7] ne pignoremini consilia domini Dei nostri: non enim similis Deus est homini [8] ad sumendas ultiones, neque similis filio hominis ad judicia statuenda.

16 Quamobrem exspectantes salutem quæ ab ipso est, invocemus eum ad auxilium nostrū, & exaudiet vocem nostram, si placuerit ipsi:

17 Quandoquidem non exstitit in generationibus nostris, neque est hodierno die neq; tribus, neque familia, neque populus, neque civitas ex nobis qui adorent Deos manufactos,

18 Quemadmodum factum est antegressis temporibus, quorum causa traditi sunt gladio & direptioni majores nostri, conciderúntque cæde magno coram hostibus nostris.

19 Nos verò Deum alterum non novimus; unde speramus ipsum non despecturum nos, neque ullum e gente nostra.

20 Neque *verò* [9] si deprehendamur ita, nominabitur Judæa *amplius*; sed præda erit [f] sanctuarium nostrum, & reposcet profanationem ejus ex ore nostro, & necem [g] qui [10] fratres nostros invasit & captivitatem *incolarum* terræ, & vastitatem hæreditatis nostræ adversus nos profundet in capita nostra apud gentes ubi servi fuerimus, erimúsque [11] publico dicterio & probro coram possessoribus nostris. Non enim [h] reddetur servitus nostra gratiosa, sed ignominiosam efficiet ipse Dominus Deus noster.

21 Nunc itaque fratres demonstremus fratribus nostris, quandoquidem a nobis pendet animus illorum, & sanctissimum locum & domum & altare [i] firmè hærere nobis: præter omnia hæc agamus gratias domino Deo nostro, qui tentat nos ut etiam majores nostros.

22 Mementote quæcunque fecit erga Abrahamum,

23 Et quibus tentavit Jitzchacum, & quæ acciderunt Jahakobo in [k] Mesopotamiensi Syria, pascenti pecudes Labanis fratris matris suæ.

24 Etenim quemadmodum illos probavit igne ad exanimationem cordis ipsorum; ita etiam nos non planè ulciscitur; sed ad institutionem flagellat dominus eos qui propè accedūt ipsum.

25 Tum dixit ei Huzzija, quæcunque dixisti, ex optimo corde eloquuta es, neque est quisquam restiturus verbis tuis: non enim hodierno primùm die sapientia tua manifesta est; sed [l] a primis diebus tuis novit totus populus [m] animū intelligentem tuum, bonam esse commentationem cordis tui: sed populus sitim validam passus est; ita coëgerunt nos, prout loquuti sumus, facere ipsis, & [n] obstringere nos jurejurando, quod minimè sumus transgressuri.

26 Nunc autem ora tu pro nobis quum mulier pia sis, & immittet dominus pluviam [o] ad implendum cisternas nostras, ut non deficiamus ampliùs.

27 Dixit verò Judith, auscultate mihi, & faciam facinus quod perveniet in generationes [p] omnes ad posteros gentis nostræ.

28 Vos stabitis ad portam hac nocte, & egrediar ego cum ancilla honoraria mea; atque intra dies illos quibus elapsis dixistis vos tradituros esse hostibus nostris civitatem hanc, [12] inviset dominus Jisraëlem manu mea.

29 Vos verò ne perscrutemini quid [q] factura sim: non enim sum indicatura vobis, donec perfecta sint, quæ ego factura sum.

30 Cui Huzzija dixit & principes, abi [r] feliciter, & dominus Deus præeat tibi ad ultionem hostium nostrorum: tum reversi ex tentorio ejus ad suos ordines abierunt.

CAPUT IX.

1 Judith verò procidens in faciem imposuit cinerem capiti suo & cilicium, [a] [1] posita quam induerat veste, [2] quum adhuc offerretur Jeruschalaimis in domo Domini suffitus vesperæ illius, & exclamavit voce magna Judith, dicens,

2 Domine Deus patris mei Schimhonis, [3] cui tradidisti gladium [b] ad ulciscendū alienigenas, qui aperuerant vulvam virginis ad inquinationem, & nudaverant femur ad rem pudendam, contaminaverántque virginitatem ad probrum (nam dixeras non ita futurum esse) fecerántque tamen

3 quarum nomine [c] exposuisti principes eorum cædi, quæ cubile ipsorum fraude oppressum irrigavit sanguine, & percussisti servos cum potentioribus ac potentiores in thronis ipsorum:

3 Qui exposuisti uxores eorum prædæ, & filias eorum captivitati, omniáque spolia

[4] hic locus apertè ostendit librū hunc fuisse a Judæo aliquo concinnatum superstitionum amatore. Nam sancti quidem erant Sabbathorum dies, & neomeniæ solennitatésque hilares ex lege, sed proximè antecedentes dies cum illis sanctificare Judaicum est: quemadmodum videmus hodie Judæos, ne diebus festis vitium afferant, pridie toto tempore promeridiano feriari, tamquam si Deus hoc nomine in ære ipsorum futurus esset.

[c] *Græc. inferret in eam verbum malum.*

[5] i. locum Dei auctoritatémq; vobis assumatis.

[d] *Græc. in medio filiorum.*

[6] verba sunt συγχωρητικά. q. d. experimini si forte scrutari potestis Deum; numquam profectò vel tantillum majestatis illius pervestigando cōsequemini: cujusmodi argumētatio est Ijobi 37. & seq.

[e] *Græc. usque in seculum.*

[7] humanitus dictū, pro eo quod est, ne putetis vos posse cōsilia Dei, judicia & actiones ejus pignori aut nexui dedere; irritæ omnes sponsiones vestræ futuræ sunt, si temere agatis cum Deo.

[8] i. viæ illius non sunt viæ humanæ, neque humanis motibus & instabilibus atque repētinis ad ulciscendū aut judicandū abripitur.

[9] i. si rei erimus tātæ temeritatis, qualē in vos imprudenter recepistis, mox de Judæa actū erit, & nomen ejus delebitur.

[f] *Græc. sancta nostra, sic seq. v.*

[g] *Græc. fratrum nostrorum.*

[10] nempe reliquos Jisraëlitas, qui in captivitatē abrepti sunt.

[11] vulgo legitur offendiculo, sed nos ex lege malaimus interpretari ἐφίκαιμμα.

[h] *Græc. dirigetur servitium nostrum in gratiam, sed in ignominiam ponet.*

[i] *Græc. firmatum esse in nobis.*

[k] *Græc. Mesopotamia Syriæ.*

[l] *Græc. principio dierum tuorum.*

[m] *Græc. intelligentiam.*

[n] *Græc. adducere jusjurandum super nos.*

[o] *Græc. ad impletionem cisternarum.*

[p] *Græc. generationem.*

[12] vide Genes. 21. 1.

[q] *Græc. factum meum.*

[r] *Græc. ad pacem.*

[a] *Græc. nudatū.*

[1] Græca verba unius literæ mutatione sic legēda esse ex scripturæ usu est manifestissimum.

[2] i. inter duas vesperas: sic enim ferè scriptura loquitur, & circūscribit tempus, ut 1. Reg. 18. 29.

[3] hujus orationis impuritatem duo loci evincunt manifestè; unus, quòd ea historia, quæ habetur Gen. 34. & a Spiritu sancto damnatur Gen. 49. 5. & sequentibus, hic contrà laudibus amplissimis effertur: alter, quòd mendaciis a Deo benedici petit, & ad ea se comparat Judith; tamquam si mendacia (ut Augustinus vocat) officiosa accepta essent Domino.

[b] *Græc. ad ultionem alienigenarum.*

[c] *Græc. dedidisti in cædem; sic deinceps.*

corum

eorum [d] dividenda filiis dilectis a te, qui etiam
zelotypi fuerunt zeli tui, & abominantes inquinamentum sanguinis sui, invocaverant te, [e] ut
adjutor ipsorum esses; ô Deus, Deus mi, exaudi
me viduam.
4 Tu enim fecisti res antegressas illis, & illas, & consequentes, etiámque præsentes & venturas comprehendis mente, quemadmodum
adfuerunt eæ quarum consilium ceperas, & dixerunt ecce adsumus.
5 Etenim omnes viæ tuæ sunt paratissimæ
judiciáque tua per providentiam.
6 Nam ecce Assyrii multiplicati sunt copiis
suis, elati sunt equo & sessore, gloriantur brachio
peditum, spem habent in clypeo sagittáque &
funda, neque agnoscunt te esse Dominum conterentem bella, Jehovam esse nomen tuum.
7 Tu frange robur eorum potentia tua, &
rumpe vires eorum indignatione tua:
8 Nam consilia inierunt profanandi [f] sanctuarium tuum,
9 Inquinandi tabernaculum quietis nominis [g] gloriosi tui, & dejiciendi ferro cornu altaris tui.
10 Respice ad superbiam eorum:
11 Immitte iram tuam in capita eorum:
12 Inde manui meæ quæ vidua sum, vires
quas præcepi mente,
13 Percute servum labiis fraudulentis meis
cum domino, & dominum cum servo ipsius:
14 Frange eorum [h] erectas cervices manu
fœminæ.
15 Non enim vires tuæ in multitudine, neq;
potentia tua in valentibus *sita est*; sed humilium
es dominus, & minimorum es adjutor, defensor
infirmorum, deploratorum protector, desperatorum servator; næ næ, ô Deus patris mei, & Deus hæreditatis Jisraëlitarum.
16 Domine cælorum & terræ, creator aquarum, rex omnium rerum creatarum tuarum,
17 Tu exaudi orationem meam:
18 Et [i] præsta ut sermo meus *sit* fraudi, &
vulneri, & cicatrici istis; qui contra testamentum
tuum, & domum sanctificatam tuam, verticémque Tzijonis, & domicilium possessionis filiorum tuorum consilia dura inierunt,
19 Denique [k] affer in omni gente notitiam
tui, & totius potentiæ tuæ viriúmque, non esse
alium qui protegat gentem Jisraëlis præter te.

d Græc. ad divisionem filiorum.
e Græc. in adjutorem.
f Græc. sancta.
g Græc. gloriæ tuæ.
h Græc. erectionem, ut inf. 12. 8.
i Græc. da sermonem meum esse & fraudem, & vulnus, &c.
k Græc. fac.

CAPUT X.

1 Fuit autem, quum desivisset inclamare
Deum Jisraëlis, & perfectis omnibus verbis suis surrexisset ex procubitu suo,
2 Ut vocaret ancillam honorariam suam, &
descendens in domum in qua versabatur diebus
sabbathi & festis diebus suis, atque evolvens cilicium quo induta erat, exueret vestimenta viduitatis suæ.
3 Deinde circumluit os aqua, & ungens unguento [a] optimo disposuit capillos capitis sui, &
imposita sibi mitra induit vestimenta [b] festiva
sua, quibus ornabatur [c] quo tempore vivebat vir
ipsius Menasche.
4 Quúmque sumens sandalia adhibuisset
pedibus suis, & circumposuisset brachialia, & armillas, annulósque, & inaures, ac totum mundum suum, denique venustè se composuisset valdè [d] ad decipiendum oculos virorum, quicumque visuri essent ipsam,
5 Dedit ancillæ honorariæ suæ ligneum
utrem vini, & vas olei, perámque implevit farina, & palathis, panibúsque & [*] caseis, quæ circumvolvens omnia vasa sua imposuit ei.
6 Ita exiverunt unà ad portam civitatis
Bethchoglæ, inveneruntque adstantes ei Huzzijam & Seniores civitatis Chabrin & Carmin.
7 Qui ubi viderunt eam [e] altera specie, &
mutata veste, admirati pulcritudinē ejus quamplurimum,
8 Dixerunt ei, Deus Deus majorum nostrorum [f] efficiat te gratiosam, & perficiat instituta
tua ad gloriationem [g] Jisraëlitarum, & exaltationem Jerusehalaimorum; atque adoraverunt
Deum.
9 Illa verò dixit eis, præcipite aperiri mihi
portam civitatis, ut egrediar ad perficiendū sermones, quos loquuti estis mecum. præceperunt
itaque adolescentibus, ut aperirent ei quemadmodum dixerat; qui fecerunt ita.
10 Egressa igitur Judith ipsa & ancilla ipsius
cum ea, prospectabant ad eam oppidani, donec
descendisset montem, & transivisset vallem, neque ampliùs viderent eam.
11 Abierunt autem per vallem rectà, ubi occurrente ipsi prima Assyriorum custodia prehenderunt eam, & interrogarunt eam, ex quibus
es? & unde venis?
12 Quæ dixit, filia sum Hebræorum, [*] & fugio a conspectu eorum, quia futurum est ut tradantur vobis [h] devorandi.
13 Ego verò venio in conspectum Holophernis primarii ducis copiarum vestrarum, ut renunciem [i] res veras: nam demonstrabo [k] ei viam per quam proficiscens dominium totius mōtanæ *regionis* obtinebit; [l] nec disperibit virorum
ipsius ullus, aut ullum animal.
14 Quum autem audissent viri isti verba illius, & considerantibus faciem ejus [m] videretur
valde admirabilis pulcritudine,
15 Dixerunt ei, servasti [n] te ipsam, quòd festinaveris descendere in conspectum domini nostri: nunc ergo accede ad tentorium ejus, & *quidam* ex nobis deducent te, donec te in manus ejus tradiderint.
16 Verùm, quando stabis coram ipso, ne metuas [o] animo tuo; sed renuncia [p] in hanc sententiā, & benefaciet tibi. ita delegerunt [q] ex suo numero viros centum, quos adjunxerūt ei & ancillæ honorariæ ejus, deduxerúntque eam ad tentorium Holophernis. Fuit autem concursus in
totis castris, quum pervasisset clamor tentoria
de adventu ejus: venientésque circumdabant
ea, quando stabat extra tentorium Holophernis,
donec renunciassent ei de illa; & admirantes
pulcritudinem ejus admirabantur Jisraëlitas.
17 Dicebat enim alter alteri, quis contemnat populum istum, qui habet apud se mulieres
hujusmodi? non est bonum relinqui ex iis virum
unum, qui dimissi possent arte circumvenire omnes *incolas* terræ.
18 Posteà egressi qui excubabant in tentorio
Holophernis, omnésque administri ejus, introduxerunt eam in tentorium.
19 Quiescebat autem Holophernes super
cubili suo in conopeo, quod erat ex purpura auróq; & smaragdo, & lapidibus preciosis contextum; sed quum renunciassent ipsi de ea, exiverat
in proscenium cum lampadibus argenteis, præeuntibus ipsi.
20 Quúmque venisset Judith in conspectum
ejus & administrorum ejus, admirantibus omnibus

a Græc. pingui.
b Græc. jucunditatis.
c Græc. diebus vitæ viri.
d Græc. ad decipionem oculorum.
* Græcè quidem legitur καθαρῶν, id est, puris panibus; sed non dubium est, quin præferenda sit Hieronymi lectio καὶ τυρῶν, id est, & caseis. Quamobrem nobis placuit in contextum eam reponere.
e Græc. ut erat alteratus aspectus ejus.
f Græc. det te in gratiam.
g Græc. filiorum Jisraëlis.
* de hoc mendacio, & sequente simulatione tota, quid judicii faciendum sit, sup. docuimus 9. 2.
h Græc. in devorationem.
i Græc. verba veritatis.
k Græc. ante faciem ejus.
l Græc. nec dissonabit virorum ejus caro ulla, neque spiritus vitæ.
m Græc. esset coram ipsis.
n Græc. animam tuam.
o Græc. corde.
p Græc. secundum hæc verba tua.
q Græc. ex se

bus pulcritudinem faciei ejus, procidens in fa-
ciem inclinavit se *habens honorem* ei; sed servi illi-
us erexerunt eam.

CAPUT XI.

1 Dixit verò Holophernes ei, bono animo
esto, mulier, ne timeas, apud [a] animum
tuum. Nam ego malo non affeci [b] quemquam,
qui certo consilio voluerit servire Nebucadne-
tzari regi totius terræ:
2 Atque etiam nunc in populares tuos ha-
bitantes montanam *regionem* istam, nisi me fecis-
sent nihili, non fuissem sublaturus hastam me-
am: sed ipsi sibi confecerunt ista.
3 Nunc itaque dic mihi cujus rei causa effu-
geris ab eis, & veneris ad nos: [c] venisse enim
tibi salutare futurum est. Esto bono animo: hac
nocte victura es, & deinceps: Non enim est qui
faciat injuriam tibi, sed benefaciet *quisque* tibi,
ut fit servis domini mei Nebucadnetzaris regis.
4 Cui dixit Judith, accipe verba ancillæ tuæ,
& loquatur famula tua [d] coram te: Non enim
renunciabo mendacium domino meo nocte
hac: sed si sequaris sermones ancillæ tuæ, perfe-
ctè negotium faciet tecum Deus, neque decidet
dominus meus institutis suis.
5 Nam *ut* vivit rex Nebucadnetzar totius
terræ, & vivit potentia illius, qui misit te ad cor-
rectionem omnis animæ, non solùm homines
per te serviunt ei; verumetiam bestiæ agri, &
pecudes, & volucres cæli, robore tuo victuræ
sunt sub Nebucadnetzare, & tota domo illius.
6 Audivimus enim sapientiam tuam & ver-
sutias animi tui, & renunciatum est toti huic ter-
ræ, te unum [e] peritissimum esse in toto regno, &
potentem scientia, & admirabilem administra-
tione bellica.
7 Jam verò *de* sermone, quem loquutus est
Achior in consessu tuo, audivimus verba illius:
quia asciverunt eum Bethchoglani, & renuncia-
vit eis, quæcumque eloquutus fuerat apud te.
Propterea domine imperator, ne omittas ser-
monem ejus; sed repone eum in animo tuo, quia
verus est:
8 Nam genus nostrum non fert ultionem,
nam non prævalet gladius eis, nisi peccaverint
in Deum suum.
9 Sed nunc (ut dominus meus [f] non deji-
ciatur spe, & re infecta abeat) [1] & accidit mors in
conspectum eorum, & occupavit eos peccatum,
quo provocant Deum suum quandocunque fe-
cerint [g] rem alienam:
10 Quoniam defecerunt eos alimenta ipso-
rum, & rara est omnis aqua; ideoque consilium
iniverunt invadendi pecudes suas, & quæcunq;
discrevit ipsis Deus in legibus suis ne comedant,
decreverunt consumere:
11 Et primitias frumenti, decimásque vini &
olei, quas sanctificatas custodiebant Sacerdoti-
bus qui adstant Jeruschalaimis in conspectu Dei
nostri, statuerunt absumere, quæ ne manibus
quidem conveniebat contingere quemquam
popularium.
12 [2] Miserunt autem Jeruschalaima: quòd si
ii etiam qui illic habitant [h] assenserint eis qui re-
portarunt his remissionem a senatu, manebunt
quidem hi donec renuncietur ipsis, sed ita faci-
ent: tradentur tibi [i] profligandi eo ipso die.
13 Itaque ego ancilla tua cognoscens omnia
hæc, aufugi a conspectu illorum; & misit me
Deus ad conficiendum res tecum, de quibus
obstupescent in tota terra quicunque eas audi-
verint.
14 Nam ancilla tua pia est, & serviens no-
ctu atque interdiu Deo cæli. Nunc ergo mi do-
mine, maneam apud te, & exiens ancilla tua de
nocte in vallem istam orabo Deum ut renunciet
mihi, quando commiserint peccata ipsorum:
veniénsque referam ad te, ut progrediaris cum
omnibus copiis tuis, nec erit ex eis qui obsi-
stat tibi.
15 Et ducam te per mediam Jehudææ, donec
pervenias e regione Jeruschalaimorum:
16 Et ponam sedem tuam in medio *civitatis*
illius, ut agas eos tamquam pecudes, quibus non
est pastor:
17 Ac ne canis quidem mutiet lingua sua ad-
versum te: hæc enim mihi dicta sunt ex prænotio-
ne mea, & renunciata mihi, quæ missa sunt ut re-
nunciem tibi.
18 Placuerunt autem sermones ejus [k] Holo-
pherni, & omnibus administris ipsius, qui admi-
rantes sapientiam ejus dixerunt,
19 Non est [l] ab extremitate una terræ ad al-
teram mulier ejusmodi, pulcritudine vultus, &
peritia sermonum.
20 Et dixit Holophernes ei, benefecit Deus,
qui præmisit te populo isti, ut adsit manibus no-
stris robur, perditio verò iis qui nihili fecerunt
dominum meum. [3] Nunc autem *ut* tu venusta es
specie, & grata sermonibus tuis!
21 Si feceris prout loquuta es, deus tuus e-
rit mihi Deus, & tu in domo regis Nebucadnet-
zaris sedens eris nominatissima in tota terra.

[a] Græc. cor. sic deinceps.
[b] Græc. hominem.
[c] Græc. venisti enim ad salutem.
[d] Græc. in facie tua.
[e] Græc. bonum.
[f] Græc. non sit dejectus & sine fructu.
[1] i. jam rei mortis sunt Judæi ex peccato suo, quod sequentibus exponitur.
[g] Græc. absurditatem.
[2] hic versus obscuritatem quidem habet non mediocrem: sed nos ex adjunctorum collatione in hanc sententiam accipimus. Jam quidem Senatus Beth-choglæ rem esse liberam & in tantis angustiis côcessam judicavit: verùm quia in rebus dubiis sententia fuit roganda & Synedrii Sacerdotis Hierosolymitani, Deut. 17. placuit Reipub. homines mittere Jeruschalaima qui sententiam illius cognoscerent; ut si res ab illo comprobabitur quam Senatus Beth-chogla concesserat, ita fiat: sin minus, ut abstineatur. Jam verò (inquit Judith) sive probent illi, sive improbent, Beth-choglani rei sunt peccati ex consilio suo: sed tamen si Jeruschalaimis (ut futurum præcipio animo) res comprobabitur, tum demû peccatum erit commune omnium: atque hoc pacto spondeo te potiturum Jeruschalaimis & Jehudæa tota.
[h] Græc. fecerint eadem eis.
[i] Græc. in profligationem.
[k] Græc. coram Holopherne & coram omnibus.
[l] Græc. ab extremitate usque ad extremitatem terræ.
[3] elegantissima perturbati ex amore animi figuratio, quum Holophernes ex spectu solo mulieris istius percitus, amantium more per illam jurat, cujusmodi ὅρκοι apud Plautum & alios non pauca extant.

CAPUT XII.

1 Tum jussit [a] introduci eam in locum ubi
deponebatur argentea supellex ipsius, &
præcepit instrui mensam ei de opsoniis ejus, &
de vino suo bibendum dari:
2 Cui dixit Judith, non comedam ex eis,
[1] ne qua fiat offensa; sed de iis quæ [b] mecum al-
lata sunt, *victus* ministrabitur.
3 Dicente verò Holopherne ei, at si defece-
rint ea quæ habes penes te, unde habituri sumus
similia eis, quæ demus tibi? Non enim est nobis-
cum [2] quisquam e gente tua:
4 Respondit ei Judith, *ut* vivit anima tua
domine mi, non consumet ancilla tua hæc quæ
sunt penes me, donec fecerit dominus manu
mea, quæ statuit consilio suo.
5 Quum itaque abduxissent eam ministri
Holophernes in [3] tentorium illud, somnum ce-
pit ad mediam usque noctem, deinde surrexit
sub matutinam vigiliam,
6 Et misit ad Holophernem dicens, præci-
piat quæso dominus meus, ut sinatur ancilla
tua ad precandum egredi: præcepítque Holo-
phernes custodibus suis, ne prohiberent ipsam.
7 Ita permansit in castris triduo; noctu verò
egrediebatur in vallem Bethchoglæ, & abluebat
se ad [4] fontem illum aquæ in castris:
8 Quúmque ascenderet, orabat dominum
Deum Jisraëlis, ut dirigeret viam ipsius [c] ad
erigendum populares suos.
9 Et ingressa permanebat munda in tento-
rio, usque dum afferret ancilla alimentum ipsius
sub vesperam.
10 Fuit autem die quarto, ut exhibito Ho-
lophernes convivio servis suis [d] solùm, neque
vocato ad [e] epulas ullo eorum qui [f] negotiis præ-
erant, diceret Bigvaio eunucho, qui præerat
omnibus

[a] Græc. introducere.
[1] nempe in Deû, quem a se coli antè professa est 11.14.
[b] Græc. sequuta sunt me.
[2] nempe qui cibaria curet ejusmodi, iis legibus & cautionibus, quas observat gens tua.
[3] nempe Bigvaii, inf. vers. 11. ubi argentum & res omnes preciosæ custodiebantur vers. 1.
[4] de quo suprà 7.3.
[c] Græc. ad erectionem filiorum populi sui.
[d] Græc. solis.
[e] Græc. vocationem vel invitationem.
[f] Græc. ipsibus.

omnibus rebus ipsius; profectus jam persuade mulieri isti Hebrææ, quæ est apud te, ut veniat ad nos, & g convivetur nobiscum:

g Græc. comedat & bibat.

11 Ecce enim turpe nobis est si mulierem hujusmodi omittamus, nec conversemur cum ea. Nam nisi eam pertraxerimus, derisura est nos.

12 Egressus itaque Bigvai a conspectu Holophernis accessit eam & dixit, ne pigretur puella hæc pulcra venire ad dominum meum, ut gloriam consequatur in conspectu ejus, & bibere nobiscum h hilariter vinum, ac fieri hodierno die ut aliqua filiarum i Assyriarum, quæ adstant in domo Nebucadnetzaris.

h Græc. ad hilaritatem.
i Græc. filiorum Assur.

13 Cui respondit Judith, & quę sum ego, quę contradicam domino meo?

14 Nam quicquid placiturum est in oculis ejus, studiosè factura sum: atque hoc mihi futurum est exsultationi ad diem usque mortis meæ.

15 Ita exsurgens ornavit se veste & toto mundo muliebri suo: quúmq; accedens ancilla ejus 5 stravisset ei coram Holopherne humi eas pelles, quas acceperat a Bigvaio ad quotidianum usum suum, ut comederet accumbens in eis, ingressa Judith accubuit.

5 ex prisca accumbendi forma.

16 Tum obstupescente corde Holophernis de ea, & commoto animo ejus, fuit cupientissimus admodum congrediendi cum ea: nam observabat occasionem decipiendi eam ex quo die primùm eam viderat.

17 Dixitq; Holophernes ei, bibe jam, & esto nobiscum k hilaris.

k Græc. ad hilaritatem.

18 Cui Judith, jam bibam, inquit, domine, quia magnificentiam adepta vita mea videtur in me hodie plus quàm ullo die l ex quo nata sum.

l Græc. nativitatis meæ.

19 Accipiénsq; comedit & bibit coram eo, quæ ancilla ipsius præparaverat.

20 Quamobrem lætatus Holophernes de ea bibit multum vini admodum, quantum non biberat unquam die uno ex quo natus erat.

CAPUT XIII.

1 Ut autem a advesperavit, b festinantes servi ejus receperunt se; Bigvaius verò conclusit tentorium ejus foris, quum dimisisset adstantes a conspectu domini sui, & discessissent ad cubilia sua.

a Græc. vespera facta esset.
b Græc. festinaverunt recipere; sic V. 14.

2 Erant enim omnes defatigati, eò quòd plurimùm c usi essent potu: Judith verò sola in tentorio illo relicta est,

c Græc. fuissent potu.

3 Et Holophernes, qui antè procubuerat in lecto suo, quia d perfusus erat vino.

d Græc. circumfusum erat ei vinum.

4 Judith autem edixerat ancillæ suæ, ut stans extra cubiculum ipsum observaret egressum ipsius, prout quotidie *fecerat*; nam dicebat se egressuram esse ad precationem suam: & Bigvaium alloquuta erat in eamdem sententiam. Itaque abiverant omnes a conspectu ejus, & nemo relictus fuerat in eodem cubiculo, e neque parvus, neque magnus.

e Græc. a parvo usque ad magnum: sic vers. 15.

5 Tum consistens Judith ad lectum illius, dixit f apud animum suum,

f Græc. in corde suo.

6 Domine Deus omnis potentię, respice hora hac ad opera manuum mearum, g ut exaltentur Jeruschalaima: quandoquidem jam tempus *est* defendendi hæreditatem tuam, & efficiendi instituta mea h ad confringendum hostes, qui insurrexerunt in nos.

g Græc. ad exaltationē Jeruschalaimorum.
h Græc. confractionem hostium, sic V. 24.

7 Et accedens ad 1 regulam lecti quæ erat ad caput Holophernis, depromsit ex eo 2 acinacem, & appropinquans lecto prehendit pugno comam capitis ejus dicendo:

1 impagem illam transversam, cui cervical apponitur: nam illa in cubilibus eadem ratione appellatur regula, qua in prælis, & trapetis apud Græcos & Latinos auctores trabes circumstantes dicuntur regulæ. Usitatum est autem viatoribus militibúsque, ut gladium, zonam pecuniámque cervicali subdant.
2 gladium Persicum, per quem ferè jurabant illi: de cujus forma apud veteres leguntur multa.

8 Corrobora me, domine Deus, hodierno die.

9 Et incussit in collum ejus duos ictus robore suo, auferénsque caput ejus ab eo devolvit corpus ejus e strato,

10 Et abstulit a columnis 3 conopeum ipsum.

3 est quidem conopeum illud quod propter infesta animalcula adhiberi solet, quæ Græci appellant κώνωπας: sed hic potius accipiendū est infimum stratum, quo molliores viri utuntur in grabatis castrensibus: quod conopeum sine solo ligneo, aut alio sustentaculo columnis lecti & spondæ appingitur. Qua autem causa hoc fecerit vide infrà vers. 19.

11 Egressáque paulo post tradidit ancillæ honorariæ suæ caput Holophernis, quum indidisset illud in peram cibarii sui.

12 Ita egressæ sunt ambæ simul pro sua consuetudine ad precationem, & trajicientes castra circumiverunt 4 vallem illam, ascendentésque montem Beth-choglæ venerunt ad portas illius:

4 de qua sup. 6.

13 Dixítque Judith e longinquo custodibus qui erant ad portas, aperite, aperite modò portam hanc; nobiscum Deus Deus noster est ad faciendum adhuc i res potentes in Jisraële, & robustas contra inimicos, quemadmodum etiam fecit hodierno die.

i Græc. potentiam in Jisraële & robur.

14 Fuit autem quum audissent viri civitatis illius vocem ejus, ut festinantes descenderent ad portam civitatis suæ, & Seniores civitatis illius convocarent:

15 Concursantésque omnes æquè parvi ac magni, eò quòd præter opinionem videbatur ipsis reverti illam, & aperientes portam susceperunt eas.

16 Quúmque accendisset ignem k lucis causâ circumstabant eas.

k Græc. ad lucem.

17 Illa verò voce magna dicebat eis,

18 Laudate Deum, laudate, laudate Deum: quia non abstitit misericordia ejus a domo Jisraëlis, sed diffregit inimicos nostros mea manu nocte hac:

19 Proferénsque caput illud e pera sua ostendit, & dixit eis, Ecce caput Holophernis primarii ducis copiarum Assyriæ: ecce quoque conopeum cui incumbebat l ebriosus, ubi percussit eum dominus per manum fœminæ.

l Græc. in ebrietatibus suis.

20 Nam ut vivit Dominus qui conservavit me in hac vita mea, qua ambulavi; decepit eum vultus meus ad perditionem ipsius, nec tamen commisit peccatum mecum m impurum aut pudendum ullum.

m Græc. ad pollutionem aut pudorem.

21 Tum obstupuit totus populus admodum, & inclinantes se adoraverunt Deum:

22 Dixeruntque uno animo, benedictus es Deus noster, qui in nihilum redegisti hodierno die inimicos populi tui.

23 Huzzija verò dixit ei, tu benedicta es, ô filia, a Deo altissimo supra omnes mulieres, quæ versantur in terra,

24 Et benedictus dominus Deus, qui creavit cælos & terram, quòd direxerit te ad diffringendum caput principis inimicorum nostrorum.

25 Nam 5 non absistet spes tua a mente hominum recordantium robur Dei in seculum: faciat itaque Deus hæc tibi ad exaltationem æternam, ut n respiciens ad te perfundat te bonis, quandoquidem non pepercisti o vitæ tuæ, propter abjectionem gentis nostræ: sed prævenisti casum nostrum rectà ambulans coram Deo nostro.

5 i. pii omnes semper tuæ pietatis & fidei speique quam in domino collocasti, mentionem facient.
n Græc. ad respiciendum te in bonis.
o Græc. animæ.

26 Dixítque totus populus, p Amen Amen.

p Græc. Fiat fiat.

CAPUT

CAPUT XIIII.

1 Dixit verò Judith illis, auscultate mihi jam fratres, & accipientes caput istud suspendite ipsum in projectura summa muri nostri.

2 Eritque illucescente matutino, & exoriente sole super terram, ut assumatis quisque arma bellica vestra, & procedat omnis vir potens extra civitatem, quum imposueritis ducem eis, tamquam descensuri in campum ad primam custodiam Assyriorum, quamvis minimè descensuri estis.

3 Tum assumentes isti omnia arma sua, ibunt in castra sua, excitabúntque duces copiarum Assyriæ,

4 Quúmq; accurrentes ad tentorium Holophernis non invenerint ipsum, irruente in eos metu fugient a conspectu nostro.

5 Tum verò insequentes vos & quicumque habitant totum terminum Jisraëlis, prosternite eos [a] ubicumque fuerint.

[a] *Græc. in viis ipsorum.*

6 Verùm antequam faciatis ista, arcessite mihi Achiorem Hammonitam, ut videns agnoscat illum qui nihili faciebat domum Jisraëlis, & qui ipsum [b] tradendum morti miserat ad nos: vocaverunt itaque Achiorem e domo Huzzijæ; qui quum venisset, videns caput Holophernis ad manum cujusdam viri in congregatione populi, procidit in faciem, tamquam soluto spiritu suo. Quum autem resumsissent eum, accidit ad pedes Judithæ, & inclinans se coram ea dixit, Tu *verò* benedicta es in omni tentorio Judæ, & in omni gente: quæ audito nomine tuo turbabuntur: nunc autem renuncia mihi quæ feceris diebus istis; renunciavítque Judith ei in medio populi quęcumque fecerat, ex quo die exiverat usque dum erat alloquuta ipsos; quumque desiisset loqui, voce magna jubilavit populus, ediderúntque vocem hilarem in civitate sua.

[b] *Græc. ad mortem.*

7 Videns verò Achior quæcumque fecerat Deus Jisraëlis, credidit Deo admodum, & circumcisus carne pręputii sui adjunctus est domui Jisraëlis usque ad diem hunc.

8 Matutina autem lux quum ascendisset, suspenderunt caput Holophernis de muro, & assumens quisque vir arma sua processerunt [c] per acies in ascensus montis; quos quum viderent Assyrii, transmiserunt ad ductores suos.

[c] *Græc. secundum cohortem.*

9 Venerunt igitur illi ad duces, & chiliarchos, & ad omnem principem ipsorum; qui accedentes ad tentorium Holophernis, dixerunt [d] præfecto prætorio ejus,

[d] *Græc. ei qui erat super omnes res ejus.*

10 Excita jam dominum nostrum; nam audent ista mancipia descendere contra nos in [e] pugnam, ut profligentur prorsus.

[e] *Græc. in finem.*

11 Ingressus autem Bigvai pulsavit vestibulum tentorii,

12 Suspicabatur enim eum cum Juditha dormire.

13 Sed quum nemo exaudiret, aperiens ingressus est in cubiculum,

14 Ubi invenit eum jacentem super strato mortuum, capite ejus ablato ab eo, exclamavítque voce magna cum fletu ac gemitu & clamore valido, disrumpens vestimenta sua:

15 Deinde ingressus tentorium ubi solebat Judith pernoctare, nō invenit eam: quamobrem prosiliens ad populum clamavit, prævaricati sunt servi, [f] attulit confusionem unica mulier Hebræorum domui regis Nebucadnetzaris: nam ecce Holophernes humi *jacet*, & caput ejus non adest ei.

[f] *Græc. fecit.*

16 Hæc autem verba quum audissent principes copiarum Assyriæ, disruperunt statim tunicas suas, & turbatus est animus eorum valdè:

17 Eorúmque clamor & vociferatio magna valdè [g] in castris effecta est.

[g] *Græc. in medio castrorum.*

CAPUT XV.

1 Sed quum audissent ii qui erant in tentoriis, obstupuerunt de eo quod factum fuerat, & accidit eis timor & trepidatio,

2 Adeò ut non maneret quisquam in conspectu proximi sui ampliùs; sed effusi uno animo fugerent in omnem viam planitiei & regionis montanæ, & ii quoque qui in regione montana circum Bethchoglam castra posuerant, in fugam verterentur.

3 Tum verò filii Jisraëlis unusquisque, inquam, [a] bellator ex eis effusi sunt in eos:

[a] *Græc. vir bellator.*

4 Et misit Huzzija [1] Eschtemonem, & Bethbitem, & Chobámque, & Cholonem, denique in omnem terminum Jisraëlis, qui renunciarent de iis quæ confecta erant, indiceréntque ut omnes impetu effunderentur contra hostes ad tollendum eos.

[1] Hæc locorum nomina ex conjectura restituere hoc modo visum est propter sequentes voces, & in omnē terminum, &c. Nam tres his quidem vocibus termini videntur designari, quibus Assyrii poterant effugium sibi investigare: occidentis terminus hic nullus ponitur, quia mare omnem effugiendi spem fuisset ademturum. Sunt autem duo priora loca ad meridiem sita in tribu Jehudæ & Schimhonis: Choba verò ad septemtrionem est, Genes. 14.15. Cholon denique orientem versus, ubi Anlona Gręci quoque scriptores statuerunt.

5 Quod quum audissent Jisraëlitæ, omnes uno animo irruerunt in eos Chobam usque, similitérque ii qui Jeruschalaimis advenerant, & ex tota regione montana, quia renunciaverant ipsis ea quæ facta fuerant castris inimicorum suorum:

6 Et qui in Gilhade, quique in Galilæa habitabant, irruentes fuderunt eos plaga magna, donec præteriissent Damascum & terminos ejus.

7 Ac habitatores quidem Bethchoglæ reliqui irruerunt in castra Assyriorum, & prædati eos divitiarum plurimum adepti sunt:

8 Jisraëlitæ verò a cæde reversi reliquiis potiti sunt, vicísque & civitates quæ in montana & campestri regione erant, obtinuerunt multa spolia: erat enim multitudo *eorum* magna valdè.

9 [2] Jojakim verò Sacerdos ille magnus, & senatus [b] Jisraëlitarum habitantes Jeruschalaimis venerunt, ut [c] [3] constituerent bona quæ fecerat Deus Jisraëli, & visa Juditha [d] alloquerentur eam verbis pacis.

[2] de quo suprà 4.5.
[b] *Græc. filiorum Jisraëlis.*
[c] *Græc. fundarent.*
[3] id est, ut rebus sanctè & prudenter prospicerent, ordine rebus omnibus imposito, ne aut Dei offensa, aut administrationis imprudentia tantùm bonum per gratiam Dei castimatum, labefactaretur.
[d] *Græc. loquerentur cum ea pacem.*

10 Ingressi autem ad eam benedixerunt ei uno animo, dicentes ei:

11 Tu exaltatio Jeruschalaimorum, tu exaltatio magna Jisraëlis, tu gloriatio magna es gentis nostræ; quòd feceris hæc omnia manu tua, & te afficiente bonis Jisraëlem Deus prosequutus sit eos benevolentia: benedicta sis ab omnipotente domino in ęternum tempus; dixítque populus totus, Amen.

12 Spoliavit autem populus castra per dies triginta:

13 Dederúntque Judithæ tentorium Holophernis, instrumentáque argenti omnia, & lectos, urnásque, & omnia supellectilia ejus; quæ accipiens illa imposuit aliā mulæ suæ, aliáque junctis plaustris suis cumulans imposuit.

14 Tum concurrens unaquæque mulier Jisraëlitis ad videndum eam, benedixerunt ei, & exhibuerunt ei choream ex numero suo.

15 Quúmque illa accipiens thyrsos in manus suas dedisset quoque mulieribus, quæ comitabantur

bantur ipsam, vicissim coronam oleæ imposue-
runt ipsi, & [4] ipsius comiti. Ita processit coram
toto populo in chorea dux omnium mulierum,
& sequuti sunt omnes Jisraëlitæ armati cum co-
ronis, & hymnis ore ipsorum *decantatis*.

4 id est, ancillæ honorariæ, quæ ipsam fuerat prosecuta.

CAPUT XVI.

1 NAm incipiente Juditha professionem
hanc apud totum Jisraëlem, totus po-
pulus post eam proloquutus est laudationem
hanc.
2 Dixit ergo Judith, incipite Deo meo *ca-
nere* tympanis, modulamini ei psalmos, laudém-
que, exaltate & invocate nomen ejus;
3 Quia Deus conterens bella, quia in castra
incurrens in medio populi eduxit me e manu per-
sequentium me.
4 Venerat Assyrius e montibus, a Borea,
5 Venerat cum myriadibus copiarum sua-
rum, quarum multitudo obthuraverat torren-
tes, & quarum equitatus tegebat colles:
6 Dicebat se incensurum [1] terminos meos,
& adolescentes meos sublaturum gladio, lacten-
tésque [a] abjecturum in solum, & infantes meos
[b] expositurum depopulationi, virginésque meas
prædaturum:
7 Sed dominus omnipotens [c] deturbavit
eos manu fœminæ.
8 Non enim cecidit potens ille a juvenibus,
neque posteri [2] Titanum percusserunt eum, ne-
que excelsi gigantes aggressi sunt eum; sed Ju-
dith filia Merari pulcritudine vultus sui dissolvit
eum.
9 Exuerat enim stolam viduitatis suæ ad
[d] exaltandum Jisraëlitas laborantes:
10 Unxerat faciem suam unguento, & de-
vinxerat crines suos insertos mitræ, ceperátque
stolam lineam, ut deciperet eum.
11 Hujus sandalium abripuit oculum illius,
& pulcritudo hujus captivam tenuit animam il-
lius: pervasit acinaces collum illius.
12 Horruerunt Persæ audaciam illius, & Me-
di *ad* facinus audax illius perturbati sunt.
13 Tum jubilarunt humiles mei, & exclama-
runt infirmi mei, quum *illi* perterrefacti sunt;
exaltarunt vocem suam, quum retroversi sunt.
14 [e] Puelli confoderunt eos, & tamquam
pueros [f] fugitivos vulnerarunt eos, perierunt ab
instructa acie, domini Dei mei.
15 Cantabo domino hymnum novum.
16 Domine magnus es & gloriosus, admira-
bilis potentia, & inexsuperabilis.

1 Verba totius Ecclesiæ cum Juditha concinentis, ut dicitur vers. 1.
a *Græc. positurum.*
b *Græc. daturum.*
c *Græc. irritos fecit, vel deposuit.*
2 hæ voces, Titanum & Gigantum, planè ostẽdunt hunc librũ a recentiore aliquo auctore cõscriptum esse: nusquam enim sic loquitur in libris authenticis sanctus Dei Spiritus simplicissimus veritatis doctor.
d *Græc. altitudinem laborantium Jisraëlitarum.*
e *Græc. filii puellarum.*
f *Græc. fugitivorum.*

17 Tibi serviat omnis creatura tua; quia
dixisti & facta sunt; misisti spiritum tuum qui
ædificavit, neque est qui obsistere possit voci
tuæ.
18 Montes enim a fundamentis cum aquis
commoverentur, & petræ a conspectu tuo, ut
cera liquescerent.
19 Erga eos autem qui timentes sunt tui, tu
propitius futurus es planè. Nam parva res *vide-
tur* tibi omne sacrificium ad odorem gratum, &
minima omnis adeps ad holocaustum tuum; sed
qui timet dominum, omnino magnus est.
20 Væ gentibus quæ insistunt in genus me-
um: Dominus omnipotens ulciscetur eas die
judicii,
21 Indendo ignem vermésque carnibus ea-
rum, quorum sensu fleant in seculum.
22 Ingressi autem Jeruschalaima adorave-
runt dominum; & postquam fuit purificatus po-
pulus, obtulerunt holocausta sua, & voluntarias
oblationes, ac donaria sua.
23 Obtulit verò Judith omnia instrumenta
Holophernis, quæ dederat ipsi populus; & cono-
peum ipsum quod acceperat e cubiculo illius
donarium [g] sacravit domino.
24 Populus verò hilaria egit Jeruschalaimis
[h] coram sanctuario per tres menses, & Judith
cum ipsis mansit.
25 Quibus diebus transactis [i] junctis *equis*
reversus est quisque in hæreditatem suam, & Ju-
dith profecta Bethchoglam, mansit apud facul-
tates suas.
26 Fuitque tempore suo gloriâ illustris in re-
gione tota:
27 Et quamvis multi concupiscentes ambi-
rent eam, non tamen cognovit eam quisquam
omnibus diebus vitæ ejus, ex qua hora mortuus
erat Menasche vir ejus, usque dum aggregata est
ad populum suum.
28 Sed provecta est, ut *erat* magna valdè, con-
senuítque in domo viri sui ad annos centum
quinque, dimisitque ancillam honorariam suam
[k] in libertatem. Ita mortua est Bethchoglæ, &
sepelierunt eam *cives* in spelunca viri ipsius Me-
naschis, luxítque eam domus Jisraëlis diebus
septem.
29 Distribuit autem facultates suas, ante-
quàm moreretur, omnibus proximè Menasché
virum suum, & proximè genus suum attingen-
tibus:
30 Nec fuit ampliùs qui metum [l] Jisraëlitis
injiceret diebus Judithæ, & diebus multis [m] post
mortem ipsius.

g *Græc. dedit.*
h *Græc. in conspectu sanctorum: sic accipiuntur sancta suprà 4.15. & 8.20.*
i *Græc. junxit.*
k *Græc. liberam.*
l *Græc. filiis Jisraëlis.*
m *Græc. postquam mortua est ipsa.*

B A R U C.

BARUC *deportata in Babyloniam Jehudæorum parte, eâdem data occasione profectus cum deportatis fratribus communicat: qui collectam mittentes Jeruschalaima pro cultu Dei, scribunt ad fratres qui erant in Jehudæa reliqui literas de agnitione & confessione peccatorum, de resipiscentia, & Euangelicis in resipiscentes promissionibus. Ac postremò epistolam Jirmejæ ad deportatos subjicit, qua illi adversus idola & idololatriam confirmantur.*

CAPUT PRIMUM.

[1] Hujus libri inscriptio tam multis verbis implicata est, ut vix adhuc judicio meo fuerit ab ullo explicata. Summa est, Barucum anno a Jehojakinis deportatione quinto versantem in Babylonia, ut peritus erat scriba, fratribus deportatis cōmunicato cōsilio tradidisse exemplū literarum, quod ipse exaraverat, ut ad fratres qui in Judæa adhuc manserant, mitteretur. Quarum literarum summa partibus duabus comprehēditur: una est confessio peccatorum & deprecatio, a versu 15. hujus capitis ad versum 9. cap. 3. Altera est officii ad omnes pertinentis explicatio, ad finem usque: quæ quidem epistola eò quòd longior est, libellus appellatur. Itaq; continentur tria hoc capite: primum est inscriptio, novem versibus; secundum familiare consilium & communicatio deportatæ multitudinis, versib. quinque; postremum verò principiū ejus libelli, quem Baruc captivorū nomine conscripserat.

1 [1] HÆc autem *sunt* verba libri quę
scripsit Baruc filius Nerijæ fi-
lii Machseiæ, filii Tzidkijæ,
filii Chaschabjæ, filii Chilkiję
[2] in Babylonia.
2 [3] Anno quinto, septimo die [4] mensis illius,
eodem tempore quo ceperant Chaldæi Jeru-
schalaima, eáq; [5] incenderant igne.
3 Hujus ergo libri verba legit Baruc [a] audi-
ente Jeconja filio Jehojakimi rege Judæ,
4 Et audiente populo toto convenientibus
[b] ad lectionem libri, & audientibus potentiori-
bus, & filiis [c] principum, & Senioribus, denique
audiente toto populo [d] æquè parvo ac magno,
iis omnibus qui habitabant in Babylonia [6] ad
fluvium Sudi:
5 Quum flentes jejunarunt, & voverunt [7] vo-
ta coram domino.
6 Coëgerúntque pecuniam prout uniuscu-
jusque potuit [e] facultas;
7 (Quam miserunt Jeruschalaima ad Je-
hojakimum filium Chilkijæ, filii Schallumi Sa-
cerdotem, & ad Sacerdotes alios, & ad populares
omnes, qui [f] præsentes erant cum eo Jeruscha-
laimis,
8 [8] In terram Jehudæ die decimo [9] Sivanis,
ut accipiens ille restitueret vasa domus domini,
quæ elata fuerant e templo, vasa argentea quæ
curavit fieri Tzidkija filius Joschijæ rex Jehudæ,
9 Postquam deportans Nebucadnetzar rex
Babyloniæ Jeconjam & principes ac potentes
quosque vinctos, & populum terræ Jeruschalai-
mis abduxisset in Babyloniam)
10 Et dixerunt, Ecce misimus [10] ad vos pecu-
niam; ita comparate vobis pecunia hac holo-
causta, & *oblationes* pro peccatis, ac thus; & con-
ficientes [11] munus offerte ad altare domini Dei
nostri:
11 Et orate pro vita Nebucadnetzaris Regis
Babyloniæ, & pro vita Beltschatzaris [12] filii ejus,
ut sint dies illorum pares diebus cæli impenden-
tis terræ:
12 Dabítq; dominus vires nobis, illuminans
oculos nostros, ut viventes sub umbra Nebucad-
netzaris regis Babylonię, & sub umbra Beltscha-
tzaris filii ejus serviamus eis diebus multis, &
[g] consequamur gratiam coram eis.
13 Item orate pro nobis dominum Deum
nostrum, quia peccavimus domino Deo nostro;
necdum aversa est indignatio & ira ejus a nobis
in hunc usque diem.
14 Et legite libellum hunc quem misimus ad
vos, pronunciantes in domo domini diebus fe-
stis, & diebus solennibus.
15 Dicentes, domino Deo nostro justitia;
nobis verò confusio vultus *inest*, prout est hodi-
ernus dies, Jehudęo cuique, & habitatoribus Je-
ruschalaimorum,
16 Et regibus nostris, ac principibus nostris,
& Sacerdotibus nostris, & prophetis nostris, ma-
joribúsq; nostris;
17 Eò quòd peccavimus coram domino, &
fuimus ei immorigeri,
18 Neque auscultavimus voci domini Dei
nostri, ut ambularemus in præceptis ejus, quæ
exposuerat in conspectu nostro.
19 Ex quo die eduxit dominus majores no-
stros e terra Ægypti, usque ad diem hunc fuimus
immorigeri erga dominum Deum nostrum, e-
úmq; parvi fecimus, ut non auscultaremus voci
illius:
20 Et quamvis adhæserint nobis mala & ma-
ledictio illa, quam constituerat dominus Mo-
schi servo suo quo tempore eduxit dominus ma-
jores nostros e terra Ægypti, ut daret nobis ter-
ram affluentem lacte & melle, [13] ut hodierno
die:
21 Non tamen auscultavimus voci domini
Dei nostri in omnibus verbis prophetarum, quos
mittebat ad nos;
22 Sed ambulavimus unusquisque in cogita-
tione cordis sui nequam, colendo Deos alios, &
faciendo quæ mala videntur in oculis domini
Dei nostri.

[13] nempe adhuc possidemus beneficio Dei. Nam hæc dicuntur in persona eorum qui remanserant Jeruschalaimis.

CAPUT II.

1 IDeò præstitit dominus verbum suum, quod
proloquutus erat contra nos, & contra Ju-
dices nostros, qui judicabant Jisraëlem, & cōtra
reges nostros, & contra principes nostros, deni-
que contra [a] Jisraëlitas & contra Jehudæos,
2 Se adducturum contra nos mala magna,
quæ non facta fuerint sub toto cælo, prout fac-
tum est Jeruschalaimis, secundùm ea quæ scrip-
ta sunt in lege Moschis,
3 Vescituros nos [b] quemque carnibus filii
sui, & quemque carnibus filiæ suæ:
4 Et reddidit eos subjectos omnibus regnis
circumstantibus nos probro, & *desolationi* in viæ,
omnibus populis circumstantibus nos, ubi disse-
minavit eos dominus,
5 Fuerúntq; inferiores, ac non superiores:
quia peccavimus domino Deo nostro, & non
[c] auscultavimus voci illius.
6 Domino Deo nostro justitia; nobis verò &
majoribus nostris *inest* confusio vultuum, pro ut
est hodierno die:
7 Quæ eloquutus fuerat Dominus contra
nos, omnia mala illa supervenerunt nobis.
8 Non enim precati sumus faciem domini,
ut averteret unumquemque a cogitationibus
cordis sui nequam:
9 Ideircò invigilavit Dominus malis istis,
quæ adduxit dominus super nos. Nam justus est
dominus in omnibus operibus suis, quæ manda-
vit nobis.
10 Nos verò non auscultavimus voci ejus, ut
ambularemus in præceptis Domini, quæ [d] ex-
posuerat

[a] *Græc. virum Jisraëlis & Jehuda.*
[b] *Græc. virum.*
[c] *Græc. ad non auscultandum: quæ corrupta est Hebraismi interpretatio.*
[d] *Græc. dedera.*

[2] Alibi quidem legi non meminimus, quando aut quomodo Baruc in Babyloniam profectus sit ante deportationem regis Tzidkijæ: sed tamen si qua conjectura huc afferri potest, probabile est, eum anno quarto regni Tzidkiję cum Seraia fratre in Babyloniam profectum esse, Jirm. 51. 59. [3] a deportatione Jeconjæ, ut ex illo Jirmeję loco colligimus. [4] qui mensis fuerit, præcisè ex scriptura statui non potest, sed sequentibus verbis circumscribitur, q. d. præcisè quinto pòst anno, & eodem tempore, quo capta fuerant Jeruschalaima. [5] hoc me usquam legere non memini. Quamobrem si cui placebit credere, erit intelligendum ignem a Chaldæis subjectum fuisse, sed eo restincto opidum conservatum: alioqui post annos septem arserunt Jeruschalaima, 2. Reg & 2. Chron. & Jirm. ultimis capitib. [a] *Græc. in auribus; sic deinc.* [b] *Græc. ad librum.* [c] *Græc. regum; sed hoc nomine principes quoque regiæ stirpis appellantur.* [d] *Græc. a parvo ad magnum.* [6] nisi me animus fallit, fluvius ille est qui ex Euphrate derivatus circumfluit Babyloniam una ex parte, & in paludes Chaldaicas influit: ex quo fluvius Sudi, tamquam vastati & desolati agri, appellatur. [7] nempe earum oblationum, quæ sequentibus verbis exponuntur. [e] *Græc. manus.* [f] *Græc. inveniebantur.* [8] hic versus ex molestissima synchysi laborat in contextu Gręco, quam nos evidentiæ causa correximus. Sensus est, deportatos collectam suam Jeruschalaima transmisisse, ut Sacerdos magnus ex oblatione illa curaret argentea vasa fieri loco aureorum quæ per Nebucadnetzarem fuerant exportata, 2. Reg. 24. 13. quod postea auctoritate Regis Tzidkijæ curatum fuisse dicitur. [9] qui Maio nostro ex parte respondet. [10] sic alloquebantur deportati Barucum & legationem totam, quasi cum fratribus qui in Jehudæa erant, egissent coràm. [11] illud videlicet, de quo agitur potissimùm Levit. 2. est enim Græcè μάνα pro Mincha. [12] id est, nepotis. Nam Evilmerodac fuit Nebucadnetzaris filius, & hujus pater, 2. Reg. 25. 27. [g] *Græc. inveniamus.*

UMI

posuerat in conspectu nostro.

11 Nunc ergo, domine Deus Jisraëlis, qui eduxisti populum tuum e terra Ægypti manu robusta, signísque, & portentis, ac potentia magna, & brachio excelso, & [e] comparasti tibi ipsi nomen, prout est hodie:

[e] Græc. fecisti.

12 Peccavimus, impiè fecimus, injusti fuimus, domine Deus noster, in omnibus statutis tuis.

13 Avertatur indignatio tua a nobis, quandoquidem relicti sumus pauci in gentibus, ubi disseminavisti nos.

14 Exaudi, domine, orationem nostram & deprecationem nostram, ac extrahe nos propter te; & inde nobis gratiam in conspectu eorum qui deportaverunt nos:

15 Ut noscat tota terra te esse dominum Deum nostrum, & [f] de nomine tuo vocari Jisraëlem, & genus illius.

[f] Græc. nomen tuum invocari super Jisraëlem.

16 Domine, respice e domo sancta tua, & cogitationem adverte ad nos, inclina Domine aurem tuam & audi.

17 Aperi, domine, oculos tuos, & vide: Non enim qui mortui sunt in sepulcro, quorum receptus est spiritus ex visceribus ipsorum, ii tributuri sunt gloriam & [g] laudem justitiæ domino:

[g] Græc. justificationem.

18 Sed anima dolens de magnitudine [h] depressionis & infirmitatis in qua ambulat; & oculi deficientes, animáque famelica cedent tibi gloriam & justitiam Domine.

[h] Græc. depressa & infirma.

19 Non enim rectè factorum a majoribus nostris regibúsque nostris nomine effundimus nos [i] miseram deprecationem nostram in conspectu tuo, Domine Deus noster:

[i] Græc. misericordiam.

20 Nam immisisti indignationem tuam, & iram tuam in nos, quemadmodum loquutus fueras [k] per servos tuos prophetas, dicens,

[k] Græc. manu servorum, sic v. 24. & 28.

21 Sic ait Dominus, inclinate humerum vestrum, & servite regi Babyloniæ, & [1] considete in terra, quam dedi majoribus vestris.

[1] i. si non deficiens ab obsequio regis Babyloniæ, estote certi, vos minimè deportatum iri; sed in hac terra cum bona regis venia permansuros esse. Sic Genes. 20. 7.

22 Quòd si non auscultaveritis voci Domini serviendo regi Babyloniæ,

23 Faciam [l] ut deficiat ex civitate Jehudæ, & extra Jeruschalaima [2] vox lætitiæ & vox gaudii, vox sponsi & vox sponsæ, sitque tota terra invia, deserta habitatoribus.

[l] Græc. defectum.
[2] vide Jirm. 7. 34.

24 Quúmque non auscultaverimus voci tuæ, serviendo regi Babyloniæ, præstitisti verba tua quæ proloquutus fueras per servos tuos prophetas, fore ut efferrentur ossa regum nostrorum, & ossa majorum nostrorum, e loco suo.

25 Nam ecce sunt projecta ad æstum diei & gelu noctis, & mortui sunt in laboribus gravissimis, fame, gladio, atque disjectione.

26 Et posuisti domum tuam quæ vocatur de nomine tuo, prout est hodie, propter improbitatem domus Jisraëlis & domus Jehudæ.

27 Denique fecisti nobiscum, Domine Deus noster, secundùm omnem æquitatem tuam, & secundùm omnem tuam miserationem magnam:

28 Quemadmodum eloquutus fueras per servum tuum Moschen, quo die mandasti ei ut scriberet legem tuam coram [m] Jisraëlitis, dicens:

[m] Græc. filiis Jisraëlis.

29 Nisi auscultaveritis voci meæ, utique [3] examen illud magnum ac multum illud convertetur in *numerum* parvum, in gentibus, ubi disseminabo eos.

[3] metaphora ab apibus sumta.

30 Novi non esse auscultaturos mihi, quia populus dura cervice est:

31 Sed si reversi ad [n] seipsos in terra deportationis suæ agnoverint me esse Dominum Deum ipsorum, me indente ipsis cor & aures audientes,

[n] Græc. ad cor suum.

32 Et laudaverint me in terra deportationis suæ, recordantes nominis mei,

33 Et reversi fuerint ab *aversatione* humeri sui [o] obdurati, & ab improbitatibus actionum suarum, eo quòd recordati fuerint viæ majorum suorum qui peccaverunt coram Domino:

[o] Græc. duri.

34 Etiam reducam eos in terram, quam juratus promisi majoribus ipsorum, Abrahamo, Jitzchakó, & Jahakobo, ut dominentur ei; & multiplicabo eos, ac nullo pacto minuentur:

35 Denique constituam eis fedus æternum, me fore ipsis Deum, ut ipsi mihi sint populus; neque amovebo ampliùs populum meum Jisraëlem a terra quam dedero eis.

CAPUT III.

1 DOmine omnipotens, Deus Jisraëlis, anima in angustiis *versans* & spiritus anxius inclamavit te.

2 Exaudi, Domine, & miserere, quoniam Deus es misericors; miserere inquam, quia peccavimus coram te:

3 Tu enim sedes in seculum, nos verò *an* periremus in seculum?

4 Domine omnipotens Deus Jisraëlis, exaudi jam orationem [1] mortuorum Jisraëlitarum, id est, filiorum qui peccant coram te, qui non auscultaverunt voci Domini Dei sui, unde nobis adhærent hæc mala.

5 Ne recorderis iniquitates majorum nostrorum; sed recordator manus tuæ, & nominis tui hoc tempore;

6 Te Dominum Deum nostrum esse; & laudabimus te, Domine.

7 (Nam propterea indidisti cordibus nostris timorem tui ad invocandum nomen tuum) & laudabimus te in loco deportationis nostræ, [2] quandoquidem revocavimus in animum nostrum totam iniquitatem majorum nostrorum, qui peccaverunt coram te.

8 Ecce nos hodie in deportatione nostra ubi disseminasti nos, probro, & execratione, ac exactione infesti sumus [3] secundùm omnes iniquitates majorum nostrorum, qui defecerunt a Domino Deo nostro.

9 [4] Audi, Jisraël, mandata vitæ; auribus percipite, ut cognoscatis prudentiam.

10 Quid est Jisraël, cur verseris in terra inimicorum, consenueris in regione aliena,

11 Inquinatus habearis cum mortuis, reputeris inter eos qui *sunt* in sepulcro?

12 Dereliquisti [5] fontem sapientiæ.

13 Si via Domini ambulasses, habitasses in pace [a] æterna.

14 [6] Disce ubi sit prudentia, ubi sit robur, ubi sit intelligentia, ut cognoscas pariter ubi sit longævitas ac vita, ubi sit lux oculorum & pax.

15 [7] Quis invenit locum illius? & quis ingressurus est thesauros illius?

16 Ubi sunt principes gentium, & qui dominantur bestiis [b] terrestribus?

[1] Nempe in peccatis, ut loquitur Apostolus Ephes. 2. 1. quod sequentium verborum exegesis docet. [2] hæc omnia respiciunt ad promissionem, quæ ex Deut. posita est sup. 2. 29. & sequentibus. [3] i. ut promeriti sumus nostris iniquitatibus; quæ geminæ sunt quodammodo & pares iniquitatibus majorum nostrorum. [4] altera pars literarum, ut diximus sup. 1. 1. qua Jisraëlitis gratia a Deo oblata exponitur, hoc capite & principio sequentis; deinde ad obsequium & fidem revocantur, reliquo libello. [5] nempe legem Dei, ex qua sapientia in homines erat manatura; ut ipse narrat toto capite reliquo, & concludit disertis verbis principio capitis quarti. [a] *Græc. seculum.* [6] ἐργασία præcedentis sermonis de præceptis vitæ, & prudentiæ ad vitam consequendam. quasi dicat, jam ex tuis calamitatibus cognosce, non esse vitam prudentiámque in manu aut industria hominum, neque in corporum vastitate; sed a Deo accipiendam esse; at non esse quidem in manu hominum industriáque ostenditur usque ad versum 24. non esse penes homines proceros, usque ad versum 32. sed penes Deum esse docetur sequentibus. Utrique autem, prudentiæ inquam & vitæ, adjunguntur attributa duo, hoc versu, ad exornationem pertinentia. [7] nempe hominum, qui aut potestate freti sunt, vers. 16. & tribus sequentibus, aut exemplis, vers. 20. & 21. aut industria & arte, vers. 22. & 23. [b] *Græc. quæ super terram.*

17 Qui volucribus cæli illudunt, & argen-
tum recondunt atque aurum cui confidunt ho-
mines, quorum denique [c] innumera est pos-
sessio ?

[c] *Græc. non est finis possessionis.*

18 Nam qui argentum fabrefaciunt, & cu-
rant sollicitè, & quorum [d] opera non possunt
pervestigari,

[d] *Græc. non est pervestigatio operum.*

19 Deleti sunt, & in sepulcrum descende-
runt, aliique exstiterunt pro eis.
20 Juniores viderunt lucem habitantes in
terra, sed viam scientiæ non agnoverunt:
21 Neque intellexerunt calles ejus, neque
susceperunt eam filii eorum, a via ejus procul
abfuerunt:
22 Neque audita est in Cenahane, neque
visa in Themane:
23 Neque [e] Hagareni exquirentes intelli-
gentiam eorum quæ in terra sunt, mercatores
[8] Medanæi & Themanitæ, & [9] Rhetores, & scru-
tatores intelligentiæ habent eam; viam sapien-
tiæ non agnoverunt, neque recordati sunt calles
ejus.
24 O Jisraël, quàm magna *est* domus Dei,
quàm amplus locus possessionis ejus ?
25 [10] Magna, adeò ut infinita sit; alta, adeò
ut immensa.
26 [11] Illic fuerant Gigantes illi nominati, qui
principio erant permagni, periti rei militaris:
27 Non hos elegit Deus, neque viam scien-
tiæ tradidit eis;
28 Sed perierunt eo quòd carerent pruden-
tia, perierunt propter vacuitatem consilii, [f] ex
qua laborabant.
29 Quis ascendens in cælum accepit eam, &
deduxit eam e nubibus ?
30 Quis trajiciens mare invenit eam, & alla-
turus est eam *pro* auro lectissimo ?
31 Non est qui cognoscat viam ejus, non qui
animum advertat ad callem ejus,
32 Sed qui novit omnia, is cognoscit eam;
invenit eam intelligentia sua, qui comparavit
terram in æternum tempus, qui implevit eam
jumentis quadrupedibus:
33 Quo mittente lucem abit, revocante ob-
sequitur ei [g] tremens:
34 Quo vocante stellas splenduerunt ipsæ in
stationibus suis lætantes, & dixerunt, adsumus:
35 Splenduerunt cum lætitia coram factore
suo.
36 Is Deus noster est, non æstimatur alius
cum ipso comparatus.
37 Invenit omnem viam scientiæ; quam de-
dit Jahakobo filio suo, & Jisraëli dilecto suo: po-
steà in terra visa est, & inter homines ea conver-
sata est.

[e] *Græc. filii Hagaræ.*
[8] de quibus Gen.37.
[9] sic interpretamur Græcam μυθολόγων vocem, ex antiqua significatione μύθε. Nam Themanæi ubique in scriptura sapientiæ nomine celebrantur, quæ ex Philosophorum omnium consensu in verbis & rebus sita est.
[10] nempe dignitate & præstantia, quia in ea solùm sapientia & vita emicant, ut ostenditur Deut.4.6. & sequentibus, & 30.15.
[11] alter locus amplificationis ab hominum magnitudine, ut diximus in versum 14. simile argumentum vide Ijob.28.
[f] *Græc. ipsorum.*
[g] *Græc. tremore.*

CAPUT IIII.

1 [1] IS est liber præceptorum Dei, & lex subsi-
stens in seculum, quam prehendentes om-
nes ad vitam *pertinent*: qui autem relinquunt
eam, morituri sunt.
2 Convertere Jahakob, & prehende eam;
perge ad splendorem coram lumine illius:
3 Ne cedas alteri gloriam tuam; & genti
alienæ ea quæ conferunt tibi.
4 Beati sumus, ô Jisraël, quòd ea quæ pla-
cent Deo sunt nobis cognita.
5 Bono animo esto, popule mi, [2] monimen-
tum Jisraëlis.
6 Venumdati estis gentibus, non tamen ad
perditionem; sed quia ad iram provocastis De-
um, traditi estis adversariis:
7 Nam exacerbastis eum qui fecit vos, sa-
crificantes dæmonibus ac non Deo:
8 Obliti autem estis Dei illius æterni qui
genuit vos, & dolore affecistis *urbem* Jeruscha-
laimorum, quæ educavit vos.

[1] Hæc verba omnino cum superioribus conjungenda sunt, ut pessimè distributa sunt permultis locis capita.
[2] i. tenues reliquiæ Jisraëlitarum, quæ nunc tantùm quodam veluti monimentum estis, vestigiúmq; populi, si cum priore populi frequentia comparemini.

9 [3] Videns enim superventuram vobis iram
a Deo dixit, audite, ô vicinæ Tzijonis, induxit
mihi Deus luctum magnum.

[3] similem Ecclesiæ prosopopœiam vide 4.Hezr.2.

10 Vidi enim captivitatem filiorum meo-
rum, filiarúmque, quam super eos adduxit æter-
nus;
11 Nam educavi illos cum lætitia, sed dimisi
illos cum fletu & luctu.
12 Nemo lætetur de me, quòd vidua sim &
derelicta a multis, desolata sum propter peccata
filiorum meorum, eò quòd declinaverunt a lege
Dei:
13 Non autem statuta ejus agnoverunt, ne-
que ambularunt viis mandatorum Dei, neque
callibus institerunt disciplinæ [a] traditæ justitia
ejus.

[a] *Græc. in justitia ejus.*

14 Accedant vicinæ Tzijonis, & recordamini
captivitatis filiorum meorum, filiarúmq;, quam
induxit eis æternus.
15 Induxit enim gentem in eos e longinquo,
gentem impudentem, & diversa utentem lin-
gua,
16 Cujus homines non sunt reveriti senem,
neque miserti pueri; sed abduxerunt dilectos
viduæ, & solitariam filiabus ipsius desolave-
runt.
17 Ego verò quid possem adjumenti afferre
vobis ?
18 Nam qui induxit vobis mala ista, is vos e
manu inimicorum vestrorum exemturus est.
19 Abite liberi, abite. Ego verò derelicta sum,
desolata.
20 Exui stolam pacis, & indui cilicium de-
precationis meæ; inclamatura æternum diebus
meis.
21 Bono animo estote, liberi, inclamate De-
um; & eximet vos e potestate, e manu inimico-
rum.
22 Ego enim jam concepi spem in æterno
salutis vestræ, advenítque mihi lætitia a sancto
propter misericordiam, quæ vobis eventura est
[b] brevi ab æterno servatore nostro:
23 Nam emisi vos cum luctu & fletu; sed
Deus vos redditurus est mihi cum gaudio & læ-
titia in seculum.

[b] *Græc. in celeritate; sic vers. 24. & 25.*

24 Quemadmodum enim modò viderunt
vicinæ Tzijonis captivitatem vestram; ita visuræ
sunt brevi salutem vestram a Deo, quæ adven-
tura est vobis cum gloria magna & splendore
æterni *Dei*.
25 O liberi, patienter tolerate iram quæ a
Deo supervenit vobis: Nam persequutus est
quidem te inimicus tuus, sed tu videbis ejus per-
ditionem brevi, & eorum cervicibus supergre-
dieris.
26 [c] Deliciæ meæ ambulaverunt viis aspe-
ris, sublatæ sunt tamquam grex direptus ab ini-
micis.

[c] *Græc. delicati mei.*

27 Bono animo estote, liberi, & inclamate
Deum; erit enim recordatio vestri ab eo qui in-
duxit *ista*.
28 Quemadmodum enim fuit [d] vobis ani-
mus aberrandi a Deo, *nunc* conversi [e] decies am-
pliùs requirite eum.
29 Nam qui induxit vobis mala ista, inducet
vobis æternum gaudium cum salute vestra.

[d] *Græc. cogitatio vestra.*
[e] *Græc. decuplò quærere.*

30 Bono

30 Bono animo esto, urbs Jeruschalaimorum; nominatim vocans te consolabitur te.

31 Miseri, qui te affligunt, & qui lætantur de casu tuo:

32 Miseræ civitates, quibus serviverunt liberi tui: misera, quæ accepit filios tuos.

33 Nam quemadmodum læta fuerit de ruina tua, & gavisa de casu tuo: ita dolore afficietur de sua ipsius desolatione:

34 Quum auferam ejus exsultationem de frequentia multa, & gloriatio ejus [f] vertetur in luctum.

35 Ignis enim superveniet ei ab æterno [g] diutissimè, & habitabitur a dæmoniis per multum tempus.

36 [4] Circumspice ad orientem, urbs Jeruschalaimorum, & vide lætitiam tibi evenientem a Deo:

37 Ecce veniunt filii tui, quos emiseras; veniunt congregati ab ortu ad occasum usque verbo sancti, *&* lætantes de gloria Dei.

f Græc. erit.
g Græc. in dies longos.
4 hypotyposis, tamquam si reliquiæ Jeruschalaimorum spectantes orientem versus observarent Jehudæos e Babylonia gloriosè revertentes: quò etiam totum sequens caput pertinere docent verba ipsa evidentissimè.

CAPUT V.

1 EXue, urbs Jeruschalaimorum, stolam luctus & afflictionis tuæ, ac indue decorem gloriæ a Deo *collatæ* in seculum.

2 Amici diploidem justitiæ donatæ a Deo, impone capiti tuo mitram gloriæ *Dei* æterni.

3 Deus enim demonstrabit omni *genti*, quæ sub cælo est, splendorem tuum.

4 Nam [a] vocaberis nomine tuo a Deo in seculum, pax justitiæ & gloria pietatis.

5 Exsurge *urbs* Jeruschalaimorum, & consistens in loco edito circumspice orientem versus, & vide liberos tuos congregatos a solis occasu ad ortum verbo sancti, *&* lætantes ad Dei recordationem.

6 Nam egressi sunt a te pedites abducti ab inimicis, adducit verò Dominus eos ad te, elatos cum gloria ut filios regni.

7 Constituit enim Deus deprimi omnem montem excelsum, & litora peremnia, atque convalles impleri ad [b] æquandum terram, ut eat Jisraël securè ad gloriam Dei.

8 Exsilieruntque etiam sylvæ, & omne lignum odoratum coram Jisraële præcepto Dei.

9 Deducetur enim populus Jisraëlis [c] lætus, lumine glorioso ipsius, per misericordiam & justitiam quæ ab ipso est.

a Græc. vocabitur nomen tuum.
b Græc. æquationem terræ.
c Græc. cum lætitia.

CAPUT VI.

Exemplum Epistolæ quam misit Jirmeja ad eos qui agendi erant in Babyloniam a rege Babyloniorum, renuncians eis quemadmodum mandatum acceperat a Deo.

1 PRopter peccata quibus peccastis coram Deo, abducemini in Babyloniam captivi a Nebucadnetzare, rege Babyloniorum.

2 Quum itaque veneritis in Babyloniam, eritis illic annos multos, & tempus longum usque in [1] generationes septem: posteà verò educam vos, inde cum pace.

3 Nunc autem visuri estis in Babylonia deos argenteos, aureósque, & ligneos sublatos humeris, qui metum ostentant gentibus.

4 Cavete igitur ne vos etiam [a] ullo pacto alienigenis conformemini, & vos occupet metus ab eis,

1 i. decadas annorum, sive bina lustra; qua quidē significatione in vetere Testamento spondere possumus non accipi generationis vocabulum. Quamobrem epistolam hanc, ut alia id genus, adulterinam esse confirmamus; etsi rem & argumentū ducimus non esse inutile.
a Gr. confirmati.

5 Quum videbitis turbam ante & post eos adorantium eos; sed dicite cogitatione vestra, te oportet adorare, Domine.

6 Nam [a] Angelus meus vobiscum est, qui idem reposciturus est animas vestras.

7 Lingua enim illorum est expolita a fabro, ipsáq; idôla deaurata & argentea: sed falsa sunt, quum loqui non possint.

8 Etiam tamquam virgini [3] amanti mundum, accipientes aurum.

9 Comparant coronas, imponúntq; capitibus deorum suorum: aliquando verò etiam subducentes Sacerdotes a diis suis aurum & argentum, in [b] usus suos consumunt:

10 Donántq; ex illis etiam meretricibus quæ sub tecto ipsorum sunt, & ornant deos ipsos argenteos aureósq; & ligneos, tamquam homines, vestimentis.

11 Hi autem non servant eos constanter ab ærugine & tineis:

12 Quamvis circumamicti sint indumento purpureo, extergentes faciem eorum propter pulverem ex æde, qui plurimus est in eis.

13 Ac habet quidem sceptrum, ut judex [c] aliquis regionis, qui tamen ullum peccantem in se non sublaturus est:

14 Habet quoque gladium in dextera, & securim; seipsum verò ex bello latronibúsque non eximit; unde [d] perspectum est non esse Deos.

15 Ne igitur metuatis ab eis: nam æquè ac vas hominis cōfractum inutile est, ejusmodi sunt illorum dii:

16 Quum illi constituti sunt in suis domibus, oculi ipsorum pleni sunt pulvere a pedibus ingredientium:

17 Et sicut alicui qui regem offenderit, circumsepta sunt atria; tamquam in virum qui ad mortem rapiendus est domos illorum muniunt Sacerdotes, januis & claustris, & vectibus, ne a latronibus spolientur.

18 Lucernas accendunt, ac plures quam sibi ipsis, quarum nullam videre possunt: est enim profectò tamquam trabs aliqua earum quæ in æde sunt.

19 [e] Intima verò illorum ajunt [4] elingi terrestribus [f] insectis: comedentia ipsos, & indumentum suum ipsorum non sentiunt:

20 Atrantur facie sua ex fumo, qui ab æde est:

21 Super corpus ipsorum & super caput advolant noctuæ, hirundines, & aviculæ, similitérq; etiam feles:

22 Unde cogituri estis non esse Deos; ne igitur metuatis ipsos.

23 Nam ex auro quod circumjacet ad pulcritudinem, nisi quis exterserit æruginem, minimè fulgebunt; neque enim senserunt quando fundebantur.

24 Omni pretio empta sunt ea quibus non inest spiritus.

25 Carentes pedibus humeris feruntur, demonstrantes suam ipsorum ignominiam hominibus.

26 [g] Pudore verò etiam urgentur qui ministrant eis: quia si quando in terram ceciderit, non exsurgit per se, neque si quis eum erectum statuerit, movetur per se: neque si inclinatus fuerit, unquam erigitur: sed tamquam mortuis [5] palmas eis adhibent.

27 Sacrificia verò illorum vendentes Sacerdotes ipsis abutuntur; similitérq; etiam mulieres ex

a de quo Exod. 23.20.
3 Iudit ex ambiguo auctor: est enim φιλόκοσμος qui mundū hunc creatum amat, & qui mundum muliebrem: quā posteriorem interpretationem magis probant sequentia.
b Græc. seipsos.
c Græc. vir.
d Græc. perspecti sunt.
e Græc. corda; Hebraismus.
4 i. ipsa idôla testantur, se facillimè quasi suctu quodam a tenuissimis vermiculis lingi & erodi in partes intimas usque.
f Græc. reptilibus.
g Græc. pudefiunt.
5 id est, manus, synecdochicè, ad erigenda idôla collapsa. Hanc enim propriam esse significationem *δῶρα*, fatentur Græci, & Vitruvius ac Plinius testantur.

[e] nempe ut condita sibi asservent ea, quæ in egentes fuissent eroganda.

ex eis [e] falsamenta facientes, nihil mendico neque impotenti impertiunt.

28 Sacrificia eorum, quæ ex mensibus laborat & puerpera contingunt. cognoscite igitur ex his non esse Deos; nec timeatis illos.

29 Unde enim vocarentur dii? *scilicet* quia mulieres offerunt diis argenteis, aureísque, & ligneis.

30 In domibus ipsorum Sacerdotes sedent, habentes tunicas discissas, & capita barbásque rasas, quorum capita retecta sunt,

31 Rugiúntq; clamantes coram diis suis, ut quidam solent in [7] epulo ad mortuum facto.

[7] id est, silicernio una voce; vide Jirm. 16.

32 Ex indumento illorum ablato Sacerdotes vestiunt uxores suas & liberos.

33 Neque si malum perficiatur ab ullo, neq; si bonum, possunt reddere: neque constituere regem possunt, neque tollere.

34 Similiter neque divitias, neque æs ullo pacto possunt dare: si quis, ubi votum voverit eis, non præstiterit, minimè reposcituri sunt.

35 Ex morte [h] quemquam minimè liberant, neque inferiorem a potentiore unquam eripiunt.

[h] *Græc. hominem.*

36 Hominem cæcum ad visum minimè revocant, versantem in necessitate hominem minimè eximunt.

[8] i. summum Deum, de quo Jeich. 46. 1, quasi dicat, quum dii minorum gentium curare non possunt, recurrunt ad eum qui in summa apud Assyrios & Babylonios existimatione est.

37 Viduæ non miserentur, neque orphano benefaciunt.

38 Erutis e monte lapidibus dii similes sunt, idôla lignea, & deaurata, & argentata: & qui ministrant eis, pudorem consequentur.

39 Quomodo igitur existimandum est, aut pronunciandum illos esse Deos?

40 Quin-etiam ipsi quoque Chaldæi ignominia afficiunt ea; qui quando viderunt mutum, non valentem loqui; ad [8] Belum adducentes,

41 Petunt ut loquatur tamquàm posset illud esse, nec possunt ipsi percipientes mente relinquere illa: nam sensu carent ipsi.

42 Mulieres verò cinctæ [9] funiculis in viis ipsis sedent accendentes [10] acus eorum.

[9] e junco, ut vox Græca indicat, quia duplicem usum præstabat meretricibus; alter est, quòd ex junco faciebant fucum & χαλλωπίσματα, unde Schœniculæ Latinis priscis dicebantur; alter verò, quod illa præcinctione artem suam profitebantur, & facilitatem solvendæ zonę suæ ac potiùs frangendæ ostendebant.

[10] i. glumam, paleas, & quisquilias minutas junci, quas ad præcinctionem suam videbant ineptas esse, aut ex vitili junco inter conserendum decidere: quod genus Latini veteres titivillitium nominabant. Hæc autem impura Babyloniorum prostibula ante Deorum templa fecisse meritoriam, testatur Herodotus.

43 Sed quando aliqua illarum abstracta ab aliquo uno ex transeuntibus compressa fuerit, [i] alteram probro afficit, quòd non fuerit appetita, sicut ipsa fuit, neque funiculus ipsius disruptus fuerit.

[i] *Græc. propinquam.*

44 Omnia quæ fiunt in illis falsa sunt: quomodo igitur putandum est, aut prædicandum, deos illos esse?

45 A fabris & auri fusoribus comparata sunt, nihil aliud futura quàm quod esse voluerint ea artifices:

46 Et ipsi fabricatores eorum minimè longævi futuri sunt: & quomodo ergo quæ ab ipsis fabricata sunt, possent esse dii?

47 Reliquerunt enim mendacia & probra iis qui adsunt ad ipsa.

48 Nam quum supervenerit eis bellum & mala, ineunt consilium de eis Sacerdotes, ubi simul abscondentur cum eis.

49 Quomodo igitur non potest ex sensu cognosci hos non esse Deos? qui neque servent seipsos ex bello, neque ex malis.

50 Quæ sunt lignea & deaurata atque argentata, hæc cognoscentur posteà a gentibus omnibus esse falsa, regibúsque manifestum erit non esse Deos, sed opera manuum humanarum, nec ullum Dei opus inesse eis.

51 Qua igitur re cognoscendum est non esse deos?

52 Nam regem minimè instituunt regionis, neque pluviam dant hominibus,

53 Judiciúmque minimè [k] faciunt illorum, neque liberant ab injuria, ut qui impotentes sunt[l]: *sunt* enim quasi corniculæ inter cælum & terram.

[k] *Græc. judicant, sic vers. 63.*

54 Etenim quum acciderit deorum ligneorum ædi, aut deauratorum, aut argentatorum ignis; fugiunt quidem Sacerdotes illorum, & servantur, ipsi verò tamquam trabes medii comburuntur:

55 Regi autem hostibúsq; minimè resistunt; quomodo igitur existimandum, aut accipiendum istos esse Deos?

56 Neque a furibus, neque a latronibus planè conservari possunt dii lignei, argentatíque, & deaurati,

57 Quorum illi valentiores ipsis detrahunt aurum & argentum & indumentum quod circumstat eos, & habentes discedunt, quum illi ne seipsos quidem adjuverint.

58 Itaque præstat esse regem, qui ostendat suam ipsius fortitudinem, aut instrumentum domui utile quo utatur possessor, quàm deos falsos esse; aut etiam januam domi servantem quæ in ea sunt, quàm falsos deos; aut ligneam columnam esse in basilicis, quàm falsos deos:

59 Nam Sol quidem, & Luna, & astra, quæ splendida sunt, quum mittuntur ad usum suum, optimè auscultant:

60 Similiterque fulgur quum apparet perspicuum est, & ipse ventus regionem totam perspirat:

61 Et quum nubibus mandatum est a Deo, ut obeant totum orbem habitabilem, conficiunt quod imperatum est:

62 Et ignis demissus supernè ad desolandum montes & sylvas, facit quod imperatum est;

63 Ista autem ne formis quidem facultatibus suis conformata sunt: quamobrem neque putandum, nec prædicandum est istos esse Deos, quum non possint isti neque judicium facere, neque benefacere hominibus.

64 Scientes igitur non esse deos, ne timeatis illos:

65 Nam neque regibus maledicturi sunt, neque benedicturi:

66 Signáq; apud gentes in cælo minimè ostensuri sunt, neque ut sol lucebunt, neque lumen præbebunt ut luna.

67 Bestiæ ipsæ meliores sunt eis, quæ fugientes in specum possunt sibi ipsis prodesse.

68 Igitur manifestum est nobis, nullo pacto esse deos; quapropter ne timeatis eos.

69 Nam quemadmodũ in cucumerario [11] pudenda statua nihil observans; ita sunt dii illorum lignei, & deaurati, & argentati eodem modo; & quemadmodum in horto rhamnus, cui avis quælibet insidet:

[11] Græca vox nihil aliud sonat, quàm rubrum hortorum Deum, ut vocat Horatius: nam infamis illa statua præferebat pudenda amplissima, quæ Græci appellant βασκάνια: quamobrem nos rem infamem attigimus casta appellatione. Alioqui προβασκάνιον, si justam vocis notationem spectes, illud sonat quod Festus appellat præfiscine, alii amuleta ab amoliendis fascinis appellarant.

70 Similitérq, etiam mortuo projecto in tenebris similes sunt dii illorum lignei, deauratíq;, & argentati:

71 Quæ non esse deos cognituri estis a purpura & splendore, qui inerat illis, putrescente; & eo quòd ipsa postea exeduntur, itaque sunt probro regioni suæ.

72 Itaque melior est homo justus non habens idôla. Nam procul a probro futurus est.

ADJECTIO-

ADJECTIONES IN DANIJELEM.

Ad tertium caput Danijelis.

24 AMBULABANT autem in medio flammæ celebrantes Deum & benedicentes Domino.
25 Nam consistens Hazarja orabat hoc modo,& aperiens os suum in medio ignis dixit,
26 Benedictus es, Domine Deus majorum nostrorum; laudandum, & gloria afficiendum nomen tuum in secula;
27 Quia justus es in omnibus quibus affecisti nos, & omnia opera tua veracia, rectæque viæ tuæ, & omnia judicia tua vera.
28 Quum judicia vera exercueris per omnia, quę induxisti in nos,& in civitatem sanctam majorum nostrorum Jeruschalaima. Nam [a] verissimo judicio induxisti hæc omnia in nos propter peccata nostra.
29 Peccavimus enim,& iniquè fecimus deficientes a te, & quidem supra modum peccavimus in omnibus,
30 Quum mandatis tuis non auscultaverimus, neque observaverimus, neque fecerimus prout mandaveras nobis,ut bene esset nobis.
31 Idcircò quęcumq; induxisti in nos,& quęcumque fecisti nobis,veracę judicio fecisti:
32 Quòd tradideris nos in inimicorum iniquorum manus, defectorum inimicissimorum; & regi injusto, ac improbissimo supra [b] omnes incolas terræ.
33 Nunc itaque non est nobis *facultas* aperiendi os, (confusioni & probro sumus expositi) *nobis, inquam,* servis tuis & colentibus te.
34 Ne tradas nos, quęsumus, in [c] perpetuum propter nomen tuum, neq; dissipes fedus tuum:
35 Et ne amoveas misericordiam tuam a nobis, [d] propterea quòd Abrahamo dilecto a te, & Jitzchako servo tuo,& Jisraëli sancto tuo.
36 Eloquutus es, dicens te multiplicaturum semen ipsorum,ut *sunt* astra cæli, & ut *est* arena quæ circumstat [e] litus maris.
37 Nam,Domine,diminuti sumus supra omnes gentes, & sumus abjecti in tota terra hodie propter peccata nostra:
38 Neque est hoc tempore princeps & propheta,& dux,neque holocaustum,neque sacrificium,neque oblatio,neque suffitus:
39 Non locus offerendis fructibus coram te, & consequendæ misericordiæ tuæ: sed *ut sumus* animo contrito, & spiritu [f] abjectissimo, accepti simus:
40 Tamquam si essent holocausta arietum, taurorúmque, & tamquam myriadibus agnorũ pinguium oblatis;ita sit sacrificium nostrum corã te hodie,ut litetur [2] a prosequentibus te.Non enim confusio evenit fiduciam habentibus in te.
41 Nunc itaque prosequimur te ex toto animo,& timemus te,& faciem tuam quærimus:
42 Ne confusioni exponas nos,sed fac nobiscum secundùm ęquitatem tuam,& pro amplitudine misericordiæ tuæ,

[1] Hæc additamenta Danijelis non esse, multis argumentis cõfirmari potest. Ac primùm quidem sive ab ipsis qui periculum tantum subierunt, sive ab alio homine pio fuerit factum, non improbamus argumenti nomine: cætera verò cur explodamus,multæ caussæ afferri possunt; a quibus hoc loco supersedebimus, singula suis locis, annuente domino,indicaturi.

[a] *Græc. veritate, & judicio; ἓν διὰ δυοῖν: ut exponitur vers.31*

[b] *Græc. totam terram.*

[c] *Græc. finem.*

[d] *Græc. propter Abrahamũ, &c. quibus eloquutus fueras, &c. trajectio frequens.*

[e] *Græc. labium.*

[f] *Græc. abjectionis vel humilitatis.*

[2] id est, a nobis, ut ostendit sequentis versus accommodatio.

43 Et exime nos secundùm facta mirabilia tua, gloriámque compara nomini tuo, Domine:
44 Ita pudore afficiantur omnes, qui designant in servos tuos mala, & confusi decidant ab omni potestate,& vires eorum conterantur,
45 Ut cognoscant te esse dominum Deum solum & gloriosum in toto terrarum orbe.
46 Quum autem non cessarent qui injecerant eos administri regis incendere fornacem [3] naphtha,& pice, stupáque,& malleolis;
47 Diffusa flamma supra fornacem in cubitos quadraginta novem ita pervasit,
48 Ut incenderet [g] Chaldæos quos invenit supra fornacem ipsam.
49 Angelus verò Domini in fornacem illam descendit cum [h] Hazarja:
50 Et excutiens flammam ignis e fornace effecit medium fornacis tamquam si aër fuisset perspersus rore, adeò ut non attigerit eos omnino ignis, neque molestia affecerit, neque turbaverit eos.
51 Tunc tres illi, quasi ore uno laudarunt, benedixerúntque,& glorificarunt Deum in fornace dicentes,
52 Benedictus es, Domine Deus majorum nostrorum, & laudandus ac exaltandus supra omnia in secula, & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, supráque omnia laudandum & exaltandum in secula.
53 Benedictus es in throno [i] gloriosi regni tui, & supra omnia laudatus summéq; gloriosus in secula.
54 Benedictus es in templo sanctæ gloriæ tuæ, & supra omnia laudatus gloriosúsque in secula.
55 Benedictus es qui vides abyssos insidens Cerubinis, & supra omnia laudatus, summéque gloriosus in secula.
56 Benedictus es in firmamento cæli, & supra omnia laudatus, ac glorificatus in secula.
57 Benedicite omnia Domini opera Domino, laudate & supra omnia exaltate eũ in secula.
58 Angeli Domini benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
59 Cæli benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
60 Benedicite aquę omnes, quæ supra cælos estis, Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
61 Benedicite Domino omnes potestates Domini, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
62 Sol & Luna benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
63 Astra cæli benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
64 Omnis imber & ros benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
65 Omnes venti benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.

[3] bitumine Babylonico, de quo apud Geographos leguntur multa.

[g] *Græc. Chaldæorum.*

[h] *Græc. iis qui circũ Hazarjam: hellenismus.*

[i] *Græc. gloriæ.*

66 Ignis

66 Ignis & æstus benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
67 Frigus & calor benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
68 Rores & pruinæ benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
69 Noctes & dies benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
70 Lux & tenebræ benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
71 Gelu & frigus benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
72 Glacies & nives benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
73 Fulgura & nubes benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
74 Benedicat terra ipsa Domino, laudet & supra omnia exaltet eum in secula.
75 Montes & colles benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
76 Quæcumque nascuntur in terra, benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
77 Fontes benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
78 Maria & fluvii benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
79 Cete & quæcumque movemini in aquis benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
80 Omnes volucres cæli benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
81 Bestiæ omniáque pecora benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
82 Filii hominum benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
83 Jisraëlitæ benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
84 Sacerdotes domini benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
85 Servi domini benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
86 Spiritus & animæ justorum benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eum in secula.
87 Sancti & humiles corde benedicite Domino, laudate & supra omnia exaltate eũ in secula.
88 Chananja, Hazarja, & Mischaël benedicite domino, laudate & supra omnia exaltare eum in secula: quia exemit nos e sepulcro, & servavit nos a [k] morte, liberans nos e media fornace ardentis flammæ, atque e medio igne liberas nos.
89 Celebrate Dominum, quoniam bonus est, quoniam in seculum misericordia ejus.
90 Omnes qui colitis Dominum, benedicite Deo deorum, laudate, & celebrate in omnia secula esse misericordiam ejus.

[k] *Græc. a manu mortis: Hebraismus.*

CAPUT XIII.

1 [1] Erat autem vir habitans Babylone, cui nomen Jojakim,
2 Qui duxerat uxorẽ nomine Susannã filiam Chilkijæ, pulcram valde & timentem Domini:
3 Nam parentes illius justi, docuerant filiam suam ex lege Moschis.
4 Erátque Jojakim dives valdè, habens hortum propinquum domi suæ, & conveniebant ad eum Jehudæi, eò quòd præ omnibus esset in existimatione.
5 Fuerant autẽ designati duo Seniores ex populo judices anno illo, de quibus dixit dominus prodiisse iniquitatẽ Babylone a Senioribus judicibus, qui videbantur gubernare populum.
6 Isti cõstanter manebãt in domo Jojakimi, & adibant eos quicumq; judicium expetebant.
7 Erat verò, quũ excurrisset populus meridie, *ut* ingressa Susanna ambularet in horto viri sui.
8 Videntes itaque eam duo Seniores isti ingredientem quotidie atque ambulantem, lapsi sunt in concupiscentiam ejus:
9 Et pervertentes suam ipsorum mentem declinaverunt oculos suos, ne respicerent in se, neq; recordarentur judiciorum justorũ *e cælo*.
10 Et quamvis essent uterque transfixi amore illius, tamen non renunciaverunt alter alteri dolorem suum:
11 (Nam pudebat eos enunciare concupiscentiam suam, se velle cum ea concumbere)
12 Sed observabant sollicitè quotidiè, ut viderent eam.
13 Quúmque dixissent alter alteri, eamus jam domum, quia hora est prandii,
14 Egressi quidem discesserunt alter ab altero; sed reflectentes venerunt eòdem, & sciscitantes alter ab altero causam, confessi sunt inter se concupiscentiam suam, atque tum communi consilio constituerunt occasionem, quum eam possent invenire solam.
15 Fuítque observantibus illis diem appositum, ut veniens Susanna sicut [a] anteà, cum duabus solùm puellis desideraret lavari in horto, quia æstus erat.
16 Nemo autem erat illic præter quàm illi duo Seniores abditi, & observantes eam:
17 Dixerat enim puellis suis, afferte mihi oleum & smegmata, & januas horti occludite ut laver.
18 Quæ facientes prout edixerat, occluserant januas horti, quum exirent per obliquas portas, allaturæ ea quæ fuerant imperata ipsis; neque viderant Seniores illos, eò quòd essent absconditi.
19 Fuit ergo, ut egressis puellis insurgerent duo Seniores illi, & incurrentes in eam dicerẽt:
20 Ecce januæ horti istius clausæ sunt, & nemo contemplatur nos; sumus autem affecti concupiscentia tui: propterea assentire nobis, & concumbe nobiscum:
21 Sin minus, testabimur contra te fuisse tecum juvenem, ac propterea te emisisse puellas a te.
22 Tunc ingemiscens Susanna dixit, angustię *sunt* mihi undique: nam sive hoc fecero, mors mihi adest; sive non fecero, non sum effugitura manus vestras.
23 [b] Malo tamen non commissa offensa incidere in manus vestras, quàm peccare coram Domino.
24 Itaque exclamavit voce magna Susanna, exclamaverúntque illi duo Seniores quoque adversus eam,
25 Et accurrens unus aperuit januas illius horti.
26 Audientes verò clamorem in horto domestici, insilierunt per obliquam januam visuri quid accidisset ei:
27 Sed quum dixissent Seniores illi sermones suos, pudore affecti sunt servi valdè, quia nunquam

[a] *Græc. heri, nudiustertius: ut Gen. 31.5.*

[b] *Græc. eligendum mihi est.*

[1] Historiã hanc argumẽto piam esse agnoscimus: sed ut gestam fuisse minimè credamus, permultis rebus adducimur; maximè verò, quòd neq; magistratus, neq; judicia ulla nedum capitalia Babylone fuisse Judæis attributa, credibile est; quibus tamen fundamentis duobus tota hæc historia nititur: deinde quòd Danijelis nomen alia ratione dicitur innotuisse, quàm quæ ab ipso Danijele conscripta est.

quam fuerat habitus de Susanna sermo ejus-
modi.
28 Fuítque postridie ubi convenisset popu-
lus ad virum ejus Jojakimum, ut venientes duo
Seniores illi, pleni iniqua cogitatione contra
Susannam ad morte afficiendum eam,
29 Dicerent coram populo; mittite ad Su-
sannam filiam Chilkijæ, quæ uxor est Jojakimi:
& miserunt illi.
30 Venit igitur illa cum parentibus suis, &
filiis suis, & omnibus cognatis suis.
31 Erat autem Susanna delicata valdè, &
pulcra specie.
32 Isti verò iniqui jusserunt retegi ipsam (e-
rat enim obtecta) ut explerentur pulcritudine
ipsius:
33 Flebántque qui aderant ei, & omnes qui
videbant eam.
34 Surgentes autem Seniores illi duo in me-
dio populi [a] imposuerunt manus suas capiti il-
lius.

[a] ad interficiendum eam, velut criminosam, ex lege Deut. 17.7

35 Illa verò flens respiciebat in cælum, quia
animus illius fiduciam habebat in domino.
36 Dixerant enim Seniores illi, ambulanti-
bus nobis in horto solis, ingressa ista cum duabus
puellis occlusit januas horti, quum dimisisset
puellas:
37 Et veniens ad istam juvenis qui erat ab-
ditus, accubuit cum ea.
38 Nos autem qui eramus in angulo horti,
videntes iniquitatem istam incurrimus in eos,
nempe videntes congredi ipsos.
39 Ac illum quidem non potuimus vi com-
prehensum retinere, quia valentior est nobis;
sed aperiens januas exsiliit.
40 Istam verò quum prehendissemus, inter-
rogabamus quis esset ille juvenis: sed noluit e-
nunciare nobis. hæc testamur.
41 Tum credente eis congregatione, tam-
quam Senioribus populi judicibúsque, condem-
narant eam [c] ad mortem.

[c] *Græc. mori.*

42 Exclamans verò magna voce Susanna
dixit, ô Deus æterne abditorum cognitor, qui
nosti omnia, [d] antequàm sint,

[d] *Græc. ante ortum eorum.*

43 Tu scis istos res falsas contra me testifica-
tos esse: ecce autem morior, quum nihil com-
miserim eorum quæ isti improbè commenti
sunt contra me.
44 Tunc exaudivit Deus vocem illius.
45 Quúmque abduceretur illa ad interitum,
excitavit Deus spiritum sanctum puerüli junio-
ris nomine Danijelis, qui clamavit voce magna,
46 Purus sum ego à sanguine hujus.
47 Convertit autem se totus populus ad il-
lum, dixerúntque, quid *sibi vult* sermo iste, quem
tu eloquutus es?
48 Ille verò stans in medio eorum dixit, a-
deò stulti estis, ô Jisraëlitæ, ut non habita quæ-
stione, neque re certa cognita condemnetis Jis-
raëlitidem?
49 Revertimini in judicium. nam isti res fal-
sas contra eam testificati sunt.
50 Reverso itaq; toto populo cum festinatio-
ne dixerunt illi *puero* Seniores, adesdum, jam se-
de in medio nostrum, & renuncia nobis; quan-
doquidem tibi dedit Deus Seniorum munus.
51 Edixit verò Danijel illis, separate istos al-
terum ab altero procul, & exquiram illos.
52 Quum autem separati essent [e] alter ab al-
tero, accersens unum eorum, dixit ei, ô invete-
rate [f] in diebus malignis, nunc venerunt [g] suppli-
cia peccatorum tuorum, quę cōmittebas anteà,

[e] *Græc. unus ab uno.*
[f] *Græc. dierum malorum.*
[g] *Græc. peccata tua.*

53 Judicans judicia injusta, innocentes qui-
dem condemnans, noxios verò dimittens, quum
dicat dominus, innocentem & justum non inter-
ficies.
54 Nunc igitur hanc siquidem vidisti, dic sub
qua arbore videris eos congredientes inter se;
55 Qui dixit sub lentisco. dixit verò Danijel,
rectè, mentitus es in tuum ipsius caput; ecce e-
nim [3] nuncius Dei accepta sententia à Deo me-
dium discindet te.

[3] i. justus judex, sententiam laturus verbis illius, sic versu 59.

56 Posteà seponens eum jussit adduci alte-
rum; cui dixit, ô semen Cenahanis ac non Je-
hudæ, pulcritudo decepit te, & concupiscentia
pervertit animum tuum.
57 Sic faciebatis filiabus Jisraëlis, quæ ti-
mentes congrediebantur vobiscum; at non su-
stinuit filia Jehudæ iniquitatem vestram.
58 Nunc ergo dic mihi sub qua arbore depre-
henderis eos congredientes inter se; qui dixit,
sub ilice.
59 Tum dixit ei Danijel, rectè, mentitus es
tu quoque in tuum ipsius caput: Exspectat enim
nuncius Dei gladium habens ad secandum te
medium, ut profliget vos.
60 Et exclamans tota congregatio voce
magna, benedixerunt Deo servanti eos, qui
spem collocant in ipso:
61 Et insurrexerunt in duos Seniores istos,
eò quòd reos confecisset eos Danijel ex ore ip-
sorum falsi testimonii,
62 ‖ Et fecerunt eis secundùm legem Moschis,
quemadmodum improbè cogitaverant facere
propinquo suo; & interfecerunt eos; ita servatus
est sanguis innocens die illo.

‖ *Deut. 19.*

63 Chilkija verò & uxor ejus laudaverunt
Deum de filia sua Susanna cum Jojakimo viro
ejus, & cognatis omnibus, quòd non esset depre-
hensum turpe factum in ipsa.
64 Danijel verò effectus est magnus coram
populo a die illo in posterum.
65 [4] Rex autem Astyages quum aggregatus
esset majoribus suis, suscepit Cyrus Persa reg-
num illius.

[4] hic versus sequenti capiti planè conjungendus est, nihil enim ad præcedentem historiam facit; nisi fortè quispiam hoc argumento velit ampliùs falsitatem ejus revincere: nam quis Danijelem fuisse puerum per illud tempus crediderit?

CAPUT XIIII.

1 [1] [a] CONvixit autem Danijel huic regi, &
gloria superavit omnes amicos ejus.
2 Erat verò idôlum Babyloniis, cui nomen
Bel, in quod consumebant unoquoq; die similæ
[2] artabas duodecim, & oves quadraginta, vini-
que [3] metretas sex.

[1] De hac historia idem judicium ac de superiore facimus.
[a] *Græc. erat convictor regis.*
[2] id est, 12. medimnos Atticos, & chœnices 36. nam artaba, teste Herodoto, medimnum Atticum capit cum 3. chœnicibus.
[3] id est, cados, qui denos congios capiebant.

3 Colebat autem rex illud, & abiens uno-
quoque die adorabat illud: Danijel verò adora-
bat Deum suum. quamobrem dicebat ei rex,
quare non adoras Belum?
4 Cui dixit ille, quia non adoro idôla manu-
facta; sed viventem Deum, qui creavit cælum, &
terram, & habet dominium in omnem carnem.
5 Rege autem dicente illi, an non videtur
tibi Bel esse Deus vivens? an non vides, quàm
multa comedat unoquoque die?
6 Dixit Danijel ridens, ne errato, ô rex: hic
enim intus quidem lutum est, æs verò foris; ne-
que comedit, neque bibit unquàm.
7 Tum indignatus rex accersivit sacerdotes
suos, & dixit eis, nisi dixerîtis mihi quis come-
dat impensam istam, morituri estis:
8 Sin autem ostenderîtis Belum comedere
ista, morietur Danijel, eò quòd in Belum blas-
phemaverit: dixítque Danijel regi, fiat secun-
dùm verbum tuum.

9 (Erant

9 (Erant autem sacerdotes Beli septuaginta sine uxoribus & liberis) venítque rex cum Danijele in ædem Beli.

10 Ubi dixerunt Sacerdotes, ecce nos excurrimus foras, tu autem rex appone illa edulia, & vinum miscens propone, & occlusam portam annulo tuo obsigna.

11 Quòd si veniens manè non inveneris omnia comesta a Belo; moriantur nos: aut Danijel, qui mentitus est contra nos, *si invenerit, moriatur.*

12 Ipsi autem eo contemnebant quòd fecissent sub mensa occultum aditum, quo ingrediebantur semper, & tollebant ea.

13 Fuit autem, quum egressis illis rex apposuisset edulia Belo, ut præciperet Danijel pueris suis; qui afferentes cinerem constraverunt eo totam ædem coram rege: posteà egressi clauserunt portas, & obsignarunt annulo regis, abiveruntque.

14 Sacerdotes verò ingressi nocte pro more suo, & uxores, liberíque eorum comederunt omnia, atque abierunt.

15 Quum itaque surrexisset rex manè, & Danijel adesset ei,

16 Dixit rex, integra sunt sigilla; Danijel; qui dixit, integra sunt, ô rex.

17 Sed fuit, simulac aperuisset portas, ut respiciens rex ad mensam clamaret voce magna, magnus es, ô Bel, neque est apud te dolus vel unicus.

18 Ridens verò Danijel detinuit regem ne ingrederetur intrò, & dixit, aspice solum, & agnosce cujus hæc vestigia sint.

19 Tum rex, video, inquit, vestigia virorum, mulierúmque, & puerorum:

20 Et iratus rex comprehendit tum sacerdotes, uxorésque, & liberos eorum, qui demonstrarunt ipsi occulta ostiola, quibus ingrediebantur, ut consumerent quæ imponebantur mensæ:

21 Quamobrem interficiens eos rex donavit Belum Danijeli dono, qui evertit eum cum æde ipsius.

22 Erat quoque Draco magnus in eo loco, quem colebant Babylonii.

23 Dixit autem rex Danijeli, non etiam hunc esse dices æreum. Ecce vivit, & comedit, & bibit: non potes dicere hunc non esse viventem Deum: itaque adora eum.

24 Cui Danijel, Dominum, inquit, Deum meum adoraturus sum, quia is Deus vivens est.

26 Tu verò rex da mihi potestatem, & interficiam draconem istum sine gladio & fuste: cui dixit rex, do tibi.

26 Itaque Danijel accipiens picem, adipémque, & pilos, quæ coxit unà, fecit massas quas indidit in os draconis illius, & disruptus est draco. Tum dixit Danijel, ecce [b] numina vestra.

27 Fuit autem, quum audissent Babylonii, ut indignarentur valdè, & conversi in regem dicerét, rex iste Jehudæus factus est, Belum destruxit, & draconem interfecit, ac Sacerdotes ipsos jugulavit.

28 Posteà venientes ad regem dixerunt, trade nobis Danijelem; sin minus interficiemus te, & domum tuam.

29 Quum itaque videret rex se ab illis urgeri vehementer, necessitate coactus tradidit eis Danijelem.

30 Ii autem conjecerunt eum in foveam leonum, ubi fuit dies sex.

31 Erant verò in fovea illa leones septem, quibus dabantur in diem bina corpora, & binæ oves, sed tunc non erant data eis, ut comederent Danijelem.

32 Erat autem propheta [4] Chabakuk in Jehudæa; qui quum coxisset pultem, & intrivisset panes in magide, abibat in campum ut ferret ea messoribus.

33 Verùm edixit Chabakuko angelus Domini, defer prandium quod habes, Babylonem ad Danijelem in foveam leonum;

34 Cui dixit Chabakuk, Domine, Babylonem non vidi, & fovea illa ubi sit nescio.

35 Tum prehendit eum angelus Domini vertice, & bajulans coma capitis ipsius deposuit eum delatum Babylonem supra foveam impetu spiritus [5] ejus.

36 Exclamavítque Chabakuk dicens, Danijel, Danijel, accipe prandium hoc, quod tibi mittit Deus.

37 Danijel verò dixit, Etenim meministi mei, Deus, qui non deserueris eos qui requirunt te.

38 Ita exsurgens comedit Danijel: Angelus verò Dei restituit Chabakukum confestim in loco ipsius.

39 Rex autem venerat die septimo ad lugendum Danijelem, & veniens ad foveam inspexerat, quum ecce sederet Danijel.

40 Quamobrem exclamans rex voce magna dixit, Magnus es, domine Deus Danijelis, neque est alius præter te, & extraxit eum:

41 Eos verò qui in causa erant perditionis ejus, conjecit in foveam illam, & devorati sunt statim in conspectu ejus.

[b] *Græc. culturas vestras, vel venerationes.*

[4] quum hæc Cyri temporibus dicantur facta, Chabakuk verò ante Nebucadnetzaris adventum prophetaverit, nemo est qui nesciat hæc aut falsa dicenda, aut Chabakuko alteri tribuenda esse, cujus tamen nusquam Scriptura meminit.

[5] nempe domini, cujus in principio versus facta est mentio.

HEZRAE
APOCRYPHUS LIBER PRIOR,
qui vulgò tertius appellatur.

Hic liber ex historia Chronicorum, Hezræ, & Nechemjæ consarcinatus est, & eodem est argumento, si unam historiam exceperis de trium illorum judicio coram Dario Rege pronuncato quid omnium esset fortissimum; unde præmium in Zerubbabelem collatum dicitur, & omnia bona communicata cum Jehudæorum gente.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

1 [1] CELEBRANS Joschija Jeruschalaimis Pascha Jehovæ, jugulavit Pascha, quarto decimo die mensis primi:

2 Postquàm instituisset Sacerdotes [2] in custodiis suis vestibus indutos in domo Jehovæ;

3 Edixissétq; Levitis sacrorum administris pro Jisraële, ut sanctificantes se Jehovæ proponerēt *res sanctificatas* arcæ sanctæ Jehovæ in domo quam ædificavit Schelomo filius Davidis Rex;

4 Non incumbit vobis, *inquiens*, onus eam deportandi humero: nunc servite Jehovæ Deo vestro, & curam habete populi ejus Jisraëlis, ac præparate per familias vestras secundū distributiones vestras ex præscripto Davidis Regis Jisraëlis, & ex descriptione Schelomonis filii ejus;

5 Omnésque in templo secundùm partitionem familiæ paternæ suę state coram Jisraëlitis fratribus vestris:

6 Ita jugulate Pascha, & sanctificati parate pro fratribus vestris, facientes secundùm verbum Jehovæ *indictum* per Moschen.

7 Donavítque Joschija populo qui aderat agnos ex ovibus & hœdos e capris tricies mille, & armentalium tria millia, eáque de facultatibus Regis ex promisso tradita sunt:

8 *Principesq;* Sacerdotibus in Pascha pecudes bis mille *sexcentas*, & armentalia *ter* centum:

9 Conanja verò cum Schemahja & Nethaneele fratribus, Chasschabja quoque & Jehiel & Jozabad in Pascha pecudum quinque millia & armentalia quingenta:

10 His ergo legitimè comparatis, steterunt Sacerdotes ac Levitæ per tribus utētes azymis,

11 Et per distributiones familiarum paternarum suarum in conspectu populi obtulerunt Jehovæ, secundùm ea quæ in libro Moschis præscripta sunt.

12 Nam assarunt Pascha igne pro ritu, hostias verò coxerunt in gabatis & in ollis pro arbitratu suo, quum transmisissent ad omneis populareis:

13 Posteà verò paraverūt sibi & Sacerdotibus.

14 Sacerdotes enim offerebant adipes usque dum finita esset [3] hora: quamobrē Levitæ illi paraverunt sibi & suis fratribus posteris Aharonis,

15 Et sacris cantoribus posteris Asaphi agentibus in statione sua, secundùm præceptum Davidis *datum* Asapho, Hemani, & Jeduthuni videnti Regis,

16 Et janitoribus per singulas januas *observantibus*, quibus non erat recedendum a ministerio suo: his fratres ipsorum paraverunt.

17 Ita consummatus est totus cultus Jehovæ die illo,

18 Celebrando Pascha, & offerendo holocausta in altari Jehovæ secundùm præceptum regis Joschijæ.

19 Celebrarunt enim Jisraëlitæ qui aderant tempore illo Pascha diémque festum azymorum, diebus septem:

20 Neque celebratum est Pascha simile huic in Jisraële a diebus Schemuelis Prophetæ:

2. *Chron.* 15.
[1] In his libris duo desideramus, nempe auctoris & librariorū fidem: nam multa ab auctore contra librorum canonicorū veritatem audacter immutata, multa imperitè ab his præter auctoris mentē corrupta sunt. Quamobrem quæ ex Scriptura verbum ferè de verbo hausta sunt, ea nos cum authentica historia conformavimus: quæ autem adducta aliunde, ea aut testimoniis, aut judicio probabilibúsque conjecturis emendata notavimus. Hoc caput totū petitum est ex duobus ultimis cap. lib. 2. Chro. quamobrem ex eo loco censurę hujus notæq; in hunc sunt conferendę.
[2] Hebræam vocem Græci ὑπηρεσίαν interpretantur: atq; hæc utriusq; est significatio, λειτουργία καὶ φυλακὴ καθημερινὴ, id est, quotidiana custodia, atque administratio. Hic autem scriptor vices dierum exponit, meliùs vicaria officia nominaturus. Sed lectorem rogatum velim ut hæc quæ restituimus ipse cum libris canonicis dignetur comparare: nos enim deinceps ab harum notarum molestia supersedebimus.
[3] videlicet offerendi, qua demum hora comedi jubetur Pascha, Exod. 12.6. confer cum Exo. 29.39.

21 Nulli inquā Reges Jisraëlis celebraverunt tale Pascha quale celebravit Joschija, & Sacerdotes, Levitæq;, & Jehudæi, omnésq; Jisraëlitæ, & qui aderant habitatores Jeruschalaimorum.

22 Octavo decimo anno, regnante Joschija celebratum est Pascha istud.

23 [4] Ac directa quidem sunt opera Joschijæ coram Jehova Deo ipsius, corde integro reverentis eum:

24 Quæ autem illi accidisse scripta sunt jam olim, *ea* propter [5] illos qui peccaverunt & qui reverentiam Domini abjecerunt præ omni gente neque requisiverunt verbum Domini, in Jisraëlem *acciderunt*.

25 His omnibus a Joschija gestis, ascendebat Parho rex Ægypti veniens itinere Carcemischū versus ad Euphratē, cui processit obviā Joschija:

26 Sed misit rex Ægypti ad Joschijam qui dicerent, quid mihi tecum, Rex Jehudæ?

27 Non sum missus a Domino ut oppugnem te; ad Euphratem bellum meum spectat, festinans descende.

28 Non est autē aversus Joschija cum copiis; sed pugnare cōtra eum aggressus est, non attendens ad verbum illud propheticum ex ore Dei.

29 Et constituto contra eum prælio in convalle Megidduntis descenderunt principes ad regem Joschijam,

30 Edixitque rex pueris suis, amovete me a prælio, nam infirmatus sum valde: & statim amoverunt eum pueri ipsius ab acie.

31 Tum ascendit currum secundarium suum, & perveniens Jeruschalaima vita functus est, ac sepultus in sepulcro majorum suorum:

32 Et in tota Jehudęa *populares* luxerunt Joschijam, magistríq; symphonię viri ac mulieres lamentati sunt de eo in hunc usq; diem: mandatum enim est fieri semper in tota gente Jisraëlis.

33 Hęc autē scripta sunt in [6] libro historiarum Regū Jehudę: singulę inquam res gestę Joschiję, & gloria intelligentiáque ejus in lege Jehovæ, quęcumq; gesta sunt ab eo, etiam quę non scripta sunt in [7] libro Regum Jisraëlis & Jehudæ.

34 Itaque assumentes qui erant e *Jehudæorum* gente Jochananē filium Joschijæ, ‖ eum constituerunt regem pro Joschija patre ipsius, quum esset annorum [8] vigintitrium.

35 Quúmq; regnasset in Jisraële treis menses, amovit eum rex Ægypti ne regnaret Jeruschalaimis:

36 Et gentem multavit centenis talentis argenti & talento auri,

37 Constituítque Rex Ægypti Jehojakimum fratrem ejus regem Jehudæ & Jeruschalaimorū,

38 [9] Obligans sibi regnum Jehojakimi, Jochananem verò fratrem ejus prehendens duxit in Ægyptum.

39 Annorum erat Jehojakim vigintiquinque, quum regnare cœpisset in terra Jehudæ & Jeruschalaimis, & fecit malum in conspectu Domini.

40 Contra hunc autem ascendit Nebucadnetzar Rex Babyloniæ, & ligavit eum æneo vinculo [10] abducturus in Babyloniam.

41 Et sacra vasa Jehovæ accipiens Nebucadnetzar abstulit, consecravítque in templo suo Babylone.

42 De impuritate autem hujus & impietate scriptum est in Chronicis Regum.

43 Ita regnavit Jehojakin filius ejus pro eo, annos decē & octo natus quū rex institueretur.

44 Regnavit autē menseis tres & dies decem Jeruschalaimis,

[4] hi duo versus solummodò ad historiam libri Chronicorū adjecti sunt, quorū hæc sententia. Joschija vir summa Dei reverentia præditus omnibus in rebus pietatis ergò fecundatus est per benedictionē Dei: mors autem ipsius & cædes exercitus (quæ περισιωπισμὸν reticentur hoc versu, ut quæ jam olim scriptum fuerit ipsi accidisse) ea non propter ipsius, sed propter populi peccata acciderūt; quem tam gratiosè hujus optimi regis opera revocatū, minimè resipiscentē omnium, ac potiùs magis magísque a Deo & pietate desciscentem hac tanta Regis jactura oportuit meritas pœnas luere: ut nominatim Jirmeja a cap. 2. ad 14. prophetaverat, & in Lamentationibus deflet hunc primū fuisse aditū ad procellas calamitatū maximas, funestúmq; exitiū populi. Sunt autem hæc παρασιωπητικὰ ad sequentē narrationē de occiso Joschija & fuso exercitu.
[5] i. Jehudæos impios, desertores, transfugas, & contemtores infestissimos verbi Dei.
[6] i. in actis publicis, annalibus Regum, atque diariis: vide 1. Reg. 11.41.
[7] nempe Ecclesiastico, id est, 2. Reg. 22. & 23. & 2. Chro. 34. & 35.
‖ 2. *Chron.* 36.
[8] ô hominē audacem! nodum secuit quē nescivit solvere. vide in 2. Reg. 24. 1. & Jermeję. 23.
[9] i. Jehojakimū obstringens jurejurando, ut regnū suum Aegyptio acceptū ferret, ac esset ipsius beneficiarius; ut de Tzidkija dicitur inf. v. 48.
[10] censurę causam vide in 2. Chron. 36.6.

Jeruſchalaimis, & fecit malum in conſpectu
Domini.
45 Itaque vertente anno mittens Nebucad-
netzar deportavit eum Babylonem cum ſacris
vaſis Domini,
46 Et conſtituit Regem Tzidkijam Jehudæ
& Jeruſchalaimorum, quum eſſet annorum vi-
ginti unius: qui regnavit annis undecim,
47 ‖ Et faciens malum in conſpectu Domini
non metuit ſibi a verbis quæ dicta fuerant per
Jirmejam Prophetam ex ore Domini;
48 Sed quum jurejurando obſtrictus fuiſſet
regi Nebucad-netzari, perjurans defecit, ac ob-
durata cervice ſua animóque ſuo transgreſſus
eſt jura Jehovæ Dei Jiſraëlis.
49 Etiam principes populi Jehovæ multa
iniquè geſſerunt & impiè egerunt ſupra omneis
abominationes gentium, polluentes templum
Jehovæ quod ſanctum erat Jeruſchalaimis:
50 Quúmque mitteret Deus majorum ipſo-
rum & per nuncium ſuum revocaret ipſos, eo
quòd parcebat illis & habitaculo ſuo.
51 Ipſi ſubſannarunt nuncios ejus, & quan-
do loquebatur Dominus, illuſerunt Prophetis
ejus:
52 Qui ad æſtum iræ concitatus contra gen-
tem ſuam propter impietatem ipſius, præcepit
aſcendere [11] Reges Chaldæorum.
53 Hi occiderunt juvenes eorum gladio in
circuitu ſancti templi eorum, neq; pepercerunt
puero aut ſeni, virgini aut adoleſcenti, quum
omnes traditi eſſent in manum ipſorum:
54 Et omnia ſacra inſtrumenta Domini, re-
galéſque theſauros ſumtos exportarunt in Ba-
byloniam.
55 Et incenderunt domum Domini, ac de-
moliti muros Jeruſchalaimorum turres eorum
incenderunt igne,
56 Abſumentes omnia quæ inerant deſidera-
bilia & ad nihilum redigentes: eos verò qui re-
liqui fuerunt a gladio deportarunt in Babylo-
niam;
57 Ubi fuerunt ſervi Babylonio uſquedum
regnarent Perſæ, ad implendum verbum Jeho-
væ dictum ore Jirmejæ,
58 Donec exſolviſſet terra ſabbatha ſua, *&*
omni tempore deſolationis ſuæ quieviſſet, com-
plendo annos [12] ſeptuaginta.

‖ *Jirm.* 25. *& ſeq.*

[11] i. non ſolum Regem regum Nebucadnetzarem, ſed etiam Principes regni Babylonici miniſtrantes ei: ſic 2. Reg. 18. 24. & Jeſcha. 10. 8.

[12] ſic legendum ex fide hiſtoriæ authenticæ, & exemplarium veterum teſtimonio.

CAPUT. II.

1 [1] ‖ Regnante Cyro Rege Perſarum, ad con-
ſummationem verbi Jehovæ *dicti* ore
Jirmejæ,
2 Suſcitavit Jehova ſpiritum Cyri regis
Perſarum, ut promulgaret per totum regnum
ſuum etiam ſcripto,
3 Dicens, ſic ait Cyrus Rex Perſarum, me
conſtituit Regem orbi terrarum Jehova Deus
Jiſraëlis dominus excelſus,
4 Et commiſit mihi ut ædificem domum
ſibi Jeruſchalaimis quæ ſunt in Jehudæa.
5 Quiſquis eſt e gente veſtra *ædificaturus*,
aſſiſtente Domino ipſius aſcendito Jeruſcha-
laima:
6 Quotquot verò hîc illîc reſederint, ſub-
levanto eos homines ipſius loci auro & ar-
gento,
7 Donis, equis & jumenſis, votiviſque ob-
lationibus in ædem Domini qui eſt Jeruſcha-
laimis.
8 Surrexerunt itaque principes paterna-
rum familiarum ex tribu Jehudæ & Binjaminis,
Sacerdotúmque & Levitarum, quos excitavit
Deus ut aſcenderent ad ædificandum domum
Jehovæ qui eſt Jeruſchalaimis:
9 Et vicini eorum adjuverunt eos auro &
argento ſuo, jumentis, ac votivis compluribus,
permulti quorum animus excitatus eſt.
10 Etiam Rex ipſe Cyrus protulit vaſa ſacra
Domini, quæ tranſtulerat Nebucad-netzar Rex
Babyloniæ Jeruſchalaimis & conſecraverat idô-
lo ſuo;
11 Eáque prolata Cyrus Rex Perſarum
tradidit Mithredati præfecto ærario,
12 Per quem tradita ſunt [2] Scheſchbatzari
Præſidi Jehudææ.
13 [3] Eorum autem hic numerus: pelves au-
rei triginta, pelves argentei mille, ſeceſpitæ vi-
ginti novem, crateres aurei triginta, crateres ar-
gintei ſecundarii quadringenti decem, & alia
vaſa per millia:
14 Omnia vaſa aurea & argentea, quinquies
mille quadringenta.
15 Hæc [4] numerata ſunt Scheſchbatzari
cum iis *proficiſcenti* qui ex captivitate Babyloni-
ca veniebant Jeruſchalaima.
16 ‖ [5] Temporibus autem Artaxerxis Regis
Perſarum ſcripſerunt ei contra habitatores Je-
hudæ & Jeruſchalaimorum Bilſcham, Mithre-
dates, Tabeel, [6] Rechum præſes cōſilii, & Schim-
ſchai legiſperitus, cæterique habitantes in Sa-
maria & locis reliquis, epiſtolam ſequentem Ar-
taxerxi regi:
17 Quam Rechum præſes conſilii & Schim-
ſchai legiſperitus condiderunt nomine ſervo-
rum Regis & reliquorum curiæ ipſius judicum
in Cœle Syria & Phœnicia.
18 Notum ſit Domino Regi, Jehudæos qui
aſcendentes a vobis ad nos venerunt Jeruſcha-
laima civitatem rebellem ac peſſimam ædifi-
care, muros ejus perficere, eiúſque templum ex-
citare:
19 Quòd ſi civitas iſta & muri conſummati
fuerint, eos tributa non eſſe daturos, ſed dam-
num Regibus allaturos.
20 Quia autem de templo proſpeximus, juſtū
fore arbitrati ſumus ſi non deſpiceremus iſtud.
21 Sed notum faceremus Domino Regi, ut ſi
viſum fuerit Regi inquiratur in Commentariis
majorum tuorum:
22 Et invenies in Cōmentariis de eis ſcrip-
tum, cognoſcéſque civitatem iſtam fuiſſe rebel-
lem, Regibúſque & civitatibus damnoſam,
23 Et Jehudæos rebelles, conſpirationém-
que in ea feciſſe inde a ſeculo; eámque ob cau-
ſam civitatem iſtam fuiſſe devaſtatam.
24 Nunc ergo notum facimus Domino Re-
gi, ſi iſta civitas exædificata fuerit, & muri ejus
perfecti, fore ut acceſſus tibi non pateat in Cœ-
len Syriam & Phœniciam.

‖ 2. *Chron.* 36. 22. *Hezræ* 1. 1.

[1] Totum hoc caput ex Hezræ 1. & 4. deſumtum eſt: ſed quia multis in locis fraus facta eſt veritati, nos hoc caput meritò regulæ illius conformavimus.

[2] ſic legendum planè: propria enim nomina turpiſſimè hoc libro corrupta ſunt, quæ ſatis erit deinceps in contextu ſine alia notatione reponere. Deinceps verò in locum certiſſimæ veritatis immania congerit mendaciorum plauſtra.

[3] Hæc recenſio plurimùm ab authentica diſcederet niſi ſic reponeretur: ſcilicet videbat auctor ſummæ cum partibus non ſatis convenire quas adducit Hezra, eúmque ut hominē ἀναριθμολόγητον putavit corrigendum.

[4] pervenerunt in Babyloniam, ait Hezra: hic verò quid? numerata quidem ſunt, inquit, ſed venerunt minimè: cur autem? quia non fuiſſet, opinor, locus fabulæ quæ proponitur infrà 4. 44. Hoc quidem certè inſcitiámne an impietatē appellē neſcio: ſed ad cætera.

‖ *Hezræ* 4. 7.

[5] diſtingue tempora (ut vulgò dici ſolet) & cōcordabis Scripturas. Ac omnium quidem optimè diſtinxerat Hezra 4. 6. & 7. Nam regum duorum tempora numeraverat, Aſſueri & Artaxerxis; e quibus Aſſuerus Xerxem deſignat; ſecundus eſt Longimanus. Horum ergo Regum duorum tempore averſa eſt ædificatio. Sed quid hic noſter? Flavium Joſephum, non Hezram ſequitur, & Aſſueri nomē ac tempus diſſimulat, atq; hoc pacto in graviſſimos duos errores incidit: unum, quòd duorum temporū hiſtoriam ita narrat quaſi ab uno rege ſolo geſta eſſet; alterum, quòd hiſtoriam Darii nothi attribuit Dario Hyſtaſpis filio, capitibus ſeq. atq; hunc quidem lapſum ex ignoratione profectum perhumanè accipio; priorē verò, quòd verſum illū e libro Hezræ diſſimulaverit, nequeo excuſare. [6] De nominū depravatione jam antè monuimus: ſed vide ſcriptoris judicium: Rathimus Balthemus hoc verſu dicitur: ſeq. V. Rathimus ab accentibus, nempe quia Beſiel-teſiem Chaldaicè dominum conſilij, cauſæ, judiciiq; ſignificat, aut etiam Dominū accentuum: poſtremò verò V. 25. dicitur Rathimus qui ſcribebat accidentia. Quæ duo poſteriora librariorum oſcitantia fuiſſe depravata non dubitaverim: ſed tamen auctorem hunc mallem ſibi conſtitiſſe, niſi animadverterem voluiſſe his occaſionibus Dominum piis conſulere, & impios illos revincere qui tantam his impuris & ineptis ſcriptis auctoritatem aſſerunt, quantam libris ſuis canonicis impreſſit Deus.

25 Tunc

25 Tunc rescripsit Rex Rechumo præfidi consilii, & Schimschaio legi sperito, & reliquis collegis eorum, habitantibusq; in Syria & Phœnicia, ea quæ sequuntur:

26 Legi epistolam quam misistis mihi: itaque præcepi quæstionem haberi, & inventum est civitatem istam jam olim Regibus resistere,

27 Homines rebelles & conjurationum auctores esse versatos in ea; etiam Reges potentissimos Jeruschalaimis dominatos esse, qui tributa exegerint a Cœle Syria atq; Phœnicia.

28 Nunc ergo præcipio prohiberi viros istos ne ędificent civitatē, & ne quid amplius faciant,

29 Ut non procedant graviora unde processerunt mala, damnúmq; Regibus importetur.

30 Tunc recitatis iis quæ a rege Artaxerxe scripta fuerant, Rechū & Schimschaius legisperitus & collegę eorum jungentes festinanter venerunt Jeruschalaima cum equitatu, turba & agmine,

31 Cœperuntq; ædificantes prohibere: ita vacarunt Jehudæi ab ædificatione templi Jeruschalaimis ad annum usque secundum regni Darii Regis Persarum.

CAPUT III.

1 [1] Rex Darius dedit cœnam magnam omnibus domesticis suis, omnibúsq; magistratibus Mediæ & Persidis,

2 Et omnibus clarissimis, regulis, pręsidibus, & præfectis qui suberant ipsi ab India ad Æthiopiam usque, centum viginti septem provinciis:

3 Qui quum edissent, bibissentq;, & satiati redivissent *domū*, ascendit Darius Rex in cubiculū suum, dormivit *parumper*, & expergefactus est.

4 [2] Tunc tres juvenes illi satellites qui custodiebant corpus Regis, dixerunt alter alteri,

5 Proponamus quisque dictum aliquod eximium, quandoquidem cujuscumque visus fuerit sermo præstare aliorum sermoni sapientia, daturus est illi Darius Rex dona magna:

6 Ut purpura induatur, ex aureo poculo bibat, inaurato cubili dormiat, curru vehatur cum equis adornatis auro, gestet cidarin byssinam & torquem appendentem collo,

7 Secundus sedeat a Dario propter sapientiam suam, & cognatus Darii vocetur.

8 Tunc scripserunt quisque dictum suum, obsignatúmq; posuerunt ad cervical Darii regis,

9 Dicentes, quum surrexerit Rex, dabimus ei scripta nostra; & cujuscumque e nobis tribus judicaverit Rex & Magistratus Persidis dictum esse sapientissimum, huic dabitur [3] victoria sicut scriptum est.

10 Unus scripserat, forte est vinum:

11 Alter scripserat, fortior est Rex.

12 Tertius scripserat, fortiores sunt mulieres, supra omnia autem vincit veritas.

13 Quum itaque surrexisset Rex, accipientes scripta sua dederunt illi, & legit;

14 Deinde mittens vocavit omnes magistratus Persarum Medorúmq;, clarissimos, regulos, & præfectos,

15 Quibus considentibus in consilio scripta prælecta sunt.

16 Posteà edixit Rex, vocate juvenes qui exponant dicta sua: quúmq; vocati venissent intrò,

17 Edixit illis Rex, exponite nobis ea quæ scripta sunt. Is itaq; incepit primus qui prædicaverat fortitudinem vini, dicens,

18 [4] O viri quanto fortius est vinum omnibus bibentibus ipsum! seducit mentem,

19 Æquè Regis mentem ac orphani efficit vanam, servi, liberi, pauperis, divitis,

20 Et omni menti securitatem ac jucunditatem affert, ita ut nullius tristitiæ debitíve meminerit;

21 Omnésq; animos reddit munificos, faciens ut vir potus neq; Regem, neq; magistratum recordetur, sed omnia talenta crepet os ipsius:

22 Aut postquam biberint, neque amicitiæ neque germanitatis ullius meminerunt; sed paulo momento arripiunt gladios;

23 Quum autem e vino emergentes surgunt, non meminerunt factum.

24 O viri, nónne fortissimum est vinum? quis enim res tantas se effecturum vel cogitare ausit? atque hoc dicto conticuit.

CAPUT IIII.

1 [1] Tum cœpit secundus dicere, qui prædicaverat fortitudinem Regis,

2 O viri, nónne fortissimi sunt homines? qui terram ac mare obtinēt & omnia quę sunt in eis.

3 Rex autem est illorum omnium fortissimus, qui ita dominatur illis ut quicquid edixerit ipsis faciant,

4 Nam si ipsos ad belligerandum miserit, abeunt; montes, muros, & turres subruunt;

5 Jugulantur & jugulant, ut mandatum Regis non transgrediantur, quòd si vicerint, omnia afferunt ad Regem quæ prædati fuerint.

6 Similiterq; alii omnes qui in militiam minimè incumbunt, ac ne in ullum quidem prælium, sed colunt terram, hi quum messuerint, afferunt tributa Regi.

7 Denique solus ipse si dixerit occidite, occidunt; si desinite, desinunt;

8 Si percutite, percutiunt; si exterminate, exterminant; si ædificate, ædificant;

9 Si excidite, excidunt; si plantate, plantant;

10 Omnes tenues & potentes ipsi obediunt, eis instructus accumbit, ac bibit, dormitq; eis custodientibus in circuitu ipsum:

11 Neque possunt abire ullus arbitratu suo ut curet res suas, sed dicto parent ipsius.

12 O viri, ecquì nō esset Rex fortissimus? quis enim ita commendetur? his dictis tacuit.

13 Tertius verò qui de mulieribus & veritate dixerat (is est Zerubbabel) cœpit dicere,

14 O viri, non rex maximus, non hominum multitudo, non vinum est fortissimum: quis ergo est qui dominetur eis?

15 Nónne mulieres pepererunt Regem, omnémq; populum qui dominatur mari & terræ?

16 Nónne ab eis nati ac educati sunt qui plantant vineas, e quibus fit vinum?

17 Hæ conficiunt vestes omnium hominum, hæ gloriam afferunt hominibus, ab his viri nequeunt retrahi.

18 Si congregato auro & argento ac re qualibet pretiosa viderint aliquam mulierem habitam atque speciosam,

---

[1] Quàm futilis & vana hæc historia sit omnes oculati cùm ex tempore videre possunt, tum ex Chaggaii prophetia: nā quod ad tempus, imperitè conturbari rationem illius antè ostendimus cap. 2. quod ad prophetiam verò, nullus tam bonus artifex conciliationum futurus est quin omnibus tentatis fateatur aut hunc aut illum teneri mendacii. Illum mendacem ut dicamus absit; qui Zerubbabelem præfectum Jehudæ docet tamquam rem inauditam, eo demum tempore in opus Domini incumbendum esse; cui populus obnititur ut contemnenti Regum diplomata; qui & pręfectos & populum ipsum partim mandatis Dei, partimq; promissionibus excitavit; quo prædicante Spiritus Dei animavit ipsos, ac non Regis ullius auctoritas: Superest hunc & Josephum & alios mendacium dicere qui narrationem hanc tradiderunt. Verùm quid multis opus est? Jehudæi adversariis & quæsitoribus suis respondentes nullam hujus historiæ, nullam mandati a Dario mentionem faciunt, Hezræ. 5. 13. & 17. qua una profectò auctoritate sublata fuisset omnis rixandi occasio: sed ne ipse quidem Darius adducit, Hezræ 6. Valeant ergo qui fabulas istas AntiHezræ alicujus, non germana Hezræ scripta cum libris Canonicis compactas & adæquatas volunt. [2] quum rex Darius (ut isti volunt) expergefactus suis lateronibus custodibusq; corporis problema suum attulisset, quid omnium esset fortissimum. [3] id est, (ut Josephus ait) γέρας νικητήριον, victoriæ præmium a Rege propositum: etsi huic scriptori cum Josepho non satis convenit.

[4] hoc argumentum exponunt eleganter atque copiosè Diphilus Comicus & Bacchylides apud Athenæum libro 2. Dipnosophistarum.

[1] Eadem cum præcedente cap. historia, judicium idem.

19 Omnia illa omittentes in eam intendunt defixis oculis inhiantes ei, & eam magis appetunt quàm aurum & argentum & rem quamlibet pretiosam:

20 Vir patrem relinquit qui educavit ipsum, ac regionem suam; & adjungit se mulieri;

21 Et cum muliere seipsum recreans neque patris meminit, neque matris, neq; regionis suæ.

22 Atque hinc quoque oportet a vobis cognosci istud, mulieres dominari vobis: nónne dolores subitis,

23 Et accipiens homo gladium suum adit itinera commissurus furta & homicidia, per mare navigat & flumina;

24 Leonem videt, & de nocte ambulat; quumque furtum fecerit, fraudes, & rapinas, comportat omnia ad amatam suam?

25 Quinetiam diligi a viro uxorem ipsius magis quàm patrem aut matrem *evincit istud*:

26 Nam multi dementes facti sunt propter uxores suas, multi servi facti sunt propter illas;

27 Multi perierunt & jugulati sunt, quum peccassent propter mulieres.

28 Jam verò, credite mihi, ut magnus sit Rex potentia sua, quem regionum omnium homines verentur contingere;

29 Vide tamen[2] Appajimam filiam Rabschakis concubinā Regis magnificentissimi assidentem ad dexteram Regi,

30 Quę auferens diadema de capite ejus imponebat suo, & feriebat Regem sinistra manu.

31 Atque hæc quum fiunt, Rex aperto ore intuetur eam; ea si arriserit ipsi, ridet; si indignata fuerit, abblanditur donec reconciliatus fuerit in gratiam.

32 O viri, ecquî non essent mulieres fortissimæ? quis enim res faciat ejusmodi?

33 Tunc respicientibus Rege & clarissimis uno in alterum, cœpit de veritate dicere,

34 O viri, nónne fortes sunt mulieres? magna verò est terra, excelsumq; cælum, & velox cursus Solis, in orbem conversantis cælum, & locum suum repetentis uno die.

35 An verò non esset magnificus qui hæc fecit? maxima igitur est veritas, fortissimáq; omnium.

36 Omnis terra veritatem invocat, cælum etiam benedicit ipsi, & omnia opera commoventur ac contremiscunt ab ea, neque est apud eam iniquum quicquam.

37 Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filii hominum, & iniqua omnia illorum opera; neque est in ipsis veritas, sed peribunt in iniquitate sua:

38 At veritas manet, valensq; in æternum vivit, & obtinet in omnia secula;

39 Apud quam neque est acceptio personarum, neque distinctio; sed jus reddit omnibus justis & injustis, qui omnes benignis fruuntur operibus ejus.

40 Non enim est in judicio ejus iniquitas, sed fortitudo, & regnum, potentiaq;, & majestas in omnia secula. Benedictus sit Deus veritatis.

41 Hoc autem desinente loqui omnes præfecti exclamantes dixerunt, maxima est veritas, atque fortissima:

42 Rex verò dixit illi, Si quid voles supra quàm scriptum est, pete & dabo tibi: quandoquidem inventus es sapientissimus, proximè assidebis mihi, & cognatus meus vocaberis.

43 Tum ille Regi, memor esto voti tui, [3] vovisse te ædificationem [4] Jeruschalaimorum quo die regnum accepturus esses,

44 Omniúmq; vasorum restitutionem exportatorum Jeruschalaimis, [5] quæ separans Cyrus quum potiretur Babylonis, voluerat illuc remittere:

45 Vovisse quoque ædificationem [6] templi quod incenderunt [7] Edomæi, quando Jehudæa vastata fuit a Chaldæis.

46 Nunc ergo hoc illud est quod postulo Domine ac peto, hoc illud est de quo rogo majestatem tuam, ut perficias votum quod vovisti Regi cælesti ore tuo.

47 Tunc surgens Darius Rex osculatus est illum, & rescripsit omnibus quæstoribus, præfectis atque clarissimis ut deducerent eum ac comites ejus ascensuros ad ædificandum Jeruschalaima,

48 Omnibúsq; procuratoribus qui erant in Syria Phœniciáq;, & Libano ut curarent devehi ligna cedrina a Libano Jeruschalaima ad juvandum eos in civitatis instauratione;

49 Prætereà Jehudæis omnibus a regno in Jehudæam ascensuris [8] libertatem pronuncians ut nemini potentiori, magistratui, aut præfecto liceret invadere portas ipsorum,

50 Sed totam regionem quam obtinuerint *mandavit* liberam ab eis esse, Edomæósq; cedere castellis quæ detinebant Jehudæorum:

51 Et in structuram templi dari quotannis talenta vicena donec exædificatum esset,

52 Ad holocausta verò comburenda quotidie in altari sacro, quemadmodum præceptum est, alia talenta dena offerri per annos singulos:

53 Denique omnibus e Babylonia proficiscentibus ad instaurandum civitatem pronunciavit libertatem, ipsis ipsorúmq; posteris.

54 Item omnibus Sacerdotibus & Antistitibus rescripsit vestimenta sacra numero certo dari quibus induti ministrarent;

55 Levitis quoque demensa dari usquedum consummata esset domus, & exstructa Jeruschalaima,

56 Et omnibus custodibus civitatis dari sortes atque stipendia:

57 Amandánsq; omnia vasa quę separaverat Cyrus è Babylonia, quæcumq; Cyrus edixerat, hic etiam præcepit fieri & mitti Jeruschalaima.

58 Egressus itaque adolescens ille, elata facie versus Jeruschalaima benedixit Regi cælesti,

59 Dicens, abs te est victoria, a te sapientia & lux; ego verò servus tuus sum:

60 Benedictus es, ô qui dedisti mihi sapientiam; celebrabo te Domine Deus majorum nostrorum.

61 Et acceptis literis profectus est [9] Babylonem, veniénsq; nunciavit fratribus suis omnibus qui erant Babylone:

62 Qui benedixerunt Deo majorum suorum, quòd daret ipsis laxamentum & [10] refrigerationem,

63 Ut ascendentes ædificarent Jeruschalaima & templum in quo invocatum est nomen ipsius; exsultaverúntq; cum symphonia & lætitia diebus septem.

CAPUT V.

1 [1] Post hęc autem electi sunt qui ascenderent principes paternarum familiarum per tribus

[2] sic restituimus ex Flavii Josephi comparatione: nam ille vocat Ἀπάμην τὴν Ῥαβεζάκου τοῦ Θεμασίου παῖδα.

[3] id est, te quū ambires regnum votum nuncupasse, & spopondisse Domino fore si per voluntatem ejus ad fastigium regni pervenires, ut adeptus regnum ea præstares quę sequuntur. Sic duobus locis interpretatur Josephus ἀρχαιολογίας ιά. Hæc autem cum veritate pugnare omnia jam antè docuimus: nam quod ad ædificationē templi si probabuntur ista, quid Chaggaio Propheta fiet? quod ad instaurationē opidi, quid fiet Nechemję historia? quod ad immunitatē, quid fiet Estheræ libro? nam duobus hisce capitibus eadem opera tres illæ historię convelluntur, earúmq; tempora confunduntur impudentissimè. Cætera quæ falsò hic illic dispersa sunt, jam antè suis locis perstrinximus.

[4] contra historiam Nechemjæ 1. & 2.

[5] vide suprà in 2.15.

[6] vide suprà in 3. 1.

[7] de quibus Psal. 79. 12. & 137 7. & Jirmej. 49.7. & Jechezkel. 25. 12.

[8] sive immunitatem, contrà quàm narratur Esther. 10.

[9] erat enim Rex Ecbatanis, ut frigida conjectura divinat auctor ex Hezrę 6. 2.

[10] ut 4. Hezræ 11. 46.

[1] Hi tres versus primi ex scriptoris officina sunt: reliquum caput ex Hezra huc translatum est, & ex Nechemjæ 7. (hæc enim confudit auctoris imperitia) sed ita corruptum propriis nominibus, numeris & sensu, ut nihil suprà. Nos itaque ad ἀρχέτυπα revocavimus omnia, quæ partim scriptoris audaciæ accepta ferimus, partimq; librariorū oscitantiæ.

bus

bus ipsorum cum uxoribus, filiis, filiabúsq; ipsorum, servis, ancillisque, & pecoribus ipsorum:

2 Et misit Rex Darius cum eis equites mille, qui deducerent Jeruschalaima cum pace Judæos urenteis instrumentis musicis, tympanísq;, & tibiis,

3 (Omnes enim fratres ludebant eis) jussítq; illos cum eis ascendere.

4 [2]Hæc autem sunt nomina virorum qui ascenderant per familias paternas suas in tribus suas in præfecturas suas:

[2] hyperbaton ad finem usque cap.

5 Sacerdotum, e filiis Pinchasi filii Aharonis, princeps Jeschuaħ filius Jehotzadaki [3] cum Jehojakimo filio, & Zerubbabel filius Schealthielis e domo Davidis ex progenie Peretzi, *princeps* tribus Jehudæ,

[3] sic omnino legendum est: fuit enim Jehojakim non Zerubbabelis, sed Jehoschuħæ filius, Nechem. 12.10.

6 Qui proloquutus est apud Darium regem sermones illos mirabileis secundo anno regni ejus, mense Nisane, *mense* primo.

7 [I]Atque hi sunt ex Jehudæa qui ascenderant e captivitate illius deportationis quam deportaverat Nebucad-netzar Rex Babyloniæ in Babyloniam, qui reversi Jeruschalaima repetiverunt in partes Jehudææ unusquisq; civitatem suam.

[I] Hezr. 2.
[I] Nech. 7.

8 Qui venerãt cum Zerubbabele, Jeschuħa, Nechemja, Hazarja, Raħamja, Nachamani, Mordecaio, Bilschane, Mispeˀretho, Bigvaio, Nechumo, Baħana, singulis principibus ipsorum: hic numerus popularium a principibus ipsorum.

9 Filii Parħoschi, bis mille centum septuaginta duo; filii Schephatjæ trecenti septuaginta duo;

10 Posteri Arachi, sexcenti quinquaginta duo;

11 Posteri Pachath-moabi ex posteris Jeschuħæ & Joabi, bis mille octingenti octodecim;

12 Posteri Helami, mille ducenti quinquaginta quatuor; posteri Zatthu, octingenti quadraginta quinque; posteri Zacoai, septingenti sexaginta; posteri Binnui, sexcenti quadraginta octo;

13 Posteri Bebai, sexcenti viginti octo; posteri Hazgadis, bis mille trecenti viginti duo;

14 Posteri Adonikami, sexcenti sexaginta septem; posteri Bigvai, bis mille sexaginta septẽ; posteri Haddinis, sexcenti quinquaginta quinq;

15 Posteri Ateris ex Chizkija, nonaginta octo; posteri Chaschumi, trecenti viginti octo; posteri Betzai, trecenti viginti quatuor;

16 Posteri Chariphi, centum duodecim;

17 Gibħonitæ, nonaginta quinque;

18 Bethlechemitæ & Netophatæi, centum octoginta octo; Hanathothani centum viginti octo; Hazmavethani quadraginta duo;

19 Kirjath-jeħarimani, Cephirani, & Beerothani, septingenti quadraginta tres; Ramani & Gebaħæi, sexcenti viginti unus;

20 Micmasæi, centum viginti duo; Beth-elitæ & Hajani, centum viginti tres;

21 Nebuntini alteri, quinquaginta duo; posteri Helami alterius; mille ducenti quinquaginta quatuor; posteri Magbischi, centum quinquaginta sex;

22 Posteri Charimi, trecenti viginti; Jerechuntini, trecenti quadraginta quinque;

23 Lodæi, Chadidei, & Onuntini, septingenti viginti unus; Senaani, ter mille nõgenti triginta.

24 Sacerdotes: posteri Jeschaħjæ e familia Jeschuħæ, nongenti septuaginta tres, posteri Immeris, mille quinquaginta duo;

25 Posteri Paschchuris, mille ducenti quadraginta septem; posteri Charimi, mille septemdecim.

26 Levitæ: posteri Jeschuħæ cum Kadmiele e filiis Hodevæ, septuaginta quatuor;

27 Posteri Asaphi qui psallebant in templo, centum quadraginta octo;

28 Ostiarii verò, posteri Schallumi, posteri Ateris, posteri Talmonis, posteri Hakkubi, posteri Chatitæ, posteri Schobai, centum triginta octo;

29 Sacerdotibus ministrantes in templo, posteri Tzichæ, posteri Chaschuphæ, posteri Tabbaħoti, posteri Kerosi, posteri Siħæ, posteri Padonis,

30 Posteri Lebanæ, posteri Chagabæ, posteri Schalmai, posteri Chananis, posteri Giddeli, posteri Gachadis, posteri Reajæ, posteri Retzinis, posteri Nekodæ,

31 Posteri Gazami, posteri Huzzæ, posteri Paseachi, posteri Bezai, posteri Meħunimi, posteri Nephischesimi, posteri Bakbuki, posteri Chakuphæ, posteri Charchuris,

32 Posteri Batzelithi, posteri Mechidæ, posteri Charsche, posteri Barkosi, posteri Sisere, posteri Temachi, posteri Netziachi, posteri Chatiphe.

33 Schelomonis Nethinæi, posteri Sotai, posteri Sopherethi, posteri Peridæ, posteri Jaħalæ, posteri Darkonis, posteri Giddeli,

34 Posteri Schephatjæ, posteri Chatilis, posteri Pokereth hatzebajim, posteri Amonis,

35 Omnes Nethinæi & posteri servorum Schelomonis, trecenti nonaginta duo.

36 Hi sunt illi qui ascenderunt e Thelmelacho & Thelcharsa, eorúmque principes Cerub, Adan, & Immer;

37 Sed non potuerunt indicare civitates suas & progeniem suam, quemadmodum essent ex Jisraële, posteri Delajæ, posteri Tobijæ, posteri Nekodæ:

38 E Sacerdotibus verò fungentibus Sacerdotio qui non sunt inventi esse, posteri Chabajæ, posteri Kotzi, posteri Barzillai, qui accepta uxore e filiabus Barzillai vocatus est de nomine ejus.

39 Horum quæsita est scriptura generis quod prædicabant, sed non inventa est; quapropter sunt prohibiti Sacerdotio fungi:

40 Edixit enim Regis legatus eis ne comederent res sanctas, donec Sacerdos exsisteret docturus veritatem Urimis & Thummimis.

41 Omnes Jisraëlitæ erant quadragies bis mille trecenti sexaginta,

42 Præter servos & ancillas eorum septies mille trecentos triginta septem, cantores & cantatrices ducentas quadraginta quinque.

43 Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum ducenti quadraginta quinque, cameli quadringenti triginta quinque, asini sexies mille septingenti viginti.

44 Ex primoribus autem paternarum familiarum quũ pervenissent ad domum Jehovæ qui habitat Jeruschalaimis, quidam sponte se offerentes ad domum Dei statuendam in sede ipsius,

45 Pro facultate sua dederunt in thesaurum ipsius operis auri [4] drachmas semel & sexagies mille, argentíq; pondo quinquies mille, & tunicas Sacerdotum centum.

[4] id est, ut scriptor conjicit, minarum duodecim millia. At hunc scriptorem neque minarum pretia, neque drachmarum oportuit didicisse, aut aliud egisse quum ista scriberet.

46 Et habitaverunt Sacerdotes ac Levitæ & qui venerant e plebe Jeruschalaima atque in Jehudæam Nethinæi cantorésq;, & ostiarii & omnes Jisraëlitæ in regionibus suis.

47 [I]Quum autem septimus advenisset mensis, versantibus Jisraëlitis in civitatibus suis, convenerunt unanimes in atrium quod erat ante portam Orientalem.

[I] Hezr. 3.

48 Ubi stans Jehoschuah filius Jotzadaki, cum fratribus suis Sacerdotibus, & Zerubbabel filius Schealthielis cum fratribus suis exstruxerunt altare,

49 Ad offerendum in eo holocausta, sicut scriptum est in lege Moschis viri Dei.

50 Quumq; erexissent altare in sede sua, quàvis convenientibus contra ipsos populis aliarum gentium; obtulerunt in eo hostias & holocausta Jehovæ mane & vesperi:

51 Et celebraverunt festum tabernaculorum sicut præceptum est, sacrificia in diem offerentes secundum ritum,

52 Itémq; holocaustum juge, & hostias sabbathiorum ac neomeniarũ & dierum solennium, omneis res sacras.

53 Quotquot voverunt Jehovæ, a die primo mensis septimi cœperunt offerre holocausta Jehovæ, quum templi Jehovæ non esset jactum fundamentum:

54 Dederúntq; pecuniam putatoribus & fabris, cibúmq; & potum cum oleo,

55 Tzidoniis ac Tyriis, ut adveherent ipsis ligna cedrina ex Libano ratibus in mare Japhonis, secundùm facultatem a Cyro Rege Persarum ipsis datam.

56 Anno autem secundo ex quo venerant ad domum Dei Jeruschalaima, mense secundo, cœperunt Zerubbabel filius Schealthielis, & Jehoschuah filius Jotzadaki cum fratribus suis Sacerdotibus & Levitis, & quicunque venerant e captivitate Jeruschalaima,

57 Fundare domum Dei primo die secundi mensis anno secundo, quicunque venerant in Jehudæam & Jeruschalaima.

58 Quumq; statuissent Levitas a nato viginti annos & deinceps ut præessent operi domus Jehovæ,

59 Assistens Jeschuah, filii ejus, & cognati ejus, ac fratres eorum Levitæ simul præfuerunt opificibus in domo Dei:

60 Steteruntq; Sacerdotes induti cum tubis & Levitæ posteri Asaphi cum cymbalis,

61 Collaudantes Jehovam & benedicentes canticis traditis a Davide rege Jisraëlis:

62 Totus verò populus [5] vociferabatur vociferatione magna laudando Jehovam, quum excitaretur domus Jehovæ.

[5] ὁ imperitum Legis & sermonis Hebræi scriptorem, qui ex popularibus efficit tubicines: quum Hebræa vox frequentius sonet vociferari quàm tuba clangere.

63 Venientes autem ex Sacerdotibus, & Levitis, primoribúsq; paternarum familiarum senes qui viderant domum priorem,

64 Ad hujus ædificationẽ flebant voce magna, & multi vociferabantur ex lætitia magna,

65 Adeò ut populus non internosceret vociferationem ex lætitia a voce fletus populi, quia populus vociferabatur vociferatione maxima, ita ut longè audiretur.

66 ‖[6] Audientes verò inimici Jehudæ & Binjaminis,

‖ Hezræ. 4.
[6] insipida, etiam putida sunt quæ in hunc versum auctor commentatus est: quare nos illa ut notha abdicavimus.

67 Et cognoscentes deportatos istos ædificare templum Jehovæ Deo Jisraëlis,

68 Accesserunt ad Zerubbabelem, & ad primores paternarum familiarum, & dixerunt eis, ædificemus vobiscum:

69 Nam sicut vos auscultamus Deo vestro, & ipsi pariter adolemus inde a diebus Esar-chaddonis Regis Assyriæ qui deportavit nos huc.

70 Quibus dixit Zerubbabel & Jeschuah cum primoribus paternarũ familiarũ Jisraëlis, non est vestrum nobiscum ædificare domũ Deo nostro;

71 Sed nos soli ędificabimus Jehovę Deo Jisraëlis, ut pręcepit nobis Rex Cyrus rex Persidis.

72 populi autem illarum regionum instantes in populum Jehudęæ conturbabant opus ædificationis, & insidiis, & hominibus adductis ne ædificarent;

73 Et grassationem exercentes impediebant ne consummaretur ædificium omnibus diebus Cyri Regis, protrahebántq; structuram [7] usque ad annum secundum Darii Regis.

[7] Somnolentus hæc scripsit, qui structuram putavit biennio solùm fuisse ab hostibus impeditam: quod ipsa revincit veritas, quum per multorum Regum tempus a Cyri tempore fuisse impeditam narret Hezra 4.6.& 7.& hujus loci verba planè aliter sonent Hezræ 4.24.

CAPUT VI.

1 ‖[1] ANno autem secundo regni Darii prophetavit Chaggai & Zecarja filius Hiddonis Prophetæ iis qui erant in Jehudæa & Jeruschalaimis, nomine Dei Jisraëlis.

‖ Hezræ. 5.
[1] Hęc quidem rectè: nisi quòd ad Darium Hystaspis filium auctor putavit pertinere.

2 Tunc surgens Zerubbabel filius Schealthielis & Jeschuah filius Jotzadaki redorsi sunt ædificare domum Domini habitantis Jeruschalaimis, quum adessent eis Prophetæ Domini juvantes eos.

3 Quo tempore venit ad eos Thatnai princeps [2] trans flumen, & Schetar-boznai cum collegio suo:

[2] Syrię & Phœniciæ interpretatur auctor: sed hoc pacto non satis exprimit: nam fuerunt etiam Arabarchæ, & alii.

4 Et dixerunt eis, quo auctore ædificatis domum istam & tectum istud, aliáq; omnia perficitis? & quinam sunt structores qui ista ædificant?

5 Sed gratiam hanc consequuti sunt respiciente Domino in reduces a captivitate Seniores Jehudæorum.

6 Ut non impedirentur ędificare, donec significatis Dario omnibus rebus istis responsum haberetur.

7 Exemplum epistolæ quam miserunt Dario Thatnai princeps trans flumen, & Schetar-boznai, ac collegæ ejus qui erant trans flumen: Dario Regi salutem.

8 Notum sit Regi nos profectos in regionem Jehudææ & ingressos Jeruschalaima invenisse viros qui ædificant domum Dei magnam,

9 Templum ex lapidibus politis & maximis, pretiosáq; materia ad parietes;

10 Et opus istud celeriter fieri, & prosperari in manibus eorum, magnificéq; & quàm diligentissimè perfici.

11 Tunc interrogavimus Seniores dicendo, quo auctore ædificatis domum istam, & opera hæc facitis?

12 Ideò autem interrogavimus eos ut notos faceremus tibi præpositos operi; & nomina eorum nobis de scripto dari postulavimus.

13 Qui responderunt nobis dicentes, nos sumus servi Dei qui fecit cælum & terram.

14 Ædificata autem fuerat hæc domus ante multos annos, & consummata a Rege Jisraëlis magno & potentissimo:

15 Sed ex quo majores nostri exacerbantes peccaverunt in Deum Jisraëlis, tradidit eos in manum Nebucadnetzaris Regis Babyloniæ regis Chaldæorum,

16 Qui domum istam demolientes incenderunt, & populum captivum abduxerunt in Babyloniam.

17 Verùm anno primo Cyri regis Babyloniæ rescripsit Cyrus rex domum hanc ædificari,

18 Et illa sacra vasa aurea & argentea quæ exportans Nebucadnezer e domo quæ erat Jeruschalaimis consecraverat in tęplo suo, illa depromsit Cyrus rex e templo Babylonico, & tradita sunt Zerubbabeli ac Scheschbatzari Præsidi:

19 Quibus mandatum est ut afferentes hæc

vasa reponerent in templo quod futurum erat
Jeruschalaimis, & ipsum templum Dei curarent
ædificari in loco suo.
20 Tunc Scheschbatzar posuit fundamenta
domus Dei quæ est Jeruschalaimis, atque ex eo
tempore huc usq; ædificatur, necdū est absoluta.
21 Nūc ergo si videbitur tibi, ô Rex, perquira-
tur in tabulario Cyri regis quod est in Babylonia,
22 An inveniatur ex auctoritate Cyri Regis
cœptam esse structuram domus Domini quæ est
Jeruschalaimis, & judicium domini nostri Regis
de his rescribat nobis.
‖Hezr. 6. 23 ‖ Tunc Darius Rex mandavit inquiri in
chartophylaciis: & inventus est in opido Ecba-
tanis in regione Mediæ loculus unus in quo scri-
pta erant ista:
24 Anno primo Cyri Regis, Rex Cyrus man-
davit domum Dei quæ est Jeruschalaimis ædifi-
cari, ubi ignis jugis accendatur,
25 Cujus altitudo sit cubitorum sexaginta, &
amplitudo cubitorum sexaginta, ordinibus lapi-
dum maximorum ternis, & ordine lignorum no-
vorum; & impensas e domo regia tradi;
26 Et sacra vasa domus domini aurea & ar-
gentea exportata per Nebucad-netzarem e do-
mo Domini quæ erat Jeruschalaimis, ibidem re-
poni ubi fuerant posita.
27 [1] Nunc itaque mando curæ vobis esse, ô
Thatnai princeps transflumē, Schetar-boznai,
& collegæ vestri Præsides qui estis trans flumen
ut abstineatis ab eo loco:
28 Mando quoque omnino ædificari, & pro-
spici ut adjuventur reduces Jehudæorum, donec
consummatum sit templum Domini,
29 Et de canone transfluviali diligenter quā-
titatē dari viris illis, & Zerubbabeli præfecto ad
sacrificia Domini in tauros arietésque & agnos,
30 Similiter frumentum, sal, vinúmq; & ole-
um indesinenter quotannis, prout Sacerdotes
qui sunt Jeruschalaimis edixerint quotidie con-
sumendum esse; ac sine mora:
31 Ut offerant libamenta Deo maximo pro
Rege ac filiis ejus, orantes pro ipsorum vita.
32 Prętereà denunciatur istud, quisquis trās-
gressus fuerit aliquid eorum quæ rescripta sunt,
amotum iri lignum a domo ipsius cui suspenda-
tur, & bona ipsius ascribenda Regi.
33 Dominus verò cujus nomen invocatur il-
lic, dejiciat omnem Regem & populum qui ma-
nū suam extenderit ad impediendum aut affici-
endum malo domum Domini quæ est Jeruscha-
laimis.
34 Ego Darius Rex decrevi hæc fieri quàm
diligentissimè.

CAPUT VII.

‖Hezr. 6. 13. 1 [1] TUnc ‖ Thatnai princeps trans flumen,
Schetar-boznai, & collegæ obsequen-
tes mandatis Darii Regis,
2 Assistebant sacris operibus diligentissimè,
& Seniores Jehudæorum adjuvabant:
3 Ita prosperabantur opera sacra, prophetis
Chaggaio & Zecarja prophetantibus,
4 Et perfecta sunt omnia de sententia Do-
mini Dei Jisraëlis, & ex voluntate Cyri & Darii
& Artaxerxis Regis Persarum.
5 Finita autem domo nostra ad diem terti-
um mensis Adaris, sexto anno Darii Regis,
6 Facientes Jisraëlitę, Sacerdotes ac Levitę,

[1] Tria hæc postrema capita ferè verbum de verbo transcripta sunt ex libro Hezræ usque ad vers. 37. hujus capitis, reliqua ex Nechem. 8. quāobrem nos ea libris Canonicis, id est, regulæ veritatis, (a qua non mediocriter aberrabant) jure conformavimus; ut diluta & abjecta falsitate, qua scatebat hic liber, sit soli æterno & immortali veritatis cognitori & vindici honor & gloria in sempiterna secula.

& reliqui reduces deportationis qui conscripti
erant, secundùm ea quæ præscripta sunt in libro
Moschis,
7 Obtulerunt in dedicationem templi Do-
mini, juvencos centum, arietes ducentos, agnos
quadringentos,
8 Et hœdos pro peccatis totius Jisraëlis du-
odecim ex numero tribuum Jisraëlis:
9 Præfuerúntq; Sacerdotes & Levitę induti
amiculis per distributiones suas omnibus operi-
bus Domini Dei Jisraëlis, secundùm præscrip-
tum libri Moschis, & ostiarii singulis januis.
10 Deinde celebrarunt reduces deportatio-
nis Pascha die quarto decimo mensis primi, pu-
rificatis Sacerdotibus & Levitis.
11 Nam etsi omnes reduces non simul purifi-
cati sunt, tamen omnes Levitæ purificati erant.
12 Immolaverúntq; Pascha pro omnibus re-
ducibus deportationis, & pro cognatis suis Sa-
cerdotibus, ac pro seipsis,
13 Quod comederunt Jisraëlitæ qui reduces
erant ex deportatione, quicumque separave-
rant se ab omnibus exsecrationibus gentium ter-
ræ quærentes Dominum,
14 Et celebraverunt festum azymorum sep-
tem diebus coram Jehova, epulantes,
15 Quoniam converterat animum Regis
Assyriæ erga ipsos ad confirmandum manus eo-
rum in opere Domini Dei Jisraëlis.

CAPUT VIII.

1 DEinde his rebus gestis, regnāte Artaxerxe ‖Hezr. 7.
Persarum Rege, accedens ‖ Hezra filius Se-
rajæ, filii Hazarjæ, filii Chilkijæ, filii Schallumi,
2 Filii Tzadoki, filii Achitubi, filii Amarjæ,
filii Hazariëlis, filii Bukki, filii Abischuhæ, filii
Pinchasi, filii Elhazaris, filii Aharonis Sacerdo-
tis primarii,
3 Hezra ergo ascēdit e Babylonia (erat autē
legisperitus promtus in lege Moschis, quā dede-
rat Jehova Deus Jisraëlis, docenda efficiendáq;)
4 Quum dedisset ei Rex gloriosè atq; muni-
ficè omne desiderium ejus; tantam consequutus
erat gratiam in conspectu ejus:
5 Et ascenderunt cum ipso ex Jisraëlitis, Sa-
cerdotibúsq;, & Levitis sacris cantoribus templi,
ostiariisq; & Nethinæis Jeruschalaima.
6 Anno septimo regni Artaxerxis, mense
quinto, egressi e Babylonia primo die mensis,
7 Pervenerunt Jeruschalaima ipso auctore,
prout Dominus iter ipsorum prosperavit.
8 Nam Hezra maximo studio attendebat
ne prętermitteret quicquam eorum quæ sunt ex
Lege Domini, præstando ea, & docendo Jisraë-
lem justitiam ac judicium omne.
9 Ascendentibus autem, actuarii Artaxerxis
Regis dederunt scriptum ab Artaxerxe Rege cō-
cessum Hezræ Sacerdoti Legisperito, cujus ex-
emplum subjectum est.
10 Rex Artaxerxes Hezræ Sacerdoti perito
legis Domini, salutem.
11 Humanius ego judicans benefacere, præ-
cipio eis qui sponte voluerint ex gente Jehudæo-
rum & ex Sacerdotibus ac Levitis qui sunt in
regno meo, comitari te Jeruschalaima,
12 Siqui ergo volent ire tecum, ut congressi
proficiscantur ex placito meo & intimorum sep-
tem consiliariorum meorum;
13 Ut revisentes quæ aguntur in Jehudæa &
Jeruschalaimis observent ea ex Lege Domini
quam habes ad manum;
14 Deferántq; munera Domino Deo Jisraëlis,

quæ vovimus ego & consiliarii, Jeruschalaimis, cum omni auro & argento quod inventum fuerit in regione Babyloniæ esse Domini habitantis Jeruschalaimis;

15 Ut aurum & argentũ quod donatum fuerit ab ipsa gente in templũ Domini ipsorũ quod est Jeruschalaimis, collectũ expendatur in juvencos, arietes, agnos, hœdósq; & quę his cõjuncta sunt,

16 Ut offerantur hostiæ Domino super altare Domini ipsorum Jeruschalaimis.

17 Quęcumque autem volueris cum fratribus tuis facere auro & argento, pro voluntate tua ex præcepto Dei vestri facitote:

18 Et sacrosancta vasa quæ data sunt tibi ad ministeriũ domus Dei tui reddẽs Jeruschalaimis,

19 Cætera quę tibi obvenerint necessaria domui Dei tui dato de ærario Regis.

20 Quę volueris cũ fratribus tuis facere auro & argento, fac secundùm voluntatem Domini.

21 Ego quoq; rex Artaxerxes mando quęstoribus ærarii qui sunt trans flumẽ, ut quicquid rescripserit Hezra Sacerdos peritus legis Dei, diligenter detur ei usque ad argenti talenta centum,

22 Et ad frumenti coros centum, & vini bathos centum, totidémq; olei, & salis quod abundet ei sine taxatione.

23 Omnia secundùm legem Dei fiant Deo altissimo, ne fortè effervescat ira in regnum Regis, & filii, aut filiorum ejus.

24 Vobis autem indicitur, ut omnibus Sacerdotibus & Levitis, & sacris cantoribus, Nethinæisq;, & administris templi hujus,

25 Nullum tributum neq; indictio irrogetur, nec possit ullus imponere eis quicquam.

26 Tu autem Hezra pro sapientia Dei constitue judices & arbitros trans flumen, & omnes qui legem Dei tui non noverunt doce,

27 Ut quicumque transgressi fuerint legem diligenter plectantur, sive morte, sive cruciatu, sive pecuniæ mulctatione, sive exsilio.

28 Et dixit Hezra legisperitus, Benedictus Deus majorum nostrorum, qui indidit voluntatem hanc animo Regis, ornandi domum Jehovæ quæ est Jeruschalaimis,

29 Et me honore affecit coram rege, consiliariisq; ejus, & principibus potentibus ejus.

30 Ego itaque confirmatus animo, prout adfuit mihi Jehova Deus meus, congregavi ex Jisraële viros qui ascenderunt mecum.

[1] Hezr. 2.

31 [1] Hi autem sunt primores paternarum familiarum, & gentis suæ, qui mecum ascenderunt regnante Artaxerxe e Babylonia.

32 E posteris Pinchasi, Gerschõ; e posteris Ithamaris, Danijel; e posteris Davidis, Chartusch;

33 E posteris Schecanjæ, e natis Parhoschi, Zecarja; & cum eo reversi sunt viri centum quinquaginta:

34 E posteris Pachath-moabi, Eljohenai; & cum ipso viri ducenti:

35 E posteris Schecanjæ, filius Jachazielis; & cum ipso trecenti viri:

36 E posteris Hadinis, Hebed filius Jonathanis; & cum ipso quinquaginta viri:

37 Et e posteris Schepharjæ, Zebadja filius Micaëlis; & cum ipso octoginta viri:

38 E posteris Joabi, Hobadja filius Jechielis; & cum eo ducenti octodecim viri:

39 Ex posteris Schelomithi, filius Josiphjæ, & cum eo centum sexaginta viri:

40 Ex posteris Bebai, Zecarja filius Bebai; & cum ipso viri vigintiocto:

41 Ex posteris Hazgadis, Jochanan filius Katanis; & cum ipso viri centum decem:

42 Ex posteris Adonikami posterioribus, quorũ hæc nomina Elipheleт, Jehiel, & Schemahja; & cũ eis sexaginta viri: deniq; e posteris Bigvai, Huthai & Zabbud; & cum eis septuaginta viri:

43 Quum autem congregassem eos ad fluvium Ahavæ, metati sumus illic triduo, & recognovi eos:

44 Sed ex filiis Sacerdotum & Levitarum neminem inveni illic.

45 Quapropter amandaui Elihezerem, Arielem, Schemahjam, Elnathanem, Jaribum, & Elnathanem, Nathanémque, & Zecarjam, ac Meschullamum primores, Jojaribum quoque & Elnathanem doctores;

46 Et dedi mandata eis ad Iddonem qui erat in Casiphja loco,

47 Jubens eos dicere Iddoni, Achivo, & Nechinæis qui erant in Casiphja loco, ut mitterent nobis qui ministerio fungerentur in domo Jehovæ Dei nostri.

48 Qui adduxerunt nobis, prout manus Dei nostri valida adfuit nobis, viros intelligentes e posteris Machli filii Levi filii Jisraëlis, Scherebjam cum filiis ejus & cognatis ejus octodecim;

49 Chaschabjam & Jeschahjam e posteris Merari, cognatos ejus & filios eorum viginti;

50 Ex Nethinæis autem quos dederat David & principes ministerio Levitarum, Nethinæos ducentos viginti, quorum omnium nomina scripto expressa sunt.

51 Tum proclamavi illic jejunium, ut affligentes nos in conspectu Dei quæreremus ab eo bonum iter pro nobis & comitibus nostris, filiisq; & pecoribus propter insidias:

52 Nam pudebat me petere a Rege pedites & equites ad comitatum, ut tuerentur nos contra adversarios nostros:

53 Quia dixeramus Regi virtutem Domini quærentibus ipsum ex toto animo, adfuturam.

54 Sic igitur deprecati Dominum Deum nostrum, eum exoravimus, & compotes facti sumus a Deo nostro.

55 Et separavi e principibus Sacerdotum viros duodecim; & Scherebjam Chaschabjamq;, & cum eis ex cognatis eorum viros decem;

56 Quibus appendi aurum & argentum & vasa sacerdotalia domus Dei nostri, quæ donaverat Rex & consiliarii ejus, principesq;, & omnes Jisraëlitæ;

57 Appensaq; tradidi talenta argenti sexcenta quinquaginta, vasa argentea talentorum centum, & auri talenta centum,

58 Et crateres aureos viginti, & vasa ex aurichalco præstante duo, pretiosa ut aurum.

59 Et dixi eis, & vos sancti estis Jehovæ, & vasa hæc sancta, etiam aurum & argentum votivum est Domino Deo Patrum nostrorum:

60 Sedulò custodite donec expendatis ea principibus Sacerdotum Levitarumq;, & principibus paternarum familiarum Jisraëlis Jeruschalaimis in cellis domus Dei nostri.

61 Itaque susceperunt Sacerdotes & Levitæ aurum illud, argentum, & vasa inferenda Jeruschalaima in templum Domini.

62 Tunc promovimus a flumine Ahavæ die duodecimo mensis primi, venimusq; Jeruschalaima:

63 Ubi postquam conscendissemus triduo, die quarto expensum est aurum & argentum in domo Jehovæ Dei nostri Meremotho filio Urijæ Sacerdoti,

64 Et

64 Et collegæ ipsius Elhazari filio Pinchasi, quibuscum erant Jozabad filius Jeschuhæ, & Nohadja filius Binnui Levitæ; ex numero & ex pondere universa.

65 Et scriptum est pondus ipsorum eadem hora.

66 Qui autem venerunt ex captivitate, obtulerunt holocausta Domino Deo Jisraëlis, juvencos duodecim pro toto Jisraële, arietes nonaginta sex,

67 Agnos septuaginta septem, & hircos pro peccato duodecim, omnia in sacrificium Domino:

68 Et legenda tradiderunt edicta Regis Satrapis regiis, & principibus trans flumen, qui honore affecerunt gentem & templum Domini.

‖ Hezr. 9. 69 ‖ His autem consummatis, accesserunt ad me principes dicendo, non separaverunt se gens Jisraëlitarum, & Principes, & Sacerdotes, & Levitæ,

70 Ab alienigenis gentibus & nationibus terræ; immunditias suas a Cenahaneis, Chitthæis, Perizzæis, Jebusæis, Moabitis, Ægyptiis, & Edomæis habent:

71 Conjugati enim sunt filiabus eorum ipsi & filii ipsorum, & mistum est semen sanctum alienis gentibus: etiam participes sunt principes & antistites iniquitatis istius a principio.

72 Ut audivi ista, conscidi vestem & pallium meum, & vellens de capillis capitis mei & barbæ sedi dolens & mœstus.

73 Et convenerunt ad me quicumque movebantur verbo Domini Dei Jisraëlis, lugentem propter iniquitatem istam, & sedebam tristis usq; ad tempus sacrificii vespertini.

74 Tunc consurgens a jejunio conscissa veste & pallio, & flectens genua extendi manus ad Dominum;

75 Dicens, Domine confusus sum, & pudet me comparere ante faciem tuam:

76 Nam peccata nostra multiplicata sunt supra capita nostra, & iniquitates nostræ altæ sunt in cælum usque,

77 Quomodo a temporibus majorũ nostrorum sumus in reatu magno, usque in diem hunc.

78 Itaque propter peccata nostra fuimus traditi, Reges nostri, & Sacerdotes nostri Regibus terræ, gladio, captivitati, & prædæ, ac confusioni usque in hodiernum diem.

79 At nunc quando cõtingit nobis misericordia abs te, Domine Deus, relinquente nobis radicem & nomen in loco sanctitatis tuæ;

80 Detegente lumen nostrum in domo Domini Dei nostri, dante nobis cibum omni tempore servitutis nostræ;

81 Quum serviremus, non derelinquente nos Domino Deo nostro; sed constituente nos in gratia, & disponente ut nobis reges Persidis dent cibum,

82 Ut extollamus templum Domini Dei nostri, & instauremus vastitates Tzijonis; denique dante nobis stabilitatem in Jehudæa & Jeruschalaimis:

83 Nunc inquam, quid dicemus Domine habentes hæc? transgressi enim sumus præcepta tua quæ dederas in manus servorum tuorum Prophetarum, dicens,

84 Terra quam ingressuri estis ad possidendum hæreditatem ejus terra polluta est coinquinationibus populorum ipsius, quorum immunditiis repleta est, tota immunditia sua.

85 Nunc ergo filias vestras ne jungite filiis eorum, & filias eorum ne accipite filiis vestris:

86 Nec quærite pacem habere cum illis unquam, ut invalescentes comedatis fructus optimos terræ, & hæreditatem distribuatis filiis vestris usque in seculum.

87 Postquam igitur quæ contigerunt nobis, omnia fuerunt propter opera nostra pessima & maxima peccata nostra; & dedisti nobis tale residuum;

88 An rursus aversi transgrederemur jura tua, & commisceremur immunditiæ alienigenarum & gentium terræ hujus?

89 Nónne iratus nobis perderes nos, donec non relinqueretur radix & nomen nostrum?

90 Jehova Deus Jisraëlis justus esses: sed derelicta est radix usque in hodiernum diem.

91 Ecce, sumus coram te in reatibus nostris, quamvis non sit standum coram te in eis.

92 ‖ Quum autem oraret Hezra, & confite- ‖ Hezr. 10.
retur flens ac prostratus ante templum, congregati sunt ad eum Jeruschalaimis turba magna valde viri, & mulieres, juvenésque, & juvenculæ: & fletus erat magnus in ipsa multitudine.

93 Exclamantíq; Hezræ dixit Schecanja filius Jechielis e posteris Helami; nos in Dominum peccavimus, quòd duximus mulieres alienigenas ex gentibus terræ.

94 Nunc verò spes est toti Jisraëli: hic ergo detur jusjurandum Domino nos expulsuros omnes uxores nostras quæ sunt ex alienigenis cum natis earum.

95 Sicut tibi præceptum est a majoribus ex lege Domini, surgens explica:

96 Tibi enim hæc res incumbit, nos verò aderimus tibi: viriliter fac.

97 Itaque exsurgens Hezra adjuravit principes Sacerdotum, Levitas, & totum Jisraëlem, ut facerent secundùm rem hanc: qui juraverunt.

CAPUT IX.

1 ‖ POstea surgens Hezra ab anteriore parte templi abiit in cellam Jochananis filii Eljaschibi: ‖ Hezr. 10. 6.

2 Ubi diversatus non gustavit cibum, nec aquam bibit propter iniquitatem multitudinis.

3 Et promulgatum est in tota Jehudæa & Jeruschalaimis, omnibus qui reversi erãt ex captivitate, ut congregarentur Jeruschalaima:

4 Quicumq; verò non venturus esset biduo vel triduo ex consilio principum ac seniorum, ejus facultates omneis sublatum iri; ipsum verò separatum iri a congregatione deportata.

5 Ita congregati sunt omnes tribules Jehudæ & Binjaminis triduo Jeruschalaima, mense nono, die vicesimo mensis;

6 Et consedit totus populus in area templi trementes propter præsentem hyemem.

7 Tunc exsurgens Hezra dixit illis, vos iniquè fecistis quòd duxistis uxores alienigenas, superaddentes reatui Jisraëlis.

8 Nunc ergo cedite confessionem & magnificentiam Jehovæ Deo majorum nostrorum,

9 Et perficientes voluntatem ipsius discedite a gentibus terræ & ab uxoribus alienigenis.

10 Cui exclamans omnis multitudo dixerunt voce magna, sicut dixisti faciemus.

11 Sed quoniam multitudo magna est, & tempus hybernum, nec possumus sub dio stare; hoc autem opus non est unius diei neque bidui,

quia

quia plurimi in hac re peccavimus:

12 Stent principes multitudinis; & omnes qui inter nos habitant quicumque habent uxores apud se alienigenas.

13 Sistent se præfinito tempore cum senioribus & judicibus, usque dum solverint iram Domini ex negotio hoc:

14 Tantùm Jonathan filius Hasaëlis, & Jachzeja filius Thikvæ susceperunt istud: Meschullam verò & Schabbethai Levitæ adjuverunt illos:

15 Fecerúntque secundùm omnia hęc reduces ex captivitate.

16 Nam electi viri Hezra Sacerdos, & primarii paternarum familiarum in familias paternas suas nominibus expressi, sederunt a die primo mensis decimi, ut examinarent negotium istud;

17 Et determinarunt de viris habentibus uxores alienigenas usque ad diem primum mensis primi.

18 Et inventi sunt ex Sacerdotibus permisti qui habebant uxores alienigenas;

19 E filiis Jeschuhæ filii Jehotzadaki & cognatis ejus, Mahaseja, & Eliheser, & Jarib, & Gedalja.

20 Qui adhibentes manus expulerunt uxores suas, litando ex grege arietem pro reatu suo:

21 Item e posteris Immeris, Chanani & Zebadja; & e posteris Charimi, Mahaseja, Elija, & Schemahja, & Jechiel, & Huzzija:

22 Et e posteris Paschchuris, Eljohenai, Mahaseja, Jischmahel, Nethaneel, Jozabad, & Elhasa.

23 Item ex Levitis, Jozabad, & Schimhi, & Kelaja qui idem Kelita, Petachja, Jehuda, & Elihezer:

24 Et e musicis, Eljaschib;

25 Et ex ostiariis, Schallum, & Telem, & Uri.

26 De Jisraëlitis verò; e posteris Parhoschi, Ramja, & Jezija, & Malcija, & Mijamin, & Elhazar, & Malcija, & Benaja:

27 Item e posteris Helami, Matthanja, Zecarja, & Jechiel, & Habdi, & Jeremoth, & Elija:

28 Item e posteris Zatthu, Eljohenai, Eljaschib, Matthanja, & Jeremoth, & Zabad, & Haziza:

29 Et e posteris Bebai, Jochanan, Chananja, Zabbai, & Hathlai:

30 Et e posteris Bani, Meschullam, Malluc, & Hadaja, Jaschub, Scheal, & Ramoth:

31 Item e posteris Pachath-moabi, ex Hadna & Celale, Benaja, Mahaseja, Matthanja, Betzaleel, & Binnui, ac Menasche:

32 Item e posteris Charimi, Elihezer, Jischija, Malcija, Schemahja, Schimhon, Binjamin, & Malluc, & Schemarja:

33 Et e posteris Chaschumi, Matthenai, Matthattha, Zebad, Elipheler, Jeremai, Manasche, & Schimhi:

34 Item e posteris Bani, Mahadai, Hamram, & Uël, Benaja, Bedeja, Celuhu, Vanja, Meremoth, Eljaschib, Matthanja, Matthenai, & Jahasau, & Bani, & Binnui, & Schimhi, & Schelemja, & Nathan, & Hadaja, Mabnadbai, Schaschai, Scharai, Hazareel, Schelemja, Schemarja, Schallum, Amarja, & Joseph:

35 Et e Nebuntinis, Jehiel, Matthithja, Zabad, Zebina, Jaddau, Joël, & Benaja.

36 Omnes isti duxerunt uxores alienigenas, & dimiserunt eas cum filiis.

37 ‖ Ita habitaverũt Sacerdotes ac Levitæ & Jisraëlitæ Jeruschalaimis atque in regione tota: novilunio autem mensis septimi dum erant Jisraëlitæ in commorationibus suis, ‖ Nehe. 8.

38 Congregata est tota multitudo simul in aream quæ est ab Oriente portæ sacræ:

39 Et dixerunt Hezræ legisperito ut afferret legem Moschis traditam a Domino Deo Jisraëlis.

40 Tum afferens Hezra Sacerdos legem coram tota multitudine eorum, tam virorum quàm mulierum, & omnibus valentibus intelligere Legem, novilunio mensis septimi;

41 Legit in area quæ est ante portam sacram templi a prima luce usque ad meridiem, coram viris & mulieribus omnibus attendentibus ad Legem.

42 Stabat autem Hezra Legisperitus in suggestu ligneo qui fabricatus fuerat,

43 Adstantibus ei Matthithja, & Schemaho, Hanaja, Urija, Chilkija, & Mahaseja ad dexteram;

44 Ad sinistram verò Pedaja, & Mischaële, Malcija, Chaschuino, Chaschabaddana, Zecarja, & Meschullamo;

45 Quum sumeret Hezra librum coram tota multitudine, præsidens e superiore loco in conspectu omnium.

46 Deinde postquam absolvisset legem omnibus stantibus; benedixit Hezra Jehovæ Deo maximo, Deo exercituum omnipotenti,

47 Et respondit omnis populus, amen; elatísque sursum manibus procidentes in terram adoraverunt Dominum.

48 Jeschuah quoque & Bani, & Scherebja, Jamin, Hakkub, Schabbethai, Hodija, Mahaseja, Kelita, Hazarja, Jozabad, Chanan, Pelaja, & alii Levitæ.

49 Docebant legem Domini in multitudine, legentes legem Domini, & proponebant singuli ea quibus lectio intelligeretur.

50 Deinde loquutus legatus Regis cum Hezra Sacerdote legisperito ac Levitis docentibus populum dixit, dies hic sanctus est Domino (flebant enim omnes quum audivissent Legem)

51 Et dixit Hezra, digressi ergo comedite pinguissima quæque, & bibite dulcia, ac mittite munera iis qui non habent,

52 (Sanctus enin est hic dies Domino) & nolite mœsti esse; nam Dominus gaudio afficit vos.

53 Levitæ quoque denunciarunt palàm omnibus dicentes, dies hic sanctus est, nolite mœsti esse:

54 Et abiverunt omnes ad comedendum & ad bibendum epulandúmque, & mittendum munera iis qui non habebant ut epularentur, & magnificè lætati sunt de verbis quæ edocti fuerant.

55 Et congregati omnes Jeruschalaimis celebrarunt lætitiam secundùm dispositionem Domini Dei Jisraëlis.

HEZRAE APOCRYPHUS LIBER SECUNDUS,

qui vulgò quartus appellatur.

Hic *liber generis est prophetici, continens objurgationes populi immorigeri, & promissiones Ecclesiæ gloriosæ per doctrinam Evangelii comparandæ Christo: deinde verò visiones mirificas subnectens ad concionis suæ illustrationem ostendit malorum quæ Jehudæos opprimebant causas, venturorum signa, & formas usque ad instaurationem Ecclesiæ per Christum auctorem boni in suos & mali in adversarios: atque ab exspectatione illius pios & fideles animos consolatur.*

CAPUT PRIMUM.

1 [1] Liber [2] Hezræ prophetæ [3] secundus, filii Serajæ, filii Hazarjæ, filii Chilkijæ, filii Schallumi, filii Tzadoki, filii Achitubi,
2 Filii Amarjæ, filii Hazarjæ, filii Merajothi, filii Zerachjæ, filii Huzzi, filii Bukki, filii Abischuhæ, filii Pinchasi, filii Elhazaris,
3 Filii Aharonis ex tribu Levi; qui fuit deportatus in regione Medorum, regno Artaxerxis Regis Persarum.
4 [4] Fuit igitur verbum [5] Domini ad me, [6] dicendo,
5 Abiens renuncia populo meo facinora ipsorum, & ipsorum filiis iniquitates quas admiserunt in me, ut renuncient posteris,
6 Peccata majorum aucta in ipsis esse: [7] qui obliti mei sacrificaverunt diis alienis.
7 Nónne ego eduxi eos e terra Ægypti, e domo servitutis? ipsi autem irritaverunt me, & consilia mea spreverunt.
8 [8] Tu itaque excute comam capitis tui, & [9] projice omnia mala super ipsos; quoniam non obedierunt legi meæ, etiámque populus iste disciplinam non accipit.
9 [10] Quousque tandem tolerarem istos, quibus tanta contuli beneficia?
10 Reges multos propter eos subverti; Parhonem cum servis ejus & omnem exercitum ejus percussi:
11 [11] Omnes gentes a facie eorum perdidi [12] in Oriente, provinciarum duarum; [13] populos Tyrum & Tzidonem usque dissipavi, & omneis adversarios eorum interfeci.
12 [14] Tu ergo alloquere istos dicens, Hæc dicit Dominus,
13 ‖ Ego vos per mare traduxi; & [15] plateas vobis jam olim munitas effeci; ducem vobis dedi Moschen, & Aharonem Sacerdotem;
14 Lucem vobis columna ignis exhibui, & maxima miracula feci in vobis: vos autem mei obliti estis, ait Dominus.
15 ‖ Hæc ait Dominus exercituum, Coturnix vobis signo fuit, [16] castris vestris ut præsidium circumdedi eam, quum illic murmuraretis,
16 Ac non triumpharetis in nomine meo de perditione inimicorum vestrorum; sed nunc adhuc etiam murmuratis.
17 Et ubi sunt beneficia quæ præstiti vobis? nónne in deserto esurientes inclamavistis me,
18 Dicendo, quare in desertum istúd adduxisti nos? ut morte afficeres nos? præstitisset nos servire Ægyptiis quàm mori in deserto hoc:
19 ‖ Et condolens gemitibus vestris dedi vobis man in escam, pané angelorũ manducastis.
20 ‖ Nónne quum sitiretis, petram excídi, & fluxerunt aquæ ad saturitatem? propter æstus *us* foliis arborum [17] obtexi vos?
21 Divisi vobis regiones opimas; Cenahanæos, & Perizzæos, ac Pelischthæos a facie vestra projeci, quid faciam vobis ampliùs? ait Dominus.
22 ‖ Hæc ait Dominus omnipotens, in deserto quum essetis [18] ad fontes amaros, sitientes & blasphemantes nomen meum,
23 Non ignem vobis immisi pro blasphemiis, sed mittens lignum in aquam dulces feci fontes.

[1] Hi tres versus primi generalem totius libri inscriptionem continent: reliqua pars hujus capitis cum seq. cap. unam continet prophetiam: quamobrem duo hæc capita visum est conjungere. [2] ex unguibus leonem, ut vulgo dici solet. nam quod inter Hezram Prophetam & Sacerdotem quibusdam visum est distinguere, est inanissimum: quid enim aliud clamat generis recensio quàm hunc eumdem Sacerdotem esse? Verùm quisquis fuerit hic Pseudohezras, profectò sui generis oblitus est quum ista scriberet. Quid enim sibi volunt illa quæ vulgata lectio habet in principio vers. 2. filii Achijæ, filii Pinchasi, filii Heli? Atqui hoc non dixit authenticus Hezra atque ἀκίβδηλος cap. 7. Præterea quis nescit Helin, Pinchasum, & Achijam non esse de gente Elhazaris, sed Ithamaris procreatos? Quis verò huic libro tantam fidem deinceps arroget, qui in ipsa fronte nævos tam infames, & in re tam evidente mendacia tam puerilia (ne quid gravius dicam) animadverterit? Quisquis es qui hunc librum legis, sume auctoritatem probandi atque judicandi sermones ejus, non enim obstringit fidem tuam illius auctoritas, si quæ est in tam crassis erroribus. Ego verò a lectore peto ne ægrè ferat, si mutationum singularum (multa enim hic fuerunt permutanda ut res conformarentur aliquo pacto veritati) causas minutatim non attulerimus: quæ res infiniti laboris & temporis fuisset, neque verò utilitatem permagnam effecisset: nam ipsæ mutationes pio lectori se probaturæ sunt qui adhibuerit aliquid judicii & diligentiæ. [3] Priorem qui volet quærere, laterem lavaverit: nam primum illum, authenticum Hezræ librum, longè posteà fuisse scriptum ostendit capitis 3. ὑπογραφὴ: proximè præcedentem eadem ratio commonstrat non esse habendum in isto numero. Nisi forte secundum dicas posuisse interpretem pro Hebræa voce quæ posteriorem sonat, ut hoc nomine intelligas res posteriores, hoc est, pòst venturas, hoc libro explicari. [4] Prophetia hæc duorum capitum, membra duo continet: prius est de Synagogæ veteris abdicatione, usque ad vers. 38. posterius de Ecclesiæ Christianæ vocatione & constitutione gloriosa, ad finem usque cap. 2. In priore membro inest consultatio quædam Christi cum Propheta προλαλητικὴ, usque ad vers. 12. deinde prædicationis forma, ver. reliquis. [5] Jesu Christi, qui sermo & sapientia est Dei Patris æterna, verus Deus verus homo: quamobrem Deum appellat Patrem, infrà 2. 5. & Hezram fratrem, vers. 38. hujus cap. & alibi sæpe. [6] hæc consultatio, ac potius προθεωρία sequentis prædicationis continet primùm sententiæ summam in peccatorum exprobratione & judicii denunciatione positam, versibus 4. deinde confirmationem, 3. reliquis. [7] nempe majores multùm, hi verò plurimùm: quamobrem posteris suis renunciantes debent testatam facere justitiam Dei.

[8] denunciatio judicii primùm typica (cujusmodi habetur Jechezk. 5.) deinde aperta & nuda. [9] verbo, id est, projectum iri denuncia: vide Jirm. 1. 10. [10] confirmatio, ut diximus in vers. 4. [11] hunc versum ita restituimus ex veritate historiæ. [12] trans Jardenem, provincias quas Sichon Rex Emoræorum & Hog rex Baschanis obtinebant. [13] id est, Cenahanæos, usque ad Tyri & Tzidonis terminos. [14] hæc prędicatio primùm contestatur peccata, usque ad vers. 24. deinde sententiam fert verbis & auctoritate Dei, reliquis vers. ‖ *Exod.* 12. [15] nempe in mari discedente. ‖ *Exod.* 16. [16] hanc veram esse intelligentiam confido agnituros omneis qui ad historiam Moschis animum propiùs adverterint. Sed de hac mutatione & sequentibus omnibus facilè, tacente me, periti & pii lectores judicabunt. ‖ *Psal.* 78. 25. ‖ *Exod.* 17. *Num.* 20. [17] diurna nube, tamquam si trichilas umbrásve e foliis construxissem vobis. ‖ *Exod.* 15. [18] in flumine Amorrhæo, inquit vulgata. Ego verò affirmo corruptum esse, Amoræo pro amaro. Consulatur Mosche.

24 [19] Quid

24 [19] Quid tibi faciam, Jahakob ? noluisti
obedire Jehudæ: transferam me ad alias gentes,
& exponam eis nomen meum, ut custodiant sta-
tuta mea.
25 Quoniam me dereliquistis, ego quoque
vos derelinquam: quando petetis a me miseri-
cordiam, non miserebor:
26 Quando invocabitis me, ego non exaudi-
am vos: maculastis enim manus vestras sangui-
ne, & pedes vestri excurrunt impigrè ad com-
mittenda homicidia.
27 Non me planè dereliquistis, sed vos ipsos,
ait Dominus.
28 Hæc dicit Dominus omnipotens, nónne
ego vos rogavi, agens ut pater filios, & ut mater
filias, & ut nutrix parvulos suos,
29 Ut essetis mihi populus, & ego vobis De-
us; essetísque mihi filii, & ego vobis pater ?
30 Ita vos collegi ut gallina pullos suos sub
alas suas: modò autem quid facerem vobis? pro-
jiciam vos a facie mea.
31 Oblationem quum attuleritis mihi, aver-
tam faciem meã a vobis: dies enim festos vestros,
& neomenias, & circumcisiones repudiavi.
32 Ego misi servos meos Prophetas ad vos;
quos acceptos interfecistis, & laniastis corpora
eorum: sanguinem eorum reposcam, ait Do-
minus.
33 Hæc dicit Dominus omnipotens, domus
vestra deserta est: projiciam vos ut ventus sti-
pulam,
34 Et filii non procreabunt, quoniam man-
datum meum neglexerunt, & fecerunt quod
malum videtur in oculis meis.
35 Tradam domos vestras populo venturo,
[20] qui quum me non audiverint, credent; qui
quum signa non ostendero ipsis, facient præcep-
ta mea;
36 Qui quum Prophetas non viderint, recor-
dabuntur iniquitates suas.
37 Testor populi venturi gratiam, cujus par-
vuli exsultabunt lætitia, me quidem non viden-
tes oculis carnis, sed spiritu credentes quæ dixi.
38 [21] Nunc verò frater aspice quæ gloria, &
vide populum advenientem [22] ab ortu;
39 (Quibus daturus sum principatum Abra-
hami, Jitzchaki, & Jahakobi, & Hoschehæ, &
Hamosi, & Micæ, & Joëlis, & Hobadjæ, & Jonæ,
40 Et Nachumi, & Chabbakuki, Tzephanjæ,
Chaggai, Zecarjæ & Maleaci) [23] & eum qui An-
gelus Domini vocatus est.

[19] sententia reprobationis, ut diximus in V.12. quæ ὕστερον πρότερον exponit vocationē gentium, hoc ver. & rejectionem Jehudæorum, 3. sequentibus: quāobrem posteà utrumque correcto ordine exornatur; rejectio usque ad versum 35. vocatio verò gentium, vers. 35. & duobus sequentibus.

[20] elegans descriptio populi fidelium voluntarii, ut appellatur Psal. 110.3. & apud Jeschahjam passim.
[21] transitio ad secundam partem Prophetiæ per visum ex abrupto oblatum Hezræ.
[22] nempe solis. q. d. qui populus inde a diluculo accurrit ad me: hæc enim verba non ad locum (ut interpretatur vulgus) sed ad tempus circumscribendum pertinent, & notandam filiorum Dei diligentiam.
[23] id est, Joannem Baptistam, qui præit ante faciem Domini & prælucet Ecclesiæ ejus. Sic potest defendi Hezra, ac potiùs mendacium ejus ad veritatem revocari, quam pius quisque huic Hezræ debet anteponere.

CAPUT. II.

1 [1] HÆc dicit Dominus, ego [2] eduxeram po-
pulum istum de servitute, eísq; manda-
ta dederã per servos meos Prophetas: quos au-
dire noluerunt, sed irrita fecerunt consilia mea.
2 [3] Mater quæ istos genuit dicit eis, abite fi-
lii, nam ego vidua & [4] derelicta sum.
3 Educaveram vos cum lætitia; sed amisi
vos cum luctu & tristitia, quoniam peccastis co-
ram Domino Deo vestro, & fecistis quod ma-
lum videtur in oculis ejus.

[1] Secunda hæc prophetia (ad quam transitio facta est vers. 38. capitis præcedentis) similiter duobus mēbris continetur: primùm enim ponitur quædam narratio a Christo προθεραπεία, usque ad vers. 10. deinde prædicatio, ad finem usque cap. Narratione exponit Christus verba Dei Patris expostulantis de Synagoga, V.1. verba Ecclesiæ filios lugentis & revocantis ad Deum, 3. versibus: ac postremò verba Christi cum patre agentis de reprobatione Synagogæ, & flagellatione eorum qui ipsam recepturi essent, vers. quinque. [2] id est, egeram ut pater cum filiis, &c. quæ dixit suprà 1.28. & seq. sed illi me non agnoverunt patrem. [3] Ecclesia quæ istos genuerat semine incorrupto verbi, ut viverent Deo: expostulat autem cum illis, duobus vers. & eos admonet, vers. 4. [4] a Deo, spiritali conjuge.

4 Modò autem quid facerem vobis ? ego vi-
dua sum & derelicta: abite filii & petite a Domi-
no misericordiam.
5 [5] Ego verò te, pater, testem invoco in ma-
trem filiorum istorum qui noluerunt testamen-
tum meum servare,
6 Ut exponas eos confusioni, matrémque
eorum direptioni, ne progenies sit eis,
7 Dispergantur in gentes, nomina eorum
deleantur e terra, quoniam spreverunt [6] sacra-
mentum jurisjurandi mei.
8 Væ tibi Aschur, qui abscondis iniquos pe-
nes te: ô gens improba, recordare quid fecerim
Sedomo & Hamoræ,
9 Quorum ager jacet, piceis glebis & agges-
to cinere: sic efficiam eos qui mihi non ausculta-
runt, inquit Dominus omnipotens.
10 [7] Hæc edicit Dominus Hezræ, Indica
[8] populo huic meo me daturum ipsis regnum Je-
ruschalaimorum quod daturus fueram Jisraëli,
11 Recepturum ad me gloriam [9] illorum, &
daturum his tabernacula æterna quæ præpara-
veram illis;
12 Lignum vitæ fore his, unguentum odora-
tissimum, hos neque labori neque fatigationi in-
festos fore.
13 Pergite ut accipiatis: rogate pro vobis, ut
dies paucos [10] morentur: jam paratum est reg-
num, vigilate.
14 Testare cælum & terram, contrivi enim
malum & creavi bonum, ut vivo ego, ait Domi-
nus.
15 Mater, amplectere filios tuos, educa illos
cum lætitia sicut columba, confirma pedes eo-
rum: quoniam te elegi, dicit Dominus.
16 Et excitans mortuos de locis suis, e mo-
numentis educam illos: quoniam agnovi nomen
tuum, Jisraël.
17 Ne timeas, ô filiorum istorum mater; quo-
niam te elegi, dicit Dominus.
18 Mittam tibi adjutores servos meos Jes-
chahjam & Jirmejam, & [11] quorum consilium
sanctificavi ac paravi tibi, ut arbores duodecim
gravidas variis fructibus,
19 Et totidem fontes fluentes lacte & melle,
ac montes ingentes septem abundantes rosa &
lilio; quibus gaudio explebo filios tuos.
20 Viduam absolve, pupilli causam age, egen-
ti da, orphanum tuere, nudum vesti,
21 Confractum & debilem cura, claudum ne
deride, defende mancum, & cæcum ad viden-
dum claram lucem meam adhibe,
22 Senem & puerum intra muros tuos serva,
23 Mortuos ubi inveneris, involvens com-
menda sepulcro: & dabo tibi [12] primam sedem
in resurrectione mea.
24 Contine te & quiesce popule mi, nam re-
quies tua adventura est.
25 Nutrix bona, nutri filios tuos, confirma
pedes eorum,
26 Puerorum quos dedi tibi nemo intereat;
eos enim ego reposcam de manu tua:
27 Sed ne defatigeris: nam quum advenerit
dies oppressionis & angustiæ, plorabunt & mœ-
rebunt alii, tu autem hilaris & gaudiis copiosa
eris.
28 Invidebunt gentes, sed nihil adversus te
poterunt, inquit Dominus.
29 Manus meæ protegent te, ne filii tui [13] tor-
menta experiantur.
30 Hilaris esto mater cum filiis tuis, nam ego
eripiam te, dicit Dominus.

[5] verba Christi, qui ut sapientia æterna Patris statuit quid sit porrò, rebus ita constitutis, Synagoga & filiis ejus faciendum, tribus vers. & quid illius defensoribus, vers. 8. & 9.
[6] de quo Exodi 24.
[7] prædicatio hæc tria in universum complectitur, promissionem Ecclesiæ Christianæ, tribus vers. propositionem documentorum ad Ecclesiam & liberos illius pertinentium, a vers. 13. ad vers. 38. & confirmationem, reliquis.
[8] advenienti, de quo suprà 1. 38. & seq.
[9] Jisraëlitarum, & totius veteris Synagogæ.
[10] bona illa promissa. q. d. ut brevi illa consequamini. Pertinent autem ad filios hortationes hujus vers. ad matrem verò hortationes vers. 15. cum promissione vers. 16. quæ duo posita ἀναλογικῶς sequentibus exornantur: hortatio usque ad vers. 30. promissio verò sequentibus.
[11] id est, Prophetas duodecim quorum posuit nomina sup. 1. 39. & 40. Hæc autem sic restituimus, ut locum efficeremus simplicissimum.
[12] id est, regnum, de quo suprà vers. 10.
[13] quod gehennam vulgata lectio habet, hoc certè libri novitatem omnino arguit; nam hoc vox in toto vetere Testamento hac significatione minimè legitur.

31 Filiorum tuorum qui dormiunt recordare, quoniam ego eos educturus sum e lateribus terræ & misericordiam facturus eis, quia misericors sum, ait Dominus omnipotens.

32 Complectere natos tuos usq; dum veniã & faciã eis misericordiam: nam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet unquam.

33 Ego Hezra præceptum acceperam a Domino [14] in monte Chorebi, ut adirem Jisraëlem: sed quum veni ad eos, reprobaverunt me, & respuerunt mandatum Domini.

34 Ideóque vobis edico gentes quæ auscultatis & intelligitis, exspectate [15] Pastorem vestrum requiem æternam daturum vobis, nam in proximo ille est qui temporibus ultimis erat adventurus.

35 Præparati estote ad præmia regni, quum lux perpetua lucebit vobis in æterna tempora.

36 Fugite umbram istius seculi, percipite jucundissimam gloriam vestram: ego testor palàm servatorem meum.

37 Commendatum donum percipientes hilares estote, gratias agentes ei qui vos ad regna cælestia advocavit.

38 [16] Agedum consistite, & respicite numerum obsignatorum ad convivium Domini,

39 Qui umbrã effugientes seculi istius splendidas tunicas a Domino acceperunt.

40 Accipe, Tzijon, numerum tuorum, & reclude tuos vestibus candidis indutos qui legi Domini plenè obsequuti sunt.

41 Filiorum tuorum quos optabas plenus est numerus: roga Dominum penes quem imperium est, ut sanctificetur populus tuus qui ab initio vocatus est.

42 Ego Hezra vidi in monte Tzijonis turbam magnam quàm numerare non poteram, omnium canticis collaudantium Dominum:

43 In quorum medio erat juvenis statura celsus, eminens supra omneis alios, qui singulorum capitibus imponebat coronas, & [17] eo magis exaltabatur: ego autem tenebar miraculo.

44 Tunc interrogans Angelum, dixit, qui sunt hi, Domine?

45 Qui respondens mihi dixit, hi sunt qui mortalem tunicam deponentes immortalem induerunt, & confessi nomen Dei modò coronantur & accipiunt palmas.

46 Iterũ dixi Angelo, Quis est juvenis ille qui coronas imponit eis, & palmas in manus tradit?

47 Qui respondens dixit mihi, ille est Filius Dei quem in seculo suo confessi sunt.

48 Quũ itaq; cœpissem magnificare eos qui fortiter pro nomine Domini perstiterunt, edixit mihi Angelus, abi renuncia [18] populo meo, quales res & quàm mirabiles Domini Dei videris.

[14] vide ut Moschen alterum simulet hic ἐγ-γαστρίμυθος: nempe ut Legem Dei amissam restitueret, si Deo placet. vide infra 4.23. & 14.21. hoc verò nusquam in probata scriptura legitur; sed contrà Jehudæi sacerdoti Hezræ paruisse, Hezræ 10.

[15] Christum, ut appellatur a Prophetis passim.

[16] Confirmatio, ut diximus in vers. 10. fit primùm hypotyposi & demonstratione quadam fidei, quatuor vers. deinde narratione visionis, vers. 42. & sequentibus.

[17] id est, eo gloriosior erat, & ab Ecclesia cælesti de salute piorum gratias agente ampliùs extollebatur laudibus.

[18] ut suprà vers. 10.

CAPUT III.

1 ANno [1] tricesimo ab urbe diruta, quum essem in Babylonia, [2] conturbatus fui recumbens in cubili meo, & cogitationes meæ obruerunt animum meum,

2 Quoniam videbam desolationem Tzijonis, & multitudinem eorum qui erant in Babylonia.

3 Exagitato itaque Spiritu meo valde, cœpi alloqui verbis timore conjunctis Altissimum,

4 Dicens, Domine Jehova, tu verbo tuo ab initio statuisti terram solus, & in ea parasti [3] pópulum:

5 [3] Tu dedisti Adamo corpus mortuum (nam ipsum quoque figmentum manuum tuarum est) quúmque insufflasses in illud spiritum vitæ, factus est vivens coram te:

6 Tu inducens eum in Paradisum, quem dextera tua conseverat antequàm ille veniret in terram,

7 Mandaveras illi ut diligeret viam tuam: sed transgressus est illam; ideóque sententiam tulisti in illum mortis, & in posteros illius.

8 Ita natis gentibus, tribubúsque, & populis, nationibúsque innumeris, ambulavit etiam unaquęque gens arbitratu suo, & facientes quod malum videtur in oculis tuis spreverunt pręcepta tua.

9 Quapropter succedente tempore induxisti diluvium in habitatores seculi, quo perdidisti eos:

10 Evenítque singulis eorum, ut Adæ mors, ita diluvium eis:

11 Unum verò ex eis dereliquisti, Noachum cum domo ipsius, unde justi omnes.

12 Fuit autem quum cœpissent multiplicari habitatores terræ in filios quamplurimos, unde populi ac gentes multæ dispersæ sunt, quando cœperunt iterum impietatẽ exercere plus quàm priores:

13 Fuit, inquam, eis iniquè facientibus in conspectu tuo, ut eligeres tibi virum ex eis, cui nomen Abraham,

14 Et diligens eum demonstrares ei soli voluntatem tuam.

15 Ac constitueres ei fedus æternum, dicens ei te nunquam esse derelicturum semen ipsius.

16 Itaque dedisti ei Jitzchakum, Jitzchako verò Jaħakobum & Hesauum: e quibus eligens Jaħakobum postquàm Hesauum separavisti, abiit Jaħakob in multitudinem magnam.

17 Fuítque quum eductum semen ejus ex Ægypto adduxisses ad montem Sinai,

18 Ut inclinans cælos quateres terram, commoveres orbem, tremefaceres abyssos, & conturbares seculum,

19 Et præeunte gloriæ tuæ in partes quatuor igne, & terræ motu, ventóque, & gelida nube, dares semini Jaħakobi legem, & generationi Jisraëlis quod diligenter observaret.

20 Sed non abstulisti cor malignum ab eis, ut ederet lex tua in eis fructum.

21 Cor enim malignũ primus gestavit Adam ex quo transgressione victus est, atque etiam omnes qui nati sunt ex eo:

22 Et facta est permanens infirmitas, adeóq; lex infirmitatis hęrens cordi populi radice pessima, in qua discedente bonitate remansit malignitas,

23 Quum autem procedentibus temporibus anni completi essent, quibus suscitasti tibi servum, nomine Davidem,

24 Indixisti ei ut exstructa civitate nomini tuo offerrentur tibi in ea thus & oblationes:

25 Quod ubi factũ fuisset annis multis, dereliquerunt

[1] Sequentium capitum omnium continens visio & revelatio est. Sed ut uno verbo dicã, deliria & cõmenta omnia. Nam falsam esse totam visionis hujus narrationem tam multa ostendant, ut libro altero opus esset si quis singula deliria (ut Hieronymus optimè nominat) vellet percurrere. Inter cætera verò habentur putidissimæ naturalis historiæ fabulæ ex impurissima Thalmudistarũ lacuna haustæ; quas nos suis locis Deo volente notabimus. Quòd autem numerum hunc attinet, vide sup. 1.1. Scilicet hoc anno & hoc tẽpore licuerit Jehudæis deportatis in miserã captivitatẽ Babyloniæ hos cœtus colligere, & alia facere quæ vix videas unquã in populo liberrimo. Ego verò ab hoc scriptore veritatem in narratione tota, pietatem in multis desidero: & Christianum lectorem moneo, ut judicium sanctè habeat impiis aut futilibus nugis discernẽdis, aut ab istius Hezræ lectione omnino caveat, imprudentibus ac rudibus plus damni quàm emolumenti allatura. [2] diebus septem, quibus ex animi perturbatione jejunabat: ut docetur infrà 5.13. & 6.35.

[3] id est, genus quodque animalium quibus tamquam incolis implevisti terram: sic accipio hic populum, ut Proverb. 30.25. & seq.

liquerunt te habitatores civitatis,
26 Omnino facientes ut fecerat Adam omnéſque generationes ejus; & ipſi quoque uſi ſunt maligno corde.
27 Quamobrem tradidiſti civitatem tuam in manus inimicorum tuorum.
28 An verò melius faciunt habitatores Babylonis, ut propterea dominentur Tzijoni?
29 Fuit enim ex quo veni huc ut impietates innumerabiles viderim, & delinquentes multos viderit anima mea his triginta annis:
30 Quapropter deficit animus meus, quoniam video ut ſuſtines peccatores iſtos & pareis impiè agentibus; perdis autem populum tuum conſervans inimicos tuos, quod non ſignificaveras.
31 Nihil venit in mentem mihi cur [4] via hæc immota relinqui debeat: nam an melius facit Babylon quàm Tzijon?

[4] id eſt, agendi ratio, qua tuos perdis miserè & inimicos ſervas.

32 Aut an alia gens cognovit te præterquàm Jiſraël? aut ſi quæ nationes crediderunt tuis fœderibus, ut fecit Jahakob?
33 At horum merces non comparet, neque labor attulit fructum ſuum: quacumq; verò peragravi in gentibus; vidi eas abundantes, quamvis immemores mandatorum tuorum.
34 Nunc ergo expende ſtatera iniquitates noſtras, & aliorum qui in hoc ſeculo habitant: non invenietur profectò nominis tui recordatio niſi in Jiſraële.
35 Ecquando non peccaverunt in conſpectu tuo qui habitant terram? aut quæ gens ſic obſervavit præcepta tua?
36 Hos quidem nominatim comperies ſervaſſe mandata tua, gentes autem minimè comperies.

CAPUT IIII.

1 Reſpondens verò mihi Angelus miſſus ad me, cui nomen [1] Uriel,
2 Dixit mihi, Graviſſimè ergo defecit animus tuus, quòd in ſeculo hoc comprehendere cogitas viam Altiſſimi.
3 Cui dicente me, ita Domine mi; reſpondens ille mihi, tres [2] vias, inquit, miſſus ſum ut oſtendam tibi, & tres ſimilitudines ut proponam coram te:
4 E quibus unam ſi expoſueris mihi, ego viciſſim demonſtrabo tibi viam quam deſideras videre: & docebo te unde ſit cor malignum.
5 Quum autem dixiſſem, eloquere Domine mi; dixit mihi, abi, pondera ignis pondus quod referas mihi, aut metire flatum venti, aut revoca mihi diem præteritum.
6 Tum reſpondente me & dicere, quis mortalium ea facturus eſſet de quibus rogas me?
7 Dixit mihi, Si rogarem te dicendo, quantæ habitationes ſunt in profundo maris? aut quantæ venæ in abyſſo ima? aut quantæ venæ aquarum ſunt in expanſo? aut qui ſunt exitus [3] paradiſi?

[1] Hac voce ſignificatur Chriſtus, lux & ſapientia Dei, cùm hoc loco, tum etiam in ſequentibus: quamobrem deinceps dominus appellatur, ut ſup. 1.4.

[2] id eſt, rationes ordinariæ & aſpectabilis hujus adminiſtrationis; quas ſi non comprehendiſſe te animadverteris, non debebit videri mirũ hanc a te minimè comprehendi poſſe.

[3] id eſt, cæleſtis habitationis; ut nominatur in Teſtamento Novo, in vetere autem nuſquam: ſic exponendum ex verſ. ſeq.

8 Diceres mihi fortaſſe, in abyſſum non deſcendi, ac ne in ſepulcrum quidem adhuc, neque in cælum aſcendi unquam:
9 Nunc autem non rogavi te niſi de igne, & vento, & die quem præteriiſti, a quibus tamen ſeparari non potes, & non reſpondes mihi de illis.
10 Deinde dixit mihi, tu quæ tua ſunt, tecum verſantia, non potes cognoſcere:
11 Et quomodo poſſet vas tuum capere viam Altiſſimi, etiam ex corrupto exterius ſeculo intelligere corruptionem [4] quæ evidens eſt in conſpectu meo?

[4] id eſt, ſpiritualem corruptionem & inviſibilem, quam ſolus Deus novit qui in occulto videt.

12 Me autem dicente illi, præſtiterat nos non eſſe quàm adhuc vitam trahere inter impios & pati; quamobrem verò, non intelligere:
13 Reſpondit mihi, dicendo, Profectus ſum aliquando ad ſylvam arborum campeſtrem, quæ iniverant conſilium dicentes,
14 Agite, eamus & bellũ geramus in mare, ut recedat corã nobis & faciamus nobis ſylvas alias:
15 Similitérque fluctus maris, hi quoque iniverunt conſilium dicentes, Agite, aſcendamus & debellemus ſylvas campi, ut ibi etiam conficiamus nobis aliam regionem.
16 Sed irritum fuit conſilium ſylvæ; ignis enim veniens conſumſit eam:
17 Et ſimiliter conſilium fluctuum maris; obſiſtens enim arena prohibuit eos.
18 Si ergo judex iſtorum eſſes, utrum priùs abſolveres? aut utrum condemnares?
19 Cui ego reſpondens, utique, inquam, vanum conſilium iniverunt: terra enim data eſt ſylvæ; & maris locus ut ferat fluctus ipſius.
20 Et ille mihi, Bene, inquit, judicaſti; & quare non aptas tibi ipſi hoc judicium tuum?
21 Quemadmodum enim ſylvæ data eſt terra, & maris locus fluctibus ipſius; ſic habitatores terræ quę ſunt ſuper terram ea ſolùm poſſunt intelligere, cælites verò quæ ſunt in cælorum altitudine.
22 Tunc reſpondens dixi, oro te Domine ut mihi detur mens intelligendi capax:
23 Non enim fuit animus rogandi de rebus tuis ſuperioribus, ſed de iis quæ pervadunt nos quotidie: cur Jiſraël expoſitus ſit gentibus opprobrio, & populus quem dilexiſti traditus nationibus impiis: cur Lex patrum noſtrorum interierit, & [5] conſtitutiones ſcriptæ nuſquam habeantur,
24 Pereuntibus nobis e ſeculo tamquam locuſtis, vitáque noſtra ſtupori & pavori dedita, quaſi indigni eſſemus conſequi miſericordiam;
25 Quid item nomine ſuo de quo vocamur facturus ſit: de his interrogavi.
26 Reſpondit autem ille mihi dicens, Quandoquidem ſcrutaris plurimùm & frequenter admiraris, quòd adeò feſtinè ſeculum hoc pertranſeat;
27 Certè non eſt capax ut reportet ea quæ in futura tempora juſtis promiſſa ſunt, quoniam plenum injuſtitia eſt hoc ſeculum & infirmitatibus.
28 Ea autem de quibus rogas enarrabo: nam ſeminatum eſt malum, ſed nondum evenit deſtructio ipſius.
29 Si ergo non evertatur quod ſeminatum eſt, & non diſcedat e loco ubi ſeminatum fuerat malum; non proveniet bonum ubi ſeminatum fuerit.
30 Etenim granum mali ſeminis in corde Adami ſeminatum eſt ab initio: at quantum impietatis generavit uſque adhuc, & generaturum eſt uſque dum in aream deportetur?

[5] hæc prima Jehudæorum fabula, quam deinde amplificat cap. 14. Statuit enim omnia Legis exempla intercidiſſe, ut hoc pacto confirmet ſe inſpiratione Dei animatum (ut Moſchen alterum) eam reſtituiſſe populo diebus quadraginta exſcriptam: quaſi verò aut Legem Monarchia illa, quã Danijel vocat auream, ſuſtulerit, aut omnes ſervi Dei & Prophetæ tempore illo accuratè eam non conſervaverint. O hominis impudentiam! ſapientioris ſcilicet Danijele, infrà 12.11. & 36.

31 Jam verò æſtima apud te granum mali ſeminis quantã impietatis ſegetem generaverit:
32 Quando ergo ſecatæ fuerint ſpicæ quæ ſunt innumeræ, quàm magnum areæ acervum tum primùm effecturæ ſunt?
33 Quum autem reſponderem dicens, quomodo, & quando iſta? quare pauci ſunt & mali anni noſtri?
34 Reſpondens ille edixit mihi, Tu ne præfeſtinans

festinans contendas ut sis superior Altissimo (festinares enim frustrà superior esse ipso) nam excessus tuus est maximus.

35 Nónne de his quando interrogaverunt [6]justi ipsi in suis cellis dicendo, Quousque sic speraturus sum? eequando adventurus est fructus areæ & mercedis nostræ?

36 Respondens ad ea [7]Jeremiel Archangelus dixit, quando completus fuerit numerus seminum vestrorum:

37 Nam qui statera ponderavit seculum, & dimensus est mensura, numeravítque tempora accuratissimè, is non movet quicquam, nec præstiturus est, usque dum præfixa mensura impleatur.

38 Tunc ego respondi dicens, ô Domine Jehova, at nos etiam omnes pleni sumus iniquitate:

39 Vide quæso ne fortè propter nos non impleantur justorum areæ, propter peccata habitatorum terræ.

40 Respondens autem ille, abi, inquit, interroga prægnantem an completis novem mensibus ipsius adhuc possit vulva ipsius partum in seipsa continere:

41 Et dicenti mihi, non potest Domine, dixit ille, in sepulcro cellæ mortuorum sunt cum vulva comparandæ:

42 Quemadmodum enim festinat puerpera effugere necessitatem partus, sic etiam hæc ea quæ sibi fuerint commendata festinabunt reddere.

43 Jam tibi demonstrata sunt ea quæ ab initio cupiebas cognoscere.

44 [1]Ego verò proloquutus dixi, Si inveni gratiam in oculis tuis, si fieri potest, si idoneus sum,

45 Demonstra mihi utrùm plura eventura sint quàm præterita, an verò plura præterita quàm futura sint.

46 Quid præteriverit scio, quid autem futurum sit ignoro.

47 Tum ille edixit mihi, Consiste ad dexteram, & demonstrabo tibi rem similitudine.

48 Consistens itaque vidi quòd ecce fornax ardens transivit ante me; fuit autem quum transeuntem flammam vidissem, quòd ecce superesset fumus:

49 Posteà transiens ante me nubes plena aquæ imbrem demisit impetu; quúmq; transivisset impetus pluviæ, superfuerunt ex ea guttæ:

50 Et dixit ille mihi, Cogita apud te; ut pluvia amplius abundavit guttis & ignis fumo, ita mensuram eorum quæ præterierunt ampliùs abundare; quæ autem insuper ventura sunt, cum guttis & fumo comparari.

51 Quamobrem ego orans dixi, putas ne me victurum usque ad dies illos? & quid erit diebus illis?

52 Respondens autem ille mihi dixit, Signorum de quibus me interrogas partem possum tibi indicare: de vita autem tua non sum missus ut dicam tibi; nescio.

6 hunc locum ita reddidimus, quia Hebraismus ita fuit reddendus; animæ justorum, pro justis ipsis. Nam de piorum quum viverent expostulatione hic agi evincit ipsa expostulationis forma. Cellas autem eorum sic dici, ut conclavia dixerat Jescha. 27.1. ad quem locum hic non dubitamus respici: sic infrà 5.9.

7 hoc nomen in totis Bibliis non exstat; sed apud phanaticos Judæos est cognitum, & a Magis decantatum. Docti viderint.

1 ab hoc loco quæstiones sequuntur otiosorum hominum quamplurimæ, & responsa suis quæstionibus non indigna.

CAPUT V.

1 DE signis igitur, ecce dies venturi sunt, quibus deprehendentur habitatores terræ [1] in censu multo; sed abscondita veritate viâ sterilis erit a fide regio,

2 Et multiplicabitur injustitia supra quàm nunc vides, & quàm olim fuisse audiveris.

3 Eritq; [1] quum primùm vestigium apponetur, ut regio quam nunc regnare vides conspiciatur deserta.

4 Nam si vitam tibi dederit Altissimus, videbis post tertiam tubam, reducentem subitò Solem noctu, & Lunam interdiu:

5 Et tamquam ligno sanguinem stillante, & lapide edente vocem suam populi commovebuntur,

6 Quum regnabit is quem non sperant habitatores terræ, & volucres emigrabunt:

7 Mare autem Sedomi pisces ejiciet, & vocem edet noctu quam non noverunt multi, adeò ut omnes audiant vocem ejus.

8 Et solitudo fiet locis multis, velut igne frequenter immisso; etiam bestiæ agrestes emigrabunt, & mulieres ex mensibus laborantes parient monstra:

9 Tamquam si in dulcibus aquis inveniantur salsæ, ita amici omnes inter se pugnabunt: & tunc latebit prudens, & intelligens separatus manebit tamquam in cella sua conditus,

10 Et quæsitus a multis non invenietur; sed multiplicabitur injustus & incontinens super terram.

11 Adeò ut si rogent incolæ regionis unius incolas alterius, dicentes, Nónne apud vos aliquis transiit justitiam colens, qui justè fecerit? hoc negent illi.

12 Quapropter erit illo tempore, ut quamvis sperent homines, non consequantur; quamvis laborent, non dirigantur viæ ipsorum.

13 Hæc signa ut indicarem tibi permissum est mihi: sed si orans iterum & flens, ut modò fecisti, jejunaveris diebus septem, adhuc istis majora audies.

14 Me autem evigilante corpus meum exhorruit valdè laboravítq; anima mea adeò ut deficeret:

15 Ideò tenens me Angelus qui venerat & alloquutus fuerat me, confirmavit me, atque in pedes statuit me.

16 Fuit autem secunda nocte, ut veniens ad me Schealthiel princeps populi diceret mihi, ubinam fuisti? & quare est vultus tuus tristis?

17 An nescis tibi creditum esse Jisraëlem in regione deportationis suæ?

18 Exsurge ergo, & gusta cibum, ac ne derelinquas nos, ut pastor gregem suum lupis, in manu malignorum.

19 Cui dixi, discede a me, neque propiùs accedito me: ausculrans itaque ut dixeram, discessit a me.

20 Ego verò jejunavi diebus septem, ejulans & plorans, sicut mandaverat mihi Uriel Angelus.

21 Fuitq; post dies septem, cogitationibus cordis mei angentibus me iterum valde,

22 Ut reciperet anima mea spiritum intelligentiæ, iterúmq; inciperem loqui sermones coram Altissimo, dicens,

23 [3]Domine Jehova, ex omni sylva terræ & omnibus arboribus ejus [4] vineam unicam elegisti;

24 Et ex omnibus terris orbis elegisti [5] foveam unam tibi; & ex omnibus floribus orbis tibi [6] lilium unum elegisti;

25 Et ex omnibus abyssis maris [7] plenum rivum unum tibi elegisti; & ex omnibus civitatibus ædificatis, tibi ipsi sanctificasti Tzijonem;

26 Et ex omnibus creatis volatilibus nominatim elegisti tibi [8] columbam unam; & ex

1 i. divites quidem erunt auro, argento, & ære; fide verò & bonis operibus minimè: sic Lucæ 18.8. Cæterùm omnia sequẽtia ad historias accõmodabit qui abundabit otio.

1 i. in ipso dictum istorũ principio evertetur regnum Babyloniæ per Cyrum, de quo v. 6. hæc enim σεγητικὰ sequentib. versi. exponitur.

3 oratio cum superioribus quidem convenit argumento; sed partim ludicris, partímque falsis rationibus nititur.

4 & ubinam olea?

5 illam puto Macpelæ quam emit Abraham, Gen. 23.

6 propositio ludicra.

7 Schiloachum, de quo Jeschah. 8. & Psal. 46.

8 est enim turtur ex columbario genere: sed de avicula Levit. 14. imperata ipse viderit.

omnibus formatis pecoribus prospexisti tibi de [9] ove una;

[9] ubinam ergo bovillum & caprinum genus?

27 Et ex omnibus multiplicatis populis unum tibi populum comparasti; & unam ex omnibus probatam legem donasti huic populo dilecto tuo.

28 Nunc autem Domine, quare unum hunc pluribus tradidisti? quare statuisti super unam hanc [10] radicem arbores alias, & dispersisti unicum tuum in multos?

[10] ut Psal.80.

29 Et conculcant eum qui contradicunt promissis tuis, quiq; tuis federibus non credunt?

30 Etenim si ullo pacto odisti populum tuum, tuis manibus debuit castigari.

31 Fuit verò quum eloquutus essem sermones istos, ut missus ad me Angelus qui antè venerat ad me præterita illa nocte,

32 Diceret mihi, audi me & instituam te, attende ad me & plura exponam tibi.

33 Me autem dicente, loquere Domine mi; Valde, inquit ille mihi, animus tuus extra te rapitur causâ Jisraëlis: [a] an verò plus eum diligis quàm qui fecit eum?

[a] Infrà 7.47.

34 Non Domine, inquam ego; sed ex dolore ita loquutus sum: torquent enim me renes mei omnibus horis, cupientem tenere viam Akissimi, & investigare partem judiciorum ejus.

35 Tum dixit mihi, non potes: & ego, quare Domine? quorsum igitur natus sum? aut cur vulva matris meæ non effecta est mihi sepulcri loco, ut non viderem laborem Jahakobi, & defatigationem gentis Jisraëliticæ?

36 Qui dixit mihi, numera mihi quæ nondum evenerunt, collige mihi dispersas guttas, & viriditati restitue flores aridos,

37 Et aperiens mihi clausas specus produc ventos inclusos in eis, demonstra mihi vocis imaginem; & tunc ostendam tibi laboris istius causam quam rogas videre.

38 Cui ego, Domine Jehova, ecquis verò est qui hæc scire possit, nisi [11] qui cum hominibus habitationem non habet?

[11] id est, Deus, periphrasticè; ut Danijel.2.11.

39 Ego autem insipiens ecquî possem de his dicere de quibus interrogasti me?

40 Itaque dixit mihi, Quemadmodum non potes facere unum horum quę dicta sunt, ita non potes pervestigare judicium meum, aut charitatis officia quæ promisi me facturum populo [12] in fine.

[12] i. tandem, ex usu Hebręorum: sed vide hominis argutiam, qui ineptis sophismatis cum Deo voluit παραλογίζεσθαι ex ambiguo. Nam dicente Deo ποιεῖν τῷ λαῷ ἐν τέλει, hic ita interpretatur ut si dixisset Deus λαῷ τῷ ἐν τέλει: atque hinc sequens objectio.

41 Cui ego, Atqui ecce Domine, tu propinquus es iis qui in fine futuri sunt: quid ergo facturi sunt ii qui fuerunt ante me, aut nos, aut ii qui sunt sequuturi nos?

42 Et ille, Coronæ, inquit, simile effeci judicium meum: ut non est ulla postremorum tarditas, sic nulla est primorum velocitas.

43 Tum ego respondens dixi, Annon poteras facere unà eos qui facti fuerunt, qui sunt, & qui futuri sunt, ut celeriùs judiciũ tuum ostenderes?

44 Respondens autem ille mihi dixit, non potest res creata festinare præ creatore, neque unà sustinere seculum eos qui creandi sunt ipso.

45 Cui ego, sicut dixisti, inquam, servo tuo te auctorem vitæ indidisse vitam creaturis unà creatis a te, & sustinuisse creaturam; posset etiam nunc portare præsentes unà.

46 Tunc edixit mihi, interroga mulieris vulvam dicendo ei, si paris, quare per tempora? & roga eam ut edat denos unà.

47 Me autem dicente, non utique poterit, sed per tempora:

48 Et ego, inquit ille, statui quasi vulvam terræ iis qui seminati sunt in terra per tempora pariendis:

49 Quemadmodum enim ea non parit infantes qui deni sint, sic ego disposui a me creatum seculum.

50 Tum interrogavi dicens, quum jam aperueris mihi viam, proloquar coram te: nam ecce mater nostra, quam dixisti mihi adhuc juvenem esse, jam senectuti propinqua est.

51 Respondens autem ille mihi dixit, interroga eam quæ parit ut dicat tibi,

52 Et dicito ei, quare ii quos nunc paris non sunt pares prioribus, sed minores statura?

53 Illa enim dictura est tibi, alii sunt qui in juventutis robore nati sunt, & alii qui sub tempus senectutis deficiente matrice sunt nati.

54 Considera tu ipse quoque minore statura vos esse quàm ii qui antecesserunt vos,

55 Et qui post vos venturi sunt minores fore vobis, quasi jam senescentibus creaturis, & robur juventutis prætereuntibus.

56 Et ego, rogo te, inquam, Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, demonstra servo tuo per quem visites creaturas tuas.

CAPUT VI.

1 Tunc ille mihi, ab initio, inquit, orbis terrarum, imo antequàm starent processus seculi, & antequàm spirarent ventorum cœtus,

2 Antequàm personarent voces tonitruum, antequàm splenderent nitores coruscationum, antequàm statuerentur fundamenta paradisi,

3 Antequàm spectarentur decori flores, antequàm statuerentur ignotæ virtutes, antequàm colligerentur innumerabiles exercitus Angelorum,

4 Antequàm extollerentur alta aëris spatia, & antequàm nominatim definirentur mensuræ cælorum, & antequàm arderent camini Tzijone,

5 Antequam investigarentur præsentes anni, & antequàm a me abalienarentur eorum qui nunc peccant inventiones, & seorsim consignati essent qui thesaurum fidei compararunt,

6 Jam tum cogitaveram; omnia facta sunt per me solum, ac non per alium; [1] eorúmq; finis per me, ac non per alium est dispositus.

[1] Nempe desinentium priorum temporum desinens, & ineuntium incipiens: nam fines seu extremitates duæ sunt temporum utrimque omnium quæ mensura constant: quo modo accipi ostendit versus sequens. Responsum autem planissimè a nobis redditum nemo non videbit oculatus.

7 Quum autem proloquens dicerem, quæ erit separatio temporum? aut quando erit prioris finis, & sequentis initium?

8 Dixit mihi, Ab Abrahami usque ad Jitzchaki tempus, quando genitis ab eo Jahakobo & Hesavo manus Jahakobi teneret ab initio calcaneum Hesavi:

9 Ut finis hujus seculi fuit Hesavi calcaneum; & ut principium sequentis, manus Jahakobi.

10 Inter calcaneum & manum aliud noli quærere, Hezra.

11 Ego verò proloquutus dixi, Domine Jehova, si inveni gratiam in oculis tuis,

12 Oro ut demonstres servo tuo finem signorum tuorum, quorum partem mihi demonstrasti præcedente nocte.

13 Et respondens ille dixit mihi, surge in pedes tuos, & audies vocem sonitus amplissimam,

14 Et fiet quædam velut commotio, quamvis locus in quo stas non commovebitur.

15 Ideò quum loquetur, ne expavescito; quoniam verbum de fine a fundamento terræ intelligitur,

16 Et

16 Et de sermonibus istis tremiscit & commovetur: scit enim oportere ut finis eorum commutetur.

17 Fuit autem his auditis quum surrexissem in pedes, ut audirem quòd ecce vox loquebatur, cujus sonus par erat sono aquarum multarum,

18 Dicens, ecce dies veniunt, eritq; quum appropinquare incipiam ut visitem habitatores terræ istius,

19 Et quum quæstionem habere incipiam de iis qui injustè nocuerunt injustitia sua, postquam suppleta fuerit humilitas Tzijonis.

20 Quum ergo seculũ hoc reserabitur quod transire incipit, hæc signa faciam, libri aperientur coram cælo, adeò ut omnes videant simul:

21 Et infantes anniculi edent voces suas, prægnantésque parient immaturos partus ternûm & quaternûm mensium, qui vivent & suscitabuntur:

22 Apparebúntq; repente loca sata semente vacua, & plena promtuaria subitò invenientur inania:

23 Et tuba clangens personabit; qua auditâ omnes subitò expavescent,

24 Eritq; illo tempore, ut amici debellent alii alios tamquam inimici, adeò ut expavescente ex his terra venæ fontium consistant & non decurrant horis tribus.

25 Tunc erit ut quisquis derelictus fuerit ex omnibus istis quæ prædixi tibi servetur ille, & videat salutem meam finémq; vestri seculi:

26 Videantq; homines qui recepti fuerint, qui mortem non gustaverint a nativitate sua, quando mutabitur cor habitatorum & convertetur in mentem aliam.

27 Delebitur enim malum, & exstinguetur dolus:

28 Florebit autem fides corruptione victa, & ostendetur veritas quæ infructuosa fuerat tamdiu.

29 Fuit autem quum alloquutus esset me, ut ego paulisper intuerer in eum ante quẽ stabam;

30 Quapropter dixit mihi, hæc veniens ostendam tibi tempore venturæ noctis alterius.

31 Si ergo denuò jejunans diebus septem de integro rogaveris, renunciabo tibi majora istis denuò qua die audivero.

32 Nam exaudita est vox tua ab Altissimo: vidit Deus fortis rectum consilium tuum, & prospexit vastitatem quam a juventute tua habuisti;

33 Proptereà misit me ut his omnibus demõstratis tibi dicerem, Confide & noli timere:

34 Sed noli præfestinatione, ut prioribus temporibus, cogitare res vanas; ne præfestinãdo aberres a cognitione venturorum temporum.

35 Itaque fuit posteà ut flerem iterum jejunarémq; diebus septem, suppleturus tres hebdomadas quæ fuerant indictæ mihi.

36 Fuit verò octava nocte, ut animo meo de integro turbato in me inciperem loqui coram Altissimo,

37 (Inflammabatur enim spiritus meus valde, & angebatur anima mea)

38 Et dicerem, [1] Domine, tu loquutus es solummodò initio creationis die primo, dicendo, fiat cælum & terra; & verbo tuo opus perfectum est.

[1] Genes. 1.

39 Quúmq; esset Spiritus ubi tenebræ circumferebantur & silentium erat, sonus humanæ vocis nondum erat effectus a te:

40 Tunc elicuisti de thesauris tuis proferri lumen lucidum, quo appareret opus tuum.

41 Tu die secundo creasti aërem expansi, & imperasti ei ut distingueret divisionémq; statueret inter aquas, ut pars earum sursum recederet, pars verò maneret deorsum.

42 Tu die tertio imperâsti aquis ut congregarentur in partem [2] septimam terræ; sex verò partes illius siccas conservasti, ut exsisterent ex iis quę administri tui seminata a Deo colerent.

[2] hic ab historia Moschis in traditiones Jehudæorum delabitur, unde circumscriptio hæc profecta est: sic vers. 47.

43 Verbo enim procedente ex te statim fiebat opus.

44 Processit itaque subitò fructuum multitudo immensa, deliciæ gustus multiformes, & flores colore non imitabili, & odoramenta odore impervestigabili: hæc die tertio facta sunt.

45 Tu quoque die quarto imperasti esse splendentem Solem, lucentem Lunam, stellas dispositas,

46 Mandans eis ut servirent homini qui formandus erat.

47 Tu quinto die dixisti parti septimæ ubi erat aqua congregata ut procrearet animalia, volucres & pisces: atque ita factum est.

48 Aqua muta & inanima, quæ Dei nutu jubebatur animalia profundebat, ut ex eo mirabilia facta tua nationes enarrarent.

49 [3] Tunc autem reservasti duo animantia, quorum unum vocasti [4] Bahamoth, alterum Livjathan;

[3] En crassissimas Jehudæorum fabulas, quas hic Propheta (si Deo placet) adducit seriò. Non intellexerunt Jehudæi quid significent verba Dei Ijob. 40. & 41. ignorantiæ autem suæ audaciam adhibuerunt ducem, & has fabulas commenti sunt, quas hic Propheta amplectitur cæcus sequutus cæcos.

[4] sic legendum, non autem Henoch: ut Ijobi locus ostendit, & Jehudæorum fabulæ.

50 Et separasti ea unum ab altero: non enim septima pars, ubi erat aqua congregata, poterat capere ea simul.

51 Itaque dedisti Bahamothi unam partem quæ tertio die siccata fuerat ut habitaret in ea, ubi sunt montes mille.

52 Livjathani verò dedisti septimam partem humidam, & servasti ipsum ut devoret quos & quando voles.

53 Sexto autem die imperasti terræ ut procrearet coram te jumenta, bestias, & reptilia:

54 Atque insuper Adamum fecisti ducem omnibus quæ feceras, ex quo educti sumus nos omnes & populus quem elegisti.

55 Hæc autẽ omnia dixi coram te Domine; quia propter nos creasti seculum;

56 Residuas autem gentes ab Adamo ortas dixisti nihil esse, aut salivæ similes esse, & quasi stillis vase decidentibus comparasti abundantiàm earum.

57 At nunc ecce, Domine, gentes istæ quæ nihilo deputatæ sunt, cœperunt dominari nobis ac devorare nos:

58 Et nos populus tuus quem vocasti primogenitum, unigenitus, cujus es zelotypus, traditi sumus in manus eorum.

59 Quòd si propter nos creatum est seculum, quare non possidemus hæreditatem nostrã cum seculo? quousque tandem?

CAPUT VII.

1 Fuit autem quum finissem eloqui verba hæc, ut missus ad me Angelus qui missus fuerat ad me antecedentibus noctibus,

2 Ediceret mihi, surge Hezra, & audi sermones quos veni eloquuturus ad te.

3 Me autem dicente, loquere Deus mi; dixit mihi, mare positum est in spatioso loco adeò ut sit altum & immensum:

4 Est autem ei accessus in angusto portu, ubi simile est fluminibus.

5 Quis enim unquam velit ingressus mare experiri ipsum aut dominari ipsi, nisi transeat

per angustum in latitudinem ipsius ? quomodo
alioqui venire poterit ?
6 Item alterum exemplum : civitas ædificata est & sita in campestri loco, quæ plena est bonorum omnium :
7 Introitus ejus angustus est & in præcipitio positus, versante a dextera quidem igne, a sinistra verò aqua alta,
8 Adeò ut semita unica sit inter hæc posita, puta inter ignem & aquam, quæ semita non capit nisi solummodò vestigium hominis.
9 Si ergo dabitur civitas hæc homini in hæreditatem, si nunquam ille periculum quod antè positum est transeat, quomodo percipiet hæreditatem suam ?
10 Quum autem dixissem ad hæc, ita est Domine; dixit mihi, sic etiam est pars Jisraëlis :
11 Nam propter eos feci seculum : sed quando transgressus est Adam constitutiones meas, tum adjudicatum est ei illud quod factum est.
12 Et facti sunt introitus hujus seculi angusti, dolore infesti, & laboriosi ; pauci, inquam, & mali, & periculorum pleni, & labore operoso cincti :
13 Alterius enim seculi introitus spatiosi & securi sunt, & afferentes immortalitatis fructum.
14 Quamobrem si nunquam ingressi fuerint homines viventes angusta hæc & vana loca, non poterunt ea recipere quæ reposita sunt.
15 Nunc ergo quare coturbaris quòd corruptibilis es ? & quid eo moveris quòd mortalis es ?
16 Quare non præcipis animo tuo quod futurum est, sed in præsente hæres ?
17 Tunc ego respondens dixi, Domine Jehova, ecce disposuisti Lege tua ut justi hæc possideant hæreditario jure, impii autem pereant.
18 Justi autem ferunt res angustas pro eo quòd sperabant spatiosa : [1] qui enim impiè gesserunt ? at hi angustias patiuntur, nec spatiosa visuri sunt.
19 Sed dixit mihi, non est judex superior Deo, neque intelligentior Altissimo.
20 Pereunt multi in præsentia, quia negligitur Lex Dei quæ proposita est.
21 Mandavit enim Deus omnino venientibus quando venerunt, quid faciendum vitam habituris, & quid observandum ne pœnas luerent :
22 Hi autem non persuasi contradixerunt ei, & proposuerunt sibi cogitationes vanas,
23 Et circumdantes sibi cohortes delictorum dixerunt de Altissimo non esse ipsum, & vias ejus non agnoverunt :
24 Et spernentes Legem ejus sponsiones ei factas abnegarunt, & constitutionibus ejus non habentes fidem opera ejus minimè persecuerunt.
25 Propterea, ô Hezra, vacua vacuis, & plena plenis.
26 Ecce tempus veniet, & erit quum venerint signa quæ prædixi tibi, ut appareat [2] sponsa, & emergens ea demonstrabitur quæ nunc obducitur terrâ,
27 Et quisquis liberatus fuerit a prædictis malis videat facta mirabilia mea.
28 Revelabitur enim filius meus Jesus cum iis qui sequuntur ipsum, & recreabuntur qui relicti fuerint annis [3] quadringentis.
29 Erit autem his annis exactis, ut moriatur filius meus Christus, & [4] viventes omnes,
30 Et seculum convertatur diebus septem in antiquum silentium, quale fuit judiciis antecedentibus, ita ut nemo superstes derelinquitur.

1 Quasi dicat, utrum si impietas populo tuo inest, ac non magis gentibus exteris ? ut sup. 3.28.

2 id est, Ecclesia, quæ jam quasi sepulta atque obruta est, adeóque putrefacta, ut Jechezk. 37.
3 hos annos rotundato numero agnosco dici; sed in accommodatione est labor: nisi fortè ab anno 32. Artaxerxis initium duxeris, quum Judæi in corruptionem divini cultus prolapsi sunt, profectò Nechemja ad Regem in Persida. Nechem. 13.6. nam fermè intercesserunt quadringenti anni. Vide quæ scripsimus in Act. 13.20.
4 eo ordine qui deinceps proponitur.

31 Sed erit elapsis diebus septem, ut moriente corrupto seculo illud seculum quod nondū vigilat excitetur,
32 Reddente eos terra qui dormiunt in ipsa, & pulvere eos qui in illo silentio habitant, & cellis reddentibus cadavera quæ sibi fuerint commendata.
33 Tunc apparebit Altissimus insidens judiciali throno, & præterlapsis miseriis recipientur illi qui patientia usi fuerint longanima.
34 Nam judicium solum remanebit, veritas stabit, & fides revalescet,
35 Unde operæ pretium subsequetur, & merces ostendetur, & justitia erit pervigil, nec injustitia amplius dominabitur.
36 Dixi autem, pater Abraham pro Sedomitis oravit, & Mosche pro majoribus qui in deserto peccaverunt.
37 Et *Jehoschuah* successor ejus pro Jisraële in diebus Hacanis, & Schemuel,
38 Et David pro confractione, & Schelomo pro iis qui venerunt ad sanctum locum,
39 Et Elija pro iis qui pluviam acceperunt, & pro mortuo ut reviviscceret,
40 Et Chizkija pro populo diebus Sancheribi, multi denique pro multis.
41 Si ergo modò, quum increvit corruptio & injustitia multiplicata est, oraverint justi pro impiis ; quare nunc etiam non sic futurum esset ?
42 At ille mihi respondens dixit, præsens seculum non est finis; gloria in eo versantes frequenter manet ; propterea illi pro invalidis oraverunt.
43 Dies enim judicii futurus est finis temporis istius, & initium temporis futuræ immortalitatis, quo perierit corruptio,
44 Soluta fuerit intemperātia, abscissa incredulitas, excreverit justitia, exorta fuerit veritas.
45 Nam tunc nemo poterit eum qui periit servare, nec eum qui vicit perdere.
46 Ego verò respondens, hic est, inquam, sermo meus quem semper habui, melius futurum fuisse non dari terram Adamo, aut ea jam data coërceri ipsum ut non peccaret.
47 Quid enim prodest hominibus hîc in tristitia vivere, & post mortem supplicium exspectare ?
48 O tu quid fecisti, Adam ? quod enim tu peccasti non est factus tuus solius casus, sed & noster qui ex te provenimus.
49 Quid enim prodest nobis quòd promissa est nobis immortalitas ? nos verò mortis opera egimus.
50 Quòd prædicta est nobis spes perennis ? nos verò pessimè evanuimus.
51 Quòd reposita sunt nobis habitacula sanitatis & securitatis ? nos verò malè conversati sumus.
52 Quòd proposita est gloria Altissimi protegens eos qui considerate se intulerunt ? nos autem pessimis viis ambulavimus.
53 Quòd ostenditur paradisus cujus fructus incorruptus perseverat, in quo est securitas atque curatio ?
54 Nos verò non ingrediemur, ut qui in locis ingratis conversati sumus.
55 Quòd præ stellis fulgebunt facies eorum qui abstinuerint se ? nostræ autem facies tenebris nigriores erunt;
56 Quia viventes non cogitavimus, quando faciebamus iniquitatem, nos post mortem incepturos pati;

57 Tum

57 Tum ille respondens dixit; hæc cogitatio est certaminis quo certaturus est homo qui in terra nascitur.

58 Ut si victus fuerit, patiatur quod dicis; sin autem vicerit, percipiat quod dico:

59 Hæc enim vita est quam Mosche quum viveret indixit populo, dicens, elige tibi vitam ut vivas.

60 Verùm non crediderunt ei, nec Prophetis post eum, ac ne mihi quidem quum alloquutus sum ipsos,

61 Non futuram fuisse tristitiam eis perditione ipsorum; sed futurum gaudium, sicut futurum est eis quibus persuasa est salus.

62 Hîc ego respondens dixi, Scio Domine, Altissimum vocari misericordem, eo quòd miseretur eorum qui nondum venerunt in seculum,

63 Quódque miseretur eorum qui convertunt se ad legem ipsius:

64 Et longanimem esse, eo quòd longanimitatem exhibet peccatoribus quasi suis operibus:

65 Et munificum esse, eo quòd donare vult cuique prout res exigunt:

66 Et plurimùm misericordem, eo quòd magis ac magis multiplicat misericordias iis qui præsentes sunt, qui præterierunt, & qui futuri sunt.

67 Multiplicat; si enim non multiplicaret misericordias suas, nō servaretur hoc seculum cum iis qui obtinent ipsum hæreditario jure:

68 Et condonat; si enim pro bonitate sua non condonaret, ut qui fecerunt iniquitatem ii leventur suis iniquitatibus, non posset decies millesima pars hominum conservari:

69 Et judex si non ignosceret iis qui curantur verbo ipsius, & deleret multitudinem contentionum,

70 Non planè reliqui fierent ex innumerabili multitudine, nisi pauci valde.

CAPUT VIII.

1 Tunc ille respondit mihi dicens, hoc seculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos.

2 Proponam autem tibi, Hezra, similitudinem. Quemadmodum si rogares terram, dictura esset tibi se plus daturam terræ unde fiat fictile, minimum autem pulveris unde fit aurum; sic etiam habet se hoc præsens seculum.

3 Multi quidem creati sunt, sed servabuntur pauci.

4 Ego autem respondens dixi, [1] absorbe ergo anima quod sentitur, & devora quod sapit.

[1] id est, in vitam præsentem incumbe: objectio ethopœetico, ut est 1. Cor. 15. 32.

5 Conveneras enim audiendi prophetandíque consilio; sed non est tibi datum spatium nisi solummodò ad vivendum.

6 O Domine, si non permittas servo tuo ut oremus coram te, & des nobis semen cordi, culturámq; sensui unde fructus efficiatur, quî vivere posset omnis corruptus qui inter homines locum habet?

7 Tu enim solus es, & nos unā figmentum sumus tuarum manuum, prout loquutus es.

8 Nunc autem quando in vulva fingitur corpus, tu præstas membra: conservatur velut in igne & aqua creatura tua, quum novem mensibus fert opus tuum creaturam tuam creatam in ipso:

9 Ipsum inquam quod conservat & quæ conservatur in eo, utraque servantur; & servata plerumque iterum reddit vulva quæ creverunt in ipsa.

10 Imperasti etiam ex ipsis membris, præberi fructui lac mamillarum,

11 Ut nutriatur id quod formatum est ad tempus aliquod; & posteà instituas eum in misericordia tua.

12 Enutris eum justitia tua, & erudiens eum in Lege tua corripis eum intellectu tuo:

13 Et mortificas eum ut creaturam tuam, & vivificas eum ut opus tuum.

14 Si ergo perdis eum solo jussu tuo qui tanto labore fuit formatus, facile etiam fuerit ordinare ut id quod factum est servetur.

15 Nunc itaque Domine eloquar: ac de omnibus quidem hominibus tu nosti optimè; verùm de populo tuo propter quem doleo,

16 Et de hereditate tua propter quam lugeo, de Jisraëse propter quem tristis sum, & de Jahakobo propter quem dolore affectus sum,

17 De eo incipiam orare coram te, pro me & pro eis: quoniam video lapsus nostros qui inhabitavimus terram,

18 Et audivi celeritatem judicis adventuri.

19 Ideò audi vocem meam, & intellige sermonem meum: eloquar coram te præcipuum verborum Hezræ antequàm assumatur,

20 Dicens, Domine qui permanes in æternum; cujus oculi elati in supremo sunt atque in aëre;

21 Cujus thronus æstimari non potest, nec comprehendi gloria; cui adstat exercitus Angelorum tremens,

22 [2] Quorum observatio vento & igni committitur; cujus verbum verum, & dicta perstantia; cujus fortia jussa, & dispositio terribilis;

[2] ut Psal. 104. 4. & Hebr. 1. 7.

23 Cujus aspectus arefacit abyssos, & indignatio tabefacit montes, ut testificatur veritas:

24 Exaudi orationem servi tui, & auribus percipe preces figmenti tui:

25 Dum enim vivo, loquuturus sum; & dum sensum habeo, affaturus te.

26 Ne respicias ad delicta populi tui, sed ad eos qui tibi serviunt fideliter:

27 Ne attendas ad impia gentium studia, sed ad eos qui custodiverunt anxiè testimonia tua:

28 Neque repures eos qui conversati sunt falsò in conspectu tuo, sed eorum recordare qui ex voluntate tua cum reverentia tui agnoverunt te:

29 Neque velis perdere eos qui pecudum mores habuerunt, sed respice ad eos qui Legem tuam luculentè docuerunt:

30 Nec indigneris eis qui bestiis pejores judicati sunt, sed eos diligas qui semper in tua justitia & gloria fiduciam habuerunt.

31 Nos enim & majores nostri ex morbis talibus languemus: tu autem propter nos peccatores misericors appellaberis.

32 Tunc misericors appellaberis, si voles exhibere nobis misericordiam, nobis inquam non habentibus opera justitiæ:

33 Justi enim, si quibus essent opera multa reposita, ex propriis operibus mercedē reciperent.

34 Quid verò est homo, ut indigneris ei? aut genus corruptum, ut ita acerbè agas cum ipso?

35 Etenim verè nemo natus est qui non impiè gesserit, & viventium nemo qui non deliquerit:

36 Hac autem in re annunciabitur justitia tua, & bonitas tua Domine, quòd eorum misertus fueris quibus nihil est bonorum operum.

37 Tunc respondit mihi dicens, Rectè loquutus es quædam; ut sermones habuisti, sic etiã fiet.

38 Etenim revera non exigam rationem de factis eorum qui peccaverunt [3] ante mortem, ante judicium, ante perditionem;

[3] vide infrà 9.9. & sequentib.

39 Sed delectationem capiens ex justorum cogitationibus, recordabor earum, peregrinationis quoque, & salutis, & recipiendę mercedis.

40 Quomodo ergo loquutus fueram, sic etiam est.

41 Sicut enim agricola serit quidem super terram semina multa, plantásq; plurimas plantat; sed non omnia quæ seminata sunt procedente tempore servantur, nec omnia quæ plantata sunt radicantur: sic etiam qui in seculo seminati sunt non omnes servabuntur.

42 Ego autem respondens dixi, Si inveni gratiam, proloquar.

43 Quemadmodum semen agricolæ quum non assurgit, sive non acceperit pluviam tuam tempore suo, sive corruptum fuerit multitudine pluviæ;

44 Sic etiam perit similiter homo qui manibus tuis formatus est, qui tua imago nominatur eo quòd similis est tibi, propter quem omnia formasti; quandoquidem comparasti eum cum semine agricolæ.

45 Ne irascaris nobis; sed parce populo tuo, & miserere hæreditatis tuæ: tu enim creaturæ tuæ misericturus es.

46 Qui respondit mihi dicens, Quæ sunt pręsentia, præsentibus; & quæ futura, futuris sunto.

47 [8] Multum enim abes ut possis ampliùs diligere creaturam meam quàm ego: te autem ipsum frequenter accessi propiùs, sed injustos nunquam.

[8] suprà 5.33.

48 Hac autem in re mirabilis videris coram Altissimo,

49 Quòd abjiciens te ut decet, nõ judicas te dignum qui inter justos glorificeris plurimùm.

50 Quapropter miserię multę ac miserabiles evenient habitatoribus seculi temporibus ultimis, quia in multa superbia ambulaverint:

51 Tu autem pro te intellige, & pro similibus tui inquire gloriam.

52 [4] Vobis enim apertus est paradisus, plantata arbor vitæ, præparatum futurum tempus, comparata abundantia, ædificata civitas, probata requies perfecta bonitate, perfectáque sapientia.

[4] elegans typorum congeries ad gloriam adumbrandam quę suo tempore in filiis Dei revelabitur.

53 Radix mali obsignata est ne hæreat vobis, infirmitas & tinea a vobis absconsa est, & in sepulcrum fugit corruptio, in oblivionis locum:

54 Prætererunt dolores, & ostenditur tandem adventurus immortalitatis thesaurus.

55 Noli ergo ampliùs inquirere de multitudine pereuntium.

56 Etenim isti assumentes licentiam spreverunt Altissimum, & Legem ejus contemnentes dereliquerunt vias ejus:

57 Prætereà etiã conculcaverunt justos ejus,

58 Et dixerunt cum animo suo non esse Deum, & quidem scientes se morituros esse.

59 Sicut enim vos suscipient illa quæ prędicta sunt, sic eos invadent sitis atque cruciatus qui comparati sunt.

60 Non enim voluit Deus hominem disperdi; sed ipsi qui creati sunt coinquinaverunt nomen ejus qui fecit ipsos, & ingrati fuerunt ei qui præparaverat ipsis vitam:

61 Quapropter judicium meum mòdò appropinquat.

62 Atque hæc quidem non omnibus demonstravi, sed tibi & paucis tui similibus.

63 Tunc ego proloquens dixi, Ecce nunc Domine, demonstrasti quidem mihi multa signa quæ incipies facere ultimis temporibus; sed quo tempore non demonstrasti mihi.

CAPUT IX.

1 Respondit autem mihi, dicens, Tu siquo modo poteris, metire tempus in ipso: erit enim, quum videris partem quamdam signorum quæ prædicta sunt transisse;

2 Tunc intelliges illud esse tempus quo cœpturus est Altissimus visitare seculum quod ab ipso factum est:

3 Quando, inquam, videbitur in seculo terræ motus & populorum turbatio,

4 Tunc intellige Altissimum de iis diebus antecedentibus inde a principio loquutum esse.

5 Sicut enim quicquid est in seculo initium pariter & consummationem haber, ac consummationem manifestam:

6 Sic etiam Altissimi tempora initia habent manifesta prodigiis & potentibus factis, & consummationes manifestæ sunt & actu & signis:

7 Eritq; ut quisquis servabitur, qui poterit effugere labore suo per fidem qua credidistis,

8 Reliquus fiat ex prædictis periculis, videátq; salutare meum in terra mea & in terminis meis, ut sanctificavi me inde a seculo.

9 Tunc erunt in miseriis qui nunc abutuntur viis meis, & in tormentis morabuntur qui per contemptum eas abjecerint:

10 Qui enim non agnoverunt me, quum viventes beneficia consequerentur;

11 Et qui fastidiverunt Legem meam quum adhuc facultatem haberent, qu'umq; adhuc esset apertus eis pœnitentiæ locus non tamen adverterunt, sed spreverunt eam;

12 Hos oportet post mortem in cruciatu agnoscere.

13 Tu ergo noli ampliùs curiosè inquirere quomodo cruciabuntur impii, sed inquirę quomodo servabuntur justi, quorum & propter quos seculum est, & quando.

14 Ego verò respondens dixi,

15 Quod ante loquutus sum nunc etiam dico & dicam in posterum, plures esse qui pereunt quàm qui serventur; sicut fluctus majores sunt guttis.

16 Ille autem respondit dicens,

17 Qualis ager, talia & semina; & quales flores, tales tincturæ; & qualis operator, tale opus; & qualis agricola, talis cultura: quoniam tempus est seculi.

18 Tunc enim quum ego pararẽ iis qui nunc sunt seculum (ut nondum factum fuerat) in quo habitarent, nemo mihi contradicebat:

19 Atque ut tunc quidem, quisque nunc etiam creatur in mundo hoc parato, & messe indesinente, & lege impervestigabili: sed corrupti sunt mores eorum.

20 Considerans itaque seculum quod ecce periculum aderat ei a cogitationibus quæ advenerant in ipsum,

21 Respexi & peperci ei valde: tandem servavi mihi acinum e botro, & plantam e plantario multo.

22 Pereat ergo multitudo quæ immeritò nata est, servetúrq; acinus meus & planta mea, quæ multo cum labore perfeci.

23 Tu

23 Tu autem ſi adhuc alios ſeptem dies remiſeris (ſed ne jejunato illis;

24 Ito in campum florum [1] ubi domus non eſt ædificata, & comedito ſolùm de floribus ipſius campi: ne carnem guſtato, vinúmque ne bibito, ſed flores ſolummodò)

[1] Propter typum, qui exponitur cap. 10.

25 Deprecans indeſinenter Altiſſimum, veniam denuò & alloquar te.

26 Itaque profectus ſum, ſicut dixerat mihi, in campum qui vocatur [2] Ardatha; ubi ſedens inter flores comedi de herbis agri, & cibo earum ſaturatus ſum.

[2] campus eſt ſententia mea ſupra Babylonem a fungorum copia quaſi fungoſus appellatus, cujus in finibus eſt ille vicus quem Herodotus Ardericam voce compoſita nominat, quaſi fungoſum & inanem dicas.

27 Fuit autem poſt dies ſeptem diſcumbente me ſuper gramen, quum animus meus turbaretur de integro ſicut antea,

28 Ut aperto ore meo inchoarem loqui coram Altiſſimo, & dicerem;

29 O Domine, tu quidem certè videndum te exhibuiſti majoribus noſtris in deſerto avio & infructuoſo quum egrederentur ex Ægypto,

30 Et dixiſti planè, Tu Jiſraël audi me, & ſemen Jaſiakobi attende ad ſermones meos:

31 Ecce enim ego ſemino in vobis legem meam, qua efferente in vobis fructum, gloriam reportabitis de eo in ſeculum.

32 Verùm majores noſtri acceptam legem non ſervaverunt, & ſtatuta tua non cuſtodiverunt; fructus verò Legis non periit (nec enim poterat, quoniam tuus erat)

33 Nam qui acceperant, perierunt non cuſtodientes quod in ipſis ſeminatum fuerat.

34 Ecce autem conſuetudo eſt, quum accepit terra ſemẽ, aut mare navem, aut vas aliquod eſcam vel potum; perdito eo in quo ſeminatum eſt, vel in quod immiſſum eſt,

35 Simul id quod ſeminatum immiſſúmve fuerit & quæcumque fuerint accepta perdi, eáque jam non eſſe penes nos: nobis verò non ita accidit.

36 Nos quidem qui Legem accepimus, peccando periimus, & cor noſtrum quod exceperat eam:

37 Lex verò non periit, ſed permanſit in ſuo robore.

38 Quum autem hæc loquerer apud animum meum, reſpiciens oculis meis vidi mulierem ad dexteram, quæ ecce lugens plorabat cum vociferatione magna, & animo dolebat valde, veſtimẽtis ſuis diſciſſis & cinere inſperſo capiti ipſius.

39 Omittens itaque cogitationes meas in quibus verſabar, converſus ſum ad eam,

40 Et dixi ei, quare fles? & quid doles animo?

41 Illa verò mihi, Sine me, inquit, Domine mi, flere & in dolore pergere; nam valde amaro ſum animo, depreſſa ſum valde.

42 Me autem dicente ei, quid perpeſſa es? dic mihi, reſpondit illa mihi,

43 Sterilis fueram ego ancilla tua, ac non pepereram triginta annis, quum haberem maritũ

44 Ego verò per ſingulas horas & per ſingulos dies annóſque triginta illos deprecabar Altiſſimum nocte ac die.

45 Fuit tandem poſt triginta annos ut exaudiret me Deus ancillam tuam, & reſpiciens abjectionem meam attendénſq; tribulationi meæ daret mihi filium; de quo gaviſa ſum valde ego & vir meus & omnes cives mei, honorémque Deo forti plurimùm tribuimus.

46 Et educavi cum labore multo.

47 Fuit autem quum creviſſet perveniſſétq; ad eam ætatem qua uxorem ducturus erat, ut diem facerem epuli.

CAPUT X.

1 [1] HOc facto, introiens filius meus in thalamum ſuum, cecidit mortuus.

[1] Peſſimè diſtinguuntur hæc a precedente cap. ſed parum, ac potius nihil in eo ſitum eſt.

2 Quamobrem evertimus omnes lumina, & ſurrexerunt omnes cives mei ad conſolandum me, & continui me ad noctem uſque diei alterius.

3 Fuítque ſuperſedentibus omnibus a conſolatione mei ut quieſcerem, fuit inquam ut ſurgens ea nocte fugerem, venirémque (ut vides) in hunc campum.

4 Nunc autem cogito non reverti in civitatem, ſed hîc conſiſtere; neque comedere neque bibere, ſed ſine intermiſſione lugendo jejunare uſque dum moriar.

5 Omittens igitur ſermones in quibus verſabar, iratus reſpondi ei, dicens,

6 Tu mulierum omnium ſtultiſſima, nónne vides luctum noſtrum, & quæ nobis accidunt?

7 Tzijonem matrem noſtram omni triſtitia contriſtari, & depreſſione deprimi, & lugere validiſſimè,

8 Nos nunc lugere omnes, & triſtes eſſe? quum autem nos omnes contriſtamur, tu an contriſtaberis de uno filio?

9 Interroga enim terram, & dicit tibi ſe eam eſſe quæ debeat tam multorum lugere caſus qui in ea pullulant,

10 Et omnium qui ex ipſa ab initio nati ſunt, & aliorum qui venturi ſunt: nam ecce penè omnes in perditionem ambulant, & exitio traditur plurima pars eorum.

11 Utra igitur ampliùs lugere debet? hęc certè quæ tantam multitudinem perdidit magis quàm tu quæ pro uno doles.

12 Quòd ſi dixeris mihi, non eſt planctus meus ſimilis planctui terræ, quoniam fructum amiſi ventris mei, quem cum mœroribus geſtavi & cum doloribus peperi,

13 Terra autem pro modo terræ; ſic abit ex ea multitudo præſens ut evenit antè:

14 Ego quoque dicturus ſum tibi; Sicut tu cum labore peperiſti, ſic etiam terra dat fructum ſuum homini ab initio, [2] ei qui infecit ipſam.

[2] amplificatio, q.d. homini, cujus viis corruptiſſimis, corrupta etiam eſt & inquinata terra in homines injurios benefica.

15 Nunc ergo contine apud te ipſam dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt caſus.

16 Si enim tanquam juſtis, acquieveris rebus a Deo determinatis, & conſilium ejus percipies ſuo tempore, & iſtis in rebus laudaberis.

17 Regredere ergo in civitatem ad virum tuum.

18 Illa autem dicente mihi, non faciam, neque ingrediar civitatem; ſed hîc moriar:

19 Perrexi adhuc loqui ad illam, dicens,

20 Noli facere rem iſtam; ſed aſſentire ſuadenti. Quot enim ſunt caſus Tzijonis? accipe conſolationem propter dolorem Jeruſchalaimorum.

21 Vides enim ſanctuarium noſtrum deſolatum eſſe, & altare noſtrum dejectum, templúmque noſtrum deſtructum,

22 Pſalterium noſtrũ humi proſtratum eſſe, hymnum conticuiſſe, exſultationẽ noſtram diſſolutam eſſe, [1] lumen lychnuchi noſtri exſtinctũ, [3] arcam fœderis noſtri direptam, loca ſancta noſtra contaminata, & nomẽ de quo vocati ſumus penè profanatum; liberos item noſtros eſſe contumeliam paſſos, Sacerdotes noſtros ſucciſos,

[1] Jechezk. 7. 20. & 21.
[3] huic conveniat cum 2. Mac. 2.

Levitas

Levitas nostros in captivitatem abductos, virgines nostras inquinatas, mulieres nostras vim passas, justos nostros direptos, parvulos nostros perditos, juvenes nostros in servitutem raptos, & forteis nostros infirmatos,

23 Et quod omnium est maximum, signaculum Tzijonis, [4] resignatam esse gloriam ipsius: nam tradita etiam est in manus eorum qui oderunt nos.

[4] i. Deo resignante & reserante libidini omnium expositam.

24 Tu ergo excute tuam tristitiam multam, & depone a te dolorum multitudinem, ut tibi propitius Deus fortis requiem præstet tibi Altissimus, requiem a laboribus.

25 Fuit autem me alloquente eam, ut facies ejus repentè fulgeret, ac specie coruscus fieret aspectus ejus, adeò ut expavescens valde ab ea cogitarem quid illud esset.

26 Ecce autem subitò emisit sonum vocis magnum & ita formidabilem ut moveretur terra ipsa a sono mulieris.

27 Quúmque respicerem, ecce mulier ampliùs non comparuit mihi; sed civitas ædificabatur & locus demonstrabatur a fundamentis magnus: & timens clamavi voce magna,

28 Et dixi, ubi est Uriel Angelus qui principio venit ad me? nam ipse fecit ut venirem in tantum hunc excessum mentis, quo finis meus quem spectabam evanescit, & oratio mea efficitur ridicula.

29 Me autem proloquente ista, ecce venit ad me;

30 Et respiciens me quòd ecce jacêrem ut mortuus, & intellectus meus abalienatus esset, prehendens dexteram meam confirmavit me, & statuens me in pedes meos dixit mihi,

31 Quid tibi est, quòd turbata est mens tua & sensus cordis tui? quid conturbaris?

32 Cui ego, quoniam, inquam, dereliquisti me, qui faciens secundùm sermones tuos veni in hunc campum: ecce autem videre mihi visus sum quæ non possum enarrare.

33 Ille autem dixit mihi; Sta viriliter, & docebo te.

34 Ego verò dixi, loquere, Domine mi, ad me; ne derelinquas me, ut non frustratus moriar.

35 Nam vidi quæ nesciebam, & audio quæ nescio:

36 Aut an falleretur sensus meus, & somniaret anima mea?

37 Nunc ergo oro te ut exponas servo tuo excessum istum. Qui respondens mihi dixit,

38 Audi me & docebo te exponens ea tibi a quibus metuis: nam Altissimus revelavit tibi mysteria multa;

39 Vidit rectam viam tuam, te sine intermissione fuisse contristatum pro populo tuo, & valde luxisse propter Tzijonem.

40 Hæc ergo intelligentia visionis quæ tibi apparuit paulò antè.

41 Quòd vidisti lugentem quam cœpisti consolari,

42 Nunc autem speciem mulieris ampliùs non vides, sed visa est tibi civitas ædificari;

43 Et quòd illa narrabat tibi de casu filii sui; hæc solutio est:

44 Hæc mulier quam vidisti est Tzijon, quam etiam modò conspicis ut civitatem ædificatam:

45 Quòd dixit tibi se fuisse sterilem [5] triginta annis, *dixit* propterea quod fuerunt anni triginta quando non erat adhuc oblata in ea oblatio.

[5] fabulæ tam stolidæ, quam stolida est ea quæ sequitur typi accommodatio.

46 Sed fuit post annos triginta, ædificante Schelomone civitatem & oblationes offerente, tunc fuit quando peperit sterilis filium.

47 Quod dixit tibi se educasse eum cum labore, hi fuerunt habitatores Jeruschalaimorum.

48 Quod autem dixit tibi, filius meus veniens in thalamum suum mortuus est, & contigit ei casus; hæc est ruina Jeruschalaimorum quæ facta est.

49 Ecce autem vidisti similitudinem illius, & quum lugeret filium cœpisti consolari illam de iis quæ contigerant: hæc fuerunt tibi aperienda.

50 Nunc autem videns Altissimus te ex animo contristari, & ex toto corde condolere illi, ostendit tibi claritatem gloriæ illius, & pulcritudinem decoris illius:

51 Propterea enim edixeram tibi ut maneres in campo ubi domus non est ædificata.

52 Nam sciebam Altissimum cœpturum esse tibi ostendere hæc;

53 Propterea edixerā tibi ut venires in hunc agrum ubi nullum est fundamentum ædificii:

54 Nec enim poterat opus ædificii humani sustineri in eo loco, ubi incipiebatur ostendi civitas Altissimi.

55 Tu ergo noli timere, neque expavescat cor tuum, sed ingredere, & vide splendorem ac magnitudinem ædificii, quantum potest videre aspectus oculorum tuorum:

56 Posteà verò audies quantum auditus aurium tuarum audire potest.

57 Tu enim beatus es præ multis, & vocatus ab Altissimo quò alii pauci.

58 Nocte autem quæ in crastinum ventura est maneto hîc,

59 Et ostendet tibi Altissimus eas visiones rerum extremarum quas efficiet Altissimus habitatoribus terræ ultimis temporibus.

60 Itaque dormivi illîc ea nocte & altera, sicut edixerat mihi.

CAPUT XI.

1 [1] TUnc vidi somnium, quòd ecce ascendebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennatæ & capita tria.

[1] Hoc somnium explicatur cap. sequente, fabulásque non paucas continet.

2 Vidi autem, quum ecce expanderet alas suas in omnem terram omnibus ventis cæli efflantibus in eam atque collectis,

3 Vidi, inquam, e pennis ejus nasci contrarias pennas, quæ in pennulas minutas & modicas evadebant:

4 Et capita ejus quiescebant, quorum medium erat majus aliis capitibus; ipsa itaque quiescebat cum illis.

5 Deinde vidi, quum ecce volasset aquila pennis suis, ut regnaret super terram & super habitatores ejus,

6 Vidi ei subjici omnia quæ sunt sub cælo, & neminem ei contradicere, ne unam quidem e rebus creatis quæ sunt super terram.

7 Tum vidi quòd ecce surgens aquila in ungues suos, alloquuta est pennas suas, dicens,

8 Nolite omnes simul vigilare, dormite quæque loco suo, & ad tempus vigilate:

9 Capita autem ultimo loco serventur.

10 Et vidi quòd ecce non prodibat vox e capitibus, sed e medio corpore ejus:

11 Et numeravi contrarias pennas ejus, quæ ecce erant octo.

12 Posteà vidi quòd ecce a dextera parte surgens

gens una penna regnavit super omnem terram:

13 Fuit verò quum regnasset, ut adveniente ei fine non appareret locus ejus: & sequens exsurgens regnavit, & multum obtinuit tempus:

14 Sed fuit quum regnasset, ut adveniente fine ipsius hæc non appareret sicut etiam prior.

15 Ecce autem vox emissa est ad eam, dicens,

16 Audi tu quæ tamdiu obtinuisti terram, hæc annuncio tibi antequàm incipias disparere:

17 Nemo post te obtinebit tempus tuum, ac ne dimidium quidem illius.

18 Tum exsurgens tertia tenuit principatum sicut & priores, & disparuit ipsa quoque.

19 Et sic contigit omnibus aliis sigillatim principatum gerere, ac deinde nusquam comparere.

20 Vidi enim quum ecce per tempus sequentes pennæ erigerentur a dextera parte, obtinere ipsas quoque principatum, & eas quæ obtinebant non tamen comparere illicò:

21 Et aliquas ex eis erigere quidem se, at principatum non obtinere.

22 Sic vidi posteà, quum ecce non comparerent duodecim pennæ, & duæ pennulæ,

23 Nihil superesse in corpore aquilæ, nisi duo capita quiescentia & sex pennulas.

24 Vidi autem quòd ecce a sex pennulis divisæ duæ manserunt sub capite quod erat ad partem dexteram, quatuor verò manserunt in loco suo:

25 Et vidi quòd ecce hæ quæ aliis suberant cogitabant se erigere & obtinere principatus.

26 Nam vidi quòd ecce una erecta est, sed statim non comparuit:

27 Et sequentes etiam velociùs quàm priores non comparuerunt.

28 Tum vidi quòd ecce duæ quæ supererant, apud seipsas cogitabant etiam regnare:

29 Quũ autem cogitarent de eo, ecce unum quiscentium capitum quod erat medium evigilavit (hoc autem erat duobus aliis capitibus majus)

30 Et vidi conjunctis duobus aliis capitibus secum,

31 Quòd ecce conversum est caput istud cum aliis prosequentibus ipsum, & comedit duas illas pennulas subjectas alis quæ cogitabant regnare.

32 Hoc autem caput perterruit omnem terram & dominatum est in ea habitatoribus ejus cum labore multo; & dominium tenuit orbis terrarum supra omneis alas quæ fuerant.

33 Postmodum autem vidi quòd ecce medium caput subitò disparuit, idque sicut alæ:

34 Superfuerunt autem duo capita, quæ & ipsa similiter regnaverunt super terram, & super habitatores ejus.

35 Et vidi quòd ecce devoravit caput dexteræ partis illud quod erat in læva.

36 Tunc audivi vocem dicentem mihi, Respice ex adverso tui, & considera quod vides.

37 Et vidi quòd ecce quiddam simile leoni concitato e sylva rugiente; vidi, inquam, emittentem vocem humanam ad aquilam & loquentem, dicendo,

38 Audi tu, & eloquar ad te quæ dicit Altissimus tibi:

39 Nonne tu es illa quæ superes de quatuor illis animalibus quæ fecerat regnarent in seculo meo, idque ut post eos veniret finis temporum istorum?

40 Nam quartum veniens devicit omnia animalia quæ præterierant, & dominatu obtinuit seculum cum tremore multo, & omnem orbem cum labore gravissimo, & habitavit tamdiu orbem terrarum cum dolo.

41 Tu non judicasti terram ex veritate;

42 Sed afflixisti mansuetos, & læsisti quietos, & dilexisti mendaces, & destruxisti habitationes eorum qui ferebant fructum, & muros eorum qui non nocebant tibi dejecisti,

43 Adeò ut ascenderit contumelia tua usque ad Altissimum, & superbia tua ad Deum fortem:

44 Respexit itaq; Altissimus, superbię tempora, quæ ecce finita sunt, & scelera ejus cõpleta.

45 Propterea tu ne appareto aquila, & alę tuę horribiles, & pennulæ tuæ pessimę, & capita tua maligna, & ungues tui pessimi, & totum corpus tuum vanum,

46 Ut [a] refrigeretur tota terra, & liberata a vi tua convertatur, & speret jus ac misericordiam ab eo qui fecit ipsam.

[a] ut 3. Hezræ 4. 62. metaphora convenientissima ab anhelis & ex labore fessis.

CAPUT XII.

1 Hoc facto, quum alloquutus esset leo his verbis aquilam, vidi,

2 Quòd ecce superesset caput, non autem comparerent illæ quatuor alæ quæ ad ipsum transierant: nam erectæ fuerant ut regnarent, sed fuerat regnũ earum exile & tumultu plenũ.

3 Vidi autem quum ecce non comparerent illæ, totum corpus aquilæ incendi: unde expavit terra valde, & ego ex tumultuatione ac excessu mentis metúque magno evigilavi, & dixi spiritui meo,

4 Ecce tu pręstas mihi hæc, eo quòd scrutaris vias Altissimi:

5 Ecce adhuc sum defessus animo, & spiritu meo infirmus valde, ne modica quidẽ inest mihi virtus a timore multo quo expavi nocte hac.

6 Nunc ergo orabo Altissimum, ut me ad finem usque confirmet.

7 Tum dixi, Domine Jehova, si inveni gratiam in oculis tuis, si justus effectus sum apud te præ multis, & si certè ascendit oratio mea in conspectum tuum;

8 Confirma me, & ostende mihi servo tuo interpretationem distinctam visi horribilis istius, ut plenissimè consoleris animam meam:

9 Nam dignum me habuisti cui tempora ultima ostenderes.

10 Ille autem mihi, [1] hęc est, inquit, interpretatio visionis hujus:

11 Aquila quam vidisti ascendentem e mari, regnum illud est quod visione visum est Danijeli fratri suo:

12 Sed non est illi data interpretatio, nunc autem sum interpretaturus tibi.

13 Ecce dies veniunt quum exsurget regnũ super terrã, a quo erit vehementior metus quàm ab omnibus regnis quæ fuerint ante ipsum.

14 Regnabunt autem in eo Reges duodecim unus post alterum:

15 Qui verò secundus incipiet regnare, is plus temporis obtinebit quàm ullus e duodecim.

16 Hæc est interpretatio duodecim alarum quas vidisti.

17 Quòd autem vocem quæ loquuta est audisti non e capitibus ejus exeuntem, sed e medio corpore ejus,

[1] Si quis in summo otio volet negotiosus esse, poterit hanc interpretationem ad historias utcumque pertrahere: sed quid opus est tantam operam in opere tam fabuloso consumere? Hic certè nimis prædicat laudes suas quum Danijeli seipsum anteponit; & nefariè quoq; mentitur quum datam visi interpretationem Danijeli negat. Ego verum & fructuosum Danijelis agrum, quàm hunc fallacem & senticosum malo colere.

18 Hæc

18 Hæc eſt interpretatio; poſt tempus regni illius naſcentur contentiones non modicæ, periclitabitúrque ut cadat; non tamen cadet tunc, ſed iterum reſtituetur principio ſuo.

19 Quòd vidiſti pennulas octo ſubjectas alis cohærentes alis ejus,

20 Hæc interpretatio: exſurgent in ipſo Reges octo, quorum erunt tempora brevia & citati anni: ac duo quidem ex ipſis peribunt ſtatim;

21 Appropinquante verò tempore, quatuor diutius ſervabuntur medio tempore, quum incipiet appropinquare tempus ejus ut finiatur; duo verò in finem ſervabuntur.

22 Et quòd vidiſti tria capita quieſcentia,

23 Hæc interpretatio: ultimis temporibus ejus ſuſcitabit Altiſſimus tria regna in quæ reducturus eſt multa alia, & dominabuntur terræ, atque habitatoribus ejus;

24 Infeſtantia eos labore graviore quàm præcedentia: propterea vocati ſunt Reges capita aquilæ.

25 Iſti enim ſunt qui recolligent impietates illius, & qui perficient extrema illius.

26 Quòd vidiſti caput maximum diſparuiſſe, hæc interpretatio; unus ex eis ſuper lecto ſuo morietur, ſed tamen cum tormentis.

27 Duos autem qui perſtiterint gladius conſumet:

28 Unius enim gladius conſumet alterum, ſed tamen ille quoque gladio tandem cadet.

29 Quòd vidiſti pennulas duas ſubjectas alis trajicere ſubter caput quod erat in parte dextera.

30 Hæc eſt interpretatio: hi ſunt quos ſervavit Altiſſimus in finem ſuum, hoc eſt regnum exile, & tumultu plenum.

31 Quòd etiam audiviſti leonem, quem videras evigilantem progreſſum de ſylva, rugientem, alloquentem aquilam, & arguentem eam factáque injuſta ejus omnibus ſermonibus ſuis, ſicut audiſti:

32 Hic eſt Spiritus quem ſervavit Altiſſimus in finem contra eos & impietates eorum, ut arguat eos, & eis objiciat in os dilaniationes eorum.

33 Siſtet enim eos in judicio vivos: erítque poſtquam arguerit eos, ut tunc demum corripiat eos.

34 Nam reſiduum populum meum liberaturus eſt a miſeria, qui ſervati fuerint in finibus meis, & exhilarabit eos uſque dum finis adveniat, dies judicii de quo ab initio loquutus ſum tibi.

35 Hoc ſomnium quod vidiſti, & hæ interpretationes illius.

36 Tu verò ſolus fuiſti dignus qui hoc ſecretum ſcires Altiſſimi.

37 Scribe ergo omnia hæc in libro quæ vidiſti, & pone ea in loco abſcondito:

38 Et docebis ea ſapientes populi tui, quorũ animos ſcis poſſe capere & ſervare ſecreta hæc.

39 Tu autem adhuc ſuſtine hìc alios dies ſeptem, ut tibi oſtendatur quicquid viſum fuerit Altiſſimo oſtendere tibi. Ita profectus eſt a me.

40 Fuit autem quum audiſſet omnis populus præteritis ſeptem diebus me non fuiſſe reverſum in civitatem, ut [a] congregati omnes æquè parvi ac magni venirent ad me, & alloquerentur me dicentes,

[a] vide ſuprà in 3.1.

41 Quid peccavimus in te? quid injuſtè egimus in te, quòd derelictis nobis ſediſti in loco hoc?

42 Tu enim nobis ſuperes ſolus ex omnibus populis, ut botrus e vinea, & ſicut lucerna in loco obſcuro, & ſicut in portu navis ſervata a tempeſtate.

43 An non ſufficiunt nobis mala quæ contigerunt?

44 Si ergo tu nos dereliqueris, quanto nobis fuiſſet melius ſuccenſos fuiſſe nos quoque cum Tzijonis incendio?

45 Nec enim ſumus meliores eis qui ibi mortui ſunt: & ploraverunt voce magna.

46 Reſpondens autem eis dixi, confide Jiſraël, & noli contriſtari tu domus Jahakobi:

47 Eſt enim memoria veſtri coram Altiſſimo, & Deus fortis non obliviſcitur veſtri in tentatione:

48 Ego verò non dereliqui vos, neque diſceſſi a vobis; ſed veni in hunc locum ut deprecarer pro deſolatione Tzijonis, ut quærerem miſericordiã pro oppreſſione ſanctificationis veſtræ.

49 Nunc ergo abite unuſquiſque veſtrum in domum ſuam: ego autem veniam ad vos poſt dies iſtos.

50 Et profectus eſt populus, ſicut dixeram ei, in civitatem:

51 Ego autem ſedi in campo ſeptem diebus, ſicut mihi mandavit Deus, comedens ſolummodò de floribus agri: ex herbis fuit eſca mihi in diebus illis.

CAPUT XIII.

1 Fuit autem poſt dies ſeptem ut nocte ſomniarem ſomnium.

2 Quòd ecce de mari quidam ut ventus exſurgebat, & conturbabat omneis fluctus ejus.

3 Vidi autem quòd ecce invaleſcebat ille homo cum millibus cælitum: & quocumque vultum ſuum vertebat ut conſideraret, tremebant omnia quæ ab eo reſpiciebantur:

4 Et quocumque exibat vox ex ore ejus, exardeſcebant omnes qui audiebant vocem ejus, ſicut ardet [1] terra quando ſentit ignem.

[1] id eſt, res terreſtres, metonymicè.

5 Et vidi poſteà, quum ecce congregaretur multitudo hominum innumera e quatuor partibus cæli, ut debellarent hominem qui aſcenderat e mari,

6 Vidi quòd ecce ſibi ipſi exculpſit montem magnum, & volavit ſuper eum.

7 Ego autem quæſivi regionem videre vel locum unde mons exſculptus eſſet, nec tamen potui.

8 Deinde vidi quòd ecce omnes qui congregati fuerunt in eum ut expugnarent eum, timebant valde, & tamen auſi ſunt pugnare.

9 Ecce autem ut vidit impetum multitudinis venientis, non extulit manum ſuam, neque frameam prehendit, neque aliquod inſtrumentum bellicum; ſed ſolummodò, ut vidi,

10 Emiſit ex ore ſuo ſicut flatum ignis, & e labiis ſuis ſpiritum flammæ, & e lingua ſua ſcintillantes procellas; quæ commiſta ſunt omnia ſimul, flatus ignis, ſpiritus flammæ, & multitudo procellarum,

11 Quæ irruit impetu ſuper multitudinem paratam ad pugnandum, & ſuccendit omnes adeò ut repentè nihil videretur de innumera illa multitudine, niſi pulvis ſolùm & fumus odorem mittens: atque hæc videns extimui.

12 Poſteà verò vidi hominem illum deſcendentem de monte, & vocantem ad ſe multitudinem alteram pacificam:

13 Acceſ-

13 Accessitque ad eum species hominum multorum quorumdam gaudentium, & quorumdam dolentium, quorum alii erant alligati, alii adducebant ex iis quæ offerri solent: & infirmatus sum ex pavoris multitudine, & expergefactus dixi,

14 Tu ab initio demonstrasti servo tuo res istas mirabiles,& dignum me habuisti cujus precationem susciperes:

15 Nunc ergo demonstra mihi adhuc interpretationem somnii istius.

16 Nam sicut existimo ex sensu meo,[2] væ iis qui derelicti fuerint diebus illis; & multo amplius væ illis qui non fuerint derelicti:

17 Qui enim non fuerint derelicti,tristiores erunt.

18 Intelligo nunc quæ sint reposita in dies ultimos, ut his obveniant & iis qui derelicti fuerint:

19 Propterea enim venerint in pericula magna & necessitates multas, sicut ostendunt somnia hæc.

20 Attamen facilius est periclitantem venire in hunc diem, & tunc videre quæ contingent tempore ultimo, quàm pertransire sicut nubem à seculo.

21 Ille autem mihi respondens dixit;& visionis interpretationem dicam tibi, & de quibus loquutus es hæc adaperiam tibi.

22 Quòd de iis dixisti qui derelicti fuerint, hæc est interpretatio:

23 Qui perfert periculum,in illud tempus hic se custodivit; & qui in pericula inciderunt, hi sunt qui habent opera & fidem apud Altissimum.

24 Scito ergo beatiores esse qui derelicti fuerint iis qui sunt mortui.

25 Hæ interpretationes visionis: quod vidisti virum ascendentem e medio maris,

26 Is est quem conservat Altissimus multis temporibus,qui per seipsum liberaturus est creaturas suas, & ipse dispositurus iis qui derelicti sunt fedus.

27 Quòd autem vidisti de ore ejus exire sicut flatum & ignem & procellam,

28 Et quòd non tenebat frameam,neque instrumentum bellicum; corrupit impetus ejus multitudinem quæ venerat ad oppugnandum eum; hæc est interpretatio:

29 Ecce dies veniunt quando incipiet Altissimus liberare eos qui sunt super terram,

30 Et veniens excessum mentis afferet iis qui inhabitant terram:

31 Et cogitabunt debellare alii alios, civitas civitatem, & locus locum: gens insurget adversus gentem, & regnum adversus regnum.

32 Erit autem quum fient hæc & contingent signa quæ antè ostendi tibi, ut tunc reveletur Filius meus quem vidisti ut virum ascendentem.

33 Eritque quando audierint omnes gentes vocem ejus, ut derelinquat unusquisque bellum suum quod habuerint inter se,

34 Et colligatur in unū multitudo innumerabilis, ut volentium venire & expugnare eum.

35 Ipse autem stabit super cacumen montis Tzijonis.

36 (Tzijon enim procedet ostenderturque omnibus parata & ædificata, ut vidisti montem sculpi sine manibus)

37 [3] Et ipse Filius meus arguet impietates gentium quas adinvenerunt, malis quæ cum procella comparantur; & mala cogitata eorum cruciamentis quibus incipient cruciari,assimilatis flammæ;

38 Et perdet eos sine labore per Legem quæ igni assimilata est.

39 Quòd autem vidisti eum colligentem ad se aliam multitudinem pacificam;

40 Hæ sunt decem tribus captivæ abductæ e terra sua diebus Hoschehæ Regis, quem captivum abduxit Schalmanasar Rex Assyriorum;quæ deportatæ cis flumen posteà translatę sunt in [4] terram aliam.

41 Ipsi autem sibi ceperunt hoc consilium,ut derelinquerent multitudinem gentium profecti in ulteriorem regionem ubi nunquam genus humanum habitavit,

42 Et ibi observarent legitima statuta sua quæ non observaverant in regione sua.

43 Per introitus autem fluminis Euphratis angustos introierunt.

44 (Fecit enim eis tunc Altissimus signa, sistens venas fluminis usque dum transivissent)

45 Et in eam regionem perventuris fuit via magna, iter anni unius & dimidii: regio autem illa vocatur [5] Harschareth.

46 Tunc habitaverunt ibi ad tempus usq; ultimum: nunc autem quum incipient reverti,

47 Iterum Altissimus sistet venas fluminis ut possint transire: propterea vidisti multitudinem cum pace ambulantem.

48 Sed & qui derelicti fuerint e populo tuo, qui invenientur intra terminum meum,

49 Fiet ergo,quum incipiet perdere multitudinem earum gentium quæ collectæ fuerint, ut protegat eos qui e populo superfuturi sunt;

50 Et tunc ostendat eis multo plura portenta.

51 Ego verò dixi, Domine Jehova, ostende mihi cur viderim virum ascendentem e medio maris.

52 Et ille mihi,Sicut non potes, inquit, vel scrutari vel scire quæ sunt in profundo maris; sic non poterit quisquam super terram videre Filium meum vel eos qui cum eo sunt, nisi tempore & die illo.

53 Hęc est interpretatio somnii quod vidisti, & propter quod illuminatus hîc fuisti solus.

54 Nam dereliquisti viam tuam, & in meam incumbens legem quæsivisti eam,

55 Vitámque tuam disponens sapienter,[6] illam ex animo tuo vocasti matrem.

56 Ac propterea ostenditur tibi merces apud Altissimū: erit enim post tres dies alios, ut apud te alia proloquar, exponamque tibi [7] res graves & mirabiles.

57 Profectus itaq; perrexi in campum,glorificans multùm & laudens Altissimum de rebus mirabilibus quas suo tempore facit,

58 Quòd gubernet tempus & quæ accidunt temporibus; & resedi illic tribus diebus.

CAPUT XIIII.

1 Fuit autem die tertio quum sederem sub quercu,ut ecce vox exiens ad me [1] e rubo diceret,Hezra Hezra;

2 Cui dixi, Ecce me Domine, & surrexi in pedes meos.

3 Tum ille mihi, Planè revelatus sum super rubum,& alloquutus sum Moschen, quando populus meus serviebat in Ægypto,

[2] hæc non imprecantis sunt, sed propheranttis verba: gravis quidem, inquit, eorum conditio futura est qui tum vivent; sed eorum adhuc gravior qui antè sublati fuerint: illi enim ut procellis agitentur, videbunt tamen regnum Dei: hi verò præripientur morte & calamitatibus ne videant illud.

[3] hunc & sequentem versum imperitia librariorum corrupissimum sic restitui oportuit ex versu 10.

[4] i.(inquiunt Judæorum fabulę) trans montes Caspios,ubi regnum est amplissimum quod fluvio Schabbatjone disterminatur a reliquis gentibus: ut tradunt ipsorum libri,& docet historia illius monstri quod memoria nostra per Carolum v. Cæsarem pœnas Mantuæ in Italia dedit suæ impietatis & perfidiæ; nempe Schelomonis Regis,ut se agyrta ille prædicabat. En impiam falsámque historiam hoc prophetico (si credere fas est) libro confirmatam,& ab auctore explicatam usque ad v. 48. Qui librum hunc mirantur & pro divino habent, agnoscant ex hoc saltem loco, a quo spiritu isthæc ad nos allata sint: hæc enim verba ementiuntur planè veritatem Dei aliis in libris authenticis ab ipso Hezra traditā.

[5] i. mons ministerii seu montosa regio, in qua cultus Dei institutus & observatus est, Hebræa appellatio. Etsi quid si corruptè est Eretz Ararat, id est, regio Armeniæ, Docti viderint.

[6] nempe legem meam.

[7] scilicet ad imitationem Moschis: ut iste videri voluit.

[1] Scilicet a cælo hic Moses descenderat alter: nam in tota hac narratione sua Mosen simulat, ut mēdaciis suis conciliet fidem.

4 Et mittens eum eduxi populum meum ex
Ægypto,& adducens eum super montem Sinai
detinui eum apud me diebus multis,
5 Et enarrans ei res multas admirabiles o-
stendi ei temporum arcana & finem.
6 [2] Ac præcepi ei dicens, hæc palàm facies
verba,& hæc abscondes.
7 Nunc quoque edico tibi,
8 Signa quæ demonstravi, & somnia quæ
vidisti,& interpretationes quas audisti in corde
tuo repone.
9 Tu enim recipieris ne omnia videas, ad-
duceris reliquus factus consilio meo cum simili-
bus tuis usque dum finiantur tempora:
10 Quoniam seculo periit juventus sua, &
tempora propè est ut senescant.
11 Nam in duodecim partes divisum est secu-
lum,cujus transierunt decem, & dimidium par-
tis undecimæ:
12 Supersunt autem ei quæ subsequuntur
medium partis undecimæ.
13 Nunc ergo dispone domum tuam, &
corripe populum tuum, ac consolare humiles
eorum,
14 Et renuncians jam corruptelæ dimitte
abs te mortales cogitationes, abjiciensque a te
pondera humana exue te jam infirma natura,ac
reponens seorsim molestissimas tibi cogitatio-
nes,festina migrare ab his temporibus:
15 Quæ enim vidisti nunc contigisse mala,
iterum his deteriora facient.
16 Nam quo invalidius fiet seculum a senec-
tute, eo multiplicabuntur ampliùs in habitato-
res mala.
17 Longiùs enim abibit veritas,& appropin-
quabit mendacium: jam autem festinat venire
illa visio quam vidisti.
18 Ego verò respondens dixi, Placeant hæc
coram te,Domine.
19 Ecce enim ego abiens, sicut præcepisti
mihi,corripiam præsentem populum: qui autem
deinceps nati fuerint quis commonebit?
20 Positum est ergo seculum in tenebris, &
habitatores ejus sunt fine lumine;
21 [3] Quoniam lex tua exusta est: quamobrem
nemo scit quæ a te facta sunt, vel quæ incipient
fieri opera.
22 Si ergo inveni apud te gratiam, immitte
in me Spiritum sanctum ut scribam quicquid fu-
it factum in seculo ab initio, quæ fuerunt scripta
in Lege tua, ut possint homines invenire semi-
tam tuam; & qui voluerint vivere ultimis tem-
poribus,vivant.
23 Respondens itaque mihi dixit, Abi con-
grega populum, & indicito eis ut non quærant
te diebus quadraginta.
24 Tu autem præpara tibi [4] libros multos, &
accipiens tecum Serajam, Debarjam, Sche-
lemjam, Echanum,& Chatzielem, hos quinque
viros paratissimos ad scribendum velociter, ad-
venito huc;
25 Et ego accendam in corde tuo lucernam
intellectus, quæ non exstinguetur donec finita
sint quæ inceperis scribere.
26 Iisque perfectis quædam palàm facies,
quędam sapientibus occultè trades: in crastinum
autem hac hora incipies scribere.
27 Tunc ego profectus sicut præceperat mi-
hi,congregavi omnem populum & dixi,
28 Audi Jisraël verba hæc,
29 Peregrinati sunt majores nostri olim in
Ægypto,& liberati sunt inde,
30 Et acceperunt Legem vitæ quam non
custodiverunt,& quam vos sequentes eos trans-
gressi estis,
31 Traditáque vobis terra in sortem & mon-
te Tzijonis,& patres vestri & vos iniquè fecistis,
ac non observastis vias quas præcepit vobis Al-
tissimus:
32 Qui cùm justus sit judex, abstulit vobis ad
tempus quod donaverat.
33 Et nunc vos hîc estis,& fratres vestri sunt
[5] ulterius quàm vos.
34 Si ergo imperantes sensibus vestris erudi-
veritis cor vestrum,vivi conservabimini, & post
mortem misericordiam consequemini.
35 Judicium enim post mortem adveniet,
quando iterum reviviscemus; atque tunc justo-
rum nomina apparebunt, & impiorum facta o-
stendentur.
36 Ad me verò nemo jam accedat,neque re-
quirat me in dies quadraginta.
37 Ita acceptis quinq; viris sicut mandaverat
mihi,profecti in campum mansimus illic.
38 Fuit autem postridie ut ecce vox me vo-
caret,dicens,Hezra aperi os tuum, & bibe quod
bibendum tibi dedero.
39 Me itaque aperiente os meum, ecce ca-
lix plenus porrigebatur mihi, plenus rei liquidæ
sicut aqua, sed colore igneo:
40 Quem accipiens bibi; quumque bibissem
ex eo,cor meum cruciabatur intellectu, & in pe-
ctore meo intumescebat sapientia,quam spiritus
meus voluit conservare memoriæ.
41 Quapropter ubi apertum fuit os meum,
non fuit clausum ampliùs;
42 Sed ut Altissimus dederat intellectum
quinque illis viris,scripserunt ea quæ dicebantur
excessu mentis,& quæ non intelligebant:
43 Ac nocte quidem sumebant cibum; ego
verò per diem loquebar, & per noctem non ta-
cebam.
44 Sic fuerunt scripti per quadraginta dies li-
bri [6] ducenti quatuor.
45 Fuit autem completis quadraginta die-
bus,
46 Ut loqueretur Altissimus dicens, Quæ
priora scripsisti propone palàm, ut legant digni
& indigni;
47 Posteriores verò septuaginta conserva, ut
tradas eos sapientibus e populo tuo:
48 In his enim est vena intellectus,& sapien-
tiæ fons,& scientiæ flumen. Atque ita feci.

CAPUT XV.

1 [1] Ecce eloquere in aures plebis meæ ser-
mones Prophetiæ quos immisero in os
tuum, ait Dominus,
2 Et fac ut inscribantur chartæ; nam fideles
& veri sunt.
3 Ne timeas a cogitationibus adversum te,
nec conturbent te incredula verba obloquen-
tium:
4 Quoniam omnis incredulus in sua incre-
dulitate morietur.
5 Ecce ego induco, ait Dominus, in orbem
terrarum mala,gladium,famem,mortemque, &
interitum.
6 Quia polluit vehementissimè omnem
terram iniquitas, & completæ sunt noxiæ illo-
rum.
7 Propterea sic ait Dominus,
8 Jam non silebo de impiis factis istorum
quæ

[2] Pentateuchũ quidem habemus, sed librum qui hæc doceat minimè. Hæc & sequentia multa non Propheta aut Sacerdos Dei, sed lymphatus enunciaturus est.

[3] Jam sequitur blasphema & contumeliosa in Dei Ecclesiam fabula; amissa esse omnia exempla Legis, hunc verò Moschem alterum eam restituisse quum 40. dierum spatio jejunaret: quasi verò neq; in tota deportata multitudine, neque in Jehudæa fuisset pius aut Propheta quisquam a quo unum Legis exemplum fuisset asservatum. Vide sententiam nostram suprà in 4. 23.

[4] sic lego ex V. 44. intelligit autem cortices ad scribendum pugillares, id est, pyctacia, unde vocem buxi in vulgatis libris corruptam reor.

[5] nempe trans montes Caspios & Imaum, si credere fas est: vide suprà 13.40.

[6] nempe 136. libri documentorum, quos ego quidem minimè desideraverim, & 70. libri mysteriorum, quibus fortè Elixir ostendebatur Chymisticis, & quintæ essentiæ pervestigandæ ac consequendę ratio, vers. 47. & 48.

[1] Videntur hæc duo capita ea summatim exponere quæ 136. libris continebantur: nam ut in versus distributa sunt proximè ad numerum eundem accedunt, maximè si quatuor versus primos qui ad rem illam propriè non pertinent exceperis.

quæ irreligiosè agunt, nec tolerabo in iis quæ iniquè exercent: ecce sanguis innoxius & justus inclamat me, & animæ justorum clamant indesinenter.

9 Planè summam vindictam de istis, ait Dominus, & recipiam omnem sanguinem innoxium ab istis ad me.

10 Ecce populus meus quasi grex ad occisionem ducitur: [2] jam non patiar illum habitare in terra Ægypti;

11 Sed educam eum manu forti & brachio excelso, & percutiens plaga sicut priùs corrumpam omnem terram ejus.

12 Lugebit Ægyptus cum fundamentis suis, verberata plaga & castigatione quas inducet ei Deus.

13 Lugebunt agricolæ arantes terram, quoniam deficient semina ipsorum ab uredine & grandine, & a sideratione terribili.

14 Væ huic seculo, & iis qui habitant in eo;

15 Quia appropinquavit gladius & contritio eorum: nam gens exsurget contra gentem ad prælium cum gladio in manibus suis.

16 Nec erit stabilitas inter se hominibus, nec curabunt alii invalescentes aliis Regem suum & Principes; sed vias rerum gerendarum statuent in potentia sua,

17 Adeò ut desiderans homo in civitate sua ire, non possit.

18 Nam propter superbiam eorum civitates turbabuntur, domus evertentur, homines metuent.

19 Non miserebitur homo proximi sui propter famem panis & tribulationem multam, delendo gladio domos eorum, & diripiendo facultates eorum.

20 Ecce ego convoco, inquit Deus, omnes Reges terræ ad reverendum me, qui sunt ab Occidente, ab Austro, ab Euro, & a Libano, ut convertentes se reddant quæ ademerunt illis:

21 Sicut faciunt adhuc electis meis, sic faciens reddā in sinum eorum, ait Dominus Jehova:

22 Non parcet dextera mea peccatoribus, nec cessabit gladius irruere in effundentes sanguinem innoxium super terram.

23 Exiens ignis ab ira ejus devorabit fundamenta terræ, & peccatores, ut stramē accensum.

24 Væ eis qui peccant & non observant mandata mea, ait Dominus:

25 Non parcam illis: discedite filii a potestate illorum, nolite contaminare sanctuarium meum:

26 Quoniam novit Dominus omneis qui delinquunt in ipsum, propterea tradidit illos Deus morti & occisioni, dicens,

27 Jam ecce venerunt super orbem terrarum mala, & manebitis in illis: non enim liberabit vos Deus propterea quòd peccastis in eum.

28 Ecce visio horribilis, cujus aspectus est ab Oriente.

29 Nam exibunt nationes [3] deserta colentium Arabum cum multis curribus; & sicut ventus, eorum numeri ferentur super terram, adeò ut etiam timeant trepidéntq; omnes qui de illis audient:

30 Carmanii quoque insanientes ira exibunt ut apri e sylva, & advenientes cum copiis magnis consistent in bello conjuncti illis, & vastabunt portionem terræ Assyriorum.

31 Posteà verò supervalescent incolæ deserti memores ortus sui, & conversi conspirabunt ad persequendum eos copiis magnis:

32 Ii autem turbati quiescent a copiis horum, & convertent se in fugam.

33 Tunc a regione Assyriorum subsessor veniens obsidebit eos & consumet unum ex eis, eritq; timor & tremor in exercitu eorum & contentio in Reges ipsorum.

34 [4] Ecce nubes ab Oriente & a Septemtrione ad Meridiem usque, quarum aspectus horret valde, plenus iræ procellarúmque:

35 Et collidentes inter se elident sidus amplum quod super terram est, sidus istorum; eritq; sanguis a gladio fusus ad ventrem usque,

36 Et fimus hominis usq; ad avertam cameli: eritq; timor & tremor multus super terram:

37 Et horrebunt qui iram illam viderint, & tremor occupabit illos.

38 Postmodùm enim movebuntur nimbi copiosi a meridie & Septemtrione, & pars alia ab Occidente,

39 Invalescéntq; insuper venti ab Oriente; & nubes quas suscitabit in ira Deus recludent eos, & sidus eorum perterrefaciens Orientis & Occidentis tractum violabitur:

40 Et exaltabuntur nubes magnæ validæque plenæ ira, & sidus earum, exterrituræ omnem terram & habitatores ejus, effusuræque in omnem locum altum & eminentem siderationem terribilem,

41 Ignem, & grandinem, & gladios volantes, & aquas multas adeò ut etiam impleantur omnes campi, omnésq; rivi plenissimè, ut aquis multis.

42 Et demolientur civitates, & muros, & montes, collésque, & ligna sylvarum, fœnúmque pratorum, & frumenta agrorum:

43 Et transibunt constanter Babylonem usque, ac eam exterent.

44 Convenient in eam, & circumsidentes eam effundent siderationem omnémq; iram super eam, & subeunte pulvere ac fumo in cælum usque omnes in circuitu lugebunt eam:

45 Qui verò sub ea manserint servient iis qui extriverint ipsam.

46 Tu autem Asia [5] concors in spem Babylonis, & gloria personæ ejus,

47 Væ tibi misera, propterea quòd imitata es eam, ornans filias tuas ad scortationem, ut placerent & gloriarentur de tuis amatoribus qui tecum semper cupidè scortati sunt.

48 Exosam imitata es in omnibus operibus ejus, & inventionibus ejus: propterea, inquit Deus,

49 Immittam tibi mala, viduitatem, paupertatem, famem, gladium, & pestem ad devastandum domos tuas violenta morte.

50 Gloria virtutis tuæ sicut flos siccabitur, quum exsurget ardor emissus super te,

51 Infirmaberis ut paupercula plagis affecta & castigata a mulieribus, ut non possint te ampliùs suscipere potentes amatores tui.

52 Numquid ego sic ductus zelotypia tecum agerem, inquit Dominus,

53 Nisi occidisses electos meos omni tempore, ad percutiendum extollens manus,

54 Et [6] dicens, in morte eorum quum inebriata esses, exorna speciem vultus tui?

55 Merces scortationis tuæ in sinu tuo est, propterea accipies retributionem.

56 Sicut facis electis meis, dicit Dominus, sic faciet tibi Deus & exponet te malo:

57 Et nati tui fame interibunt, & tu gladio cades, & civitates tuæ atterentur, & homines omnes tui in campo concident gladio:

2 his quàm bene cōveniat cum Jirmejæ 44. pius lector, obsecro, judicet.

3 Dracones interpres reddidit non intellecta Hebræa voce quæ habetur Jeschah. 13.21. sic vers. 31. Qui hæc volet interpretari, ad Characenos referat: verùm facessant somnia.

4 hæc de Cyro commodè possunt accipi.

5 nam Gygadibus Asiæ tum imperantibus fedus erat cum Babylonio, ut ostendimus Jirmejæ 50.

6 id est, tibi ipsi ex maleficio gratulans.

58 Et qui erunt in montibus, pereuntes fame manducabunt carnes suas, & sanguinem bibent ex fame panis & siti aquæ.

59 Infelix per maria ibis, & rursum accipies mala;

60 Nam transeuntes allident civitatis accisæ incolas, & exterentes aliquam portionem terræ tuæ partem gloriæ tuæ perdent, quum revertentur rursum ad Babylonem [7] eversam.

7 id est, quam dixi evertendam esse: nam alioqui priùs Asia fuit domita quàm obsideretur Babylon.

61 Destructáque illis eris pro stipula, & ipsi erunt tibi ignis:

62 Absument enim te & civitates tuas, terram tuam, & montes tuos, omnes sylvas tuas, fructiferásq; arbores comburent igne:

63 Filios tuos captivos ducent; & censum tuum habentes in prædam, perdent gloriam faciei tuæ.

CAPUT XVI.

1 [1] VÆ tibi Babylon, & Asia: væ tibi Ægypte & Syria.

1 Transitio ad alteram prophetiam, q.d. ut vę tibi, ô Babel & Asia, futurum est, sic etiam Aegypto & Syriæ.

2 Præcingite vos saccis & ciliciis, plangite filios vestros & dolete, quoniam appropinquavit contritio vestra.

3 Immisso vobis gladio, ecquis est qui avertat illum?

4 Immisso in vos igne, ecquis est qui exstinguat illum?

5 Immissis in vos malis, ecquis est qui repellat ea?

6 Numquid repulsurus esset aliquis leonem esurientem in sylva? aut mox exstincturus esset ignem in stipula quum cœpit ardere?

7 Numquid repulsurus esset aliquis sagittam immissam a forti sagittario?

8 Dominus Deus fortis immittit mala, ecquis est qui repellat ea?

9 Exit ignis ex ira ejus, ecquis est qui exstinguat eum?

10 Coruscat, ecquis non timebit? tonat, ecquis non pavebit?

11 Domino comminante ecquis non funditus conteratur a facie ipsius?

12 Terra tremit & fundamenta ejus, mare fluctuat e profundo, & fluctus ejus disturbantur ac pisces ejus a facie Domini, & a gloria virtutis ejus:

13 Quoniam fortis est dextera ejus quæ arcum tendit, sagittæ ejus acutæ quæ ab ipso mittuntur, non deficient quum cœperint mitti in fines terræ.

14 Ecce mittuntur mala, & non avertentur donec supervenerint terræ:

15 Ignis succenditur, & non exstinguetur, donec consumat fundamenta terræ:

16 Quemadmodum non redit sagitta missa a valente sagittario, sic non revertentur mala quæ missa fuerint in terram.

17 Væ mihi, væ mihi: quis me liberabit diebus illis?

18 Initium dolorum, & multi erunt gemitus; initium famis, & multi interitus; initium bellorum, & formidabunt potentissimi; initium malorum, & trepidabunt omnes in eis.

19 Quid faciam, quum evenerint mala ista?

20 Ecce fames, & plaga, tribulatióque & angustia, missa sunt flagella ad emendationem:

21 Sed his omnibus non revertentur ab iniquitatibus suis, sed erunt flagellorum semper immemores.

22 Ecce ut fuerit annonę vilitas in terra adeò ut sibi putent dispositam esse pacem, tunc pullulabunt mala super terram, gladius, fames, & magna confusio:

23 A fame enim plurimi interibunt habitatores terræ, & gladius perdet cæteros qui superfuerint a fame;

24 Et mortui sicut stercora projicientur, & non erit qui consoletur eos; nam derelinquetur terra deserta, & civitates ejus dejicientur.

25 Non derelinquetur qui colat terram, & qui seminet in ea;

26 Arbores dabunt fructus, sed quis demeteret illos?

27 Uva maturescet, sed quis calcaret illam? erit enim locis omnibus magna desolatio.

28 Cupiet enim homo videre hominem, & vel vocem ejus audire.

29 Nam reliqui fient e civitate deni, & bini ex agro, qui absconderint se in densis nemoribus & scissuris petrarum:

30 Quemadmodũ derelinquuntur in oliveto singulis arboribus ternæ aut quaternæ olivæ.

31 Aut sicut in vinea vindemiata reliqui fiunt racemi ab iis qui diligenter scrutantur vineam;

32 Sic reliqui fient diebus illis terni aut quaterni a perscrutantibus domos ipsorum gladio,

33 Et relinquetur terra deserta, & agri ejus veterascent, & viæ ejus omnésq; semitæ germinabunt spinas, eò quòd non transibunt homines per eam.

34 Lugebunt virgines non habentes sponsos, lugebunt mulieres non habentes viros, lugebunt filiæ earum non habentes adjumentum,

35 Sponsis earum bello consumtis, & viris earum attritis fame.

36 Audite verò ista, & cognoscite ista, ô servi Domini.

37 Ecce verbum Domini, excipite illud: ne diis credatis, in quos, dicit Dominus,

38 Ecce appropinquant mala, & nõ tardant.

39 Quemadmodum prægnans quũ paritura est a nono mense partum suum; appropinquante hora partus ejus, ante horas duas vel tres, dolores circumeunt uterum ejus, & prodituro infante ex utero non tardant punctum unum:

40 Sic non morabuntur mala proditura super terram; sed gemet seculum, & dolores comprehendent illud.

41 Audite verbum plebs mea: parate vos ad pugnam, & in malis sic estote ut advenæ terræ:

42 Qui vendit, quasi qui fugiat; & qui emit, quasi perditurus:

43 Qui mercatur, quasi non capturus fructum: qui ædificat, quasi non habitaturus:

44 Qui seminat, quasi non messurus: & qui vineam putat, quasi non vindemiaturus:

45 Qui nubunt, quasi non genituri liberos: & qui non nubunt, quasi vidui.

46 Propterea quòd qui laborant, laborant frustrà.

47 Fructus enim illorum metent alienigenæ, & substantiam illorum rapient, domos evertent, & liberos eorum captivos ducent; quia in captivitatem & famem gignunt natos suos.

48 Nam qui negotiantur ex rapina, quo magis exornant civitates & domos suas, possessionésq; & seipsos;

49 Eo magis persequar ipsos zelotypia pro peccatis ipsorum, ait Dominus.

50 [2] Quomodo invidet adulteræ mulier honesta & proba valde;

2 hunc locum sic legi ut reposuimus, omnino postulat comparatio.

51 Sic invidens justitia iniquitati quòd exornat

nat se accusabit eam in os, quum advenerit is
qui prohibet omne peccatum accurari super
terram.
52 Propterea nolite imitari illam, neque o-
pera illius:
53 Nam adhuc pusillum, & sublata iniquita-
te e terra justitia regnabit in vos.
54 Ne dicat peccator se non peccasse: quo-
niam carbones ignis accendet super caput suum
qui dicit, non peccavi coram Domino Deo &
gloria ipsius.
55 Ecce Dominus cognoscit omnia opera
hominum, & inventiones, cogitationésque, &
corda illorum.
56 Dixit enim, fiat terra, & facta est; fiat cæ-
lum, & factum est;
57 Et verbo illius stellæ constitutæ sunt, &
novit numerum stellarum;
58 Qui scrutatur abyssum quamque & the-
sauros illarum, qui mensus est mare & concepta-
culum ejus,
59 Qui conclusit mare inter aquas, & sus-
pendit terram super aquas verbo suo,
60 Qui extendit cælum ut cameram, super
aquas fundavit ipsum,
61 Qui fecit in deserto fontes aquarum, &
ad verticem montium lacus, emittens flumina
ab eminente petrâ ad irrigandum terram,
62 Qui finxit hominem, & posito corde ejus
in medio corporis indidit ei spiritum, vitam, &
intellectum;
63 Et Spiritus Dei omnipotentis qui fecit
omnia, & scrutatur omnia abscon sa in abditis
partibus terræ,
64 Hic novit inventionem vestram, & quæ
cogitatis in cordibus vestris, peccantes & volen-
tes occultare peccata vestra.
65 Et propterea quòd Dominus planè scru-
tatus est omnia opera vestra, ideò traducet vos
omneis;
66 Et vos confusi eritis quum procedent pec-
cata vestra coram hominibus, & ipsæ iniquitates
vestræ ut accusatores sistent se in die illo.
67 Quid facietis? aut quomodo abscondе-
tis peccata vestra coram Deo & Angelis ejus?
68 Ecce judex Deus, timete eum, desinite a
peccatis vestris, & jam obliviscimini in æternum
committere iniquitates vestras: & Deus educet
vos liberabítq; ab omni tribulatione.
69 Ecce enim incenditur ardor super vos,[3] ô
turbæ amplissimæ; & rapient quosdam ex vobis
quos cibent idolothytis,

[3] apostrophe ad populum Dei.

70 Et qui consenserint eis, erunt eis ludibrio,
& probro, ac conculcationi:
71 Erit autem singulis in locis & in vicinis
civitatibus insurrectio multa in timentes Do-
mini.
72 Erunt quasi insani, nemini parcentes, di-
ripiendo & devastando adhuc timentes Do-
mini:
73 Nam devastabunt & diripient facultates
eorum, & de domibus eorum ejicient eos.
74 Tunc probatio apparebit electorum meo-
rum, ut auri quod probatur igne.
75 Audite dilecti mei, inquit Dominus; ecce
adsunt dies tribulationis e quibus liberabo vos.
76 Ne timeatis, neque hæsitetis, quoniam
Deus dux vester est:
77 Quin potius servate mandata & præcep-
ta mea, ait Dominus Deus, ne gravia sint in vos
peccata vestra, néve supra vos se efferant iniqui-
tates vestræ.
78 Væ iis qui constringuntur peccatis suis, &
obteguntur suis iniquitatibus:
79 [4] Quemadmodum ager qui a sylvescenti-
bus vepribus occupatur, & cujus semita quâ trã-
sit homo spinis obtecta occluditur, is traditur
consumendus igni, *sic illi futuri sunt.*

[4] similis locus habetur 2. Schemuel. 23. 6. & 7. unde hic sumtus est.

ADJECTIONES AD LIBRUM ESTHERÆ.

CAPUT DECIMUM.

[1] hæ adjectiones omnes quã fabulosæ sint, & quam à sermone spiritus divini alienę, res ipsa loquitur. Nã quod in omnibus ferè apocryphis observandum est, facile fuit Satanæ, quum Ecclesia dissipata jaceret in captivitate, aut postliminio reversa gravissimis procellis quateretur, scripturam sanctam his nugis etiam hominũ minimè malorum opera infarcire. De his autem vide capite seq.

[1] 4 ET dixit Morde-
cai, à Deo facta
sunt ista:
5 Recordor e-
nim illius somnii,
quod videram de
rebus istis; nam
non præteriit ea-
rum quicquam.
6 Parvus fons,
qui fluvius effectus est exorta luce & sole, & a-
qua multa, hic inquam fluvius est Esther, quam
duxit rex & reginam fecit.
7 Duo verò dracones sumus ego & Haman:
8 Atque hæ gentes, quæ præterea convene-
rant ad perdendum nomen Jehudæorum:
9 Gens autem mea ipsa est Jisraël, quicum-
que inclamant Deum & servantur. nam servavit
Dominus populum suum, liberavítque nos Do-
minus ab omnibus malis istis, & præstitit Deus
signa, & prodigia hæc maxima, quæ non sunt
facta in gentibus.
10 Propterea effecit sortes duas, unam po-
pulo Dei; & alteram omnibus gentibus.
11 Venerúntque hæ duæ sortes in horam &
momentum & diem judicii coram Deo *consti-
tuti* apud omnes gentes,
12 Quum [2] recordatus est Deus populi sui,
asseruítq; justitiam hæreditatis suæ.
13 Quapropter agitabuntur ab his dies illi
mense Adare, die decimo quarto illius mensis,
cum cœtu & gaudio lætitiáque coram Deo per
generationem quamque in seculum apud popu-
lum illius.

[2] vide Gen. 8. 1.

CAPUT XI.

[1] Nempe Philadelpho, cui uxor fuit Cleopatra, quique inde ab anno tertio regni in statuenda bibliotheca amplissima operam consumsit, & septuaginta interpretes in exponendo vetere testamento occupavit, ut Josephus narrat Antiquit. Judaic. lib. 12.

[2] i. sortitionum, ut habetur interpretatio Esther. 3. 7.

1 ANno quarto [1] regnante Ptolemæo & Cleopatra attulit Dositheus qui se dicebat esse Sacerdotem & Levitam, & Ptolemæus filius ejus hanc epistolam [2] Purim, quam dicebant esse ipsam, & interpretatum Lysimachum *filium* Ptolemæi qui erat Jeruschalaimis.

2 Anno secundo regnante Artaxerxe Magno, primo die Nisanis, somnium vidit Mordecai filius Jairi, filii Schimhi, filii Kischi ex tribu Binjaminis, homo Jehudæus habitans in urbe Susis, vir magnus, qui erat administer in aula regis.

3 Erat autem ex captiva turba, quam captam Nebucadnetzar rex Babyloniæ Jeruschalaimis cum Jeconja Jehudææ rege deportaverat: atque hoc illius somnium.

4 Ecce enim vox tumultus, tonitrua, & terræmotus, ac perturbatio super terram, & ecce Dracones duo magni parati processerunt ambo ad concertandum, quorum fuit sonus maximus,

5 Adeò ut sono illorum compararentur omnes gentes ad prælium, ut oppugnarent justorum gentem.

6 Ecce itaque dies tenebrarum & caliginis, tribulatio & angustia, afflictio & conturbatio magna supervenit terræ:

7 Qua conturbatum est totũ genus justum, qui timentes sua ipsorum mala, comparaverunt se ad interitum.

8 Sed quum inclamavissent Deum, ad clamorem ipsorum factus est quasi ex parvo fonte fluvius magnus, aqua multa:

9 Et lux atque sol exortus est, humilésque exaltati sunt, & absumserunt gloriosos.

10 Posteà expergefactus Mordecai qui viderat somnium hoc, & quid Deus consilii cœpisset facere, retinuit somnium hoc in animo suo, & omni ratione voluit cognoscere illud [3] ad noctem usque illam.

[3] cujus habetur mentio Esther. 6. 1.

CAPUT XII.

[1] De quibus Esther. 2. 21.

1 QUiescens autem Mordecai in vestibulo cum [1] Bigrane & Teresho duobus eunuchis regis, custodibus vestibuli,

2 Audiit illorum cogitationes; & studia eorum perscrutatus cognovit eos se comparare, ut manus injicerent in Artaxerxem regem; & indicavit regi [a] consilia eorum.

[a] *Græc. de eis.*

3 Quamobrem exquirente rege duos eunuchos suos, confessi illi fuerunt strangulati.

4 Et scripsit rex negotia hæc in commentario: & Mordecai conscripsit de iisdem rebus.

5 Deinde [2] præcepit rex Mordecaium ministrare in aula, éique dedit donaria hujus rei causa.

6 Haman verò filius Hammedatæ Agagęus quum gloriosus esset apud regem, quærebat malefacere Mordecaio, & populo ejus propter duos illos eunuchos regis. [3] Epistolæ autem illius exemplum est hujusmodi.

[2] hæc repugnant historiæ authenticæ Esther. 6. 3.

[3] quam flagitante & extorquente Hamane rex Artaxerxes scripserat, de qua Esther. 3. 12. & sequentib.

CAPUT XIII.

1 REx magnus Artaxerxes magistratibus & toparchis subditis provinciarum centum viginti septem ab India, Æthiopiam usque hæc scribit.

2 Multis imperans gentibus, & universum orbem terrarum obtinens, volui non fiducia hujus potestatis elatus, sed æquius semper & cum lenitate agens subditos expertes fluctuum in vita omnino efficere, & regnum tranquillum perviúmq; ad terminos usque exhibens etiam renovare pacem omnibus hominibus exoptatam.

3 Me autem consulente consiliarios quomodo istud ad finem perduci posset, Haman vir prudentia apud nos excellens, & benevolentia immutabili ac firma fide [a] spectatus, qui secundum regni honorem reportavit, [a] *Græc. demonstratus.*

4 Indicavit nobis singulis tribubus per orbem terrarum permixtum esse exosum populum quemdam, adversantem legibus quæ sunt apud omnes gentes, & continenter regum instituta omittentem, ut non procedat principatus ille qui a nobis inculpatè dirigitur.

5 Quum itaque percepissemus gentem istam unicam ex adverso semper cuivis homini objectam per adjectionem legum extraneam mutare & dissentire a rebus nostris, ac mala pessima consummare, idque ut regnum hoc convenientem statum minimè assequatur:

6 Mandavimus itaque ut quicumque significantur vobis literis scriptis ab Hamane præfecto negotiis & secundo a nobis, cum uxoribus & liberis pereant radicitus inimicorum gladiis, sine ulla misericordia & [b] clementia, decimo quarto die Adaris mensis duodecimi, præsentis anni: [b] *Græc. parcimon.*

7 Ut isti olim & nunc exosi die uno violenter in sepulcrum descendentes, in posterum tempus sinant negotia nostra bene constituta & perturbationibus vacua continenter procedere.

8 Ille autem oravit dominum, recordatus omnium operum domini, & dixit, domine domine, rex omnipotens, quia omnia sunt in potestate tua,

9 Et non est qui obsistere possit tibi volenti servare Jisraëlem,

10 (Quia tu fecisti cælum & terram, & quicquid mirabile est in regione, subjecta cælo;

11 Et dominus es omnium, ac non est qui tibi Domino possit resistere)

12 Tu omnia nosti, tu scis, domine, me non contumelia, neque superbia, neque cupiditate gloriæ fecisse istud, quòd non incurvaverim me isti superbo Hamani *honorem habiturus:*

13 Nam grato animo vellem osculari vestigia pedum ejus ad salutem Jisraëlis;

14 Sed me fecisse illud, ne gloriam hominis supra gloriam Dei statuerem;

15 Non enim adoraturus sum quemquam præter te, domine, neque tamen superbiæ causa facio istud.

16 Nunc verò, domine Deus rex, parce populo tuo, quandoquidem intuentur nos ad perditionem *afferendam*, & cupiunt perdere hæreditatem, quæ tua est inde a principio:

17 Ne despicias partem tuam, quam tibi ipsi redemisti e terra Ægypti.

18 Exaudi orationem meam, estóq; propitius sorti tuæ, & converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine; neque deleto os laudantium te, Domine.

19 Omnes quoque Jisraëlitæ clamaverunt [c] quàm maximè potuerunt, quia mors ipsorum *obversabatur* oculis ipsorum. [c] *Græc. ex robore ipsorum.*

CAPUT XIIII.

1 ESther regina similiter confugit ad Dominum, quum in agone mortis se deprehensam esse conspiceret:

2 Nam

2 Nam positis vestimentis gloriæ suæ induit vestimenta angustię & luctus, & pro superbis deliciis cinere sordibúsq; perfudit caput suum, corpus suum abjiciens valdè, omnémq; locum exaltationis suæ replevit [1] contortis crinibus suis:

[1] Torquendo laceratis.

3 Et orans dominum Deum Jisraëlis dixit:

4 Domine mi, tu rex noster unus es, adjuva me solitariam, & quæ adjutorem non habeo nisi te, quia periculum meum adest manui meæ.

5 Ego audivi a nativitate mea in tribu familiari mea te, Domine, [2] recipientem Jisraëlem ex omnibus gentibus, & patres nostros ex omnibus majoribus ipsorum, ad hæreditatem æternam adoptasse, ac fecisse eis quæcumque dixeras.

[2] *Græc. recepisse.*

6 Nunc autem peccavimus coram te; ideò tradidisti nos in manus inimicis nostris, eò quòd gloriam tribuimus diis istorum: justus es domine.

7 Nunc verò non satis habent acerbitate servitutis nostræ:

8 Sed [2] datis manibus suis in manus idolorum suorum spoponderunt,

[2] synecdoche elegantissima fedus & consociationem significans, a signo, ut Jirmejæ 50.15.

9 Se sublaturos decretum oris tui, & deleturos hæreditatem tuam, & obstructuros ora laudantium te, exstincturósq; gloriam domus tuæ, & altaris tui:

10 Ora verò gentium aperturos ad virtutes vanorum *prædicandas*, & mirabilem efficiendum regem carnalem in seculum.

11 Ne tradas, domine, sceptrum tuum iis qui nihil sunt, neque rideant de casu nostro: sed converte consilium istorum in ipsos, & eum qui princeps hu us consilii est contra nos initi, in exemplum statue.

12 Memento, domine, innotescito tempore afflictionis nostræ, & mihi audaciam adde, ô rex gentium, & omnem dominatum obtinens.

13 Inde sermonem compositum ori meo coram [3] leone ipso, & traduc animum illius in odium ejus qui oppugnat nos, ad interitum ipsius, & eorum qui consentiunt ipsi.

[3] i. principe, metaphoricè. Nam rex inter homines principatum obtinet, ut leo inter belluas. Sic 1.Chron. 11.12. Etsi hic auctor humanum regem videtur potiùs crudelitatis arguere, ut ostēdit vers. 7. capitis proximè sequentis.

14 Nos autem libera manu tua, & adjuva me solitariam; ac non habentem alterum adjutorem nisi te. Domine, omnium cognitionem habes,

15 Et scis me odisse gloriam iniquorum, & abominari cubile incircumcisorum, & omnis extranei.

16 Tu scis necessitatem [b] mihi impositam, me detestari signum istud meum superbiæ, quod in capite meo gero: [c] quibus diebus me spectandam præbeo, me detestari istud ut pannunculum [d] ex mensibus, neque gestare istud [e] quibus diebus conquiesco:

[b] *Græc. meam.*
[c] *Græc. diebus spectationis meæ.*
[d] *Græc. menstruatorum.*
[e] *Græc. diebus quietis meæ.*

17 Neque comedisse ancillam tuam [f] è mensa Hamanis, neque gloriam tribuisse convivio regis, neque bibisse vinum libaminum,

[f] *Græc. mensam, metonymicè.*

18 Neque lætatam esse ancillam tuam ex [g] quo die huc translata sum usque adhuc, nisi in te, domine Deus Abrahami.

[g] *Græc. die translationis meæ.*

19 O Deus, qui robore supra omnes vales, exaudi vocem desperatorum, & libera nos è manu hominum consilia improba ineuntium: me denique libera a timore meo.

CAPUT XV.

1 Fuit autem tertio die, quum desiisset orare, ut exuens vestimenta illa luctus amiciret se [a] glorioso ornatu suo:

2 Ita quum esset [b] insigniter ornata, invocans omnium spectatorem & servatorem, assumsit duas ancillas honorarias suas;

[a] *Græc. gloriæ.*
[b] *Græc. insignis.*

3 Quarum uni quidem innitebatur quasi delicatam ageret;

4 Altera verò ponè sequebatur allevans indumentum ejus.

5 Illa autem rubore perfusa cum [c] elegantia pulcritudinis suæ, & vultu suo hilari, velut amabili, animo verò angustato a metu.

[c] *Græc. vigore.*

6 Ingressa omnes januas constitit coram rege, qui insidebat throno regni sui, induerátque omnes vestes insignes suas, totus ornatus auro & lapidibus pretiosis, erátq; valdè formidabilis.

7 [1] Tollens enim vultum suum [d] coruscantem gloria, [e] vehemente ira intuitus est; quamobrem procidens regina mutavit colorem suum defectione, & reclinavit in caput ancillæ honorariæ suæ, quæ antegrediebatur.

[1] Quisquis hæc scripserit, putavit se honorem maximum accessione hac scriptis authenticis facturum esse: sed tamen ex eorum comparatione non dubito quin hæc sint a veritate aliena.
[d] *Græc. ignitum.*
[e] *Græc. vigore iræ.*

8 Sed mutavit Deus spiritum regis in mansuetudinem, qui celeriter contendens exsiliit è throno suo, & recepit eam in ulnas suas, donec restituta esset, consolans eam verbis pacificis, & dicens ei, quid est Esther? Ego sum frater tuus; bono animo esto, nequaquam morieris? nam [2] commune præceptum nostrum est,

[2] hoc est, non spectat, neque attingit te, quod in gentem Judæorum a nobis fuit imperatum. Nam æquè lex tua est ac mea: quâobrem æquè tu atque ego legis illius acerbitate soluta es.

9 Accede; & sublatam auream virgam suam imposuit collo illius.

10 Amplexatúsq; eam dixit, alloquere me.

11 Quæ dixit ei, [3] vidi te, domine, tamquam angelum Dei, & conturbatus est animus meus metu gloriæ tuæ:

[3] vide ut mentiatur Esther, si huic auctori credimus; aut verò mentiatur auctor suprà v. 7.

12 Quia mirabilis es, domine, & vultus tuus [f] omni gratia plenus.

[f] *Græc. gratiis.*

13 Ea autem loquens recidit ex defectione sua.

14 Rex verò turbatus cum toto servitio suo consolabatur eam.

CAPUT XVI.

1 [1] Rex magnus Artaxerxes satrapis & principibus centum viginti septem regionum ab India Æthiopiam usque, & [a] nostris procuratoribus salutem.

[1] Hæ literæ sunt quidem elegantes verbis, & industria aliqua exaratæ; sed argumento plurimùm discedunt ab eo quod scriptum est Esther. 8.13. quia (ut credibile est) volebat auctor locupletare historiam, sed fidē suam eadem opera minuere.
[a] *Græc. iis qui res nostras cogitant.*

2 Multi plurima eorum a quibus beneficia acceperunt bonitate frequentiùs honorati, plus æquo sapiunt;

3 Ac non solùm subditis nostris quærunt malefacere, sed quia [2] satietatem non possunt ferre, etiam in eos qui ipsis benefecerint aggrediuntur machinationes:

[2] i. ut ipsi amplius expleantur bonis per eos qui student ipsis benefacere. Videtur quisquis auctor fuerit hunc locū sumsisse ex Pindaro Olymp. α. ubi de Tantalo agens his verbis utitur elegantissimè, ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη, κόρῳ δ' ἕλεν ἄταν ὑπέροπλον, &c.

4 Et non tantùm gratiarum actionem ex hominibus contrà quàm debuerant tollentes, verùm etiam elati ventosis illis cogitationibus hominum virtutis expertium statuunt, se judicium effugituros Dei omnia spectantis semper, quod improbis invisum est:

5 Sæpè etiam multos eorum qui in potestatibus constituti sunt, quibus commissa sunt tractanda amicorum negotia, hortatio ista efficiens participes cædis innocentum, circumdedit calamitatibus immedicabilibus.

6 Quando mendace improborum morum circumventione abducunt a ratione simplicem eorum qui ampliùs possunt benevolentiam.

7 Hoc autem considerare licet tum ex antiquioribus (ut [3] traditæ sunt nobis) historiis, tum ex iis quæ si exquiramus, antè pedes sunt iniquè consummata, eorum qui indignè dominatum obtinent pestilentia.

[3] vocem passivam pro activa legimus, sive placuerit insolenter verbum activum significatione passiva reddere; sive ex activo παρεδώκαμεν passivum facere παραδοθῆναι.

8 Proinde attendere ad ea quæ deinceps futura sunt, ut regnum turbis vacuum omnibus hominibus exhibeamus cum pace,

9 Utentes mutationibus, & quæ in conspectum

tum venient semper discernentes, [b] obviā eundo æquissimè.

10 Ut enim Hamā Hammedathæ filius, [4] Macedo, revera alienus a Persarum sanguine, multúmque distans à bonitate nostra, & hospitio acceptus a nobis, humanitatem [c] qua sumus in omnes gentes consequutus est eo usque, ut diceretur pater noster,

11 Et adorari ab omnibus pergeret, velut secundus a regali throno:

12 Non ferens ille tantam præstantiam, instituit dominatu privare nos, ipsóq; spiritu;

13 Et servatorem nostrum modísq; omnibus benefactorem Mordecaium, & inculpatam regni consortem Estheram cum tota illorum gente multiplicibus & [d] artificiosis circumventionibus expetens ad interitum.

14 (His enim modis putabat se postquam nos solitarios deprehendisset, Persarum dominationem ad Macedonas translaturum)

15 Nos verò Jehudæos ab isto [e] consceleratissimo homine traditos ad deletionem, deprehendimus non esse maleficos, sed justissimis administrari legibus;

16 Et filios esse altissimi maximi Dei viventis, qui erexit & nobis & majoribus nostris regnum in hac dispositione elegantissima.

17 Rectè igitur feceritis, si non utamini amplius literis ab Hamane missis filio Hammedathæ,

18 Quum iste qui confecerat hæc ad Susarum portas cum familia tota crucifixus fuerit, condignum illi judicium rependente Deo celeriter, qui omnia obtinet.

19 Exemplum verò hujus epistolæ proponentes in omni loco, liberè sinatis Jehudæos uti suis ipsorum legibus;

20 Et conjunctis viribus adjuveris eos; ut si qui tempore angustiæ invadant eos, ulciscantur die decimo tertio mensis Adaris duodecimi, eo ipso die.

21 Hunc enim Deus qui omnia potenter administrat, [f] lætum confecit ipsis loco excidii electo generi comparati.

22 Quamobrem vos quoque in celebribus vestris feriis, insignem illum diem cum omni lætitia ducite:

23 Ut & nunc & deinceps salutis nobis & benevolentibus Persis, iis verò qui insidiantur nobis perditionis monumentum *exstet*.

24 Omnis autem civitas, aut in universum regio, quæ secundùm ista minimè fecerit, ferro & igne cum indignatione consumetur; & non solùm invia hominibus, verùm etiam bestiis & volucribus in omne tempus constituetur, ut inimicissima.

[b] *Græc. cum æquiore occursu.*
[4] hoc apertū est audaciæ argumentum, quum Agagęus Hamalekitam sonet, non autem Macedonem. Nam Macedones cōmuni Græcorum appellatione apud Hebræos nomen a Javane habent permultis locis apud Danijelem; in libris autem Apocryphis ex communi errore, qui jam tam invaluerat, appellantur Citthim: ut in primum Mac. ostendemus. Atq; hæc una ratio satis futura est ex omnium historiarum testimonio sumta, quòd hujus regis tempore, ac vix post annos centū fuit aliqua vel mediocris inter Græcos mentio Macedonum cum Persis congredientium.
[c] *Græc. quam habemus.*
[d] *Gr methodoriū.*
[e] *Gr. ter exitiali.*
[f] *Græc. lætitiam.*

SCHIMHONIS SACERDOTIS SUMMI LIBER UNUS, QUI VULGO liber Machæorum tertius appellatur.

Hic liber, qui Schimhonis Sacerdotis summi inscriptus est, insignem historiam exponit de gravissimis calamitatibus quas Ecclesia Jehudæorum a Ptolemæo Philopatore Ægypti rege perpessa est, & mirificentissima liberatione a Deo præstita. Historia est pauci temporis, gesta sub annum quartum Antiochi magni Regis.

CAPUT PRIMUM.

1 Ut autem [1] Philopator didicit ab iis qui reversi erant [a] ea loca quæ obtinuerat, ab [2] Antiocho sibi ademta esse, denunciavit omnibus suis pedestribus & equestribus copiis;

2 Et assumta secum sorore Arsinoë contendit ad loca usque Raphiam adjacentia, ubi castra fecerant milites Antiochi.

3 Theodotus verò quidam se [b] perfecturum insidiis cogitans, optima cepit ex armis Ptolemæi quæ antè sibi fuerant commissa; & intulit se noctu in tentorium Ptolemæi, ut solus eum occideret atque hoc *pacto* bellum dissolveret.

4 Sed abducto eo Dositheus *filius* Drimyli dictus (qui genere quidem erat Jehudęus, posteà verò mutaverat [c] cultum legitimum, & se a majorum placitis alienaverat) fecit ut ignobilis quidam recumberet in tentorio ejus, quem reportare contigit supplicium ejus.

5 Deinde verò quum pręliū vehemens committeretur, & res valentiores essent ab Antiocho admodum, obambulans Arsinoë hortata est copias cum miseranda specie & lacrymis, [d] capillis passis, ut & seipsos & liberos suos uxorésque audacter adjuvarent, promittens se victoribus daturam cuique duas auri minas:

6 Itaque evenit ut adversarii [e] cominus pugnando perderentur, & multi quoque captivi comprehenderentur.

7 Quum autem [3] insidias illas superasset, judicavit sibi in propinquas civitates eundum esse ut adhortaretur eas: quod postquàm fecisset, donariáq; delubris distribuisset, [f] effecit ut subditi sui bono essent animo.

8 Jehudæis verò mittentibus ad ipsum ex Senatu & Senioribus qui salutarent ipsum, & munera apportantes de iis quæ evenerant gratularentur ipsi, accidit ut eo esset paratiore animo ad eos quàm citissimè adeundos.

9 Sed ubi perlatus Jeruschalaima sacrificavit Deo maximo, & gratias egit, & aliquid eorum quæ ex ordine *fieri solenus* in loco fecit;

10 Quum jam venisset ad locum ipsum, accuratione & decore obstupefactus, optimúmq; miratus ordinem loci sancti, in animum induxit consilium ingrediendi templum.

11 Illis autē dicentibus non convenire ut fiat istud

[1] Ptolemæi Evergetæ filius, quem occiso parente dictum fuisse Philopatora per antiphrasin falsò tradiderunt multi: vide in Danijelem 11.11.
[a] *Græc. factam locorum qui a se obtinebantur ablationem.*
[2] magno, qui Seleuco Ceranno successerat in Seleucidarum regno.
[b] *Græc expleturum insidias.*
[c] *Græc. legitima.*
[d] *Græc. capillis soluta.*
[e] *Græc. in manuum pugnâ.*
[3] i. prælium illud quod sublato ex insidiis Philopatore, putabat Antiochus non posse a se non feliciter committi, ut in exemplo Judithæ legimus evenisse.
[f] *Græc. bene audentes subditos constituit.*

istud, quia ne illis quidem qui ex gente sunt liceat ingredi, neq; omnibus Sacerdotibus; sed soli Sacerdoti summo qui anteit omnes, idque per annum semel; hic nequaquam fuit persuasus:

12 Sed quamvis lex apud ipsum legeretur, non destitit seipsum inferre, dicens oportere ut ingrederetur: quod si illi (*inquit*) honore isto privati sunt, me non oportet; rogavitque quam ob causam ingredientem se in totum fanum nemo ex præsentibus prohibuerit:

13 Et dicente quodam, [4] imprudenter *factum*, hoc ipsi malè portendere; si hoc, inquit, factum est, quam ob causam non essem omnino, velint nolint, ingressurus?

[4] sic distinguenda esse verba & accipiendum locum res ipsa arguit: statuit enim Ptolemæus sibi tam licere in penetrale ingredi quam in atrium sanctum; hoc autē quum illi non prohibuerint (quod ex lege debuerant) non posse illud prohiberi. Hic verò respondetur neque fuisse hoc ferendum, (per imprudentiam enim Sacerdotes lapsos esse) neque illud concedendum esse.

14 Sacerdotibus itaque cum toto vestitu procidentibus, orantibúsq; Deum maximum ut instanti necessitati succurreret, & impetum illius nefariè invadentis averteret, & clamore cum lacrymis complentibus templum; qui in civitate relicti erant, exsiliverunt perturbati, aliquid incerti statuentes fuisse factum:

15 Et inclusę in thalamis virgines cum genetricibus eruperunt, imponentésq; pulverem crinibus passis, gemitu lamentísque plateas impleverunt.

16 Et aliæ quoq; [5] recens emissæ, cùm eos qui ad [g] eundum obviam fuerant dispositi, tum convenientem *sibi* pudorem relinquentes, cursum confusum in civitate faciebant,

[5] i. quæ ornatæ & comtæ elegantissimè ordine processerant cum virorum ordinibus ad excipiendum Philopatora.

[g] *Græc. obviam itionem.*

17 Prætereáq; recens genitos liberos tū matres, tum nutrices [h] hîc illic relinquētes aliæ per domos, aliæ per plateas [i] irrevocabili concursatione in templum supremum congregabantur.

[h] *Græc. alibi & alibi, vel aliter aliterque.*

[i] *Græc. irrevocabiliter.*

18 Itaque varia erat hominum qui [k] in unum collecti erant oratio de iis quæ illegitimè ab illo tentabantur.

[k] *Græc. in idem, ut vers. 21.*

19 His *aderant* quoq; e civibus qui audaciam adhibentes non ferebant illum planè insistentē, & suum illud consilium explere cogitantem; sed exclamantes impetu capienda arma, & audacter pro lege patria moriendum, magnam eo in loco exasperationem [l] concitabant:

[l] *Græc. faciebant.*

20 Qui ægrè a [m] Senatoribus Senioribusque aversi, ad [n] idem orationis officium accesserunt.

[m] *Græc. senibus, ex more Laconū: sic accipio ex* ỽ. 8.

[n] *Græc. eumdem orandi statum.*

21 Itaq; populares quidem, ut antè, simul orantes conversabantur; Seniores verò, qui circumstabant Regem, multifariam tentabant superbam ejus mentem a concepto apud se consilio dimovere.

22 At ille audaciam assumens, omnibus omissis, jámque aditum comparabat, [o] se illud ad finem perducturum censens quod ante dixerat:

[o] *Græc. finem impositurum ei censens quod.*

23 Quamobrem illi etiam qui circumstabant Regem videntes ista, se ad invocandū cum nostris eum qui omnem potentiam habet contulerunt, ut res præsentes defenderet, neque dissimularet illegitimum istud superbúmq; factum.

24 Ex concurrente autem densissima & laboriosa turbarum exclamatione incomparabilis quidam [p] assurgebat clamor:

[p] *Græc. erat.*

25 Videbantur enim non homines solùm, sed parietes quoque ipsi & solum totum personare, tamquam si jam tum mortem *& ruinam* subiissent pro contaminatione loci.

CAPUT II.

1 [1] ITaque [2] Schimhon Sacerdos summus genibus contra sanctuarium flexis, & convenienter protentis manibus in cælum orationem hanc habuit, & uno animo dixerunt omnes;

[1] Hic versus quibusdam in libris integer est, in plerisq; mutilus. Sed utrumq; membrū optimè cōvenit inā & sacerdos summus omisso Rege sup. 1. 23. ad orationē cōversus prçivit verba Ecclesię, & Ecclesia cōspirātib. animis verba illius sequuta est. [2] non ille Justus, de quo Ecclesf. 50. sed filius Oniæ illius cujus habetur hist. apud Josephū Antiquit. lib. 12. c. 4. & pater alterius Oniæ qui fœdus cum Romanis & Spartanis fecit, 1. Mac. 12. 20.

2 Domine Jehova rex cælorum, & dominator omnis creaturæ, inter sanctos sanctissime, monarche omnipotens, attende ad nos, qui ab impio ac prophano homine, ex audacia viribusque fremebundo opprimimur.

3 Tu enim qui creasti omnia & qui ea universa obtines dynasta justus es, ac propterea qui ex contumelia superbiáque aliquid faciunt tu eos judicas:

4 Tu eós qui antehac injustitiam [a] exercuerant, inter quos etiam gigantes erant robori & audaciæ confidentes, [‖] perdidisti, inducta super eos aqua immensa:

[a] *Græc. fecerant.*

[‖] *Gen. 7.*

5 Tu occupatos in operibus superbiæ [‖] Sedomitas [b] quum manifestò infinitæ malitiæ tenerentur concremasti, exemplum præbens pòst venturis *ætatibus*:

[‖] *Genes. 19.*

[b] *Græc. manifestos malitiis factos.*

6 [‖] Tu audacem illum Parhonem, qui sanctum populum tuum Jisraëlem servituti mancipaverat, variis ac multis suppliciis probans, notam fecisti majestatem tuam;

[‖] *Exod. 7. & seq.*

7 Post quæ *supplicia* notam fecisti magnā potentiam tuam; [‖] quum *regem* quidē qui persequebatur eum cū curribus & [c] turbis multis inundasti profundo mari, eos verò qui tibi omnis creaturæ imperiū obtinenti incumbebant fide salvos transvexisti, qui etiam agnoscentes apud se opera manus tuæ, te omnipotentem laudaverunt:

[‖] *Exod. 14.*

[c] *Græc. turbarum multitudine inundasti profunditate maris.*

8 Tu, ô Rex, qui creaveras [3] infinitam illam & immensam terrā, elegisti civitatē hanc, & sanctificasti locum hunc pro nomine [d] tuo, qui tamen nullius rei omnino indiges; & apparitione glorificavisti magnifica, faciens cōmendationem illius ad gloriam magni & honorandi nominis tui:

[3] dictum κατὰ τι, nempe si cum Jehudæa comparabitur, & hyperbolicè.

[d] *Græc. tibi.*

9 Et diligens domum Jisraëlis promisisti, si quando [e] nos aversos a te occuparet angustia & venientes in hunc locum oraremus, te exauditurum orationem nostram.

[e] *Græc. fieret aversio nostri & nos comprehenderet angu.*

10 Jam verò [4] fidelis es & verax, quandoquidem sæpe dum affligerentur majores nostri succurristi ipsis in abjectione sua, & liberasti ipsos e malis maximis:

[4] i. constans factis, & verax promissionibus.

11 Ecce autem nunc, ô Rex sancte, propter multa & magna peccata nostra opprimimur subjecti inimicis nostris, & dimittimur in [f] imbecilitate summa.

[f] *Græc. imbecilitatibus.*

12 Atq; in hoc casu nostro audax & prophanus iste studet injuria afficere locū sanctū quem in terra hac designasti nomini glorioso tuo:

13 Nam habitatio quidem tua, cælum [g] summum, inaccessa est hominibus: sed quandoquidē placuit tibi gloriam tuam in populo tuo Jisraële *statuere, &* locum hunc sanctificavisti,

[g] *Græc. cæli.*

14 Ne ulciscaris de nobis [h] per immundos istos, neque per prophanos punias nos, ut non glorientur iniqui cum animo suo, neque exsultent [i] superba lingua sua dicentes, nos proculcavimus domum illam sanctificationis [5] sicut proculcantur domus abominationum.

[h] *Græc. immunditia istorum, neque punias nos prophanatione: hypallage.*

[i] *Græc. superbia lingua.*

[5] i. sicut Judæi isti templa Deorum nostrorum, quæ abominationes vocant, sunt soliti proculcare.

15 Dele peccata nostra, & dissipa errores nostros; & misericordiam tuam ostende hoc tempore: citò præoccupent miserationes tuæ, & inde laudes in os eorum qui prociderunt contriti animis, confecta nobis pace.

16 Hîc ille inspector omniū & sanctus supra omnia Deus, in sancto loco legitimam hanc orationem exaudiens, illum contumelia audaciāque elatum maximè [6] flagellavit hinc & inde, percellens eum ut arundinem *agitatam* a vento; adeò ut prostratus humi, non valens ampliùs

[6] sic 2. Mac. 3. 26.

agere

agere quicquam, sed solutus membris, ne vocē
quidem posset edere justo judicio implicatus.
17 Quamobrē cùm amici tum custodes ejus
[k] acrè videntes castigationem quæ [l] invaserat,
ipsum, metuentésq; ne vita etiā ipsum deficeret,
citò extraxerūt ipsum, perculsi metu [m] maximo.
18 [n] Posteà verò quum seipsum recollegis-
set, minimè ad resipiscentiam venit correptus;
sed amarulentis interminationibus usus abiit.
19 Quum autem delatus in Ægyptum auge-
sceret malitiā, *ope* adjutorum atq; sociorum ab
omni justo [o] abhorrentium quos antè indicavi-
mus, non solùm innumeris se libidinibus exple-
vit; sed etiam eò processit audaciæ, ut maledicta
singulis locis *in populum* conferret; & multi ami-
corum ad propositum Regis attendentes ii quo-
que sequerentur voluntatem ejus.
20 Proposuerat enim *sibi* ut [p] gentem hanc
publicè vituperio exponeret, erectáque ad [7] tur-
rim aulæ junctam columna scripturam insculp-
serat, ne quis eorum qui non sacrificant veniret
in templa ipsorum; sed [8] ut omnes Jehudæi in
populi censum aut servilē statū cogerentur; qui
verò cōtradicerent, vi abrepti privarentur vita;
21 Eos autem qui in censum referrentur, ad-
hibito etiam igne obsignari insigni Bacchi folio
hederæ in corpus impresso, ac deinde separari
ad utendā quæ priùs [9] cōtracta fuerit libertatē.
22 Ut autem non videretur omnibus inimi-
cari, subjecit scripturæ; Quòd si qui ex illis volu-
erint certo consilio inter illos versari qui sacris
sunt initiati; eos æquo jure cives [10] cum Alexan-
drinis fore.
23 Quidam igitur in civitate habentes odio
istos [q] gradus pietati [11] civitatis hujus impera-
tos, facilè seipsos dediderunt, velut cum magna
aliqua communicaturi gloria ex conversatione
futura cum Rege:
24 Verumtamen plurimi in generoso animo
confirmati non destiterunt a pietate; sed pecu-
nias pro vita commutantes intrepidè, conaban-
tur seipsos a recensionibus liberare, quippe freti
bona spe se defensionem consequuturos esse:
25 Prætereà qui discedebant a se eos abomi-
nabantur, & tamquam hostes gentis suæ judica-
bant, privabántque communi conversatione &
commodo.

k *Græc. acutam.*
l *Græc. comprehenderat.*
m *Græc. excedente.*
n *Græc. tempore verò post.*
o *Gr. separatoriū.*
p *Græc. contra gentem hanc vituperium diceret.*
7 Alexandriæ in palatio Regis.
8 i. ut quicumq; Jehudæi in civitate erant, aut probata religione & impresso in cutem signo libertati assererentur, aut in servitutem traherentur.
9 sive comparata, per veri Dei abnegationem & superstitionū Aegyptiarum comprobationem: etsi non pro civibus Alexandrinis, sed pro accensis habebantur.
10 qui & immunes erant, & cōmunibus cum Rege sacris utebantur, V. seq.
q *Gr. gradus pietatis civitatis hujus.*
11 puta Jeruschalaimorū, id est, quum animadverterent prout germanis Jehudæis inerant pietatis gradus, ita gradus ad illam obruendam & labefactandam fuisse a Rege constitutos, a quibus gradibus infirma ipsorum caro metuebat; ad impios vitæ, libertatis, honorúmque gradus sese cōtulerunt.

CAPUT III.

1 HÆc autem impius ille percipiens adeò
iratus est, ut non solùm Alexandriæ *ma-
nentibus* irasceretur, sed etiam iis qui in regione
erant adversaretur graviùs, mandarétque festi-
nanter omneis congregari [a] unà, & pessima nece
e vita tolli.
2 Quæ dum administrabantur, evulgatus
est dirus contra gentem sermo cōspirantibus ad
maleficium hominibus; quibus dabatur ad [b] in-
stitutum istud occasio, tamquam si *Jehudæi* ip-
sos a suis legibus prohibituri essent.
3 Ac Jehudæi quidem benevolentiam fi-
démq; [c] constantem in reges observabant; sed
quia colebāt Deum & lege ejus regebantur, [1] se-
parationem instituebant in quosdam & conver-
siones (quam ob causam quibusdam esse inimici
videbantur) & bonis rerum justarum factis or-
nantes conversationem suam, omnibus homi-
nibus [d] erant probatissimi.

a *Græc. in idem.*
b *Græc. dispositionem istam.*
c *Græc. indivertibilem, ut ita loquamur.*
1 i. ex communicatione sive abstentione utebātur in eos qui parebant tyranno deficientes a Deo, & resipiscētibus prædicabant gratiā Dei absolutionémq; a peccatis ipsorū, ut de integro adunarētur Ecclesiæ. Sic accipimus vocē καταστροφῆς: nam ut in Comœdiis protasin epitasinq; turbulētas sequitur catastrophe, qua res in suum ordinē revocantur; ita etiā videtur fieri in misera defectorum vita quum ad officium revertuntur, & se restituunt Ecclesię Dei, postquam plus satis vitam suam pro re ludicra habuerunt, ut dicitur Sap. 15.12. vide sup. 2.25. d *Græc. constituti erant.*

4 Itáq; vitam quidē bene actum quæ apud
omnes de gente pervulgabatur isti alienigenæ
minimè enumerabant; sed de adorationibus &
cibis differentiam pervulgabant; dicentes neq;
regi neq; potestatibus homines istos cōsentire,
sed ditos esse & magnopere negotiis adversari:
deniq; nō vulgari perstringebāt vituperatione.
5 Græci verò qui per civitatem erant nulla
affecti injuria, tumultum inopinatum contra
hos homines spectantes & improvisas concur-
sationes fieri; succurrere quidem non poterant
(nam tyranni regis erat constitutio.)
6 Sed ferentes graviter consolabantur, &
futurum præcipientes *animo* ut non starent ista;
non enim [2] ab eo qui nihil ignorat, talem consti-
tutionem rerum ita despectum iri.
7 Jam verò etiam vicini quidam, & amici, &
qui commercium habebant cum ipsis, clàm [e] ex-
cipientes quosdam dabant fidem se defensio-
nem communem adhibituros, & [f] contentissimè
ad auxilium adventuros.
8 Ille igitur præsente prosperitate elatus, ac
in Dei maximi potentiam non respiciens; sed
statuens se perpetuò in eodem consilio perman-
surum, contra eos rescripsit has literas:
9 Rex Ptolemæus Philopater ducibus mili-
tibúsque per Ægyptum & *quemq;* locum *residenti-
bus* [g] salutem & valetudinem: valeo ego ipse quo-
que & negotia mea.
10 Postquam militaris nostra in Asiam ex-
peditio (quam novistis ipsi quoq;) inoffenso De-
orum auxilio ad finem ex animo perducta est;
non vi [h] armorum, sed æquitate & humanitate
multa duximus gentes lactandas esse quæ Cœ-
len Syriam, Phœniciámq; habitant, & benefici-
is ultrò prosequendas.
11 Quúmque templis quæ per civitates sunt
reditus multos attribuissemus, advenimus etiā
Jeruschalaima, quò ascenderamus ut templum
istorum sceleratorum & nunquam ab amentia
sua desinentium honoraremus.
12 Et illi sermone quidem adventum no-
strum *gratè*, at re ipsa falsò accipientes, quum es-
set nobis animus ingrediendi in templum ipso-
rum, & decentissimis atque pulcherrimis dona-
riis honorandi, [i] antiquissima *sua* acti superbia
ab ingressu nos prohibuerunt.
13 Ita non experti sunt robur nostrum prop-
ter eam humanitatem qua in omnes homines
utimur; sed suam contra nos diritatem effece-
runt manifestam, ut qui omnino soli ex gentibus
cervices in reges & [k] bene de se meritos attol-
lentes nihil [l] æquum perferre volunt.
14 Ac nos quidem quòd istorum amentiæ
[m] concessimus, & cum victoria reversi in Ægyp-
tum omnibus etiam gentibus humanitatem
exhibuimus, prout decebat confecimus:
15 [n] Intereà verò quum apud tribules istorū
omnibus significavimus oblivionem *tanti* mali;
atq; tum societate, tum mille rebus quas eis pri-
mùm simplicissimè volueramus concreditas eos
ausi ad mutationem provocare, eos & consortes
perpetuorum Sacerdotum voluimus constitue-
re & dignari eos Alexandrinorum civitate;
16 Isti contra accipientes, ingenitaq; mali-
tia depellentes quod bonum est & perpetuò in
malum [o] inclinantes non solùm aversati sunt
hoc jus civitatis inæstimabile, verumetiam pau-
cos e suis qui optimè erga nos affecti sunt abo-
minantur sermone atq; silentio, maximè suspi-
cantes nos ob illud vivendi infame institutum
citò ea quæ correximus eversuros.

17 Quapropter

2 i. a Deo: periphrasis.
e *Græc. attrahentes.*
f *Græc. omnium contentiō.*
g *Græc. salvere & valere.*
h *Græc. hastæ.*
i *Græc. antiquioribus typhis, ut Arnobius loquitur.*
k *Græc. benefactores.*
l *Græc. germanū*
m *Græc. unà delati sumus.*
n *Græc. in istis.*
o *Græc. [illegible]tes.*

17 Quapropter etiam optimè persuasi signis istos modis omnibus a nobis dissentire, atque providentes ne si fortè repentinus in posterum [3] tumultus instaret, impios istos a tergo proditores & barbaros hostes haberemus,

18 Mandavimus simul ac hæ literæ ad vos [p] pervenerint, ut istos qui his literis indicantur cum uxoribus liberisque eâdem hora exceptos contumelia & divexationibus mittatis ad nos undique vinculis ferreis inclusos, [q] ut immedicabili & ignominiosa nece (quemadmodum homines diros decet) auferantur.

19 His enim supplicio simul affectis, percepimus nobis in tempus reliquum negotia perfectè convenienti statu optimáque dispositione constitutum iri.

20 Quisquis autem Jehudæorum aliquem [r] sive senem, sive puerum, sive lactentem etiam protexerit, turpissimis tormentis cruciabitur distenta familia tota:

21 Et qui indicare *illud* voluerit, præterquàm quòd substantiam ejus qui reus peractus fuerit accipiet, ac bis mille drachmas ex pecunia regis; etiam [4] libertate coronabitur.

22 Omnis verò locus ubi omnino tectus Jehudæus deprehendetur, [f] inhabitabilis efficitor & cremator igne, ut toti naturæ mortali planè appareat inutilis in sempiternum tempus. Atq; sic quidem [t] habebat literarum forma.

[3] nempe ab Antiocho magno, qui etiam brevi rec uperavit Syriam.
[p] *Græc.accide-rint.*
[q] *Græc.ad immedicabilem & ignominiosam necem.*
[r] *Græc. a sene usque ad infantem usque ad eum qui mamma subjicitur.*
[4] puta si servus fuerit.
[f] *Græc. inaccessa.*
[t] *Græc. scripta erat.*

CAPUT IIII.

1 QUocumque autem mandarum illud [a] pervenit, populare constitutum est a gentibus [1] convivium cum acclamationibus & gaudio, velut audacter jam demonstrante se inimicitia quæ ipsis olim cogitatione callum indurata contraxerat.

2 Jehudæis verò perpetuus erat luctus, & planè lamentabilis clamor cum lacrymis gemitibúsque, inflammato undique ipsorum corde, quum improvisam perniciem repentè contra se decretam deplorarent.

3 Quæ præfectura, aut civitas, aut quis in universum locus habitabilis, aut quæ viæ planctu ejulatibúsque de illis non implebantur?

4 Ita enim acerbo & immiti animo a ducibus qui per civitatem erant unanimiter ejiciebantur, ut de insolentibus suppliciis etiam ex inimicis quidam capientes ante oculos communem illam misericordiam & incertam hujus vitæ commutationem reputantes deplorarent [b] infelicissimam eorum dejectionem.

5 Nam præibat senum multitudo variorum canitie, quorum [c] incurvis pedibus tardisq; a senio sine pudore ullo ad profectionem [d] celerem abutebantur violentæ [2] adversionis impetu:

6 Quæ verò ad communionem vitæ nuptialem modò thorum subierant adolescentulæ, pro delectatione suscipientes ejulatus, & unguento delibutam comam cõspersæ pulvere, ac sine velo abductæ, lamentationem pro hymenæis incipiebant unanimiter, ut vexationibus alienigenis laceratæ, quum vinctę publicè vi usque ad [e] locum ubi conscendebatur navis traherentur.

7 Et harum conjuges laqueis coronarum loco cervicibus implexi in florente ætate adolescentiæ, pro convivio juvenilibúsque deliciis reliquos nuptiarum dies degebant in lamentationibus, cernentes jamque sepulcrum ad pedes positum.

[a] *Græc.accidit, ut suprà 3. 18.*
[1] Nempe idolis eucharisticum epulum, ut infrà versu 13.
[b] *Græc. ter infelicem.*
[c] *Græc. tarditatem pedum incurvorum ex senio.*
[2] qua duces Aegyptii a domestica & sedentaria quiete senum eos ad laboriosum cursum retrahebant.
[d] *Græc. acutam, ut 2.Mac.9.7.*
[e] *Græc. immissionem in navem.*

8 Agebantur autem bestiarum modo tracti vinculorum ferreorum [f] vi, alii collo suffixi clavis ad navium transtra, alii pedes firmis constricti pedicis; idque etiam tabulato quod supernè erat frequente imposito, ut undequaque obtenebratis oculis ductum insidiatorum in tota navigatione [g] paterentur.

9 His ergo in navigium illud quod diximus actis & finita navigatione prout sancitum fuerat a Rege, mandavit ut illi in [3] suburbano hippodromo metarentur (cujus erat ingens ambitus, & quàm opportunissimus [h] ad traducendum *miseros* cùm apud eos qui in civitatem veniebant, tum apud eos qui inde in regionem proficiscebantur [i] peregrè) ut neq; cum illius copiis communicarent, neque universè [k] in muros reciperentur.

10 Hoc autem confecto, ut audivit Rex gentiles Jehudæorum e civitate clàm frequentiùs exeuntes lugere ignominiosam fratrum miseriam, iratus mandavit ut his simul accuratè eodem modo ac illis fieret, [l] neque ullo pacto a supplicio illorum immunes essent; & totam gentem nominatim describi;

11 Non enim se laboriosum illud operum ministerium quod paulo antè [4] significaverat exacturum esse, sed cruciatos tormentis [5] quæ denunciaverat tandem unius diei tempore deleturum.

12 Fiebat igitur horum descriptio [m] vehemente studio ambitiosáque assiduitate ab ortu Solis ad occasum, etsi perfectum finem minimè consequuta diebus quadraginta:

13 Rex verò multùm ac perpetuò impletus gaudio, conviviáque ad omnia idola faciens, mente a veritate procul aberrante & profano ore muta quidem & quæ non poterant ipsos alloqui aut adjuvare laudabat; in Deum verò maximum res quæ non conveniebant loquebatur.

14 Post illud autem intervallum temporis quod modò dicebamus, retulerunt scribæ Regi se non ampliùs posse Jehudæorum descriptionem facere propter immensam eorum multitudinem; quum essent adhuc per regionem plures, alii quidem adhuc in domibus consistentes, alii verò alio loco: tamquam si fieri non potuisset illud ab omnibus ducibus qui præerant Ægypto.

15 Quúmque interminaretur Rex eis duriùs quasi fuissent corrupti donis ad machinationem fugæ, accidit ut de re illa manifestò persuaderetur, dicentibus illis ac demonstrantibus & chartam jámque & scriptorios calamos quibus utebantur defecisse.

16 Hæc autem fuit efficacitas invictę providentiæ illius qui Jehudæis e cælo succurrebat.

CAPUT V.

1 TUnc advocato Chermone qui præerat elephantorum procurationi *Rex* gravi cõpletus ira, & ab indignatione omnino immotus jussit in diem posterum [1] largos thuris manipulos cum vino copioso mero omnibus elephantis potandos dari, qui erant numero quingenti, & efferatos profusa potus illius subministratione [a] contra Jehudæos immitti ad necem illorum:

2 Ac ille quidem quum mandasset ista, congregatis amicis summis & ducibus [b] qui infensi in Jehudæos erant, ad convivium se convertit:

[f] *Græc. necessitatibus.*
[g] *Græc. acciperent.*
[3] cui Lagium fuit nomen, impositum de conditoris nomine Ptolemæi Lagi, qui primus ab Alexandro Macedone in Aegypto regnavit. Auctor Epiphanius lib. de mensuris & ponderibus.
[h] *Græc. ad paradigmatismum.*
[i] *Græc. in peregrinationem.*
[k] *Græc. dignarentur muris.*
[l] *Græc. non defectis supplicio.*
[4] sup. 2. 20.
[5] sup. 3. 18.
[m] *Græc. amaro, sive acerbo.*
[1] Thus enim teste Dioscoride lib. 1. cap. 70. potum largè maniã excitat, largius affert mortẽ: sic voluit Rex bestias ad feritatẽ & sævitatẽ accendi prabito thure ex vino; quod indicatur infrà vers. 30.
[a] *Græc. immitti ad occursum mecis Jehudæorum.*
[b] *Græc. inimicè in Jehudæos habentibus.*

vertit: magister verò elephantorum Chermon quod imperatum fuerat aptè consummavit.

3 Prætereà etiam administri vespere exeuntes vinciebant miserorum manus, & reliquas contra eos [c] cautiones moliebantur totam noctem, existimantes gentem illam simul internecionis terminum percepturam.

c Græc. securitatem.

4 Jehudæi verò qui gentibus ab omni protectione deserti esse videbantur propter necessitatem qua cum vinculis undequaque circumcludebantur, omnipotentem Dominum ac omnis potestatis habentem imperium, Deum suum patrémque misericordem omnes indesinente clamore cum lacrymis invocabant, orantes ut impium illud consilium contra se *captum* mutaret, magnificáque apparitione ipsos a nece quæ ad pedes *erat* parata liberaret.

5 Horum ergo intentè supplicatio in cælum ascendebat: Chermon verò quum immisericordes illos elephantos potu perfudisset, plenos multa illa vini subministratione & saturatos thure, [d] manè ad aulam adfuit ut res istas nunciaret Regi,

d Græc. matutinus: sic inf. v. 15.

6 Verùm *Deus* partem somni (quæ res creata inde a [e] temporibus seculi bona est de nocte) etiam interdiu injectam ab eo qui gratiosè tribuit omnibus quibuscumque ipse voluerit, immisit Regi:

e Græc. seculo temporu: hypallage.

7 Itaque detentus suavissimo & profundo *somno* efficacitate Domini, a nefario quidē proposito plurimùm excidit, sed ab immutabili [2] consilio fraudatus magnificè.

2 Puta Dei.

8 Jehudæi verò quum horam quæ antè significata fuerat effugissent, Deum suum laudaverunt sanctum, iterúmque rogarunt ut optimè conciliatus cum ipsis potentissimæ manus suæ robur superbis gentibus ostenderet.

9 Media autem jam fermè decima [f] vocator frequentes invitatos videns, accessit, pepulit Regem, eúmque vix excitans ostendit tempus convivii jam [g] præterfluere, sermonémq; [3] de illis habuit: quem reputans Rex & ad convivium versus, jussit eos qui ad convivium venerant [4] ex adverso sui accumbere:

f Græc. qui ad vocationes erat institutus confertim vocatos videns.
g Græc. prætercurrere.
3 qui mandato regis ad convivium vocati aderant.
4 pro Aegyptiorum more, ut Gen. 43.33.

10 Eóq; facto adhortatus est, ut se in convivio occupantes [5] præsentem convivii partem eo plus honorarent *eam* in lætitia consumendo.

5 Sic modestè Rex loquitur, excusans quòd pars temporis in convivio agitando consumenda periisset, hortánsque ut festivitate & convictu liberiore jacturam temporis resarcirent.

11 Quum autem diutiùs processisset confabulatio, Chermonem accersitum Rex cum minis acerbis interrogavit quam ob causam sinerentur Jehudęi in diem præsentem supervivere.

12 Qui ubi ostendit se nocte quod fuerat imperatum ad finem perduxisse, & attestati sunt amici ejus, *ille* pejorem quàm Phalaridis crudelitatem habens dixit, habeant illi gratiam hodierni diei somno.

13 Tu verò sine cunctatione in diem crastinum similiter elephantos comparato ad scelestorum Jehudæorum istorum deletionem.

14 Hæc ubi dixisset Rex, alacriter omnes qui aderant cum gaudio simul collaudarunt, & in suam quisque domum reversus est: ubi non tam ad somnum tempore noctis abusi sunt, quàm ut omnia fabricarentur ludibria in eos qui miseri esse videbantur.

15 Simulac autem gallus manè cecinerat, bestias armatas in peristylio magno [6] commovebat, & turbæ quæ per civitatem *erant* congregabantur ad spectaculum inprimis miserabile, diluculum studiosè exspectantes.

6 præbito potu, & aliis rebus ad sævitiam eos accensuris, furorémque provocans.

16 Jehudæi verò [h] continenter animam trahentes, supplicatione multis lacrymis conjuncta canticísque miserabilibus, manibus ad cælum protensis orabant Deum maximum, ut brevi iterum ipsis succurreret.

h Græc. per individuum tempus, id est, perpetuum & continuum: ut inf. 6.26.

17 Nondum radii Solis dispergebantur, Rege amicos excipiente, quum accedens Chermō accersivit [i] ut prodiret, indicans illud quod anteà Rex in animo habuerat paratum esse.

i Græc. ad exitum.

18 Quod quum ille acciperet & de iniquo illo exitu obstupesceret, ignoratione planè occupatus quæsivit quamobrem illud studiosè ab eo effectum esset: erat autem istud ab efficacitate Dei dominantis omnibus, qui oblivionem rerum quas ille priùs machinatus fuerat menti illius indiderat.

19 Indicavit Chermon & amici omnes, *dicendo*, bestiæ copiæque istæ, ô Rex, paratæ *sunt* ex proposito consilio vehemente tuo.

20 Ille verò his dictis gravi ira plenus, eo quòd tota ipsius cogitatio de his rebus providētia Dei dissipata esset, minaciter intuens dixit,

21 [7] Quotquot parentes advenerint aut filiorum nati, hi largam escam bestiis feris paraverint, inculpatorum Jehudæorum loco, qui mihi meisque majoribus integram stabilémque fidem eximiè demonstrarunt: quanquam nisi animo erga te propenso essem propter communem educationem & ministerium tuum, pro illis privareris vita.

7 sensus est, si quisquam me hoc nomine ad Jehudæorum ruinam compellaverit, quisquis tandem ille sit, quum ipse tum necessarii ipsius pœnam perferto Jehudæis irrogatam.

22 Sic Chermon inopinatam ac periculosam sustinens comminationem & aspectu & vultu [k] cohorruit: amicorum verò quisque paulatim diffluxit tristis, qui congregatos dimiserunt quemque ad occupationem suam.

k Græc. contractus est.

23 Jehudæi autem Regis sermonibus auditis illustrem Deum, Dominum, regem regum laudaverunt, ut qui ab ipso auxilium hoc consequuti essent.

24 Deinde quum Rex constituto de integro consilio hortaretur convivas ut se ad lætitiam conferrent, secundùm leges illas Chermonem accersens cum interminatione dixit *ei*, quoties oportet tibi de iisdem rebus mandata dari, ô infelicissime? etiam nunc tandem elephantos arma in diem crastinum ad deletionem Jehudęorum.

25 Cognati autem simul accumbentes instabilem hanc mentem admirati protulerunt ista, ô Rex, quousque verò nos ut expertes rationis pertentaturus es, jam tertiò imperans deleri illos, & rursum in ipso facto dissolvens mutato consilio ea quæ placuerunt tibi?

26 Quorum gratiâ hæc civitas exspectatione turbatur, & multos conventus experta, jam etiam periclitatur ut diripiatur sæpe.

27 Rex itaque *alter* omnino Phalaris impletus studio rationi adversante, & mutationes animi quæ ad [l] procurationem Jehudæorum in ipso fuerant effecti nihili faciens,

l Græc. inspectionem seu visitationem.

28 Postquàm impurissimum juramentum firmè statuisset se cùm istos sine cunctatione genibus pedibúsque bestiarum sauciatos ad inferos transmissurum, tum castris contra Jehudęam ductis *eam* celeriter æquatam solo flammę & ferro traditurum, & [m] templum illorum, quod nobis (*inquit*) inaccessum fuit, ubi cōsummant sacrificia, citò prostratum igne in omne tempus effecturum:

m Sup. 1.10.

29 Tunc læti discesserunt amici & cognati cum fiducia, & disposuerunt copias ad custodiam per opportunissima civitatis loca.

30 Magister verò elephantorum ut bestias ad furiosam (ut ita dicam) ferè constitutionem odoratis

UMI

odoratis poculis e vino condito thure, [m] formidabili ornatas apparatu adduxerat; sub auroram, quum jámque civitas innumerabilibus turbis hippodromum versus repleta esset, ingressus aulam ad rem præsentem incitavit Regem.

[m] Græc. formidabiliter.

31 Qui ira gravi impiam mentem complens, [3] omni mole erupit cum bestiis, volens immiti animo & pupillis oculorum siccis molestum illum & miserabilem eorum de quibus antè diximus spectare exitum.

[3] id est, comitatu maximo, copiisque prosequentibus, de quibus versu seq.

32 Itaque exeuntium elephantorum ad portam armatis copiis simul prosequentibus, pergentísque multitudinis pulverem videntes Jehudæi & horrisonum tumultum audientes, quum illud sibi ultimum vitæ momentum esse arbitrarentur;

33 Sub finem miserrimæ illius exspectationis ad commiserationem & ejulatus versi osculabantur alii alios complectentes cognati, & in colla ruentes filiorum patres & puellarum matres:

34 Aliæ verò infantes uberibus admotos habentes, qui lac sugerent ultimum.

35 Verumtamen quum hi e converso etiam considerarent defensiones ipsorum quæ antè fuerant e cælo factæ, pronos unanimiter se ipsos prosternentes, & infantes ab uberibus seponentes inclamaverunt voce magna universitatis [n] principem,

[n] Græc. dynastam.

36 Supplicantes ut apparitione illustri facta misereretur ipsos jámq; ad portas sepulcri constitutos.

CAPUT VI.

1 ELhazar autem quidam vir insignis de Sacerdotibus *qui erant* e regione illa, in senum numero jam ætatem consequutus, & omni virtute ornatus quę ad vitam hanc *pertinet*, senes qui circumstabant ipsum contrahens *ad* invocandum Deum sanctum, oravit [a] his verbis;

2 Rex [b] magnifice, altissime, omnipotens Deus, qui rem creatam omnem semper gubernas misericorditer, respice ad semen Abrahami, ad liberos sanctificati Jahakobi, *ad* populum partis quæ sanctificata est tibi, exterum in terra extera injustè pereuntem, ô pater.

[a] Græc. hæc.
[b] Græc. magnipotens.

3 ‖ Tu Parhonê olim abundantem curribus, Ægypti istius principem, elatum immiti audacia & lingua magniloqua, cum superbo exercitu mari perfusos perdidisti, luce misericordiæ perlustrans genus Jisraëlis:

‖ Exod. 14.

4 ‖ Tu Sancheribum gravem Assyriorum regem innumerabilibus copiis exsultantem, qui [c] gladio terram totam subjectam sibi jam occupaverat, & qui efferebatur contra sanctam civitatem tuam res graves fastu audaciáque proloquens, tu *inquam* Domine fregisti, manifestam gentibus multis potentiam tuam ostendens:

‖ 2. Reg. 19.
[c] Græc. hasta.

5 ‖ Tu socios treis versantes in Babylonia, qui animam suam ultrò igni tradiderant ne *rebus* vanis servirent, ignitum caminum perfundens rore liberasti, [d] adeò ut ne capillo quidem tenus damnum perpessi sint, flammámque omnibus adversariis immisisti:

‖ Dan. 3.
[d] Græc. usque ad capillum impassos.

6 ‖ Tu Danijelem, qui invidentiæ calumniis leonibus sub terram fuerat projectus *ut* esca bestiis *esset*, incolumem in lucem revocasti; & ‖ Jonã prolixè in ventre marini cete liquescentem, illæsum omnibus domesticis ostendisti, pater.

‖ Dan. 6.
‖ Jonæ 2. & 3.

7 Nunc ergo, ô *Deus* osor injuriæ, plurimùm misericors, universitatis protector, citò appare istis qui de genere *sunt* Jisraëlis, & ab iniquis gentibus abominandísque injuriam patiuntur.

8 Quòd si impietatibus in peregrinatione hac constricta fuit vita nostra, libera nos ab inimicorum manu, & tu Domine prout volueris nos nece perde.

9 Ne isti [e] qui nihil nisi vanitatem sapiunt rebus vanis benedicant perditionis in dilectos tuos eventuræ nomine, dicentes, ne Deus quidem ipsorum liberavit istos:

[e] Græc. vana sapientes.

10 Sed tu, ô æterne, qui omnes vires ac universam potestatem obtines, jam respice.

11 Miserere nostri, qui per iniquorum injuriam rationi adversam vita destituimur insidiatorum modo:

12 Gentes verò stupescentes admirentur hodie invictam potentiam tuam, ô gloriose *Deus* potentiáque prædite, de salute generis Jahakobi.

13 Tibi supplicat tota infantium istorum multitudo, & hi parentes istorum cum lacrymis: demonstretur omnibus gentibus te nobiscum esse Domine, neque avertisse faciem tuam a nobis.

14 ‖ Sed quemadmodum dixisti te ne tum quidem quum in terra inimicorum suorum versantur despexisse eos, ita perfice Domine.

‖ Levit. 27. 40.
‖ Deut. 30.

15 Quum autem Elhazar ab oratione modò desineret, Rex cum bestiis ac toto copiarum horrore secundùm hippodromum prætervehebatur.

16 Quod contemplati Jehudæi magnum clamorem in cælum extulerunt, adeò ut adjacentes convalles ipsæ unà personantes castris totis [f] necessarium fletum excuterent.

[f] Græc. incoërcibilem fletum facerent.

17 Tunc gloriosissimus, omnipotens, & verax Deus ostendens sanctam faciem suam aperuit portas cæli, e quibus gloria instructi duo formidabilésque aspectu Angeli omnibus manifesti [1] præter Jehudæos descenderunt,

[1] nam Jehudæi quoque videbant illos.

18 Et resistentes impleverunt adversariorum copias perturbatione & metu, immotísque ligarunt pedicis, adeò ut ipsum regis corpus horresceret, & oblivio audaciam ipsius quę tam graviter inflammata fuerat occuparet:

19 Bestiæ verò conversæ in copias armatas quæ subsequebantur, proculcabant & profligabant [g] illas.

[g] Græc. illos, nempe copiarum viros.

20 Tunc Regis ira in misericordiam & lacrymas conversa est, propter eas res quas antè fuerat machinatus.

21 Nam quum audisset [2] clamorem illum; & consideraret pronos omneis ad perditionem *comparatos*, cum ira lacrymans interminatus est amicis dicens,

[2] Jehudæorum, de quo vers. 16.

22 [3] Regno abutimini, qui tyrannos crudelitate superavistis, & me ipsum in vos beneficum jam aggredimini cùm a principatu, tum etiam a vita amovere, clàm machinantes ea quæ non essent regno profutura.

[3] i. auctoritate Regiæ, ut exponitur capite seq.

23 Quis [4] eos *homines* qui munitiones regionis nostræ [h] fideliter tenuerunt, e domiciliis suis exportatos singulos præter rationem huc coacervavit?

[4] Jehudæos.
[h] Græc. in fide.

24 Quis eos qui omnino inde a principio benevolentia erga nos gentes omnes antecellunt, & qui pessima persæpe ab hominibus pericula susceperunt, ita nefariis implicuit suppliciis?

25 Solvite, dissolvite injusta vincula, [i] in proprias sedes cum pace remittite, ea quæ antè fuerunt

[i] Græc. in propria sic inf. vers. 33.

runt gesta deprecati. Absolvite filios omnipotentis, cælestis Dei viventis, qui a nostris [k] adhuc majoribus expeditam constitutionem cum gloria præbet nostris negotiis.

[k] *Græc. usque nunc.*

26 Atque hæc quidem dicebat iste: illi verò [l] momento soluti, sancto servatori suo benedicebant, quòd modò effugissent mortem.

[l] *Græc. indiviso tempore, ut suprà* 5.16.

27 Posteà Rex in civitatem reversus accersito eo qui ædilibus præerat jussit vina cæteráq; ad convivium necessaria in septiduum Jehudæis suppeditari, statuens eos quo in loco se subitiros exitium putaverant, ibidem [5] Soteria cum omni lætitia celebrare.

[5] id est, salutares dies, festos dies salutis suæ.

28 Tunc illi qui antè probrosi fuerant & sepulcro proximi, ac potiùs in illud jámq; descenderant, loco acerbæ necis & luctuosissimæ [6] poculum salutare inter se statuentes; eum locum qui ad ruinam ipsis & sepulcrum paratus fuerat, pleni gaudio in accubitus diviserunt.

[6] sic interpretamur cum Phavorino *κώθωνα*, pro poculo ex quo milites victoria parta læti inter se propinabant: quæ propinandi ratio in conviviis & eucharisticis epulis fuit observata: vide Psal. 116.13.

29 Et finem flebili lamentationis cantui facientes, receperunt majorum cantica, Deum servatorem laudantes atque mirificum; fletúq; omni & ejulatu abjecto choreas constituerunt *ad* lætitiæ pace conjunctæ signum.

30 Similiter autem rex quoque de his rebus, quum amplissimum conviviarum numerum congregasset, indesinenter in cælum *respiciens* vicissim celebrabat Deum magnificè, propter salutem quæ ipsi præter opinionem acciderat.

31 Qui verò antè statuerant illos in exitium *raptos* avium futuros escam, & cum gaudio descripserant, *hi* contrà gemuerunt, quòd pudore apud animum suum amicti essent, & quòd audaciam suam, quæ ignem spiraverat merum, ingloriè exstinctam cognoscerent.

32 At Jehudæi constituta, ut antè diximus, chorea [m] illa cum convivio, tempus in celebrationibus hilaribus & Psalmis transegerunt.

[m] *Græc. prædicta.*

33 Et communem de his rebus ferentes legem in toto incolatu suo generationibus omnibus dies prædictos statuerunt hilareis celebrari, non compotationis aut commissationis causâ; sed propter salutem quam ipsis Deus effecerat.

34 Deinde accesserunt regem, se ad suos dimitti postulantes.

35 [‖] Cæterùm descripserant illos *administri Regis* a vicesimo quinto die [7] Pachonis ad quartum [8] [‖] Epiphi diebus quadraginta: cōstituerunt verò perditionem illorum a quinto Epiphi ad septimum diebus tribus, quum etiam magnificè illustrans misericordiā suam universitatis princeps incolumes eos liberavit.

[‖] *Sup.* 2. & 3.
[7] Aegyptiis mensis appellatio Aprili nostro ex parte respondentis.
[8] mensis Junio nostro similiter ex parte respondentis, quo celebrabatur Apidis festa sive Epaphi, unde nomē habuit: vide Eusebium de præparatione Euangelica.
[‖] *Sup.* 5.

36 Unanimiter autem convivati sunt [n] omnibus suppeditatis a Rege, ad diem usq; decimum quartum.

[n] *Græc. omnia suppeditati.*

37 Quo etiam die quum [o] interpellassent Regem pro dimissione sui, collaudās eos Rex magno animo scripsit eorum gratia sequentes literas ad duces [p] unicuique civitati præpositos, [q] in hanc sententiam.

[o] *Græc. interpellationem fecissent.*
[p] *Græc. per civitatem.*
[q] *Græc. hunc tenorem habentes.*

CAPUT VII.

1 REx Ptolemæus Philopator ducibus qui *sunt* per Ægyptum & omnibus qui præfecti sunt rebus *gerendis* salutem & incolumitatem: valemus quoque ipsi & liberi nostri.

2 Amici quidam, quum Deus maximus nobis ut volumus negotia dirigeret, improbo more crebriùs apud nos insistentes nobis persuaserūt ut coacervato cœtu Jehudæos qui sub regno sunt *nostro* afficeremus insolentibus defectorum suppliciis:

3 Prætextum hunc afferentes nunquam fore ut bene constituantur negotia nostra propter diritatem [a] quā isti sunt in omneis gentes, donec istud fuerit consummatum.

[a] *Græc. quam isti habent.*

4 Qui etiam quum eos vinctos [b] & vexatos tamquam mancipia ut potiùs tamquam insidiatores adduxissent, sine ulla disquisitione & percunctatione ipsos sunt aggressi tollere, ferociore [c] nexi crudelitate quàm legis Scytharum sit.

[b] *Græc. cum vexationibus.*
[c] *Græc. infibulati.*

5 Nos autem propterea interminati durissimè, quum pro ea æquitate quam hominibus omnibus exhibemus ægrè vitam essemus istis gratificati; Deum verò cælestem agnovissemus certò Jehudæos protegere velut patrem semper filios propugnantem, atq; reputavissemus constantem illam quam habent erga nos & majores nostros [d] amicam benevolentiam, *hos* justè ab omni crimine qualicumque ratione *immenso* absolvimus:

[d] *Græc. amicitia.*

6 Et unicuique præcepimus ut ad res suas quisque quocumq; loco *sit* revertatur, neminem eos omnino lædere, neque res illas quæ præter rationem confectæ sunt *ipsis* exprobrare.

7 Scitote enim si quas improbas technas in eos cuderimus, aut eos ullo pacto tristitia affecerimus, nos non hominem, sed Deum altissimum, qui potestati omni dominatur, adversarium nobis in omni re ad ultionem factorum istorum [e] inevitabilem semper habituros. Valete.

[e] *Græc. inevitabiliter.*

8 *Jehudæi* verò quum has literas accepissent non dederunt operam ut statim abscederent, sed præterea a rege postulaverunt, ut qui ex gente Jehudæorum voluntariè Deum sanctum & Dei legem omisissent, ii ab ipsis pœnam debitam reportarent;

9 Adducentes eos qui ventris causa præceptiones divinas omiserint, ne in præcepta quidem Regis bono animo futuros unquam.

10 Atque hic ut percepit eos verum dicere, collaudans facultatem eis dedit [f] ad omnia, ut eos qui essent transgressi legem Dei liberè in omni loco regni sui sine ulla [1] regia potestate aut cognitione profligarent.

[f] *Græc. omnium.*
[1] i. magistratu a Rege dato, ut cognitione juridica.

11 Tunc bene precantes ei, ut decebat, illorum sacerdotes cum turba tota, *&* acclamantes Halelu-jah, cum gaudio discesserunt.

12 Itaque [g] pollutum ex gente sua quemque prout incidebat in itinere puniebant, [h] variísque modis traductum *e medio* tollebant.

[g] *Græc. incidentem pollutorum.*
[h] *Græc. & cum traductionibus.*

13 Sustulerunt autem die illo ampliùs trecētos viros, agitarúntq; lætitiam cum gaudio, postquàm prophanos illos sustulissent.

14 Illi verò qui ad mortem usque Deo adhæserant, integro salutis fructu accepto, jungentes e civitate abierunt, omnigenis floribus odoratissimis coronati, cum lætitia & acclamatione; gratias laudibus & hymnis omnimodis agentes Deo majorum suorum, sancto servatori Jisraëlis.

15 Sed quum pervenissent Ptolemaida quæ [2] Rhodophoros a proprietate loci nominatur, ubi de communi sententia ipsorum classis dies septem ipsos præstolabatur;

[2] i. rosarum ferax: hæc Ptolemais est in Arsenoito Nomo imposita Nilo, quam Ptolemæus in Geographicis ὅρμον, i. stationem, vocat; ut ab altera Ptolemaide Mercurii distinguatur, quæ metropolis est in Thinite Nomo.

16 Illic fecerunt convivium [3] salutare, suppeditante Rege alacriter ipsorum cuique omnia quæ erant opus ut se in suas domos singuli reciperent:

[3] id est eucharisticum, ut sup. 6.28. de salutari poculo diximus.

17 Atque ibidem statuerunt ut delati *ad suos* cum pace dies eosdē hilares tempore incolatus sui

i Græc. in justitia.

sui i adhibitis justis celebrationibus agitarent.
18 Quos ubi consecraverunt, columnâque
in convivii loco posita confirmarunt voto, inte-
gri liberiq; summo cum gaudio discesserunt ter-
ra, & mari fluvióque in suas domos, conservati
præcepto regis, & majorem habentes quàm an-
tè in inimicos potestatem gloria & metu con-
junctam.

19 Denique nullius opera a suis facultatibus
concussi sunt, sed singuli res suas omneis ex de-
scriptione receperunt, adeò ut qui habebant ali-
quid deus maximo cum timore ipsis restituerent:
ita Deus maximus res magnificentissimas per-
fectè faciebat ad salutem ipsorum.
20 Benedictus sit liberator Jisraelis in sempi-
terna tempora. Amen.

e Græc. in superbia.

MACBAEORUM
LIBER PRIMUS.

PRIOR *Macbæorum liber singulares populi Dei clades, victoriasque, mutationes varias, & mirificam Dei administrationem in Ecclesia vetere describit, prout a Prophetis fuerant prænunciata: inprimis vero ea quæ a Macbæorum sive Chaschmannæorum familia ad Dei gloriam & populi salutem gesta sunt, a Antiocho Epiphane & Eupatore, Demetrio Sotere, Alexandro Epiphane, Demetrio Nicanore, & Antiocho Sedete regibus: Estque historia annorum fermè quadraginta.*

CAPUT PRIMUM.

FUIT autē, postquam cæcidisset Alexander Philippi filius Macedo, qui procedebat e terra [2] Cittæorum, cæcidisset, inquam, Darium regem Persarum Medorúmque; ut regnaret loco ejus, quum priùs in Græcia *regnasset*.
2 Constituit enim prælia multa, expugnavitque munitiones, & jugulavit reges terræ.
3 Pervadénsque ad extremas usque terras
accepit spolia multarum gentium, & tranquilla
fuit terra coram ipso.
4 Ita exaltatus est ac elatus animus illius,
5 Quòd coactis copiis potentibus valdè im-
peraret regionibus, gentibus, & regnis, essentque
ea sibi tributaria.
6 Postea verò decidens in lectum, quum ag-
nosceret se in morte esse,
7 Accersivit a administros suos gloriosos qui
unà cum ipso fuerant educati a pueritia, & divisit
illis [3] regnum suum quum adhuc viveret.

8 Quum itaque regnavisset Alexander an-
nis [4] duodecim, & mortuus esset,
9 Obtinuerunt dominatum administri ejus
quisque in loco suo:
10 Et imposuerunt omnes sibi diademata
post mortem illius, & filii eorum post eos annis
multis; & multiplicata sunt mala in terra.
11 Prodiit autem ex eis radix peccatrix An-
tiochus [5] Illustris, filius [6] Antiochi regis, qui fue-
rat Romæ obses; regnavitque anno centesimo
trigesimo septimo regni [7] Græcorum.
12 ‖ Temporibus illis prodierunt ex Jisraële
b [8] homines iniqui, & persuaserunt multis, di-
centes; eamus & disponamus fœdus cum gen-
tibus circumstantibus nos: nam ex quo sepa-
rati sumus ab illis, c obvenerunt nobis mala
multa.
13 Qui sermo quum bonus visus esset in ocu-
lis illorum,
14 Comparati animo quidam e populo pro-
fecti sunt ad regem, qui dedit illis potestatem fa-
ciendi d statuta gentium:
15 Ædificaverunt itaque [9] gymnasium Je-
ruschalaimis secundùm leges gentium:
16 Et [10] facientes sibi ipsis præputia abscesse-
runt a fœdere sancto, & conjuncti gentibus ven-
diti fuerunt ad faciendum malum.
17 ‖ Comparato autem regno coram Antio-
cho, præcepit quoque animo regnum Ægypti,
ut regnaret super duo regna:
18 Et ingressus Ægyptum cum turba nume-
rosa, curribus, elephantisque, & equitibus, &
magna classe,
19 Constituit prælium contra [11] Ptolemæum
regem Ægypti, in quo aversus Ptolemæus a
conspectu illius fugit, cecideruntque confossi
multi:
20 Posteà occuparunt civitates munitas in
terra Ægypti, accepitque Antiochus spolia
Ægypti.

[1] De hujus libri auctore non potest æquè constare, ac de libri secundi scriptoribus; etsi enim historiarum quæ in utroque libro habentur, comparatione manifestissimum est, auctores diversos esse, quum non tantùm aliter scribant, sed etiam alia ab hoc atque ab illo conscribantur. Quamobrem ut diversos fuisse credamus, faciunt tum styli varietas, tum historiæ differentia. De auctoritate quid patres senserint, omnibus perspectum est: apud nos verò qua auctoritate sint, paucis explicabimus. Utrumque humanum scriptum est, & res non paucas præter historiarum veritatem, & justitiæ legem complectitur: sed hunc tamen omnibus numeris libro secundo anteponimus, quia scriptor aut concinnator illius, quisquis tandem fuerit, sibi non constat ipse, & res inter se pugnantes tradit. Dicti sunt autem Macbæorum libri, quia historiam principum quorundam Jehudæorum exponunt, qui populares suos a tyrannide vindicantes, insigne suum aut militare vexillum quatuor literis inscripserunt, M. C. B. I. (ut olim Romani facere sunt soliti) Quibus literis significatum est Hebraicè dictum illud Moschis Exodi 15. 11. quis est par tibi inter Deos Jehovah? Ex qua inscriptione vexilli, & a popularibus, & ab exteris omnibus, Macbæi una voce fuerunt appellati; aut vocabulo corrupto Maccabæi. [2] id est, Cilicum, ut explicavimus Genes. 10.4. Veteres autem Macedonas ab Hebræis fuisse dictos Cittæos, falsò crediderunt, quòd non satis assequerentur Bilhami mentem in ea prophetia, quæ habetur Num. 24.24. a *Græc. pueros.* [3] id est, administrationem regni. Nam alioqui duos habebat heredes filios, Alexandrum & Herculem ex Roxana & Arsine uxoribus.

[4] rotundato numero; regnavit enim præterea mensibus octo. [5] sive appellatione Græca *ἐπιφανής*, ad quā alludens vulgus, Polybio teste, eum vocavit Epimanem, id est, furiosum; qui propterea quòd despectus erat, neq; ad ipsum ex jure regnum fuerat perventurū (ut ait Danijel 11.21.) voluit glorioso nomine maculam suam eluere. [6] illius nempe qui Magnus dictus est. [7] id est, Seleucidarum, qui a morte Alexandri Magni regnum suum stabiliverunt in Syria. ‖ 2.*Mac*.4.7. b *Græc. filii.* [8] quorum principes nominat Josephus Antiq. Jud. lib. 12. cap. 6. & 2. Mac. 4. c *Græc. invenerunt nos.* d *Græc. justificationes.* [9] vide 2. Mac. 4.12. [10] Non alentes circumcisionem, sed præputium reducentes arte, ut ibidem Josephus exponit. ‖ 2. *Mac*.5. [11] Philometora.

21 Inde revertens Antiochus, postquam percussisset Ægyptum, anno centesimo quadragesimo tertio:

22 Ascendit contra Jisraëlem & Jeruschalaima cum turba numerosa:

23 Et ingressus sanctuarium [e] superbè cepit altare aureum, & lychnuchum lucentem cum omnibus instrumentis ejus, & mensam propositionis, & crateras, phialásque, & pelves aureos, & velum, & coronas, & ornatum aureum qui erat in conspectu templi, [f] aurúmque detraxit omnibus.

[e] Græc. in superbia.

[f] Græc. & desquamavit omnia.

24 Similiter accepit argentum & aurum, & instrumenta desiderabilia; accepítque thesauros absconditos, quos invenit; & captis omnibus abiit in terram suam.

25 Et fecit cædem hominum, loquens superbia magna.

26 Quamobrem fuit luctus magnus apud Jisraëlem in omni loco eorum,

27 Nam ingemuerunt principes, senioresque, virgines, & adolescentes infirmati sunt, & pulcritudo mulierum immutata est:

28 Omnis sponsus assumsit lamentum, quæ sedebat in thalamo fuit in luctu:

29 Et mota est terra propter habitatores suos, totaque domus Jahakobi induerunt [g] pudoris indumenta.

[g] Græc. pudorem.

30 Post duos annos [h] integros misit rex [12] præfectum tributo in civitates Jehudæ, qui venit Jeruschalaima cum numerosa turba;

[h] Græc. dierum.

[12] Apollonium, ut nominatur 2. Mac. 5. 24.

31 Cui alloquenti ipsos sermonibus pacificis dolosè, crediderunt cives:

32 Ita irruit in civitatem repentè, & cæcidit eam plaga magna, perdens populum multum ex Jisraële:

33 Et accipiens spolia civitatis incendit eam igne, diruítque domos ejus, & muros ejus in circuitu:

34 Abduxerúntque captivas mulieres, liberósque, & jumenta possederunt.

35 Posteà ædificaverunt [i] in civitate Davidis murum magnum, munitúmq; turribus munitis, qui fuit ipsis pro arce:

[i] Græc. civitatem Davidis muro magno.

36 Et posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, qui confirmarunt se in ea:

37 [k] Et comportarunt arma atque commeatum, congregantésq; spolia Jeruschalaimorum deposuerunt illic, fueruntque loco laquei maximi.

[k] 2. Mac. 6.

38 Nam fuit pro insidiis in locum sanctum, & pro diabolo infesto in Jisraëlem semper:

39 Unde effundebant sanguinem innocentem in circuitu sanctuarii, & contaminabant sanctuarium.

40 Itaque fugerunt habitatores Jeruschalaimorum propter istos, & fuit *urbs* habitatio exterorum, fuítque extera natis suis, liberis ipsius derelinquentibus ipsam.

41 Sanctuarium ejus desolatum est ut solitudo, dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbatha ejus in opprobrium, honor ejus in nihilum.

42 Secundùm gloriam ejus fuit ignominia ejus, celsitudine ejus conversa in luctum.

43 Quum autem rescripsisset rex toti regno suo, ut [k] coalescerent omnes in populum unum, & derelinquerent unusquisque ritus suos:

[k] Græc. essent.

44 Acceperunt omnes gentes secundùm sermones regis.

45 Et multi quoque ex Jisraële consenserunt cultui ejus, & sacrificantes idolis coinquinaverunt sabbathum.

46 Misit enim rex libellos [l] per legatos Jeruschalaima, & ad civitates Jehudæ, denuncians sequendos esse ritus alienos terræ;

[l] Græc. manu legatorum.

47 Et holocausta, sacrificiúmque, & libamen e sanctuario tollenda interdicto:

48 Et profananda sabbatha, diésque festos:

49 Et coinquinandum sanctuarium, & sanctos:

50 Ædificandas aras, & lucos, idolorúmque delubra, & sacrificandas suillas, & [m] immundas pecudes.

[m] Græc. communes; sic deinceps.

51 Dimittendósque filios ipsorum incircumcisos, efficiendas animas ipsorum abominabiles re omni immunda, & inquinamento, ita ut oblivisceretur legis, & immutarent omnia statuta Dei.

52 Qui autem non fecerit secundùm verbum regis, *hunc* moriturum esse,

53 [n] In sententiam hanc omnino rescripsit toti regno suo, & præfecit inspectores toti populo,

[n] Græc. secundùm omnes sermones illos.

54 Civitatibúsque Jehudæ mandavit ut sacrificarent in [o] civitate quaque.

[o] Græc. civitate & civitate.

55 Congregati sunt itaque ex populo ad eos multi, quisquis dereliquit legem, & perfecerunt mala in terra,

56 Facientes ut Jisraël lateret in abditis locis, in omni perfugio ipsorum.

57 Die autem decimo quinto mensis [13] Cislevi, anno centesimo quadragesimo quinto, exstruxerunt [14] abominationem desolationis super altare, & in civitatibus Jehudæ circumquaque exstruxerunt aras;

[13] qui Novembri nostro ex parte respondet, infrà 4.52.

[14] id est, aram abominandam, qua cultus Dei jacebat desolatus. Sic enim appellatur infrà versu 62. & impositam fuisse altari Josephus ibidem docet cap. 7.

58 Et in foribus domorum, & in plateis fecerunt suffitum;

59 Et libros legis, quos invenerunt conscindentes usserunt igne:

60 Et ubicumq; inveniebatur apud aliquem liber federis, aut si quis acquiescebat legi, edicto regis afficiebatur morte.

61 Freti robore suo faciebant ita Jisraëli, iis qui deprehendebantur [p] unoquoque mense in civitatibus.

[p] Græc. omni mense & mense.

62 Et vigesimo quinto mensis sacrificantes in ara quæ erat super altare,

63 Mulieres quæ circumciderant liberos suos, morte afficiebant ex præstituto:

64 [q] Et suspendebant infantes de collo earum; & familias earum & eos qui circumciderant illos, *trucidebant*.

[q] 2. Mach. 6. 10.

65 Sed multi in Jisraële confirmati sunt, & roborati cum animis suis, ne res impuras comederent:

66 Susceperúntque consilium moriendi, ut non polluerentur cibis illis, neque sanctum fedus inquinarent, ac mortui sunt.

67 Unde [15] effecta est ira magna contra Jisraëlem valdè.

[15] id est, ampliùs exarsit in iram Antiochus.

CAPUT II.

1 [a] TEmporibus illis surrexit Matthithja filius Jochananis, filii Schimhonis, sacerdos e posteris [1] Jojaribi Jeruschalaimis, & consedit [2] Moddinis.

[a] Græc. diebus.

[1] Qui primus recensetur in Sacerdotum albo. 1. Chron. 24. 7. ex familia (ut credibile est) Elhazaris, tum quia primus eo loco nominatur, tum quia Matthithja Pinchasum patrem vocat, infrà 54. [2] Hieronymus montē vocat, Josephus vicum, Auctor civitatem, V. 15. & sequentibus. Sed hæc postrema duo facilè inter se convenire possunt. Montis autem vocabulum eo quòd in desertis Jehudæ montanisque partibus sita esset civitas, in Hieronymi contextum infarctum puto. Nos ex locorū comparatione appellamus Moddin, quia videtur dici a depulsorum bonorum perfugio, Hebræa appellatione.

2 Huic autem *erant* filii quinque, Jochanan, qui nominabatur [3] Gaddesch;

3 Schimhon, qui vocabatur [4] Taschi;

4 Jehuda, qui vocabatur [5] Macbæus;

5 Elhazar, qui vocabatur [6] Habaran; *&* Jonathan, qui vocabatur [7] Aphusch.

6 Videns autem blasphemias, quæ efficiebantur in Jehuda & Jeruschalaimis,

7 Dixit, Hei mihi, quare jam natus sum ad videndum contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedendum illic, quando tradita est in manus inimicorum?

8 Sanctuarium in manu extraneorum *est*, factus est [b] Deus in templo ejus habitans ut vir inglorius.

9 Instrumenta gloriæ in captivitatem exportata sunt, interfecti sunt infantes ejus in plateis ejus, & juvenes ejus gladio inimici.

10 Quæ gens non accepit sortem [c] ex regno, & non obtinuit spolia ejus?

11 Omnis mundus ejus ablatus est, pro libera facta est [d] ancilla.

12 Ecce enim [e] sanctuarium nostrum, & pulcritudo nostra, & gloria nostra desolata est, & coinquinarunt ea gentes.

13 Quorsum nobis amplius vivere?

14 Et discindens Matthithja filiique ipsius vestimenta sua induerunt cilicia, & luxerunt valdè.

15 Quum autem venerunt administri regis, qui impellebant in apostasiam, in civitatē Moddina, ut sacrificarent *incolæ*;

16 Multi quidem ex Jisraële ad ipsos accesserunt; Matthithja verò, & filii ejus simul [8] adducti sunt;

17 Quibus respondentes administri regis alloquuti sunt Matthithjam dicentes, princeps & gloriosus & magnus es in civitate hac, firmatúsque filiis & fratribus:

18 Nunc accede primus, & fac mandatum regis, ut fecerunt omnes gentes, & viri Jehudæ, & qui relicti sunt Jeruschalaimis: ita eris tu & familia tua inter amicos regis, & tu ac filii tui honorabimini argento & auro, muneribúsque multis.

19 Respondens verò Matthithja dixit voce magna, [9] si omnes gentes regni, & quæ in domo regis sunt, auscultent ipsi, deficientes quisque a cultu majorum suorum, & consenserint mandatis ejus;

20 Ego verò & filii mei ac fratres mei ambulabimus in fœdere majorum nostrorum.

21 Propitius nobis *sit Deus*, ne derelinquamus legem & statuta ejus.

22 Sermoni regis non auscultabimus, ut trāsgrediamur cultum nostrum, ad dexteram aut sinistram *deflectentes*.

23 Qumque desivisset proloqui sermones istos, accessit [f] quidam Jehudæus in oculis omnium sacrificaturus in ara Moddinis secundùm præceptum regis.

24 Quod vidēs Matthithja, zelo affectus est, & contremiscentibus renibus suis, extulit animum suum secundùm judicium *legis*, incurrénsque jugulavit illum super aram ipsam:

25 Hominem quoque regis cogentem sacrificare occidit momento illo, & aram destruxit:

26 Et zelo affectus legis, ut fecerat [g] Pinchas Zimri filio Schallu,

27 Exclamavit Matthithja in civitate voce magna; quisquis zelotypus est legis, & præstat fœdus, [g] prosequatur me:

28 Fugeruntque ipse, & filii ejus in montana, & dereliquerunt quæcumque habebant in civitate illa.

29 Tunc descenderunt multi, qui requirebant justitiam & jus, in [10] desertum illud;

30 Ut illic considerent ipsi cum filiis suis, & uxoribus suis jumentísque suis, quia multiplicata erant super ipsos mala.

31 Quum autem renunciatum esset viris a rege missis, & copiis quæ erant Jeruschalaimis in civitate Davidis, descendisse homines qui dissipaverant mandatum regis, in latebras quæ sunt in deserto illo, & fugisse multos post eos:

32 Statim occupantes eōs castra fecerunt contra eos, & constituerunt in eos prælium die [h] sabbathi, quum edixissent eis,

33 [11] Quousque tandem? nunc egressi facite secundùm sermonem regis & vivetis.

34 Qui dixerunt, non egrediemur, neq; faciemus sermonem regis, polluendo diem sabbathi.

35 Itaque accelerarunt in eos prælium.

36 Sed non responderunt eis, neque lapidem miserunt in eos, neque obsepiverunt latebras suas, dicentes,

37 Moriamur omnes in simplicitate nostra; testificabitur pro nobis cælum & terra, quòd nullo judicio habito perditis nos.

38 Ita insurgentibus illis contra hos in prælium sabbatho, mortui sunt hi cum suis uxoribus & liberis suis, ac jumentis suis ad mille animas humanas.

39 Quod cognoscens Matthithja, & amici ejus, luxerunt super eis admodum:

40 Et dixit [i] alter alteri, si omnes fecerimus ut fratres nostri fecerunt, ac non pugnabimus contra gentes istas pro vita nostra & statutis nostris, jam celerrimè nos profligabunt è terra.

41 Itaque consilium inivērunt die illo dicentes, quisquis homo fuerit qui veniet contra nos in prælium die sabbathi, pugnabimus contra eum, ne moriamur omnes quemadmodum mortui sunt fratres nostri in suis latebris.

42 Tunc congregati sunt ad eos [k] congregatione sua [12] Aschidæi valentes robore e Jisraëlitis, quicumque voluntariè adhærebant legi:

43 Et quicumque fugiebant ab improbis, adjuncti illis erant illis confirmationi.

44 Tum constitutis copiis cæciderunt peccatores in ira sua, viros iniquos in indignatione sua; & cæteri fugerunt ad nationes *alias* ut servarentur.

45 [l] Obiens enim Matthithja & amici ejus regionem, destruxerunt aras illorum;

46 Et circumciderunt pueros incircumcisos, quoscunque invenerunt in terminis Jisraëlis, [m] fortiter:

47 Et persequuti sunt omnes illos [n] superbissimos, prosperè succedente hoc opere in manu illorum.

48 Ita asseruerunt legem e manu gentium, & e manu ipsorum regum, ac ne [13] illi quidem peccatori [o] vires concesserunt.

49 Appropinquantibus autem diebus Matthithjæ, ut moreretur, dixit filiis suis; nunc firmata fuit superbia, & castigatio, & tempus indignationis, & æstus indignationis:

50 Jam verò filii zelotypi estote legis, & exponite animas vestras pro fœdere majorum vestrorum.

51 Mementote patrum nostrorum, quæ opera fecerint

3 hoc nomen, ut sequentia fere omnia nomen est officii, non autem (ut putavit vulgus) cognomen Jochananis. Est autem Gaddes præfectus rebus coacervatis atque comparatis, ut si quæstorem dicas ærarii: quod officium fuisse Jochananis, ut res comparatas curaret atq; conservaret, docet historia infrà 9. 36. quamobrem etiam idem appellatur Joseph 2.Mac.8. 22. & 10. 19.

4 id est, (ut ita loquamur) secretarius, secretorum & fidelium consiliorum auctor: quo nomine commendatur a parente infrà vers. 65.

5 vide supra 1 1.

6 id est, pervadens a strenuitate & fortitudine, cujus exemplum est infrà 6. 43.

7 id est, auctarium sive vir amplus. Nam utroque modo non incommodè accipi potest, ut intelligatur hunc amplificantem potentiam Jehudæorū & nomen fuisse rebus gestis amplissimum, quod historia confirmatur: quamobrem etiam idem appellatur Zaccai 2.Mac. 8.22. & 10. 19.

b *Græc. templum ejus: metonymia.*

c *Græc. regnum.*

d *Græc. in servā.*

e *Græc. sancta.*

8 ut qui nollent sacrificia impia accedere.

9 his vocibus non dubitamus inesse synchysin potius librariorum culpa quàm auctoris ipsius. Sensus enim est, Matthithjam neque exemplo servorum regis, neque gentium omnium, a vero Dei cultu abductum iri.

f *Græc. vir.*

g *Num. 25.*

g *Græc. exito post me.*

10 de quo suprà in versum 1.

h *Græc. sabbathorum; sic deinceps.*

11 huic item loco vitium non dubitamus fuisse factum, pro eo quod est, ἕως πότε; τὸν ἐξελθόντες, &c.

i *Græc. vir propinquo suo.*

k *Græc. congregatio Aschidæorum.*

12 hoc nomen non est ullius gentis; sed propriè eos denotat profugos, qui religionis ergò huc illuc fuerunt diffusi, ne tyrannide regis ad scelus ullum cogerentur. Aschid enim diffusum sonat: sic infrà passim, & 2.Mac. 14. 6.

l *Græc. circumdans.*

m *Græc. in fortitudine.*

n *Græc. filios superbiæ.*

13 nempe Antiocho Epiphani sive Illustri, de quo suprà 1. 11.

o *Græc. dederunt cornu.*

fecerint suis temporibus; & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.

52 Abraham nónne in tentatione inventus est fidelis? & imputatum est ei ad justitiam.

53 Joseph tempore angustiæ suæ observavit mandatum, & dominus Ægypti factus est.

54 Pinchas pater noster quum zelo afficeretur legis, accepit fedus æterni sacerdotii.

55 Jehoschuaħ complendo sermonem, factus est in Jisraële judex.

56 Caleb testimoniis confirmando in Ecclesia *sermonem suum*, percepit hæreditaté terræ.

57 David in misericordia sua hæreditario jure habuit thronum æterni regni.

58 Elija zelo affectus legis assumtus est in cęlum usque.

59 Chananja, Hazarja, & Michaël credentes servati sunt e flamma.

60 Danijel in simplicitate sua liberatus est ex ore leonum.

61 Sic igitur cogitate in [p] generationem quamque; quicumque spem habent in illo, eos non infirmatum iri.

[p] *Græc. generationem generationum.*

62 [q] Et a sermonibus viri peccatoris ne timeatis, quia gloria ejus in stercora & in vermes *abitura est*.

[q] *Eccles.* 10.11. & 12.

63 Ut hodie extollatur, cras minimè reperietur: nam reversus fuerit in pulverem suum, & ratiocinatio ejus perierit.

64 Vos itaque filii confirmamini, & viros vos præbete in lege: nam ea gloriam adipiscemini.

65 Ecce autem Schimħonem fratrem vestrum, scio virum consilio valentem esse; ipsi auscultate [q] omni tempore, ipse vobis futurus est pater.

[q] *Græc. omnibus diebus.*

66 Jehuda verò Macbæus, qui valet potentia a juventute sua, is vobis futurus est dux exercitus, ut geratis bellum [r] in populos;

[r] *Græc. populorū.*

67 Ita vos adducetis ad vos eos omnes qui observant legem, & *facietis* ultionem populi vestri.

68 Retribuite retributionem gentibus, & attendite ad præcepta legis.

69 Tum benedixit eis, deinde appositus est suis majoribus.

70 Quúmque mortuus esset centesimo quadragesimo sexto anno, sepeliverunt eum filii ipsius in sepulcris majorum ipsius Moddinis, & luxerunt eum omnes Jisraëlitæ luctu magno.

CAPUT III.

1 [s] Surrexit itaque Jehuda, qui vocatus est Macbai filius ejus pro eo:

[s] 1. *Mac.* 8.1.

2 Cui auxiliantes omnes fratres ipsius, & quicumque adhæserant patri ipsius, gesserunt bellum Jisraëlis cum lætitia.

3 Et amplificavit gloriam populo suo: nam induens thoracem ut Gigas, & accingens arma bellica sua, prælia constituit protegens castra sua gladio:

4 Et similis effectus leoni in operibus suis, & tamquam juvenis leo rugiens in venationem,

5 Persequutus est iniquos perscrutans eos, & turbantes populum suum incendit;

6 Adeò ut contraherentur iniqui ex metu ejus, & omnes operam dantes iniquitati conturbarentur, prosperè succedente salute [a] per administrationem ejus.

[a] *Græc. in manu ejus.*

7 Sic exacerbans [1] reges multos lætificavit Jaħakobum operibus suis, ita ut in seculum usq; memoria ejus *sit* benedictioni

[1] Id est, dynastas, principes & primores viros, qui reges quoq; in scriptura appellantur, ut Jescha, 10.8.

8 Et pervadens per civitates Judææ profligavit impios ex ea, avertítque iram a Jisraële,

9 Factúsque celebris ad extremitatem usq; terræ, congregavit pereuntes.

10 Quamobrem cōgregavit Apollonius gentes, & ex Schomrone copias multas, ut bellaret contra Jisraëlem:

11 Quod cognoscens Jehuda processit ei [b] obviam, & percutiens eum occidit, cadentibus confossis multis, & reliquis fugientibus:

[b] *Græc. in occursum ejus, ut* ℣. 16. & 17.

12 Quorum spolia accipiens, gladium Apollonii assumsit Jehuda, eóque bellum gessit diebus omnibus.

13 Audiens verò Seron princeps copiarum Syriæ collegisse Jehudam cœtum ecclesiámque fidelium secum & procedentium in bellū, dixit,

14 Comparabo mihi nomen, & glorificabor in regno, debellans Jehudam & socios ejus, & istos nihili facientes sermonem regis.

15 Et applicavit se ad illud, ascenderúntque cum eo castra impiorū fortia ad juvandum eum, & exsequendum ultionem in filios Jisraëlis.

16 Quum autem appropinquasset ad ascensum Beth-choronis usque, egressus est Jehuda obviam ei paucis comitibus:

17 Qui ut viderunt venientem exercitum obviam sibi, dixerunt Jehudæ, quid poterimus, qui pauci sumus, efficere præliando contra tantam multitudinem *ac* fortem, cùm nos solutis viribus simus ex inedia hodierna?

18 Sed dixit Jehuda, facile est concludi multos in paucorum manibus, neque est differentia coram [c] Deo cæli ut servet, multísne an paucis:

19 Non enim multitudine copiarum est victoria belli, sed e cælo fortitudo est.

[c] *Græc. cælo: synecdochicè, ut infrà vers.* 60.

20 Isti veniunt contra nos cum [d] plurima injuria, & iniquitate ad tollendum nos, & uxores nostras, liberósque nostros, ad spoliandum nos.

[d] *Græc. cum multitudine injuriæ.*

21 At nos pugnamus pro animis nostris, & legibus nostris.

22 Quamobrem ille conteret istos in conspectu nostro: vos itaque ne metuatis ab illis.

23 Quúmque desiisset loqui, invectus est in eos repentè, adeò ut contereretur Seron & castra ipsius coram eo.

24 Et persequuti sunt eos in descensu Bethchoronis ad campum usque, ceciderúntq; ex eis quasi octingenti viri, reliqui verò fugerunt in terram Pelischthæorum.

25 Ita cœpit metus Jehudæ fratrúmque ipsius, & consternatio irruere in gentes circumstantes ipsos:

26 Et [e] perlatum est ad regem usque nomen ipsius; denique de præliis Jehudæ enarrabant omnes gentes.

[e] *Græc. appropinquavit.*

27 Ut autem rex Antiochus audivit sermones istos, [f] exarsit indignatione, & mittens congregavit copias omnes regni sui, castra potentia valdè:

[f] *Græc. iratus est.*

28 Aperiénsque ærarium suum dedit stipendia copiis suis in annum, & mandavit eis ut in annum comparatæ essent ad omnem usum.

29 Sed quum videret deficere argentum e thesauris, & collectores tributorum regionis paucos esse propter [2] seditioné & plagam quam effecerat in terra, tollendo leges quæ fuerant a diebus primis;

[2] id est, divisiones & intestinos motus orientes in singulis gentibus, propterea quòd offenderetur ipsarum superstitio insolente edicto regis Antiochi, de quo suprà 1. 43. nam semper vulgatum fuit in superstitiosis gentibus illud Hesiodi, νόμος ἀρχαῖος ἄριστος.

30 Veritúsq; ut non haberet quod semel aut bis satis esset ad sumtus & donaria, quæ dederat anteà liberali manu; ut abundaverat suprà reges priores [g] liberalitate donorum:

[g] *Græc. liberali manu.*

31 Incertus cum animo suo valdè, cepit cōsilium

³ vide infrà 6.1.

lium proficiscendi ³ in Persida; & accipiendi tributa regionum illarum, ac congregandi pecuniam multam.

32 Itaque reliquit Lysiam hominem gloriosum, & e regali genere, præfectum negotiis regis a fluvio Euphrate usque ad terminos Ægypti,

33 Qui educaret Antiochum filium ipsius, donec reverteretur ipse:

34 Et tradidit ei dimidium copiarum atque elephantos, addens mandata ei de rebus omnibus quas volebat, & de habitatoribus Jehudææ, ac Jeruschalaimorum,

35 Ut mitteret in eos exercitum ad atterendum & tollendum robur Jisraëlis, & reliquias Jeruschalaimorum, auferendúmq; e loco illo memoriam eorum;

36 Et collocandum viros alienigenas in omnibus terminis eorum, & sorte tradendum terram eorum.

37 Rex verò ipse accipiens dimidium copiarum quod remanserat, profectus est ⁴ Antiochia e civitate regni sui, anno centesimo quadragesimo septimo, & trajecto Euphrate fluvio regiones superiores peragravit.

⁴ ea quæ fluvio Daphnæ adjacet, unde nomen habet.

38 ‖ Elegit autem Lysias Ptolemæum filium Dorymenis, & Nicanorem, & Gorgiam viros potentes ex amicis regis;

‖ 2. *Mac.* 8.

39 Et misit cum eis quadraginta millia virorum, & septies mille equitatum, ut venientes in terram Jehudæ devastarent eam secundùm sermonem regis.

40 Atque hi profecti cum omni exercitu suo venerunt, & castra posuerunt prope Emmauntem in regione campestri:

41 Quorum ʰ famam audientes mercatores regionis assumserunt argentum & aurum multũ valdè, atque administros, & venerunt in castra, ad accipiendum Jisraëlitas in servitium sibi, quibuscum adjunxerunt se copiæ Syriæ, & regionis alienigenarum.

ʰ *Græc. nomen.*

42 Videns itaque Jehuda & fratres ejus multiplicata esse mala, & copias castra metari in terminis suis; ut cognoverunt sermones regis quos mandaverat fieri populo ad perditionem & consummationem, dixerunt ⁱ quisq; alter alteri:

ⁱ *Græc. quisque ad proximum suum.*

43 Restituamus populum nostrum ex dejectione hac, & pugnemus pro populo nostro, ac sanctuario.

44 Et congregatus est conventus, ut parati essent ad bellum, útque orantes peterent misericordiam, & miserationes *a Deo.*

45 (Nam Jeruschalaimorum urbs erat vacua habitatoribus ut desertum, non erat qui ⁵ ingrederetur, aut egrederetur inter natos ejus; & sanctuarium erat conculcatum, & viri alienigenæ in arce *erant*, diversorium *erat* pro gentibus; denique sublata erat delectatio ex Jahakobo; tibiáque & cithara defecerat.)

⁵ id est, populi administrationem in se publicè reciperet ut Num. 27.17.

46 Congregatíque venerunt ⁶ Mitzpam e regione Jeruschalaimorum, quia locus orationis fuerat Mitzpæ anteà Jisraëli.

⁶ in finibus Binjaminitarum, de qua 1. Schem. 7. 5. & 16.

47 Et jejunaverunt die illo, induentes cilicia, & cinerem imponentes capitibus suis, & disrupcrunt vestimenta sua:

48 Expanderúntque libros legis, de quibus accuratè scrutabantur gentes, ut inscriberent eis figuras idolorum suorum:

49 Et afferentes vestimenta sacerdotii, primitiásque, & decimas, excitaverunt ⁷ Naziræos, qui expleverant dies suos.

⁷ votivos puta ex lege, Num. 6. nam vota ad exorandam a Deo misericordiam pertinebant, ut Lament. 4.7.

50 Inclamaverúntque voce in cælum sublata dicentes, quid faciemus istis, & quonam istos abducemus?

51 Et sanctuarium tuum conculcatum est atque inquinatum, & sacerdotes tui *versantur* in luctu & abjectione:

52 Et ecce gentes istæ congregatæ sunt contra nos ad tollendum nos. Tu nosti quas rationes ineant contra nos.

53 Quomodo poterimus subsistere in faciem istorum, nisi tu adjuveris nos?

54 Clanxerúntque tubis, & clamaverunt voce magna.

55 Posteà verò constituit Jehuda duces populi, chiliarchos, & centuriones, & præfectos quinquagenis, & decuriones:

56 Dixerúntque iis qui ædificabant domos, & desponsaverant uxores sibi, & conseverant vineas, timidísque, ut reverteretur quisque domum secundùm legem.

57 ‖ Ita profecta sunt castra, & metati sunt ad Emmauntem ⁸ meridiem versus.

‖ *Deut.* 20.

⁸ id est, qua parte spectat Jeruschalaima, quum hostes ab altera parte Emmauntis essent, suprà V. 40.

58 Et dixit Jehuda, accingimini, & estote ᵏ strenui, ac estote parati ˡ manè ad pugnandum contra gentes istas quæ congregatæ sunt adversum nos, ad tollendum nos & sanctuarium nostrum:

ᵏ *Græc. in viros potentes.*

ˡ *Græc. in manè.*

59 Nam melius *est* nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctuarii.

60 Prout autem fuerit voluntas *Dei* in cælo, ita faciat.

CAPUT. IIII.

1 ¹ ASsumpsit autem Gorgias quinquies mille viros, & mille equites electos; & ² castra ista profecta sunt noctu,

¹ Sensus est, Gorgias volens contra Jehudæos infesto agmine procedere cum sex hominũ millibus, duces adhibuit itineris, quibus auctoribus Jehudæos, numero paucos, inermes, & inopinantes aggressus opprimeret, nihil necesse ratus, ut tota castra ad istud consilium efficiendum moverentur; ut apparet ex vers. 6.

² id est, hi sex mille viri duce Gorgia.

2 Ut irruentes in castra Jehudæorum cæderent eos repentè: erántque ipsi ᵃ incolæ ³ montis duces itineris illi.

ᵃ *Græc. filii summitatis, sive promontorii.*

³ id est, arcis in civitate Davidis præsidiarii, de quibus infrà vers. 41.

3 Quod audiens Jehuda profectus est ipse ac ⁴ potentes illi ad percutiendum copias regis, quæ erant Emmaunte.

⁴ qui ad Jehudam fuerant congregati, suprà 3. 44.

4 Atque adhuc quidem illius copiæ erant dispersæ a castris,

5 Quum veniens Gorgias in castra Jehudæ noctu, nemine invento, quæsivit eos in montibus; nam dicebat, fugiunt isti a nobis.

6 Simulac autem illuxit dies, visus est Jehuda in campo ipso cum tribus virorum millibus: verumtamen tegumenta gladiósque non habebant pro voluntate sua.

7 Quum itaque aspicerent castra gentium fortia loricatis hominibus, & equitatum circumstantem ea, qui quidẽ periti erant ᵇ rei militaris,

ᵇ *Græc. belli.*

8 Dixit Jehuda viris qui erant cum ipso, ne timeatis multitudinem istorum, & impetum istorum ne formidetis:

9 Mementote ut servati sunt majores nostri in mare rubro, quando persequebatur eos Parho instructus copiis.

10 Nunc ergo inclamemus ᶜ Deum cæli, si miserebitur nostri; & recordatus federis majorum conteret castra ista hodie in conspectu nostro:

ᶜ *Græc. cælum. synecdoche: sic deinceps.*

11 Ut cognoscant omnes gentes, esse qui liberet & servet Jisraëlem.

12 Attollentes autem alienigenæ oculos suos quum vidissent illos ex adverso venientes,

13 Exiverunt e castris in prælium; & clanxerunt qui *erant* a Jehuda.

14 Quúmque fuissent congressi, gentes illæ contritæ sunt, diffugerúntque in campum:

15 Extremi verò omnes ceciderunt gladio; quos

quos persequuti sunt ad [5] Schedemothas usque, & usque ad campos Edomææ, Aschdodúmque & Jamniam; cecidérúntque ex eis quasi ter mille viri.

16 Reversus autem Jehuda & copiæ ejus a [d] persequutione illorum,

17 Edixit populo, ne concupiscatis spolia; [e] hostes enim *sunt* ex adverso nostri,

18 Gorgias, inquam, & copiæ ejus in monte isto *sunt* prope nos; sed state nunc contra inimicos nostros, & expugnate illos; postea verò liberè spolia illorum capite.

19 Absolvente adhuc Jehuda ista *eloqui*, apparuit pars quædam prospiciens e monte:

20 Quæ vidit in fugam versos fuisse *suos*, & *Jehudæos* succendere castra sua: nam fumus qui spectabatur demonstrabat factum.

21 Illi autem videntes ista timore perculsi sunt valdè; & simul videntes Jehudæ castra in campo parata ad prælium,

22 Fugerunt omnes in regionem alienigenarum.

23 Itaq; Jehuda reverso ad spolia castrorum, acceperunt aurum multum & argentum, & [f] hyacinthinas vestes, & infectas purpura marina, & divitias magnas:

24 Deinde reversi laudarunt & benedixerunt Deo cæli, eò quòd bonus sit, quod in seculum misericordia ejus:

25 Effectáq; est salus magna Jisraëli die illo.

26 Quicumq; autem alienigenarum conservati sunt, advenientes renunciarunt Lysiæ omnia quæ acciderant:

27 Et ille audiens confusus est, & abjecit animum, quòd ea non essent facta Jisraëli quæ voluerat, neque evenissent ea quæ rex ipsi mandaverat.

28 Sequente autem anno collegit virorum lectissimorum sexaginta millia & quinquies mille virorum equitatum, ut expugnaret eos:

29 Venientésque in Edomæam castra fecerunt [6] Beth-tzuræ, quibus occurrit Jehuda cum decies mille viris,

30 Et videns castra illorum fortia, oravit dicens, benedictus es servator Jisraëlis, qui contrivisti impetum potentis per [g] servum tuum Davidem, & tradidisti castra alienigenarum in manus Jonathanis filii Schaülis, & armigeri ipsius.

31 Conclude castra ista in manu populi tui Jisraëlis, & confundantur in copiis & equitatu suo:

32 Inde illis metum, & lique fac [h] audax robur illorum, commoveantúrque contritione ipsorum:

33 Dejice ipsos gladio amantium te; & laudent te omnes qui cognoscunt nomen tuum, hymnis.

34 Tum congressi sunt inter se, ceciderúntq; ex castris Lysiæ ad quinquies mille viros, ceciderunt inquam ex adverso istorum.

35 Videns autem Lysias fugam quæ fuerat sui exercitus, & factum audax Jehudæ, atque ut parati sunt vivere aut mori generosè, profectus in Antiochiam exteros collegit; multiplicatóque exercitu qui fuerat confectus, cogitavit oportere ut instauratus rediret in Jehudæam.

36 [7] Dixit autem Jehuda & fratres ejus, ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus ad purificandum locum sanctum, & instaurandum denuò:

37 Congregatísque castris totis ascenderunt in montem Tzijonis:

5 fructiferos agros Moabitarum, quos celebres fuisse testatur Jeschah. 16. 17. vox autem Hebraica postea invaluit, & in nomen quasi proprium abiit; ex quo etiam montes Alsadami apud Ptolemæum in Geographicis fuerunt appellati. Est autem hic orientis tractus, ut ex sequentibus Edomæa terminus meridianus est, Aschdodum verò, id est, Azotus, &c. ab occidente sunt.

d *Græc. persequendo post eos.*

e *Græc. bellum; metonymia.*

f *Græc. hyacinthũ, & purpuram marinam.*

6 termino Jehudæ, cujus mentio est Jehosch. 15. 58. & infrà vers. 61.

g *Græc. manum servi.*

h *Græc. audaciam roboris.*

7 nempe quum primùm se vidit ab hostibus quiescere.

38 Ubi quum viderunt sanctuarium desolatum, & altare contaminatum, portásq; exustas, & in vestibulis plantas enatas tamquam in arboreto, aut in aliquo montium, [i] cellásq; dirutas:

39 Diffregerunt indumenta sua plangentes planctu magno, imposuerúntque cinerem capiti suo,

40 Et procidentes super faciem in terram clanxerunt [8] tubis [k] hoc significantibus, & inclamaverunt Deum cæli.

41 Tunc mandavit Jehuda viris ut oppugnarent eos qui erant [9] in arce, donec purificaret locum sanctum:

42 Et elegit sacerdotes inculpatos studiosos legis,

43 Qui purificarunt locum sanctum, & sustulerunt lapides contaminationis *exportantes* in locum immundum.

44 Quum autem consilium inirent de altari holocausti contaminato, quid eo facturi essent.

45 Accidit eis consilium optimum destruendi illud, ne fortè esset ipsis probro, quia gentes contaminaverant illud: & destruxerunt altare,

46 Reposuerúntque lapides illos in monte domus ipsius commodo loco *servandos*, donec Propheta adventaret ad [10] respondendum de illis:

47 ‖ Et acceptis lapidibus integris secundùm legem ædificaverunt altare novum ad *formam ejus* quod fuerat priùs.

48 Postea ædificatis locis sanctis interioribúsq; domus partibus, atria ipsa sanctificaverũt,

49 Et factis novis instrumentis sanctis intulerunt lychnuchum, & altare holocaustorum, ac thymiamatum, mensámque in templum.

50 Ita suffitum fecerunt in altari, & accenderunt lucernas impositas lychnucho, ut lucerent in templo:

51 Imposuerúntque mensę panes, & extenderunt aulæa, perfecerúntque omnia opera quæ curaverant.

52 Tum surgentes manè vigesimo quinto die mensis noni (is est mensis Cislev) anno centesimo quadragesimo octavo,

53 Obtulerunt sacrificium secundùm legem in altari holocaustorum novo quod fecerant pro tempore.

54 Quo die contaminaverant illud gentes, eodem fuit denuò instauratum cum canticis & citharis, cinyrísque & cymbalis:

55 Et procidentes omnes populares in faciem adoraverunt benedixerúntque Deo cæli, qui prosperum successum tribuerat ipsis.

56 Celebraverúntque hanc instaurationem altaris diebus octo, offerentes holocausta cum lætitia, & sacrificantes sacrificium [11] salutis & laudis.

57 Nam ornarunt [l] partem anteriorem templi coronis aureis, & scutulis, renovarúntque portas, & cellas, quum januas apposuissent eis.

58 Quum itaque fuisset lætitia magna in populo valdè, & aversum opprobrium gentium:

59 Statuit Jehuda cum fratribus suis, & tota ecclesia Jisraëlis, ut agerentur dies instaurationis altaris temporibus suis [m] quotannis, diebus octo, incipientibus a vigesimoquinto mensis Cislevi, cum lætitia & gaudio:

60 Et ædificarunt eodem tempore [n] *in* monte Tzijonis circumquaque muros altos, & turres

i *Græc. pastophoria.*

8 id est, iis instrumentis, eáq; forma, quæ imperatur lege, Num. 10.

k *Græc. significationum.*

9 id est, tertia parte opidi quæ ἄκρας nomen deinde habuit Græca appellatione: de qua suprà 1. 35. & 3. 45. & infrà 12. 36.

10 id est, docendum quid illis fieri oporteret. Simile est Hez. 2. 63.

‖ *Exod.* 20. 25.

11 id est, gratiarum actionis, quod pacificorum sacrificium vulgò appellarunt. Sic accipiendum esse evincit argumentum, itémq; Propheta Psal. 116. 13.

l *Græc. quod est in facie templi.*

m *Græc. annum secundùm annũ.*

n *Græc. montem.*

res

res præponentes, ne quando advenientes gentes proculcarent ea, ut fecerant priùs:

61 Mandaverúntq; exercitum qui [12]illic erat custodiis incumbere, postquam munivisset illud: & servare Beth-tzuram, ut haberet populus munitionem, ex adverso Edomææ.

CAPUT V.

1 ‖ Fuit autem, quũ audissent gentes in circuitu ædificatũ esse altare, instauratúmq; denuò sanctuarium, ut priùs, ut irascerentur valdè:

2 Ineuntésq; consilium de tollendo genere Jaĥakobi, eos qui erant in medio sui, inciperent morte afficere, & tollere aliquos e populo.

3 Quamobrem expugnavit Jehuda, bellum gerens in [a] posteros Hesaui in Edomæa, regionẽ [1] Hakrabbatenam quia circumsedebant Jisraëlitas, & percussit eos plaga magna, eosq; in arctum compellens cepit spolia eorum.

4 Deinde recordatus malitiæ [2] filiorum Hakanis, qui fuerant populo [b] laqueus & offendiculum, struendo eis insidias per itinera;

5 Postquam inclusi fuissent ab eo in turres castra metante contra illos, internecioni devovit illos, & incendit turres illius *regionis* igne, cum omnibus quæ erant in eis.

6 Inde transmeavit in Hammonitas, ubi invenit manum fortem, populúmq; multum cum Timotheo duce ipsorum.

7 Eo autem cum illis congresso præliis multis, contriti sunt a cõspectu ejus, ita percussit eos.

8 Quumq; cepisset priùs [3] Jaĥzerum & pagos illius, reversus est in Jehudæam.

9 Congregatæ sunt autem gentes quæ *erant* in regione Gilĥadis contra Jisraëlitas, qui erant in finibus ipsorum, ad tollendum ipsos.

10 Quamobrem fugerunt in munitionem [4] Dathema, miseruntq; literas ad Jehudam & fratres ejus, dicentes,

11 Congregatæ sunt contra nos gentes quæ circumstant nos ad tollendum nos, atq; se comparant ut venientes occupent munitionem in quam confugimus; & Timotheus dux est exercitus ipsarum.

12 Nunc igitur veniens eripe nos e manu ipsarum: nam [c] ceciderunt e nobis multi:

13 Et omnes fratres nostri qui erant in partibus [5] Tobi, morte affecti sunt, & captivas abduxerunt uxores ipsorum, liberósq; eorum & ipsam supellectilem, postquam peremissent illic ad mille viros.

14 Quum adhuc literæ istæ legerentur, ecce nuncii alii advenerunt ex Galileą disruptis vestibus renunciantes in hanc sententiam,

15 Dicentésq; convenisse contra se ex [6] Ptolemaide, Tyróq;, & Tzidone, & Galilæam totam [7] repletam esse alienigenis, ut consumant nos, *inquiebant illi.*

16 Quum autem Jehuda populúsq; audivisset sermones istos, cõgregata est ecclesia magna ad consulendũ quid facturi essent fratribus suis, qui erant in afflictione, & oppugnabantur ab illis:

17 Dixitq; Jehuda Schimĥoni fratri suo, elige tibi viros, & profectus libera fratres tuos qui *sunt* in Galilæa: ego verò & Jonathan frater meus proficiscemur in regionem Gilĥadis.

18 Ita reliquit Josephum filium Zecarjæ & Hazarjam, duces populi, cum reliquis copiis in Jehudæa ad custodiam:

19 Quibus mandavit dicens, præeste huic populo, ac ne committite prælium in gentes, donec reversi fuerimus.

20 Quum ergo distributi essent Schimĥoni viri ter mille, qui proficiscerentur in Galilæam; Jehudæ verò viri octies mille *profecturi* in regionem Gilĥadis:

21 Profectus Schimĥon in Galilęam commisit prælia multa contra gentes, & contritis gentibus a conspectu suo persequutus est eos ad portas usque Ptolemaidis;

22 Adeò ut caderent ex gentibus ad viros ter mille: ceperúntq; spolia earum.

23 Et assumentes alios e Galilæa, etiam qui in [8] Harbathis *erant*, cum uxoribus liberisq;, & quæcunque erant ipsis, abduxerunt ea in Jehudæam cum lætitia magna.

24 Jehuda verò Macbęus, & Jonathan frater ejus quum trajecissent Jardenem, profecti sunt itinere trium dierum in deserto:

25 Ubi occurrerunt Nabathæis, qui obviam venientes illis pacificè enarraverunt illis omnia quæ acciderant fratribus ipsorum, in regione Gilĥadis,

26 Et multos ex eis cõprehensos esse [9] Botzræ, & Betzeri, [10] Mallæ, Cheschbone, [11] Maĥacathæ, & Karnajimis, quæ omnes civitates munitæ sunt & magnæ.

27 In cæteris quoque civitatibus Gilĥadis comprehensos esse; ac postridie statuere irruptione facta contra munitiones eas occupare, deinde verò tollere omnes illos die uno.

28 Quamobrem convertit Jehuda cum castris suis viam ad desertum in Botzram repentè, & capiens civitatem occidit omnem masculum [d] acie gladii, & acceptis omnibus spoliis eorum incendit eam igne.

29 Inde verò movens nocte profectus est tamquam in munitionem *iturus esset.*

30 Sed quum illuxisset, sublatis oculis ipsorum, ecce populus multus atque innumerus attollebant scalas & machinas ad capiendum munitionem, & bello petebant eos.

31 Videns autem Jehuda inceptum esse prælium, clamore civitatis ascendente in cælum usque tubis & voce magna, dixit viris copiarum,

32 Pugnate hodie pro fratribus vestris:

33 Et procedentes trib⁹ ordinib⁹ a tergo illorũ clanxerunt tubis, & inclamaverunt oratione.

34 Agnoscentia verò castra Timothei Macbæum esse, fugerunt a conspectu ejus, & percussit eos plaga magna, adeò ut ceciderint ex eis die illo ad octies mille viros.

35 Postea declinans Mitzpam oppugnavit eam, & occupavit eam, occidit omnem marem ejus, acceptisq; spoliis ejus incendit eam igne.

36 Inde movens occupavit Cheschbonem, Maĥacatham, Betzerum, & reliquas civitates regionis Gilĥadis.

37 [e] His autem rebus gestis congregavit Timotheus castra altera, & castra metatus est ex adverso [12] Rephanis trans torrentem;

38 Jehuda verò misit qui explorarent castra hi renunciarunt ei dicentes, congregatæ sunt ad eos omnes gentes quæ circumstant nos, copiæ multæ admodum:

39 Arabas etiam conduxit ad auxilium suum, & castra habent trans torrentem, parati venire ad pugnandum contra te. Profectus est itaque Jehuda obviam eis.

40 Dixit verò Timotheus principibus copiarum suarum, quum appropinquaret Jehuda & castra

[12] nempe Beth-tzurę Edomęam versus, ut sup. ver. 29.

‖ 2. *Macb.* 12.
[a] *Græc. filios.*
[1] i. regionem populorum qui Hakrabbæi dicebantur Jehudææ conterminam, ut constat ex Num. 34.4. Jehosch. 15.3. & Judic. 1.36.
[2] hunc locum ita legendum esse, res ipsa loquitur: nam Beanis, sive (ut apud Josephum legitur) Bavanis, scriptura nusquã meminit: sed librariorum imperitia duas voces in unam cõtraxit, qui pro Beneĥakan scripserunt Bavan. Fuit autem Hakan Etzeri filius, Gen. 36. 27. qui idem Jaĥakan 1. Chron. 1.42. Unde filii Jaĥakanis dicti sunt populi Edomææ Num. 33. 31. & 32. Et Deut. 10.6.
[b] *Græc. in laqueũ & offendiculum.*
[3] legitur quidẽ in cõtextu Gręco Gazer, quem sequutus est Hieronymus; sed Gezer sive Gazer ab hoc tractu situm est longissimè, ut apparet ex Jehosch. 16.3. & 10. & Judic. 1.29. & alibi passim. Quamobrem locum hunc ex Josepho Græco confirmamus hoc modo legendũ esse. De hoc autem opido vide Num 21.32. & 32.1.
[4] i. meo judicio, Rithma, cujus meminit Mosche Num. 33.18. & 19 Nam *d* in *r* apud Hebræos commutari non est insolens, ut Dodanim, Rodanim Gen. 10.4. & 1. Chron. 1.7.
[c] *Græc. cecidit e nobis multitudo.*
[5] sic restituimus locum ex Judic. 11.3. & 5. & 2. Schem. 10.6. & 10. Nam hæc regio dicitur Tob, & Syriæ attribuitur in scriptura sacra, atque inde Tubiani Jehudæi, 2. Macb. 12. 17.
[6] quæ Hebræis dicitur Haco, ut legitur Judic. 1. 31. [7] vocem hanc ex Hieronymo supplere non dubitavimus, ut omnino necessariam.

[8] propriè dicendum fuisset Harabothis, ut infrà 9.2. i. locis campestribus: campum magnũ appellat infrà 12.49. Quo nomine Hebræi planities, quibus impendent mõtes, soliti sunt designare.
[9] hæc nomina cùm ex Josepho, tum ex historiæ sequentis comparatione, inprimis verò scripturæ sacræ sic restituimus. Est autem Botzra Edomæorum metropolis, Jesch. 63.1. Betzer verò vel Botzra quoque Moabitarum opidum, olim ad Reübenitas pertinens, Meraritis assignatum. vide Jirm. 48.24.
[10] sic legimus ex Josepho. Est autem Malle propriè munitio, quam Jureconsulti clausuram vel clusuram vocant; eademq; vocatur Mitzpa Moabitarum, 1. Schem. 22.3. ut confirmatur infrà vers. 35.
[11] i. opidum Maĥacathæi, habitantis in finibus Gilĥadis, de quo populo Deut. 3.14. Jehosch. 12.5. & alibi passim. Cheschbonis verò nomen pervulgatum est Karnajima Mosche nominavit Gen. 14. vers. 5.
[d] *Græc. ore: sic deinceps.*
[e] *Græc. post hæc autem verba.*
[12] vel Raphonis, quam civitatem Remphanem vocat Stephanus Act. 7.43.

castra ejus ad torrentem aquæ; si trajecerit ad nos prior, non poterimus sustinere eum; sed [f] omnino potentior erit nobis:

f *Græc. potens, potentior.*

41 Sin autem formidaverit, & castra fecerit trans fluvium, trajiciemus ad eum, erimusq; potentiores eo.

42 Sed ubi appropinquavit Jehuda ad torrentem aquæ, stitit populi scribas ad torrentem, & mandavit eis dicens, ne sinatis [g] ullum hominem castra ponere; sed veniant omnes in prælium.

g *Græc. omnem.*

43 Ita trajecit in illos prior, totúsq; populus ipsius post ipsum, & contritæ sunt in conspectu ejus omnes gentes, quæ abjicientes arma sua fugerunt in [13] fanum, quod est Karnajimis.

13 Atergatium, ut appellatur 2. Macb. 12. 26.

44 Occupantes autem civitatem, fanum ipsum incenderunt igne cum omnibus quæ erant in eo. Sic eversa est urbs Karnajimorum, quum non potuissent amplius sustinere in conspectu Jehudæ.

45 Tunc abduxit Jehuda omnes Jisraëlitas qui *erant* in regione Gilhadis, [h] tam parvũ quàm magnum, & uxores eorum, liberosq; eorum & supellectilem, castra magna admodum, ut venirent in terram Jehudæ.

h *Græc. a parvo ad magnum.*

46 Quum autem venissent [14] Hephronem usque (quæ civitas est magna in ipso ingressu, munita valde, non poterat declinari ab ea dextrorsum aut sinistrorsum: sed per medium ejus eundum erat)

14 civitas est (ut docet ratio itineris) ad Midjanitas pertinens, dicta (opinor) ab Hephero Madjanis filio, Gen. 25. 4. & 1. Chron. 1. 33.

47 Excluserunt eos cives,

48 Et obstruxerunt portas lapidibus.

49 Misit verò ad eos Jehuda verbis pacificis, dicens,

50 Transibo per terram tuam, ut abeamus in terram nostram: nemo autem malè faciet vobis; tantummodò pedibus transibimus: sed noluerunt aperire ei.

51 Quamobrem mandavit Jehuda, ut pronunciaretur in castris irrumpendum esse cuique ab eo quo erat loco; & irruperunt viri copiarum, oppugnaverúntq; civitatem toto die illo & tota nocte, donec tradita est civitas in manus ipsorum:

52 Et perdidit omnem masculum acie gladii, funditúsq; eversa illa accepit spolia ejus, & pervasit per civitatẽ super eos qui occisi erant. Inde trajecerunt Jardenem in campum magnum, qui ex adverso [15] Beth scheanis *est*.

15 civitatis ad Menaschè pertinentis, quę postea a Scythis Asiam obtinentibus appellata fuit Scythopolis: vide Jehosch. 17. 11. & Judic. 1. 27.

53 Jehuda verò [i] agens extremam aciem, adhortabatur populum in tota via, donec venisset in terram Jehudæ.

i *Græc. colligens extremos; Hebraismus, ut Num. 10. 25.*

54 Tunc ascenderunt in montem Tzijonis cum lætitia & gaudio, obtulerúntq; holocausta, eò quòd non cecidisset ex ipsis ullus, donec reversi essent cum pace.

55 Diebus autẽ illis, quibus erat Jehuda cum Jonathane in regione Gilhadis, & Schimhon frater ejus in Galilæa ex adverso Ptolemaidos;

56 Audiens Joseph filius Zecarjæ & Hazarja principes copiarum reliquarum strenua facinora & res bellicas, quas effecerant, dixerunt,

57 [k] Comparemus nos quoque nobis ipsis nomen, & proficiscamur ad oppugnandum gentes, quæ circumstant nos:

k *Græc. faciamus.*

58 Præceptóq; dato viris copiarum quę *erant* cum ipsis, profecti sunt contra Jamniam.

59 Egressus verò Gorgias e civitate est, & viri ipsius obviam eis in prælium.

60 Ita versus in fugam Josephus & Hazarja persequentibus illis propulsati sunt ad terminos usque Jehudææ, ceciderúntq; die illo e populo Jisraëlis ad bis mille viros: adeò fuit fuga magna in populo Jisraëlis;

61 Eò quòd non audivissent Jehudæ & fratribus ejus, existimantes se facturos facinus.

62 Isti autem non erant de semine virorum illorum, quorum operâ salus data est Jisraëli.

63 Itaque vir ille Jehuda & fratres ejus gloriam consequuti sunt valdè coram toto Jisraële, gentibúsq; omnibus, ubi audiebatur nomen ipsorum:

64 Adeò ut congregatæ eos accederent acclamantes fausta.

65 Deinde procedens Jehuda & fratres ejus, ut oppugnarent Edomæos qui erant [16] in regione Meridiana, percussit Chebronem, & [l] villas illius,

16 i. in parte Jehudææ quæ Meridiem spectat ab Edomęis occupata.

l *Græc. filias.*

66 Et sublata munitione illius, postquam turres illius incendit circumquaque, castra movit profecturus in terram alienigenarum, transivitq; [17] Schahárajima:

17 Græcè quidem legitur Samariam: sed absurdum est planè Samariam constitui in tractu Meridiano Jehudæ. Quamobrem nos hanc vocem reposuimus ex Jehosch. 15. 36. hic, & 2. Macb. 22. 36.

67 Quo tempore ceciderunt sacerdotes civitatum sine consilio, volente ipso facinus strenuum efficere quum processisset in prælium.

68 Declinavítque Jehuda in Aschdodum *in* terram alienigenarum, quorum altaria destruxit, & sculptiles Deos combussit igne: quúmq; cepisset spolia civitatum, reversus est in terram Jehudæ.

CAPUT VI.

1 [‖] Rex autem Antiochus pervadens [1] superiores regiones quum audisset esse in [2] Elymaide quæ est in Perside, [3] civitatem nobilem divitiis, argento & auro;

‖ *2. Mac. 9.*

1 Ex consilio capto sup 3. 31.

2 regio est, quã Eulæus amnis a Susiane distermina, & Oroatis a reliqua Persidis parte: quæ regio tota palustris, quia ab Historicis ferè extra Persidem collocatur, quũ tamen sit pars illius, propterea auctori visum est eam hoc pacto circumscribere.

3 Persepolin, ut appellatur 2. Macb. 9.

2 Et [4] templum quod erat in ea, esse opulentum valdè, ibiq; esse tegumenta aurea, & thoraces, & arma, quæ reliquerat ibi Alexander filius Philippi rex Macedo, qui regnaverat primus [a] Græcorum illic:

4 Dianæ, ut Josepho placet, quæ Nanæa dicitur 2. Macb. 1. 13.

a *Græc. in Græcis.*

3 Venit quærens occupare civitatem, & deprædari eam; sed non potuit, quia innotuerat hic sermo civibus.

4 Quamobrem insurgentes in eum [b] prælio infestarunt eum, & fugiens movit inde cum tristitia magna, reversus Babylonem.

b *Græc. in prælium.*

5 Venit autem quidam in Persida, qui nunciavit ei, in fugam versa esse castra quæ profecta erant in terram Jehudæ;

6 Et profectum Lysiam cum copiis potentibus inprimis fuisse in fugam versum a conspectu eorum, eosq; invaluisse armis & copiis, & spoliis multis, quæ ex illis castris ceperant quum Jehudæi concidissent ea,

7 Et diruisse abominationem quam ædificaverant in altari, quod erat Jeruschalaimis, & sanctuarium sicut illud quod antè fuerat circumdedisse muris altis, & Bethtzuram civitatem suam.

8 Fuit verò quum audivisset rex sermones istos, ut consternaretur & commoveretur valdè, adeò ut decumbens lecto incideret in infirmitatem ex tristitia, quòd factum non fuisset ipsi sicut cogitaverat.

9 Itaque fuit illic diebus multis, eò quòd renovata esset in ipso tristitia magna.

10 Et arbitratus se jamjam moriturum, advocavit omnes amicos suos, & dixit eis, abscessit somnus ab oculis meis, & concidi animo ex solicitudine,

11 Dicens cum animo meo, quousq; afflictionis devéni, & fluctus magnĩ quo nũc jactat[a] sum!

12 Nam

12 Nam [5] utinam bonus & dilectus fuissem in [e] regno meo. Nunc autem recordor malorum quæ feci Jeruschalaimis, accipiens omnia instrumenta aurea & argentea quæ in eis sunt, & mittens qui tollerent habitatores Jehudę sine causa.

13 Agnosco, propter ista obvenire mihi mala hæc: nam ecce pereo tristitia magna in regione aliena.

14 Tunc advocans Philippum unum ex amicis suis præfecit eum toti regno suo:

15 Et tradidit ei diadema, & stolam suam, & annulum, ut agens Antiochum filium ipsius educaret eum ad regnandum.

16 Ita mortuus est illic Antiochus rex anno centesimo quadragesimo nono:

17 Et cognoscens Lysias mortuum esse regem, instituit Antiochum filium illius qui regnaret pro eo, quem educavit juvenem, & imposuit ei nomen Eupatoris.

18 [6] Qui autem ex arce erant, concludebant Jisraëlitas circa sanctum locum, & procurantes *populo* huic mala semper, & firmamentum gentibus.

19 Quapropter rationem iniens Jehuda tollendi eos, congregavit universum populum, ut circumsideret eos.

20 Qui congregati simul, obsidionem instituerunt in eos anno centesimo quinquagesimo, fecítq; contra eos Jehuda [7] stationes pro ballistariis & machinas.

21 Prodeuntes autem ex ipsis e clausura sua quidam impii ex Jisraële qui adhæserant ipsis, & profecti ad regem dixerunt,

22 Quousque non exercebis judicium, aut ulcisceris fratres nostros?

23 Nobis placuit servire patri tuo, & ambulare in viis quæ indicebantur ab ipso, & obsequi præceptis ejus, quamvis ii qui ad istum populum pertinent hujus rei causa a nobis alienarentur:

24 Quin etiam quicunque inveniebantur ex nobis morte afficiebantur, & possessiones nostrę diripiebantur:

25 Neque in nos solùm injiciebant manum, sed etiam in omnes terminos suos.

26 Ecce autem castra fecerunt hodie contra arcem Jeruschalaimorum ut capiant illam; & locum sanctum, itémq; Bethtzuram muniverunt.

27 [8] Quòd si non anticipaveris eos celeriter, majora istis facient, neq; poteris continere eos.

28 Tunc iratus rex quum audivisset, congregavit omnes amicos suos principes copiarum suarum, & [d] magistros equitum:

29 Et a regibus aliis atque ab insulis maris venerunt ad eum mercenariorum copiæ,

30 Adeò ut esset numerus copiarum ejus centies mille peditum, & vicies mille equitum, elephantorúmq; triginta duorum, peritorum [e] rei bellicæ.

31 Tum venientes per Edomæam castra fecerunt contra Bethtzuram, quā oppugnaverunt dieb' multis, factis machinis; sed egressi opidani incenderunt eas igne, & pugnaverunt viriliter.

32 Movens itaque Jehuda ab arce, posuit castra ad [8] Bethzecarjam e regione castrorū regis:

33 Rex verò manè surgens movit castra impetu contra viam Bethzecarjæ, ubi distributæ copiæ ad prælium clanxerunt tubis.

34 Quúmq; elephantibus ostendissent sanguinem uvæ & mororum, ut instituerent eos ad prælium;

[5] id est, utinam me ita gessissem in meos subditos, ut illis benefaciens amorem omnium mihi conciliavissem.
[e] *Græc. potestate.*
[f] *2. Mac.* 10.11.
[6] id est, præsidiarii milites Antiochi, qui Acram tertiam Jeruschalaimorum partem obtinebant, & ex ea impetum cōtra Jehudæos faciebant, & deprehendebant multos ad civitatem sanctam venientes.
[7] id est, vineas ornatas cervis, pluteis, aliisq; veterum instrumentis, quibus ballistarii ab hostium telis defendebantur, ut infrà vers. 51.
[g] *2. Mac.* 11.
[d] *Græc. qui præsunt habenis.*
[e] *Græc. belli.*
[h] *2. Mac.* 13.
[8] nomen loci est, quod alibi non legitur, distitum ab hostibus stadiis septuaginta, teste Josepho lib. 12. cap. 14. inter Bethzuram & Jeruschalaima.

35 Diviserunt bestias in phalangas, & constituerunt cuique elephanti mille viros loricatos annulis ferreis, cum galeis æneis in capitibus ipsorum: & quingenti equites ordinati sunt ad unamquamque bestiam lectissimi.

36 Hi opportunissimè ubicumque erat bestia aderant; & quocumque proficiscebatur, proficiscebantur simul; non discedebant ab ea.

37 Turres quoque ligneæ super eas firmæ; & obtegentes unamquamque bestiam erant accinctæ super ea machinis; & in unaquaque viri triginta duo pugnantes ab eis, [9] cum Indo *magistro* bestiæ.

38 Reliquum verò exercitum hinc & inde statuerunt in duabus partibus duces [f] agentes *eum*, & circumsepti phalangibus;

39 Adeò ut sole super aureos clypeos fulgente, fulgerent montes ab eis, & resplenderent ut lampades ignis.

40 Fuit autem extensa pars quædam castrorum regis ad excelsa montium, & quædam ad humilia loca; ita procedebant securè atque ordinatè,

41 Commovebanturq; omnes qui audiebant sonum multitudinis eorum & incessum multitudinis, & collisionem armorum; erant enim castra magna admodum atque valentia.

42 Appropinquante autem Jehuda & castris ejus in aciem, ceciderunt ex castris regis sexcenti viri.

43 Videns verò Elhazar [10] Habaran unam ex bestiis loricatam loricis regiis, quæ erat superior omnibus aliis bestiis; eò quòd videbatur ipsi in ea esse rex,

44 Exposuit se ipsum ut servaret populum suum, & compararet sibi nomen æternum;

45 Incurrénsq; in eam audacter per medium phalangis quum morte affecisset a dextera sinistráq;, adeò ut discinderentur ab eo hinc & inde,

46 Subiit sub elephantum illum, & supponens se ei occidit eum, cecidítq; in terram super ipsum & illic [11] mortuus est.

47 Quumq; vidissent potentiam regis & impetum copiarum, [12] declinaverunt ab eis.

48 Qui autem ad castra regis pertinebant ascenderunt adversus eos Jeruschalaima, ut castra poneret rex in Jehudæam & in montem Tzijonis;

49 Postquam facta pace cum Bethtzuranis exiissent e civitate (nam non erat ibi commeatus ipsis ut conclusi manerent in ea, quia sabbathum erat terræ)

50 Et accepisset rex Bethtzuram, & instituisset illic præsidium ad servandum eam.

51 Posuit ergo castra in locum sanctum diebus multis, & statuit illic stationes pro ballistariis machinásq;, & igni & lapidibus mittendis tormenta accommoda, & scorpiones ad injicienda tela, & fundas.

52 Fecerunt autem illi quoque machinas adversus machinas eorum, & præliati sunt diebus multis.

53 Cibaria verò non erant in vasis, quia septimus erat annus, & qui servati se receperant in Jehudæam à gentibus, comederant residuum [g] quod fuerat repositum.

54 Ita reliqui erant in locis sanctis viri pauci, quia prævalebat eis fames, & dispersi erant quisque in locum suum.

55 Sed quum audiret Lysias Philippum, quem constituerat Rex Antiochus quum adhuc viveret educare Antiochum filium suum;

56 Rever-

[9] id est magistro bestiæ (ut Hieronymus vertit) qui ex India cum elephanto unoquoque ad Antiochum venerat, ut imperium exerceret in belluam: nam Indicos elephantos supra Aethiopicos plurimum commendari testis est Livius: quorum magistri dicebantur Indi.
[f] *Græc. commoventes.*
[10] vide sup. 2. 2.
[11] Elhazar est elephante prostrato super ipsum.
[12] subducentes se Jeruschalaima, ut colligitur ex versu sequent.
[g] *Græc. repositiones.*

56 Revertisse à Perside & Media ut regnaret ipse, & copias regis quæ profectæ erant cum eo, & quærere ut cum negotiis *regnum* acciperet:

57 Festinaverunt & exstimulati sunt ut ex arce abirent; & dixerunt regi ducibúsq; copiarum & viris, deficimus in dies, & alimenta nobis sunt pauca; locus verò quem obsidemus munitus *est*, & incumbunt nobis negotia regni:

58 Nunc itaque jungamus dexteras viris istis, & faciamus cum eis pacem, & cum tota gente ipsorum;

59 Et constituamus eis ut ambulent ex lege sua sicut anteà. Nam propter legalia statuta sua quæ expulimus, irati sunt, fecerúntq; hæc omnia.

60 Placuit hic sermo coram rege & principibus; qui misit ad eos faciendæ pacis nomine, & acceperunt illi:

61 Quumq; juramento confirmasset eos rex & principes de illis, abierunt à munitione.

62 Rex autem ingressus in montem Tzijonis quum vidisset munitionem loci, abjecit juramentum quod fecerat, datóq; mandato evertit murum circumquaque.

63 Deinde movens diligenter reversus est ad Antiochiam, ubi invenit Philippum dominantem civitati, & oppugnans eum vi civitatem occupavit.

CAPUT VII.

1 ANno centesimo quinquagesimo primo, egressus [1] Demetrius Seleuci filius Roma, ascendit cum viris paucis in [2] civitatem maritimam, & regnavit illic.

[1] Ab historicis cognominatus Soter.

[2] nempe Tripolin Syriæ, ut a Josepho narratur, & 2. Macb. 14. sed illud caput est huic adversissimum.

2 Fuit autem quum venisset in domum regalem majorum suorum, comprehendentibus copiis ipsius Antiochum & Lysiam, quos ad ipsum adducerent,

3 Ut cognita re ab ipso diceret, ne mihi ostendatis facies eorum.

4 Ita quum occidissent eos copiæ, insedit Demetrius throno regni sui.

5 Venientes autem ad ipsum viri omnes iniqui & impii ex Jisraële, quorum dux erat Alcimus qui volebat sacerdotio fungi:

6 Accusaverunt populum apud regem dicentes, perdidit Jehuda cũ fratribus suis omnes amicos tuos, & nos disperserunt è terra nostra.

7 Nunc itaque mitte [a] aliquem cui habeas fidẽ, ut profectus videat perditionem totã quam effecit nobis, & regioni regis; puniatq; eos, & omnes qui ad hanc rem sunt adjumento ipsis.

[a] *Græc. virum.*

8 Eligens itaque rex Bacchidem amicum suum dominantem in regione transfluviali, & magnum in regno, fidúmq; regi, emisit eum;

9 Et Alcimum illum impium, cui instituit sacerdotium; mandavítq; illi ut efficeret vindictam in filios Jisraëlis.

10 Profecti autem ubi venerunt cum copiis multis in terram Jehudæ, misit legatos ad Jehudam & fratres ejus dolosè verbis pacis:

11 Sed non attenderunt sermonibus eorum; noverant enim venisse illos cum multis copiis.

12 Congregati verò sunt ad Alcimum & Bacchidem [b] scribæ congregatione magna, requisituri quæ justa videbantur,

[b] *Græc. congregatio scribarum.*

13 (Hi enim [3] Aschidæi primi fuerant in filiis Jisraëlis) & requisiverunt ab eis pacem.

[3] vide sup. 2. 42.

14 Dicebant enim, quidam sacerdos è semine Aharonis venit cum copiis istis, neque injuriam faciet nobis.

15 Et ille eos alloquutus est verbis pacis, juravítq; eis dicens, non procurabimus vobis mala, & [4] amicis nostris.

[4] id est, eis qui se nobis adjunxerint.

16 Sed postquam credidissent ipsi, comprehenderunt ex eis viros sexaginta; & occidit eos die uno, secundùm sermones illos, quos scripsit *Psaltes:*

17 [‖] Carnes sanctorum tuorum & sanguinem eorum effuderunt circum Jeruschalaima, nec fuit eis qui sepeliret ipsos.

[‖] *Psal. 79.*

18 Quamobrem accidit illorũ metus & terror in totum populum; dicebant enim, non inest veritas & jus istis: transgressi sunt enim pactum constitutum, & jusjurandum quod juraverant.

19 Movens itaque Bacchides Jeruschalaimis castra posuit [5] Bethzethæ, & mittens comprehendit multos ex hominib[9] transfugis qui erant cum ipso, & populares quosdam, quos mactavit projecitq; in magnam [c] foveam.

[5] vox Syriaca potius quàm Hebræa, locum olearum sonans. Videtur autem hic locus prope Mitzpam fuisse situs, de qua sup. cap. 3. Nam ad eum locum erat fovea magna, cujus meminit Jirm. 41. 7. & 9. eáq; ad custodiam primùm exstructa instar turris, ut receptaculum a prædonibus esset ac hostibus involantibus: vide 2. Mac. 13. 4.

[c] *Græc. puteum.*

20 Deinde committens regionem Alcimo dimisit cum eo copias auxilio futuras ei, & abiit Bacchides ad regem.

21 Contendebat autem Alcimus de principatu sacerdotii:

22 Et congregati ad ipsum omnes qui turbabant populum suum, obtinuerunt terram Jehudæ, & plaga magna affecerunt Jeruschalaima.

23 Quamobrem videns Jehuda omne malum quo afficiebat Alcimus & qui erant cum eo filios Jisraëlis, suprà quàm gentes,

24 Egressus in omnes terminos Jehudææ circumquaq; fecit ultionem de viris illis qui transfugerant, & contracti sunt ne in regionem ampliùs proficiscerentur.

25 Ut autem videns Alcimus prævalere Jehudam & comites ejus agnovit se non posse sustinere eos, reversus ad regem accusavit eos [d] pessimè.

[d] *Græc. malerum.*

26 Quapropter misit rex Nicanorem unum nobilium suorum principum, odio habentem & infestum Jisraëli, dans in mandatis ei ut tolleret populum.

27 Et veniens Nicanor Jeruschalaima *instructus* copiis multis, misit ad Jehudam & fratres ipsius dolosè verbis pacis, dicens,

28 Ne esto bellũ inter me & vos; veniam cum viris paucis, ut videam vos in faciem cum pace.

29 Ita venit ad Jehudam, & salutarunt alter alterum pacificè: sed hostes erant parati ut abriperent Jehudam:

30 Quæ res quum innotuisset Jehudæ, eum dolosè venisse ad ipsum; deterritus est [e] ne ampliùs congrederetur cum eo, nec voluit ampliùs videre faciem ejus.

[e] *Græc. abes.*

31 Agnoscens itaque Nicanor retectum esse consilium suum, processit obviam Jehudæ juxta [6] Cephar-salma.

[6] pagum in Samaritano agro.

32 Cecideruntq; eorum qui erant a Nicanore quasi quingenti viri; ita fugerunt in civitatem Davidis.

33 His autem rebus gestis, & ascendente Nicanore ad montem Tzijonis; processerunt è loco sancto quidam è Sacerdotibus & è Senioribus populi, salutaturi ipsum cum pace, & demonstraturi ei holocaustum quod offerebatur pro rege.

34 Verùm subsannans eos ludificatus est eos, & polluit eos loquutus superbè,

35 Juravítq; cum furore dicens, nisi tradatur Jehuda cum castris ipsius in manus meas nunc, erit quum rediero in pace, ut incendam domum istam; exivítq; actus furore magno.

36 Ingressi verò sacerdotes steterunt [f] ante altare

[f] *Græc. in conspectu.*

altare & templum, fleverúntq; dicentes:

37 Tu elegisti domum hanc, ut vocetur de nomine tuo, ut sit domus orationis & obsecrationis populo tuo.

38 Fac ultionem de homine isto, & de castris istius, corruantq; gladio, memento blasphemiarum istorum, ac [6] ne sinito eos consistere.

39 Egressus autem Nicanor Jeruschalaimis castra posuit in Beth-chorone, ubi occurrerunt ei copiæ Syriæ.

40 ‖ Jehuda verò castra fecit [7] Hadasis cum tribus virorum millibus, & orabat Jehuda dicens,

41 ‖ Quùm legati a rege missi blasphemarunt, procedens angelus tuus percussit ex eis centum octoginta quinque millia:

42 Ita contere castra ista coram nobis hodie, & agnoscant reliqui illos malè obloquutos esse loco sancto tuo; & judica istum secundùm malitiam ipsius.

43 Congressis itaque castris in prœlium decimo tertio Adaris mensis, contrita sunt castra Nicanoris, & ipse primus in prælio concidit.

44 Quum autem viderunt castra ejus mortuum esse Nicanorem, abjectis armis suis fugerunt.

45 Eósque persequuti sunt *Jehudæi* itinere diei unius Hadasis usque quò venitur [8] Gezerum, ubi clanxerunt tubis [h] adsignificantibus post ipsos.

46 Egressi autem ex omnibus vicis Jehudææ *incolæ* circumquaque, [9] feriebant illos, adeò ut [10] revertentes hi ad illos caderent omnes gladio, nec reliquus fieret ex eis vel unus.

47 Ita acceperunt spolia prædámque, caput verò Nicanoris amoventes, & dexteram ejus quam extenderat superbè, detulerunt, & suspenderunt ad Jeruschalaima.

48 Unde lætatus populus valdè, agitaverunt diem illum diem lætitiæ magnæ:

49 Instituerúntq; celebrari quotannis diem illum decimo tertio Adaris.

50 Et quievit terra Jehudæ diebus paucis.

[6] *Græc. ne dato eis mansionem.*
‖ 2.Mac. 15.
[7] hanc vocem ex locorum cõparatione eamdem esse cum Hatroth Adaris, conjicimus, qui locus situs est inter Jeruschalaima & Gezerum in tribu extrema Ephrajimi Jehosch. 16. 9. & 18.13. quamobrem Hieronymus Adarsa legit, non autem Adasa, quę vox appellatione Syrica respondet alteri Hebraicę: nam Hadasim Hebræis sunt myrti quibus videntur Hatroth Adaris abundasse, & ex eo nomen habuisse quòd myrtuosi essent.
‖ 2. Reg. 19.
[8] vide sup. in 5.8
[h] *Græc. significationum, ut suprà 4.40.*
[9] metaphora sumpta a cornupetis animantibus.
[10] Equum eos qui primi occurrebant fugerent Demetriani, & putarent sibi cõsulendum fuga, conferebant se in aliorum manus.

CAPUT VIII.

1 AUdiens verò Jehuda nomen Romanorum, eos valere robore, & eos placido animo acquiescere iis omnibus quæ proponebantur ipsis, & quicumque ad ipsos veniunt constituere cum eis amicitiam, denique valentes esse robore;

2 ([1] [a] Narratum enim fuerat ei de bellis ipsorum & robus strenuis quas gerebant apud Galatas, eos vi superasse, & effecisse sibi [b] tributarios,

3 Et quæcumque fecerant in regione Hispaniæ, ad obtinendum [c] fodinas metallicas auri & argenti, quæ in ea sunt;

4 Ut superaverant locum illum totum consilio suo & tolerantia, quamvis locus ille procul abesset ab ipsis valdè, & reges qui invaserant ipsos ab extremitate terræ, dónec cõtrivissent eos, postquàm percussissent eos plaga magna; utq; reliqui darent ipsis tributum quotannis:

5 Philippum quoque & Perseum Macedonum regem, & qui extulerant se in ipsos, ut eos contrivissent bello, & superavissent eos:

6 Itémq; Antiochum magnum, regem Asiæ, qui profectus erat in eos ad bellum habens centum viginti elephantes, & equitatum, & currus, copiásq; multas valdè, & attritus est ab ipsis:

7 Ut eum ceperint vivum, statuerintq; ut

[1] Ab hoc versu ad 17. usque cõtinuum est hyperbaton, quod nos propterea parentheseos notis inclusimus.
[a] *Græc. narraverant.*
[b] *Græc. sub tributum.*
[c] *Græc. metalla.*

ipsis daret cùm ille, tum qui reges futuri erant post illum, tributum magnum, datis obsidibus & [2] divisione instituta,

8 Qua [3] regione Iliacam, Mysiam, Lydiámq; & alias ex optimis regionibus illius acceptas ab illo dederant Eumeni regi:

9 Et quia Græci consilium inierant invadendi & tollendi ipsos, cognito sermone hoc ab ipsis,

10 Miserint in eos ducem unum, bellóq; afflixerint eos, adeò ut ceciderint ex eis confossi multi, multos verò captivos abduxerint, uxores eorum, liberósq; eorum; & deprædati illis obtinuerint terram eorum, eversis munitionibus eorum, ac deprædatis illis, servos effecerint eos in diem hunc usque,

11 Item ut reliqua regna & insulas, quæcumque obstiterunt ipsis, perdiderunt, & in servitutem compulerunt:

12 Cum amicis autem suis, & iis qui acquiescunt ipsis, eum iis conservare amicitiam, & obtinere regna propinqua & longinqua; & quicumque audiverunt nomen ipsorum, metuere sibi ab ipsis; quoscumque autem volunt adjuvare & tenere regnum, eos regnare;

13 Contrà verò quos voluerint, destituere: denique exaltatos esse valdè:

14 Atque propter hæc omnia, non imposuisse quemquam eorum diadema sibi, neque induisse purpuram, ut ea se magnificè gerat:

15 Sed senatum fecisse sibi, & quotidie consilium esse trecentorum viginti, consilia ineuntiũ semper de [d] republica, ut exornent eam:)

16 Tantùm credere uni homini, qui dominetur ipsis in annum & imperium habeat totius terræ ipsorum, & omnes ita auscultare uni ut nõ sit invidia, neque æmulatio inter ipsos:)

17 Elegit ergo Jehuda Eupolemum filium Jochananis, filii Hakkotzi & Jasonem filium Elhazaris, quos misit Romam ad cõstituendum cum ipsis amicitiam & societatem,

18 Et tollendum jugum suum a se; quia videbant regnum [4] Græcorum opprimere Jisraëlem servitute.

19 Itaque profecti Romam (erat autem iter multum admodum) & ingressi in senatum proloquuti sunt dicentes,

20 Jehuda Macbai & fratres ipsius, & respublica Jehudæorum nos miserunt ad vos, ut constituamus vobiscum societatem & pacem, & nos inscribamur sociis & amicis vestris:

21 Qui sermo placuit coram ipsis.

22 Atque hoc exemplum *est* illius epistolæ, quam rescripsit *Senatus* in tabulis æreis, & misit Jeruschalaima, ut esset apud eos illic monimentum pacis & societatis.

23 Quod faustum felíxq; sit Romanis, & genti Jehudæorum mari terráq; in seculum, gladiúsq; & hostis procul sit ab eis,

24 Quòd si exstiterit bellum in Romã priùs, aut in ullum sociorum ipsorum in tota ditione ipsorum;

25 Auxilium latura est gens Jehudæorum, prout tempus [e] præbebit ipsis, animo optimo:

26 Neq; dabunt, neq; subministrabunt hostibus oppugnantibus ipsos commeatum, arma, argentum, naves, ut visum fuerit Romanis; & custodient mandata eorum, [5] nihil accipientes.

27 Similiter verò si genti Jehudæorum evenerit priùs bellum, auxilium ferent Romani ex animo, ut ipsis oportunitas præbebitur:

28 Et oppugnantibus non dabitur cõmeatus, arma,

[2] divisionem illam intelligit quæ apud Liviũ, & Appianum Alexandrinum in Syriacis legitur; ut discederet Antiochus ab Europa omni, & Asia, quæ citra Taurum montẽ sunt, ut habent verba Publii, & Romanorum conscriptum, quod apud Appianum legimus; & sequens versus exponit.
[3] has voces in libris omnibus invenimus depravatissimas: sed confidimus ex veritate restitutas esse, si ita legeris: Nam Attalus rex ab Antiocho infestatus põpulum Rom. hæredem dixit; fratrem verò Eumenem aliqua hæreditatis parte aspersit: ita res illius plurimæ ad Romanos, quædam ad Eumenem fratrem ipsius translatæ sunt.
[d] *Græc. multitudine, ut vers. 20.*
[4] id est, Seleucidarum, ut suprà 1.11.
[e] *Græc. circumscriptum fuerit, sic vers. 27.*
[5] i. optima fide, & ab omni munere & corruptione libera; ut membrum antitheton accipi hæc verba oportere docet, infrà vers. 28.

arma, argentū, naves, ut visum fuerit Romanis: sed custodient mandata hæc, idq; [f] bona fide.

29 In hanc sententiam statuerunt Romani cum populo Jehudæorum *fœdus*.

30 Quòd si in posterum consilia inierint hi aut illi, addendi aut adimendi, facient [g] prout placuerit ipsis; & quicquid addiderint, ademerintve, id ratum futurum est.

31 De malis autem quæ rex Demetrius perficit in eos, scripsimus ei dicentes, Quamobrem [h] grave jugum imponis amicis nostris sociisq; Jehudæis?

32 Si ergo amplius interpellaverint nos *pro auxilio* contra te, faciemus eis jus, & te mari terráq; oppugnabimus.

f *Græc. non cum dolo.*

g *Græc. ex placito ipsorum.*

h *Græc. gravas jugum tuum in amicos.*

CAPUT IX.

Audiens verò Demetrius [1] fecisse Nicanorem & copias ejus bellum, perrexit Bacchidem & Alcimum secundò mittere in terram Jehudæ, & [2] cornu dexterum cum eis.

2 Profecti itaque via Gilgalem versus castra metati sunt contra [3] Cesulothas quæ *finis* in [4] Harbathis: quam quum occupassent, perdiderunt animas humanas multas.

3 Mense autem primo anni centesimi quinquagesimi secundi, castra metati sunt contra Jeruschalaima.

4 Moventes autem profecti sunt [5] Bethzethan cum viginti millibus virorum peditum, & bis mille virorum equitatu;

5 Quum Jehuda castra posuisset [6] Hadasis, habens ter mille viros electos secum:

6 Qui videntes multitudinem copiarum, hostes multos esse, metuerunt valdè, & diffluxerunt multi e castris; non sunt facti ex eis reliqui, nisi octingenti viri.

7 Videns itaque Jehuda diffluxisse castra sua, quum prælium istud affligeret ipsum, adeóq; animo attritus esset (quia non habebat tempus congregandi eos) ut dissolveretur,

8 Dixit iis qui erant reliqui, surgamus, & ascendamus in adversarios nostros, si fortè poterimus debellare eos.

9 Avertebant autem illum dicentes, nequaquam poterimus: sed servemus nostras ipsorum animas modò; revertere; nam fratres nostri diffluxerunt, & nos debellaremus istos? qui sumus tam pauci.

10 Sed dixit Jehuda, absit a me ut faciam facinus istud, & fugiam ab istis: nam si propè est tempus nostrum, moriamur viriliter propter fratres nostros, ac ne relinquamus quicquam quod gloriæ nostræ crimini verti possit.

11 Tunc moverunt copiæ e suis castris, ut sisterent se obviam illis, diviso equitatu in duas partes, & funditoribus sagittariisq; procedentibus ante copias, qui primi bellatores erant potentes omnes.

12 Bacchides autem erat in cornu dextero, quum appropinquante phalange a duabus illis partibus clangor tubis factus est.

13 Clanxerunt quoq; milites Jehudæ ipsi tubis, & cōmota est terra a sonitu castrorū; fuítq; prælium commissum a manè usque ad vesperam.

14 Vidit verò Jehuda Bacchidem & firmamentum castrorū ad dexteram esse; quapropter convenerunt ad ipsum omnes animosi.

15 Ita contritum est dexterum cornu ab illis, & persequuti sunt a tergo eos usque ad [7] Aznothas montem.

1 Ac non amplius facere sublatum morte, Noēma, cujusmodi est apud Latinos, vixit, pro eo quod est, decessit de vita, non vivit amplius.

2 i. eos milites qui in superiore prælio regi ministraverant, sup. 6. 33. & sequentibus.

3 oppidum in finibus Jissacaris, de quo Jehosch. 19.18.

4 vide suprà 5. 23. Sic enim legendum esse, ratio ipsa docet.

5 sic legimus ex Josepho, ut suprà 7.19.

6 vide sup. 7.40.

7 extremitatem Thaboris. Jehosch. 19.34.

16 Qui autem erant in cornu sinistro, videntes cornu dexterum attritum esse, reversi sunt secundùm vestigia Jehudæ & comitum ejus a posterioribus partibus;

17 Ita ingravescente prælio ceciderunt confossi multi ex his & ex illis:

18 Jehuda verò cecidit, & fugerunt reliqui:

19 Unde tollentes Jonathan & Schimhon Jehudam fratrem suum, sepeliverunt eum in monumento majorum suorum Moddinis:

20 Et deflentes eum planxerunt de eo omnes Jisraëlitæ planctu magno; lugentesq; diebus multis dixerunt,

21 Quomodo cecidit potens, qui servabat Jisraëlem?

22 Reliquæ verò res Jehudæ, & bella, & strenua facta quæ fecit, & magnitudo ejus non sunt descriptæ: nam multæ erant admodum.

23 Fuit autem post mortem Jehudæ, ut emergerent iniqui in omnibus terminis Jisraëlis, & exorirentur omnes operarii injustitiæ.

24 Diebus illis fuit fames magna valdè: quapropter [8] defecit regio ipsa cum illis.

25 Eligens verò Bacchides impios istos viros, eos instituit dominos regionis.

26 Qui exquirentes perscrutantesq; amicos Jehudæ, adducebant eos ad Bacchidem, qui ultionem sumebat de eis, illudens eis.

27 Ita fuit afflictio magna in Jisraëlitis, cujusmodi non fuerat, ex quo die non est visus propheta ipsis.

28 Quamobrem congregati omnes amici Jehudæ dixerunt Jonathani,

29 Ex quo frater tuus Jehuda mortuus est, non fuit vir par ei ad procedendum contra inimicos & Bacchidem, & invadendum adversarios gentis nostræ:

30 Nunc itaque eligimus te hodie, ut sis loco illius [a] princeps noster, & dux ad gerendum bella nostra.

31 Accepítq; Jonathan momento illo principatum, & surrexit in locum Jehudæ fratris sui:

32 Quod resciscens Bacchides quæsivit eum occidere:

33 Sed cognoscens Jonathan, & Schimhon frater ipsius, ac omnes qui erant cum ipso, fugerunt in desertum [9] Thekoæ, & castra posuerunt ad aquas lacus [10] Aspharis.

34 Quod ubi cognovit Bacchides, die Sabbathi venit ipse cum toto exercitu suo [11] secundùm Jardenem.

35 Miserat autem [12] fratrem suum ducem multitudinis, ut rogaret Nabathæos amicos suos ut apud ipsos deponerent impedimenta sua, quæ multa erant.

36 Sed exeuntes [13] filii Amri [14] Medeba comprehenderunt Jochananem & quæcumque habebat; quæ habentes abierunt.

37 [b] Posteà verò renunciatum est Jonathani, & Schimhoni fratri ipsius filios Amri celebrare nuptias magnas, & deducere sponsam Medeba, filiam cujusdam e magnatibus summis Cenahanis, cum pompa maxima.

38 Recordati itaque Jochananis fratris sui, ascenderunt & abdiderunt se sub quadam montis unius specu.

39 Quúmq; sublatis oculis suis vidissent, quòd ecce turba & apparatus multus, procedente sponso cum amicis suis & fratrib. suis obviam illis cum tympanis, instrumentisq; musicis, & armis multis;

8 i. tota se commisit Bacchidi, ut commodius a fame levari posset.

a *Græc. in principem & ducem.*

9 in extremis finibus Jehudæ ad Asphaltitem lacum versus Moabitidem. vide Jirm. 6.1.

10 i. Asphaltitis, cujus bitumen Syris Asphar sive Asphartha dicitur, eò quòd bitumen flagrantis ignis rejectamentum est: unde etiam Asphaltus corrupta voce appellatur Græcis, & Asphaltites lacus.

11 sic interpretamur Græcum πέραν ex vers. 43. infrà, ut accipitur in scriptura passim.

12 Jochananem, ut deinceps nominatur.

13 Moabitæ cives Medebani, ac fortasse ex nefario illo genere Amri, cujus est mentio 1. Reg. 16.

14 opido Moabitarum, cujus mentio est Num. 21.30. & Jehosch. 13.9. Jesch. 16.2. & alibi.

b *Græc. post sermones istos renunciaverunt.*

40 Exsurrexerunt in eos ex insidiis, & interfecerunt eos, adeò ut caderent confossi multi, & reliqui fugerent ad montana, ceperúntq; omnia spolia illorum.

41 Ita conversæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum instrumentorum ipsorum in lamentum.

42 Illi autem facta ultione sanguinis fratris sui reversi sunt ad terminum Jardenis.

43 [15] Audiens ergo Bacchides venit die sabbathi ad ripas usque Jardenis cum copiis multis.

44 Dixit autem Jonathan suis, surgamus jam, & pugnemus pro [c] nobis ipsis: non enim est hodierno die, ut [d] antehac:

45 Nam ecce bellum imminet ex adverso nostri, & a tergo nostro; aqua verò Jardenis hinc & inde, palúsque, & saltus; non est declinandi locus.

46 Nunc ergo inclamate Deum cæli, ut servemini a manu inimicorum.

47 Tunc commissum est prælium, & extendit Jonathan manum suam ad percutiendum Bacchidem; sed declinavit ab eo retrorsum.

48 [16] Posteà insiliit Jonathan & qui erant cum eo in Jardenem, & transnaverunt in ulteriorem ripam: illi verò non trajecerunt Jardenem insequentes eos.

49 Ceciderunt autem ex castris Bacchidis quasi viri mille, die illo.

50 Reversus autem Jeruschalaima ędificavit civitates munitas in Jehudæa, & munitionem quæ est Jerichunte, & Beth-elem, & [17] Thimnatham, & [18] Pirhathonem, & [19] Thappuachum, instruentes muris altis, portisq;, & vectibus;

51 Et posuerunt præsidia in eis, ut inimicè agerent cum Jisraële.

52 Munivit quoque civitatem Beth-tzuranam, & [20] Gazara, & [21] Acram; ponens in eis copias & apothecas commeatuum:

53 Acceptisq; filiis eorum qui duces regionis erant obsidibus, posuit eos in arce Jeruschalaimis in custodia.

54 Anno autem centesimo quinquagesimo tertio, secundo mense, præcipiente Alcimo ut destrueretur murus atrii in loco sancto eximius, & evertente opera prophetarum, quum jam cœpisset destruere;

55 Momento illo percussus est Alcimus, & impedita opera illius, obserato ore illius, & paralysi affecto corpore, adeò ut non posset amplius [e] quicquam eloqui aut præcepta dare de domo sua;

56 Et mortuus est Alcimus tempore illo cum cruciatu magno.

57 Videns ergo Bacchides mortuum esse Alcimum, reversus est ad regem, & quievit terra Jehudæ duobus annis.

58 Quapropter consilium inierunt omnes iniqui dicentes, ecce Jonathan & qui cum eo sunt habitant in quiete confidenter: nunc igitur adducamus Bacchidem, qui comprehendat istos omnes una nocte:

59 Et profecti consilium communicarunt cum eo.

60 Qui movens ut veniret cum copiis multis misit epistolas clàm omnibus sociis suis qui erant in Jehudæa, ut comprehenderent Jonathanem & eos qui erant cum ipso; sed non potuerunt, quia innotuit illis consilium istorum.

61 Sed comprehenderunt ex hominibus regionis auctoribus illius sceleris quinquaginta viros, & interfecerunt eos.

[15] regressio ad sermonem, qui interruptus fuerat inde a versu 35. quibus hyperbatis hic auctor abundat.
[c] *Græc. animis nostris.*
[d] *Græc. heri & nudiustertius.*

[16] nēpe quàm violento impetu Bacchidem propulsasset.

[17] ex tribu Danis, Jehoschu. 19.43.
[18] Ephrajimitarum, Jud. 12. 15.
[19] Jehudæ, Jehosch. 15.34.
[20] opidum munitū in Pelischthæorum finibus Azotum versus, de quo infrà 13. & 14. & seq.
[21] id est, partem unam Jeruschalaimorum, ut antè vidimus, 4.41.

[e] *Græc. sermonem.*

62 Posteà secedens Jonathan & Schimhon & qui erant cum eo, [22] Beth-ketzitzum, quod est in [23] deserto, exstruxit res amotas ejus, & firmavit eam:

63 Quod Bacchides cognoscens congregavit totam suam multitudinem, & iis qui erant ex Jehudæa denunciavit.

64 Quúmq; veniens castra posuisset contra Beth-ketzitzum, oppugnavit ipsum diebus multis, fecitq; machinas:

65 Jonathan verò relinquens Schimhonem fratrem suum in civitate processit in regionem, & venit [f] cum numeris.

66 Ita percussit [24] præfectum viarum insidiis cum [g] sociis ipsius, & [25] eos qui falas observabant in tentorio ipsorum.

67 Quúmque incepisset cædere, ascendens cum suis copiis Schimhon quoque & qui erant cum eo egressi e civitate, incenderunt machinas:

68 Ita pugnantibus illis contra Bacchidem, contritus est ab illis: & afflixerunt eum valdè, eò quòd consilium ipsius & expeditio ipsius inanis esset.

69 Quamobrem irati animo in viros iniquos illos qui consuluerant ipsi ut veniret in regionē, occiderunt ex eis multos: etiámq; inibat consilium invadendi terram eorum.

70 Hoc autē postquàm cognovit Jonathan, misit ad eum legatos ad componendum cum eo pacem, & ut redderent ipsis [h] captivorum turbam:

71 Quod accipiens ille fecit secundùm sermones ejus, & juramento spopondit ei se nō procuraturum ei malum, ullo dierum vitæ suæ:

72 Redditísque ei captivis, quos ceperat priùs e terra Jehudæ, revertens abiit in terram suam, ac non perrexit ampliùs invadere terminos eorum.

73 Ita sublato ex Jisraële bello [i] habitavit Jonathan [26] Micmaschi, & quum cœpisset Jonathā judicare populum, delevit impios ex Jisraële.

CAPUT. X.

1 ANno verò centesimo sexagesimo ascendit Alexander filius Antiochi [1] Illustris, & occupata [2] Ptolemaide, quū accepissent eum, regnavit illic.

2 Quod audiens Demetrius rex congregavit copias multas valdè, ut procederet obviam ei in prælium:

3 Misitq; Demetrius ad Jonathanem literas verbis pacificis, adeò ut magnificaret eum.

4 (Dicebat enim, anticipemus pacem constituere cum istis, antequàm constituerit iste pacem cum Alexandro contra nos:

5 Nam recordaturus esset omnium malorū quæ commisimus in ipsum, & in fratres suos, atque in gentem suam)

6 Deditq; ei potestatem cōgregandi copias & comparandi arma, ut esset ille socius ipsius; & obsides qui erant in arce reddi edixit ei.

7 Veniens itaque Jonathan Jeruschalaima, quum legisset epistolas [a] audiente toto populo, & iis qui erant in arce:

8 Timuerunt timore magno, quando audiverunt regem dedisse ei facultatem congregandi copias;

9 Tradiderúntq; qui erant in arce Jonathani obsides, quos reddidit parentibus ipsorum.

10 Tunc habitans Jonathan Jeruschalaimis cœpit

[22] i. locum ubi fuerat Ketzitz-Binjaminitarum opidum, quod a situ quoq; vallis Ketzitzi appellatur, Jeho. 18.21
[23] Jerichuntis.
[f] *Græc. numerans.*
[24] Græcam vocem corruptam esse, nemo est qui nesciat; quā tamen ex Josepho non possis restituere, quum nihil recenseat hujusmodi. Hieronymum puto vocem Græcam pro appellatione propria accepisse; etsi odares pro odure legitur. Est autē ὁδούρος apud Græcos viarum insidiator, cujusmodi sunt in castris primæ emissariorum custodiæ, quas a Bacchide fuisse constitutas ex militari usu minimè dubitamus.
[g] *Græc. fratribus.*
[25] Græca phrasis quam auctor adhibet, Syrica est propriè, quasi dicas filios Bitzaronis. Sunt autem illi apud Syros, qui φρυκτωρίας, turres speculatorias, & falas custodiebant, atq; ex iis eminus explorabant quid circumstantibus in locis ageretur.
[h] *Græc. captivitatem.*
[i] *Græc. gladio.*
[26] in tribu Binjaminitarū: vide 1. Schem. 13. & Jehosch. 10.28.

[1] Hanc vocem Græci libri constanter legunt in nominandi casu: neque videtur opus, ut hęc lectio corrigatur, cùm hic quoque Illustris fuerit dictus exemplo patris, aut aliqua appellatione Belah, teste Josepho lib. Antiq. Jud. 13.
[2] de qua suprà 5.15.

[a] *Græc. in auribus totius populi.*

cœpit ædificare & instaurare civitatem.
11 Edicens [b] operis, ut exstruerent muros &
montem Tzijonis circumdarent lapidibus qua-
dratis ad munitionem; & ita fecerunt.
12 Quamobrē fugerunt alienigenę, qui erant
in munitionibus quas ædificaverat Bacchides:
13 Et relinquens quisque locum suum abiit
in terram suam.
14 Tantùm Betzuræ reliqui fuerunt quidam
ex iis qui legem & præcepta reliquerant: nam
hoc erat ipsis perfugium.
15 Sed audiens Alexander rex promissa quę-
cumque literis significaverat Demetrius Jona-
thani, quum narravissent ipsi bella & strenua fa-
cta quæ fecerat ille, & fratres illius; ac labores
quos sustulerant:
16 Dixit, an non possemus invenire unum
aliquem virum ejusmodi? nunc ergo constitue-
mus eum amicum sociúmq; nostrum.
17 Et scriptas literas misit ei, dicens [c] in hanc
sententiam:
18 Rex Alexander fratri Jonathani salutem.
19 Audivimus de te virum potentem robore
esse, & commodum esse ut sis amicus nobis.
20 Nunc itaque constituimus te hodie sacer-
dotem summum gentis tuæ, & amicum regis vo-
cari. misit quoque ei purpuram & coronam au-
ream: *dicens*, [3] ut & sentias nobiscum, & conser-
ves amicitiam erga nos.
21 Sic induit Jonathan sanctam vestem sep-
timo mense anni centesimi sexagesimi, festo ta-
bernaculorum, & congregavit copias, compara-
vítq; arma multa.
22 Quos sermones audiens Demetrius do-
lore affectus est;
23 Et dixit, quidnam fecimus, quod [d] prior
nobis Alexander amicitiam constituit cum Je-
hudæis ad firmamentum sui?
24 Scribam eis ego quoque verba cohorta-
tionis, & amplitudinem & dona *conferam*, ut sint
mecum ad auxilium *meum*.
25 Et scripsit eis in hanc sententiam; Rex
Demetrius genti Jehudæorum salutem.
26 Quòd conservastis pacta nobiscum inita,
& permansistis in amicitia nostra, ac non acces-
sistis inimicis nostris, audientes gavisi sumus.
27 Nunc itaque permanete adhuc ad servan-
dum fidem erga nos, & reddemus vobis bona
pro iis quibus afficitis nos:
28 Dimittemúsq; vobis, [e] quæ dimittenda
erunt multa, & dabimus vobis dona.
29 Nunc etiam absolvo vos, remittens vobis,
omnes inquam Jehudæos, a tributis & [4] a [f] ca-
none salinarum, & a coronis:
30 Et pro tertia parte seminis, & pro dimidio
fructuum ex arboribus quod conveniebat me
percipere, dimitto ex hodierno die & deinceps,
ne accipiatur a terra Jehudæ, & a [5] tribus præfe-
cturis ex Samaritide, Galilęáq; adjectis ei, idque
ab hodierno die in tempus æternum.
31 Urbs verò Jeruschalaimorum esto sancta,
& libera cum terminis suis & a decimis, & a vecti-
galibus.
32 Dimitto etiam potestatem arcis quæ est
Jeruschalaimis, quam trado sacerdoti summo, ut
constituat in ea viros quoscumque elegerit ipse
ad custodiendum eam.
33 Omnem quoque [6] animam Jehudęorum,
quæ captiva abducta fuerit e terra Jehudę in to-
tum regnum meum, dimitto liberam gratis.
34 Item [7] omnes dimittunto tributa eorum,
& jumentorum ad eos pertinentium; & omnes

b *Græc. facientibus opera.*

c *Græc. secundum sermones istos.*

3 ellipsis in Scripturis frequens, ut Gen. 4.25. & 20.11. & alibi passim.

d *Græc. prævenit nos Alexander constituere.*

e *Græc. dimissiones multas.*

4 hanc vocem substituimus pro eo quod Græcè pretium salis nominatur: quia in Jisraëlitarum agro ad paludem Cendeviam & aliis locis erant salinæ vectigales a regibus factæ: de quibus salinis agitur Jehosch. 13.6. & infrà 11. 35. est itaque pretium salis genus pensitationis in perpetuū regioni impositum, quod Græcis & Latinis canonem appellari testis est Asconius in divinationem: similitérq; coronarum voce alterū pensitationum genus quod fit extra ordinem, atque imperatur: quamobrē pensitationem hanc singulari nomine Latini indictionē vocaverunt. etsi fortasse meliùs utrumque pensitationis genus extraordinarium fuisse dixeris: unū causa hospitii & sumtuum necessariorum, si quando Rex adventaret (hęc enim a provincialibus subministrabantur) alterum, muneris honorarii.

f *Græc. pretio salis.*

5 quarum idem meminit infrà vers. 38. & 11.34.

6 nempe quæ mei juris fuerit: nam hoc versu de mancipiis suis agit Demetrius; & de alienis, seq. versu.

7 nempe qui exemplo meo noluerint manumittere Jehudæos servos.

dies festi, sabbatháque, & novilunia, diésque sta-
ti, & terni dies ante festum, ternique dies post
festum, sunto omnes dies isti dies immunitatis
& remissionis omnibus Jehudæis qui sunt in reg-
no meo;
35 Ut non habiturus sit potestatem quisquā
vendendi aut turbandi quemquam eorum de
negotio ullo.
36 Præterea inscribuntor Jehudæorū in co-
pias regis ad triginta millia virorum, quibus da-
buntur munera, ut cōvenit omnibus copiis regis:
37 Et constituetur *pars* ex eis in munitioni-
bus regis magnis, & pars ex eis constituetur in
curandis negotiis regni [g] fiduciariis; quorum
præfecti & magistratus sunto ex ipsis, & ince-
dunto legibus ipsorum, quemadmodum etiam
præcepit rex in terra Jehudæ.
38 Quod autem ad tres præfecturas illas ad-
jectas Jehudææ e regione Samariæ; hoc adjici-
tor Jehudææ, ut recenseantur subjectæ uni; nec
obediant alteri potestati, nisi sacerdotis summi.
39 [8] Ptolemaida verò & regionem adhæren-
tem ei dono do sanctuario quod est Jeruschalai-
mis, ad convenientem sumtum sanctuarii.
40 Item ego in annum do quindena millia
Siclorum argenti e rationibus regis ex locis ad
ipsum pertinentibus;
41 Etiámq; quod abundat, quod nō reddide-
runt ex negotiorum administratione ut antece-
dentibus annis, deinceps danto in opera domus:
42 Quibus addita quinque millia Siclorum
argenti, quos accipiebant de negotiis sanctuarii
(ut annis præcedentibus) ex rationibus quotan-
nis, ea quoque remittuntur, quia pertinent ipsa
ad sacerdotes qui funguntur ministerio.
43 Et quicumque fugerint in templum quod
est Jeruschalaimis, & quicumque in omnibus
terminis ejus debitores sunt regalium pensitati-
onum, aut cujuslibet operæ, absolvuntor; etiam
ab omnibus quæ erant ipsis in regno meo.
44 Tum ad ædificandum & instaurandum
opera loci sancti sumtus dabitur e rationibus
regis;
45 Tum ad ædificandum muros Jeruschalai-
morum, & muniendum circumquaque, sumtus
quoque dabitur e rationibus regis, & ad ædifi-
candum muros qui sunt in Jehudæa.
46 Quum autem Jonathan populúsq; audi-
vit sermones istos, non crediderunt eis, neque
acceperunt: recordabantur enim mali maximi
quo affecerat Jisraëlem, ut afflixerat eos valdè:
47 Sed acquieverunt Alexandro, eò quòd
ille fuisset ipsis auctor sermonum pacis; & socii
præliorum fuerunt ei omnibus diebus.
48 Quum itaque Alexander rex congrega-
visset copias magnas, & castra fecisset ex adver-
so Demetrii;
49 Commiserunt prælium duo isti reges: sed
fugerunt castra Demetrii, & persequutus est eum
Alexander, quum prævaluisset eis.
50 Quúmque obfirmasset prælium valdè us-
que dum occideret sol, cecidit quoque Deme-
trius die illo.
51 Et misit Alexander ad [9] Ptolemæum regē
Ægypti legatos, in [h] hanc sententiam dicens,
52 Quoniam reversus in terram regni mei
insideo throno majorum meorum, obtineóque
dominatum, & conterens Demetrium obtinui
regionem nostram:
53 (Nam commisi in eum prælium, quo con-
tritus est ipse & castra ipsius a nobis, insidemúsq;
throno regni ejus)

g *Græc. quæ sunt in fidem.*

8 quasi dicat, infaustam illam sedem, quam Alexander Illustris occupavit, decerno Jehudæorum esse, & ipsis addico.

9 Philometorem, ut antè diximus.

h *Græc. secundum sermones istos.*

54 Nunc

54 Nunc ergo statuamus inter nos amicitiam, & jam da mihi filiam tuam, ut sit mihi [i] uxor, & ego gener tibi; & dabo tibi dona illiq; digna te.

55 Respondit verò Ptolemæus rex dicens, [k] felix dies, quo reversus es in terram majorum tuorum, & insedisti throno regni eorum.

56 Jam verò facturus sum tibi quæ scripsisti; sed occurre ad Ptolemaida ut videamus alter alterum; & socer ero tibi quemadmodum dixisti.

57 Egressus itaque Ptolemæus ex Ægypto, ipse & Cleopatra filia ipsius venerunt Ptolemaida, anno centesimo sexagesimo secundo.

58 Ubi quum occurrisset ei Alexander rex, tradita est ipsi Cleopatra filia ejus; celebravitq; nuptias ejus Ptolemaide, ut *faciunt* reges, cum gloria maxima.

59 Scripserat autem rex Alexander Jonathani, ut veniret [l] obviam ipsi:

60 Qui profectus cum gloria Ptolemaida, obviam venit duobus illis regibus, & dedit eis argentum, aurumq;, & amicis eorum, ac dona multa, & [m] adeptus est gratiam in oculis eorum.

61 Congregati sunt autem adversus eum viri pestilentes ex Jisraële, viri iniqui, ut accusarent eum, quibus non attendit rex;

62 Sed mandavit rex, ut exueretur Jonathan vestimentis suis, ac indueretur purpura; atque ita fecerunt.

63 Posteà sedere jussit eum rex secum, dixitq; principibus suis, prodite cum eo in medium civitatis, & mandate ne quisquã incuset eum de ulla re, & nemo ipsum interturbet ulla de causa.

64 Fuitq; ubi viderunt accusatores gloriam ejus sicut promulgabatur, & amictum ipsum purpura, ut omnes fugerent.

65 Quumq; gloria affecisset eum rex, & conscribens eum inter primos amicos disposuisset eum ducem, & participem principatus:

66 Reversus est Jonathan Jeruschalaima cum pace atque lætitia.

67 Anno autem centesimo sexagesimo quinto, venit [10] Demetrius filius Demetrii e Creta in terram majorum suorum:

68 Quod audiens Alexander rex, contristatus est valde, & reversus est Antiochiam.

69 Constituit autem ducem Demetrius Apollonium, præfectum Cœles Syriæ; qui congregans copias magnas castra posuit Jamniæ, misitque ad Jonathanem sacerdotem summum, dicens;

70 Tu unicus efferris in nos, & ego factus sum ludibrio probróque propter te: quamobrem verò potentiam ostentas contra nos in [11] montibus istis?

71 Nunc ergo si confidis copiis tuis, descende contra nos in campum, ubi decertemus inter nos; nam penes me est potentia civitatum.

72 Interroga, & disce quis sim ego, & reliqui adjuvantes nos; dicuntur enim non posse vestra consistere vestigia in conspectu nostro, quia bis in fugam versi sunt majores tui in terra sua.

73 Nunc itaque non posses sustinere equitatum, & copias hujusmodi in eo campo, ubi neque lapis, neque saxum, neque locus effugiendi est.

74 Quum autem audivit Jonathan sermones Apollonii, commotus [n] animo elegit decem millia hominum, & processit Jeruschalaimis, occurrente ipsi Schimhone fratre ipsius ad auxilium ipsius;

75 Et castra posuit contra Joppen, postquam exclusissent eum e civitate eò quòd præsidium Apollonii erat Joppes, & oppugnarunt eam.

76 Metuentes verò aperuerunt oppidani, & dominatus est Jonathan Joppæ.

77 Quod audiens Apollonius, castra instituit ex ter mille equitibus, & copiis multis; profectúsque Aschdodum [12] tamquam iter faceret, eadem quoque opera processit in campum, quia habebat multitudinem equitatus, cui confidebat.

78 Persequente verò *Jonathane* a tergo ejus Azotum versus, ut congrederentur castra a tergo ejus in prælium:

79 Reliquit Apollonius mille equites occultè post eos.

80 Cognoscente autem Jonathane esse insidias post se, [13] circuiverunt castra illius, unde [14] conjiciebant jacula in populum a matutino ad vesperam usque.

81 Populus verò consistebat, ut mandaverat Jonathan, quum [15] labore fatigati essent equites eorum.

82 Tunc trahens Schimhon copias suas cõgressus est cum [16] phalange, (nam equites defatigati erant) & contriti ab eo fugerunt.

83 Equitatu verò dissipato in campo [17] fugerunt Aschdodum, & ingressi sunt [18] ædem Dagonis, templum idoli sui ut servarentur.

84 Incendens verò Jonathan Aschdodum, & civitates circumstantes eam, accepit spolia eorum; & sacrum Dagonis, eósq; qui confugerant in illud incendit igne.

85 Ita fuerunt qui ceciderunt gladio, cum iis qui perierunt incendio, ad octies mille viros.

86 Et inde movente Jonathane ut castra poneret contra Aschkelona, processerunt cives obviam ei cum gloria magna.

87 Posteà reversus est Jonathan Jeruschalaima, & qui erant cũ eo, habentes spolia multa.

88 Fuitque ut audivit Alexander rex sermones istos, ut [o] ampliore gloria Jonathanem afficeret,

89 Mittens ei [19] fibulam auream, ut mos est dari cognatis regum, & dans ei Hekronem omnésq; terminos ejus [p] hæreditatis nomine.

CAPUT XI.

1 Rex autem Ægypti congregavit copias multas [1] ut est arena quæ jacet ad littus maris, & naves multas, quærens obtinere Alexandri regnum dolo, & addere ipsum regno suo.

2 Eo itaque prodeunte in Syriam verbis [a] pacis, aperientes ei cives occurrebant ei; quia mandatum erat Alexandri regis ut occurrerent ei, eo quòd socer ipsius esset.

3 Ita civitates ingrediens [2] Ptolemæus, instituebat copias [b] præsidiarias in unaquaque civitate.

4 Quum autem venisset prope Azotum, demonstrantes ei templum Dagonis igni traditum, & Azotum suburbiáq; ipsius destructa, corporáq; projecta, & homines exustos, quos exusserat *Jonathan* [3] in eo bello (nam fecerant tumulos eorum in via ipsius)

5 Enarraverunt regi quæ fecerat Jonathan ad criminandum eum; & conticuit rex.

6 Occurrente verò Jonathane regi Joppen cum gloria, postquàm salutassent alter alterum & pernoctassent illic,

7 Profectus Jonathan cum rege ad fluvium usque qui dicitur [4] Eleutherus, reversus est Jeruschalaima.

i Græc. in uxorem.

k Græc. bonus.

l Græc. in occursum.

m Græc. invenit.

10 Nicanor dictus, filius Demetrii Soteris cujus mentio primùm facta est suprà 7.1.

11 i. Jehudæa montosa tua, ut Exod.15.17.& Deut.11.11.

n Græc. cogitatione.

12 i. fingens se nihil aliud cupere, quàm ut Azotum cum suis castris cõtingeret, & dissimulans insidias quas disposuerat.

13 i. castra sua ex adverso castrorum Apollonii, tamquã circumdaturi, in longum protraxerunt: Hebraismus.

14 nempe milites Apollonii.

15 eò quòd totum diem exspectarant in armis, ut sibi daretur aliqua Jehudæos invadendi opportunitas; qui contrà Jonathanis astu castra posuerant, & equitatui iter interceperant, ne ad Apollonium reverti posset.

16 i. equitatu, qui fuerat in insidiis.

17 nẽpe castra.

18 vide 1.Schemuel.5.2.& sequentibus.

o *Græc. adderet glorificare.*

19 id erat munus honorarium necessariorum & conjunctissimorum regibus, ut exponunt sequentia: Romani verò milites insigni victoria parta fortissimos eo solebant munerari, teste Livio libro 7. de bello Punico.

p *Græc. in hæreditatis donum.*

1 Hyperbole in scripturis frequens,

a *Græc. pacificis.*

2 optimè sic legit Hieronymus, quem nos hoc loco sequuti sumus. nam quod Græcè Πτολεμαΐδα legitur pro Πτολεμαῖος, corruptum est.

b *Græc. præsidium.*

3 cujus mentio facta est fine præcedentis capitis.

4 fluvius in mare mediterraneum influens, non procul Arado in Syria.

8 Rex autem Ptolemæus dominans civitatibus maritimis Seleuciam maritimam usque, ut inibat in Alexandrum rationes improbas,

9 Misit legatos ad Demetrium regem, dicens, age, constituamus inter nos fedus, & dabo tibi filiam meam quam habet Alexander, regnabísq; in regno patris tui.

10 Pœnitet enim me, quòd dederim illi filiam meam, nam quæsivit interficere me.

11 Criminatus est autem eum, propterea quòd ipse concupiscebat regnum ejus:

12 Et auferens ab eo filiam dedit ipsi Demetrio; & alienatus est ab Alexandro, ita ut manifestæ essent ipsorum inimicitiæ.

13 Et ingressus Ptolemæus Antiochiam, apposuit duo diademata capiti suo, Asiæ, & Ægypti.

14 Rex autem Alexander erat in Cilicia temporibus illis, quia deficiebant locorum illorum incolæ.

15 Sed audiens Alexander, invasit eum bello, & producens Ptolemęus *copias* occurrit ei manu valida, atque in fugam vertit eum.

16 Ita fugiente Alexandro in Arabiam, ut protegeretur illic, rex Ptolemæus exaltatus est:

17 Et tollens Zabdiel Arabs caput Alexandri misit Ptolemæo.

18 Posteà rex Ptolemæus obiit die tertio; & qui erant in munitionibus ejus, perierunt [5] ab iis qui in iisdem munitionibus versabantur.

19 Ita regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo.

20 Diebus illis cogens Jonathan incolas Jehudæ ad expugnandum arcem quæ *erat* Jeruschalaimis, fecit contra eam machinas multas.

21 Profecti autem quidam osores gentis suę, viri iniqui ad Regem, quum renunciassent ei Jonathanem obsidere arcem,

22 Audiens ille iratus est, & ubi audivisset, statim jungens venit Ptolemaida, & rescripsit Jonathani ne obsideret; sed veniret ipse obviam sibi celerrimè Ptolemaida, ut congrederentur.

23 Ut autem Jonathan audivit, obsidere jussit; & delectis senioribus Jisraëlis & sacerdotibus exposuit se ipsum periculo:

24 Nam accipiens argentum & aurum, vestémque & alia munera [c] plurima, profectus est ad regem Ptolemaida, & invenit gratiam coram eo:

25 Et quamvis accusarent eum quidam iniqui, ex eadem gente,

26 Fecit tamen ei rex, quemadmodum fecerant ei antecessores ipsius, & exaltavit eum coram omnibus amicis suis,

27 Stabiliens ei principatum sacerdotii, & quæcumque alia antè habuerat [d] ad honores pertinentia, fecitq; ut ille dux primorum amicorum esset.

28 Tum rogante Jonathane regem, ut Jehudæam faceret immunem tributorum & tres [e] toparchias atque Samaritida, promittendo ei talenta trecenta;

29 Acquiescens rex conscripsit Jonathani epistolas de iis rebus omnibus, habentes in hunc modum:

30 Rex Demetrius Jonathani fratri salutem, & genti Jehudæorum.

31 Exemplum epistolæ, quam scripsimus Lastheni cognato nostro de vobis, scripsimus etiam ad vos, ut videatis.

32 Rex Demetrius Lastheni patri salutem.

33 Genti Jehudęorum, amicis nostris, & conservantibus ea quæ ex jure sunt erga nos, judicavimus benefaciendum esse propter benevolentiam ipsorum erga nos.

34 Constituimus ipsis & terminos Jehudæ, & tres præfecturas, [7] Aphęrema, Lyddam, & Ramatham, quæ adjectæ sunt Jehudææ ex Samaritide, & omnia quæ adhærent ipsis, omnibus sacrificantibus Jeruschalaimis, pro regalibus illis collectis quas percipiebat rex ab eis quotannis antè ex fructibus terræ, & fructibus arborum;

35 Et alia ad nos pervenientia, deinceps decimas, inquam, tributáq; ad nos pervenientia, & salis stagna, & pervenientes ad nos coronas, omnia concedimus eis:

36 Neque irritum fiet quicquam horum deinceps in omne tempus.

37 Nunc itaque curate confici istorum exemplum, quod detur Jonathani, & ponitur in monte sancto, conveniente loco, & [e] celebri.

38 Videns autem Demetrius rex quietã esse terram coram ipso, & nihil sibi obsistere, dimisit omnes copias suas unumquemque in locum suum, præter exteras copias quas collegerat ab insulis gentium: ita factæ sunt inimicæ ipsi omnes copiæ, quas a majoribus habuerat.

39 Tryphon verò qui fuerat ab Alexandro priùs, quum videret omnes copias in Demetrium murmurare, profectus est ad [8] Malcoëlem Arabem (qui alebat [9] Antiochum puerulum Alexandri)

40 Et insistens apud eum ut traderet eum sibi ut regnaret pro patre suo, renunciabat ei quæcumque confecerat Demetrius, & inimicitias quibus prosequuntur eum copiæ ejus; mansitq; illic dies multos.

41 Scripsit autem Jonathan epistolas ad Demetrium regem, ut ejiceret eos qui in arce erant Jeruschalaimis, & qui erant in munitionibus; quia Jisraëlem oppugnabant.

42 Remisit verò Demetrius literas ad Jonathanem dicens, non solùm hęc facturus sum tibi, & genti tuæ; sed gloria [f] ornabo te & gentem tuam, si commoditatem habuero.

43 Nunc itaque rectè feceris, si miseris ad me viros, qui pugnent mecum; nam defecerunt omnes copiæ meæ.

44 Tunc misit Jonathan viros ter mille potentes robore ad ipsum Antiochiam; quibus advenientibus ad regem, lætatus est rex adventu ipsorum.

45 Nam congregati fuerant cives [g] intra civitatem ad viros centies vicies mille, volentes regem e medio tollere.

46 Itaq; fugiente rege in aulam, occuparant cives vias civitatis, & cœperant bello infestare.

47 Advocante autem rege ad auxilium Jehudæos, quum fuissent congregati ad ipsum omnes simul, statim in civitate dispersi sunt;

48 Interfecerúntq; in civitate die illo ad centum millia; & incendentes civitatem, capientésque spolia multa die illo servaverunt regem.

49 Videntes verò cives obtineri a Jehudæis civitatem prout volebant, & infirmati cogitationibus suis, inclamaverunt regem cum precibus, dicentes,

50 [10] Da nobis dexteras, cessentq; Jehudæi nos & civitatem oppugnare.

51 Tum abjicientes arma fecerunt pacem, & gloriam consequuti sunt Jehudæi coram rege, & coram omnibus qui erant in regno ipsius; reversiq; sunt Jeruschalaima habentes spolia multa.

52 Et sedente Demetrio rege in throno regni sui,

[5] i. a militibus contubernalibus, qui Demetrii Nicanoris partes amplexati sunt, & sodales suos occiderunt, simul ac audita fuit mors Ptolemæi Philometoris.

[c] *Græc. plura.*

[d] *Græc. honorata.*

[e] de quibus & de sequentibus omnibus vide suprà 10.38. & infrà vers. 34.

[7] Græcam vocem quam Hieronymus prætersiliit, ex cõmuni contextus Gręci & Josephi Gręci consensu in trãslatione servamus; etsi non minus foret cõmodum periphrasticè interpretari, sublatam agri partem, id est, agrum Bethelis, qui regno Jisraëlis fuerat ademtus inde a temporibus Abijæ, ut annotavimus 2. Reg. 23. 4. Quamobrem etiam Ruffinus apud Josephum sic interpretatus est; quam interpretationem imperiti librarii pessimè corruperunt. Sunt autem hæ regiones tres Samaritani agri, regno Jehudæ conterminæ. Ramatajim Jerichuntẽ versus, Lydda versus mare, Bethel verò inter utrumque media regione.

[e] *Græc. insigni.*

[8] vel Amalcoëlem. Nã utrumque nomen est Arabum; Simalcoë autem in contextu Græco vitiosum est, facto *σι* ex *α*.

[9] qui arrogante nomine dictus est Antiochus Theós.

[f] *Græc. glorificabo.*

[g] *Græc. in medium civitatis.*

[10] i. fac nobiscum pacem, ut antè ostendimus ex Jirm. 50. sic deinceps.

sui, quievit terra coram ipso.

53 Verùm mentitus erat, quæcumque dixerat: nam abalienatus à Jonathane non reddidit ei secundùm [h] benevolentiæ illius facta, quæ fecerat in ipsum; sed afflixit eum valdè.

54 Posteà autem reversus est Tryphon & Antiochus cum eo, puerulus [i] juvenis, qui regnavit imposito sibi diademate.

55 Et congregatæ sunt ad ipsum omnes copiæ quas disperserat Demetrius, pugnaverúntq; in eum, ita ut fugatus fugeret.

56 Tum accepit Tryphon [11] bestias, & obtinuit Antiochiam.

57 Scripsit verò Antiochus Junior Jonathani dicens, stabilio tibi principatum sacerdotii, & præficio te [12] quatuor præfecturis, & volo esse te ex amicis regis:

58 Et mittens ei instrumenta aurea ad ministerium, dedit ei potestatem bibendi ex aureis, & purpuram induendi, & habendi [13] fibulam auream.

59 Schimhonem quoque fratrem ejus constituit ducem à tractu Tyri usque ad terminos Ægypti.

60 Profectus itaque Jonathan quum peragrasset [14] trans fluvium, & in civitatibus singulis, & congregatæ essent ad ipsum omnes copiæ Syriæ [k] auxiliares, venit Aschkelonem, ubi obviam ipsi processerunt [l] cives honorificè:

61 Et inde abiit ad Gazam, ubi occludentibus Gazanis circumsedit eam, & incendens suburbia ejus igne prædatus est ea.

62 Posteà rogantibus Gazanis Jonathanem dedit eis dexteram, & acceptos filios principum eorum obsides, emisit eos Jeruschalaima, pervasitq; regionem Damascum usque.

63 Audiens verò Jonathan advenisse principes Demetrii [15] Kadeschum quod *est* in Galilæa, cum copiis multis, volentes ejicere ipsum regione illa,

64 Occurrit eis; fratrem verò suum Schimhonem reliquit *in* regione sua.

65 Tum castra ponens Schimhon contra Bethtzuram, oppugnavit eam diebus multis, & conclusam observavit eam,

66 Adeò ut rogarent eum [m] sibi dexteras dari; quibus dans dexteram ejecit eos inde, & occupata civitate posuit in ea præsidium.

67 Jonathan verò & castra ipsius metata ad [16] aquam Genezareth surrexerunt manè, venturi in campum [17] Chatzoris.

68 Ecce autem castra alienigenarum occurrerunt ei in ipso campo, emissis insidiis contra eum in montibus; Jehudæi verò obviam occurrerunt ex adverso castrorum.

69 Sed quum insidiæ exsurgentes è locis suis committerent prælium,

70 Fugerunt milites Jonathanis omnes, neque ullus reliquus factus est ex eis, præter Matthithjam filium Abschalomi, & Jehudam filium Chalphai principes militiæ copiarum.

71 Disrumpens itaque Jonathan vestes suas imposuit terram capiti suo, & oravit;

72 Reversúsq; contra eos in prælium fugavit eos, ita ut fugerent.

73 Quod videntes ii qui fugerant ab ipso, reversi sunt ad eum, & persequuti sunt eum Kadeschum usque, in castra illorum usque, ubi posuerant castra:

74 Cecideruntque ex alienigenis die illo ad viros ter mille, & reversus est Jonathan Jeruschalaima.

[h] *Græc. benevolentias.*
[i] *Græc. junior.*
[11] id est, elephantes Demetrii, qui κατ' ἐξοχὴν appellantur bestiæ.
[12] i. tetrarchiis quatuor, quæ definiuntur Luc. 3. 1. Nam ad eas omnes hæc verba referri oportere, sequentia ostendunt inde a vers. 60.
[13] ut suprà 10. 89.
[14] Jardenem, ubi pars toparchiarum erat.
[k] *Græc. ad auxilium.*
[l] *Græc. qui ex civitate erant; sic deinceps.*
[15] Naphthalitarum, Jehosch. 19. 37.
[m] *Græc. dexteras accipere.*
[16] i. lacum Genezareth, quem Hebræi Cinnereth vocant, vulgus Tyberiados.
[17] in tribu Naphthali, ut habetur Jehosch. 19. 36.

CAPUT XII.

1 Videns itaque Jonathan commoditatem hanc temporis sibi adjumento esse, elegit viros quos misit ad [a] Romanos ad constituendum & renovandum cum eis amicitiam;

2 Itemque ad Spartiatas & loca alia misit epistolas [b] in eam sententiam.

3 Profecti ergo Romam & ingressi senatum dixerunt, Jonathan summus sacerdos, & gens Jehudæorum misit nos, ut renovetis amicitiam secum & societatem, sicut anteà.

4 Dederúntq; literas eis, scriptas ad eos pro ratione loci, ut [1] deducerent eos in terram Jehudæ cum pace.

5 Hoc autem exemplum literarum est, quas scripsit Jonathan Spartiatis:

6 [2] Jonathan summus sacerdos, & senatus gentis, & Sacerdotes populúsque reliquus Jehudæorum, Spartiatis fratribus salutem.

7 Jam anteà missæ sunt literæ ad Oniam Sacerdotem summum ab [3] Areo regnante apud vos, docentes vos fratres nostros esse, ut exemplum earum subjectum est.

8 Et accepit Onias virum illum qui missus fuerat, honorificè; quum recepisset literas, quibus declarabatur negotium societatis & amicitiæ.

9 Quapropter nos etiam qui istorum non indigemus, consolationem habentes ex libris sanctis, qui versantur in manibus nostris;

10 Tentavimus mittere qui renovent fraternitatem & amicitiam vobiscum, ne abalienemur a vobis; quoniam multa tempora transiverunt ex quo misistis ad nos.

11 Nos itaq; omni tempore indesinenter, & festis, & reliquis convenientibus diebus recordamur vestri, in sacrificiis & orationibus illis quas offerimus, ut oportet ac decet recordari fratrum;

12 Et lætamur de gloria vestra.

13 Ac nos quidem circumdederunt multæ tribulationes & bella multa; nam oppugnaverunt nos reges qui circumstant nos:

14 Verùm nolumus interturbare vos, & reliquos socios atque amicos nostros bellis istis.

15 Habemus enim auxilium è cælo quod auxiliatur nobis, quo liberati sumus ab hostibus nostris, & depressi sunt hostes nostri.

16 Elegimus igitur Numenium filium [4] Antimachi, & Antipatrum filium Jasonis, quos misimus ad Romanos, ut renovent amicitiam cum eis & societatem præcedentem.

17 Mandavimus igitur eis, ut ad vos quoque profecti salutent vos, & reddant vobis epistolas a nobis de renovatione fraternitatis nostræ.

18 Nunc itaque rectè feceritis, si respondebitis ad ista nobis.

19 Hoc autem est exemplum literarum, quas miserant Oniæ:

20 [5] Areus rex Spartiatarum Oniæ Sacerdoti magno salutem.

21 Inventum est in scriptura de Spartiatis & Jehudæis, ipsos fratres esse, & esse ex genere Abrahami.

22 Nunc autem ex quo novimus ista, rectè feceritis si scribetis nobis de pace vestra.

23 Enimverò nos rescribimus vobis pecora nostra, & facultates nostras vobis, & quæ nostra sunt vobis exposita esse: amandavimus igitur *viros* ut renuncient nobis [6] in eamdem sententiam.

24 Audiens verò Jonathan reversos esse principes Demetrii cum copiis [c] pluribus quàm anteà, ad debellandum ipsum,

[a] *Græc. Romam, metonymicè.*
[b] *Græc. secundum eadem.*
[1] i. fide publica tamquam legatos ex jure gentium sanctos, honorificè ad suos remitterent.
[2] hujus epistolæ exemplo non planè convenit cum eo quod emendatius habetur apud Josephum lib. 13. Antiquit. Jud. cap. 9.
[3] quod Darius legitur vitiosum est. Nam Areus Lacedæmoniorum rex fuit, ut cùm a Josepho in hac epistola, tum a Pausania & Livio Decadis 4. lib. 9. appellatur. Fuit enim Areus ille, qui Cleomeni secundo successit, & huic Acrotatus.
[4] sic Josephus legit, non autem Antiochi; & nos magis probamus.
[5] sic legendum ex vers. 7. Nam ex mutatione vitium contextui factum est (ut periti Græcæ linguæ facilè possunt animadvertere) & finis præcedentis versus cum hujus principio confusus, hoc modo; ὡς ἀντίγραφας Ὀνίᾳ. Ἀρεῖος βασιλεὺς &c.
[6] i. ut quemadmodum nostrum erga vos animū exponimus, & omnia officia pollicemur; sic a vobis eumdem nuncium reportare possint.
[c] *Græc. multis super prius.*

7 sitæ in finibus Jisraëlis ad Libanum; de qua Numer.13.22.& alibi passim.
8 sive procubitores, & custodias primas, quas vulgus Sentinellas vocat.
9 sic reponimus ex Josepho; ut locorum situs & ratio postulat. Sunt autem hi populi ab oriente, dicti a Nabajotho, cujus mentio est Gen. 25.13.
d *Græc. exaltandi altitudinem magnam.*
10 sive Acram, quam Demetrii milites obtinebant, de qua suprà 4.41.
11 i. ut a civitate & omni commercio cum civibus exclusi essent Demetriani, adeóq; prospectus ipse in civitatem cõmodus impeditus.
12 qui dicitur Gichon, ab ortu circumluẽs tota Jeruschalaima.
13 hanc vocem variè legunt & interpretantur plerique. Nos partem illius muri putamus esse, quem ædificare instituerat Jonathan, & qui posteà a Schimhone perfectus est, infrà 13.10. vocatur autem Chaphunatha a forma, quia murus erat introrsum reflexus, ut angulum Acræ circumcluderet; cui vidẽtur fuisse utrimq; propugnacula Acram versus projecta; quæ propterea dicta sunt Chaphunatha, quasi pugnos dicas, ad Demetrianum militem cædendum comparatos.
14 opidum Jehudę cujus mentio est Hezræ 2.33.& Nechem. 7.37.
15 sic interpretamur vocem Schephela Hebręã, ut in Scriptura passim accipitur; sic Jehose. 11.2.
16 i. Scythopolim, ut antè vidimus 5.52.
17 ex promisso Demetrii, suprà 10.39.

25 Movens Jeruschalaimis processit obviam ipsis in regionem [7] Chamathæ, (neque enim dabat ipsis spatium invadendi regionem ipsius.)

26 Et misit speculatores in castra illius, qui reversi renunciaverunt ipsi, illos constituisse irruere in eos nocte.

27 Quum itaque occidisset sol, præcepit Jonathan suis ut vigilarent, & essent in armis, comparati ad prælium tota nocte illa; emisitq; [8] præcubitores circum castra sua.

28 Quamobrem audientes adversarii paratum esse Jonathanem cum suis ad prelium timuerunt, & perculsi animo suo, & pyris per castra sua accensis *abiverunt*.

29 Jonathan verò, & milites ejus nesciverunt ad matutinum usque: videbant enim luminaria ardentia.

30 Tunc persequutus est eos Jonathan a tergo; sed non comprehendit eos; nam Eleutherum fluvium trajecerant.

31 Quamobrem declinans Jonathan ad Arabas qui vocantur [9] Nabathæi, percussit eos, & cepit spolia eorum.

32 Posteà jungens venit in Damascum, & peragravit regionem totam.

33 Schimhon verò profectus peragravit Aschkelonem usque, & munitiones propinquas, & declinans Joppen versus occupavit eam:

34 (Audiverat enim eos velle munitionem tradere Demetrianis) & posuit ibi præsidium, ut custodirent eam.

35 Reversus autem Jonathan congregavit seniores populi, & consilium inivit cum ipsis ædificandi munitiones in Jehudæa,

36 Et extollendi muros Jeruschalaimorum, & [d] exstruendi murum magnum, præaltum, inter [10] arcem & civitatem ad disparandum eam a civitate, ut ea seorsim esset; ut [11] neqȝ emerent neque venderent in ea *præsidiarii illius*.

37 Quum itaque convenissent ad ædificandum civitatem, appropinquavit ipse ad murum [12] torrentis qui versus subsolanum est, ubi comparaverunt *illud* quod appellatur [13] Chaphunatha.

38 Schimhon verò exstruxit [14] Chadida in [15] humili loco, quæ munivit portis & vectibus.

39 Quærebat autem Tryphon regnum Asiæ obtinere, & imponere sibi diadema injecta manu in Antiochum regem.

40 Sed metuebat ne fortè Jonathan ipsum non sineret, ac ne fortè oppugnaret ipsum; ideò quærebat rationem prehendendi ipsum ut perderet, movénsq; venit [16] Beth-Scheanem:

41 Et procedens Jonathan in occursum ejus cum quadraginta millibus virorum delectis ad aciem, Beth-scheanem quoque venit.

42 Videns ergo Tryphon adesse ipsum cum copiis multis, & injicere manum in ipsum metuens,

43 Excepit eum honorificè, commendans eum omnibus amicis suis, & dans ei dona; præcepitque amicis suis, ut obedirent ipsi quemadmodum sibi:

44 Dixítq; Jonathani, quorsum vexasti totũ populum istum, quum bellum non sit nobis?

45 Nunc ergo remitte eos in domos suas, & delige tibi viros paucos qui tecum sint, & veni mecum Ptolemaida, quam [17] traditurus sum tibi, & reliquas munitiones copiásque reliquas & omnes qui præsunt negotiis, ut revertens abeam: nam hujus rei gratia adsum.

46 Tunc *Jonathan* fidem habens ei, fecit quemadmodum dixerat: amandavit enim copias, ut abirent in terram Jehudæ.

47 Reliquos verò detinuit secum, viros ter mille; quorum bis mille dimisit in Galilæam, mille verò cum ipso profecti sunt.

48 Sed quum ingressus esset Jonathan Ptolemaida; occluserunt Ptolemaidenses portas, & comprehendentes eum atque omnes qui venerant cum eo interfecerunt gladio.

49 Tum misit Tryphon copias & equitatum in terram Galilææ, & in [18] campum magnum, ad perdendum omnes qui a Jonathane fuerant.

50 Sed ubi cognoverunt eum cõprehensum esse, & periisse qui erant cum ipso, exhortati inter se profecti sunt, unà revertentes & comparati in prælium.

51 Videntes verò persequutores eos de vita dimicaturos esse, reversi sunt.

52 Ita venerunt omnes in terram Jehudæ, & luxerunt Jonathanem ac comites ejus, timuerúntq; valdè; luxerunt quoque omnes Jisraëlitæ luctu magno.

53 Tum quærebant omnes gentes quæ circumstabant eos, atterere eos:

54 Dicebant enim, non habent principem & adjutorem; nunc ergo oppugnantes eos, tollemus ex hominibus memoriam eorum.

18 id est, Harabothas, de quibus suprà 5.23.

CAPUT XIII.

1 Audiens verò Schimhon congregare Tryphonem copias multas ad invadendum terram Jehudæ, & atterendum eam,

2 Quum videret populum esse trepidum & perculsum metu; ascendit Jeruschalaima, & congregavit populum,

3 Et adhortatus est eos, dicens eis, Ipsi nostis, quanta ego & fratres mei ac domus patris mei fecerimus pro legibus & [a] sanctuario; & quæ prælia, angustiásq; [b] experti simus:

4 Propterea perierunt fratres mei omnes causâ Jisraëlis, & ego solus reliquus factus sum.

5 Nunc autem absit a me, ut parcam animæ meæ omni tempore angustiæ: non enim melior sum fratribus meis.

6 Verùm vindex ero pro gente mea, & pro sanctuario, & pro uxoribus liberísque nostris; quandoquidem cõgregatæ sunt omnes istæ gentes, ut atterant nos [c] infenso animo.

7 Ita de integro accendit [d] animos populi, simul atque audivit sermones istos; qui responderunt voce magna dicentes:

8 Tu esto noster dux pro Jehuda & Jonathane fratribus tuis,

9 [e] Gere bellum nostrum, & quæcumque edixeris nobis, faciemus.

10 Congregatis itaque omnibus viris bellatoribus, acceleravit [1] perficere muros Jeruschalaimorum, quibus munivit ea circumquaque;

11 Misitq; Jonathanem filium Abschalomi, & copias cum eo idoneas Joppen; qui ejectis iis qui erant in ea *urbe*, ibidem mansit in ea.

12 Movit autem Tryphon Ptolemaide cum copiis multis, invasurus terram Jehudæ, habens Jonathanem secum in custodia.

13 Schimhon verò castra posuit [2] Chadidis [3] e regione illius campi.

14 Cognoscens verò Tryphon surrexisse Schimhonem pro Jonathane fratre ipsius, & committendum sibi fore bellum, misit ad eum legatos, dicens,

15 Pro argento illo quod debet Jonathã frater

a *Græc. sanctis, sic vers. 6.*
b *Græc. vidimus.*
c *Græc. inimicitiæ gratia.*
d *Græc. spiritum.*
e *Græc. bella.*
1 Ut consilium fuerat initum, & cœptum suprà 12.35.
2 de quibus suprà 12.38.
3 hoc est, quod opidum monti impositum prospectat Jehudęæ campestria, ut interpretatur Josephus lib. 13. Antiq. cap. 11.

ter tuus in ærarium regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus ipsum:

16 Nunc autem mitte talenta centum, & duos filiorum ejus obsides, ut dimissus non deficiat à nobis, sed *securè* dimittamus ipsum.

17 Ac noverat quidem Schimhon, istos dolo loqui cum ipso; misit tamen argentum & duos pueros; ídque, nequando inimicitiam susciperet magnam apud populum, qui fuissent dicturi,

18 Quia non misit ei argentum & pueros, idcircò periit.

19 Quum autem misisset pueros & talenta centum; mentitus est, ac non dimisit Jonathanem.

20 Sed posteà venit Tryphon ad invadendum regionem, & atterendum ipsam, ambiens via [4] Dorum versus. Schimhon verò, & castra ejus ex adverso procedebant ei, quemcumque in locum proficiscebatur ille.

21 Qui autē ex arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos acceleraturos eum; ut veniret ad ipsos per desertū, & mitteret ipsis alimenta:

22 Quamobrem comparavit Tryphon totum equitatum suum, ut veniret; sed nocte illa fuit nix multa valdè, adeò ut non venerit propter nivem illam: sic movens ille venit in regionem Gilhadis.

23 Qúmq; venisset proximè [5] Botzekathā, interfecit Jonathanem, qui sepultus est illic;

24 Et reversus est Tryphon castra movens in terram suam.

25 Itaq; mittens Schimhon accepit ossa Jonathanis fratris sui, quem sepeliverunt [6] Moddinis in civitate majorum suorum,

26 Et plangentes eum omnes Jisraëlitę planctu magno luxerunt eum diebus multis.

27 Exstruens verò Schimhon monumentum super sepulcrum patris sui, & fratrum suorum, extulit illud speciosum lapide polito, antè & retrò;

28 Statuítque super ea septem pyramidas; unam, ex adverso alterius; patri, & matri, fratribúsque quatuor.

29 Et iis adjecit machinas circumponens columnas magnas, quibus columnis imposuit omnem armaturam ad nomen æternum, & ad omnia armorum genera naves insculptas, ut spectarentur ab omnibus navigantibus mari.

30 Hoc *est* sepulcrum quod fecit Moddinis in diem usque hunc.

31 Tryphon autem incedens dolo cum Antiocho rege juniore, interfecit eum,

32 Et regnavit loco ejus, imponens sibi diadema Asiæ; intulítque plagam magnam terræ.

33 Quapropter Schimhom exstruxit munitiones Jehudææ, circummuniens turribus altis, & muris magnis, cum turribus & portis, ac vectibus, & posuit cibaria in munitionibus:

34 Deligénsque Schimhon viros misit ad Demetrium regem ut concederet [f] immunitatem regioni, eò quòd omnes actiones Tryphonis erant rapinæ:

35 Et mittens ei Demetrius rex in eā sententiam, respondit ei, & scripsit ei epistolā ejusmodi:

36 Rex Demetrius Schimhoni sacerdoti summo, & amico regum, senioribúsque & genti Jehudæorum salutem.

37 Coronam auream, vestémq; [7] spadicem, quas misistis, accepimus, & parati sumus [g] tribuere vobis pacem magnam, & scribere procuratoribus negotiorum, ut dimittant ea vobis [h] quæ dimittimus.

38 Nam quæcumque constituimus erga vos, stata sunt; & munitiones vestræ quas ædificastis, vobis sunto.

39 Dimittimus quoque errores & peccata in hodiernum usque diem commissa; & coronam quam debetis: præterea si quid aliud pendebatur Jeruschalaimis tributi nomine, ne ampliùs penditor.

40 Quòd si qui vestrum apti sunt ut conscribantur inter nostros, conscribuntor, & pax inter nos esto.

41 Anno centesimo septuagesimo sublatum est jugum gentium a Jisraële:

42 Cœpítq; populus Jisraëlis scribere in syngraphis & contractibus; anno primo Schimhone principe sacerdotum magno, & imperatore ac duce Jehudæorum.

43 Diebus illis castra ponens cōtra Hazzam circumdedit eam castris, & factam [8] Helepolin admovens civitati, ita concussit turrem unam, ut occupaverit:

44 Exsilientibúsq; iis qui in Helepoli erant in civitatem, fuit motus magnus in civitate illa.

45 Quamobrem ascenderunt qui erant in civitate cum uxoribus & liberis in murum, disrumpentes vestimenta sua, & clamaverunt voce magna, petentes ut Schimhon dexteras ipsis daret,

46 Et dicentes, ne utaris nobis secundùm malefacta nostra, sed pro misericordia tua.

47 Tunc [i] adductus in ipsos misericordia Schimhon non debellavit eos; sed ejiciens eos e civitate purgavit domos, in quibus idola erant, atque ita ingressus est in eam celebrans & benedicens *Deo*.

48 Qúmq; ejecisset ex ea omnem immunditiam, incolas statuit illic viros qui legem observarent; & ampliùs muniens eam ædificavit sibi ipsi in ea habitationem.

49 Qui autem erant [9] in arce Jeruschalaimis, prohibebantur egredi & ingredi in regioné, etiam emere & vendere, adeò ut esurirent valdè, periréntque ex eis multi fame.

50 Sed quum inclamassent Schimhonem ut dexteras [k] jungerent, dedit eis; & ejiciens eos inde, mundavit quoque arcem ab inquinamentis,

51 Et ingressus est eam die vigesimo tertio secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude, & termitibus, citharísque & cymbalis, & nabliis, & hymnis, & canticis, eò quòd attritus esset hostis magnus, & ejectus ex Jisraële:

52 Constituítque quotannis agitari diem illum cum lætitia:

53 Et ampliùs munivit montem sancti loci, qui *erat* secus arcem; ubi habitavit ipse & comitatus ipsius.

54 Tum videns Schimhon Jochananem filium suum virum esse, statuit eum ducem copiarum omnium, & habitavit [10] Gazaris.

CAPUT XIIII.

1 ANno autem centesimo septuagesimo secundo, congregavit Demetrius rex copias suas, & profectus est in Mediam ad contrahendum auxilium sibi, ut Tryphoné debellaret.

2 Sed audiens [1] Arsaces rex Persidis & Medię, venisse Demetrium in fines suos, misit unum principum

[4] opidum Edomææ, quod sic legimus ex Josephi testimonio.
[5] i. quum terminos Jehudææ proximè attigisset: est enim Botzkatha opidum Jehudæ in finibus Edomææ versus, Jehosch. 15.39. Quod enim Græcè βάσκαμα legitur, corruptè habetur μ pro θ.
[6] vide sup. 2.1.
[f] *Græc. dimissionem.*
[7] Græcam vocem βαΐνην neq; Hieronymus, neque alii interpretati sunt; etsi satis ex argumento ostenditur quid sibi auctor voluerit. Est enim βάϊον, sive βαΐον, ut legitur infrà versu 51. ramus palmæ cum fructibus colorem phœniceum, sive spadicem habentibus; quo ex colore Græcis dicitur βαΐνος spadix, & vestis colore spadice βαΐνη, quemadmodum ab alio arbore color dicitur Balaustius. Vestis autem nomen in hac constructione plurimum desiderari apud Græcos, nemo est qui nesciat; ut Joan. 20. 12.
[g] *Græc. facere.*
[h] *Græc. dimissiones.*
[8] obsidionalem machinā, de qua ex Ammiano Marcellino in Jechezkel diximus.
[i] *Græc. solutus in ipsis.*
[9] i. in Acra, ut historicis quibusdam appellatur. vide sup. 4. 41. & 12. 36.
[k] *Græc. acciperent.*
[10] vide suprà 9. 52.
[1] Regis Parthorum nomen, a quibus jam tum Persis Mediáque tenebantur: atque hinc Parthi dicti sunt Arsacidæ.

principum suorum ut vivum comprehenderet eum:

3 Qui profectus cæcidit castra Demetrii, & comprehendens eum adduxit eum ad Arsacem, qui in custodia posuit eum.

4 Quievit autem terra omnibus diebus Schimhonis, nam procuravit bona genti suæ, adeò ut placeret eis potentia ejus: & gloria ejus omnibus diebus.

5 Cepit enim præter totam gloriam suam, Joppen, ᵃ ut portus fabulosus esset, & comparavit aditum ad insulas maris,

6 Et dilatatis terminis gentis suæ obtinuit regionem,

7 Congregavítq; multam captivorum multitudinem, consequutus dominatum ² Gazarorum, Bethtzuræque, & Acræ, ex qua sustulit immunditias; neque fuit qui resisteret ipsi.

8 ³ Ita colebant terram suam cum pace, terráq; dabat fœtus suos, & arbores agrorum fructum suum:

9 Seniores in plateis sedebant; omnes de rebus bonis communicabant, & juvenes induebant gloriosas vestes, & ⁴ amictus bellicos.

10 Civitatibus subministrabat cibaria, & instruebat eas instrumentis ᵇ ad munitionem aptis, eò usq; ut nominaretur nomen ᶜ gloriosum ejus, ad extremum usque terræ:

11 ᵈ Comparabat pacem in terra, lætabatúrque Jisraël lætitia magna,

12 Et sedebat quisq; sub vite sua & ficu sua, nec erat qui exterreret ipsos:

13 Defecerat enim qui oppugnaverat eos in terra, & reges ipsi attriti erant diebus illis.

14 Confirmabátque omnes abjectos populi sui, legem exquirens; & tollebat omnem iniquum improbúmque:

15 Sanctuarium glorificabat, & multiplicabat vasa loci sancti.

16 Ut autem Romæ ᵉ auditum est, mortuum esse Jonathanem, & Spartam usque, contristati sunt valde.

17 Sed ubi audiverunt Schimhonem fratrem ejus factum esse sacerdotē summū loco ejus, & obtinere regionem ac civitates quæ in ea sunt:

18 Scripserunt ad eum tabulis æreis ad renovandum cum eo amicitiam ac societatē, quam constituerant cum Jehuda & Jonathane fratribus ejus:

19 Quæ lecta sunt coram ecclesia Jeruschalaimis.

20 Atque hoc exemplum *est* literarum quas scripserunt Spartiatæ; Spartiatarum principes, & civitas Schimhoni sacerdoti magno, senioribúsque, & sacerdotibus, & reliquo Jehudæorum populo, fratribus, salutem.

21 Legati missi ad populum nostrum renunciaverunt nobis gloriam vestram & honorem, de quorum adventu lætati sumus.

22 Itaque rescripsimus, quæ ab ipsis dicta sunt in consiliis populi, hoc pacto: ⁵ Numenius Antimachi, & Antipater Jasonis filius legati Jehudæorum, venerunt ad nos renovantes suam nobiscum amicitiam:

23 Et placuit populo accipi viros illos gloriosè, & poni exemplum sermonum istorum in ⁶ libris qui designati sunt populo, ut monimentum habeat populus Spartiatarum. Hoc exemplum scripserunt istorum Schimhoni sacerdoti summo.

24 Postea misit Schimhon Romam Numenium habentem clypeum aureum, magnum, ⁷ minarum mille pondere, ad statuendum cum eis societatem.

25 Quum autem populus audivit res istas, dixerunt, quam gratiam reddemus Schimhoni, & filiis ejus?

26 Confirmavit enim ille *suos*, & fratres illius paternáq; domus illius, atq; expugnando inimicos Jisraëlitarum propulsaverunt ab eis, ideò statuerunt ei ᶠ liberam administrationem, ut conscripserunt in tabulis æreis, quas apposuerunt ⁸ columnis in monte Tzijonis.

27 ⁹ Atque hoc exemplum scripturæ: Die decimo octavo ¹⁰ Elulis, anno centesimo septuagesimo secundo, qui tertius est annus Schimhone sacerdote summo,

28 In atrio munitionis, congregatione magna sacerdotum, & populi, & principum gentis, seniorúmque regionis. ¹¹ Notum se fecit nobis, quandoquidem sæpe gerebantur bella in regione hac,

29 Et Schimhon Matthithjæ filius e posteris Jojaribi, & fratres illius, qui exposuerunt se ipsos periculo, resistentes adversariis gentis suæ, ut staret locus sanctus ipsorum & lex; ᵍ gloriámq; magnam pepererunt genti suæ.

30 Nam congregans Jonathan gentem suam factus est eis sacerdos summus; postquam verò appositus est ad populares suos,

31 Volentibus inimicis eorum invadere regionem illorum, ut atterendo regionem eorum extenderent manum in locum sanctum eorum:

32 Tunc surgens Schimhon propugnavit gentem suam, & consumens pecunias multas de suo arma dedit viris copiarum gentis suæ, & dedit eis stipendia,

33 Munivítq; civitates Jehudææ, & Bethtzuram in finibus Jehudææ *sitam*, ubi erant arma hostium priùs, & posuit in ea ʰ præsidiarios homines Jehudæos.

34 Joppen quoque munivit mari impositam, & Gazara ad terminos Aschdodi, ubi priùs hostes habitaverant, collocans illic Jehudæos, & quæcumque commoda erant ad rectam horum locorum constitutionem, disposuit in eis.

35 ¹³ Quare videns populus fidem Schimhonis, & gloriam quam ⁱ certo consilio comparaverat genti suæ, instituerunt eum ducem suum, & sacerdotem summum, videns, inquam, justitiam & fidem quam conservavit genti suæ, procurans omnibus modis exaltare populum suum:

36 Adeò ut diebus ipsius res benè successerint ᵏ administratione ipsius, sublatis gentibus e regione ipsorum; & iis qui erant in civitate Davidis Jeruschalaimis, qui fecerant sibi ipsis arcem, ex qua erumpentes contaminabant *omnia* in circuitu sanctuarii, & infligebant plagam magnam sanctitati;

37 Collocante ipso in ea viros Jehudæos, & muniente eam ad securitatem regionis civitatísque, ac efferente muros Jeruschalaimorum.

38 Et rex quoque Demetrius stabilivit ei sacerdotium summum,

39 ¹⁴ Secundùm omnia illa, & fecit eum unum ex amicis suis, ac glorificavit eum gloria magna.

ᵃ *Græ. in portum.*

² de quibus sup. 9.12. & 13.54.

³ fusa descriptio summæ pacis, tranquillitatis, & gloriæ, usque ad V. 16 alt. 1. Reg. 4.

⁴ i. in re militari honestè se ipsos exercebant, ne otio torpescerent: quod ex sequentium comparatione intelligitur.

ᵇ *Græ. munitionis.*

ᶜ *Græc. gloriæ.*

ᵈ *Græc. faciebat.*

ᵉ *Græ. audiverūt.*

⁵ Laconica species narrationis, quæ in acta publica Spartæ relata est, vide suprà in 12.16.

⁶ i. actis publicis.

⁷ id est, librarum nummulariarū, ut accipiendum docet analogia. Est enim mina apud Hebræos & Syros idem quod pondo, cujuscumq; materiæ fuerit: ut demonstravimus 1. Reg. 10.17.

ᶠ *Græ. libertatem.*

⁸ nempe atrii sive ambitus, ut in decreto habetur infrà V. 49.

⁹ hactenus Romanorum deliberantium verba, ad quorum historiam regreditur scriptor infrà 15.15. Jam verò occasione data, exemplum decreti a Jehudæis in gratiam Schimhonis facti subjicit.

¹⁰ qui mensis est sextus Augusto nostro plurimū respondens.

¹¹ hactenus voces aliquot vidimus Hebræas ortu & significatione, quibus auctor contextum Græcum infercivit: atque hic quoq; Græcam vocem, non dubitamus fuisse scriptam pro Chatzarhammillo, id est, atrio munitionis. Fuit enim munitio in civitate Davidis, ubi tēplum Dei & regia quoq; continebātur; atq; in ea Hebræi omnes uno ore testantur habitos fuisse cōventus ad Reipub. administrationem necessarios: quíque ad eos habēdos non templū, nō regia; sed atrium aliquod, ac potiùs basilica (quam Hebræi quoque appellant Chatzar) fuerit necessarium, cum locū hac peregrina voce confirmamus denotari. Ad hanc autem lectionē proximè accedit Hieronymus; cui in his tamquam ruderibus scrutandis aliquid tribuendum puto. ¹² hic usque sunt inscriptionis verba, quæ ante decretum Jehudæorū in actis publicis fuerant posita. Hujus autē decreti partes in universum duæ sunt; narratio causarū, quib. ad faciendum decretū istud adducti sunt, usq; ad V. 35, & rerum decretarū Schimhoni explicatio, ad finem usq; capitis. sensus est, infinitis beneficiis probavit fidem suam, studiúmque nostræ Reipublicæ. ᵍ *Græ. gloria magna glorificaverunt.* ʰ *Græ. præsidiū.* ¹³ honorum qui Schimhoni decernuntur cōstitutio est a populo Jehudæorū, hic, & cōfirmatio a rege Demetrio, V. 38. & seq. ⁱ *Græ. consulerat facere.* ᵏ *Græ. in manibus.* ¹⁴ i. sequutus decretū a Jehudæis factū.

40 (¹⁵ Nam

[15] hos versus per parenthesin insertos ab auctore fuisse credimus, ut ostenderet non voluntate adductum, sed quadam necessitate fractum Demetrium fuisse, ut honores Schimħoni decretos confirmaret, & specie aliqua amplificaret.
[16] ut sup. 13.42.
[17] hæc enim duo sunt insignia dominatus, ut suprà 10.20. & 11.58.

40 ([15] Nam audiebatur appellari Jehudæos a Romanis amicos sociósque, & eos obviam processisse legatis Schimħonis gloriosè,

41 Et visum esse Jehudæis sacerdotibúsque ut esset ipsorũ dux & sacerdos summus Schimħon in seculum, donec exsurgeret propheta certus.

42 Essétque super eos dux, tum ut cura sit ipsi pro loco sancto constituendi per ipsum præfectos operibus ipsorum, & regioni, armísque, & munitionibus;

43 Tum ut cura sit ipsi sanctuarii, utq; pareatur ipsi ab omnibus, & ut scribantur de nomine ejus omnes [16] syngraphæ in regione; & ut induatur [17] purpura, aurúmque gestet)

44 Ideò non licebit ulli ex populo & sacerdotibus irritum facere quicquam istorum, & rebus quæ ab ipso dicentur contradicere: aut conventum in regione cogere sine ipso, aut indui purpura, & ornari fibula aurea.

45 Qui autem præter hæc fecerit, aut irritũ fecerit quicquam horum, reus futurus est:

46 Nam placuit toti populo statuere, ut Schimħon faciat secundùm res istas.

47 Quod ut accepit Schimħon, & placuit ipsi summo sacerdotio fungi, ac esse ducẽ ac principem gentis Jehudæorum, sacerdotúmque, & præesse omnibus;

48 Scripturam istam edixerunt poni in tabulis æreis,

[l] Græc. insigni.

49 Eásque statui in ambitu loci sancti, in loco [l] celebri: eorum verò exempla poni in gazophylacio, ut haberet Schimħon, ejúsque filii.

CAPUT XV.

[1] Dictus Sedetes Demetrii Soteris filius.

1 TUm misit [1] Antiochus filius Demetrii regis literas ab insulis maris Schimħoni sacerdoti, ac principi gentis Jehudæorum, & universæ genti;

2 Quæ scriptæ erant in hanc formam: Rex Antiochus Schimħoni sacerdoti magno, & gentis principi, gentiq; Jehudæorum salutem.

3 Quandoquidem viri pestilentes obtinuerunt regnum majorum nostrorum,

4 Quod regnum volens vindicare, ut illud restituam sicut erat prius, collegi multitudinem copiarum, & comparavi naves militares (volo enim procedere per regionem, ut consequar eos qui corruperunt regionem nostram, & qui desolaverunt civitates multas in regno)

[a] Græc. dimissiones.

5 Nunc ergo stabilio tibi omnes [a] immunitates, quas attribuerunt tibi reges qui antecesserunt me, & quæcumque alia dona remiserunt tibi:

[b] Græc. facere cusionem proprium numisma.

6 Item quod concesserunt tibi [b] cudere proprium numisma regioni tuæ:

7 Et Jeruschalaima sanctúmque locum esse libera: omnia etiam arma, quæcumque comparavisti, & munitiones, quas ædificasti, quas obtines, manento penes te:

8 Et omne debitum regi, & quæcumque futura erant regis, ab hoc in omne tempus remissa sunto tibi.

[c] Græc. glorificabimus te gloria magna.

9 Quum autem constituerimus regnum nostrum, gloria afficiemus te, gentémque tuam, & templum magna, adeò ut manifesta futura sit [c] gloria vestra in universa terra.

10 Anno centesimo septuagesimo quarto quum processisset Antiochus in terram majorũ suorum, convenerunt ad ipsum omnes copiæ, adeò ut pauci cum Tryphone essent:

11 Qui persequente Antiocho rege ipsum, venit [2] Dora *in locum* mari impositum fugiens:

12 Videbat enim simul adduci in se ipsum mala, quum dimisissent ipsum copiæ.

13 Itaque castra posuit Antiochus contra Dora, habens secum centum viginti millia bellatorum, & octo equitum millia:

14 Et circumdans civitatem navésque e mari comportans, afflixit civitatem terra & mari, nec sivit egredi aut ingredi quemquam.

15 Venit autem Numenius, & comites ejus Roma, habentes literas ad reges atque regiones, in quibus scripta erant ista:

16 [3] Lucius consul Romanorum Ptolemæo regi salutem.

17 Legati Jehudæorum venerunt ad nos, amici nostri sociíque, renovaturi amicitiam & societatem quæ ab initio fuit, missi a Schimħone Sacerdote summo, populóq; Jehudæorũ:

18 Et attulerunt clypeum aureum, minarum mille.

19 Placuit igitur nobis scribere regibus ac regionibus ne procurent eorum mala, neque oppugnent eos & civitates eorum, regionémque eorum, & ne societatem ineant cum iis qui oppugnant eos:

20 Et visum est nobis accipere clypeum illum ab ipsis.

21 Si qui ergo pestilentes effugerunt e regione illorũ ad vos: tradite eos Schimħoni sacerdoti, ut ulciscatur eos secundùm legem ipsorum.

22 Atque hæc quoque rescripsit [4] Demetrio regi, & [5] Attalo, & [6] Ariarathi,

23 Et [7] Arsacæ, atque in omnes regiones, & [8] Lampsaco, & Spartiatis, & Delo, & Myndo, & Sicyoni, & Cariæ, & Samo, Pamphiliæque, & Lyciæ, & Alicarnasso, & Coo, & Sidæ, & Arado, & Phaselidi, & Gortynæ, & Cnido, & Cypro, & Cyrenæ:

24 Quorum exemplum rescripserunt Schimħoni sacerdoti summo.

25 Antiochus ergo rex castra fecit contra Dora, [9] secundo *die* adhibens contra illa manus, machinásque faciens; & conclusit Tryphonem, ne egrederetur aut ingrederetur quisquam.

26 Quum autem misisset ei Schimħon bis mille viros electos auxiliaturos ipsi, & argentum aurúmque, & vasa multa:

27 [10] Voluit quidem ea accipere; sed posteà irrita faciens quæcumque confecerat cum ipso priùs, ut alienatus est ab ipso,

28 Misit ad ipsum quemdam amicorum suorũ Athenobium, qui communicaret cum ipso dicens, vos obtinetis vi Joppen, & Gazara, & Acrã quæ est Jeruschalaimis civitates regni mei:

29 Terminos earum desolastis, & [d] inflixistis plagam magnam in terra, dominantes locis multis in regno meo.

30 Nunc ergo tradite civitates quas occupavistis, & tributa locorum quibus dominamini, ex terminis qui extra Jehudæam sunt:

31 Sin minùs, date pro eis quingenta talenta argenti, & pro perditione [e] quam intulistis, & tributis locorum quingenta alia talenta: quod si non feceritis, advenientes expugnabimus vos.

[2] castellum maritimum situ inter Carmelum montem, & ostiũ fluvii Chersei, cui adjuncta est civitas, ut apparet ex vers. 14.
[3] Quis hic Lucius fuerit, dubitãt interpretes. nam sub illud tempus consul cognomine vix legitur: sed hoc librorũ vitio factum est. Fuerunt enim hoc eodẽ anno consules Romæ Lucius Furius Philus, & Sext. Attilius Serranus; quemadmodum hic a Cicerone in Bruto, & libro de Officiis 3. nominatur. Alii verò auctores pleriq; non Lucium Furium, sed Publium Furium corruptè appellarunt.
[4] qui tum quidẽ vivebat quum exararentur literæ: sed antè perierat quàm ad Jehudæos perferrentur.
[5] regi Pergamorum & Phrygiæ.
[6] regi minoris Armeniæ, qui corruptè in Græco Arabes; in Latino Arabas appellatur. Nam Cappadociæ & minoris Armeniæ reges Ariarathes; ut majoris Armeniæ Tigranes dicebantur.
[7] vide sup. 14.2.
[8] i. incolis Hellesponti, synecdochicè, a metropoli. Sic placuit legere ex cõjectura, & veterum librorum propinquitate scripturæ.
[9] i. non intermissa opera; sed simul ac admovit castra, opus aggrediens animo infensissimo.
[10] aperta quidẽ hic cùm in Latino, tum in Græco textu negatio est: sed duæ sunt causæ, ex quibus eam sustulimus, & tollendã planè judicamus. Primùm enim nisi hoc modo acceperis, desipuisse planè Antiochum oportuerit, qui dum in tanto certamine versabatur, legationem sequentem ad Schimħonem miserit, ut majorem sibi hostium numerum compararet, intempestivè & imprudentissimè: deinde verò nihil verbis Josephi apertius, qui nominatim exponit, Antiochum auxiliares Schimħonis copias petiisse, accepisse, & in obsidione occupasse, adeò (inquit) ut ad breve tẽpus Schimħon ex amicis ejus summè necessarius esse putaretur. [d] *Græc. fecistis: sic vers. 35.* [e] *Græc. qua perdidistis.*

11 opidū Phœniciæ, ut Ptolemæus testis est lib.5.inter Simyram & Tripolin.

12 virū illustrē, abs quo intra montis Carmēli radices nominatur palus Cendebęa, sive Cendevia Plinio lib. 5.cap.19.& lib. 36.cap.26.

13 Græcè quidem legitur Cedron: sed corruptam esse appellationem hoc loco dubitari non potest, quū Cedron torrens sit ad Jeruschalaima; Gedorū verò opidum sit in finibus Jehudææ, Edomæis ac Pelischthæis conterminum, Jehosch. 15. 58. Quam vocē hic reponendā esse sequens evincit historia.

14 id est, portas; sed quia vox Græca apud Latinos auctores ferè angustiis montium faucibus tribuitur, visum est hîc eam retinere. Intelliguntur enim angusti omnes Jehudææ aditus, quæ montibus circumclusa est.

32 Veniens itaque Athenobius amicus regis Jeruschalaima, vidit gloriam Schimħonis & repositorium cum vasis aureis & argenteis, apparatúmque tam multum ut obstupesceret; & renunciavit ei verba regis.

33 Cui respondens Schimħon dixit, neque terram alienam occupavimus, neque res alienas detinuimus; sed hæreditatem majorum nostrorum, quæ ab inimicis nostris injustè aliqua occasione occupata fuit:

34 Nos verò occasionem habentes vindicamus hæreditatem majorum nostrorum.

35 De Joppe autem Gazarísque, quæ petis (hæc infligebant populo plagam magnam, & regioni nostrę) horum *causa* daturi sumus talenta centum: sed non respondit *Athenobius* ei verbum.

36 Reversus verò cum ira ad regem, renunciavit ei sermones istos, & gloriam Schimħonis; & quæcumque viderat: quamobrem iratus est rex ira magna.

37 Tryphon verò ingressus navigium fugit [11] Orthosiada.

38 Itaque instituens rex [12] Cendebæum ducem in regione maritima, & copias pedestres, & equestres dans ei;

39 Mandavit ei ut castra metaretur adversus Jehudæam, ædificaret [13] Gedorum, & muniret [14] Pylas, deniq; ut oppugnaret populum: Rex verò Tryphonem persequutus est.

40 Itaque adveniens Cendebæus Jamniam cœpit lacessere populum invadens Jehudæam, & captivum ducere populum atque occidere; & ædificavit Gedorum.

41 Ubi ordinavit equites copiásque, ut procedentes percurrerent itinera Jehudææ, quemadmodum constituerat ipsi rex.

CAPUT XVI.

1 qui Gazaris a parente fuerat præfectus, suprà 13.54. historici Joannem Hircanum vocant.

a Græc. manibus nostris.

b Græc. misericordiam.

c Græc. in occursum.

d Græc. contra faciem.

1 Quapropter ascendens [1] Jochanan Gazaris, renunciavit Schimħoni patri suo quæ conficiebat Cendebæus.

2 Schimħon verò accersens duos filios suos seniores, Jehudam & Jochananem, dixit eis: Ego & fratres mei, paternáque domus mea gessimus bella Jisraëlis a juventute ad hodiernum usque diem & prosperè successit [a] administratione nostra ut liberaretur persæpe Jisraël.

3 Nunc autem consenui; vos verò ad hoc [b] officium misericors his annis idonei estis: estote loco meo & fratris mei, & procedentes pugnare pro gente nostra; auxilium autem a cælo adesto vobis.

4 Deinde quum delegisset e regione viginti millia peditum bellatorum cum equitibus, proficiscentes contra Cendebæum Moddinis pernoctarunt.

5 Unde exsurgentes manè profecti sunt in campum: ecce autem copiæ multæ [c] obviam venientes eis, pedestres cum equitibus; sed torrens erat inter ipsos.

6 Habens autem castra [d] ex adverso eorum ipse cum populo suo, ut vidit populū formidine dubitantem trajicere torrentem, trajecit primus: quem videntes viri trajecerunt post eum.

7 Tunc divisis populum, equites in medio peditum collocans (equitatus enim adversariorum multus *erat* valdè)

8 Et [2] clanxit tubis, ita verso in fugam Cendebæo & castris illius, ceciderunt ex illis confossi multi; reliqui verò confugerunt ad [3] munitionem.

2 id est, signo dato per tubicines impressionem in hostes fecit: synecdoche.

3 Gedorum, cujus meminit sequente vers.

9 Tunc vulneratus est Jehuda frater Jochananis; Jochanan verò eos persequutus est, donec venisset ad Gedorum quam ædificaverat *Cendebæus*.

10 [4] Itaque fugerunt ad turres usq; quæ *sunt* in agro Aschdodi, quum eam succendisset igne: ceciderúntque ex eis ad viros bis mille: postea reversus est in terram Jehudæ cum pace.

4 nempe quum Cendebæi milites animadverterent Gedori obsidionem a Jochanane comparari.

11 Ptolemæus autem *filius* Abubi constitutus erat dux in campo Jerichuntis, habens argenti & auri multum:

12 Erat enim gener sacerdotis summi.

13 Hujus quum elatus esset animus, & vellet obtinere regionem, cogitavit dolum contra Schimħonem & filios ejus, ut tolleret eos.

14 Schimħon verò obibat civitates quæ in regione erant, & curabat [e] quæ in eis curanda erant: ita descendit Jerichuntem ipse, & Matthithja Jehudáque filii ipsius, anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo, hic est mensis Schebat.

e Græc. curationem earum.

15 Tum excipiens eos filius Abubi in munitionem parvam quæ appellatur [5] Dok, quam ædificaverat, dolo fecit eis convivium magnum, & abscondit illic viros:

5 nomen est Syrum, ab investigatione dictum.

16 Quúmque [f] affatim bibisset Schimħon cum filiis suis, exsurgens Ptolemæus, & qui aderant ipsi, ceperunt arma illorum; invadentésque Schimħonem in convivio, occiderunt eum & duos filios ejus, & quosdam ex pueris ejus:

f Græc. inebriatus esset: vide Genes. 43.34.

17 Faciens scelus magnum, & reddens mala pro bonis.

18 Deinde scripsit hæc Ptolemæus, mittens ad [6] regem ut mitteret ipsi copias ad auxilium, & se traditurum regionem ac civitates ipsi.

6 nempe Antiochum Sedetem, de quo suprà 15.

19 Misit quoque alios Gazara, qui tollerent Jochananem, & chiliarchis misit epistolas ut venirent ad se, ut daret ipsis argentum & aurum, donativáque:

20 Alios verò misit qui occuparent Jeruschalaima, & montem templi.

21 Sed præcurrens quidā renunciavit Jochanani Gazara, periisse patrem ipsius & fratres ipsius; & misit etiam, *inquiens*, ad occidendum te.

22 Quod audiens [7] obstupefactus est admodum, & comprehendens viros qui venerant ad perdendum ipsum, interfecit eos. Cognoverat enim eos quærere ut perderent ipsum.

7 audito insperato generi in socerum suum & affines scelere.

23 [g] Reliqui autem sermones Jochananis, & bella ejus & strenua facta ejus, quæ fortiter gessit; & ædificatio murorum quos ædificavit, & actiones ejus:

24 Ecce hæc scripta sunt in [h] [8] Chronicis summi sacerdotii ejus, ex quo factus est Sacerdos summus post patrem suum.

g Græc. reliqua autem sermonum Jochananis, & bellorum, &c.

h Græc. libris dierum.

8 id est, in actis publicis: vide 1.Reg.11.41.

MACBAEORUM LIBER SECUNDUS.

SECUNDUS *liber Macbæorum historiam continet rerum in Ecclesia gestarum a fine Seleuci Philopatoris ad tẽpora usq; Antiochi Eupatoris quibus Nicanor a Jehuda Macbæo fusus est: maximè verò memorabilia adducit piorum exempla, qui pro lege Dei & veritate sibi tradita constanter & sanctè hanc vitã contemserunt, ut gloriam Deo cederent, & omnibus pietatis exemplũ in seipsis statuerẽt. Historia est annorũ fermè quatuordecim.*

CAPUT PRIMUM.

[a] Hic liber partim centonem habet ex variis scriptis consarcinatum,(prout in ipso limine ostenditur) partimque epitomen; ut exponitur infrà 2.24. Nam primùm ponitur exemplum unius epistolæ ad Jehudæos in AEgypto versantes de observanda scenopegia, usque ad versum 10. deinde verò alterum exemplũ epistolæ miraculosæ & fabulosæ ponitur usque ad 2.20. cui narrationi subjicitur communis reliqui libri præfatio, usque ad caput tertium. Sed hæc prior nihil ad argumẽtum libri istius pertinet.
[1] non quidẽ eò deportati cum Jirmeja, prout intelligendum falsò videretur ex libro Hezræ 4. sed partim deportati a Ptolemæo Lagi filio, partimque a Philadelpho benignè accepti, & acciti, ut narrat Josephus lib. 12. Antiq. Judaic.
[a] Graec. malo.
[3] nempe Nicanore, Demetrii Soteris filio, de quo 1. Macb. 11.19.
[4] 1. Macb. 3.36. & sequent. & infrà 10.1.
[+] de quo infrà cap. 4. & sequent.

1 [1] FRATRIBUS qui *sunt* per [a] Ægyptũ Jehudæis, fratres qui *sunt* Jeruschalaimis Jehudæi, & qui *sunt* in regione Jehudææ, salutem & pacem optimã:

2 Et bonis afficiat vos Deus recordatus federis sui, quod constituit cum Abrahamo, & Jitzchako, & Jaãakobo servis suis fidelibus:

3 Et det vobis animum omnibus ad colendum ipsum, & faciendum ipsius voluntatem corde maximo, & animo voluntario:

4 Et aperiat mentem vestram in lege sua, & in præceptis suis, & pacem efficiat:

5 Et exaudiens vestras orationes reconcilietur vobis, neque vos deserat tempore [a] calamitoso,

6 Prout nunc hic oramus pro vobis.

7 Regnante [3] Demetrio anno centesimo sexagesimo nono, nos Jehudæi rescripsimus vobis de afflictione & impetu, qui supervenerat nobis annis illis, [b] ex quo defecerat [4] Jason & comites ejus a terra sancta & regno:

8 (Qui postquam incendissent vestibulum, & innocentem sanguinem effudissent; nos orantes dominum ita exauditi sumus, [5] ut obtulerimus sacrificia & similam, accenderimus lucernas, & panes proposuerimus)

9 Ut nunc etiam agatis [6] dies [b] tabernaculorum Cislevo mense.

10 [7] Anno centesimo octogesimo octavo, qui Jeruschalaimis & in Jehudæa sunt senatus [8] populusq; Jehudæ Aristobulo magistro [9] Ptolemæi regis (qui est de gente [10] unctorum sacerdotum) & Jehudæis qui sunt in Ægypto, salutem & incolumitatem.

11 E magnis periculis a Deo servati maximas gratias agimus ei, [11] ut qui in regem fuissemus dimicaturi.

12 Is enim [c] eduxit [12] eos qui dimicaverant instructa acie contra civitatem sanctam.

13 Nam veniens dux in Persida, & copiç comitantes eum quæ sustineri non posse videbantur concisæ sunt in [13] loco sancto Nanææ sacerdotibus qui Nanææ ministrant verbis dolosis utentibus.

14 Ut enim [14] congressurus cum ea advenit in locum Antiochus & [15] amici comitantes ipsum, accipiendarum pecuniarũ causa dotis nomine,

15 (Quas proponebant ipsi sacerdotes Nanææ ipso accedente cum paucis in ambitum fani) concludentes illi templum,

16 Postquam introivisset Antiochus, aperuerunt abditam [16] specus portam, & jacientes lapides tamquam fulgure obruerunt ducem, eúmq; in membra dividentes, capita ademta iis qui foris erant, projecerunt.

17 In omnibus benedictus *sit* Deus noster, qui tradidit eos qui fecerant impiè.

18 Acturi in [17] Cislevo, vigesimo quinto die, purificationem templi, opus esse duximus, ut exponeremus vobis, ut ipsi quoque celebretis æquè diem ignis illius, ac tabernaculorum: quando Nechemja qui exstruxerat templum & altare, obtulit sacrificium.

19 [18] Etenim quum in Persidem agerentur majores nostri, sacerdotes pii, qui tum erant, accipientes de igne altaris clàm, absconderunt in cavo putei [19] fundum habentis [d] aridum, in quo collocaverunt *eum* tutò, adeò ut omnibus ignotus esset locus.

20 Prætergressis autem annis multis, quando visum est Deo, missus Nechemja a rege Persidis posteros sacerdotum qui absconderant misit ad ignem illum: quúmque exposuissent [20] nobis, se non invenisse ignem, sed aquam densam.

21 Jussit eos haurientes inde afferre; & ubi oblata sunt quæ ad sacrificia pertinebant, jussit sacerdotes Nechemja inspergere aqua & ligna ipsa, & quæ incumbebant illis:

22 Quod postquã factũ est, & tempus advenit quo sol resplẽduit, qui priùs erat nubilus; accensa est pyra magna, adeò ut admirarentur omnes.

23 Tunc orationem habebant sacerdotes quum absumeretur sacrificium, sacerdotes (inquam) & *populares* omnes incipiente [21] Jonathane, reliquis verò acclamantibus, ut Nechẽja.

24 Erat autem oratio illa hujusmodi: Domi-

[13] sic placet interpretari, ac nõ templũ; quia teste Herodoto & Cicerone libro de legib. 2. Persæ auctoribus Magis non ferunt parietibus includi deos; sed omnia statuunt eis patẽtia ac libera; quia eorũ hic mundus omnis templũ est & domus. Est autem Nanæa, (si Josepho credimus) Diana dicta (ut observavimus sup. 1. Mac. 6.2.) quasi puellam dixeris. Sed hãc historiam totam fabulosam esse nemo negaverit, qui Polybiũ, Josephum, aut precedentis libri cap. 6. & cap. 9. infrà, cum hoc cõparabit: quorum in exponenda historia consensum huic somnio anteponimus.
[14] fingit enim Antiochum Nanæç conjugium ambivisse, ut dotem perciperet, id est, thesaurum abditũ in sacrario Nanææ dotis specie occuparet; nempe promittentibus sacerdotibus ea lege, si Antiochus sponsus illius esset. Cujusmodi cõmenta de Tiberio, Nerone, & Heliogabalo testantur historici.

[5] id est, ut ordinarium Dei cultum instituerimus: synecdoche. [6] id est, ferias illas conceptivas in mensem Novembrem institutas 1. Macb. 3.35. ut infrà 18. [b] *Graec. scenopegia.* [7] nempe a regno Seleucidarum, ut his libris intelligendum est. [8] nam dividuntur qui erant in Jehudæa in duos ordines, senatorium & plebeium. [9] nempe Lathyri, qui filius fuit Ptolemæi Evergetis, quo regnante conscripta sunt hæc. [10] id est, summorum: nam summus sacerdos unctus appellatur diacriticos, vide quæ annotavimus Exod. 40. [11] id est, quibus fuisset prælium cum Antiocho rege committendum, nisi prospexisset Deus. [c] *Graec. fecit ut ebullirent: sic Sap.* 10. 19. [12] id est, Antiochum Illustrem cum copiis, quodam impetu animi & fervore impulit ut nos missos faceret, & ferretur aliò.

[15] velut pronubi comitantes sponsum, sive παράνυμφοι. [16] qui pro laquearibus accipiunt φάτνωμα, non animadvertũt quod ex Herodoto & Cicerone modò dicebamus, Persas tẽplis exstructis caruisse. Quamobrẽ nos φάτνωμα potius accipimus pro specu, & conceptaculo grarii in terra effosso ad præsepis formam, quod Græci vocant φάτνην. Nam ex eadem cõparatione in navibus quoq; appellantur φατνώματα, teste Athenæo, opæ, sive columbaria, foraminaq; in naviũ ambitu facta ad ejaculandũ missilia; videl. a specie præsepis, cujus formã habet accessus subterraneorũ specuũ. [17] ex instituto Jehudæ Macbæi sup. 1. Macb. 4.52. & 59. [18] hæc jam altera fabula, quam neq; sacrorũ, neq; apocryphorũ ullus præter hunc, neq; Jehudæorũ, neq; gentilium libri (quod sciam) tradiderunt: etsi Jehudæos extollẽdæ gentis suæ adeò studiosos non est credibile fuisse rem tantã præterituros silentio. Contrà enim vulgatũ est in illorũ cõmentariis inde a deportationis tẽpore gloriã Dei, arcã (de qua ca. 2.) & alia quinq; desiderata fuisse. [19] sic legendũ βάθος, non αὐτὸ τάξις. [d] *Gr. vacuũ aqua.* [20] i. gẽti nostræ. [21] sacerdote summo, de quo Nech. 12. 11.

ne

ne Jehova Deus omium creator, formidabilis, &
potens, justúsque, & misericors,
25 Solus rex & bonus, solus [e] beneficentissi-
mus, solus justus, & omnipotens, ac æternus, qui
conservas Jisraëlem ab omni malo; qui fecisti
majores electos, & sanctificasti eos,
26 Accipe sacrificium hoc pro toto populo
tuo Jisraële, & custodi partē tuā, atq; sanctifica:
27 Amplius collige turbam dispersam no-
stram; in libertatem assere eos qui serviunt in
gentibus; qui nihili fiunt, & abominationi sunt
respice; & agnoscant gentes ipsæ te esse Deum
nostrum.
28 Tormentis affice eos qui potentia abutun-
tur, & contumeliosi sunt [f] superbè;
29 Planta populum tuum in loco sancto tuo,
sicut dixit Mosche.
30 Sacerdotes autem psallebant hymnis in-
tereà.
31 Postquam verò consumta sunt ea quæ e-
rant sacrificii, tunc residuam aquam Nechemja
jussit lapidibus maximis [22] capi.
32 Quod ubi factum est, [23] flamma accensa
in eis per relucens ex adverso lumen ab altari ip-
so, *aqua* consumta est.
33 Quúmque manifestum fuisset hoc factum,
& nunciatum Persarum regi, venientibus in
locum ubi ignem absconderant sacerdotes, qui
abducti fuerant aquam apparuisse, ex qua [g] Ne-
chemja res purificasset ad sacrificia pertinentes;
34 Rex circumsepivit locum re probata, &
sanctum effecit:
35 Et multa accipiens munera variáq; [24] do-
navit rex, quę gratiosè largiri placuit.
36 Vocavit autem Nechemja locum illum
[25] Nephtar, quod si interpreteris, purificatio-
nem sonat: vocatúrque [h] a vulgo Nephtar.

e *Græc. choragus.*
f *Græ. in superbia.*
22 i. in lapides cavos inferri, fortè servandi animo.
23 i. ita exarsit flamma ignis qui erat in altari, ut repercussu, sive (ut loquimur) reverberatione sua aquam illam lapidibus inditā accenderet, absumerétque.
g *Græc. qui circū Nechemjam, ut vers. 36. Hellenismus.*
24 i. erogavit in locum sanctum.
25 Syra, non autem Hebræa origine; quod rem esse fabulosam docet: fuisset enim procul dubio Nechemja Hebræum nomen tam sancto Dei operi impositurus.
h *Græc. a multis.*

CAPUT II.

1 [1] INvenitur autem in [2] scriptis Jirmejam pro-
phetam jussisse eis qui deportandi erant,
ut ignem acciperent, prout [3] significatum est:
2 Et mandavisse prophetam iis qui depor-
tandi erant quum daret ipsis [4] legem ut non
obliviscerentur præceptorum Dei, ac non ab-
errarent cogitationibus, videntes simulacra
aurea, argenteáque, & mundum circumstan-
tem ea;
3 Et alia dicentem hujusmodi, hortatum esse
ne absisteret lex ab [a] animo ipsorum.
4 Erat quoque in eadem scriptura, ut taber-
naculum & arcam jusserit idem propheta divi-
no responso facto [5] unà secum iter facere;
5 Quúmq; processisset ad [6] montem, quem
Mosche conscendens spectaverat hæreditatem
Dei, venientem Jirmejam invenisse domicilium
in spelunca factum; & tentorium, & arcam, atq;
altare suffitus intulisse illuc, & januam obstrux-
isse.
6 Advenientes autem quosdam eorum qui
unà comitabantur, ut annotarent viam, non po-
tuisse invenire eam:
7 Quod ubi cognovit Jirmeja, increpantem
eos dixisse, incognitum fore locum illum, donec
congreget Deus venturam congregationem po-
puli, facta misericordia;
8 [7] Tunc autem Dominum demonstraturum
illa, & appariturā [7] gloriam Domini, ac nubem,
quemadmodum etiam tempore Moschis ma-

1 Hæc tertia fabula genus scriptionis arguit, quā ne impudētissimi quidem Jehudæi accepturi sunt; apud quos vulgo dictū est, nusquam arcam Dei, &c. extitisse, ut diximus supra 1.19. Cæterùm vide quàm benè huic conveniat cum quarto Hezræ 10.22.
2 quænam hæc scripta sint, neq; divinare libet, neq; possim: fuerunt certè alicujus cōmentorū artificis; qualia multa religionis species importat hierophylaciis: ut solus Herodotus testis futurus est locupletissimus.
3 sup. 1.19.
4 quam liber Hezræ quartus amissam fuisse dicit.
a *Græc. corde.*
5 sic interpretamur Græcū verbū ex notatione ipsius, ut 1.Cor.10.4. 6 de quo vide Deut.32.49. 7 ignē & nubē: quę duo signa deinde [illegible] sequentib. exponuntur. h 1.Reg.8.

nifesta fuerat, & Schelomone postulante ut
locus sanctificaretur, magnificè fuerat pate-
facta,
9 Idque quum præditus sapientia obtulit
sacrificium dedicationis & consecrationis tem-
pli;
10 [i] Quemadmodum etiam Mosche apud
Dominum orante descendit ignis de cælo, &
sacrificia consumsit: ac etiam Schelomone o-
rante descendens ignis consumsit holocausta.
11 [k] Quum dixit Mosche, propterea quod non
fuisset comestum sacrificium pro peccato, fuisse
consumtum.
12 Similitérque Schelomo dies octo cele-
bravit.
13 Enarrabantur autem & in scriptis illis, &
in commentariis Nechemjæ res eædem, &
quemadmodum comportans bibliothecam ac-
cumulavit scripta de regibus, & prophetis,
scriptáque Davidis, & de donariis regum epi-
stolas.
14 Similiter autem [8] Jehuda ea quæ interci-
derant propter bellum quod accidit nobis, com-
portavit omnia; súntque ea apud nos.
15 Horum igitur si indigebitis, qui exportent
ad vos mittite.
16 Celebraturi ergo purificationem hanc,
rescripsimus vobis; rectè igitur fecerītis, si dies
eosdem celebrabitis.
17 Deus autem qui servavit totum populum
suum, idem reddit hæreditatem omnibus, reg-
númque & sacerdotium, & sanctificationem;
18 Quemadmodum promisit in lege: spera-
mus enim in Deo, ipsum citò misserturum nostri,
& congregaturum *nos* è terra, quæ subest cælo,
in locum sanctum:
19 Nam exemit nos e magnis malis, & lo-
cum purgavit.
20 Res autem a Jehuda Macbæo gestas, &
fratribus ejus, & templi magni purificationem,
& aræ dedicationem,
21 Etiámq; prælia in Antiochum Illustrem,
& Eupatorem filium illius gesta,
22 Et illustria signa e cælo edita viris pro Je-
hudaismo certatim agentibus strenuè; adeò ut
totam regionem, quum pauci essent, depopulati
sint, & barbaras turbas persecuti,
23 Et celebre in toto orbe habitabili tem-
plum instauraverint, civitatémque liberaverint,
& leges (quæ mox dissolvendæ erant) restitue-
rint, Domino cum omni æquitate placato in
ipsos:
24 *Hæc* a Jasone Cyrenæo declarata libris
quinque, tentabimus uno volumine contra-
here.
25 Nam considerantes confusionem [9] nu-
merorum, & difficultatem propositam iis qui
volunt evolvere narrationes hujus historiæ
propter materiæ multitudinem;
26 Curavimus ut volentibus legere exhibe-
retur [b] delectatio, studiosis rei memoria comple-
ctendæ facilitas, omnibus deniq; in librum hunc
incidentibus utilitas.
27 Ac nobis quidem, qui molestiam suscepi-
mus conficiendæ Epitomes, non facile sed *ple-
num* fuit sudorum opus, ac vigiliarum:
28 Quemadmodum ei qui parat convivium,
& quærit omnem utilitatem, [c] res difficilis est.
Veruntamen [10] ad habendas gratiarū actiones
a multis, libenter molestiam hanc sustinebimus,
29 Accuratam quidem de singulis rebus trac-
tationem auctori concedentes; maximè verò
laborantes,

i *Levit. 9.24.*
k *Levit. 10.*
8 de hac historia, ut etiam de præcedente nihil habetur, quæ Nechemjæ tribuitur. Omnes autem quo in pretio habendæ sint, & Josephus contra Apionē, & alii multi docuerunt.
9 sic reprehendunt isti Jasonis historiam tum magnitudinis, tum varietatis nomine: falsitatis etiam debuerant, cùm neque secum ipse neque cum aliis conveniat.
b *Græ. delectationem: sic deinceps.*
c *Græc. non facile.*
10 i. ut de multis bene mereamur; quam speciem loquendi observat Paulus, 2.Cor.9.12.

laborantes, ut lineamentis epitomes insistamus.

30 Quemadmodum enim novæ domus architectum oportet curam habere totius structuræ, qui autem encausticen & picturam aggreditur, eum oportet res ad ornatum proprias exquirere; sic etiam de nobis censeo;

31 Auctori quidem historiæ convenire, ut penetret & ambulacra faciat verborum, multáque rimetur in rebus singularibus;

32 Ei verò qui enarrationem inde excerptam facit, concedendum esse ut brevitatem dictionis sectetur, & quæ ad exornationem causarum pertinent, aversetur.

33 Hinc ergo narrationis initium faciamus, ad ea quæ præfari oportuit hoc tantùm adjungentes. Stolidum enim fuerit ante historiam *multis* circumfluere; historiam verò contrahere.

CAPUT III.

1 Dum sancta civitas cum omni pace habitaretur, & leges conservarentur optimè, propter pietatem [1] Oniæ sacerdotis summi, & improbitatis odium;

2 Accidit ut ipsi quoque reges honorarent hunc locum, & templum missis muneribus optimis [a] decorarent;

3 Adeò ut Seleucus ipse rex Asiæ suppeditaret de suis reditibus omnes sumtus ad ministeria publica sacrificiorum pertinentes.

4 [2] Schimshon autem quidam ex Binjaminis tribu præfectus templo constitutus, quum adversus sacerdotem summum de [3] iniquitate, quam volebat in civitate tueri, contenderet;

5 Eò quòd vincere Oniam non poterat, venit ad Apollonium, Thrasæi filium, qui ea tempestate dux erat Cœles Syriæ atque Phœniciæ:

6 Et renunciavit ei pecuniis, quarum numerus dici non poterat, plenum esse gazophylacium Jeruschalaimis; adeò ut multitudo [4] earum quæ ex tributis colligebantur esset innumerabilis, & minimè venirent eæ ad sacrificiorum rationem: fieri autem posse, ut illæ sub potestatem regis reciderent.

7 Congressus autem Apollonius [5] cum rege, de indicatis ipsi pecuniis exposuit ei; qui ut antè elegerat Heliodorum præfectum ærario, misit eum, & mandata dedit ut prædictarum pecuniarum exportationem faceret.

8 Itaque statim Heliodorus instituit profectionem in speciem quidem, tamquam Cœles Syriæ & Phœniciæ civitates obiturus; sed facto propositum regis effecturus.

9 Quum autem venisset Jeruschalaima, & benignè a summo sacerdote civitatis acceptus esset, exposuit de facto indicio illo, & cujus causâ adesset demonstravit, rogavitque an [b] ex veritate hæc ita se haberent.

10 Cui ut sacerdos summus ostendit [c] deposita esse viduarum orphanorúmque,

11 Quædam verò etiam Hircani esse [7] filii Tobijæ, viri præstantis excellentia, non autem ejusmodi ut calumniatus fuerat impius ille Schimshon; eáque omnia esse quadringenta talenta argenti, & ducenta auri,

12 Et injuria affici eos qui res suas crediderunt sanctimoniæ illius loci, & honorati in universo mundo templi majestati & inviolatæ religioni; illud omnino fieri non posse:

13 Heliodorus propter mandata quæ habebat regis, dixit ea planè in ærarium regis esse inferenda.

[1] qui filius fuit Schimshonis, filii prioris Oniæ, ut narrat Josephus sub finem capitis 4. lib. 12. Antiquitat.
[a] *Græc. glorificarent.*
[2] hic toto cælo a Josepho dissidet, & (nisi me animus fallit) a veritate ipsa, ne Sacerdotum genus ignominia ulla afficeret: nam propterea Binjaminitam templi custodem facit.
[3] quod alii libri ἀγορανομίας legunt, hoc est ædilitatem, nobis tam videtur ab hoc loco alienum, quàm quod maximè.
[4] hanc vocem vulgo in libris confusam distinguimus διὰ φόρων: nam sensus est, injuriam Seleuco regi fieri maximam: infinitum enim thesaurum esse in gazophylacio templi, & tamen sacerdotes pecuniã ad res sacras erogandã tanto numero a rege accipere, ut ne hæc quidẽ tota ad sacros usus expendatur.
[5] nempe Seleuco Philopatore, sive (ut Josephus vocat) Sotere, de quo vers. 3.
[b] *Græc. veritatibus.*
[c] de hoc depositi religiosi genere lege Ambrosiũ lib. 2. Officiorum cap. 29.
[7] qui hoc Onia mortuo, cũ fratribus suis a partibus Oniæ tertii, sive Menelai stetit contra Jasonem, ut Josephus scribit ibidem cap. 6.

14 Ac dicto die ingrediebatur, ut pecuniarum istarum ratione habita de iis ordinaret: itaque fuit non parva in tota civitate angustia.

15 [1] Sacerdotes verò ante altare sacris vestibus induti, projiciebant se ipsos, & inclamabant cælum versus eum qui leges tulit depositi, ut iis qui deposuerant pecunias illas integras conservaret.

16 Neque poterat quisquis videbat summi sacerdotis vultum, quin vulneraretur mente; nam aspectus, & mutatus color declarabat angustiam quæ urgebat animum ipsius:

17 Circumfusus enim erat viro illi timor quidam & horror corporis, ex quibus manifestus efficiebatur contemplantibus dolor qui inerat cordi.

18 Alii verò ex ædibus gregatim exsiliebant ad publicam supplicationem, eò quòd [c] abiturus esset in contemptum locus;

19 Et succinctæ sub mammas mulieres ciliciis vias implebant, inclusæq; virgines aliæ quidem ad portas concurrebant, aliæ ad muros, aliæ verò per fenestras prospectabant flexæ,

20 Et omnes protendentes manus in cælum [d] deprecabantur.

21 Erátque miseranda promiscuæ multitudinis prostratio, & sacerdotis summi in angustia magna versantis exspectatio.

22 Hi ergo invocabant omnipotentem dominum, ut res creditas integras iis qui crediderant cum omni securitate conservaret.

23 Heliodorus verò quum illud quod decretum fuerat faceret, ipso ibidem cum satellitibus ad ærarium jámque præsente,

24 Ille spirituum & omnis potestatis princeps illustre signum effecit magnum, adeò ut omnes qui fuerant ausi convenire, obstupefacti potentia Dei in [e] deliquium animi formidinémque converterentur.

25 Apparuit enim quidã equus ipsis terribilem habens sessorẽ, & pulcherrimo tegmine adornatus, qui delatus impetu impegit Heliodoro anteriores ungulas; qui autem insidebat armaturam auream habere videbatur.

26 Alii quoq; duo [2] ante ipsum apparuerunt adolescentes, robore decori, elegantissimi gloria, & amictu speciosi; qui etiam ab utroque latere adstantes, indesinenter eum flagellabant, multas ei injicientes plagas.

27 Quum itaq; subitò in terram cecidisset, & multis tenebris circumfusus esset, rapientes simul eum & imponentes lecticæ *satellites*,

28 Eum qui modò cum multa cõcursatione & toto satellitio in prædictum ingrediebatur gazophylacium, cum inquam qui auxilium ab armis nullum consequi potuerat extulerunt,

29 Manifestè agnoscentem potentem administrationem Dei; atque hic quidem divina efficacitate mutus, & omni privatus spe ac salute jacebat:

30 Illi verò domino benedicebant, qui suprema gloria suum locum affecisset; & templum illud quod paulo antè metu ac turbatione plenum fuerat, ut omnipotens Dominus apparuit, gaudio lætitiáque impletum est.

31 Quidam verò ex Heliodori familiaribus citò rogaverunt Oniam ut invocaret Altissimũ, ut vitam gratiosè donaret homini qui planè jacebat [f] animam acturus.

32 Tum veritus sacerdos summus ne fortè suspicionem haberet rex maleficium aliquod in Heliodorum a Jehudæis consummatum esse, sa-

[1] similem penè narrationem & verbis similibus vide in Schimshone, sive historia Ptolemæi Philopatoris, libro qui vulgo dicitur imperitè Machabæorum tertius.
[c] *Græc. venturum.*
[d] *Græc. faciebant deprecationem.*
[e] *Græc. dissolutionem.*
[2] puta Heliodorum.
[f] *Græc. in ultimo anhelitu.*

crificium obtulit pro salute illius viri.

33 Quúmque sacerdos summus Deum exorasset, iidem adolescentes iterum apparuerunt Heliodoro, iisdem vestibus induti, & stantes dixerunt, multas habe gratias Oniæ sacerdoti summo; nam propter eum gratiosè vitam tibi donavit Deus.

34 Tu verò e cælo flagellatus denuncia omnibus maximum Dei robur; atq; his dictis [g] disparuerunt.

35 Heliodorus autem, quum sacrificium obtulisset domino, & vota maxima vovisset ei qui vitam ipsi reparaverat, Oniámque salutasset, castra movens ad regem reversus est;

36 Testificans omnibus, quæ aspectu viderat, opera Dei maximi.

37 Interrogante autem rege Heliodorum, quis nam aptus esset qui adhuc semel mitteretur Jeruschalaima, dixit,

38 Si quem habes hostem, aut rebus tuis insidiantem, hunc mitte illuc, & flagellatum recipies ipsum; si tamen salvus evaserit: eò quòd in loco revera quædam est Dei potentia.

39 Nam ille qui habitationem cælestem obtinet, inspector est & adjutor illius loci; qui venientes ad [h] malefaciendum verberat, & perdit.

40 Atque sic quidem cesserunt res Heliodori, & custodia gazophylacii.

[g] *Græc. disparentes facti sunt.*

[h] *Græc. maleficium.*

CAPUT IIII.

1 [1] ILle autem Schimhon de quo antè diximus, qui index fuerat pecuniarum & patriæ, malè loquebatur de Onia, tamquam si ipse & Heliodorum impulisset, & malorum artifex exstitisset;

2 Virúmque [a] benè de civitate meritum, & curatorem gentilium suorum, legúmque studiosum, insidiatorem in negotia *Regis* audebat dicere.

3 Sed quum inimicitia eò usque procederet, ut etiam per aliquem eorum qui a Schimhone probabantur, cædes committerentur:

4 Considerans Onias difficultatem contentionis, & Apollonium furere velut Cœles Syriæ & Phœniciæ ducem adaugendo malitiā Schimhonis, ad regem se ipsum contulit;

5 [2] Non quòd civium accusator esset, sed spectans illud quod publicè privatímq; toti multitudini conducebat.

6 Videbat enim sine regali providentia fieri non posse, ut res ampliùs sortirentur pacem, & Schimhonem non cessaturum a dementia ista.

7 ‖ Sed quum Seleucus vitam morte commutasset, & regnum Antiochus qui Illustris cognominabatur accepisset, ambivit [3] Jason frater Oniæ summum sacerdotium,

8 Pollicitus regi pro consequutione trecenta sexaginta talenta argenti, & alterius cujusdam reditus talenta octoginta:

9 Prætereà etiam promittebat se alia centum quinquaginta constituturum, si concederetur ipsi potentia sua gymnasium, & Epheborum ludum sibi constituere, & cives Jeruschalaimorum [4] cum Antiochenis conscribere.

10 Quum autem annuente rege principatum obtineret, statim ad [5] Græcum ritum tribules suos traduxit;

11 Et humana regum indulta Jehudæis proposita per Joannem patrem Eupolemi (qui legationem pro amicitia & societate ad Romanos habuerat) exorata dejecit, legalésq; administrationes dissolvens illegitima novavit instituta.

12 Ultrò enim sub ipsam arcem gymnasium fundavit, & potentissimos Epheborum subigens [6] sub petaurum duxit.

13 Atq; hoc pacto invalescebat quidam Hellenismus & progressus morum alienigenarum, propter supremam istam istius impii, [7] ac non sacerdotis summi Jasonis impuritatem;

14 Adeò ut non ampliùs alacres sacerdotes essent ad ministeria altaris: sed templum ipsum contemnentes, & sacrificia negligentes festinabant communicare cum iniquo palæstræ spectaculo post disci provocationem,

15 Patrios quidem honores nihili facientes; Græcanicas verò glorias pro optimis ducentes.

16 Quorum etiam causa pervasit ipsos gravis calamitas, quum quorum æmulabantur ductum, & quibus omnino volebant conformari, hos inimicos atque ultores habuerunt.

17 Nam impiè contra divinas leges venire non est facile; verumtamen hæc sequens tempus declarabit.

18 Quum autem celebraretur [8] quinquennale certamen Tyri, cui rex aderat:

19 Misit Jason iste scelestus spectatores [9] tamquam Antiochenses e Jeruschalaimis, exportantes argenti drachmas trecentas ad sacrificium Herculis, quas etiam ipsi qui exportabant postulaverunt non [b] erogari ad sacrificium:

20 Sed propter ipsos qui apportabant, erogavit ad triremes comparandas.

21 Misso autem in Ægyptum Apollonio filio Menesthei, [c] propterea quòd ad obtinendas primas a Philometore rege accersitus erat, percipiens posteà Antiochus [10] eum a rebus suis alienum factum esse, curavit ut contra ipsum confirmaretur: quamobrem Joppen venit, ac inde profectus est Jeruschalaima.

22 Ubi magnificè a Jasone & civitate acceptus cum facibus & acclamationibus introductus est; posteà hoc modo in Phœnicia abducto exercitu constitit.

23 Post triennium verò misit Jason Menelaum fratrem Schimhonis, cujus antè meminimus, afferentem pecunias regi, & de negotiis necessariis monita facturum.

24 Hic verò commendatus regi, quum gloriam tribuisset ei, [11] coram potestate, ad seipsum transtulit sacerdotium summum, eò quòd Jasonem talentis argenti trecentis superasset.

25 Quum itaque regalia mandata accepisset, advenit, nihil quidē sacerdotio summo dignum afferens; sed animos crudelis tyranni bestiæque barbaræ impetus habens.

26 Ac Jason quidem, qui [12] proprium fratrem abdicaverat, abdicatus [13] ab altero profugus in Hammonitida regionem expulsus est:

27 Menelaus verò principatum obtinuit, sed promissarum regi pecuniarum nihil curavit, exigebat verò eas Sostratus præfectus arci:

28 Ad hunc enim pertinebat rerum quæ ex vectigalibus colligebantur, exactio; quamobrem hi duo a rege accersiti sunt.

29 Ac Menelaus quidem reliquit sacerdotii [14] successorem Lysimachum fratrem suum: Sostratus verò Craterem præfectum Cypriis.

30 His autem hoc modo constitutis, accidit ut Tarsenses & [15] Mallótæ seditionem moverent: eò quòd Antiochidi pellici regis dono dati essent.

31 Celerrimè itaq; rex venit ad constituendum

[1] de quo suprà 3.4. & sequentibus.

[a] *Græc. benefactorem civitatis.*

[2] his verbis Josephum ementitur, adeóque veritatem ipsam evidentissimè: vide Josephū Antiquitatum Judaic. lib. 12.

‖ 1. *Mac.* 1.11.

[3] qui Jesus dicebatur: sed Antiochenū nomē aut Græcum adoptavit, nequid Judæum vel nomine tenus saperet.

[4] i. referre in civium Antiochenorum numerum: ita pudebat ipsum Jeruschalaimorū.

[5] id est, apud gentes receptū: synecdoche, qua plurimùm Paulus utitur. Sic versu 13. & 15. Annuente autem, id est, concedente in antecessum & per provisionē, ut loquuntur, donec pecunia fuisset numerata, & cognita ejus in administratione fides.

[6] sic interpretor Græcam vocem πέταυρον sequutus Phavorinū, Nam πέταυρος & πέτευρον ex eadem origine dicta significant machinam ligneam rotis versatilem; ex qua petauristę maxima corporis agilitate evolabant, ut meminit Festus ex Lucilio atque Martialis.

[7] iterum impingit Josepho colaphum, indignè ferens ut hæc catena maleficiorum (ut cum Ammiano Marcellino loquar) & concinnator technarum dicatur e sacerdotum genere.

[8] quod erat Herculis, ut veteres historiæ docent, & indicatur sequente vers.

[9] nam Antiochenses in certamen erogabant munera: cives autem Jeruschalaimorum pro Antiochensibus habebantur suprà vers. 9.

[b] *Græc. uti.*

[c] *Græc. propter vocationes primas Philometoris.*

[10] puta Ptolemęum Philometora, cui primùm cum Antiocho convenerat.

[11] id est, quum regem in os alloqueretur, propterea quòd bellè & aulicè assentatus esset.

[12] Oniam, ut suprà versu. 7.

[13] fratre videlicet Menelao, qui etiam Josepho teste Onias Junior dicebatur.

[14] id est, vicarium, ut participium conjugatum ostendit versu 31. qui, si in expeditione sua Menelaus occideret, esset in sacerdotio ipsi successurus.

[15] ex Mallo maritimo Ciliciæ opido, cujus meminerunt Ptolemæus & alii.

dum res illas, relicto qui vices fungeretur Andronico ex viris [d] dignitate præstantibus.

32 Ratus autem Menelaus se arripuisse occasionem commodam, aurea quædam instrumenta templi subtrahens donavit Andronico, & alia vendidit Tyrum & in civitates circumjacentes exportata.

33 Quod bene cognoscens Onias redarguit, postquam secessisset in locum tutum, [16] Daphnen quæ ad Antiochiam sita est.

34 Quare Menelaus assumptum seorsim Andronicum hortatus est ut Oniam occideret; qui veniens ad Oniam (quum persuasus esset ad dolum, dexteráque data cum juramentis confirmatus) & dans dexteram, quamvis suspectus esset, persuasit ut ex asylo [17] procederet: itaque eum repentè circumclusit, nulla justi reverentia ductus:

35 Quam ob causam non solum Jehudæi, sed etiam multi ex aliis gentibus indignati, tulerunt ægerrimè injustam hanc hujus viri cædem.

36 Rege autem revertente e partibus Ciliciæ, compellaverunt eum Jehudæi qui in civitate erant, suffragantibus etiam odio improbitatis Græcis, eò quòd præter rationem Onias interfectus esset.

37 Itaque Antiochus ex animo contristatus, & versus ad misericordiam, etiámque lacrimans propter temperantiam defuncti, summámque modestiam,

38 Et accensus animo statim Andronici purpuram abstulit, vestes distupit, circumduxit per totam civitatem in eum locum ubi impiè Oniam occiderat, & illic homicidam vita privavit; Domino dignam ipsi punitionem rependente.

39 Sed quum sacrilegia multa fierent per civitatem a Lysimacho, [e] conscio Menelao, & fama foris pervulgata esset, congregavit se multitudo contra Lysimachum, multis jam aureis instrumentis variis in partes ablatis.

40 Quúmque excitatæ turbæ ira plenæ essent, armans contra Lysimachus ad ter mille viros, cœpit manus injustas inferre, duce inprimis [18] Chavranensi quodam provecto ætate, nec verò minùs amentia.

41 Illi verò simul videntes quoque impressionem Lysimachi, arripientes alii saxa, alii fustes [f] densos, alii verò ex adjacente cinere, quod depscebant pugillis prehendentes, projiciebant in milites Lysimachi:

42 Eámq; ob causam multos quidem eorum [g] vulneraverunt, multos verò etiam prostraverunt, reliquósque ad fugam compulerunt; ipsum denique sacrilegum prope gazophylacium interfecerunt.

43 De his autem constitutum est judicium contra [h] Menelaum.

44 Et adveniente rege Tyrum contra ipsum accusationem fecerunt tres viri a senatu missi.

45 Menelaus verò jam deprehensus promisit pecunias multas Ptolemæo filio Dorymenis, ut persuaderet regi.

46 Quamobrem acceptum eum Ptolemæus abductum in regem in quoddam peristylium, [illegible] ut refrigeraretur, traduxit a sententia.

47 Qui auctorem quidem totius mali Menelaum absolvit ab accusationibus; miseros autem illos, qui si etiam apud Scythas dixissent causam, liberi a condemnatione [illegible] absoluti, [illegible] illos adjudicavit morti.

48 Itaque celeriter, pœnam injustam subierunt, eò quòd antea pro civitate, populóque, & sacris vasis dixissent causam.

49 Eámque ob causam Tyrii quoq; odio improbitatis istius adducti, res ad sepulturam eorum pertinentes suppeditaverunt magnificè.

50 Menelaus verò propter [i] summam potentiorum avaritiam magnus civium suorum insidiator effectus, mansit in principatu inolescens malitia.

CAPUT V.

1 Sub idem verò tempus [l] secundam profectionem Antiochus in Ægyptum comparavit.

2 Accidit autem per totam civitatem fermè ad quadraginta dies, ut apparerent in aëre currentes equites auratos amictus habentes, & lanceis turmæ ritu armati, [a] gladiísque strictis,

3 Et turmæ equitum dispositæ, congressionésque factæ, & incursiones utrorumque, & clypeorum agitationes, & [b] spicula multa, & tela conjecta, & aureorum ornamentorum splendores, & loricæ omnigenæ.

4 Quamobrem omnes expetebant ut ostentum istud [c] bene cederet.

5 Sed quum increbuisset falsus sermo, tamquam si commutasset Antiochus vitam morte, assumens Jason mille viros minimùm, repentè in civitatem fecit impressionem: quibus jam super murum convenientibus, ac denique jam occupata civitate Menelaus in arcem confugit.

6 Jason verò faciebat cædes civium suorum nemini parcens, non cogitans secum prosperitatem in cognatos infelicitatem esse maximam.

7 Quum itaque videretur sibi hostium ac non gentilium tropæa diruere; dominatum non obtinuit, sed pro fine insidiarum percipiens pudorem, profugus iterum in regionem Hammonitarum abiit;

8 Itaq; terminum malæ conversationis fortitus est, quum inclusus apud Aretam regem Arabum, [d] in civitatem unam ex altera fugiens, persequutione pressus ab omnibus, exosus ut desertor legum, & exsecrabilis ut patriæ civiúmque carnifex, in Ægyptum ejectus est.

9 Et qui multos e patria extorres fecerat, extorris periit; delatus ad Lacedæmonios tamquam si ob cognationem fuisset apud illos protectionem consequuturus:

10 Et qui multitudinem insepultorum ejecerat nullo fuit comploratus luctu, neque sepulturam ullam qualemcumque, nedum patrium sepulcrum habuit.

11 Sed postquam ista [e] innotuissent regi, cœpit pro rebus factis Jehudæos defecturos esse: itaque jungens venit ex Ægypto, efferatus animo, & civitatem occupavit armis:

12 Ubi mandavit militibus concidere, ac non parcere obviis quibusque, & eos qui domos conscenderent trucidare.

13 Itaque fiebant juvenum & senum occisiones, virorúmque & mulierum ac puerorum deletio, virginúmque & infantium cædes:

14 Adeò ut octoginta millia totis diebus tribus consumpta sint; quadraginta quidem trucidationibus, & alii non pauciores cæsis vendita.

15 Non contentus autem istis ausus est in sanctissimum totius terræ templum ingredi, ducem habens Menelaum, qui proditor legum fuerat & patriæ:

---

d Grec. qui in dignitate siti erant.

16 opidum Daphnæ fluvio impositum, a quo nomen habet.

17 id est, veniret inde Antiochiam, ut ex sequent. constat.

e Grec. cum scientia Menelai.

18 e regione Chavran, de qua Jecheskel 47.16.

f Grec. densos [illegible]

g Grec. vulneratos fecerunt.

h [illegible] quòd ipso [illegible] supra vers. 39.

i Grec. [illegible]

i Grec. potentiorum avaritiam.

l 1. Mac. 1.17. de qua vide annotata in Danielis 11.

a Grec. gladiorúmque eductiones.

b Grec. spiculorum multitudines & telorum jactus.

c Grec. ad bonum fieret.

d Grec. in civitatem ex [illegible]

e Grec. accidissent.

16 Et sceleratis manibus sacra vasa capiens & quæcumque ab aliis regibus ad augmentum gloriámque loci & honorem fuerant reposita, prophanis manibus contrectans,

17 Elatus est mente Antiochus, non cognoscens propter peccata eorum qui civitatem habitaverant, Dominum ad breve *tempus* iratum fuisse, ac propterea f despectum fuisse locum.

18 2 Quod si non evenisset, neque in multa peccata fuissent delati, quemadmodum Heliodorus (qui missus fuerat a Seleuco rege ad inspectionem gazophylacii) hic quoque in ipso aditu repentè 3 flagellatus aversus fuisset ab audacia sua.

19 Verùm non propter locum gentem Dominus, sed propter gentem locum elegerat:

20 Ac propterea idem locus qui unà fuerat particeps adversorum casuum qui fuerunt in gente, posteà communicavit beneficiis; & qui relictus fuerat omnipotentis ira, iterū ex maximi Domini conciliatione cum omni gloria fuit restitutus.

21 Antiochus igitur mille octingenta talenta exportans e templo celerrimè in Antiochiam secessit, existimans præ superbia se cùm terram navigabilem, tum mare ipsum pervium pedibus g effecturum propter elationem cordis.

22 Sed reliquit etiam præfectos ut malè afficerent gentem; Jeruschalaimis quidem Philippum genere Phrygem, moribus magis barbarum quàm qui constituerat ipsum;

23 4 Garizimis verò Andronicum, ac præterea Menelaum; qui pessimè *aliorum* omnium supra cives efferebatur, ut adversus cives Jehudæos animum habebat inimicissimum.

24 Et 5 misit abominationum principem Apollonium cum exercitu, nempe viginti duobus millibus, mandans ut omnes qui justa ætate erant jugularet; mulieres verò & juniores venderet.

25 Hic autem quum venisset Jeruschalaima simulans se pacificum, cohibuit se usque ad sanctum diem sabbathi; quo occupans feriantes Jehudæos, illos milites qui parebant ipsi, mandavit armari.

26 Ita egressos omnes ad spectandum confodit, & per civitatem cum armis discurrens multam peremit multitudinem.

27 Jehudas verò Machæus h novem aliis comitantibus secedens, in montibus ferarum more transigebat vitam cum suis comitibus, qui gramineo alimento vesci perseverabant, ne contaminationis illius essent participes.

CAPUT VI.

1 a Paulo pòst tempore misit rex senem 1 Antiochenum qui cogeret Jehudæos, ut transsilientes a patriis legibus non regerentur legibus ipsis Dei:

2 Et contaminaret templum quod erat Jeruschalaimis, Jovis Olympii; illud verò quod erat Garizimis (prout erant habitatores loci) Jovis hospitalis nominaret.

3 Difficilis autem & gravis erat populo malitiæ hujus institutio:

4 Nam templum luxu & comissationibus implebatur a gentibus, molliter vitam consumentibus cum b meretricibus, & in c sacro ædis ambitu ad mulieres se adjungentibus, etiámque intrò ferentibus quæ non conveniebant.

5 Et altare rebus illegitimis, quas lex vetuerat, implebatur.

6 Neque verò celebrare licebat sabbatha, neque patrias solennitates observare, neq; simpliciter se Jehudæum confiteri;

7 Sed ducebantur cum acerba necessitate die natali regis singulis mensibus ad 2 viscerationem; & quum erat Dionysiorum festum, cogebantur 3 hederam ferentes pompam Baccho ducere.

8 Decretum quoque d prodiit in vicinas civitates Græcas, suggerente 4 Ptolemæo, ut contra Jehudæos eadem ratione visceratio fieret:

9 Qui autem ad ritus Græcos transire nollent, ii jugularentur, itaque nihil nisi miseria instans videri poterat.

10 Nam duæ mulieres quæ filios circumciderant abductæ sunt, ad quarum ubera suspensis natis, publicè per civitatem circumductas eas, deorsum a muro præcipitaverunt.

11 Alii verò inter se concurrentes ad speluncas, ut latentes septimum diem celebrarent, indicati 5 Philippo, concremati sunt; quia religio fuerat ipsis, ut sibi succurrerent, propter gloriam diei religiosissimi.

12 Itaque hortor eos qui librum hunc legunt, ne propter calamitates istas contrahantur; sed cogitent supplicia hæc non ad interitum, sed ad eruditionem generis nostri spectare:

13 Etenim quòd non diu sinuntur qui agunt impiè, sed statim in supplicia incidunt, magnæ beneficentiæ signum est:

14 Non enim judicavit Dominus, quemadmodum etiam in aliis gentibus longa patientia differt, donec ipsi ad complementum peccatorum concurrentes puniantur, ita etiam nobis faciendum esse; ut posteà non ulciscatur nos, si tandem ad peccatorum summū pervenissemus.

15 Quamobrem misericordiam quidē nunquam aufert a nobis; sed erudiens cum calamitate non derelinquit populum suum.

16 Verùm hæc ad commonitionem dicta a nobis sunto.

17 Nunc his paucis positis ad narrationem veniendum.

18 Elhazar quidam ex primoribus scribis vir jam provectus ætate, & aspectu faciei pulcherrimus, cogebatur d hiare ut comederet suillam carnem.

19 Hic autem conjunctam gloria mortem potiùs, quàm vitam cum abominatione complectens ultrò ad e 6 tormentum adducebat;

20 Idque 7 se inflectens palam, quemadmodum oportet accedere eos qui se audent ab eis defendere quæ propter vivendi studium gustare est nefarium.

21 Itaque illi quidem qui ad illegitimam viscerationem illam constituti erant, propter notitiam quæ ab antiquis temporibus cum viro hoc *intercesserat*, assumptum eum seorsim hortabantur, ut afferret carnes quæ ab ipso comparatæ essent, utpote iis quibus vesci liceret ipsi, sed ita simularet, quasi comederet *secundum* ea quæ a rege mandata erant, de carnibus sacrificii;

22 Ut hoc facto liberaretur a morte, & propter veterem cum ipsis amicitiam humanitatem consequeretur.

23 Hic autem honestam suscipiens cogitationem, & dignam ætate ac senectutis excellentia & comparata ac spectata canitie, optimáq; a puero educatione, ac potius sancta & divinitus indita legis institutione, f continuò respondit, edicens

f *Græc. fuisse circa locum despectionem.*
2 hic discedit ab historia auctor, prout deinceps fecisse videbimus; nec tantopere laborat, ut historiam simpliciter narret, quàm ut gentē suam extollat, omnibus suis digressionibus.
3 suprà 3.24. & sequentibus.
g *Græc. positurum.*
4 i. in Samaria, ubi fuerat ab impio Menasche institutum templum, ut infrà 6. 2. & Eccesiastici 50. 29.
5 videlicet post biennium, 1. Mac. 1. 30. Græca autem vox *μυσάρχης*, quàm vulgo interpretantur ab odio, aliud omnino significat. Nam aut singulari ratione *μυσάρχης* appellatur, quòd abominandorū istorum consiliorum princeps fuerit quæ exsequutus est, ut duo sequētes versus ostendunt: est enim *μύσος* abominatio, ut infrà *6. 19.* & 25. aut significat præpositum (ut imperatores vocant) sacro ærario, i. intimo thesauro regis, qualis erat apud Romanos locus quem Favissam appellabant: atque hæc interpretatio ex 1. Macb. 1. 30. confirmari videretur; sed prior est simplicissima.
h *Græc. decimus quodammodo existens.*

a *Græc. post non multum tempus.*
1 Atheniensem legunt Græci libri, quos quidē viderim: sed mea sententia melior est lectio Hieronymi, qui Antiochenum vocat, quum Rex Antiochiæ tamquam in regia civitate habitaret, & cives incolásq; illius cùm privilegiis & prærogativis, tum dignitatibus extolleret ac promereretur.
b *Græc. sociis.* c *Græc. sacris ambitibus.*

c *Græc. qui in dignitate sua erant.*
2 genus sacrificii, in quo adstātibus fiebat creanomia, id est, idolothytorum distributio.
3 Baccho sacratam, ex gentilium ritu; simile vide in libro Schimhonis, qui vulgo dicitur Machabæorum 3, cap. 2. 21. & inf. 14. 33.
d *Græc. exiit.*
4 videlicet filio Dorymenis, cujus mentio facta est suprà 4. 45. & sequentibus.
5 de quo suprà 5. 22.

d *Græc. hians.*
e *Græc. tympanum; sic vers. 28.*
6 id est, ipse ultrò præiens dux erat tortoribus, ut ad mortē iret. Est autem tympanum instrumentum quo distendebantur sontes, quum ore cædendi aut exanimandi flagris, ut apparet ex fine hujus capitis: quod genus spectat Apostolus ad Heb. 11. 35. ut optimè *in* eum locum interpretatur Syrus. Exemplum autem manifestum exstat apud Aristotelem lib. 2 Rhetoric. sine capitis 6.
7 i. ita contendens toto corpore ad tormenti locum, ut solent nautæ qui remulcū agunt: quod significat verbū *ἀνέλκω*; a quo hic sonstus, non autem a verbo deducitur.
f *Græc. subsequutus.*

edicens ut citò ad sepulcrum præmitteretur.

24 Non enim hac ætate nostra (*inquit*) dignum est simulare, ut multi juvenes statuentes Elhazarum nonagenarium transivisse ad alienigenarum ritus:

25 Illi quoque propter simulationem meam, & propter paululam istam & momentaneam vitam seducantur per me, & [g] abominandam maculam senectutis comparem.

26 Etenim si ad præsens extrahar e supplicio humano; at omnipotentis manus, neque vivus neque mortuus effugiturus sum.

27 Quapropter nunc quidem viriliter vitam commutans *morte*, cùm hac senectute dignus videbor,

28 Tum juvenibus exemplum nobile reliquero, ut alacriter & generosè pro gravibus & sanctis legibus honestam mortem oppetant; atque his dictis ad tormentum confestim venit;

29 Iis à quibus ducebatur, animum illum benevolum quem paulò antè ipsi exhibuerant in malevolum convertentibus, propter sermones quos antè habuerat; prout ipsi dementiam esse cogitabant.

30 Quum autem plagis moriturus esset, ingemiscens dixit; Domino qui sanctam cognitionem habet manifestum est me, quum potuerim liberari a morte, duros perferre corpore dolores flagellatum, animo verò libenter propter reverentiam ipsius hæc pati.

31 In hunc igitur modum emigravit ille, non tantùm juvenibus, sed etiam plurimis e gente mortem suam [h] pro exemplo animi generosi & monimento virtutis relinquens.

g *Græc. abominationem & maculam.*

h *Græc. exemplum, &c.*

CAPUT VII.

1 Accidit autem etiam fratres septem cum matre prehensos cogi a rege ut illicitis carnibus suillis vescerentur, flagellis cæsos & taureis.

2 Sed unus illorum, qui primus causam dixit, ita loquutus est, quid rogare vis, & discere a nobis? nam parati sumus mori *potiùs*, quàm leges patrias transgredi.

3 Tum excitus furore mandavit rex, ut [1] sartagines & lebetes fervefierent:

4 Quibus repentè fervefactis, ejus qui primus eorum dixerat mandavit præcidi linguam, & cute circum detracta extremos artus resecari, cæteris fratribus & matre unà videntibus:

5 Deinde eum omnino effectum inutilem jussit ad pyram adduci spirantem, & frigi: quum autem vapor e sartagine admodum se [a] diffunderet, hortabantur alii alios, fratres cum matre, ad generosè obeundam mortem, sic dicentes:

6 Dominus Deus inspicit, & [b] revera [2] de nobis consolationem accepturus est, quemadmodum per canticum, quo in [c] os contestabatur declaravit [l] Mosche, dicens, & de suis servis consolationem accipiet.

7 Postquàm verò primus migravit hoc modo, secundum duxerunt ad ludibrium; & capitis pellem cum capillis detrahentes interrogaverunt, an comedes priusquàm suppliciis membratim afficiatur corpus?

8 Atque hic respondens patria voce dixit, minimè.

9 Quamobrem hic quoque ut primus ille ex ordine tormentum pertulit; quúmque [d] extremum ageret spiritum dixit, tu quidem scelestè ex hac præsente vita nos eximis; verùm rex mundi nos pro suis legibus mortuos suscitabit in æternam resurrectionem vitæ.

10 Post hunc autem tertius in ludibrium traductus, quum lingua ab ipso posceretur, eam citò protulit, & manus audacter protendit, dixitque generosè;

11 Hæc a Deo cæli possedi, atque hæc despiciò propter ejus leges, ut qui hæc ab ipso spero me de integro reportaturum esse;

12 Adeò ut rex ipse & qui cum eo erant obstupescentes admirarentur adolescentis animum, ut dolores istos nihili faceret;

13 Atque hoc quoque defuncto, quartum similiter cædentes cruciabant:

14 Qui quum propè esset ut moreretur, sic dixit, optabile est mutari exspectationes quæ sunt ab hominibus, & quæ a Deo sunt exspectare, nos iterum resurrecturos per ipsum: etenim tibi resurrectio ad vitam non erit.

15 Consequenter etiam quintum adductum cædebant, qui respiciens in illum dixit;

16 Potestatem inter homines habens quum sis corruptioni infestus, facis quod vis: verùm ne putes genus nostrum a Deo derelictum esse;

17 Sed tu exspecta, & contemplare magnam ejus potentiam, ut te & semen tuum cruciaturus est.

18 Post hunc adduxerunt sextum, qui quum moriturus esset, dixit, ne erres frustrà; nos enim propter nos ipsos perpetimur hæc, cùm peccaverimus in Deum nostrum; atque hæc digna admiratione facta sunt:

19 Tu verò ne putes te impunitum fore, qui oppugnare Deum aggressus es.

20 Sed mater supra modum admirabilis *fuit* dignáque memoriæ optimæ; quæ sub tempus unius diei simul videns perire septem filios, forti animo ferebat, propter spes quas in Domino posuerat:

21 Et unumquemque eorum hortabatur voce patria, generoso animo impleta, fœmineámque cogitationem masculo animo excitans dicebat eis,

22 [3] Nescio quomodo in meo utero comparueritis, neque ego spiritum vitámque sum largita vobis, neque primariam cujusque informationem ego coaptavi.

23 Igitur conditor ille mundi, qui finxit hominum ortum & omnium naturam invenit, & spiritum & vitam vobis pro misericordia iterum redditurus est, quandoquidem nunc vos ipsos despicitis propter leges ipsius.

24 Antiochus autem putans se contemni & probrosam hanc esse suspicatus vocem, quum adhuc minimus natu superesset, non tantùm sermonibus adhortationem faciebat, verùm etiam juramentis confirmabat se ditaturum simul & beatissimum effecturum illum si traduceretur ab *institutis* patriis, & pro amico habiturum, & negotia concrediturum.

25 Et quia adolescens minimè attendebat, rex accersitam matrem hortabatur ut pueri consultrix pro salute esset;

26 Quæ quum ille multis hortatus esset, recepit se suasuram filio.

27 Tum mater se ad eum inclinans, ludificata crudelem tyrannum patria lingua sic dixit,

28 Fili miserere mei, quæ novem menses te in utero circumtuli, quæ lactavi te triennium, quæ educavi te & perduxi ad ætatem hanc usque, & quæ molestias educationis pertuli. peto a te, fili, ut respiciens in cælum & terram, & videns

1 Non eas quidem minimas, quę in re culinaria sunt; sed cortinas, & lebetes amplissimos, quales in baphiis sunt, ut in eas cortinas mutilsa corpora conjicerentur.

a *Græc. diderct.*

b *Græc. veritatibus.*

2 id est, injuriam quæ nobis fit ulciscens, consolationem accipiet de inimicis suis.

c *Græc. faciem.*

l *Deut. 32. 36.*

d *Græc. in ultimo spiritu existens.*

3 id est, neque rationem teneo, neque facultate prædita sum aut fui unquam gignendi vos: sic interpretandum ostendunt sequentia, ut Ijobi 39. 4. accipitur sciendi verbum.

videns omnia quæ in eis sunt, agnoscas Deum hæc fecisse ex iis quæ non erant, & humanum genus ita factum esse.

29 Ne timeas carnificem istum; sed esto dignus fratribus tuis, mortémque suscipe, ut eadem misericordia cum tuis fratribus excipiam te.

30 Hac autem solùm desinente dixit adolescens, quæ *sunt res quas* exspectatis? non sum obediturus præcepto regis; sed præcepta legis audio, quæ majoribus nostris per Moschen data est.

31 Tu autem, qui omnis mali in Hebræos inventor es, nequaquam effugies manus Dei:

32 Nos enim propter nostra ipsorum peccata patimur:

33 Quòd si increpationis ac eruditionis gratia Deus vivens in nos paulisper iratus est, at iterum conciliabitur servis suis.

34 Sed tu, ô impie & omnium hominum flagitiosissime, ne frustra extollaris fremens, & incertis exspectationibus fretus in cælestes pueros attollens manum.

35 Nondum enim omnipotentis inspectoris Dei judicium effugisti,

36 Etenim jam hi fratres nostri, qui brevem laborem sustinuerunt, divino federi vitæ æternæ acciderunt; tu verò judicio Dei, justas pœnas istius superbiæ reportaturus es.

37 Ego autem, sicut fratres illi, & corpus & animam trado pro legibus patriis, invocans Deum ut brevi sit propitius huic genti, [4] útque tu per quæstiones & flagella ad confitendum adducaris ipsum solum Deum esse:

[4] respicit ad historiam quæ habetur infrà 9. 11. & sequentibus. De hac autem historia tota plura vide apud Josephum in Oratione de Macbæis, quæ dicitur περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ.

38 In me verò & fratribus meis sistatur omnipotentis ira, quæ in universum genus nostrum justè adducta est.

39 Tunc excitus rex furore, in hunc supra alios pessimè invectus est, acerbè ferens, quòd ita sannis exagitatus esset.

40 Hic igitur purè migravit *e vita*, omnino confidens in Domino.

41 Denique ultima [e] post filios vitam finivit mater.

[e] *Græc. filiorum.*

42 De viscerationibus igitur, & de [f] immanibus cruciatibus hactenus dictum esto.

[f] *Græc. excedentibus.*

CAPUT VIII.

1 [‖] JEhuda autem Macbæus, & qui erant cum eo latenter proficiscétes in vicos adhortabantur cognatos, & eos qui permanserant in Judaismo assumentes congregaverunt sex virorum millia:

[‖] 1. Mac. 3.

2 Et invocarunt Dominum, ut aspiceret populum ab omnibus afflictum, misereretur templum ab hominibus impiis prophanatum,

3 Misertúsque civitatis (quæ & perdita erat, & [a] æquanda solo) inclamantem se [b] occisorum sanguinem exaudiret:

[a] *Græc. futura erat æquum solum.*
[b] *Græc. sanguinum; Hebraismus.*

4 Ac recordatus illegitimæ perditionis infantium innocentum, & blasphemiarum quæ pronunciatæ fuerant in nomen ipsius, odium impuritatis ostenderet.

5 Macbæus autem [c] quum haberet aciem, jámque non poterat a gentibus sustineri, irâ Domini in misericordiam versa,

[c] *Græc. factus in acie conjuncta.*

6 Civitatésque & vicos ex improviso veniens succendebat, & commoda loca occupans non paucos hostium in fugam vertebat.

7 Maximè [d] noctium adjumento ad hujusmodi insidias utebatur, adeò ut sermo quidam de fortitudine ejus ubique personaret.

[d] *Græc. noctes cooperantes capiebat.*

8 Videns verò [1] Philippus brevi hominem ad incrementum pervenisse, & frequentiùs secundis rebus provehi, [2] Ptolemæo Cœles Syriæ & Phœniciæ duci scripsit ut succurreret unà negotiis regis.

[1] Ille Phryx cujus meminit suprà 5.22.

[2] non filio Dorymenis, de quo suprà 4. 45. sed Macroni, quem Antiochus Eupator exauctoravit, infrà 10.12.

9 Ipse verò citò electum Nicanorem filium Patrocli e summis amicis misit, subjectis ei *militibus* e gentibus omnigenis non paucioribus vicies mille, ut universum Jehudæorum genus tolleret; & Gorgiam quoque ducem & rerum militarium peritum adjunxit ei.

10 Distulerat autem Nicanor tributum quod rex debebat Romanis, talentorum bis mille, ut ex captiva Jehudæorum turba expleret illud:

11 Et statim ad maritimas civitates miserat, provocans ad emptionem [e] mancipiorum Jehudæorum, & promittens se nonagena mancipia talento addicturum esse; *scilicet* non exspectans consequuturam in ipsum ultionem ab omnipotente.

[e] *Græc. corporil.*

12 Jehudæ verò [f] innotuit res de Nicanoris invectione:

[f] *Græc. accidit.*

13 Qui ut communicavit cum suis comitibus adventum illius exercitus, formidolosi *homines* & qui justitiæ Dei diffidebant diffugerunt & se a loco subduxerunt:

14 Alii verò omnia [3] vendebant quæ relicta erant, ac simul orabant Dominum ut liberaret eos qui ab impio Nicanore, antequàm congrederentur, fuerant venditi:

[3] nempe ut expeditiores essent, & commodiùs in militiam incumberent.

15 Quod si non propter ipsos facturus esset, at *certè* propter fœdera ipsius cum majoribus inita, & [g] propterea quòd de venerando & magnifico ejus nomine vocabantur.

[g] *Græc. propter invocationem super ipsos venerandi, &c.*

16 Tunc convocatos eos qui aderant sibi ad sex mille numero Macbæus hortabatur ne propter hostes percellerentur, neque metuerent amplam multitudinem gentium injustè ipsos invadentium; sed generosè dimicarent assumentes ante oculos injuriam ab ipsis iniquè in locum sanctum consummatam,

17 Et verberationem civitatis ludibrio expositæ, etiámque dissolutionem illius acceptæ a majoribus administrationis.

18 Illi etenim armis, inquit, pariter & [h] audaciæ confidunt; nos verò Deo omnipotenti, qui & istos procedentes in nos & mundum totum potest nutu uno dejicere, confidimus.

[h] *Græc. audaciæ.*

19 Qúmque ampliùs collegisset coram eis & defensiones pro majoribus factas, & [‖] ultionem centum octoginta quinque millium Sancheribo parentium, quemadmodum periissent,

[‖] 2. Reg. 19.

20 Et prælium in Babylonia adversus Galatas commissum, [4] quemadmodum ipsi universè ad operam præstandam venissent octies mille cum quatuor millibus Macedonum, & Macedonibus hæsitantibus ipsi octies mille *numero* centum viginti millia perdidissent propter auxilium ipsis e cælo collatum, & utilitatem magnam accepissent:

[4] hujus Gallorum stragis, sive (ut Livius nominat) Gallogræcorum, tempus mihi quidē non planè constat; sed tamen eo tempore factam fuisse cōjicimus, quum Brenno duce trajecta Græcia invaserunt Asiam, regnante Seleuco Nicanore, ut narrat Pausanias: qua in victoria res strenuæ a Judæis gestæ fuerunt amplissimæ; sed historicorum invidia suppressæ, & Macedonum virtuti attributæ.

21 His rebus fecit ut bono animo essent, & parati ad mortem pro legibus patriáq; obeundā.

22 Ita quadripartito exercitu facto, constituit etiam fratres suos, qui duces ordinis utriusque essent, Schimhonem, & [5] Josephum, & Jonathanem, quorum cuiq; mille quingentos milites subjecit, itémque Elhazarum:

[5] vide 1. Mac. 2. 5.

23 Et postquam legisset apud illos e sacro libro, [6] tesserámque dedisset, DEI AUXILIO, ipse primæ aciei dux congressus est cum Nicanore.

[6] symbolum militare, quod posteà literis majusculis posuimus, ut ostenderemus hanc fuisse (ut Vegetius appellat) vocalem tesseram: sic infrà 13.15.

24 Pugnante verò ab ipsis omnipotente, trucidarunt ex hostibus supra novem millia, vulneraruntque

vulnerarúntq; & mutilarunt membris majorem partem exercitus Nicanoris, & omnes coëgerunt fugere.

25 Pecunias denique eorum qui advenerant ad emptionem suam acceperunt; quúmq; eos multùm persequuti essent unà, receperunt se hora interclusi:

26 Erat enim pridie sabbathi, quam ob causam non perstiterunt longiùs in eos incurrere.

27 Sed quum arma eorũ collegissent, & spolia exuissent hostium, incubuerunt in sabbathũ, plurimùm benedicentes & celebrãtes Dominũ; qui conservaverat ad diem illum usque [7] principium misericordiæ quæ denuò stillabat in ipsos.

28 Post sabbathum autẽ debilitatis, viduisq; & orphanis, ubi partem e spoliis erogassent, reliquas inter se & [8] pueros partiti sunt.

29 Atq; his perfectis, & cõmuni supplicatione facta misericordem Dominũ oraverunt ut ad finem usque servis suis conciliatus permaneret.

30 Posteà eorum qui Timotheo & Bacchidi aderant, supra viginti millia sustulerunt conjunctis viribus [9] obnixi, & munitiones altas pervaldè obtinuerunt, spoliáq; plura diviserunt, æquis partibus inter ipsos, & debilitatos, orphanósq;, & viduas, senésq; effectis.

[7] nam illa prioribus calamitatibus quasi rescissa videbatur: ut dictum est suprà 7.33. & 37.
[8] i. milites, qui imperio ipsius paruerant, ut Gen.14. 24. hujus autem rei legem vide 1. Schem.30. 22. & sequentibus: sic infrà vers.30.
[9] metaphora elegans ab ædibus, quarum structura stat uminatur anteridibus, ut Vitruvius nominat.

31 Quúmq; arma eorum collegissent, accuratè omnia comportarunt in opportuna loca, reliqua verò spolia tulerunt Jeruschalaima.

32 Philarchem quoque qui Timotheo aderat sustulerunt, hominem impurissimum, & qui multas molestias Jehudæis intulerat.

33 Similiter Epinicia in patria celebrantes, Callisthenem (qui sacras portas succenderat) in domunculam quandam sibi consulentem fuga, cremaverunt: itaque dignam impietate sua mercedem reportavit.

34 Ille autem [i] sceleratissimus Nicanor, qui mercatores mille ad venditionem Jehudæorum adduxerat,

[i] Græc. ter sceleratus.

35 Depressus ab iis qui [k] judicio ipsius minimi esse videbantur, auxilio Domini; gloriosa veste posita per Mediterraneum *mare* tamquam mancipium se solitarium subtrahens, venit Antiochiam, [10] supra omnes secundis rebus usus in exercitus sui interitu.

[k] Græc. secundùm ipsum.
[10] id est, hac una re felicior suo milite, quòd incolumis toto exercitu profligato potuerat effugere.

36 Et qui receperat tributum Romanis persolvendum, ex captivitate eorum qui erant Jeruschalaimis, [l] confectum iri, renunciavit Jehudæos habere propugnatorem Deum, atque hoc modo inviolatos a vulneribus esse Jehudæos, quia legibus ab eo mandatis obsequantur.

[l] Græc. erectum.

CAPUT IX.

1 [1] [ǁ] Sub tempus autem illud Antiochus se ignominiosè e regionibus Persicis receperat.

2 Nam ingressus urbem Persepolim nomine tentavit sacrilegium committere, & civitatem obtinere; ideo irruentibus turbis ad armorum subsidium in fugam versi sunt, vnde evenit ut fugatus ab indigenis Antiochus [a] turpiter referret gradum.

3 Quum autem esset ad [a] Ecbatana, [b] perlatæ sunt ad eũ res Nicanori Timotheoq; factæ.

4 Itaque furore percitus arbitrabatur se etiam eorum a quibus fugatus fuerat malum in Jehudęos retorsurũ: ac propterea aurigam jussit indesinenter pergentem profectioné perficere; ut judicium e cælo jam instabat ipsi. sic enim superbè dicebat, cœmeterium Jehudæorum efficiam Jeruschalaima, quum illuc venero.

5 Omnipotens autem Dominus Deus Jisraëlis incurabili, nec aspectabili plaga percussit eum; utq; solummodò finiebat sermonem illum, occupavit illum immedicabilis viscerum dolor, & acerba interaneorum tormenta;

6 Omnino justè, qui per multas & insolentes calamitates aliorum viscera tormentis affecerat.

7 Hic verò nequaquam a jactantia desinebat; sed adhuc etiam implebatur superbia, ignẽ spirans animis contra Jehudæos, & profectionem [c] accelerari jubens; sed contigit etiam, ut ipse decideret de curru qui agebatur impetu, decidentiq; gravi casu omnia corporis membra ex eo torquerentur.

[c] Græc. actui.

8 Atq; hic qui modò videbatur maris fluctibus imperare, propter arrogantiam qua supra [d] humanum modum agebatur, & arbitratus statera se montes altissimos appensurum esse dum in terra erat, gestatorio portabatur, manifestam Dei potentiam in se demonstrans;

[d] Græc. hominem.

9 Adeò ut etiam de corpore illius impii erũperent vermes vivi, & illius in doloribus angoribúsq; viventis carnes deciderent, & ex odore ejus totus exercitus gravaretur putorem *ferre*.

10 Ita hominẽ qui paulo antè videbatur cæli astra contingere, nemo exportare poterat propter intolerabilem illam odoris gravitatem.

11 Hîc igitur cœpit vulneratus a multitudine superbiæ desinere, & divino flagello venire ad agnitionem sui, [e] momentis singulis graviùs affectus angoribus.

[e] Græc. per punctum temporis.

12 Quúmq; ne suum quidem odorem posset perferre, hæc dixit, justum *est* Deo subjici, eúmque qui mortalis est res Deo pares minimè sapere.

13 Et orabat scelestus ille Dominum, qui jam non erat ampliùs misserturus ipsius, sic dicens,

14 Se tum civitatem sanctam (ad quam venire festinabat ut æquaret solo & cœmeterium efficeret) liberam designaturum;

15 Tum Jehudæos omnes (quos decreverat ne sepultura quidem dignari, sed ejicere devorandos avibus cum feris parvulis) eos æquales [3] Antiochenis effecturum;

[3] vulgò legitur Atheniensibus, eodem errore quem annotavimus suprà 6.1.

16 Quòd autem priùs spoliaverat sanctum templum, elegantissimis donariis ornaturum, & sancta vasa omnia quàm plurimùm aucta redditurum, & convenientes ad sacrificia sumtus ex reditibus propriis suppeditaturum;

17 Prætereà etiam se fore Jehudæum, & aditurum omnem locum habitabilem annunciantem robur Dei.

18 Sed quum nequaquam laboriosi dolores desinerent (nam supervenerat ei justum judicium Dei) de rebus suis desperans scripsit ad Jehudæos sequentes literas, habentes formam deprecationis, [f] hoc modo:

[f] Græc. continentes verò sic.

19 Bonis Jehudæis [4] civibus salutem plurimam & valetudinem ac prosperitatem rex & dux Antiochus.

[4] nempe Antiochenis ex dono regis, ut vovisse dicitur vers.15.

20 Si valetis cum liberis vestris & res vestræ sunt vobis ex sententia, [5] in [g] Deo cæli spem habenti mihi honorem vestrum & benevolentiam pergratum fuerit recordari.

[5] q. d. is mihi qui in Deum credo, nuncius fuerit gratissimus, si cognovero cùm res vobis honorificè succedere, tum animos bene affectos erga me.
[g] Græc. cælo.

21 Rediens è regionibus Persidis & in difficilem infirmitatem incidens necessarium duxi curare communem securitatem omnium;

22 Non desperans de me ipso, sed spẽ magnã habens

[1] Confer hunc locum cum eo qui habetur suprà 1.13. & sequentibus: qua ex comparatione nemo non visurus est aut sui oblitum auctorem esse, aut certe impudentem aliquem rhapsodum primum caput & secundi partem, maxima cum injuria in librum istum intulisse.
[ǁ] 1. Mach.6.1.
[a] Græc. inhonestam reversionem faceret.
[a] vide Tobiti 3.7.
[b] Græc. acciderunt.

habens fore ut infirmitatem hanc effugiam.

23 Considerans autem [6] patrē quoq; meum, quibus temporib. in has superiores partes duxit exercitum, designaße eum qui sibi succederet:

[6] nempe Antiochum Magnum, qui Seleucum Philopatorem substituerat in expeditionem proficiscens; ut moris erat regibus.

24 Ut [7] si quid præter opinionem eveniret, aut etiam aliquid grave pronunciaretur, scientes regionis incolæ cui rerū summa relicta eßet, non turbarentur de eo:

[7] i. aut clades, aut mors: euphemismus apud bonos auctores frequens.

25 Præterea cogitans adjacentes magnates, & vicinos regno tempora observare, & exspectare quid eventurum sit; designavimus filium [8] Antiochum regem, quem sæpius accurrens in has superiores Satrapias, apud plurimos vestrum deponens commendabam, & scripsi ad eum quæ huic scripto subjecta sunt.

[8] qui Eupator dictus est, infra 10. 10.

26 Hortor igitur vos & peto, ut memores beneficiorum publicè privatimq; observetis quisq; benevolentiam qua estis in me ac filium.

27 Nam persuasus sum ipsum æquè & humanè sequentem propositum consilium meum, vobis obsecundaturum.

28 Iste igitur homicida & blasphemus quum res pessimas perpeßus eßet, prout alios exceperat, peregrinus in montanis miserrima morte vitam commutavit.

29 Exportavit verò corpus Philippus, qui fuerat cum ipso educatus; qui etiam metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometora in Ægyptum delatus est.

CAPUT X.

[1] 1.Mac. 3. 30.

1 Macbæus autem & qui erant cum ipso, Domino [a] duce & templū civitatémq; receperunt,

[a] Græc. antè ducente ipsos.

2 Et aras quæ per forum ab alienigenis fuerant exstructæ etiamq; delubra demoliti sunt,

3 Et purgato templo alterum fecerunt altare; quúmq; [b] lapidibus attritis ignem ex eis accepißent, obtulerunt sacrificium post tempus biennii, & suffitum, lucernásq;, & panem propositionum curaverunt.

[b] Græc. igne factis.

4 Quibus factis rogaverunt Dominum procidentes [c] proni, ne ampliùs in ejusmodi mala inciderent; sed si quando etiam peccarent, ex æquitate ab ipso erudirentur, ac non blasphemis barbarísq; gentibus traderentur.

[c] Græc. in ventrem.

5 Quo autem die templum ab alienigenis fuerat pollutum, evenit eo ipso die purificationem fieri templi, die vigesimo quinto mensis Cislevi:

6 Quo cum lætitia agitaverunt diebus octo formam festi tabernaculorum, recordantes ut paulo antè tempore per tabernaculorum festum in montibus & in speluncis fuerant ferarum modo solitarii:

7 Quapropter thyrsos, & ramos speciosos, etiamq; palmas habentes, hymnos efferebant ei qui prosperum succeßum tribuerat ad purificandum locum suum:

8 Decreverúntq; communi mandato & decreto in tota Jehudæorum gente, ut hi dies quotannis celebrarentur.

9 Ac finis quidem Antiochi, qui Epiphanes cognominabatur, ita se habuit.

10 Nunc verò res ipsas quoque tempore Eupatoris Antiochi (qui filius erat illius impii) factas declarabimus, contrahentes ea mala quæ à bellis continua acciderunt.

11 [1] Hic enim suscepto regno designavit, qui negotiis præeßet, Lysiam quemdam, & qui dux eßet primarius Cœles Syriæ & Phœniciæ.

[1] Confer hæc cum 1. Mac. 6. 17. Ex qua comparatione cùm hujus loci, tum aliorum mendacia sunt evidentißima.

12 Ptolemæus enim qui vocabatur [2] Macron, pluris faciens ut erga Jehudæos jus conservaret, propter injuriam quæ ipsis facta fuerat, res illorum conabatur cum pace transigere.

[2] distinctionis ergò, ne confundatur cum filio Dorymenis, de quo 1. Mac. 3. 38. & alibi. Videtur autem hoc nomen Macron opprobrii causa ab aulicis fuiße impositum, quasi venditorem dicas, quod sequens versus innuit.

13 Unde apud Eupatorem ab amicis accusatus, & frequenter proditor appellatus, eò quòd Cyprum fidei suæ commißam habens à Philometore reliquißet, & ad Antiochum Epiphanem receßißet, neque nobilem potestatem usque adeò generosè administravißet, hausto veneno deceßit de vita.

14 Gorgias verò dux horum locorum factus, militem alebat exterum, & quotidie contra Jehudæos fovebat bellum:

15 Et huic conjuncti etiam Edomæi opportunas munitiones obtinentes exercebant Jehudæos; profugósq; Jeruschalaimis excipientes, bellum fovere aggrediebantur.

16 Quamobrem ii qui Macbæo aderant, quum factis precibus postulaßent à Deo ut sibi adjutor eßet, in Edomæorum munitiones fecerunt impetum.

17 In quas ubi fortiter incurrißent, compotes locorum facti sunt; & cùm omnes ulti sunt qui in muro pugnabant, tùm occurrentes jugularunt, sustulerúntq; è medio non minus viginti millibus.

18 Quum enim confugißent novem millia minimùm, in duas turres potentes pervaldè, quæ habebant omnia ad obsidionem *ferendam* necessaria:

19 Macbæus ipse ad urgentia loca seorsim abiit, relictis Schimhone, & [3] Josepho, atque etiam Zacchæo, multisq; cum ipso ad obsidionem illorum.

[3] vide 1. Mac. 2. 2. & 5.

20 Qui autem Schimhoni aderant, pecuniæ avidi, à quibusdam qui erant in turribus pecunia corrupti sunt; & septuaginta drachmarum millibus acceptis, siverunt quosdam diffluere.

21 Quod factum ut Macbæo renunciatū est, congregavit ductores populi, & accusavit quòd pecunia vendidißent fratres, quum hostes adversus eos dimiserant.

22 Itaque hos proditores [d] evictos interfecit, & repentè turres illas duas occupavit,

[d] Græc. factos.

23 Armisq; quæ in manibus ipsius erant utens ad omnia prosperè, perdidit in duabus illis munitionibus [4] ampliùs vicies mille.

[4] repetitio est ejus quod dictū fuerat vers. 17. ut intelligamus priore illo impetu occubuiße undecim millia; hoc autem posteriore ea novem millia, quæ in turres confugerant, suprà 18.

24 [1] Timotheus autē, qui priùs fuerat à Jehudæis victus, congregatis exteris copiis quàm plurimis, & equitibus nō paucis ex Asia collectis adveniebat, tamquā armis Jehudæam recepturus:

[1] sup. 8.

25 Qui verò Macbæo aderant, ipso unà accedente ad supplicandum Deo,

26 Terra aspergentes capita, & lumbos ciliciis accingentes, procidentésq; in solū quod est è regione altaris, petiverūt ut propitius ipsis factus exerceret inimicitias cōtra inimicos ipsorū, [1] & adversantib. adversaretur, prout declarat lex:

[1] Levit. 26.

27 Deinde oratione perfuncti, aßumtis armis proceßerunt è civitate plurimùm; quúmq; ad hostes appropinquaßent, [e] resederunt.

[e] Græc. in seipsis fuerunt.

28 Simul ac autem diffusus est ortus *solis*, utrique congreßi sunt: hi quidem sponsorem habentes prosperitatis ac victoriæ virtute conjunctæ perfugium suum ad Dominum; illi verò ex adverso ducem certaminum constituentes animum.

29 Dum autem vehemens committebatur pugna, apparuerunt adversariis è cælo, insidentes equis frenatis auro, viri quinque illustres, & duces Jehudæorum duo.

30 Qui

30 Qui Macbæum assumentes medium & protegentes omni armatura, quæ super ipsos erat, integrum a vulneribus conservabant: in adversarios verò tela fulguráque ejaculabantur. Quamobrem confusi cæcitate concidebantur, & pleni perturbatione.

31 Itaque jugulati sunt vicies mille quingenti *pedites*, & sexcenti equites.

32 Ipse verò Timotheus confugit Gazara, ut appellatur, in munitum pervaldè præsidium; ubi dux erat [3] Chæreas:

33 Macbæi verò milites alacres præsidium illud obsederunt dies viginti quatuor.

34 Sed quum ii qui intus erant, confisi munitione loci, pervaldè blasphemarent, nefariósq; sermones objicerent;

35 Illucescente die vigesimo quinto, adolescentes eorum qui Macbæo aderant, quidam inflammati animis propter blasphemias, accedentes murum, viriliter feróq; animo obvium quemque occiderunt.

36 Alii verò similiter conscendentes in ambitu adversus eos qui intus erant, incenderunt turres, & pyris accensis vivos blasphemos illos cremaverunt.

37 Alii denique fregerunt portas, qui receptis intrò reliquis ordinibus, occupaverunt civitatem, & Timotheum in quadam fovea abditum jugulaverunt, fratrémq; ejus Chæream, & Apollophanem.

38 Quæ quum perfecissent, hymnis & celebrationibus benedixerunt Domino, magnifica beneficentia Jisraëlem prosequenti, & victoriam danti sibi.

CAPUT XI.

1 [1] POst [a] [‖] tempus autem paucissimum Lysias procurator regis & cognatus, præfectusq; negotiis, valdè graviter ferens ea quæ facta fuerant,

2 Congregatis quasi octoginta millibus, & equitatu universo, adventabat contra Jehudæos; statuens se cùm civitatem effecturum [b] Græcorum habitaculum,

3 Tum etiam templum ad quæstum pecuniæ accommodaturum, quemadmodum cætera delubra gentium; & venale quotannis redditurum sacerdotium summum:

4 Minimè adhæc considerans potentiam Dei, sed mente captus propter myriadas peditum, & millia equitum, atque elephantes octoginta.

5 Jehudæam itaque ingressus accessit prope Beth-tzuram, quæ munito agro sita erat distans quasi stadiis quinque Jeroschalaimis, & affligit eam:

6 Sed ubi Macbæi comites perceperunt illum obsidere munitiones suas, ejulatibus & lacrymis supplicaverunt ipsi ac turbæ Dominum, ut [2] bonum angelum mitteret ad salutem præstandam Jisraëli.

7 Ipso autem Macbæus primus assumtis armis hortatus est alios, ut periculum secum perferentes, fratribus suis succurrerent.

8 Quamobrem etiam alacriter simul fecerunt impetum. Quum autem ibidem essent ad Jeruschalaima, apparuit antecedens ipsos eques veste alba, armaturam auream commovens:

9 Et simul omnes benedixerunt Deo misericordi, animísq; confirmati sunt, adeò ut non solùm homines, sed bestias etiam ferissimas muròsq; ferreos parati [c] impetere,

10 Processerint [d] ordinibus suis adjutorem habentes è cælo, miserente ipsorum Domino.

11 Ita leonum more irruentes in hostes, prostraverunt illorum undecim millia, & mille sexcentos equites:

12 Omnes verò coëgerunt fugere, quorum plurimi vulnerati conservati sunt [3] nudi: ipse verò Lysias turpiter fugiens servatus est.

13 Et prout non erat demens, reputans secum damnum quod acceperat, & cogitans invictos esse Hebræos, quibus omnipotens Deus auxiliatur,

14 Mittens persuasit se consentire in omnes *conditiones* justas; & quia etiam ipsius erat ut persuaderet regi, se coacturum ut ipsis amicus esset.

15 Annuit itaque Macbæus omnia ad quæ Lysias hortabatur, utilitatis curam habens: nam quæcumque Macbæus tradidit Lysiæ de scripto pro Jehudæis, ea concessit rex.

16 Fuerunt enim scriptæ Jehudæis literæ à Lysia quidem [e] hoc modo: Lysias populo Jehudæorum salutem.

17 Jochanan & Abschalom missi a vobis qui tradidissent subscriptum responsum, rogaverunt pro rebus quæ significantur illo.

18 Quæcumque igitur oportuit ad regem perferri, declaravi; quæ verò fieri posse contigit, ille concessit.

19 Si igitur servaveritis illam in negotia hæc benevolentiam, etiam in reliquum tempus conabor in causa esse ut bonis afficiamini.

20 De rebus autem [f] singularibus præcepi & illis & legatis meis, ut colloquantur vobiscum.

21 Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, die [4] Jovis Corinthii vicesimo quarto.

22 Regis verò literæ sic habebant: Rex Antiochus Lysiæ fratri salutem.

23 Postquàm pater noster ad Deos migravit, volentes incolas regni nostri turbis vacuos [g] incumbere in rerum suarum procurationem:

24 Qandoquidem audimus Jehudæos, qui non acquieverunt mutationi quam fecerat pater ad *ritus* Græcos, sed suam ipsorum institutionem malunt, postulare ut concedantur sibi sui ritus legitimi:

25 Volentes igitur illam quoq; gentem [h] vacare turba, judicavimus & templum ipsis restituendum, & administrationem relinquendam secundùm mores qui fuerunt majorum ipsorum tempore.

26 Itaque benefeceris, si mittens ad eos dexteras dederis, ut nostrum consilium cognoscentes & bono animo sint, & suaviter versentur in rerum suarum occupatione.

27 Ad gentem verò, Regis literæ erant hujusmodi: Rex Antiochus senatui Jehudæorum, Jehudæisq; aliis salutem.

28 Si valetis, erit prout volumus; nos quoq; valemus ipsi.

29 Manifestū fecit nobis Menelaus vos [5] velle descendere, & rebus propriis incumbere.

30 [6] His ergo qui descendunt ad vos usque ad trigesimum mensis Xanthici, futura est [i] fides cum securitate:

31 Ut Jehudæi utantur suis ipsorum [k] cibis & legibus, quemadmodum etiam priùs; & nemo ipsorum ullo pacto afficiatur molestia rerum errore commissarum nomine.

32 Misi autem [7] Menelaum quoque, ut consoletur vos.

33 Valete.

[3] frater Timothei, infrà versu 37.

[1] Quàm multū narratio hujus capitis distet ab auctore prioris Macbæorū & a Josepho quoq;, res ipsa loquitur. Quamobrem de hac narratione, quemadmodum etiam de aliis, judicium facimus.

[a] *Græc. post paucum omnino tempus.*

[‖] 1. Mac. 6. 28.

[b] *Græc. Græcis.*

[2] hæc variè possumus interpretari: sed auctorem puto ad Pythagoream doctrinam respexisse, de bonis & malis angelis singulos prosequentibus: quam doctrinam Jehudæi jam olim acceperunt. Atque hoc pacto videtur auctor innuere, hoc genus orationis per spiritum Dei fuisse factum, ut qui eventum postulato respondisse doceat versu 8.

[c] *Græc. vulnerare.*

[d] *Græc. in dispositione.*

[3] i. nudati armis suis, ut in servitutem aut vincula traherentur.

[e] *Græc. continentes.*

[f] *Græc. quæ ex parte.*

[4] sic vulgo quidem legitur: sed quum omnia hæc mensium nomina sint Macedonica, utpote regno a Macedonibus constituto; ego Dioscurum legendū puto, qui mensis fuit Macedonū septimus redintegrandæ arationi commodus: quemadmodum etiam postea nominatur Xanthicus, qui mensis fuit illorum quintus.

[g] *Græc. esse.*

[h] *Græc. extra turbam esse.*

[5] i. desiderare, ut a militaribus incursionibus liberi, non ampliùs cogamini intra muros Jeruschalaimorum & munitionum aliquot vos continere; sed ut per me vobis liceat habitationes vestras singulis repetere, & agros colere. Sic accipiendum, ostenditur infrà 12. 1.

[6] sensus est, quum postulaveritis ut vobis liceat agros vestros colere, nondum tamen bene constituta pace: placuit nobis, legatis vestris, qui ad vos profecturi sunt fidem dari, nihil intra dies quindecim injuriæ vobis factum iri; sed omnia vobis esse integra, donec intra illud tempus reversi a vobis cum mādatis vestris, conventionis leges a me acceperint.

[i] *Græc. dexteras.*

[k] *Græc. sumtibus.*

[7] de quo suprà 4. & 5. capitibus, nempe ut Jehudæorum animos sollicitaret scelus.

33 Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, decimo quinto Xanthici.

34 Miserunt quoque Romani ad eos literas ita habentes: Quintus Memmius, Titus Manlius legati Romanorum, populo Jehudæorum salutem.

35 Quibus in rebus Lysias cognatus regis concessit vobis, nos etiam comprobamus:

36 Quæ autem judicavit ad regem referenda esse, mittite confestim aliquem qui de iis prospiciat, ut exponamus quemadmodum convenerit vobis: nos enim provehimur Antiochiam.

37 Ideoq; festinate & mittite aliquos, ut nos etiam cognoscamus qua sitis sententia.

38 Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, die Xanthici decimo quinto.

CAPUT XII.

1 ¹ FActis autem his conventionibus, Lysias quidem ad regem abiit; Jehudæi verò in agricultura versati sunt:

2 Sed ex ducibus qui in locis illis erant, Timotheus & Apollonius Gennæi filius, itémque Hieronymus, & Demophoon, ac præterea Nicanor præfectus Cypri non sinebant eos consistere, & negotia quiete conjuncta agere.

3 Joppenses quoque hoc tam impium facinus consummaverunt, quòd hortati Jehudæos qui secum habitabant ut cum uxoribus liberisq; in scaphas à se comparatas conscenderent, quasi nulla adfuisset contra eos animorum diritas;

4 Quum illi ex communi civitatis decreto accepissent legem, ut pacem colere volentes & nullam habentes suspicionem; submerserunt eos scaphis in altum provectos, qui ducentis non erant pauciores.

5 Itaque postquam accepisset Jehuda factā in gentiles suos crudelitatem, ¹ denunciavit iis viris qui erant secum,

6 Et invocato justo judice Deo adveniens contra homicidas fratrum, & portum incendit noctu, & scaphas concremavit, & confodit eos qui illuc confugerant:

7 Quúmq; locus circumclusus esset, recessit ut venturus denuò, & universam Joppensium rempublicam eradicaturus.

8 Accipiens quoque Jamnienses etiam velle ᵃ idem perficere in Jehudæos inquilinos,

9 Invadens Jamnienses noctè succendit portum cum classe, adeò ut splendores flammæ apparerent Jeruschalaima usque, quum distent stadiis ducentis quadraginta.

10 Atque inde provecti novem stadia, quum instituerent profectionem contra Timotheum, irruerunt Arabes in eum non pauciores quinquies mille *peditibus*, & quingentis equitibus.

11 Ubi commissa valida pugna, & militibus Jehudæ propter auxilium Dei prosperantibus, superati Arabes Nomades postulaverunt Jehudam sibi dexteram dare, promittentes se & daturos pecora, & reliquis in rebus fore ipsis adjumento.

12 Jehuda verò arbitratus eos revera multis in rebus futuros utiles, concessit pacem fieri cum illis; qui acceptis dexteris in tentoria sua discesserunt.

13 Aggressus quoque est civitatem quandam ponte munitam, & muris circumseptam, & promiscuis gentibus habitatam, cui nomen erat ² Caspin:

14 Sed quum ii qui intus erant confidentes murorum munitione, & cibariorum apparatu, remissius agerent, milites Jehudæ petentes conviciis, prætereaq; blasphemantes & dicentes quæ nefas *erat proloqui*;

15 Milites Jehudæ postquàm invocassent magnum mundi principem, qui sine arietibus & machinis organicis præcipitaverat muros Jerichuntis temporibus Jehoschuhæ, irruerunt ferociter in murum;

16 Et occupata civitate per voluntatem Dei, cædes quæ dici non possent perfecerunt, adeò ut adjacens ³ lacus, qui in latitudinem capiebat duo stadia, perfusus sanguine plenus videretur.

17 Inde verò profecti stadia septingenta quinquaginta, pervenerunt in ⁴ Characem ad eos qui ⁵ Tobiani Jehudæi dicebantur.

18 Ac Timotheum quidem in locis illis non comprehenderunt, qui tum re infecta ab iis locis discesserat, sed præsidium in quodam loco, ac valdè firmum reliquerat.

19 Dositheus autem & Sosipater ex ducibus qui Macbæo aderant, progressi perdiderunt eos qui a Timotheo in illa munitione relicti fuerant, plures decem mille viris.

20 Macbæus verò disposito per cohortes exercitu præfecit eos cohortibus, & in Timotheum irruit habentem secum centum viginti millia peditum, & bis mille quingentos equites.

21 Sed cognoscens adventum Jehudæ Timotheus antè dimiserat uxores liberósq; & apparatum reliquum in locum qui dicebatur ⁶ Carnion: erat enim locus difficilis obsessu & aditu propter locorum omnium angustiam.

22 Quúmq; apparuisset cohors Jehudæ prima, invadentes hostes metu, & timore ex apparitione ejus qui omnia inspicit ᵇ pervadente eos, in fugam eruperunt, alii delati aliò; adeò ut sæpe læderentur a suis, & gladiorum mucronibus configerentur.

23 Itaque ᶜ persequutioni instans maxima contentione Jehuda, confodiensq; miseros perdidit ad triginta virorum millia:

24 Et ipse Timotheus in Dositheum Sosipatrúmq; incidens, postulavit cum multis veteratoriis artibus, ut se vivum dimitterent, eò quòd multorum & parentes & fratres haberet, ⁷ quorum alioqui futurū esset ut nulla ratio haberetur:

25 Quúmq; fidem dedisset ille multis se eos illæsos restituturum, dimiserunt eum propter salutem suorum fratrum.

26 Progressus verò *Jehuda* contra Carnion, & ⁸ Atergation, jugulavit hominum viginti quinque millia.

27 Post quorū fugam perditionémq; castra etiam fecit contra ⁹ Hephron civitatem munitā, in qua omnium nationum turbæ habitabant, & adolescentes robusti ad muros constituti robustè propugnabant; ubi denique machinarum telorúmq; multi apparatus erant.

28 Sed invocato principe qui ᵈ potenter conterit vires hostium, civitatem occupantes sub jugum miserunt eam, prostraveruntq; eorum qui intus erant viginti quinque millia.

29 Posteà moventes inde irruerunt contra Scythopolim, distantem Jeruschalaimis stadiis sexcentis:

30 Sed Jehudæis qui consistebant illic de iis testantibus quâ benevolentia Scythopolitæ in eos usi essent, & quàm benigna conversatione adversis temporibus,

31 Gratias agentes eis hortati sunt, ut in reliquum tempus erga gentem benigni essent: Venerúntq;

¹ 1.Mac. 5.

¹ id est, ad arma convolari jussit.

ᵃ Græc. eodem modo.

² hæc illa videtur esse, quæ apud filios Hakanis fuisse dicitur, 1.Mac. 5.4. & sequentibus. Nam cætera quæ hoc capite narrantur ad illam historiam pertinent; sed ita ut narratione illa hanc ferè totam labefactari oporteat: tam malè huic cum illo, cum Josepho, & cum historicis aliis convenit.

³ qui ex variis fontibus eodem loco salientibus conficitur: unde etiam putei filiorum Hakanis appellantur, Deut. 10.6.

⁴ opidum Arabiæ Petrææ, quod Ptolemæus Characmobam vocat, mea sententia, pro Charace Tobiana, prout hoc loco appellatur.

⁵ vide 1.Mac. 5.13. Hi autem Jehudæi propter historiam dicebantur, quæ est Judicum 11.

⁶ legendū Karnajima ex 1. Mac. 5.26. & 43. & 44. Sed hic tam benè locorum expressit nomina, quàm veritatem rerū, vide in Gen. 14.5

ᵇ Græc. facto super eo.

ᶜ Græc. faciens persequutionem contentius.

⁷ id est, qui omnes, nisi vitæ suæ consulatur, perituri sint nece miserrima.

⁸ nomen est fani, in quod Karnajimorum habitatores cōfugerunt, ut narratur 1.Mac. 5.43. Dicitur autē Atergation a portentosa Dea; ut Plinius loquitur, quæ profanis scriptoribus dicitur Atergatis, sive Derceto, corrupta voce pro Adergatto, sive Darcetto sermone Syro; quā illi ita colebant, ut Latini Opem sive Tellurem Deam, quæ caput hominis, pedibus; unde Syria est appellatio.

⁹ vide 1.Mac. 5.46.

ᵈ Græc. cum potentia.

nerúntq; Jeruschalaima, quum jam propinquus esset festus [10] septimanatum dies.

[10] id est, pentecoste, ut exponitur sequente versu. sic Deut. 16.10.

32 Post pentecosten verò, quemadmodum appellatur, impetum fecerunt in Gorgiam ducem Edomææ:

33 Processerúntq; cum peditum ter mille, & quadringentorum equitum comitatu.

34 Dum autem in illum pugnarent, evenit ut pauci ex Jehudæis ceciderint.

35 Dositheus verò quidam eques ex turma Bakenoris, vir potens, quum teneret Gorgiam & captû chlamyde fortiter eum abduceret, volens exsecrab:lem illum vivum comprehendere, delatus in eum quidam Thrax eques humerum amputavit ei; sic Gorgias effugit [11] Mareſcham.

[11] de qua 1. Chron. 2.42. & 2. Chron. 11.8. & 14.9.

36 Ut autem ii qui obsidebant [12] Esdrin amplius pugnantes fatigabantur, invocans Jehuda Dominum, ut appareret adjutor & dux antecessor belli,

[12] i. Schafiarajima; sed hic corrupta est appellatio. vide 1. Mac. 5.66.

37 Et incipiens sermone patrio clamorem hymnis conjunctum, aggressus est ex improviso milites Gorgiæ, eosq; in fugam vertit.

38 Tum Jehuda recipiens exercitum venit in civitatẽ Hadullamũ, ubi superveniente die septimo pro more purificati sabbathũ transegerunt;

39 Postridie verò venerunt milites Jehudæ secundùm tempus illud [13] quo ministerium hoc fiebat, ut corpora eorum qui antè occubuerant efferrent, & cum cognatis in patriis sepulcris reponerent.

[13] i. quum primùm transacto sabbatho licuit recognoscendis mortuis incumbere, & justa eorum facere; quod nefas erat sabbatho.

40 Invenerunt autem sub tunicis cujusq; eorum qui erant mortui res sacratas idolis Jamniensibus, [14] a quibus lex Jehudæos averterat; adeò ut omnibus fieret manifestũ, istos propter hanc causam cecidisse.

[14] i. quæ res erant interdictæ & devotæ anathemati ex lege.

41 Omnes itaq; benedicentes operibus Domini justi judicis, qui res occultas manifestas facit,

42 Ad supplicationem conversi sunt, oraverúntq; ut commissum istud peccatum perfectè [15] deleretur: & generosus Jehuda hortatus est multitudinem, ut conservarent se ipsos integros a peccatis, quum [a] ante oculos suos viderint ea quę facta sunt propter istorum peccatum qui ceciderant.

[15] ac proinde superstitibus nõ esset damno.
[a] *Græc. sub aspectum.*

43 Deinde quum ex capitatione confecisset ad drachmas bis mille argenti, misit Jeruschalaima, ut offerretur sacrificium pro peccato; [16] valdè bene & honestè faciens quòd de resurrectione cogitaret:

44 (Nam si eorum qui antè ceciderant, resurrectionem non exspectavisset, superfluum & delirum fuisset orare pro mortuis)

45 Deinde quòd prospexit iis qui piè occumbunt optimam repositam esse gratiam.

46 Sancta & pia cogitatio, ex qua pro mortuis expiationem fecit, ut a peccato soluti essent.

[16] hic interpres judicium suum pro more interponit, adeò peritus legis ut sacrificia pro iis oblata fuisse putaverit qui se polluerant anathemate: quod planè adversatur legi.

CAPUT XIII.

1 ANno autem centosimo quadragesimo nono [a] perlatum est ad Jehudam, Antiochum Eupatorem cum copiis contra Jehudæam adventare,

[a] *Græc. accepit.*

2 Et cum eo Lysiam procuratorem, & unũquemque præfectum negotiis habentem copias [1] Græcas peditum centies decies mille, & equites quinquies mille trecentos, elephantésq; viginti duos, & falcatos currus trecentos:

[1] id est, ex alienigenis, prouit jam sæpe diximus.

3 Quibus se immiscuerat etiam [2] Menelaus hortatus [3] cum ludibrio multo Antiochum, non de patriæ salute cogitans; sed ut in principatu constitueretur.

[2] de quo sup. 4. & 5. cap.
[3] quo gentem suam nefariè traducebat.

4 Verùm Rex regũ Antiochi animũ adversus istum sceleratum excitavit; & quum ostendisset Lysias hunc causam esse malorum omnium, mãdavit (ut moris est) *satellitibus*, ut abducentes eum [4] Beream in eodem loco perderent.

5 Est autem in eo loco turris cubitos quinquaginta alta plena cinere, quæ instrumentum habebat versatile undequaq; præceps in cinerẽ:

[4] de qua 1. Mac. 7.19. & 9.4. nos enim similem locum 1. Mac. 7. ex Josepho emendavimus, & quæcũq; hîc de turri illa prædicantur, ea nos cum fovea fuisse conjuncta statuimus. Est enim πύργος non tantùm elata turris, sed etiam omnis structura instar turris, ut est porta cũ fastigiato tympano & acroteriis, ut infr. 14.41. sive edita, sive in terram depressa; atque custodia omnis, ut Phavorinus explicat.

6 Ibi reum istum sacrilegii, & qui etiam aliis quibusdam malis perpetrandis excelluerat, omnes in exitium impulerunt.

7 Hac nece contigit iniquum istũ mori Menelaum, ac ne terram quidem obtinere:

8 Omnino justè; nam quandoquidem consummaverat multa peccata circum altare, cujus ignis & cinis erat castus, in cinere mortem reportavit.

9 Rex cæterum cogitationibus efferatus veniebat, designaturus contra Jehudæos res pessimas, quã unquã fuissent factæ patris sui tẽpore.

10 Sed quum Jehuda percepisset ista, denunciavit multitudini, ut dies noctésq; invocaret dominum, si quando aliâs, nunc etiam succurreret iis, qui propè erant ut lege, & patria, & templo sancto privarentur;

11 Et populum qui jam paulisper respiraverat, non sineret infamibus gentibus subjici.

12 Quum itaq; omnes simul idem facerent, & orarent misericordem Dominum cum fletu ac jejuniis tres dies indesinenter prostrati, hortatus eos Jehuda jussit venire *ad se:*

13 Et [b] seorsim cum Senioribus exsistens consilium iniit, ut antequam invaderet exercitus regis Jehudæam, compotésq; fierent civitatis, ipsi procedentes, de summa rerum ope Domini decernerent *prælio.*

[b] *Græc. per se.*

14 Ita procuratione tradita creatori mundi, hortatus est qui secũ erant ut generosè ad mortem usque contenderent pro legibus templi, civitatis, patriæ, & reipublicæ, & circum Moddinas castra fecit.

15 Deinde data suis [5] tessera, DEI VICTORIAE, cum juvenibus optimis delectis invadens noctu castra ad aulam regiam, sustulit quasi bis mille viros; & elephantum qui primas tenebat, cum multitudine impositam ipsi domum habitante, [6] adjecit illis.

[5] vide sup. 8.23.

16 Denique postquam metu & perturbatione implevissent castra, prosperè discesserunt.

[6] i. prostravit æquè atque illos bis mille.

17 Hoc autem factum fuerat quum jam dies illucesceret, propter protectionem Domini, quæ supernè defendebat ipsum.

18 Rex autem ut percepit gustum Jehudæorum audaciæ, loca tentavit artibus.

19 [7] Quúmq; ad Beth-tzuram munitum Jehudæorum præsidium accederet, in fugam vertebatur, offendebat, minuebatur:

20 Jehuda verò ad eos qui intus erant, mittebat res necessarias.

21 Quarũ rerum arcana hostibus renunciavit Rhodocus e Jehudæorum exercitu; sed quæstione habita prehensus atque conclusus est.

22 Tum rex secundò cum Bethtzuranis sermonem habuit, dexteram dedit, accepit, abiit; congressus est cum Jehudæ copiis, inferior fuit.

23 Ut autem accepit descivisse Philippum, qui relictus fuerat Antiochiæ gerendis negotiis, confusus est, Jehudæosq; hortatus submisit se ipsum, & juravit in omnes justas leges: reconciliatúsq; sacrificium obtulit, templum honoravit, & locum [8] humaniter coluit.

[7] historiæ hujus vanitatem qui volet cognoscere, comparet cum 1. Mac. 6.31 & sequentibus; & cum Josephi historia. Nam qui hæc scripsit, in eo tantùm laboravit, ut miracula, & victorias, quo jure, quâve injuria prædicaret. Quod itaque hîc præter morẽ συντομιᾳ, optimo jure facit, ut breviora sint mendacia.
[8] scilicet qui mandatum dedit ut murus everteretur circumquaque 1. Mac. 6.62.

24 Macbæum

24 Macbæum etiam amplexatus reliquit ducem a Ptolemaide usq; ad 9 Gerrenos e maximũ.

25 Inde veniente illo Ptolemaida, quum graviter ferrent Ptolemenses conventiones illas (nam indignabantur 10 eò quòd voluissent Jehudæi conditiones irritas facere)

26 Venit in tribunal Lysias, defendit rem cõmodè, persuasit, sedavit, & effecit benevolos, deinde jungens Antiochiam reversus est: ita successit profectio & reversio regis.

9 i. a summis finibus Jisraëlitarum ad imos usque Aegypti & Pelischthææ, ubi est Gerrum mons ad Pelusium in finibus Aegypti situs, Ptolemæo teste.
e *Græc. ducalem.*
10 paralepsis est in his verbis. q. d. eò quòd quum Jehudæi tanta rebellione se gessissent in regem, rex tamen ipsorum conditionibus constituisset pacem: quod & rege indignum, & sibi incommodum esse cogitabant.

CAPUT XIIII.

1 b POst tempus autem triennii, perlatum est ad Jehudam Demetrium Seleuci filium per Tripolitanum portum navigio advenisse cum multitudine valida & classe:

b *1.Mac. 7.*

2 Et occupasse regionem, postquam Antiochum & procuratorem ejus Lysiam sustulisset.

3 Alcimus autem quidam (qui antè fuerat Sacerdos summus, sed voluntariè inquinatus a confusionis temporibus) quum reputaret nulla ratione sibi salutem esse, neque ampliùs accessum ad sanctum altare,

a *Græc. commixtionis.*

4 Venit ad regem Demetrium anno centesimo quinquagesimo primo, afferens ei coronam auream, & palmam, ac prætereà ramos, qui templi esse putabantur; & 1 quietè se continuit die illo.

1 id est, nihil primo congressu in gentem suam protulit.

5 Sed arripiens tempus b dementiæ suæ cõmodum, arcessitus in consilium a Demetrio, & interrogatus, quo instituto consilióq; Jehudæi constitissent, respondit ad hæc:

b *Græc. propria dementia cooperans.*

6 Qui ex Jehudæis dicuntur 2 Aschidæi, quorum dux est Jehuda Macbæus, bella & seditiones fovent, non sinentes ut regnum bonam constitutionem assequatur.

2 vide 1.Mac. 2, 42.

7 Quamobrem ego majorum gloria spoliatus, nempe sacerdotio summo, huc nunc adveni;

8 Primùm quidem de rebus ad regem pertinentibus c optimè cogitans: deinde verò etiam propriis civibus dans operam. Etenim istorum quos modò dixi pravitate rationem aversante, universum genus nostrum non mediocres calamitates accipit.

c *Græc. germanè.*

9 Quum autem tu, ô rex, singula ista cognoveris; & regioni & obsesso generi nostro prospice pro ea d comi humanitate quam omnibus exhibes.

d *Græc. benè occursabili.*

10 Tantisper enim dum Jehuda superest, fieri non potest ut pacem negotia hæc consequantur.

11 Atque hæc postquam ab illo dicta sunt, confestim amici reliqui in res e Jehudæ infensissimi, Demetrium ampliùs accenderunt:

e *Græc. dirè habentes contra Jehudam.*

12 Qui statim accersens Nicanorem, qui magister elephantorum erat, & ducem Jehudææ designans eum, misit;

13 Datis literis, ut & Jehudam tolleret, & comites ejus dispergeret, & Alcimum sacerdotem summum templi maximi constitueret.

14 3 Gentes verò quæ ex Jehudæa fugerant Jehudam, miscebant se gregatim Nicanori, miserias & casus Jehudæorum putantes fore f sibi ipsis felicissimos.

3 de quibus 1. Macb. 2. 44.
f *Græc. proprias felicitates.*

15 Jehudæi autem audito Nicanoris adventu & accessione gentium, conspersi terra supplicaverunt ei qui in æternum constituit populum suum, & semper cum illustri apparitione defendit partem suam.

16 4 Postea præcipiente duce, statim movens inde *exercitus*, cum illis ad vicum Dessau miscuit *pugnam*.

4 hæc & sequentia ferè omnia (ut in præcedens caput observavimus) aut 1.Mac. & Josephi auctoritatem convellunt, aut illorum contrà auctoritate (quod mihi certo videtur certius) convelluntur.

17 Schimhon verò Jehudæ frater cum Nicanore quidem congressus est, sed de repentina adversariorum disparitione brevi tempore facta fuit 5 consternatus.

5 nesciens videlicet quò spectaret tam subita discessio, aut quid portenderet.

18 Verumtamẽ audiens Nicanor strenuitatẽ qua erat Jehuda, & felicitatem in certaminibus *susceptis* pro patria, metuebat g armis experiri:

g *Græc. judicium per sanguines facere.*

19 Quamobrem misit Posidonium & Theodorum Matthiámq;, qui darent h fidem atque acciperent.

h *Græc. dextras synecdoche.*

20 Quibus de rebus quum plurima fuisset deliberatio, & quũ turbis dux cõmunicavisset, visa concorde sententia annuerunt conventionibus:

21 Et præstituto die quo privatim i unà venturi essent advenienti utrique sellæ positæ sunt:

i *Græc. in idem.*

22 (Disposuerat autem Jehuda armatos *homines* paratos opportunis locis, ne fortè ab hostibus repentè maleficium existeret) & convenientem habuerunt sermonum inter se communicationem.

23 Tum moratus Nicanor Jeruschalaimis, nihil fecit absurdi, dimissis turbis gregariis quas antè coëgerat:

24 Sed Jehudam semper ferebat k oculis, adeò ex animo in virum hunc l propendebat:

k *Græc. habebat in facie.*
l *Græc. inclinabat.*

25 Eóq; hortante ut ducta uxore liberos gigneret, duxit quiete usus; & communem vitam instituit.

26 Alcimus autem ut vidit unius in alterum benevolentiam, & conventiones factas, sumtis *comitibus* venit ad Demetrium, & dixit Nicanorem res alienas a negotiis *regis* cogitare: nam (*inquit*) insidiatorem regni ipsius Jehudam successorem designavit.

27 Itaque rex furore abreptus, & sceleratissimis istius calumniis inflammatus, scripsit Nicanori, cùm se dicens de conventionibus graviter ferre, tum jubens ut citò Macbæum vinctum mitteret Antiochiam.

28 Quæ quum ad Nicanorẽ m perlata essent, confusus erat, & iniquè ferebat, quòd res compositas irritas facturus esset, maximè quum nullam vir ille fecisset injuriam.

m *Græc. acerbè dissem.*

29 Sed quandoquidem non erat unde resisteret regi, oportunum tempus observabat, ut stratagemate illud perficeret.

30 Macbæus verò cognoscens Nicanorem austeriùs semper agere erga se, & solitam conversationem agrestiorem exhibere, cogitavit austeritatem istam ex optimo *animo* minimè proficisci; & coacervatis non paucis suorum comitum se a Nicanore occultavit.

31 Alter autem agnoscens se generosè a viro stratagemate delusum esse, adveniens ad maximum & sanctum templum, quum sacerdotes convenientia offerrent sacrificia, virum imperavit tradi:

32 Illis autem dicentibus cum juramento se nescire ubi locorum is sit qui quæritur, protendens dexteram in templum, juravit ista:

33 Nisi vinctum mihi tradatis Jehudam, istud Dei fanum complanabo, & altare suffodiam, & templum hîc illustre 6 Libero patri instituam:

6 qui superstitione maxima colebatur a Syris, ut vidimus sup. 6.

34 Atq; his dictis abiit; sacerdotes verò manus in cœlũ protendentes, eum invocabant qui semper fuit propugnator gentis nostræ, dicentes ista:

35 Tu Domine universitatis, nullius rei indigens, voluisti templum habitationis tuæ apud nos fieri:

36 Nunc ergo, ô sancte omnis sanctificationis Domine, conserva impollutam in secula hanc domum quæ nuper purificata est.

37 [7] Rezaja autem quidam e senioribus qui erant Jeruschalaimis, vir amans civitatis, & perbene audiens, adeóque propter benevolentiam Jehudæorum pater appellatus, ad Nicanorem delatus est.

38 Hic enim antegressis temporibus judiciū continentiæ in Jehudaismo reportaverat, & corpus animúmq; pro Jehudaismo cum omni constantia exposuerat.

39 Volens itaque Nicanor diritatem [n] qua in Jehudæos vehebatur manifestò testatam facere, milites ampliùs quingentos misit qui eum comprehenderent:

40 Putabat enim comprehenso illo, se Jehudæis cladem effecturum.

41 Quum autem [3] turbæ occupaturæ turrim vestibuli januam pulsarent vi, & ignem afferri juberent, januásq; incendi; denique quum jam penè comprehensus esset, sibi ipsi subjecit gladium,

42 Generosè mori exoptans *potius*, quàm sceleratis istis subjici, & indignas generosa conditione sua contumelias perpeti.

43 Sed quum plagam non intulisset ictu certo, propter contentionis festinationem; turbæ autem illæ intra januas irrumperent; incurrens in murum generosè, se ipsum dedit præcipitem in turbas illas viriliter:

44 Quæ ubi citò retulissent gradum, effecto spatio processit in medium incumbens ventri;

45 Et quum adhuc spiraret [o] animóque inflammatus esset, surgens (quamvis ferretur salientium more sanguis, & gravia essent vulnera) cursu pervasit turbas.

46 Et super quamdam petram præruptam consistens, planè jam exsanguis effectus, protulit intestina, & capiens ambabus manibus, conjecit in turbas: tandémque invocans eum qui vitæ & spiritus dominium obtinet, ut ea sibi iterum redderet, hoc pacto migravit *e vita*.

[7] historiā hanc ab auctore quidem laudari non miror, tamquam si aliquid præclarum ab hoc homine gestum esset: sed si quis ex veritate judicare velit, non poterit hoc factum non improbare ex verbo Dei; quemadmodum de hac ipsa hypothesi judicat Augustinus optimè in epist. 61. ad Dulcitium, & libr. 2. cōtra secundam Gaudentii epistolam cap. 23. tum etiam universè de thesi lib. 1. de civitate Dei.

[n] *Græc. quam in Jehudæos habebat.*

[3] nempe istorum quingentorum militum: quemadmodum reliquo capite de iisdem intelligenda est hæc appellatio.

[o] *Græc. animis.*

CAPUT XV.

1 Nicanor autē ut percepit Jehudam esse in partibus Schomronis, consilium iniit, ut die quietis cum omni cautione eos invaderet.

2 Jehudæis autem, qui [1] ex necessitate eum prosequebantur, dicentibus, nequaquā ita [2] horridè & barbarè perdas illos; sed gloriam tribue diei illi, qui olim [a] sanctè ab eo fuit honoratus qui intuetur omnia:

3 Interrogavit ille sceleratissimus, an esset in cælo princeps, qui præcepisset diem sabbathi celebrari.

4 Quibus respondentibus, Dominum viventem eum principem in cælo esse qui jusserit diem septimum observari:

5 Ego verò, inquit, [3] alter *sum* princeps in terra, qui præcipio capi arma & regis negotia confici: verumtamen non obtinuit ut miserum consilium suum perficeret.

6 Ac Nicanor quidem iste cum omni jactatione cervices efferens, decreverat cōmune tropæum de Jehuda statuere:

7 Macbæus verò indesinenter confidebat cum omni exspectatione, se defensionem consequuturum a Domino:

8 Itaque hortabatur suos ne formidarent adventum gentium; sed habentes in mente ea auxilia quæ antè fuerant ipsis e cælo facta, nunc etiam exspectarent victoriam sibi ab omnipotente adfuturam:

9 Et consolabatur eos ex lege & prophetis; & præterea revocans in memoriam ipsis etiam certamina quæ perfecerant, alacriores eos efficiebat, animósq; eorum excitabat.

10 Atque hic denuncians ista simul ostendebat irrita facta a gentibus federa, juramētorúmque transgressionem:

11 Denique eorum quemque non tam clypeorum lancearúmque munitione armabat, quàm adhortatione sermonibus optimis; ad quos adjiciens somnium fide dignum omneis affecit lætitia summopere.

12 Fuit autem illius visio hujusmodi: Oniam, qui summus sacerdos fuerat; virum [b] optimum, reverendum quidem aspectu; sed moribus mitem, & sermones decenter efferentem, qui denique a puero laborem consumserat in rebus omnibus quæ virtutis sunt propriæ; hunc protendentem manus vota fecisse pro toto Jehudæorum cœtu:

13 Deinde eodem modo apparuisse virum canitie & gloria præstantem, cujus admirabilis quædam & decentissima erat circumstans eum excellentia.

14 Tum respondentem Oniam dixisse, hic est amans ille fratrum propheta Dei Jirmeja, qui multis oravit pro populo & civitate sancta.

15 Jirmejam verò protendisse dexteram, & gladium aureum dedisse Jehudæ; quúmq; daret, pronunciasse ista,

16 Accipe sanctum gladium donum a Deo, quo frangas adversarios.

17 Tum accipientes hortationem ex his Jehudæ verbis, bonis planè, quæ juvenum animos & ad virtutem incitare poterant, & viriles efficere; decreverunt non esse castra metandum, sed generosè irruendum, & congresso toto animo ac virili facto, de rerum summa decertādum, quandoquidem & civitas & locus sanctus & templum periclitabatur:

18 Nam de uxoribus liberísque, itémq; fratribus, & cognatis periculum minore loco habebatur; sed maximus & primus insidebat eis de templo sanctificato metus.

19 Iis verò qui in civitate detinebantur non mediocris erat sollicitudo, sed congressus sub dio faciendi cogitatio eos conturbabat.

20 Ut autem omnes jam futurum certamen exspectabant, & jam miscebant *prælium* hostes, & acie disposita, & bestiis in opportuna parte constitutis, & equitatu ad [c] alas disposito,

21 Conspiciens Macbæus turbarum adventum, & variam armorum apparationem, bestiarúmq; ferocitatem, protendit manus in cælum, & mirificum Dominum invocavit, agnoscens non armis esse; sed prout apud seipsum *Dominus* judicaverit, conficere dignis victoriam.

22 Invocans autem dicebat hoc modo, tu Domine misisti Angelum tuum tempore Chizkijæ regis Jehudæ, qui sustulit e castris Sanchebribi ad centum octoginta quinque millia.

23 Nunc autem, ô princeps cælorum, mitte bonum Angelum ante nos ad timorem & terrorem;

24 Magnitudine brachii tui percellantur isti, qui cum blasphemia contra sanctum populum tuum advenerunt; atque his dictis desiit.

25 Qui autem erant a Nicanore cum tubis & pæanibus invehebantur:

[1] i. coacti.

[2] hæc verba, quibus Jehudæi refringere Nicanoris impetum conabantur, non spectant indignitatem facti in Jehudam, sed tantùm violati sabbathi; etsi consilium erat Jehudæorum, ut religionis specie afferent moram: quasi dicat, non decet nos tamquam feras religionis expertes, aut tamquam barbaros, diem sabbathi negligere.

[a] *Græc. cum sanctitate.*

[3] nempe secundus à rege; nam Dei nulla ratio.

[b] *Græc. bellum & bonum: Hellenismum.*

[c] *Græc. cornua.*

26 Qui verò a Jehuda, cum invocatione &
votis *prælium* cum hostibus miscuerunt;
27 Ita manibus quidem pugnantes, sed cor-
dibus orationem fundentes apud Deum, pro-
straverunt non minus triginta quinque millibus,
maximè lætantes hac illustri Dei præsentia.
28 Ut autem ab opere cessantes cum gaudio
revertebantur, agnoverunt antè cecidisse Nica-
norem cum tota armatura sua.
29 Ita exclamatione [d] turbulenta facta, be-
nedixerunt Deo principi suo paterna lingua;
30 Præcepit autem [4] ille primus civium suo-
rum propugnator, qui omnino corpus & animã
suam abjecerat, & ætate sua benevolentiam in
suos gentiles conservaverat, ut rescissum caput
Nicanoris & manus cum humero deferretur Je-
ruschalaima.
31 Quò postquam advenisset, & convocatis
gentilibus suis ac sacerdotibus ante altare con-
stitisset, advocavit eos qui erant in arce:
32 ‖ Et ostendens profani Nicanoris caput
manúmque blasphemi qua extenta in sanctam
omnipotentis domum cervices extulerat,
33 Linguà Nicanoris impii abscissa, dixit se
eam minutatim daturum avibus; præmia verò
dementiæ ex adverso templi suspensurum.

[d] *Græc. & turba*, ἐν διὰ δυοῖν.
[4] periphrasis Jehudæ Macbæi.
‖ *suprà* 14.31.

34 Itaque omnes in cælum aspicientes, bene-
dixerunt illustri Domino, dicentes, benedictus
sit qui conservavit locum suum impollutum.
35 Tum suspendit Nicanoris caput de arce,
ut manifestum esset omnibus, & evidens signum
auxilii a Domino.
36 Itaque decreverunt omnes decreto com-
muni, nequaquam diem hunc incelebrem sinen-
dum esse;
37 Sed haberi celebritatem die decimo ter-
tio mensis duodecimi, *qui* Adar Syra lingua dici-
tur, die uno ante diem festi [5] Mordecaici.
38 Quum igitur res Nicanoris ita successe-
rint, & ab illis temporibus civitatem Hebræi
obtinuerint; hîc ego quoque finem sermonis fa-
ciam.
39 Ac si quidem bene & [e] [6] prout composi-
tionem perstringi convenit *præstitero*, hoc etiam
ipse volui; sin autem exiliter atque tenuiter, hoc
tamen est quod potui assequi.
40 Nam ut vinum seorsim bibere, similitérq;
etiam aquam, [7] utrumque [f] variè adversum est;
contrà verò ut vinum aqua commixtum suavem
& delectabilem gratiam efficit: ita etiam sermo-
nis apparatus delectat aures legentium compo-
sitione sua. atque hic finis futurus est.

[5] de quo vide Esther. 9.
[e] *Græc. & bene contingenter compositioni.*
[6] i. quemadmodum lex historiæ postulat narrationes variis ex rebus confectas atque compositas, convenienter temperari: sic excusat auctor suam insantiam.
[7] i. adversantur valetudini; generosum quidem vinum uno modo, aqua verò altero offendens constitutionem corporis; quibus aptè inter se mixtis atque temperatis potus salubris & suavis efficitur. Atq; hoc pacto hic gravissimus Macbæorum encomiastes a cõvivio orsus est narrationem suam, & a potu terminavit.
[f] *Græc. a diversa.*

LIBER SAPIENTIAE.

LIBER *Sapientiæ sermone elegans atque accuratus, argumento non inutilis est. Primùm enim documenta justitiæ & pietatis affert ad sanctè instituendam vitam necessaria: deinde verò oratione ad Deum conversa, pias meditationes subjicit de hominum vanitate constantissimáq; Dei misericordia: & admirabilitatem cùm judiciorum Dei in adversarios, tum beneficiorum in suos ab exemplo Ægyptiorum ac Jisraëlitarum percurrit artificiosissimè.*

CAPUT PRIMUM.

1 DILIGITE justiti-
am, ô [a] judices ter-
ræ; sentite de Do-
mino [1] bonitate, &
simplicitate cordis
quærite ipsum.
2 Nam [b] expo-
situs est iis qui nõ
tentant ipsum, &
patefit iis qui non
insidi sunt ei.
3 Perversæ enim ratiocinationes separant
a Deo, & [2] probata illius potentia arguit insipi-
entes,
4 Eo quòd in malitiosam animam non in-
greditur sapientia, neque habitat in corpore
quod subjectum est peccato.
5 Sanctus enim spiritus disciplinæ fugit do-
lum, & absistit a ratiocinationibus *hominum* va-
cuorum intelligentia; & [3] indicatur quum ad-
venit iniquitas.
6 [4] Nam humanus est spiritus sapientiæ; sed
non liberat blasphemum a *maledicto* labiorum
ipsius, quia renum ipsius testis est Deus, & cordis
ipsius observator [5] verus, & auditor linguæ;
7 Quum spiritus Domini impleat orbem
terrarum, & idem continens omnia cognitionẽ
habeat vocis.
8 Propterea qui loquitur rem injustam nul-
lus occultus futurus est, neque præteritura ip-
sum justitia illa [6] arguens.
9 Nam [7] consiliis impii adest quæstio, & au-
ditio verborum ejus ad Dominum perventura
est [c] ut arguat iniquitates ejus.
10 Quia [8] auris [d] zelotypa audit omnia hæc,
etiam sonus murmurationis non est abditus ei.
11 Cavete igitur a murmuratione inutili, &
ab obtrectatione [e] continete linguam; quia ser-
mo occultus non est [f] impunè abiturus, & os
contra *illum* mentiens perdit animam.
12 Ne [g] studeatis morti errore vitæ vestræ,
neq; attrahatis perditionem operibus manuum
vestrarum:
13 Quia Deus mortem non fecit, neque de-
lectatur perditione viventium:
14 Nam omnia creavit ut sint, & [9] salutares
sunt ortus hujus mundi, in quibus non est phar-
macum [h] exitiale, neque inferorum regnum su-
per terram.
15 Justitia autem immortalis est:
16 Impii verò manibus & sermonibus accer-
siverunt mortem, amicam arbitrati eam, conta-
buerunt ubi conventionem statuerunt cum ea;
quia digni sunt [i] qui cedant in partem illius.

[a] *Græc. Judicantes terram.*
[1] Nempe cordis: nam hoc ἀπὸ κοινοῦ ex sequente membro repetimus.
[b] *Græc. invenitur: ut Psa.* 111.2.
[2] i. tentata ab improbis, ex præcedente versu.
[3] i. tum demum seipsum indicat & vires suas revincendis improbis exerit, quum tentatur ab iniquitate hominum: ut dictum est ꝟ. 3.
[4] occupatio elegans, non est ita durus & asper spiritus Dei, inquit improbus: respondetur verò, humanus quidem est, fateor; sed tamen non propterea injustus est, qui hominis blasphemi maledicta impunè abire sinat.
[5] id est, certissimus, coram quo nihil latere potest: quod significat dictionis Græcæ notatio.
[6] de qua suprà vers. 3. & 5.
[7] i. eo ipso tempore quo de malis consultat impius, hoc ipsum quæritur a Deo, atque cognoscitur: metaphora a re forensi.
[c] *Gr. ad arguitionem iniquitatum.*
[8] i. Dei, qui zelotypus passim in Scripturis dicitur.
[d] *Græc. zelotypiæ.*
[e] *Græc. parcite linguæ.*
[f] *Græc. vacuus.*
[g] *Gr. æmulemini.*
[9] i. ad salutem spectabant omnia creationis lege; ut quæ carerent injustitia (quæ exitiale pharmacum appellatur) & potestate tenebrarum ac peccati, qua definitur inferorum regnum verbis sequent.
[h] *Græc. exitii.*
[i] *Græc. illius partis esse.*

CAPUT II.

1 Dixerunt enim apud seipsos ratiocinantes improbè, brevis & molesta est vita nostra, neque remedium est adversus mortem humanam, nec cognitus est ullus qui ab inferis reverterit:

2 Nam casu nati sumus, posteà verò ita futuri sumus quasi non fuissemus: quia fumus est respiratio [a] narium nostrarum, & sermo scintilla motu cordis nostri:

3 Qua extincta [b] in cinerem abiturum est corpus nostrum, & spiritus noster ut aër mollis diffundetur:

4 Quin tempore oblivioni erit nomen nostrum, & nemo recordabitur operum nostrorum: ita transibit vita nostra ut vestigium nubis, & quasi nebula dispergetur [c] infestata a radiis solis, & a calore ejus [d] gravius impulsa.

5 Nam umbræ transitus est tempus nostrum, neque est remeatio a morte nostra, quia obsignatum est, & nemo revertitur.

6 Agite ergo, fruamur præsentibus bonis, & possessionibus utamur tamquam in juventute studiosè.

7 Vino pretioso & unguentis impleamur, ac ne prætereat nos [e] flos veris.

8 Coronemus nos rosarum calycibus, antequam marcescant:

9 Nemo nostrum expers sit nostræ [1] lasciviæ; ubique relinquamus symbola lætitiæ: nam hæc est portio nostra & sors hujusmodi.

10 Potentia opprimamus pauperem justum, ne parcamus viduæ, neque senis revereamur longævos canos:

11 Sed esto robur nostrum lex justitiæ; infirmitas enim deprehenditur inutilis.

12 Insidiemur autem justo, quia incommodus est nobis & adversans operibus nostris: exprobrat nobis peccata in legem, & infamiam irrogat nobis peccatorum [f] vitæ institutæ nostræ:

13 Profitetur cognitionem se habere Dei, & filium domini se ipsum nominat:

14 Factus est nobis ad [g] redarguendum cogitationes nostras:

15 Gravis est nobis etiam [h] ad aspectum, quia dissimilis est aliorum vita illius, & aliò spectantes semitæ ejus.

16 [i] [4] Argentum reprobum æstimamur ab ipso, & abstinet a viis nostris tamquam ab immundis rebus, beatos prædicat fines justorum, & Deum patrem jactitat.

17 Videamus igitur sermones ejus veri, & experiamur quæ sint [k] eventura ei:

18 Nam si justus iste filius est Dei, suscipiet eum & liberabit eum e manu adversantium.

19 Contumelia & tormento quæstionem habeamus de eo, ut cognoscamus [5] æquitatem illius, & probemus [l] quam habet iste malorum tolerantiam.

20 In mortem turpem condemnemus illum: nam [6] illius erit prospicere ex sermonibus illius.

21 Hæc ratiocinantes erraverunt: etenim excæcavit eos malitia ipsorum,

22 Et non agnoverunt arcana Dei, neque mercedem speraverunt sanctitatis, neque judicaverunt præmium esse animis inculpatis.

23 Deus enim creaverat hominem ad conditionem incorruptam, & imaginem [m] proprietatis naturæ suæ fecerat eum:

24 Sed invidentia diaboli mors venit in mundum, & tentant illum qui cedunt in parte illius.

a Græc. in naribus nostris.
b Græc. cinis.
c Græc. persequuta, si passivè dici potest.
d Græc. gravata.
1 Id est, nullum commodum tempus prætereamus, in quo non expleamus voluptatibus nostris, perfruamur.
e Græc. flos aëris, hypallage.
2 i. juvenilis petulantia quam senectus persequi neque potest ex imbecillitate, Ecclesiastæ 12. neque ex officio debet: unde vox Græca dicta est.
f Græc. disciplinæ nostræ.
3 vel puerum & servum: quod utrumque designat vox Græca.
g Gr. redargutionem cogitationis.
h Græc. visus.
i Gr. in reprobum.
4 ut Jerm. 6.29. & 30.
k Græc. in eventum ejus.
5 nempe Dei, qui illum ex quo & bono propugnabit, si filium suum esse agnoverit: hæc ita accipimus ex præcedente & sequente vers.
l Græc. illius.
6 nempe Dei, ut modò diximus.
m Græc. propriæ proprietatis.

CAPUT III.

1 Justorum verò animæ *sunt* in manu Dei, ut minimè attingat eos cruciatus.

2 Videntur in oculis insipientium mori, & æstimatur malum esse exitus ipsorum,

3 Et a [a] nobis *est* contritio: hi verò versantur in pace.

4 Etenim ad aspectum hominum si puniuntur, horum tamen [1] spes immortalitatis plena est.

5 Et paulùm castigati plurimum afficientur bonis, quoniam Deus tentavit ipsos, eosque dignos seipso deprehenderit.

6 Tamquam aurum in fornace probaverit ipsos, & tamquam holocaustum sacrificium acceperit ipsos.

7 Itaque tempore [2] visitationis ipsorum relucebunt, & tamquam scintillæ accendentes stipulam [b] perficient cursum.

8 Judicabunt gentes & dominabuntur populis, regnante Domino eorum in secula.

9 Qui confidunt ipsi, intelligent veritatem, & fideles in charitate manebunt apud ipsum: nam gratia & misericordia inest sanctis ejus, & [3] visitatio electis ejus.

10 Impii verò prout ratiocinati sunt, [4] perferent supplicium, qui neglexerint justum & a Deo defecerint.

11 Nam qui nihili facit sapientiam & disciplinam miser est; etiam inanis est spes illorum, & labores infructuosi, inutiliaque opera illorum.

12 Uxores eorum insipientes *sunt*, & improbi liberi illorum,

13 Maledictaque generatio illorum: nam beata *est* sterilis quæ polluta non est, quæ non experta est cubile [d] flagitiosè, est perceptura fructum in visitatione animarum.

14 Similiter eunuchus qui non operatus est manu iniquitatem, neque res improbas contra Dominum cogitavit: nam dabitur ei gratia fidei lectissima & sors in templo Domini animo gratissima,

15 [5] Bonorum enim laborum fructus celebris est, & non excidit radix prudentiæ:

16 Liberi verò mœchorum [6] non consequentur perfectionem, sed semen ex illegitimo cubili natum delebitur.

17 Etenim sive longævi sint, nihili æstimantur, & inhonora ad finem usque *est* senectus istorum:

18 Sive celeriter moriantur, neque spem habent neque consolationem in die [7] cognitionis.

19 Nam generis iniqui dura sunt exitia.

CAPUT IIII.

1 Melius est carere liberis servata virtute: nam immortalitas inest memoriæ illius, quia & a Deo & ab hominibus agnoscitur,

2 Quam præsentem imitantur, & desiderant abeuntem, [g] quæ in seculo hoc triumphat, coronam gestatura & certamen præmiorum pollutione carentium reportatura.

3 Plurimum verò sobolescens impiorum [a] multitudo neque utilitatem afferet, neque ex adulterinis stolonibus radicem in profundum [h] aget, neque stabilem pedem ponet:

4 Etenim quamvis ramis ad momentum effloruerit, infirmè procedentes a vento commovebuntur, & [a] ipsa vi ventorum eradicabitur:

5 Circumquaque diffringentur rami imperfecti,

c Græc. sumus.
d Græc. in inquisitione ipsorum.
e Græc. accusantur.
a Græc. a nobis.
1 i. res sperata, quam consequuntur a morte, metonymicè, ut ostendunt sequentia.
2 i. judicii, quo Deus, lustrans & recognoscens suos separabit, ut oves ab hœdis.
b Græc. percurrent.
3 i. agnitio & cura paterna Dei, unde sequitur se piis gratiam affore.
c Græc. habebunt.
d Græc. in dol. Ez.
e Græc. gratiæ comparationis, enallage.
5 i. omnia benefacienti ubi a Deo sunt omnino ex parte benedicta.
6 sic visum est Græcam dictionem reddere ex comparatione & interpretatione loci qui habetur inf. 4.5.
7 i. quo de rebus ipsorum cognoscetur, & quasi visitabuntur acta: ut visitatio dicta est suprà vers. 7. & 13.
g Græc. melior est carentia liberorum cum virtute.
1 Id est, quæ sibi bene conscia, & jam in hac vita, spe venturi boni præcipiens animo, triumphat in fide, ut victoriam certissimam reportatura & coronam vitæ æternæ ex Christiana victoria.
h Græc. dabit.
a nempe multitudo impiorum tamquam radix infixa terræ.

fecti,

fecti, & fructus ipsorum inutilis, immaturus ad cibum, & nulli rei aptus.

6 Nam ex illegitimis [c] congressibus geniti liberi testes sunt improbitatis adversus parentes, [d] quum de ipsis habetur quæstio:

7 Justus verò si [e] matura morte obierit, in quiete futurus est.

8 Non enim quæ longæva est senectus honorata *est*, neque numero annorum mensurata;

9 Sed prudentia hominibus est canities; & vita immaculata est senilis ætas.

10 [3] Qui placens Deo diligebatur, quum viveret inter [4] peccatores, fuit translatus;

11 Ereptus est ne malitia mutaret intellectũ ipsius, aut dolus deciperet animum ipsius:

12 Nam fascinatio improbitatis [5] obscurat quæ bona sunt, & [6] circumagitatio concupiscentiæ transvertit mentem carentem malitia.

13 [7] Sanctificatus, brevi implevit longa tempora:

14 Grata enim Domino erat anima ipsius, propterea festinavit eum *tollere* ex improbitatis medio.

15 Populi autem vident, & non considerant neque [f] intelligentiam advertunt ad istud, gratiam & misericordiam adesse sanctis ejus, visitationémq; electis ejus.

16 [g] Condemnat justus moriens viventes impios, & juventus consecta celeriter annosum senium injusti.

17 Vident enim mortem sapientis; neque animadvertunt quid consilii ceperint de eo, & quorsum in tuto statuerit eum Dominus.

18 Vident & nihili faciunt, Dominus verò deridebit ipsos.

19 Erunt enim posteà ruinæ ignominiosæ & contumeliæ expositi apud mortuos in seculum; quum franget ipsos prærepta voce præcipites, & commovebit eos a fundamentis, atque ad extremum usque desolati, erunt in dolore, & peribit memoria eorum.

20 Inibunt rationes peccatorum suorum pavidi, & revincent eos ex adverso iniquitates ipsorum.

CAPUT. V.

1 Tunc stabit confidentia magna justus in conspectu eorum qui afflixerint ipsum, & qui abjecerint labores ipsius:

2 Videntes turbabuntur timore gravi, & stupefient propter [a] salutem inopinatam eorum;

3 Dicéntq; apud se ipsos [1] resipiscentes, dicent (inquam) gementes propter angustiam spiritus, hic erat quem habebamus quondam [b] ludibrio & communi probro.

4 Stulti vitam ejus æstimabamus furorem, & finem ejus ignominiosum.

5 Quomodo relatus est in filios Dei, & in sanctis *est* sors illius?

6 Planè erravimus a via veritatis, justitiæ luce non lucente nobis, & sole justitiæ non exorto nobis.

7 Iniquitatis & perditionis callibus expleti sumus, & perambulavimus deserta avia; viam autem Domini non cognovimus.

8 Quid juvit nos superbia? & quid divitiæ cum gloriatione contulerunt nobis?

9 Præterierunt illa omnia tamquam umbra, & tamquam nuncius prætercurrens,

10 Tamquam navis permeans fluctuantem aquam; quæ quum transivit, non potest inveniri vestigium, neque via meatus ejus in fluctibus;

11 Aut tamquam ave volante per aërem nullum invenitur indicium meatus, sed turbans ictu verberatum levem [c] aëra & scissum [d] vi stridente motis alis permeat, posteáq; non invenitur signum progressus in eo:

12 Aut tamquam sagittâ in scopum missâ sectus aër statim in se ipsum resolvitur, adeò ut ignoretur transitus illius.

13 Ita etiam nos nati defecimus.

14 Ac virtutis quidem signum nullum [e] valuimus ostendere; sed in malitia nostrâ planè absumti sumus.

15 Nam spes impii ut lanugo delata a vento, & tamquam spuma tenuis a procella [f] impulsa, & tamquam fumus a vento dissoluta est, aut etiã præteriitur diversorii in diem unum recordatio.

16 Justi verò in seculum vivunt, quorum merces est in Domino, & quorum cura est apud Altissimum.

17 Propterea regnũ decoris accepturi sunt, & diadema [g] pulcherrimum e manu Domini; nam dextera sua proteget eos & brachio defendet eos:

18 [2] Sumet *ad* totam armaturã zelum suum, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum:

19 Induet pro thorace justitiam, & imponet pro galea judicium [3] minimè simulatum:

20 Sumet in scutum inexpugnabile sanctitatem:

21 Acuet verò [h] severam iram pro gladio, & belligerabit cum eo ad finem usque mundus ipse contra insipientes istos.

22 Procedent directa tela fulgurum; & ex nubibus, tamquam ex arcu [i] bene in orbem adducto, insilient in scopum;

23 Et grandines [k] confertæ, ab indignatione lapides jaculante projicientur; indignabitur in eos aqua maris, fluviíq; simul severè exundabũt:

24 Instabit in eos spiritus potentiæ, & tamquam procella ventilando *ejiciet* eos: desolat enim totam terram iniquitas, & thronos potentum evertit maleficentia.

CAPUT. VI.

2 Audite igitur reges, & intelligite, discite, ô judices extremitatum terræ:

3 Auribus percipite dominatores multitudinis, & superbientes de turbis nationum.

4 Nam data est a Domino potentia vobis, & potestas ab Altissimo; qui quæstionem habebit de operibus vestris, & consilia perscrutabitur.

5 Quandoquidem quum ministri sitis regni ipsius non judicastis rectè, neque observastis legem, neque ex consilio Dei ambulastis;

6 Horribiliter & celeriter instabit in vos: nã judicium [a] severum exercetur in eos qui præsunt.

7 Minimus enim quivis [b] condonationem habet misericordiæ; potentes verò potenter exquirentur.

8 Nam Dominus omnium non dissimulabit personam, neq; verebitur magnitudinem; quum parvum ac magnum ipse fecerit, & pariter utatur providentia in omnibus.

9 Sed potẽtibus vehemens instat inquisitio.

10 Ad vos itaque, ô [c] reges, pertinent sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis:

11 Nam qui sanctè servant res sanctas sanctificabuntur, & qui eam edocti fuerint [1] defensionem [d] consequentur.

12 Expetite

c *Græc. somnii.*

d *Græc. in inquisitione ipsorum.*

e *Græc. occupaverit mori.*

g *Genes. 5.*

3 confirmatio ab exẽplo Chanoci, de quo Genes. 5. & Heb. 11.

4 nam inde a temporibus Enoschi cœperat Ecclesia Dei corrumpi, & cultus perverti ex Kajinitarum cõversatione, Gen. 4. & 6.

5 id est, quasi nebulas fascini obducit, & præstinguit etiam virorum optimorum animos.

6 sive rotatio & circumductio in gyrum; qua ferè hominum hebetantur sensus, idque eo vehemẽtiùs quo velocior est agitatio: metaphora a rhombis.

7 sic interpretamur vocem hanc ex Scripturæ usu, cujus exempla in epistola ad Hebræos exstant quãplurima.

f *Græc. posuunt in intelligentia istud.*

g *Suprà 3.9.*

a *Græc. inopinatum salutis.*

1 Non quidem secundùm Deum, sed tantùm vi malorũ pressi; ut sequens exegesis docet.

b *Græc. in risum & in parabolam probri.*

c *Græc. spiritum.*

d *Græc. vi stridoris.*

e *Græc. habuimus.*

f *Græc. persequuta, si passivè dici potest.*

g *Græc. pulcritudinis.*

2 elegans descriptio paternæ providentiæ Dei in piorum salute incumbentis, cui ex adverso respõdet illa Christiani militis descriptio Ephes. 6.

3 i. verissimum & simplicissimũ.

h *Græc. præcisam; sic vers. 23.*

i *Græc. bene rotundato.*

k *Græc. plenæ.*

a *Græc. præcisum.*

b *Græc. condonabilis est miser.*

c *Græc. tyranni: sic vers. 22.*

1 Id est, excusationem a vita anteacta sua & peccatis procedentibus.

d *Græc. invenient.*
e *Græc. cupite & instituimini: Hebraismus.*

12 Expetite igitur sermones meos, & e cupido animo instituimini.

13 Præclara est & numquam marcescit sapientia; quæ facilè spectatur ab iis qui diligunt ipsam, & invenitur ab eis qui quærunt ipsam:

2 nempe quàm ingenerata sit justa in animis illorum cupiditas.

14 Imò occurrit cupientibus, ut 2 antè noscatur.

15 Qui manè attendit ad ipsam, non laboraturus est; nam assidentem foribus suis inveniet eam:

f *Græc. prudentiæ perfectio.*
g *Græc. circumit quærens.*

16 Nam cogitare de illa f prudentia perfectissima *est*, & qui vigilaverit propter eam, celeriter vacuus erit cura:

17 Quoniam illa dignos se g circumeundo quærit, & in callibus quibusquè apparet eis benevolè, atque in omni cogitatione occurrit eis.

3 gradatio elegantissima per inductionem, quam mutatis interdum vocibus figuravit auctor, sed planè eodem sensu.

18 3 Nam verissimum principium illius est disciplinæ cupiditas;

19 Cura autem disciplinæ *est* charitas, & charitas observatio legum illius; attentio verò ad leges *est* incorruptæ vitæ firmamentum;

20 Vita autem incorrupta facit ut simus propinqui Deo:

21 Igitur cupiditas sapientiæ perducit ad regnum *ejus*.

22 Si ergo delectamini thronis & sceptris, reges populorum,

23 Honorate sapientiam, ut in seculum regnetis.

24 Quid autem sit sapientia, & quomodo exstiterit, renunciabo, nec celabo vos mysteria; sed a principio ortus pervestigans exponam h perspicuè cognitionem ejus, nec præteribo veritatem ipsam:

h *Græc. in evidens.*

25 Neque etiam cum invidia tabifica ambulabo, 4 is enim non est communionem adepturus sapientiæ.

4 nempe qui cum invidia ambulaverit.

26 Multitudo autē sapientum *est* salus mundi, & rex prudens stabilimentum populi;

27 Quamobrem erudimini verbis meis, & utilitatem capietis.

CAPUT VII.

a *Græc. protoplasto.*

1 Sum quidem ego quoque mortalis homo, æqualis omnibus, & progenitus ab a homine primo ex terra facto:

2 Et in utero matris figuratus sum caro tēpore decem mensium; coagulatus sum sanguine ex semine viri; ídq; per voluptatem b conjunctam somno:

b *Græc. venientem cum somno.*

3 Et ego quoque factus traxi communem nobis aërem, & in hanc terram 1 iisdem perpessionibus infestus decidi; primam vocem similem omnibus emisi flens:

1 Græcam vocem legendam nominandi casu ipsum argumentum clamitat: quamobrem nobis hoc modo placuit reddere.

4 In fasciis educatus sum & curis.

5 Nemo enim rex aliud habuit initium naturæ suæ;

6 Sed unus *est* omnium ingressus in hanc vitam, & par exitus.

7 Propterea oravi, & prudentia data est mihi; invocanti mihi advenit spiritus sapientiæ.

8 Prætuli eam sceptris & thronis, & divitias nullas duxi c cum ea comparandas esse:

c *Græc. in comparatione ejus.*

9 Neque æquavi ei lapidem pretiosum; quia omne aurum respectu ejus arena exigua, & tamquam lutum æstimatur argentum ad eam:

10 Præ sanitate & specie dilexi eam, & proposui consilium mihi habendi eam pro luce; quia non occumbit proficiscens ex ea lux.

11 Advenerunt autem mihi hæc bona simul cum ea omnia, & innumeræ divitiæ d per eam:

d *Græc. manibus ejus.*

12 Et lætatus sum de omnibus, quòd eorum dux esset sapientia; quamvis ignorarem hanc eorum genitricem esse.

13 Hanc & sine dolo didici, & sine invidia trado; divitias hujus non abscondo.

14 Thesaurus est hominibus qui numquam deficit; quo qui utuntur, cum Deo contrahunt amicitiam, donis ex eruditione profectis commendati:

15 Mihi verò Deus dedit ut loquar ex sententia, & cogitem dignè donatis rebus: nam ipse & e ad sapientiam dux est, & constans sapientum rector.

e *Græc. sapientiæ.*

16 Etenim in manu ipsius sumus, & nos, & sermones nostri, omnísq; prudentia, & opificiorum scientia.

17 Ipse enim mihi dedit eorum quæ sunt cognitionem certam, ut cognoscam constitutionem mundi & vim elementorum,

18 Principium & finem mediúmq; tēporum,

19 a Solstitiorum mutationes, & varietates tempestatum, anni f circuitus, & stellarum situs,

a sic legi, τροπῶν, postulat consequutio, libris omnibus reclamantibus.
f *Græc. circulos.*

20 Naturas animantium, & animos bestiarū, 3 spirituum vires, & cogitationes hominum, differentias plantarum, & radicum facultates:

3 hæc non ad ventos pertinere, sed ad animi humani facultates ex adjunctis perspicuè cognoscitur.

21 Denique quæcumque sunt occulta & manifesta novi; 4 artifex enim omnium docuit me sapientia:

4 elegans Christi & Spiritus æterni ex Deo Patre & Filio procedentis testificatio, reliquo capite & sequētis principio continetur.

22 Nam inest ei spiritus intelligens, sanctus, g simplex, multiplex, subtilis, mobilis, splendidus, impollutus, perspicuus, perpessionis expers, amans boni, acutus, expeditus, beneficus,

g *Græc. unigenus.*

23 Humanus, stabilis, certus, securus, omnipotens, omnia intuens, & permeans omnes spiritus intelligentes puros & summè subtiles;

24 Nam omni motu res mobilior est sapientia, & pervadit ac permeat omnia puritate sua.

25 Nam vapor est potentiæ Dei, & syncerus fluxus a gloria omnipotentis; propterea nihil inquinatum in eam incidit:

26 Nam splendor est a luce æterna, & speculum efficacitatis Dei expers maculæ, ac imago bonitatis ejus:

27 Quúmque una sit, omnia potest, & in se ipsa manens innovat omnia, & per ætates singulas in animas sanctas transiens amicos Dei & prophetas comparat.

28 Nihil enim diligit Deus, nisi eum qui habitat cum sapientia:

29 Nam ea est speciosior sole, & superat omnem stellarum situm, cum luce comparata 1 prior esse deprehenditur:

1 dignitate & præstantia, ut exponitur vers. sequente.

30 Etenim illam excipit nox: sapientiæ verò non est prævalitura malitia.

CAPUT VIII.

1 Pertingit autem a a fine uno ad alterum fortiter, & disponit omnia utiliter.

a *Græc. fine ad finem.*

2 Hanc amavi & exquisivi a juventute mea, & quærens ducere hanc sponsam mihi b amore pulcritudinis hujus correptus sum.

b *Græc. amator fui pulchritudinis.*

3 Nobilitatem suam hæc gloria exornat, quòd convictum Dei habet, Dominúsque omnium amavit eam:

4 c Hæc enim est quæ docet scientiam Dei, & quæ eligit opera illius.

c *Græc. mystica enim est scientiæ Dei, & electrix operum.*

5 Quòd si divitiarum optabilis est possessio in vita, quid sapientia ditius hæc omnia operante?

6 Et si prudentia operatur, quis eorum quæ in natura sunt artifex potius est quàm ipsa?

d Græc. labores ejus.

7 Et juſtitiam ſi quis diligit, d elaboratæ ab ea res ſunt virtutes: nam temperantiam & prudentiam edocet, juſtitiam & fortitudinem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus:

8 Sin etiam multiplicem experientiam deſiderat aliquis, hæc novit vetera & futura conjicit, ſcit verſutias ſermonum & ſolutiones ænigmatum, ſigna & portenta prænoſcit eventúſque tempeſtatum ac temporum.

e Græc. mihi.

9 Judicavi itaque hanc ducendam ad convictum e meum, ſciens futuram eſſe mihi conſultricem bonorum, & conſolationem a curis & moleſtia.

10 Per hanc gloriam in turbis habiturus ſum, & honorem apud ſeniores juvenis:

11 Acutus inveniar in judicio, & in conſpectu potentum admirationi ero:

12 Tacentem me exſpectabunt, & loquentem attentè audient; etiam loquente ampliùs, manum imponent ori ſuo.

13 Per hanc habebo immortalitatem, & memoriam æternã venturis poſt me derelinquam:

14 Adminiſtrabo populos, & gentes ſubjicientur mihi:

15 Metuent me quum audierint tyranni horribiles, in multitudine bonus videbor, & in bello virilis, ingreſſus domum meam acquieſcam ei:

16 Non enim acerbitatem habet cõverſatio ejus, neque dolorem convictus ejus; ſed lætitiam & gaudium.

17 Hæc ratiocinatus mecum & curans cum animo meo, immortalitatem eſſe in cognatione ſapientiæ,

18 Et in amicitia ejus delectationem bonam, & in laboribus manuum ejus divitias indeſinentes, & in communi colloquii cum ea exercitatione prudentiam, & celebritatem in communicatione ſermonum ejus; circuivi quærens ut aſſumerem eam apud me:

19 Eram autem puer bona indole, animámque bonam ſortitus eram;

20 Ac potiùs ut bonus eram, in corpus impollutum veneram:

21 Sed quum agnoſcerem me non aliter fore compotem illius niſi Deus dederit; atque hoc ipſum noviſſe cujus ſit gratia, eſſe prudentiæ; accedens Dominum oravi eum, & dixi ex toto animo meo:

CAPUT IX.

1 Ab hoc capite ad finem uſque libri oratio eſt & meditatio homine pio non indigna; cujus exemplum videntur patres in ſuis meditationum, confeſſionum, & ſoliloquiorum libris imitati.

1 1 O Deus majorum & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo,

2 Et ſapientia tua conſtituiſti hominem; ut dominetur creaturis quæ a te factæ ſunt,

a Græc. in rectitudine animæ judicium judicet.

3 Et adminiſtrans mundum ſanctitate & juſtitia a recto animo judicia exerceat:

b Græc. thronorum tuorũ: enallage emphatica; ut verſ. 12.

4 Da mihi ſapientiam adſeſtricem b throni tui, ac ne reprobes me e numero filiorum tuorum:

2 q.d. tenuis quidẽ corpore, ſed mente animóq; tenuiſſimus.

5 Nam ego ſervus tuus ſum & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & vitæ brevis, & 2 tenuior adhuc in judicii ac legum intelligentia.

c Græc. in nihilũ.

6 Etenim ut perfectus ſit aliquis inter filios hominum, abſente ſapientia quæ a te eſt c nihili reputandus eſt.

3 i. illius cæleſtis & æterni quod Deus oſtendit Moſchi, Exo. 25. 40. ut interpretatur Apoſtolus Heb. 8. 5. nam ſic accipiendum oſtendunt verba ſequentia.

7 Tu me antè elegiſti regem populi tui, & judicem filiorum filiarúmq; tuarum:

8 Dixiſti ut ædificem tibi domum, in monte ſancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, imaginem 3 tabernaculi ſancti quod ab initio præparaviſti.

9 Tecum autem *eſt* ſapientia, quæ novit opera tua, & quæ adfuit quum faceres mundum, & quæ ſcit quid placeat in oculis tuis, & quid rectum ex mandatis tuis.

10 Emitte illam è ſanctis cælis, à throno inquam gloriæ tuæ mitte illam, ut d præſens verſetur mecum in labore, & cognoſcam quid gratum ſit apud te:

d Græc. mecum præſens laboret.

11 Illa enim novit omnia atque intelligit, éſtq; ductura me in actionibus meis moderatè, & conſervatura me in gloria ſua;

12 Erúntque accepta opera mea quum judicabo populum tuum juſtè, & ero dignus throno patris mei.

13 Quis enim hominum cognoſcat conſiliũ Dei? aut quis cogitare poſſit quid velit Deus?

14 Nam ratiocinationes mortalium ſunt timidæ, & 4 inſtabiles cogitationes eorum.

4 i. proclives, ac potiùs præcipites ad lapſum: quod Græca vox propriè denotat.

15 Infeſtum enim corruptioni corpus aggravat animam, & deprimit terrena habitatio mentem multis curis plenam:

16 Et vix conjicimus ea quæ in terra ſunt, & quæ ad manus *ſunt* laborioſè invenimus; quæ autem in cælis *ſunt* quis perveſtigavit?

17 Et conſilium tuum quis noverit, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſanctum ſpiritum tuum *e locis* altiſſimis?

18 Sic enim correctæ ſunt eorum qui in terra *verſantur* ſemitæ, & res quæ placent tibi homines edocti ſunt:

19 Itaque ſapientia fuerunt ſervati.

CAPUT X.

1 HÆc primum formatum 1 parentem mundi, qui ſolus creatus eſt, conſervavit, — 1 Geneſ. 1.

2 Et eximens eum à delicto a ipſius dedit ei potentiam dominandi omnibus rebus. — a Græc. proprio.

3 Diſcedens autem ab hac injuſtus 1 ira ſua, unà periit cum furoribus quibus occidit fratrem. — 1 Geneſ. 4.

4 Propter quem 1 diluvio inundatam terram iterum ſervavit ſapientia, quæ exiguo ligno juſtum gubernabat. — 1 Geneſ. 7.

5 1 Hæc etiam in cõſenſu improbarum gentium confuſarum agnoſcens juſtum, ſervavit eum inculpatum Deo; & in b 1 ſumma filii *ſui* miſeratione fortem cuſtodivit. — 1 Geneſ. 11. b Græc. viſceribus filii. 1 Geneſ. 22.

6 1 Hæc juſtum pereuntibus impiis liberavit fugientem ab igne in civitates quinque deſcendente: — 1 Geneſ. 19.

7 Cujus adhuc teſtimonium nequitiæ conſtituta eſt ſolitudo fumo diffluens, & plantæ inutili pulcritudine ferentes fructum, & ſtatua ſalis conſtituta animæ non credentis monimentum.

8 Nam qui ſapientiam prætereverunt non tantùm eo acceperunt damnum, quòd res bonas non c obtinent; ſed etiam reliquerunt ſuæ ipſorum inſipientiæ monimentum huic vitæ, ut ne iis quidem in rebus lateant in quibus lapſi ſunt: — c Græc. agnoſcerent [illegible]

9 Sapientia verò cultores ſuos e laboribus liberavit.

10 Hæc d 1 fugientem ab ira fratris juſtum deduxit callibus rectis, demonſtravit ei regnum Dei, & dedit ei cognitionem ſanctorum; locupletavit eum in ærumnis, 1 quum multiplicaret labores ejus: — d Græc. profugum iræ: 1 Geneſ. 28. 1 Geneſ. 31 & 32.

11 Quum avaritiâ dominatus exerceretur in ipſum, hæc adfuit & ditavit ipſum:

12 Conſervavit ipſum ab inimicis, & ab inſidiantibus tutata eſt, certaminiſq; validi præmiſi dedit

dedit ei, ut cognoſceret omni re potentiorem eſſe pietatem.

13 ‖ Hæc venditum juſtum non dereliquit, ſed ex peccato liberavit eum: unà cum ipſo deſcendit in foveam,

14 ‖ Neq; in vinculis dimiſit eum; *ſed conſtanter adſuit* donec contulit ipſi ſceptrum regni, & potentiam in eos qui tyrannicè vexabant eum, mendacéſque demonſtrans illos qui vituperaverant eum dedit gloriam æternam ei.

15 ‖ Hæc populum ſanctum & ſemen inculpatum liberavit a gente affligentium.

16 ‖ Ingreſſa eſt in animã adminiſtri domini, & formidabilibus regibus obſtitit portentis & ſignis:

17 ‖ Reddens ſanctis mercedem ſanctitatis laborum ſuorum deduxit eos via mirabili; & fuit eis tegumentum interdiu, & lux ᵃſtellaris noctu.

18 Traduxit eos trans mare rubrum, & tranſvexit eos trans aquas multas;

19 Hoſtes verò eorum inundatione perdidit, quum ex profunditate abyſſi ᶠ eduxiſſet eos.

20 Propterea juſti ſpoliatis impiis cantaverunt, Domine, nomen ſanctum tuum, & animo uno laudaverunt manum tuam propugnantem ipſos.

21 ‖ Nam ſapientia os mutorum aperit, & linguas infantium diſertas ᵍ reddit.

‖ Gen. 37. & 39. ‖ Gen. 41. ‖ Exod. 12. ‖ Exod. 5. & ſeq. ‖ Exod. 14. ᵃ Græc. ſtellarum. ᶠ Græc. feciſſet ut ebullirent: ſic 2. Mac. 1. 12. ‖ Exod. 15. ᵍ Græc. poſuit.

CAPUT XI.

1 FEcit ut ſuccederent opera eorum ᵃ adminiſtratione ᵇ Prophetæ ſancti.

2 ‖ Permearunt deſertum inhabitabile, & in *locis* aviis impegerunt tentoria:

3 Reſtiterunt hoſtibus, & inimicos ulti ſunt:

4 ‖ Sitientes invocaverunt te, & data eſt ipſis aqua è petra abrupta, & è lapide duro remedium ſitis.

5 Per quæ enim ſupplicio affecti ſunt inimici ipſorum,

6 Per eadem ipſi in difficultatibus verſantes ſunt affecti beneficio.

7 Nam loco fontis perennis fluvii qui ſanguine ſanioſo turbatus fuerat ad redargutionem mandati ᵇ de cædendis infantibus,

8 Dediſti ipſis aquam ex inſperato largam,

9 Quum demonſtraviſſes per ſitim quæ tum fuerat quomodo adverſarios puniviſſes.

10 Quum enim tentati fuerunt, quamvis miſericordia erudirentur, agnoverunt quomodo ira judicati impii ſint tormenta paſſi.

11 Etenim hos tamquam pater admonens probaviſti, illos verò tamquam rex ᶜ ſeverus condemnans in quæſtionem adduxiſti,

12 Qui & abſentes & præſentes pariter cruciati ſunt.

13 Nam ² duplex eos occupavit dolor & gemitus, ᵈ rerum præteritarum recordantes:

14 Quum enim audiviſſent ſuis ipſorum ſuppliciis illos bono affectos eſſe, perſenſerunt Dominum.

15 Nam ³ quem ᵉ expoſitum olim abjectúmque pro deplorato ludificantes habuerant, eum ᶠ poſterioribus eventis mirati ſunt, ᵍ quando ſiti fuerunt affecti a juſtorum ſiti diſpare.

16 Pro inſipientibus autem ratiocinationibus injuſtitiæ ipſorum, quibus errantes colebant

ᵃ Græc. manu. ᵇ id eſt, Moſchis, quem ſervum Domini vocavit ſuprà 10. 16. ‖ Deut. 8. ‖ Exod. 17. ᵇ Græc. infanticidæ. ᶜ Græc. præciſus. ² nempe quòd ipſi horrendam ſitus gravitatem experirentur, & quòd iis ipſis rebus juvari populum Jehudæorum cognoſcerent. ᵈ Græc. ſecundæ-*ſuilibus præteritorum.* ³ i. Moſchen, periphraſticè. ᵉ Græc. in expoſitione. ᶠ Græc. in fine eventorum. ᵍ Græc. non ſimilia juſtis ſitientes.

reptilia rationis expertia & beſtias viles, miſiſti contra eos multitudinem animantium rationis expertium ad vindictam;

17 Ut cognoſcerent per quæ aliquis peccat per eadem puniri ipſum.

18 Non enim difficultatibus diſtinebatur omnipotens manus tua & quæ creavit mundum ex informi materia, quin poſſet immittere ipſis multitudinem urſorum, audacéſve leones,

19 Aut plenas ⁴ ᵇ juvenis animi beſtias, incognitas, aut ignivomum efflantes halitum, ſtrepitúmve ventilati fumi, aut inſtar fulguris ejaculantes ab oculis ſcintillas graves;

20 Quarum non tantùm noxa eos poterat ſimul atterere, ſed etiam aſpectus perterrefaciens perdere.

21 Quinetiam ſine his uno afflatu cadere poterant a juſtitia ⁱ perſequente, & ventilari a ſpiritu potentiæ tuæ: verùm omnia menſura, numeróque, & pondere diſpoſuiſti.

22 Nam ᵏ quòd multum potes hoc tibi ſemper adeſt, & robori brachii tui quis reſtiturus eſſet?

23 Quandoquidem tamquam momentum è lancibus *eſt* totus mundus coram te, & tamquam gutta roris deſcendens ˡ manè in terram?

24 Miſereris autem omnium quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum ᵐ ut reſipiſcant.

25 Nam diligis omnia quæ ſunt, & nihil abominaris eorum quæ feciſti; nec enim ⁿcomparaſti quicquam quod haberes odio.

26 Ecquî autem manſurum fuiſſet aliquid niſi tu voluiſſes? aut conſervatum fuiſſet ⁿ quod non acceſſiviſſes?

27 Sed parcis omnibus eo quòd tua ſunt, ô Domine, animarum amans:

⁴ i. ferociſſimi, ut ſolent juvenes feræ (quæ nondum adverſa expertæ ſunt) audaciores & ferociores eſſe. ᵇ Græc. recens creata. ⁱ Græc. perſequuti: ut paſſivè dicamus. ᵏ Græc. multum poſſe. ˡ Græc. matutina. ᵐ Græc. ad reſipiſcentiam. ⁿ Græc. non vocatum a te.

CAPUT XII.

1 NAm ſpiritus incorruptus tuus ineſt omnibus:

2 Ideò qui excidunt eos paululum corripis, & revocans in memoriam quibus in rebus peccaverint admones, ut abalienati à malitia credant in te, Domine.

3 Etenim ¹ antiquos habitatores ſanctæ terræ tuæ odio habens,

4 (Eo quòd inimiciſſima facerent opera veneficiorum, & ſacra impia,)

5 Et liberorum occiſores immiſericordes, & viſcera comedentes humanarum carnium,

6 Et epulum ᵃ ſanguinatium, & interfectores ² animarum ope carentium, parentes e medio ³ ſacramenti tui voluiſti perdere manibus majorum noſtrorum,

7 Ut ᵇ ‖ dignos incolas acciperet Dei filios hæc terra apud te omnium pretioſiſſima.

8 ‖ Sed etiam his tamquã hominibus peperciſti, & miſiſti præcurſores tui exercitus veſpas, ut illos paulatim profligarent ex ea:

9 Non ᶜ quòd potentia deficeret te impios in acie tradendi in poteſtatem juſtorũ, aut beſtiis gravibus aut verbo præciſo ad unum atterendi:

10 Sed judicium exercens paulatim dabas locum pœnitentiæ, non ignorans improbam eſſe naturam illorum, nativámque malitiam illorum, & nequaquam mutatum iri ratiocinationem illorum in ſeculum;

11 (Nam ſemen erat maledictũ inde a principio) neque timens aliquem in peccatis ipſorum

¹ i. Cenaſianæos, de quorum maleficiis vide Levit. 18. & ſeq. ᵃ Græc. ſanguinis. ² i. liberorum ſuorum, qui egẽtes opẽ fuiſſent eam a parentibus imploraturi. ³ i. terræ quam dediſti populo tuo, ut ſit fœderis & hæreditatis cæleſtis ſacramentum, ex ſequente verſu & Hieronymi interpretatione. Hunc enim verſum ſic lego, καὶ θοίναν αἵματος ἐκ μέσου μυστηρίου σου, καὶ αὐθέντας γονεῖς ψυχῶν ἀβοηθήτων, ἐβουλήθης ἀπολέσαι, &c. ᵇ Græc. dignum incolatum filiorum Dei. ‖ Exod. 23. ‖ Jehoſchua 24. ᶜ Græc. impotens.

rum securitatem dabas.
12 Quis enim dixerit, quid fecisti ? aut quis
restiturus sit judicio tuo ? & quis sit accusaturus
te nomine gentium perditarum quas tu fecisti ?
aut quis [d] constiturus adversum te veniat vin-
dex pro injustis hominibus ?

d Græc. ad consistentiam tibi.

13 Nam non est Deus præter te, cui curæ sunt
omnia ut ostendas te non injustè judicasse :
14 Neque rex aut tyrannus [4] oculum obfir-
mare poterit in te propter eos quos pœna affe-
cisti ;

4 i. obtutu fixo intueri faciem tuam, ut vel uno verbo obsistat tibi.

15 Sed ut justus es, justè omnia disponis, ali-
enum ducens a potentia tua ut condemnes eum
qui pœna non debet affici :
16 Nam potentia tua justitiæ principium est,
& quod omnibus dominaris hoc facit ut parcas
omnibus.
17 Quum enim non crederis pro perfectione
potentiæ robur demonstrare, etiam in iis qui
agnoscunt, [5] audaciam istam redarguis.

5 qua crederis non esse perfectâ potentiâ, aut si perfecta est, eam non demonstrare.

18 Tu autem dominium habens roboris [6] ex
æquitate judicas, & cum summa indulgentia ad-
ministras nos : adest enim tibi quãdo vis potẽtia.

6 non autem severo judicio audaciam istam redarguis.

19 Docuisti autem populum operibus hujus-
modi oportere ut justus humanus sit, & [e] bo-
nam spem effecisti in filiis tuis ; quandoquidem
tribuis in peccatis resipiscentiam.

e Græc. bonæ spei fecisti filios tuos.

20 Si enim filiorum tuorum inimicos & reos
mortis cum tanta attentione punivisti, tribuens
tempus & [f] modum quibus abalienarentur à ma-
litia ista :

f vel locum : sed hoc maluimus.

21 Quanta cum accuratione judicasti filios
tuos, quorum majoribus juramenta & conven-
tiones tradidisti bonarum promissionum ?
22 Nos itaque erudiens inimicos nostros
[g] infinitè castigas ; ut tuam bonitatem curemus
judicantes ab eis, judicati verò exspectemus mi-
sericordiam.

g Græc. decies millies.

23 Unde etiam eos qui [h] imprudente vita in-
justè vixerunt propriis cruciavisti abominatio-
nibus.

h Græc. imprudentia vitæ.

24 Etenim per vias erroris erraverunt longi-
ùs, deos existimantes esse etiam [7] inhonora ini-
micorum suorum animalia ; decepti tamquam
infantes vacui prudentia.

7 i. pecora ipsa Jisraëlitarum, quorum hostes erant Ægyptii : vide Exod. 8. 26.

25 Propterea tãquam pueris rationis exper-
tibus judicium [i] ad ludificandum eos immisisti.

i Græc. ad ludificationem.

26 Qui autem ludibriis increpationis non
commonefiunt, justum Dei judicium experturi
sunt :
27 Nam de quibus illi, quum perpeterentur
mala, [k] cum indignatione erant solliciti, de iis
inquam quos putabant deos ; [8] quum se iisdem
puniri viderunt, verũ agnoverunt Deum quem
olim novisse [9] negaverant : ideóque [l] extrema
illa condemnatio supervenit illis.

k Græc. indignabantur.

8 id est, quum viderent animalia sua (quæ sententia ipsorum erant divinitate prædita) a Deo profligari, Exod. 9.

9 Exod. 5. 2. & sequentibus.

l Græc. terminus ille condemnationis.

CAPUT XIII.

1 ETenim vani *sunt* omnes homines a natu-
ra, quibus inest Dei ignoratio, cùm ex iis
quæ vident bonis non potuerint eum novisse qui
est, neque ad opera attendentes agnoverint ar-
tificem ;
2 Sed aut ignem, aut ventum, aut citum aë-
rem, aut orbem stellarum, aut violẽtam aquam,
aut luminaria cæli Deos rectores mundi esse
putaverint.
3 Quorum si delectati specie ista deos esse
statuerunt, agnoscant quanto istis melior est do-
minus : nam ille naturalis auctor pulcritudinis
creavit illa.
4 Quòd si potentia ac efficacitate in admi-
rationem traducti, intelligant ex istis quanto *sit*
potentior is qui comparavit ista :
5 Nam ex magnitudine & specie ac creatis
rebus, convenienter naturæ earum opifex spec-
tatus est.
6 Verumtamen in rebus istis criminatio [1] est
parva : etenim ipsi fortasse errant quærentes De-
um & volentes invenire :

1 Hoc χανὰ τι accipiendum est. q. d. isti homines duobus argumentis in sententiam hanc adducuntur, nempe specie & operatione eorum quæ habent pro diis ; ac proinde digniores sunt excusatione quàm illi de quibus deinceps a vers. 10. nec tamen propterea planè sunt excusandi, versu 8.

7 Nam in operibus illius conversantes per-
scrutantur, & persuadentur visu, quia res quæ vi-
dentur pulcræ sunt.
8 Verùm e diverso ne isti quidem sunt digni
venia :
9 Nam si tantũ valuerunt cognoscere ut po-
tuerint cõjecturis assequi [2] seculum, istarum re-
rum dominũ quomodo non invenerunt citiùs ?

2 id est, res naturales quæ in seculo sunt, indagare.

10 Miseri verò *sunt*, & mortuis incumbunt
spes eorum qui appellant deos opera manuum
hominum, aurum & argentum [a] arte elabora-
tum, & figurationes animalium, aut lapidem in-
utilem, opus antiquæ manus.

a Græc. artis elaborationem.

11 Sin autem etiam aliquis faber materiari-
us aptam operi arborem succidens serra cir-
cumraserit scitè omnem corticem illius, & ar-
tem convenienter adhibens comparaverit uti-
le instrumentum ad ministerium vitæ,
12 Et resegminibus operis ad comparatio-
nem alimenti consumtis sese expleverit ;
13 Quod autem ex istis rejectum fuerit nul-
lam ad rem utile, lignum tortuosum, & ramis ad-
natis plenum sumens sculpserit [b] accurato otio
suo, & perita intelligentia formaverit illud, assi-
milaverit illud imagini humanæ,

b Græc. accuratione otii sui.

14 Aut animanti alicui vili illud fecerit simile,
inunxerit rubrica & fuco, rubefecerit colorem e-
jus, & omnem maculam quæ in eo *est*, obliverit,
15 Et faciens ei domunculam dignam eo in
muro posuerit illud, & ferro confirmaverit :
16 Hic igitur providerit quidẽ illi ut non de-
cidat, sciens illud non posse sibi ipsi adjumentum
afferre : etenim imago est, & opus habet adju-
mento.
17 Sed quum de possessionibus, & nuptiis su-
is, & liberis orat ;
18 Non pudet ipsum alloqui rem inanimam :
sed de sanitate quidẽ invocat id quod nullis est
viribus, pro vita verò quod mortuum est rogat,
& pro auxilio [c] quod nullam planè sui experien-
tiam exhibuit supplicat,

c Græc. imperitissimum : sic hoc accipio activa significatione.

19 Et de profectione ab eo quod ne gressu
quidem uti potest, & de quæstu & opere ac ma-
nuum consequutione ab eo quod ignavissimum
est manibus commodam effectionem petit.

CAPUT. XIIII.

1 E Diverso aliquis se ad navigandum com-
parans & feros permeaturus fluctus, lig-
num putridius inclamat eo quod fert ipsum :
2 [3] Hoc enim cupiditas quæstuum excogi-
tavit, & artifex peritia comparavit,

3 Institutam comparationem inter lignum idóli, & navis, vers. 1. deinceps explicat ; agens de ligno navis, usque ad vers. 8. de idólis verò, sequentibus.

3 Tuáque, ô pater, gubernat providentia :
nam [a] proposuisti etiam in mari viam, & in fluc-
tibus securum callem,

a Græc. dedisti.

4 Demonstrans te posse ab omni re servare,
ut etiam sine arte aliquis possit [4] supergredi,

4 i. super mare ambulare, quum volet.

5 Neque vis otiosa esse opera sapientiæ tuæ :
propterea etiam minimo ligno credunt homi-
nes [b] se ipsos, & pervadentes fluctum [5] rate con-
servantur.

b Græc. animas.

5 vel potius navi tumultuariè facta, qualis est ea quam Festus caudicariam vocat.

6 Nam etiam principio pereuntibus superbis
gigantibus, spes mundi ad ratem confugiens
reliquum

reliquum fecit seculo semen naturæ *nostræ* gubernatæ manu tua.

7 [f] Benedictum enim lignum fuit [4] per quod est justitia:

[f] Gen.6.
[4] i. quo Ecclesia, thesaurus justitiæ tuæ, fuit conservata & adhuc permanet.

8 Illud verò manu factum maledictum est, ipsum, & qui fecit illud: quoniam hic quidem elaboravit, illud verò corruptum nominatur Deus.

9 Ex æquo *sunt* exosa Deo, & qui facit impiè, & impietas ipsius:

10 Etenim quod factum est cum eo qui fecit, punietur.

11 Propterea etiam in idola gentiũ animadversio futura est, quia inter creaturas Dei ad rem abominandam facta sunt; ut [c] quæ sint offendicula animis hominum, & laqueus pedibus insipientium.

[c] Græc. & ad offendicula & ad laqueum.

12 [5] Principium enim scortationis est idolorum excogitatio, & illorum inventio corruptela vitæ:

[5] nam ex quo idola invecta sunt, timor Dei intercidit, & janua ad omnem nequitiam amplissima aperta est.

13 Nam neque a principio erant, neq; in seculum futura sunt,

14 Quum vana opinatione hominum venerint in mundum, ac propterea præcisus [6] illarum finis excogitatus sit.

[6] nempe opinationum. q. d. falsi dolores sola opinione in stultorum mentibus ingenerati idola invexerunt, quibus superstitiosi excogitarunt se dolorem suum brevi emollituros & superaturos esse.

15 [d] Acerbo enim luctu vexatus pater quum filii citò sublati imaginẽ fecisset; hominem tunc quidem mortuum, nunc verò ut Deum affecit honoribus, & subditis mysteria sacrificiáq; tradidit.

[d] Græc. intempestivo: metaphora à fructibus im maturis.

16 Deinde [e] procedente tempore invalescens hæc impia consuetudo, tamquam lex custodita est, & tyrannorum præceptis cultus sculptilibus attributus est:

[e] Græc. in tempore.

17 Quos quum [f] in os non possent honoribus prosequi homines, eo quòd longè habitarent; longinquã eorum faciem effigurantes, conspicuam imaginem regis quem honorabant fecerũt, ut absenti [g] studiosè tamquam præsenti assentarentur.

[f] Græ. in aspectu.
[g] Græ. per studiũ.
[h] Græ. contentionẽ.

18 Ad [h] incrementum autem cultus ignorantes etiam provocavit ambitio artificis.

19 Etenim hic fortasse dominatori volens placere detorserit arte similitudinem ad aliquid pulcrius:

20 Multitudo verò pertractũ optima operis gratia hominem, qui paulò ante honorabatur, jam numen *esse* duxerint.

21 Atq; [i] hæ fuerunt in vitam hanc insidiæ, quòd aut calamitati, aut tyrannidi servientes homines [7] nomen illud lapidibus & lignis imposuerunt quod cõmunicari cum illis non potest.

[i] Græ. hoc fuit vitæ ad insidias.
[7] i. nomen Dei.

22 Deinde non satis fuit errare in Dei cognitione; sed etiam in magno viventes bello ignorantiæ, tanta mala appellant pacem:

23 Nam aut sacrificiá ex cæde liberorum, aut occulta mysteria, aut furiosas ex alienis legibus comissationes agentes,

24 Neque instituta vitæ, neque nuptias amplius puras custodiunt; sed alter alterum aut insidians tollit, aut adulterans dolorẽ afficit:

25 Omnia denique se promiscuè habent, sanguis, & cædes, furtum, & dolus, corruptela, perfidia, tumultus, perjurium, perturbatio bonorũ,

26 Gratiæ oblivio, animarum inquinatio, naturæ immutatio, nuptiarum confusio, adulterium, & impudicitia.

27 Nam idolorum quæ ne nominanda quidem essent cultus principium omnis mali, [8] causáque, & finis est:

[8] i. efficiens ut inde a principio fuerit atque sit: nam cessante causa (ut aiunt) cessat effectus: sic ergo causæ nomen progressum & continuationem denotat.

28 Aut enim lætantes furunt, aut prophetant res falsas, aut vivunt injustè, aut pejerant citò:

29 Nam qui inanimis idolis confidunt, quando jurarunt improbè, non exspectant ut [k] injustitiæ arguantur.

[k] Græc. injusti sunt; Hebraismus.

30 De utrisque verò subsequentur ipsos ea quæ justa sunt, [9] eo quòd malè senserint de Deo attendentes idolis, & injustè juraverint dolo contemnentes sanctimoniam:

[9] i. propter impietatem atque injustitiam, ut Rom. 1.

31 Non enim eorum per quos jurantur potentia, sed [1] jus peccantium semper justorum hominum transgressioni supervenit.

[1] i. in peccantes à Deo latum, non ab idolis impotentibus.

CAPUT XV.

1 TU autem, ô Deus noster, bonus *es*, & verax, longanimis, & misericordiâ administrans omnia:

2 Etenim si [2] peccaverimus, tui sumus nos qui novimus potentiam tuam; non sumus autem peccaturi, scientes nos in tuis reputatos esse.

[2] i. si vixerimus in peccatis, conscii sumus potentiæ tuæ: sed a peccatis abstinemus conscii æternæ misericordiæ.

3 Nam cognoscere te absoluta est justitia, & nosse potentiam tuam radix immortalitatis.

4 Neq; enim seduxit nos improbæ artis humana cogitatio, neque umbra picturarum, *qui* labor infructuosus *est*, species maculata coloribus diversis,

5 Quarum aspectus insipientibus [a] appetentiam excitat, quæ concupiscit mortuæ imaginis speciem carentem spiritu.

[a] Græc. ad appetentiam venit.

6 Rerum malarum amatores, digniq; talibus exspectationibus *sunt* & qui faciunt, & qui concupiscunt, & qui colunt eas:

7 Etenim figulus teneram terram permens laboriosè quidem fingit ad ministeriũ nostrum unumquodque *vas*; sed ex eodem luto finxit cùm vasa operibus mundi servientia, contrariáque omnia similiter, quorum utriusque quis *sit* cujusque usus judicat figulus:

8 Tum improbè laborans Deum vanum ex eodem fingit luto, *illius imaginem* [2] qui paulò antè è terra natus paulò post proficiscetur in eam ex qua desumtus est, quum repetitum fuerit debitum præsentis vitæ.

[2] i. hominis mortalis: periphrasis.

9 Enimverò [3] curæ est ei non quòd laboraturus sit, neq; quòd brevem vitã habeat; sed concertat cum aurificibus, & argentariis, & fabros ærarios imitatur, & gloriæ ducit quòd res adulterinas fingit:

[3] i. neque laboris sui gravitatem, neque vitæ brevitatem expendit, modò ambitiosam gloriam suam ex opificio suo consequatur.

10 Cinis *est* cor illius, & terrâ vilior *est* spes illorum, & vita illius luto inhonoratior:

11 Quia ignoravit eum qui finxit se, & qui inspiravit ipsi animam efficientem, & sufflavit in ipsum vitalem spiritum.

12 Verùm ratiocinati sunt rem ludicram esse vitam nostram, & vitam hanc publicum mercatum esse quæstuosum: nam oportere dicunt undecumque etiam ex malo acquirere:

13 Hic enim supra omnes novit se peccare, qui materiæ terreæ fragilia vasa sculptáque fabricatur.

14 Omnes verò insipientissimi sunt miseri, inquam, insipientiores animis infantium, inimici populi tui, qui potentia in ipsum abutuntur:

15 Quandoquidem omnia idola gentium Deos esse reputant, quibus neq; oculorum usus ad aspectum est, neque nares ad contractionem aëris, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad contrectationem, & quorum pedes inanes sunt ad gressum.

16 Homo enim fecit illa, & spiritus mutuatus effinxit illa: nam nemo homo similem illis potest Deum fingere:

17 Sed

17 Sed quum sit mortalis, rem mortuam operatur manibus iniquis: melior enim est suis numinibus; quippe quum ipse quidem vixit, illi verò minimè.

18 Quin etiam animalia odiosissima colunt: nam etiamsi conferantur inter se in stultitia, aliis deteriora sunt.

19 Neque ita pulchra sunt ad aspectum inter animantia, ut desiderentur: sed [4] effugerunt & Dei laudem & benedictionem ejus.

[4] i. ab homine dementissimo, qui ipse (ut ut mente careat) neque ex desideranda, neque servanda judicabit; sed a natura sentit animalia esse laude & benedictione carentia, ac proinde minimè esse colendas illorum species: quod ostenditur sequente vers. [5] id est, & illaudata sunt ipsa per se, ac potius turpia, & maledicta apud omnes: ut sunt serpentes, quos Ægyptii coluerunt.

CAPUT XVI.

1 QUapropter a similibus puniti sunt [a] merito, & a multitudine bestiarum cruciati.

2 [ǁ]Cujus punitionis loco benefecisti populo tuo, quibus [b] concupiscente appetentia alimentum præparasti novi gustus coturnicem:

3 Ut illi quidem concupiscentes ob alimentorum vehementiam [1] propter demonstratam illam appetentiam eorum qui ejiciebantur etiam necessariam, hi verò paulisper indigentes effecti etiam novum participarent gustum.

4 Oportebat enim illis quidem qui tyrannidem exercebant indigentiam supervenire inevitabilem, his verò solùm ostendi quomodo hostes ipsorum cruciarentur.

5 Etenim quando illis sævus supervenit bestiarum furor, morsibusque tortuosorum anguium corrumpebantur;

6 Non ad finem usque mansit ira tua, sed ut admonerentur, ad breve tempus fuerunt conturbati, symbolum habentes salutis ad recordationem mandati legis tuæ.

7 Nam qui advertebat ad illud, non per illud servatus est quod videbatur ab ipso, sed per te servatorem omnium.

8 Atque hoc pacto persuasisti hostibus nostris te esse qui liberas ab omni malo.

9 Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, neque inventum est remedium animæ istorum; quia digni erant qui ab hujusmodi rebus punirentur.

10 Filios verò tuos ne venenatorum quidem draconum superarunt dentes, quoniam misericordia tua ex adverso veniens sanavit illos.

11 Nam ad recordationem sermonum tuorum velociter conservati sunt quando aculeis confixi fuerant, ne in profundam oblivionem decidentes [c] abalienarentur a beneficio tuo.

12 Etenim neque herba neque malagma curavit eos, sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia:

13 Tu enim vitæ ac mortis potestatem habes, & deducis ad portas inferni reducisque.

14 Homo quidem occidit malitia sua, sed egressum spiritum non reducet, neque relegaturus est animam desumptam:

15 Tuam verò manum nihil potest effugere.

16 Nam impii qui negabant te a se cognosci, flagellati sunt robore brachii tui, novis pluviis, grandinibusque, & imbribus [d] exagitati quæ non poterant effugere, & igne consumti.

17 Quod enim mirabile supra omnia est, in aqua exstinguente omnia plus efficaciæ habebat ignis; quia hic mundus justorum propugnator est.

18 Nam modò quidem mitescebat flamma ne comburerentur animalia quæ contra impios immissa erant, sed ipsi intuentes agnoscerent se esse agitari judicio Dei.

19 Modò verò etiam inter aquam supra ignis facultatem ardebat, ut terræ injustæ fetus corrumperet.

20 [ǁ]Quorum loco alimento Angelorum cibasti populum tuum, & [2] comparatum panem sine labore e cœlo misisti ipsis, qui ad omnem voluptatem & omnem convenientem gustum poterat temperari.

21 [3] Substantia enim tua patefaciebat tuam erga liberos suavitatem, quum occurrentis cujusque subserviens desiderio temperabatur secundum illud quod volebat quisque.

22 Nix autem & glacies sustinens ignem non tamen liquescebat, ut agnoscerent ignem ardentem in nive & in pluviis coruscantem fructus hostium consumsisse.

23 Hic verò e contrario, ut alerentur justi, etiam propriæ facultatis oblitus est.

24 Nam creatura tibi qui fecisti omnia subserviens ad punitionem contra injustos intenditur, & remittitur ad beneficentiam pro iis qui confidunt in te.

25 Propterea etiam in omnia tunc transformata, gratiæ tuæ omnium altrici subserviebat ad voluntatem [e] egentium;

26 Ut discerent filii tui quos dilexisti, Domine, naturas fructuum non alere hominem, sed verbum tuum eos qui tibi credunt conservare.

27 Illud enim quod ab igne non consumebatur, simpliciter a radio solis calefactum brevi liquescebat:

28 Ut notum esset oportere ut antevertamus solem ad gratias agendas tibi, & ad exortum lucis oremus te.

29 Nam spes ingrati tamquam hyberna glacies liquescet, diffluetque ut aqua inutilis.

CAPUT XVII.

1 [1] NAm magna *sunt* tua judicia & inenarrabilia, quapropter ineruditæ animæ erraverunt.

2 [ǁ]Iniqui enim, qui se dominatu abusuros in gente sancta præsumebant, detenti vinculis tenebrarum, & compediti inclusi tectis noctis longissimæ, perfugæ a providentia æterna jacuerunt.

3 Nam quum statuerent se in occultis peccatis obscuro oblivionis velamento latitaturos esse, dispersi sunt expavescentes graviter & simulacris perturbati.

4 Neque enim [2] spelunca quæ continebat ipsos vacuos metu conservavit, sed soni conturbantes ipsos circumstrepebant, & visa tristia [a] flebilibus formis apparebant.

5 Ac ignis quidem nulla vis poterat illustrare, neque lucidæ astrorum flammæ sustinebant illuminare atram illam noctem.

6 Sed apparebat ipsis solum pyra timoris plena ultro, exterritique a visione illa quæ non erat aspectabilis, ea quæ videbant ducebant [b] pessima:

7 Ita jacebant magicæ artis ludibria, & [3] conquisitorum indicium arrogantium prudentiæ suæ incumbentium.

8 Nam qui promittebant timores & perturbationes a laborante animo depellere, hi ridiculo ex timore laborabant.

9 Etenim si nihil ipsos turbulentum coërceret,

10 Bestiarum transvectionibus, & repentinis sibilis

[ǁ] Num. 21.

[ǁ] Exod. 8.

[c] Græc. immobiles fierent.

[d] Græc. persequuti inevitabiliter.

[ǁ] Psal. 78.25.

[2] periphrasis man, qua auctor consultò utitur ut propriâ Hebrææ vocis notationem indicet: vide Exod. 16.16.

[3] i. substantia man a te creata & data populo tuo: sic malim accipere quam referre ad naturam Dei.

[e] vel precantium.

[1] His verbis explicatur causa cur pios oporteat solem antevertere sanctis officiis, ut dictū est supra 16.28 & cur è contrario Dei opera ab impiis non percipiantur.

[ǁ] Exod. 10.

[2] i. vana illa præfidentia qua statuerant fore ut obscuro oblivionis velo, tamquam in speluncæ latitarent, ut dixerat vers. proximo.

[a] Græc. non ridentibus faciebus.

[b] Græc. pejora: Atticismus.

[3] i. contumeliosa illa in Deum & Mosen magia, qua se jactaverant effecturos ut signa a Mose edita essent ludibria.

sibilis abacti peribant tremebundi, & recusantes aërem intueri quem nulla ex parte poterant effugere:

11 Nam res timida est improbitas teste proprio condemnata, & semper res graves præsumit dum constringitur conscientiâ:

[c] *Græ. proditio. sic vers. seq. & 15.*

12 Nihil enim est metus nisi [c] abjectio eorum adjumentorum quæ a ratiocinatione sunt.

13 Quum autem intrinsecus minor est ista [4] abjectio, eo majorem ratiocinatur esse ignorantiam illius causæ quæ tormentum præbet.

[4] Græcè quidem legitur προσδοκία, i. exspectatio; sed vocem hanc pro altera consimili non dubito irrepsisse quam ex præcedente versu & 15. reposuimus: sensus est quò minus urgetur conscientia, eò magis improbos confidere ignorari mala sua, quæ sunt ipsorum cruciatus causæ.

14 Ii verò qui noctem illam revera [d] intolerabilem & ex inferni intolerabilis speluncis supervenientem eumdem somnum dormiebant,

[d] *Græc. impossibilem.*

15 Modò portentis agitabantur fantasmatum, modò abjectione animi sui [e] deficiebant, quum repentinus ipsis & non exspectatus timor supervenisset:

[e] *Græc. dissolvebantur.*

16 Deinde hoc pacto quicumque tandem illuc inciderat custodiebatur conclusus carcere carente ferro.

17 Nam sive agricola quis esset, sive pastor, sive laborum qui in desertis occupantur operarius, præoccupatus istam [f] inevitabilem necessitatem sustinebat:

[f] *Græc. indissolubilem.*

18 Una enim tenebrarum catena omnes constricti erant.

19 Sive sibilans ventus, sive [5] commoda vox avium inter densos ramos, sive numerus aquæ euntis violentiâ, sive fragor immanis dejectarum petrarum, sive lascivientium animalium cursus invisus, sive rugientium immanissimorum animalium vox, sive [g] reflexa e cavitate montium echo, *hæc* illos exterrentia dissolvebant.

[5] sic vertimus τὸ εὐμελὲς sequuti Vitruviū: est enim commodum quicquid partes habet inter se se modulis convenientibus.

[g] *Græc. refracta, sive repercussu infracta, ut loquitur Plinius.*

20 Totus enim mundus lucido perlustrabatur lumine, & in expeditis occupabatur operibus:

21 Solis autem illis supernè protensa erat nox gravis, imago tenebrarum quæ ipsos erant suscepturæ; sed ipsi sibi graviores erant tenebris.

CAPUT XVIII.

1 AT sanctis tuis maxima erat lux; quorum vocem quidem audientes, sed non videntes formam,

2 Prædicabant beatos illos quòd non paterentur eadem etiam quæ ipsi, & gratias agebant quòd non nocerent quamvis antè injuria affecti essent, & quòd discrepassent ab illis [a] veniam precabantur,

[a] *Græc. gratiam.*

3 [l] Quorum loco igne flagrantem columnam, quæ & dux esset profectionis ignotæ & sol innocuus magnificæ peregrinationis, præbuisti.

[l] Exod. 13.

4 Etenim illi digni *erant* qui privarentur luce & custodirentur in tenebris, qui inclusos custodiverant filios tuos, per quos incorrupta legis lux seculo danda erat.

5 [l] Quúmq; consilia inivissent illi occidendi infantes sanctorum; [l] & exposito & servato [1] uno filio ad redargutionem abstulisti illis multitudinem filiorum, [l] quos uno animo insequentes perdidisti in aqua vehementi.

[l] Exod. 1.
[l] Exod. 2.
[1] Mosche.
[l] Exod. 14.

6 Illa nox [2] priùs innotuerat majoribus nostris, ut securè cognoscentes quibus credidissent juramentis freti illis bono essent animo.

[2] nam Deus imperaverat, Exod. 11. & Mosche verbis illius denunciaverat, Exodi 12.

7 Sic accepta est a populo tuo tum salus justorum, tum inimicorum perditio.

8 Ut enim puniveras adversarios, sic etiam nos accersens glorificabas,

9 Nam occultè sacrificaverant sancti bonorum pueri, & [b] divinam legem concordia disposuerant, eorumdem pariter & bonorum & periculorum participes fore sanctos, jam majorum laudes animo præceptas concinentes.

[b] *Græc. divinitatis.*

10 Resonabat verò absonus inimicorum clamor, & miserabilis huc illuc ferebatur vox lamentantium puerorum,

11 Quum servi pari jure cum domino puniti, tum popularis eadem perpetientis cum rege.

12 Unóque animo omnes [c] mortem unam [3] nominantes mortuos habebant innumerabiles; neque enim ad sepeliendum sufficiebant vivi, quum momento uno [d] honoratissima ipsorum generatio corrupta esset.

[c] *Græc. in uno nomine mortis.*

[3] id est, eam nominatim accersentes ex animo præ doloris sui gravitate.

[d] *Græ. honoratior.*

13 Nam qui nihil crediderant propter [4] veneficia, in primogenitorum interitu confessi sunt populum filium esse Dei:

[4] id est, artes magicas, de quibus suprà 17. 7.

14 Quum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in [e] suo veloce cursu media esset,

[e] *Græc. propria velocitate.*

15 Omnipotens tuus sermo e cælis e [f] throno regali præcisus bellator in medium interitui adjudicatæ illius terræ desiliit,

[f] *Græc. thronis regalibus, ut suprà* 9. 4.

16 *Ut* gladium acutum, ferens mandatum tuum non simulatum, qui consistens implevit omnia morte; cælum quidem pertingens, sed etiam in terra ambulans.

17 Tunc repentè & visa somniorum gravium exturbarunt eos, & institerunt timores inopinati:

18 Et alius alibi prostratus semimortuus patefaciebat quam ob causam moreretur.

19 Nam somnia quæ turbaverant eos hoc antè indicaverant, ne ignorantes cur malè afficiebantur perirent.

30 [h] Contigit quidem aliquando justos etiam tentatio mortis, & fractio multitudinis facta est in deserto; sed non diu permansit ira:

[h] *Num.* 19.

21 Festinans enim vir inculpatus propugnavit, arma sui ministerii orationem, & suffitus placationem afferens obstitit iræ, & finem imposuit calamitati, ostendens se tuum servum esse.

22 Vicit enim vastatorem illum non robore corporis, non armorum efficacitate: sed verbo subjecit ultorem, juramenta majorum federáque recordatus.

23 Nam quum jamque acervatim cecidissent alii super alios mortui, intermedius stans rescidit iram, & divisit viam quæ ad vivos *spectabat*:

24 [5] Quoniam talari vestimento impositus erat totus ornatus, & majorum gloriæ inerant sculpturæ lapidum ordinibus quatuor dispositæ, & majestas tua super diadema capitis illius.

[5] i. quoniam sacerdotis summi officio defungebatur, qui in Lege typus erat Christi, ut Apostolus ad Hebræos docet.

25 His cessit vastator, & hæc timuit: nam sola illa sufficiebat iræ tentatio.

CAPUT XIX.

1 IMpiis verò ad finem usque [1] animus institit immisericors:

[1] i. spiritus Dei in illos infestus: nam hæc vox ἀπὸ κοινοῦ ad sequentem quoq; versum transferenda est.

2 Prænoverat enim res etiam futuras illorum fore, ut quum ipsi permisissent discedere & [a] studiosè deduxissent illos, pœnitentia ducti persequerentur.

[a] *Græc. cum studio.*

3 Nam quum adhuc haberent pre manibus luctus, [l] ejularéntque ad sepulcra mortuorum; alteram adhibuerunt cogitationem amentiæ,

[l] Exod. 11.

&

& quos emiserant supplicantes eos ut fugitivos
persequuti sunt:
4 Trahebant enim ipsos ad finem istum
digna ipsis necessitas; quæ eorum quæ accide-
rant oblivionem injecerat, ut plenè perferrent
punitionem [a] tormentis illis deficientem;
5 Ac populus quidem tuus iter opinionem
superans transiret; illi verò novam [b] consequе-
rentur mortem.
6 Tota enim creatura in suo genere de in-
tegro supernè reformabatur, ut deserviret pro-
priis mandatis, ut tui pueri custodirentur il-
læsi.
7 Castra inumbrans nubes, & ex aqua quæ
antè illic fuerat [c] fundus aridę terrę fuit conspi-
cuus, ex rubro inquam mari via expedita, & viri-
dans campus e fluctu violento,
8 Per quem tota gens qui protegebantur
manu tua transiverunt, spectantes portenta ad-
mirabilia.
9 Nam velut equi pasti sunt, & velut agni
exsultaverunt laudantes te, Domine, liberato-
rem suum.
10 [1] Memores enim adhuc erant eorum quæ
evenerant in terra peregrinationis suæ; quomo-
do pro generatione animalium terra eduxisset
muscas, & pro aquatilibus eructasset fluvius ra-
narum multitudinem.
11 [1] Postea verò ipsi quoq; viderunt novam
progeniem avium, quum abducti concupiscen-
tia peterent escas [d] delicatas.
12 Nam ad consolationem ipsorum ascende-
runt e mari coturnices.
13 Atque hæ quidem pœnæ supervenerunt
peccatoribus, non sine antegressis signis, vi

[a] i. quæ sola punitio desiderabatur ad tormẽta antecedẽtia.
[b] *Græc. inveniren.*
[c] *Græc. receptio vel revestitio: ut ita loquamur.*
[1] *Exod. 15.*
[1] *Exod. 16.*
[d] *Græc. deliciarũ.*

fulgurum: justè enim patiebantur a suis ipsorum
improbitatibus: etenim [e] [3] gravissimum peregri-
norum odium exercebant:
14 Quum [4] illi quidem [f] ignotos homines ad-
venientes non acciperent, hi verò beneficos pe-
regrinos servituti mancipârent:
15 [*] Neque solùm istud, sed ([5] quæcumq; tan-
dem sit horum consideratio) quum illi inimicè
alienos exceperint, hi verò postquam [g] festivè
acceperant, homines jamq; juris ejusdem parti-
cipes laboribus gravibus afflixerint.
16 Itaque percussi sunt etiam cæcitate, sicut
[1] illi ad fores illius justi quũ vastis circumamic-
ti tenebris quisque suarum forium viam perqui-
reret.
17 Elementa enim per se commutata sunt,
quemadmodum in Psalterio soni nomen nume-
rosum mutant, etsi voces ubique permanent:
quod quidem ex accurato rerum quæ factæ sunt
aspectu licet conjicere.
18 Nam terrestria in aquatica mutabantur,
& natatilia transibant super terram.
19 Ignis valebat in aqua propriæ facultatis
oblitus, & aqua naturam [h] exstinguendi non re-
cordabatur.
20 Flammæ e diverso carnes animantium
corruptioni infestarũ non tabefaciebant, quum
hìc ambularent, [*] neque liquabile *man*, glaciali
specie, genus ad liquescendum commodum ali-
menti [i] suprà quàm humani.
21 Nam in omnibus, Domine, magnificasti
populum tuum, & affecisti gloria, neque despex-
isti quin omni tempore & loco adsisteres.

dispeχibat igne: quum alioqui constitutione glaciali esset, & æque dissolveretur Sole ac exaresceret: vide Exod. 16. [i] *Græc. ambrosiæ.*

[e] *Græc gravim.*
[3] quam gravitatem sequentibus auctor amplificat per Sedomitarum comparationẽ.
[4] puta Sedomitæ, quorum instituitur cum Ægyptiis comparatio.
[f] *Græc. non cognoscentes.*
[5] id est, utcumque istorum inter se comparatione placebit dispicere.
[g] *Græc. cum festivitatibus.*
[1] *Gen. 19.*
[h] *Græc. exstinctricem.*
[*] hic repetendum est ζωγματικῶς tabefaciendi sive liquefaciendi verbum: sensus est, neq; flammæ ad quas coquebatur man hoc poterâs efficere quod Solis radii præstabant: nam ad Solẽ man liquescebat facillimè; ad ignem verò coquebatur, non autem

ECCLESIASTICUS,
SIVE SAPIENTIA JESU FILII SIRACHI.

Incerti auctoris præfatio.

1 HIc Jesus Sirachi
erat filius, [1] ne-
pos Jesu ejusdẽ
nominis.
2 Hic ergo tẽ-
poribus inferio-
ribus vixit post
captivitatem &
revocationẽ *po-
puli*, & post Pro-
phetas omnes fermè.
3 Avus autem ipsius Jesus, quemadmodum
hic quoque testatur, vir fuit [2] inter Hebræos la-
boris studiosus ac prudentissimus:
4 Qui non solùm aliorum hominum prędi-
torum intelligentia qui ante ipsum fuerunt sapi-
enter dicta contulit, verùm etiam ipse sua quæ-
dam pronunciavit permultæ intelligentiæ & sa-
pientiæ plena.
5 Quum igitur librum hunc primus Jesus
ferè bona ex parte collectum relinquens e vivis

[1] E gente Elhazari, ut habent quidam libri infrà 50. 21.
[2] sic interpetari malumus ex versu ultimo.

excessisset, Sirach ille post eum iterum assumens
proprio filio Jesu reliquit illum.
6 Atque hic eumdem capiens totum con-
venienter aptatum in unum [a] volumen com-
paravit, & sapientiam de suo, patrísque, ade-
óque de avi nomine appellavit; ex ipso no-
mine sapientiæ alliciens, ut [b] ampliore stu-
dio auditor ad hujus libri meditationem acce-
deret.
7 Itaque sermones prudentiæ, ænigmatá-
que, & parabolas continet, & cum singulares
quasdam veteres Deóque gratas historias de vi-
ris qui bene placuerunt Deo, tum orationem
& hymnum illius: præterea etiam quibus be-
neficiis dignatus sit Deus populum suum *prose-
qui*, & quibus expleverit malis inimicos ipso-
rum.
8 Sectator Schelomonis hic Jesus fuit, ni-
hil minus quàm ille [3] incumbens probandæ sa-
pientiæ & eruditioni: qui verè & multiplex fuit
scientia, & appellatus est.

[a] *Græc. compositionem.*
[b] *Græc. amanter magis haberet ad meditationem.*
[3] Græcam vocẽ sic interpretor, cùm ex notatione illius, tum ex veritate hujus comparationis: nam alioqui blasphemium fuerit hujus sapientiam cum Schelomonis æquare sapientia.

Prologus

Prologus auctoris in Sapientiam Jesu filii Sirachi.

1 QUum multa & magna nobis per legem & Prophetas aliósque qui hos sequuti sunt tradita fuerint, quorum causa laudandus est Jisraël eruditionis nomine & sapientiæ;

2 Atque ita non solum ipsos quum legent sapientiores fieri opus sit, sed etiam oporteat ut qui discendi erunt studiosi exteris utiles esse possint cum dicendo, tum etiam scribendo:

3 Avus meus Jesus, postquam se plurimum in lectionem dedisset tam legis prophetarúmq; quam aliorum librorum [a] quos a patribus accepimus, atque in eis aptam facultatem consequutus esset;

4 Adductus est ipse quoque ut aliquid scriberet earum rerum quæ ad eruditionem & sapientiam pertinent,

5 Ut disciplinæ studiosi & qui horum facti sunt participes amplius adhuc augescant legitima institutione vitæ.

6 Itaque moniti estote ut [b] lectioni huic cum benevolentia & attentione incumbatis, nobísque detis veniam si facultate vocum quarumdam destitui videbimur quibusdam in locis, in quibus interpretandis studiose laboravimus:

7 Non enim æque valent eadem per se, quæ dicuntur Hebraicè, & quum in linguam alteram transferuntur:

8 Neque solum ista; sed etiam alia, & lex ipsa, & prophetiæ, & [c] libri reliqui non mediocriter antecellunt sermone suo enunciata.

9 Nam [1] trigesimo octavo anno Evergetæ regis, quum venissem in Ægyptum & aliquod tempus ibi consumsissem, inveni non mediocris disciplinæ viaticum.

10 Quapropter summè necessarium esse statui, ut ipse aliquod studium laborémque conferrem ad interpretandum hunc librum, multis vigiliis ad scientiam hanc adhibitis [2] illo temporis intervallo:

11 Ut ad finem librum perductum ederemus, atque hoc pacto eos qui in [3] peregrinatione voluerint studio disciplinæ incumbere, antè informaremus in moribus quibus ex lege vitam traducerent.

[a] *Græc. patriorū.*
[b] *Græc. lectionem hanc faciatis.*
[c] *Græc. librorum.*
[1] Aut hic locus corruptus dicēdus est, aut ex eo corrigendum Eusebii Chronicon ubi Evergetes scribitur annos viginti sex tantùm regnum Ægypti tenuisse: quod posterius malim.
[2] nempe quo a regione mea abfui conversans in Ægypto.
[3] id est, hac vita, in qua peregrinamur absentes a Domino, ut Psal. 39. 13. & 119. 18. & 2. Corinth. 5. 6.

CAPUT I.

1 OMnis sapientia a Domino, atque apud ipsum est in seculum.

2 Arenam maris, & guttas pluviæ, diésque seculi quis enumieret?

3 Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, abyssúmque, & sapientiam quis pervestiget?

4 Prior omnibus creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æternitate.

5 Fons sapientiæ *est* sermo Dei *versantis* in altissimis, & viæ [1] ejus mandata æterna.

6 Radix sapientiæ cui retecta est? & callida ejus facta quis novit?

7 Unus est sapiens, reverendus valde, insidens throno suo,

8 Dominus; is creavit eam, & novit ac recensuit eam.

9 Et effudit eam in omnia opera sua, adest omni carni pro donatione ejus; & suppeditavit eam diligentibus ipsum.

10 Reverentia Domini est gloria, & prædicatio, lætitiáque, & corona exsultationis.

[1] puta sapientiæ, id est, viæ quibus perveniatur ad sapientiam, *sunt* mandata æterna Dei: sic interpretamur ex vers. 24.

11 Reverentia Domini delectatura est cor, & inditura lætitiam, gaudiúmque, & longævitatem.

12 Timenti Dominum bene futurum est ad finem usque, & die mortis ejus benedicetur illi.

13 Principium sapientiæ est revereri Dominum: hæc adest fidelibus, in utero cum ipsis creata est.

14 Cum hominibus [a] fundamentum æternitatis nidificavit, & cum semine eorum *quibus* credita est.

15 [3] Plenitudo sapientiæ est revereri Dominum: nam inebriat eos suis fructibus,

16 Omnem domum eorum implet [a] desideratis rebus suis, & cellas fœtibus suis.

17 Utraq; autem sunt dona Dei ad [4] pacem.

18 Corona sapientiæ *est* revereri Dominum, progerminans pacem & incolumitatem [b] salutarem: nam gloriationem amplificat diligentibus eum.

19 Scientiam & cognitionem [c] intelligentem velut imbrem profundit sapientia, & gloriam exaltat eorum qui obtinent ipsam.

20 Radix sapientiæ est revereri Dominum, & rami ejus sunt [d] longævitatis.

21 Reverentia Domini depellit peccata, & permanens avertit iram.

22 Non potest iracundus [e] quisquam justificari; nam momentum iracundiæ ejus *est* ruinæ ipsi.

23 Ad tempus sustinet longanimus, & postea editura est se lætitia ipsi:

24 Ad tempus occultaturus est sermones suos, & labia multorum enarrabunt intelligentiam ejus.

25 In thesauris sapientiæ *sunt* parabolæ [f] scitæ; sed abominationi *est* peccatori pietas.

26 Si cupis sapientiam, observa mandata; & Dominus eam suppeditabit tibi.

27 Sapientia enim ac eruditio est reverentia Domini, & [g] perplacet ei fides ac mansuetudo.

28 Ne diffidas reverentiæ Domini [h] quum egebis, neque accedas cum duplice [i] animo.

29 Ne simulatus esto [5] [k] ut si ora humana habeas, & labiis tuis ne adhære.

30 Ne exaltes te ipsum, ut cadens non inducas animæ tuæ ignominiam:

31 Nam revelaturus esset Dominus omnia occulta tua, & in medio congregationis dejecturus te.

32 Quoniam non accesseris ex veritate ad reverentiam Domini, sed animus tuus *fuerit* dolo plenus.

[a] id est, instravit inde a conceptu viam fidelibus qua perventuri sunt ad vitam æternam.
[3] vel exundatio; quam significationem spectare videtur inebriandi verbum.
[a] *Græc. desideriis.*
[4] id est, prosperitatem afferentia: respicit enim ad reverentiam Dei & sapientiam.
[b] *Græc. salutis, vel curationis.*
[c] *Græc. intelligentiæ.*
[d] *Græc. longævitas.*
[e] *Græc. vir.*
[f] *Græc. scientiæ.*
[g] *Græc. plerumque ejus.*
[h] *Græc. indigens existens.*
[i] *Græc. cordis.*
[5] id est, ut si duas aut plures personas ageres, aut duo plurave ora haberes in capite tuo: hoc ita accipiendum adjuncta confirmant.
[k] *Græc. in oribus humanis.*

CAPUT II.

1 FIlii, si ad serviendum Domino accesseris, compara [a] te ipsum ad tentationem.

2 Dirige cor tuum & perdura, neque præfestines tempore [b] quo inducetur illa.

3 Agglutinator ei ac ne absistito, ut augearis ad finem usque tuum.

4 Quicquid inductum fuerit tibi, accipe libenter; & ad commutationem dejectionis tuæ *sperandam* esto longanimus:

5 Nam ut igne probatur aurum, sic homines accepti camino dejectionis.

6 Crede ipsi, & suscipiet te; & dirige vias tuas, spémque colloca in illo.

7 Qui reveremini Dominum, credite ipsi; ac non decidet merces vestra.

8 Qui reveremini Dominū, spem habetote

[a] *Græc. animam tuam, sic v. 21.*
[b] *Græc. inductionis.*

e Grac. seculi.

de bonis, & de lætitia e æternitatis ac misericordiæ:
9 Qui reveremini Dominum, exspectate misericordiam ejus; neque declinate ut non decidatis:
10 Aspicite ad antiquas ætates, & videte,
11 Quis fiduciam habens in Domino pudefactus est?
12 Aut quis manens in reverentia ejus derelictus est? aut quis invocavit eum & d despectus est ab eo?
13 Quoniā pius & misericors Dominus, longanimus, ac plurimus misericordia, & remittit peccata, & servat afflictionis tempore.
14 Væ cordibus timidis, & manibus remissis, & peccatori ingredienti 1 calles duos.
15 Væ cordi remisso; quia non credit, propterea non protegetur.
16 Væ vobis qui perdidistis patientiam:
17 Ecquid facturi estis quum e animadvertet Dominus?
18 Qui reverentur Dominum, non diffident verbis ejus; & qui diligunt eum, conservabunt vias ejus.
19 Qui reverentur Dominum, quærent f ut placeant ei:
20 Et qui diligunt eum, explebuntur lege.
21 Qui reverentur Dominum, præparabunt corda sua; & coram eo abjicient se ipsos,
22 *Dicentes*; incidamus in manus Dei, ac non in manus hominum.
23 2 Nam ut majestas ejus, ita etiam *est* ejus misericordia.

d Grac. despexit eum: sed passivè ad providentiam reddidimus.

1 id est, incerto homini, qui huc illuc ex dobitatione diffidentiáque impellitur, Jacob. 1. 8. & suprà 1. 26.

e Grac. inviset

f Grac. bene placitum apud eum.

2 id est, æquè hæc atque illa apud Deum infinita est: elegans consolationis locus.

CAPUT III.

1 ME patrem audite filii, & ita facite ut salvi sitis,
2 Nam Dominus gloriam attribuit patri a ut superior sit liberis, & judicium matris firmavit in filios.
3 Qui honorat patrem, expiatur a peccato:
4 Et qui gloriam tribuit matri suæ, similis est ei qui thesaurum colligit.
5 Qui honorat patrem, de filiis lætabitur, & die orationis suæ exaudietur.
6 Qui gloriam tribuit patri, longævus erit:
7 Et qui auscultat Domino, quietem affert matri suæ.
8 Qui reveretur Dominum, honoraturus est patrem, & tamquam dominus serviturus iis qui genuerunt ipsum.
9 Opere & sermone honora patrem tuum matrémque, ut superveniat tibi 1 ab hominibus benedictio:
10 Nam patris benedictio statuminat domos liberorum, maledictio verò matris eradicat fundamenta.
11 Ne glorieris de ignominia patris tui; nam non est tibi b gloriæ patris ignominia.
12 Gloria enim hominis *exsistit* ex honore patris ipsius, & c probro *est* liberis mater ignominiosa.
13 Fili suscipe in senectute patrem tuum, neque dolore afficias eum in vita tua:
14 Et si quando deficietur intelligentia da veniam, ac ne dedecore afficias illum, 2 *sed honorem habe* omnibus viribus tuis.
15 Misericordia etiam d ergà patrem tuum non tradetur oblivioni, sed contra peccata 3 statumen domus erit adstructum tibi:
16 Die afflictionis fiet mentio tui, velut serenitate glaciei superveniente ita dissolventur peccata tua.
17 Tamquam blasphemus est qui derelinquit patrem suum, & exsecratione perfusus a Domino qui ad iram provocat matrem suam.
18 Fili, opera tua e mansuetè ad finem perduc, & ab homine accepto diligêris.
19 Quò major es, eò magis te ipsum abjice, & coram Domino f consequeris gratiam.
20 Multi sunt excelsi & gloriosi supra modum; sed mansuetis revelantur arcana: nam magna est potestas Domini, sed ab humilibus gloriam adipiscitur.
21 Difficiliora g captu tuo ne quæras temerè, & valentiora h viribus tuis ne exquiras inspienter; quæ mandata sunt tibi hæc sanctè cogita:
22 Non enim opus est tibi i ut occulta intuearis oculis.
23 k Ut redundantes sint sermones tui ne curiosè laborato:
24 4 Nam plura l quàm intellectus humanus capiat demonstrata sunt tibi.
25 Multos seduxit præsumtio ipsorum vana, & suspicio prava labefactavit cogitationem eorum: 5 pupillas non habens indigebis luce; sed si cognitionis es expers, ne annunciato.
26 Cor durum affligetur m tandem; & qui amat periculum, in illo periturus est.
27 Cor durum gravabitur rebus laboriosis, & peccator peccata addet peccato.
28 n Quum inducitur superbo *afflictio*, non est curatio: itinera ejus radicitus convellentur, quia planta improbitatis radicata est in eo.
29 Cor intelligentis cogitabit de parabola, & auris hujusmodi auditoris o a sapiente exoptatur.
30 Ignem flammantem exstinguet aqua, & misericors beneficentia expiabitur a peccato;
31 Nam Dominus qui reddit gratiosè facta, in posterum recordaturus est; adeò ut p quo tempore ceciderit ille, statumen consequuturus sit.

a Grac. super liberos.

1 id est, a parentibus quibus auctoritatem & jus attribuit Dominus suæ benedictionis conferendæ, ut Exod. 20. 11. sic interpretatur sequens versus.

b Grac. gloria.

c Grac. probrum.

2 ellipsis contrarii, ut Genes. 33. 10.

d Grac. patris.

3 sic interpretamur ex vers. 11.

e Grac. in mansuetudine.

f Grac. invenies.

g Grac. te.

h Grac. te.

i Grac. occultis quæ intuearis.

k Grac. in redundantibus sermonum.

4 elegans ætiologia a rerū sive materiæ quam Deus nobis explicavit verbo amplitudine. quasi dicat, ne anquiras fucos & lenocinia verborum, quum hoc neque Dei exemplo præceptíve, neque rerum dignitati & amplitudini convenïat.

l Grac. intellectus hominum.

5 hoc modo comparantur cæcis quicumque præsumtionibus animi & suspicionibus circumfluentes, se putant esse lynceos.

m Grac. in ultimis.

n Grac. in inductione superbia.

o Grac. amica ... est sapienti.

p Grac. in tempore casus sui inveniet statumen.

CAPUT IIII.

1 FIli, vitam pauperis ne destituito, neque a oculis indigentibus 1 protrahas beneficentiam.
2 Animam esurientem ne afficias molestia, neque protrahas viro b quum in egestate est.
3 Cor c exacerbatum ne ampliùs turbes, neque protrahas donum *ab* indigente:
4 Supplicem afflictum ne abjicias, neque avertas faciem tuam a paupere:
5 Ab egente ne avertas oculum, neque des locum homini maledicendi tibi:
6 Maledicentis enim te ex acerbitate animi sui orationem exaudiet qui fecit ipsum.
7 Amicum te ipsum d exhibe congregationi, & e coram magnate demitte caput tuum.
8 Inclina aurem tuam ad pauperem libenter, & responde ei f mansuetè verbis pacis.
9 Exime eum cui fit injuria e manu injurii; neque sis minuto animo quum judicas.
10 Esto orphano tamquam pater, & pro viro matri g orphanorum:
11 Ita futurus es tamquam filius Altissimi, & diliget te magis quàm mater tua.
12 Sapientia exaltat filios suos, & prehendit manu eos qui quærunt ipsam.
13 Qui diligit eam, diligit vitam, & qui manè incumbunt in eam, lætitia explebuntur.
14 Qui obtinet eam, hæreditatem percipiet gloriæ;

a Grac. oculos indigentis: sic sequenti v.

1 Nempe suppeditare quod ad vitam est necessarium: quod nos exprimimus uno beneficentiæ nomine.

b Grac. in egestate ipsius.

c Grac. irritatum nempe inopia.

d Grac. fac.

e Grac. magnati.

f Grac. in mansuetudine pacifica.

g Grac. earum.

gloriæ; & quocumque ingreditur ea, *illis* benedicet Dominus.

15 Qui serviunt illi, sunt ministraturi [a] sancto: nam diligentes illam diligit Dominus.

16 Qui obedit illi, judicaturus est gentes; & qui attendit ad illam, confidenter habitabit.

17 Si [3] crediderit, hæreditatem percipiet illius; & in possessione erunt horum [h] posteri.

18 Nam distortè *quidem* ambulatura est cum eo [i] primùm,

19 Timorem & metum adductura super eum, & cruciatura eum eruditione sua, donec crediderit anima ipsius & tentaverit ipsum in statutis suis:

20 Sed rursum redibit ad ipsum rectà & lætificabit ipsum,

21 Detegens ipsi occultas res suas.

22 Si seductus fuerit; deseret ipsum, & tradet ipsum [k] potestati casus ipsius.

23 Conserva occasionem; & cave a malo:

24 Ac ne pudefias [l] precio animæ tuæ.

25 Nam est pudor adducens peccatum, & pudor est [m] gloriosus & gratus.

26 Ne suscipias personam [n] damno animæ tuæ, ac ne reverearis ad ruinam tuam.

27 Ne prohibeas sermonem tempore salutis,

28 Ac ne occultes sapientiam tuam [o] ut bellus videaris.

29 Nam sermone cognoscitur sapientia, & eruditio ex verbis linguæ.

30 Ne contradicas veritati [p] ullo modo, sed verecundia cohibetor [q] ne mentiaris inopia eruditionis tuæ.

31 Ne verecunderis confiteri peccata tua, neque vim affer defluxioni fluminis.

32 Ne substernas te ipsum [r] cuiquam stulto, ac ne suscipias personam potentis.

33 Ad mortem usque certa pro veritate, & Dominus Deus pugnabit pro te.

34 Ne sis audax lingua tua, iners verò ac remissus in tuis operibus.

35 Ne sis tamquam leo domi tuæ & tamquam ex viso proclivis ad percutiendum inter famulos tuos.

36 Ne esto manus tua extenta ad accipiendum, ad reddendum verò contracta.

CAPUT V.

1 NE innitaris pecuniis tuis, ac ne dixeris, sufficientes mihi sunt ad vitam.

2 [1] Ne persequaris animam tuam & robur tuum, ambulando in viis cordis tui.

3 Ne dixeris, quis in me judicem ageret propter opera mea? nam Dominus [a] omnino injuriam tuam ulturus esset.

4 Ne dixeris, peccaveram; ecquid mihi adfuit molestum? nam Dominus est longanimus, nequaquam verò dimissurus te.

5 De expiatione ne securus esto [b] quum abundaveris, addendo peccata peccatis;

6 Ac ne dixeris, miseratio illius multa est, multitudinem peccatorum meorum expiabit.

7 Nam misericordia & ira apud ipsum citæ sunt; sed super peccatores incubabit ejus indignatio.

8 Ne differas te ad Dominum convertere; neque dejicias [c] de die in diem:

9 Subitò enim prodibit ira Domini, qua atteereris quando curam abjeceris ejus, & tempore ultionis disperderis.

10 Ne innitaris pecuniis [d] injustè partis: nam nihil adjuvaturæ sunt [e] quo die ultio adducetur.

11 Ne ventiles ad omnem ventum, neq; pergas in omnem viam: ita *est* peccator bilinguis;

12 Esto stabilis certa tua intelligentia, & unus esto sermo tuus.

13 Esto celer [f] ad bene audiendum, estóque ex veritate vita tua, & cum tolerantia responsionem rectam eloquere.

14 Si tibi est intelligentia, responde proximo; sin minùs, manus tua super os tuum esto.

15 Gloria & ignominia in loquutione *est*, & lingua hominis *est* [g] ruinæ ipsi.

16 Ne voceris susurro, ac lingua tua ne insidiator:

17 Nam furi quidem inest laboriosa turpitudo, sed bilingui pessima condemnatio.

18 [2] In re magna æquè ac parva ne ullam quidem rem ignorato.

CAPUT VI.

1 INprimis [a] pro eo quod amicus es ne efficiaris inimicus; nam [1] malum hoc nomen hæreditatem percipiet pudoris & probri: ita peccator bilinguis ignominiam habiturus est.

2 Ne efferas teipsum in consilio animæ tuæ, [2] ut nō huc illuc rapiatur, velut taurus, anima tua

3 [3] Folia tua comedes; sed perdes fructus tuos, ac te ipsum relinques ut lignum aridum.

4 Anima prava perdit possessorem suum, qui ludibrium inimicorum ipsam effecturus est.

5 Guttur suave multiplicat amicos suos, & lingua bene loquens multiplicat qui bonis verbis compellent ipsam.

6 Qui pacem colant tecum, multi sunto; consiliarii verò tui unus e millenis.

7 Si comparaturus es amicum, in afflictione compara eum; neque citò credas te ipsum ei:

8 Nam est amicus tempore suo, qui non permanet die afflictionis tuæ:

9 Est item amicus qui ad inimicitiam [b] traducitur, & certamen [c] probrosum tibi revelaturus est:

10 Item amicus est mensarum particeps, qui non permanebit die afflictionis tuæ;

11 Sed rebus secundis tuis erit tamquam tu, & in familiares tuos utetur libertate:

12 Sin deprimeris, contra te stabit; & a facie tua occultabitur.

13 Ab inimicis tuis separator, & ab amicis tuis tibi attende.

14 Amicus fidus valida *est* protectio; quem qui [d] adeptus est, thesaurum adeptus est.

15 Amici fidi non est pretium quo permutetur, & nullum est pondus [e] æquans pulcritudinem ejus.

16 Amicus fidus medicamentum *est* vitæ; quem qui timent Dominum, consequentur.

17 Qui timet Dominum, diriget amicitiam suam; quia [f] prout ipse *est*, sic etiam propinqui ipsius futuri *sunt*.

18 Fili, a juventute tua elige eruditionem, & ad canos usque consequêris sapientiam.

19 Cujus bonos fructus exspectato.

20 Nam in elaboratione ejus paululum fatigaberis, sed citò comedes de fœtibus ejus.

21 Quàm aspera est valdè rudibus! quum in ea non permanet excors,

22 [4] Tamquam lapis indicaturæ fortis apud illum futura est, nec tardabit abjicere eam:

23 Nam sapientia [5] secundùm nomen suum est, neque est multis manifesta.

[a] id est, Deo, quemadmodum hoc epitheto Hebræi plurimùm Deum notare solent.
[3] nempe sapientia se ipsam homini commiserit, quasi dicat, nunquam extorquebitur a Deo quicum se illa communicabit: sic accipitur hoc verbum versu 19.
[h] *Græc. generationes.*
[i] *Græc. inprimis.*
[k] *Græc. in manus casus; Hebraismus.*
[l] *Græc. pro anima tua.*
[m] *Græc. gloria & gratia.*
[n] *Græc. contra animam tuam.*
[o] *Græc. ad bellitiem.*
[p] *Græc. ne quidem secundùm ...*
[q] *Græc. de mendacio ineruditionis tuæ.*
[r] *Græc. homini.*
[1] i. ne similiter voluntari tuæ ad eam explendam, aut robori tuo ad demonstrandum illud implicaris.
[a] *Græc. ulciscens.*
[b] *Græc. in abundantia.*
[c] *Græc. diem ex die.*
[d] *Græc. injustis.*
[e] *Græc. die inductionis.*
[f] *Græc. in auditione tua bona.*
[g] *Græc. ruina.*
[2] id est, utrisque in rebus certò explora voluntatem Dei; ut certior de ea factus securo animo obsequaris.
[a] *Græc. pro amico ne &c.*
[1] Nempe mutabilitatis & inconstantiæ in amicitiis continendis.
[2] quasi dicat, ne si tuo ipsius consilio acquiescas, ac non aliorum consilia cōplectaris; labores ex consiliorum instabilitate, & tamquam taurus ferociens incerto & vago impetu huc illuc feraris: quòd malum alienis ferè consiliis corrigitur.
[3] loquutio est [illegible], qua sapiens hominem consiliis suis præfidentem compellat allegoricè: tua (inquit) consilia sunt velut folia recens enata; quibus si utaris, & fructus tuos & te ipsum ita perdideris, ut si quis tenera folia germináque arborum comederet.
[b] *Græc. transfertur.*
[c] *Græc. probri.*
[d] *Græc. invenit.*
[e] *Græc. pulchritudinis ejus.*
[f] *Græc. secundum ipsum.*
[4] id est, non pluris faciet eam quàm lydium lapidem quisquis autem nescit, sed perinde abjiciet ut gemmam gallus Æsopicus.
[5] id est, sapientum est solum, qui sunt paucis.

24 Audi, fili, & elige sententiam meam, neq; abjice consilium meum; sed infer pedes tuos in pedicas ejus,& in collare ejus collum tuum.

25 Subde humerum tuum, & bajula eam, neque inimicè feras vincula ejus.

26 Ex toto animo tuo accede eam,& totis viribus tuis conserva vias ejus:

27 Investiga, & quære,& innotescet tibi; deinde compos factus eam ne dimittito:

28 [g] Tandem enim consequeris requiem ejus,& vertetur tibi in lætitiam:

29 Eruntque tibi pedicæ illius pro tegumento roboris, & collaria ejus pro stola gloriæ:

30 Nam ornamentum aureum est ei, & vincula ejus *sunt* glomus hyacinthinum.

31 Ut stolam gloriæ indues eam, & coronam exsultationis tibi ipsi circumdabis.

32 Si cupiveris fili, erudieris; & si dedas animum tuum,eris solers:

33 Si dilexeris audire, recipies intelligentiam,& si inclinaveris aurem tuam,sapiens eris.

34 In multitudine seniorum consiste, & qui sapiens *est* huic agglutinare; omnem narrationem divinam cupito audire, & parœmiæ intelligentiæ ne effugiant te.

35 Si virum intelligenté videris, manè adito eum; & gradus januarum ejus deterito pes tuus.

36 Cogitationem habe in mandatis Domini perfectè,& præcepta ejus meditare semper: ipse stabiliet cor tuum, & [h] concupita sapientia tradetur tibi.

g *Grac. in ultimis invenies.*

h *Grac. concupiscentia sapientia.*

CAPUT VII.

1 NE facias mala, & mala non deprehendent te.

2 Absiste ab injusto, & peccatum declinabit a te.

3 Fili, ne serito in sulcis injustitiæ, & minimè [a] septuplum eorum metes.

4 Ne requiras a Domino principatum, neque a rege cathedram gloriæ.

5 Ne justitiam tibi asseras coram Domino, neque coram rege sapientiam.

6 Ne quæras fieri judex, ne non valeas injustè facta tollere; ne quando metuas a facie potentis,& ponas offensionem in recto itinere tuo.

7 Ne pecces in multitudinem civitatis, & ne immittas te ipsum in turbam.

8 Ne [b] alligeris bis peccato: nam uno non eris innocens.

9 Ne dixeris, ad multitudinem donorum meorum respiciet, & quum obtulero Deo altissimo accipiet; [1] ne parvo animo sis in oratione tua, & ne despicias exercere misericordem beneficentiam.

10 Ne derideas hominem [c] cujus anima in acerbitate versatur: est enim qui deprimat & qui exaltet.

11 Ne exares mendacium in fratrem tuum, neque amico facias [d] similiter.

12 Ne velis mentiri ullo mendacio: nam assiduitas ejus non est futura [e] bono.

13 Ne verbosus sis in multitudine seniorum, neque repetas sermonem in oratione tua.

14 Ne oderis laboriosum opus, & agricolationem creatam ab Altissimo.

15 [2] ne referas te ipsum in multitudinem peccatorum.

16 Memento iram non tardaturam esse.

17 Deprime valde animam tuam, quum ultio impii ignis & vermis futura sit.

18 Ne commutes amicum [3] ulla re quæ sit indifferens, neque fratrem germanum auro [4] ophirio.

19 Ne aberres ab uxore sapiente & bona; nam gratia ejus *est* superior auro.

20 Ne affligas famulum opus facientem [f] fideliter, neq; mercenarium qui tradit [g] se ipsum.

21 Famulum intelligentem diligito anima tua,ne prives eum libertate.

22 Si pecora tibi sunt,inspice illa: quòd si utilia sunt tibi,permaneant tibi.

23 Si liberi sunt tibi, erudi eos,& flecte a juventute collum eorum.

24 Filiæ sunt tibi, attende ad corpus earum; neque hilarem præbeas erga illas vultum tuum.

25 Eloca filiam,& confeceris opus magnum; sed viro intelligenti trade illam.

26 Uxor est tibi ex animo,ne ejicias eam; exosæ verò te ipsum ne addicito.

27 Ex toto corde gloria affice patrem tuum, & matris dolores ne obliviscaris:

28 Memento te per illos fuisse genitum: quid enim redditurus es eis, quemadmodum illi *fecerunt* tibi?

29 Ex toto animo tuo reverere Dominum, & sacerdotes ipsius admirare; ex totis viribus dilige eum qui fecit te, & ne derelinquas ministros ejus.

30 Time Dominum, gloriáque affice sacerdotem:

31 Et da ei partem prout mandatum est tibi,

32 Primitias, & *sacrificium* [h] pro reatu,

33 Et donum [i] armorum,& sacrificium sanctificationis, primitiásque [5] sanctorum:

34 Et mendico porrige manum tuam, ut consecrata sit benedictio tua.

35 Gratia doni coram omni vivente *spectata est*; etiam [6] super mortuo gratiam ne avertito.

36 Ne recedas a flentibus, sed cum lugentibus luge.

37 Ne pigreris infirmum invisere: nam ex hujusmodi *rebus* amaberis.

38 In omnibus sermonibus tuis memento [k] finis tui,& in [l] æternum non peccaturus es.

CAPUT VIII.

1 NE contendas cum homine principatum obtinente, ne quando incidas in manus ipsius:

2 Ne rixeris cum homine divite, ne quando [1] statuat adversum te libram:

3 Multos enim perdidit aurum, etiam regum animos inclinavit.

4 Ne contendas cum homine [a] verboso, neque aggeras ad ignem illius ligna.

5 Ne ludificeris cum rudi, [2] ut non afficiantur ignominia progenitores tui.

6 Ne probro afficias hominem revertentem a peccato; memento nos omnes esse [b] infestos increpationibus.

7 Ne ignominia afficias [c] ullum de senectute ipsius, etenim ex [d] numero nostro senescunt *homines*.

8 Ne læteris de mortuo tibi inimicissimo, memento nos omnes mori.

9 Ne despicias narrationem sapientum; sed in proverbiis illorum conversare:

10 Nam ab illis disces eruditionem, etiam ad ministrandum rectè magnatibus.

a *Grac. ex septupla.*

b *Grac. alligesbis peccatum.*

1 Sensus est, ne putes fore ut misericordiam donariis & oblationibus consequaris; sed omissa illa inani fiducia toto animo implora Dei misericordiam, qua una Deus tibi propitius est & tu acceptus illi: & eandem misericordiam quam a Deo expetis pro viribus tuis exerce, quam ille ut pater præstat, ut eris filius misericordis patris.

c *Grac. qui est in acerbitate animæ suæ.*

d *Grac. simile.*

e *Grac. ad laudi.*

2 id est, ne facias peccatis tuis ut peccatoribus accenseáris a Deo; sed judicii venturi metu in officio contineator.

3 sensus est, amicitiam tantisper contine dum potes bona in Deum fide & conscientia; neque propter ullam rem mediam, sive indifferentem, quam sine fidei damno pius acquirere potest aut amittere, amicitiæ jacturam facito: sic infrà 28. 1.

4 Græca verba depravata sunt pro quibus ita legendum spondeo, μηδὲ ἀδελφὸν γνήσιον ἐν ὦ χρυσῷ σοφείρ.

f *Grac. in veritate.*

g *Grac. animam suam.*

h *Grac. pro delicto.*

i *Grac. brachiorum.*

5 id est, quæcumque sanctis communicanda sunt ex lege, & ad sanctum locum pertinent.

6 id est, etiam mortuorum nomen in posteris ipsorum cole, ut loquitur Scriptura Ruth. 1. 8. quod genus loquutionis explicant sequentia.

k *Grac. ultimorum tuorum.*

l *Grac. seculum.*

1 i. ne muneribus oblatis ita prævaleat judicio contra te, ut sit quam lanci alteri plus ponderis impositum, sic accipiendum comparationis versus sequens, quam dicunt etiam libra aut pretio apposito inclinari animos regum, qui tamen pretio minus corrumpi possunt.

a *Grac. linguace.*

2 i. ne sis dedecori tuis parentibus, ex proverbio Dionysodori Trœzenii apud Plutar. Τῆς αὑτῶν αἰσχύνης μὴ κατασχύνειν.

b *Grat. in increpationibus.* c *Grac. hominem.* d *Grac. nobis.*

11 Ne aberres a narratione senum: etenim
didicerunt ipsi a suis parentibus.
12 Quia ab ipsis disces intelligentiam, etiam
ad dandum tempore necessitatis responsum.
13 [3] Ne incendas carbones peccatoris, ne
comburaris igne [e] flammante illius.
14 Ne resilias a conspectu contumeliosi, ut
non insideat velut insidiæ ori tuo.
15 Ne mutuũ des homini potentiori te; quòd
si dederis mutuum, ita esto quasi perdideris.
16 Ne spondeas supra vires tuas: quòd si spo-
ponderis, ita curam habe quasi soluturus.
17 Ne judicio experiaris contra judicem, nam
secundùm opinionem illius [f] judicabitur.
18 Cum audace ne [g] facias iter, ut non sit gra-
vis in te: hic enim pro voluntate sua facturus
est, & unà peribis hujus insipientia.
19 Cum iracundo ne [h] ineas certamen, ac ne
[i] facias cum eo iter solitarium: ita enim *videtur*
sanguis in oculis illius, quasi nihil esset; & ubi
non est auxilium, ibi dejiciet te.
20 Cum stulto consilium ne ineas, nam non
posset celare verbum.
21 Coram alieno rem occultandam ne faci-
as: nescis enim quid pariturus sit.
22 Cuivis homini ne exponas [k] animum tu-
um, & ne referat tibi gratiam falsam ullus.

[3] id est, ne provoces & irrites hominem sceleratum.
[e] *Græc. flamma.*
[f] *Græc. judicabitur est: hebraism.*
[g] *Græc. ambules in via.*
[h] *Græc. facias.*
[i] *Græc. ambules cum eo solitudinē.*
[k] *Græc. cor: ut V. 3.*

CAPUT IX.

1 NE sis zelotypus uxoris [a] versantis in sinu
tuo, neque doceas *eam* contra te discipli-
nam malam.
2 Ne dedas mulieri [b] te ipsum, ut [1] illa supra
te ipsum ascendat.
3 Ne occurras mulieri meritoriæ, ne quan-
do incidas in laqueos ejus.
4 Cum psaltria ne sis assiduus, ne quando
capiaris institutis illius.
5 Virginem ne studeas habere notam, ne
quando offensionem subeas [2] increpationibus il-
lius.
6 Ne des te ipsum meretricibus, ut non per-
das hæreditatem tuam.
7 Ne circumspicias *eam* per vicos civitatis,
etiam in solitariis illius viis ne erres.
8 Averte oculum a muliere formosa, neque
studeas habere notam pulchritudinem alienam.
9 Nam pulcritudine mulieris multi seducti
sunt, & ab ea tamquam ignis amor accenditur:
ne ergo accumbas in ulnis complectens eam.
10 Cum muliere nupta ne sedeas planè, neq;
[3] symbolam cum illa conferas ad vinum:
11 Ne quando declinet anima tua ad illam,
tuóque spiritu in perditionem delabaris.
12 Ne relinquas amicum veterem, nam re-
cens non est æqualis illi.
13 Ut vinum novum, amicus novus: si invete-
ratum fuerit, tum [c] suaviter comprehẽde ipsum.
14 Ne invideas gloriæ peccatoris; nescis e-
nim quæ sit illius subversio.
15 [d] [4] ne placeant tibi impiorum placita:
memento eos [5] ad inferos usque minimè justos
fore.
16 Longè absiste ab homine qui potestatem
habet occidendi, ut minimè suspiceris timorem
mortis:
17 Quòd si accesseris, ne derelinquas; ut non
eripiat statim vitam tuam.
18 Cognosce te [e] medios laqueos pervadere,
& in projecturis murorum civitatis ambulare.
19 Pro viribus tuis conjecturam fac de [f] alte-

[a] *Græc. sinus tui, id est, tibi carissimæ: ut Deut. 28. 54.*
[b] *Græc. animam tuam: sic deinceps.*
[1] Nempe quæ ex lege viro subjecta est & tenetur lege illius, Roman. 7. 1. & 1. Corinth. 7. 39. quamobrem *ὕπανδρος* appellatur infrà V. 12.
[2] i. quum illa increpabitur facti sui nomine.
[3] aliud est symbolum, id est, hospitalis tessera, aliud verò symbola, id est, collatum pretium nomine hospitii; hîc verò planè de symbola verba accipienda sunt.
[c] *Græc. cum lætitia.*
[d] *Græc. ne placeas tibi placitis impiorum.*
[4] hunc versum cum præcedente putamus conjungendum prout duo membra inter se respondẽt, pro eo quod est, neq; illorum gloriam appetas neque studia & institutum vitæ.
[5] id est, unquam.
[e] *Græc. in medio laqueorum.*
[f] *Græc. propinqua.*

ro, & cum sapientibus ini consilia; cum intelli-
gentibus esto confabulatio tua, & tota narratio
tua de lege altissimi.
20 Viri justi sunto convictores tui, & in reve-
rentia Domini esto gloriatio tua.
21 [g] Opera artificum laudatur opus, & dux
populi sapiens sermone suo.
22 Formidabilis *est* in civitate sua vir [h] ver-
bosus, & qui præceps est sermone suo odio futu-
rus est.

[g] *Græc. manu.*
[h] *Græc. linguax: ut suprà 8. 4.*

CAPUT X.

1 JUdex sapiens erudit populum suum, &
principatus intelligentis *ex ordine* institu-
tus est.
2 [a] Qualis est judex populi, tales etiam *sunt*
ministri ejus; & qualis est dux civitatis, tales om-
nes habitatores ejus.
3 Rex rudis perdit populum suum, civitas
verò intelligentia potentum habitabitur.
4 In manu Domini *est* potestas hujus terræ,
& eum qui utilis est in ea suscitabit suo tempore.
5 In manu Domini est prosper successus vi-
ri, qui faciei literati gloriam suam appositurus
est.
6 De ulla injuria ne irascatis proximo, & ne
agas quicquam [b] contumeliosis factis:
7 Odiosa *est*, coram domino & hominibus
superbia, & [1] ab utrisque ejicitur delictum injus-
tum.
8 Regnum a [c] gente una ad alterum tradu-
citur propter injustè facta, & contumelias, pecu-
niásque dolo partas: quamobrem superbit terra
& cinis?
9 Avaro etenim nihil est iniquius:
10 Nam hic etiam suam ipsius animam ve-
nalem efficit, quia [d] dum vivit [2] abjiciunt *eam* in-
teranea ipsius.
11 Longam infirmitatem resecat medicus; &
[3] qui rex est hodie, cras etiam moriturus est:
12 Mortuo enim homine hæres serpentum
& bestiarum ac vermium futurus est.
13 Principium superbiæ *est* quum homo ab-
sistit a Domino, quum ab opifice suo absistit [e] a-
nimus ipsius:
14 Nam principium peccati *est* superbia; &
qui tenet eam contumeliis *quidem* abominandis
afficit, sed subvertetur tandem.
15 Propterea [f] admirabiles inducit castiga-
tiones Dominus, & tandem subvertit eos:
16 Thronos magistratuum tollit dominus, &
collocat mites in loco illorum intus:
17 Radices gentium superbarum evellit Do-
minus, & plantat in gloria humiles earum lo-
co:
18 Regiones gentium subvertit Dominus,
perdens eas usque ad fundamenta terræ.
19 Sustulit ex eis, eósque perdidit;
20 Et amovit e terra memoriam eorum.
21 Non est a creatione indita hominibus su-
perbia, neque ira animi natis mulierum.
22 Semen [g] securum *est* eorum qui reveren-
tur Dominum, & pretiosa planta eorum qui di-
ligunt ipsum; semen [h] ignominiosum est eorum
qui non attendunt legi, semen [i] errabundum est
eorum qui mandata transiliunt.
23 [k] Inter fratres qui dux ipsorum est hono-
ratus *est*; sed qui reverentur Dominum in ocu-
lis illius *sunt honorati*.
24 [4] Ante sortem principatus est reveren-
tia Domini, duritas verò superbiáque amissio

[a] *Græc. secundùm judicem populi; sic etiam, &c.*
[b] *Græc. contumelia.*
[1] Hunc locum ex sermonis Hebraici comparatione hoc modo reddimus, & sequentium verborum ratione; docetur enim sequentibus primùm ut ab hominibus expelluntur potentes qui auctoritate sua abutuntur; deinde verò ut deturbantur a Deo, sive morte, sive judiciis extra ordinem effectis.
[c] *Græc. gente in gentem.*
[d] *Græc. in vita ejus.*
[2] i. nihil minus quàm suam ipsius animam possidet, quum eam perinde exponat ac si ultrò omnes hominis partes etiam intimæ conclamarent nullam animæ rationẽ haberi a se.
[3] i. & longam tyrannidem pestémque reipublicæ resecat mors.
[e] *Græc cor.*
[f] *Græc. mirificas (ut ita loquamur) Dominus inductiones.*
[g] *Græc. securitatis.*
[h] *Græc. ignominiæ.*
[i] *Græc. erroris.*
[k] *Græc. in medio fratrum.*
[4] i. antequam vir bonus obtineat principatũ & honorés sortiatur apud Deũ, tamen tam est in pretio quàm magistratus ullus; ut contrà qui dignitatem obtinet, si improbus est, nullius est pretii.

 est

est principatus.
25 Divitis & gloriosi, ac pauperis, horum glo-
riatio *est* reverentia Domini.
26 Non est justum ut pauper intelligens affi-
ciatur ignominia, neque convenit gloria affici
[5] virum peccatorem.
27 Magnates quidem, judicésque, & poten-
tes afficiuntur gloria, sed non est eorũ quisquam
major eo qui reveretur Dominum,
28 Famulo intelligenti ministrabunt liberi;
& vir scientia præditus quum eruditur, non ob-
murmurabit.
29 Ne sapientem age in opere tuo faciendo,
neque gloriosum age tempore angustiæ tuæ.
30 Nam melius est ei qui operatur & abun-
dat omnibus, quàm qui gloriosum agit & indiget
pane.
31 Fili, mansuetudine gloriam compara ani-
mæ tuæ, & da honorem ei prout digna est.
32 Eum qui peccat in animam suam quis ju-
stum pronunciet? & eum qui vitam suam afficit
ignominia quis ornet gloria?
33 Pauper afficitur gloria propter scientiam
suam, dives verò afficitur propter divitias suas:
34 Is autem qui in paupertate afficitur glo-
ria, quanto magis etiam afficeretur in divitiis?

[5] virum hoc loco ex Hebræorũ usu accipe, pro eo qui divitiis aut alia re præstat: atque hoc pacto constabit antithesis.

CAPUT XI.

1 SApientia humilis *viri* exaltabit caput ip-
sius, & [a] inter magnates faciet ut cõsideat.
2 Ne laudes [b] quemquam de pulcritudine ip-
sius, neque abomineris [c] ullum ex aspectu ipsius.
3 Parva *est* inter volucres apis, sed princi-
patus *est* condimentorum dulcium fructus illius.
4 De amictu vestimentorum ne glorieris, &
[1] die honoris ne extollaris; nam admirabilia
sunt opera Domini, occultáque opera ejus ho-
minibus.
5 Tyranni multi resederunt [d] humi, & is de
quo nulla fuerat suspicio, gestavit diadema.
6 Multi potentes ignominia valde affecti
sunt, & gloriosi traditi in aliorum manus.
7 Priusquàm perquisiveris, ne crimineris:
cognosce primùm, atque tum increpa.
8 Priusquàm audiveris, ne respondeas; &
in medium sermonum ne immittas verbum.
9 De re quæ [e] non attinet te ne litiges, & in
judicio peccatorum ne consideas.
10 Fili, ne in multis occupentur actiones tuę;
nam si multis incubueris, non eris innocens; & si
persequaris *multas* minimè consequeris; & si au-
fugeris, minimè effugies.
11 Est qui defatigatur laborans & festinans,
atque eo magis deficitur.
12 Est ignavus indigens sublevatione, defici-
ens robore, & abundans paupertate, quem ocu-
lus Domini [f] beneficentissimè intuetur, & quem
erigit ex abjectione ipsius,
13 Cujus exaltavit caput e contritione, & de
quo multi contemplantes admirati sunt.
14 Bona & mala, vita & mors, paupertas di-
vitiæque sunt a Domino.
15 Sapientia, scientiáque, & cognitio legis a
Domino; charitas & viæ bonorum operum ab eo
sunt.
16 Error & tenebræ creatæ sunt [2] cum pec-
catoribus; sed qui exsultant in malis, cum eis
malum consenescit.
17 Donum Domini permanet piis, & bene-
volentia ejus successum bonum confert in secu-
lum.
18 Est qui ditescit attentione & parsimonia
sua: [3] atq; hæc portio ipsius *est* e mercede ipsius,
19 Quòd quum dicit ille, inveni requiem &
jam comedam indesinenter de bonis meis, nescit
tamen quale tempus præteribit ipsum, ut ea re-
linquat aliis moriens.
20 Consiste in [4] fœdere tuo, & versare in illo,
atque in opere tuo veterasce.
21 Ne admireris opera peccatoris, sed crede
Domino, & permane in labore tuo.
22 Nam leve *est factu* in oculis Domini, ut
quàm citissimè ditet pauperem.
23 Benedictio Domini *est* in mercede pii, qui
hora cita progerminat benedictionem ipsius.
24 Ne dicas, quæ est utilitas mihi [g] ab officio?
& quæ deinceps mihi futura sunt bona?
25 Ne dicas, sufficiunt mihi, & *satis* multa sunt
mihi quę habeo, quid ergo deinceps affligem me
in vita mea?
26 [5] Tempore bonorum *est* malorum obli-
vio, & tempore malorum non *est* bonorum re-
cordatio:
27 Nam facile *est* coram Domino, ut die
mortis reddat homini secundùm opera ipsius.
28 [6] Afflictio horæ oblivionem deliciarum ef-
ficit, hominis verò consummationem revelatio
operum ipsius.
29 Ante mortem beatum ne prædices quem-
quam; etiam de liberis suis vir agnoscitur.
30 Ne quemvis hominem inducas in domum
tuam: nam multæ *sunt* insidiæ diaboli.
31 Ut perdix venatrix in cavea, ita *est* cor su-
perbi, & velut speculator invadens ad ruinam:
32 Nam bona in mala convertens insidiatur,
etiam iis qui stant a suis partibus imponit macu-
lam.
33 E parva scintilla multæ conficiuntur
prunæ, & homo peccator in sanguinem insidia-
tur *multum*.
34 Attentè cave a malefico: nam res pravas
fabricatur, ne quando indat tibi maculam in se-
culo *duraturam*.
35 [7] In domum recipe alienum, & te perver-
tens conturbatione abalienabit te a rebus quæ
tibi propriæ sunt.

[a] *Græc. in medio magnatum.*
[b] *Græc. virum.*
[c] *Græc. hominẽ: sic deinceps.*
[1] Id est, quemadmodum considerato homine indignum est ut se de suis vestibus efferat, ita etiam indignum est ut de honoribus glorietur, quum tam varii a Deo subministrentur exitus.
[d] *Græc. in pavimento.*
[e] *Græc. non est tibi.*
[f] *Græc. ad bona.*
[2] id est, cum omnibus hominibus qui a natura peccatores sunt, sed alii sapientiam a Deo obtinent præcedente vers. alii in naturali sua constitutione veterascunt.
[3] videlicet quæ exponitur sequente versu.
[4] videlicet quod tu cum Deo inivisti & accepta ab eo promissionum fide confirmasti te in functione tua permansurum: ut exponitur sequente v.
[g] *Græc. placiti.*
[5] hic versus ad verba quoque præcedẽtia pertinet illius hominis qui dicit se usurum rebus præsentibus, & quandoquidem sibi bona adsunt se mala oblivione sepulturum & de illis tum demum fore sollicitum quum supervenerint. quę verba redarguuntur sequentib.
[6] comparatio est a minore ex præcedente hypothesi: si ita est ut dicis (inquit) tempore malorũ non esse boni recordationem & unius horæ afflictionem afferre deliciarum omnium oblivionẽ, quid ergo futurum putas quum in judicio suo opera hominis revelabit Deus?
[7] ironicôs principiũ versus accipiendum est. Alluditur autem ad proverbium, qui canem alit externam, &c.

CAPUT XII.

1 [1] QUando benefacis cognosce cui facias,
& [a] referetur gratia tuis beneficiis.
2 Benefac pio, & retributionem conseque-
ris; quòd si non ab ipso, at ab altissimo.
3 Non erunt bona ei qui assiduè incumbit
in mala, & qui misericorde beneficentia non
gratificatur; da pio, ac ne peccatorem susci-
pias.
4 Benefac humili ac ne des impio, impedito
panes tuos, ac ne des ei, ut non illis potestatem
in te comparet: nam duplicia mala [b] comperies
obvenire tibi pro bonis omnibus quibus eum affe-
ceris.
5 Nam etiam altissimus peccatores odit, &
piorum gratia redditurus est ultionem; sed cus-
todit eos ad diem illum validum ultionis eorum;
da viro bono ac ne suscipias peccatorem.
6 [1] Non ejicitur secundis rebus amicus iste,
sed non occultus erit in adversis inimicus.
7 Secundis rebus alicujus tristes *sunt* inimi-
ci ejus adversis autem illius etiam amicus sepa-
ratur.
8 Ne credas inimico tuo in seculum.
9 Nam sicut æs affert æruginem, sic etiam

[a] *Græc. erit.*
[b] *vel reperies tibi.*
[1] Hic versus de improborũ amicitia dicitur hoc modo, quum bene est, non agnoscuntur amici infidi, ac proinde ejici nõ possunt: sed rebus adversis non erit obscura illorũ inimicitia: quod argumentum hoc toto capite exornatur.

[2] pravitas

[2] pravitas illius.

10 Etiam si abjiciat se & inflexus ambulet, insiste animæ tuæ & custodi ab illo *ipsam*: sic eris erga ipsum tamquam qui abstergit speculum & cognosces [3] non intulisse æruginem ad extremum usque.

11 Ne statuas eum apud te ipsum, ne quando quum subverterit consistat in loco tuo; ne collo-ces eum ad dexteram tuam ne quando sedem tuam quærat occupare, & [c] tandem cognoscas sermones meos & pungaris verbis meis.

12 Quis misereatur incantatoris a serpente morsi, aut omnium accedentium bestiis? sic hominis peccatorem accedentis & sic [d] admiscentis peccatis ejus *nemo misertus est*.

13 Horam *unam* tecum permanebit in statione justa; sed si declinaveris, nequaquam perdurabit:

14 Ac labiis quidem suis aget suavem inimicus, sed in animo suo versabit consilia te in foveam evertendi:

15 Oculis suis lacrymabitur, sed si occasionē invenerit non poterit impleri sanguine; mala si obveniant tibi, ibidem priorem quam te invenies illum, & quasi velit succurrere supplantabit calcem tuum.

16 [4] Caput suum movebit, & applaudet manibus, & hic illic susurrabit multa, ac vultum suum commutabit.

[2] nempe vitium affert amicitiæ, ut æs rebus adjunctis æruginem.
[3] id est, experieris hac cautione adhibita non fore tibi damnosam illius æruginem, quam alioqui ex diuturno contagio contracturus esses.
[c] Græc. in extremis.
[d] Græc. unà fermentati.
[4] id est, te eversum ludificabitur, nec amplius dissimulabit odium: loquutiones sunt parœmiacæ, ut 2.Reg. 19. Psal. 22. & alibi passim.

CAPUT XIII.

1 Qui attrectat picem, inquinabitur ea; & qui communicat cum superbo, similis fiet ei.

2 Pondus [a] superans vires tuas ne tollas in vita tua, & cum eo qui robustior est te aut ditior te ne communices.

3 Quid communicatura esset olla cum lebete? illa si allidet, eadem conteretur.

4 Dives quum injuriam fecit, [b] rogatur tamen; pauper quum injuriam fecit, hic etiam minatur ampliùs.

5 [1] Si utilis fueris, [c] opera tua utitur; quòd si deficiaris, afflicturus est te.

6 Et si habueris, convictor erit tuus; quúmq; exhauserit te, tum non laborabit ipse.

7 Si opus te habuerit, & seducet te arridens tibi, & faciet tibi spem alloquens te bonis *verbis* & dicens, quid opus *est* tibi?

8 Sed pudore afficiet te [2] cibis suis bis aut ter *oblatis*, donec exhauserit te, & [d] tandem deridebit te; ac posteà videns te derelinquet te, & caput suum movebit adversum te.

9 Attentè cave ne seducaris mente,

10 Et ne abjiciaris [3] hac lætitia cordis tui.

11 Accersente potentiore te, esto ut qui subducit se; & eo magis te perget accersere.

12 Ne irruas, ut non detrudaris nullo judicio habito; & ne longè absistas, ut non tradaris oblivioni.

13 Ne des operam ut ex æquo alloquaris eū, & ne credas pluribus verbis ejus: nam multa loquutione probaturus est te, & tamquam arridens perquisiturus res occultas tuas.

14 [4] Immisericors est qui non custodit sermones: nam afflictioni tuæ & vinculis non parciturus est.

15 Conserva & attende valde ut audias, nam cum casu tuo obambulas.

16 Audiens ista, [5] in somno tuo vigila.

17 Tota vita dilige Dominum, & invoca eum ad salutem tuam.

18 Omne animal diligit simile sibi, & omnis homo diligit [6] propinquum sibi.

19 Omnis caro congregatur cum suo genere, & ad similem sibi agglutinatur vir.

20 Quid communicaturus esset lupus cum agno? similiter peccator cum pio?

21 Quæ pax esset hyenæ cum cane? & quæ pax diviti cum paupere?

22 Ut venationes leonum sunt onagri in deserto, ita pascua divitum *sunt* pauperes.

23 Ut abominationi *est* superbis abjectio, ita *est* abominationi apud divitem pauper.

24 Dives [7] jactatus statuminatur ab amicis, pauper verò cadēs ampliùs ab amicis depellitur.

25 Divitis collapsi multi sunt defensores; quū res tacendas eloquutus est, tamen justum ipsum pronunciant:

26 Si humilis lapsus est, increpatur ipse; *si* enunciaverit [e] verbum intelligentiæ, non tamen tribuitur ipsi locus.

27 Divite loquente omnes silent, etiam sermonem ejus exaltaverunt ad nubes usque.

28 Paupere loquente dixerunt, quis iste *est*? & si offenderit ampliùs, subvertere solent ipsum.

29 Bonæ *sunt* divitiæ quibus non inest peccatum, & mala paupertas in ore impii.

30 Cor hominis mutat vultum ipsius, sive ad bona *spectet*, sive ad mala: nam animus in delectatione virescens bonum vultum efficit.

31 Vestigium cordis [8] in bonis *versantis* est vultus virens, inventio autem parabolarum est [f] laboriosa cogitatio.

[a] Græc. supra te.
[b] Græc. rogant ipsum: Hebraism.
[1] Apostrophe ad pauperem.
[c] Græc. operatur in te: Hebraismus.
[2] id est, uno aut altero convivio obstringet te ita ut pudori futurum sit tibi, nisi operam tuam universam ei cōmodaveris arbitratu ejus.
[d] Græc. in ultimis.
[3] i. hac inani honoris specie, qua te imprudentem videtur primùm lætitia perfundere.
[4] puta in se ipsum. q. d. qui verba non temperat & liberat coram potentioribus, is vitæ suæ pessimè consulit.
[5] i. quisquis cū potentioribus versaris, etiam tum quum dormis istud documentum meum cogitare debes.
[6] id est, conditione non absimilem.
[7] vel ejectus procellis & rerum adversarum fluctibus.
[e] Græc. intelligentem.
[8] i. quòd jamq; bona præsentia percipis & iis cum delectatione fruitur: cui commodo ex adverso opponitur parabolarum inventio, i. quum torquendus est animus in dictis excogitandis, aut rebus pervestigandis quæ fugiunt nos.
[f] Græc. cum labore.

CAPUT XIIII.

1 Beatus *est* vir qui non labitur ore suo, ac non pungitur peccatorum multitudine:

2 Beatus quem non condemnat anima ipsius, & qui non decidit de spe sua in Dominum.

3 Viro [a] sordido non *sunt* bonæ divitiæ, & viro invido quorsum pecuniæ?

4 Qui colligit [b] subtrahendo animæ suæ, colligit aliis; & de bonis illius facient delicias alii.

5 Qui sibi ipsi malus est, cuinam erit bonus? non enim lætatur de pecuniis suis.

6 Non est pejor eo qui sibi ipsi invidet, atque hæc retributio *est* malitiæ illius.

7 Nam si benefecerit *sibi*, invitus facit, & [c] tandem declarabit malitiam suam.

8 Invidus ad aspectum oculi malus *est*, avertens faciem, & despiciens animas.

9 Avari oculus non impletur parte, & injustitia improbi exsiccat animam ipsius.

10 Oculus malus invidet pani, & indigens *est* in mensa sua.

11 Fili, prout habueris, tibi ipsi benefacito, & oblationes dignè offerto Domino.

12 Memento mortem non tardare, & pactum [d] cum sepulcro non fuisse demonstratum tibi.

13 Antequàm moriaris benefac amico, & pro facultate tua extendo *beneficium* & dato ei.

14 Ne defrauderis die bono, & pars cupiditatis bonæ ne prætereat te.

15 Nónne alteri relicturus esses labores tuos, & defatigationes tuas [e] divisuris hæreditatem?

16 Da & accipe, & [f] sanctè regito animam tuam:

17 Nam non est in sepulcro cur alimentum quæras.

18 Omnis caro tamquam vestimentum veterascit:

[a] Græc. parvi verbi.
[b] Græc. ab anima sua.
[c] Græc. in ultimis.
[d] Græc. sepulcri.
[e] Græc. in divisionis hæreditatis.
[f] Græc. sanctifica.

rascit: nam hæc constitutio *est* inde a seculó,
g omnino moriturus es.

g *Græc. morte.*

19 Quemadmodum folium virens in densa
arbore illud abjiciente & hoc producente, ita
etiam *se habet* generatio carnis & sanguinis: illa
moritur, hæc verò gignitur.
20 Omne opus putrescens deficit, & cum eo
abiturus est opifex illius.
21 Beatus vir qui cum sapientia res honestas
meditatur, & qui intelligentia sua res sanctas
differit;
22 Qui considerat vias suas cum corde suo,
etiam res occultas [1] illius percipiet mente: [h] per-
sequere illam ut vestigator, & [i] velut insidiator
vias illius explora.
23 Qui flexus inspicit per fenestras illius, &
ad januas illius auscultat.
24 Qui versatur proxime domum illius, &
pangit ad muros illius palum, statuens tento-
rium suum ad manum illius:
25 Hic diversabitur in diversorio [2] bonorum,
ponet liberos suos sub tegmine illius, & sub ra-
mis illius acquiescet.
26 Protegetur ab illa adversus æstum, & in
gloria illius diversabitur.

1 Puta sapientiæ, de qua sequentia omnia dicuntur per allegoriam elegantissimam, ut est Proverb. 9.
h *Græc. exi post illam.*
i *Græc. insidiare viis illius.*
2 id est, quo in diversorio omnia bona à Deo circumfluunt.

CAPUT XV.

1 QUi reveretur Dominũ facturus est [1] ista,
& potitus cognitione legis adipiscetur
illam:
2 Quæ tamquã mater occurret ipsi, & tam-
quam [a] virginalis conjunx excipiet ipsum.
3 Cibabit ipsum pane intelligentiæ, & bi-
bendam præbebit ipsi aquam sapientiæ.
4 Statuminabitur super illam, ac minimè
inclinabitur; & incumbet illi, ac minimè pudore
afficietur,
5 Nam efferet eum supra proximos ipsius, &
in medio Ecclesiæ aperiet os ejus.
6 Lætitiam & coronam exsultationis adipis-
cetur, & nomen æternum erit hæreditarium ei:
7 Nequaquam verò homines insipientes il-
lam apprehensuri sunt, & viri peccatores neuti-
quam visuri illam,
8 Procul abest a superbia, & viri mendaces
non faciunt mentionem illius.
9 Non *est* speciosa laus in ore peccatoris,
quoniam a Domino non est immissa ei.
10 Nam per sapientiam prædicanda est laus,
& Dominus prosperum ei successum daturus est.
11 Ne dicas, per Dominum factum est ut de-
ficerem; nam quæ odio habet ea non faceres.
12 Ne dicas, ipse finxit me; nam non habet
opus viro peccatore.
13 Omnem rem abominandam odit Domi-
nus: itaque [b] non amatur *illa* ab iis qui reve-
rentur ipsum.
14 Ipse à principio quum fecit hominem per-
misit ipsum consilio ipsius, *dicens*; si voles, cu-
stodies mandata & fidem, faciendo quod pla-
cet.
15 Apposuit tibi ignem & aquam, ad utrum
volueris extende manum tuam.
16 [2] Coram hominibus est vita & mors:
17 Et utrumcumque placuerit dabitur ipsi.
18 Nam multa *est* sapientia Domini, & vali-
dus *est* potentia & videns omnia,
19 Et oculi ejus intuentur eos qui reverentur
ipsum, & ipse cognoscit omne opus hominis.
20 Non præcepit cuiquam ut faciat impiè,
nec dedit cuiquam peccandi licentiam.

1 Quæ antè dicta sunt inde a versu 21.
a *Græc. virginitatis.*
b *Græc. non est amata.*
2 id est, humano genere in Adamo. hic autem frequentes anastrophæ sententiam illuminant.

CAPUT XVI.

1 NE expetas inutilem liberorum multitudi-
nem, neque læteris de filiis impiis, si mul-
ti fuerint: ne læteris de ipsis, nisi adsit ipsis reve-
rentia Domini.
2 Ne fidenter incumbas vitæ illorum, neq;
innitaris illorum multitudine:
3 Præstat enim justus unus *aliis* mille,
4 Et mori sine liberis quàm impios habere
liberos.
5 Nam ab uno intelligente [a] instrui civitas
habitatoribus potest, impiorum verò tribus citò
desolabitur.
6 Multa hujusmodi vidit oculus meus, & po-
tentiora his audivit auris mea.
7 In congregationem peccatorum accen-
ditur ignis, & in gentem contumacem exardes-
cit ira.
8 ‖ Non fuit placatus in omnes illos veteres
gigantes, qui defecerant robore insipiente suo:
9 ‖ Non pepercit vicinitati Loti, quos abo-
minatus est propter superbiam ipsorum:
10 ‖ Non misertus est gentis [b] perditæ eorum
qui procedebant cum peccatis suis quæ [c] perpe-
traverant:
11 Atque ita sexcenta millia peditum quæ
collecta fuerant, in duritia cordis ipsorum flagel-
lans, miserans, verberans, curánsq; Dominus mi-
sericordia & eruditione conservavit; nam si quis
fuerit dura cervice in populo, mirandũ est istud
si impunè tulerit:
12 Misericordia enim & ira sunt apud illum.
13 Celeriter princeps est [d] placidissimus aut
effundens iram: prout est multa misericordia e-
jus, ita etiam reprehensio ejus; quemque secun-
dùm opera ipsius judicaturus est.
14 Non effugiet cum rapina peccator; ac mi-
nimè deficiet pii tolerantia.
15 Omni misericordi beneficentiæ da locum:
nam quisque secundùm opera sua inventurus est.
‖ Dominus induraverat Pharaonem ne cognosce-
ret ipsum, ut agnoscerentur efficacitates ipsius
rebus creatis sub cælo: omni creaturæ misericor-
dia ejus manifesta est, nam lucem suam ac tene-
bras [1] adamante dispescuit.
16 Ne dicas, a Domino abscondar & apud
excelsum quis mei memor futurus est?
17 In populo [e] quamplurimo nequaquam e-
rit recordatio mei: nam quæ *est* anima mea [f] in-
ter res creatas immensas?
18 Ecce cælum & cælum [g] summum, abyssus,
& terra, & quæ in eis sunt, ad aspectum ejus cõ-
moventur; totus mundus qui factus fuit & qui
est, [2] ad voluntatem ejus.
19 Unà montes ipsi & fundamenta terræ, re-
spiciente ad ea Domino, concutiuntur tremore.
20 Neque condignè cor de istis cogitare po-
test: nam vias illius quis percipiat animo?
21 [3] *Est* procella quam nemo videre potest;
verùm plurima ipsius opera sunt in abditis.
22 Opera justitiæ ejus quis annunciare, aut
quis sustinere possit? nam [4] longè *est* fedus ipsum
& exquisitio *rerum* omnium in morte.
23 Qui submittit se, cogitat ista; sed vir insi-
piens res stultas seductus cogitat.
24 Audi me, fili, & disce scientiam, atque ad
sermones meos attende [h] animo tuo.
25 Ostendam [i] pensitatè eruditionem, & ac-
curatè enunciabo scientiam ejus.
26 Nam ex judicio Domini *sunt* opera ejus
inde

a *Græc. cohabitabitur civitas.*
‖ *Gen. 6.*
‖ *Gen. 19.*
‖ *Exod. 14.*
b *Græc. perditionis.*
c *Græc fecerant.*
d *Græc. placationum.*
‖ *Exod. 9.16.*
1 id est, firmissimè & validissimè: nam adamantinum ex natura gemmæ appellamus quicquid invictũ est & robustissimum, ut Ismenias apud Plutarchum dicit amoris inter populares vincula esse adamantina ad rempubl. continendam.
e *Græc. plure.*
f *Græc. in immensa creatura.*
g *Græc. cæli.*
2 puta commovetur: quod ἀπὸ κοινοῦ oportet repeti.
3 comparatio est à minore, & sensu integerrimo.
4 id est, ne tum quidem quum ad tempus mortis pervenit homo, aut fedus Dei perfectè comprehendere, quantumvis sit eruditus ac pius, aut opera perquirere & pervestigare potest; quemadmodum sapiens in Ecclesiaste docet.
h *Græc. corde.*
i *Græc. in pondere eruditionem & in accuratione.*

inde à principio; & [k] ex quo facta sunt, disposuit
partes eorum.
27 Ornavit in seculum opera sua, prout in
manu ejus sunt principia illius in [l] generationem
quamque: neque esurierunt neque fatigata sunt
[5] in opificiis ejus, neque defecerunt ab operibus
ejus.
28 Alterum non fuit alteri angustiæ,
29 Et in seculum usque non sunt immorigera
sermoni ejus:
30 Nam [6] postea in terram respiciens Domi-
nus implevit eam bonis suis.
31 [m] Cadaver omnis animantis tegit superfi-
cies illius, & in illam [n] revertuntur ipsa.

k Græc. a factura ipsorum.
l Græc. generationes generationum.
5 id est, quo tempore creabat Deus, nihil effecerunt omnia; sed tantùm fuerunt præstò ad mandatum Dei.
6 nimirũ quàm creata sunt à Deo.
m Græc. animã: ut Levit. 21. 1.
n Græc. reversio ipsorum est.

CAPUT XVII.

1 DOminus creavit è terra hominem,
2 Et rursus in eam convertit ipsum.
3 Dies [a] numeratos & præfinitum tempus
dedit ipsis, quum daret ipsis potestatem in ea quæ
super terram sunt:
4 Et induens eos robore [b] pro conditione ip-
sorum, secundùm imaginem suam fecit ipsos:
5 Imposuit timorem ejus cuilibet carni, ut
bestiis & volucribus dominaretur.
6 Sed partem tribuens in *sua* similitudine
[1] [c] sextò loco dedit ipsis mentem, [d] septimóq;
sermonem ad interpretationem efficacitatum e-
jus;
7 Consilium, & linguam, occulósq;, aures,
& cor dedit ad cogitandum illis; scientia intelli-
gente implevit eos, bonáq; & mala demonstravit
eis;
8 Adhibuit oculum suum ad corda eorum,
dedit ut per secula gloriari possint de *factis* mira-
bilibus ipsius; ut intelligenter enarrent opera ip-
sius;
9 Et [e] nominatissimam sanctificationem ip-
sius electi laudent:
10 Adjecit eis scientiam, & legem vitæ hære-
ditariam dedit eis, ut percipiant animo se nunc
mortales esse:
11 Fœdus [f] perpetuum statuit cum eis, & judi-
cia sua demonstravit eis.
12 Magnificam gloriã viderunt oculi eorum,
& [g] gloriosam vocem ejus audivit auris eorum,
quum diceret eis,
13 [h] Attentè cavete ab omni injustitia, &
[2] mandata eis singulis de propinquo daret.
14 Non sunt absconditæ ab oculis ejus viæ il-
lorum; perpetuò sunt ei expositæ; sed omnis
homo a juventute ad res malas *spectat*: itaque
[3] non potuerunt corda sua pro lapideis facere
carnea.
15 Nam [i] [4] quum dividerentur gentes totius
terræ, unicuique genti constituit ducem; sed
assumsit Jisraëlem [k] pro parte sua; quem ut
primogenitus est nutrit eruditione, & in partem
communicans lucem dilectionis non dimittit
eum.
16 Quapropter omnia opera ipsorum sunt
tamquam sol coram illo, & oculi illius assiduè in-
tuentur vias ipsorum.
17 Non fuerunt occulta ab eo injusta ipsorum
facta, sed omnia peccata ipsorum exposita fue-
runt Domino; Dominus verò, qui bonus est &
agnoscit figmentum suum, neque dimisit eos, ne-
que reliquit [l] quia parceret ipsis.
18 Nam [3] misericordia [m] in virum *est* tamquam
sigillum penes ipsum, & gratiam [n] erga hominem
velut pupillam conservat, impertiens filiis suis

a Græc. numeri.
b Græc. secundum ipsos.
1 Nempe post quinque αἰσθητήρια, id est, sensus instrumenta, quæ cum reliquis animantibus homini sunt communia.
c Græc. sextum.
d Græc. septimũ.
e Græc. nomen sanctificationis.
f Græc. seculi.
g Græc. gloriam vocis.
h Græc. attendite.
2 sed hoc potest unus qui promisit Deus Jechezk. 11. 19. & 36. 26.
i Græc. in divisione gentium.
4 Deut. 32. 8.
k Græc. filius partem.
l Græc. parcens.
3 hanc germanam esse hujus versus interpretationem nobis tacentibus cõfirmant adjuncta omnia. sensus est, Deum arcano suo consilio habere obsignatam misericordiam suam, qua isos in gratiam acceptum & velut pupillã oculi conservatum est.
m Græc. viri.
n Græc. hominis.

filiabúsq; resipiscentiam, posteà verò exsurgens
retribuet ipsis, retributionem inquam ipsorum at-
tribuet in caput ipsorum.
19 Verumtamen resipiscentibus conversio-
nem dedit, & revocavit eos qui tolerantiam de-
serebant.
20 Revertere igitur ad Dominum, & relinque
peccata: precare [o] in os, & minus offende.
21 Reduc *te ipsum* ad altissimum, & converte
ab injustitia: nam ipse dux futurus est è tenebris
ad illustrationem [p] salutarem:
22 Et valde odio habe rem abominandam.
23 Altissimum quis laudet in sepulcro, loco
viventium & edentium celebrationem?
24 A mortuo, tamquam si non esset, perit ce-
lebratio.
25 Vivens & incolumis corde laudat Dominũ,
26 Magnam esse misericordiam Domini Dei
nostri, & placationem revertentibus ad ipsum
sanctè:
27 [4] Non enim posse omnia inesse hominibus,
quum non sit immortalis filius hominis.
28 Quid lucidius sole? at hic tamen deficit:
[5] item vir qui cogitat carnem & sanguinem.
29 Potentiam [q] quidem altissimi cæli [6] ille
considerat, sed homines omnes sunt terra &
cinis.

o Græc. ante faciem, & minue offendiculum.
p Græc. salutis.
4 ac propterea illos Dei misericordia opus habuisse.
5 q.d. quum sol ipse quantacumque sit luce præditus amittat eam, non mirum est si homo quoque deficit, qui nihil nisi humanum à natura, sapit humano & carnali modo.
q Græc. altitudinis cæli.
6 nempe qui vivit & incolumis est corde, vers. 25. hic quidem Deum agnoscit, ad quem omnis potestas in cælo terráq; pertinet; sed hoc a gratia, non autem ex natura est. qui enim posset terra & cinis supremam cæli potestatem agnoscere?

CAPUT XVIII.

1 QUi vivit in seculum, is creavit omnia
[1] communi lege,
2 Dominus, solus justus, cùm non sit præter
eum alter; qui fecit habitabilem mundum palmo
manus suæ, cujus voluntati obediunt omnia: nã
ipse rex omnium est, distinguens in eis potentia
sua a prophanis res sanctas.
3 Cuinam [a] contulit ut enunciet opera ipsius?
aut quis pervestigavit magna ipsius facta?
4 Robur majestatis ipsius quis enumeret? &
quis propositurus sit [b] enarrationem miseratio-
num ejus?
5 Non possunt minuere aut addere, neque
pervestigare possunt *homines* mirabilia *opera* Do-
mini.
6 Quum absolverit homo, tum principium
est; quúmq; desiverit, tum dubitaturus est *unde
incipiat*.
7 Nam quid *est* homo? & quis usus illius?
quodnam *est* bonum illius? & quod malum il-
lius?
8 Numerus dierum hominis, ut sint plurimi,
est annorum centum: sed [c] cuique præfinitum
obdormiendi tempus omnium ratiocinio non
potest computari: tamquam gutta aquæ è mari,
& tamquam calculus arenæ, ita sunt mille anni
inter dies seculi.
9 Propterea longanimus est Dominus erga
illos, & diffundit misericordiam suam in illos.
10 Vidit & agnovit exitum eorum malum fu-
turum esse:
11 Propterea copiosam adhibuit placationem
suam.
12 Misericordia hominis *est* erga proximum
suum:
13 Misericordia verò Domini erga omnem
carnem.
14 Arguens, erudiensque, docens, & conver-
tens, ut pastor gregem suum.
15 Excipientium eruditionem miseretur, &
festinantium ad judicia ejus.
16 [2] Fili, [d] secundis rebus utens ne præbeas
reprehen-

1 Nempe rebus creatis omnibus, ut ortum & interitum habeant: & penes ipsum solum in rebus omnibus constat perfectio, ut docent sequentia.
a Græc. effecit.
b Græc. enarrare.
c Græc. non supputabili autem omnib. numero est cujusque dormitio.
2 id est, vide ut secundis & adversis rebus, sive abundes sive indigeas, sive des sive petas, ut sermonem tuum temperes, & omnem offensam, avertas.
d Græc. in bonis ne des reprehensionem.

reprehensionis argumentum, neque in ulla ora-
tione molestiam sermonis improbi.
17 Nónne æstum sedat ros? sic melior est ser-
mo donatione.
18 Ecce nónne sermo superat donationem
bonam? at utrumque *est* penes hominem gratia
præditum.
19 Stultus ingratè exprobrat, & donum invi-
di tabefacit oculos.
20 Prinsquàm loquaris disce, & ante invale-
tudinem cura.
21 Ante judicium compara te ipsum ut bene-
facias, & hora animadversionis placationem
[e] consequeris.
22 Antequàm infirmeris, abjice te continen-
tia, & tempore peccatorum demonstra conver-
sionem.
23 Ne impedias quin reddatur tempestivè
votum, neque differas ad mortem usque [f] ut justè
facias.
24 Antequàm voveas, compara te ipsum; ac
ne esto similis viro tentanti Dominum:
25 Recordare indignationem [3] *venturam* die-
bus mortis, & tempus vindictæ *venturum* [g] quũ
faciem avertet Deus.
26 Recordare tempus famis tempore abun-
dantiæ, paupertatem & indigentiam [h] quando
eris dives.
27 A matutino ad vespertinum usq; commu-
tatur tempus, & omnia ista sunt cita coram Do-
mino: homo sapiens in re qualibet religiosè me-
tuet, & diebus peccatorum attentè cavebit a de-
licto; insipiens verò non observat tempus.
28 Omnis vir intelligens sapientiam & eru-
ditionem agnovit,
29 Et ei qui [i] adeptus est illam celebratio-
nem tribuit.
30 Qui intelligentes sunt ii quoque sermoni-
bus sapientiam testantur, & destillant parœmias
accuratas in vitam: [k] optima *est* fiducia in Do-
minum solum, [4] quandoquidem mortuum cor
adhæret rei mortuæ.
31 [l] Ne sequaris concupiscentias tuas, sed
prohibe *te* a tuis appetitionibus.
32 Si suppeditaveris animo tuo rem quam
concupiscit, quæ lubet ipsi; facies [m] ut gaudeant
inimici tui de eo, qui invident tibi.
33 Ne læteris de multis deliciis tuis, neque
requiras consilium illarum *adipiscendarum*.
34 Ne fias pauper convivia ex fœneratione
frequenter exhibendo, quum nihil est in mar-
supio tibi: etiam famosus esses insidiator tuæ ip-
sius vitæ.

e *Græc. invenies.*
f *Græc. justificari.*
3 nempe si temerè tentaveris Dominum, ut Ecclesiast. 5.
g *Græc. in aversione faciei.*
h *Græc. in die divitiarum.*
i *Græc. invenit.*
k *Græc. melior.*
4 ætiologiam hanc accipio hoc modo: Deus solus vivens, adeoq; vita ipsa est; ac proinde quisquis alteri quàm Deo confidit, non tantùm rem mortuam pro vivente amplectitur, sed etiam ipse jam eo mortuus est quòd dereliquit vitam.
l *Græc. ne eas post.*
m *Græc. gaudiũ inimicorum tuorum.*

CAPUT XIX.

1 OPerarius ebriosus non solet ditescere, &
qui nihili facit res parvas paulatim ruit.
2 Vinum & mulieres seducunt intelligentes;
& qui agglutinatur scortis, est audax:
3 Tineæ & vermes hæreditario jure possi-
debunt illum, & arescet [a] traductus in exemplum
infamiæ maximæ.
4 Qui verò credit *facilè*, levis *est* animo; &
qui peccat, in [b] se ipsum delinquit.
5 Qui lætatur de constitutione prava, con-
demnabitur; qui verò oculum contra voluptates
intentum habet, coronam parat vitæ suæ.
6 Qui compos est linguæ suæ, [c] cum altero
sine pugnis traducet vitam; & qui odit loquaci-
tatem, minimè afficitur malo.
7 Nunquam repetas sermonem, & nihil
tibi detrimento erit.
8 Ne enarra apud amicũ aut inimicum [d] ra-
tiones alienæ vitæ; & [1] nisi in te redundaturum
esset crimen peccati, ne reveles:
9 Nam qui audiverit te, & observaverit te, is
suo tempore odio habiturus est te.
10 Audivisti sermonem? moriatur apud te, &
bono animo esto; non enim rumpet te.
11 [e] A sermone stultus cruciatur doloribus, ut
a fœtu parturiens.
12 Ut sagitta fixa in femore hominis, [2] ita est
sermo in ventre stulti.
13 Argue amicum, ne quando fecerit; & si
fecerit, ne quando pergat:
14 Argue proximum, ne quando dixerit; & si
dixerit, ut non repetat:
15 Argue amicum; nam sæpe exsistit vana ca-
lumnia, & ne cuivis sermoni credito [f] animus
tuus.
16 Est qui labitur sermone, sed non ex animo;
ecquis autem est qui non sit lapsus lingua sua?
17 Argue proximum antequàm mineris, &
[3] concede locum legi Altissimi quum ira vacas.
18 Reverentia Domini [g] principium est quo
ad accipiendum *proximum* adduceris, & sapientia
ab eo dilectionem comparat: cognitio manda-
torum Domini *est* eruditio vitæ, & qui faciunt res
placentes ei percipiunt immortalitatis [h] fructum:
reverentia a Domino est tota sapientia, & omni
sapientiæ adest effectio legis & cognitio omnipo-
tentiæ ejus; [4] servus qui dicit Domino, ut placet
tibi non faciam; & si posteà faciet, irritat altorem
suum.
19 Improbitatis scientia non est sapientia; ne-
que est prudentia, ubi consilium peccatorum est.
20 [5] Est improbitas quæ eadem abominanda
est, sed est insipiens qui parum valet sapientia.
21 Præstat timidus qui trepidat in intelligen-
tia, eo qui abundat prudentia & transgreditur le-
gem Altissimi.
22 Est astutia accurata quæ ipsa injusta est,
& est qui pervertat gratiã in proferendo judicio;
sed qui justè judicia pronunciat hic sapiens est.
23 Est qui pravè agens flexus ambulat [i] pul-
latúsque; sed apud se plenus est ignito dolo.
24 Vnà quidem deflectit vultum, & surdum vo-
luntariè agit, sed ubi non cognoscitur [k] [6] prius te
afficiet malo.
25 Etiamsi præ tenuitate roboris impeditus
fuerit a peccando, si occasionem invenerit, affi-
ciet malo.
26 Ex aspectu cognoscitur vir, & ex [l] obvia
personæ specie cognoscitur qui valet mente.
27 Ornatus viri, & risus dentium, gressusq; ho-
minis enunciant constitutionem ejus.
28 Est redargutio quæ intempestiva est, & qui
tacet eam, is quoque prudens est.

a *Græc. in contradictione majore.*
b *Græc. animum suum.*
c *Græc. non pugnanti convivet.*
d *Græc. vitam alienam.*
1 Id est, nisi tu ipse dissimulando onerares te crimine, aut suspicione criminis.
e *Græc. a facie sermonis.*
2 i. non magis a stulto contineri potest quàm fœtus a parturiente, aut sagitta a transfixo homine.
f *Græc. cor.*
3 id est, ne priùs transversus abripiaris ira quàm ex proximo cognoveris id cujus nomine putabas irascendum.
g *Græc. principium acceptionis.*
h *Græc. arborem, metonymicè: Hebraismum.*
4 explicatio proximè precedentis dicti ab exemplo domestico: ut servus qui reveretur herum suum, sapit & facit voluntatem ejus agnoscens imperium ejus; sic etiam pius hos officiorum gradus prosequitur erga Deum & Dominum suum.
5 quasi dicat, scitè distinguendum est inter eos qui certa malitia improbè in peccatis se ipsos occupant, & eos qui animi imbecillitate abducuntur, quæ duo genera deinceps amplificantur.
i *Græc. pullatus.*
k *Græc. provenies tibi malefaciendo.*
6 nempe quum perceperit non cognosci a se.
l *Græc. occursu personæ suæ.*

CAPUT XX.

1 [1] QUemadmodum melius est redarguere,
quàm occultè indignari: sic qui redar-
guenti confitetur, a detrimento prohibebitur.
2 [2] Ut concupiscentia eunuchi de vitianda
puella, ita *est* quisquis vi exercet judicia.
3 Est tacens qui sapiens deprehenditur, &
est aliquis odiosus præ multa loquacitate sua.

1 Sensus est: utrumque [illegible] est, [illegible] [illegible] ces utrius libertas anteponenda sit, reprehendentis, an confitentis [illegible].
2 id est, corrumpuntur quidem judices; sed judicia ipsa ac potius justitia minimè: nam justitia non est ab hominibus, qui circumveniri possunt; sed a Deo, cujus integritas in dicendo jure non magis ab homine compugnari potest quàm ab eunucho impotentissimo virgo: quod enim [illegible], non aufertur judicio ipsius ineluctabili.

4 Est

4 Est tacens eo quòd non habet responsionem, & est tacens qui opportunitatem novit.

5 Vir sapiens taciturus est ad opportunitatem usque; procax verò & insipiens opportunitatem transilit.

6 Qui abundat sermone, abominationi est; & qui potentiam sibi arrogat, odio est.

7 Quàm pulcrum *est* hominem reprehensum declarare resipiscentiam! sic enim voluntarium peccatum fugiturus es.

8 Placent quidem mala viro peccatori, sed inventum est ad detrimentum ipsius.

9 Est donatio quæ tibi non profutura est; & donatio est cujus dupla futura est retributio.

10 Accidit diminutio propter gloriationem, sed est qui per humilitatem extulit caput.

11 Est qui parvo emit multa, sed illa persolvit septuplo.

12 Sapiens se ipsum reddit sermonibus amabilem, stultorum verò gratiæ effunduntur.

13 Donatio insipientis non est tibi si acceperis profutura, similiterq; etiam invidentis, propter necessitatem [a] ab eo impositam: nam oculi ejus *spectant* ut pro uno accipiant multa.

14 Pauca dabit, sed exprobrabit multa, & aperiet os suum tamquam præco.

15 Hodie mutuo dabit, & cras repetet, odiosus Domino & hominibus *vir* hujusmodi.

16 Stultus dicet: non est amicus mihi, non est gratia [b] beneficiorum meorum.

17 Qui comedunt [c] cibu meū sunt vani linguâ.

18 O quoties & quàm multi illum deriserunt! [3] nam neque illud quod habuit, [d] acceptum recto sensu dedit; neque similiter quod non habet ipsi perinde est.

19 Lapsus a pavimento tolerabilior *est* quàm lapsus a lingua: ita ruina malorum [4] studiosè adveniet.

20 Homo ingratis, [5] sermo intempestivus in ore rudium assiduè futurus est.

21 Ab ore stulti *prolata* reprobatur parabola; nequaquam enim dicit eam tempore suo.

22 Est qui vetatur peccare præ indigentia, ac ne in sua quidem quiete compungitur.

23 Est qui perdit se ipsum pudore, & quidem personæ observatione se ipsum perdit.

24 Est qui gratiam ex verecundia promittit amico, deinde gratis eum inimicum parat.

25 Labes mala *est* in homine mendacium, & in rudium ore assiduè versatur.

26 Optabilior *est* fur quàm [e] medax assiduus; utriq; verò perditionis hæreditatē consequentur.

27 Mores hominis mendacis sunt [f] ignominiosi, & pudor ejus comitatur ipsum assiduè.

28 Sapiens provecturus est se ipsum sermonibus, & vir prudens magnatibus placiturus.

29 Qui [g] colit agrum suum, altiorem faciet acervum suum; & qui magnatibus placet, veniam exorabit injustitiæ suæ.

30 Xenia & dona excæcāt oculos sapientū, & velut pastomis ori indita avertūt reprehēsiones.

31 [h] In sapientia occulta, & thesauro abdito, quænam *est* utrobique utilitas?

32 Præstat homo occultans stultitiam suam homini occultanti sapientiam suam.

33 Præstat tolerantia [i] infracta in quærendo Domino, homini suam ipsius vitam sine Domino [6] agitanti.

a *Græc. ejus.*
b *Græc. bonis meis.*
c *Græc. panem.*
3 id est, duobus nominibus in ludibrium illic traducitur: primum enim donum ipsius non est donum, quum aliâ mente donaverit quàm donatorem hilarem & gratiosum decet, deinde verò tam dolet datè donatis, quàm si in carcere minimè posuisset. hic autem duo sunt Hebraismi sententiâ meâ; in accipiendi verbo, quàm bene Hieronymus observavit, ut Exod. 25.2. deinde ellipsis negationis in posteriore membro.
d *Græc. accepit.*
4 ultro sese offert ac diligentissimè: metaphora.
5 i. hominis ingrati atque inepti sermones aliem sunt: sed appositio in verbo Hebræo gratiam habitura esset Latino sermoni insolens.
e *Græc. mendacem.*
f *Græc. ignominiæ.*
g *Græc. operatur terram.*
h *Græc. Sapientia abdita & thesaurus non apparens, quæ utilitas in ambobus?* pleonasmus Hebraicus.
i *Græc. non aversabilis.*
6 i. circumducens & quasi totus hinc illuc versans, instabilitate maxima.

CAPUT XXI.

1 FIlI, *quum* peccasti, ne pergas amplius; sed priorum causâ deprecare.

2 Tamquam [a] à serpente, fuge a peccato: nam si accesseris ipsum, mordebit te.

3 Dentes leonis *sunt* dentes ejus, tollentes animas hominum.

4 Similis gladio ancipiti *est* omnis iniquitas, plagæ illius non est curatio.

5 Insultatio & contumelia desolant divitias: ita superborum domus desolabitur.

6 [1] Precatio pauperis *ab* ore *ipsius* ad aures *solum* illius; sed judicium illius studiosè advenit.

7 Qui odit reprehensionem, vestigio insistit peccatoris; sed qui reveretur Dominum, convertetur ex animo suo.

8 Notus è longinquo est, qui valet linguâ; sed consideratus novit, quum ille labitur.

9 Qui ædificat domum suam pecuniis alienis, *est* qui colligit sibi ipsi lapides ad tumulum sepulturæ suæ.

10 Stuppa coacta *est* iniquorum cōgregatio, & [b] consumit eos flamma ignis ad perditionem.

11 Via peccatorum lapidibus quidem complanata est, sed in extremo ejus *est* mortis fovea.

12 Qui custodit legem Domini, tenet intelligentiam ejus.

13 Assumtio autem sapientiæ *est* consummatio reverentiæ Domini.

14 Non erudietur is qui non est [2] solers.

15 Solertia enim est quæ multiplicat *illi* [c] acerbitatem.

16 Cognitio sapientis velut inundatio multiplicari solet, & consilium ejus ut castus fons vitæ.

17 Intestina stulti similia sunt confracto vasi: ullam scientiam non tenent in vita sua.

18 Sermonem sapientem quū audiverit scitus, laudat eum & [d] [3] adhibet sibi; sin eum audivit qui caret intelligentia, & displicet ipsi & avertit eum post tergum suum.

19 Narratio stulti *est* tamquam onus in via: in labiis verò intelligentis invenitur gratia.

20 Os prudentis in Ecclesia requiri solet.

21 Tamquam domus deleta, ita *est* stulto sapientia: cujus sermones si cum animo reputentur, cognitioni hominis vacantis intelligentia sermones insunt quos nequeas perquirere.

22 [e] Pro pedicis *est* in pedibus dementium eruditio, & velut manicæ ad manum dexteram.

23 Stultus in risu extollit vocem suam, vir autem solers vix placidè arrisurus est.

24 Tamquam mundus aureus *est* prudenti eruditio, & tamquam armilla imposita brachio dextero.

25 Pes stulti [f] citò infertur in domum *alterius*, sed homo peritus multarum rerum pudore ab ea continebit se.

26 Imprudens a foribus flexus in domum introspicit, sed vir eruditus consistit foris.

27 Ruditas est hominis [g] quum auscultat ad fores, prudens verò ignominiam istā gravabitur.

28 Multiloquorum labia *res* narrant quæ non attinent ipsos, prudentum verò sermones staterâ ponderantur.

29 In ore stultorum *est* cor ipsorum, in corde autem sapientum est os ipsorum.

30 Quum exsecratur impius [4] satanam, is suam ipsius animam exsecratur.

31 Inquinat suam ipsius animam susurro; & ubicumque inquilinus fuerit, odio futurus est.

a *Græc. a facie serpentis.*
1 id est, quum pauper divitem contumeliosum deprecatur, aures quidē illius, sed animum minimè afficit; ac propterea judicium Dei contumeliosum hominem affecturum est duritiæ tantæ & inhumanitatis nomine.
b *Græc. consummatio eorum est flamma.*
2 nempe in custodienda lege Domini: nam hic versus & sequentes sunt duorum præcedentium exegetici.
c *Græc. amaritudinem.*
d *Græc. ad se apponit.*
3 i. sibi ipsi applicat; sic accipiendum docet antithesis.
e *Græc. compedes.*
f *Græc. cum in domo.*
g *Græc. auscultare.*
4 qui homicida est a principio, mendaciorum & impiorum pater.

CAPUT XXII.

1 LApidi conspurcato comparatur piger, & quisque exsibilat ignominiam ejus.

2 Stercori bubulo è sterquiliniis comparatur

tur piget, quem quisquis tollit, manum solet excutere.

3 Pudor patri est in genitura filii carentis eruditione, & filia *talis* ad detrimentum gignitur.

4 Filia prudens hæres viri sui futura est; quæ autem pudore afficit *eum*, ad tristitiam genitoris *afficit*.

5 Patrem virumq; pudore afficit audax, sed apud utrosq; ignominiosa futura est.

6 Musicorum *sonorum* in luctu narratio intempestiva *est*, flagella vero & correctio tempore sapientiæ.

7 Liberi qui cum vita bona educantur, suorum genitorum abscondunt ignobilitatem; liberi qui in contemtu & ruditate exsultant, inquinant nobilitatem cognationis suæ.

8 Conglutinat testam qui docet stultum, & excitat dormientes e profundo somno; narrat dormitanti qui narrat stulto: nam [a] consummata narratione dicet, quid est?

9 Mortuum defle, quia defecit *eum* lux; & stultum defle, quia defecit eum intelligentia.

10 Suavius defle mortuum, quia requievit:

11 Nam stulti vita [b] gravior est morte.

12 Luctus mortui septemdialis *est*, sed stulti ac impii *luctus perdurat* omnibus diebus vitæ ejus.

13 Cum insipiente ne habeas sermonem multum, neque ambules cum eo qui caret intelligentia: nam ut nullo sensu est, omnia tua nihili facturus est.

14 Cave ab illo ut molestiam non habeas, & [c] [1] quisquiliis ejus minime inquineris.

15 Declina ab illo & requiem [d] consequeris, & nequaquam securus esto in dementia ejus:

16 [2] Plumbo futurum esset aliquid gravius, & si quod aliud nomen est *rei alicui graviori* plumbo.

17 Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre, quam hominem vacantem intelligentia.

18 Coaxatio lignea devincta ad ædificium concussione non dissolvitur: ita cor stabilitum super [e] consulta cogitatione nullo tempore timore perterrebitur.

19 Cor fundatum super intelligente cogitatione *est* [3] velut ornatus [f] arenati in pariete xysti.

20 Valli in alto siti ex adverso venti, nequaquam mansuri sunt;

21 Ita cor meticulosum in cogitatione stulti ex adverso cujusque timoris minimè permansurum est.

22 Qui pungit oculum, elicit lacrymas; & qui pungit cor, provocat sensum.

23 Qui mittit lapidem in volucres, abigit illas; & qui probris afficit amicum, dissolvit amicitiam.

24 Si in amicum strinxeris gladium, ne despe-res: est enim [g] reconciliationis via.

25 In amicum si aperueris os, ne verearis; est enim componendi ratio, præterquam ex probro, superbiaq;, & arcani revelatione, & doloso ictu: ex his enim omnis amicus aufugit.

26 [h] Fide utere erga propinquum in paupertate *illius*, ut læteris rebus secundis illius.

27 Tempore afflictionis permane apud illū, ut cohæres sis hæreditatis illius: [4] neque enim semper [i] circumhærentem constitutionem oportet contemnere, neque admirabilis *est* dives qui non habet mentem.

28 Ante ignem *præit* vapor camini & fumus, sic ante [k] cædes convitia.

[a] *Græc. in consummatione.*
[b] *Græc. supra mortem est.*
[1] nempe in crassiendi lege ...
[c] *Græc. excussione.*
[1] id est, ne per ludibrium pedes excutiat contra te, & velut ramentis pedum in te conjectis te ipsum commaculet.
[d] *Græc. avenies.*
[2] i. si dissimulares secure dementiam stulti, tandem experientia cognosceres eam plumbo, & si qua alia res gravior plūbo nominari potest, longè graviorem esse, ut sequens versus explicat.
[e] *Græc. consilii.*
[3] id est, convenientissimum est, quemadmodum in xystis sive hypæthris ambulationibus atque gymnasiis convenientissimum est parietes arenato aut marmorato æquabili & politissimo incrustari.
[f] *Græc. arenatus.*
[g] *Græc. regressio.*
[h] *Græc. fidem posside.*
[4] id est, non decet virum bonum ex præsente specie temporibúsque judicare.
[i] *Græc. circumscriptionem.*
[k] *Græc. sanguines.*

29 Amicum protegere non erubescam, & a conspectu ejus nequaquam abscondam me;

30 Quod si mala mihi per ipsum evenerint, quisquis audiverit cavebit ab illo.

31 [5] O si quis inderet mihi ad os meum custodiam, & ad labia mea sigillum solers, ut non corruerem repente ab illa, & me non perderet lingua mea.

[5] optantis verba ex Hebræorum usu.

CAPUT XXIII.

1 Domine pater & dominator totius vitæ, ne derelinquas me in consilio [1] istorum, neque sinas me inter istos cadere.

2 (Quis institueret in cogitationem meam flagella, & in corde meo eruditione sapientiæ?) [2] ut in peccatis errore commissis tu mihi parcas Domine, & non sinas eorum contumelias qui ex professo peccatores sunt:

3 Ut non multiplicentur errores mei & abundent peccata mea ad concisionem; itaque corruam coram adversariis, & gaudeat de me inimicus meus, si quorum spes procul est a misericordia tua.

4 Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne tribuas mihi, & giganteum animum semper amove a servis tuis.

5 Spes inanes & cupiditates averte a me, & contine semper eum qui cupit servire tibi; ventris appetentia & concubitus ne occupent me, & animo impudenti ne tradas me famulum tuum.

6 Audite, liberi, eruditionem oris veracis; quam qui servabit, minime deprehendetur labiis ipsius.

7 In sua imprudentia intercipietur peccator, & convitiator superbusq; offendent illis.

8 Juramento ne assuefacias os tuum, & nominare sanctum ne assuescas.

9 [3] Nam quemadmodū famulus [a] non paucis vibicibus afficitur, de quo assiduè habetur quæstio; ita qui jurat & Deum semper nominat, a peccato minimè mundus erit.

10 Vir qui multum jurat plenus est iniquitate, & non abscedet a domo ejus flagellum.

11 Quum abundabit peccatum ejus in ipso, etiamsi despexerit, peccat [4] dupliciter.

12 Quod si inaniter juravit, justus non habebitur: nam implebitur domus ejus [b] inductis flagellis.

13 [5] Est sermo circumvestitus morte, ne deprehendatur iste in hæreditate Jahakobi.

14 Nam a piis omnia hæc abstitura sunt, qui in peccatis non involventur.

15 [5] Intemperanti juramento ne assuefacias os tuum: huic enim [c] culpa inest peccati.

16 Recordare patris & matris tuæ, nam inter magnates considebis,

17 Ne forte oblivioni tradaris coram illis, & consuetudine tua ipsius marcescas; velles enim te non natū esse, & diem exsecrareris partus tui.

18 Homo consuescens sermonibus [d] probrosis, omnibus diebus suis nequaquam erudietur.

19 [6] Duo genera [f] multum peccant, & tertium adducit iram:

20 Animus fervidus ut ignis ardens, qui non exstinguitur donec consumtus sit:

21 Homo scortator peccans in suo ipsius corpore, qui non desinit donec ignem accenderit.

22 Scortatori homini quilibet cibus suavis *est*, nequaquam cessaturus est donec moriatur.

23 Homo digrediens e cubili suo, dicens cum animo suo, quis videt me?

24 Tenebræ

[1] qui ex professo peccatores sunt, prout sequente vers. nominantur: relativum præiens antecedenti ex Hebræorū usu.
[2] i. ut non sinas me per errorem peccata committere, tamquam si parceres flagellis & eruditioni meæ, ac proinde me non domitum manu tua peccatis permitteres: sic accipiendū docent sequentia.
[3] ut justa sit comparationis hujus ratio, quo versus conjungendi sunt; quod quicumque non animadverterunt, plurimum in hujus loci interpretatione laborarunt. sensus est, servum de quo propter maleficia continua habetur quæstio, eodem loco habendum esse atque hominē juramentis deditū, utrumque reum esse peccati, hoc versu, & indefinenter flagellatum iri, v. seq.
[a] *Græc. non minuetur a vibice.*
[4] nempe quod peccat, & quod despiciens peccati gravitatem Deum ipsum despicit, & in peccatis magis ac magis involvitur.
[b] *Græc. inductionis.*
[5] nempe juramentū ejusmodi: nam in sermone de juramentis pergit usque ad vers. 18.
[c] *Græc. sermo peccati.*
[d] *Græc. sermo.*
[e] *Græc. probri.*
[6] hæc tria proponit deinceps ad finem usque capitis: hominē animo æstuanté, versu seq. adulterū, usq; ad v. 32. & adulteram, reliquo capite.
[f] *Græc. multiplicant peccata.*

24 Tenebræ circumstant me, & parietes tegunt me, & nemo videt me, quid vererer? peccata mea minimè recordabitur altissimus:
25 Cui timori *sunt* oculi hominum, quasi non noverit oculos Domini altissimi millies sole lucidiores esse,
26 Qui inspiciunt omnes vias hominum, & considerantes partes occultas usque,
27 Cui antequàm hæc omnia crearentur nota erant omnia, similiterq; postquam consummata sunt pervidet omnia:
28 Hic in plateis civitatis vindicabitur, & ubi non suspicatus fuerit deprehendetur.
29 Similiter etiam mulier relinquens virum suum, & [g] hæredes ex alio parans.
30 Etenim primùm non paruit legi Altissimi, ac secundò in virum suum deliquit, tertiò verò scortatione adulteravit, & ex alio viro præbuit liberos.
31 Hæc in Ecclesia producetur, & in liberos hujus animadversio erit.
32 Non mittent in diversum filii istorum radicem, & rami istius non ferent fructum:
33 Relinquet ad execrationem memoriam sui, & probrum istius non delebitur.
34 Ita cognoscent qui reliqui facti fuerint, nihil esse melius reverentia Domini, & nihil suavius eo qui attendit mandatis Dei.
35 Gloria magna *est* sequi Deum, & longitudo vitæ *in eo sita est*, [h] ut accipiaris ab illo.

[g] Græc. hæreditatem.
[h] Sap.3. & 4.
[h] Græc. te accipi.

CAPUT XXIIII.

1 SApientia [1] laudat [a] se ipsam, & in medio populi sui gloriatur.
2 In Ecclesia Altissimi os suum aperit, & coram potentia ejus gloriatur, *dicens*,
3 Ego ex ore Altissimi proveni, & tamquam nebula cooperui terram:
4 Ego in excelsis *locis* tentorium habui, & *fuit* thronus meus in columna nubis:
5 Rotunditatem cœli circuivi sola, & in profunditate abyssorum ambulavi:
6 In fluctu maris & in tota terra, atque in omni populo ac gente acquisivi:
7 Et apud hæc omnia quæsivi requiem, ut in hæreditate alicujus commorarer.
8 Tunc mandavit mihi creator omnium, & qui creavit me fecit ut requiescerer tentorium meum, dicens,
9 In Jahakobo tentorium pone, & hæres esto Jeruschalaimis.
10 Ante seculum à principio creavit me, & in secula minimè defectura sum, in tentorio sancto coram illo ministravi.
11 Atque ita Tzijone stabilita sum, in civitate sanctificata similiter fecit ut quiescerem, & Jeruschalaimis *est* potestas mea.
12 Itaque radicata sum in populo affecto gloria, in parte Domini, hæreditatis ipsius.
13 Tamquam cedrus in Libano exaltata sum, & tamquam cupressus in montibus Chermonis:
14 Tamquam palma [a] Hengedi exaltata sum, & tamquam plantæ rosæ Jerichuntinæ:
15 Tamquam olea decora in specioso campo, & tamquam platanus ex aquis exaltata sum:
16 Tamquam cinnamomum, & tamquam pila aromatica, & tamquam myrrha electa [b] edidi odorem bonum.
17 Tamquam galbanum, & onyx, stacteque, & tamquam thuris vapor in tabernaculo.
18 Ego velut terebinthus extendi ramos meos, súntque [c] gloriosi & gratiosi rami mei.

[1] id est, se ipsam prædicat per spiritum Dei iis laudibus quę sequuntur inde a versu 3.
[a] Græc. animam suam.
[a] de quo vide Gen.14.
[b] Græc. dedi.

19 Ego tamquam vitis germinans protuli odorem bonum, & flores mei [d] afferunt fructum gloriosum & divitem.
20 Ego mater *sum* dilectionis optimæ, reverentiæque, & cognitionis, & spei sanctæ.
21 Quas communico cum liberis meis omnibus, semper futuras iis [2] qui indicuntur ab ipso.
22 Accedite ad me qui cupitis me, & fructibus meis quos gigno implemini:
23 Nam memoria mei dulcior *est* melle, & hæreditas mea favo mellis.
24 Qui comedunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc erunt sitientes mei.
25 Qui auscultat mihi, pudore non afficietur unquam, & qui [e] colunt me, [4] non aberrabunt.
26 Hęc omnia *dicit* liber federis Dei altissimi,
27 [e] Lex quā mandavit nobis Mosche hæreditariā in congregationibus Jahakobi, ne [f] deficiatis, quin robore valeatis in Domino: ut confirmet ipse vos, agglutinamini ipsi: Dominus omnipotens Deus solus est, neque est amplius præter ipsum servator:
28 Qui implet omnia tamquam [5] Pischon sapientia sua, & tamquam Tigris diebus novorum *fructuum*:
29 Qui replet tamquam Euphrates intelligentia, & tamquam Jarden diebus messis:
30 Qui demonstrat tamquam lucem eruditionem scitam, & tamquam Gichon diebus [6] flavescentis segetis.
31 Non [8] agnovit primus perfectè illam, similitérque ultimus non pervestigavit illam:
32 Nam [7] ex mari plurimæ emergunt cogitationes illius, & consilium illius ex abysso magna.
33 Ego sapientia tamquam fossa ducta è flumine,
34 Et tamquam aquæ ductus, processi in paradisum:
35 Dixi, irrigabo optimum hortum meum, & inebriabo areolam justam meam:
36 Ecce autem facta est mihi ex fossa fluvius, & ex fluvio meo factum est mare:
37 Quia eruditionem tamquam matutinum tempus illustro, & demonstro eam in longinquum usque,
38 Quia doctrinam [a] ad prophetiam effundo, quam relicturus sum in generationes æternas.
39 Videtis me non mihi soli laborasse, sed omnibus qui exquirunt illam.

[c] Græc. gloriæ & gratiæ.
[d] Græc. sunt fructus gloriæ & divitiarum.
[2] id est, quos mihi dedit pater, ut Christus loquitur Joh.10.
[4] Græc. operantur in me, non peccabunt.
[4] a vero scopo quo piorum animi objectus est: sic interpretamur Græcam vocem ex notatione illius, & præcedentis membri comparatione.
[e] Deut.33.
[f] Græc. dissolvimini valere.
[5] de his nominibus quatuor vide Gen.2.11. & sequentibus: pertinent enim ad fluvios duos, Euphratem & Tigrin, qui Babyloniam atq; Seleuciam fœcundant restagnatione sua, ut testatur Herodotus, Diodorus, & Plinius lib.18 Naturalis hist. cap. 17. & 18. Hic autem ellipsis est relati, & sequentibus versibus, pro eo quod est tamquam Pischon &c. replens adjacentem agrum.
[6] nam sub illud tempus exundat Euphrates & Tygris quod significatur voce Græca: alii interpretantur vindemiam, quæ in Babylonia & circum Euphratem nulla est: dicitur enim τρυγητὸς non [illegible] [illegible] id est, a vino, sed ab ariditate quæ segetem maturat, ac proinde ei τρυγὸς & τρυγήτου nomen dedit; quamvis a verbo τρυγᾶν deducit Phavorinus. [8] Græc. consummavit agnoscere. [7] i. infinito fonte, metaphoricè. [a] hoc est, ut eos qui accipiunt me efficiam prophetas, ex quorum ventre (ut loquitur Christus) profluent rivi aquæ vivæ, Joan.7.38. atq; huc spectavit auctor, quum exemplum suum adduceret seq. versu.

CAPUT XXV.

1 TRibus rebus [1] speciosa effecta sum & surrexi speciosa coram Domino, coram Domino & hominibus:
2 Concordia fratrum, & amicitia propinqui, & viro ac muliere quibus inter ipsos convenit.
3 Tria verò genera odit anima mea, & infensus sum valde vitæ illorum:
4 Pauperem superbum, & divitem mendacem, senemque mœchum [a] minima præditum intelligentia.
5 In juventute tua si nihil congeris, quomodo poteris in senectute tua [b] consequi?
6 Quàm speciosum *est* canitiei judicium, &

[1] i. decoro ornatu, ut tantopere, ut vultu testatam faciam lætitiam meam.
[a] Græc. minimum intelligentiæ.
[b] Græc. invenire.

senioribus cognitio consilii!

7 Quàm speciosa *est* senum sapientia, & gloria præditis *decora* cogitatio atque consilium!

8 Corona senum *est* experientia multiplex, eorúmque gloriatio reverentia Domini.

9 Novem cogitata prædicavi beata esse ex animo meo, & decimum proloquar lingua mea.

10 Homo de liberis lætans *beatus est, &* qui vivens videt ruinam inimicorum:

11 Beatus qui habitat cum uxore intelligente, & qui lingua non labitur, & qui non servit homini indigno se:

12 Beatus qui [c] adeptus est prudentiam, & qui *eam* narrat ad aures audientium.

13 Quàm magnus est qui adeptus est sapientiam! sed nemo est qui superet reverentem Dominum.

14 Dilectio autem Domini supra omnia excellit ad illustrationem.

15 Qui tenet [2] eam, cui comparari posset?

16 Reverentia Domini principium *est* dilectionis ejus, fides verò principium agglutinationis [d] ad illum.

17 [3] Omnem plagam, modò ne plagam cordis; & omnem improbitatem, [e] modò ne improbitatem mulieris;

18 Omnem [f] invasionem, modò ne invasionem [4] osorum; & omnem ultionem, modò ne ultionem inimicorum:

19 (Non est caput valentius capite serpentis, neque est animus valentior animo inimici)

20 Habitare cum leone & dracone malim, quàm habitare cum improba muliere.

21 Improbitas mulieris mutat faciem illius, & faciem illius offundit tenebris *ut fit* [5] tamquam ursa.

22 Inter propinquos suos accumbens vir illius etiam [g] invitus propter illam ingemiscet.

23 Exigua *est* omnis improbitas ad improbitatem mulieris, [h] sorte peccator accidat illi.

24 Ut ascensus arenosus ad pedes senis, ita *est* mulier garrula quieto viro.

25 [6] Ne accidas ad pulcritudinem mulieris, & mulierem ne concupiscas [7] deliciarum causa.

26 Ira, & impudentia, ac turpitudo magna inest mulieri, si suppeditaverit quæ opus sunt viro suo.

27 Cor humile, faciémque mœstam, & plagam cordis *efficit* mulier improba;

28 Manus remissas, & genua soluta quæ non consolatur virum suum in angustia.

29 A muliere principium *est* peccati, & per eam nos omnes morimur.

30 Ne des aquæ effluendi locum, neque mulieri improbæ licentiam exeundi.

31 [8] Si non ambulat ad manum tuam,

32 A [k] carne tua reseca illam, da libellum & dimitte *illam*.

CAPUT XXVI.

1 [1] Mulieris bonæ beatus *est* vir, & numerus dierum ejus duplex.

2 [a] Mulier fortis lætitiam affert viro suo, & annos vitæ illius implet [a] prosperitate.

3 Bona mulier bona portio est, in partem [b] reverentibus Dominum dabitur.

4 [1] Divitis enim ac pauperis animus bonus *est* erga Dominum, omni tempore vultum habentes hilarem exultant.

5 A tribus formidat cor meum, & a quarti conspectu metuo.

6 Calumnia civitatis, & concio populi,

7 Et obtrectatio, *ista* omnia supra mortem laboriosa sunt:

8 Sed [c] onerosa cordi & luctifica *est* mulier æmulans zelotypiâ mulierem *alteram*:

9 Et flagellum *est* linguæ cum omnibus de re communicans.

10 [2] Jugum boum exagitatum *facit* mulier improba: qui habet eam ita *est* ut qui prehendit scorpium.

11 Iram magnam *efficit* mulier ebriosa, & vertiginosa, quæ inhonestam constitutionem suam minimè contegit.

12 Scortatio mulieris in elatis oculis atque in palpebris ejus cognoscitur.

13 In filiam [d] inverecundam confirma custodiam, ut quum invenerit sibi licentiam esse non utatur ea.

14 [e] Impudentem oculum a tergo observa, ac ne mireris si delinquat in te.

15 Quemadmodum viator sitiens os aperit invento fonte, & de omni aqua propinqua bibit; *ita* adversum omnem palum sessura esset, & adversus telum apertura pharetram.

16 Gratia mulieris delectat virum ipsius, ossáque illius pinguefacit scientia illius.

17 Donatio Domini *est* mulier taciturna atque benevola, neque est [f] quicquam quo erudita illius anima commutari possit.

18 Gratia [g] suprema *est* pudica & fidelis mulier;

19 Neque est pretium ullum æquè pendendum ac temperans anima illius.

20 *Ut* sol Domini oriens in altissimis, ita pulcritudo bonæ mulieris est in ornamento domus ipsius.

21 *Ut* lucerna elucens in lychnucho sancto, ita *est* pulcritudo vultus *illius* in ætate stata.

22 *Ut* columnæ aureæ impositæ basibus argenteis, ita *sunt* pedes speciosi in pectoribus firmis *illius*.

23 Fili, florem ætatis tuæ conserva sanum, ac ne des alienis robur tuum.

24 Quum requisiveris ex omni agro [3] fœcundam sortem, sere propria semina fretus bono genere tuo:

25 Ita fœtus tui superstites, & audenter generosum animum obtinentes [h] augescent.

26 Mulier [i] meretrix æqualis [4] sui reputabitur; quæ autem subest viro, turris [k] defendens a morte reputabitur utentibus.

27 Mulier impia in partem iniquo dabitur, pia verò datur reverenti Dominum.

28 Mulier inhonesta ignominiam [l] *in virum* excitabit, filia verò honesta etiam virum verebitur.

29 Mulier inverecunda ut canis reputabitur, quæ autem verecundiam habet reverebitur Dominum.

30 Mulier honorans virum suum omnibus apparebit sapiens, quæ autem non honorat eum [m] superbè impia ab omnibus agnoscetur.

31 Bonæ mulieris vir beatus *est*, numerus enim annorum ejus futurus est duplex.

32 Mulier clamosa & loquax spectata est, ad arcendos inimicos *apta*:

33 Et hominis cujusque anima [5] quæ similiter arceatur istis, in bellicis seditionibus [n] sibi ipsi degendum cogitat.

34 Duobus *nominibus* efficitur tristitia cor meum,

[c] *Græc. invenit: sic deinceps.*
[2] illustrationem, de qua proximè dixit.
[d] *Græc. illum.*
[3] hi versus propter ellipsin verbi obscuritatem permagnam habere visi sunt immeritò, quum verbum habeatur vers. 20. quod cum his versibus conjungendum est, sensus est, se a Domino paratum esse, omnes plagas perferre ab hominibus, omnes astus, omnemque violentiam, modò Deus eas plagas, technas, violentiámque avertat quæ hic describuntur: quamobrem eas exornat auctor sequentibus & seipsum explicat.
[e] *Græc. ac non: & sic deinceps.*
[f] *Græc. inductionem.*
[4] id est, quam osores & inimici voluerint, q. d. modò ne tradatur anima mea desiderio inimicorum meorum, quemadmodum permultis locis orabat David.
[5] i. ferocissima & nemini parcens: similitudo est in scripturis frequens, ut 2. Schem. 17. 8.
[g] *Græc. invitus.*
[h] *Græc. sors peccatoris.*
[6] i. ne abjicias te: quod Latinè dicas, ne accidas ad genua aut pedes mulieris raptus amore formæ.
[7] i. propter delicias illius te victurum sperans in deliciis.
[8] *Quæ est mulier: sic versibus seq.*
[8] i. si in te qui vir ipsius es minimè acquiescit, sed se nefariè adjungit alteri discedens a manu tua, cui se data conjugii fide obstrinxerat.
[k] *Græc. carnibus tuis.*
[1] *Inscriptio.*
[a] *Græc. pace.*
[b] *Græc. reverentium.*
[1] Nempe qui bonam uxorem habent.
[c] *Græc. onus cordis, & luctus.*
[2] i. conjuges inter se sunt veluti conjugati boves: quod si mulier improba est, nihil jugo illo miserius.
[d] *Græc. non aversabilem: sic vers. 29.*
[e] *Græc. post impudentem oculum observa.*
[f] *Græc. commutatio eruditæ animæ.*
[g] *Græc. super gratiam.*
[3] allegoria qua electa uxor cum agro fertili comparatur.
[h] *Græc. magni evadent.*
[i] *Græc. mercenaria.*
[4] i. porcæ altili: sic enim Græci appellāt σίαλον, ut a syagro distinguatur.
[k] *Græc. mortis.*
[l] *Græc. contrà teret.*
[m] *Græc. in superbia.*
[5] Græcam vocem aliud ferè significare novimus; sed si quis adjuncta benè expenderit, videbit eam non ex nomine *vulgari* (ut vulgus fecit interpretum) exponendam esse, sed potius ut ... præcedente versu; atque ... hic locus habet evidentiam.
[n] *Græc. animam suam transfigit.*

um, & de tertio advenit mihi indignatio:

35 Si vir bellator inopia deficit, & viri intelligentes si [a] flocci fiunt,

36 Et si quis revertitur a justitia ad peccatū: hunc comparabit Dominus [b] ut cædatur gladio.

37 Vix eximitur mercator e delicto, neque justus est a peccato caupo.

[a] Græc. stercorentur, ut ita dicamus.
[b] Græc. ad gladium.

CAPUT XXVII.

1 [1] REi indifferentis gratia peccaverunt multi; & qui quærit abundare, oculum suum [a] avertit.

2 Inter compages lapideas pangitur clavus, & inter venditionem atque emtionem peccatum [a] ultrò citróq; teritur.

3 Qui non obtinet [b] studiosè reverentiam Domini, hujus citò subvertetur domus.

4 Dum excutitur cribrum, remanent sordes; similitérque [3] exuviæ hominis in eloquutione ejus.

5 Vasa figuli caminus probat, tentatio verò hominis colloquio ipsius *probatur*.

6 Culturam arboris demonstrat fructus illius, sic eloquutio cogitationis quæ inest cordi hominis.

7 Ante eloquutionem ne laudaveris quemquam, hæc enim *est* tentatio hominum.

8 Si sequaris jus, comprehendes ipsum; & indues ipsum velut talarem *vestem* gloriæ.

9 Volucres ad similes sibi divertunt, veritas verò ad eos revertitur qui [c] colunt *ipsam*.

10 Leo insidiatur venationi, similitérq; peccatum iis qui operantur malum.

11 Narratio pii semper *est* cum sapientia, imprudens verò mutatur ut luna.

12 Inter eos qui carent intelligentia [4] observa tempus; inter consideratos verò assiduè versare.

13 Narratio stultorum [d] offensioni est, & risus eorum hæret deliciis peccati.

14 Sermo illius qui plurimum jurat capillos arrigit, & certamen illorum [e] facit ut obturamus aures.

15 [f] Effusionem sanguinis *facit* superborum pugna, & convitiatio illorum gravis auditu *est*.

16 Qui revelat arcana, amittit fidem, ac nequaquam amicum inventurus est ex animo suo.

17 Benevolentia prosequere amicum, & fidus esto cum eo.

18 Quòd si revelaveris arcana ejus, nequaquam persequaris [g] eum.

19 Quemadmodum enim perdit homo inimicum suum, ita [5] perdit propinquum suum?

20 Et quemadmodum si volucrem e manu tua dimiseris, ita propinquum dimisisti, & minimè [h] venando consequeris ipsum.

21 Ne prosequaris ipsum: nam abstitit procul, effugitq; ut dorcas e laqueo:

22 Nam vulnus obligari potest, & de convitio est reconciliatio:

23 Sed qui revelavit arcana amisit fidem.

24 Qui nutat oculo, fabricatur mala; & qui novit eum, absistet ab eo.

25 E regione *quidem* oculorum tuorum suave efficiet os suum, & sermones tuos mirabitur; sed postea pervertet os suum, & tuis sermonibus offensiones addet.

26 [i] Permultum odi, neque est quem ei cōparem, & Dominus odio habiturus est.

27 Qui lapidem in altum mittit, super caput suum mittit; ita plaga dolosa diducit vulnus.

28 Qui fodit foveam, in ipsam incidet:

[1] i. ejus rei qua homines bona fide & conscientia carere possent, ut mercatores & caupones lucro: sic suprà 7,18.
[a] nempe a justo oculum suum adjicit ad rem indifferentem.
[a] Græc. conteritur.
[b] Græc. per studium in reverentia.
[3] tamquam spolia ademta ipsi, quum inter loquendum excutitur & perturbatione animi ad sermonem fundendum adducitur: elegans metaphora, quā exponunt sequentes versus.
[c] Græc. operantur.
[4] nempe quo subterfugias eorum consortium, ut docet antitheton.
[d] Græc. offensio.
[e] Græc. sepimentum aurium est.
[f] Græc. effusio sanguinis est superb.
[g] Græc. post eum.
[5] id est, æquè perdit amicum suum retegendis arcanis ac si inimicus esset.
[h] Græc. venaberis.
[i] Græc. multa.
[k] nempe illum qui retegit arcana amici sui.

29 Et qui statuit laqueum, capietur ipso.

30 Malefico mala supervenientia morabuntur apud ipsum, quamvis minimè cognoscat unde adveniant ipsi.

31 Illusio & probrum superborum *est*, vindictáq; ut leo insidiatur illis.

32 Laqueo capientur qui lætantur de ruina piorum, & dolor consumet eos ante mortem ipsorum, simultas, & ira, & quæcunque sunt res abominandæ: hujusmodi vir inquam peccator [k] possidetur istis.

[k] Græc. possessio est illorum: nam vocem Græcam passivè sumit Siracides.

CAPUT XXVIII.

1 [a] ULtori obveniet ultio a Domino, qui peccata ejus [b] constanter servaturus est.

2 Dimitte injuriam proximo, ac tum deprecanti tibi solventur peccata tua.

3 Homo in hominem conservat iram, & a Domino curationem petat?

4 Et in hominem similem sibi non adhibens misericordiam, pro peccatis suis deprecetur?

5 Quum ipse qui caro est conservet simultatem, ecquis expiet peccata illius?

6 Memento [c] finis, & desine inimicitias gerere:

7 Ac ne simultatem exerceas in proximum *ad* corruptionem & mortem; sed in mandatis permane.

8 Memento mandatorum, neque simultatem exerceas in proximum:

9 Et *memento* federis altissimi, ac [1] despice [d] rem ignoratione commissam.

10 Abstine a lite & minues peccata: nam homo iracundus incendit pugnam.

11 Vir peccator amicos turbat, & inter eos qui pacem habent immittit calumniam.

12 [e] Prout est materia ignis, ita accenditur: prout est confirmatio pugnæ, *ita* augetur ignis: prout est robur hominis, *ita* furor est illius: & prout sunt divitiæ hominis, *ita* illius extollunt iram.

13 Contentio accelerata accendit ignem, sed pugna accelerans effundit sanguinem.

14 Si flaveris in scintillam, accenditur; sin exspueris in illam, exstinguitur; ambo verò ex ore tuo exeunt.

15 Susurronem ac bilinguem exsecramini: multos enim habentes pacem perdiderunt.

16 Lingua duplex multos divexavit, & dissipavit eos ab [f] una gente ad alteram:

17 Et civitates munitas sustulit, domósque magnatum subvertit.

18 Lingua duplex mulieres fortes ejecit, & privavit eas laboribus ipsarum.

19 Qui attendit ei, nequaquam requiem cōsequetur, neque habitabit cum tranquillitate.

20 Plaga flagelli efficit vibicem, sed plaga linguæ confringit ossa.

21 Multi ceciderunt acie gladii, sed non *tam multi* quàm qui propter linguam ceciderunt.

22 Beatus est qui protegitur [g] adversus illam, qui non [h] expertus est furorem illius;

23 Qui non traxit jugum illius, & vinculis illius non alligatus est.

24 Nam jugum illius jugum *est* ferreum, & vincula ejus vincula ærea.

25 Mors pessima *est* [l] quæ affertur ab illa, & sepulcrum utilius est illa.

26 *Illa* piis minimè dominatura est, & flamma illius minimè comburentur.

27 Qui derelinquunt Dominum, incident in

[a] Græc. ulciscens a Domino inveniet ultionem.
[b] Græc. servans.
[c] Græc. ultimorum.
[1] Id est, injuriam ab homine acceptam ita dissimula, quasi ab imprudente fuisset facta.
[d] Græc. ignorationem.
[e] Græc. secundùm materiam: sic sequentia.
[f] Græc. gente ad gentem.
[g] Græc. a facie ejus.
[h] Græc. pertransivit in furore illius.
[l] Græc. mors illius.

illam: atque in his accendetur ac non exstinguetur unquam, immittetur in ipsos tamquam leo, & tamquam [a] pardalis perimet ipsos:

28 [f] Ecce circumsepi possessionem tuam spinis; at ori tuo fac januas & vectes.

29 Argentum tuum & aurum tuum colliga; sed sermonis tui trutinam confice, & ori tuo fac januam & vectem:

30 Et attende ne quando labaris illis, ut non concidas coram [k] insidiatore.

CAPUT XXIX.

1 Qui [a] exercet misericordiam, fœneratur propinquo; & qui se pro illo confirmat [b] facultate sua, servat mandata.

2 Mutuum da propinquo tempore [c] quo opus habet, iterúmque redde propinquo tempore suo.

3 [d] Firmum exhibe sermonem tuum, & fidus esto erga illum: ita omni tempore [e] quod opus erit tibi consequeris.

4 Multi tamquam rem inventam existimaverunt fœnus, & laborem exhibuerunt iis qui ipsos adjuverant.

5 Usque dum acceperit, osculatur manus illius, & pro pecuniis propinqui submittit vocem:

6 Tempore autem restitutionis protrahit tempus, & [f] affert excusationem socordiæ, ac causatur tempus:

7 Quòd si potuerit dare, vix reportabit dimidium, & [1] reputabit illud tamquam rem inventam.

8 Sin minùs, quum privaverit eum pecuniis suis, & [g] immeritò inimicum eum comparaverit,

9 Exsecrationes & convitia rependet ei, pro gloria ignominiam reddet ei.

10 Multi itaque propter improbitatem istam aversantur hominem, & privari metuunt.

11 Verumtamen [h] afflicto propinquo longanimus esto, & in conferenda misericordi beneficentia ne protrahas eum.

12 Propter mandatum suscipe pauperem, & in egestate ipsius ne averseris eum.

13 Perde argentum propter amicum & fratrem, ac ne abscondas illud subter lapidem [i] ut pereas.

14 Colloca thesaurum tuum secundùm mãdata Altissimi, quod utilius erit tibi quàm aurum ipsum.

15 [2] Concludito misericordem beneficentiam in penuariis tuis, eáq; te ex omni afflictione eximet:

16 Supra scutum robustissimum & supra hastam validam contra hostem propugnabit te.

17 Vir bonus spondebit pro altero; sed qui amisit pudorem derelinquet illum.

18 Beneficiorum sponsoris ne obliviscaris; exposuit enim animam suam pro te.

19 [3] Sponsionem bonam evertit peccator.

20 Sponsore usus fugit peccator, atq; inutilis vir animo suo relinquit eum qui liberavit ipsum.

21 Sponsio multos [k] commodè agentes perdidit, & agitavit eos ut fluctus maris:

22 Viros potentes ejecit domibus, qui erraverunt per alienas gentes.

23 Peccator transgrediens mandata domini in sponsionem incidet, & [4] qui persequitur operarum conductiones incidet in judicia.

24 Suscipe propinquum pro facultate tua, & attentè cave tibi ipsi ne incidas.

[a] sive pardus fœmina, quam mare longè atrociorem esse ac fraudulentiorem testantur omnes auctores idonei.
[f] similitudines εὐχρηστικαί, quibus demonstratur studium ad sermones nostros adhibendũ.
[k] Græc. insidiante.
[a] Græc. facit.
[b] Græc. manu.
[c] Græc. necessitatis ejus.
[d] Græc. firma.
[e] Græc. necessitatem tuam invenies.
[f] Græc. reddit sermonem socordiæ.
[1] i. videbitur sibi in eum esse beneficus a quo accepit beneficium.
[g] Græc. gratis.
[h] Græc. in afflictione.
[i] Græc. ad perditionem.
[2] i. pro eo quod thesaurum colligis argenti & auri, thesaurũ compara misericordia.
[3] id est, virum bonum qui pro ipso fidejusserit; sic accipimus, ex sequentium interpretatione.
[k] Græc. diligentes.
[4] i. redemtor & publicanus: hi enim ferè sponsores & fidejussores exigunt.

25 [l] Præcipua vitæ humanæ sunt aqua & panis, vestisque & domus tegens [5] imbecillam conditionem.

26 Melior est vita pauperis sub tegmine trabium, quàm epulæ splendidæ ex alienis rebus.

27 Æquè parvis ac magnis rebus acquiesce, ac ne audias probrum domus tuæ.

28 Mala est vita migrantis de domo in domum: nam ubi inquilinus es, [m] non audes aperire os.

29 Hospites accipies, & potum præbebis ingratis, & adhuc præterea [6] res acerbas audies:

30 Adveni, inquiline, instrue mensam, & si quid est [n] penes te pasce me;

31 Abi, inquiline, a conspectu [7] gloriæ; opus est domo, hic frater mihi in hospitium advenit.

32 [8] Gravia sunt ista [o] prudenti, increpatio de domicilio, & fœneratoris probrum.

[7] id est, hominis gloriosi, quem pluris facio quàm te. [8] conclusio duas summas capitis partes repetens ὑστερογενεστέρως. [o] Græc. habenti prudentiã.

CAPUT XXX.

1 Qui amat filium suum, assiduè flagella ei adhibiturus est ut lætetur de eo [a] tandẽ.

2 Qui erudit filium suum, lætabitur de eo, & inter spectatos de eo gloriabitur.

3 Qui docet filium, invidentiam acuit inimici, & coram amicis de eo exsultaturus est.

4 Defuncto illius patre ita est tamen quasi nõ esset mortuus; nam similem sibi reliquit post se:

5 Quem in vita sua videns lætatus est de eo, neque in obitu suo afficitur tristitia;

6 Qui contra hostes reliquit vindicem, & qui amicis [b] referat gratiam.

7 Qui [c] strigilem adhibet filio, colligat vulnera illius, [1] quamvis ad omnem clamorem turbentur viscera ipsius.

8 Equus indomitus evadit [d] molestus, & filius sibi permissus evadit præceps.

9 [e] Blandè educa filium, & terrorem incutiet tibi; collude ipsi, & tristitia afficiet te.

10 Ne rideas cum ipso, ut non afficiaris dolore, & tandem collidas dentes.

11 Ne des ei licentiam in juventute, ac ne despicias errata ejus.

12 Flecte collum ejus in juventute, & frange latera ejus dum est infans; ne fortè induratus sit tibi inobsequens, & dolori sit [f] animæ tuæ.

13 Erudi filium tuum, & [g] operam da ei, [2] ut non offendas turpi conditione ejus.

14 Præstat pauper sanus & [h] constitutione sua valens, diviti [3] flagellis affecto in corpore suo,

15 Sanitas & bona constitutio quolibet auro melior est, & corpus validum immensis opibus.

16 Non sunt divitiæ quæ meliores sint sanitate corporis, neque est lætitia superans gaudium cordis.

17 Potior est mors quàm vita [i] acerba, aut invaletudo permanens.

18 Res bonæ inclusæ [4] ad os clausum sunt velut fercula ciborum ad sepulcrum sita.

19 Quid prodest [5] holocaustum idolo? nam neque edit, neque odoratur: ita est is [k] quem persequitur Dominus:

20 Qui videt oculis, & gemit, tamquam eunuchus amplectens virginem, atq; ingemiscens.

21 Ne tradas [l] tristitiæ animum tuum, neq; angas te ipsum consilio tuo.

22 Lætitia cordis est vita ipsa hominis, & exsultatio [m] producit dies viri.

23 Dilige animum tuum, & consolare cor tuum, tristitiámq; procul a te fuge.

24 Multos

[l] Græc. principatus.
[5] id est, naturam infirmam nostram, quæ sub dio (ut fit in aliis animantibus) non posset perdurare, hic autem transitur ad secundum locum capitis.
[m] Græc. non es aperturus.
[6] quæ per μίμησιν, duobus versibus proximè sequentibus exponitur.
[n] Græc. in manu tua.
[a] Græc. de ultimis ejus.
[b] Græc. reddat.
[c] Græc. circumradit.
[1] i. quamvis invito animo eò adducatur pater ut filium veluti strigile perfricet, & clamoribus illius dum flagellatur afficiatur non mediocriter: qua eadem similitudine Schelomo in Proverbiis usus est.
[d] Græc. durus.
[e] Græc. lacta.
[f] Græc. tibi.
[g] Græc. operare in eo.
[2] id est, ne tandem nequitia illius ad gravem aliquam offensionem provoceris fractus impatientia.
[h] Græc. habitu.
[3] i. infirmitatibus corporis, ut plerumque appellantur in Testamento novo, & interpretantur sequentia.
[i] Græc. amara.
[4] i. ante os illius qui eis non audet uti, impeditus adversa valetudine.
[5] Græcam vocem sic interpretamur ex usu veterum, ut confirmant sequentia; non edit res appositas, neque odoratur res quæ cremantur igne.
[k] Græc. qui persequitur a Domino, ut passivè dicamus.
[l] Græc. in tristitiam.
[m] Græc. productio dierum.

24 Multos enim perdidit occiditq; tristitia.
25 [a] Invidia & iracundia minuunt dies, &
ante tempus senectutem adducit sollicitudo.
26 Cor splendidum & [o] bene affectum [6] in
epulis ciborum suorum curam habet.

a Græc. zelus.
o Græc. bonum.
6 id est, hilariter epulatur, neque cibum suum onerat varia sollicitudine, quæ maximè inter edendum infesta est valetudini: est ergo hîc ellipsis particulæ solùm, quasi dicat, in epulis curam habet solùm ciborum suorum, ac non rei alterius quæ ipsum torqueat.

CAPUT XXXI.

1 Vigiliæ divitiarum *causa* tabefaciunt car-
nes, & cura earum amovet somnum.
2 Sollicitudo [a] pervigil postulat dormitatio-
nem, & infirmitatem gravem eluit somnus.
3 Defatigatur dives in [b] cogendis pecuniis,
& in quiete impletur deliciis suis.
4 Defatigatur pauper penuria victus, sed in
quiete sua efficitur egentior.
5 Qui amat aurum, non erit justus; & qui
persequitur corruptionem, hic implebitur *ea*.
6 Multi fuerunt vincti propter aurum; &
perditio eorum [c] occurrit eis.
7 Lignum offensionis *est* iis [1] qui sacrificant
ipsi, & omnis imprudens capietur eo.
8 Beatus *est* dives qui inculpatus deprehen-
ditur, & qui non [d] sectatur aurum.
9 Quis est ille, ut beatum prędicemus eum?
fecerit enim in populo suo res admirabiles.
10 Quis probatus eo perfectè versatus est ut
[e] extollatur gloria? quis quum posset transgredi
non transgressus est? & quum *posset* malum face-
re non fecit?
11 Propterea confirmabuntur bona ejus, &
beneficia misericordiæ ejus enarrabit Ecclesia.
12 Ad mensam magnificam assidens ne ape-
rias fauces tuas in ea:
13 Neque dicas, multa certè sunt imposita ei.
14 Memento malam rem esse oculum ne-
quam.
15 Quid [2] oculo nequius creatum est? prop-
terea de omni aspectu lacrymatur.
16 Quocumque inspexeris, ne extendas ma-
num tuam:
17 [3] Ac ne cum eo in patina collidas.
18 Intellige res propinqui ex te ipso, & de
omni verbo cogita: [g] comede ut homo quę appo-
sita sunt tibi; [4] neque devora, ne odio habearis.
19 Cessa primum eruditionis gratia; neque
esto insatiabilis, ne fortè offendas:
20 Quòd si inter plures consederis, ne [f] pri-
mus eorum extendas manum tuam.
21 Quàm sufficit homini erudito res modi-
ca? nam in cubili suo non anhelat; somnus [g] sa-
nus *est*, cum intestino [5] mediocri surgit manè,
[h] compos animæ suæ:
22 [i] Laboriosæ vigiliæ, & cholera, torminá-
que adsunt viro insaturabili:
23 [6] Quòd si coactus fueris in epulis, exsurge,
deambulans vome, & quiesces.
24 Audi me, fili, ac ne cōtemnas me, & [k] tan-
dem comperies sermones meos.
25 In omnibus operibus tuis esto promtus, &
ulla infirmitas minimè obveniet tibi.
26 [7] Splendido in cibis benedicunt labia, te-
stimonium *est* fidele bonitatis illius:
27 Improbo propter cibum obmurmurat ci-
vitas, & accuratum *est* testimonium improbitatis
illius.
28 In vino ne agas virum: nam vinum mul-
tos perdidit.
29 Fornax probat id quo duratur acies ex
immersione; ita vinum in corde superborum ex
ebrietate *facit*.
30 Tamquam vita *est* vinum hominibus, si
[l] moderatè illud biberis.
31 Quęnā vita est *homini* qui destituitur vino?
hoc enim creatum *est* ad lætitiam hominibus.
32 Exsultationem cordis, lætitiámq; animi
efficit vinum potum tempestivè, quod satis est.
33 [m] Acerbam animam *facit* vinum multum
potum, irritatione & adverso casu.
34 Auget animum ebrietas imprudentis ad
offensionem: minuit robur, & acquirit vulnera.
35 In convivio vinoso ne redarguas propin-
quum, neque facias eum nihili in lætitia ejus:
36 Sermonem [n] probrosum ne dixeris ei;
neque angas eum [o] obversantem tibi.

a Græc. vigiliæ.
b Græc. coactione pecuniarum.
c Græc. fuit in conspectu eorum.
1 i. qui requirunt aurum studiosè, & illud velut numen colunt.
d Græc. it post aurum.
e Græc. sit in gloriatione.
2 nempe isto qui nequam est, ut dicitur præcedente versu: nam eo nequam est quòd ad cujuslibet rei aspectum lacrymatur, quasi jam animo eam devorasset: quod significant verba sequentia.
3 i. ne committas ut æquè manus tua in patinam involans aliis offensioni sit, prout est oculus tuus; sed ex te ipso de aliis judica, qui nolles ab altero patinam exhauriri.
g Infrà 37.32.
4 nempe ut bestia: hominis antitheton.
f Græc. prior.
g Græc. seminalis.
5 i. mediocriter pasto, ac non farcto. q.d. commodè dormiunt qui cibo utuntur medioeri.
h Græc. & anima ejus est cum eo.
i Græc. labor vigiliæ.
6 præceptum ἰατρικόν.
k Græc. in ultimis.
7 i. homini in ratione victus minimè sordido benedicunt omnes, & testantur pietatem ejus: sordido verò contrà, sequente versu.
l Græc. in mensura ejus.
m Græc. acerbitas animæ est.
n Græc. exprobrationis.
o Græc. in occursu ejus.

CAPUT XXXII.

1 Ductorem *si* te constituerunt *homines*, ne
extollitor; esto eis tamquā unus ex ipsis:
2 [1] Curam eorum habe, atque ita sede.
3 Et omnem tui copiam facito, quúmque
probaveris te, requiescito: ut per illos afficiaris
lætitia, & ornamenti causa coronam adipiscaris.
4 Alloquere [2] seniorem: hoc enim decet te:
5 Sed [a] quum accurata scientia agitur, mu-
sicos etiam modulos impedi.
6 Ubi est [b] concentus, ne effundas eloqui-
um, neque intempestivè agas sapientem.
7 Sigillum carbunculi impositū ornamento
aureo, *est* concentus musicorum in [c] vinoso con-
vivio.
8 Sigillum smaragdi in aureo instrumento
est musicorum melos ad vinum suave.
9 [3] Loquere adolescens vix, si opus erit tibi,
si bis interrogatus fueris:
10 [d] Summatim sermonem contrahe: paucis
multa.
11 Esto tamquam is qui novit, & silet tamen.
12 Inter magnates æqualem ne præbeas te,
& ubi senes *sunt* ne multa effutias.
13 Ante tonitru celer præit fulgur, & ante
verecundum procedit gratia.
14 Tempestivè expergiscere, ac ne aciem
extremam agito; [4] excurre domum, ac ne desi-
deto:
15 Ibi lude & fac quæ cogitaveris; sed sine
peccatis, & sermone superbo:
16 Atque his fruens benedic ei qui fecit te, &
qui inebriat te bonis suis.
17 Qui reveretur Dominum, excipiet erudi-
tionem ejus; & qui manè incumbunt, adipiscen-
tur benevolentiam.
18 Qui quærit legem, explebitur ea; simula-
tor verò offendet in eam.
19 Qui reverentur Dominum, consequentur
judicium, & [5] jura accendent & lucem.
20 Homo peccator declinat redargutionem,
& pro voluntate sua invenit [6] judicia sibi conve-
nientia.
21 Vir [e] consultus minimè cogitationem
negligit: [f] inconsultus verò & superbus non per-
timescit metum:
22 Sed postquā fecit, apud se sine consilio *est*.
23 Sine consilio ne facias quidquam, & quū
feceris ne pœniteat te.
24 Viā in qua adversus casus est ne ambules,
& ne offendas in lapidosis *locis*.
25 Ne credas viæ [7] quæ sine offendiculo est,
sed a filiis tuis cave:
26 In omni bono opere crede [g] tibi ipsi: hæc

1 i. postquam eorum curam habueris, tum vacato tibi solutus curis.
2 i. conviviis bonis & gravitate præditis conversare.
a Græc. in accuratione scientiæ.
b Græc. acroema.
c Græc. vini.
3 i. esto tardus ad loquendum, & ad audiendum velox, ut vers. 11. quod postea exponitur κεφάλαιον. q.d. committe potius ut bis rogeris, quàm ut præceps sis in loquendo.
d Græc. capitula, ut ita loquamur.
4 nempe a negotiis & occupationibus tuis.
5 i. facient ut omnia juris officia exhibentes omnibus præluceant velut faces, & animos accendant in studio & cognitione juris.
6 i. quærit homines qui adblandiantur nequitiæ suæ.
e Græc. consilii.
f Græc. alienus a consilio.
7 i. quæ alioqui tibi videtur esse tutissima, adeò ut ne liberis quidem tuis credas te: seq. versu.
g Græc. animæ tuæ.

enim est mandatorum observatio.

27 Qui credit Domino, attendit mandato; & qui fidem habet in eo, non minuetur.

CAPUT XXXIII.

1 REverenti Dominum non obveniet malum: sed in tentatione etiam iterum eripiet ipsum *Deus*.

2 Vir sapiens non odit legem, [a] hypocrita verò in ea *versatur* ut in procella multorum *fluctuum*.

a Græc. simulans.

3 Homo intelligentia prædìtus se credit legi, & lex ei fidelis futura est.

4 Utcumque interrogatio manifesta *sit*, præpara sermonem, atque ita audieris; colligato eruditionem, & tunc respondeto.

5 [1] Rota plaustri *sunt* viscera stulti, & cogitatio ipsius *est* velut axis qui vertitur.

1 i. planè instabiles volubilésq; sunt cogitationes illius.

6 Equus [b] admissarius est tamquam amicus irrisor: sub omni sessore hinnit.

b Græc. in admissuram.

7 Quamobrem dies superat diem, & omnis lux diei per annum a sole data?

8 Cognitione Domini disparata sunt,

9 Qui mutavit tempora & ferias:

10 Nam ex illis alios exaltavit & sanctificavit, alios ex illis reposuit [2] in dierum numero.

2 puta profestorum: ellipsis contrarii.

11 Homines quoque omnes *qui* e solo *sunt*, prout e terra creatus est Adam,

12 [c] Plurima scientia Dominus disparavit ipsos, & mutavit vias ipsorum.

c Græc. multitudine scientiæ.

13 Ex ipsis aliis benedixit, exaltánsq; ex ipsis sanctificavit & admovit sibi; ex ipsis *verò alios* execratus est, & abjecit, evertítque eos e sedibus ipsorum.

14 Velut figuli lutum in manu ejus *sunt*.

15 Omnes viæ ejus ex placito ipsius *sunt*, ita *est* homo in manu illius qui fecit ipsum redditurus ipsis secundùm judicium suum.

16 Ex adverso mali bonum *est*, & ex adverso mortis vita; similiter ex adverso peccatoris pius est, similitérq; ex adverso viri pii peccator; denique similiter (intuere in omnia opera Altissimi) [d] bina *sunt omnia*, unum ex adverso alterius.

d Græc. duo duo.

17 Ego verò ultimus evigilavi, tamquam is qui spicas legit post [3] messores, profeci benedictione Domini, & tamquam vindemiator implevi torcularis lacum.

3 sic accipiendam esse vocem hanc docet præcedens spicilegii, ut etiam ostendimus supr. 24.30.

18 Considerate me mihi non soli laborasse, sed omnibus quærentibus eruditionem.

19 Audite magnates, & ductores Ecclesiæ auribus accipite.

20 Filio, & uxori, fratri, aut amico ne des potestatem in te ipsum, [e] dum vivis; neque des alteri pecunias tuas, ut non de illis roges quum pœnitebit te.

e Græc. in vita tua.

21 Dum adhuc vivis & spiritus est in te, ne alienaveris te *mancipans* [f] ulli carni:

f Græc. omni.

22 Melius enim est ut liberi precentur te, quàm ut tu respicias ad manus filiorũ tuorum.

23 In omnibus tuis operibus [g] superiorem administrationem obtine, neque afficias labe gloriam tuam.

g Græc. esto superagens, & ne des labem in gloria tua.

24 [h] Quo die consummabuntur dies vitæ tuæ, & tempore mortis, divide hæreditatem.

h Græc. die consummationis dierum.

25 Pabula, virgáque, & onera *sunt opus* asino; cibus, & castigatio, operáq; famulo.

26 Utere operâ ejus cum castigatione, & quæret requiem: sine remissas illi manus, & quæret libertatem.

27 Jugum & lorum curvant cervicem *illi*; famulo verò malefico tormenta & cruciatus.

28 Immitte eum ad opus, ut non otietur: nam multum malum docuit otium.

29 Ad opera constitue eum, [4] quemadmodum decet eum:

4 i. si ut decet ex officio famulatur tibi.

30 Quòd si non obsequatur, fac compedes habeat graviores; sed ne esto nimius in ullam carnem, & sine judicio ne facias quidquam.

31 [4] Si est tibi famulus, esto tibi tamquam [i] tu ipse, quia sanguine parasti ipsum: si est tibi famulus, age eum ut fratrem, [5] quia est tamquam tu ipse.

i Gr. anima tua, bis eodem vers.

5 hæc altera est ratio ab humanitatis jure; prior verò fuit ab utili; sed hanc posteriorem non animadvertit vulgus interpretum propter distinctiones depravatas: quæ tamen & natura & lege Dei confirmatur.

32 Indigebis eo si afflixeris eum injustè & movens aufugerit, qua via requireres ipsum?

CAPUT XXXIIII.

1 VAnæ *sunt* exspectationes & mendaces viro carenti intelligentia; somniáque [1] addunt alas insipientibus.

1 i. faciunt ut repentè ad fabulas cõvolent, tamquam volucres libero cælo.

2 Ut qui captat umbram & persequitur ventos, ita est qui se adhibet somniis.

3 [a] Rem hanc secundùm illam *exhibet* somniorum visio, *ut* ex adverso faciei [2] *exhibetur* similitudo faciei.

a Græc. hoc secundùm illud est somniar.

2 nempe in speculo aut re lucente quavis.

4 De re immunda qui mundari potest? & de mendace quid verum esse?

5 Divinatio, auguriáq;, & somnia vana sunt, & [3] tamquam puerperæ visa habet cor tuum.

3 cujus ex puerperio ferè ita percelluntur sensus, ut visa infinita se illi offerant nisi quietè continebitur.

6 Nisi ab altissimo demittantur [b] qui invisat te, ne adhibeas ad illa cor tuum:

b Græc. in visitatione tua.

7 Multos enim seduxerunt somnia, & exciderunt qui spem in eis habuerant.

8 [4] Sine mendacio perficitur lex, & sapientiæ in ore fideli *est* consummatio.

4 id est, studio rerum verarum, ac non fallacium, ut sunt somnia: sic etiam os fidele accipiendum est.

9 Vir [5] qui erravit, novit multa; & qui multa expertus est, enarrat sermones intelligentes:

5 i. regiones multas peragravit, non autem animo instabili in somniis versatus est.

10 Qui non est tentatus, novit pauca;

11 Qui verò erravit, multam calliditatem habet.

12 Multa vidi in errore meo: itaque intelligentiæ meæ *sunt* [c] quæ sermonibus meis informantur.

c Græc. figuratio sermonum meorum, sive formationes.

13 Sæpe ad mortem usque periclitatus sum, & conservatus sum:

14 Propterea spiritus vivet reverentium Dominum.

15 Quum spes eorum incumbat ei qui servat ipsos.

16 Qui reveretur Dominum, nihil extimescit, neque expavescit; quia ille spes ipsius est.

17 Reverentis Dominum anima beata est.

18 Cui adhibet se, & quod *est* statumen illius?

19 Oculi Domini intenti amantibus ipsum, [d] protectio potentissima, & statumen valentissimum, tegmen ab æstu, tegmen inquam a meridiano, custodia ab offensione, & adjumentum in casum,

d Græc. protectio potentiæ & firmamentum roboris.

20 Exaltans animam, & illustrans oculos, curationem afferens, vitam, ac benedictionem.

21 Sacrificantis ex injusto oblatio ridicula *est*, neque [e] placitura *sunt* iniquorum dona.

e Græc. ad placitum.

22 Non placent Altissimo oblationes impiorum, neque multitudine sacrificiorum placatur peccati *nomine*.

23 Mactat filium coram patre ipsius qui offert sacrificium de pecuniis pauperum.

24 Panis vita *est* pauperum indigentium; quem qui adimit, homo [f] sanguinarius *est*.

f Græc. sanguinum.

25 Occidit propinquum qui aufert communem victum,

26 Effunditq; sanguinem qui fraudat mercede mercenarium.

27 [f] Uno

27 [e] Uno ædificante & altero destruente, quid ampliùs proficiunt ultra labores *uterque*?

28 Uno orante & altero exsecrante cujus vocem exauditurus est Dominus?

29 Qui lavatur ex mortuo *tacto* & iterum tangit eum, *huic* quæ utilitas *est* ex lotione ipsius?

30 Sic homo *est* qui jejunat de peccatis suis, rursúmq; abiens eadem facit: quis exauditurus esset orationem istius? & quid profecerit humiliter abjiciendo se?

[e] harum omnium similitudinum *redditio* continetur in versu ultimo.

CAPUT XXXV.

1 QUi observat legem, [a] abundè oblationum facit:

2 Sacrificat *hostiam* salutarem, qui attendit mandatis:

3 Et qui refert gratiam, *ita facit* quasi offerat similam; & qui exercet misericordiam, quasi [b] offerat *sacrificium* laudis.

4 Quod placet Domino est ut desistatur ab improbitate, & litatio est desistere ab iniquitate.

5 Ne appareas coram Domino vacuus:

6 Nam hæc omnia propter mandatum *facienda sunt*.

7 Oblatio justi quum pinguefacit altare, gratus odor illius *est* coram Domino.

8 Sacrificium viri justi acceptum *est*, & memoria ejus non excidet oblivione.

9 Oculo bono glorifica Dominum, & ne minuas primitias manuum tuarum.

10 In donatione qualibet [c] hilarè præbe vultum tuum, & cum lætitia decimas sanctas côfer.

11 Da Altissimo [d] prout dedit ipse; & bono oculo, [e] prout adest manui tuæ:

12 Nam Dominus *est* qui reddit, & redditurus septuplum: ne resecato de donis;

13 Non enim accepturus esset: ne ergo attendas injusto sacrificio.

14 Nam judex est Dominus, apud quem non est personæ *ullius* gloria.

15 Non est accepturus Dominus personam [f] quæ invadat pauperem; sed orationem ejus injuria affecti exauditurus.

16 Nequaquam despecturus est supplicationem orphani; & viduam quum [1] effuderit eloquutionem *suam*.

17 Nónne lacryma viduæ in maxillam descendit? etiam illius exclamatio in eum qui eduxit illam.

18 Qui colit bono animo, acceptus erit; & precatio ejus ad nubes usque continget.

19 Oratio humilis *viri* transit nubes; & minimè [2] consolationem accepturus est donec appropinquaverit; miniméque destiturus donec inspexerit altissimus, *qui* jus dicet justis, judiciúmque [g] exsequetur.

20 Nam Dominus nequaquam tardaturus est, neque longanimus [h] in eorum causa futurus ille fortis; donec contriverit lumbos immisericordium:

21 Sed gentibus retribuet ultionem, donec sustulerit multitudinem contumeliosorum, & injustorum sceptra contriverit,

22 Donec reddiderit homini secundùm actiones ejus, [i] mercedes inquam hominum secundùm cogitationes ejus,

23 Donec confecerit judicium populi sui, lætitiámque illis attulerit misericordia ejus.

24 Quàm tempestiva misericordia *est* tempore afflictionis! quasi nubes *est* pluviæ siccitatis tempore.

[a] Græc. abundat oblationibus.
[b] Græc. sacrificet.
[c] Græc. exhilara.
[d] Græc. secundùm donum ipsius.
[e] Græc. secundùm inventionem manus: Hebraismus.
[f] Græc. in pauperem.
[1] i. lacrymas eloquutione conjunctas, ut sequens versus ostendit: syllepsis Hebræorum.
[2] i. ab oratione sua destiturus. q.d. cùm ipse apud Dominum importunus erit, tum Deus ut pater misericors ad eum statim exaudiendum paterno animo adducetur.
[g] Græc. faciet.
[h] Græc. in eis.
[i] Græc. opera: Hebraismus.

CAPUT XXXVI.

1 [1] MIserere nostri, Domine Deus omnium & respice:

2 Ac immitte timorem tui in omnes gentes quæ non exquirunt te.

3 Attolle manum tuam in gentes alienas, videant potestatem tuam.

4 Quemadmodum coram ipsis sanctificatus es in nobis, ita magnificeris ante nos in ipsis:

5 Et agnoscant te, prout etiam nos te agnovimus; non esse Deum præter te, Domine.

6 [a] Ede nova signa, & fac res alias mirabiles.

7 Gloriam compara manui & brachio dextero, ut enarrent mirabilia tua:

8 Excita furorem, & effunde iram:

9 Tolle adversarium, & inimicum extere.

10 Accelera tempus recordatus iræ, & enarrent te mirabilia tua.

11 Ira [b] ignita devoretur [2] qui servatus est, & qui malis afficiunt populum tuum perditionem [c] consequantur.

12 Contere capita principum in gentibus dicentium, nemo est præter nos *princeps*.

13 Congrega omnes tribus Jahakobi, & tribue hæreditatem ipsis, sicut principio.

14 Miserere populi qui de nomine tuo vocatur, Domine; & Jisraëlis quem primogenitum nominavisti.

15 Miserare civitatem sanctificationis tuæ, Jeruschalaima, locum quietis tuæ.

16 Comple Tzijonem extollendo sermones tuos, & gloria tua populum tuum.

17 Da testimonium rebus quas creavisti in principio, & prophetas excita in nomine tuo.

18 Da mercedem exspectantibus te, & Prophetæ tui [d] fideles demonstrentur,

19 Exaudi, Domine, orationem famulorum tuorum *habitam* pro populo tuo, secundùm benedictionem Aharonis, ut agnoscant omnes qui in terra sunt te Dominum seculorum esse.

20 Omnem cibum comedit venter; sed cibus cibo melior est.

21 Fauces gustant cibos venaticos, ita cor intelligentia præditum sermones mendaces.

22 Cor distortum tristitiam [e] affert, vir autem multorum peritus rependit illi.

23 [3] Quemlibet marem accipit mulier: sed est puella una elegantior altera, *& magis accepta viro*.

24 Species mulieris exhilarat faciem, & superatam omnem concupiscentiam hominis abducit.

25 Si inest linguæ *illius* misericordia, & mansuetudo, atque curatio; [4] non est vir illius [f] quales sunt homines alii.

26 Qui comparat mulierem adjumentum simile sibi & columnam requietis, incipit possessionem *constituere*.

27 Possessio cui non est sepes, disrumpitur, & cui non est uxor, is ingemiscit errans.

28 Quis enim fidem habiturus est [g] expedito latroni gliscenti de civitate in civitatem? ita *etiam* viro qui non habet nidum, sed diversatur ubicumque advesperaverit.

[1] Documentis superioris capitis de precibus oblationibúsq; piorum, optimè hic sancta oratio subjicitur, usque ad vers. 20. cujus plana est sententia.
[a] Græc. innova signa, & muta mirabilia.
[b] Græc. ignis.
[2] puta superstes ex impiis.
[c] Græc. inveniant.
[d] Græc. fideles fiant.
[e] Græc. dat.
[3] i. promiscuè observatur virorum forma, non autem mulierum: ac proptereà mas quilibet non habita ratione formæ a muliere accipitur sed vir in muliere ampliùs habet rationem formæ. Est ergo Quilibet accipiendum pro eo qui specie valet aut qui non valet promiscuè. Hic verò membrum quod per ellipsin contrarii desiderabatur sive *ἀνταπόδοσιν* ad evidentiã supplevimus, ut confirmant facienda esse versus seq.
[4] i. hic planè aliis beatior putandus est, ac non habendus in communi aliorum sorte.
[f] Græc. secundùm filios hominum.
[g] Græc. bene cinctio.

CAPUT XXXVII.

1 OMnis *quidem* amicus dicit, ego quoque amicitiam colui; sed est amicus solùm amicus nomine.

2 Nónne tristitia manet ad mortem usque,
quū socius & amicus ad inimicitiam convertitur?
3 O improba cogitatio, unde es devoluta,
quæ tegeres [1] aridam fraudulentia?
4 Socius cum amico victitat [a] læte, & tem-
pore afflictionis [b] adversarius est.
5 Socius cum amico laborat ventris causa,
& adversanti *ei* accipit scutum hostile.
6 Ne obliviscaris amici cum animo tuo; sed
ne recorderis illius qui pecuniis tuis amicus est.
7 [!] Ne consilium ineas cum eo qui subdolè
observat te, & ab invidentibus tibi consilium ab-
sconde.
8 Consiliarius quisque extollit consilium;
sed est qui consilium det [c] pro se ipso.
9 A consiliario [d] tibi ipsi cave, & prius nosce
quæ *sit* ipsius necessitas (etenim ipse sibi ipsi con-
sulturus est)
10 Ne fortè detrudat [2] aleam in te, & dicens
tibi bona *est* via tua, ipse stet ex adverso visurus
quid eveniat tibi.
11 [!] Ne ineas consilium cum eo qui subdolè
observat te, & ab invidentibus tibi consilium ab-
sconde:
12 *Neque* cum uxore de æmula ipsius, & cum
meticuloso de bello, cum mercatore de permu-
tatione, & cum emtore de venditione, cum invi-
do de agendis gratiis, & cum immisericordi de
benignis moribus;
13 Cum pigro de omni opere, & cum merce-
nario in annum conducto [3] de consummatione
operis, servo otioso de omni labore.
14 Ne attende ad istos de ulla consultatione:
15 Sed cum viro pio assiduus esto, quem ag-
noveris observare mandata Domini;
16 Qui [e] animo suo conveniat cum tuo, &
qui quum cecideris indolescat tecum.
17 Itaque consilium cordis *tui* stabilito, ne-
mo enim tibi fidelior est illo.
18 Nam animus viri interdum renunciare
solet *meliùs* quàm [4] septem speculatores seden-
tes in sublimi specula.
19 Sed supra hæc omnia ora Altissimum, ut
dirigat veritas ipsius viam tuam.
20 [5] Principium omnis operis *est* oratio, &
consilium omnem actionem anteit, vestigiumq;
[f] lætitiæ mutatæ est vultus.
21 Quatuor [6] partes oriuntur, bonum, ma-
lum, vita, mors; sed quæ horum dominatum as-
siduè obtinet est lingua.
22 Est vir callidus eruditor multorum, qui
suæ ipsius animæ est inutilis.
23 Qui sapientiam agit verbis, est odiosus;
hic omni sapientia destituitur:
24 Non enim data est ipsi a Domino gratia,
quum careat omni sapientia.
25 Est sapiens [g] sibi ipsi, cujus intelligentiæ
fructus in lingua versantes *sunt* laudabiles.
26 Vir sapiens populum suum erudit, & fruc-
tus intelligentiæ ipsius sunt [h] stabiles.
27 Vir sapiens impletur benedictione, eúmq;
beatum prædicant videntes omnes.
28 Vita cujusque cõtinetur numero dierum;
sed dies Jisraëlis *sunt* innumerabiles.
29 Sapiens in populo suo hæreditariã perci-
piet gloriam, & nomen illius [i] stabit in seculum.
30 Fili, [k] dum vivis, periculum fac animi tui;
& vide quid *sit* malum illi, ac ne des illi.
31 [l] Non enim omnia conferunt omnibus,
neque omnis animus omni re existimationem
adipiscitur.
32 Ne esto insaturabilis omnibus deliciis, ne-
que [l] projectus esto ad escas:
33 Nam multis cibis [m] adhæret morbus, & in-
satiabilis voracitas [7] proximè accedit choleram.
34 Voracitate insatiabili multi sunt mortui:
sed qui attendit sibi, vitam prorogaturus est.

CAPUT XXXVIII.

1 [1] [a] Afficе medicum suis honoribus conve-
nientibus usui ipsius; etenim ipsum
creavit Dominus:
2 Nam ab Altissimo curatio est, *cujus nomine*
etiam a rege percepturus est gloriam.
3 Scientia medici exaltat caput ipsius, adeò
ut coram magnatibus sit admirationi.
4 Dominus creavit e terra pharmaca; qua-
propter vir prudens non gravabitur illis.
5 [!] Nonne a ligno aqua dulcis facta est, ut
robur illius ab homine cognosceretur?
6 Etiam ipse dedit hominibus scientiam, qua
gloriosi efficerentur rebus admirabilibus ipsius.
7 Illis curat *hominem*, & tollit laborem ejus.
8 Unguentarius illis facit mistionem; & nũ-
quam consummata sunt opera [2] illius, éstque
[3] pax ab illo in superficie terræ.
9 Fili, in tua invaletudine ne despicias, sed
ora Dominum, & ipse curabit te.
10 Absiste a delicto, & manum [b] in recto oc-
cupa; atque ab omni peccato cor munda.
11 Exhibe odorem bonum, & [c] suffitum con-
junctum simila; & [d] pinguem orationem offer,
[4] ut qui non cœperis.
12 Deinde medico da locum, etenim ipsum
creavit Dominus; neque absistito ab eo, etenim
opus *est* eo.
13 Est interdum tempus, quum manibus
eorum prosper successus *advenit*:
14 Etenim ipsi Dominum oraturi sunt ut det
eis quietem sanitatémq; ad vitam.
15 Qui peccat adversus opificem suum, in-
cidat in manus medici.
16 Fili, de mortuo lacrymas educito, & tam-
quam res graves passus ordire lamenta; sed pro
ratione ejus circumtege corpus ejus, neque de-
spicias sepulturam ejus.
17 [e] Fletu acerbo utere, & calente planctu:
18 Et fac luctum pro dignitate ejus diem u-
num aut duos, [5] propter calumniam; & consola-
tionem accipe tristitiæ causa:
19 Nam a tristitia evenit mors, & tristitia
robur cordis reflectit.
20 [f] [6] Quum inducitur *malum*, una manet
etiam tristitia: sed vita pauperis *est* maledictio
cordis.
21 Ne dedas tristitiæ cor tuum, absiste ab ea
recordatus [g] finem.
22 Ne [7] obliviscaris: non enim est reversio, &
illũ non juvaturus es, & te ipsum affecturus malo.
23 Memento juris tui, hoc quoque jus tuum
esse: mihi heri, & tibi hodie.
24 [h] Requiescente mortuo fac ut quiescat
memoria ejus, & consolationem de eo percipe
[i] egresso spiritu ejus.
25 [8] Sapientia [k] jurisperiti opportuno otio
comparatur; sed qui parum attendit actioni suæ,
non efficietur sapiens.
26 Qua in re efficeretur sapiens? qui tenet a-
ratrum, & gloriatur de hastili stimuli, boves agit,

[1] i. terram, quæ est hominũ fraudulentorum sedes: sic appellatur Genes. 1.
[a] *Græc. in lætitia.*
[b] *Græc. adversum: sic vers. seq.*
[!] *Infrà* 11.
[c] *Græc. ad se ipsum.*
[d] *Græc. animam tuam custodi.*
[2] vel fortem: sed hoc est evidentius.
[!] *Suprà* 7.
[3] puta operis accelerandi & perficiendi, ut plura curentur conductionis anno.
[e] *Græc. in anima sua sit secundùm animam tuam.*
[4] i. multi: numerus finitus pro infinito, Hebræorum more.
[5] sensus est, quæcumque accidunt hominibus ea certis ex causis accidunt, & signis agnoscuntur: accidunt autem alia tamquam opera, quę nihil aliud ex se efficiunt; alia verò tamquam actiones quæ alias effectiones pariunt: operum facultas in oratione maximè & lingua posita est, ut exponitur sequente versu; actionum verò in consiliis præcedentibus, ut antè dictum est: utriusque autem index est vultus in homine. hæc distributio cum philosophica doctrina re quidem convenit; sed philosophorũ verba auctor nõ planè secutus est. Distribuuntur enim a philosophis res omnes in theoreticas, practicas, & poeticas; de quibus Basilius in primam Homiliam de creatione elegantissimè.
[f] *Græc. mutationis lætitiæ.*
[6] nempe operis, ut appellavit præcedente v.
[g] *Græc. propriæ animæ.*
[h] *Græc. fideles.*
[i] *Græc. erit.*
[k] *Græc. in vita tua.*
[!] *supr.* 31.19.

[l] *Græc. effusus.*
[m] *Græc. inest.*
[7] i. hominem ita nauseabundũ facit ut bilis vehementissima.

[1] i. honestè munerare.
[a] *Græc. honora.*
[!] *Exod.* 15.25.
[2] puta medici. quasi dicat, semper est ubi occupetur.
[3] i. prosperitas & incolumitas corporibus opera illius.
[b] *Græc. dirige.*
[c] *Græc. monimentum similæ: est autem monumentum idem quod suffitus, Hebræorum more.*
[d] *Græc. pinguefac oblationem.*
[4] id est, ut qui non anteverteris Dominum benedictionibus; sed ille beneficentia inde a principio prævenit te: sic accipitur verbum [illegible] ab Homero in Odyssea, pro eo quod posteriores Græci [illegible] dixerunt.
[e] *Græc. exacerba fletum, & calefac planctum.*
[5] id est, ut calumniam vites: quo sensu etiam subjicitur tristitiæ causa, id est, ad levandam atque delendam tristitiam.
[f] *Græc. inductione: ut sup.* 2.2.
[6] id est, numquam advenit tentatio aut malum, quin eadem opera dolor tristitiáq; incessat animum: sed nihil est miserius & nulla (ut ita dicam) pauperies humanę vitę potest tanta accidere, quàm si quis præ tristitia suo ipsius animo maledicat & malefaciat, ut ferè faciunt pauperes egentissimi.
[g] *Græc. ultimæ.*
[7] nempe finis, qui proximè nominatus est.
[h] *Græc. in quiete mortui.*
[i] *Græc. in exitu spiritus.*

[8] postquam de morbis & morte actum est, jam venitur ad consilia publica, quorum auctores ex Hebræorum usu appellantur scribæ: ac quæstio proponitur proximè sequenti & solvitur vers. 39. exornatur verò 39. cap. [k] *Græc. scribæ in opportunitate otii: sed qui minimus est actione.*

& nutritur inter opera eorum, & cujus narratio est de taurorum [l] fœtibus,

27 Hic animum suum adjicit ad edendos sulcos, & vigiliæ ejus *occupantur* in pabulis juvencarum.

28 Similiter omnis faber & architectus qui noctem ut diem transigit, qui scalpunt [m] sigilla sculpturis, & cujus assiduitas *versatur* in varietate commutanda, animum suum adhibet ad effingendam picturam, & cujus vigiliæ in opere consummando.

29 Ita faber ærarius assidens incudi, & addiscens in operibus ferri, cujus carnes tabefacit vapor ignis, & qui æstu camini oppugnatur,

30 Cujus aurem [n] novè personat mallei & incudis sonus, & [9] cujus oculi spectant ex adverso instrumenti similitudinem,

31 Animum suum adhibet ad operum consummationem, & vigiliæ ejus *versantur* in ornando ad consummationem *operæ*.

32 Similiter figulus assidens operi suo, & convertens pedibus suis rotam, qui [o] sollicitus incumbit semper operi suo ut numerosa sit tota elaboratio sua,

33 Brachio suo figurat lutum, & eo quod ante pedes est [10] flectit robur suum.

34 Cor adhibet ad [p] oblinendum perfectè, & vigiliæ *sunt* ejus in mundando camino:

35 Omnes isti manibus suis fidem habent, & quisque procurat ut sapiat in opere suo:

36 Sine istis non ædificatur civitas, neque *cives* incolunt neque ambulant in ea; in consilio verò populi non desiderantur, neq; in concione [11] transcendunt,

37 [q] In sede judicum non sedent, & dispositionem judicii non discernunt, neque eruditionem judiciúmque exponunt,

38 Neque instructi sententiis gravibus inveniuntur; sed possessionem seculi confirmant & optatum eorum est de elaboratione artis.

39 Nisi qui adjecerit animum suum & cogitet de lege Altissimi, *non efficietur sapiens*.

[l] *Græc. filiis.*
[m] *Græc. sculpturas sigillorum.*
[n] *Græc. innovat.*
[9] i. qui intendit oculos in exemplum operis ad cujus imitationem fabricetur suum.
[o] *Græc. in sollicitudine.*
[10] i. restringit illud incumbens in laborem usq; ad lassitudinem.
[p] *Græc. consummandum linitionem.*
[11] i. ad superiores sellas eveh[u]ntur.
[q] *Græc. in parabolis.*

CAPUT XXXIX.

1 Hic sapientiam antiquorum omnium exquirit, & in prophetiis occupatur:

2 Narrationem virorum nominatorum conservat, & [a] instructus variis parabolis cum eis ambulat:

3 Occulta *sensa* proverbiorum exquirit, & instructus [b] ænigmaticis parabolis conversatur:

4 Inter magnates ministrat, & coram ducibus spectatur:

5 In terra alienarum gentium perambulat, quia bona & mala inter homines expertus est:

6 Cor suum adhibet ad Dominum manè accedens suum opificem, & precatur coram altissimo,

7 Et aperiens os suum in oratione de peccatis suis deprecatur.

8 Quum Dominus ille magnus voluerit, impletur spiritu prudentiæ.

9 Is profundens verba sapientiæ suæ etiam in oratione celebrat Dominum:

10 Is dirigit consilium suum atq; scientiam, & de occultis suis rebus cogitat:

11 Is exponit eruditionem disciplinæ suæ, & de lege fœderis Domini gloriatur.

12 Laudant intelligentiam ejus multi, quæ in seculum minimè delebitur.

13 Non desinet memoria ejus, sed nomen ejus vivet in [c] omnes generationes.

14 Sapientiam ejus narrabunt gentes, & laudem ejus enunciabit Ecclesia.

15 [1] Sive maneat, nomen relinquit amplius quàm mille; sive requiescat, comparat sibi.

16 Quod cogitavi ampliùs enarrabo, nam velut in medio mense *est* luna plenus sum.

17 Audite me sancti, & germinate tamquam rosa plantata ad flumen humidum,

18 Ac proferte florem ut lilium, edite odorem, & laudate cantico.

19 Benedicite Domino de omnibus operibus ejus odis [d] vocalibus & citharis, atque hoc modo dicite [e] celebrantes.

20 Opera Domini omnia *sunt* bona valde, & omne præceptum suo tempore est: non est unde dicas, cur istud est? nam omnia ista suo tempore [f] sunt exposita.

21 [†] Sermone ipsius aqua stetit tamquam acervus frugum, & verbo oris ejus aquarum conceptacula.

22 Præcepto ejus *existit* quicquid placet, neq; est qui possit minuere quod servaturus est.

23 Opera cujusque carnis *sunt* [g] exposita ei, neque est unde abscondantur ab oculis ejus.

24 [h] Ex quo seculum est, in seculum inspicit; & nihil est coram ipso [2] mirabile.

25 Non est unde dicas, quid istud est? omnia enim ad ministerium suum creata sunt.

26 Benedictio ejus, ut fluvius operuit, atque ut inundatio inebriavit aridam.

27 [†] Ita iram ejus gentes hæreditatis nomine percepturæ sunt, ut convertit aquas in salsuginē.

28 Viæ ejus *sunt* rectæ sanctis, similiterque iniquis *sunt* [i] offendiculo.

29 Bona bonis creata sunt ab initio, similiter peccatoribus mala.

30 Præcipuum omnis usus ad vitam hominis *est* aqua, & ignis, ferrúmque, & sal, & similago tritici, & lac, & mel, sanguis uvæ, oleúmque, & vestimentum:

31 Omnia hæc piis bona *sunt*; ita peccatoribus convertuntur ad mala,

32 Sunt spiritus qui ad ultionem creati sunt & [3] quorum furore flagella eorum confirmavit; tempore consummationis effundunt robur, & [4] furorem ejus qui fecit illum sedant:

33 Ignis, & mare, & fames, atque mors, omnia ista ad ultionem creata sunt.

34 Bestiarum dentes, & scorpii, viperæque, & gladius ulciscens ad internecionem impios,

35 Lætantur quum oritur ipse:

36 Et in terra [5] ad ministeria cōparata sunt, suisque temporibus sermonem non sunt transgressura.

37 Propterea à principio confirmatus ubi cogitavi, commisi scripto.

38 Opera Domini *sunt* omnia quæ bona *sunt*, & omne ministerium suppeditat suo tempore.

39 Nec est unde dicas, hoc illo pejus *est*: nam omnia tempore *suo* probata erunt.

40 Nunc ergo ex toto corde & ore laudate nomen Domini, ac benedicite.

[a] *Græc. in varietatibus parabolarum, &c. & seq.*
[b] *Græc. ænigmatis parabolarum.*
[c] *Græc. generationem generationum.*
[1] id est, si superstes proficiscatur alio, sive morte ad quietem concedat, semper nomen optimum sibi conciliavent.
[d] *Græc. labiorum.*
[e] *Græc. in celebratione.*
[f] *Græc. requiruntur*: Hebraismus, *ut psal.* 11. 2.
[†] *Exod.* 14.
[g] *Græc. coram ipso.*
[h] *Græc. a seculo.*
[2] vox Hebræa cujus loco *thaumaston* posuit auctor, potius occultum quàm mirabilem sonat: sed hoc per metalepsin, illud verò propria significatione: quamobrem utramq; significationem in hoc loco cōjungendam statuo.
[†] *Genes.* 19.
[i] *Græc. offendicula.*
[3] id est, quæ præterea creat & accendit Deus, ut flagellis quibus a natura fuerunt armata in homines sæviant atrocius.
[4] id est, consummato judicio Dei opificis faciunt ut ira ejus conquiescat.
[5] legitur quidem ad manus in contextu Græco; sed melius opinor legit Hieronymus *eis chreias*, quàm *eis cheiras*: illud enim videtur simplicius, & cum Hebræo sermone convenientius.

CAPUT XL.

1 Occupatio magna homini cuique creata est, & jugum grave filiis Adami impositum [a] ex quo die egressi sunt ex utero matris suæ ad diem usque [b] quo ad matrem omnium revertuntur:

2 Cogitationibus eorū & timori cordis [c] sollicita

[a] *Græc. a die exitus.*
[b] *Græc. reversionis ad matrem.*
[c] *Græc. phantasia exspectationis.*

licita exspectatio *nempe* dies mortis *impositus*,

3 [d] Æquè sedenti in throno gloriæ, atque humiliter abjecto in terra & cinere,

4 Æquè ferenti hyacinthinum & coronam atque amicienti linum crudum.

5 Indignatio, invidiáque, perturbatio, & fluctuatio, & metus mortis, & [1] effingendi studium, atque contentio, etiam tempore quietis de nocte somnus ejus *recumbentis* in cubili notitiam mutat.

6 Perparum, quasi nihil [e] quietem capit; & ex eo in somno *versatur* tamquam in diebus speculationis,

7 Conturbatus viso mentis suæ ut qui effugit [f] a bello tempore salutis suæ.

8 Expergefactus verò miratur timorem de nihilo [g] communem omni carni & homini & pecudi; sed peccatores septuplo graviora supra hæc invadunt *mala*:

9 Mors, & contentio, gladiúsque, & sanguis, adductiones famis, & contritionis, ac flagelli; contra iniquos ista omnia creata sunt, etiam propter eos diluvium factum est.

10 Quæcumq; e terra sunt, in terram revertuntur; & *quæ* ab aquis, in mare reflectunt.

11 Omne donum injustitiáq; delebitur:

12 Fides verò consistet in seculum.

13 Pecuniæ injustorum tamquam [2] fluvius exarescent, & tamquam magnum tonitru cùm imbribus *in eas* intonabit *Deus*.

14 Quum aperit ille manus, [3] afficitur lætitia: ita qui transgrediuntur ad consummationem usque deficient.

15 Impiorum propago non edet ramos multos, & radices impuræ *sunt* in præcipite rupe.

16 *Sunt velut* [4] spuma imposita cuivis aquæ & [h] ripę fluminis, ante omne gramen evelluntur.

17 Gratia *est* velut viridarium [i] benedictionibus confertissimum, & in seculum permanet misericors beneficentia.

18 Vita hominis sua sorte contenti & operarii suavis est; sed superat utraq; qui thesaurum [5] illum adipiscitur.

19 Liberi & ædificatio civitatis stabiliunt nomen:

20 Vinum & musica lætitiam afferunt cordi; sed supra utraque amor sapientiæ.

21 Tibia & psalterium suaves efficiunt modulos, sed supra utraque suavis lingua.

22 Gratiam & pulcritudinem concupiscit oculus; sed supra utraque [6] herbam [k] satam.

23 Amicus & socius [l] tempestivè occurrunt, sed supra utraque uxor cum viro.

24 Fratres & auxiliū in tempore afflictionis, sed supra utraq; misericors beneficentia liberat.

25 Aurum & argentum [7] constabiliunt pedē, sed supra utraque consilium probatum est.

26 Pecuniæ & robur exaltant animum, sed supra utraque Domini reverentia.

27 Non est in [m] reverente Dominum diminutio, neque est cur sibi ipsi quærat auxilium.

28 Reverentia Domini *est* tamquam viridarium [n] benedictum, quam supra omnem gloriam obtegit *Deus*.

29 Fili, vitam [o] mendicam ne vivas: præstat mori quàm mendicare.

30 Vir respiciens ad alienam mensam non habet vitam [p] quæ reputanda sit vita; inquinat animam suam escis alienis:

31 Vir autem scitus ac eruditus cavet.

32 In ore impudentis suavis est mendicitas, sed [8] ignis ardet in ventre ejus.

[d] *Græc. a sedente in throno gloriæ & usque ad abjectum in* ... *capi. Hebraism.*

[1] i. Indificandi & exagitandi adversarios, eorúmq; vitia per imitationem exprobrandi, aut bona obscurandi hypocriseos nomine.

[e] *Græc. in quiete est.*

[f] *Græc. a facie belli.*

[g] *Græc. cum omni carne.*

[2] videlicet fallax & brevis, qualem describit Ijob 6.15. & sequentibus.

[3] nempe justus: eii plis cōtrarii.

[4] eamdem similitudinem etiam adhibet Hosehe 10.7. est autem Græca vox rara quidem, sed tamen propriè Græca; cujus loco per epenthesin Græci ἄχθοιν vel ἄχλιν dixerunt, ut τύχη pro τεῦχι, μογόχη & similia.

[h] *Græc. labio.*

[i] *Græc. cum benedictionibus.*

[5] de quo dictum est præcedente versu.

[6] id est, utilitatem conjunctam pulcritudine: unde est Horatianum illud, Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

[k] *Græc. sementis.*

[l] *Græc. ad tempus.*

[7] id est, homines a lapsu & ruina confirmant.

[m] *Græc. reverentia Domini: hypallag.*

[n] *Græc. benedictionis.*

[o] *Græc. mendicitatis.*

[p] *Græc. in ratiocinio vitæ.*

[8] pœna judicii, & maledictionis Dei.

CAPUT XLI.

1 O Mors, quàm [a] acerba *est* tui memoria homini utenti pace in facultatibus suis,

2 Viro minimè distracto *curis*, sed successu prospero utenti in omnibus, & adhuc valenti cibum capere!

3 O mors, *quàm* bonum *est* judicium tuum homini indigenti & minuto viribus,

4 Extremā senectam agenti, & distracto ad omnia, atq; diffidenti, & qui amisit patientiam!

5 Ne timeas [b] jus mortis: recordare [c] eorum qui præcesserunt te, & qui sequuntur; hoc enim jus est *indictum* carni tuæ a Domino.

6 Ecquid recuses quod placet Altissimo? sive decem, sive centum, sive mille annos *natus*.

7 Non est in sepulcro [1] incusatio vitæ.

8 Quum liberi abominandi fuerunt, filii peccatorum, qui conversantur impiorum vicinitatibus.

9 Filiorum peccatorum perit hæreditas, & cum semine eorum assiduum est probrum.

10 Patri impio succensent liberi, eo quòd per ipsum probro sint.

11 Væ vobis viri impii, qui quidem dereliquistis legem Altissimi: nam sive multi sitis, ad perditionem *estis*;

12 Et sive nascamini, ad maledictionem nascimini: sive moriamini, [d] maledictioni in partem adjudicamini.

13 Quæcumq; e terra *sunt*, in terram revertuntur; sic impii in perditionem.

14 Luctus hominum de corporibus ipsorum *est*: sed nomen hominum [2] qui non fuerunt boni delebitur.

15 Curā habe de nomine: hoc enim tibi permanet *magis* quàm mille thesauri ingentes auri.

16 Vitę bonæ [e] numerantur quidem dies, sed bonum nomen in secula permanet.

17 Eruditionem in pace conservate, liberi.

18 Sapientiæ absconditæ & thesauro non manifesto, quæ *est* utrique utilitas?

19 Præstat homo abscondens stultitiam suam homini abscondenti sapientiam suam.

20 Itaq; verecundia commoveatur hoc verbo meo: non enim bonum est omnem pudorem conservare, neque omnia omnibus probantur *fuisse facta* [f] fideliter.

21 [g] In patrem & matrem, pudeat vos scortationis; & in ducem potentioremque, mendacii;

22 Et in judicem magistratúmque, delicti; in cœtum & populum, iniquitatis;

23 In socium & amicum, injustitiæ; & in loco ubi incola es, furti;

24 In veritatem Dei, *fracti* federis; & [h] [3] in eum qui impingit cubitum, ciborum; [4] in exagitatione, [i] nundinationis;

25 Et apud salutantem, silentii; *pudeat* aspectus in mulierem meretricem, & aversationis [k] ab homine nobili,

26 [l] Ablatæ portionis & doni, & [m] adhibiti ad mulierem conjugatam animi,

27 Curiositatis, & ancillæ; nam ne insistito in cubile ejus.

28 *Pudeat* apud amicum sermonum probri, & postquam dederis ne exprobrato:

29 Pudeat etiam [5] repetitionis, & sermonis ex auditu, & retectionis in occultis rebus.

30 Sic eris veraciter pudens, & gratiam coram omni homine [n] consequeris.

[a] *Græc. amara.*

[b] *Græc. judicium.*

[c] *Græc. priorum te & ultimorum.*

[1] id est, post mortem non initur tecum ratio quantum vixeris, neque tibi vertetur crimini parum aut multum vixisse, sed malè vixisse te, & malè actæ vitæ ratio subducetur.

[d] *Græc. in maledictionem dispertimini.*

[2] Græcè quidē ἀγαθὸν singulari numero legitur; sed per ἀνωμαλίαν sequutus Hieronymum: nam hoc pacto locus est evidentior.

[e] *Græc. numerus dierum est.*

[f] *Græc. in fide.*

[g] *Græc. a patre: sic deinceps.*

[h] *Græc. ab impactione cubiti de panibus.*

[3] hic locus variè quidē accipitur, sed unicam sententiam eámque judicio meo verissimam afferā: vult ergo auctor ut quemadmodum furti; sic etiam violentiæ pudeat nos. Is autem violentus est qui alteri nolenti rem suam eripit, & contrà nitenti; quod hic una specie declaratur hominis habentis panem sive alimētum suum & cubitū appingētis atq; circumdantis ne eripiatur sibi. Huic homini quisquis rem suam adimit, violentus est; ac propterea admonet sapiens ut nos cùm istius pudeat, tum omnis violentię.

[4] i. pudeat te si quis te cōtumeliis probrosis infamibúsq; exagitet cum eo colludere, & cōventionem pacisci ad malum.

[i] *Græc. acceptionis & donationis: Hebraismus.*

[k] *Græc. faciei hominis nobilis.*

[l] *Græc. ab ablatione port.*

[m] *Græc. considerationis mulieris quæ subest viro.*

[5] i. relati sermonis quem alter pronunciaverit: nam delatione, jam sæpius omnibus bonis semper odiosa, persæpe damnosa est.

[n] *Græc. invenies.*

CAPUT

CAPUT XLII.

1 NE de rebus istis pudeat te,[1] neque susci-
pias personam ad peccandum;
2 De lege Altissimi, & federe, & de judicio
ut impium justifices,
3 De [a] re sociali atque viatorum, & de tradi-
tione hæreditatis sodalium,
4 Et accuratione trutinę ponderumque, de
acquisitione multarum & paucarum rerum,
5 De varia mercatorum venditione,
6 Et de multa liberorum eruditione, & de
[b] cruentando latere famulo nequam.
7 In mulierem improbam [c] bona *est* obsig-
natio; & ubi manus multæ sunt, conclude *res
tuas*.
8 Quum trades, *trade* numero & ponde-
re, & datum & acceptum omnia de scripto
habe.
9 *Ne pudeat* de eruditione amentis, & stul-
ti, & decrepiti cum juvenibus litigantis: erísque
eruditus [d] certò, & coram omni vivente proba-
beris.
10 Filia patri [e] occultas vigilias affert, & sol-
licitudo de ea abducit somnum; tum in juventu-
te ejus, ne fortè ætatis flos prætereat; tum [f] elo-
cata, ne fortè odio sit:
11 In virginitate, ne fortè polluatur, & in pa-
ternis *ædibus* suis gravida fiat; cum viro autem
versata, ne fortè transgrediatur, & elocata ne
fortè sit sterilis.
12 In filiam [g] inverecundã firma utere custo-
dia, ne fortè efficiat [h] ut tu sis gaudio inimicis,
sermoni in civitate, & famosus in populo, deniq;
pudore illa afficiat te in turba multorum.
13 In ullum hominem ne intuêre ob pulcri-
tudinem, & inter mulieres ne conside:
14 Nam ex vestimentis egreditur tinea, & ex
muliere mulieris improbitas.
15 Melior *est* improbitas viri, quàm muli-
er benefica, [2] mulier pudore afficiens ad pro-
brum.
16 Memorabo jam opera Domini, & quæ
vidi enarrabo verbis Domini, opera ipsius.
17 Et sol perlustrans in omnia inspicit, & glo-
ria Domini plenum *est* opus ipsius.
18 [3] Non indidit sanctis Domini ut enarrent
omnia mirabilia ipsius, quæ firmavit Dominus
omnipotens statuminando gloria sua universi-
tatem.
19 Abyssum & cor pervestigat, & de callidi-
tatibus [4] illorum cogitat:
20 Novit enim Altissimus notitiam omnem,
& introspicit in signa [i] æterna, nuncians res prę-
teritas & futuras, & occultarum vestigia rete-
gens.
21 Non prætęrit ipsum ulla cogitatio, non
absconditus est ipsi nę unus quidem sermo.
22 Res magnificas ornavit sapientia sua, qui
antę seculum & in seculum est:
23 Neque augetur, neque minuitur, neq; in-
diget ullo consiliario.
24 Quàm desiderabilia *sint* omnia opera ip-
sius, etiam [5] ad scintillam usque facile est spec-
tare.
25 Hæc omnia vivunt manéntq; in seculum
omnibus in ministeriis, omniáque obediunt.
26 Omnia duplicia, unum e regione alteri-
us; neque fecit quicquam deficiens.
27 [k] Alterum alterius confirmat bona; de-
nique quis expleatur videndo gloriam Dei?

[1] i. neq; auctoritate cujusquam aut gratia abducaris ut committas peccatum; sed magis te pudeat peccati coram Deo, quàm offensæ hominis gratia.
[a] *Græc. verbo socii.*
[b] *Græc. sanguinando.*
[c] *Græc. bonum sigillum.*
[d] *Græc. verax.*
[e] *Græc. occulta vigilia est & sollicitudo ejus.*
[f] *Græc. postquam cohabitavit: sic vers. seq.*
[g] *Græc. non aversabilem, firma custodiam.*
[h] *Græc. te gaudium inimicis, loquutionem in civitate, & appellationem populi.*
[2] hæc verba qui a præcedentibus disparant, indignè faciunt: sunt enim superiorũ exegetica: quibus ostendit antecedens dictum non esse καθόλου de omni muliere, sed de μόνῃ accipiendam de improba.
[3] id est, tantam facultatem aut talitum sumendasqui cum suis non communicavit pro merito opera ipsius enarrare possint.
[4] puta singulorum cordium.
[i] *Græc. seculi.*
[5] id est, rem quamlibet minimam: proverbialiter dictum.
[k] *Græc. simul* [illegible]

CAPUT XLIII.

1 [a] SUperba altitudo expansum purum *est*,
species cæli cum aspectu glorioso ejus.
2 Sol ad aspectum nunciat [1] de glorioso
Deo, *quod* instrumentum *est* admirabile, opus
Altissimi.
3 [b] Quum in meridiano est arefacit regio-
nem, & ex adverso æstus illius quis subsistat? *quasi*
in caminum sufflet operibus æstus *sui*.
4 [2] Tripliciter sol exurit montes, vapores
igneos efflat, & refulgens radiis hebetat o-
culos.
5 [ll] Magnus *est* Dominus qui fecit illum, & ser-
monibus suis sedavit iter *illius*.
6 Idem lunam fecit ad constitutionem tem-
pore suo *faciendam*, demonstrationem tempo-
rum, & signum seculi.
7 Etiam a luna signum *habetur* die festi.
8 Luminare *ubi* minutum est ad consum-
mationem, mensis de nomine illius; auctum ve-
rò res mirabiles facit mutatione:
9 [3] Instrumentum [c] castra habens in alto, in
expanso cæli relucens.
10 Pulcritudo cæli *est* gloria astrorum, or-
natus lucem præbens in *cælis* Domini Altis-
simi.
11 Ad sermones sancti [d] [4] exhibent condem-
nationem, neque exardescunt in custodia sua.
12 Vide [5] arcum, & benedic ei qui fecit ip-
sum, valde speciosum splendore suo.
13 Curavit cælum in circulum gloriosum,
manus Altissimi extenderunt illud.
14 Præcepto suo sistit nivem, & celeriter in-
citat fulgura judicii sui.
15 Propterea apertis thesauris evolant nu-
bes, ut volucres.
16 Magnificentia sua confirmat nubes, &
diffringuntur lapides grandinis.
17 [e] Sonus tonitru ipsius facit ut indolescat
terra, & aspectu ipsius commoventur montes.
18 Voluntate ipsius spirat Notus, & [f] procel-
losus Boreas, & Circius.
19 Tamquam volucres deorsum volantes
spargit nivem, cujus descensus *est* tamquam lo-
custæ divertentis.
20 Pulcritudinem albedinis ejus admiratur
oculus, & ad imbrem illius extra se rapitur cor.
21 Et pruinam tamquam salem in terram
profundit, quæ congelata [g] efficit palorum sum-
mitatem.
22 Frigido vento Borea efflante compingi-
tur ex aqua gelu, in omni congregatione aqua-
rum diversatur, & aquam velut lorica induit.
23 [6] Exedit montes, & desertum exurit, her-
bámque exstinguit tamquam ignis.
24 [h] *Quæ* omnia curans festinanter nebula,
ros occurrens [7] ab æstu exhilarat.
25 Sermocinatione ejus quiescit abyssus, &
in ea insulas plantavit.
26 Qui navigant mare, narrant periculum
ejus: [i] quod audiẽtes auribus nostris admiramur.
27 Ibidem *sunt* incredibilia & mirifica opera,
varietas omnium animantium, discrimen ceto-
rum.
28 Denique per ipsum prospera via utitur
Angelus ipsius, & sermone ipsius consistunt
omnia.
29 *Ut* dicamus multa, haudquaquam tamen
assequemur; & [k] ut summatim dicam, is est uni-
versum ipsum.

[a] *Græc. superbia altitudinis firmamentum munditiei.*
[1] id est, de Deo gloriæ: quod argumentum explicatur Psal. 19.
[b] *Græc. in meridie ei: Hebraismus.*
[2] id est, quamplurimùm: nam ternarius numerus intendit significationem.
[ll] *Jehoschu. 9. & Jeschaj. 38.*
[3] id est, luna est velut instrumentum Dei stellarũ castris circumdatum, & exercitibus, ut appellatur Gen. 2. 1. sic transitur ad locum de stellis.
[c] *Græc. castrorũ.*
[d] *Græc. sistunt.*
[4] i. ita obscurantur quasi tenebris perpetuis damnatæ essent: ut Jeschaj. 24. 23. Joëlis 2. 30. & alibi passim.
[5] id est, irin, ut a poëtis appellatur, de quo Gen. 9. 12. & seq.
[e] *Græc. vox.*
[f] *Græc. procella Boreæ & conversio venti.*
[g] *Græc. est palorum summitas.*
[6] nempe gelu exurens omnes fœtus terræ.
[h] *Græc. curatio omnium per diligentiam.*
[7] puta adveniente, quum vernare incipiunt omnia.
[i] *Græc. & auditionibus aurium nostrarum.*
[k] *Græc. ad consummationem sermonum, ut inf. 50, 15.*

30 Gloria afficere eum ubi valeremus? nam
ipse *est* magnus præter omnia opera sua.
31 Terribilis Dominus, & magnus valde, &
admirabilis potentia ejus.
32 Glorificantes Dominum exaltate quantum
potestis; nam adhuc etiam superabit *exaltationem vestram*:
33 Et exaltantes eum [l] plurimas vires conferre:
34 Ne defatigemini: non enim unquam assequemini.
quis vidit ipsum ut enarret? & quis
magnificet ipsum prout est?
35 Multa abscondita sunt majora [s] istis, pauca
vidimus ex operibus illius:
36 Nam omnia fecit Dominus, & piis indit
sapientiam.

l Græc. *multiplicate in viribus.*

s nempe quæ ad notitiam nostram pervenitunt, ut interpretantur sequētia.

CAPUT XLIIII.

1 Jam laudemus viros gloriosos, & majores
nostros genere.
2 Multam gloriam [a] comparavit Dominus
per illos majestati suæ inde a seculo.
3 Dominantes in regnis suis, & viri [b] celebres
potentia, consilia ineuntes cum intelligentia
sua, qui renunciaverunt de prophetiis,
4 Ducentes populum constantibus consiliis,
& intelligentia [c] juris popularis,
5 Quorum eruditioni sapientes sermones
inerant, [t] qui exquirebant modulationes musicorum,
& carmina scripta enarrabant,
6 Viri divites, [d] instructi robore, colentes
pacem in suis habitationibus:
7 Hi omnes per generationes adepti sunt
gloriam, [e] qua gloriati sunt in diebus suis.
8 Sunt ex iis qui reliquerunt nomen, cujus
enarrentur laudes:
9 Sunt etiam quorum non est recordatio,
qui perierunt quasi non exstitissent, & fuerunt
quasi non fuissent, liberiq; ipsorum post ipsos.
10 Verùm quàm fuerunt [f] misericorditer accepti
viri illi quorum justè facta non sunt oblivioni
tradita.
11 Cum semine illorum permanet bona hæreditas,
posteri illorum in federibus sunt.
12 In federibus est semen eorum, & liberi eorum
post eos.
13 In seculum manet eorum semen, neque
deletur eorum gloria.
14 Sunt *quidem* eorum corpora sepulta in pace;
sed nomen eorum vivit in [g] generationem
quamque.
15 Sapientiam eorum narrant populi, & laudem
eorum enunciat Ecclesia.
16 [‖] Chanoc placuit Domino Deo, & trāslatus
est, exemplum resipiscentię his generationibus
propositum.
17 [‖] Noach deprehensus est integer, justus, cujus
fuit reconciliatio [h] quo tempore irascebatur
Deus.
18 Propterea quum diluvium fieret,
19 Etiam federa [i] perpetua cum eo constituta
sunt, ut non deleretur diluvio omnis caro.
20 [‖] Abraham magnus pater multarum gentium
fuit, cui non est inventus par in gloria illius,
qui conservavit legem Altissimi, & fuit [k] federe
junctus illi.
21 [‖] In carne illius lustituit fedus, & in tentatione
fidelis compertus est:
22 Propterea juramento constituit ei se benedicturum
gentibus in semine ejus.
23 Multiplicatum eum tanquam pulvere

a Græc. *creavit.*
b Græc. *nominati.*
c Græc. *scripturæ populi.*
t Id est, excogitabant & componebant auctore spiritu Dei exquisita illa & sacra cantica quæ descripto fuerunt Ecclesię tradita, ut decantarentur in ea.
d Græc. *subministrati.*
e Græc. *& gloriatio* fuerunt.
f Græc. *misericordiæ: ut vers. 21.*
g Græc. *generationem & generationem.*
‖ Gen. 5.
‖ Gen. 6.
h Græc. *tempore iræ.*
i Græc. *seculi.*
‖ Gen. 17.
k Græc. *in federe cum illo.*
‖ Gen. 22.

terræ, & illos hæreditatem possessuros [l] a mari
uno ad alterum, & a fluvio usque ad extremitatem
terræ.
24 [‖] Similiterq; in Jitzchako statuit propter
Abrahamum patrem ipsius,
25 Benedictionem omnium hominum & fedus,
quod [m] incubuit capiti Jaħakobi.
26 Agnovit eum in benedictionibus [s] illius,
quumque dedisset ei hæreditatem, divisit partem
ejus in tribus duodecim quas dispertitus est:
27 Eduxitq; ex eo [3] virum misericordiæ, qui
consequutus est gratiam coram omni carne.

l Græc. *a mari ad mare.*
‖ Gen. 25.
m Græc. *requievit super caput.*
‖ Gen. 27.
s puta Jitzchaki. quasi dicat, fallebatur quidem Jitzchak quum verbis Dei benedictionem pronunciaret; sed minime fallebatur Deus, qui hunc agnoscebat & augebat benedictionibus.
3 i. Moschen misericorditer a Deo servatum & acceptum, ut exponitur sequente versu, qui imperitè ab hoc divulsus est: vide suprà in versum 10.

CAPUT XLV.

1 Dilectum Deo & hominibus Moschen, cujus
memoria [a] benedictionibus conjuncta
est:
2 Parem effecit eum gloriæ [1] sanctorum, &
magnificavit eum hostium timoribus, sermonibus
ejus signa compescuit, & gloria affecit eum
in conspectu regum,
3 [‖] Dedit ei mandata ad populum suum, &
demonstravit ei gloriam suam:
4 In fide & mansuetudine ejus sanctificavit
eum, quum elegisset eum ex omni carne:
5 [‖] Fecit ut audiret vocem suam, & introduxit
eum in caliginem;
6 Et tradens ei [b] coràm mandata, legem vitæ
atque scientiæ; docuit Jaħakobum fedus, &
jura sua Jisraëlem.
7 Aharonem extulit sanctum, similem illi,
fratrem illius, e tribu Levi;
8 Instituens ei fedus [c] perpetuum dedit ei sacerdotium
populi, & ornatu apto beavit eum.
9 [‖] Nam circumcinxit eum amictu glorioso,
induens eum consummatione [d] gloriosa, & confirmavit
eum instrumentis roboris,
10 Feminalibus, & talari veste, atque humerali:
11 Et circumdedit eum parvulis malogranatis,
aureisque tintinnabulis plurimis in circuitum,
ut sonaret vox ad gressus ejus, ut sonum ederet
qui in templo exaudiretur, & memoriale
esset [e] popularibus ejus:
12 Stola sancta ex auro & hyacintho purpuràque
opere plumario, [2] rationali judicii manifestis
veritatis *signis*,
13 *Ex* retorto coccineo opere artificioso, lapidibus
pretiosis sculpturis sigilli, cum vinculis
aureis, opere gemmarii, ad monimentum; scriptura
cælata de numero filiorum Jisraëlis.
14 Coronam auream imposuit cidari, [f] cum
ectypo signo sanctificationis *opere* sigilli, *instrumentum*
[g] gloriationis honoratæ, opera strenuè
fabrefacta, quæ adornata speciosè ab oculis concupiscerentur.
15 Ante eum res non fuerunt ejusmodi, neque
in seculum induit alienigena;
16 Præter filios ejus solùm, & posteros ejus
perpetuò:
17 Quorum sacrificia in holocaustum offeruntur
assiduè bis in diem.
18 [3] Implevit Mosche manus ejus, eúmque
oleo sancto unxit;
19 *Quod* fuit ei in fedus perpetuum, & semini
ejus, [h] tantisper dum futurum est cælum; ut ministrantes
eis simul fungantur sacerdotio, & benedicant
populo in nomine ipsius.

a Græc. *in benedictionibus est.*
1 Id est, angelorum: ut apud Danijelem appellantur.
‖ Exod. 4. *& sequens.*
‖ Exod. 9.
b Græc. *in faciem.*
c Græc. *seculi; sic deinceps.*
‖ Exod. 28. *&* 39.
d Græc. *gloriationis.*
e Græc. *filiis populi.*
2 i. eo ornatu quod pectorale dixerunt alii, ex cujus Urimis & Thummimis divinitus veritas rerum cognoscebatur; de quo vide Exod. 28. 15. & sequentibus, & Hezra 2. 63.
f Græc. *ectypum opus.*
g Græc. *gloriationem honoris, opera roboris, concupiscentias oculorum, adornatas speciosè: appositionis loco habetur.*
3 id est, consecravit ministerium sacerdotale ejus: vide Exod. 28. 41.
h Græc. *die cæli.*

20 Elegit

20 Elegit eum ex omnibus viventibus ut ad-
duceret holocaustum Domino, suffitum, odo-
rémque gratum ad monimentum, litando pro
populo:
21 Dedit ei mandata sua, potestatémque
judiciorum de federibus *suis*; ut doceret Jaħa-
kobum testimonia, & in lege ipsius illustraret
Jisraëlem.
22 Quum simul institissent in eum alieni, in-
videntes ei in deserto [i] quidam, Dathan & Abi-
ram & congregatio Korachi [k] irato animo;
23 Videns Dominus improbavit, sed consum-
mati fuerunt in furore iræ:
24 Fecit in eos portenta consumendo eos ig-
ne [l] flammante:
25 Et adjiciens Aharoni gloriam, dedit illi
hæreditatem, primitias primorum fœtuum im-
pertitus illi.
26 [m] Cibum in primis [n] abundè comparavit;
etenim sacrificia Domini comedunt, quæ dedit
ei & semini ejus.
27 Verùm in terra populi hæreditatem non
percipit, neque inter populum est portio ei; nam
ipse pars *est* hæreditatis ejus.
28 ‖ Pinchas verò filius Elħazaris tertius *est*
gloria, eo quòd zelo ductus ipse cum reverentia
Domini,
29 Steterit in aversione populi [o] optimo pro-
tóq; animo suo, & pro Jisraële *Deum* placaverit.
30 Propterea instituit ei fedus pacis & [4] po-
pulo ipsius, ut antistes rerum sanctarum esset, ut
magnificentia sacerdotii esset ipsi ac semini ipsi-
us in seculum.
31 Ac *ex* federe quidem facto cum Davide
nato ex tribu Jehudæ hæreditas regis [p] a filio ad
filium unicum pervenit; hæreditas verò Aharo-
nis *debetur* etiam semini ipsius.
32 [5] Indat vobis sapientiam, cordi *inquam* ve-
stro ad judicandum populum suum [q] justè, ut
non deleantur bona illorum, & gloria ejus *constet*,
per generationes illorum.

i Græc. viri.
k Græc. animo & ira.
l Heb. flamma.
m Græc. panem.
n Græc. in plenitudine.
‖ Num. 25.
o Græc. bonitate promtitudinis animæ suæ.
4 i. posteris e gente ipsius, ut sæpe vox ista a Mosche accipitur.
p Græc. filii ex filio solius est.
5 conclusio capitis de sacerdotibus a voto sive oblatione ad Deum.
q Græc. in justitia.

CAPUT. XLVI.

1 ‖ Fortis in bello Jehoschuaħ filius Nunis &
successor *fuit* Moschis in prophetiis:
2 ‖ Qui fuit magnus secundùm nomen suum
ad salutem electorum ejus, vindicando inimicos
qui insurgebant, ut hæreditatem traderet Jis-
raëli.
3 ‖ Quàm gloriosus factus est, quum extolle-
ret manus suas, extenderétque in civitates gla-
dium!
4 Quis ante eum sic stetit? nam bella Domi-
ni ipse induxit *illis*.
5 Nonne ad manum illius retrogressus est
sol, & unus dies fuit [a] ut biduum?
6 Invocavit altissimum principem quum af-
fligerent inimicos circumquaque, & magnus
Dominus exaudivit eum immissis lapidibus
grandinis potentia vehemente.
7 Erupit in gentes bello, & [b] descendens per-
didit eos qui resistebant:
8 Ut agnoscerent gentes armaturam ipso-
rum, [c] Domino *esse curæ* bellum ipsius: etenim
persequebatur eos [d] prægeunte [1] principe.
9 Etiam [e] tempore Moschis fecit [f] misericor-
diter ipse & ‖ Caleb filius Jephunnæ resistendo
coram Ecclesia, prohibendo populum a pecca-
to, & murmurationem [g] improbam sedando.
10 Atque hi quum duo fuerint, e sexcentis
millibus peditum conservati sunt, ut adduceret

‖ Num. 27.
‖ Exod. 17.
‖ Jehoschu. 10.
a Græc. ad duos.
b Græc. in descensu.
c Græc. coram Domino esse bellum.
d Græc. post principem.
1 Copiarum Domini, id est Christo, qui apparuerat ipsi Jehosch. 6.
e Græc. die.
f Græc. misericordiam.
‖ Num. 14.
g Græc. improbitatis.

ipsos *Deus* in hæreditatem, in regionem affluen-
tem lacte & melle:
11 ‖ Dedítque Dominus Calebo robur quod
ad senectutem usq; permansit ei, adeò ut ascen-
derit ipse supra [h] celsas civitates terræ; & semen
ipsius hæreditatem obtinuerit:
12 Ut viderent omnes filii Jisraëlis bonum
esse obsequi Domino.
13 Similiter judices singuli de nomine suo,
14 Omnes quorum cor non est scortatione
aversum a Deo, & quicumque non fuerunt aver-
si a Domino, horum etiam memoria est [i] bene-
dictionibus conjuncta.
15 Ossa eorum revirescant in loco suo, & no-
men eorum quasi permutatione renovetur in fi-
liis eorum qui gloriam adepti sunt.
16 ‖ Dilectus a Domino suo Schemuel Pro-
pheta Domini constituit regna, & unxit princi-
pes præficiens populo ipsius;
17 ‖ Ex lege Domini judicavit congregatio-
nem, & invisit Jaħakobum Dominus.
18 ‖ In sua fide accuratus Propheta comper-
tus est, & agnitus in verbo suo:
19 Nam invocavit Dominum principem af-
fligentibus eum inimicis ejus circumquaque,
cum oblatione lactentis [k] maris:
20 Et intonuit e cælo Dominus, adeò ut sono
magno tonitru faceret ut exaudiretur vox sua;
21 Attrivítque duces Tyriorum, & omnes
principes Pelischthæorum.
22 ‖ Deinde antequàm indormisceret a secu-
lo, contestatus est coram Domino & [2] uncto ip-
sius *dicens*; pecunias, ac [l] ne calceamenta qui-
dem ab ullo homine accepi; nec incusavit eum
[m] quisquam.
23 [3] Posteaquam verò obdormivisset, pro-
phetavit demonstrans regi mortem ipsius, &
extulit e terra vocem suam prophetia *indicans*
deletum iri iniquitatem populi.

‖ Jehosc. 14.
h Græc. altitudinem.
i Græc. in benedictionibus.
‖ 1. Schem. 10. & 16.
‖ 1. Schem. 6.
‖ 1. Schem. 7.
k Græc. viri χαλάχρηστος (illegible).
‖ 1. Schem. 12.
2 id est, Schaüle rege, quem unxerat 1. Schem. 10.
l Græc. usque ad calceamenta ab omni carne.
m Græc. homo.
3 habetur quidem historia 1. Schem. 28. de hoc argumento: sed alienum istud esse a fide ut Schemuel Propheta Dei dicatur a nefaria muliere provocatus Schauli respondisse, cùm patres ipsi permultis locis & argumentis plurimis ostenderunt, tum evincit scriptura manifestissimè: sed hoc scriptum humanum est; & quatenus cum verbo Dei conformatur, piè accipiendum; reliqua casto & sancto judicio discernenda: tenuit enim hic noster auctor illud dogma de reversione non modò spirituum, sed etiam corporum, ut apparet ex iis, quæ de Elija Propheta narrat infrà 48.10.

CAPUT XLVII.

1 Posteà verò ‖ exstitit Nathan Propheta,
Davidis temporibus:
2 Tamquam adeps separatus ab *hostia* salu-
tari, ita *est* David *eximius* e [a] Jisraëlitis.
3 ‖ Inter leones peregrinus conversatus est
sicut inter hœdos, & inter ursos sicut inter lac-
tentes agnos.
4 In juventute sua occidit gigantem, & su-
stulit probrum e populo.
5 Quum attolleret manum, lapide fundæ
dejecturus [b] gloriabundum Goljathum.
6 Nam invocavit Dominum altissimum, qui
dedit dexteræ ipsius robur tollendi hominē po-
tentem bello ad exaltandum cornu populi sui.
7 Sic inter myriadas gloriam tribuit ei, &
laudavit eum benedictionibus Domini.
8 Quum allatum fuisset ipsi diadema glo-
riæ, attrivit inimicos circũquaque, & redegit in
nihilum Pelischthæos adversarios, in diem ho-
diernum usque attrivit illorum cornu.
9 In omni opere suo tribuit celebrationem
sancto Altissimo verbis [c] gloriosis.
10 Ex toto corde suo decantavit & amavit
opificem suum:
11 ‖ Instituítque cantores ante altare, ut
voce suaves canerentur moduli ipsius, & in dies
laudarent *Deum* odis suis.
12 Tradidit ad dies festos res decoras, & tem-

pestates

‖ 2. Schem. 7.
a Græc. filiis Jisraëlis.
‖ 1. Schem. 17.34.
b Græc. gloriationem Goljathi: hypallage.
c Græc. gloria.
‖ 1. Chro. 23. & seq.

[d] *Grac. usque ad consummationem.*
‖ *2. Sche.7.*

pestates ornavit [d] absolutissimè, laudantibus il-
lis sanctum nomen ejus, & inde a matutino per-
sonante sanctuario ejus.
13 ‖ Dominus abstulit peccata ipsius, & cornu
ipsius in secula exaltavit, tradens ei fedus regni
& thronum gloriæ in Jisraële.
14 Post eum ‖ exstitit filius sapiens, per quem
in [e] lato habitabit *Deus*.
15 Schelomo regnavit temporibus pacis, &
gloriam adeptus est, quum Deus sedavisset *regi-
ones* circumstantes eum, ut statueret domum
ad nomen ejus, & pararet sanctuarium in secu-
lum:
16 ‖ Qui sapiens factus est in juventute sua, &
impletus ut *aqua* fluvius, intelligentiâ.
17 Terram obtexit anima tua totam, & im-
plevit parabolis [f] ænigmaticis:
18 Ad insulas procul pervenit nomen tuum,
& dilectus es in [g] prosperitate tua.
19 De odis, & parœmiis, parabolísque, & in-
terpretationibus admiratæ sunt regiones.
20 In nomine Domini Dei totius terræ [1] qui
tuus vocatus est, Deus Jisraëlis.
21 Congregasti quasi stannum aurum, & qua-
si plumbum collegisti multum argenti.
22 ‖ Inclinasti viscera tua ad mulieres, & in po-
testate aliena fuisti corpore tuo.
23 Indidisti maculam gloriæ tuæ, & propha-
num effecisti semen tuum ad inducendum iram
in filios tuos, & ut compungerentur de im-
prudentia tua; quum [h] discinderetur reg-
num, & ex Ephrajimo regnum inobsequens in-
ciperet.
24 Dominus verò nequaquam fuit derelic-
turus misericordiam suam, neque [i] facturus ut
abrumperetur cursus operum ipsius;
25 Ac minimè ‖ deleturus posteros electi sui,
& semẽ ejus qui dilexit eum minimè sublaturus:
26 Sed Jahakobo disposuit reliquias, & Davi-
di radicem ex ipso.
27 Nam quum requiesceret Schelomo cum
suis majoribus,
28 Reliquit post ipsum de semine ipsius [k] in-
sipientissimum e populo, minimáque intelligen-
tia, Rechabhamum; qui [2] avertit populum con-
silio suo.
29 Et Jarobham filius Nebati, qui ad pec-
candum induxit Jisraëlem: quúmque prodidis-
set Ephrajimo viam peccati, multiplicata sunt
peccata illorum valde,
30 Ut amoveret ipsos e terra *Deus*;
31 Donec ira & vindicta supervenisset ipsis.

[e] *Græ. latitudine.*
‖ *1. Reg.1.*
‖ *1. Reg.3.*
[f] *Grac. ænigmatum.*
[g] *Grac. pace.*
[1] Ex variis lectionibus quę habentur hoc loco lectionem Hieronymi ut simplicissimam amplectimur, & sententia nostra vetustissimam.
‖ *1. Reg.11.*
[h] *Græc. fieret in duo.*
[i] *Græc. neque futurus erat corruptus ab operib. suis*
‖ *2. Reg.12.*
[k] *Græc. insipientiam populi & minutum intelligentia.*
[2] id est, induxit ad defectionem facto insipiente suo, eámque arreptam constabilivit Jarobham.

CAPUT XLVIII.

‖ *1. Reg.17.*

1 ‖ Surrexit verò Elija Propheta tamquam
ignis, cujus sermo tamquam fax ardebat:
2 Qui induxit in eos famem validam, & ze-
lo suo [1] paucos effecit eos:
3 Sermone Domini cohibuit cælum, ‖ & de-
duxit ignem ter e cælo.
4 Quàm gloriosus effectus es, Elija, mira-
bilibus *factis* tuis? & quis par tibi *est* unde glo-
rietur?
5 ‖ Qui mortuum excitasti e morte, & e se-
pulcro animam sermone Altissimi:
6 Qui deduxisti reges in perditionem, &
gloriam adeptos e cubili ipsorum:
7 ‖ Qui audivisti in Sinai redargutionem Do-
mini, & in Chorebo judicia ultionis:
8 ‖ Qui unxisti reges ut retribuerent, & Pro-
phetas successores post te:

[1] Nempe exorata fame a Deo, qua enecti sunt multi.
‖ *2. Reg.1.*
‖ *1. Reg.17.*
‖ *1. Reg.19.*
‖ *2. Reg.2.*

9 Qui assumtus es ignis turbine, curru [a] e-
quis igneis vecto.
10 [2] Qui conscriptus es [b] fore redargutioni
in *sua* tempora, ut sedares [c] iratum judicium Do-
mini furore conjunctum, ut converteres cor pa-
tris ad filium, & constitueres tribus Jahakobi.
11 Beati qui viderunt te, & qui obdormive-
runt cum dilectione *tui*:
12 [3] Etenim nos [d] planè victuri sumus.
13 Elija ut tectus fuit turbine, similiter Eli-
schah impletus fuit spiritu sancto, adeò ut die-
bus suis non fuerit commotus a principibus, ne-
que dominio abusus sit in eum quisquam:
14 Ulla res non superavit illum; sed [e] quum
obdormivisset, ‖ prophetavit corpus illius:
15 Et in vita sua fecit portenta, & in morte
sua mirabilia opera sua.
16 Ad ista omnia non resipuit populus, neque
abstiterunt a peccatis suis, donec cum depopu-
latione abducti sunt e terra sua, & dispersi in to-
ta terra.
17 Ita relictus est populus perpaucus, & prin-
ceps in domo Davidis:
18 *Quorum* quidem fecerunt alii quod placet
Deo, alii verò [f] peccaverunt plurimùm.
19 ‖ Chizkija munivit civitatem suam, &
introduxit in medium illius aquam: fodit ferro
præcipitem *rupem*, & fontes exstruxit [g] ad com-
moditatem aquarum.
20 ‖ Temporibus ejus ascendens Sancherib,
misit Rabschakem a Lacischo; & movens ma-
num suam contra Tzijonem cervices extulit su-
perbia sua:
21 Tunc commota sunt corda, & manus illo-
rum, indoluerúntque ut parturientes:
22 Et invocaverunt Dominum misericor-
dem extendentes manus suas ad ipsum:
23 Et sanctus e cælo exaudiens eos, liberavit
eos *manu* [h] per Jeschahjam.
24 Cæcidit castra Assyriorum, & contrivit e-
os angelus ipsius.
25 Fecerat enim Chizkija quod placet Do-
mino, & confirmaverat se in viis Davidis patris
sui, prout mandaverat Jechahja Propheta ille
magnus & fidelis in visione sua.
26 [i] Temporibus [4] ‖ ejus retrogressus est sol, &
addidit vitam regi *Deus*.
27 Spiritu magno vidit res ultimas, & conso-
latus est lugentes Tzijone:
28 Res in seculum usque futuras ostendit, &
res absconditas antequàm advenirent illæ.

[a] *Græc. equorum igneorum.*
[2] hic locus inscientiam auctoris redarguit cęcutientis in promissionibus de regno Christi: existimavit enim ipsum Elijam iterum venturum esse, prout in speciem ipsi videbatur dicere Maleaci sub finem prophetiæ, unde hæc omnia desumta sunt. Nos verò melius ex Testamento novo didicimus Johannem Baptistam alterum fuisse Elijam, qui in spiritu ac virtute Elijæ venerit ad præstanda hæc omnia: vide suprà in 46.23. hic autem ἐλεγμὸς legimus, atque ita legendũ esse confirmamus.
[b] *Græc. redargutio.*
[c] *Græc. iram judicii cum furore.*
[3] puta qui diligimus te, & ministerium tuum accepturi sumus: sic ostendit auctor amplius se fretum esse ejusdẽ Elijæ exspectatione.
[d] *Græ. vita.*
[e] *Græc. in dormitione.*
‖ *2. Reg.2. & 13.*
[f] *Græc. multiplicaverũt peccata.*
‖ *2. Chro.32.*
[g] *Græc. ad aquas.*
‖ *2. Reg.18. & 19.*
[h] *Græ. manu Jeschahjæ.*
[i] *Græc. diebus.*
[4] nempe Jeschahjæ, de quo jam sermo instituitur reliquo capite.
‖ *2. Reg.20.*

CAPUT XLIX.

1 Memoria Joschijæ *similis* comparato ad
compositionem suffitus operi unguen-
tarii,
2 In omni ore tamquam mel suavis est,
& tamquam *instrumenta* musica in convivio
[a] lauto:
3 Is ad rectum adductus [b] quando conversus
est populus, ‖ sustulit res abominandas [c] & ini-
quissimas:
4 Direxit ad Dominum cor suum, tempori-
bus iniquorum corroboravit pietatem.
5 Præter Davidem, & Chizkijam, ac Jo-
schijam omnes delictum commiserunt:
6 Relinquentes enim legem Altissimi reges
Jehudæ dereliquerunt eum.
7 Dedit [1] cornu illorum aliis, & gloriam illo-
rum genti alienæ:
8 Incendit electã civitatem sanctificationis,

[a] *Græc. vini.*
[b] *Græc. in conversione populi.*
‖ *2. Reg.23.*
[c] *Græc. iniquitatis.*
[1] id est, robur, ut in Scriptura passim.

& desolavit vias illius [d] [2] ad manum Jirmejæ:

9 Nam afflixit ipsum, quamvis [1] in utero ipse sanctificatus esset Propheta ad eradicandum, affligendúmque, & perdendum, similiter ædificandum, & plantandum.

10 [1] Jechezkelis, qui vidit visionem gloriæ quam ostendit ipsi insidentem currui Cerubinorum.

11 (Etenim meminit inimicorum [3] [e] persusorum imbre, & correxit eos qui spectabant vias rectas)

12 Et duodecim Prophetarum sit memoria [f] conjuncta benedictionibus.

13 Quomodo magnificè extollemus [1] Zerubbabelem ? qui *quidem est* tamquam sigillum ad manum dexteram:

14 Similitérq; Jehoschuah filius Jehotzadaki, qui temporibus suis ædificaverunt ædem, & extulerunt templum sanctum Domino, paratum ad gloriam [g] perpetuam.

15 Inter electos quoque fuit Nechemja, cujus plurimùm *exstat* memoria: qui excitavit nobis muros collapsos, restituítque portas & vectes, & instauravit areas ædium nostrarum.

16 [1] Nemo creatus est ejusmodi in terra, qualis fuit Chanoc: etenim assumtus est e terra:

17 Neque par Josepho fuit vir dux fratrum *suorum*,

18 Statumen populi, cujus [1] ossa [h] curata sunt a Domino.

19 Schem & Scheth inter homines gloriam adepti sunt, & supra universum in creatione Adam.

d Græc. in manu Jirmejæ. 1 Jirmejæ 1. 1 Jechezk. 1. 2 i. eo vivente & vidente, adeò ut particeps quoque afflictionum fuerit, vers. seq. 3 i. obrutorum calamitatibus a Domino, tamquam imbre vehementissimo aut diluvio quodam: sic duabus partibus concludit Jechezkelis propheticam. e Græc. in imbre. f Græc. in benedictionibus. 1 Chaggai 2.23. g Græc. seculi. 1 Gen. 5. 1 Gen. 49. h Græc. visitata.

CAPUT L.

1 [1] SChimhon filius Chonjæ sacerdos magnus, qui in vita sua sartam tectam ædem præstitit, etiam diebus suis populum confirmavit:

2 Et ipso auctore fundata est altitudo [a] duplicis loricationis, alta lorica templi.

3 [b] [2] Temporibus ejus minora fuerunt conceptacula aquæ, [c] æneum tamquam lacus, [illegible] capax *confectum est*.

4 Qui curavit populum suum a casu:

5 Qui corroborans civitatem & [3] circummuniens, gloriam adeptus es in conversatione populi:

6 [d] Exeundo [4] ex æde cui velum obductum est tamquam astrum matutinum inter nubes, tamquam Luna plena temporibus suis *exstitisti:*

7 Et tamquam arcus perlustrans nebulas gloriæ:

8 Tamquam Sol refulgens in templo Altissimi, tamquam flos rosarum [e] quo tempore exsistunt novæ, tamquam lilia [illegible] ripam aquæ, tamquam germen Libani [illegible]

9 Tamquam ignis & thus in acerra:

10 Tamquam vas [illegible] ex auro solido malleatum [illegible] lapide pretioso ornatum.

11 Tamquam oliva [illegible] pullulans fructus, & tamquam cupressus exaltata ad nubes; quum assumeret ipse stolam gloriæ, induerétque [g] consummatæ gloriationis ornamenta;

12 In ascensu altaris sancti [5] glorificavit amictum sanctificationis.

1 Is videtur esse qui historicorum omnium consensu Justus appellatus est, itémque Priscus; filius Chonjæ, nepos illius Jadduhæ qui obviam legitur processisse Alexandro magno. a Græc. duplex receptio, sive analemma. b Græc. diebus: sic deinceps. 2 id est, adeò frequens fuit Dei cultus, ut labra pristina non fuerint satis ad lotiones sacras, quamobrem Jacum ex ære ingentem & capaciorem multo curavit fieri. c Græc. ac tamquam maris. 3 Græca vox non tantùm obsidere est, sive munire ad oppugnandum; sed etiã ad propugnandum. Est enim πολιορκεῖν τῇ πόλει ἔρκος περιβάλλειν, & πολιορκία πόλεως φυλακή, ut interpretatur Phavorinus. d Græc. in exitu adis veli. 4 i. e sanctuario: periphrasis. e Græc. diebus novorum florum. f Græc. exitum. g Græc. consummationem gloriationis. 5 i. non turpificavit impietate aut impuritate, ut alii; sed sanctitate vitæ decoravit.

13 Quum autem acciperet [f] membra e manu sacerdotum, ipse quoque stans ad focum altaris,

14 (Circa eum corona fratrum [illegible] tamquam germine cedrorum in Libano, qui circumdabant eum tamquam stipites palmarum, omnibus inquã filiis Aharonis [h] indutis gloria sua,

15 Quorum in manibus erat oblatio Domini coram tota Ecclesia Jisraëlis) [i] denique ministrans super altari ad ornandum oblationem omnipotentis Altissimi,

16 Extendit ad [k] craterem manum suam, & libavit de sanguine uvæ:

17 Effudit supra fundamenta altaris odorem [l] suavem Altissimo regi omnium.

18 Tunc exclamantes filii Aharonis insonuerunt tubis ductilibus, facientes ut audiretur vox magna ad monimentum coram Altissimo.

19 Tunc universus populus promiscuè festinans prociderunt super faciem in terram, ut adorarent Dominum suum omnipotentem Deum altissimum;

20 Laudaverúntque cantores vocibus suis, cum sono plurimo suave effectum est melos:

21 Et oravit populus Domini altissimi oratione coram *Deo* misericorde, donec consummatus esset ornatus Domini, & ministerium illius absolvissent.

22 Tunc descendens extulit manus suas super totam Ecclesiam [m] Jisraëlitarum, ut daret benedictionem Domini labiis suis, & in nomine illius gloriaretur.

23 Quamobrem repetiverunt adorationem, ut acciperent benedictionem ab Altissimo.

24 Nunc ergo benedicite Deo omnium, qui res magnas solus ubique facit, qui altè evehit dies nostros inde ab utero, & agit nobiscum pro misericordia sua:

25 *Et utinam* ut sit pax temporibus nostris in Jisraële [n] quamdiu futuri sunt dies seculi, ut fidem apud nos confirmet misericordiæ suæ; & diebus nostris liberet nos.

26 [7] Duabus gentibus offenditur anima mea, etiam tertia non est gens:

27 Qui resident in monte Schomronis, & [illegible] habitantes Pelischthæam, & [8] populus stultus Schecemi habitans.

28 Eruditionem intelligentiæ & scientiæ exaravit in libro hoc Jesus filius Siraci Hierosolymitanus, qui profudit imbrem sapientiæ ex animo.

29 Beatus qui versatur in istis; & qui indit ista cordi suo, efficietur sapiens.

30 Si enim fecerit ista, valens erit ad omnia, quia lux Domini *aderit* vestigio ejus, qui piis [illegible] sapientiam.

[illegible] benedictus Dominus in [illegible]: [o] amen, amen.

f nempe sacrificiorum, ex lege. h Græc. in gloria. i Græc. adrem consummationem, ut sup. 45.19. k Græc. libatorium. l Græc. boni odoris. m Græc. filiorum Jisraëlis. n Græ. secundum dies seculi. 7 i. duobus gentium generibus, quarũ aliæ corruptam & commixtam ex Jehudaismo & paganismo religionem habent, aliæ verò purè paganicam. 8 nam præter Samaritismum (ut vocat Epiphanius) huic populo accesserunt alia per sceleratum illum transfugam Menaschem, cujus in Nechemjam meminimus; sed hoc genus indignum esse dicit populi nomine. o Græc. fiat, fiat: sic enim septuaginta reddiderunt.

CAPUT LI.

Oratio Jesu filii Siraci.

1 CElebrabo te, Domine rex, & laudabo te Deum servatorem meum:

2 Celebrabo nomen tuum, quoniam protector & adjutor fuisti mihi, & liberavisti corpus meum e perditione,

3 Et e laqueo [a] calumniantis linguæ, a labiis operantibus mendacium, & adversus eos qui obstiterunt mihi fuisti adjutor.

a Græc. calumniæ.

4 Liberavisti

4 Liberavisti inquam me pro multitudine misericordiæ nominis tui, è rictibus paratis ad devorationem,

5 E manu quærentium animam meam, e compluribus afflictionibus quas habui,

6 E [b] suffocante igne circumquaque, e medio igne, *ita ut* non fuerim exustus,

7 Et [2] e profundi ventre, atque e lingua immunda, & a sermone mendace, a calumniis apud regem per linguam injustam.

8 Appropinquaverat ad mortem usque anima mea,

9 Et vita mea erat propinqua sepulcro infimo:

10 Circumdederant me undique, nec erat qui adjuvaret: aspexeram ad defensionem hominum, sed non erat.

11 Itaque recordatus sum misericordiæ tuæ, Domine, & operationis hujus a seculo,

12 Te eximere eos qui patienter sustinent, & servare eos è manu inimicorum.

13 Et extuli ab ira altè supplicationem meam, & a morte liberationem rogavi,

14 Orans [*] Dominum patrem Domini mei, ne derelinqueret me die afflictionis, tempore superborum, quo deficiebar auxilio.

15 Laudabo nomen tuum assiduè, & cantabo te celebratione, quod exaudita fuit oratio mea.

16 Nam servasti nos e perditione, & exemisti me e tempore mali,

17 Propterea celebrabo atque laudabo te, & benedicam nomine tuo Domini.

18 Quum adhuc junior essem, antequam oberrarem, quæsivi sapientiam manifestò oratione mea:

19 Coram templo oravi pro illa, & ad extremum usque requisiturus sum illam.

20 Tamquam de flore dematurescente uva, lætatum est cor meum de illa: ingressus est pes meus [c] rectâ, a juventute mea investigavi illam.

21 Inclinavi autem aurem meam parumper, & accepi,

22 Multámq; adeptus sum mihi eruditionem: progressio a me facta est in illa.

23 Et qui tribuit mihi sapientiam, potentiam tribuam.

24 Cogitavi enim de exercenda illa, & æmulando bono, & haudquaquam pudore afficiar.

25 Decertavit anima mea de illa, & [3] effecta fame accuratè incubui,

26 Manus meas extendi in sublime, quum ignorationes de illa animadverti:

27 Animam meam direxi ad illam, & [d] purificatus inveni illam:

28 Cor possedi conjunctum illi inde a principio:

29 Propterea nequaquam derelinquar.

30 Et cor meum turbatum est *in quærenda* illa, propterea comparavi possessionem bonam.

31 Dedit Dominus linguam [4] [e] ut sit merces a me; itaque ea laudabo ipsum.

32 Appropinquate ad me, ô inerudıti, & commoramini in eruditionis domo.

33 Quare cunctamini? aut quid dicitis [f] intereà? quum vestræ animæ sitiant valdè.

34 Aperto ore meo loquutus sum, comparate vobis sine argento *sapientiam*.

35 Collum vestrum supponite jugo, & suscipito anima vestra eruditionem: propè est ut inveniatis eam.

36 Aspicite oculis vestris me laboravisse, & mihi ipsi requiem multam invenisse.

37 Participes estote eruditionis [5] cum magno numero pecuniæ, & multum auri possidete cum ea.

38 Lætetur anima vestra de misericordia [6] illius, & ne pudeat vos laudationis illius.

39 Operamini opus vestrum [7] ante tempus *illud*, & dabit mercedem vestram suo tempore.

Πᾶσα δόξα Θεῷ.

Quintæ partis Bibliorum, sive libr. Apocryphorum,

FINIS.

[b] *Græc. suffocationis igne.*

[2] id est, ex imis inferis; ut ipse loquitur infra versu 9.

[*] manifesta distinctio Patris & Filii: ut procedente tempore magis magisque innotuit trinitatis mysterium, quemadmodum observavimus 1. Schem. 7. Danijel. 9. & Chaggai 2. & aliis locis.

[c] *Græc. in rectitudine.*

[3] i. quum ea gustata amplius esurirem & sitirem illam: metaphora elegans.

[d] *Græc. in purificatione.*

[4] i. ut ea demum compensatione agnoscam beneficentiam ipsius erga me, & laudationem pro mercede retribuam ei.

[e] *Græc. mercedem meam.*

[f] *Græc. in his.*

[5] i. quæ eruditio est maximarum divitiarum loco, & veras confert divitias.

[6] nempe Dei, ut Græca vox apertè distinguit genus.

[7] nempe quo Deus (ut mox subjicit) singulis mercedem suam decursa hac vita daturus est, justus judex; & solus sapiens, atq; benedictus in sempiterna secula.

D. N. JESU CHRISTI TESTAMENTUM NOVUM,

SIVE

FOEDUS NOVUM,

E Græco archetypo, Latino sermone redditum, Theodoro Bezà interprete, & jam ultimò ab eo recognitum.

Cui ex adverso additur ejusdem novi Testamenti ex vetustissima tralatione Syra, Latina translatio Immanuelis Tremellii conjuncta notis ad linguæ & rerum intelligentiam.

FRANCISCUS JUNIUS *recensuit, auxit, illustravitq́.*

LONDINI,

Excudebant Reg. Typograph.

Anno salutis humanæ

1592.

UMI

D. N. JESU CHRISTI
TESTAMENTUM
NOVUM,
SIVE
FOEDUS NOVUM,

E Graeco archetypo, Latino sermone redditum, Theodoro Beza interprete, & jam ultimò ab eo recognitum.

Cui ex adverso additur ejusdem novi Testamenti ex vetustissima tralatione Syra, Latina translatio Immanuelis Tremellii conjunctis notis ad linguae & rerum intelligentiam.

FRANCISCUS JUNIUS *recensuit, auxit, illustravitque.*

LONDINI,
Excudebant Reg. Typograph.
Anno salutis humanae
1592.

ILLVSTRISSIMO, AMPLISSIMOQUE VIRO, DOMINO FRANCISCO WALSINGHAMO, EQUITI AURATO, primo Serenissimæ Reginæ in Anglia Secretario, & Lancastrensis Ducatus Cancellario, FRANCISCUS JUNIUS gratiam & pacem à Domino.

QUUM ante biennium, vir Illustrissime, *apud Reginam vestram serenissimam D.* Johannes *Junius vir clarissimus & mihi amicissimus legatione fungeretur, studium tuum erga me officiúmque maximum, quamvis ignotum & immerentem, prolixissimè ostendisti. Quam rem pietate summa & singulari humanitate conjunctam ut ex eo cognovi, commotus sum illico ad desiderium aliquod testificandi gratum animum, & spondendi (si quid à me commodè proficisci potest) officium meum. Neque verò ex eo tempore potuit apud me intermori illa tui oblati officii, ac benevolentiæ certæ recordatio: sed potius vires mihi semper visa est acquirere, & magis magisq; ad aureis meas accinere, me tuæ A. quasi nexu æterno addictum beneficii, non effugiturum labem ingrati animi, nisi tuum illud beneficium, tamquam æs alienum de peculio meo absolvero. Sed quid à me afferri possit, hac tenuitate? his angustiis rerum & temporum? his quotidianis occupationibus in Ecclesia, in Academia? Propterea quum & incredibile bonorum qui in Britannia tua sunt ad veritatem studium, & viri illius clarissimi ac collegæ mihi conjunctissimi D. Immanuelis Tremellii memoriam isthic sanctam & honoratam esse apud omnes verè pios esse cognoscerē, cujus præclara officia scriptus ipsius testata alii odio invidiáq; abrepti, alii* κενοδοξίας *& inanis gloriolæ studio, ut æstro, perciti conantur circumrodere, & culpare ea quæ nolunt, aut non intelligunt: postquam communem illam Testamenti veteris editionem recognovi, placuit etiam Syram ejusdem Tremellii eâdem percurrere, labores ipsius recensere, veritatem quam ille sanctè religioseq; protulit, amplius illustrare defensis quodammodo notis illius & adjectis meis, denique editionem Testamenti novi novo quodam lumine notarum mearum interstinctam Illustrissimi Amplissimiq; nominis tui præsidio in publicum simul emittere. Atque hoc quidem officium veritati Dei, hoc charitati in Ecclesiam, hoc conjunctioni nostræ quæ mihi cum Tremellio fuit suavissima, debebam jamdiu. Hoc ipsum verò quum tua in me benevolentia sibi jure optimo vindicet, æquo certè animo tibi à me, quem tua benevolentia jamdiu reum debendi fecit, persolvi patieris. Tremellio integra relinquo sua. Quæ adtegrare tentârunt alii (nam res sacra agitur, sacris dicenda verbis) do operam ne porrò contaminentur, partim veram lectionem librorum ejus in medium exhibens, partimq; asserens interpretationes ejus. Quæ non incommodè alteram ferre possunt interpretationem, ea adnotavi: non quòd eam Immanuelem meum non vidisse putem, sed quia ille judicio suo (quod summum erat) usus est, multi verò hoc tempore varietatem desiderant usuri judicio suo, tamquam si judicio tanti viri nihil, omnia suo daturi essent meritò. Alias præterea adjeci notas, quibus veritatem Dei pro meo modulo declaravi, nec paucas, nec futuras (nisi me animus fallit) inutiles. Feci denique ut qui in Testamento vetere communem operam aliquot annos simul consumsimus, etiam communem in novo, quamvis seorsim præstitam, haberemus. Quid multa? Ego ut meum pietatis officium erga illum palàm testificer, feci causa Immanuelis, quod nunquam sum facturus mea. Arrodunt eum malevoli, & in viri benemerentis vestigia irruunt: ego tueor, & probo operam illius: factum enim illorum maximo opere im-*

probo,

probo, qui se nunquam fore spectatos putant, nisi operæ alienæ, famæ & gloriæ insultent, & velut [illegible] *aviculæ ramos, sic illi humeros bonorum affectent unde emineant. At si quis in meam operam volet invehere, nihil laboraturus sum, ut qui sciam in hoc literarum stadio esse* [illegible], *quod vulgò dici solet: eum ego hominem sancto silentio in perpetuum multare statuo, fretus æquitate studii mei, bonitate conscientiæ, & vocationis jure, qua doceor obloquentes perpeti. Sic enim egomet mecum: si quid hic benè, docebit me: si non ita benè ut confidit aut arrogat sibi, ipse verò se multabit satis, prodita in publicum aut vanitate ingenii sui, aut inscientia. Nos Veritatem Dei ministramus, qui servi illius sumus: non vanitatem hominum gemina vanitate aut pari procuramus. Eamdem itaque veritatem Dei Spiritu veritatis & lenitatis junctam quum tu quoque, vir Illustrissime, tuo loco non desinas religiosè coram Deo hominibusq; promovere, eamdem igitur pro summo antecto erga me officio tuo nunc à me tenuiter cultam, & tibi summisse oblatam, æquo animo accipias rogo. Quòd si officium illud altero officio hoc (ut spero) cumulaveris, profectò me totum measq; facultates omneis ampliùs tibi obstrinxeris.*

Deus te, vir Illustrissime, suis donis in dies cumulet, teq; incolumem & valentem servet quàm diutissimè patriæ tuæ florentissimæ, & dilectissimæ Ecclesiæ suæ. Vale. Heidelbergæ Kal. Septembribus. 1589.

T. A. studiosissimus
Francissus Junius.

Typographus

Typographus Lectori S.

QUID in hac editione à nobis præstitum sit, malo te ex operis hujus lectione, quàm à me hîc doceri. Hoc unum dicam, ne aliorum industriam & laborem videar pro meis velle venditare, In restituendis non paucis, quæ in annotationibus D. Theod. Bezæ & aliorum desiderabantur, quamvis notæ in ipso textu haberentur, ac in emendandis quamplurimis locis quæ in eis perperàm habebantur; nos non parùm adjutos fuisse ab editione Bergueræana: in quibus verò à sex variis exemplaribus (quæ semper ob oculos nostros erant, dum hæc editio excudebatur) nulla medela luxationibus hujusce operis dabatur, ipsum D. Bezam consuluimus. ¶ Annotationes distinximus: Quibus præfigitur litera F. in Tremellianis, illas nunc primùm habes à D. Fr. Junio. In aliis seriem textus secuti sumus: ne verò ulla inde nasceretur confusio, illis quæ propriè D. Bezæ erant, præfiximus literam B. In quibus non præfigitur, eas partim habes à Loselerio Villerio, qui illas excerpsit tum ex ipsius D. Bezæ majoribus annotationibus, tum ex notis Joach. Camerarii, partim à Johan: Cherpuntio & aliis. ¶ Omnes inscriptiones sunt ex paraphrasi Syriaca, exceptis epist. secundæ Petri, secundæ & tertiæ Johannis, Judæ, & Apocalypseôs. In his unica est interpretatio D. Bezæ, quòd in paraphrasi Syriaca hæ epistolæ & Apocalypsis desiderantur. Hoc te volebam.

Ordo librorum novi Testamenti.

Evangelium
- secundùm Matthæum.
- secundùm Marcum.
- secundùm Lucam.
- secundùm Johannem.

Acta Apostolorum.

Pauli epistola
- ad Romanos.
- ad Corinthios I. II.
- ad Galatas.
- ad Ephesios.
- ad Philippenses.
- ad Colossenses.
- ad Thessalonicenses I. II.
- ad Timotheum I. II.
- ad Titum.
- ad Philemonem.
- ad Hebræos.

Epistola
- Jacobi.
- Petri I. II.
- Johannis I. II. III.
- Judæ.

Apocalypsis Johannis.

Evangelii definitio.

EVANGELLIUM est summa beatæ illius doctrinæ, quam nobis Jesus Christus annunciavit. Quum enim Evangelium Græcis quemvis bonum & optatum nuncium declaret, propriè dici cœpit de læta illa salutis doctrina, quæ non est excogitata ab hominibus, sed è cœlo ad nos allata: sicut prædictum fuit Esa. 52. 7. ut mutua sit inter fidem & verbum prædicatum relatio, Rom. 10. 17. Quoniam autem Christus est non tantùm hujus rei nuncius, sed etiam ille ipse in quo tota hæc felicitas residet, idcirco Evangelii nomen peculiari ratione inscriptum est quatuor istis Matthæi, Marci, Lucæ, & Johannis libellis, quibus rerum a Christo dictarum & gestarum historia continetur.

EVANGELIUM MATTHÆI.

CAPUT I.

1 *Jesu Christi genealogia* 18 *& nativitas qui est Messias ille promissus servator Patribus.*

TREM. INTERPRET.

1 Descriptio generationis Jeschua Christi, filii ¹ David, filii Abraham.

2 Abraham genuit Ischac, Ischac genuit Jaakob. Jaakob genuit Jihuda, & fratres ejus.

3 Jihuda genuit Paretz & Zarah è Tamar. Paretz genuit Hetzron. Hetzron genuit ³ Aram.

4 Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Nachschum. Nachschum genuit Salmun.

5 Salmun genuit Baaz è Rachab. Baaz genuit Ubid è Reuth. Ubid genuit Ischai.

6 Ischai genuit David regem. David genuit Schelemun ex uxore Uriæ.

7 Schelemun genuit Rechebam. Rechebam genuit Abia. Abia genuit Assa.

8 Assa genuit Jahuschaphat. Jahuschaphat genuit Juram. Juram genuit Uzia.

9 Uzia genuit Juthan. Juthan genuit Achaz. Achaz genuit Chezakja.

10 Chezakja genuit Menasche. Menasche genuit Amun. Amun genuit Juschia.

11 Juschia genuit ⁴ Juchanja & fratres ejus in ⁵ exsilio Babylonico.

12 Post exsilium autem Babylonicum Juchanja genuit Schelateil. Schelateil genuit Zurbbabel.

13 Zurbbabel genuit Abiud. Abiud genuit Eliakim. Eliakim genuit Azur.

14 Azur genuit Zaduk. Zaduk genuit Achin. Achin genuit Eliud.

15 Eliud genuit Eliazar. Eliazar genuit Mattan. Mattan genuit Jaakub.

16 Jaakub genuit Jauseph virum Mariam, ex qua natus est Jeschua, qui vocatur Christus.

17 ⁶ Omnes igitur progenies ab Abraham usque ad David, progenies quatuordecim: & à David usque ad exsilium Babylonicum, progeni-

¹ ספר תולדת ad verbum, Scriptum generationis; sic enim est βίβλος, i. ספר sepher, liber quod generale est: ex loci tamen circumstantia ad descriptionem, sive recensionem genealogiæ restringitur.

² דויד David, cum a brevi, quũ Hebraicè scribatur cum a longo. Solent enim Syri, in nominibus propriis hominũ & locorum, modò vocales, modò etiam consonantes mutare, aut contrahere, aut multiplicare, quemadmodum suis locis demonstrabitur.

³ ארם pro רם, Aram ex Græcis: nam Hebræi & Chaldæi legunt Ram absque a, vide Ruth 4. 19. & 1. Paralip. 2, 3.

⁴ Omittit Jehojakim Josiæ filium & patrem Jechonjæ, quem nonnulli codices annumerant ex primo Paralip. 3. & 16.

⁵ Id est, sub exilium Babylonicũ. ב enim pro ל. sive על al positum est. Constat enim Josiam nũquam demigrasse in Babyloniam, 2. Reg. 23. Nisi dicamus hac locutione notari simpliciter eorum exsilium qui ex Josia geniti sunt. ⁶ … Simplicissimum tamen est si … in esse dixeris, Græcè quidem articuli τῆς, Syrè verò relativi ד, quasi dicat, qui fuerunt seu vixerunt tempore deportationis Babylonicæ: hoc enim præpositione significatur propter, ellipsis verò est frequentissima, ut infra 5. 20. & 6. 34. & Act. 7. 18. Tempore autem deportationis, id est, quo tempore facta est deportatio. Sic enim accipiendum demonstrat oppositum, *post deportationem*. ‡ *Syr. ba …*

BEZAE INTERPRET.

1 Liber ᵃ ᵇ ‖ generationis Jesu Christi, filii Davidis, ᶜ filii Abrahami.

2 ‖ Abrahamus genuit Isacũ. ‖ Isacus autẽ genuit Jacobum. ‖ Jacobus autẽ genuit Judam & fratres ejus.

3 ‖ Judas autem genuit Pharesum & Zaramum è Thamara. ‖ Pharesus autem genuit Esromum. ‖ Esromus autem genuit Aramum.

4 Aramus autem genuit Aminadabum. Aminadabus autem genuit Naassonem. Naasso verò genuit Salmonem.

5 Salmo verò genuit Boozum è Rachaba. Boozus autem genuit Obedem è Rutha, Obedes autem genuit Jessen.

6 ‖ Jesse verò genuit Davidem illum regem. David autem rex ille genuit Solomonem ex ea quæ *fuerat uxor* ᵈ Uriæ.

7 ‖ Solomo verò genuit Roboamũ. Roboamus autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asam.

8 Asas autem genuit Josaphatum. Josaphatus autem genuit Joramum. Joramus autem genuit ᵉ Hoziam.

9 Hozias autem genuit Joathamum. Joathamus autem genuit Achazum. Achazus autem genuit Ezeciam.

10 ‖ Ezecias autẽ genuit Manassen. Manasses autẽ genuit Amonem. Amon autẽ genuit Josiam.

11 ‖ Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus, ᶠ in transportatione illa Babylonica.

12 Post transportationem *autem* illam Babylonicam, ‖ Jechonias genuit Salatielem. ‖ Salatiel autem genuit Zorobabelem.

13 Zorobabel autem genuit Abiudem. Abiud autem genuit Eljacimum. Eljacimus autem genuit Azorem.

14 Azor autẽ genuit Sadocum. Sadocus autẽ genuit Achimum. Achimus autẽ genuit Eliudẽ.

15 Eliud autem genuit Eleazarum. Eleazarus autem genuit Matthanem. Matthan autem genuit Jacobum.

16 Jacob autem genuit Josephũ, virũ Mariæ, ex qua genitus est Jesus ille qui dicitur ᵍ Christus.

17 ʰ Universæ igitur progenies ab Abrahamo

ᵃ b. Jesus Christus ortus est ex Abrahamo, ex tribu Juda, & ex familia David: sicut Deus promiserat.
ᵇ Id est, Genealogia Jesu Christi: Vel, recensio majorũ ex quibus ortus est, Christus. Nam Liber hoc loco est, Recensio, ex Hebræorum idiotismo: ut Gen. 5. 1. Liber generationum.
‖ *Luc. 3. 24.*
ᶜ Qui, subaudi, Christus, est etiam filius Abrahami.
‖ *Gen. 21. 2.*
‖ *Gen. 25. 24.*
‖ *Gen. 29. 35.*
‖ *Gen. 38. 27.*
‖ *1. Par. 2. 5. Ruth 4. 18.*
‖ *1. Reg. 16. 1. & 17. 12. 2. Reg. 12. 24.*
ᵈ Hæc circa regni exordia deformitas facere debuit ne Judæi in carne gloriarẽtur.
‖ *1. Reg. 11. 43. & 1. Par. 3. 10.*
ᵉ Quũ Matthæus in tres classes distribueret Christi genealogiam, & singulis attribueret quatuordecim capita, liberum sibi fecit quorundam nomina præterire.
‖ *2. Reg. 20. 21. & 21. 18. 2. Par. 3. 13.*
‖ *2. Reg. 23. 34. & 24. 1. 2. Par. 36. 4.*
ᶠ 1. incidit deportatio in tempora Jakimi & Jechoniæ. Nã Jechonias natus erat ante deportationem.
‖ *2. Reg. 24. 6.* ‖ *2. Par. 36. 9. 1. Par. 3. 16. 1. Esd. 3. 2. & 5. 1.* ᵍ id est, Unctus. Est enim verè Rex, Sacerdos, & Propheta. ʰ Omnes isti suis gradibus, sicut alius alium genuit, in hac familiæ Davidis descriptione enumerati,

i B. Christus, verus Immanuel, ac proinde Jesus (id est Servator) ex Spiritu sancto côceptus est in Virgine, sicut prędictum fuit à Prophetis.
g Luc.1.27.
k Sponsione tantùm promissa. neque enim in eamdem domum convenerant: tamen quod ad fidem conjugii, simulac puella viro promissa erat, Judæi instar legitimæ uxoris habebant.
ll Deut.24.1.
l Interdum hujus particulæ vis hæc est, ut lectorem præparet ad aliquid insigne & mirificum audiendum.
m Nocturna visione.
n Hæc indicant timore Dei adductum Josephum cogitasse de sponsa repudianda, sive quòd alii viro obnoxiam arbitraretur, sive quòd adulteram fovere nullo modo sibi fas aut honestum esse sciret.

usque ad Davidem, progenies quatuordecim: & à Davide usque ad transportationem Babylonicam, progenies quatuordecim: & à transportatione Babylonica usque ad Christum, progenies quatuordecim.

18 i Jesu verò Christi nativitas ita fuit. g Quum enim mater ejus Maria h despôsa esset Josepho, priusquam ipsi convenissent comperta est prægnans esse è Spiritu sancto.

19 Porrò Josephus vir ejus, quum esset justus, & nollet eam ll ignominiæ exponere, voluit clàm eam dimittere.

20 Hæc autem quum in animum induxisset, l ecce angelus Domini m in somnio apparuit ei, dicens, Josephe fili Davidis n ne metue o accipere Mariam p uxorem tuam. Nam quod in ea q genitum est, ex Spiritu sancto est.

21 r Pariet autem filium, s & vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim t u liberabit populum suum ex peccatis x ipsius.

22 (Totum hoc autem factum est, ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam, dicentem,

23 y Ecce, virgo illa prægnans erit, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel: quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus.)

24 Expertectus autem Josephus ex somno, fecit ut ei imperârat angelus Domini, & accepit uxorem suam.

25 Sed non cognovit eam, z quousque peperisset filium x illum suum primogenitum: vocavitque nomen ejus Jesum.

o A parentib. viz. vel à cognatis traditam. p Quæ tibi pro uxore pacta est. q E substantia matris, à Spiritu sancto. Nam hoc verbū Hebr. Græcis & Latinis dicitur de iis etiam in quorum ortu nullus pater intervenit. r B. Christus ex eadem virgine incorrupta natus est, & Jesus vocatus ab ipso Deo per Angelum. s Luc.1.38. t Liberabit. Est autē interpretatio nominis Jesu. u Act.4.12. x Eorum, i. populi, collectivè. y Esa.7.14. z Particula quousq; sive donec, Hebræis de futuro etiam tempore negat, aut affirmat: ut, Micol non sustulit liberos usque ad diem obitus sui, 2. Sam.6.23. Infrà ultimo cap. Ecce, vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Quod nota contra Helvidianos. x Græcus articulus non est otiosus, & de eo filio agi significatur, cujus antè facta est mentio ab angelo: non autem ut filius hic ab aliis filiis Mariæ distinguatur: quos nullos fuisse credimus.

es quatuordecim: & ab exsilio Babylonico usque ad Christum, progenies quatuordecim.

18 Nativitas autem Jeschua Christi ita fuit. 7 Quum desponsata esset Mariam mater ejus, Jauseph, 8 antequam consociarentur inventa est in 9 utero habere è Spiritu sancto.

19 Jauseph autem maritus ejus, justus erat, & non volebat 10 publicare eam: meditabaturq; ut occultè dimitteret eam.

20 Quum autem hæc meditaretur, apparuit ei Angelus Domini per somnium, & dixit ei, Jauseph fili David, ne metuas assumere Mariam uxorem tuam: id enim quod genitum est in ea, è Spiritu est sancto.

21 Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeschua. ipse enim servabit populum suum à 11 peccatis eorum.

22 Hoc autem totum quod fuit, fuit ut impleretur quod dictum fuerat a Domino per 12 Prophetam.

23 Nempè, Ecce virgo in 13 utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Ammanuel: quod exponitur, nobiscum est Deus noster.

24 Quum surrexisset autem Jauseph ex somno suo, fecit sicut mandaverat ei Angelus Domini, & accepit uxorem suam.

25 Et non 14 cognovit eam 15 donec peperisset filium suum primogenitum: & vocavit 16 illa nomen ejus Jeschua.

7 Desideratur in Syro particula דִּי, nam: quæ meo judicio minimè redundat. Nam proximè præcedentia verba sunt ante gressæ narrationis ἐπίλογος quî.
8 Id est, antequā nuptiæ illorum fierent, & eam Joseph domum suam duceret.
9 Syrè, בְּכַרְסָא, deducto verbo a nomine כַּרְסָא venter, respondetq; hellenismo ἐν γαστρὶ ἔχουσα.
10 Hoc est, propalàm traducere.
11 Relativum plurale nomini collectivo attribuit ex Hebraismo.
12 Ad verbum, per manum Prophetæ. Nam Hebræi, Chaldæi & Syri hoc idiotismo utuntur ad significandum cujus opera & ministerio, quóve instrumento quis utatur ad aliquid agendum: idq; ideo quòd manus actionum instrumenta esse soleant. Estq; in hac loqutione synecdoche & metonymia.
13 Sequitur Hellenismum paulò antè observatum. 14 Cognoscere pro rem habere tritus Hebraismus. 15 Syra particula עְדַמָא ut etiam Hebræa עַד ei respondens, non ita est accipienda ut intelligatur quòd postquam peperisset, cum ea Joseph concubuerit. ita enim præteritum negat ut non ponat futurum, sicut in Gen.28.15. & 2. Schem. 6. ver. ult. & Psal. 110.1, & Mat.2. in fine. 16 Ad exprimendum cum fœmininum verbum, pronomen, illa, addendum fuit.

CAPUT II.

1 *Magi, primitiæ gentium, Christum adorant.* 14 *Josephus Angeli monitu, fugit cum Jesu & matre in Aegyptum.* 16 *Herodes pueros occidit.*

a B. Christus paupercculus puer in præsepi reclinatus, & à suis neglectus nihilominus celebre testimonium habet suæ divinitatis, è cælo, & regiæ majestatis ab exteris: quod etiam ab eis ipsis à quibus non agnoscitur, tamen imprudenter approbatur.
a Luc.2.6.
b Ad differentiā alterius quæ est in tribu Zabulon. i. in Galilæa inferiore.
c Sapientes. Est autem Persicum nomen, quod in bonam partem à Persis sumebatur.

Quum ergo a b natus esset Iesus in ea Bethleema b *quæ est* Judææ, temporibus Herodis regis, ecce, c magi ab Oriente advenerunt Hierosolymam,

2 Dicentes, ubi est ille rex Judæorum qui natus est? vidimus enim ejus stellam in Oriente, & venimus ut adoremus eum.

3 His autem auditis Herodes rex d turbatus est, & tota Hierosolyma cum eo.

4 Et congregatis omnibus e primariis sacerdotibus, & f scribis populi, percontatus est ab eis ubi Christus ille nasciturus esset.

5 At illi dixerunt ei, In ea Bethleema *quæ est* Judææ. Sic enim scriptum est per Prophetam,

6 f Et tu Bethleema terra Judæ, nequaquam g minima es inter duces Judæ, ex te enim exibit dux qui h pascet populum illum meum Jisraëlem.

d Multùm commotus, quia alienigena vi regnum occupârat: Judæi autem turbati, quia improbitas res est vesana atque demens. e primariis sacerdotibus, id est, iis qui erant de familiis Aaronis in 24. classes distributi, 1. Paral.24.5. & 2. Paral.36.14. disertè principes sacerdotum dicuntur. f Qui legem interpretabantur populo, Hebræi enim derivant à verbo quod enarrare & exponere significat. f Mich.5.2. Joh.7.41. g Etiamsi sis exiguum opidulum, futura es tamen Messiæ ortu nobilissima ac celeberrima. h Qui reget & gubernabit. Reges enim eleganter dicuntur populi pastores.

Quum autem natus esset Jeschua in Beth-lechem 1 Jihuda, in diebus Hirandis regis, venerunt 2 Magi ab oriente ad Urischelem,

2 Et dixerunt, Vbi est rex Judæorum qui natus est? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus ad adorandum eum.

3 Audivit autem Hirandis rex, & conturbatus est, & tota Urischelem cum eo.

4 Et congregavit omnes principes sacerdotum, & 3 legisperitos populi, ac percontabatur eos ubinam nasciturus esset Christus.

5 Illi autem dixerunt in Beth-lechem Jihuda. ita enim scriptum est in Propheta,

6 Etiam tu Beth-lechem Jihuda non fuisti minima inter 4 reges Jihuda. ex te enim prodibit rex qui pascet populum meum Jisraiel.

1 Hoc addidit ad differētiam alterius Beth-lechem, quæ erat tribus Zebulun, cujus meminit Josua 19.14.
2 Syrè מְגוּשֵׁא magusche: quæ quidem vox in Talmudicis libris malè sonat, notatque deditos artibus magicis: in Syriaco autem testamento, sicut apud Persas, vocabulum est honestum, ac significat homines tum sapientia, tū religione claros.

3 Latini ferè interpretes scribas interpretantur, quod Græcè vocabulum γραμματεὺς sonat: sed vim Syriaci & Hebræi nominis exprimere malui, quod declarat enarratorem sive doctorem legis. Accersit ergo Hirandis legisperitos, sive doctores unà cum sacerdotibus, quo certiùs cognoscat quid Lex & Prophetæ traderent de loco ubi nasciturus esset Messias. Hanc verò esse nominis סוֹפֵר significationem, constat ex perpetuo ejus usu in libris Regum & Paralipomenon, Isaiæ & Jeremjæ, Ezræ, Nechemjæ. 4 Id est, proceres præfectos administratione reipub. ut Hebraicè sonat regum appellatio. Præfecti autem pro præfecturis dicuntur μητρόπολις.

[5] 7, i. cœpisset apparere. Sed melius ita verteris, *didicit ab eis quod tempus stellæ apparuisset eis*.
[6] 9. nimirum stantem, ex præcedente versu, Ellipsis frequens, ut Num. 22, 25. & 27. Jehoschu. 3. 3. & infra 3. 16.
[7] Ad verb. Usque ad mortem Hiraudis.
[8] Verbum מתנתא, quo hic utitur paraphrastes, peculiare est Syræ linguæ: nec ab Hebræo מנחה, quod ei in significatione respondet, longiùs discedit, quam quòd tertiam literam thematis quæ erat ח mutat in ת, ejusdem organi prolationis. Ac ubicumque eo utitur, semper est ח mutata in ת, vide Matt. 17. 29. & 31. Marc. 10. 34. & 15. 20. Luc. 14. 29. & 18. 31. & alibi sæpè.
[9] Ad verb. Beth-lechem, &c.
[10] Ad verb. A filio duorum annorum, Hebræa, Chaldæa & Syra phrasis admodum trita.
[11] Ad verb. Per manum Irmejæ prophetæ: ut antè observatum est in fine primi cap.
[12] Id est, vitam. Hebraismus.
[13] Copula pro adversativa particula, & Joseph, pro, At Joseph: Quod in tribus linguis est frequentissimum.
[14] 5, i. quod vulgò dicimus, venit habitatum in civitatem. Sic enim Græcè ἐλθὼν κατῴκησεν, pro eo quod est ἦλθε καὶ κατῴκησεν, frequentissima hypallage, quam præpositio εἰς indicat. Sic infrà 3. 9. & 4. 13. & 5. 24. & passim. [15] Syriaca vox est נצריא, unde manifestiùs apparet ità denominatum fuisse, non a Nazaræorum ritu (tum enim per ז zain scriberetur) sed à Nazareth urbe Galilææ, quæ נצרת per צ tsade, effertur.

7 Tunc Hiraudis clàm vocavit magos, & didicit ab eis quónam tempore [5] apparuisset eis stella illa.
8 Et misit eos in Beth-lechem, dixitq; eis, Ite, inquirite de puero diligenter: & postquam inveneritis eum, venientes renunciate mihi, ut etiam ego profectus adorem eum.
9 Illi autem quum audivissent a rege, profecti sunt. & ecce, stella illa quam viderant in Oriente, proficiscebatur ante eos usq; dum progressa staret supra *illum locum* ubi erat puer.
10 Quum autem vidissent ipsam [6] stellam, gavisi sunt gaudio magno valdè.
11 Et ingressi sunt in eam domum, & viderunt puerum cum Marjam matre ejus: & procidentes adoraverunt eum: & aperuerunt thesauros suos, obtuleruntq; ei oblationes, aurum, & myrrham, & thus.
12 Et ostensum est eis per somnium ne reverterentur ad Hiraudem: ac per viam aliam profecti sunt in regionem suam.
13 Postquam autem abivissent, apparuit Angelus Domini per somnium Jausepho, & dixit ei, Surge, accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & illic esto usquedum dicam tibi. Futurum enim est *ut* Hiraudis quærat ipsum puerum ut perdat eum.
14 Jauseph verò surgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & fugit in Ægyptum.
15 Mansitq; illic [7] donec moreretur Hiraudis: ut impleretur id quod dictum est à Domino in Propheta, qui dixit, Ex Ægypto vocavi filium meum.
16 Tunc Hiraudis quum vidisset quòd [8] illusus esset à magis, iratus est valdè: & mittens interfecit pueros omnes [9] Beth-lechemitas, & omnium finium ejus, à nato [10] duos annos, & infrà, juxta tempus quod perquisiverat à magis.
17 Tunc impletum est id quod dictum erat per Irmejam [11] prophetam, qui dixit,
18 Vox audita est in Rametha, fletus & ejulatus magnus, Rachel flens propter filios suos, & noluit admittere consolationem, propterea quòd non sunt.
19 Postquam autem mortuus esset Hiraudis rex, apparuit Angelus Domini per somnium Jausepho in Ægypto,
20 Et dixit ei, Surgens accipe puerum & matrē ejus, & proficiscere in terram Jisraïel. mortui enim sunt illi qui quærebant [12] animam pueri.
21 [13] Et Jauseph surgens accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Jisraïel.
22 Quum verò audivisset quòd Archelavas esset rex in Judæa loco Hiraudis patris sui, timuit proficisci illuc: & ostensum est ei per somnium, ut proficisceretur in regionem Galilææ.
23 Et [14] veniens habitavit in civitate quæ vocabatur Natzrath: ut impleretur id quod dictum fuit per Prophetā, quòd [15] Nazarenus vocaretur.

7 Tum Herodes clàm vocatis magis [i] exquisivit ab eis quo tempore stella apparuisset.
8 Et eis Bethlehemā dimissis, dixit, Profecti, penitùs exquirite de puerulo illo: postquam autem *illum* inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniam & adorem eum.
9 Ipsi verò, audito rege, profecti sunt: & ecce, stella quam viderant in Oriente, præibat eis, donec venit stetitq; supra *locum in* quo erat puerulus ille.
10 Visa autem stella gavisi sunt gaudio magno valdè:
11 Et ingressi domum, invenerunt [k] puerulum cum Maria matre ipsius: & prostrati [l] adoraverunt eum: [m] apertísque thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, & thus, & myrrham.
12 [n] Et divinitùs admoniti in somnio ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam.
13 [o] Ipsis autem regressis, ecce, angelus Domini apparet in [p] somnio Josepho, dicens, Expercrectus accipe puerulum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & esto illic usquedum dixero tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerulum, ad eum perdendum.
14 Ille verò experrectus accepit puerulum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.
15 Et fuit illic usque ad obitum Herodis: ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam, dicentem, [q] [r] Ex Ægypto vocavi filium meum.
16 Tum Herodes, quum vidisset *se* illusum esse à magis, excanduit valdè: & missis *carnificibus* interemit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omni confinio ejus, à bimulis & infrà, secundùm tempus quod exquisierat ex magis.
17 Tunc [r] impletum fuit quod ait [s] Dominus per Hieremiam Prophetam, dicentem,
18 [s] Vox in Rhama audita est, lamentatio, & fletus: & ejulatus multus, [t] Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere *de eo* [u] quòd non sint.
19 [x] Quum autem obiisset Herodes, ecce, angelus Domini in somnio apparet Josepho in Ægypto,
20 Dicens, Experrectus accipe puerulum & matrem ejus, & proficiscere in regionem Israëlis. Mortui sunt enim qui petebant [y] animā puerulí.
21 Ille verò experrectus accepit puerulum & matrem ipsius, & venit in regionem Israëlis.
22 Quum autem audisset Archelaum regnare in Judea pro Herode patre suo, timuit illuc abire: verùm divinitùs admonitus in somnio, secessit in partes Galilææ.
23 Et quum eò venisset, [z] habitavit in urbe quæ dicitur Nazareth: ut impleretur quod dictum est per Prophetas, fore ut Nazarenus vocaretur.

[i] Certò & exploratè cognovit.
[k] Hic nullus terrenus splendor, ut sciamus spirituale esse Christi regnum.
[l] Humilis & abjectæ venerat. omnis gestus.
[m] Reconditis opibus quas attulerant.
[n] Significatione divina, etiam quum nihil rogassent. Nam χρηματίζεσθαι is dicitur quē Deus colloquio suo dignatur, etiamsi nihil tale quærat vel exspectet.
[o] 13. Christus vix dum natus, incipit pro nobis crucifigi, tum in sese, tum in membris suis.
[p] Hujusmodi somnium, Spiritus sancti testimonium erat quo confirmabatur homo, vide Numer. 12. 6.
[q] Deus jam in Christi persona sibi denuò gignit Ecclesiam, tunc, n. ex Ægypto prodit Ecclesia in suo capite, sicuti totum corpus inde eductum fuerat.
[r] Osea 11. 1.
[r] non intelligit Matthæus Prophetam prædixisse quid facturus esset Herodes, sed Christi adventu renovatum fuisse luctum illum quem multis antè seculis pertulerant Binjaminitæ.
[s] Nam Deus per os prophetarum loquitur.
[s] Jer. 31. 15.
[t] Id est, Tota illa vicinia Bethlemetica, nam in via ducente in oppidū hoc, cujus & Ephrata nomen habet à soli fertilitate & copia frugum, Rachel Jacobi conjux in partu mortua sepultaque fuit.
[u] Id est, sublati sint, perempti: sive quod desierint esse inter homines.
[x] 19. Christus exstincto tyranno, ex Dei providentia educatur Nazarethæ: ut ex ipso etiam gentili nomine, quod ipsi propterea tributum est, constet eum esse verum illum Domini Nazaræum.
[y] Id est vitam: Hebraismus.
[z] Sibi domicilium elegit, id est, firmam stationem.

CAPUT III.

1 *Johannes concionatur.* 4 *Vestitus & victus ipsius.* 5 *Baptizat.* 8 *Fructus pœnitentiæ.* 10 *Securis ad radicem.* 12 *Ventilabrum. Palea.* 13 *Christus baptizatur a Johanne.*

[1] Ad verb. In illis autē diebus Syra phrasis & Chald.

1 IN [1] illis autem diebus venit Juchannan Baptista, & prædicabat in deserto Judææ.

1 TEmporibus [a] autem illis adfuit [b] Johannes Baptista, prædicans [c] in deserto Judææ,

[a] Ad verb. diebus, Heb. non autem illis diebus quibus Nazareth Joseph commigravit, sed longo post tempore, circiter 25. post annis. Nam 30. ætatis anno baptizatus fuit Jesus a Johanne. Illis igitur diebus, quibus incola fuit adhuc Jesus urbis Nazarethæ. [b] 1. Johannes singulari testimonia, & extraordinaria vitę austeritate omnium oculos in se convertens, Christo statim sequuturo veluti viam præparat, (sicut Esaias prædixerat) summam Evangelii pleniùs mox tradendi prænuncians. [c] In regione saltuosa, quæ tamen incolas recipere ut Zacarjam, Luc. 1. 40, Illic fuit domus Joabi, 1. Reg. 2. 34. & hujus deserti sex oppida numerantur, Jos. 15. 61.

2 Dicensq;, [d] Resipiscite. appropinquavit enim [e] regnum cælorum.
3 Nam hic est ille de quo dictum est per Esaiam Prophetam, dicentem, [‖] Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, [f] complanate semitas ejus.
4 [‖] Ipse verò Iohannes habebat vestimentum suum è pilis camelinis, & zonam coriaceam circum lumbos suos. alimentum autem ejus erat [g] locustæ & mel agreste.
5 [‖] Tunc exivit ad eum [h] Hierosolyma, & tota Judæa, totaq; regio circumjacens Jordani:
6 Et baptizabantur ab eo in Jordane, [i] confitentes peccata sua.
7 Quum vidisset autem [k] multos ex Pharisæis & Sadducæis venientes ad Baptismum suum, dixit eis, [‖] Progenies viperarum, quis vobis præmonstravit ut fugeretis à futura ira?
8 [l] Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ:
9 [m] Et ne putate *vobis* dicendum apud vos ipsos, [‖] Patrem habemus Abrahamum. [n] dico enim vobis, Deum posse etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo.
10 [‖] Jam verò etiam securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur.
11 [‖] [o] Ego quidem baptizo vos aqua [p] ad resipiscentiam: is verò qui ponè me venit, validior me est, cujus non sum dignus qui soleas portem: ipse vos baptizabit Spiritu sancto & [q] igne.
12 [‖] [r] Cujus ventilabrum *est* in manu sua, & *qui* perpurgabit aream suam: & coget triticum suum in horreum, paleam autem exuret [f] igni inexstincto.
13 [‖] [t] Tunc advenit Jesus à Galilæa ad Jordanem ad Johannem, ut baptizaretut ab eo.
14 At Johannes obnixè prohibebat eum, dicens, Mihi opus est ut à te baptizer, & tu venis ad me?
15 Respondens autem Jesus dixit ad eum, Omitte *me* nunc, ita enim decet nos implere [u] omnem justitiam. Tunc omittit eum.
16 Et baptizatus Jesus ascendit statim ex aqua: & ecce, aperti sunt [x] ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam, & venientem super ipsum.
17 [y] Et ecce vox *adfuit* e cælis, dicens, [‖] Hic est filius ille meus, dilectus ille, in quo [z] acquiesco.

2 Ac dicebat, Convertimini: [2] appropinquat regnum cælorum.
3 Hic enim *ille* est [3] de quo dictum fuit [4] per manum Ischaiæ prophetæ, Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, & complanate semitas ejus.
4 Ipsius verò Juchannan vestimentum fuit pilorum camelorum, & cingulum pelliceum super lumbos ejus: cibus autem ejus locusta, & mel sylvestre.
5 Tunc egrediebatur ad eum Urischelem, & universa Judæa, & omnis locus [5] circumjacens Jurdan.
6 Et baptizabantur ab eo in Jurdan fluvio, quum confiterentur peccata sua.
7 Quum vidisset autem multos ex Pharisæis & ex Seducæis qui veniebant ut baptizarentur, dixit illis, progenies viperarum, quis commonstravit vobis fugere ab ira adveniente?
8 Facite igitur fructus dignos conversione.
9 Et ne cogitetis [6] ac dicatis, [7] apud vos ipsos, Quòd pater est nobis Abraham. dico enim ego vobis quòd potest Deus ex istis lapidibus suscitare filios Abrahamo.
10 Ecce enim, securis posita est ad radicem arboris: omnis arbor igitur quæ fructum bonum non facit, exscinditur & cadit in ignem.
11 Ego baptizo vos aqua ad conversionem: ille autem qui post me venit, validior est me, cujus non sum dignus ego ut calceamenta portem: ipse baptizat vos Spiritu sancto & igni.
12 Cujus ventilabrum in manu est, & purgat areas suas: triticumq; congregat in horrea sua, paleam verò comburit igni qui non exstinguitur.
13 Tunc venit Jeschua ex Galilæa ad Jurdan ad Juchannan, ut baptizaretur ab eo.
14 Ipse autem Juchannan prohibebat eum, & dicebat, ego opus habeo ut abs te baptizer, & tu ad me venisti?
15 Jeschua autem ipse respondit, & dixit ei, Omitte nunc: sic enim decet nos ut impleamus omnem justitiam. Et tunc [8] omisit eum.
16 Quum ergo baptizatus esset Jeschua, protinùs ascendit ab aquis: & aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum Dei qui descendit tamquam columba & venit super ipsum.
17 Et ecce vox de cælis quæ dicebat, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est.

[d] μετανοεῖν, mutari significat animo & mente, idq; in melius. [e] Regnum Messiæ, cujus gubernatio planè erit cælestis. [‖] Esai. 40.3. Marc. 1,3. Luc. 3 4. Ioh. 1. 23. [f] Planum & æquabile iter facite. [‖] Mar. 1.6. [g] Locusta cibus fuit quibusdam Orientalibus, qui dicti sunt *acridophagi*, id est, locustivore, Eust. in Od. 9. [‖] Mar. 1.5. Luc. 3.7. [h] Hierosolymitæ. [i] Agnoscentes ex gratuita remissione se salutem cōsequi. [‖] i. Ne existimetis causam esse cur de Abrahamo superbiatis. [k] B. nihil æquè nobis viam ad misericordiam & salutem præcludit, ac nostræ justitiæ opinio. [‖] Infra 12.34. [l] B. Vera resipiscentia est res interior, quæ in mente & animo sedem habet. [m] B. Patrum fides incredulos filios nihil juvat, nec propereà tamen Deus in suo cum sanctis patribus fœdere mendax evadit. [‖] Joh. 8. 39. Act. 13. 26. [n] Incredibile erat superbis hominibus aliò posse transferri Ecclesiam: admonet verò Iohannes Domino esse in manu rationes servandæ Ecclesiæ, quas illi non putabant: ac si ex lapidibus filios sibi crearet. [‖] Infrà 7.19. [‖] Mar. 1.8. Luc. 3.16. Joh. 1.26. Act. 1.5. & 2.2. & 11.16. & 19.4. [o] B. Ne in signis quidem à Deo salutis nostræ causâ institutis vel in eorum administris hærendum est: sed assurgendum est ad rem ipsam, i. ad CHRISTUM, intus sua unius vi efficientem quod exteriùs figuratur. [p] Externum signum de vita in melius commutanda admonebat, & obsignabat eorum in CHRISTUM insitionē, qua fit ut vetus homo moriatur, & novus exsurgat. Rom. 6. [q] Hic nomen ignis est vice epitheti: transfertur autem ad spiritum, quia sordes nostras non aliter purgat, quàm aurum igni excoquitur. [‖] Luc. 3.17. [r] B. impiorum triumphi sempiterno cruciatu terminabuntur. [f] Hoc igni horribile tormentum notatur: quod nec sensu hominum hodiè capi nec verbis exprimi potest, Cujus tamen solidam ustionem ultimo die sentient reprobi. [‖] Mar. 1.9. Luc. 3. 21. [t] B. CHRISTUS nostrum baptismum in sese sanctificat. [u] Legitimas observationes. [x] Johanni vel etiam Christo, nam non modò utrique visum est hoc signum, sed ipsi quoque circumstanti turbæ, quod sequens patris cælestis oratio satis declarat. Vide Luc. 3.22. [y] B. CHRISTI plena consecratio & initiatio ad Mediatoris munus, Patris ipsius voce & visibili sancti Spiritus symbolo declaratur. [‖] 2. Pet. 1.17. Colos. 1.13. Infrà 17.5. [z] Græcum verbum significationem habet præclaræ existimationis, & ejus quod valdè placet: dicit itaque Pater, CHRISTUM unum esse, quem quum intuetur, omnem in nos conceptam indignationem deponat.

[2] Ad verbum, Appropinquat sibi regnum: estq; Hebraismus. Gallicè pronomen illud exprimitur, *Le royaume des cieux s'approche.* [3] F. Syrè qui dictus est per manum Ischaiæ, id est, de quo dictū est per Esaiam. [4] Id est, ministerio, ut ante observavimus. [5] Ad verb. Qui circa Jordanem, subaudi erat. [6] Pro, Neque dicatis. [7] Ad verb. In anima vestra. Hebraismus frequētissimus. [8] F. Sivit eum, nempe baptizari. Ellipsis, ut suprà 2.10.

CAPUT IIII.

1 *Tentatur Christus.* 4 *Scripturis convincit diabolum.* 11 *Angeli ei inserviunt.* 12 *Prædicat pœnitentiam.* 18 *Vocatio Petri & Andreæ.* 21 *Vocatio Jacobi & Joannis.* 23 *Prædicat Evangelium, & sanat infirmos.*

Tunc [a] Jesus subductus fuit in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo.

Tunc Jeschua ductus est à Spiritu sancto in desertum, ut tentaretur ab [1] adversario.

[a] B. CHRISTUS omnibus modis tentatus, semper victor evadit, ut & nos ipsius virtute eundē hostem superemus. [‖] Mar. 1.12. Luc. 4.1.

[1] Ad verb. Aperi vulgante obtrectationem. Nam [illegible] vel [illegible] (ea enim ejus radix esse videtur) idem est quod קרץ *karaz*, divulgavit, promulgavit, palàm fecit, prædicavit: & קרצא *Kartza* est obtrectatio quam Hebræi vocant מלשינות *malschinuth*, ut exponit auctor libri ערך *Aruch*, & David Kimchi Hebræorum doctissimus. Quæ loquutio etiam Chaldæis scriptoribus est usitata, & sæpè in novo Testamento Syro recurrit.

2 Et

2 Et

[1] Ad verb. qui tẽtat, i. assuetus ut homines tentet, Participium pro verbali, ut sępè fit. [3] i. Homo. Hebr. Chald. & Syra phrasis. [4] i. assumens transtulit, Metalepsis Hebraica, ut infra 27, 3. sic deinceps. [5] Ad verb. Promulgãs obtrectationem ut paulò antè observavi. [6] Syrè ... de cujus significatione consulendus Tremelius. [7] Ad verb. Alui ... tuum, Hebraismus antè observatus. [8] Ad verb. Promulgator obtrectationis, Chald. phrasis & Syra. [9] Syrè, procidens adoraveris. Idiotismus Orientaliũ, ut Ruth 2. 10 sic infra 8. 2. [10] Syrè, abi tibi: Pleonasmus Hebraicus in cõstructione verborum ... frequẽs, ut sup. 3. 1 & infra v. 17. & alibi passim. [11] Antè observatus loquendi modus, Syris & Chaldæis communis. [12] i. venit habitatũ, ut sup. 2. 23. [13] i. ministerio. Hebraismus antè observatus. [14] i. secundum Jardenem: cis, vel trans fluvium, promiscuè, ut Jhm. 22. 20. & passim, sic infr. v. ult. & 19. 1. [15] Ad verb. Appropinquat enim sibi. gallicè, *Car il s'approche*. Pleonasm. Heb. Chald & Syris frequẽs. [16] i. sequimini me Hebraismus. [17] i. hominum, Hebraismus. [18] Ad verb. Et iverunt post eum. Hebraism. & eodẽ modo paulò post. [19] Ad verb. Malè malè. Nominis geminatio ex positivò efficit superlativũ, ut infra 14. 35. Hebraismus. [20] Syrè ... *Vadebat agare*, quod sonat, Et filium agrorum, i. hominem agrestem, qui a reliquorum consuetudine abhorreat: sicut legitur de Nebochad-nezzar in Daniele. [21] Syrè ... *Meschrija*, à dissolutione deducto nomine, sicut & in Græco textu, quod præclarè paraphrastes expressit. [22] Ad verb. Iverunt post eum. [23] Vel decẽ civitatũ, suburbia regione. Regiuncula est, Galilææ Gentium proxima, quæ nomen accepit à dec. em oppidis, in ea sitis, quorum nomina exprimuntur in Plin. lib. 5. cap. 18.

2 Et jejunavit, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, posteà verò esuriit.
3 Et accedebat ad eum [1] tentator, ac dicebat ei, Si filius es Dei, dic ut isti lapides fiant panes.
4 Ipse verò respondit, & dixit, Scriptum est quòd nequaquam pane solo vivit [3] filius hominis, sed omni verbo procedente ex ore Dei.
5 Tunc [4] assumsit eum [5] adversarius in civitatem sanctam, & statuit eum super [6] pinnaculum templi.
6 Et ait illi, Si filius es Dei præcipita [7] te ipsum deorsum: scriptum est enim quòd Angelis suis mandabit de te, & super manus suas tollent te ut non impingas in lapidem pedem tuum.
7 Dixit illi Jeschua, Rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.
8 Rursum assumsit eum, [8] adversarius in môtem qui valdè erat excelsus, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam illorum:
9 Et dixit illi, Hæc omnia tibi dabo si [9] procidens adoraveris me.
10 Tunc dixit illi Jeschua, [10] Apage Satana: scriptum est enim quòd Dominum Deum tuum adorabis, & eum solum coles.
11 Tunc omisit eum [11] adversarius, & ecce, Angeli accesserunt, & ministrabant ei.
12 Quum audisset autem Jeschua quòd Juchannan traditus esset, migravit in Galilæam:
13 Et reliquit Nazareth, [12] venitq; & habitavit in Kephar Nachum, ad littus maris, in finibus Zabulun & Naphtali.
14 Ut impleretur quod dictum est per [13] manum Isaiæ Prophetæ, qui ait,
15 Terra Zabulun, terra Naphtali, via maris, [14] transitus Jurdan, Galilæa gentium:
16 Populus qui sedebat in tenebris, lucem magnam vidit, & illis qui sedebant in regione & umbra mortis, lux orta est ipsis.
17 Et tũc cœpit Jeschua prædicare, & dicere, Convertimini: [15] appropinquat enim regnũ cælorũ.
18 Quumq; ambularet juxta littus maris Galilææ, vidit duos fratres, Schemeun qui vocatur Cipha, & Andræam fratrem ejus, qui jaciebant retia in mare (erant enim piscatores.)
19 Et dixit illis Jeschua, [16] Venite post me, & faciam vos ut sitis piscatores [17] filiorum hominis.
20 Illi autem confestim reliquerunt retia sua, [18] & sequuti sunt eum.
21 Et quum progressus esset indè, vidit alios fratres duos, Jaakub filium Zabdai, & Juchannan fratrem ejus in navicula cum Zabdai patre sarcientes retia sua: & vocavit eos Jeschua.
22 Illi autem protinus reliquerunt naviculam & patrem suum, & sequuti sunt eum.
23 Et circumibat Jeschua universam Galilæam, docebatq; in synagogis illorum, & prędicabat Evangelium regni, sanabatq; omnem languorem & morbum in populo.
24 Et audita est fama illius in universa Syria. Et offerebant ei omnes eos qui [19] pessimè afficiebantur morbis diversis, & eos qui premebantur angustiis, & dæmoniacos: & [20] lunaticos: & [21] paralyticos: & sanavit eos.
25 Et [22] sequutæ sunt eum turbæ multæ à Galilęa, & à [23] Decem civitatibus, &

2 Et quum jejunasset [b] dies quadraginta & noctes quadraginta, posteà esuriit,
3 Et quum venisset ad eum tentator, dixit, Si filius es Dei, [c] dic ut isti lapides panes fiant.
4 At ille respondens, dixit, Scriptum est, [a] Non solo pane vivet homo, sed ex quovis verbo prodeunte per os Dei.
5 Tunc assumit eum diabolus in Sanctam urbem, & statuit eum super [d] pinnas templi:
6 Dixitq; ei, Si filius es Dei, dejice te ipsum deorsum, nam scriptum est, [f] Angelis suis mandabit de te, & ipsi attollent te in manus, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.
7 Dixit ei Jesus, vicissim scriptum est, [g] Non [e] tentabis Dominum Deum tuum.
8 Rursum assumit eum diabolus in montem sublimem valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.
9 Dixitq; ei, Hæc omnia tibi dabo si prostratus adoraveris me.
10 Tunc dicit ei Jesus, Abi Satana, scriptum est enim, [h] Dominum Deum tuum [f] adorabis, & ei soli servies.
11 [g] Tunc omittit eum diabolus: & ecce, angeli accesserunt, & ministrabant ei.
12 [i] [h] Quum audisset autem Jesus Johannẽ traditum esse *in custodiam*, rediit in Galilæam:
13 Et relicta Nazareth, venit & habitavit in [i] Capernaumo *urbe* maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim.
14 Ut impleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam, dicentem,
15 [l] Terra Zabulon & terra Nephthalim: *ad* viam [k] maris secus Jordanem, [l] Galilęa Gentium:
16 Populus [m] positus in tenebris, vidit lucem magnam: & positis in regione & umbra mortis, lux exorta est.
17 [n] Ex eo tempore cœpit Jesus prædicare, & dicere, Resipiscite, [n] appropinquavit enim regnum cælorum.
18 [o] Ambulans autem Jesus ad mare Galilææ, vidit duos fratres, Simeonem, qui dictus est Petrus, & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare: (erant enim piscatores)
19 Et dicit eis, Sequimini me, & faciam vos piscatores hominum.
20 Illi verò statim omissis retibus sequuti sũt eũ.
21 Tunc progressus illinc, vidit alios duos fratres, Jacobum filium Zebedæi, & Johannem fratrem ejus, in navigio cum Zebedæo patre suo, sarcientes retia sua: & vocavit eos.
22 Illi autem statim omisso navigio & patre suo, sequuti sunt eum.
23 [p] Et obivit totam Galilæam Jesus, docens in [q] synagogis ipsorum, & prædicans Evangelium [r] regni, & sanans [s] quemvis morbum, & quemvis [t] languorem in populo.
24 Tunc emanavit fama ipsius in totã Syriam: & obtulerunt ei omnes malè affectos, variis morbis, & [u] cruciatibus detentos, & [x] dęmoniacos, & [y] lunaticos, & [z] paralyticos: sanavitq; eos.
25 Et sequuta est eum turba multa à Galilæa

[b] Continuos. Nã quartus casus solet ferè continuum tempus indicare. Singulare autem miraculum edidit Deus, quum filiũ suum exemit a necessitate edendi: ut de Mose legitur, Exod. 34, 28. [c] i. Jube. Quum enim dicit Deus, perinde est atq; si imperaret. [a] Deut. 8. 3. [d] Aiunt ... quo ... ne quis inde posset decidere, sicut cautum erat, Deut. 22. 8. [f] Psal. 91. 11. [g] Deut. 6. 16. [e] Tentant homines Deum quum media ordinaria à Deo cõstituta relinquuntur ut ad sua figmenta confugiant: cùm verò nos Deus quũ explorat & probat animos nostros. [h] Deut. 6. 13. & 10. 20. [f] Duplex est adoratio: una religiosa, quæ soli Deo debetur: altera civilis, quæ ad hujus vice ... spectat. [g] Notandum hic non imbecillitate naturæ Christi hoc esse factũ, ut Satan illi oculos perstringeret, sed voluntaria dispensatione & permissu. [i] Mar. 1. 14. Luc. 4. 14. Ioh. 4. 43. [h] B. Cessãte præconis voce, sese patefaciẽs Dominus, plenam lucẽ infert mundi tenebris, gratuitam peccatorũ remissionẽ resipiscentibus offerens. [i] Quæ multò celebrior erat quàm Nazareth. [l] Esai. 9. 1. [k] Tiberiadis, vel quòd ea regio tẽderet Tyrum versus ad mare mediterraneum. [l] Sic dicta quòd vicina esset Tyriis & Sydoniis, & quòd in ea parte Solomon concessisset Tyriorum regi viginti urbes, 1. Reg. 9. 11. [m] Qui versabatur. [n] Mar. 1. 15. [n] Ad vos pervenit. [o] B. CHRISTUS de suo à nobis recessu aliquando futuro maturè cogitans, jam ab ipsis initiis suæ prædicationis discipulos sibi divinitus ascivit, pauperculos quidem illos & planè rudes, sed eorum quæ vidissent & audissent tantò minus suspectos testes futuros. [p] B. CHRISTUS corporales morbos sanans, spiritualem & salvificam suam virtutem in animis credentium obsignat. [q] In cœtibus & conventibus sacris. [r] Messiæ. [s] Id est, omnis generis morbos, non autem singulos. [t] Propriè significat ignaviam stomachi: sed hic sumitur pro iis morbis quibus qui sunt correpti languent & contabescunt. [u] βάσανος, propriè est cotícula qua aurum exploratur: transfertur ad quæcumq; quæstiones tormentorum, hoc loco sumitur pro morbis qui acerrimè ægrotos excruciant. [x] Qui malis spiritibus vexantur. Dæmon enim in scriptura in malam partem sumi solet, etsi aliàs sit nomen commune. [y] Qui ad conversiones lunæ certis accessibus morbi corripiuntur. [z] Enervatos, languentibus & debilitatis corporis membris.

ac Decapoli & Hierosolymis & Judæa, & *regio-*
nibus trans Jordanem *sitis*.

ab Jerischelem, & à Judæa, & à transitu Jur-
dan.

CAPUT V.

1 *Qui beati.* 13 *Apostoli sal & lux mundi.* 14 *Urbs supra montem posita.* 15 *Lucernæ usus.* 16 *O-
pera bona.* 19 *Mandatorum Christi impletio.* 21 *Occidere, quid.* 23 *Reconciliatio sacrificia ante-
vertat.* 27 *Adulterium.* 29 *Oculi erutio.* 30 *Manus abscissio.* 31 *Libellus abscessionis.*
33 *Non jurandum.* 43 *Inimici diligendi.* 48 *Perfectio.*

QUum vidisset autem turbam, ascendit in mõ-
tem : & quum consedisset, adierunt eum
discipuli ejus.
2 [a] Tunc aperto ore suo docebat eos, dicens,
3 [l] Beati [b] pauperes [c] spiritu: quoniam ipso-
rum est regnum cælorum.
4 [l] Beati qui lugent: quoniam ipsi solamen
recipient.
5 [l] Beati qui sunt mites : quoniam ipsi ter-
ram hæreditario [d] jure obtinebunt.
6 [l] Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quo-
niam ipsi saturabuntur.
7 Beati qui sunt misericordes: quoniam ipsis
misericordia tribuetur.
8 [l] Beati qui sunt [e] mundo corde: quoniam
ipsi Deum videbunt.
9 Beati qui sunt pacifici : quoniam filii Dei
[f] vocabuntur.
10 [l] Beati quos persequuntur *homines* justitiæ
causa : quoniam ipsorum est regnum cælorum.
11 [l] Beati eritis quum vos conviciis affecerint,
& persequuti fuerint, & mẽtientes dixerint quid-
vis mali adversus vos, propter me.
12 Gaudete & exsultate: quoniam merces ve-
stra multa est in cælis. ita enim persequuti fue-
runt prophetas qui *fuerunt* ante vos.
13 [l] [g] Vos estis sal [h] terræ, quòd si sal infatu-
atus fuerit, [i] quo salietur? ad nihil valet ampliùs
nisi ut abjiciatur foras, & cõculcetur à quibusvis.
14 Vos estis [k] lux mundi. Non potest urbs oc-
cultari supra montem posita.
15 [l] Neque accendunt lucernam, & ponunt
eam subter modium, sed in candelabrum : &
splendet omnibus qui sunt in domo.
16 [l] Ita splendeat lux vestra coram homini-
bus, ut videant vestra bona opera, [l] glorificẽnt-
que Patrem illum vestrum qui *est* in cælis.
17 [m] Ne existimate me venisse ut dissolvam
Legem, aut prophetas : non veni ut *eam* dissol-
vam, sed [n] ut *eam* impleam.
18 [l] [o] Amen quippe dico vobis, usquedum
præterierit cælum & terra, iota unum aut unus a-
pex nequaquam præterierit ex Lege, usquedum
omnia facta fuerint.
19 [l] [p] Quisquis igitur [q] solverit unum ex man-
datis hisce [r] minimis, & ita docuerit homines, mi-
nimus vocabitur in regno cælorum: quisquis au-
tem fecerit & docuerit, iste magnus vocabitur in
regno cælorum.
20 Dico enim vobis, nisi abundaverit vestra
justititia [l] plùs quàm *illa* Scribarum & Pharisæo-
rum, vos nequaquam ingressuros in regnum cæ-
lorum.

[a] A. GRÆ-
CÆ. docet
summum homi-
nis hujus vitæ cõ-
modis & rebus
secundis positum
non esse, sed in
cælo esse reposi-
tũ iis qui ut à re-
liquis miserabili-
ter & modis om-
nibus ideò vexẽ-
tur, quòd nolint
eorum mores imi-
tari, nihilominus
in Dei voluntate
sponte acquies-
cunt, & quibusvis
prodesse student.
[l] *Luc.6.20.*
[b] Paupertatis no-
mine intelligũtur
omnes conjunctæ
cum ea miseriæ.
[c] Quorũ spiritus
domiti sunt, &
qui sese Deo sub-
jiciunt.
[l] *Luc.6.21.*
Esai.61.2,3.
[l] *Psal.37.11.*
[d] Notandum est
quod hoc loco di-
citur: nam si hæ-
reditatis jure cæ-
lum possidemus,
& idcircò hære-
des sumus quia in
CHRISTO
gratis adoptati
per fidẽ, ubi me-
rita quæ nonnul-
li jactant?
[l] *Esa.65.13.*
[l] *Psal.24.4.*
[e] vel, Puri corde.
[f] Erunt. Heb. Sig-
nificat enim He-
bræis verbum vo-
candi *kara*, sic ac-
ceptum, aliquid
ejusmodi esse ut
idcircò ab omni-
bus celebretur.
[l] *1.Pet.3.14.*
[l] *1.Pet.4.14.*
[l] *Marc.9.50.*
Luc.14.34.
[g] B. Verbi præ-
sertim ministros
necesse est (nisi
velint omniũ esse
miserrimi) hanc
viam ad summum
bonum, & verbis
& re ipsa cæteris
commonstrare.
[h] Doctrina vestra
esse debet synceritate & integritate efficax, quæ si talis non sit, in sua futilita-
te contemnetur & refutabitur. [i] Quid tandem superfuerit quo uti possitis ad
saliendum? Sic Latini fatuos, insulsos vocant. [k] Participando verã lucem,
luceris. [l] *Mar.4.21. Luc.8.16. & 11.33.* [l] *1.Pet.2.12.* [l] Gloriam Dei
prædicent. [m] B. CHRISTUS non venit ut novam quampiam justitiæ &
salutis rationem in mundum inveheret, sed partim ut quod ceremoniis erat ad-
umbratum, reipsa impleret liberatis per gratiam hominibus à maledictione le-
gis: deinde ut verum obedientiæ à Lege præscriptæ usum doceret, atque adeò
vim obediendi mentibus insculperet. [n] Ut absolutæ evadant prophetiæ.
[l] *Luc.16.17.* [o] Verè & certè. [l] *Luc.2.10.* [p] B. Incipit à vera Legis ex-
positione, quam vetustis quidẽ sed falsis Scribarum cõmentis opponit, nedum ut
vel minimum præceptorum Patris velit abolere. [q] Violaverit vel minimum
præceptum Legis. [r] N[illegible]us censebitur in Ecclesia. [l] *Luc.11.39.*

QUum autem vidisset Jeschua turbas, ascendit
in montem : & quum sedisset accesserunt ad
illum discipuli ejus.
2 Et [1] aperuit os suum, & docebat illos ac di-
cebat.
3 [2] Beati pauperes spiritu : quoniam illorum
est regnum cælorum.
4 Beati lugentes : quoniam [3] consolationem
accipient.
5 Beati mites: quoniam ipsi [4] hæreditatem
capient terræ.
6 Beati illi qui esuriunt & sitiunt justitiam:
quoniam ipsi saturabuntur.
7 Beati misericordes: quoniam ipsis [5] exerce-
bitur misericordia.
8 Beati illi qui mundi sunt in cordibus suis:
quoniam ipsi videbunt Deum.
9 Beati [6] pacifici: quoniam [7] vocabuntur filii
Dei.
10 Beati illi qui patiuntur persequutionem
propter justitiam: quoniam illorum est regnum
cælorum.
11 Beati estis quum probra jecerint in vos,
& persequuti fuerint vos, & dixerint adversus
vos omne verbum malum propter me [8] in fal-
sitate.
12 Tunc gaudete & exsultate quoniam mer-
ces vestra multa est in cælis : sic enim persequuti
sunt Prophetas qui fuerunt ante vos.
13 Vos estis sal terræ: si autem eveniat ut sal
[9] infatuetur, quânam re salietur? ad nullam rem
valet nisi ut projiciatur foras & conculcetur ab
hominibus.
14 Vos estis lux mundi. Non potest abscondi
civitas quæ supra montem exstructa est.
15 Neque lucere faciunt lucernam, & ponunt
eam subter [10] modium : sed supra candelabrum,
& lucet omnibus qui in domo sunt.
16 Sic luceat lux vestra coram [11] filiis homi-
nis, ut videant opera vestra bona, & glorificent
patrem vestrum qui in cælis est.
17 Ne existimetis quòd venerim, ut destru-
am Legem aut Prophetas: nequaquam [12] ut de-
struam, sed ut compleam.
18 [13] Ammin enim dico ego vobis, quòd [14] do-
nec [15] transeant cæli & terra, Jud unum aut u-
nus apex non transibit ex Lege [16] donec omnia
fiant.
19 Quisquis solverit igitur unum ex manda-
tis istis minimis, & docuerit sic filios hominum,
[17] minimus vocabitur in regno cælorum : quis-
quis autem fecerit & docuerit, hic magnus voca-
bitur in regno cælorum.
20 Ego enim dico vobis, quòd nisi abundave-
rit justitia vestra ampliùs quàm legisperitorum
& Pharisæorum, non intrabitis in regnum cæ-
lorum.

[1] Periphrasis est
dicere exordien-
tis, in Hebræo
textu veteris Te-
stamenti obvia.
[2] Ad verbum,
Beatitudines pau-
peribus: & sub-
audi, sunt, vel
contingunt. Est
enim nomen sem-
per plurale, He-
bræo [illegible] per
omnia respon-
dens.
[3] Hac unica vo-
ce [illegible] *leth-
baiau*, expriment
paraphrasim no-
ster sicut paulo
post, Hæreditatem
capient, uni-
co verbo [illegible]
Jiretun expri-
mit.
[4] [illegible] Jiret-
thun, idem quod
[illegible] Jirethun,
mutato [illegible]
[5] Ad verbum,
Erga eos erunt mi-
serationes.
[6] Duabus voci-
bus, Cultores
pacis.
[7] Id est, A Deo
pro filiis agnos-
centur: ideo non
vano titulo filii
dicentur, sed re-
ipsa erunt quod vo-
cabuntur. Et ita
intelligendum
paulo infra vers.
19. Minimus vo-
cabitur: & paulò
post, Magnus vo-
cabitur.
[8] Hebraismus, i.
falso. Substanti-
vum enim nomen
præfixo [illegible] Beth,
sæpe adverbii si-
gnificationem as-
sumit.
[9] Syrum verbum
[illegible] *thepcha*,
à themate [illegible]
pecha, sensu respõ-
det Hebræo [illegible]
baphac, invertit
ut studio para-
phrastes illud re-
tinuisse videatur,
ordine tantum li-
terarum inverso.
Verum itaq; potest,
Si autem eveniat
ut sal mutetur.
[10] Syrè Se-
tha, quod Hebræi
Sea, vulgus Satum
vocant, i. modium Romanum, Josepho, Epiphanio, & aliis testibus. [11] i. Ho-
minibus. Hebraismus. [12] i. supple veni. Ellipsis frequens ex antecedente ser-
mone intelligenda, ut sup. 2.10. & 3.15. [13] i. Certè, Verè. [14] [illegible]
Jod unum aut unus apex transiturus est. Proverbialis loquendi [illegible]
49.26. Psal.72.5. & 7. & 17. & 89.37. & 38. *Donec* autem semper [illegible]
cedentia, ac non excludi sequentia, ut sup.1.25. & infra 28.20. [15] [illegible]
tur. [16] F. i. quia omnia fient, ut infra 10.23. & alibi. [17] i. [illegible]
admodum minus, ut sup. ver.7.

21 Audistis quòd [18] dictum sit veteribus, Non occides: qui autem occiderit, reus est judicii.

22 Ego autem dico vobis quòd quisquis irascetur contra fratrem suum [19] temerè, reus est judicii. Et quisquis dixerit fratri suo, [20] raka, obnoxius est consilio: & omnis qui dixerit, [21] fatue, obnoxius est [22] Gibanniæ [23] ignis.

23 Si eveniet igitur ut offeras oblationem tuam ad altare, & illic recorderis quòd frater tuus retinet adversus te inimicitiam aliquam,

24 Relinque illic oblationem tuam juxta altare, & abi, prius reconciliare fratri tuo, & tunc redi, offer oblationem tuam.

25 Esto benevolus erga [24] adversarium tuum citò dum cum illo es in via: ne [25] adversarius tuus tradat te judici, & judex tradat te exactori, & incidas in domum vinctorum.

26 Et amen dico ego tibi, quòd nō exibis illinc donec reddideris [26] octavum *numulum* ultimum,

27 Audistis quòd dictum fuerit ut non committas adulterium:

28 Ego autem dico vobis, quòd quicumq; aspexerit mulierem, ut adulterium committat cum ea, illicò adulteriū commisit cum ea in corde suo.

29 Si autem oculus tuus dexter obstaculo sit tibi, erue ipsum, & abjice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, [27] & non totum corpus tuum ruat in Gibannam.

30 Et si manus tua dextera obstaculo est tibi, amputa eam, & projice eam abs te. expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, & non totum corpus tuum ruat in Gibannam.

31 Dictum est, quòd qui dimittit uxorem suam, det illi scriptum repudii.

32 Ego autem dico vobis quòd quisquis repudiaverit uxorem suam excepta causa fornicationis, [28] efficit ei ut committat adulterium: & qui accipit derelictam, adulterium committit.

33 Rursum audistis quòd dictum fuerit antiquis, Non [29] mentieris in juramento tuo, persolves autem Domino juramentum tuum:

34 Ego autem dico vobis, Ne juretis [30] omnino: non per cælos, quia solium est Dei.

35 Neque per terram, quòd scabellum sit quod est sub pedibus ejus: nec etiam per Urischelem, quia [31] civitas est regis magni.

36 Neque etiam per caput tuum jurabis: quia non potes facere in eo capillum unum cæsariei, aut nigrum, aut album.

37 Sed sit sermo vester, Est est, & Non non, quicquid est præter hæc, à malo est.

38 Audistis quòd dictum fuerit, Oculum pro

[18] F. nempe a Legisperitis & Pharisæis, quorum justitiam deinceps expēdit Christus, ut meminit præcedente versu. Ellipsis frequens: nisi figuratam loquutionem statueris, dictum esse ab antiquis, ut Lucæ 23.15. Sequens autem membrum est ἀνταποδοτον, quasi dicat Christus, qui verò non occiderit, aiunt Pharisæi, judicii non erit reus.
[19] Syrè ריקא *rika* vocem εἰκῆ Græcam paraphrastes suæ linguæ accommodavit.
[20] Hanc vocem objurgantis in Talmudicis libris, præsertim autem in libro ברכות *berachoth*, & in lib. סנהדרין *sanhedrin*, capit. חלק *chelek*, legi semper ita scriptam ריקא *raka*, vel ריקא *reka*: & sonat vacuum, subaudi judicio, ratione, & cerebro: venitq; a ריק *raiak*, quod etiam Hebraicè significat evacuare.
[21] Syrè, לילא *Lele*, videtur ab Hebræo אליל *alil*, deductum, א Aleph à capite sublata.
[22] Syrè גהנא *Gihanna*, ab Hebræo composito גיהנום *Gehinnam*, vallis Hinnam. Vallis erat prope Hierusalem de nomine possessoris sui ita vocata. Quæ etiam interdum vocatur in scripturis Vallis filii Hinnon, Jos. 15.18. & 2. Reg. 23.11. & 2. Par. 28.3. & 33.6. & Jer. 7.33. & 34. Item cap. 15.16. & 19.2. & 32.35. In hac erat locus vocatus Topheth, in quo Jisraelitę, vicinorū populorum horrendam superstitionem sequuti, filios suos idolo Moloch cōburebant. Unde factū est ut postea à Chaldęis, Syris & Hebręis antiquis scriptoribus nomen ipsum Gibanna vel Gehinnam usurparetur ad significandū locum reprobis in æternum cruciandis destinatum. Ita usurpatur in lib. Pirkeaboth admodum antiquo, cap. 1. & 5.
[23] i. Ignitæ, Hebraismus.
[24] Ad verb. Dominus litis tuæ: commune nomen est utriq; parti litiganti.
[25] Ad verbum, Dominus litis tuæ: Hebraismus, ut paulò ante.
[26] i. Octava pars Assis, quæ fuit minima, nec potuit ultra dividi, quemadmodum fusiùs explicabitur, Mar. 12 F. Hoc autem Latinè sextantem dixeris, id est, octavam partem oboli. Syris enim, ut Atticis, drachma capit. 6. obolos: obolus 4. [illegible] vel [illegible], quadrantes: quadrans 2. chalcos: chalcus duo minuta. Græci ergo obolū per chalcos dividentes quadrantem vocant, quem Syri per minuta dividentes vocant *Schemuna*, q. d. octavam partem, id est, sextantem oboli.
[27] i. Potiùs quàm, Hebraismus, sicut paulò ante [illegible].
[28] F. Syra phrasis, ut supr. 4.19.
[29] Periphrasis perjurii.
[30] Sic Maimoni in tractatu De juramentis, cap. 1 ait [Hebrew text illegible], Et optimum est homini ut non juret omnino, Gallicè, *en somme*, vel, *somme toute*.
[31] Desumta sunt verba ex psal. 48.3. ubi ita legitur [Hebrew text illegible], Civitas regis magni.

21 [f] Audistis dictū fuisse à veteribus, [1] Non occides: quisquis autem occiderit, tenebitur judicio.

22 Ego verò dico vobis, quicumq; irascitur fratri suo temerè, [t] tenebitur [u] judicio: quicumq; verò dixerit fatri suo, [x] raca, tenebitur [y] consessu: quisquis autē dixerit fatue, tenebitur [z] gehenna [a] ignis.

23 [b] Igitur [c] si munus tuum attuleris ad altare, & illic memineris fratrem tuum habere aliquid contra te,

24 Omitte illic munus tuum coram altari, & abi: primùm reconciliator fratri tuo, & tunc ubi veneris offer munus tuum.

25 [1] [d] Esto amicus adversario tuo citò, dum es in via cum eo: nequando te tradat adversarius judici, & judex te tradat ministro, & in custodiam conjiciaris.

26 Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc usquedum [e] reddideris ultimum quadrantem.

27 [f] Audistis dictum fuisse à veteribus, [1] Non mœchaberis.

28 Ego verò dico vobis, Quicumque aspicit mulierem ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo.

29 [1] Quòd si oculus tuus [g] dexter facit ut [h] tu offendas, erue eum, & abjice abs te. expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.

30 [i] Et, si dextera tua manus facit ut tu offendas, exscinde eam, & abjice abs te. expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam.

31 Dictum est autem, [1] Quisquis dimiserit uxorem suam, det ei [k] libellum abscessionis.

32 Ego verò dico vobis, Quisquis dimiserit uxorem suam, extra rationem [l] scortationis, facit ut ea mœchetur: & quisquis dimissam duxerit, mœchatur.

33 [m] Rursum audistis dictum fuisse veteribus, [1] Non [n] pejerabis, sed reddes Domino quæ tu juraveris.

34 Ego verò dico vobis, [o] ne jurate omnino: neque per cælum, quia thronus Dei est:

35 Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia urbs est magni regis.

36 [p] Neque per caput tuum jures; quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.

37 [1] Esto autem sermo vester, [q] etiam etiam, non non: quod autem supra hęc redundat, [r] à malo est.

38 [f] Audistis dictum fuisse, [1] [t] Oculum pro

[f] 2. Sexti præcepti vera expositio. [1] *Exo.* 20.13. *Deut.* 5.17.
[t] De divinis judiciis & peccatorum discrimine differens, orationem ad consuetam civilium judiciorū formam accommodat, certum est enim hic non agi de politicis legibus.
[u] in quo sedebant triumviri, qui de pecuniariis & minimis causis cognoscebant.
[x] Incondita hominis indignantis vox.
[y] Judicio quod ex 23. judicibus constabat, qui de gravioribus causis, & capitalibus cognoscebant: sicut summi erant judices 71, qui de gravissimis causis cognoscebant: ut de tribu integra vel de summo sacerdote aut pseudopropheta.
[z] Gehennæ nomen Hebræis compositum, idem sonat ac vallis Hinnon, id est, Tophet, quo loco Jisraelitæ soliti erant, superstitionibus vicinarum gentium addicti, inaudita crudelitate suos liberos diis adolere, unde factum est ut acciperetur pro loco cruciandis reprobis destinato, Jere. 7.31.
[a] Quatuor erant suppliciorum genera Hebræis usitata, antequam politia ab Herodē everteretur, strangulatio, gladius, lapidatio, ignis: huc ergo respexit Christus, quia ignis summū erat supplicium. Quod ergo mentionem facit judicii, consessus, & gehennæ, ostendit peccata alia aliis graviora esse: sed omnia esse ejusmodi, ut coram Deo graves pœnas mereantur.
[b] 3. Docebant avari Pharisæi placari Deum oblationibus in Lege præceptis, quas ipsi vorabant. Negat contra Christus Deo gratam esse cujusquam oblationem qui fratri offenso non satisfecerit: atq; etiam affirmat nunquam præfractis istis fratrum contemtoribus patefaciendum esse velut exitum ex ira & maledictione Dei priusquam fratri penitùs satisfecerint.
[c] Accommodat totum hunc sermonem ad rationem suorum temporum, quibus erectū erat Hierosolymis altare. Inepti ergo qui inde altaria exstrui colligunt, & usurpandas oblationes: ineptiores, qui, quod de mutua reconciliatione dicitur, ad purgatorium transferunt. [1] *Luc.* 12.13.
[d] Præcide omnem inimicitiarum causam.
[e] Proverbialis loquutio, qua significatur summo jure cum aliquo agi.
[f] 2. Scortator censetur coram Deo quisquis mulierem concupiscit: ac proinde oculi continendi sunt & membra omnia omnesq; adeò occasiones quibus ad malè agendum commoveri possumus, vel maximis cum damnis sunt vitandæ. [1] *Exo.* 20.14. [1] *Infr.* 18.8. *Mar.* 9.47.
[g] Dextri oculi & dextræ manus meminit quia dextræ partes potiores sunt, & expeditiores ad quodvis scelus patrandum.
[h] Ad verbum, scandalizat, peccata enim sunt veluti scandala, i. lapides ad quæ impingimus.
[i] Christus hyperbolicè docet resecandū esse quicquid nos impedit ne obsequium Deo præstemus quale flagitat in lege sua. [1] *Inf.* 19.7. *Deut.* 24.1. *Mar.* 10.4. *Luc.* 16.18. 1. *Cor.* 7.10.
[k] In quo causa divortii scripta erat.
[l] Scortatio hic sumitur pro adulterio.
[m] 3. Tertii præcepti explicatio, adversus perversam Scribarū sententiam, qui obliquas sive indirectas jurandi formas excusabant. [1] *Exo.* 20.7. *Levi.* 19.12. *Deut.* 5.11.
[n] Pejerare, non significat falsum jurare, sed quod juraris non præstare, Cic. Offic. 3.
[o] i. hoc non [illegible], sed ad formam refertur, i. neque directè neque indirectè.
[p] Neque enim capitis nostri domini sumus. [1] *Jac.* 5.12.
[q] Quod affirmatis, nudè affirmetis: quod negatis, nudè negetis.
[r] A conscientia mala, vel à diabolo.
[s] 4. Secundæ tabulæ summam, cōtra quàm docebant Scribę, sic esse cōmt accipiendam, ut malū malo retaliare nullo modo liceat, imò potius repetitæ injuriæ sint perferendæ, & ipsis capitalibus hostibus sit beneficiendum. [1] *Exo.* 21.24. *Levi.* 24.20. *Deu.* 19.21.
[t] Sub. eruetur ex lege talionis.

oculo, & dentem pro dente.
39 [a] Ego verò dico vobis, [‖] ne obsistite [x] im-
probo: sed qui te [y] cędet in dexteram tuam maxil-
lam, obverte ei & alteram:
40 Et ei qui velit tecum contendere, ac tuni-
cam tuam capere, dimitte illi etiam pallium:
41 Et quisquis te [z] angariabit *ad* milliare unum,
abi cum eo duo.
42 [‖] Petenti abs te dato: & volentem mutuari
abs te, ne aversere.
43 Audistis dictum fuisse, [‖] Diliges proximum
tuum, & odio habebis inimicum tuum.
44 Ego verò dico vobis, [‖] Diligite inimicos ve-
stros, benedicite iis qui devovent vos, benefacite
iis qui oderunt vos, [‖] & precamini pro iis qui vo-
bis [a] infesti sunt, & persequuntur vos:
45 [‖ b] Ut sitis filii Patris illius vestri qui est in
cælis. facit enim ut sol suus exoriatur super ma-
los ac bonos, & pluit super justos & injustos.
46 Nam si dilexeritis eos qui diligunt vos,
quam mercedem habebitis? nónne & [c] publica-
ni idem faciunt?
47 Et si complexi fueritis fratres vestros so-
lùm, quid amplius facitis? nónne & publicani ita
faciunt?
48 Estote igitur vos perfecti, ut Pater vester
qui est in cælis, perfectus est.

[a] Non permittit Christus ut quoquo modo vim vi repellamus, non tamen prohibet quin deflectamus ab injusta violentia. alioquin id esset acuere impiorum malitiam.
[‖] *Luc.6.29. Levit.12.17. 1.Cor.6.7.*
[x] Potest exponi in tertio casu, id est, illi qui malus est; vel sexto, id est, per malum, ut sit sensus, Ne pensate injuriam injuria.
[y] Etiam fuste, vel virga: quod ignominiosum est.
[z] Angariare, est cogere ad currendum, vel ad ferendum aliquid. Est autem ex nomine Persico Angari factum. Angari enim dicebantur, quos hodiè postas dicimus. hoc interest, quòd Persis licebat, equos, naves, ipsos denique homines ad cursum rapere. Sed angariatus dicitur etiam Cyrenæus ille qui ad bajulandum crucem adactus est, infrà, 27.32.
[‖] *Deut.15.8.* [‖] *Levit.19.18.* [‖] *Luc.6.27.* [‖] *Luc.23.24. act.7.9.60. 1. cor.4.13.*

oculo, & dentem pro dente.
39 Ego autem dico vobis ut non surgatis con-
tra [32] malum: sed ei qui percutit te super maxil-
lam tuam dexteram [33] obverte illi etiam alteram.
40 Et ei qui vult [34] contendere tecũ ut accipiat
tunicam tuam, relinque etiam pallium tuum.
41 Qui adigit te ad milliarium unum, abito
cum illo duo.
42 Qui petit abs te, da illi: & qui mutuum pe-
tit abs te, ne prohibeas eum.
43 Audistis quòd dictum sit, Diligas proxi-
mum tuum, & odio habeas inimicum tuum:
44 Ego autem dico vobis, Diligite inimicos
vestros, & benè precemini ei qui maledicit vobis,
& facite quod [35] decet ei qui odit vos, & orate pro
illis qui [36] ducunt vos in vincula, & persequun-
tur vos.
45 Ut sitis filii Patris vestri qui est in cælis:
qui oriri facit solem suum super bonos & super
malos, & demittit pluviam suam super justos &
super injustos.
46 Si enim diligatis eos qui diligunt vos, quod
præmium est vobis? nónne etiam publicani idip-
sum faciunt?
47 Et si [37] salutetis fratres vestros tantùm, quid
eximii facitis? nónne etiam publicani idipsum
faciunt?
48 Estote igitur vos perfecti, sicut pater vester
qui est in cælis perfectus est.

[32] F. vel improbum, id est, injurium: ut sequens exegesis docet, sed ei qui percutit te, &c. quibus in verbis latet ellipsis particulæ potius, apud Hebręos & Syros & Grecos in sermonibus adversativis frequens, ut Gen. 32.28. & infr. 10, 20 & 18.22. & Mar.9.37.
[33] F. I. contentus esto (ut vulgo loquitur) obvertere: sic 3. seq. versib. & infra 18.8. & 9.
[34] F. I. contendendo accipere & tollere abs te.
[35] Ad verb. Quod pulcrum est.
[36] F. vel agunt vos cũ violentia.
[37] Ad verb. Interrogetis de pace fratrum vestrorum, I. humaniter & officiosè salutetis eos.

[a] Hostium more, & violenter cum contumelia. [‖] *Luc.6, 31.* [b] 2. Argumentum duplex: unum a relatis, Qualis pater, tales liberos esse oportet: alterum a comparatis, Præstare oportet Dei filios hujus seculi filiis. [c] Qui vectigalibus præerant, genus hominum Iudæis invidiosum, tum quòd Romanis (quorum jugum ferebant impatientissimè Judæi) operam suam locassent, tum verò quòd ferè soleant avaritiæ esse dediti publicani.

CAPUT VI.

2 *Eleemosyna.* 5 *Oratio.* 14 *Condonandum fratri.* 16 *Jejunium.* 19 *Thesauri.* 20 *Pauperibus subveniendum.* 24 *Deus & divitiæ.* 25 *Solicitudo de victu & vestitu tollenda.* 33 *Regnum Dei, & ejus justitia.*

ATtendite [a] ne justitiam vestram exerceatis co-
ram hominibus, ut spectemini ab eis: alio-
quin [b] mercedem non habebitis apud Patrem ve-
strum qui *est* in cælis.
2 [‖] Itaque quum præstabis eleemosynam, ne
curato buccina cani coram te, sicut hypocritæ fa-
ciunt in synagogis & in plateis, ut gloriam conse-
quantur ab hominibus. amen, dico vobis, retule-
runt mercedem suam.
3 Quum verò tu das eleemosynam, ne no-
verit sinistra tua quid faciat dextera tua:
4 Ut sit tua eleemosyna in occulto: Pater au-
tem tuus qui *te* aspicit in occulto, reddet tibi in
propatulo.
5 [c] Et quum precaberis, ne esto ut hypocri-
tæ. amant enim in conventibus & in [d] angulis
platearum stantes precari, ut appareant homi-
nibus. amen dico vobis, retulerunt [e] mercedem
suam.
6 Tu verò quum precaris [f] introito in con-
clave tuum, & clauso ostio tuo precare Patrem
tuum in occulto: & Pater tuus qui *te* aspicit in oc-
culto, reddet tibi in propatulo.
7 Precantes autem [g] ne eadem blaterate ut
Ethnici. putant enim fore ut sua illa loquacitate
exaudiantur.
8 Ne igitur ipsis assimilamini. novit enim

[a] 2. Eleemosynas ambitio irritas facit.
[b] Mercedis nomen passim in scripturis sumitur pro præmio etiam gratuito: ideò frustra scholastici statuunt meriti & mercedis relationem.
[‖] *Rom.12.8.*
[c] 2. Duo in precibus maxima vitia reprehendit, ambitionem, & inanem garrulitatem.
[d] Ad verbum, in platearum angulis. i. ubi viæ desinunt: videlicet in compitis & quadriviis, ubi solent homines convenire.
[e] Videlicet gloriosam illam prędicationem, quam ab hominibus consequuntur.
[f] Comparativè hic loquitur, significans potiùs quærendum esse secessum quàm appetendam hominum frequentiam, quæ nos orantes videat.
[g] Longæ preces non damnantur, sed vanæ, inanes, & superstitiosæ. longa enim non est oratio in qua nihil redundat: contra verò brevis esse non potest, quæ non proficiscitur ex animo pio & fideli.

ATtendite autem in eleemosyna vestra, ut non
faciatis eam coram filiis hominum, quò spe-
ctemini ab illis: [1] alioqui præmium non est vobis
apud Patrem vestrum qui est in cælis.
2 Quando igitur facis [2] eleemosynam [3] ne
excites [4] clamorem ante te, sicut faciunt [5] hypo-
critæ in conciliis & in vicis, ut laudentur a filiis
hominum. Amen dico vobis quòd acceperunt
mercedem suam.
3 Tu autem quum facis eleemosynam, ne
sciat sinistra tua id quod facit dextera tua.
4 Ut sit eleemosyna tua in occulto: & Pater
tuus qui videt in occulto ipse rependet tibi in
propatulo.
5 Et quum oras, non eris sicut [6] hypocritæ,
qui amant stare in conciliis & in angulis platea-
rum [7] ad orandum, ut conspicui fiant filiis homi-
num. amen dico vobis quòd acceperunt merce-
dem suam.
6 Tu autem quum oras, ascende in penetrale
tuum, & claude ostium tuum, & ora Patrem tuum
qui [8] est in occulto: & Pater tuus, qui videt in oc-
culto, rependet tibi in propatulo.
7 Et quum oratis, ne sitis [9] multiloqui sicut
prophani. putant enim quòd in loquacitate mul-
ta [10] exaudiantur.
8 Ne igitur similes sitis illorum: Pater enim

[1] Ad verbum, Et si non. Hebraismus.
[2] observatione dignum quòd Hebræis, Chaldæis & Syris צדקה, id est, justitia, dicatur eleemosyna: quo docent munificentiam erga inopes, esse justitiæ non postremam partem: quæ etiam lege strictè præcipitur, Deut.15. Remansit autem ejusdem nominis usus in novo quoque Testamento 2. Cor.9. & in Evangeliis aliquibus in locis occurrit.
[3] Ad ver. Ne clames clamorem, Hebraismus. i. Ne illud prædices ac divulges.
[4] F. Tremellius legebat *Keris*, clamorem: melior sic enim Græcè, μὴ σαλπίσῃς. [5] Hypocritæ hoc loco & similibus faciei assumere, hoc est, larvas induere, ut se transforment, quò alii appareant quàm sint. Aliàs hæc loquutio prosopolepsiam declarat, qua non pro causa, sed pro persona judicatur: quod qui faciunt, ipsi quoque hypocritæ sunt; [illegible] studium, a quo tamen abhorrent. [6] Ad verb. Assumentes facies: sicut paulo antè & paulo infrà. [7] F. vel orando, aut preces fundendo. Sic meliùs loquutio Græca [illegible]. [8] F. vel videt in occulto, ut αὐτὸ αὐτοῦ repetatur ex sequente membro. [9] Syrò, [illegible] voce (ut mihi videtur) a [illegible] deducta, quæ significat idem quod Hebraicum [illegible] exivit, & significat eos qui delectantur multos sermones proferre, è quorum ore multa prodeant [illegible], Gallicè babillards. [10] [illegible] faciunt ipsi ut exaudiantur: quod conjugatione quarta innuitur.

vester novit qua re opus sit vobis priusquam petatis ipsam.
9 Sic orate vos, Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum:
10 Veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cælis, etiam in terra.
11 Da nobis panem [12] necessitatis nostræ hodiè.
12 Et remitte nobis debita nostra, sicut etiam nos remittimus debitoribus nostris.
13 Et ne inducas nos in tentationem, sed eripe nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in seculum seculorum.
14 Si enim remiseritis filiis hominum [13] errata sua, remittet etiam vobis Pater vester qui est in cælis.
15 Si autem non remiseritis filiis hominum, nec etiam Pater vester remittet vobis errata vestra.
16 Quum autem jejunatis vos, ne sitis [13] ama-ti, sicut qui accipiunt vultum. corrumpunt enim faciem suam, ut conspiciantur à filiis hominum quòd jejunent. & amen dico vobis quòd acceperunt mercedem suam.
17 Tu verò quum jejunas, lava faciem tuam, & unge caput tuum:
18 Ut non conspiciaris à filiis hominum quòd jejunes, sed Patri tuo qui est in occulto: & Pater tuus qui videt in occulto, ipse rependet tibi.
19 Ne reponatis vobis thesauros in terra, loco ubi tinea & ærugo corrumpunt, & ubi qui fures sunt perfodiunt, ac furantur.
20 Sed reponite vobis thesauros in cælis, ubi neque tinea neque ærugo corrumpunt, & ubi qui fures sunt, non perfodiunt, neque furantur.
21 Ubi enim est thesaurus vester, illic est quoque cor vestrum.
22 Lucerna corporis est oculus. si oculus tuus igitur fuerit simplex, etiam totum corpus tuum lucidum erit:
23 Si autem oculus tuus fuerit malus, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod est in te, tenebræ sunt, tenebræ tuæ [14] quanto magis erunt?
24 Nemo potest duobus Dominis servire. aut enim unum odio habebit, & alterum diliget. vel unum honore afficiet, & alterum negliget. Non potestis vos Deo servire & Mammonæ.
25 Propterea ego dico vobis, ne soliciti sitis [15] animæ vestræ, quid comedetis & quid bibetis: neque corpori vestro, quid induetis. Nónne est anima præstantior quàm [16] esca? & corpus præstantius quàm vestimentum?
26 Intueamini volatilia cælorum, quia non serunt, neq; metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester qui est in cælis, alit ea: nónne vos præstantiores estis illis?
27 Quis autem ex vobis, qui solicitus fuerit, potest addere ad staturam suam cubitum unum?
28 Et de vestimento, quid soliciti estis vos? [17] considerate lilia agrestia, quomodo crescunt, quæ non laborant, neque [18] nent.
29 Dico autem ego vobis, quòd ne Schelamun quidem, in universa gloria sua, amictus fuit sicut unum ex illis.

11 Id enim propriè significat Syra vox [illegible] à verbo [illegible], ut constat ex cap. 3. 14. & multis aliis novi Testamenti locis in quibus hoc verbum occurrit. Quare miror cur qui introductionem puerilem Syriacam scripsit, hanc precationis dominicæ partem transferre voluerit, Panem sufficientiæ nostræ &c.
12 [illegible] Quod propriè significat stultè & insipienter facta ab illis: à primitivo [illegible] quod etiam Hebraicè significat Stultè agere.
13 [illegible], Significat nigris vestibus indutos, ut qui in luctu sunt indui solent: unde etiam sacerdotes idolorum dicti sunt [illegible], quòd nigris vestibus uterentur.
14 Syrè & Talmudicè, [illegible] idem valet quod apud Rabbinos valent verba [illegible] i. Quanto magis.
15 Id est, Vitæ vestræ, Hebraismus.
16 [illegible] forte venit ab Hebræo [illegible] mutato [illegible] in [illegible], & ita vocatur esca, quòd famem frangat: vide Kimhi in Radicibus.
17 Syrè [illegible] Hebraicè [illegible] quidem est radicis [illegible] quod significat Considerationem, circumspectum, [illegible] in Rabbinis vocabulum.
18 Syrè [illegible] unde fusum coli vocant [illegible].

Pater ille vester quibus sit vobis opus, antequam vos petatis ab eo.
9 [h] Vos igitur ita precamini, [i] PATER noster qui es in cælis, [l] sanctificetur nomen tuum,
10 Veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita etiam in terra.
11 Panem nostrum [k] quotidianum da nobis hodiè.
12 Et remitte nobis debita nostra, [l] sicut & nos remittimus debitoribus nostris.
13 Et ne nos [m] inducas in tentationem, sed libera nos ab illo [n] malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula, Amen.
14 [b] [o] Nam si remiseritis [p] hominibus suos lapsus, remittet etiam vobis Pater ille vester cælestis:
15 Sin autem non remiseritis hominibus ipsorum lapsus, nec Pater vester remittet vobis offensas vestras.
16 [q] Quum autem jejunatis, ne estote ut hypocritæ tetrico vultu: [r] deformant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunare. Amen dico vobis retulerunt mercedem suam.
17 Tu verò, quum jejunas, unge caput tuum & faciem tuam lava:
18 Ut ne appareas hominibus jejunare, sed Patri tuo qui est in occulto: & Pater tuus, qui aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo.
19 [s] Ne thesauros recondite in terra, ubi tinea & erosio corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur.
20 [t] Sed recondite vobis thesauros in cælo, ubi neque tinea neque erosio corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur.
21 Nam ubi est thesaurus vester, illic erit etiam cor vestrum.
22 [u] [x] Lucerna corporis est oculus: itaque si [x] oculus tuus [y] simplex fuerit, totum corpus tuum [z] lucidum erit.
23 Sin autem oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ergo si lumen quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?
24 [b] [a] Nemo potest [b] duobus dominis servire: aut enim unum habebit odio, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & [c] mammonæ.
25 [d] [e] Propterea dico vobis, ne estote soliciti de anima vestra, quid esuri sitis, aut quid bibituri: neque de corpore vestro, qua re sitis induendi. nónne anima plus est quàm alimentum, & corpus quàm vestitus?
26 Intuemini in volucres [g] cæli: non enim serunt, neque metunt, neque cogunt in horrea, sed Pater ille vester cælestis alit eas: nónne vos multo præstatis eis?
27 Quis autem ex vobis [h] solicitè cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum?
28 Ac de vestitu quid soliciti estis? discite quomodo lilia agrorum augescant: non [i] fatigantur, neque nent.
29 Sed dico vobis, ne Solomonem quidem [k] cum universa gloria sua, sic amictum fuisse ut unum ex istis.

[i] Quæ est in natura rerum, ut [illegible]
[h] 2. Vera omnium Christianarum precum summa ac formula.
[l] Luc. 11. 2.
[l] Sanctè colatur.
[k] Panis appellatione cætera omnia tolerandæ huic nostræ vitæ necessaria comprehenduntur. Eum demum autem victum intelligit qui nobis frugaliter alendis sufficiat.
[l] 2. Condonantibus injurias, condonantur peccata, ultoribus autem parata est ultio.
[m] Tentari, induci Dominus in tentationem eos quos Satanæ arbitrio permittit ut cor eorum impleat.
[l] Joh. 17. 15.
[n] Diabolo, vel ab omnibus malis & adversis rebus.
[b] Mar. 11. 25. Eccli. 28. 2.
[o] Amplificatio ad excitandum attentionem in hoc Christi [illegible] diligentia.
[p] Æqualibus vestris.
[q] 3. In eo qui sanctitatis famam ex jejuniis venantur.
[r] Non sinunt conspici faciem priorem, id est, colorem faciei nativum videre, ut appareant macra & pallida facie.
[s] [illegible]
[illegible]

1. Tim. 6. 18. [u] Luc. 11. 34. [x] [illegible] Hominem [illegible] lucem [illegible] [y] Id est, [illegible]
[illegible] ratione, id est, Spiritu Dei, illustratus tota vita nostra [illegible]. [y] Integer, incorruptus, vel potius: cui opponitur [illegible] est, [illegible]
si luce illustratum. [a] Luc. 16. 13. [b] 7. Deus totum hominem vult coli. [b] Dissidentibus, [illegible] si duo contendant, [illegible] erunt.
avaritia. Est autem vox Syriaca, significans quicquid ad lucri pecuniarii studium pertinet. [e] 8. Perversa solicitudo de hujus vitæ rebus, [illegible]
meditatione corrigitur in Dei filiis. [f] Luc. 12. 22. Philipp. 4. 6. 1. Timoth. 6. 8. 1. Pet. 5. 7. Psalm. 54. 23. [g] id est, Aëreas, sive in aëre volantes. [illegible]
[illegible]
dentia. [i] Opere faciendo. [k] In [illegible] [illegible]

l Quæ est in natura rerum, ut vulgò dici solet.

k Erunt vobis instar auctarii.

l Propter crastinum, Heb. ut Prov.27.1. Nam alioqui nullus relinqueretur Dei providentiæ locus.

m Afflictio.

30 Quòd si herbam agri, quæ [l] hodie extat, & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit: nonne vos multo magis, [o] exigua fide præditi?

31 Ne igitur estote soliciti, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quo amiciemur?

32 (Nam omnia ista gentes requirunt.) novit enim Pater ille vester cælestis vos indigere his omnibus.

33 Sed quærite primò regnum Dei, & justitiam ejus, & ista omnia [k] adjicientur vobis.

34 Ne igitur estote soliciti [l] de crastino: nam crastinus *dies* solicitus erit de *rebus* suis. sufficit diei sua [m] vexatio.

30 Si autem gramen agri, quod hodie est, & cras ruit in clibanum, Deus sic vestit, nónne multo magis vos, pusilli fide?

31 Ne igitur sitis soliciti, aut dicatis, Quid comedemus? aut, Quid bibemus? aut, Quo cooperiemur?

32 Omnia enim hæc gentes quidem [19] mundanæ quærunt sibi: Pater autem vester qui est in cælis, novit quòd etiam vobis [20] necessaria sunt hæc omnia.

33 Quærite itaque primum regnum Dei & justitiam ejus, & omnia hæc adjiciuntur vobis.

34 Ne igitur soliciti sitis [21] in crastinum, ipsum enim crastinum curam habebit sui ipsius. sufficit ipsi diei malum ejus.

19 Ad verb. Mundi. Hebraismus.

20 Ad verb. Requisita. Syra phrasis, cui Gallica respondet, *Que ces choses vous sont requises.*

21 F. I quæ in crastinum sunt opus. Ellipsis est Syrè quidem relativi, Græcè verò articuli. *μὴ οὖν μεριμνήσητε τὰ εἰς τὴν αὔριον* i. quod sequentib. verbis confirmatur, *τὰ ἑαυτῆς.*

CAPUT VII.

1 *Non judicandum de proximo.* 6 *Non dandum sanctum canibus.* 13 *Via lata & arcta.* 15 *Pseudoprophetæ.* 18 *Arbor & fructus.* 24 *Domus super petram fundata.* 26 *Super arenam.*

a B. Reprehendere quidem alii alios debemus, sed nec temerè neque ut sanctiores videamur, neque ullo fratrum odio.

a Luc.6.37. Rom.2.1. 1.Cor.4.3.

b Ne curiosè inquirite in aliena facta.

c Pœnam denunciat rigidis istis censoribus, qui tantoperè aliorum vitia excutere affectant.

d Mar.4.25. Luc.6.38.

d Nominatim vitium perstringit quo communiter laborant hypocritæ.

e Luc.6.41.

e Qua fronte dices.

f B. Pervicaces Evangelii hostes indigni ejus prædicatione.

g Margarites dicitur Græcis à nitore splendente, Latinis unio. In summo fuit olim pretio. nam unio Cleopatræ æstimata fuit ducentis quinquaginta millibus coronatorum: transfertur ad significandam pretiosissimam doctrinam cælestem.

[a] NE [b] judicate, [c] ut ne judicemini.

2 Quo enim judicio judicatis, judicabimini: & [d] qua mensura metimini, *eâdem* contrà metietur vobis.

3 Quid autem [d] spectas festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem verò quæ est in oculo tuo non animadvertis?

4 [e] Aut, [e] quomodo dices fratri tuo, Sine ejiciam festucam ex oculo tuo: & ecce trabes in oculo tuo?

5 Hypocrita, ejice primùm trabem illam ex oculo tuo, & tum dispicies ut ejicias festucam ex oculo fratris tui.

6 [f] Ne date *quod* sanctum *est* canibus, nec projicite [g] margaritas vestras coram [h] porcis: nequando conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos.

7 [i] Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

8 [k] Quisquis enim petit, accipit, & qui quærit, invenit; & ei qui pulsat aperietur.

9 Nam quis est ex vobis [l] homo, qui si filius ejus petierit ab eo panem, det ei lapidem?

10 Et, si piscem petierit, num serpentem dabit ei?

11 Si vos igitur, qui mali estis, nostis [m] dona bona dare liberis vestris, quanto magis Pater ille vester, qui est in cælis dabit bona iis qui petierint ab ipso?

12 [n] Quæcumque igitur volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis. [o] ista enim est Lex & Prophetæ.

13 [p] [q] Introite per angustam portam; quoniam lata est porta & spatiosa via quæ abducit in exitium, [r] multique sunt qui introëunt per eam.

14 Quia [s] angusta est porta, & stricta via quæ

1 NE judicaveritis, [2] & non judicabimini.

2 Judicio enim quo vos judicatis, judicabimini: & mensura qua vos metimini, [3] metietur vobis.

3 Quid autem vides tu festucam quæ est in oculo fratris tui, & trabem quæ est in oculo tuo, tu non perspicis?

4 Aut quomodo dicis tu fratri tuo, Sine extraham festucam ex oculo tuo, & ecce, trabes est in oculo tuo?

5 [4] Hypocrita, [5] extrahe prius trabem ex oculo tuo, & tunc [6] perspicacitas erit tibi ad extrahendum festucam ex oculo fratris tui.

6 Ne [7] detis sanctum canibus: neque projiciatis [8] margaritas vestras ante porcos, ut non conculcent eas pedibus suis, & conversi [9] lacerent vos.

7 Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

8 Omnis enim qui petit accipit, & [10] qui quærit invenit, & illi qui pulsat aperietur.

9 [11] Aut quisnam ex vobis *est* homo, à quo petat filius suus panem, num lapidem porriget ei?

10 Et si piscem petierit ab eo, num serpentem porriget ei?

11 Quòd si igitur vos qui mali estis, nostis dona bona dare filiis vestris, quanto [12] excellentius Pater vester qui est in cælis, dabit bona illis qui postulant ab ipso?

12 Quicquid vultis ut faciant vobis filii hominum, sic etiam vos facite illis. hæc enim est Lex & Prophetæ.

13 Introite per portam angustam. Lata enim est porta & spatiosa via quæ ducit ad exitium, & multi sunt ii qui ambulant per [13] medium ejus.

14 Quàm exigua est porta & angusta via illa

1 Proverbialis sententia, prorsus huic respondens, legitur in Talmud in tractatu de suspecta uxore, cap. הַמְקַנֵּא *hamekanne*, & in סַנְהֶדְרִין *sanhedrin*. i. tractatu de judicibus cap. חֵלֶק *chelek* cujus sententiæ hæc sunt verba: במדה שאדם מודד בה מודדין לו.

2 F. Tremellius legebat ונדא: in nostris autem libris habetur ודלא, ut non judicemini.

3 F. i. mensurabitur: passivè sumtum.

4 Ad verbum Assentieris vultum: quod antè observatum est.

5 Simile legitur in tractatu סנהדרין cap. 2. his verbis, קשוט עצמך ואחר כך קשוט אחרים: Orna te ipsum, & postmodum orna alios.

6 Id est, Perspicere poteris.

7 Multa vocabula Syri ab Hebræis mutuantur, mutatis quibusdam literis in alias, quæ eodem organo pronunciationis efferuntur: quorũ duo exempla habes in hoc versu. ponit enim [illegible] pro [illegible] [8] & [illegible], pro [illegible] mutatis in [illegible] *lamed* & [illegible] *daleth* in [illegible] conversis. 8 [illegible] fortassis respondet Hebræo [illegible] commutatis ejusdem organi literis, ut paulò antè ostendimus. 10 F. nimirum omnis: id enim ex antecedente repetitur *πᾶς ὁ αἰτῶν* hoc & sequente membro. 11 F. Optimè Matthæus & Syrus interpres particula disjunctiva hoc in loco usi sunt, quia transivit Christus ad alium argumentationis locum. Nam illius moniti, *Petite, & dabitur vobis*, &c. duplex adfertur confirmatio: prior, à natura Dei, *quisquis enim petit, accipit*, &c. posterior, à comparatione naturæ nostræ: *Aut*, si hoc nondum capitis, ait Christus, reputate naturam vestram; *quis est vir ex vobis, qui petenti ex se filio suo panem, recusaret, & num lapidem porriget ei?* &c. Est autem Ellipsis contraria hoc & sequenti versu: ut infrà 15.6. & Luc. 11.11. & 13.9. & 2. Timoth. 4.3. Etsi præpositio ἐπὶ in compositione verbi ἐπιδώσει minimè redundat, sed perinde sonat atque si dixeris, super petitione illius. Eundem usum particulæ [illegible], vide infrà [illegible] 26.53. [illegible] id est, magis, ut Syrorum usus. 13 Id est, per spatium quod est inter duos postes ejus, quo sensu etiam Hebræa vox יַד *jad*, (cui hæc Syra respondet) legitur Zach.4.12. sicut exprimitur à Davide Kimchi Hebræorum doctissimo.

h Hic canes & porcos intelligit, qui impio Dei contemptu delibuti nullam medicinam admittunt. i *Infra* 21.22. *Marc.* 11.24. *Luc.* 11.9. *Joh.* 14.13. & 16.24. *Jac.* 1.6. i B. Precès nostrum in omnibus malis perfugium. Quia verò in iis concipiendis tam lenti sumus ac pigri, tribus loquendi formis eamdem rem urget Christus. k Ac si diceret Christus, Deum ad nos exaudiendos ultrò paratum esse, modò precemur: expositas nobis esse ejus divitias, modò petamus. l Homo quum sit, subeam Dei benignitatem minimè comprehendet. m Hoc consultò, expressit Christus, ne stultis pravisque desideriis precando habenas laxent fideles. n *Luc.* 6.31. *Tob.* 4.16. n B. Anacephalæosis interpretationis secundæ Tabulæ. o Metonymicè, id est, doctrina Legis & prophetarum. p B. Exemplum vitæ non petendum a multitudine. q Comparat vos ad cellulam & spinosum iter. q *Luc.* 13.24. r Nominatim dicit multos per spatiosam viam currere, quia sese homines perversis exemplis mutuò pessumdant. s Angusta est & arcta via: per hanc ipsam asperam viam & transire oportet, & multa perpeti, & comprimi, & ita ingredi ad vitam.

quæ ducit ad vitam, & pauci sunt illi qui inveniunt eam!
15 Cavete à prophetis mendacibus, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.
16 A fructibus enim eorum agnoscetis eos. Nunquid [14] colligunt de spinis uvas? aut de tribulis ficus?
17 Sic omnis arbor bona, fructus idoneos facit: mala verò arbor, fructus malos facit.
18 Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.
19 Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, exciditur, & in ignem injicitur.
20 Quapropter ex fructibus illorum agnoscetis eos.
21 Nequaquam omnis qui dicit mihi, Domine mi, Domine mi, introiturus est in regnum cælorum, sed quisquis facit voluntatem Patris mei qui est in cælis.
22 Multi dicent mihi in illo die, Domine mi, Domine mi, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?
23 Et tunc confitebor illis, [15] Nunquam novi vos: [16] longè discedite a me operarii iniquitatis.
24 Omnis igitur qui audit sermones hos meos, & facit eos, assimilabitur viro sapienti, qui quidem ædificavit domum suam super petram.
25 Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in illam ipsam domum, & non corruit: fundamenta enim ejus super petram posita erant.
26 Et omnis qui audit sermones hos meos, & non facit eos, assimilabitur viro fatuo, qui ædificavit domum suam super arenam.
27 Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam: & cecidit, & fuit ruina ejus magna.
28 Et factum est, quum finivisset Jeschua sermones hos, obstupefactæ sunt turbæ super doctrina ejus.
29 Docebat enim eos tamquam potestatem habens, & non sicut legisperiti eorum, & Pharisæi.

[14] F. i. colliguntur, ex Hebræorum Syrorumq; idiotismo.
[15] F. nunquam ... ad verb. Aliquando non, id est, A nullo tempore novi vos: hoc est, Nunquam novi.
[16] F. Syr. longè discedite vobis: Pleonasmus, de quo supra 4, 16.

ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniant eam.
15 [t] Cavete verò vobis à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis [s] ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.
16 A fructibus eorum agnoscetis eos. [h] Num colligunt ex spinis uvam, aut ex tribulis ficus?
17 Ita omnis arbor bona fert fructus bonos: putris autem arbor fert fructus putres.
18 Non potest arbor bona fructus malos ferre, neque arbor mala fructus bonos ferre.
19 [i] Quæcumque arbor non fert fructum bonum, exciditur, & in ignem conjicitur.
20 Nempe igitur ex fructibus ipsorum agnoscetis eos.
21 Non quisquis dicit mihi Domine Domine, introibit in regnum cælorum, sed qui facit [a] quod vult Pater meus qui in cælis est.
22 Multi dicent mihi die illo, Domine Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & [b] in nomine tuo dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas [c] virtutes edidimus?
23 Tunc autem [d] profitebor eis, Certe nunquam [e] novi vos. [f] discedite à me qui operam datis transgressioni legis.
24 [g] Quisquis igitur audit ex me sermones [h] istos, & eos præstat, assimilabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petram:
25 Decidit autem nimbus, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & inciderunt domui illi: sed non cecidit, fundata enim fuerat super petram.
26 Et quisquis audit ex me hos sermones, & eos non præstat, assimilabitur viro fatuo qui ædificavit domum suam super arenam.
27 Descendit autem pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & impegerunt in domum illam: & cecidit, & fuit [i] casus ejus magnus.
28 [k] Factum est autem, quum finisset Jesus sermones istos, ut percellerentur turbæ super doctrina ipsius.
29 Docebat enim eos ut [l] habens auctoritatem, non autem ut scribæ.

[t] 2. Cavendi doctores falsi, quorum boni sunt falsa doctrina & mali mores.
[x] Sub fructibus ipsa doctrina ... comprehenditur.
[h] Luc. 6. 43. 44.
[y] Sunt proverbia ... vulgaria ...
[i] Supra 3. 10.
[k] Rom. 2. 13. Jac. 1. 22.
[z] 3. Excellentissima etiam dona absque ... nihil ... sunt.
[a] Non tantum significat ... etiam credere in Christum ... Joh. 6. 40. Non enim his verbis ... fidei, sed ... principium ... unde reliqua fluunt.
[b] Nomen ... Dei ...
[c] Ad verbum, potestates. Dicuntur autem ... effectus potestatis Dei ...

potestas intelligitur. [d] Palàm dicam. [e] Luc. 13. 25. 27. [e] Hoc non est ignorantiæ, sed rejectionis. [f] Psalm. 6. 9. [f] qui omni vitiorum generi estis addicti, & qui ex vitiis videmini artem facere. [g] Luc. 6. 47. [g] 3. ... Christo nititur, ideoque perstat invicta. [h] Non speciem unam sermonum, sed totam doctrinæ summam notat. [i] Ruina. [k] Marc. 1. 22. Luc. 4. 31. [l] ... admiratur multitudo, quæ ... doctrinam, dissimilis Pharisæis.

CAPUT VIII.

2 *Leprosus purgatur.* 5 *Centurionis fides.* 10 *Gentium vocatio.* 12 *Judæorum rejectio.* 14 *Socrus Petri sanatur.* 19 *Scriba Christum sequi volens.* 23 *Tempestas in mari.* 28 *Duo dæmoniaci sanantur.* 32 *Dæmones in porcos abeunt.*

Quum autem descendisset de monte, cinxerunt eum turbæ multæ.
2 Et ecce leprosus [1] unus [2] veniens, adoravit eum, & dixit, Domine mi, si tu vis, potes mundare me.
3 Et extendens manum suam Jeschua, admovit ei, & dixit, Ego volo mundus esto: Eadem hora mundata fuit lepra ejus.
4 Et ait illi Jeschua, Vide ne ulli dicas: sed abi, ostende teipsum sacerdotibus, & offer oblationem tuam, sicut jussit Musche, in testimonium ipsorum.
5 Quum ingressus igitur fuisset Jeschua in Kephar-Nachum, accessit ad eum Centurio quidam, & orabat eum:

[1] Id est, Quidam: Hebraismus ...
[2] Ad verb. Unus: ut paulo antè.

Descendentem autem eum è monte, sequuta est turba multa.
2 [a] Et ecce leprosus quum venisset, adoravit eum, dicens, Domine, si velis, potes me purgare.
3 Extensaq; manu tetigit eum Jesus, dicens, Volo, purgator. Statim igitur purgata fuit ejus lepra.
4 Tunc dicit ei Jesus, [d] Vide ut nulli dicas; sed abi, [e] ostende te sacerdoti, & offer donum illud quod imperavit Moses, ut hoc sit eis testimonio.
5 [f] Ingressum autem Jesum Capernaum, adiit centurio, precans eum,

[a] Mar. 1. 40. Luc. 5. 12.

... [e] Quia nondum abrogatæ erant ceremoniæ legis, ... [f] 4. ... centurionis incircumcisi, sed excellenti fide præditi, exemplo, Judæos ad æmulationem provocat, simul prædicens eorum rejectionem, & gentium vocationem.

g pueri nomine intelligi potest sive filius, sive servus.
h In lecto, quasi cadaver, sicut sunt paralytici.
i Veritus est injuriam facere Christo, si ad hominem gentilem & impurum ingredi cogeret.
k Tantum verbo jube.
l Dictum est secundum quid, non simpliciter.
m Metaphora sumta à convivio: qui enim simul assident socii sunt in convivio.
[l] *Infra* 22.13.
n Indigentias, quas vulgò vocant naturales: quales erant Judæi.
o Quæ sunt extra regnum: nam in regno lux, extra regnum tenebræ.
p Hinc apparet quàm benignè suam gratiam effundit Christus ubi vas fidei aptum nactus est.
q *Mar.* 1.29. *Luc.* 4.38.
q 2. Christus varios morbos sanans, ostendit se missum à Patre, ut in eo uno remedium in quibusvis malis quæramus.
r *Mar.* 1.32. *Luc.* 4.40.
s Sermone suo, i. loquendo dumtaxat, ut ii solent quorum est summa potestas.
t *Esai.* 53.4. 1. *Pet.* 2.24.
[f] Trajiciens Capernaum: enim sita erat ad lacum Tiberiadis.
t *Luc.* 9.57.
t 2. Veri discipuli Christi ad quasvis ærumnas se comparent.
u Ad verbum, umbracula ex ramis & frondibus contexta.
x Id est ego. Hebraismus duplex.
y Mortendi causa hoc est dictum: [illegible] à locuplete domino [illegible] & [illegible]

6 Et dicens, Domine, [g] puer meus [h] projectus est domi paralyticus, & vehementer torquetur.
7 Tunc dicit ei Jesus, Ego, quum venero, sanabo eum.
8 Et respondens Centurio dixit, [i] Domine, non sum dignus ut sub tectum meum ingrediaris: sed [k] solùm loquere, & sanabitur puer meus.
9 Etenim ego sum homo sub potestate *constitutus*, habens sub me milites: & dico huic, proficiscere, & proficiscitur: & alteri, veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit.
10 *Hæc* autem quum audisset Jesus, miratus est: & dixit iis qui sequebantur, [l] Amen dico vobis, ne in Israële quidem tantam fidem inveni.
11 Dico autem vobis multos ab Oriente & Occidente venturos, & [m] accubituros cum Abrahamo & Isaaco & Jacobo in regno cælorum:
12 [l] [n] Filios verò regni ejectum iri in tenebras illas [o] exteras, illic erit fletus & stridor dentium.
13 Et dixit Jesus Centurioni, [p] Abi, & ut credidisti fiat tibi. Sanatúsque est puer ejus eo ipso momento.
14 [q] [q] Et quum venisset Jesus domum Petri, vidit socrum ejus in lecto projectam, & febricitantem.
15 Tetigitq; manum ejus, & dimisit eam febris: & surrexit, ac ministravit eis.
16 [r] Quum autem serum *diei* esset, obtulerunt ei dæmoniacos multos, & ejecit spiritus [s] verbo, omnésque malè habentes sanavit.
17 Ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicentem, [t] Ipse invaletudines nostras accepit, & morbos portavit.
18 Quum vidisset autem Jesus turbam multam circum sese, jussit, ut [f] abiretur in ulteriorem *ripam*.
19 [t] Et quum accessisset quidam Scriba, dixit ei, Magister, sequar te quocumque abieris.
20 Tunc dicit ei Jesus, Vulpes habent lustra, & volucres cæli [u] nidos: [x] filius autem hominis [y] non habet ubi caput reclinet.
21 [z] Alius autem ex discipulis ejus dixit ei, Domine, permitte mihi primùm abire, & sepelire patrem meum.
22 Jesus autem dixit ei, Sequere me, & sine ut [a] mortui sepeliant mortuos suos.
23 [b] Ipsum autem ingressum in navigium, sequuti sunt eum discipuli ejus.
24 Et ecce concussio magna facta est in mari, adeò ut navis operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat.
25 Et accedentes discipuli excitaverunt eum dicentes, Domine serva nos, perimus.
26 *Ipse* verò dixit eis, Quid [c] timidi estis, o exigua fide præditi? Tunc experrectus [d] objurgavit ventos & mare: & facta est tranquillitas magna.
27 Homines autem illi mirati sunt, dicentes, Qualis est iste, quod venti quoque & mare auscultant ei?
28 [f] Et quũ venisset ipse ad ulteriorem ripam

6 Et dicebat, Domine mi, puer meus decumbit domi, & est paralyticus, ac pessimè affligitur.
7 Dixit illi Jeschua, Ego venio & sanabo eum.
8 Respondit Centurio ille, & dixit, Domine mi, non sum dignus ego ut ingrediaris sub tectum meum: sed tantùm dic verbum, & sanabitur puer meus.
9 Etiam ego enim vir sum qui subditus potestati, & sunt sub manibus meis milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alteri, Veni, & venit: & servo meo, Fac hoc, & facit.
10 Quum audivisset autem Jeschua, admiratus est, & ait iis qui ibant cum ipso, Amen dico vobis quòd ne in Israël quidem inveni [5] sicut ista fides.
11 Dico autem vobis quòd multi venient ab Oriente & Occidente, & accumbent cum Abraham, Ischak, & Jaakub, in regno cælorum.
12 Filii autem regni extrudentur in tenebras externas. Illic erit fletus & stridor dentium.
13 Et dixit Jeschua Centurioni illi, Abi: sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ejus eadem hora.
14 Et venit Jeschua in domum Schemeun, & vidit socrum illius quòd decumbebat, & corripuerat eam [6] febris.
15 Tetigitque manum illius, & reliquit illam [7] febris: & surrexit, & ministrabat illis.
16 Quum autem esset vespera, adduxerunt ante eum dæmoniacos multos, & ejecit dæmonia eorum verbo, & omnes illos qui malè affecti erant sanavit.
17 Ut compleretur quod dictum fuerat per [8] manum Isaiæ prophetæ, qui dixit, Quòd hic suscipiet dolores nostros, & infirmitates nostras portabit.
18 Quum vidisset autem Jeschua turbas multas quæ [9] circumdabant se, jussit ut [10] abirent [11] in ulteriorem ripam.
19 Et accessit legisperitus [12] quidam, ac dixit ei, Preceptor mi, [13] sequar te in locum quò tu ibis.
20 Dixit illi Jeschua, Vulpibus foveæ sunt, & volucribus cælorum [14] nidi: Filio autem hominis non est ubi fulciat caput suum.
21 Alius autem ex discipulis ejus dixit ei, Domine mi, [15] permitte mihi ut prius abiens sepeliam patrem meum.
22 Jeschua autem dixit illi, [16] Veni post me, & sine mortuos sepelientes mortuos suos.
23 Et quum ascenderet Jeschua, in navim, ascenderunt cum eo discipuli ejus.
24 Et ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navis operiretur à fluctibus: ipse verò Jeschua dormiebat.
25 Et accesserunt discipuli ejus ut excitarent eum: dixeruntque illi, Domine noster serva nos, perimus.
26 Dixit illis Jeschua, Cur timidi estis, pusilli fide? Tunc surrexit & repressit ventos & mare: & facta est tranquillitas magna.
27 Homines verò admirabantur, & dicebant, Quis est hic? quia venti & mare obediunt illi.
28 Et quum venisset Jeschua [17] ad ulteriorem ripam in locum [18] Gadaræorum, occurrerunt ei

[14] i. colliguntur, ex Hebræorum Syrorumque idiotismo.
5 Id est, Fidem huic similem.
6 Ad verb. Ignis, i. ardor febrium.
7 Ad verb. Ignis, ut paulo antè.
8 Id est, Ministerio Isaiæ: quod antè observatum fuit.
9 Responder Hebræo verbo חזר *chazar*, mutato ז *zain*, in ד *daleth*, ex more Chaldæorum & Syrorum.
10 [illegible] discipulis quibuscum se Christus volebat è turba recipere [illegible]
11 Ad verbum, In transitum. Hebr. [illegible] ripam, vel litus quod est ex altera parte.
12 Ad verb. Unus. Hebraismus antè observatus.
13 Ad verb. Ibo post te. Hebrais.
14 Syra vox est. מטללא *matlala*, quasi dicas umbracula, venit enim à טלל *telal*, & Hebræo צלל *tzalal*, mutato צ *tzadi*, in ט *teth* ex Chaldæa & Syra proprietate: ac ita nidi vocantur quòd in umbrosis dumis, vel arboribus aves nidificant.
15 אפס לי æquivalet Hebr. תנה לי, Permitte mihi: mutuatum a Græcis ἄφες.
16 Id est, Sequere me. Hebraismus.
17 Ad verb. Ad transitum. Hebraismus paulo antè observatus.
18 Græcus textus Matth. habet vocem Γεργεσηνῶν, Gergesenorum, hæc [illegible] in eo [illegible] 5. Marci, & [illegible]

[illegible] scribæ, quam Dominus ipse precario degat in alienis domibus. z 2. Cedent quæcumque hominibus debemus officia, ubi jusserit Dominus [illegible] perculi. a Id est, Increduli incredulos. Non damnat enim sepulturæ officium, sed docet eos qui in mundo subsidunt, atque ut se præbeant hominibus [illegible] ros [illegible], similes esse mortuis, qui se in habendis mortuorum cura frustra [illegible] occupant. b *Mar.* 4.35. *Luc.* 8.22. b 2. Christus, etiamsi videatur suos interdum etiam in extremis periculis negligere, suo tamen tempore [illegible] omnibus tempestatibus illos in portum perducit. c Non simpliciter eos reprehendit quòd timeant, sed quòd suprà modum expavescant, & timidi sint. d Hebr. [illegible] præcepit, ut Psalm. 106.9. & increpuit mare Suph, &c. e id est, Quòd ei. f *Mar.* 5.2. *Luc.* 8.26. f 2. Christus homines à miserabili [illegible] liberatum venit: sed [illegible] Christo [illegible] salutis [illegible]

Luca, Gadarenorum [illegible] Oppida erant diversa, Gadara (à quo Gadareni) & Gergesa sive Gerassa (a quo Gerasseni, vel Gergeseni) sed ambo vicina erant ad lacum Genezareth sita, & eorum fines erant communes: ut quum in horum regionem Christus venisse legitur, in illorum quoque regionem venisse intelligendus sit.

duo dæmoniaci, qui prodibant è sepulcris, sævi valdè: adeò ut non posset quisquam transire per illam viam.

29 Et vociferabantur ac dicebant, [19] Quid nobis & tibi Jeschua Fili Dei? venisti huc ante tempus ut affligeres nos?

30 Erat autem procul ab illis grex porcorum multorum qui pascebat.

31 Illi ergo dæmones petebant ab eo, & dicebant, Si ejicis nos, [20] permitte nobis ut abeamus ad gregem porcorum.

32 Et ait illis Jeschua, Abite. Et confestim egressi sunt, & ingressi in porcos: & totus grex ille [21] direxit se in rupem, & deciderunt in mare, ac mortui sunt in aquis.

33 Illi verò qui pascebant, fugerunt: & ingressi sunt in urbem ac renunciârunt quicquid factum esset, & de illis dæmoniacis.

34 Et egressa est universa civitas in occursum ipsius Jeschua: & quum vidissent illum, rogabant illum ut decederet à finibus ipsorum.

[19] y. i. quid nobis tecum? ut Joan. 2,4. & inf. 27.19.

[20] A Græco ἄφες: ut antè observavimus.

[21] Direxit se super rupem, ad verb. Sensus autem est, Recto impetu contendit in rupem, & inde præcipitârunt se in mare.

in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci, è monumentis prodeuntes, sævi valdè, adeo ut non valeret quisquam præterire per viam illam.

29 Et ecce clamârunt, dicentes, [g] Quid nobis tecum, Jesu fili Dei? [h] venisti huc vexatum nos [i] ante constitutum tempus?

30 Erat autem [k] longe ab eis grex porcorum multorum pascens.

31 Dæmones verò precabantur eum, dicentes, Si ejicis nos, [l] permitte nobis abire in gregem porcorum illorum.

32 Et ait eis, Abite. Illi verò egressi abierunt in illum gregem porcorum: & ecce, ruit totus ille grex porcorum è præcipitio in mare, & mortui sunt in aquis.

33 Pastores autem fugerunt: & quum abiissent in urbem, renunciârunt omnia, & quæ dæmoniacis facta fuerant.

34 Et ecce, tota urbs illa exivit in occursum Jesu: & quum vidissent eum, rogârunt ut [m] digrederetur à finibus suis.

Græcanici instituti, unde mirum esse non debet si porci illic fuerint. [l] Inde constat diabolos esse essentiales spiritus. [m] Ubi vita degitur ruin, ibi Christus non manet, sed dæmones.

CAPUT IX.

2 Paralyticus sanatur. 5 Remissio peccatorum. 9 Matthæus vocatur. 10 Peccatores. 17 Vinum novum. 18 Principis filia suscitatur. 20 Mulier à fluxu sanguinis sanatur. 27 Duo cæci fide sanantur. 32 Mutus & dæmoniacus sanatur. 37 Messis, operarii.

ET ascendit in navim, & trajecit ac venit in civitatem suam.

2 Et obtulerunt ei paralyticum decumbentem in lecto: viditq; Jeschua fidem illorum, & dixit paralytico illi, [1] Bono sis animo fili mi, remittuntur tibi peccata tua.

3 Quidam autem ex legisperitis [2] dixerunt intra se ipsos, Iste blasphemat.

4 Jeschua autem cognovit cogitationes illorum, & dixit illis, Quid cogitatis vos mali in corde vestro?

5 Quid enim facilius est dicere? Remittuntur tibi peccata tua: aut dicere, Surgens ambula?

6 Ut cognoscatis autem quòd potestas sit Filii hominis in terra remittendi peccata (ait illi paralytico) Surge, accipe lectum tuum, & abi in domum tuam.

7 Et surgens abiit in domum suam.

8 Quum vidisset autem turba hæc, timuerunt, & glorificaverunt Deum quòd dedisset potestatem hujusmodi filiis hominum.

9 Et quum transiret Jeschua illinc, vidit hominem desidentem [3] in loco [4] telonii, cujus nomen Mattai, dixitq; ei, [5] Sequere me. Et surrexit, abiit post eum.

10 Quumq; accumberent in domo, venerunt publicani & peccatores multi, & accubuerunt cum Jeschua & cum discipulis ejus.

11 Et quum vidissent Pharisæi, dixerunt discipulis ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus cibum sumit magister vester?

12 Jeschua autem quum audisset, ait illis, Non opus habent sani medico, sed ii qui male sunt affecti.

[1] Ad verb, cordatus sis. [Hebrew] venit a [Hebrew] quod est cor, sensus, recipe cor, i. animum.

[2] Ad verb. In anima sua, ritus Hebraismus.

[3] Præpositio In, quæ notatur litera ב beth dictioni præfixa, omittitur, ut frequenter in Hebræis quoque scriptis fit, præsertim autem quum dictio cui præfigenda erat, altera ב beth incipit.

[4] ד. Vel telonarum, τῶν τελωνῶν. Est autem telonarium vel publicanorum locus, telonium. [5] Ad verb. Veni post me. Hebraismus sæpe observatus.

INgressus [a] igitur navigium, trajecit, & venit in [b] suam urbem.

2 [b] Et ecce obtulerunt ei paralyticum in lecto projectum: quumq; [c] vidisset Jesus fidem eorum, dixit [d] paralytico, Confide fili, [e] remissa sunt tibi peccata tua.

3 Et ecce, quidam è Scribis dicebant apud se, [f] Iste blasphemat.

4 Et quum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit, Quid cogitatis mala in cordibus vestris?

5 [g] Utrum enim est facilius, dicere, Remissa sunt tibi peccata, an dicere, Surge & ambula?

6 Ut autem sciatis potestatem habere Filium hominis [h] in terra remittendi peccata (tunc dixit paralytico,) Surge, attolle tuum lectum, & abi domum tuam.

7 Tunc *ille* surrexit, abiitq; domum suam.

8 Turba verò quum *hoc* vidisset, mirata est, & glorificavit Deum, qui dedisset talem potestatem hominibus.

9 [i] [l] Et quum digrederetur Jesus illinc, vidit quendam sedentem ad [k] telonium qui Matthæus dicebatur, & dixit ei, Sequere me. Atque *is* surgens sequutus est eum.

10 Et ecce factum est quum Jesus accumberet domi *illius*, ecce, ut multi publicani & [l] peccatores qui venerant, simul accubuerint cum Jesu & discipulis ejus.

11 Quum autem *id* vidissent Pharisæi, dixerunt discipulis ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus edit doctor ille vester?

12 Jesus autem quum *hoc* audisset, dixit eis, [m] Iis qui valent non est opus medico, sed iis qui male *se* habent.

[t] Luc. 8. 26. Mar. 5. 1. [u] Synecdoche. Nam suo una parte complectitur [illegible] [g] [illegible] [h] Judæos [illegible] [illegible] vexari, deinde [illegible] [i] Malo [illegible] quod scientia [illegible] [k] [illegible] [l] [illegible] reprobos [illegible] nunquam [illegible] [k] Dæmones [illegible] stantibus Marco, & Luca, Gadara autem [illegible] Chorazin [illegible] cap. [illegible] & dicitur [illegible] quia [illegible] ut pareo olim [illegible] forensium, intelligitur. [r] Rabbim, qui [illegible] non [illegible] [s] Quod inimici [illegible] splendidum [illegible]

[a] 2. Peccata sunt nostrarum [illegible] [illegible] Christo [illegible] [b] Capernaum. Nam [illegible] Theoph. Bethlehem [illegible] Nazareth [illegible], Capernaum [illegible] Christum [illegible] Luc. 5. 18. [c] [illegible] fide [illegible] novisset. [d] Non [illegible] Christus [illegible] qui paralyticum ferebant, [illegible] ejus quoque fidem [illegible] fuerit. [e] Unica à malis omnibus liberatio est, Deum habere propitium. [f] Blasphemare apud sacros scriptores est [illegible] loqui [illegible] scriptores Græcos [illegible] [g] Sensus est, quum nihilo facilius sit verbo corpus [illegible] quàm remittere peccata [illegible]

R voce, hypocritas fastuosos aspernatur. [k] Ad publicanorum tributum. [l] Publicanorum loci, qui Judæa in formam provinciæ redacta [illegible] Romanis ad exactionem tributorum locabantur, & ideo à reliquis Judæis peccatores, (id est, scelerate perditi) vocabantur. [m] Ironice [illegible] ostendit eos docet peccatorum [illegible], quia justitiam sibi arrogant.

quod peccata remittat is, qui alterum illud præstiterit. [h] Dicit [illegible] procul quærenda sit remissio, in sua persona quasi ad manus [illegible] exhibetam. [i] Marc. 2. 14. Luc. 5. 27. [k] Christus homines peccatores [illegible]

l Osee 6.6. infr.12.7.
n Synecdoche. Nam sub una parte complectitur [illegible] quicquid [illegible] describat.
o [illegible]
p [illegible] pravam [illegible] tionem [illegible].
q [illegible] ut maxime familiares admittuntur.
r Hoc [illegible] Christi discipulis, & disciplina magis rigida, quam ut pares essent ad ferendum, intelligitur.
s Rudem, qui fulloni traditus non fuit.
t Quod immissum est ad implendam fissuram.
u Marc.5.22. Luc.8.41.
[illegible] Nullum est [illegible] Christus [illegible] tamquam manu vel [illegible] tactus, proximus non [illegible].
x Civilem honorem [illegible] adoratio autem fuit Orientalibus communis.
y Singularis quidam fuit hic spiritus sancti impulsus, neque ad communem regulam trahi debet.
z Hinc apparet fidem [illegible] habere venia: & simul novis adminiculis erigi, ut plus roboris acquirat.
a a. Christi potentiæ mors etiam ipsa cedit.
b Non adhibebantur tibicines nisi morte comperta, quum scilicet exequias jam pararent, quod faciebant Judæi ad imitationem Gentium, qui putarunt hoc esse solatium placandis manibus.

13 Ite verò & discite quid sit: [l] Misericordiam volo, & [m] non sacrificium. non enim veni vocatum justos, [n] sed peccatores ad resipiscentiam.

14 [o] Tunc adeunt eum discipuli Johannis, dicentes, [p] Quare nos & Pharisæi multum jejunamus, discipuli verò tui non jejunant?

15 Et dixit eis Jesus, Num possunt [q] filii thalami lugere quamdiu cum eis est sponsus? Aderunt autem dies quum tolletur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.

16 [r] Nullus autem indit panniculum [s] novum in vestimentum vetus: illud enim ipsius [t] supplementum tollit *aliquid* ex illo vestimento, & fit pejor fissura.

17 Neque injiciunt vinum novum in utres veteres: alioqui rumpuntur utres, & *tum* vinum effunditur, tum utres pereunt: sed injiciunt vinum novum in utres recentes, & utraque conservantur.

18 [u] Hæc eo loquente ipsis, ecce, quidam præfectus *synagogæ* venit, & [x] adoravit eum, dicens, [y] Filia mea modo defuncta est: sed veni & impone manum tuam super eam, & vivet.

19 Tunc surgens Jesus sequutus est eum, & discipuli ejus.

20 Et ecce, mulier sanguinis profluvio laborans à duodecim annis, accedens à tergo, tetigit fimbriam vestimenti illius.

21 [y] Dicebat enim apud se, Si solùm tetigero vestimentum ejus, liberabor.

22 Jesus verò conversus & intuitus eam, dixit, [z] Confide filia: fides tua te liberavit. Et liberata fuit mulier ab eo momento.

23 [a] Et quum venisset Jesus domum præfecti *synagogæ*, vidissetque [b] tibicines & turbam tumultuantem,

24 Dicit eis, Recedite: non enim mortua est puella, [c] sed dormit. Et deridebant eum.

25 Quum autem fuisset ejecta turba ingressus prehendit manum ejus: & surrexit adolescentula.

26 Et exiit hæc fama in totam illam regionem.

27 [d] Quumque digrederetur illinc Jesus, sequuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes, Miserere nostri [e] fili David.

28 Quum autem venisset [f] domum, adierunt eum cæci illi, & dicit eis Jesus, Creditis me hoc posse facere? Dicunt ei, Etiam Domine.

29 Tunc tetigit oculos eorum, dicens, Secundùm fidem vestram fiat vobis.

30 Et [g] aperti sunt oculi eorum: & [h] graviter interminatus est eis Jesus, dicens, Videte nemo sciat.

31 At illi egressi [i] sparserunt ejus famam in tota illa regione.

32 [k] Ipsis autem egredientibus, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmoniacum.

33 Et ejecto dæmonio loquutus est mutus: & mirata est turba, dicens, [l] Nunquam apparuit tale quidpiam in Israële.

34 [l] Pharisæi verò dicebant, [m] Per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.

13 Ite, discite quid sit, Miserationem requiro ego, & non sacrificium. non enim veni ut vocarem justos, sed peccatores.

14 Tunc accesserunt ad eum discipuli Jochanan, & dixerunt, Cur nos & Pharisæi jejunamus multùm, & discipuli tui non jejunant?

15 Dixit illis Jeschua, Numquid possunt filii [6] thalami jejunare quamdiu sponsus est cum illis? Venient autem dies quum tolletur ab illis sponsus, & tunc jejunabunt.

16 Nemo immittit additamentum *panni* novi in vestem veterem, ut non auferat [7] plenitudo ejus de illo vestimento, & fit ruptura major.

17 Neque immittunt vinum novum in utres veteres, ut non rumpantur utres, & vinum effundatur, ac utres pereant: sed mittunt vinum novum in utres novos, & utraque conservantur.

18 Quum autem hæc loqueretur cum illis, venit primas [8] quidam, *&* accedens adoravit eum, & ait, Filia mea jam mortua est: sed veni, pone manum tuam super eam, & vivet.

19 Et surrexit Jeschua & discipuli ejus, & [9] sequuti sunt eum.

20 (Et ecce, mulier cujus sanguis profluxerat annis duodecim, venit à tergo illius, & tetigit extremitatem vestimenti ejus.

21 Dixit enim [10] intra sese, Etiam si tantummodo vestimentum ejus tetigero, sanabor.

22 Jeschua autem conversus vidit eam & dixit ei, [11] Bono sis animo filia mea: fides tua servavit te. Et sanata est mulier illa hora.)

23 Et venit Jeschua in domum illius primatis, viditque [12] tibicines, & turbas quæ tumultuabantur.

24 Et dixit illis, [13] Secedite: puella enim non est mortua, sed dormit. Et deridebant illum.

25 Et quum ejecisset turbam ingressus apprehendit illam manu ejus, & surrexit puella.

26 Et emanavit rumor hic in totam terram illam.

27 Et quum discederet Jeschua illinc, adhæserunt ei cæci duo qui clamabant, ac dicebant, Miserere nostri fili David.

28 Quumque venisset in domum, accesserunt ad eum illi cæci, dixit illis Jeschua, Creditis quòd ego possim hoc facere? Dicunt ei, Etiam Domine noster.

29 Tunc tetigit oculos illorum, & ait, Quemadmodum credidistis fiat vobis.

30 Et confestim aperti sunt oculi illorum: atque inhibuit eis Jeschua, & ait, Videte ne quis sciat.

31 Illi verò exiverunt, *&* divulgaverunt famam ejus in tota terra illa.

32 Quumque egressus esset Jeschua, obtulerunt ei mutum in quo erat dæmonium.

33 Et postquam exivisset dæmonium, loquebatur mutus: & admiratæ sunt turbæ, & dicebant, Quòd [14] nunquam fuit visum hujusmodi in Jisraël.

34 Pharisæi autem dicebant, Per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.

6 i. Sponsi amici quos in suum [illegible] admittit, qui alio nomine vocantur שושבינין *schuschebinin*.
7 i. [illegible] ad [illegible] fortem [illegible] implent [illegible].
8 Ad verb. [illegible] Hebraismus.
9 Ad verb. ivgerunt post eum, antè observatum ex Hebraismo.
10 Ad verb. In anima sua: Hebraismus.
11 Ad verb. cordata sis: ut antè annotavimus in hoc capite.
12 Tibicines, Syrè זמרא *zamera*, à זמר *zamar*, Tibia, cecinit, quo utitur hic Evangelista, & infr. 11.17. [illegible] mos [illegible] antiquus apud Judæos, tibicines adhibere ad luctum mortuorum, quos Talmudistæ vocant חלילין *chalilin*, i. aulœdos, à חליל *chalil*, tibia. De hac consuetudine multa sparsim leguntur in Talmudicis libris, & in scriptis Rabbinorum: præsertim autem in Talmud Hierosolymitano, tractatu De benedictionibus, cap. 3. & in tractatu De [illegible] cap. 33. & in Baba Mezia, cap. 6. Item in Rabbi Schelomonis commentariis in Ezechielem, cap. 25. ubi dicit, [illegible] [illegible] i. Sunt quæ adhiberi cõsueverunt ad luctum & ad lætitiam: sed non est eis par ratio, cujusmodi sunt aulœdi pro sponsa & pro mortuo.
13 Ad verb. Secedite vobis. Heb. quem exprimunt Galli, *Retirez-vous*.
14 Ad verb. [illegible] aliquando non. Vide quæ de eo annotavimus cap. 7.23.

c Ac si diceret, Mox expergefactam videbitis quam putatis mortuam. d [illegible] Christus [illegible] duobus cæcis, confirmans se esse mundi lucem. e Davidis filium quum confitentur, gratiæ eos aliquid apprehendisse certum est, unde ipsorum fidem quasi valde commendabilem laudat Christus. f In illam domum, quam inhabitare solitus erat. g Hebræi vocant oculos clausos qui nihil vident: apertos qui vident. h Addita increpatione. Causa autem est, vel quod alios testes miraculi habere voluit, vel in aliud tempus differre ejus famam. i Reprehensione digni sunt isti, qui inconsiderato zelo ante tempus hoc spargunt. k k Exemplum potestatis Christi in diabolum. k Luc.11.14. l Hyperbolicum est. Nam hæc vox non fuit meditata, sed quæ ex admiratione subito excidit.
l Infr.12.24. Mar.3.22. Luc.11.15. m Hinc apparet impuros spiritus diabolo, tamquam capiti, subjici, sicut contra caput electorum est Christus.

35 Et circuibat Jeschua [15] civitates omnes & vicos, ac docebat in synagogis eorum prædicabátque Evangelium regni, & sanabat omnes morbos & omnes dolores.
36 Quum vidisset autem Jeschua turbas, misericordia affectus est erga illas, quòd lassi essent & dissipati, sicut oves quibus non est pastor.
37 Et ait discipulis, Messis copiosa *est*, & operarii pauci.
38 Rogate igitur Dominum messis ut extrudat operarios in messem suam.

35 [l] Et obibat Jesus urbes omnes ac vicos, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans quemvis morbum & quemvis languorem in populo.
36 [l] [n] Quum vidisset autem turbam, [o] commiseratione intima commotus est super eis, quòd essent dissipati & disjecti quasi oves non habentes pastorem.
37 Tunc dicit discipulis suis, [l] Ipsa quidem messis multa, operarii autem pauci.
38 Rogate igitur Dominum messis, ut [p] emittat operarios in messem suam.

[15] F. nimirum Galilææ, sitas ad lacum Tyberiados, atque finitimas: ut ostenditur suprà 4.13. & infrà 11.1.

[l] *Marc.6.6. Luc.13.22.* [l] *Marc.6.34.* [n] B. Etiamsi cessent ordinarii pastores, Christus tamen Ecclesiæ suæ curam non abjecit. [o] Ex intimis visceribus profecta. [l] *Luc.10.2. Joh.4.35.* [p] Ad verb. ejiciat. Nam in tam sancto opere homines sunt tardissimi.

CAPUT X.

1 Apostolis datur gratia sanitatum. 5 Mittuntur ad prædicandum Evangelium. 13 Pax. 14 Pulveris excussio. 16 Afflictio. 22 Perseverantia. 23 Fuga. 28 Timor. 29 Passeres duo. 30 Capilli. 32 Confiteri Christum. Pax, Gladius. 35 Dissidia. 37 Amor parentum. 38 Crux. 39 Perdere animam. 40 Recipere evangelistam.

ET vocavit duodecim discipulos suos, & dedit illis potestatem adversus spiritus immundos, ut ejicerent eos, & ut sanarent omnem dolorem & morbum.
2 Illorum autem duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus illorum Schemeun, qui vocatur Cipha, & Andravas frater ejus: & Jaakub filius Zabdai, & Juchannan frater ejus.
3 Et Philippus & Bar-Tulmai, & Thauma, & Mattai publicanus: & Jaakub filius Chalphai: & [1] Labbi qui cognominatus est Taddi:
4 Et Schemeun Zelotes, & Jehuda [2] Secharjuta, is qui prodidit illum.
5 Hos duodecim misit Jeschua, & præcepit eis, ac dixit, in viam profanorum ne abieritis, & in civitates Samariæ ne ingrediamini.
6 [3] Ite autem potiùs ad oves quæ perierunt de domo Jisraiel.
7 Et dum proficiscimini vos, prædicate, & dicite, Quòd appropinquaverit regnũ cælorum.
8 Morbidos sanate, & leprosos mundate, & mortuos suscitate, & dæmonia ejicite: gratis accepistis, gratis date.
9 Ne [4] comparetis aurum neque argentum, neque æs in [5] crumenis vestris.
10 Neque viatorium sit cum ad iter, neque binas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: nam dignus est operarius cibo suo.
11 In quamcumque autem urbem aut divitatem vos intratis, interrogate quisnam dignus sit in ea, atque illic estote donec [6] exeatis.
12 Et quum ingredimini in domum, [7] salutate domesticos.
13 Et [8] *si vera* sit quòd digna sit domus, pax vestra veniet super eam: & si non sit digna, pax vestra ad vos sese convertet.
14 Qui autem non excipit vos, neque audit

1 T Unc [a] advocatis duodecim discipulis suis, [b] dedit eis potestatem adversus spiritus impuros, ut ejicerent eos, & sanarent omnem morbum & omnem languorem.
2 Porrò duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: [c] Primus, Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus: Jacobus filius Zebedæi, & Joannes frater ejus:
3 Philippus, & Bartholomæus: Thomas, & Matthæus ille publicanus: Jacobus *filius* Alphæi, & Lebbæus cognominatus Thaddæus:
4 Simon [d] Cananites, & Judas [e] Iscariotes, qui etiam prodidit eum.
5 Hos duodecim misit Jesus, & addidit eis mandata, dicens, In [f] viam Gentium ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini:
6 Sed proficiscimini potiùs [l] ad [g] oves perditas domus Israelis.
7 [h] Iter facientes verò proclamate, [l] dicentes, Appropinquavit regnum cælorum.
8 [i] Ægrotos sanate, leprosos purgate, mortuos suscitate, dæmonia ejicite: dono accepistis, dono date.
9 [k] [l] Ne comparate aurum, neque argentum, neque æs in zonis vestris.
10 Neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque soleas, neque [m] baculum, [l] nam dignus est [n] operarius alimento suo.
11 [l] [o] In quamcumque verò urbem aut vicum introieritis, exquirite quis in ea sit [p] dignus: & illic [q] manete usquedum exeatis.
12 Introeuntes autem domum, [r] salutate eam.
13 Et si quidẽ fuerit domus digna, venito [s] pax vestra super eam: sin autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertitor.
14 [l] Et quicumque non exceperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes domo

[1] F. Sermo ἀμφίλογος, quem ita oportet construi, θαδδαῖος, ὁ ἐπικληθεὶς λεββαῖος, Thaddæus, qui cognominatus est Lebbæus. Thaddæus Syrum nomen est, Hebræorum Judas. quamobrem à Johanne 14.22. Judas non Iscariotes [illegible] appellatur. Huic autem cognomen fuit Libbai, id est, Cordato, vel cordato viros cujus patri nomen fuit Jakob, fratri (opinor) Alphæi, Luc.6.16. & Act. 1. ideóque, Judas frater Jakobi appellatur Judæ 1. quòd Jakob filius, hic agnatus Alphæi esset. [2] F. Secharjuta. De hoc cognomine considerandum num commodè possit compositum esse à שְׂכַר id est mercede, & [illegible] id est defecit, declinavit: ut [illegible] altera pars cognominis, sit verbum futurum [illegible] conjugationis tertiæ: & ita totum cognomen significet Mercede inducetur ad defectionem. Quod cognomen si à Christo accepit, ut Petrus & filii Zebedæi, declaratur & ipsum Judam & quod facturus erat, optimè Christo fuisse cognitum: si verò ab aliis ei inditum est, divina providentia commendatur, sine qua illud cognomen non accepit, quod ejus proditionem adeò clarè præmonstraret. Quod autem quidam scribunt compositum esse ex [illegible] & proprio loci nomine, & significare virum Kerioth, literæ quibus scribitur in Syra paraphrasi non admittunt. Nam prætereaquam quòd [illegible] non est præpositum, [illegible] quoque non est scriptum, sed [illegible]: neque est [illegible] in reliqua dictionis parte per [illegible] & [illegible] sed per [illegible] & [illegible] hoc modo [illegible] [illegible] aliis Secarjut, marsupium appellatur, & Secarjuta [illegible], ut Joh.12.6. Sed ego, omnibus expensis per anticipationem statuo appellari, quasi strangulatum dicas, qui ultrò declinaverit ad strangulationem sui, ut narratur inf. 27.5. & Act.1.18. Est enim *Secar* strangulare Syris, & *Mascara* strangulatio. Alioquin Apostolorũ nullus in hoc catalogo à patria, sed à sanguine, aut à vocatione, aut à studio appellatur. [3] F. Syrè, ite vobis, ut sup.4.10. [4] F. comparetis [illegible] gesteris in marsupiis vestris. Hebræa metalepsis frequens. [5] Scriptum erat [illegible] antiquariorum vel typographorum vitio, [illegible] pro [illegible], quæ duæ literæ apud Syros magnam inter se habent similitudinem, ut facilè fuerit [illegible]. In manu scripto erat ut nos restituimus. [6] F. nimirum ex urbe, ut exponitur Lucæ 9.4. q.d. ne leviter migrate de domo in domum, sed uno quasi loco in ea urbe legationem vestram, mox in aliam discessuri. [7] Ad verb. Rogate pro pace domus, id est, Vota concipite pro felicitate ejus domus. Hebraismus est in Hebræa lingua & in sacris [illegible] frequens. [8] F. vel si in [illegible] cujus digna sit domus.

[a] *Mar.3.13. Luc.9.1.* [a] B. Mittuntur Apostoli ad prædicandum Evangelium in Israel. [b] Hic quum Evangelii præcones & signorum ministros Christus simul & conjunctim instituit, ostendit miracula nihil aliud esse quam doctrinæ suæ sigilla, quare falsarii sunt, qui verbum à miraculis separant. [c] Theophyl. primos dicit Petrum & Andream dictos quòd primò vocati fuerint. [d] Ad differentiam Simonis Petri. [e] Vir Kerioth, id est, Keriothites, Kerioth autem erat in tribu Juda, *Josue 15.25.* [f] Ad exteras & prophanas gentes. [l] *Act.13.46.* [g] Perditi dicuntur, qui tamen legitimi vitæ æternæ erant hæredes, donec salutem in Christo reciperent. [h] B. Summa Evangelii sive prædicationis Apostolicæ. [l] *Luc.10.9.* [i] B. Miracula, verbi appendices. [k] B. Abjicienda sunt Verbi ministris quæcumque sollicitudines vel tantillum possint eos remorari. [l] In hanc profectionem sub. Quia vult eos nullis impedimentis retineri, & simul aliquem percipere gustum providentiæ Divinæ: nam ex illis domum reversis quærit Dominus, ecquid illis in via defuerit, Luc.22.35. [l] *Mar.6.8. Luc.9.3. & 22.35.* [m] Baculum intelligit qui oneri sit ferenti. [l] *1.Tim.5.18. Luc.10.7.* [n] quasi dicat, Qui vos elegit & mittit Christus, etiam de alimento providebit. [l] *Luc.10.8.* [o] B. Felicissimi, qui præconium Evangelii recipiunt: infelicissimi qui rejiciunt. [p] Ad vos recipiendos. [q] Ne mutate hospitium, quod etiam ad testimonium spectat. [r] Salutatio enim quidam est ad colloquendum ingressus. [s] Ex Hebræorum idiotismo, qui pacis nomine omnia fausta intelligunt. [l] *Mar.6.11. Luc.9.5.*

[a] *Act.13.51. & 16.8.*
[t] Excussio pulveris erat quasi anathematis symbolum, ac si testatum fecissent Apostoli, tam pollutos esse loci incolas, ut contagione sua terram inficerent.
[u] Christus docet quomodo se gerere debeant ministri sub cruce.
[l] *Luc.10.3.*
[x] Versabimini in summo discrimine.
[y] Serpentes quum se exosos sentiant, solicitè declinant ac refugiant homines sibi adversos.
[z] Qui ne injuriam quidem ulciscamini, nedum inferatis. Ex iis autem animantium naturis admixtis, nec sinit prudentiam fieri malitiosam, nec simplicitatem amentem: sed unam virtutis formam, quàm maximè licuit, ex ambobus exquisitè constituit.
[a] Nam in causa religionis, homo homini solet esse ferè semper lupus.
[b] Ut sint inexcusabiles, i. adversus eos & Gentes.
[l] *Marc.13.11. Luc.12.11.*
[l] *Marc.13.13. Luc.21.19.*
[c] In quam ingressi eritis.
[d] Non ut vitent periculum, sed ut properent tanto magis alibi spargere Evangelii semen.
[e] Ad finem deduxeritis.
[l] *Luc.6.40. Joh.13.16. & 15.20.*
[l] *Infr.12.24.*
[f] Fuit Acaronitarum idolum, quod appellare possumus Dominum muscarum, vel quod propter victimarum copiam, muscarum examine templum ejus scateret, vel quod auxilium adversus muscas quæ loco infesta essent, petitum est ab idolo.

aut ex urbe illa, [l] [s] excutite pulverem pedum vestrorum.

15 Amen dico vobis, tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm urbis illius.

16 [u] [l] Ecce, ego mitto vos ut [x] oves in medium luporum: estote igitur prudentes ut [y] serpentes, & [z] simplices ut columbæ.

17 Cavete verò ab [a] hominibus. tradent enim vos in consessus, & in conventibus suis flagellabunt vos.

18 Sed & ad præsides ac reges ducemini mea causa, *ut hoc sit* [b] eis & Gentibus testimonium.

19 [l] Sed quum tradent vos, ne estote soliciti quomodo aut quid loquamini. dabitur enim vobis illo momento quod loquamini.

20 Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri *is est* qui loquitur in vobis.

21 Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium: & insurgent liberi in parentes, & morte multandos eos curabunt.

22 Et eritis exosi omnibus propter nomen meum: [l] verùm, qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur.

23 Quum autem persequentur vos in [c] ea urbe, [d] fugite in aliam. Amen enim dico vobis, nequaquam [e] obieritis urbes Israëlis quin venerit Filius hominis.

24 [l] Non est discipulus supra doctorem, neque servus supra dominum suum.

25 Sufficiat discipulo ut sit sicut doctor ipsius: & *ut* servus *sit* sicut dominus ipsius. [l] Si ipsum patrem familiâs [f] Beelzebulem vocârunt, quanto magis domesticos ejus?

26 Itaque ne eos timete: [l] [g] nihil enim est opertum quod non sit retegendum, & nihil occultum quod non sit cognoscendum.

27 Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate [h] in solariis.

28 [i] Et ne timete *vobis* ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potiùs eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.

29 Nónne duo passerculi [k] assario væneunt, & unus ex eis non cadet in terram [l] sine Patre vestro?

30 Vestri verò etiam [l] capilli capitis omnes numerati sunt.

31 Ne igitur timete: vos multis passerculis præstatis.

32 [m] [l] Quisquis igitur [n] agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego eum coram Patre meo qui est in cælis:

33 Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo qui est in cælis.

34 [o] [p] [l] Ne existimate me venisse immissurum pacem in terram: non veni immissurus pacem, sed gladium.

[g] *Marc.4.22. Luc.8.17. & 12.2.* Proverbiale dictum, hîc tamen ad salutis doctrinam specialiter restringi debet. [h] Propalàm & in editioribus locis. erant enim olim, quemadmodum etiam hodiè, in illis regionibus ædium summa ita fabricata, ut in illis ambulare & versari possent, sicut liquet Deut.22.8. [i] Quantumvis immanes & sævi tyranni non sunt nobis metuendi. [k] Quarta unciæ parte. [l] Non interveniente patris vestri decreto. [l] *1.Schem.14.45. Luc.21.18. Act.27.34.* [m] 2. Confessionis publicæ necessitas & præmium. [l] *Mar.8.38. Luc.9.26. & 12.8. 2.Tim.2.12.* [n] Ac confessione libera agnoverit. Hic confessio Christi in præcipuo Dei cultu censetur. [o] Christus, qui propriè est pacis auctor, est occasio turbarum propter hominum malitiam. [p] 3. Evangelii prædicationem civilia dissidia consequuntur. [l] *Luc.12.51.*

sermones vestros, quum exitis ex ædibus aut ex civitate illa, [9] excutite pulverem ex pedibus vestris.

15 Et ammin dico vobis, Quòd terræ Sedom & Amora erit tolerabilius in die judicii quàm civitati illi.

16 Ecce ego mitto vos velut oves inter lupos: estote igitur prudentes veluti serpentes, & synceri sicut columbæ.

17 Cavete autem à filiis hominum: tradent enim vos [10] in concilia & in synagogis suis flagellabunt vos,

18 Et ante præsides & reges adducent vos propter me, in testimonium ipsorum & Gentium.

19 Quum autem tradiderint vos, ne sitis soliciti quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

20 Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri loquetur in vobis.

21 Tradet autem frater fratrem suum ad mortem, & pater filium suum, & insurgent filii adversus parentes suos, & morte afficient eos.

22 Et eritis exosi ab omni homine propter nomen meum. Is autem qui perseveraverit usque in finem, ipse [11] vivet.

23 Quum persequuntur vos in urbe [12] hac, fugite in aliam. Ammin enim dico vobis quòd non [13] absolveritis omnes ipsas urbes domus Israël, [14] donec veniat filius hominis.

24 Non est discipulus qui sit præstantior magistro suo, neque servus domino suo.

25 Sufficit ipsi discipulo ut sit sicut magister suus, & [15] servo, sicut dominus suus. si dominum domus vocârunt [16] Beal-Zebub, quanto magis domesticos ejus?

26 Ne igitur metuatis ab eis: non enim est quicquam quòd latet, quod non sit revelandum: & quod occultatur, quod non sit cognoscendum.

27 Quicquid dico vobis in tenebris, id vos dicite in luce: & quicquid in aures vestras audistis, [17] prædicate in tectis.

28 Et ne metuatis ab iis qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: metuite autem potius ab eo qui potens est ut animam & corpus perdat in [18] Gihanna.

29 Non duo passeres [19] venduntur [20] Assar? & unus ex illis sine patre vestro non cadit super terram.

30 Vestri autem etiam capilli capitis vestri omnes numerati sunt.

31 Ne igitur metuatis: passeribus enim multis præstantiores estis.

32 Quisquis ergo confitebitur me coram filiis hominum, confitebor eum ego quoque coram Patre meo qui est in cælis.

33 Qui verò negaverit me coram filiis hominum, negabo eum ego quoque coram Patre meo qui est in cælis.

34 Ne arbitremini quòd venerim ut mittam [21] tranquillitatem in terram: non veni ut immitterem tranquillitatem, sed gladium.

[9] Hoc in oculos incurrente symbolo anathematis, voluit ut testarentur quàm essent execrandi qui oblatam salutem respuerent. Usitatum enim erat in ea gente verbis hujusmodi externa symbola adjungere ad magis percellendum. Non absimile est quod Nehem. cap.5.13. legitur: videlicet Nehemjam excussisse oram vestimenti sui in testimonium contra eos qui fidem datam violârant.
[10] Ad verb. In domum judiciorum, id est, In locum ubi exercentur judicia.
[11] Heb. pro salvus erit.
[12] Puto erratum fuisse a typographo, & positum [illegible] hac, pro [illegible] una, sed tamen quia sensus non variatur, nihil mutare volui, præsertim quum eodem modo legatur in manu-scriptis.
[13] Ad verb. [illegible] Porrò absolvere civitates, est perficere [illegible] ad quod exsequendum in eis missi fuerant. Gallica phrasis [illegible] hanc accedit, *Vous n'aurez point fait vos toutes les villes d'Israël.* Similis loquutio est 1.Samuel. 1. 16. [illegible] infinitivus constructus cum verbis quæ absolvere, aut perficere significant, non raro subintelligitur, ut infr.13.53. & 19.1. [illegible] quia venerit, ut sup.5.18.
[14] In Talmud, tractatu De benedictionibus, cap. 9. [illegible] sententia legitur, [illegible] Sufficit servo ut sit sicut dominus suus.
[16] Execrandi Akaronitarum idoli nomine, Christi miracula infamant, quò doctrinæ authoritatem, cujus illa sigilla erant minimè dubia, everterent. Vide 2. Samuel. 5.10. 2. Reg. 1. 3.
[17] Veterum & ædificiorum & [illegible] [illegible] ut prædicantes longè latéque vocem spargerent conscendebant tecta plana. Vide Deut.22. 8. & Esa.15.3.
[18] De hac voce, quod satis erat annotavimus sup. cap.5.
[19] vel venduntur assario. Sic enim apud Varronem libr. 7. de lingua Lat. & in Glossario legitur.
[20] De valore Assar, vide in finem cap.12.
[21] Syra vox [illegible], respondet radici Hebrææ [illegible] [illegible] ut sæpe fit, non modò in diversis linguis, sed etiam in eadem.

35 Veni enim ut dissidere faciam virum ad-
versus patrem suum, & filiam adversus matrem
suam, & nurum adversus socrum suam.
36 Et inimici viri, domestici ejus.
37 Qui diligit patrem aut matrem amplius
quàm me, non est dignus me: & qui diligit filium
aut filiam amplius quàm me, non est dignus me.
38 Et omnis qui non accipit crucem suam, &
[22] sequitur me, non est dignus me.
39 Qui invenit animam suam, perdet eam: &
qui perdiderit animam suam propter me, inve-
niet eam.
40 Qui recipit vos, me recipit: & qui me re-
cipit, eum qui me misit recipit.
41 Qui recipit Prophetam in nomine Pro-
phetæ, mercedem Prophetæ accipit: & qui re-
cipit justum in nomine justi, mercedem justi ac-
cipit.
42 Et quisquis ad bibendum præbet uni ex his
pusillis poculum [23] frigidarum *aquarum* tantùm
nomine discipuli, ammin dico vobis quod non
perdet mercedem suam.

[22] Ad verb. Venit post me. Hebrais. jam sæpe observatus.

[23] F. i. frigidæ. Nam aquæ nomen Syris ut etiam Hebræis plurale est.

35 [l] Nam veni facturus ut dissideat filius à
patre suo, & filia à matre sua, & nurus à socru
sua.
36 Et inimici hominis *erunt qui sunt* dome-
stici ipsius.
37 [q] [r] [l] Qui amat patrem aut matrem supra
me, non est me dignus: & qui amat filium aut fi-
liam supra me, non est me dignus.
38 [l] Et qui non accipit crucem suam, ac [f] po-
ne me sequitur, non est me dignus.
39 [l] Qui [t] invenerit animam suam, perdet
eam: & qui perdiderit animam suam mea causa,
inveniet eam.
40 [u] [l] Qui recipit vos, me recipit: & qui me
recipit, recipit eum qui misit me.
41 [x] Qui recipit Prophetam [y] nomine Pro-
phetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui re-
cipit justũ nomine justi, mercedem justi accipiet.
42 Et quicumque potum dederit uni ex his
[z] parvis poculum frigidę solùm, nomine discipuli,
amen dico vobis, non perdiderit mercedẽ suam.

[l] *Mich.7.6.*

[q] B. Omnia sunt sine exceptione nostro erga Deum officio postponenda.
[r] Dilectionem mutuam non improbat Christus, modò ne observantiam quæ illi debetur, humanus amor obtueat.
[l] *Luc.14.26.*
[l] *Inf.16.24. Mar.8.34. Luc.9.23. & 14.27.*
[f] Ad verb. retro me. Quod notandum est, ut qui Deum colunt cultu à se excogitato, intelligant sese non sequi Christum, sed illi præire velle.
[l] *Infr.16.25. Mar.8.35. Luc.9.24.& 17.33. Joh.12.25.* [t] Servaverit vitam, id est, qui præsenti vitæ consuluerit. Servare autem vitam dicuntur qui illam ex discrimine eximunt: hæc dicuntur autem ex vulgi opinione, qui eos periisse putat qui moriuntur, quoniam de futura vita non cogitat. [u] B. Deus sacri ministerii est auctor & vindex. [l] *Luc.10.16. Joh.13.20. Mar.9.41.* [x] Nullum officium Christo impensum perit. [y] Ut Prophetam. [z] Qui coram mundo sunt viles & abjecti.

CAPUT XI.

2 Johannes mittit discipulos ad Christum. 7 Testimonium Christi de Johanne. 13 Lex & Prophetæ. 18 Christus & Johannes. 21 Chorazin, Bethsaida. 25 Evangelium revelatum parvulis. 28 Fatigati & onerati à Christo invitantur.

ET factum est quum finem fecisset Jeschua
præcipiendi duodecim discipulis suis, pro-
gressus est illinc ad docendum & prædicandum
in civitatibus illorum.
2 Juchannan autem quum audivisset [1] in
domo vinctorum opera Christi, misit [2] per ma-
num discipulorum suorum,
3 Et dixit illi, Túne es ille qui [3] venit, aut
aliósne exspectémus?
4 Respondit Jeschua, & dixit illis, Ite, re-
nunciate Juchannan ea quæ auditis & videtis.
5 Cæci vident, & claudi ambulant, & le-
prosi mundantur, & surdi audiunt, & mortui re-
surgunt, & pauperes accipiunt evangelii nun-
cium.
6 Et beatus is qui non fuerit offensus in me.
7 Quum autem abiissent, cœpit Jeschua di-
cere turbis de Juchunnan, Quid existis in deser-
tum ad videndum? arundinem quæ à vento a-
gitatur?
8 [4] Alioqui, quid existis ad videndum? ho-
minem qui vestibus mollibus vestitur? Ecce qui
mollibus vestiuntur, [5] *in* domo regum sunt.
9 Alioqui, quid existis ad videndum? Pro-
phetam? Etiam, dico ego vobis, & excellentio-
rem quàm Prophetam.
10 Ipse enim est de quo scriptum est, Ecce,
ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui
diriget viam ante te.
11 Ammin dico vobis, quòd non [6] surrexit
inter natos hominum, qui major sit Juchannan
Baptista: [7] minor autem in regno cælorum, ma-
jor est eo.
12 A diebus autem Juchannan Baptistæ, &
usque nunc, regnum cælorum cum violentia ac-
cipitur, & violenti rapiunt illud.
13 Omnes namque Prophetæ & Lex usq; ad
Juchannan prophetaverunt.

[1] Propositio non est expressa, ut sæpe non exprimitur, sicut annotavimus in cap.9.9.
[2] Hebraismus sæpe observatus.
[3] F. i. venturus fuit, ut sup.2.4.

[4] Ad verb. Et si non. Hebraismus frequens, sicut in sequenti versu.
[5] Præpositio reticetur, sicut in principio cap. ex Hebraismo.

[6] F. nimirum Propheta, ex versu 9. ut exprimitur Lucæ 7.29.
[7] F. nempe aliis Prophetis qui in regno cælorum futuri sunt, quamobrem etiam minimus reddi potest.

ET [a] factum est, quum finem fecisset Jesus
[b] præcipiendi duodecim discipulis suis, ut di-
gressus illinc doceret, & prædicaret in urbibus
[c] eorum.
2 [l] Johannes autem quum audisset in vin-
culis opera Christi, missis duobus ex discipulis
suis,
3 Dixit ei, Túne is es qui venturus erat, an
alium exspectabimus?
4 Et respondens Jesus dixit ei, Ite & renun-
ciate Johanni quæ auditis & videtis:
5 Cæci visum recipiunt, & claudi ambulant,
leprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui susci-
tantur, & [d] pauperibus evangelizatur.
6 Et beatus est qui [e] non fuerit offensus in
me.
7 [f] Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus di-
cere turbæ de Johanne: [g] Quid exiistis in deser-
tum spectaturi? arundinem quę agitetur à vento?
8 Sed quid exiistis visuri? hominem mollibus
vestibus amictum? ecce, qui gerunt molles vestes,
[h] in domibus regum sunt.
9 Sed quid exiistis visuri? Prophetam? certè
dico vobis etiam amplius quàm Prophetam.
10 Iste enim est de quo scriptum est, [l] Ecce,
ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui
[i] præparabit viam tuam coram te.
11 Amen dico vobis, non est suscitatus inter
genitos è mulieribus [k] quisquam major Johanne
Baptista: sed qui est minimus in [l] regno cælo-
rum, major eo est.
12 [l] Porrò [m] à diebus Johannis Baptistę usque
nunc regno cælorum [n] vis affertur, & [o] violenti
rapiunt illud.
13 Nam omnes Prophetæ & ipsa Lex usque
ad Johannem [p] prophetarunt.

[a] B. Christus ex suis operibus probat se esse promissum illum Messiam.
[b] Præceptis instituendi suos.
[c] Discipulorum, id est, in Galilæa, unde plerique eorum oriundi erant, Act.2.7.
[l] *Luc.7.18.*
[d] Pauperes evangelizantur, id est, pauperibus annunciatur Evangelium.
[e] Qui ex me non ceperit offendiculi occasionem.
[f] B. Quæ convenientia, quod item discrimen inter Prophetarum ministerium, Johannis præconium, & plenam Evangelii lucem à Christo allatam.
[g] Admonet Christus operam lusisse qui Johannis causa in desertum profecti erant, nisi adverterent ad ejus ministerium & doctrinam.
[h] Admonet stultè æstimari prophetas ex gratia & favore principum, quia illic ut plurimum regnant adulatores.

[l] *Mal.3.1.* [i] Ut solet fieri principibus, quo majore cum pompa excipiantur. [k] Magnitudo ad docendi munus disertè refertur. [l] Novus est Ecclesiæ status in quo vera Dei gloria elucet: comparantur non personæ, sed doctrinæ genera, præconium Johannis cum lege & prophetis, & cum illo rursus clarissima illa Evangelii prædicatio. [l] *Luc.16.16.* [m] Heb. i. à tempore quo Johannes Baptista prædicare cœpit. [n] Id est, quasi impetu quodam in illud perrumpitur. [o] Sensus est, Fit jam magnus hominum concursus, ac si violenter homines irruerent ad occupandum Dei regnum. [p] Futura tantùm vaticinati sunt, quæ nunc præsentia clarè & perspicuè cernuntur.

14 Et,

14 Et,

[u] *Mal*,4.5.

14 Et, si vultis *hoc* recipere, [u] ipse est Elias ille
qui venturus erat.
15 [q] Qui habet aures ad audiendum, au-
diat.
16 [r] [u] Sed cui assimilabo [r] gentem istam? [t] Si-
milis est puerulis qui sedent in foris, & accla-
mant sodalibus suis,
17 Ac dicunt, Tibiis cecinimus vobis, & non
saltastis: [u] lamentati sumus vobis, & non plan-
xistis.
18 Venit enim Johannes [x] nec edens nec bi-
bens, & ajunt, Dæmonium habet.
19 Venit Filius hominis [y] edens ac bibens, &
dicunt, Ecce homo edax & vini potor, publica-
norum amicus & [z] peccatorum. [a] [b] Sed justifi-
cata est Sapientia à filiis suis.
20 [u] [c] Tunc cœpit cum probris increpare ci-
vitates in quibus editæ fuerant plurimæ virtu-
tes ipsius, quòd non resipuissent, *dicens*,
21 Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida:
nam si [d] Tyri & Sidoni editæ fuissent virtutes
quæ editæ sunt apud vos, olim [e] cum sacco &
cinere *sedentes* resipuissent:
22 Quinetiam dico vobis, Tyro & Sidoni to-
lerabilior erit conditio in die judicii quàm ve-
stra.
23 Et tu Capernaum, quæ es usque ad cælum
sublata, usque ad inferos depriméris. nam si So-
domis editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt a-
pud te, mansissent usque ad hodiernum diem.
24 Quinetiam dico vobis, terræ Sodomorum
tolerabilior erit conditio in die judicii, quàm tuæ.
25 [u] In illo tempore [f] respondens Jesus dixit,
Gloriam tibi tribuo Pater Domine cæli & terræ,
quòd hæc occultaveris à sapientibus & intelli-
gentibus: & ea [g] retexeris infantibus.
26 [h] Etiam Pater, [i] quia ita placuit tibi.
27 [u] [k] [l] Omnia mihi tradita sunt à Patre
meo: & [m] nemo novit Filium [n] nisi Pater, ne-
que Patrem quisquam novit nisi Filius, & cui-
cumque voluerit Filius retegere.
28 Venite ad me omnes qui fatigati estis &
onerati, & ego faciam [o] ut requiescatis.
29 Attollite jugum meum in vos, & discite à
me quòd mitis sim & humilis corde: [u] & inve-
nietis requiem animabus vestris.
30 [u] Jugum enim meum [p] facile est, & onus
meum leve est.

[q] Hoc interponere solet, quoties de re seria tractat, simul tamen admonet hæc ab iis non capi quòd nimis surdi sint.
[r] B. nulli pervicaciores Evangelii hostes quam ii quibus charissimum esse oportuit.
[u] *Luc*.7.31.
[r] Ætatem istam sive seculum, pro hominibus istius ætatis vel seculi.
[t] Accusatur proverbii figura perversitas seculi, quòd neque duris neque mollibus moveretur.
[u] Lugubres cantiones cecinimus.
[x] Hoc dicit, quia illi peculiaris erat victus ratio, ut qui etiam à cibis vulgaribus abstineret.
[y] Id est, promiscuo more vivens.
[z] Ut sup.9.10.
[a] Sapientes agnoscunt Evangelii sapientiam, quum illud recipiunt.
[b] B. Quod plerique repudiant, electi amplectuntur.
[u] *Luc*.10.13.
[c] B. Superbi Evangelium oblatum suo maximo malo rejiciunt, quod parvulis cedit saluti.
[d] Judæi vicinos Tyrios & Sidonios pro nefandis Dei contemtoribus habebant.

14 Et, si vultis vos, recipite quòd is est Ælias
qui venturus erat.
15 Cui sunt aures ut audiat, audiat.
16 [8] Cui autem assimilabo generationem
hanc? Similis est pueris qui sedent in foro, &
acclamant sodalibus suis,
17 Ac dicunt, Cecinimus vobis, & non salta-
stis: ululavimus vobis, & non [9] planxistis.
18 Venit enim Juchannan, qui non [10] com-
edit neque bibit, & dixerunt, Demonium est illi:
19 Venit filius hominis comedens & bibens, &
dicunt, Ecce, homo edax & potor vini, & amicus
publicanorum & peccatorum. [11] Et justificata est
sapientia à cultoribus suis.
20 Tunc cœpit Jeschua exprobrare civitati-
bus illis in quibus editę fuerant virtutes ejus plu-
rimæ, neque conversæ fuerant,
21 Et dicebat, Væ tibi Caurazin, Vę tibi Beth-
zaida: quoniam si in Tzor & in Tzaidan editæ
fuissent virtutes hæ quæ editæ fuerunt in vobis,
jam olim in [12] sacco & in cinere conversę fuissent.
22 Attamen dico vobis quòd [13] Tzor &
Tzaidan erit tolerabilius in die judicii quàm
vobis.
23 Et tu Kephar-Nachum, ea es quæ usque
ad cælos exaltata fuisti: usque ad foveam de-
priméris: quia si in Sedom editæ fuissent virtutes
hæ quæ editæ fuerunt in te, mansisset usque in
hunc diem.
24 Verumtamen dico tibi quòd terræ Sedom
erit tolerabilius in die judicii quàm tibi.
25 In illo tempore [14] respondit Jeschua, &
dixit, Confiteor tibi, Pater mi, Domine cælorum
& terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus &
prudentibus, & revelaveris ea parvulis.
26 Certè Pater mi, quia sic fuit beneplacitum
coram te.
27 Omnia tradita sunt mihi à Patre meo: &
nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem
quisquam novit nisi Filius, & cui beneplacitum
erit Filio ut *id* revelet.
28 Venite ad me omnes vos laborantes &
sustinentes onera, & ego refocillabo vos.
29 Tollite [15] jugum meum super vos, &
discite à me quòd mitis sim, & sim humilis in
corde meo: & invenietis requiem animabus
vestris.
30 Jugum enim meum suave est, & onus
meum leve est.

[8] Familiarissimum est Hebræis, Chaldæis & Syris scriptoribus, ut parabolas incipiant ab interrogationibus, ut videre licet in Talmud Hierosolymitano, tractatu De benedictionibus, cap. 2. & in commentariis Bibliorum sæpè.
[9] Pulcra est in Syra lingua allusio in vocibus Saltastis & Planxistis: sunt enim ambæ ejusdem radicis, nec differunt nisi conjugatione tantùm.
[10] F. i. convixit aliis ex communi usu, sed vitam vixit solitariam & austeram, suprà 3.1. & 4. sic deinceps, Hebraismus.
[11] id est, Quocumque modo, & à quovis proponatur hujus ætatis hominibus sapientia & doctrina salutis, id fit absque profectu. habet tamen Deus suos electos quibus ea peculiariter destinata est: unde etiam filii sapientiæ dicuntur qui eam justificant, approbant, colunt, & religiosè observant.
[12] Cinere aspergi & sacco operiri antiquos consuevisse in graviori luctu, adeò frequenter in sacris literis occurrit, ut opus non sit pluribus probare.

[e] Veterum fuit consuetudo in sacco & cinere lugere. [u] *Luc*.10.21. [f] Heb. Id est, orationem continuans, nemo enim interrogaverat. [g] Ministerio Christi, qui unicus est interpres universæ veritatis rerum divinarum. [h] Hac particula declarat se in Patris consilio acquiescere. [i] Sola voluntas Dei justitiæ norma. [u] *Jo*.3.35. & 6.46. [k] B. nulla nisi in uno Christo vera Dei notitia, nulla animi tranquillitas. [l] Omnia sibi à patre tradita esse dicit, ut sciamus in ipso habitare Deitatis plenitudinem. [m] Hoc dicit ne sua majestas perperàm æstimetur ex hominum judicio. [n] Quia filius, quatenus viva est patris imago, eum quodammodo exhibet visibilem in sua persona. [o] Refocillatio quam promittit in gratuita peccatorum remissione sita est, quæ sola nos tranquillat. [u] *Jerem*.6.16. [t] 1.*Jo*.5.3. [p] Quod facile fieri potest: nam mandata ejus gravia non sunt; quia omne quod genitum est ex Deo vincit mundum. hæc autem victoria, est fides.

[13] F. i. urbibus Tyro & Sidoni. [14] i. Loquutus est. Hebraism. frequens. [15] Tam doctrina quàm castigationes quæ ab ea dependent, in veteri etiam Testamento Jugum vocantur: unde sumta est hæc metaphora, Thren.3.9. Rabbinis etiam usitatissima, ut in פרקי אבות *Pirke aboth*, cap. 3. ad quam fortasse respexit Psalmista, Psal.2.3. Dirumpamus vincula eorum, &c.

CAPUT XII.

1 *Discipuli spicas vellunt.* 6 *Misericordia, sacrificium.* 10 *Arida manus sanatur.* 12 *Sabbathis benefaciendum.* 22 *Dæmoniacus sanatur.* 25 *Regnum divisum.* 31 *Peccatum. Blasphemia.* 33 *Arbor bona & mala.* 34 *Viperarum progenies.* 41 *Ninevitæ.* 42 *Regina Sabæ.* 48 *Veri parentes Christi.*

[u] *Mar*.2.23. *Luc*.6.1.
[a] B. De vera sanctificatione Sabbathi, & ejusdem abrogatione.
[b] Per idem tempus. His autem verbis indicatur, hanc historiam non narrari juxta temporis seriem, sicut constat ex Mar. & Luca. [u] *Deu*.23.25.

ILlo [u] [a] [b] tempore ibat Jesus sabbatho per sata:
discipuli verò ipsius esuriebant, cœperúntque
vellere spicas, & edere.
2 Pharisæi verò, quum *hoc* vidissent, dixerunt
ei, Ecce, discipuli tui faciunt [u] quod non licet
facere sabbatho.

IN illo tempore ibat Jeschua in sabbatho, [1] in
loco seminum, & discipuli ejus esuriebant, &
cœperunt [2] vellere spicas, & comedebant.
2 Pharisæi autem, quum vidissent illos, dixe-
runt ei, Ecce, discipuli tui faciunt id quod non
licet facere in sabbatho.

[1] Id est, In agro sato.
[2] Ad verb. Et cœperunt vellentes: est Participium pro Infinitivo, Hebræorum more, quasi dicat viderunt cœperunt vellere spicas, quum Pharisæi, &c.

3 Ipse

3 Ipse

F. i. iis solùm qui Sacerdotes essent, si qui fortè erant in comitatu ipsius.
4 F. vel hos, qui insontes sunt & culpa vacant. quasi digito indicans discipulos.
5 Hæc Christi doctrina vetustis etiam patrum traditionibus explicatur & confirmatur. quamvis enim alioquin rigidiores sint in sabbathi observatione, tamen disertis verbis tradunt, סכנת נפשות דוחה את השבת. Itẽ & פקוח נפש דוחה את השבת, hoc est, Periculum animarum, *discrimen mortis*, pellit sabbathum. Vide Talmud volumine de Sabbatho, & de circumcisione.
6 Ad verb. Unus. Hebraismus jam sæpè observatus.
7 F. putà malè habentes. Ellipsis, ut infra ℣. 15.
8 Ad verb. Pervulgarent obtrectationem ejus: sicut observavimus, suprà cap. 4. 3.
9 Syra vox ערבא aliis linguis inusitata: legitur autem eodem sensu Luc. quoque 15. 3. & Johan. 1. 3. & 2. 14. & 10. 3. atque hic in versu sequenti, & alibi in novo Testamento sæpius.
10 בחברא pro בחפרא voce usitatissima Hebræis, sed Syri פ mutant in ב, similis organi literam.
11 Id est, Altera manus. Hebraism.
12 Ad verb. Iverunt post eum. Hebraismus antè sæpè observatus.
13 F. i. earum turbarum omneis qui habebant malè: ut ver. 10.
14 i. Ministerio. Hebraismus antè sæpè observatus.
15 Pro lino posuit lucernam, cui ex lino ellychnium parari solet. Ex diversa autem nota moribundam describit lucernam quæ crepitet: sensu autem eodem. 16 Ad verb. Unum. Hebraismus. 17 Erat כל ההין: sed alterum è duobus ה he redundat: quapropter כלהון posuimus, & ita habet manuscriptus codex. 18 Vide de Bealzebub, Matth. 10. 25. 19 Ad verb. Adversus animam suam, Hebraismus.

3 Ipse autem dixit illis, Non legistis quid fecerit David, quum esuriret, & illi qui erant cũ eo?
4 Quomodo ingressus est in domum Dei, & panem mensæ Domini comedit ipse, cui non licebat comedere, neque illis qui cum eo erant, nisi [3] sacerdotibus tantùm?
5 Aut non legistis in Lege, quòd sacerdotes in templo prophanant ipsum sabbathum, & quòd irreprehensibiles sunt?
6 Dico autẽ vobis quòd maior tẽplo est hîc.
7 Si autem sciretis quidnam sit, Beneficentiam volo, & non victimam, non condemnatetis [4] eos qui irreprehensibiles sunt:
8 [5] Dominus enim sabbathi est Filius hominis.
9 Et progressus est illinc Jeschua, & venit in synagogam illorum.
10 Et vir [6] quidam erat ibi cujus arida erat manus. Et interrogabant illum, ac dicebant, Nũquid licet in sabbatho [7] sanare? [8] ut accusarent eum.
11 Ipse autem dixit illis, Quisnam ex vobis est vir cui sit [9] ovis una, & si inciderit in [10] foveam in die sabbathi non apprehendat & erigat ipsam?
12 Quantò autem excellentior est filius hominis quàm ovis? Quapropter licitum est in sabbatho facere quod bonum est.
13 Tunc dixit illi homini, Extende manum tuam. Et extendit manum suam, & restituta est sicut [11] socia sua.
14 Et egressi sunt Pharisæi, & consilium ceperunt adversus eum quomodo perderent ipsum.
15 Jeschua autem cognovit, & secessit illinc. Et [12] sequutæ sunt eum turbæ multæ, & sanavit [13] eos omnes.
16 Prohibuítq; eis ne se manifestum facerẽt:
17 Ut compleretur id quod dictum fuerat [14] per manum Isaiæ Prophetæ, qui dixit,
18 Ecce servus meus, in quo mihi complacitum est: dilectus meus in quo delectatur anima mea. Spiritum meum ponam super illum, & judicium populis prædicabit.
19 Non contendet, & non clamabit, neque quisquam audiet vocem ejus in plateis.
20 Arundinem quassatam non confringet, [15] & lucernam crepitantem non exstinguet: donec proferat judicium ad victoriam.
21 Et in nomine ejus Gentes sperabunt.
22 Tunc obtulerunt ei dęmoniacum [16] quemdam, qui erat mutus & cæcus: & sanavit illum, ita ut mutus & cæcus loqueretur & videret.
23 Et admirabantur [17] universæ turbæ, ac dicebant, Numquid hic est filius David?
24 Pharisæi autem, quum audivissent, dixerunt, Hic non ejicit dæmonia nisi per [18] Beal-zebub principem dæmoniorum.
25 Jeschua autem cognovit cogitationes eorum, & dixit illis, Omne regnum quod dividitur adversus seipsum, destruetur: & omnis domus aut civitas quæ dividitur adversus seipsam, non stabit.
26 Et si Satanas Satanam ejicit, [19] adversus seipsum divisus est: quomodo igitur stabit regnum ejus?
27 Et si ego per Beal-zebub ejicio dæmonia,

3 Ipse autem dixit eis, Non legistis quid fecerit [b] David, quum esuriret ipse, & qui erant cum eo?
4 Quomodò introierit domum Dei, & panes [c] proposititios ederit, quibus vesci non erat ipsi licitum, neque iis qui cum eo erant, sed [a] Sacerdotibus [d] solis?
5 Aut non legistis [a] in Lege, sabbathis Sacerdotes in templo [e] Sabbathum profanare, & inculpabiles esse?
6 Dico autem vobis, *quemdam* templo majorem hîc esse.
7 [f] Quòd si nossetis quid sit, [a] Misericordiam volo, [g] & non sacrificium, non condemnassetis inculpabiles.
8 Nam Dominus est etiam sabbathi Filius hominis.
9 [a, h] Et digressus illinc, venit in synagogam eorum.
10 Et ecce, quidam *illic* erat manum habens aridam: & interrogârunt eum, dicentes, Licétne sabbathis *quempiam* sanare? ut accusarent eum.
11 Ipse verò dixit eis, Quis erit ex vobis qui habeat ovem unam, &, si ea inciderit Sabbatho in foveam, non apprehendat eam & erigat?
12 Quantum autem homo præstat ovi? Itaque licet Sabbathis benefacere.
13 Tunc dixit homini illi, Protende manum tuam. Et *is* extendit: éstque restituta sana ut altera.
14 [i] Pharisæi verò egressi, ceperunt consilium adversus eum, ut eum perderent.
15 Jesus autem quum *hoc* nosset, [k] secessit illinc, sequutáque est eum turba multa, sanavítque eos omnes.
16 Et interminatus est eis ne se manifestum facerent:
17 Ut impleretur quod dictum erat per Esaiam Prophetam, dicentem,
18 [a] Ecce servus ille meus, quem elegi: dilectus ille meus, in quo acquiescit anima mea: ponam Spiritum meum super eum, & [l] judicium Gentibus annunciabit.
19 [m] Non litigabit, neque clamitabit, neque audiet quisquam in plateis vocem ejus.
20 Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet: usquedũ [n] protulerit ad victoriam judicium:
21 [o] Et in ejus nomine Gentes sperabunt.
22 [a, p] Tunc oblatus est ei dæmoniacus cæcus & mutus: & sanavit eum, adeò ut qui cæcus ac mutus *fuerat*, & loqueretur & videret.
23 Et obstupuit [q] tota turba, dicebátque, Nónne iste est filius ille Davidis?
24 Pharisæi verò, quum *hæc* audissent, dicebant, [a] Iste non ejicit dæmonia nisi per Beelzebulem principem dæmoniorum.
25 [r] Jesus autem, quum sciret cogitationes eorum, dixit eis, Omne regnum [s] dissidens adversus sese vastatur: & omnis urbs aut domus dissidens adversus seipsam, non stabit.
26 Sed si Satanas Satanam ejicit, adversus seipsum dissidet: quomodo ergo stabit regnum ejus?
27 Et, si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, [t] filii vestri per quem *ea* ejiciunt? propte-

[a] *1. Sam. 21. 6.*
c Hebræi panes facierum vocant, quia coram Domino appositi, tota hebdomade manerent in aurea mensa huic cultui consecrata, Levit. 24. 6.
[a] *Exod. 29. 33. levit. 8. 31. & 24. 9.*
d Intelligit jure communi.
[a] *Num. 28. 9.*
e Sacerdotes quum Dei opus faciunt sabbatho, tamen Legem non violant: ergo multò minùs sabbathi Dominus, sabbathum violabit.
f Perstringit Pharisæos, quia non reputent quorsum mandatę sint, & in quem finem spectent ceremoniæ.
[a] *Osea 6. 7.*
g Commune omnium ætatum vitium, quòd ceremoniis addicti homines charitatis officia pro nihilo ducant.
[a] *Mar. 3. 1. Luc. 6. 6.*
h B. Legales ceremonias cum dilectione proximi minimè pugnare.
i B. Quatenus & quo respectu cedendum indomito impiorum furori.
k Id est, se ab eorum conspectu subduxit, ne acueret eorum rabiem.
[a] *Esa. 42. 1.*
l Officium Christi breviter designat Propheta, quum fore prædicit ut judicium Gentibus proferat. Judicii autem nomine compositum statum intelligit, quia videlicet à Christo vera religio erat inter Gentes promulganda, ejectis superstitionibus. Quod ubicumque fit, ibi regnare dicitur Dominus, & judicare, id est, rebus præesse, & illas moderari.
m Non erit tumultuosus Christi adventus, quia regio apparatu splendoréque externo carebit. n Cum vi quadam (frustrà obsistente mundo & Satana) feret sententiam & judicium, qui se victorem declaret omnium inimicorum suorum. o Etiam gentibus Christi gratia communis erit. [a] *Suprà 9. 32. Luc. 11. 14.* p B. Manifestissima etiam veritas, impiorum calumniis est obnoxia: sed ea nihilominùs est fortiter asserenda. q Græcum verbum significat præ admiratione apud se non esse, & de statu mentis dejici. unde ecstasis. [a] *Suprà 9. 34. Mar. 3. 22. Luc. 11. 15.* r B. Christi & Satanæ regna simul consistere non possunt. s In partes distractum, unde nascuntur seditiones. t Heb. vestrates vel vestri, sive de discipulis hoc intelligamus, sive de exorcistis illis quorum exemplum refertur, Act. 19. 13.

reà ipſi erunt veſtri [t] judices.
28 Sin autem per ſpiritum Dei ego ejicio dæ-
monia, nempè pervenit ad vos regnum Dei.
29 [u] Nam quomodo poteſt aliquis ingredi
domum potentis *alicujus*, & [x] vaſa ejus diripere,
niſi primò vinxerit potentem illum, & tunc do-
mum illius diripiet?
30 Qui non eſt mecum, adverſum me eſt: &
qui non cogit mecum, ſpargit.
31 [‖] Propterea dico vobis, quodvis peccatum
& blaſphemia remittetur hominibus: [y] blaſphe-
mia verò in [z] Spiritû non remittetur hominibus.
32 Et quiſquis loquutus fuerit adverſus Fili-
um hominis, remittetur ei: quiſquis autem fue-
rit loquutus adverſus Spiritum ſanctum, non re-
mittetur ei [a] neque in hoc ſeculo, neq; in futuro.
33 Aut [b] facite arborem bonam, & fructum
ejus bonum, aut facite arborem putrem, & fru-
ctû ejus putrem. nam è fructu arbor cognoſcitur.
34 [c] Progenies viperarum, quomodo poſſi-
tis bona loqui, quum ſitis mali? [‖] [d] nam ex re-
dundantia cordis os loquitur.
35 Bonus homo è bono theſauro cordis pro-
fert bona: & malus homo ex malo theſauro pro-
fert mala.
36 [e] Sed dico vobis, quodcumque verbum o-
tioſum loquuti fuerint homines, de eo reddituros
rationem in die judicii.
37 Ex ſermonibus enim tuis juſtificaberis, &
ex [f] ſermonibus tuis condemnaberis.
38 [g] Tunc reſponderunt quidam è Scribis ac
Phariſæis, dicentes, Præceptor, [‖] velimus ex te
ſignum videre.
39 Ipſe verò reſpondens, dixit eis, Gens mala
& [h] adulterina ſignum requirit, ſed ſignum non
dabitur ei niſi ſignum illud Jonę Prophetæ.
40 [‖] Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres
dies & tres noctes, ita erit Filius hominis in [i] cor-
de terrę tres dies & tres noctes.
41 [k] Ninevitæ reſurgent in judicio cum gente
iſta, & condemnabunt eam: [‖] quòd ipſi reſipue-
rint ad præconium Jonæ: & ecce, plus quàm Jo-
nas *eſt* in hoc loco.
42 [‖] Regina [l] Auſtri ſurget in judicio cum
gente iſta, & condemnabit eam: quòd venerit à
[m] terminis terræ ut audiret ſapientiam Solomo-
nis: & ecce, plùs quàm Solomon *eſt* in hoc loco.
43 Cæterùm quum impurus ſpiritus exierit
à quopiam, [n] ambulat per arida loca, quærens
requiem, & non invenit.
44 Tunc dicit, [o] Revertar domum meam,
unde exivi. Et quum venit, invenit *eam* vacantem,
[p] verſam & ornatam.
45 Tunc abit & accipit ſecum [q] ſeptem alios
ſpiritus pejores quàm ipſe *ſit*: & ingreſſi habi-
tant illic, [‖] fitque ultima conditio hominis illius
deterior priore. ita etiam erit genti iſti malæ.
46 [‖] [r] Quum autem adhuc loqueretur turbæ,
ecce, mater & fratres ejus adſtiterunt foris, quæ-
rentes ejus colloquium.

[t] Veſtra vitia (etiam tacentes) virtutibus ſuis condemnabunt.
[u] His verbis ſignificat Chriſtus fruſtrà homines liberationem ſperare, donec violento conflictu ſubactus fuerit Satan.
[x] Res & ſupellectilem, Hebraiſ.
[‖] *Mar.*3.28. *Luc.*12.10. 1.*Joh.*5.16.
[y] B. De blaſphemia in Spiritum ſanctum.
[z] Probro afficiunt ſpiritum Dei, qui deſtinata malitia ejus gratiam & virtutem oppugnant. i. qui habitantem in ipſis ſpiritum ſcientes extinguere conantur: qui contra proprium animi ſenſum ejus donis, & virtuti obtrectant.
[a] Nec in hac vita, nec poſt mortem, id eſt, nunquam.
[b] i. aut agnoſcite me bonum eſſe & benè agere: aut me malum eſſe, ac proinde malè agere.
[c] B. Hypocritæ tandem ſeipſos ſuo teſtimonio produnt.
[‖] *Luc.*6.45.
[d] Sicuti etiam veteri proverbio lingua vocata eſt character mentis.
[e] Vanæ & inutiles nugæ, in quibus plerique vitam terunt.
[f] Sermo perverſus ut index eſt latentis malitiæ, ad damnandum hominem ſufficit.
[g] B. Adverſus præpoſteros miraculorum flagitatores.
[‖] *Infrà* 16.1. *Luc.*11.29. 1.*Cor.*1.22.
[h] Illegitimæ, quæ defecit à fœdere Abrahæ, vel quia reliquit verum Dei cultum.
[‖] *Jonæ* 1.17.
[i] In ſepulcro, id eſt, in viſceribus terrę.
[k] B. Docet Chriſtus triſti Judęorum exemplo, nullos eſſe infœliciores quàm qui accenſam in ſe Evangelii lucem exſtinguunt. [‖] *Jonæ* 3.5. [‖] 1.*Reg.*10.1; 2.*Par.*9.1. [l] Meridiei. Loquitur autem de Regina Sabæ i. Sabæorum: quæ regio Judææ reſpectu eſt meridionalis, 1. Reg. 10. [m] Sabæa enim ſita eſt in extremo Arabię fœlicis litore, ad fauces ſinus Arabici. [n] Metaphoricè hoc dictũ, quia triſte diabolo exilium eſt, & ſqualido deſerto ſimile, extra homines habitatio. [o] Senſus eſt, Nunquam locum in nobis magis commodum Satanæ eſſe, quàm dum Chriſto valere juſſo illum hoſpitem admittimus. [p] i. mundatam ſcopis. Similitudo ſumta ab iis quos mundities & nitor in hoſpitiis delectat. [q] Septenarius numerus hîc indefinitè, ut alibi ſæpè capitur. [‖] *Heb.*6.4. & 10.26. 2.*Pet.*2.20. [‖] *Mar.*3.31. *Luc.*8.20. [r] B. Docet Chriſtus ſuo exemplo omnia eſſe glorię Dei poſtponenda.

filii veſtri per quem ejiciunt illa? propter hoc, illi
erunt veſtri judices.
28 Et ſi per Spiritum Dei ego ejicio dęmonia,
[20] appropinquavit vobis regnum Dei.
29 [21] Alioqui, quomodo poteſt quis intrare
in domum potentis, & vaſa ejus diripere, niſi pri-
ùs vinxerit ipſum potentem? & tunc domum il-
lius diripiet.
30 Qui non eſt mecum, contra me eſt: &
qui non congregat mecum, [22] ſpargendo ſpar-
git.
31 Propterea dico vobis quòd omnia peccata
& convitia remittentur filiis hominum: conviti-
um autem quod eſt contra Spiritum, non remit-
tetur filiis hominum.
32 Et quicumque dixerit verbum adverſus
Filium hominis, remittetur illi: quicumque au-
tem adverſus Spiritum ſanctum [23] dixerit, non
remittetur illi neque in ſeculo hoc, neque in ſe-
culo futuro.
33 Aut facite arborem bonam, & fructus ejus
bonos: aut facite arborem vitioſam, & fructus e-
jus vitioſos. à fructibus enim ſuis cognoſcitur ar-
bor.
34 Progenies viperarum, quomodo poteſtis
vos bona loqui, qui eſtis mali? Ex his enim quæ
abundant in corde, loquitur os.
35 Homo bonus ex theſauris bonis profert
bona: & homo malus ex theſauris malis profert
mala.
36 Dico enim vobis quòd de omni verbo oti-
oſo quod dixerint filii hominum, redditurí ſunt
rationem in die judicii.
37 Ex dictis enim tuis juſtificaberis, & ex di-
ctis tuis condemnaberis.
38 Tunc reſponderunt quidam ex Legisperi-
tis, & ex Phariſæis, & dixerunt illi, Præceptor, vo-
lumus videre ex te ſignum.
39 Ille autem reſpondit, & dixit eis, Gene-
ratio mala & adultera ſignum quærit, & ſig-
num non dabitur ei, niſi ſignum Jaunan Pro-
phetæ.
40 Sicut enim fuit Jaunan in ventre piſcis tri-
bus diebus ac tribus noctibus: ſic erit Filius ho-
minis in corde terræ tribus diebus & tribus no-
ctibus.
41 Homines Ninivitæ ſurgent in judicio cum
generatione hac, & condemnabunt eam: quòd
ipſi converſi ſint per prædicationem Jaunan: &
ecce, [24] qui major eſt Jaunan, hîc *eſt*.
42 Regina Auſtri ſurget in judicio cum ge-
neratione hac, & condemnabit eam: quòd vene-
rit à limitibus terræ, ut audiret ſapientiam Sche-
leiemum, & ecce, excellentior quàm Scheleie-
mum *eſt* hîc.
43 Quum autem ſpiritus immundus egredi-
tur à filio hominis, circumambulat loca [25] in
quibus non ſunt aquæ: & quęrit quietem, & non
invenit.
44 Tunc dicit, Revertar in domum meam ex
qua egreſſus ſum. Et venit, reperit eſſe [26] vacan-
tem, & verſam, & pręparatam.
45 Tunc abit, accipit ſecum ſeptem ſpiritus a-
lios qui ſe deteriores ſunt: & ingrediuntur, & ha-
bitant in ea, & fit finis hominis illius pejor
quàm principium ejus, ſic erit generationi huic
pravæ.
46 Quum autem ipſe loqueretur turbis, ve-
nerunt mater ejus & fratres ejus, ſtantes foris, &
quærentes ut loquerentur cum eo.

[20] F. Syrè, appropinquavit ſibi ad nos. Pleonaſmus frequens, de quo ſuprà 4.10.
[21] F. Syrè, aut quomodo, &c. vide ſuprà in. 7.9.
[22] Pro, Prorſus ſpargit, Hebraiſmus.
[23] F. putà convicium ſive blaſphemiam, ex antecedentibus. Sequentia autem verba perſpicua ſunt, ſi ad communem in hominibus loquendi modum attendatur. Nam hoc ſeculum eſt in quo verſamur: ſeculum venturum eſt, in quo verſatur Deus, & quò contendimus victuri cum Chriſto. In hoc ſeculo judicat Eccleſia, in illo judicat Deus. Hoc autem judicio ligantur aut ſolvuntur peccata hîc ab Eccleſia, illic à Deo: ac proinde peccatoribus remittuntur, aut retinentur peccata ſua à Deo, hîc mediatè per Eccleſiam, illic immediatè per ſe. His blaſphemis, ait Chriſtus, omninò omni cognitione in omni loco & tempore retinentur. Non eſt cur aut rejectus à Deo larvam Eccleſiæ obtendat, aut ab Eccleſia rejectus de gratia Dei glorietur: quorum illud Phariſæorum, hoc verò Antichriſtorum eſt. Confer cum Marci 3.29. Sic diſtinguuntur hoc & futurum ſeculum, Marci 10.30. Luc. 18.30 Epheſ. 1.21. Heb. 6.5. Eſt enim reipſa ſeculum illud penes Deum: ſed reſpectu noſtri futurum eſt, quia in eo revelabimur per gratiam Dei.
[24] F. vel majus quàm Jonas, aut plus quàm Jonas: indefinitè dictum, ut eſt in contextu Græco, ſic verſu ſeq.
[25] F. id eſt, inhoſpita, quæ non poſſunt commodè habitari.
[26] [illegible] [illegible], Id eſt, Ab habitatore vacuam, nitidam & adornatam. Vox quam vertimus *verſam* peculiaris eſt linguæ Syræ, nec facilè invenitur in aliis ſcriptoribus, in novo verò Teſtamento recurrit in eodem ſenſu, Luc. 11.25. atque ejuſdem eſt derivationis ac ſignificationis vox [illegible], Luc. 15,8.

27 Ad verb. Homo. Hebraismus.

47 Dixit autem ei [27] quidam, Ecce, mater tua & fratres tui stant foris, & quærunt ut loquantur tecum.
48 Ipse autem respondit, & dixit ei qui renunciaverat sibi, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?
49 Et extendit manum suam in discipulos suos, & dixit, Ecce mater mea, & ecce fratres mei.
50 Quisquis enim facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse est frater meus, & soror mea, & mater mea.

47 Dixit autem ei quidam, Ecce, mater tua & fratres tui foris adstant, quærentes tuum colloquium.
48 Ipse verò respondens dixit illi qui *hoc* ei dixerat, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?
49 Et protensa manu sua in discipulos suos, dixit, [f] Ecce mater mea & fratres mei:
50 Quisquis enim fecerit [t] quod vult Pater ille meus qui est in cælis, is est meus frater, & soror, & mater.

f B. Nulli nobis conjunctiores quàm qui sunt domestici fidei.
t Fidem præcipuè commendat, quæ sanctæ obedientiæ fons est & origo.

CAPUT XIII.

1 Parabola seminantis. 11.34 Cur in parabolis loquutus Christus. 18 Expositio parabolæ. 24 Parabola zizaniorum. 31 Grani sinapis. 33 Fermenti. 44 Thesauri absconditi. 45 Margaritæ. 47 Sagenæ jactæ in mare. 53 Christus à Nazaræis non suscipitur.

IN illo autem die egressus est Jeschua è domo, & sedit juxta littus maris.
2 Et congregatæ sunt ad illum turbæ multæ, adeò ut ingrederetur, & sederet in navi, & universa turba staret juxta littus maris.
3 Et multùm loquebatur cum illis in parabolis, & dicebat, Ecce, egressus est seminator ad seminandum.
4 Et quum seminaret, fuit quod caderet [1] juxta viam: & venerunt aves, & comederunt ipsũ.
5 Et aliud cecidit super petram, ita ut non esset terræ multum: & eadem hora [2] exortum est, propterea quòd nulla esset profunditas terræ.
6 Quum autem ortus est sol, [3] calorem sensit, & quia non erat ei radix, exaruit.
7 Et aliud cecidit [4] *in* locum spinarum: & ascenderunt spinæ & suffocaverunt ipsum.
8 Et aliud cecidit in terram bonam, & dedit fructus: [5] est quod *dedit* centum, & est quod sexaginta, & est quod triginta.
9 Is cui sunt aures ut audiat, audiat.
10 Et accesserunt discipuli ejus, & dixerunt ei, Quare in parabolis loqueris cum illis?
11 Ipse autem respondit, & dixit eis, Quia vobis est datum nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum.
12 Illi enim cui est, dabitur, & reddetur abundantior: & cui non est, [6] etiam id quod est ei auferetur ab eo.
13 Propterea in parabolis loquor cum illis, quia vident & non vident: & audiunt ac non audiunt, neque intelligunt.
14 Et completur in illis vaticinium Isaiæ, qui ait, Quòd audiendo audietis, & non intelligetis: & videndo videbitis, & non cognoscetis.
15 Incrassatum enim est cor populi hujus, & auribus suis graviter audierunt, & oculos suos [7] clauserunt: ut non viderent oculis suis, & audirent auribus suis, & intelligerent corde suo, & converterentur, & sanarem eos.
16 Vestri autem beati sunt oculi qui vident, & aures vestræ quæ audiunt.
17 Ammin enim dico vobis, quòd multi Prophetæ & justi concupiverunt ut viderent id quod videtis vos, & non viderunt: & audire id quod auditis vos, & non audiverunt.
18 Vos autem audite parabolam seminis,
19 Omnis qui audit sermonem regni, & non intelligit ipsum, venit Malus & rapit sermonem seminatum in corde ejus: hoc est quod seminatum erat [8] juxta viam.

1 Ad verb. Juxta manum, vel locum viæ, F. vel in spatium viæ; quod est evidentiùs hic, & infrà vers. 19. aut etiam ad latus viæ, ut infrà 20.30. Hebraismus frequens.
2 Syrum verbum, מדנח propriè convenit è terra nascentibus: & significat, E terra prodire. quod ideò annotare libuit, quia à nostris lexicis prætermittitur: quamquam Rabbi Nathan auctor ערוך Talmudici, ipsum adducit in radice דנח, atque exemplis aliquot hanc ejus esse significationem confirmat.
3 Ad verb. Calefactum est.
4 Reticetur præpositio ex Hebraismis, ut antè observavimus, cap. 9.9. Quamquam possit בית positum esse loco בין inter: quod sæpè fit in Syra & Chaldæa lingua, tùncque vertendum est, Et aliud cecidit inter spinas, &c.
5 Pro, Aliud centum, & aliud sexaginta, & aliud triginta: & eodem modo paulò infrà.
6 i. Quod putat sibi esse, ut declarat Lucas cap. 8. 18.
7 Syrè, עמץ ab Hebræo עצם, per literarum transpositionem. Significat autem Claudere, occludere. Quo verbo, ita literis transpositis, etiam Chaldæi scriptores frequenter utuntur.
8 Ad verb. Juxta manum vel locum viæ, ut antè observavimus. Hebraismus.

ILlo [a] verò die egressus Jesus domo, sedit apud mare.
2 Et coacta est ad eum turba multa, adeò ut navigium ingressus sederet. tota autem turba in littore adstabat.
3 Et loquutus est eis multa per [b] parabolas, dicens, Ecce, *quidam* sator exiit ad serendum.
4 Et quum is seminaret, alia quidem ceciderunt secundùm viam: & venerunt volucres, & devoraverunt ea.
5 Alia verò ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & statim exorta sunt, propterea quòd non habebant profundam terram:
6 Sole autem exorto, ardore tacta sunt, & propterea quòd non habebant radicem, exaruerunt.
7 Alia verò ceciderunt in spinas: & [c] ascenderunt spinæ, & suffocârunt ea.
8 Alia verò ceciderunt in terram bonam, & ediderunt fructum, aliud quidem centena, aliud verò sexagena, aliud verò tricena.
9 [d] Qui habet aures ad audiendum, audiat.
10 Tunc accedentes discipuli, dixerunt ei, Quare per parabolas loqueris eis?
11 [e] Ipse verò respondens, dixit eis, [f] Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.
12 [g] Quisquis enim habet, [g] dabitur ei, & amplius habebit: quisquis autem non habet, etiam quod [h] habet tolletur ab eo.
13 Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt.
14 [h] Itaque completur in ipsis prophetia Esaiæ, quæ dicit, Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non [i] cernetis.
15 Crassum factum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculis suis conniverunt: ne quando cernant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & se [k] convertant, & sanem eos.
16 [l] Vestri verò beati sunt oculi, quòd videant: & aures vestræ, quòd audiant.
17 [l] Amen enim dico vobis, multi Prophetæ & justi desiderârunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.
18 Vos igitur audite parabolam ejus qui seminat.
19 [m] [m] Quoties [n] quispiam audit sermonem de [o] regno illo, & non attendit, venit ille Malus, & rapit quod satum est in [p] corde ipsius: is est qui secundùm viam [q] semen excepit.

a B. Christus proposito satoris ænigmate, declarat semen vitæ impari successu in mũdo seri, quòd videlicet plerique vel non admittant, vel adolescere non sinant.
b i. Comparationes & similitudines quæ quamvis plerumque rem de qua agitur illustrent, tamen quasi perpetuam metaphoram constituant, ænigmaticæ sunt.
c Excreverunt.
d Alii sunt auriti, alii sunt surdi, néc tamen sua industria aptant sibi aures & formant homines, sed à Domino perforantur.
e B. intelligentiæ & fidei donum est proprium electorum, reliquis justo Dei judicio excæcatis.
f Hujus discriminis non alia repe rietur causa, nisi quòd ad se vocat Deus quos gratuitò elegit.
g *Infra 25.29.*
g In filiis suis locupletandis nunquam fatigatur Deus.
h Etiam quod se putat habere.
h *Esa.6.9. Mar.4.12. Luc.8.10. Joh.12.40. Act.28.26. Rom.11.8.*
i Perspicietis, ut animi etiam illam notionẽ intelligat.
k Hebr. id est, resipiscant.
l B. Potior est Ecclesiæ præsentis conditio, quàm Patrum qui fuerunt sub Lege.
l *Luc.10.24.*
m *Mar.4.15. Luc.8.11.*

m Summa est: doctrinam Evangelii, quum instar seminis sparsa est, non ubique esse fructiferam: quia non semper in terram fœcundam & benè cultam incidit. n Ad verb. Omni audiente, ut universalis nota ad tempus non ad personam referatur. o Cælesti & æterno. p Satio ista ad auditionem refertur sine intelligentia, etiamsi cordis fiat mentio: nam sive excipiatur semen animo, sive non, qui tamen seminat, animo seminat. q Ad verb. satus, Homo enim hic dicitur satus, ut ager satus,

20 Qui verò in petrosa semen excepit, is est qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio excipit:

21 Non habet autem radicem in sese, sed [r] temporarius est: ortâque compressione vel persequutione propter sermonem, statim offenditur.

22 Qui verò in spinas semen excepit, is est qui sermonem audit: sed solicitudo seculi hujus, & [s] fallacia divitiarum suffocat sermonem, qui fit fructus expers.

23 Qui verò in terram bonam excepit semen, is est qui sermonem audit & intelligentiam intendit, qui videlicet fructum fert: editque alius quidem centena, alius sexagena, alius verò tricena.

24 [t] Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile est regnum cælorum homini serenti bonum semen in agro suo.

25 Quum autem dormirent homines, venit ejus inimicus, & sevit zizania inter triticum: & abiit.

26 Quum verò germinasset herba, & fructum edidisset, tunc apparuerunt etiam zizania.

27 Accedentes autem servi patrisfamiliâs, dixerunt ei, Domine, nónne bonum semen sevisti in tuo agro? unde ergo habet zizania?

28 Ille verò dixit eis, Inimicus quispiam hoc fecit. Servi autem dixerunt ei, Vis igitur abeamus & colligamus ea?

29 At ille dixit, Non: ne colligendo zizania, eradicetis simul cum eis triticum.

30 Sinite utraque simul crescere usque ad messem: & tempore messis dicam messoribus, Colligite primùm zizania, & ligate ea in fasciculos, ad exurendum ea: triticum verò cogite in horreum meum.

31 [‖] Aliam parabolam proposuit eis, dicens, [u] Simile est regnum cęlorum grano sinapis, quod acceptum quispiam sevit in agro suo:

32 Quod minimum quidem est omnium seminum: quum autem excreverit, maximum est olerum: & arborescit: adeò ut veniant volucres cæli & [x] nidulentur in ramis ipsius.

33 [‖] Aliam parabolam loquutus est eis, *dicens*, Simile est regnum cælorum [y] fermento, quod acceptum mulier indidit in farinæ [z] sata tria, usquequò fermentaretur tota.

34 Hæc omnia loquutus est Jesus per parabolas ad turbam: [‖] & [a] absque parabola nihil loquutus est eis.

35 Ut compleretur quod dictum fuit per Prophetam, dicentem, [‖] [b] Aperiam per parabolas os meum: eructabo occultata à jacto mundi fundamento.

36 Tunc dimissa turba venit domum Jesus, & adierunt eum discipuli ejus, dicentes, Edissere nobis parabolam zizaniorum agri illius.

37 [c] Ipse verò respondens, dixit eis, Qui seminat bonum semen est Filius hominis:

38 Ager autem, est mundus: bonum verò semen, sunt [d] filii regni: zizania verò, sunt filii illius Mali.

39 Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus: [‖] messis verò, consummatio seculi est: messores autem, Angeli sunt.

40 Sicut ergo colliguntur zizania, & igni ex-

[r] Ad quoddam tempus durat, est herba quasi certi temporis.

[s] Ad verb. extra viam abductio. Quotquot autem sunt carnis nostræ affectus (quorum innumera est copia & varietas) meminerimus totidem esse noxas ad corrumpendum vitæ semen.

[t] B. Christus alio ęnigmate mali seminis cum bono permixti, docet nunquam fore penitùs liberam Ecclesiam ab offendiculis, tum in doctrina, tum in moribus, donec advenerit dies ille instaurationi rerum omnium destinatus.

[‖] *Mar.* 4.30. *Luc.* 13.18.

[u] B. Deus regnum suum à tenuissimis principiis auspicatur, ut insperati progressus meliùs illustrent ejus potentiam.

[x] Suprà 8.20.

[‖] *Luc.* 13.20.

[y] Fermenti nomen, aliquando malè sonat, hîc verò simpliciter tenenda est applicatio ad præsentem causam: cæterùm hæc parabola eamdem cum pręcedenti significationem habet.

[z] Modios quatuor & semis: nam seha mensura fuit rerum aridarum, sesquimodium continens.

[‖] *Mar.* 4.34.

[a] Genus dicendi sequutus est, aptum & congruum auditoribus quos sciebat nondum satis esse ad discendum paratos.

[‖] *Psal.* 73.8.

[b] Hebr. loquar in parabolis.

[c] B. Explicatio superioris ænigmatis, de bono & malo semine. [d] Qui ita sunt in Ecclesia, ut etiam sint de Ecclesia. Regni autem simpliciter dicit: nam solùm regnum cælorum verè regnum est, reliqua sunt potiùs inanes species. [‖] *Apoc.* 14.15. *Joël.* 3.13.

20 Id autem, quod supra petram seminatum fuit, est is qui audit sermonem, & eadem hora cum gaudio excipit illum.

21 Non est autem illi radix in eo, sed temporarius est: & quum fuerit afflictio aut persequutio propter sermonem, continuò offenditur.

22 Quod autem [9] *in* loco spinarum seminatum fuit, is est qui audivit sermonem: & cura seculi hujus, & deceptiones divitiarum suffocant ipsum sermonem, & infrugifer redditur.

23 Cæterùm illud quod in bonam terram seminatum fuit, is est qui audit sermonem meum, & intelligit: & reddit fructus, & facit, [10] est qui centum, & est qui sexaginta, & est qui triginta.

24 Aliam parabolam [11] proposuit illis, & dixit, Simile est regnum cælorum viro qui seminavit semen bonum in agro suo.

25 Et quum dormirent homines, venit inimicus illius, & seminavit [12] zizania inter triticum, & abiit.

26 Quum autem protulisset herbam, & fecisset fructus, tunc conspecta sunt etiam zizania.

27 Et accesserunt servi [13] domini domus, & dixerunt illi, Domine noster, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? undénam sunt in eo zizania?

28 Ille autem dixit eis, Homo inimicus fecit hoc. Dicunt ei servi ejus, Vis tu *ut* euntes [14] colligamus ea?

29 Ille autem dixit eis, [15] Ne, dum colligetis zizania, eradicetis cum illis etiam triticum,

30 Sinite *ut* crescant ambo pariter usque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus, Colligite priùs zizania, & ligate ea *in* fasciculos ut comburantur: triticum verò colligite in horrea mea.

31 Aliam parabolam proposuit eis, & dixit, Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo.

32 Et illud est minimum omnium seminum: postquam autem excrevit, maximum est omnium olerum, & [16] fit arbor: adeò ut venientes aves cælorum nidulentur in [17] ramis illius.

33 Aliam parabolam dixit illis, Simile est regnum cælorum fermento illi quod accipiens mulier, recondidit in tribus [18] satis farinæ, donec totum fermentaretur.

34 Hæc omnia loquutus est Jeschua per parabolas ad turbas, & sine parabolis non loquebatur cum illis.

35 Ut compleretur id quod dictum fuerat [19] per Prophetam, qui dixit, Aperiam os meum in parabolis, & eructabo abscondita, quę *fuerunt* ante fundationem mundi.

36 Tunc dimisit Jeschua turbas, & venit in domum. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & dixerunt ei, Explica nobis parabolam illam zizaniorum & agri.

37 Ille autem respondit, & dixit illis, Is qui seminavit bonum semen, est Filius hominis.

38 Et ager est mundus: semen autem bonum, filii sunt regni: zizania autem, sunt filii illius Mali.

39 Inimicus autem qui seminavit ea, est Satanas: messis verò est consummatio mundi: messores autem, Angeli.

40 Sicut igitur colliguntur zizania, & com-

[9] Cum prępositionis reticentia, vel בין תוך בית interponitur: ut paulò antè observavimus, ut vertendum sit, Inter spinas.

[10] Pro, Alius centum: ut paulò antè.

[11] F. Syrè, ἠνίξεν, ænigmaticè vel parabolicè proposuit. sic deinceps.

[12] Græcam vocem retinet, sicut etiam infrà.

[13] F. i. οἰκοδεσπότης, ad verbum: Latini patremfamiliâs vocant. sic infrà 52.

[14] נבבא à נבב, quod respondet Hebræo קשש, Collegit. est autem tertia thematis, quæ erat ב, mutata in א, quod etiam in Hebræa lingua in geminatis aliquando fit, ut concursus similium literarum vitetur.

[15] F. Ellipsis frequens ἐν ὑποφορᾶις, & responsionibus quibusque ajentibus & negantibus, cujus index est sua ætiologia: ut Gen. 20.11. & 27.20. & infrà 16.7. & 8. & 20.7. & 25.9.

[16] In Talmud Jerosolymitano, in tractatu De angulo agri cap. 2. legitur quemdam Simonem filium Halaptha, retulisse se habere in prædio suo plantam sinapis tantæ magnitudinis ut ipse in summitatem ramorum ejus posset conscendere, veluti in ficum. Item alius ibidem refert de alia planta sinapis, cujus tres essent rami, quorum unus incurvatus fuit ad umbraculum faciendum figulis qui sub eo in æstate operabantur. ex quo ramo tandem tres cabi seminis fuerunt collecti, id est, dimidius modius. Quamvis autem eximia fuerit terræ sanctæ ubertas, nolim tamen pro compertis obtrudere: tantùm protuli ut locum aliqua ex parte illustrarem. F. simile de hyssopo, infrà Joan. 19.29. [17] בסוכיה. Est sicut Hebraicum בסעפיו: & est frequenter in usu apud scriptores Hebræos & Talmudicos. imò etiam in Bibliis reperitur, sed scriptum est cum ש quòd literæ ס æquivalet, Jud. 9.48. & 49. [18] F. vide suprà in 5.15. [19] Ad verb. Per manum Prophetæ.

buruntur igni, sic erit in consummatione seculi
hujus.
41 Mittet Filius hominis angelos suos, & col-
ligent è regno illius omnia scandala, & omnes
facientes iniquitatem.
42 Et conjicient illos in fornacem ignis: ibi
erit ploratus & stridor dentium.
43 Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Pa-
tris sui. Is cui sunt aures ut audiat, audiat.
44 Rursum simile est regnum cælorum the-
sauro qui est absconditus in agro, quem quum
invenit homo, abscondit quoque, & præ gaudio,
abiens vendit quicquid est ei, & emit agrum illũ.
45 Rursum simile est regnũ cælorum homi-
ni mercatori qui quærebat margaritas optimas.
46 Quum autem invenit margaritam unam
[20] pretiosam, abiens vendit quicquid est ei, & e-
mit eam.
47 Rursum simile est regnum cælorum verti-
culo quod projectum est in mare, & ex omni ge-
nere congregat.
48 Et quum impletum est, subduxerunt ipsum
ad littus maris, & sedentes, collegerunt: & [21] bo-
nos injecerunt in vasa, malos autem projecerunt
foras:
49 Sic erit in consummatione seculi: exibunt
Angeli, & separabunt malos è medio justorum.
50 Et projicient illos in fornacem ignis: ibi
erit ploratus & stridor dentium.
51 Ait illis Jeschua, Intellexistis omnia hæc?
Dicunt illi, Etiam Domine noster.
52 Dixit illis, Propterea omnis legisperitus
qui [22] edoctus est ad regnum cælorum, similis est
homini domino domus, qui depromit è thesauro
suo nova & vetera.
53 Et factum est ut postquam [23] finisset Je-
schua sermones hos, digrederetur illinc,
54 Et veniret in civitatem suam. Et docebat
illos in synagogis illorum, ita ut mirarentur, &
dicerent, Unde huic sapientia hæc & virtutes?
55 Nonne hic est filius fabri? nonne mater
ejus vocatur Mariam, & fratres ejus, Jaakub, &
Jussi, & Schemeun, & Jihuda?
56 Et sorores ejus omnes nonne apud nos
sunt? unde huic hæc omnia?
57 Et offendebantur super eo. Ipse autem Je-
schua dixit illis, Non est Propheta qui sit [24] ex-
pers honoris, nisi in civitate sua & in domo sua.
58 Et non edidit ibi virtutes multas, propter
incredulitatem illorum.

[20] יקירת דמיא Ad verb. Charam pretiis, id est, Chari pretii. Hebraismus.

[21] F. vel quæ bona erant, injecerunt in vasa; quæ autem mala, projecerunt foras.

[22] F. Syrè, discipulum sese præbuerit; & justus fuerit discipulus: quod etiam sonat μαθητευθείς.

[23] F. vel absolvisset, purà enunciare. Ellipsis, ut suprà 10, 23.

[24] Ad verb. Qui parvus sit. hoc est, Abjectus & infimi gradus.

uruntur: ita erit in consummatione seculi hujus.
41 Mittet Filius hominis [e] Angelos suos, qui
colligent ex ipsius regno omnia [f] offendicula, &
eos qui [g] dant operam transgressioni legis:
42 Projiciéntque eos in [h] fornacem ignis: il-
lic erit fletus, stridórque dentium.
43 [‖] Tunc justi effulgebunt ut sol, in regno pa-
tris sui. Qui habet aures ad audiendum, audiat.
44 [i] Rursus simile est regnum cælorum the-
sauro occultato in agro: quem nactus quispiam
occuluit, & præ gaudio quod accipit ex eo, [k] sub-
ducit *sese*, & omnia quæ habet vendit, emítque
agrum illum.
45 Rursus simile est regnum cælorum cuipi-
am negotiatori, quærenti pulcras [l] margaritas.
46 Qui nactus quamdam magni pretii mar-
garitam, abiit & venundedit omnia quæ habe-
bat, & [m] emit eam.
47 [n] Rursum simile est regnum cælorum sa-
genæ jactæ in mare, & quæ [o] res cujusvis gene-
ris coëgit:
48 Quam impletam *piscatores* subduxerunt in
littus: & sedentes quæ bona erant in vasa colle-
gerunt, quæ verò [p] putria extrà abjecerunt.
49 Ita erit in consummatione seculi: [q] prodi-
bunt Angeli, & [r] segregabunt malos è medio ju-
storum:
50 Projiciéntque eos in caminum ignis: [f] il-
lic erit fletus & stidor dentium.
51 Dicit eis Jesus, Intellexistis hæc omnia?
Dicunt ei, Etiam Domine.
52 Ipse verò dixit eis, [t] Propterea [u] omnis
Scriba edoctus in regno cælorum, similis est cui-
piam patrifamilias qui profert è thesauro suo no-
va & vetera.
53 Et factum est quum finisset Jesus parabo-
las istas, ut [x] solveret illinc.
54 [‖] [y] Et quum venisset in [z] patriam suam, do-
cuit eos in synagoga eorum: *adeò* ut [a] percelle-
rentur, ac dicerent, Unde huic sapientia ista &
[b] virtutes?
55 Nónne iste est ille fabri filius? nónne ma-
ter ejus dicitur Maria, [‖] & [c] fratres ejus Jacobus
& Joses & Simon & Judas?
56 Et [d] sorores ejus nónne omnes apud nos
sunt? unde igitur isti hæc omnia?
57 Et offendebantur in eo. Jesus autem dixit
eis, [‖] Non est Propheta inhonoratus nisi in patria
sua & domo sua.
58 Neque edidit illic virtutes multas, pro-
pter incredulitatem eorum.

e Angelis has partes tribuit, quia non adstabunt ad Dei tribunal otiosi, sed præstò se offerent ad exsequenda ejus mandata.
f Metonymia, eos qui designarunt turpia, & aliis nocentia facinora.
g Suprà 7.23.
h Heb. ardentem.
‖ *Sap.* 1.7. *Dan.* 12.3.
i B. Quantæ sint opes regni cælestis, paucissimi intelligunt: nec fit quisquam earum particeps, nisi qui aliarum omnium rerum jactura illas redimit.
k Reperto.
l Suprà 7.6.
m Quamvis gratuitum sit donum Dei, vita cælestis & quicquid ad eam pertinet, dicimur tamen eam redimere, quum volentes privamus nos carnis desideriis.
n B. Multi sunt in Ecclesia, qui tamen non sunt ex Ecclesia, ac proinde tandem ejicientur: Sed plena ista repurgatio in ultimum illum diem differtur.
o Quæ colligit res varias. est autem sagena retis genus.
p Qualia multa è maris fundo unà cum piscibus eruuntur, ut sunt muscus & alga.
q Missi à Domino.
r Tamquam ad certum finem destinatos, malos siquidem morti secundæ, electos vitæ.
f Scriptura non potest satis exprimere pœnam, quæ manet impios: hic ab effectu vult horrorem incutere.
t B. Sedulos esse oportet, quos non solùm sibi sapere, sed etiam aliis Dei sapientiam dispensare necesse est.
u Suprà 2.4.
x Navigavit, ut apparet ex Lucæ 8.22.
‖ *Mar.* 6.1. *Luc.* 4.16.
y B. Homines non sola ignorantia peccant, sed ultrò sibi accersunt offendicula, ne Deo vocanti obsequantur, idque certa cum eorum pernicie.
z In Nazareth.
a Suprà 7.28.
b Relucebant hæc duo in Christo, incomprehensibilis quædam in sermone sapientia, & divina admirabilisque virtus in opere, qua quosvis sanabat.
‖ *Joh.* 6.42.
c Fratres more Hebræorum vocantur consanguinei quilibet.
d Quæ ex familia Christi erant.
‖ *Mar.* 6.4. *Luc.* 4.24. *Joh.* 4.44.

CAPUT XIIII.

1 *Herodis Tetrarchæ judicium de Jesu.* 3 *Johannes quare vinctus,* 10 *& inde capite truncatus.* 13 *Secedit Jesus.* 18 *De quinque panibus, &c.* 23 *Orat Christus.* 24 *Apostoli jactati fluctibus.* 27 *Fides.* 30 *Petrus periclitatur.* 36 *Fimbria vestimenti.*

IN illo autem tempore audivit Hiraudis tetrar-
cha famam Jeschua.
2 Et dixit servis suis, Ipse est Juchannan Ba-
ptista. Ipse surrexit [1] à mortuis: propterea virtu-
tes fiunt in eo.
3 Ipse námque Hiraudis ceperat Juchan-
nan, & vinxerat ac conjecerat [2] *in* carcerem, pro-
pter Hiraudiadem uxorem Philippi fratris sui.

[1] Ad verb. Ab inter mortuos, Gallicè, *D'entre les morts*. vel, è domo mortuorum.
[2] Ad verb. Domum vinctorum, subaudita præpositione In, quam denotat ב dictioni præfixa. de cujus reticentia anteà admonuimus.

ILlo [a] [‖] tempore audivit Herodes tetrarcha fa-
mam *de* Jesu.
2 Et dixit [b] pueris suis, Iste est Johannes ille
Baptista: [c] ipse suscitatus est ex mortuis, & pro-
pterea [d] virtutes agunt in eo.
3 [‖] Nam Herodes prehensum Johannem
vinxerat, & conjecerat in carcerem, propter He-
rodiadem uxorem Philippi fratris sui.

a B. In Johanne exemplum fortitudinis invictæ, quod fidi omnes Verbi ministri imitentur: in Herode exemplum tyrannicæ vanitatis, superbiæ, ac sævitiæ aulicæ, denique conscientiæ, & miserabilis eorum servitutis, qui sese voluptatibus semel dediderunt: in Herodiade & ejus filia exemplum meretriciæ lasciviæ, & fœmineæ crudelitatis.
‖ *Mar.* 6.14. *Luc.* 9.7.
b Servis vel famulis.
c Hærebat passim in hominum mentibus hæc superstitio, redire mortuos in hanc vitam sub alia persona.
d Per virtutes intelligit vim illam & facultatem, non autem effecta, ut anteà sæpè. *agunt in eo*, i. efficaces sunt in eo.
‖ *Mar.* 6.17. *Luc.* 3.19.

4 Dicebat enim ei Johannes, Non licet tibi eam habere.

5 Et quum cuperet eum occidere, timuerat turbam,‖ quòd eum haberent ut Prophetam.

6 Quum autem agerentur natalitia Herodis, saltaverat filia Herodiadis [e] in medio: & placuerat [f] Herodi.

7 Unde cum jurejurando spoponderat *se* daturum ei quicquid petiisset.

8 Illa verò [g] producta à matre sua, Da mihi (inquit) hîc in patina caput Johannis Baptistæ.

9 Et contristatus fuerat rex: sed propter jusjurandum, & eos qui simul accumbebant, [h] jusserat dari.

10 Et misso *carnifice* decollaverat Johannem in carcere.

11 Et allatum fuerat caput ejus in patina, datúmque puellæ: & *ipsa* obtulerat illud matri suæ.

12 Et quum accessissent discipuli ejus, sustulerant corpus illius, [i] illúdque sepelierant: venerántque & renunciaverant Jesu.

13 ‖ *Hæc* igitur quum audisset Jesus, secessit illinc è navigio in desertum locum privatim: & quum *hoc* audisset turba, pedibus sequuta est eum ab urbibus.

14 [k] Et egressus Jesus vidit multam turbam: & commiseratione intima commotus est erga eos, sanavítque eorum ægrotos.

15 ‖ Quum autem serum diei esset, adierunt eum discipuli ejus, dicentes, Desertus est locus, & tempus jam præteriit: dimitte turbam, ut abeuntes in vicos emant sibi escas.

16 Jesus autem dixit eis, Non habent necesse abire: date eis vos quo vescantur.

17 Ipsi verò dicunt ei, Non habemus hîc nisi quinque panes & duos pisces.

18 Ipse autem dixit, Adferte mihi eos huc.

19 Et jussa turba per herbas discumbere, acceptis quinque illis panibus ac duobus piscibus, [l] suspiciens in cælum [m] benedixit: & quum fregisset, dedit discipulis panes, discipuli verò turbæ.

20 Et comederunt omnes, & saturati sunt. sustulerúntque quod superfuerat fragmentorum, duodecim [n] cophinos plenos.

21 Qui autem ederant, fuêre viri quasi quinquies mille, absque mulieribus ac puerulis.

22 Et statim adegit Jesus discipulos suos inscendere in navigium, & præire sibi in ripam alteram, dum dimitteret turbam.

23 Dimissa igitur turba ascendit [o] in montem privatim, ad orandum.‖ Quum autem serum diei esset, solus erat illic.

24 [p] Navigium verò jam in medio maris erat, vexatum à fluctibus. Nam ventus erat contrarius.

25 Quarta autem noctis [q] vigilia abiit ad eos Jesus, ambulans super mare.

26 Et eo viso super mare ambulante, discipuli turbati sunt, dicentes, [r] Spectrum est: & præ metu clamârunt.

27 Sed statim loquutus est eis Jesus, dicens, Confidite: ego sum, ne timete.

28 [s] Respondens autem ei Petrus dixit, Do-

‖ *Infr.21.26.*

e Palàm & publicè.

f Tres fuerunt Herodes: Primus, filius Antipatri, qui Ascalonius etiam dicitur, quo regnante natus est Christus, cujus jussu interfecti sunt pueri. Alter, dictus Antipas, Magni filius, matre Malthaca seu Martaca, qui Tetrarcha dictus est, cui auctum fuit imperium, Archelao Viennam in Gallia relegato. Tertius Agrippa, Magni nepos, ex Aristobulo, qui Jacobum interfecit.

g Inducta priùs & persuasa.

h Docet hic locus cavendum esse ne quid inconsideratè quispiam promittat: deinde ne ad levitatem accedat contumacia.

i Etsi nihil mortuis confert honor sepulturæ, vult tamen ceremoniam hanc Dominus à nobis observari, ut resurrectionis pignus.

‖ *Mar.6.32. Luc.9.10.*

k B. Christus quinque panibus & duobus pisciculis maximam turbam reficiens, ostendit nihil defuturum iis qui regnum Dei postpositis omnibus quærunt.

‖ *Mar.6.35. Luc.9.12. Job.6.5.*

l Precantis gestus.

m Benè precatus est, & gratias egit Deo patri. Ergo benedictionis appellatione non intelligimus crucis signum in aërem sparsum, aut consecrationem magicam.

n Mensuræ genus, siccis & aridis proprium.

o Precandi in omnibus locis libertas (Paul. 1. Tim.8.) non obstat quominus secretas etiam preces suo tempore concipiamus. ‖ *Mar.6.46. Iob.6.16.* p B. Navigandum nobis per maximas tempestates, & Christus, modò eò, quò ipse jusserit, contendamus, nos nunquam deseret. q Ad verb. custodia. Indicatur tempus appropinquantis diei. nam veteres in quatuor vigilias dividebant noctem, quibus fiebant excubiæ. r Spectrum seu phantasma est ad quod animus attrahitur specie inani, quum videre sibi aliquid videtur, quod re ipsa nihil est. s B. Fide calcamus ipsas tempestates, sed Christi demùm virtute, eas ipsas vires quas nobis indidit, per eamdem misericordiam adjuvante.

mine

4 Dicebat enim illi Juchannan, Non licet ut ea [3] sit tibi uxor.

5 Et voluisset occidere eum: [4] & metuebat à populo, quia tamquam Prophetam tenebant eum.

6 Quum autem esset [5] inter natalia Hiraudis, saltabat filia Hiraudiadis coram accumbentibus, & placebat Hiraudi.

7 Propter hoc juramento pollicitus est illi quòd daturus esset ei quicquid peteret.

8 Illa autem, quia edocta fuerat à matre sua, dixit, Da mihi hîc [6] in patina caput Juchannan Baptistæ.

9 Et indoluit rex: propter jusjurandum autem & accumbentes, jussit ut daretur ei.

10 Et [7] mittens amputavit caput Juchannan [8] *in* carcere.

11 Et allatum est caput ejus in patina, & datum est puellæ, & attulit ipsum ad matrem suam.

12 Et accedentes discipuli ejus, sustulerunt corpus ejus, & sepelierunt: ac venientes, renunciaverunt ipsi Jeschua.

13 Jeschua autem quum audivisset, secessit illinc in navi ad locum desertum seorsum. Et quũ audissent turbæ, [9] sequutæ sunt eum per aridam, ab urbibus.

14 Et egressus Jeschua vidit turbas multas, & misericordia motus est erga illos, & sanavit morbidos illorum.

15 Quum autem esset vespera, accesserunt ad eum discipuli ejus, & dixerunt ei, Locus desertus est, & tempus [10] præteriit, dimitte turbas hominum, ut abeant in vicos, & emant sibi cibum.

16 Ille autem dixit eis, Non est necesse illis abire. date illis vos ad comedendum.

17 Illi autem dixerunt ei, Nihil est nobis hîc nisi quinque placentæ & duo pisces.

18 Dixit illis Jeschua, Adferte [11] illos mihi huc.

19 Et præcepit turbis discumbere super [12] terram. Et accipit illos quinque panes, & duos pisces: & respexit versus cælos, & benedixit, & fregit, & dedit discipulis suis: ipsi verò discipuli apposuerunt turbis.

20 Et comederunt omnes, & saturati sunt, & sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim [13] cophinos plenos.

21 Illi autem homines qui comederant, fuerant quinque millia, prẹter mulieres & pueros.

22 Et statim compulit [14] discipulos suos ut conscenderent navim, & abirent ante se ad [15] ulteriorem ripam, dum ipse dimitteret turbas.

23 Et quum dimisisset turbas, ascendit in mõtem solus ad orandum. Quúmque [16] tenebræ jam essent, solus erat illic.

24 Navis autem longè aberat à terra [17] stadiis multis, quum affligeretur multùm ab undis: ventus enim contrarius illi erat.

25 Custodia autem quarta noctis venit ad illos Jeschua ambulans super aquas.

26 Et viderunt eum discipuli ejus quòd ambularet super aquas, & commoti sunt, & dicebant quòd [18] spectrum esset: atque præ metu exclamaverunt.

27 Ipse autem Jeschua eadem hora loquutus est cum illis, & dixit, [19] Bono animo sitis: ego sum, ne timeatis.

28 Et respondit Cipha, & dixit illi, Domine

3 Erat דתהחא incuria typographorum, ut opinor, pro דתהוא quod restitui ex manuscripto.

4 Copula, pro adversativa particula, Sed metuebat, &c.

5 Ad verb. Inter nativitatem Herodis. Nativitatem ponit pro convivio quod exhibebat Herodes die natali suo.

6 Vocem retinuit Græcam *πίνακι*.

7 F. i. misit amputatum. vide suprà in 2.23.

8 Ad verb. *In* domo vinctorum.

9 Ad verb. Venerunt post eum.

10 F. Syrè, præteriit sibi: Pleonasmus, ut suprà 4.10.

11 F. vel illa: quod est evidentius, nec magis abest à Græco.

12 Ita enim erat על ארעא super terram, licèt Græcus textus habeat Super herbas. & fortassis scriptorum incuria positum fuit ארעא terra, pro עסבא herba: sed quia idem legitur in manuscripto, non ausus sum mutare.

13 Græcum *κοφίνους* retinuit.

14 Erat תלמידו pro תלמידוהי omissa syllaba הי: nos autem quia manifestus erat error, correximus, atque deinde invenimus rectè scriptum in manuscripto codice Heydelbergensi.

15 Ad verbum, transitum: Hebraismus.

16 Ad verbum, Quum obscurata esset, subaudi, nox. Hebraismus. F. vel sine ellipsi, obscuratum esset, de more Hebræorum impersonaliter.

17 Hic quoque Græcam vocem retinet: sed observandum quod dictionibus peregrinis à duabus consonantibus incipientibus Syri, ut etiam Chaldæi, א cum *pathach* præponere solent, quia non ferunt hæ linguæ in ulla dictione ut duæ consonantes legantur in principio dictionis non interjecta vocali. 18 Ad verbum, Quod visum esset falsum. periphrasis spectri. 19 Ad verbum, Estote cordati.

mi,

mi, si tu es, jube me venire ad te super aquas.
29 Jeschua autem dixit illi, veni. Et descendit Cipha è navi, & ambulavit super aquas, ut veniret ad Jeschua.
30 Quumq; vidisset ventum [20] vehementem, timuit. Et cœpit demergi, & sustulit vocem suam, & dixit, Domine mi serva me.
31 Et eadem hora extendit manum suam Dominus noster, & apprehendit eum, & dixit ei, Pusille fide, quare hæsitasti?
32 Quumq; conscendissent navim conquievit ventus.
33 Et venientes qui erant in navi, adoderaverunt eum, & dixerunt, Verè filius es Dei.
34 Et navigârunt, & venerunt ad terram [21] Genesar.
35 Et agnoverunt eum viri loci illius, & miserunt [22] ad omnes vicos qui erant circa illos: & accesserunt ad eum omnes illi qui [23] pessimè afficiebantur.
36 Et petebant ab eo ut tangerent saltem extremitatem vestimenti ipsius. Et qui tetigerunt, sanati sunt.

[20] Ad verbum, Quod durus esset. [21] In veteri testamento usitatum est ubique nomen כנרת: in paraphrasi verò Chaldæa, & apud antiquiores Hebræos perpetuò vocatur גנוסר: hic noster paraphrastes variatis tantùm vo alibus, גנסר vocat. Quod autem prophanis scriptoribus, ut Ptolemæo, Straboni, & reliquis Græcis, dicitur Genezareth, videtur ex duobus corruptis conflatum vocabulum. De etymo doctores Heb. in libro ילמדנו (ubi describunt iter exploratorum quos misit Moses, Num. 13. & præstantiam fructuum quos inde attulerunt) tradunt regionem Cinereth denominatam fuisse גנוסר, quasi גנות שר, eo quòd amœnissima & cultissima esset. Quam autem adferunt Græci nominis Hebræi rationem ex sua lingua, peregrina est & aliena. [22] F. putà nuncios. Ellipsis est nominis conjugati, q. d. miserunt missos, ablegaverunt legatos. [23] Ad verbum, Qui malè malè. Superlativum enim, ut aliâs observavimus, positivi geminatione formant.

mine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.
29 Ipse verò dixit, [t] Veni. Et quum descendisset è navigio Petrus, ambulavit super aquas ut veniret ad Jesum.
30 [u] Videns autem ventum validum, timuit: & quum cœpisset demergi, clamavit, dicens, Domine [x] serva me.
31 Statim verò Jesus, extenta manu, apprehendit eum, dicítque ei, Exigua fide prædite, [y] quid dubitâsti?
32 Et quum ipsi essent ingressi navigium, pacatus fuit ventus.
33 Qui autem erant in navigio, venientes adoraverunt eum, dicentes, Verè Dei filius es.
34 Et quum trajecissent, venerunt in terram [z] Gennesaret.
35 [a] Et quum agnovissent eum viri loci illius, miserunt in totam circumjacentem illam regionem: & obtulerunt ei omnes malè affectos.
36 Et precabantur eum ut solùm tangerent [b] fimbriam pallii ipsius. & quotquot tetigerunt, [c] liberati sunt.

[t] Divinæ virtuti impossibile non fuit solidum corpus sustentare super fluctibus maris, ne mergeretur, quod notandum est contra Manichæos. [u] Animadvertens, translatio à corpore ad animum. [x] Petrus malè & infœliciter suam temeritatem cessisse videns ad Christi misericordiam se confert. [y] Dubitatio hic à Christo reprehenditur, quæ directè fidei contraria est. Mar. 6. 54. [z] Fuit lacus vicinus Capernaumo, qui & mare Galilææ & Tyberiados dicitur: unde nomen datum regioni. [a] B. Christus ægrotos sanans ostendit à se petendum esse spiritualium morborum remedium: nos verò ad eum non tantùm accurrere, sed etiam alios adducere oportet. [b] Summa vestis. [c] id est, A morbo liberati.

CAPUT XV.

2 *Mandata & doctrinæ hominum.* 12 *Scandalum.* 13 *Plantatio quæ eradicatur.* 14 *Cæci cæcos ducentes.* 18 *Cor.* 22 *Chananæa.* 26 *Panis filiorum. Catelli.* 28 *Fides.* 32 *Hominum quatuor millia satiantur.* 36 *Gratiarum actio.*

TUnc accesserunt ad Jeschua Pharisæi & legisperiti, qui erant ex Urischelem, & dixerunt,
2 Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, & non lavant manus suas quum comedunt [1] panem?
3 Respondit Jeschua, & dixit illis, Quare etiam vos transgredimini mandatum Dei, propterq traditionem vestram?
4 Deus enim dixit, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et, qui maledixerit patri suo vel matri suæ, [2] morte moriatur.
5 Vos autem dicitis, [3] Quicumque dixerit patri aut matri, [4] Oblatio mea *est* id unde utilitatem capias à me, & non honorabit patrem suum aut matrem suam.
6 Atque irritum fecistis verbum Dei propter traditionem vestram.
7 [5] Hypocritæ, benè vaticinatus fuit de vobis Isaias propheta, & dixit,
8 Populus hic labiis suis honorat me, cor autem eorum admodum remotum est à me.
9 Et frustrà timent me, quum docent doctrinas mandatorum filiorum hominis.
10 Et advocavit turbas, & dixit illis, Audite, & intelligite.
11 Nequaquam quod ingreditur in os contaminat filium hominis: sed quod egreditur ex ore,

[1] Hebraismus, pro cibo quovis. [2] Id est, Omnino moriatur, Nullo modo parcatur ei, Hebraismus. [3] F. Syrus Græci contextus verbû fermè de verbo reddit: quamobrem qui unum noverit, utrumq; noverit. Duæ sunt hujus loci interpretationes: una sine ellipsi, altera elliptica. Sine ellipsi, hoc modo: Qui dixerit patri aut matri suæ, quodcumque donum ex me *fuerit oblatum Domino,* eo juvaberis, vel percipies utilitatem ejus, nequaquam etiam *tenebitur amplius* honoris exhibere patri suo aut matri suæ. q. d. is legi Dei fecerit satis. Altera elliptica est, ut Græci vocant, ἀνανταπόδοτον, eaq; similiter duobus modis: nam aut unicum statuitur, aut duplex anantapodoton. Sed quia ἀνανταπόδοτα extra necessitatem statui nec placet, nec probari potest, in primis autem hanc propositionem propriis verbis & ἀσχηματίστοις Spiritus sanctus enunciat Marci 7. 11. simpliciter hoc modo hæc verba explicanda puto, Quicumque dixerit patri, aut matri, oblatio mea est id unde utilitatem capias ex me, *is* etiam non est honoraturus *præterea videlicet*, patrem suum, &c. id est, non tenetur, nec habet necesse alio modo honorare parentes suos. Nam propterea etiam duplicem negationem Matthæus posuit, ut impudentem & sacrilegam Judæorum audaciam licentiamq; vehementiùs exprimeret. [4] Significat hac excusatione externo Dei cultu satisfieri abundè patrio honori, ut qui Deo aliquid obtulerit, nihil ampliùs parentibus debeat, sic enim à cupidis sacrificis edocebantur. [5] Ad verbum, Assumentes vultum. Vide Annot. in cap. 6, suprà.

[a] TUnc quidam *qui* Hierosolymis *advenerant* Scribę & Pharisæi, adierũt Jesum dicentes,
2 Quare discipuli tui transgrediuntur [b] traditionem Seniorum? non enim lavant manus suas, quum [c] edunt panem.
3 [d] At ille respondens dixit eis, Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram?
4 Nam Deus mandavit, dicens, [e] Honora patrem tuum & matrem. &, Qui maledixerit patri aut matri, [f] morte moriatur.
5 Vos autem dicitis, [g] Quicumque dixerit patri aut matri, Donum *est* quocumque à me juvari posses, *insons erit*: & nequaquam honoraverit patrem suum aut matrem suam.
6 Et [h] irritum fecistis mandatum Dei per traditionem vestram.
7 [i] Hypocritæ, benè de vobis prophetavit Esaias, dicens,
8 Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul abest à me.
9 Sed frustrà me colunt, docentes doctrinas *quæ sunt* mandata hominum.
10 [k] Et advocata turba dixit eis, Audite, & intelligite.
11 Non quod ingreditur in os, [l] polluit hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc polluit

[a] B. Nulli plerúq; audaciores Dei contemtores, quã quos Deus suos nomophylacas constituit. Mar. 7. 1. [b] Quæ à majoribus sunt quasi de manu in manum traditæ, vel quæ approbatæ sunt à senioribus, penes quos erat Ecclesiæ gubernatio. [c] Cibum comedunt. Heb. [d] B. Arguitur sacrilega eorum audacia in corrumpendis Dei mandatis, idq; pietatis obtentu, & legũ condendarum auctoritate usurpanda. Exod. 20. 12. & 21. 17. deu. 5. 16. [e] Honoris nomine, intelligitur officii omne genus, quod à liberis parentibus debetur, hic verò juxta proprietatem sermonis Hebraici magis pertinet ad subsidium, quàm ad salutationem ac civilia illa vitæ officia. Exo. 21. 17. lev. 20. 9. pro. 20. 20. [f] Absq; ulla spe veniæ moriatur. [g] Sensus est, quicquid templo donavero, cedet in rem tuam. perinde enim est ac si tibi dedero: quia (ut Pharisæi nostri temporis loquuntur) erit tibi meritorium. Nam hac specie religionis illi ad se transferebant omnia: quasi qui templo donasset, filii officiũ implevisset. [h] Ad verb. spoliastis omni imperio & auctoritate quantum quidem in vobis fuit. Nam alioquin, invito mundo & satana, stant præcepta Dei in Ecclesia ipsius. [i] B. Iidẽ damnantur simulationis & superstitionis quod in rebus externis constituant regnũ Dei. Esa. 29. 13. Mar. 7. 17. [k] B. Christus docet non esse ne in rebus quidem mediis, fovendam falsorum doctorum hypocrisin, qui animabus nostris illudunt, & causam non esse cur eorum vocatio ordinaria nobis perstringat oculos: alioqui nos unà cum illis perituros. [l] Ad verbum, communem reddit, i. profanum: Hebræi enim commune, i. cujus usus est vulgaris, prophanum vocant, quod promiscuo usu velut inquinatum est.

hominem.
12 Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt
ei, [m] Nosti Pharisæos audito isto sermone offen-
sos fuisse?
13 Ipse verò respondens dixit, ‖ [n] Omnis
planta quam non plantavit Pater ille meus cæ-
lestis, eradicabitur.
14 Omittite illos: ‖ duces sunt cæci cæcorũ.
quòd si cæcus cæcum per viam duxerit, [o] ambo
in foveam cadent.
15 ‖ Respondens autem Petrus dixit ei, Edis-
sere nobis parabolam istam.
16 Jesus autem dixit, Adhuc & vos intelli-
gentia caretis?
17 Nondum [p] intelligitis, quicquid ingreditur
in os, in ventrem cedere, & in latrinam ejici?
18 Quæ autem proficiscuntur ex ore, ex ipso
corde egrediuntur, & illa polluunt hominem.
19 ‖ Nam ex corde egrediuntur cogitationes
malæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa
testimonia, [q] maledicta.
20 Hæc sunt quæ polluunt hominem: illotis
autem manibus vesci, non polluit hominem.
21 ‖ Et egressus illinc Jesus secessit in [r] partes
Tyri & Sidonis.
22 Et ecce, mulier [f] Chananæa à finibus illis
egressa, clamitavit, dicens ei, Miserere mei Domi-
ne, fili David, Filia mea malè à dęmonio vexatur.
23 [t] Ille verò non [u] respondit ei quicquam.
Tunc accedentes discipuli ejus rogarunt eum,
dicentes, Dimitte eam: nam clamat post nos.
24 Ipse verò respondens dixit, ‖ [x] Non sum
missus nisi ad oves perditas [y] domus Israëlis.
25 Illa autem venit & adoravit eum, dicens,
Domine [z] succurre mihi.
26 Ipse verò respondens dixit, Non est bonũ
accipere [a] panem liberorum, & objicere catellis.
27 Ipsa autem dixit, Etiam Domine? etenim
catelli vescuntur micis quæ cadunt è mensa do-
minorum suorum.
28 Tunc respondens Jesus, dixit ei, O mulier,
magna *est* fides tua: fiat tibi ut vis. Et sanata fuit
filia ejus ab eo momento.
29 ‖ [b] Et digressus illinc Jesus venit juxta ma-
re Galilææ: & quum ascendisset in montem, se-
dit illic.
30 ‖ Tunc adiit eum turba multa, habens se-
cum claudos, cæcos, mutos, [c] mancos, & alios
multos: & abjecerunt eos ad pedes Jesu: & sa-
navit eos:
31 *Adeò* ut turba mirata sit, quum videret mu-
tos loquentes, mancos sanos, claudos ambulan-
tes, cæcos videntes: & glorificârunt Deũ Israëlis.
32 ‖ [d] Jesus autem advocatis discipulis suis,
dixit, [e] Commoveor misericordia erga turbam:
quia jam triduum permanent apud me, & non
habent quo [f] vescantur: & dimittere eos jejunos
nolo, ne viribus deficiant in via.
33 Tunc dicunt ei discipuli ejus, Unde nobis
in deserto tot panes ut saturemus turbam tantã?
34 Dicit igitur eis Jesus, Quot panes habetis?
Illi autem dixerunt, Septem, & paucos pisciculos.
35 Tunc jussit turbam discumbere humi.

[m] Christus illam scandali speciem quæ ab improbis accipitur iusq; deq; habet.
‖ Joh.15.8.
[n] His verbis disertè exprimit Christus primam salutis nostræ originem fluere ab illa gratia, qua Deus nos sibi antè quàm creati essemus in filios elegit. Quum ergo ex illa sola Dei electione fit salus, reprobos perire (idq; sua culpa) necesse est.
‖ Luc.6.39.
[o] Nota utrumq; addici exitio.
‖ Mar.7.17.
[p] Summa est, cibis non pollui homines: sed sordes vitiorũ intùs habere inclusas quæ palàm in opera emergunt.
‖ Gen.6.5. & 8.21
[q] Sumuntur hoc loco pro calumniis in proximum sparsis.
‖ Mar.7.24.
[r] Regiones vicinas Tyro & Sidoni, id est, ea parte qua Palæstina vergit ad Phœnicen, & mare Syriacum.
[f] Ex Chananæorum stirpe, qui in Phœnicia habitabant. In hoc autẽ miraculo docemur quomodo manare cœperit ad gentes Christi gratia.
[t] B. Quod Christus interdũ connivet ad sanctas etiam preces, suæ gloriæ studio & nostro bono facit.
[u] Christo tacendi consiliũ non fuit ut fidem mulieris exstingueret, sed potiùs ut acueret ejus studium, & accenderet fervorem.
‖ Sup.10.6.
[x] Habet hîc Christus temporis rationem: non enim ante resurrectionẽ diruta fuit maceria, ut pacem annunciaret Christus ipse gentibus à regno alienis.

illud ipsum contaminat filium hominis.
12 Tunc accesserunt discipuli ejus, & dixe-
runt ei, Nosti tu quòd Pharisæi qui audierunt
sermonem istum offensi sunt?
13 Ille autem respondit & dixit illis, Omnis
plantatio illa quam non plantavit Pater meus
qui est in cælis eradicabitur.
14 Omitte illos: cæci sunt, [6] duces cæcorum.
Cæcus autem cæcum si ducat, ambo in foveam
cadunt.
15 Et respondit Schemeun Cipha, & dixit illi,
Domine mi, expone nobis parabolam istam.
16 Ille autem dixit eis, Usque nunc etiam vos
non intelligitis?
17 Nescitis vos quòd quicquid ingreditur in
os, in ventrem abit, & inde expulsione ejicitur
foras?
18 Id verò quod ex ore prodit, ex corde egre-
ditur, & illud contaminat filium hominis.
19 Ex corde enim ipso exeunt cogitationes
malæ, adulteria, cædes, stupra, furta, testimonium
falsum, convitia.
20 Hæc sunt quæ contaminant filium homi-
nis. Siquis autem comedat quum non lotæ sint
manus ejus, non [7] contaminatur.
21 Et egressus est inde Jeschua, & venit in
confinium Tzur & Tzaidan.
22 Et ecce, mulier Chananæa ex finibus illis
prodiit clamans & dicens, Miserere mei Domi-
ne mi, fili David, filia mea pessimè agitur à dæ-
monio.
23 Ipse verò non [8] respondit ei verbum. Et
accedentes discipuli ejus petierunt ab eo, & di-
xerunt, Dimitte illam: quia clamat post nos.
24 Ille autem respondit & dixit illis, Non
sum missus, nisi ad oves quæ erraverunt, è domo
Israiel.
25 Illa autem venit, & adoravit eum, & dixit,
Domine mi, succurre mihi.
26 Ait illi Jeschua, Non est bonum accipere
panem filiorum, & projicere canibus.
27 Illa verò dixit, Certè Domine mi: etiam
canes comedunt de micis quæ cadunt è mensis
dominorum suorum: [9] & vivunt.
28 Tunc dixit illi Jeschua, O mulier, magna
est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia
ejus ex illa hora.
29 Et digressus est illinc Jeschua, & venit juxta
mare Galilęæ, & ascendit in monté, & sedit illic.
30 Et accesserunt ad eum turbæ multæ, cum
quibus erant claudi, & cæci, & muti, & [10] mutili,
& alii muti: & abjecerunt eos ad pedes Jeschua:
& sanavit eos.
31 Adeò ut mirarentur turbæ illæ quòd vide-
rent quòd muti loquerentur, & quòd mutili red-
derentur sani, & quòd claudi ambularent, & quòd
cæci viderent: & glorificaverunt Deum Israiel.
32 Jeschua autem ipse vocavit discipulos su-
os, & dixit illis, Miseret me hujus turbæ, quia ec-
ce tres dies perseverârunt apud me, & non est il-
lis quod edant: & ut dimittam eos jejunos nolo,
ne fatigatione deficiant in via.
33 Dicunt ei discipuli ejus, Unde essent no-
bis in deserto panes ut saturemus turbam hanc
universam?
34 Dixit illis Jeschua, quot panes sunt vobis?
Dicunt ei, Septem, & parum piscium minutorum.
35 Et præcepit turbis ut discumberent super
terram.

[6] נגודא significat eos qui tamquam duces aliis in doctrina præeunt, quos Hebræi חכמים vocant. Hoc modo vocem נגר auctor libri ערוך explicat, quum dicit נגר בר נגר significare חכם בן חכם sapientem filium sapientis.
[7] F. vel contaminat sive impurat se.
[8] פנית Perinde est ac ענית, id est Respondit ei.
[9] Paraphrastes ad magis illustrãdum textum hoc verbum addidit, חאין.
[10] Id enim Syriũ verbum מטירא significat; & eodem sensu legitur infrà capite 18,8.

[y] Gentis Israëliticæ, quæ divisa quidem erat in tribus, sed quæ ab una domo egressę sunt. [z] Græcum verbum propriè significat ad vocem alicujus accurrere juvandi gratia. [a] Panis filiorum dicitur quicquid propriè ad illam adoptionem spectat, qua soli Judæi electi erant in filios: quæ autem in Christo speranda erat benedictio residebat in una domo Abrahæ. ‖ Mar.7.31. [b] B. Christus ubi etiam contemnitur, tamen non desinit esse beneficus, & in medio luporum ovile suum congregat & fovet. ‖ Esa.35.5. [c] Non quibus manus esset truncata: sed quorum membra debilitata essent, ut paralysi & aliis id genus morbis: aut etiam naturæ vitio. Nam posteà illis opponit sanos: nec usquam legitur Christus aut pedes, aut manus, aut alia membra cuiquam largitus: quamvis id illi difficile non fuerit. ‖ Mar.8.2. [d] B. Christus repetito miraculo confirmat se nunquam defuturũ iis qui etiam per deserta ipsum sequuntur. [e] Vide sup.9.36
[f] Scilicet ordinario cibo, Nam is locus erat desertus, Notandum autem quòd in illis calidis regionibus minor est edacitas, quàm sub crasso nostro & frigido aëre.

36 Et

36 Et

36 Et accepit illos septem panes & pisces, & gratias egit ac fregit: & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt turbis.

37 Et comederunt omnes, & saturati sunt: & sustulerunt reliquias fragmentorum, plenas septem sportas.

38 Illi verò qui comederant, fuerant quatuor millia virorum, exceptis mulieribus & pueris.

39 Et quum dimisisset turbas, ascendit in navim, & venit in fines Magedu.

36 Et acceptis septem illis panibus ac piscibus, quum gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis: discipuli verò turbæ.

37 Comederuntq; omnes & saturati sunt: & sustulerunt quod superfuerat fragmentorum, septem [g] sportas plenas.

38 Erant autem qui comederant, quater mille viri, absq; mulieribus & puerulis.

39 Tunc dimissa turba inscendit in navigium: venitq; in fines Magdala.

[g] Sporta est vasis textilis genus.

CAPUT XVI.

4 *Signum Jonæ.* 5 *Fermentum Pharisæorum,* 12 *Pro doctrina.* 13 *Opinio populi de Christo.* 17 *Fides à Deo.* 18 *Petra.* 19 *Claves.* 21 *Prædicit Christus mortē suam.* 24 *Abnegatio sui. Crux.* 25 *Perdere animam.*

[1] סתוא significat idem quod חורף Heb. id est, hyemem. Intelligit autem hoc loco pluvium, ventosum, & solito frigidius cælum. Idem legitur Actorum 27.2.
[2] Ad verb. Assumentes vultum: ut antè sæpe annotatum est.
[3] F. i. nosse, & discernere: Syra phrasi, ut ver. 5. & passim.
[4] F. nempe sinus illius quem antè trajecerant: ut narratum est suprà 15.39.
[5] F. vide sup. in 13.29. dicebant *nimirum ita Christum loqui*, quia panem non accepissent: itidem sequente ver. quid cogitatis *me hæc dicere*, quòd panē non accepistis?
[6] F. Syrè, nequaquam fuit de pane *quòd* loquutus sum vobis.
[7] F. Syrè, filium hominis? Pleonasmus est emphaticus, Hebræorum & Syrorum communis: ut Gen. 4.26. & 10.21. & 17.34. & Mar. 2.7.
[8] F. nimirum ut Pater meus revelavit; sic ego confirmans donū Patris primùm quidem singulare in te, quòd Petrus es, tum etiam universale in Ecclesiam eidem petræ, quam fide prehēdisti & sermone profiteris, optima fide incumbentem: ego igitur dico tibi, &c.

Et accesserunt Pharisæi & Zaddukæi tentantes eum: & petebant ab eo ut signum è cælis ostenderet sibi.

2 Ipse autem respondit & dixit illis, Quum fuerit vespera, dicitis, Serenitas futura est: rubet enim cælum.

3 Et manè dicitis, Hodiè [1] hyemalis tempestas futura est: rubet enim cælum triste. [2] Hypocritæ, faciem cæli nostis [3] ut judicetis, signa hujus temporis non nostis ut discernatis?

4 Generatio prava & adultera signum quærit: & signum non datur illi, nisi signum Jaunan prophetæ. Et reliquit illos, & abiit.

5 Quumq; venissent discipuli ejus in [4] ulteriorem ripam, obliti sunt ut acciperent secū panem.

6 Ipse autem dixit illis, Videte, diligenter cavete à fermento Pharisæorum & Zaddukæorum.

7 Illi verò reputabant intra sese, & dicebant [5] quia panem non accepissent.

8 Jeschua autem cognovit, & dixit illis, Quid cogitatis intra vos ipsos, pusilli fide, eo quòd panem non accepistis?

9 Non intellexistis hucusq; ? Non memores estis vos illorum quinque panum, quinque millium, & quot cophinos sustulistis?

10 Neq; illorum septem panum quatuor millium, & quot sportas sustuleritis?

11 Quomodo non intellexistis quod [6] nequaquam de pane loquutus sum vobis? Sed ut caveretis diligenter a fermento Pharisæorum & Zaddukæorum.

12 Tunc intellexerunt quòd non dixisset ut diligenter caverent à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Zaddukæorum.

13 Quum autem venisset Jeschua in locum Cæsareæ Philippi, interrogavit discipulos suos, & dixit: Quid dicunt de me homines, [7] qui sum Filius hominis?

14 Illi verò dixerunt, Sunt qui dicant, quòd *sit* Juchannan Baptista, alii autem Ilija, & alii Jeremja, aut unus ex Prophetis.

15 Dixit illis, Vos autem, quid dicitis quòd ego sum?

16 Respondit Schemeun Cipha, & dixit, Tu es Christus filius Dei viventis.

17 Respondit Jeschua, & dixit illi, Beatus es Schemeun filius Jauna, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui est in cælis.

18 [8] Etiam ego dico tibi quòd tu es Cipha, &

ET [a] quum accessissent Pharisæi & Sadducæi, [b] tentantes rogârunt eum ut signum è cælo sibi ostenderet.

2 Ipse verò respondens dixit eis, Quando serum est diei, dicitis, Serenitas *erit*; rubet enim cælum.

3 Et manè, Hodiè *erit* tempestas: rubet enim cælum triste. [c] Hypocritæ, [d] faciem quidem cæli nostis discernere, signa verò temporum illorum non potestis?

4 Gens mala & adulterina signum requirit: sed signum non dabitur ei nisi signum [e] illud Jonæ Prophetæ. Et relictis ipsis abiit.

5 [f] Et quum venissent discipuli ejus in ulteriorem ripam, obliti fuerant sumere panes.

6 Jesus autem dixit eis, Videte & cavete [g] à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.

7 Ipsi verò disceptabant inter se dicentes, Panes non sumpsimus.

8 *Id* autem quum [h] nosset Jesus dixit eis, Quid disceptatis inter vos, [i] exigua fide prædîti, quòd panes non sumpsistis?

9 [l] Non animadvertitis, [k] neq; meministis [l] quinque illos panes *hominum* quinquies mille, & quot cophinos acceperitis?

10 Neq; septem illos panes quater mille *hominum*, & quot sportas acceperitis?

11 Quomodo non animadvertitis me non dixisse vobis de pane, ut caveretis à fermento Pharisæorum & Sadducæorum?

12 Tunc intellexerunt eum non dixisse ut caverent [m] à fermento panis, sed à fermento doctrinæ Pharisæorum & Sadducæorum.

13 [n] Quum venisset autem Jesus in partes [o] Cæsareæ *quæ dicitur* Philippi, interrogavit discipulos suos, dicens, Quemnam esse me dicunt homines, [p] Filium hominis?

14 Illi verò dixerunt, Alii quidem [q] Johannem Baptistam, alii verò Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis.

15 Dicit eis, Vos autem quem me dicitis esse?

16 Respondens verò [r] Simon Petrus dixit, Tu es Christus, Filius ille Dei viventis.

17 [f] Tunc respondens Jesus dixit ei, Beatus es Simon [t] Bar-Jona: quia [u] caro & sanguis *hæc* non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.

18 [x] Sed & ego tibi dico, Tu es [y] Petrus, &

Mar. 8.11. luc. 12.54 sup. 12.30.
[a] B. Optimè cōvenit adversus Christū inter impios alioqui diffidentes: sed iisdem invitis Christus triumphat.
[b] Ut experirentur an hoc posset præstare quod petebant: sed malo animo ipsos instigante, nēpe quòd sperarent se reperturos aliquid in eo, unde justæ reprehensionis occasionem arriperent. Vel impellente eos diffidentia aut curiositate, quibus modis dicitur tentari Deus, id est, ad iracundiam provocari, quasi velint homines cum eo certare.
[c] Ideò hypocritas vocat, quia simulant se quærere quod ostensum cernere nolebant.
[d] Heb. facies est externa species, & quasi rerum vultus.
Sup. 12.34.
[e] Articulus celebritatem facti indicat.
Jonæ 2.1.
Mar. 8.14. luc. 12.1.
[f] B. Vitandi falsi doctores.
[g] Citiùs ignis aquæ miscebitur, quàm ut humana figmenta cum Evangelio quis conciliet.
[h] Non ex aliis, sed vi suæ divinitatis.
[i] Infidelitatis convincuntur omnes qui Dei potentiam semel aut iterum experti in futurum tempus diffidunt. Sup. 14.17 Joh. 6.9. [k] Fides donorū Dei memoriam fovet in cordibus nostris, ita nisi ea sopita sit, nunquam obrepet illorum oblivio. [l] Tam paucis panibus, quinque millia hominum saturatos esse. Sup. 15.34. [m] Hic fermenti nomen Christus simplici puroq; Dei verbo opponit. Mar. 8.27. luc. 9.18. [n] B. Christus variis quidem est hominum judiciis obnoxius, sed nihilominus à suis agnoscitur. [o] Duæ fuerunt Cesareæ: una Stratonis ad mare Mediterraneum, ab Herode magnificè exstructa in honorē Octavii: altera Philippi Herodis Magni ex Cleopatra filii Tetrarchæ, in honorem Tyberii, ad radices Libani, Joseph. libro decimoquinto. [p] Per appositionem, ac si diceret dominus, Videtis me nunc ut unum quempiam ex hominum numero in mundo versari, quid igitur de me sentiunt homines? [q] Quod suspicatus est Herodes, sup 14.9. Joh. 6.69. [r] Petrus pro omnibus respondet ut semper ferè aliis ferventiorem ipsum literæ Evangelicæ prædicant, brevis autem hæc confessio totam salutis nostræ summam continet. [f] B. Fides à gratia est, non a natura. [t] Id est, filius Johannis. [u] Hoc dicto significatur naturalis hominis procreatio in terris, ipsa creata natura non exstincta, sed per peccatum deformata: sensus ergo est, ista patefactio non est humanæ atq; terrenæ intelligentiæ: sed demonstrationis divinæ & cælestis. Joh. 1.42. [x] B. Ea demum est vera fides, quæ Christum confitetur, cujus etiam virtus est invicta. [y] Jesus Syriacè est loquutus: itaq; non est usus agnominatione Petri & Petræ, usus est enim utrobiq; nomine Cepha: Sed qui Græcè scripsit, discrimine terminationis voluit Petrum qui pars est ædificii, à Christo petra, id est, fundamento distinguere, vel Petrum à fidei confessione quæ ecclesiæ est communis, quod veteres testantur. Sic enim Theoph. Ea confessio quam es confessus, fundamentum futurum est credentium.

super super

a Adversarii Ecclesiæ comparantur regno munito. Itaq; per Portas intelliguntur civitates munitæ consilio & propugnaculis. Sensus est, Quicquid consilio vel viribus potest Satan. Sic Paulus 2. Corinth. 10.4. vocat munitiones.
‖ *Joh.* 20.21.
a B. Ministerii ecclesiastici auctoritas cælestis.
b Metaphora sumta ab œconomis, qui claves gerunt, describitur ministrorum verbi potestas, ut Esa. 22.22. illa autem potestas communis est omnibus ministris, infrà 18.18. Itaque ministerium Evangelicum ritè dici potest clavis regni cælorum.
c Ligantur quorum peccata retinentur, illis cælum clauditur, nempè quòd fide non recipiunt Christum: contrà, quàm beati sunt, quibus cælum apertum est, qui Christũ amplexi, ab eo liberantur, & fiunt illi cohæredes.

super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam:
& a portæ inferorum non superabunt eam.
19 ‖ a Et tibi dabo b claves regni cælorum: &
c quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cælis: & quicquid solveris in terra, erit solutum in
cælis.
20 d Tunc interdixit discipulis suis ut nemini
dicerent, se esse Jesum illum Christum.
21 e Ex eo tempore cœpit Jesus indicare
discipulis suis oportere se abire Hierosolymam,
& multa pati à f Senioribus & primariis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi, & tertio die suscitari.
22 g Et prehensum eum Petrus cœpit objurgare, dicens, Propitius tibi esto, Domine: nequaquam erit tibi hoc.
23 h At ille sese convertens dixit Petro, Abscede à me i Satana, offendiculo es mihi: nam
non k sapis quæ *sunt* Dei, sed quæ *sunt* hominum.
24 ‖ l Tunc Jesus dixit discipulis suis, Si quis
vult ponè me venire m abdicet semetipsum, & attollat crucem suam, ac sequatur me.
25 ‖ Quisquis enim voluerit animam suam
servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit
animam suam mea causa, n inveniet eam.
26 ‖ Quid enim prodest cuipiam si totum mũdum lucratus fuerit, anima verò sua mulctetur?
aut quam dabit quispiam o compensationem animæ suæ?
27 Futurum est enim ut Filius hominis veniat cum p gloria Patris sui cum Angelis suis:
‖ & tunc reddet unicuique q secundùm facta ipsius.
28 ‖ Amen dico vobis: sunt quidam ex his qui
hîc adstant, qui nequaquam gustabunt mortem,
usquedum viderint Filium hominis venientem
in r regnum suum.

super hanc 9 petram ædificabo ecclesiam meam:
& portæ inferni non prævalebunt adversum eam.
19 10 Tibi dabo claves regni cælorum. Et
quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cælis: quicquid verò solveris in terra, erit solutum in
cælis.
20 Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quòd ipse esset Christus.
21 11 Et ex eo tempore cœpit Jeschua indicare discipulis suis quòd futurum esset ut iret in Urischelem, & multùm pateretur à senioribus &
principibus sacerdotum & legisperitis, & occideretur, & die tertio resurgeret.
22 Et abduxit eum Cipha, & cœpit increpare
eum, & dixit, Propitius esto tibi, Domine mi,
12 quominùs fiat tibi hoc.
23 Ipse autem conversus est, & dixit Ciphæ,
Abi post me Satana: offendiculum es mihi: quia
non cogitas quod Dei est, sed quod est filiorum
hominis.
24 Tunc dixit Jeschua discipulis suis, Qui vult
venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & veniat post me.
25 Qui enim voluerit servare animam suam,
perdet eam: & qui 13 perdiderit animam suam
propter me, inveniet eam.
26 Quam enim utilitatem consequetur filius
hominis, si mundum universum acquirat, animæ
verò suæ patiatur defectum? Aut quid dabit filius hominis in permutationem animæ suæ?
27 Futurum est enim ut Filius hominis veniat in gloriam Patris sui cum Angelis suis sanctis:
& tunc rependet 14 unicuique secundùm opera
ejus.
28 Ammin dico vobis quòd sunt quidam qui
stant hîc, qui non gustabunt mortem donec viderint Filium hominis venientem in regnum suum.

9 כיפא Petram significat. Est ergo allusio ad cognomen Simonis.
10 F. Syllepsis est Hebraica in scripturis frequens: pro eo quod est, vobis omnibus clavem unam, & vestrum cuique suam. Nam re unica est clavis, ministerium verbi; ratione verò totidem sunt claves, quot ministri verbi in Ecclesia Christi: prout cuique dispensatio mysteriorum Dei commissa est, & omnibus eadem. Sic Josuæ 2.4. & infrà 18.35. & 22.23.
11 Ad verbum. Ex tunc. Modus loquendi Hebræis, Chaldæis & Syris admodum familiaris.
12 F. Syrus, ut sit tibi hoc. Ellepsis negationis post verba metus & adversationis frequens.
13 F. id est, voluerit perdere, sivè (ut vulgò loquuntur) contentus erit in animo suo. Sic accipi oportere docet membrum præcedens antitheton. Simile est suprà 10.39. & Act. 7,26. & infrà 28.9. 14 Ad verbum, Viro viro. Hebraismus tritus.

d B. Priùs discendum est quàm docendum. e B. Adversus crucis offendiculum tempestivè præparandi sunt omnium animi. f Dignitatis erat non ætatis nomen. Eos designat penes quos erant judicia, quæ Hebræi vocabulo *Sanhedrin* vocabant: ii sunt, quos à senio Senatores Latini vocant. g Manu prehensum quasi deduxit: ut solent familiariùs aliquid dicturi. h B. Adversùs præposterum Zelum. i Satan, id est, adversarius, per antonomasiam Hebræis dicitur qui Græcis Diabolus, id est, calumniator, vel tentator: sed tribuitur iis qui malitia ut Judæi, Johann. 6.70, vel levitate aut arrogantia Dei voluntati resistunt. k Eo verbo significatur Petrum falsa de se persuasione peccasse. ‖ *Supra* 10.38. *mar.* 8.34. *luc.* 9.23. & 14.27. l B. Nulli pejus sibi consulunt, quàm qui se supra Deum amant. m Renunciet proprio ingenio & omnibus carnis affectibus. ‖ *Suprà* 10.39. *mar.* 8.35. *luc.* 9.24. & 17.33. *joh.* 12.25. n Seipsum lucrifecerit: Sensus est, eos qui sui servandi causa Christum abnegant, non modò lucrum non facere quod captant, sed etiam ejus rei quam servatam esse volunt, id est, sui ipsius jacturam facere, quod est damnum omnium maximum. Contrà verò qui pro Christo mori non dubitant, seipsos tandem aliquando recuperabunt. ‖ *Marc.* 8.36. *luc.* 9.25. o Qua seipsum redimat. p Suprà 6.29. ‖ *Psal* 61.12. *rom.* 2.6. q Quoties bonis operibus promittitur merces, minimè opponitur eorum meritum gratuitæ fidei justitiæ, nec salutis causa ostenditur: sed tantùm animantur fideles ad rectè agendi studium, dum certi sunt se operam non ludere. ‖ *Marc.* 9.1. *luc.* 9.27. r Per regnum intelligenda est gloria ascensionis, & quæ illam sequuta sunt. Ephe. cap. 4. ℣. 10. vel prædicationem Evangelii, Marc. 9.1.

CAPUT XVII.

1 *Transformatio Christi.* 5 *Audiendus Christus.* 12 *Elias.* 13 *Johannes Baptista.* 17 *Infidelitas Apostolorum.* 20 *Fidei vis.* 21 *Oratio & Jejunium.* 22 *Christus passionem suam prædicit.* 24 *Tributum solvit.*

a B. Christus sic est humilis in Evangelio, ut intereà sit cæli & terræ Dominus.
b Lucas octo dies numerat, quibus primum illũ quo loquutus erat Christus, & ultimum quo transformatus est cõprehendit: Matthæus verò sex intermedios.
‖ *Mar.* 9.2. *lu.* 9.28
c Transformatio hæc non prorsus exhibuit Christũ visendum discipulis, qualis nunc est in cælo, sed gustum immensæ gloriæ præbuit, qualem ipsi capere poterant.

a SExto b ‖ verò pòst die assumit Jesus Petrum
ac Jacobum & Johannem fratrem ejus, &
subducit eos privatim in montem sublimem.
2 c Transformatusq; est coram eis, & fulsit
facies ejus ut sol: vestimenta autem ejus facta
sunt alba ut lux.
3 Et ecce, conspecti sunt eis Moses & Elias,
cum eo colloquentes.
4 d Respondens autem Petrus dixit Jesu, Domine, bonum est nos hic esse: e si vis, faciamus
hîc tria tabernacula, tibi unum, & Mosi unum, &
Eliæ unum.
5 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida inumbravit eos: & ecce vox è nube, dicens, ‖ Hic
est Filius f ille meus, dilectus ille in quo acquiesco: ipsum audite.

ET post sex dies assumsit Jeschua Cipham &
Jaakub & Juchannan fratrem ejus, & subduxit eos in montem excelsum seorsum.
2 Et transformatus est Jeschua ante illos:
& resplenduit facies ejus tamquam sol, vestimenta autem ejus candida facta sunt sicut lux.
3 Et visi sunt illis Musche & Ilija loquentes cum illo.
4 Respondit autem Cipha, & dixit ipsi Jeschua, Domine mi, bonum est nobis ut hîc simus: &, si vis, faciemus hîc tria tabernacula, unum tibi, & unum Musche, & unum Ilija.
5 Et quum adhuc ipse loqueretur, ecce, nubes lucida obumbravit illos: & vox facta est è
nube, quæ dicebat, Hic est Filius meus dilectus,
in quo complacitum est mihi: ipsum audite.

d Hebr. e Marcus significat c. 9.6. Petrum quum in ecstasin raptus foret instar hominis attoniti loquutum esse. ‖ *Sup.* 3.17. 2. *pet.* 1.17. f Articulus Jesum à reliquis filiis distinguit: ille enim natura Filius est, nos adoptione, ideò primogenitus dicitur inter fratres, quia licet ipso jure sit unicus, princeps tamen est inter multos quatenus est fons adoptionis ac caput.

6 Et

6 Et quum audivissent discipuli, prociderunt
in faciem suam, & metuerunt valdè.
7 Et accessit ad illos Jeschua, & tetigit illos,
& dixit, Surgite, ne timeatis.
8 Et sustulerunt oculos suos, & [1] quemquam
non viderunt nisi Jeschua solum.
9 Quumq; descenderent de monte, præce-
pit illis Jeschua & dixit illis, [2] In conspectu cujus-
quam ne dicatis visionem hanc, usque dum re-
surrexit filius hominis à mortuis.
10 Et interrogaverunt eum discipuli ejus, &
dixerunt ei, Quid igitur legisperiti dicunt, quòd
Ilija oportet ut veniat priùs?
11 Respondit Jeschua, & dixit illis, Ilija [3] ve-
nit priùs ut omnia compleat.
12 Dico autem ego vobis quòd ecce Ilija ve-
nit, & non agnoverunt eum, & fecerunt in eum
quicquid voluerunt: sic etiam Filius hominis fu-
turum est ut patiatur ab illis.
13 Tunc intellexerunt discipuli quòd de Ju-
channan Baptista dixisset ipsis.
14 Et quum venissent ad turbam, accessit ad
eum [4] quidam, & incurvavit se super genua sua.
15 Et dixit ei, Domine mi, miserere mei. filius
est mihi cui est [5] lunaticus *morbus*, & malè affici-
tur. multis enim [6] vicibus in ignem cadit, & mul-
tis vicibus in aquas.
16 Et obtuli eum discipulis tuis, & non potue-
runt sanare eum.
17 Respondit Jeschua, & dixit, O generatio
incredula & distorta, quousque tandem ero apud
vos? & quousque tandem sustinebo vos? addu-
cite eum ad me huc.
18 Et increpavit [7] illud Jeschua, & exivit ab
eo dæmonium: & sanatus est puer ex illa hora.
19 Tunc accesserunt discipuli ad Jeschua se-
orsum, & dixerunt ei, Quare nos non potuimus
sanare illum?
20 Dixit illis Jeschua, Propter incredulitatem
vestram. Ammin enim dico vobis quòd si esset in
vobis fides sicut granum sinapis, [8] diceretis monti
huic, Discede hinc, & discederet: [9] & nihil poten-
tius vobis esset.
21 Hoc autem genus non egreditur nisi [10] per
jejunium & per precationem.
22 Quum autem versarentur in Galilæa, dixit
illis Jeschua, Futurum est ut Filius hominis tra-
datur in manus filiorum hominis:
23 Et occident eum, & die tertio resurget. Et
contristati sunt valdè.
24 Quumq; venissent in Cephar-Nachum,
accesserunt illi qui accipere solent [11] binas drach-
mas argenti capitationis, ad Cipha, & dixerunt
illi, Dominus vester non dat duas drachmas suas?
25 Dixit illis, Etiam. Quumq; ingressus fuis-
set Cipha in domum, prævenit enim Jeschua, &
dixit ei, Quid videtur tibi Schemeun? Reges ter-
ræ à quo accipiunt tributum [12] & argentum ca-
pitationis, à filiis suis, an ab alienis?
26 Dixit ei Schemeun, Ab alienis. Dixit illi
Jeschua, Ergo [13] libertate sunt præditi filii.
27 Ne autem offendamus istos, abi ad mare,
& projice hamum, & pisci primo qui ascenderit,

[1] Ad verbū, Hominem. Heb. [2] לעין אנש Ante oculum hominis, i. spectante quoquam, aut præsente, ne loquamini de hac visione. [3] F. i. fuit venturus. sic accipi flagitat interrogatio præcedente versu. Nam verbū aut participium præsens, aut paulò pòst, aut necessariò futuri significationē obtinet. Sic suprà 2.4. & 3.11. & 11.3. & 20.22. & 23. & Luc. 1.34. [4] Ad verbū, Homo. Hebraism. [5] Syrè בר אנרא, cujus explicationem habes supr. Matth. 4. in fine. [6] Ad verb. Temporibus. Hebraisſ. [7] F. putà dæmonium, non autem puerum. Nam relativum quandoque præit antecedenti suo. [8] F. i. possetis dicere: ut in quæstione ostendunt hæc verba, *& non potuimus*. [9] Ad verbum, Et aliquid non esset potentius vobis. Hebraismus. [10] i. singularem hominum præparationem, & donū singulare Dei: ac non vocationem ordinariam. [11] Ad verbū, Duas duas drachmas, Hebraismus. Porrò drachmam ajunt in Thalmud diversis in locis idem esse numisma quod propria gentis appellatione dicebatur מעה *meha*, quod sexta pars denarii est, & tantum argenti continet quantū est pondus sexdecim granorum hordei, ita ut duæ drachmæ, quæ cuique solvendæ erant, continerent argenti pondus 32. granorū hordei. Stater autem propriè gētis nomine vocabatur אסתירא *Astira*, & memoratum pondus argenti duplicabat: id est, quatuor continebat drachmas. F. Hoc verò tributum neque ex lege fuit (nam mandatum Exod. 30. erat temporarium ad exstructionem tabernaculi) neque tum Judæis solùm impositum, sed omnibus quæ in orbe Rom. erant: ut evincit sermo Christi, & docet Dionysius libro 4. Antiquit. Illa autem ἀναδίπλωσις in distributivis sermonib. adhiberi solet: ut Gen. 7.2. & inf. 20.9. & 10. [12] F. vel *aut argentum cap.* nam copula non rarò disjunctivæ significationis est, ut Exod. 21.15. [13] Ad verb. Filii libertatum sunt filii, i. filii sunt ii quibus convenit esse liberos.

6 Et quum *hæc* audissent discipuli, [g] ceciderunt in faciem suam, & timuerunt vehementer.
7 Tunc accedens Jesus tetigit eos, dixitq;,
Surgite, & ne timete.
8 Sublatis autem oculis suis, neminem viderunt, nisi Jesum [h] solum.
9 Et quū descenderent de monte, mandavit
eis Jesus dicens, Nemini dixeritis [i] quod vidistis,
usq; quò Filius hominis à mortuis resurgat.
10 Tunc interrogaverunt eum discipuli sui,
dicentes, Quid igitur Scribæ dicunt, [l] oportere
ut Elias primùm veniat?
11 Jesus autem respondens dixit eis, [k] Elias
quidem veniet primùm & restituet omnia:
12 Sed dico vobis, Eliam jam venisse, quē non
agnoverunt, sed fecerunt ei quęcumq; voluerunt:
ita futurū est ut & Filius hominis patiatur ab eis.
13 Tunc intellexerunt discipuli *eum* de Jo-
hanne Baptista *hæc* ipsis dixisse.
14 [l] Et quum venissent ad turbam, adiit eum
quidam, procidens ei ad genua,
15 Et dicens, Domine miserere filii mei, quo-
niam [m] lunaticus est, & malè afficitur: nam sæpe
cadit in ignem, & sæpe in aquam.
16 [l] Et obtuli eum discipulis tuis, nec potue-
runt eum sanare.
17 Respondens autem Jesus dixit, O natio
incredula & perversa, quousque tandem ero vo-
biscum? quousq; tandem [n] tolerabo vos? addu-
cite mihi eum huc.
18 Et increpavit dæmonium Jesus, exiitq; il-
lud ab eo: & sanatus est puer ab illo momento.
19 [o] Tunc adeuntes discipuli Jesum privatim,
dixerūt, [p] Quare nos non potuimus illud ejicere?
20 Jesus autem dixit eis, Propter incredulita-
tem vestram. [l] amen quippe dico vobis, si habea-
tis [q] fidem quantulum *est* granum sinapis, dicetis
huic monti, Transgreditor hinc illuc: & demi-
grabit: & nihil [r] impossibile vobis erit.
21 [s] Hoc verò genus *dæmoniorum* non egredi-
tur nisi per [t] precationem & jejunium.
22 [l] [u] Versantibus autem ipsis in Galilæa, di-
xit eis Jesus, Futurum est ut Filius hominis tra-
datur in manus hominum.
23 Et trucidabunt eum, sed tertio die suscita-
bitur. Et contristati sunt vehementer.
24 [x] Quum autem venissent Capernaumum,
venerunt ad Petrum qui didrachma accipiunt:
dixeruntque, Præceptor vester [y] non solvit [z] di-
drachma?
25 Dicit, Etiam. Et quum ingressus fuisset do-
mum, prævenit eum Jesus, dicens, Quid tibi vide-
tur [a] Simon? Reges terræ à quibus accipiunt
tributa sive censum? [b] a filiis suis, an ab alienis?
26 Dicit ei Petrus, Ab alienis. Ait ei Jesus,
Nempe igitur [c] liberi sunt filii.
27 Sed ne offendiculo simus eis, profectus ad
mare, mitte hamū: & eum piscem qui ascenderit

[g] Proni adorārunt, Sup. 2.11 [h] Unus illis relinquitur Christus ut docerentur, legi & Prophetis temporalem fuisse gloriā, ut solus Christus maneat conspicuus. [i] Quod vidissent, alioqui propriè de eo dicitur ὅραμα, quod per quietem in somnis cernitur. [l] *Mal. 4.5. sup. 11.14. mar. 9.11.* [k] Hoc debet referri ad tempus prophetiæ, q.d. Malachias non falsò hoc dixit: nam jam venit Elias: completum enim fuit vaticinium in Johanne Baptista veniente in spiritu & virtute Eliæ. [l] B. indigni quidem sunt homines Christi beneficentia, sed ipse nihilominus eos respicit. [m] Qui certis lunæ temporibus comitiali morbo aut alio genere morbi laborant: hoc tamen loco ita accipiendum est, ut ad morbū naturalem intelligamus accessisse diabolicum furorem. [l] *Mar. 9.14. luc. 9.38.* [n] Sustinebo vos. Hæc autem objurgatio ad scribas directa est. [o] B. Diffidentia interrumpit divinorum beneficiorum cursum. [p] Mirantur discipuli ablatam sibi esse virtutem quā semel instructi fuerant, Sup. 10.1. quum proprio vitio ea se privârint. Nam sequitur, Jesus autem, &c. [l] *Luc. 17.6.* [q] Non fidem illam generalem & historicam intelligit: nec etiam fidem justificantem. Sed illam demum specialem, & quibusdam Christianis particularem, qua animus quodam spiritus S. impulsu ad res mirandas perficiendas impellitur, & ista vocatur fides miraculorum. [r] Hyperbolica est loquendi formula. [s] B. Remedium adversus diffidentiam. [t] Ut intelligatur attentio & diligentia precationis ardentis, quæ extra sobrietatem esse nequit. [l] *Inf. 20.17. mar. 9.31. luc. 9.44.* [u] Magis ac magis præparandi sunt animi nostri adversus crucis offendiculum. [x] B. Christus ultrò sese Cæsaris edictis subjiciens, ostendit civiles politias Evangelii doctrina minimè aboleri. [y] Non negat, sed interrogat. [z] Qui viginti annos essent nati ad quinquagesimum, pendebant sicli sanctuarii dimidium, Exod. 30.13. Hoc erat didrachmon Atticum, quod Judæa subacta exegerunt Romani. Solvendi autem ratio erat ut quisque urbem eligeret quasi suum domicilium in qua censeri vellet. Non dubium est igitur Christum venisse Capernaumum, ut in suam urbem, ad solvendum annuum illud tributum. [a] Quod Petrum compellat potiùs quàm alios, factum est fortasse quia tunc habitaverit in ejus domo. [b] Per filios, non subditos, qui tributum solvebant, sed naturales filios intellige. Ergo his verbis docet, se esse regis filium. [c] Christus minimè hic de communi jure fidelium disserit: sed tantùm similitudinem petit à filiis Regum qui unà cum suis domesticis liberi sunt.

primus, tolle: & aperto ore ejus invenies [d] statêrem; acceptum illum da eis pro me & pro [e] te.

aperi os, & invenies [14] statêrem, Ipsum accipe & offer pro me & pro te.

d Stater erat tetradrachmus, id est, quatuor drachmarum. e Petrus ejus civitatis erat civis, propterea tributum eo loco dare cogebatur.

14 De valore statêris vide paulò antè annot.

CAPUT XVIII.

1 *Maximus in regno Dei.* 5 *Suscipere puerulum.* 6 *Scandalizare.* 7 *Scandala.* 9 *Oculi erutio.* 10 *Angeli.* 12 *Ovis perdita.* 15 *Correptio.* 17 *Excommunicatio.* 21 *Fratri resipiscenti semper parcendum.* 23 *Parabola regis conferentis rationem cum servis suis.*

EO [a] ipso tempore adierunt Jesum discipuli, dicentes, Quisnam maximus est in regno cælorum?
2 [a] Et quum advocâsset puerulum Jesus, statuit eum in medio eorum.
3 [b] Et dixit, Amen dico vobis, nisi vos converteritis, & [b] fiatis ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cælorum.
4 Quisquis igitur summiserit sese sicut *est* puerulus iste, is est maximus ille in regno cælorum.
5 [c] Et quisquis exceperit aliquem puerulum talem nomine meo, me excipit.
6 [f] [d] Quisquis autem offendiculo fuerit uni ex parvis istis qui in me credunt, præstiterit ei ut suspendatur mola [e] asinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris.
7 [f] [g] Væ mundo ab offendiculis. necesse est enim ut eveniant [h] offendicula: verumtamen væ homini illi per quem offendiculum evenit.
8 [g] Si verò manus tua vel pes tuus facit ut tu [i] offendas, exscinde ea, & abjice abs te. bonum est tibi ad vitam ingredi claudum aut mancum *potiùs* quàm duas manus vel duos pedes habentem conjici in ignem illum æternum.
9 Et si oculus tuus facit ut tu offendas, erue eum, & abjice abs te: bonum est tibi luscum ingredi in vitam, *potiùs* quàm duos oculos habentem conjici in gehennam ignis.
10 [k] Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis: [l] dico enim vobis, Angelos eorum in cælis per omne *tempus* [i] intueri faciem Patris mei qui in cælis est.
11 [k] Venit enim Filius hominis ut servet quod perierat.
12 [l] Quid vobis videtur? si fuerint alicui homini centum oves, & erraverit una ex iis, nonne relictis ipsis nonaginta novem, profectus in montes, quærit eam quæ aberraverat?
13 Quod si acciderit ut inveniat eam, amen dico vobis, gaudet super ea magis quàm super illis nonaginta novem quæ non aberrârant.
14 Ita non vult Pater vester qui in cælis est, ut pereat ullus ex parvis istis.
15 [l] [m] [n] Si verò peccaverit [o] in te frater tuus, ito, & argue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum.
16 Sin verò te non audierit, assume tecum adhuc unum aut duos: [n] ut [p] ex ore duorum aut trium testium confirmetur res tota.
17 [q] Quòd si neglexerit eos audire, dic [r] Ecclesiæ: quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut [s] Ethnicus & publicanus quispiam.
18 Amen dico vobis, [t] quæcumque [t] ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo: & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta in cælo.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Jeschua, & dixerunt, Quísnam maximus est in regno cælorum?
2 Et vocavit Jeschua puerum, & statuit eum in medio illorum.
3 Et ait, Ammin dico vobis, quòd nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cælorum.
4 Qui igitur demittit seipsum, sicut hic puer, [1] hic erit maximus in regno cælorum.
5 Et qui recipiet [2] similem puero huic in nomine meo, is me recipit.
6 Et omnis qui offenderit unum de pusillis istis qui credunt in me, tolerabilius fuerit ei ut sit suspensa mola asinaria ad collum ejus, & demergatur in profunda maris.
7 Væ mundo ab offendiculis. Necesse enim est ut veniant offendicula; væ autem homini [3] per cujus manum veniunt offendicula.
8 Si autem manus tua aut pes tuus offendit te, [4] abscinde eum, & projice eum à te. [5] bonum enim est tibi ut ingrediaris ad vitam [6] claudus aut [7] mutilus, & non, quum sunt tibi ambæ manus aut ambo pedes, ruas in ignem æternum.
9 Et si ita sit ut oculus tuus offendat te, erue eum & projice eum abs te: bonum est tibi ut uno oculo ingrediaris ad vitam, & non, quum sint tibi duo oculi, ruas in Gihanna ignis.
10 Videte ne [8] contemnatis unum ex istis pusillis. Dico enim ego vobis, quòd angeli [9] eorum omni tempore vident faciem Patris mei qui est in cælis.
11 Venit enim Filius hominis ut [10] vivificet id quod perierat.
12 Quid videtur vobis? Si fuerint [11] alicui centum oves & aberraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in monte, & abiens quærit eam, quæ aberraverat?
13 Et, si inveniat eam, ammin dico vobis quòd gaudeat super ea magis, quàm *super* nonaginta novem quæ non aberraverunt.
14 Sic non est voluntas coram Patre vestro qui est in cælis ut pereat unus de pusillis istis.
15 Si autem [12] peccaverit in te frater tuus, vade, [13] argue eum inter te & ipsum solum: si audierit te, lucratus es fratrem tuum.
16 Et si non audierit te, accipe tecum unum aut duos: ut per os duorum aut trium testium consistat omne verbum.
17 Si autem etiam hos non audierit, dic [14] Ecclesiæ. Si verò etiam Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut publicanus & sicut ethnicus.
18 Et ammin ego dico vobis, quòd quicquid ligaveritis in terra, erit ligatum in cælis: & id quod solveritis in terra, erit solutum in cælis.

f Mar. 9, 34. luc. 9.46.
a B. Submissio animi, vera ad excellentiam via.
g Infrà 19.14. 1. Cor. 14.20.
b Significat eos pravo affectu esse occupatos, & eorum ambitionem perstringit.
c Ne quis pueruli exemplum contemneret, pueros mirè commendat. metaphoricè autem pueros appellat Christus qui deposita altitudine se ad modestiam & subjectionem composuerint.
f Mar. 9.42. luc. 17.1.
d B. Fratrũ quantumvis abjectorũ summa nobis habenda ratio. Qui secus fecerit, graves pœnas dabit.
e Lapis quo fruges moluntur. Hoc autem supplicii genus peculiare erat Palæstinis quod parabatur gravioribus sceleribus.
f B. Non potest quidem vir bonus nisi per media offendicula incedere, sed omnes præcidendæ sunt occasiones.
g Deploratio est, q.d. Heu quàm malè erit mundo ob scandala offendiculaq; pusillorum.
h Impedimenta quæ obstant operibus bonis.
g Sap. 5.30. mar. 9.45.
i Hyperbolica sunt hæc omnia, & amplificandi causa huc adducta. q.d. Tam sedulò & constanter resistendũ est scandalis, ut oculos potius eruere & manus abscindere conveniat, quàm ut scandala foveantur. k B. Quò quispiam est infirmior, eo magis oportet illius salutem nobis curæ esse, Deus ipse suo exemplo nos docet. l Loquitur more seculi hujus, ubi consistere in conspectu regis, faciemq; ejus perpetuò videre posse, signũ est domesticæ intimæq; familiaritatis. k Luc. 19.10. l Luc. 15.4. l Lev. 19. 17. eccle. 19.13. luc. 17.3. jac. 5.19. m Quia de ferendis fratrum infirmitatibus côcionatus fuerat Christus, nunc quomodo, & in quẽ finem, & quatenus ferendæ sint clariùs ostendit. n B. Studendum est sarciendæ concordiæ, non autem vindicandæ injuriæ. o Si peccaverit ita, ut solus peccatum fratris noris. n Deut. 19.15. ioh. 8.17. 2. cor. 13.1. heb. 10.28. p Id est, sermone ac testimonio: os enim aliquando sumitur pro sermone. Num. 3.16. atq; etiam pro tacito testimonio, scilicet quum res per se loquitur. Inf. 21.16. q B. Qui Ecclesiæ judicium contemnit, Deum contemnit. r Agit non de quadam politia, sed de ecclesiastico conventu, nam postea addit ligandi & solvendi potestatem, quæ ecclesiæ erat: respicit autem rationem sui temporis, quo penes Seniores judicium erat ecclesiæ, Joh. 9.22. item 12.42. item 16.2. apud quos supplicium erat è Synagoga ejici, velut apud nos excommunicari. s Profanus & à religione alienus: qui tales erant, Gentes ab Hebræis vocabantur, quorum sicut & publicanorum consuetudo fugeretur. t 1. Cor. 5.4. 2. thess. 3.14. ioh. 20.23. t Suprà 16.19.

1 Ad verbum, Si cut puerum hunc. F. optimè Syrus. nam ὅστις ἂν ταπεινώσῃ dicitur qui puero similis est figuratè, aut ellipsis particula ὡς statuenda Hebræis frequens, ut Prov. 25.12. & 11.22. & infrà 26.12.
2 F. Nempe demissus est. sic Psalmo 131.
3 Hebraismus, pro cujus opera.
4 F. vide suprà in 5.39.
5 Hebraism. est usitatissimus: pro Melius enim est tibi ut &c. quàm quum sunt tibi ambæ manus &c. Carent enim Hebræi, Chaldæi, & Syri comparativis & superlativis gradibus, & pro iis positivis utuntur.
6 חגיר Idē quod חגיר claudus: sic Marc. 9.
7 פשיח mutilum. Vide sup. cap. 15. Hebraicè diceretur כרות, & idem legitur Marci 9.
8 חבשין sicut Hebraicum חבזין mutato zain in samech. Sunt enim literæ ad idem pronunciationis organum, (id est ad dentes) pertinentes.
9 F. id est, quos Deus mittit administros propter salutem electorum & eorum qui cum humilitate hic agunt, & pòst illic hæreditatem salutis percepturi sunt, Hebr. 1.14.
10 F. id est, servet, ex Hebræorum usu: Gen. 6. 19. & infr. 19.25. & Marc. 3.4. & 8.35.
11 Ad verbum, Homini.
12 אסכל Id est, Stultè & insipienter egerit. Vide quæ annotata sunt in cap. 6.14.
13 אכסי In arguendi significatione verbum hoc legitur in Psalmis, Proverb. & Job, & alibi apud paraphrasten Chaldæum sæpe.
14 F. Id est, consilio illi à Deo & congregatione sanctorum ejus instituto, ut sit penes illud & ligandi & solvendi secundùm Deum auctoritas: ut ostenditur hoc & sequente versu.

19 Rursum ego dico vobis, quòd si duo ex vo-
bis consenserint super terram de omni re quam
petierint, fiet illis à Patre meo qui est in cælis.
20 Ubi enim sunt duo vel tres congregati in
nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.
21 Tunc accessit ad eum Cipha, & dixit ei,
Domine mi, [15] quoties, si peccaverit in me frater
meus, remittam ei? [16] usque ad septimam vicem?
22 Dixit illi Jeschua, Non dico tibi, usque ad
septimam, sed usque ad [17] septuaginta vices sep-
ties & septies.
23 Propterea assimilatum est regnum cælo-
rum homini regi, qui voluit ut acciperet ratio-
nem à servis suis:
24 Et quum cœpisset accipere, obtulerunt ei
unum qui debitor erat unius myriadis [18] talen-
torum:
25 Et quum non esset illi solvendo, jussit do-
minus illius ut venderetur ipse, & uxor ejus, & fi-
lii ejus, & quicquid erat ei, & solveret.
26 Et procidit ille servus, adoravit eum, &
dixit, Domine mi, [19] patiens esto erga me, & om-
nia solvam ego tibi.
27 Et misericordia motus dominus servi il-
lius, & absolvit eum & debitum ejus remisit ei.
28 Egressus verò est servus ille, & invenit
unum de [20] conservis suis, qui debitor ei erat
[21] denariorum centum. Et apprehendit illum, &
strangulabat illum, & dicebat illi, Redde mihi id
quod debes mihi.
29 Et procidit ille conservus ad pedes ejus,
rogavit eum, & dixit, [22] Patiens esto erga me, &
omnia ego solvam tibi.
30 Is autem noluit: sed abiens conjecit illũ in
carcerem, donec daret sibi id quod debebat sibi.
31 Quum vidissent autem conservi eorum id
quod fiebat, indoluerunt valdè: & euntes mani-
festaverunt Domino suo quicquid factum fuerat.
32 Tunc accersivit eum Dominus suus, &
dixit illi, Serve nequam, illud totum debitum re-
miseram tibi, quòd rogasses me:
33 Nónne oportuisset te tu gratiosus esses
conservo tuo, quemadmodum ego gratiosus fui
tibi?
34 Et iratus est dominus ejus, & tradidit eum
[23] tortoribus, usquedum redderet quicquid debe-
bat sibi.
35 Sic faciet vobis pater meus qui est in cęlis,
si non remiseritis [24] quisque fratri suo ex corde
vestro peccata illius.

15 Ad verbum, Quot temporibus. Syra phrasis.
16 Ad verbum, Usque ad septem tempora.
17 לשבעין ובנין שבע שבע Hebraicè ad verbũ esset לשבעים פעמים שבעה שבעה, Loquutio Syra: & significat quatuordecim vicibus septuagies, estque numerus finitus pro infinito.
18 Talentum Hebræi vocabunt ככר cicar, Chaldæi verò & Syri ככרא cacera: Et ut refert D. Kimchi in suo lib. Radicum, continebat libras sexaginta argenti vel auri, aut alterius generis metalli.
19 Ad verb. Contine erga me spiritum, id est, iram.
20 Ad verb. de cognominatione sua, hoc est, Qui de nomine ejusdem heri vel conditionis vocabatur. Periphrasis est conservi. Fortassis refertur ad Hebraicam vocem כנות, quam Chaldæi interpretantur שמוש, id est, ministerium: quæ significatio magis esset apta, & propinqua.
21 Denarius numisma erat Hebræis, vocatum zuz propria appellatione: de quo legitur Lucæ cap. 15.8. licet etiam Denara barbaro vocabulo quod à Romanis acceperant, vocarent. Continebat autem argenti pondus, 96 granorum hordei, id est, æquivalebat sex drachmis, F. putà Denarius major: nam minor communi appellatione cum drachma fuit zuz, & pretii ejusdem fermè quoque cum drachma fuit de qua suprà 17.24. 22 Ad verb, Contine erga me spiritum, id est iram, ut paulo antè. 23 למנגדנא iis qui torquent, & flagellant. Sic infrà cap. 20.19. ומנגדונהי & flagellabunt eum. 24 Ad verbum, Homo fratri suo. Hebraismus.

19 [u] Rursum dico vobis, si duo ex vobis con-
senserint in terra, de omni re quam petierint, fiet
eis à Patre meo qui in cælis est.
20 Ubi enim sunt duo vel tres coacti in no-
mine meo, illic sum in medio eorum.
21 [x] Tunc audiens eum Petrus dixit, Domi-
ne, quoties peccabit in me frater meus, & remit-
tam ei? an [ll] usque septies?
22 Dicit ei Jesus, non dico tibi usque septies,
sed [y] usque septuagies septies.
23 [ll] Propterea simile est regnum cælorum
regi, qui voluit conferre rationem cum servis
suis.
24 Et quum cœpisset conferre, oblatus est ei
quidam debitor [z] decies mille talentorum.
25 Quum autem is non posset *hæc* reddere,
[a] jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem
ejus, & liberos, & omnia quæ habebat, & reddi
debitum.
26 Procidens ergo servus ille adorabat eum,
dicens, Domine, [b] cohibe iram adversùm me, &
omnia tibi reddam.
27 [c] Commotus autem intima commisera-
tione Dominus servi illius, dimisit eum, & mutu-
um remisit ei.
28 Egressus verò servus ille invenit unum ex
conservis suis, qui debebat ei centum denarios:
& prehensum eum [d] suffocabat, dicens, Redde
quod debes.
29 Procidens ergo conservus ejus ad ejus pe-
des, precabatur eum, dicens, Cohibe iram ad-
versùm me, & omnia reddam tibi.
30 Ille verò noluit: sed abiens conjecit eum
in carcerem, quousque redderet debitum.
31 Quum autem vidissent conservi ejus quæ
facta fuerant, doluerunt vehementer: & quum
venissent, declarârunt domino suo omnia quæ
facta fuerant.
32 Tunc eo advocato dominus ipsius dixit
ei, Serve male, totum debitum illud remisi tibi,
quia precatus es me:
33 Nónne oportuit & te misereri conservi
tui, ut ego tui misertus sum?
34 Et iratus Dominus ejus tradidit eum tor-
toribus, usquequo redderet id omne quod sibi de-
bebatur.
35 Ita & pater ille meus cælestis faciet vobis,
nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus ve-
stris, lapsus eorum.

u q.d. Non solùm ratum erit si aliquem excommunicaveritis: sed rursus dico vobis, si pro peccatore preces fuderitis Deus exaudiet vos, non ecclesiam duntaxat universam, sed etiam si duo tantùm uno consensu petierint.
x B. Implacabilem Deum experientur qui à fratribus quantumvis magnis multisque injuriis provocati, non ignoscunt.
ll *Luc.* 17.4.
y Numerus certus pro incerto: finitus pro infinito ponitur. significat Christus remittendum esse quoties resipuerit frater.
ll *Luc.* 17.4.
z Ut sit insigne discrimen, memoratur ingens summa sexagies centena millia aureorum coronatorum, & exigua decem aureorum, inter quæ proportio evanescit.
a Antiquitùs erat lex, ut qui solvendo non esset, is nexus addiceretur creditori luiturus corpore, quod ære non posset.
b Ne indulgeas iracundiæ tuæ erga me, sic Deus *μακρόθυμος* in sacris literis celebratur, id est, clemens & cohibens impetum animi, Psal. 86.5. patiens & multæ misericordiæ.
c Sup. 6.36.
d Premebat fauces illius, seu collum obtorquebat.

CAPUT XIX.

2 *Sanantur infirmi.* 7 *Libellus abscessionis.* 12 *Eunuchi.* 13 *Puerculi oblati.* 17 *Bonus Deus. Mandata servanda.* 21 *Perfectio.* 23 *Dives.* 26 *Salus à Deo.* 27 *Relinquere omnia & Christum sequi.*

ET factum est, ut quum [1] complevisset Jeschua
verba hæc, [2] migravit à Galilæa, & venit in
confinium Judææ [3] trans Jurdenan.
2 Et convenerunt post eum turbæ multæ,
& sanavit illos ibi.
3 Et accesserunt ad eum Pharisæi, & tenta-
bant eum, & dixerunt, An licet [4] homini ut di-
mittat uxorem suam [5] qualibet occasione?

1 F. vide suprà in 10.23.
2 Syrum verbum est שקל, quod propriè significat attollere & levare, ut vertendum propriè sit Levavit vel Sustulit (subaudi pedes suos) à Galilæa, &c. Similis loquutio habetur Genes. 29.1. וישא יעקב רגליו וילך ארצה בני קדם: id est, Levavit Jaakob pedes suos, & abiit in terram filiorum Orientis. 3 F. vel secundùm Jurdenan. vide suprà 4.15. 4 F. id est, ulli, vel cuiquam, Hebraismus. 5 Ad verb, in omni occasione.

ET [ll] factum est, quum finiisset Jesus sermones
istos, ut [a] solveret è Galilæa, [b] & venit in fi-
nes Judææ, secus Jordanem.
2 Et sequuta est eum turba multa, sanavitq;
eos illic.
3 [c] Tunc adierunt eum Pharisæi, tentantes
eum, & dicentes ei, Licétne homini dimittere
uxorem suam quavis ex causa?

ll *Mar.* 10.1.
a Trajecit è Galilæa in fines Judææ.
b Hanc regionem beneficiis suis etiam visitare voluit Christus ut ubique salutis radios spargeret.
c B. Indissolubile est conjugii vinculum, nisi ob scortationem

4 Ille verò respondens dixit eis, Non legistis [c] opificem ab initio fecisse [d] masculum & fœminam?

5 Et dixisse, [f] Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & [e] agglutinabitur uxori suæ: & [f] qui duo *fuerant*, erunt una caro?

6 Itaque non ampliùs sunt duo, sed una caro. quod ergo Deus [g] conjunxit, homo ne sejungat.

7 [h] Dicunt ei, Cur ergo [i] Moses mandavit dare libellum discessionis, & eam dimittere?

8 Dicit eis, Moses [i] pro duritia cordis vestri [k] permisit vobis dimittere uxores vestras: cæterùm à principio non fuit ita.

9 Dico autem vobis, [l] quicumque dimiserit uxorem suam, nisi [l] ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.

10 Dicunt ei discipuli ejus, [m] Si tale est negotium hominis cum uxore, [n] non expedit uxorem ducere.

11 Ipse verò dixit eis, [o] Non omnes [p] sunt capaces hujus sermonis, sed *ii* quibus datum est.

12 Sunt enim [q] eunuchi qui ex matris utero nati sunt ita: & sunt eunuchi qui castrati sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui [r] seipsos castrârunt propter regnum cælorum. [s] Qui potest capax esse *hujus rei*, capiat.

13 [t] [t] Tunc oblati sunt ei pueruli, [u] ut manus eis imponeret, & precaretur: discipuli autem objurgârunt [x] eos.

14 Jesus autem ait, Omittite istos puerulos, & ne prohibete eos ad me venire. [y] talium est enim regnum cælorum.

15 Et quum imposuisset eis manus, profectus est illinc.

16 [z] [z] Et ecce, quidam accedens dixit ei, Doctor bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

17 Ipse verò dixit ei, Cur me dicis bonum? nullus est bonus, [a] nisi unus, *nempe* Deus. Si vis autem ad vitam ingredi, serva mandata.

18 Dicit ei, Quæ? Jesus autem dixit, [a] Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non dices falsum testimonium,

19 Honora patrem & matrem. Et, diliges proximum tuum ut teipsum.

20 Dicit ei adolescens ille, [b] Omnia hæc observavi à juventute mea: quo adhuc deficior?

21 Ait ei Jesus, [c] Si vis perfectus esse, abi, vende quæ tibi suppetunt, & da pauperibus: & habebis thesaurũ in cælo: & adesdũ, sequere me.

22 Quum audisset autem adolescens ille hunc sermonem, abiit tristitia affectus. habebat enim bona multa.

23 Jesus autem dixit discipulis suis, [d] Amen dico vobis, dives difficulter introibit in regnum cælorum.

24 Rursum verò dico vobis, Facilius est [e] camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum Dei introire.

4 Ille autem respondit, & dixit illis, Annon legistis quòd is qui fecit ab initio, marem & fœminam fecit eos?

5 Et dixit, Propterea derelinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo illi una caro.

6 Quapropter non sunt duo, sed unum corpus. Illud igitur quod Deus conjunxit, filius hominis non separet.

7 Dicunt illi, Quare igitur Musche præcepit ut daremus [6] scriptum desertionis, & dimitteremus eam?

8 Ait illis, Musche [7] contra duritiem cordis vestri, permisit vobis ut dimitteretis uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

9 Dico autem vobis quòd qui deserit uxorem suam [8] quæ adulterium non commisit, & accipit aliam, adulterium committit: & qui accipit desertam, committit adulterium.

10 Dicunt ei discipuli ejus, Si ita sit negotiũ inter virũ & uxoré, non expedit ducere uxorem.

11 Ille autem dixit eis, [9] Unusquisque non est capax sermonis hujus, sed is cui datum est.

12 Sunt enim [10] eunuchi qui de utero matris suæ nati sunt ita: & sunt eunuchi qui ab hominibus facti sunt eunuchi: & sunt eunuchi qui seipsos fecerunt eunuchos propter regnum cælorum. Qui potens est ut capiat, capiat.

13 Tunc obtulerunt ei pueros, ut poneret manum suam super eos, ac oraret. Et prohibuerunt eos discipuli ejus.

14 Ipse verò Jeschua dixit illis, Sinite pueros venientes ad me, & ne prohibeatis eos: illorum enim qui sunt sicut isti, est regnum cælorum.

15 Et imposuit manum suam super illos, & abiit illinc.

16 Et veniens quidam accessit, & dixit illi, Magister bone, quid boni faciam ut sit mihi vita æterna?

17 Ille autem dixit ei, Quid vocas tu me bonum? Nullus est bonus nisi unus Deus. Si autem vis ingredi ad vitam, serva mandata:

18 Dixit illi, Quæ? Jeschua autem ait illi, Ne occidas, &, Ne perpetres adulterium, &, Ne fureris, &, Ne [11] testimonium proferas mendax:

19 Et, Honora patrem tuum & matrem tuam, &, Diliges proximum tuum sicut [12] te ipsum.

20 Dixit ei ille adolescens, Hæc omnia servavi à pueritia mea: qua re indigeo?

21 Ait illi Jeschua, Si vis perfectus fieri, vade, vende possessionem tuam, & da pauperibus, & erit tibi thesaurus in cælis: & [13] veni post me.

22 Audivit autem ille adolescens sermonem hunc, & abiit mœstitia affectus: erat enim ei possessio multa.

23 Jeschua autem dixit discipulis suis, Ammin dico vobis, quòd difficile est diviti ut ingrediatur in regnum cælorum.

24 Iterum autem dico vobis quòd [14] facilius est camelo intrare in foramen acus, quàm diviti ut intret in regnum Dei.

[c] *Gene.* 1.27.
[d] Non ait masculum & fœminas. Unde ex ordine creationis probatur individua viri cum una uxore societas, & quomodo singuli viri singulas habeant uxores.
[f] *Gene.* 2.24. 1. *Cor.* 6.16. *Ephes.* 5.31.
[e] Exprimitur vis Græci vocabuli, quo significatur arctissima illa conjunctio viri & uxoris, quasi glutine conjunctorum.
[f] Qui duo erant homines, fiunt velut unus homo. Caro autem per synecdochen pro toto homine seu corpore. Hebr.
[g] Unde conjugium & conjuges, quasi à jugo translatione facta.
[h] B. Non statim probat Deus quòd civiles leges coguntur tolerare.
[i] *Deut.* 24.1.
[i] Ratione vel causa vestræ duritiei.
[k] Lege scilicet politica, non morali. hæc enim perpetua est regula divinæ justitiæ, illa sese aliquando ut regula Lesbia inflectit.
[l] *Sup.* 5.32. *Marc.* 10.11. *Luc.* 16.18. 1. *Cor.* 7.11.
[l] Hoc itaque tempore in adulteros latæ leges negligebantur, repudio enim non fuisset opus, si capitali supplicio diremtum fuisset matrimoniũ.
[m] i. si ita se res habet de viro & uxore, seu de conjugio, ut non ampliùs ita liberum sit repudiũ.
[n] Duram servitutem esse putant, domi ferre morosam, rixosam, temulentam aut simili vitio molestam mulierem. Itaque loquuntur ut carnales, non ut spiritales: quare eorum stultitiam refellit dominus. [o] B. Peculiare est continentiæ donum: ac proinde perpetuæ continentiæ legem ne sibi quidem potest quisque indicere. [p] i. recipiunt & admittunt, sicut dicimus locum aliquem angustum capere non posse multas res. q.d. Christus, Ab hac nubendi necessitate non possunt esse omnes liberi, nisi quibus datum est divinitùs. [q] Eunuchus: nomen est generis, ejus species sunt, spadones, thlibiæ, & castrati: hos a conjugio arcet defectus, quia viri non sunt. [r] Qui à conjugio abstinent, & continentiam servant, ex Dei scilicet dono. [s] Utilis omnibus admonitio: quia in eligendo vitæ genere, pauci quid sibi datum sit reputant. [t] *Sup.* 18.3. *Mar.* 10.13. *Luc.* 18.15. [t] B. Ipsi etiam infantes in gratuito Dei fœdere comprehenduntur. [u] Impositionis manuum symbolum fuit apud Judæos familiare, quoties solennis erat precatio aliqua aut benedictio. [x] Videlicet parentes offerentes filios. [y] Talium dicit non horum: quia comprehendit tam puellos quàm eorum similes. [z] *Mar.* 10.17. *Luc.* 18.18. [z] B. Et legem & seipsos minimè omnium norunt qui ex Lege salutem petunt. [a] Hinc discendum est, quòd quicquid bonitatis in homine reperitur, id oportet esse ex Deo, tamquam ex fonte omnis boni. [a] *Exod.* 20.13 [b] In hoc adolescente demonstratur nobis quanta sit humani ingenii arrogantia & vanitas. q.d. Nihil aliud mihi proponis quàm ista vulgaria, quorum observantiam mihi ab ipsa juventute vindicare possum. [c] non verè responderat juvenis se omnia mandata servasse: ideò veræ charitatis exemplo proposito, latentem in animo morbum indicat. [d] B. Divites peculiari Dei dono egent, ut possint ex Satanæ tendiculis evadere. [e] Theoph. cameli nomine funem anchorarium intelligit. Caninius verò ex Talmudistis observat proverbialem esse loquutionem, & cameli nomine animal intelligi, hæc autem sermonis absurditas ad emphasin facit.

[6] F. i. libellum repudii, ut appellatur vulgò.
[7] F. i. respectu duritiei. Sic enim accipiunt Syri præpositionem לוקבל, ut Latini ob, vel propter. atque hæc justa est interpretatio, ac si e regione dixeris, ut infrà. 21.2.
[8] F. sic optimè interpretatur hæc verba, μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, ut in Complutensi editione extant: nam aliæ interpretationes sic habent ut si legeretur εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ.
[9] Ad verb. Non omnis homo, Hebraism.
[10] מהימנא Idem quod Heb. נאמן id est, fidelis: quòd eunuchorum fides deligeretur asservandis thoris.
[11] Ad verb. Testeris testimonium mendax.
[12] F. Syrè, animam tuam, ex Orientalium idiotismo.
[13] id est, Sequere me. Hebraismus.
[14] Vocem גמלא qua hîc utitur Paraphrastes, in aliis auctoribus Chaldæis aut Talmudicis non legi: collatione autem locorum Novi Testamenti, in quibus reperitur, ejus hanc esse significationem facilè potest intelligi. Reperitur autem Lucæ 18.25. & 1. ad Timoth. 6.18.

15 i. Servari, Hebraismus.

16 i. Sequuti sumus te, ut suprà.
17 i. Sequuti estis me.
18 i. unum auctū in centum, ut pro illo uno quod reliquit, centum recipiat. Eadem phrasis Marc. 9. 30. & Luc. 8. 8. Et fecit fructus unum in centum, i. auctum in centū. v. vel per centum, id est, multiplicatum centuplo.

25 Discipuli verò quum audivissent, perculsi
sunt valdè, & dixerunt, Quisnam potest [15] vivere?
26 Intuitus est illos Jeschua, & ait illis, Apud
filios hominum hoc non potest: apud Deum autem omnia sunt possibilia.
27 Tunc respondit Cipha, & dixit ei, Ecce,
nos reliquimus omnia, & [16] venimus post te:
quid ergo erit nobis?
28 Dixit illis Jeschua, Ammin dico vobis,
quòd vos [17] qui venistis post me, in seculo novo, quum sedebit Filius hominis super thronum gloriæ suæ, sedebitis etiam vos super duodecim solia, & judicabitis duodecim tribus Jisraiel.
29 Et, quisquis relinquit domos, aut fratres,
aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, [18] unum in centum accipiet, & vitæ æternæ hæres fiet.
30 Multi autem sunt primi, qui futuri sunt postremi: & postremi, primi.

25 *His* autem auditis discipuli ejus perculsi
sunt valdè, dicentes, Quis ergo potest servari?
26 Intuitus autem *eos* Jesus dixit eis, Apud
homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.
27 [f] [1] Tunc respondens Petrus dixit ei, Ecce,
nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis?
28 Jesus autem dixit eis, Amen dico vobis,
vos qui sequuti estis me, [g] in regeneratione, quum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, [h] sedebitis vos etiam *inquam* in thronis duodecim, [i] [1] judicantes duodecim tribus Israël.
29 Et quisquis reliquerit domos, aut fratres,
aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, causa nominis mei, centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure possidebit.
30 [k] [1] Multi autem primi, erunt ultimi: & ultimi primi.

[f] B. Minimè perit quod Dei causa negligitur.
[1] *Marc.* 10. 21. *Luc.* 18. 28.
[g] Regeneratio sumitur pro illa die, qua electi incipient novam vitam vivere, id est, quum animo & corpore fruentur illa hæreditate cælesti.
[h] Humana sed magnifica similitudine majestatis plenum judicium adumbrat.
[1] *Luc.* 22. 30.
[i] Hoc non est aliter intelligendum, quàm quòd fides Apostolorum (qui & ipsi sunt ex Israële, iique viri idiotæ, & tamen Christum amplexi & ministri regni Dei facti) Israëlitis sit ademtura omnem excusationem: sic de Ninivitis & Regina Austri sup. 12. 41. legimus. [k] Non modò nihil juvat, sed etiam valdè nocet, benè cœpisse, nisi quis ad extremū perseveret. [1] *Mar.* 10. 31. *Luc.* 13. 30.

CAPUT XX.

1 *Operarii conducuntur in vineam.* 15 *Oculus nequam.* 17 *Passionem suam prædicit.* 20 *Zebedæi filii.* 22 *Calix.* 28 *Minister noster Christus.* 30 *Cæci duo.*

1 v. Hic desideratur causalis particula, *enim*, quæ in aliis exemplaribus comparet.
2 Hebraicè, pro patrefamiliâs, frequenter enim domus pro familia in Scripturis accipitur.
3 v. nempe operandam, ut ità loquamur. Nam conjugata nomina & verba alia insunt aliis potestate: ac propterea apud Orientales sæpe reticentur, ut infrà 26. 54.
4 v. puta minore, qui fermè est drachma: vide suprà 18. 28.
5 Syrum enim verbum ולא idem est quod שון, aut שוא Convenit, ut docet auctor ערוך Haruch.
6 v. vide suprà in 13. 29.
7 Ad verb. Denarium, denarium. ut sup. 17. 24. De denario vide supra cap. 18. 28.

Simile [1] est regnum cælorum homini [2] domino domus, qui exivit diluculo ut mercede
conduceret operarios [3] in vineam suam.
2 Constituit autem cum operariis de [4] denario per diem, & misit eos ad vineam suam.
3 Et exivit tertia hora, & vidit alios stantes
in foro & otiosos.
4 Et ait illis, Ite vos quoque ad vineam, & id
[5] quod æquum est, ego daturus sum vobis.
5 Illi autem abierunt. Et exivit rursum sexta
& nona hora, & fecit similiter.
6 Et circiter undecimam horam exivit, &
invenit alios qui stabant & otiabantur: & dixit illis, Quid statis vos die hoc toto, & otiamini?
7 Dicunt ei, [6] Quia nemo mercede nos
conduxit. Ait illis, Ite vos quoque in vineam, & id quod æquum est, accepturi estis.
8 Quum esset autem vespera, dixit dominus vineæ œconomo suo, Voca operarios, & da illis mercedem suam, & incipe à postremis usque ad primos.
9 Et venientes illi undecimæ horæ, acceperunt [7] singuli denarium.
10 Quúmque venirent primi, arbitrati sunt
quòd plus essent accepturi: & acceperunt singuli denarium, etiam ipsi.
11 Et quum acciperent, murmurabant contra dominum domus:
12 Et dicebant, Hi postremi una hora operati sunt, & pares fecisti eos nobis qui portavimus pondus diei & æstum ejus.
13 Ille autem respondit, & dixit uni eorum,
Mi amice, ego non ago iniquè contra te: nónne factum est *ut* denario conveneris mecum?
14 Accipe quod tuum est, & abi: volo autem
ut huic postremo dem sicut tibi.
15 [8] An non licet mihi ut quicquid volo, faciam de meo? An oculus tuus malus est quia ego bonus sum?
16 Sic postremi, erunt primi: & primi, postremi. Multi sunt vocati, & pauci electi.
17 Futurum autem erat ut Jeschua ascenderet in Urischelem: & assumpsit duodecim discipulos suos [9] inter se & illos in via, & ait illis,

8 v. Syrè, aut non licet. vide sup. in 7. 9.
9 ביניהון ולהון Id est, Seorsim.

Simile [a] enim est regnum cælorum patrifamiliâs, qui exiit cum prima luce ad conducendos operarios *quos mitteret* in vineam suam.
2 Pactus autem cum operariis [b] denario in
diem, misit eos in vineam suam.
3 Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos:
4 Et illis dixit, Abite & vos in vineam, &
quodcumque justum fuerit, dabo vobis.
5 Illi autem abierunt. Rursum egressus circa
sextam & nonam horam, fecit itidem.
6 Circa horam autem [c] undecimam egressus, invenit alios stantes otiosos, ac dicit eis, Cur hîc statis totum diem otiosi?
7 Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit
eis, Abite & vos in vineam: & quicquid fuerit justum, accipietis.
8 Quum autem serum diei esset, dicit dominus vineæ procuratori suo, Voca operarios, & redde eis mercedem, exorsus ab ultimis, usque ad primos.
9 Et quum venissent qui circa undecimā horam *conducti fuerant*, acceperūt [d] singuli denariū.
10 Quum venissent autem primi, existimârunt se plus esse accepturos: sed acceperunt ipsi quoque singuli denarium.
11 Sed quum accepissent, murmurabant adversus patremfamiliâs,
12 Dicentes, Isti ultimi unam horam *opus* fecerunt, & eos æquales nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstum.
13 Ipse verò respondens dixit uni eorū, [e] Amice, non facio tibi injuriam: nónne denario pactus es mecum?
14 Tolle quod tuum est, & abi. volo autem
huic ultimo dare ut & tibi.
15 [1] Annon licet mihi quod volo facere in
[f] meis *rebus*? an oculus tuus [g] malus est quia ego bonus sum?
16 Sic ultimi, erunt primi: & primi, ultimi.
multi enim sunt vocati, pauci verò electi.
17 [h] Et ascendens Jesus Hierosolyma, assumpsit duodecim discipulos suos privatim in via, & dixit eis,

[a] B. Deus nemini obstrictus, quoscumque quandocumque libuit, vocat. Tantum danda est opera unicuique ut ad metam inoffenso cursu, nihil in alium vel in Dei judicia curiosè inquirens, perveniat.
[b] De singulis in diem denariis. Denarius autem nummi Romani genus est, valens drachmam, hoc est, tres solidos Gallicos & semissem.
[c] Horam ultimam. dies enim 12. horis continebatur, quarum prima ab ortu solis numerari soleret.
[d] Ad verb. æqualiter denarium.
[e] Ad ver. sodalis. quo vocabulo in omnibus ferè linguis compellamus ignotos.
[1] *Sup.* 19. 13. *Mar.* 10. 31. *Luk.* 13. 40. *infr.* 22. 14.
[f] Sub. rebus.
[g] Nequam. i. An invides istis benignitatem meam? Hebræi enim per oculum malum invidentiam significant, quoniam eluceat potissimum in oculis tales affectus.
[h] B. Christus necessariò quidem, sed voluntariè tamen crucem adiit.

18 [i] [I] Ecce, aſcendimus Hieroſolyma, & Filius hominis tradetur primariis Sacerdotibus ac Scribis, & condemnabunt eum morte:

19 [k] [K] Tradéntque eum Gentibus, ut illudant, & flagellent, & crucifigant: ſed tertia die reſurget.

20 [l] [l] Tunc venit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo.

21 Ipſe verò dixit ei, Quid vis? Ait ei, Dic [m] ut ſedeant iſti duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad ſiniſtram, in regno tuo.

22 Reſpondens autem Jeſus dixit, Neſcitis quid petatis. poteſtis [n] bibere poculum quod ego bibiturus ſum, & [o] baptiſmate quo ego baptizor, baptizari? Dicunt ei, Poſſumus.

23 Tunc dicit eis, Poculum quidem meum bibetis, & baptiſmate quo ego baptizor, baptizabimini: ſedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram meam, [p] non eſt meum dare, ſed *dabitur* quibus paratum eſt à Patre meo.

24 [l] Et quum *hæc* audiſſent *alii* decem, indignati ſunt de duobus fratribus.

25 Jeſus autem quum eos advocaſſet, ait, [q] Scitis principes Gentium in eas [r] dominari, & magnates poteſtatem exercere in eas.

26 Verùm non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter:

27 Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus.

28 Sicut filius hominis non venit ut ſibi miniſtretur, ſed ut miniſtret, [l] détque animam ſuam *in* redemtionis pretium pro multis.

29 [l] [f] Egredientibus autem ipſis *urbe* Jericho, ſequuta eſt eum turba multa.

30 Et ecce, duo cæci ſedentes apud viam, quum audiviſſent Jeſum præterire, clamârunt, dicentes, Miſerere noſtri Domine, Fili Davidis.

31 Turba autem objurgabat eos ut ſilerent: illi verò magis clamabant, dicentes, Miſerere noſtri Domine, Fili Davidis.

32 Et quum ſubſtitiſſet Jeſus, [t] vocavit eos, & ait, Quid vultis faciam vobis?

33 Dicunt ei, Domine, ut aperiantur oculi noſtri.

34 Commiſeratione autem intima commotus Jeſus tetigit oculos eorum: & ſtatim viſum receperunt oculi eorum, & *ipſi* ſequuti ſunt eum.

18 Ecce, aſcendimus in Uriſchelem, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Legiſperitis, & condemnabunt eum ad mortem.

19 Et tradent eum Gentibus, & illudent ei, & flagellabunt eum, & in crucem agent eum, & die tertia reſurget.

20 Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zabdai, ipſa & filii ſui, & adoravit eum, & petitura erat ab eo aliquid.

21 Ipſe autem dixit illi, Quid vis tu? Dixit ei, Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus à dextera tua, & unus à ſiniſtra tua, in regno tuo.

22 Reſpondit Jeſchua, & dixit, Vos neſcitis quid petatis. poteſtis vos bibere poculum quod ego bibiturus ſum? aut baptiſmate quo ego baptizor, [10] baptizabimini? dicunt ei, poſſumus.

23 Ait illis, Poculum meum bibetis, & baptiſmate quo ego baptizor baptizabimini: ut ſedeatis autem à dextera mea, & à ſiniſtra mea, non eſt meum ut dem niſi illis quibus paratum fuit à Patre meo.

24 Quum autem audiviſſent decem, irati ſunt contra hos duos fratres.

25 Et vocavit eos Jeſchua & dixit eis, Scitis quòd principes gentium domini illarum ſunt, & magnates illorum poteſtatem exercent in eas.

26 Non autem ſic erit inter vos: ſed qui vult inter vos ut ſit magnus, ſit vobis miniſter:

27 Et qui vult inter vos ut ſit primus, ſit vobis ſervus.

28 Sicut filius hominis non venit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, & ut daret animam ſuam redemtionem pro multis.

29 Et quum egrederetur Jeſchua ab Ajerichu, [11] veniebat poſt eum turba multa.

30 Et ecce, cæci duo ſedebant [12] juxta viam: &, quum audiviſſent quòd Jeſchua tranſiret, ediderunt vocem, & dixerunt, Miſerere noſtri mi Domine, fili David.

31 Turbæ autem increpabant eos, ut tacerent. At illi magis elevârunt vocem ſuam, & dixerunt, Domine noſter miſerere noſtri, fili David.

32 Et ſubſtitit Jeſchua, & vocavit eos, & ait, Quid vultis *ut* faciam vobis?

33 Dicunt ei, Domine noſter, ut aperiantur oculi noſtri.

34 Et miſertus eſt illorum, & tetigit oculos eorum, & confeſtim aperti ſunt oculi illorum, & [13] venerunt poſt eum.

i B. Chriſtum ii demùm acerbiſſimè perſequuntur, quos minimè omnium oportuit. [I] *Mar.* 10.32. *Luc.* 18.31. k B. Ignominia crucis, certum iter ad æternæ vitæ gloriam. [K] *Ioh.* 18.32. l B. Contraria prorſus eſt ratio regni cæleſtis & terreni. [l] *Mar.* 10.35. m Sedere ad dextram vel ſiniſtram regni Chriſti nihil aliud eſt, quàm primas habere & participem eſſe gloriæ ejus. n Metonymiæ: poculum, pro eo quod poculo continetur. Deinde poculi nomine Hebræi modum pœnæ quæ peccatis infligitur, Pſal. 11.6. vel lætitiæ qua cumulantur fideles, pſal. 23.5. aliquando ſortè ſive conditionem intelligunt, Pſal. 16.5. o transfertur ad afflictiones, translatione Davidi familiari. p Non excluditur omnipotentia divinitatis in Chriſto, ſed indicatur demiſſio ad copulationem naturæ humanæ. [l] *Mar.* 10.41. *Luc.* 22.25. q Chriſtus hîc non dehortatur ne quis Rex ſit, aut Magiſtratu fungatur, ſed dehortatur ne quis inter miniſtros verbi ſui quærat præcellentiam & poteſtatem. r Cum quadam acerbitate. [l] *Phil.* 2.7. [l] *Mar.* 10.46. *Luc.* 18.35. f B. Chriſtus duobus cæcis ſolo contactu ſanatis, confirmat ſe unum eſſe mundi lucem. t Voce, non alterius miniſterio.

10 F. i. poteſtis baptizari? ut poſtulant adjuncta omnia. ſic ſuprà 17.20. Præſens autem illud, *baptizor*, habet paulo pòſt futuri ſignificationem, ut ſuprà 2.4.

11 Id eſt, Sequebatur eum.

12 F. i. ad latus viæ: nam extra viam non erant. vide ſuprà 13.4.

13 Id eſt, ſequuti ſunt eum.

CAPUT XXI.

1 *Chriſtus aſinæ inſidens ingreditur Jeruſalem.* 12 *Vendentes ejicit.* 13 *Orationis domus.* 19 *Ficus areſacta.* 25 *Baptiſmus Johannis.* 28 *Qui voluntatem Dei faciant.* 30 *Publicani & meretrices.* 33 *Vinea Dei, Judæi.* 38 *Filiusfamiliâs occiſus ab agricolis.* 42 *Lapis angularis.*

ET [l] [a] quum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Beth-phagen ad montem oleaDrum, tunc Jeſus miſit duos diſcipulos,

2 Dicens eis, Ite in vicum qui vobis eſt ex adverſo, & ſtatim invenietis aſinam ligatam, & pullum cum ea: ſolventes *eos* adducite mihi.

3 Et ſiquis vobis aliquid dixerit, dicite, Domino his opus eſt: ſtatim autem mittet eos.

4 [b] Hoc autem totum factum eſt ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem,

ET quum appropinquaſſet Uriſchelem, & veniſſet in [1] Beth-page [2] juxta montem Olivarum, miſit Jeſchua duos e diſcipulis ſuis,

2 Et ait illis, Ite in villam iſtam quæ contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, adducite ad me.

3 Et, ſi [3] quis dixerit vobis aliquid, dicite illi, Pro domino noſtro [4] petuntur. & confeſtim dimittet eos huc.

4 Hoc totum autem quod factum fuit *contigit* ut adimpleretur id quod dictum fuerat [5] per Prophetam, qui dixit,

[l] *Mar.* 11.1. *Luc.* 19.29. a B. Chriſtus humilis de mundi ſuperbia triumphans, ad veram gloriam per crucis ignominiam aſcendit. b Oportuit adimpleri ſcripturam in Chriſto, quia divinitus deſtinatum erat ut ante paſſionē aſino inſidens ingrederetur Jeruſalem. Ideo verò prædictum eſt à ſpiritu ſancto quia futurum erat: futurum autem erat quia divinitùs deſtinatum. Deſtinatum verò ex ſcriptura prophetica colligi poteſt. nempè quòd ita viſum ſit exprimere regni Chriſti & qualitatem & amplitudinem.

1 Hujus loci meminerunt Talmudiſtæ, ut commemorat auctor libri ערוך. Et fortaſſe à fonte qui ibi erat, nomen accepit. Ut enim græci fontē [illegible], ita Syri, Chaldæi & Talmudiſtæ eum vocant [illegible] vel [illegible]: unde conflatū nomen eſt [illegible], quòd ſonat locū fontis. 2 F. Syrè ad dorſum montis olivarū. ſic Marci. 11.1. & paſſim, atq; hoc ſimpliciter eſt juxta. 3 Ad verb. Vir. 4 F. i. opus ſunt: ex Orientalium gentium idiotiſmo, ut Mar. 11.3. 5 Ad verb. Per manum prophetæ, id eſt, Miniſterio prophetæ. Hebraiſmus eſt frequens.

5 [l] Dicite

5 Dicite

[6] F. Aut ita legebat in Mattheo Syrus, ἐπάνω τῦ ὄνου, & posteà, ἐπάνω αὐτῦ: aut (quod equidem malim) hæc ita reddit ἐξηγητικῶς, ut figuratam loquitionem ejus propriis verbis interpretatus sit. Nam Christũ utrique insedisse, asinæ & asello, ne verisimile quidẽ est: asinæ non insedisse illum, sed asello ejus, ex Marci 11. & Lucæ 19. est evidentissimum. Matthæus verò idem hoc loco, sed figuratè, dicit per enallagen numeri. Solent enim Hebræi uti plurali numero indefinitè, quum de re aut persona singulari agitur: ut Gen. 46. 23. & suprà 2. 20. & Marc. 2. 24.
[7] Id est, Præcedebant eum.
[8] Id est, Sequebantur eum.
[9] Contracta vox est ex simplicibus הושיעה נא propter vulgatum ejus usum. Utebantur autem ea, præsertim in festo tabernaculorum, quò gaudium suum & fiduciam ex præteriti beneficii recordatione pleniùs excitarent, & in posterum sibi confirmarent, atq; in spe Messiæ conquiescerent. Unde etiam factum ut & dies illi festi, & rami quos gestarent in illis, à fausta illa & solenni acclamatione vocati sint הושענות, sicut explicatur fusiùs in Talmud, lib. de festo tabernaculorum. Probabile ergo est, ramos quos honoris causa præferebant ac sub sternebant vero Messiæ & Christo nostro, tamquam symbola illis in mentem induxisse recantatam illam acclamationem, qua gratulationem & profusam animi lætitiam ex conspecta Dei in Messia exhibito salute & protectione, sanctiùs & solemnius testatam facerent. F. Nam alioquin hæc à populo per modum precationis & acclamationis divinæ fuisse dicta Christo, ac non enunciatam de ramis appellationem, ostendunt Pharisæorum verba, infrà V. 15. & 16. [10] De prava hac emendi in templo & vendendi consuetudine scribitur in Talmud Jerosolymitano in primo capite שקלים. [11] Consueverant enim durante adhuc templo ex antiquissima patrum traditione (ut legitur in Talmud, tractatu de ficlis, cap. 1.) vigesima quinta die mensis duodecimi mensas collocare in templo, & numularios mensis præficere, ut quibus dimidius ficlus non esset ex lege Domini, Exod. 30. in promtu invenirent ibi pecuniã apud numularios, sive permutatione alterius generis monetæ, sive dato pignore: & ita nulla esset in census pensione mora, quin totus Israël à commemorato die usque ad pascha, impositum sibi à Domino censum penderet. Ex illa autem pecunia (ut ibidem dicitur) comparabãtur animalia ad ordinarias & publicas victimas & eorũ libamina, item necessaria ad panes propositionũ & ligna pro sacrificiis, & pro continuo igne alendo.

5 Dicite filiæ Tzehiun, Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam & super pullum filium asinæ.

6 Et abierunt discipuli, & fecerunt sicut præceperat illis Jeschua.

7 Et adduxerunt asinum & pullum, & posuerunt vestimenta sua [6] super pullum, & insedit illis Jeschua.

8 Et multitudo turbarum ponebant vestimenta sua in via, alii autem cædebant ramos ex arboribus, & projiciebant in via.

9 Turbæ autem illæ quæ [7] ibant ante eum & [8] veniebant post eum, clamabant, & dicebant [9] Hoschaanah filio David: benedictus sit qui venit in nomine Domini, Hoschaanah in excelsis.

10 Et quum intrasset Urischelem, commota est universa civitas, & dicebant, Quis est hic?

11 Turbæ autem dicebant, Hic est Jeschua propheta, qui est à Natzerath Galilææ.

12 Et ingressus est Jeschua in Templum Dei, & ejecit omnes illos [10] qui vendebant & emebant in templo, & evertit [11] mensas numulariorum, & cathedras illorũ qui vendebant colũbas.

13 Et ait illis, Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.

14 Et accesserunt ad eum in templum cæci & claudi: & sanavit eos.

15 Quum vidissent autem principes Sacerdotum & Pharisæi, mirabilia quæ fecerat, & pueros qui clamabant in templo, & dicebant, Hoschaanah filio David, indignati sunt.

16 Et dixerunt illi, Audis tu quid dicunt isti? Dixit eis Jeschua, Etiam: Nunquam legistis, Quòd ex ore puerorum & infantium disposuisti laudem?

17 Et dereliquit eos, & exivit è civitate in Beth-ania: & diversatus est illic.

18 Manè autem facto, quum rediret ad civitatem, esuriit.

19 Et vidit ficum unam in via, venítque ad eam, & non invenit in ea quicquam, nisi folia tantùm: & ait illi, Ne sint in te iterum fructus in æternum. Et continuò arefacta est ficus illa.

20 Et viderunt discipuli, & mirati sunt, & dixerunt, Quomodo continuò arefacta est ficus?

21 Respondit Jeschua, & dixit illis, Ammin dico vobis quòd si fuerit in vobis fides & non hæsitaveritis, non tantùm hoc de ficu facietis; sed etiam, si monti huic dixeritis, Tollere, & projice te in mare, fiet.

22 Et quidquid petieritis in precatione, & credideritis, accipietis.

23 Qúmque venisset Jeschua in templum, accesserunt ad eum principes sacerdotum & seniores populi dum doceret, & dixerunt ei, In qua potestate hæc facis tu? Et quis dedit tibi potestatem hanc?

24 Respondit

5 [l] Dicite [c] filiæ Sion, Ecce, rex tuus venit tibi mitis, & insidens asinæ, ac pullo fœtui subjugis *asinæ*.

6 Profecti autem sunt discipuli, fecerúntque sicut imperârat eis Jesus.

7 Et adduxerunt asinam & pullum, & eis imposuerunt [d] vestimenta sua, & collocârunt *ipsum* super [e] ea.

8 Plurima autem turba statuerunt vestimenta sua in via: alii verò cædebant ramos ex arboribus, & sternebant in via:

9 Porro turba quæ præibat & quæ sequebatur, clamabat, dicens, [f] Hosanna filio David: [g] benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna *ô qui es in cælis* altissimis.

10 Et quum introisset Hierosolymam, commota est universa urbs, dicens, Quis est hic?

11 Turba autem dicebat, Hic est Jesus ille Propheta ortus Nazaretha *urbe* Galilææ.

12 [g] Et introivit Jesus in templum Dei, [h] & ejecit omnes qui vendebant & qui emebant in templo: mensásque [i] numulariorum, & cathedras vendentium columbas subvertit.

13 Et dixit eis, [l] Scriptum est, Domus mea, domus precationis vocabitur: at vos fecistis eam [l] speluncam latronum.

14 Tunc venerunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanavit eos.

15 [k] Quum vidissent autem primarii Sacerdotes & Scribæ miranda illa quæ fecerat, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hosanna filio David, indignati sunt.

16 Et dixerunt ei, Audis quid isti dicant? Jesus autem dixit eis, [l] Etiam, nunquam legistis, [l] Ex [m] ore infantium & lactentium [n] perfecisti laudem?

17 [o] Et eis relictis, abiit Bethaniam extra urbem, [p] & diversatus est illic.

18 [q] Manè autem rediens in urbem, [r] esuriit.

19 [l] Et quum vidisset ficum quamdam apud viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea nisi folia solùm: tunc dicit ei, Ne amplius ex te fructus nascitor in æternum. Et exaruit illicò ficus.

20 Quum igitur hoc vidissent discipuli, mirati sunt, dicentes, Quomodo illicò exaruit ficus?

21 [f] Respondens autem Jesus ait eis, Amen dico vobis, si habueritis fidem, neque addubitaveritis, non solùm [t] hoc *quod factum est* ficui, facietis, [u] verumetiam si monti isti dixeritis, Tollitor, & projicitor in mare, fiet:

22 [l] Et quæcumque precando petieritis, si [x] credideritis, accipietis.

23 [y] Quum autem venisset in templum, primarii Sacerdotes & seniores populi eum docentem adierunt, dicentes, Qua auctoritate facis ista? & quis tibi dedit istam auctoritatem?

[l] *Zach. 9. 9. Esa. 62. 11. Joh. 12. 15.*
[c] Civitati Sion, Hebr. frequens in Threnis Jere.
[d] Vestes exteriores.
[e] Sub. vestimenta, non asinam.
[f] Fuit veteris acclamationis formula, qua utebantur in festo tabernaculorum, cum ramos gestarent ex Dei mandato, Levit. 23. 40. composita dictio ex corruptis dicendum enim esset Hoshianna, id est, serva quæso.
[g] Benè sit ei qui venit in nomine Domini, id est, quem nobis dedit regem Dominus, hic verò admirabili Dei consilio videmus Christum agnitum fuisse à populo regem.
[l] *Mar. 11. 11. Luc. 19. 45. Ioh. 2. 13.*
[h] Hic agnoscendum est Christi officium, quòd fuerit Pontifex templi, potestate habens in templo. Deinde Rex, sed spiritualis, imò veritas templi, potestate præditus summa, in repurgandis scandalis.
[i] A quibus pecunia permutatur, qui Græcè collybistæ dicuntur: Collybum enim permutatio est pecuniæ.
[l] *Esa. 56. 7.*
[l] *Jere. 7. 11. Mar. 11. 17. Luc. 19. 46.*
[k] B. Urimtur in primis gloria Christi, quos oportuit pietatis esse magistros: sed frustrà.
[l] Vel certè sub. audio: acsi diceret, Vocem quam ipsi edere debe retis, exprimunt pueri. [l] *Psa. 8. 2.* [m] sup. 18. 16. [n] Omnibus numeris absolvisti. apud Davidem legitur firmasti seu fundasti: à quo non dissentit Evangelista, si sententia spectetur: nam illud firmum est, quod omnibus numeris est absolutum. [o] B. Christus sic deserit impios, ut tamen habeat Ecclesiæ rationem. [p] Malens videlicet cum piis & fidelibus agere, quàm in urbe corrupta, ibi autem Lazarum quem à mortuis suscitaverat, & Mariam & Martham habebat. [q] B. Hypocritæ tandem suo fuco nudabuntur. [r] Christum non simulasse esuriem, sed verè perpessum esse, credimus. Scimus enim carnis nostræ infirmitatibus sponte fuisse obnoxium: quamquam natura liber & immunis erat. [l] *Mar. 11. 13.* [f] B. Fidei virtus quanta. [t] Verb. Græcum significationem habet dubitandi & ambigendi in quodam quasi discrimine cogitationum. Non est igitur fidei, confusa de Deo opinio, sed certa persuasio de promissionibus Dei. [u] Non docet hic Christus montes transferre, sed certitudinem fidei tradit. [l] *Marc. 11. 24. Luc. 11. 9.* [x] Ad verbum credentes, sed participium hoc loco conditionem in se includit. [y] B. In eos qui ordinariæ successioni, præterita doctrina, vocationem alligant, & hoc falso prætextu, Christo volunt os occludere.

24 Respondens

a Astutia intellecta Dominus quæstionẽ quæstioni opponit, ut astutos in astutia sua deprehendat & confundat.
a Synecdochicè, prædicatio Johannis dicebatur baptisma. prædicabat enim baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Marc. 1.4. Act. 19.3.
b à Deo, ut constet ratio antitheseos.
f Sup. 14.5.
c a. Novum non est, omnium hominum esse deterrimos, quos pietatis iter aliis commonstrare oportuit.
d Hic typum gerebat publicanorum & meretricum: quorum vita nihil aliud dicit quàm, Nolumus facere voluntatem Dei.
e i. Cessantibus vobis properant ad regnum Dei, ut vos oportuerit saltem eorum exemplum imitari. Itaque impropriè hic dicuntur Præire, quos nemo sequitur.
f Agens vitam justam, vel vita & moribus integer. via enim Hebræis sumitur pro vita & moribus.
g a. Ii sæpenumero sævissimi sunt Ecclesiæ hostes, quorum fidei commissa est. Sed Dei vocatio nec temporibus, nec locis, nec personis certis est alligata.
g Esai. 5.1. Jere. 2.21. Mar. 12.1. Luc. 20.9.
h Observa vineam à Deo plantatam.
i Diligentia Dei erga populum suum exprimitur.
k Per torcular etiam ac turrim, intellige adminicula quæ ad eundem populi fidem Legis doctrinæ adjuncta fuerant, ut sacrificia & aliæ ceremoniæ.
l Olim sacerdotes instituit Deus qui tamquam vineæ cultores essent.

24 Respondens verò Jesus dixit eis, [a] Interrogabo vos & ego rem quamdam, quam si dixeritis mihi, dicam & ego vobis qua auctoritate ista faciam:

25 [a] Baptisma Johannis unde erat? [b] è cælo, an ex hominibus? At illi ratiocinabantur apud se, dicentes, Si dixerimus, E cælo: dicet nobis, Quare ergo non credidistis ei?

26 Sin autem dixerimus, Ex hominibus, timemus turbam. [f] omnes enim habent Johannem ut Prophetam.

27 Et respondentes Jesu dixerunt, Nescimus. Ait eis & ipse, Nec ego vobis dicam qua auctoritate ista faciam.

28 [c] Quid autem vobis videtur? Quidam habebat duos filios: & accedens ad priorem, dixit, Fili abi, hodie operare in vinea mea.

29 Ille verò respondens ait, [d] Nolo: sed posteà quum resipuisset abiit.

30 Et accedens ille ad secundum, dixit itidem. Is verò respondens ait, Ego *abeo* domine. Sed non abiit.

31 Uter è duobus fecit quod voluit *ejus* pater? Dicunt ei, Prior. Dicit eis Jesus, Amen dico vobis, publicani & meretrices [e] præeunt vobis in regnum Dei.

32 Venit enim ad vos Johannes [f] via justitiæ, & non credidistis ei: publicani verò & meretrices crediderunt ei. Vos autem qui *hoc* vidistis, non resipuistis posteà, ut ei crederetis.

33 [g] Aliam parabolam audite, Fuit quidam paterfamiliâs [h] qui plantavit vineam, & [i] sepem circumposuit ei, [k] foditque in ea torcular, & ædificavit turrim, & elocavit eam [l] agricolis: ac peregrè profectus est.

34 Quum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut ejus fructus perciperent.

35 Agricolæ verò, captis ejus servis, alium quidem cæciderunt, alium verò trucidârunt, alium autem lapidârunt.

36 Rursum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt eis itidem.

37 Postremò autem misit ad eos filium suum, dicens, Reverebuntur filium meum.

38 Agricolæ verò viso filio dixerunt inter se, [l] Iste est hæres, adeste, trucidemus eum, & obtineamus hæreditatem ejus.

39 Et captum eum ejecerunt extra vineam, & trucidârunt.

40 Quum igitur venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41 Dicunt ei, [m] Malos ipsos malè perdet: & vineam suam elocabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

42 Dicit eis Jesus, Nunquam legistis in Scripturis, [l] [n] Quem lapidem reprobârunt ædificantes, is factus est [o] caput anguli: A Domino [p] factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?

43 Propterea dico vobis, tolletur a vobis regnum Dei, & dabitur genti quæ [q] ferat ejus fructus.

44 Porrò qui ceciderit ad lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, [r] dissipabit eum.

45 Et quum audissent primarii Sacerdotes ac

24 Respondit Jeschua & dixit illis, Interrogabo vos ego quoque verbum unum, &, si dixeritis mihi, ego quoque dicam vobis in qua potestate hæc facio.

25 Baptismus Juchannan undenam erat? [12] è cælis, an ex filiis hominum? Illi autem cogitabant [13] apud seipsos & dicebant, Si dixerimus, E cælis, dicet nobis, Propter quid non credidistis illi?

26 Et si dicamus, Ab filiis hominum, metuimus à turba. Omnes enim tamquam prophetam habebant ipsum Juchannan.

27 Et responderunt & dixerunt ei, Nescimus. Dixit illis Jeschua, Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

28 Quid autem videtur vobis? Homini cuidam erant filii duo, & accessit ad priorem, & dixit illi, Fili mi, abi, hodiè operare in vinea.

29 Ille autem respondit, & dixit, Ego nolo: posteà autem resipuit, & abiit.

30 Et accessit ad alterum, & dixit illi similiter. Ille autem respondit & dixit, [14] Ego, domine mi. & non abiit.

31 Uter ex his duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei, Prior. Dixit illis Jeschua, Amen dico vobis quòd publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.

32 Venit enim ad vos Juchannan per [15] viam justitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem, etiã quum vidissetis, non resipuistis posteà ut crederetis ei.

33 Audite aliam parabolam: Homo quidam erat dominus domus, & plantavit vineam, & cinxit eam sepe, & fodit in ea torcular, & ædificavit in ea turrim, & [16] locavit eam cultoribus, & [17] peregrè profectus est.

34 Quum autem appropinquaret tempus fructuum, misit servos suos ad agricolas ut mitterent sibi ex fructibus vineæ suæ.

35 Et apprehenderunt agricolæ servos ejus, & [18] fuit quem cæciderunt, & fuit quem lapidârunt, & fuit quem occiderunt.

36 Et iterum misit servos alios, & plures quàm priores: & similiter fecerunt illis.

37 Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens, [19] Iam pudebit eos ob filium meum.

38 Cultores autem quum vidissent ipsum filium, dixerunt intra se, Hic est hæres, venite occidamus eum, & retinebimus hæreditatem ejus.

39 Et apprehensum ejecerunt eum extra vineam, & occiderunt eum.

40 Quum venerit igitur dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41 Dicunt ei quòd [20] pessimè perdet illos, & vineam [21] locabit aliis cultoribus, qui dent ei fructus tempore suo.

42 Dixit illis Jeschua, Nunquámne legistis in Scripturis, Quòd lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino [22] factũ est illud, & est mirabile in oculis nostris?

43 Propterea dico vobis quòd auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur populo qui faciet fructus.

44 Et, qui ceciderit super lapidem hunc, confringetur, & omnis super quem ipse ceciderit, [23] *conterendo* disperget eum.

45 Et quum audivissent principes Sacerdotũ

[12] F. id est, à Deo cæli, metonymicè, ex Syrorum idiotismo: ut Dani. 4. 26. sic Luca. 20. 4. & 5.
[13] F. Syrè, in animis suis.
[14] Concisa oratio, in qua verbum, Faciam, intelligitur.
[15] Subaudi, Incedens. Hebraismus, id est, vivebat secundum justitiam.
[16] יִרְתּוּ respondet Hebræo ירש, Possedit: unde fit הוריש, hoc est, Possidendum tradidit. Est autem mutatum ר in *daleth* consueto more.
[17] רחק id est, Peregrè profectus est, ut & in Marco cap. 12. 8. in eadem parabola, & cap. 13. 34. Peculiare est verb. Syris, quo nec Hebræi nec Chaldæi utuntur.
[18] Hebraism, pro Aliquem ceciderunt, &c.
[19] F. vel fortè, fortasse. Sic enim particulam hanc accipiunt Syri, ut Act. 12. 15. & 1. Corinth. 16. 6.
[20] Ad verbũ, Malè, malè. Superlativus enim gradus sæpè repetito positivo suppletur.
[21] Ad verbum, Possidere faciet, sive possidendum tradet.
[22] F. vel *factus est ille*, nimirum angulus, *& est mirabilis*, &c. Quam interpretationem magis probare videtur Hebræi & Syri contextus cum Græco Apostolorum Evangelistarúmque comparatio.
[23] נתרון respondet verbo Hebræo נתר, mutato ן in ר ex more, notatur verò dispersio ex attritione, ut quum vasis fictilis allisi ad silicem partes huc & illuc desiliunt.

l Infr. 26. 3. & 27. 1. Ioh. 11. 53. m Proverbialis sententia, indicans quo sint exitu digni mali. l Psal. 118. 22. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 7. n Ut anteà Ecclesia comparata fuit vineæ: ita nunc ædificio, cujus lapis est Christus: ædificantes (i. docentes scripturam) Sacerdotes, Principes populi & Seniores qui Ecclesiæ præerant. o Lapis in angulo præcipuus dicitur caput anguli, qui totius ædificii juncturas sustinet. p Ea res (sub. quòd lapis rejectus, sit caput) facta est à Domino, quod cum summa admiratione à nobis spectatur. q Ferunt fructus regni Dei, qui edunt fructus spiritus, non carnis, Galat. 5. 22. id est, qui tota vita sua regni cælestis se cives esse comprobant. r Sicut paleæ à vento dissipari solent. Utitur enim verbo, quod propriè ventilando paleas de frumento minutim dispersas separare significat.

Pharisæi &

& Pharisæi parabolas ejus, intellexerunt quòd de se dixisset.

46 Et quærebant capere eum, & timuerunt à turba; eo quòd tamquam prophetam [24] habebant eum.

[24] Ad verb. Tenebant eum: quæ phrasis in Gallica quoq; lingua, & in Germanica ac Italica in usu est frequenti. Dicimus enim: *On le tenoit pour un prophete.* Italicè *Era tenuto per un propheta.* Germanicè, *Er wart gehalten fur ein propheten.*

Pharisæi parabolas ejus, cognoverũt *haec* de se dici.

46 Et quum studerent eum prehendere, timuerunt turbam, quoniam ut prophetam eum habebat.

[r] Supra 17.24.

[s] B. Ipsi nihil possunt nisi quod Deo libet.

CAPUT XXII.

2 *Nuptiarum parabola.* 9 *Gentium vocatio.* 11 *Vestis nuptialis, fides.* 16 *De censu Cæsaris interrogatus Christus,* 23 *& de resurrectione.* 32 *Deus viventium.* 36 *Mandatum maximum.* 37 *Dilectio Dei.* 39 *Dilectio proximi.* 42 *Interrogat Iesus Pharisæos de Messia.*

ET respondit iterum Jeschua per parabolas, & dixit,

2 Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit convivium filio suo:

3 Et misit servos suos ut vocarent invitatos ad convivium: & non voluerunt venire.

4 Et iterum misit servos alios, & ait, Dicite invitatis, Ecce, prandium meum paratum est, & tauri mei & saginata mea mactata sunt, & omnia sunt parata: venite ad convivium.

5 Illi autem [1] spreverunt, & abiverunt, [2] est qui in villam suam, & est qui ad negotiationem suam.

6 Reliqui verò apprehenderunt servos illius, & [3] dolore affecerunt & interfecerunt.

7 Quum audivisset autem rex, iratus est, & misit exercitus suos, & perdidit interfectores illos, & civitatem illorum incendit.

8 Tunc dixit servis suis, Convivium paratum est, & illi qui invitati erant, indigni fuerunt.

9 Ite igitur ad exitus viarum, & quemcumque inveneritis, vocate ad convivium.

10 Et egressi sunt servi illi in vias, & congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos. Et impletus est locus convivii discumbentibus.

11 Et ingressus est rex ut videret discumbentes, & vidit illic hominem qui non erat indutus vestibus convivii.

12 Et ait illi, socie mi, quomodo ingressus es huc, quum vestes convivii non sint tibi? Ille autem conticuit.

13 Tunc dixit rex ministris, Ligate manus ejus, & pedes ejus, & ejicite eum in tenebras exteriores: ibi erit ploratus & stridor dentium.

14 Multi enim sunt vocati & pauci electi.

15 Tunc abeuntes Pharisæi ceperunt consilium quomodo illaquearent eum in sermone.

16 Et miserunt ad eum discipulos suos cum domesticis Hiraudis, & dixerunt ei, Magister noster, novimus quòd verax es, & viam Dei in veritate doces, [4] neque accipis curam propter hominem: (non enim accipis personam *cujusquam* hominis.)

17 Dic nobis ergo, Quomodo videtur tibi [5]?

18 Jeschua autem cognovit maliciam illorum,

[1] idem quod נבזו spreverunt, mutato Cam in Sameeh, quia eodem organo pronunciatur, ut sup. notavimus.

[2] Id est, Quidam, Hebraismus capite superiore notatus 35.

[3] F. Id est, malis gravibus & dolorificis.

[4] F. i. non laborans sollicitè cujusquam hominis causa, quum veritatem liberè enuncies: sic enim verba hæc *κατὰ* ... oportet accipi.

[5] F. Hic desideratur pars altera versus, quæ ex nostris libris restituetur hoc modo, Licetne dari capitationẽ Cæsari, necne? Κῆνσον autem, i. censum, ubique Syrus accipit pro capitatione seu pecunia indicta in singula capita, quæ mandato Cæsaris fuerant recensita & descriptione comprehensa. Atque hæc capitatio, Dione teste, ab Augusto duobus modis fuit instituta, nempe in patresfam. vel domos singulas, & in personas vel capita singularia quæque. Quod autem de Herodianis hoc loco dicitur, id simpliciter sic accipiendũ puto: Pharisæos, quum adhuc Christum suis artibus ex nullo argumento Legis deprehendere potuissent, cum administris Herodis Tetrarchæ communicatis cõsiliis, quamvis de cætero essent inimicissimi, convenisse, ut eum in quæstione civili ad jus Cæsaris pertinente deciperent imprudentem. Itaque discipulos suos Pharisæi submiserunt, tamquam simplice animo Christum de jure consulturos causâ suæ conscientiæ: Herodianos verò, tamquam ignotos testes sermonum illius, ut deinde nomen Christi deferrent ad Cæsarem. Optimè ergo Syrus domesticos Herodis interpretatus est.

[a] TUnc [a] [b] respondens Jesus, rursum loquutus est eis per parabolas, dicens,

2 Simile est regnum cælorum cuidam regi qui fecit nuptias filio suo:

3 Et misit servos suos qui vocarent vocatos ad nuptias: sed noluerunt venire.

4 Rursus misit alios servos, dicens, Dicite vocatis, Ecce, prandium meum paravi, tauri mei & [c] altilia [d] mactata sunt, & omnia parata: adeste ad nuptias.

5 Illi autem quum *hoc* neglexissent, abierunt, alius quidem in agrum suum, alius verò ad mercaturam suam.

6 Reliqui verò prehensos servos ejus, contumeliis affecerunt, & trucidârunt.

7 [e] Rex autem quum *hoc* audisset, iratus est: & missis copiis suis, perdidit homicidas illos, & urbem eorum incendit.

8 Tunc dicit servis suis, [f] Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui vocati fuerant, non erant digni.

9 [g] Ite ergo ad compita viarum, & quotcumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10 Et egressi servi illi in vias, congregârunt omnes quos invenerunt, [h] malos pariter ac bonos: & impletæ sunt nuptiæ convivis.

11 [i] Ingressus autem rex ut spectaret convivas, vidit illic quemdam non indutum veste nuptiali:

12 Tunc dicit ei, Amice, quomodo huc introisti non habens vestem nuptialem? At illi [k] os occlusum est.

13 Tunc dicit rex ministris, Ligatis pedibus & manibus ejus, tollite eum, & ejicite in tenebras extimas: [l] illic erit fletus & stridor dentium.

14 [l] Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

15 [l] Tunc profecti Pharisæi consilium ceperunt ut [l] illaquearent eum in sermone.

16 Itaque mittunt ad eum discipulos suos cum [m] Herodianis, dicentes, Præceptor, scimus te veracem esse, & viam Dei in veritate docere, nec quemquam curare: non enim [n] respicis ad personam hominum.

17 [o] Dic ergo nobis, quid tibi videtur? licet [p] censum dare Cæsari, an non?

18 Cognita autem Jesus malitia eorum, ait,

[a] Luce 14.16. apoc. 19.9.

[a] B. Vera coram Deo Ecclesia non est eorum omnium cœtus qui voce Euangelii invitantur, quum plerique servire malint hujus vitæ commodis, nec desint qui invitatores crudeliter persequantur: sed est eorum dumtaxat qui vocati parent, cujusmodi ferè sunt quos mundus minimi facit.

[b] Varii hinc & inde agitati sunt sermones quum ita cœpit dominus loqui.

[c] Iteneræ saginata: Græcum enim verbum de animalibus dicitur, quæ accuratè aluntur ut pinguescant, & magis idonea sint ad suavitatem ciborum.

[d] Utitur verbo sacrificiis familiari, quod transfertur ad alias etiam epulas: solebant tamen & convivia à sacrificiis auspicari.

[e] B. Triste contemtorum Christi exitium.

[f] Hoc ostendit Judæos incredulos propria culpa periisse. Nam vocati respondere noluerunt, invitati venire neglexerunt, & oblatam Dei gratiam malignè contemserunt: ideò cælestibus bonis indignos se prorsus reddiderunt.

[g] B. Deus prisce nos nihil tale cogitantes vocat. [h] Vocatio generalis offert Evangelium quibusvis, sed eorum qui intrârunt vita non est expers inquisitionis. [i] B. In ista etiam paucitate, nonnulli sunt rejectitii, qui videlicet vitæ novitate fidem non approbant. [k] Ad verbum, Capistratus fuit, id est, prorsus obmutuit, quasi freno vel capistro injecto. Condemnatio ex propria conscientia. [l] Supra 8.12. & 13.42. infra 25.30. [l] Supra 20.16. [l] Marc. 12.13. luc. 20.20.

[l] Irretirent in verbis seu oratione. verbum Græcum deductum à laqueis quæ à venatoribus figuntur. [m] Qui cum Herode novam quandam religionem ex Paganismo & Judaismo conflabant. [n] Hebraismus. Non moveris specie, id est, apparentia. [o] B. Christianos oportet magistratibus etiam impiis & exactoribus parere, sed ita ut Deo salva sua auctoritas maneat. [p] Census est facultatum æstimatio, pro cujus ratione in provinciis vectigalibus tributum solvebatur, sumitur autem hoc loco pro tributo.

q Suprà 17.24. fit mentio drachmæ, hic verò denarii, quũ drachma septima parte superet denarium. Hanc diversitatem sic conciliare licet: denarius solvebatur Romanis in tributum pro ratione census, drachma templo viritim, quod Judæa subacta ad se transtulerunt Romani.
r In numismate solebant principes Romani se scribere Parthicos, Asiaticos, Syriacos, &c. à subjugatis videlicet gentibus.
Rom. 13.7.
f Persolvite. Quòd si parendũ est magistratui profano, certè multò magis obedire oportet sancto & Christiano.
t Non est sapientia, non prudentia, neque consilium adversus Dominum, Proverb. 21.30.
u B. Christus asserit resurrectionem carnis, adversus Sadducæos.
Mar. 12, 18. luc. 20.27.
Act. 23.8.
x Hinc perspicitur horrenda Judaicæ Ecclesiæ confusio, quòd religionis Antistites futuræ vitæ spem tollebant, ut post carnis interitum homines à brutis nihil differrent.
Deu. 25.5.
y Ad verb. liberos, quorum appellatione veniunt & filiæ. sed quia quod ad familiæ rationem attinet, qui filias reliquerit, perinde est atque si nihil reliquisset (nõ enim illæ numerabantur in familia) liberorum nomine intelliguntur filii, Deut. 25.5. Exod. 3.6.
z Heb. restituet semen fratri suo, satis liberis, i. posteritatem.

Quid me tentatis, hypocritæ?

19 Ostendite mihi numisma census. Ipsi verò obtulerunt ei q denarium.

20 Tunc dicit eis, Cujus est imago ista & inscriptio?

21 Dicunt ei, r Cæsaris. Tunc dicit eis, f Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

22 Quum igitur *hoc* audissent, t mirati sunt: & omisso eo abierunt.

23 u In illo die adierunt eum Sadducæi, x qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogârunt eum,

24 Dicentes, præceptor, Moses dixit, Siquis mortuus fuerit non habens y filios, ejus frater ducet affinitatis jure uxorem ejus, & z suscitabit sobolem a fratri suo.

25 Fuerunt autem apud nos septem fratres: & primus uxore ducta obiit: & quum non haberet semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

26 Similiter etiam secundus & tertius, usque ad illos septem.

27 Post omnes autem mortua est & mulier.

28 In resurrectione ergo cujus ex illis septem erit uxor? omnes enim habuerunt eam.

29 Respondens autem Jesus dixit eis, Erratis, neque Scripturas scientes, b neque potentiam Dei.

30 Nam in resurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: sed sunt c ut angeli Dei in cælo.

31 De resurrectione verò mortuorum non legistis quod vobis dictum est à Deo, dicente,

32 Ego sum Deus Abrahami & Deus Isaaci & Deus Jacobi? d Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.

33 Et quum *hoc* audisset turba, perculsa est super doctrina ipsius.

34 e Pharisæi verò, quum *eum* audissent os occlusisse Sadducæis, coacti sunt in unum:

35 Tunc interrogavit *eum* quidam ex ipsis Legis interpres, tentans eum, & dicens,

36 Præceptor, quod est mandatum magnum in Lege?

37 Jesus autem dixit ei, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & f ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.

38 Istud est primum & magnum mandatum.

39 Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum ut te ipsum.

40 Ab istis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent.

41 g Coactis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus,

42 Dicens, Quid vobis videtur de Christo illo? h cujus filius est? Dicunt ei, Davidis.

43 Dicit eis, Quomodo ergo David per i Spiritum vocat eum Dominum? dicens,

44 Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam, usquedum k posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

a Fratris nomine cõtinentur & alii gradus proximiores, ut cognati & patrueles, aliiq; ex eadem cognatione. b Ergo Sadducæi resurrectionem negantes, Dei virtutem ignorabant, quæ potissimum resurrectione declaratur. c Non dicit incorporeos fore homines (ita enim nõ ampliùs essent homines) sed qui tanquã Angeli, jam nõ ducant uxores neq; nubant. Exo. 3.6. d Abraham, Isaac & Jacob mortui quidem erant, non autem Deo. tantùm enim isti seculo & carni erant mortui: Deo autem vivebant, & etiamnum illi vivunt. e B. Evangeliũ minimè abolet Legis præcepta, sed stabilit potiùs. Mar. 12.28. Deu. 6.5 luc. 10.27. f Hebræi legunt, Deu. 6.5, corde, anima & virib. Mar. 12. 30. & Luc. 10.27. anima, corde, viribus, & cogitatione. Levi. 19.18. mar. 12.31. g B. Christus sese Davidis quidem filiũ secundùm carnem, sed alia etiam ratione Davidis Dominũ, & verũ Deum esse apertè ostendit. Mar. 12.35. luc. 20.41. h Ex cujus gente seu familia. Hebræi enim posteritatem filios vocant. i Vide Mar. 12, 36. Psal. 110, 1. k Faciam ut sint, Hebr.

rum, & ait, Quid tentatis me 6 hypocritæ?

19 Ostendite mihi 7 denarium argenti capitationis. Illi autem obtulerunt ei denarium.

20 Et ait illis Jeschua, Cujus est imago hæc, & inscriptio?

21 Dicunt, Cæsaris. Ait illis, Date igitur quæ *sunt* Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei *sunt*, Deo.

22 Quumque audivissent, mirati sunt: & dimiserunt eum, ac abierunt.

23 In illo die accesserunt ad eum 8 Zadukæi, & dixerunt ei, 9 Non est resurrectio mortuorum. & interrogaverunt eum.

24 Et dixerunt ei, Magister noster, Musche dixit nobis quòd, Siquis moriatur dum non sunt ei filii, accipiat frater ejus uxorem ejus, & exsuscitet semen fratri suo.

25 Erant autem apud nos fratres septem: primus accepit uxorem, & mortuus est: & quia non erant ei filii, reliquit uxorem ejus fratri suo.

26 Similiter etiam ille secundus, ipse quoque tertius, & usque ad septimum eorum.

27 Novissimè autem omnium mortua est etiam mulier.

28 In resurrectione igitur, cui ex istis septem erit uxor? omnes enim ipsi acceperunt eam.

29 Respondit Jeschua, & dixit illis, Erratis vos, quòd non novistis Scripturas neq; virtutem Dei.

30 In resurrectione enim mortuorum non accipient uxores, neque uxores fient maritis, sed sicut angeli Dei in cælis erunt.

31 De resurrectione verò mortuorum non legistis id quod dictum est vobis à Deo, qui dixit,

32 Ego sum Deus Abraham, Deus Ischak, Deus Jaakub? At Deus nequaquam est mortuorum, sed viventium.

33 Et quum audivissent turbæ, stupebant super doctrina ejus.

34 Pharisæi autem quũ audivissent quòd silentium imposuisset Zadukæis, cõgregati sunt pariter.

35 Et interrogavit eum unus ex eis, qui erat Legisperitus, tentans eum.

36 Præceptor noster, quod præceptum maximum est in Lege?

37 Jeschua autem dixit illi, Ut diligas Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni virtute tua, & ex tota cogitatione tua.

38 Hoc est præceptum maximum, & primum.

39 Secundum autem quod simile est illi, est, Ut diligas proximum tuum sicut te ipsum.

40 In his duobus præceptis pendet Lex & Prophetæ.

41 Quum congregati autem essent Pharisæi, interrogavit illos Jeschua,

42 Et dixit, Quid dicitis vos de Christo? cujus filius est? Dicunt ei, Filius David.

43 Ait illis, Et quomodo David per Spiritum vocat eum Dominum? Dicit enim,

44 Dixit Dominus Domino meo, Sede 10 à dextera mea, usquedum posuero inimicos tuos sub pedibus tuis.

6 F. Syrè, acceptores vultus.
7 F. Denarium sanctuarii intellige duobus vulgaribus æquivalentem, i. didrachmũ. Nam publicani per vulgareis denarios numerabant, Sacerdotes verò per duplareis; i. didrachmũ. Qui numus quum jamdiu à Judæis in res sacras numeratus esset, & paulo antè à Cæsare in rem suam interversus, sperabant quadruplatores fore, ut apertè Christus non Cæsaris, sed Dei esse affirmaret, Herodianis testibus. Sed utrumque solvebat Christus commodissimè, dicendo, reddite Cæsari quę sunt Cæsaris, & quæ Dei sunt, Deo.
8 De Zadukæorum secta scribit quidam Rabbi Nathan in commentariis libelli quem vocant פרקי אבות (id est, sententias patrũ) quòd nomen traxerint à quodam צדוק Tzadok discipulo Antigoni, inter antiquos Hebræos doctores celeberrimi, qui tempora Esræ proximè sequutus est. Solebat autem hic Antigonus suæ scholæ sæpiùs inculcare illud dictum quod in cõmemorato libello cap. 1. habetur, אל תהיו כעבדים המשמשים את הרב על מנת לקבל פרס &c. Ne sitis sicut servi qui ministrãt Do. ob conditionem quòd accepturi sint præmium. Quod dictum postea Tzadok ille ejus discipulus, aut ignorantia aut improbitate depravans, hinc perperàm colligens, quum neq; benefactis præmia, neque malefactis pœnæ repositæ essent, nihil hominis post mortem reliquũ manere, sed animam in auras diffluere, corpus autem absq; ulla instaurationis spe interire. Nomen ergo suum Tzadok צדוק cum hæresi ad suos sequaces transfudit. Nihil verò verius aut puriùs doceri potuit directo observantiæ legis fine & cultus Dei, quàm quod Antigonus suis inculcabat, Deum propter se esse diligendũ, & amplectendã propter ipsum quã præscribit justitiam.
9 Sic enim est in textu ואמרין לה לית חית מיתא: quod nisi similiter legeretur in manuscripto Syro codice, dicerem errore pro ואמרין דלית חית מיתא positũ, Qui dicunt quòd non est resurrectio mortuorũ. quia tamen textus aliter habebat, & inter errata, nulla hujus loci fiebat mentio, textum ut est reliqui in versione, & admonuisse lectorem satis habui. F. simplicissimũ verò id videtur fore, si pronomen לה acceperis pro לגנשה, id est, sibi, apud se, & cum animo suo. Etenim fieri non potest, ut qui de resurgentium conditione quæsituri erant, tam intempestivè resurrectionem negarent futuram esse. 10 F. Syrè, sede tibi, Pleonasmus, de quo suprà in 4, 10.

45 Si igitur David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

46 Et non potuit quisquam dare ei responsum: neque quisquam [11] ausus est rursum ex eo die interrogare eum.

[11] מורא Idem, & eodem sensu legitur, Mar. 12, 34.

45 [l] Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

46 Et nemo poterat ei respondere [m] quicquam: neque ausus fuit quisquam ab illo die ampliùs eum interrogare.

[l] Cõcludit Christus aliquid in Messia promisso superius esse humanitate.
[m] Suprà 22.

CAPUT XXIII.

1 *Scribæ docentes populum legem Mosis, quales.* 5 *Phylacteria, Fimbriæ.* 7 *Salutationes.* 8 *Fratres.* 9 *Pater.* 10 *Doctor.* 11 *Minister.* 13 *Claudere regnum cælorum.* 14 *Comedere domus viduarum.* 15 *Proselytus.* 16 *Jurare per templum.* 23 *Decimare mentham.* 25 *Purgare exteriorem poculi partem.* 27 *Sepulcra dealbata.* 33 *Serpentes, Viperæ.* 37 *Gallina.*

TUnc Jeschua loquutus est cum turbis & cum discipulis suis,

2 Ex dixit illis, Super cathedram Musche sederunt Legisperiti & Pharisæi.

3 Quicquid igitur dixerint vobis ut servetis, servate & facite: secundùm opera verò eorum ne faciatis. Dicunt enim, & non faciunt.

4 Et colligant sarcinas graves, & imponunt in humeros filiorum hominis, ipsi autem digito suo nolunt attingere ea,

5 Et omnia opera sua faciunt ut conspiciantur à filiis hominum. Dilatant enim phylacteria sua, & producunt fimbrias vestimentorum suorũ.

6 Et amant primum accubitum in cœnis, & primum consessum in synagogis:

7 Et [1] pacem in plateis, & ut vocentur ab hominibus Rabbi.

8 Vos autẽ ne vocemini Rabbi. unus est enim magister vester, vos autem omnes, fratres estis.

9 Et patrem ne vocetis vobis in terra: unus est enim Pater vester qui est in cælis.

10 Neque vocemini [2] duces: quoniam unus est dux vester Christus.

11 Is autem qui maximus est inter vos, erit vobis minister.

12 Qui enim exaltaverit seipsum, demittetur, & qui demiserit seipsum, exaltabitur.

13 Væ vobis Legisperiti & Pharisæi [3] hypocritæ, quia comeditis domos viduarum prætextu quòd longas preces funditis, propterea accipietis [4] judicium majus.

14 Væ vobis Legisperiti & Pharisæi [5] hypocritæ, quia vos clauditis regnum cælorum ante filios hominum: vos enim non intrastis, & illos qui intrant, non sinitis intrare.

15 Væ vobis Legisperiti & Pharisæi [6] hypocritæ, quia circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & quum fuerit factus, facitis eum [7] filium Gihanna [8] duplo magis quàm vos.

16 Væ vobis ductores cæci, quia dicitis quòd qui juraverit per templum, [9] nihil est: qui autem juraverit per aurum quod est in templo, reus est.

17 Stulti & cæci: quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum?

18 Et, Qui juraverit per altare, nihil est: qui autem juraverit per oblationem quæ est super illud, reus est.

[1] Id est, Salutationem in foris, quam nomine שלום, i. pacis, Hebræi, Chaldæi, & Syri, concipiunt.
[2] דבר à מדברנא quod est duxit.
[3] Ad verb. Assumentes vultum: ut antè sæpè notavimus.
[4] Judicium pro condemnatione, genus pro specie: ac si diceretur, Accipietis condemnationem, & supplicio afficiemini duriore.
[5] Ad verb. Assumentes vultum, ut paulò antè.
[6] Ad verb. Assumentes vultum.
[7] Hebraismus, pro Dignum Gehenna, id est, æterno supplicio.
[8] Syra vox est, אעפא: sed mutato ב in ע ex linguæ proprietate, venit ab כפל quod significat duplum, & א principio est additum juxta linguæ tum Chaldææ tum Syriacæ usum.
[9] F. nimirum peccati, ut habeatur reus, ex proximè sequente membro antitheto.

TUnc Jesus loquutus est turbę & discipulis suis,

2 [a] [l] Dicens, In cathedra Mosis [b] sedent Scribæ & Pharisæi:

3 [c] Omnia ergo quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite: sed secundùm opera eorum ne facite. dicunt enim, [d] & non faciunt.

4 [l] [e] Ligant enim onera gravia difficiliáque portatu, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.

5 [f] Omnia verò opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus. dilatant enim [g] [l] phylacteria sua, & producunt [h] fimbrias palliorum suorum.

6 [l] Amantq; primos accubitus in cœnis, & primos consessus in conventibus:

7 Et in foris salutationes, & vocari ab hominibus [i] Rabbi, Rabbi.

8 [k] Vos autem ne [l] vocamini Rabbi. [m] unus est enim doctor vester, *nempe* Christus: omnes autem vos, fratres estis.

9 [n] [l] Et patrem vestrum ne *quemquã* vocate in terra: unus est enim Pater vester qui in cælis est.

10 Nec vocemini [o] doctores: unus enim vester est doctor, *nempe* Christus.

11 [p] Sed qui maximus est vestrûm, sit minister vester.

12 [l] Porrò qui sese extollet deprimetur: & qui sese deprimit, extolletur.

13 [q] Sed væ vobis Scribæ & Pharisæi [r] hypocritæ, [s] quoniam præcluditis regnum cælorum hominibus: [u] vos enim [t] non introitis, nec [u] introeũntes sinitis introire.

14 [x] [l] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quoniam exeditis domos viduarum, idq; [y] in speciem utentes longis precibus: propterea auferetis graviorem condemnationem.

15 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quoniam circumitis mare & [z] terram, ut faciatis unum [a] proselytum: & quum fuerit factus, facitis eum [b] filium gehennę duplo magis quàm vos *sitis*.

16 Væ vobis duces cæci, qui dicitis, Quisquis juraverit per templum, nihil est: quicumque autem juraverit per aurum templi, [c] reus est.

17 Stulti & cæci, utrum enim majus est, aurum, an templum [d] quod sanctificat aurum?

18 Et, Quisquis juraverit per altare, nihil est: quicumque autem juraverit per donum quod est super ipsum, reus est.

[a] 2. Audiendum quod flagitiosi etiã doctores ex Dei verbo purè docuerint, ita tamen ut pravi eorum mores vitentur.
[l] 2. Esa. 8. 4.
[b] Quoniam is ordo fuerat à Deo institutus, ideò etiamsi hypocritæ & mercenarii irrepsissent in hunc ordinem, ex eorum tamen ore volebat Dominus audiri verbum suum.
[c] Nimirum tradentes Mosis doctrinam, quam profitentur. hoc enim indicat metaphora sedis, quam illi ut doctores Mosaicæ disciplinæ occupârant.
[d] Qui præstant eleemosynam, qui precantur, qui jejunant, aut ceremoniarum aliquid perficiunt, & id eo ut ab hominibus spectentur, non ut Deo probentur, perinde sunt apud Deum ac si nihil prorsus facerent.
[l] Luc. 11. 46. act. 15. 10.
[e] 2. Hypocritæ plerumq; severissimi sunt eorum exactores, quæ ipsi maximè negligunt.
[f] 2. Hypocritæ ambitiosi.
[g] Filum erat, vel vitta hyacinthina, in fimbria anguli, quo conspecto memoria edictorum legitimorum conservaretur: unde Phylacterion, quasi conservatorium dictum, Num. 5. 38. vel erant laminæ aut membranulæ quædam ex Dei instituto fronti alligatæ, Exod. 13. 16. Deut. 6. 8. quo ritu abusi sunt posteà Judæi, similes illis qui hodiè de collo amuleta suspendunt, in quibus initium Evangelii secundùm Johannem inscriptum est: quod olim Antiochena Synodus damnavit. [l] Nu. 15. 38. deut. 6. 8. & 22. 12. [h] Ad verb. contorti filorũ cincinni, qui ab extrema vestium ora pendebant. [l] Mar. 12. 38 luc. 11. 43. & 20. 46. [i] Rab, eminentem declarat, & qui multorum sit instar. ex repetitione quàm fastuosus fuerit titulus declaratur. Dicebantur autem Rabbi, qui per impositionem manuum declarabantur sapientes. [k] 2. Modestia singulare ministrorum Dei ornamentum. [l] Ne ambiatis: alioquin non damnat Dominus quin honorem suum exhibeamus Magistratui vel Magistris. August. De sermone verbi Domini, ex Matthæi 11. cap. [m] Videtur alludere ad locum Esaiæ, cap. 54. vers. 13. & Jeremiæ, cap. 31. ver. 34. [n] Respicit Judæorum consuetudinem, apud quos Rabbini vocabantur Patres nostri. [l] Mala. 1. 6. [o] Apparet Scribas titulos ejusmodi perlibenter captasse, quos vers. decimosexto vocat duces cæcos. [p] Hæc clausula ostendit Christum non sophisticè litigasse de vocibus, sed rem potiùs spectasse: ne quis ordinis sui oblitus, plusquam par est, sibi usurpet. [l] Luca. 14. 11. & 18. 14. [q] 2. Hypocritæ ferre non possunt ullos sese meliores. [r] Vehementer aliquos increpans Christus hoc nomine utitur, ut intelligatur nihil esse simulatione atque falsitate in religione exsecrabilius. [s] Regni cælestis ostium apertum erat per adventum Evangelicæ prædicationis: quod Scribę ante homines claudebant. [l] Luc. 11. 52. [t] Id est, non creditis in Christum. [u] Pedem habentes in limine, id est, cupientes ingredi, eos ab ejus ingressu, hoc est, a fide Evangelii arcetis tum sinistra legis interpretatione, tum etiam excommunicationis comminatione & terrore. [x] 2. Hypocritis familiare est zeli prætextu ad avaritiam & rapacitatem abuti. [l] Marc. 12. 40. luc. 20. 47. [y] Ad verb. prætextu longùm precantes. Conjunctio & duplicem notat improbitatem: unam quòd viduarum bona exederent: alteram quòd id prætextu pietatis fieret. [z] Arida dicitur pars illa terræ, quam Dominus nobis ad habitandum concessit. [a] Proselytus erat qui patria relicta superstitione Judaismum erat amplexus, quasi adventitium dicas. [b] Qui gehennæ addicitur, Hebr. Quid autem sit gehenna, suprà cap. 5. 22. [c] Obnoxius est mulctæ. peccata autem Syriaca lingua dicuntur debita. constat autem Syriacè loquutum Dominum. [d] Facit ut aurum, quod est usui sacro destinatum, sanctum habeatur.

19 Fatui ac cæci, utrum enim majus est, munus an altare quod sanctificat munus?

20 Qui ergo juraverit per altare, jurat per ipsum & per omnia quæ super illud sunt.

21 [e] Et qui juraverit per templum, jurat per ipsum & per eum qui habitat in eo.

22 Et qui juraverit per cælum, jurat per [e] thronum Dei & per eum qui sedet super ipsum.

23 [f] [f] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum & cuminum, & omittitis quæ [g] graviora sunt Legis, judicium & misericordiam ac [h] fidem: hæc oportuit [i] facere, & illa non omittere.

24 Duces cæci, [k] qui percolatis culicem: camelum autem deglutitis.

25 [l] [l] Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui purgatis exteriorem poculi patinæque partem, intus autem *illa* plena sunt rapina & intemperantia.

26 Pharisæe cæce, purga primùm quod est intra poculum & patinam, ut id quoque quod extra est, purum fiat.

27 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui assimiles estis sepulcris [m] dealbatis, quæ extrà quidem apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, omniq; immunditia.

28 Ita & vos extrà quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

29 [n] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum.

30 Et dicitis, Si fuissemus temporibus patrum nostrorum, non fuissemus eorum socii in cæde Prophetarum.

31 Itaque testamini adversus vosmetipsos, vos esse filios eorum qui Prophetas occiderunt.

32 [o] Vos quoque complete mensuram patrum vestrorum.

33 Serpentes, progenies viperarum, quomodo effugere possitis condemnationem [p] gehennæ?

34 [q] Propterea ecce, [r] ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex ipsis *nonnullos* trucidabitis & crucifigetis: & ex ipsis nonnullos flagellabitis in conventibus vestris, & persequemini oppidatim.

35 [s] Ut veniat super vos omnis sanguis [t] justus, effusus super terram à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii [u] Barachiæ, [t] quem occidistis inter templum & altare.

36 [x] Amen dico vobis, venient hæc omnia super ætatem istam.

37 [y] [l] Jerusalem, Jerusalem, trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum qui ad te missi sunt, quoties [z] volui congregare liberos tuos, [l] quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis?

38 [a] Ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta.

39 Dico enim vobis, nequaquam me videbitis ab hoc tempore, usquedum dicatis, [b] Benedictus qui venit in nomine Domini.

---

19 Stulti & cæci: quid enim majus est, oblatio, an altare quod sanctificat oblationem?

20 Qui juraverit igitur per altare, jurabit per ipsum, & per omnia quæ sunt super ipsum.

21 Et qui juraverit per templum, jurabit per ipsum, & per eum qui habitat in eo.

22 Et qui juraverit per cælum, jurabit per solium Dei, & per eum qui sedet super ipsum.

23 Væ vobis Legisperiti & Pharisæi [10] hypocritæ, quia decimatis [11] mentham & anethum, & cuminum, & omisistis gravia Legis, judicium, misericordiam, & fidem. hæc autem oportebat ut faceretis, & illa non omitteretis.

24 Ductores cæci, qui excolatis culicem, & deglutitis camelum.

25 Væ vobis legisperiti, & Pharisæi [12] hypocritæ, quia mundatis id quod exterius est poculi [13] quæ sunt ansæ: intrinsecus autem plena sunt rapina & iniquitate.

26 Pharisæi cæci, mundate prius interius ipsius poculi & patinæ, ut sit etiam exterius earum mundum.

27 Væ vobis Legisperiti & Pharisæi [14] hypocritæ, quia similes estis sepulcris [15] dealbatis, quæ foris videntur speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni impuritate.

28 Sic etiam vos foris videmini filiis hominum tamquam justi, & intùs pleni estis iniquitate & [16] fictione.

29 Væ vobis Legisperiti & Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulcra prophetarum, & ornatis locum sepulturæ justorum.

30 Et dicitis, Quòd si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non [17] fuissemus eis socii in [18] sanguine prophetarum.

31 Itaque testes estis contra vos ipsos quòd filii sitis illorum qui occiderunt prophetas.

32 Et etiam vos implete mensuram patrum vestrorum.

33 Serpentes progenies viperarum, quomodo [19] effugietis à judicio Gihanna?

34 Propter hoc, ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & Legisperitos: ex illis vos occiditis, & in crucem agitis, & ex illis flagellatis in synagogis vestris, & persequimini de civitate in civitatem.

35 Ut veniat super vos omnis sanguis justorum, qui effusus est super terram, à sanguine Habel justi, usq; ad sanguinem Zecharjah filii [20] Barechejah, quem occidistis inter templum & altare.

36 Ammin dico vobis quòd venient hæc omnia super generationem istam.

37 [21] Urischelem, Urischelē, occidens prophetas, & lapidans eos qui mittūtur ad se, quot vicibus volui ut congregarem filios tuos sicut congregat gallina pullos suos sub alas suas, & non voluistis?

38 Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.

39 Dico enim vobis quòd non videbitis me

[22] deinceps, donec dicatis, Benedictus sit qui venit in nomine Domini.

---

[e] 1. Reg. 8. 23. 2. par. 6. 2.

[e] Si cælum est solium Dei, sequitur illum esse extra rerum omnium universitatem.

[f] B. Hypocritæ in minutis anxii, præcipua ex pro- professo negligūt.

[f] Luca 11. 42.

[g] In quibus plus est momenti.

[h] Cōstantiam in in promissionibus.

[i] Occupatio qua prævenit Christus eorum calūniam.

[k] Proverbialis sententia qua pulchrè exprimitur putida in rebus minutis hypocritarum anxietas: q.d. vos estis iis similes, qui si fortè culex in vinum illorum inciderit, excolant vinum, ne cum vino animalculum illud haurientes strangulentur: intereà camelum animal crassum & immane non modò comedūt, sed ne deglutire quidem dubitant.

[l] Luca 11. 39.

[l] B. Hypocritæ, de externis plus æquo soliciti, interiora prorsus aspernantur.

[m] Opere tectorio inductis.

[n] B. Hypocritæ ex justo Dei judicio, seipsos aspergunt dedecore, quum maximè volunt scelera sua tegere.

[o] Proverbiū Hebraicum, quo significatur, Pergite vos quoq; imitari majores vestros, ut tandem vestra improbitas ad summum gradum perveniat.

[p] Suprà 5. 22.

[q] B. Hypocritæ crudeles.

[r] Hinc apparet ministros salutis non venire nisi mittantur divinitus.

[s] B. Exitus eorum qui zeli prætextu Evangelium persequuntur.

[t] Justorū. [u] Jojadæ, qui & Barachias, i. benedictus Dei dicebatur. [t] 2. Par. 24. 22. [x] Nunquam enim inultus sanguis relinquitur, qui ad Deum clamet pro vindicta, Gen. 4. 10. [y] B. Ubi maxima Dei misericordia, ibi summa perfidia, & tādem severissima Dei judicia. [l] Luc. 13. 34. [z] De externo ministerio loquitur, & quatenus in genere fuit ipse huic genti servandæ promissus, de qua etiam fuit peculiariter jam inde à promissione Abrahæ facta, solicitus. [l] 4. Esd. 1. 3. [a] Præsens tempus pro futuro. Nam templi vastationem & totius politiæ interitum denunciat. [b] Figuratè videtur Christus perstringere eorū vanam hypocrisin qui quotidiè ex Psalmo canebant, Benedictus qui &c. intereà ludibrio habebant oblatum sibi redemptorem. Ergo se ad illos venturum negat, donec ad conspectum ejus Majestatis trepidi, serò exclament verè esse filium Dei.

[10] Ad verb. Assumentes vultum.

[11] נגנא Menthæ: aliàs legitur נגניא, ut commemorat ערוך.

[12] Ad verb. Assumentes vultum. Hebraismus.

[13] דרובורא: Id est, Quæ ad ansam vasis pertinent. F. Sed quid si cum Masio, ex contextu Græco, pro paropside acceperis? est enim paropsis vel potiùs escarium vas profundum (gabatam Latini vocāt) hoc nomine appellatum à profunditate ipsius, posito ; pro ר, mutatione apud Chaldæos & Syros frequentissima. Hoc malim.

[14] Ad verb. Assumentes vultum.

[15] מקלשא legitur in ערוך per ף, in textu autem est scriptum per כ, מכלשא. quòd fortasse librariis facilior fuit lapsus in Syriacis charecteribus ob eorū similitudinem. Sic enim pingitur *Caph*, ut non absimili admodū figura à *Koph* delineetur. Quamquā non ita novum sit literas ejusdem pronunciationis inter se commutari. Si quid conjectura valeat, malim priorem lectionem sequi. Quamquam manuscriptus quoq; Syrus Codex legat *Caph*.

[16] Ad verb. Assumtione vultus, i. hypocrisi.

[17] F. Syrè exstitissemus exstitissemus, vel fuissemus fuissemus; i. ullo pacto fuissemus. ἀναδίπλωσις ἐπιτατικὴ, Chaldæis & Syris frequens.

[18] Id est, effusione sanguinis. Hebraismus.

[19] F. vel effugiatis, id est, possitis effugere.

[20] F. i. Jojadæ. Multi enim binomines sunt in Scripturis, sed plurimùm nominibus dicti quæ idem significent: ut sunt Jojada, quem agnovit Jehova; & Joberecja, vel Berecja, cui benedicit Jah; itemq; Jochanan, cui gratificatur Jah, 1. Chro. 6. 9. Quòd autem hujus nomen potiùs quàm alterius adfertur in hoc argumento, eo videtur factum, quòd de hujus nomine & historia ex sacris Scripturis constaret: in primis autem quòd hic pronunciasse legitur moriens, cognoscat Jehova & reposcat, 2. Chro. 24. 22. sicut & Hebeli sanguis de terra vocem edidisse, Gen. 4. 10. & Hebr. 12. sic enim asseritur Dei veritas non negligentis clamores pauperum, Psalm. 9. [21] Ita in textu Syriaco personæ mutantur, ut principium versus sit in secunda persona, O Urischelem, Urischelem & deinde sequatur tertia persona, Lapidans eos qui mittuntur ad se. Posteà redit ad secundam personam. Nisi quis malit dicere erratum typographi esse, & לח, Ad se, positum esse pro לכי, Ad te: nihil tamen mutare volui, quum idem manuscriptus codex haberet. [22] Ad verbum, Ex nunc. Hebraismus.

CAPUT

CAPUT XXIIII.

1 *Destructio templi.* 4 *Signa adventus Christi.* 13 *Iniquitas.* 23 *Pseudochristi.* 29 *Signa consummationis seculi.* 31 *Angeli.* 32 *Ficus.* 37 *Tempora Noë.* 42 *Vigilandum.* 45 *Servus.*

ET egressus est Jeschua è templo ut abiret, & accesserunt discipuli ejus, ostendentes ei structuram ipsius templi.
2 Is autem dixit, An non videtis hæc omnia? Ammin dico vobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem qui non destruatur.
3 Et quum Jeschua sederet super montem Olivarum, accesserunt discipuli ejus, & dixerunt inter se & illum, Dic nobis quando hæc erunt, & quódnam est signum adventus tui & consummationis seculi.
4 Respondit Jeschua, & dixit illis, Cavete ne quis seducat vos.
5 Multi enim venient in nomine meo, & dicent, Ego sum Christus, & multos seducent.
6 Audituri enim estis [1] bella & rumorem bellorum. Videte ne turbemini. Oportet enim ut hæc omnia fiant: sed nondum finis.
7 Consurget autem gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt fames, & mortes, & *terræ* motus [2] in singulis locis.
8 Hæc autem omnia, initia sunt dolorum.
9 Tunc tradent vos in afflictionē & occident vos, & eritis exosi ab omnibus gentibus propter nomen meum.
10 Tunc offendiculum patientur multi, & odio habebunt [3] alter alterum, & tradent alter alterum.
11 Et multi prophetę mendaces surgent, & seducent multos.
12 Et propter abundantiam iniquitatis, recedet dilectio multorum.
13 Qui perseveraverit autem usque ad finem, is [4] salvus erit.
14 Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo mundo, in testimonium omnium gentium, & tunc veniet consummatio.
15 Quum autem videritis signum abominationis desolationis, quod dictum fuit in Daniele Propheta quòd stet in loco sancto, is qui legit, consideret.
16 Tunc illi qui in Judæa sunt, fugiant in [5] montem:
17 [6] Et qui in tecto est; non descendat ad accipiendum quod est in domo sua:
18 Et is qui in agro est, non revertatur post se ad accipiendum vestem suam.
19 Væ autem in utero habentibus, & illis quæ lactant, in illis diebus.
20 Orate ne sit fuga vestra in hyeme, neque in sabbatho.
21 Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi, & usq; nunc, neq; futura est.
22 Et [7] nisi decurtati essent dies illi, non salva esset omnis caro: propter electos autem decurtabuntur dies illi.
23 Tunc, si quis dixerit vobis, Ecce hîc est Christus, aut hîc: ne credatis.
24 Surgent enim Christi mendaces, & prophetæ falsi: & dabunt signa magna, ut decepturi sint (si fieri posset) etiam electos.
25 Ecce, prius dixi vobis.
26 Si igitur dixerint vobis, Ecce, in deserto est:

ET [a] [b] egressus Jesus è templo, abibat: & accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificia templi.
2 [b] Jesus autem dixit eis, Nónne videtis hęc omnia? amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non dissolvatur.
3 Sedente autem eo in monte Olearum, adierunt eum discipuli privatim, dicentes, Dic nobis, quando hæc erunt, & quod *erit* signum adventus tui, & consummationis seculi?
4 [c] Et respondens Jesus dixit eis, [b] Videte nequis vos seducat.
5 Multi enim venient sub nomine meo, dicentes, Ego sum Christus ille: multosq; seducent.
6 Futurum est autem ut audiatis bella, & rumores bellorum: videte, ne turbemini. oportet enim omnia *hæc* fieri, sed nondum erit finis.
7 [d] Insurget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt fames, & pestilentiæ, & terræmotus singulis locis.
8 [e] Hæc autem omnia principium *erunt* dolorum *partus*.
9 [b] Tunc tradent vos afflictioni, & trucidabunt vos: & eritis exosi omnibus gentibus propter nomen meum.
10 Et tunc offendentur multi: & alius alium prodet, & odio habebit alius alium.
11 [f] Et multi pseudoprophetæ exorientur, ac seducent multos.
12 Et quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigescet charitas multorum.
13 [g] Sed qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur.
14 [h] Et prædicabitur istud Evangelium regni [i] in toto terrarum orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis.
15 [b] Quum ergo videritis [k] abominationem illam vastatricem quæ dicta est [b] per Danielem Prophetam, positam in loco sancto: (qui legit, [l] animadvertat)
16 Tunc qui in Judęa *fuerint*, fugiãt in montes:
17 Qui [m] in solario, non descendat ut sumat quicquam è domo sua.
18 Et qui in agro, non revertatur retrò ut sumat vestimenta sua.
19 [n] Væ autem prægnantibus & lactantibus per illos dies.
20 Orate verò ne fiat fuga vestra hyeme, [b] neque [o] sabbatho.
21 Erit enim tunc afflictio magna, qualis facta non fuit à principio mundi ad hoc usque tempus, [p] neque unquam fiet.
22 [q] Et nisi decurtati fuissēt dies illi, periret [r] omnis caro: sed propter electos decurtabũtur dies illi.
23 Tunc siquis vobis dixerit, [b] Ecce, hîc Christus, aut hîc: ne credite.
24 Excitabuntur enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula: ita ut seducant [f] (si fieri possit) etiam electos.
25 Ecce, prædixi vobis.
26 Itaque si dixerint vobis, Ecce, in deserto est:

[1] קארבא. Et sic in altero loco Marci 13.7. pro קרבא, id est Prælio, ponit. Cæterum quum his duobus tantùm locis in Novo testamento hoc nomen occurrat, suspicio suboriri potest depravati nominis, קרבא in קארבא posito פ pro ב, & interposito א. Sed manuscriptus quoque codex Heydelbergensis idem habet. F. nec verò malè pro cõcursu vel cõflictu ponitur, ut Judi. 5.21.
[2] Ad verbum, In loco, loco. Hebraismus.
[3] Ad verbum, Unus unum, & sic paulò pòst.
[4] Ad verbũ, Vivet. Hebraismus.
[5] F. id est, montana, συλληπτικῶς, ut apud Hebræos.
[6] Sequentia autem verba, qui in tecto est, præsens tēpus loco futuri habent, qui in tecto fuerit: & sic seq. Mutilatus erat hic locus in Syro testamento impresso, ita ut deesset ultima vox decimi septimi versiculi, & totus 18, excepta voce postrema, quæ in fine 17. versiculi loco omissæ dictionis sufficiebatur: ita ut finis 18. versiculi, decimum septimum finiret: nos verò ex manuscripto Syro codice, quem illustriss. elector Palatinus ex bibliotheca sua exhibuit, restituimus locum.
[7] F. id est, nisi Deus acceleravisset excidium perfidiæ gentis istius, non esset passura justũ ullum vivere: adeò fervet studio opprimẽdi bonos, & oppressiones magnas excitatura est. Atque hactenus de Judææ subversione. Sequitur de advẽtu Christi primũ ad suos in spiritu gratiã, secundo ad omnes in carne judiciũ effecturi.

[a] Duo in hoc capite præcipuè narrantur, Alterum, urbis Jerusalem excidium, & futuræ vastationis signa, à vers. 1. usque ad 29. Alterum, de extremo die & fine mundi. [b] *Mar.* 13.1. *luc.* 21.5. & 19.44.
[b] B. Prædicitur urbis & quidem in primis templi dirutio.
[c] B. Ecclesiæ perpetuum erit certamen cum infinitis calamitatibus & offendiculis, atque adeò cum falsis prophetis, donec idem victoriæ & triumphi dies advenerit. [b] *Ephes.* 5.6. *colos.* 2.28.
[d] Id verum apparuit Cæsareæ, Scythopoli, Ascalone, Ptolemaide, Alexandriæ, posteà Damasci. Joseph. lib. 7. de bello Judaico, de fame quæ Jerosolymis invaluit, idem Antiquit. lib 20. cap. 2.
[e] Ac si diceret, Nemo speret his tametsi gravissimis plagis adhuc divinæ satisfactũ iræ, atque vindictæ. [b] *Sup.* 10.17. *luc.* 21.12. *joh.* 15.20. & 16.2.
[f] Prædixit & Petrus 2. cap. 2.1. de iis, quorum præcipui fuere Praxeas, Valentinus, Novatus, Arius, Manes, Donatus, Nestorius, Pelagius, Eutyches, & quos nobis dedit seductio Mahomethi & corruptio papistica.
[g] B. Mundo & Satana frustrà furentibus, ubique propagabitur Evangelium, & qui constanter crediderint, servabuntur.
[h] B. Deleta funditùs urbe Jerusalem, non abolebitur, sed ad fines usque orbis terrarum protendetur Christi regnum. [i] Synecdoche, tam apud gentes, quàm apud Judæos. In hos enim duos populos totus terrarum orbis dividitur. [b] *Mar.* 13.14. *luc.* 21.20. [k] Ad verbum, abominationem desolationis, i. quam omnes propter fœditatem atq; turpitudinē, exsecrando aversentur. Loquitur autem de idolis in templo collocatis, vel, ut alii volunt, respexit ad depravationē doctrinæ in Ecclesia. [b] *Dan.* 9.27. [l] Secũ consideret. [m] In superiore domus parte. [n] Proverbiales sunt hæ formulæ. [b] *Act.* 1.12. [o] Non licebat Sabbatho iter facere, Joseph. lib. 13. [p] Quia, siquidem una repulsa Christi, tot præsertim scelestæ cõtumaciæ & ingratitudinis circumstãtiis implicita, præ omnibus ætatũ omniũ peccatis maximè detestabilis fuit, sic etiam æquũ fuit illius vindictæ atrocitate alias omnes superari. [q] q.d. Si domino visum esset ut calamitas illa ut erat vehemens, ita fuisset diuturna, & tantum hostibus permisisset sævire quantũ libuisset, nemo prorsus ex gente illa evasisset. [r] de Judæis intellige, non de toto genere humano. [b] *Mar.* 13.21. *luc.* 17.23. [f] Hoc additum est incutiendi timoris causa, quò magis solicitè intenti essent fideles ad cavendum. Notandũ autem illud est, quòd salutis nostræ firmitas non in nobis, sed in arcana Dei electione locatur.

ne egredimini. Ecce, in conclavibus, ne credite.

27 Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet usque in Occidentem: ita etiam erit adventus Filii hominis.

28 [t] [f] Ubicumque enim fuerit [u] cadaver, illuc congregabuntur aquilæ.

29 [x] [y] [g] Statim autem post compressionem dierum illorum sol obscurabitur, nec dabit luna splendorem suum, & stellæ cadent è cælo, & potestates cælorum concutientur.

30 Tunc apparebit [z] signum Filii hominis in cælo, & tunc [a] omnes tribus terræ [b] plangent, [h] & videbunt Filium hominis [c] venientem in nubibus cæli cum potentia & gloria multa.

31 [i] *Is* verò mittet Angelos suos cum tubæ voce magna, & cogent electos ejus à [d] quatuor ventis, à cælorum extremo ad eorum extremum.

32 [e] A ficu autem discite parabolam: quum jam ramus ejus tener fit, & folia germinat, nostis propè esse æstatem:

33 Ita & vos, quum videritis hæc omnia, scitote *illum* propè esse *&* ad fores.

34 Amen dico vobis, nequaquam præteribit [f] ætas hæc usquedum omnia ista facta sunt.

35 [f] [g] Cælum & terra præteribunt: sermones autem mei nequaquam præteribunt.

36 [h] De die autem illo & hora nemo scit, ne Angeli quidem cælorum: sed pater meus solus.

37 Sicut autem *erant* dies Noë, ita erit & adventus Filii hominis.

38 [l] Sicut enim diebus qui præcesserunt diluvium [i] edebant & bibebant, uxores ducebant & nuptum dabant, ad eum usque diem quo ingressus est Noë in arcam:

39 Nec agnoverunt diluvium usque dum venisset, & sustulisset omnes: ita erit & adventus Filii hominis.

40 [k] [t] Tunc duo erunt in agro: unus accipietur, & alter relinquetur.

41 [l] Duæ molentes in pistrino, una accipietur, & altera relinquetur.

42 [m] [t] Vigilate ergo, nescitis enim qua hora Dominus vester venturus sit.

43 [t] Illud autem scitote, si sciret paterfamiliâs [n] qua vigilia fur venturus sit, vigilaret, nec fineret perfodi domum suam.

44 Propterea & vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis venturus est.

45 [t] Quis igitur est fidelis servus & prudens, quem præfecit dominus famulitio suo, ut det illis alimentum in tempore?

46 Beatus servus ille, quem, quum venerit dominus ejus, invenerit ita facientem.

47 Amen dico vobis, omnibus quæ sibi suppetunt præficiet eum.

48 Quòd si dixerit servus ille malus in corde suo, Differt dominus meus adventum:

49 Cœperit que verberare conservos, quinetiam edere & bibere cum ebriis:

50 Veniet dominus servi illius die quo non exspectat, & qua hora non novit.

51 Et [o] separabit eum, ac partem ei assignabit cum hypocritis: [t] illic erit fletus & stridor dentium.

ne exeatis. vel, Ecce, in penetralibus est: ne credatis.

27 Sicut fulgur exit ab oriente, & conspicitur usque ad occidentem, sic erit adventus Filii hominis.

28 [8] Ubi autem fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ.

29 Statim autem post afflictionem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non ostendet splendorem suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur.

30 Et tunc conspicietur [9] signum Filii hominis in cælo. Et tunc plangent omnes generationes terræ, & videbunt Filium hominis venientem super nubes cæli cum virtute & gloria magna.

31 Et mittet Angelos suos cum [10] tuba magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summitate cælorum usque ad summitatem illorum.

32 A ficu autem discite parabolam, quia confestim ubi rami ejus teneri sunt, & [11] apparent folia ejus, cognoscitis quòd appropinquet æstas.

33 Ita etiam vos, quum videritis hæc omnia, scitote [12] quòd [13] appropinquet ad portam.

34 Ammin dico vobis quòd non præteribit generatio hæc donec ista omnia fiant.

35 Cælum & terra præteribunt, sed verba mea non præteribunt.

36 De die autem & hora illa nemo novit, nec etiam Angeli cælorum, [14] nisi Pater tantùm.

37 Sicut autem dies Nuach, sic erit adventus Filii hominis.

38 Sicut enim erant ante diluvium comedentes & bibentes, & accipientes uxores & tradentes viris, usque ad diem quo ingressus est Nuach [15] in arcam.

39 Et non cognoverunt donec venisset diluvium, & auferret universos ipsos: sic erit adventus Filii hominis.

40 Tunc duo erunt in agro: unus abducetur, & alter relinquetur.

41 Et duæ erunt molentes in [16] mola, una abducetur, & altera relinquetur.

42 Vigilate ergo, quia nescitis qua hora veniet Dominus vester.

43 Hoc autem scitote, quòd si sciret dominus qua vigilia venturus esset fur, vigilaret, & non fineret ut penetraretur domus sua.

44 Ideo etiam vos estote parati: quia ea hora qua non putatis, venturus est Filius hominis.

45 Quisnam est servus fidelis & prudens, quem constituit dominus super suos domesticos, ut det illis cibum in tempore suo?

46 Beatus servus ille: [17] quia quum venerit dominus ejus, inveniet eum quòd fecit sic.

47 Ammin dico vobis, constituet eum super omnia quæ sunt ei.

48 Si autem dixerit servus ille malus in corde suo, Dominus meus tardat venire:

49 Et cœperit percutere conservos suos, & fuerit comedens & bibens cum ebriis:

50 Veniet dominus servi illius in die qua non putavit, & in hora quam non novit:

51 Et [18] dividet eum, & ponet partem ejus cum [19] hypocritis. illic erit ploratus & stridor dentium.

[t] B. Unicum remedium adversus mundi furores, sese unà cum Christo aggregare.
[f] *Luc.* 17.37.
[u] Christus, qui celeriter & illustri præsentia aderit, ad quem omnes, aquilarum instar, aggregabuntur.
[x] Impiorum securitatem æterna condemnatio, piorum autem miserias perpetua fœlicitas suo tempore excipiet.
[y] Nunc de adventu suo mundique fine respondet Christus discipulis.
[g] *Marc.* 13.24. *luc.* 21.25. *esa.* 13.10. *ezech.* 32.7. *joël.* 2.31. *&* 3.15.
[z] Summa gloria & majestas, quæ testabitur Christum illum Dominū cæli & terræ, adventare ut orbem terræ judicet.
[a] Omnes gentes. Alludit ad dispersionem, de qua Gen. 10. & 11. vel ad Israëliticæ gentis distributionem.
[b] Tanto dolore afficientur, ut seipsos plangant, id est, feriant: transfertur hoc ad luctum.
[h] *Apoc.* 1.7. *dan.* 7.13. *zach.* 12.19.
[c] Nubibus insidentem, velut sublatus est in cælum.
[i] 1. *Cor.* 15.52. 1. *thes.* 4.16.
[d] Quatuor partibus orbis.
[e] B. Si Deus certum ordinem naturæ præscripsit, multo magis suis æternis judiciis: sed eum non intelligunt, ac etiam irrident impii, pii verò observant & exspectant.
[f] Suprà 11.16. Vel ætas Apostolorum: atque ita intelligentur hæc de capta Judæa: vel ætas Christo fidelium, & credentium Evangelio, ut de mundi fine accipiantur.
[t] *Marc.* 13.32.
[g] B. Jam incipit Dominus judicium quod tandem complebit.
[h] B. Satis sit nobis scire constitutum esse à Deo ultimum diem instaurationis. Quando enim is sit futurus, nostro bono, omnibus occultavit, ut tanto magis vigilemus, ne deprehendamur sicut olim accidit in diluvio.
[l] *Luc.* 17.28. *gen.* 7.5. 1. *pet.* 3.20.
[i] Significanter Evangelista verbo utitur quod proprium est brutis. fore enim indicat ut ejus temporis homines instar brutorū sint ventri dediti: alioqui edere & bibere per se vitium non est.
[k] B. Adversus eos qui sibi pollicentur Deū omnibus fore misericordem, ut securè intereà delicientur.
[t] *Luc.* 17.35. 1. *thes.* 4.17.
[l] Græcæ & Barbaræ mulieres molebant & coquebāt. Plut. in lib. Problem.
[m] B. Exemplū horrendæ hominū securitatis in iis de quibus illos oportuit maximè esse solicitos.
[t] *Mar.* 13.35.
[t] *Luc.* 12.39. 1. *thes.* 5.2. *apo.* 16.18.
[n] Ad verbum, qua custodia, sup. 14.25.
[t] *Luc.* 12.41.
[o] Sub, à reliquis: vel in duas partes secabit, quod genus erat supplicii atrocissimum: & nunc apud barbaros usurpatur. Sic Justinus scribit Esaiam à Judæis serra lignea esse dissectum. Ejus supplicii exempla habentur 1. Sam. 15.33. & Dan. 3.29.
[t] *Sup.* 13.42. *infr.* 25.33.

[8] Sententia proverbialis sumta ex Jobo 39. in fine cap. ובאשר חללים שם הוא.
[9] נסה pro נישה Signum. nam ש cum puncto in sinistro latere, sæpe venit loco ס.
[10] F. vel clangore magno: quod locus videtur postulare.
[11] Quæ quum apparet, i. Quum reviresciunt ac repullulāt. quo sensu etiam in Luca 21.30. habetur.
[12] Id est, præ foribus est.
[13] F. Syrè, advenit sibi, nimirum advētus ille Christi, de quo rogaverant discipuli principio capitis: nam eò referri postulat Syri verbi genus. Pleonasmus, ut suprà 4.10.
[14] F. id est, sed. Atque hoc modo Syrus propriè interpretatur particulam, *ei mē*.
[15] כורא. Pro arca tantū hic legitur, & Luc. 17.27. F. à capiendo sic dicta Syris, ut Latinis capsa.
[16] F. vel molarum loco, id est, pistrino, sive (ut magis propriè in Glossario dicitur) molestrina.
[17] F. vel quem quum venerit dominus ejus, inveniet ita facientem. Hic enim subjectio est ad quæstionem præcedentis versus. hoc signo, ait Christus, cognoscetur servus ille.
[18] F. nempe à sorte aliorum id autem est, separabit.
[19] Ad verb. Assumentibus vultum.

CAPUT

CAPUT

CAPUT XXV.

1 *Virgines exspectantes sponsum.* 13 *Vigilandum.* 14 *Talenta servis tradita.* 24 *Servus nequam* 30 *Extremum judicium quale.* 40 *Benedicti.* 41 *Maledicti.*

Tunc assimilabitur regnum cælorum decem virginibus, quæ acceperunt lampades suas, & exierunt in occursum sponso & sponsæ.

2 Quinque autem ex eis prudentes erant, & quinque fatuæ.

3 Et, quæ fatuæ erant, acceperunt lampades suas, & non acceperunt secum oleum.

4 Illæ verò prudentes assumserunt oleum in vasis cum lampadibus suis.

5 Quum differret autem sponsus, dormitaverunt omnes, & dormierunt.

6 Et media nocte factus est clamor, Ecce sponsus venit: exite ad occurrendum ei.

7 Tunc surrexerunt omnes virgines, [2] & apparaverunt lampades suas.

8 Dixerunt autem fatuæ illæ prudentibus, Date nobis de oleo vestro, quia ecce exstinguuntur lampades nostræ.

9 Responderunt prudentes illæ, & dixerunt, [a] Ne non sufficiat nobis & vobis. Sed ite ad vendentes, & emite vobis.

10 Et quum irent ad emendum, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo in domum nuptiarum, & clausa est janua.

11 [3] Tandem autem etiam venerunt aliæ illæ virgines, & dixerunt, Domine noster, Domine noster, aperi nobis.

12 Ille autem respondit & dixit illis, Amen dico vobis quòd non novi vos.

13 Vigilate itaque, quia nescitis diem illum neque horam.

14 Sicut enim homo [4] qui peregrè profectus est, vocavit servos suos, & tradidit illis possessionem suam.

15 [5] Est cui quinque [6] talenta, & est cui duo, & est cui unum, [7] unicuique juxta facultatem suam: & peregrè profectus est statim.

16 Abiit autem ille qui acceperat quinq; talenta, & negotiatus est per ea, & lucratus est quinque alia.

17 Et similiter ille qui duo, negotiatione acquisivit alia duo.

18 Is verò qui acceperat unum, abiens fodit in terram, & abscondit argentum domini sui.

19 Post tempus verò multum venit dominus illorum servorum, & accepit ab illis rationem.

20 Accessitq; is qui acceperat quinque talenta, & obtulit quinque alia, & dixit, Domine mi, quinque talenta dederas mihi: ecce quinque alia lucratus sum præterea.

21 Dixit ei dominus ejus, Euge serve bone & fidelis, in modico fidelis fuisti, super multum te constituam: intra in gaudium domini tui.

22 Et accessit ille cui duo erant talenta, & ait, Domine mi, duo talenta dederas mihi, ecce, duo alia lucratus sum præter ea.

23 Dixit ei dominus ejus, Euge serve bone & fidelis, in modico fidelis fuisti, super multum constituam te: intra in gaudium domini tui.

24 Accessit autem etiam is qui acceperat unum talentum, & ait, Domine mi, noveram te quòd homo sis durus, & metas ubi non seminaveris, & colligas inde ubi non sparseris.

25 Et territus sum, & abiens abscondi ipsum talentum tuum in terra. Ecce, [8] habes quod tuum est.

26 Respondit

[2] r. vel ut apparerent: haud scio an huic interpretationi cū sequentibus melius conveniat.

[a] Concisa oratio: subauditur enim: Nolumus dare, ne non, &c. r. vide sup. in 13.29.

[3] Ad verb. In fine. Hebraismus.

[4] r. vel peregrè proficiscens, aut profecturus. Est autē hic versus ἀνταπόδοτος, cujus suppleri oportet subjectionem hoc modo, ita est Christus, vel ita facit filius hominis. Explicatio verò rationum quas init cum servis suis primùm instituitur à v. 31 ad finem usque cap.

[5] Id est, Alicui duo, alicui quinque, ut antè observatum est.

[6] De valore talenti vide annotata suprà cap. 18.24.

[7] Ad verb. Viro viro, Hebraismus.

[8] Ad verb. Ecce tibi quod tuum est.

Tunc[a] erit simile regnum cælorum decem virginibus, quæ sumtis lampadibus suis [b] exierunt in occursum sponsi.

2 Quinque autem ex eis erant prudentes, & quinque fatuæ.

3 Quæ erant fatuæ, sumtis lampadibus suis, non ceperant oleum secum:

4 Prudentes verò ceperant oleum in vasis suis unà cum suis lampadibus.

5 Morante autem sponso, [c] nictârunt omnes, ac dormierunt.

6 Media verò nocte clamor ortus est *dicentium*, Ecce, sponsus venit, exite in occursum ejus.

7 Tunc surrexerunt omnes illæ virgines, & adornârunt lampades suas.

8 Fatuæ verò prudentibus dixerunt, Date nobis ex oleo vestro: quia lampades nostræ exstinguuntur.

9 Responderunt autem prudentes illæ, dicentes, *Nequaquam*, ne non sufficiat nobis & vobis: [d] ite verò potiùs ad eos qui vendunt, & ipsæ vobis emite.

10 Quum autem abirent emptum, venit sponsus: & quæ paratæ erant, introiverunt cum eo ad nuptias: clausaq; est janua.

11 Posteà verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, domine, aperi nobis.

12 Ipse verò respondens ait, Amen dico vobis, non novi vos.

13 [h] Vigilate itaq; quia neq; illum diem, neq; illam horam scitis, qua Filius hominis veniet.

14 [i] [e] *Ita* enim *est* ut *quum* quispiam peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit eis quæ sibi suppetebant.

15 Et huic quidem dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm ipsius [f] facultatē: & peregrè profectus est statim.

16 Profectus autem qui quinque talenta acceperat, negotiatus est ex iis, & [g] fecit altera quinque talenta.

17 Itidem & qui duo acceperat, lucratus est & ipse altera duo.

18 Qui autem unum acceperat, abiit & defodit *illud* in terram, & occultavit pecuniam domini sui.

19 [h] Post multū verò temporis venit dominus servorum illorum, & confert rationem cum eis.

20 Tunc accedens is qui quinque talenta acceperat, [i] attulit altera quinque talenta, dicens, Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce, altera quinque talenta lucratus sum ex iis.

21 Dixit autem ei dominus ejus, Benè *est*, serve bone & fidelis: in exiguo fuisti fidelis, super multa te constituam: [k] ingredere in gaudium domini tui.

22 Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait, Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce, alia duo lucratus sum ex iis.

23 Ait ei dominus ejus, Benè *est*, serve bone & fidelis, in exiguo fuisti fidelis, super multa te constituam: ingredere in gaudium domini tui.

24 Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait, Domine, noveram te hominem [l] durum esse, qui metis ubi non sevisti, & inde cogis ubi non sparsisti:

25 Itaque timens abii & occultavi talentum tuum in terra: ecce, habes quod tuum est.

26 [m] Respondens

[a] 1. Permda est à Deo vitæ quæ, nos per tendimus incedentes ad æternum usq; vocati sua deducatt alioqui si fastidio torpescamus, ipsi quoque excludemur.

[b] Nuptiarum pompa solebat noctu ferè celebrari, idque à puellis.

[c] Oculis somno gravatis.

[d] Non significat hic locus quòd justi in fine seculi missuri sint fatuos aliquo emptum hoc oleum: sed ostendit nihil tum tationis futurum qua negligentiam suam resarcire queant qui imparati erunt in adventu Christi. Per ironiam enim vel exprobrationem hæc intelligi debent.

[h] *Sup.* 24.42. *Mar.* 13.33.

[i] *Luc.* 19.12.

[e] 2. Christus testatur magnum quidē fore intervallum inter suum ad Patrē discessū & reditū ad nos, sed se nihilominus eo die subductūrum rationes accepti & expēsi, non modò cum rebellibus, sed etiā cum suis domesticis, qui acceptis donis prægignaria usi non fuerint.

[f] Prudentiam & peritiam in negotiando, i. quā præditi erant.

[g] I. lucratus est.

[h] Licet post multum téporis, venturus est tamen Christus ad judicium, neque negligentiā sequtur, tanquam eo non statim venturo.

[i] Nam ut simpliciter Christus quid apud homines fieri solet. Interim ne fatigemur benè agēdo, pronūciat nos tamen suum eorum labores qui se fideliter in sua vocatione exercuerint.

[k] i. adeidum, ut percipias fructum benignitatis meæ. Gaudium autem Domini reciprocatur, Iohan. 15. 11. ut gaudium illud meū in vobis maneat, & gaudiū vestrum impleatur.

[l] Græcè, austerum, quem Comici vocant severum.

26 [m] Respondens autem dominus ejus dixit
ei, [n] Serve male & ignave, sciebas me metere
ubi non sevi, & inde cogere ubi non sparsi:
27 Oportuit ergo te tradere pecuniam meam
[o] mensariis: & ego quum venissem recepissem
meum, cum fœnore.
28 Tollite ergo ab eo talentum, & date ei qui
habet decem talenta.
29 ([‖] Omni enim qui habet, dabitur, & is exu-
berabit: qui verò non habet, etiam quod habet,
tolletur ab eo.)
30 Et inutilem servum ejicite [‖] in tenebras
illas extimas: illic erit fletus & stridor den-
tium.
31 [p] Quum autem venerit Filius hominis
cùm gloria sua, & omnes S. Angeli cum eo, tunc
sedebit in throno gloriæ suæ.
32 Et cogentur coram eo omnes gentes, & se-
parabit eos, alteros ab alteris, ut pastor separat o-
ves ab hœdis.
33 [q] Et statuet, oves quidem ad dextram su-
am, hœdos autem ad sinistram.
34 Tunc dicet Rex iis qui ad dexteram ipsius
erunt, Adeste [r] benedicti Patris mei, [f] possidete
regnum paratum vobis à jacto mundi funda-
mento.
35 [‖] Esurivi enim, & dedistis mihi *quo* vescerer:
sitivi, & dedistis mihi potum: hospes eram, & col-
legistis me.
36 Nudus, & amicivistis me: [‖] ægrotavi, &
invisistis me: in carcere eram, & venistis ad
me.
37 Tunc respondebunt ei [t] justi, dicentes,
Domine, quando te vidimus esurientem, & a-
luimus? aut sitientem, & dedimus tibi po-
tum?
38 Quando autem te vidimus hospitem, &
collegimus te? aut nudum & amicivimus?
39 Aut quando te vidimus ægrotum, aut in
carcere, & venimus ad te?
40 Et respondens Rex dicet eis, Amen dico
vobis, quatenus id fecistis uni ex istis fratribus
meis minimis, mihi fecistis.
41 Tunc dicet etiam iis qui ad sinistrā *erunt*,
[u] Exsecrati abite à me in [x] ignem æternum, qui
paratus est diabolo & angelis ejus.
42 Esurivi enim, & non dedistis mihi *quo* ves-
cerer: sitivi, & non dedistis mihi potum:
43 Hospes eram, & non collegistis me: nudus,
& non amicivistis me: ægrotus, & in carcere *e-
ram*, & non invisistis me.
44 Tunc ipsi quoque respondebunt ei, di-
centes, Domine, quando te vidimus esurientem,
aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut æ-
grotum, aut in carcere, & non ministravimus
tibi?
45 Tunc respondebit eis, dicens, Amen dico
vobis, quatenus *id* non fecistis uni ex istis mini-
mis, nec mihi fecistis.
46 [y] Et abibunt isti ad supplicium æternum:
justi verò ad vitam æternam.

26 Respondit dominus ejus, & dixit ei, Serve
male & piger, noveras me quòd metam ubi non
seminaverim, & colligam inde ubi non spar-
serim:
27 [9] Oportuisset te ut [10] projecisses argentum
meum super mensam: & venissem, & exegissem
quod meum est cum usura ejus.
28 Auferte igitur ab eo talentum, & date illud
ei cui sunt decem talenta.
29 Illi enim cui est, dabitur, & augebitur
ei: cui verò non est, etiam id quod non est aufere-
tur ab eo.
30 Servum autem otiosum ejicite in tenebras
exteriores: ibi erit ploratus & stridor dentium.
31 Quum venerit autem Filius hominis in
gloria sua, & omnes Angeli sancti ejus cum eo,
tunc sedebit super thronum gloriæ suæ.
32 Et congregabuntur ante eum omnes gen-
tes, & separabit [11] eos [12] unum ab altero, sicut pa-
stor qui separat oves ab hœdis,
33 Et statuet oves à dextra sua, & hœdos à si-
nistra sua.
34 Tunc dicet rex iis qui *erunt* à dextra sua,
Venite benedicti patris mei, possidete regnum
quod paratum fuerat vobis a constitutione mūdi.
35 Esurivi enim, & dedistis mihi ad eden-
dum: & sitivi, & dedistis mihi potum: hospes fui, &
collegistis me.
36 Nudus fui, & operuistis me: ægrotus fui, &
[13] visitastis me: & in domo vinctorum fui, & ve-
nistis ad me.
37 Tunc dicent ei illi justi, Domine noster,
quando vidimus te quòd esurires, & pavimus te?
aut quòd sitires, & potum dedimus tibi?
38 Et quando vidimus te quòd hospes esses,
& collegimus te? aut quòd nudus esses, & coope-
ruimus te?
39 Et quando vidimus te ægrotum aut in do-
mo vinctorum, & venimus ad te?
40 Et [14] respondebit rex, & dicet eis, Amen
dico vobis quòd sicut fecistis uni ex istis fratribus
meis pusillis, mihi fecistis.
41 Tunc dicet etiam iis qui erunt à sinistra e-
jus, [15] Discedite à me maledicti in ignem æternū,
qui paratus est illi [16] delatori & angelis ejus.
42 Esurivi enim, & non dedistis mihi ad co-
medendum: & sitivi, & non dedistis mihi potum:
43 Et hospes fui, & non collegistis me: & nu-
dus fui, & non operuistis me: & ægrotus fui, at-
que in domo vinctorum fui, & non visitastis
me.
44 Tunc respondebunt etiā illi, & dicent, Do-
mine noster, quando vidimus te esurientem, aut
sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut ægro-
tum, aut in domo vinctorum, & non ministravi-
mus tibi?
45 Tunc respondebit & dicet illis, Amen di-
co vobis quòd sicut non fecistis uni ex his pusil-
lis, etiam mihi non fecistis.
46 Et abibunt hi in supplicium æternum, & ju-
sti in vitam æternam.

CAPUT XXVI.

3 *Consilium Sacerdotum contra Christum.* 6 *Christo pedes ungũntur.* 14 *Thoma vendit Judas.* 26 *In-
stitutio Cœnæ.* 34 *&* 69 *Petri abnegatio.* 38 *Tristis Christus,* 47 *osculo proditur,* 57 *ad Caia-
pham ducitur.* 64 *Fatetur se Christum,* 67 *condemnatus conspuitur.* 69 *Petrus Christum abnegat.*

ET [1] [a] factum est quum finisset Jesus omnes
istos sermones, dixit discipulis suis,
2 Scitis post biduum Pascha fore, & Filius
hominis proditur ut crucifigatur.

ET factum est ut quum consummasset Jeschua
omnes sermones hos, diceret discipulis suis,
2 Scitis quòd post biduum Petzcha fit, & Fi-
lius hominis traditur ut in crucem agatur.

[m] Tantùm significat Christus nihil excusationis fore eorum desidiæ qui & dona Dei supprimant & ætatem suam consumūt in otio.
[n] Ubi malum & pigrum vocat, indicat, non tam ex mera severitate ipsius, quàm ex propria socordia & pigritia negotiationem detrectavisse.
[o] Quos trapezitas vocant, qui mensulis propositis pecuniam fœnore elocant.
[‖] Sup. 13. 12. Luc. 8. 18. & 19. 26. Marc. 4. 25.
[‖] Sup. 8. 12. & 22. 13.
[p] a. Futuri æterni judicii graphica descriptio.
[q] Hæc separatio etiam suprà aliquot similitudinibus proposita est, per ventilationē & purgationem areæ, 3. 12. per zizania, 13. 48. & per sagenam missam in mare.
[r] Beati & fœlices, quos Pater meus beneficiis suis cumulavit.
[f] Si est hereditas, obvenit quia filii Dei sumus, non natura quidem, non meritis, sed adoptione gratuita. Salus igitur manat ex gratuita misericordia, non meritis aut dignitate.
[‖] Esai. 58. 7. Ezec. 18. 7.
[‖] Eccl. 7. 35.
[t] Quos versu 34. vocaverat benedictos patris, nūc justos dicit, ut sciamus justitiam ex æterna Dei institutione fluere.
[‖] Psal. 6. 9. Sup. 7. 23. Luc. 13. 27.
[u] Ad verb. execrandi.
[x] Hujus ignis combustio judici ipsi relin quēda est: magis autem curandum ut qualis sit ne in futurum experiamur.
[y] Dan. 12. 2. Joh. 5. 29.
[1] Marc. 14. 1. Luc. 22. 1.
[a] 1. Christus ad mortem, ultrò properans, testatur sua obedientia sua voluntaria Adami transgressionem expiatum, ...

[9] Ad verb. Opus fuisset tibi, id est, Debuisses.
[10] Pro Exposuisses. Exprimit morem eorum qui numulariis locant pecuniam suam.
[11] Vel, Unumquemque virum ex eis: hoc enim postulat generis differentia.
[12] Ad verb. Unū ab uno, Hebraism.
[13] Vel invisistis, id est, visentes curavistis, μεταμελητικῶς. Hinc enim [Syriac] Episcopus & curator à Syris appellatur, sic infr. V. 43.
[14] Ad verb. Respondit, & dixit, &c. Sed conjunctio copulativa præterito præfixa Hebræorum more ipsum mutat in futurum, quod aliquā ratio in lingua Syra fit.
[15] Syrus, abite vobis, Pleonasm. ut supra 4. 10.
[16] [Syriac] Vide quæ notata sunt in cap. 4. Sumitur pro diabolo.
[1] Vel, Filius autē hominis traditur crucifigēdus, puta die ipso Paschatis. Jā enim Christus apertè prædixerat ... quod tamen est ...

³ F. vel contra Jeschuam.
³ F. vel penes quam erat alabastrum sparsorium sive (ut in Glossario dicitur proximè Syrā vocē) adundatorium, ex quo liquores exundant atque effunduntur. Hoc Syræ vocis etymon.
⁴ אנשוס Sic in Marci cap. 4.
⁵ ad verbum, Indignatio fuit eis. Hebraismus.
⁶ Syra verba ita sonant, Me autem apud vos esse non omni tempore est. id est, Non est futurum perpetuum ut apud vos sim.
⁷ F. id est, adsum.
⁸ F. vide suprà in 18.5.
⁹ Observant Hebræi, ubicumque in Scripturis argenteorum fit mentio, non expressa numismatis argentei specie, intelligi siclum sanctuarii æquivalentē quatuor denariis, de quorum valore suprà capite 18. 28. scripsimus. Atque huic Hebræorum sententiæ patrocinantur Chaldæi paraphrastæ Onkelos & Jonathan, qui in suis paraphrasibus addunt explicationis causa nomen, סלע, id est, Sicli Sanctuarii. Vide passim in ipsorū paraphrasibus: præsertim verò Onkelon in Gen. cap. 20. 16. & Ionathan 2. Reg. 6. 25.
¹⁰ Ad verbum, Ex tunc. Hebraismus.
¹¹ פרלאנא. Opportunitas, & in Marc. 14. & in Luc. 22.
¹² Christum discubuisse memorant Evangelistæ in cœna qua pascha comedit: quod primâ fronte videtur cum divino instituto pugnare: præcipitur enim Exod. 12. 3. ut edentes pascha, lumbos accinctos, pedes calceatos ac baculum teneant manu, & ut citò comedant: quæ fieri nequeunt à discumbentibus. Sed sciendum est ibi præcipi qua ratione exituri ex Ægypto, primâ illâ vice comedant pascha, paulò antè quàm exeant ex Ægypto, & iter ingrediantur, quia ita exigebat illius temporis necessitas. Sed in Lege deinde, ubi præcipitur ut cærimonia illa agni Paschalis quotannis renovetur, ea non adduntur. Quapropter omnes Hebr. doctores, tum antiqui, tum recentes, summo consensu dicunt mandatum illud de aspergendis sanguine postibus, de induendis calceis, ac cingendis lumbis, atq; sumendis baculis, & cum festinatione comedendo agno, non se extendisse ad generationes sequuturas, sed tantùm fuisse illius noctis qua egressuri erant ex Ægypto. Imò antiquissima fuit apud eos traditio (quod in Talmud, tractatu de paschate commemoratur) ut manducaturi pascha, in signum libertatis adeptæ discumberent. Nihil igitur contra divinum institutum in cœna Christi factum est: quia sequutus est Christus illam paschatis institutionem quam Deus voluit in suo populo tunc servari. ¹³ F. alii legunt, cum duodecim discipulis suis. ¹⁴ F. i. mox proditurus est: præsens loco paulò pòst futuri, ut V. 15. & 18. & suprà 2. 4 sic etiam vers. 28. ¹⁵ Ad verb. Et nunc tristitia fuit eis. ¹⁶ Ad verbum, Unus, unus ex eis.

3 Tunc congregati sunt principes Sacerdotum, & Legisperiti, & Seniores populi, in atrium principis Sacerdotum, qui vocabatur Chajapha.
4 Et consilium inierunt ¹ de Jeschua, ut dolo caperent eum, & occiderent eum.
5 Et dicebant, Non in die festo, ne sit tumultus in populo.
6 Quumq; esset Jeschua in Bethaniah in domo Schemeun leprosi,
7 Accessit ad eum mulier ² super quam erat ³ alabastrum unguenti aromatici, magni pretii: & effudit illud super caput Jeschuæ recumbentis.
8 Viderunt autem discipuli ejus, & ⁵ indignati sunt, & dixerunt, Ad quid perditio hæc?
9 Poterat enim vendi illud *unguentum* magno: & dari pauperibus.
10 Jeschua autem cognovit, & dixit illis, Quid molesti estis mulieri isti? opus bonum operata est erga me.
11 Omni enim tempore pauperes vobis sunt vobiscum, ⁶ ego autem non omni tempore ⁷ sum vobis.
12 Hoc autem, quòd misit aromaticum hoc in corpus meum, ⁸ tanquam ad sepeliendum me fecit.
13 Et ammin dico vobis, quòd ubi prædicabitur Evangelium hoc meum in toto mundo, dicetur etiam id quod fecit hæc, in memoriam ejus.
14 Tunc abiit unus è duodecim, qui vocabatur Jihuda Secharejuta, ad principes Sacerdotum:
15 Et dixit illis, Quid vultis dare mihi, & ego eum trado vobis? Illi autem constituerunt ei triginta ⁹ argenteos.
16 ¹⁰ Et ex eo tempore quærebat ¹¹ sibi opportunitatem ut traderet eum.
17 In die autem primo azymorum accesserunt discipuli ad Jeschua, & dixerunt ei, Ubi vis ut paremus tibi ut comedas Petzcha?
18 Ipse autem dixit illis, Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei, Præceptor noster dicit, Tempus meum appropinquat, apud te facio Petzcha cum discipulis meis.
19 Et discipuli ejus fecerunt sicut præceperat illis Jeschua, & paraverunt Petzcha.
20 Et quum esset vesper, ¹² discumbebat cum ¹³ discipulis suis.
21 Et quum comederent dixit, Ammin dico vobis quòd unus ex vobis ¹⁴ prodit me.
22 ¹⁵ Et contristati sunt valdè. & cœperunt dicere ¹⁶ unusquisque ex eis, Nunquid ego domine mi?
23 At ipse respondit, & dixit, Qui intingit

3 ¹ ᵃ Tunc coacti sunt primarii Sacerdotes & Scribæ & Seniores populi in aulam ᵇ Pontificis maximi qui dicebatur Caiaphas.
4 Et simul consultârunt ut Jesum dolo prehenderent, & trucidarent.
5 Dicebant autem, Non ᶜ in festo, ne tumultus fiat in populo.
6 ᵈ ᵉ Quum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi,
7 ᶠ Venerat ad eum mulier habens ᵍ alabastrum unguenti gravis pretii, & effuderat in caput ipsius accumbentis.
8 *Hoc* autem videntes discipuli ejus ʰ indignati sunt, dicentes, Quorsum ⁱ perditio hæc?
9 Potuit enim istud unguentum vænire magno, & dari pauperibus.
10 ᵏ Quum autem *hoc* cognovisset Jesus, ait eis, Quid molestiam exhibetis isti mulieri? opus enim bonum operata est erga me.
11 ˡ ˡ Semper enim pauperes habebitis vobiscum: me verò non semper habebitis.
12 ᵐ Quòd enim hæc unguentum hoc injecit corpori meo, ad funerandum me fecit.
13 Amen dico vobis, Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, etiam quod hæc fecit, dicetur ad memoriam ipsius.
14 ⁿ Tunc profectus unus ex duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad primarios Sacerdotes:
15 Ait eis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? ipsi verò appenderunt ei triginta argenteos *nummos*.
16 Et ex eo tempore quærebat opportunitatem ad eum prodendum.
17 ¹ ⁿ ° Primo autem *die* azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes ei, Ubi vis paremus tibi ad edendum Pascha?
18 Ipse verò dixit, Abite in urbem ad quendam, & dicite ei, Præceptor dicit: Tempus meum propè est, apud te faciam Pascha cum discipulis meis.
19 Et fecerunt discipuli sicut præceperat eis Jesus: & paraverunt Pascha.
20 Quum autem serum diei esset, ᵖ discubuit cum duodecim.
21 ᑫ Et edentibus ipsis, dixit, Amen dico vobis, unus vestrûm me prodet.
22 Tunc contristati vehementer, cœperunt singuli eorum ipsi dicere, Num ego *is* sum, Domine?
23 Ipse verò respondens ait, Qui ʳ intingit

¹ Ioh. 11. 47.
ᵇ 2. Non homines, sed ipse Deus decrevit quo tempore crucifigendus esset Christus.
ᶜ Sup. 2. 4.
ᵈ Festi nomine totum Azymorum festum intelligitur, cujus primus & octavus dies ita sancti erant, ut omninò cessandum esset, quamvis totus ordo Sanhedrin aliter censuerit, Dei providentia tamen accidit, ut eo tempore pateretur Christus, scilicet ut sui æterni sacrificii Israëlem totum testem haberet.
ᵉ Marc. 14. 3. Ioh. 11. 2. & 12. 3.
ᶠ 2. Christus inexspectato facto peccatricis mulieris, convivas admonet vicinæ suæ mortis ac sepulturæ, cujus odor vivificus esset omnibus peccatoribus ad ipsum confugientibus. Judas autem ex hoc ipso arripit exsequendi sui nefarii consilii occasionem.
ᶠ Hæc enim gesta erant antequam Christus veniret Ierosolymam, aliqui tamen putant duas historias ab evangelista recenseri.
ᵍ Alabastra dicta sunt vascula unguentaria, quod alabastriten lapidem veteres plerumque excavarent ad eos usus, quoniam optimè servare incorrupta unguenta traditur. Plinius lib. 13. cap. 1.
ʰ Synecdoche. Judas enim ideò commotus dicitur, Ioh. 12. 4.

ⁱ Inutilis profusio! ᵏ 2. Non temerè damnandum quod extra ordinem agitur. ˡ Deuter. 15. 11. ˡ 2. Christus in seipso semel unctus, semper est in pauperibus ungendus. ᵐ Id est, effuso hoc unguento in corpus meum, hæc illa fecit ad me sepeliendum. ⁿ Marc. 14. 10. Luc. 22. 4. ° Marc. 14. 12. Luc. 22. 7. ⁿ 2. Christus verè nos in patriam mox introducturus, ac proinde legalem typum abrogaturus, Legi tamen satisfacit, neglecta contraria traditione & consuetudine Judæorum, simúlque ostendit sic omnia mox esse eventura hominum ministerio, ut æternum Dei decretum ea gubernaverit. ° Is fuit dies primi mensis decimus-quartus: primus autem azymorum debuit esse decimus-quintus, sed quia hujus diei vespera Romano more referebatur ad diem præcedentem, Judæorum more ad sequentem diem pertineret: ideo dicitur primus azymorum. ᵖ Quia ex præscripto legis calceati erant, & baculum gestabant tanquam festinabundi, inde conjicitur non recubuisse comedentes Pascha, sed stetisse, quum alioquin sumpturi cibum calceos exuebant: loquitur itaque hoc loco non de Paschate, sed de Cœna, quæ peracto solenni ritu Paschatis adornata est. ᑫ Marc. 14. 18. Luc. 22. 14. Ioh. 13. 21. ʳ Id est, quem mea mensa dignabar: alludens ad locum Psal. 41. 10. quod non est ita accipiendum, quasi eo ipso tempore quo hæc à Domino dicebantur, Judas manum haberet in patina (fuisset enim indubitatum signum) sed ad mutuum convictum refertur.

r i. qui in eo jam totus erat, ut proderet.
f Ego non dico quòd tu me sis proditurus, malitiam tuam nõ revelo, sed tu ipse hoc dicis.
t B. Christus veteris fœderis promissiones reipsa mox impleturus, novũ fœdus novis quoq; mysteriis sancit.
I 1. Cor. 11.24.
u Marcus dicit, gratias egisset. Itaq; benedicere, non est murmuratione magica, aut vi verborum cõsecrare, mutantur tamen panis & vinum nõ natura, sed qualitate, fiunt enim corporis & sanguinis Christi symbola, nõ sua natura, nec vi verborum, sed Christi institutione, quæ recitari & explicari debet, ut habeat fides quod amplectatur, & in verbo & in elementis.
x Metonymicè, ita tamen ut per fidem ac spirituali modo à credentibus verè recipiatur Christus cum suis donis, ita ut unum cum illo fiant.
y Contra Christi institutionem faciunt, qui calicem sustulerunt.
z Videlicet poculum seu vinum, est sanguis meus, sacramentaliter nimirum. sic Luc. 22.20.
a Vel fœderis, i. quod novum sancitur. In fœderibus enim sanciendis adhibebantur vini libationes.
I Marc. 14.27. Io. 16.32. & 18.8
b B. Christus solicitus de suis potiùs quàm de se ipso, prædicit ipsorum fugam, monet ut mox sperent meliora.
c Zac. 13.7
I Zach. 13.7.
I Marc. 14.28. & 16.7.
d Imperitia & propriæ infirmitatis ignorantia, causa est cur ita cristas erigimus, & nos aliis ambitiosè preferimus. Hic verò in Petro insigne documentum habemus nostræ audaciæ, ubi sumus extra teli jactum.

mecum manum in catino, is me prodet.

24 Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi per quem Filius hominis proditur: bonum erat homini illi si natus non fuisset.

25 Respondens autem Judas qui r prodebat eum, dixit, Num is ego sum, rabbi? Dicit ei, f Tu dixisti.

26 t I Edentibus autem eis, Jesus quum accepisset panem, & u benedixisset, fregit *eum*, deditq; discipulis, & ait, Accipite, comedite; hoc x est corpus meum.

27 Et accepto poculo, ac gratiis actis, dedit eis, dicens, Bibite ex eo y omnes.

28 z Hoc est enim sanguis meus, Novi a fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

29 Dico autem vobis, Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, usque ad diem illum quum ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30 Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem Olearum.

31 I b Tunc dicit eis Jesus, Omnes vos ista nocte offendemini in me. c scriptum est enim, I Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.

32 Postquam autem suscitatus fuero I præibo vobis in Galilæam.

33 d Respondens verò Petrus dixit ei, Etiamsi omnes offendantur in te, ego nunquam offendar.

34 Dixit ei Jesus, I Amen dico tibi, ista nocte antequã gallus vocem mittat, ter me abnegabis.

35 Dicit ei Petrus, Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

36 e I Tunc venit Jesus cum eis in locum qui dicitur Gethsemane: & dicit discipulis, Sedete hîc usquequo profectus precatus fuero illic.

37 Et assumto Petro & duobus filiis Zebedei, cœpit contristari, & f gravissimè angi.

38 g Tunc dicit eis Jesus, Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem: manete hîc, & vigilate mecum.

39 Et progressus paululùm, procidit in faciem suam, precans & dicens, h Pater mi, si possibile est, i abeat à me k poculum istud: verumtamen non ut ego volo, sed ut tu.

40 l Tunc venit ad discipulos, & reperit eos dormientes: & dicit Petro, Itáne non potuistis unam horam vigilare mecum?

41 Vigilate & orate, ne intro eatis in tentationem. m spiritus quidem est promtus, sed caro infirma.

42 Rursum secundò abiit, & precatus est dicens, Pater mi, si non potest hoc poculum abire à me quin bibam ipsum, fiat voluntas tua.

43 Et quum venisset reperit eos rursum dormientes: erant enim oculi eorum gravati.

44 Et relictis eis, rursum abiit: & precatus est n tertiò, eumdem sermonem loquutus.

45 Tunc venit ad discipulos suos, & dicit eis, o Dormite quod superest, & requiescite: ecce, appropinquavit hora illa, & Filius hominis

manum suam mecum in catino, hic prodet me.

24 Et Filius hominis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi cujus manu Filius hominis proditur. tolerabilius fuisset homini illi si non esset natus.

25 Respondit Jihuda proditor, & dixit, Nunquid ego sum domine mi? Dixit illi Jeschua, Tu dixisti.

26 Quum autem ederent, accepit Jeschua panem, & benedixit, ac fregit, & dedit discipulis suis, & ait, Accipite, comedite: hoc est corpus meũ.

27 Et accepit poculum, & gratias egit, & dedit illis, & dixit, Accipite, bibite ex eo omnes.

28 Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui [17] propter multos effunditur in remissionem peccatorum.

29 Dico autem vobis quòd non bibam [18] ex hoc tempore de hoc producto vitis, usque in diem in quo bibam illud vobiscum novum in regno Dei.

30 Et laudes dixerunt, & exierunt in montem Olivarum.

31 Tunc dixit illis Jeschua, Vos omnes offendemini in me hac nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.

32 Postquam autem surrexero præcedam vos in Galilæam.

33 Respondit Cipha, & dixit illi, Etiamsi omnis homo offensus fuerit in te, ego nunquam offendar in te.

34 Ait illi Jeschua, Ammin dico tibi, quòd hac nocte, antequam canet gallus, tribus vicibus abnegabis me.

35 Dixit ei Cipha, Si fuerit mihi moriendum tecum, non negabo te. Et similiter etiam omnes discipuli dixerunt.

36 Tunc venit cum illis Jeschua in locum qui vocatur [19] Ged-Siman, & dixit discipulis suis, Sedete hîc donec abiens orem.

37 Et accepit Cipha, & duos filios Zabedai, & cœpit mœstus esse, & tristitia affici.

38 Et ait [20], [21] Tristis est anima mea usque ad mortem. exspectate me hîc, & vigilate mecum.

39 Et abiit paululùm, & procidit in faciem suam & orabat, ac dicebat, Pater mi, si possibile est, transeat à me poculum hoc: verumtamen [22] non sicut ego volo, sed sicut tu.

40 Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & ait Cipha, Sic non potuistis ut una hora vigilaretis mecum?

41 Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. spiritus promtus est, corpus autem est infirmum.

42 Rursum abiens secunda vice oravit, & dixit, Pater mi, si non potest *fieri* ut hoc poculum transeat nisi bibam illud, fiat voluntas tua.

43 Et veniens, iterum invenit illos dormientes: oculi enim eorum gravati erant.

44 Et reliquit eos, & abiens iterum, oravit tertia vice, & eumdem sermonem dixit.

45 Tunc venit ad discipulos suos, & ait illis, Dormite quod superest, & requiescite, ecce, appropinquat hora, & Filius hominis traditur

17 r. vel pro multis.
18 Ad verb. Ex nunc. Hebraismus.
19 r. Syr. Gedsiman, unica voce. Sic enim appellabatur locus in quo comportabatur & asservabatur oleitas (ut Catonis utamur voce) in olivarum monte.
20 r. Syrè additur *illis*, in nostris exemplaribus.
21 Ad verbum, Tristitia est animæ meæ.
22 r. supple fiat. Ellipsis supplenda ex v. 42.

I Joh. 13.38. e B. Christus discipulorũ infirmitati consulens, aliis in tuto relictis tres tantũ assumit suæ angustiæ testes futuros, & in locum proditioni destinatum ultrò progreditur. I Mar. 14.32. Luc. 22.39. f Verbũ quo utitur significationem habet ingentis doloris & maximæ atq; mortiferæ tristitiæ, quod ut indicat veritaté humanæ naturæ quæ mortem, quę contra naturam invasit, fugiebat, sic ostendit Christum (cæterũ à peccato immunem) has horribiles pœnas sustinuisse, quia sentiret iram Dei in nos accensam propter peccata, quę in ipso ulciscebatur. g B. Christus verus homo pœnas nobis Dei desertoribus debitas luiturus, à suis deseritur, luctatur terribiliter cum maledictionis Dei horrore: ex quo tandem victor evadens efficit ut [illegible] non sit amplius nobis formidabilis. h Sic Moses petiit deleri de libro vitæ. Exo. 32.32. & Paulus optavit anathema fieri, Rom. 9.3. Non fuit igitur hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. i Prætereat me & intactum relinquat. k i. quod impendet, quod offertur, & quod paratum est, Heb. pro ira Dei & supplicio, Sup. 20.22. l B. Imago humanæ securitatis. m Per spiritus promptitudinem intelligit affectum animi qui gubernatur à Spiritu sancto. n Unde facile colligi potest, aliud quicquam à mortis cruciatu ipsum exhorruisse. o Quia hactenus apud vos verba perdidi, jam vos hortari desinam: sed ubicumque vobis per modum mire liceat, hoc tamen vobis hostes non permittent, sed invitos cogent ad vigilandum.

in manus peccatorum.

46 Surgite, eamus: ecce, appropinquat is qui prodit me.

47 Et dum ipse loqueretur, ecce, Jihuda proditor, unus è duodecim, venit, & turba cum eo multa, cum gladiis & fustibus, à principibus Sacerdotum & Senioribus populi.

48 Et dedit illis signum Jihuda proditor, & dixit, Ille quem osculatus fuero, ipse est: eum apprehendite.

49 Et confestim accessit ad Jeschua, & ait, [23] Pax domine mi. Et osculatus est eum.

50 Ipse autem Jeschua dixit illi, [24] Ob idne est quòd venisti, socie mi? Tunc accesserunt, & injecerunt manus suas in Jeschua, & ceperunt eum.

51 Et ecce, unus ex iis, qui erant cum Jeschua, extendit manum suam, & exemit gladium, & percussit servum summi Sacerdotis, & abstulit auriculam ejus.

52 Tunc dixit ei Jeschua, Converte gladium in locum suum. omnes enim qui acceperint [25] gladium, gladio peribunt.

53 [26] An putas tu quòd non sum potens ut petam à Patre meo, & constituat mihi nunc plusquam duodecim legiones Angelorum?

54 Quomodo ergò implebuntur Scripturæ, [27] quòd sic oportet ut fiat?

55 In illa hora dixit Jeschua turbis, Tamquā contra grassatorem exivistis cum gladiis & fustibus, ut apprehenderetis me: quotidiè apud vos in templo sedens fui & docens, & non apprehendistis me.

56 Hoc autem quod factum est, [28] ut impleretur scripta Prophetarum. Tunc discipuli omnes deseruerunt eum, & fugerunt.

57 Et illi qui ceperunt Jeschua, duxerunt eum ad Caipha principem Sacerdotum, ubi Legisperi & Seniores congregati erant.

58 Schemeun autem Cipha [29] ibat post eum à longè usque ad atrium summi Sacerdotis, & ingressus sedit intùs cum ministris, ut videret finem.

59 [30] Princeps autem Sacerdotum, & Seniores, & congregatio tota quærebant contra Jeschua testes, ut traderent eum morti.

60 Et non invenerunt. Et venerunt [31] testes mendaces. postremò autem accesserunt duo,

61 Et dicebant, [32] Hic dixit, Potens sum ego ut dissolvam templum Dei, & in tribus diebus ædificem illud.

62 Et surrexit princeps Sacerdotum, & dixit ei, Nullum respondes tu responsum? Quid testantur isti contra te?

63 Jeschua autem tacebat. Et respondit princeps Sacerdotum, & ait illi, Adjuro ego te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.

64 Ait illi Jeschua, Tu dixisti. Dico autem vobis quòd [33] ex hoc tempore videbitis Filium hominis sedentem à dextra virtutis, & venientem in nubibus cæli.

65 Tunc princeps sacerdotum laceravit vestimenta sua, & ait, Ecce, blasphemavit. Quid deinceps nobis necessarii testes? Ecce, jam audistis blasphemiam ejus.

66 Quid vultis vos? Responderunt, & dixerunt, Reus est mortis.

[23] i. Salvus sis domine mi, Hebraica & Syriaca salutatio.

[24] Sic enim sonant verba על חי דאתית חברי: quasi dicat, Hócne illud est propter quod venisti?

[25] F. Syrè, spatha. Nam inde vocabulum spathæ διὰ σφοσθήκης factum est.

[26] F. Syrè, Aut putas, &c. vide sup. in 7. 9.

[27] F. supple quibus scriptum est. Ellipsis conjugati, de qua supra in 20, 1.

[28] F. Ellipsis frequens in conjunctis membris: hoc autem quod factum est, factum est ut impleretur Scripturę propheticū: sic Rom. 12. 6. & 2. Cor. 1. 6. & 2. 10. & 5. 13. Atque hoc pacto videtur legisse Syrus, τῦτο δὲ ὅ γέγονεν, ἵνα πληρωθῶσιν, &c.

[29] i. Sequebatur eum. Hebraismus.

[30] F. Syrè, Principes, in libris nostris.

[31] F. Syrè, multi testes, ex libris nostris, conveniēter Græco.

[32] Id est, Loquutus est, Hebraismus.

[33] Ad verb. Ex hunc.

prodituri in manus peccatorum.

46 [p] Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me prodit.

47 [q] Et adhuc eo loquente, ecce, Judas, unus ex duodecim, venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, à primariis Sacerdotibus & Senioribus populi.

48 Is verò qui prodebat eum, dederat eis signum, dicens, Quem osculatus fuero is est, prehendite eum.

49 Itaque statim quum venisset ad Jesum, dixit, Ave rabbi. Et deosculatus est eum.

50 At Jesus dixit ei, [q] Amice, quorsum ades? [r] Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & prehenderunt eum.

51 Et ecce, unus ex iis qui *erant* cum Jesu, extensa manu distrinxit gladium suum: & percusso servo Pontificis maximi, abstulit auriculam ejus.

52 [ſ] Tunc ait ei Jesus, Converte gladium tuum in locum suum. [s] quicumqne enim [t] acceperint gladium, gladio peribunt.

53 [u] An putas me non posse nunc precari Patrem meum, qui huc sistat mihi plures quàm duodecim legiones Angelorum?

54 [x] Quomodo ergo implerentur [s] Scripturæ, *quæ dicunt* sic oportere fieri?

55 In illa hora dixit Jesus turbæ, Ut adversus latronem exivistis cum gladiis & fustibus, ut comprehenderetis me. quotidiè apud vos sedebam docens in templo, nec prehendistis me.

56 Hoc autem totum factum est ut implerentur Scripturæ Prophetarum. [t] Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

57 [y] [u] Illi verò prehensum Jesum abduxerunt [z] ad Caiapham Pontificem maximum, ubi Scribæ & Seniores coacti erant.

58 Petrus autem sequebatur eum è longinquo usque in aulam Pontificis maximi, & ingressus intrò, sedebat cum ministris, ut videret finem.

59 [x] Primarij verò Sacerdotes & Seniores & totus consessus quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morte afficerent:

60 Et non invenerunt: etiam quum multi falsi testes accessissent, non invenerunt. Postremò verò advenientes duo falsi testes,

61 Dixerunt, Iste dixit, [a] Possum destruere templum Dei, & triduò ipsum ædificare.

62 Et quum exsurrexisset Pontifex maximus dixit ei, Nihil respondes? quid *est quod* isti adversum te testificantur?

63 Jesus autem silebat. Et respondens Pontifex maximus dixit ei, Adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis an tu sis Christus ille Filius Dei.

64 Dicit ei Jesus, Tu dixisti. quinetiam dico vobis, [b] Ab hoc tempore videbitis [y] Filium hominis sedentem ad [c] dexteram potentiæ *Dei*, & venientem in nubibus cæli.

65 Tunc Pontifex maximus [d] dirupit vestimenta sua, dicens, Blasphemavit: quid ampliùs egemus testibus? ecce, nunc audistis blasphemiam ejus.

66 Quid vobis videtur? Ipsi verò respondentes dixerunt, Tenetur mortis pœna.

[p] B. Christus ultrò capiendum se præbet, ut voluntaria obedientia voluntariam Adami defectionem luat.

[q] *Marc.* 14. 43. *Luca* 22. 47. *Ioh.* 18. 3.

[q] Reprehensio ironica, & objurgatio increpans Judam. Non enim ignorabat caussam adventus ipsius.

[r] B. Christus capitur ut liberemur.

[ſ] B. Vocationem oportet esse zeli regulam.

[s] *Gen.* 9. 6. *Apoc.* 13. 10.

[t] Accipere gladium dicuntur quibus à Domino non traditur, id est, qui præter vocationem gladio utuntur.

[u] B. Christus ideò captus, quia capi voluit.

[x] Per eperotesin tacitæ objectioni respondet, nempè cur à Patre in extremo periculo subsidium non petat, & respondens interrogat. His etiam verbis commendatur scriptura, quòd præcipuè ad hoc respiciat, ut Christus nostra peccata expiet.

[s] *Esai.* 53. 10.

[t] *Supra* 31.

[y] B. Christus innocens damnatur à Pontifice ejus impietatis, cujus nos rei sumus.

[u] *Mar.* 14. 53. *Luc.* 22. 54. *Ioh.* 18, 13.

[z] Ab Anna ad Caipham, apud quem coactus fuit cœtus, Ioan. 18. 13.

[x] *Marc.* 14. 55.

[a] Non dixerat, Possum destruere, sive destruam sed, Solvite, pro solveris sive destruetis: solutionem templi illis tribuendo, non sibi. Præterea non dixerat, templum hoc manu factum, sed templum spirituale intellexerat.

[z] *Ioh.* 2. 19.

[b] Distinguit hæc particula priorem Christi adventum à posteriore quem exspectamus. [y] *Sup.* 16. 27. *Rom.* 14. 10. 1. *Thess.* 4. 14. [c] id est, Deo assidentem, pari scilicet honore præditum, vel à dextris potentiæ suæ, id est, in potestate maxima: dextra enim Hebræis quiddam potentius indicat. [d] More apud Judæos recepto, qui illud facere tenebantur, ubi à quopiam Israelita audissent blasphemiam in Deum, idq; ex traditione Talmudis, libro de Magistratibus, titulo De quadruplici morte.

a *Esa.50.6.*

67 [a] Tunc inspuerunt in faciem ejus, & cola-
phos ei inflixerunt: alii verò bacillis eum ceci-
derunt,
68 Dicentes, Vaticinare nobis Christe, quis
sit qui te percussit.
69 [e] [b] Petrus autem sedebat [f] extra in aula:&
accessit ad eum quædam ancillula, dicens, Et tu
cum Jesu Galilæo eras.
70 Ipse verò negavit coram omnibus, dicens,
Nescio quid dicas.
71 Eum autem egredientem in vestibulum
vidit alia *ancilla*:& dixit iis qui *erant* illic, Et iste
erat cum Jesu Nazareno.
72 Tunc rursus negavit cum jurejurando, *di-
cens*, non novi hominem.
73 Paulò pòst autem accesserunt qui asta-
bant, & dixerunt Petro, Verè & tu ex ipsis es. nam
& loquutio tua te manifestum facit.
74 Tunc cœpit seipsum [g] devovere & jurare,
dicens, Non novi hominem. Et statim gallus misit
vocem.
75 Et recordatus est Petrus verborum Jesu,
qui dixerat ei, Priusquam gallus vocem mittat,
ter me abnegabis. Et egressus extra, flevit amarè.

e B. Petrus mirabili Dei providentia horum omnĩũ futurus testis, ad singularis constantiæ exemplum suæ incredulitatis experientia præparatur.
b *Mar.14.66. Luc.22.55. Ioh.18.25.*
f i. Extra eum locum in quo Pontifex sederat, non autem extra domum: nam inde paulò pòst in vestibulum sese recipit.
g i. Iurando seipsum exsecrari.

67 Tunc exspuerunt in faciem ejus, & percu-
tiebant eum. Alii autem cædebant eum,
68 Et dicebant, Vaticinare nobis Christe,
Quis est qui percussit te?
69 Cipha autem sedebat foris in atrio: & ac-
cessit ad eum ancilla [34] quædam, & dixit ei, Eti-
am tu cum Jeschua eras Natseraja.
70 Ille verò negavit coram omnibus eis, & di-
xit, Non novi ego quod tu dicas.
71 Quumq; exivisset in vestibulum, vidit eum
alia, & dixit [35] illis, Ibi fuit etiam hic cum Jeschua
Natseraja.
72 Et iterum negavit cum jurejurando, [36] Non
novi ego ipsum hominem.
73 Post paululum autem accesserunt illi qui
stabant, & dixerunt Cipha, Verè etiam tu ex illis
es. nam etiam sermo tuus notum facit te.
74 Tunc cœpit exsecrari & jurare, Non no-
vi istum hominem. Et in illa hora cantavit
gallus.
75 Et recordatus est Cipha sermonis Jes-
chua quem dixerat ei, Antequam cantet gallus,
tribus vicibus negabis me. Et egressus foras fle-
vit amarè.

34 Ad verb, Una.
35 Id est, ministris ad ignem cum Petro se calefacientibus.
36 F. supple dicens, Ellipsis supplenda hic & ℣. 74. ex ℣.70.

CAPUT XXVII.

1 *Pilato vinctus Christus traditur.* 5 *Iudas seipsum strangulat.* 19 *Uxor Pilati.* 20 *Barabbas petitur.* 24 *Pilatus lavat manus.* 29 *Christus spinis coronatur.* 34 *crucifigitur.* 40 *convitiis incessitur.* 50 *emittit spiritum.* 57 *sepulcro imponitur.* 62 *custoditur à militibus.*

a *Mar.15.1. Luc.22.66. Ioh.18.28.*
a B. Exemplum horrendi judicii Dei in eos tum qui Christum vẽdunt, tum qui Christum emunt.
b Iudas dicitur pœnitentia ductus fuisse, non quòd resipuerit, sed quòd illi displicuerit admissum facinus, ut sæpè Deus reprobis oculos aperit, ut sua mala sentire incipiant, ac horrere.
a *Act.1.18.*
c Templi ærarium, verbum est Syriacum.
d Peregrinorum & hospitum quibus etiam mortuis conjungi religio erat Iudæis.
a *Act.1.19.*
e Quum hæc prophetia legatur apud Zachariam, aut librariorum culpa, aut quorũdam inscitia, nomen Ieremiæ irrepsisse fatendum est, forsan ex margine, cum literarum compendia Ιου & Ζου vicina sint. In Syriaca verò paraphrasi nullum adscribitur Prophetæ nomen.
a *Zach.11.13.*

1 MAne autem quum esset, consilium cepe-
runt omnes primarii Sacerdotes & Senio-
res populi adversus Jesum, ut eum morte affi-
cerent.
2 Et vinctum eum abduxerunt, ac tradide-
runt Pontio Pilato præsidi.
3 [a] Tunc Judas qui eum prodiderat, quum
vidisset eum damnatum esse, [b] pœnitens, retulit
triginta argenteos *numos* ad primarios Sacerdo-
tes, & Seniores,
4 Dicens, Peccavi, prodito sanguine innoxio.
At illi dixerunt, Quid ad nos? tu videris.
5 Ipse verò projectis *illis numis* argenteis in
templum, secessit: & profectus [a] strangulavit
sese:
6 Primarii autem Sacerdotes acceptis *nu-
mis* illis argenteis, dixerunt, Non licet eos im-
mittere in [c] corbanan, quoniam pretium sangui-
nis est.
7 Consilio autem capto, emerunt ex eis a-
grum illum figuli, ad sepulturam [d] hospitum.
8 Quapropter vocatus est ager ille, [a] ager
sanguinis, usque in hodiernum diem.
9 (Tunc impletum est quod dictum est per
[e] Jeremiam Prophetam, dicentem, [a] Et [f] acce-
perunt triginta *numos* argenteos, pretium æsti-
mati, qui æstimatus fuit à filiis Israël.
10 Et dederunt eos ad *emendum* illum agrum
figuli, [g] sicut injunxit mihi Dominus.)
11 [h] [a] Jesus autem stetit coram præside, &
interrogavit eum præses, dicens, Túne es rex il-
le Judæorum? Dixit autem ei Jesus, Tu dicis.
12 Et quum ipse accusaretur à primariis Sa-
cerdotibus & Senioribus, nihil respondit.
13 Tunc dicit ei Pilatus, Non audis quàm
multa adversum te testificentur?
14 Et non respondit ei ad ullum verbum:

f Sequitur Evangelista non verba, sed sententiam Prophetæ, quam ostendit impletam esse. g Hac particula confirmat Matthæus non sine Dei providentia hoc esse factum, quia dum aliò tendunt inscii complent oraculum, sic enim Deus errorem hominum ad sui decreti exsecutionem flectere novit. h B. Christus tacet accusatus, ut non accusemur, nostrum erratum agnoscens, simul suam innocentiam silentio probans. a *Mar.15.2. Luc.23.3. Ioh.18.33.*

Quum autem mane esset, consilium cepe-
runt contra Jeschua principes Sacerdotum
& Seniores populi, quomodo morti traderent
eum.
2 Et vinxerunt eum, & duxerunt eum ac tra-
diderunt eum Pilato præsidi.
3 Tunc Jihuda proditor quum vidisset quòd
damnatus esset Jeschua, pœnituit eum & [1] abi-
ens reddidit ipsos triginta argenteos principibus
Sacerdotum & Senioribus,
4 Et dixit, Peccavi quòd tradidi sanguinem
innoxium. Illi autem dixerunt ei, [2] Quid ad nos?
tu noveris.
5 Et projecit argentum illud in templo, &
recessit, & abiens strangulavit seipsum.
6 Principes autem Sacerdotum acceperunt
ipsum argentum, & dixerunt, Non licet nobis ut
mittamus ipsum in locum oblationum, quia pre-
tium sanguinis est.
7 Et ceperunt consilium, & emerunt illo a-
grum figuli pro loco sepulturæ peregrinorum.
8 Propter hoc vocatus fuit ager ille [3] Villa
sanguinis, usque in præsentem diem.
9 Tunc impletum fuit id quod dictum fue-
rat [4] per Prophetam qui dixit, Triginta argente-
os pretium pretiosi, quem [5] spreverunt ii qui sunt
è filiis Israël.
10 Et dedi ipsos in agrum figuli, sicut præce-
pit mihi Dominus.
11 Ipse autem Jeschua stabat coram præside:
& interrogavit eum præses, & dixit ei, Tu es rex
Judæorum? Dixit ei Jeschua, Tu dixisti.
12 Et quum [6] accusarent eum principes Sa-
cerdotum & Seniores, nullum responsum ille re-
spondit.
13 Tunc dixit ei Pilatus, Non audis tu quàm
multa testificentur contra te?
14 Et non dedit ei responsum, ne uno quidem

1 F. Syrè, abiit retulit, ἀπεστρέψεν, sic commodè Græca metalepsis redditur, ut sup. 4.5.
2 Ad verbum, Nos quid ad nos.
3 F. vel ager sanguinis, χωρίον, ut exponitur Act. 1.19.
4 Ad verb. Per manum Prophetæ, F. de eo autem quòd in contextu Græco nomen Ieremiæ additur, in sacris Parallelis diximus. In sequent. autem verbis defuit vox una à Tremellianis exemplaribus. Locum ergo sic ad verbum legens, Accepi triginta argenteos (pretium illius pretiosi vel honorati quẽ definiverant, i. æstimaverant pretio) à filiis Israjelis. Parenthesin autem hìc statuo, quia manifestò per appositionem dicuntur, & ex antecedentibus Zacariæ verbis ἀγρὸς ἱερὴν deprompta sunt. Nam Syrorum גזר & spernere, & decidere, sive præcisè definire aliquid significat. 5 Videtur Syrus interpres in Græco textu, ἐξουθένησαν pro ἐτιμήσαντο legisse, & fortasse in exemplaribus quibus usus est, ita scriptum erat. 6 F. Syrus, calumniosè accusarent. Vide suprà in 4.1.

ita

verbo:

verbo: & propterea admiratus est *Pilatus* valdè.
15 Quolibet autem festo solitus erat præses
ut solveret vinctum unum populo, illum quem
ipsi vellent.
16 Vinctus autem erat illis vinctus *quidam*
insignis, qui vocaretur Bar-Abba.
17 Quumque essent congregati, dixit illis Pi-
latus, Quem vultis vos ut solvam vobis? Bar-
Abbam, an Jeschua qui vocatur Christus?
18 Sciebat enim Pilatus quòd ex invidia tra-
didissent eum.
19 Quum sederet autem præses super solium
suum, misit ad eum uxor ejus, & dixit ei, [7] Nihil
sit tibi & illi justo: multum enim passa sum in
somnio meo hodiè propter eum.
20 Principes autem Sacerdotum & Seniores
persuaserunt turbis *petere* ut solveret eis Bar-Ab-
bam, [8] Jeschua autem perderent.
21 [9] Et respondit præses, & ait illis, Quem vul-
tis vos ut solvam vobis è duobus illis? Ipsi verò
dixerunt, Bar-Abba.
22 Dixit eis Pilatus, At Jeschua qui vocatur
Christus quid faciam? Dixerunt omnes, Cruci-
figatur.
23 Ait illis Pilatus, Quid autem quod ma-
lum sit, fecit? Illi verò amplius clamaverunt, &
dixerunt, Crucifigatur.
24 Pilatus autem quum videret quòd quic-
quam non proficeret, sed magis vociferatio
fieret, accepit aquas, abluit manus suas in con-
spectu congregationis, & dixit, Innoxius sum à
sanguine hujus justi: vos cognoscetis.
25 Et respóderunt universus populus, & dixe-
rũt, sanguis ejus super nos, & super filios nostros.
26 Tunc solvit illis Bar-Abba. Et verberavit
flagellis Jeschua, & tradidit illis eum ut crucifi-
geretur.
27 Tunc milites præsidis duxerunt Jeschua
in prætorium, & congregaverunt apud eum uni-
versam cohortem.
28 Et exuerunt eum, ac induerunt eum
chlamyde coccinea.
29 Et intorserunt coronam spinarum, & im-
posuerunt capiti ejus, & arundinem in dextra e-
jus. Et incurvabant se super genua sua ante e-
um: & illudebant ei, & dicebant, Pax sit ô rex
Judæorum.
30 Et cõspuebant in faciẽ ejus, accipiebantq;
arundinem, & percutiebant eum in capite ejus.
31 Quumq; [10] illusissent, spoliârunt eum
chlamyde, & induerunt eum vestimentis suis &
duxerunt eum ut crucifigeretur.
32 Et quum exirent invenerunt virum Kuri-
næum, cujus nomen erat Schemeun: hunc ade-
gerunt ut ferret crucem ejus.
33 Et venerunt in locum qui dicitur Gagul-
tha, quod interpretatur cranium.
34 Dederuntq; ei ut biberet acetum quod
mixtum erat [11] cum absinthio: & gustavit, & no-
luit bibere.
35 Et [12] quum crucifixissent eum, dispertive-
runt vestimenta ejus sorte.
36 Et sedebant & servabant eum illic.
37 Et posuerunt supra caput ejus causam
mortis ipsius inscripto, HIC EST JESCHUA
REX JUDÆORUM.

[7] Ad verbum, Non tibi & illi justo. Hebraismus, quem sequuntur & Chaldæus, & Syrus frequenter. Vult dicere, Absiste ab eo: quia innoxius est. Noli cõdemnare justum, nec quicquã rei tibi sit cum eo. F. vide suprà in 8.29.
[8] I est, peterent ut perderetur.
[9] Id est. Loquutus est. Hebraismus admodum frequens.
[10] F. Syrè, illusissent ei. Pronomen in Tremellianis defuit ut & versu 41.
[11] Vel, Cum felle. Nam eadem vox utrumque significat, propter insignem in utroque amaritudinem. Commemorat autem Rabbi David Kimhi in lib. R. ad morte plectẽdi morem solitum fuisse potionem præberi ex succo absinthii accelerandæ mortis causa.
[12] Quod reliquũ est versiculi trigesimiquinti in Græco textu, Syri ne in manuscriptis quidem exemplaribus habent: quæ ita scriberentur:
דיתמלא מדם דאתאמר ביד נביא דפלגו נחתי בינתהון ועל לבושי ארמיו פסא
Ut impleretur id quod dictum est per manum Prophetæ, Partiti sunt vestimenta mea inter sese, & super vestem meam jecerunt sortem.

ita ut miraretur præses valdè.
15 [i] Præses autem singulis festis consueverat
turbæ dimittere unum vinctũ, quem voluissent.
16 Habebant verò tunc vinctum insignem,
qui dicebatur Barabbas.
17 Ipsis igitur congregatis, dixit eis Pilatus,
Utrum vultis dimittam vobis? Barabban, an Je-
sum qui dicitur Christus?
18 [k] Sciebat enim quòd per invidiam tradi-
dissent eum.
19 Sedente autem eo in tribunali, misit ad
eum uxor ejus, dicens, Nihil tibi *rei sit* cum justo
illo: multa enim passa sum hodiè in somnio pro-
pter eum.
20 [l] Primarii verò Sacerdotes & Seniores
persuaserunt turbæ ut peteret Barabban, Jesum
verò perderet.
21 Respondens autem præses dixit eis, Utrum
è duobus illis vultis ut vobis dimittam? Ipsi verò
dixerunt, Barabban.
22 Dixit eis Pilatus, Quid igitur faciam Jesu
qui dicitur Christus? Dicunt ei omnes, Crucifi-
gatur.
23 Præses autem ait, At enim quid mali fe-
cit? At illi ampliùs clamabant, dicentes, Cruci-
figatur.
24 [l] Videns autem Pilatus se nihil proficere,
sed majorem tumultum fieri, accepta aqua
[m] abluit manus coram turba, dicens, Innoxius
ego sum à sanguine hujus justi: vos videritis.
25 Et respondens universus populus dixit,
[n] Sanguis ejus super nos & super filios nostros.
26 Tunc dimisit eis Barabban: Jesum autem
quum flagellasset, tradidit ut crucifigeretur.
27 [l] Tunc milites præsidis, quum abduxissent
Jesum in prætorium, coëgerunt ad eum univer-
sam cohortem.
28 [o] Et quum exuissent eum, [p] circumposue-
runt ei chlamydem [q] coccineam:
29 Et coronam è spinis contextam imposue-
runt ejus capiti, & arundinem in dextram ejus:
& genu ante eum summisso, illudebant ei, di-
centes, Ave rex Judæorum.
30 Et quum inspuissent in eum, ceperunt a-
rundinem illam, & verberabant caput ejus.
31 Et postquam illusissent ei, exuerunt eum
chlamyde, indueruntq; vestimentis suis: & ab-
duxerunt eum ut crucifigerent.
32 [l] Exeuntes autem invenerunt quemdam
Cyrenæum, nomine Simonem: hunc [r] angari-
averunt ut attolleret crucem ejus.
33 [l] [s] Et quum venissent in locum qui dici-
tur Golgotha, quod est calvariæ locus,
34 [t] Dederunt ei acetum bibendum cum fel-
le mistum: & quum gustâsset, noluit bibere.
35 [u] [l] Postquam autem crucifixerunt eum,
partiti sunt ejus vestimenta, sortem jacientes, ut
impleretur quod dictum est à Propheta, [l] Partiti
sunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam
jecerunt sortem.
36 Et sedentes servabant eum illic.
37 Et imposuerunt super caput ejus crimen
ipsius scriptum, [x] [y] HIC EST JESUS REX
ILLE JUDÆORUM.

[i] B. Christus ab eodem judice priùs absolvitur quàm damnetur, ut cum constet justum pro injustis mori.
[k] Christi innocentia undique meruit testimonium, Judæ, Pilati, hujus uxoris, Annæ, testium, satellitum, magorum, Chananæorum, Samaritanorum, Centurionum & deinde latronis in cruce pendentis.
[l] Mar. 15.11. Luc. 23.18. Joh. 18.40. Act. 3.14.
[l] B. Christus judicis testimonio absolutus, damnatur tamen ab eodem judice, ut coram Deo absolvamur.
[m] Veteribus moris erat, in hominum cæde aliisve mactationibus aqua abluere manus, expiationis gratia.
[n] Si quid peccabitur in eo occidendo, nos & posteritas nostra pœnas luamus.
[l] Marc. 15.16. Joh. 19.2.
[o] B. Christus ignominiam subit peccatis nostris debitam. Interim tamen occulta Dei providentia ab iis ipsis rex designatur à quibus afficitur contumelia.
[p] Superinjicitur enim chlamys & circumvolvitur, carcus nimirum manicis.
[q] Apud Johannem & Marcum fit mentio purpuræ, quæ & ipsa suaviter rubet. Ad ludibrium autem petulantia prophana militũ ita vestivit Jesum, qui rex perhibetur.
[l] Mar. 15.21. Luc. 23.26.
[r] Suprà cap. 5. vers. 42. i. coëgerunt Simonem ad ferendum onus crucis: unde constat tam duriter anteà afflictum fuisse Jesum, ut viribus ad crucem in itinere ferendam fuerit destitutus. Nam illum gestasse crucem scribit Johannes. [l] Mar. 15.22. Joh. 19.17. [s] B. Educitur extra urbem, ut in cæleste regnum introducamur. [t] B. Christus nullum usquam solamen invenit, ut omni consolatione in eo repleamur. [u] B. Fit maledictio, ut in ipso benedicamur: nudatus fuit etiam vestibus, ut ipsius nuditate ditemur. [l] Mar. 15.28. Joh. 19.23. [l] Psal. 22. 19. [x] B. Pronunciatur verus Messias ab iis ipsis à quibus reficitur. [y] Græcis & Latinis literis scriptus fuit titulus (quæ certè gentium sunt) ad ostendendum hunc regem non Judæis tantùm, sed & gentibus imperaturum.

a B. Pendens medius inter latrones Christus judicatus, jam tum incipit mundum judicare.
b B. Christus ut plenè pro nobis satisfaceret, non tantùm corporis, sed etiam summos animi cruciatus sustinuit & vicit.
[a] Joh. 2.19.
[b] Psal. 22.9. Sap. 2.18.
c Synecdoche: alter enim solus conviciabatur, vide Luc. 23.39.
d B. Cælum ipsum præ horrore obtenebratur, & Jesus in inferorū gurgitē immersus ejulat, & intereà irridetur.
e Judæorum dumtaxat. si enim universum terrarum orbem occupassent illæ tenebræ, proculdubio hujus prodigii meminissent rerum gestarum scriptores.
f Primus est versus Psalm. 22. in quo David qui personam Christi gerebat expostulat.
[g] Psal. 22.2.
g In hac scilicet calamitate. Hæc autem exclamatio humanæ naturæ propria peccato quidem experti, sed quæ iram Dei sustineret debitam peccatis nostris.
h Ad nomen Eli alludunt, non ex ignoratione linguæ, sed ex prophana petulantia. illa autē verba ideò recitavit, ut ista amarissima paronomasia intelligeretur.
[i] Psal. 69.22.
i B. Christus superatis cæteris hostibus, tandem etiam mortē ipsam lacessit.
k B. Christus etiam mortuus se Deum omnipotentem esse vel ipsis hostibus confitentibus, demonstrat.
[k] 2. Paral. 3.14.
l Aulæum illud intelligit, quo dividebantur Sācta sanctorū a Sācto.

38 [a] Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones:
unus ad dexteram, & alter ad sinistram.
39 [b] Qui verò prætéribant conviciabantur
ei, moventes capita sua,
40 Et dicentes, [a] Tu qui destruis templum, &
triduo ædificas, serva temetipsum: Si filius Dei
es descendito è cruce.
41 Similiter autem etiam primarii Sacerdotes illudentes cum Scribis & senioribus, dicebant,
42 Alios servavit, seipsum non potest servare.
si rex Israëlis est, descendat nunc è cruce, & credemus ei.
43 [b] Confidit in Deo, eruat ipsum nunc, si
placet ei. dixit enim, Filius Dei sum.
44 Id ipsum autem etiam [c] latrones qui crucifixi erant cum eo exprobrabant ei.
45 [d] A sexta autem hora tenebræ factæ sunt
super [e] universam regionem, usque ad horam
nonam.
46 Circiter verò horam nonam exclamavit
Jesus voce magna, dicens, [f] [g] Eli, Eli, lama-sabachthani? Hoc est, Deus mi, Deus mi, cur
[g] deseruisti me?
47 Quidam autem illic stantium quum *hoc*
audissent, dicebant, [h] Eliam vocat iste.
48 Et statim currens quidam ex eis, [i] quum
acceptam spongiam implevisset aceto, & circumposuisset calamo, dedit ei ut biberet.
49 Reliqui verò dicebant, Sine, videamus
an veniat Elias servaturus eum.
50 [i] Jesus autem quum rursum clamasset
voce magna, emisit spiritum.
51 [k] [k] Et ecce, [l] velum templi fissum est in duas partes à summo usque ad imum: & terra mota
est, & petræ fissæ sunt.
52 Et [m] monumenta aperta sunt: & multa
corpora [n] sanctorum qui dormierant, [o] surrexerunt.
53 Qui egressi è monumentis post resurrectionem ejus, introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis.
54 Centurio verò & qui cum eo servabant
Jesum, viso terræmotu & iis quæ facta fuerant,
timuerunt vehementer, dicentes, Verè Filius
Dei erat iste.
55 Erant autem illic mulieres multæ è longinquo spectantes, quæ sequutæ fuerant Jesum
à Galilæa, ministrantes ei.
56 Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria mater Jacobi & Jose, & mater filiorum Zebedæi.
57 [p] [l] Quum autem serum diei esset, venit
homo dives Arimathæensis, nomine Josephus,
qui & ipse discipulus fuerat Jesu:
58 Is adiit Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc
Pilatus jussit reddi corpus.
59 Et Josephus quum accepisset corpus, involvit illud sindone pura:
60 Posuitq; in monumento suo novo quod
exciderat in petra: & advoluto saxo magno ad
ostium monumenti, abiit.
61 Erat autem illic Maria Magdalene & altera illa Maria, sedentes contra sepulcrum.

38 Et crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextera ejus, & unus à sinistra ejus.
39 Illi autem qui transibant, convitiabantur
ei, & movebant capita sua.
40 Et dicebant, Qui destruis templum, & ædificas ipsum tribus diebus, libera [13] animam tuam, si filius es Dei, & descende de cruce.
41 Similiter etiam principes Sacerdotum illudebant cum Legisperitis & senioribus & Pharisæis, ac dicebant,
42 Alios servavit, seipsum servare non potest.
Si rex Israielis est, descendat nunc à cruce, ut videamus, & credamus in eum.
43 Spem habet in Deo, liberet eum nunc,
[14] si vult eum. dixit enim, Filius sum Dei.
44 Similiter etiam grassatores illi qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.
45 A sexta autem hora factæ sunt tenebræ
super universam terram usque ad horam nonam.
46 Et circa horam nonam clamavit Jeschua
voce alta, & ait, Deus, Deus, ad quid dereliquisti
me?
47 Quidam autem ex iis qui stabant illic,
quum audivissent, dicebant, Iste Iliah vocat.
48 Et in illa hora accurrit unus ex eis, &
accepit spongiam, ac implevit eam aceto, & posuit eam in arundinem, & potum præbebat ei.
49 Reliqui autem dicebant illi, [15] Sinite
videamus, num veniat Iliah ad liberandum
eum.
50 Ipse autem Jeschua iterum clamavit voce
elata, & emisit spiritum suum.
51 Et illico [16] facies portæ templi fissa est [17] in
duo, à summo ipso usque ad imum: & terra mota
est, & petræ fissæ sunt.
52 Et sepulcra aperta sunt, & corpora multa
sanctorum qui obdormierant, surrexerunt.
53 Et egressi sunt, & post resurrectionem ejus ingressi sunt in urbem sanctam, & conspecti
sunt multis.
54 Centurio autem & qui cum eo erant, qui
servabant Jeschua, quum vidissent motionem
terræ & illa quæ fiebant, metuerunt valdè, & dixerunt, Verè iste erat Filius Dei.
55 Erant autem mulieres multæ quæ spectabant è longinquo, quæ [18] venerant post Jeschua à Galilæa, & ministrabant ei.
56 Quarum una erat Mariam Magdalitha, &
Mariam mater Jaakub & Jause & mater filiorum Zabedai.
57 Quum esset autem vespera, venit vir dives à [19] Ramatha, cujus nomen erat Jauseph,
qui etiam ipse discipulus fuerat factus Jeschua.
58 Iste accessit ad Pilatum, & petiit corpus
Jeschua, & præcepit Pilatus ut daretur ei corpus,
59 Et accepit Jauseph corpus ipsum, & involvit ipsum in [20] sindone linea munda.
60 Posuitq; ipsum in sepulcro novo quod
erat ei, quod effossum erat in petra: ac devoluto lapide magno objecerunt ostio sepulcri, &
abierunt.
61 Erant autem ibi Mariam Magdalitha, &
Mariam altera, quæ sedebant è regione sepulcri.

[13] i. Teipsum.
[14] i. Si delectatur eo, Hebraicè אם חפץ בו.
[15] Syrus paraphrastes, habebat שבוקו נחזא: quasi prius verbum esset plurale: sed existimarem literam *Vau*, quæ secundo verbo נחזא præfigi debuit, priori verbo שבוק fuisse affixam, atque ita perperam ex singulari verbo plurale factum esse, nisi manuscriptus codex Heydelbergensis idem haberet.
[16] Quod in Græco textu dicitur *καταπέτασμα*, & exponitur à quibusdam velum, ab aliis verò aulæum, Syriacus textus pluribus circumscribit, & vocat Faciem portæ templi, idque constanter, ubicumque habetur in Novo Testamento. Appellatur autem facies portæ templi, quia ingredientibus frontis instar in oculos incurreret, atque partem portæ anteriorem contegeret. Hoc modo per synecdochen templum designabit partem ejus sacratiorem, id est, sanctum sanctorum. Facies portæ templi, id est, Sacrarii. [17] Id est, In duas partes. [18] Id est, Sequutæ fuerant. [19] ר, & præfixo א Syrè, Aramatha: unde corruptum est *ἀριμαθαίας* nomen. Fuit autem hoc Benjaminitarū opidum, non procul Jerosolymis & Gibeone, Josuæ 18.25. [20] Eamdem vocem [illegible] in eadem significatione leges infrà, Luc. 23.53.

m i. fissis petris monumenta sunt aperta, ut hoc symbolo doceretur mortem esse devictam, mortuorum autem resurrectio sequuta est resurrectionem Christi, ut apparet ex proximo sequente versiculo. n Sanctos intellige qui in Christi venturi fide mortui fuerant. o Hoc nostra causa factum est, ut resurrectionis nostræ daretur testimonium non tantùm in Christo, sed etiam in fratribus nostris. p B. Christus non clam, sed præsidis consensu ab homine celebri loco non procul sito, in monumento novo sepelitur, ut de vera ipsius morte ambigi non possit. [l] Marc. 15.42, Luc. 23.50, Joh. 19.38.

62 [q] [r] Postero

62 Die-

[21] F. i. postera, ex Hebræorum & Syrorum usu.
[22] Ad verb. Ab inter mortuos. Gallicè benè exprimitur Syra phrasis, *D'entre les morts.*
[23] F. vel attendite ad custodiam.
[24] i. Duplici ratione munierunt sepulcrum, apponendo scilicet sigillum ad ostium ejus, & collocãdo militum custodiam.
[25] קסטודיא quasi custodia, voce à Latinis mutuata, sicut & in Græco contextu.

62 Die verò [21] crastina, quæ est post parasceven, congregârunt se principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum.

63 Et dicunt ei, Domine noster, memores sumus quòd ille impostor dicebat quum viveret, Post tres dies ego resurgam.

64 Præcipe igitur diligentes *esse* circa sepulcrum usque ad diem tertium, ne veniant discipuli ejus *&* furentur eum nocte, & dicant populo quòd [22] ex mortuis resurrexit: & sit error posterior pejor quàm prior.

65 Dixit illis Pilatus, Sunt vobis custodes: abite, [23] diligentes sitis sicut vos nostis.

66 Ipsi autem profecti, diligentes fuerunt circa sepulcrum, [24] & obsignârunt lapidem ipsum cum [25] custodibus.

62 [q] [r] Postero autem die quæ est post Parasceven, coacti sunt Primarii Sacerdotes & Pharisæi ad Pilatum,

63 Dicentes, Domine, meminimus [s] planum illum dixisse quum adhuc viveret, Tertio pòst die suscitabor.

64 Jube ergo muniri sepulcrum usque in diem tertium: nequando veniant discipuli ejus nocte, & furentur eum, dicantq; populo, Suscitatus est è mortuis: & erit ultimus error pejor priore.

65 Dixit eis Pilatus, [t] Habetis custodiam: abite, munite sicut scitis.

66 Ipsi autem profecti munierunt sepulcrum, obsignato lapide, cum custodia.

[q] B. Ipsius Christi interfectoribus sepulcri custodia committitur quò minùs possit de ejus resurrectione dubitari.
[r] i. in ipso sabbatho. Notandum autem est istos, ut malitiæ suæ contrà Christum inserviant, sabbathum violare.
[s] Seductorem, vel præstigiatorem.
[t] Præsidiarios milites, templi immitum custodiæ designatos

CAPUT XXVIII.

1 Mulieres sepulcrum adeunt. 2 Angelus. 8 Christus conspicitur à mulieribus. 18 Mittit Apostolos ad prædicandum.

[1] Vespera sæpe totum noctis tẽpus designat: licet propriè significet principium noctis. Atq; hoc loco significat noctis partem auroræ proximam, sicut in Mar. cap. ult. expressiùs sumitur.
F. Etsi haud scio an loquutionem illam Græcam, ὀψὲ τῶν σαββάτων, meliùs simus interpretaturi hoc modo, finita hebdomade illa, qua Christus passus est videlicet: quemadmodum ὀψὲ τῆς ἡμέρας, pro eo quod est de nocte, finito die elapsoq; dicebat Thucydides. Nam ὀψὲ quidem ubicumq; solum est, vesperam vel serum significat: sin autem constructionem adjunctam habet, aut seri temporis, aut præterlapsi accipit significationem. Totum itaque locum evidentiorem fore arbitror, Finita autem hebdomade, quum propè esset ut illucesceret ad diem primũ hebdomadis.
[2] Ad verb. In sabbatho. Sed lingua Syra & Talmudica ac etiam Hebraica, septimana dicitur sabbathũ, & dies singuli in ea denominantur ab ordine, prima sabbathi, secunda sabbathi, &c. A sabbatho enim tota septimana ob eximiam dignitatem denominatur. Hoc sensu Pharisæus ille apud Luc. 18. jactabat inter reliqua sua benefacta, quod bis in sabbatho jejunaret, id est, Bis in septimana.
[3] Ad verb. in celeritate, Hebr.
[4] Ad verb. De inter mortuos: Gallicè *D'entre les morts.* F. vel è loco mortuorum.
[5] F. vel accesserunt apprehensuræ: quod magis probo, ex Joann. 20. 17. sic etiam Græca illa, [illegible] expono, volebant prehendere, ut suprà 16. 25. adnotavimus.
[6] Syrè, Facimus. Id est, Securos reddimus, & solicitudine liberamus.

1 VEspere autem [2] in sabbatho, cujus *vespera* lux prima est in septimana, venit Mariam Magdalitha & Mariam altera, ut spectarent sepulcrum.

2 Et ecce magnus motus factus est. Angelus enim Domini descendit de cælo, & quum accessisset, devolvit petram ab ostio, & sedebat super illud.

3 Erat autem aspectus ejus tamquam fulgur, & indumentum ejus album erat sicut nix.

4 Et præ timore ejus concussi sunt illi qui custodiebant, & facti sunt sicut mortui.

5 Respondit autem Angelus, & dixit mulieribus, Vos ne timeatis: Scio enim ego quòd Jeschua qui crucifixus fuit, vos quæritis.

6 Non est hîc: surrexit enim sicut dixit. Venite, spectate locum in quo positus erat Dominus noster.

7 Et abite [3] celeriter, dicite discipulis ejus, quòd surrexit à [4] mortuis. Et ecce, præit vobis in Galilæam: illic videbitis eũ. Ecce, ego dixi vobis.

8 Et abierunt celeriter à sepulcro cum timore & gaudio magno, & cucurrerunt ut renunciarent discipulis ejus.

9 Et ecce, Jeschua occurrit eis, & dixit eis, Pax vobis. Illæ autem [5] accesserunt *ac* apprehenderunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

10 Tunc dixit eis Jeschua, Ne timeatis: sed abite, renunciate fratribus meis ut abeant in Galilæam: & illic visuri sunt me.

11 Quum autem abirent, venerunt quidam è custodibus illis in urbem, ac renunciârunt principibus sacerdotum quicquid factum fuerat.

12 Et congregati sunt cum senioribus, & ceperunt consilium: dederuntq; argenti non modicum custodibus,

13 Et dixerunt eis, Dicite, Discipuli ejus veniẽtes furati sunt eum nocte quum dormiremus,

14 Et, si auditum fuerit hoc apud præsidem, nos persuadebimus ei: vos autem sine solicitudine esse [6] jubemus.

15 Illi autem quum accepissent argentum, fecerunt sicut docuerant eos: & divulgatus est sermo iste inter Judæos usq; in hodiernũ diem.

16 Discipuli

[a] Mar. 16. 6. Joh. 20. 11.

EXtremo [a] [b] autem Sabbatho, quum [c] lucesceret in primum *diem* hebdomadis, venit Maria Magdalene & altera illa Maria, ut spectarent sepulcrum:

2 Et ecce, terræmotus factus est magnus. [d] Angelus enim Domini quum descendisset è cælo, accessit, *&* avolvit saxum ab ostio, sedebatq; super illud.

3 Erat autem visus ejus ut fulgur, & vestimentum ejus album sicut nix.

4 Custodes autem perculsi sunt præ ipsius timore, & facti sunt sicut mortui.

5 Respondens autem Angelus dixit mulieribus, [e] Vos *verò* ne timete: scio enim vos Jesum crucifixum quærere.

6 Non est hîc: resurrexit enim prout dixit. Adeste, videte locum ubi jacebat Dominus.

7 Et citò profectæ dicite Discipulis ejus eum resurrexisse à mortuis. Et ecce præit vobis in Galilæam: illic eum videbitis: [f] ecce dixi vobis.

8 Tunc egressæ citò à monumento cum timore & gaudio magno, currebant ut renunciarent discipulis ejus.

9 [g] Ut autem proficiscebantur ut *hoc* renunciarent discipulis ejus, ecce, Jesus occurrit eis, dicens, Avete. Illæ verò accesserunt, & prehenderunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

10 Tunc ait eis Jesus, Ne timete: abite, renunciate fratribus meis ut abeant in Galilæam: illic me videbunt.

11 [h] Euntibus autem ipsis, ecce, quidam ex custodia venerunt in urbem, & renunciârunt primariis Sacerdotibus omnia quæ facta fuerant.

12 Ipsi verò congregati cum Senioribus, consilioq; capto, numos multos dederunt militibus,

13 Dicentes, Dicite, Discipuli ejus nocte venerunt & eum furati sunt, nobis dormientibus.

14 Quòd si hoc [i] auditum fuerit apud præsidem, [k] nos persuadebimus ei, & securos vos præstabimus.

15 Ipsi verò accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti: & divulgatus est ille sermo apud Judæos usque ad hodiernum diem.

16 [l] Undecim

[a] Exeunte jam Sabbatho, id est, sub diluculum, more scilicet Romanorum, qui diem naturalem ab ortu solis ad sequentem ortũ numerant: non autem Hebræorum, qui à vespera ad vesperam.
[b] B. Christus profligata in ipso sepulcro morte, sua vi resurgit: quod mox Angelus testificatur.
[c] i. Primi à sabbatho diei illucescente diluculo: primus autẽ dies ille est, quẽ Dominicũ vocamus.
[d] Non Christi causa venit Angelus, tamquã sine ejus opera non posset exire Sepulcrum: sed ut fides fieret mulieribus & Apostolis Christum resurrexisse.
[e] Emphaticè mulieres confirmat, perterritis scilicet militibus.
[f] q. d. Ite, experiemini ita esse, ut dixi, si diffiditis, vestra est culpa: ego quod verum scio, vobis manifestavi.
[g] B. Christus ipse post resurrectionem apparet, & missis ad discipulos mulieribus, ostendit se curam eorum non abjecisse.
[h] B. Quo magis sol lucet, eo magis excæcantur impii.
[i] Periculum enim erat ne deferrentur.
[k] Placabimus eum, & vos omni solicitudine liberabimus.

l B. Discipulis autem apparet Christus, quos etiam Apostolos designat.

f Joh.17.2. Heb.2.8. Supr.11.27.
m Hujus admonuit discipulos, quò alacrius Evangelium prædicandum susciperent, quum ejus se legatos agnoscerent, qui omnium potestatem habet.

16 l Undecim autem illi discipuli profecti
sunt in Galilæam, in montem ubi constituerat
eis Jesus.

17 Et quum vidissent eum, adoraverunt eum:
quidam autem dubitaverunt.

18 Et quum accessisset *ad eos* Jesus, loquutus
est eis dicens, f m Data est mihi omnis potestas
in cælo & in terra:

19 f n Profecti ergo docete omnes gentes,
baptizantes eos in o nomen Patris & Filii & Spiritus sancti.

20 Docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis: & ecce, ego vobiscum sum p omnibus
diebus usque ad consummationem seculi. Amen.

16 Discipuli autem undecim profecti sunt in
Galilæam, in montē ubi constituerat eis Jeschua.

17 Et quum vidissent eum, adoraverunt eum:
quidam autem ex eis dubitaverant.

18 Accedens Jeschua loquutus est cum eis,
& dixit eis, Data est mihi omnis potestas in cælo
& in terra. 7 Et sicut me misit Pater meus, etiam
ego mitto vos.

19 Ite ergo, docete omnes populos, & baptizate eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti:

20 Et docete eos ut custodiant quicquid
mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.
Amen.

7 Hæc in Syriaco habentur: quæ in Matthæo non leguntur in Græcis & Latinis exemplaribus.

f Mar.16.15. n B. κηρύγματος apostolatus, doctrinæ a Christo traditæ per orbem terrarum promulgatio, & sacramentorum administratio: quarum rerum efficacia non à ministris, sed à Domino pendet. o Invocato Patre, & Filio, & Spiritu sancto. p In omne tempus: intelligitur autem hic locus de modo præsentiæ Spiritus, quo se suaq; nobis communicat, cæterùm corpore abest.

Finis Evangelii sancti prædicationis Mattai, quod prædicavit Hebraicè in regione Palæstina.

EVANGELIUM SANCTUM ANNUNCIATIONIS MARCI EVANGELISTÆ.

CAPUT I.

4 Baptizat Johannes: 6 Vestitus & victus ipsius. 9 Baptizatur Jesus, 12 tentatur, 14 prædicat Evangelium, 16.21. 39 docet in synagogis, 23 sanat dæmoniacum, 29 socrum Petri, 32 multos infirmos, 40 leprosum.

a B. Johannes præit Christo sicut prædictum est à Prophetis.
b Metonym. i. in libris Prophetarum, Malachiæ scilicet & Esaiæ.
f Mal.3.1.
c Tempore præsenti utitur Propheta de re futura tam certus quā si eam cerneret.
d Metaphora sumta à Regum consuetudine, qui solēt habere suos anteambulones.
e Hebraism. pro, Vox clamans, aut clamatura dicet.
f Isa.40.3. Luc.3.4. Johan.1.15.
f Matth.3.1,6.
f B. Summa doctrinæ Johannis, aut potius Christi, remissio peccatorum & emendatio vitæ.
g Multa erant apud Judæos genera lavacrorum: hic autem agitur de singulari lavacro, quod veri baptismatis omnes habet partes, resipiscentiam & remissionem peccatorum.

PRINCIPIUM Evangelii
Jesu Christi Filii Dei:

2 a Ut scriptum est in
b Prophetis, f Ecce, ego c mitto nuncium illum meum
d ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te.

3 e f Vox clamantis in deserto, Parate viam
Domini, complanate semitas ejus.

4 f f Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat g baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum.

5 f Et exibat ad eum omnis Judaica regio ac
Jerosolymitæ: & baptizabantur omnes ab eo in
Jordane flumine, h confitentes peccata sua.

6 Indutus autem erat Johannes pilis camelorum, & zona coriacea circa lumbos suos: f &
edebat locustas & mel sylvestre.

7 i f Et prædicabat, dicens, Venit ponè me
qui validior me est, cujus non sum dignus qui
k incurvatus solvam corrigiam solearum.

8 f Ego quidem l baptizavi vos aqua: ipse
verò baptizabit vos Spiritu sancto.

9 m f Et factum est diebus illis, ut Jesus, quum
venisset Nazaretha *urbe* Galilææ, baptizatus sit
in Jordane à Johanne.

10 n Et *is* statim o ascendens ex aqua vidit
findi celos, & Spiritum quasi columbam descendere super eum.

11 Et vox exstitit è cælis, Tu es Filius ille
meus dilectus; in quo acquiesco.

12 p f Statimq; Spiritus eū q expellit in desertū.

PRINCIPIUM Evangelii Jeschua Christi, Filii
Dei.

2 Sicut scriptum est in
Isaia Propheta, *nempe*,
Ecce, ego mitto nuncium
meum ante faciem tuam,
qui præparabit viam tuam.

3 Vox clamantis in deserto, Parate viam
Domini, & exæquate semitas ejus.

4 Erat Juchannan in deserto baptizans, &
prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

5 Et exibat ad eum universa regio Judææ,
& omnes 1 filii Urischelem, & baptizabat eos
in Jordane flumine, quum confiterentur peccata sua:

6 Ipse autem Juchannan indutus erat vestimento pili camelorum, & 2 cinctus erat zona
pellicea in lumbis suis: & cibus ejus erat 3 locustæ & mellis sylvestris.

7 Et prædicabat, ac dicebat, 4 Ecce, post me
venit qui validior est me, is cui non sum dignus
ut me incurvans solvam corrigias calceamentorum ejus.

8 Ego baptizavi vos aqua, ipse verò baptizabit vos Spiritu sancto.

9 Et factum est in diebus illis: venit Jeschua
à Natserath Galilææ, & baptizatus est in Jurdanan à Juchannan.

10 Et statim quum ascendisset ex aqua, vidit
quòd divisi sunt cæli, & Spiritum tamquam columbam, qui descendit super eum.

11 Et vox facta est de cælo, Tu es Filius meus
dilectus, in te complacitum est mihi.

12 Et statim deduxit eum Spiritus in desertum.

1 id est, Cives Urischelem, Hebraismus.
2 T. Ellipsin ἀνάλογον participii, quæ est in contextu Græco, ita supplet Syrus elegantissimè: de hac autem in Grammatica Hebræa diximus, sic Joan.19.40. & Rom.14.21.
3 T. vel locustarum. Singulari numero legebat Tremellius.
4 id est, Sequitur me. Hebraismus.

f Mat.3.5. h Confiteri peccata sua ab Hebræis dicuntur qui se modis omnibus peccatores esse profitentur & veniam à Deo petunt. f Levi.11.22. i B. Johannes & omnes ministri in Christum Dominum respiciunt. f Mat.3.11. Luc.3.16. Joh.1.27. k Voluit Evangelista infirmi servi conditionem significare. f Act.1.5. & 2.4. & 11.16. & 19.4. l Docet vim omnem baptismi à Christo manare, qui intus baptizat. m B. Christus baptismum nostrum in sese consecrat. f Mat.3.13. Luc.3.21. Johann.1.33. n B. Vocatio Christi è cælis ut capitis Ecclesiæ. o Videlicet Johannes qui descenderat in aquam cum Jesu. p B. Christus tentatus vincit. f Mat.4.1. Luc.4.1. q Non significatur expulsio violenta, sed vis divina quæ Christum (qui ad illud usque tempus ut privatus vixerat) nova persona induit, ac luctæ proximæ & ministerio præparatur.

13 Et fuit ibi in deserto diebus quadraginta, tentatus à Satana: eratq; cum feris, & ministrabant ei Angeli.

14 Postquam autem [5] traditus esset Juchannan, [6] venit Jeschua in Galilæam, & prædicabat Evangelium regni Dei,

15 Et dicebat, impletum est tempus, & appropinquat regnum Dei. Convertimini, & credite Evangelio.

16 Quumq; ambularet circum vicina loca maris Galilææ, vidit Schemeun & Andream fratrem ejus, qui jaciebant retia in mare, (erant enim piscatores)

17 Et dixit eis Jeschua, [7] Venite post me, & faciam vos piscatores filiorum hominum.

18 Et illicò reliquerunt retia sua, & [8] iverunt post eum.

19 Et quum progressus esset paululum, vidit Jaakub filium Zabedai & Juchannan fratrem ejus, ipsos quoque in navigio, qui reficiebant retia sua.

20 Et vocavit eos: & illicò reliquerunt Zabedai patrem suum, cum mercenariis, [9] & venerunt post eum.

21 Et, quum ingrederentur Cephar-Nachum, statim docebat in sabbathis in synagogis illorum.

22 Et mirabantur in doctrina ejus. docebat enim eos tamquam potestatem habens, & non sicut Legisperiti eorum.

23 Et erat in synagoga eorum vir in quo erat spiritus immundus: & exclamavit,

24 Et dixit, [10] Quid nobis & tibi Jeschua Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Novi ego te quis sis: *nempe* sanctus ille Dei.

25 Et cohibuit eum Jeschua, & dixit, Occlude os tuum, & exi ab eo.

26 Et [11] dejecit eum spiritus impurus, & clamavit voce alta, ac exiit ab eo.

27 Et admirati sunt omnes: & quærebant [12] unus cum altero, & dicebant, Quid est hoc? Quæ est hæc doctrina nova, quòd per potestatem etiam spiritibus impuris præcipit, & obediunt ei?

28 Et statim egressa est fama ejus in omnem locum Galilææ.

29 Et egressi sunt è synagoga, & venerunt in domum Schemeun & Andreæ, cum Jaakub & Juchannan.

30 Et socrus Schemeun decumbebat in [13] ardore febris, & loquuti sunt ei de illa.

31 Et accedens apprehendit eam manu ejus, & erexit eam: & statim reliquit eam [14] ardor febris, & ministrabat eis.

32 Vespere autem in occasu solis adduxerunt ad eum omnes illos qui male afficiebantur, & dæmoniacos.

33 Et civitas universa congregata erat ad ostium.

34 Et sanavit multos qui male afficiebantur morbis diversis, & dæmonia multa ejecit: & non sinebat ipsa dæmonia ut loquerentur eo quòd novissent eum.

35 Et in aurora antevertens surgere valdè manè, abiit in locum desertum, & orabat ibi.

36 Et quærebant eum Schemeun & qui cum eo erant.

37 Quumque invenissent eum, dixerunt ei, Omnes homines quærunt te.

38 Dixit eis, [15] Ite in oppida, & in urbes propinquas:

5 F. nempe in custodiam.

6 F. Syrè, venit sibi. Pleonasmus, de quo in Matth. 4.10. sic versu sequente.

7 i. Sequimini me. Hebraismus.

8 i. Sequuti sunt eum. Hebraismus.

9 i. Sequuti sunt eum. Hebraismus.

10 F. i. quid nobis tecum? vide in Matth. 8.29.

11 F. nempe lacerans, ut Græcus contextus habet.

12 Ad verbum, Unus cum uno. Hebraismus.

13 Ad verbum, In igne, id est, In ignita febre.

14 Ad verbum, Ignis.

15 F. id est, eamus. Enallage est personæ, secundæ pro prima, ite pro eamus. Eo autem fit hæc Enallage, quod Orientales imperativo primæ personæ carent.

13 Et fuit illic in deserto dies quadraginta, tentante eum Satana: eratq; cum feris: & Angeli ministrabant ei.

14 [u] [e] Postquam autem traditus fuit Johannes in custodiam, venit Jesus in Galilæam, prædicans evangelium regni Dei:

15 Et dicens, expletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: resipiscite, & credite Evangelio.

16 [u] [f] Ambulans autem apud mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare, (erant enim piscatores)

17 Et dixit eis Jesus, Sequimini me, & faciam ut sitis piscatores hominum.

18 Et *ipsi* statim omissis retibus suis, sequuti sunt eum.

19 [t] Tunc progressus illinc paululùm, vidit Jacobum *filium* Zebedæi, & Johannem fratrem ejus, qui & ipsi in navigio sarciebant retia:

20 Statimq; vocavit eos: & *ipsi* omisso patre suo Zebedæo in navigio cum mercenariis, sequuti sunt eum.

21 [u] Et ingrediuntur [u] Capernaumum: statimq; sabbatho ingressus Jesus in synagogam, docebat.

22 [u] Et percellebantur super doctrina ejus. docebat enim eos ut auctoritatem habens, & nō ut Scribæ.

23 [x] [u] Fuit autem in synagoga eorum quidam in quo erat [y] spiritus impurus: qui exclamavit,

24 Dicens, Ah, quid nobis tecum Jesu [z] Nazarene? venisti [a] ut perderes nos? novi te quis sis, *nimirum* [b] Sanctus ille Dei.

25 Et objurgavit eum Jesus, dicens, Obmutesce, & exi ex eo.

26 Tunc, quum discerpsisset eum spiritus impurus, & clamasset voce magna, exiit ex eo.

27 Et expaverunt omnes, ita ut mutuò [c] quærerent inter se, dicentes, Quid est hoc? [d] quæ doctrina nova hæc, quod per [e] potestatem imperat etiam spiritibus impuris, & auscultant ei?

28 Emanavit autem fama ipsius statim in totam regionem circumjacentem Galilææ.

29 [u] [f] Et statim è synagoga egressi, venerunt domum Simonis & Andreæ cum Jacobo & Johanne.

30 [g] Socrus autem Simonis decumbebat febricitans: & statim dicunt ei de illa.

31 Tunc accedens erexit eam, prehensa manu ejus: & dimisit eam febris statim, & ministravit eis.

32 Quum autem serum *dei* esset, occidente sole, adducebant ad eum omnes malè affectos & dæmoniacos.

33 Et civitas tota coacta erat ad ostium.

34 Et sanavit multos malè affectos variis morbis: & dæmonia multa ejecit, & non [h] sinebat dicere dæmonia quòd ipsum nossent.

35 Et manè, valdè multa nocte quum surrexisset exiit, & abiit in desertum locum, & [i] illic precabatur.

36 Et prosequuti sunt eum Simon & qui cum ipso erant.

37 Et quum invenissent eum, dicunt ei, Omnes te quærunt.

38 Tunc dicit eis, Eamus in contigua [k] oppi-

[u] *Matth.* 4.12. *Luc.* 4.14. *Joh.* 4.43.

[e] B. Johanne capto, plenè se prodit Christus.

[u] *Matth.* 4.18. *Luc.* 5.2.

[f] B. Vocatio Simonis & Andreæ.

[t] B. Vocatio Jacobi & Johannis.

[u] *Matth.* 4.13. *Luc.* 4.31.

[u] Ab urbe Nazareth.

[u] *Matth.* 7.28. *Luc.* 4.32.

[x] B. Annunciat doctrinam qua sola expellitur Satan è mundo: quod etiam miraculo confirmat.

[u] *Luc.* 4.33.

[y] Ex substantia sua appellatur spiritus: ex ingenio autem atq; moribus impurus, immundus.

[z] Natus erat in urbe Bethleem, sed errore vulgi Nazarenus dictus est, quia educatus esset in Nazareth.

[a] Satan à Deo perpetuæ quidem condemnationi addictus est, non tamen ante extremum judicium plenè cruciabitur.

[b] Alludit ad nomen illud quod Pontificis maximi tiaræ inscriptum erat, Exod. 28.36.

[c] velut attoniti.

[d] Novam doctrinam appellant non exprobrandi causa, sed quia aliud in ea insolitum & extraordinarium agnoscunt.

[e] id est, pro suo jure vel imperio.

[f] B. Variis sanatis morbis, demonstrat se veram vitam in mundum attulisse.

[g] *Matth.* 8.14. *Luc.* 4.38.

[g] Monemur hoc exemplo, & sanctos flagella domini experiri, & id tam in Patris gloriam quàm ipsorum salutem.

[h] Non enim est dæmoniorum Evangelium prædicare. Quamobrem etiam Paulus ægrè fert Pythonis testimonium, Act. 16.18.

[i] Vide Matth. 14. 23.

[k] Vicos qui essent in ista urbium.

dula,

dala, ut & illic prædicem. ad hoc enim sum e-
gressus.
39 Et prædicabat in synagogis eorum in tota
Galilæa: & dæmonia ejiciebat.
40 [l][ll] Venitq; ad eum leprosus precans eum,
eiq; ad genua procidens, ac dicens ei, Si velis,
potes me purgare.
41 Jesus autem commiseratione intima com-
motus, extensa manu, tetigit eum, & dixit ei,
[k] Volo: purgator.
42 Et quum hæc dixisset, statim abiit ab eo
lepra, & purgatus fuit.
43 Et graviter interminatus ei *Jesus*, statim
ablegavit eum:
44 [l] Dixitq; ei, Vide *ut* nemini quicquam di-
cas: sed abi, ostende te ipsum [m] Sacerdoti, & of-
fer pro purgatione tui quæ [ll] imperavit Moses, ut
hoc sit eis testimonio.
45 [ll] Ille verò egressus cœpit prædicare mul-
ta, & rem divulgare, ita ut jam non posset Jesus
manifestè introire in civitatem: sed foris in
desertis locis erat, & veniebant ad eum undiq;.

[i] B. Curato leproso ostendit se idcircò venisse, ut mundi sordes suo contactu elluat.
[ll] *Matth.* 8.2. *Luc.* 5.12.
[k] Qualem se leproso ex fide oranti præstitit, talem se & nobis simili fide orantibus præstabit.
[l] B. Testatur se non ambitione, sed solius Patris gloriæ & amoris in miseros peccatores studio duci.
[m] Omnes posteri Aaronis de lepra judicare poterāt.
[ll] *Lev.* 14.4.
[ll] *Luc* 5.15.

quas: quia etiam illic prædicabo. ad hoc enim
veni.
39 Et prædicabat in omnibus synagogis eo-
rum in tota Galilæa, & ejiciebat dæmonia.
40 Et venit ad eum leprosus, & procidit ad pe-
des ejus, & petebat ab eo, dixitq; illi, Si tu vis, tu
potes me mundare.
41 Ipse autem Jeschua ipsius misertus est, &
extendens manum suam, tetigit eum, & dixit,
Ego volo: esto mundus.
42 Et in illa hora abiit ab illo illius lepra, &
mundatus est.
43 Et prohibuit ei, & subduxit eum:
44 Ac dixit ei, Vide [16] ne cuiquam *hoc* dicas:
sed abi, ostende te ipsum Sacerdotibus: & offer
sacrificium pro purgatione tui, sicut præcepit
Musche, in testimonium illorum.
45 Ille autem quum egressus esset, incipiebat
prædicare multùm: & divulgavit sermonem il-
lum, ita ut non posset Jeschua manifestè ingredi
in civitatem. Sed foris erat in loco deserto, &
veniebant ad eum ex omni loco.

[16] Ad verb. Ne homini hoc dicas. Hebraism.

CAPUT II.

3. 5. Paralyticus remissis peccatis sanatur. 14 Matthæi vocatio. 19 Jejunia & afflictiones prædicuntur. 23 Discipuli spicas vellunt. 26 Panes propositionis.

ET [ll][a] rursus intravit Capernaumum interjectis
aliquot diebus, & auditum est eum [b] domi
esse.
2 Statimq; coacti sunt multi, *adeò* ut jam
non caperent *eos* [c] ne ea quidem *loca* quæ *erant*
ad ostium: & loquebatur eis sermonem *Evan-
gelii.*
3 Tunc venerunt ad eum ferentes paralyti-
cum, qui à quatuor portabatur.
4 Et quum non possent ei appropinquare
propter turbam, detexerunt tabulatum *loci* in
quo erat, eoq; perfosso, *funibus* [d] demiserunt
[e] grabbatum in quo paralyticus jacebat.
5 Quum autem vidisset Jesus fidem eorū, di-
xit paralytico, Fili, remissa sunt tibi peccata tua.
6 Erant autem illic quidam ex Scribis se-
dentes, & [f] ratiocinantes in cordibus suis,
7 Quid iste ita loquitur blasphemias? [ll] quis
potest remittere peccata, nisi solus Deus?
8 Et quum statim cognovisset Jesus spiritu
suo, eos ita ratiocinari apud se, dixit eis, Quid
ista ratiocinamini in cordibus vestris?
9 Utrum est facilius, dicere paralytico, Re-
missa sunt tibi peccata: an dicere, Surge, & at-
tolle grabbatum tuum, & ambula?
10 Ut autem sciatis Filium hominis habere
potestatem remittendi peccata in terra, (ait pa-
ralytico)
11 Tibi dico, surge, & attolle grabbatum tu-
um, & abi domum tuam.
12 Tunc *ille* statim surrexit: sublatoq; in hu-
meros grabbato, egressus est coram omnibus:
adeò ut [g] obstupescerent omnes, & glorificarent
Deum, dicentes, Nunquam tale quicquam vi-
dimus.
13 [h][ll] Et egressus est rursus ad mare: totaq; tur-
ba veniebat ad eum, ac docebat eos.
14 Et quum prætergrederetur, vidit [i] Levin
Alphæi *filium* sedentem ad [k] telonium: dixitq;
ei, Sequere me. Et *is* surgens sequutus est eum.

[ll] *Matth.* 9.1. *Luc.* 5.18.
[a] B. Christus sanato paralytico demonstrat homines amissas omnes vires in se uno per fidem recuperare.
[b] In domo in qua commorari solebat. nam Capernaumum sibi elegerat ad habitandum, relicta Nazaretha.
[c] Nec domus nec vestibulum eos caperet.
[d] Superiore parte tecti perfossa (quæ plana erat) demiserunt paralyticum in inferiorem partem, ubi Christus concionabatur: alioqui enim in ejus conspectum illis perrumpere non licebat.
[e] Sic Latini vocant lectos viliores, in quibus meridiari solebant veteres, non autem vel accumbere, vel nocte quiescere.
[f] In animis suis, in utramque partem de eo facto disputantes.
[ll] *Esa.* 43.25. *Job.* 14.4.
[g] Ad ver. mentem loco moverent.
[h] B. Evangelium superbos offēdit, humiles servat.
[ll] *Matth.* 9.9. *Luc.* 5.27. [i] B. Alterum Matthæi nomen. Vulgare enim fuit Hebræis binomines & trinomines esse. [k] Telonæ ii erant qui vectigalia redimebant: telonium autem redemptionem vectigalis, & locum ubi telonæ præsidebant.

15 Et

ET ingressus est rursus Jeschua Kephar-Na-
chum [1] post *aliquot* dies: & quum audivissent
quòd domi esset,
2 Congregati sunt multi, adeò ut non posset
capere eos [2] ne *locus* quidem ante portam: & lo-
quebatur cum eis sermonem.
3 Et venerunt ad eum, & adduxerunt ad e-
um paralyticum [3] latum inter quatuor.
4 Et quia non potuerunt accedere ad eum
propter turbam, ascenderunt ad tectum, & ab-
stulerunt operimentum loci ubi erat Jeschua,
& demiserunt lectum in quo jacebat paralyti-
cus.
5 Quum vidisset autem Jeschua fidem eo-
rum, ait paralytico illi, Fili mi, remissa sunt tibi
peccata tua.
6 Erant autem ibi *quidam* ex Legisperitis &
Phrisæis qui sedebant & ratiocinabantur in cor-
de suo,
7 Quidnam iste loquitur blasphemiam?
Quisnam potest remittere peccata, nisi [4] unus
Deus?
8 Jeschua autem cognovit spiritu suo quid
illi ratiocinarentur apud seipsos, & dixit eis, Quid
vos ratiocinamini hæc in corde vestro?
9 Quodnam facilius est dicere paralytico,
Remittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge,
accipe grabbatum tuum, & ambula?
10 Ut sciatis autem quòd potens est Filius
hominis in terra remittere peccata, (ait paraly-
tico)
11 Tibi dico ego, Surge, accipe lectum tuum,
& abi in domum tuam.
12 Et surrexit eadem hora, & accepit lectum
suum, & egressus est in conspectu omnium eo-
rum: adeò ut mirarentur omnes & laudarent
Deum, dicentes, Nunquam vidimus hujus-
modi.
13 Et egressus est rursus ad mare, & tota illa
turba veniebant ad eum, & docebat eos.
14 Et quum transiret, vidit Levi filium Ca-
lephai, qui sedebat [5] ad telonium, dixitque ei,
[6] Veni post me. Et surgens [7] profectus est post
eum.

[1] F. Ellipsis Hebræis & Syris frequens: ut Genes. 4.3. & 24.55. nam vox illa simpliciter & per se indefinita est.
[2] id est, Ne vestibulum quidem domus.
[3] id est, Qui à quatuor ferebatur.
[4] F. vide in Mat. 16.13.
[5] Ad verb. in loco vectigalis.
[6] i. Sequere me.
[7] i. Sequutus est eum.

15 Et

[8] i. Sequuti erant.
[9] Ad verb. Malè malè. Vocis ingeminatio valet ad auxesin.
[10] Ad verb. Qui tibi sunt. F. i. qui sequuntur te.
[11] Vide in Matth. cap. 9. 15.
[12] F. i. supplementum, Hebræo more.
[13] i. In agro sato.
[14] F. Simplicius fortasse futurum est, si Ellipsis in Græco & Syro contextu statuatur, hoc modo, ἴδε, τί ποιοῦσιν, id est, διὰ τί: & Syre addatur ל. Ecce, cur faciunt sabbathis ipsis id quod non licet? Sabbatha enim plurali numero indefinitè pronunciant ad exaggerandum factum.
[15] F. Syrè egeret ac fameret.
[16] Saniorum quoque Hebræorum sententia hac in parte Christi doctrinæ consentit. Nam licet externam sabbathi observationem superstitiosè exigant, ubi tamen periculum mortis intervenit, etiamsi non sit usque adeò evidens, sabbathum violari posse ajunt: & eum majori laude dignum putant qui alios in eo violando anteverterit. Hæc passim in Talmud leguntur tractatu De sabbatho: & aliqua repetuntur ea de re quoque in tractatu de circumcisione, ubi hæc verba sæpe repetuntur, videlicet, סכנת נפשות דוחה את השבת : & ספק נפש דוחה את השבת id est, Periculum animarum pellit sabbathum: &, Periculum animæ, *id est vitæ*, pellit sabbathum. Idem pluribus verbis affirmat etiam Maimoni, post Talmudicos, summę auctoritatis scriptor apud Hebræos, in tractatu De sabbatho, præsertim cap. 1. & 2. & tractatu De circumcisione, cap. 1. Ac plurima subjungit diversa exempla ad hanc doctrinam illustrandam.

15 Et factū est ut quum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores accumberent cum Jeschua & cum discipulis ejus. Erant enim multi qui [8] venerant post eum.

16 Et Legisperiti ac Pharisæi, quum viderent eum quòd comederet cum publicanis & cum peccatoribus, dixerunt discipulis ejus, Quid ille cum publicanis & peccatoribus comedit & bibit?

17 Quum audivisset autem Jeschua dixit eis, Non opus habent sani medico, sed isti qui [9] pessimè affecti sunt. Non veni ut vocarem justos, sed peccatores.

18 Discipuli autē Juchannan & Pharisæorum jejunabant, & venerunt ac dixerunt ei, Quare discipuli Juchannan & Pharisæorum jejunant, discipuli verò tui [10] quos habes, non jejunant?

19 Ait illis Jeschua, Nunquid possunt [11] filii thalami, dum sponsus cum eis est, jejunare? Nequaquam.

20 Venient autem dies quum ablatus fuerit sponsus ab eis, tunc jejunabunt in illo die.

21 Nemo immittit assumentum panni novum, & insuit in vestimentum vetus, ne [12] plenitudo illa ejus de veteri detrahat, & fiat scissura major.

22 Neque quisquam immittit vinum novum in utres veteres: ne vinum disrumpat utres, & utres pereant ac vinum effundatur, sed mittunt vinum novum in utres novos.

23 Et factum est ut quum ambularet Jeschua in sabbatho [13] in loco seminum, discipuli ejus ibant, & vellebant spicas.

24 Et dixerunt ei Pharisæi, [14] Vide quid faciunt in sabbatho, aliquid quod non liceat.

25 Dixit eis Jeschua, Nunquámne legistis quid fecerit David quum [15] in necessitate esset, & esuriret ipse & qui cum eo erant?

26 Quomodo ingressus est in domum Dei, quum Abiathar esset princeps sacerdotum, & panem mensæ Domini comedit ipse, quem non licebat comedere nisi sacerdotibus, & dedit etiam iis qui secum erant?

27 Et dixit eis, Sabbathum [16] propter filium hominis creatum est, non autem filius hominis propter sabbathum.

28 Igitur dominus est, vel etiam sabbathi filius hominis.

15 Et factum est ut quum Jesus accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discubuerunt cum Jesu & discipulis ejus: erant enim multi, & sequuti fuerant eum.

16 Quumq; scribæ ac Pharisæi vidissent eum edentem cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis ejus, Quid *est* quòd cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit?

17 Et quum *hoc* audisset Jesus, dicit eis, [l] Iis qui valent non opus est medico, sed iis qui malè *se* habent. [l] non veni ut vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiam.

18 [m] Discipuli autem Johannis ac Pharisæorum jejunabant: veniunt igitur & dicunt ei, Quare discipuli Johannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?

19 [l] Tunc ait eis Jesus, Num possunt filii thalami, quo *tempore* cum ipsis est sponsus, jejunare? quamdiu habent secum sponsum, non possunt jejunare.

20 Venient autem dies quum sublatus erit ab eis sponsus, & tunc jejunabunt illis diebus.

21 Sed nemo panniculum impexum insuit vestimento veteri: alioquin, illud ipsius supplementum novum tollit *aliquid* ex vetere *vestimento*, & fit pejor fissura.

22 Et nemo injicit vinum novum in utres veteres: alioqui vinum effunditur, & utres pereunt: sed vinum novum in utres recentes injiciendum est.

23 [n] [l] Factum est autem ut ipse præteriret Sabbatho per sata, & cæperunt discipuli ejus iter faciendo vellere spicas.

24 Tunc Pharisæi dixerunt ei, Ecce, cur faciunt Sabbatho quod non licet?

25 Et ipse dixit eis, Nunquam legistis [l] quid fecerit David quum egeret, & esuriret ipse, & qui cum eo *erant*?

26 Quomodo ingressus sit [o] domum Dei sub [p] Abiathar Pontifice maximo, & panes propositios ederit, quos non licet edere [l] nisi Sacerdotibus, & dederit etiam iis qui secum erant?

27 Dixit etiam eis, Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum.

28 Itaque filius hominis est etiam [q] Sabbathi dominus.

[l] Qui sunt integris viribus.
[l] 1. Tim. 1. 15.
[m] B. Superstitiosi & hypocritæ in rebus mediis temerè pietatis summam collocant, qui triplici ratione reprehenduntur: Primùm, quia non spectantes quid ferant cujusque vires, temerè quasvis leges de his rebus statuant.
[l] *Mat.* 9. 14. *Luc.* 5. 33.
[n] B. Secundò, quod inter leges de his rebus à Deo positas, & leges de rebus per se illicitis lancitas, nullum discrimen constituunt.
[l] *Mat.* 12. 1. *Luc.* 6. 1.
[l] 1. *Sam.* 21. 6.
[o] Domum Dei appellavit locum in quo erat tabernaculum vel arca Domini.
[p] 1. Sam. 21. 1. vocatur Achimelech, filius ejus Abiathar, at ex aliorum locorum collatione docetur, utrumque binominem fuisse, vide 1. Par. 24. 2. 2. Sam. 15. 29. 1. Reg. 2. 26. 2. Reg. 15. 18. Ergo uterq; modò Achimelech modò Abiathar appellatus est.
[l] *Exod.* 29. 33. *Lev.* 8. 31. & 24. 9.
[q] Sabbathum in sua habet potestate, ut possit pro suo imperio illi dominari.

CAPUT. III.

1 *Arefacta manus sanatur.* 6 *Pharisæi cum Herodianis consilium ineunt.* 10 *Tactu Christi sanantur multi.* 11 *Ad Christi conspectum dæmones genibus ejus accidunt.* 14 *Duodecim Apostoli.* 24 *Regnum adversus sese divisum.* 29 *Blasphemia in Spiritum sanctum.* 33 *Parentes Christi.*

ET ingressus est rursus Jeschua in synagogam: & erat illic vir quidam cujus manus arida erat.

2 Et observabant eum ut si sanaret eum in sabbatho, accusarent eum.

3 Et dixit illi viro cujus manus erat arida, Surge in medium.

4 Dixit autem illis, [1] Licet in sabbatho facere quod bonum est, an quod malum est? Animam [2] servare an perdere? Ipsi autem silebant.

5 Et intuitus est eos cum ira, quum doleret ei propter duritiem cordis eorum, & dixit illi viro, Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus ejus.

[1] F. Aliis in libris additur, quoque.
[2] Ad verb. Vivificare. F. vide in Matth. 18. 11

ET [a] [b] [l] introivit rursus in synagogam: eratq; illic quidam arefactam manum habens:

2 Et observabant an Sabbatho sanaturus esset eum: ut ipsum accusarent.

3 Tunc ait homini habenti manum arefactam, Surge in medium.

4 [c] Eis autem dixit, Licet sabbatho benefacere, an malefacere *cuipiam*? hominem servare, an trucidare? Ipsi verò silebant.

5 Et quum circumspexisset eos cum ira, [d] simul dolens quòd [e] occalluisset cor eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et *is* extendit: restitutaq; est manus ejus sana ut altera.

[a] Pertinet hæc historia ad superiorem quoque locum de recto usu feriarum.
[b] B. Tertiò quòd ceremonialem legem (moralis appendicem) morali præferebant, quum è contrario ex ista petere oportuerit verum ceremonialis usum.
[l] *Mat.* 12. 9. *Luc.* 6. 6.
[c] Nullum opus facietis in Sabbatho dicit lex, tamen quia addit, Memento ut diem Sabbathi sanctifices, ea opera Sabbatho facere licet, quæ Dei potiùs sunt quàm nostra. [d] Homines quum injuriam factam sibi dolent, in iram erumpunt, idq; non sine vitio: at Christus sine vitio iratus est, & indoluit non tam propter injuriam illatam, quàm propter illorum improbitatem. illum itaque capiebat adversariorum commiseratio, ideò condolescere dicitur. [e] Quasi callus obduruisset, ita ut salutari doctrinæ ampliùs locus non esset.

6 Et [F] 6 [f] Tunc

6 [f] Tunc egressi Pharisæi, statim cum [g] Herodianis consilium inierunt adversus eum, ut eum perderent.

7 Sed Jesus cum discipulis suis secessit ad mare: & magna multitudo sequuta est eum à Galilæa, & à Judæa,

8 Et Hierosolymis, & ab Idumæa, & *regione quæ est* trans Jordanem: & qui circa Tyrum ac Sidonem *habitabant*, magna multitudine, quum audiissent quanta faceret, venerunt ad eum.

9 Ipse autem dixit discipulis suis ut navigiolum sibi semper adesset propter turbam, ne ipsum opprimerent.

10 Multos enim sanaverat, adeò ut inciderent in eum, ut ipsum tangerent quotquot tenebantur [h] flagellis.

11 Et [i] Spiritus impuri quum eum conspexerant, accidebant ei *ad pedes*, & clamabant dicentes, Tu es Filius ille Dei.

12 Ipse verò multùm interminabatur eis, ne ipsum manifestum facerent.

13 [ß] Tunc ascendit in montem, & advocavit ad se quos ipse voluit: & venerunt ad eum.

14 [k] Et [l] constituit duodecim ut secum essent, & ut mitteret eos ad prædicandum *Evangelium*:

15 Et ut haberent potestatem sanandi morbos, & ejiciendi dæmonia.

16 Primum Simonem: (cui imposuit nomen Petrum)

17 Et Jacobum *filium* Zebedæi, & Johannem fratrem Jacobi (& imposuit eis nomina [m] Boanerges, quod est filii tonitrui)

18 Et Andream, & Philippũ, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi *filium*, & [n] Thaddæum, & Simonem Cananiten,

19 Et Judam Iscarioten, qui & prodidit eum. [o] veneruntq; domum.

20 Convenit autem rursum turba, adeò ut ne capere quidem cibum possent.

21 [p] Et quum *hæc* audiissent [q] ipsius propinqui, venerunt ut prehenderent eum: dicebant enim eum [r] apud se non esse.

22 Scribæ verò qui Hierosolymis descenderant, dicebant, Certè habet Beelzebulem, & certè [ß] per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.

23 Quum autem eos advocasset, dixit eis per parabolas, Quomodo potest Satanas Satanam ejicere?

24 Neque si [s] regnum adversus sese dissideat, potest stare regnum illud:

25 Neque si domus contra semetipsam dissideat potest stare domus illa:

26 *Sic* quoque si Satanas insurrexit & dissidet adversus semetipsum, stare non potest, sed finem habet.

27 Non potest quisquam potentis *alicujus* [t] vasa, ingressus domum ejus, diripere, nisi primò validum illum vinxerit: & tunc domum ejus diripiet.

28 [u] [ß] Amen dico vobis, quævis peccata remittentur filiis hominum, & blasphemiæ quibuscumque blasphemârint:

29 Sed quicumque blasphemârit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed tenetur æterno judicio.

30 Dicebant enim, Spiritum impurum habet.

31 [ß] [x] Veniunt igitur [y] fratres & mater ejus: & foris stantes, miserunt ad eum, & eum vocârunt.

32 Sedebat autem circa eum turba: *illi* verò dixerunt ei, Ecce, mater tua & fratres tui foris quærunt te.

33 Tunc respondit eis, dicens, Quæ est mater mea, aut fratres mei?

34 E

[f] B. Quo magis premitur veritas, eo magis emergit.
[g] Mat.22,16.
[h] Morbis quibus ut flagellis, homines flagellat Deus.
[i] In iis videlicet quos invaserant. Vel metonymicè pro iis qui à spiritibus exagitabantur.
[ß] *Infr.6.7. Matt.10.1. Luc.9.1.*
[k] B. Duodecim discipuli segregantur ad futuri Apostolatus tyrocinium.
[l] Elegit ac designavit duodecim, qui secum familiariter versarentur.
[m] Sic Christus vocavit filios Zebedæi, quia illis daturus erat sonoram vocem, quam tonarent in toto orbe.
[n] Qui etiam à Luca dicitur Judas, ad cujus differentiam proditor dicitur Iscariotes.
[o] Apostoli in contubernium recepti, in domum venere, ut posthac cum Christo versarentur.
[p] B. Nulli infensiores Evangelii hostes quam quos minimè oportuit.
[q] Ad verb. qui ab eo erant, id est, gentiles seu propinqui. qui enim mente essent capti ad agnatos deducebantur.
[r] Mentis non esse compotem.
[ß] *Matt.9.34. & 12.24. Luc.11.15.*
[s] Si regnum distractum fuerit in partes.
[t] Cujuscumque generis instrumenta.
[u] B. Soli extra spem salutis qui cognitum Christum malitiosè oppugnant.
[ß] *Matt.12.31. Luc.12.10. 1.Joh.5.16.*
[ß] *Matth.12.46. Luc.8.19.*
[x] B. Diversa est prorsus spiritualis & carnalis cognationis ratio.
[y] Fratrum nomine, omnes qui ejusdem sunt cognationis intelligunt Hebræi.

6 Et egressi sunt Pharisæi ea ipsa hora cum domesticis Hiraudis, & consilium ceperunt contra eum quomodo perderent eum.

7 Et Jeschua cum discipulis suis profectus est ad mare. Et populus multus ex Galilæa premebat eum, & ex Judæa,

8 Et ex Urischelem, & ex Edom, & [3] ex altera ripa Jurdanam, & e Tzur, & e Tzaidan turbæ multæ quæ audiverant quicquid fecisset, venerunt ad eum.

9 Et dixit discipulis suis ut admoverent ad se navigium, propter turbas, ne se opprimerent.

10 Multos enim sanaverat, ita ut irruerent in eum quò tangerent eum.

11 Et ii quibus erant [4] plagæ spirituum immundorum, ex quo vidissent eum, procidebant, & clamabant, ac dicebant, Tu es Filius Dei.

12 Et multùm cohibebat eos ne se manifestum facerent.

13 Et ascendit in montem, & advocavit eos quos voluit: & venerunt ad eum.

14 Et elegit duodecim ut essent secum, & ut mitteret eos ut prædicarent.

15 Atque ut essent potestatem habentes [5] ut sanarent morbo affectos, & ejicerent dæmonia.

16 Et indidit Schemeun nomen Kipha:

17 Et Jaakub filio Zebedai, & Juchannan fratri Jaakub indidit nomen Benai-Regeschi, quod est filii [6] fragoris.

18 Andream quoque *elegit*, & Philippum & Bar-Thulemai, & Mattai, & Thauma, & Jaakub filiũ Calphai, & Taddi, & Schemeun Zelotem.

19 Et Jihuda [7] Secharjutha, illum qui prodidit eum. & venerunt in domum.

20 Et congregatæ sunt turbæ rursum, adeò ut non possent [8] panem comedere.

21 Et audierunt [9] propinqui ejus, & egressi sunt ad apprehendendum eum. Dicebant enim [10] quòd à sese discessisset.

22 Et legisperiti illi qui ex Urischelem descenderant, dicebant, [11] Baal-Zebub est in eo, & per principem dæmoniorum ejicit dæmonia.

23 Et vocavit eos Jeschua, & per parabolas dixit eis, Quomodo potest Satanas Satanam ejicere;

24 Si enim regnum contra seipsum dividatur, non potest stare regnum illud:

25 Et, si domus contra seipsam dividatur, non potest domus illa stare.

26 Et, si id est quòd Satanas surgit contra seipsum & divisus est, non potest stare, sed divisus est.

27 Nemo potest intrare in domum potentis & diripere [12] vasa ejus, nisi prius potentem ipsum vinciat: & tunc domum ejus diripiet.

28 Ammin dico ego vobis, quòd omnia peccata & blasphemiæ quibus blasphemabunt filii hominum, remittentur eis:

29 Qui autem blasphemaverit contra Spiritum sanctum, non est ei remissio in æternum, sed reus est judicii quod est in æternum.

30 [13] Eo quòd dicerent quòd Spiritus impurus esset in eo.

31 Et venerunt mater ejus, & fratres ejus, stantes foris: & miserunt ut vocarent eum ad se.

32 Sedebat autem circa eum turba, & dixerunt ei, Ecce, mater tua & fratres tui foris quærunt te.

33 Et respondit & dixit eis, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

34 Et

[3] Ad verb. Et ex transitu Jordanis. Hebraismus.
[4] id est, Qui correpti erant spiritibus immundis.
[5] F. i. sanandi morbos, & ejiciendi dæmonia.
[6] F. vel tonitru.
[7] De hoc cognomine annotatum est Matth. 10,14.
[8] i. Cibum, Heb. tritus.
[9] i. sanguine ei conjuncti.
[10] Ad verb. Egressus esset extra se, Insaniret, & apud se non esset.
[11] Vide de Baal-zebub, Matth. 10.25.
[12] i. Arma & utensilia domus.
[13] F. Ætiologia est posita ὑπερβατικῶς, & cum versu 23. aptanda. Quapropter etiam statui commodè ellipsis potest, hæc igitur dicebat eis, eo quòd dicerent, &c.

34 Et intuitus eſt eos qui ſedebant juxta ſe,& ait, Ecce mater mea, & ecce fratres mei.

35 Qui enim fecerit voluntatem Dei,ipſe eſt frater meus, & ſoror mea,& mater mea.

34 Et quum circumſpexiſſet in circuitu eos qui circûſedebant,ait, Ecce mater mea,& fratres mei.

35 Quicumque enim fecerit quod Deus vult, is eſt frater meus, & ſoror mea,& mater.

CAPUT IIII.

3 *Parabola ſeminantis.* 14 *Ejuſdem expoſitio.* 18 *Spinæ.* 21 *Lucerna.* 26 *Sementis jacta in terram.* 31 *Granum ſinapis.* 38 *Dormit Chriſtus in puppi.*

RUrſus autem [1] inceperat docere juxta maris littus,& congregatę ſunt ad eum turbæ multę: adeò ut conſcendens ſederet in navigio in mari: & univerſa turba ſtabat in terra juxta maris littus.

2 Et docebat eos per parabolas multùm: dicebátque in doctrina ſua:

3 Audite, ecce egreſſus eſt ſeminator ad ſeminandum:

4 Et, quum ſeminaret, [2] fuit quod caderet juxta viam, & venit avis, & comedit ipſum.

5 Aliud autem cecidit ſuper petram, ita ut non eſſet terra multa: & ſtatim [3] exortum eſt, quòd non eſſet profunditas terræ.

6 Quum autem [4] oriretur ſol, exuſtum eſt, & propterea quòd non eſſet ei radix, exaruit.

7 Et aliud cecidit [5] *in* locum ſpinarum: & aſcenderunt ſpinæ, ac ſuffocaverunt illud, & fructum non edidit.

8 Aliud autem cecidit ſuper terram bonam & aſcendit, & crevit, & edidit fructus [6] aliquod triginta,& aliquod ſexaginta, & aliquod centum.

9 Et dicebat, Is cui ſunt aures ut audiat, audiat.

10 Quum eſſent autem ipſi ſoli, interrogaverunt eum ii qui cum eo erant,cum ſuis duodecim, de parabola iſta.

11 Et dixit eis Jeſchua, Vobis datum eſt noſſe ſecretum regni Dei, extraneis verò omnia in parabolis fiunt:

12 Ut videntes videant, & non cernant: & audientes audiant, & non intelligant: ne convertantur, & remittantur [7] peccata eis.

13 Et dixit eis,Ignoratis vos parobolam hanc? Et quomodo parabolas omnes cognoſcetis?

14 Seminator qui ſeminavit,ſermonē ſeminavit.

15 Ii autem [8] qui ſunt juxta viam, illi ſunt in quibus ſeminatus eſt ſermo, & ex quo audiverunt, illicò venit Satanas, & aufert ſermonem qui ſeminatus eſt in corde eorum.

16 Et ii qui ſuper petram ſeminati ſunt, illi ſunt qui ex quo audiverunt ſermonem, ſtatim cum gaudio accipiunt eum.

17 Et non eſt eis radix in ſeipſis, ſed [9] temporarii ſunt, & ex quo facta eſt tribulatio aut perſequutio propter ſermonem,ſtatim offenduntur.

18 Ii autem qui inter ſpinas ſeminantur, illi ſunt ii qui audiverunt ſermonem:

19 Et curæ ſeculi hujus, & ſeductio divitiarum, & reliquiæ cupiditatum aliarum ingredientes ſuffocant ipſum ſermonem,& infructuoſus fit.

20 Et ii qui in terra bona ſeminati ſunt, illi ſunt qui audiunt ſermonem,& accipiunt,& edunt fructus [10] cum triginta,& cum ſexaginta, & cum centum.

21 Et dixit eis, [11] Num venit lucerna ut ſubter modium ponatur, aut ſubter lectum? Nónne fit ut ſuper candelabrum ponatur?

22 Non enim eſt quicquam quod occultum ſit, quod non fit revelandum: neque fit *quicquam* in abſcondito, [12] & non reveletur.

23 Si cui ſunt aures quibus audiat, audiat.

24 Et dixit eis, Videte quid audiatis. In ea menſura qua vos metimini, remetietur vobis, & [13] adjicietur vobis ipſis qui auditis.

[1] Ad verb. Incipiebat docens. Hebr.

[2] i. Quoddam.

[3] Vox Syriaca eſt ברץ,quam puto reſpondere Chaldaicæ ברט (i. Crevit, eminuit, ortus eſt) permutatione literæ ט in צ.

[4] F. vel ortus fuiſſet: quod poſtulare videntur ſequentia.

[5] Præpoſitionem hanc quæ litera ב notatur, omittere ſæpe ſolent Hebræi, Chaldæi, Syri, præſertim autem quum dictio cui præfigenda eſſet, incipit a ב, ne concurſu literarum κακοφωνία naſcatur.

[6] Ad verb. Eſt quod triginta, & eſt quod centum.

[7] F. alii, ipſorum peccata: & rectè.

[8] F. vel qui ſeminati ſunt (ex ſequente verſu) aut conſeruntur ſemine.

[9] Ad verb. Temporis. Hebraiſmus quo ſubſtantivum rectū in adjectivi locum ſuccedit.

[10] i. Trigecuplum, ſexagecuplum.

[11] Hebraica phraſis & Syriaca, pro Non ſolet poni lucerna &c. quæ in Græco textu ſervatur.

[12] F. vel quod non reveletur. Græcè ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ, ſed ut reveletur, factum eſt. ellipſis ſupplenda ex antecedente membro.

[13] F. vel adjicietur vobis, illis nempe qui audiunt.

ET [¶] rurſus cœpit docere apud mare: & coacta eſt ad eum turba multa,adeò ut ipſe navigium ingreſſus ſederet in mari. tota autem turba apud mare in terra erat.

2 Et docebat eos per parabolas multa, dicebátque eis in doctrina ſua:

3 [a] Audite,Ecce, *quidam* ſator exiit ſatum:

4 Et factum eſt inter ſerendum, aliud quidem cecidit ſecundùm viam: venerúntque volucres cæli, & devoraverunt illud.

5 Aliud verò cecidit in petroſa, ubi non habebat terram multam: & ſtatim exortum eſt, propterea quòd non habebat profundam terram:

6 Sole autem exorto, ardore tactum eſt, & propterea,quòd non habebat radicem, exaruit.

7 Et aliud cecedit in ſpinas: & aſcenderunt ſpinæ, ac ſuffocarunt illud,& fructum non edidit.

8 Et aliud cecidit in terram bonam, edidítq; fructum aſſurgentem ac creſcentem: & tulit aliud tricena, & aliud ſexagena,& aliud centena.

9 Tunc dixit eis, Qui habet aures ad audiendum,audiat.

10 Quū autem eſſet ſolus,interrogârunt eum qui circū eum erant cum duodecim,de parabola.

11 Et dixit eis, [b] Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: iis autem qui [c] foris ſunt, per parabolas omnia *iſta* fiunt:

12 [¶] Ut videntes videant, & non cernant: & audientes audiant, & non intelligant: nequando *ſe* convertant, & remittantur eis peccata.

13 Pretereà dixit eis,Neſcitis parabolam iſtam? [d] & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?

14 Sator ille,ſermonem ſerit.

15 Iſti autem ſunt qui juxta viam *ſemen excipiunt,* in quibus *videlicet* ſeminatur ſermo: ſed poſtquā audierunt, ſtatim venit Satanas, & tollit ſermonē qui ſeminatus fuerat in cordibus eorum.

16 Et iſti ſunt ſimiliter qui in petroſa ſemen excipiunt: qui *videlicet* quum audierunt ſermonem, ſtatim cum gaudio excipiunt eum:

17 Et non habent radicem in ſeſe,ſed temporarii ſunt: deinde orta afflictione aut perſequutione propter ſermonem,ſtatim offenduntur.

18 Hi ſunt autem qui in ſpinas ſemen excipiunt, hi ſunt *inquam,* qui ſermonem audiunt:

19 Sed ſollicitudines [¶] [e] ſeculi hujus, & fallacia divitiarum,& cupiditates quę in cæteris rebus *verſantur,* introeuntes ſuffocant ſermonem, iſque redditur fructus expers.

20 Hi ſunt verò qui in terram bonam ſemen exceperunt, qui *videlicet* audiunt ſermonem, & excipiunt: & fructum ferunt, aliud tricena, aliud ſexagena, aliud centena *grana.*

21 [f] Dixit etiam eis, [¶] Num lucerna venit ut ſubter modium ponatur, aut ſubter lectum? nonne ut candelabro imponatur?

22 [g] [¶] Non eſt enim quicquam occultum quod non ſit manifeſtum futurum, neque *quod* abſcondatur,ſed *oportet* ut in apertum veniat.

23 Si quis habet aures ad audiendum, audiat.

24 [h] Præterea dixit eis, Videte quid audiatis: [¶] qua menſura metimini, vobis metietur, & adjicietur vobis qui auditis.

[¶] Matt.13.1. Luc.8 4.

[a] B. Eadem quidem Evangelii doctrina ubique ſeritur, ſed non pari ſucceſſu: hominum quidem vitio, ſed occulto Dei judicio.

[b] Arcanum ſive ſecretum, non communicandum profanis.

[c] i. cæteris, alienis & non noſtris.

[¶] Eſa.6.9. Mat.13.14. Luc.8.10. Joh.12.40. Act.28 26. Rom.11.8.

[d] Vel, Quomodo igitur.

[¶] 1.Tim.6.17.

[e] Ad hujus vitæ negotia pertinentes.

[f] B. Etiamſi lucem Evangelii reſpuat mundus, tamen eſt accendenda, vel ob hanc unam cauſam, ut ejus ſcelera pateſiant.

[¶] Matt.5.15. Luc.8.16. & 11.33.

[g] Subaudi in Prophetis de me, quod non ſit manifeſtum à vobis. Eſt & hæc generalis ſententia, ſed hic à Chriſto apertiſſimè ad ſuum negotium uſurpata.

[¶] Mat.10.26. Luc.8.17.& 12.2.

[h] B. Quo liberaliùs communicemus à Deo accepta, eò ſit ipſe erga nos liberalior.

[¶] Matt.7.2, Luc.6.38.

[h] *Matt.*13.12. & 25.29. *Luc.*8.18. & 19.26.
[i] B. Dominus serit & metit, ratione quadam hominibus prorsus ignota.
[k] id est, Semente facta transigat securus dies ac noctes, nimirè dubitans quin semen germinet, quod noctu & interdiu crescit.
[l] Ministrorum officium est agrum studiosè colere, successum deo cōmendare. Vis enim illa qua semen adolescit, occulta est, quę ex fructu tantum agnoscitur.
[m] Nomen pro adverbio, quo significatur aliquid fieri vi quadam seipsam movente.
[n] B. Deus contrà quàm soleant homines à minimis auspicatus, in maxima desinit.
[§] *Matt.*13.31. *Luc.*13.19.
[¶] *Matth.*13.34.
[o] Pro auditorum captu.
[p] Ad verb. solvebat, nempè tamquam ænigmatum nodos.
[§] *Matth.*8.23. *Luc.*8.22.
[q] B. Qui cum Christo navigant, etiamsi videatur ille periclitantibus suis stertere, tamen in tempore ab ipso expergefacto servantur.

25 [h] Qui enim habet, dabitur ei: & qui non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo.

26 [i] Item dicebat, Ita est regnum Dei ut si quispiam jaciat semen in terram,

27 Et [k] dormiat, & exsurgat nocte ac die: & semen germinet, & assurgat [l] quomodo ipse nescit.

28 [m] Sponte enim terra fructum fert, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica:

29 Quum autem prodiderit *sese* fructus, statim mittit messores: quoniam adest messis.

30 [n] [§] Dicebat etiam, Cui *rei* assimilaverimus regnum Dei? aut qua collatione contulerimus illud?

31 Velut grano sinapis: quod quum seritur in terra, minimum est omnium seminum quæ in terra sunt:

32 Sed quum satum fuerit, assurgit, & fit maximum omnium olerum: editq; ramos magnos, ita ut possint sub ejus umbra volucres cæli nidulari.

33 [¶] Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem *Evangeli*: [o] prout poterant audire.

34 Absque parabola verò non loquebatur eis: privatim autem discipulis suis [p] explicabat omnia.

35 [§] Dixit autem eis die illo, quum serum *diei* esset, Transeamus in ulteriorem *ripam*.

36 Dimissa igitur turba acceperunt eum ut erat in navigio: sed & alia navigiola erant cum eo.

37 [q] Tunc oritur turbo venti magnus: & fluctus irruebant in navigium, ita ut jam impleretur.

38 Erat autem ipse in puppi, cervicali indormiens: tunc expergefaciunt eum, dicuntq; ei, Magister, non est tibi curæ quòd perimus?

39 Experrectus igitur objurgavit ventum, dixitq; mari, Sile, obmutesce. Tum quievit ventus, factáque est tranquillitas magna.

40 Dixit autem eis, Quid ita timidi estis? quomodo fidem non habetis?

41 Et timuerunt timore magno, dicebántque alius ad alium, Quisnam iste est, quòd etiam ventus & mare auscultent ei?

25 Ei enim cui est, eidem dabitur: & ei cui non est, etiam id quod est sibi, auferetur ab eo.

26 Et dicebat, Ita est regnum Dei ut [14] homo quum jaciat semen in terram:

27 Et dormiat, [15] & surgat nocte & die, & semen crescet & longum fiet, quum ipse nesciat.

28 Terra enim producit ei fructum, & primùm fit herba, [16] & deinde spica, postremò autem triticum impletur in spica.

29 Postquam autem impinguatus fuerit fructus, [17] statim venit falx, quia adest messis.

30 Et dicebat, Cui assimilabimus regnum Dei? Et quánam comparatione comparabimus illud?

31 Velut granum est [18] sinapi, quod quum seminatum est in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt super terram.

32 Et, ex quo seminatum est, assurgit & fit majus omnibus oleribus: & facit ramos magnos, ita ut possit in umbra ejus habitare avis.

33 Parabolis [19] quæ sunt sicut hæ, loquebatur cum eis Jeschua, parabolis *inquam* prout poterant audire.

34 Et absque parabolis non loquebatur cum eis: discipulis verò suis, [20] inter se & illos, interpretabatur omnia.

35 Et ait eis in illo die vespere, [21] Transeamus [22] in littus oppositum.

36 Et dimiserunt turbas, & [23] deduxerunt eum quū in navigio esset, & navigia alia erant cum eis.

37 Et factus est turbo magnus, & ventus ac fluctus irruebant in navigium, [24] & proximum erat ut impleretur.

38 Ipse autem Jeschua super cervical dormiebat [25] in posteriore parte navigii: & venientes excitaverunt eum, & dixerunt ei, Domine noster, non est cura tibi quòd perimus?

39 Et surrexit, & repressit ventum, & ait mari, Desine, obmutesce tu. Et desiit ventus, & facta est tranquillitas magna.

40 Et dixit eis, Quare timidi fuistis? & quare non est in vobis fides?

41 Et timuerunt timore magno: ac dicebant [26] alius ad alium, Quisnam iste est, cui venti & mare auscultant?

[14] Ad verb. vir. Hebraismus.
[15] Hæc & sequentia verba, futura sunt in Syro textu: quia futuro tempore consuetudo exprimitur apud eos, ut etiam apud Hebræos: nos autem in versione, Latinorum morem sequuti sumus, qui id faciunt per præsens.
[16] Ad verb. Post illud.
[17] Subaudi, à messore immissa. Hebraismus. F. al. immittit falcem.
[18] Vide de sinapi annotata in Matt. cap. 13.32.
[19] i. His similibus. Hebraicè כאלה
[20] F. i. in privato, vel seorsim.
[21] F. Syrè, transeamus nobis, Pleonasmus, ut Matth. 4.10.
[22] Ad verb. In transitum illum, quasi digito ostendat adversum maris ejus littus. Hebraismus.
[23] F. Sic Græcum παραλαμβάνειν optimè exponit Syrus, est enim metalepsis, ut Matth. 4.5.
[24] id est, Parum aberat quin impleretur.
[25] id est, In puppi.
[26] Ad verbum, Unus uni. Hebraismus.

CAPUT V.

1 *Dæmoniacus sanatur.* 6 *Dæmon agnoscens Christum.* 9 *Legio dæmoniorum,* 13 *In porcos intrat.* 22 *Jairi filia.* 25 *Mulier à fluxione sanguinis sanatur.* 26 *Medici.* 34 *Fides.* 39 *Dormire.*

[§] *Matth.*8.28. *Luc.*8.26.
[a] B. Christi virtutem admirantur multi, qui tamen vel levissimæ rei jactura redemtam nolint.
[b] id est, Confirma mihi, interposito jurejurando, fore ut non me vexes.

ET [§] [a] venerunt in ulteriorem *ripam* maris, in regionem Gaderenorum.

2 Egresso autem ipsi è navigio, statim occurrit è monumentis quidā in quo erat spiritus impurus:

3 Qui domiciliū habebat in monumentis, & ne catenis quidem quisquā poterat eum vincire:

4 Propterea quòd sæpe pedicis & catenis vinctus fuerat, sed discerptæ fuerant ab eo catenæ, & pedicæ contritæ: neque quisquam potuerat eum domare.

5 Et per omne *tempus* erat die ac nocte in montibus & in monumentis clamans, & concidens seipsum lapidibus.

6 Quum vidisset autem Jesum procul, cucurrit & adoravit eum:

7 Et clamans voce magna dixit, Quid mihi tecum Jesu Fili Dei altissimi? [b] adjuro te *per* Deum ne me torqueas.

8 (Dicebat enim ei *Jesus*, exi spiritus impure ex isto homine)

9 Tunc interrogavit eum, Quod tibi nomen est?

1 ET venerunt [2] in oppositum littus maris in locum Gadaræorum.

2 Et quum egressus esset è navigio, occurrit ei è loco sepulcrorum vir in quo erat spiritus impurus.

3 Et habitabat *in* loco sepulcrorum, & catenis nemo poterat vincire eum.

4 Quia [3] quoties compedibus & catenis vinciebatur, catenas frangebat, & compedes rumpebat, & nemo poterat domare eum.

5 Et omni tempore, nocte & die in loco sepulcrorum & in montibus erat, & vociferabatur, & collidebat seipsum in lapides.

6 Quum vidisset autem Jeschua eminùs, currens adoravit eum.

7 Et exclamavit voce elata, ac dixit, [4] Quid mihi & tibi Jeschua Fili Dei excelsi? Adjuro ego te per Deum ut non torqueas me.

8 (Dicebat enim ei, Exi à filio hominis spiritus impure)

9 Et interrogavit eum, [5] Quomodo est nomen

[1] F. Alii, & venit. Sed hoc melius.
[2] Ad verb. In transitum. Hebraismus.
[3] Ad verb. Omni quando, subaudi, tempore.
[4] F. vide in Matth. 8.29.
[5] i. Quódnam est tibi nomen? quomodo vocaris?

men tuum? Dixit ei, Legio est nomem nostrum,
eo quòd multi sumus.
10 Et petebat ab eo valdè ne emitteret se extra
illum locum.
11 Erat autem illic ad montem grex magnus
porcorum qui pascebat.
12 Et petebant ab eo dæmones illi, & dice-
bant, Mitte nos in hos porcos ut in eos introëa-
mus.
13 Et permisit eis, & egressi sunt spiritus illi
impuri, & introiverunt in porcos. Et cucurrit
grex ille in rupem, & corruit in mare, [6] & suffo-
cati sunt *porci* in aquis.
14 Et, qui pascebant eos, fugerunt, & renun-
ciaverunt in civitatem, & etiam [7] in agros.
Et egressi sunt ad videndum id quod factum
fuerat.
15 Veneruntque ad Jeschua, & viderunt illum
[8] cujus fuerant dæmonia, vestitum & modestum,
& sedentem, illum *inquam* in quo fuerat legio, &
timuerunt.
16 Et narraverunt eis ii qui viderant, quo-
modo factum esset ei cujus erant dæmonia, &
etiam de illis porcis.
17 Et cœperunt petere ab eo ut [9] abiret à li-
mitibus ipsorum.
18 Et quum ascendisset in navigium, petebat
ab eo is cujus fuerant dæmonia, ut cum ipso
esset.
19 Et non permisit ei, sed dixit ei, Abi in do-
mum tuam ad viros tuos, & renuncia eis id quod
fecit tibi Dominus, & quòd misertus est tui.
20 Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli id
quod fecisset sibi [10] Deus. Et omnes mirabantur.
21 Quumq; transivisset Jeschua navigio in
ipsum [11] littus oppositum, [12] congregatæ sunt ad
eum turbæ multæ, quum esset juxta mare.
22 Et venit quidam cujus nomen *erat* Jua-
rasch, ex principibus synagogæ: quumq; vidisset
eum, procidit ad pedes ejus.
23 Et petebat ab eo valdè, & dicebat, Filia mea
malè affecta est: veni, pone manum tuam super
eam, & sanabitur: ac vivet.
24 Et abiit cum eo Jeschua. Et adhærebat ei
turba multa, premebantq; eum.
25 (Mulier autem quædam, quæ fuerat in
fluxu sanguinis annis duodecim:
26 Quæ multum perpessa fuerat à medicis
multis, & insumpserat quicquid erat sibi, & nihil
fuerat adjuta, sed etiam magis affligebatur:
27 Quũ audisset de Jeschua, venit in densitate
turbæ à tergo ejus, & tetigit vestimentum ejus.
28 Dicebat enim, Si modò vestimentum ejus
tangam, [13] salva sum.
29 Et illicò aruit fons sanguinis ejus, & sensit
in corpore suo quòd sanata esset à flagello suo.
30 Jeschua autem statim cognovit in seipso
quòd à se vis exivisset: & conversus est ad tur-
bam, & ait, Quis tetigit vestimenta mea?
31 Dicunt ei discipuli ejus, vides turbas quæ
opprimunt te, & dicis, quis tetigit me?
32 Et circumspiciebat ut videret quisnam hoc
fecisset.
33 Mulier autem ipsa timens & tremens, quæ
sciebat id quod factum esset sibi, veniens procidit
ante faciem ejus, & dixit ei omnem veritatem.
34 Ille autem dixit ei, Filia mea, fides tua
[14] servavit te. Abi in pace, & esto sanata à flagel-
lo tuo.
35 Et, adhuc eo loquente, venerunt ex do-
mesticis principis synagogæ & dixerunt, Filia tua
mortua est: ad quid igitur fatigas magistrum?
36 Jeschua

[6] F. libri nostri addunt, quasi bis mille porcorum: quod respondet Græco.
[7] Vel, in pagos.
[8] i. Qui obsessus fuerat à dæmonibus.
[9] F. Syrè abiret sibi. Pleonasmus, ut Matth. 4.10.
[10] F. alii, Jeschua.
[11] Ad verb. transitum, Hebr. antè notatus.
[12] F. alii addunt, rursus congregatæ sunt, &c.
[13] Ad verbum, Viva sum. Hebraismus.
[14] Ad verbum, Vivificavit te. Hebraismus.

est: Et respondit dicens, Legio mihi nomen *est*:
quia multi sumus.
10 Et multùm [c] precabatur eum ne ipsos
mitteret extra illam regionem.
11 Erat autem illic apud [d] montes grex por-
corum magnus pascens.
12 Et precati sunt eum omnes *illi* dæmones,
dicentes, [e] Mitte nos ad porcos, ut in eos introë-
amus.
13 Et permisit eis statim Jesus. Egressi verò
spiritus illi impuri introierunt in porcos: & ruit
ille grex è præcipitio in [f] mare, (erant autem
quasi bis mille) & suffocati sunt in mari.
14 Qui verò pascebant porcos, fugerunt, &
renunciârunt in urbem & in agros. Et *illi* egressi
sunt ut viderent quid illud esset quod factum
fuerat.
15 Veniunt igitur ad Jesum, & conspiciunt
eum qui fuerat dæmoniacus, sedentem ac vesti-
tum, & sanæ mentis, eum *inquam* qui habuerat
legionem: & timuerunt.
16 Et qui *id* viderant, narraverunt eis quo-
modo actum esset cum dæmoniaco, & de porcis.
17 [g] Tunc *illi* cœperunt eum rogare ut abiret
ex finibus ipsorum.
18 Ipso verò ingresso in navigium, rogabat
eum ille qui fuerat dæmoniacus ut esset cum
ipso.
19 Jesus autem non permisit ei, sed ei dixit,
Abi domum tuam ad tuos, & eis renuncia quanta
tibi Dominus præstiterit, & quòd misertus sit tui.
20 Abiit igitur *ille*, & cœpit prædicare in De-
capoli quanta ipsi fecisset Jesus: & omnes mira-
bantur.
21 Et quum Jesus rursum trajecisset navigio
in ulteriorem *ripam*, coacta est turba multa ad
eum: eratq; apud mare.
22 [a] Et ecce, venit [h] unus ex præfectis syna-
gogæ, nomine Jairus: & quum vidisset eum, acci-
dit ad pedes ejus.
23 Et multùm precabatur eum, dicens, Filiola
mea in extremum adducta est: *rogo* ut venias, &
imponas ei manus, ut servetur: & vivet.
24 Abiit igitur *Jesus* cum eo: & sequebatur
eum turba multa, & comprimebant eum.
25 [i] (Tunc mulier quædam quæ erat in flu-
xione sanguinis *ab* annis duodecim:
26 Fueratq; multa perpessa à multis medicis,
& impenderat omnia sua, & nihil adjuta fuerat,
sed potiùs in deterius venerat:
27 Quum audisset de Jesu, venit in turba à
tergo, & tetigit vestimentum ejus.
28 Dicebat enim, Si vel vestimenta ejus teti-
gero, servabor.
29 Et statim exaruit fons sanguinis ejus: &
sensit corpore se sanatam esse ex eo flagello.
30 Statim autem Jesus quum apud se cog-
novisset vim illam quæ ex se ipso prodierat con-
versus in turba, dixit, Quis tetigit vestimenta
mea?
31 Et dixerunt ei discipuli ipsius, Vides tur-
bam te comprimentem, & dicis, Quis me tetigit?
32 *Ipse* verò circumspiciebat ut videret eam
quæ hoc fecerat.
33 Mulier autem timens & tremens, quum
sciret quod in se factum fuerat, venit, & accidit
ei *ad pedes*, dixitq; ei [k] omnem veritatem.
34 Ille autem dixit ei, Filia, fides tua te serva-
vit: abi cum pace, & esto sana ex flagello tuo)
35 Adhuc eo loquente veniunt *quidam* [l] à
præfecto synagogæ, dicentes, Filia tua mortua
est: quid ampliùs [m] vexas magistrum?
36 [n] Jesus

[c] Is Dæmon, qui etiam pro cæteris legationẽ fungebatur.
[d] Hæc tota regio maxima ex parte est aspera, intercurrentibus montibus Galaad.
[e] Volebant dæmones incolas illius regionis porcorum jactura ad maledicendum Deo impellere.
[f] Erat stagnum illius regionis de quo Strab. lib. 16. Est in Gadaride stagnum aquæ pessimæ, qua degustata, pecora pilos, ungulas, & cornua amittunt.
[g] Typum hi Gadareni gerunt omnium qui terrena curant: hi ut indigni sunt opibus cælestibus, ita illas etiam ultrò oblatas aversantur, & quàmlibet sævos dæmonas, quàm Jesum Christum auctorem salutis, ferre malunt.
[a] Matth. 9. 18. Luc. 8. 41.
[h] Hinc apparet non temerè convenisse cœtus singulis sabbathis, sed certos homines solitos tanta multitudini moderari in singulis synagogis, ubi Moses explicabatur (Act. 14. 21.) à doctoribus, qui Pharisæi & Scribæ dicebantur, Matth. 23. 2.
[i] B. Vera fide quamvis imbecilla, vel levissimè attactus Jesus, virtute sua nos sanat.
[k] id est, Rem totam ita ut gesta erat.
[l] Ab ædibus principis
[m] id est, Defatigas, vel molestia afficis.

n B. Patres suis etiam liberis promissiones vitæ per fidem apprehendunt.
o His verbis apertè indicat, se nihil omnino quærere, quàm unam fidem, sine qua impossibile est Deo placere. Heb. 11.6.
p B. Indigni sunt Christi irrisores, qui fiant ipsius bonitatis testes.
q Tres discipulos.

36 n Jesus autem, statim ut audiit hunc sermonem qui dicebatur, dicit præfecto synagogæ, Ne metue, o solummodo crede.

37 Neque permisit ut se quisquam unà sequeretur nisi Petrus & Jacobus & Johannes frater Jacobi.

38 Venit igitur domum præfecti synagogæ, & tumultum conspicit, flentes & ejulantes multùm.

39 Et ingressus dicit eis, Quid tumultuamini & fletis? puella non est mortua, sed dormit.

40 p Et deridebant eum. Ipse verò, ejectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & q eos qui secum erant, & ingreditur eò ubi erat puella jacens.

41 Prehensáque manu puellæ, dicit ei, Talitha cumi: quod est, si interpreteris, Puella (tibi dico) surge.

42 Et statim surrexit puella, & ambulabat: erat enim annorum duodecim. & obstupuerunt stupore magno.

43 *Ipse* verò multùm imperavit eis nequis id resciret: dixitque ut daretur puellæ quo vesceretur.

36 Jeschua autem audivit sermonem quem dixerunt: & dixit illi principi synagogæ, Ne metuas: solummodo crede.

37 Neque permisit cuiquam ut abiret secum, nisi Schemeun Cipha, & Jaakub, ac Juchannan, fratri Jaakub.

38 Et venerunt in domum illius principis synagogæ, & vidit quòd tumultuarentur, & flerent, & ejularent.

39 Ingressusq; est, & dixit eis, Cur tumultuamini & fletis? puella non est mortua, sed dormit.

40 Et deridebant eum. Ipse autem Jeschua exire fecit omnes eos, & accepit patrem puellæ & matrem ejus & eos qui secum erant, & intravit illuc ubi jacebat puella.

41 Et apprehendit manum puellæ, & dixit ei, Puella surge.

42 Et in illa hora surrexit puella, & ambulabat. Erat enim Filia [15] annorum duodecim, & admirabantur admiratione magna.

15 Id est, nata duodecim annos. Hebraismus.

43 Et præcepit eis multùm ne quis cognosceret illud, dixítque ut darent ei ad comedendum.

CAPUT VI.

1 Prædicans Christus à suis in patria contemnitur. 6 Incredulitas Nazarethanorum. 7 Mittuntur Apostoli. 13 Ejiciunt dæmonia, ungunt ægrotos. 14 Judicium Herodis de Christo. 18 Johannes quare conjectus in carcerem. 22 Saltare. 27 Johannes decollatus: 29 sepultus. 30 Apostoli reversi à prædicatione. 34 Christus docet in deserto: 37 pascit populum quinque panibus. 48 Apostoli vexantur in mari. 56 Sanantur infirmi tactu vestimenti Christi.

|| *Matth.* 13.54. *Luc.* 4.16.
a B. Mundus incredulus nihil quidem de Christi virtute detrahit, sed oblata ejus efficacia seipsum privat sciens ac prudens.
b Per virtutes intelligit mirifica illa Christi facta, quæ divinam ipsius virtutem declarabant.
c Hebræorum more, qui per fratres & sorores intelligunt agnatos omnes.
|| *Joh.* 4.44.
d Non tantùm cui justus non tribuitur honor, sed & qui afficitur contumelia.
e Neque voluit. ad divina enim opera requiritur accipientis fides. ergo hinc sequitur homines incredulos, & ingratos quasi Deo manus vincire ne ipsis opem ferat.
|| *Matt.* 4.23. *Luc.* 13.22.
f B. Peculiari legatione præparantur ad generalem illum Apostolatum.

ET || a egressus est illinc, venítque in patriam suam: & sequuti sunt eum discipuli ejus.

2 Quumq; advenisset Sabbathum, cœpit in synagoga docere; multiq; audientes percellebantur, dicentes, Unde huic ista? & quæ est hæc sapientia quæ data est ei, quòd etiam b virtutes tales per manus ejus edantur?

3 Nónne iste est faber ille, filius Mariæ, frater Jacobi & Jose & Judæ & Simonis? nónne & c sorores ejus hîc sunt apud nos? Et offendebantur in ipso.

4 Dicebat autem eis Jesus, || Non est propheta d inhonoratus nisi in patria sua, & inter cognatos, & domi suæ.

5 e Neque potuit illic virtutem ullam edere, nisi *quòd* quum paucis ægrotis imposuisset manus, sanavit *eos*.

6 || Mirabaturq; propter incredulitatem eorum, & circuibat vicos in orbem, docens.

7 f || Tunc advocavit duodecim illos, cœpitq; eos mittere g binos; deditq; eis potestatem *adversus* spiritus impuros.

8 h Et præcepit eis ut nihil sumerent ad iter, nisi virgam tantùm, non peram, non panem, non æs in zona:

9 Sed *ut* calcearentur || i sandaliis: & ne k induerentur binis tunicis.

10 Et dicebat eis, Ubicumque introieritis domum, l illic manete, usquedum exeatis illinc.

11 m || Et quicumque non exceperint vos, neque audierint vos, egressi illinc, || excutite pulverem

ET egressus est illinc Jeschua, ac venit in civitatem suam: & adhærebant ei discipuli ejus.

2 Quumq; esset sabbathum, cœpit docere in synagoga: & multi qui audierunt, mirati sunt, & dicebant, Unde huic ista? Et quæ est sapientia quæ data est ei, ut virtutes hujusmodi per manus ejus fiant?

3 Nónne erat iste faber, filius Mariam, & & frater Jaakub, Jusi, & Jihuda, & Schemeun? Et nónne sorores ejus hîc sunt apud nos? Et offendebantur in ipso.

4 Dixitq; eis Jeschua, Non est propheta [1] qui sit parvus, nisi in regione sua & loco fratrum suorum, & in domo sua.

1 Id est, Qui parvi fiat, & despectui habeatur.

5 Neque poterat facere illic ne unam quidem virtutem, nisi quòd ægrotis paucis imposuit manum suam, & sanavit *eos*.

6 Et mirabatur ob defectum fidei eorum. Et circuibat [2] per agros, docens.

2 Vel per pagos.

7 Et vocavit suos duodecim, cœpitq; mittere eos [3] duos duos: & dedit eis potestatem adversus spiritus impuros, ut ejicerent eos.

3 Id est, Binos, Gallicè *deux à deux*. Hebraismus.

8 Et præcepit eis ut non acciperent quicquam ad iter, nisi virgam tantùm: non [4] viatorium saccum, neque panem, neque æs in crumenis suis.

4 תרמילא propriè significat saccum quo utuntur, qui iter faciunt ad imponendum cibum necessarium ad iter, ut apparet in paraphrasi Chald. in Ruth, cap. 2.17.

9 Sed calcearent soleas, neque induerent duas tunicas.

10 Et dixit eis, In quam domum ingressi fueritis, illic estote usquedum exiveritis illinc.

11 Et quicumque non receperint vos, & non audiverint vos, quum egrediemini inde, excutite pulverem

|| *Matt.* 10.1. *sup.* 3.14. *Luc.* 9.1. g Ad verbum, duo, duo, Heb. i. singula ablegavit paria. h B. Fidis pastoribus ne de rebus quidem alioqui ad hanc vitam necessariis cogitandum, si vel tantillùm eos remorentur. || *Act.* 12.8. i Sandalium propriè est calceamentum muliebre quod plantas pedum modò tuebatur ab injuria, supernè ansulis quibusdam aut funiculis alligatum. k Id est, vestes sibi assumerent mutatorias, scilicet, ut expeditiores essent ad hanc obeundam peregrinationem. l I. Ne in ista subita peregrinatione immutetis hospitia vestra. m Dominus servorum suorum severissimus vindex. || *Mat.* 10.14. *Luc.* 9.5. || *Act.* 13.51. & 18.6.

pulverem qui est sub pedibus vestris in testimonium illorum. Et ammin dico vobis, quòd erit tolerabilius Sedum & Amurra in die judicii quàm urbi illi.

12 Et egressi sunt, & prædicaverunt ut converterentur.

13 Et dæmonia multa ejiciebant: ac ungebant oleo ægrotos multos, & sanabant.

14 Et audivit Hiraudis rex de Jeschua (innotuerat enim ei nomen ejus) & dicebat, Juchannan Baptista surrexit [5] à mortuis: propter hoc virtutes fiunt per eum.

15 Alii dicebant, Iliah est: & alii, Propheta est sicut unus ex prophetis.

16 Quumq; audivisset Hiraudis, dicit, Juchannan est, cujus ego amputavi caput: ipse surrexit [6] à mortuis.

17 Ipse enim Hiraudis miserat ac apprehenderat Juchannan, ac conjecerat in locum vinctorum, propter Hiraudiah uxorem fratris sui Philippi quam acceperat.

18 Dicebat enim Juchannan Hiraudi, Non licet tibi ut accipias uxorem fratris tui.

19 Ipsa autem Hiraudiah [7] impugnabat eum, & volebat interficere eum: nec poterat.

20 Hiraudis enim metuebat à Juchannan, eo quòd sciebat quòd vir esset justus & sanctus, & observabat eum, & [8] multa audiebat ab eo, & faciebat, & libenter audiebat eum.

21 Et factum est certo quodam die, quum Hiraudis [9] in domo nativitatis suæ cœnam fecisset proceribus suis & chiliarchis, & primoribus Galilææ:

22 Et ingressa esset filia Hiraudiah: saltaret placeretq; ipsi Hiraudi & iis qui discumbebant cum eo: & dixit rex puellæ, Pete à me id quod volueris, & dabo tibi.

23 Et juravit ei, Quicquid petieris à me, dabo tibi, usque ad dimidium regni mei.

24 Tunc egressa est, & dixit matri suæ, Quid petam ab eo? Dixit ei, Caput Juchānan Baptistę.

25 Et illico ingressa est cum solicitudine ad regem, & dixit ei, Volo hac hora ut des mihi in patina caput Juchannan Baptistæ.

26 Et tristitia fuit multa regi: propter autem juramentū & propter accumbentes noluit [10] fraudare eam.

27 Sed illico misit rex [11] spiculatorem, & præcepit ut adferret caput Juchannan. Et abiit, & amputavit caput Juchannan in loco vinctorum.

28 Et [12] adduxit in patina, ac dedit puellæ: & ipsa puella dedit matri suæ.

29 Et audiverunt discipuli ejus, & venientes acceperunt cadaver ejus, & posuerunt in loco sepulcri.

30 Et congregati sunt Apostoli ad Jeschua, & retulerunt ei quicquid fecissent, & quicquid docuissent.

31 Et ait eis, Venite, abeamus in desertum seorsim, & quiescite paululùm. Erant enim multi qui abibant & veniebant: nec erat eis opportunitas ne ad comedendum quidem.

32 Et abierunt in locum desertum navigio seorsim.

33 Et viderunt eos multi abeunteis, & agnoverunt eos, & in arida occurrerunt ex omnibus civitatibus, & anteverterunt eum illuc.

34 Et

5 Ad verb. Ab inter mortuos: cui respondet Gallica phrasis, *d'entre les morts*, ut antè observatum. F. vel è domo mortuorum: sic etiam altero pòst versu.
6 Ad verb. Ab inter mortuos, ut paulò antè.
7 Subaudi verbis: hoc est, Acriter minitabatur ei. Hoc enim sensu idem verbum sæpe legitur, Act. 4. & Epist. Pet. cap. 2.
8 i. Ejus hortatu & consilio multa faciebat.
9 i. In domo ubi celebrabat epulum natalitiorum suorum.
10 F. i. recusare contra fidem datam. Hæc enim propria est Syri verbi significatio.
11 F. sic vocant Tacitus & Jurecos. l. divus. §. 1. ff. de bonis damnatorum. Glossarium vetus, spiculator ὁ ἀποκεφαλίζων, δήμιος. sic lege pro spiculatus. Sic autem à spiculo quod circumferebat miles decollandi artifex appellatur; hoc enim fuit illius ὅπλον. Etsi σπεκουλάτωρ hic & apud Suidam scribitur per ε, quia frequentata est apud veteres cùm in sermone, tum in scriptura i & e permutatio: unde & speculatoriam caligam Tertullianus appellavit.
12 F. vel attulit.

rem qui suberit pedibus vestris, ut hoc sit testimonium adversus eos. Amen dico vobis, tolerabilior erit Sodomorum *conditio* aut Gomorrhorum in die judicii, quàm urbis illius.

12 Egressi igitur *illi* proclamabant [n] ut resipiscerent *homines*.

13 Et dæmonia multa ejiciebant, [I] ungebantq; [o] oleo multos ægrotos, & sanabant *eos*.

14 [I] [p] Audivit autem *hæc* rex Herodes, (clarum enim factum erat nomen ejus) dixitq;, Johannes ille qui baptizabat, suscitatus est ex mortuis, & propterea [q] virtutes agunt in eo.

15 Alii dicebant, Elias est. Alii verò dicebant, Propheta est, vel unus ex prophetis [r] illis.

16 [s] [I] Quum igitur *hæc* audisset Herodes, ait, Iste est Johannes quem ego [t] decollavi: ipse suscitatus est ex mortuis.

17 Ipse enim Herodes missis *satellitibus* prehenderat Johannem, & vinxerat eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam uxorem.

18 Dicebat enim Johannes Herodi, [I] Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19 Herodias autem [u] imminebat ei, & cupiebat eum trucidare: nec poterat.

20 Herodes enim metuebat Johannem: sciens eum *esse* [I] virum justum ac sanctum, & observabat eum, auditoq; eo multa faciebat, & [x] libenter eum audiebat.

21 Quum igitur dies opportunus adesset, quo tempore Herodes in natalitiis suis cœnam faciebat proceribus suis [y] ac chiliarchis & primariis Galilææ:

22 Et introisset filia ipsius [z] Herodiadis, ac saltasset, placuissetq;, Herodi, & simul accumbentibus, rex ait puellæ, Pete à me quodcumque volueris, & dabo tibi.

23 Juravitq; ei, Quodcumque à me petieris, dabo tibi, usque ad dimidium regni mei.

24 At illa [a] egressa dixit matri suæ, Quid petam? Illa verò dixit, Caput Johannis Baptistæ.

25 *Puella* igitur cum festinatione statim ad regem ingressa, *id* petiit, dicens, Velim [b] ut iam nunc des mihi in patina caput Johannis Baptistæ.

26 Rex autem valdè tristis factus, noluit *tamen*, propter jusjurandum & eos qui simul accumbebant, eam aspernari.

27 Et statim rex misso [c] spiculatore, imperavit ut afferretur caput ejus.

28 Ille verò abiit, ac decollavit eum in carcere: attulitq; caput ejus in patina, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ.

29 Quumq; *hoc* audissent discipuli ejus, venerunt, & sustulerunt cadaver ejus, & posuerunt in monumento.

30 [I] Coacti sunt autem Apostoli ad Jesum, & annunciaverunt ei omnia, & quæ egerant, & quæ docuerant.

31 [d] Et dixit eis, Venite vos seorsim in desertum locum, & requiescite paululum. Erant enim multi venientes & abeuntes: & [e] ne cibum quidem capere ipsis vacabat.

32 [I] Abierunt igitur in desertum locum navigio seorsim.

33 Vidit autem eos abeuntes turba, & agnoverunt eum multi: & pedibus ex omnibus civitatibus concurrerunt illuc, prævenerunt q; eos, & convenerunt ad eum.

34 [I] Tunc

n Hæc summa & caput prædicationis Johannis, Christi, & Apostolorū fuit, quod diligenter animadvertendum est.
I Jac. 5. 14.
o Oleum illud, symbolum fuit mirificæ istius virtutis, Non autem medicamentum quo morbos curarent. Porrò quum jampridem temporarium illud donum cessârit, ceremonia quæ alicubi retinetur, est inutilis.
I *Mat.* 14. 1. *Luc.* 9. 7.
p B. Evangelium pios confirmat, impios perturbat.
q Hoc loco virtutis nomen, pro vi faciendorum miraculorum sumitur.
r Veteribus.
s B. Vide annotata apud Matt.
I *Luc.* 3. 19.
t Id est, cui caput jussi amputari.
I *Lev.* 18. 16.
u Occasiones captabat quibus noceret.
I *Mat.* 22. 26.
x Tyrannus libenter audiebat in se sententiam ferri, sed semen cadebat in loca petrosa.
y Chiliarchi, Græcè sonat eos qui millenis præfecti sunt, ut militum tribunos intelligas.
z Quam Herodias sustulerat, non ex Herode Antipa, sed ex Philippo: illam Josephus Salomen vocat.
a Non enim solebant mulieres cum viris accumbere.
b Ad verb. ex hac, videlicet hora.
c Spiculatores erant regis satellites, à spiculis gerendis dicti.
I *Luc.* 9. 10.
d B. Christum vel per ipsa deserta sectantibus non modò nihil deerit, sed etiam multum supererit. Et quàm turpe ab eo qui vitam æternam donat, hanc caducam non exspectare? e Ad verb. non erat tempus, id est, opportunitas ad manducandum. Hic autem consideranda est Christi humanitas, qui suorum imbecillitatem agnoscens & irremissorum laborum molestiam, spatium & locum dat quiescendi. I *Matth.* 14. 13. *Luc.* 9. 10.

34 [l] Tunc egressus vidit turbam multam Je-
sus, & commiseratione intima commotus est su-
per eis, quoniam erant ut oves non habentes pa-
storem: cœpitq; eos docere multa.
35 [e] Quum autem jam [f] multus dies esset, ad-
ierunt eum discipuli ejus, dicentes, Desertus est
locus iste, & jam multus dies est:
36 Dimitte eos, ut abeuntes in circumjacen-
tes agros ac vicos, emant sibi panes: nam quo ve-
scantur non habent.
37 At ille respondens dixit eis, Date vos ipsis
quo vescantur. Tunc dicunt ei, *Num* [g] profecti
emerimus [h] ducentis denariis panes, & dederi-
mus eis quo vescantur?
38 Ipse verò dixit eis, Quot panes habetis?
abite & videte. [e] Et *illi* re cognita, dixerunt, Quin-
que, & duos pisces.
39 Tunc imperavit eis ut facerent discumbe-
re omnes [i] per convivia super viridi gramine.
40 Discubuerunt igitur sigillatim per [k] areo-
las, *partim* centeni & *partim* quinquageni.
41 Et acceptis quinque illis panibus, ac duo-
bus illis piscibus, quum suspexisset in cælum, [l] be-
nedixit, ac fregit panes: deditque discipulis suis
ut illis apponerent: & duos pisces partitus est
omnibus.
42 Comederuntq; omnes, & saturati sunt.
43 Et sustulerunt fragmentorum duodecim
cophinos plenos, & ex piscibus.
44 Erant autem qui comederant quasi quin-
quies mille viri.
45 [m] Et statim coëgit discipulos suos inscen-
dere navigium, & præire in ulteriorem *ripam*
Bethsaidæ oppositam, dum ipse dimitteret tur-
bam.
46 Et quum amandasset eos, abiit in montem
ad precandum.
47 [e] Quum autem serum *diei* adesset, erat na-
vigium in medio mari, & ipse solus in terra.
48 Viditq; eos vexatos in *navigio* [n] provehen-
do: (erat enim ventus eis contrarius) & circa
[o] quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans
super mare: volebatq; eos præterire.
49 Illi verò viso eo ambulante super mare, pu-
tàrunt spectrum esse: & exclamaverunt:
50 (Omnes enim videbant eum, & turbati
sunt) sed statim loquutus est cum eis, & dixit,
Confidite, ego sum, ne timete.
51 Tunc ascendit ad eos in navigium, quie-
vitq; ventus: & *ipsi* [p] multo magis apud sese ob-
stupescebant, & mirabantur.
52 [q] Non enim intellexerant *quod factum fue-*
rat illis panibus: quoniam cor eorum stupidum
erat.
53 Et quum trajecissent venerunt in terram
Genezaret: & appulerunt.
54 [r] Tunc ipsis egressis è navigio, statim agni-
to eo,
55 Percursa tota illa circumjacente regione,
homines loci illius cœperunt in grabbatis malè af-
fectos circumferre ubi audiebant eum esse,
56 Et quocumque introisset in vicos, aut
urbes, aut agros, in foris ponebant ægrotos: &
precabantur eum ut vel fimbriam pallii ipsius
tangerent; & quotquot tangebant [f] eum, [t] ser-
vabantur.

[l] *Matth.* 9.36. & 14.14. *Luc.* 9.11.

[e] *Matt.* 14.15.

f Horarum numero jam aucto, ad verb. quum jam hora multa fieret, id est, vergente ad noctem die.

g Interrogatio cum admiratione atque adeò cum ironia conjuncta, qua utuntur qui indignantes negant se aliquid facturos.

h Ducentorum denariorum est pecunia hodie usitata, coronatorum vel ducatorum quasi 20.

[e] *Matt.* 14.17. *Luc.* 9.13. *Joh.* 6.9.

i Ad verb. per convivia, convivia, Hebræorum more, qui carent distributivis, Supr. 6.7. Convivia autem vocat distinctiones ordinum eorum qui accubuerunt.

k Vel areolatim, ad verb. areolis, areolis. Heb. ut suprà.

l id est, Gratias egit Deo Patri, & nomen ejus invocavit.

m B. Fidos servos Dei post leves labores manet gravissima tempestas, quam absens corpore Christus virtute præsens, sic moderatur, ut quo tempore & qua ratione minimè exspectant, in fœlicitatis portum provehantur. Vera Ecclesiæ in hoc mundo fluctuantis imago.

[e] *Matt.* 14.23. *Joh.* 6.15.

n Provehunt remis nautæ navigium, id est, remis agunt.

o Nox in quatuor custodias erat divisa.

p Tantum abest, ut quum cognovissent spectrum non esse, desierint obstupescere, ut etiam multò magis quàm anteà fuit perculsi, quum viderent ventos ac mare ipsius imperio acquievisse. q Miraculum illud quinque panum, vel non perceperant, vel non satis consideraverant, adeò ut virtus ista Christi illis non minus esset nova quàm si miraculo illi recèns facto non interfuissent. r B. Christus in patria rejectus, ex improviso ad eos appellens à quibus minimè exspectabatur, recipitur magno ipsorum bono. f Vel eam sub fimbriam. t Recuperabant sanitatem.

34 Et egressus est Jeschua: vidit turbas mul-
tas, & misertus est super eis, quòd similes essent
ovibus quibus non est pastor. Et incipiebat do-
cere eos multa.
35 [13] Quumq; esset tempus multum, accesse-
runt ad eum discipuli ejus, & dixerunt ei, Hic
locus desertus est, & tempus multum est *pro-*
gressum.
36 Dimitte eos ut abeant in agros qui circum-
jacent eis, & in pagos, & emant sibi panem. Non
enim est eis aliquid ad comedendum.
37 Ille autem dixit eis, Date ipsis vos ad e-
dendum. Dicunt ei, [14] Ibimus ememus ducen-
torum denariorum panem, & dabimus eis *ut*
edant?
38 Ille autem dixit eis, Abite, videte quot pa-
nes sunt vobis hic. Et quum vidissent, dicunt ei,
Quinque panes, & duo pisces *sunt nobis*.
39 Et præcepit eis ut discumbere facerent u-
numquemque [15] discumbentes discumbentes su-
per herbam.
40 Et discubuerunt [16] *per* discubitus discubitus,
qui *erant* centeni centeni, & quinquageni quin-
quageni.
41 Et accepit quinque illos panes, & duos
pisces, & suspexit in cælum, & benedixit ac fregit
panem: deditque discipulis suis ut apponerent
illis. Illos quoque duos pisces partiti sunt illis
omnibus.
42 Et comederunt omnes, & saturati sunt.
43 Et sustulerunt fragmentorum duodecim
cophinos plenos, & de piscibus.
44 Erant autem qui comederant panem,
quinque millia virorum.
45 Et statim coëgit discipulos suos ut ascen-
derent in navigium, & abirent ante se [17] in ad-
versum littus Beth-Tzaida, dum dimitteret ille
turbas.
46 Et quum dimisisset eas, abiit in montem ad
orandum.
47 Quum autem esset vespera, navigium erat
in medio mari, & ipse solus super terram.
48 Et vidit eos quòd seipsos [18] vexarent remi-
gantes: (ventus enim eis contrarius erat) & in cu-
stodia quarta noctis venit ad eos Jeschua ambu-
lans super aquas, & volebat præterire eos.
49 Illi autem viderunt eum quòd ambularet
super aquas, & putaverunt [19] quòd visio esset fal-
sa, & clamaverunt.
50 Omnes enim viderunt eum, & timuerunt.
Et eadem hora loquutus est cum eis, & dixit eis,
[20] Bono animo estote: ego sum: ne timeatis.
51 Et ascendit ad eos in navigium, & desiit
ventus: & valdè admirabantur, & stupescebant
apud seipsos.
52 Non enim intellexerunt de pane illo, pro-
pterea quòd cor eorum [21] crassum erat.
53 Et quum transivissent [22] oppositum littus,
venerunt in terram [23] Genesar.
54 Et quum egressi essent è navigio, eadem
hora conspicati sunt eum homines ejus loci.
55 Et cucurrerunt per totam illam regionem,
& cœperunt adducere eos [24] qui pessimè affecti
erant, ferentes eos in grabbatis eò ubi audiebant
quòd ille esset.
56 Et quocumque introivisset in pagos & in
civitates, in foris ponebant infirmos, & petebant
ab eo ut saltem fimbriam vestimenti ejus tange-
rent. Et omnes qui tangebant eum, sanabantur.

13 i. ejus sermones protracti fuissent in multum tempus, & serum esset.

14 F. i. euntésne emturi essemus cibum ducentis denariis, &c.

15 F. i. distributis ordinibus per numeros certos discumbentes, ut exponitur sequente versu. Est enim hæc distributiva loquendi forma Hebræis & Syris receptissima, vide in Matt. 17.24.

16 i. diversos ordines, quò interordinium aliquod esset inter discumbentium series, ad apponendos & colligendos panes.

17 Ad verbum, In transitum. Hebraismus antè notatus.

18 Vox Syriaca est רדין, quæ propriè significat arantes: sed per metaphoram ab agricolis ad nautas transfertur, ut etiam apud Latinos poëtas, qui dicunt Sulcare æquor.

19 Spectri periphrasis est & inanis visionis.

20 Syrè, cordati estote.

21 Id est, Stupidum, F. vel nubilum, obnubilatum, obductum vel offusum nube.

22 Ad verbum, Transitum, Heb.

23 De Genesar vide Matt. 14.34.

24 Ad verb. Malè malè. Vox geminata loco superlativi, ut antè notatum.

CAPUT VII.

2 *Apostoli reprehenduntur comedentes illotis manibus.* 4 *Pharisæorum doctrina de lotionibus.* 6 *Hypocritæ.* 8 *à quibus præcepta hominum, præceptis Dei præferuntur.* 10 *Parentes honorandi.* 14 *Quæ sunt quæ verè coinquinant hominem.* 25 *Chananæa.* 32 *Surdus mutus sanatur.*

ET congregati sunt ad eum Pharisæi & Legisperiti, qui venerant ex Urischelem.

2 Et viderunt quosdam ex discipulis ejus qui comedebant panem non lavantes manus suas, & conquesti sunt.

3 (Omnes autem Judæi & Pharisæi, nisi diligenter laverint manus suas, non edunt,[1] quia retinent traditiones seniorum.

4 Et è foro *venientes* nisi abluant se, nō edunt. Et multa alia sunt quæ acceperunt ut observent, *nempe* lotiones poculorum, & lagenarum, & vasorum æris, & lectorum)

5 Et interrogaverunt eum Legisperiti & Pharisæi, Quare discipuli tui[2] non ambulant secundùm traditiones seniorum, sed quum non lavent manus suas, comedunt[3] panem?

6 Ille autem dixit eis, Benè de vobis vaticinatus est Isaiah propheta,[4] hypocritæ, sicut scriptum est, Populus iste labiis suis honorat me, cor autem eorum valdè remotum est à me.

7 Et frustrà reverentiam exhibent mihi, docentes doctrinas mandatorum filiorum hominis.

8 Dereliquistis enim mandata Dei, & retinetis traditiones filiorum hominis, *nempe* lotiones poculorum & lagenarum, & multa quæ his similia sunt.

9 Dixit *etiam* eis, Egregiè rejicitis mandata Dei, ut stabiliatis traditiones vestras.

10 Musche enim dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam, &, Qui maledicit patrem aut matrem,[5] morte moriatur.

11 Vos autem dicitis, Si dixerit quispiam patri suo aut matri suæ,[6] Oblatione mea quæ est à me juvaberis.

12 Et non finitis eum ut faciat aliquid patri suo aut matri suæ.

13 Et rejicitis sermonem Dei propter traditionem quam tradidistis: & similia his multa facitis.

14 Et vocavit Jeschua turbam universam, & ait eis, Audite me vos omnes, & intelligite.

15 Non est quicquam quod extra filium hominis est, & ingreditur in eum, quod possit polluere eum: sed id quod egreditur ab eo, id est quod polluit filium hominis.

16 Is cui sunt aures ut audiat, audiat.

17 Quum autem introisset Jeschua in domum à turba, interrogaverunt eum discipuli ejus de parabola ista.

18 Dixit eis, sic etiam vos hebetes estis? Ignoratis vos quòd quicquid extrinsecùs ingreditur in filium hominis,[7] non potest polluere eum?

19 Quia in cor ejus non introit, sed in ventrem ejus: & ejicitur in secessum, qui purgat omnem escam.

20 Id autem quod egreditur à filio hominis, illud polluit filium hominis.

21 [8] E medio enim, *hoc est* è corde filiorum hominis, exeunt cogitationes malæ, adulterium, scortatio, furtum, cædes,

22 Avaritia, malitia, fraus,[9] fœtor, oculus

[1] Videntur hinc etiam nomen obtinuisse פרישים, id est, Pharisæorum, à פרש, quod est Explicavit, Exposuit: quòd, non ut Tsadukçi, τῷ ῥητῷ insisterent, sed quæ in commentariis doctores tradidissent, amplecterentur.

[2] Id est, Non vivunt. Hebraismus admodum frequens.

[3] Id est, Cibum.

[4] Ad verbum. Assumentes vultum, ut sæpe notatum est.

[5] i. Omnino moriatur. Hebr.

[6] Oratio est concisa: & supplenda aliqua sunt, hoc modo videlicet, Persuadetis filiis quòd satisfaciant parentibus, siquid ex suis facultatibus Deo sponte offerant, eo quòd oblatione illa favorem Dei concilient parentibus: præposita vestra doctrina filios avertitis a pietate erga parentes. F. Etsi commodè quoque sine ellipsi vel anantapodoto exponi potest hoc modo, vos autem dicitis, si dixerit quispiam patri suo aut matri suæ, oblatione mea quę est à me juvaberis, & hunc ampliùs non finitis quicquam facere, &c. id est, hunc immunem ab omni officio reliquo & pietate in parentes pronunciatis: vide in Mat. 15.6.

[7] F. Syrè, non est potens contaminans.

[8] F. vel ab interno, ut exponitur versu 23, sive intrinsecùs.

[9] Ab effectu designat ebrietatem, quę hominem fœtidum reddit. Eodem sensu accipitur 1. Pet. 4.3. F. videtur enim interpres legisse ὄζειν.

TUnc[t] [a] coguntur ad eum Pharisæi, & quidam ex Scribis, qui venerant Hierosolymis.

2 [b] Et quum vidissent quosdam ex discipulis ejus [c] pollutis manibus (id est illotis) [d] edere panem, conquesti sunt.

3 Nam Pharisæi & omnes Judæi, nisi [e] pugno laverint manus, non edunt, [f] tenentes traditionem seniorum.

4 [g] Et à foro *venientes*, nisi loti fuerint, non edunt. Et alia multa sunt quæ acceperunt tenenda, *nempe* lotiones poculorum, & [h] sextariorum, & æramentorum & lectorum.

5 Deinde interrogarunt eum Pharisæi & Scribæ, Quare discipuli tui non [i] ambulant secundùm traditionem Seniorum, sed illotis manibus edunt panem?

6 [k] Ille verò respondens dixit eis, Benè certè prophetavit Esaias de vobis hypocritis: ut scriptum est, [l] Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum procul abest à me.

7 [l] Frustrà verò me colunt, docentes doctrinas, *quæ sunt* mandata hominum.

8 [m] Nam omisso mandato Dei, tenetis traditionem hominum, lotiones [n] sextariorum & poculorum: aliáque similia hujusmodi multa facitis.

9 [o] Præterea dixit eis, [p] *Sanè* bellè aboletis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis.

10 Moses enim dixit, [q] Honora patrem tuum & matrem tuam: &, [r] Qui maledixerit patri vel matri, [q] morte moriatur.

11 Vos autem dicitis, Si dixerit quispiam patri vel matri [r] Corban (id est donum) *est* quocumque à me juvari posses, *insons erit*.

12 [s] Nec permittitis ampliùs eum quicquam præstare patri suo aut matri suæ:

13 [t] Irritum facientes sermonem Dei traditione vestra quam tradidistis: & similia hujusmodi multa facitis.

14 [u] Advocata etiam tota turba, dixit eis, Audite me omnes, & attendite.

15 Nihil est extra hominem quod ingrediens in eum, possit eum polluere: sed quæ egrediuntur ex eo, illa sunt quæ polluunt hominem.

16 Siquis habet aures ad audiendum, audiat.

17 Et quum introisset domum *digressus* à turba, interrogârunt eum discipuli ejus de parabola.

18 Tunc dicit eis, Itáne & vos intelligentia caretis? non intelligitis quicquid extrinsecùs ingreditur in hominem, non posse eum polluere?

19 Non enim ingreditur in cor ejus, sed in ventrem: & in latrinam abit, [w] purgans omnes escas.

20 Dicebat autem, quod ex homine egreditur, illud polluere hominem.

21 [x] Intus enim, ex corde hominum malæ cogitationes egrediuntur, adulteria, scortationes, cædes,

22 Furta, [x] augendæ rei artes, [y] scelera, dolus,

[t] *Matt.* 15.2.

[a] B. Nulli magis resistunt sapientiæ Dei, quam quos oportuit omnium esse sapientissimos: idq; suarum traditionum zelo, quoniam nulla in re sibi magis quàm in superstitione, (id est commentitio Dei cultu) homines placent.

[b] Disputationi de verbo Dei & doctrina sana subjungitur tractatus de traditionibus humanis.

[c] Ad verb. communibus. Pharisęi siquidem illotis manibus cibum capi nolebant, quod illas communi rerum attrectatione pollui existimarent, Matt. 15.11.

[d] i. comedere cibum. Heb.

[e] Iterum atque iterum: metaphora ducta à pugilibus qui iteratis pugnis decertant, πυγμὴ enim est illa pugna: vel de Judæis dicitur, qui pugnum palma lavando fricarent.

[f] Studiosè observantes.

[g] i. & à forensibus negotiis ne cibum quidem capiunt nisi priùs sese in aquas demerserint.

[h] Horum appellatione intelliguntur omnis generis vasa, quotidianis usibus destinata.

[i] Non instituunt vitam. Heb. Apud Heb. enim via est genus vitę.

[k] B. Hypocrisis, perpetua superstitionis comes.

[l] *Esai.* 29.13.

[l] B. Quo magis satagunt superstitiosi, eo magis delirant dum sibi promittunt se Deum demereri.

[m] B. Superstitiosorum commenta Legem Dei non modò non perficiunt (ut ipsi non sine blasphemia vulgo persuadent) sed etiam penitùs tollunt. [n] Sextarius dicitur quòd sit sexta pars congii, quę mensura apud antiquos tam liquidis quàm aridis serviebat. [o] B. Vera religio superstitioni ex diametro repugnans, in spirituali cultu consistit: & omnes veræ religionis hostes, quantumvis altè radices egisse videantur, evellentur. [p] Ironia. [q] *Exod.* 20.12. *Deu.* 5.16. *Ephe.* 6.2. [r] *Exo.* 21.17. *Lev.* 20.9. *Pro.* 20.20. [q] Sine spe venię morte mulctetur. [r] Mat. 15.5. [s] i. Qui pecuniam misit in Gazophylaciū, huic dicitis, non esse jam opus ut quicquam impertiat egentibus parentibus, quòd pręcepto Dei sit factū satis: & interim superstitione deterretis parentes, ne audeant a filiis exigere, quod semel Deo dicatum videtur, ne sacrilegio sese reddant obnoxios. [t] Id est, vestris constitutionibus populum onerantes efficitis ut sanctissima Dei præcepta negligat populus tamquam antiquata & abrogata. [u] *Matt.* 15.10. [w] Quod enim in latrinam vadit dicitur expurgare omnes cibos, quoniam est cibi fæx, & purgamentum. [x] *Gen.* 6.5. & 8.21. [x] Omnis generis versutiæ, quibus alii ex aliorum incommodis sua captant commoda. [y] inveterata malitia.

malus, protervia,

protervia, [z] oculus malus, obtrectatio, superbia, amentia.

23 Omnia hæc scelera intùs exeunt, & polluunt hominem.

24 [a] [1] Et illinc surgens abiit in [b] confinia Tyri ac Sidonis: & ingressus domum, neminem volebat *hoc* scire: sed non potuit latere.

25 Quum enim de eo audisset mulier, cujus filiola habebat spiritum impurum, venit, & accidit ad pedes ejus:

26 (Erat autem mulier [c] Græca, [d] Syrophœnissa gente) & rogavit eum ut dęmonium ejiceret ex filia sua.

27 Jesus autem dixit ei, Sine priùs saturari liberos: non est enim bonum accipere panem liberorum, & objicere [e] catellis.

28 Ipsa verò respondit, & dixit ei, [f] Etiam Domine: sed enim catelli edunt sub mensa ex micis puerorum.

29 Tunc dixit ei, Propter istum sermonem abi, exiit dæmonium ex filia tua.

30 Quum autem *illa* abiisset domum suam, invenit dęmonium exisse, & filiam projectam super lectum.

31 [g] Tunc regressus è finibus Tyri ac Sidonis, venit ad mare Galilææ, per medios fines [h] Decapolis.

32 Et offerunt ei surdum [i] difficulter loquentem: & precantur eum ut imponat ei manum.

33 *Ipse* verò quum [k] abduxisset eum è turba privatim, misit digitos suos in auriculas ejus: & quum spuisset, tetigit linguam ejus.

34 Et quum suspexisset in cælum, [l] ingemuit, dixitq; ei, Ephphatha, quod est, Adaperitor.

35 Et statim adapertæ sunt ejus aures: & solutum est vinculum linguæ ipsius, & loquebatur rectè.

36 Et interdixit eis necui dicerent. sed [m] quantumcumque ipse eis interdixisset, multo magis [n] *hoc* prædicabant.

37 Et supra modum percellebantur, dicentes, Benè omnia fecit: facit ut & surdi audiant, & muti loquantur.

[z] Vide Matt. 20. 15. Heb. pro invidia.
[a] B. Quod oblatum repudiant superbi, hoc velut extorquent modesti, & humiles peccatores.
[1] *Matt.* 15.21.
[b] In extremos Palæstinæ fines, vicinos Tyro & Sidoni.
[c] Religione prophana.
[d] Vicina Damasco.
[e] Utitur diminutivo, ut majore cum contemtu loqui videatur.
[f] Quasi dicat, Ita se res habet ut tu dicis, nam satis debet esse catellis si vel micas excipiant. micas igitur peto, non filiorum panem.
[g] B. Sicut nos initio Pater in uno filio ad hanc vitam condidit, ita etiam in eodem uno ad futuram vitam instaurat.
[h] Regiuncula erat, sed dicta à decem urbibus, quas intercursant & cingunt tetrarchiæ, Plinius lib. 3. cap. 18.
[i] Balbum.
[k] Acceptum ab illorum manibus.
[l] Hinc perspicitur quàm singularis fuerit Christi amor erga homines quorũ miseriis ita condoluit.
[m] Quo plus.
[n] Sub. quàm si ille non prohibuisset.

malus, maledicentia, superbia, amentia.

23 Hęc omnia mala ab interno exeunt, & polluunt filium hominis.

24 Inde surrexit Jeschua, & venit in confinium Tzur & Tzaidan, & ingressus est in domũ quamdam: nec volebat ut quisquam hoc sciret: & non potuit latere.

25 Illico enim audivit mulier quædam de eo, cujus filiæ spiritus erat impurus, & veniens procidit ante pedes ejus,

26 (Illa autem mulier prophana erat ex Phœnice Syriæ) & petebat ab eo ut ejiceret dæmonium ex filia sua.

27 Et dixit ei Jeschua, Sine *ut* priùs saturentur filii. Non enim bonum est ut accipiamus panem filiorum, & projiciamus canibus.

28 Ipsa autem respondit, & dixit ei, Etiam Domine mi, etiam canes sub mensa comedunt micas filiorum.

29 Et dixit ei Jeschua, Abi: propter istum sermonem [10] exiit dęmon à filia tua.

30 Et abiit domum suam, & invenit filiam suam jacentem in lecto: & exiverat ab ea dæmonium ejus.

31 Rursus egressus est Jeschua è cõfinio Tzur & Tzaidan, & venit ad mare Galilææ in confinium Decapolis.

32 Et adduxerunt ad eum surdum quemdam balbutientem, & petebant ab eo ut poneret super eum manum.

33 Et extraxit eum à turba seorsim, & [11] injecit digitos suos in aures ejus, & spuit, ac tetigit linguam ejus.

34 Et suspexit in cælum, & ingemuit, dixitq; ei, Adaperitor.

35 Et eadem hora adapertę sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquutus est planè.

36 Et admonuit eos ut hoc nemini dicerent: & quo magis ipse admonebat eos, illi magis prædicabant.

37 Et vehementer mirabantur, & dicebant, Omnia benè facit, surdi facit ut audiant, & qui non loquuntur ut loquantur.

[10] F. Syrè, abiit sibi: Pleonasmus, ut Matt. 4.10.
[11] F. vel ingessit, sive immisit.

CAPUT VIII.

1 *Miraculum septem panum.* 11 *Judæi signa quærunt.* 15 *Cavendum à doctrina Pharisæorum.* 22 *Cæcus sanatur.* 27 *Varia populi opinio de Christo.* 29 *Apostolorum de Christo confessio.* 31 *Prædicit mortem suam Christus.* 33 *Petrus, satan.* 35 *Animam servare & perdere.* 38 *Erubescere Christum.*

DIebus [a] [b] illis, quum multa omnino turba esset, nec haberent quo vescerentur, advocatis Jesus discipulis suis, dixit eis,

2 Intima misericordia commoveor erga turbam: quia jam triduum manent apud me, nec habent quo vescantur.

3 Quòd si dimisero eos jejunos [b] domum suam, [c] deficient in via. quidam enim ex eis procul venerunt.

4 Respõderunt autem ei discipuli ejus, [d] Unde istos quispiã possit hîc satiare panibus in deserto?

5 Interrogavit autem eos, Quot panes habetis? Ipsi verò dixerunt, Septem.

6 Tunc denunciavit turbæ ut discumberet humi: & acceptis septem illis panibus, [e] quum gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis ut *eos* apponerent: & apposuerunt turbæ.

7 Habebant autem pisciculos paucos: & quũ benedixisset, dixit ut hos etiam apponerent.

8 Comederunt autem, & saturati sunt; & sustulerunt fragmentorum quæ superfuerant, septem sportas.

9 Erant

[a] B. Vide annot. apud Mat. 15.32.
[b] *Mat.* 15.32.
[b] Domum scil. suam unumquemque.
[c] Ad verb. exsolventur. in deliquio enim animi nervi resolvuntur.
[d] Ex quo loco? versabantur enim in solitudine.
[e] Vide Matt. 14. 19. & 26. 26.

IN illis autem diebus, quum turba multa esset, nec esset aliquid quod comederent, advocavit discipulos suos, & dixit eis,

2 Miseret me turbæ hujus, quia ecce tribus diebus manserunt apud me, nec est eis quod comedant.

3 Et si [1] eveniat ut dimittam eos jejunos in domos suas, lassi [2] *fient* in via. [3] Aliqui enim ex eis è longinquo venerunt.

4 Dicunt ei discipuli ejus, Vndénam potest quis hîc in solitudine saturare pane hos omnes?

5 Et intorrogavit hos ipse, Quot panes sunt vobis? Dicunt ei, Septem.

6 Et præcepit turbis ut discumberent super terram: & accepit septem illos panes, & benedixit, & fregit, ac dedit discipulis ut apponerent: & apposuerunt turbis.

7 Et erant pisces pauci, & etiam super eis benedixit: & jussit ut apponerent eos.

8 Et comederunt, & saturati sunt, & sustulerunt reliquias fragmentorum sportas septem.

9 Erant

[1] Syrè, Fiat. Vel, Fit.
[2] F. vel lassi forent, defetiscerentur in via prę lassitudine, id est, fieri posset ut defessi in via deficerent: hoc enim potentiali modo accipiendum est, ut Gen. 27.42.
[3] F. Syrè, viri: & ita passim.

9 Erant autem homines qui comederant,
quasi quatuor millia.
10 Et dimisit eos, & ascendit statim in navigi-
um cum discipulis suis, & venit in locum [4] Dal-
manutha.
11 Et egressi sunt Pharisæi, & cœperunt dis-
putare cum eo, & petebant ab eo signum è cælo,
tentantes eum.
12 Et ingemuit spiritu suo, & dixit, Quid quæ-
rit signum generatio hæc? ammin dico vobis
quòd [5] non dabitur signum generationi huic.
13 Et reliquit eos: & ascendit in navigium, &
abierunt [6] in illud littus.
14 [7] Et obliti fuerant ut acciperent secum pa-
nem: & nisi una placenta non erat cum eis in
navigio.
15 Et præcepit eis, dixitque eis, Videte, ca-
vete à fermento Pharisæorum & à fermento Hi-
raudis.
16 Et [8] disceptabant unus cum altero, ac dice-
bant, [9] Quia panis non est nobis.
17 Jeschua autem *id* cognovit, & dixit eis,
Quid disceptatis vos quòd panis non sit vobis?
[10] Non usque nunc intelligitis vos, & non consi-
deratis vos? Quousque cor durum erit vobis?
18 Et oculi sunt vobis, & non videtis? & aures
sunt vobis, & non auditis? neque memores estis?
19 [11] Quum illos quinque panes frangerem
quinque millibus, quot cophinos fragmentorum
plenos sustulistis? Dicunt ei, Duodecim.
20 Dixit eis, Et quum septem quatuor milli-
bus, quot sportas fragmentorum plenas sustuli-
stis? Dicunt ei, Septem.
21 Dixit eis, Quomodo [12] non usque nunc
consideratis?
22 Et venit Beth-Tsaida, & adduxerunt ad
eum cæcum, petebantq; ab eo ut eum tangeret.
23 Et apprehendit manum cęci, & eduxit eum
extra pagum, & spuit in oculos ejus, ac imposuit
manum suam, & interrogavit eum quidnam
videret.
24 Et aspexit, & ait, [13] Video filios hominis si-
cut arbores, qui ambulant.
25 Iterum posuit manum suam super oculos
ejus: & restitutus est, & videbat omnia dilucidè.
26 Et dimisit eum domum suam, & dixit, Ne-
que in pagum istum ingredieris, neque dices cui-
quam in pago.
27 Et ingressus est Jeschua & discipuli ejus in
pagos Cæsareæ Philippi: & interrogabat disci-
pulos suos in via ac dicebat eis, Quid dicunt ho-
mines de me quòd sim?
28 Illi autem dixerunt, Quod *es* Juchannan
Baptista: & alii, quòd *es* Iliah: & alii, unus ex Pro-
phetis.
29 Dixit eis Jeschua, Vos autem quid dicitis
de me quòd sim? Respondit Schemeun Cipha, &
dixit ei, Tu es Christus filius Dei viventis.
30 Et interdixit eis ne cui *hoc* dicerent de se.
31 Et incipiebat docere eos quòd futurum es-
set ut Filius hominis pateretur multum, & ut re-
probaretur à senioribus & à principibus sacerdo-
tum & à Legisperitis, & occideretur, & tertio die
resurgeret.
32 Et apertè eum sermonem loquebatur. Et
accepit eum Cipha, & cœpit increpare eum.
33 Ille verò conversus est, & intuitus est disci-
pulos suos, ac reprehêdit Schemeun, & ait, [14] Abi

4 F. quæ regio sita est inter Decapolin & lacum Genezareth, ut ex adjunctis patet.
5 F. Græcè, εἰ δοθήσεται. Si pro non, ut apud Hebręos in juramentis plurimùm: ut Hebr. 3. 11.
6 Ad verb. Ad illum transitum, Id est, Oppositum littus illi unde solverant.
7 Syrè, Erraverant. Sensus autem est, per errorem oblivioni tradiderant. Idem verbum legitur eodem sensu ad Hebr. 7.
8 Id est, Collatis cogitationibus disputabant.
9 F. Ellipsis, de qua in Matth. 13. 29. hæc dicit, inquiunt illi, quia panis non est nobis.
10 Id est, Nondum, Hebraismus.
11 Aliter distinguitur in Græco.
12 Id est, Nondum, Hebraismus.
13 Video homines esse, quia ambulant: & similes esse arboribus, quia erecta sunt statura.
14 F. Syrè, abi tibi. Pleonasmus, de quo Mat. 4. 10.

9 Erant autem qui comederant, quasi quater
mille: dimisitq; eos.
10 [e] Et statim ingressus in navigium cum dis-
cipulis suis, venit in partes Dalmanutha.
11 [f] [g] Prodierunt autem Pharisæi, cœperúnt-
que altercari cum eo, quærentes ab eo signum è
cælo, ipsum tentando.
12 Ipse verò [h] quum altè ingemuisset spiritu
suo, dixit, Cur gens ista signum requirit? amen
dico vobis, [i] si dabitur isti genti signum.
13 [e] Et eis relictis, ingressus rursus navigium,
abiit in ulteriorem *ripam*.
14 [e] Fuerant autem obliti discipuli sumere pa-
nes, & panem non nisi unum habebant secum in
navigio.
15 [k] Tunc edixit eis, dicens, [e] Videte, cavete à
fermento Pharisæorum, & [l] fermento Herodis.
16 [m] Disceptabant igitur alii adversus alios, di-
centes, Panes non habemus.
17 *Id* autem quum nosset Jesus, dixit eis, [n] Quid
disceptatis quòd panes non habetis? nondum a-
nimum advertitis, nec intelligentia præditi estis?
adhuc stupidum habetis cor vestrum?
18 Quum oculos habeatis non cernitis? &
quum aures habeatis, non auditis? neque memo-
res estis?
19 [e] Quum quinque illos panes fregi illis quin-
quies mille, quot cophinos fragmentis plenos su-
stulistis? Dicunt ei, Duodecim.
20 Quum autem septem illos *panes* illis qua-
ter mille, quot sportas fragmentis plenas sustuli-
stis? Illi verò dixerunt, Septem.
21 Tunc dixit eis, [o] Quomodo *hæc* non intel-
ligitis?
22 [p] Venit autem [q] Bethsaidan: & obtulerunt
ei cæcum, & precati sunt eum ut ipsum tangeret.
23 Tunc prehensa manu cæci, eduxit eum ex-
tra vicum: & [r] quum inspuisset in oculos ejus,
imposuissétque ei manus, interrogavit eum ec-
quid videret.
24 Qui quum suspexisset, dixit, [s] Video homi-
nes instar arborum ambulantes.
25 Deinde rursum imposuit manus oculis ejus,
[t] fecitq; ut denuò oculos attolleret: & restitutus
fuit, viditq; procul & dilucidè omnes.
26 [u] Tunc *Jesus* misit eum domum suam, di-
cens, Neque in vicum illum ingreditor, neque
hæc dicito cuiquam in vico.
27 [x] [e] Egressus est autem Jesus ac discipuli ejus
in vicos Cæsareæ *quæ cognominatur* Philippi: & in
via interrogavit discipulos suos, dicês eis, Quém-
nam esse me dicunt homines?
28 Illi verò responderunt, Johannem Bapti-
stam: & alii Eliam: alii verò unum ex Prophetis.
29 Tunc ipse dixit eis, Vos autem quem me
dicitis esse? Respondens verò Petrus dicit ei, Tu
es ille Christus.
30 [y] Tunc [z] interminatus est ut nulli *id* dicerent
de se.
31 [a] Et cœpit eos docere quòd oporteret Fi-
lium hominis multa pati, & reprobari à senioribus
& primariis Sacerdotibus ac Scribis, & trucidari:
& [b] tribus pòst diebus resurgere.
32 [c] Et apertè eum sermonem loquebatur.
Tunc prehensum eum Petrus cœpit objurgare.
33 Ipse verò conversus, & intuitus discipulos
suos, objurgavit Petrum, dicens, [d] Abscede à me

[e] *Matt. 15. 39.*
f B. Obstinati doctrinæ Evangelicæ hostes tot jam pridem editis miraculis non credentes, nova requirunt. Christus autem iratus eos planè deserit.
g Hebræis familiaris loquutio, qua significatur Pharisæos eo consilio profectos domo ut eum aggrederentur.
[e] *Matth. 16. 1.*
h Ex ipsis animi penetralibus profecta sunt ista suspiria, quòd Dominus istorum tanta infidelitate esset vehementer commotus.
i Ecliptica oratio, Hebræis familiaris, in qua subaudiri debet, Patiar haberi mendax, vel aliquid simile, quum plenam sententiam concipiunt, addunt, Hæc faciat mihi dominus.
[e] *Matt. 16. 4.*
[e] *Matt. 16. 5.*
k B. Cavendum potissimùm ab iis, qui verbum Dei adulterant, quocumque gradu, sive in Ecclesia, sive in civili politia polleant.
[e] *Matt. 16. 6.*
l Vide Matth. 22. 16.
m B. Terrenis addicti, ad cælestia quantumvis manifestè proposita, prorsus caligant.
n vide Mat. 16. 8.
[e] *Job. 6. 11.*
o Qui fieri potest ut hæc tam aperta tamq; manifesta non intelligatis?
p B. Vera imago nostræ regenerationis, quæ in nobis a mundo segregatis, paulatim a Christo perficitur.
q Hæc erat Galilææ civitas ex qua Petrus & Andreas & Philippus Apostoli erant. Joh. 1. 44.
r Quod Christus non momento (ut sæpe facere solitus est) sed paulatim cæco visum restituit, hoc ideo factum esse probabile est, ut documentum in hoc homine statueret liberę suę dispẽsationis, nec se adstrictũ esse ad certam normam, quin hoc vel illo modo virtutem suam proferat. s Motum hominũ percipiebat, quum formam ipsam non distingueret. t i. Iterũ jussit ut reipsa exploraret rectène cerneret. u B. Miracula Christus non vult à doctrina separari. x B. Multi Christum laudant, qui tamen eum sua laude spoliant. [e] *Matt. 16. 13. Luc. 9. 18.* y B. Christus sua momenta prædicationi Evangelii præfixit. z Additis minis prohibuit. a B. Christus nec invitus neq; ex insperato, sed pręscius & volens, nostri causa passus est quicquid est passus. b tertio post die. c B. Nulli magis insaniunt quàm qui extra verbum Dei sapiunt. d Discede ex meo conspectu.

post Satana:

Satana: nam e non sapis quæ Dei *sunt*, sed quæ *sunt* hominum.

34 f Et quum advocasset turbam cum discipulis suis, dixit eis, l Quicumque vult pone me venire abdicet semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.

35 l Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam causa mea & Evãgelii, is servabit eam.

36 g Quid enim profuerit cuipiam si lucratus fuerit mundum totum, & anima sua mulctetur?

37 Aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ?

38 l Nam quemcumque puduerit mei ac meorum sermonum in gente ista adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria patris sui cũ Angelis illis sanctis.

e Non est ista prudentia divina, sed humana.
f B. Discipulos Christi oportet domitis carnis affectibus, quicquid oneris imponit Dominus, fortiter sustinere.
l *Mat.* 10.38. & 16.24. *Lu.* 9.23. & 14.27
l *Mat.* 10.39. & 16.25. *Luc.* 9.24. & 17.33. *Joh.* 12.25.
g B. Omnium hominum stultissimi sunt qui hujus vitæ usuram æternæ fœlicitatis jactura redimunt. l *Matt.* 10.33. *Luc.* 9.26. & 12.9.

post me Satana: quia non cogitas quod divinum *est*, sed quod *est* filiorum hominis.

34 Et vocavit Jeschua turbas cum discipulis suis, & dixit eis, Qui vult [15] venire post me, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & [16] veniat post me.

35 Quicumque enim voluerit [17] servare animam suam, perdet eam: & quicunque [18] perdiderit animam suam propter me & Evangelium meum, [19] servabit eam.

36 Quo enim juvatur filius hominis si mundum universum lucretur, & animæ suæ jacturam faciat?

37 Aut quam dabit filius hominis compensationem animæ suæ?

38 Quisquis enim erubuerit me, & sermones meos in generatione hac peccatrice & adultera, Filius quoq; hominis [20] erubescet eum quũ venerit in gloriam patris sui cum Angelis ejus sanctis.

[15] Id est, Me sequi, Hebraism, ut paulò post.
[16] Id est, Sequatur.
[17] Ad verb. Vivificabit.
[18] F. vide in Matth. 16.25.
[19] Ad verb. Vivificabit eum.
[20] F. vel pudebit ejus, quum venerit, in gloria Patris sui: quod Græca præpositio ἐν fieri postulat.

CAPUT IX.

2 *Transfiguratio Christi.* 7 *Christus audiendus.* 11 *De Elia & Johanne Bapt.* 14 *Dæmoniacus sanatur.* 23 *Fides omnia potest.* 31 *Prædicit Christus mortem suam.* 34 *Quis maximus inter Apostolos.* 36 *Christus puerum accipit in ulnas.* 42 *Scandalizare.* 50 *Sal. Pax.*

l PRæterea dixit eis, Amen dico vobis, sunt quidam ex iis qui hîc astant, qui nequaquam gustabunt mortem, usquedum viderint a regnum Dei venisse cum potentia.

2 l b Sexto verò pòst die assumit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem, & subducit eos in montem sublimem seorsim solos: & transformatus fuit coram eis.

3 Et vestimenta ejus facta sunt c coruscantia, candida valdè ut nix, qualia d non potest fullo in terra dealbare.

4 Et visus est eis Elias cum Mose, qui colloquebantur cum Jesu.

5 Tunc respondens Petrus dicit Jesu, Rabbi, bonum est nos hîc esse: faciamus igitur tabernacula tria, tibi unum, & Mosi unum, & Eliæ unum.

6 Nec enim sciebat quid loqueretur: erant enim e exterriti.

7 Et exstitit nubes quæ inumbravit eos: venitq; vox è nube, dicens, Hic est Filius ille meus, dilectus ille, ipsum audite.

8 Et repentè quũ circumspexissent, non ampliùs viderunt quemquam, nisi solũ Jesum secum.

9 f l Quum verò descenderent è monte, interdixit eis ut nemini narrarent quę viderant, nisi postquam Filius hominis à mortuis resurrexisset.

10 *Ipsi* igitur hanc rem g continuerunt apud se, mutuò quærentes, quid illud esset, h A mortuis resurgere.

11 i Et interrogârunt eum dicentes, Cur Scribę dicunt oportere ut l Elias priùs veniat?

12 Ipse verò respondens dixit eis, Elias quidem postquam priùs venerit, restituet omnia: sed l ut scriptum est de Filio hominis, *oportet* ut multa patiatur, & pro nihilo habeatur.

13 k Sed dico vobis, & Eliam venisse, & *istos* ei fecisse quęcumq; voluerunt, sicut scriptũ est de eo.

14 l Et quum venisset ad discipulos *suos*, vidit turbam multam circa eos, & Scribas cum eis altercantes.

15 Et statim tota turba viso eo expavit: & accurrentes salutaverunt eum.

l *Matth.* 16.28. *Luc.* 9.27.
a Regnum Dei vocat tempus illud quo Deus in Ecclesia sua patefacto Evangelio, regnum suum veluti inchoaturus erat: quod statim à resurrectione fieri cœpit, frustrà ringente & fremente mundo. Anteà verò, quum Christus adhuc infimus hominum esset, paucis quibusdam discipulis, iisq; infirmissimis, eum affectantibus, quodammodo sepulta erat Regis nostri potestas.
l *Matt.* 17.1. *Luc.* 9.28.
b B. Christi mox in cruce exinaniendi cælestis gloria, visibilibus symbolis, Eliæ & Mosis præsentia & colloquio, ipsiusq; adeò Patris voce, coram tribus discipulis, testibus omni exceptione majoribus asseritur.
c Quasi scintillas emittentia.
d i. nullus fullo.
e i. præ metu apud se non erant.
f B. Dominus sua tempora Evangelii promulgationi definivit.
l *Matth.* 17.9.
g Quasi cum labore.
h Non de universali illa quæ futura est resurrectione quærebant, sed quod de peculiari illa sua resurrectione dixerat, non intelligebant.
i B. Stulta Rabbinorum opinio de Eliæ adventu refellitur. l *Mal.* 4.5. l *Esa.* 53.4.
k Nomen Eliæ Thesbitis, ad Johannem Baptistam transtulerat Malachias, quia ipse in collapso Ecclesiæ statu restaurando similis Eliæ futurus erat, quasi dicat Christus, Vera fuit promissio de venturo Elia, quæ etiam impleta fuit: sed jam à Scribis repudiatus fuit Elias, cujus inane nomen falsò mihi opponunt. l *Matth.* 17.14. *Luc.* 9.38.

16 l Tunc

ET dicebat eis, Ammin dico vobis quòd sunt quidam qui hîc stant, qui non gustabunt mortem donec viderint regnum Dei venisse cum potestate.

2 Et post sex dies accepit Jeschua Cipham & Jaakub & Juchannan, & subduxit eos in montem excelsum seorsim, & transformatus est ante oculos eorum.

3 Et resplendebat vestimentum ejus, candidumq; erat valdè, sicut nix: sicut filii hominis candidum facere in terra non possunt.

4 Et conspecti sunt illis Musche & Iliah loquentes cum Jeschua.

5 Et dixit ei Cipha, Domine mi, bonum est nobis ut hîc simus, & faciamus tria tabernacula, tibi unum, & Musche unum, & Iliah unum.

6 Non autem sciebat quid diceret: erant enim in pavore.

7 Et facta est nubes, & obumbrabat eos, & vox facta est è nube, quæ dixit, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.

8 Et repentè, quum aspicerent discipuli, neminem viderunt nisi Jeschua solum secum.

9 Et quum descenderent de monte, pręcipiebat eis ut nemini dicerent id quod viderant, nisi postquam resurrexisset Filius hominis [1] a mortuis.

10 Et continuerunt sermonem istum apud sese, & quærebant quisnam esset hic sermo, *nempe* postquam resurrexisset à [2] mortuis.

11 Et interrogabant eum, & dicebant, Quid igitur dicunt Legisperiti quòd Iliah oportet ut veniat priùs?

12 Dixit eis, Iliah venturus est priùs ut omnia restituat: [3] & sicut scriptum est de Filio hominis, *oportet* ut multùm patiatur & contemnatur.

13 Sed dico vobis quòd etiam Iliah venit, & fecerunt adversus eum quicquid voluerunt, sicut scriptum est de eo.

14 Et quum venisset ad discipulos suos, vidit apud eos turbam multam, & Legisperitos disputantes cum eis.

15 Et eadem hora universa turba viderunt eum, & stupuerunt, & accurrentes [4] salutaverunt eum.

[1] Ad verb. Ab inter mortuos. Gallicè, *D'entre les morts*, vel è domo mortuorum.
[2] Ad verb. Ab inter mortuos, ut suprà.
[3] F. vel, & quemodo scriptum est de Filio hominis, fore ut multùm patiatur contemnaturq;? in hanc sententiam Putatisne ergo Pharisæorum sententiam cum rei veritate planè convenire? Nam Eliam quidem fatentur verbis: sed neque ipsum præsentem agnoverunt, neque administrationem & operationem ejus. Quòd si illum minimè noverunt omnium, non est cur ex illorum verbis sententiaq; de regno Christi judicetis. Etenim fuit præcursoris illius administratio, ut restituat omnia ante adventum Regis spirituali, ac non carnali restitutione. Isti de carnali putant. Quomodo autem, si de carnali accipitur, de regno Christi scriptum est fore ut Christus patiatur multa? Hoc enim si verum est, ut est, ecqui restitutio illa carnalis intelligenda est?
[4] Ad verbum, Rogaverunt de pace ejus: Hebraismus.

16 Et

16 Et interrogavit Legisperitos, Quid altercamini cum eis?
17 Et respondit unus è turba, & dixit, Magister, adduxi filium meum ad te, cui est spiritus qui non loquitur.
18 Et quum apprehendit eum, prosternit eum & lacerat, & stridet dentibus suis, & arescit. dixiq; discipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt.
19 Respondit Jeschua, & dixit ei, O generatio [5] incredula: usquequo ero vobiscum? & usquequo tolerabo vos? Adducite illum ad me.
20 Et adduxerunt illum ad eum. Quumque vidisset eum spiritus, eadem hora prostravit eum, & cecidit super terram, & volvebat se, & lacerabat.
21 Et interrogavit Jeschua patrē ejus, [6] quantum ei tempus esset ex quo sic maneret. Dixit ei, Ecce, ab infantia sua.
22 Et temporibus multis abjicit eum in ignem & aquas, ut perdat eum: sed, quod possis, juva me, & miserere mei.
23 Dixit ei Jeschua, Si potes tu credere, omnis res potest fieri ei qui credit.
24 Et eadem hora exclamavit pater pueri flens, & dixit, Ego credo: succurre defectui fidei meæ.
25 Quum vidisset autem Jeschua quòd accurreret populus qui congregaretur ad se, objurgavit illum spiritum impurum, & dixit ei, Spiritus surde, qui non loqueris, ego præcipio tibi, egredere ab eo, & rursus ne ingrediaris in eum.
26 Et clamavit dæmonium illud multum, & contrivit eum, & exivit: factusq; est tamquam mortuus, adeò ut multi dicerent, Mortuus est.
27 Ipse verò Jeschua [7] apprehendit eum manu ejus, & erexit eum.
28 Quum ingressus autem esset Jeschua domum, interrogaverunt eum discipuli ejus seorsim, Quare nos non potuimus ejicere illum?
29 Et dixit eis, hoc genus ulla re exire non potest, nisi jejunio & oratione.
30 Et quum egressus esset inde, transibant per Galilæam, & nolebat ut quisquam [8] hoc sciret de se.
31 Docebat enim discipulos suos, & dicebat eis, Filius hominis [9] traditur in manus filiorum hominis, & interficient eum, & quum interfectus fuerit, die tertio resurget.
32 Illi autem nesciebant eum sermonem, & timebant ut interrogarent eum.
33 Et venerunt in Kephar-Nachum: & quum intrâssent in domum, interrogabat eos, Quidnam disputabatis in via inter vos?
34 Ipsi verò silebant: contenderant enim in via [10] unus cum altero, quis [11] maximus esset inter eos.
35 Et sedit Jeschua, vocavitq; duodecim, & dixit eis, Is qui vult esse primus, ut sit postremus [12] cujusque, & minister cujusque.
36 Et accepit puerum unum, & statuit eum in medio, tulitq; eum in ulnas suas, & dixit eis,
37 Quisquis excipit *aliquem qui sit* sicut hic puer, in nomine meo, me excipit: & is qui me excipit, nequaquam [13] me excipit, sed eum qui me misit.
38 Dixit ei Jochannan, Domine mi, vidimus quendam qui ejicit dæmonia per nomen tuum, & prohibuimus eum propereà quòd non adhæreat nobis.
39 Dixit eis Jeschua, Ne prohibeatis eum, Non est enim quisquā qui faciat virtutes per nomen

16 [l] Tunc interrogavit Scribas, Quid altercamini inter vos?
17 Et respondens quidam è turba dixit, Magister, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum.
18 Qui ubicumque eum corripuerit, [m] lacerat eum: *ipse* verò spumat, & stridet dentibus suis, & exarescit. Et dixi discipulis tuis, ut eum ejicerent, sed non potuerunt.
19 Ipse verò respondens ei dixit, O natio incredula, quousque apud vos ero? quousque tolerabo vos? adducite eum ad me.
20 Illum igitur adduxerunt ad eum. Et eo [n] conspecto, statim spiritus [o] discerpsit eum: & *ille* quum cecidisset in terram, volutabat sese spumans.
21 Tunc interrogavit *Jesus* patrē ejus, Quantum temporis est quòd hoc accidit ei? Ipse verò ait, Ab infante.
22 Et sæpe eum tum in ignem abjecit, tum in aquas, ut perderet eum. Sed si quid potes, succurre nobis, intima misericordia commotus erga nos.
23 Jesus autem dixit ei, Si potes hoc credere, [p] omnia fieri possunt credenti.
24 Pater verò pueri statim clamans cum lacrymis dixit, Credo, Domine: succurre incredulitati meæ.
25 Quum vidisset autem Jesus turbam simul accurrere, objurgavit spiritum illum impurum, dicens ei, [q] *Tu* spiritus mute & surde, ego tibi impero, Exi ab eo, & ne ampliùs ingreditor in eum.
26 [r] Et quum clamasset *spiritus*, multumq; discerpsisset eum, exivit: & *ille* factus est quasi mortuus, adeò ut multi dicerent, Certè mortuus est.
27 Jesus verò prehensa manu ejus, erexit eum: & *ille* surrexit.
28 [s] Quum autem esset ingressus domum, discipuli ejus interrogârunt eum privatim, Cur nos non potuimus *spiritum* illum ejicere?
29 *Ipse* verò dixit eis, Hoc genus *dæmoniorum* [t] nulla re potest exire nisi precatione & jejunio.
30 [§] Et illinc egressi, [u] unà iter faciebant per Galilæam: nec volebat ut quisquam *id* sciret.
31 [x] Docebat enim discipulos suos & dicebat eis, Filius hominis tradetur in manus hominum, qui trucidabunt eum: sed trucidatus, tertio die resurget.
32 Ipsi verò ignorabant hoc dictum, & timebant eum interrogare.
33 [y] [§] Venit igitur Capernaumum. & quum venisset [z] domum, interrogavit eos, Quid in via inter vos disceptabatis?
34 Ipsi verò siluerunt: nam alii adversus alios disseruerant in via, quis *esset futurus ipsorum* maximus.
35 Et quum consedisset, vocavit duodecim illos, & dixit eis, Si quis vult primus esse, erit omnium ultimus, & omnium minister.
36 Et acceptum puerulum statuit in medio eorum: eoq; in ulnas recepto, dixit eis,
37 Quisquis unum ex talibus puerulis exceperit meo [a] nomine, me excipit: & quicumque me exceperit, [b] non me excipit, sed eum qui misit me.
38 [c] [§] Respondit autem ei Johannes, dicens, Præceptor, [d] vidimus quendam per nomen tuum ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos: & prohibuimus eum, quia non sequitur nos.
39 Jesus autem ait, Ne illum prohibete. [§] nullus enim est qui edat virtutem per nomē meum,

[5] Ad verb. Quæ non est firma.
[6] Id est, Quantū temporis elapsum esset ex quo cœpisset sic affligi.
[7] Uno verbo exprimit, quod duobus Græcus contextus exponit. Nam אקים significat priùs jacentē erigere, & erectū stabilire.
[8] F. nempe se iter per Galilæam facere.
[9] F. i. mox tradetur. vide in Matth. 2.4.
[10] Ad verbum Unus cum uno.
[11] Ad verbum, Magnus. Positivus pro superlativo ex Hebræorum idiotismo, Chaldæis quoq; & Syris cōmuni.
[12] Ad verbum, Omnis hominis. Hebraismus, ut statim pòst.
[13] F. solùm nempe. Ellipsis frequens in mēbris antithetis, ut Genes. 32.28. & infra 13.11. & Joann. 12.44.

[l] B. Christus miraculo confirmat etiam indignis, se venisse ut satanæ rabiem cohibeat.
[m] Integrum dolore vexat, sicut in colico dolore accidere solet.
[n] Protinus ac Jesus adductum puerum aspexisset, spiritus cœpit suo more sævire.
[o] Id est, vellicavit cum sensu gravissimo.
[p] Nihil est quod non velit & possit Christus ei qui in ipsum credet.
[q] Spiritui malo eam malitiam exprobrat, quæ puero & auditum & sermonem ademerat: illiq; indignatur, non puero, quòd opera Dei vitiarit.
[r] B. Quo Christi virtus propior, eo impotentius furit Satan.
[s] B. Fide ac proinde precibus & jejunio est opus ad Satanā ex vetere possessione dejiciendum.
[t] Nulla alia ratione.
[§] *Matth.* 17.22. *luc.* 9.22.
[u] Id est, adjunctis sibi discipulis.
[x] B. Sedulò quidem nos præmonet Christus ne improvisis malis opprimamur, sed incredibilis est hominis socordia.
[y] B. Sola humilitas attollit.
[§] *Matth.* 18.1. *luc.* 9.46.
[z] In quam solitus erat divertere.
[a] Mea causa, quòd mihi hunc honorem habeat.
[b] Non tam me excipit quàm, &c.
[c] B. Deus ordinariæ vocationis auctor agit extra ordinem quoties libet. Probatur autem extraordinaria vocatio à doctrina & effectis.
[§] *Luc.* 9.49.
[d] Quòd mali etiā potuerint Christi nomine dæmones ejicere, inde patet, quòd quidam dicturi sint Christo, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuum dæmonia ejecimus? *Mat.* 7.22.
[§] 1. *Cor.* 12.3.

& possit citò malè loqui de me.
40 [e]Nam qui nó est contra nos, pro nobis est.
41 [f]Quisquis enim potum dederit vobis po-
culum aquæ in nomine meo, *id est* quòd sitis
Christi, amen dico vobis, nequaquam perdiderit
mercedem suam.
42 [f][l]Et quisquis offendiculo fuerit uni ex par-
vis istis qui credunt in me, bonum esset ei potiùs
si circumponeretur saxum molare circa collum
ejus, & projiceretur in mare.
43 [l]Quòd si manus tua facit ut tu offendas,
abscinde eam: bonum est tibi ad vitam ingredi
mancum *potiùs* quàm duas manus habentem
abire in gehennam, *id est* in ignem illum inex-
tinctum:
44 [l]Ubi vermis [g]eorum non interit, & ignis
non extinguitur.
45 Et si pes tuus facit ut tu offendas, abscinde
eum: bonum est tibi ingredi in vitam claudum,
potiùs quàm duos pedes habentem projici in ge-
hennam, *id est* in ignem inextinctum.
46 Ubi vermis eorum non interit, & ignis non
extinguitur.
47 Et si oculus tuus facit ut tu offendas, erue
eum: bonum est tibi introire in regnum Dei lus-
cum, *potiùs* quàm duos oculos habentem projici
in gehennam ignis:
48 Ubi vermis eorum non interit, & ignis non
extinguitur.
49 [h] Nam omnis *homo* [i]igne salietur: [l]& om-
nis oblatio sale salietur.
50 [l]Bonus est sal: si verò sal insulsus fuerit,
quónam ipsum condietis? [k] habete in vobisipsis
salem, & pacem habete alii cum aliis.

[e] Est proverbialis & Christiana sententia, qua monentur non rejiciendos eos qui vel tantillum veræ Dei notitiæ retinent, etsi se adhuc infirmos ostendant. 1. Cor. 12. 3. Quod autem Matth. 12. 30. dicit Christus, qui non est mecum adversum me est, &c. ad eos pertinet qui se illius hostes esse ipso facto jam declarant.
[l] *Matth.* 10. 42.
[f] B. Deus adeò severus est offendiculorum ultor, ut quodvis damnum ferendum sit potiùs quàm vel omnino cuipiam objiciendum offendiculum.
[l] *Matth.* 18. 6. *luc.* 17. 1.
[l] *Matth.* 5. 30. & 18. 8.
[l] *Esa.* 66. 24.
[g] Eorum scilicet, qui in eam flammam erunt conjecti.
[h] B. Oportet nos à Deo veluti sale macerari, tum ut simus victimę ipsi gratæ; tum ut mutuò conjuncti, alii alios saliamus. [i] Vocat ignem sanam & incorruptam doctrinam. 1. Cor. 3. 13. alludit autem ad præceptum legis. quasi dicat, Quemadmodum olim sine sale nulla hostia Deo accepta erat, sic quisquis se ritè offerre Deo volet, necesse est ut tam igne quàm sale (i. verbo incorrupto) condiatur. [l] *Levit.* 2. 13. [l] *Matth.* 5. 13. *luc.* 14. 34. [k] Quia sal acrimonia sua mordet, ideò statim admonet sic temperandum esse condituram, ut pax interim salva maneat.

men meum, & possit citò dicere adversum me id
quod malum est.
40 Qui nó est igitur contra vos, pro vobis est.
41 Quisquis enim bibendum præbuerit vobis
poculum aquæ dumtaxat eo nomine quòd Chri-
sti estis, amen dico vobis quòd non perdet mer-
cedem suam.
42 Et quisquis offenderit unum ex istis par-
vulis qui credunt in me, tolerabilius esset ei si in-
jecta esset mola asinaria ad collum ejus, & proji-
ceretur in mare.
43 Si autem offendiculo est tibi manus tua,
abscinde eam: tolerabilius est tibi mutilo, ut in-
grediaris in vitam, quàm dum tibi ambæ manus,
abeas in gihannah:
44 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis e-
orum non extinguitur.
45 Et, si pes tuus offendiculo est tibi, abscinde
eum: tolerabilius est tibi ut ingrediaris ad vitam
claudus, quàm, dum sunt tibi ambo pedes, ruas in
gihannah:
46 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis e-
orum non extinguitur.
47 Et, si oculus offendiculo est tibi, erue eum:
tolerabilius est tibi ut uno oculo ingrediaris in
regnum Dei, quàm, dum sunt tibi duo oculi, ruas
in gihannah ignis:
48 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis e-
orum non extinguitur.
49 [14]Omnis enim *res* igne salitur, & omnis
victima sale salietur.
50 Bonum est sal: si autem sal infatuatus fu-
erit, quónam salietur? Sit in vobis sal, & in tran-
quillitate sitis unus cum altero.

[14] Hortatur ad vitam incorruptam, sumta à sacrificiis similitudine, quæ partim sale, partim igne à corruptione purgabantur. Est autem impropria loquutio Igni saliri, sed qua commodè, quid ignis & sal commune habeant, explicat, nempe quòd à putredine conservent.
F. videtur tamen ex sermone Græco sic potiùs reddendus esse locus, Omnis enim homo salietur igne, &c. loquutio autem esse metaleptica, salietur igne, pro eo quod est, igne purgabitur à malo, & tamquã sale vindicabitur à corruptione sua. Duo enim homini sunt opus: unum, ut homo spiritu ignis & fervoris abscindat à se omne malum, quod antè hortabatur Christus: alterum, ut quasi sale conditus à corruptione ampliùs superventura vindicetur. Fiebat autem utrumque in sacrificiis: & idem fieri à piis Christus præcipit, quos sacerdotes effecit coram Deo & Patre, ut hostiæ vivæ & acceptæ sint in conspectu ejus.

CAPUT X.

1 *Uxor ob solam fornicationem dimittenda.* 13 *Parvuli Christo offeruntur.* 17 *A divite interrogatur Jesus quomodo vita æterna possideatur.* 28 *Apostoli relinquentes omnia propter Christum.* 33 *Christus prædicit mortem suam.* 35 *Filiorum Zebedæi petitio.* 46 *Bartimæus cæcus sanatur.*

ET [l]illinc [a]digressus, venit in fines Judeæ per
oram Jordanis: & convenit rursum turba ad
eum: &, ut consueverat, rursum docebat eos.
2 Tunc accedentes Pharisęi interrogârunt eũ
an liceret viro uxorem dimittere: tentantes eum,
3 Ipse verò respondens dixit, Quid vobis
mandavit Moses?
4 Ipsi autem dixerunt, [l]Moses permisit li-
bellum abscessionis scribere, & dimittere *uxorem*.
5 [b] Tunc respondens Jesus dixit eis, Pro du-
ritia cordis vestri scripsit vobis [c]mandatum istud.
6 A principio verò creationis, [l]masculum
& fœminam fecit Deus.
7 [l]Propterea relinquet homo patrem suum
& matrem, & agglutinabitur uxori suæ:
8 Et qui duo *fuerant* erunt caro una. Itaque
non sunt ampliùs duo, sed una caro.
9 [l]Quod ergo Deus conjunxit, homo ne se-
jungat.
10 Et domi rursum discipuli ejus eadem de
re interrogârunt eum.
11 *Ipse* verò dixit eis, [l]Quicumque dimiserit
uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur ad-
versus [d]eam.
12 Et, si mulier dimiserit virum suum, & nup-
serit alteri, mœchatur.
13 [e][l]Tunc obtulerunt ei puerulos ut tangeret
eos:

[l] *Matth.* 19. 1.
[a] Quum surrexisset, i. profectus, seu digressus: Hebræis enim sedere idem est quod habitare, surgere quod proficisci.
[l] *Deut.* 24. 1.
[b] B. Repudia quę lex toleravit, Deus tamen nunquã probavit.
[c] Vide Mat. 19. 8 Moses siquidem præceptum non dedit de repudiandis uxoribus: sed potiùs contra inflexibilem maritorum duritiem prospexit.
[l] *Gen.* 1. 27. *matt.* 19. 4.
[l] *Gen.* 2. 24. 1. *cor.* 6. 16. *ephe.* 5. 31.
[l] 1. *Corinth.* 7. 10.
[l] *Matth.* 5. 32. & 19. 9. *mar.* 10. 11. *luc.* 16. 18. 1. *cor.* 7. 10.
[d] Quam videlicet repudiavit. adulter enim est alteri cõsuescens.
[e] B. Deus pro sua bonitate non tantùm patres, sed etiam eorum liberos in fœdere comprehendit, ac proinde ipsis benedicit. [l] *Matth.* 19. 13. *luc.* 18. 15.

ET surrexit inde, & venit in confinium Judeæ
[1] in adversam ripam Jurdan. Et venerunt il-
luc ad eum turbæ multæ: docebatq; eos rursum
sicut consuetus erat.
2 Et accesserunt Pharisæi tentantes eum, &
interrogaverunt, Num licet viro ut dimittat uxo-
rem suam?
3 Dixit eis, Quid pręcepit vobis Musche?
4 Ipsi autẽ dixerũt, Musche permisit nobis ut
scribamus [2] scriptũ dimissionis & dimittamus.
5 Respondit Jeschua, & dixit eis, [3]Contra du-
ritiem cordis vestri scripsit vobis mandatũ istud.
6 A principio autem masculum & fœminam
fecit eos Deus.
7 Propter hoc deseret vir patrem suum &
matrem suam, & adhærebit uxori suæ.
8 Eruntq; ambo una caro. Igitur non sunt
duo, sed una caro.
9 Quod itaque Deus conjunxit, filius homi-
nis ne separet.
10 Et interrogaverunt eum rursus discipuli e-
jus in domo super hoc.
11 Et dixit eis, Quisquis reliquerit uxorem su-
am, & acceperit aliam, adulterium commisit.
12 Et si mulier reliquerit maritum suum, &
[4] facta fuerit alterius, committit adulterium.
13 Et offerebãt ei infantulos, ut tangeret eos:
discipuli

[1] Ad verbum, In transitum. Hebraismus.
[2] Id est, libellum repudii.
[3] F. vide in Matth. 19. 8.
[4] F. i. nupserit alteri. Hebraismus.

discipuli autem ejus reprimebant eos qui offerebant illos.

14 Jeschua autem quum vidisset, indignatus est, & dixit eis, Sinite parvulos ut veniant ad me, & ne prohibeatis eos: illorum enim, qui sicut isti sunt, est regnum Dei.

15 Ammin dico vobis, quòd quisquis non acceperit regnum Dei sicut parvulus, non ingredietur in illud.

16 Et sustulit eos in ulnas suas, & posuit manum suam super eos, & benedixit eis.

17 Et quum descendisset in viam, accurrit quidam: procidit super genua sua, & petebat ab eo, & dixit, Præceptor bone, quid faciam ut hæres sim vitæ æternæ?

18 Dixit ei Jeschua, Quid vocas tu me bonum? non est bonus nisi unus Deus.

19 Mandata nosti, Non adulterium committas, Ne fureris, Ne occidas, & ne proferas testimonium falsum, Ne inique agas, Honora patrem tuum & matrem tuam.

20 Ille autem respondit, & dixit ei, Præceptor, hæc omnia custodivi à pueritia mea.

21 Jeschua autem intuitus est eum, & [5] dilexit eum, & dixit ei, Unum deest tibi: abi, vende quicquid est tibi, & da pauperibus: & erit tibi thesaurus in cælo, & accipe crucem tuam, [6] & veni post me.

22 Ille verò mœstus factus est in hoc sermone, & abiit [7] afflictus: erant enim ei divitiæ multæ.

23 Intuitus est autem Jeschua discipulos suos, & ait eis, Quàm difficile est illis quibus sunt divitiæ, ut ingrediantur in regnum Dei!

24 Discipuli autem mirabantur ad sermones ipsius. Et respondit rursus Jeschua, & dixit eis, Filii mei, quàm difficile est eis qui confidunt in divitiis suis, ut ingrediantur in regnum Dei!

25 Facilius est camelo ut ingrediatur in foramen acus, quàm divitem ingredi in regnum Dei.

26 Illi verò ampliùs admirabantur, & dicebant inter sese, Quis potest salvus esse?

27 Intuitus est autem eos Jeschua, & ait eis, apud filios hominis hoc non est possibile, sed apud Deum. cuncta enim possibilia sunt apud Deum.

28 Et cœpit Cipha dicere, Ecce, nos reliquimus omnia, & adhæsimus tibi.

29 Respondit Jeschua, & dixit, Ammin dico vobis, nemo est qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros propter me, & propter Evangelium meum,

30 Quin accipiat [8] unum in centum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros, cum persequutionibus, & in seculo venturo vitam quæ est in æternum.

31 Multi autem primi, erunt postremi: & postremi, primi.

32 Quum ascenderent autem in via versus Urischelem, Jeschua ipse antecedebat eos, & mirabantur, & [9] ibant post eum [10] timentes. Et accepit duodecim suos, & cœpit dicere eis id quod futurum erat ut eveniret sibi.

33 Nempe, Ecce ascendimus Urischelem, & filius hominis [11] traditur principibus sacerdotum & Legisperitis: & condemnabunt eum ad mortem, & tradent eum Gentibus,

34 Et illudent ei, & flagellabunt eum, & conspuent in faciem ejus, & occident eum: & in die tertio resurget.

35 Et accesserunt ad eum Jaakub & Juchanan filii Zebedai, & dixerunt ei, Præceptor, volumus

[5] F. vel & amicè prehendit eum, κατὰ μετάληψιν. Sic enim Syris pariter & Græcis hoc verbum accipitur, אחב & ἀγαπᾶν. Atq; haud scio an hæc interpretatio meliùs consilio Christi & argumento sequenti responde-at. Varinus, ἀγαπᾶν, ἀποδέχεσθαι.

[6] Id est, Sequere me. Hebraismus.

[7] Ad verb. Quum esset afflictio ei.

[8] Id est, Unum auctum in centum. Hebraismus. Vide annot. in Matth. 19.29.

[9] Id est, Sequebantur.

[10] F. vel timentes, quum accipiens suos duodecim cœpisset dicere eis, &c.

[11] F. Id est, mox tradetur, vide in Matth. 2.4.

eos: & discipuli verò objurgabant eos qui offerebant.

14 Quod quum vidisset Jesus, indignatus est, & dixit eis, Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibete eos. [f] talium enim est regnum Dei.

15 Amen dico vobis, quicumque non exceperit regnum Dei ut puerulus, nequaquam in id ingredietur.

16 Et quum accepisset eos in ulnas, impositis in eos manibus, benedixit eis.

17 [g] [h] Egrediente autem ipso *ut sese daret* in viam, [i] quidam, quum accurrisset, & [i] accidisset ei ad genua, interrogavit eum, Præceptor bone, quid faciam ut vitam æternam possideam?

18 Jesus autem dixit ei, Cur me dicis bonum? nullus est bonus, nisi unus, *nempe* Deus.

19 Mandata nosti, [l] Ne mœchator, Ne occidito, Ne furator, Ne falsum testimonium dicito, Ne [k] damno afficito *quemquam*, Honora patrem tuum & matrem.

20 Ille verò respondens dixit ei, Magister, hæc omnia observavi à juventute mea.

21 Jesus autem eum intuitus, dilexit eum, & dixit ei, Unum te deficit: abi, quæcumque habes vende, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me, sublata *in humeros* cruce.

22 Ille verò mœstus factus propter hunc sermonem, abiit contristatus: habebat enim possessiones multas.

23 Et quum circumspexisset Jesus, dicit discipulis suis, Quàm difficulter qui opes habent, in regnum Dei introibunt.

24 Discipuli verò expaverunt ad hos sermones ipsius. Jesus autem rursum respondens dixit eis, Filii, quàm difficile est eos qui confidunt opibus, in regnum Dei introire.

25 Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum Dei introire.

26 Illi verò ampliùs percellebantur, dicentes inter se, Et quis potest servari?

27 Intuitus autem eos Jesus dicit, Apud homines hoc fieri non potest, sed non apud Deum: nam omnia fieri possunt apud Deum.

28 [l] [l] Tunc Petrus cœpit dicere, ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.

29 Respondens autem Jesus ait, Amen dico vobis, nullus est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea caussa & Evangelii,

30 Quin accipiat [m] centuplicia nunc isto tempore, domos, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros, & [n] cum persequutionibus, & in seculo venturo vitam æternam.

31 [l] Multi autem primi, erunt ultimi: & ultimi, primi.

32 [l] [o] Erant autem in via ascendentes Hierosolyma: & præibat eis Jesus, & expavescebant, & *eum* sequendo terrebantur. Ipse verò assumtis rursum duodecim, illis cœpit dicere quæ sibi erant eventura,

33 *Dicens*, Ecce, ascendimus Hierosolyma, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis: & condemnabunt eum morte, tradentq; eum Gentibus:

34 Et *ipsi* illudent ei, & flagellabunt eum, & inspuent in eum, & trucidabunt eum: sed tertia die resurget.

35 [p] [l] Tunc accedunt ad eum Jacobus & Johannes filii Zebedæi, dicentes, Magister, [q] volumus

[f] B. Malitia pueros fieri oportet, ut ingrediamur regnum cælorum.

[g] B. Duo imprimis fugienda æternam vitam serio quærentibus, opinio videlicet de suis meritis, quæ ex vera Legis consideratione intelligitur & refellitur: divitiarum amor, qui multos alacriter etiam currentes è medio cursu revocat.

[h] Quum iter ipse iniret.

[l] *Matth.* 19.16. *luc.* 18.18.

[i] Vide Matth. 17.14.

[l] *Exo.* 20.13.

[k] Nec vi, nec fraude, nec alia quavis ratione.

[l] B. Pro Christo omnia negligere, certum est ad vitam æternam iter, modò nequid in via deficiat.

[l] *Matth.* 19.27. *luc.* 18.28.

[m] Centies tantumdem, nempe quoad verum usum & commoda hujus vitæ, si modò illa non ex copia & cupiditate nostra metiamur, sed ex Dei voluntate.

[n] In mediis etiam prosequutionibus.

[l] *Matth.* 19.30. *luc.* 13.30.

[l] *Matt.* 20.17. *luc.* 18.31.

[o] B. Rursus discipuli ad invictam patientiam præparantur mortis imminentis, & simul certò sequuturæ vitæ denunciatione.

[p] B. omnino priùs certandum est, quàm triumphādum.

[l] *Matth.* 20.20.

[q] Rogamus. Hæc autem testantur quàm ferociat caro, & quanta cupiditate aspiret ad honores.

limus ut quicquid petierimus, præſtes nobis.
36 Ipſe verò dixit eis, Quid me vultis vobis
præſtare?
37 Illi autem dixerunt ei, Da nobis ut unus
ad dexteram tuam & alter ad ſiniſtram tuam ſe-
deamus in gloria tua.
38 Jeſus autem dixit eis, Neſcitis quid peta-
tis. poteſtis bibere poculum quod ego bibo, &
ʳ baptiſmo quo ego baptizor, baptizari?
39 Ipſi verò dixerunt ei, poſſumus. Jeſus autem
dixit eis, Poculũ quidem quod ego bibo, bibetis:
& baptiſmate quo ego baptizor, baptizabimini:
40 Sed ſedere ad dexteram meam & ad ſini-
ſtram meam, non eſt meum dare, ſed *dabitur* qui-
bus paratum eſt.
41 Et quum *hæc* audiſſent *alii* decem, cœpe-
runt indignari de Jacobo & Johanne.
42 ſ Jeſus autem quum eos advocâſſet, dixit
eis, ᵗ ˡ Scitis eos ᵘ qui cenſentur imperare Gen-
tibus, dominari in eas: & earum magnates pote-
ſtatem habere in eas.
43 Verùm non ita erit inter vos: ſed quicũq;
voluerit fieri magnus inter vos, ſit miniſter veſter.
44 Et quicumq; voluerit ex vobis fieri primus,
ſit omnium ſervus.
45 Nam & Filius hominis non venit ut ſibi
miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, & daret animam
ſuam redemtionis pretium pro multis.
46 ˣ Tunc veniunt Hiericho: ˡ eoq; egredi-
ente ab Hiericho, ac diſcipulis ejus, & turba mul-
ta, ʸ filius Timæi Bartimæus cæcus ſedebat apud
viam mendicans.
47 Et quum audiſſet ipſum eſſe Jeſum illum
Nazarenum, cœpit clamare, & dicere, Fili Davi-
dis Jeſu, miſerere mei.
48 Objurgabant autem eum multi ut ſileret:
ille verò multò magis clamabat, Fili Davidis, mi-
ſerere mei.
49 Tunc Jeſus quum ſubſtitiſſet, juſſit eum
vocari. vocant igitur cæcum, dicentes ei, Confide,
ſurge: vocat te.
50 Ipſe verò abjecto pallio ſuo quum ſurrexiſ-
ſet, venit ad Jeſum.
51 Et reſpondens dixit ei Jeſus, Quid vis tibi
faciam? Cæcus autem ait ei, ᶻ Rabboni, ut vi-
ſum recipiam.
52 Jeſus autem dixit ei, Abi, ᵃ fides tua te ſer-
vavit. Statim igitur recepit viſum, & ſequebatur
Jeſum in illo itinere.

ʳ Vide Matth, 20.26.
ſ 2. Magiſtratus ſecundum Deum ſuis ſubjectis imperant: paſtores autem non ad dominandum, ſed ad ſerviendum vocati ſunt, præeunte ipſis Dei Filio, quatenus & ipſe fuit voluntatis Patris miniſter.
ᵗ q. d. Quoties auditis de regno cælorum, quod utiq; ſpirituale eſt, nec minùs differt à regno mundi, quàm terra differt à cælo, nolite vobis fingere talem ſpeciem rerum qualem videtis in regnis terrenis. Scitis enim, &c.
ˡ Luc. 22.25.
ᵘ Quibus decretum eſt & conſtitutum.
ˣ 3. Chriſtus unus fide invocatus, cæcitatem noſtram ſanat.
ˡ Matth. 20.29. luc. 18.35.
ʸ Exponit quid ſignificet Bartimæus, nempe Filium Timæi, unde apparet iſtũ vulgo celebrem fuiſſe, ſicut ille de quo Joh. 9.1.
ᶻ i. Magiſter, ut Joan. interpretatur 20.16.
ᵃ Certè fides nos ſalvos reddit, non opera, non merita noſtra. Nam divinæ miſericordiæ & gratuitæ gratiæ eſt, quòd vivimus.

lumus ut quicquid petierimus facias nobis.
36 Dixit ei, Quid cupitis *ut* faciam vobis?
37 Dicunt ei, Da nobis ut unus ſedeat à
dextra tua, [12] & alter à ſiniſtra tua in gloria
tua.
38 Ipſe autem dixit eis, Neſcitis quid petatis.
poteſtatis vos bibere poculum quod ego bibo, &
baptiſmo quo ego baptizor, [13] baptizari?
39 Dicunt ei, Poſſumus. Dixit eis Jeſchua,
Poculum quod ego bibo, bibetis: & baptiſmo
quo ego baptizor, baptizamini.
40 Ut autem ſedeatis à dextra mea & à ſini-
ſtra mea, non eſt meum [14] dare, niſi illis quibus
paratum eſt.
41 Et quum audiviſſent decem [15] cœperunt
murmurare adverſus Jaakub & Juchannan.
42 Et vocavit eos Jeſchua, & dixit eis, Scitis
quòd ii qui reputantur capita Gentium, domini
earum ſint, & magnates earum dominentur ſu-
per eas.
43 Non autem ſic erit inter vos: ſed qui vult
in vobis [16] fieri magnus, erit vobis miniſter.
44 Et qui ex vobis vult eſſe primus, erit ſer-
vus omnis hominis.
45 Etenim Filius quoque hominis non venit
ut miniſtraretur ſibi, ſed ut miniſtraret, & daret a-
nimam ſuam redemtionem pro multis.
46 Et venerunt Irichu. Et quum egreſſus eſ-
ſet Jeſchua ab Irichu, ipſe & diſcipuli ejus & tur-
ba multa, Timai filius Timai, cæcus, ſedebat jux-
ta viam, & mendicabat.
47 Et audivit quòd Jeſus eſſet Naſarenus,
& cœpit clamare, & dicere, Fili David, miſerere
mei.
48 Et reprimebant eum multi ut ſileret. Ille
autem magis clamabat, & dicebat, Fili David,
miſerere mei.
49 Et ſtetit Jeſchua, & præcepit ut vocarent
eum. Et vocârunt cæcum, & dicunt ei, [17] Bono ſis
animo: vocat te.
50 Ipſe autem cæcus abjecit veſtimenta ſua:
& ſurgens venit ad Jeſchua.
51 Et dixit ei Jeſchua, Quid vis ut faciam
tibi? Ipſe autem cæcus dixit, Domine mi, ut vi-
deam.
52 Et Jeſchua dixit ei, Videto: fides tua [18] ſer-
vavit te. Et ſtatim viſus reſtitutus eſt ei: & abi-
bat per viam.

[12] Ad verb. Unus.
[13] V. per ellipſin literæ ל. Sic enim loquuntur Syri, poteſtis ut baptizemini: pro eo quod nos dicimus, poteſtis baptizari. Sic præcedente membro.
[14] V. dare *vobis*, ſed illis quibus p. ita Syrus cũ Græco conſentiens.
[15] Ad verb. Cœperunt murmurantes. Syra phraſis.
[16] Pro maximus, poſitivus pro ſuperlativo, ut aptè notatum.
[17] Ad verbum Cordatus eſto.
[18] Ad verb. Vivificavit te. Hebr

CAPUT XI.

1 Chriſtus ingreditur Jeruſalem vectus aſello. 13 Ficus infructuoſa maledicitur. 15 Ejiciuntur templo vendentes & ementes. 23 Virtus fidei. 24 Fides orationis. 25 Peccata fratri remittenda. 27 Sacerdotes petunt qua auctoritate Chriſtus faciat quæ facit. 30 Baptiſmus Joannis unde.

QUum ᵃ ᵇ autem appropinquarent Hieroſoly-
mis ad Bethphage & Bethaniam apud mõ-
tem Oleatum, miſit duos è diſcipulis ſuis,
2 Et dicit eis, Abite in vicum qui vobis eſt ex
adverſo: & ſtatim ut ingrediemini in eum, inve-
nietis pullum ligatum, in quo ᵇ nullus hominum
ſedit: ſolvite eum & adducite.
3 Quòd ſi quis vobis dixerit, Cur hoc faci-
tis? dicite, quoniam eo opus eſt Domino: & e-
um ſtatim huc mittet.
4 Abierunt igitur & invenerunt pullum li-
gatum ad oſtium foris in bivio: & ſolverunt
eum.
5 Tunc quidam eorum qui illic adſtabant,
dixerunt eis, Quid facitis qui ſolvitis pullum?
6 Ipſi verò dixerunt eis prout mandârat Je-
ſus: & *illi* dimiſerunt eos.
7 ˡ Adduxerunt igitur pullum ad Jeſum, & in-
jecerunt

ᵃ 2. Viva ſpiritualis in terris regni Chriſti imago.
ˡ Matth. 21.1. luc. 19.29.
ᵇ Nondum ullus homo.
ˡ Joh. 12.14.

ET quum appropinquaret Uriſchelem juxta
Beth-Page & Beth-Aniah ad montem Oliva-
rum, miſit duos ex diſcipulis ſuis.
2 Et dixit eis, ite in pagum illum qui contra
nos eſt: & ſtatim eadem hora qua ingrediemini
in eum, invenietis pullum qui alligatus eſt, cui
nemo ex filiis hominis inſedit, ſolvite, adducite
eum.
3 Et ſi quis dixerit vobis, Cur facitis hoc?
Dicite ei, Quia pro Domino noſtro [1] petitur. &
ſtatim mittet eum huc.
4 Et abeuntes, invenerunt pullũ qui vinctus
erat ad januam foris in platea. Et quũ ſolverent,
5 Quidam ex eis qui adſtabant, dixerunt eis,
Quid facitis quòd ſolvitis pullum?
6 Ipſi verò dixerunt eis ſicut mandaverat eis
Jeſchua: & illi dimiſerunt eos.
7 Et adduxerunt pullũ ad Jeſchua: & injece-
runt

[1] V. i. deſideratur, & opus eſt eo: ut Matth. 21.3.

runt super eum vestimenta sua,& sedit super eum Jeschua.

8 Multi autem ponebant vestimenta sua in via: & alii cædebant ramos ex arboribus,& ponebant in via.

9 Et qui ante eum & qui post eum erant clamabant, & dicebant, [2] Huschaanah, benedictus est qui venit in nomine Domini.

10 Et benedictum sit regnum quod venit patris nostri David: Huschaanah.

11 Et ingressus est Jeschua in Urischelem in templum,& consideravit omnia. Quum esset autem tempus vespertinum, ingressus est in Beth-Aniah cum duodecim.

12 Et die postero quum egrederetur ex Beth-Aniah,esuriit.

13 Et vidit ficum unam è longinquo, in qua erant folia,& venit ad eam [3] ut *videret* si inveniret in ea aliquid: & quum venisset,non invenit in ea nisi folia. Tempus enim non erat ficuum.

14 Et dixit illi,Deinceps & in perpetuum nemo ex te fructus comedat. Et audiverunt discipuli ejus [4] & venerunt in Urischelem.

15 Ac ingressus est Jeschua in templum Dei, & cœpit ejicere eos qui emebant & vendebant in templo: [5] & evertit mensas numulariorum, & cathedras eorum qui vendebant columbas.

16 Neq; sinebat ut quisquam deportaret vasa per templum Dei.

17 Et docebat,& dicebat eis,Nónne scriptum est,Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum.

18 Et audiverunt principes Sacerdotum & Legisperiti, & quærebant quomodo perderent eum. Timebant enim ab eo,quia universus populus mirabantur in doctrina ejus.

19 Et quum serum esset, egressi sunt extra urbem.

20 Et manè quum transirent, viderunt ficum illam aridam à radice sua.

21 Et recordatus est Schemeun, & dixit ei, Domine mi, Ecce, ficus illa quam exsecratus es, aruit.

22 Et respondit Jeschua, & dixit eis, Sit in vobis fides Dei.

23 Ammin dico vobis quòd is qui dixerit mōti huic, Tolle te, & cade in mare, nec hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quòd fiet id quod dixit, fiet ei quod dixerit.

24 Propter hoc dico vobis quòd quicquid oratis & petitis, credite quòd [6] accipitis: & fiet vobis.

25 Et quum statis ad orandum, remittite id quod est vobis adversus aliquem: ut etiam Pater vester qui est in cælo, remittat vobis delicta vestra.

26 Si verò vos non remittetis, nec etiam Pater vester qui est in cælo, remittet vobis delicta vestra.

27 Et venerunt rursus Urischelem, & quum ambularet in templo, venerunt ad eum principes Sacerdotum, Legisperiti, & Seniores.

28 Et dicunt ei, In qua potestate hæc facis? & quisnam dedit tibi potestatem hanc ut hæc facias?

29 Ipse autem Jeschua dixit eis, Interrogabo ego vos quoque sermonem unum ut dicatis mihi, & ego dicam vobis in qua potestate hæc facio.

30 Baptismus Juchannan undenam est? E cælo,an ex filiis hominis? dicite mihi.

[2] Vide Matth. cap.21.9.

[3] v. Ellipsis frequens apud Hebræos & Syros, ante particulas si & ne, visurus si inveniret,&c.id est in oratione ὑποθετικῇ καὶ ἀπαγορευτικῇ: ut Gen.3.22,& infrà 14.2.

[4] v. Hæc verba omnino præstat aptari sequenti versui.

[5] Vide de hoc, annot. in Matth. cap.21.12.

[6] v. i. accepturi estis. vide in Matth.2.4.

jecerunt ei pallia sua, & insedit ei.

8 Multi verò pallia sua straverunt per viam: alii autem frondes cædebant ex arboribus, & sternebant in viam.

9 Et qui præibant, quíque sequebantur, clamabant dicentes, Hosanna, [c] benedictus qui venit in nomine Domini.

10 [d] Benedictum regnum patris nostri David, quod venit in nomine Domini: hosanna ô *qui es* in *cælis* altissimis.

11 [‖] Et ingressus est Hierosolymam Dominus, & in templum: quúmque circumspexisset omnia, & [e] vespera jam hora esset, abiit ad Bethaniam cum illis duodecim.

12 [‖] Et postero die quum exissent Bethania, esuriit.

13 [f] Quumq; procul vidisset ficum habentem folia, venit *visurus* videlicet num inveniret aliquid in ea: & quum venisset ad eam, nihil invenit nisi folia,non enim erat tempus ficuum.

14 Tunc [g] respondens Jesus dixit ficui, Ne amplius ex te in seculum quisquam fructum cōedat. Et *hoc* audierunt discipuli ejus.

15 [h] Veniunt igitur Hierosolymam. Et ingressus Jesus in templum, cœpit ejicere eos qui vendebant & emebant in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas subvertit.

16 Nec sinebat ut quisquam deportaret [i] vas per templum.

17 Et docebat dicens eis,Nónne scriptum est, [‖] domum meam domum precationis [k] vocatum iri ab omnibus Gentibus? [‖] vos autem eam fecistis speluncam latronum.

18 Et *hoc* audierunt Scribæ & primarii Sacerdotes,& quærebant quomodo eum perderent. timebant enim eum, quia tota turba percellebatur super doctrina ipsius.

19 Quum verò vespera advenisset, egressus est Jesus extra urbem.

20 [l] [‖] Et manè [m] iter facientes prope ficum, viderunt eam exaruisse radicitùs.

21 Tunc recordatus Petrus dixit ei, Rabbi, ecce,ficus illa cui imprecatus es,exaruit.

22 Et respondens Jesus dixit eis, Habete [n] fidem Dei.

23 Amen enim dico vobis, quicumque dixerit monti huic, Tolle te & projice te in mare: nec addubitaverit in corde suo, sed crediderit futura quæ dicit, fiet ei quicquid dixerit.

24 [‖] Propterea dico vobis, quæcumque precantes petitis,credite [o] vos accepturos: & erunt vobis.

25 [‖] Et quum [p] adstiteritis precantes, remittite si quid habetis adversus aliquem; ut & Pater ille vester qui in cælis *est*, remittat vobis offensas vestras.

26 Nam si vos non remiseritis, nec Pater ille vester qui in cælis *est*, remittet offensas vestras.

27 [q] [‖] Tunc veniunt rursus Hierosolymam: & quum ipse ambularet in templo, veniunt ad eum primarii Sacerdotes & Scribæ & Seniores;

28 Et dicunt ei, Qua auctoritate ista facis? & quis tibi dedit auctoritatem istam, ut hæc facias?

29 Jesus autem respondens dixit eis, Interrogabo vos & ego rem quandam. Respondete igitur mihi, & dicam vobis qua auctoritate hæc faciam.

30 Baptisma Johannis è cælo erat, an ex hominibus? respondete mihi.

[c] Benè sit ei qui ad nos venit divinitùs,& à Deo missus. Omnia autem hæc respiciunt promissiones de venturo Messia, quamvis quod ipsius regnum esset non intelligerent.

[d] Fœlix ac prosperum sit.

[‖] Matth.21.10. luc.19.45.

[e] Tempus vespertinum.

[‖] Matth.21.19.

[f] B. Exemplum ultionis quæ hypocritas manet.

[g] Hic manifestè apparet Hebraismus, nam alioqui nemo dicatur ficui respondere.

[h] B. Christus re ipsa ostendit se verè esse Regem illum ac Pontificem, ac proinde templi divini cultus vindicem.

[i] i. instrumentū ullum,profanum videlicet, cujusmodi plurima habebant isti,quibus atrium templi cœperat esse pro foro.

[‖] Esa.56.7.

[k] Palàm erit & habebitur.

[‖] Jerem.7.11.

[l] B. Fidei vis longè maxima: cohæret autem cum fide charitas.

[‖] Matth.21.19.

[m] Juxta ipsam ficū iter facientes, erat enim in via, ut dicit Matth.

[n] Fides Dei, est quæ Deo habetur. Id est certum esse, Deum præstiturum quod promisit.

[‖] Matth.7.7. luc.11.9.

[o] Ad verb. quod accipitis. tempus autē præsens quasi rem exhibet.

[‖] Matth.6.14.

[p] i. cùm appareritis coram altari. Hinc disce, Nihil æquè à nobis Deum requirere, quàm mutuam dilectionem, ut alii aliis dū simus hoc est, ut sua imago & bonitas inter nos luceat.

[q] B. Ordinariæ successionis obtentu jampridem oppugnatum Evangelium.

[‖] Matth.21.23. luc.20.1.

31 Ratiocinabantur autem apud se, dicentes,
Si dixerimus, E cælo: dicet, Quare ergo non
credidistis ei?
32 [r] Sed si dicamus, Ex hominibus: timemus
populum. omnes enim sentiebant de Johanne,
eum verè Prophetam fuisse.
33 Tunc respondentes dicunt Jesu, Nescimus.
Et Jesus respondens dicit eis, Nec ego dicam vobis qua auctoritate hæc faciam.

[r] B. Merces malæ conscientiæ, timere eos quibus timori esse licuit.

31 Et ratiocinabantur [7] in seipsis, & dicebant,
Si dixerimus ei, quòd est è cælo, dicet nobis, Et
quare non credidistis ei?
32 Et si dixerimus [8] quòd est è filiis hominis,
metus est à populo. Omnes enim [9] tenebant ipsum Juchannan quòd verè propheta esset.
33 Et responderunt, & dixerunt Jeschua, Nescimus. Dixit eis, Ego quoque non dico vobis in
qua potestate hæc facio.

[7] F. Syrè, cum animis suis: ut etiam passim.
[8] F. In Græco textu sermo est anantapodotos, ut apud Hebræos, Græcos, & Latinos sæpe. Sed si dixerimus, ab hominibus est, quid nobis fiet? aut aliquid simile, ut Lucæ 13.9. & 22.42. nisi quis fortè legere malit *ἐρωτητικῶς*, sed dicamúsne, ex hominibus? deinde sequatur ætiologia cur hoc non expediat fieri: quod genus ellipseos notavimus in Matth. 13,29. Syrus verò sensum expressit omisso hoc figurato loquendi genere: itaque rem exposuit, at non vim & πάθος argumentationis istius. [9] id est, Habebant. Galli Syram phrasin aptè exprimunt, *Ils tenoyent Jean pour un vray prophete.* Etiam Germani. *Sie hielttenn Johannem fur ein propheten.*

CAPUT XII.

1 *De vinea.* 10 *Christus, lapis reprobatus à Judæis.* 13 *De tributo dando Cæsari.* 18 *Sadducæi negantes resurrectionem.* 28 *Primum mandatum.* 33 *Dilectio Dei & proximi præponitur sacrificiis.* 36 *Christus, filius Davidis.* 38 *Cavendum à Scribis & Pharisæis.* 42 *Vidua paupercula.*

[l] ET [a] cœpit eis per [b] parabolas dicere, Vineam plantavit quidam, & circumposuit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis: ac peregrè profectus est.
2 Misitq; servum ad agricolas *suo* [c] tempore, ut ab agricolis acciperet ex fructu vineæ.
3 Illi verò captum eum cæciderunt, ac remiserunt inanem.
4 Et rursum misit ad eos alium servum, *& illi* huic quoque lapidato, caput comminuerunt, & remiserunt dedecoratum.
5 Et rursum alium misit: & illum trucidârunt: multósq; alios, hos quidem cædentes, illos verò trucidantes.
6 Quum ergo unum adhuc haberet filium suum dilectum, misit etiam illum ultimum ad eos, dicens, Reverebuntur filium meum.
7 Illi verò agricolæ dixerunt inter se, Iste est hæres: venite, trucidemus eum, & nostra erit hæreditas.
8 Et captum eum trucidârunt, & ejecerunt extra vineam.
9 Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet agricolas, & dabit vineam aliis.
10 Ne hanc quidem Scripturam legistis, [l] Quem lapidem reprobaverunt ædificantes, is factus est caput anguli:
11 A Domino factum est [d] istud & est mirabile in oculis nostris?
12 [e] Studebant igitur eum prehendere, sed timuerunt turbam: norant enim eum adversus ipsos illam parabolam dixisse. itaque omisso eo abierunt.
13 [l] [f] Et miserunt ad eum quosdam è Pharisæis & Herodianis ut eum [g] irretirent captum [h] sermone.
14 Illi verò quum venissent, dicunt ei, præceptor, scimus te veracem esse, neque curare quemquam: [i] non enim respicis ad personam hominum, sed in veritate [k] viam Dei doces: Licet censum Cæsari dare, an non? [l] demus, an non demus?
15 Ipse verò, quum sciret eorum hypocrisin, dixit eis, Quid me tentatis? proferte mihi denarium, ut videam.
16 Illi verò protulerunt. Tunc dicit eis, Cujus est imago ista & inscriptio? Illi verò dixerunt ei, Cæsaris.
17 Et respondens Jesus dixit eis, [l] Reddite quę *sunt* Cæsaris, [m] Cæsari: & quę Dei *sunt*, Deo. Et admirati sunt super eo.
18 [l] [n] Tunc veniunt ad eum Sadducæi, qui

[l] *Matth. 21.33. luc. 20.9. esa. 5.1. jere. 2.21.*
[a] B. Dei vocatio nec locis nec personis nec temporibus certis est sine exceptione adstricta.
[b] Parabola apud Evangelistas non tantùm collationem aut comparationem, sed etiam ænigmata & allegorias significat.
[c] Tempore quo colligi fructus solent.
[l] *Psal. 118.22. esa. 28.16. matt. 21.42. act. 4.11. rom. 9.33. 1. pet. 2.8.*
[d] i. Res ista, vide Mat. 21.42. Est autem Hebraismus.
[e] Affectabant & mirificè cupiebant.
[l] *Matt. 22.15. luc. 20.20.*
[f] B. Evangelium Magistratus imperium cum Dei cultu conjungit.
[g] Verbo a venatoribus sumto utitur Evangelista.
[h] Potest hoc referri vel ad eorũ orationem qui Christo insidiabantur, vel ad Christi responsionem, qua illi sperabant fore ut sese in laqueos indueret, vel ad utrosque.
[i] Non ita ex externis judicas, ut ea tenebras offundant veritati.
[k] Qua ad Deum pervenitur, id est, sancti mores, & cum lege Dei consentientes.
[l] Iterata interrogatio captiosa. Nam urgent responsum, quasi futurum sit ut si responderit non dandum, daturi non sint, sin dandum daturi. [l] *Rom. 13.7.* [m] Incertum est casúne factum sit, an data opera quòd D 20 bis additur articulus Cæsari nequaquam, tamquam Cæsarem velut incertum & ignotum nominet (quod multi sint ejus nominis) Deum velut certum designet. [l] *Matth. 22.23. luc. 20.27.* [n] B. Carnis resurrectio, adversus Sadducæorum inscitiam & malitiam asseritur.

ET cœpit loqui cum eis per parabolas. Vir quidam plantavit vineam, & circumdedit eam sepe, & fodit in ea torcular, & exstruxit in ea turrim, & possidendam eam tradidit agricolis, & peregrè profectus est.
2 Et misit ad agricolas servum suum in tempore, ut de fructibus vineæ acciperet.
3 Illi autem percusserunt eum, & dimiserunt eum vacuum.
4 Et misit rursum ad eos servum alium: & etiam illum lapidaverunt & contuderunt, & remiserunt cum ignominia.
5 Et misit rursum alium, & etiam illum occiderunt: & multos servos alios misit, & *aliquos* ex eis percusserunt, *aliquos* autem ex eis occiderunt.
6 [1] In fine autem unus filius dilectus erat ei, & misit eum ad illos tandem. dicebat enim, [2] Jam [3] erubescent à filio meo.
7 Illi verò agricolæ dixerunt apud seipsos, Hic est hæres: venite, occidamus eum, & erit nostra hæreditas.
8 Et accipientes occiderunt eum, & ejecerunt extra vineam.
9 Quid igitur faciet dominus vineæ? Veniens perdet illos agricolas, & dabit ipsam vineam aliis.
10 Atq; ne Scripturam quidem hanc legistis? Lapis quem reprobaverunt ędificantes, factus est in caput anguli:
11 A Domino [4] factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?
12 Et quærebant prehendere eum, ac timebant à populo. norat enim quòd adversus ipsos dixisset parabolam hanc. & reliquerunt eum, & abierunt.
13 Et miserunt ad eum [5] quosdam ex Legisperitis, & ex domesticis Hiraudis, [6] ut illaquearent eum in sermone.
14 Illi autem venerunt, & interrogaverunt eum, Magister, scimus quòd verax es, neq; suscipis curam cujusquam. non enim respicis vultus filiorum hominis, sed in veritate viam Dei doces. Licet dare argentum capitationis Cęsari, an non? demus, an non demus?
15 Ipse autem novit dolum eorum, & dixit eis, Quid tentatis me? Adferte mihi denarium: videam.
16 Et attulerunt ei. Dixit eis, Cujus est imago hæc, & inscriptio? Illi autem dixerunt, Cæsaris.
17 Dixit eis Jeschua, Quæ *sunt* Cæsaris, Cæsari date, & *quæ* Dei, Deo. Et admirati sunt de eo.
18 Et venerunt [7] Zaddukæi ad eum, qui dicũt

[1] F. i. postremò, tandem.
[2] F. vel fortè, ut in Matthæũ adnotavimus.
[3] Id est, filiũ meum verecundè reverebuntur.
[4] F. Vel facta est hæc, & est mirabilis, &c. ut in Matthæum diximus.
[5] Ad verb. Viros, Hebraismus.
[6] Verbum Syriacum Venari significat. Vult ergo dicere, Venatorum more insidiabantur ei ut ipsum in sermone caperent. Vide Matth. 22.15. in textu.
[7] Vide de Zaddukæis Matth. 22.23.

quòd resurrectio mortuorum non est. Et interrogaverunt eum,& dixerunt,

19 Præceptor, Musche scripsit nobis, Quòd si moriatur frater alicujus, & relinquat uxorem, & filios non relinquat, accipiat frater ejus uxorem ejus,& exsuscitet semen fratri suo.

20 Septem fratres erant: primus accepit uxorem,& mortuus est,& non reliquit semen.

21 Et secundus accepit eam & mortuus est, neq; ipse relinquens semen: & tertius similiter.

22 [9] Et septem illi acceperunt eam, neque reliquerunt semen. ultima omnium mortua est etiam ipsa mulier.

23 In resurrectione ergo cujus ex eis erit uxor? Ipsi enim septem acceperunt eam.

24 Dixit eis Jeschua, Nónne propterea erratis vos,qui non cognoscitis Scripturas, neq; virtutem Dei?

25 Quum enim surrexerint à mortuis, non accipient uxores, [9] neque uxores etiam erunt viris, sed sicut Angeli qui sunt in cælo, ipsi sunt.

26 De mortuis verò quòd resurgant, nónne legistis in libro Musche, quomodo de rubo dixerit ei Deus, Ego sum Deus Abrahami, & Deus Ischak,& Deus Jaakub?

27 Neque est Deus mortuorum, sed viventium. vos igitur multùm erratis.

28 Et accessit quidam ex legisperitis, & audivit eos quòd disputarent, & vidit quòd benè reddidisset eis responsum. Et interrogavit eum, Quódnam est mandatum primum omnium?

29 Dixit ei Jeschua, Primum ex omnibus mandatis *est*, Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est.

30 Et,Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua,& ex tota virtute tua: hoc est mandatum primum.

31 Et secundum quod simile est ei, Diliges proximum tuum [10] sicut te ipsum. Mandatum aliud quod majus sit istis non est.

32 Dixit ei ille legisperitus, Pulchrè Domine mi, & veritatem dixisti, quòd [11] unus est, & non alius præter eum.

33 Et quòd diliget eum homo ex toto corde, & ex tota cogitatione,& ex tota anima, & ex tota virtute: & *quòd* ut diligat proximum suum sicut seipsum,majus sit quàm omnia holocausta & victimæ.

34 Jeschua autem vidit eum quòd sapienter redderet responsum: & respondit,& dixit ei,Non es procul à regno Dei: & nemo ausus est ut rursus interrogaret eum.

35 Et respondit Jeschua, & dixit docens in templo, Quomodo dicunt Legisperiti quòd Christus filius est Davidis?

36 Ipse enim David dixit per Spiritum sanctum,Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextra mea usquedum posuero inimicos tuos scabellum sub pedibus tuis.

37 Ipse igitur David vocat eum Dominum meum: & quomodo filius ejus est? Et universa turba audiebat eum libenter.

38 Et in doctrina sua dicebat eis, Cavete à Legisperitis, qui affectant [12] in stolis ambulare, [13] & amant pacem in plateis:

39 Et primos consessus in synagogis [14].

40 Qui comedunt domos viduarum,propterea quòd prolixas faciunt precationes suas: qui accipient [15] judicium majus.

[9] Id est, Omnes, singuli ex septem fratribus.

[9] Id est, Non nubent, Hebraism.

[10] F. Syrè, sicut animam tuam. Hebraismus, ut ver. 33.

[11] Subaudi Deus. F. hæc autem verba sunt ætiologica, cur Deum unum sic amari oporteat, & principaliter.

[12] Id est, Longis vestibus, gravitatis & modestiæ opinionem apud vulgus aucupantur, ut in honore habeantur.

[13] Id est, Ambitiosè captant salutationes, vide Matth. cap. 23. 7.

[14] F. Hic addunt libri nostri ea verba quæ in Græco habentur, *& primos accubitus in cœnis.*

[15] Id est, condemnationem majorem. Hebraismus.

dicunt non esse resurrectionem: & interrogârunt eum, dicentes,

19 Præceptor, [n] Moses scripsit nobis, ut si cujus frater mortuus sit, ac reliquerit uxorem, [o] & filios non reliquerit, accipiat ipsius frater uxorem ejus, & excitet [p] semen fratri suo.

20 Septem ergo fratres fuerunt: ac primus accepit uxorem,& moriens non reliquit semen.

21 Et secundus accepit eam, & mortuus est, & ne ipse quidē reliquit semen: & tertius itidem.

22 Et acceperunt eam septē illi, neq; reliquerunt semen: ultima omniū mortua est & mulier.

23 In resurrectione ergo, postquam resurrexerint, cujus eorum erit uxor? nam septem habuerunt eam uxorem.

24 Tunc respondens Jesus dixit eis, [q] Nónne propterea erratis quòd non sciatis Scripturas, neque potentiam Dei?

25 Postquam enim à mortuis resurrexerint, neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: sed sunt ut Angeli qui in cælis *sunt*.

26 De mortuis verò, quòd suscitandi sint, non legistis in libro Mosis, quomodo in rubo loquutus sit ei Deus, dicens, [r] Ego *sum* Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi?

27 Non est Deus *deus* mortuorum, sed Deus viventium: vos ergo multùm erratis.

28 [r] [s] Et quum accessisset quidam è Scribis qui audierat eos disceptantes, & sciebat eum benè illis respondisse, interrogavit eum *dicens*, quod est primum omnium mandatum?

29 Jesus autem respondit ei, [s] Primum omnium mandatorum *est*, [t] Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est.

30 Diliges igitur Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & ex totis viribus tuis. hoc est primum mandatum.

31 Et secundum *illi* simile, hoc *est*, [u] Diliges proximum tuum ut teipsum. majus istis aliud mandatum non est.

32 Tunc dixit ei Scriba ille, Benè, præceptor, in veritate dixisti. nam unus est Deus, nec alius est præter eum:

33 Et diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex totis viribus: ac diligere proximum ut seipsum, plus est quàm omnia [t] holocautomata & sacrificia.

34 Tum Jesus quum vidisset eum cordatè respondisse, dixit ei, [u] Non longè es à regno Dei. Et nemo ampliùs audebat eum interrogare.

35 [x] [x] Et respondens Jesus dicebat, docens in templo, quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium Davidis?

36 Nam ipse David dixit [y] per Spiritum sanctum, [z] Dixit Dominus domino meo, Sede ad dexteram meam, usquedum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

37 Ipse ergo David dicit eum dominum: unde igitur filius ejus est? Et multa turba audiebat eum libenter.

38 [z] [a] *Ipse* autem dicebat eis [a] in doctrina sua, Cavete à Scribis, qui [b] amant [c] stolati ambulare, & salutationes in foris,

39 Primósq; consessus in conventibus, & primos accubitus in cœnis.

40 [l] Qui devorant domos viduarum, & in speciem utuntur longis precibus: [d] isti auferent gravius judicium.

[n] Deut. 25. 5.
[o] Vide Mat. 24.
[p] Semen, posteritatem, sive prolem, quam frater fratri suscitat, non sibi: eo quòd in mortui nomen transit quod nascitur.
[q] Interrogatio vim habens affirmationis.
[r] Exod. 3. 6. Mat. 22. 32.
[r] B. Sacrificia sive externi cultus nunquam placuerunt Deo nisi præeuntibus necessariis officiis.
[s] Mat. 22. 35.
[s] Primarium ac præcipuum.
[t] Deut. 6. 4.
[u] Levit. 19. 18. Mat. 22. 39. Rom. 13. 9. Gal. 5. 14. Jaco. 2. 8.
[t] Sacrificiorum genus quæ tota adolebantur Deo. Θυσίας autem, erant ea sacrificia, in quibus pars aliqua sacerdotibus & convivio decidebatur. Comprehenditur vero his duobus sacrificiorum generibus universus ille ceremonialis cultus, in quo nonnulli hypocritæ summam pietatis collocabant.
[u] regnum Dei capitur hic pro Evangelio, pro notitia Dei per Christum. Deum enim nosse, & illi fidere per Christum, est esse in regno Dei.
[x] Mat. 22. 44. Luc. 20. 41.
[x] B. Christus ex ipso Davide, unde ortus erat secundùm carnem, deitatem suam probat.
[y] Ad ver. in Spiritu sancto. Est in hoc dicendi genere energia, quo significatur non tam Davidem loquutum fuisse, quàm Spiritum sanctum, qui quodammodo Davidem ipsum possederit.
[z] Psal. 110. 1.
[z] B. Non temerè pastorum mores pro exemplo sunt sequendi.
[a] Mat. 23. 6. Luc. 11. 43. & 20. 46.
[a] Inter docendū.
[b] i. Amant, ut Mat. 13. 4. summo studio contendunt. [c] Stola, amictus est muliebris ad talos demissus: sumitur autem in genere pro vestimento ad ornatum composito: hoc tamen loco videtur significari exterior illa vestis fimbriata, cujus fit mentio, Deut. 22. 12. [l] Mat. 23. 14. Luc. 20. 47. [d] In istos feretur sententia gravior.

e B. Officia secundùm Deum præstita, non ex pretio externo, sed ex cordis affectu æstimantur.
[Luc. 21.1.]
f Pecuniam quocunque metallo, more scilicet Romanorum, apud quos initio fuit æs signatum. Gazophylacium autem, arca erat in quam pecuniæ, & voluntariæ oblationes conjiciebantur in usum templi Domini, 2. Reg. 12.9.

41 [e] Et quum sedisset Jesus ex adverso gazophylacii, spectabat quomodo turba immitteret [f] æs in gazophylacium: multi igitur divites injiciebant multa.

42 Et quum venisset quædam vidua pauper, injecit minuta *æreola* duo, quod est quadrans.

43 Tunc *ille*, quum advocasset discipulos suos, dixit eis, Amen dico vobis, vidua hæc pauper plus immisit quàm omnes *alii* qui miserunt *pecuniam* in gazophylacium.

44 Nam omnes ex eo quod ipsis redundat, immiserunt: hæc verò è penuria sua immisit omnia quæ habebat, totum *nempe* victum suum.

41 Et quum sederet Jeschua è regione [16] gazophylacii, spectabat quomodo turbæ injicerent nummos in gazophylacium. Et multi divites injiciebant multum.

42 Et venit vidua quædam pauper: injecit duo [17] manin *assires*, quæ sunt [18] octavæ.

43 Et vocavit Jeschua discipulos suos, & dixit eis, Ammin dico vobis, quòd hæc vidua pauper plus quàm omnes homines qui injiciunt, injecit in gazophylacium.

44 Omnes enim ex eo quod superest eis injecerunt: hæc verò ex penuria sua quicquid erat ei, injecit totam substantiam suam.

16 Id est, Domus thesauri, ut paulò infrà.
17 Dum percurro omnium numismatum Hebræorum nomina, & singulorum valorem expendo, nullum invenio quod præcisè 8. minora numismata contineat præter assir, (cujus Lucas meminit 12. & Mat. 10.) & valet quartam partem drachmæ, id est, tantum argenti quantum est pondus quatuor granorum hordei. Distributum autem in 8. partes, constituit minutulos numos quos vocant perutoth: quorum quisque si ex argento esset, non plus ponderis habet quàm dimidium granum hordei, sed propter ejus parvitatem solebat fieri ex ære. Quum ergo tantum assir inter antiqua illa Judæorum numismata octo numulos, qui dicuntur perutoth, (id est minimi & individui) contineret, videtur Evangelista, quum dicit mulierem duo manin injecisse, (quæ sunt octava numismatis cujus nomen reticet) necessariò intelligere assir, quod nomen expressi perspicuitatis gratia.
18 F. i. sextantes: ut in Matth. 5.26. adnotavimus.

CAPUT XIII.

1 De destructione urbis Jerosol. 9 Persequutiones propter Evangelium. 10 Evangelium prædicandum omnibus Gentibus. 26 De adventu Christi ad judicium. 33 Vigilandum, & orandum.

[Mat. 24.1. Luc. 21.5.]
a B. Prædicitur templi, urbis, atque adeò totius gentis excidium, & Ecclesiæ jactatio: additur tamen consolatio multiplex: & tandem futura mundi consummatio describitur.
[Luc. 19.43.]
[Ephes. 5.6. 2. Thes. 2.3.]
b Id est, qui nomen meum mutuabuntur.
c Ut vobis auditis, tantò magis convincantur, nec possint ignorantiam prætexere.
[Mat. 10.19. Luc. 12.11. & 21.14.]
d Non prohibetur cogitatio, sed anxia illa sollicitudo quæ à diffidentia proficiscitur. vide Matth. 6. 27.
e Artificiosa illa dicendi ratione quid dicturi sitis.
f Præceptum est & consolatio in adversis omnibus. Docet enim & quid faciendum, & quid sperandum sit, quum nihil adversi ex voluntate Patris possit accidere piis, quod non sit optimum & fœlicissimum.
[Mat. 24.15.]
[Dan. 9.27.]
g Quum profanæ gentes civitatem Dei, ipsumque templum non modò contaminabunt suo ingressu, sed etiam funditùs evertent.
[Luc. 21.20.]

QUum [a] [1] autem egrederetur è templo, dixit ei quidam è discipulis ejus, Præceptor, vide quales lapides, & qualia *ista sint* ædificia.

2 Tunc Jesus respondens dixit ei, [Vides] ista magna ædificia? non relinquetur lapis super lapidem, qui non dissolvatur.

3 Et quum sederet in monte Olearum ex adverso templi, interrogârunt eum privatim Petrus & Jacobus & Johannes & Andreas,

4 Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum *erit* quando futurum est ut hæc omnia finem habeant.

5 Jesus autem eis respondens cœpit dicere, Videte ne quis vos seducat.

6 Multi enim venient sub [b] nomine meo, dicentes, Ego sum *Christus*: multósque seducent.

7 Quum autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbamini: oportet enim *ista* fieri, at nondum *erit* finis.

8 Surget enim gens in gentem, & regnum in regnum: eruntque terræmotus singulis locis, & erunt fames ac turbæ.

9 Principia *erunt* dolorum *partus* ista: sed cavete vos vobisipsis: tradent enim vos in consessus & conventus: cædemini, & coram præsidibus ac regibus sistemini propter me, *ut hoc sit* [c] testimonio adversus eos.

10 Et apud omnes gentes oportet primùm prædicari Evangelium.

11 Quum autem vos tradendo duxerint, ne [d] antè soliciti estote quid dicturi sitis, [e] neq; meditamini: sed quicquid datum fuerit vobis illo momento, id loquimini. non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus sanctus.

12 Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium: & insurgent liberi adversus parentes, & eos curabunt morte mulctandos.

13 Et eritis odio omnibus propter nomen meum: [f] sed qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur.

14 Quum autem videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est à Daniele Propheta, [g] positam ubi non oportet, (qui legit animadvertat) tunc qui *fuerint* in Judæa, fugiant in montes:

15 Qui verò *fuerit* in solario, ne descendat *in* domum, nec ingrediatur ut quicquam sumat è domo sua.

16 Et qui fuerit in agro, ne revertatur retrò, ut

ET quum egrederetur Jeschua è templo, dixit ei unus ex discipulis suis, Præceptor ecce, vide hos lapides, & hæc ædificia.

2 Jeschua autem dixit ei, Vides tu hæc ædificia magna? non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non diruatur.

3 Et quum sederet Jeschua in monte Olivarum è regione templi, interrogaverunt eum Cipha & Jaakub & Juchannan & Andreas seorsim.

4 Dic nobis quando hæc fient, & quod est signum quum appropinquaverint hæc omnia ut consummentur.

5 Ipse autem Jeschua cœpit dicere eis, Videte ne quis fallat vos.

6 Multi enim venient in nomine meo, & dicent, Ego sum: & multos fallent.

7 Quum autem audieritis bella, & rumores bellorum, ne timeatis: futurum enim est ut id fiat. sed nondum finis.

8 Surget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt *terræ* motus [1] in singulis locis, & erunt fames & tumultus. Hæc sunt principia dolorum.

9 Respicite autem vos [2] animam vestram: tradent enim vos in judiciis, & in synagogis eorum flagellabimini, & ante reges & præsides stabitis propter me in testimonium illorum.

10 Antè autem futurum est ut promulgetur [3] Evangelium in omnibus Gentibus.

11 Quum adduxerint autem vos ut tradant vos, ne [4] prævenientes solliciti sitis quid loquuti sitis, neque meditemini: sed id quod datum fuerit vobis in illa hora, ipsum loquimini. non enim [5] vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

12 Tradet autem frater fratrem suum in mortem, & pater filium suum: & insurgent filii adversus parentes suos, & morte afficient eos.

13 Et eritis exosi ab omni homine propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, ipse [6] salvus erit.

14 Quum autem videritis advenientem abominationem desolationis, eam quæ dicta est in Daniil Propheta, stantem ubi non oportet, (qui legit animadvertat) tunc qui in Judæa erunt, fugiant in montem:

15 Et qui in tecto est, non descendat nec ingrediatur ad tollendum aliquid è domo sua.

16 Et is qui in agro est, non convertat se [7] post tergum

1 Ad verb. In loco, loco, Hebr.
2 i. Vosipsos. Anima enim alicujus pro seipso, non tantùm Hebraicè, sed etiam Chaldaicè & Syrè dicitur, quod perpetuò in Novo Testamento observare licet: nec opus est ubicumque recurrit id repetere.
3 F. Alii, Evangelium meum.
4 F. Syrè, prævenientis, solliciti sitis, [Greek], vide in Matth. 4.9.
5 F. nempè solùm, vide suprà in 9.37.
6 i, Vivet, Hebraismus.
7 F. i, retrorsum,

tergum suum, ut tollat vestem suam.

17 Væ autem in utero habentibus, & eis quæ lactant in illis diebus.

18 Orate autem ne sit fuga vestra in hyeme.

19 Erit enim in diebus illis afflictio qualis non fuit à principio creationis *rerum* quas creavit Deus, & usque nunc, neque erit.

20 Et nisi Dominus esset qui decurtavit dies illos,[8] non viveret[9] ulla caro: sed propter electos quos elegit, decurtavit dies illos.

8 i. Salva fieret. Hebraismus.

9 P. Syrè, omnis caro. Hebraismus, ut Psalmo 143.2.

21 Tunc si quis dixerit vobis, Ecce, istic est Christus, & ecce illic; ne credatis.

22 Surgent enim christi falsi & prophetæ mendaces: ac dabunt signa & prodigia, & in errorem inducent (si possibile esset) etiam electos.

23 Vos autem cavete. Ecce, anteà dixi vobis omnia.

24 In illis autem diebus post afflictionem illam sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum.

25 Et stellæ cadent de cælo, & virtutes cæli commovebuntur.

26 Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & gloria.

27 Et tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis, à[10] capite terræ, & usque ad caput cæli.

10 Caput utrobique pro extremitate accipit.

28 A ficu autem discite ænigmata, quia quum tener est ramis suis, & manifestantur folia ejus, cognoscitis quòd appropinquat æstas.

29 Sic etiam vos, quum videritis hæc quòd fiant, scitote[11] quòd propè est ad portam.

11 i. In foribus.

30 Ammin dico vobis, quòd non præteribit generatio hæc usquequo omnia fiant.

31 Cælum & terra præteribunt, & verba mea non præteribunt.

32 De die autem illo, & de hora illa nemo novit, nec etiam Angeli cælorum, neque Filius:[12] nisi Pater.

12 P. vel, sed Pater: ut Syra voce significatur, & Græca etiam εἰ μή.

33 Videte, vigilate, & orate: non enim nostis quando sit tempus.

34 Est enim sicut vir[13] qui peregrè profectus, & reliquit domum suam, deditque potestatem servis,[14] & unicuique opus suum, & janitori præcepit ut esset vigilans.

13 Vide Matth. 21.33.

14 Ad verb. viro, viro. Hebraismus.

35 Vigilate igitur, quia ignoratis quando[15] venit Dominus domus, serò an medio noctis, an in gallicinio, an manè.

15 P. i. venturus est. vide in Matth. 2.4.

36 Ne veniat repentè, & inveniat vos dormientes.

37 Id autem quod vobis dico, omnibus vobis dico, Estote vigilantes.

ut sumat pallium suum.

17 Væ autem prægnantibus & lactantibus per illos dies.

18 Orate verò ne fiat fuga vestra hyeme.

19 [h] Erunt enim dies illi *talis* afflictio, qualis ea non fuit à principio rerum conditarum quas condidit Deus, usque ad hoc tempus, neque fiet.

h Hebræorum dicendi genus, cujus magna est emphasis: ita enim significatur fore, ut toto illo tempore calamitas calamitatem excipiat, perinde ac si tempus ipsum ipsa esset miseria. sic Amos 5.20. dicit diem Domini fore tenebras non lucem.

20 Et nisi Dominus decurtasset dies illos, omnis caro periret: sed propter electos quos elegit, decurtavit dies illos.

21 [i] Tunc autem si quis dixerit, Ecce hîc Christus, vel, ecce illic, ne credite.

i Mat. 24.23. Luc. 21.8.

22 Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ: & edent signa ac miracula ad seducendum, si fieri possit, etiam electos.

23 Vos autem cavete. Ecce, prædixi vobis omnia.

24 [k] Cæterùm per illos dies, post afflictionem illam, sol obscurabitur, nec dabit luna splendorem suum.

k Ezech. 32.7. Esa. 13.10. Joel. 2.10. 31. & 3.15.

25 Et stellæ cæli excident, & potestates quæ in cælis *sunt* concutientur.

26 Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potentia multa & gloria.

27 *Ipse* verò tunc mittet Angelos suos, & suos electos coget à quatuor ventis, ab extremo terræ usque ad extremum cæli.

28 A ficu verò discite parabolam, Quum ramus ejus jam tener fit, & germinat folia, nostis propè esse æstatem:

29 Ita & vos, quum hæc videritis fieri, scitote *illum* propè esse & ad fores.

30 Amen dico vobis, nequaquam præterierit hæc ætas usquedum facta sint hæc omnia.

31 Cælum & terra præteribunt, sermones autem mei nequaquam præteribunt.

32 [l] Sed de die illo ac [k] hora nemo scit, ne Angeli quidem qui in cælo sunt, neque ipse Filius, sed Pater.

l 9. Non est curiosè ultimus ille dies inquirendus, quem solus Pater novit: sed cavendum potiùs, ne nos imparatos opprimat.

k De illo puncto temporis.

33 [l] Cavete, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus illud sit futurum.

l Mat. 24.42.

34 *Nam Filius hominis ita est* ut quispiam qui peregrè abiens relicta domo sua, dataque servis suis potestate, ac suo cuiq; opere, [l] janitori mandavit ut vigilaret.

l Atrienses servos, & janitorem in tanta servorum multitudine in primis habere consueverant veteres.

35 Vigilate igitur: (nescitis enim quando dominus domus veniet, vespere, an media nocte, an in gallicinio, an manè)

36 Ne quum repentè venerit, inveniat vos dormientes.

37 Quæ autem dico vobis, omnibus dico, Vigilate.

CAPUT XIIII.

1 *Consilium Sacerdotum adversus Christum.* 3 *Mulier ungens caput Christi ungento.* 12 *Paschæ præparatio.* 22 *Institutio Cœnæ.* 41 *Christi captivitas.* 43 *Judas osculo prodit Christum.* 53 *Christus coram Cajapha.* 66 *Petri negatio.*

POst duos autem dies futurum erat Petscha azymorum: & quærebant principes Sacerdotum & Legisperiti quomodo dolo prehenderent eum, & occiderent eum.

2 Ac dicebant,[1] Non in festo die, ne tumultus fit in populo.

1 P. supple videndum, ne isto die putà faciamus id quod quærimus vel procuramus fieri. Ellipsis in voce ἀπαγορευτικῇ frequens: ut Genes. 3.22. vide suprà in 11.13.

3 Et quum ipse esset in Beth-Ania, in domo Schemeun Leprosi, quum accumberet, venit ad eum mulier, [2] super quam erat alabastrum unguenti nardi præstantis, magni pretii, & illa aperuit ipsum, & effudit ipsum super caput Jeschua.

2 P. id est, cui, vel penes quam erat.

4 Erant autem quidam ex discipulis ejus quibus displicuit apud sese: ac dixerunt, Ad quid facta est perditio hujus unguenti?

5 Pote-

ERat [1] [a] autem Pascha, & Azyma duobus pòst diebus, & quærebant primarii Sacerdotes & Scribæ quomodo eum dolo prehensum trucidarent.

1 Mat. 26.2. Luc. 22.1.

a 3. Dei voluntate contra hominum consilium accidit, ut Christus captus die Paschæ solenni immolaretur, ut figuræ responderet veritas ex omni parte.

2 Dicebant autem, Non [b] in festo, ne tumultus sit populi.

b Vide Mat. 26.5.

3 Quum autem *Jesus* esset apud Bethaniam in domo Simonis Leprosi, accumbente eo, venerat mulier habens alabastrum unguenti nardi liquidæ multi pretii: & confracto alabastro, effuderat ei in caput.

4 [c] Quidam autem indignabantur apud sese, & dicebant, Quorsum perditio ista unguenti facta est?

c 3. Temeraria judicia coram Deo irrita.

5 Nam

5 Nam poterat hoc venire ampliùs quàm [d] trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6 Jesus autem ait, Omittite eam: quid ei molestiam exhibetis? bonum opus operata est erga me.

7 [e] Semper enim pauperes habebitis vobiscum, & quandocumque volueritis, potestis eis benefacere: me verò non semper habebitis.

8 [f] Hæc quod potuit fecit: occupavit enim ungere meum corpus ad funerationem.

9 Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit Evangelium hoc in toto mundo, etiam id quod ista fecit, dicetur in memoriam ipsius.

10 [g] Tunc Judas Iscariotes, unus ex illis duodecim, abiit ad primarios Sacerdotes, ut eum ipsis proderet.

11 Illi verò *eo* audito gavisi sunt: & polliciti sunt se pecuniam ei daturos. Quærebat igitur quomodo opportunè eum proderet.

12 [h] Primo autem die Azymorum, [i] quando [k] pascha [l] mactabatur, dicunt ei discipuli ipsius, Ubi vis ut profecti paremus ut edas Pascha?

13 Tunc mittit duos è discipulis suis, & dicit eis, Abite in Urbem: & occurret vobis quidam bajulans amphoram aquæ: sequimini eum:

14 Et quocumque introierit, dicite patrifamiliâs, Præceptor dicit, Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis edam?

15 Tunc ipse vobis monstrabit [m] cœnaculum magnum stratum, paratum: illic parate nobis *pascha*.

16 Abierunt igitur discipuli ejus, veneruntque in civitatem, & invenerunt *omnia* prout dixerat eis: & paraverunt Pascha.

17 Et quum serum *diei* esset, venit cum duodecim.

18 [n] Quumque discubuissent, & ederent, ait Jesus, Amen dico vobis, unus ex vobis prodet me, qui edit mecum.

19 Ipsi verò cœperunt contristari & ei dicere sigillatim, Num ego? Et alius, Num ego?

20 Ipse autem respondens dixit eis, Unus ex duodecim [o] qui *manum* intingit mecum in catinum, *me prodet*.

21 Filius quidem hominis abit, prout scriptum est de eo: sed væ homini illi per quem filius hominis proditur: bonum erat [p] homini illi si natus non fuisset.

22 Et [q] edentibus ipsis, quum accepisset Jesus panem, *&* benedixisset, fregit, deditque eis, & ait, Accipite, edite: hoc est corpus meum.

23 Et accepto poculo, quum gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes.

24 Et dixit eis, Hoc est sanguis meus Novi illius fœderis, qui pro multis effunditur.

25 Amen dico vobis, [r] non bibam ampliùs ex fructu vitis usque ad diem illum quum ipsum bibam novum in regno.

26 Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montem Olearum.

d Quinquaginta tribus libris Francicis, vel sex Anglicanis.
e B. Christus semel atque iterum in se ungi sustinuit certam ob causam: vult autem in pauperibus quotidiè ungi.
f B. Occulto Spiritus instinctu mulier Christum ungens, proximam ejus mortem ac sepulturam omnibus ponit ob oculos.
g B. Avaritia zelo charitatis tecta, prodendi ac crucifigendi Christi occasio.
Mat. 26.14. Luc. 22.4.
h B. Christus factus sub Lege pro nobis Pascha, celebrat ex Legis præscripto: & simul edito miraculo declarat sese mox in carne passurum, nihilominùs Deum esse.
Mat. 26.17. Luc. 22.7.
i Quo die, nimirùm ad vesperam quæ initium erat decimi quinti. Vide Matt. 26.17.
k Metonymia sacramentis familiaris, i. agnum illum paschalem, cujus mactatio in festo Paschæ certis ritibus fiebat.
l Mactare solebant.
m Græca vox significat contignationem ædium superiorem, cuicumque usui destinatam: quia verò solebant in ea parte domus cœnare, cœnaculum vocârunt.
n B. Abrogatur typus legalis mox reipsa implendus, & in ejus locum substituuntur ἀντίτυπα novi fœderis, ad consummationem usque mundi duratura.
Mat. 26.20. Luc. 22.14. Joh. 13.21.
o Qui mecum vesci consuevit. Non enim hoc expressit, quid tum ageret Judas, sed his verbis indicavit ad quantam familiaritatem admissus esset, qui ex eadem patella cum Christo peteret intinctum.
p Vide Matt. 26.24.
Mat. 26.26. 1. Cor. 11. 24.
q Describit nunc Marcus cœnam salutari doctrina refertissimam.
r quasi dicat, Nullum vinum posteà, juxta præsentis vitæ consuetudinem, cum discipulis suis gustaturum.

5 Poterat enim vendi plus quàm trecentis [3] denariis, & dari pauperibus. Et irascebantur adversus eam.

6 Ipse autem Jeschua dixit, Sinite eam: cur molesti estis ei? Opus bonũ operata est erga me.

7 Omni tempore enim pauperes sunt vobis vobiscum, & quando vultis, potestis benefacere eis: ego autem non omni tempore sum vobiscum.

8 [4] Id quod erat huic, operata est. [5] Et antevertit, adeò [6] ut ad sepulturam aromate condiret corpus meum.

9 Et ammin dico vobis, quòd ubicumque prædicabitur Evangelium meum hoc in universo mundo, id quoque quod operata est hæc, dicetur in memoriam ipsius.

10 Jihuda autem Secarjuta, unus ex duodecim, venit ad principes sacerdotum, ut proderet eis Jeschua.

11 Illi verò quum audivissent gavisi sunt, & polliciti sunt argentum quod daturi essent ei, & quærebat sibi opportunitatem ut proderet eum.

12 Et die [7] primo Azymorum, in quo immolant Judæi petscha, dicunt ei discipuli ejus, Ubi vis ut abeuntes præparemus tibi ad comedendum petscha?

13 Et misit è discipulis suis, & dixit eis, Abite in civitatem: & ecce, occurret vobis homo qui bajulat vas aquæ. [8] Abite post eum.

14 Et quò ingressus fuerit, dicite domino domus, Dominus noster dicit, Ubi est domus convivii ubi comedam cum discipulis meis Petscha?

15 Et ecce, indicabit vobis cœnaculum magnum quod stratum est, & paratum: ibi præparate nobis.

16 Et egressi sunt discipuli ejus, & venerunt in civitatem, & invenerunt sicut dixerat eis, & paraverunt Petscha.

17 Et quum esset serum, venit cum duodecim suis.

18 Quumque accumberent, & ederent, ait Jeschua, Ammin dico vobis, quòd unus qui comedit mecum, ipse proditurus est me.

19 Ipsi verò cœperunt tristitia affici, & dixerunt ei, [9] quisque sigillatim, Nunquid ego?

20 Ipse autem dixit eis, Unus ex duodecim qui intingit mecum in catino.

21 Et Filius hominis abit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi per cujus manum proditur Filius hominis. tolerabilius fuisset illi homini si non fuisset natus.

22 Et quum ipsi ederent, accepit Jeschua panem, & benedixit ac fregit, ac dedit eis, dixitque eis, Accipite: hoc est corpus meum.

23 Et accepit poculum, & gratias egit, ac benedixit, ac dedit eis. Et biberunt ex eo omnes.

24 Et ait eis, Hic est sanguis meus Testamenti novi, qui pro multis effunditur.

25 Ammin dico vobis, quòd rursus non bibam [10] ex producto à vite usque ad diem illum in quo bibam ipsum [11] de novo in regno Dei.

26 Et laudes dixerunt, ac egressi sunt in montem Olivarum.

3 De denario, vide Matth. 18. 28.
4 Id est, quod erat in ejus facultate ut faceret, id ipsum fecit.
5 Γ. i. προέλαβε μυρίσαι, prævenit unctione sepulturam meam, ante sepulturam unxit, quod in officio sepulturæ fieri solet.
6 Quum hic & in plerisque aliis locis utriusque testamenti mentio fiat unctionis mortuorum, lotionis, sudarii, vestium quibus mortui involvebantur, & quorumdam aliorum sepeliendi rituum, qui à nostris diversi sunt, non erit inutile eos hic, ut describuntur à Rabbi Mosche, filio Maimon, volumine secundo sui operis, cujus titulus est Maimoni in tractatu de luctu cap. 4. adscribere. Hæc verborum ejus est sententia: Mos est in Israële circa mortuos & eorũ sepulturam, ut quum quis mortuus est, ejus oculos occludant, & si os habuerit apertum, claudatur, fascia maxillis circumligata, ne iterum aperiatur. Obthuratur etiam locus per quem excrementa ejiciuntur, sed hoc postquam corpus fuerit lotum. Unguentis deinde ex diversis aromatum generibus confectis ungitur, & detonso capite, convolvitur corpus albis vestibus lineis ad hoc ipsum paratis, & quæ non sint magni pretii, ut possit æqualitas servari inter divites & pauperes. Tegitur quoque facies mortui priusquam imponatur pheretro, sudariolo, cujus pretium non excedat quartam partem sicli. Pheretro deinde impositum, humeris hominum gestatur usque ad sepulturam: & ibi antequam corpus tradatur sepulturę, quædam recitantur à majoribus eorum ad hoc conscripta, quibus divina justitia commendatur, & hominum peccata exaggerantur quibus mortem commeriti sunt, ac oratur Deus ut ita justitiam suam exerceat, ut se misericordem quoque esse oblivisci nolit. Posteà cadaver simul cum pheretro, in quo supinum jacet, in fovea positum tegitur. Denique ad lugentes itur, & quædam apud eos recitantur ad eos consolandum. Quibus peractis abeunt quisque ad sua negotia; nec ullum discrimen apparet inter divites & pauperes, inter nobiles & ignobiles, nec in sepultura mortuorum, nec in consolatione viventium.
7 P. i. decimo quarto mensis primi, quo fermentati panes desinunt ex lege Exodi 12.
8 Id est, Sequamini eum, Hebr.
9 Ad verb. Unus unus. Hebraismus, Gallicè diceretur Un à un, id est, Unus post alium.
10 Ad verb. Ex partu, sive fœtu vitis: vel à genito vitis.
11 Nam Syrus Græcum nomen καινὸν accipit adverbialiter, interpretatione peraccommoda.

27 Tunc

27 Et

27 Et ait eis Jeschua, Vos omnes offendemini
in me hac nocte. scriptum est enim, Percutiam
pastorem, & dispergentur oves ejus.
28 Sed quum surrexero, præcedam vos in
Galilæam.
29 Dixit ei Cipha, Si omnes offensi fuerint, at
non ego.
30 Dixit ei Jeschua, Ammin dico tibi, quòd
tu hodiè in nocte hac, antequam cantet gallus
duabus vicibus, tribus negabis me.
31 Ille autem ampliùs dicebat, Si fuerit mihi
moriendum tecum, non negabo te, Domine mi.
Et sicut ipse, etiam omnes discipuli dixerunt.
32 Et venerunt in locum qui vocatur [12] Gad-
Siman, & dixit discipulis suis, Sedete hîc donec
ego orem.
33 Et accepit secum Cipha & Jaakub & Ju-
channan, & cœpit mœstus esse & affici tristitia.
34 Et dixit eis, Tristis est anima mea usque ad
mortem. Exspectate me hîc, & vigilate.
35 [13] Et accessit paululùm, & procidit in ter-
ram, & orabat ut, si posset, transiret à se hora
illa.
36 Et dixit, [14] Pater, mi Pater, omnia potes
tu, transire fac à me poculum hoc: [15] non volun-
tas mea *fiat*, sed tua.
37 Et veniens invenit eos dormientes: & ait
Ciphæ, Schemeun dormis? Non potuisti una
hora vigilare?
38 Vigilate & orate ut non intretis in tenta-
tionem. spiritus voluntarius & promptus est, sed
corpus infirmum.
39 Et abiens rursus, oravit, & eumdem sermo-
nem dixit.
40 Et reversus est rursum: veniens invenit e-
os dormientes, quia oculi eorum gravati erant,
neque sciebant quid dicerent ei.
41 Et venit tertia vice, & dixit eis, Dormite
quod superest, & requiescite. appropinquat fi-
nis, & [16] venit hora. ecce, traditur Filius hominis
in manus peccatorum.
42 Surgite, abeamus: ecce, appropinquat is
qui prodit me.
43 Et dum ipse loqueretur, venit Jihuda Se-
carjutha, unus ex duodecim, & populus multus
cum gladiis & fustibus à principibus Sacerdo-
tum & Legisperitis & senioribus.
44 Et dedit eis signum proditor ille qui pro-
debat, ac dixit, Ille quem osculor, is est: appre-
hendite eum circumspectè, & abducite eum.
45 Et eadem hora accessit, & dixit ei, Domine
mi, Domine mi, & osculatus est eum.
46 Illi verò injecerunt in eum manus, & ap-
prehenderunt eum.
47 Unus autem ex illis qui adstabant, exemit
gladium, & percussit servum principis Sacerdo-
tis, & abstulit auriculam ejus.
48 Ipse autem Jeschua respondit, & dixit il-
lis, Sicut contra grassatorem egressi estis contra
me cum gladiis & fustibus, ut apprehenderetis
me.
49 Quotidiè apud vos fui quum docerem in
templo, & non apprehendistis me. Sed ut com-
plerentur Scripturæ, [17] factum est hoc.
50 Tunc deseruerunt eum discipuli ejus, &
fugerunt.
51 Et adolescens quidam veniebat post eum,
& amictus erat [18] sindone nudus. Et apprehen-
derunt eum.

[12] F. vel Gadsiman coujuncta voce, ut legit Syrus. vide in Matth. 26.

[13] In Matthæo est, Et abiit paululùm, subaudi à discipulis suis. Hîc verò dicitur accessisse, subaudi ad locum quem nominavit, nempè ad Gad-Siman.

[14] Hæc amabilis Dei appellatio pluribus locis recurret, Rom. 8. 15. Galat. 4. 6. Porrò ingeminatio non solùm in Hebræa lingua, sed in quibusvis etiam linguis vehementiam notat. sicut etiam quòd ea simplex non est, sed aliquid additur, ut hîc, Pater, Pater mi, *vel noster*, quo meliùs fiducia declaretur.

[15] F. al. verumtamen non voluntas mea, mea inquam, sed tua fiat: vel non voluntas mea, quod mihi; sed quod tibi voluntatis est fiat illud.

[16] F. al. venit hora, quum ecce traditur, &c.

[17] F. Ellipseos ἐλλείψεως, quod adhibuit Syrus: qua de Ellipsi, vide in Matth. 26. 56.

[18] Id est, Nudus erat, nullásque alias habuit vestes præter sindonem, qua amictus erat.

27 [f] [1] Tunc dicit eis Jesus, Omnes offende-
mini in me nocte ista. Nam scriptum est, [1] Per-
cutiam pastorem, & dispergentur oves.
28 [1] Sed postquam suscitatus fuero, præibo
vobis in Galilæam.
29 [1] Petrus autem dixit ei, Etiamsi omnes of-
fendantur, at non ego.
30 Tunc dicit ei Jesus, Amen dico tibi, hodiè
nocte ista, priusquàm [a] bis gallus vocem miserit,
ter abnegabis me.
31 At ille [2] multò magis dicebat, Si me opor-
tuerit commori tibi, haudquaquam te abnega-
bo. Itidem autem etiam omnes dicebant.
32 [7] [1] Veniunt igitur in locum cujus nomen
est Gethsemane. Tunc dicit discipulis suis, Sedete
hîc usquedum precatus fuero.
33 Et assumit Petrum & Jacobum, & Johan-
nem secum: cœpitque expavescere, & gravissi-
mè angi;
34 Et dixit eis, Undequaque tristis est anima
mea usque ad mortem: manete hîc, & vigilate.
35 Progressúsque paululùm, procidit in ter-
ram: & oravit ut, si fieri posset, abiret ab ipso ho-
ra illa.
36 Dixítque, [a] Abba, Pater, omnia fieri abs
te possunt: transfer à me istud poculum. verùm
non quid ego velim, sed quid tu.
37 [a] Tunc venit & invenit eos dormientes:
dicítque Petro, Simon, dormis? non potuisti u-
nam horam vigilare?
38 Vigilate & precamini, ne introëatis in ten-
tationem. spiritus quidem promptus *est*, sed caro
infirma.
39 Et quum rursum abiisset, precatus est, e-
umdem sermonem loquutus.
40 Reversus autem invenit eos rursum dor-
mientes, (erant enim oculi eorum gravati) ne-
que sciebant quid ei responderent.
41 Et venit tertiò, dicítque eis, Dormite quod
superest, & requiescite: sufficit, venit hora: ecce,
traditur Filius hominis in manus peccatorum.
42 Surgite, eamus: ecce, qui prodit me, appro-
pinquavit.
43 [b] [8] Et statim, adhuc eo loquente, adest Ju-
das qui erat unus è duodecim, & cum eo turba
multa cum gladiis & fustibus, à primariis Sacer-
dotibus & Scribis & Senioribus.
44 Dederat autem eis iste, qui eum tradebat,
[c] commune inter ipsos signum, dicens, Quem-
cumque osculatus fuero, is est: prehendite eum,
& abducite [d] tutò.
45 Quum igitur venisset, statim accedens ad
eum, dixit ei, Rabbi, Rabbi: ac deosculatus est
eum.
46 Illi verò injectis in eum manibus prehen-
derunt eum.
47 Quidam autem ex iis qui adstabant stricto
gladio percussit servum Pontificis maximi, & ab-
stulit ejus auriculam.
48 Respondens autem Jesus dixit eis, Ut ad-
versus latronem existis cum gladiis & fustibus ad
comprehendendum me.
49 Quotidiè eram apud vos in templo do-
cens, nec prehendistis me. Sed *oportet* ut imple-
antur Scripturæ.
50 Tunc relicto eo, omnes fugerunt.
51 [e] [f] Quidam autem juvenis sequebatur e-
um, amictus sindone super nudum *corpus*: & pre-
henderunt eum juvenes.

[f] 1. Christus prædicit se mox à suis deserendum, eos minimè tamen deserturum.
[1] *Joh. 16. 32.*
[1] *Zach. 13. 7.*
[1] *Infra 16. 7.*
[2] 2. Humanæ temeritatis & imbecillitatis tristissimum in præstantissimo homine exemplum proponitur.
[a] Bis refertur ad cantum galli, nam ut infrà versiculo 68 apparebit, Petrus semel Christum abnegavit, antequam gallus primùm vocem misisset, rursus bis ante secundum & tertium galli cantum. Solent autem galli ter canere, nempè media nocte, declinante, & ipso diluculo. Sic conciliandus est hic locus cum aliis Evangeliis.
[2] Illa conduplicatio vehementem Petri asseverationem magis exprimit.
[7] 3. Christus in carne pro nobis assumta, horrificos illos maledictionis Dei terrores subiens, calicem ex Patris manu accipit, quem mox ipse justus pro injustis exhauriat.
[1] *Mat. 26. 36. Luc. 22. 39.*
[a] Fuit hæc conduplicatio recepta eo tempore quum idiomata permiscerentur. Abba autem Syriacum est.
[a] 4. Horrendum humanæ socordiæ exemplum in ipsis à Christo electis discipulis.
[b] 5. Sicut homines Deum conditorem suum deserunt ac proditum scientes & volentes sua laude spoliârunt: ita Christus volens pro injustis satisfacturus, à suis desertus, proditione familiaris sui capitur tanquam latro, ut pœna peccato responderet, & nos verè proditores, desertores ac sacrilegi ex diaboli laqueo eximamur.
[8] *Mat. 26. 47. Luc. 22. 47. Joh. 18. 3.*

[c] Græca vox sonat commune signum de composito datum, cujusmodi sunt quæ milites vocant symbola, quorum alia sunt vocalia, alia muta. [d] Ita diligenter, ut elabi non possit. [e] 6. omnia pietatis prætextu licent in Christum grassantibus. [f] Hinc apparet istos in capiendo & deducendo Christo immani violentia grassatos, & ea quæ totam viciniam cōmovit, adeò ut ad strepitū istius tumultus adolescens quispiam seminudus è lecto accurrerit, cui isti furiosi ne quidē pepercerint,

52 Ipse verò derelicta sindone, nudus effugit
ab illis.
53 [a] Tunc abduxerunt Jesum ad Pontificem
maximum; cum quo convenerunt [g] omnes pri-
marii Sacerdotes, & Seniores, & Scribæ.
54 Petrus autem è longinquo sequutus est e-
um intrò [h] usque in aulam Pontificis maximi: &
considebat cum ministris, & calefaciebat *sese* ad
ignem.
55 [i] || Primarii verò Sacerdotes, & totus con-
sessus, quærebant testimonium adversus Jesum,
ut eum morte mulctarent: nec inveniebant.
56 Nam multi falsum testimonium dicebant
adversus eum, sed non erant [k] paria ipsorum te-
stimonia.
57 Tunc quidam surrexerunt, & falsa testati
sunt adversus eum, dicentes,
58 Nos audivimus eum dicentem, [l] Ego de-
struam templum hoc quod est manibus factum,
& intra triduum absque manibus factum aliud æ-
dificabo.
59 Sed ne sic quidem par erat testimonium
eorum.
60 Tunc Pontifex maximus quum assurrex-
isset in medium, interrogavit Jesum, dicens, Non
respondes quicquam? quid *illud est quod* isti ad-
versum te testificantur?
61 Ipse verò silebat, & nihil respondit. Rur-
sum Pontifex maximus eum interrogavit, & di-
xit ei, Tú*ne* es ille Christus filius illius [l] Bene-
dicti?
62 Jesus autem dixit, Ego sum: [l] & videbitis
filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ
Dei, & venientem cum nubibus cæli.
63 Pontifex maximus verò disruptis vestibus
suis dixit, quid adhuc nobis opus est testibus?
64 Audistis blasphemiam: quid vobis videtur?
Illi verò omnes contra eum judicârunt, ipsum te-
neri mortis pœna.
65 [m] Et cœperunt quidam inspuere in eum, &
obtegere faciem ejus, & colaphos ei infligere: &
dicere ei, Vaticinare: [n] ministri verò bacillorum
ictibus eum cædebant.
66 [o] || Quum verò Petrus esset in aula infe-
riùs, venit quædam ex ancillis Pontificis maxi-
mi:
67 Et quum vidisset Petrum se calefacien-
tem, intuita in eum, dixit, Et tu cum Nazareno
Jesu eras.
68 Ipse verò negavit, dicens, Non novi *illum*,
neque scio quid tu dicas. Et exivit extrà in [p] ve-
stibulum; & gallus vocem emisit.
69 [l] Tunc [q] ancilla quum rursus vidisset eum,
cœpit dicere iis qui adstabant, Hic est *unus* ex
ipsis.
70 Ipse verò rursum negavit. Et rursus paulò
pòst qui adstabant dixerunt Petro, Verè ex ipsis
es: etenim Galilæus es, & loquutio tua similis
est.
71 Ipse autem cœpit exsecrari & jurare, *dicens*,
Non novi hominem istum quem dicitis.
72 [l] Tunc secundò gallus vocem emisit, &
recordatus est Petrus verborum quæ dixerat ei
Jesus, Priusquam gallus vocem bis miserit,
ter me abnegabis. Et quum *se* [r] proripuisset, fle-
vit.

[f] B. Christus prædicit se mox à [a] *Mat.* 26.57. *Luc.* 22.54. *Joh.* 18.24.
[g] Coactum fuit summum concilium quum accusaretur Christus ut blasphemus, & pseudopropheta: tertium enim crimen læsæ majestatis confictum fuit à Sacerdotibus, ut Pilatum ad eum damnandum adigerent.
[h] Amoris argumentum est quod Petrus sequitur Dominum: timoris, quòd eminùs sequitur: stultitiæ & incogitantiæ, quòd inserit se gregi aulicorum pontificis.
[i] B. Christus adeò innocens ut ne falsis quidem testibus opprimi potuerit, tandem Deum Patrem confessus damnatur impietatis coram Pontifice, ut nos qui Deum abnegavimus, verè impii, coram Deo absolvamur.
[i] *Mat.* 26.56.
[k] Non congruebant.
[l] *Joh.* 2.19.
[l] Dei, qui omni laude dignus est.
[l] *Mat.* 24.30.
[m] B. Christus omne contumeliarum genus nostro nomine sustinens, æternum decus in se credituris acquirit.
[n] Apparitores enim bacillos gestabant.
[o] B. Triste exemplum tum humanæ imbecillitatis, tum divinæ misericordiæ, spiritum pœnitentiæ & fidei suis electis donantis.
[o] *Mat.* 26.69. *Luc.* 22.55. *Joh.* 18.25.
[p] In locum aulæ proximum.
[l] *Mat.* 26.71. *Luc.* 22.58. *Joh.* 18.25.
[q] Ex diligenti Evangelistarum comparatione intelligitur Petrum agnitum fuisse à multis, suggerentibus ancillis, imò apud Lucam quum agitur de secunda abnegatione, fit mentio servi & non ancillæ. [l] *Matth.* 26.75. *Joh.* 13.38. [r] Foras sub. Fuerat enim Petrus intuitu Christi & galli clamore velut ex profundissimo somno experrectus.

52 Ipse verò reliquit sindonem, & effugit nu-
dus.
53 Et abduxerunt [19] eum ad Kajapha princi-
pem Sacerdotum; & congregati sunt ad eum
omnes principes Sacerdotum, & Legisperiti, &
Seniores.
54 Schemeun autem è longinquo [20] venie-
bat post eum, usque in medium atrii principis
Sacerdotum, & sedebat cum ministris, & calefa-
ciebat se è regione ignis.
55 Principes autem Sacerdotum, & tota con-
gregatio eorum, quærebant contra Jeschua te-
stimonium, ut morti traderent eum: & non in-
venerunt.
56 Quum enim multi testarentur contra e-
um, non erant paria testimonia eorum.
57 Quidam autem surrexerunt contra eum
testes mendaces, & dixerunt,
58 Nos audivimus eum quòd dixerit, Ego
dissoluturus sum templum hoc quod est factum
manibus, & in tribus diebus ædificaturus sum a-
liud quod non erit factum manibus.
59 Neque etiam sic par erat testimonium eo-
rum.
60 Et surrexit princeps Sacerdotum in medi-
um, & interrogavit Jeschua, ac dixit, Non reddis
tu responsum? Quid testantur contra te isti?
61 Ipse verò Jeschua tacebat, & nihil respon-
debat ei. Et rursus interrogavit eum princeps Sa-
cerdotum, ac dixit, Es tu Christus filius illius
[21] Benedicti?
62 Ipse autem Jeschua dixit ei, Ego sum: &
videbitis filium hominis sedentem à dextera vir-
tutis *Dei*, & venientem in nubibus cæli.
63 Princeps verò Sacerdotum laceravit tu-
nicam suam, & dixit, Quid deinceps nobis neces-
sarii sunt testes?
64 Ecce, ex ore ejus audivistis blasphemiam.
Quid videtur vobis? Illi verò judicaverunt quòd
reus esset mortis.
65 Et cœperunt quidam [22] exspuere in faci-
em ejus: & obtegebant vultum ejus, & percutie-
bant eum, dicebantque, Vaticinare. Et ministri
cædebant eum super maxillas ejus.
66 Et quum Schemeun *esset* inferiùs in atrio,
venit una puella Principis Sacerdotum:
67 Vidit eum, quòd calefaceret se, & intuita
est eum, & dixit ei, Tu quoque cum Jeschua eras
Natzaraja.
68 Ipse verò negavit, & dixit, Non novi quid
tu dicas. Et exivit foras ad vestibulum: & canta-
vit gallus.
69 Et vidit eum rursus [23] puella illa, & cœpit
dicere illis qui adstabant, quòd etiam iste ex ipsis
esset.
70 Ipse verò rursum negavit. Et post paulu-
lum ii qui adstabant dixerunt Ciphæ, Verè ex ip-
sis es: es enim quoque Galilæus, & sermo tuus
est similis.
71 Ipse autem incipiebat exsecrari & jurare,
Non novi egò hominem hunc quem vos dicitis.
72 Et eadem hora cantavit gallus secunda
vice, & recordatus est Schemeun sermonis Je-
schua quem dixerat ei: nempè, Antequam can-
tet gallus duabus vicibus, tribus negabis me. [24] Et
incepit ut fleret.

[19] F. al. eum, nempè Jesum ad Kajapham, &c. *πρὸς ἱεράρχην*.
[20] Id est, sequebatur eum.
[21] Filius Benedicti, id est, Dei. Sic enim in communi sermone, & in scribendo, Judæi epitheton pro nomine Dei proprio יהוה usurpant, ne si hoc familiariùs utantur, prophanent. Quæ etiam ratio est, ut השם, id est, nomen illud, loco ipsius, usurpent ad scribant אלהים, pro אלהים, יהוה pro יהוה, & in notandis numeris (quod sanè superstitioni affine est) ponunt טו, pro יה, quò omni ex parte ab ineffabili nomine abstineant.
[22] Ad verb. Exspuentes, Heb. antè sæpè observatus.
[23] F. Sic interpretatur quidem Syrus, tamquam si Græcus articulus ἡ παιδίσκη demonstrativus esset vel ἀναφορικός. Etsi haud scio an secùs oporteat accipi ex aliorum comparatione.
[24] Id est, Et incepit flere.

CAPUT XV.

1 Quæ Christus sub Pilato præside passus sit. 11 Barabbas Christo præfertur. 15 Christus traditur à Pilato ut crucifigatur. 17 spinis coronatur. 19 conspuitur & irridetur. 21 Simon Cyrenæus portat crucem Christi.

27 Christus

27 Christus crucifigitur inter duos latrones. 29 convitiis afficitur. 37 expirat. 46 Joseph sepelit Christum.

ET statim manè inierunt consiliũ principes sacerdotum, cum senioribus ac Legisperitis, & cum tota congregatione:& vinxerunt Jeschua,& adduxerunt eum ac tradiderunt eũ Pilato presidi.

2 Et interrogavit eum Pilatus, Túne es [1] rex Judæorum ? Ipse verò respondit ac dixit ei, Tu dixisti.

3 Et accusabant eum principes sacerdotum in multis.

4 Ipse autem Pilatus rursus interrogavit eum, & dixit ei, Non reddis tu responsum? Vide quàm multa testificentur contra te.

5 Ipse verò Jeschua [2] aliquod responsum non dedit, ita ut miraretur Pilatus.

6 Solitus erat autem omni festo solvere illis vinctum unum quem postularent.

7 Et erat quidam qui vocabatur Bar-Abba, qui vinctus erat cum seditiosis illis qui cædem in seditione perpetraverant.

8 Et clamaverunt populus, & cœperunt petere sicut solitus erat facere eis.

9 Ipse verò Pilatus respondit,& dixit eis,Vultis dimittam vobis regem Judæorum?

10 Noverat enim Pilatus quòd ex invidia tradidissent eum principes sacerdotum.

11 Principes verò sacerdotum ampliùs sollicitaverunt turbas *petere* Bar-Abbam solveret eis.

12 Ipse autem Pilatus dixit eis, Quid igitur vultis ut faciam ei quem vocatis regem Judæorũ?

13 Ipsi verò rursus clamaverunt,Crucifige eũ.

14 Ipse verò Pilatus dixit eis, [3] Quid enim quod malum sit, fecit?Et illi ampliùs clamabant, Crucifige eum.

15 Pilatus verò voluit facere voluntatem turbarum,& solvit eis Bar-abbam.Et tradidit eis Jeschua flagellatum ut crucifigeretur.

16 Milites autem adduxerunt eum intra atrium quod erat prætorium, & vocaverunt universam cohortem.

17 Et induerunt eum purpura, & intortam imposuerunt ei coronam spinarum.

18 Et cœperunt [4] salutare eum,Pax *sit* ô rex Judæorum.

19 Et percutiebant eum in capite ejus arundine,& expuebant in faciem ejus, & incurvabant se super genua sua, & adorabant eum.

20 Et quum illusissent ei,spoliârunt eum purpura, & induerunt eum vestimentis suis, & duxerunt eum ut crucifigerent eum.

21 Et adegerunt quemdã qui transibat,Schemeun Kurinaiensem,qui veniebat ex agro,patrem Alecsandri & Ruffi,ut ferret crucem ejus.

22 Et adduxerunt eum in Gagultha locum, qui interpretatur Cranium.

23 Et dederunt ei ad bibendum vinum in quo erat mixta myrrha: ipse verò non accepit.

24 Et quum crucifigerent eum, dispertiverunt vestimenta ejus, & projecerunt super ea sortem, quis quid acciperet.

25 Erat autem hora tertia quum crucifixerunt eum.

26 Et scripta erat causa mortis ejus in scripto, HIC EST REX JUDAEORUM.

27 Et [5] crucifixerunt duos latrones, unum à dextera ejus, & unum a sinistra ejus.

[1] v. Syr. rex ille.

[2] Id est, nullum responsum dedit. Hebraism.

[3] v. Ellipsis negationis est, quã ostendit αἰτίον. vide in Matt. 13. 29. & 25. 9.

[4] Ad verb. Rogare de pace ejus. Hebraismus jam sæpiùs annotatus.

[5] v. al. crucifixerunt cũ eo: Græcis verbis convenientiùs.

STatim [l] [a] autem, manè consilio inito, summi sacerdotes cum senioribus & Scribis, totúsque consessus, vinctum Jesum abduxerunt: [b] tradideruntq; Pilato.

2 [c] Et interrogavit eum Pilatus, Tú*ne* es ille rex Judæorum ? Ipse verò respondens dixit ei, Tu dicis.

3 Et accusabant eum primarii Sacerdotes de multis.

4 [g] Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens, Non respondes quicquam? ecce, quàm multa adversus te testificantur.

5 Jesus autem nihil ampliùs respondit, adeò ut miraretur Pilatus.

6 [d] Cæterùm singulis festis dimittebat eis unum ex vinctis, quemcumque postulassent.

7 Erat verò quidam qui dicebatur Barabbas, vinctus cum seditionis sociis, qui cædem per seditionem fecerant.

8 Et vociferans turba cœpit petere *ut faceret* prout semper ipsis fecerat.

9 Pilatus autem respondet eis, dicens, Vultis dimittam vobis regem illum Judæorum?

10 (Noverat enim eum per invidiam traditum fuisse à Primariis sacerdotibus)

11 Primarii verò sacerdotes concitârunt turbam ut potiùs Barabbam ipsis dimitteret.

12 Tum Pilatus respondens, rursum dixit eis, Quid ergo vultis faciam isto quem dicitis regem Judæorum ?

13 Ipsi verò rursum clamaverunt, Crucifige eũ.

14 Pilatus autem dicebat eis, Enimverò quid mali fecit ? Illi autem amplius clamaverunt, Crucifige eum.

15 Pilatus igitur volens turbæ satisfacere, dimisit eis Barabbam,& Jesum flagellatum tradidit ut crucifigeretur.

16 [e] Milites verò abduxerunt eum intra aulam, id est prætorium, & convocaverunt totam cohortem:

17 [f] Et induerunt eum purpura,& circumposuerunt ei plexam coronam spineam:

18 Et cœperunt eum salutare, *dicentes*, Ave rex Judæorum.

19 Et verberabãt ejus caput calamo,& inspuebant in eum, ac summissis genibus adorabant eũ.

20 Quum autem illusissent ei, exuerunt eum purpura,& induerunt eum suis ipsius vestimentis: eduxeruntq; ut crucifigerent eum.

21 [g] [h] Præterea angariârunt prætereuntem quemdam Simonem Cyrenæum (venientem rure, patrem Alexandri & [h] Rufi) ut attolleret crucem ejus.

22 [i] [k] Duxeruntq; eum in locum Golgotha: quod est, si interpreteris, Calvariæ locus.

23 Et dederunt ei bibendum myrrhatum vinum: ipse verò non sumpsit.

24 [k] [l] Quumq; crucifixissent eum, partiti sunt vestimenta ejus, jacta sorte super ea, quis quid tolleret.

25 Erat autem hora tertia quando crucifixerunt eum.

26 Eratq; inscriptio criminis ipsius inscripta *his verbis*, REX ILLE JUDAEORUM.

27 Crucifixerunt etiam cum eo duos latrones, unum ad dexteram,& alterum ad sinistram ejus.

[l] *Mat. 27. 1. luc. 22. 66.*

[a] Ad verb. ad ipsum manè.

[b] Non licebat illis capitali supplicio aliquem afficere. nam capitalium criminum illis erepta fuerat cognitio, primùm ab Herode Magno, posteà à Romanis, anno 40. ante templi eversionem: ideò Pilato tradunt Jesum.

[c] B. Christus vinctus apud Judicis terreni tribunal publicè, non suorum (ut ex ipsius judicis ore constitit) sed nostrum omnium peccatorum reus ad crucem damnatur: ut nos nocentissimi à nostrorum peccatorum noxa liberati, coram Dei ipsius solio, in publico ipsorum quoque Angelorum consessu absolvamur.

[g] *Matt. 27. 12. luc. 23. 3. joh. 18. 35.*

[d] Conatus Præsidis significatur, qui innocentem Christum liberare studuit, sed frustrà: vincebatur enim ab improbitate Judaica. Deinde non agebat Pilatus tanta constantia quanta decuit judicem.

[e] Notavit priùs quid Dominus passus sit à ministris Judæorum in palatio Pontificis: jam docet quid, condemnatus à ministris Ethnici præsidis, à Gentibus, inquam, in prætorio sustinuerit: denique quomodo ductus sit ad supplicium crucis.

[f] B. Christus hominum peccata sublaturus, qui Dei ipsius solium usurpare sunt conati, affectati regni damnatus, sub falsa regni specie deridetur: ut nos contrà verè futuri æterni reges, ex Dei ipsius manu coronam gloriæ accipiamus.

[g] B. Impiorum rabiei nullus modus. Intereà verò vel ipsa Christi sub crucis pondere laborantis imbecillitas arguit agnum ad sacrificiũ duci. [h] *Mat. 27. 32. luc. 23. 26.* [h] Notos & celebres in Ecclesia Dei istos fuisse oportet quorum nuda nomina Marcus exposuerit. [i] B. Christus extra terrenæ Jerusalem septa educitur in locum morticiniis pollutum, non in sese quidem sed in nobis contaminatissimus, propter imposita ipsi nostra peccata: ut nos sanguine ejus expiati, in cæleste sacrarium introducamur. [k] *Mat. 27. 33. luc. 23. 33. joh. 19. 17.* [k] B. Christus nudus in crucem attollitur, & tamquam sceleratorum sceleratissimus omnibus contumeliis afficitur, ut ejus justitia induti, & maledictione benedicti, & una oblatione sanctificati, in cælum usque attollamur. [l] *Mat. 27. 35. luc. 23. 38. joh. 19. 23.*

28 Et impleta est scriptura quæ dicit,[k] Et cum
[l] sceleratis numeratus est.
29 Qui verò præteribant, convitiabantur ei,
moventes capita sua, & dicentes, [l] Vah, *Tu* qui
destruis templum, & triduò ædificas:
30 Serva teipsum, & descende è cruce.
31 Similiter autem & primarii Sacerdotes il-
ludentes, dicebant alii ad alios cum Scribis, Alios
servavit, seipsum servare non potest.
32 Christus ille rex Israëlis descendat nunc è
cruce, ut videamus & credamus. Et qui cruifixi
erant cum eo, probris afficiebant eum.
33 [m] Quum verò advenisset hora sexta, tene-
bræ factæ sunt super [n] totam regionem usque ad
horam nonam.
34 [o] Et hora nona clamavit Jesus voce mag-
na, dicens,[n] Eloi, Eloi, lamma sabacthani? quod
est, siquis interpretetur, Deus mi, Deus mi, cur
me deseruisti?
35 Et quidam adstantium quum audissent,
dicebant, Ecce, Eliam vocat.
36 Cucurrit autem quidam,[f] & impleta spon-
gia aceto, & arundini circumposita dedit ei po-
tum, dicens, Sinite: videamus an veniat Elias ad
eum detrahendum.
37 Jesus verò emissa voce magna, [p] exspiravit.
38 [q] Et aulæum templi fissum est in duas par-
tes, à summo usque ad imum.
39 Quum vidisset autem Centurio qui ad-
stabat ipsi ex adverso, eum ita emisso clamore ex-
spirasse, dixit, Verè homo iste Filius erat Dei.
40 [r] Erant autem etiam & mulieres è longin-
quo spectãtes: inter quas erat Maria Magdalene,
& Maria Jacobi parvi & Jose mater, & Salome:
41 Quæ, etiam quum esset in Galilæa, [s] se-
quutæ fuerant eum, & ministraverant ei: aliæq;
multæ quæ simul cum eo ascenderant Hiero-
solyma.
42 || Quum autem serum *diei* jam esset, (quo-
niam erat parasceve, hoc est, [f] ante sabbathum)
43 [t] Veniens Josephus Arimathæensis, hono-
ratus Senator, qui & ipse exspectabat regnum
Dei, [u] fidenti animo introiit ad Pilatum, & pe-
tiit corpus Jesu.
44 Pilatus autem miratus est si jam mortuus
esset: & advocato Centurione, interrogavit eum:
an jamdudum mortuus fuisset.
45 Et *re* cognita ex Centurione, donavit cor-
pus Josepho.
46 Is autem emit sindonem, & detractum
eum involvit sindone: deposuitq; in monumento
quod erat excisum è petra: & advolvit saxum ad
ostium monumenti.
47 Maria Magdalene verò & Maria *mater* Jo-
se spectabant ubi poneretur.

28 Ac impleta est scriptura quæ dicit, Cum
iniquis reputatus est.
29 Sed & illi qui transibant, convitiabantur ei:
& movebant capita sua, ac dicebant, Vah qui sol-
vis templum, & ædificas illud in tribus diebus.
30 Libera te ipsum, & descende de cruce.
31 Et sic etiam principes sacerdotum ride-
bant [6] unus cum alio, & Legisperiti, ac dicebant,
Alios [7] servavit: seipsum non potest servare.
32 Christus rex Israiel descendat nunc de cru-
ce, & videbimus, ac credemus in eum. Quin &
illi qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.
33 Quúmque esset hora sexta, factæ sunt te-
nebræ super universam terram, usque ad horam
nonam.
34 Et hora nona clamavit Jeschua voce ela-
ta, & ait, Il, Il, Lemana Schevaktani, quod est,
Deus meus, Deus meus, ad quid deseruisti me?
35 Et quidam qui audierunt ex iis qui adsta-
bant, dicebant, Iliah vocavit.
36 Cucurrit autem quidam, & implevit spon-
giam aceto, & alligavit arundini, ut potum præ-
beret ei. Et dixerunt, Sinite, videamus an veniat
Iliah depositurus eum.
37 Ipse verò Jeschua clamavit voce elata, &
reddidit *spiritum*.
38 [8] Et facies portæ templi fissa est in duo à
summo usque ad imum.
39 Quum vidisset autem Centurio ille qui
stabat juxta eum, quòd sic clamasset, & reddidis-
set *spiritum*, dixit, Verè iste homo Filius erat Dei.
40 Erant autem mulieres procul quæ specta-
bant, Mariam Magdelaitha, & Mariam mater
[9] Jaakub parvi ac Jusse, & Schalum.
41 Quæ quum esset in Galilæa, [10] adhære-
bant ei, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ
ascenderant cum eo in Urischelem.
42 Quúmque esset serum Parasceves quæ est
ante sabbathum,
43 Venit Jauseph ille qui erat à Rametha, ho-
norabilis senator, qui etiam ipse exspectabat reg-
num Dei: & confidentiam sumsit, ac ingressus est
ad Pilatum, petiitq; corpus Jeschua.
44 Pilatus autem miratus est si jam mortuus
esset: & vocavit centurionem illum, ac interro-
gavit eum, utrum ante aliquod tempus mortuus
esset.
45 Et quum didicisset, dedit corpus illius Jau-
sepho.
46 Et emit Jauseph lineum pannum: & de-
posuit illum ac involvit illum in eo, posuitq; illum
in sepulcro quod erat effossum in rupe, & devol-
vit lapidem super ostium sepulcri.
47 Mariam verò Magdelaitha & Mariam [11] il-
la quæ erat Jusse viderunt ubi positus esset.

[k] *Esa.* 53.12.
[l] Ad verb. ex legibus, id est, legis prævaricatoribus.
[l] *Job.* 2.19.
[m] B. Ira Dei peccata nostra in Filio sponsore nostro vendicantis, tenebrarum horrore sancitur.
[n] Ad verb. Terrã. terræ autem nomine Hebr. more Palæstinam intelligit. itaq; amplificatur prodigii novitas, quòd in plenilunio, Paschatis scilicet tempore, & sole reliquum orbem illustrante, atque adeò in ipso meridie, ille orbis angulus in quo tantum facinus patraretur, in densissimis tenebris delituerit.
[o] B. Christus cum Satana, cum peccatis, cum morte denique, horrenda illa maledictione Dei armatis, potenter luctans, corpore pendens in cruce, summis doloribus oppresso, animo in inferorum gurgitibus demerso, emergit tamẽ vociferans, & quamvis accepto à morte vulnere, ad tempus vita privatus, summa & ima concutiens, velo templi fisso, extortoq; à suis carnificibus testimonio, victorem sese ac Dominum omnium mox declaratum iri, reliquis adhuc obstinatis & irridentibus hostibus denunciat.
[n] *Psal.* 21.2. *mat.* 27.46.
[f] *Psal.* 69 22.
[p] Se verè hominem esse testificans.
[q] Cessare debent umbræ simul atque prodit corpus & veritas, Col. 2.17. nec enim amplius erat necesse, ut ullus Sacerdos intraret in sancta sanctorum (quæ velo illo distinguebantur à reliquis partibus templi) semel immolata victima, quæ sola sufficit pro expiandis totius mundi peccatis, nobisq; omnibus cælum ipsum, quod per sancta sanctorum significabatur, aperuit, Heb. 9.24. [r] B. Christus magno cum virorum pudore qui Dominum deseruerant, testes etiam mulieres sibi delegit, ut quæ fuerint omnium istarum rerum spectatrices. [s] *Luc.* 8.2. [t] *Mat.* 27.57. *luc.* 23.50. *ioh.* 19.38. [f] Dies quæ sabbathum antegreditur, [t] Plenus auctoritatis, ex concilio Sanhedrin, vel forsan qui adscitus esset in concilium à Pilato: sicut mos erat præsidibus provinciarum aliquos interdum in concilium adsciscere ad explicandas privatorum controversias. [u] Si quis expendat quantum periculum ultrò subierit Joseph, quàm fidenti fuerit animo intelliget.

[6] Ad verb. Unus cum uno, Hebr.
[7] Ad verb. Vivificavit, ut paulò pòst Vivificare.
[8] Vide annotata in Matt. 27.51.
[9] F. i. filii Chalphai sive Alphæi qui minor dictus est, non per comparationem cum Jakobo Zabdai vel Zebedæi filio, sed cum patruo ipsius Jakobo, fratre Chalphai, qui Jehudam vel Thaddæum & Josen genuit. Nã hæc Mirjam Alphæo viro suo viduata, honestè Christum prosequuta est, filio & cognatis suis comitata. vide in Matth. 10.3.
[10] F. vel adhæserant ei, & ministraverant ei.
[11] F. i. mater Jacobi minoris & Jose, ut V. 40. sed hoc διὰ συνεκδοχῆς, & evidentiùs: nam è diverso mater Jakobi itidem appellatur, infrà 16.1.

CAPUT XVI.

1 *Christi resurrectio.* 9 *Christus apparet Mariæ Magdalenæ, & aliis:* 15 *Mittit Apostolos ad prædicandum.* 19 *Ascensio Christi.*

[1] ET exacto intercedente sabbatho, Maria Mag-
dalene & Maria Jacobi *mater* & Salome
emerant aromata, ut venientes ungerent eum.

ET quum transiyisset sabbathum, Mariam
Magdelaitha, & Mariam Jaakub, & Schalum,
[1] emerant arômata, ut venientes ungerent eum.

[f] *Luc.* 24.1. *ioh.* 20.1.

[1] Præteritum perfectum per plusquam perfectum converti, quò clariùs appareret consensus inter hunc Evangelistam & Lucam, qui disertè narrat aromata coemta fuisse pridie quàm ad unguendum Christum mulieres exirent. Quòd si reddidissem, Et quum transiisset sabbathum, emerunt, &c. videretur Marcus dicere mulieres exacto sabbatho & aromata emisse, & ad sepulcrum profectas esse: quod minimè convenit cum verbis Lucæ. Sciunt autem omnes qui Hebræam linguam attigerunt, omnes præteritorum species sub una contineri. [f] B. Etsi μεταληπτικῶς id verbum sic potest accipi, ἠγόρασαν, id est, ἠγορακυῖαι ἐποίησαν: nam ipsa nocte comparavisse & confecisse credibile est, non autem in die sabbathi.

2 In aurora autem in prima *die* [2] in sabbatho,
venerunt ad locum sepulcri, quum oriretur sol.
3 Et dicebant apud seipsas, Quis verò devol-
vit nobis lapidem ab ostio loci sepulcri?
4 Et intuitæ viderunt quòd devolutus esset
ille lapis: magnus enim erat valdè.
5 Et ingressæ sunt in locum sepulcri, ac vide-
runt adolescentem qui sedebat à dextera, & a-
mictus erat stola candida: & absterritæ fuerunt.
6 Ipse verò dixit eis, Ne timeatis: Jeschua
Natzrai quæritis qui crucifixus est: [3] surrexit, non
est hîc. ecce locus ubi positus erat.
7 Sed abite, dicite discipulis ejus & Ciphæ
quòd ecce præcedit vos in Galilæam: illic vide-
bitis eum sicut dixit vobis.
8 Et quum audivissent, fugerunt, & egressæ
sunt à sepulcro. apprehenderat enim eas stupor &
tremor. & nemini quicquam dicebant: timebant
enim.
9 In aurora autem, in primo *die* [4] in sabba-
tho, surrexit, & conspectus est primùm Mariam
Magdelaitha illi ex qua septem dęmonia ejecerat.
10 Et illa, profecta nunciavit iis qui cum ipso
fuerant qui lugebant & flebant.
11 Et illi quum audirent quòd dicerent *mulie-
res* quòd viveret & conspectus esset sibi, non cre-
diderunt eis.
12 Post hæc conspectus est duobus ex ipsis in
similitudine alia, quum ambularent, & irent in
pagum.
13 Et illi abeuntes dixerunt reliquis: neque
illis crediderunt.
14 Postremò autem conspectus est [5] duode-
cim accumbentibus, & exprobravit parvitatem
fidei eorum, & duritatem cordis eorum, quòd il-
lis, qui vidissent ipsum [6] quòd surrexisset, non cre-
didissent.
15 Et ait eis, Abite in mundm universum, &
prædicate [7] Evangelium inter omnes creaturas.
16 Is qui credidit, & baptizatur, [8] servatur: &
is qui non credidit, condemnatur.
17 Signa autem eos qui credunt, hæc sequen-
tur, In nomine meo dæmonia ejicient: & linguis
novis loquentur:
18 Et serpentes tollent: &, si venenum mortis
biberint, non molestum erit eis: & manus suas
imponent super infirmos, ac sanabuntur.
19 Jeschua autem Dominus noster, postquam
loquutus est cum eis, in cælum ascendit, & sedit à
dextera Dei.
20 Illi verò egressi sunt, & prædicaverunt in
omni loco: Dominusq; auxilio erat eis, & con-
firmabat sermonem eorum per signa quæ facie-
bant.

[2] Sabbathum pro septimana sumitur, ut initio Mat. 28. annotavimus.

[3] F. Syr. surrexit tibi. Pleonasmus, ut adnotavimus in Matth. 4. 10.

[4] Id est, In septimana.

[5] Certum est Judam proditorem non ampliùs fuisse in illorum consortio, atque ideò undecim tãtùm erant: sed tamen in Syriaco textu dicuntur duodecim, non quod plenus tunc esset numerus, sed ex usu scripturæ maxima pars totius nomen retinet. Subtiliùs etiã dici posset respici Dei ordinationẽ quæ integra adhuc manebat. F. Simile est 1. Cor. 15. 5.

[6] F. vel quum surrexisset: id est, suscitatum.

[7] F. al. Evangelium meum.

[8] Ad verb. vivit.

2 Et valdè manè, [a] primo die hebdomadis,
veniunt ad monumentum, exorto sole.
3 Dicebantq; inter sese, Quis avolvet nobis
saxum ab ostio monumenti?
4 [b] Intuitæ verò conspiciunt saxum esse avo-
lutum: nam erat magnum valdè.
5 [c] ‖ Ingressæ igitur in [d] monumentum, vide-
runt juvenem sedentem ad dexteram, amictum
stola candida: & expaverunt.
6 Ipse verò dixit eis, Ne expavescite: Jesum
quęritis Nazarenum illum qui fuit crucifixus: su-
scitatus est, non est hîc: [e] ecce locus ubi posue-
rant eum.
7 Sed abite, dicite discipulis ejus & Petro,
ipsum [f] præire vobis in Galilæam: [g] illic eum vi-
debitis, ‖ prout dixit vobis.
8 Tunc digressæ citò, fugerunt à monumen-
to: tenebat enim eas tremor & stupor. neque cui-
quam quicquam dicebant: timebant enim.
9 [h] Quum autem resurrexisset Jesus, manè,
primo die hebdomadis, ‖ apparuit primùm Ma-
riæ Magdalenæ, ‖ ex qua ejecerat septem dæ-
monia.
10 Illa profecta annunciavit iis qui cum ipso
fuerant, lugentibus ac flentibus.
11 Illi verò quum audissent eum vivere, &
conspectum fuisse ab ea, non crediderunt.
12 [i] Posteà autem ‖ duobus ex ipsis ambulan-
tibus apparuit [k] alia forma, quum rus proficisce-
rentur.
13 Et illi abierunt, & annunciaverunt reli-
quis: *qui* ne illis quidem crediderunt.
14 ‖ [l] Postremò verò unà sedentibus ipsis un-
decim conspicuum sese præbuit, & exprobravit
incredulitatem eorum, & cordis duritiem: eo quòd
iis qui ipsum conspexerant suscitatum non cre-
didissent.
15 [m] Et dixit eis, ‖ Profecti in mundum uni-
versum, prædicate Evangelium [n] omni creaturæ.
16 Qui crediderit & baptizatus fuerit, serva-
bitur: ‖ qui verò non crediderit, condemna-
bitur.
17 Signa autem eos qui crediderint, hæc con-
sequentur, ‖ Per nomen meum dæmonia ejicient:
‖ linguis loquentur [o] novis:
18 ‖ Serpentes tollent: & si quid lethale bibe-
rint, nequaquam nocebit eis: ‖ ægrotis manus
imponent, & benè habebunt.
19 ‖ [p] Dominus igitur postquam loquutus fu-
isset eis, sursum receptus est in cælum, & sedit ad
dextram Dei.
20 Illi verò profecti prædicârunt ubiq;, ‖ Do-
mino cooperante, & sermonem *eorum* confir-
mante per signa [q] subsequentia.

[a] Prima dies est in hebdomada, proximè sequens Sabbathum, nimirum illa quam nos ob resurrectionis memoriam appellamus dominicam.

[b] Quum sepulcrum versùs convertissent oculos.

[c] B. Angeli resurrectionis Domini testes.

‖ *Mat.* 28. 1. *joh.* 20. 12.

[d] In speluncam, in qua excisum erat sepulcrum.

[e] Hinc sequitur Christum etiam post resurrectionem verè corpus humanum habuisse, id est, quod in uno loco esset, quæ est humani corporis proprietas. alioquin non verè dixisset Angelus, resurrexit, non est hîc: quare apparet Christi corpus pluribus in locis simul esse non posse.

[f] Pertinet & hoc ad veritatem corporis Christi confirmandam. motus enim ille localis veritatem corporis ostendit, nec illud simul pluribus in locis esse posse, quò etiam pertinet quod ait, *illic eum videbitis*, &c.

[g] Certum locum denotat.

‖ *Matt.* 26. 32. *suprà* 14. 28.

[h] B. Christus ipse Mariæ Magdalenæ apparet, discipulorum incredulitatem exprobrans.

‖ *Joh.* 20. 16.

‖ *Luc.* 8. 2.

[i] B. Christus duobus aliis discipulis apparet, & tandem etiam ipsis undecim Apostolis.

‖ *Luc.* 24. 13.

[k] Luc. 24. 13. ‖ *Luc.* 24. 36. *joh.* 20. 19. [l] Non respexit temporis seriem Evangelista, sed narrationis distributionem, quam facit triplicem: prima complectitur quomodo mulieribus apparuerit, secunda discipulis, tertia Apostolis: ideò dicit postremò. [m] B. Designantur Apostoli, definito ipsorum munere, docendi videlicet quæ audierant, & sacramenta instituta administrandi: addita edendi miracula potestate. ‖ *Matt.* 28. 19. [n] Non Judæo nec in Judæa tantum, sed omnibus hominibus & ubique, idq; omnes (scilicet) Apostoli. ‖ *Joh.* 12. 48. ‖ *Act.* 16. 18. ‖ *Act.* 2. 4. & 10. 46. [o] Novas linguas appellat, non recenter fabricatas, sed peregrinas & quas nunquam anteà nossent, qui singularis spiritus munere repentè evadebant earum periti. Act. 2. 11. ‖ *Act.* 28. 5. ‖ *Act.* 28. 8. ‖ *Luc.* 24. 51. [p] B. Christus in terris suo munere defunctus, in cælum ascendit, inde Ecclesiam suam apostolica doctrina variis signis confirmata, ad fines usque seculorum gubernaturus. ‖ *Heb.* 2. 4. [q] Sub. doctrinam. Itaque doctrina præire, miracula subsequi debent.

Finitum est Evangelium sanctum prædicationis Marci, qui loquutus est ac prædicavit Latinè Romæ.

EVANGELIUM SANCTUM PRÆDICATIONIS Lucæ Evangelistæ,

qui loquutus est, & prædicavit Græcè in [r] Alecsandria magna.

CAPUT I.

1 *Præfatur Lucas.* 5 *Zacharias & Elizabeta.* 15 *Johannes qualis futurus.* 20 *Zacharias ob incredulitatem mutus efficitur.* 26 *Angelus salutat Mariam, & annunciat Christi nativitatem.* 39 *Maria visitat Elizabetam.* 46 *Canticum Mariæ.* 68 *Canticum Zacharia nuncians Christum promissum venisse.* 68 *Johannis officium.*

QUONIAM [a] multi [b] aggressi sunt [c] componere narrationem earum rerum, quarum [d] plena fides nobis facta est,
2 Prout [e] tradiderunt nobis qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerunt sermonis:
3 Visum est etiam mihi, omnia [f] altè *repetita*
penitùs [g] assequuto, [h] ordine *illa* ad te scribere,
[i] præstantissime Theophile:
4 Ut [k] agnoscas earum rerum [l] veritatem quas auditione accepisti.
5 FUit [m] [n] diebus [o] Herodis illius regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, [p] ex
[p] classe Abiæ: uxor verò ipsius *erat* ex filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeta.
6 Erant autem justi ambo in [q] conspectu Dei, [r] incedentes in omnibus [s] mandatis & constitutionibus Domini [t] inculpatè.
7 Nec erat eis proles, eo quòd esset Elizabeta sterilis, & ambo provecti jam essent ætate.
8 Factum est autem ut quum is sacerdotio fungeretur in ordine suæ classis ante Deum,
9 Secundùm ritum functionis sacerdotalis, sortitus sit *munus* suffitus faciendi, ingrediendo in
[u] templum Domini.
10 [p] Tota verò multitudo populi foris precabatur tempore suffitus.
11 Visus autem est ei Angelus Domini, stans ad dexteram altaris suffitus.
12 Et Zacharias *eo* viso turbatus est, & timor incidit in eum.
13 Dixit autem ei Angelus, Ne time Zacharia. Nam exaudita est deprecatio tua: uxorq; tua Elizabeta gignet tibi filium, & vocabis nomen ejus Johannem.
14 Et *is* erit tibi gaudio & exsultationi, [x] multiq; super ejus nativitate gaudebunt.
15 Erit enim magnus [y] in conspectu Domini, & vinum [z] siceramq; non bibet: & Spiritu sancto implebitur etiam à ventre matris suæ:
16 [p] Multosq; filiorum Israël [a] convertet ad Dominum Deum ipsorum.

QUONIAM multi voluerunt scribere narrationes rerum gestarum illarum de quibus nos persuasi sumus,
2 Prout tradiderunt nobis ii qui à principio fuerunt spectatores & ministri ipsius sermonis:
3 Visum est etiam mihi, propterea quòd proximus fui accuratè omnibus, ut omnia ordine suo scribam tibi excellens Theauphile:
4 Ut agnoscas veritatem sermonum eorum in quibus edoctus fuisti.
5 FUit in diebus Hiraudis Regis Jihuda sacerdos [2] quidam, cui nomen erat Zachariah, ex ministerio familiæ Abia: & uxor ejus ex filiabus Aharun, cujus nomen erat Elischevah.
6 Ambo autem justi erant coram Deo, & incedentes in omnibus mandatis ejus, & in rectitudine Domini, sine reprehensione.
7 Filius autem non erat eis, propterea quòd Elischevah sterilis esset, & ambo provecti in diebus suis essent.
8 Factum est autem quum sacerdotio fungeretur in ordine ministerii sui coram Deo,
9 Secundùm consuetudinem sacerdotii, evenit ei ut [3] poneret aromata. Et ingressus est in templum Domini.
10 Omnis autem congregatio populi orans erat foris tempore [4] aromatum.
11 Et conspectus est Zachariah angelus Domini stans à dextra [5] altaris aromatum.
12 Et conturbatus est Zachariah quum videret eum, & timor incidit super eum.
13 Et dixit ei Angelus, Ne timeas Zachariah, quia exaudita est oratio tua, & uxor tua Elischevah pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Juchannan.
14 Eritq; tibi [6] gaudium & exsultatio: & multi gaudebunt de ejus nativitate.
15 Erit enim magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet: & Spiritu sancto implebitur adhuc existens in ventre matris suæ.
16 Et multos ex filiis Israjel convertet ad Dominum Deum ipsorum.

[1] F. Ita scribitur in veteribus monimentis: ut antè nos Fulvius Ursinus in suis notis in M. Tullium observavit.

[2] Ad verb. unus.

[3] Hebraismus est, ut suffitum faceret, hoc est, ut offerret suffitum.

[4] i. Suffitus.

[5] i. Altaris quod dicebatur thymiamatis.

[6] F. i. gaudio & exsultationi. Hebræorum & Syrorum phrasis.

[a] B. Lucas hujus historiæ testes oculatos laudat.

[b] Ad verb. in manus sumserunt, (quasi dicat) idq; non præstiterunt. Hic autem notandum est Lucam non exprimere illos multos de rebus parùm compertis scripsisse: sed rerum certitudinem sibi vendicantem modestè certam illis & indubitatam fidem derogare.

[c] id est, describere, vel ordinate.

[d] Ad verb. plenè certiorati sumus. Plerophoria enim est certissima animi persuasio. Intelligit autem pseudoapostolos, & pseudoevangelistas, quales fuerunt jam tunc permulti: non autem Matthæum & Marcum, ante quos ipsum scripsisse probabile est.

[e] Non fuit Lucas oculatus testis, itaque minimè is fuit cui cum Cleopa Dominus apparuit, tamen non à Paulo tantùm, sed ab aliis etiam Apostolis edoctus fuit.

[f] Longè altiùs Lucas exorsus est Evangeliũ quàm alii.

[g] Ad verb. diligenti attentione assequuto.

[h] i. distinctè & distributivè, ut ii solent qui ad scribendam historiam aliquod judicium adferunt. [i] Vel potentissime. Fuit ergo Theophilus vir primariæ nobilitatis aut præcipuo dignitatis loco. [k] Pleniorem cognitionem habeas eorum quæ anteà utcumque cognoveras. [l] Ad verb. non labascentem firmitatem. [m] B. Johannes alter Elias, futurus Christi apparitor, ex stirpe Aharonis, utroque celebri & inculpato parente, præter ordinem naturæ adhibito duplici miraculo concipitur, ut homines tempestivè ad audiendum ejus præconium, secundùm Prophetarum prædictiones, excitentur. [n] Heb. id est, temporibus. Quo eprimitur quàm brevis sit & caduca regum potestas. [o] Herodis scilicet Magni. [p] *1. Para. 24. 1.* [p] Distributi enim fuerunt in classes posteri Aaronis, 1. Par. 24. 1. [q] Vera justitiæ nota, scilicet quæ Dei judicio probatur. [r] id est, viventes. Heb. Est enim vita nostra instar viæ in qua nobis pergendum est quousq; ad metam pervenerimus. [s] In morali & ceremoniali lege. [t] Quos nemo jure culpare potuisset. Hoc autem loco describuntur fructus, non autem causa justificationis, quæ fides est, eaq; sola. [u] Populus in atrio quum esset, foris autem dicatur fuisse, ingressus verò templum Zacharias, ab atrio distingui hoc loco templum necesse est. [p] *Levi. 16. 17. exod. 30. 7.* [x] Hoc gaudium pertinet non ad aliquam diem Johannis natali instituendam: sed simpliciter eam animi lætitiam describit Angelus, quæ posteà versu 55. & sequentibus explicatur. [y] Hebr. quo significatur quædam singularis præstantia, Sic Nemrod Gene. 9. 10. dicitur robustissimus venator coram Domino. [z] Quicquid inebriare potest. [p] *Mal. 4. 5. matt. 11. 14.* [a] Faciet ut multi resipiscentes se convertant ad Dominum, à quo desciverant.

Ad verb. Ibit ante eum.

[8] Ad verb. Qui non persuadentur, vel, Qui non acquiescunt, subaudi veritati.

[9] Nusquam in veteri Testamento in libris antè captivitatem Babylonicam scriptis, propria Angelorum nomina exprimuntur imò interrogati de suo nomine leguntur recusasse id indicare. At post trãsmigrationem in Babylonem, & in veteri & in novo Testamento eorum nomina expressa ponuntur. Unde illud R. Simonis filii Lakisch in Talmud Jerosolymitano in volumine De principio anni, cap. 1. Patres nostri nomina Angelorum secum adduxerunt ex Babylone.

[10] i. Quòd tam diu maneret in templo, hoc est, in sacratiori parte templi. F. non autem in sacratissima, quæ ἅγια ἁγίων, id est, sancta sanctorum vel sanctuarium aut sacrarium vulgò appellatur. Huc enim nemo ingrediebatur, nisi Sacerdos summus, & suo tempore.

[11] F. i. obmutuit ad tempus (ut v. 20. dicebat Angelus) quamvis per se non mutus.

[12] i. Quo afficior ab hominibus ob sterilitatem meam.

[13] F. ἀμφιλόγως de virgine aut Josepho dictum: etsi de virgine, aut de utroque dici & argumentum postulat, & Chrysostomus optimè interpretatus est, & confirmat generis recensio.

[14] i. Salutatio. Nam quæ hactenus Angelus protulit, in Syriaco verba sunt salutantis, & benè precantis. F. Sic enim Græcè quoque [illegible] appellatur antecedentis sermonis totius argumentum. [15] Ad verb. Accipies uterum, Syra phrasis. [16] F. i. nasciturus est. vide in Matt. 2. 4.

17 Et ipse [7] præcedet eum in Spiritu, & in virtute Iliah Prophetæ: ut convertat cor patrum super filios, & eos qui sunt [8] contumaces, ad cognitionem rectorum: & præparabit Domino populum perfectum.

18 Et dixit Zachariah ad Angelum, Quomodo noscam istud? Ego enim sum senex, & uxor mea provecta in diebus suis est.

19 Et respondit Angelus, & dixit ei, Ego sum [9] Gabriil, qui adsto coram Deo, & missus sum ut loquar tecum, & nunciem tibi hæc.

20 Deinceps eris tacitus, neque poteris loqui usq; in diem quo hęc fient, eo quòd non credidisti sermonibus meis, qui implebuntur tempore suo.

21 Populus autem stabat, & exspectabat Zachariah, & mirabantur de mora ejus [10] quæ *fieret* in templo.

22 Quum egressus autem esset Zachariah, non poterat loqui cum eis: & intellexerunt quòd visionem vidisset in templo. & ipse innuebat nutu eis, & [11] mansit quasi mutus.

23 Et quum impleti essent dies ministerii ejus, ivit in domum suam.

24 Et factum est post dies eos in utero concepit Elischeva uxor ejus: & occultabat se ipsam mensibus quinque ac dicebat,

25 Nempe hæc fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit me, ad auferendum [12] opprobrium meum quod est inter filios hominis.

26 In mense autem sexto missus est Gabriil Angelus à Deo in Galilæam in civitatem cujus nomen Natzrath,

27 Ad virginem quæ desponsata erat viro cujus nomen erat Jauseph [13] de domo David: & nomen virgini erat Mariam.

28 Et ingressus est ad eam Angelus, & dixit ei, Pax tibi, plena gratia: Dominus noster tecum: benedicta inter mulieres.

29 Illa verò quum vidisset, conturbata est in sermone ejus, & cogitabat cujúsnam esset [14] pax ista.

30 Et dixit ei Angelus, Ne timeas Mariam: invenisti enim gratiam apud Deum.

31 Ecce enim, [15] concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen ejus Jeschua.

32 Hic erit magnus, & filius Excelsi vocabitur: & dabit ei Dominus Deus solium David patris ipsius.

33 Et regnabit super domum Jaakub in æternum, & regno ejus finis non erit.

34 Dixit Mariam ad Angelum, Quomodo fiet istud, quia vir non est cognitus mihi?

35 Respondit Angelus, & dixit ei, Spiritus sanctus veniet, & virtus Excelsi obteget te. Propter hoc is qui [16] nascitur ex te, sanctus est, & Filius Dei vocabitur.

36 Et ecce, Elischeva cognata tua, etiam ipsa in utero concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est ipsi quæ vocatur sterilis.

37 Quia non est difficile Deo quicquam.

38 Dixit Mariam, Ecce ego sum ancilla Domini: fiat mihi juxta sermonem tuum. Et abiit Angelus ab ea.

17 Nam ipse præcedet in [b] conspectu ejus, [c] cum spiritu & virtute Eliæ, ut convertat [d] corda patrum in filios, & rebelles ad [e] prudentiam justorum: ut paret Domino populum instructum.

18 Tunc dixit Zacharias Angelo, Quo *argumento* istud noscam? ego enim sum senex, & uxor mea provecta est ætate.

19 Et respondens Angelus dixit ei, Ego sum Gabriel qui [f] adsto in conspectu Dei: missusq; sum ut te alloquar, & hæc tibi læta nunciem.

20 Et ecce, silebis, nec loqui poteris *ad eum* usque diem quo hæc fiant: eo quòd non credidisti sermonibus meis, qui implebuntur tempore suo.

21 Erat autem populus exspectans Zachariam: & mirabantur quòd is tardaret in templo.

22 *Ille* verò egressus non poterat eis loqui: & agnoverunt eum visionem vidisse *in* templo. Nam ipse innuebat eis: permansitq; mutus.

23 Et factum est, ut impleti sunt dies ministerii ipsius abiit domum suam,

24 Post illos autem dies concepit Elisabeta uxor ejus: & occultavit se menses quinq;, dicens,

25 Nempe ita mihi fecit Dominus diebus quibus *me* intuitus est, [g] *ut* auferret probrum illud meum inter homines.

26 [h] Mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in urbem Galilææ cui nomen Nazareta,

27 [i] Ad virginem [i] desponsam viro cui nomen erat Josephus, ex [k] domo Davidis: nomen autem virginis *erat* Maria.

28 Ingressus igitur Angelus ad eam, dixit, Ave [l] gratis dilecta: Dominus tecum *est*: benedicta tu inter mulieres.

29 Illa verò quum *eum* vidisset, [m] perturbata est super ejus sermone: & cogitabat qualis esset salutatio ista.

30 Tunc dixit ei angelus, Ne time Maria: [n] es enim in gratia apud Deum.

31 [l] Et ecce, concipies in utero, & paries filium: [l] & vocabis nomen ejus Jesum.

32 Hic erit magnus, & Filius Altissimi [o] vocabitur, dabitq; ei Dominus Deus sedem Davidis patris ipsius,

33 [l] Regnabitq; in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.

34 Dixit autem Maria ad Angelum, [p] Quomodo erit istud, quandoquidem virum non [q] novi?

35 Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus Sanctus [r] superveniet in te, & virtus Altissimi inumbrabit te: propterea *id* etiam quod nascetur ex te [f] sanctum, [t] vocabitur Filius Dei.

36 Et ecce, Elisabeta [u] cognata tua, & ipsa cõcepit filium in senectute sua: & [x] hic mensis est sextus ipsi quæ vocabitur sterilis.

37 Quia apud Deum non erit ullum [y] verbum quod fieri non possit.

38 Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et abiit ab ea Angelus.

[b] Velut solent qui reges antegrediuntur, quos ubi videas, sentis non procul abesse regem. Quum autem addit, Ejus, hinc colligitur æterna Christi Deitas: prius enim mentionem Dei fecerat versu præcedenti: ut agnoscamus, esse illum Deum qui loquutus est per Malachiam.

[c] Metonymicè, pro donis Spiritus: causa pro effectis.

[d] Synecdochicôs fore dicit, ut tollat omnis generis inimicitias, unde solent sequi in vita maximæ perturbationes.

[e] Prudentia & bonitas, duæ sunt causæ, quibus maximè adduci possint, ut patres revertantur.

[f] i. qui appareo. Hebræi enim ministros principum adstare dicunt, id est paratos esse ad capessenda principum imperia.

[g] Sterilitatem probro fuisse apud Judæos testatur hic Elisabeth. Causa autem fuit Christus nondum mundo exhibitus, quem quisque exoptabat ex sua familia descendere.

[h] B. Angelus nascituro Domino inserviens, ad virginem Mariam mittitur, in qua Filius Altissimi Davidi promissus virtute Spiritus sancti concipitur.

[i] *Mat.* 1. 18.

[i] id est, sponsione promissam.

[k] Domus appellatio etiam eos comprehendit qui vel cognatione attingebant familiam Davidis, vel ex ipsius fratribus erant oriundi. Quod autem de Josepho dicitur, de Maria quoque intelligendum est: alioquin Christus non posset dici ex lumbis Davidis prodiisse.

[l] Ad verb. reddi posset, Gratiæ & favoris plena, subjicitur autem exegeticè, quisnam sit ille favor: Dominus est tecum. [m] Re tam insolenti commota. [n] Ad verb. invenisti. Hebræi enim invenire gratiam eos dicunt qui sunt in gratia. [l] *Esa.* 7. 14. [l] *Infrà* 2. 21. *matt.* 1. 21. [o] i. declarabitur. Quum enim Filius esset ab æterno, suo tempore manifestatus est in carne. [l] *Dan.* 7. 14, 27. *mich.* 4. 7.

[p] Rei magnitudo cogit, ut sciscitetur Virgo, non quòd diffidentia moveatur, imò quum tantùm de modo concipiendi roget, constat cæteris credidisse. [q] Hebr. Quo honesto vocabulo cum viro congressionem significant: sensus autem est, qui fiet istud? nam quum ea sim quæ futura sit Christi mater, satis intelligo, id futurum esse debere sine congressu viri. Edocta etenim erat Virgo sancta è virgine nasciturum Messiam. [r] id est, efficiet sua vi Spiritus sanctus ut gignas. [f] Purum & ab omni labe immune. nam qui erat sublaturus peccatum, peccati expers esse debuit. [t] Declarabitur, vel manifestabitur. [u] Etiamsi Elisabeta ex tribu esset Levi, cognata tamen Mariæ esse potuit. nam quum caveretur ut filiæ nuberent viris suarum tribuum, ne scilicet tribuum distributiones confunderentur, non impediebant quin ex aliis tribubus Levitæ uxores ducerent: Levitis enim nulla portio assignata fuit in terræ divisione. [x] id est, Sextum jam agit mensem ex quo concepit. [y] id est, Quicquid Dominus dixerit,

39 [x] Surgens verò Maria per eos dies, profe-
cta est in [a] montanam *regionem* cum festinatione
in [b] urbem Juda.
40 Et ingressa est domum Zachariæ, & salu-
tavit Elisabetam.
41 Et factum est, ut audivit Elisabeta saluta-
tionem Mariæ, [c] subsiliit fœtus in utero ejus, &
repleta est Spiritu sancto Elisabeta.
42 Exclamavitq; voce magna & dixit, Bene-
dicta tu inter mulieres, quia [d] benedictus fru-
ctus uteri tui.
43 Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domi-
ni mei ad me?
44 Ecce enim, ut exstitit vox salutationis tuæ
in auribus meis subsiliit fœtus exsultans in ute-
ro meo.
45 Et beata *est* quæ credidit: nam perficien-
tur ea quæ dicta sunt ei [e] à Domino.
46 [f] Tunc ait Maria, [g] Magnificat anima mea
Dominum,
47 Ex exsultat spiritus meus super Deo serva-
tore meo.
48 Quia [h] respexit [i] humilem ancillam suam
ecce enim ex hoc *tempore* beatam me prædica-
bunt omnes [k] ætates:
49 Quia [l] magnificè mecum egit potens ille
cujus sanctum *est* nomen:
50 Et cujus misecordia [m] in omnes ætates *pa-
rata est* [n] timentibus ipsum.
51 [‖] Forte facinus fecit [o] brachio suo: [‖] [p] dis-
sipavit superbos [q] cogitatione cordis ipsorum.
52 Detraxit [r] potentes è thronis, & extulit
[s] humiles.
53 [‖] [t] Famelicos implevit bonis, & divites ab-
legavit inanes.
54 [‖] [u] Suscepit Israëlem [x] puerum suum, ut me-
mor esset misericordiæ.
55 [‖] (Prout [y] loquutus est patribus nostris, *ni-
mirum* Abrahamo, & [z] semini ejus) in æter-
num.
56 Mansit autem Maria cum illa quasi men-
ses tres: & *posteà* revertit domum suam.
57 [a] Elisabetæ verò completum est tempus ad
pariendum: & peperit filium.
58 Et audierunt accolę & cognati ejus, Domi-
num magnifica misericordia sua usum esse erga
eam: [‖] & ei gratulabantur.
59 Et factum est, ut die octavo venerint ad
circumcidendum puerulum. Vocabant autem
eum ex nomine patris ipsius, Zachariam.
60 Sed respondens mater ejus ait, Nequa-
quam: sed vocabitur Johannes.
61 Et dixerunt ad eam, Nemo est in cognati-
one tua qui vocetur isto nomine.
62 [b] Innuebant autem patri ejus [c] quid vellet
eum vocari.
63 Isq; postulata tabella scripsit, dicens, [‖] Jo-
hannes est nomen ejus. Et mirati sunt omnes.
64 [d] Apertum est autem os ejus illico, & lin-
gua ejus: & loquebatur benedicens Deo.
65 [e] Ortus est igitur timor omnibus accolis
eorum: & in tota montana regione Judææ di-
vulgata sunt omnia [f] verba ista.
66 Et omnes qui audierunt, [g] reposuerunt *ea*
in corde suo, dicentes, Quisnam puerulus hic
erit? [h] Manus autem Domini erat cum eo.

[x] B. Elizabeta Johannem, & Maria Christum in utero gestantes sancto Spiritu afflatæ, mutuò sibi gratulantur.
[a] Quæ exposita erat ad meridiem Hierosolymorum.
[b] id est, Hebron, quæ olim Cariath-arbe dicta fuit, quæ una fuit ex urbibus quæ fuerunt concessæ Levitis in tribu Juda, & quæ in montibus Juda fuisse traditur. Jos. 14. & 21. 9.
[c] Fuit hic motus extraordinarius.
[d] Benedictus est Christus humanæ naturæ respectu.
[e] Sensus est, fide locum dari promissionibus divinis, ut suum in nobis effectum obtineant.
[f] B. Christus afflictorum redemtor, superborum ultor, Patribus promissus, reipsa tandem exhibitus.
[g] Altè & magnificè prædicat.
[h] Gratuito amore est complexus.
[i] Ad verb. humilitatem, id est, abjectam meam cōditionem. Non ergo prædicat sua merita Virgo, sed gratiam Dei, suprà 14.
[k] Vide Matt. 11. 16.
[l] Ad verb. Magnifica, seu ingentia facinora.
[m] Ad verb. ætates ætatum, id est, in perpetuum, vel ad posteros usque in mille secula.
[n] Piè ac religiosè viventibus. Hebr. [‖] *Esa.* 51. 9. *psal.* 33. 10.
[o] Pleonasmus Hebræis familiaris. Sumitur autem brachium pro robore. [‖] *Esa.* 29. 15.
[p] Quasi palea à vento dissipatur.
[q] i. dissipavit eos & cogitationes ipsorum, vel per cogitationes ipsorum, ut malum consilium fuerit consultori pessimum.
[r] Opibus aut potestate insignes.
[s] Abjectos & viles. Tales autem sunt re vera pauperes spiritu, id est, qui sibi coram Deo nihil tribuunt. [‖] 1. *Sam.* 2. 5. *psalm.* 34. 10. [t] Qui ad extremam redacti sunt inopiam. [‖] *Esa.* 30. 18. & 41. 9. & 54. 5. [u] Prostratum, manu sua sublevavit. [x] Servum suum. [‖] *Gene.* 17. 19. & 22. 17. *psalm.* 132. 11. [y] id est, Pollicitus est. [z] Posteritati. [a] B. Johannis nativitas novis miraculis illustratur. [‖] *Suprà* 14. [b] Signis & nutibus petebant. [c] id est, Quo nomine. [‖] *Suprà* 13. [d] Restitutus est illi usus vocis. [e] Hic timor reverentiam significat, quæ ex sensu divinæ potentiæ manavit. Sic enim reverenter consideranda sunt Dei opera, ut seriò nos afficiant. [f] Quicquid dictum aut factum fuerat. [g] Diligenter & attentè considerârunt, & velut infixerunt animo. [h] id est, præsens Dei favor, & singularis quædam virtus in eo apparebat.

39 Surrexit autem Mariam in diebus illis, &
profecta est sedulò in montem, in civitatē Judęæ.
40 Et ingressa est in domum Zachariah, [17] &
salutavit Elischevam.
41 Et factum est quum audiret Elischeva [18] sa-
lutationem Mariam, exsultavit infans in ventre
ejus, & impleta est Spiritu sancto.
42 Et clamavit voce elata, ac dixit ipsi Mari-
am, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus est
fructus [19] ventris tui.
43 Unde mihi hoc ut mater Domini mei ve-
niat ad me?
44 Ecce enim, quum incidit vox [20] salutatio-
nis tuæ in aures meas, cum gaudio magno ex-
sultavit infans in ventre meo.
45 Et beata ea quæ credidit, quia comple-
mentum fit [21] illis quæ dicta sunt illi à Domino.
46 Et ait Mariam, Magnificat anima mea
Dominum.
47 Et lætatur spiritus meus in Deo [22] servato-
re meo.
48 Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ec-
ce enim deinceps beatitudinem tribuent mihi ge-
nerationes omnes.
49 Quia fecit mihi magna is qui potens est,
& sanctum nomen ejus.
50 Et gratia ejus in progenies & generationes
erga eos qui timent ipsum.
51 Fecit victoriam brachio suo, & dispersit su-
perbos in cogitatione cordis ipsorum.
52 Detraxit potentes è thronis, & exaltavit
humiles.
53 Esurientes saturavit bonis, & divites di-
misit vacuè.
54 Audivit Jisrajel servum suum, & recorda-
tus est gratiæ suæ.
55 Sicut loquutus est cum patribus, cum A-
braham, & cum semine ejus in æternum.
56 Mansit autem Mariam apud Eliscevam
quasi menses tres, & reversa est in domum suam.
57 Erat autem ipsi Elischevæ tempus ut pare-
ret, & peperit filium.
58 Et audiverunt vicini ejus, & [23] filii cogna-
tionis ejus, quòd magnificasset Deus gratiam su-
am erga eam: & gaudebant cum ea.
59 Et factum est in die octava, & venerunt
ad circumcidendum puerum: & vocabant eum
nomine patris sui Zachariah.
60 Et respondit mater illius, & dixit eis, Non
sic, sed vocabitur Juchannan.
61 Et dixerunt ad eam, Non est quisquam qui
vocetur in genere tuo nomine hoc.
62 Et [24] innuerunt patri ejus quomodo vellet
ut nominarent eum.
63 Et petiit tabellas, & scripsit, ac dixit, Ju-
channan est nomen ejus. Et miratus est quis-
que.
64 Et illicò apertum est os ejus, & [25] lingua
ejus: & loquutus est, ac benedixit Deo.
65 Et factus est timor super omnes vicinos
eorum, & in [26] universo monte Judææ ista dice-
bantur.
66 Et omnes qui audiverunt cogitabant in
cordibus suis, & dicebant, Quidnam erit puer
iste? Et manus Domini erat cum eo.

[17] Ad verb. Interrogavit de pace. Hebraismus paulò antè observatus, & qui frequentissimè recurrit.
[18] Ad verb. Pacem, ut priùs.
[19] F. Syr. qui in utero tuo, putà conceptus est.
[20] Ad verb. pacis.
[21] F. vel illarum rerum quæ dictæ sunt, &c. atque hoc evidentius.
[22] Ad verb. Vivificante me.
[23] i. Consanguinei, nati ex eodem genere, & sanguine conjuncti. Hebraismus.
[24] F. i. innuentes consuluerunt, nutu rogaverunt. Metalepsis.
[25] F. Nempe soluta & explanata. Sed hoc Syrus interpres non addidit, quia verbum antecedens apud Hebræos & Syros communiter ori & linguæ tribuitur. Est autem verbum illud פתח, quod & aperire sonat, & aperiendo solvere.
[26] F. i. tota regione montana, in qua fuit urbs Hebron. Sic enim montis nomen accipitur etiam συλλήπτικῶς.

67 Et impletus est Zachariah pater ejus Spi-
ritu sancto, prophetavítque, ac dixit,
68 Benedictus sit Dominus Deus Jisrajel:
qui visitavit populum suum, & fecit ei sa-
lutem:
69 Et erexit nobis cornu salutis in Domo Da-
vid servi sui.
70 Sicut loquutus est per os prophetarum
suorum sanctorum, qui *fuerunt* à seculo:
71 [27] Quòd redempturus esset nos ab inimicis
nostris, & de manu omnium [28] inimicorum no-
strorum.
72 [29] Et exercuit gratiam suam cum patribus
nostris, & recordatus est pactorum suorum san-
ctorum,
73 Et juramenti quod juravit Abrahæ patri
nostro, quòd daturus esset nobis,
74 Ut servaremur de manu hostium nostro-
rum, & sine timore serviremus coram eo,
75 Omnibus diebus nostris in rectitudine.
76 Et tu puer, Propheta excelsi vocaberis:
ibis enim ante faciem domini, ut præpares vias
ejus.
77 Ut det scientiam vitæ populo suo, in remis-
sionem peccatorum suorum:
78 Per viscera gratiæ Dei nostri, quibus visi-
tavit nos oriens ex alto:
79 Ad lucendum iis qui in tenebris & in um-
bris mortis sedent, ut dirigeret pedes nostros in
viam pacis.
80 Puer autem crescebat & corroborabatur
Spiritu: & in deserto erat usque in diem ostensio-
nis ejus apud Jisrajel.

27 ℣. Periphrasis σωτηρίας, quam κέρας σωτηρίας post cornu salutis Zacarjas subjicit commodissimè.
28 ℣. Syrè, osorum, vel eorum qui oderunt nos.
29 ℣. Syrè, ut faciat gratiam communicatam cum patribus nostris, & recordetur, &c.

67 Et [i] Zacharias pater ejus repletus est Spi-
ritu sancto: prophetavitque, dicens,
68 [l] [k] Benedictus Dominus Deus Israëlis
quòd [l] inviserit & [m] redemerit populum
suum.
69 [l] Et [n] erexerit cornu salutis nobis in domo
Davidis pueri sui:
70 [l] Prout loquutus est per os sanctorum, qui
à [o] seculo fuerunt, Prophetarum suorum,
71 *Fore ut nos* servaret ex inimicis nostris, &
è manu omnium qui oderunt nos.
72 Ut uteretur misericordia erga patres no-
stros, [p] ac memor esset fœderis sui sancti;
73 Et [l] jurisjurandi quod juravit Abrahamo
patri nostro, *nimirum se* daturum nobis,
74 Ut sine metu, è manu inimicorum nostro-
rum liberati, serviamus ipsi.
75 [l] [q] Cum sanctitate & justitia in ipsius con-
spectu, cunctis vitæ nostræ diebus.
76 Tu verò [r] puerule, Propheta Altissimi vo-
caberis: præibis enim ante faciem Domini, ut
pares vias ejus:
77 Et [f] des cognitionem salutis populo ejus,
per [t] remissionem peccatorum ipsorum.
78 Ex [u] intima misericordia Dei nostri, qua
invisit nos [l] is qui [x] prodit ex alto:
79 [y] Ut appareat iis qui in tenebris & umbra
mortis positi sunt, ad dirigendos pedes nostros
in [z] viam pacis.
80 Ipse autem puerulus crescebat & corrobo-
ratur Spiritu: fuitque in desertis ad eum usque
diem quo se ostenderet apud Israëlem.

[i] ℶ. Johannes vix dum natus, auctoritate Spiritus sancti, muneri suo initiatur.
[l] *Infr.* 2.30. *Mat.* 1.21.
[k] Omni laude dignissimus.
[l] Quod ipse se memorem reipsa declaravit populi sui, adeò quidem ut ipse è cælo descenderit, ut præsens eos inviseret, & redimeret.
[m] Persoluto lytro, id est, nostræ redemtionis prętio.
[l] *Psal.* 132.17.
[n] Cornu Hebræis, robur significat, metaphora à cornupetis ducta: erigere autem robur Israëlis, est, quum vires Israëlis collapsæ videbantur esse, regnum tamen Israëliticum prostratis adversariis asserere.
[l] *Psal.* 132.18. *Jere.* 23.6. & 30.10.
[o] A mundo condito.
[p] Ut re ipsa ostenderet se memorem esse.
[l] *Gen.* 22.16. *Ier.* 31.33. *Hebr.* 6.13.17.
[l] 1. *Pet.* 1.15.
[q] Sanctitas hic, pietatis officia designat, quæ spectant ad priorem legis tabulam: Justitia autem ad omnia charitatis officia extenditur, quia non aliud exigit à nobis Deus in secunda legis tabula, nisi ut cuique reddamus quod suum est.
[r] id est, quantumvis hodiè tantillus sis.
[f] id est, aditum patefacias.
[t] Remissio peccatorum est modus quo nos Deus servat. Rom. 4.7.
[u] Propter intimam, & ipsis visceribus hærentem misericordiam.
[l] *Mala.* 4.2. *Zach.* 3.8. & 6.12. *sup.* 17.
[x] Alludit ad locos Jerem. 23.5. & Zach. 3.8. & 6.12. Dicitur autem germen ex alto, id est, divinitus ad nos missum, non sicut alia sunt germina quæ è terra germinant.
[y] Vide Matth. 4.16.
[z] id est, In eam viam quæ ad veram fœlicitatem deducit.

CAPUT II.

1 *Censetur tota terra à Cæsare Augusto.* 7 *Nascitur Christus in Bethlehem.* 13 *Canticum Angelorum.* 21 *Christus circumciditur.* 22 *Puerperæ Mariæ purgatio.* 28 *Simeon suscipit Christum.* 29 *Canticum Simeonis.* 36 *Anna prophetissa.* 40 *Puer Christus* 46 *cum doctoribus disputat.*

FActum est autem in diebus illis, & exiit edi-
ctum ab Augusto Cæsare, ut describeretur
universus populus [1] possessionis ejus.
2 (Hæc descriptio prima fuit in præfectura
Kyrini in Syria)
3 Et ibat quisque ut describeretur, in urbem
suam.
4 Ascenderat autem Jauseph quoque à
Natzrath Galilææ, in Judæam, in civitatem
David quæ vocatur Bethlechem (quia erat ex
domo & ex genere David)
5 Cum Mariam sponsa sua, quum in ventre
haberet: ut ibi describeretur.
6 Et factum est ut quum esset illic, comple-
rentur dies ejus ut pareret.
7 Et peperit filium suum primogenitum: ac
involvit eum linteolis, & posuit eum in præ-
sepi: quia non erat eis locus [2] ubi habita-
bant.
8 Pastores autem erant in eo loco, qui ha-
bitabant ibi, & custodiebant custodias noctis
pro gregibus suis.

[1] Id est, Ditionis, sive dominii quod ipse obtinebat.
[2] ℣. Syrè, ubi considebant vel commorabantur, putà in diversorio. Sic sequente ver.

FActum [a] est autem diebus illis, ut prodiret
edictum à Cæsare Augusto, ut [b] describeretur
[c] totus terrarum orbis.
2 (Hæc descriptio prima facta est præsi-
dente Syriæ Cyrenio)
3 Ibant igitur omnes ut describerentur, [d] in
suam quisque urbem.
4 Ascendit autem etiam Josephus à Gali-
læa, ex urbe Nazareta; in Judæam, [l] in [e] urbem
Davidis quæ vocatur Bethlehema, propterea
quòd erat ex domo & familia David:
5 Ut describeretur cum Maria desponsa sibi
uxore, quæ erat prægnans.
6 Factum est autem quum essent illic, ut ex-
plerentur dies ad pariendum.
7 Peperit igitur filium suum [f] primogeni-
tum, & fasciis eum involvit, reclinavítque eum
in præsepi: eo quòd non erat eis locus in diver-
sorio.
8 [g] Erant autem pastores in eadem regione
[h] excubantes, & [i] agentes vigilias noctis super
gregem suum.

[a] ℶ. Filius Dei, forma servi accepta exinanitus, in stabulo pauper nascitur. Idem tamen per Augustum regem hujus mundi maximũ (quamvis nihil tale cogitantem) sibi cunas præparat in Bethlehem, ut Prophetæ prædixerant.
[b] id est, Ut descriptis omnium civitatum capitibus, intelligeretur, quæ cujusque regionis, urbis, familiæ, domus, facultates essent.
[c] Quàm latè pateret imperium Romanum.
[d] Hoc est, in suam cujusque patriam, vel in eam urbem ubi tota familia sedem & domicilium habebat.
[l] *Joh.* 7.42.
[e] In qua natus & educatus fuerat David.
[f] Primogenitus dicitur ante quem nullus alius editus est ab iisdem parentibus, etiam si nullus post eum unquam procreatus fuerit.
[g] ℶ. Pueruli in præsepi jacentis deitatem & officium Angeli ipsi pastoribus declarant, neglecto potentium fastu.
[h] Foris & sub dio pernoctantes.
[i] Ad verb. custodientes custodias. Nox enim quatuor custodiis, id est, vigiliis dividebatur.

k Repentè venit, quum nil tale illi sperarent.

l Lætus vobis adsum nuncius ingentis gaudii.

m Copiæ Angelorum, quibus tamquam militibus circumsepta est Dei majestas.

n Propensa erga homines Dei voluntas, bona, infinita, & gratuita.

o Ad verb. verbum istud, id est, istud totum negotium de quo audivimus.

p Diligenter secum omnia ista expendens.

q Gen. 17.12. Levit. 12.3.

q B. Christus Ecclesiæ caput, sub Lege factus, ut nos (quod & ipsum Jesu nomen indicat) à maledictione Legis liberaret, circumcisus, obsignat in suiipsius carne Patrum circumcisionem.

q Sup. 1.31. Mat. 1.21. Joh. 7.22.

r B. Christus cui imposita erant omnia nostra peccata, Deo secundùm Legem oblatus, & Mariam & nos omnes in sese purificat.

s Scilicet ut Legem implerent, alioquin impura non reddita erat Virgo.

t Levit. 12.6.

t Exo. 13.2. Num. 8.16.

t Adverb. adaperiens matricem, id est, qui primus nascebatur.

u Levit. 12.8.

u B. Simeon publicè in templo, Messiæ adventum, Israëlis magna ex parte rejectionem, & Gentium vocationem surdis prædicit.

9 Et ecce, Angelus Domini k supervenit
ipsis, & gloria Domini circumfulsit eos: & timuerunt timore magno.
10 Tunc dixit eis Angelus, Ne timete: ecce
enim l evangelizo vobis gaudium magnum,
quod erit toti populo:
11 *Nempe* natum esse vobis hodiè Servatorem, qui est Christus Dominus, in urbe Davidis.
12 Hoc autem vobis signum *erit*, Invenietis infantem fasciis involutum, jacentem in
præsepi.
13 Et repentè adfuit cum Angelo multitudo
m exercituum cælestium, laudantium Deum, &
dicentium,
14 Gloria in *cælis* altissimis Deo, & in terra
pax, in homines n benevolentia.
15 Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli
in cælum, tunc pastores illi dicerent alii ad alios,
Eamus sanè Beth-lehemam usque, & videamus o factum istud quod Dominus notum fecit
nobis.
16 Venerunt igitur festinantes, & invenerunt
Mariam & Josephum, & infantem jacentem in
præsepi.
17 *Eo* autem viso, divulgaverunt *id* quod dictum fuerat ipsis de puerulo illo.
18 Et omnes qui audierunt, mirati sunt ea quæ
ipsis dicta fuerant à pastoribus illis.
19 Maria verò ista omnia conservabat, p conferens *ea* in corde suo.
20 Reversi sunt autem pastores, glorificantes & laudantes Deum super omnibus quæ
audierant & viderant, prout ipsis dictum fuerat.
21 q Et quum advenisset dies octavus ad circumcidendum puerulum, q vocatum est nomen
ejus Jesus, quod vocatum fuerat ab Angelo priusquam ipse in utero conciperetur.
22 r Et quum impleti fuissent dies s purgationis Mariæ, t secundùm legem Mosis, adduxerunt eum Hierosolymam, ut sisterent eum
Domino,
23 (Prout scriptum est in lege Domini, t Omnis masculus t primogenitus, sanctus Domino
erit)
24 Et ut darent oblationem, u secundùm *id*
quod dictum est in Lege Domini, par turturum,
aut duos pullos columbarum.
25 u Et ecce, quidam erat Hierosolymis cui
nomen Simeon: *erátque* homo iste x justus ac
religiosus, exspectans consolationem Israël: &
y spiritus sanctus erat super eum.
26 Fuerátque ipsi z divinitus nunciatum à
Spiritu sancto, *ipsum* non a visurum mortem, priusquam vidisset Christum illum Domini.
27 Is igitur venit impulsore Spiritu in templum.
Et quum introducerent puerulum Jesum b parentes, ut ejus causa facerent quod ex Lege consuetum erat:
28 Tunc ipse recepit eum in ulnas suas, & benedixit Deo, & dixit,

x Pietas & justitia referuntur ad duas Legis tabulas: itaque duabus his partibus constat integritas vitæ. Vide suprà cap. 1.75. y i. Ornatus erat donis Spiritus, Metonymia. z Vide Mat. 2.12. Accidit autem procul dubio Simeoni, dum diligenter plenitudinem temporum scrutaretur, id ipsum quod Danieli Dan. 9.2. a Heb. i. non sensurum mortem. b Ioseph & Maria. Loquitur autem ex vulgi opinione.

9 Et ecce, Angelus Dei venit ad eos, & gloria
Domini resplenduit super eos, & timuerunt timore magno.
10 Et dixit eis Angelus, Ne timeatis: ecce
enim annuncio vobis gaudium magnum, quod
erit universo mundo.
11 Natus est enim vobis hodiè 3 Servator, qui est Dominus Christus, in civitate David.
12 Et hoc vobis signum: Invenietis puerum
involutum linteolis, & positum in præsepi.
13 Et repentè conspecti sunt cum Angelo
exercitus multi cælorum laudantes Deum, & dicentes,
14 Gloria Deo in excelsis, & super terram pax, & 4 nuncium bonum erga filios hominis.
15 Et factum est, ut quum abivissent ab eis
Angeli in cælum, loquerentur pastores 5 unus
cum alio, & dicerent, Descendamus usque in
Bethlechem, & videamus verbum hoc quod factum est, quemadmodum Dominus ostendit
nobis.
16 Et venerunt festinanter, & invenerunt
Mariam & Jauseph, & puerum qui positus erat in
præsepi.
17 Et quum vidissent, manifestaverunt sermonem qui dictus fuerat illis de illo puero.
18 Et omnes qui audierunt, mirati sunt de his
quæ dicebantur sibi à pastoribus.
19 Mariam verò conservabat omnia verba
hæc, & conferebat in corde suo.
20 Et reversi sunt pastores illi glorificantes &
laudantes Deum super omnibus quæ viderant &
audierant, sicut dictum fuerat eis.
21 Et 6 quum implerentur octo dies, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jeschua, quod vocatum fuerat ab Angelo priusquam conciperetur in ventre.
22 Et quum impleti essent dies 7 purificationis eorum secundùm legem Musche, adduxerunt
eum in Urischelem, ut sisterent eum coram Domino.
23 Sicut scriptum est in lege Domini quòd
omnis masculus adaperiens vulvam sanctus Domini vocabitur.
24 Et ut darent victimam secundùm id quod
dictum est in lege Domini, 8 par turturum, aut
duos pullos columbæ.
25 Vir autem quidam erat in Urischelem cujus nomen Schemeun, & vir iste erat rectus & justus, & exspectabat consolationem Jisrajel, &
Spiritus sanctus erat super eum.
26 Et dictum fuerat ei à Spiritu sancto quòd
non visurus esset mortem usquedum videret
Christum illum Domini.
27 Hic ipse veniebat per Spiritum in templum:
& quum adducerent parentes ipsum Jeschua
puerum ut facerent pro eo sicut mandatum est
in Lege,
28 Accepit eum in ulnas suas, & benedixit
Deo, ac dixit,

3 F. vel redemtor: sed illud latius, & magis respondet Græco σωτὴρ; cui (ut notat Cicero in Verrem) Latina ulla voce non potest satis exprimi.

4 Græcum nomen εὐδοκία duobus verbis declarat paraphrastes, atque exprimit quo modo benevolentiæ Dei quæ in nato Messia patefacta est, fructus & efficacia hominibus possit applicari, nempe prædicatione. Aut certè distinguit interpretando, Dei benevolentiam qua res à se conditas, & in primis humanum genus complectitur, à particulari illa & eximia quam erga electos in evangelio manifestavit. Si quis tamen malit vocem absque metathesi simpliciter accipere pro interno animi sensu & cogitatione, idem prorsus declarabit quod vox Græca εὐδοκία, Voluntas bona. F. hoc malim: nam סבר etiam meditari & deliberare est.

5 Ad verb. Unus cum uno. Hebraismus.

6 Id est, Quum octavus dies jam advenisset, quo ex Lege pueri circumciderentur. Impleri enim non significat prorsus expleri & eximi, ut jam præterierit dies octavus, sed impletur quum incipit. Circumcisio enim octavo die fieri debuit præcisè. Atque ita frequenter verbum implendi in Scriptura sumitur, ut Gen. 25.24. 7 Aut est synecdoche Hebræis familiaris (ut Judicum 12.7. & Zachar. 9.9.) aut innuit & matrem præteritis quadraginta diebus ritu purificationis defunctam, & simul masculum filium primogenitum jam mense natum, ex Legis præscripto in sanctuario repræsentasse, & constitutam redemtionem persolvisse. De utroque habes Levit. 12. Num. 18.

F. Non enim id lex imperat: ut præcisè quum mensem primum natus est infans, sistatur & offeratur Domino; sed tantùm aptus esse dicitur qui offeratur. Ac proinde si à matre alebatur (quæ pura erat ex lege quadragesimo demum die) eadem impuritate ceremoniali tenebatur, nec antè sistebatur quàm impleta esset matris purificatio: sin ab altera nutrice, jam die trigesimo offerri eum & sisti Domino fuit legitimum, si ea vacaret impuritia. 8 Hæc fuit pauperum oblatio, Levit. 12. ver. ultimo. Nulla verò fit mentio pretii redemtionis, quia unum idémque constitutum erat omnibus sine discrimine tam pauperibus quàm divitibus.

29 Deinceps dimitte servum tuum, Domine mi, juxta sermonem tuum, in pace.

30 Quia ecce viderunt oculi mei [9] gratiosum tuum,

31 Quem parasti ante faciem omnium gentium,

32 Lumen ad revelationem populorum, & gloriam [10] populo Jisrajel.

33 Jauseph autem & mater ejus mirabantur super iis quæ dicebantur de eo.

34 Et benedixit eis Schemeun, ac dixit Mariam matri ejus, Ecce, hic positus est in casum & erectionem multorum in Jisrajel, & in signum contradictionis.

35 In animam autem tuam pertransibit lancea, ut revelentur cogitationes cordium multorum.

36 Hanna autem prophetissa, filia Penuil, ex tribu Aschir, ipsa quoque senior in diebus suis erat, & septem annis cum viro suo vixerat à virginitate sua.

37 Et erat vidua quasi annorum octoginta & quatuor, Et non abscedebat à templo: & in jejunio & in oratione serviebat die & nocte.

38 Et ipsa quoque adstitit eadem hora, & gratias egit Domino: & loquebatur de illo cum omni homine qui exspectabat liberationem Urischelem.

39 Et quum perfecissent omnia prout est in [11] lege Domini, reversi sunt in Galilæam, in Natzrath civitatem suam.

40 Puer autem crescebat, & corroborabatur spiritu, ac implebatur sapientia, & gratia Dei erat super eum.

41 Et homines [12] illius quolibet anno ibant in Urischelem in festo Petscha.

42 Qumque esset [13] filius annorum duodecim, ascenderunt sicut soliti erant ad festum.

43 Et quum completi essent dies, [14] reversi sunt. Jeschua autem puer remansit in Urischelem: & Jauseph & mater ejus nesciebant.

44 Existimabant enim quòd cum [15] comitibus eorũ esset: & quum ivissent itinere diei unius, quærebant eum apud homines suos, & apud quemcumque qui notus esset eis.

45 Et non invenerunt eum: & reversi sunt iterum in Urischelem, & quærebant eum.

46 Et post tres dies invenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum, & audientem ab eis, & interrogantem eos.

47 Et mirabantur omnes qui audiebant eum, super sapientia ejus, & super responsis ipsius.

48 Qumque vidissent eum, mirati sunt: & dixit ei mater ejus, Fili mi, quare fecisti nobis sic? nam ecce, ego & pater tuus cum anxietate multa quærebamus te.

49 Dixit eis, Quid quærebatis me? nesciebatis vos quòd in domo Patris mei oportet me esse?

50 Ipsi autem non intellexerunt sermonem quem dixerat eis.

51 Et descendit cum eis, ac venit in Natzrath: & erat subjectus eis. Mater autem conservabat omnes sermones in corde suo.

52 Jeschua autem crescebat statura sua & sapientia sua, ac gratia apud Deum & filios hominis.

[9] F. i. gratiæ & salutis effectorem ex decreto tuo.

[10] F. alii, populo tuo Isr態jel.

[11] F. i. in Scriptura sacra veteris Testamenti, atq; canonica. Non tota illa etiam appellatur lex, ut Mat. 5.18. & Joan. 10.34. Comprehenduntur itaque hac loquutione ea omnia quæ Matthæus cap. 2. narrat ex Prophetarum prædictionibus consummata, ad finem usque capitis illius.

[12] Nempè loci Natzareth. Hebraism. hoc est, Cives Natzareth. F. vel necessarii ejus, & conjuncti sanguine, οἱ γονεῖς καὶ συγγενεῖς. sic ver. 44.

[13] Id est, Natus duodecim annos. Hebraismus.

[14] F. Syrè, reversi sunt sibi. Pleonasmus, de quo in Matth. 4.10. sic ver. 45.

[15] Ad ver. Cum filiis comitatus eorum. Hebr.

29 Nunc [c] dimittis servum tuum Domine, [d] secundum verbum tuum, cum pace:

30 Quia [e] viderunt oculi mei [f] salutem tuam,

31 Quam parasti [g] in oculis omnium populorum:

32 Lumen [h] retegendum Gentibus, & gloriam populi tui Israëlis.

33 Josephus autem & mater ejus mirabantur super iis quæ dicebantur de eo.

34 Et benedixit eis Simeon, dixitque Mariæ matri ejus, [I] Ecce [i] positus est iste in [k] casum & resurrectionem multorum in Israël, & in [l] signum cui contradicatur:

35 (Quin & tuam ipsius animam [m] trajiciet gladius) [n] ut retegantur ex multis cordibus cogitationes.

36 [o] Erat etiam *quædam* Anna prophetissa, filia Phanuelis ex tribu Aseris, provecta in multam ætatem, postquam vixisset cum viro annos septem à virginitate sua.

37 Et *quum esset* vidua quasi annorum octoginta quatuor, non abscedebat à templo, jejuniis ac deprecationibus serviens *Deo* noctem ac diem.

38 Hæc igitur eo ipso momento quum supervenisset, vicissim palàm agnoscebat Dominum, & loquebatur de eo omnibus qui redemtionem expectabant Hierosolymis.

39 At *illi* ut perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in urbem suam Nazaretam.

40 Puerulus autem crescebat, & corroborabatur Spiritu, [p] implebatúrque sapientia: & Dei gratia erat super eum.

41 [q] Ibant verò parentes ejus quotannis Hierosolymam [r] in festo Paschæ.

42 Quum igitur factus esset annorum duodecim, ipsíque ascendissent Hierosolymam secundùm morem illius festi:

43 Et peregissent illius dies, quum reverterentur illi, [r] remansit puer Jesus Hierosolymis: quod nescivit Joseph nec mater ejus.

44 Existimantes autem eum esse in comitatu, ierunt viam *unius* diei: & requirebant eum inter cognatos & inter notos.

45 Et quum eum non invenissent, reversi sunt Hierosolymam quærentes eum.

46 Et factum est, triduo pòst ut invenirent eum in templo, sedentem in medio Doctorum, & audientem eos & eos interrogantem.

47 Percellebantur autem omnes qui eum audiebant, super intelligentia & responsis ejus.

48 Et eo viso facti fuerunt *parentes ejus* attoniti: & dixit ad eum mater ipsius, Fili, cur ita fecisti nobis? ecce, pater tuus & ego anxii quærebamus te.

49 [f] Tunc dixit ad eos, [t] Quid est quòd quærebatis me? *an* nesciebatis oportere me in iis esse quæ Patris mei sunt?

50 Sed ipsi non intellexerunt verba quæ ipsis fuerat loquutus.

51 [u] Descendit autem cum eis venítque Nazaretam: & erat eis subjectus. Et mater ejus conservabat verba hæc omnia in corde suo.

52 Jesus verò proficiebat sapientia, & statura, ac gratia apud Deum & homines.

[c] Potestatem mihi facis discedendi ex hac vita, ut patribus meis adjungar.

[d] Secundum id quod mihi es pollicitus.

[e] i. quod ipsis oculis vidi. Anteà enim animo videbat, ut de Abrahamo dicitur, Vidit diem meum, & gavisus est.

[f] Ad verb. Id quo salus continetur.

[g] Ad verb. Ante faciem tamquam signum aliquod edito loco positum, quò convertantur omnium oculi.

[h] Quod Gentibus illucescat.

[I] *Esa.* 8.14. *Rom.* 9.32. 1. *Pet.* 2.8.

[i] Pro scopo est destinatus & constitutus à Deo.

[k] Casum reproborum sua pereuntium culpa, resurrectionem electorum quibus datur ut credant.

[l] i. Scopum, quem omnes certatim figere contendant.

[m] i. Sævissimis vulnerabit doloribus. Hæc admonitio ad confirmandum sanctæ virginis animum valere debuit, ne mœrori succumberet, ubi ventum esset ad tam acres pugnas, quæ illi fuerunt obeundæ.

[n] Hoc passionis Christi tempore manifestum fuit: nam qui in speciem tantùm Christum amplexi fuerant, suam hypocrisin denudárunt.

[o] B. Additur Simeoni altera testis, & quidem omni exceptione major, omnes ad excipiendum exhibitum Messiam invitans.

[p] Vis illa divina sese pro ætatis progressu in homine Christo exerebat.

[q] B. Extraordinario facto, Scribæ & Pharisæi ad audiendam suo tempore Christi sapientiam excitantur.

[r] *Deu.* 16.1.

[r] Non ex inobedientia, sed ut ostenderet quale esset suum officium, ad quod à patre missus erat.

[f] B. Minimè quidem negligenda, sed tamen Dei gloriæ secundùm vocationem nostram postponenda sunt quæcumque hominibus officia debemus.

[t] Summa hujus reprehensionis est, officium quod Deo patri suo debet, omnibus humanis obsequiis longè præferendum esse.

[u] B. Christus, verus homo, per omnia nobis similis factus excepto peccato.

CAPUT III.

4 *Johannes hortatur ad resipiscentiam.* 15 *Testimonium ipsius de Christo.* 20 *Herodes illum tandem in carcerem includit.* 21 *Christus baptizatur.* 23 *Catalogus majorum Christi.*

a B. Johannes tempore à Prophetis prædicto prodiens, jacit exhibiti Evangelii fundamenta, vera Legis observatione, & gratuita in Christo ponè ipsum adventante misericordia proposita, addito etiam baptismo efficaci tum regenerationis tum remissionis peccatorum symbolo.
¶ *Act.*4.6.
b Hic vocatur à Josepho Ananus. Duos autem Pontifices quum nominat Lucas, res adeò turbatas & confusas fuisse significat, ut nemo tunc verus esset pontifex: sed ambitione & tyrannica potentia laceratum fuisse sacrum munus.
¶ *Mat.*3.2. *Mar.*1.4.
c Hæc loquendi forma ostendit, Sacramentum non esse mutam ceremoniam, quæ pompam aliquam sine doctrina ostentet, sed habere verbum Dei annexum, quod externam ipsam ceremoniam vivificat. Verbum intelligimus non quod magicis susurris exorcista quispiam demurmuret, sed quod clara & diserta voce pronunciatum ad fidem ædificandam valeat.
¶ *Esa.*40.3. *Joh.*1.23.
d Omnis caro pro omni homine.
¶ *Mat.*3.7.
¶ *Jac.*2.15. 1.*Joh.*3.17.
e Synecdochicôs, quia sub una specie comprehenditur generalis doctrina: unde sequitur eliciendum esse sensum qui charitatis regulæ, qualis à Deo præscribitur, respondeat: nempe ut quisque ex sua abundantia subveniat pauperū inopiæ.
f Quæ summa est exigendæ pecuniæ vectigalis.

ANno a autem decimoquinto imperii Tiberii Cæsaris, Pontio Pilato procurante Judæam, tetrarcha Galilææ Herode, Philippo autem ipsius fratre tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenes tetrarcha,

2 ¶ Sub Pontificibus maximis b Anna & Caïapha, factum est verbum Domini ad Johannem Zachariæ filium, in deserto.

3 ¶ Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani, c prædicans Baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum:

4 Ut scriptum est in libro sermonum Esaiæ Prophetæ, dicentis, ¶ Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas ejus.

5 Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur: & quæ curva sunt, fient *via* recta, & asperæ viæ *fient* planæ.

6 Videbitque omnis d caro salutem Dei.

7 Dicebat igitur turbæ venienti ut baptizaretur ab ipso, ¶ Progenies viperarum, quis præmonstravit vobis ut fugeretis à futura ira?

8 Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ, & ne cœperitis dicere apud vos ipsos, Patrem habemus Abrahamum. dico enim vobis, posse Deum etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo.

9 Jam verò etiam securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur.

10 Et interrogavit eum turba: dicens, Quid igitur faciemus?

11 Respondens autem dixit eis, ¶ e Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

12 Venerunt autem & publicani ut baptizarentur: & dixerunt ei, Magister quid faciemus?

13 Ipse verò dixit eis, Nihil amplius quàm quod f constitutum est vobis, exigite.

14 Interrogârunt autem eum etiam milites, dicentes, Et nos quid faciemus? Et ait eis, Neminem concutite, neque dolo opprimite: & contenti estote g stipendiis vestris.

15 Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johanne, númnam ipse esset Christus ille,

16 h Respondit Johannes, dicens omnibus, ¶ Ego quidem baptizo vos aqua: sed venit qui validior me est, cujus non sum dignus qui solvam corrigiam solearum: ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.

17 i Cujus ventilabrum in manu ipsius, & qui perpurgabit aream suam: & coget triticum in horreum suum, paleam autem exuret igni inexstinguibili.

18 Multa igitur etiam alia exhortans evangelizabat populo.

19 k ¶ Herodes autem tetrarcha quum argueretur ab eo de Herodiade uxore Philippi fratris ejus, deque omnibus sceleribus quæ ipse fecerat,

20 l Adjecit & hoc supra omnia, quòd inclusit Johannem in carcere.

21 m ¶ Factum est autem quum baptizaretur omnis populus, & Jesus baptizatus esset & precaretur, ut aperiretur cælum:

22 Et descenderet Spiritus sanctus corporea

ANno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, in præfectura Pontii Pilati in Judęa, quum 1 tetrarcha *esset* Hiraudis in Galilæa, & Philippus frater ejus tetrarcha in Ituria, & in regione Trachauna, ac Lusania tetrarcha Abilenes,

2 In principatu sacerdotii Channan, & Cajaphæ, factus est sermo Dei ad Juchannan filium Zachariah in deserto.

3 Et venit in universam regionem quæ est circa Jurdanan, prædicans baptismum conversionis in remissionem peccatorum:

4 Sicut scriptum est in libro sermonum Isajah prophetæ, qui dixit, Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, & dirigite 2 in planitiem semitas Deo nostro.

5 Omnes valles implebūtur, & omnes montes & colles deprimentur: & erit tumulus in humilem *locum*, & locus asper in planitiem.

6 Et videbit omnis caro 3 salutem Dei.

7 Et dicebat ad turbas eorum qui veniebant ad se ut baptizarentur, Progenies viperarum quis ostendit vobis fugere ab ira futura?

8 Facite igitur fructus qui digni sint conversione. Et ne cœperitis dicere apud vosipsos, Pater est nobis Abraham. Dico enim vobis quòd ex istis lapidibus potest Deus suscitare filios Abrahamo.

9 Ecce autem, securis posita est 4 super radices arborum. Omnis igitur arbor quæ fructus bonos non facit, exscinditur, & in ignem ruit.

10 Et interrogabant eum turbæ, ac dicebant, Quid igitur faciemus?

11 Respondit ac dixit eis, Is cui sunt duæ tunicæ, det illi cui non est: & is cui est cibus, similiter faciat.

12 Et venerunt etiam publicani ut baptizarentur, & dicunt ei, Magister, quid faciemus?

13 Ipse verò dixit eis, Ne 5 quæratis aliquid amplius quàm illud quod mandatum est vobis quærere.

14 Et interrogabant eum exercentes militiā, & dicebant, Quid faciemus etiam nos? Dixit eis, Ne contra quēquam insolescatis, & ne quēquam opprimatis, & vobis sufficiant 6 stipendia vestra.

15 Quum autem 7 spem collocaret populus in Juchannan, & omnes cogitarent in cordibus suis quòd fortè ipse esset Christus,

16 Respondit Juchannan, & dixit eis, Ecce, ego baptizo vos aquis: venit autem post me is qui validior est me, cujus non sum dignus ut solvam corrigias calceamentorum: ipse baptizabit vos Spiritu sancto & igni.

17 Qui tenet ventilabrū in manu sua, & purgat areas suas: & triticū congregat in horrea sua, & paleam comburet igni qui non extinguitur.

18 Multa autem etiam docebat alia & evangelizabat populo.

19 Hiraudis autē tetrarcha, quia arguebatur à Juchannan propter Hiraudiah uxorē Philippi fratris sui, & propter omnia mala quæ faciebat,

20 Adjecit etiam hoc super omnia illa, & conclusit Juchannan in domo vinctorum.

21 Factum est autem quum baptizaretur universus populus, ut Jeschua quoque baptizaretur. Et quum oraret, apertum est cælum,

22 Et descendit Spiritus sanctus super eum in

1 Duabus vocibus Syrus Græcum nomen exprimit, quum pro tetrarcha ponit רישא רביעיא id est, principem quartæ partis.
2 In planitie, additum est in Syriaco textu, quod non est in Græco aut in Latinis versionibus: quia non verba Prophetæ singula, sed sententiam ejus referunt. paraphrastes autem noster prophetam verbum è verbo exprimit.
3 Ad verbum, Vitam. Hebraismus.
4 F. vel ad radicem arborum, id est, arboris uniuscujusque, Syllepsis Hebraica, de qua in Matth. 16.19.
5 F. vel poscatis, id est, exigatis.
6 Syrum nomen à Græco ὀψώνιον deflexum est, quod declarat militum quævis stipendia, præsertim verò quæ in annona posita erant.
7 F. vel in exspectatione esset populus de Juchannan.

g Ad verbum, opsoniis vestris. Nam cibaria militibus dabantur cum pauxillo pecuniæ. h B. Ut ritè, & cum fructu sacramenta percipiamus, neque in signis hærendum, neque in eo qui signa administrat, sed ad Christum sacramentorum auctorem, & rei ipsius per sacramenta adumbratæ exhibitorem, assurgendum est. ¶ *Mat.*3.11. *Mar.*1.8. *Joh.*1.26. *Act.*1.5. & 2.4. & 11.16. & 19.4. i B. Evangelium est mundi totius cribrum. k B. Johannis præconium morte ipsius sanciri oportuit. ¶ *Mat.*14.3. *Mar.*6.17. l Significat Lucas tunc desperatam esse malitiam, & ad summum cumulum venisse, quum remediis irascitur peccator, nec tantum correctionem repudiat, sed de monitore quoque suo hostilem vindictam sumit. m B. Baptismus noster in capite Ecclesiæ sanctificatur, simulque ipsius Patris voce, Christus æternus Rex noster, Sacerdos, & Propheta declaratur. ¶ *Mat.*3.13. *Marc.*1.9. *Joh.* 1.32.

specie, similitudine

similitudine corporea columbæ: & vox facta est
de cælo quæ dixit, Tu es filius meus dilectus, in
te complacitum est mihi.
23 Ipse autem Jeschua erat quasi natus an-
nos triginta: & putabatur filius Jauseph, [s] filii
Heli,
24 Filii Mattath, filii Levi, filii Malki, filii Jani,
filii Jauseph,
25 Filii Matthetha, filii Ammutz, filii Na-
chun, filii Chesli, filii Naggi,
26 Filii Matth, filii Mattath, filii Schamei, filii
Jauseph, filii Jihuda,
27 Filii Juchannan, filii Rasa, filii Zurbabel,
filii Schelattheil, filii Niri,
28 Filii Malchi, filii Adai, filii Cusam, filii El-
mudad, filii Ir,
29 Filii Jusi, filii Eliazar, filii Juram, filii Mat-
thitha, filii Levi,
30 Filii Schemeun, filii Jihuda, filii Jauseph,
filii Junam, filii Elijakim,
31 Filii Malia, filii Mani, filii Mathetha, filii
Nathan, filii David,
32 Filii Ischai, filii Ubid, filii Baaz, filii Schal-
mun, filii Nacheschun,
33 Filii Amminadab, filii Aram, filii Chetzrû,
filii Paretz, filii Jihuda,
34 Filii Jaakub, filii Ischak, filii Abraham, filii
Tarach, filii Nachur,
35 Filii Sarug, filii Aru, filii Palag, filii Abar,
filii Schalach,
36 Filii Kainan, filii Arpachschad, filii Schin,
filii Nuach, filii Lamech,
37 Filii Matthuschelah, filii Chanuch, filii
Jared, filii Mahelaleil, filii Kainan,
38 Filii Anusch, filii Schith, filii Adam qui
fuit à Deo.

[s] ✝. vel filius Heli, id est, nepos, ex Maria virgine θεοτόκου natus. Sic enim Græca verba commodè accipi possunt, ὤν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλὶ, &c. qui erat (ut putabatur filius Jauseph) filius Heli, &c. ut Matthæus filius Josephi, Lucas Mariæ pertexat gentem, Docti viderint. Nam idem Matthan sive Matthath videtur pater fuisse Jakobi, Alphæi, & Heli: ex Jakobo autem Joseph, ex Heli verò Maria descendisse.

specie, tamquam columba, supra eum: & vox de
cælo existeret, dicens, Tu es filius ille meus di-
lectus, in te acquiesco.
23 [n] Ipse autem Jesus incipiebat esse quasi
annorum triginta, filius (ut existimabatur) Jose-
phi, *filii* Heli,
24 *Filii* Matthati, *filii* Levi, *filii* Melchi, *filii* Jan-
næ, *filii* Josephi,
25 *Filii* Mattathiæ, *filii* Amosi, *filii* Naumi, *filii*
Esli, *filii* Naggæ,
26 *Filii* Maathi, *filii* Mattathiæ, *filii* Semei, *filii*
Josephi, *filii* Judæ,
27 *Filii* Joannæ, *filii* Rhesæ, *filii* Zorobabelis,
filii Salathielis, *filii* Neri,
28 *Filii* Melchi, *filii* Addi, *filii* Cosami, *filii* El-
modami, *filii* Eris,
29 *Filii* Josæ, *filii* Eliezeris, *filii* Jorimi, *filii*
Matthati, *filii* Levi,
30 *Filii* Simeonis, *filii* Judæ, *filii* Josephi, *filii*
Jonami, *filii* Eljacimi,
31 *Filii* Meleæ, *filii* Mainani, *filii* Mattathæ, *filii*
Nathanis, *filii* Davidis,
32 *Filii* Jessæ, *filii* Obedis, *filii* Boosi, *filii* Sal-
monis, *filii* Naassonis,
33 *Filii* Aminadabi, *filii* Arami, *filii* Esromi, *filii*
Pharesi, *filii* Judæ,
34 *Filii* Jacobi, *filii* Isaaci, *filii* Abrahami, *filii*
Tharæ, *filii* Nachoris,
35 *Filii* Saruchi, *filii* Ragaui, *filii* Phaleci, *filii*
Heberis, *filii* Salæ,
36 *Filii* Arphaxadi, *filii* Semi, *filii* Noæ, *filii* La-
mechi,
37 *Filii* Mathusalæ, *filii* Henochi, *filii* Jaredis,
filii Mahalaleelis, *filii* Cainani,
38 *Filii* Henosi, *filii* Sethi, *filii* Adami, qui fuit
[o] Dei.

[n] ✝. Christi secundùm carnem genus ad Adamum, & inde ad Deum usque deducitur, ut eum esse constet quem unum Deus Abrahamo, & Davidi promissum, ab æterno Ecclesiæ suæ ex omni hominum genere colligendæ, destinavit.

[o] Videlicet filius non genitus sed factus. Nam ea ratione aliquando se Patrem Deus nuncupat, Deut. 32.6.

CAPUT IIII.

1 De tentatione & jejunio Christi. 16 Docet in Nazareta, magna omnium admiratione. 24 Propheta in patria docens contemnitur. 33 Dæmoniacus sanatur. 38 Socrus Petri sanatur. 40 Sanantur & infirmi. 41 Et dæmones confitentur Christum Dei filium.

JEschua autem plenus Spiritu sancto reversus
est à Jurdan: & duxit eum Spiritus in deser-
tum,
2 Diebus quadraginta, ut tentaretur ab [t] ac-
cusatore. Et non edit quicquam per illos dies, &
quum complevisset eos, posteà esuriit.
3 Et dixit ei accusator, Si filius es Dei, dic
lapidi huic, ut fiat panis.
4 Respondit Jeschua, & dixit ei, Scriptum est
quòd nequaquam pane solo vivit filius hominis,
sed omni verbo Dei.
5 Et subduxit eum Satanah in montem sub-
limem, & ostendit ei omnia regna terræ in tem-
pore exiguo.
6 Et dixit ei accusator, Tibi dabo potesta-
tem hanc universam & gloriam ejus: nam mihi
tradita *est*, & cui voluero do eam.
7 Si igitur adoraveris coram me, tua erit
universa.
8 Respondit autem Jeschua & dixit ei, Scrip-
tum est, Dominum [u] Deum adorabis, & illi soli
servies.
9 Et adduxit eum in Urischelem, & statuit
eum super pinnaculum templi, & dixit ei, Si filius
es Dei, projice teipsum hinc deorsum.
10 Scriptum est enim, Angelis suis mandabit
de te, ut custodiant te:

[t] Vide quæ de hac voce notavimus Matth. 4.3.

[u] ✝. al. Deum tuum.

JEsus [a] autem plenus Spiritu sancto revertit à
Jordane, [1] & actus est ab *eodem* Spiritu in deser-
tum,
2 Dies quadraginta tentante *eum* diabolo,
Neque comedit quicquam per illos dies, sed iis
finitis posteà esuriit.
3 [b] Tunc dixit ei diabolus, Si filius es Dei,
dic isti lapidi ut fiat panis.
4 Et respondit ei Jesus dicens, Scriptum est,
[2] Non pane solo vivet homo, sed quovis verbo
Dei.
5 Tunc quum subduxisset eum diabolus in
montem sublimem, ostendit ei omnia regna terræ
[c] puncto temporis.
6 Et ait ei Diabolus, Tibi dabo [d] potestatem
hanc universam, & gloriam illorũ *regnorum*: nam
mihi [e] tradita est, & cuicumq; voluero, do eam.
7 Itaque si tu adoraveris me, erunt tua
[f] omnia.
8 Respondens autem Jesus dixit ei, Abscede
à me Satana. scriptum est enim, [3] Adorabis Do-
minum Deum tuum, & ei soli servies.
9 [g] Tum duxit eum Hierosolymam, & eum
statuit supra pinnas templi: & dixit ei, Si tu filius
Dei es, dejice teipsum hinc deorsum.
10 Scriptum est enim, [4] Angelis suis manda-
bit de te, ut custodiant te:

[a] ✝. Christus in desertum quasi extra mundum abreptus, post quadraginta dierum jejunium, Satana ter superato, velut è cælo victor repentè prodiens munus suum aggreditur.

[1] *Mat.* 4.1. *Mar.* 1.12.

[b] ✝. Christus primùm ad diffidentiam de Deo: deinde ad opum & honorum studium: tertiò denique ad vanam de se confidentiam à Satana sollicitatus, ter eum Dei verbo vincit.

[2] *Deu.* 8.3. *Mat.* 4.4.

[c] Momento temporis. Metaphora ducta à Scribarũ punctis. Hoc videtur satis ostendere hæc omnia per visionem quamdam non corporali transvectione & ostensione esse gesta. quomodo humanitùs videre potuisset omnia regna orbis & gloriam eorum in momento? [d] Metonymicè, potestatis nomine, regna ipsa intelligit. [e] Verè quidem illud: nam princeps est mundi, at precariò, non autem absolutè, itaq; malè colligit, se dare ea, cui velit. [f] Ex edito loco, cui subjecta erat amplissima regio, situs omnium regionum ei commonstrabat. [3] *Deu.* 6.13. *&* 10.20. [g] In totum hunc locum vide Mat. 4. [4] *Psal.* 91.11.

11 Et

11 Et

[f] *Deut.6.16.*
[h] B. Chriſtus quis ſit, & quorſum venerit ex Eſaia propheta palàm ſuis demonſtrat.
[i] *Mat.13.54. Mar.6.1. Ioh.4.43.*
[i] *Eſa.61.1.*
i Spiritum Domini ſuper ſe ideò dixit, ut ſciamus Chriſtum tam in ſe quàm in ſuis miniſtris, non humanum nec privatum negotium agere, ſed ad reſtituendam Eccleſiæ ſalutem divinitùs eſſe miſſum.
k Hoc, vice expoſitionis, additum eſt, multi enim falsò Dei ſpiritum habere ſe jactant, quum ſint ejus donis vacui. Chriſtus ab unctione tamquam ab effectu probat ſe ſpiritu Dei eſſe præditū.
l Loquitur hîc de ſpirituali manumiſſione qua liberamur à ſervitute Satanæ.
m Alludit propheta ad annum redemtionis Jubilæum, de quo Levit, 15.8.
n B. Familiaritas contemtum etiā Chriſti gignit, qui propterea deſertis ſuis ſæpè ad extraneos migrat.
o Huic ſcripturarum collationi intererant non ſolùm doctores, ſed & plebs: præterea vernaculo utebantur ſermone, alioquin non admirata fuiſſet multitudo. eumdem ordinem inſtituit in Eccleſia Corinthiaca Paulus, 1. Cor. 14.
p Vi illa divina quæ in Chriſti verbis totóque habitu inerat, quæque homines mirificè ad ſe alliciebat, Pſal. 45. 3. Diffuſa gratia in labiis tuis.
q quaſi dicat, Quando nunc offenſi eſtis vilitate meæ perſonæ, video vos dicturos mihi quod vulgò dici ſolet ei qui, quum ulceribus ſcateat, aliis ſe mederi profitetur.

11 Et in manus tollent te, nequando offendas ad lapidem pedem tuum.

12 Reſpondens autem Jeſus dixit ei, dictum eſt, [f] Non tentabis Dominum Deum tuum.

13 Et finita omni tentatione, diabolus abſceſſit ab eo ad tempus.

14 Reverſus eſt autem Jeſus cum virtute Spiritus in Galilæam: & fama de eo exiit in totam circumjacentem regionem.

15 Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, omnibus ipſum glorificantibus.

16 [h] [i] Venit igitur Nazaretam, ubi fuerat nutritus: & intravit ut conſueverat, die Sabbathi, in ſynagogam: & ſurrexit ut legeret.

17 Tunc datus eſt ei liber Eſaiæ prophetæ: quumque explicuiſſet librum, invenit locum *in* quo ſcriptum erat,

18 [i] [i] Spiritus Domini ſuper me [k] propterea quòd unxit me, ut evangelizem pauperibus miſit me, ut medear contritis corde, ut prædicem [l] captivis dimiſſionem, & cæcis [m] viſus recuperationem, ut confractos emittam in libertatem:

19 Ut prædicem annum Domini acceptum.

20 Et complicatum librum quum reddidiſſet miniſtro, ſedit: & omnium in ſynagoga oculi erant intenti in eum.

21 Cœpit autem eis dicere, Certè hodiè impleta eſt hæc Scriptura audientibus vobis.

22 [n] Et omnes [o] teſtimonium ei dabant, ac mirabantur ſuper ſermonibus *plenis* [p] gratia, procedentibus ex ore ipſius, dicebántque, Nónne iſte eſt filius ille Joſephi?

23 Et dixit ad eos, [q] Omnino dicetis mihi hoc proverbium, Medice, cura teipſum: [r] quæcumque audivimus facta fuiſſe in urbe Capernaumo, fac etiam hîc in patria tua.

24 Dixit autem, Amen dico vobis, [s] [f] nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.

25 Sed in veritate dico vobis, [t] multæ viduæ erant diebus Eliæ in Iſraële, quando clauſam fuit cælum ad tres annos & ſex menſes, *adeò* ut fuerit fames magna per totam [t] regionem:

26 Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, ſed Sareptam *urbem* Sidoniæ, ad mulierem viduam.

27 [t] Et multi leproſi erant in Iſraële ſub Eliſæo propheta: [u] & nullus eorum purgatus eſt, ſed Naamanus Syrus.

28 [x] Tum repleti ſunt omnes excandeſcentia in ſynagoga, hæc audientes.

29 Et quum [y] ſurrexiſſent, ejecerunt eum extra urbem: & duxerunt eum uſque ad [z] ſupercilium montis ſuper quem urbs ipſorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

30 Ipſe verò quum tranſiſſet per medios ipſos, profectus eſt.

31 Et deſcendit Capernaumum urbem Galilææ, [t] ibique docebat eos Sabbathis,

32 [t] Et percellebantur ſuper doctrina ejus. Erat enim ſermo ipſius cum auctoritate.

33 [t] Erat autem in ſynagoga quidam habens [a] ſpiritum dæmoniacum impurum, qui exclamavit voce magna,

34 [b] Dicens, Ah, quid nobis tecum Jeſu Nazarene? veniſti ut perderes nos? novi te quis ſis: *nimirum* Sanctus ille Dei.

11 Et in brachiis ſuis tollant te: ne impingat pes tuus in lapidem.

12 Reſpondit autem Jeſchua & dixit ei, Dictum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum.

13 Et quum compleviſſet accuſator omnes tentationes ſuas, receſſit ab eo uſque ad tempus.

14 Et reverſus eſt Jeſchua in virtute Spiritus in Galilæam: & egreſſa eſt de eo fama in omnem locum qui circa eos *erat*.

15 Et ipſe docebat in ſynagogis eorum: & glorificabatur [3] ab unoquoque.

16 Et venit in Natzerath, ubi educatus fuerat: & ingreſſus eſt, ſicut ſolitus erat, in ſynagogam die ſabbathi: & ſurrexit ad legendum.

17 [4] Et aperuit Jeſchua librum, & invenit locum ubi ſcriptum erat,

18 Spiritus domini ſuper me, & propterea unxit me ad evangelizandum pauperibus: & miſit me ad ſanandum contritos corde, & ad prædicandum captivis dimiſſionem, & cæcis [5] viſus recuperationem, & ad dimittendum confractos in libertatem.

19 Et ad prædicandum annum acceptum Domino.

20 Et convolvit librum, dedítque eum miniſtro: & abiens ſedit. [6] Omnes autem qui in ſynagoga erant, oculis ſuis intuebantur eum.

21 Et cœpit dicere ad eos, Hodiè completa eſt ſcriptura hæc [7] quæ eſt in auribus veſtris.

22 Et teſtimonium dabant ei omnes: & mirabantur propter ſermones gratię qui procedebant ex orę ejus, ac dicebant, Nónne fuit hic filius Jauſeph?

23 Dixit eis Jeſchua, [8] Jam dicetis mihi proverbium hoc, Medice ſana te ipſum: & omnia quæ audivimus quæ feciſti in Kephar-Nachum, fac etiam hîc in civitate tua.

24 Ipſe autem dixit, Ammin dico vobis, quòd non eſt propheta qui acceptus ſit in civitate ſua.

25 Veritatem enim dico vobis, quòd multæ viduæ erant in domo Jiſraiel in diebus Iliah prophetæ, quādo clauſi ſunt cęli annos tres & menſes ſex, & facta eſt fames magna in vniverſa terra:

26 Et ad nullam earum miſſus eſt Iliah niſi ad Tzarephath Tzaidan, ad mulierem viduam.

27 Et multi leproſi erant in domo Jiſraiel in diebus Eliſchah prophetæ: & nullus eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.

28 Quúmque audirent hæc ii qui in ſynagoga erant, repleti ſunt ira omnes.

29 Et ſurgentes ejecerunt eum extra civitatem, & duxerunt eum uſque ad cacumen montis ejus ſuper quem civitas eorum ædificata erat, ut ejicerent eum de petra.

30 Ipſe verò tranſivit per medium eorum, & abiit.

31 Et deſcendit in Kephar-Nachum civitatem Galilææ, & docebat eos in ſabbathis.

32 Et mirabantur in doctrina ejus, quia poteſtate præditus erat ſermo ejus.

33 Et erat in ſynagoga quidam in quo erat [9] ſpiritus dæmoniacus impurus, & clamavit voce elata,

34 Ac dixit, Sine me. [10] Quid nobis & tibi Jeſchua Nazarene? Veniſti ad perdendum nos? Novi ego te quis ſis, Sanctus Dei.

3 F. Syrè, ab omni homine.
4 F. Hîc deſiderantur verba quæ in aliis ſic exſtant convenienter Græco, Et datus eſt ei liber Eſchajæ Prophetæ, & aperuit, &c.
5 Ad ver. Ad viſum.
6 F. vel, omnium autem qui in ſynagoga erant oculi intuebantur eum.
7 i. Quam audiſtis, Hebraiſmus.
8 F. vel fortaſſe, ut Matthæi 21. 37.
9 F. Syrè, ſpiritus dæmonii impuri, ut in Græco legitur.
10 F. i. quid nobis tecum? ut Matth. 8. 29.

r Contemtū doctrinæ & officii ſequitur miraculorū petitio, quibus cōfirmetur doctrina & officiū. [s] *Ioh.4.44.* [f] Eorum culpa fieri exprobrat ne apud eos, ſicuti alibi, exerat ſuam virtutem in miraculis: hominum incredulitas aditum obſtruit Deo ne operetur. [t] *1.Reg.17.&c. Iac.5.17.* t Ad verb. terram Iſraëliticam. Vide Mar. 15. 33. [t] *2.Reg.5.14.* u Senſus eſt, idem accidere quod olim, ut Deus procul virtutem ſuam ad alienos tranſmittat, quia à domeſticis repellitur. x B. Mundus quo aſperiùs reprehenditur, eo apertius furit: ſed piorum vita non eſt impiorum libidini ſine exceptione expoſita. y Dimiſſo conventu, vel egreſſi è ſynagoga. z Metaphoricôs pro parte montis editiore. [t] *Matthæi.4.13. Marci.1.21.* [t] *Matthæi.7.29. Mar.1.22.* [t] *Marci,1.23.* a Ad ver. ſpiritum dæmonii impuri dæmonium impurum. b B. Chriſtus non tantùm homines, quantumvis ſtupidos, ſed ipſa etiam dæmonia, velint, nolint, percellit.

35 Et objurgavit eum Jeschua, ac dixit, Occlude os tuum, & exi ab eo. Et dejecit eum dæmon in medium, & exivit ab eo, quum non nocuisset ei quicquam.

36 Et admiratio apprehendit unumquemq;, & loquebantur secum invicem, ac dicebant, Quisnam est sermo iste qui cum virtute & potestate præcipit spiritibus impuris, & exeunt?

37 Et egressa est de eo fama in omni loco qui erat circa eos.

38 Et quum egressus esset Jeschua è synagoga, intravit in domum Schemeun, & socrus Schemeun affligebatur [11] febre magna, & rogaverunt eum pro illa.

39 Et stetit super eam, & objurgavit febrem: & reliquit illam. & illico surrexit, & ministrabat eis.

40 In occasu autem solis, omnes quibus essent ægroti qui ægrotarent ægritudinibus variis, adduxerunt eos ad ipsum. Ille verò super [12] unumquemque ex ipsis manum suam ponebat, & sanabat eos.

41 Et exibant etiam dæmonia à multis clamantia, & dicentia, Tu es Christus filius Dei. Et increpabat ea, & non permittebat eis ut loquerentur, quòd scirent quòd esset Christus.

42 Et in aurora diei egressus [13] abiit in locum desertum: & turbæ quærebant eum, veneruntq; usque ad ipsum: & apprehendebant eum ne discederet ab eis.

43 Ipse autem Jeschua dixit eis, Etiam civitatibus aliis oportet me evangelizare regnum Dei: quia propter hoc ipsum missus sum.

44 Et ipse prædicabat in synagogis Galilææ.

[11] Ad ver. Igni magno, id est, Ardenti febre. Hebraismus.

[12] Ad verbum unum, unum, Hebraismus.

[13] F. Syrè, abiit sibi. Pleonasmus, de quo Matth. 4.10.

35 Et objurgavit eum Jesus, dicens, Obmutesce, & exi ab eo. Tunc dæmonium, projecto illo in medium, exiit ex eo, nihilque ei nocuit.

36 Et abortus est pavor in omnibus: & colloquebantur alii cum aliis, dicentes, Quid hoc rei est, quòd cum auctoritate ac potestate imperat impuris spiritibus & exeunt?

37 Et dimanavit rumor de eo in omnem locum circumjacentis regionis.

38 [c] [b] Quum surrexisset autem Jesus è synagoga, introivit domum Simonis: socrus verò Simonis detinebatur febri magna: & rogaverunt eum pro illa.

39 Tunc *ipse* [d] adstans supra eam, objurgavit febrim: & *febris* eam dimisit. *illa* verò quum illico surrexisset, ministravit eis.

40 Occidente autem sole, omnes qui habebant ægrotantes morbis variis, ducebant ipsos ad eum, ille verò unicuique ipsorum impositis manibus, sanavit eos.

41 [e] [h] Exibant autem etiam dæmonia ex multis, clamantia ac dicentia, Certè tu es Christus ille Filius ille Dei. Sed *ipse* objurgans non sinebat ea loqui, quòd scirent ipsum esse Christum illum.

42 [f] [g] Orto autem die egressus profectus est in desertum locum, & turba quærebat eum, veneruntq; usque ad ipsum, & retinebant eum ne ab ipsis discederet.

43 Ille verò dixit eis, Certè etiam aliis urbibus oportet me evangelizare regnum Dei: nam ad hoc missus sum.

44 Et prædicabat in synagogis Galilææ.

[c] B. Christus sanandis solo verbo corporis morbis, confirmat se Deum esse omnipotentem salutis hominum causâ missum.

[b] *Matt.* 8.14. *Mar.* 1.30.

[d] Gestus Christi ad lecti fulcrum inclinantis, ut febricitantem allevaret.

[e] B. Satan perpetuus veritatis hostis, ne tum quidem audiendus quum veritatem dicit.

[h] *Marc.* 1.34.

[f] B. Nulla ne zeli quidem specie debemus in vocationis nostræ cursu retardari.

[g] Id est, cum prima luce, eáq; adventante.

CAPUT V.

1 Christus docet è navigio. 6 De captura piscium. 12 Leprosus. 16 In deserto orat Christus. 18 Paralyticus. 27 Levi publicanus. 34 Jejunia & afflictiones Apostolos manent post ascensionem. 36. 37. 38 Vetustis utribus & vestibus discipuli debiles & minus robusti comparantur.

FActum est autem quum congregaretur ad eum turba, ad audiendum sermonem Dei, & ipse stabat juxta littus maris [1] Ginesar.

2 Et vidit navigia duo stantia juxta ipsum mare: & piscatores qui ascenderant ex eis, & lavabant retia sua.

3 Et unum ex illis [2] Schemeun erat Ciphæ. Et ingressus Jeschua sedit in eo, dixitq; ut ducerent ipsum paululum ab arida in aquas: & sedebat ac docebat è navigio turbam.

4 Et quum [3] siluisset à sermone suo, dixit Schemeun, Ducite in profundum, & projicite rete vestrum ad capturam.

5 Respondit Schemeun ac dixit ei, Domine mi, nocte tota laboravimus, & nihil cepimus: in sermone autem tuo jacio rete.

6 Et quum hoc fecissent, incluserunt pisces multos admodum: & disrumpebatur rete eorum.

7 Et innuerunt sociis suis qui erant in navigio altero, ut [4] venientes adjuvarent eos. Quumq; venissent, impleverunt illa navigia ambo, ita ut in proximo essent ut mergerentur.

8 Quum vidisset Schemeun Cipha, procidit ante pedes Jeschua, & dixit ei, Peto abs te Domine mi, [5] discede à me, quoniam homo sum peccator.

9 Terror enim apprehenderat eum & omnes qui cum eo erant, propter capturam illam piscium quos ceperant.

10 Similiter autem etiam Jaakub & Juchanan,

[1] Vide de eo annot. in fine Matth. 14.

[2] Id est, Erat Schemeun Ciphæ.

[3] i. Quum finem dicendi fecisset. Hebraismus.

[4] F. Syrè, venirent adjuvarent. vide in Matt. 4.9.

[5] F. Syrè, discede tibi. Pleonasmus, ut Matth. 4.10.

FActum [a] est autem, quum turba [b] immineret ei, audiendi verbi Dei causa, ipse stabat apud lacum Genezaret.

2 Viditq; duo navigia quæ ad lacum erant: piscatores verò quum ex iis descendissent, abluebant retia.

3 Ingressus autem in unum istorum navigiorum, quod erat Simonis, rogavit eum ut à terra [c] proveheret paululùm; quumq; consedisset, docebat turbam ex navigio.

4 Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem, Provehito in altum, & dimittite retia vestra ad capturam.

5 Tum respondens Simon ait ei, [d] Magister, quum per totam noctem nos [e] fatigaverimus, nihil cepimus, tamen [f] ex tuo jussu demittā rete.

6 Et quum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem magnam: dirumpebatur autem rete eorum.

7 Et innuerunt sociis qui *erant* in altero navigio ut venirent, & sibi opitularentur. Venerunt igitur, & impleverunt ambas naves, ita ut penè mergerentur.

8 Quum autem *hæc* vidisset Simon Petrus, accidit ad genua Jesu, dicens, [g] Discede à me. Nam homo peccator sum, Domine.

9 Pavor enim occupârat eum & omnes qui cum eo *erant*, super captura piscium quam comprehenderant:

10 Similiter autem & Jacobum & Johannem filium

[a] B. Christus quatuor ascitos discipulos admonet Apostolicæ functionis tandem illis committendæ.

[b] Quum quasi in illum incumberet, præ visendi & audiendi studio, quæ res fecit ut è navigio doceret.

[c] In altum.

[d] ἐπιστάτης is est, qui rei alicui præest. alii Evangelistæ retinuerunt nomē Rabbi.

[e] Vide Matt. 6.28.

[f] Ad verb. In verb. tuo, id est, juxta id quod præcipis.

[g] Vox est contritæ conscientiæ & indignitatem suam agnoscentis ex peccatorum cognitione.

filium Zebedæi, qui erant socii Simoni. Tunc ait ad Simonem Jesus, ne metue: ab hoc *tempore* vivos capies homines.

11 *Illi* autem quum subduxissent in terram navigia, relictis omnibus, sequuti sunt eum.

12 [h] [‖] Et ecce factum est, ut quum esset in quadam urbe, tum *adveniret* quidam plenus lepra: ac viso Jesu procidens in faciem, rogaret eum, Dicens, Domine, si velis, potes me purgare.

13 *Jesus* autem extensa manu tetigit eum, dicens, Volo, purgator. Et statim lepra abiit ab eo.

14 Ipse verò præcepit ei ut nulli *hoc* diceret: sed profectus, *inquit*, ostende teipsum sacerdoti, & offer pro purgatione tui, [‖] prout præcepit Moses, *ut hoc sit* eis testimonio.

15 [i] Dimanabant autem eo magis sermones de eo: & conveniebat turba multa ut audirent, [k] & per eum sanarentur à morbis suis.

16 Ipse autem secedens, erat in desertis, & precabatur.

17 Et factum est quodam die, quum ipse doceret, sederentq; Pharisæi ac Legis doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ & Judææ & Hierosolymis: & [l] virtus Domini adesset *ei* ad sanandum [m] illos:

18 [‖] [n] Tunc ecce *advenerunt* quidam ferentes in lecto hominem qui erat [o] paralyticus: & studebant eú inferre, & ponere in ipsius conspectu.

19 Et quum non invenissent quâ ipsum inferrent, propter turbam, ascéderunt in solarium, & perfosso testaceo pavimento, demiserunt eum cum lectulo in medium, ante Jesum.

20 Qui fide eorum [p] visa, dixit, Heus tu, remissa sunt tibi peccata tua.

21 Tunc cœperunt ratiocinari Scribæ & Pharisæi, dicétes, Quis est iste qui loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?

22 Jesus autem quum [q] nosset eorum ratiocinationes, respondens dixit eis, Quid ratiocinamini in cordibus vestris?

23 Utrum est facilius? dicere, Remissa sunt tibi peccata; aut dicere, Surge & ambula?

24 Ut autem sciatis Filium hominis potestatem habere in terra remittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, surge, & sublato *in humeros* lectulo tuo, abi domum tuam.

25 *Is* autem illicò quum surrexisset in eorum conspectu, sublato *in humeros eo* in quo jacuerat, abiit domum suam, glorificans Deum.

26 Et stupor cepit omnes, & glorificabant Deum: & repleti sunt timore, dicentes, Certè vidimus inopinata hodiè.

27 [r] [‖] Posthæc verò exiit, & conspexit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, & dixit ei, Sequere me.

28 Et *ille* relictis omnibus surrexit, & sequutus est eum.

29 Et fecit ei Levi epulum magnum domi suæ: eratq; turba multa publicanorum, & aliorum qui cum ipsis accumbebant.

30 [s] Obmurmurabant autem eis Scribæ ac Pharisæi, dicentes ad discipulos ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis?

31 Et respondens Jesus dixit eis, non opus est iis qui sani sunt, medico, sed iis qui malè *se* habent.

32 [‖] Non veni vocatum justos, sed peccatores ad resipiscentiam.

33 [t] [‖] Ipsi verò dixerunt ei, Quare discipuli Johannis jejunant crebrò, & deprecationes faciunt, similiter & discipuli Pharisæorum: tui verò edunt & bibunt?

34 Ipse

[h] B. Christus, leproso sui attactu mundato & ad sacerdotes remisso, testatur se eum esse, quo per fidé apprehenso, nos omnes secundù n Legem immúdi, testimonio ipsius Dei, múdi ac puri pronunciemur.

[‖] *Matth.* 8.2. *Mar.* 1.40.

[‖] *Levit.* 14.4.

[i] B. Christus mavult doctrina quá miraculis inclarescere, ideoq; ab iis discedit qui ipsum ut corporum medicum, non ut salutis auctorem quærunt.

[k] Hic unicus est finis miraculorú & beneficiorum Christi, ut ipse pluribus innotescat, plures ad ipsum accelerent, sanitatem & auxilia petant & accipiant.

[l] Sese exereret vis illa in Christo, illo tempore.

[m] De quibus egit V. 15.

[‖] *Mat.* 9.2. *Mar.* 2.3.

[n] B. Christus sanato paralytico, malorum omniú causam & remedium ostendit.

[o] i. enervatus. Paralytici verò nomé est usitatú.

[p] i. cognita. Heb.

[q] Divina scilicet intelligentia.

[r] B. Ecclesia est peccatorú Christi beneficio resipiscentium multitudo, cum eo cóvivans, magno cú superbi & invidi mundi offédiculo.

[‖] *Mat.* 9.9. *Mar.* 2.14.

[s] Hic jam produnt Pharisæi invidum animum suum, quem jamdudum adversus Christum conceperát. Nam quod per se non erat malum, in pessimam partem interpretantur. Volentes hac calumnia discipulos nuper ad Christi consortiú accitos à disciplina magistri abducere.

[‖] 1. *Tim.* 1.15.

[t] B. Hypocritarú & imperitorum hominum est pietatem in jejunio & rebus mediis collocare.

[‖] *Mat.* 9.14. *Mar.* 2.18.

nan, filios Zabbedai, qui erant participes Schemeon. Dixit autem Jeschua, Ne timeas: deinceps filios hominis capies ad vitam.

11 Et subduxerunt illa navigia in terram, & reliquerunt omnia, & [6] iverunt post eum.

12 Et quum esset Jeschua [7] in una ex civitatibus, venit vir quidam qui plenus erat totus lepra: vidit Jeschua, & procidit super faciem suam: & petebat ab eo, & dicebat ei, Domine mi, si velis, potes mundare me.

13 Et extendens manum suam Jeschua tetigit eum, & dixit ei, Volo, mundus esto. Et eadem hora abiit ab eo lepra ejus.

14 Et præcepit ei, Nemini dixeris: sed vade, ostende te ipsum sacerdotibus, & offer oblationé pro mundatione tua, sicut præcepit Musche in testimonium eorum.

15 Et prodiit de eo fama eo magis: & congregabatur populus multus ad audiendum ab eo, & ut sanarentur ab infirmitatibus suis.

16 Ipse autem secedebat in desertú, & orabat.

17 Et factum est [8] in una ex diebus quum doceret Jeschua, sedebant Pharisæi & doctores Legis qui venerant ex omnibus pagis Galilææ & Judeææ & Urischelem. Et virtus Domini erat ad sanandum eos.

18 Et quidam adduxerunt in lecto hominem quemdam [9] paralyticum, & quærebant ut [10] ingredientes ponerent ipsum ante eum.

19 Et quum non possent ita inferre eum propter multitudinem populi, ascenderunt in tectú, & demiserunt eum cum lecto suo è tecto in medium ante Jeschua.

20 Quum vidisset autem Jeschua fidem eorum, ait illi paralytico, Homo, remissa sunt tibi peccata tua.

21 Et cœperunt Pharisæi [11] & Legisperiti cogitare, & dicere, Quis hic est qui loquitur blasphemiam? Quis potest remittere peccata nisi Deus solus?

22 Jeschua autem cognovit cogitationes eorú, & dixit eis, Quid cogitatis in cordibus vestris?

23 Quid facilius est dicere? Remittuntur tibi peccata tua: an dicere, surge & ambula?

24 Ut cognoscatis autem quod potens est Filius hominis in terra ut remittat peccata (dixit paralytico) Tibi dico, Surge, accipe lectum tuum, & abi in domum tuam.

25 Et illicò surrexit [12] in conspectu eorum, & accepit lectum suum, & abiit in domum suam glorificans Deum.

26 Et admiratio apprehendit unumquemq;: ac laudabant Deum: & impleti sunt timore, ac dixerunt, Vidimus hodiè prodigia.

27 Post hæc egressus est Jeschua, & vidit publicanum, cujus nomen Levi, qui sedebat ad [13] telonium, & dixit ei, [14] Veni post me.

28 Et reliquit omnia, & surgens abiit post eú.

29 Et fecit ei Levi in domo sua [15] convivium magnum, & erat turba multa publicanorum & aliorum qui accumbebant cum eis.

30 Et murmurabant Legisperiti & Pharisæi, ac dixerunt discipulis ejus, Quare cum publicanis & peccatoribus comeditis & bibitis?

31 Et respondit Jeschua, & dixit eis, Non requiritur medicus sanis, sed iis qui [16] pessimè afficiuntur.

32 Non veni ut vocarem justos, sed peccatores ad conversionem.

33 Illi verò dixerunt ei, Quare discipuli Juchannan jejunant sedulò & orant, etiam Pharisæorum: tui autem comedunt & bibunt?

34 Ipse

[6] i. Sequuti sunt eum. Hebraismus.

[7] i. In quadam civitate. Hebraism.

[8] i. Quodam die. Hebraismus.

[9] Unde dicatur paralyticus, vide finem Mat. c. 4.

[10] F. Syrè, ingrederentur ponerent, vel inferrent ponerent. vide in Matth. 4.9.

[11] Hi sunt quos versu 17. vocavit doctores Legis. Vide quæ de eis scripta sunt Matt. 2.4.

[12] F. Syrè, in oculis eorum.

[13] Ad verb. In loco vectigalis. Hebraismus.

[14] i. Sequere, Hebraism. ut paulò post etiam.

[15] קובלא, qua voce utitur infrà quoq; ca. 14.13. Quod ideò notare libuit, quia aliis in locis ad id significandum aliis utitur vocibus quæ hac sunt usitatiores. F. hoc autem respondet ad verbú etymo nominis Græci δοχή.

[16] Ad verbum, Malè, malè. Positivus geminatus pro superlativo, ex Hebraismo, quod etiam antè observavimus.

34 Ipse autem dixit eis, Non potestis apud [17]filios thalami quum sponsus est cum eis, facere ut jejunent.

35 Venient autem dies quum auferetur sponsus ab eis, tunc jejunabunt in illis diebus.

36 Et dixit eis parabolam, Nemo abscindit assumentum ex vestimento novo, & immittit in vestimentum vetus, ne novum scindat, & vetus non impleat assumentum quod est ex novo.

37 Et nemo immittit vinum novum in utres veteres: sin autem minus, rumpit vinum novum utres, & vinum effunditur, ac utres pereunt.

38 Sed vinum novum in utres novos immittunt, & utraque conservantur.

39 Neque quisquam bibit vinum vetus, & statim quærit novum. Dicit enim, Vetus [18] suave est.

17 i. Familiares sponsi, quos etiã in thalamum suum admittit. Eandem phrasin vide Matth. 9.15. & Marci 2.19.

18 Pro, Suavius est. Positivus pro comparativo, Hebraismus.

34 [a] Ipse autem dixit eis, Num potestis facere ut filii thalami, quo *tempore* cum ipsis est sponsus, jejunent?

35 Venient autem dies quum tolletur ab eis sponsus, tunc jejunabunt illis diebus.

36 Dicebat autem eis etiam parabolam, Nemo panniculum novi vestimenti indit in vestimentum vetus: alioqui & illud novum findit *vetus*, & veteri non convenit panniculus *sumtus* ex novo.

37 Et nemo injicit vinum novum in utres veteres: alioqui disrumpet vinum novum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt.

38 Sed vinum novum in utres recentes injiciendum est: & utraque conservantur.

39 Et nemo qui biberit vetus, statim vult novum. dicit enim, Vetus utilius est.

[a] B. Leges de jejuniis & aliis ejusmodi rebus promiscuò & absque circumstantiarum discrimine positæ, non modò sunt tyrannicæ, sed etiã summè perniciosæ in Ecclesia.

CAPUT VI.

1 Discipuli spicas vellunt Sabbatho. 6 Christus habentem manum aridam sanat. 13 Electio Apostolorum. 20 De beatitudinibus & maledictionibus. 27 Inimici diligendi. 46 Quo fructu verbum Dei sit audiendum.

FActum est autem in sabbatho, quum ambularet Jeschua [1] in loco seminum, & discipuli ejus vellebant spicas, & confricabant manibus suis, ac edebant.

2 Quidam autem ex Pharisæis dixerunt eis, Cur facitis id quod non licet in sabbatho facere?

3 Respondit Jeschua, & dixit eis, Neque hoc legistis quod fecit David quum esuriret ipse & qui cum eo erant?

4 Quòd ingressus est in domum Dei, & panem mensæ Domini accipiens comedit, & dedit iis qui secum erant, quem non licebat edere nisi sacerdotibus tantùm?

5 Et dixit eis, [2] dominus est sabbathi Filius hominis,

6 Factum est autem in sabbatho alio, ingressus est in synagogam, & docebat. Erat autem ibi quidam cujus manus dextera erat arida.

7 Et Legisperiti & Pharisæi observabant eum num id *foret* ut sanaret in sabbatho, quò invenirent *ut* accusarent eum.

8 Ipse verò qui sciebat cogitationes eorum, dixit illi homini cujus arida erat manus, Surge, [3] veni in medium turbæ. Et quũ venisset, & staret,

9 Dixit eis Jeschua, Interrogabo vos, Quid licet in sabbatho facere? quod bonum est, an quod malum est? animam [4] servare, an perdere?

10 Et intuitus est in eos omnes, dixitq; illis, Extende manum tuam. Et extendit, restituta est manus ejus [5] sicut socia ejus.

11 Ipsi autem impleti sunt æmulatione: & loquebantur [6] unus cum alio, quidnam facerent Jeschua.

12 Factum est etiam in diebus illis, egressus est Jeschua in montem ad orandum: & illic pernoctabat in oratione Dei.

13 Et quum illucesceret, vocavit discipulos suos, & elegit ex eis duodecim, quos Apostolos nominavit,

14 (Schemeun, quem nominavit Cipha, & Andream fratrem ejus, & Jaakub & Juchannan, & Philippum & Bar-Tulemai:

15 Et Mattai & Thauma, & Jaakub filium Chalphai, & Schemeun qui vocatur Zelotes:

16 Et Jihuda [7] filium Jaakub, & Jihuda Secharjuta qui fuit proditor.)

17 Et descendit cum eis Jeschua, & stetit in planitie; & turba multa discipulorum ejus, & multitudo turbæ populi ex omni Judæa & ex Urischelem,

1 Id est, in agro sato. Hebraismus.

2 Vide quæ Marci 2. annotavimus in fine.

3 p. Syrè, veni tibi. pleonasmus, ut Matt. 4.10.

4 Ad verbum, Vivificare, Hebr.

5 i. Sicut altera manus. Hebraism.

6 Ad verbum, Unus cum uno, Hebraismus.

7 p. Vel fratrem Jaakub, ex Judæ 1. sed hoc rectum est. vide quæ adnotavimus in Marc. 15.40.

FActum [a] [1] est verò ut sabbatho [b] altero primo pertransiret per sata. Vellebant autem discipuli spicas, edebantq;, [c] confricantes manibus.

2 Quidam autem Pharisæorum dixerunt eis, Cur facitis quod non licet facere Sabbathis?

3 Tunc respondens Jesus dixit eis, [2] Ne hoc quidem legistis quod fecit David quum esuriret ipse & qui cum eo erant?

4 Quomodo introierit domum Dei, & panes propositi tios sumpserit, ederitq; ac dederit etiam iis qui secum *erant*: [3] quibus *panibus* non licet vesci nisi solis sacerdotibus?

5 Et dicebat eis, Filius hominis dominus est etiam sabbathi.

6 [d] [4] Factum est verò etiam alio sabbatho ut ipse ingrederetur in synagogam, ac doceret. Erat autem ibi quidam cujus manus dextera erat arida.

7 Observabant autem eum Scribæ ac Pharisæi an Sabbatho sanaturus esset *illum*, ut invenirent accusationem *adversus* eum.

8 At ipse norat cogitationes eorum: & dixit homini qui habebat manum aridam, Surge, & adsta in medio. Ille verò surgens adstitit.

9 Dixit igitur eis Jesus, interrogabo vos quiddam, Licet Sabbathis benefacere, an malefacere *cupiam*? hominem servare, an [e] perdere?

10 Et quum eos omnes circũspexisset, ait homini, Extende manum tuam. Ille autem ita fecit: & restituta est manus ejus sana sicut altera.

11 Ipsi autẽ repleti sunt amentia: & colloquebantur alii cum aliis, quidnam facerent Jesu.

12 [f] Factum est autem illis diebus, abiit in montem ad precandum, [g] & pernoctavit *illic* in precatione Dei.

13 [h] Et quum dies ortus esset, [h] advocavit discipulos suos, & quum ex ipsis elegisset duodecim, quos & Apostolos nominavit:

14 (*Nempe* Simonem, quem etiam nominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum & Johannem, Philippum & Bartholomæum,

15 Matthæum & Thomam, Jacobum Alphæi *filium*, & Simonem qui vocatur Zelotes,

16 Judam Jacobi *fratrem* & Judam Iscarioten, qui etiam fuit proditor:)

17 Et descendisset cum eis, substitit in loco campestri turbaq; discipulorum ejus, & multi-

[a] B. Christus adversus superstitiosos in minutissimis quibusq; hærentes ostendit, ne sabbathi quidem legẽ sine omni exceptione latam fuisse, nedũ ut in externa ejus observatione posita esset hominũ salus.

[1] *Mat.* 12.1. *Mar.* 2.23.

[b] Quum spicas vellerent discipuli, rectè annotat Epiph. in cõfutatione Ebionis, illud factum esse in festo Azymorũ. Quum autem in festis plurium dierum, ut in festo tabernaculorũ & Paschæ, primus & ultimus dies pari celebrandi essent ceremonia, Levit. 21. ultimus ille dies commodè vocatur à Luca, secundo primum sabbathum. at Theoph. putat intelligendum esse alterum post primũ alicujus festi.

[c] Ad verb. terendo comminuẽtes.

[2] 1. *Schem.* 21.6.

[3] *Exo.* 29.33. *Lev.* 8.31. & 24.9

[d] B. Charitas, omnium ceremoniarum regula.

[4] *Mat.* 12.9. *Mar.* 3.1.

[e] Qui non juvat proximum quum juvare potest, interficit.

[f] B. Christus nõ absq; ferventibus & longis precibus, duodecim contubernales, Apostolos futuros deligens, ostendit quanta religione In Ecclesiasticis electionibus sit opus.

[g] Ad verb. Et erat pernoctãs in oratione Dei.

[h] *Infr.* 9.1. *Mat.* 10.1. *Mar.* 3.13. & 6.7.

[h] Hoc ipsum fuit cujus gratia Christus per totã noctẽ in oratione perseveravit: electio nimirũ 12. apostolorũ.

tudo magna plebis ex tota Judæa & Hierusalē,
& à i maritima *regione* Tyri & Sidonis, qui ve-
nerant ut audirent eū, & sanarētur à morbis suis:
18 Et qui torquebantur à spiritibus impuris:
& sanabantur.
19 Et tota turba studebat eum tangere: quia
virtus ab eo prodibat, & sanabat omnes.
20 k g Ipse verò sublatis oculis suis in discipu-
los, dicebat, l Beati *estis* pauperes: quia vestrum
est regnum Dei.
21 g Beati qui nunc esuritis: quia saturabimi-
ni. g Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.
22 g Beati eritis quum vos oderint homines,
& m separaverint vos, & conviciati fuerint *vobis*,
& nomen vestrum ut malum ejecerint, propter
filium hominis.
23 Gaudete illo die, & n salite. Ecce enim,
merces vestra multa *est* in cælis: nam itidem fa-
ciebant Prophetis patres eorum.
24 g Sed væ vobis divitibus: nam o perceptum
habetis solatium vestrum.
25 g Væ vobis p qui impleti estis: nā esurietis.
Væ vobis q qui ridetis nūc: nā lugebitis & flebitis.
26 r Væ vobis quum benè vobis dixerint om-
nes homines: nam itidem faciebant pseudopro-
phetis patres eorum.
27 r s Sed vobis dico qui auditis: Diligite ini-
micos vestros: benefacite iis qui vos oderunt.
28 Benedicite iis qui devovent vos, & preca-
mini pro iis qui vobis infesti.
29 t Et qui tibi verberaverit maxillam, præbe
& alteram: t & ab eo qui tollit tibi pallium, eti-
am tunicam ne prohibito.
30 Cuivis autem petenti abs te da: & ab eo
qui tollit *res* tuas, ne repetito.
31 u Et prout vultis ut faciant vobis homi-
nes, vos etiam facite eis similiter.
32 x Quod si diligitis eos qui vos diligunt,
y quæ vobis erit gratia? nam & peccatores dili-
gunt eos à quibus diliguntur.
33 Et si benefeceritis iis qui vobis benefaci-
unt, quæ vobis erit gratia? nam & peccatores
idem faciunt.
34 z Et si mutuum dederitis iis à quibus spera-
tis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? nam
& peccatores peccatoribus dant mutuum, ut re-
cipiant paria.
35 Immò diligite inimicos vestros, & *iis* bene-
facite, & mutuum date, a nihil inde sperantes:
& erit merces vestra multa, b ac filii eritis illius
Altissimi: nam ipse x benignus est erga ingratos
& malos.
36 Estote ergo misericordes, prout & Pater
vester misericors est.
37 y z Ne judicate, & non judicabimini: ne
condemnate, & non condemnabimini: z absol-
vite, & absolvemini:
38 Date, & dabitur vobis, a mensuram *inquam*
bonam, a pressam, agitatam, & superfluentem
dabunt in sinum vestrum. Eadem enim mensura
qua metimini, contrametietur vobis.
39 b Dicebat autem eis parabolam, c Num
potest cæcus cæcum per viam ducere? nónne
ambo in foveam cadent?

Urischelem, & ex tractu maris Tzur & Tzaidan,
qui venerant ut audirent sermonem ejus, & ut
sanarentur ab infirmitatibus suis:
18 Et ii qui affligebantur à spiritibus impuris:
& sanabantur.
19 Et universa turba quærebant ut tangerent
eum: virtus enim exibat ab eo, & omnes eos sa-
nabat.
20 Et sustulit oculos suos in discipulos suos,
& dixit, Beati estis pauperes: quia vestrum est
regnum Dei.
21 Beati estis qui esuritis nunc: quia satura-
bimini. Beati estis qui fletis nunc, quia ridebitis.
22 Beati estis quum odio prosequuntur vos
filii hominis, & separant vos, & conviciantur vo-
bis, 8 & exire faciunt nomen vestrum tamquam
malorum, propter Filium hominis.
23 Gaudete in illo die & exsultate: quia mer-
ces vestra multa est in cælo. Sic enim faciebant
patres eorum prophetis.
24 Verumtamen væ vobis divitibus: quia ac-
cepistis consolationem vestram.
25 Væ vobis saturis: quia esurietis. Væ vobis
ridentibus nunc: quia flebitis & lugebitis.
26 Væ vobis quum dixerint de vobis filii ho-
minis quod bonum est. Sic enim faciebant pro-
phetis mendacibus patres eorum.
27 Vobis autem dico qui auditis, Diligite ini-
micos vestros, & facite quod bonum est iis qui
odio habent vos.
28 Et benedicite iis qui maledicunt vobis, &
orate pro iis qui ducunt vos in vincula.
29 Et ei qui percutit te super maxillam tuam,
præbe ei alteram. Et ab eo qui tollit pallium tu-
um, ne prohibeas etiam tunicam tuam.
30 Omni petenti abs te, da: & ab eo qui au-
fert quod tuum est, ne petas.
31 Et sicut vultis ut faciant vobis filii hominis,
similiter facite eis etiam vos.
32 Si enim diligitis eos qui diligunt vos, quæ
est gratia vestra? Etenim etiam peccatores dili-
gentes se diligunt.
33 Et, si facitis quod bonum est iis qui bene-
faciunt vobis, quæ est gratia vestra? etenim eti-
am peccatores sic faciunt.
34 Et, si commodatò datis ei à quo speratis
quòd reddetur vobis, quæ est gratia vestra? Ete-
nim etiam peccatores peccatoribus mutuò dant
ut similiter retribuatur eis.
35 Verumtamen diligite inimicos vestros, &
benefacite eis: & mutuò date, 9 & ne præscinda-
tis spem hominis. Et erit multa merces vestra, e-
ritisq; filii Excelsi, qui bonus est erga malos &
erga 10 ingratos.
36 11 Estote ergo misericordes, sicut etiam
Pater vester misericors est.
37 Ne judicetis, & non judicabimini: ne con-
demnetis, & non condemnabimini: absolvite, &
absolvemini.
38 Date, & dabitur vobis: mēsura bona & 12 spa-
tiosa & redundante projicient in sinum vestrum.
Qua enim mensura metimini, mēsuratur vobis.
39 Et dicebat eis parabolā, Nunquid potest cę-
cus cæcū ducere? nónne ambo in foveā cadunt?

i A toto illo tractu maris qui Syrophœnicia dicitur.
k B. Christus adversus omnes philosophos, ac præsertim Epicureos, docet summum bonū nusquā hîc in terris, sed in cælis esse repositum, afflictiones verò propter justitiā, iter illud esse quo ad id pervenitur.
g Mat.5.3.
l i. beati estis vos pauperes. Est enim in tota oratione forma compellationis.
g Esa.65.13.
g Esa.61.3. & 7.
g Mat.5.11.
m E Synagoga ejecerint, ut explicatur Joha.16.2. Quæ quidem pœna in Ecclesia est gravissima, si modò censores judicio legitimo, & ex verbo Dei judicent.
n Præ gaudii abundantia, ut solent lascivientes pecudes. Hæc autem sententia piis omnibus, præcipuè verò electis Christi ministris maximam consolationem adferre debet.
g Amos 6.1. Eccl.31.8.
o Id est, quicquid boni unquam vobis accidere potest, id totum jam ex vestris opibus consequimini, itaque non est quod aliam speretis mercedem, Matt.6.2.
g Esa.65.13.
p Eodem sensu repletis ac plenis maledicit, quo divitibus: nempe quia inflati præsentium bonorū fiducia, quicquid est cælestium bonorum respuunt.
q Hîc ridere intelligit eos qui Epicureæ lætitiæ dediti, & in carnis voluptatibus demersi, quicquid molestiæ pro tuenda Dei gloria subeundum foret refugiunt. hîc locus aliàs consentit cū Eccles.3.4.

8 i. Infamant nomen vestrum tāquam sceleratū.
9 Tàm activè quàm passivè exponi potest: Vel, Ne, de remuneratione desperantes, benefaciendi studium abjiciatis. Vel, Ne miseros vestra crudelitate in desperationem abjiciatis.
F. Sic enim videtur legisse Syrus, μηδὲν ἀπελπίζοντες; & transitiva in alium significatione (ut vocant) τὸ ἀπελπίζειν accepisse, ut accipitur tertia apud Hebræos & Syros conjugatio. Hominis autem, i. ullius vel cujusqnam, ex Hebræorum usu, q.d. ne in vestros quidem inimicos estote duri, sed efficite ut de vobis omnia sibi officia spondeant.
10 Ad verb. Negantes: qua ratione ingratos vocāt Galli *mescongnoissans*. Cæterùm solēt Hebræi hoc nomine notare impios & ἀθέους.
11 Videtur hinc γνώμη sumta in Talmud Jerosolymitano in ברכות i. tractatu De benedictionibus, cap.5. ubi sic scribitur,
כמא דאנא רחמן
בשמיא כן תהוון
רחמנין בארעא
Id est, Sicut misericors sum in cælis, sic misericordes estote in terra.
12 F. vel tusa (quod hac voce propriè significatur) i. pressa, ut Græcè πεπιεσμένον dixit Lucas.

o Pertinet hoc postremum væ, ad corrigendam ambitionem. r B. Charitas christiana plurimùm à mundana dissidens, non modò non vindicat injurias, sed etiam hostes vel acerbissimos complectitur, idque propter Patrem cælestem, nedum ut suam in benefaciendo utilitatem quærat. s Matth.5.44. t Matth.5.39. & 1.Cor.6.7. u Matth.7.12. Tob.4.10. x Matth.5.46. y Quid est in hoc opere vestro quod gratum esse possit? Nam si in amando spectatis vestra commoda, ea quærite commoda, quæ verè sunt commoda, diligite igitur vestros inimicos, sic ostendetis vos ea expectare commoda, quæ à Deo proficiscuntur. z Mat. 5.42. Deuteron.15.8. a Quum mutuum dabitis, solo benefaciendi affectu sitis impulsi, non quia speratis vos posteà recepturos sortem. b Matth.5.45. x Id est, Facilem sui præbet usum. y B. Fraternas reprehensiones nec curiosas, nec morosas, nec malignas, sed justas, moderatas & amicas esse oportet. z Matth.7.1. z Quum hoc loco non agatur de politicis judiciis, constat absolvendi verbo intelligi bonitatem illam qua Christiani utuntur in ferendis & condonandis injuriis. a Matth.7.2. Mar.4.24. a Hæc epitheta sumpta sunt ab iis qui liberaliter res aridas metiuntur, qui solent illud quod admetiuntur succutere, comprimere, & cumulare. b B. Imperiti reprehensores, & se & alios perdunt: quia qualis magister, talis & discipulus. c Matt.15.14.

40 Non est discipulus qui sit major quàm dominus ejus. quisquis autem est perfectus, erit sicut dominus suus.

41 Quid enim aspicis festucam quæ est in oculo fratris tui, trabs autem quæ est in oculo tuo, non conspicitur tibi?

42 Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater mi, sine ejiciam festucam ab oculo tuo, quum ecce, trabs quæ est in oculo tuo non conspicitur tibi? [13] Accipiens vultum, ejice prius trabem ab oculo tuo, & tunc [14] conspicietur à te ad ejiciendum festucam ab obulo fratris tui.

43 Nō est arbor bona quæ faciat fructus malos, neq; arbor mala quæ faciat fructus bonos.

44 Omnis enim arbor à fructibus suis cognoscitur. [15] Nunquid enim colligunt ex spinis ficus? Neque etiam ex rubo vindemiant uvas.

45 Homo bonus ex thesauris bonis qui sunt in corde suo, profert bona: & homo malus ex thesauris malis qui sunt in corde suo, profert mala. ex abundantiis enim cordis loquuntur labia.

46 Quid vocatis me Domine mi, Domine mi: & id quod dico non facitis?

47 Omnis homo qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit.

48 Similis est homini qui ædificavit domum, & fodit, & profundè excavavit, & posuit fundamenta super rupem: quum autem facta est [16] plenitudo *aquarum*, illisa est plenitudo *aquarum* domui illi, & non potuit commovere eam: positum enim erat fundamentum ejus super rupem.

49 Et is qui audit, & non facit, similis est homini qui ædificavit domum suam super pulverem absque fundamento: & quum illideretur ei flumen, eadem hora cecidit, & facta est ruina ejus domus magna.

[13] i. Hypocrita. Vide de hac voce annotationes in Matth. 6. 2.

[14] F. i. visus tuus erit comparatus ad hoc opus, διαβλέψεις.

[15] F. Syrè, ad verbum, cur vel quando. Etsi suspicor literam Mem irrepsisse, & ita legi in Syro oportere, לא נגיר non enim de spinis, &c. ἀνεμπτώντως: ut in contextu Græco.

[16] i. Inundatio. Hebraismus.

40 [g] Non est discipulus supra magistrum suum: sed quisquis *erit* [c] perfectus *discipulus*, erit ut magister.

41 [d] [h] Quid autem aspicis festucam quæ *est* in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo, non animadvertis?

42 Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine ejiciam festucam quæ in oculo tuo est: quum ipse trabem quæ est in oculo tuo non respicias? Hypocrita, ejice primùm trabem illam ex oculo tuo: & tum dispicies ut ejicias festucam quæ est in oculo fratris tui.

43 [e] [g] Non est arbor bona quæ ferat fructum malum, neque arbor mala quæ ferat fructum bonum.

44 [g] Unaquæq; enim arbor ex fructu suo cognoscitur. [g] Neque enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant uvam.

45 Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. ex abundantia enim cordis loquitur os ejus.

46 [g] Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico?

47 [f] Quisquis venit ad me, & audit sermones meos, & eos præstat, indicabo vobis cui similis sit.

48 Similis est cuipiam ædificanti domum, qui fodit & excavavit, posuitq; fundamenta super petram. Ubi autem venit inundatio, illisum est flumen domui illi, sed non potuit eam quatere: fundata enim erat super petram.

49 Qui autem *meos sermones* audivit, nec præstitit, similis est cuipiam qui ædificavit domum suam super solum absque fundamento: cui illisum est flumen: itaque statim cecidit, fuitq; ruina domus illius magna.

[g] *Matt.* 10. 24. *Joh.* 13. 16. & 15. 20.

[c] Similitudo significatur, non æqualitas. Dicuntur autem ista omnia præcipuè in scribarum inscitiam cum insigni fastu conjunctam: qua de re vide Roman. 2. 17.

[d] B. Hypocritæ, severissimi aliorū reprehensores, in aliis perspicacissimi, in seipsis cæci.

[g] *Mat.* 7. 3.

[e] B. Bonus est non quisquis novit alios carpere: sed qui integritatem tum verbis tum factis probat.

[g] *Matth.* 7. 17.

[g] *Mar.* 12. 33.

[g] *Matth.* 7. 16.

[g] *Matth.* 7. 21. *Rom.* 2. 13. *Jac.* 1. 22.

[f] B. veram pietatem à ficta tandem discernit tentatio.

CAPUT VII.

1 *De servo centurionis.* 9 *Fides centurionis.* 11 *Filius viduæ suscitatur in Nain.* 18 *Johannes mittit discipulos suos ad Christum.* 33 *Ejusdem peculiaris victus ratio.* 37 *Peccatrix rigat pedes Jesu.*

ET quum complevisset sermones omnes ad auditum populi, ingressus est Jeschua in Kephar-Nachum.

2 Servus autem centurionis cujusdam afficiebatur malè, qui charus erat ei, & [1] propinquus erat ad moriendum.

3 Et audivit de Jeschua: misitq; ad eum seniores Judæorum, & petebat ab eo ut veniens [2] servaret servum suum.

4 Illi autem quum venissent ad Jeschuā, petebant ab eo solicitè, & dicebant, Dignus est ut facias ei hoc.

5 Diligit enim populum nostrum, & etiam domum synagogæ ipse ædificavit nobis.

6 Jeschua autem ibat cum eis. Quum verò non multùm longinquus esset à domo ejus, misit ad eum Centurio amicos suos & dixit ei, Domine mi, ne fatigeris: non enim dignus sum ut ingrediaris sub tectum meum.

7 Propterea [3] non dignus fui ut ad te venirem: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

8 Etenim ego quoque homo sum qui subjectus sum sub potestate: sumtq; sub manibus meis milites, & dico huic, Proficiscere: & proficiscitur. & alteri, Veni: & venit. & servo meo, Fac hoc: & facit.

9 Quum audivisset autem Jeschua hæc, miratus est eum: & conversus est, & dixit turbæ quæ [4] veniebat post se, Dico vobis quòd ne in domo Jisrajel quidem inveni fidem sicut hæc.

[1] Hebraicè קריב למות, id est, Proximus morti.

[2] Vivificaret, Hebraismus. F. id autem est, in vita servaret: ut Matth. 18. 11.

[3] i. non sum arbitratus me dignum esse.

[4] i. Sequebatur eum. Hebraism.

QUum [g] [a] autem finivisset omnia verba sua audiente populo, ingressus est Capernaumum.

2 Centurionis verò cujusdam servus malè affectus moribundus erat, qui erat ipsi [b] pretiosus.

3 *Is* verò quum audivisset de Jesu, misit ad eum Seniores Judæorum, rogans eum ut veniret & servaret servum suum.

4 Isti autem quum venissent ad Jesum, precati sunt eum studiosè, dicentes, certè dignus est cui hoc præbeas.

5 Diligit enim gentem nostram, & [c] synagogam ædificavit nobis.

6 Jesus ergo ibat cum eis. Et quum jam non longè abesset ab illa domo, misit ad eum Centurio ille amicos, [d] dicens ei, Domine, ne vexator: nec enim sum dignus ut tectum meum subeas.

7 Ideo ne me ipsum quidem sum dignum arbitratus qui venirem ad te: sed [e] dic verbo, & sanabitur puer meus.

8 Etenim ego homo sum sub [f] potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alteri, Veni, & venit: & servo meo, Fac hoc, ac facit.

9 Auditis autem his, Jesus admiratus est eum: & conversus dixit turbæ quæ ipsum sequebatur, Dico vobis, ne in Israële quidem tantam fidem inveni.

[g] *Matth.* 8. 5.

[a] B. Admonet Judæos Christus proposito Centurionis exemplo, se contumacia ipsorum offensum, parare transitum ad Gentes.

[b] Quem multi faciebat. His autem verbis significat Lucas non fuisse vulgare mancipium, sed servum fidelem & raris dotibus ornatum.

[c] Ædes congregationis nostræ ipse curavit ædificandas. Commendatur autem hic centurio à Judæis pietatis nomine. Quod notandum est.

[d] i. qui ei suo nomine dicerent.

[e] i. Solo verbo jube. Nota verò magnam & incomparabilem fidem describi.

[f] A minore ad majus ductum argumentum. Vide Matth. 8. 9.

8 a. Chriſtus palam ſuũ in mortẽ imperium aſſerit.
h Jeſus.
i Nain perhibetur nomen oppidi in Galilæa, quæ ſita fuerit ad alterum rivum Cyſonis influentis in mare Galilææ.
k Ex more, non Judæorum tantũ ſed Gẽtium, apud quos publica ſepultura non intra ſed extra urbes habebatur, in loco amœno & decoro. Unde & Chriſtus extra civitatem Jeruſalẽ, in horto ſepultus eſt.
l Vide humanitatem civiũ urbis erga viduam.
m Hac voce teſtatur quàm verè doceat Paulus, Deum vocare ea quæ non ſunt, tãquam ſint, Rom. 4.17. Porrò quũ in omnibus Chriſti miraculis tenenda ſit analogia, quam Matthæus docet cap. 8.17. ſciamus juvenem hunc, quẽ Chriſtus à morte ſuſcitavit, ſpecimẽ eſſe ſpiritualis vitæ, quam nobis reſtituit.
n B. Johannes è carcere incredulos ſuos diſcipulos ad Chriſtum ipſum confirmãdos ablegat.
ll Matth. 11.2.
o Quà ſcilicet venẽre diſcipuli Johãnis ad Chriſtũ.
p B. Quod procul oſtenderunt Prophetæ, proximum indicavit Johãnes: ipſe autẽ Chriſtus quotidie in Evãgelio exhibet, idq; plerũq; fruſtrà, plurimis vel prorſus futilia vel inanẽ ſplendorem quærentibus.
q Johannes duplici diſcrimine omnes Prophetas ſuperat, 1. quòd Chriſtũ in carne vidit, & digito monſtravit, Ecce Agnus Dei: 2. quia primus exhibitæ gratiæ præco fuit.
ll Malac. 3.1.
r Deum juſtum, bonum, fidelem, & miſericordem prædicârunt.
ſ i. Suo maximo damno.
ll Matth. 11.16.
t B. Quamcunq; rationem Deus offerendo nobis Evangelio ſequatur, plerique homines ſibiipſis offendicula objiciunt: ſed nihilominus aliqua colligitur Eccleſia.

10 Et domum reverſi qui miſſi fuerant, ſanum invenerunt ſervum qui ægrotus fuerat.

11 g Et factum eſt *die* ſequenti ut h proficiſceretur in civitatem quæ vocatur i Nain: proficiſcebantur autem cum eo diſcipuli ejus multi, turbaq; multa.

12 Ut autem appropinquavit portæ civitatis, tum ecce, defunctus k efferebatur, *qui* unigenitus *fuerat* matri ſuæ, & ipſi *quidem* viduæ: l turbaq; civitatis multa erat cum ea.

13 Dominus verò ipſam intuitus, intima miſericordia cõmotus eſt ſuper ea, & dixit, Ne fleto.

14 Quumq; acceſſiſſet, tetigit loculum: (ii verò qui portabant, ſubſtiterunt) & dixit, Adoleſcens, tibi dico, m Surge.

15 Tunc reſedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui: & *ille* dedit eum matri ſuæ.

16 Cepit autem omnes timor: & glorificabant Deum, dicentes, Certè Propheta magnus ſuſcitatus eſt inter nos, &, Certè Deus reſpexit populum ſuum.

17 Pervenitq; iſte de eo ſermo in totam Judæam, & in totam regionem circumjacentem.

18 n ll Et annunciârunt Johanni diſcipuli ipſius de his omnibus. qui advocatos duos quoſdam è diſcipulis ſuis,

19 Miſit ad Jeſum, dicens, Tú*ne* is es qui venturus erat, an alium exſpectabimus?

20 Quum igitur veniſſent ad eum viri illi, dixerunt, Johannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens, Tú*ne* is es qui venturus erat, an alium exſpectabimus?

21 o Eadem autem hora multos ſanavit à morbis & flagellis & ſpiritibus malis: & cæcis multis viſum gratificatus eſt.

22 Et reſpondens Jeſus dixit eis, Profecti annunciate Johanni quæ vidiſtis & audiſtis: cæcos viſum recipere, claudos ambulare, leproſos purgari, ſurdos audire, mortuos ſuſcitari, pauperibus evangelizari.

23 Beatus eſt autem quicumque non fuerit offenſus in me.

24 p Et quum abiiſſent nuncii Johannis, cœpit de Johanne dicere ad turbam, Quid exiſtis in deſertum ſpectaturi? arundinem quæ à vento agitetur?

25 Sed quid exiſtis viſuri? hominem mollibus veſtibus amictum? ecce, qui veſtitu magnifico utuntur & in luxu verſantur, ſunt in palatiis regiis.

26 Sed quid exiſtis viſuri? Prophetam? q certè dico vobis, etiam amplius quàm prophetam.

27 Hic eſt de quo ſcriptum eſt, ll Ecce, mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te.

28 Nam dico vobis, inter genitos ex mulieribus, nullus eſt major Propheta Johãne Baptiſta: ſed qui minimus eſt in regno Dei, major eſt eo.

29 Et *eo* audito, totus populus & publicani r juſtificârunt Deum, baptizati baptiſmo Johannis.

30 Phariſæi verò & Legis interpretes aſpernati ſunt ſ adverſus ſemetipſos conſilium Dei, non baptizati ab eo.

31 ll t Dixit præterea Dominus, Cui ergo aſſimilabo homines nationis iſtius? & cui rei ſimiles ſunt?

32 Similes ſunt puerulis ſedentibus in foro, & qui acclamant alii aliis, & dicunt, Cecinimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis, & non fleviſtis.

33 Venit

10 Et reverſi ſunt ii qui miſſi fuerant in domum, & invenerunt ſervum illum qui ægrotus fuerat, ſanum.

11 Et factum eſt 5 die qui eſt poſt eum, proficiſcebatur in civitatem cujus nomen eſt Nain: & diſcipuli ejus cum eo, ac turba multa.

12 Et quum appropinquaſſet ad portam civitatis, vidit deducentes mortuum qui unicus erat matri ſuæ: & ipſa mater ejus vidua erat, & turba multa 6 filiorum civitatis cum ea.

13 Vidit autem eam Jeſchua, & miſertus eſt ejus, ac dixit ei, Ne fleas.

14 Et accedens tetigit lectum: (& ii qui ferebant eum, ſteterunt) & dixit, Adoleſcens tibi dico ſurge.

15 Et ſedit ille mortuus, ac cœpit loqui: deditq; eum matri ejus.

16 Et apprehendit timor homines illos omnes: ac glorificabant Deum, ac dicebant, Propheta magnus ſurrexit inter nos, 7 & viſitavit Deus populum ſuum.

17 Et egreſſus eſt de eo ſermo iſte in univerſam Judæam, & in omnem locum qui erat circa eos.

18 Et narraverunt Juchannan diſcipuli ejus hæc omnia.

19 Et vocavit Juchannan duos è diſcipulis ſuis, miſitq; eos ad Jeſchua, & dixit, Es tu ille qui venit, an alium exſpectemus?

20 Et venerunt ad Jeſchua, & dicunt ei, Juchannan Baptiſta miſit nos ad te, & dicit, Es tu ille qui 8 venit, an alium exſpectemus?

21 In ea autem ipſa hora multos ſanavit ab infirmitatibus, & à flagellis, & à ſpiritibus malis: & multis cæcis dabat ut viderent.

22 Et reſpondit Jeſchua, & dixit eis, Ite, dicite Juchannan quicquid vidiſtis & audiviſtis: quòd cæci vident, & claudi ambulant, & leproſi mundantur, & ſurdi audiunt, & mortui ſurgunt, & pauperes evangelizantur.

23 Et beatus ille qui non ſcandalizabitur in me.

24 Quum autem abiviſſent diſcipuli Juchannan, cœpit Jeſchua dicere turbis de Juchannan, Quid exiviſtis in deſertum ad videndum? Arundinem quæ à vento agitatur?

25 9 Et ſi non, quid exiviſtis ad videndum? hominem qui mollibus veſtibus veſtitur? ecce, qui in veſtibus laudabilibus & in deliciis ſunt, in domo regnum ſunt.

26 Et ſi non, quid exiviſtis ad videndum? Prophetam? etiam dico vobis, excellentiorem quoque quàm Prophetam.

27 Ipſe eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce, ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui diriget viam ante te.

28 Dico vobis quòd non eſt Propheta inter natos mulierum, qui major ſit quàm Juchannan Baptiſta: 10 minor autem in regno Dei, major eſt eo.

29 Et univerſus populus qui audiverunt, etiam publicani, juſtificaverunt Deum, qui baptizati fuerant baptiſmo Juchannan.

30 Phariſæi autem & Legiſperiti rejecerunt 11 contra ſeipſos voluntatem Dei, qui non baptizati ſunt ab eo.

31 Cui aſſimilabo igitur homines hujus generationis? Et cui ſimiles ſunt?

32 Similes ſunt pueris qui ſedent in foro, & acclamant ſodalibus ſuis, ac dicunt, Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: ululavimus vobis, & non fleviſtis.

33 Venit

5 Syriacè, ליומא דבתרה. Sic & Chaldæi Pro poſtero die.
6 i. Civium, Hebraiſmus.
7 Hebraica phraſis admodum frequens. Id eſt, Deus præſtitit populo ſuo quod pollicitus ei fuerat.
8 F. i. qui venturus eſt. vide Mat. 17.11. ſic ſequentia.
9 F. i. ſin minus, ut ſequente verſ.
10 F. μικρότερος, id eſt, minimus: Ἀττικῶς.
11 F. Syrè, apud animos ſuos, id eſt, apud ſeipſos. ſic ver. 39. & paſſim.

33 Venit enim Juchannan Baptista non comedens panem neque bibens vinum, & dicitis, Dæmonium est in eo.

34 Venit filius hominis comedens & bibens, & dicitis, Ecce homo edax & potor vini, & amicus publicanorum & peccatorum.

35 [12] Et justificata est sapientia [13] à filiis suis.

36 Veniens autem rogavit eum quidam ex Pharisæis, ut vesceretur cum ipso. Et ingressus in domum Pharisæi illius accubuit.

37 Et mulier peccatrix erat in civitate illa, & quum novisset quòd in domo Pharisæi accumberet, accepit alabastrum unguenti,

38 Et stetit post eum ad pedes ejus, & flebat: & cœpit lacrymis suis lavâre pedes ejus, & crinibus capitis sui extergebat eos: & osculabatur pedes ejus, & ungebat unguento.

39 Quum vidisset autem Pharisæus ille qui invitaverat eum, cogitavit apud se, & dixit, Hic, si propheta esset, nosset quæ sit hæc, & quæ fama ejus, nam peccatrix est mulier hæc quæ tangit eum.

40 Respondit autem Jeschua, & dixit ei, Schemeun, aliquid est mihi quod dicam tibi. Ait illi, Dic Domine mi. Dixit ei Jeschua,

41 Duo debitores erant [14] cuidam domino debiti: unus debebat ei [15] denarios quingentos, & alter denarios quinquaginta:

42 Et quia non erat eis ad restituendum, utrisque remisit. Quis igitur ex eis plus diliget eum?

43 Respondit Schemeun, & dixit, Existimo quòd is cui remissum est multum. Dixit ei Jeschua, Rectè judicasti.

44 Et conversus est ad illam mulierem: & dixit Schemeun, Vides mulierem hanc? in domum tuam ingressus sum: aquas pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis suis pedes meos lavit & capillis suis detersit eos.

45 Tu non osculatus es me: hæc autem, ecce, ex quo ingressa est, nō desiit pedes meos osculari.

46 Tu oleo caput meum non unxisti: hæc autem oleo aromatico pedes meos unxit.

47 Propter hoc dico tibi, Remissa sunt ei peccata ejus multa: quia dilexit multùm. Is autem cui paululum remissum est, paululùm dilexit.

48 Et dixit illi mulieri, Remissa sunt tibi peccata tua.

49 Cœperunt autem ii qui accumbebant, dicere apud se, Quis hic est qui etiam peccata remittit?

50 Jeschua autem dixit illi mulieri, Fides tua [16] servavit te: abi in pace.

[12] Id est, A suis cultoribus, ut in Syriaco Testamēto exprimitur Mat. 11.19. ubi vide quæ annotata sunt.
[13] v. al, ab omnibus filiis suis, ut Græca verba sunt.
[14] Id est, Creditori, cujus est debitum.
[15] De valore denarii vide annotata in Mat. 18,28.
[16] Ad ver. Vivificavit te. Hebraism.

33 Venit enim Johannes Baptista, neq; edens panem, neque bibens vinum: & dicitis, Dæmonium habet.

34 Venit filius hominis edens ac bibens, & dicitis, Ecce homo edax & vini potor, amicus publicanorum ac peccatorum.

35 Sed justificata est sapientia à filiis suis omnibus.

36 [u] Rogavit autem eum quidam ex Pharisæis ut secum cibum caperet: itaque ingressus domum Pharisæi, discubuit.

37 Et ecce, mulier, quæ fuerat in urbe [x] peccatrix, quum cognovisset eum discubuisse in domo Pharisæi, allato alabastro unguenti:

38 [t] Et stans apud pedes ejus retro, [y] flens cœpit lacrymis rigare pedes ejus, & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

39 [z] Quum autem id vidisset Pharisæus qui vocaverat eum, dixit apud se, Hic si esset Propheta, nosset quæ & qualis sit ea mulier quæ tangit ipsum: quòd *videlicet* sit [a] peccatrix.

40 [b] Tunc respondens Jesus dixit ei, Simon, habeo quiddam quod tibi dicam. At ille ait, Magister, dic.

41 Duo debitores, *inquit Jesus*, erant cuidam creditori: unus debebat denarios quingentos, alter verò quinquaginta:

42 Quum autem illi non essent solvendo, gratificatus est utrisque. Horum igitur dic uter eum plus diliget?

43 Respondens verò Simon dixit, *Is* existimo cui plus gratificatus est. At ille dixit ei, Rectè judicasti.

44 Et conversus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? ingressus sum domum tuam, [c] aquam pedibus meis non dedisti: hęc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis sui extersit.

45 Osculū mihi non dedisti: hęc autē, ex quo ingressa est, nō intermisit deosculari pedes meos.

46 Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47 Cujus rei gratia, dico tibi, remissa esse peccata multa illa ipsius. [d] Nam dilexit multùm: cui autem paululum remittitur, paululùm diligit.

48 Dixit autem ei, Remissa sunt tibi peccata.

49 Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere apud se, Quis est hic qui etiam peccata remittit?

50 Dixit autem ad mulierem illam, Fides tua te servavit: [e] vade cum pace.

[u] B. Præsentis atque adeò vel domi suæ excepti Christi beneficiis homines superbi seipsos privant, quibus fruuntur humiles & abjecti.
[x] Non intelligit peccatricem eo modo quo omnes peccatores dicimus: plus enim hîc comprehenditur. nempè flagitiosæ & prostitutæ vitæ fuisse mulierem.
[t] *Mar.* 15.40. *Joh.* 11.2.
[y] Fletus ex tristitia manat, tristitia verò ex cognitione peccati, quæ cognitio est salutaris & perpetua pœnitentiæ comes.
[z] B. Temeritas superbiæ comes.
[a] Pharisæus respicit legem de eorum pollutione, qui alios pollutos contigissent.
[b] B. Diligere Christum, certum est ac perpetuum remissionis peccatorum testimonium.
[c] Non hæc loquitur Christus ut Simoni hospiti negligentiam exprobret: sed ut pharisaicum tumorem reprimat, utq; ostendat se non syncero & candido corde vocatum esse ab eo, quum non exhiberet illi ea quæ à Judæis exhiberi passim hospitibus solerent, ut videre licet ex Gen. 18.4. & 19.2. & Jud. 19.21.
[d] i. inquit Theoph. declaravit copiosè fidem suam. & Basil. in concione de Baptismate, Multum debenti, multum dimittitur, ut magis abundè ille diligat. Est itaque ex similitudine adeò manifesta Christi sententia, ut mirum sit gratię adversarios tam ineptè hunc locum ad stabillenda merita torquere. Is enim cui condonatur debitum majus, eo nomine magis diligit illum, qui istud beneficium in ipsum contulit. Et mulier hæc declarat officiis summi amoris, quantum beneficium accepisset: charitas itaque non ut caussa, sed ut signum accipi debet. Negat enim Christus illam, sicut Pharisæus judicabat, peccatricem esse: testatur autem illi vitæ prioris remissa fuisse peccata. [e] Benedictione confirmat beneficium collatum.

CAPUT VIII.

2 *Mulieres ministrantes Christo de facultatibus suis.* 4 *Parabola seminantis.* 16 *Lucerna.* 19 *Mater & fratres Christi.* 22 *Christus ventis imperat.* 26 *De dæmoniaco, à legione obsesso, sanato.* 37 *Geraseni Christum rejiciunt.* 41 *Jairi filia sanatur.* 43 *Mulier à fluxione sanguinis sanatur.* 52 *Fletus ob mortuos.*

ET factum est post hæc: circuibat Jeschua per civitates & pagos, & prædicabat ac evangelizabat regnum Dei: & duodecim ejus cum eo:

2 Et mulieres illæ quæ sanatæ fuerant ab infirmitatibus & à spiritibus malis, Mariam Magdalitha, ea à qua septem dæmonia exierant,

ET factum est deinceps, ipse iter faciebat oppidatim & vicatim, prædicans & evangelizans regnum Dei. & duodecim illi *erant* cum eo:

2 Et quædam mulieres quas sanaverat à spiritibus malis & morbis, Maria quæ vocabatur Magdalene, [f] ex qua septem dæmonia exierant,

[a] Quòd ab istis mulierculis vitæ necessaria accepit, seminans spiritualia, in seipso confirmavit quod suos docuit, operarium cibo suo dignum. quam doctrinam confirmat Paulus. 2. Cor. 9. 11. Rom. 15. 27.
‖ *Mat.* 13. 3. *Mar.* 4. 2.
b B. idem Evangelium ubivis seritur, at non pari fructu: idq; solo hominum vitio.
c Mysteria sunt res arcanæ, quas divulgare fas non est, dicta à verbo μύζω, quod, reprimo sonum, significat, & Latinis est mutire.
‖ *Esa.* 6. 9. *Mat.* 13. 14. *Mar.* 4. 12. *Ioh.* 12. 40. *Act.* 28. 26. *Rom.* 11. 8.
‖ *Mat.* 13. 18. *Mar.* 4. 15.
d Id est, simul atque audito verbo redierunt ad curanda sua negotia.
e Id est, Non ferunt fructum perfectum & absolutum, atque eo usque ut maturescat. Vel non perducunt ad finem.
f Quod non solùm videri, sed esse reipsa studeat, ut honestum ad externam vitam, bonum ad veras animi virtutes referatur.
g Non sine magno certamine, luctante scilicet adversus Spiritum Dei novum hospitem, Satana & carne.
h B. Quod quisq; privatim accipit, tenetur in communem usum depromere.
‖ *Inf.* 11. 33. *Mat.* 5. 15. *Marc.* 4. 21.
‖ *Inf.* 12. 2. *Matt.* 10. 26. *Mar.* 4. 22.
i B. Cælestia bona parsimonia amittuntur, liberalitate crescunt.
k Id est, quomodo affecti ad verbum audiendum accedatis, & eo audito quomodo vos geratis.
‖ *Mat.* 13. 12. & 25. 29. *Mar.* 4. 25. *Inf.* 19. 24. 26.

3 Et Johanna uxor Chuzæ procuratoris He-
rodis, & Susanna, & aliæ multæ [a] quæ ministra-
bant ei ex iis quæ sibi suppetebant.
4 ‖b Quum autem multa turba conveniret,
& qui in singulis urbibus erant proficiscerentur
ad eum, dixit per parabolam,
5 Quidam sator exiit ut sereret semen su-
um: & inter serendum aliud cecidit secundùm
viam, & conculcatum est, & volucres cæli devo-
rârunt illud:
6 Et aliud cecidit in petras, & enatum exa-
ruit, quia non habebat humorem:
7 Et aliud cecidit inter spinas: & simul ena-
tæ spinæ suffocârunt illud:
8 Et aliud cecidit in terram bonam: & quum
enatum esset, edidit fructum centuplum. Hæc di-
cens clamabat, Qui habet aures ad audiendum,
audiat.
9 Interrogabant autem eum discipuli ejus
dicentes quæ esset ista parabola.
10 Ipse verò dixit *eis*, Vobis datum est nosse
[c] mysteria regni Dei: reliquis autem per parabo-
las *loquor*, ut ‖videntes non videant, & audien-
tes non intelligant.
11 ‖ Est autem hæc parabola: Semen illud, est
sermo Dei:
12 Qui autem secundùm viam *semen excipi-
unt*, ii sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, &
tollit sermonem è corde eorum, ne, postquam
crediderint, serventur.
13 Qui verò in petram, *ii sunt* qui quum audi-
erunt, cum gaudio excipiunt sermonem: sed isti
radices non habent, qui ad tempus credunt, &
tempore tentationis abscedunt.
14 Quod autem in spinas cecidit, ii sunt qui
audierunt: sed [d] profecti, à solicitudinibus & di-
vitiis ac voluptatibus vitæ suffocantur, nec fructus
[e] perferunt.
15 Quod autem in bonam terram *cecidit*, ii
sunt qui in corde [f] honesto ac bono auditum ser-
monem [g] retinent, & fructum adferunt per to-
lerantiam.
16 [h] ‖ Nemo porrò qui lucernam accende-
rit operit eam vase, aut subter lectum ponit: sed
candelabro imponit, ut qui ingrediuntur videant
lumen.
17 ‖ Non est enim *quicquam* occultum quod
non sit futurum manifestum: nec absconditum,
quod non sit futurum ut cognoscatur, & veniat
in apertum.
18 [i] Videte ergo [k] quomodo audiatis: ‖ quis-
quis enim habet, dabitur ei: & quicumque non
habet, etiam [l] quod videtur habere, tolletur ab eo.
19 [m] ‖ Venerunt autem ad eum mater & fra-
tres ejus, & non poterant eum convenire prop-
ter turbam.
20 Et annunciatum est ei, dicentibus *nonnul-
lis*, Mater tua & fratres tui adstant foris, cupien-
tes te videre.
21 Ipse verò respondens dixit eis, Mater mea,
& fratres mei, ii sunt qui sermonem Dei audiunt,
& eum præstant.
22 [n] ‖ Factum est autem quodam die, ut ipse
ingrederetur in navigium, ac discipuli ejus: & di-
ceret eis, Transeamus in ulteriorem ripam lacus.
Provecti sunt igitur.
23 Navigantibus autem eis [o] sopitus est: &

3 Et Juchan uxor Kuzæ curatoris familiæ
Hiraudis, & Schuschan, & aliæ multæ quæ mini-
strabant eis de facultatibus suis.
4 Et quum multa turba congregata esset, &
ex omnibus civitatibus venirent ad eum, dixit
per parabolas;
5 Egressus est seminator ad seminandum
semen suum: & quum seminaret, fuit quod cade-
ret juxta viam, & conculcatum est, & comede-
runt ipsum aves.
6 Et aliud cecidit super petram, & protinus
crevit: & quia non erat ei humor, exaruit.
7 Et aliud cecidit [1] in locum spinarum: & creverunt cum eo spinæ, & suffocaverunt il-
lud.
8 Et aliud cecidit in terram bonam & fœ-
cundam: & crevit, & fecit fructum [2] unum in
centum. Hæc quum diceret, clamabat ut is cui
essent aures ad audiendum, audiret.
9 Et interrogaverunt eum discipuli ejus que-
nam esset parabola hæc.
10 Ipse verò dixit eis, Vobis enim datum est
nosse [3] mysterium regni Dei: his autem qui re-
liqui sunt, per ænigmata dicitur, ut videntes non
videant, & audientes non intelligant.
11 Hæc autem est parabola: Semen est sermo
Dei.
12 Ii autem qui juxta viam, sunt ii qui audiunt
sermonem: & veniens inimicus, aufert sermo-
nem è corde eorum, ut non credant, [4] & ser-
ventur.
13 Qui autem super petram, ii sunt qui quum
audierunt, cum gaudio excipiunt ipsum sermo-
nem, & radix non est eis, sed temporaria est
fides eorum, & in tempore tentationis scanda-
lizantur.
14 Illud verò quod cecidit in loco spinarum, ii
sunt qui audiunt sermonem, & per solicitudi-
nem, & per divitias, & concupiscentias hujus se-
culi, suffocantur, & fructus non reddunt.
15 Id autem quod in terram bonam, ii sunt
qui corde demisso & bono audiunt sermonem,
& retinent: & dant fructus per patientiam.
16 Nemo lucere facit lucernam, & operit e-
am vase, aut ponit eam subter lectum: sed ponit
eam super candelabrum, ut omnis qui ingredi-
tur, videat lumen ejus.
17 Non est enim quicquam quod occultum
est, quod non sit manifestandum: neque *quicquam
est* quod sit in abscondito, quod non cognoscen-
dum sit, & venturum in manifestum.
18 Videte qui audiatis. ei enim cui est, dabi-
tur: & ab eo cui non est, etiam id quod putat
quod est sibi, auferetur.
19 Venerunt autem ad eum mater ejus & fra-
tres ejus, neque poterant loqui cum eo propter
turbam.
20 Et dixerunt ei, Mater tua & fratres tui
stant foris, & cupiunt videre te.
21 Ipse verò respondit, & dixit eis, Hi sunt
[5] mater & fratres mei, qui audiunt sermonem
Dei, & faciunt eum.
22 Factum est autem [6] in uno ex diebus, ascen-
dens Jeschua sedit in navigio ipse & discipuli e-
jus, & dixit eis, Transeamus [7] in illud littus op-
positum maris.
23 Et quum remigarent, obdormivit Jeschua:

[1] F. vel inter spinas: ut vers. 14.
[2] Id est, Unum auctum in centum, vide in fine Mat. 19.
[3] F. vel mysteria arcana: ut in libris nostris legitur.
[4] Ad verb. Et vivant. Hebraism.
[5] F. al. mater mea.
[6] Id est, Quodam die, Hebraismus.
[7] Ad verb. Ad illum transitum, Hebraismus.

l Sub. sibi, vel aliis, vel utrisque. Hoc enim hominum genere nihil superbius, si quod celant videas, nil etiam magis ad incautos fallendos accommodatum. m B. Nulla est tam arcta sanguinis inter homines conjunctio quàm est Christi & eorum qui vera fide eum amplectuntur. ‖ *Matt.* 12. 46. *Mar.* 3. 31. n B. Expedit interdum nos veluti à Christo neglectos, in extrema discrimina venire, ut & ipsius potentiæ & nostræ imbecillitatis eò certiùs experimentum habeamus. ‖ *Matt.* 8. 23. *Mar.* 4. 36. o Sub. Iesus. profundissimum autem fuisse hunc soporem, indicavit geminata illa reclamatio discipulorum in ipso excitando.

descendit   & facta

& facta est procella venti in mare, & proximum erat navigium ut mergeretur.

24 Et accedentes excitaverunt eum, & dixerunt ei, Domine noster, Domine noster, perimus. Ipse verò surrexit, & repressit ventos & tempestates aquarum, & quieverunt, & facta est tranquillitas.

25 Et ait eis, Ubi est fides vestra? Ipsi autem timentes mirabantur, & dicebant [8] unus alteri, Quisnam est iste qui etiam ventis imperat & tempestatibus & mari, & obediunt ei?

[8] Ad ver. Unus ad unum. Hebraismus.

26 Et remigaverunt, & venerunt in [9] locum Gadaræorum, qui est in opposito littore è regione Galilææ.

[9] v. i. in regionẽ Gadaræorum.

27 Et quum esset egressus in terram, occurrit ei homo quidam ex urbe, in quo erat dæmonium à tempore multo: & vestimentis non erat indutus, & in domo non habitabat, sed in [10] loco sepulcrorum.

[10] v. i. sepulcreto per monumenta ejus.

28 Quum vidisset autem Jeschua, exclamavit, & procidit ante eum, & voce elata dixit, [11] Quid nobis & tibi Jeschua fili Dei excelsi? peto ego abs te ne torqueas me.

[11] v. vide in Matt. 8.29.

29 Præcipiebat enim illi spiritui impuro Jeschua ut exiret à filio hominis. multum enim fuerat illi tempus inde ex quo captivum habebat eum: & vinciebatur catenis, ac compedibus custodiebatur: rumpebatq; vincula sua, & ducebatur à dæmone in desertum.

30 Interrogavit autem illum Jeschua, Quod est nomen tuum? Dixit ei, Legio, quia dæmonia multa ingressa fuerant in eum.

31 Et petebant ab eo ne imperaret eis abire in abyssum.

32 Erat autẽ ibi grex porcorum multorũ qui pascebant in monte: & petebãt ab eo ut permitteret ipsis ut in porcos ingrederẽtur. Et permisit eis.

33 Et egressa sunt dæmonia ab homine, ingressaq; sunt in porcos. Et [12] direxit se grex ille universus ad rupem, & corruerunt in mare, & suffocati sunt.

[12] v. i. rectà contendit impetu uno ad rupem.

34 Quum vidissent autem pastores id quod factum erat, fugerunt: & renunciaverunt in civitates & in agros.

35 Et exiverunt homines ut viderent quid factum fuerat: & venerunt ad Jeschua, & invenerunt hominem illum cujus dæmonia exierant, vestitum & [13] modestum, ac sedentem ad pedes Jeschua: & timuerunt.

[13] v. vel modestè & verecundè agentem, σωφρονοῦντα. Opponitur enim hoc membrum illi quo antè usus est in ver. 27. virum hunc vestibus non fuisse indutum, sed sine verecundia huc illuc nudum oberrasse.

36 Et renunciaverunt ipsis ii qui viderant, quomodo sanatus esset homo ille dæmoniacus.

37 Et petebat ab eo universa turba Gadaræorum ut [14] abiret ab ipsis: quia timor magnus apprehenderat eos. Ipse autem Jeschua ascendit in navigium, & divertit ab eis.

[14] v. Syrè, abiret sibi. vide in Matt. 4.10.

38 Ille autem homo à quo egressa fuerant dæmonia, petebat ab eo ut apud eum esset: & dimisit eum Jeschua, & dixit ei,

39 Revertere in domum tuam, & renuncia id quod fecit tibi Deus. Et abiit; ac prædicabat per totam civitatem id quod fecisset sibi Jeschua.

40 Quum reversus autem esset Jeschua, excepit eum turba multa. Omnes enim [15] in eum intenti fuerant.

[15] i. Summo desiderio exspectaverant eum.

41 Et homo quidam, cujus nomen erat Juarasch, princeps synagogæ, procidit ante pedes Jeschua: & petebat ab eo ut ingrederetur domum suam:

42 Filia enim unica erat ei quasi annos nata duodecim, & proxima erat ut moreretur. (Et quum abiret cum eo ipse Jeschua, turba multa premebat eum.

43 Mulier

descendit turbo venti in lacum: & [p] complebantur ac periclitabantur.

[p] Catachresis est. non enim discipuli, sed navis complebatur.

24 Accedentes autem expergefecerunt eum, dicentes, Magister, magister, perimus. Ipse verò experrectus objurgavit ventum ac fluctuationem aquæ: & cessaverunt, factaq; est tranquillitas.

25 Dixit autem eis, Ubi est fides vestra? Timentes autem mirati sunt, dicentes alii ad alios, Quisnam iste est, ut ventis quoque & aquæ imperet, & auscultent ei?

[a] Mat. 8.28. Mar. 5.1.

26 [a] Et navigârunt in regionem Gadarenorum, quæ est in opposita ripa Galilææ.

27 [q] Ipsi autem egresso in terram, occurrit ex urbe vir quidam qui habebat dæmonia à temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in *ulla* domo manebat, sed in monumentis.

[q] B. Christus solis verbis profligans dæmoniorum legionem, divinam suam virtutem ostendit hominibus à diaboli servitute liberandis destinatam: sed tantam hanc ultrò oblatam gratiam stolidi homines pleriq; ne levissima quidem rerum suarum jactura redemerint.

28 *Is* ergo quum vidisset Jesum, & exclamasset, accidit ei *ad pedes*, & voce magna dixit, Quid mihi tecum Jesu Fili Dei altissimi? rogo te ne me torqueas.

29 Præcipiebat enim illi spiritui impuro ut exiret ab eo homine. nam à multo tempore corripuerat eum: itaq; vinctus *ille* catenis & pedicis, custodiebatur: sed diruptis vinculis [r] agitabatur à dæmone in deserta.

[r] i. Cum impetu impellebatur, ut eques calcaribus equum agitat.

30 Interrogavit autem eum Jesus, dicens, Quod tibi nomen est? Ipse verò dixit, Legio. Nam dæmonia multa ingressa erant in eum.

31 Et rogabant eum ne imperaret sibi ut abirent in [s] abyssum.

[s] Abyssus, est immensæ profunditatis vorago, quasi absque fundo. Eum ipsum autem locum intelligit quem infrà 16.23. ᾅδην vocat, in quo nimirum dæmones constricti tenentur caliginis tenebris, 2. Pet. 2.4 quod ne profani quidem scriptores ignorârunt. Sed videndum est ut in istis sobriè sapiamus ex Dei verbo, ne pro veritate aniles fabulas substituamus quales multas Gregorius ille in suis dialogis commemorat.

32 Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum *dæmonia* ut sibi permitteret in illos ingredi. Et permisit eis.

33 Egressa autem dæmonia ex eo homine, ingressa sunt in porcos: & grex ille ruit è præcipitio in lacum: & suffocatus est.

34 Quum autem pastores vidissent quod factum fuerat, fugerunt: & profecti annunciârunt in urbem & in agros.

35 Exierunt igitur ut viderent quod factum erat: veneruntq; ad Jesum, & invenerunt hominem illum à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sanæ mentis, sedentem ad pedes Jesu & timuerunt.

36 Annunciaverunt autem ipsis etiam ii qui viderant, quomodo liberatus fuisset qui fuerat dæmoniacus.

37 Et rogavit eum tota multitudo circumjacentis regionis Gadarenorum ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur: ipse autem ingressus navigium reversus est.

38 Rogavit autem eum vir ille à quo dæmonia exierant, ut [t] esset cum eo: sed dimisit eum Jesus, dicens,

[t] i. Ut liceret apud eum esse, sive cum ipso versari.

39 Revertere domum tuam, & narra quanta tibi præstiterit Deus. Abiit igitur prædicans [u] per totam urbem quanta sibi præstitisset Jesus.

[u] Urbem, scilicet Gadarenorũ. Nec adversatur quod Marcus istum in Decapoli prædicasse dicit, nam Gadara à Plinio, lib. 5. cap. 18. inter Decapolis oppida recensetur. Fuit itaq; Decapolis partim cis Jordanem, partim trans Jordanem sita.

40 Factum est autem ut quum revertisset Jesus, [x] exceperit eum turba: nam omnes exspectabant eum.

[x] i. Reditus ejus gratus acceptusq; fuit multitudini.

41 [y] [b] Et ecce, venit quidam cui nomen Jairus, qui erat præfectus synagogæ: & accidens ad pedes Jesu, rogabat eum ut ingrederetur domum suam.

[y] B. Christus duplici miraculo se & vitæ & mortis dominum esse testatur.

[b] Mat. 9.18. Mar. 5.22.

42 Quoniam erat ei unigenita filia quasi annorum duodecim, eaq; [z] moriebatur. Inter eundum verò turba coarctabat eum.

[z] Vel, mortua erat, ut intelligamus jam tum puellam exspirasse, licet id nondum sciret pater, qui reliquerat eam agentem animam.

43 Mulier

43 Mulier autem quæ erat in fluxione sanguinis ab annis duodecim, & in medicos impenderat totum [a] victum, nec ab ullo potuerat curari,

a i. Necessaria ad vitam degendam.

44 Quum accessisset à tergo, tetigit fimbriam pallii ipsius: & illicò substitit fluxio sanguinis ejus.

45 Tunc ait Jesus, Quis *est* qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum eo erant, Magister, turba te constringit & opprimit, & dicis, Quis *est* qui me tetigit?

46 Jesus autem ait, Tetigit me aliquis, nam ego [b] cognovi virtutem à me prodiisse.

b i. Sensi & percepi.

47 Videns autem mulier illa se non latuisse, tremens venit, & accidens ei *ad pedes*, declaravit ei in conspectu totius populi quam ob causam tetigisset eum, & quomodo sanata fuerat illicò.

48 Ipse verò dixit ei, Confide filia, fides tua te servavit: vade cum pace.

49 Adhuc eo loquente, venit quidam à præfecto synagogæ, dicens ei, Mortua est filia tua: ne vexa magistrum.

50 Jesus autem *hoc* audito, respondit ei, Ne metue: crede solummodo, & servabitur.

51 Ingressus verò domum, non permisit ingredi quemquam, nisi Petrum & Jacobum & Johannem, & patrem ac matrem puellæ.

52 Flebant autem omnes, & [c] plangebant eam: ipse verò dixit, Ne flete: non est mortua, sed dormit.

c Plangere, propriè est cædere & ferire. transfertur ad funera lugentium quòd illic tales esse soleant gestus.

53 Et deridebant eum, quòd scirent esse mortuam.

54 Ipse verò ejectis foras omnibus, & prehensa manu ejus, clamavit dicens, Puella surge.

55 Et reversus est spiritus ejus, ac [d] surrexit illicò: & *ipse* præcepit ut ei daretur cibus.

d Cadaver jacebat, puella verò recepta vita (ut verè illam non modò revixisse, sed etiam ab omni morbo liberatam esse cõstaret) surrexit è lecto.

56 Et perculsi fuerunt parentes ejus: ipse verò præcepit eis ut nulli dicerent quod factum fuerat.

43 Mulier autem quædam [16] cujus eruperat sanguis annos duodecim, quæ [17] in medicos universam substantiam suam impenderat, [18] neque potuit à quoquam sanari:

44 Accessit à tergo ejus, & tetigit fimbriam vestimenti ejus: & confestim constitit fluxus sanguinis ejus.

45 Et dixit Jeschua, Quis tetigit me? Et quum omnes negarent, dixit ei Schemeun Cipha, & qui cum eo erant, Domine noster turbæ coarctant te, & premunt, & dicis tu, Quis tetigit me?

46 Ipse verò dixit, aliquis tetigit me, ego enim cognovi quòd virtus exivit à me.

47 Illa autem mulier quum vidisset quòd non fefellisset eum, venit tremens: & procidens adoravit eum, ac dixit in conspectu populi totius propter quam causam tetigisset, & quomodo illicò sanata esset.

48 Ipse verò Jeschua dixit ei, [19] Bono sis animo, filia mea, fides tua [20] servavit te: abi in pace.

49 Et adhuc ipso loquente, venit quidam [21] ex domesticis principis synagogę, & dixit ei, [22] Mortua est filia tua: ne fatiges præceptorem.

50 Jeschua autem audivit, & dixit patri puellæ, Ne metuas: tantùm crede, [23] & salva est.

51 Venit autem Jeschua in domum, neq; permisit cuiquam ut ingrederetur secum, nisi Schemeun & Jaakub, & Juchannan, & patri puellæ ac matri ejus.

52 Omnes verò flebant & plangebant propter eam. Jeschua autem dixit, Ne fleatis: non enim mortua est, sed dormit.

53 Et deridebant eum, quòd scirent quòd mortua esset.

54 Ipse autem ejecit [24] unumquemque foras: & apprehendit manum ejus, & vocavit eam, ac dixit, Puella surge.

55 Et reversus est spiritus ejus, & illicò surrexit: & præcepit ut darent ei ad comedendum.

56 Et mirati sunt parentes ejus: ipse verò admonuit eos ne cuiquam dicerent id quod factum fuerat.

16 Nã תריע, quo hîc utitur paraphrastes, solet ab Onkelo & Jonathan in suis paraphrasibus in vetus Testamentũ, poni loco פרץ verbi Hebræi significãtis Erupit. Unde etiam portã תרעא vocant à ruptura. Quod ideò notavi, quia facit ad amplificationem morbi, atque adeò etiam miraculi.
17 Ad ver. In domo medicorum: committendo scilicet se ipsorũ curationi. Vel frequẽtando domos medicorum ut cõsiliis uteretur.
F. vel inter medicos.
18 Ad ver. Nõ potuit ut à quoquã sanaretur. Syraphrasis, cujus similes aliquot sũt antè observatæ.
19 Ad ver. Cordata esto: vel, Cor recipe.
20 Ad ver. Vivificavit te. Hebr. aliquoties notatus.
21 Ad ver. Ex iis qui sunt domus principis &c. Substantivum rectum pro adjectivo. Tritus Hebr.
22 F. Syr. mortua est sibi. Pleonasmus, de quo in Mat. 4. 10. sic etiam ver. 53.
23 Ad ver. Et vivit. Hebraismus.
24 Ad ver. Omnẽ hominem. Hebr.

CAPUT IX.

1 *Mittuntur Apostoli ad prædicandum.* 7 & 19 *Opinio vulgi de Christo.* 12 *De quinque panibus & duobus piscibus.* 20 *Confessio Apostolorum.* 24 *Perdere animam.* 33 *Christus audiendus.* 37 *Lunaticus.* 46 *Contentio Apostolorum de primatu.* 49 *Quidam ejiciens dæmonia nomine Christi.* 52 *Samaritani nolunt Christum recipere.* 55 *Vindicta prohibita.* 57. 59. 61 *De tribus Christum sequi volentibus, sed diversis rationibus.*

CONvocatis [1] [a] autem *Iesus* duodecim discipulis suis, dedit eis vim & potestatem in omnia dæmonia & morbos sanandi.

1 Mat. 10. 1. Mar. 3. 13. & 6. 7
a B. Duodecim Apostoli solo Christi mandato & Spiritus potentia mittuntur, tũ ut nullus Israelita possit ignorantiam prætexere, tum etiam ut paulatim ad universalem illam negationem præparentur.

2 [2] Misitq; eos ut prædicarent regnum Dei, & sanarent ægrotos.

2 Mat. 10. 7, 8. Mar. 6. 8.

3 [3] Et dixit eis, Nihil sumite ad iter, neque [b] virgas, neque peram, neque panem, neque pecuniam: neque binas tunicas habete.

3 Mat. 10. 9.
b Vide Mat. 10. 10.

4 Et in quamcunque domum intraveritis, [c] illic manete, illinc exite.

5 [4] Et quicumq; non receperint vos, exeuntes ex urbe illa, etiam pulverem à pedibus vestris excutite, *ut hoc sit* testimonio adversus eos.

6 Exeuntes igitur obibant singulos vicos, evangelizantes & sanantes *morbos* ubique.

7 [d] [5] Audivit autem Herodes tetrarcha

ET vocavit Jeschua duodecim suos, & dedit eis virtutem & potestatem adversus omnia dæmonia, & infirmitates sanandi.

2 Et misit eos ad prædicandum regnum Dei, & ad sanandum infirmos.

3 Et ait eis, Nihil tuleritis ad iter, non virgam, neque viatorium saccum, neque panem, neque argentum: nec duæ tunicæ sint vobis.

4 Et in quam domum ingressi fueritis, illic estote, & illinc exite.

5 Et adversus eos qui non exceperint vos, quum egredimini ex civitate illa, etiam pulverem à pedibus vestris excutite adversus eos in testimonium.

6 Et egressi sunt discipuli, & circuibant per pagos & per civitates, ac evangelizabant & sanabant in omni loco.

7 Audivit autem Hiraudis tetrarcha omnia

c Ex civitate aliqua discessuri, illinc exite, quò primùm diverteritis. In summa prohibet Dominus ne hospitium mutent. Ista etenim promulgatio Evangelii fuit quasi discursio quædam, ne aliquis in Iudæa posset ignorantiam adventus Christi prætexere. 4 *Infr.* 10. 11. *Matt.* 10. 14. *Mar.* 6, 11. *Act.* 13. 51. d B. Ad Evangelii nuncium mundus in varias opiniones scinditur: tyranni autem in primis trepidant. 5 *Mat.* 14. 1. *Mar.* 6. 14.

omnia

quæ

[1] Ad verb. Ab inter mortuos. Hebraismus quē Gallicè exprimunt, *D'entre les morts*, quod sæpè antè observatum est. F. vel à domo seu loco mortuorum.

[2] i. Sequuti sunt. Hebr. usitatissimus.

[3] Vide annotata de discubitu, Mar. 6.40.

[4] Id est, Omnibus præsentibus & palàm. Hebr.

[5] i. Sequi me. Hebraismus. ut paulò post etiam.

[6] Ad verb. Vivificare. Hebraismus.

[7] Ad verb. Vivificat eam, Hebr.

[8] v. alii, viderint regnum Dei.

quæ fiebant per manum ejus, & mirabatur: quia dicebant quidam quòd Juchannan surrexisset [1] à mortuis:

8 Alii verò dicebant quòd Iliah apparuisset; & alii, quòd Propheta ex Prophetis antiquis surrexisset.

9 Et dixit Hiraudis, Caput Juchannan ego amputavi; quis est autem iste de quo hæc audio? Et cupiebat videre eum.

10 Et quum reversi essent Apostoli, narraverunt Jeschua quæcumque fecerant. Et duxit eos in locum seorsim desertum Beth-Tsaida.

11 Turbæ autem quum cognovissent, [2] iverunt post eum: & excepit eas, ac loquebatur cum eis de regno Dei: & eos qui opus habebant sanatione, sanabat.

12 Quum autem cœpisset dies inclinare, accesserunt discipuli ejus, & dicunt ei, Dimitte turbas, ut abeant in agros qui circa nos sunt & in pagos ut divertant in eis, & inveniant sibi escam: quia in loco deserto sumus.

13 Dixit eis Jeschua, date illis vos ad manducandum. Ipsi verò dicunt, Nō est nobis plus quàm quinque panes & duo pisces; nisi abeamus, & emamus escam huic toti populo.

14 Erant enim quasi quinque millia hominum. Dixit eis Jeschua, [3] Discumbere facite eos *per* discubitus, quinquaginta viros in *uno* discubitu.

15 Et fecerunt ita discipuli, ac discumbere fecerunt omnes.

16 Et accepit Jeschua illos quinque panes & duos pisces. Et intuitus est in cælum, & benedixit, ac fregit, & dedit discipulis suis ut apponerent turbis.

17 Et comederunt omnes, & saturati sunt: & sustulerunt fragmenta quæ superfuerant duodecim cophinos.

18 Et quum oraret solus & discipuli ejus cum eo, interrogavit eos, & dixit, Quidnam dicunt turbæ de me quòd sim?

19 Responderunt, & dixerunt ei, Juchannan Baptista: & alii, quòd Iliah: alii autem, quòd Propheta unus ex Prophetis antiquis surrexit.

20 Dixit eis, Vos autem quid dicitis quòd sim? Respondit Schemeun, & dixit, Christus Dei.

21 Ipse autem repressit eos, & interdixit eis ut nemini hoc dicerent.

22 Et dixit eis, Futurum est ut Filius hominis multa patiatur, & reprobetur à Senioribus & principibus Sacerdotum & Legisperitis, & occidant eum: & die tertia resurget.

23 Et dicebat [4] coram omni homine, Qui vult [5] venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & veniat post me.

24 Qui enim [6] vult animam suam servare, perdit eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, [7] hic servat eam.

25 Quo enim juvatur filius hominis quum lucratus fuerit mundum universum, animam autem suam perdiderit, aut *ejus* jacturam fecerit?

26 Qui autem erubuerit me & sermones meos, erubescet eum Filius hominis quum venerit in gloriam Patris sui, cum Angelis suis sanctis.

27 Verè dico vobis quòd sunt quidam qui stant hìc qui non gustabunt mortem donec [8] venerit regnum Dei.

omnia quæ fiebant ab eo: & [e] hæsitabat, proptereà quòd dicebatur à quibusdam Johannem suscitatum esse è mortuis:

8 A quibusdam verò, Eliam apparuisse: ab aliis autem, Prophetam quempiam ex antiquis surrexisse.

9 Tunc ait Herodes, Johannem ego decollavi: quis est autem iste de quo ego talia audio? Et studebat eum videre.

10 Reversi autem Apostoli narraverunt ei quæcumque fecerant. [f] Et *ipse* assumtis illis, secessit privatim in locum [g] desertum urbis quæ vocatur Bethsaida.

11 Quod quum cognovisset turba, sequuta est eum: *ipse* autem excepit eos, & loquebatur eis de regno Dei: & eos quibus sanatione opus erat, sanabat.

12 Dies autem cœperat inclinare: & accedentes duodecim dixerunt ei, Dimitte turbam, ut abeuntes in circumjacentes vicos & agros, *illuc* [h] divertant, & inveniant cibaria: nam hic in loco deserto sumus.

13 *Ipse* verò dixit eis, Date ipsis vos quo vescantur. Ipsi verò dixerunt, Non sunt nobis plus quàm quinque panes & duo pisces, [i] nisi nos profecti emamus [k] toti huic populo escas.

14 Aderant enim quasi viri quinquies mille. Ait autem discipulis suis, [l] Facite ut discumbant per singulos quosque discubitus quinquageni.

15 *Ipsi* igitur ita fecerunt, & discubuerunt *illi* omnes.

16 *Ipse* verò acceptis quinque illis panibus & duobus piscibus, suspiciens in cælum, [m] benedixit eis: & fregit deditq; discipulis ut apponerent turbæ.

17 Comederunt igitur omnes illi, & saturati sunt: & sublatum est quod superfuit ipsis fragmentorum, cophini duodecim.

18 [n] Et factum est, ut quum ipse [o] seorsim precaretur, essent unà cū eo discipuli: quos interrogavit, dicens, Quémnam esse me dicunt turbæ?

19 Ipsi autem respondentes dixerunt, Johannem Baptistam: alii autem Eliam: alii verò, Prophetam quempiam ex antiquis resurrexisse.

20 Dixit autem eis, Vos verò quem me esse dicitis? Respondens autem Petrus dixit, Christum illum Dei.

21 Ipse verò interminatus eis, præcepit ut nulli hoc dicerent:

22 [p] Dicens, Oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus & principibus Sacerdotum & Scribis, & trucidari, & tertia die suscitari.

23 Dicebat autem omnibus, Si quis vult me sequi, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam [q] quotidiè, & sequatur me.

24 Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis verò perdiderit animam suam mea causa, is servabit eam.

25 Quid enim prodest cuipiam si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat, sive suiipsius exitio multetur?

26 [r] Quem enim puduerit mei ac meorum sermonum, ejus pudebit Filium hominis, quando venerit cum gloria sua & Patris, sanctorumq; Angelorum.

27 Dico autem vobis verè, sunt quidam ex iis qui hic adstant qui nequaquam gustabunt mortem usquedum viderint regnum Dei.

[e] Quasi perplexus & impeditus in luto tenebatur, ut exitum non inveniret. i. ancipitis consilii & animi dubius erat; metuebat enim ne is resurrexisset quem occiderat.

[f] B. Nihil ne in desertis quidem deerit Christum sectantibus.

Matt. 14.13. Mar. 6.32.

[g] Desertum dicitur Bethsaidæ, non quòd in urbe fuerit, sed quia in agro censeretur ejus urbis à qua cognominabatur.

Matt. 14.15. Mar. 6.35. Ioh. 6.5.

[h] Ad verb. dissolvantur à curribus dictum. Dissolvunt enim equos, qui divertunt à via in hospitium. Sic à divertendo finxêre Latini diversorium.

[i] Ellipsis: itaque subaudiendū est, Non possumus igitur eis dare quo vescantur, nisi nos profecti, &c.

[k] Ad verb. in totum hunc populū i. qui toti huic populo sufficiat.

[l] Vide Marc. 6. ubi convivia vocat, quæ Lucas discubitus.

[m] i. De his panibus ac piscibus gratias egit Deo, & simul cum precatus est, ut tantilla copia, tantā multitudinē pasceret, denique ut totum hoc convivii ad Dei gloriam referretur.

[n] B. Quamvis mundus inter varios errores fluctuet, non est tamen fastidienda, sed eo diligentiùs cognoscenda & eo constantiùs cōfitenda veritas.

Matt. 16.13. Mar. 8.27.

[o] A turba separatus.

[p] B. per crucem & invictam patientiam ad cælestem gloriā Christus ipse pervenit.

Matt. 17.22. Mar. 8.31.

Inf. 14.27. Mat. 10.38. & 16.24 Mar. 8.34.

[q] Velut enim dies diem sequitur, sic crux excipit crucem, crux autem metonymicè pro humanæ vitæ miseriis: fuit enim apud Judæos gravissimum & sævissimum crucis supplicium. Inf. 17.33. Mat. 10.39. & 16.25. Mar. 8.35. [r] Vide infra 12.9. Mat. 10.33. Mar. 8.38. Quibus locis respondet illa Pauli sententia: Si sufferimus & conregnabimus: Si negamus & ille negabit nos. 2. Tim. 2.12. Ioh. 12.25. Mat. 10.26. 26. Mar. 9.36. Inf. 12.9. Mat. 10.33. Mar. 8.38. 2. Tim. 2.12. Mat. 16.28. Mar. 9.1.

28 [u] [f] Factum est autem, quum post hæc verba, quasi dies octo *intercessissent*, ut assumtis Petro & Johanne & Jacobo, ascenderet in montem ad precandum.

29 Facta est autem inter precandum species faciei ipsius alia, & vestitus ejus albus ac refulgens.

30 Et ecce, duo viri colloquebantur cum eo, qui erant Moses & Elias:

31 Qui visi cum gloria, dicebant ipsius [t] exitum, quo futurum erat ut defungeretur in Hierusalem.

32 Petrus verò & qui cum ipso erant, gravati erant somno: quum autem evigilassent, viderunt gloriam ejus, & duos illos viros qui stabant cum eo.

33 Et factum est quum illi discederent ab eo, ut diceret Petrus ad Jesum, Magister, bonum est nos hîc esse: atque *adeò* faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Mosi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret.

34 Hæc autem ipso dicente, exstitit nubes quæ inumbravit eos: timuerunt autem dum illi ingrederentur in nubem.

35 Et vox exstitit è nube, dicens, Hic est filius ille meus, dilectus ille: ipsum audite.

36 Et postquam vox illa exstitisset, inventus est Jesus solus: ipsi autem siluerunt & nulli declararunt [u] per id tempus quicquam eorum quæ viderant.

37 [x] [ß] Factum est autem sequente die, ut quum ipsi descendissent è monte, occurreret ei turba multa.

38 Et ecce quidam è turba exclamavit, dicens, Præceptor, rogo te, respice ad filium meum: nam unigenitus est mihi.

39 Et ecce, spiritus arripit eum, & *ipse* repentè clamat, & *spiritus* discerpit eum spumantem, & vix discedit ab eo [y] conterens eum.

40 Et rogavi discipulos tuos ut ipsum ejicerent: sed non potuerunt.

41 Respondens autem Jesus ait, O natio incredula & perversa, quousque tandem ero apud vos, & tolerabo vos? Adduc filium tuum huc.

42 Quum autem adhuc accederet, allisit eum dæmonium, & discerpsit: objurgavit autem Jesus spiritum impurum, & sanavit puerum: & reddidit eum patri suo.

43 Percellebantur igitur omnes super magnifica Dei virtute: omnibus verò mirantibus super omnibus quæ faciebat, dixit discipulis suis,

44 [z] [ß] [a] Reponite vos in aures vestras sermones istos: futurum est enim ut filius hominis tradatur in manus hominum.

45 Ipsi verò ignorabant dictum istud, eratq; ipsis occultum, adeò ut illud non sentirent: & timebant eum interrogare de hoc dicto.

46 [b] [ß] Incidit autem disceptatio inter eos, quis esset eorum maximus.

47 Jesus verò [c] visa cogitatione cordis ipsorum, acceptum puerulum statuit apud se:

48 Et dixit eis, Quicumque exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit: & quicumque me exceperit, excipit eum qui me misit. nam qui minimus est inter vos, is erit magnus.

49 [d] [ß] Respondens autem Johannes ait, Magister, vidimus quemdam sub nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia *is* non sequitur nobiscum.

50 Et dixit ei Jesus, Ne prohibete *illum*: qui enim non est adversùm nos, pro nobis est.

51 [e] Factum

[u] *Mat.* 17, 2. *Mar.* 9, 2.
[f] a. Christus ne discipulos offenderet ipsius in carne exinanitio, voluntariam eam esse docet, cælestis suæ gloriæ splendore aliquatenus a ... ostenso.
[t] i. Mortem quam obiturus erat in Ierusalem.
[u] Ad verb. in diebus illis, videlicet usquequo Christus resurrexisset.
[x] a. Nulla re magis offenditur Christus quàm incredulitate, quamvis eam ad tempus toleret.
[ß] *Mat.* 17. 14. *Mar.* 9. 17.
[y] Ut in comitiali morbo fieri solet.
[z] a. Nõ est quòd nobis tranquillitatem in hoc mũdo polliceamur, quum ii ipsi qui Christo applaudere videntur, paulò pòst eum crucifigant.
[ß] *Matt.* 17. 22.
[a] Attendite diligenter, & semel audita conservate. Hebraismus est. Porrò in auribus dixit potiùs quàm in cordibus, propterea quòd non essent intellecturi, sequitur enim mox.
[b] a. Ambitionis exitus ignominia: modestiæ autem subjectionis, gloria.
[ß] *Mat.* 18, 1. *Mar.* 9. 33.
[c] Translatio à corpore ad animum.
[d] a. Extraordinaria temerè nec probanda nec damnanda.
[ß] *Mar.* 9. 38.

28 Factum est autem post sermones hos, quasi octo diebus, accepit Jeschua Schemeun & Jaakub & Juchannan, & ascendit in montem ad orandum.

29 Et quum oraret, transformatus est aspectus vultus ejus, & vestimenta ejus candida facta sunt, & refulgebant.

30 Et ecce, duo viri loquebantur cum eo qui erant Musche & Iliah.

31 Qui conspecti sunt in gloria. Loquebantur autem de exitu ipsius qui futurum erat ut compleretur in Urischelem.

32 Et gravati erant somno Schemeun & ii qui cum ipso erant: & vix excitati sunt, & viderunt gloriam ejus, & illos duos viros qui stabant juxta eum.

33 Et quum cœpissent discedere ab eo, dixit Schemeun Jeschua, Domine mi, bonum est nobis ut hîc simus, & faciamus tria tabernacula, tibi unum, & Musche unum, & Iliah unum. Et nesciebat quid diceret.

34 Et quum diceret hæc, facta est nubes, & obumbravit eos: & timuerunt quum viderent Musche & Iliah quòd ingrederentur in nubem.

35 Et vox facta est ex nube quæ dixit, Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.

36 Et quum fuisset illa vox, inventus est Jeschua solus, & ipsi siluerunt, & nemini dixerunt in illis diebus id quod viderant.

37 Et factum est [9] die postero quum descenderent de monte, occurrerunt eis turba multa.

38 Et homo quidam è turba illa clamabat, & dicebat, Præceptor, peto abs te, [10] convertere ad me: filius meus *hic est* qui unicus est mihi.

39 Et spiritus transit super eum, & repentè clamat, & stridet dentibus suis, & [11] lacerat, & vix discedit ab eo postquam contrivit eum.

40 Et petii à discipulis tuis ut ejicerent eum, & non potuerunt.

41 Respondit autem Jeschua & dixit, [12] O generatio incredula & perversa, usquequo ero apud vos, & tolerabo vos? Adducito huc filium tuũ.

42 Et quum adduceret eum, dejecit eum dæmonium illud, & frendere fecit eum: & repressit Jeschua spiritum illum impurum, ac sanavit puerum, ac dedit eum patri ejus.

43 Et mirati sunt omnes propter magnificentiam Dei. Et quum omnis homo miraretur super omnibus quæ fecerat Jeschua, dixit discipulis suis,

44 Ponite vos sermones istos in auribus vestris, Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus filiorum hominis.

45 Ipsi verò non intellexerunt sermonem hunc, quia occultus erat ab ipsis, ut non cognóscerent ipsum: & timebant interrogare eum de sermone hoc.

46 Et intravit in eos cogitatio, quisnam [13] magnus esset inter eos.

47 Jeschua autem cognovit cogitationem cordis eorum, & accepit puerum, & statuit eum juxta se.

48 Et dixit eis, Quicumque recipit puerum sicut iste *est* in nomine meo, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui misit me. [14] Qui enim parvus est inter vos omnes, hic erit magnus.

49 Et respondit Juchannan, & dixit, Domine noster, vidimus [15] quemdam qui ejecit dæmonia in nomine tuo, & prohibuimus eum, eo quòd non [16] venit nobiscum post te.

50 Dixit eis Jeschua, Ne prohibeatis: qui enim non est adversus vos, pro vobis est.

51 Et

[9] Ad verb. Die qui est post eum. Syra phrasis, ut priùs annotatum est.
[10] Vel, respice in me.
[11] Rarum admodum verbum: sed tamen quo utitur etiam Mar. 9, 18. eodem sensu. Intelligit spiritum illum impurum lacerare filium suum, quum eum invadit.
[12] Ad verb. Quæ non est fidelis.
[13] Positivus pro superlativo. Hebraismus tritus.
[14] Positivi pro superlativis, ut paulò antè notatum est: pro, Qui minimus est, &c. hic erit maximus.
[15] Ad verb. Hominem. Hebraismus.
[16] Id est, Sequitur te nobiscum. Hebraismus.

51 Et factum est quum [17] implerentur dies as-
sumtionis ejus, direxit faciem suam ut proficisce-
retur Urischelem.
52 Et misit nuncios ante faciem suam: & pro-
fecti ingressi sunt in pagum Samaritanorum ut
pararent ei *hospitium*.
53 Et non receperunt eum, quia [18] faciem su-
am versus Urischelem ponebat ut proficisceretur.
54 Et quum vidissent Jaakub & Juchannan
discipuli ejus, dicunt ei, Domine noster, vis tu ut
dicamus ut descendat ignis de cælo, & consumat
eos, sicut etiam Iliah fecit?
55 Et conversus est, & increpavit eos, ac dixit,
Nescitis vos cujus estis spiritus.
56 Filius enim hominis non venit ad perden-
dum [19] animas, sed [20] ad servandum. Et [21] abie-
runt in pagum alium.
57 Quumq; proficiscerentur in via, dixit ei
quidam, [22] Ibo post te in locum quo proficisceris
Domine mi.
58 Dixit ei Jeschua, Vulpibus foveæ sunt, &
volucribus cæli [23] nidi, Filio autem hominis non
est ubi fulciat caput suum.
59 Et dixit ad alium, Veni post me. Ille autem
respondit ei, Domine mi, permitte mihi *ut* prius
abiens sepeliam patrem meum.
60 Dixit ei Jeschua, Sine mortuos sepelientes
mortuos suos: & tu abi, evangeliza regnum Dei.
61 Dixit ei alius, [24] Ibo post te, Domine mi.
Prius autem permitte mihi *ut* abiens salutem di-
cam [25] domesticis meis, & veniam.
62 Dixit ei Jeschua, Nemo admovet manum
suam ad aratrum paris boum, & respicit retro se,
& utilis est ad regnum Dei.

17 Id est, Quum tempus assumtionis ejus instaret. Nam impleri dicitur aliquid (ex Hebrææ linguæ proprietate & Sacrarum literarum more loquendi) non tantùm quum prorsus expletum est, sed etiam quum impleri incipit, aut quum implendum jam est. Vide quæ de eo annotavimus Luc.2.21.
18 F.Syr. facies ejus Urischelemum disposita erat ut proficisceretur. Persimilem phrasin vide 2. Reg.12.18.
19 Syrè, Homines. Synedoche usitatissima in Bibliis.
20 Ad verbum, Ad vivificandum. Hebraismus.
21 F.Syr. abierunt sibi: ut Mat. 4.10. sic passim.
22 Id est, Sequar te. Hebraismus, ut paulò post, semel atque iterum.
23 Vide de hac voce, annotata in Matt.8.
24 Id est, Sequar te. Hebr.
25 F.Syrè filiis domus meæ. Hebraismus frequens.

51 [g] Factum est autem, interim dum comple-
retur tempus quo sursum reciperetur, tum ipse [i] fa-
ciem suam direxit ad eundum Hierosolymam.
52 Misitq; nuncios ante faciem suam: qui pro-
fecti ingressi sunt in vicum Samaritanorum, ut
pararent ei *hospitium*.
53 Sed *illi* non receperunt eum, [g] quòd fa-
cies ejus esset proficiscentis Hierosolymam.
54 [h] Quum autem hoc vidissent ejus discipu-
li Jacobus & Johannes, dixerunt, Domine, vis di-
camus ut ignis descendat è cælo, & consumat
eos, ut etiam [l] Elias fecit?
55 Sed conversus Jesus objurgavit eos, di-
cens, Nescitis qualis [i] spiritus vos sitis.
56 Filius enim hominis non venit ut perde-
ret [k] animas hominum, sed ut servaret. Abierunt
igitur in alium vicum.
57 [l l] Factum est autem ut proficiscentibus ip-
sis, quidam in via dixerit ei, Sequar te quocumq;
ieris, Domine.
58 Dixit autem ei Jesus, Vulpes habent lustra,
& volucres cæli nidos: Filius autem hominis non
habet ubi caput reclinet.
59 [m l] Dixit verò ad alium *quemdam*, Sequere
me. At ille dixit, Domine, permitte mihi ut priùs
abeam, ac sepeliam patrem meum.
60 Dixit autem ei Jesus, Sine ut mortui sepe-
liant [n] mortuos suos: Tu verò profectus annun-
cia regnum Dei.
61 [o] Dixit autem etiam alius, Sequar te Do-
mine: sed permitte mihi priùs ut valedicam iis
qui sunt domi meæ.
62 Ait autem ei Jesus, Nemo qui manu sua ad-
mota aratro, [p] respexerit ad ea quæ retrò *sunt*, ap-
positus est ad regnum Dei.

[g] B. Christus ultrò ad mortem properat.
[i] Ad verbum, obfirmavit faciem suam, id est, certo jam proposito moriendi sese dedit in viam, & deposito omni mortis timore iter ingressus est.
[g] Samaritani maximè infensi erant in eos qui, causâ adorationis in templo Hierosolymitano, iter susciperent, habentes templum proprium in monte Garizin (exstructum à Sanabalath præfecto Darii in gratiam Manasse generi sui sacerdocio Hierosolymis pulsi) in quo ipsi adorabant. Vide Joseph. lib.11. cap. 7.8.
[h] B. Cavendum à zeli intemperie & stulta imitatione, in optima etiam causâ: ut omnia ad Dei gloriam, & commodum proximi referantur.
[l] 2. *Reg*.1.10. & 12.
[i] Hebr. id est, cujus voluntatis, consilii, & destinatæ sententiæ. Sic dona Dei, spiritus vocantur, quia a spiritu donantur, & eis contraria quæ à malo spiritu proficiscuntur, ut spiritus avaritiæ, superbiæ, & furoris. [k] Homines. Synecdoche. [l] *Matt*.8.19. [l] B. Oportet Christum sequuturos ad quævis incommoda subeunda sese comparare. [m] B. Dei vocatio quibusvis in homines officiis, sine ulla exceptione, anteponenda. [l] *Matth*. 8.22. [n] Qui etiamsi in hac humana & caduca vita permaneant, à vera tamen vita, quæ æterna est & divina, alieni sunt. [o] B. Oportet Christum sequuturos, mundi solicitudinibus semel renunciare. [p] Hebr. qualem reperies Gen.19.17. Id est, se incœpti pœnituerit.

CAPUT X.

1 LXX *discipuli*. 10 *Ingratis urbibus impietas exprobratur*. 17 *Discipulos redeuntes humilitatis admonet*. 29 *Proximus quis*. 38 *De Martha & Maria sororibus*.

Post hæc separavit Jeschua ex discipulis suis
alios septuaginta, & misit [1] eos binos ante fa-
ciem suam in omnem locum & civitatem [2] quò
iturus erat.
2 Et dixit eis, Messis multa, & operarii pau-
ci: petite igitur à domino messis ut emittat ope-
rarios ad messem suam.
3 Abite: ecce ego mitto vos sicut agnos in-
ter lupos.
4 Ne portaveritis crumenas, neque saccos
viatorios, neque calceamenta: & neminem in via
[3] salutaveritis.
5 Et in quam domum intratis, priùs dicite,
Pax huic domui.
6 Et [4] si sit ibi filius pacis, collocabitur super
eum pax vestra: sin minus autem, [5] pax vestra ad
vos revertetur.
7 In ea autem domo estote edentes & biben-
tes ex eo quod est illorum, dignus est enim ope-
rarius mercede sua: Neque secedatis à domo in
domum.

1 Ad verb. Duos duos. Hebraismus.
2 Ad verb. Quò futurus erat venire. modus loquendi quo utuntur etiam Græci. Est igitur phrasis Syra ex Hellenismo petita.
3 Ad verb. De pace cujusdam in via ne rogaveritis.
4 Id est, Dignus à me factus ut particeps fiat illius veræ pacis quam ei optabitis & prædicabitis. Est ergo filius pacis, dignus pace, sicut filius mortis dicitur in veteri Testamento, dignus morte, & filius perditionis in Evangelio, dignus perditione. 5 Id est, Nullum fructum percipient ex vestra salutatione & prædicatione, quin totus in vos conferetur.

Post [a] hæc autem designavit Dominus etiam
alios septuaginta, misitq; eos binos ante fa-
ciem suam in omnem urbem & locum quò futu-
rum erat ut ipse veniret.
2 Dicebat igitur eis, [l] Messis quidem multa,
sed operarii pauci: rogate ergo dominum messis
ut emittat operarios in messem suam.
3 [b l] Abite, ecce, ego mitto vos ut agnos in
medium luporum.
4 Ne portate crumenam, neque peram, ne-
que calceamenta: [l] & [c] neminem in via saluta-
veritis.
5 [l] In quamcumque domum ingrediemini,
primùm dicite, Pax *esto* huic domui.
6 Quòd si fuerit illic quispiam [d] filius pacis,
requiescet super eum pax vestra: sin minus, ad vos
revertetur.
7 [e] Manere autem in ea ipsa domo, edentes
& bibentes quæ ab ipsis *apposita fuerint*: [l] dignus
enim est operarius mercede sua. Ne transite è do-
mo in domum.

[a] B. Adventus Christi mittuntur septuaginta fecundi præuncii.
[l] *Matt*.9.37.
[b] B. Fidi ministri Verbi sunt in mundo velut agni inter lupos: sed modò in hoc unum fint intenti, ut officium faciant, qui eos misit, idem etiam conservat.
[l] *Matt*.10.16.
[l] 2. *Reg*.4.29.
[c] Hyperbolicè sic solent Hebræi præcipere, ut celeriter, & nulla interjecta mora aliquid obeatur, 2. Reg.4.29. Alioqui comes & humanæ salutationes inter Christiana officia numerantur. Porrò hæc vocatio fuit temporaria. [l] *Matth*. 10.12. *Mar*.6.10. [d] Hebr. id est, qui faveat doctrinæ pacis, & illam amplectatur. [e] Hospitium vobis deligite in ea domo, in quam primùm ingressi fueritis, id est, ne quærendo vobis commodo hospitio soliciti sitis, sicut faciunt qui in aliquo loco diutiùs commorari constituerunt: non enim hic instituitur solennis illa Evangelii prædicatio, quæ usurpata fuit quum Ecclesiæ constituerentur: sed dimittuntur isti ut omnibus Judææ partibus significent ultimum adventare Jubilæum. [l] *Deuteron*,24.14. *Matth*,10.10. 1.*Timoth*.5.18.

e *Matth.* 10.11.

f Contenti estote apposito vobis cibo.

g B. Deus Evangelici ministerii severissimus vindex.

h *Suprà* 9.5. *Act.* 13.51. & 18.6.

h i. Adversum vos.

i *Matt.* 11.21.

i Discipuli etenim non plena utebantur potestate, sed invocato Christi nomine miracula edebant.

l *Matt.* 10.40. *Joh.* 13.20.

k B. Neque donum miraculorũ, neque aliud ejusmodi quantumvis excellens, sed sola electio æterna solidi gaudii materiam præbet. Est autem sola evangelii promulgatio, Satanæ ruina.

l Non reperit hic Lucas quod Mat. 10.40. habuimus: Qui vos recipit me recipit: Nam illic de personis Christus agebat, hic autem de doctrina illa receptio ad officia charitatis spectabat, nunc verò commendat fidem quæ Deum in verbo suo recipit.

m Collocatur Satan in aëre cum suis angelis, Ephes. 6.12. inde verò dicitur detrudi, & quidem cum impetu, quando voce Evangelii ejus potestas abolentur. Evangelium enim potentius est quàm ut possit coram eo consistere. Nota verò hic exprimi quàm misera sit hominum conditio, quorum capitibus insultat Satan, qui in aëre dominatur, & mundum pedibus suis subjectum tenet donec adsit Christus liberator.

8 [e] Sed & in quamcumque urbem ingressi fueritis, & exceperint vos, [f] edite quæ apponuntur vobis.

9 Et sanate ægrotos qui in ea fuerint, & dicite eis, Appropinquavit ad vos regnum Dei.

10 [g] In quamcumque autem urbem ingressi fueritis, & non exceperint vos, egressi in plateas ejus, dicite,

11 [h] Etiam pulverem qui adhæsit nobis ex urbe vestra, [h] vobis abstergimus: tamen hoc scitote, appropinquasse ad vos regnum Dei.

12 Dico autem vobis, Sodomorum conditionem die illo tolerabiliorem fore quàm urbis illius.

13 [i] Væ tibi Chorazin, væ tibi Beth-saida nam si in Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes quæ editæ sunt apud vos, olim cum sacco & cinere sedentes resipuissent.

14 Ideo Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in judicio quàm vestra.

15 Et tu Capernaum quæ usque ad cælum elata es, usque ad inferos deprimêris.

16 [i] [l] Qui vos audit, me audit: & qui vos rejicit, me rejicit: qui verò me rejicit, rejicit eum qui misit me.

17 [k] Reversi sunt autem septuaginta cum gaudio, dicentes, Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis [l] per nomen tuum.

18 *Ipse* autem dixit eis, Spectabam Satanam, ut fulgur, [m] è cælo cadentem,

19 Ecce, do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim inimici: & nihil vos lædet.

20 Sed de eo ne gaudete quòd spiritus vobis subjiciantur: gaudete verò potiùs quòd nomina vestra scripta sint in cælis.

21 [n] Eo ipso momento exsultavit Jesus spiritu, & dixit, Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cęli & terræ, quòd hæc occultaveris à [o] sapientibus & intelligentibus, & retexeris ea infantibus: etiam Pater, quia ita placuit tibi.

22 [p] Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo novit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & cuicumque voluerit filius retegere.

23 [q] Et conversus ad discipulos, privatim dixit *eis*, [l] beati oculi qui vident quæ vos videtis.

24 Dico enim vobis, multos Prophetas & reges cupivisse videre quæ vos videtis, nec vidisse: & audire quæ auditis, nec audisse.

25 [r] [l] Tum ecce, quidam [f] Legis interpres surrexit, tentans eum, & dicens, Præceptor, quid faciendo, vitam æternam possidebo?

26 At ille dixit ei, In lege quid scriptum est? quomodo legis?

27 Ille verò respondens dixit, [l] Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: [l] & proximum tuum ut teipsum.

28 Tum *ipse* dixit ei, Rectè respondisti: hoc fac, & vives.

29 [t] Ille autem volens [u] justificare seipsum, dixit Jesu, Et quis est meus proximus?

30 Excipiens autem Jesus dixit, Quidam

8 Et in quam civitatem ingredimini, & suscipiunt vos, edite id quod apponitur vobis.

9 Et sanate illos qui infirmi sunt in ea, ac dicite illis, Appropinquavit ad vos regnum Dei.

10 In quam verò civitatem ingressi fueritis, & non susceperint vos, egredimini in plateam, & dicite,

11 Pulverem quoque qui adhæret nobis pedibus nostris ex civitate vestra, spargimus in vos: verumtamen hoc scitote quòd [6] appropinquavit regnum Dei.

12 Dico vobis quòd Sedum erit tolerabilius in die illo quàm civitati illi.

13 Væ tibi Caurazin, væ tibi Beth-Tzaida. nam si in Tzur & Tzaidan factæ fuissent virtutes quæ factæ fuerunt in vobis, jam olim in saccis & in cinere conversi fuissent.

14 Verumtamen Tzur & Tzaidan erit tolerabilius in die judicii quàm vobis.

15 Et tu Kephar-Nachum illa quæ usque ad cælum elevata fuisti, usque ad infernum deprimeris.

16 Qui vos audit, me audit, & qui vos rejicit, is me rejicit: & qui me rejicit, rejicit eum qui misit me.

17 Et reversi sunt septuaginta quos miserat, cum gaudio magno, & dicunt ei, Domine noster, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

18 Ipse autem dixit eis, Videbam ipsum Satanah quòd caderet tamquam fulgur de cælo.

19 Ecce do vobis potestatem ut sitis calcantes serpentes, & scorpiones, & universum robur inimici: & nihil molestum erit vobis.

20 Verumtamen in hoc ne gaudeatis quòd dæmonia subjiciuntur vobis: sed gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cælo.

21 In illa hora exsultavit Jeschua in Spiritu sancto, & dixit, Gratias ago tibi Pater mi, Domine cæli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & revelaveris ea infantibus, Etiam Pater mi, quia sic fuit beneplacitum coram te.

22 Et conversus est ad discipulos suos, & dixit eis, Omnia tradita sunt mihi à patre meo: & nemo novit quis sit Filius, nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & is cui si voluerit Filius revelare, *revelabit*.

23 Et conversus est ad discipulos suos seorsim, & dixit, Beati oculi qui vident id quod vos videtis.

24 Dico enim vobis quòd Prophetæ multi & reges voluerunt videre id quod videtis, & non viderunt: & audire id quod auditis, & non audiverunt.

25 Et ecce, Legisperitus quidam surrexit ut tentaret eum, & dixit, Præceptor, quid faciam ut [7] possideam vitam quæ est in perpetuum?

26 Ipse autem Jeschua dixit ei, In Lege quomodo scriptum est? quomodo legis tu?

27 Respondit, & dixit ei, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & ex tota cogitatione tua, & proximum tuum sicut [8] teipsum.

28 Dixit ei Jeschua, Rectè dixisti: hoc fac, & vives.

29 Ille autem volens justificare seipsum, dixit ei, Et quis est proximus meus?

30 Dixit ei Jeschua, Homo quidam descen-

6 T. Syr. appropinquavit sibi.

7 T. putà hæreditariam vitam, jure hæreditario.

8 T. Syr. animam tuam.

n B. Contemtibilis quidem est Ecclesia, si externam ejus speciem consideres; sed nulla in re æquè admirabilis Dei sapientia. o Sub. hujus mundi. p B. Aberrat à via quisquis Patrem quærit extra Filium. q B. Novi fœderis & veteris discrimen, in revelationis mensura. l *Matth.* 13.16. r B. Fides non tollit, sed stabilit Legis doctrinam. l *Matth.* 22.35. *Marc.* 12.28. f Unus quispiam ex profitentibus cognitionem ac scientiam legitimarum constitutionum, seu Legum Mosaicarum. l *Deuter.* 6.5. l *Levit.* 19.18. t B. Proximi nomine intelliguntur in Lege, quoscumque possumus juvare. u Id est, justitiam suam asserere, sive ostendere se justum esse, id est, omni culpa vacare. In hac autem significatione utitur nomine justificationis Jacobus.

debat ab Urischelem in Irichu, & irruerunt in eum latrones, & spoliaverunt eum ac percusserunt eum, reliqueruntq; eum quum vix [9] viveret in eo anima ejus, & abierunt.

31 Et contigit ut sacerdos quidam descenderet per viam illam: & vidit eum, & transivit.

32 Et similiter Levita veniens appropinquavit ad illum locum: & vidit eum, & transivit.

33 Quidam autem Samaritanus, quum iter faceret, venit eò ubi erat, & vidit eum, & misertus est ejus.

34 Et accessit, & obligavit plagas ejus, & instillavit in eas vinum, & [10] oleum: & imposuit eum super asinum suum, & adduxit eum in hospitium, & curam habuit ejus.

35 Mane autem diei *sequentis* depromtos duos denarios dedit hospiti: & dixit ei, Solicitudinem habe ejus, & siquid amplius impenderis, quum revertar, dabo tibi.

36 Quis igitur ex his tribus videtur tibi quòd fuerit proximus ei qui incidit in manus grassatorum?

37 Ille autem dixit ei, Is qui misertus est ejus. Dixit ei Jeschua, Abi, etiam tu ita esto faciens.

38 Et factum est quum ipsi iter facerent, in via ingressus est in pagum quemdam, & mulier cujus nomen Martha, excepit eum in domum suam.

39 Et erat ei soror cujus nomen Mariam, & veniens [11] sedit ad pedes Domini nostri, ac audiebat sermones ejus.

40 Martha autem [12] afflicta erat in ministerio multo. Et venit, & dixit ei, Domine mi non est curę tibi quòd soror mea relinquit me solam ad ministrandum? dic ei *ut* adjuvet me.

41 Respondit Jeschua, ac dixit ei, Martha, Martha, solicita es, & conturbaris circa multa.

42 Unum est autem quod requiritur. Mariam verò partem bonam elegit sibi, quæ non auferetur ab ea.

9 P. Syr. staret, consisteret, vel subsisteret.

10 P. id est, unguentum, μετε-ρισμένον. Hebraismus.

11 P. Syr. sedit sibi.

12 Id est, Admodum anxia erat, & laborabat in apparando convivio.

descendebat ab Hierusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui exspoliato eo & plagis impositis abierunt, eo seminece relicto.

31 [x] Casu autem sacerdos quidam descendit per eamdem viam: qui viso eo, [y] ex adverso præteriit.

32 Similiter & Levita, quum venisset eò & illum vidisset, præteriit ex adverso.

33 Samaritanus autem quidam iter faciens, venit eò, & ipso conspecto, misericordia intima commotus est.

34 Et accedens obligavit ejus vulnera, infundens oleum ac vinum: & ipsum impositum suo jumento, duxit in diversorium, & ejus curam egit.

35 Postero autem die abiens, prolatos duos denarios dedit hospiti, & dixit ei, Curam ipsius age: & quodcumque præterea insumpseris, ego quum redibo, reddam tibi.

36 Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones?

37 Ille autem dixit, Is qui usus est misericordia erga eum. Ait igitur ei Jesus, Abi, & tu fac similiter.

38 [z] Factum est verò inter eundum, ut ipse ingrederetur in quemdam vicum: mulier autem quædam Martha nomine excepit eum domum suam.

39 Et huic erat soror quæ vocabatur Maria, quę etiam assidens ad pedes Jesu, audiebat ipsius sermonem.

40 [a] Martha verò distrahebatur circa frequens ministerium: superveniens igitur ait, Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me ut sola ministrem? dic ergo ei ut mihi vicissim opituletur.

41 Respondens autem dixit ei Jesus, Martha, Martha, solicita es, & [b] satagis de multis:

42 [c] Atqui una re opus est. [d] Maria verò bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

x Id est, quum illud non prævidisset Sacerdos. Alioqui providentiæ Divinæ respectu nihil est fortuitum.

y Deflexit de via.

z B. Christus non lautè tractari, sed attentè vult, cæteris postpositis rebus, audiri.

a Stultè hic locus ad laudem vitæ (ut vocant) contemplativæ detortus est, quasi Christus vitam speculativam cum activa compararet, quum simpliciter ostendat quorsum & quomodo ipse velit recipi. Nam tempus est audiendi, & tempus agendi. Notat autem Christus in eo Martham, tum quòd satagendo modum excederet, tum quòd seipsam distrahens, & superfluis laboribus se occupans, inutilem sibi reddebat Christi adventum.

b Ad verb. turbaris, indicatur siquidem turbidæ operæ solicitudo.

c Præclara sententia, qua monemur omnia officia, & omnes partes vitæ nostræ destinare in eum finem ut Deo serviamus.

d Nulla est hic comparatio ut multi interpretes somniant: sed tantùm pronunciat Christus Mariam in sancto & utili studio occupari, unde abstrahi non debeat.

CAPUT XI.

1 *Docet Apostolos orare.* 14 *Dæmonium mutum ejicit.* 27 *Mulier è turba vocem extollens.* 29 *Judæi signa petunt.* 37 *A Pharisæo invitatus, externam sanctimoniæ larvam increpat.*

ET factum est ut quum oraret in loco quodam, quum absolvisset, dixerit ei unus ex discipulis ejus, Domine noster, doce nos orare, sicut etiam Juchannan docuit discipulos suos.

2 Dixit eis Jeschua, Quum oratis vos, sic estote dicentes, PATER noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ut in cælis etiam in terra.

3 Da nobis panem [1] quo opus habemus quotidie.

4 Et remitte nobis peccata nostra: nam etiam nos remittimus omnibus debentibus nobis. Et ne inducas nos in tentationem, sed serva nos à malo.

5 Et dixit eis, Quis est ex vobis cui sit amicus, & proficiscatur ad eum in medio noctis, & dicat ei, Amice mi, accommoda mihi tres placentas:

6 Quia amicus venit ad me de via, & non est mihi aliquid quod apponam ei.

7 Et ille amicus intùs respondeat, & dicat ei, Ne molestus sis mihi: quia ecce, ostium clausum est, & filii mei mecum sunt in lecto: non possum surgere, & dare tibi.

8 Dico vobis quòd si propter amicitiam non dederit ei, propter instantiam surget, & dabit quantum

1 Rationem cur ita vertimus vide Matth. 6. 11.

ET factum est ut quum ipse precaretur quodam in loco, postquam cessasset, diceret ei quidam ex ejus discipulis, Domine, doce nos precari prout & [a] Johannes docuit discipulos suos.

2 [b] [‖] Dixit autem eis, Quum precamini, dicite, PATER noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita etiam in terra.

3 Panem nostrum quotidianum da nobis [c] in diem.

4 Et remitte nobis peccata nostra: etenim ipsi remittimus omnibus qui nobis debent. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos ab illo malo.

5 [d] Dixit etiam eis, Quis vestrûm habebit amicum, & proficiscetur ad eum media nocte, & dicat ei, Amice, da mihi mutuò tres panes:

6 Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod apponam ei?

7 Et ille intùs respondens dicat, Ne mihi molestiam exhibe: jam ostium clausum est, & pueruli mei mecum sunt in cubili: non possum surgere & dare tibi.

8 Dico vobis, etiamsi non dederit ei exper-rectus, eo quòd amicus ejus sit: at certè propter impor-

a Probabile est Johannem ex variis scripturæ locis certam aliquam precationem confecisse, quæ tempori congrueret, ac propiùs accederet ad Spirituale Christi regnum, quod jam patefieri cœperat.

b B. Veræ precationis formula.

‖ Matth. 6. 9.

c Id est, quantum in hunc diem opus est, non ut honestam curam tuendę hujus vitæ nobis eximat, sed solicitudinem illam anxiam qua plerique se conficiunt.

d B. Precandum est cum fide.

e Ad verbum, impudentiam: ea verò impudentia de qua hoc loco agitur, in vitio poni non debet, sed maximè Deo commendatur, qui talem importunitatem probat.
l Matt.7.7. & 21.22. Mar.11.24. Job.14.13. & 16.23. Jacob.1.5.
l Matt.7.9.
l Matth.9.32. & 12.22. Mar.3.20.
f B. Exemplum horrendæ & insanabilis excæcationis, quum mala conscientia & destinata malitia virtus Dei blasphematur.
l Matt.9.33. & 12.22. Mar.3.10.
l Matth.9.24. Mar.3.22.
g B. Dignoscendi veri Christi à falso hæc vera ratio est, quòd verus Christus cum Satana nulla prorsus conditione paciscitur. Superest autem ut cognitus agnoscatur.
l Matt.12.25. Mar.3.24.
h In nomine vel auctoritate Beelzebulis.
i i. virtute Dei, Exo.8.19.
k i. regiam suam. aula enim declarat locum apertum & vacuum ante ædes expositum, transfertur autem ad ædes potentum.
l Argumento ab impossibili probat Christus Satanam à Satana ejici non posse, propter æqualem in diabolis potentiam: sed probat Beelzebulem potiùs esse captivum & à se victum, quàm adjutorem suum: Quũ enim Christus expellit angelos Beelzebulis ab hominibus, quid aliud agit, quàm quòd incurrit in fines regni ipsius Beelzebulis, ac diripit arma ejus, ac dividit spolia ejus?

e importunitatem ejus experrectus dabit ei quot-
quot sunt ei opus.
9 l Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vo-
bis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur
vobis.
10 l Quisquis enim petit, accipit, & qui quæ-
rit, invenit: & pulsanti aperietur.
11 l Ecquis autem ex vobis pater, *si* filius *ab eo*
petierit panem, lapidem ei dabit? aut si piscem,
num pro pisce dabit ei serpentem?
12 Aut si petierit ovum, num dabit ei scorpiũ?
13 Si vos igitur qui mali estis, nostis bona do-
na dare liberis vestris, quanto magis Pater ve-
ster cælistis dabit Spiritum sanctum petentibus
ab ipso?
14 f l Ejecit etiam dæmonium quod erat mu-
tum: factum est autem, egresso dæmonio, loqu-
tus est ille mutus, & mirata est turba.
15 Quidam verò ex eis dixerunt, l Per Beel-
zebulem principem dæmoniorum ejicit dæmo-
nia.
16 Et alii *eum* tentantes, signum è cælo pete-
bant ab eo.
17 g Ipse verò quum nosset cogitationes eo-
rum, dixit eis, l Omne regnum dissidens adversus
sese, vastatur: & domus adversus sese *dissidens*
cadit.
18 Quòd si etiam Satanas adversus seipsum
dissidet, quomodo stabit regnum ejus? Nam dici-
tis, h per Beelzebulem ejicere me dæmonia.
19 Quòd si ego per Beel-zebulem ejicio dæ-
monia, filii vestri per quem ejiciunt? propterea
ipsi erunt vestri judices.
20 Sin autem i digito Dei ejicio dæmonia,
nempe pervenit ad vos regnum Dei.
21 Quum potens quispiam armatus custodit
k aulam suam, in pace sunt quæ ipsi suppetunt:
22 l Postquam verò quispiam eo potentior in-
vadens vicerit eum, totam armaturam ejus aufert
qua confidebat, & spolia ejus distribuit.
23 m Qui non est mecum, adversum me est: &
qui non cogit mecum, spargit.
24 n l Quum impurus spiritus exierit à quopi-
am, transit per arida loca, quærens requiem; &
non inveniens, dicit, Revertar domum meam
unde exivi.
25 Veniens igitur invenit eam versam & or-
natam.
26 Tunc proficiscitur & assumit septem alios
spiritus pejores quàm sit ipse, & ingressi habitant
illic: l fitq; ultima conditio hominis illius deteri-
or priore.
27 o Factum est autem quũ hęc diceret, attol-
lens vocem quædam mulier è turba, dixit ei, Bea-
tus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.
28 Ipse autem dixit, p Imò verò beati q qui au-
diunt sermonem Dei, r & eum observant.
29 s l Quum autem turba aggregaretur apud
eum, cœpit dicere, Gens ista mala est: signum re-
quirit: sed signum non dabitur ei, nisi signum il-
lud l Jonæ Prophetæ.
30 Nam prout fuit Jonas signum Ninevitis,
ita etiam erit Filius hominis isti genti.
31 l Regina Austri surget in judicio cum viris
gentis hujus, & condemnabit eos: quòd venerit à
terminis terræ ut audiret sapientiam Solomonis;
& ecce, plus quàm Solomon *est* hoc in loco.

quantum opus est ei.
9 Etiam dico vobis, Petite, & dabitur vobis:
quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.
10 Omnis enim qui petit, accipit: & qui quæ-
rit, invenit: & qui pulsat, aperitur ei.
11 2 Quis enim ex vobis *est* pater, à quo petit
filius panem, nunquid lapidem porrigit ei? & si
piscem petierit ab eo, nunquid pro pisce serpen-
tem porrigit ei?
12 Et, si ovum petierit ab eo, nunquid ipse
scorpionem porriget ei?
13 Et, si vos qui mali estis nostis dona bona
dare filiis vestris, quanto magis Pater vester è cæ-
lis dabit Spiritum sanctum iis qui petunt à se?
14 Et quum ejiceret dæmonium, quod erat
mutum, factum est ut quum egressum esset illud
dæmonium, loqueretur ipse mutus: & miratæ
sunt turbæ.
15 Quidam autem ex iis dixerunt, Per Beel-
zebub principem dęmoniorũ ejicit iste dæmonia.
16 Alii verò tentantes eum, signum è cęlo pe-
tebant ab eo.
17 Jeschua autem, qui sciebat cogitationes eo-
rum, dixit eis, Omne regnum quod dividetur
contra seipsum, desertum reddetur: & domus
quæ contra seipsam dividitur, cadit.
18 Et si Satanah contra seipsum divisus est,
quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis quòd
per Beel-Zebub ejicio dæmonia.
19 Et, si ego per Beel-Zebub ejicio dæmonia,
filii vestri per quem ejiciunt? propter hoc erunt
vobis judices.
20 Si autem per digitum Dei ejicio dęmonia,
3 appropinquavit ad vos regnum Dei.
21 Quum fortis armatus custodit atrium su-
um, in tranquillitate est possessio ejus:
22 Si verò veniens is qui fortior est eo, vicerit
eum, universam armaturam ejus tollit in qua
confidebat, & prædam ejus dividit.
23 Qui non est mecum, contra me est: & qui
non colligit mecum, 4 dispergendo dispergit.
24 Spiritus impurus quum egressus est à filio
hominis, abiens circumit loca in quibus aquæ
non sunt, ut quęrat sibi requiem: & quum non in-
venit, dicit, Revertar in domum meam unde exivi.
25 Et si veniat, invenit eam quòd est decens
& parata.
26 Tunc abiens ducit septem spiritus alios qui
pejores sunt quàm ipse, & ingrediuntur, & habi-
tant illic: & fit finis filii hominis illius pejor quàm
principium ejus.
27 Et quum hæc loqueretur, sustulit mulier
quædam vocem suam è turba, & dixit ei, 5 Bea-
tus venter qui portavit te, & ubera quæ lactave-
runt te.
28 Dixit ei ipse, Beati illi qui audierunt ser-
monem Dei, & custodierunt eum.
29 Et quum congregatæ essent turbæ, cœpit
dicere, Generatio hæc mala signum quærit: &
signum non dabitur ei, nisi signum Jaunan Pro-
phetæ.
30 Sicut enim fuit Jaunan signum Ninivitis,
sic erit etiam Filius hominis generationi huic.
31 Regina Austri surget in judicio cum viris
generationis hujus, & condemnabit eos, quòd
venerit à limitibus terræ ut audiret sapientiam
Schelimun, & ecce excellentior quàm Scheli-
mun, hîc.

2 F. Syr. quis enim ex vobis pater, quum petet ab eo filius panem, *recusset?* numquid lapidem porrigit ei? Ellipsis contrarii, de qua Matt.7.9.
3 F. Syr. appropinquavit sibi.
4 Hebraica enim diplosis plena emphasi, pro Omnino disperget.
5 Sic quidam Rabbi Juchannan filius Zaccai, quum vellet unum ex discipulis suis laudare, his verbis usus, dixit אשרי יולדתך, Fœlicem illam quæ te genuit: vide in tractatu Talmudico פרקי אבות.

m B. Adversus mediatores qui Christi cum Satana saltem ad tempus conciliandi rationem quęrunt. n B. Qui non perseverat, pejore est conditione quàm qui numquam cœpit. l Mat.12.43 l Heb.6.4. 2.Pet.2.20. o B. Christus non captat laudem in sese, sed in nostra salute. p Μενοῦνγε, ista conjunctio neque negat quod dictum est, neque reticet: sed infert quod certius est: corrigit enim Christus sermonem mulieris. q Cælestis vitæ & æternæ beatitudinis fiunt participes, qui fide verbum amplexi fuerint. Clavis enim regni cælorum est, gratuita Dei adoptio, quam nos ex verbo concipimus. r Tenenda est ista copula, quòd primò audire, deinde & servare verbum Dei oporteat. Nam fides est ex auditu. Rom.10.17. hinc etiam sumendum est exordium spiritualis vitæ, s B. Præposteri miraculorum flagitatores, pro miraculis pœnas auferent. l Mat.12.38, l Jonæ.2.1. l 1.Reg.10.1. 2.Par.9.1.

32 Homines Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & cōdemnabunt eam, qui conversi sunt per prædicationem Jaunan: & ecce, excellentior quàm Jaunan hic.

33 Nemo lucere facit lucernam, & ponit eam in abscondito aut subter modium, sed supra candelabrum: ut ii qui ingrediuntur videant lumen ejus.

34 Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quum igitur oculus tuus simplex *fuerit*, etiam totum corpus tuum erit lucidum: si autem fuerit malus, corpus quoque tuum erit tenebrosum.

35 Cave igitur ne lumen quod in te est, tenebræ sint.

36 Si autem totum corpus tuum lucidum sit, & non sit in eo pars aliqua tenebrosa, erit lucidum totum, quemadmodum lucerna, quum ardet, illuminat te.

37 Quum autem loqueretur, petiit ab eo Pharisæus quidam ut convivaretur apud se: & ingressus accubuit.

38 Ille autem Pharisæus quum vidisset eum, miratus est quòd non priùs lavisset ante [6] refectionem suam.

39 Dixit autem ei Jeschua, Nunc vos Pharisæi quod externum est poculi & patinæ mundatis: internum autem vestrum plenum est rapina & malitia.

40 Carentes mente, nónne qui fecit id quod est foris, etiam id quod intùs est fecit?

41 Verumtamen id quod adest, date in eleemosynam: & ecce, omnia munda sunt vobis.

42 Sed væ vobis Pharisæis qui decimatis mentham & rutam & omne olus, & pertransitis judicium & amorem Dei. Hæc autem oportebat ut faceretis, & illa non omitteretis.

43 Væ vobis Pharisæis qui amatis præcipuum consessum in synagogis [7] & salutationem in plateis.

44 Væ vobis [8] Legisperitis & Pharisæis hypocritæ, qui estis sicut sepulcra quæ non sunt nota, & filii hominis ambulant super ea, & ignorant.

45 Et respondit unus ex Legisperitis, & dixit ei, Præceptor, quum hæc dicis, etiam nos ignominia afficis.

46 Ipse autem dixit, Etiam vobis Legisperitis væ, qui oneratis filios hominis sarcinis gravibus, & uno ex digitis vestris non attingitis illas sarcinas.

47 Væ vobis qui ædificatis sepulcra prophetarum quos patres vestri occiderunt.

48 [9] Testamini igitur [10] quòd eligitis opera patrum vestrorum: quoniam illi interfecerunt eos, & vos ædificatis sepulcra eorum.

49 Propter hoc etiam sapientia dixit, Ecce, ego mittam ad eos prophetas & [11] legatos: ex ipsis persequentur & interficient:

50 Ut requiratur sanguis omnium prophetarum qui effusus fuit ex quo creatus est mundus, à generatione ista:

51 A sanguine Habil usque ad sanguinem Zecharja illius qui interfectus fuit inter templum & altare: etiam dico vobis quòd requiretur à generatione ista.

52 Væ vobis Legisperitis, qui sustulistis claves scientiæ: ipsi non ingressi estis, & eos qui ingrediebantur

[6] r. vel prandium suum, ut est in Græco.

[7] Ad verbum, Pacem: ut etiam notatum, Hebraismus.

[8] r. vel, Legisperiti & Pharisæi, ut Græca verba habent.

[9] r. vel, Testes igitur estis, & approbatis seu delectamini operibus patrum v.

[10] Id est, Approbatis opera patrum vestrorum.

[11] r. vel Apostolos.

32 Viri Ninivitæ exsurgent in judicio cum gente ista & condemnabunt eam: [k] quòd ad præconium Jonæ resipuerint: & ecce plus quàm Jonas *est* hoc in loco.

33 [l] [I] Nullus verò si lucernam accenderit in occulto ponit *eam*, neque subter modium: sed in candelabrum, ut qui ingrediuntur, splendorem videant.

34 [I] Lucerna corporis est oculus: quum igitur oculus tuus fuerit simplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quum verò malus fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

35 Considera ergo num lumen quod in te est, tenebræ sint.

36 Itaque si corpus tuum totum lucidum *fuerit*, non habens aliquam partem tenebrosam, erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore te illustrat.

37 [u] Quum autem *hæc* loquutus esset, rogavit eum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. [x] Ingressus igitur discubuit.

38 Pharisæus verò quum *hoc* vidisset, admiratus est eum non priùs ablutum fuisse ante prandium.

39 Dixit autem ei Dominus, [I] Vos quidem Pharisæi exteriorem poculi patinæq; partem purgatis: sed quod intra vos est, plenum est rapina & scelere.

40 Amentes, [y] nónne qui fecit quod foris est, [z] etiam id quod intùs est fecit?

41 Immo, [a] ea quę penes vos sunt date *in* eleemosynam: & ecce, omnia erunt vobis pura.

42 [b] Sed væ vobis Pharisæis, qui [c] decimatis mentham & rutam, & [d] quodvis olus, sed prætéritis [e] judicium & charitatem Dei. Hęc autem oportuit facere, & illa non omittere.

43 [f] [I] Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primum consessum in conventibus, & salutationes in foris.

44 [g] [I] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui estis ut monumenta quę non apparent, & *quæ* nesciunt ii qui super *ea* ambulant.

45 Respondens autem quidam ex Legis interpretibus, ait ei, Præceptor, quum hæc dicis, etiam nos afficis injuria.

46 [h] Ipse autem ait, [I] Væ vobis quoque Legis interpretibus, quoniam oneratis homines oneribus difficilibus portatu, sed ipsi uno ex digitis vestris non attingitis onera.

47 Vę vobis: quoniam ędificatis monumenta Prophetarũ, patres autem vestri trucidârunt eos.

48 Nempe [i] testimonio vestro comprobatis facta patrum vestrorum: quoniam illi quidem eos trucidârunt, vos autem ædificatis eorum monumenta.

49 Propterea etiam Sapientia Dei dixit, Mittam ad eos Prophetas & Apostolos, & ex ipsis *quosdam* trucidabunt, & *quosdam* [k] expellent.

50 Ut à gente ista [l] requiratur sanguis omnium Prophetarum effusus à jacto mundi fundamento,

51 [I] A sanguine Abel usque ad sanguinem [I] Zachariæ, qui periit inter altare & ædem: profectò, dico vobis, requiretur ab hac gente.

52 [m] Væ vobis Legis interpretibus, quoniam [n] sustulistis clavem cognitionis: ipsi non introistis,

[I] Jonæ 3.5.

[l] B. Ideo accenduntur mentes cognitione Dei, ut alii aliis præluceamus, ac proinde laborandum in primis de vera illa luce petenda.

[I] Supr. 8.16. Matt. 5.15. Mar. 4.21.

[I] Matt. 6.22.

[u] B. Cultus Dei non in externa munditie & excogitatis ritibus, sed in spiritualis cordis justitia & charitate positus est.

[x] Non ut comessationes sectaretur conviviis adesse solebat Dominus noster, sed ut quoquo modo posset, venaretur occasionem docendi verbi Dei.

[I] Matt. 23.25.

[y] Pharisæorum stultitiam hac ratione coarguit Christus, quòd Deus, quia interiorem animam non minùs quàm corpus creavit, sola externa specie placari nequeat.

[z] Subaudi, Cur ergo utraque munda ut sint non curatis?

[a] i. pro facultatibus vestris (quasi dicat) vestris rapinis quæ impediebant quo minus puri vesci possetis, opponatur charitas quæ ex iis quæ vobis supperunt, liberales sitis in egenos. sic futurum est ut sanctificetur quod intra patinam est, etiam si patina abluta non fuerit.

[b] B. Hypocritarum est minuta persequi, præcipua omittere.

[c] Decimam partem ex Dei lege persolvendam decidistis.

[d] i. omne genus olerum, ut expectat Augustinus in Enchir. ad Laurent. cap. 99. ubi similitudine docet explicandum quod ait Paulus 1. Timoth. 2. 4. Deum velle omnes salvos fieri. [e] Id est, quod justum & æquum est: complectitur autem judicium præcepta secundæ tabulæ, charitas autem Dei primam. [f] B. Hypocrisis & ambitio plerumque conjunctæ. [I] Infrà 20.46. Matt. 23.6. Mar. 12.38. [g] B. Hypocritæ externo aspectu fallunt. [I] Matt. 23.27. [h] B. Hypocritę in alios severissimi, omnia sibi indulgent. [I] Matt. 23.4. Act. 15.10. [i] Quum furentes persequamini Dei servos, idq; patrum vestrorum exemplo, etiamsi pietatis studium prætexatis, revera tamen dum Prophetarum monumenta exornatis, trophæa avitæ crudelitatis erigitis. [k] Ita insectabuntur ut tandem expellant. [l] Id est, ut ratio à vobis reposcatur, atque adeò pœnæ exigantur fusi sanguinis Prophetarum. [I] Gen. 4.8. [I] 2. Par. 24.21. [m] B. Jampridem ii præcipuè arcent populum ab aditu cognitionis Dei, quos oportuit esse Ecclesiæ janitores. [n] Absconditis & sustulistis è medio, ut nusquam compareant.

o B. Evadit quidem mundus eo deterior quo magis reprehenditur, sed nihilominus minimè prodenda veritas.
p Variis propositis quæstionibus aliquid ex ore elicere, quod insidiando carpere possent.

troistis, & eos qui introibant prohibuistis.
53 o Quum autem hæc eis diceret, cœperunt
Scribæ & Pharisæi vehementer *ipsi* imminere, &
cum p allicere ad loquendum de multis:
54 Insidiantes ei, & cupidè venantes aliquid
ex ipsius ore, ut eum accusarent.

diebantur prohibuistis.
53 Et quum hæc diceret eis, cœperunt Legisperiti & Pharisæi indignari: & irascebantur, &
[12] aucupabantur sermones ejus:
54 Et insidiosè agebant cum eo in multis, quærentes carpere aliquid ex ore ejus; ut possent accusare eum.

12 Syra vox est à כמן deducta: quod vocabulum Rabbi Salomo, Hebræus interpres, exponit pro voce שנשן, Visco avibus insidiari.

CAPUT XII.

1 Fermentum Pharisæorum. 5 Quis timendus. 8 Confiteri Christum. 16 Parabola divitis cujus agri exuberârant. 22 Terrenorum cura despicienda. 31 Regnum Dei quærendum. 39 Christi adventus, ut furis in nocte. 51 Dissidia ob Evangelium.

a B. Fidelibus doctoribus constitutis cavendi sunt inprimis qui puritatem doctrinæ speciosis commentis inficiunt: deinde danda opera ut palàm & intrepidè auxilio Dei freti, sinceram doctrinam proponant.
§ *Matt.16.6. Mar.8.14.*
b Ad verbum, populi myriades. numerus certus pro incerto, id est, multitudo innumerabilis.
c De impendentibus periculis monet, quoniam improvisa vehementiùs feriunt.
§ *Matt.10.26. Mar.4.22. Suprà 8.7.*
§ *Matt.10.28.*
d B. Etiamsi hypocritæ principes habeant suæ crudelitatis ministros, nulla tamen causa est cur vel tantillùm trepidemus, quum illi nihil possint nisi quod Deus volet, nec unquam velit Deus quod repugnet suorum saluti.
e Amicos eos vocat, ut consolationem in adversis capiant.
§ *Matt.10.29.*
§ *Act.27.38.*
f B. Ingens constantis confessionis merces, horrenda abnegationis pœna, atq; adeò irrevocabilis pœna, si dedita opera ore & animo blasphemetur cognita veritas.
§ *Suprà 9.26. Mat.10.32. 2.Tim.1.12.*

INtereà a § quum coacta esset b permulta turba,
adeò ut alii alios conculcarent, cœpit dicere
discipulis suis, c In primis cavete vobis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.
2 § Nihil enim opertum est, quod non sit retegendum: & *nihil* occultum, quod non sit cognoscendum.
3 Propterea quæ in tenebris dixistis, in luce
audientur: & quod in aurem loquuti estis in conclavibus, prædicabitur in solariis.
4 § d Dico autem vobis e amicis meis, Ne timete *vobis* ab iis qui trucidant corpus, & posteà
non habent quod amplius faciant.
5 Præmonstrabo autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam trucidârit, potestatem habet conjiciendi in gehennam: utique, dico
vobis, hunc timete.
6 § Nónne quinque passerculi væneunt assariis duobus? & *tamen* unus ex iis non est in oblivione in conspectu Dei?
7 § Quinetiam capilli capitis vestri omnes
numerati sunt. ne igitur timete: multis passerculis præstatis.
8 f § Dico autem vobis, Quisquis me agnoverit coram hominibus, Filius quoque hominis
agnoscet eum coram Angelis Dei.
9 Qui verò me abnegaverit in conspectu hominũ, abnegabitur in conspectu Angelorum Dei.
10 § Et quisquis loquutus fuerit adversus Filiũ
hominis, ei remittetur: ei verò qui adversus Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur ei.
11 g § Quum autem adduxerint vos ad synagogas & ad magistratus ac potestates, ne soliciti
estote quomodo aut quid pro defensione allaturi
aut quid dicturi sitis:
12 Spiritus enim sanctus docebit vos eo ipso
momento, quæ oporteat dicere.
13 h Dixit autem ei quidam è turba, Præceptor,
dic fratri meo ut partiatur mecum hæreditatem.
14 Ipse vero dixit ei, i Heus tu, quis me vobis
judicem aut partitorem præfecit?
15 Dixit igtur eis, Videte, & cavete ab k avaritia. nec enim cujusquam l vita ex iis quæ ipsi suppetunt, in eo sita est ut redundet.
16 m Dixit autem eis parabolam in hæc verba,
§ Hominis cujusdam divitis exuberârat n regio:
17 Itaque o ratiocinabatur apud se, dicens,
Quid faciam? nec enim habeo ubi cogam fructus meos.
18 Et dixit, Hoc faciam: destruam horrea mea,

ET quum congregatæ essent multitudines turbarum magnæ, adeò ut conculcarent [1] alius
alium, cœpit Jeschua dicere discipulis suis, [2] Primùm cavete vobis ipsis à fermento Pharisæorum, quod est [3] hypocrisis.
2 Non est autem quicquam quod latet, quod
non sit revelandum: neque occultum, quod non
sit cognoscendum.
3 Quicquid enim in tenebris dixistis, in luce
audietur, & quod in cubiculis in aurem mussitastis, super tecta prædicabitur.
4 Dico autem vobis amicis meis, Ne timeatis ab iis qui occidunt corpus: & posteà non est
eis aliquid amplius ad faciendum.
5 Ostendam autem vobis à quo timeatis, ab
eo qui postquam interfecerit, potestatem habet
injiciendi in gihannah: etiam dico vobis ut ab
hoc timeatis.
6 Nónne quinq; passeres emuntur duobus
[4] assir, & unus ex illis [5] non [6] fallit cõspectum Dei?
7 Vestrûm autem etiam capilli cæsariei capitis
vestri omnes numerati sunt. Ne igitur timueritis;
nam multitudine passerum præstâtiores estis vos,
8 Dico autem vobis quòd omnis qui confessus fuerit me coram filiis hominis, etiam Filius
hominis confitebitur eum coram Angelis Dei:
9 Qui autem negaverit me coram filiis hominis, negabitur coram angelis Dei.
10 Et omnis qui dixerit sermonem contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem cõtra Spiritum sanctũ blasphemaverit, non remittetur ei.
11 Quum autem obtulerint vos in synagogis
coram principibus & potestatem habentibus, ne
soliciti sitis [7] quomodo proferatis defensionem,
aut quid dicturi sitis,
12 Spiritus enim sanctus docebit vos in illa
hora id quod oportet ut dicatis.
13 Dixit autem ei quidam ex ea turba, Præceptor, dic fratri meo *ut* dividat mecum hæreditatem.
14 Jeschua autem dixit ei, Homo, quis constituit me super vos judicem & divisorem?
15 Et dixit discipulis suis, Cavete ab omni avaritia. quia nequaquam in abundantia facultatum est vita.
16 Et dixit parabolam ad eos, Homini cuidam
diviti produxerat ejus solum proventus multos.
17 Et cogitabat apud se, & dicebat, Quid faciam, quum non sit mihi ubi coacervem proventum meum?
18 Et dicebat, hoc faciam, destruam [8] repo-

1 Ad verb. Unus unũ, Hebraismus.
2 F. vel in primis, ante omnia.
3 Ad ver. Acceptio vultus, Hebraismus.
4 De valore assir, vide annotationem quæ est in fine Marci 12.
5 Id est, Deum latere non potest.
6 F. vel oblivioni traditur, significatione Syra.
7 Ad verb. Quomodo proferatis dilatationem, sive respirationem, hoc est rationes quibus vos ab oppressione calumniatorum sublevetis. F. vel quomodo efferatis spiritum, id est, sermonem enuncietis, qui ferè intercipitur reis aut periculorum metu, aut magistratuum amplitudine & specie. Sic accepisse videtur ἀπολογεῖσθαι, sic infrà 21.14.
8 Ad verb. Locum capsarum mearum, Vox כסף propriè significat arcam in qua reconduntur vestes vel aliæ res pretiosæ: & alludit ad capsam, Latinam vocem, à qua fortassis desumpta est: sed dilatatur ejus significatio, ut latiùs hîc pateat quàm apud Latinos, quum etiam ad proventuum repositoria accommodetur. F. etsi ne hîc quidem usus antequis auctoribus Latinis fuit insolens. Sic enim Tullius in Verrem non obscurè loquutus est, & capsellam pro repositorio frumenti Jurecos. nominat l. quæsitum 12. ff. de fund. instru. Est enim capsus & capsa à capiendo dicta, δοχεῖον.

§ *Matt.12.31. Mar.3.28. 1.Joh.5.16.* g B. Magnum est confessionis certamen, sed vel infirmissimis certantibus non deerit suo tempore qui omnia potest.
§ *Matt.10.19. Mar.13.11.* h B. Christus tribus de causis recusat esse familiæ herciscundæ judex: primò, ne carnalem Judæorum de Messiæ regno opinionem foveat: secundò, ut politicum imperium ab Ecclesiastico ministerio distinguat; tertiò, ut iis occurrendum doceat qui Evangelii prætextu, atq; adeò ministrorum nomine ad privata sua commoda abutuntur. i Nimis insulsè Anabaptistæ ex hac responsione inferunt, non licere homini Christiano hæreditates partiri, se interponere forensibus negotiis, vel aliquod civile munus obire. Neq; enim Christus à reipsa arguit, sed à sua vocatione: quia enim ordinatus erat à patre in alium finem, se judicem esse negat quia non habeat tale mandatum. k πλεονεξία declarat immodicam illam omnem acquirendi cupiditatem, quæ sæpiùs fit cum aliorum detrimento. l Id est, Deus (non bona) auctor est & idem conservator vitæ. m B. Nulli dementiores quàm divites qui ab opibus suis pendent. § *Eccl.11.19.* n Is enim hoc loco describitur, qui non fundum quempiam, sed totam aliquam regionem possideat, ut solent ii qui domum domo, agrum agro conjungunt. Esai.5.8.
o Id est, rationes suas apud se subducebat. propriè dictum in avaros, qui totam vitam in iis nugis transigunt.

sitoria mea,& ædificabo ac faciam majora ea, &
coacervabo illic omne frumentum & bona mea:
19 Et dicam animæ meæ, anima mea sunt tibi bona multa, quæ reposita sunt in annos multos: requiesce,comede,bibe,exsulta.
20 Dixit autem ei Deus,O carens mente,hac nocte animam tuam [9] quærent abs te: & hæc quæ parasti cui erunt?
21 Sic est [10] is qui thesaurizat sibi thesauros, & in Deo non est dives.
22 Et dixit discipulis suis, Propter hoc vobis dico,ne soliciti sitis animæ vestræ quid comedetis,neque corpori vestro quid induetis.
23 Anima enim præstantior est quàm esca,& corpus *præstantius* quàm vestimentum.
24 Considerate corvos qui non serunt neque metunt, neq; sunt eis [11] cubicula & repositoria, & Deus nutrit eos. Quanto igitur vos præstantiores estis volucribus?
25 Quis autem ex vobis, quum solicitus est, potest addere ad staturam suam cubitum unum?
26 Si verò etiam minimum non potestis,quid pro reliquo soliciti estis?
27 Considerate lilia quomodo crescunt: & non laborant,neq; nent: dico autem vobis quòd ne Schelimun quidem in omni sua gloria amictus fuit sicut unum ex illis.
28 Si autem gramen quod hodiè est in agro, & cras ruit in clibanum, Deus sic vestit, quanto magis vos,pusilli fide?
29 Et vos ne quæratis quídnam comedetis, & quid bibetis: neque distrahatur cogitatio vestra in istis.
30 Hæc enim omnia populi hujus mundi quærunt: vobis autem quoque Pater vester novit quòd necessaria sunt hæc.
31 Quin potius quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.
32 Ne timeas [11] grex pusille, quia vult pater vobis dare regnum.
33 Vendite possessionem vestram,& date [12] eleemosynam. Facite vobis crumenas quæ non veterascunt, & thesaurum qui [13] non transit, in cælo: quò fur non accedit, & tinea non corrumpit.
34 Ubi enim est thesaurus vester, ibi etiam erit cor vestrum.
35 Sint accincti lumbi vestri, & lucentes lucernæ vestræ.
36 Et estote similes hominibus qui exspectant dominum suum,quando revertetur à domo convivii, ut quum venerit & pulsaverit, illicò aperiant ei.
37 Beati sunt servi illi quos quum venerit dominus eorum,invenerit quoque vigilantes. Ammin dico vobis, quòd accinget lumbos suos, & accumbere faciet eos, & transiens ministrabit eis.
38 Et si in custodia secunda aut tertia venerit,& invenerit ita,beati sunt servi illi.
39 Hoc autem scitote, quòd [14] si scivisset dominus domus in qua custodia venturus erat fur, vigilasset,neq; sivisset ut aperiretur domus sua.
40 Etiam vos igitur estote parati, quia ea hora qua non putatis veniet filius hominis.

[9] F. i. quæretur, reposcetur, recipietur, impersonaliter. Hebraismus. sic versu 48.
[10] F. vel cellæ, ex Ezechiele.
[11] Legitur quoq; עדריא pro pusillo grege, in paraphraste Chaldæo, 1. Reg. 20.27.
[12] Observatione dignum quòd Hebræis, Chaldæis & Syris צדקה & צדקתא i. Justitia dicatur eleemosyna, quo docent munificentiam erga inopes, esse justitiæ non postremam partem: quæ etiam Lege districtè præcipitur Deut. 15. Remansit autem ejusdem nominis usus in Novo quoque testamento, 2. Cor. 9. & in Evangelio pluribus locis occurrit.
[13] Nam עבר idem significat quòd עבר.
[14] F. vel si sciret paterfamiliâs qua hora fur venturus esset, vigilaret, &c.

& majora ædificabo: & illic cogam omnes proventus meos, & bona mea:
19 Et dicam animæ meæ, Anima,habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, comede, bibe, [p] oblectare.
20 Dixit autem ei Deus, Amens, hac nocte anima tua [q] repetitur abs te: quæ verò parasti, cujus erunt?
21 Ita *est* qui thesaurum recondit [r] sibi, nec est in Deo dives.
22 [s] Dixit autem discipulis suis, [‖] Propterea dico vobis, ne soliciti estote de anima vestra, quid esuri sitis: neque de corpore, qua re sitis induendi.
23 Anima plus est quàm alimentum,& corpus quàm vestitus.
24 Considerate corvos, neque serere, neque metere: quibus non est cella neque horreum, & *tamen* Deus alit eos: quanto vos præstatis volucribus?
25 Quis autem ex vobis solicitè cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum?
26 Itaque si ne rem quidem minimam *præstare* potestis,quid de residuis illis estis soliciti?
27 Considerate lilia, quomodo crescant: non fatigantur,neque nent. dico autem vobis, ne Solomonem quidem in omni gloria sua amictum fuisse ut unum illorum.
28 Quòd si herbam quæ hodie est in agro, & cras in clibanum conjicitur, Deus ita circumvestit, quanto magis vos,exigua fide præditi?
29 Vos igitur ne quærite quid esuri sitis, aut quid bibituri: & ne [t] suspenso animo estote.
30 Hæc enim omnia gentes mundi requirunt: Pater autem vester novit vos istis indigere.
31 [u] Quin potiùs quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.
32 [x] Ne time, parve grex ille, [y] nam placuit Patri vestro dare vobis regnum illud.
33 [z] [‖] Vendite quæ habetis,& [a] date eleemosynam. Parate vobis crumenas quæ non veterascunt, thesaurum in cælis qui nunquam deficiat, quò fur non appropinquat, *&* *ubi* tinea non corrumpit.
34 Ubi enim thesaurus vester est, illic & cor vestrum erit.
35 [b] [‖] Sint lumbi vestri præcincti, & *vestræ* lucernæ accensæ;
36 Et similes *estote* vos iis qui exspectant quando dominus suus regressurus sit [c] à nuptiis, ut quum venerit, ac pulsaverit, statim aperiant ei.
37 Beati servi illi,quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, præcinget se & faciet ut discumbant, & accedens ministrabit eis.
38 Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, atque ita invenerit, beati sunt servi illi.
39 [‖] Hoc autem scitote, si sciret paterfamiliâs qua hora fur venturus sit, vigilaret, nec sineret perfodi domum suam.
40 [d] Et vos igitur estote parati. quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

[p] Animo sis læto atque hilari.
[q] Quamquam verbum *repetunt* pluralis est numeri, quia tamen indefinitum est, nihil aliud significat quàm alieni juris esse quam dives in manu sua vitam esse ducebat.
[r] Sese respiciens, aut seipso fretus.
[s] B. Seria cogitatio de providentia Dei, remedium præbet adversus stultissimas & maximè anxias hominum de hac vita solicitudines.
[‖] *Mat.* 6.25. 1. *Pet.* 5.7. *Psal.* 55.22.
[t] Metaphora à meteoris ducta, quæ in aëre suspenduntur. qui enim de humana vita soliciti, in humana præsidia respiciunt, ii pendent animi, nunc huc, nunc autem illuc inclinant. Nullum enim satagendi modum sibi facit carnis nostræ intemperies, quin cælum & terram centies revolvat. Hinc fit ut nullum relinquat Dei providentiæ locum.
[u] B. De regno Dei solicitis nihil deerit.
[x] B. Stultum est ab eo minima non sperare qui maxima ultrò largiatur.
[y] Verbo εὐδοκεῖν, significat ex gratuito misericordiæ fonte fluere vitam æternam, proinde singula verba singulas habent emphases. Si Deo places, quid nocere potest, etiamsi displiceas omnibus? si Deus pater est, quid de voluntate ejus diffidis? *vestro*] Non patriarcharũ tantùm ac prophetarum. *Dare*] Non operum vestrorum meritis potuistis hoc cæleste beneficium acquirere, sed ex gratuita patris misericordia vobis conferetur. *Vobis*] tametsi pauperibus, insipientibus, injustis, & peccatoribus. *Regnum*] Non terrenum aut caducum, sed cæleste & perpetuum.
[z] B. Sancta prodigalitas, certum ad veras opes parandas compendium.
[‖] *Mat.* 6.20.
[a] Metonymia, qua significatur beneficio declarata clementis misericordisq; affectionis benignitas, quæ eleemosyna dicitur, à nomine ἐλέημον deducta, quòd ab altero nomine ἔλεος i. misericordia derivatur. Dat igitur eleemosynam, qui benignè faciendo alteri & tribuendo aliquid egenti, affici sese misericordia illius ostendit.
[b] B. Fidelium servorum Dei vita in hoc mundo, est pervigil quædam peregrinatio, præeunte Verbi lucerna.
[‖] 1. *Pet.* 1.13.
[c] Solebant nuptiæ nocte celebrari.
[‖] *Mat.* 24.43.
[d] B. Nullis major incumbit vigilandi necessitas, quàm iis qui aliquem honoris gradum in Dei familia sunt adepti.

41 Dixit autem ei Petrus, Domine, nobis dicis istam parabolam, an etiam omnibus?

42 Dixit autem Dominus, Quisnam est fidus dispensator ac prudens, quem dominus præficiet famulitio suo, ut in tempore det ᵉ demensum?

43 Beatus servus ille, quem, quum venerit dominus, invenerit ita facientem.

44 Verè dico vobis, omnibus quæ sibi suppetunt præficiet eum.

45 Quòd si dixerit servus ille in corde suo, Tardat dominus meus adventum: cœperítque verberare servos & ancillas, & edere & bibere & inebriari:

46 Veniet dominus servi illius eo die quo non exspectat, & ea hora quam non novit: & ᶠ separabit eum, partémque cum infidis ei assignabit.

47 Ille autem servus qui novit voluntatem domini sui, & neque *se* comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, ᵍ cædetur multis *plagis*:

48 ʰ Qui verò non novit & fecit digna plagis, cædetur *plagis* paucis. Porrò cuicunque multum datum fuerit, multum repetetur ab eo, & apud quem depositum fuerit multum, ampliùs reposcetur ab eo.

49 ⁱ Ignem veni missurus in terram, ᵏ & quid volo si jam accensus est?

50 ˡ Sed baptismo oportet me baptizari, & quomodo constringor usquequò *hoc* perficiatur?

51 ᵐ Putatis me advenisse pacem daturum in terra? non, dico vobis, imò dissidium.

52 Erunt enim ex hoc *tempore* quinque in una domo dissidentes, tres adversus duos, & duo adversus tres.

53 Dissidebit pater adversus filium, & filius adversus patrem: mater adversus filiam, & filia adversus matrem: socrus adversus nurum suam, & nurus adversus socrum suam.

54 ⁿ ᴵ Dicebat autem etiam turbæ, Quum videritis nubem ᵒ exorientem ab Occasu, statim dicitis, Imber venit: & ita fit.

55 Et quum Austrum flantem, diciris, Æstus erit: & fit *æstus*.

56 Hypocritæ, faciem terræ & cæli nostis explorare: hoc autem tempus qui fit ut non exploretis?

57 ᵖ Cur autem & per vos ipsos non discernitis quod justum est?

58 ᴵ Enimverò dum abis cum adversario tuo ad magistratum, da operam in via ut libereris ab eo: ne pertrahat te ad judicem, & judex tradat te ᑫ exactori, & exactor conjiciat te in carcerem.

59 Dico tibi, non exibis illinc usquequò ultimum etiam minutum reddideris.

ᵉ i. singulis mensibus destinatam mensuram frumenti.

ᶠ Vel in duas partes dividet, id est separabit, & consortem faciet infidorum. q. d. Eximet eum numero servorum suorum fidelium, & condemnabit.

ᵍ Scienti enim bonum & non facienti, peccatum est illi, Iacob. 4. 17.

ʰ Altera circumstantia docet Christus graviùs plectendos esse discipulos selectiores, si spreta vocatione libidinosè ad omnem licentiam se prostituant: quia ut quisque præstantior est, ita plus sibi commissum cogitare debet, atque hac quidem lege ut reddenda sit olim ratio.

ⁱ B. Evangelium sicut est unica veræ pacis causa inter pios, ita est inter impios summa perturbationis occasio.

ᵏ Hoc positum est pro eo quod erat, Nil aliud volo. Et si jam accensus est, celeritatis habet emphasin, & in eo subest tacita significatio voti,

ˡ His verbis extremi sibi actum restare asserit Dominus, ut sua morte renovationem mundi consecret. ᵐ Vide Mat. 10. 34. ⁿ B. Homines in terrenis rebus acutissimi, spontanea malitia in iis quæ ad cælestem vitam spectant, planè cæcutiunt. ᴵ *Mat.* 16. 2. ᵒ i. quæ appareret, & colligeretur in illa cæli plaga. ᵖ B. Homines amore sui cæci, ac proinde rixosi ac pertinaces præmium suæ stultitiæ ferent. ᴵ *Mat.* 5. 25. ᑫ Ei qui mulctas exigit: cujusmodi erant constitutæ in temerè litigantes: præterea Magistratuum ministri damnatos cogunt ad persolvendum quod debent, idque interdum etiam addita non tantùm impensarum, sed etiam carceris pœna in rebelles.

41 Dixit ei Schemeun Cipha, Domine noster, ad nos dicis tu parabolam hanc, an etiam ad omnem hominem?

42 Dixit ei Ieschua, Quisnam est [15] dispensator fidelis & prudens, quem constituit dominus ejus super famulitium suum, ut det portionem *cibi* in tempore suo?

43 Beatus est servus ille quem veniens dominus ejus invenerit quòd faciat ita.

44 Verè dico vobis quòd constituet eum super universam possessionem suam.

45 Si verò dixerit servus ille in corde suo, Dominus meus tardat venire: & inceperit percutere servos & ancillas domini sui, & inceperit edere & bibere, & inebriari:

46 Veniet dominus servi illius in die qua non putavit, & in hora qua nō novit: & [16] dividet eū, & [17] ponet partē ejus cum eis qui nō sunt fideles.

47 Servus autem qui novit voluntatem domini sui, neq; parat se secundùm voluntatem ejus, [18] patietur multa.

48 Qui verò non novit, & fecit id quod dignum est plagis, patietur plagas paucas. Cuicumque enim datum est multum, multum quæretur ab eo: & apud quem depositum est multum, amplius quærent in manu ejus.

49 Ignem veni ut mittam in terram, [19] & cupio ut jam accensus sit.

50 Et baptismus est mihi ut *eo* baptizer, & multùm premor usquedum perficiatur.

51 Putatis vos quòd venerim ut tranquillitatem immittam in terram? Dico vobis quòd [20] nō, sed divisionem.

52 [21] Deinceps enim erunt quinque in domo una qui divisi erunt, tres adversus duos, & duo adversus tres.

53 [22] Dividetur enim pater adversus filium suum, & filius adversus patrem suum: & mater adversus filiam suam, & filia adversus matrem suam: socrus adversus nurum suam, & nurus adversus socrum suam.

54 Et dicebat turbis, Quum videritis nubem quæ oriatur ab occidente, statim dicitis, Pluvia venit: & est ita.

55 Et quum flat Auster, dicitis quòd æstus fiet: & fit.

56 [23] Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis discernere, tempus autem hoc quomodo non discernitis?

57 Cur autē à vobis ipsis nō judicatis veritatē?

58 Quum enim abis cum adversario tuo ad principem, dum in via es da [24] mercedem, & liberaberis ab eo: ne ducat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor conjiciat te in domum vinctorum.

59 Et ammin dico tibi quòd non exibis inde donec dederis [25] octavum ultimum.

[15] Ad verb. Qui nutrit familiam, vel nutritius familiæ. Elegans periphrasis dispensatoris, ab ejus munere.

[16] Id est, Removebit, & avellet eum à familiæ administratione.

[17] i. Mercedem rependet quam merentur servi infidi.

[18] Ad verb. Devorabit: vt paulo pòst etiam. F. nempe legebat Tremellius noster יִבָּלַע, ut legitur in libris nostris י loco ב. Est autem hoc Syrè tantumdem ac si dixeris, tegetur, id est, cædetur & percutietur κατὰ μετάληψιν.

[19] F. Videtur enim legisse Syrus, καί τοι θέλω. Interrogationes verò sequentes exprimit κατηγορικῶς.

[20] Id est, Minimè.

[21] Ad verbum, Ex nunc. Hebraismus.

[22] F. id est, dissidebunt, dissentient, in discordia erunt, quam prisci Latini vocabant dividiam.

[23] Ad verbum, Assumentes vultum. vide Matth. 6. quæ de hac voce annotavimus.

[24] Paraphrastes vocem Græcam ἐργασίαν (id est operam) pro operis mercede accepit: quo sensu etiam apud Latinos interdum accipitur. F. Sensus autem est, potiùs mercedem tuam vel quæstum tuum (sic enim vox Syra accipitur 1. Tim. 6.) & diurni laboris tui operæque pretium cedito adversario tuo, pacémq; ab eo redimito cedens omnibus commodis & necessariis rebus, quàm ut dissidium sinas persistere. [25] Vide annotata Marci 12. 42. vel sextantem.

CAPUT XIII.

1 De Galilæis, 4 & iis qui in Siloë oppressi sunt. 6 Ficus non ferens fructum. 11 Mulier spiritu infirmitatis (id est, morbo à Satana inflicto) laborans, sanatur. 19 Parab. grani sinapis, 21 Fermenti. 23 Quæstio, An pauci salvandi. 31 Herodes, vulpes.

ADfuerunt ᵃ autē eo ipso tempore quidam annunciantes ei de Galilæis, quorum sanguinē ᵇ Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificiis.

ᵃ B. Iustis aliorum pœnis non oportet nos insultare, sed iis potiùs ad resipiscentiam erudiri. ᵇ Annis ferè decem præfedit in Iudæa Pontius Pilatus, Et circiter annum quartum provinciæ ipsius, qui esset 15. regni Tiberii, opus redemtionis humanæ morte sua absolvit Christus.

EOdem autem tempore venientes quidam dixerunt ei de Galilæis istis quorum Pilatus miscuit sanguinem sacrificiis ipsorum.

2 Et respondit Jeschua, ac dixit eis, Putatis vos quòd illi Galilæi peccatores fuerint plus quàm omnes *alii* Galilæi, quia sic factum est eis?

3 Non: dico autem vobis, quòd etiam omnes vos, si non conversi fu eritis, similiter peribitis.

4 Aut illi octodecim super quos cecidit turris in Schilucha, & interfecit eos, putatis vos quòd peccatores erant magis quàm omnes filii hominis qui habitant in Urischelem?

5 Nequaquam: dico autem vobis, quòd si non conversi fueritis, omnes vos sicut illi peribitis.

6 Et dixit parabolam hanc, Ficus erat cuidam quæ plantata erat in vinea ejus: & veniens quæsivit in ea fructus, & non invenit.

7 Et dixit cultori, Ecce tribus annis veniens quæro fructus in ficu hac, & non invenio. abscinde eam: quare otiosam reddit terram?

8 Et dixit ei cultor, [1] Dimitte eam etiam hoc anno, donec coluero eam, & stercoravero eam.

9 Et si fecerit fructus, [2] *relinques:* & si non, cur viveret? abscindes eam.

10 Quum autem doceret Jeschua in sabbatho in una ex synagogis,

11 Erat ibi mulier cui fuerat spiritus infirmitatis annis octodecim, & curva erat, nec poterat sese extendere prorsus.

12 Vidit autem eam Jeschua, & vocavit eam, ac dixit ei, Mulier, soluta sis ab infirmitate tua.

13 Et posuit manum suam super eam: & confestim extendit sese, & glorificavit Deum.

14 Respondit autem princeps synagogæ, qui irasceretur eo quòd sanaret in sabbatho Jeschua: & dixit turbis, Sex sunt dies in quibus oportet operari: in eis venientes sanemini, non autem in die sabbathi.

15 Jeschua autem respondit, & dixit ei, [3] Assumens vultum, [4] unusquisque vestrum in sabbatho nonne solvit bovem suum, aut asinum suum à præsepi, & abiens præbet potum *ei?*

16 Hanc auté quæ filia est Abrahami, & ligaverat eam [5] accusator [6] ecce, octodecim annos, non oportebat solvi ab hoc vinculo in die sabbathi?

17 Et quum hæc diceret, erubescebant omnes qui stabant contra eum. Et totus populus lætabatur in omnibus mirabilibus quæ fiebant per [7] manum ejus.

18 Dicebat autem Jeschua, Cui simile est regnum Dei, & cui assimilabo illud?

19 Simile est [8] grano sinapis, quod quum accepisset homo, jecit ipsum in hortum suum: & crevit, & factum est arbor magna, & volucres cæli nidificatæ sunt in ramis ejus.

20 Rursus dixit Jeschua, Cui assimilabo regnum Dei?

21 Simile est fermento, quod quum accepisset mulier recondidit [9] in farina trium satorum, donec totum fermentaretur.

22 Et iter faciebat per pagos & per civitates docens: & abiit Urischelem.

23 Interrogavit autem eum quidam, num pauci sint [10] qui serventur.

24 Jeschua autem dixit eis, Contendite intrare per angustam portam. Dico enim vobis quòd multi quærent intrare, & non [11] invenient.

25 Et ex ea hora qua surget dominus domus, & claudet portam, & eritis stantes foris, & pulsantes ad portã, & incipietis dicere, Domine noster, Domine noster, aperi nobis: & respondebit ipse, & dicet, Dico vobis quòd non novi vos unde sitis.

[1] V. alii, Domine mi, dimitte, &c.

[2] V. Sermo anantapodotos, ut Marci 11.32. supple benè est, aut relinques, aut non exscindes. quod genus ἀναποδότων Græcis quoque & Latinis est frequentissimum.

[3] Vide Mat.6. in principio.

[4] Ad verb. Unus unus. Hebraism.

[5] Vide Mat.4. in principio.

[6] V. vel jam, ex Syrorum usu.

[7] Pro, per eum, Hebraism.

[8] Vide de magnitudine sinapis quod crescebat in Judæa, Mat. 13.32.

[9] V. vel in farina satis tribus.

[10] Ad verbum, Qui vivant.

[11] V. vel poterunt: nam variat hujus verbi apud Hebræos significatio.

26 Et

2 Et respondens Jesus dixit eis, Putatis hos Galilæos præ omnibus Galilæis peccatores fuisse, quòd talia passi sint?

3 Nequaquam, dico vobis: imò nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis.

4 Aut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in [c] Siloam, & quos trucidavit, putatis [d] debitores fuisse præ omnibus hominibus qui habitant Hierosolymis?

5 Nequaquam, dico vobis: imò nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis.

6 Dixit autem hanc parabolam, Ficum habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in ea, neque invenit.

7 Dixit autem vinitori, [e] Ecce, anni tres sunt *ex quo* [f] venio quærens fructum in ficu ista, & non invenio: exscinde eam: quorsum etiam terram [g] inutilem reddit?

8 Ille verò respondens dixit ei, Domine, sine eam etiam hoc anno, usquequo fodero circum eam, & misero stercus:

9 Et si quidem tulerit fructum, *sines:* sin minùs, posteà exscindes eam.

10 [h] Docebat autem in quadam synagoga Sabbatho.

11 Et ecce, mulier adfuit, habens [i] spiritum invaletudinis *ab* annis decem & octo: eratq; incurva, nec prorsus *sese* poterat recurvare.

12 Ipsam autem Jesus visam advocavit, & dixit ei, Mulier, [k] soluta es ab invaletudine tua.

13 Et imposuit ei manus: & illico [l] surrecta est, & glorificabat Deum.

14 [m] Respondens autem [n] præfectus synagogæ, indignans quòd Sabbatho sanasset Jesus, dixit turbæ, Sex dies sunt quibus oportet operari: his ergo *diebus* venite & curamini, & non die Sabbathi.

15 Respondit ergo ei Dominus, & dixit, Hypocrita, unusquisq; vestrûm Sabbatho nonne solvit bovem suum aut asinum à præsepi, & ducit aquatum?

16 Hanc autem filiam Abrahami, quam vinxerat Satanas, ecce [o] decem & octo annos, non oportuit à vinculo isto solvi die Sabbathi?

17 Et quum hæc diceret, pudore afficiebantur omnes qui se opponebant ei: tota verò turba gaudebat super omnibus gloriosis rebus quæ fiebant ab eo.

18 [l] Dixit autem *Jesus*, Cui rei simile est regnum Dei, & cui illud assimilabo?

19 [p] Simile est grano sinapis, quod acceptum quispiam misit in hortum suum: & crevit, & evasit in arborem magnam, & volucres cæli nidulatæ sunt in ejus ramis.

20 Et [l] rursũ dixit, Cui *rei* assimilabo regnũ Dei?

21 Simile est fermento quod acceptum mulier indidit in farinæ sata tria, usquequo fermentaretur tota.

22 [l] Peragrabat igitur singulas urbes & vicos, docens, & iter faciens Hierosolymam.

23 [q] Dixit autem ei quidam, Domine, num pauci sunt qui serventur? Ipse verò dixit eis,

24 [r] [s] Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, studebunt intrare, & non poterunt:

25 Ex quo *videlicet* surrexerit paterfamiliâs, & occluserit ostiũ, & cœperitis foris stare, & pulsare ostiũ, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis: qui respondens dicet vobis, Nescio unde vos sitis.

[c] Sub loco, vel rivulo. fuit enim Siloam rivulus unde in urbem aquæductus ferebantur, de quo Johan. 9.7. & Esa. 8.6. erat itaque turris vel castellum exstructũ ad aquæductum, quod repentè prostratum aliquos occiderit.

[d] B. Longa quidem est Dei patientia, sed ita tamen ut tandem judiciũ exerceat.

[e] Pulcra sanè & utilis similitudo quæ ferè per omnes partes quadrat. Impii occupant locum in vinea Domini: totus enim mundus Dei est. Si infrugiferi fuerimus, dignos nos reddimus qui evellamur: tamen ad tempus Deus nos sustinet, licèt non debeamus nobis ob id blandiri.

[f] Venire soleo.

[g] Solum efficit sua in parte sterile, quod alioqui vitibus non inutile fuisset.

[h] B. Christus idcircò venit, ut nos à Satanæ vinculis liberaret.

[i] Morbo à Satana inflicto laborans.

[k] Tenebatur enim mulier Satanæ quasi vinculis constricta, ita ut totis octodecim annis caput attollere non posset.

[l] Vel subrecta, subrigimus enim quæ deorsum pendent, erigimus quæ jacent.

[m] B. Viva hypocrisis imago, & ejusdem merces.

[n] Unus ex iis qui Synagogæ præerant. plures enim Archisynagogos fuisse apparet, ex Marc. 5.22. & Actor. 13.15.

[o] Hoc temporis spatium admonet, quamvis miseriis nostris non statim medeatur Dominus, non tamen esse desperandum.

[l] Mat. 13.31. Mar. 4.31.

[p] B. Dominus regnum suum à tenuibus principiis inchoat, ne insperati progressus potentiam ejus melius illustrent.

[l] Matt. 13.33. [l] Matt. 9.35. Mar. 6.6. [q] B. In eos qui dum malunt cum multis errare, quàm cum paucis rectè incedere; tandem tarditate sua à regno Dei excluduntur. [r] His verbis suos à stulta curiositate abducere voluit, quæ plerosq; moratur & implicat qui circumspiciunt an se alii comites adjungant: quasi salutem consequi nolint nisi in turba. [s] Matt. 7.13.

26 [t] Tunc

26 [f] Tunc incipietis dicere, [t] Edimus in tui conspectu & bibimus, & in plateis nostris docuisti.
27 [g] Et dicet, Dico vobis, nescio unde vos sitis: [h] abscedite à me omnes qui datis operam injustitiæ.
28 [u] Illic erit fletus & stridor dentium, quum videritis Abrahamum & Isaacum & Jacobum & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem ejici foras.
29 Tunc venient *homines* ab [x] Oriente, & Occidente, & Borea, & Austro: & discumbent in regno Dei.
30 [i] Et ecce, sunt ultimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt ultimi.
31 [y] Eo ipso die accesserunt quidam Pharisæi, dicentes, Exi & abi hinc: nam Herodes vult te trucidare.
32 Tunc ait eis, Profecti dicite [z] vulpi isti, Ecce, ejiciam dæmonia, & sanationes peragam [a] hodie & cras: tertia autem die [b] consummabor.
33 [c] Verumtamen [d] oportet me hodie & cras, & perendie iter facere: quia non contingit ut Propheta pereat extra Hierusalem.
34 [k] Hierusalem, Hierusalem, trucidatrix Prophetarũ, & lapidatrix eorum qui ad te missi sunt, quoties volui cogere liberos tuos, quemadmodũ gallina pulliciem suam sub alas, [e] & noluistis?
35 Ecce, [f] relinquitur vobis domus vestra deserta. Amen autem dico vobis, non videbitis me, usquedum venerit *tempus* quum dicatis, [g] Benedictus qui venit in nomine Domini.

[f] B. Frustrà est in Ecclesia qui non est ex Ecclesia, quod vitæ puritas ostendit.
[t] q.d. Edimus Manna de cælo, bibimus aquam de petra, edimus de sacrificiis tuis, bibimus de libaminibus tuis, audivimus vocem tuam in monte Oreb, audivimus quotidiè legem tuam in synagogis nostris, & non nosti nos?
[g] *Matt.7.23. & 25.41.*
[h] *Psal.6.9.*
[u] B. Rejectio Judæorum, & Gentium vocatio prædicitur.
[x] Undique ex toto orbe terrarum: cujus sunt istæ plagæ quatuor.
[i] *Matt.19.30. & 20.16. Marc.10.31.*
[y] B. Pergendum in vocationis cursu, per medios seu veros seu fictos terrores.
[z] Fraudulento insidiatori. Nam quum antea Herodes trucidasset Johannem Baptistam, & videret nunc majorem hominum turbam sectari Christum Johannis amicum, timebat fortassis ne Christus mortem Johannis violenta manu vindicaret, & ipsum è Galilææ principatu ejiceret. Quare quum non auderet manifestè in Christum grassari, clàm ei insidias struebat. [a] i. Exiguo temporis momento: proverbiali scilicet sententia, ut interpretatur Theoph. vel per hodie, præsens; per cras, futurum tempus intelligi potest, quamdiu nimirum suo munere fungetur. [b] Tertium diem posuit pro tempore indefinito. q.d. brevi posteà tollar è vita quum venerit hora, & quum peractum erit pro peccatis sacrificium. [c] B. Nusquam crudeliores piorum hostes, quàm qui versantur intra ipsum Ecclesiæ sacrarium: sed Deus vidit, & suo tempore requiret. [d] i. Oportet me aliquamdiu adhuc oberrare & meo officio fungi, posteà Hierosolymam ipsam pervenire. [k] *Matt.23.37.* [e] Ingratitudo Judæorum damnatur, qui Dei monitiones tam blandas protervè contemserunt. [f] Tempus præsens pro futuro, Templi autem vastationem & totius politiæ interitum denunciat. [g] Vide Matt.23.39.

26 Et incipietis dicere, Coram te comedimus & bibimus, & in plateis nostris docuisti.
27 Et dicet vobis, Non novi vos unde sitis: [12] discedite à me operarii mendacii.
28 Ibi erit fletus & stridor dentium, quum videritis Abraham, Ischak, & Jaakob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem eritis ejecti foras.
29 Et venient ab oriente & ab occidente, & ab austro, & [13] ab aquilone, & discumbent in regno Dei.
30 Et ecce sunt ultimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt ultimi.
31 In eo ipso die accesserunt quidam ex Pharisæis, & dixerunt ei, Exi, abi hinc, quoniam Hiraudis vult interficere te.
32 Dixit eis Jeschua, Abite, dicite vulpi illi, Ecce, ejicio dæmonia, & sanationes facio hodie & cras, & die tertio [14] compleor.
33 Verumtamen oportet me hodie & cras operari, & die alio ibo: quia non potest fieri ut Propheta pereat extra Urischelem.
34 Urischelem, Urischelem, interfectrix Prophetarum, & lapidatrix eorum qui missi sunt ad se, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina quæ congregat pullos suos sub alas suas, & noluistis?
35 Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis quòd non videbitis me, donec dicatis, Benedictus est qui venit in nomine Domini.

[12] Y. Syrè discedite vobis: Pleonasmus, ut infrà ver.31.
[13] גרביא rara vox sed quæ tamen reperiatur in Prov.25.23. paulo mutata nominis forma pro aquilone. In paraphraste Chaldæo רוחא גרביתא ventus aquilonis &c.
[14] Y. vel complebor, consummabor, id est, sanctificabor & offerar in sacrificium Deo & Patri.

CAPUT XIIII.

2 *Hydropicus sabbatho sanatur.* 8 *Primi accubitus notantur.* 12 *Pauperes ad prandium vocandi.* 16 *Invitati ad cœnam magnam.* 23 *Compulsi.* 28 *Turrim ædificaturus.*

ET [a] factum est, ut quum venisset domum cujusdem ex [b] primoribus Pharisæis Sabbatho ad [c] capiendum cibum, ipsi observarent eum.
2 Et ecce, quidam hydropicus aderat coram eo.
3 Tum respondens Jesus dixit Legis interpretibus & Pharisæis, in hæc verba, Licétne curare Sabbatho?
4 Ipsi verò [d] tacuerunt. Tum ipse prehensum eum curavit, & dimisit.
5 Et respondens eis, dixit, Quis vestrûm, *si ipsius* asinus aut bos in puteum incidat, non statim extrahet eum die Sabbathi?
6 Et non poterant ei ex adverso ad ista respondere.
7 [e] Dixit autem parabolam iis qui vocati fuerant, attendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens eis,
8 Quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbito primo loco: ne fortè honoratior te sit vocatus ab eo:
9 Et is qui te & illum vocavit veniens, dicat tibi, Da huic locum: & tunc incipias cum pudore ultimum locum obtinere.
10 [f] Sed quum vocatus fueris, vade discubitum in ultimum locum, ut quum venerit qui te vocavit, dicat tibi, Amice, ascende superiùs. tunc erit tibi gloria in conspectu eorũ qui tecum discumbunt.

[a] B. Ne sabbathi quidem lex officia charitatis debuit impedire.
[b] Vel ex iis quos Sanhedrin vocabant, vel ex principibus Synagogæ. Non enim omnes Pharisæi fuere Archisynagogi. Joh.7.48. Pharisæus tamen sectæ nomen fuit, etiam si ex tota historia constat, Pharisæos fuisse in summa admiratione.
[c] Ad verbum, ad comedendum panem, Heb.
[d] Pharisæi suo silentio demonstrant se ansam reprehensionis magis captare quàm legis studio moveri: ideo susq; deq; habet Christus quid de facto suo judicent: quia patet eos sibi accersere scandalum.
[e] B. Arrogantiæ merces ignominia: veræ autem modestiæ, gloria. [f] *Pro.25.7.*

11 [f] Nam

ET factum est quum ingrederetur in domum cujusdam ex principibus Pharisæorum [1] in die sabbathi: & ipsi observabant eum.
2 Et ecce, homo quidam [2] hydropicus erat ante eum.
3 Et [3] respondit Jeschua, & dixit Legisperitis ac Pharisæis, Non licet in sabbatho sanare?
4 Ipsi verò tacuerunt. Et apprehendit eum ipse, & sanavit eum: ac dimisit eum.
5 Et dixit eis, Quis ex vobis, cujus cecidit filius aut bos in puteum in die sabbathi, & non statim hauriens extrahit eum?
6 Et non potuerunt ei dare responsum ad hoc.
7 Et dicebat parabolam ad eos qui invitati erant illic, eo quòd videbat eos quòd deligerent loca primi accubitus.
8 Quum invitaris ab aliquo in domo convivii, ne abiens accumbas in primo accubitu, ne sit invitatus ibi aliquis qui honoratior sit quàm tu:
9 Et veniat is qui te & illum vocavit, ac dicat tibi, Da locum huic: & erubescas dum surgis, & capis locum alium.
10 Sed quum invitatus es, vade, & accumbe in ultimo, ut quum venerit is qui vocavit te, dicat tibi, Amice mi, ascende superiùs, & accumbe. Et erit tibi gloria coram omnibus qui accumbunt tecum.

[1] Y. al. ut comederet panem in die sabbathi, id est, sumturus cibum. Hebraismus.
[2] Ad verb. Qui congregaverat aquas. Ita describitur qui hydrope laborat. Nam solet eo morbo laboranti aqua inter cutem nasci, qua turget ejus corpus: unde morbus iste à Latinis dicitur intercus.
[3] Respondere, pro loqui accipitur: ut sæpissimè in Veteri testamento.

11 [4] Quia

4 Moralis est sententia sæpe ab antiquis Hebræis doctoribus repetita. In Talmud in volumine סוטא id est, De suspecta uxore, cap. הקנא (id est, Zelotypus) his verbis legitur, כל ארם שיש בו גסות רוח לסוף מתמעט Id est, Omnis homo in quo est tumor spiritus, in fine diminuitur.

5 קובלא quo usus est quoque suprà cap. 5.29. quod ideo notare volui, quia vox rara est.

6 Pro, A primo. Hebr. frequens Unus pro primo. F. Latinè ad unum dixeris non incommodè. aliis verti placet reddi statim quod est מורא

7 F. supple qui per vicos & ad sepes fuerint obvii.

8 Id est, Ne quidem eorum gustabit, Hebraism.

9 Id est, Sequitur me. Hebraism.

10 Id est, Adversus regem socium suum. Rex autem adversarius, vocatur socius, quòd sit ejusdem conditionis & dignitatis.

11 4 Quia omnis qui extulerit seipsum, deprimitur: & omnis qui depresserit seipsum extolletur.

12 Dixit verò ei qui vocaverat se, Quum facis convivium aut cœnam, ne vocaveris amicos, nec etiam fratres tuos, aut cognatos tuos, neque vicinos tuos divites: ne etiam ipsi vocent te, & sit tibi retributio hæc.

13 Sed quum facis 5 convivium, voca pauperes, afflictos, claudos, cæcos.

14 Et beatus eris: quia non est eis quod retribuant tibi: erit enim retributio tua in resurrectione justorum.

15 Quum audivisset autem hæc quidam ex eis qui accumbebant, dixt ei, Beatus is qui comederit panem in regno Dei.

16 Dixit ei Jeschua, Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos:

17 Et misit servum in tempore cœnæ, ut diceret iis qui vocati erant, Ecce, omnia parata sunt vobis, venite.

18 Et cœperunt 6 ab uno omnes excusare. Dixit ei primus, Agrum emi, & cogor ut exiens videam eum: peto abs te, permitte mihi ut sim excusatus.

19 Alius dixit, Quinque juga boum emi, & abeo ut probem ea: peto abs te, permitte mihi ut excusatus sim.

20 Alius dixit, Uxorem duxi, & propter hoc non possum venire.

21 Et venit ille servus, & dixit domino suo hæc. Tunc iratus est Dominus, & dixit servo suo, Exi cum festinatione in plateas, & in pagos civitatis, & introducito huc pauperes & dolore affectos, claudos & cæcos.

22 Et dixit servus, Domine mi, factum est sicut præcepisti, & adhuc est locus.

23 Et dixit dominus servo suo, Egredere in vias, & in locum sepium, & coge ut 7 ingrediantur, quò impleatur domus mea.

24 Dico enim vobis quòd 8 unus ex illis hominibus qui vocati fuerant, non gustabunt de cœna mea.

25 Et quum irent cum eo turbæ multæ, conversus est, & dixit eis,

26 Qui venit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam, & fratres suos & sorores suas, & uxorem suam & filios suos, & etiam animam suam, discipulus non potest esse mihi.

27 Et is qui non tollit crucem suam, & 9 venit post me, discipulus non potest esse mihi.

28 Quis enim ex vobis, qui velit ædificare turrim, & non priùs sedens computet sumtum suum, num sit ei ad perficiendum ipsam?

29 Ne, quum posuerit fundamenta, & non potuerit perficere, omnes qui viderint, illudant ei,

30 Et dicant, Hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere.

31 Aut quis rex, qui proficiscatur in bellum ad pugnandum cum 10 rege socio suo, & non priùs cogitat num possit cum decem millibus occurrere ei qui venit contra se cum viginti millibus?

32 Sin autem minùs, dum adhuc est procul à se, mittit nuncios, & petit pro pace.

33 Sic unusquisque vestrûm qui non relinquit universam possessionem suam, non potest esse mihi discipulus.

34 Bonus est sal: si autem sal etiam infatuatus fuerit, qua re salietur?

11 f g Nam quisquis se extollit, deprimetur: & qui se depresserit extolletur.

12 g Dicebat autem etiam ei à quo fuerat ipse vocatus, g h Quum feceris prandium aut cœnam, ne vocato amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites: ne quando & ipsi te vicissim vocent, i ac retribuatur tibi gratia.

13 Sed quum facis epulum, voca mendicos, mancos, claudos, cæcos:

14 Et beatus eris, quia non possunt *gratiam* retribuere tibi: retribuetur enim tibi k in resurrectione justorum.

15 Hæc autem quum audisset quidam ex iis qui simul discumbebant, dixit ei, Beatus l qui cibum capit in regno Dei.

16 Ipse autem dixit ei, g Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos:

17 Misitq; servum suum hora cœnæ, ut diceret vocatis, Venite, quia jam parata sunt omnia.

18 m Et omnes cœperunt uno n *ore se* excusare. Primus dixit ei, Agrum emi, & necesse habeo exire, & cum inspicere: rogo te, habe me excusatum.

19 Et alter dixit, Juga boum emi quinque, & proficiscor ad probandum ea: rogo te, habe me excusatum.

20 Et alius dixit, Uxorem duxi, & propterea non possum venire.

21 Quum igitur servus ille advenisset, annunciavit ista Domino suo. Tunc iratus paterfamiliâs dixit servo suo, Exi citò in plateas, & vicos urbis, & mendicos ac mancos, claudosq; & cæcos huc introducito.

22 Et ait servus, Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.

23 Tunc ait dominus servo, Abi ad vias & sepes, & coge ingredi, ut impleatur domus mea.

24 o Dico enim vobis neminem virorum illorum qui vocati fuerant, gustaturum cœnam meam.

25 Ibat autem turba multa cum eo: & conversus dixit eis,

26 p g Siquis venit ad me, & q non odit patrem suum & matrem, & uxorem & liberos, & fratres & sorores, atque adeò etiam animam suam, non potest meus esse discipulus.

27 g Et quisquis non portat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus.

28 r Quis enim ex vobis, si velit turrim ædificare, non priùs s considens computat sumtum, an habeat quæ ad *ejus* perfectionem *requiruntur*?

29 Ut ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui spectârint, incipiant ei illudere,

30 Dicentes, homo iste cœpit ædificare, & non potuit *ædificium* perficere.

31 Aut quis rex proficiscens ut committat prælium adversus alterum regem, non priùs consultat considens, an possit cum decem millibus occurrere illi qui cum viginti millibus venit adversus ipsum?

32 Alioquin, quum adhuc ille procul est, legatione missa, rogat ea quæ ad pacem spectant.

33 Sic ergo quisquis vestrûm non valedicit omnibus bonis suis, non potest meus esse discipulus.

34 t g Bonus est sal: si verò sal infatuatus fuerit, quo condietur?

f Hæc clausula demonstrat de ambitione loquutum esse Christum.

g *Infr.* 18.14. *Matt.* 23.12.

g B. In eos qui sua vel ambitiosè vel compensationis spe profundunt, quum charitas Christiana in Dei tantùm gloriam & usum proximi respiciat.

g *Tob.* 4.7. *Prov.* 3.9.

h Non consilium Christi est ab omni communitate nos arcere, sed tantum ostendere, officiis in mundo usitatis minimè probari charitatem.

i Quibus enim sua utilitas ante oculos versatur, vel quos aura popularis impellit, non est quòd mercedem à Deo exspectent.

k Resurrectio justorũ, periphrasis est vitæ æternæ.

l Hebr. Id est, qui particeps erit gaudiorum vitæ futuræ & fruetur omnibus deliciis cælestibus.

g *Matt.* 22.2. *Apo.* 19.9.

m B. Adeò insanit maxima etiam eorum pars, quibus Deus seipsum patefecit, ut quæ à Deo nacti sunt adjumenta, in impedimenta spontè convertant.

n Quasi ex compacto & constituto: quamvis enim isti diversas afferant causas, in eo tamen omnes conveniunt, quòd sua negotia prætexant, ne ad cœnam adsint.

o Meritò excluduntur ex regno Dei qui cœlestibus terrena preferunt.

p B. Affectus etiam per se laudabiles, cogendi in ordinem, ut pietas supereminat.

g *Supr.* 9.23. *Mat.* 10.37. & 16.24.

q Si quando nimirum (inquit Theoph.) in Deo periculum vertitur. Non igitur hæc simpliciter jubet, sed comparativè. Vult autem hæc habere respectum quemdam ad Deum & res divinas, præ quo & quibus mortales cuncti, & humana omnia contemtum & odium mereantur.

g *Mat.* 10.38. & 16.24. *Mar.* 8.34.

r B. Christi veros sectatores oportet ædificare simul ac pugnare, ac proinde ad quasvis ærumnas perferendas tempestivè esse compositos.

s Domi videlicet omnia supputans, antè quàm opus aggrediatur.

t B. Discipulos Christi oportet & sibi & aliis sapere, alioqui redduntur omnium maximè fatui.

g *Mat.* 5.13. *Mar.* 9.50.

35 Neque ad terram, neque ad sterquilinium [a] appositus est: foras eum abjiciunt. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

a Id est, Aptus & accommodatus.

35 Neque in terram, neque in sterquilinium abit: foras abjiciunt ipsum. Is cui sunt aures ut audiat, audiat.

CAPUT XV.

4 Parabola ovis perditæ, 8 Drachmæ, 11 Filii prodigi.

ACcedebant [a] autem ad eum [b] omnes publicani & peccatores, ut eum audirent:

2 Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes, Iste peccatores recipit, & edit cum eis.

3 Ipse verò loquutus est ad eos hanc parabolam, dicens,

4 [‖]Quis ex vobis, si habeat centum oves, & perdiderit unam ex illis, non relinquit illas nonaginta novem in deserto, & abit ad eam quę periit, usquedum eam invenerit?

5 Et *eam* nactus imponit in humeros suos gaudens:

6 Veniensq; domum, convocat amicos & vicinos, dicens eis, Gratulamini mihi: nam inveni ovem meam quæ perierat?

7 Dico vobis ita fore gaudium in cælo super uno peccatore resipiscente, *magis* quàm super nonagintanovem justis, quibus non opus est resipiscentia.

8 Aut quæ mulier, si habeat drachmas decem, & perdiderit drachmam unam, non accendit lucernam, & vertit domum, quæritq; accuratè, usquequo *eam* invenerit?

9 Et *eam* nacta, convocat amicas ac vicinas? dicens, Gratulamini mihi: nam inveni drachmam quam perdideram?

10 Ita dico vobis, gaudium est in conspectu Angelorũ Dei super uno peccatore resipiscente.

11 [c] [d] Ait autem, Quidam habebat duos filios:

12 Quorum junior dixit patri, Pater, da mihi [e] partem substantiæ *ad me* attinentem. *Ille* igitur divisit eis [f] facultates.

13 Post dies autem non multos, congestis omnibus, junior ille filius peregrè profectus est in regionem longinquam: & illic dissipavit substantiam suam, profusè vivendo.

14 Quũ autẽ omnia ipse cõsumsisset, orta est fames valida in regione illa: & ipse cœpit *victu* defici.

15 Abiit igitur & adhæsit uni ex civibus regionis illius: qui misit eum in agros suos ut pasceret porcos.

16 [g] Et desiderabat implere ventrem suum siliquis quas edebant porci: & [h] nemo ei dabat.

17 [i] Quum autem ad se rediisset, dixit, Quot mercenarii patris mei abundant panibus, ego verò fame pereo!

18 Surgens proficiscar ad patrẽ meum, & dicam ei, Pater, peccavi [k] in cælum & in tuo conspectu:

19 Neque ampliùs sum dignus vocari filius tuus: fac me ut unum ex mercenariis tuis.

20 Surgens igitur contendit ad patrem suum. Quum autẽ adhuc longè abesset, vidit eum pater ipsius, & intima misericordia motus est: & accurrens incidit in collũ ejus, & deosculatus est eum.

21 [l] Dixit autem ei filius, Pater, peccavi in cælum & in tuo conspectu, neque dignus sum ampliùs vocari filius tuus.

22 Dixit verò pater ad servos suos, Afferte stolam illam præcipuam, & induite eum, & indite annulum in manum ejus, & soleas in pedes:

23 Et adductum vitulum illum saginatum mactate, & edentes exhilaremur.

a 2. Non desperandum de iis qui aberrârunt, sed potiùs de iis inprimis laborandum, Christi exemplo.
b i. Undique ex publicanis aliqui & peccatoribus accedebant ad Jesum.
‖ Matt. 18.12.
c Eôdem pertinet hæc similitudo quò superior. Docet enim perinde gaudendum esse dum perditi ad bonam frugem redeunt, ac si quis præter spem recuperet quod amissum esse potuit.
d 2. Homines, discessione ultrò à Deo facta, bonis acceptis spoliati à seipsis, in infinitas calamitates sese præcipitârunt. Deus autem pro sua singulari bonitate, ultrò iis occurrens quos illis calamitatibus domitos ad resipiscentiam invitavit, non modò benignè eos admittit, sed etiam amplioribus quàm unquam anteà donis ornatos, summa fælicitate beat.
e Partem bonorum ad me pertinentem.
f Ad verbum, vita. i. ea quibus vita sustentatur.
g Significat præ fame non ampliùs cogitasse veteres delicias, sed avidè vorasse siliquas.
h Neq; enim quum porcis daret, hoc cibi genere carere potuit. Hic copula Et, in causalem particulam resolvi debet. Neque hoc de siliquis dicitur, quæ illi erant ad manum: sed intelligendum est neminem ejus inopiæ fuisse misertum. Prodigis enim quia omnia disperdere solent, nihil videtur erogandum.
i 2. Initium resipiscentiæ, agnitio divinæ misericordiæ nos ad benè sperandum excitantis.
k i. In Deum, quia in cælis dicitur habitare.
l 2. In vera resipiscentia inest sensus peccati cum tristitia & pudore conjunctus: unde nascitur confessio, quam sequitur absolutio.

24 Quia

ACcedebant autem ad eum publicani & peccatores ut audirent eum.

2 Et Legisperiti ac Pharisæi murmurabant, ac dicebant, Hic peccatores recipit, & comedit cum eis.

3 Et dixit illis Jeschua parabolam hanc.

4 Quis ex vobis homo, cui sunt centum oves, & si perdiderit unam ex illis, non relinquit nonaginta & novem in deserto, & profectus quærit eam quæ periit, usque dum inveniat eam?

5 Et quum invenerit eam gaudet, & tollit eam super humeros suos:

6 Et venit in domum suam, & vocat amicos suos & vicinos suos, ac dicit eis, Gaudete mecum, quia inveni ovem meam quæ perierat.

7 Dico vobis quòd sic erit gaudium in cælo super uno peccatore qui conversus est, *magis* quàm super nonaginta novem justis, quibus necessaria non est conversio.

8 Aut quæ est mulier cui sunt decem [1] zuz, & perdiderit unum ex illis, & non accendat lucernam, & mundet domum, & quærat ipsum accuratè donec invenerit ipsum:

9 Et quum invenerit id, vocat amicas suas & vicinas suas? & dicit eis, Gaudete mecum, quia inveni zuz meum, quod perierat.

10 Dico vobis quòd sic erit gaudiũ coram Angelis Dei super uno peccatore qui conversus est.

11 Et dicebat eis rursum Jeschua, Homini cuidam erant filii duo:

12 Et dixit ei filius ejus minor, Pater mi, da mihi portionem quæ redit ad me ex domo tua. Et divisit eis possessionem suam.

13 Et post dies paucos congregavit ille filius ejus minor quicquid redierat ad se, & abiit in locum longinquum: & ibi dispersit possessionem suam vivens prodigè.

14 Et quum consumsisset quicquid erat ei, facta est fames magna in loco illo, & cœpit penuria esse ei.

15 Et abiens adhæsit [2] cuidam ex filiis civitatis loci illius, & ille misit eum in agrum ad pascendum porcos.

16 Et desiderabat implere ventrẽ suum ex siliquis illis quas comedebãt porci: & nemo dabat ei.

17 Et [3] quum venisset ad seipsum, dixit, Quot jam mercenarii sunt in domo patris mei, quibus abundat panis, & ego hîc propter famem meam pereo!

18 Surgam, proficiscar ad patrem meum, & dicam ei, Pater mi, peccavi in cælum & coram te:

19 Neque deinceps dignus sum ut filius tuus vocer: fac me sicut unum ex mercenariis tuis.

20 Et surgens venit ad patrem suum. Et dum esset procul, vidit eum pater suus, & misertus est ejus: & accurrens incidit super collum ejus, & osculatus est eum.

21 Et dixit ei filius eus, Pater mi, peccavi in cælum & coram te, neque dignus sum ut filius tuus vocer.

22 Dixit verò pater ejus servis suis, proferte stolam [4] pręcipuam, induite eum, & ponite annulum in manũ ejus, & calceate eum calceamentis.

23 Et adducentes interficite bovem saginatum; & comedemus, & exsultabimus.

1 Id est denarii, ut annotavimus Matth. 17.24. F. vel drachmæ.
2 Id est, Cuidam ex civibus, Hebraismus.
3 Id est, Quum rediisset ad mentem, & cœpisset de se seriò cogitare.
4 F. vel primariam: ut & πρώτος accipitur Rom. 3.2.

24 Quia

24 Quia hic filius meus mortuus erat, & re-
vixit:& perierat,& inventus est. Et cœperunt ex-
sultare.
25 Ipse autem filius ejus senior in agro erat,
& quum venit & appropinquavit domui, audivit
vocem concentus multorum.
26 Et vocavit unum ex pueris, & interroga-
vit quidnam istud *esset*.
27 Dixit ei, Frater tuus venit, & mactavit
pater tuus bovem saginatum, quia sanum rece-
perit illum.
28 Et iratus est,& nolebat ingredi. Et egressus
pater ejus,[3] petiit ab eo.
29 Ipse verò dixit patri suo,Ecce,tot annis ser-
vio tibi servitutem,& nunquam transgressus sum
mandatum tuum', nec unquam hœdum dedisti
mihi ut exsultarem cum amicis meis:
30 Huic autem filio tuo, postquam prodegit
possessionem tuam cum meretricibus, & venit,
jugulasti ei bovem saginatum.
31 Dixit ei pater ejus,Fili mi,tu omni tempo-
re mecum es,& quicquid meum est,tuum est:
32 Exsultare autem nos oportebat & lætari,
quòd hic frater tuus mortuus erat, & revixit: ac
perierat,& inventus est.

3 Id est,Rogavit & precibus contendit ut intraret.

24 Quia filius iste meus [m] mortuus erat, &
revixit: perierátque,& inventus est.Cœperunt i-
gitur sese exhilarare.
25 [n] Erat autem filius ille ipsius senior ruri:
qui ut veniens appropinquavit domui, audivit
concentum & choros.
26 Et vocatum unum ex pueris, percontatus
est quid istud esset.
27 Is verò dixit ei, Frater tuus venit: & ma-
ctavit pater tuus vitulum illum saginatum: quòd
valentem illum receperit.
28 Indignatus est autem *ille*, nec voluit intro-
ire.Pater ergo ipsius egressus,hortatus est eum.
29 Ipse verò respondens dixit patri, Ecce, tot
annos servio tibi, nec unquam mandatum tuum
sum [o] transgressus,nec unquam dedisti mihi hœ-
dum,ut cum amicis meis oblectarer:
30 Sed quum filius iste tuus, qui devoravit
facultates tuas cum meretricibus, venit,mactasti
ei vitulum illum saginatum.
31 Ipse verò dixit ei, Fili, tu semper mecum
es,& omnia mea,tua sunt.
32 Exhilarari verò & gaudere oportebat,
quòd frater tuus hic mortuus erat, & revixit: pe-
rierátque,& inventus est.

m Solet scriptura homines peccatis deditos mortuos appellare. Unde colligimus, pœnitentiam esse à morte resurrectionem.
n B. Qui Deum verè amant, omnes optant habere corrivales.
o Vel preterii, i. contempsi, quæ enim aspernamur, ea ne quidem aspicere sustinemus.

CAPUT XVI.

1 *Parabola Dispensatoris delati ad dominum.* 12 *Duobus dominis servire.* 16 *Lex & Prophetæ.* 19 *de Divite & Lazaro.*

ET dixit parabolam ad discipulos suos, Homo
quidam erat dives, & erat ei [1] dispensator: &
accusatus fuit apud eum quòd possessionem ejus
[2] prodigeret.
2 Et vocavit eum dominus ejus, ac dixit ei,
Quid hoc est quod audio de te? redde mihi ra-
tionem dispensationis tuæ. non enim potes de-
inceps dispensator esse mihi.
3 Dixit ille dispensator apud seipsum,Quid
faciam quòd dominus meus aufert à me dispen-
sationem ? ut fodiam non possum, & mendicare
pudet me.
4 Novi quid faciam,ut quum egressus fuero
ex dispensatione, [3] recipiant me in domos suas.
5 Et vocavit[4] unumquemque ex debitori-
bus domini sui: & dixit priori,Quantum tu debes
domino meo ?
6 Dixit ei,Centum [5] mensuras olei. Dixit ei,
accipe scriptum tuum, & sede cum festinatione,
scribe quinquaginta mensuras.
7 Et dixit alii, Tu quantum debes domino
meo ? Dixit ei, Centū [6] coros tritici.Dixit ei,Ac-
cipe scriptū tuum,& sede,scribe octoginta coros.
8 Et laudavit dominus noster dispensatorem
qui iniquus erat, quòd prudenter egisset. filii e-
nim seculi hujus prudentiores sunt quàm filii lu-
cis in sua hac generatione.
9 Et etiam dico vobis, Facite vobis amicos
ex mamuna hoc iniquitatis, ut quū defecerit, re-
cipiant vos in tabernacula sua quę sunt in ęternū.
10 Qui in modico fidelis est, etiam in multo
fidelis est: & qui in modico iniquus est, etiam in
multo iniquus est.
11 Si igitur in mamuna iniquitatis fideles non
fueritis, verum *mamuna* vobis quis credet ?
12 Et si in eo quod vestrum non est, non estis
fideles inventi, quod vestrū est quis dabit vobis ?

1 Vide suprà 12. 42.
2 Hinc est illud adverbium פרזאית derivatum, quod legitur 15.13.
3 F. id est, recipiar aliquò, receptum habere possim. dictum impersonaliter Hebræo more. Hæc autem similitudo ita accipienda est ut illa mali judicis infrà 18.
4 Ad verbum, Unum unum. Hebraismus.
5 Vocem מתרין fortassis Syrus interpres (ut multas alias) à Græco est mutuatus, atque suæ linguę accommodavit ut sit pro Græca μετρητὰς: quod mensuræ genus Hebræo bato qui in Græco codice exprimitur, omninò æquale est.
6 Eadem est mensura cum חומר *chomer*: continet igitur decies epha.

DIxit[a] autem etiam discipulis suis, Fuit homo
quidam dives, qui habebat [b] dispensatorem:
& is delatus est apud eum, ut qui dissiparet quæ
ipsi suppetebant.
2 Vocavit eum igitur, & dixit ei, Qui istud
audio de te ? redde rationem dispensationis tuæ.
[c] non enim poteris ampliùs esse dispensator.
3 Dixit autem apud se dispensator, Quid fa-
ciam,quum Dominus meus auferat à me dispē-
sationem ? fodere non valeo,mendicare pudet.
4 Novi quid sim facturus, ut quum amotus
fuero à dispensatione, recipiant me *aliqui* do-
mum suam.
5 Convocatis itaque singulis debitoribus
domini sui,dixit primo,Quantum debes domino
meo ?
6 Is autem ait,Centum [d] batos olei.Tum il-
le dixit ei, Accipe [e] tabulas tuas, & sede citò, &
scribe quinquaginta.
7 Deinde alii dixit,Tu verò quantum debes?
Is autem ait, Centum [f] coros tritici. Tum ipse
dixit ei,Accipe tabulas tuas, & scribe octoginta.
8 Et laudavit Dominus ille dispensatorem
[g] injustum,quòd prudenter fecisset. Certè [h] filii
hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in suo
genere.
9 *Sic* etiam ego vobis dico, Facite vobis a-
micos ex mamona [i] injusto: [k] ut quum defece-
ritis,recipiant vos [l] in æterna illa tabernacula.
10 [m] Qui fidelis est in pauco, etiam in multo
fidelis est: & qui in pauco injustus est, etiam in
multo injustus est.
11 Itaq; si in fallaci mamona fideles non fui-
stis,[n] veram *mamonam* quis credet vobis ?
12 Et si in [o] alieno fideles non fuistis, quod
vestrum est quis dabit vobis ?

a B. Quum homines sæpè alienis etiam sumtibus amicitias sibi comparent, turpe nobis est, liberali bonorum in eos usus acceptorum dispensatione Domino non placere, & proximos non demereri, quum hac una ratione divitiæ (quæ ferè sunt peccandi illecebræ) in contrarium finem vertantur.
b Oeconomum. i. curatorem seu administratorem rei familiaris.
c Tibi non fiet à jure potestas.
d Batus, Hebraica mensura liquidorum.
e Obligationis instrumenta.
f Corus, Hebraica mensura aridorum, Joseph. Antiq. 15. cap. 12.
g Hac parabola non approbatur œconomi injustitia, quæ reverà furtum erat. Sed parabolæ proponuntur, ut obliquè & proposita veluti imagine quadam aliquid demonstrent, & rei veritatem ostendant, non per omnia similitudine rebus ipsis congruente. Hoc itaque unum vult hac parabola Christus docere, cautiores esse profanos homines in curandis hujus vitæ negotiis, quàm filii Dei sint soliciti de vita æterna. h i. homines præsenti vitæ addicti, quibus hoc loco filii lucis opponuntur: hos spirituales, illos carnales vocat Paulus. i Ad verbum, injustitiæ. non ad opes malè partas illud referendum est. vult enim Dominus liberalitatem nostram derivari è fonte puro: sed injustas vocat divitias, quibus injustè utuntur homines. k Hoc verbo denotat mortis tempus, ac breve dispensationis nostræ tempus fore admonet, ne tenaciores nos reddat longioris vitæ fiducia. l Amicos quos facere jubet ex iniquo mamona (hoc est, ex dispensatis benignè in pauperes Christianos facultatibus) dicit nos suscepturos in æterna tabernacula. i. in vitam æternam. m B. Timendum ne propter terrenæ dispensationis abusum cælestibus donis privemur. Quomodo enim spiritualibus benè utentur, qui terrena malè administrant? n i. Cælestes & veras divitias, quæ fluxis & caducis opponuntur. o In externis bonis, quæ aliena vocat: quia nostræ fidei sunt commissa.

13 [p] [ll] Nullus servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. non potestis Deo servire & mamonæ.

14 Audiebant autem hæc omnia etiam Pharisæi, qui erant avari: & sannis eum excipiebant.

15 [q] Tunc dixit eis, Vos ii estis qui justificatis vosipsos in hominum conspectu: Deus autem novit corda vestra: quia quod apud homines [r] sublime est, abominatio est in conspectu Dei.

16 [s] [l] Lex & Prophetæ usque ad Johannem: ab eo tempore regnum Dei evangelizatur, & quivis in illud vi perrumpit.

17 [l] Facilius est autem cælum & terram præterire, quàm Legis unum apicem excidere.

18 [l] Quisquis dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui à viro [t] dimissam ducit, mœchatur.

19 [u] Cæterùm quidam erat dives, qui induebatur [x] purpura & bysso, & sese exhilarabat quotidiè splendidè.

20 Erat verò quidam mendicus nomine Lazarus, qui projectus erat ad vestibulum ejus, ulcerosus:

21 Et desiderans saturari micis quæ cadebant è mensa divitis: sed & canes veniebant ac lingebant ejus ulcera.

22 Factum est autem ut moreretur mendicus, & asportaretur ab Angelis in sinum Abrahami: mortuus est verò etiam dives, ac sepultus est.

23 [y] Et apud inferos sublatis oculis suis, quũ esset in tormentis, vidit Abrahamum procul, & Lazarum in sinu ejus.

24 Tum ipse clamans dixit, Pater Abrahame, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digitum suum in aquam, & refrigeret linguam meam: quoniam gravissimè crucior in ista flamma.

25 Dixit autem Abrahamus, Fili, memento te [z] bona tua recepisse in vita tua, & Lazarum similiter mala: nunc autem hic [a] solamen recipit, tu verò cruciaris.

26 Et ad hæc omnia, [b] inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, ut ii qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque istinc huc transire.

27 [c] Dixit autem *ille*, Rogo te igitur pater, ut eum mittas domum patris mei.

28 Habeo enim quinque fratres, ut hæc etiam atque etiam testificetur eis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormenti.

29 Dicit ei Abrahamus, Habent Mosen & Prophetas: audiant eos.

30 Ille verò dixit, Non, pater Abrahame: sed si quis ex mortuis abierit ad eos, resipiscent.

31 Abraham autem dixit ei, Si Mosen & Prophetas non audiunt, ne si quidem quispiam ex mortuis resurgat, assentientur.

p B. Nemo simul potest Deum & opes amare.
ll *Mat.* 6.24.
q B. Deum non latent vitia quantumvis hominibus occulta, atque adeò iis ipsis quibus insunt.
r i. Quicquid proprio sensu homines extollunt, hoc abominatur & rejicit Deus.
s B. Pharisæi novi fœderis præ vetere excellentiam contemnebant, exactam justitiam legis ignorantes: cujus quàm falsi essent interpretes Christus ex septimo præcepto docet.
l *Matth.* 11.12.
l *Matth.* 5.18.
l *Mat.* 5.32. & 19.9. 1. *Cor.* 7.11.
t Qui hinc colligunt, post repudium nullum esse secundo matrimonio locum, altera superstite parte, ineptè colligunt. Loquitur enim Christus de repudiis apud Judæos usitatis, inter quæ numerari non potest repudium ob adulterium, quum adulteros ex lege oportet capitali pœna plecti.
u B. Piorum paupertatem & miserias, sempiterna fœlicitas: divitum autem luxum & crudelem fastum, æterna miseria, absque ulla misericordiæ spe, consequetur.
x Admodùm pretiosè & splendidè. Purpureas enim vestes pretiosas fuisse constat. byssum autem subtilissimum linum Achaicum fuisse tradit Plin. pretio æquale auro.
y Etsi Christus historiam narrat, res tamen spirituales describit sub figuris quas sciebat accommodas esse ad sensum nostrum. Neque enim animæ digitis & oculis præditæ sunt, neque siti laborant, neque mutua colloquia inter se habent. Summa igitur est fideles animas, ubi à corporibus migrârunt, lætam & beatam vitam extra mundum agere: reprobis verò paratos esse horribiles cruciatus, qui mentibus nostris non magis concipi possunt, quàm immensa cælorum gloria. z quasi dicat, Memento, præsentis vitæ illecebris ebrium, te totum demersisse in terrenas delicias, Deum & ejus regnum contempsisse, nunc socordiæ tuæ pœnas dare. a Si solatio fruitur Lazarus, ergo non dormiunt animæ, ut quidam nugantur. b Intelligit æternam fore à beatis reproborum separationem. c B. Quum certa vivendi regula nobis in verbo præscripta sit, aliæ revelationes temerè & frustrà quæruntur.

13 Non est servus qui possit duobus dominis servire: vel enim unum odio habebit, & alterum diliget: vel unum in honore habebit, & alterum despectui habebit. Non potestis Deo servire & mamuna.

14 Pharisęi autem quum audivissent hęc omnia, quia amabant [7] argentum, deridebant eum.

15 Jeschua autem dixit eis, Vos estis illi [8] qui justificatis vosipsos coram filiis hominis: Deus autem novit corda vestra. quia quod est sublime apud filios hominis, coram Deo abominabile est.

16 Lex & Prophetæ usque ad Juchannan, deinde regnum Dei annunciatur, & quisque ipsum premit ut ingrediatur.

17 Facilius est autem ut cælum & terra prætereant, quàm ut litera una ex Lege prætereat.

18 Quisquis dimittit uxorem suam, & ducit alteram, adulterium committit: & quisquis ducit dimissam, adulterium committit.

19 Homo autem quidam dives erat, & induebatur bysso & purpura, & quotidiè deliciis indulgebat [9] superbè.

20 Et pauper quidam erat cujus nomen Lazar, & projectus erat ad portam illius divitis [10] percussus ulceribus.

21 Et cupiebat implere ventrem suum ex micis quæ cadebant à mensa illius divitis: sed etiam canes venientes lingebant ulcera ejus.

22 Et factum est autem ut mortuus sit ille pauper, & portaverunt eum Angeli in sinum Abraham: mortuus est verò etiam ille dives, & sepultus est.

23 Et quum torqueretur in inferno, sustulit oculos suos è longinquo, & vidit Abraham & Laazar in sinu ejus:

24 Et clamavit voce elata, ac dixit, Pater mi Abraham, miserere mei, & mitte Laazar, ut intingat summitatem digiti sui in aquas, & humectet mihi linguam meam: quia ecce torqueor in flamma hac.

25 Dixit ei Abraham, Fili mi recordare quòd recepisti bona tua in vita tua, & Laazar mala sua: & nunc ecce quiescit hic, & tu torqueris.

26 Et cum his omnibus, [11] hiatus magnus positus est inter vos & nos, ut ii qui volunt transire ad vos, non possint: neque etiam isthinc, transire ad nos.

27 Dixit ei, igitur peto abs te pater mi, ut mittas eum ad domum patris mei.

28 Quinque enim fratres sunt mihi: abeat: testificetur eis: ne etiam ipsi veniant in locum hunc tormenti.

29 Dixit ei Abraham, Est illic Musche & Prophetæ, audiant eos.

30 Ille verò dixit ei, [12] Non, pater mi Abraham: sed si quis ex mortuis abeat ad eos, convertentur.

31 Dixit ei Abraham, Si Musche & Prophetas non audiunt, nec etiam, si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei.

7 F. vel pecuniam: quod est frequentius.
8 F. al. qui justificant animas suas, id est, seipsos.
9 Id est, Splendidè & magnificè.
10 F. vel deformatus ulceribus. Syrè, deletus. Nomen autem Lahazar, si etymon spectes, perinde sonat atque si dixeris virum cui ferri oportet adjumentum.
11 Vocem [illegible] in hoc versu aliàs non legi non modò in novo Testamento Syro, sed neque in Chaldæis paraphrasibus veteris Testamenti, neque antiquis Hebręorum scriptis: & ita accedit ad Latinam vocem Hiatus, ut eadem esse, & Syræ linguæ accommodata videatur. F. Etsi haud scio an ab Hebræo frangendi verbo deduci possit: quo sensu Latini cælum & terram hiare vel discedere solebant dicere, quum dissiliret ac diffringeretur.
12 F. Ellipsis ἀπαγορευτικὴ in scripturis, ut Gen. 19.2. & 18.

CAPUT XVII.

1 *Scandala.* 3 *Peccanti in nos ignoscendum.* 10 *Servi inutiles sumus.* 11 *De decem leprosis.* 20 *Regnum Dei quando venturum.* 23 *Falsi Christi.* 26 *Adventus Christi qualis futurus.*

Ait [a] autem discipulis, [l] Contingere non potest ut non eveniant offendicula: sed væ illi

a B. Ecclesia scandalis necessariò obnoxia, sed quæ inulta non siriet Dominus si vel minimus quispiam fuerit offensus.
l *Matth.* 18.7. *Mar.* 9.42.

per

Et dicebat Jeschua discipulis suis, Fieri non potest ut non veniant offendicula, væ autem

illi

illi [1] per cujus manum venient.

2 Tolerabilius esset ei si mola asinaria suspensa esset ad collum ejus, & projiceretur in mare, quàm ut offendat unum ex istis parvis.

3 Cavete vobis ipsi. Si peccaverit frater tuus, increpa eum, & si convertatur, remitte ei.

4 Quòd si [2] septem vicibus in die [3] peccaverit in te, & septem vicibus in die conversus fuerit ad te, & dixerit, Resipisco: remitte ei.

5 Et dixerunt Apostoli Domino nostro, Adauge nobis fidem.

6 Dixit eis, Si esset vobis fides sicut granum sinapis, diceretis sicui isti, Eradicator, & plantator in mari: & obediret vobis.

7 Quis est ex vobis cui sit servus qui [4] ducit jugum, aut pascit oves, & si venerit ex agro, dicat ei statim, transi, accumbe?

8 Sed dicit ei, Præpara mihi aliquid ut cœnem: & accinctus lumbis tuis, ministra mihi usquedum edero, & bibero: & postmodum etiam tu edes & bibes.

9 [5] Num gratiam accipit illius servi, quia fecit id quod præceptum fuerat ei? Non puto ego.

10 Sic etiam vos quum feceritis omnia illa quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi sumus inutiles: quia quod debebamus facere, fecimus.

11 Et factum est ut quum proficisceretur Jeschua Urischelem, transiret per Samaritanos in Galilæam:

12 Et quum appropinquaret ut ingrederetur in pagum quemdam, occurrerunt ei decem viri leprosi, & steterunt procul:

13 Et extulerunt vocem suam, & dixerunt, Domine noster Jeschua miserere nostri.

14 Et quum vidisset eos, dixit eis, Proficiscimini, ostendite vosipsos sacerdotibus. Et quum proficiscerentur, mundati sunt.

15 Unus autem ex ipsis, quum videret quòd mundatus esset, reversus est, & voce magna glorificabat Deum.

16 Et procidit super faciem suam ante pedes Jeschua, gratias agens ei: & ipse erat Samaritanus.

17 Respondit autem Jeschua, & dixit, Nonne decem fuerunt illi qui mundati sunt? ubi sunt novem?

18 [6] Nunquid discesserunt quo minùs venientes darent gloriam Deo, præter hunc qui est ex populo alieno?

19 Et dixit ei, Surge, vade: fides tua [7] servavit te.

20 Et quum interrogassent Jeschua *quidam* ex Pharisæis quando venturum esset regnum Dei: respondit, & dixit eis, Non est venturum regnum Dei cum [8] observationibus.

21 Neque [9] dicent, Ecce hîc est, & ecce illic est, ecce enim regnum Dei [10] intra vos est.

22 Et dixit discipulis suis, Venient dies quibus desiderabitis videre unum ex diebus Filii hominis, & non videbitis.

23 Et si dixerint vobis, Ecce hîc est, & ecce illic est, ne abeatis.

24 Sicut enim fulgur coruscat de cælo, & quicquid est sub cælo illuminat; sic erit Filius hominis in die suo.

25 Priùs autem futurum est ut patiatur multa, & reprobetur à generatione hac.

26 Et sicut factum est in diebus Nuach, sic erit in diebus Filii hominis.

27 Comedebant & bibebant, & ducebant uxores & dabant maritis, usque in diem quo ingressus est Nuach [11] in arcam, & venit diluvium, & perdidit omnem hominem.

[1] ψ. Id est, per quem. *καταχρηστικῶς*, ut passim.

[2] Ad verbum, Septem temporibus. Hebraismus.

[3] Syriacè est [illegible] videtur anno[illegible] in textum Matth. 18. [illegible]

[4] Descriptio est arantis, cujus arantium juga boum trahere solet.

[5] Id est, Num gratuiti beneficii loco obsequium servi sui ducit? ψ. num de ea re seriò gratias à se habendas putat?

[6] ψ. Syrè, nunquid discreverunt ut venirent darent gl. &c. id est, nunquid certo judicio & ratione adducti sunt, ut venirent, &c. Sic accipitur Syrorum particula למא Matth. 9. 15. & alibi passim. Non enim semper vox est composita, significans quare; sed etiam simplex est cum epenthesi literæ מ pro non vel num; ut etiam Arabibus est לם.

[7] Ad verbum, Vivificavit te. Hebraismus.

[8] Id est, Cum splendore & apparatu, qualis conspicitur in iis qui regnum terrenum capessunt.

[9] ψ. i. dicetur, impersonaliter. Hebraism. sic ꝟ. 23. & 27. & sequente.

[10] Ad verb. In medio è vobis est. Syra phrasis, cui Gallica respondet, *Il est au milieu de vous*.

[11] Tantùm hic legitur hæc vox, & Matth. 24. 28.

per quem eveniunt.

2 Expedit ei si mola asinaria circumponatur collo ejus, & abjectus fuerit in mare, *potiùs* quàm ut sit offendiculo uni ex parvis istis.

3 [b] Cavete vobis. [ǁ] Si peccaverit in te frater tuus, objurga eum: & si resipuerit, remitte ei.

4 [ǁ] Et, si septies in die peccaverit in te, & septies *in* die revertatur ad te, dicens, Resipui: remittes ei.

5 [c] Tunc dixerunt Apostoli Domino, Adde nobis fidem.

6 Dixit autem Dominus, [ǁ] Si haberetis fidem [d] quantulum *est* granum sinapis, diceretis huic sycamino, Eradicator, & plantator in mari; & obediret vobis.

7 [e] Quis autem vestrum habet servum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro, dicat statim, Accede, & discumbe?

8 Imò nónne dicit ei, [f] Para quod cœnem, & præcinctus ministra mihi usquedum edero ac bibero: & posteà edito tu & bibito?

9 Num gratiam habet servo illi quia fecit quæ ipsi præcepta fuerant? non puto.

10 [g] Ita & vos quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.

11 [h] Et factum est, inter eundum Hierosolymam, ut ipse transiret per mediam Samariam & Galilæam.

12 Quum autem ingrederetur in quemdam vicum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul:

13 Et sustulerunt vocem, dicentes, Jesu magister miserere nostri.

14 Qui quum *eos* vidisset, dixit eis, Profecti [ǁ] ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est ut inter eundum purgati sint.

15 Unus autem ex ipsis ut vidit se sanatum esse, revertit, glorificans Deum voce magna.

16 Et procidit in faciem ad pedes ejus, gratias ei agens: eratque iste Samaritanus.

17 Respondens autem Jesus dixit, Nonne decem illi purgati sunt? novem autem illi ubi *sunt*?

18 Non sunt reperti qui redierint ut tribuerent gloriam Deo nisi alienigena iste.

19 Et dixit ei, Surge *&* abi: fides tua te servavit.

20 [i] Interrogatus autem à Pharisæis quando venturum esset regnum Dei, respondit eis, & dixit, Non veniet regnum Dei ita ut [k] observari possit:

21 Neque dicent, Ecce hîc, aut ecce illic. ecce enim, regnum Dei [l] intùs habetis.

22 [m] Dixit autem discipulis, Veniet tempus quum desiderabitis videre [n] unum ex diebus Filii hominis: nec videbitis.

23 [o] [ǁ] Et dicent vobis, Ecce hîc, aut ecce illic: *sed* ne abite, neque prosequimini.

24 Nam sicut fulgur coruscans ex *una* regione quæ sub cælo est, in *alteram* quæ sub cælo est splendet: ita erit & Filius hominis die suo.

25 Sed priùs oportet eum multa pati, & reprobari à gente ista.

26 [p] [ǁ] Et prout factum est in diebus Noë, ita erit etiam diebus Filii hominis.

27 Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptui, ad eum usq; diem quo introiit Noë in arcam: venitque diluvium, & perdidit omnes.

[b] Reprehensiones & justas esse & à charitate proficisci oportet.
[ǁ] *Matth.* 18. 21.
[ǁ] *Matth.* 18. 21.
[c] B. Deus quamvis imperfectè, verè tamen credentibus, nunquã deerit in iis etiam difficultatibus quæ nulla humana ratione vinci possunt.
[ǁ] *Matth.* 17. 20.
[d] Si vel tantillum fidei haberetis, quantulũ est granum sinapis.
[e] B. Quum Deus suo jure nos nostraq; omnia sibi vindicet, nihil nobis quantumvis strenuè ad mortẽ usq; laborantibus debere potest.
[f] Nota hic, continuò operandum nobis esse in vinea domini, donec mundum hũc egressi fuerimus.
[g] B. Legis observatio vel perfectissima, non est tamen ullius præmii meritoria.
[h] B. Christus ingratis etiam futuris benefacit: sed solis gratis prosunt ad salutem beneficia Dei.
[ǁ] *Levit.* 14. 2.
[i] B. Regnum Dei, etiam præsentissimum, à multis nõ animadvertitur, quoniam illud falsò existimant cum externo splendore conjunctum esse.
[k] Ad verb. cum observatione, id est cum externo quodam majestatis splendore, ex quo possit agnosci. Alioqui ex manifestis etiam multis signis potuit intelligi Christum esse Messiam illum, cujus regnum tamdiu exspectatum fuerat. Sed de iis hoc loco signis agitur, quæ Pharisæi animo conceperant, qui terrenum Messiæ regnum exspectabant.
[l] Id est, quæritis Messiam tanquam absentem, quum ille sit in medio vestri.
[m] B. Præsentia sæpè negligimus, quæ frustrà requirimus amissa.

[n] Tempus erit quo magna cum animi tristitia frustrà absentem Filium hominis requiratis. [o] B. Christus prædicit venturos pseudochristos, suam verò gloriam subitò longè latéque per orbem terrarum propagatum iri deleta crucis ignominia. [ǁ] *Matth.* 24. 23. *Mar.* 13. 21. [p] B. Mundus repentino Dei judicio opprimetur: fideles autem oportet perpetuas excubias agere. [ǁ] *Gen.* 7. 5. *Matt.* 24. 38. 1. *Pet.* 3. 20.

[p] Gen. 19.24.
[q] B. Cavendum in primis ne vel diffidentia, vel hujus vitæ illecebræ, vel ullius conjunctionis respectus nos vel tantillùm remoretur.
[r] Gen. 19.26.
[s] Suprà 9.24. Mat. 10.39. Mar. 8.35. Joh. 12.25.
[t] Id est, servabit, ut explicat Matt. vita enim illa de qua hic loquitur, salus est æterna.
[u] Matt. 24.41.
[x] B. Una perstandi ratio, Christo adhærere.
[y] Matth. 24.28.
[z] Hac responsione Christus se firmę unitatis vexillum esse testatur, sub quo omnes filios Dei colligi oporteat.

28 Similiter etiam ut accidit in diebus Lot:
edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant:
29 [p] Quo autem die Lot exiit Sodomis, pluit
igni & sulphure è cælo, & omnes perdidit:
30 Secundùm hæc erit dies quo Filius hominis detegetur.
31 In illo die qui fuerit in solario, & vasa ejus
in ipsa domo, ne descendat ad ea tollenda: & qui
in agro, similiter non revertatur retrò.
32 [q][r] Memineritis uxoris Lot.
33 [s] Quicumque studuerit animam suam servare, perdet eam: & quicumque eam perdiderit, [t] vivificabit eam.
34 [u] Dico vobis, illa nocte erunt duo in lecto
uno: unus accipietur, & alter relinquetur.
35 Duæ erunt molentes simul: una accipietur, & altera relinquetur.
36 Duo erunt in agro: unus accipietur, & alter relinquetur.
37 [x] Tunc respondentes dicunt ei, Ubi, Domine? Ipse verò dixit eis, [y][z] Ubi corpus, illuc cogentur aquilæ.

28 Et sicut rursus factum est in diebus Lot:
comedebant & bibebant, & emebant ac vendebant, & plantabant ac ædificabant:
29 In die autem quo egressus est Lot è Sedum, pluere fecit Dominus ignem & [12] sulphur è
cælo, & perdidit omnes illos.
30 Sic erit in die quo revelabitur Filius hominis.
31 In illo die qui in tecto fuerit, & vasa ejus in
domo, non descendat ut tollat ea: & qui in agro
fuerit, non revertatur ad *ea quæ sunt* post se.
32 Memores estote uxoris Lot.
33 Qui vult [13] servare animā suam, perdet eā:
& qui perdiderit animam suam, servabit eam.
34 Dico vobis quòd in illa nocte duo erunt in
uno lecto, unus accipietur, & alter relinquetur.
35 Et duæ erunt molentes simul: una accipietur, & altera relinquetur.
36 Duo erunt in agro: unus accipietur, & alter relinquetur.
37 Responderunt, & dixerunt ei, Ubi Domine
noster? Dixit eis, [14] Ubi corpus, illuc congregabuntur aquilæ.

[12] Syra vox כבריתא respondet Hebrææ גפרית, mutatis literis ג in כ, & ב in פ, quod ad idem prolationis organum pertineant: illę quidem ad palatum, hæ verò ad labia.
[13] Ad verb. Vivificare. Hebraism. ut paulò pòst etiam.
[14] Vide Matth. 24.28.

CAPUT XVIII.

2 *Judicis iniqui & viduæ parabola.* 10 *De Pharisæo & publicano.* 15 *Puerorum est regnum Dei.* 22 *Vendere omnia, & dare pauperibus.* 28 *Apostoli relinquunt omnia.* 31 *Mortem suam prædicit Christus.* 35 *Cæcus visum recipit.*

[a] B. Deus vult nos assiduitate precandi non fatigare, sed exercere. Itaque sic luctandum cum impatientia, ut longior mora precandi cursum non abrumpat.
[a] Eccles. 18.22. Rom. 12.12. 1. Thes. 5.17.
[b] Afflictionibus vel malis cedere, ut faciunt qui animum despondent.
[c] Paria cum paribus minimè conferuntur, sed minus cum majore. Si etiam ab iniquissimo judice per importunitatem jus obtinetur, quantò magis piorum assiduæ preces apud Deum valebunt?
[d] Ad verb. ictibus me opprimat. Metaphora sumta est à pugilibus, qui adversarium pugnis aut cæstibus obtundunt. nam sic importuni suis clamoribus, quasi ictibus, aures judicis verberant.
[e] Quantumvis tardus videatur in ulciscendis ipsorum injuriis.
[f] B. Duo in primis multorum preces inanes reddunt, propriæ videlicet justitiæ fiducia, & aliorum contemtus: quibus vitiis cor contritum ac humiliatum opponitur.

Dixit [a] autem eis etiam parabolam *huc spectantem*, [a] quòd oporteret ipsos semper precari,
nec [b] segnescere,
2 [c] Dicens, Judex quidam erat in quadam
urbe qui Deum non timebat, nec quemquam reverebatur:
3 Erat autem in illa urbe quædam vidua,
quæ venit ad eum, dicens, Vindica me ab adversario meo.
4 Ille autem noluit per *multum* tempus: posteà verò dixit apud se, Etsi Deum non timeo, nec
quemquam revereor:
5 Tamen quia molestiam mihi exhibet vidua ista, vindicabo eam, ne tandem veniens
[d] obtundat me.
6 Ait autem Dominus, Audite quid judex
ille injustus dicat:
7 Deus autem non vindicabit electos suos,
clamantes ad ipsum die ac nocte, [e] etiamsi iram
differat super ipsis?
8 Dico vobis, vindicabit eos citò. Verumtamen Filius hominis quum venerit, num reperturus est fidem in terra?
9 [f] Dixit autem etiam quibusdam qui sibi
persuaserant se justos esse, & pro nihilo habebant reliquos, parabolam istam:
10 Homines duo ascenderunt in templum ut
precarentur: unus Pharisęus, & alter publicanus;
11 [g] Pharisæus consistens seorsim hæc precatus est, Deus, gratias ago tibi quòd non sim ut reliqui homines, rapaces, injusti, mœchi: vel etiam
ut iste publicanus.
12 Jejuno bis [h] hebdomade, decimo quæcumque possideo.
13 Publicanus autem [i] procul stans, nolebat
vel oculos in cælum attollere: sed percutiebat
pectus suũ, dicens, Deus, placator mihi peccatori.
14 Dico vobis, descendit iste justificatus domum suam *potiùs* quàm ille: [k] quia quicumque se
extollit deprimetur, & qui se deprimit, extolletur.

Dixit [1] eis etiam parabolam ut omni tempore
orarent, & non esset anxietas eis.
2 Judex quidam erat in civitate quadam
[2] qui à Deo non timebat, & à filiis hominis non
se abscondebat.
3 Vidua autem quædam erat in civitate illa: & venit ad eum, & dixit, Vindica me ab adversario meo.
4 Et [3] non volebat tempore multo: posteà
verò dixit apud se, Si à Deo non timeo, & à filiis
hominis non me abscondo:
5 Saltem quia molestiam exhibet mihi hæc
vidua, vindicabo eam, ne omni tempore veniens
molesta sit mihi.
6 Et dixit Dominus noster, Audite quid dixerit judex [4] iniquitatis:
7 Deus autem non potiùs faciet vindictam
pro electis suis qui clamant ad se die ac nocte, &
[5] protrahet spiritum suum contra illos?
8 Dico vobis quòd faciet vindictam eorum
citò: verumtamen veniet Filius hominis, & inventurúsne est fidem super terram?
9 Et dicebat parabolam hanc contra quosdam qui confidebant in se quòd essent justi, &
contemnebant omnem hominem.
10 Duo homines ascenderunt in templum ad
orandum, unus Pharisæus, & alter publicanus.
11 Et ipse Pharisæus [6] stabat [7] solus, & hæc orabat, Deus, gratias ago tibi quòd non sum sicut
reliqui homines, raptores, injurii, & adulteri, neque sicut hic publicanus.
12 Sed jejuno bis in [8] sabbatho, & decimo
quicquid possideo.
13 Ipse verò publicanus stabat procul, & non
volebat ne oculos quidem suos attollere in cælum, sed percutiebat super pectus suum, & dicebat, Deus, gratiosus esto mihi peccatori.
14 Dico vobis quòd descendit iste justificatus in domum suam potiùs quàm ille Pharisæus.
Quisquis enim extulerit seipsum, deprimetur: &
quisquis depresserit seipsum, extolletur.

[1] F. alii, dixit autem eis etiam parabolam.
[2] Id est, qui palàm iniquus erat, ut nec Dei nec hominum judicium metueret.
[3] Id est, Dñs eam à se repulit & recusavit facere quod petebat.
[4] F. vel iniquus.
[5] Id est, iram suam differet contra opprimentes eos. F. vel & quidem protrahens spiritum suum erga illos? ut sit hæc sententia, In hos Deus est *μακρόθυμος* ad peccata ipsorum delenda: ergo nec in alios qui injustè affligunt erit *μακρόθυμος*, nec istorū maleficiis justos perire sinet. In hos enim est *μακρόθυμος*, non ut peccatores materiam habeant malefaciendi, sed ut electi à malefaciendo abstineant, & ad orationem attendant, de qua versu 1. Sic argumentatio est à natura Dei promissis operibúsque illius confirmata.
[6] F. vel consistens apud se, i. etiam apud animũ suum comparans sese coram Domino.
[7] Ad verb. Inter se & animam suam. Hebraismus.
[8] i. hebdomade. Vide Matth. 28.1.

[g] B. Etiamsi quicquid habemus, nos à Deo habere fateamur, nihilominùs ut arrogantes despicimur à Deo, si vel tantillum in nostris operibus fiduciæ coram Deo habeamus. [h] Ad verb. sabbatho: sabbathum autem pro hebdomade sumitur. [i] Procul à Pharisæo, loco nimirùm humiliore. [k] Suprà 14.11. Matth. 23.12.

15 [l][k] Adse-

15 [9] Offere-

[9] F. nempè quidam: pro eo quod est, offerebantur infantes: impersonaliter, ut suprà 16,4.

15 [9] Offerebant autem ei infantes, ut tange-
ret eos: & viderunt illos discipuli ejus, & objur-
gaverunt illos.
16 Ipse verò Jeschua vocavit eos, & dixit eis,
Sinite parvulos venientes ad me,& ne prohibea-
tis eos: illorum enim qui sunt sicut ii, illorum *in-*
quam est regnum cælorum.
17 Ammin dico vobis,quòd qui non accepe-
rit regnum Dei tamquam parvulus, non intrabit
in illud.
18 Et interrogavit eum quidam ex primori-
bus,& dixit ei, Præceptor bone, quid faciam ut
hæreditatem consequar vitæ quæ est in perpe-
tuum?
19 Dixit ei Jeschua, Quid vocas tu me bo-
num? &,non est bonus nisi unus Deus.
20 Mandata nosti,Non occides, & Non com-
mittes adulterium, & Non furaberis, & Non te-
staberis testimonium mendacii: Honora patrem
tuum & matrem tuam.
21 Dixit ei,Hęc omnia servavi à pueritia mea.
22 Quum audivisset autem Jeschua, dixit ei,
Unum deest tibi. abi, vende quicquid est tibi &
da pauperibus: & erit tibi thesaurus in cælo: &
[10] veni post me.

[10] i. Sequere me. Hebraismus.

23 Ille autem quum hæc audivisset, mœstitia
affectus est: dives enim erat valdè.
24 Et quum vidisset Jeschua quòd mœstitia
affectus esset, ait, Quàm difficile est eis quibus
sunt opes ut ingrediantur in regnum Dei.
25 [11] Facilius est camelo ut in foramen acus
ingrediatur,quàm ut dives in regnum Dei.

[11] Vide quæ de hac Syra voce scripsimus, Matt. 19,24.

26 Dicunt ei qui audierunt, Et quis potest
servari?
27 Jeschua autem dixit, Ea quæ apud filios
hominis non possunt,apud Deum fieri possunt.
28 Dixit ei Schemeun Cipha, Ecce, nos reli-
quimus omnia,[12] & ivimus post te.

[12] i. Sequuti sumus, Hebraismus.

29 Dixit ei Jeschua, Ammin dico vobis,quòd
nemo est qui reliquerit domum,aut parentes,aut
fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum
Dei,
30 Et non recepturus sit [13] cum duplicatio-
nibus multis hoc tempore,& in seculo futuro vi-
tam quæ est in æternum.

[13] i. Duplum ejus quod amiserit innumeris vicibus multiplicatum.

31 Et accepit Jeschua duodecim suos,& dixit
eis,Ecce,ascendimus Urischelem, & perficientur
omnia quæ scripta sunt in Prophetis de Filio ho-
minis.
32 Tradetur enim Gentibus, & illudent ei, &
spuent in faciem ejus:
33 Et flagellabunt eum, & ignominia affici-
ent eum,& occident eum: & die tertia resurget.
34 Ipsi verò [14] unum ex his non intellexe-
runt, sed absconditum erat ab eis verbum hoc,
nec cognoscebant ea quæ dicebantur eis.

[14] i. Nullum horum verborum intellexerunt. Hebraismus jam sępiùs observatus.

35 Et quum appropinquaret Irichu, cæcus
quidam sedebat juxta viam,& mendicabat.
36 Et audivit vocem turbæ transeuntis, & in-
terrogabat quísnam hic esset.
37 Dicunt ei,Jeschua Natzeraja transit.
38 Et clamavit, & dixit, Jeschua fili David,
miserere mei.
39 Et ii qui proficiscebantur ante Jeschua ob-
jurgabant eum ut taceret: ipse verò ampliùs cla-
mabat,Fili David miserere mei.
40 Et stetit Jeschua, & præcepit ut vocarent
eum ad se,& quum accessisset ad se,interrogavit
eum,
41 Et dixit ei,Quid vis tu *ut* faciam tibi? Ille
verò dixit,Domine mi,ut videam.
42 Et Jeschua dixit ei, Videto, fides tua [15] ser-

[15] Ad verb. Vivificavit te. Hebraism.

15 [i] [k] Adferebant autem ad eum etiam infan-
tes,ut eos tangeret: [l] quum autem hoc vidissent
discipuli,objurgârunt eos.
16 Jesus verò quum [m] puerulos advocâsset,
dixit,[n] Sinite puerulos venire ad me,& eos non
prohibete: talium est enim regnum Dei.
17 [o] Amen dico vobis, quicumque non exce-
perit regnum Dei tamquam puerulus, nequa-
quam introibit in illud.
18 [ii] Tunc interrogavit eum quidam ex pri-
moribus, dicens, Magister bone, quid faciendo,
vitam æternam possidebo?
19 Dixit autem ei Jesus,Cur me dicis bonum?
nemo bonus nisi unus,*nempè* Deus.
20 Mandata nosti,[iii] Ne mœchare, Ne occidi-
to,Ne furare,Ne falsum testimonium dicito. Ho-
nora patrem tuum & matrem tuam.
21 Ille autem dixit, Hæc omnia observavi à
juventute mea.
22 [p] Jesus verò his auditis, dixit ei, Adhuc u-
num tibi deest: omnia quæ habes, vende, & di-
stribue pauperibus, & habebis thesaurum in cæ-
lo: & adesdùm sequere me.
23 At ille his auditis, valdè tristis factus est:
nam dives erat valdè.
24 [q] Quum autem vidisset Jesus eum valdè
tristem factum,dixit, Quàm difficilè qui pecuni-
as habent,introibunt in regnum Dei!
25 Facilius est enim camelum per foramen
acus introire, quàm divitem in regnum Dei in-
trare.
26 Qui verò *istud* audierant,dixerunt,Et quis
potest servari?
27 Ipse autem dixit, Quæ fieri non possunt
apud homines,fieri possunt apud Deum.
28 [iv] Dixit autem Petrus, Ecce, nos reliqui-
mus omnia,& sequuti sumus te.
29 [r] Ipse verò dixit eis,Amen dico vobis,ne-
mo est qui reliquerit domum, aut parentes, aut
fratres,aut uxorem,aut liberos, regni Dei causa,
30 Qui non recepturus sit multiplicia, in
hoc tépore, & in seculo venturo vitam æternam.
31 [v] Jesus autem assumtis illis duodecim, di-
xit eis, [s] Ecce, ascendimus Hierosolymam,[t] &
perficientur omnia quæ scripta sunt per Prophe-
tas,de Filio hominis.
32 Tradetur enim Gentibus, & illudetur, &
contumeliis afficietur,& consputetur.
33 Et postquam eum flagellaverint, trucida-
bunt: sed die tertia resurget.
34 [u] Ipsi verò nihil horum intellexerunt: e-
rántque ista verba ipsis occulta, nec cognove-
runt quæ dicebantur.
35 [x] [vi] Factum est autem ut dum ipse appro-
pinquaret Jericho, cæcus quidam sederet apud
viam,mendicans.
36 Quum igitur *is* audisset turbam prætere-
untem,percontabatur quid hoc esset.
37 Nunciaverunt autem ei Jesum Nazare-
num transire.
38 Tunc clamavit dicens, Jesu fili Davidis
miserere mei.
39 [y] Et qui præibant, objurgabant eum ut si-
leret: ipse verò multò magis clamabat, Fili Da-
vidis miserere mei.
40 Jesus autem quum substitisset, jussit eum
adduci ad se: & quum is appropinquasset,inter-
rogavit eum,
41 Dicens, Quid tibi vis faciam? Ille verò
dixit,Domine,ut visum recipiam.
42 Et Jesus dixit ei,Recipito visum: fides tua

[i] *Matth.* 19.13. *Marc.* 10.13.

[k] Eos, quos discipuli abigebant, qui nimirùm puerulos gestabant. Nam ex vulgata loquendi consuetudine dicitur puerulum ad se vocare, qui nutricem accersit, quæ infantem adferat.

[l] B. Christum carnis suæ sensu æstimare, infinitarum corruptelarum causa.

[m] Si adferebantur, teneri itaque adhuc erant, quod ampliùs confirmatur ex eo quòd infantes essent: illud autem observandum adversus hostes pædobaptismi.

[n] B. Etiam infantes fidelium in gratuito fœdere comprehenduntur.

[o] B. Puerilis innocentia, Christianorum ornamentum.

[ii] *Matth.* 19.16. *Mar.* 10.17.

[iii] *Exod.* 20.13.

[p] B. Opum illecebrę plurimos à recta via abducunt.

[q] B. Divitem simul & pium esse singulare Dei donum est.

[iv] *Matth.* 19.27. *Marc.* 10.28.

[r] B. Omnium evadunt ditissimi, qui Christi causa pauperes fieri non recusant.

[v] *Matth.* 20.17. *Marc.* 10.32.

[s] B. Certa quidem est crux, sed non minùs certa est gloria quæ victores manet.

[t] Perspicuè significat Christus his verbis, quòd Prophetæ omnes ac tota Veteris testamenti Scriptura, in hunc præcipuè scopum respiciat, ut doceat Christum tradendum propter peccata nostra, & resurrecturum propter justificationem nostram, Rom. 4. 25.

[u] Pleonasmis iteratis quanta fuerit discipulorum ignorantia dicitur.

[x] B. Christus se esse mundi lucem visibili miraculo confirmat.

[vi] *Matth.* 20.29. *Marc.* 10.46.

[y] B. Quò plures obices opponit Satan, etiam per eos qui Christi nomen profitentur, eò magis nobis est pergendũ,

te ſervavit.
43 Illicò igitur viſum recepit, ac ſequebatur
eum, glorificans Deum, & totus populus quum
hoc vidiſſet, tribuit laudem Deo.

vavit te.
43 Et eadem hora vidit, [16] & veniebat poſt e-
um, & glorificabat Deum, & univerſus populus
qui viderat, dabat gloriam Deo.

[16] i. Sequebatur eum. Hebr.

CAPUT XIX.

2 Zacchæus publicanus. 13 Minæ ſervis datæ ad negotiationem. 29 Jeſus ingreditur Jeroſolymam. 41 flens prædicit urbis excidium. 45 vendentes ejicit è templo.

JEſus [a] autem ingreſſus Jericho, tranſibat:
2 Et ecce, quidam nomine vocatus Zac-
chæus, & [b] qui magiſter erat publicanorum, ac
is dives erat:
3 Studebátque videre quis eſſet Jeſus: nec
poterat præ turba, quòd ſtatura parvus eſſet:
4 Præcurrens igitur aſcendit in ſycomorum,
ut eum videret: quoniam futurum erat ut illâc
tranſiret.
5 Ut autem venit ad eum locum, ſuſpiciens
Jeſus vidit eum, & dixit ei, Zacchæe, feſtinans
deſcende. hodiè enim domi tuæ oportet me ma-
nere.
6 Tum is feſtinans deſcendit, & excepit e-
um gaudens.
7 [c] Et omnes quum hoc vidiſſent murmu-
rabant, dicentes eum ingreſſum eſſe ad hominem
peccatorem ut *ibi* diverſaretur.
8 [d] Adſtans autem Zacchæus, dixit Domi-
no, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine,
do pauperibus: & ſi quid cuipiam [e] per calum-
niam eripui, reddo quadruplum.
9 Dixit autem ei Jeſus, Hodiè ſalus huic do-
mui contigit, [f] eo quòd ipſe quoque eſt [g] filius
Abrahami.
10 [*] Venit enim Filius hominis ut quærat &
ſervet quod perierat.
11 [h] Hæc autem ipſis audientibus, pergens,
dixit parabolam, eo quòd eſſet propè Hieruſa-
lem, & quòd putarent fore ut illicò regnum Dei
appareret.
12 Dixit ergo, [*] Homo quidam nobilis profe-
ctus eſt in regionem longinquam, ut acciperet
ſibi regnum, ac reverteretur.
13 [i] Vocatis autem decem ſervis ſuis dedit e-
is decem minas, & dixit eis, Negotiamini, donec
veniam.
14 Cives autem ejus oderant eum, miſerúnt-
que legationem poſt eum, dicentes, Nolumus
hunc regnare ſuper nos.
15 Et factum eſt quum rediiſſet, accepto reg-
no, tum juſſit vocari ſervos illos ad ſe, quibus de-
derat pecuniam: ut cognoſceret quis quid nego-
tiando confeciſſet.
16 Adfuit autem primus, dicens, Domine,
[k] mina tua decem lucrifecit.
17 *Ille* autem ait ei, Benè *eſt* ſerve bone: quia
in minimo fuiſti fidelis, habeto poteſtatem in de-
cem urbes.
18 Et alter venit, dicens, Domine, mina tua
confecit quinque minas.
19 *Ille* verò & iſti dixit, Tu quoque præeſto
quinque urbibus.
20 [l] Et alius venit, dicens, Domine, ecce mi-
na tua quam habui ſepoſitam in ſudario:
21 Timui enim te, quòd homo ſis auſterus:
aufers quod non depoſuiſti, & metis quod non
ſeminaſti.

[a] Chriſti gratia eos potiſſimùm prævenit qui maximè videbantur ab ea alieni.
[b] B. Præfectum publicanorum intellige qui ibi convenerant. Erant enim publicani neceſſariò in ſocietates diſtributi, ut ex infinitis locis orationum Ciceronis apparet.
[c] B. Mundus gratiam Dei repudians, iniquè tamen fert eam ad alios transferri.
[d] B. Exemplum veræ reſipiſcentiæ ex effectu intelligitur.
[e] Ad verbum, per ſycophantiam: cujus vocabuli propria ſignificatio videtur optimè convenire perſonæ magiſtri publicanorum, Iſtis enim ferè mos eſt, ſuis latrociniis prætexere reipub. commoda, & hoc obtentu ita prædari, ut ſi quis ſeſe illorum rapacitati opponat, injuriam reipub. fieri clamitent.
[f] Id eſt, quandoquidem.
[g] Filium eſſe Abrahæ, nihil aliud declarat quàm gratis electum eſſe, & veſtigiis fidei Abrahæ inſiſtere, Rom. 4.12. & opera Abrahæ facere, Joh. 8.39. ex quibus demùm rectè colligitur certa futuræ ſalutis exſpectatio, Rom. 8.29. quòd autem ex Zacchæi fide colligit dominus totius familiæ ſalutem, æſtimandum eſt ex ratione fœderis quod cum ipſo Abrahamo ita ſancitum eſt, ut ejus familiam comprehenderet. id enim ex fœderis teſſera liquet, quæ cum tota Abrahami familia fuit communicata: ita tamen ut Domino interim maneat libera eligendi vel reprobandi facultas.

ET quum ingreſſus eſſet Jeſchua, ac tranſiret
per Irichu,
2 Homo quidam cujus nomen erat Zaccai,
dives erat, & maximus publicanorum:
3 Et volebat videre Jeſchua quiſnam eſſet:
neque poterat præ turba, quia ſtatura ſua puſil-
lus eſſet Zaccai.
4 Et accurrit ante Jeſchua, & [1] aſcendit in
ficum [2] ſylveſtrem, ut videret eum: quia ſimiliter
futurum erat ut tranſiret.
5 Quúmque veniſſet ad illum locum Je-
ſchua, vidit eum, & dixit ei, Feſtina, deſcende
Zaccai: hodiè enim oportet ut in domo tua ſim.
6 Et feſtinans deſcendit, & accepit eum gau-
dens.
7 Quum viderent autem, omnes murmura-
bant, & dicebant, Ad hominem peccatorem in-
greſſus divertit.
8 Stetit autem Zaccai, & dixit Jeſchua, Ecce,
Domine mi, dimidium facultatum mearum do
pauperibus, & cuique id quod injuria abſtuli,
[3] quadruplo reſtituo.
9 Dixit ei Jeſchua, Hodiè facta eſt ſalus do-
mui huic, eo quòd etiam hic filius eſt Abrahami.
10 Venit enim Filius hominis ut quærat &
ſervet id quod perierat.
11 Et quum audiviſſent hæc, [4] adjecit dicere
[5] parabolam eo quòd propinquus eſſet Uriſche-
lem, & putarent quòd eadem hora futurum eſſet
ut manifeſtaretur regnum Dei.
12 Et dixit, Homo quidam [6] cognationis am-
plæ, profectus eſt in regionem longinquam, ut
acciperet ſibi regnum, & reverteretur.
13 Et vocavit decem ſervos ſuos, ac dedit eis
decem [7] minas, ac dixit eis, Negotiamini donec
veniam.
14 [8] Filii autem civitatis ejus oderant eum, &
miſerunt nuncios poſt eum, ac dixerunt, Nolu-
mus ut regnet ſuper nos iſte.
15 Et quum accepiſſet regnum, & reverſus
eſſet, dixit ut vocarent ad ſe illos ſervos ſuos qui-
bus dederat argentum, ut cognoſceret quid quiſ-
que illorum negotiatus eſſet.
16 Et venit primus, ac dixit, Domine mi, mi-
na tua decem minas lucrifecit.
17 Dixit ei, Euge ſerve bone: quia in modico
inventus es fidelis, eris poteſtatem habens ſuper
decem opida.
18 Et venit ſecundus, ac dixit, Domine mi,
Mina tua quinque minas fecit.
19 Dixit etiam huic, Etiam tu eris poteſtatem
habens ſuper quinque oppida.
20 Et venit alius, ac dixit, Domine mi, ecce,
mina tua illa quæ erat apud me, poſita eſt in lin-
teo.
21 Timui enim abs te, quòd homo ſis durus,
& tollas id quod non poſuiſti, ac metas id quod
non ſeminaſti.

[1] F. Syrè, aſcendit ſibi. Pleonaſmus, de quo in Matth. 4.10.
[2] Syra vox פכיהתא ſignificat degenerem & inſipidam: unde dicitur etiam de ſale infatuato, & qui à priſtina ſua præſtantia degeneravit, neque alibi quam in hac paraphraſi facilè reperiatur.
[3] Ad verbum, Cum quatuor, id eſt, Quadruplum ultra id quod abſtulerim. Reſpicit ad pœnam in fures conſtitutam, Exod. 21. in fine.
[4] F. id eſt, inſuper dixit, προσέθηκε λέγειν. Hebraiſmus tranſlativus.
[5] In textu erat מלתא, id eſt, verbum, ſed librarii incuria literæ tranſpoſitæ fuerant: quem errorem, licèt inter animadverſos non commemoretur, reſtituere non dubitavi, ac ſcripſi מתלא.
[6] Id eſt, Ortus genere claro, Prænobilis.
[7] Minam Hebraicam docet Ezec. 45.12. continere ſexaginta ſiclos, Atque ut ſicli duo erant diverſi valoris, communis continens duos denarios, & ſanctuarii duplo major, ſic etiam mina duplex fuit, communis & ſanctuarii. Mina ergo communis 60. communes ſiclos, hoc eſt, 120. denarios continebat: mina verò major 60. ſiclos ſanctuarii, hoc eſt, 240. denarios. De valore autem denarii, vide quæ annotavimus Matth. 18.
[8] Id eſt, Cives ejus. Hebraiſmus.

[*] *Matth.* 18.11. [h] B. Pariter exſpectandum Dei judicium, quod ſuo demùm tempore patefiet. [*] *Matth.* 25.14. [i] B. Tria ſunt hominum genera in Eccleſia, unum eorum qui à Chriſto quem non cernunt, deficiunt: alterum eorum qui pro ſuæ vocationis ratione, donis ab eo acceptis ad ipſius gloriam & proximorum commodum induſtriè & graviter utuntur: tertium, eorum qui præ ignavia torpent. Primos igitur illos ſuo tempore apparens Dominus juſtis pœnis ulciſcetur: ſecundos gratis beabit pro laborum quos ſuſtinuerint ratione: ignavos autem, ut inutiles, etiam plectet. [k] Mina fuit Græcorum numiſma, cujus pretium denarii centum, æſtimatione aureorum circiter decem, ſeu eorum, qui taleri vocantur, duodecim. [l] B. In eos qui ignavam vitam deliberando & contemplando conſumunt.

22 Dixit ei, Ex ore tuo te judicabo, serve male. noveras me, quòd homo sim durus, & tollã id quod non posui, & metam id quod non seminavi.

23 Quare non dedisti argentum meum [9] ad mensam? & ego venissem, & exegissem eam cum usuris suis.

24 Et illis qui stabant ante se, dixit, Accipite ab eo minam, & date ei apud quem sunt decẽ minę.

25 Dicunt ei, Domine noster, sunt penes eum decem minæ.

26 Dixit illis, [10] Dico vobis quòd omni cui est, dabitur: ab eo autem cui non est, etiam quod est ei, auferetur.

27 Verumtamen illos inimicos meos, qui noluerunt ut regnarem super eos, adducite, & interficite eos coram me.

28 Et quum dixisset hæc Jeschua, progressus est ut proficisceretur Urischelem.

29 Et quum appropinquâsset Beth-Phageh, & Beth-Aniah [11] juxta montem qui vocatur *mons* loci Olivarum, misit duos ex discipulis suis:

30 Ac dixit eis, Ite in pagum illum qui contra nos est: & quum intrabitis, ecce, invenietis pullum qui alligatus est, super quem nunquam homo equitavit: solventes adducite eum.

31 Et si quis interroget vos, Quare solvitis illum? sic dicite ei, Domino nostro necessarius est.

32 Et abierunt ii qui missi sunt: & invenerunt sicut dixerat eis.

33 Quumq; solverent pullum, dixerunt eis [12] domini ejus, Quid solvitis pullum istum?

34 Et dixerunt eis, Quia Domino nostro necessarius est.

35 Et adduxerunt eum ad Jeschua, & injecerunt super pullum vestimenta sua, & equitare fecerunt Jeschua super eum.

36 Dum autem proficisceretur, expandebant vestimenta sua in via.

37 Et quum appropinquavit ad descensum montis loci Olivarum, cœperunt universa turba discipulorum lætari, & glorificare Deum voce elata super omnibus virtutibus quas vidissent.

38 Et dicebãt, Benedictus est rex qui venit in nomine Domini: pax in cęlo, & gloria in excelsis.

39 Quidam autem ex Pharisæis è medio turbarum dixerunt ei, Domine mi, objurga discipulos tuos.

40 Dixit eis, Dico vobis quòd si ii tacuerint, lapides clamabunt.

41 Et quum appropinquaret, & videret ipsam urbem, flevit super eam,

42 Ac dixit, O si cognosceres hæc quæ sunt pacis tuæ, saltem in hoc die tuo: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43 Venient autem tibi dies quibus circumdabunt te inimici tui, & coarctabunt te undique.

44 Et subvertent tę & filios tuos in medio tui, neq; relinquent in te lapidẽ super lapidem, propterea quòd non noveris tempus visitationis tuæ.

45 Et quum ingressus esset in templum, cœpit ejicere eos qui vendebant in illo, & qui emebant.

46 Et dixit eis, Scriptum est, Domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis eam speluncam latronum.

47 Et ipse docebat quotidie in templo: [13] summi autem sacerdotes, & Legisperiti, & seniores populi quærebant perdere eum.

48 Et non inveniebant quid facerent ei: universus enim populus appensus erat ei ut audiret eum.

[9] F. id est, mensariis occupandum.

[10] F. Ellipsis, date inquam: nam dico vobis, &c. vide in Matt. 13. 29. sic ℣. 40.

[11] F. Syrè, juxta corpus montis, id est, summitatem. Olivetum autem locus olivarũ est.

[12] F. Id est, ad quos asinus pertinebat jure, cu[…]dia, ductu. Hebraismus.

[13] F. Id est, principes Sacerdotũ: sic infrà 20. 1. & 19.

22 Tum *ille* dixit ei, Ex ore tuo te judicabo, serve male: sciebas me hominem austerum esse, qui auferam quod non seminavi:

23 Quare igitur non dedisti pecuniam meam ad [m] mensam, & ego veniens, cum fœnore ipsam exegissem?

24 Et astantibus dixit, Tollite ab eo minam, & date ei qui decem minas habet.

25 *Illi* verò dixerunt ei, Domine, habet decem minas.

26 *At ille*, Nam, *inquit*, [‖] dico vobis, Omni habenti dabitur: ei verò qui non habet, etiam quod habet adimetur.

27 Quinetiam meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare supra se, adducite huc, & jugulate coram me.

28 Et his dictis, [n] antegrediebatur ascendens Hierosolymam.

29 [o] [‖] Et factum est quum appropinquasset Bethphagæ & Bethaniæ, ad montem qui vocatur Olearum, misit duos ex discipulis suis,

30 Dicens, Abite in vicum qui est ex adverso: in quo introeuntes [p] invenietis pullum alligatũ, in quo nullus unquam hominum sedit: solutum eum adducite.

31 Et si quis vos interrogaverit, Quare solvitis? Sic dicetis ei, Quoniam eo opus est Domino.

32 Profecti autem qui missi erant, invenerunt prout eis dixerat.

33 Solventibus autem ipsis pullum, dixerunt eis domini ejus, Quare solvitis pullum?

34 Ipsi verò dixerunt, Quoniam eo opus est Domino.

35 [‖] Duxerunt igitur eum ad Jesum. Et palliis suis pullo injectis, imposuerunt Jesum.

36 Eunte autem ipso, substernebant pallia sua in via.

37 Et quum jam appropinquaret ad descensum montis Olearum, cœpit omnis multitudo discipulorum gaudentium laudare Deum voce magna de omnibus quas viderant virtutibus.

38 Dicentes, Benedictus *esto* rex ille qui venit in nomine Domini: pax in cælo, & gloria in *locis* altissimis.

39 [q] Et aliqui Pharisæorum è turba dixerunt ei, Præceptor, objurga discipulos tuos.

40 Ipse verò respondens dixit eis, [r] Dico vobis, si siluerint isti, mox lapides clamaturos.

41 [s] Et ut appropinquavit, visa urbe, flevit super ea,

42 Dicens, [t] Si [u] vel tu nosses [x] hoc saltem [y] tuo die, [z] quæ ad [a] pacem tuam *pertinent*. Sed *ea* nunc occulta sunt oculis tuis.

43 Nam veniet tempus adversum te, quo circumjicient tibi inimici tui vallum, & circumcingent te, & constringent undique:

44 Teq; solo æquabunt, & filios tuos intus, neq; relinquent in te lapidem super lapidem: eo quòd non noveris [a] tempus illud visitationis tuæ.

45 [b] [‖] Et ingressus in templum, cœpit ejicere eos qui vendebant in eo & emebant:

46 Dicens eis, Scriptum est, [‖] Domus mea, domus precationis est: [‖] vos autem fecistis eam speluncam latronum.

47 Et docebat quotidie in templo. [‖] Primarii verò sacerdotes & Scribæ, & primores plebis studebant eum perdere:

48 Nec inveniebant quid facerent: totus enim populus pendebat ab ipso, quũ eum audiebat.

[m] Id est, apud mensarios & trapezitas.

[‖] *Sup.* 8. 18. *matt.* 13. 12. & 25. 29. *mar.* 4. 25.

[n] Discipulis cunctantibus Jesus ad mortem certissimam pergebat.

[o] B. Regnum suum non esse ex hoc mundo, Christus in semetipso ostendit.

[‖] *Matth.* 21. 1. *mar.* 11. 1.

[p] Nota hic, res jam procul positas & ab humanis oculis remotas perspectas habere non esse humani ingenii, sed divini.

[‖] *Matth.* 21. 7. *joh.* 12. 14.

[q] B. Cessantibus quos oportuit primos esse regni Christi pręcones, Dominus alios invitis illis extra ordinem excitat.

[r] Hæc Christi responsio indicat fieri non posse ut quod Deus decrevit, infringatur. Tempus aderat quo Messiam revelari, & ejus laudes palàm audiri oportebat. quomodo igitur homines ad prohibuissent, quum ita apud Deum ab initio constitutum esset.

[s] B. Christus ne reproborum quidem exitio simpliciter delectatur.

[t] Defectiva est hæc Christi oratio, partim commiserantis instantem urbis cladẽ, partim inauditam perfidiam ac contumaciam exprobrantis.

[u] Id est, saltem tu, sub. Hierusalem, cui propriè destinatum hoc erat nuncium.

[x] Si post tot Prophetas interfectos, & me quoq; Prophetarũ Dominum toties repulsum, nunc hac saltem extrema profectione, aliquam loci ipsius rationẽ habuisses.

[y] Dies hujus urbis dicitur (Hebræorum more) tempus illud quo dominus singulari beneficio eam dignatus erat, nisi ipsũ non eminùs vocantem sed jam præsentem contemsisset. [‖] *Inf.* 21. 6. *mat.* 24. 1. *mar.* 13. 1.

[z] i. ea in quibus posita est tua fœlicitas. [a] i. hoc temporis punctum, quo Deus invisit. [b] B. Christus Hierusalem ingressus visibili adjecto symbolo docet sibi à Patre mandatas purgandi templi partes. [‖] *Matt.* 21. 12. *mar.* 11. 11. [‖] *Esa.* 56. 7. [‖] *Jere.* 7. 11. [‖] *Matt.* 21. 13. *mar.* 11. 17.

CAPUT XX.

4 *Quæstio, Baptismus Johannis unde.* 9 *Sacerdotum impietas, vineæ & agricolarum similitudine notatur.* 21 *Tributum Cæsari reddendum.* 27 *Sadducæos negantes resurrectionem convincit Christus.* 41 *Christus quomodo filius Davidis.*

ET ‖ [a] factum est quodam dierum illorum, ut quum ipse doceret populum in templo, & evangelizaret, supervenerint [b] primarii Sacerdotes & Scribæ cum Senioribus,

2 Et alloquuti sint eum dicentes, Dic nobis qua auctoritate ista facias, aut quis ille sit qui dedit tibi istam auctoritatem.

3 Respondens autem Jesus dixit eis, interrogabo vos & ego rem quãdam. Dicite igitur mihi,

4 Baptismus Johannis è cælo erat, an ex hominibus?

5 At illi ratiocinati sunt apud se, dicentes, Si dixerimus, E cælo: dicet, Quare ergo non credidistis ei?

6 Sin autem dixerimus, Ex hominibus: tota plebs lapidabit nos. persuasa enim est, Johannem Prophetam fuisse.

7 Responderunt igitur se nescire unde *esset*.

8 Tunc Jesus dixit eis, Nec ego dicam vobis qua auctoritate hæc faciam.

9 [c] Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc, ‖ Quidam plantavit vineam, & elocavit eam agricolis: & peregrè abfuit multum temporis.

10 Sed suo tempore misit servum ad agricolas illos, ut sibi darent ex fructu vineæ. Agricolæ autem illi cæsum illum ablegaverunt inanem.

11 *Ille* verò perrexit, & alterum servum misit: at ipsi hunc quoque cæsum & contumeliis affectum ablegaverunt inanem.

12 Et perrexit mittere tertium: at illi & istum vulneratum ejecerunt.

13 Dixit igitur Dominus vineæ, Quid faciam? mittam filium illum meum dilectum: utiq; quum hunc viderint, reverebuntur.

14 Viso autem eo agricolæ colloquuti sunt inter se, dicentes, Iste est hæres: venite, trucidemus eum, ut nostra fiat hæreditas.

15 Et ejectum eum extra vineam, trucidârunt. Quid ergo faciet eis dominus vineæ?

16 Veniet & perdet agricolas istos, & dabit vineam aliis. *Hoc* autem quum audissent, dixerunt, Absit.

17 Ille verò intuitus eos ait, Quid illud est ergo quod scriptum est, ‖ Quem lapidem reprobaverunt ædificantes, is factus est caput anguli?

18 Quisquis ceciderit super illum lapidem confringetur: super quem autem ceciderit, dissipabit eum.

19 Tum studuerunt primarii Sacerdotes & Scribæ injicere in eum manus eo ipso momento: sed timuerunt plebem: cognoverunt enim *eum* adversus ipsos dixisse similitudinem istam.

20 [d] Itaq; [e] observantes *eum*, miserunt [f] insidiatores, qui se justos esse simularent: ut [g] carperent ejus sermonem, tradituri eum imperio & [h] potestati Præsidis.

21 ‖ Qui interrogaverunt eum, dicentes, Præceptor, scimus te rectè dicere & docere, [i] nec accipere personam, sed viam Dei in veritate docere:

22 [k] Licet nobis tributũ dare Cæsari, an non?

23 Animadversa autem eorum calliditate, dixit eis, Quid me tentatis?

‖ *Matth.*21.23. *mar.*11.27.
[a] B. Victi quod ad doctrinæ veritatẽ attinet Pharisæi, de vocatione externa controversiam movent, & propriæ conscientiæ testimonio convincuntur.
[b] Principes sacerdotum, erant præsides Religionis: Scribæ, interpretes legis: Seniores qui de magistratu erant politico.
[c] B. Minimè novum est summos esse Christi & ipsius servorum hostes, qui in ipso Dei sacrario versantur. Sed hoc ipsi tandem impunè non ferent.
‖ *Esa.*5.1.*jer.*2.21 *matt.*21.33.*mar.*12.1.
‖ *Psal.*118.22. *esa.*28.16.*act.*4.11.*rom.*9.33. 1.*pet.*2.7.
[d] B. Ultimũ pseudoprophetarum perfugium est ad veros Prophetas perdendos, seditionis crimẽ eis impingere.
[e] Tẽpus opportunũ eum capiendi.
[f] Fraudulenter subornatos.
[g] i. Ut aliquid ex ipsius sermone arriperent, & hac occasione calumniam illi struerẽt. Nam verbo ἐπιλαβεῖν summus ad fallendum conatus exprimitur. q. d. paratos fuisse, ut vel una syllaba errantẽ carperent, ac traducerent.
[h] Ut necaretur.
‖ *Matth.*22.16. *mar.*12.13.
[i] Non moveris gratia ullius. Personam autem vocat externas circumstantias, quas si quis respiciat, paria de paribus non constituat.
[k] Quæstio satis facilis videtur in speciem: sed revera speciosa est. Nam subest dilẽma, quod utrimq; habet periculum. Nam si responderat dandũ esse tributum, habebit infensos Judæos, apud quos insidiatores illum criminabuntur, quòd parum sit propitius publicæ libertati. Sin dicat non esse danda tributa, traducent apud Præsidem, tamquam seditiosè doceat contra Cæsaris & Romani Senatus decreta.

FActúmque est [1] in uno ex diebus, quum doceret in templo, & evangelizaret, surrexerunt adversus eum summi sacerdotes & Legisperiti cum senioribus:

2 Et dixerunt ei, Dic nobis in qua potestate hæc facis, & quis est qui dedit tibi potestatem hanc.

3 Respondit Jeschua, & dixit eis, Interrogabo vos ego quoq; [2] sermonem, & dicite mihi,

4 Baptismus Juchannan è cælo erat, an ex filiis hominis?

5 Illi autem ratiocinabantur in seipsis, & dicebant, Si dixerimus, E cælo: dicet nobis, Et quare non credidistis ei?

6 Si verò dixerimus, Ex filiis hominis, lapidabit nos populus universus: persuasi enim sunt quòd Juchannan Propheta sit.

7 Et dixerunt ei, Non novimus unde sit.

8 Dixit ei Jeschua, Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

9 Et cœpit dicere populo parabolam hanc, Homo quidam *erat* qui plantavit vineam, & possidendam tradidit eam agricolis, & [3] peregrinatus est tempore multo.

10 Et in tempore misit servum suum ad agricolas, ut darent ei de fructibus vineæ. Agricolæ autem percusserunt eum, & remiserunt eum inanem.

11 Et [4] adjecit, & misit servum suum alium: illi autem etiam ipsum percusserunt & ignominia affecerunt, & remiserunt eum vacuum.

12 Et adjecit, & misit tertium: illi autem etiam ipsum contuderunt, & ejecerunt eum.

13 Dixit dominus vineæ, Quid faciam? mittam filium meum dilectum: [5] jam videbunt eum, & abscondent se.

14 Quum autem vidissent eum agricolæ, ratiocinabantur apud semetipsos, & dicebant, Iste est hæres: venite, occidamus eum: & erit hæreditas nostra.

15 Et ejecerunt eum extra vineam, & occiderunt eum. Quid igitur illis faciet dominus vineæ?

16 Veniet, & perdet agricolas istos, & dabit vineam aliis. Quum autem audivissent, dixerunt, [6] Ne sit hoc.

17 Ipse autem intuitus est eos, & dixit, Et quid est quod scriptum est? Lapis quem reprobaverunt ædificantes, is factus est [7] præcipuum cornu anguli.

18 Et omnis qui ceciderit super ipsum lapidem, conteretur: & omnis super quem ille cadet, disperget eum.

19 Quærebant autem summi sacerdotes & Legisperiti ut injicerent in eum manus eadem hora, & timuerunt à populo. cognoverunt enim quòd de eis loquutus esset parabolam hanc.

20 Et miserunt ad eum exploratores simulantes se tamquã justos, ut carperent eum in sermone, & traderent eum judicio & potestati Præsidis.

21 Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei, Præceptor, novimus quòd rectè loqueris & doces, & non [8] assumis vultum, sed in veritate viam Dei doces:

22 Licet nobis ut demus [9] argentum capitationis Cæsari, an non?

23 Ipse autem intellexit astutiam eorum: & dixit, Quid vos tentatis me?

[1] Id est, Quodam die, Hebraismus.
[2] F. i. aliquid paucis. Hebraismus.
[3] Hoc Syrũ verbum alibi me legisse non memini.
[4] F. i. prætereà misit: Hebraismus, sic seq. ver.
[5] F. vel fortasse: ut Matth. 21.37.
[6] Id est, Absit.
[7] Id est, Tamquã summus & præcipuus, qui eminet inter angulares lapides, ut cornu in capite animalis. F. vel, si ita placet, statuatur hypallage, in caput cornu anguli, pro eo quod est in caput cornuti anguli, in quo putà acquiescit structura domus: nam idem est λίθος ὁ ἀκρογωνιαῖος.
[8] Id est, Non fingis aut dissimulas. Vide annotata in vocem hypocritæ, Matth. 6.
[9] F. Periphrasis census viritim imperati, de quo in Matthæum diximus.

24 Ostendite

24 Ostendite

24 Ostendite mihi [10] denariũ, Cujus est in eo imago & descriptio ? Illi autem dixerunt, Cęsaris.
25 Dixit eis Jeschua, Date igitur *quæ sunt* Cæsaris, Cæsari, & *quæ* Dei, Deo.
26 Et non potuerunt carpere ex eo verbum coram populo: & mirati sunt super responso ejus, & tacuerunt.
27 Accesserunt autem quidam ex Zaddukæis, qui dicunt quòd resurrectio non est: & interrogaverunt eum,
28 Ac dixerunt ei, Præceptor, Musche scripsit nobis quòd si alicujus moriatur frater, cui sit uxor absq; filiis, accipiat frater ejus uxorem ejus, & exsuscitet semen fratri suo.
29 Septem autem fratres erant, & primus [11] accepit uxorem, & mortuus est absq; filiis.
30 Et accepit eam secundus in uxorem suam, & ipse mortuus est absq; filiis.
31 Et tertius rursus accepit eam, & similiter quoque illi septem, & mortui sunt, neque reliquerunt filios.
32 Et mortua est novissimè etiam mulier.
33 In resurrectione ergo, cujus ex eis erit uxor ? ipsi enim septem acceperunt eam.
34 Dixit eis Jeschua, Filii seculi hujus accipiunt uxores, & uxores fiunt viris:
35 Illi verò qui illo seculo digni sunt, & resurrectione quæ est [12] à mortuis, non accipiunt uxores, neq; etiam [13] uxores fiunt maritis.
36 Neq; enim rursus mori possunt. nam sicut Angeli sunt: & filii sunt Dei, quia fuerunt filii resurrectionis.
37 Quòd verò resurgant mortui, etiam Musche declaravit. Commemoravit enim [14] in rubo, quum diceret, Dominus Deus Abraham, & Deus Ischak, & Deus Jaakub.
38 Deus autem non est mortuorum, sed viventium: omnes enim vivunt ei.
39 Et responderunt quidam ex Legisperitis, & dixerunt ei, Præceptor, benè dixisti.
40 Neq; rursus ausi sunt interrogare eum de re aliqua.
41 Et dicebat eis, Quomodo dicunt Legisperiti de Christo quòd filius est Davidis ?
42 Et ipse David dicit in libro Psalmorũ, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextra mea,
43 Usque dum posuero inimicos tuos sub pedibus tuis ?
44 Si igitur David vocavit eum Dominum meum, quomodo filius ejus est ?
45 Et quum universus populus audiret, dixit discipulis suis,
46 Cavete à Legisperitis, qui volunt ambulare in stolis, & amant [15] pacem in plateis, & primos consessuum in synagogis, & primos accubituum in cœnis.
47 Qui comedunt domos viduarum, prætextu quod prolixas faciunt precationes suas. ipsi accipient [16] judicium majus.

[10] De valore denarii vide Matth. 18.28.
[11] F. i. duxit, ex Hebræorum usu: sic deinceps.
[12] Ad verb. De inter mortuos, ut Gallicè *D' entre les morts.*
[13] i. Nubunt. Hebraismus, ut præcedente versu.
[14] F. i. in historia rubi, Exod. 3.
[15] i. salutationẽ. Hebraismus.
[16] i. Condemnationem. Hebr.

24 Ostendite mihi denarium: cujus habet imaginem & inscriptionem? Respondentes autem dixerunt, Cæsaris.
25 Tunc dixit eis, [h] Reddite igitur quæ *sunt* Cæsaris, Cæsari: & quæ *sunt* Dei, Deo.
26 Itaq; non potuerunt ejus verba carpere coram plebe: & mirati super ejus responso, siluerunt.
27 [k] [l] Accedentes autem quidam Sadducæorum, (qui contendunt non esse resurrectionem) interrogarunt eum,
28 Dicentes, Præceptor, [l] Moses scripsit nobis, Si cujus frater mortuus fuerit habens uxorem, & sine liberis mortuus fuerit, ut ejus frater accipiat uxorem illam, & excitet semẽ fratri suo.
29 Septem ergo fratres fuerunt, quorum primus accepta uxore mortuus est sine liberis.
30 Accepit igitur eam secundus, *qui* & ipse mortuus est sine liberis.
31 Deinde tertius accepit eam: itidem autem & illi septem; nec reliquerunt liberos, & mortui sunt.
32 Post omnes autem mortua est mulier.
33 In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor ? nam illi septem habuerunt eam uxorem.
34 Tum respondens dixit eis Jesus, [m] Filii hujus ævi ducunt uxores, & nuptum dantur:
35 Qui verò digni habiti fuerint qui ævum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis, neq; ducunt uxores, neq; nuptum dantur:
36 Nec enim mori possunt ampliùs. pares enim Angelis sunt: & filii sunt Dei, quum sint [n] filii resurrectionis.
37 Mortuos autem suscitatum iri, etiam [l] Moses indicavit in rubo, quum dicit Dominum Deum Abrahami, & Deum Isaaci, & Deum Jacobi.
38 Deus autem non est mortuorum, sed vivorum *Deus*: omnes enim vivunt [o] ei.
39 Respondentes autem ei quidam ex Scribis dixerunt, Præceptor, benè dixisti.
40 Nec ampliùs audebant eum quicquam interrogare.
41 [l] Dixit autem eis, Quomodo dicunt Christum filium esse Davidis ?
42 [p] [l] Et ipse David dicit in libro Psalmorum, Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam,
43 Usquedum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum ?
44 [q] David ergo Dominum eum vocat, & quomodo filius ejus est ?
45 Audiente verò toto populo dixit discipulis suis,
46 [r] [l] Cavete à Scribis, qui volunt ambulare stolati, & amant salutationes in foris, ac primos consessus in conventibus, & primos accubitus in cœnis.
47 Qui [s] devorant domos viduarum, [t] & in speciem precibus longis utuntur: isti recipient gravius judicium.

[l] Rom. 13.7.
[l] B. Asseritur carnis resurrectio adversus Sadducæos.
[l] Matth. 22.23. mar. 12.18.
[l] Deut. 25.5.
m Filii hujus ævi dicuntur, non qui huic seculo sunt addicti, sicut antea 16.8. & quibus filii lucis opponuntur, sed qui in hoc mundo versantur.
[n] i. Homines resurrectionis participes. Nam velut illi verè dicuntur victuri, qui æterna fœlicitate perfruentur: ita verè censentur resurgere, qui ad vitam resurgunt: quamvis in genere si resurrectionis nomen sumatur, ad impios etiam pertinet, qui ad exitium resurgent, quod vita propriè non est, sed mors.
[l] Exod. 3.6.
[o] i. Coram eo. Præclara sententia, Non interire etiam obita in terris morte sanctos homines. Deo autem jam vivere dicuntur, qui suo tempore sunt resurrecturi, ideoq; Deum de re certò futura non aliter, quàm de præsenti loqui.
[l] Matth. 22.44. mar. 12.35.
[p] B. Christus sic est filius Davidis secundùm carnẽ, ut sit ejusdem dominus (utpote æternus Dei filius) secundùm Spiritum.
[l] Psal. 110.1.
q Hoc Pharisæis insolubile est, quia de Messia tantùm sentiunt, tamquam de rege aliquo magnifico: non autem Deum agnoscunt.
[r] B. Vitandum ambitiosorum & avarorum pastorum exemplum.
[l] Sup. 11.43. mat. 23.4. marc. 12.38.
[s] Metonymia, i. Bona atque rem.
[t] His verbis indicat Christus pietatem illis non seriò esse curæ: sed in ore tantùm nasci, non in pectore.

CAPUT XXI.

1 *Vidua supra opes liberalitas.* 5 *De tempore ruinæ templi,* 19 *& Jerusalem.* 25 *Signa præcedentia extremum judicium.*

INtuitus est autem Jeschua divites illos qui injiciebant in [1] gazophylacium oblationes suas.
2 Et vidit etiam viduam unam pauperem quæ injecit [a] octavas *partes* duas:
3 Et dixit, Verè dico vobis quòd hæc vidua pauper injecit amplius quàm ullus.
4 Omnes enim hi ex eo quod supererat eis, injecerunt

[1] Ad verbum, In domum vel locũ gazæ.
[a] Vide quæ de hoc genere numismatis annotavimus in finem Marci 12.

INtuitus [l] [a] autem vidit divites immittentes dona sua in gazophylacium.
2 Vidit autem etiam quamdam viduam pauperculam conjicientem illuc minuta *æreola* duo.
3 Et dixit, Verè dico vobis, vidua hæc pauper conjecit [b] ampliùs quàm omnes.
4 Nam omnes hi ex eo quod sibi redundat, conjecerunt

[l] Marc. 12.41.
[a] B. Pauperibus licet ditissimos etiam quovis beneficentiæ studio, Deo judice, superare.
[b] Quia viduę munus Deo magis probatur quàm divitum.

conjecerunt quæ donarent Deo: hæc autem conjecit ex penuria sua totum victum quem habebat.

5 [b] Et quibusdam dicentibus de templo: quòd pulcris lapidibus ac [c] donariis ornatum esset, dixit,

6 [d] Hæccine spectatis? venient dies quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

7 Interrogaverunt autem eum, dicentes, Præceptor, quando hæc erunt: & quod *erit* signum quando futura sunt ista?

8 [b] Ipse verò dixit, Videte ne seducamini: multi enim venient [e] sub nomine meo, dicentes, Ego sum *Christus*: & tempus illud appropinquat. Ne igitur sequimini eos.

9 [f] Quum verò audieritis bella & seditiones, ne consternamini: oportet enim ista primùm fieri, sed non statim *erit* finis.

10 Tunc dixit eis, Insurget gens in gentem, & regnum in regnum:

11 Et magni terræmotus erunt singulis locis, & fames ac pestilentiæ, & terriculamenta, & signa è cælo magna erunt.

12 [b] Sed ante hæc omnia injicient vobis manus, & *vos* persequentur, tradentes in conventus & carceres, adductos ad reges ac præsides, propter nomen meum,

13 [g] *Hæc* autem cedent vobis testimonio.

14 [b] Habete igitur fixum in cordibus vestris, non præmeditari defensionem.

15 Ego enim dabo vobis [h] os, & sapientiam cui non poterunt contradicere neq; resistere omnes qui se vobis opponent.

16 Prodemini autem etiam à parentibus & fratribus & cognatis & amicis: & morte mulctandos curabunt *aliquos* ex vobis:

17 Et eritis exosi omnibus propter nomen meum.

18 [b] Sed pilus capitis vestri non peribit.

19 [b] Per tolerantiam vestram [i] possidete animas vestras.

20 [k] [b] Quum autem videritis Hierosolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoscite appropinquare vastationem ejus.

21 Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes: & qui intra eam, excedant: & qui in agris, non ingrediantur in eam.

22 Nam hi sunt dies ultionis, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.

23 Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. erit enim necessitas magna in hac regione, & [l] ira in populo isto.

24 Et cadent [m] acie gladii, & captivi ducentur in omnes Gentes: & Hierosolyma calcabitur à Gentibus, usquequo impleantur [n] tempora Gentium.

25 [b] [o] Tunc erunt signa in sole & luna & stellis: & in terra anxietas Gentium in consilii inopia, resonante mari & [p] salo:

26 [q] Exanimatis hominibus præ timore & exspectatione *malorum* eorum quæ invadent in orbem terrarum. nam potestates cælorum concutientur.

27 Et tunc videbunt Filium hominis venien-

[b] *Sup.* 19.43. *mat.* 24.1. *mar.* 13.1.
[c] Græc. ἀναθήμασι. anathemata autem erant quæ de parietibus aut columnis suspendebantur, vel donaria quæ templorumærariis consecrabantur.
[d] B. Prædicitur templi illius terreni excidium, ut verum illud spirituale ædificium exstruatur, cujus architectos oportet in primis circumspectos esse.
[b] *Ephe.* 5.6. 2. *thes.* 2.3.
[e] Nomen meum usurpantes.
[f] B. Verum templum Domini, per medios tumultus, incredibiles & acerbissimas ærumnas, invicta patientia exstruitur, cujus non potest non esse felicissimus exitus.
[b] *Matth.* 24.7. *mar.* 13.8.
[g] Is erit earum rerum exitus, ut coram Deo & hominibus testata sit vestrorum hostium perfidia & crudelitas, ac vestra vicissim constantia. Egregia sententia, Afflictiones piorum sanctorumq; hominum pertinere ad testimonium veritatis.
[b] *Sup.* 12.12. *mat.* 10.19. *mar.* 13.11
[h] Quum apud Matthæū & Marcū affirmet Christus spiritum patris esse qui in nobis loquitur, hic autem se os daturum pronunciet, colligimus proprium ejus esse munus, Spiritu nos instruere.
[b] *Matth.* 10.30,
[b] *Matth.* 10.22.
[i] Quamvis multa vos undiq; mala circumstent, fruimini nihilominus virtute vestra, hæc omnia fortiter sustinendo. q.d. Non jubeo vos prætextu Evangelii gladios aut convicia in adversarios distringere: sed jubeo patientes esse. Persequentur vos, sed nihil nocebunt.

injecerunt in [3] locum oblationis Dei. hæc verò ex penuria sua omne quod possidebat injecit.

5 Et quum dicerent quidam de templo quòd lapidibus pulcris & oblationibus ornatum esset, dixit eis Jeschua,

6 [4] Hæc sunt quæ spectatis vos? venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non diruatur.

7 Et interrogabant, ac dicebant, Præceptor, quando hæc fient? & quod est signum, [5] quòd appropinquant hæc ut fiant?

8 Ipse verò dixit eis, Videte ne erretis. multi enim venient in nomine meo, & dicent, Ego sum Christus: & tempus appropinquat. [6] ne autem iveritis post eos.

9 Et quum audiveritis bella & tumultus, ne timeatis: futurum est enim ut hæc prius fiant, sed nondum appropinquavit finis.

10 Surget enim gens contra gentem & regnum contra regnum:

11 Et *terræ* motus magni erunt [7] in singulis locis, & fames, & mortes: & erunt terrores [8] & propulsationes, & signa magna conspicientur de cælo, & [9] tempestates magnæ erunt.

12 Ante omnia autem hæc injicient vobis manus, & persequentur vos, & tradent vos in synagogas, & in [10] domum vinctorum, & præsentabunt vos ante reges & præsides propter nomen meum.

13 [11] Est autem vobis in testimonium.

14 [12] Ponite verò in corde vestro ut non sitis instructi ad proferendum defensionem.

15 Ego enim dabo vobis os, & sapientiam contra quam non poterunt consistere omnes inimici vestri.

16 Tradent autem vos parentes vestri & fratres vestri & cognati vestri, & amici vestri, & morte afficient *aliquos* ex vobis.

17 Et eritis exosi ab omni homine propter nomen meum.

18 At capillus ex capite vestro non peribit.

19 Per patientiam autem vestram [13] possidebitis animam vestram.

20 Quum autem videritis Urischelem quòd cingat eam exercitus, tunc scitote quòd appropinquat ei ruina ejus.

21 Tunc ii qui in Judæa erunt, fugient in montem: & qui in medio ejus erunt, aufugient: & qui in agris, non ingredientur in eam.

22 Et dies ii dies sunt ultionis, ut quicquid scriptum est perficiatur.

23 Væ autem iis quæ in utero habent, & iis quæ lactant in illis diebus. erit enim angustia magna in terra, & ira super populum hunc.

24 Et cadent [14] in ore gladii, & captivi ducentur in omnem locum. Et Urischelem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Gentium.

25 Et erunt signa in sole & in luna, & in stellis, & in terra angustia Gentium, & complosio manuum præ stupore sonitus maris.

26 Et tremor [15] extrudens animas filiorum hominis, præ metu ejus quod venturum est super terram: & commovebuntur virtutes cælorum.

27 Et tunc videbunt Filium hominis venien-

3 F. i. gazophylacium, τείζευς φυλάκιον, ut nominatum est in V. 1.
4 F. vel, horum quæ spectatis, venient dies, &c. aut, quòd ad hæc quæ spectatis &c.
5 F. vel quum appropinquatura sunt illa & fient.
6 i. Ne sequamini eos. Hebraismus.
7 Ad verb. in loco, loco. Hebraismus.
8 Hoc versu Syrus interpres quæ paucioribus verbis in Græco codice scripta erant pluribus periphrasticōs reddidit, vel Græco codice usus est copiosiore nostris.
9 Vox הירו propriè significat hyemem, transfertur deinde ad diras tempestates, quales sunt hyeme sæpe.
10 F. i. carcerem periphrasticè. Præsentabunt autem, id est, sistent.
11 F. vel Futurū autē est hoc vobis in testimonium, id est, ut vos testimonio sitis omnibus gentibus: ut exponitur Matth. 24.14. & meliùs convenit sequentibus, adjunctisq; omnibus.
12 F. vide suprà in 12.11.
13 F. vel possideatis.
14 I. In acie gladii, Hebraism.
15 I. Exanimans homines.

[k] B. Prædicitur urbis totius ultimum excidium. [b] *Matth.* 24.15. *marc.* 13.14. *dan.* 9.27. [l] Per iram ea intelligit quæ à Deo irato immittuntur. [m] Ad verbum, ore, Hebræi enim aciem gladii, os vocant, quòd ea parte quasi mordeat, vel sanguinem hauriat. [n] Per tempora Gentium, intelligi potest tempus dominii gentium qui Judæi non sunt: quales Christiani, Turcæ, aliiq; qui quemadmodum Judæi, sic & ipsi (quum matura erit eorum iniquitas) ordine suo plectentur. Hæc autem tempora durant usque ad finem mundi. [b] *Esa.* 13.10. *eze.* 32.7. *matt.* 24.29. *marc.* 13.24. [o] Id est, Postquam exacta fuerint tempora Gentium saluti, & Judæorum ultioni constituta: Hic enim omnino notanda est particula καὶ, quæ pro temporis adverbium explicari debet, ut intelligamus qua ratione Christus transierit ab excidio Hierosolymitano, ad supremi illius & ultimi judicii narrationem. [p] Salum maris, hoc est fluctus, vel turbidum mare. Nam est salum, mare lutosum & turbidum, aqua & terra confusa ex perpetuo motu. [q] B. Post varias illas tempestates Dominus tandem Ecclesiam suam planè liberaturus apparebit.

tem tem

tem in nubibus cum potestate multa & gloria
magna.
28 Quum autem incipient hęc fieri, bono ani-
mo estote, & attollite capita vestra: quia appro-
pinquat liberatio vestra.
29 Et dicebat eis parabolam, Videte ficum &
omnes arbores.
30 Quæ quum se [16] produnt, statim ex eis in-
telligitis quòd appropinquat æstas.
31 Ita etiam vos quum videritis hæc fieri: sci-
tote quòd propè sit regnum Dei.
32 Ammin dico vobis quòd non præteribit
generatio hæc donec omnia ista fiant.
33 Cælum & terra præteribunt, & verba mea
non præteribunt.
34 Cavete autem vobisipsis, ne unquam gra-
ventur corda vestra crapula & ebrietate & soli-
citudine seculi: & repentè veniat super vos dies
ille.
35 Nam sicut laqueus venatoris illaqueabit
omnes qui sedent super faciem universæ terræ.
36 Estote ergo vigilantes omni tempore, &
orantes ut digni sitis ut fugiatis ab istis quæ futu-
ra sunt, & consistatis coram Filio hominis.
37 Interdiu autem docebat in templo, & no-
ctu egrediebatur pernoctans in monte qui voca-
tur *mons* loci Olivarum.
38 Et universus populus [17] præveniebat eum
in templum ad audiendum sermonem ejus.

[16] Elegans metaphora. Id est, Ineunte vere reviréscunt. Eodem verbo utitur Matth. 24.32.

[17] v. vel veniebant obviam ad eum in templum, &c.

tem in nube cum potentia & gloria multa.
28 Quum autem hæc fieri incipient, suspicite
& attollite capita vestra, [f] quoniam appropin-
quat redemtio vestri.
29 [r] Dixit etiam eis parabolam, *inquiens*, Vi-
dete ficum & omnes arbores:
30 Quum jam emiserint *folia*, *vos eas* cernen-
tes, per vos ipsos agnoscitis jam propè esse æsta-
tem:
31 Ita & vos quum videritis hæc fieri, agno-
scite propè esse regnum Dei.
32 Amen dico vobis, nequaquam præterierit
[f] hæc ætas quousq; *hæc* omnia facta fuerint.
33 Cælum & terra præteribunt, verba autem
mea nequaquam præteribunt.
34 [I] Cavete autem vobis nequando graven-
tur corda vestra crapula & ebrietate, & curis hu-
jus vitæ: & repentè vobis superveniat dies ille.
35 Nam ut laqueus, invadet in omnes [t] qui
habitant in superficie totius terræ.
36 Excubate igitur, omni tempore rogan-
tes ut digni habeamini qui effugiatis ista omnia
quæ futura sunt: & [u] consistatis ante Filium ho-
minis.
37 Docebat autem interdiu in templo: noctu
verò exiens, pernoctabat in monte qui vocatur
Olearum.
38 Et totus populus diluculo veniebat ad e-
um, ut eum audiret in templo.

[f] *Rom.* 8, 23.

[r] B. Oportet nos sobrios esse, & in Domini adventû dies & noctes intentos, ne incauti opprimamur.

[f] q.d. Judaicus populus semper durabit, usq; ad mundi consummationem, quia Dominus vult ut signum sint inter homines.

[I] *Rom.* 13, 13.

[t] In omnes homines ubicumque tandem fuerint.

[u] Ita appareatis ut intrepidè possitis vultû & sententiam judicis sustinere: quia mali in illo judicio non persistĕt, sed soli tantùm electi.

CAPUT XXII.

3 *Judas vendit Christum.* 8 *Pascha parant Apostoli.* 24 *Contendunt de primatu,* 30 *à Satana tentandi expetuntur.* 35 *Nihil eis defuisse ait Christus:* 42 *Orat in monte:* 44 *sudat sanguinem:* 50 *Auriculam Malco amputatam sanat.* 57. 58. 60 *Petrus ter Christum abnegat.* 63 *Illuditur & caditur Christus.* 69 *Fatetur se filium Dei.*

PRopè autĕ erat festum azymorum quod vo-
catur Petscha.
2 Et quærebant summi sacerdotes & Legis-
periti quomodo interficerent eum: timebant e-
nim à populo.
3 Intraverat autem Satanah in Jihuda qui
vocatur Secarjuta, qui erat è numero duodecim:
4 Et abiens loquutus est cum summis sacer-
dotibus & Legisperitis & principibus [1] exercitus
templi quomodo traderet eum ipsis.
5 Et gavisi sunt, & pacti sunt quòd daturi es-
sent ei argentum.
6 Et pollicitus est eis: & quærebat sibi op-
portunitatem ut traderet eum ipsis sine turba.
7 Et advenit dies azymorum in quo erat
consuetudo ut mactaretur Petscha.
8 Et misit Jeschua Cipha & Juchannan: &
dixit eis, Ite parate nobis Petscha, ut vescamur.
9 Illi verò dixerunt ei, Ubi vis tu ut paremus?
10 Dixit eis, Ecce, quum ingressi fueritis in
civitatem, occurret vobis homo qui bajulat lage-
nam [2] aquarum, [3] ite post eum.
11 Et quò ingressus fuerit, dicite domino do-
mus, Dominus noster dicit, Quæ est domus con-
vivii ubi comedam Petscha cum discipulis meis?

APpropinquabat [I] [a] autem [b] festum azymo-
rum, quod dicitur Pascha:
2 Et quærebant primarii Sacerdotes & Scri-
bæ quomodo eum interimerent: timebant enim
plebem.
3 [c] [I] Introiit autem Satanas in Judam cog-
nominatum Iscariotem, qui erat è numero *illo-
rum* duodecim.
4 Abiens igitur colloquutus est cum prima-
riis Sacerdotibus ac [d] præfectis *templo*, quomodo
ipsis eum proderet.
5 Qui gavisi sunt: & pacti *sunt* daturos ei pe-
cuniam.
6 *Ipse* verò spopondit: quærebatq; opportu-
nitatem eum ipsis tradendi [e] absq; turba.
7 [I] Venit autem dies azymorum, quo [f] o-
portebat mactari [g] pascha.
8 Misit igitur Petrum & Johannem, dicens,
Profecti parate nobis pascha ut vescamur.
9 Ipsi verò dixerunt ei, Ubi vis paremus *illud*?
10 [h] At ille dixit eis, Ecce, postquam introie-
ritis in urbem, occurret vobis quidam aquæ am-
phoram bajulans: sequimini eum domum illam
in quam ingredietur.
11 Et dicite patrifamiliâs illius domus, Dicit
tibi præceptor, Ubi est diversorium, ubi pascha
cum discipulis meis edam?

[1] Videtur esse seniorum in eo populo discriptio, qui eo anno magistratum in populo gerebant: à quibus postquam sub imperiû Romanum redacti sunt, magna ex parte politica gubernatio ademta est, & tantùm illis relicta sunt judicia circa ceremonias & observationes legis: atq; permissum ut ad cogendos cives ad officium, numerû aliquem satellitû haberĕt, ac ii sunt quos vocant Exercitû templi, quia se nŏ extendebat eorû potestas nisi ad res (ut ita dicam) ecclesiasticas. Jus relinquebatur eis hominem comprehendendi, in carcerem conjiciendi, examinandi, excommunicandi, atq; (quod summum erat eis supplicium permissum) virgis cædendi 40. ictibus, juxta Legis præscriptum, Deut. 25. Si autem reum invenissent gravius suplicium meritum, ad magistratum supremum quem imperium Romanum eis præfecerat, res tota devolvebatur. Ideò in Johanne, quum Pilatus Christum relinqueret Judæis judicandum, recusârunt illi, & tamquam graviore supplicio (videlicet morte) dignum, qua ipsi eum afficere non poterant, reliquerunt Pilato: respondentes, Non licet nobis interficere quemquam. Flagellationis autem pœnam tulit ab eis Paulus 2. Cor. 11. Quod verò de Stephano legitur, lapidatum ab eis fuisse, hoc non est factum nisi per tumultum, non autem ordinariè & juxta potestatem Judæis relictam. F. Non desunt tamen, qui στρατηγῶν appellatione Duces intelligunt præfectos præsidio in arce templi constituto: suamq; interpretationem ex hac ipsa historia, ex Actis Apostolorum, & ex Josepho non obscurè videntur confirmare. Hos autem Judæi, ut Herodianos antè, pecuniâ redimebant & adjungebant sibi, vide Act. 21. & 22. [2] F. i. aquæ: sed hoc Hebræi & Syri numero singulari efferre non possunt. [3] i. Sequimini eum. Hebraism.

[I] *Matth.* 26, 1. *mar.* 14. 1.

[a] B. Christus Patris providentia potiùs quàm hominum arbitrio, festo paschæ captus.

[b] Hoc est, appropinquabat esus agni Paschalis & panû non fermentatorum. Erat autem dies Paschæ dies festus, qui magna religione celebrabatur apud Hebręos anniversariâ sibi memoriâ renovantes ejus diei quo quŏdam apud Ægyptios agni sanguine postibus illito, liberati sunt ab Angelo interfectore. Vide Exo. 12. 7. & 15. ubi etiam subjungitur, Septem diebus infermentata comedetis.

[c] B. Deus pro suæ admirabili providentia ipsum exitii nostri auctorem cogit nostræ salutis fieri ministrum. [I] *Matth.* 26. 14. *mar.* 14. 10. [d] Qui custodiæ templi præerant, quos à presbyteris & ab antistitibus distinctos fuisse liquet ex vers. 52. hujus capitis. [e] i. Sine tumultu, vel clam turba quæ eum solebat assectari: quamobrem etiam id tempus observavit, quo solum esse sciebat in horto. [I] *Mat.* 26. 17. *mar.* 14. 13. [f] Ex Legis nimirum præscripto. [g] i. Agnum, qui figura erat ipsius Paschæ. Metonymia in sacramentorum negotio usitatissima. [h] B. Christus manifesto miraculo discipulos suos docet, se, qui mox esset crucifigendus, nihil latere, ac proinde ultrò ad mortem proficisci.

12 Et 12 Tunc

i B. Christus pascha secúdùm Legis ritum peracto, postremum hoc (secundùm hujus vitæ modum ac necessitatem) suũ cũ ipsis convivium fore prædicit.
h *Matth.26.20. mar.14.18.*
k Vespertinũ crepusculũ quo tempore hæc cœna erat celebranda.
l Maximopere desideravi, Heb.
m Supplicio mortis afficiar.
n q.d. Hoc ultimum erit Pascha quo vobiscum in hoc mortali corpore vescor. Nam posthac non ducam inter vos vitam humano more, sed ingrediar per passionem in regnum Dei.
o Nota fructum vitis pro vino.
p B. Christus novis symbolis novũ fœdus, suamq; adeò nobiscũ communicationem sancit.
q *Matth.26.26. mar.14.22. 1.cor. 11.24.*
q Hoc loco duplex est metonymia: Primùm enim ponitur continens pro contento, poculum videlicet pro vino quod ipso poculo continetur. Deinde vinum dicitur esse fœdus, quum sit dumtaxat fœderis, aut ejus potiùs quo fœdus sancitur (nimirũ sanguinis Domini) symbolum ac tessera, vera quidem illa ac minimè inanis, sed tamen ab eo distinguenda quod ipsa repræsentat.
r Additus articulus indicat excellentiam, & respicit locũ Jere. 31. 31. quo promittitur novũ fœdus.
s B. Christus rursum declarat se ultrò ad mortem ire, quamvis minimè ignoret Judæ proditionem.
t *Mat.26.21.mar. 4.19.joh.13.18.*
t i. Machinatio, phrasi Hebr. Sic 2.Regum 14.19. Numquid manus Joab in isto toto negotio?

12 Tunc ipse monstrabit vobis cœnaculum magnum stratum: illic parate *pascha*.

13 Profecti verò invenerunt omnia prout dixerat eis: & paraverunt pascha.

14 i h Quum autem adesset k *constitutum* illud tempus, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.

15 Et dixit eis, l Desiderio desideravi hoc pascha edere vobiscum, antequam ego m patiar.

16 n Dico enim vobis me non ampliùs comesturum ex eo, usquequo completum fuerit in regno Dei.

17 Et accepto poculo, quum gratias egisset, dixit, Accipite hoc, & partimini vobis ipsis.

18 Dico enim vobis me non bibiturum o ex fructu vitis, usquequo regnum Dei venerit.

19 p q Et accepto pane, quum gratias egisset, fregit: & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in mei commemorationem.

20 Itidem etiam *dedit eis* poculum, postquam cœnasset, dicens, q Hoc poculum, *est* Novum r illud fœdus per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.

21 s t Cæterum ecce t manus ejus qui me prodit, mecum *est* in mensa.

22 u Et filius quidem hominis, x prout definitum est, abit: verumtamen væ homini illi per quem proditur.

23 Tunc ipsi cœperunt mutuò quærere inter se de hac re: ecquis nimirũ ex ipsis esset hoc facturus.

24 z Orta est autem etiam de hoc contentio inter eos, quis eorum videretur esse maximus.

25 Ipse verò dixit eis, x y Reges gentium dominantur eis, & qui habent eas in potestate, benefici vocantur.

26 Vos autem non ita *estote*: sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est: & qui antecedit, sicut qui ministrat.

27 Nam uter major est, qui discumbit, an qui ministrat? nónne qui discumbit? At ego sum inter vos ut qui ministrat.

28 z Vos autem ii estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.

29 Ego verò paciscor vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum,

30 a Ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, a & sedeatis super thronos, b judicantes duodecim tribus Israël.

31 c d Dixit etiam Dominus: Simon, Simon, ecce, Satanas appetit vos quos d ventilaret sicut triticum:

32 e Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua: tu igitur aliquando quum te converteris confirma fratres tuos.

33 f Ipse verò dixit ei, Domine, tecum paratus sum & in carcerem & ad mortem proficisci.

34 f At ille dixit ei, Dico tibi Petre, nequaquam emittet vocem hodiè gallus priusquam ter neges quòd tu me noveris.

35 Dixit etiam eis, Quando misi vos f absque crumena & pera & soleis, num quid defuit vobis? Ipsi verò dixerunt, Nihil.

36 Dixit ergo eis, At nunc, qui crumenam habet, sumat *eam*, similiter & peram: & qui non habet, g vendat pallium suum, & emat gladium.

12 Et ecce, ipse indicabit vobis cœnaculum magnum quod stratum est: ibi parate.

13 Et abeuntes invenerunt sicut dixerat eis: & paraverunt Petscha.

14 Et quum esset tempus, veniens Jeschua accubuit, & duodecim Apostoli cum eo.

15 Et ait eis, 4 Desiderio desideravi ut hoc Petscha comederem vobiscũ antequam paterer.

16 Dico enim vobis, quòd deinceps non cõedam illud quousq; compleatur in regno Dei.

17 5 Et accepit poculum, & gratias egit, ac dixit, Accipite hoc, & dividite inter vos.

18 Dico enim vobis quòd non bibam ex producto vitis usquedum venerit regnum Dei.

19 Et accepit panem, & gratias egit: & fregit, & dedit eis, ac dixit, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: hoc estote facientes in memoriam mei.

20 Et similiter etiam de poculo, postquam cœnati sunt, dixit, hoc poculũ *est* testamentum novũ per sanguinem meum qui pro vobis effunditur.

21 Verumtamen, ecce, manus prodentis me, est in mensa.

22 Et Filius hominis abit sicut destinatum est: verumtamen væ illi homini 6 per cujus manum proditur.

23 Et cœperunt investigare inter se quisnam ex eis esset qui hoc esset facturus.

24 Fuit autem etiam contentio inter eos quis esset inter eos 7 maximus.

25 Ipse autem Jeschua dixit eis, Reges Gentium domini earum sunt, & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur:

26 Vos autem, non ita: sed qui maximus est inter vos, sit sicut minimus: & is qui præcipuus est, sicut minister.

27 Quis enim maximus? is qui accumbit, an is qui ministrat? nónne est is qui accumbit? Ego autem sum inter vos tamquam is qui ministrat.

28 Vos estis qui mansistis apud me in tentationibus meis.

29 Et ego polliceor vobis sicut pollicitus est mihi Pater meus regnum,

30 Ut comedatis & bibatis super mensam regni mei, & sedeatis super thronos, & judicetis duodecim tribus Israjel.

31 Et dixit Jeschua Schemeun, Schemeun, ecce, Satanah petiit ut 8 ventilaret vos tamquam frumentum:

32 Et ego oravi pro te ut non deficeret fides tua. Et etiam tu 9 in tempore convertere, & confirma fratres tuos.

33 Schemeun autem dixit ei, Domine mi, tecum paratus sum ego 10 & ad locum vinctorum & ad mortem.

34 Dixit ei Jeschua, Dico tibi Schemeun quòd non cantabit gallus hodiè usquedum tribus vicibus negaveris, quòd non noscas me.

35 Et dixit eis, Quum misi vos absq; crumenis & absq; sacculis viatoriis & calceis, num defuit vobis aliquid? Dicunt ei, Nihil quicquam.

36 Dixit eis, Ex hoc tempore is cui est crumena, accipiat, & similiter sacculum viatorium: & is cui non est gladius, vendat vestimentum suum, & emat sibi gladium.

4 F. i. summo opere ac vehemẽtissimè desideravi. Hebraism.
5 Observabit lector in Syriaco textu omitti quicquid de priori poculo legitur in Græco textu, ab his verbis, Et accepit poculum, usq; ad illa verba, Dum venerit regnum Dei. Probabile autem est omissionis causam dedisse eadẽ verba in quæ desinit V.16. & 18. Nam proclive fuit ut antiquarius similitudine illorum verborũ deceptus, à fine ver. 16. ad initium 19. transiverit. Similem errorem priùs in Matthæo animadvertimus, Itaq; non dubitavi ex annotationibus, quod hoc loco deerat, in contextum transferre: licet etiam in manuscripto Heydelbergensi codice antiquissimo omittatur, F. Sed hi versus repositi sunt ex aliis exemplaribus, in quibus comperti sunt.
6 i. Per quem: per cujus ministerium. Hebra.
7 Ad verb. Magnus. Enallage graduum quibus Hebrei destituuntur.
8 Ad verbum, Ut commisceret vos. Nam grana, dum cribantur, commiscentur.
9 F. nempe aliquo: id autem est aliquando.
10 F. putà abire, ἐλλειπτικῶς, ut Matth. 10.23. Domus autem vel locus vinctorum Syra est circũloquutio carceris semper in testamento novo usurpata.

u B. Providentiæ decretum quamvis necessariò eveniat, non tamen excusat instrumentorum culpam. x *Psa.41.10.* z B. Pastores non ad dominandum, sed ad serviendum vocati sunt. x *Mat.20.25. mar.10.42.* y i. Magnificis titulis ornantur. Sic enim mos fuit semper principes aliquibus cognomentis honestare. z B. Consortes afflictionũ Christi fient, & regni ipsius participes. a Ut edatis & bibatis, &c. Heb. q.d. Ego promitto vobis partem in regno meo, & omnẽ familiaritatem fœlicitatemq; in eo. significat ergo ipsos communis gloriæ fore socios. a *Mat.19.28.* b i. Condemnantes Israëlitas incredulos. c B. Semper cogitandũ de Satanæ insidiis. d *1.Pet.5.8.* d i. velut in cribro huc illuc agitatos excuteret. e B. Quòd electi nunquam penitùs excidunt à fide, Christi precibus debent, idq; ut mutuò sese erigant. f B. Fidem à vana securitate plurimũ distare docet Christus, proposito tristissimo Petri exemplo. f *Mat.26.34. mar.14.30. joh.13.38.* f *Mat. 10.9.* g Totus hic sermo est allegoricus. q.d. Vixistis adhuc in pace commilitones, nunc verò bellum istat acerrimum, & cæteris rebus omissis, de veris armis est cogitandum. Quænam autem ista sint arma ipse suo exemplo docuit, quum posteà in horto precaretur, & quum Petrum gladio ferientem reprehenderet.

37 Dico enim vobis quòd etiam hoc quod scriptum est, oportet ut impleatur in me, nempe, Cum iniquis numeratus est. Omnia enim quæ [11] sunt de me, complementum accipient.

38 Et illi dixerunt ei, Domine noster, ecce, hîc sunt duo gladii. Dixit eis, Sufficiunt.

39 Et egressus est, ac abiit sicut solitus erat, in montem loci Olivarum. Et [12] abierunt post eum etiam discipuli ejus.

40 Et quum pervenisset ad locum, dixit eis, Orate ne intretis in tentationem.

41 Et ipse secessit ab eis quasi *ad* jactum lapidis. Et posuit genua, & orabat.

42 Ac dicebat, Pater, [13] si vis, pertranseat me poculum istud: verumtamen non voluntas mea sed tua fiat.

43 Et conspectus est ei Angelus de cælo corroborans eum.

44 Et quum esset in [14] timore, instanter orabat. Et factus est sudor ejus tamquam [15] demissiones sanguinis, & cecidit super terram.

45 Et surrexit ab oratione sua, & venit ad discipulos suos, ac invenit eos dormientes præ angustia.

46 Et ait eis, Quid dormitis? surgite, & orate ut non intretis in tentationem.

47 Et adhuc eo loquente, ecce turba & is qui vocabatur Jihuda, unus ex duodecim venit ante eos: & accessit ad Jeschua, & osculatus est eum. ([16] Hoc enim signum dederat eis, nempe, Quem osculatus fuero, ipse est.)

48 Dixit ei Jeschua, Jihuda, osculo prodis tu filium hominis?

49 Quum viderent autem qui cum ipso erant id quod fiebat, dicunt ei, Domine noster, percutiemus eos gladio?

50 Et percussit quidam ex eis servum summi sacerdotis, & abstulit ei auriculã ejus dexteram.

51 Respondit Jeschua, & dixit, Satis est usque huc. Et tetigit auriculam ejus qui passus fuerat, & sanavit eam.

52 Et dixit Jeschua eis qui venerant contra se summis sacerdotibus, & senioribus, & [17] principibus exercitus templi, Tamquam contra latronem exivistis contra me cum gladiis, & cum fustibus, ut apprehenderetis me.

53 Quotidie vobiscum fui in templo, neque extendistis super me manus: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

54 Et apprehensum adduxerunt eum in domum summi Sacerdotis. Et Schemeun [18] veniebat post eum è longinquo.

55 Accenderunt autem ignem in medio atrii, & sedebant circa eum: & sedebat etiam ipse Schemeun inter eos.

56 Et vidit eum puella quædam quòd sederet ad ignem, & intuita est eum, ac dixit, Etiam iste cum illo erat.

57 Ipse autem negavit, & dixit, Mulier, non novi eum.

58 Et post paululum vidit eum alius, & dixit ei, Etiam tu ex ipsis es. Cipha autem dixit, Non sum.

59 Et post horam unam alius contendebat, & dicebat: Verè etiam hic cum illo erat: nam etiam Galilæus est.

60 Ait Cipha, O homo, non novi quid dicas, Et confestim, eo loquente, cantavit gallus.

61 Et Jeschua conversus est, & intuitus est Cipha: & recordatus est Schemeun sermonis Do-

[11] F. scripta videlicet atque in sacris Scripturis tradita. Ellipsis supplenda ex præcedente membro, ut Joan. 7.39.

[12] id est, Sequuti sunt eum.

[13] F. Oratio est ἀνανταπόδοτος, si vis transire à me calicem istum vel poculum istud, velim quidem certè: idémque in contextu Græco.

[14] F. vel angustia & oppressione summa, vide Hebr. 5.7.

[15] F. vel stillæ, grumi deplu-entes.

[16] Græcus codex hæc tantùm legit in Mat. & Mar. unde repetuntur etiam hoc loco à paraphraste.

[17] Vide suprà quæ annotavimus initio capitis hujus.

[18] id est, Sequebatur eum. Hebr.

37 Dico enim vobis, adhuc oportere [f] scriptum istud in me perfici: istud, *inquam*, Et quum sceleratis numeratus est. Nam ea quæ *scripta sunt* de me, finem habent.

38 At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladii hîc. Ipse verò dixit eis, Satis est.

39 [g] Et egressus, profectus est ex more in montem Olearum: sequuti sunt autem eum etiam discipuli ejus.

40 [i] Quum verò pervenisset ad eum locum, dixit eis, precamini ne introëatis in tentationem.

41 [h] Tum ipse avulsus ab eis quasi ad jactum lapidis, positísque genibus precatus est,

42 [i] Dicens, Pater si velles transferre poculum hoc à me! verumtamen non mea voluntas sed tua fiat.

43 Conspectus est autem ei Angelus è cælo corroborans eum.

44 Et *ipse* constitutus in [k] angore, intentius orabat. Erat autem sudor ejus quasi [l] grumi sanguinis descendentes in terram.

45 [m] Et quum surrexisset à precatione, venissétque ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia.

46 Et dixit eis, Quid dormitis? surgite, & precamini, ne introëatis in tentationem.

47 [n] [l] Adhuc autem eo loquente, ecce turba, & is qui dicebatur Judas, unus ex illis duodecim, præibat eis, & appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.

48 Jesus autem dixit ei, Juda, osculo Filium hominis prodis?

49 [o] Videntes autem ii qui circa ipsum *erant*, quod futurum erat, dixerunt ei, Domine, percutiemúsne gladio?

50 Et quidam ex ipsis percussit servum Pontificis maximi, & abstulit aurem ejus dextram.

51 Respondens autem Jesus dixit, Sinite huc usque. Et tacta illius auricula, [p] sanavit eum.

52 [q] Dixit autem Jesus iis qui adversus ipsum venerant, *nempe* primariis Sacerdotibus, & præfectis templo, & senioribus, Ut adversus latronem exiistis cum gladiis ac fustibus?

53 Quum quotidie vobiscum essem in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora illa vestra, & [r] potestas tenebrarum.

54 [l] Comprehensum autem eum duxerunt, & introduxerunt domum Pontificis maximi. Petrus verò sequebatur procul.

55 [l] [s] Quúmque accendissent ignem in medio aulæ atque unà consedissent, sedit & Petrus inter eos.

56 Quum autem eum vidisset ancilla quædam sedentem ad ignem, intentis in eum oculis dixit, Et iste cum eo erat.

57 Ipse verò abnegavit eum, dicens, Mulier, non novi eum.

58 Et paulò pòst alius videns eum, dixit, Et tu, ex ipsis es. Petrus verò ait, Heus tu, non sum.

59 Et interposita quasi hora una, alius quidam *id* asseverabat, dicens, Verè & iste cum illo erat: etenim Galilæus est.

60 Ait autem Petrus, Heus tu, nescio quid dicas. Et illicò, adhuc ipso loquente, vocem emisit gallus.

61 Tum conversus Dominus intuitus est Petrum: & recordatus est Petrus sermonis Domini,

[f] *Esai.* 53.12.
[g] *Mat.* 26.36. *Mar.* 14.32. *Ioh.* 18.1.
[i] *Mat.* 26.41. *Mar.* 14.38.
[h] B. Preces, certum adversus periculosissimos nostrorum hostium insultus subsidium.
[i] B. Christus omnibus horroribus mortis cum maledictione Dei conjunctæ, nostro nomine superatis, eam nobis reddit amabilem.
[k] Ad verbum, Et factus in agonia. Agonia autem summam Christi luctantis angustiam significat: neque enim cum mortis duntaxat terroribus luctabatur Christus, ut cæteri homines solent, alioqui videri possent multi martyres ipso Christo constantiores, sed cum terribili Patris irati judicio, quo nihil formidabilius cogitari potest: quia nimirum peccatorum nostrorum onus in se receperat.
[l] Hæc ostendunt, Christum verum fuisse hominem.
[m] B. Homines in maximis suis periculis penitus torpidi, donec à Christo excitentur.
[n] B. Christus proditione capitur, volens, ut nos proditæ Dei gloriæ reos sua obedientia liberet.
[l] *Mat.* 26.47. *Mar.* 14.43. *Johan.* 18.3.
[o] B. Zelus extra vocationis nostræ limites nos abducens, Christo minimè gratus.
[p] Summa Christi clementia, etiam in adversarios.
[q] B. Ipsa eorum qui Christum ceperunt trepidatio probat partim malam ipsorum conscientiã, partim etiam omnia hæc gesta fuisse ex Dei providentia.
[r] Concessa potestas tenebris, ad lucem ad tempus premendã, i. sceleribus adversus innocentiam.
[l] *Mat.* 26.57. *Mar.* 14.53. *Joh.* 18.24.

[l] *Mat.* 26.69. *Mar.* 14.66. *Ioh.* 18.25. [s] B. In Petro spectandũ proponitur tum humanæ imbecillitatis tum singularis in suos electos bonitatis Dei exemplum,

[t] *Mat.26.34. Joh.13.38.*
[u] B. Christus luit ignominiam nostris peccatis debitam.
[y] *Mat.26.67. Mar.14.65.*
[z] B. Christus immeritò damnatur blasphemiæ apud Pontificis tribunal, ut ab ea quam commeriti sumus blasphemia coram Deo absolvamur.
[g] *Mat.27.1. Mar.15.1. Joh.18.28.*
[x] Id est, deinceps.

quomodo *nimirum* dixerat ipsi, [t] Priusquam gal-
lus vocem emiserit, ter me abnegabis.
62 Et egressus foras Petrus flevit amarè.
63 [u] [y] At ii qui unà tenebant Jesum, illude-
bant ei, cædentes *eum*:
64 Et quum eum obvolvissent, verberabant
faciem ejus, & interrogabant eum, dicentes, Va-
ticinare quis sit qui te percussit.
65 Et alia multa conviciantes dicebant in
eum.
66 [z] [g] Et ut ortus est dies, coactum fuit pres-
byteriū populi, & primarii Sacerdotes & Scribæ,
& adduxerunt eum in suum consessum,
67 Dicentes, Num tu es ille Christus? dic no-
bis. Dixit autem eis, Si vobis dixero, nequaquam
credetis:
68 Quòd si etiam interrogavero, nequaquam
respondebitis mihi, neque *me* absolvetis.
69 [x] Ab hoc tempore erit Filius hominis se-
dens ad dextram potentiæ Dei.
70 Dixerunt autem omnes, Tu ergo es Filius
ille Dei? Ipse verò dixit eis, Vos dicitis: nam ego
sum.
71 At illi dixerunt, Quid ampliùs egemus te-
stimonio? Ipsi enim audivimus ex ore ipsius.

mini quem dixerat ei, Priusquam cantet Gallus,
negabis me tribus [19] vicibus.
62 Et egressus foras Schemeun, flevit amarè.
63 Et homines qui apprehenderant Jeschua,
illudebant ei, [20] & tegebant eum:
64 Ac percutiebant eum super faciem ejus, &
dicebant, Vaticinare quis percussit te.
65 Et alia multa blasphemabant ac dicebant
contra eum.
66 Et quum illuxisset, congregati sunt Senio-
res & summi Sacerdotes & Legisperiti, & ascen-
dere fecerunt eum in locum congregationis
eorum:
67 Et dixerunt ei, [21] Num tu es Christus? dic
nobis. Dixit eis, Si dicam vobis, non credetis
mihi:
68 Et si interrogavero vos, non reddetis mihi
responsum, aut dimittetis me.
69 [22] Ex hoc tempore erit Filius hominis se-
dens à dextera virtutis Dei.
70 Dicunt ei omnes, Tu es ergo filius Dei?
Dixit eis Jeschua, Vos dixistis quòd ego *is* sum.
71 Dicunt ei, Quid [23] rursus necessarii sunt
nobis testes? Nos enim audivimus ex ore
ipsius.

[19] Ad verb. Temporibus, Syra loquutio.
[20] F. hac vulgata lectio aptat sequenti versui minimè malè.
[21] F. vel si tu es Christus ille, dic nobis: ut vulgo distinguitur.
[22] Ad verb. Ex nunc. Hebr.
[23] F. nam prius malitiosissime testes conquisiverant, ut legitur Mar. 14.55.

CAPUT XXIII.

1 *Christus accusatur coram Pilato:* 7 *mittitur ad Herodem:* 11 *illuditur:* 24 *cupiditati Judæorum exponitur à Pilato:* 27 *mulieres plangunt eum:* 32 *Crucifigitur.* 39 *Convitiatur ei unus ex maleficis:* 43 *Alter fide servatur.* 45 *Exspirat Christus,* 51 *sepelitur.*

[a] Depravare & inducere in errores.
[b] *Mat.22.21. Mar.12.17.*
[l] *Mat.27.11. Marc.15.2. Joh.18.33.*
[b] B. Christus damnandus seditionis à nobis in mundo excitatæ, primùm omnium pronunciatur innocens, ut eum constet non suorum (quæ nulla fuerunt) sed nostrorum scelerum pœnam ultrò subire.
[c] B. Christus est principum ludibrium, sed magno cum ipsorum malo.
[d] Fuit hic Herodes Antipas tetrarcha: in cujus tempus & gubernationis totius annum ferè 22. incidit Johannis Baptistæ muneris functio atque cædes, & Jesu Christi mors ac resurrectio, & initia doctrinæ Apostolicæ, & Jerosolymitanæ actiones, annorum post mortem Christi ferè septē. Hic Herodes relegatus fuit circiter annum secundum Caii Cæsaris Lugdunum.

TUm surgens universa multitudo eorum, duxit
eum ad Pilatum.
2 Cœperunt autem eum accusare, dicentes,
Comperimus istum [a] pervertere gentem, [b] & ve-
tare tributa dare Cæsari, dicendo se Christum,
id est regem esse.
3 [l] Pilatus autem interrogavit eum, dicens,
Tune es Rex ille Judæorum? ipse verò respon-
dens ei dixit, Tu dicis.
4 [b] Ait verò Pilatus ad primarios Sacerdo-
tes & turbam, Nullam invenio noxam in hoc
homine.
5 At illi invalescebant, dicentes, Concitat
populum, docens per universam Judæam, exor-
sus à Galilæa huc usque.
6 [c] Pilatus verò, audita Galilæa interroga-
vit num homo iste Galilæus esset.
7 Et cum cognovisset eum ad [d] Herodis po-
testatem pertinere, remisit eum ad Herodem, qui
& ipse Hierosolymis erat per eos dies.
8 [e] Herodes autem viso Jesu, gavisus est
valdè: nam à multo *tempore* cupiebat eum videre,
eo quòd audivisset multa de eo: & speraret se
signum aliquod visurum ab eo fieri.
9 Interrogavit autem eum multo sermone:
sed ipse nihil ei respondit.
10 Adstabant autem primarii Sacerdotes &
Scribæ, magna contentione eum accusantes.
11 Herodes autem cum [f] militibus suis, quum
eum pro nihilo habuisset, & illusisset *ei*, amictum
veste splendida remisit ad Pilatum.
12 [g] Et facti sunt amici inter sese Pilatus &
Herodes eo ipso die: nam anteà inimici erant
inter sese.
13 [h] Pilatus verò, convocatis primariis Sa-
cerdotibus & [i] magistratibus ac populo,
14 [l] Dixit eis, Obtulistis mihi hunc hominem,

ET surrexerunt universa congregatio eorum, &
adduxerunt eum ad Pilatum.
2 Et [1] cœperunt accusare eum, & dicebant,
Hunc invenimus errare facientem gentem no-
stram, & prohibentem ne [2] argentū capitationis
Cæsari demus: & dixit de se quòd rex sit Messias.
3 Pilatus autem interrogavit eum, ac dixit
ei, Es tu rex Judæorum? Dixit ei, Tu dixisti.
4 Et dixit Pilatus summis sacerdotibus & se-
nioribus, Ego aliquam causam non invenio con-
tra hominem hunc.
5 Illi autem clamabant, & dicebant, Con-
turbat populum nostrum, docens in universa Ju-
dæa, & incepit à Galilæa usque huc.
6 Pilatus autem quum audiret nomen Ga-
lilææ, interrogavit num homo Galilæus esset.
7 Et quum cognovisset quòd de subjectis
potestati Hiraudis esset, misit eum ad Hiraudem:
quia in Urischelem erat in illis diebus.
8 Hiraudis autem quum vidisset Jeschua,
gavisus est valdè: cupidus enim erat videndi eum
à tempore multo, quia audivisset de eo multa,
& sperabat quòd aliquod signum visurus esset
ab eo.
9 Et sermonibus multis interrogabat eum:
Jeschua autē aliquod responsū non reddidit ei.
10 Stabant autem summi sacerdotes & Legis-
periti, & constanter accusabant eum.
11 Hiraudis verò contemtui habuit eum ipse
& ministri ejus. Et quum illusisset, induit eum ve-
stibus coccineis, & remisit eum ad Pilatum.
12 Et in illo die facti sunt amici Pilatus & Hi-
raudis inter sese: inimicitiæ enim anteà fuerant
inter eos.
13 Vocavit verò Pilatus summos Sacerdotes
& magistratus populi:
14 Et dixit eis, Obtulistis mihi hominem hunc

[1] Ad verb. Proclamanerūt accusationem ejus: quæ phrasis exposita est Mat. 4.
[2] F. periphrasis census.

[e] Impii abutuntur Dei potentia, ut ludicro aliquo spectaculo, ad suam vanitatem. Itaque mirum non est Christum non dignatum fuisse ullo miraculo Herodem. Erat enim præterea tempus illud ipsius abjectionis subeundæ, non potentiæ exerendæ. [f] i. Cum comitatu suorum nobilium, & militum qui Herodem è Galilæa sequuti fuerant. [g] B. Pietatis odium impios inter se conjungit. [h] B. Secundò absolvitur Christus ab eo ipso à quo damnatus est, ut eum constet justum injustos redemisse. [i] Illis quos Judæi Sanhedrin vocabant. [l] *Mat. 27.23. Mar. 15.14. Joh. 18.38. & 19.4.*

tamquam tamquam

tamquam subvertentem gentem vestrã: & ecce, ego examinavi eum ante oculos vestros, & causam aliquam non inveni in homine isto, ex omnibus de quibus vos accusatis eum.

15 Sed neque Hiraudis: miseram enim eum ad illum, & ecce, nihil quod dignum sit morte actum est [3] ei.

16 Castigabo igitur eum, & dimittam eum.

17 ([4] Necesse enim erat ut dimitteret eis unum in festo.)

18 Clamaverunt autem universa turba, & dixerunt, Tolle hunc, & dimitte nobis Bar-Abba.

19 Is erat qui propter seditionem & cædem quæ facta fuerat in civitate, conjectus fuerat in domum vinctorum.

20 Rursus verò loquutus est cum eis Pilatus cupiens dimittere Jeschua.

21 Illi autem clamabant, ac dicebant, Crucifige, crucifige eum.

22 Ille autem tertia vice dixit eis, [5] Quid enim quod malum sit, hic fecit? Nullam causam quæ digna sit morte inveni in eo. Castigabo eum igitur, & dimittam eum.

23 Ipsi autem instabant voce elata, & petebant ab eo ut crucifigerent eum: & ingens fiebat vox eorum, & summorum sacerdotum.

24 Pilatus verò præcepit ut fieret petitio eorum.

25 Et dimisit illis eum qui propter seditionem & cædem conjectus fuerat in domum vinctorum, quem petierant: Jeschua verò tradidit arbitrio eorum.

26 Et quum deduxerunt eum, apprehenderunt Schemeun Cyrenæum venientem ex agro, & imposuerunt ei crucem quam ferret post Jeschua.

27 Et [6] veniebat post eum multitudo populi, & mulieres, quæ flebant & lamentabantur super eo.

28 Et conversus est Jeschua ad eas, ac dixit, Filiæ Urischelem, ne fleatis super me: quin potiùs super vobisipsis flete, & super filiis vestris.

29 Quia ecce, veniunt dies in quibus [7] dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

30 Tunc incipietis dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos.

31 Nam si in ligno humido ista faciunt, quid in arido fiet?

32 Et veniebant cum eo duo alii [8] malefici, ut occiderentur.

33 Quum autem venissent ad locum quemdam qui vocabatur Cranium, crucifixerunt eum ibi, & illos maleficos, unum à dextra ejus, & alterum à sinistra ejus.

34 Ipse autem Jeschua dicebat, Pater remitte eis: non enim sciunt quid faciunt. Et diviserunt vestimenta ejus, & miserunt super ea sortem.

35 Stabat autem populus, & spectabat: & deridebant eum etiam magistratus, & dicebant, Alios servavit: servet seipsum si hic est Christus electus Dei.

36 Et illudebant ei etiam milites, accedentes ad eum, & afferentes ad eum acetum.

37 Et dicebant ei, Si tu es Rex Judæorum, serva teipsum.

38 Erat autem etiam inscriptio quæ scripta erat super eum, Græcè, Romanè, & Hebraicè, HIC EST REX JUDÆORUM.

39 Unus autem ex illis maleficis qui suspensi erant

[3] ש. Id est, ab eo: nam ita Græci loquuntur & Syri figurata phrasi. sic Mat. 5.21. & passim.

[4] ש. vel mos, consuetudo.

[5] ש. supple crucifigerem? vel non faciam. Ellipsis, de qua in Mat. 13.29. & alibi.

[6] Id est, sequebatur eum.

[7] ש. Id est, dicetur, impersonaliter, Hebraismus.

[8] Adverbum, Factores malorum.

tamquam avertentem populum: & ecce, ego in vestri conspectu quæstione habita, nullam noxam inveni in homine isto, ex iis de quibus accusatis eum.

15 Sed ne Herodes quidem: nam remisi vos ad illum, & ecce, nihil dignum morte factum est ab eo.

16 [k] Castigatum ergo eum dimittam.

17 Necesse autem habebat dimittere eis singulis festis unum *quempiam*.

18 Exclamavit autem simul universa turba, dicens, Tolle hunc, dimitte verò nobis Barabbam:

19 Qui erat propter seditionem quandam & cædem factam in urbe, conjectus in carcerem.

20 Rursus ergo Pilatus alloquutus est *eos*, volens dimittere Jesum.

21 Ipsi verò reclamabant, dicentes, Crucifige, crucifige eum.

22 [l] Ille autem tertiò dixit eis, Quid enim iste mali fecit? nullam noxam capitalem inveni in eo: castigatum ergo eum dimittam.

23 At illi instabant, vocibus magnis, petentes ut ipse crucifigeretur: & invalescebant voces eorum ac primariorum Sacerdotum.

24 Tum Pilatus secundùm eos judicavit ut fieret quod ipsi petebant.

25 Dimisit autem eis illum qui propter seditionem & cædem conjectus fuerat in carcerem, quem petierant: Jesum verò tradidit illi eorum voluntati.

26 [m] [l] Quum igitur abducerent eum, prehenso Simone quodam Cyrenæo, qui veniebat rure, imposuerunt ei crucem ferendam ponè Jesum.

27 [n] Sequebatur autem eum magna multitudo populi & mulierum: quæ & plangebant & lamentabantur eum.

28 Conversus autem ad eas Jesus dixit, Filiæ Hierusalem, ne flete de me, verùm de vobisipsis flete, & de liberis vestris.

29 Nam ecce venient dies quibus dicent, Beatæ steriles, & uteri qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

30 [o] Tum incipient dicere montibus, [l] Cadite in nos: & collibus, Operite nos.

31 [p] [l] Nam si in virente ligno ista faciunt, in arido quid fiet?

32 [l] Ducebantur autem etiam alii duo *qui erant* malefici cum eo, necandi.

33 [q] Quum igitur venissent in locum qui vocatur Calvaria, illic crucifixerunt eum, & maleficos illos: unũ ad dexteram, alterũ ad sinistram.

34 [r] Jesus autem dicebat, Pater, remitte *hoc* ipsis. nesciunt enim quid faciant. [s] Partientes verò vestimenta ejus, jecerunt sortem.

35 Et stabat populus spectans. sannis autem excipiebant eum etiam primores cum eis, dicentes, Alios servavit, servet seipsum, si hic est Christus ille [t] Dei.

36 Illudebant autem etiam ei milites, accedentes, & acetum ei offerentes:

37 Dicentésque, Si tu es Rex ille Judæorum, serva temetipsum.

38 [u] Erat autem etiam inscriptio scripta super eum literis Græcis & Romanis & Hebraicis, HIC EST REX ILLE JUDÆORUM.

39 [x] [l] Unus autem ex maleficis qui erant suspensi

[k] B. Carnalis prudentia carnalibus malis animis eligit sed his consiliis malefica Dominus.

[l] B. Tertiò absolvitur Jesus antequam semel damnetur, ut pateat damnata in eo esse nostra peccata.

[m] B. Militaris licentiæ exemplũ.

[l] Mat. 27.32. Mar. 15.21.

[n] B. Impiorum triumphos excipit horribilis exitus.

[o] Locus ex Oseæ cap. 10. simpetus, versu 8. quod in Apocalyp. cap. 6. & 9. quoque habetur. Pertinent autem ista ad Judæorum interitum, quem perpessi sunt, perdita & vastata urbe. Deinde ad novissimi judicii atrocitatem spectant. Hunc enim horrorem sentient impii, ubi Christum judicem conspexerint.

[l] Esa. 2.19. Osea 10.8. Apoc. 6.16.

[p] Quasi dicat, Si designant ista in me fructifero, & perpetuò virente, & cujus vita æterna est propter divinam naturam, quid fiet in vobis infructuosis, & omnis justitiæ vivificæ expertibus?

[l] 1. Pet. 4.17.

[l] Mat. 27.38. Mar. 15.27. Ioh. 19.18.

[q] B. Christus fit pro nobis maledictio in cruce, luens pœnam iis debitam qui voluerunt dii fieri.

[r] B. Christus pro hostibus precans, ostendit se & oblationem esse & pontificem.

[s] Hoc secundum dictum Davidis Psal. 22. factum esse testatur etiam Mattheus.

[t] Quem favore peculiari Deus complectitur.

[u] B. Pilatus imprudens fit æterni illius regni Christi præco.

[x] B. Christus in media crucis exinanitione, reipsa ostendit sese tum vitam servandis credentibus, tum mortem ulciscendis rebellibus in potestate sua habere. [y] Itaque vel Synecdochicôs intelligendum quod Mattheus refert, aut utrumque illusisse Christo, sed alterum divina illa potentia victum in præclaram illam & sempiternã memoria dignam confessionem erupisse.

pensi, conviciabatur ei, dicens, Si tu es Christus ille, & teipsum & nos serva.

40 Respondens autem alter objurgavit eum, dicens, Ne tu quidem Deum times, quum in eadem sis damnatione?

41 Et nos quidem justè, (nam digna factis recipimus) iste verò nihil [z] indecens fecit.

42 Dixítque Jesu, Domine, memento mei quum veneris in regnum tuum.

43 Tum dixit ei Jesus, Amen dico tibi, hodiè mecum eris in [a] paradiso.

44 [b] Erat autem quasi hora sexta, & tenebræ factæ sunt in tota regione usque ad horam nonam.

45 Et obtenebratus est sol, & aulæum templi fissum est medium.

46 [c] Quúmque clamasset voce magna Jesus, ait, [l] Pater, in manus tuas depono spiritum meum. Et quum hæc dixisset exspiravit.

47 [d] Quum vidisset autem Centurio quod factum fuerat, [e] glorificavit Deum, dicens, Verè hic homo justus erat.

48 Et omnis turba quæ simul ad hoc spectaculum accesserat, spectans quæ facta fuerant, verberans pectora sua revertebatur.

49 [f] Stabant autem omnes noti ejus procul, & mulieres quæ erant eum unà sequutæ à Galilæa, videntes ista.

50 [g] [l] Tum ecce quidam nomine Josephus, senator, vir bonus ac justus:

51 Qui non assensus fuerat consilio ac facto eorum, ortus Arimathæa civitate Judæorum: [h] qui & ipse exspectabat regnum Dei,

52 Hic, *inquam*, adiens Pilatum, petiit corpus Jesu.

53 Et detractum illud involvit sindone, posuítque illud in monumento quod erat in saxo incisum, in quo nondnm quisquam positus fuerat.

54 Porrò dies erat Parasceves, & Sabbathum [i] succedebat.

55 [k] Subsequutæ etiam mulieres quæ cum eo venerant ex Galilæa, spectarunt monumentum, & quomodo positum esset corpus ejus.

56 Reversæ verò paraverunt aromata & unguenta: ac Sabbatho quidem quieverunt, secundùm mandatum.

[z] Nihil præter officium.
[a] Paradisus, id est, hortus visibilis, conditus fuit à Deo in plaga Orientali. Is autem qui mente comprehenditur, est salutis & fælicitatis locus sempiternæ in Dei benignitate & clementia, animorum piorum amœnissima quies, & tranquillissima atque lætissima habitatio.
[b] B. Christus etiam moribundus se omnipotentem Deum esse ipsis etiam cæcis ostendit.
[c] B. Christus confidenter ipsas mortis tenebras ingreditur, eam videlicet intra ipsiusmet penetralia debellaturus.
[l] *Psa.31.6.*
[d] B. Christus ab ipsis etiam hostibus suis quoties libuit, testimonium quàm honorificentissimum extorquet.
[e] i. dedit veritati testimonium & Deum agnovit ac professus est esse innocentiæ Christi vindicem.
[f] B. Christus in medio carnificu colligit & tuetur suum pauperculum gregem.
[g] B. Christus celebri sepultura, tum mortis tum resurrectionis suæ fidem publico ipsius Pilati testimonio sancit.
[l] *Mat.27.57. Mar.15.43. Joh.19.38.*

erant cum eo, blasphemabat contra eum, ac dicebat, Si tu es Christus, libera teipsum, & libera etiam nos.

40 Et objurgavit eum socius ejus, & dixit ei, Nec etiam à Deo times tu, qui etiam [9] in ipso es judicio?

41 Et nos justè: nam sicut digni fuimus & sicut fecimus, retributionem accepimus: hic verò quod sit detestabile non fecit.

42 Et dixit Jeschua, Memento mei Domine mi, quum veneris in regnum tuum.

43 Dixit ei Jeschua, Ammin dico tibi quòd hodiè mecum eris in paradiso.

44 Erat autem quasi hora sexta: & factæ sunt tenebræ super totam terrã usque ad horã nonam.

45 Et sol obscuratus est, & fissa est [10] facies portæ templi à media parte sui.

46 Et clamavit Jeschua voce elata, ac dixit, Pater mi, in manus tuas depono spiritum meum. Hoc dixit, & reddidit *spiritum*.

47 Quum videret autem Centurio id quod factum fuerat, glorificavit Deum, ac dixit, Verè hic homo justus erat.

48 Et universæ turbæ quæ congregatæ fuerant ad spectaculum hoc, quum viderent id quod factum fuerat, reversi sunt percutientes super pectora sua.

49 Et stabant in longinquo omnes noti Jeschua, & mulieres quæ venerunt cum eo ex Galilæa, & spectabant ista.

50 Homo autem quidam cujus nomen Jauseph, senator ex Ramatha civitate Judææ, homo erat bonus & justus:

51 Qui non consenserat voluntati eorum & facto eorum: & exspectabat regnum Dei.

52 Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jeschua.

53 Et deposuit ipsum, ac devolvit in [11] sindone linea, ac posuit ipsum in loco sepulcri effossi, in quo nemo adhuc positus fuerat.

54 Et dies parasceves erat, [12] & [13] sabbathum illucescebat.

55 Accesserunt autem mulieres quæ venerant cum eo ex Galilæa, & inspexerunt, & [14] ubi positum esset corpus ejus.

56 Et reversæ paraverũt unguẽta & aromata, & in sabbatho quieverũt quẽadmodũ preceptũ erat.

[9] Id est, in eadem es condemnatione. Hebraismus.
[10] Id est, velum, vide Mat.27.51.
[11] Syra vox [illegible], quam vertimus sindonem, rara admodum est: legitur tamen etiã Mat.27.59. in eodem sensu.
[12] Sabbathum à vespera diei Veneris incipit, ut omnia reliqua Judæorum festa. Quia autem orto sidere quod lucifer dicitur, ejus observatio incipit, volens Evangelista ostendere, non longè abfuisse tempus quo ex Lege sabbathum incipiebat, dicit, Sabbathum illucescebat. hoc est, parum supererat temporis ad ortum luciferi, quo illucescente incipiendum erat sabbathum.
[13] F. i. proximè inibat dies sabbathi, qui à nocte incipiebat ex Hebræorum usu.
[14] F. vel quomodo, quemadmodum.

[h] Vel qui acceperat etiam regnum Dei, hoc est, de numero discipulorum Christi jam erat. Nam professionem Christi, & baptismum admiserat, credebat etiam quæ Christus de regno Dei docuerat. [i] Ad ver. illucescebat, nimirum jam incipiens, luce diei præcedentis vergente ad occasum, qui fuit Parasceves, id est, præparationis in posterum diem feriarum. [k] B. Christus à diabolo & cunctis ipsius organis oppugnatus, atque adeò in ipsis mortis faucibus versans, infirmas mulierculas in aciei fronte collocat, de omnibus illis terribilibus hostibus mox sine ullo magno conatu triumphaturus.

CAPUT XXIIII.

1 Mulieres ad monumentum accedunt: 9 quæ ab Angelis acceperunt Apostolis nunciant. 13 Duobus euntibus in Emmaus adjungit se Christus: 27 interpretatur illis Scripturas: 39 contrectandum se præbet Apostolis: 49 promittit illis Spiritum sanctum: 51 sursum fertur in cælum.

PRimo [l] [a] autem *die* hebdomadis, [b] profundo diluculo iverunt ad monumentum, ferentes quæ paraverant aromata: & nonnullæ cum ipsis.

2 Invenerunt autem saxum avolutum à monumento:

3 Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.

4 Et factum est ut dum in ea re hæsitarent, tum ecce, duo viri supervenerint eis, induti vestibus fulgurantibus.

5 Quum autem expavefactæ inclinarent faciem in terram, dixerunt eis, Quid inter mortuos quæritis eum qui vivit?

6 Non est hic, sed suscitatus est, mementote

[l] *Mar.16.1. Joh.20.1.*
[a] B. Mulierculæ deliguntur futuræ primæ testes resurrectionis, præter suã etiam expectationem, ut & fraudis & violentiæ absit omnis suspicio.
[b] i. valdè manè (ut inquit Marcus,) vel ut Johannes, quum adhuc tenebræ essent, id est, quũ vixdum inciperet lucescere.

[1] IN primo autẽ *die* in septimana in aurora, dum adhuc essent tenebræ, venerunt ad locũ sepulchri, & attulerunt illa aromata quæ paraverant: eránque cum eis mulieres aliæ.

2 Et invenerunt lapidem quòd devolutus esset à loco sepulcri.

3 Et ingressæ sunt, & non invenerunt corpus Jeschua.

4 Factúmque est quum essent [2] attonitæ propter hoc, ecce, duo homines steterunt juxta eas, & fulgebat vestimentum eorum.

5 Et fuerunt in metu, & declinaverunt facies suas in terram: & *illi* dixerunt eis, Quid quæritis vos viventem cum mortuis?

6 Non est hic, surrexit, meminteritis quòd

[1] Ad verbum, In prima autem in sabbatho. Sed sabbathum pro septimana accipitur. de quo vide in ultimo cap. Matthæi.
[2] i. Expavefactæ, & metu perculsæ.

loquutus sit vobiscum quum esset in Galilæa.

7 Et dixerit quòd futurum esset *ut* Filius hominis traderetur in manus virorum peccatorum, & [3] suspenderetur, & tertio die resurgeret.

8 Et illæ recordatæ sunt sermonum ejus.

9 Et reversæ sunt à sepulcro. Et dixerunt hæc omnia undecim & reliquis.

10 Erant autem Mariam Magdalaitha, & Juchan, & Mariam mater Jaakub, & reliquæ quæ cum eis erant, quæ *hæc* dixerunt Apostolis.

11 Et visi sunt sermones hi in oculis eorum quasi deliramenta, neque crediderunt eis.

12 Schemeun autem surrexit, & cucurrit ad sepulcrum, & prospiciens vidit lintea quæ posita erant [4] seorsim, & abiit admirans apud semetipsum super eo quod factum erat.

13 Et ecce, duo ex eis eo ipso die ibant in pagum cujus nomen Emaus: & distabat ab Urischelem stadiis sexaginta.

14 Et ipsi loquebantur unus cum altero de iis omnibus quæ contigerant.

15 Et quum loquerentur ac disputarent unus cum altero, venit ipse Jeschua, & accessit ad eos, ac ibat cum eis.

16 Et oculi eorum [5] clausi erant, ut non agnoscerent eum.

17 Et dixit eis, Qui sunt sermones hi quos loquimini unus cum altero euntes, & tristes estis?

18 Et respondit unus ex illis cui nomen erat Klejupha, ac dixit ei, Túne es solus extraneus ab Urischelem, qui nescias id quod factum est in ea in his diebus?

19 Dixit eis, Quid? Dicunt ei, De Jeschua illo qui *erat* ex Natzerath, homine qui erat Propheta, & potens erat in sermone & in opere coram Deo & coram toto populo.

20 Et tradiderunt eum summi sacerdotes & seniores in [6] judicium mortis, & crucifixerunt eum.

21 Nos autem sperabamus quòd ille ipse liberaturus esset Jisrajel. Et ecce, tres dies *sunt* ex quo hæc omnia facta sunt.

22 Sed etiam mulieres ex nobis attonitos nos reddiderunt: diluculo surrexerunt, fuerunt apud locum sepulcri:

23 Et quum non invenirent corpus ejus, venientes dixerunt nobis, Angelos vidimus illic, & dicunt de eo quòd vivus sit.

24 Et etiam quidam ex nobis iverunt ad locum sepulcri, & invenerunt ita ut dixerant mulieres: ipsum verò non viderunt.

25 Tunc dixit eis Jeschua, [7] O carentes mente, & graves corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ,

26 Nónne hæc futurum erat ut sustineret Christus, & ut ingrederetur in gloriam suam?

27 Et [8] incipiebat à Mosche & ab omnibus Prophetis, & interpretabatur eis de seipso ex omnibus scripturis.

28 Et appropinquabat pago illi ad quem proficiscebantur: & ipse [9] faciebat eos putare quòd quasi ad locum longinquum proficisceretur.

29 Et coëgerunt eum, ac dixerunt ei, Quiesce apud nos, quia dies nunc inclinat se ut tenebrescat. Et ingressus est ut maneret cum eis.

30 Factúmque est ut quum accumberet cum eis, acceperit panem, & benedixerit ac fregerit, dederítque eis.

31 Et illicò aperti sunt oculi eorum, & agno-

[3] v. vel crucifigeretur.

[4] v. vel solùm, ac nihil amplius.

[5] v. vel tenebantur, ut est in Græco textu.

[6] i. Condemnationem mortis. Hebraismus.

[7] i. Dementes & socordes: ut suprà 11.40.

[8] v. i. initio facto à Mose, ex ipso Mose & ex Prophetis eum... explicavit, &c. Hebraismus.

[9] v. i. fingebat, & ferebat præ se.

ut [l] loquutus sit vobis quũ adhuc in Galilęa esset,

7 Dicens, Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi: & die tertio resurgere.

8 Recordatæ sunt igitur verborum illius.

9 [c] Et reversę à monumento annunciaverũt hæc omnia illis undecim, & reliquis omnibus.

10 Erant autem Maria Magdalene, & Johanna, & Maria Jacobi *mater*, & reliquæ cum ipsis, quæ hæc dicebant Apostolis.

11 Sed visa sunt apud eos quasi deliramentum verba ipsarum, neque crediderunt eis.

12 [d] [l] Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & quum [a] introspexisset, videt lintea sola *illic* jacentia: abiítque apud semetipsum mirans factum.

13 [l] [f] Et ecce, duo ex iis ibant eo ipso die in vicum distantem stadiis sexaginta ab Hierusalem, cui *vico* nomen *est* Emmaus:

14 Et colloquebantur inter se de istis omnibus quæ evenerant.

15 Et factum est ut dum colloquerentur, & *se* mutuò rogitarent, ipse Jesus accederet, & unà iter faceret cum ipsis.

16 [g] Oculi autem eorum tenebantur ne ipsum agnoscerent.

17 Dixit autem eis, Qui sunt hi sermones quos confertis inter vos ambulantes? & *quid* estis tetrico vultu?

18 Respondens autem alter, cui nomen [h] Cleopas, dixit ei, Tu solus commoraris Hierosolymæ, & non nosti quæ in ea facta sunt his diebus?

19 Ipse verò dixit eis, Quæ? At illi dixerunt ei, Quæ *facta sunt* Jesu Nazareno, qui fuit Propheta, potens reipsa & verbis, coram Deo & toto populo.

20 Quomodo eum tradiderunt principes Sacerdotum & [i] magistratus nostri ut [k] morte damnaretur, & crucifixerunt eum.

21 Nos autem sperabamus illum esse qui redempturus esset Israëlem. atqui pręter hęc omnia, [l] tertiũ hunc diẽ agit hodiè ex quo hęc facta sunt.

22 Sed & mulieres quædam [m] ex nobis [n] perculerunt nos, quæ diluculo venerunt ad monumentum:

23 Et non invento ejus corpore venerunt dicentes se etiam apparitionem Angelorũ vidisse, qui dicunt eum vivere.

24 Et abierunt quidam eorum qui erant nobiscum, ad monumentũ, & ita invenerunt prout mulieres dixerant, ipsum verò non viderunt.

25 [o] Tum ipse dixit eis, O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ,

26 Nónne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam?

27 Et exorsus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de se *scripta erant*.

28 Appropinquarunt igitur vico in quem proficiscebantur, & ipse simulabat se longius ire.

29 Sed *ipsi* adegerunt eum dicentes, Mane nobiscum: quoniam advesperascit, & inclinavit dies. Ingressus est igitur ut maneret cum eis.

30 Et factum est quum accubuisset cum eis, sumto pane benedixit, & fractum porrexit eis.

31 Adaperti sunt autem oculi eorum, & ag-

[l] *Sup.* 9.22. *Mat.* 17.23. *Mar.* 9.31.

[c] 2. Animus plusquàm muliebris à mulieribus plusquàm virili animo per Dei misericordiam præditis, discipulis exprobratur: ut constet regnum Dei in extraordinaria virtute esse positum.

[d] 2. Christus, discipulorum incredulitate utitur, ad plenam resurrectionis ipsius fidem faciendam, ne nimium credulè videantur quod posteà toti mundo annunciârunt, sibi persuasisse.

[l] *Joh.* 20.6.

[e] Quasi prono capite, & propenso collo diligenter observasset.

[l] *Marc.* 16.12.

[f] 2. Probatur resurrectio à duobus aliis oculatis testibus, quos ad fabulam confingendam nullo modo fuisse comparatos, omnes circumstantiæ ostendunt.

[g] Non cognoverunt Christum non quòd non haberet idem corpus quòd habuerat ante mortem, sed quòd ita volente ipso impeditus sit illorum obtutus, ne quem cernebant agnoscerent: unde rectè dicit Lucas quòd oculi eorum retinebantur, & impediebantur, ita nõ mirum statuente Domino: non ergo invisibile fuit corpus Christi, sed oculi impediti fuerunt.

[h] Quidam ex veteribus existimant alterum discipulum fuisse nostrum hunc Evangelistam. Epiphanius contra Saturnilianos Nathanaëlem fuisse scribit, quæ tamen incerta sunt.

[i] Vide supr. 23.13.

[k] Ut in illum non inquireretur, sed ut convictus, damnaretur.

[l] Vel tempus, aut res ipsa ducit hodiè diem tertium. [m] E nostro grege. [n] Hinc videmus quàm tardi simus ad credendum Deo, sive dictis sive factis sese demonstret. [o] 2. Vera & certa esse quæcumque de Christo scripserant Evangelistæ, ex Propheticarum prædictionum comparatione liquet.

p i. Repentinè subductus fuit, non ergo præsentem illum fuisse, sed corpore quod cerni non posset, fingendum est, sed revera locum mutasse intelligi debet. Præterea nota Christum quatenus ad testandum resurrectionem necesse erat, videndum se exhibuisse: subito autem discessu docuisse alibi, quàm in mundo, deinceps quærendum esse quia novæ vitæ complementum, erat in cælum ascensus.
q Quum panem frangeret, qui mos erat hujus gentis, atque etiamnum hodiè à Judæis servatur convivii initio, adhibita precatione.
r B. Sese verè resurrexisse & quidem eodem illo quod assumserat corpore, demonstrat ipse Dominus ex certis & necessariis signis.
l Mar. 16.14. Joh. 20.19.
f Variæ & perplexæ ambages, quales solent in mentem venire, quum aliquid novum & parum per se probabile occurrit.
t Ostendit se scire quid illi cogitarent, & manifestè discernit inter corpus & spiritum. nam corporales eorum sensus adhibet testes, ne umbrã & spiritualem visionem sibi putent pro corpore objici.
u Non quod esuriret: sed quemadmodum retinuit cicatrices, ita voluit edere: id est, voluit suscipere ea omnia quibus ipsi opus non erat nisi in gratiam suorum.

noverunt eum: sed ipse p ablatus est ex eorum
conspectu.
32 Tum alter ad alterum dixerunt, Nónne cor
nostrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis
in via, & dum adaperiret nobis Scripturas?
33 Et surgentes eo ipso momento, reversi
sunt Hierosolymam, & invenerunt congregatos
illos Undecim, & eos qui cum ipsis erant,
34 *Et* qui dicebant, Suscitatus est Dominus
verè, & conspectus est Simoni.
35 Tum ipsi exposuerunt *ea* quæ *gesta erant*
in via, & ut fuerat à se agnitus q in fractione
panis.
36 r l Hæc autem ipsis loquentibus, stetit
ipse Jesus in medio eorum, & dixit eis, Pax
vobis.
37 Consternati verò & expavefacti videban-
tur sibi spiritum conspicere.
38 Tunc dixit eis, Quid turbati estis, & quare
f disceptationes subeunt corda vestra?
39 Videte manus meas & pedes meos: nam
ego ipse sum: contrectate me, & videte: t nam
spiritus carnem & ossa non habet, prout me con-
spicitis habere.
40 Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus
ac pedes.
41 Adhuc autem ipsis non credentibus præ
gaudio, & mirantibus, dixit eis, Habetis hîc es-
culentum aliquid?
42 Tum ipsi porrexerunt ei partem piscis assi,
& aliquid ex favo apiario.
43 Quæ *illa* accepit, & in eorum conspectu
u comedit:
44 x Dixitque eis, Hi sunt sermones quos lo-
quutus sum vobis quum adhuc essem vobiscum,
oportere impleri omnia quæ scripta sunt y in lege
Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me.
45 Tunc aperuit eorum mentem, ut intellige-
rent Scripturas.
46 Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita opor-
tuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio
die:
47 Et prædicari ejus nomine resipiscentiam
ac remissionem peccatorum apud omnes Gen-
tes, z incipiendo ab urbe Hierosolymorum.
48 Vos autem estis horum testes.
49 l Et ecce, ego emittam promissum Patris
mei in vos: vos autem manete Hierosolymis a us-
quequo induamini virtute ex alto.
50 b Eduxit autem eos foras ad Betha-
niam usque: & sublatis manibus suis, benedixit
eis.
51 l Et factum est, ut dum ipse benediceret eis,
disjunctus ab eis sursum ferretur in cælum.
52 Ipsi autem adorato eo reversi sunt Hiero-
solymam cum gaudio magno.
53 Erántque omni *tempore* in templo, lau-
dantes & benedicentes Deo, Amen.

verunt eum: & ipse 10 sublatus est ab eis.
31 Et dicebant unus ad alterum, Nónne cor
nostrum accensum erat in medio nostri, quum
loqueretur nobiscum in via, & interpretaretur
nobis scripturas?
33 Et surrexerunt eadem hora, & reversi sunt
in Urischelem, ac invenerunt duodecim congre-
gatos, & eos qui cum eis erant:
34 Dicentes, Verè surrexit Dominus noster,
& conspectus est Schemeun.
35 Et ipsi quoque narrârunt ea quę facta fue-
rant in via, & quomodo agnitus fuisset ipsis quũ
frangeret panem.
36 Et quum hæc loquerentur, Jeschua stetit
inter eos, & dixit eis, Pax vobiscum: 11 Ego sum,
ne timeatis.
37 12 Et illi conturbati sunt & fuerunt in me-
tu: putabant enim quòd spiritum viderent.
38 Dixit eis Jeschua, Quid contremiscitis
vos, & cur ascendunt cogitationes vestræ super
cor vestrum?
39 Videte manus meas & pedes meos: nam
ego sum. Palpate me & agnoscite: nam spiritui
caro & ossa non sunt, sicut videtis quòd sunt
mihi.
40 Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus
suas & pedes suos.
41 Quúmque hactenus non crederent præ
gaudio suo, & attoniti essent, dixit eis, Estne vo-
bis aliquid hîc ad comedendum?
42 Illi autem dederunt ei partem ex pisce as-
sato, & ex favo mellis.
43 Et accipiens comedit ante oculos eorum.
44 Et dixit eis, Hi sunt sermones quos loqu-
tus sum vobiscum quum apud vos essem, quòd
oportebat ut compleretur quicquid scriptum est
in lege Musche, & in Prophetis & in Psalmis,
de me.
45 Tum aperuit mentem eorum ad intelli-
gendum Scripturas:
46 Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita 13 justum
fuit ut pateretur Christus, & ut resurgeret 14 à
mortuis tertio die.
47 Et ut prædicaretur in nomine ejus conver-
sio in remissionem peccatorum, in nationibus: &
principium fieret ab Urischelem.
48 Et vos estis testes horum.
49 Et ego mittam super vos promissum Patris
mei: vos autem manete in Urischelem urbe, do-
nec induatis virtutem ex alto.
50 Et eduxit eos usque ad Beth-Aniah: & sus-
tulit manus suas, & benedixit eis.
51 Et factum est ut, quum benediceret eis, se-
pararetur ab eis, & ascenderet ad cælum.
52 Ipsi autem adoraverunt eum, & reversi sunt
in Urischelem cum gaudio magno.
53 Et in omni tempore erant in templo glo-
rificantes & benedicentes Deum. Amen.

10 F. vel abstulit seipsum, abscessitque.

11 Hæc addita leguntur in Syro codice: in Græco non sunt.
12 id est, Metu perculsi sunt. Vide suprà in eodem cap.

13 Vel, Convenit.
14 Ad verb. Ab inter mortuos: ut aliquoties annotatum.
F. vel è domo mortuorum.

x B. Evangelii Prophetis promissi & suo tempore præstiti, prædicatio Apostolis committitur, cujus [illegible] est resipiscentia & remissio peccatorum. y Totius veteris Testamenti partitio. z Ad verbum, incipientibus, sub Evangelii præconibus, quorum [illegible]
l Joh. 15.26. Act. 1.4. a id est, usquequo Spiritus sanctus è cælo in vos illabatur, b B. Christus ascendit in cælum corpore à discipulis abiens, [illegible] da ipsorum replens. l Marc. 16.19. Act. 1.9.

Finitum est Evangelium sanctum Lucæ Evangelistæ.

EVANGELIUM SANCTUM PRÆDICATIONIS Juchannan, quod protulit ac prædicavit *Græcè in Ephesò.*

CAPUT I.

1 Sermo ille ante secula ex Deo genitus, 2 & qui semper apud Patrem residebat, 14 homo factus est. 6.7 Johannes quorsum à Deo missus: 16 concio ipsius de officio Christi: 19.20 testimonium ejusdem sacerdotibus redditum. 40 Andreæ vocatio, 42 Petri, 43 Philippi, 45 Nathanaelis.

IN principio erat Sermo, & ipse Sermo erat apud Deum, & Deus erat ipse Sermo.
2 Hic erat in principio apud Deum.
3 Omnia per manum ejus facta sunt, & sine eo, ne una quidem *res* fuit, [1]quæ facta fuit.
4 In eo vita erat, & vita erat Lux filiorum hominis.
5 Et ipsa Lux in tenebris lucet, & tenebræ non comprehenderunt eam.
6 Fuit filius hominis qui missus est à Deo, cujus nomen Juchannan.
7 Hic venit in testimonium ut testaretur de Luce, [2]ut unusquisq; crederet [3]per manum ejus.
8 Non ille erat Lux, sed [4]ut testaretur de Luce.
9 Erat enim *Sermo* Lux vera quæ illuminat omnem hominem qui venit in mundum.
10 In mundo erat, & mundus per manum ejus factus est, & mundus non novit eum.
11 Ad suos venit, & sui non receperunt eum.
12 Iis autem qui acceperunt eum dedit potestatem ut filii Dei fierent, iis qui credunt in nomen ejus:
13 Qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.
14 Et Sermo caro factus est: & [5]habitavit inter nos, (& vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti qui *venit* à Patre) qui plenus est gratiæ & veritatis.
15 Juchannan testatus est de eo, & clamavit, & dixit, Hic ipse est quem dixi, Qui post me venit, & fuit ante me: quia prior est quàm ego.
16 Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & [6]gratiam pro gratia.
17 Propterea quod Lex per manum Musche data est: veritas autem & gratia per manum Jeschua Christi facta est.

[1] v. vel quæ fuit. hæc enim simplex est Syri verbi significatio.
[2] Ad verb. Omnis homo. Hebr.
[3] i. Ejus opera & ministeria. Hebr. ut versu 10. & 17.
[4] v. Supple missus erat, vel venerat, ex antecedentibus.
[5] Verbum Syriacū est ܘܐܓܢ quod à nomine ܓܢܘܢܐ significante thalamum, deductū est, ut possit exponi, & thalamū habuit inter nos.
[6] v. puta Evangelicam pro gratia donatæ legis, ut exponitur sequente versu: vide Act. 7. & Rom. 3.

IN [a][b]principio [c]erat Sermo [d]ille, & Sermo ille erat [e]apud Deum, eratq; ille [f]Sermo Deus.
2 Hic *Sermo* erat in principio apud Deum.
3 [g][h][i]Omnia per hunc *Sermonem* facta sunt, & [i]absque eo factum [k]est nihil quod factum sit.
4 [l]In ipso vita [m]erat, & vita erat [n]Lux illa hominum:
5 [o]Et Lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non [p]comprehenderunt.
6 [q][r]Exstitit homo missus à Deo, cui nomen Johannes:
7 Is venit ad *dandum* testimonium, *id est* ut testaretur de illa luce, ut omnes per [r]eum crederent.
8 Non erat ille [f]Lux illa, sed *missus fuit* ut testaretur de illa Luce.
9 [t]*Hic* erat [u]Lux illa vera quę illuminat omnem hominem venientem in mundum.
10 [x]In mundo erat, & mundus per eum factus est, sed mundus eum non agnovit.
11 [y]Ad sua venit, & sui eum non exceperunt.
12 Quotquot autem eum exceperunt, dedit eis [z]hoc [a]jus ut Filii Dei sint facti, *nempe* iis qui credunt in nomen ejus:
13 Qui non ex sanguine, neque ex [b]libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.
14 [b][c]Et sermo ille factus [d]est Caro, & [e]commoratus est inter nos, (& [g]spectavimus [f]gloriam ejus, gloriam *inquam*, [g]ut unigeniti *egressi* à Patre) [h]plenus gratiæ ac veritatis.
15 [i]Johannes testatus est de eo, & clamavit, dicens, Hic est de quo dicebam, *Is* qui [k]ponè me venit, antepositus est mihi: quia [l]prior me erat.
16 [l][m]Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & [n]gratiam pro gratia:
17 Nam Lex illa per Mosen data est: gratia & veritas per Iesum Christum præstita est.

[a] 2. Filius Dei coæternus & coessentialis Patri.
[b] i. A principio, ut loquitur Evāgelista 1. Epist. 1. nempe quasi dicat sermonem non cœpisse existere quum Deus initium faceret creandi quicquid conditum est. Nam jam tum erat ille sermo quū res creatæ condi cœperunt, ac proinde ante rerum omnium principium jam erat.
[c] i. Subsistebat.
[d] Additus articulus excellentiam notat, discernitq; hunc Sermonem à mandatis divinis, quæ alioqui sermo Dei dicuntur.
[e] Particula *apud* indicat personarum distinctionem.
[f] Sermo loco subjecti, Deus loco prædicati ponitur.
[g] 2. Manifestat filius Dei æternam illam suam deitatem, ex omnium rerum conditarum tum creatione, tum conservatione: in primis autem ex præclaris illis dotibus rationis & intelligētiæ, quibus hominem præ cæteris animantibus ornavit.
[h] Paulus hunc locum interpretatur, Col. 1. 15. & 16.

[i] Col. 1. 16. [i] i. Ut Pater operatus est, sic cum eo Filium: fuit enim illi συνεργός. [k] Ex iis quæ facta sunt, nihil factum est absque eo. [l] id est, Per ipsum, phrasi Hebræis familiari, videlicet ipsius vi & efficacia. [m] Videlicet, jam tum quum per eum essent facta omnia: alioqui dixisset, Est. [n] Vis illa rationis & intelligentiæ in animis hominum accensa, ad ipsum tanti boni auctorem agnoscendum. [o] 3. Lux quidem hominum versa est in tenebras, sed ita ut satis superfit splendoris quod eos reddat inexcusabiles. [p] Percipere non potuerunt, ut ab ea illustrarentur, atque adeò non agnoverunt. [q] 3. Alia est manifestatio Filii Dei longè plenior, ad cujus considerationem homines tempestivè excitari fuit, Johannis veluti apparitoris voce. [q] Mat. 3. 1. mar. 1. 4. luc. 3. 2. [r] Johannem. [f] Lux illa de qua diximus, id est, Christus, qui unus potest nostras tenebras illustrare. [s] 3. Filius Dei quum videret sese in suis operibus ab hominibus quamvis intelligentiæ luce præditis (qua omnes eos donavit) non agnosci, ipsis corporeis oculis se conspiciendum præbuit populo suo: sed ne sic quidem ab eo est agnitus, imò ne admissus quidem. [u] Quæ verè & propriè meretur Lucis nomen, quum natura luceat, non participatione. [x] Manifestata fuit persona illa Sermonis, nimirum jam quum mundus conderetur. [y] Altera Sermonis manifestatio, nimirum in carne. [z] 3. Filius à suis plerisq; exclusus, à paucis quibusdam agnitus, eos vi sua regenitos in communionem filiationis dignitatem adscivit. Gal. 4. 4. Si filii, ideò cohæredes. [a] Hoc jure eos dignatus est, ut eos pro filiis adoptaret. [b] Ex illa crassa & corrupta hominis natura, quæ spiritui passim opponitur. [b] Matt. 1. 16. luc. 2. 7. [c] 3. Filius ille, Deus æternus assumsit hominis naturam, ut idem & unus sit Deus & homo, quod oculatis testibus constitit, inter quos versatus, certis argumentis utramque naturam demonstravit. [d] i. Homo. sumitur autem pars pro toto, Synecdoche. assumsit autem totam naturam humanam. i. verum corpus & veram animam. [e] Ad tempus, quo peracta sursum ascendit. utitur enim verbo à tentoriis deducto: sic tamen abest à nobis corpore, ut semper præsens sit, non carne, sed vi Spiritus. [f] Mat. 17. 2. 2. pet. 1. 17. [f] Gloria vocatur manifestatio illa majestatis Christi, quæ veluti subjecta fuit hominum oculis, quum appareret Filius Dei in carne. [g] Hæc particula non similitudinem hoc loco, sed rei veritatem explicat, ut hoc dicatur, conspectam esse gloriam, quæ decet, & quam habere par esset unigenitum, atque germanum Filium Regis universorum, & Dei. [h] Non tantum participavit gratiam & veritatem, sed ipsa veritatis & gratiæ essentia plenus fuit. [i] 3. Johannes fidus excellentiæ Christi testis. [k] i. is ante quem sum missus, viam illi paraturus: ut referatur ad tempus vocationis, non ætatis, quum alioqui Johannes sex mensibus major natus fuerit. [l] Ad verbum, Prior. Illud autem non ad tempus, sed ad dignitatem refertur. [l] Coloss. 1. 19. & 2. 9. [m] 3. Christus, uberrimus fons omnium bonorum, sed qui tum demum plenè exundārit, quum sese reipsa mundo exhibuit. [n] i. Gratiam supra gratiam, quasi dicat, gratiam gratia cumulatam.

18 Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius qui est in [p] sinu Patris, ille *nobis* [q] exposuit.

19 [r] Hoc etiam est testimonium Johannis, quando miserunt Judæi Hierosolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, quisnam ipse esset.

20 Et [s] professus est, [t] neque negavit: professus est *inquam* se non esse Christum illum.

21 Tunc interrogaverunt eum, Quid ergo *est*? Tune es Elias? *Ipse verò* dixit, [u] Non sum. *Et illi*, Es tu [x] Propheta ille? Qui respondit, Non.

22 Dixerunt ergo ei, Quis es? ut responsum demus iis qui miserunt nos: quid dicis de teipso?

23 Ait, Ego *sum* vox clamantis in deserto, [a] Complanate viam Domini, prout dixit Esaias Propheta.

24 [y] Qui verò missi fuerant, erant ex Pharisæis.

25 Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei, Cur [z] ergo baptizas, si tu non es Christus ille, neque Elias, neque Propheta ille?

26 Respondit eis Johannes, dicens, Ego baptizo aqua: sed [a] in medio vestrûm stat quem vos non nostis.

27 [l] Hic ille est qui ponè me venit, qui mihi antepositus est: cujus solearum ego non sum dignus qui solvam corrigiam.

28 Hæc Bethabaræ facta sunt secus Jordanem, ubi Johannes baptizabat.

29 [b] Postero die videt Johannes Jesum venientem ad se, & ait, Ecce agnus [c] ille Dei qui [d] tollit [e] peccatum mundi.

30 Hic est de quo dicebam, Ponè me venit vir qui antepositus est mihi, quia prior me erat.

31 At ego [f] non noveram eum: sed ut manifestus fiat Israëli, propterea veni ego baptizans aqua.

32 [g] Tum *inquam* testatus est Johannes, dicens, ‖ Conspexi Spiritum descendentem quasi columbam è cælo, *qui* etiam mansit super eum.

33 Et ego non noveram eum, sed qui misit me ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum descendentem, ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto.

34 Ego igitur vidi, & testor hunc esse Filium [h] illum Dei.

35 [i] Postero die iterum stabat Johannes, & ex discipulis ejus duo:

36 [k] Et intuitus Jesum ambulantem, dixit, [l] Ecce Agnus ille Dei.

37 [m] Audierunt autem eum duo illi discipuli loquentem, & sequuti sunt Jesum.

38 Conversus verò Jesus, & conspicatus eos sequentes *se*, dicit eis,

39 Quid quæritis? Illi verò dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur, si interpreteris, præceptor) ubi moraris?

40 Dicit eis, Venite & videte. Venerunt videruntque ubi moraretur: & apud eum manserunt diem illum. [n] hora enim erat quasi decima.

[o] B. Ex uno Christo manat vera Dei cognitio.
[q] 1. Joh. 4. 12. 1. tim. 6. 16.
[p] i. Qui patri est intimus ac conjunctissimus, non modo amoris, sed etiam naturæ cōjunctione, atque adeò unione.
[q] Anteà Legis umbris occultatum, & humanæ mentis aciem effugientem detexit, & spectandū exhibuit. Nam qui ipsum videt, videt & Patrem.
[r] B. Johannes nec est Messias, nec aliorum Prophetarum similis, sed Messiæ jam præsentis apparitor.
[s] Planè & apertè agnovit ac dixit.
[t] Pleonasmus Hebræis familiaris, cujus magna est emphasis. eadem enim repetuntur, in studio certæ & explicatæ elocutionis.
[u] Judæi existimarunt Eliam iterū venturum ante tempora Messiæ, idq; ex loco Mal. 4. 5. qui de Johanne intelligi debet, Matt. 11. 14. Negat tamen Johannes se Eliam esse, scilicet ex eorum sensu loquens.
[x] De aliquo eximio Prophetà interrogant, non de Christo. anteà enim negavit Johannes se esse Christum. Existimârunt enim insignem aliquem Prophetam esse mittendum similem Mosi, huc detorquentes locū illum Deut. 18. 15. qui de tota Prophetarū choro, maximè autem de capite Christo est intelligendus.
[a] Esa. 40. 3. matt. 3. 3. luc. 3. 4.
[y] B. Christus auctor Baptismi, nō Johannes: ac proinde ejus efficacia non in Johanne ministro, sed in Christo Domino posita est tota.
[z] Hinc doceri potest Judæos ipsos non ignorasse mutationem aliquam fore in religione sub Messia.
[a] Palàm & inter vos.
[l] Mat. 3. 11. mar. 1. 7. luc. 3. 16. act. 1. 5. & 11. 16. & 19. 4.
[b] B. Christus est corpus & veritas omnium Legalium sacrificiorum ad expiandum mundum.
[c] Articulus adjunctus emphasin habet non modò dignitatis, ut à typico agno & cæteris Legalibus victimis distinguatur, sed etiam revocat in memoriam Prophetias Esaiæ, & aliorum.
[d] Verbum præsentis temporis significat actum continuum: vis enim ea est perpetua, & nativa Agno, ut tollat mundi peccatum.
[e] i. Radicem illam peccatorum, nempè corruptionem, & ex consequenti fructus peccati, quæ solent peccata numero multitudinis dici.
[f] Non illum anteà de facie noverā.
[g] B. Christus visibili Spiritus sancti descensu, ipsa Patris voce, Johannis denique testimonio, Filius Dei comprobatur.
‖ Mat. 3. 16. mar. 1. 10. luc. 3. 22.
[h] Articulus summum aliquem declarat, eumq; ab aliis distinguit, qui passim à Mose & Prophetis filii Dei, vel filii Excelsi dicuntur.
[i] B. Johannes non sibi sed Christo discipulos collegit.
[k] B. Christus non inane spectrum, sed ut mediator noster, nobis sequendus proponitur.
[l] Præcipuum hoc est Christi officium, quòd videlicet peccata mundi mortis suæ sacrificio tollens, hominem Deo reconciliet.
[m] B. In hac prima discipulorum collectione, ostenditur salutis initium esse à Deo, nos ad Filium suum (servorum suorum ministerio) vocante: quem vicissim nobis occurrentem audire, & domum usque persequi nos oporteat, ut ab eo eruditi aliis vicissim manum præbeamus.
[n] Hoc est, noctis instabat tempus: quia duæ tantùm horæ ad occasum usque solis restabant.

18 Deum non vidit homo unquam: unigenitus Deus is qui est in sinu Patris sui, ipse enarravit.

19 Et hoc est testimonium Juchannan, quum misissent ad eum Judæi ex Urischelem Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es?

20 Et confessus est, & [7] non negavit: & confessus est, nempe, Non sum ego Christus.

21 Et interrogaverunt eum rursum, Quid igitur? Iliah es? Et dixit, Non sum. Propheta es? Et dixit, Non.

22 Et dixerunt ei, Et quidnam es? ut demus responsum iis qui miserunt nos: quid dicis de teipso?

23 Ait, Vox ego clamantis in deserto, [8] Sternite viam Domini, sicut dixit Ischaiah Propheta.

24 Illi autem qui missi fuerant, ex Pharisæis erant:

25 Et interrogaverunt, & dixerunt ei, Quid ergo baptizas tu, si tu non es Christus, neq; Iliah, neque Propheta?

26 Respondit Juchannan, & dixit eis, Ego baptizo vos aquis: inter vos autem stat is quem vos nescitis.

27 Ipse est qui post me venit, & fuit ante me, cujus non sum dignus ut solvam corrigias calceamentorum.

28 Hæc in Beth-Aniah facta sunt in transitu Jurdanan, ubi baptizabat Juchannan.

29 Et die [9] postero vidit Juchannan Jeschua qui veniebat ad se, & ait, Ecce agnus Dei, ille qui tollit peccatum mundi.

30 Ipse est de quo ego dixi quòd post me venit vir, & fuit ante me: quia prior est quàm ego.

31 Et ego non noveram eum, sed ut innotesceret Israjel, propter hoc veni ego ut aquis baptizarem.

32 Et testatus est Juchannan, & dixit, Vidi Spiritum descendentem de cælo tamquam columbam, & mansit super eum.

33 Et ego non noveram eum, sed is qui misit me ut baptizarem aqua, ipse dixit mihi, Ille super quem vides quòd descendit Spiritus, & manet, ipse baptizat Spiritu sancto.

34 Et ego vidi, & [10] testatus sum quòd hic est Filius Dei.

35 Et die alio stabat Juchannan, & duo ex discipulis ejus.

36 Et intuitus est Jeschua ambulantem, ac dixit, Ecce agnus Dei.

37 Et audiverunt ambo discipuli ejus quum *hoc* diceret, [11] & abierunt post Jeschua.

38 Et conversus est Jeschua, & vidit eos venientes post se, & dixit eis,

39 Quid quæritis vos? Dicunt ei, Domine noster, [12] ubi manes tu?

40 Dixit eis, Venite, & videbitis. Illi autem venerunt, & viderunt [13] ubi maneret: & apud eum [14] manserunt die illo: eratque ferè hora decima.

[7] F. nempe Juchannan testimonium illud suum, quod nominatum est præcedente versu.
[8] F. vel complanate, adæquate: quod respondet notationi vocis.
[9] Ad verb. Qui erat post eum, Syra phrasis.
[10] F. i. testis sui oculatus à Deo institutus: alii vertunt, & testor, per enallagen.
[11] id est, Sequuti sunt. Hebraismus.
[12] Ad verb. Ubi tu es? Hebr.
[13] Ad verb. ubi esset. Hebraismus.
[14] Ad verb. Fuerunt. Hebraismus.

41 Unus autem ex illis qui audierant à Juchannan, & abierant post Jeschua, erat Andreas frater Schemeun.

42 Hic vidit prius Schemeun fratrem suum, & dixit ei, Invenimus Messiam.

43 Et adduxerunt eum ad Jeschua. Et intuitus est eum Jeschua, ac dixit, Tu es Schemeun filius Jauna, tu vocaberis Cipha.

44 Et die alio voluit Jeschua exire in Galilæam, & invenit Philippum, ac dixit ei, [15] Veni post me.

45 Ipse autem Philippus erat ex Beth-Tzaidah, ex civitate Andreæ & Schemeun.

46 Et Philippus invenit Nethanail, & dixit ei, Eum de quo scribit Musche in Lege [16] & in Prophetis, invenimus, qui est Jeschua filius Jauseph qui est ex Narzerath.

47 Dixit ei Nathanail, A Narzerath potest aliquid quod bonum sit, esse? Dixit ei Philippus, Veni, & videbis.

48 Et vidit Jeschua Nathanail quum veniret ad se, & dixit de eo, Ecce verè [17] filius Jisrajel in quo dolus non est.

49 Dixit ei Nathanail, Unde nosti tu me? Dixit ei Jeschua, Quum nondum vocasset te Philippus, quando sub ficu eras, vidi te.

50 Respondit Nathanail, & dixit ei, Domine mi, Tu es filius Dei, Tu es rex Jisrajel.

51 Dixit ei Jeschua, Quia dixi tibi quòd vidi te sub ficu, [18] credis: majora his videbis.

52 Dixit ei, [19] Ammin ammin dico vobis, quòd ab hoc tempore videbitis cælos apertos, & Angelos Dei ascendentes & descendentes ad Filium hominis.

41 Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant *illa* ex Johanne, & sequuti fuerant eum:

42 Invenit hic prior fratrem suum Simonem, & dixit ei, Invenimus Messiam illum, quod est, si interpreteris, [o] Christus ille.

43 Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit, Tu es Simon filius Jona: [l] tu vocaberis Cephas, quod *est*, si interpreteris, [p] Petra.

44 Postero die voluit Jesus abire in Galilæam: invenit autem Philippum, & dixit ei, Sequere me.

45 Erat verò Philippus ex Beth-saida, civitate Andreæ & Petri.

46 [q] Invenit Philippus Nathanaëlem, & dicit ei, Invenimus *illum* de quo scripsit [l] Moses in Lege, & [l] Prophetæ, *nempe* Jesum filium illum ex *urbe* Nazaretha.

47 [r] Tum dixit ei Nathanaël, Ab *urbe* Nazaretha potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus, Veni & vide.

48 [s] Vidit Jesus Nathanaëlẽ venientem ad se, & dixit de eo, Ecce verè Israëlita in quo dolus nõ est.

49 [t] Dixit ei Nathanaël, Unde me nosti? Respondit Jesus & dixit ei, Priusquam te Philippus vocaret, quum esses subter ficum, videbam te.

50 Respondit Nathanaël, & dixit ei, Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israël.

51 Respondit Jesus & dixit ei, Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis, majora istis videbis.

52 Præterea dixit ei, Amen amen dico vobis, Ab hoc tempore videbitis cælum apertum, & Angelos Dei [u] ascendentes ac descendentes super Filium hominis.

[15] Id est, Sequere me. Hebraismus. [16] F. i. & prophetæ in libris suis. Hebraica συντομία, quã vocamus Ellipsin analogicam. [17] F. i. Israëlita, ut in Græco textu positum est. [18] F. aliis placet legi, credis? ἐρωτηματικῶς. [19] De hoc loquendi modo, qui sæpissimè in novo Testamento recurrit, quid sentiam dicam. Vox Syra אמין, sicut Hebræa אמן à verbo אמן derivatur, quod confirmandi ac stabiliendi significationem habet: unde ejus derivata firmitatis & stabilimenti significationem continent. Nam אמונה, fides, ducitur à firmitate sua, quòd non sit fluxa & evanida res, sed constans & immutabilis: ita quoque נאמן firmum ac stabile significare vel illud Isaiæ probat cap. 22. 23 ubi dicit se infixurum servum suum Eljakim instar clavi in loco נאמן, hoc est firmo: & in versu ultimo eadem vox repetitur. Dictio quoq; אמת veritatem significans, à firmitate significationem suam accepit, quòd nihil sit firmius veritate. Sic אמן, quod in fine gratiarum actionum, precationum, promissionum &c. adeò frequenter legitur, nihil aliud denotat quàm promissiones certas esse, & certa fide amplecti, precantes constanti fide exspectare quæ petunt, & ita in reliquis. Inde quoq; Syri adverbium suum אמינאית, id est Seriò, Sedulò, Constanter, traxerunt. Et vocem אמין, qua sæpe utitur Christus nunc simplici, nunc geminata, ad eorum, quæ dicit, majorem asseverationem: quæ perinde significat ac si diceret, Certè sive constanter dico vobis: & ubi geminatur idem adverbium, intelligendum est, sed in superlativo, quasi dicatur, Certissimè, sive Constantissimè dico vobis. Votum enim ingeminatio Hebræis, Chaldæis & Syris superlativum supplet.

[o] i. Unctus, & per excellentiam Rex secundùm ritum populi Judaici. [l] Matt. 16. 18. [p] i. rupes vel saxũ, quod Πέτρος & Πέτρα dicunt Græci. [q] B. Bonos indoctorũ etiam conatus adeò probat Dominus, ut eos etiam efficiat doctorũ magistros. [l] Gen. 49. 10. deut. 18. 18. [l] Esa. 4. 2. & 40. 10. & 45. 8. jere. 23. 5. & 33. 14. eze. 34. 23. & 37. 24. dan. 9. 24. [r] B. Cavenda in primis falsa præjudicia quæ nobis accessum ad Christum præcludunt. [s] B. Simplex integritas veros Israëlitas à fictis discernit. [t] B. Miraculorum finis est, nobis Christũ omnipotentẽ & simul unicũ salutis nostræ auctorẽ proponere per fidem amplectendum. [u] Ita significatur divina virtus, quæ in ipsius ministerio erat conspicua futura ministrantibus ei Angelis, ut Ecclesiæ capiti.

CAPUT II.

3 & 11 *Christus aquam in vinum mutatam facit signorum suorum principium.* 12 *Capernaumum descendit.* 13 *hinc Jerosolymam ascendit,* 15 *& mercatores è templo ejicit.* 19 *Templum, nempe corpus suum solvendum à Judæis prædicit.* 23 *Multi credunt in eum ob signa quæ edebat.*

ET die tertio factum est convivium in Catne civitate Galilææ. Et mater Jeschua erat ibi.

2 Et etiam Jeschua & discipuli ejus vocatus fuit ad illud convivium:

3 Et deficiebat vinum, & dixit ei mater Jeschua, Vinum non est eis.

4 Dixit illi Jeschua, [1] Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea.

5 Dixit mater ejus ministris, Id quod dixerit vobis, facite.

6 Erant autem ibi hydriæ lapideæ sex positæ ad purificationem Judæorum, quæ continebant [2] bina quadrantalia aut terna.

7 Dixit eis Jeschua, Implete aqua has hydrias. Et impleverunt eas usque ad summum.

8 Dixit eis, Haurite deinceps, & [3] adducite ad architriclinum; & adduxerunt.

9 Et quum gustasset ipse architriclinus aquas quæ factæ fuerant vinum, & ignoraret unde esset, (ministri verò sciebant qui ipsi impleverãt aquis) vocavit architriclinus sponsum.

10 Et dixit ei, Omnis homo prius vinum bo-

DIe [a] [b] autem tertio nuptiæ factæ sunt in Cana *oppido* Galilææ: eratq; mater Jesu illic.

2 Vocatus est autem etiam Jesus ac discipuli ejus ad nuptias illas.

3 [c] Et quum defecisset vinum, mater Jesu dixit ei, Vinum non habent.

4 Dicit ei Jesus, Quid mihi tecum [d] mulier? nondum venit [e] hora mea.

5 Dicit ejus mater ministris, Quodcumque dixerit vobis facite.

6 Erant autem ibi lapideæ [f] hydriæ sex positæ [g] secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ [h] amphoras binas aut ternas.

7 Dicit eis Jesus, Implete has hydrias aqua. Impleverunt eas igitur usque ad summum.

8 Tunc dicit eis, Haurite nunc, & offerte [i] architriclino. Obtulerunt igitur.

9 Ut autem gustavit architriclinus aquam illam quæ facta fuerat vinum, (nesciebat autem unde esset: sed ministri sciebant qui hauserant aquam) vocat sponsum architriclinus,

10 Et dicit ei, Omnes primo loco bonũ vinum

[1] F. i. quid mihi tecum? ut Matth. 8. 29. [2] Ad verb. Duo duo. Hebraismus. Quadrantalia autem posui potiùs quàm amphoras, aut μετρητάς; non quòd diversæ sint capacitatis: sed quia expressiùs Syram vocem רבעין declarare studui: quæ ab ארבע, ut quadrantal a quatuor derivatur: continetq; quadrantal octavam partem cadi, sivi modii. [3] F. Syrè, adferte ad principem discubitus: periphrasis architriclini.

[a] B. Christus in publico cœtu insigni miraculo declarans sibi in ipsam etiam rerum naturam imperium esse ad corpora hominum pascenda, omnium animos ad spiritualem & salvificam suam virtutem cognoscendam invitat. [b] Post illud cum Nathanaële colloquium, vel ex quo profectus erat à Johanne, vel ex quo in Galilæam pervenerat. [c] B. Christus satis superq; per se de nostra salute solicitus, internunciis sive monitoribus non eget, ex quibus intelligat quid nobis sit opus. [d] Nota Christum hic & alibi matrem suam non matrem, sed mulierem appellare, ideò ut declaret se aliud & majus etiam esse quàm filium Mariæ, qui esse credebatur: sic ergo Christus matrem alloquitur ut perpetuam ac continuam seculis omnibus doctrinam tradat, ne immodico matris honore divina sua gloria obscuretur. [e] Tempus opportunum. [f] id est, Aquales, nimirum vasa aquæ destinata, in quibus lavabant sese Judæi. [g] Secundùm ritum purificationis. [h] Amphoræ singulæ capiebant centum libras duodecim unciarum. Ex iis intelligimus Christum suppeditasse vinum ad libras mille & octingentas. [i] Qui totum convivium curabat.

k Ad verb. inebriati fuerint. Hebræis autem non semper in vitio ponitur inebriari: sed aliquando liberalem vini usum, qui modum non excedat, notat, ut Gene. 43.34.
l i. cognati. Heb. vide Matt. 12.12.
m B. Christus sub Lege factus pro nobis, legi paschæ satisfacit.
n B. Christus repurgandæ Ecclesiæ destinatus, maximo cum zelo init sacerdotale & propheticum suum munus.
o Psal. 69. 10.
o Zelus hoc loco sumitur pro animi æstu & indignatione de iis concepta, quæ indignè fiunt adversus eos qui nobis sunt chari.
p B. In eos qui ordinariæ vocationi, qua ipsi turpissimè abutuntur, Deum sic alligant, ut extraordinariam (cujus virtuti, quam ipsi frustrà exstinctã volunt, Deus è cælo testimonium reddit) non nisi externis & corporalibus miraculis obsignatam admittant.
q Quo miraculo confirmas, ex quo

apponunt, & postquam *conviva* k affatim biberunt, tunc id quod minus bonum est; tu servasti bonum vinum usque adhuc.
11 Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana
opido Galilææ, & manifestam fecit gloriam suam:
& crediderunt in eum discipuli ejus.
12 Posteà descendit Capernaumum ipse &
mater, & l fratres & discipuli ejus: manserúntque illic non multos dies:
13 m Nam propè erat Pascha Judæorum, Ascendit igitur Jesus Hierosolymam.
14 n Et invenit in templo venditores boum &
ovium & columbarum, & numularios sedentes.
15 Factoq; flagello è funiculis, omnes ejecit è
templo, & oves & boves, & argentariorum numulos effudit, mensasq; subvertit:
16 Et columbarum venditoribus dixit, Tollite
hinc ista: ne facite domum Patris mei, domum
mercatus.
17 Recordati sunt autem ejus discipuli, scriptum esse, l o Zelus domus tuæ exedit me.
18 p Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei,
Quod q signum ostendis nobis quòd ista facis?
19 Respondit Jesus & dixit eis, r Destruite
templum hoc, & intra triduum excitabo illud.
20 Dixerunt ergo Judæi, Quadraginta & sex
annis ædificatum est templum istud, & tu triduo
illud excitabis?
21 At ille loquebatur de s templo corporis sui.
22 Postquam ergo suscitatus fuit ex mortuis,
recordati sunt ejus discipuli quòd hoc sibi dixisset, & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem
Jesus dixerat.
23 t Quũ autem esset Hierosolymis in Pascha,
in festo, multi crediderunt in nomen ejus, conspicientes signa quæ edebat.
24 Ipse autem Jesus non credebat eis semetipsum, eo quòd nosset omnes:
25 u Nec opus esset ut quisquã ei testaretur de
homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

num 4 adducit, & postquam inebriati sunt, tunc id quod est tenue: tu verò servasti vinum bonum usque nunc.
11 Hoc est signum primum quod fecit Jeschua in Catne Galilææ, & manifestavit Gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli ejus.
12 Post hoc descendit in Cephar-Nachum
ipse & mater ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus, & illic fuerunt paucis diebus.
13 Et propè erat Petscha Judæorum, ac ascendit 5 in Urischelem.
14 Et invenit eos qui vendebant boves & oves
& columbas, & numularios sedentes:
15 Et fecit sibi flagellũ è funiculis, & omnes ejecit è templo, & oves & boves, & numularios: & effudit numulos eorum, & mensas eorum evertit.
16 Et illis qui vendebant columbas dixit, Tollite ista hinc, & ne feceritis domum Patris mei
domum negotiationis.
17 Et recordati sunt discipuli ejus quòd scriptum esset, Zelus domus tuæ comedit me.
18 Responderunt autem Judæi, ac dixerunt
ei, Quod signum ostendis nobis, qui ista facis?
19 Respondit Jeschua, & dixit eis, Destruite
templũ hoc, & in tribus diebus ego erigam illud.
20 Dicunt ei Judæi, Quadraginta & sex annis
exstructum fuit templum istud, & tu tribus diebus erecturus es illud?
21 Ille autem dicebat de templo corporis sui.
22 Quum verò surrexisset 6 à mortuis, recordati sunt discipuli ejus quòd hoc dixisset: & crediderũt Scripturę, & sermoni quẽ dixerat Jeschua.
23 Quum esset Jeschua in Urischelem in petscha in festo, multi crediderunt in eum, qui videbant signa quæ faceret.
24 Ipse autem Jeschua non credebat eis seipsum: quia ipse noverat omnem hominem:
25 Neque opus habebat ut 7 quisquam testaretur ei de ullo filio hominis: ipse enim sciebat
quid esset in filio hominis.

4 F. vel adfert ut vers. 10. Illa verò, postquàm inebriati sunt, dicuntur impersonaliter, Hebræo more.
5 F. alii, Jeschua in Urischelem: quod nomen non legebat Tremellius.
6 Ad verb. De inter mortuos, ut Gallicè, *D'entre les morts.*
F. vel è loco seu domo mortuorũ.
7 F. Syrè, homo, Hebr.

possit intelligi virtus illa ac auctoritas cælestis, quæ tibi tribuat jus ita loquendi, & ita faciendi? r *Matt. 26.61. & 27.40. mar. 14.58. & 15.29.* r Est allegorica loquutio: ac data opera Christus ita loquutus est, quòd aperto responso indignos judicabat. notandũ est etiã corpora nostra vocari Dei templũ, sed diverso sensu, nempe quia per Spiritus sui vim & gratiam Deus in nobis habitat: in Christo autem plenitudo Deitatis corporaliter, Colos. 2.9. ita ut verè sit Deus manifestatus in carne, 1. Tim. 3.16. s i. De corpore suo. t B. Non satis tuta fides eorum qui miraculis nituntur. u B. Christus scrutator cordium, ac proinde verus Deus.

CAPUT III.

1 *Christus Nicodemum ab ipsis fundamentis Christianæ regenerationis instituit.* 14 *Serpens in deserto.* 23 *Johannes baptizat,* 27 *& suos docet se non esse Christum.*

a B. Nulli interdum doctoribus indoctiores: sed ab uno Christo tum doctis tum indoctis petenda est sapientia.
b Honores seu magistratum gerens in populo Judaico. Vide Luc. 14.1.
c Scimus te missum divinitùs ad nos erudiendos.
d Nisi in quo divina elucet quædam præstantia. Quòd si Nicodemus benè novisset Christum, non modò dixisset Deum esse cum

Erat a autem quidam ex Pharisæis, cui nomen
erat Nicodemo, b ex primoribus Judæorum:
2 Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus te à Deo venisse c doctorem: nemo enim potest hæc signa edere quæ tu edis d nisi Deus sit cum eo.
3 e Respondit Jesus & dixit ei, Amen amen
dico tibi, nisi quis genitus sit iterum, non potest
f videre g regnum Dei.
4 Dicit ei Nicodemus, h Quomodo potest
homo gigni qui sit senex? num potest in uterum
matris suæ secundò introire, & gigni?
5 Respondit Jesus, Amen amen dico tibi, nisi
quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest
introire in regnum Dei.
6 Quod genitum est ex i carne, caro est: &
quod genitum est ex Spiritu, spiritus est.

Erat autem ibi 1 quidam ex Pharisæis cujus
nomen erat Nicadimus, princeps Judæorum:
2 Hic venit ad Jeschua nocte, & dixit ei, Domine mi, novimus quòd à Deo missus fuisti præceptor: Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi is cum quo est Deus.
3 Respondit Jeschua, & dixit ei, Ammin ammin dico tibi, quòd siquis non sit natus denuò,
non potest videre regnum Dei.
4 Dixit ei Nicadimus, Quomodo potest homo nasci senex? Nunquid potest iterum in ventrem matris suæ 2 secunda vice ingredi, & nasci?
5 Respondit Jeschua, & dixit ei, Ammin ammin dico tibi, quòd si quis non nascatur ex aqua
& Spiritu, non potest ingredi in regnum Dei.
6 Quod natum est ex carne, caro est, & quod
natum est ex Spiritu, spiritus est.

1 F. Syr. unus
2 F. Syr. duobus temporibus, pro eo quod est secunda vice. Numerale nomen cardinale (ut vocant) pro ordinali, Hebræo more.

eo, sed in eo, ut Paul. 2. Cor. 5.19. e B. Initium Christianismi positum est in eo, ut sciamus nos non tantùm aliquatenus esse corruptos, sed penitùs in peccato mortuos: ut, necesse sit naturam nostram, quod ad qualitates attinet, rursum & de integro creari: quod quidem nulla alia virtute effici potest, quàm divina illa à qua fuimus initio conditi. f id est, intrare, ut explicat infrà 5. g In Ecclesiam in qua Deus regnat. Differit enim Christus qui fit ut jus civitatis Dei nanciscamur. Gratuita nimirum adoptione per Spirit. Sanct. quo regeneramur in ipso Christo fide apprehenso. h id est, Quomodo ego qui sum senex, possim gigni denuò? sic enim respondet, ac si ad se unum verba Christi pertinerent. i id est, Carnalis, totus nimirum impurus, & iræ Dei obnoxius, significat igitur caro, naturam hominis corruptam, cui opponitur Spiritus, i. homo Spiritus sancti gratia Christo insitus, cujus natura perennis est ac immortalis [illegible] lucta carnis.

7 Ne mireris quòd dixerim tibi quòd oportet vos nasci denuò.
8 Spiritus quo loco vult spirat, & vocem ejus audis, sed non nosti unde veniat, & quò vadat: sic est quisquis natus est ex Spiritu.
9 Respondit Nicodimus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri?
10 Respondit Jeschua, & dixit ei, Tu es [3] magister Jisrajel, & hæc non nosti?
11 Ammin ammin dico tibi quòd id quod novimus loquimur, & id quod videmus testamur: & testimonium nostrum non recipitis vos.
12 [4] Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, [5] credetis?
13 Et nemo ascendit in cælum, nisi is qui descendit de cælo, [6] Filius hominis qui est in cælo.
14 Et sicut exaltavit Musche serpentem in deserto, sic futurum est ut exaltetur Filius hominis:
15 Ut quisquis credit in eum, non pereat, sed sit ei vita quæ est in æternum.
16 Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unicũ dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed sit ei vita quæ est in æternum.
17 Non enim misit Deus Filium suum in mũdum ut judicet ipsum mundum, sed ut [7] vivat mundus [8] per manum ejus.
18 Qui credit in eum, non judicatur; & qui non credit, jam [9] judicatus est: quia non credidit in nomen unici Filii Dei.
19 [10] Hoc autem est judicium, quòd Lux venit in mundum, & dilexerunt Filii hominis tenebras potius quàm Lucem: erant enim opera eorum mala.
20 Omnis enim qui detestabilia agit, odit lucem: & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.
21 Is verò qui facit rectum, venit ad lucem, ut cognoscantur opera ejus, quòd in Deo facta sunt.
22 Post hæc venit Jeschua & discipuli ejus in terram Judææ: & illic versabatur cum eis, & baptizabat.
23 Atque Juchannan quoque baptizabat in [11] In-Jaun, quod est juxta Schalim, quia aquæ erant ibi multæ: & veniebant ac baptizabantur.
24 Non enim adhuc conjectus fuerat Juchannan in domum vinctorum.
25 [12] Facta est autem quæstio cuidam ex discipulis Juchannan cum quodam Judæo de purificatione.
26 Et venerunt ad Juchannan, & dixerunt ei, Domine noster, ille qui tecum erat in transitu Jurdanan, de quo tu testatus es, ecce, ipse quoque baptizat, & multi veniunt ad eum.
27 Respondit Juchannan, & dixit eis, Non potest filius hominis accipere [13] ex voluntate sui ipsius quicquam nisi datum fuerit ei è cælo.
28 Vos testes estis mihi quòd dixerim quòd ego non essem Christus, sed [14] legatus sum qui præcedo eum.
29 Is cui est sponsa, sponsus est: amicus autem sponsi [15] est qui stat & attendit ei: gaudio magno gaudet propter vocem sponsi. hoc ergo

gaudium

7 Ne mireris me dixisse tibi, Oportet vos iterum gigni.
8 Ventus [k] quò vult spirat, & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat & quò vadat: ita est quisquis genitus est è Spiritu.
9 [l] Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri?
10 Respondit Jesus & dixit ei, Tu es doctor ille Israëlis, & hæc non nosti?
11 Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: [m] sed testimonium nostrum non recipitis.
12 Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?
13 [n] Nullus enim [o] ascendit in cælum, nisi qui descendit è cælo, *nempe* [p] Filius hominis [q] qui est in cælo.
14 [r] ‖ Prout autem [s] Moses extulit serpentem in deserto, ita extolli oportet Filium hominis:
15 Ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.
16 [t] ‖ Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit [u] in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.
17 [x] ‖ Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut [y] damnet mundum, sed ut servetur [z] mundus per eum.
18 Qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.
19 [a] Hæc est autem [b] condemnatio, ‖ quòd Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potiùs tenebras quàm Lucem: quia sunt eorum mala opera.
20 Quisquis enim quæ mala sunt agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius:
21 Qui verò [c] dat operam veritati, venit ad lucem: ut manifesta fiant facta ipsius, quòd [d] secundùm Deum facta fuerint.
22 Posteà venit Jesus & discipuli ejus in Judææ territorium: & illic degebat cum eis, & ‖ baptizabat.
23 Baptizabat autem etiam Johannes in Ænon prope Salim, quoniam aquæ multæ erant illic, & veniebant ac baptizabantur.
24 Nondum enim conjectus fuerat Johannes in carcerem.
25 [e] Orta est igitur quæstio *quibusdam* ex discipulis Johannis cum Judæis de purgatione.
26 Veneruntq; ad Johannem, & dixerunt ei, Rabbi, is qui tecum erat apud trajectum Jordanis, cui tu ‖ testimonium dedisti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum.
27 Respondit Johannes & dixit, [f] Homo non potest recipere quicquã nisi fuerit ei datũ è cælo.
28 Vos ipsi mihi testes estis me dixisse, ‖ Non sum ego Christus, sed missus sum *qui apparerem* coram eo.
29 Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, [g] gaudio gaudet propter vocem sponsi. [h] hoc ergo

gaudium

[3] F. Syr. doctor ille Jisrajelis, nẽpe tantus, tanta auctoritate & existimatione, sup. v. 1.
[4] Ad verb. Quæ in terra: & in opposito membro, Quæ in cælo, hoc est, Quæ ex terreno & communi sensu sumta sunt (quale est illud de vento flante) si non creditis, quomodo credetis si-qua è cælesti Spiritu proficiscantur, & humanum captum superent?
[5] F. al. credetis mihi?
[6] F. al. filius hominis ipse, qui est in cælo.
[7] i. Servetur. Hebraismus.
[8] i. Per eum. Hebraismus plusquã tritus.
[9] Id est, condemnatus est. Hebr.
[10] F. vel hoc autem judicium est, quia Lux venit in mundum, &c. id est, hoc judicium sive condemnatio de qua modò dixi propterea evenit, quòd obdurata est mens hominũ in infidelitate sua quamvis exhibente lucem & homines ad eam sollicitante Domino.
[11] F. i. fonte columbi, ad Jordanem. Schalim verò per syncopen dicitur Syrè pro Schaalim, qui locus fuit in finibus Binjaminis; de quo 1. Samu. 9. 5.
[12] Ad verb. Fuit quæstio uni; i. Orta est, Incidit cuidam quæstio.
[13] F. vel ex voluntate animi sui quidquam, sed si datum fuerit ei è cælo. Atque hoc modo evidentior est membrorũ antithesis quã statuit interpres Syrus.
[14] Ad verb. Nuntius, vel Legatus sum coram ipso: i. Qui coram ipso appaream.
[15] F. vel is qui stat & attendit ei, gaudio magno gaudet, &c.

[k] Libero & vago impetu.
[l] z. Arcanum nostræ regenerationis humano captui incomprehensibile, fide percipitur, sed non nisi in Christo: quoniã is & Deus est in terris, & homo in cælis, id est, sic homo ut sit etiam Deus ac proinde omnipotens: & sic Deus ut sit etiam homo, ac proinde ejus potentia nobis pateat.
[m] Vos tractatis dubia & incerto auctore profecta, & creditur vobis: at ego certa & cognita doceo, nec mihi creditur.
[n] Solus Christus verè cælestia docere potest, quia nullus ascendit, &c.
[o] i. Spiritualis intelligentiæ luce præditus est, vel unquam fuit, nisi Filius ille qui sese ad nos demisit ut nos in cælum secum attollat.
[p] Quòd è cælo descendisse dicitur, ad naturam Divinam referri debet quæ carnem assumsit: deinde ad ipsum cõceptionis modũ: nam origo Jesu Christi in terris, cælestis est, non terrena, ut qui conceptus sit ex Spiritu sancto.
[q] De toto Christo dicitur, quod alteri naturæ (Divinæ nimirum) est proprium, ut intelligamus unicam esse personã, in quam duæ sint unitæ naturæ. hanc loquendi formam vocãrũt, Communicationem idiomatum.
[r] z. Christus prædicit fore ut ipse, per Evangelii prædicationem, velut salutiferum signum attollatur, ad quod totus mundus accurrat: quod olim serpentis erecta figura fuit in deserto adumbratum. ‖ *Infr.* 12. 32. *nu.* 21. 9. [s] Nu. 21. 9. à Mose erectus fuit æneus serpens, cujus conspectus salutare remediũ iis erat qui lethali serpentũ morsu vulnerati erant. Hoc autem in hunc finem hoc loco adducitur ut se doceat Christus Evangelii doctrina constituendũ esse antè omniũ oculos: ut quicumq; ipsum fide intuiti fuerint, salutem percipiant. [t] z. Patris amor prorsus gratuitus, nostræ salutis est origo. Christus autem is est in quo justitia & salus nostra residet: fides verò, instrumentum quo apprehenditur vita æterna, id quod apprehendendũ proponitur. ‖ 1. *Joh.* 4. 9. [u] Non idem est credere in aliquid, & credere de aliquo. Illud enim ad divinitatem, hoc ad quamcumq; rem pertinet. Nazian. in Oratione de Spiritu. [x] z. Christus non damnat, sed ejus contemtus. ‖ *Infr.* 9. 39. & 12. 47. [y] Ut sit causa condemnationis: revera enim peccata causa sunt mortis: alioqui Christus judicabit vivos & mortuos. [z] Non una Judæorũ gens, sed quicumq; crediderit in eum. [a] z. Sola pravitas in causa est cur homines oblatam lucem repudient. [b] i. cõdemnationis causa, quæ quidem in hominibus hæret, nisi Dei beneficio ab ea liberentur. ‖ *Sup.* 1. 9. [c] Ad verb. qui facit veritatem, i. qui vitam ducit verè bonam & omnis fraudis expertem. [d] i. Cum Deo, Deo videlicet veluti præeunte. [e] z. Satan discipulos Johannis stulta præceptoris æmulatione incendit, ut Evangelii cursum impediat: Johannes verò sui officii memor, non modò frangit ejus conatus, sed etiam occasionem inde arripit reddendi Christo testimonii: in quo uno testatur vitam æternam à Patre cælesti proponi. ‖ *Supr.* 1. 17. & 34. [f] Quid conamini meæ conditioni adjicere, hæc est sors omnium hominum, ut ex se ne tantillum quidem possint consequi. ‖ *Sup.* 1. 20. [g] Hebr. i. mirificam capit voluptatem. [h] Affirmat igitur Johannes Baptista se votorum omnium summam adeptum esse, nec jam esse quod desideret, ubi videt regnare Christum & illi audientiam quam meretur dari.

i Nihil aliud est quàm homo, terrenæ scilicet facis opificium.
k Corruptionem, ignorantiam, tarditatem, &c. sentit.
l Quod plenè & perfectè cognitum habet.
¹ Rom. 3.4.
m Ad verb. non dat ad mensuram.
² Matt. 11.27.
n i. Arbitrio & potestati ejus permisit.
³ Haba. 2.4. 1. joh. 5.10.
o Hebr. i. non fructum.

gaudium meum impletum est.
30 Illum oportet crescere, me verò minui.
31 Qui supernè venit, supra omnes est: qui è
i terra est, terrenus est, & k terrena loquitur: qui è
cælo venit, supra omnes est.
32 Et quod l vidit & audivit, hoc testatur: sed
testimonium ejus nemo recipit.
33 Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit
¹ Deum veracem esse.
34 Nam *is demum* quem misit Deus, verba
Dei loquitur. non enim *huic* m admetitur Deus
spiritum.
35 Pater diligit Filium, ² & omnia n dedit ei
in manum.
36 ³ Qui credit in Filium, habet vitam æter-
nam: qui verò non obtemperat Filio, o non vide-
bit vitam, sed ira Dei manet super eum.

gaudium meum ecce impletur.
30 Ipsum oportet crescere, & me minui.
31 Ipse enim qui è supernis venit, supra om-
nes est: & is qui è terra, è terra est, & è terra lo-
quitur: is qui è cælo venit, supra omnes est.
32 Et id quod vidit & audivit, testatur: & te-
stimonium ejus nemo accipit.
33 Qui autem accipit testimonium ejus, ob-
signavit quòd Deus verax est.
34 Is enim quem Deus misit, sermones Dei
loquitur: non enim in mensura dedit Deus spi-
ritum.
35 Pater diligit Filium, & omnia dedit in ma-
nus ejus.
36 Qui credit in Filium, est ei vita quæ est in
æternum: & is qui non acquiescit Filio, non vide-
bit vitam, sed ira Dei manebit super eum.

CAPUT IIII.

6 Jesus fatigatus potum petit à muliere Samaritana. 21 Veram adorationem docet. 26 Fatetur se esse Messiam. 32 Cibus ipsius. 39 Samaritani credunt in eum. 46 Regii cujusdam filium sanat.

a B. Servandus hic modus in faciendo officio, ut neque metu terreamur quin pergamus, neq; in accersendis periculis simus præcipites.
¹ Suprà 3.22.
b B. Christus relictis Pharisæis fastuosis, cum muliercula peccatrice & quidem extranea thesauros æternæ vitæ communicat, refellens crassos Samaritanorum errores, & verum Dei cultum Judæis traditum defendens, ita tamen ut utrosque ad se unum revocet, in quem videlicet Patres omnes ipsæq; adeò legales omnes ceremoniæ respexerint.
² Gene. 33.19. & 48.22. josue 24. 32.
c Ita ut lassus erat vel, idcirco quia lassus erat.
d Instabat meridies.
e Non est usus necessitudinis Judæis cum Samaritanis.
f Articulus indicat Christum loqui de eximio aliquo dono, nimirum de seipso, quem Pater huic mulierculæ offerebat.
g Hæc aqua perennis, i. immensa illa Dei charitas, viva dicitur, ad differentiam aquæ, quæ ex puteo hauriretur. Sunt autem hæ Metaphoræ Hebræis familiares, Jere. 2.13. Joël. 3.18. Zac. 13.11.

VT a ergo cognovit Dominus Pharisæos au-
disse ipsum plures discipulos facere ¹ & bap-
tizare quàm Johannem:
2 (Quanquam Jesus ipse non baptizabat,
sed discipuli ejus)
3 Reliquit Judæam, & abiit rursum in Ga-
lilæam.
4 Oportebat autem eum transire per Sa-
mariam.
5 b Venit ergo in urbem Samariæ quæ dici-
tur Sichar, juxta prædium quod dedit ² Jacobus
Josepho filio suo.
6 Erat autem ibi fons Jacobi. Jesus ergo fa-
tigatus ex itinere, c ita sedit ad fontem: d hora
enim erat quasi sexta.
7 Venit mulier Samaritana ut hauriret a-
quam: dicit ei Jesus, Da mihi potum.
8 Nam discipuli ejus abierant in urbem ut
cibos emerent.
9 Dicit igitur ei mulier illa Samaritana,
Quomodo tu Judæus quum sis, potum à me po-
scis quæ sum mulier Samaritana? (non enim e u-
tuntur Judæi Samaritanis.)
10 Respondit Jesus & dixit ei, Si nosses do-
mum f illud Dei, & quis sit ille qui dicit tibi, Da
mihi potum: tu petiisses ab eo, & dedisset tibi g a-
quam vivam.
11 Dicit ei mulier, Domine, neque quo hau-
rias habes, & puteus profundus est: unde ergo
habes aquam illam vivam?
12 Num tu major es patre nostro Jacobo, qui
dedit nobis hunc puteum, ex quo ipse bibit, & fi-
lii ejus, & ejus pecora?
13 Respondit Jesus & dixit ei, Quisquis bibit
ex aqua ista sitiet rursus:
14 Quisquis autem biberit ex aqua illa quam
ego ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua illa
quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis
in vitam æternam.
15 Dicit ei mulier, Domine, da mihi aquam
istam, ut non sitiam, neque veniam hùc ad hau-
riendum.
16 Dicit ei Jesus, Vade, voca virum tuum, &
veni hùc.
17 Respondit mulier & dixit ei, Non habeo
virum. Dicit ei Jesus, Benè dixisti, Non habeo
virum.
18 Quinque enim viros habuisti: & nunc
quem

COgnovit autem Jeschua quòd audiverunt
Pharisæi quòd discipulos multos faceret, &
baptizaret plus quàm Juchannan.
2 Quum nequaquam ipse Jeschua baptiza-
ret, sed discipuli ejus.
3 Et reliquit Judæam, & venit rursus in Ga-
lilæam.
4 Opus autem erat ei ut veniens transiret
¹ per locum Samaritanorum.
5 ² Et venit in civitatem Samaritanorum quæ
vocabatur Schachar, juxta agrum quem dede-
rat Jaakub Jauseph filio suo.
6 Et erat ibi fons aquarum Jaakub. Ipse au-
tem Jeschua fessus erat ex labore itineris, & sede-
bat super fontem: & erat hora sexta.
7 Et venit mulier ex ³ Samaria ut impleret
vas aquis, & dixit ei Jeschua, Da mihi aquas *ut*
bibam.
8 Discipuli autem ejus ingressi erant civita-
tem ut emerent sibi cibum.
9 Dixit ei illa mulier Samaritana, Quomodo
tu Judæus es, & à me petis ad bibendum, quæ
sum mulier Samaritana? non enim commercium
habent Judæi cum Samaritanis.
10 Respondit Jeschua & dixit ei, Si scires do-
num Dei, & quis sit hic qui dicit tibi, Da mihi *ut*
bibam, tu petiisses ab eo, & dedisset tibi aquas
vivas.
11 Dixit ei mulier illa, Domine mi, Situla non
est tibi, & puteus est profundus: unde tibi a-
quæ vivæ?
12 Num tu major es quàm pater noster Jaa-
kub qui dedit nobis puteum hunc, & ipse ex eo
bibit, & filii ejus & greges ejus?
13 Respondit Jeschua, & dixit ei, Omnis qui
biberit ex istis aquis, rursus sitiet.
14 Omnis autem qui biberit ex aquis quas
ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aquæ illæ
quas dabo ei, fient in eo fons aquarum scaturien-
tium in vitam æternam.
15 Dixit ei mulier illa, Domine mi, da mihi ex
his aquis ut rursus non sitiam, neque veniens hau-
riam ex hoc loco.
16 Dixit ei Jeschua, Vade, voca maritum tu-
um, & veni huc.
17 Dixit ei, Non est mihi maritus. Dixit ei Je-
schua, Benè dixisti, non est mihi maritus.
18 Quinque enim mariti fuerunt tibi, & hic
qui

¹ T. vel per inter Schamaritanos, ad verbum, id est, per mediam Samariam, ut vulgatæ veteris versionis nonnullæ editiones habent.
² T. Hæc propositio summa: Posteà enim narratur qua occasione in hanc civitatem venerit, ad vers. usque 40. Alioquin vertendum foret, venit ad civitatem.
³ T. Syrè Schamerin, Hebraicè Schomron, à Schómero auctore metropolis & regio dicta.

qui est tibi jam, non est maritus tuus : hoc verè
dixisti.
19 Dixit ei illa mulier, Domine mi, video quòd
propheta es tu.
20 Patres nostri in hoc monte adoraverunt,
& vos dicitis quòd in Urischelem est locus ubi o-
porteat adorare.
21 Dixit ei Jeschua, Mulier, crede mihi quòd
venit hora qua nec in hoc monte, nec etiam in
Urischelem adorabitis Patrem.
22 Vos adoratis id quod nescitis : nos au-
tem adoramus quod scimus : quia [4] vita ex Ju-
dæis est.
23 Sed venit hora, & nunc est, quando ado-
ratores veri adorabunt Patrem in spiritu & veri-
tate : nam etiam Pater qui sunt hujusmodi ado-
ratores requirit.
24 Spiritus est enim Deus : & ii qui adorant
eum, oportet in spiritu & veritate adorent.
25 Dixit ei mulier illa, Novi quòd Messias vé-
turus est: & quum venerit, docebit nos omnia.
26 Dixit ei Jeschua, Ego sum qui loquor te-
cum.
27 Et dum loqueretur, venerunt discipuli e-
jus, & mirabantur quòd cum muliere loqueretur.
Nemo autem dixit, Quid quæris tu? aut, Quid
loqueris tu cum ea?
28 Et reliquit hydriam suam mulier, & abiit
in civitatem, ac dixit,
29 Venite, videte hominem qui dixit mihi
quicquid feci : nunquid ipse est Messias?
30 Et egressi sunt viri ex urbe, & veniebant ad
eum.
31 Et interea petebant ab eo discipuli ejus, &
dicebant ei, Domine noster, ede.
32 Ipse autem dixit eis, Est mihi cibus quem
comedam, quem vos nescitis.
33 Dicunt discipuli ejus inter sese, Num quis-
piam attulit ei ad comedendum?
34 Dixit eis Jeschua, Cibus meus est ut faciam
voluntatem ejus qui misit me, & perficiam opus
ejus.
35 Nònne vos dicitis quòd post quatuor
menses ventura sit messis? Ecce, dico vobis, At-
tollite oculos vestros, & spectate regiones,
quòd albæ sunt, & jam [5] appropinquant ad
messem.
36 Et is qui metit, mercedem accipit, & colli-
git fructus in vitam quæ est in æternum : & semi-
nator & messor pariter gaudebunt.
37 In hoc enim est sermo veritatis, quòd ali-
us est seminator, & alius messor.
38 Ego misi vos ad metendum id in quo vos
non laborastis : alii enim laboraverunt & vos
ingressi estis in laborem illorum.
39 Ex illa autem civitate multi crediderunt in
eum Samaritani, propter sermonem mulieris il-
lius quæ testabatur, Dixit mihi quicquid feci.
40 Et quum venissent ad eum illi Samaritani,
petierunt ab eo ut maneret apud se : & mansit a-
pud eos duobus diebus.
41 Et multi crediderunt in eum propter ser-
monem ejus.
42 Et dicebant mulieri illi, Deinceps nequa-
quam propter sermonem tuum credimus in eum:
nos enim audivimus, & scimus quòd hic est verè
Messias servator mundi.
43 Et post duos dies egressus est Jeschua in-
dè, & abiit in [6] Galilæam.
44 Ipse enim Jeschua testabatur quòd Pro-
pheta in civitate sua non afficitur honore.
45 Quum autē venisset in Galilæam, excepe-
runt

[4] i. Salus, Hebr.

[5] i. Syrè pervenerunt ad messem. Respicit autem regiones Gentium, quarū primitiæ quædam fuerunt Samaritani illi, qui tum ad Christum adventabant.

[6] i. In reliqua loca Galilææ, declinata Nazaretha urbe sua, in qua contemtui habebatur.

quem habes, non est tuus vir. hoc verò dixisti.
19 Dicit ei mulier, Domine, video te Prophe-
tam esse.
20 [h] Patres nostri in hoc [i] monte adoraverunt:
& vos dicitis [i] Hierosolymis esse locum illum ubi
oporteat adorare.
21 Dicit ei Jesus, Mulier, crede mihi, venit
tempus quando neq; in monte hoc, neque Hie-
rosolymis adorabitis Patrem.
22 [i] Vos adoratis quod nescitis, nos adora-
mus quod scimus: [k] quia salus ex Judæis est.
23 Sed venit hora, & nunc est, quum veri ado-
ratores adorabunt Patrem [l] Spiritu ac veritate:
etenim Pater tales quærit qui ipsum adorent.
24 [l] Deus est [m] Spiritus: & qui adorant eum,
oportet ut Spiritu ac veritate adorent.
25 Dicit ei mulier, Scio Messiam venturum
(qui dicitur Christus,) quum venerit ille, nobis
annunciabit omnia.
26 Dicit ei Jesus, Ego is sum, qui loquor tibi.
27 Intereà verò venerunt ejus discipuli, & mi-
rati sunt quòd cum muliere loqueretur: nemo ta-
mē dixit, Quid quæris? aut, Quid loqueris cum ea?
28 Reliquit ergo hydriam suam mulier, & ab-
iit in urbem, dixitq; ejus loci hominibus,
29 Venite, videte hominem qui dixit mihi
quæcumque feci: num iste est Christus ille?
30 Exierunt ergo ex urbe, & venerunt ad eum.
31 [n] Interim autem rogabant eum discipuli,
dicentes, Rabbi, comede.
32 Ille autem dixit eis, Ego cibum habeo quo
vescar, quem vos non nostis.
33 Dicebant ergo discipuli alii ad alios, Num
quis attulit ei quo vesceretur?
34 Dicit eis Jesus, Esca mea est exequi volun-
tatem ejus qui misit me, & perficere ipsius opus.
35 [o] Nònne vos dicitis, Adhuc quadrimestre
spatium superest, & messis erit? [p] Ecce, dico vobis,
attollite oculos vestros, & spectate regiones: nam
albæ jam sunt ad messem.
36 [p] Qui autem metit, mercedem accipit, &
cogit fructum in vitam æternam. ut & qui semi-
nat, simul gaudeat, & qui metit.
37 Nam in hoc dictum illud verum est, Alius
est qui seminat, & alius qui metit.
38 Ego misi vos ad *id* metendum in quo vos
non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labo-
res eorum introistis.
39 [q] Ex urbe autem illa multi Samaritanorum
crediderunt in eum propter sermonem mulieris
illius, testantis, *ac dicentis*, Certè dixit mihi om-
nia quæ feci.
40 Quum ergo venissent ad eum Samaritani,
rogârunt eum ut apud ipsos maneret : & mansit
ibi duos dies.
41 Ac multò plures crediderunt propter ser-
monem ipsius.
42 Et illi mulieri dicebant, Non ampliùs pro-
pter tuos sermones credimus: ipsi enim audivi-
mus, & scimus hunc esse verè Servatorem illum
mundi, Christum.
43 [r] Duobus autem post diebus exiit inde, &
abiit in [f] Galilæam.
44 Ipse enim Jesus [ll] testatus fuerat, Prophe-
tam in sua patria honorem non habere.
45 Quum ergo venisset in Galilæam, excepe-
runt

[h] B. Duabus fer columnis, sed ad modum infirmis nititur omnis superstitiosorum religio, patrum videlicet detortis exemplis, & stulta de rebus externis opinione: quibus erroribus opponere oportet Dei verbū & naturā.
[i] Hujus montis nomen est Garizim, in quo Sanaballath Cuthæus templū exstruxit permissu Alexandri Macedonis, post victoriā Issicam: ibiq; summū Pontificem cōstituit Manassen generum suum, Joseph. lib. 11.
[ll] *Deu.* 12.6.
[ll] 2. *Reg.* 17.29.
[k] Alludere videtur Christus ad id quod prædictū erat à Prophetis, Legē à Sion prodituram, Esa. 2.3. Nam ea conditione segregati ad tēpus erant à reliquis populis, ut ab ipsis tandē ad totum mundum pura Dei cognitio manaret.
[l] Spiritus opponitur mādato, quod carnale dicitur Heb. 7.16. in sese videlicet considerato: sic veritati non opponit mēdacium, sed Legis externas ceremonias, quæ duntaxat adumbrabant quod reipsā præstat Christus.
[ll] 2. *Cor.* 3.17.
[m] Nomine spiritus intelligit in universum naturā divinam, nequis de tertia hypostasi propriè hic agi putet.
[n] B. Curare quidē corpus fas est, sed ita ut oblatā amplificandi regni Dei occasionē ultrò & avidè quibusvis hujus vitæ usibus etiam alioqui necessariis præferamus.
[o] B. Matura spirituali fruge, nusquam tardandum nisi à filiis hujus seculi redargui velimus.
[ll] *Mat.* 9.37. *Luc.* 10.2.
[p] B. Prophetarū doctrina instar sationis fuit: Evangelii verò instar messis, & optimè inter utramq; & utriusq; ministros convenit.
[q] B. Amplectuntur Samaritani cupidissimè quod Judæi pertinacissimè repudiabant. [r] B. Contemtores quidem Christi seipsos privant ejus beneficio, sed nihilominùs sibi præparat domicilium Christus. [f] In opida & vicos Galilææ, quod in patria Nazaretide non vellet consistere, ob contemtum sui, & ubi, ut referunt alii Euangelistæ, impediretur efficacitas beneficiorum ipsius mirabili contumacia. [ll] *Mat.* 13.57. *Mar.* 6.4. *Luc.* 4.24.

runt eum Galilæi, quum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in festo: nam & ipsi venerant ad festum.

46 [t] Venit igitur Jesus rursum [b] Cana *oppidum* Galilææ, ubi fecerat ex aqua vinum. Erat autem in *urbe* Capernaumo regius [a] quidam, cujus filius ægrotabat.

47 Is quum audisset Jesum venisse ex Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & eum rogavit ut descenderet ac sanaret suum filium: erat enim moribundus.

48 Dixit ergo Jesus ei, Nisi signa & miracula videritis, non credetis.

49 Dicit ei regius ille, Domine, descende priusquam moriatur puerulus meus.

50 Dicit ei Jesus, Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixerat ei Jesus: & profectus est.

51 Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & annunciaverunt dicentes, Filius tuus vivit.

52 Percontatus est ergo ab eis horam qua melius habuerat: & dixerunt ei, Heri *circiter* horam septimam dimisit eum febris.

53 Agnovit ergo pater *id factum esse* illa ipsa hora qua dixerat ei Jesus, Filius tuus vivit. & credidit ipse, ac domus ejus tota.

54 Hoc rursus, *id est*, secundum signum edidit Jesus, quum venisset ex Judæa in Galilæam.

t B. Christus etiam corpore absens, verbo suo nihilominus efficaciter agit in credentibus.
b *Sup.* 2, 1. 12.
a Quidam ex Herodis aulicis. nam etsi Herodes rex non esset, sed tetrarcha: tamen si nominis ambitionem excipias, rex erat, saltem a vulgo rex dicebatur, Mat. 6, 14.

runt eum Galilæi, qui viderunt signa omnia quæ fecit in Urischelem in festo: venerant enim & ipsi ad festum.

46 Venit autem rursus Jeschua in Canne Galilææ, ubi fecerat aquas vinum. Et erat in Cephar-Nachum quidam [7] gerens vices regis, cujus filius infirmus erat.

47 Hic audivit quòd venisset Jeschua ex Judæa in Galilæam, & abiit ad eum, & petebat ab eo ut descenderet & sanaret filium suum: propinquus enim erat ad moriendum.

48 Dixit ei Jeschua, Si signa & prodigia non videritis, non credetis.

49 Dixit ei ille gerens vices regis, Domine mi, descende priusquam moriatur puer meus.

50 Dixit ei Jeschua, Vade, filius tuus vivus est. Et credidit homo ille sermoni quem dixerat ei Jeschua: & abiit.

51 Quum autem descenderet, occurrerunt ei servi ejus, & nunciaverunt ei, ac dixerunt ei, Filius tuus [8] revixit.

52 Et interrogavit eos quònam tempore sanus factus esset. Dicunt ei, Heri septima hora reliquit eum febris.

53 Et cognovit pater ejus quòd in illa hora *id evenisset* in qua dixit ei Jeschua, Filius tuus vivit. Et credidit ipse & domus ejus tota.

54 Hoc rursus secundum signum fecit Jeschua quum venisset ex Judæa in Galilæam.

7 Syriacè עבד מלכא, servus regis, qui vices regis gerebat, & regius erat minister.

8 Verbum est, חיה Vixit: sed sæpè Syri (ut etiam Hebræi) simplici verbo utuntur pro composito, V. id autem est, revaluit, sanus factus est, & sanitati restitutus, ut exponitur seq. V. Hebr. frequens.

CAPUT V.

2 & 5 *Christus decumbentem ad piscinam, sanat in Sabbatho.* 10 *Pharisæos præcipiti judicio factum suum calumniantes,* 17 *auctoritate Patris sui convincit:* 19. 20 *Divinam suam virtutem multis argumentis,* 45 *Mosis testimonio etiam comprobat.*

POst hęc erat [f] festum Judęorum, & ascendit Jesus Hierosolymam.

2 [a] Est autem Hierosolymis ad *portam* pecuariam, [b] piscina quę nominatur Hebraicè [c] Bethesda, quinque porticus habens.

3 In his jacebat multitudo magna ægrotorum, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.

4 Angelus enim descendebat certo momento in piscinam, & turbabat aquam: itaque qui primus ingressus erat post aquæ turbationem, sanus fiebat à quocumque detineretur morbo.

5 Erat autem quidam illic tricesimum octavum annum agens in morbo.

6 Hunc quum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset eum jam multum temporis egisse *in morbo*, dicit ei, Cupis sanus fieri?

7 Respondit ei ægrotus ille, Domine non habeo qui, quum turbata fuerit aqua, immittat me in piscinam: sed interim dum ego venio, alius ante me descendit.

8 Dicit ei Jesus, Surge, attolle grabatum tuum & ambula.

9 Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. erat autem Sabbathum die illo.

10 [d] Judæi ergo dicebant ei qui curatus fuerat, Sabbathum est, [l] non licet tibi attollere grabatum.

11 Respondit eis, Qui me sanum fecit, is mihi dixit, Attolle grabatum tuum, & ambula.

12 Interrogaverunt eum ergo, Quis ille est qui dixit tibi, Attolle grabatum tuum, & ambula?

13 Is autem qui sanatus fuerat, nesciebat quis esset: Jesus enim [e] evaserat è turba quæ erat in illo loco.

f *Levit.* 23. 3. *Deut.* 16. 1.
a B. Nullum est tam inveteratum malum, cui non mederi possit Christus.
b Ex qua potare & in qua mersari solerent pecudes, quarum magnum numerum Hierosolymis esse oportuit.
c Id est, domus effusionis, quòd in eum locū magna aquæ copia effunderetur.
d B. Vera religio nullius rei prætextu crudelius oppugnatur, quàm ipsius religionis.
l *Jer.* 17. 22.
e Similitudine ducta ab iis, qui ex aquis emergunt: sic enim ferè declinant, qui clam è turba elabuntur.

POst hæc erat festum Judæorum, & ascendit Jeschua in Urischelem.

2 Erat autem ibi in Urischelem locus quidā ablutionis qui vocabatur Hebraicè [1] Beth-Chesda: & erant in eo quinque porticus.

3 Et in his jacebat populus multus infirmorum & cæcorum & claudorum & aridorum, & exspectabant motum aquarum.

4 Angelus enim [2] per intervalla temporis descendebat in lavacrum, & movebat illas aquas: & is qui primus descendebat post motionem aquarum, sanabatur, quicumque morbus fuisset ei.

5 Erat autem ibi homo quidam qui triginta & octo annos fuerat in infirmitate sua:

6 Hunc vidit Jeschua jacentem: & novit quòd tempore multo fuisset ei *infirmitas ejus*, & dixit ei, Vis tu sanus fieri?

7 Respondit ille infirmus, & dixit, Etiam Domine mi. Nemo autem mihi est qui, quum motæ fuerint aquæ, mittat me in lavacrum, sed priusquam veniam, alius ante me descendit.

8 Dixit ei Jeschua, Surge, & tolle lectum tuum, & ambula:

9 Et eadem hora sanatus est homo ille. Et surgens tulit lectum suum, & ambulavit. Et ille ipse dies Sabbathi erat.

10 Et dixerunt Judæi illi qui sanatus fuerat, Sabbathū est, nō licet tibi ut tollas lectum tuum.

11 Ille autem respondit, & dixit eis, Is qui fecit me sanum, is dixit mihi, Tolle lectum tuum, & ambula.

12 Et interrogaverunt eum, Quis est homo iste qui dixit tibi, Tolle lectum tuum, & ambula?

13 Qui autem sanatus fuerat, nesciebat quis esset: Jeschua enim occultaverat se in turba multa, quæ erat in loco illo:

1 Fatigant se alii in eruenda nominis hujus ratione secundùm literas quibus Græcè scribitur. In Syro contextu declarat locum benignitatis, quod in eo Deus benignè potentiam suam exerceret in curandis quibusvis morbis populi sui. V. qua de re vide quæ in Nechem. 3. adnotavimus.

2 Ad verbum, In tempore tenoris. i. Statis & certis temporibus, Heb. V. Vel in tempore tempore: quo modo Tremellium interpretatum arbitror.

14 Post tempus *aliquod* invenit eum Jeschua
in templo,& dixit ei, Ecce, sanatus es : rursus ne
peccaveris, ne fiat tibi aliquid quod pejus est
quàm priùs.
15 Et abiit ille homo, & dixit Judæis quòd
Jeschua esset qui sanasset eum.
16 Et propterea persequebantur Judæi Je-
schua, & quærebant interficere eum, quòd ista
fecisset in Sabbatho.
17 Ipse autem Jeschua dixit eis, Pater meus
[3] usq; ad hoc tempus operatur,etiam ego operor.
18 Et propter hoc ampliùs quærebant Judæi
interficere eum, non solùm quòd solvisset Sab-
bathum, sed etiam quòd de Deo, [4] *quòd* Pater
suus esset, dixisset : & æquasset seipsum cum
Deo.
19 Respondit verò Jeschua, & dixit eis, Am-
min ammin dico vobis quòd non potest facere
Filius aliquid ex voluntate [5] animæ suæ, sed id
quod facientem Patrem videt : ea enim quæ pa-
ter facit,ea etiam similiter filius facit.
20 Pater enim diligit filium suum: & quic-
quid facit ostendit ei,[6] & quæ sunt majora his o-
pera,ostendit ei,ut vos miremini.
21 Sicut enim Pater suscitat mortuos,& vivi-
ficat eos, ita etiam filius quos vult vivificat.
22 Neq; enim Pater judicat quemquam, sed
omne judicium dedit Filio:
23 Ut unusquisq; honoret Filium sicut hono-
rat Patrem. Is qui non honorat Filium,non ho-
norat Patrem,qui misit eum.
24 Ammin ammin dico vobis quòd qui au-
dit sermones meos,& credit in eum qui misit me,
est ei vita quæ est in æternum, & in [7] judicium
non venit,sed transit à morte in vitam.
25 Ammin ammin dico vobis quòd venit ho-
ra,etiam nunc ea est,quando mortui audient vo-
cem Filii Dei,& ii qui audient vivent.
26 Sicut enim Patri est vita [8] in semetipso, ita
dedit Filio ut esset ei vita in semetipso:
27 Et potestatem dedit ei ut esset etiam faci-
ens judicium.
28 [9] Quòd autem is sit Filius hominis, ne mi-
remini propter hoc:nam venit hora quum omnes
qui sunt in sepulcris,audient vocem ejus.
29 Et ingredientur qui fecerunt bona in re-
surrectionem vitæ,& ii qui fecerunt mala, in re-
surrectionem [10] judicii.
30 Non possum ex voluntate animæ meæ a-
liquid facere,sed sicut audio, ego judico, & judi-
cium meum justum est:non enim quæro volúta-
tem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.
31 Si ego testarer de meipso, testimonium
meum non esset verum.
32 Alius est qui testatur de me: & scio quòd
verum est testimonium ejus quod testatur de
me.
33 Vos misistis ad Juchannan, & testatus est
de veritate.
34 Ego verò nequaquam à filio hominis acci-
pio testimonium,sed hæc dico ut vos [11] vivatis.

[3] Ad verb. Usque ad nunc. Hebraism. [4] Non est in Syro contextu conjunctio hæc expressa, nec in impresso, nec in manuscripto. quia tamen sequentia verba eam necessariò subaudiri ostendunt, nos in versione illam supplevimus. F. sed hæc ellipsis est euphonica & frequentissima, ne idem ד sæpiùs repeteretur. [5] F. i. sua ipsius. Hebraismus. [6] In exemplari impresso decrant, Et quæ sunt majora his opera ostendit ei: sed nos addidimus ex manuscripto antiquo codice bibliothecæ illustrissimi principis Electoris Palatini. [7] Id est, Condēnationem. Hebr. [8] בקנומה, In essentia sua. [9] Licet in Græco codice hæc verba, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, præcedentibus cohæreant, ac in calce versiculi 27. collocentur, tamen quia Syrus ea accepit, tamquam sequentibus connexa (ut particula דן clarè ostēdit) nos ea in principio versus 28. collocavimus. F. At mihi Syri interpretes verba sic videntur evidentiora. Quòd autem Filius ejus sit filius hominis, &c. i. id est, quòd eumdem qui filius est hominis dixi filium esse Dei, ne miremini. Nā tribus nominibus Judæi Christum quærebant interficere; 1. quòd sabbathum solvisset. 2. quòd Deum Patrem suum dixisset esse. 3. quòd seipsum æqualem fecisset Deo, ℣. 18. De sabbatho antè responderat. Reliquas itaque duas obiectiones explicat ὕστερον πρότερον: primùm quidem de eo quòd æqualem seipsum fecisset Deo: nam sibi à Patre æqualitatem esse illam indè à versu 19. deinde verò quòd eum Patrem suum dixisset esse: nam omnes ita visuros in resurrectione justorum, & nunc Patrem, Johannem, Mosem, Scripturam totam de hac re testimonium perhibere. Hęc distinctio certè maximam huic capiti lucem, judicio meo, allatura est. Pii & docti viderint. [10] Id est, Condemnationis. Hebraismus, ut ℣. 24. [11] F. id est, servemini, ut sup. 4. 22.

14 Posteà invenit eum Jesus in templo: & di-
xit ei, Ecce, sanus factus es : ne pecca ampliùs, ut
nequid deterius tibi fiat.
15 Abiit homo ille,& nunciavit Judęis Jesum
esse à quo sanatus fuerat.
16 Ac propterea persequebantur Judæi Je-
sum,& studebant eum trucidare,quòd ista fecis-
set Sabbatho.
17 [f] Jesus autem respondit eis, Pater meus
usq; adhuc operatur,& ego operor.
18 [g] Propteteà ergo magis studebant eum Ju-
dæi trucidare, quia non solùm solvisset Sabba-
thum, sed & Deum [g] dixisset patrem suum, æ-
qualem se faciens Deo.
19 Respondit ergo Jesus, & dixit eis, Amen a-
men dico vobis, non potest Filius [h] à semetipso
operari, *id est* [i] nisi viderit Patrem operantem:
quæcumque enim ille facit, hæc etiam Filius
[k] pariter facit.
20 Pater enim amat Filium, & omnia mon-
strat ei quæ ipse facit: & opera istis majora mon-
strabit ei,ut vos miremini.
21 [l] Sicut enim Pater suscitat mortuos & vi-
vificat, ita & filius quos vult vivificat.
22 [m] Nec enim Pater [n] judicat quemquam,
sed omne judicium dedit Filio:
23 Ut omnes honorent Filium prout hono-
rant Patrem:qui non honorat Filium, non ho-
norat Patrem ut qui miserit eum.
24 [o] Amen amen dico vobis, qui sermonem
meum audit,& credit ei qui misit me, habet vi-
tam æternam, & in condemnationem non veni-
et: [p] sed transivit à morte in vitam.
25 [q] Amen amen dico vobis, adventat tem-
pus,& nunc est,quum mortui audient vocem fi-
lii Dei: & qui audierint,vivent.
26 Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic
dedit & Filio habere vitam in seipso.
27 Et [r] auctoritatem ei dedit etiam judicium
exercendi,[s] quatenus Filius hominis est.
28 [t] Ne hoc miramini : nam veniet hora qua
omnes qui in monumentis sunt, audient vocem
ejus:
29 [u] [g] Et [x] prodibunt, qui bona fecerint, in
[y] resurrectionem vitæ: qui verò mala egerint, in
resurrectionem condemnationis.
30 [z] [a] Non possum ego à me ipso facere quic-
quam: [b] prout audio judico: & judicium meum
justum est : quia non quæro voluntatem meam,
sed voluntatem ejus qui misit me, *id est*, Patris.
31 [g] Si ego testor de meipso, testimonium me-
um non est [c] idoneum.
32 [g] Alius est qui testatur de me,& scio firmum
esse testimonium quod testatur de me.
33 [d] [g] Vos misistis ad Johannem,& *is* testimo-
nium dedit veritati.
34 Ego autem ab homine testimonium non
capto : sed hæc dico ut vos servemini.

[f] B. Divinum opus nunquam fuit sabbathi violatio. Christi autem opera, Patris sunt opera, tum quòd sint unus Deus, tum etiam quia non nisi in Filio operatur Pater. [g] *Infr.* 7. 19. [g] Id est, sibi proprium ac peculiarem: quod ex eo colligunt, quia operandi verbum quod Deo proprium est, sibi vendicat, atque ideò parem se facit Deo. [h] Sine Patris non modò auctoritate, sed etiam vi ac potentia effectrice. [i] Hæc referenda sunt ad personam Christi, quæ duabus naturis constat, non autem simpliciter ad divinam naturam. dicit ergo à patre impelli & regi in omnibus rebus; nihilominus quasi dicit sese pariter operari cum Patre, divinam naturam asserit. [k] Simili ratione, unà & conjunctim. Non enim res à Patre factas, aliis rebus à se factis exprimit Filius, sed quia in agendo par & conjuncta sit Patris ac filii dignitas & virtus. [l] B. Pater nemine facit æternæ vitæ participem nisi in Christo, in quo etiam uno ritè colitur. [m] Hæc negatio non simpliciter negat Deum gubernare mundū, sed ex Judæorum hypothesi, qui Filium à Patre separabant, quum potiùs non sit intelligendus Pater gubernare mundum aliter quàm in persona Filii in carne manifestati. sic infrà 30. dicit se non venisse, ut faceret voluntatem suam: doctrinam suam, suam non esse infrà 7. 19. Cæcum & ejus parentes non peccasse. [n] Judicare per Synecdochen pro omni administratione. [o] B. Non colitur Pater nisi sermone Filii per fidem apprehenso, quæ una via est ad vitam æternam ducens. [p] Antithesis sententiam auget. utitur autem, Hebræorum more, præterito, ut in re certissima. [q] B. Omnes sumus in peccato mortui, nec alia ratione vivificari possumus quàm Christi sermone per fidem apprehenso. [r] I. Summum jus gubernandi & administrandi omnia, adeò ut vitæ & necis potestatem habeat. [s] Id est, non tantùm quatenus Deus est, judicabit mundum, sed quatenus est homo, hoc accepit à Patre ut sit judex mundi. [t] B. Omnes tandem ad tribunal Christi sistentur judicādi. [u] B. Ex fructibus judicabitur de fide & incredulitate. [g] *Mat.* 25. 46. [x] Sub. è monumentis. [y] In eam resurrectionem quam perennis vita consequatur, cui opponitur resurrectio condemnationis, id est, damnatoria. [z] B. Christus omnium quæ fecit, Patrem auctorem & approbatorem habet. [a] Vide suprà 22. [b] Ut Deus mihi suggerit intra me habitans. [g] *Inf.* 8. 14. [c] Fidele, id est, dignum cui fides adhibeatur. Vide infrà 8. 14. [g] *Mat.* 3. 17. [d] B. Christus & Johannis voce, & infinitis miraculis, & omnium Prophetarum testimoniis, unicus servator declaratus est. Mundus tamen intereà alioqui pseudoprophetis addictus, & videri volens religiosus, nihil istorum videt. [g] *Suprà* 1. 27.

35 Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluistis [e] ad momentū exsultare ejus luce.

36 At ego testimonium habeo majus *testimonio* Johannis: opera enim quæ dedit mihi Pater ut ea perficerem, ipsa *inquam* opera quæ ego facio, testantur de me quòd Pater [f] miserit me.

37 [h] Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me. Neque vocem ejus unquam audistis, [i] neq; speciem ejus vidistis.

38 Et sermonem ejus non habetis in vobis manentem: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39 Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testantur de me:

40 Sed non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.

41 Gloriam ab hominibus non capto.

42 Sed vos novi [g] charitatem Dei non habere in vobis.

43 Ego veni nomine Patris mei, nec recipitis me: si venerit alius nomine suo, illum recipietis.

44 Quomodo vos potestis credere, quum gloriam alii ab aliis capteris, & [g] gloriam illam, quæ à solo Deo proficiscitur, non quæratis?

45 [h] Ne putate me accusaturum vos apud Patrem: est qui accuset vos, Moses, in quo vos speratis.

46 Si enim crederetis Mosi, crederetis mihi: [i] nam ille de me scripsit.

47 Quòd si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?

[e] Temporis momento.

[f] Quia (ut suprà dixit) non voluntatem meam quæro, sed Patris qui misit me.

[h] *Mat.* 3. 17. & 17. 5.

[i] *Deut.* 4. 12.

[g] Charitatem erga Deum.

[g] *Infrà* 12. 43.

[h] Hæc negatio non removet quod dicitur, sed corrigit: quasi dicat Christus, Judæos nullum habituros acriorem accusatorē Mose.

[i] *Gen.* 3. 15. & 22. 17. & 49. 10. *Deut.* 18. 15.

35 Ille lucerna erat ardens & lucens, & vos voluistis gloriari [12] ad horam in luce ejus.

36 Mihi verò est testimonium quod majus est quàm Juchannan: opera enim quæ dedit mihi Pater meus ut perficiam ea, ipsa *inquam* opera quæ facio testantur de me quòd Pater misit me.

37 Et Pater qui misit me, ipse testatur de me: nec vocem ejus unquam audistis, neque [13] visionem ejus vidistis.

38 Et sermo ejus non manet in vobis: propterea quòd in eum quem ipse misit, vos nō creditis.

39 Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos quòd vita quæ est in æternum, sit vobis: & illę testantur de me.

40 Et non vultis venire ad me ut vita quæ est in æternum sit vobis.

41 Gloriam à filiis hominis non accipio.

42 Sed novi vos quòd charitas Dei non sit in vobis.

43 Ego veni in nomine Patris mei, & non suscipitis me: si alius venerit in nomine suiipsius, illum suscipietis.

44 Quomodo potestis vos credere, qui gloriam unus ab alio accipitis, & gloriam quæ est ab uno Deo non quæritis?

45 [14] An putatis quòd ego accusaturus sim vos coram Patre? est qui accuset vos: Musche ipse, in quo sperastis.

46 [15] Si enim in Musche credidissetis, etiam in me crederetis: Musche enim de me scripsit.

47 Et si scriptis ipsius non creditis, quomodo sermonibus meis credetis?

[12] i. Ad exiguum tempus.

[13] F. i. speciem aspectabilem visibilemq;.

[14] F. vel, ne putetis quòd ego accusaturus sim vos coram Patre, *ἀναφώνητον*. Nā particulam Syram ita accipi antè ostendimus in Lucæ 17. 18.

[15] F. vel, si enim Moschi credidissetis, etiam mihi crederetis: nam ad verbum expressit Tremellius Syram phrasin: nos evidentiùs hoc modo reddi judicamus, ut confirmatur sequente versu.

CAPUT VI.

5 Quinque panibus & duobus pisciculis cibantur 5000. *15 Secedens Christus.* *17 Discipulos navigantes, 19 aquis inambulans assequitur.* *26. 27 De vero, & non perituro 35 pane vitæ disserit.* *41. 52 Murmurant Judæi,* *60 & discipuli plerique,* *66 recedunt ab eo.* *69 Apostoli, Dei filium esse fatentur.*

Post [a] hæc abiit Jesus [b] trans mare Galilææ, *quod est* Tiberiadis.

2 Et sequebatur eum turba multa, quia videbant ejus signa quæ edebat in ægrotis.

3 Subiit verò in montem Jesus, & ibi sedit cum discipulis suis.

4 Propè autē erat Pascha, [g] festum Judæorum.

5 [i] Quum ergo sustulisset oculos Jesus, & conspexisset multam turbam ad se venire, dicit Philippo, Unde ememus panes ut isti vescantur?

6 (Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.)

7 Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non suffecerint eis, ut singuli eorum paululum quiddam accipiant.

8 Dicit ei unus ex discipulis ejus, *nempe* Andreas frater Simonis Petri,

9 Est hìc puerulus quidam qui habet quinq; panes hordeaceos & duos pisciculos: sed hæc quid sunt inter tam multos?

10 Dixit autem Jesus, Facite ut isti discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo viri illi numero quasi quinquies mille.

11 Accepit autem panes illos Jesus, & actis gratiis distribuit discipulis, discipuli verò discumbentibus: similiter etiam ex pisciculis illis quantum volebant.

12 Vt autem expleti sunt, dixit *Jesus* discipulis suis, Cogite quæ superfuerunt fragmenta, nequid pereat.

13 Coëgerūt ergo, & impleverunt duodecim cophi-

[a] B. Esuriūt quidem interdum qui Christum sequuntur, sed suo subsidio nunquā destituuntur.

[b] Non quòd trajecerit Tiberiadis lacum, sed quia propter amplos sinus navigatio erat compendiū itineris, ideò dicitur abiisse trans mare, cùm ex uno anfractu, in alium trajiceret.

[g] *Levit.* 23. 5. *Deut.* 16. 1.

[i] *Matt.* 14. 16. *Mar.* 6. 37. *Luc.* 9. 13.

Post hæc abiit Jeschua [1] in oppositum littus maris Galilææ [2] Tiberiadis.

2 Et [3] iverunt post eum turbæ multæ, eo quòd videbant signa quæ faciebat in infirmis.

3 Et ascendit Jeschua in montem, & ibi sedebat cum discipulis suis.

4 Propè autem erat festum Petscha Judæorum.

5 Et sustulit Jeschua oculos suos, & vidit turbam magnam quæ veniebat ad se, ac dixit Philippo, Unde ememus panem ut comedant isti?

6 (Hoc autem dixit tentans eum: ipse enim sciebat quid facturus esset.)

7 Dixit ei Philippus, Ducentorum [4] denariorum panis non sufficeret eis ut [5] minimum quid unusquisque ex eis acciperet.

8 Dixit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Schemeun Cipha.

9 Est hìc puer quidam [6] super quem sunt quinq; placentæ hordei & duo pisces: sed hæc quid sunt his omnibus?

10 Dixit eis Jeschua, Facite ut homines omnes discumbant. Herba autem multa erat in loco illo: & discubuerunt homines in numero quinque millia.

11 Et tulit Jeschua panem, & benedixit, & divisit illis qui discumbebant: & similiter etiam de piscibus quantum voluerunt.

12 Et quum satiati essent, dixit discipulis suis, Colligite fragmenta quæ superfuerunt, ne pereat aliquid.

13 Et collegerunt, & impleverunt duodecim cophi-

[1] Ad verb. In transitum, Hebr.

[2] F. vel quod mare est Tiberiadis.

[3] Id est, sequebantur. Hebr.

[4] De denario, vide Matt. 18.

[5] Ad verb. Parum parum, Unus unus: sed geminatio diminutionem adauget ex usu Hebrææ linguę. Itali, Un pochettino.

[6] F. i. cui, vel penes quem.

[16] v. al. Pater meus.

cophinos fragmentorum quæ superfuerunt iis
qui comederant ex quinque panibus hordei.
14 Illi verò homines qui viderunt signum
quod fecit Jeschua, dicebant, Verè hic est Propheta, qui venit in mundum.
15 Jeschua autem cognovit quòd venturi rapturi essent eum, & facturi ipsum regem, & recessit in montem ipsum solus.
16 Et quum esset serum, descenderunt discipuli ejus ad mare.
17 Et sederunt in navigio, & veniebant [8] ad
oppositum littus in Cephar-Nachum. Et tenebræ
erant, neque venerat ad eos Jeschua.
18 Mare autem intumescebat adversus eos,
quia ventus magnus flabat.
19 Et duxerunt navem quasi stadia vigintiquinque aut triginta: Et viderunt Jeschua ambulantem super mare ipsum, & quum appropinquasset
ad navigium eorum, timuerunt.
20 Ipse verò Jeschua dixit eis, Ego sum, ne timeatis.
21 Et cupidi erant ut exciperent eum in navigium, & in ea hora ipsum navigium adfuit ad regionem ad quam proficiscebantur.
22 [9] Et postridie ejus diei, turba quæ stabat
[10] in opposito littore maris, viderunt quòd navigium aliud non esset ibi nisi illud in quod ascenderant discipuli, & quòd non ingressus esset Jeschua [11] cum discipulis suis in navigium:
23 Venerant verò navigia alia à Tiberiade
prope locum illum in quo comederant panem,
quum benedixisset Jeschua:
24 Et quum vidisset ipsa turba quòd non esset
ibi Jeschua, nec etiam discipuli ejus, ascenderunt
in hæc navigia, & venerunt in Cephar-Nachum,
& quærebant ipsum Jeschua.
25 Quumq; invenissent eum [12] in opposito
littore maris, dicunt ei, Domine noster, quando
venisti huc?
26 Respondit Jeschua, & dixit eis, Ammin
ammin dico vobis, quòd quæritis me, non fit
propterea quòd vidistis signa, sed quia comedistis
panem, & saturati estis.
27 [13] Ne operemini cibum qui perit, sed cibum qui permanet in vitam quæ est in æternum,
quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater [14] obsignavit Deus.
28 Dicunt ei, Quid faciemus, ut operemur opera Dei?
29 Respondit Jeschua, & dixit eis, hoc est opus
Dei, ut credatis in eum quem ipse misit.
30 Dicunt ei, Quod signum facis tu ut videamus & credamus in te? Quid operaris tu?
31 Patres nostri comederunt manna in deserto, sicut scriptum est, Panem de cælo dedit eis comedendum.
32 Dixit eis Jeschua, Ammin ammin dico vobis quòd nequaquam Musche dedit vobis panem
de cælo, sed Pater meus dat vobis [15] verum panem de cælo.
33 Panis enim Dei est is qui descendit de cælo, & dat vitam mundo.
34 Dicunt ei, Domine noster, omni tempore
da nobis panem hunc.
35 Dixit eis Jeschua, Ego sum panis vitæ: is qui
venit ad me, non esuriet: & is qui credit in me,
non sitiet in æternum.
36 Sed dixi vobis quòd vidistis me, & non
creditis.

[7] v. i. venturus fuit, ut Mat. 2. 4. vide in Mat. 17. 21.

[8] Ad verbum [illegible], Hebraism.

[9] Ad verb. In die quæ erat post illum, Syra phrasis.
[10] Ad verb. In transitu, Hebraism.
[11] v. exegetica sunt verba ad tollendam ambiguitatem dicti, cum eis, id est, cum discipulis inquam.

[12] Ad verb. In transitu, Hebraism.

[13] i. ne laboretis de cibo qui perit.

[14] Id est, Approbatum reddidit. Metaphora sumpta ab iis qui quos mittunt, eorum auctoritatem obsignato diplomate sanciunt, & omnibus ratam faciunt.

[15] v. Syrè, panem veritatis.

cophinos fragmentis ex quinque illis panibus hordeaceis, quæ superfuerant iis qui comederant.
14 [c] Illi ergo quum vidissent signum quod Jesus ediderat, dicebant, Hic est verè Propheta ille
qui venturus erat in mundum.
15 Jesus ergo quum nosset venturos, & se abrepturos ut se facerent regem, secessit rursus in
montem solus ipse.
16 [d] Ut autem serum diei factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.
17 Et ingressi navigium, ibant trans mare
[e] Capernaumum versus: jam autem erant tenebræ, nec venerat ad eos Jesus.
18 Et mare, vento magno flante, insurgebat.
19 Provecti verò quasi stadia vigintiquinque
aut triginta, conspiciunt Jesum ambulantem super mare, & appropinquantem navi: & timuerunt.
20 Ille verò dixit eis, Ego sum, ne timete.
21 [f] Cupidè ergo receperunt eum in navigium: & statim navigium pervenit ad regionem in
quam ibant.
22 Postero die turba quæ substiterat cis mare,
quum vidisset illic non fuisse aliud navigium nisi
unum illud in quod ingressi fuerant discipuli ejus, & Jesum non introisse cum discipulis suis in
navigium, sed solos ejus discipulos abiisse:
23 (Alia verò navigiola Tiberiade venerunt
prope locum illum ubi comederant panem, posteaquam gratias egisset Dominus.)
24 Quum igitur vidisset turba Jesum
illic non esse, neq; discipulos ejus, ingressi sunt &
ipsi in navigia, & venerunt Capernaumum, quærentes Jesum.
25 Et eo invento trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc pervenisti?
26 [g] Respondit eis Jesus, & dixit, Amen amen
dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa,
sed quia comedistis panes illos & saturati estis.
27 [h] Operemini non cibo qui perit, sed cibo
illi qui permanet in vitam æternam, quem Filius
hominis dabit vobis: [i] hunc enim Pater [i] obsignavit, id est Deus.
28 [k] Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus
ut operemur [l] operibus Dei?
29 Respondit Jesus & dixit eis, [l] Hoc illud est
[m] opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit.
30 [n] Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu signum
edis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris?
31 [o] Patres nostri comederunt illud manna in
deserto illo; sicut scriptum est, [p] Panem cælestem
dedit eis vescendum.
32 [q] Dixit ergo eis Jesus, Amen amen dico
vobis, nequaquam Moses dedit vobis panem illum [r] cælestem: sed Pater meus dat vobis panem illum cælestem verum.
33 Panis enim ille Dei is est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.
34 Dixerunt ergo ei, Domine, da nobis semper panem istum.
35 Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis ille
[s] vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriet: [t] &
qui credit in me, non sitiet unquam.
36 Sed dixi vobis, vos etiam vidisse me, &
non credere.

[c] v. Cuius præposterio non modo non delectantur, sed etiam simulo operè offenditur Christus.
[d] v. Periclitantur quidem, sed Christus in tempore per medias tempestates ad nos accedente, in portum perducimur.
[e] Mat. 14. 25. Mar. 6. 47.
[e] Mar. 6. 45. jubentur præire Bethsaida proficiscentibus enim Capernaumum occurrebat in via Bethsaida, & fortassis Christus dixerat se illuc ad eos venturum.
[f] Quum antea fugissent perterriti, agnita ejus voce, & mutatis animis, eum quem fugiebant cupidè accipiunt in navim.
[g] v. Nihil quidem doctâ regnum Dei quærentibus non est tamen Evangelii ventris, sed animi pabulum.
[h] Operam vestram & studium vestrum impendite.
[i] Sup. 1. 32. Mat. 3. 17. & 17. 5.
[i] i. quem indita virtute sua quasi impresso sigillo, tum à cæteris hominibus distinxit, ut in eo tanquam antitypo Deus Pater appareat, tum etiam (quod Christo proprium est) huic muneri inauguravit, Deo videlicet homines reconciliandi in vitam æternam.
[k] v. Frustra satagunt homines, qui student placere Deo absque fide.
[l] Heb. pro operibus divinis id est, quæ Deus exigit à nobis, sive quæ Deo sunt grata. Nam quia operandi mentio facta erat & vitæ æternæ, ideò illi (ut solent homines) statim cogitant vitam æternam ab implenda Legis conditione pendere. & ideo eos ad fidem revocat Christus.
[l] 1. Joh. 3. 23.

[m] v. hoc demum opus est quod Deus flagitat, ut ipsi credatur. [n] v. Christi [illegible] spiritualia fortes terrenorum [illegible]. [p] Exo. 16. 14. Num. 11. 7. Psal. 78. 24. Sap. 16. 20. [q] v. Christus verus & [illegible] vitæ author ac dator [illegible] symbolo patribus significatus. [r] Negat manna fuisse verum panem cælestem, [illegible] dicit verè panem, quia in vitam veram & æternam pascat. Quod
autem Paulus 1. Cor. 10. vocat Manna cibum spiritualem, non adversatur huic loco: ille enim rem significatam cum signo conjungit. In tota autem hac disputatione agit cum Judæis Christus ex eorum hypothesi, illi autem nullam aliam habebant Manna rationem, nisi quòd ventrem saginaret. [r] Manna non propriè descendit è cælo, sed ex nubibus: Christus autem verè descendit è cælo, nempe è sinu Patris. [s] Heb. i. vivificus seu vitalis. [t] Inf. 4. 14.

r. a. Ex gratuita Patris in Christo electione manat fidei donum, quam necessariò consequitur vita æterna. Est itaque fides in Christum, certum electionis ac proinde futuræ nostræ glorificationis testimonium.

f Sciendum est has negantes orationes non simpliciter aliquid negare, sed secundùm quid, id est, ex eorum hypothesi ad quos dirigitur oratio. Sic suprà cap. 5. 22. negat Christus à patre administrari hunc mundum, ita videlicet ut Judæi arbitrabantur, qui patrem à filio separabant, quum Pater non nisi in persona filii manifestati in carnem mundum regat. Sic intelligendæ sunt cæteræ ejusmodi orationes, ut & suprà 5. ver. 30. & 7. 16.

e Videre & credere conjunguntur, alia enim species visionis est universalis qua & diaboli vident: hic autem agit de speciali quæ electorum est.

u. z. Caro nō potest spiritualia percipere, ac proinde initium salutis est à Deo, naturam nostram immutante, ut ab ipso afflati, in Christo erudiri & servari sustineamus.

t Matt. 13. 55.

x In libro Prophetarum. In tria enim capita dividebant veteris Testamentum, Legem, Prophetas, Hagiographa. Hic igitur citatur secunda sectio illa veteris testamenti, cujus pars est Esaias.

u Esa. 54. 13. Iere. 31. 33.

y Filii videlicet Ecclesiæ, ut explicatur apud Esai. 54. 13. id est, ordinati ad vitam, Act. 13. 48.

37 [m] Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, nequaquam ejecerim foras:

38 Quia descendi è cælo ut exsequar [n] non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

39 Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, *id est*, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.

40 Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui [o] conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & suscitem ipsum ego ultimo illo die.

41 [u] Murmurabant ergo Judæi de eo, quia dixerat, Ego sum panis ille qui è cælo descendit.

42 Et dicebant, [t] Nonne hic est Jesus, filius ille Josephi, cujus nos novimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit iste, E cælo descendi?

43 Respondit ergo Jesus & dixit eis, Ne murmurate inter vos.

44 Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego suscitem ipsum ultimo illo die.

45 Scriptum est in [x] Prophetis, [u] Et erunt omnes [y] docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me.

46 Non quòd Patrem viderit quisquam, [f] nisi is qui est à Deo: hic vidit Patrem.

47 Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.

48 [z] Ego sum panis ille vitæ.

49 Patres vestri comederunt [a] manna in deserto, & mortui sunt.

50 [a] Hic est panis ille qui è cælo descendit, ut qui eo vescitur, non moriatur.

51 [b] Ego sum panis ille [c] vivificus qui è cælo descendit. Siquis [d] ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.

52 [e] Pugnabant ergo Judæi alii adversus alios, dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem *suam* dare ad vescendum?

53 Dixit ergo eis Jesus, Amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, [f] non habebitis vitam in vobis.

54 [e] Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego suscitabo ipsum in ultimo illo die.

55 Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

56 Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

57 Sicut misit me vivens [g] ille Pater, & ego vivo [h] per Patrem: *ita* etiam qui ederit me, vivet ipse quoque per me.

58 Hic est panis ille qui de cælo descendit: non prout comederunt Patres vestri manna, & mortui sunt. qui ederit hunc panem, vivet in æternum.

59 Hæc dixit in synagoga, quum doceret in *urbe* Capernaumo.

37 Quicquid dat mihi [16] Pater, ad me veniet: & eum qui ad me veniet, non ejiciam foras,

38 Quia descendi de cælo nequaquam ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

39 Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, [17] ut quicquid dedit mihi, non perdam ex eo, sed suscitem illud in die ultima.

40 Hæc enim est voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, sit ei vita quæ est in æternum: & ego suscitabo eum in die ultima.

41 Judæi autem murmurabant de eo quòd dixisset, Ego sum panis qui descendi de cælo.

42 Et dicebant, Nonne hic est Jeschua filius Jauseph, is cujus nos novimus patrem & matrem? & quomodo dicit hic, De cælo descendi?

43 Respondit Jeschua & dixit eis, Ne murmuretis unus cum altero.

44 Nemo potest venire ad me nisi traxerit eum Pater qui misit me: & ego suscitabo eum in die ultimo.

45 Scriptum est enim in Prophetis, Erunt omnes [18] edocti divinitùs. Quisquis igitur audivit à Patre & didicit ab eo, venit ad me.

46 Nequaquam quòd videat quis Patrem [19] nisi is qui à Deo est, is videt Patrem.

47 Ammin ammin dico vobis, quòd ei qui credit in me, est ei vita quæ est in æternum.

48 Ego sum panis vitæ.

49 Patres vestri comederunt Mannah in deserto, & mortui sunt.

50 Hic est autem panis qui descendit de cælo, ut comedat homo ex eo, & non moriatur.

51 Ego sum panis vivus qui de cælo descendi: & si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, corpus meum est quod pro vita mundi do.

52 Contendebant autem Judæi [20] unus cum alio, & dicebant, Quomodo potest hic corpus suum nobis dare ad manducandum?

53 Et dixit eis Jeschua, Amen amen dico vobis, Quòd si non comederitis corpus Filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non est vobis vita in [21] vobisipsis.

54 Qui verò comedit ex corpore meo & bibit ex sanguine meo, est ei vita quæ est in æternum; & ego suscitabo eum in die ultimo.

55 Corpus enim meum verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

56 Qui comedit corpus meum & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in ipso.

57 Sicut misit me Pater vivens, & ego vivo propter patrem: & qui comederit me, etiam ipse vivet [22] in æternum.

58 Hic est panis qui descendit de cælo: nequaquam sicut illud quod comederunt patres vestri Mannah, & mortui sunt: qui comedit ex hoc pane, vivet in æternum.

59 Hæc dixit in synogoga, docens in Cephar-Nachum.

[16] v. al. Pater meus.

[17] Initium v. 39 Syrus textus non habebat, videlicet, Hæc est autē voluntas ejus qui misit me. Quod ex manuscripto antiquissimo codice, quem illustrissimus princeps Elector Palatin. exhibuit (ut alia multa) restituimus.

[18] Ad ver. Docti Dei, ut in Isaia, לִמּוּדֵי יְהוָה.

[19] v. vel sed is qui à Deo est, is videt Patrem, & ita Syrus, ut suprà 1. 18.

[20] Ad ver. Unus cum uno,

[21] Ad ver. In substantia vestra.

[22] Ita est in Syro textu, quum in Græco sit εἰς αἰῶ. Sed fortè hic quoque erratū est à scriptore Syro, quod finem seq. v. pro fine hujus versiculi accepit. Nihil tamen mutare volui: quia in manuscripto codice ita etiam legitur. Sed hoc restit. in exemplari nostro, ut in Fabriciano, est repositum.

Est itaque cognitio veritatis cælestis, donum & opus divinum non virium humanarum. t Mat. 11, 27. z 2. Verus sacramentorum usus est, ab iis ad rem ipsam id est ad Christum assurgere: cujus unius participatione æternam vitam consequimur. a Exo. 16, 15. a Quum hæc diceret, seipsum commonstrabat, b 2. Christus à Deo Patre hoc ipsum nobis est ad vitam æternam consequendam ac retinendam, quod panis & caro atque adeò cibus & potus ad caducæ hujus vitæ usum. c Qui vitam dat mundo, suprà 34. d id est, si quis reverà fuerit Christi (qui cibus est noster) particeps. e 8. Caro inter carnalem manducationem, cujus instrumentum sunt dentes, & spiritualem eam qui in fide consistit, distinguere non potest, ac proinde damnat quod non intelligit. Sed nihilominus inculcanda est veritas. f Præsenti Christo præsens est vita: ubi abest Christus, mors præsens est. e 1. Cor. 11. 27. g Quatenus Christus homo est, vim illam vivificam quam suis impertit habet à Patre: adjicit autem articulum, ut è reliquorum patrum numero eximatur ille Pater. h Christus significat, quamvis homo esset, se tamen vivificam carnem habere, non ex ipsa carnis natura per se considerata, sed quia caro illa per Patrem vivebat, id est, vim illam vivificam à Patre hauriebat.

60 Et multi qui audiverunt ex discipulis ejus, dicebant, Durus est sermo hic: quis potest audire eum?

61 Jeschua autem cognovit in seipso quòd murmurarent de hoc discipuli ejus, & dixit eis, Hoc offendit vos?

62 *Quid* si spectaveritis igitur Filium hominis ascendentem in locum ubi erat ab initio?

63 Spiritus est qui vivificat: corpus non prodest quicquam: Sermones quos ego loquutus sum vobiscum, spiritus sunt, & vita sunt:

64 Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. noverat enim Jeschua ab initio qui essent ii qui non credebant, & quis esset qui proderet eum.

65 Et dicebat eis, Propter hoc dixi vobis quòd nemo potest venire ad me, nisi datum sit ei à Patre meo.

66 Propter hunc sermonem multi ex discipulis ejus [23] retrocesserunt, neque ambulabant cum eo.

67 Et dixit Jeschua duodecim suis, Nunquid etiam vos vultis abire?

68 Respondit Schemeun Cipha, & dixit, Domine mi, ad quem ibimus? Sermones vitæ quæ est in æternum, sunt tibi.

69 Et nos credimus & novimus quòd tu es Christus filius Dei viventis.

70 Dixit eis Jeschua, Nónne ego elegi vos duodecim, & ex vobis unus Satanah est?

71 Dicebat de Jihuda filio Schemeun Secharjuta: [24] ipse enim prodit'rus erat eum, unus ex duodecim.

23 Ad verbum, Abierunt ad post &c. Id est, Terga Christo obverterunt, & defecerunt ab eo.

24 r. Syre, iste erat futurum ut proderet eum.

60 [i] Multi ergo ex discipulis ejus *his* auditis dixerunt; durus est hic sermo: quis potest eum audire?

61 Sciens autem Jesus apud se discipulos suos de hoc murmurare, dixit eis, Hoccine vos offendit?

62 *Quid* si igitur spectaveritis Filium hominis ascendentem eò [j] ubi erat prius?

63 [k] [l] Spiritus est id quod vivificat, caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, spiritus sunt & vita sunt.

64 Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. sciebat enim à principio Jesus quinam essent qui non credebant, & quis eum proditurus esset.

65 Et dicebat, Propterea dixi vobis neminem posse venire ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo.

66 [m] Ex eo *tempore* multi discipulorum ejus pedem retulerunt: nec amplius cum eo versabantur.

67 Dixit ergo Jesus duodecim illis, Num & vos vultis abire?

68 Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem abibimus? verba [n] vitæ æternæ habes:

69 Et nos credidimus, & scimus te esse Christum illum Filium Dei viventis.

70 [o] Respondit eis Jesus, [p] Nónne ego vos duodecim elegi? & *tamen* unus ex vobis est diabolus.

71 Loquebatur autem de Juda Simonis *filio* Iscariota: futurum enim erat ut hic proderet eum, quum esset unus ex illis duodecim.

i B. Christi cum membris suis unionem assequi nō potest humana ratio: adoret igitur quod est ipsa excellentius.

j Supr. 3. 13.

k B. Ideo vivifica est nobis caro Christi, quia idem qui homo est Deus est: quod mysterium sola fide (quæ Dei donum est Electis peculiare) comprehenditur.

l Spiritus, id est, vis illa manans à divinitate, facit ut caro Christi, quæ alioqui nihil aliud esset quàm caro, & in se vivat, & nobis sit vivifica.

m B. Ea est hominum malitia, ut ex ipsa salutis doctrina (nisi si qui singulari Dei beneficio credant) occasionem exitii sui arripiant.

n Genitivus loco epitheti ponitur, quod Hebræis frequens est. insigne porrò Evangelii encomium quòd nobis vitam æternam ministrat, sicuti Paul. testatur esse Dei potentiam omni credenti, Rom. 1, 16. o B. Parvus est numerus Christum profitentium, & in iis rursus aliqui sunt hypocritæ, atque adeò omnium hominum deterrimi. p Matth. 26. 16.

CAPUT VII.

2 *Christus affines ad festum Tabernaculorum profectos,* 10 *clam sequitur:* 14 *docet in templo.* 21 *Varia de illo sunt vulgi judicia.* 32 *Sacerdotes jubent eum comprehendi.* 41 *Dissidium in turba propter eum,* 47 *& inter Pharisæos & satellites ad capiendum eum missos,* 50 *& Nicodemum.*

Post hæc ambulabat Jeschua in Galilæa. Non enim volebat ambulare in Judæa, quia Judæi quærebant interficere eum.

2 Et propè erat festum tabernaculorum Judæorum.

3 Et dixerunt fratres Jeschua ei, Transi hinc, & vade in Judæam, ut videant discipuli tui opera quæ facis.

4 [x] Nemo enim est qui facit aliquid in occulto, & ipse cupit ut in manifesto sit: si hæc facis, ostende teipsum mundo.

5 Nam ne fratres quidem ejus credebant in ipsum Jeschua.

6 Dixit eis Jeschua, Tempus meum usque nunc non advenit: tempus autem vestrum omni tempore paratum est.

7 Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quià ego testor de eo quòd opera ejus mala sunt.

8 Vos ascendite ad festum hoc: ego non ascendam nunc ad festum hoc, quia tempus meum nondum impletum.

9 Hæc dixit, & remansit in Galilæa.

10 Quum autem ascendissent fratres ejus ad festum, tunc etiam ipse ascendit non in manifesto, sed velut in occulto.

11 Judæi autem quærebant eum in festo, & dicebant, Ubi est ille?

x r. vel Nullus. Sensus est, qui in occulto quid facit, nullus est, id est, vir homo dicitur est, homo est nihili, non est [illegible] homo.

Versabatur [a] autem Jesus post hæc in Galilæa: nolebat enim in Judæa versari, quia studebant eum Judæi trucidare.

2 Propè autem erat festum Judæorum [a] [b] Scenopegia.

3 Dixerunt igitur ad eum fratres ejus, Digredere hinc, & vade in Judæam, ut tui quoque discipuli spectent opera tua quæ facis.

4 Nemo enim in occulto facit aliquid, & quærit ipse celebris esse: si hæc facis, patefacito teipsum mundo.

5 Nam ne [c] fratres quidem ejus credebant in eum.

6 [d] Dicit ergo eis Jesus, Tempus meum nondum adest: tempus autem vestrum semper est paratum.

7 Nō potest mundus vos odisse: me autem odit, quoniā ego testor de eo, opera ejus mala esse.

8 Vos ascendite ad hos dies festos: ego nondum ascendo ad festum, [f] quia tempus meum nondum expletum est.

9 Hæc autem quum eis dixisset, mansit in Galilæa.

10 [g] Ut ascenderunt autem fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad festum, non manifestè, sed velut in occulto.

11 Judæi ergo quærebant eum in festo, & dicebant, Ubi est ille?

• B. Dei gratia non est hæreditaria, sed adventitium donum. Hinc fit ut sæpè filiis Dei plus molestiæ exhibeant propinqui quàm extranei.

a Levit. 23. 34.

b Festus dies à figendis tabernaculis dictus, quia septem totos dies sub tabernaculis agerent: ex Domini mandato Levit. cap. 23. Itaque mirabilis est eorum inscitia qui Scenopegia legunt & interpretantur.

c Cognati, Hebr.

d B. Stultis suorum vocis minimè obsequendum.

f Infr. 8. 20.

g B. Exemplum horrendæ confusionis in ipso Ecclesiæ sinu. Pastores inept & terrore oppressum populum [illegible]: populus non apparet cum Christum quærit, [illegible] pauci tantum clanculum rectè sentiunt.

12 Et mussitatio multa erat in turba de eo. alii quidem dicebant, Vir bonus est; alii verò dicebant, Non: sed turbam seducit.

13 [f] Nullus tamen palàm loquebatur de eo, propter metum Judæorum.

14 [g] Festo autem illo [h] jam medio, ascendit Jesus in templum, & docebat.

15 Et mirabantur Judæi, dicentes, Quomodo iste literas novit, quum eas non didicerit?

16 [i] Respondit eis Jesus, & dixit, [k] Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.

17 Si quis voluerit quod ille vult facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.

18 [l] Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in eo non est.

19 [m] [n] Nónne Moses dedit vobis Legem, & *tamen* nemo ex vobis præstat Legem? [o] quid me studetis trucidare?

20 Respondit turba & dixit, [n] Dæmonium habes: quis te studet trucidare?

21 [p] Respondit Jesus & dixit eis, Unum opus feci, & omnes miramini.

22 Attamen [q] Moses dedit vobis circumcisionem (non quòd ex Mose sit, [r] sed *quia* ex Patribus) & Sabbatho circumciditis hominem.

23 Si circumcisionem accipit homo Sabbatho, ut non solvatur [p] Lex Mosis, mihi indignamini quòd totum hominem sanum fecerim Sabbatho?

24 [q] [s] Ne judicate [t] secundum speciem, sed justum illud judicium ferte.

25 [t] Dicebat ergo quidam ex Hierosolymitanis, Nónne hic est quem student trucidare?

26 At ecce, palàm loquitur, & nihil ei dicunt: númnam verè cognoverunt primores hunc verè esse Christum illum?

27 [t] Sed novimus unde hic sit: quum autem venerit ille Christus, [u] nemo cogniturus est unde sit.

28 [x] Clamabat ergo Jesus in templo, docens & dicens, Et me nostis, & unde sim nostis: & à me ipso non veni, sed est verax qui misit me, quem vos non nostis.

29 Ego verò novi eum, quia ab ipso sum, & ille me misit.

30 [y] Studebant ergo eum prehendere: sed nemo injecit in eum manum, quia nondum venerat hora illa ipsius.

31 Multi verò ex turba crediderunt in eum, & dicebant, Christus quum venerit, num signa plura edet iis quæ iste edidit?

32 [z] Audierunt Pharisæi turbam ista murmurantem de eo, & miserunt Pharisæi ac primarii Sacerdotes ministros ut eum prehenderent.

33 Dixit ergo eis Jesus, Adhuc paulisper ero vobiscum, deinde abibo ad eum qui me misit.

34 [a] Quæretis me, nec invenietis: & ubi ego

12 Et murmur multum propter eum erat in turba: Erant enim qui dicerent quòd bonus esset: & alii dicebant, Non: sed decipit populum.

13 Nemo tamen manifestè loquebatur de eo, propter metum Judæorum.

14 Quum autem [2] medii essent dies festi, ascendit Jeschua in templum: & docebat.

15 Et mirabantur Judæi, ac dicebant, Quomodo novit hic [3] librum, quum non didicerit?

16 Respondit Jeschua, & dixit, Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me.

17 Qui vult facere voluntatem ejus, intelligit doctrinam meam, num ex Deo sit, an ego ex voluntate mea ipsius loquar.

18 Is qui ex voluntate mentis suæ loquitur, gloriam sibiipsi quærit: is autem qui gloriam ejus qui misit ipsum quærit, verax est, & iniquitas in corde ejus non est.

19 Nónne Musche dedit vobis Legem, & nemo ex vobis servat Legem? Quid quæritis interficere me?

20 Respondit turba, & dixerunt, Dæmonium est tibi: quis quærit interficere te?

21 Respondit Jeschua & dixit eis, Unum opus operatus sum, & omnes vos miramini.

22 [4] Propter hoc Musche dedit vobis circumcisionem (non quòd ex ipso Musche sit, sed ex Patribus est) & [5] Sabbatho circumciditis filium hominis.

23 Et si filius hominis circumciditur in die Sabbathi ut non solvatur Lex Musche, contra me murmuratis, qui totum filium hominis sanaverim in die Sabbathi?

24 [6] Ne judicetis cum acceptione vultus: sed judicium justum judicate.

25 Et dicebant quidam ex Urischelem, Nonne hic est ille quem quærunt interficere?

26 Et ecce, manifestè loquitur, & nihil dicunt ei. Nunquid noverunt seniores nostri quòd hic est verè Christus?

27 Sed [7] hunc novimus unde sit: Christum autem, quum venerit, nemo cognoscet unde sit.

28 Et sustulit Jeschua vocem suam, docens in templo, & dixit, Et me nostis, & unde sim nostis: & ex voluntate mea ipsius non veni, sed verax est qui misit me, is quem vos non nostis.

29 Ego verò novi eum, quia ab ipso sum, & ipse misit me.

30 Et quærebant apprehendere eum: sed nemo injecit super eum manus; quia nondum venerat hora ejus.

31 Multi autem è turba crediderunt in eum: & dicebant, Christus, quum venerit, num plura quàm hæc signa quæ facit hic, facturus est?

32 Et audiverunt Pharisæi turbas loquentes de eo hæc, & miserunt ipsi & summi Sacerdotes ministros ut apprehenderent eum.

33 Et dixit Jeschua, Modicum adhuc tempus vobiscum sum, & [8] vado ad eum qui me misit.

34 Et quæretis me, & non invenietis me; &

[f] Vel liberaliter. Judæorum enim principes nihil magis optarunt, quàm sepeliri ejus famam.
[g] B. Christus bonitate certat cum mundi perfidia: plerique intereà ex eo ipso arripiunt offendiculi occasionem, quo oportuerat eos ad Christum amplectendum incitari.
[h] Circiter quartum diem.
[i] B. Ideo pauci sunt quibus Evangelium sapiat, quoniam rarum est pietatis studium.
[k] Vide suprà 5. 22. loquitur autem ex Judæorum hypothesi, q. d. Mea doctrina non est mea, id est, ejus quem vos hominem unum ex multis putatis esse, atque adeò contemnitis: sed ejus à quo missus sum.
[l] B. Vera salutis doctrina à commentitia eo distinguitur, quòd illa gloriam Dei illustrat, ista homines efferendo, Dei gloriam obscurat.
[m] B. Nulli securiùs clamant se Legis Dei assertores esse, quàm qui illam impudentissimè violant.
[n] Exod. 24. 3.
[o] Supr. 5. 18.
[n] Fuit trita inter Judæos loquutio, qui infestari à Diabolo homines dicunt, dum in furorem aguntur, vel dum illis mens & ratio dempta est; turba autem hæc simplici animo objurgat Christum, quia vulgò nondum nota erant sacerdotum consilia.
[o] B. Sabbathum (quod hic nobis pro omnium ceremoniarum regula proponitur) non impediendis, sed potius exercendis Dei operibus destinatum est: inter quæ charitas proximi præcipuum locum obtinet.
[q] Levit. 12. 3.
[r] Genes. 17. 10.
[p] i. Si Lex circumcisio is à Mose data, tanti fit apud vos, ut non dubitetis etiam Sabbatho circumcidere hominem, num meritò apud vos reprehendor, quòd hominem totum sanârim?
[q] B. Judicandum ex rerum veritate, ne in medium prodeuntes personæ nos transversos abripiant.
[s] Deut. 1. 17.
[t] Ex eo quòd nunc me fero. Videor enim nihil aliud esse quàm Galilæus vilis, & contemti fabri filius, sed spectate attentiùs rem ipsam, & ex fructibus arborem æstimate.
[t] B. Multi mirantur irritos fieri hostium Dei conatus, nec tamen intereà divinam virtutem agnoscunt.
[t] B. Homines ad struenda sibi obstacula ingeniosi.
[u] Hauserant hunc errorem Judæi ex Prophetarum testimoniis perperam intellectis.
[x] B. Christi veritas minimè pendet ex hominum judiciis.
[y] B. Non licet mali quod libet, sed id demùm quod Deus decrevit.
[z] B. Prout crescit regnū Dei, crescit ejus hostium rabies, donec tandem absentia bona frustrà requirant, quæ præsentia neglexerint.
[a] Inf. 13. 33.

[2] i. Quum dies illius festi dimidia ex parte præteriissent.
[3] F. i. literas quæ continentur libris.
[4] F. Particula hæc, propterea, transitum facit à statu controversiæ ad defensionem Christi, cujus argumentum his duobus versibus continetur. Statuebant Judæi impietatis esse, quòd homo in sabbatho sanaretur. Propterea, inquit Christus, ut meam innocentiam videatis, en vobis defensionem meam: Si eo Lex Mosis non solvitur quòd homo circumciditur die sabbathi, nec ea solvitur quum totus homo sanatur die sabbathi, vers. 23. Non solvitur autem Lex illo facto, nam etiam illud præcepit Moses, hoc versu. Ergo ne hoc quidem solvitur illa; sed potiùs contra Legem venire dicendus essem, nisi facerem.
[5] A circumcisione quæ die festo peragebatur, docet non quodvis opus in sabbatho esse prohibitum, sed tantùm quod cum festo quiete aperté pugnaret.
[6] Quasi diceret, Factum per se expendite & judicate, nullo habito personæ respectu.
[7] F. vel hic novimus unde sit: Christus autem, &c. Sed illud quoque Latinum est.
[8] F. i. abiturus sum, Vide in Matth. 17. 11. sic seq. versu.

ubi ego sum, non potestis vos venire.

35 Dicunt Judæi inter sese, Quò abiturus est hic ut non inveniamus eum? Num ad loca Gentium abiturus est ut doceat [9] profanos?

36 Quis est hic sermo quem dixit, Quæretis me, & non invenietis me: & ubi ego sum, vos non potestis venire?

37 [10] Die autem magno, qui erat ultimus festi, stabat Jeschua & clamabat: & dicebat, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

38 Omnis qui credit in me, sicut dixerunt scripturæ, flumina [11] aquarum descendent ex ventre ejus.

39 (Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in ipsum: nondum enim [12] datus erat Spiritus, quia nondum glorificatus erat Jeschua.)

40 Multi autem ex turbis qui audierunt sermones ejus, dicebant, Hic verè est Propheta.

41 Alii dicebant, Hic est Christus: alii dicebant, Nunquid ex Galilæa venturus est Christus?

42 Nónne Scriptura dicit quòd ex semine David & ex Beth-lechem oppido ipsius David, venturus est Christus?

43 Et factum est dissidium propter eum in turbis.

44 Et erant quidam ex eis qui volebant apprehendere eum: sed nemo injecit super eum manus.

45 Et venerunt ministri illi ad summos Sacerdotes & Pharisæos, & dixerunt eis Sacerdotes, Quare non adduxistis eum?

46 Dicunt eis ministri, Nunquam sic loquutus est [13] filius hominis sicut loquitur hic homo.

47 Dicunt eis Pharisæi, Nunquid etiam vos errastis?

48 Num ulli ex principibus aut ex Pharisæis crediderunt in eum?

49 Sed populus hic qui non novit Legem, maledicti sunt.

50 Dixit eis Nicadimus, unus ex eis, is qui venerat ad Jeschua nocte:

51 Nunquid Lex nostra condemnat filium hominis, nisi audierit ab eo priùs, & cognoverit quid fecerit?

52 Responderunt & dixerunt ei, Nunquid etiam tu ex Galilæa es? Scrutare, & vide quòd Propheta ex Galilæa non surrecturus sit.

ero, eò vos non poteritis venire.

35 Dixerunt ergo Judæi inter sese, Quò jam est iste profecturus, ut nos non inveniamus eum? num [a] ad eos qui dispersi sunt inter Græcos profecturus est, & Græcos docturus?

36 Quis est hic sermo quem dixit, Quæretis me, & non invenietis me: & ubi ego ero, vos non poteritis venire?

37 [b] [c] [I]Ultimo autem die illo magno festi stetit Jesus, & clamavit, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

38 [I]Qui credit in me, sicut [d] dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent.

39 (Hoc autem dixit de [I] Spiritu illo quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat [e] Spiritus sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus)

40 [f]Multi ergo è turba quum audissent hunc sermonem, dicebāt, [I]Verè hic est Propheta [g] ille.

41 Alii dicebant, Hic est Christus ille. Quidam autem dicebant, [h] Num enim è Galilæa veniet ille Christus?

42 Nónne [I]Scriptura dicit, ex semine Davidis, & ex vico Beth-lehema ubi erat David, venturum illum Christum?

43 Dissidium ergo ortum est in turba propter eum.

44 Quidam autem ex ipsis volebant eum prehendere, sed nemo injecit in eum manus.

45 [i] Venerunt ergo ministri ad primarios sacerdotes & Pharisæos: qui dixerunt eis, Quare non adduxistis eum?

46 Responderunt ministri, Nunquam ita loquutus est homo ut homo iste.

47 Responderunt ergo eis Pharisæi, Num & vos seducti estis?

48 [k] Num quis ex primoribus credidit in eum, aut ex Pharisæis?

49 Sed turba hæc quæ non novit Legem, exsecrabilis est.

50 Dicit eis Nicodemus, [I] is qui venerat ad eum nocte, quum unus esset ex illis,

51 Num Lex nostra condemnat quempiam, nisi priùs ex ipso [l] audierit, [I] & cognoverit [m] quid faciat?

52 Responderunt & dixerunt ei, Num & tu Galilæus es? scrutare & scito ex Galilæa Prophetam non fuisse suscitatum.

53 [n] Et profectus est unusquisq; domum suā.

[9] i. Gentiles qui non pertinent ad populum sanctũ.

[10] Licet hoc loco referre quæ in Talmud, tractatu de festo tabernaculorum, capit. חליל Chalil, sparsim scribuntur, ex quibus non solum intelligatur cur dies postremus illius festi, magnus dicatur, sed etiam qua ratione, ritus illius occasionem Christo dederit sub aquarum perenniũ symbolo, populum cũ clamore invitandi ad hauriendam ex se, tamquam ex vero fonte, cælestem sapiētiam, & alia Spiritus sancti dona quæ ad regenerationem spectant. Hæc igitur sunt quæ illic traduntur: Licet omnes festi dies a Deo præcepti, magni fuerint, præsertim verò illi in quibus convocatio sancta erat, ut primus & ultimus Paschatis, dies Pentecostes, buccinarum, expiationum, ac primus & ultimus tabernaculorum: tamen tabernaculorum ultimus singulari quadam ratione magnus dicitur, & in eo præ reliquis diebus populus Dei lætari jubetur. Quum enim Deus expresse Levit. 13.40. præcepisset ut in festo tabernaculorum lætarentur Israëlitæ quamdiu illud duraret, eorum deinde antiquissimi doctores, imò ipsi
Dei prophetæ Haggæus & Zacharias, Dei jussu, rationem præscribentes qua dies illi in lætitia traducendi essent, quædam constituerunt ut ultimo die agerentur
quæ summam lætitiam populi declararent. Lustrationem enim quandam cum supplicatione indixerunt, in qua quotidie semel durante illo festo altare circuibant,
palmas & ramos manu gestantes ac agitantes, subindéque clamantes, Hoschanna, id est, Serva quæso. Unde etiam factum est ut dies illi singuli vocati
sint Hoschan-na (sicut Matthæi 21.21. notavimus.) Ultimo verò die illius festi pro lætitiæ cumulo statuerunt Prophetæ illi ex ore Dei (ut in Talmud dicitur) ut septies lustrando circuiretur altare, (sicut olim sub Josua, quum per sex dies circumlustrassent mœnia Jericho quotidie semel, septimo die septies ea
circumlustrare jussi sunt) & toties ingeminarent conceptas quasdam preces in quibus subinde voces illæ Hoschanna & Hatzlicha-na, id est, Salva quæso, Prosperari fac quæso, recurrebant. Unde factum est ut dies hic vocaretur Hoschan-na rabba, id est, Hoschan-na magnus. Quam appellationem Evangelista hic, ut
in populo suo usitatam retinuit. Scribitur præterea eodem tractatu, ex institutione horum Prophetarum solitum fuisse populum eo die summa cum lætitia &
pompa aquam haurire è fonte Schiloach ad radicem montis Tsion scaturiente, & eam in templum afferre ad sacerdotes, quam super altare cum vino libaminis effundebant. Et dum hauriretur, & afferretur ab haurientibus & astantibus, illud Isaiæ 12. 3. decantabatur, Haurietis aquam cum gaudio è fonte salutis. Quin
etiam persuasi erant Spiritum sanctum illo eorum gaudio, & vociferatione adeo delectari, ut provocaretur hac ratione ad ipsos gaudentes afflandum ut prophetarent: sicut Jonæ prophetæ contigisse affirmant, dum cum reliquis in festo tabernaculorum aquam illam exsultans hauriret. Ex his quis non videt Judæos spirituale gaudium, quod Lex jubebat in solenni tabernaculorum festo agitare, in magicam circulationem convertisse atque, ad non minus ineptam quàm profanam superstitionem stabiliendam, & auctoritate & testimoniis prophetarum impiè abusos fuisse ut insanam ipsorum vociferationem magno clamore à Christo
Domino oportuerit coërceri, illósque à terrestribus aquis ad cælestes & verè vivificas aquas revocari, finémque & usum illius festi, sicut & reliquarum omnium
ceremoniarum, ad ipsum Christum, tamquam unicum scopum, referri. [11] F. al. aquæ vivæ. [12] F. rectè suppletur, datus, quod non comparet in contextu Græco. Est autem ellipsis contrarii ex antecedente membro intelligenda, quòd accepturi essent pii Spiritum. Simile vide Luc. 22.37. [13] F. id est, ullus,
vel quisquam: Hebraismus.

[a] Ad verb. In dispersionem Gentium seu Græcorum. Græcorum autem nomine intelligit Hebræos qui erant dispersi inter gentes, 1. Pet. 1.1. [b] B. Duo sunt salutis nostræ capita: unum, ut vero summæ nostræ inopiæ sensu seriò tangamur: alterũ, ut in uno Christo per fidē apprehenso quæramus omnium bonorum copiā. [c] Ultimus dies tabernaculorũ, i. octavus, fuit æquè celebris atq; primus. [I] Levit. 23.36. [I] Esa. 55.1. [d] Locus non extat ubi hæc ad verbum legantur, sed ex multis locis, ubi sparsim de donis Spiritus instar aquæ effundendis, ut Joëlis 2. Esa. 44. agitur, sumi videntur: maximè autem ex 55. ca. Esa. [I] Joël. 2.28. Act. 2.17. [e] Quid nomine spiritus intelligat, paulò antè expressit, de Spiritu quem accepturi erant credentes: Spiritus ergo nomine intelligendæ sunt virtutes Spiritus sancti, quæ initio nascentis Ecclesiæ excellentes viguerunt, ut prædictum erat Joël. 2. [f] B. in ipsa Ecclesia de præcipuo capite religionis certatur: nec alii sunt crudeliores
Christi hostes iis qui veritatis sedē occupant. Non licet tamē eis quicquid libet. [I] Deu. 18.15. [g] Nō est otiosus articulus, & planè ostēdere videtur hic locus Judæos insignem aliquem prophetam exspectasse diversum à Messia. [h] Falluntur quod Christum Galilæum faciunt. Sed unde hæc ignoratio nisi ex contemtu? [I] Mich. 5.2. Mat. 2.5. [i] B. Deus è cælis irridet filii sui inimicos. [k] B. Falsi pastores adeò sunt stolidi, ut ex multitudine & externo splendore Ecclesiam Dei æstiment. [I] Suprà 3.2. [l] Quid patrârit is videlicet qui defertur. [I] Deut. 17.8. & 19.15. [m] Hæc quoque formula loquendi petita est è medio. Neque enim Lex ipsa sed judex cognoscit. [n] B. Non est consilium contra Dominum.

CAPUT.

CAPUT.

CAPUT VIII.

3 Mulieri in adulterio deprehensæ, 11 condonantur peccata. 12 Christus Lux mundi. 19 Pharisæi quærunt ubi ipsius sit Pater. 39 Filii Abrahami. 42 Filii Dei. 44 Satan mendacii pater. 56 Abrahamus vidit diem Christi.

JEsus autem profectus est in montem Oleariī.
2 Et diluculò rursus adfuit in tēplo, & to-
tus populus venit ad eum, & sedens docebat eos.
3 [a] Addúcunt autem ad eum Scribæ & Pha-
risæi mulierem in adulterio deprehensam : &
quum statuissent eam in medio,
4 Dicunt ei, Præceptor, hæc mulier de-
prehensa est in ipso facto, quum mœcharetur :
5 [‖] In Lege verò Moses mandavit nobis ut
tales lapidentur : tu ergo quid dicis ?
6 Hoc autem dicebant tentantes eum, ut
possent eum accusare. Jesus autem incurvatus
deorsum, digito scribebat in terra.
7 [b] Quum autē perseverarent eum interro-
gare, erexit se, & dixit eis, [‖] Qui vestrûm immu-
nis est à peccato, primus in eam jaciat lapidem.
8 Et rursum incurvatus deorsum, scribebat
in terra.
9 Ipsi verò quum *hæc* audivissent, & à con-
scientia redarguerentur, singulatim alius post
alium exierant, initio facto à senioribus usque ad
ultimos : & relictus est solus Jesus, & mulier in
medio stans.
10 [c] Quum autem sese Jesus erexisset, & ne-
minem conspiceret præter mulierem, dixit ei,
Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? nemo te
condemnavit?
11 Ipsa verò dixit, Nemo, Domine. Dixit
autem ei Jesus, [d] Nec ego te condemno : vade,
& ne ampliùs pecca.
12 [e] Rursum ergo Jesus eis loquutus est, di-
cēs, [‖] Ego sum lux illa mundi: qui sequitur me, nō
ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.
13 [f] Pharisæi igitur dixerunt ei, [g] Tu de te-
ipso testaris, testimonium tuum non est firmum.
14 Respondit Jesus & dixit eis, [‖] [h] Etiamsi
ego testor de meipso, firmum est testimonium
meum : quia scio unde venerim, & quo vadam:
vos autē nescitis unde venerim, & quò vadam.
15 Vos secundùm carnem judicatis, ego [i] non
judico quemquam.
16 Quod si etiam judicarem ego, judicium
meum firmum esset: quia solus non sum, sed ego
& qui misit me Pater.
17 Sed & in Lege vestra scriptum est, [‖] duo-
rum hominum testimonium firmum esse.
18 [k] Ego *is* sum qui testor de me ipso, & testa-
tur de me qui misit me Pater.
19 [l] Dicebant ergo ei, Ubi est tuus ille Pater?
Respondit Jesus, Neq; me nôstis, neq; Patrē me-
um: si me nossetis, Patrem quoq; meum nossetis.
20 Hæc verba loquutus est Jesus in [m] gazo-
phylacio, docens in templo : & nemo prehendit
eum, [n] quia nondum venerat illa ipsius hora.
21 [o] Dixit ergo iterum eis Jesus, Ego vado,
& quæretis me, & in hoc peccato vestro morie-
mini. quò ego vado, vos non potestis venire.
22 Dicebant ergo Judæi, Num trucidabit
seipsum, qui dicat, Quò ego vado, vos non po-
testis venire?

23 Tunc

Deest hoc in loco in exempl. Syriaco historia Adulteræ undecim versiculis comprehensa.

12 Rursus autem loquutus est cum eis Je-
schua, & dixit, Ego sum lux mundi : [1] qui post
me venit, non ambulabit in tenebris, sed [2] inve-
niet sibi lumen vitæ.
13 Dixerunt ei Pharisæi, Tu de teipso testa-
ris, testimonium tuum non est firmum.
14 Respondit Jeschua, & dixit eis, Etiamsi
ego testor de meipso, verum est testimonium
meum : quia scio unde venerim, & quò profici-
scar : vos autem non novistis unde venerim, neq;
quo proficiscar.
15 Vos corporaliter judicatis: ego quemquam
non judico.
16 Etsi autem judicem, judicium meum
verum est : quia non sum solus, sed ego & pater
meus qui misit me.
17 Sed etiam in Lege vestra scriptum est
quòd testimonium duorum hominum verum
est.
18 Ego sum qui testor de meipso : & Pater
meus, qui misit me testatur de me.
19 Dicunt ei, Ubi est pater tuus? Respondit
Jeschua, & dixit eis, Neque me novistis, neque
Patrem meum. si me nossetis, etiam Patrem me-
um nossetis.
20 Hos sermones loquutus est in [3] gazophy-
lacio, docens in templo : & nemo apprehendit
eum : nondum enim venerat hora ejus.
21 Dixit eis rursus Jeschua, Ego vado, & quæ-
retis me: & moriemini in peccatis vestris. & quò
ego vado, vos non potestis venire.
22 Dicunt Judæi, Numquid seipsum interfe-
cturus est, quia dixit, Quò ego vado, vos non po-
testis venire?

23 Et

[1] Ad verb. Qui sequitur me. Hebraismus.
[2] F. i. consequatur & obtinebit. Hebraism.
[3] Ad verb. In domo vel loco gazæ, Id est, thesauri, ut in Luc. 21.1.

[a] B. Mali bonis insidias nectētes, sibi ipsis laqueum nectunt.
‖ *Levit.* 20.10.
[b] B. In hypocritas qui plusquam severi aliorum cēsores suis vitiis indulgent.
‖ *Deut.* 17.7.
[c] B. Christus noluit civilis magistratus partes ad se trahere, contentus ad fidem & resipiscentiam peccatores adducere.
[d] Qui ex his colligunt non puniendа esse adulteria, non minùs sunt inepti quàm si dicerent dividendas non esse hæreditates, quoniam Christus noluit dividere, Luc. 12.14.
[e] B. Mundus natura cæcus nusquam nisi in solo Christo fit lucis compos.
‖ *Supr.* 1.5. *Infr.* 9.5.
[f] B. Christus testis est veritatis omni exceptione major, ut qui ob hoc ipsū sit à Patre missus, & ab eodē infinitis miraculis mundo approbatus.
[g] De teipso testimonium dicis, quod communi opinione omnium improbatur : & propria prædicatio sordida perhibetur.
‖ *Supr.* 5.31.
[h] Quod 5 capite 31. versu negarat, accipiendum est per concessionem, eo autem loco accommodans sese auditoribus qui nihil in Christo præter humanitatem agnoscebant, permittebat suum rejici testimonium, nisi aliunde confirmaretur. Hoc autem loco divinitatem suam asserit, ac Patrem testem laudat, sibi consentientem. Perinde est igitur ac si diceret, solus hic videor, ideoq; testimonium meum non admitti, quum præsertim videar de meipso testari. atqui tres sumus. Nam ego veluti duplex sum, Deus videlicet & homo, & tamen unus. Itaque mihi Deo licet de me homine testari. sic unum testem habetis. Accedit demùm Patris testimonium admittere, quanto magis Patris ac Filii, qui non sunt homines, sed unus Deus ? [i] Ego nunc simpliciter doceo, neminem condemno : tamen si id facere libeat, sanè pro meo jure faciam. Non enim solus sum, sed mecum est Pater. ‖ *Deut.* 17.6. & 19.15. *Matth.* 18.16. 2.*Corint.* 13.1. *Hebr.* 10.28. [k] Apertè divinitas ab humanitate distinguitur, alioqui duo testes non essent, quum reus inter testes non numeretur. [l] B. Nemo Deum nisi in Christo nosse potest. [m] Aliqua erat in templo regio conferendis oblationibus destinata. [n] B. Dei non hominum arbitrio vivimus & morimur. Itaque illud unum superest, ut nostro munere constanter defungamur. [o] B. Quoniam homines natura à rebus cælestibus abhorrent, nemo est idoneus Christo discipulus, nisi quem Spiritus Dei formavit. Intereà tamen mundo oblatam vitam repudianti, necessario pereundum erit.

23 Et dixit eis, Vos [4] ex infernis estis, & ego ex supernis sum: vos ex hoc estis mundo, ego non sum ex hoc mundo.

24 Dixi vobis quòd moriemini in peccatis vestris. nisi enim credideritis quòd [5] ego sum, moriemini in peccatis vestris.

25 Dicunt Judæi, Tu quis es? Dixit eis Jeschua, [6] Etiam quem incepi ut loquerer vobiscum.

26 Multum est mihi de vobis dicendum & judicandum: sed is qui misit me, verax est: & ego ea quæ audivi ab eo, hæc ipse loquor in mundo.

27 Et non cognoverunt quòd de Patre loqueretur eis.

28 Dixit eis rursus Jeschua, Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quòd ego sum, & aliquid voluntate propria non facio, sed sicut docuit me Pater meus, sic loquor.

29 Et qui misit me, mecum est: nec reliquit me solum Pater meus, quia id quod placet ei, facio omni tempore.

30 Et quum hæc loqueretur, multi crediderunt in eum.

31 Et dixit Jeschua illis Judæis qui crediderunt in eum, Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis.

32 Et cognoscetis veritatem, & ipsa veritas liberos faciet vos.

33 Dicunt ei, Semen sumus Abrahami, & nunquam servitutem servivimus: quo modo dicis tu, Eritis filii libertatis?

34 Dixit eis Jeschua, Ammin ammin dico vobis, quòd quisquis facit peccatum, servus est peccati.

35 Et servus non manet in æternum in domo: filius autem in æternum manet.

36 Si fiat igitur ut filius liberos vos faciat, verè eritis [7] filii libertatis.

37 Scio quòd semen estis Abrahami: sed quæritis interficere me, quia sermone meo non acquiescitis.

38 Ego id quod vidi apud Patrem, loquor: & vos id quod vidistis apud patrẽ vestrum, facitis.

39 Responderunt, ac dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Dixit eis, Si filii essetis Abraham, opera Abrahami faceretis.

40 Nunc autem, ecce, quæritis interficere me, hominem qui veritatem loquutus sum vobiscum, eam quam audivi à Deo. Hoc Abraham non fecit.

41 Vos autem facitis opera patris vestri. Dicunt ei, Nos ex scortatione non sumus. unus Pater est nobis, Deus.

42 Dixit eis Jeschua, Si Deus esset Pater vester, amantes essetis mei: ego enim à Deo exivi & veni: & nequaquam ex voluntate propria veni, sed ipse misit me.

43 Propter quid sermonem meum non agnoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

44 Vos ex patre [8] accusatore illo estis, & desiderium patris vestri vultis facere, [9] quia à principio homicida est, & in veritate non stetit, quia veritas non est in eo: & quando loquitur mendacium, de suo loquitur: quia mendax est, etiam pater ipsius *mendacii*.

45 Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi.

46 Quis ex vobis arguit me de peccato? Et si veritatem dico, vos quare non creditis mihi?

[4] Ad verb. Ex eo quod infrà (subaudi Est) estis.

[5] F. i. subsisto in meipso, ut vera lux mundi illuminans omnem hominem, suprà versu 12. atque huc spectat altera illa Christi responsio, sequente versu.

[6] Id est, Etiamnum me eum esse dico quem ab initio apud vos me esse professus sum.

[7] i. libertate præditi, ut paulò antè.

[8] Diabolum intelligit, quem sæpe Paraphrastes hoc epitheto notat. Vide Matt. 4.1.

[9] F. vel, Is est qui inde à principio, &c. nova inchoante sententia.

23 Tunc dixit eis, Vos ex *locis* infernis estis, ego sum ex supernis: vos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc mundo:

24 Ideò vobis dixi, vos morituros in peccatis vestris. Nam nisi credideritis me *eum* esse, moriemini in peccatis vestris.

25 [p] Dixerunt ergo ei, Tu quis es? Tum dixit eis Jesus, [q] *Id* quod à principio dico vobis.

26 [r] Multa habeo quæ de vobis loquar ac judicem: sed qui me misit, verax est: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor mundo.

27 Non cognoverunt eum de Patre sibi *hæc* dicere.

28 [s] Dixit ergo eis Jesus, Quum sustuleritis Filium hominis, tunc agnoscetis me eum esse, & à meipso nihil facere, sed prout docuit me Pater hæc loqui.

29 Nam qui me misit, mecum est. non reliquit me solum Pater, quia ego quæ placita sunt ei facio semper.

30 Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.

31 [t] Dicebat ergo Jesus iis Judæis qui crediderant ipsi, Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.

32 Et cognoscetis Veritatem, & Veritas vos [u] in libertatem vindicabit.

33 [x] Responderunt ei, [y] Semen Abrahami sumus, neq; cuiquam servivimus unquam: quomodo tu dicis, vos in libertatem vindicabimini?

34 Respondit eis Jesus, Amen amen dico vobis, quisquis operam dat peccato, [§] servus est peccati.

35 Servus autem non manet in domo perpetuò: filius manet perpetuò.

36 Itaque si vos Filius in libertatem vindicârit, verè liberi eritis.

37 [z] Scio vos semen Abrahæ esse, sed studetis me trucidare, quia sermo ille meus non habet locum apud vos.

38 Ego loquor quod vidi apud Patrem meum, & vos facitis quod vidistis apud Patrem vestrum.

39 Responderunt & dixerunt ei, Pater noster Abrahamus est. Dicit eis Jesus, Si filii Abrahami essetis, opera Abrahami faceretis.

40 Nunc autem studetis me trucidare, hominem qui veritatem vobis loquutus sum, quam audivi à Deo: hoc Abrahamus non fecit.

41 Vos facitis opera patris vestri. Itaque dixerunt ei, Nos ex scortatione non sumus geniti: unum patrem habemus *nempe* Deum.

42 Dixit ergo eis Jesus, Si Deus pater vester esset, diligeretis me: ego enim à Deo prodii & adsum, nec enim à meipso veni, sed ille me misit.

43 Quare [a] loquutionem istam meam non agnoscitis? *nempe* quoniam non potestis audire sermonem meum.

44 [§] Vos ex patre diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis explere. Ille [b] fuit homicida à principio, & in [c] veritate non perstitit: non est enim veritas in eo. Quotiescumque loquitur mendacium, [d] de suo loquitur, quia mendax est, & [e] pater ille mendacii.

45 *Vos* autem, quia ego veritatem dico, non creditis mihi.

46 [f] Quis ex vobis arguit me de peccato? si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

[p] B. Is demum quis sit Christus cognoscet, qui attentè audiet quid loquatur.

[q] i. Sum Christus & salvator: illud enim est quod à principio dixi vobis me esse.

[r] B. Deus contemtæ Christi doctrinæ vindex.

[s] B. Ipse quoque Christi contemtus cedit ejus gloriæ: quod tandem ejus hostes maximo suo malo sentient.

[t] B. Veri discipuli Christi in ejusdem sermone perseverant, ut magis ac magis in cognitione veritatis proficiẽtes a durissima peccati servitute in veram libertatem Justitiæ & vitæ asserantur.

[u] A servitute peccati.

[x] Quidam de multitudine, non illi scilicet qui crediderant: adversantium enim non assentiẽtium ista est oratio.

[y] Procreati ab Abrahamo.

[§] *Rom. 6.20, 2. Pet. 2.19.*

[z] B. omnes naturaplanè diabolica præditos nasci declarant scelerati ipsorum mores. Immutantur autem, &, secundùm fœdus cum Abrahamo sancitum, in Dei familiam adsciscuntur in uno Christo per fidem apprehenso: quæ quidem fides ex verè sancta & honesta vita dignoscitur.

[a] i. Idioma, sive etiam linguam. quasi dicat, Non magis quod dico intelligitis, quàm si ignota & peregrina lingua vobiscum loquerer.

[§] *1. Joh. 3.8.*

[b] Initio mundi conditi: nam protinùs atq; homo conditus fuit, à diabolo præcipitatus fuit in mortem.

[c] In fidelitate & integritate, id est, non servavit suam originem, Jud. 6. [d] Ex suo unius instinctu, & ex suo proprio ingenio. [e] Auctor. [f] B. Christus munere sibi commisso à Patre, omni ex parte est persunctus.

g 1. Job. 4. 6.

47 g Qui ex Deo est, verba Dei audit: prop-
terea vos non auditis, quia ex Deo non estis.
48 Responderunt ergo Judæi & dixerunt ei,
Nonne bene dicimus te Samaritanum esse, &
dæmonium habere?
49 Respondit Jesus, ego dæmonium non ha-
beo, sed honoro patrem meum, & vos contume-
lia afficitis me.
50 g Ego verò non quæro gloriam meam:
h est qui quærat & judicet.
51 i Amen amen dico vobis: siquis sermonem
meum servaverit, mortem k non conspiciet in æ-
ternum.
52 l Dixerunt ergo ei Judæi, Nunc agnosci-
mus te dæmonium habere. Abrahamus mortuus
est, & Prophetæ: & tu dicis, Siquis sermoné meũ
servaverit, non gustabit mortem in æternum?
53 Num tu major es patre illo nostro Abra-
hamo, qui mortuus est? etiam Prophetæ mortui
sunt: quem tu teipsum facis?
54 m Respondit Jesus, Si ego glorifico meip-
sum, n gloria mea nihil est: Pater ille meus, is est
qui glorificat me, quem vos dicitis Deum ve-
strum esse.
55 o Sed non nostis eum: ego verò ipsum
novi: & si dixero ipsum mihi non esse no-
tum, ero similis vestri, *id est*, mendax: sed eum
novi, & sermonem ejus servo.
56 p Abrahamus pater ille vester q gestivit
ut videret diem r istum meum. & vidit, ac gavi-
sus est.
57 Dixerunt igitur ei Judæi, Quinquaginta
annos nondum habes, & Abrahamum vidisti?
58 Dixit eis Jesus, Amen amen dico vobis,
priusquam Abrahamus existeret, s ego sum.
59 t Sustulerunt ergo lapides ut jacerẽt in eũ:
Jesus autẽ occultavit se, & exivit è templo, quum
transivisset per medios ipsos: & ita præteriit.

47 Qui ex Deo est, sermones Dei audit: pro-
pter hoc vos non auditis quia non estis ex
Deo.
48 Responderunt Judæi, & dixerunt ei, Nón-
ne bene dicimus nos quòd Samaritanus es, &
dæmonium est tibi?
49 Dixit eis Jeschua, Mihi dæmonium non
est, sed Patrem meum honoro, & vos igno-
minia afficitis me.
50 Ego autem non quæro gloriam meam:
est ille qui quærit & judicat.
51 Ammin ammin dico vobis quòd siquis
sermones meos servat, mortem [10] non videbit in
æternum.
52 Dicunt ei Judæi, Nunc novimus quòd
dæmonium sit tibi. Abraham mortuus est, &
Prophetæ, & tu dicis, Qui sermones meos ser-
vat, mortem non gustabit in æternum.
53 Numquid tu major es quàm pater noster
Abraham, qui mortuus est? & quàm Prophe-
tæ, qui mortui sunt? Quem facis tu teipsum?
54 Dixit eis Jeschua, Si ego glorifico meip-
sum, gloria mea non est quicquam: est Pater me-
us qui glorificat me, ille de quo dicitis vos, Deus
noster est.
55 Et non novistis eum: ego autem novi e-
um: & si dicerem quòd non novi eũ, essem men-
dax, similis vobis: sed novi eum, & sermones e-
jus servo.
56 Abraham pater vester cupiebat videre di-
em meum: & vidit, & gavisus est.
57 Dicunt ei Judæi, Hactenus [11] natus quin-
quaginta annos non es, & Abraham vidisti?
58 Dixit eis Jeschua, Ammin ammin dico
vobis quòd ante quàm fieret Abraham, ego sum.
59 Et tulerunt lapides ut lapidarent eum. &
Jeschua occultavit se, & egressus est è templo, &
transivit inter eos: & abiit.

g B. Christi hostes ad tempus quidem lasciviũt, sed pater suo tẽpore apparebit, contumeliarum sibi in Filii persona illatarum vindex.
h i. Qui contemtum mei, aut sui potiùs vindicet.
i B. Sola Evangelii doctrina per fidem apprehensa, certum est adversus mortem remedium.
k Non sentiet, in media enim morte fideles vitam vident.
l B. In eos qui sanctorum splendore abutuntur, ut Christi gloriam obscurent.
m B. Christo nihil magis alienũ ab omni ambitione, sed eum supra omnia extulit Pater.
n Concessione: q. d. Sit sanè prædicatio de me mea, quem vos contemnitis, nullius momenti: at est alius qui me glorificat, id est, qui celebrat nomen meum. o B. Nulla est Dei extra Christum, nec Christi extra ipsius verbum legitima cognitio. p B. Christi virtus præcedentibus etiam omnibus seculis, sese in patribus exeruit, ut qui eum venturum, in promissionibus viderint, & summo cum gaudio viva fide apprehenderint. q Summo affectus fuit desiderio. r Dies alicujus, Hebr. nihil autem aliud declarat quàm spatium quo vixerit aliquis, aut insigne quidpiam ipsi vel facere vel ferre contigerit. Dies ergo Domini nihil aliud significat quàm ipsius adventum in carnem. Vidit enim eum eminùs Abraham, fidei nimirum oculis, ut declaratur Heb. 11. 13. s Christus ut Deus ante Abrahamum erat, erat & Agnus ab origine mundi occisus. t B. Zelus absque scientia tandem in apertam rabiem exit, nec tamen licet malis quicquid libet.

[10] i. Non experietur. Hebraism. idem significat quod paulo post sequitur, Mortem non gustabit in æternum.

[11] Ad verb. Filius quinquaginta annorum. Hebraismus tritus.

CAPUT IX.

1 *Christus cæci nati oculos Sabbatho aperit:* 13 *quem, quum diu contra Pharisæos disputasset,* 22. 35 *è Synagoga ejectum,* 36 *Christus æternæ lucis cognitione donat.*

PRæteriens a autem vidit quemdam cæcum à
nativitate:
2 Et interrogaverunt eum discipuli ejus, di-
centes, Rabbi, quis peccavit, iste, an parentes e-
jus, ut cæcus nasceretur?
3 Respondit Jesus, b neque iste peccavit, ne-
que parentes ejus, *ut cæcus nasceretur*: sed *cæcus
natus est* ut opera Dei manifesta fiant in eo.
4 c Oportet me vacare operibus ejus qui
misit me, d donec dies est: veniet nox quum ne-
mo potest operari.
5 Quamdiu fuero in mundo, f Lux sum mũdi.
6 e Hoc quum dixisset, spuit humi, & fecit
lutum ex sputo, & illevit lutum oculis cæci:
7 Dixitq; ei, Vade, ablue *oculos* in piscina
f Siloam. quod est, si interpreteris, Missus. Abiit
ergo, & abluit *oculos*, rediitq; videns.
8 g Vicini ergo, & qui prius viderant eum

ET quum transiret, vidit hominem cæcum à
ventre matris suæ.
2 Et interrogaverunt discipuli ejus, & dixe-
runt, Domine noster, quisnam peccavit, hic an
parentes ejus, ut cæcus nasceretur?
3 Dixit eis Jeschua, Nec ipse peccavit, nec
parentes ejus: sed [1] ut conspicerentur in eo o-
pera Dei.
4 Me oportet operari opera ejus qui misit
me, dum dies est. ventura est nox qua quis non
potest operari.
5 Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.
6 Et quando dixisset hæc, spuit super ter-
ram, & subegit lutum *factum* ex sputo suo, & ille-
vit super oculos illius cæci.
7 Et dixit ei, Abi, *&* ablue in lavacro Schi-
loah. Et abiens lavit, & venit videns.
8 Vicini autem ejus & ii quibus visus fuerat

a B. Omnium quidem etiã corporis malorũ prima est origo peccatum: nec tamen consequitur semper à Deo respici peccata eorum, quos durissimis etiam flagellis cædit.
b Disputat ex hypothesi discipulorũ, qui præsupponũt morbos non nisi propter peccata immitti. respondet ergo Christus aliã fuisse causã cæcitatis, nimirum ut divinum opus conspiceretur.
c B. Christi opera sunt instar lucis mundi tenebras illustrantis. d Dies & nox metaphoricè pro luce, id est, illustri doctrina veritatis cælestis, & tenebris in ejusdem doctrinæ obscuratione. f *Suprà* 1. 9. *&* 8. 12. *Infrà* 12. 35, 46. e B. Christus adhibito luti ac deinde fontis Siloam (i. Missi) symbolo, cæcum natum sanans, declarat, sicut ipse initio hominem condidit, ita etiam se demùm ejusdem tum corporis, tum multo magis animæ instauratorem esse, & ita quidem ut ultrò ad nos sanandos prior accurrat. f Siloam fons erat ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis, sed incertis horis diebusq; ebulliebat, & per terrarum concava & antra saxi durissimi cum magno sonitu veniebat, vide Hieronym. lib. 3. comment. in Esa. cap. 8. Interpretatio autem vocis consultò ab Evangelista additur, quia fons ille templo vicinus quotidiè Judæos adventum Christi monebat, quem tamen sibi oblatum aspernati sunt. g B. Vera imago omnium hominum, qui ut natura cæci sunt, oblatam sibi lucem nec admittunt ipsi, nec in aliis ferunt, & tamen miris modis inter se tumultuantur.

[1] F. Nempe cæcus natus est providentia Dei. Ellipsis supplenda ex præcedente versu. vide in Matth. 26. 56.

priùs quòd mendicus esset, dicebant. Nónne hic est ille qui sedebat, & mendicabat?

9 Erant qui decebant, Is est. Et erant qui dicebant, Non: sed [a] prorsus similis est ei. Ipse autem dicebat, Ego is sum.

10 Dicunt ei, Quomodo aperti sunt oculi tui?

11 Respondit, & dixit eis, Quidam cujus nomen est Jeschua, fecit lutum, & illevit super oculos meos, & dixit mihi, Abi, ablue te in aquis Schilucha. Et abiens ablui: & visus restitutus est mihi.

12 Dicunt ei, Ubi est ille? Dixit eis, Non novi.

13 Et adduxerunt illum qui ab initio cæcus fuerat ad Pharisæos.

14 Erat autem Sabbathum, quum faceret lutum Jeschua, & aperiret ei oculos ejus.

15 Et rursus interrogaverunt eum Pharisæi, Quomodo visus restitutus est tibi? Ille autem dixit eis, Lutum posuit super oculos meos, & ablui; & visus restitutus est mihi.

16 Et dixerunt aliqui ex Pharisæis, Iste homo nequaquam ex Deo est, qui Sabbathũ non servat. Alii autẽ dicebant, Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et [3] dissidiũ erat inter eos.

17 Dicunt rursus illi cæco, Tu quid dicis de eo quòd aperuit tibi oculos tuos? Dixit eis, Dico quòd Propheta est.

18 Non autem credebant de eo Judæi quòd cæcus fuisset, & videret, usquequo vocârunt parentes ejus qui videbat:

19 Et interogaverunt eos, Num hic est filius vester quem vos dicitis quòd cæcus natus est? Quómodo jam videt?

20 Responderunt autem parentes ejus, & dixerunt, Novimus quòd hic est filius noster, & quòd cæcus natus est:

21 Quómodo autem jam videat, aut quisnam aperuerit ei oculos ejus, non novimus, etiam ipse progressus est in annis suis, ipsum interrogate, ipse pro seipso loquetur.

22 Hæc dixerunt parentes ejus, quia timebant à Judæis. Statuerant enim Judæi quòd si quis confiteretur eum quòd Christus esset, ejicerent eum ex synagoga.

23 Propter hoc dixerunt parentes ejus, Progressus est in annis suis, ipsum interrogate.

24 Et vocaverunt illum hominem secunda vice, illum *inquam* qui fuerat cæcus: & dixerunt ei, Da gloriam Deo, nos enim novimus quòd hic homo peccator est.

25 Respondit ille, & dixit eis, An peccator sit nescio: unum autem scio, quòd cœcus eram, & jam ecce, video.

26 Dicunt ei iterum, Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos tuos?

27 Dixit eis, Dixi vobis, & non audivistis: quid vultis vos audire? Nunquid etiam vos discipuli vultis fieri ei?

28 Illi autem maledicta conjecerunt in eum, & dixerunt ei, Tu es discipulus illius: nos enim discipuli sumus Musche.

29 Et novimus quòd cum Musche Deus loquutus est: hunc autem non novimus unde sit.

30 Respondit ille homo, & dixit eis, In hoc est ergo mirandum, quòd vos non nostis unde sit, & [4] oculos meos aperuit.

31 Novimus autem quòd Deus vocem peccatoris non exaudit: sed eum qui [5] reveretur se, & facit voluntatem ejus, illum ipse exaudit.

32 A seculo non fuit auditum quòd aperuerit quis oculos cæci nati.

33 Si ex Deo non esset hic, non potuisset facere hæc.

34 Responde-

[2] Ad verbum, Assimilando assimilatur ei. geminatio emphatica ex Hebræo idiotismo.

[3] v. vel discidium: hoc enim propriè respondet voci σχίσμα. sic infrà 10.19.

[4] v. al. oculos meos, meos inquam, aperuit.

[5] Ad verbum, Qui timet ab eo, Hebraismus.

cæcum esse, dicebant, Nónne hic est qui sedebat & mendicabat?

9 Alii dicebant, Hic est: alii verò, Similis est ei. Ille *verò* dicebat, Ego *is* sum.

10 Dixerunt ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11 Respondit ille, & dixit, Quidam qui dicitur Jesus, lutum fecit, & illevit *illud* oculis meis, & dixit mihi, Vade ad piscinam Siloam & ablue *oculos*. Ut autem abii, & ablui *oculos*, vidi.

12 Dixerunt ergo ei, Ubi est ille? Ait, Nescio.

13 Adducunt eum ad Pharisæos, eum *inquam* qui olim cæcus fuerat.

14 Erat autem Sabbathum quum lutum faceret Jesus, & aperiret oculos ejus.

15 Rursus ergo interrogârunt eum etiam Pharisæi quomodo videndi facultatem esset adeptus. Ille verò dixit eis, Lutum imposuit oculis meis, & ablui *oculos*, & video.

16 [h] Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Homo iste non est à Deo: nam Sabbathũ non servat. Alii dicebant, Quomodo potest quispiã peccator talia signa edere? Et dissidiũ erat inter eos.

17 Rursus dicunt cæco, Tu quid dicis de ipso, quòd aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, Certè Propheta est.

18 Non crediderunt ergo Judæi de eo quòd cæcus fuisset, & videndi facultatem esset adeptus, usquequo vocârunt ejus parentes, ejus *inquam* qui videndi facultatem fuerat adeptus:

19 Et interogaverunt eos, dicentes, Hiccine est filius ille vester, quem vos dicitis cæcum natum esse? quomodo ergo nunc videt?

20 Responderunt eis parentes ejus & dixerunt, Scimus hunc esse filium illum nostrum, & cæcum natum esse:

21 Quomodo verò nunc videat, nescimus, aut quis ejus aperuerit oculos, nos nescimus: ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur.

22 Hæc dixerunt parentes ejus, quòd timerent Judæos: jam enim constituerant Judæi ut siquis eum confiteretur esse Christum, synagoga moveretur.

23 Propterea parentes ejus dixerunt, Ætatem habet, ipsum interrogate.

24 Secundò ergo vocârunt hominem qui fuerat cæcus & dixerunt ei, [i] Tribue gloriam Deo, nos hunc hominem scimus [k] peccatorem esse.

25 Respondit igitur ille & dixit, An peccator sit, nescio: unum scio, me quum cæcus fuerim, nunc videre.

26 Dixerunt autem ei rursus, Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos?

27 Respondit eis, Jam vobis dixi, & non audivistis: cur iterum vultis audire? num & vos fieri vultis ipsius discipuli?

28 [l] Itaque convitiati sunt ei, & dixerunt, Tu discipulus illius es: nos autem Mosis discipuli sumus.

29 Nos scimus Deum esse loquutum Mosi: hic autem unde sit nescimus.

30 Respondit eis ille, & dixit, At enim istud mirum est, quòd vos nesciatis unde sit, & *tamen* aperuit meos oculos.

31 Scimus autem quòd Deus peccatores non audiat: sed siquis Dei cultor est, & facit quòd ille vult, *ille* hunc audit.

32 Ab seculo non est auditum aliquem aperuisse oculos ejus qui cæcus natus fuerit.

33 Nisi esset hic à Deo, non posset *tale* quicquam facere.

[O] 34 Responde-

[h] v. Nullius rei prætextu acriùs quàm religionis, oppugnatur religio: sed ea quo magis premitur, eò magis assurgit.

[i] Solennis formula, qua olim quis adigebatur ad culpam coram Deo agnoscendam, velut si dictum fuisset, Cogita te coram Deo esse, qui rem totam novit. revereri igitur ipsius majestatem, & hunc illi honorem habe, & palàm fatere rem totam mihi, quàm coram eo mentiri.

[k] Hebræis peccator dicitur homo impius, & qui peccandi velut artem facitat.

[l] v. Necesse est tandem erumpat superba impietas, frustrà suis pœnitentis zelo deficient.

34 Responderunt & dixerunt ei, [m] Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.

35 [n] Audivit Jesus eum ejectum foras: & eum nactus, dixit ei, Tune credis in Filium Dei?

36 Respondit ille & dixit, Quis est, Domine, ut credam in eum?

37 Dixit autem ei Jesus, & vidisti eum, & is est qui loquitur tecum.

38 At ille ait, Credo, Domine. Et adoravit eum.

39 [o] Et dixit Jesus, [p] [q] Ad judicium *exercendum* ego in hunc mundum veni: ut [r] qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.

40 Audierunt autem hæc quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, & dixerunt ei, Num & nos cæci sumus?

41 Dixit eis Jesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc verò dicitis, Videmus: itaque peccatum vestrum manet.

34 Responderunt & dixerunt ei, Tu totus in peccatis natus es, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.

35 Et audivit Jeschua quòd ejecissent eum foras: & invenit eum, ac dixit ei, Tu credis in Filium Dei?

36 Respondit ille qui sanatus est, & dixit, Quis est ille, Domine mi, ut credam in eum?

37 Dixit ei Jeschua, Vidisti eum: & is qui loquitur tecum, ipse est.

38 Ille autem dixit, Credo domine mi. Et procidens adoravit eum.

39 Et dixit Jeschua, Ad judicium mundi hujus veni, ut ii qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant.

40 Et audiverunt *quidam* ex Pharisæis illis qui cum eo erant, ista: & dixerunt ei, Nunquid etiam nos cæci sumus?

41 Dixit eis Jeschua, Si cæci essetis, non esset vobis peccatum: nunc verò vos dicitis, Videmus: propter hoc peccatum vestrum [s] firmum est.

[m] A prima origine es sceleratus, quod Latini dicunt, Totus quantus es, nihil nisi peccatum es. [n] B. Fœlicissima est eorũ conditio qui ab impiis (etiam nomine Ecclesiæ superbientibus) quàm longissimè extruduntur, ut Christus eo propiùs ad ipsos accedat. [o] B. Christus Evangelii prædicatione quosvis suarum tenebrarum sibi conscios verè illustrat: eos verò qui sibi videntur oculati, penitùs excæcat: quales sunt etiam sæpe qui primum in Ecclesia locum obtinent. [p] *Sup. 3. 17. infr. 12. 47.* [q] Cum summo imperio ac auctoritate ut statuam quod justum ac æquum est: quasi dicat, Isti pro arbitrio suo sibi arrogant populi Dei administrationem, quasi soli omnia videant. At ego longè aliter exercebo jurisdictionem meam, quàm isti soleant: nam quos isti pro cæcis habent, eos luce donabo, istos autem qui se solos acutissimos esse putant, in profundissimas ignorantiæ tenebras demergam. [r] In cæcorum & videntium nomine est ironia: loquitur enim ex Pharisæorum hypothesi, qui se videre, alios cæcutire judicabant.

[a] Ad verbum, Affirmando affirmatur ei. geminatio emphatica ex Hebræo idiotismo.

[s] F. i. perstat & permanet immotum.

CAPUT X.

1 Pharisæos Christus pastores malos, 8 se verò multis argumentis 11. 14. bonum comprobat. 19 Dissidium propterea oritur. 31 Lapides tollentium, 39 & prehendere cupientium manus evadit.

AMen [a] amen dico vobis, qui non ingreditur per ostium in caulam ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.

2 Qui verò ingreditur per ostium, pastor est ovium.

3 Huic aperit [b] janitor, & oves vocem ejus audiunt: & suas oves vocat nominatim, & educit eas.

4 Quumq; suas oves emiserit, antegreditur eas: & oves eum sequuntur, quia norunt vocem ejus.

5 Alienum autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum.

6 Hanc [c] similitudinem dixit eis Jesus. Illi verò non cognoverunt quænam illa essent quæ loquebatur eis.

7 Jesus ergo rursum dixit eis, Amen amen dico vobis, ego sum ostium illud ovium.

8 [d] [e] Quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones: sed oves non auscultârunt eos.

9 [f] Ego sum illud ostium: per me siquis introierit, servabitur: & [g] ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.

10 Fur non venit nisi ut furetur, & mactet ac perdat *oves*: ego veni ut [h] vitam habeant, & abundent.

11 [i] [k] Ego sum pastor ille bonus: bonus pastor animam suam deponit pro ovibus.

12 Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videns lupum venientem, [a] relinquit oves, & fugit: lupus autem eas rapit & dispergit ovile.

13 Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non est illi cura ovium.

14 Ego sum pastor ille bonus, & agnosco meas, & agnoscor à meis.

15 Prout [l] novit me Pater, *ita* & ego novi Patrem, & animam meam depono pro ovibus.

AMmin ammin dico vobis quòd qui non ingreditur per ostium in caulam ovium, sed ascendit [1] ex loco alio, ille fur est & latro.

2 Ille autem qui ingreditur per ostium, pastor est ovium.

3 Et huic custos ostii aperit ostium: & oves audiunt vocem ejus, & oves suas vocat nominibus suis, & exire facit eas.

4 Et quum exire fecerit gregem suum, ante eum vadit: & oves ejus [2] abeunt post eum, quia norunt vocem ejus.

5 Post alienum autem non abeunt oves, sed fugiunt ab eo: quia non norunt vocem alieni.

6 Hanc parabolam dixit eis Jeschua: Ipsi autem non cognoverunt quid loqueretur cum ipsis.

7 Dixit autem eis rursus Jeschua, Ammin ammin dico vobis quòd ego sum ostium ovium.

8 Et [3] omnes qui venerunt, fures sunt & latrones: sed non audit eos grex.

9 Ego sum ostium, & per me siquis ingrediatur, vivet, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.

10 Fur non venit nisi ut furetur, & occidat, & perdat: ego veni ut vita sit eis, & id quod amplius est, fiat eis.

11 Ego sum pastor bonus: & pastor bonus [4] animam suam ponit pro ovibus suis.

12 Mercenarius autem, quia non est pastor, neque ejus sunt oves, quum videt lupum venientem, relinquit oves, & fugit: & veniens lupus rapit & dispergit gregem.

13 Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, neque cura est ei de ovibus.

14 Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscor à meis.

15 Sicut novit me Pater meus, & ego novi Patrem meum, & animam meam pono pro ovibus.

[a] B. Quum per unum Christum pateat nobis ad Patrem aditus, nec alii ulli sint veri pastores, quàm qui ad Christum primi accedentes, alios eò etiam adducunt: nec aliud verum ovile censendum quàm quod ad Christum aggregatur. [b] Loquitur ex illorum temporum more, quo solebant servum aliquem habere perpetuò ad fores assidentem. [c] Evangelista parœmiæ utitur nomine. Est autẽ parœmia, oratio obscurior, & quasi deflexa à communi itinere. [d] B. Nihil refert quàm multi, vel quàm pridem fuerint falsi doctores. [e] Hæc universalis nota accommodanda est ad id de quo agitur. Quum itaque dicat se esse ostium, fures vocat & latrones omnes eos qui sibi nomen ostii vindicârunt, quod non pertinet ad ullum Prophetarum, qui omnes ovibus Christum tanquam ostium indicârunt. [f] B. Christus verè unicus Pastor est Ecclesiæ, & ea demum vera est Ecclesia, quæ hunc unum propriè pastorem agnoscit. Huic autem opponuntur fures, qui oves non pascunt, sed jugulant: itemq; mercenarii, qui quum sui tantùm commodi spe utcunque gregem pascant, in periculis eum deserunt. [g] i. Securus vitam aget Hebr. Deut. 29. 16. Est tamen peculiaris allusio ad pastorum officium. [h] Æternam. [i] Nam do animam meam pro ovibus meis. [k] *Esa. 40. 11. Ezech. 34. 23.* [k] Quia non est illi cura ovium. [l] Diligit, approbat, gratum sibi ac conjunctissimum habet.

[1] F. Id est, à loco, vel per locum alium. Hebraismus, quem sequens demonstrat antithesis.

[2] i. Sequuntur eum, Hebraismus.

[3] Hic, sicut in plerisque etiam Græcis codicibus, deest particula, Ante me. Cæterum ex contextu satis liquet Christum non excludere à legitima vocatione, nisi quos sibi opponit, tanquam fures & latrones, qui per ipsum in gregem non sunt ingressi, sed à Satana & propria ambitione impulsi sese ingresserunt.

[4] i. Vitam suam. Hebraismus.

16 Sunt autem mihi etiam oves aliæ quæ non fuerunt ex caulâ hac: atque etiam eas oportet me adducere: & audient vocem meam: fietq; totus grex unus, & unus pastor.

17 Propter hoc pater meus diligit me, quia ego pono [5] animam meam ut rursus sumam eam.

18 Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam ex voluntate mea. Potestatem enim habeo ut ponam eam, & potestatem habeo ut rursus sumam eam: quia hoc mandatum accepi à Patre meo.

19 Et factum est rursus dissidium inter Judæos propter sermones hos.

20 Et dicebant multi ex eis, Dæmonium est ei, & [6] omnino insanit: quid auditis eum?

21 Alii autem dicebant, Hi sermones non sunt dæmoniaci: num dæmonium potest oculos cæci aperire?

22 [7] Fiebat autem festum dedicationis in Urischelem, & hyems erat.

23 Et ambulabat Jeschua in templo in [8] porticu Schelimun.

24 Et circumdederunt eum Judæi, & dicunt ei, Usquequo [9] tollis tu animam nostram? Si tu es Christus, dic nobis manifestè.

25 Respondit Jeschua, & dixit eis, Dixi vobis, & non creditis: & opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testantur de me.

26 Sed vos non creditis: quia non estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis.

27 Oves meæ vocem meam audiunt, & ego novi eas: & ipsæ [10] veniunt post me:

28 Ac ego do eis vitam quæ est in æternum: neque peribunt in æternum: neque quisquam rapiet eas è manibus meis.

29 Pater enim meus qui dedit *eas* mihi, omnibus major est, neque quisquam potest *aliquid* è manibus Patris mei rapere.

30 Ego & [11] Pater unum sumus.

31 Et tulerunt rursus Judæi lapides ut lapidarent eum.

32 Dixit eis Jeschua, Multa opera bona ex Patre meo ostendi vobis: propter quod opus ex illis lapidatis me?

33 Dicunt ei Judæi, Nequaquam propter opera bona lapidamus te: sed propterea quòd blasphemas: & quum sis filius hominis, facis teipsum Deum.

[5] i. Vitam meam. Hebraismus, quem observavi antè.

[6] Ad verbum, Insaniendo insanit. Auxesis Hebraica passim observata.

[7] i. Renovabatur memoria dedicationis templi quæ contigit sub Juda Macbæo, & commemoratur in 1.Macb.cap.4. quod tum circumstantia temporis tum etiam ipsa dedicationis institutio ostendit. Nam licet Scripturę aliarum dedicationum mentionem faciant (videlicet dedicationis tabernaculi in deserto, Num.7. & dedicationis templi Salomonis, 2.Paralip.7.) de neutra tamen legitur fuisse institutum ut ejus memoria quotannis renovaretur. & præterea, neutra hyeme contigit: sed tabernaculi quidē ineunte vere, eo mense quo Pascha celebratur: ttempli verò, sub Salomone, antè hyemem, mense septimo, antè festum tabernaculorum. At Macbæorum dedicatio & contigit die 25. mensis noni respondentis partim Novembri partim Decembri, & ut eodem tempore recurrentibus annis in perpetuum ab ipso Juda Macbæo & suæ ætatis sapientibus per octiduum celebraretur, institutum fuisse scribitur in Talmud, tractatu מגלה חנכה id est, De ritibus servandis circa lectionem libelli Esther in die sortium, & De ritibus festi dedicationis: ubi etiam caussa quoque instituti festi adscribitur his verbis.
בבית שני כשמלכו יון גזרו גזרות על ישראל ובטלו דתם ולא הניחו אותם
לעסוק בתורה ובמצוות ופשטו ידם בממונם ובבנותיהם ונכנסו להיכל ופרצו בו
פרצות וטמאו הטהרות וצר להם לישראל מאוד מפניהם ולחצום לחץ גדול
עד שרחם עליהם אלהי אבותינו והושיעם מידם והצילם וגברו בני חשמונאי
הכהנים הגדולים והרגום והושיעו ישראל מידם והעמידו מלך מן הכהנים
וחזרה המלכות לישראל יותר על מאתים שנים עד החרבן השני וכשגברו
ישראל על אויביהם ואבדום בכה בחודש כסליו היה ונכנסו להיכל ולא
מצאו שמן טהור במקדש אלא פך אחד ולא היה בו להדליק אלא יום אחד בלבד והדליקו ממנו נרות המערכה שמונה ימים עד שכתשו זיתים והוציאו שמן
טהור ומפני זה התקינו החכמים שבאותו הדור שיהיו שמונת ימים האלו שתחלתם חמשה ועשרים בכסליו ימי שמחה והלל ומדליקין בהם הנרות בערב על פתחי הבתים
בכל לילה ולילה משמונת הלילות להראות הנס וימים אלו הם הנקראין חנכה והן אסורין בהספד ותענית כימי הפורים והדלקת הנרות בהם מצוה מדברי
סופרים כקריאת המגלה: quorum verborū sensum ut linguæ Hebrææ ignaris consulerem, subjungere libuit. In domo secunda, quum Græci regnarent, statuerunt decreta contra Israëlitas, & aboleverunt legem eorum, nec permiserunt eos exerceri in Lege & in præceptis. Extenderunt quoque manum suam in facultates eorum, & in filias eorum: & ingressi sunt in templum, & multas in eo fecerunt ruinas, ac polluerunt quæ munda erant, angustiâq; maxima affecti sunt Israëlitæ ab illis & oppresserunt eos oppressione maxima: donec misereretur illorum Deus patrum ipsorum, & servaret eos è manu illorum, ac eriperet eos: ut prævaluerint Macbæi sacerdotes magni, ac interfecerint illos, servaverintq; Israëlitas è manu eorū, ac constituerint regem ex sacerdotibus illis, & restitutum sit regnum Israëli per spatium ampliùs quàm ducentorum annorū, usque ad ruinam domus secundæ. Porrò quum prævalerent Israëlitæ adversus inimicos suos, & perderent eos, vigesima quinta dies erat mensis Kisleu, qua ingressi sunt in templum, & non invenerunt oleum mundum in sanctuario, excepta lenticula quadam, in qua non plus erat olei quàm quod sufficeret ad lucernas templi accendendas uno tantùm die: ex quo oleo accenderunt ordine dispositas lucernas, quæ durârunt octo dies, donec contudissent olivas, & mundum oleum expressissent. Et hanc ob caussam statuerunt sapientes illius seculi ut recurrentibus annis, octo illi dies, quorum principium est à 25. Kisleu, essent dies lætitiæ & laudum: accenderentq; in eis lucernas vespere in portis domorum singuli singulis noctibus durante illo octiduo, ad hujus miraculi declarationem. Et hi sunt dies qui vocantur dedicationis: prohibitumq; est in eis lamentari & jejunare, ut die sortium [quo scilicet renovatur memoria irriti consilii Haman, & liberationis Israëlitarum sub Assuero.] Et lucernarum accensio in illo octiduo, res est præcepta disertis Legisperitorum verbis, sicut lectio voluminis Esther præcepta est. Hæc fusiùs scripsi, non ut tædio afficerem lectorem, sed tantùm ut ostenderem de quo festo Evangelista intelligat, & cujus caussa illud institutum fuerit.

[8] i. Ædificata ad ejus instar quam olim Salomon ædificaverat, 1.Reg.8.3. & 2.Paralip.3.3. [9] v. vel circumducis, retines circumagendo atque remorando, quolibet.

[10] i. Sequuntur me. Hebraismus. [11] v. Syrè, & Pater meus.

16 [m] Alias etiam oves habeo quæ non sunt ex hac caulâ: illas quoque oportet me adducere: nam vocem meam audient: [l] [n] fietq; unus grex, & unus pastor.

17 [o] Propterea Pater me diligit, quia [l] ego [p] depono animam meam ut eam rursus assumam.

18 [q] Nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per meipsum: potestatem habeo deponendi eam, & potestatem habeo rursus eam assumendi. [r] Hoc mandatum accepi à Patre meo.

19 [s] Dissidium igitur rursum ortum est inter Judæos propter istos sermones.

20 Dicebant autem multi eorum, Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?

21 Alii dicebant, Hæc verba non sunt dæmoniaci: num dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

22 [l] Facta sunt autem [f] Encænia Hierosolymis, & hyems erat.

23 [t] Et ambulabat Jesus in templo in porticu Solomonis.

24 Cinxerunt igitur eum Judæi, & dixerunt ei, Quousque animam nostram [u] suspendis? si tu es Christus ille, dic nobis [x] apertè.

25 [y] Respondit eis Jesus, Dixi vobis, nec creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testantur de me.

26 [z] Sed vos non creditis: non enim [a] estis ex ovibus illis meis, sicut dixi vobis.

27 Oves illæ meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco, & sequuntur me:

28 Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.

29 Pater ille meus qui mihi dedit eas, major omnibus est: neque quisquam potest eas eripere è manu Patris mei.

30 Ego & pater unum sumus.

31 [b] Sustulerunt ergo rursum lapides Judæi ut eum lapidarent.

32 Respondit eis Jesus, Multa bona opera exhibui vobis ex [c] Patre meo: propter quod illorum operum me lapidatis?

33 Responderunt ei Judæi, dicentes, Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, id est, quia tu, homo quum sis, facis teipsum Deum.

[m] B. Gentium vocatio.

[l] *Ezech.37.22.*

[n] Judicium Ecclesiæ catholicæ in toto orbe terrarum, quæ Caput unum habet, & solum Christum custodem pastoremq; unicum.

[o] B. Christus ex Patris decreto unicus veræ Ecclesiæ pastor, in qui ultrò vitam pro ovibus suis exposuerit, & ita quidem ut eadem sua virtute revixerit.

[l] *Esa.53.7.*

[p] Utitur præsenti tempore, quia tota Christi vita, fuit quasi mors perpetua.

[q] Non tantùm ergo homines necis potestatem in se habere negat nisi quatenus permiserit, sed à quali bet vi necessitatis se eximit.

[r] *Act.2.24.*

[s] B. Evangelium detegit hypocrisin, ideoq; necesse est mundum ad ejus exortum tumultuari.

[l] *1.Mac.4.59.*

[f] Sacer apud Judæos hic dies erat ob memoriam instaurati templi post diutinam in Perside captivitatem, Imo verò non unius diei, sed octo dierum hoc festum erat, nec institutum in memoriam reditus ex Babylonia (quæ & ipsa distincta est à Perside) sed à Juda Maccabæo quum pulso Antiochi præsidio templum ac cultum Dei instaurasset, Vide 1.Maccab.4.59. [t] B. Increduli & arrogantes homines tenebras in doctrinam Evangelii rejiciunt, quas in suis animis circumferunt. [u] Suspensam atque anxiam tenes. [x] Apertè & sermone minimè ambiguo. [y] B. Evangelii doctrina duplici testimonio cælitùs confirmatur, ipsa videlicet doctrinæ puritate, & adjunctis miraculis. [z] B. Non mirum est paucos credere, quum omnes suapte natura sint indomitæ bestiæ. Habet tamen suos Dominus quos in oves commutatos, & Filio suo commissos, adversus omnium ferarum truculentiam conservat. [a] Caussam affert cur non credant, scilicet quia non sunt ex ovibus. [b] B. Christus dignitatem suam ex operibus planè divinis asserit. [c] Patris mei auctoritate & potentia fretus.

b *Psal.* 82.6.
d. Testimonium quod citat Christus, in Psal. 82.6. habetur, ubi expostulat Deus cum regibus terræ qui imperio & potentia, quam à Deo acceperant, abuterentur. Hoc Christus ad præsentem causam accommodat, quòd Deorum nomine ornentur qui ad regendum mundum sint ministri. Eadem ratione & Angelos Scriptura Deos appellat, quia per illos Dei gloria mundum irradiat.
e i. Violari, aut irrita fieri.

34 Respondit eis Jesus, Nónne scriptum est
in Lege vestra, b d Ego dixi, Dii estis?
35 Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus
est, & non potest e solvi Scriptura:
36 *Méne*, quem Pater sanctificavit & misit in
mundum, vos dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum?
37 Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi.
38 Sin verò *illa* facio, etiamsi mihi non credatis, operibus *tamen* credite: ut cognoscatis &
credatis Patrem in me esse, & me in eo.
39 f Rursus ergo studebant eum prehendere:
sed exivit ex eorum manu.
40 Abiitq; rursus ad trajectum Jordanis, in
eum locum ubi primùm fuerat Johannes quum
baptizaret, mansitq; illic.
41 Multi autem veniebant ad eum, & dicebant, Johannes quidem signum nullum edidit:
quæcumque autem de isto dixit, vera erant.
42 Et multi illic crediderunt in eum.

f B. Christus vitat periculum, non diffidentia, nec mortis metu, nec otium captans, sed ut alibi Ecclesiam colligat.

34 Dixit eis Jeschua, Nónne ita scriptum est
in Lege vestra, Ego dixi quòd dii estis?
35 Si eos dixit deos, quia ad eos factus est
sermo Dei, neque potest Scriptura solvi:
36 Ei quem Pater sanctificavit, & misit in
mundum, vos dicitis, Tu blasphemas, propterea
quòd dixi vobis, Filius sum Dei.
37 Et, si non facio opera Patris mei, non credatis mihi:
38 Si verò facio, etiamsi mihi non credatis,
ipsis operibus credite: ut sciatis, & credatis quòd
Pater meus est in me, & ego in Patre meo.
39 Et quærebant rursus ut apprehenderent
eum: & exivit 12 è medio manuum illorum.
40 Et abiit 13 in oppositam ripam Jurdanis,
in locum ubi fuerat Juchannan ab initio, quum
baptizaret: & 14 mansit ibi.
41 Et venerunt homines multi ad eum, & dicebant, Juchannan ne unum quidem signum fecit: quicquid autem dixit Juchannan de homine
hoc, verum est.
42 Et multi crediderunt in eum.

12 Ad verb. De inter manus illorum, ut Galli *D' entre leurs mains.*
13 Ad verb. In transitu Jordanis, Hebraism.
14 F. Syrè, fuit.

CAPUT XI.

3 Christus ostensurus se esse 25 vitam & resurrectionem, 14 Lazarum mortuum, 17.34 & sepultum, 43 resuscitat. 47 Consultantibus pontificibus 49 Caiaphas 50 unum pro multis occidendum prædicit. 56. 57 Præcipiunt ut ubi fuerit prehendatur.

a B. Christus putridum amici cadaver vitæ restituens, insigne cum summæ potentiæ, tum maximæ in homines benevolentiæ exemplum edit, quod sit futuræ resurrectionis imago.
b Ubi habitabant ipsius sorores.
§ *Mat.* 26.7. *Infr.* 12.3.
c Ad verbum, ad mortem, id est, ideò immissus, ut ipsum perimat.
d B. Quòd Deus interdum videtur in nobis juvandis cunctator, & suæ gloriæ & nostræ saluti consulit, ut rerum exitus probat.
e B. Hoc unum est tutum & rectum iter vitæ, Deum vocantem & nobis in hujus mundi tenebris prælucentem, intrepidè sequi.
f His verbis docemur, quoties homo propriis consiliis sine Dei vocatione se permittit, totam ejus vitam nihil quam vagum & erroneum esse cursum: & qui maximè sibi sapere videntur ubi os Dei non interrogant, ut spiritum ejus non habent actionum omnium præsidem, cæcos esse in tenebris palpantes, unam hanc esse rectam viam, si vocationi divinæ præeuntem semper habeamus Deum.
g Hebræi mortem somni molliore vocabulo indicaverunt, inde cœmiterium, id est, dormitorium, ubi corpora resurrectionem exspectantia quiescunt.

AEgrotabat autem a quidam *nomine* Lazarus,
à Bethania ex b vico Mariæ & Marthæ sororis
ipsius.
2 († Maria autem ea erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis:
cujus frater Lazarus ægrotabat.)
3 Miserunt ergo sorores ejus ad ipsum, dicentes, Domine, ecce, *is* quem amas, ægrotat.
4 Jesus autem *hoc* audito, dixit, Morbus iste
non est *immissus* c ad mortem, sed pro Dei gloria,
ut per eum *morbum* glorificetur Filius Dei.
5 Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus, & Lazarum.
6 d Ut ergo audivit *illum* ægrotare, tum quidem mansit duos dies in eo loco ubi erat:
7 Deinde posteà dixit discipulis, Eamus in
Judæam rursus.
8 e Dicunt ei discipuli, Rabbi, modò studebant te Judæi lapidare, & rursum illuc abis?
9 Respondit Jesus, f Nónne duodecim sunt
horæ diei? si quis ambulet interdiu, non impingit:
quia lucem hujus mundi videt:
10 Siquis autem ambulet nocte, impingit:
quia lux ei non adest.
11 Hæc ait: & posteà dixit eis, Lazarus, amicus ille noster, g dormit: sed proficiscor ut à
somno excitem eum.
12 Dixerunt ergo discipuli ejus, Domine, si
dormit, servabitur.
13 Hoc autem dixerat Jesus de ipsius morte:
at illi putârunt eum de dormitione somni dicere.
14 Tunc ergo Jesus dixit eis apertè, Lazarus
mortuus est.
15 Et gaudeo propter vos (ut credatis) me
illic non fuisse. sed eamus ad eum.
16 Dixit autem Thomas qui dicitur Didymus,
condiscipulis, Eamus & nos, ut moriamur cum eo.
17 Venit ergo Jesus, & invenit eum quartum jam diem in monumento agere.

ERat autem quidam qui infirmus erat, Laazar
ex Beth-Ania pago, frater Mariam & Marthæ.
2 (Mariam autem, est illa quæ unxit unguento
pedes Jeschua, & extersit capillis suis, frater
inquam erat hujus Laazar qui 1 infirmabatur.)
3 Et miserunt ambæ sorores ejus ad Jeschua,
& dicunt, Domine noster, ecce, is quem diligis,
infirmatur.
4 Jeschua autem dixit, Hæc infirmitas non
est mortis, sed 2 pro gloria Dei, ut glorificetur
Filius Dei propter eam.
5 Diligebat autem ipse Jeschua Martham
& Mariam & Laazar.
6 Et quum audivisset quod infirmaretur,
mansit in loco ubi erat, duobus diebus.
7 Et posteà dixit discipulis suis, Venite, eamus rursus in Judæam.
8 Dicunt ei discipuli ejus, Domine noster,
nunc Judæi quærebant lapidare te, & rursus abis
tu illuc?
9 Dixit eis Jeschua, Nónne duodecim horæ
sunt in die? Et siquis ambulat in die, non impingit: quia videt lucem mundi hujus.
10 Siquis autem in nocte ambulaverit, impingit: eo quòd lux non est in eo.
11 Hæc dixit Jeschua: & posteà dixit eis,
Laazar amicus noster dormit: sed ibo ut expergefaciam eum.
12 Dicunt ei discipuli ejus, Domine noster, si
dormit, sanus fit.
13 Ipse autem Jeschua dixerat de morte ejus:
& illi putaverunt quòd de dormitione ipsa somni
loqueretur.
14 Tunc dixit eis Jeschua expressè, Laazar
3 mortuus est.
15 Et gaudeo quòd non fui illic, propter vos,
ut credatis: sed ambulate illuc.
16 Dixit Thauma qui dicitur Gemellus, discipulis sociis suis, Eamus etiam nos, moriamur
cum eo.
17 Et venit Jeschua in Beth-Aniam: & invenit quòd quartus erat ei dies quo erat in loco
sepulcri.

1 F. Syrè, infirmus erat, morbo detinebatur, ut sequente versu.
2 F. nempe est, obvenit, aut siquid aliud ejusmodi. Ellipsis, de qua in Matth. 26.56.
3 F. Syrè, mortuus est sibi. Pleonasmus, de quo in Matt. 4.10.

18 (Erat autem Beth-Anja juxta Urischelem, dissita ab ea quasi stadiis quindecim)
19 Et multi ex Judæis venerant ad Martham & Mariam ut [4] loquorentur cum corde earum, propter fratrem earum.
20 Martha autem quum audivisset quòd Jeschua veniret, exivit in occursum ejus: Mariam verò domi sedebat.
21 Et dixit Martha Jeschua, Domine mi, si hic fuisses, non fuisset mortuus frater meus.
22 Sed etiam nunc scio quòd quantum petieris à Deo, dabit tibi.
23 Dixit ei Jeschua, Surrecturus est frater tuus.
24 Dixit ei Martha, Scio quòd surrecturus est in [5] consolatione, in die ultimo.
25 Dixit ei Jeschua, ego sum consolatio & vita: & is qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, vivet:
26 Et omnis qui vivit, & credit in me, in æternum non morietur. Credis tu hoc?
27 Dixit ei, Etiam Domine mi, ego credo quòd tu es Christus, Filius Dei, qui venturus erat in mundum.
28 Et quum dixisset hæc, abiens vocavit Mariam sororem suam clam; & dixit ei, Dominus noster venit, & vocat te.
29 Et Mariam, quum audivit, surrexit citò, & veniebat ad eum.
30 Ipse autẽ Jeschua nondũ venerat ad pagũ, sed in eo ipso loco erat ubi occurrerat ei Martha.
31 Porrò illi etiam Judæi qui erant cum ea in domo, qui consolabantur eam, quum viderunt Mariam quòd citò surgens egressa esset, [6] abiverunt post eam, putabant enim quòd ad sepulcrum iret ad flendum.
32 Ipsa verò Mariam, quum venisset eò ubi erat Jeschua, & videret eum, procidit ad pedes ejus, & dixit ei, Si hic fuisses Domine mi, non mortuus fuisset frater meus.
33 Jeschua autem quum vidisset quòd fleret, & Judæos illos qui venerant cum ea, quòd flerent, [7] vehementer commotus est in spiritu suo, & turbavit seipsum,
34 Ac dixit, Ubi posuistis eum? & dicunt ei, Domine noster veni, vide.
35 Et veniebant lacrymæ Jeschua.
36 Et dicebant Judæi, Videte quantum diligebat eum.
37 Quidam autem ex eis dixerunt, Non poterat hic qui aperuit oculos illius cæci, facere ut etiam hic non moreretur?
38 Jeschua autem, quum vehementer commotus esset intra seipsum, venit ad locum sepulcri. Et ille locus sepulcri erat spelunca: & lapis positus erat ad ostium ejus.
39 Et dixit Jeschua, Tollite lapidem hunc. Dixit ei Martha soror illius mortui, Domine mi, jam fœtet, quatuor enim ei sunt dies.
40 Dixit ei Jeschua, Nonne dixi tibi quòd si credideris, visura sis gloriam Dei?
41 Et tulerunt lapidem illum. Et ipse Jeschua sustulit oculos suos sursum, ac dixit, Pater, gratias ago tibi quòd exaudisti me:
42 Et ego novi quòd omni tempore exaudis me: sed propter turbam hanc quæ adstat, dixi hæc, ut credant quòd tu miseris me.
43 Et quum dixisset hæc, clamavit voce elata, Lazar, veni foras.
44 Et egressus est ille mortuus, quum essent ligatæ manus ejus & pedes ejus fasciis, & facies ejus sudario. Dixit eis Jeschua, Solvite eum, & sinite abeant.
45 Et multi ex Judęis qui venerant ad Mariam, quum

[4] Id est, Consolarentur eas de morte fratris, & acerbitatem animi earum delenirent. Phrasis est Hebræa, quam habes Hos. 2.14. & Isaiæ 40.2.

[5] Diem resumtionis corporum & generalis resurrectionis, diem consolationis vocat: quia complementum afferet gaudii electorum, Vide Luc. 21.28. & Rom. 8.23.

[6] Id est, Sequuti sunt eam.

[7] אנחנו Eodem sensu legitur infrà 13,21.

18 Erat autem Bethania prope Hierosolymam fere stadiis quindecim:
19 [h] Multiq; ex Judæis venerant ad Martham & Mariam ut consolarentur eas de fratre suo.
20 Martha ergo ut audivit Jesum venire, occurrit ei: Maria verò domi sedebat.
21 Dixit autem Martha Jesu, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus:
22 Sed & nunc scio fore ut quæcumque petieris à Deo, det tibi.
23 Dicit ei Jesus, [i] Resurget frater tuus.
24 Dicit ei Martha, Scio resurrecturum [f] in resurrectione ultimo illo die.
25 Dixit ei Jesus, Ego sum resurrectio & vita: [g] qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet:
26 Et quisquis vivit, & credit in me, non morietur in eternum, Credis hoc?
27 Ait illi, Etiam Domine, ego credo te esse Christum illum Filium illum Dei, qui in mundum venturus erat.
28 Et quum hæc dixisset, abiit, & clam vocavit Mariam sororem suam, dicens, Præceptor adest, & te vocat.
29 Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum.
30 (Nondum autem venerat Jesus in vicum: sed erat in eo loco ubi occurrerat ei Martha)
31 Judæi ergo qui domi erant cum ea, & consolabantur eam, quum vidissent Mariam citò surrexisse, & exiisse, sequuti sunt eam, dicentes, Abit ad monumentum, ut illic fleat.
32 Maria verò quum venisset eò ubi erat Jesus, viso eo, accidit ad ejus pedes, dicens ei, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.
33 [k] Jesus autem ut vidit eam flentem, & Judæos, qui una venerant cum ea, flentes, [l] infremuit spiritu, & turbavit seipsum.
34 Et Dixit, Ubi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni & vide.
35 Lacrymatus est Jesus.
36 Dixerunt ergo Judæi, Ecce quomodo amabat eum.
37 Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic [m] qui aperuit oculos cæci, facere ut & iste non moreretur?
38 Jesus ergo rursum fremens apud semetipsum, venit ad monumentum. erat autem spelunca, & lapis erat ei impositus.
39 Ait Jesus, Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat, Domine, jam olet: quatuor enim dierum est.
40 Dicit ei Jesus, Nonne dixi tibi, fore, si credideris, ut videas gloriam Dei?
41 Sustulerunt ergo lapidem è *loco* ubi mortuus ille fuerat, positus. Jesus autem sustulit sursum oculos, & dixit, Pater, gratias ago tibi quod me audieris.
42 Ego verò sciebam me semper à te audiri: sed propter turbam circumstantem hoc dixi, ut credant me à te missum esse.
43 Et quum hæc dixisset, clamavit voce magna, Lazare, adesdum foras.
44 Tum qui fuerat mortuus, prodiit pedes & manus vinctus fasciis, facies autem ejus sudario erat obvincta. Dicit eis Jesus, Solvite eum, & sinite abire.
45 Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam, & conspexerant quæ fecerat Jesus, crediderunt

[h] z. Naturales affectus non damnat Deus naturæ opifex, sed ad fidei regulam exigendos docet.

[i] Resurgere proprie rursus surgere significat, in sermone autem Ecclesiastico pro vitæ recuperatione sumi solet.

[f] Sup. 5.29. Luc. 14.14.

[g] Sup. 6.15.

[k] z. Christus [illegible] cum carne nostra, humanos etiam omnes affectus (absque peccato [illegible]) & quidem [illegible] primis [illegible]

[l] Vehementissimæ commotionis indicium [illegible] peccato : [illegible] tem affectus [illegible] humanos [illegible] propria [illegible] Sup. 9.6.

derunt in eum.

46 [m] Quidam autem ex eis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecerat Jesus.

47 Coëgerunt ergo primarii Sacerdotes & Pharisæi [n] concilium, & dicebant, Quid agemus? nam hic homo multa signa edit.

48 Si omittimus eum ita, omnes ei credent: venientque Romani, & [o] delebunt tum locum nostrum, tum gentem.

49 [p] Unus autem ex ipsis, Caiaphas, Pontifex maximus anni illius, dixit eis, Vos nihil scitis:

50 [l] Nec cogitatis conducere nobis [q] ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat.

51 [r] Hoc autem ex semetipso non dixit: sed quum esset Pontifex maximus anni illius, prophetavit fore ut Jesus pro gente moreretur:

52 Nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei [f] dispersos cogeret in unum.

53 [t] Ab illo ergo die consultabant una ut trucidarent eum.

54 Jesus ergo palam amplius non versabatur inter Judæos: sed abiit illinc in regionem quæ est prope desertum, in urbem quæ dicitur Ephraim: & illic agebat cum discipulis suis.

55 Prope autem erat Pascha Judæorum: & ascenderunt multi Hierosolymam ex illa regione ante Pascha, ut purificarent se.

56 Quærebant ergo Jesum, & loquebantur alii cum aliis in templo stantes, Quid videtur vobis, an venturum non esse ad festum?

57 Dederant autem primarii Sacerdotes, & Pharisæi mandatum, ut siquis nosset ubi esset, indicaret, ut prehenderent eum.

quum vidissent id quod fecit Jeschua, crediderunt in eum.

46 Et quidam ex eis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quicquid fecisset Jeschua.

47 Et congregati sunt summi sacerdotes & Pharisæi, ac dicebant, Quid faciemus? quia hic homo signa multa facit.

48 Et si sinamus eum ita, omnes homines credituri sunt in eum, & venturi sunt Romani ablaturi locum nostrum & gentem nostram.

49 Unus autem ex eis, cujus nomen Cajapha, princeps sacerdotum erat illius anni, & dixit eis, Vos nescitis quicquam:

50 Neque cogitatis quod expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & non universus populus pereat.

51 Hoc autem ex voluntate sua ipsius non dicebat, sed quia princeps Sacerdotum erat illius anni, prophetavit quod futurum esset ut Jeschua moreretur [8] pro populo.

52 Et non tantum pro populo, sed ut etiam filios Dei dispersos congregaret in unum.

53 Et ab eo die cogitabant ut interficerent eũ.

54 Ipse autem Jeschua non ambulabat manifestè inter Judæos: sed abiit inde in locum qui est propinquus deserto, in opidum quod vocatur Ephrim: & illic versabatur cum discipulis suis.

55 Propinquum autem erat Petscha Judæorum. Et ascenderunt multi ex pagis ad Urischelem antè festum, ut purificarent seipsos:

56 Et quærebant Jeschua, ac dicebant unus cum alio in templo, Quid putatis vos? quòd non sit venturus ad festum?

57 Summi autem Sacerdotes & Pharisæi præceperant ut siquis sciret ubi esset, declararet eis, ut apprehenderent eum.

[m] B. Ferreæ contumaciæ hic est postremus exitus, ut apertum bellum Deo indicat, nec tamen desinat tum pietatis tum publici boni studium obtendere. [n] Synedris nomine utitur Johannes, quòd Judæi Sanhedrin vocârunt. [o] Ad verbum, tollent, id est, vi eripient. Nam erat adhuc quædam tunc administratio in populo Judaico, Pontificia admodum labefactata atque diminuta. [p] B. Insaniens falsæ Ecclesiæ cœtus, statuit se salvum esse non posse nisi eo sublato per quem unum Ecclesia subsistit: nec aliter etiam in humanis negotiis judicat carnis prudentia, quæ à vertiginis spiritu regitur. [l] Infr. 18.14. [q] B. Fuit tunc quasi bilinguis Caiaphas. Impium enim & crudele necandi Christi consilium, quod in animo conceptum habebat, evomuit. Deus verò linguam ejus aliò flexit, ut sub ambiguis verbis vaticinium simul proferret. voluit autem Deus ex sede pontificia manare cæleste oraculum, quo minus esset excusationis Judæis. [r] B. Christus impiorum etiam linguas sic interdum flectit, ut maledicendo benedicant. [f] Quia non erant ut Judæi in una regione coacti: sed ab Oriente ad Occidentem hinc & inde colligendi. [t] B. Cadendam quidem impiorum furori quum sit expedit, ita tamen ut à Dei vocatione minimè recedamus.

[8] F. vel pro populo ipso, ut sequente versu.

CAPUT XII.

2 Christo apud Lazarum cœnanti 3 pedes ungit Maria. 5 accusatur a Juda. 7 a Christo defenditur. 10 Sacerdotes Lazarum sublatum cupiunt. 12 Christo Jerosolymam venienti, 18 obviam itur. 20 Græci eum videre cupiunt. 42 Principes credentes in eum & non confitentes ob metum, 44 ad fidem hortatur.

IEsus [1] [a] ergo sex ante Pascha diebus venit in Bethaniam, ubi erat Lazarus ille qui fuerat mortuus, quem suscitaverat à mortuis.

2 Fecerunt igitur ei cœnam illic, & Martha ministrabat: Lazarus autem unus erat ex iis qui simul discumbebant cum eo.

3 Maria verò accepta libra unguenti nardi liquidæ multi pretii, unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: domus autem impleta est odore unguenti.

4 [c] Dixit ergo quidam ex discipulis ejus, nempe Judas Simonis *filius*, Iscariotes, qui erat eum proditurus,

5 Quare hoc unguentum non vænüt trecentis denariis, & datum est pauperibus?

6 Dixit autem hoc, non quod pauperum ipsi cura esset, sed quia fur erat, [1] & marsupium habebat, & ea quæ immittebantur gestabat.

7 [?] Dixit ergo Jesus, Omitte eam, in diem funerationis meæ servavit istud.

8 Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me verò non semper habebitis.

9 [c] Cognovit ergo turba multa ex Judæis eum illic esse: & venerunt non propter Jesum tantum, sed etiam ut Lazarum viderent, quem excitarat à mortuis.

10 Consultârunt autem primarii Sacerdotes, ut Lazarum etiam trucidarent:

IEschua autem [1] sex dies Petschatis venit in Bethaniam, ubi erat Laazar ille quem excitaverat [2] à mortuis ipse Jeschua.

2 Et fecerunt ei illic cœnam: & Martha ministrabat, & Laazar unus ex accumbentibus erat qui erant cum eo.

3 Mariam autem tulit alabastrum unguenti nardi præstantis multi pretii, & unxit pedes Jeschuæ, & extersit crinibus suis pedes ejus: & impleta est domus ex odore unguenti illius.

4 Et dixit Jihuda Secarjuta unus ex discipulis ejus, is qui proditurus erat eum,

5 Quare non erat venditum unguentum hoc trecentis [3] denariis, & datum pauperibus?

6 Hoc autem dixit, nequaquam propterea quòd [4] propter pauperes sollicitudo erat ei, sed eo quòd fur erat, & marsupium penes eum erat, & id quod [5] incidebat in ipsum ipse portabat.

7 Dixit autem Jeschua, Sinite eam: in diem sepulturæ meæ servavit illud.

8 Omni enim tempore pauperes vobis erunt vobiscum: ego autẽ non omni tempore ero vobis.

9 Et audiverunt turbæ multæ ex Judæis quòd ibi esset Jeschua: & venerunt non propter Jeschuam tantùm, sed etiam ut viderent Laazar illum quem excitaverat à mortuis.

10 Et consultârunt summi sacerdotes ut etiam Laazar interficerent:

[1] Matt. 26. 7. Mar. 14. 3. [a] B. Exemplum horrendum in Juda, animi avaritia excæcati, & tamen pietatem prætendentis. [1] Infra 13. 29. [b] B. Extraordinariam unctionem, ut symbolicam, sic probat Dominus, ut testetur sese nec pompis externis, nec sumtuoso cultu, sed eleemosynis colendum. [c] B. Lucæ Evangelii sese patefaciente alii curiosi, alii (& quidem quos minimè oportuit) manifesti hostes deprehenduntur, alii impetu quodam correpti eum honorant, a quo sunt paulo pòst defecturi, paucissimi qua decet reverentia ipsum excipiunt: Christus intereà regnum suum spirituale inter medios inimicos auspicatur.

[1] Id est, Sex diebus antè Pascha. Syra phrasis. F. alii sic legunt, antè sex dies Petzchatis: id autem est, sextum diem. Hebraism. [2] Ad verb. De inter mortuos: Gallicè. *D'entre les morts.*

[3] Vide quæ de denario annotata sunt Matt. 18. 28. [4] F. vel de pauperibus cura esset ipsi. [5] i. Quod mittebatur.

11 Eo quòd multi ex Judæis propter eum abibant, & credebant in Jeschua.

12 Et die [6] alio turba multa quæ venerat ad festum, quum audivissent quòd Jeschua veniret ad Urischelem,

13 Tulerunt ramos palmarum, & egressi sunt obviam ei, & clamabant ac dicebant, [7] Auschanna, Benedictus sit qui venit in nomine Domini, rex Israjel.

14 [8] Invenit autem Jeschua asinum, & sedit super eum: sicut scriptum est,

15 Ne timeas filia Tzehijun: ecce, rex tuus venit tibi, & insidet super pullum filium asinæ.

16 Hęc autem non cognoverunt discipuli ejus eo tempore: sed, quum glorificatus esset Jeschua, meminerunt discipuli ejus quòd hęc scripta essent de eo, & [9] hæc fecissent ei.

17 Et testabatur turba illa quæ cum eo erat, quòd vocasset Laazar è sepulcro, & excitasset eum [10] à mortuis.

18 Propter hoc egressę sunt in occursũ ejus turbę multę, quòd audiverũt quòd signũ hoc fecisset.

19 Pharisæi autem dicebant [11] unus ad alium, Videtis vos quòd non proficitis quicquam? nam ecce, mundus universus [12] abiit post eum.

20 Erant autem etiam ex Gentibus quidam qui ascenderant ad adorandum in festo.

21 [13] Hi venerunt, accesserunt ad Philippum qui erat ex Beth-tzajada Galilææ, & rogaverunt eum, & dixerunt ei, Domine mi, desiderium nostrum est ut videamus Jeschua.

22 Et venit ipse Philippus, & dixit ipsi Andreę: & Andreas & Philippus dixerunt Jeschua.

23 Jeschua autem respondit, & dixit eis, Venit hora qua glorificetur Filius hominis.

24 Ammin ammin dico vobis quòd granum frumenti, nisi ceciderit, & mortuum fuerit in terra, ipsum solum remanet: si verò mortuum fuerit, fructus multos affert.

25 Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in mundo hoc, servabit eam in vitam quæ est in æternum.

26 Si mihi quis ministrat, [14] veniat post me, & ubi ego sum, illic erit etiam minister meus: qui mihi ministrat, honorabit eum Pater.

27 Nunc anima mea, ecce turbata est: & quid dicam? Pater mi, libera me ab hac hora: sed propterea veni in hanc horam.

28 Pater glorifica nomen tuum. Et vox audita est è cælo, Glorificavi, & rursus [15] glorifico.

29 Et turba quæ adstabat, audiverunt, & dixerunt, Tonitruum factum est. Alii autem dicebant, Angelus loquutus est cum eo.

30 Respondit Jeschua, & dixit eis, Non propter me facta est vox hæc, sed propter vos.

31 Nunc judicium est mundi hujus: nunc princeps mundi hujus ejicitur foras.

32 Et ego quum sublatus fuero à terra, attraham omnem hominem ad me.

33 Hoc autem dixit ut ostenderet qua morte moriturus esset.

34 Dicunt ei turbæ, Nos audivimus ex Lege quòd Christus in æternum manet: quomodo dicis tu futurum esse ut sustollatur Filius hominis? quis est iste Filius hominis?

35 Dixit eis Jeschua, Parum adhuc tempus lux vobiscum est: ambulate dum est vobis lux, ut non tenebræ apprehendant vos. Et qui ambulat in tenebris, non novit quò vadat.

36 Dum est vobis lux, credite in lucem, ut filii

lucis

[6] F. vel altero, id est, postero, ut ex Græco accipi constat oportere.
[7] Vide de Hoschanna Matt. 21,9.
[8] F. i. adeptus est, habuit, ex Hebræorum usu.
[9] F. nempe Judæi. Sed verbum plurale est sumtum impersonaliter Hebræo more.
[10] Ad verbum, De inter mortuos. Gallicè, *D'entre les morts*.
[11] Ad verb. Unus ad unum, Hebraism.
[12] i. Sequutus est eum, Hebraismus.
[13] F. vel hi, quum venissent, accesserunt, &c.
[14] i. Sequatur me, Hebraismus.
[15] F. ἐδόξασα legit Syrus, pro eo quod est, jam mox glorificaturus sum. vide in Matt. 17,11.

11 Quia multi ex Judæis propter eum abibant, & credebant in Jesum.

12 [d] [a] Postero die turba multa quæ venerat ad festum, quum audissent Jesum venire Hierosolymam,

13 Acceperunt termites palmarum, & prodierunt ei obviam, & clamabãt, Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, [e] Rex ille Israelis.

14 Nactus autem Jesus asellum, insedit ei, sicut scriptum est,

15 [b] Ne time filia Sionis: ecce, Rex ille tuus venit, insidens pullo asinæ.

16 Hæc autem non cognoverunt discipuli ejus primò: sed quum glorificatus esset Jesus, tunc recordati sunt hæc esse scripta de eo, & sese hæc illi præstitisse.

17 Testabatur verò turba quæ erat cum eo, quòd Lazarum vocasset è monumento, & suscitasset eum à mortuis.

18 Propterea etiam occurrit ei turba, quia audierat eum edidisse hoc signum.

19 [f] Pharisæi ergo dixerunt inter se, Videtisne nos nihil proficere? ecce, mundus eum sequutus est.

20 Erant autem quidam Græci ex iis qui [g] ascendunt ut adorent in festo.

21 Isti ergo venerunt ad Philippum qui *erat* à Bethsaida Galilææ, & rogârunt eum, dicentes, Domine, vellemus Jesum videre.

22 Venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dicunt Jesu.

23 Jesus autem respondit eis, dicens, Venit hora illa qua glorificetur Filius hominis.

24 [h] Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti ceciderit in terram, & [i] mortuum fuerit, ipsum solum manet: si verò mortuum fuerit, multum fructum adfert.

25 [l] Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam.

26 Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego fuero, illic & minister meus erit. & si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater.

27 [k] Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater, libera me [l] ab hac hora: sed propterea veni in horam hanc.

28 Pater, [m] glorifica nomen tuũ. Venit ergo vox è cælo, *dicens*, Et glorificavi, & rursus glorificabo.

29 Turba ergo quæ adstabat & audierat, dicebat tonitru esse factum. Alii dicebant, Angelus ei loquutus est.

30 [n] Respondit Jesus & dixit, Non propter me hæc vox exstitit, sed propter vos.

31 Nunc judicium adest mundi hujus: nunc princeps ille mundi hujus ejicietur foras.

32 Et ego si [o] sublatus fuero è terra, [p] omnes traham ad meipsum.

33 (Hoc autem dicebat, significans qua morte futurum erat ut moreretur)

34 Respondit ei turba, Nos audivimus ex Lege, [l] Christum [q] manere in æternum: quomodo igitur tu dicis oportere tolli Filium hominis? quis est iste Filius hominis?

35 [r] Dixit igitur eis Jesus, Adhuc parvo tempore [s] lux vobiscum est: ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebrę deprehendant, nam qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.

36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut

[d] Vide Matt. 21, [a] *Matt. 21,8. Mar. 11,8. Luc. 19,35.*
[e] i. Caput Ecclesiæ Dei.
[b] *Zach. 9,9.*
[f] B. Ii ipsi qui Christum conantur opprimere, fiunt ipsius gloriæ instrumenta.
[g] Juxta solennem consuetudinem. Gręci autem à Gentis nomine primò dicti sunt, posteà eo nomine sunt dicti omnes qui à religione Judæorum essent alieni, qui & Ethnici, falsarum scilicet religionum cultores.
[h] B. Mors Christi instar sationis fuit, quæ dum videtur ad interitum tritici tendere, causa est longè uberioris proventus. Nec verò alia est membrorum quàm capitis conditio.
[i] Moritur granum tritici, quum efficacitate soli mutatur, & fit radix frugiferi culmi.
[l] *Matt. 10,39. & 16,25. Mar. 8,35. Luc. 9,24. & 17,33.*
[k] B. Christus omnes nostris peccatis debitas pœnas luiturus hactenus vim suam non exerente divinitate, ut expiationi locum faceret horrore maledictionis Dei perculsus, exclamans, ad preces confugit, petit liberationem: & tamen Patris voluntatem & gloriam, ipso Patre cælitùs hanc obedientiam comprobante, rebus omnibus anteponit.
[l] Sub mortis instantis.
[m] Patris igitur gloria, est Christi gloria.
[n] B. Christus mortis suę genus, diaboli & mundi expugnationem, suum denique triumphum surdis prædicit.
[o] Usus est Christus verbo ambiguæ significationis, quod attollere, & è medio auferre significat. de sua enim morte admonere volebat. at aliter interpretari videntur Judæi. [p] Chrysost. & Theoph. omnes, ad omnes gentes referunt, id est, non tantùm ad Judæos. [l] *Psal. 89,37. & 110,4. & 117,2. Esa. 40,8. Eze. 37,25.* [q] Intellexerunt ergo verbum Tolli, Judęi, pro evanescere, & è medio tolli. [r] B. Immensa quidem Dei misericordia, sed cujus contemtum consequitur judicium planè horrendum. [s] Sup. 1,9.

f i. Lucis participes.

t B. Fides non est naturæ, sed gratiæ.
^{l} *Esa.* 53.1.
Rom. 10.16.
u Brachium Domini, est Evangelium, quod est potentia Dei in salutem omni credenti. Non est itaque brachium Domini retectum iis quorum Dominus cor non aperit.
^{l} *Esai.* 6.9.
Mat. 13.14.
Mar. 4.12.
Luc. 8.10.
Act. 28.26.
Rom. 11.8.
x B. Non modò pauci credunt, si cum incredulis comparentur, sed etiam ex iis paucis plerique (& quidem in primis maximi quique) homines magis verentur quàm Deum.
y Vide Luc. 23. 35.
^{l} *Suprà* 5.44.
z B. Summa Evangelii, ac proinde salutis, clamore ipsius Christi in media Hierusalem testata, hæc est, fide in Christum, ut unicum servatorem nobis à Patre destinatum, recumbere.

f filii lucis fiatis. Hęc loquutus est Jesus: & quum
abiisset, occultavit se ab eis.
37 t Quum autem tot signa coram eis edidisset, non credebant in eum:
38 Ut sermo Esaię prophetę impleretur, quem
dixit, ^{l} Domine, quis credidit sermoni nostro, &
u brachium Domini cui retectum est?
39 Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias,
40 ^{l} Excæcavit oculos eorum, & obduravit
corda eorum: ne videant oculis, & intelligant
corde, & sese convertant, & sanem eos.
41 Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam
ejus, & loquutus est de eo.
42 x Verumtamen etiam ex y primoribus
multi crediderunt in eum: sed propter Pharisęos
hoc non profitebantur, ne synagoga moverentur.
43 ^{l} Dilexerunt enim gloriam hominum potiùs quàm gloriam Dei.
44 z Jesus autem clamavit & dixit, Qui credit in me, a non credit in me, sed in eum qui misit me.
45 Et qui conspicit me, conspicit eum qui misit me.
46 ^{l} Ego lux in mundum veni, ut quisquis credit in me, in tenebris non maneat.
47 ^{l} Siquis autem audierit verba mea, & non
crediderit, ego non damno ipsum. Non enim veni
ut damnem mundum, sed ut servem mundum.
48 Qui rejicit me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipsum: ^{l} sermo quem loquutus sum, ille damnabit eum ultimo illo die.
49 Quia ego ex meipso non sum loquutus: sed
qui misit me Pater, ipse mihi mandavit quid dicam & quid loquar.
50 Et scio mandatum ejus vitam æternam
esse. quæ igitur ego loquor, prout dixit mihi Pater, ita loquor.

lucis sitis. Hæc loquutus est Jeschua: & abiens
occultavit se ab eis.
37 Et, quum hæc omnia signa fecisset coram
eis, non crediderunt in eum:
38 Ut impleretur sermo Isaiæ prophetæ, qui
dixit, Domine mi, quis credidit [16] auditui nostro,
& brachium Domini cui revelatum est?
39 Propter hoc non poterant credere, quia
rursus dixit Isaias,
40 [17] Excæcaverunt oculos eorum, & obscurârunt cor eorum, ut non videant oculis suis, &
intelligant corde suo: & convertantur, ac sanem eos.
41 Hæc dixit Isaias quum vidit gloriam ejus,
& loquutus est de eo.
42 Multi autem ex principibus quoque crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, [18] ne essent extra synagogam.
43 Dilexerunt enim gloriam filiorum hominis potiùs quàm gloriam Dei.
44 Jeschua autem clamavit, ac dixit, Qui credit in me, nequaquam [19] in me credit, sed in eum
qui misit me.
45 Et qui me videt, videt eum qui misit me.
46 Ego lux veni in mundum, ut omnis qui
credit in me, non maneat in tenebris.
47 Et is qui audierit sermones meos, & non
servaverit eos, ego non judico eum: non enim veni ut judicem mundum, sed ut servem mundum.
48 Qui rejicit me, & non accepit sermones
meos, est qui judicat eum: sermo quem loquutus
sum, ipse judicaturus est eum in die ultimo.
49 Nam ego ex meipso non sum loquutus: sed
Pater qui misit me, ipse dedit mihi mandatum
quid dicam & quid loquar.
50 Et novi quòd mandatum ejus est vita quæ
est in æternum. Hęc igitur quæ loquor, sicut dixit
mihi Pater meus, ita loquor.

16 F. i. prædicationi & sermoni quem audit à nobis Metonymia Hebraica.
17 verba personalia absque recto: qui tamen ex usu Hebræorum in ipsis verbis continentur: ut sit plena oratio, Excæcârunt excæcantes, Obscurârunt obscurantes. Aut impersonaliter exponenda sunt & indefinitè. Gallicè, *On leur a aveuglé les yeux*, &c. vide Luc. 12.
18 i. Ne subirent judicium excommunicationis, & ejicerentur è synagoga.
19 F. putà solùm, Ellipsis, ut Matt. 9.37.

a Particula negans hoc loco nihil removet, sed corrigit potiùs, sic Marc. 9.37. ^{l} *Suprà* 3.19. & 9.39. ^{l} *Suprà* 3.17. ^{l} *Mat.* 6.16.

CAPUT XIII.

4 *A cœna surgens Christus,* 15 *humilitatem commendaturus Apostolis, pedes eorum lavat.* 21 *Proditorem Judam* 26 *certo signo denotat.* 34 *Charitatem commendat.* 37. 39 *& Petro lapsum abnegationis prædicit.*

a B. Christus non minùs certus victoriæ quàm certaminis imminentis, adhibito ablutionis pedum symbolo, partim quidem præbet summæ modestiæ exemplum, suamq; in discipulos singularem benevolentiam hoc insigni facto, mox ab iis discessurus, testatur: partim verò se unum esse testatur, qui suorum sordes abluat, idq; paulatim, & suis veluti momentis.
^{l} *Matt.* 26.2.
Mar. 14.1.
Luc. 22.1.
b Domesticos, i. sanctos.

ANte a ^{l} festum autem Paschæ, sciens Jesus venisse horam illam suam, qua digrederetur
ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset b suos illos qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos.
2 Et cœna peracta, (quum diabolus jam immisisset in cor Judæ *filii* Simonis, Iscariotæ, ut
proderet eum)
3 Sciens Jesus Patrem omnia dedisse sibi
c in manus, & se à Deo prodiisse, & ad Deum
abire:
4 d Surgit à cœna, & deponit e pallium: acceptoq; linteo, præcinxit se.
5 Deinde immisit aquam in pelvim, & cœpit
lavare pedes discipulorum, & extergere linteo
quo erat præcinctus.
6 Venit ergo ad Simonem Petrum: qui dixit
ei, Domine, tu mihi lavas pedes?
7 Respondit Jesus & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis nunc, cognosces autem posteà.
8 Dicit ei Petrus, Non lavabis meos pedes in

ANte festum autem Petschatis, sciebat Jeschua
quòd advenisset hora qua transiret ex hoc
mundo ad Patrem suum: [1] & dilexit suos qui
erant in hoc mundo, ac usque in finem dilexit eos.
2 Et, quum peracta esset cœna, injecerat se
Satanas in cor Jihuda, filii Schemeun, Secarjuta,
ut proderet eum.
3 Ipse autem Jeschua, quia sciebat quòd omnia dedisset Pater in manus ejus, & quòd à Deo
exivisset, & ad Deum abiret:
4 Surrexit à cœna, & posuit vestimenta sua,
& sublata sindone, cinxit ad lumbos suos.
5 Et [2] immisit aquam in pelluvium, & cœpit
lavare pedes discipulorum suorum: & tergebat
sindone quam cinxerat ad lumbos suos.
6 Quum autem pervenit ad Schemeun Kipha, dixit ei Schemeun, Tu Domine mi, pedes
meos [3] lavas mihi?
7 Respondit Jeschua, & dixit ei, Id quod facio ego, tu nescis nunc: posteà autem scies.
8 Dixit ei Schemeun Kipha, In æternum non

1 F. vel prout dilexerat suos qui erant in hoc mundo, usque in finem dilexit eos, & dilectione sua illa videlicet à malo servavit eos, cui addictus est Judas sequente versu.
2 Videri posset Christus sacrum otium Paschatis violasse, quum post initium festi, pedes discipulis lavit & abstersit. Hæc enim servilia opera videntur, atque ideo prohibita. Sed sciendum est lotionem pedum, ut etiam manuum & faciei, atque corporis quoque unctionem, inter servilia opera non fuisse commemorata, sicut docetur in Talmud, tractatu De quiete diei festi; quia hæc faciunt ad corporis quietem & voluptatem, cujus causa ex parte festos dies præceptos esse ajunt.

c In potestatem. d Quòd dicitur surrexesse Christus, indicat tempus intercessisse inter Paschæ ceremoniam, & istam ablutionem pedum, in quod spatium videatur sacræ Cœnæ institutio conferenda. e Summam vestem,

F. deinde verò actione hâc aut aliâ, quamvis servili, non interdicebat Lex in die Parasceves ad vesperam usque, seu tamen diebus septem azymorum, Exo. 12, 13. hi autem dies incipiebant ab ea vespera qua Petzcha Judæi comedebant. 3 F. vel laves: quod est evidentius.

loturus es mihi pedes meos. Dixit ei Jeschua, Si non lavem tibi, non est tibi mecum pars.

9 Dixit ei Schemeun Kipha, Ergo Domine mi, non tantùm pedes meos lavabis mihi, sed etiam manus meas, etiam caput meum.

10 Dixit ei Jeschua, Is qui lotus est non habet opus nisi ut pedes suos tantum lavet: totus enim mundus est, etiam vos toti mundi estis, sed non omnes vos.

11 Sciebat enim Jeschua illum qui proditurus erat eum, propter hoc dixit, Nequaquam vos omnes mundi estis.

12 Quum autem lavisset pedes eorum, sustulit vestimenta sua, & accubuit, ac dixit eis, Nostis quid fecerim vobis?

13 Vos vocatis me [4] dominatorem nostrum & dominum nostrum: ac benè dicitis: sum enim.

14 [5] Si ergo dominus vester & dominator vester lavit vobis pedes vestros, quanto magis vos debitores estis ut lavetis pedes unus alterius?

15 Hoc enim exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, etiam vos faciatis.

16 Ammin ammin dico vobis, quòd non est servus major quàm dominus ejus, neque legatus, qui major sit quàm is qui misit eum.

17 Si hæc noveritis, beati estis si feceritis ea.

18 [6] Nequaquam de vobis omnibus loquor: novi enim eos quos elegerim: sed ut scriptura impleatur, Qui comedit mecum panem, sustulit contra me calcaneum suum.

19 Ex hoc tempore dico vobis antequam fiat, ut quum factum fuerit, credatis quòd ego sim.

20 Ammin ammin dico vobis, quòd qui recipit eum quem mitto, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui misit me.

21 Hæc dixit Jeschua: & [7] vehementer commotus est in spiritu suo: & testatus est, ac dixit, Ammin ammin dico vobis quòd unus ex vobis prodet me.

22 Intuebantur autem discipuli ejus unus in alium, propterea quòd ignorabant de quo dixisset.

23 Erat autem ex discipulis ejus unus qui recumbebat in sinu ipsius, is quē diligebat Jeschua.

24 Huic innuit Schemeun Kipha ut interrogaret eum quisnam esset de quo dixisset.

25 Et [8] cecidit ille discipulus super pectus Jeschua, & dixit ei, Domine mi, quis est iste?

26 Respondit Jeschua, & dixit, Ille est cui intinctum panem ego do. Et intinxit Jeschua panem, & dedit Jihudæ, filio Schemeun, Secarjuta.

27 Et post *sumtum* panem, tunc ingressus est in eum Satanas: & dixit ei Jeschua, Id quod facturus es, fac citò.

28 Hoc autem nemo noverat ex illis discumbentibus propter quid dixisset ei.

29 Quidam enim ex eis putabant, quia marsupium [9] penes ipsum erat Jihuda, quòd [10] præcipiendo præciperet ei ut emeret aliquid necessarium ad festum: aut ut daret aliquid pauperibus.

30 Ipse autem Jihuda accepit panem eadem hora, & egressus est foras, nox autem [11] facta est quum egressus est.

31 Et dixit Jeschua, Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in ipso.

32 Et si Deus glorificatus est in eo, Deus quoque glorificaturus est eum in seipso, & statim glorificaturus est eum.

33 Filii mei, [12] exiguum adhuc *tempus* vobiscum sum: & quæretis me: & sicut dixi Judæis, Quò ego vado, vos non potestis venire, etiam vobis dico nunc.

34 Manda-

4 Duæ hæ voces מרן & רבן ejusdem sunt significationis: sed una erat usitatior Hebræis Hebraicè loquentibus, nempe רבן, alia verò Chaldaicè vel Syrè loquentibus. F. Evidentius tamen fuerit, si interpreteris, Magister noster, & dominus noster, ut Græcus cōtextus habet.

5 F. al. Si ego igitur Magister vester & Dominus vester lavi pedes, &c.

6 F. nempe quod dixi, non omnes vos mundi estis: sed eò loquor ut Scriptura impleatur, &c. id est, ut is de quo hæc jam olim prædicta sunt occasionem arripiat à nobis abeundi scelus illud deliberatum effecturus: quam in sententiam posteà dicit Christus, quod facturus es, fac citò, infrà vers. 27. Ellipsis, de qua in Matth. 26. 56.

7 Eodem sensu verbum hoc habetur sup. 11. 33.

8 Id est, Inclinavit caput in sinum Domini, ut quem vellet familiariùs, & occultiùs interrogare. Hebraismus.

9 F. Syrè, ad latus esset ipsius Jehudæ.

10 F. Id est, omnino ac præcisè illi præciperet, Hebraismus.

11 Ad verbum, Fuit vel Erat quum egressus est.

12 F. Id est, paulisper adhuc, Syra phrasi.

æternum. Respondit ei Jesus, Nisi lavero te, [f] nihil mecum habebis commune.

9 Dicit ei Simon Petrus, Domine, non solùm pedes meos, sed etiam manus & caput.

10 Dicit ei Jesus, Ei qui lotus est, non opus est nisi ut pedes lavet, sed est purus totus: [g] & vos puri estis, sed non omnes.

11 Norat enim eum à quo prodebatur: propterea dixit, Non estis puri omnes.

12 Postquam ergo lavisset pedes eorum, & pallium suum recepisset, rursum discubuit, & dixit eis, Nostisne quid fecerim vobis?

13 Vos me vocantes, *dicitis*, Præceptor ac domine, & rectè dicitis: sum enim.

14 Itaque si ego lavi pedes vestros Dominus & præceptor, vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare.

15 Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis, *ita* & vos faciatis.

16 [f] Amen amen dico vobis, Servus non est major Domino suo, neque legatus major eo à quo missus est.

17 Si hæc noveritis, beati eritis si ea feceritis.

18 [g] Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim: sed *oportet* ut impleatur Scriptura, [f] Qui edit mecum panem, sustulit adversum me [h] calcem suum.

19 Jam nunc dico vobis priusquam fiat, ut quum factum fuerit, credatis me *eum* esse.

20 [f] Amen amen dico vobis, quando aliquem misero, quisquis *eum* recipit, me recipit: qui verò me recipit, recipit eum qui me misit.

21 Quum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, & [i] testatus est, dixitque, Amen amen dico vobis, unus ex vobis prodet me.

22 [f] Discipuli ergo aspiciebant alii ad alios, dubitantes de quo diceret.

23 Erat autem quidam ex discipulis Jesu [k] recumbens in sinu ipsius, *nimirum* is quem diligebat Jesus.

24 Innuit ergo huic Simon Petrus *ut* percontaretur quisnam esset de quo diceret.

25 Ille verò quum incubuisset pectori Jesu, dicit ei, Domine, quis est?

26 Respondet Jesus, Ille est cui ego intinctam offulam dedero. Et quum intinxisset offulam, dedit Judæ *filio* Simonis Iscariotæ.

27 Et post *sumtam* offulam, tunc ingressus est in illum Satanas. Dicit igitur ei Jesus, Quod facis, mox facito.

28 Hoc autem nemo accumbentium intelligebat quorsum ei dixisset.

29 Quidam enim putabant, quia marsupium habebat Judas, Jesum ei dixisse, Eme quibus opus est nobis ad festum: aut egenis ut aliquid daret.

30 Ille igitur accepta offula, statim exivit. erat autem nox.

31 [l] Quum ergo exivisset, dicit Jesus, [m] Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in eo.

32 *Quòd* si Deus glorificatus est in eo, Deus quoque glorificabit eum in sese, & statim glorificabit eum.

33 [n] Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum. quæretis me: sed [f] sicut dixi Judæis, Quò ego vado, vos non potestis venire: *ita* & vobis nunc dico.

bra defluet. Intereà verò in primis curandum est, ut mutua cum charitate hujus vitæ cursum peragamus. [f] *Supra* 7. 34.

34 [f] Manda-

f Ad verbum, non habes partem mecum, id est, nisi lavacrum admiseris, non pertinet ad te pars ulla regni cælestis.

[f] *Supra* 15. 3.

[f] *Infra* 15. 20. *Matth.* 10. 24. *Luc.* 6. 40.

g F. Christus non temerè proditus est, sed Patre quidem ita nostræ salutis causâ ordinante, ut in Filio nos sibi reconciliaret, Filio verò ultrò & sponte Patri sese obsequente.

[f] *Psal.* 41. 10.

h Tollere calcaneum metaphoricè significat prodentis amicitiam aliquem per insidias adoriri, ut opprimatur incautus.

[f] *Matth.* 10. 40. *Luc.* 10. 16.

i Palam ac cum asseveratione loquutus est.

[f] *Matth.* 26. 21. *Mar.* 14. 18. *Luc.* 22. 21.

k Sic accubuit Johannes, ut caput haberet in suo lectulo versus caput Jesu: itaque facilè attingere potuit sinum Jesu: notum enim est veteres non solitos ad mensam sedere, sed recumbere.

l F. In Christi ignominia nobis consideranda est ipsius glorificatio.

m Hic versiculus & sequens illustre reddunt testimonium divinitatis Christi.

n F. Gloria illa æterna paulatim à capite in mem-

[n] *Infr.*15.12. *Levit.*19.18. *Mat.*22.39. 1.*Joh.*4.21.

34 [n] Mandatum novum do vobis, Ut alii alios
diligatis: sicut *inquam* dilexi vos, ut vos etiam di-
ligatis alii alios.
35 Ex hoc omnes cognoscent vos esse disci-
pulos meos, si charitatem habueritis alii in
alios.
36 [o] Dicit ei Simon Petrus, Domine, quò ab-
is? Respondit ei Jesus, [p] Quò abeo, non potes me
nunc sequi: posteà verò sequeris me.
37 Dicit ei Petrus, Domine, quare non pos-
sum te sequi nunc? animam meam pro te depo-
nam.
38 Respondit ei Jesus, Animam tuam pro me
depones? amen amen dico tibi, non emittet vo-
cem gallus donec ter me abnegaveris.

[o] B. Triste temeritatis fiduciæ exemplum.
[p] *Matt.*26.24. *Mar.*11.30. *Luc.*22.34.

34 Mandatum novum do vobis, ut diligatis
unus alium: sicut ego dilexi vos, etiam vos diliga-
tis unus alium.
35 In hoc cognoscet unusquisq; quòd discipuli
mei estis, si dilectio fuerit in vobis unius erga aliũ.
36 Dixit ei Schemeun Kipha, Domine noster,
quò vadis tu? Respondit Jeschua, & dixit ei, Quo
vado ego, non potes jam [13] venire post me: [14] in
fine autem [15] venies.
37 Dixit ei Schemeun Kipha, Domine mi,
[16] quare non possum venire post te? nunc [17] ani-
mam meam pro te positurus sum.
38 Dixit ei Jeschua, Animam tuã pro me positu-
rus es? Ammin ammin dico tibi, quòd non canta-
bit gallus donec abnegaveris me [18] tribus vicibus.

[13] Id est, Sequi me. Heb. aif.
[14] Y. id est, pòst, vel tandem.
[15] Id est, Sequêris.
[16] Y. al. quare non possum venire post te nunc? animam m. &c. sed aliter distinguit Syrus.
[17] Id est, vitam meam, Hebraismus.
[18] Ad verbum, Tribus temporibus.

CAPUT XIIII.

1 Consolatur discipulos suos, 2. 7 Divinitatem suam & fructum mortis suæ exponens, 16 Consolatorium 17 Spiritum promittens, 26 ejus officium describit, pacemq; suam pollicetur.

NE [a] turbator cor vestrum: creditis in Deum?
etiam in me credite.
2 In domo Patris mei [b] habitationes multæ
sunt: [c] alioqui dixissem vobis.
3 [d] Proficiscor paraturus vobis locum: &
quum profectus fuero, & paravero vobis locum,
[e] rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: ut
ubi ero ego, & vos sitis.
4 [f] Et quò ego abeam scitis, & viam scitis.
5 Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quò
abeas: quomodo igitur possumus viam scire?
6 Dicit ei Jesus, [g] Ego sum via illa, & illa veri-
tas, & vita illa: nemo venit ad Patrem nisi per me.
7 [h] Si nossetis me, Patrem etiam meum nos-
setis: & jam nunc nostis eum, & vidistis eum.
8 Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis
Patrem, & sufficit nobis.
9 Dicit ei Jesus, Tantum temporis vobiscum
sum, & non nostis me? Philippe, qui vidit me, vi-
dit Patrem: quomodo igitur tu dicis, Ostende no-
bis Patrem?
10 [i] Non credis me in Patre, & Patrem in
me esse? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso
non loquor: sed Pater qui in me manet, ipse fa-
cit opera.
11 Credite mihi me in Patre, & Patrem in me
esse: sin minùs, propter ipsa opera credite mihi.
12 [k] Amen amen dico vobis, qui credit in me,
opera quę ego facio, & ipse faciet, [l] & majora istis
faciet. Nam ego ad Patrem meum proficiscor.
13 [l] Et quicquid petieritis nomine meo, hoc
faciam: ut glorificetur Pater in Filio.
14 Siquid petieritis in nomine meo, ego fa-
ciam.
15 [m] Si diligitis me, mandata mea servate.
16 Ego verò rogabo Patrem, & alium advo-
catum dabit vobis ut maneat vobiscum in æter-
num:
17 *Nempe* Spiritum illum [n] veritatis, quem
[o] mundus non potest recipere, quia non conspicit
eum, nec novit eum: vos autem nostis eum, quia
apud vos manet, & in vobis erit.
18 Non relinquam vos orbos: redeo ad vos.
19 Adhuc paululum, & mundus me non am-
pliùs conspiciet, vos autem conspicietis me: quia
ego vivo, vos etiam vivetis.

[a] B. Is credit Deo qui Christo credit: nec alia est ratio animi in summis difficultatibus confirmandi. Christus non discessit à nobis ut nos desereret, sed potiùs ut nos secum in cælos tandem attolleret.
[b] Domicilia.
[c] i. Nisi ita esset ut dico, nempè, nisi in domo Patris mei non uni mihi, sed etiam vobis pateret locus, nollem hac vos vana spe deludere, sed ingenuè id vobis dixissem.
[d] Tota hæc oratio est allegorica, qua suos Dominus consolatur, significans se abire in cælum, non ut illic solus regnet, sed ut suis brevi sequuturis præeat.
[e] Ad universam Ecclesiam hæc sunt referenda, ideò Angeli dicebant discipulis attonitis, Quid statis defixis in cælum oculis? Jesus iste ita veniet, ut vidistis eum ascendere, Act.1.11. & passim in Scripturis plena consolatio Ecclesiæ in eum diem rejicitur, quo Deus erit omnia in omnibus, qui idcircò dies redemtionis dicitur.
[f] B. Unicus Christus via est ad veram & perennem vitam, quoniam is demum est in quo se patefacit Pater.

NE prematur cor vestrum; credite in Deum, &
in me credite.
2 Multę sunt mansiones in domo Patris mei:
[1] & si non, dixissem vobis: Nam vado ut parem
vobis locum.
3 [2] Rursus venturus sum, & assumam vos ad
me: ut ubi ego sum, vos quoque sitis.
4 Et quò ego abeam, scitis, & viam scitis.
5 Dixit ei Thauma, Domine noster, nesci-
mus quò abeas, & quomodo possumus viam
scire?
6 Dixit ei Jeschua, Ego sum via, & veritas, &
vita, nemo venit ad Patrem meum nisi per me.
7 Si me nossetis, etiam Patrem meum nosse-
tis: & ex hoc tempore cognoscitis eum, & vidi-
stis eum.
8 Dixit ei Philippus, Domine noster, ostende
nobis Patrem, & sat est nobis.
9 Dixit ei Jeschua, Hoc toto tempore vobis-
cum sum, & non cognovisti me Philippe? Is qui
me videt, videt Patrem; & quomodo tu dicis,
Ostende nobis Patrem?
10 Non credis tu quòd ego in Patre meo *sum*,
& Pater meus in me? Et sermones quos ego lo-
quor, ex meipso non loquor: Pater autem meus
qui in me manet, ipse facit opera hæc.
11 Credite quòd ego sum in Patre meo, &
Pater meus in me: sin minùs, saltem propter ope-
ra credite.
12 Ammin ammin dico vobis quòd qui cre-
dit in me, opera ea quæ ego facio, etiam ipse fa-
ciet, & quæ sunt majora quàm hæc, faciet: quia
ego ad Patrem meum abeo.
13 Et id quod petieritis in nomine meo, faci-
am vobis: ut glorificetur Pater in Filio suo.
14 Et, si petieritis à me in nomine meo, ego
faciam.
15 Si diligitis me, mandata mea servate.
16 Et ego petam à Patre meo, & alium Para-
cletum dabit vobis, ut sit vobiscum in æternum:
17 *Nempe* Spiritum veritatis quem mundus
non potest accipere, propterea quòd non videt
eum, neque novit eum: vos autem nostis eum,
quia apud vos manet, & in vobis est.
18 Non relicturus sum vos orphanos; ventu-
rus enim sum ad vos paulo pòst.
19 Et mundus nòn visurus est me: vos autem
videbitis me: quia ego vivo, vos quoque vivetis.

[1] Subaudi, Ita res haberet.
[2] Y. al. Quòd si abivero paraturus vobis locum, rursus venturus sum, &c. & ita legendum.

[g] Hoc dictum indicat Christi naturam, voluntatem, & officium. [h] Nosse Deum & videre Deum, eadem esse ex hoc loco probatur. quod autem dixit anteà, Deum nemo vidit unquam, intelligendum est extra Christum. est enim, ut inquit Chrysost. compendiosa ac facilis demonstratio naturæ Patris, ipse Filius. [i] B. Dei majestas in Christi tum doctrina tum factis se planè conspicuam præbet. [k] B. Virtutis Christi approbatio, non est in persona ipsius inclusa, sed per totum Ecclesiæ corpus diffusa. [l] i. non tantùm ea facio, sed etiam aliis concedere possum, ut majora faciant. [l] *Infr.*16.23. *Mat.*7.7. *mar.*11.24. [m] B. Is demũ ritè Christum amat qui ipsius mandatis paret. quod quia cum infinitis ærumnis est cõjunctum, ipse quamvis corpore absens, præsenti Spiritus sancti virtute suos solatur, quem incognitum aspernatur mundus. [n] Spiritus sanctus dicitur spiritus veritatis, ab effectis, quia veritatem inspirat: alioqui in seipso veritatem habet. [o] Homines mundani.

20 In

20 In

20 In illo die cognoscetis quòd ego in Patre
meo, & vos in me estis, atque ego in vobis sum.
21 Ille apud quem sunt mandata mea, & ser-
vat ea, ipse est amans mei. Ille autem qui amat
me, amabitur à Patre meo: & ego amabo eum, &
ostendam ei meipsum.
22 Dixit ei Jihuda, [3] nequaquam Secarjuta,
Domine mi, [4] quid est, nobis te ostensurum esse
teipsum, & nequaquam mundo?
23 Respondit Jeschua, & dixit ei, Is qui diligit
me, sermonem meum servat: & Pater meus dili-
get eum, & ad eum venturi sumus, & mansionem
apud eum facturi sumus.
24 Ille autem qui non diligit me, sermonem
meum non servat: & sermo hic quem auditis, ne-
quaquam est meus, sed Patris qui misit me.
25 Hæc loquutus sum vobiscum, quum apud
vos sum.
26 Ille autem Paracletus, Spiritus sanctus
quem missurus est Pater meus in nomine meo,
ille docebit vos omnia, & commonefaciet vos
omnium quæ dico vobis.
27 Pacem relinquo vobis, pacem meam do
vobis: nequaquam sicut dat mundus, ego do vo-
bis. Ne turbetur cor vestrum, neque formidet.
28 Audivistis quòd ego dixi vobis, Abeo, & re-
diturus sum ad vos. Si diligeretis me, gaudentes
essetis quòd abiturus sum ad Patrem meum: quia
Pater meus major est quàm ego.
29 Et nunc ecce dixi vobis priusquam fiat, ut
quum factum fuerit, credatis.
30 Deinceps non loquar vobiscum multa:
venit in me princeps mundi, & in me non est ei
quicquam.
31 Sed [5] ut cognoscat mundus quòd ego dili-
go Patrem meum, & sicut mandavit mihi Pater
meus, ita facio. Surgite, abeamus hinc.

20 In illo die vos cognoscetis [p] me esse in Pa-
tre meo, & vos in me, & me in vobis.
21 Qui tenet mandata mea, & servat illa, is est
qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à
Patre meo: & ego diligam eum, & ipsi [q] conspi-
cuum exhibebo meipsum.
22 [r] Dicit ei Judas, non *ille* Iscariotes, Do-
mine, quid est cur te sis nobis conspicuum exhi-
biturus, & non mundo?
23 Respondit Jesus, & dixit ei, Si quis diligit
me, sermonem meum servabit, & Pater meus di-
liget eum, & ad eum veniemus, & apud eum ha-
bitabimus.
24 Qui non diligit me, sermones meos non
servat: & sermo quem auditis, non est meus, sed
ejus qui misit me, *nempe* Patris.
25 [s] Hæc loquutus sum vobis, apud vos ma-
nens.
26 [t] Advocatus autem ille, *id est* Spiritus san-
ctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos
docebit omnia, & in memoriam revocabit vobis
omnia quæ dixi vobis.
27 [u] Pacem relinquo vobis, pacem illam me-
am do vobis non prout mundus dat, ego do vo-
bis. Ne turbator cor vestrum, neque formidato.
28 [x] Audivistis me dixisse vobis, Abeo & re-
deo ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique
quòd dixerim, proficiscor ad Patrem: nam pater
major me est.
29 Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut quum
factum fuerit, credatis.
30 [y] Non loquar amplius multa vobiscum: ve-
nit enim princeps mundi hujus, sed in me non
habet quicquam.
31 Sed ut norit mundus quòd ego Patrem di-
ligo, & prout mandavit mihi Pater, ita facio. Sur-
gite, abeamus hinc.

[3] P. i. Thaddæus cognominatus Lebbæus, vide in Matth. 10. 3.
[4] P. vel, quare nobis ostensurus es teipsum, &c.
[5] P. vel, ut cognoscat mundus quòd ego diligo Patrem meum, & sicut mandavit mihi Pater meus ita facio, surgite, abeamus hinc, putà in locum ubi fuit proditus, infrà 18. 1. Sic ostendit Christus se ad obsequium Patris paratum esse, & ultrò sese sistere pro peccatis nostris moriturum.

[p] Filius in Patre est coëssentialis modo, in discipulis respectu quodam, tamquam adjutor & opitulator.
[q] Me, quasi aspectabili cognitione exhibebo: est autem illa exhibitio non corporalis, sed spiritualis, & continua maxime perspicuitatis ... [illegible]
[r] ... [illegible] quærendum est cur his potius quàm illis patefiat Evangelium, sed ... [illegible]
[u] ... [illegible]
[x] Quod semel loquutus est Christus, ... [illegible]
[y] Infrà 15. 26. ... Verè omnis felicitas in uno Christo nobis obtingit.
... Tantùm abest ut discessum Christi à nobis secundum carnem ægre ferre debeamus, ut è contrario de eo nos gaudere oporteat, quum ex capitis glorificatione pendeat omnis membrorum benedictio. [x] Illud referendum est ad personam mediatoris, quo respectu Pater major est Filio. [y] B. Christus nō invitus, sed volens, non diabolo cedens, sed Patris decreto obediens mortem subiit. [z] Quasi dicat, me statim aggreditur Satan totis viribus, sed in me nihil habet juris, nec in me quicquam comperiet, quale se inventurum sperat.

CAPUT XV.

1 Vitis, 2 & palmitum similitudine, 5. 6 ostendit quomodo discipuli fructum ferre possint. 12. 17 Dilectionem mutuam commendat. 18 Ad patientiam in afflictionibus, 20 suo exemplo adhortatur.

Ego sum vitis [1] vera, & Pater meus est agricola.
2 Omnem palmitem qui in me fructus
non reddit, tollit: & eum qui reddit fructus, pur-
gat, ut fructus plurimos afferat.
3 Vos jam mundi estis propter sermonem
quem loquutus sum vobiscum.
4 Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes
non potest dare fructus à semetipso, nisi maneat
in vite: ita nec vos, nisi manseritis in me.
5 Ego sum vitis, & vos palmites. Qui ma-
net in me, & ego in eo, hic affert fructus pluri-
mos: quia nisi ego sim, non potestis facere quic-
quam.
6 Nisi autem quis maneat in me, ejicitur fo-
ras [a] sicut palmes qui aridus est, & colligentes
injiciunt eum in ignem, ut succendatur.
7 Si verò manseritis in me, & sermones mei
manserint in vobis, quicquid volueritis petere,
fiet vobis.
8 In hoc glorificatur Pater ut fructus multos
afferatis: & eritis discipuli mei.
9 Sicut dilexit me Pater meus, ego quoque
dilexi vos, manete in dilectione mea.
10 Si mandata mea servaveritis, manebitis in
dilectione mea: sicut ego servavi mandata Patris

Ego [z] sum vitis illa vera, & Pater meus est agri-
cola ille.
2 [a] Omnem palmitem in me non ferentem
fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, pur-
gat, ut plus fructus adferat.
3 Jam vos puri estis propter sermonem
quem loquutus sum vobis.
4 Manete in me, & ego in vobis *manebo:* sicut
palmes non potest ferre fructum à semetipso, *id
est* nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me
manseritis.
5 Ego sum vitis, vos palmites: is qui manet
in me, & in quo ego *maneo*, hic fert fructum mul-
tum: nam seorsim à me nihil potestis facere.
6 [f] Nisi quis in me manserit, abjectus extra
vineam, statim ut palmes arescet: deinde coguntur
isti *palmites*, & in ignem abjiciuntur, & ardent.
7 [b] Si manseritis in me, & verba mea in vobis
manserint, [f] quicquid volueritis, petite, & fiet vobis.
8 [c] In hac re glorificatus fuerit Pater meus,
ut fructū multum adferatis: & eritis mei discipuli.
9 [d] Prout dilexit me Pater, ita & ego dilexi
vos: [e] manete in illa mea charitate.
10 Si mandata mea servaveritis, manebitis in
charitate mea, sicut ego Patris mei mandata

[1] P. Syrè, veritatis.
[a] Syriaca verborum collocatio diversum sensum postulare videtur à Græco contextu, in quo dicitur palmes arefactus, quia à radice sit separatus, quum hic è diverso, exsectus dicatur quòd priùs esset aridus. Verùm ita exponitur Græca veritas, ne quis putet palmitem amputari nisi sterilem.

[z] ... Natura perditi & damnati, ... sumus, itaque ut vivamus & fructiferi simus, necesse est primùm omnium nos Patris manu Christo, velutì viti palmites, inseri: deinde insitos quotidiana meditatione Verbi & cruce putari: alioqui ne insitum quidem fuisse cuiquam proderit, nisi perpetuò viti adhærens succum inde hauserit.
[f] Matt. 13. 12.
[b] Supra 14. 13. ... 1. Joh. 5. 14.
[b] B. Is demum in Christo manet, qui in ipsius doctrina acquiescit, ac proinde veros fructus edit: pater autem vicissim istiusmodi homini nihil prorsus denegabit. [f] 1. Joh. 3. 22. [c] Quasi dicat, Ita glorificabitur pater meus, & ita demum eritis mei discipuli, si multū fructum attuleritis. [d] B. Charitas Patris in Filium & Filii in nos, & nostra tum in Deum tum in proximum perpetuo inter se nexu cohærent: nec quicquam est ex Patris. Prodit autem sese charitas ex effectis, cujus perfectissimum exemplar Christus ipse nobis suppeditat. [e] i. In illa charitate qua ego vos prosequor, ... autem ista charitas.

servavi, & maneo in ejus charitate.

11 Hæc loquutus sum vobis, ut gaudium illud meum in vobis maneat, & gaudium vestrum plenum fiat.

12 [f] Hoc est mandatum illud meum, ut diligatis alii alios, prout dilexi vos.

13 Majorem charitatem nullus habet, quàm istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis suis.

14 Vos amici mei eritis, si feceritis quæcumque ego mando vobis.

15 [f] Non ampliùs dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ipsius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.

16 [g] Non vos me [h] elegistis, sed ego elegi vos, & constitui [i] vos ut abeuntes fructum feratis, & fructus vester maneat: ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo, det vobis.

17 Hæc mando vobis, ut diligatis alii alios.

18 [i] Si mundus vos odit, scitis me priùs quàm vos, illis odio habitum.

19 Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret: quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.

20 Mementote sermonis illius quem ego dixi vobis, [†] Non est servus major domino suo. [†] si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.

21 [k] [†] Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum qui misit me.

22 [l] Si non venissem & loquutus essem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.

23 Qui me odit, *is* etiam Patrem meum odit.

24 Si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt tum me tum Patrem meum.

25 Sed *oportet* ut impleatur sermo qui in [m] Lege ipsorum scriptus est, [†] Oderunt me immeritò.

26 [n] Quum autem venerit Advocatus ille [†] quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus, *inquam*, ille veritatis, qui à Patre emanat, ille testabitur de me.

27 [o] Sed & vos testabimini, quoniam à principio mecum estis.

[†] *Suprà* 13.34. 1.*Thess* 4.9. 1.*Joh.* 3.11. & 4.21.

f 2. Evangelii doctrina sicut Christi voce prodita est, perfectissima est & absolutissima consilii Dei, quod ad salutem nostram attinet, declaratio, Apostolis commissa.

g 2. Christus auctor est ac conservator Evangelici ministerii ad finem usq; mundi. Est autem ministris in primis opus tum precibus, tum charitate mutua.

h Disertè hoc loco dicitur Salutem hominis esse solius favoris & benignitatis Dei æterni, & nullius meriti ipsorum.

[†] *Matt.* 28.19.

i 2. Non modò non perterrefacere, sed etiam confirmare fidos Christi ministros debet, quòd instar Domini sui sint mundo exosi.

[†] *Suprà* 13.16. *Matth.* 10.24.

[†] *Matth.* 24.9.

k 2. Odium mundi adversus Christum, ex mentis stupore, sponte tamen cæcutientis, oritur, ut mundus nihil planè habeat quod culpæ suæ prætexat.

[†] *Infrà* 16.4.

l Quasi dicat, Nisi venissem, isti coram Dei tribunali non desinerent dicere se fuisse religiosos & planè alienos à peccato: sed quum ad eos venerim, & me planè rejiciant, ereptum est illis quicquid suæ improbitati prætexuissent. m Aliquando legis nomine intelligitur Pentateuchus: hoc loco pro tota Scriptura: locus enim quem citat, legitur in Psalmorum libro. [†] *Psal.* 35.19. n 2. Adversus impiorum rabiem interiore testimonio Spiritus sancti perstatur: sed non alia vox est spiritus sancti quàm quæ Apostolorum ore sonat. [†] *Luc.* 24.49. *Suprà* 14.26. o Hoc additum est, ut sciamus plus fidei mereri Apostolos, quia oculati fuerunt eorum testes quæ annunciant.

mei, & maneo in dilectione ejus.

11 Hæc loquutus sum vobiscum, ut gaudium meum maneat in vobis, & impleatur gaudium vestrum.

12 Hoc est mandatum meum, ut diligatis unus alium, sicut ego dilexi vos.

13 Dilectio quæ major sit quàm hæc, non est, ut quis [3] animam suam ponat pro amicis.

14 Vos amici mei estis, si feceritis omnia quæ præcipio vobis.

15 Non ampliùs voco vos servos: quia servus nescit quid faciat Dominus suus. amicos autem meos vocavi vos: quia quicquid audivi à Patre meo, notum feci vobis.

16 Nequaquam vos elegistis me, sed ego ipse elegi vos, & posui vos, ut etiam vos [4] abeuntes afferretis fructus, & fructus vestri manerent: ut omnia quæ petieritis à Patre meo in nomine meo, daret vobis.

17 Hæc præcipio vobis, ut diligatis unus alium.

18 Et si mundus odit vos, scitote quòd priusquam vos, me odit.

19 Et si de mundo [5] fuissetis, mundus quod suum est, diligeret: sed non fuistis de mundo: ego enim elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.

20 Mementote sermonis quem ego dixi vobis, quòd non est servus qui major sit quàm dominus suus. Si me persequuti sunt, etiam vos persequentur: & si sermonem meum servaverunt, etiam vestrum servabunt.

21 Sed hæc omnia facient in vos propter nomen meum: quia non noverunt eum qui misit me.

22 Si ego non venissem, nec loquutus fuissem cum eis, non esset eis peccatum: nunc autem non est excusatio de peccatis suis.

23 Qui me odit, etiam Patrem meum odit.

24 Et si opera non fecissem ante oculos eorum quæ nemo alius fecit, [6] non esset peccatum: nunc autem & viderunt, & oderunt tum me, tum etiam Patrem meum:

25 Ut impleretur sermo qui scriptus est in Lege eorum: nempe, Oderunt me immeritò:

26 Quum autem venerit Paracletus ille quem ego missurus sum vobis à Patre meo, Spiritus veritatis ille qui à Patre meo procedit, ille testabitur de me.

27 Etiam vos testes estis, quia à principio mecum estis.

3 Id est, Vitam suam.

4 r. Syrè, eatis & adferatis, id est, pergatis adferre. Hebraismus.

5 r. vel essetis & iis sequentes versib. sed non estis de mundo.

6 r. al. non esset eis peccatum.

CAPUT XVI.

1 *Crucem prædicit discipulis.* 7 *Consolatorem promittens,* 8. 9. 13 *ejus officium describit.* 21 *Mulieri parienti afflictiones suorum comparat.*

HÆc [a] loquutus sum vobis, ut ne offendamini.

2 Movebunt vos synagogis: imò veniet tempus quum quisquis trucidabit vos, putabit *se* cultum præstare Deo.

3 Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

4 [†] Sed hæc loquutus sum vobis, ut quum venerit hora illa, memineritis eorum, *nempe* quòd ego *hæc* dixerim vobis. hæc autem vobis à principio non dixi, quia vobiscum eram.

5 Nunc autem abeo ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, *dicens*, Quò abis?

6 Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

a 2. Evangelii ministris non tantùm ab apertis hostibus, sed etiam ab iis ipsis qui domestici atq; adeò columnæ Ecclesiæ sibi videntur, quævis probra sunt expectanda.

[†] *Suprà* 15.21.

HÆc loquutus sum vobiscum, ne offenderemini.

2 Ejicient enim vos ex synagogis suis: & veniet hora ut quisquis interfecerit vos, arbitretur quòd oblationem offerat Deo.

3 Et hæc facient, quia non noverunt nec Patrem nec me.

4 Hæc loquutus sum vobiscum, ut quum venerit tempus eorum, memores sitis eorum, quòd ego dixi vobis. Hæc autem ab initio non dixi vobis, quia vobiscum eram.

5 Nunc autem abeo ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?

6 Dixi enim vobis hæc: & venit tristitia ac implevit corda vestra.

7 [b] Sed

7 Sed

7 Sed ego veritatem dico vobis, quòd expe-
dit vobis ut ego abeam. Si enim ego non abe-
am, Paracletus non est venturus ad vos: si autem
abeam, mittam eum ad vos.
8 Et quum venerit ille, arguet mundum de
peccato, & de justitia, & de judicio.
9 De peccato, quia non credunt in me.
10 De justitia autem, quia ad Patrem meum
abeo, & non rursus visuri estis me.
11 De judicio verò, quia princeps mundi hu-
jus judicatus est.
12 Rursus multum est mihi dicendum vobis:
sed non potestis comprehendere modò.
13 Quum venerit autem Spiritus veritatis, il-
le inducet vos in omnem veritatem. Non enim
loquetur ex mente sua ipsius, sed quicquid audi-
erit ipse loquetur, & futura nota faciet vobis.
14 Ille glorificabit me, quia de meo accipiet [1].
15 Quicquid est Patri meo, meum est: prop-
tereà dixi vobis quòd de meo accipiet, & annun-
ciabit vobis.
16 Paululum, & non videbitis me: & iterum
paululum, & videbitis me: quia abeo ad Patrem.
17 Et dicebant discipuli ejus unus ad alium,
Quid est hoc quod dixit nobis, Paululum, & non
videbitis me: &, iterum paululum, & videbitis
me: & Quia abeo ad Patrem meum?
18 Et dicebant, Quid est hoc paululũ quod
dixit? Nescimus quid loquatur.
19 Jeschua autem cognovit quòd quærebant
ut interrogarent eum, & dixit eis, De hoc quæri-
tis [2] mutuò inter vos, quod dixi vobis, Paululum,
& non videbitis me: & iterum paululum, & vide-
bitis me?
20 Ammin ammin dico vobis quòd flebitis
vos & lugebitis, & mundus gaudebit: ac vobis
tristitia erit, sed tristitia vestra in gaudium [3] erit.
21 Mulieri, quum parit, tristitia est ei, quia ve-
nit dies partus ejus: quum autem peperit filium,
non recordatur afflictionis suæ propter gaudium
quòd natus sit filius hominis in mundo.
22 Etiam vos, nunc tristitia est vobis: rursus
autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, &
gaudium vestrum nemo tollet à vobis.
23 Et in illo die me non interrogabitis quic-
quam. Ammin ammin dico vobis quòd quicquid
rogaveritis Patrem meum in nomine meo, dabit
vobis.
24 Usque nunc non petiistis quicquam in no-
mine meo, [4] neque quicquam. Petite, & accipie-
tis, ut sit gaudium vestrum plenum.
25 Hæc per parabolas loquutus sum vobis-
cum. Ventura est autem hora quando non lo-
quar vobiscum per parabolas, sed apertè declara-
bo vobis de Patre,
26 [5] In illo die quo petetis in nomine meo.
Et non dico vobis quòd ego rogabo Patrem pro
vobis.
27 Ipse enim Pater diligit vos, quia vos dile-
xistis me, & credidistis quòd ego à Patre exive-
rim.
28 Egressus sum à Patre, & veni in mundum:
& iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.
29 Dicunt ei discipuli ejus, Ecce jam mani-
festè loqueris, & parabolam ne unam quidem
dicis.
30 Nunc scimus quòd omnia scias, nec opus

1 ꝟ. alii addunt, & annunciabit vobis: quod non legebat Tremellius hic, sed tantùm sequente versu.

2 Ad verbum, Cũ uno unus, Hebraismus, id est, Unus cum altero.

3 i. Convertetur, Cedet.

4 Ita habet ad verbum: sed videtur esse repetitio ad majorem confirmationem, quasi dicat, Ita est ut dixi, nihil vos petiisse in nomine meo.
ꝟ. sed hoc ab aliis abest.

5 ꝟ. al. meliùs sine relativo, In illo die petetis, &c.

7 [b] Sed ego veritatem dico vobis, confert vo-
bis ut ego abeam. Nisi enim abiero, Advocatus
ille non veniet ad vos: sin autem profectus fue-
ro, mittam eum ad vos.
8 [c] Et quum venerit ille, [d] arguet [e] mundum
de peccato & de justitia & de judicio:
9 De peccato quidem, eo quòd non credunt
in me:
10 [f] De justitia verò, eo quòd ad Patrem ab-
eam, & ampliùs non conspicietis me:
11 [g] De judicio autem, [h] eo quòd princeps
hujus mundi condemnatus sit.
12 [i] Adhuc multa habeo quæ vobis dicam,
sed nunc non potestis portare.
13 Quum autem venerit ille, *id est* Spiritus il-
le veritatis, introducet vos in omnem veritatem.
non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque
audierit loquetur: & quæ ventura sunt, renuncia-
bit vobis.
14 [k] Ille me glorificabit, quia de meo accipi-
et, & renunciabit vobis.
15 Omnia quæ habet Pater, mea sunt: prop-
tereà dixi illum de meo accepturum & renunci-
aturum vobis.
16 [l m] Paulisper, & non conspicietis me: & rur-
sum paulisper, & videbitis me, [n] quia ego vado
ad Patrem.
17 Dixerunt ergo [n] *quidam* ex discipulis ejus
alii ad alios, Quid est hoc quod dicit nobis,
Paulisper, & non conspicietis me, & rursus, pau-
lisper, & videbitis me: &, Quia ego vado ad Pa-
trem?
18 Dicebant ergo, Quid illud est quod dicit
paulisper? nescimus quid loquatur.
19 Cognovit autem Jesus eos velle ipsum in-
terrogare, & dixit eis, De hoc quæritis inter vos,
quòd dixi, Paulisper, & non conspicietis me: &
iterum, paulisper, & videbitis me?
20 Amen amen dico vobis, flebitis vos, & la-
mentabimini, mundus autem gaudebit: vos verò
tristes eritis, sed tristitia vestra evadet in gaudiũ.
21 Mulier, quum parit, dolorem habet, quoni-
am advenit hora ejus: postquam autem peperit
puerulum, jam non meminit afflictionis, propter
gaudium quòd homo sit natus in mundum.
22 Et vos igitur nunc quidem tristitia tene-
mini: sed rursum videbo vos, & gaudebit cor ve-
strum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis,
23 [o] Et illo die me non interrogabitis quicquã.
[p] Amen amen dico vobis, quæcumq; petieritis à
Patre in nomine meo, dabit vobis.
24 Usq; adhuc non petiistis quicquam in no-
mine meo: petite, & accipietis, ut gaudium ve-
strum sit plenum.
25 Hæc loquutus sum vobis per similitudines:
venit tempus quum non ampliùs per similitudi-
nes loquar vobis, sed apertè de Patre meo re-
nunciabo vobis.
26 [p] Illo die in nomine meo petetis: & non
dico vobis me rogaturum Patrem pro vobis.
27 Ipse enim Pater amat vos, quia vos me a-
mastis, [r] & credidistis me à Deo prodiisse.
28 Prodii à Patre, & veni in mundum: iterum
relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.
29 [q] Dicunt ei discipuli ejus, Ecce, nunc aper-
tè loqueris, nec similitudinem ullam dicis.
30 Nunc scimus te scire omnia, nec opus esse

[b] ꝟ. Christi absentia secundùm carnem, Ecclesiæ utilis, ut a spirituali ipsius virtute toti pendeamus.

[c] ꝟ. Spiritus Dei ita est in prædicatione Verbi efficax, ut mundum etiam invitum tandem cogat & suam injustitiam & Christi justitiam ac omnipotentiam fateri.

[d] Convincet ita ut nihil habeat quod prætexat.

[e] Respicit tempus illud quod ipsam ascensionẽ consequutum est, quũ effuso in Ecclesia Spiritu omnes contradicentes manifestò coarguit. Convicti autem fuere ipsi Christi hostes peccati, quũ coacti sunt profiteri se in eo errasse quòd non credidissent, ideò dicebant Petro, Act. 2, Quid faciemus viri fratres?

[f] Ipsius Christi: quum enim mundus videbat per me Spiritum effusum, fateri cogetur, me justum fuisse, qui ex hoc mũdo discedens, non fuerim damnatus à Patre.

[g] De auctoritate illa ac potestate quam ego tunc obtinebo in cælo & in terra.

[h] i. Quia reipsa intelligent & cognoscent me, diabolo superato, imperium in mundo exercere, quum viderint omnes sese frustrà vobis opponere, quoniam vos armabo virtute illa cælesti, quia destruetis omnem celsitudinem quæ extollitur adversus cognitionem Dei. Vide 2. Corinth. 10. 5.

[i] ꝟ. Apostolica doctrina à Spiritu sancto profecta est, & quidẽ omnibus suis numeris absoluta.

[k] ꝟ. Spiritus sanctus nullam novam doctrinam affert, sed Christi voce tradita docet, & animis insculpit.

[l] ꝟ. Gratia spiritus sancti, vivum est speculum in quo verè conspicitur Christus, perspicacissimis videlicet fidei, non autem lusciosis illis carnis oculis: unde perenne gaudium in mediis etiam doloribus sentitur. [m] Ubi paululum temporis præterierit. [n] Quia transeo ad æternam gloriam: unde futurum est ut vobis adsim multò magis quàm anteà. Tunc enim verè, quis & quantus sim, experiemini. [o] ꝟ. Spiritus sanctus ab ascensione Christi in Apostolos effusus, summa quæque mysteria & salutis nostræ arcana, tum ipsos, tum etiam Ecclesiam per ipsos erudiit, & ad finem usque seculorum erudiet. [p] *Supra 14. 13. matth. 7. 7. & 21. 22. mar. 11. 24. luc. 11. 9. jac. 1. 5.* [p] ꝟ. Summa cultus Dei, est invocatio Patris in nomine Filii mediatoris, qui jam exauditus est pro nobis, pro quibus & exinanitus fuit, & nunc glorificatus. [r] *Infra 17. 8.* [q] ꝟ. Fides & stolida securitas plurimùm distant.

tibi ut quis te interroget: per hoc credimus te à Deo prodiisse.
31 Respondit eis Jesus, Nunc creditis?
32 [r] [l] Ecce veniet tempus, & jam venit, quum dispergemini unusquisque ad sua, meque solum relinquetis: sed non sum solus: nam Pater mecum est.
33 [f] Hæc loquutus sum vobis ut [t] in me pacem habeatis. in mundo oppressionem habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

habes ut quis interroget te, in hoc credimus quod à Deo exiveris.
31 Dixit eis Jeschua, [6] Credite?
32 Quòd ecce, ventura est hora, & jam venit, quòd dispergemini quisq; in locum suum, & relinquetis me solum: & non sum solus, quia Pater mecum est.
33 Hæc dixi vobis ut in me sit vobis pax. in mundo futura est vobis afflictio: [7] sed bono animo sitis, ego vici mundum.

[r] B. Christi virtuti nihil detrahit neque mundi improbitas, neq; suorũ imbecillitas. [l] Matth. 26.31. mar. 14.27. [f] B. Ex unius Christi victoria pendet Ecclesiæ firmitas. [t] In me prorsus conquiescatis; Pax enim hoc loco opponitur perturbationi ac tristitiæ.

[6] F. vel credite: nam ecce ventura est hora, &c. q.d. verè jam credatis opus est, & vos hortor ad fidem: hac enim maximè ad instantes afflictiones opus habebitis: quòd posteà versu 33. ampliùs exponitur. [7] Ad verbum, Recipite cor. Gallicè, *Prenez courage.*

CAPUT XVII.

1 *Orat Christus ut mutua sit illustratio gloriæ suæ & Patris.* 6 *Orat pro Apostolis,* 20 *& toto universali grege.*

HÆc [a] loquutus est Jesus, & sustulit oculos suos in cælum, dixitque, [b] Pater, venit hora illa, glorifica Filium tuum, ut & te Filius tuus glorificet:
2 [l] Sicut dedisti ei auctoritatem *in* [c] omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.
3 Hæc est autem vita æterna, [d] ut te cognoscant *esse* illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.
4 Ego te glorificavi in terra: opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem:
5 Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria quam habui apud te priùs quàm mundus esset.
6 [e] Manifestum feci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi *selectos* è mundo: [f] tui erant, & [g] mihi eos dedisti; & sermonem tuum servârunt.
7 [l] Nunc noverunt omnia quæ dedisti mihi à te esse.
8 Quia verba quæ tradidisti mihi, tradidi eis: & ipsi receperunt: & verè norunt me à te prodiisse, & crediderunt me à te missum esse.
9 Ego pro eis rogo: [h] non pro mundo rogo, sed pro *iis* quos dedisti mihi, quia tui sunt.
10 Et mea omnia, tua sunt, & tua, mea sunt: & glorificatus sum in eis.
11 Et non sum ampliùs in mundo, sed isti sunt in mundo, & ego ad te venio. Pater sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, [i] ut sint unum prout *&* nos.
12 Quum essem cum eis in mundo, ego servabam eos per nomen tuum: quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditionis: [l] ut Scriptura impleretur.
13 Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum plenum apud se.
14 Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt ex mundo, prout & ego non sum ex mundo.
15 [k] Non rogo ut tollas eos è mundo, sed ut serves eos à Malo illo.
16 Ex mundo non sunt, prout & ego non sum ex mundo.
17 [l] Sanctifica eos tua veritate: sermo ille tuus veritas est.
18 [m] Sicut me misisti in mundum, *ita* & ego

HÆc loquutus est Jeschua, & sustulit oculos suos in cælum, ac dixit, Pater mi, venit [1] hora: glorifica Filium tuum, ut Filius tuus glorificet te.
2 Sicut dedisti ei potestatem super omnem carnem, ut omni quod dedisti ei, det vitam quæ est in æternum.
3 Hæc est autem vita quæ est in æternum, ut agnoscant te qui es [2] Deus verus solus, & eum quem misisti, Jeschua Christum.
4 Ego glorificavi te in terra: opus illud quod dedisti mihi ut facerem, perfeci.
5 Et nunc glorifica me tu Pater mi apud te, ea gloria quæ erat mihi apud te antequàm esset mundus.
6 Notum feci nomen tuum filiis hominis, illis quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi dedisti eos, & servaverunt sermonem tuum.
7 Nunc novi quòd omne quod dedisti mihi, abs te est.
8 Quia sermones quos dedisti, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè quòd a te exivi, & crediderunt quòd tu misisti me.
9 Et ego pro eis oro. nequaquam pro mundo oro, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.
10 Et quicquid meum est, tuum est, & quod tuum *est*, meum est: & glorificor in eis.
11 Deinceps ampliùs non sum in mundo, & hi in mundo sunt, ac ego ad te venio. Pater sancte, serva eos per nomen tuum illud quod dedisti mihi, ut sint unum sicut nos.
12 Quando cum eis eram in mundo, ego servabam eos per nomen tuum. eos quos dedisti mihi servavi, & nemo ex iis periit nisi [3] filius perditionis, ut impleretur Scriptura.
13 Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut sit gaudium meum impletum in eis.
14 Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus odit eos: quia non sunt ex mundo, sicut ego non sum ex mundo.
15 Nequaquam ut tollas eos è mundo peto: sed ut serves eos ex malo.
16 Non enim sunt ex mundo, sicut ego non sum ex mundo.
17 Pater, sanctifica eos in veritate tua, quia sermo tuus veritas est.
18 Sicut me misisti in mundum, etiam ego

[a] B. Jesus Christus æternus Pontifex mox seipsum oblaturus, solennibus precibus seipsum, ut victimã, & nos una secum, Deo Patri consecrat. Itaque hæc precatio fuit à condito mundo, est, & erit ad finẽ usq; seculorum, Ecclesiæ Dei fundamentum.
[b] B. Præfatur sese, sicut in mundũ venit, in quo per fidem apprehenso gloriam suam servandis suis electis patefaceret Pater, ita huic uni rei studuisse, ac proinde petere ut absoluto suo operi benedicat Pater.
[l] Matth. 28. 18.
[c] In omnes homines.
[d] B. Patrem solũ verum Deum vocat, ut illum falsis omnibus diis opponat, non ut seipsum & Spiritum sanctum excludat, quum sui cognitionem statim cum Patris cognitione conjũgat, sed suo more totam divinitatem in Patris persona proponit. Sic Pater dicitur solus Rex immortalis, sapiens, habitans lucem inaccessam, invisibilis, Rom. 16. 27. 1. Tim. 1. 17.
[e] B. Primo loco precatur pro certis illis suis discipulis, per quos erat reliquos collecturus, eosque (repudiata semel omni reproborũ turba) Patri cõmendat, quòd ipse quidem eos ab illo sibi traditos in tutelam suam receperit: illi verò vicissim ejus doctrinam amplexi, tot tantosq; hostes sint habituri, ut sola ipsius ope salvi esse possint. [f] Æternam illam electionem declarat in ipso Dei beneplacito absconditam, quæ totius nostræ salutis est basis. [g] Indicat æterni illius & absconditi propositi declarationem in Christo factam, per quem demum fide apprehensum justificati sumus, & sanctificati, ut electionis gloriam tandem consequamur. [l] Sup. 16. 27. [h] Quomodo se non pro mundo orare dixerit, quum pro omnibus esset moriturus, & pro totius mundi peccatis propitiatio futurus: respondemus, preces quas pro omnibus concipit, restringi tamen ad Dei electos. Hunc & illum & singulos optare debemus salvos esse, atq; ita complecti totum humanum genus, quia nondum distinguere licet electos à reprobis, interea tamen, adventum regni Dei optando, simul precamur ut hostes suos perdat. [i] Concordiam & conjunctionem animorum tribus suis precatur, ut imitatione conjunctionis divinæ inter ipsos consensio sit. [l] Psal. 109. 8. [k] B. Modum liberationis hunc definit, non ut nulla pericula incurrant, sed ut ex omnibus servati, re ipsa experiantur veram esse doctrinam salutis quam ex ore ipsius acceperant aliis erant tradituri. [l] Id est, sanctos efficito. Sanctum autem dicitur quod Deo peculiariter devotum est ac consecratum. [m] B. Addit, communem secum esse Apostolis vocationem, ac proinde illos oportere ea ipsa virtute fulciri, ut sese totos Patri devoveant, qua ipse primus seipsum Patri consecrat.

[1] F. vel hora illa.
[2] F. Syrè, Deus veritatis solùm, id est, præter quẽ nullus est verus Deus in se & veritatis effector. Id enim de Patre verum est respectu personarum S. Trinitatis inter se, quòd Pater Deus veritatis est, ut prima causa & ortus etiam Filii. Sed quid si verba Græca ita construxeris? ἵνα γινώσκωσι τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, δηλονότι σὲ, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστὸν: ut agnoscant solum verum Deũ qui δοξαστοῖς & falsis opponitur, nimirum te, & eum quem misisti Jesum Christum: atque hoc ipsum articulo τὸν videtur confirmari.
[3] i. Addictus exitio. Hebraismus jam sæpiùs indicatus.

misi eos in mundum.
19 Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint etiam
ipsi sanctificati in veritate.
20 Et nequaquam pro iis rogo tantùm, sed e-
tiam pro illis qui credunt in me per sermonem
eorum.
21 Ut omnes sint unum, sicut tu (Pater mi) in
me, & ego in te: ut etiam ipsi in nobis unū sint:
ut credat mundus quòd tu miseris me.
22 Et ego gloriam quam dedisti mihi dedi eis,
ut sint unum, sicut nos unum sumus.
23 Ego in eis, & tu in me: ut sint perfecti in u-
num, & ut cognoscat mundus quòd tu misisti me,
& quòd dilexisti eos, sicut etiam me dilexisti.
24 Pater, eos quos dedisti mihi, volo ut in lo-
co ubi sum, etiam ipsi sint mecum, ut sint spectan-
tes gloriam meam illam quam dedisti mihi: quia
dilexisti me ante fundationem mundi.
25 Mi Pater juste, & mundus non novit te, ego
autem novi te: & hi noverūt quòd tu misisti me.
26 Et notum feci eis nomen tuum, & notum
facturus sum: ut dilectio ipsa qua dilexisti me, sit
in eis, & ego sim in eis.

misi eos in mundum.
19 Et eorum causa ego sanctifico meipsum;
ut sint & ipsi sanctificati [n] in veritate.
20 [o] Non tantùm autem pro istis rogo, sed &
pro iis qui per sermonem eorum credituri sunt
in me:
21 Ut omnes unum sint sicut tu Pater in me,
& ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint: ut cre-
dat mundus me à te missum esse.
22 Et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi
eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus.
23 Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati
in unum, & ut cognoscat mundus quòd tu me
miseris, & eos diligas, prout me dilexisti.
24 [‖] Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum
ego, & illi sint mecum: ut conspiciant gloriam il-
lam meam quam dedisti mihi: quia dilexisti me
ante jactum mundi fundamentum.
25 [p] Pater juste, mundus te non novit: ego
autem te novi, & hi noverūt me à te missum esse.
26 Et notum ipsis feci nomen tuum, & notum
faciam: ut charitas qua dilexisti me, sit in eis, &
ego in eis.

[n] Opponitur sanctificatio Christi vera, id est solida, externis purificationibus.
[o] B. Secundo loco offert Deo Patri suos omnes, id est, quotcumque in ipsum per Apostolorum doctrinam credent: ut sicut ipse cum Patre cohæret, omnem inde plenitudinem accipiens, ita & illi cū ipso conjuncti inde vitam hauriant, ac tandem in eo ipso simul dilecti, una etiam gloria cum ipso perfruantur.
‖ *Sup.* 12.26.
[p] B. Cognitio Patris, quæ est in Christo mediatore plenissima, paulatim ab eo suis communicatur, ut in ipso diligantur à Patre, eo ipso amore quo Filium complectitur.

CAPUT XVIII.

2 Christi, à Juda proditi, virtute 6 milites in terram prosternuntur. 13 Christus ad Annan: hinc ad Caiapham ducitur. 22. 23 Ministri bacillo cæsus, quid responderit. 28 Pilato traditus, 36 regnum suum declarat.

HÆc dixit Jeschua, & egressus est cum discipu-
lis suis [1] ad vadum [2] Kedrum, ubi erat hortus,
in quem ingressus est ipse & discipuli ejus.
2 Noverat autem etiam Jihuda proditor lo-
cum illum: quia [3] frequenter congregatus erat
ibi Jeschua cum discipulis suis.
3 Ipse igitur Jihuda accepit cohortem, & à
summis Sacerdotibus & Pharisæis accepit mini-
stros, & venit illuc cum laternis & lampadibus
& armis.
4 Jeschua autem qui sciebat omnia [4] quæ
ventura erant super se, egressus est, & dixit eis,
Quem quæritis?
5 Dicunt ei Jeschua Natzraja. Dixit eis Je-
schua, Ego sum. Stabat autem etiam Jihuda pro-
ditor cum illis.
6 Et quum dixisset eis Jeschua, Ego sum, ab-
ierunt retrorsum, & ceciderunt super terram.
7 Et rursum interrogavit eos Jeschua,
Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Jeschua
Natzraja.
8 Dixit eis Jeschua, Dixi vobis quòd ego
sum. & si me quæritis, sinite hos ut abeant.
9 Ut compleretur sermo [5] qui dicit, Quos de-
disti mihi, non perdidi ex eis ne unum quidem.
10 [6] Super Schemeun autem Cipham erat
gladius: & eduxit eum, & percussit servum prin-
cipis Sacerdotum, & abstulit ei aurem dexteram.
nomen autem servi *erat* Malech.
11 Et dixit Jeschua Ciphæ, [7] Pone gladium
tuum in vaginam ejus. Poculum quod [8] dedit
mihi Pater meus, non bibam?
12 Tum cohors & [9] tribunus & ministri Ju-
dæorum apprehenderunt Jeschua & vinxerunt
eum:
13 Ac adduxerunt eum ad Hannan primùm:
proptereà quòd socer erat Kajaphæ, ejus qui erat
princeps Sacerdotum anni illius.
14 Erat autem Kajapha, is qui consilium de-
derat Judæis quòd expediret ut unus homo mo-
reretur pro populo.
15 Schemeun autem Cipha & unus ex disci-
pulis aliis, [10] veniebant post Jeschua. Hunc au-
tem

[1] Ad verbum, Ad transitū pedis. Periphrasis est vadi, id est loci torrentis minùs profundi, ubi torrens pede pertransiri potest.
[2] Nomen est tam vallis quàm torrentis qui per eam fluit inter Jerusalem & montem olivarū, sicut ex 2.Sam. 15. apparet.
[3] Ad verb. Multo tempore.
[4] F. vel superventura sibi, vel obventura.
[5] F. vel quem dixerat.
[6] Hebr. hoc est, Schemeun Kipha gladio accinctus erat. Galli imitantur, *Simon Pierre avoit une espee sur soy.*
[7] F. alii simpliciter, repone gladiū in vaginam ejus.
[8] F. dedit mihi, supple bibendū. Ellipsis supplenda ex sequente mēbro.
[9] F. vel Chiliarchus, sive (ut Syrus interpres Græca voce abutitur) Chiliarcha.
[10] i. Sequebantur Jeschua. Hebraism. F. Sequebantur autem, quum deduceretur ab Hanane ad Kajaphæ sacerdotis domū, infrà vers. 24.

HÆc [‖] [a] quum dixisset Jesus, *egressus* abiit cum
discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi
erat hortus, in quem introivit ipse & discipuli
ejus.
2 Noverat autem eum locum etiam Judas
qui prodebat eum, quia Jesus frequenter cum di-
scipulis suis illuc convenerat.
3 [‖] [b] Judas ergo quum accepisset cohortem,
& à primariis Sacerdotibus, ac Pharisæis mini-
stros, venit illuc cum laternis & facibus & armis.
4 [c] Jesus itaque sciens omnia quæ ventura
erant in se, prodiens dixit eis, Quem quæritis?
5 Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Di-
cit eis Jesus, Ego *is* sum. Stabat autem cum eis e-
tiam Judas qui prodebat eum.
6 Ut ergo dixit eis, Ego *is* sum, abierunt re-
trorsum, & ceciderunt humi.
7 Iterum igitur rogavit eos, Quem quæritis?
Illi autem dixerunt, Jesum Nazarenum.
8 [d] Respondit Jesus, Dixi vobis me eum esse.
ergo si me quæritis, sinite hos abire.
9 Ut impleretur sermo quem dixerat, [‖] Ex
iis quos dedisti mihi, non perdidi quemquam.
10 [e] Simon autem Petrus quum gladium ha-
beret, eduxit eum, & percussit servum Pontificis
maximi, & abscidit auriculam ejus dextram. E-
rat autem nomen servo Malchus.
11 Dicit ergo Jesus Petro, Reconde gladium
tuum in vaginam. annon bibam poculum quod
dedit mihi Pater?
12 [f] Cohors igitur & tribunus & ministri Ju-
dæorum comprehenderunt Jesum, & vinxerunt
eum.
13 Et abduxerunt primùm [‖] ad Annam, erat
enim socer Caiaphæ, qui erat Pontifex maximus
anni illius. is verò misit eum vinctum ad Caia-
pham Pontificem maximum.
14 Erat autem Caiaphas is [‖] qui consilium
dederat Judæis expedire ut unus homo morere-
tur pro populo.
15 [g] [‖] Sequebatur autem Jesum Simon Pe-
trus, & alius discipulus. Discipulus verò ille notus
erat

‖ *Mat.* 26.36. *mar.* 14.32. *luc.* 22.39 1.*reg.* 15.13.
[a] B. Christus in hortum proditori cognitum capiendus ultrò ingreditur, ut peccatū quod per unius hominis in horto rebellionem, in mundum ingressum est, sua obedientia tollat.
‖ *Matth.* 26.47. *mar.* 14.43. *luc.* 22.47.
[b] B. Christus innocens capitur velut sceleratus, ut nos scelerati tamquam innocentes dimittamur.
[c] B. Christi persona non virtus ab adversariis victa est quando & sicut voluit.
[d] B. Christus boni pastoris officium ne in extremis quidem suis periculis negligit.
‖ *Sup.* 17.12.
[e] B. Zelus Dei intra vocationis suę limites est ab unoq; continendus.
[f] B. Christus nostrarum blasphemiarum reus ad terrenum potificem trahitur dānandus, ut ab ipsomet æterno Pōtifice absolvamur.
‖ *Luc.* 3.2.
‖ *Sup.* 11.50.
[g] B. Vivū exemplū humanæ imbecillitatis, etiam in præstantissimis quibusq; simulatq; sibi ipsis relinquuntur.
‖ *Mat.* 26.58 *mar.* 14.54. *luc.* 22.54.

h B. Christus parcè causam suã tuetur, non ut morti se subducat, sed ut ipsum innocentem damnari constet.
g Matth. 26.57. mar. 14.53. luc. 22.54.
i B. Lapsi semel homines, non modò non possunt sese suis viribus erigere, sed etiam in deterius magis ac magis præcipites ruunt, donec nova Dei virtute surrigantur.
f Matth. 26.69. mar. 14.67. luc. 22.55.
l Matth. 27.2. mar. 15.1. luc. 23.1. act. 10.28. & 11.3.
k Ab ædibus Cajaphæ.
l B. Filius Dei sistitur ad mortalis & quidem profani hominis tribunal, ibiq; multo minus iniquitatis in profano homine, quàm in ipsis populi Dei principibus invenitur. Viva imago iræ Dei adversus peccatum, summæ ejusdem misericordiæ, severissimi deniq; judicii in præfractos oblatæ ejus gratiæ contemtores.
m Erepta enim illis fuerant capitalia judicia, quadraginta annis antè templi destructionem.
l Matth. 20.19.
n Dixerat Christus fore ut crucifigeretur.
l Matth. 27.11. mar. 15.2. luc. 23.3.
o B. Christus regnum suum spirituale asserit: mũdanum detrectat.
p B. Christum oportuit quidem innocentem pronunciari, sed tamẽ quatenus nostram personam sustinet, non modò ut sceleratum, sed etiam ut sceleratorum sceleratissimum damnari.
q Fastidientis atque adeò irridentis vox, non interrogantis.

erat Pontifici maximo, & simul introiit cum Jesu
in aulam Pontificis maximi.
16 Petrus autem stabat extra ad ostium. Exi-
vit ergo discipulus ille alter qui erat notus Pon-
tifici maximo, & loquutus est ostiariæ, & intro-
duxit Petrum.
17 Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, Nónne
& tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille,
Non sum.
18 Adstabant autem servi & ministri qui pru-
nas congesserant, quia frigus erat, & sese calefa-
ciebant. erat verò cum eis etiam Petrus adstans,
& sese calefaciens.
19 h Pontifex maximus ergo interrogavit Je-
sum de discipulis ejus & de doctrina ipsius.
20 Respondit ei Jesus, Ego palam loquutus
sum mundo: ego semper docui in synagoga & in
templo, quò undique Judæi conveniunt, & in oc-
culto loquutus sum nihil:
21 Quid me interrogas? interroga eos qui
audierunt quid sim ipsis loquutus: ecce, hi sciunt
quæ dixerim ego.
22 Hæc autem quum ipse dixisset, unus ex
ministris qui adstabat, bacillo cecidit Jesum, di-
cens, Itáne respondes Pontifici maximo?
23 Respondit ei Jesus, Si malè loquutus sum,
testificare de malo: sin benè, cur me cædis?
24 l Miserat igitur eum Annas vinctum ad
Caiapham Pontificem maximum.
25 i l Stabat autem Simon Petrus, & *sese* cale-
faciebat: dixerunt igitur *ei*, Num & tu ex disci-
pulis ejus es? Negavit ille, & dixit, Non sum.
26 Dicit ei quidam ex servis Pontificis maxi-
mi, cognatus ejus cujus absciderat Petrus auri-
culam, Nónne ego te vidi in horto cum eo?
27 Rursus ergo negavit Petrus, & statim gal-
lus vocem emisit.
28 l Ducunt ergo Jesum à k Caiapha in Præ-
torium. erat autem manè: & ipsi non introie-
runt in Prætorium, ne pollueerentur, sed ut ede-
rent Pascha.
29 l Prodiit ergo Pilatus ad eos, & dixit, Quã
accusationem adfertis adversus hominem istum?
30 Responderunt & dixerunt ei, Nisi iste esset
facinorosus, non tradidissemus eum tibi.
31 Dicit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos,
& secundùm legem vestram condemnate eum.
Itaq; Judæi dixerunt ei, Nobis m non licet occi-
dere quemquam.
32 l Ut sermo Jesu impleretur, quem dixerat,
n significans qua morte futurum erat ut more-
retur.
33 l Introivit ergo rursus in Prætorium Pila-
tus, & vocavit Jesum, dixitq; ei, Túne es rex ille
Judæorum?
34 Respondit ei Jesus, A teipsóne tu hoc di-
cis, an alii dixerunt tibi de me?
35 Respondit Pilatus, Numquid ego Judæus
sum? gens tua & primarii Sacerdotes tradide-
runt te mihi. quid fecisti?
36 o Respondit Jesus, Regnum meum non est
ex hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnũ me-
um, ministri mei certâssent ne traderer Judæis:
nunc autem regnum meum non est hinc.
37 Dixit ergo ei Pilatus, Ergo rex es tu? Re-
spondit Jesus, Tu dicis me regem esse. ego ad hoc
natus sum, & ad hoc veni in mundum ut dem te-
stimonium veritati. Quisquis est ex veritate, au-
dit vocem meam.
38 p Dicit ei Pilatus, q Quid est veritas? Et
quum hoc dixisset, rursum prodiit ad Judæos, &
dixit eis, Ego nullum invenio crimen in eo.
39 l Est

tem ipsum discipulum noverat princeps Sacerdo-
tum: & ingressus est cum Jeschua in atrium.
16 Schemeun autem stabat foris ad ostium,
& egressus est ille discipulus alius quem noverat
princeps Sacerdotum, & dixit *puellæ* custodienti
ostium: & introduxit ipsum Schemeun.
17 Dixit autem puella custodiens ostium,
Schemeun, Nónne etiam tu ex discipulis es hu-
jus hominis? Dixit ei, Non.
18 Et stabant 11 servi, ac ponebant ignem ut
calefacerent se, quia gelu erat. Stabat autem eti-
am Schemeun cum eis, & calefaciebat se.
19 Princeps autem Sacerdotum interrogavit
Jeschua de discipulis suis, & de doctrina sua.
20 Et dixit ei Jeschua, Ego apertè loquutus
sum cum populo, & omni tempore docui in syna-
goga & in templo, quò omnes Judæi congregan-
tur: & nihil in occulto loquutus sum.
21 Quid interrogas tu me? interroga eos qui
audiverunt quid loquutus sum cum ipsis: ecce, hi
sciunt quicquid dixi.
22 Et quum hæc dixisset, unus ex ministris
qui adstabat, percussit ipsum Jeschua super ma-
xillam ejus: & dixit ei, Sic reddis tu responsum
principi Sacerdotum?
23 Respondit ei Jeschua, & dixit ei, Si malè lo-
quutus sum, testare de malo: sin autem benè,
quare percutis me?
24 (Hannan autem miserat Jeschua vinctum
ad Kajapha principem Sacerdotum.)
25 Et Schemeun Kipha stabat, & calefaciebat
se: & dixerunt ei, Nunquid etiam tu ex discipu-
lis ejus es? Et ille negavit, ac dixit, Non sum.
26 Dixit ei unus ex servis principis Sacerdo-
tum, cognatus ejus cui amputaverat Schemeun
auriculam, Non ego vidi te cum eo in horto?
27 Et rursus negavit Schemeun, & eadem ho-
ra cantavit gallus.
28 Deduxerunt autem Jeschua à Kajapha ad
prætorium: & erat manè. & ipsi non introierunt
in prætorium, ne pollueerentur, 12 donec comede-
rent Petscha.
29 Egressus autẽ est Pilatus foras, & dixit eis,
Quæ accusatio est vobis contra hominem hunc?
30 Responderunt, & dixerunt ei, Si non ma-
lefactor esset, neq; tibi tradidissemus eum.
31 Dixit eis Pilatus, Accipite eum vos, & ju-
dicate eum secundùm legem vestram. Dicunt ei
Judæi, Non licet nobis interficere quemquam.
32 Ut impleretur sermo quem dixit Jeschua,
notum faciens qua morte futurum erat ut mo-
reretur.
33 Ingressus autem est Pilatus in prætorium,
& vocavit Jeschua, ac dixit ei, Túne es rex Ju-
dæorum?
34 Dixit ei Jeschua, A teipso dixisti hoc, an
alii dixerunt tibi de me?
35 Dixit ei Pilatus, Nunquid ego Judæus sum?
Filii 13 populi tui, & summi Sacerdotes tradide-
runt te mihi: quid fecisti?
36 Dixit ei Jeschua, Regnum meum non est
de hoc mundo: si de mundo esset hoc regnum
meum, contendissent ministri mei ut non trade-
rer Judæis. Nunc autem 14 regnum meum non
est hinc.
37 Dixit ei Pilatus, Ergo rex es tu? Dixit ei Je-
schua, Tu dixisti quòd rex sum. ad hoc natus sum,
& ad hoc veni in mundum ut testarer de verita-
te. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.
38 Dixit ei Pilatus, Quid est veritas? Et quum
dixisset hoc, egressus est rursus ad Judæos, & dixit
eis, Ego ne unam quidem causam invenio in eo.
39 Con-

11 F. alii, servi & administri, hoc autem non legebat Tremellius.
12 F. Syrè, dum comedunt Petscha, id est, vescuntur azymis panibus, quos Deus per dies septem in sanctimonia edi præceperat: synecdoche. In Græcis autem verbis præter synecdochen hanc ellipsis inest supplenda ex membro proximè precedente, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα ἀμίαντοι, ut comederent Pascha incontaminati. Sic accipitur Pascha inf. v. 39.
13 i. Populares. Hebraismus.
14 F. vel regnum meum, quod est mihi, sive meum inquam.

39 Consuetudo autem est vobis ut unum sol-
vam vobis in Paschate: vultis igitur *ut* solvam
vobis hunc regem Judæorum?
40 Et clamaverunt omnes, ac dixerunt, Non
hunc, sed Bar-Abbam. Erat autem hic Bar-Ab-
ba latro.

39 [l] Est autem vobis consuetudo ut unum di-
mittam vobis in Pascha: vultisne ergo dimittam
vobis regem illum Judæorum?
40 [r] [l] Clamaverunt autem rursum omnes di-
centes, Nequaquam istum, sed Barabbam. Erat
autem ille Barabbas latro.

[l] *Matth. 27.15. mar. 15.6. luc. 23.17.*
[r] Ad verb. Magnum & deformē clamorem ediderunt.
[l] *Act. 3,14.*

CAPUT XIX.

1 *Pilatus Christum flagellatum,* 2 *& spinis coronatum,* 4 *liberare volens,* 8 *Judæorum improbitate victus,* 16 *crucifigendum tradit.* 26 *Jesus matrem discipulo commendat.* 30 *Aceto gustato, moritur.* 34 *Mortui latus lancea confoditur:* 40 *sepelitur.*

TUnc Pilatus flagellavit ipsum Jeschua.
2 Et milites intorserunt coronam ex spi-
nis, & imposuerunt ei in capite ejus: & operue-
runt eum vestibus purpureis.
3 Ac dicebant, [1] Pax tibi rex Judæorum, &
percutiebant eum super maxillas ejus.
4 Et egressus est Pilatus rursus foras, & dixit
eis, Ecce, educo eum ad vos foras, ut sciatis quòd
non invenio [2] in eo ne unam quidem causam.
5 Et exivit Jeschua foras, quum esset super
eum corona spinarum, & vestimenta purpurea:
& dixit eis Pilatus, Ecce homo.
6 Quum autem vidissent eum summi Sacer-
dotes & ministri, clamaverunt, & dixerunt, Sus-
pende eum, suspende eum. Dixit eis Pilatus, Ac-
cipite vos, & crucifigite eum. ego enim non in-
venio in eo causam.
7 Dicunt ei Judæi, Nobis Lex est, & sicut est
in Lege nostra, reus est mortis: quia fecit seipsum
Filium Dei.
8 Quum audivisset autem Pilatus hunc ser-
monem, magis timuit.
9 Et ingressus est rursus in prætorium, & di-
xit Jeschua, Unde es tu? Jeschua autem respon-
sum non dedit ei.
10 Dixit ei Pilatus, Mecum non loqueris tu?
Nescis tu quòd potestatem habeo ut solvam te,
& potestatem habeo ut crucifigam te?
11 Dixit ei Jeschua, Non esset tibi in me po-
testas ulla, nisi datum esset tibi è supernis. Prop-
ter hoc, ejus qui tradidit me tibi, majus est pecca-
tum quàm tuum.
12 Et propter hoc volebat Pilatus solvere e-
um. Judæi autem clamabant, Si hunc solvas, non
es amicus Cæsaris: quisquis enim seipsum re-
gem facit, contrarius est Cæsari.
13 Quum autem audivisset Pilatus hunc ser-
monem, eduxit Jeschua foras, & sedit pro tribu-
nali in loco qui vocatur pavimentum lapidum:
Hebraicè autem dicitur [3] Gaphiphatha.
14 Et parasceve erat [4] Paschatis, ac erat quasi
hora sexta: & dixit Judæis, Ecce rex vester.
15 Illi autem clamabant, Tolle eum, tolle
eum: [5] suspende eum, suspende eum. Dixit eis
Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Dicunt
ei summi Sacerdotes, Non est nobis rex nisi
Cæsar.
16 Tum tradidit eum illis ut crucifigerent e-
um. Et acceperunt Jeschua, & eduxerunt eum,
17 Ferentem crucem suam in locum qui vo-
catur Cranium, [6] Hebræis autem dicitur Gagul-
tha.
18 In quo loco crucifixerunt eum, & cum eo
duos alios, unum hinc & alium hinc, & Jeschua
in medio.
19 Et scripsit etiam tabellam Pilatus, ac po-
suit super crucem ejus. Scriptum autem erat ita,
HIC *est* JESCHUA, NATZRAJA REX
JUDAEORUM.
20 Et hunc titulum Judæi multi legerunt:
quia prope urbem erat locus in quo crucifixus
est

[1] F. i. Salve, ex Hebræorum & Syrorum usu.

[2] Ad verbū, Post eum: quasi dicat, Nullum hæret in anteacta vita ejus crimen, aut culpa damnatione digna.

[3] Græci ex Hebræo γαββαθᾶ, quòd pavimento elevatus esset locus: sed paraphrastes vocat גפיפתא quòd septus esset & clausus. Gallicè *Parquet*. F. etsi fortè non minùs commodè ex Syra voce corruptè deduci potest, mutato φ in β, ex affinitate.

[4] F. i. pridie sabbathi quod erat in festo Paschatis.

[5] F. vel crucifige eum, crucifige eum.

[6] F. Syr. Hebraicè, id est, ea lingua qua tum Hebræi in regione illa utebantur, sic passim.

TUnc [l] [a] ergo assumsit Jesum Pilatus & flagel-
lavit.
2 Et milites contexuerunt coronam è spinis,
& imposuerunt ipsius capiti, & pallio purpureo
induerunt eum.
3 Et dicebant, Ave rex Judæorum. Et bacil-
lis eum cædebant.
4 [b] Prodiit ergo rursum Pilatus foras, & di-
xit eis, Ecce, adduco vobis eum foras, ut noveri-
tis me nullum in eo crimen invenire.
5 Prodit ergo Jesus foras, ferens spineam il-
lam coronam, & purpureum illud pallium. Et di-
xit eis *Pilatus*, Ecce homo.
6 Quum autem intuiti essent eum primarii
Sacerdotes & *eorum* ministri, clamaverunt, dicen-
tes, [c] Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus, Ac-
cipite eum vos, & crucifigite, ego enim non inve-
nio in eo crimen.
7 Responderunt ei Judæi, Nos legem habe-
mus, & secundùm legem nostram debet mori,
quia Filium Dei se fecit.
8 [d] Quum ergo audivisset Pilatus hunc ser-
monem, magis timuit.
9 Et rursus ingressus est in Prætorium, & di-
xit Jesu, Unde es tu? Jesus autem responsum ei
non dedit.
10 Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris?
nescis me potestatem habere crucifigendi te, &
potestatem habere te dimittendi?
11 Respondit Jesus, Non haberes potestatem
adversum me ullam, nisi *hoc* tibi datum esset su-
pernè: propterea qui me tradidit tibi, majus pec-
catum habet.
12 Ex eo *tempore* studebat Pilatus eum dimit-
tere: Judæi verò clamabant, dicentes, Si hunc
dimiseris, non es amicus Cæsaris, quicunq; se re-
gem facit, contradicit Cæsari.
13 [e] Pilatus ergo cum audisset hunc sermo-
nem, eduxit foras Jesum, conseditq; in tribunali,
in loco qui dicitur [f] Lithostrotos, Hebraicè autem
Gabbatha.
14 Erat autem parasceve Paschæ, hora verò
quasi sexta: tum dicit Judæis, Ecce rex vester.
15 Illi verò clamaverunt, Tolle, tolle, crucifi-
ge eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum cruci-
figam? Responderunt primarii Sacerdotes, Non
habemus regem nisi Cæsarem.
16 [g] Tunc ergo tradidit eum ipsis ut crucifi-
geretur. [l] Assumpserunt autem Jesum, & abdux-
erunt.
17 Et *ipse* bajulans crucem suam prodiens ve-
nit in eum locum qui dicitur Calvariæ, Hebraicè
autem Golgotha.
18 Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios du-
os, hinc & hinc, medium autem Jesum.
19 [h] Scripsit autem etiam titulum Pilatus, &
posuit super crucem. Erat verò scriptum, JE-
SUS NAZARENUS REX ILLE JUDAEO-
RUM.
20 Hunc ergo titulum multi Judæorum lege-
runt: quia propè civitatem erat locus ubi cru-
cifixus

[l] *Matth. 27.27. mar. 15.17.*
[a] B. Prudentia carnis ex duobus malis minus eligit: Deus autem illi maledicit.
[b] B. Christus rursum eodem illo ore absolvitur quo postea damnatus est.
[c] Crucifigi volunt quem ipsi ex recepta consuetudine lapidatum suspēdissent, quasi blasphemiæ cōvictum: ideo mox subjicitur, secundùm legem nostram debet mori. petunt autem ut crucifigatur more scilicet Romano.
[d] B. Conscientia Pilati pro Christo pugnat: sed mox succumbit, quoniā singulari Dei virtute non fulcitur.
[e] B. Pilatus priusquam Christum damnet, seipsum eodem ore condemnat.
[f] Sic vocatur nobile pavimentorum genus incrustatione exiguis lapillis facta: de quo vide Plinium lib. 36. 25.
[g] B. Christus Satanam, peccatum, & mortem cruci affigit.
[l] *Matth. 27.32. mar. 15,21. luc. 23.26.*
[h] B. Christus in solio crucis sedēs, palam Rex æternus omnium populorum, ejus ipsius manu proscribitur cujus ore fuerat usurpati regni damnatus.

cifixus erat Jesus: & erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.

21 Dixerunt igitur Pilato primarii Sacerdotes Judæorum, Ne scribito, Rex ille Judæorum: sed illum dixisse, Rex sum Judæorum.

22 Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.

23 [h] [i] Milites ergo quum crucifixissent Jesum, acceperunt ejus vestimenta, (& fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem) & tunicam. erat autem tunica inconsutilis, à summo contexta tota.

24 Dixerunt ergo inter se, Ne findamus eam, sed sortiamur de illa cujus futura sit: ut Scriptura impleretur, dicens, [g] Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super veste mea jecerunt sortem. Milites igitur hæc fecerunt.

25 [k] Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus & soror matris ejus, Maria Clopæ *uxor*, & Maria Magdalene.

26 Quum vidisset ergo Jesus matrem ac discipulum adstantem quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus.

27 Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua, Et ex illa hora recepit eam discipulus ille domum suam.

28 [l] Posteà, quum sciret Jesus *reliqua* omnia jam esse consummata, [f] ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio.

29 [m] Vas igitur *illic* erat positum aceto plenum. Illi verò impleverunt spongiam aceto, & hyssopo circumdatam admoverunt ori ejus.

30 Quum autem accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est. & inclinato capite tradidit spiritum.

31 [n] Judæi ergo, ut non manerent in cruce corpora Sabbatho, quoniam erat Parasceve, (erat enim magnus dies illius Sabbathi) rogaverunt Pilatum ut confringerentur eorum crura, ac tollerentur.

32 Venerunt ergo milites, & prioris quidem *latronis* confregerunt crura, & alterius qui crucifixus fuerat cum eo.

33 Ad Jesum autem quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura:

34 [o] Sed quidam ex militibus lancea latus ejus [p] fodit, & statim exivit sanguis & aqua.

35 Et qui [q] vidit, testatur, & verum est testimonium ejus: ille *inquam* scit se vera dicere, ut *&* vos credatis.

36 Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur, [g] *dicens*, Non confringetur *ullum* os ipsius.

37 Et rursus alia Scriptura dicit, [g] Videbunt quem transfixerunt.

38 [r] [f] Post hæc autem rogavit Pilatum Josephus Arimathæensis (ut qui esset discipulus Jesu, sed occultus propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu: quod permisit Pilatus. Venit ergo, & sustulit corpus Jesu.

39 [g] Venit autem & Nicodemus, (is qui venerat ad Jesum nocte primùm) ferens misturam myrrhæ & aloës libras quasi centum.

40 Acceperunt ergo corpus Jesu, & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis funerare.

41 In eo autem loco ubi fuerat crucifixus, erat hortus, & in horto monumentum novum, [f] in quo nondum quisquam positus fuerat.

est Jeschua: & scriptus erat Hebraicè, & Græcè, & [7] Romanè.

21 Et dixerunt summi Sacerdotes Pilato, Ne scribas quòd rex sit Judæorum, sed quòd ipse dixerit, Rex sum Judæorum.

22 Dixit Pilatus, Id quod scripsi, scripsi.

23 Milites autem, quũ crucifixissent Jeschua, tulerunt vestimenta ejus, & fecerunt in quatuor partes, partem unicuique ex militibus. tunica autem erat absq; sutura, à summo contexta tota.

24 Et dixerunt unus ad alium, Ne scindamus eam, sed sortiamur sorte de ea, cujusnam futura sit. Et impleta est Scriptura quæ dixit, Diviserunt vestimenta mea inter sese, & super vestem meam jecerunt sortem. Hæc fecerunt milites.

25 Stabant autem juxta crucem Jeschua, mater ejus & soror matris ejus, & Mariam illa quæ erat Clejuphæ, & Mariam Magdalaitha.

26 Jeschua autem vidit matrem suam & discipulum illum quem diligebat, qui adstabat: & dixit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus.

27 Et dixit discipulo illi, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus ille apud se.

28 Post hæc sciebat Jeschua quòd omnia completa essent: & ut impleretur Scriptura dixit, Sitio.

29 Et vas positum erat quod plenum erat aceto. Illi autem impleverunt spongiam aceto, & posuerunt supra hyssopum & admoverunt ori ejus.

30 Quum verò accepisset illud acetum Jeschua, dixit, Ecce, consummatum est. & inclinavit caput, & reddidit spiritum suum.

31 Judæi autem, quia parasceve erat, dixerunt, Ne maneant corpora hæc in cruce: quia [8] sabbathum illucescebat. Dies enim erat magnus dies Sabbathi illius. Et petierunt à Pilato ut frangerentur crura illorum cruci affixorum, & deponerent eos.

32 Et venerũt milites, & fregerunt crura prioris, & illius alterius qui crucifixus erat cum eo.

33 Qúmque venissent ad Jeschua, viderunt quòd jam mortuus esset: & non fregerunt crura ejus.

34 Sed unus ex militibus percussit eum in latere ejus lancea: & confestim exivit sanguis & aqua.

35 Et is qui vidit, testatus est: & verum est testimonium ejus: & ipse novit quòd verum dixit, ut etiam vos credatis.

36 Hæc enim facta sunt ut impleretur Scriptura quæ dicit, Os non frangetur in eo. Et rursus scriptura alia quæ dicit, Intuebuntur in eum quem confoderunt.

37 Post hæc Jauseph ille qui erat ex Ramatha, petiit à Pilato (quia discipulus erat Jeschua, & occultus erat præ metu Judæorum) ut tolleret corpus Jeschua. & permisit Pilatus: & venit ac sustulit corpus Jeschua.

38 Et venit etiam Nicadimus ille qui venerat priùs ad Jeschua nocte, & attulit secum condimenti myrrhæ & aloës quasi centum libras.

39 Et sustulerunt corpus Jeschua, & involverunt illud linteis & [9] aromatibus, sicut est mos Judæis ut sepeliant.

40 Erat autem in eo loco in quo crucifixus fuerat Jeschua, hortus, & in ipso horto locus sepulturæ novus, in quo nondum quisquam positus fuerat.

[h] *Matth.* 27.35. *mar.* 15.14. *luc.* 23.34.
i B. Christus vestium inter carnifices (excepta inconsutili tunica) distributione significat fore ut mox suis opibus dispersis, ipsos etiam hostes suos per universum orbem locupletet: ita tamen ut unus & integer maneat Ecclesiæ thesaurus.
[g] *Psal.* 22.19.
k B. Christus non in prioris modò, sed & in posterioris Tabulæ observatione perfectum est omnis justitiæ exemplar.
l B. Christus accepto aceto spiritum exhalat, verè amarissimum & acidissimum iræ Paternæ calicem nostro nomine penitus exhauriens.
[f] *Psal.* 69.22. *matth.* 27.22.
m. Galatinus refert ex libris Sanhedrin, solitos fuisse Judæos potare reum vino thure confecto, unde ratio ejus turbaretur, atq; vehemẽtiùs inebriaretur: secundùm illud quod dicitur, date siceram perituro, & vinum iis qui amaro sunt animo. En quomodo Judæi cõscientiis nocentium consulebant, & scripturã torquebant.
n B. Christi corpus (ipso sic volente) ad tempus mortuum, sauciatur, ac ne minimũ quidẽ os confringitur. nec alia mystici ipsius corporis est conditio.
o B. Christus in cruce mortuus duplici symbolo testificatur se unum esse veram expiationem, & verum credentium lavacrum.
p Vel sauciavit.
q Hoc vulnere plenè facta fuit mortis Christi fides. Nam effusa aqua ex hoc vulnere indicavit ferrum usq; in pericardium penetrasse, illius videlicet aquæ conceptaculum, quo vulnerato necesse est omne animal protinus mori.

[g] *Exod.* 12.46. *num.* 9.12. [g] *Zach.* 12.10. r B. Sepelitur Christus palàm & loco celebri, conscio & permittente Pilato, idq; ab hominibus sic Christo faventibus, ut tamen ante eum diem apertè non essent eum sequuti: ut neq; de ipsius morte, neq; de resurrectione meritò ambigi possit ex sepultura. [f] *Matth.* 27.57. *marc.* 15.42. *luc.* 23.50. [g] *Supra* 3.2. f Ne quis ipsius resurrectionem calumniaretur, quasi alius quispiam ex eo sepulcro surrexisset, Theoph.

7 Id est, Latinè.
8 Vide quæ de hac loquutione in fine cap. 23. Matth. annotavimus,
9 V. supple condiverunt. Ellipsis ἀνάλογος, ut Mar. 1.6.

41 Et posuerunt ibi Jeschua, eo quòd Sabba-
thum intraret, & eo quòd propinquum esset se-
pulcrum.

42 Ibi ergo, propter Parasceven Judæorum,
quod monumentum illud propè esset, posuerunt
Jesum.

CAPUT XX.

2 Maria nunciat Christum resurrexisse. 3 Petrus & Johannes hoc visuri, 4 Excurrunt. 15 Jesus Mariæ apparet, 19 Et discipulis domi congregatis. 25 Thomas, antè incredulus, 28 credit.

PRima verò die [1] in septimana, venit Mariam
Magdalaitha manè, dum adhuc tenebræ es-
sent, ad locum sepulcri: & vidit lapidem, quòd
sublatus esset à sepulcro.
2 Et cucurrit, & venit ad Schemeun Kipham
& ad illum discipulum alium quem diligebat Je-
schua, & dixit eis, [2] Sustulerunt Dominum no-
strum ex illo loco sepulcri, & nescio ubi posue-
rint eum.
3 Et exivit Schemeun & ille discipulus alius,
& veniebant ad locum sepulcri.
4 Accurrebant ambo simul: ille verò disci-
pulus cucurrit ante Schemeun; & venit prior ad
locum sepulcri.
5 Et prospiciens vidit lintea posita: [3] ingre-
diens autem non est ingressus.
6 Venit autem Schemeun post eum, & in-
gressus est in locũ sepulcri, ac vidit lintea posita;
7 Et sudarium quod alligatum fuerat capiti
ejus, non cum linteis, sed involutum, & positum
seorsim in unum locum.
8 Tunc ingressus est etiam ille discipulus
qui venerat prior ad locum sepulcri: & vidit, ac
credidit.
9 Non enim adhuc noverant ex Scripturis,
quòd futurum erat ut surgeret à mortuis.
10 Et abierunt illi discipuli rursum ad locum
suum.
11 Mariam autem stabat ad sepulcrum, ac fle-
bat: & quum fleret, prospexit ad sepulcrum.
12 Et vidit duos Angelos in albis *vestibus*, qui
sedebant, unum [4] à cervicalibus ejus, & unum à
pedibus ejus, ubi positum fuerat corpus Jeschuæ.
13 Et dicunt ei, Mulier, quid fles tu? Dixit eis,
Quia sustulerunt Dominum meum, & nescio ubi
posuerint eum.
14 Hoc dixit: & vertit se retrorsum, ac vidit
Jeschua stantem, & nesciebat quòd Jeschua esset.
15 Dixit ei Jeschua, Mulier, quid fles tu? &
quem quæris tu? Illa autẽ putavit quòd hortula-
nus esset: & dixit ei, Domine mi, si tu sustulisti e-
um, dic mihi ubi posueris eum: abiens tollam eũ.
16 Dixit ei Jeschua, Mariam. Et conversa est,
& dixit ei Hebraicè, [5] Rabbuli, quod dicitur Præ-
ceptor:
17 Dixit ei Jeschua, [6] Ne tangas me: non-
dum enim ascendi ad Patrem meum: Abi autem
ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem
meum, & Patrem vestrum: & Deum meum, &
Deum vestrum.
18 Tunc venit Mariam Magdalaitha, & nun-
ciavit discipulis quòd vidisset Dominum nostrũ,
& quòd hæc dixisset sibi.
19 Quum autem esset vespera diei illius pri-
mi in septimana, & portæ clausæ essent loci ubi e-
rant discipuli propter metum Judæorũ: veniens
Jeschua stetit inter eos, & dixit eis, Pax vobiscum.

PRimo [a] [b] verò die hebdomadis, Maria Ma-
gdalene venit manè, quum adhuc tenebræ es-
sent, ad monumentum: videtque lapidem subla-
tum à monumento.
2 Currit ergo & venit ad Simonem Petrum,
& ad alterum illum discipulum quem amabat
Jesus, & dicit eis, Sustulerunt Dominum è mo-
numento, & nescimus ubi posuerint eum.
3 Exivit ergo Petrus, & alter ille discipulus,
& venerunt ad monumentum.
4 Currebant autem duo simul: sed alter ille
discipulus præcucurrit citius Petro, venitque pri-
or ad monumentum.
5 Et quum se incurvasset, vidit posita lintea:
non tamen introivit.
6 Venit ergo Simon Petrus sequens eum, &
introivit in monumentum, & conspexit lintea *illic*
posita;
7 Et sudarium quod fuerat super caput ejus,
non cum linteis positum, sed seorsum involutum
in unum locum.
8 Tunc ergo introivit etiam alter ille disci-
pulus, qui venerat prior ad monumentum, viditque,
& credidit.
9 Nondum enim noverant [c] Scripturam, vi-
delicet quòd oporteret eum à mortuis resurgere.
10 Redierunt ergo illi discipuli ad suos.
11 [d] Maria verò flens stabat ad monumen-
tum, [d] foris. Dum ergo fleret, incurvavit se in mo-
numentum.
12 [e] Et conspexit duos Angelos [f] albatos, se-
dentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, *illic*
ubi jacuerat corpus Jesu.
13 *Qui* etiam dixerunt ei, Mulier, quid fles?
Dicit eis, Sustulerunt [g] Dominum meum, nec
scio ubi posuerint eum.
14 [h] Et quum hæc dixisset, convertit se re-
trorsum, conspexitque Jesum stantem, nec scie-
bat Jesum esse.
15 Dicit ei Jesus, Mulier, quid fles? quem quæ-
ris? Illa putans olitorem esse, dicit ei, Domine: si
tu ipsum asportâsti, dic mihi ubi posueris eum,
& ego eum tollam.
16 Dicit ei Jesus, Maria. Illa se convertens di-
cit ei, Rabboni, quod dicitur Præceptor.
17 [i] Dicit ei Jesus, [k] Ne me tangito: nondum
enim ascendi ad Patrem meum: sed proficiscere
ad [l] fratres meos, & dic eis, Ascendo ad [m] Patrem
meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, &
Deum vestrum.
18 Venit Maria Magdalene annuncians dis-
cipulis quòd vidisset Dominum, & *quòd* ea sibi
dixisset.
19 [!] [n] Quum ergo vespera esset, die illo pri-
mo hebdomadis, & [o] fores essent clausæ *illic* ubi
erant discipuli coacti propter metum Judæo-
rum, venit Jesus: stetitque in medio *ipsorum*, &
dixit eis, Pax vobis.

[1] Ad verb. In sabbatho. Vide annotata in principium cap. 8. Matth.
[2] F. i. sublatus est Dominus, &c. Hebraismus, de quo sæpiùs diximus. sic infrà ℣. 13.
[3] Ἀναδίπλωσις Hebræa. hoc est, Minimè ingressus est.
[4] Id est, Ab eo loco ubi poni solent cervicalia: id est, A capite. Hebraicè diceretur מראשותיו, sicut legitur Gen. 28. 18. & 1. Sam. 26. 6. quam vocem Chaldæus utrobique reddit eodem nomine quo hic utitur Syrus interpres.
[5] In hac voce, vel litera ל lamed, posita est pro נ nun, ut dicendũ sit Rabboni: vel est compositio nominis cum pronomine, Rabbuli, pro Rabbon-li: nec est propriè Hebraicum vocabulum, sed Chaldaicum ac Syriacum. Hebræum autem dicitur quòd tunc temporis Syriaca lingua Hebræis esset vulgaris: nam suæ linguæ usum jam in ipsa captivitate amiserant, ac victorum idioma vicinarúmque regionum, (quod vel Chaldæum erat vel Syrum) didicerant. Quod non tantùm hic observari debet, sed in plerisque aliis locis Novi testamenti, ubi quæ propriè sunt Chaldæa vel Syra, dicuntur Hebraica.
F. Nos Rabboni simpliciter legimus.
[6] F Nempè adoratura, & in adoratione & contrectatione mei hæsura intempestivè. Hoc enim factum intempestivum esse Christus demonstrat duabus rationibus quas deinde exprimit: una, quòd nondum omnia confecerit quæ ad officium ipsius pertinent: se enim festinare ut ea conficiat, nec velle adorandum adhuc subsistere: altera, quòd mulieris sit item in ministerio suo occupari, quod à Christo præcipitur, non autem ponè respicere vel aliorsum à vocatione ejus, & charitatis officio. Hoc enim κατά τι dictum.

[!] Mar. 16. 1. Luc. 24. 1.
[a] Vide Mat. 28. 1.
[b] 2. Maria Magdalene, Petrus & Johannes primi resurrectionis Domini testes: ita quidem ut suspecta fides esse merito non possint, quum hoc ipsum illis persuaderi vix potuerit, nedum ut ex composito id fint commenti.
[c] Per antonomasiam scripta illa quibus tamquam tabulis est obsignata Dei voluntas, Scriptura dicitur.
[!] Matth. 28. 1. Mar. 16. 5.
[d] Id est, extra speluncam, in qua excisum erat sepulcrum.
[e] 2. Angeli quoque (& quidem bini) sunt resurrectionis Domini testes.
[f] Ad verbum albis, sub. vestimentis.
[g] Loquitur Maria vulgi more, qui de cadavere sic loquitur, ut de toto homine.
[h] 2. Jesus ipse præsens se testatur verè resurrexisse.
[i] 2. Christus quærendus, non quærendus in hoc mundo secundùm carnem, sed in cælis per fidem, quo ipse nobis præivit.
[k] Volebat Maria Christum amplecti præ nimio videlicet amore ejus & gaudio, quòd rursum carne præsentem vidisset. Verùm quũ Dominus videret eam carnalem sui præsentiam plus æquo admirari, animum ejus ad cælestia amplexúsque fidei erigere volens à tactu sui eam repellebat, dicens, Ne me &c. Contrà voluit ut discipuli ipsum tangerent, & hoc ut suæ resurrectionis fidem illis faceret, qui eam nondum credebant.
[l] Fratrum nomine discipulos intelligit: nam proximo versiculo, Maria dicitur annunciasse discipulis.
[m] Patrem meum dixit secundùm naturam in Deitate, & Patrem vestrum propter gratiam in adoptione filiorum Dei, Epiphanius.
[!] Mar. 16. 14. Luc. 24. 36. 1. Cor. 15. 5.
[n] 2. Christus januis clausis repentè vi divina sese discipulis sistens, plenam eis fidem facit tum resurrectionis suæ, tum ipsorum Apostolatus, afflato illis sancto Spiritu Evangelici ministerii directore.
[o] Vel sponte patuerunt illi fores, vel ipsi parietes illi fuerunt pervii.

20 Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.

s *Matth*, 28.18.

21 Dicit autem eis iterum, Pax vobis: s sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.

22 Et quum hæc dixisset, afflavit *eos*: & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.

p B. Promulgatio remissionis peccatorum per fidem in Christum, & iræ Dei declaratio retinendis incredulorum peccatis, summa est Evangelicę prædicationis.

23 p Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.

q 2. Christus ex Thomæ incredulitate certum resurrectionis suæ testimonium elicit.

24 q Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venerat Jesus.

25 Dixerunt igitur ei alii discipuli, Vidimus Dominum. Ille verò dixit eis, Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & immisero digitum meum in vestigium clavorum, & immisero manum meam in latus ejus, nequaquam credam.

26 Octo ergo post diebus rursus erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis: venit Jesus foribus clausis, & stetit in medio *ipsorum*, & dixit, Pax vobis.

27 Deinde, dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam, & immitte in latus meum, & ne esto incredulus, sed credens.

28 Respondit autem Thomas, & dixit ei, Domine mi, & Deus mi.

r B. Vera fides ab ore Dei, non ab oculis carnis pendet.

29 r Dicit ei Jesus, Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

l *Infra* 21.25.

f B. Fides in Christum Filium Dei & unicum nostrum servatorem Evangelicæ doctrinæ, ac præsertim historię resurrectionis scopus.

30 l f Multa verò etiam alia signa edidit Jesus in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro.

31 Hæc autem scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum illum, Filium illum Dei; & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.

20 Hęc dixit, & ostendit eis manus suas, & latus suum. Et gavisi sunt discipuli quòd vidissent Dominum nostrum.

21 Dixit autem eis Jeschua, Pax vobiscum. Sicut misit me Pater meus, etiam ego mitto vos.

22 Et quum dixisset hæc, flavit in eos, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.

23 Si remiseritis peccata alicui, remittentur ei: & si retinueritis *peccata* alicujus, retenta sunt.

24 Thauma autem, unus ex duodecim, is qui dicitur Gemellus, nequaquam ibi erat cum eis, quum venit Jeschua.

25 Et dicunt ei discipuli, Vidimus Dominum nostrum: Ipse autem dixit eis, Nisi videam in manibus ejus loca clavorum, & immittam in ea digitos meos, & extendam manum meam in latus ejus, non credo.

26 Et post octo dies rursus intus erant discipuli, & Thauma cum eis, & veniens Jeschua quũ clausæ essent portæ, stetit in medio, & dixit eis, Pax vobiscum.

27 Ac dixit Thaumę, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & infer manum tuam, ac extende in latus meum: & ne sis incredulus, sed credens.

28 Et respondit Thauma, ac dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.

29 Dixit ei Jeschua, Nunc quia vidisti me, credidisti, beati sunt ii qui non viderunt me, & crediderunt.

30 Multa autem signa alia fecit Jeschua coram discipulis suis, quæ non sunt scripta in 7 scripto hoc.

7 Vel Libro. Vide principium Matt.

31 Quinetiam hæc quæ scripta sunt, *scripta sunt* ut credatis quòd Jeschua est Christus filius Dei; & quum credideritis, sit vobis per nomen ejus vita quæ est in æternum.

CAPUT XXI.

1 *Jesus piscantibus Apostolis apparet,* 6.7 *quem miraculo captorum piscium agnoscunt.* 15 *Petro ovium curam committit,* 18 *mortisque genus eidem prænunciat.*

POSTEA a sese rursus exhibuit Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. sic autem exhibuit.

h B. Christus non tantùm præsens, sed etiam unà cum discipulis suis vescens, plenissimam suæ resurrectionis fidem facit.

2 Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël qui erat ex Cana Galilææ, & *filii* Zebedæi, aliique ex discipulis ejus duo.

3 Dicit eis Simon Petrus, Abeo piscatum. Dicunt ei, Imus & nos tecum. Exierunt, & ascenderunt in navigium statim: & illa nocte nihil ceperunt.

4 Manè verò jam exorto, stetit Jesus ad littus: nesciebant tamen discipuli Jesum esse.

5 Dicit igitur eis Jesus, Pueri, num quid obsonii habetis? Responderunt ei, Non.

6 At ille dixit eis, Conjicite rete in dextram navigii partem, & invenietis. Conjecerunt ergo, & non amplius valebant illud trahere præ multitudine piscium.

b Amiculum ex lino, quod natanti minimè obsisteret.

7 Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro, Dominus est. Simon ergo Petrus quum audisset Dominum esse, b amiculum succinxit, (erat enim nudus) & abjecit se in mare.

8 Alii verò discipuli navigio venerunt, (non enim longè aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis) trahentes rete *plenum* piscium.

9 Ut autem descenderunt in terram, vident prunas positas, & piscem impositum, & panem.

POst hæc ostendit rursus seipsum Jeschua discipulis suis juxta mare Tiberiadis. Ostendit autem sic:

2 Erant simul Schemeun Kipha & Thauma qui dicitur Gemellus, & Nathanail ille qui erat à Katna Galilææ, & filii Zabdai, ac duo alii ex discipulis.

3 Dixit eis Schemeun Kipha, Abeo ad capiendum pisces, Dicunt ei, Nos quoque imus tecum. Et egressi sunt; & ascenderunt in navigium, & in illa nocte nihil ceperunt.

4 Quum autem esset manè, stetit Jeschua juxta littus maris: & non cognoverunt discipuli quòd Jeschua esset.

5 Et dixit eis Jeschua, Pueri, num est vobis aliquid ad edendum? Dicunt ei, Non.

6 Dixit eis; Jacite rete vestrum à latere dextro navigii, & inventuri estis. Et jecerunt: & non potuerunt trahere rete præ multitudine piscium quos *rete* ceperat.

7 Et ait discipulus ille quem diligebat Jeschua, Kiphæ, Hic, Dominus noster est. Schemeun autem quum audivisset quòd Dominus noster esset, accipiens vestem suam, cinxit circa lumbos suos, (quia nudus erat) & injecit seipsum in mare, ut veniret ad Jeschua.

8 Alii autem discipuli navigio venerunt: (nō enim remoti erant multùm à terra, sed quasi ducentis cubitis) & trahebant rete illud piscium.

9 Quum autem ascēdissent in terram, viderunt prunas positas, & piscē impositū eis, ac panē.

10 Et dixit eis Jeschua, Afferte ex piscibus quos cepistis nunc.

11 Et ascendit Schemeun Kipha, & traxit rete in terram plenum piscibus magnis centum quinquaginta tribus: & in hoc toto pondere non est scissum rete illud.

12 Et dixit eis Jeschua, Venite, vescimini. Nemo autem ex discipulis audebat interrogare eum quis esset, quia sciebant quòd Dominus noster esset.

13 Accessit autem Jeschua, & sustulit panem & pisces, ac dedit eis.

14 Hac tertia vice conspectus est Jeschua discipulis suis, quum resurrexisset [1] à mortuis.

15 Quum autem edissent, dixit Jeschua Schemeun Kiphæ, Schemeun fili Juna, amas tu me plus quàm hi? Dixit ei, Etiam Domine mi, tu scis quòd amo te. Dixit ei Jeschua, Pasce mihi agnos meos.

16 Dixit ei rursus [2] secunda vice, Schemeun fili Juna, amas tu me? Dixit ei, Etiam Domine mi, tu scis quòd amo te. Dixit ei Jeschua, Pasce mihi greges meos.

17 Dixit ei Jeschua rursum tertia vice, Schemeun fili Juna, amas tu me? Et tristitia fuit Kiphæ quòd dixisset ei [3] tribus vicibus, Amas tu me? Et dixit ei, Domine mi, omnia tu intelligis, tu nosti quòd amo te. Dixit ei Jeschua, Pasce mihi oves [4] meas.

18 Ammin ammin dico tibi, quòd quum puer esses, tu tibi ipsi cingebas lumbos tuos, & ambulabas quò volebas: quum autem senueris, extendes manus tuas, & alius accinget tibi lumbos tuos, & ducet te quò non cupis.

19 Hoc autem dixit, ut ostenderet qua morte futurum erat ut glorificaret Deum. Et quum dixisset hæc, dixit ei, [5] Veni post me.

20 Et conversus est Schemeun, & vidit discipulum illum quem diligebat Jeschua, venientem post se, illum *inquam* qui [6] ceciderat in cœna super pectus Jeschua, & dixerat, Domine mi, quisnam [7] prodit te?

21 Hunc quum vidisset Kipha, dixit Jeschua, Domine mi, & hic quid?

22 Dixit ei Jeschua, Si volo ut maneat hic donec veniam, [8] quid ad te? Tu veni post me.

23 Et exivit hic sermo inter fratres, quòd ille discipulus non moriturus sit: Jeschua autem nequaquam quòd non moriturus esset, dixit: sed, Si volo ut maneat hic donec veniam, quid ad te?

24 Hic est discipulus qui testatur de his omnibus, & etiam scripsit hæc: & scimus nos quòd verum sit testimonium ejus.

25 Sunt autem etiam alia multa quæ fecit Jeschua, quæ si [9] sigillatim scripta essent, etiam ipse mundus, (ut opinor ego) non sufficeret libris [10] qui scriberentur.

[1] Ad verb. De inter mortuos: Gallicè, *D'entre les morts*.

[2] Ad verb. Secundo tempore.

[3] Ad verbum, Tribus temporibus.

[4] Vocabulum est נקותי, quod respondet Hebræo רחלי. Atque eo quoque utitur noster paraphrastes Act. 8. 3. significátque oves fœminas.

[5] i. Sequere me, Hebraismus.

[6] F. vide suprà in 13. 25.

[7] F. i. proditurus est: vide in Matt. 17. 11.

[8] Ad verb. Ad te quid ad te! Emphaticôs, quasi diceret, Nihil quicquam ad te pertinet.

[9] Ad verbum, Unum unum. Respondet Gallica loquutio, *Un à un*.

[10] F. Syrè, qui scripti essent; capiendis purà. Sensus est, non esset futurus in mundo quisquam, qui ea omnia animo capere & mente complecti posset præ varietate rerum gestarum ac multitudine. Confer cum eo quod dicitur suprà 20. 30. Sic autem accipitur χωρεῖν, Matth. 19. 11. & 12. & alibi.

10 Dicit eis Jesus, Adferte ex piscibus quos modò cepistis.

11 Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus: & quum tot essent, non est fissum rete.

12 Dicit eis Jesus, Venite, prandete. Nullus autem discipulorum audebat eum interrogare, Tu quis es? quum scirent dominum esse.

13 Venit ergo Jesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.

14 Ita jam tertiò sese exhibuit Jesus discipulis suis, postquam suscitatus fuerat ex mortuis.

15 [c] Quum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus, Simon *fili* Jonæ, diligis me plus quàm hi? Dicit ei, Certè, Domine, tu nosti quòd amem te. Dicit ei, Pasce agnos meos.

16 Dicit ei rursum secundò, Simon *fili* Jonæ, diligis me? Ait illi, Certè, Domine, tu nosti quòd amem te. Dicit ei, Pasce oves meas.

17 Dicit ei tertiò, Simon *fili* Jonæ, amas me? Tristitia fuit affectus Petrus quòd [d] tertiò dixisset ipsi, Amas me? Dixítque ei, Domine, tu omnia nosti: tu nosti quòd amem te. Dicit ei Jesus, Pasce oves meas.

18 [e] Amen amen dico tibi, quum esses junior, [f] cingebas te, & ibas quò volebas: quum autem senueris, extendes manus tuas, & alius [g] te cinget, & transferet [h] quò noles.

19 Hoc autem dixit, significans [i] qua morte glorificaturus esset Deum. Et quum hoc dixisset, dicit ei, Sequere me.

20 [k] Conversus Petrus videt illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, [l] qui & recubuerat in cœna illa super pectus ejus, & dixerat, Domine, quis est ille qui te prodit?

21 Hunc ergo quum vidisset Petrus, dicit Jesu, Domine, hic autem quid?

22 Dicit ei Jesus, Si velim eum manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

23 [l] Exiit ergo sermo iste inter fratres, discipulum illum non moriturum: sed non dixerat ei Jesus, Non morietur: sed, Si eum velim manere donec veniam, quid ad te?

24 [m] Hic est discipulus ille qui de his testatur, & hæc scripsit: & scimus verum esse testimonium ejus.

25 [n] Sunt autem & alia multa quæ fecit Jesus, quę si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros. Amen.

[c] a. Petrus terna confessione in pristinum gradum restituitur, unde terna abnegatione exciderat: simúlque admonetur, eum demùm esse pastorem qui Christum diligens ipsius oves pascit.

[d] Nempè æquù erat, ut triplici abnegatione triplex confessio opponeretur, ne de tanti peccati remissione, & restitutione muneris Apostolici dubitaret Petrus.

[e] a. Prædicitur mors Petri violenta.

[f] Qui peregrè proficiscuntur, præsertim in Oriente, & in iis regionibus quarum incolæ prælongis vestibus utuntur, illos necesse est succingi.

[g] Respexit ad illam rationem qua captivi loris ac vinculis constringuntur, quasi dicat, Nunc te liberè accingis, ut proficiscaris quò libuerit: atqui tempus erit, quū non te zona accinges, sed alius te vinculis constringet, ut te pertrahat etiam invitum.

[h] Non quidem quòd Petrus invitus pro Dei veritate quicquam tulerit, quum eum legamus gaudentem rediisse è concilio in quo flagris cæsus fuerat, sed quia hęc voluntas non proficiscitur à carne, sed ab illo adventitio Spiritus dono, itaque repugnantiam quandam indicavit.

[i] Qui ex hoc loco colligunt Petrum fuisse crucifixum, ineptè argumentantur, quum Christus in genere prædicet Petri mortem violentam fore.

[k] a. Cavendum ne dum alios circumspicimus, quod nobis injunctum est negligamus.

[l] *Suprà* 13. 23.

[l] i. Diminavit.

[m] a. Vera est Christi historia, nec hominum curiositati, sed saluti, sancto cum delectu præscripta.

[n] *Suprà* 20. 30.

Finitum est Evangelium sanctum prædicationis Juchannan Evangelistæ, quod loquutus est Grecè Ephesi.

SCRIPTUM

[1] SCRIPTUM ACTORUM APOSTOLICORUM.

[1] F. vel liber: ut adnotatum est in versum 1.

CAPUT I.

2 Continuat Lucas hanc historiam ad suum Evangelium. 9 Sublato in cælum Christo, 10 Apostoli, 11 monentibus Angelis, 12 reversi, 14 precibus incumbunt. 15 Petri oratione, 18 Judæ proditoris loco, 23 Matthias eligitur.

PRIMUM [a] quidem librum confeci, Theophile, de [b] omnibus quæ cœpit Jesus & facere & docere,

2 Ad *eum* usque diem quo quum mandata dedisset Apostolis, quos per Spiritum sanctum elegerat, sursum receptus est.

3 [c] Quibus etiam sese, postquam passus fuit, exhibuit vivum cum multis [d] certissimis signis, per dies quadraginta conspectus ab eis, & dicens quæ ad regnum Dei *spectant*.

4 [e] Et cum illis conveniens [||] denunciavit eis ne abscederent Hierosolymis, sed ut exspectarent promissionem Patris, Quam, *inquit*, audistis ex me.

5 Nam [||] Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini [f] Spiritu sancto istis non multis pòst diebus.

6 [g] Quum igitur illi convenissent, interrogârunt eum dicentes, Domine, num hoc tempore [h] restitues regnum Israëli?

7 Dixit autem ad illos, Non est vestrûm nosse tempora sive [i] opportunitates quas Pater in sua ipsius potestate posuit.

8 [||] Sed recipietis virtutem Spiritus sancti, postquam supervenerit in vos, eritisque mihi testes & in Jerosolymis, & in tota Judæa, & Samaria, & usque ad ultimas terras.

9 [k] [||] Et quum hæc dixisset, aspicientibus ipsis elevatus est: & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum.

10 Et quum essent intentis in cælum oculis, eo proficiscente, ecce, viri duo astiterunt illis albo vestitu:

11 Qui & dixerunt, Viri Galilæi, quid statis intuentes in cælum? hic Jesus qui sursum receptus est [l] à vobis in cælum, ita veniet quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cælum.

12 Tunc reversi sunt Hierosolymam à monte qui vocatur Oliveti, qui est propè Hierosolymam [m] distans itinere Sabbathi.

13 [n] Et quum [o] introissent, ascenderunt in [p] cœnaculum ubi commorabantur & Petrus & Jacobus, & Johannes, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomeus & Matthæus, Jacobus *filius* Alphæi & Simon Zelotes, & Judas Jacobi *frater*.

14 Hi omnes [q] perdurabant [r] concorditer [s] in

[a] B. Transitio ab Evangelii (id est dictorum & factorum Christi) historia ad Apostolorum acta.
[b] Facta Jesu sunt miracula, & actiones deitatis indices, & omnium rerum perfecta sanctitas, atque adeò doctrinæ ipsius exempla.
[c] B. Ideo Christus statim à resurrectione non ascendit in cælum, ut suæ resurrectionis plenam fidem faceret, & Apostolos in doctrina quam audierant, præsens confirmaret.
[d] Indubitata signa, τεκμήρια vocat quæ necessaria vocantur: Christum autem verè resurrexisse, indicârunt hæc signa, loqui, ambulare, edere, manibus sese contrectandum præbuisse.
[e] Congregavit eos Dominus, quum dispersi huc & illuc fugissent, ut eos unà omnes haberet ascensionis suæ testes.
[||] *Luc.* 24.49. *Joh.* 14.26.
[||] *Mat.* 3.11. *Marc.* 1.8. *Luc.* 3.16. *Joh.* 1.26. *Infrà* 2.2. & 11.16. & 19.4.
[f] Sub. à Patre, vel à me, ut Pater vel Christus opponatur Johanni, sicut aquæ Spiritus sanctus.
[g] B. Prius certandum quàm triumphandum, nec curiosè investiganda quæ Deus non patefecit.
[h] Pristino statui.
[i] i. Rei gerendæ commodas occasiones, scilicet quas Dominus rebus agendis constituerit. [||] *Infrà* 2.1. [k] B. Christus promissa Spiritus sancti plena virtute, qua corpore absens Ecclesiam suam regat, corpus suum à nobis sursum in cælestia tabernacula sustulit, ibidem testibus Angelis ad extremum usque diem æterni judicii permansurum. [||] *Luc.* 24.51. [l] E vestro conspectu. [m] Circiter duo millia passuum. [n] B. Ecclesiastici conventus ad audiendum verbum & communes preces concipiendas auctoribus Apostolis in domo privata primùm instituti & celebrati. [o] Domum ingressi sunt, quam sibi Ecclesia eo tempore veluti commune domicilium delegerat. [p] Superiorem domus partem.
[q] Verbum Græcum significationem habet constantiæ & firmitatis invictæ.
[r] Utiliter concordiæ fit mentio. Eæ enim preces Deo sunt gratissimæ quæ fiunt ab animis & voluntatibus consentientibus. [s] Petebant discipuli tum Spiritus missionem, tum à præsentibus periculis quibus circumsidebantur liberationem.

[2] SCRIPTUM prius scripsi ô Theophile, de omnibus quæ cœpit Dominus noster Jeschua Christus facere & docere,

2 Usque in diem illum in quo assumtus est, postquam mandata dedisset ipsis Apostolis quos elegit in Spiritu [3] sancto:

3 Quibus etiam ostendit seipsum viventem, postquam passus est, signis multis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.

4 Et quum comederet cum eis panem, præcepit eis ut ab Urischelem [4] non discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam *inquit* audivistis à me.

5 Nam Juchannan baptizavit aquis: & vos baptizabimini Spiritu sancto, non post dies multos.

6 Illi autem quum essent congregati, interrogaverunt eum, & dixerunt ei, Domine noster, [5] num restituturus es regnum Israëli?

7 Dixit eis ipse, Non est vestrûm hoc, *nempè* scire tempus aut tempora quæ Pater posuit in potestate sua ipsius.

8 Sed quum venerit super vos Spiritus sanctus, accipietis virtutem, & eritis mihi testes in Urischelem, & in universa Judæa, & etiam inter Samaritanos, & usque ad extrema terræ.

9 Et hæc dicens, quum viderent eum, assumtus est: & nubes accepit eum, & occultatus est ob oculis eorum.

10 Quúmque intuerentur in cælum dum ipse abiret, [6] inventi sunt duo homines stantes juxta eos in vestibus albis:

11 Et dicunt eis, Homines Galilæi, quid statis vos, & intuemini in cælum? Hic Jeschua qui assumtus est è vobis in cælum ita veniet quemadmodum vidistis eum quum ascẽderet in cælũ.

12 Et posteà reversi sunt in Urischelem, à monte qui vocatur *mons* loci Olivarum, qui est juxta Urischelẽ, & distat ab ea [7] ferè septẽ stadiis.

13 Et quum ingressi essent, ascenderunt in cœnaculum illud in quo manserunt Petrus & Juchannan, & Jaakub & Andreas, & Philippus & Thauma, & Matthai & Bar-tulmai, & Jaakub filius Chalphai, & Schemeun Zelotes, & Jihudah [8] filius Jaakub.

14 Hi omnes pariter seduli erant in oratione

[2] Vel, Librum priorem. Jam antè annotatum est in principio Evangelii Matth.
[3] F. Syrè, sanctitatis: & ita passim.
[4] F. supple adhuc & antequam promissum accepissent, ut antithesi sequente confirmatur.
[5] F. al. num hoc tempore es restituturus regnum, &c. id deerat Tremellianis exemplaribus, & est necessarium.
[6] i. adfuerunt, vel fuerunt præstò. Hebraismus, ut Gen. 2.20.
[7] Locus observatione dignus, ex quo manifestè colligitur, quæ sit apud Hebræos ratio itineris, quod sabbatho emetiri ex veterum traditione concessum erat. Hic enim definitur esse stadiorum circiter septem. Stadium autem sciunt omnes 125. passus continere, atque octavam milliaris Italici partem constituere. Disertè itaque Syrus paraphrastes docet iter sabbathi ultra milliare unum non excedere: quam sententiam Hebræi clariùs etiam explicant atque confirmant in Talmud, in tractatu primo [illegible] cap. 4. & Maimoni eodem tractatu & capite, atque auctor כל בו cap. 34. ubi magno consensu tradunt spatium quod emetiri licebat die sabbathi, fuisse bis mille cubitorum. Cubitum autem metiuntur palmis minoribus, quos Græci vocant παλαιστάς, quorum quilibet continet quatuor pollices: sex autem simul, cubitum unum efficiunt: cubitus passum minorem constituit, qui geometrici pars est media. Unde necessariò colligitur sabbathi iter duobus quidem mille passibus definiri, sed minoribus, qui miliare unum dumtaxat conficiat, non duo, ut perperàm Latini ferè interpretes putârunt, qui non observârunt discrimen inter minores passus, qui totidem sunt cubiti, & majores sive geometricos, qui illis duplo sunt longiores. [8] F. vide quæ in Matthæi 10.3. adnotavimus.

unâ animâ, cum mulieribus & cum Marjam
matre Jeschua, & cum fratribus ipsius Jeschua.
15 Et in illis ipsis diebus surrexit Schemeon
Kipha in medio discipulorum, (erat autem ibi
turba hominum quasi centum viginti) ac dixit:
16 Viri fratres, justum erat ut impleretur Scri-
ptura ea quam prædixit Spiritus sanctus per os
Davidis, de Jihudah illo qui fuit dux illis qui ap-
prehenderunt Jeschua.
17 Quia connumerabatur nobiscum, & erat
ei portio in ministerio hoc:
18 Hic est qui acquisivit sibi agrum ex mer-
cede peccati: & [10] cecidit super faciem suam su-
per terram, & [11] divisus est à medietate sui: & ef-
fusum est universum corpus ejus.
19 Et hoc ipsum notum factum est omnibus
iis qui habitant in Urischelem: & ita vocatus est
ager ille lingua regionis, Chakel-demah, cujus
interpretatio est, Ager sanguinis.
20 Scriptum enim est in libro Psalmorum,
Habitatio ejus sit deserta, & inhabitans non sit in
ea. Et, Ministerium ejus accipiat alter.
21 Opus est igitur aliquo ex his viris qui fu-
erunt nobiscum in illo tempore toto in quo [12] in-
gressus est & egressus est inter nos Dominus no-
ster Jeschua,
22 Qui incepit à Baptismo Juchannan usque
in diem quo assumtus est à nobis, ut ipse sit no-
biscum testis resurrectionis ejus.
23 Et statuerunt duos, Jauseph qui vocatur
Bar-Schabbah, qui cognominatus est Justus: &
Mattiah.
24 Et quum orarent, dixerunt, Tu Domine:
nosti quod est in cordibus omnium, ostende u-
num quem eligis ex his duobus.
25 Ut ipse accipiat portionem ministerii, & a-
postolatum à quo separavit se Jihudah, ut abiret
in locum suum.
26 Et jecerunt sortes, & ascendit *sors* ad Mat-
tiah: & connumeratus est cum undecim Apostolis.

9 ʳ Velanimo uno.

10 ʳ. putà laqueo fracto quo se strangulaverat, pronus in terram ruit, & crepuit medius.

11 Hoc est, Diruptus est medius & effusum projectúmque jacuit ejus corpus.

12 Quasi dicat, Vitam egit, & assiduè conversatus est. Hebraismus frequens, ut primo Samuelis decimooctavo, versu decimosexto: & vicesimo nono, versu sexto.

oratione & deprecatione cum [5] uxoribus & Ma-
ria matre Jesu, & cum ipsius [u] fratribus.
15 [x] Et per eos dies quum assurrexisset Pe-
trus in medio discipulorum, dixit, (erat autem
turba [y] capitum eodem *loci* quasi centum vigin-
ti)
16 [z] Viri fratres, oportuit impleri Scripturam
hanc, [a] quam prædixit Spiritus sanctus per os
Davidis, de Juda, qui fuit dux viæ iis qui compre-
henderunt Jesum;
17 Annumerabatur enim nobiscum, & forti-
tus erat sortem ministerii hujus.
18 Is igitur [a] acquisivit agrum ex mercede in-
justitiæ: ‖ & [b] præcipitatus crepuit medius, & ef-
fusa sunt omnia viscera ejus:
19 Innotuítque omnibus habitantibus Hie-
rosolyma: adeò ut vocetur ager ille propria ipso-
rum lingua, Aceldama, hoc est, ager sanguinis.
20 Scriptum est enim in libro Psalmorum,
‖ Fiat commoratio ejus deserta, & non sit qui ha-
bitet in ea. Et, ‖ [c] Episcopatum ejus accipiat a-
lius.
21 [d] Oportet igitur ex iis viris qui nobiscum
convenerunt toto tempore quo Dominus Jesus
[e] versatus est inter nos,
22 Exorsus à Baptismo Johannis, ad eum us-
que diem quo sursum receptus est [f] à nobis, u-
num fieri nobiscum testem resurrectionis ejus.
23 [g] [h] Statuerunt igitur duos, Josephum vo-
catum Barsaban, qui cognominabatur Justus, &
Matthiam.
24 Et precantes dixerunt, Tu Domine, qui
corda omnium nosti, ostende utrum elegeris ex
his duobus:
25 Ut accipiat [i] sortem ministerii hujus & A-
postolatus, à quo [k] aberravit Judas, ut abiret in
locum suum.
26 [l] Jecerunt igitur sortes eorum, & cecidit
sors super Matthiam, qui communibus [m] calcu-
lis allectus est cum undecim Apostolis.

[t] Confirmari enim decebat uxores, quas socias periculorum essent habituri.
[u] Cognatis.
[x] B. Petrus vel ex arcana Spiritus revelatione, vel expresso Ecclesiæ judicio, Apostolici collegii antistes & interpres.
[y] Ad verb. nominum. Solent enim homines nominatim censeri.
[z] B. Occurrit Petrus Judæ proditoris offendiculo, quòd, quæcumque ei acciderunt, à Deo fuerint prædicta.
‖ Psal. 41. 10. Job. 13. 27.
[a] Respexit Lucas non consilium Judæ, sed eventum. Sic aliquis dicitur malum sibi quærere, habita non consilii aut voluntatis, sed eventus ratione.
‖ Mat. 27. 5.
[b] Significant verba Græca pronum Judam prolapsum medium discissum fuisse, cum quodam singularis crepitus fragore.
‖ Psal. 69. 26.
‖ Psal. 109. 8.
[c] Munus & functionem. David quidem hæc scripsit in Doeg regis armentis præfectum. Solent autem pastorum, ovium & gregis vocabula ad ecclesiasticam administrationem transferri. [d] B. Apostoli nihil deliberant nisi consulto Dei verbo: deinde quod totius Ecclesiæ intererat, non nisi conscia Ecclesia exsequuntur. [e] Ad verbum, intravit, & exivit: quod genus dicendi Hebræis indicat functionis publicæ, ejúsque laboriosæ administrationem, quum de iis agitur qui in publico munere versantur. Deut. 31. 2, 1. Par. 27. 1. [f] A nostro cœtu. [g] B. Apostolos oportuit immediatè à Deo ordinari, ideóque præeuntibus precibus eligitur Matthias sortitione, quæ instar divinæ vocis esset. [h] Publicè & totius collegii suffragiis. [i] Ut sit ipse consors & particeps hujus ministerii. [k] Decessit sive excidit, à prolabendo, metaphora à via ducta, Vocationes enim Hebræis viarum nomine significantur. [l] Sortiti sunt conjectis sortibus. [m] Calculis conjectis sententiæ olim, sive suffragia, declarabantur.

CAPUT II.

1 *Apostoli,* 4 *Spiritu sancto repleti,* 8 *diversis linguis loquuntur.* 13 *Ebrietatis notam* 15 *Petrus elevat:* 22. 34 *Jesum Messiam esse docet:* 37 *Auditoribus consternatis* 38 *pœnitentiam suadet.*

ET quum implerentur dies Pentecostes, quum
essent congregati omnes simul:
2 Factus est repentè è cælo sonus tamquam
venti vehementis, & impleta est eo tota domus
illa in qua sedentes erant.
3 Et visæ sunt eis linguæ quæ dispertitæ e-
rant tamquam [1] ignis, & sederunt super unum-
quemque ex eis.
4 Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & in-
cipiebant loqui [2] diversis linguis, prout Spiritus
dabat eis eloqui.
5 Erant autem homines qui habitabant in
Urischelem, [3] qui timebant à Deo, Judæi, ab om-
nibus populis qui sunt sub cælo.
6 Et quando factus est sonus ille, congre-
gatus est totus populus: & conturbatus, eo quòd
audiret [4] unumquemque ex illis, quòd loqueren-
tur linguis ipsorum.

1 ʳ. i. linguæ ignitæ vel ignescentes: typi spiritualis doni & aspectabilis, quod acceperunt Apostoli.

2 Ad verb. Lingua, lingua. Hebraismus.

3 Id est, Erant religiosi & timentes Deum.

4 Ad verbum, Virum, virum, Hebraismus.

QUum [a] autem [b] advenisset dies Pentecostes,
erant [c] omnes concorditer eodem *loci.*
2 Tum exstitit repentè sonitus è cælo tam-
quam ruentis flatus violenti, qui replevit totam
domum ubi erant considentes.
3 Et visæ sunt eis dispertitæ linguæ instar
ignis, *qui* etiam [d] sedit super unumquemque eo-
rum.
4 Repleti sunt autem omnes Spiritu sancto,
cœperúntque loqui [e] aliis linguis, [f] prout Spiri-
tus ille dabat eis effari.
5 Erant verò Hierosolymis habitantes Ju-
dæi viri religiosi, ex omni natione *eorum* [g] qui
sub cælo *sunt.*
6 Orto autem [h] hoc rumore, convenit mul-
titudo, & confusa fuit quòd audiret unusquisque
sua propria lingua ipsos loquentes.

[a] B. Apostoli, die maximè solenni, ut res esset toti mundo perspecta, uno in loco congregati, ut unum omnium illorum munus, eumdem Spiritum eamdémque fidem esse constaret, adhibito duplici symbolo, cælitùs designantur, & excellentissimis quibusque Spiritus sancti donis, ac imprimis quidem linguarum extraordinario & necessario dono unguntur.
[b] Ad verb. compleretur, id est, inchoatus esset, velut Luc. 2. 21. Compleri enim dicunt Hebræi diem vel annum, quum præcedentes exacti sunt, is autem inchoatus. Jerem. 25. 12. Erit autem quum impleti fuerint septuaginta anni, visitabo, &c. Non enim post septuagesimum annum, sed ipso septuagesimo anno, reduxit populum Dominus. Erat autem Pentecostes, dies quinquagesimus post Paschatis festum. [c] Duodecim Apostoli qui futuri essent Ecclesiæ quasi Patriarchæ. [d] Sub. ignis, vel spiritus. [e] Alias linguas vocat, quæ diversæ essent ab ea quæ Apostolis erat familiaris, quas Marcus novas vocat. [f] Significat Apostolos, nec temerè, nec fanaticorum instar modò hac, modò illa lingua loquutos, sed magnam habuisse auditorum rationem: in summa, nihil dixisse, nisi Spiritu sancto linguam moderante. [g] Est hyperbole Hebræis familiaris, ut Deut. 2. 25. [h] Hujus facti rumore.

7 Stupefacti

7 Obstupe-

Non quòd resonante una voce, audirentur plures, sed peregrinis linguis loquebantur Apostoli: illo enim pacto esset magis audientium miraculum, hoc verò dicentium, Nazianz. in Orat. de Pent.
k Judæorum nomine eos intelligit, qui origine & religione Judæi erant, quamvis alibi nati. Proselyti autem erant qui è Paganis Judæorum religionem amplectebantur.
l B. Verbum Domini alios percellit ut eos ad inquirendam veritatem adigat, alios verò sic redarguit ut suæ ipsorum impudentiæ testes esse cogat.
m Vocabulo utitur, quod contumeliam irrisionis indicat: Hæc autem irrisio, docet nullum tantum esse miraculum, cui non audeat obtrectare impietas.
n Observanda est Petri confidentia, ut ab initio statim cognosceretur Spiritus sancti gratia.
o Ab orto sole, quæ in septimam nostram vel octavam incidere potest.
p Nihil aliud dissolvit quæstiones & dubitationes, nisi Propheticum testimonium: rationes enim hominum everti possunt, vox Divina everti non potest.
q B. Petrus calumniis hominum opponens Dei veritatem, docet in se & suis collegis impletum quod Joël de plena Spiritus sancti exhibitione novissimis temporibus futura prædixerat: quæ gratia toti etiam Ecclesiæ offeratur, certo eorum exitio à quibus contemnetur.

7 Obstupescebant autem omnes ac mira-
bantur, dicentes alii ad alios, Nónne ecce omnes
isti qui loquuntur, Galilæi sunt?
8 i Quomodo igitur nos audimus eos sua
quisque lingua in qua nati sumus?
9 Parthi & Medi & Elamitæ, & qui incoli-
mus Mesopotamiam, Judæámque & Cappado-
ciam, Pontum, & Asiam,
10 Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum &
partes Libyæ quæ est secundùm Cyrenen, &
advenæ Romani, tum k Judæi tum Proselyti,
11 Cretes & Arabes, audimus eos loquentes
nostris linguis magnifica Dei *facta*.
12 l Obstupescebant igitur omnes, & hæsitabãt,
dicentes alius ad alium, Quid hoc *rei* esse possit?
13 Alii verò m cavillantes dicebant, Vino dul-
ci pleni sunt.
14 Consistens autem Petrus cum undecim,
n sustulit vocem suam, & affatus est eos, dicens,
Viri Judæi, *vósque* omnes qui habitatis Hieroso-
lymis, hoc vobis notum esto, & auribus percipite
verba mea.
15 Non enim, ut vos existimatis, isti ebrii sunt,
quum sit o hora diei tertia:
16 Sed hoc illud est quod dictum est p per
Prophetam Joëlem,
17 q l Et erit ultimis temporibus, (dicit Deus)
effundam ex Spiritu meo in r quamvis s carnem:
& prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & ju-
venes vestri visiones videbunt, & seniores vestri
somnia somniabunt.
18 Et quidem in servos meos & in ancillas
meas in diebus illis effundam ex Spiritu meo, &
prophetabunt.
19 Et edam miracula in cælo sursum, & signa
in terra deorsum, sanguinem & ignem & vapo-
rem fumi.
20 t Sol convertetur in tenebras, & luna in
sanguinem, priusquam veniat dies ille Domini
magnus & illustris.
21 u Et futurum est ut quicumque x invoca-
verit nomen Domini, servetur.
22 y Viri Israëlitæ, audite sermones istos: Je-
sum illum Nazarenum, virum à Deo z approba-
tum apud vos præstantibus factis & miraculis &
signis quæ edidit per eum Deus in medio vestri,
sicut & ipsi nostis,
23 Hunc *inquam* definito illo consilio & a pre-
stituto Dei deditum quum accepissetis, manibus
b sceleratis *cruci* affixum c interemistis.
24 d Quem Deus suscitavit, solutis e dolori-
bus mortis, eo quòd fieri non poterat ut ipse ab
ea retineretur.
25 f David enim dicit de eo, Prospiciebam
Dominum coram me semper: quoniam est mihi
ad dexteram, ne concutiar.
26 Propterea oblectatum est cor meum, & ex-
sultavit lingua mea: atque adeò caro mea com-
morabitur cum spe.

7 Stupefacti *autem* erant 5 omnes, & mira-
bantur, dicentes 6 unus ad alium, Hi omnes qui
loquuntur, nónne ecce Galilæi sunt?
8 Quomodo nos audivimus 7 unusquisque
8 linguam suam in qua nati sumus?
9 Parthi & Medi & 9 Elanæi, & qui habitant
10 inter flumina, Judæi & Cappadoces, & qui sunt
regionis Ponti & Asiæ,
10 Et qui sunt regionis Phrygiæ, & Pamphy-
liæ, & Ægypti, & regionum Libyæ, qui sunt vici-
ni Cyrenæ, & qui venerunt è Roma, Judæi &
Proselyti,
11 Et qui sunt ex Creta & Arabia: ecce, audi-
mus quòd loquuntur linguis nostris mirabilia Dei.
12 Mirabantur autem omnes, & hæsitabant,
dicentes 11 unus ad alium, 12 Quæ est hæc vo-
luntas?
13 Alii autem deridebant eos, dicentes, Hi
merum biberunt, & inebriati sunt.
14 Et post hæc surrexit Schemeun Kipha cũ
undecim Apostolis, & extulit vocem suam, ac di-
xit eis, Homines Judæi, & omnes qui habitatis in
Urischelem, hoc notum sit vobis, & attendite ser-
mones meos:
15 Non enim, sicut vos putatis, hi ebrii sunt:
nam ecce, usque nunc tertia est hora.
16 Sed hoc est quod dictum est in Juil Pro-
pheta,
17 Erit in diebus postremis, (dicit Deus) ef-
fundam Spiritum meum super omnem carnem:
& prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & juve-
nes vestri visiones videbunt, & seniores vestri
somnia somniabunt.
18 Et super servos meos & super ancillas me-
as effundam Spiritum meum in diebus illis, &
prophetabunt.
19 Et dabo signa in cælo, & prodigia super
terram, sanguinem & ignem, & vaporem fumi.
20 Sol mutabitur in caliginem, & luna in
sanguinem, priusquam veniat dies Domini ma-
gnus & formidabilis.
21 Et erit, omnis qui invocaverit nomen Do-
mini, 13 servabitur.
22 Homines, filii Israjel, audite sermones hos:
Jeschua Natzarenum, hominem 14 qui à Deo
15 conspectus est apud vos virtutibus & prodigiis
quæ Deus fecit in medio vestri 16 per manum e-
jus, sicut vos nostis:
23 Hunc, *inquam*, qui 17 segregatus erat ad hoc
per 18 providentiam & voluntatem Dei, tradidi-
stis in manus improborum, & crucifixistis ac in-
terfecistis.
24 Deus autem excitavit eum, & solvit 19 do-
lores sepulcri: quia impossibile erat ut detine-
retur in ipso sepulcro.
25 David enim dixit de eo, 20 Ab initio fui
spectãs Dominum meũ in omni tempore: quoni-
am ad dexteram meam est ut non commovear.
26 Propterea lætatum est cor meum, & ex-
sultavit 21 gloria mea, & etiam corpus meum ha-
bitabit in spe.

5 F. Syrè, illi omnes, de quibus præcedente versu.
6 Ad verb. Unus ad unum. Hebrai.
7 Ad verbum, Homo homo. Hebraismus paulò antè observat.
8 F. nempè à rudibus & illiteratis Galilæis istis.
9 F. i. Persæ, συνεκδοχικῶς, ut locorum ostendit ordo: nam ab Oriente ad Occidentem populos enumerat. Quod autem Elanæos appellat Syrus, vitiosum puto: nam Elanæi ad Arabiam Petræam pertinent: & Græcus textus est verior.
10 Id est, In Mesopotamia, quæ sita est inter duo flumina, Euphratem & Tigrim. Hebræi addere solent ארם, ac vocant Syriam duorum fluminum.
11 F. Syrè, Unus uni.
12 Id est, Quid hoc sibi vult? Syra phrasis.
13 Ad verbum, Vivet. Hebraism.
14 Id est, Quem vos experientia didicistis virum esse à Deo vobis datum.
15 F. vel spectandus datus est atque exhibitus.
16 Id est, Opera ejus. Tritus Hebraismus.
17 F. Syrè, segregatus erat sibi: Pleonasmus de quo in Mat. 4. 10.
18 F. Syrè, anticipatione scientiæ: periphrasis commodissima præscientiæ & providentiæ.
19 Puncta vocalia hujus nominis in Syro textu hanc interpretationem postulant: quia paraphrastes bona fide Lucam reddidit. Cæterùm Græci, quos Lucas sequutur, diversa puncta quæ in Hebræo leguntur, non observârunt. Tunc enim vocem quæ 2. Sam. 22. & Psal. 18. 6. legitur, & ad quam Evangelista alludit, vertissent Vincula. F. etsi hanc punctorum distinctionem ubique non servari nonnulli ex Hebræis quoque agnoverunt. 20 F. vel è regione, ex adverso. 21 תשבחתי, quæ vox respondet Hebrææ כבודי, pro qua Græcus habet, ἡ γλῶσσά μου, id est, Lingua mea: quia translationem nominis Hebraici כבוד explicat ex Hebræorum etiam interpretum sensu. Vide Psal. 16. 7. F. frequens enim est hæc metonymia, quâ gloria pro gloriationis instrumento usurpatur.

f Joël. 2. 28. Esa. 44. 3. r Ad verbum, omnem, indefinitè. id est, Non tantùm Judæis sed & cæteris gentibus. s i. Hominem. t Metaphoricæ sunt hæ loquutiones: quibus significat Dominum signa per totam orbis machinam daturum iræ suæ, quæ homines terrore exanimet, ac si horrenda fieret totius naturæ conversio. u B. Usus præcipuus omnium donorum Spiritus sancti, est homines ad salutem per fidem adducere. x Invocare, in sacris literis significationem habet precationis ardentis, implorantis opem Divinam. y B. Christus innocens à sceleratis, ex Dei providentia, crucifixus. z Qui sit iis operibus quæ per illum fecit Deus, tamquam necessariis demonstrationibus comprobatus. a Præeunte æterna Dei cognitione, quæ nec à consilio definito divelli potest, quod Epicurus facit, nec interim mali causa esse: nam pessimum Judæ factum æterno & immutabili consilio, in optimum finem definivit. Benè enim agit Deus, etiamsi malè agant instrumenta. b Dei consilium non excusat Judæos, quorum manus fuerunt sceleratæ. c Tribuitur factum iis quorum consilio & impulsione res acta fuit. d B. Christus (sicut prædixerat David) non modò resurrexit, sed etiam in ipso sepulcro ab omni corruptione fuit immunis. e Morte dolorum corporis & animi plena: itaque quum mors videretur esse ipsorum dolorum victoria ac imperium, Christus meritò dicitur lethales istos dolores superasse, quum mortuus mortem vicit, in æternum cum Patre victurus. f Psal. 16, 8.

27 Quoniam 27 Quoniam

27 Quoniam non relicturus es animam me-
am in sepulcro, nec traditurus es benignum tu-
um ut [22] videat corruptionem.
28 Manifestasti mihi viam vitæ: replebis me
jucunditate cum vultu tuo.
29 Homines fratres, permittitur dicere aper-
tè apud vos de patriarcha David, quòd mor-
tuus est, & etiam sepultus est, & locus sepulturæ
ejus est apud nos usque in hunc diem.
30 Propheta enim erat, & sciebat quòd jura-
mentum jurasset sibi Deus, De fructibus ventris
tui sedere faciam super thronum tuum.
31 Et [23] antè vidit, & loquutus est de resurre-
ctione Christi, quòd non sit derelictus in sepul-
cro, etiam corpus ejus non [24] viderit corrup-
tionem.
32 Hunc Jeschua suscitavit Deus, & nos om-
nes testes ejus sumus.
33 Et ipse est qui per dexteram Dei exaltatus
est, & accepit à Patre promissionem quæ *fuerat*
de Spiritu sancto, & effudit donum hoc quod,
ecce, vos videtis & auditis.
34 Nequaquam enim David ascendit in cæ-
lum: nam ipse dicit, Dixit Dominus Domino
meo, Sede à dextera mea,
35 Donec posuero inimicos tuos scabellum
pedibus tuis.
36 Verè igitur sciat tota domus Israjel, quòd
Dominum & Christum fecerit eum Deus, hunc
inquam Jeschua quem vos crucifixistis.
37 Et quum audivissent hæc, compuncti sunt
in corde suo: & dixerunt Schemeun & reliquis
Apostolis, Quid faciemus fratres?
38 Dixit eis Schemeun, Convertimini, & ba-
ptizemini [25] unusquisque vestrûm in remissio-
nem peccatorum: & accipietis donum Spiri-
tus sancti.
39 Vobis enim facta est promissio & filiis ve-
stris, ac omnibus iis qui longè sunt, quos ipse De-
us vocaverit.
40 Et sermonibus aliis pluribus [26] testabatur
eis, & petebat ab eis, quum diceret, Servate vos à
generatione hac prava.
41 Et quidam ex eis promptè acceperunt ser-
monem ejus, ac crediderunt baptizatique sunt:
& addita sunt in illo die quasi tria millia ani-
marum.
42 Et perseverantes erant in doctrina Apo-
stolorum, & communicabant in precatione, & in
fractione eucharistiæ.
43 Et factus est timor in omni anima. Et signa
multa & prodigia fiebant per manum Apostolo-
rum in Urischelem.
44 Et omnes qui crediderant, simul erant: &
quicquid erat eis, communitatis erat.
45 Et illi quibus erat possessio *aliqua*, vende-
bant eam, & dividebant [27] unicuiq; prout neces-
sarium erat.
46 Et quotidiè perseverabant in templo [28] u-
na anima: & domi frangebant portionem, & ca-
piebant cibum exsultantes, & in puritate cor-
dis sui.
47 Laudantes Deum, traditi [29] in favorem co-
ram universo populo. Et Dominus noster adde-
bat quotidiè illis eos [30] qui salvi fiebant in cœtu.

[22] i. Obnoxius sit corruptioni. Hebraismus.

[23] id est, Præcognovit.

[24] i. Obnoxius corruptioni fuerit. Hebraismus ut suprà.

[25] Ad verb. Homo homo ex vobis. Hebr.

[26] Hortabatur eos, exponens quid ab eis requireretur ut facerent.

[27] Ad verb. Homini homini. Hebraismus.

[28] i. vel uno animo: id autem est unanimes.

[29] Ad verb. In intimos & viscerales, ut ita dicam, favores. Hebr. Vide 1. Reg. 8. 56. Gene. 1. 30. Nehem. 1. 2. quasi dicat, Deum laudabant qui eis gratiam conciliasset apud universum populum.

[30] Ad verb. Qui vivificabantur. Hebraismus sæpe observatus.

27 Quoniam non [f] derelinques animam me-
am apud inferos, nec sines Sanctum illum tuum
sentire corruptionem.
28 [g] Notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me
jucunditate in tuo conspectu.
29 Viri fratres, licet liberè dicere apud vos de
patriarcha Davide, [‖] eum & obiisse & sepultum
esse, & monimentum ejus esse apud nos ad hunc
usque diem.
30 Propheta igitur quum esset, & sciret [‖] De-
um [h] jurejurando sibi jurasse, fore ut ex fructu
lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum
illum suscitaret, *quem* collocaret super ejus
throno:
31 Præscius loquutus est de resurrectione
Christi, [‖] non derelictam esse apud inferos ani-
mam ejus, neque carnem ejus sensisse corrupti-
onem.
32 [i] Hunc Jesum suscitavit Deus: cujus *rei* om-
nes nos sumus testes.
33 Itaque [k] dextera Dei sursum sublatus &
promissum Spiritum sanctum adeptus à Patre,
effudit hoc quod vos nunc spectatis & auditis.
34 Nec enim David ascendit in cælos: sed di-
cit ipse, [‖] Dixit Dominus Domino meo, Sede ad
dexteram meam,
35 Usquedum [l] posuero inimicos tuos sca-
bellum pedum tuorum.
36 Certò sciat ergo tota domus Israelis quòd
Deus hunc [m] fecerit Dominum & Christum, hunc
ipsum *inquam* Jesum quem vos crucifixistis.
37 Qui verò hæc audierunt compuncti sunt
corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Aposto-
los, Quid faciemus viri fratres?
38 [n] Petrus autem ait ad eos, Resipiscite, &
baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Jesu
Christi in remissionem peccatorum: & accipietis
donum Spiritus sancti.
39 Vobis enim *facta est* [o] promissio, & liberis
vestris, & omnibus longè post *futuris*, quoscumq;
videlicet advocaverit Dominus Deus noster.
40 [p] Aliisq; sermonibus plurimis [q] obtestaba-
tur, & exhortabatur *eos*, dicens, Servamini ex na-
tione ista prava.
41 [r] Qui ergo libenter receperunt sermonem
ejus, baptizati sunt: & additæ sunt *Ecclesiæ* die illo
animæ quasi ter mille.
42 [s] Perdurabant autem in doctrina Aposto-
lorum, & [t] communicatione, & [u] fractione panis,
& precibus.
43 [x] Obortus est autem omnibus timor: mul-
taq; miracula & signa per Apostolos fiebant.
44 [y] Omnes autem qui credebant, erant [z] eo-
dem *loci*, & habebant omnia communia.
45 Et possessiones ac facultates vendebant, &
dispertiebant ea omnibus, prout cuiq; opus erat.
46 [a] Et quotidiè perdurantes concorditer in
templo, ac [b] frangentes domatim panem, & ca-
piebant cibum cum exsultatione & simplicitate
cordis:
47 Laudantes Deum, & [c] habentes gratiam
apud totum populum. Dominus autem addebat
quotidiè Ecclesiæ qui salvi fierent.

[f] Non permitte me permanere in sepulcro.

[g] Aditum mihi ad veram vitam patefecisti.

[‖] 1. Reg. 2. 10. infr. 13. 36.

[‖] Psal. 132. 11.

[h] Solenni formula jurasset.

[‖] Psal. 16. 10. infra 13. 35.

[i] B. Jesum Christum esse Regem æternum designatum testatur Petrus, & ex ipsius Spiritus sancti donis palàm convincit, addito Davidis testimonio.

[k] Virtute ac potentia Dei.

[‖] Psal. 110. 1.

[l] Hebraismus, pro reddam & efficiã.

[m] id est, Constitutum, & in eam dignitatem evectum: ut si quis dicatur rex aut potens imperator factus. Nam Christi nomen ut alibi passim, ita etiam hoc loco, Regem à Deo unctum & designatum declarat, ut norint Judæi Jesum ideò sic vocatum quòd revera talis esset. Notandum præterea hic, faciendi verbum hoc loco non referri ad *οὐσίαν*, sed ad statum & dignitatem summam in quam est Christus evectus, sicut describit Apostolus, Ephes. 1. 21. & 4. 10. & Phil. 2. 9. & 10.

[n] B. Resipiscentia & remissio peccatorum in Christo sunt duo Evangelii ac proinde nostræ salutis capita. Obtinentur autem ex promissionibus per fidem apprehensis: & per baptismum, quicum est conjuncta Spiritus sancti virtus, in nobis obsignantur. [o] Gratuitum esse donum nomen *ἐπαγγελίας* declarat. [p] B. Is demum verè aggregatur Ecclesiæ qui sese ab impiis segregat. [q] Dei interposita auctoritate. [r] B. Insigne virtutis Spiritus sancti exemplum. Non baptizantur autem adulti, nisi fidem professi. [s] B. Veræ Ecclesiæ signa sunt, doctrina Apostolica, charitatis officia, Sacramentorum administratio pura, & vera invocatio communis. [t] Facultatum & omnium charitatis officiorum, ut postea explicat. [u] Utebantur Hebræi spissis manùs panibus, itaque potiùs frangebantur, quàm cultris secarentur: sic per fractionem panis convictum illum mutuum intellexerunt, atque adeò convivia quæ celebrare solent. Quum autem Agapas celebrarent, factam etiam Domini Cœnam soliti erant usurpare, in quam jam tum temporis irrepserant corruptelæ, quas emendat Paulus, 1. Cor. 11. [x] B. Dominus quoties expedit, extraneorum rabiem frænat, ut Ecclesia plantari & recreari possit. [y] B. Charitas efficit omnia communia, quod ad usum quidem attinet, pro necessitatis ratione. [z] Vel simul, ut infrà 3. 1. Ita enim communes Ecclesiæ cœtus significantur, cum mutua in eamdem doctrinam consensione & summa animorum concordia. [a] B. Fideles initio non tantùm ad audiendum verbum, sed etiam ad capiendum cibum magno cum fructu conveniebant. [b] i. vescentes. [c] i. Grati & accepti toti populo.

CAPUT III.

1 *Petrus cum Johanne in templum ascendens,* 2 *claudum sanat.* 9 *Populo ad miraculum concurrenti,* 12 *salutis mysterium per Christum exponit,* 14 *ingratitudinem eorum accusans,* 16 *& pœnitentiam ab illis requirens.*

CÆterùm [a] Petrus & Johannes simul ascendebant in templum, [b] sub horam precationis, *nempe* nonam.

2 Quidam autem vir claudus ab utero matris suæ, portabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab ingredientibus in templum.

3 Is quum vidisset Petrum ac Johannem ingressuros in templum, rogavit ut eleemosynam acciperet.

4 Intentis autem in eum oculis Petrus cum Johanne, dixit, Aspice ad nos.

5 Ille igitur [c] attendebat eos, sperans se aliquid ab eis accepturum.

6 Petrus autem dixit, Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do, In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.

7 Et prehensa manu ejus dextera, erexit *eum*: illicò verò confirmati sunt pedes ipsius ac malleoli.

8 Et exsiliens stetit, & ambulavit, & ingressus est cum eis in templum, ambulans & saliens, & laudans Deum.

9 Viditq; eum totus populus ambulantem & laudantem Deum.

10 Et eum agnoverunt illum esse qui ad *petendam* eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt pavore & stupore super eo quod ei contigerat.

11 Quum autem claudus ille qui sanatus fuerat [d] teneret Petrum & Johannem, cucurrit totus populus ad eos in porticum quæ appellatur Solomonis, expavefactus.

12 [e] Quo viso Petrus respondit populo, Viri Israëlitæ, quid miramini de hac re? aut quid intentos oculos in nos habetis, quasi propria potestate aut pietate effecerimus ut hic ambulet?

13 Deus ille Abrahami & Isaaci & Jacobi, Deus *inquam* Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos tradidistis & abnegastis in conspectu Pilati, quum ille judicasset esse dimittendum.

14 Vos autem sanctum illum & justum abnegastis, & postulastis homicidam condonari vobis:

15 [f] Principem autem vitæ trucidastis, quem Deus suscitavit à mortuis: cujus *rei* nos testes sumus.

16 Et per fidem in nomen ipsius, hunc quem conspicitis ac nostis, confirmavit nomen ipsius: [g] fides inquam quæ per ipsum *est*, dedit isti integritatem hanc coram omnibus vobis.

17 Sed nunc fratres, scio vos per ignorantiam *ista* fecisse, sicut et primores vestros.

18 Deus autem quæ prænunciaverat per [h] os omnium Prophetarum suorum, Christum suum perpessurum, ita implevit.

19 [i] Resipiscite igitur, & convertite vos, ut deleantur peccata vestra: [k] postquam venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini,

[a] 2. Christus claudum quemdam natum hominem notum omnibus, loco & tempore celebri per manus Apostolorum sanans, partim eos qui crediderant confirmat, partim alios credituros vocat.

[b] Hora nona fuit precationi consecrata, nempe sacrificio vespertino, neque tamen Apostoli ad sacrificium conveniebant, quum scirent verum illum Agnum qui tollit peccata mundi, suo sacrificio legis umbras delevisse: sed aderant potiùs ut hoc ipsum docerent, nempe id esse re ipsa exhibitum quod ceremoniæ legis adumbrarant. Neque tamen dubium est quin sese quoad ejus fieri potuit, legis ceremoniis accommodârint, tantisperdum infirmos ac rudes Christo lucrifacerent.

[c] Animo & oculis.

[d] Hoc loco tenere non declarat prehendere, sed ita tenere ut tibi elabi non sinas. quod arguit, claudum istum vel eorum amore à quibus curatus fuerat, vel fortassis metu, ne si eos ex oculis semel amisisset, iterum claudus fieret, ab eorum latere non discessisse.

[e] 8. Miracula convincendis incredulis destinata sunt, ac proinde pessimè iis abutuntur qui vel in ipsis miraculis, vel in organis quibus Deo uti placet obstupescentes, ex eo quod ad veri cultus (id est Christianismi) notitiam à Deo institutum est, idololatriæ & superstitionis stabiliendæ occasionem arripiunt.

[f] In seipso habentem vitam & causam vitæ.

[g] Quia fide amplexus est illum à mortuis excitatum cujus nomen ex nobis audiit.

[h] Quamvis multi fuerint Prophetæ, oris tamen numero singulari mentionem facit, ut indicet consensum Prophetiarum.

[i] 2. Optimum quidem est Christum oblatum statim amplecti, sed iis qui pro humana imbecillitate tantùm beneficium neglexerint, superest resipiscentiæ remedium. Opponendum est autem crucis ignominiæ decretum Dei prædictum per Prophetas de Christo priùs in terris crucifigendo, deinde è cælis judice & totius mundi instauratore apparituro, ut serventur omnes credituri, & omnes increduli semel pereant.

[k] Est ecliptica oratio, quæ sic plena erit, Quum venerint tempora refrigerii, vos quoque hoc refrigerium sentiatis: quum venerit Christus ad judicandum orbem, ipsum redemtorem non judicem sentiatis. Porrò vita æterna refrigerium dicitur, quia refrigerat fessos, & lassos: sicut dicitur merces, quia compensat labores & miserias quas habuerunt aliquando pii in hac vita.

ET factum est ut quum ascenderent Schemeun Kipha & Juchannan simul in templum in tempore precationis nonæ horæ,

2 Et ecce, homo quidam claudus ex utero matris suæ, quem ferebant viri illi qui soliti erant [1] afferentes & ponentes eum in porta templi quæ vocatur Speciosa, ut esset petens [2] eleemosynam ab iis qui ingrediebantur templum.

3 Is quum vidisset Schemeun & Juchannan, quòd ingrederentur in templum, petebat ab eis, ut darent sibi eleemosynam.

4 Et intuiti sunt eum Schemeun & Juchannan: ac dixerunt ei, Intuere in nos.

5 Ille autem intuitus est in eos, quum speraret accipere ab eis aliquid.

6 Dixit ei Schemeun, Aurum & argentum non est mihi: sed id quod est mihi, do tibi: In nomine Domini nostri Jeschua Christi Natzaræi surge, ambula.

7 Et apprehendit eum manu sua dextera, & erexit eum: & eadem hora confirmati sunt pedes ejus & calcanei ejus.

8 Et exsiliens surrexit, & ambulavit: ac ingressus est cum eis in templum, ambulans & exsiliens, & laudans Deum.

9 Et vidit eum totus populus ambulantem, & laudantem Deum.

10 *Et* agnoverunt quòd is esset ille mendicus qui sedebat quotidie, & petebat eleemosynam ad portam quæ vocatur Speciosa, & repleti sunt admiratione, & stupore super eo quod factum fuerat.

11 Et quum teneret Schemeun & Juchannan, accurrit totus populus stupefactus ad eos ad porticum quæ vocatur Schelimun.

12 Quumq; videret Schemeun, respondit, & dixit eis, Homines, filii Israjel, quid miramini super hoc? Aut in nos quid intuemini, quasi quòd ipsum virtute nostra aut potestate nostra fecerimus ut ambularet hic?

13 Deus ipse Abraham & Ischak & Jaakub, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jeschua, quem vos prodidistis, & abnegastis eum ante faciem Pilati, quum ille [3] justificasset ut [4] solverent eum.

14 Vos autem sanctum & justum negastis, & petiistis hominem homicidam ut daretur vobis:

15 Illum autem principem vitæ interfecistis, quem excitavit Deus [5] à mortuis: & nos omnes testes ejus sumus.

16 Et per fidem nominis sui, hunc quem videtis & agnoscitis, ipse confirmavit & sanavit: & fides quæ est in eum, dedit illi hanc sanitatem coram omnibus vobis.

17 Sed nunc fratres mei, novi quòd per errorem fecistis hoc, sicut fecerunt principes vestri.

18 Et Deus, secundùm quod priùs promulgavit per os omnium prophetarum, quòd passurus esset Christus ejus, implevit ita.

19 Resipiscite igitur, & convertimini, ut [6] deleantur peccata vestra:

[1] F. Id est, adferre & ponere, Hebr.

[2] Cur eleemosyna dicatur justitia declaratum est Lucæ 11.

[3] i. Justum pronunciasset.

[4] F. i. ut solveretur dimitteretur-que. Hebraismus.

[5] Ad verbum, De inter mortuos. ut Gallicè, *D'entre les morts.*

[6] Sumtum verbum à rationariis, qui dissoluta nomina inducto calamo expungunt.

7 F. Syr. quem oportet cæli ut capiant, ἀναμφιλόγως. Est autem hic versus anantapodotos: subauditur enim adversum membrũ, & quem post complementum eorum temporum oportet redire ad vos. sic evidens fit Petri argumentatio.
8 F. Syr. pacti vel fœderis illius.
9 Syrus textus impressus habebat וירתובו: sed certum est per errorem literã Daleth posi am fuisse pro litera Tau. Errori occasionẽ dedit utriusq; literæ admodum affinis pronunciatio. Nos igitur locum restituimus ex manuscripto codice Heydelbergensi.

20 Et eveniant vobis tempora tranquillitatis à conspectu faciei Domini, ac mittat vobis illum qui præparatus erat vobis, Jeschua Christum.

21 7 Quem oportet cælos excipere usque ad complementum temporum omnium eorum quæ loquutus est Deus per os prophetarum sanctorum suorum quia à seculo *fuerunt*.

22 Musche enim dixit, Prophetam excitabit vobis Dominus ex fratribus vestris sicut me: eum audite in omnibus quæ loquetur vobiscum.

23 Et erit, omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, perdetur anima illa de populo suo.

24 Et Prophetæ omnes qui à tempore Schemuil, & ii qui post eum fuerunt, loquuti sunt, & annunciaverunt de diebus his.

25 Vos estis Filii Prophetarum & 8 pacti quod posuit Deus Patribus nostris, quum diceret Abrahamo, In semine tuo benedictionem consequentur omnes generationes terræ.

26 Vobis priùs suscitavit, & misit Deus Filium suum benedicentem vobis, si convertamini 9 & resipiscatis à pravitatibus vestris.

20 Et miserit priùs prædicatum vobis Jesum Christum:

21 Quem oportet quidem l cæli capiant, usque ad tempora restitutionis omnium, de quibus loquutus est Deus à seculo per os omnium sanctorum suorum Prophetarum.

22 Moses etenim ad Patres dixit, l m Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester ex fratribus vestris, sicut me: audietis eum in omnibus quæ loquutus fuerit vobis.

23 Futurum est autem ut quisquis non auscultarit Prophetam illum, n dispedatur è populo.

24 Sed & omnes Prophetæ à o Samuele & deinceps iis qui fuerunt, quotquot loquuti sunt, etiam prænunciârunt dies istos.

25 p Vos estis q filii Prophetarum & pacti quod pepigit Deus erga patres nostros, dicens ad Abrahamum, r Et in semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ.

26 Vobis primùm Deus s suscitatum Filium suum Jesum misit, qui benediceret vobis, uno quoque *sese* avertente à pravitatibus vestris.

l I. Cælo contineri, vel recipi in cælum.
l *Deut. 18.15. infrà 7.37.*
m Hæc promissio est singularis & eximii cujusdam Prophetæ.
n Expungetur, sive perimetur sublatus de populo contumax ille.
o Quo tempore regnum Israëlis constitum fuit.
p B. Judæi credentes, primogeniti in regno Dei.
q Quibus peculiariter fuerunt Prophetæ destinati, & quibuscũ fœdus est sancitũ.
r *Gen. 12.3. gala. 3.8.*
s Exhibitũ mundo, vel excitatum à mortuis, & in regnum suum evectum.

CAPUT IIII.

1 *Petrus & Johannes* 3 *capti concilio sistuntur,* 7. 19 *Christi causam agunt intrepidè.* 24 *Discipuli preces ad Deum fundunt.* 34 *Multi possessiones suas vendunt:* 36 *Inter quos & Barnabas numeratur.*

1 Ad verbum, De inter mortuos. Gallicè, *D'entre les morts*, ut in superiore capite annotavimus.
2 F. al. Tunc Schemeun, &c. Sed hoc non legebat Tremellius vitio exemplariũ.
3 Ad verb. De inter mortuos, ut Gallicè, *D'entre les morts.*
4 F. al. stat iste coram vobis.
5 F. Syr. vivere. Hebraismus.

ET quum hos sermones loqueretur ad populum, surrexerunt contra eos Sacerdotes & Tzadukæi & magistratus templi:

2 Quum irati essent adversus eos quòd docerent populum, & prædicarent in Christo de resurrectione 1 à mortuis,

3 Et injecerunt in eos manus, & servârunt eos in diem posterum, quia propè erat vespera.

4 Et multi qui audiverunt sermonem, crediderunt: & erant numero quasi quinque millia virorum.

5 Et die postero congregati sunt magistratus, & seniores & Legisperiti.

6 Et etiam Channan princeps sacerdotum, & Kajapha & Juchannan & Alexander, & ii qui erant ex genere summorum Sacerdotum.

7 Et quum statuissent eos in medio, interrogabant eos, Qua virtute aut quo nomine fecistis hoc?

8 2 Schemeun Kipha repletus est Spiritu sancto, & dixit eis, Magistratus populi & Seniores domus Israjel, audite.

9 Si nos hodie judicamur à vobis pro bono quod factum est filio hominis infirmo, nempe per quid hic sanatus sit,

10 Hoc notum sit vobis & toti populo Israjel, quòd in nomine Jeschua Christi Natzarei, quem vos crucifixistis, quem suscitavit Deus 3 à mortuis, per hoc ipsum, ecce 4 stat coram vobis sanus.

11 Hic est lapis quem reprobastis vos ædificantes, & ipse factus est in caput anguli.

12 Nec est in homine alio salus: non enim est nomen aliud sub cælo quod datum sit filiis hominis per quod oporteat 5 servari.

13 Et quum audivissent sermonem Schemeun, & Juchannan, quòd liberè dixissent illum,

LOquentibus a autem ipsis ad populum, supervenerunt Sacerdotes & b præfectus templo & Sadducæi:

2 Molestè ferentes quod docerent populum, & annunciarent in nomine Jesu resurrectionem ex mortuis.

3 Et injecerunt eis manus, posueruntq; eos in custodia in posterum diem. Nam erat jam vespera.

4 Multi verò eorum qui audierant hunc sermonem, crediderunt, c & factus est numerus virorum quasi quinquies mille.

5 Factum est autem postero die ut cogerentur d primores eorum & seniores & Scribæ Hierosolymis:

6 Et Annas Pontifex maximus, & Cajaphas & Johannes & Alexander, & quotquot erant e ex genere Pontificio.

7 f Quum igitur statuissent eos in medio, percontati sunt, Qua potestate aut g quo nomine vos hoc fecistis?

8 Tunc Petrus repletus Spiritu sancto dixit eis, Primores populi & Seniores Israelis,

9 h Quandoquidem de nobis hodie quæstio habetur super beneficio in hominem ægrotum *collato*, quomodo *videlicet* iste servatus sit:

10 i Notum sit omnibus vobis & toti populo Israel, per nomen Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, per hoc, *inquam*, istum adstare in vestro conspectu sanum.

11 l k Hic est lapis ille pro nihilo habitus à vobis ædificantibus, qui factus est caput anguli.

12 Nec est in alio quoquam salus: nec enim l aliud nomen est m sub cælo quod n datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.

13 o Conspecta verò Petri in dicendo libertate & Johannis, compertoq; homines esse illite-

a B. Nulli sæpè vel diligentiores vel audaciores sunt Ecclesiæ hostes, quàm qui se vocant ejus architectos: sed quò isti vehementiùs insaniunt, eò constantiùs perseverant fideles servi Dei.
b Habuerunt Judæi copiolas quasdam ad templi securitatemq; custodiam & præsidium, Matt. 27. 65. His erat præfectus dux aliquis, qualis fuit Eleazarus Ananiæ pontificis filius, juvenis audax & superbus, quum commotum fuit bellum Judaicum, Joseph. lib. 2. capta Judææ.
c Volentes diminuere numerum, auxerunt.
d Illi erant qui Sanhedrin constituebant, qui omnes erant ex tribu Juda, antequàm Herodes crudelissimè in familiam Davidis sæviret.
e Ex quibus pontifices legi fierig; solebant, mutato jam annui muneris functione.
f B. In eos qui de successione personali (sæpe- rata doctrinæ successione) gloriantes, veros Verbi ministros oppugnant.
g Qua auctoritate.
h Lupi verorum pastorum successores, nec Dei, nec Ecclesiæ, sed suum causam agunt.
i B. Is demum verus est Pastor qui oves docet ab uno Christo pendere, et qui jam non sit mortuus, sed mortis victor omne imperium obtinet.
k *Psal. 118.22. Esa. 28.16. matt. 21.42. marc. 12.10. luc. 20.17. rom. 9.33. 1. pet. 2.7.* Locus est ex Psalmo 118.22. cujus expositionem pete ex Matth. 21.42.
l Non est alius, vel alia vis cujuscunque sive auctoritas. Ortum est autem illud genus loquendi, Hebræis familiare, eo quòd in periculis appellari soleant ii à quibus opem expectamus.
m [illegible] significat autem imperii Christi amplitudinem.
n Sub. à Deo.
o B. Hoc saltem obtinet servorum Dei ingenua libertas, ut qui sub zeli larva delitescebant, tandem apertè se impios prodant.

p Idiota si opponitur Magistratui, significat privatum: in mentione artificiorum studiorumque, indoctum: in mentione dignitatis & præstantiæ, humilem & inhonoratum.
q Sub. sententias.
r B. Qui sibi placet in ignorantia, tandem fit etiam aperte & contra conscientiam malus.
s B. Sic parendum hominibus quibus subjicimur, ut Deo in primis obsequamur.
t B. Tantum abest ut liceat impiis quicquid libet, ut Deus etiam eo quod illis vult licere, ad amplificandam suam gloriam utatur.
u B. Apostoli sua pericula cum Ecclesiæ cœtu communicant.
x B. Nec expavescere nos oportet hostium minis, nec eorum insultus stolide ridere: sed cum potentiæ tum benevolentiæ Dei seriam meditationem (sicut utraque nobis in Christo spectanda proponitur) adversariorum cum viribus tum malevolentiæ opponendo, ad Patris præsidium confugere.
y Psal. 2, 1.
z Et si unus esset populus Israeli, numero tamen multitudinis effertur, non tantum propter duodecim tribus, quarum singulæ populum constituebant, sed etiam propter ingentem multitudinem, quasi gentes multæ simul coiissent, uti Jud. 5, 14.
a Scelerati, nihil ade cogitantes, Dei consilium exsequuntur, nec tamen eximuntur culpæ.
a Tropio tua potestate, eoque jure.
b B. Deus visibili symbolo testatur Ecclesiæ suæ, se eum esse qui terram & cœlum concutiendo, fit eam confirmaturus.

ratos & p idiotas, admirabantur, & agnoscebant
eos cum Jesu fuisse.
14 Illum autem qui sanatus fuerat videntes
stantem cum eis, nihil poterant contradicere.
15 Jussis autem ipsis extra concilium abire,
q conferebant inter se,
16 r Dicentes, quid faciemus hominibus istis?
conspicuum enim signum editum esse per eos,
manifestum est omnibus habitantibus Hierosolymis, nec id possumus negare:
17 Sed ne id amplius serpat in populum, minaciter interminemur eis ne posthac ulli hominum loquantur in nomine isto.
18 Itaque vocatis ipsis denunciârunt ne omnino loquerentur neve docerent in nomine
Jesu.
19 s Petrus autem & Johannes respondentes
dixerunt eis, An justum sit apud Deum vobis potius auscultare quàm Deo, judicate.
20 Non enim possumus nos quæ vidimus &
audivimus, non loqui.
21 t Illi verò non invenientes quomodo punirent eos, additis minis eos dimiserunt, propter
populum, quia omnes glorificabant Deum super
eo quod factum fuerat.
22 Annorum enim erat ampliùs quadraginta
homo ille in quem editum fuerat signum istud sanationis.
23 u Dimissi autem illi venerunt ad suos, & annunciaverunt quæ primarii Sacerdotes & seniores ipsis dixerant.
24 x Qui quum hæc audissent, concorditer sustulerunt vocem ad Deum, dixeruntque, Domine,
tu es Deus ille qui fecisti cælum ac terram, mare,
& omnia quæ in eis sunt:
25 Qui Spiritu sancto per os Davidis pueri tui
dixisti, y Cur fremuerunt Gentes & populi meditati sunt inania?
26 Adstiterunt reges terræ, & principes coacti sunt simul adversus Dominum, & Christum ejus.
27 Coacti sunt enim in hac civitate verè adversus sanctum Filium tuum Jesum quem unxisti,
Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus &
z populis Israelis,
28 a Ut facerent quæcumque a manus tua &
consilium tuum priùs definierat ut fierent.
29 Nunc igitur, Domine, intuere in minas eorum, & da servis tuis ut cum omni libertate loquantur sermonem tuum,
30 Manu tua à te extensa ad sanandum, signisque & miraculis editis per nomen sancti Filii
tui Jesu.
31 b Quum autem precati essent, succussus est
locus in quo erant coacti: & c repleti sunt omnes
Spiritu sancto & loquuti sunt sermonem Dei cum
libertate.
32 d Multitudinis autem eorum qui crediderant, e erat cor & anima una: nec quisquam aliquid eorum quæ habebat, suum esse dicebat, f sed
erant eis omnia communia.
33 Et Apostoli magna vi reddebant testimonium resurrectionis Domini Jesu: & gratia magna erat super eos omnes.
34 g Nullus enim erat egenus inter eos, quotquot enim erant possessores agrorum aut domorum, vendentes adferebant pretia eorum quæ

consideraverunt quòd non nossent libros, & idiotæ
essent, & mirabantur propter eos, ac agnoscebant
eos quòd cum Jeschua versati fuerant.
14 Et videbant quòd staret cum eis claudus
ille qui sanatus fuerat: nec poterant quicquam
dicere contra eos.
15 Tunc præceperunt ut secedere facerent eos
à conventu eorum. Et dicebant 6 unus ad alium,
16 Quid faciemus hominibus istis? Ecce enim,
signum manifestum quod factum est per manus
eorum, omnibus habitantibus in Urischelem innotuit, neque possumus negare.
17 Sed ne ampliùs exeat fama hæc, minemur
illis ne rursus loquantur de nomine hoc ulli ex filiis hominum.
18 Et vocaverunt eos, & præceperunt eis ut
omnino non loquerentur, neque docerent in nomine Jeschua.
19 Responderunt Schemeun Kipha & Juchanan, ac dixerunt eis, An justum sit coram Deo ut
vos audiamus potiùs quàm Deum, judicate.
20 Non enim possumus id quod vidimus &
audivimus, ipsum non loqui.
21 Et minati sunt eis, & dimiserunt eos. non
enim invenerunt illis causam 7 quam ponerent
in accusatione illorum, propter populum. Quisque enim glorificabat Deum propter id quod factum fuerat.
22 Natus enim ampliùs quadraginta annos
erat homo ille in quo factum fuerat signum sanationis.
23 Et quum dimissi essent, venerunt ad fratres suos, & narraverunt eis quicquid dixerant
Sacerdotes & seniores.
24 Et illi quum audivissent, simul sustulerunt
vocem suam ad Deum, & dixerunt, Domine, tu es
Deus qui fecisti cælum & terram, & maria, &
quicquid est in eis.
25 Et tu es qui loquutus es per Spiritum sanctum per os Davidis servi tui, Quare tumultuati
sunt populi, & gentes meditatæ sunt inane?
26 Adstiterunt reges terræ & potestatem habentes, ac concilium inierunt simul adversus Dominum, & adversus Christum ejus.
27 Congregati enim verè sunt in urbe hac adversus sanctu Filium tuu Jeschua, quem unxeras,
Hiraudis & Pilatus cum gentibus & cœtu Israjel,
28 Ad faciendum quicquid manus tua & voluntas prius definivit ut fieret.
29 Et etiam nunc Domine intuere & vide
minas eorum, & da servis tuis ut liberè prædicent sermonem tuum.
30 Te manum tuam extendente ad sanitates
& ad prodigia quæ fient in nomine filii tui sancti
Jeschua.
31 Et quum orassent & obsecrassent, commotus est locus in quo congregati erant: & repleti
sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur liberè
sermonem Dei.
32 Erat autem congregationi hominum eorum
qui crediderant una anima & una mens: & nemo
ex eis dicebat de opibus quas possidebat, quod
suæ essent, sed quicquid erat eis, commune erat.
33 Et virtute magna testabantur ipsi Apostoli de resurrectione Jeschua Christi: & gratia magna erat cum omnibus ipsis.
34 Et nemo erat inter eos qui egenus esset.

6 Ad verb. Unus ad unum.
7 F. vel imponerent capiti ipsorum, id est, insimularent ipsos.

c Hoc est, majore donati sunt fiducia, & celeri facti sunt per Spiritum sanctum de constitutione, quum autem eos repletos dicit, vocat Spiritus sancti liberalitatem & immensas ejus divitias commendans. d B. Exemplum veræ Ecclesiæ, in qua viget tum in doctrina tum in mutua charitate consensus; pastores autem veram doctrinam sincerè & constanter proponunt. e Consilium voluntatis, & omnes sensus congruebant. f Hæc communio non erat talis qualem vellent Anabaptistæ, sed jus & proprietas possessionis manebat in dominio possidentis, ut patet ex sequenti capite. g B. Vera charitas egenis cum suo dispendio sublevat proximorum inopiam, sed ita ut ritè & ordine omnia administrentur.

vendita illi

illi enim qui possidebant agros & domos, vendebant, & afferebant pretia rei quæ vendebatur:

35 Ac ponebant ad pedes Apostolorum:& dabatur [8] unicuique secundum id quod opus habebat.

36 Jausepho autem illi qui cognominatus est Bar-nabba ab Apostolis (quod exponitur Filius consolationis) Levitæ ex regione Cypro,

37 Erat ager: & vendidit eum, & attulit pretium ejus,& posuit antè pedes Apostolorum.

[8] Ad verb. Homini homini.

vendita fuerant:

35 Et deponebant ad pedes Apostolorum.distribuebatur autem hoc singulis [b] prout cuique opus erat.

36 Joseph ergo qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est, si interpreteris, filius consolationis) Levites, Cyprius genere,

37 Quum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pecuniam, deposuitq; ad pedes Apostolorum.

[b] Addit adhibitum fuisse delectũ in distribuendo: non ergo æqualis fuit bonorũ partitio, sed moderata dispensatio, nequis egestate ultra modum premeretur.

CAPUT V.

1 Ananias ob fraudem interversi pretii, 5 exanimis corruit: 10 & Sapphira ejus uxor. 12 Per multa Apostolorum miracula, 14 Fides propagatur. 18 Carceri inclusos Apostolos 19 Angelus liberat, 26 & quum concilio Sacerdotum sistuntur, 35 Gamalielis consilio morti eximuntur: 40 cæsi deinde, Deum celebrant.

ET vir quidam, cujus nomen erat Channanja cum uxore sua cujus nomen erat Schaphira vendidit agrum suum.

2 Et tulit de pretio ejus, & abscondit consentiente uxore sua, & attulit ex illo argento, & posuit ante pedes Apostolorum.

3 Et dixit ei Schemeun, Channanja, quid est quod sic implevit Satanah cor tuum, ut mentireris in spiritum sanctum, & absconderes de argento pretii agri?

4 Nonne erat tuus antequam venderetur? & quum venditus est, rursus tu potestatem habebas super pretium ejus? Quare posuisti in corde tuo [1] ut faceres voluntatem hanc? Non es mentitus in filios hominum, sed in Deum.

5 Et quum audiret Channanja hos sermones, cecidit, & mortuus est. Et factus est timor magnus in omnibus qui audiverunt.

6 Et surrexerunt illi qui juvenes erant inter eos,& collegerunt eum, & eductũ sepelierunt eũ.

7 Et posteaquam [2] essent tres horæ, etiam uxor ejus ingressa est nesciens quid factum esset.

8 Dixit ei Schemeun, Dic mihi, num hoc pretio vendidistis agrum? Illa autem dixit, Etiam, hoc pretio.

9 Dixit ei Schemeun, [3] Quid pares facti estis in tentando Spiritũ Domini? Ecce pedes sepelientium maritum tuum ad ostium, & illi efferent te.

10 Et eadem hora cecidit ante pedes eorum, & mortua est. & ingressi sunt juvenes illi ac invenerunt eam mortuam: & impositam in capulum deferentes, sepelierunt eam juxta maritum suum.

11 Et factus est timor magnus in toto cœtu, & in omnibus illis qui audierunt.

12 Et fiebant per manum Apostolorum signa & prodigia multa in populo: omnesq; congregabantur simul in porticu Schelimun.

13 Et ex aliis nemo [4] audebat ut appropinquare ad eos, sed magnificabat eos populus.

14 Et magis adjiciebantur illi qui credebant in Domino, turba virorum ac mulierum.

15 Ita ut in plateas efferent infirmos jacentes in lectis: ut quum veniret Schemeun, saltem umbra ejus tegeret illos.

16 Veniebant autem multi ad eos ex civitatibus aliis quæ sunt circa Urischelem, afferentes infirmos & eos quibus erant spiritus impuri: & sanabantur omnes.

17 Et repletus erat invidia princeps Sacerdotum,& omnes qui erant cum eo, qui erant ex doctrina Tzadukæorum.

[1] Nempe, quod in animo constitutum habeas.

[2] Id est, quum præteriissent tres horæ à morte Channanjæ.

[3] v. al. quoniam pares fuistis in tentando Spiritũ Domini, ecce pedes, &c. Hebraismus autem est, pares fuistis in tentando, pro eo quod est, pariter & ex æquo tentavistis.

[4] v. l. audebat appropinquare, ex Syrorum usu.

VIr [a] autem quidam nomine Ananias, cum Sapphira uxore sua vendidit possessionem:

2 Et [b] intervertit *aliquid* ex pretio, conscia etiam uxore sua: allatamq; partem aliquam, ad pedes Apostolorum deposuit.

3 Dixit autem Petrus, Anania, cur [c] implevit Satanas cor tuum ut [d] mentireris *in* Spiritum sanctum, & interverteres ex pretio istius prædii?

4 Nonne si servasses, manebat tibi, & venundatum in tua erat potestate? quid *erat* cur [e] induceres in animum rem istam? non es mentitus hominibus, sed Deo.

5 Audiens autem Ananias hos sermones, cecidit, & exanimatus est. Et exstitit timor magnus super omnes audientes ista.

6 Surgentes verò juvenes subtraxerunt eum, elatumq; sepelierunt.

7 Intercessit autem fermè horarum trium intervallum, quum uxor quoque ipsius, nesciens quod factum fuerat, ingressa est.

8 Dixit autem ei Petrus, Dic mihi, num tanti prædium vendidistis? Ipsa verò dixit, Etiam, tanti.

9 Petrus autem dixit ei, Quid *est* cur convenerit inter vos ut [f] tentaretis Spiritum Domini? ecce, pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, [g] ad ostium *adsunt*, & efferent te.

10 Illicò verò cecidit ad pedes ejus, & exanimata est. ingressi autem juvenes invenerunt eam mortuam, & elatam sepelierunt juxta virum suum.

11 [h] Et obortus est timor magnus toti Ecclesiæ, & omnibus qui hæc audiebant.

12 Per manus autem Apostolorum edebantur signa & miracula multa in populo: & erant concorditer omnes in porticu Solomonis.

13 Cæterorum autem nemo audebat ipsis adhærere: sed [i] magnificabat eos populus.

14 Imò verò adjiciebantur qui crederent Domino, multitudo *videlicet* virorum simul ac mulierum.

15 [k] Adeò ut in plateas efferent ægrotos, & ponerent in lectis ac grabbatis: ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum.

16 Conveniebat autem etiam vulgus vicinarum urbium Hierosolymam, adferentes ægrotos ac vexatos à spiritibus impuris: qui sanabantur omnes.

17 [l] Insurgens autem Pontifex maximus, & omnes qui cum eo erant, quæ est [m] secta Sadducæorum, repleti sunt invidia.

[a] B. Cõtrariis exemplis docet Lucas quantum sit malũ hypocrisis, præsertim eorum qui sub falsa zeli specie volunt in Ecclesia eminere.

[b] Significat hoc verbum callidè quidpiam surripere, & quasi efficere ne quidpiam ad Dominum perveniat, aut ab oculis illius removere, ut hoc loco Ananias & Sapphira quum hoc prædiũ Domino consecrassent, posteà per sacrilegiũ partem pretii separaverũt, ne in Ecclesiæ conspectum veniret. quod tamen dissimulabant, ità ut ad sacrilegium etiam accederet diffidentia & hypocrisis.

[c] Prorsus occupavit.

[d] Quum enim prædiũ illud consecrassent Ecclesiæ, non dubitârunt partem pretii intervertere, quasi illis res esset non cum Deo, sed cum hominibus: ideò posteà eos dicit tentasse Deum.

[e] Indicatur consulta & deliberata fraus, & culpa hominis admittentis instinctus diabolicos.

[f] Quoties mala conscientia fit aliquid, toties homines in seipsos sententiam ferunt, & quantum in se est Deum ad iram provocant, quasi de industria volentes periculum facere, an sit justus & omnipotens.

[g] id est, Adventant.

[h] B. Dominus mirifica sua virtute alios cohibet ne Ecclesiæ noceant, alios in timore suo retinet, alios denique ad se allicit.

[i] Magnis laudibus efferebat. Vide Lucæ 1.46.

[k] Commendatur magnitudo fidei in credentibus, quæ tanta fuit quod certissimum sibi persuaserint de sanitate infirmorum per Petrum & Apostolos (ut certa media per quæ Deus esset operaturus eam) impetranda.

[l] B. Quo magis crescit Ecclesia, crescit Satanæ furor, ac proinde à minis ad carcerem venitur.

[m] Hæreseos nomine utitur. hæresis autem electionem significat, inde pro recta formula disciplinæ, factione, studio & ratione vitæ sumitur, quod sectam Latini vocârunt. initio fuit vocabuli usus medius, sed tandem non nisi in vitio poni cœpit, unde hæreticus qui à doctrina sana ita aberrat, ut contempto Dei & ecclesiæ judicio, in sententia permaneat, & Ecclesiæ concordiam violet.

18 Et injecerunt manus in Apostolos, posue-
runtq; eos in custodia publica.
19 ᵐSed Angelus Domini per noctem aperuit
fores carceris, eductisq; illis, dixit,
20 ᵒIte, & *vos* sistentes loquimini populo in
templo omnia ᵖ verba vitæ hujus.
21 ᑫ *Illi* verò quum *hæc* audissent, introierunt
sub diluculum in templum, & docebant. Adve-
niens autem Pontifex maximus, & qui cum eo
erant, convocaverunt concilium & universum se-
natum filiorum Israël: miseruntq; in carcerem ut
illi adducerentur.
22 Quum autem venissent ministri, non inve-
nerunt eos in carcere: *quod* reversi annuncia-
verunt,
23 Dicentes, Carcerem quidem invenimus
clausum quàm tutissimè, & custodes extrà stan-
tes ante fores: quum aperuissemus autem, nemi-
nem intùs invenimus.
24 Ut verò audierunt hos sermones, & Pon-
tifex & præfectus templo, & primarii Sacerdo-
tes, ambigebant de illis quónam hoc evasurum
esset.
25 ʳ Adveniens autem quidam nunciavit eis,
Ecce, viri quos posueratis in carcere, stant in
templo, & docent populum.
26 ˢ Tunc præfectus abiens cum ministris, ad-
duxit eos, non *tamen* per vim: (timebant enim
populum ne lapidarentur.)
27 ᵗ Adductos igitur eos statuerunt in conci-
lio: & interrogavit eos Pontifex maximus,
28 Dicens, Nónne ᵘ etiam atque etiam de-
nunciavimus vobis ne doceretis nomine isto? &
ecce, replevistis Hierosolymam doctrina vestra, &
vultis in nos ˣ inducere sanguinem hominis istius.
29 ʸ Respondens autem Petrus & Apostoli
dixerunt, Obedire oportet Deo potiùs quàm ho-
minibus.
30 ᶻDeus Patrum nostrorum suscitavit Jesum,
quem vos interfecistis suspensum in ligno.
31 Hunc *inquam* Deus dextra sua evectum
constituit principem ac servatorem, ut det resipi-
scentiam Israëli & remissionem peccatorum.
32 ᵃ Et nos sumus ei testes horum quæ dici-
mus: atque etiam Spiritus ille sanctus, quem de-
dit Deus iis qui dicto sunt audientes ipsi.
33 At illi *his* auditis ᵇ frendebant, & consilium
inibant eos ᶜ interimendi.
34 ᵈ Surgens autem in concilio quidam Pha-
risæus, nomine Gamaliel, Legis doctor, quem
totus populus in pretio habebat, jussit ut pauli-
sper abducerent foras Apostolos.
35 Et dixit illis, Viri Israëlitæ, attendite ani-
mum vobis ipsis quod ad istos homines *attinet*,
quid facturi sitis.
36 ᵉNam ante hæc tempora exortus est Theu-
das, dicens ᶠ se aliquem esse: cui adhæsit nume-
rus virorum circiter quadringentorum: qui inter-
emtus est, & omnes qui assensi sunt ei, dissoluti
sunt, & ad nihilum redacti.
37 Post hunc exortus est Judas ille Galilæus
temporibus descriptionis, & avertit populum
multum post se: periit & ille, & omnes qui assen-
si fuerant ei, dispersi sunt.
38 Nunc itaque dico vobis, ᵍ absistite ab ho-
minibus istis, & missos ipsos facite: quoniam si
est ex ʰ hominibus consilium hoc sive opus istud,
dissolvetur:
39 Sin ex Deo est, non potestis illud dissolvere,

ᵐ B. Angeli sunt servorum Dei ministri.
ᵒ B. Ideo liberat suos Dominus, ut eo animosiùs hostes lacessant.
ᵖ Verba quibus annunciatur ad vitam via, ut Joh. 6.68.
ᑫ Dominus ex alto ridet hostium suorum conatus.
ʳ B. Quo apertiùs se prodit Christi virtus, eo magis crescit conjuratorum ipsius hostium vesania.
ˢ B. Tyranni Deum non metuentes coguntur servos suos metuere.
ᵗ B. Tyrannis proprium est mādata sua pro omni ratione obtrudere.
ᵘ Ad verb. præcipiendo præcepimus, Hebr. id est, enixè atque modis omnibus.
ˣ Facere nos homicidii reos illius hominis, quem ne nominare quidem volunt.
ʸ B. Nulli homini nisi secundùm Deum parendum est.
ᶻ B. Christus invitis suis hostibus princeps & servator Ecclesiæ constitutus est, ac re ipsa declaratus.
ᵃ B. Non satis est rectū esse finem, sed etiam pro vocationis ratione ad eum progrediendum est.
ᵇ Significatur animi irati acerba perturbatio, translatione sumta ab iis qui præ rabie dentibus strident, veluti siquis serram trahat.
ᶜ Hoc verò eis jure non licebat, quum capitalia judicia essent eis ademta. Itaque non de iis judicio puniendis, sed aperta vi potiùs interimendis cogitabant, quod impedivit Gamaliel.
ᵈ B. Christus in ipsa hostium turba, quoties ita expedit, invenit causæ suæ patronos.
ᵉ B. Cavendum in religionis negotio in primis nequid præter vocationem zeli prætextu, audeamus.

18 Et injecerunt manus in Apostolos, & ap-
prehensos incluserunt eos in carcere.
19 Tunc nocte Angelus Domini aperuit ja-
nuam carceris, & eduxit eos: ac dixit eis,
20 Abite, state in templo, & loquimini popu-
lo omnes sermones hos vitæ.
21 Et egressi sunt tempore auroræ, ingressiq;
sunt in templum, ac docebant. Princeps autem
Sacerdotum, & qui cum eo erant, convocave-
runt collegas suos & seniores Israjel, & miserunt
ad carcerem qui adducerent ipsos Apostolos.
22 Et quum eò ivissent, ii qui missi fuerant ab
eis, non invenerunt illos ⁵ in carcere, & reversi
venerunt,
23 Ac dixerunt, Invenimus carcerem clau-
sum diligenter, & etiam custodes stantes ad ja-
nuam: & aperuimus, & neminem invenimus ibi.
24 Et quum audirent hos sermones summi
sacerdotes & magistratus templi, hæsitabant de
illis, & cogitabant quidnam esset hoc.
25 Et veniens quidam notum fecit eis, Illi viri
quos inclusistis in carcere, ecce stant in templo,
& docent populum.
26 Tunc profecti sunt magistratus cum mini-
stris ut adducerent eos ⁶ non coactè (timebant
enim ne lapidaret ipsos populus.)
27 Et quum adduxissent eos, statuerunt eos
coram tota congregatione: & incipiebat prin-
ceps Sacerdotum dicere eis,
28 Nónne ⁷ præcipiendo præcepimus vobis
ut neminem doceretis in nomine hoc? Vos au-
tem, ecce, replevistis ipsam Urischelem doctrina
vestra, & vultis vos inducere super nos sanguinem
hominis hujus.
29 Respondit Schemeun cum Apostolis &
dixit eis, Deo oportet obedire potiùs quàm filiis
hominis.
30 Deus Patrum nostrorū suscitavit Jeschua,
quem vos interfecistis, suspendentes eum in ligno.
31 Hunc ipsum statuit Deus principem & ⁸ ser-
vatorem: & exaltavit eum dextera sua, ut daret
conversionem & remissionem peccatorū Israjel.
32 Et nos testes sumus sermonum horum: ac
Spiritus sanctus ipse quem dedit Deus iis qui
credunt in se.
33 Et quum audivissent hos sermones, disse-
cabantur ira, & cogitabant interficere eos.
34 Et surrexit quidam ex Pharisæis cujus no-
men erat Gammaliel, doctor Legis, & honoratus
ab universo populo, & jussit ut educerent Apo-
stolos foras ad tempus exiguum.
35 Ac dixit illis, Homines filii Israjel attendi-
te ⁹ vobis ipsis, & videte quid oporteat vos facere
de istis viris.
36 Nam ante hoc tempus surrexit Thauda,
& dixit de seipso quòd aliquid esset magni, & ab-
ierunt ¹⁰ post eum quasi quadringenti homines:
& ipse interfectus est, & illi qui abibāt post eum,
dispersi sunt & facti sunt ¹¹ tanquam nihil.
37 Et surrexit post eum Jihuda Galilæus in
diebus quibus describebantur homines argento
capitationis, & avertit populum multum post se:
& ille mortuus est, & omnes ¹² qui abierant post
eum, dispersi sunt.
38 Et nunc dico vobis, Abstinete ab istis ho-
minibus, & finite eos. nam si *ita* sit quòd à filiis
hominis sit hæc cogitatio & hoc opus, dissolven-
tur & dissipabuntur:
39 Sin autem ex Deo est, non est facultas in

⁵ Ad verb. In domo inclusorum, Hebraica periphrasis.
⁶ F. Syrè, per violentiam.
⁷ Id est, Severè præcipimus. Ita enim legitur cap. 4. quòd additis minis vetuerint ne ampliùs de Christo loquerentur, & illa vocum geminatio apud Hebræos, Chaldæos, & Syros ad auxesin facere solet.
⁸ Ad verb. Vivificatorem.
⁹ F. Syr. animabus vestris: sic deinceps.
¹⁰ i. Sequuti sunt eum.
¹¹ Id est, Redacti sunt in nihilum. Hebraismus.
¹² Qui sequebantur eum.

ᶠ Alicujus nominis. ᵍ Dissuadet suos ab Apostolorum cæde, nec Romanum magistratum appellandum censet, quia nihil Judæi impatientiùs ferebant, quàm Romanorum tyrannidem confirmari. ʰ Fictum & commenticium.

& videte manibus

manibus vestris ut dissiperis ipsum: ne reperiamini quòd adversus Deum insurgatis. Et paruerunt ei:

40 Et vocaverunt Apostolos, & verberaverunt eos: & præceperunt eis ne loquerentur in nomine Jeschua. ac dimiserunt eos.

41 Et egressi sunt è conspectu eorum, gaudentes quòd digni facti essent ut [13] propter nomen ignominia afficerentur.

42 Nec cessabant quotidiè docere in templo & domi, & evangelizare de Domino nostro Jeschua Christo.

& videte ne etiam cum Deo pugnare compe-
riamini.

40 Assensi sunt autem ei: & quum advocas-
sent Apostolos, cæsis denunciarunt ne loque-
rentur in nomine Jesu: & dimiserunt eos.

41 [i] Ipsi ergo gaudentes profecti sunt à con-
spectu concilii, quòd digni habiti essent qui pro
nomine Jesu contumelia afficerentur.

42 Et quotidiè in [k] templo & domatim
non cessabant docere & evangelizare Jesum
Christum.

[13] Sic erat tum in textu Syro impresso, tum in manuscripto codice Heydelbergensi, quòd si non sit per errorem positum loco שמיה hoc est, Nomen ejus, exponetur, Propter Deum, nam שם Hebraicè & Syrè שמא nomen apud Hebrææ & Syræ linguæ scriptores pro Deo frequenter ponitur.

[i] B. Verbis ferendis assueti Apostoli, tandem ipsis verberibus assuefiunt, & ita quidem ut eo evadant fortiores.

[k] Publicè & privatim.

CAPUT VI.

1 Apostoli 2 Diaconos instituunt 5 septem delectos viros: 8 inter quos Stephanus fidei plenus, 11 captus, 13 violatæ legis Mosis accusatur.

ET in illis diebus, quum multiplicati essent discipuli, murmurabant Græci discipuli adversus Hebræos, quòd contemnerentur viduæ eorum in ministerio quotidiano.

2 Et vocaverunt duodecim Apostoli totam congregationem discipulorum, & dixerunt eis, Non est bonum ut relinquamus sermonem Dei, & ministremus mensis.

3 Dispicite igitur fratres mei, & eligite septem viros ex vobis de quibus sit testimonium, & plenos Spiritu Domini ac sapientia: & constituemus eos super hoc munere.

4 Et nos erimus seduli in oratione & ministerio sermonis.

5 Et placuit hic sermo coram toto populo: & elegerunt Stephanum, virum qui plenus erat fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum proselytum Antiochæum.

6 Hi steterunt coram Apostolis: & quum orassent, posuerunt super eos manum.

7 Et sermo Dei crescebat, & augebatur numerus discipulorum in Urischelem valdè. & populus multus ex Judæis obediebat fidei.

8 Stephanus autem plenus erat gratia & virtute, & faciebat signa & prodigia in populo.

9 Et surrexerunt quidam è synagoga quæ vocatur [1] Libertinu, Cyrenæi & Alexandrini, & [2] ii *qui erant* ex Cilicia, & ex Asia, & disputabant cum Stephano.

10 Et non poterant consistere contra sapientiam & Spiritum qui loquebatur in eo.

11 Tunc miserunt homines, & instruxerunt eos ut dicerent, Nos audivimus eum quòd dixerit sermones blasphemiæ contra Musche & contra Deum.

12 Et commoverunt populum & seniores & Legisperitos: ac venerunt & insurrexerunt in eum, & raptum adduxerunt eum in medium congregationis.

13 Et statuerunt testes falsos, qui dicerent, Iste homo non cessat loqui sermones contra Legem & contra locum hunc sanctum.

14 Nos enim audivimus eum quòd dixerit, quòd Jeschua hic Natzaræus soluturus sit locum hunc, & mutaturus consuetudines quas tradidit vobis Musche.

[1] T. id est, exterorum illorum qui ædes sacras Lebrathas, & parœcias eò pertinentes universúmque conventum vocabant λάθρας, Epiphanio teste: nam isti omnes ad synagogam eamdem pertinentes Lebrathenum dicebantur, & ex eo corruptè synagoga Libertinorum dicta: qua de re plura diximus in nostra Academia, & in Genes. 8.

[2] T. al. eorum qui erant ex Cilicia, &c. sed hoc neque constructioni Syræ, neque Græco textui videtur respondere.

CÆterum [a] per eos dies quum multiplicaren-
tur discipuli, ortum est murmur [b] Græcorum
adversus Hebræos, quòd ipsorum viduæ despi-
cerentur in [c] ministerio quotidiano.

2 [d] Itaque duodecim illi, advocata mul-
titudine discipulorum, dixerunt, Non est
[e] æquum nos derelicto sermone Dei, mini-
strare [f] mensis.

3 [g] Adhibita ergo inspectione deligite, ô
fratres, ex vobis viros septem, testimonio orna-
tos, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos præ-
ficiamus huic negotio.

4 Nos verò in precibus & administratione
Sermonis perdurabimus.

5 Placuit autem hæc oratio toti præsenti
multitudini: & elegerunt Stephanum, virum ple-
num fide ac Spiritu sancto, & [g] Philippum, &
Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, &
Parmenan, & Nicolaum proselytum Antio-
chensem:

6 [h] Quos statuerunt in conspectu Aposto-
lorum: qui quum precati essent, [i] imposuerunt
eis manus.

7 [k] Itaque sermo Dei crescebat, & valdè
multiplicabatur numerus discipulorũ Hierosoly-
mis: multaq; turba Sacerdotũ auscultabat [l] fidei.

8 [m] Stephanus verò plenus [n] fide ac poten-
tia, edebat miracula & signa magna in populo.

9 [o] Exorti sunt autem [p] è synagoga quæ di-
citur Libertinorum, quidam, & Cyrenæorum, &
Alexandrinorum, & eorum qui sunt ex Cilicia
& Asia, altercantes cum Stephano.

10 [q] Sed non potuerunt resistere sapientiæ
& Spiritui per quem loquebatur.

11 Tunc subjecerunt quosdam qui dicerent
se audivisse eum loquentem verba blasphema in
Mosen & Deum.

12 [r] Commoverúntque plebem & Seniores &
Scribas: & cum adorti, correptum adduxerunt
in concilium.

13 [s] Stiterúntque falsos testes qui dicerent,
Homo iste non cessat loqui verba blasphema ad-
versus locum hunc sanctum & Legem.

14 Audivimus enim eum quum diceret, Je-
sum istum Nazarenum destructurum hunc lo-
cum, & mutaturum ritus quos tradidit nobis
Moses.

[a] B. Satan foris frustrà oppugnatam Ecclesiam, intestina dissensione adoritur. Apostoli verò ex eo ipso arripiunt optimam constituendæ Ecclesiæ occasionem.

[b] Eorum qui ex Græcis Judæorum religionem erant amplexi.

[c] Distributione rerum necessariarum.

[d] B. Diversa sunt (auctoribus Apostolis) nec temerè conjungenda docendi Verbi, & administrandi Ecclesiastici ærarii munera. Apostoli verò ne diaconos quidem nisi conscia Ecclesia, elegerunt.

[e] Tale est, ut placere non debeat.

[f] Conviviis: quãquam mensarum nomine, cætera etiam munera intelliguntur, quæ sint cum illo conjuncta: ut quæ ad curam pauperum pertinent.

[g] B. In diaconis (nedum in pastoribus) eligendis præeat oportet tum doctrinæ tum morum examen.

[g] *Infrà* 21.8.

[h] B. Vetus Ecclesia ritè electos, manuum impositione Deo veluti consecravit.

[i] Hic totus ritus ab Hebræis fluxit, qui hac formula utebantur, tum in publicis ac solemnibus victimarum consecrationibus, tum in precibus ac benedictionibus privatis, ut liquet ex Gen. 48. hunc ritum servavit Ecclesia, 1. Timoth. 5.22. infrà 8.16. sed nulla hîc fit mentio chrismatis, rasuræ, crucis, &c. [k] B. Fœlix tentationis exitus. [l] id est, doctrinæ Evangelicæ, quæ metonymicè dicitur fides, quia nihil est aliud quàm potentia ad salutem omnium credentium. [m] B. Ecclesiam suam Dominus verbis primùm, deinde carcere, ac demum etiam verberibus præparatam tandem ad sanguinem usque & cædes cum Satana & mundo fœliciter committit. [n] Hic aliter accipitur fides quàm in superiore versiculo, nimirùm pro eo animi assensu quo oblatam in Christo justitiam amplectimur. Porrò per potentiam eximia & excellentia illa dona spiritus sancti, intelliguntur. [o] B. Academiæ jam olim falsis pastoribus addictæ, fuerunt Satanæ flabella. [p] Ex cœtu, & veluti ex gymnasio. [q] B. Falsi doctores quia vinci nolunt, à disputationibus ad manifestas calumnias convertuntur. [r] B. Prima Ecclesiæ Christianæ cruenta persequutio ex Sacerdotum concilio, suggerentibus Academiarum doctoribus, exorta. [s] B. Exemplum calumniatorum, ex iis quæ benè ac verè dicta sunt falsas conclusiones colligentium.

15 Tunc intentis in eum oculis, omnes qui sedebant in concilio, [t] viderunt faciem ejus quasi faciem Angeli.

15 Et intuiti sunt in eum omnes illi qui sedebant in congregatione, & viderunt faciem *ejus* tamquam faciem Angeli.

[t] Singularem & eximiam speciem fuisse vultus Stephani, his verbis indicatur, in animi securitate & cõscientia bona & causæ fiducia. Orationem enim habituri Stephani vultũ condecoravit Deus, ut aspectu statim ipso percelleret animos Judæorũ.

CAPUT VII.

1 *Stephanus causam dicens, ostendit electos à Deo fuisse Patres,* 20 *priusquam natus esset Moses,* 47 *& staret Templum:* 44 *Externos verò omnes ritus ad cæleste exemplar formatos fuisse.* 54 *Stridentes dentibus Judæi,* 59 *lapidibus illum obruunt.*

[a] B. Admittitur quidem ad causam dicendam Stephanus, sed ut juris obtentu damnetur.
[b] B. Testatur Stephanus se veros illos Patres & unicum illum verum Deum agnoscere: simulq; docet illos esse templo, & omni illo legali cultu antiquiores, ac proinde aliud esse ponendum veræ religionis fundamentum, gratuitum videlicet fœdus.
[c] Potens ille Deus gloriæ & majestatis plenus.
[d] Quum posteà vers. 4. dicat Abrahamum exiisse à Chaldæa, palàm est Mesopotamiam vicinam Chaldæam continuisse. sic Plinius libr. 6. cap. 27.
[e] Ne tantillum quidem, ut in solo suo posset figere pedem.
[f] Possessionis promissio certa fuit & pertinens ad Abrahamum, tametsi posteritas demum ejus illam possidendo occupaverit: est autem synecdoche.
[f] *Gen.* 15. 13. *& 16.*
[g] Anni quadringenti numerantur ab initio exorti seminis Abrahami, id est, à nato Isaaco: quadringenti autem & triginta anni qui narrantur à Paulo Gal. 3. 17. ab eo tempore quo Abraham unà cum patre exivit ex Ur Chaldæorum.
[f] *Gen.* 17. 9.
[f] *Gen.* 21. 3.
[f] *Gen.* 25. 24.

Dixit [a] autem Pontifex maximus, Num igitur hæc ita habent?

2 [b] Ipse verò dixit, Viri fratres & patres, audite, [c] Deus ille gloriæ visus est patri nostro Abrahamo quum esset in [d] Mesopotamia, priusquam habitaret Charranis:

3 Et dixit ei, Exi è terra tua, & ex cognatione tua, & veni in terram quamcumque monstravero tibi.

4 Tunc exiit è terra Chaldæorum, & habitavit Charranis. Et illinc postquam mortuus est pater ejus, transtulit eum *Deus* in terram hanc in qua nunc vos habitatis.

5 Nec dedit ei possessionem in ea, [e] ne vestigium quidem pedis, quamvis [f] pollicitus esset se illam daturum ei obtinendam, & semini ejus post eum, quum non haberet prolem.

6 Loquutus autem est ita Deus, [f] Erit, *inquit*, semen tuum inquilinum in terra aliena, ubi servitui subjicietur, & malè accipietur [g] annis quadringentis.

7 Sed gentem cui servierint puniam ego, dicit Deus: & post hæc exibunt *ipsi*, & servient mihi in loco isto.

8 [f] Deditque ei fœdus Circumcisionis: [f] & ita *Abrahamus* genuit Isaacum, & circumcidit eum die octavo: [f] Isaacus autem *genuit* Jacobum, [f] & Jacobus duodecim illos patriarchas.

9 [h] Patriarchæ verò invidia moti, [f] Josephum vendiderunt *abducendum* in Ægyptum: [i] sed erat Deus cum eo.

10 Et eruit eum ex omnibus ipsius afflictionibus, [f] deditque ei [k] gratiam & sapientiam coràm Pharaone rege Ægypti, qui constituit eum præfectum Ægypto, & toti domui suæ.

11 Venit autem fames in universam terram Ægypti & Chanaan, & afflictio magna: & non inveniebant cibos patres nostri.

12 [f] Quum audivisset autem Jacobus esse triticum in Ægypto, misit patres nostros primùm.

13 [f] Et in secunda *profectione* agnitus est Josephus à fratribus suis, & innotuit Pharaoni genus Josephi.

14 Missis autem *nunciis*, Josephus accersivit patrem suum Jacobum, omnemq; cognationem suam, capitum septuagintaquinque.

15 Descendit ergo Jacobus in Ægyptum: obiitque ipse & patres nostri.

16 Et [l] translati sunt Sichemum, & positi in monumento quod emerat Abrahamus pretio argenti à filiis Emmoris *patris* Sichemi.

17 Quum autem appropinquaret tempus promissionis à Deo juratæ Abrahamo, crevit populus & multiplicatus est in Ægypto,

Et interrogavit eum princeps Sacerdotum, [1] Nunquid hæc ita sunt?

2 Ipse verò dixit, Homines fratres & patres nostri, audite, Deus gloriæ visus est patri nostro Abraham, quum esset [2] in Mesopotamia, priusquam veniens habitaret in Charran.

3 Et dixit ei, egredere de terra tua & [3] à filiis cognationis tuæ, & veni in terram illam quam ostendam tibi.

4 Et egressus est tunc Abraham è terra Chaldæorum, & veniens habitavit in Charran. Et inde quum mortuus esset pater ejus, transtulit eum Deus in terram hanc, in qua vos habitatis hodiè.

5 Et non dedit ei hæreditatem in ea, ne [4] longitudinis quidem pedis: & pollicitus erat quòd daturus esset eam sibi, ut hereditariò possideret eam, & semini ejus, quum non esset ei filius.

6 Et loquutus est cum eo Deus, [5] quum diceret ei, Erit semen tuum inquilinum in terra aliena, & servituti subjicient ipsum, ac malè afficient ipsum quadringentis annis.

7 Et populum cui servient servitutem, [6] judicabo ipsum ego, dicit Deus, & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto.

8 Et dedit ei [7] pactum circumcisionis. & tunc genuit Ischak, & circumcidit eum die octavo: & Ischak genuit Jaakub, & Jaakub genuit duodecim patres nostros.

9 Et ipsi patres nostri inviderunt Jauseph, & vendiderunt eum [8] Ægypto: & Deus cum eo erat:

10 Et liberabat eum ab omnibus angustiis suis, ac dedit ei gratiam & sapientiam coràm Pareun rege Ægypti: & constituit eum principem super Ægyptum, & super totam domum suam.

11 Et facta est fames & angustia magna in universa Ægypto, & in terra Chanaan: & non erat patribus nostris quo saturarentur.

12 Quumq; audivisset Jaakub quòd esset frumentũ in Ægypto, misit patres nostros primùm.

13 Et quum profecti essent secunda vice, notum fecit Jauseph seipsum fratribus suis: & innotuit Pareun cognatio Jauseph.

14 Et misit Jauseph, & venire fecit patrem suum Jaakub omnemq; cognationem suam: [9] eràntque numero septuaginta quinque animæ.

15 Et descendit Jaakub in Ægyptum: ac mortuus est illic ipse & patres nostri.

16 [10] Et translatus est in Sechem, ac positus est in sepulchro quod emerat Abraham argento [11] à filiis Chamur.

17 Et quum adveniret tempus ejus rei quam pollicitus fuerat juramento Deus Abrahamo, crevit populus, & corroboratus est in Ægypto:

[1] F. Syr. an est quòd hæc ita sint? Pleonasmus Syrus Gallis non insolens.
[2] Ad verb. Inter flumina. Videte annotata cap. 2. 9.
[3] i. A locis, ubi degunt ii qui tibi sanguine conjuncti sunt.
[4] F. al. ne vestigium quidem pedis, nempè Tremellius legit per ℵ, alii minimè. Etsi hoc melius.
[5] F. i. dicens ei, nempè Geneseos 15.
[6] i. Puniam, Condemnabo, Hebraismus.
[7] F. vel fœdus, aut dispositionẽ: sic deinceps.
[8] F. Syr. in Ægyptum, Metalepsis Hebraica, sumta ex Genes. 37. 28. cui similis est ibidem versu 36. vide suprà in Mat. 4. 5. vendiderunt in Ægyptum, supple deportandum.
[9] F. Syr. suntque existentes numero, id est, qui eo numero nominatim habentur apud Mosem Gene. 46. vide Parallelos sacros.
[10] F. Hic Syrus interpres vel diverso exemplari, vel judicio usus est & auctoritate sua. Etsi aliter omnes Patres legisse olim quis nescit? consule Parallelos sacros.
[11] Omittit quod in Græco adscribitur, τοῦ συχὲμ quòd eam lectionem tamquam absurdam repudiet, quia constat ex historia, Chamur patrem fuisse Sechem, & non è converso. Sed quòd in Græco legitur, commodè potest exponi ex Hebraismo, ut subaudiatur nomen Principis, hoc modo, à filiis Chamur principis Sechem. Sic enim Hebræi nonnunquam duo propria nomina construunt, ut posterius à priore regatur.

[f] *Gen.* 29. 33. *&* 30. 5. *&* 35. 22. [h] B. Stephanus diligenter etiam commemorat Patrum quorumdam horrenda scelera, ut Judæos doceat non temere acquiescendum esse in Patrum auctoritate & exemplis. [f] *Gen.* 37. 28. [i] Hebr. quo peculiaris Dei favor erga aliquos declaratur. Videtur enim ab iis abesse, quo juvare non sustinet: contra præsens illis, quos ex maximis quibusque periculis eripit. [f] *Gen.* 41. 37. [k] Ut gratiosus esset nomine sapientiæ coram Pharaone. [f] *Gen.* 42. 2. [f] *Gen.* 45. 4. [l] Patriarchæ filii Jacob, quamvis solius Josephi fiat mentio, Jos. 24. 32.

18 Usquequo

18 Donec

18 Donec surgeret rex alius super Ægyptum, qui non noverat Jauseph.

19 Et [22] composuit sese adversus cognationem nostram, & malè affecit patres nostros, præcepítque ut abjicerentur nati eorum, ne viverent.

20 Eodem tempore natus est Musche, & dilectus fuit Deo: & educatus est mensibus tribus in domo patris sui.

21 Et quum abjectus esset à populo suo, invenit eum filia Pareun, & educavit eum sibi in filiũ.

22 Et eruditus est Musche in omni sapientia Ægyptiorum: erátque [23] dives in sermonibus suis, etiam in factis suis.

23 Quúmque natus [24] esset quadraginta annos, subiit in [25] cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israjel.

24 Et vidit quemdam ex filiis generis sui, qui [26] ducebatur coactè: & ultus est eum, [27] & reddidit ei jus, ac interfecit Ægyptium illum qui injuriam intulerat ei.

25 Et putabat quòd intelligerent filii Israjel, quòd Deus per manum ipsius [28] daret liberationem, & non intellexerunt.

26 Die autem alia visus est ipsis quum contenderent [29] unus cum alio, & suadebat eis ut pacarentur, dicens, Homines, fratres estis, propter quid injuriam infertis [30] unus alii?

27 Ille autem qui inferebat injuriam socio suo, repulit eum à se, ac dixit ei, Quis constituit te super nos principem & judicem?

28 Num interficere nos quæris, sicut interfecisti heri Ægyptium?

29 Et effugit Musche ad sermonem istum, & factus est advena in terra Median: & fuerunt ei duo filii.

30 Et quum impleti essent ei illic quadraginta anni, visus est ei in deserto montis Sinai Angelus Domini in igne qui ardebat in rubo.

31 Quúmque vidisset Musche, admiratus est visionem: & quum accederet ad eum ut videret, dixit ei Dominus in voce,

32 Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Ischak & Jaakub. & tremefactus Musche, non audebat intueri in visionem.

33 Et dixit ei Dominus, Solve calceamenta tua ex pedibus tuis: terra enim in qua tu stas, sancta est.

34 [31] Videndo vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & gemitus ejus audivi, ac descendi ut liberem eos: & nunc veni, mittam te in Ægyptum.

35 Hunc Musche quem negaverant, dicentes, Quis constituit te super nos principem & judicem? hunc ipsum Deus principem & liberatorem misit eis [32] per manus Angeli illius qui visus fuerat ei in rubo.

36 Hic est qui eduxit illos faciens signa & mirabilia ac prodigia in terra Ægypti, & in mari [33] Suph, & in deserto, annis quadraginta.

37 Hic Musche est qui dixit filiis Israjel, Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris sicut me: ipsum audietis.

38 Hic est qui fuit in congregatione in deserto cum Angelo illo qui loquebatur cum eo, & cum patribus nostris in monte Sinai: & idem est qui accepit sermones vitæ ut nobis daret.

39 Et noluerunt [34] eum sufferre patres nostri, sed deseruerunt eum, & cordibus suis reversi sunt in Ægyptum.

40 Quum dicerent Aharoni, Fac nobis deos qui eant ante nos: quia huic Musche qui eduxit nos è terra Ægypti, nescimus quid factum sit.

[22] F. id est, compositis, consutis, & concinnatis technis usus est fraudulentissimè.

[23] F. id est, potens. Syra synecdoche, ut infrà 15.32.

[24] Ad verbum Filius 40. annorum. Hebraismus tritus.

[25] F. vel animum: ut Latini dicunt frequentiùs, sed illud ad verbum est.

[26] F. vel agebatur per violentiam. hoc enim Syræ phrasi ad verbum respondet.

[27] Ad verbum, Et fecit ei judicium. Hebraismus.

[28] F. id est, daturus esset.

[29] Ad verbum, Unus cum uno. Hebraismus.

[30] Ad verb. Unus uni. Hebraismus.

[31] Id est, Probè vidi, vel Dudum vidi vel perspexi.

[32] F. id est, mandato. Hebraismus.

[33] Quasi dicas, Juncolum. Alii post Græcos vocant Rubrum.

[34] F. vel studium animúmque ad eum advertere.

41 Et

18 Usquequo exortus est alius rex, qui non noverat Josephum.

19 Hic [m] adversus genus nostrum ingeniosus, malè accepit patres nostros, *adeò* ut exponerent infantes suos ne sobolescerent.

20 Quo tempore natus est Moses, qui fuit [n] divinitùs venustus, & nutritus fuit tres menses in domo patris sui.

21 Expositum autem illum sustulit filia Pharaonis, & nutrivit eum sibi [o] pro filio.

22 Et institutus est Moses omni sapientia Ægyptiorum: erátque potens dictis & factis.

23 Ut verò expletum est ei quadraginta annorum tempus, venit ei in mentem invisere fratres suos filios Israëlis.

24 [i] Et quum vidisset quemdam *ex iis* affici injuria, tutatus est, & percusso Ægyptio, vindicavit eum qui opprimebatur.

25 Existimabat autem fratres suos intelligere Deum per manum ipsius dare ipsis salutem: at illi non intellexerunt.

26 [k] Subsequente verò die visus est ipsis pugnantibus, & compulit eos in pacem, dicens, Viri, fratres estis vos: cur alii alios injuria afficitis?

27 Is autem qui injuria afficiebat proximum, repulit eum, dicens, Quis te nobis constituit principem & judicem?

28 Num tu me vis interimere, quemadmodum interemisti heri Ægyptium illum?

29 Ad hunc autem sermonem Moses fugit, & factus est advena in regione Madian, ubi genuit duos filios.

30 Expletis verò annis quadraginta [l] visus est ei in deserto montis Sina [p] Angelus Domini in flammeo igne rubi.

31 Moses autem ut *hoc* conspexit, admiratus est visum: & quum accederet ad *hoc* considerandum, exstitit ad eum vox Domini, *dicentis*,

32 Ego *sum* Deus ille, patrum tuorum, Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi. Tremefactus autem Moses non audebat *illum* considerare.

33 Dixit autem ei Dominus, Solve soleas pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est.

34 Vidi, vidi vexationem populi mei qui *est* in Ægypto, & suspiria ipsorum audivi, & descendi ut eruam eos: nunc ergo adesdum, mittam te in Ægyptum.

35 Hunc *ergo* Mosen quem abnegaverant, dicentes, Quis te constituit principem & judicem? hunc, *inquam*, Deus misit principem & liberatorem *futurum*, [q] ductu angeli qui visus fuerat ei in rubo.

36 [n] Hic eduxit illos editis miraculis & signis in regione Ægypti, & in rubro mari, [l] & in deserto, annis quadraginta.

37 [r] Hic est Moses ille qui dixit filiis Israël, [s] Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester è fratribus vestris, sicut me: ipsum audietis.

38 [t] Hic ille est qui conveniente *populo* in deserto, fuit cum Angelo ipsum alloquente in monte Sina, & cum patribus nostris, quique excepit viva [f] eloquia quæ nobis traderet.

39 Cui noluerunt auscultare patres nostri, sed repulerunt *eum*, & aversi sunt cordibus suis in Ægyptum.

40 Dicentes Aharoni, [u] Fac nobis Deos qui præeant nobis. Mosi enim isti qui eduxit nos ex regione Ægypti, nescimus quid contigerit.

[m] Solerter excogitavit adversus genus nostrum, nempè jubendo ut exponerentur mares.

[n] Dei benignitate & favore nascebatur ille puer ut esset aspectus illius elegans.

[o] Vice filii.

[i] *Exo.* 2.11.

[k] *Exo.* 2.13.

[l] *Exo.* 3.2.

[p] Filium Dei nunc Angelum vocat, ipse est enim magni consilii Angelus, & ideo paulò post demonstrat eum dicentem Mosi, Ego sum Deus ille patrum tuorum, &c.

[q] Ad verb. manu, id est, potestate: qui quidem, sicut explicat Apostolus 1. Cor. 10.4. verus fuit liberator ac ductor, cujus minister fuit Moses.

[n] *Exo.* 7.8.9.10.11.14.

[l] *Exo.* 16.1.

[r] 2. Agnoscit Mosen pro legislatore, sed ita ut ejus ipsius testimonio probet Legem in perfectius quippiam (nempè in propheticum munus, quod in Christum prophetarum caput, ferebatur) respexisse.

[s] *Deut.* 18.15. *sup.* 3.22.

[t] *Exo.* 19.2.

[f] λόγια Græci vocant oracula divinitùs demissa, oratione soluta.

[u] *Exo.* 32.1.

41 Et

41 Et [x] vitulum fecerunt per illos dies, obtuleruntque sacrificium idolo, & oblectârunt sese operibus manuum suarum.

42 Vertit autem *sese* Deus, & [u] tradidit eos ad serviendum [x] exercitui cæli: sicut scriptum est in libro Prophetarum, [t] Num victimas & oblationes obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël?

43 Imò [y] bajulastis tabernaculum Molochi, & sidus Dei vestri Remphanis, quas figuras fecistis ut eas adoraretis: itaque transferam vos ad Babylonis fines.

44 [z] Tabernaculum [a] testimonii fuit patribus nostris in deserto, prout præceperat [l] is qui dixerat Mosi ut faceret illud secundùm exemplar quod viderat.

45 [l] Quod etiam [b] acceptum introduxerunt patres nostri cum Jesu in ipsa [c] occupatione Gentium, quas expulit Deus [d] à conspectu patrum nostrorum, [l] usque ad dies Davidis.

46 Qui nactus est gratiam apud Deum, petiitque ut nancisceretur tabernaculum Deo Jacobi.

47 [e] [l] Solomon autem ædificavit ei ædem.

48 [l] Sed Excelsissimus ille in manufactis templis non habitat, sicut Propheta dicit,

49 [l] Cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam ædem ædificabitis mihi, dicit Dominus: aut quis est locus requietis meæ?

50 Nónne manus mea fecit hæc omnia?

51 [f] [l] Duri cervice & [g] incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui illi sancto obnitimini: quales fuerunt patres vestri, tales & vos *estis*.

52 Quem Prophetarum non sunt persequuti patres vestri? trucidârunt, inquam, eos qui prænunciârunt adventum Justi illius, cujus nunc vos proditores & interfectores facti estis.

53 [l] Qui accepistis legem [h] per dispositionem Angelorum, nec servastis.

54 [i] Audientes autem hæc, findebantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.

55 [k] Quum autem esset plenus Spiritu sancto, intentis in cælum oculis vidit [l] gloriam Dei, & Jesum adstantem ad dexteram Dei.

56 Et ait, Ecce, conspicio cælos apertos, & Filium illum hominis [m] adstantem ad dexteram Dei.

57 [n] Exclamantes autem *illi* voce magna, continuerunt aures suas, & [o] irruerunt concorditer in eum.

58 Et ejectum eum extra urbem, lapidârunt: testes [p] autem deposuerunt pallia sua ad pedes adolescentis qui vocabatur Saulus.

59 Lapidârunt igitur Stephanum, invocantem & dicentem, Domine Jesu suscipe spiritum meum.

60 [q] Positis autem genibus, clamavit voce magna, Domine, ne [r] statuas eis hoc peccatum. Et quum hoc dixisset, [s] obdormivit.

[t] Quæ superstitio fuit Ægyptiacæ idololatriæ. apud hos enim & Apis mirificus vitulus cultum habuit divinum, ac vaccarum simulacra insignia fuerunt, Herodotus lib. 2.
[u] Eos à suo Spiritu destitutos tradidit Satanæ & perversis cupiditatibus, ut servirent stellis.
[x] Per exercitum cæli hoc loco non intelligit Angelos, sed lunam, solem, & reliquas stellas, Deut. 17. 3.
[l] *Amos* 5.25.
[y] In humeros vestros sublatum tulistis.
[z] B. Fuit quidem erectum tabernaculum à Mose, sed quod homines revocaret ad illud exemplar quod viderat in monte.
[a] i. Conventus, in quo videlicet solebant Israëlitæ convenire: sicut non prorsus dissimili ratione hodiè Christianorum templa vulgò solent Ecclesiæ, id est, congregationes & conventus vocari.
[l] *Exod.* 25.40. *Hebr.* 8.5.
[l] *Josue* 3.14.
[b] Per manus traditum. Attingit hic Stephanus quod legitur Jos. 3.14.
[c] Metonymicè intelliguntur regiones quæ à Gentibus obtinebantur.
[d] Quas Deus expulit ut ingredientibus majoribus nostris, cederent harum regionum possessionem.
[l] 2. *Sam.* 7.2. *Psa.* 132.4.
[e] B. Templum quidem à Solomone exstructum est, Dei mandato: at non ea conditione ut majestas Dei esset in eo inclusa.
[l] 1. *Reg.* 6.1.
[l] 1. *Para.* 17.12.

41 Et fecit eis vitulum in diebus illis: & mactaverunt victimas idolis, & exsultabant in opere manuum suarum.

42 Et convertit se Deus, & tradidit eos ut colerent exercitus cæli: sicut scriptum est [25] in scripto Prophetarum, Numquid quadraginta annis in deserto [26] oblationem aut victimam obtulistis mihi filii Israjel?

43 [27] Sed sustulistis tabernaculum Malcum, & sidus dei Rephan, imagines quas fecistis ut adoraretis eas: transferam vos ultra Babylonem.

44 Ecce, tabernaculum testimonii Patrum nostrorum in deserto erat, sicut mandaverat is qui loquutus est cum Musche, ut faceret illud secundùm similitudinem quam ostendit ei.

45 Et illud ipsum tabernaculum etiam [28] inducendo induxerunt Patres nostri cum Jeschua in terram quam dedit eis Deus hæreditate ex Gentibus illis quas expulit ex conspectu eorum, & deportatum est usque ad dies Davidis.

46 [29] Qui invenit misericordiam in conspectu Dei, & petiit [30] ut inveniret tabernaculum Deo Jaakub.

47 Schelimun autem ædificavit domum.

48 Et excelsus non habitat [31] in opere manuum: sicut dicit Propheta,

49 Cælum mihi thronus meus est, & terra scabellum sub pedibus meis: quámnam ædem ædificabitis mihi? ait Dominus, aut quísnam est locus requietis meæ?

50 Nónne, ecce, manus mea fecit hæc omnia?

51 O duri cervice, & incircumcisi in cordibus suis & in auditu suo, vos omni tẽpore [32] contra Spiritum sanctum stetistis, sicut patres vestri, etiam vos.

52 Quem enim ex Prophetis non sunt persecuti ac interfecerunt patres vestri? [33] Eos qui priùs declaraverunt de adventu Justi illius, quem vos prodidistis, & interfecistis.

53 Et accepistis Legem [34] per mandatum Angeli, & non servastis eam.

54 Et quum audivissent hæc, impleti sunt ira in semetipsis, & stridebant dentibus suis contra eum.

55 Et ipse quum plenus esset fide & Spiritu sancto, intuitus est in cælum, & vidit gloriam Dei, & Jeschua stantem à dextera Dei.

56 Ac dixit, Ecce, video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextera Dei.

57 Et clamaverunt voce elata, ac obthuraverunt aures suas, & irruerunt omnes in eum.

58 Et apprehensum ejecerunt eum extra urbem, ac lapidaverunt eum, & ii qui testati sunt in eum [35] posuerunt vestimenta sua ad pedes adolescentis cujusdam qui vocabatur Schaul.

59 Et lapidabant ipsum Stephanum orantem & dicentem, Domine noster Jeschua accipe spiritum meum.

60 Et quum posuisset genua, clamavit voce elata, & dixit, Domine noster, ne statuas eis hoc peccatum. Et quum hoc dixisset, obdormivit.

[25] Id est, In libro, ut jam pluribus locis observatum est.
[26] F. vel victimas aut sacrificia, plurali numero.
[27] F. de hoc versu consulendi nostri Paralleli sacri.
[28] Id est, Omnino induxerunt.
[29] Id est, Consequutus est misericordiam à Deo, Hebraismus.
[30] F. supple gratiam (ex antecedente membro) ponendi tabernaculum Deo Jaakub, Ellipsis duplex: una communis linguarum omnium, quod nomen gratiæ ἀπὸ κοινοῦ repetitur: altera Hebræorum propria, qui verbum σύζυγον aut συνώνυμον nomine complectuntur vel contrà.
[31] Id est, in templis manu factis.
[32] Spiritui sancto obstitistis.
[33] F. vel ex eis qui prius, &c.
[34] Ad verbum, Per manum mandati Angeli. Hebraismus, Mediante mandato Angeli. F. al. per manum dispositionis Angelorum, ad verbum. Tremellius legebat Angeli, numero singulari: & ita quoque Arabs. Ego nihil muto, vide in Parallelis sacris lib. 1. cap. 92.
[35] Ut scilicet ad lapidationem se primos expedirent ex legis præscripto, Deut. 17.7. Ita furor se in pium zelum transformat, & præceptum captat ex legis jussione.

[l] *Jer.* 17.24. *Esa.* 66.1. [f] B. Stephanus zelo Dei incensus, tandem etiam suos judices judicat. [l] *Jere.* 9.26. *Eze.* 44.9. [g] Incircumcisi sunt corde, qui in naturæ adhuc vitiis demersi, hærent: alioqui carne erant omnes Judæi circumcisi. duplex ergo fuit circumcisio, Vide Paul. Rom. 2.28. [l] *Exo.* 19.16. *Gal.* 3.19. [h] Angelorũ ministerio. [i] B. Satan deprehensus, apertiùs furit. [k] B. Quo propius mortem accedunt martyres, eo propiùs Christum intuentes, in cælum assurgunt. [l] id est, gloriosum Deum quatenus quidem humanis oculis cerni potest. [m] Paratum ad me confirmandum in veritatis confessione, & recipiendum ad sese. [n] B. Zelus tum hypocritarum, tum etiam superstitiosorum tandem in manifestam rabiem exit. [o] Violentus ille fuit impetus: animadversio enim tunc Judæis concessa non erat, ut apud Pilatum fatentur, dicentes non licere sibi occidere quemquam. ideo Joseph. libr. 20. refert ab Anano Sadducæo interfectum fuisse Jacobum fratrem Domini, eoque nomine accusatum fuisse apud Albinum præsidem. [p] Caputum erat in Lege, ut testes lapidationem auspicarentur, Deut. 17.7. Quamvis igitur omnia ista per tumultum sint facta & quidem violata præsidis provinciæ auctoritate, voluerunt tamen isti videri nihil agere nisi ex legis divinæ præscripto. [q] B. Fides & charitas veros Dei servos ad extremum usque halitum comitantur. [r] Statuendi vocabulo, intelligit firmam ac perennem peccati imputationem coram Deo, sicut contrà dicuntur deleri ac remitti peccata quæ condonantur. [s] id est, mortuus est, Vide 1. Thess. 4.13.

CAPUT

CAPUT VIII.

2 Dum Stephanum lugent pii, 3 Saulus Ecclesiam vastat. 5 Philippus Samariæ Christum prædicat. 19 Simonis magi 20 avaritia damnatur. 26 Philippus 27 Eunuchum Æthiopem 38 baptizat.

1 [1] Schaul autem cupidus erat ac particeps mortis ejus: & facta est in illo die persequutio magna adversus ecclesiam quæ est in Urischelem: & dispersi sunt omnes per agros Judeæ, & etiã inter Samaritanos, preter Apostolos tantùm.

2 Et positum in capulum sepelierunt Stephanum homines fideles: & luxerunt propter eum maximè.

3 Schaul autem persequebatur Ecclesiam Dei, quum intraret in domos, & trahebat homines & mulieres, & tradebat in [2] domũ vinctorum.

4 Et illi qui dispersi fuerant, circuibant, & prædicabant sermonem Dei.

5 Philippus verò descendit in urbem Samaritanorum, & predicabat de Christo.

6 Et quum audirent sermonem ejus filii hominis qui illic erant, attendebant ei, & acquiescebant omnibus quæ dicebat, quia videbant signa quæ faciebat.

7 Multi enim quos possidebant spiritus impuri, clamabant voce elata, & egrediebantur ab eis: & alii paralytici & claudi sanati sunt.

8 Et gaudiũ magnũ factum est in ea civitate.

9 Erat autem illic homo quidam, cujus nomen erat Simun, qui habitaverat in ea civitate tempore multo: & suis magicis præstigiis seducebat populum Samaritanorum, quum magnifaceret seipsum, & diceret, Ego sum maximus.

10 Et dediti erant ei omnes magni & tenues, & dicebant, Hic est virtus magna Dei.

11 Et quiescebant ei, quia tempore multo magicis præstigiis suis dementaverat eos.

12 Quum verò credidissent Philippo qui evangelizabat regnum Dei in nomine Domini nostri Jeschua Christi, baptizabantur viri & mulieres.

13 Et etiam ipse Simun credidit, ac baptizatus est, & adhærebat ipsi Philippo. Quúmque videret signa & virtutes maximas quæ fiebant [3] per manum ejus, attonitus fiebat & mirabatur.

14 Et quum audivissent Apostoli qui erant in Urischelem quòd recepisset populus Samaritanorum sermonem Dei, miserunt ad eos Schemeun Kipha & Juchannan.

15 Et descenderunt, ac oraverunt pro eis ut acciperent Spiritum sanctum.

16 [4] Non fuerat enim super unum ex eis adhuc: sed tantùm baptizabantur in nomine Domini nostri Jeschua.

17 Tunc imponebant super illos manum, & accipiebant Spiritum sanctum.

18 Et quum videret Simun quòd per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis argentum,

19 Dicens, Date mihi quoque potestatem hanc, ut ille super quem posuero manum, accipiat Spiritum sanctum.

20 Dixit ei Schemeun Kipha, Argentum tuum tecum abeat in perditionem, quia putasti quòd donum Dei [5] acquisitione mundi acquiratur.

21 Non est tibi pars neque sors in fide hac: quia cor tuum non fuit rectum coram Deo.

22 Verumtamen convertere à malitia tua hac, & deprecare Deum, si fortè remittatur tibi dolus cordis tui.

[1] v. primum hoc membrum alii ad caput 7. judicant pertinere.

[2] v. periphrasis carceris, Hebræo & Syro sermone usitatissima.

[3] v. id est, opera & ministerio, Hebraismus.

[4] Ad verbum, non enim manserat super unum, &c. Hebraismus. Ne vel in unum quidem eorum Spiritus illapsus fuerat. Exempla hujus phrasis habes Num. 24. 2. Judic. 3. 10. & plerisque aliis in locis.

[5] Id est, pretio quo res hujus mundi corruptibiles acquiruntur.

Saulus [a] autem ultrò consenserat in necem ejus. Orta est verò illo die persequutio magna adversus Ecclesiam quæ *erat* Hierosolymis: & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos.

2 [b] [c] Extulerunt autem unà Stephanum viri religiosi, & plangorem magnum ediderunt super eo.

3 [d] Saulus verò vastabat Ecclesiam, iens domatim: & tractos viros ac mulieres tradebat in custodiam *conjiciendos*.

4 At qui dispersi fuerant peragrabant *regionem*, evangelizantes sermonem *Dei*.

5 [e] Philippus verò quum devenisset in urbem Samariæ, prædicabat eis Christum.

6 Attendebat autem turba concorditer ea quæ à Philippo dicebantur, audientes & videntes signa quæ edebat.

7 Spiritus enim impuri ex multis qui *eis* tenebantur, exibant, clamantes voce magna: multique paralytici & claudi sanati sunt.

8 Et gaudium magnum exstitit in illa urbe.

9 [f] Vir autem quidam nomine Simon, anteà in urbe illa exercuerat artem [g] magicam, & Gentem Samariæ [h] obstupefecerat, dicens se esse quempiam magnum.

10 Quem attendebant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes, Iste est potentia illa Dei magna.

11 Attendebant autem eum propterea quòd à multo tempore magicis artibus eos dementârat.

12 Quum verò credidissent Philippo evangelizanti quæ ad regnum Dei & nomen Jesu Christi *pertinent*, baptizabantur tum viri, tum mulieres.

13 [i] Simon verò & ipse credidit: & baptizatus perdurabat apud Philippum; & conspiciens signa & virtutes magnas edi, obstupefiebat.

14 [k] Quum autem audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, Samariam recepisse sermonem Dei, miserunt ad eos Petrum ac Johannem.

15 Qui quum descendissent, precati sunt pro eis ut acciperent [l] Spiritum sanctum.

16 (Nondum enim in quemquam illorum illapsus fuerat, sed baptizati tantùm fuerant in nomen Jesu)

17 Deinde imposuerunt eis manus, & receperunt *illi* Spiritum sanctum.

18 [m] Quum autem conspexisset Simon per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, obtulit eis pecunias,

19 Dicens, Date etiam mihi potestatẽ istam, ut cuicumque imposuero manus, recipiat Spiritum sanctum.

20 [n] Petrus autem dixit ei, Pecunia tua tecum pereat, qui donum Dei existimaris pecuniis acquiri.

21 Non est tibi pars neque sors in [o] hoc negotio: cor enim tuum non est [p] rectum in Dei conspectu.

22 [q] Resipisce igitur ab ista malitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi machinatio cordis tui.

[a] B. Christus hostium rabie ad propagandum regnum suum abutitur.

[b] B. Stephanum mortuum sancti lugent & sepeliunt, singulari fidei & charitatis exemplo: invocat autem nemo.

[c] Inter piorum officia quæ hoc loco recensentur, nulla fit mentio conditarum reliquiarum.

[d] B. Fidelium dispersio, fit Ecclesiarum unio.

[e] B. Philippus anteà diaconus in Hierusalem, fit à Deo extra ordinem Evangelista.

[f] B. Christus Satanam (quoties libuit) victum velut in triumpho ducit, iis ipsis spectantibus quos fascinavit.

[g] Magia primùm in bonam partem sumebatur, nomine à Persis ducto, apud quos Magi sunt sapientes: postea sumtum est in malam.

[h] Ita sibi suis præstigiis conciliârat Samaritanos, ut cæco quodam furore amentes toti essent illi addicti.

[i] B. Impii quoque & reprobi interdum coguntur bonum Dei donum gustare, sed quod mox evomant.

[k] B. Petrus, non jam primas, sed Apostolici collegii legatus, & quidem addito Johanne collega, pro auctoritate sibi commissa, Ecclesias Samaritanas jactis à Philippo fundamentis superstruit.

[l] Eximia illa dona, quibus ornatos illos esse oportebat præsertim, qui præficiendi erant Ecclesiæ.

[m] B. Ambitio & avaritia hypocritas tandem ex suis latebris eliciunt.

[n] B. Simonis, non Petri, sed magi sunt successores, qui res sacras aut emunt aut vendunt.

[o] In hac doctrina quam annuncio,

[p] Verè rectum, & sine simulatione,

[q] B. Benè de summis etiam peccatoribus sperandum, quoad ejus fieri potest.

23 Video enim te in [s] felle amarissimo [f] &
nexu injustitiæ positum.
24 Respondens autem Simon dixit, Depreca-
mini vos pro me apud Dominum, nequid me in-
vadat *istorum* quæ dixistis.
25 Illi igitur cum testificatione loquuti ser-
monem Dei, reversi sunt Hierosolymam, & multis
vicis Samaritanorum evangelizârunt.
26 [t] Angelus autem Domini loquutus est Phi-
lippo, dicens, Surge, & vade meridiem versus,
ad viam quæ Hierosolymis descendit Gazam: &
quæ est deserta.
27 Is igitur surgens profectus est: & ecce qui-
dam Æthiops eunuchus, [u] dynastes Candaces
reginæ Æthiopum: qui præerat universis illius
gazis, venerat Hierosolymam adoraturus:
28 Et revertebatur sedens in curru suo, lege-
bátque Esaiam Prophetam.
29 Dixit autem Spiritus Philippo, Accede, &
proximè adjungitor ad currum istum.
30 Accurrens igitur Philippus audivit eum
legentem Esaiam Prophetam, & dixit, Nempè
intelligis quæ legis?
31 At ille ait, Quînam enim possim, nisi quis
mihi [x] præierit? Et precatus est Philippum ut
ascenderet, sederétque secum.
32 [y] Locus autem scripturæ quem legebat,
hic erat, ‖ Ut ovis ad mactationem ductus est: &
ut agnus coram suo tonsore mutus, ita non ape-
ruit os suum.
33 [z] In ipsius depressione judicium ejus sub-
latum est: [a] seculum autem ejus quis enarrabit?
quoniam tollitur è terra vita ejus.
34 Respondens autem eunuchus Philippo,
dixit, Rogo te, de quo dicit istud Propheta? de
seipso, an de alio quopiam?
35 Tum Philippus aperuit os suum, & exorsus
ab hac scriptura, evangelizavit ei Jesum.
36 Quum verò pergerent in viam, venerunt
ad quamdam aquam: tum ait ei eunuchus, En
aquam: quid prohibet me baptizari?
37 [b] Dixit verò Philippus, [c] Si credis ex toto
corde, licet. Respondens autem *ille* dixit, [d] Credo
Jesum Christum esse Filium illum Dei.
38 Jussítque sisti currum: ac descenderunt
ambo in illam aquam, Philippus simul & eunu-
chus: & *ille* baptizavit eum.
39 Quum autem ascendissent ex aqua, Spi-
ritus Domini rapuit Philippum, nec amplius vi-
dit eum eunuchus. Perrexit igitur in via sua,
gaudens.
40 Philippus autem inventus est Azoti: & per-
agrans *regionem* evangelizavit omnibus urbi-
bus, usquedum veniret Cæsaream.

23 [6] In felle enim [7] amaro, & in vinculis ini-
quitatis video te esse.
24 Respondit Simun, ac dixit, Deprecamini
vos pro me Deum, ne veniat super me aliquid ex
his quæ dixistis.
25 Schemeun autem & Juchannan, quum te-
stificati essent eis, & docuissent sermones Dei,
reversi sunt Urischelem, & in pagis multis Sama-
ritanorum evangelizaverunt.
26 Et loquutus est Angelus Domini cum Phi-
lippo, ac dixit ei, Surge abi ad meridiem, per vi-
am desertam quæ descendit ab Urischelem in
Gaza.
27 Et surgens abiit, & occurrit ei [8] eunuchus
quidam qui veniebat ex Æthiopia, præfectus
Candacis reginæ Æthiopum, & ipse præfectus
erat super universum thesaurum ejus: & venerat
ut adoraret in Urischelem.
28 Quúmque reverteretur ut abiret, sedebat
in curru, & legebat Isaiah prophetam.
29 Et dixit Spiritus sanctus Philippo, Acce-
de, & adjunge te currui.
30 Quúmque accessisset, audivit quòd lege-
ret in Isaiah propheta, & dixit ei, Num intelligis
tu quod legis?
31 Et ille ait, quomodo possum intelligere,
nisi quis direxerit me? Et petiit ab ipso Philippo
ut ascenderet & sederet secum.
32 Versiculus autem Scripturæ in quo lege-
bat, est hic, Tamquam agnus ad mactationem
ductus est, & sicut ovis coram tondente siluit, &
ita non aperuit os suum [9] in depressione sua.
33 Ex angustia & ex judicio sublatus est. &
ætatem ejus quis enarrabit? quoniam tollitur
vita ejus à terra.
34 Et dicebat eunuchus ille Philippo, Oro te
de quónam dixit hoc Propheta? de seipso, an de
quopiam alio?
35 Tum Philippus aperuit os suum, & incepit
ab hac ipsa Scriptura, evangelizans ei de Domi-
no nostro Jeschua.
36 Et quum pergerent in via, pervenerunt ad
locum quemdam in quo erant aquæ. Et ait eu-
nuchus ille, Ecce aquæ: quod est obstaculum
quominus baptizer?
37 [10] 38 Et præcepit ut consisteret currus: &
descenderunt ambo ad aquas, & baptizavit Phi-
lippus eunuchum illum.
39 Quumq; ascenderet ab aquis, Spiritus Do-
mini rapuit Philippũ, & rursus non vidit eum eu-
nuchus ille, sed abibat per viam suam gaudens.
40 Philippus autem inventus est in Azoto: &
inde circuibat, & evangelizabat in civitatibus
omnibus, usquedum veniret Cæsaream.

[s] Fel amaritudinis, vocat interiorem cordis malitiam, & virus illud diabolicæ impietatis, quo Magus ille totus erat expletus. Dicitur autem magus ille esse in felle, quasi oppressus esset totus felle, & in eo sepultus.
[f] Iniquitatis vinculis irretitum.
[t] B. Christus gratis vocans quoscumque libuit, Philippo nihil tale cogitante, ad eunuchum imprudentem, erudiendum & baptizandum usus, in Æthiopiam usque regni sui limites profert.
[u] Opibus & potestate insignis apud Candacem. Candace autem nomen commune erat Reginarum Æthiopiæ.
[x] Ad verbum, viam ad intelligendum demonstret, vel sit dux itineris.
[y] B. Arcana Dei providentia reguntur etiam quæ maximè videntur fortuita.
‖ *Esa.* 53.7.
[z] Hebr. veritas legit: E claustro & judicio assumtus est. Claustri autem nomine intelligit sepulcrum, ipsaque adeò mortis vincula: judicii autem, supplicium quo affectus est, & miserabilem illam conditionem quam subiit Christus nostra causa patris iram sustinens.
[a] Quamdiu ævum ipsius sit duraturum. Nam Christus excitatus ex mortuis amplius non moritur, Rom. 6.9. [b] B. Professio fidei in adultis baptizandis requiritur, ac proinde Baptismo non tunc primum in Christum inserimur, sed jam insiti confirmamur. [c] Scriptura totum cor sæpe accipit pro syncero & non fucato, cui opponitur cor duplex. Ita non est quòd perfectè credere imaginemur qui ex toto corde credunt, quando infirma & pusilla fides in eo esse poterit, cui tamen integer erit animus & omni fictione purus. Sic accipere convenit quod David jactat se diligere Dominum ex toto corde, Psal. 119.19. [d] Summa confessionis necessariæ ad Baptismum.

[6] Hebraismus. Vult dicere totũ immersum & defixum esse in felle sive veneno amarissimo. Quo metaphoricè significatur desperata impietas, lethale animi venenum.
[7] F. Syr. amaroris vel amaritudinis. Hebraismus.
[8] Vox est מהימנא, quæ sonat fidelem. Hoc nomine à Syris vocantur eunuchi, vide in Matth. 19.12. Illud tamen addam, hac ratione illos declarare non tam nomine Eunuchi vitium notari, quàm designari officium.
[9] In Syro textu hæc, In depressione sua, cohærent præcedentibus. ideo ea posui in calce versiculi 32. F. aliis in libris alii distingunt secus, sed hæc in parallelis nostris.
[10] Totus 37. versus in Syro textu omittitur, nec ulla ejus fit inter errata mentio. Quamobrem illum è meo sensu textui inserere non sum ausus, præsertim quum in aliquibus Græcis codicibus vetustis similiter omittatur. Spatium tamen vacuum reliqui, numero tantùm versiculi adscripto, ut perturbatio vitaretur, & versiculi Syri textus Græcis in numero responderent.

CAPUT IX.

2 *Saulus Damascum petens,* 4 *à Domino prosternitur.* 10 *Ananias mittitur,* 18 *ut eum baptizet.*
23 *Judæorum insidias,* 25 *per murum demissus, evadit.* 33 *Petrus Æneæ paralitico medetur.*
36 *Tabitham defunctam* 40 *vitæ restituit.*

SAulus [a] autem adhuc [b] spirans minas ac cæ-
dem adversus discipulos Domini, adiit Ponti-
ficem maximum,

SChaul autem adhuc plenus erat injuriarum
& [1] iræ cruentæ adversus discipulos Domini
nostri:

[a] B. Saulus (qui & Paulus) Christum veluti fugientem crudelissimè persequẽs in eundem victorem incidit, & singulari divinæ bonitatis exemplo pro sævitiæ suæ commerita pœna, non modò in gratiam recipitur, sed etiam Apostolus voce ipsius Domini designatus, Ananiæ ministerio ac testimonio confirmatur. [b] Indicatur in Saulo fuisse vehementes impetus minarum de cæde discipulorum.

[1] Excandescentia cædis.

2 Et petiit ſibi literas à principe Sacerdo-
tum, [2]quas redderet in Damaſco congregationi,
ut ſi ita eſſet ut inveniret [3] qui iter facerent per
hanc viam, viros aut mulieres, [4] vinciens ad-
duceret eos in Uriſchelem.
3 Et quum proficiſceretur, ac inciperet per-
venire Damaſcum, repentinò [5] defluxit ſuper
eum lux de cælo.
4 Et cecidit in terram: & audivit vocem quæ
dicebat ſibi, Schaul, Schaul, quid perſeque-
ris me? [6]durum eſt tibi calcitrare contra ſtimulos.
5 Reſpondit ille, & dixit, Quis es Domine
mi? Et Dominus noſter dixit, Sum Jeſchua
Natzaræus, quem tu perſequeris.
6 Sed ſurge, ingredere civitatem, & ibi di-
cetur tibi de eo quod oporteat te facere.
7 Et viri qui proficiſcebantur cum eo in via
ſtabant attoniti: quia vocem tantùm audiebant,
nemo autem conſpiciebatur eis.
8 Et ſurrexit Schaul è terra, neque conſpi-
ciebatur quicquam, quum oculi ejus aperti eſ-
ſent. Et apprehendentes manus ejus, introduxe-
runt eum Damaſcum.
9 Et non conſpiciebatur ei *quicquam* tribus
diebus: neque comedit neque bibit.
10 Erat autem Damaſci diſcipulus quidam,
cujus nomen erat Channanja: & Dominus di-
xit ei per viſionem, Channanja. Et dixit, Ecce
ego, Domine mi.
11 Et Dominus dixit ei, Surge, proficiſcere
in vicum qui vocatur rectus, & quære in do-
mo Jihuda Schaulem qui eſt ex Tarſo civitate.
12 [7]Ecce enim quum ipſe oraret, vidit per
viſionem virum, cujus nomen eſt Channanja,
qui ingrederetur, & poneret ei manum, ut ape-
rirentur oculi ejus.
13 Et dixit Channanja, Domine mi, audivi ex
multis de homine iſto, quot mala intulerit ſan-
ctis tuis in Uriſchelem.
14 Et ecce, etiam hîc eſt poteſtas ei à ſum-
mis Sacerdotibus, ut vinciat omnes eos qui in-
vocant nomen tuum.
15 Dixit ei Dominus, Surge, proficiſcere,
quia vas eſt mihi electum ut proferat nomen me-
um ad Gentes, & ad regna, & inter filios Iſrajel.
16 Ego enim oſtendam ei quanta paſſurus
ſit propter nomen meum.
17 Tunc Channanja profectus eſt in domum
ad illum, & impoſuit ei manum, ac dixit ei,
Schaul frater mi, Dominus noſter Jeſchua miſit
me (is qui conſpectus eſt tibi in via quum veni-
res) ut aperiantur oculi tui, & implearis Spiritu
ſancto.
18 Et eadem hora cecidit ab oculis ejus ali-
quid quod ſimile erat ſquamæ, & aperti ſunt o-
culi ejus: & ſurgens baptizatus eſt.
19 Et accepit cibum, & corroboratus eſt:
fuitq; aliquot diebus apud diſcipulos illos qui e-
rant Damaſci.
20 Et eadem hora prædicabat in ſynagoga
Judæorum de Jeſchua, quòd eſſet filius Dei.
21 Et ſtupebant omnes illi qui audiebant e-
um, ac dicebant, Nónne hic eſt qui perſeque-
batur omnes eos qui invocabant nomen iſtud in
Uriſchelem? & ecce etiam huc propter hoc ip-
ſum mittebatur ut vinciens adduceret eos ad
ſummos ſacerdotes.
22 Schaul autem ſupra modum corrobora-
batur, & conturbabat illos Judæos qui habita-
bant Damaſci, quum oſtenderet quòd is eſſet
Chriſtus.
23 Et [8]quum multiplicati ei ibi eſſent dies, fe-
cerunt

[2] F. Ad verb. quas daret ſibi Darmaſcum ad ſynagogam.
[3] i. Qui ſectarentur hanc doctrinam & hoc religionis inſtitutum. Notæ ſunt Ambulandi & Viæ metaphoræ uſitatiſſimæ apud Hebræos, ut non opus habeant explicatione.
[4] F. Syr. vinciret adduceret. Hebr. ut infrà verſ. 21.
[5] Tranſlatum verbum id eſt, Affulſit.
[6] In Syro codice huc tranſlatus legitur finis verſus ſequentis.
[7] In Syro textu hæc tamquam Dei verba ad Chananjam leguntur, nec ſeparantur: & ideò in eodem verſu omnia collocavi, licet in Græco eorum pars collocetur in calce undecimi, & ex reliquis duodecimus verſus conſtituatur.
[8] i. Quum pluribus illic diebus egiſſet. Vide Geneſ. 38.12. ubi ſimilis eſt phraſis.

2 Et petiit ab eo epiſtolas *perferendas* Dama-
ſcum ad ſynagogas: ut ſiquos inveniſſet hujus
[c] ſectæ, tum viros, tum mulieres, vinctos abdu-
ceret Hieroſolymam.
3 Quum autem iter faceret, factum eſt ut
appropinquaret Damaſco: & repentè circum-
fudit eum ut fulgur lux è cælo.
4 Et quum cecidiſſet in terram, audivit vo-
cem dicentem ſibi, Saul, Saul, quid me perſe-
queris?
5 Dixit autem, Quis es Domine? Dominus
autem dixit, Ego ſum Jeſus quem tu perſeque-
ris. [d]durum *fuerit* tibi contra ſtimulos calci-
trare.
6 *Saul verò* tremens & pavens dixit, Domi-
ne, quid me vis facere? Tum Dominus ad eum,
Surge, & ingredere urbem, & dicetur tibi quid te
oporteat facere.
7 Viri autem illi qui cum Saulo iter facie-
bant, [e]conſtiterunt muti, audientes quidem
[f] *ejus* vocem, neminem autem videntes.
8 Surrexit autem Saulus è terra: apertiſq;
oculis ſuis, neminem videbat: manu verò du-
ctum eum introduxerunt Damaſcum.
9 Fuitq; tribus diebus, non videns, [g]& non
comedit, neque bibit.
10 Erat autem quidam diſcipulus Damaſci,
nomine Ananias, ad quem dixit per viſionem
Dominus, Anania. Et ille ait, Ecce, ego *adſum*
Domine.
11 Tum Dominus ad eum, Surge, & profi-
ciſcere in vicum qui vocatur Rectus, & quære in
domo Judæ Saulum *quendam* nomine, [h]Tar-
ſenſem, ecce enim precatur.
12 Et vidit per viſionem virum Ananiam no-
mine, introëuntem, & imponentem ſibi manum
ut viſum reciperet.
13 Reſpondit autem Ananias, Domine, au-
divi ex multis de viro iſto, quot malis affecerit
ſanctos tuos Hieroſolymis.
14 Quinetiam hoc loco habet poteſtatem à
principibus Sacerdotum, vinciendi omnes qui
invocant nomen tuum.
15 Dixit autem ad eum Dominus, Profici-
ſcere: nam [i] inſtrumentum electum eſt mihi i-
ſte, ut portet nomen meum in conſpectum Gen-
tium, & regum, & filiorum Iſraël.
16 Ego enim oſtendam ei quàm multa opor-
teat ipſum pro nomine meo pati.
17 Abiit igitur Ananias, & introivit domum
[k]illam, & impoſitis ipſi manibus dixit, Saul fra-
ter, Dominus miſit me, (Jeſus *inquam* qui viſus
eſt tibi in via qua veniebas) ut viſum recipias, &
implearis Spiritu ſancto.
18 Statim autem deciderunt ab oculis ejus
quaſi ſquamæ, & viſum recepit illicò: ac ſur-
gens baptizatus eſt.
19 Quumq; cepiſſet cibum, corroboratus eſt.
Fuit autem Saulus cum diſcipulis qui erant Da-
maſci, per dies aliquot.
20 [l]Et ſtatim in ſynagogis prædicavit Chri-
ſtum, *nempe* eum eſſe filium illum Dei.
21 Obſtupeſcebant autem omnes qui eum
audiebant, & dicebant, Nónne hic eſt qui per-
didit Hieroſolymis eos qui invocabant nomen
iſtud: & huc idcircò venit ut vinctos eos addu-
ceret ad primarios Sacerdotes?
22 [m]Saulus autem magis invaleſcebat, &
confundebat Judæos qui habitabant Damaſci,
[n] collatis teſtimoniis demonſtrans eum eſſe
Chriſtum.
23 [o]Expletis autem multis diebus, inierunt
ſimul

[c] Ad verb. viæ, viam autem vocant Hebræi, genus vitæ quo quis inſiſtat.
[d] Proverbium de contumacia ſeipſos lædentium.
[e] Conſtiterunt, ita ut progredi non poſſent, ſed attoniti manerent tamquam ſaxei.
[f] Vocem ſub. Pauli audierunt: nam poſteà expreſſe dicitur, eos non audiviſſe vocem alloquentis, 22.9. alii tamen ſic locos in ſpeciem diffidentes conciliant, audierunt, ſcilicet ſonum, ſed non audierunt vocem diſtinctam.
[g] Hoc in parte miraculi ponendum eſt: Nam etſi Orientales meliùs inediam tolerant quàm nos, jejunium tamen tridui tuliſſe non legimus niſi quos vel cibus deficeret vel aliqua major urgeret neceſſitas. Ergo Paulum mirè expaveſactum fuiſſe colligimus quòd cibum triduo non guſtavit.
[h] Tarſus fuit urbs Ciliciæ vicina Anchialæ, quas duas urbes Sardanapalus fertur uno die caſtruxiſſe.
[i] Vel vas in quo perferatur nomen meum.
[k] Juda.
[l] ß. Paulus nullo à carne & ſanguine petito conſilio, ſtatim ad munus ſibi commiſſum aggreditur.
[m] ß. Paulus non pugnat ſola auctoritate, ſed adhibitis Prophetarum teſtimoniis.
[n] Collatis Scripturæ locis, ut artifices aliquid compacturi ſolent ſingulas partes comparare, ut aliæ aliis ad amuſſim quadrent.
[o] ß. Paulo ipſi tandem crux ſubeunda proponitur, ſed ita ut procul tantùm oſtendatur.

simul Judæi consilium illum interimendi.
24 Sed intellectæ sunt Saulo insidiæ eorum. adservabant autem portas die ac nocte, ut eum interimerent.
25 p Acceptum igitur eum discipuli nocte, per murum demiserunt, fune submissum in sporta.
26 Quum verò Saulus advenisset Hierosolymam, tentabat se propiùs adjungere discipulis: q sed omnes timebant eum, non credentes eum esse discipulum.
27 Barnabas autem acceptũ eum duxit ad Apostolos, & exposuit eis quomodo in via vidisset Dominũ, & quod loquutus esset ei, & quomodo Damasci liberè loquutus esset in nomine Jesu.
28 r Versabatur ergo s cũ eis Hierosolymis.
29 Et liberè in nomine Domini Jesu loquebatur, & disceptabat adversus t Græcos: illi verò conabantur eum interimere.
30 u Quod quum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & emiserunt Tarsum.
31 x Ecclesiæ igitur per totam Judæam & Galilæam & Samariam habentes pacem, y ædificabantur: & pergentes *in* timore Domini, & consolatione Sancti Spiritus, multiplicabantur.
32 z Factum est autem ut Petrus, dum per omnes pertransiret, deveniret etiam ad Sanctos qui habitabant Lyddæ.
33 Reperit autem illic quemdam nomine Æneam, ab annis jam octo decumbentem in grabato, qui erat paralyticus.
34 Et dixit ei Petrus, Ænea, sanat te Jesus Christus: surge, & sterne tibiipsi. *Is* autem statim surrexit.
35 Et viderunt eum omnes qui incolebant a Lyddam & Sarona, qui converterunt *se* ad Dominum.
36 b Joppæ verò fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ, si interpreteris, dicitur Caprea. Hæc erat dives operum bonorum & eleemosynarum quas præstabat.
37 Factum est autem per illos dies ut ex morbo moreretur: quam quum lavissent, posuerunt in cœnaculo.
38 Quum autem Lydda esset propè Joppen, discipuli, audito Petrum illic esse, duos viros miserunt ad eum, rogantes ne cunctaretur usque ad ipsos progredi.
39 Exsurgens igitur Petrus venit cum eis: quem, ubi adfuit, duxerunt in cœnaculum: ubi adstiterunt ei omnes viduæ, flentes, & ostendentes tunicas & vestimenta quæ Dorcas faciebat quum unà cum ipsis esset.
40 Ejectis autem omnibus foras, Petrus c positis genibus, precatus est: & conversus ad corpus, dixit, Tabitha surge. Illa verò aperuit oculos suos, & viso Petro resedit.
41 Data autem ei manu *Petrus* erexit eam: & vocatis sanctis ac viduis eam vivam repræsentavit.
42 Id autem innotuit per totam Joppen, & multi crediderunt in Dominum.
43 Factumq; est ut dies multos maneret *Petrus* Joppæ, apud Simonem quemdam coriariũ.

p B. Hostium insidias & conatus salva vocatione vitare nihil prohibet.
q B. Non temerè olim quivis ne inter oves quidẽ, nedum inter pastores, admissus.
r B. Pericula ex periculis exspectanda constantibus Dei servis: sed idem Deus pro ipsis excubat.
s Cum Petro & Jacobo: eos enim ex Apostolis solos sibi tum fuisse conspectos dicit.
t Vide supr. 6.1.
u B. Licet, ex Ecclesiæ consilio, locum mutare Verbi ministris.
x B. Ecclesiarum ædificatio, persequutionum exitus, modò patienter exspectetur Dominus.
y Hæc translatio significat stabilimentum & augmentum.
z B. Apostolatus Petri, sanato paralytico, obsignatur.
a Lydda urbs fuit Palæstinæ: Saron regio campestris, & locus pascuus inter Cæsaream Palæstinæ & Taborem montem lacumq; Genezareth, tractu longo ultra Joppen sese extendẽtem.
b B. Petrus suscitato per nomen Christi cadavere, fidem facit omnibus sese Evangelium vitæ annunciare.
c Quum in genua procubuisset, qui est precantium gestus.

cerunt contra eum insidias Judæi, ut interficerent eum.
24 Innotuerunt autem ipsi Schaul insidiæ quas quærebant facere ei: & custodiebant portas civitatis die ac nocte, ut interficerent eum.
25 Tunc posuerunt eum discipuli in sportam, & dimiserunt eum è muro nocte.
26 Et profectus est in Urischelem, & volebat adjungere se discipulis: & omnes timebant ab eo, neque credebant ei quòd discipulus esset.
27 Bar-nabba autem accepit eum, & adduxit eum ad Apostolos: & narravit eis quomodo in via vidisset Dominum, & quòd ita loquutus esset 9 in nomine Jeschua.
28 10 Et ingrediebatur cum eis atque egrediebatur in Urischelem: ac loquebatur in nomine Jeschua liberè, disputabatq; cum Judæis illis qui noverant Græcè: illi verò volebant interficere eum.
29 Quumq; *id* agnovissent fratres, deduxerunt eum nocte Cæsaream, & inde miserunt eum Tarsum.
30 Cæterùm in Ecclesia quæ erat in tota Judæa & in Galilæa & Samaria, erat pax, quum ædificaretur 11 & incederet in timore Dei, & consolatione Spiritus sancti multiplicabatur.
31 Et factum est, ut quum circuiret Schemeun per civitates, descenderet etiam ad sanctos qui habitabant in 12 Lod civitate.
32 Et invenit hominem quemdam cujus nomen Anias, qui decumbebat in lecto, & paralyticus erat annis octo.
33 Et dixit ei Schemeun, Ania, sanat te Jeschua Christus: surge, & sterne lectum tuum. Et eadem hora surrexit.
34 Et viderunt eum universi qui habitabant in Lod, & in Saarona, & conversi sunt ad Deum.
35 Erat autem discipula quędam in Juppi civitate, cujus nomen Tebitha. hæc dives erat in operibus bonis, 13 & eleemosynis quas faciebat.
36 Infirmitate autem correpta fuerat in illis diebus, & mortua est: 14 & laverunt eam, ac posuerunt eam in cœnaculo.
37 Et audiverunt discipuli quòd Schemeun in Lod esset, civitate quæ est juxta Juppin, ac miserunt ad eum viros duos qui peterent ab eo ne cunctaretur ut veniret ad se.
38 Et surrexit Schemeun, & abiit cum eis. Quumq; venisset, ascendere fecerunt eum in cœnaculum, & congregatæ adstabant illi circa eũ omnes viduæ flentes: & ostẽdebant ei tunicas & vestes quas dederat eis Tebitha quũ viveret.
39 Schemeun autem ejecit omnes homines foras, & procidit super genua sua, & oravit: & conversus est ad cadaver, ac dixit, Tebitha, surge. Ipsa autem aperuit oculos suos, & quum vidisset Schemeun, resedit.
40 Et porrexit ei manum suam, & erexit eam: & vocavit sanctos & viduas, ac dedit illam eis viventem.
41 Et innotuit hoc in tota civitate, & multi crediderunt in Dominum nostrum.
42 Mansit autem in ipsa *civitate* Juppi diebus nõ paucis, habitans in domo Schemeun coriarii.

9 V. alii addunt palàm, vel in aperto: minimè malè, ut seq. vers.
10 Hebraismus antè explicatus, Act. 1.
11 Metaphora Hebræa. Id est, Versaretur ac progrederetur.
12 Hebraicè, sic dicitur 1. Paral. 8. 12. ubi narratur à quodam Schemedo exstructa in tribu Benjamin.
13 Ad verbum, Justitiis. Sic perpetuò à paraphraste exponitur.
14 Ritus Judæorum circa mortuos habes suprà, Marc. 14. 8.

CAPUT X.

1 *Cornelius centurio* 4 *Angeli jussu* 5 *Petrum accersit.* 11 *Qui & ipse visione monitus,* 15. 20 *ne Gentes aversetur accersitus,* 34 *Cornelio & familiæ Evangelium annunciat.* 45 *Hi autem Spiritu sancto accepto* 47 *baptizantur.*

1 Porrò a quidam erat Cæsareæ, nomine Cornelius, centurio ex cohorte quæ vocatur Italica,

a B. Petrus duplici miraculo interveniente, Gentium primitias Deo consecrat.

1 In Cæsarea verò erat homo quidam centurio cujus nomen erat Curnilius, ex cohorte quæ vocatur Italica.

2 Et justus erat, ac timebat à Deo, ipse &
domus ejus tota: faciebat eleemosynas multas
in populo, [1]& omni tẽpore deprecabatur Deum.
3 Hic vidit Angelum Dei per visionem ma-
nifestè circa horam nonam in die, qui ingressus
est ad eum, & dixit ei, Curnili.
4 Et ipse intuitus est in eum, ac timuit, & di-
xit, Quid est Domine mi? Et dixit ei Angelus,
Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt
in memoriam coràm Deo.
5 Et nunc mitte aliquos in Juppi civitatem,
& accerse Schemeun qui vocatur Kipha.
6 Ecce, habitat in domo Schemeun co-
riarii, qui est juxta mare: [2] ille dicet tibi quid o-
porteat te facere.
7 Et quum abiisset Angelus qui loquebatur
cum eo, vocavit duos ex [3] domesticis suis & mi-
litem unum qui timebant Deum, eum [4] quem
in pretio habebat,
8 Et narravit eis quicquid vidit. ac misit eos
Juppi.
9 Et die postero quum ipsi iter facerent per
viam, & appropinquarent civitati, ascendit Sche-
meun ad tectum ut oraret, sexta hora.
10 Et esuriebat ac cupiebat edere: quumq; pa-
rarent ei *cibum* [5]cecidit super eũ mentis excessus:
11 Et vidit cælos apertos, & vas quoddam
devinctum quatuor angulis: & simile erat linteo
magno, ac demittebatur è cælo super terram.
12 Et erant in eo omnia viventia, quadrupe-
dia & reptilia terræ, & volucres cæli.
13 Et vox venit ad eum, & dixit, Schemeun,
surge, macta, & manduca.
14 Et Schemeũ dixit, Absit Domine mi: num-
quã comedi quicquam cõtaminatum & pollutũ.
15 Et rursus secunda vice vox facta est ad e-
um, Quæ Deus purificavit, tu ne [6] contamines.
16 Hoc autem factum est tribus vicibus: &
sublatum est vas in cælum.
17 Et quum miraretur Schemeun apud seip-
sum quidnam esset visum quod vidisset, advene-
runt homines illi qui missi fuerant à Curnilio: &
interrogabat de domo in qua habitaret Scheme-
un, & venerũt ac steterunt juxta portã vestibuli.
18 Et vocabant ibi ac interrogabant, Nun-
quid Schemeun qui vocatur Kipha, hic habitat?
19 Et quum Schemeun cogitaret de visione,
dixit ei Spiritus, Ecce, viri tres quærunt te:
20 Surge, descende, & proficiscere cum eis,
non hæsitante mente tua: quia ego ipse misi eos.
21 Tunc descendit Schemeun ad viros illos,
& dixit eis, Ego sum quem quæritis. quæ est
causa propter quam venistis?
22 Dicunt ei, Viro cuidam cujus nomen est
Curnilius, Centurioni, qui timet à Deo, & testa-
tur de eo universus populus Judæorum, dictum
est in visione ab Angelo sancto ut mittens intro-
duceret te in domum suam, & audiret sermonem
abs te.
23 Et introduxit eos Schemeun, & excepit e-
os ubi habitabat: & surrexit postridie ejus diei, &
egressus est, ac abiit cum eis. abierunt quoque
cum eis [7] aliquot viri ex fratribus Juppensibus.
24 Et die postero ingressi sunt Cæsaream:
Curnilius autem exspectabat eos, congregatis
ad se omnibus [8] filiis cognationis suæ, & amicis
& necessariis qui erant ei.
25 Quumq; ingrederetur Schemeũ, occurrit
ei Curnilius, & procidẽs adoravit ad pedes ejus.
26 Et Schemeun erexit eum ac dixit ei,
Surge: [9] ego quoque filius hominis sum.
27 Et quum loqueretur cũ eo, ingressus est, &
invenit

[1] Quia in Syro textu hæc verba præcedentibus cohærent, inclusimus ea in versu secundo, ne sensu conjuncto divellerentur.

[2] Licet hæc verba in Syro textu non invenerim, nec inter errata hic locus commemoretur, tamẽ quia mihi visa sunt scriptorum incuria omissa fuisse, restituere ea placuit.

[3] Ad verb. ex filiis domus suæ. Hebraismus.

[4] F. vel qui studiosè attendebat ad ipsum. Atque hoc Græco textui respondet magis.

[5] F. i. accidit ei.

[6] F. nimirum verbo: id est, ea cave immunda & contaminata dicas. Hebræa phrasis.

[7] Ad verb. Vir, vir. Hebr. F. viri nimirum sex, ut dicitur infrà 11. 12.

[8] Hebraismo. Pro cognatis suis.

[9] i. Ex eodem genere natus,

2 [b] Pius ac timens Deum, [c] cum tota do-
mo sua, & præstans eleemosynas multas populo:
3 Qui quum assiduè precaretur Deum, vidit
per visionẽ manifestò quasi hora diei nona, An-
gelũ Dei introeuntem & dicentem ipsi, Corneli.
4 At ille intentis oculis in eum & expavefa-
ctus dixit, [d] Quid est Domine? Dixit autem ei,
Preces tuæ & eleemosynæ tuæ [e]ascenderunt [f]in
memoriam in Dei conspectu.
5 Nunc igitur mitte aliquos Joppen, & ac-
cerse Simonem qui cognominatur Petrus.
6 Is diversatur apud Simonem quemdam
coriarium, cui est domus apud mare: is dicet tibi
quid te oporteat facere.
7 Ut autem discessit Angelus qui loqueba-
tur Cornelio, vocavit duos ex famulis suis & mi-
litem pium ex iis qui cum ipso erant assidui:
8 Et quum eis exposuisset omnia, misit eos
Joppen.
9 Postridiè verò illis iter facientibus, & ap-
propinquantibus urbi, ascendit Petrus [g] in
solarium ut precaretur, circa horam sextam.
10 Factum est autem ut valdè esuriret, vo-
luitq; capere cibum. Parantibus igitur illis *ci-
bum*, incidit in eum [h] mentis excessus.
11 Conspexitq; cælum apertum, ac descen-
dens ad se vas quoddam ut linteum magnum,
[i] quatuor extremis devinctum, quod demitte-
batur in terram:
12 In quo erant [k] quævis [l] quadrupedia ter-
ræ, & feræ, & [m] reptilia, & volucres cæli.
13 Et exstitit vox ad eum, Surge Petre, ma-
cta & vescere.
14 [n] Ait autem Petrus, Nequaquam Domi-
ne: nunquam enim edi quicquam pollutum vel
impurum.
15 Tum vox rursus ad eum secundò, Quæ
Deus purgavit, tu [o] ne polluito.
16 Hoc autem factum est ter: & rursum re-
ceptum est vas in cælum.
17 Quum autem apud sese ambigeret Petrus
quidnam esset visum illud quod viderat, tum
ecce, viri qui missi fuerant à Cornelio, percontati
de domo Simonis, supervenerunt ad vestibulum,
18 Et evocato *quopiam*, percontati sunt an
Simon, qui cognominaretur Petrus, illic diver-
saretur.
19 Petro verò cogitante de visione dixit ei
Spiritus, Ecce, tres viri quærunt te.
20 Surgens itaque descende, & nihil addubi-
tans proficiscere cum eis: nam ego eos misi.
21 Descendens ergo Petrus ad viros illos qui
ad ipsum missi fuerant à Cornelio, dixit, Ecce,
ego is sum quem quæritis: quæ causa est propter
quam adestis?
22 Ipsi verò dixerunt, Cornelius centurio, vir
justus & timens Deum, & ornatus testimonio to-
tius gentis Judæorum, divinitus admonitus est
ab Angelo sancto ut accerseret te domum suam,
& abs te quædam audiret.
23 Intro vocatos igitur eos accepit hospitio.
Postridiè verò Petrus abiit cum eis, & quidam
ex fratribus Joppensibus comitati sunt eum.
24 Et altero post die introierunt Cæsaream.
Cornelius autem exspectabat eos, convocatis
cognatis suis & necessariis amicis.
25 [p] Ut autem factum est ut introiret Petrus,
occurrens ei Cornelius, & accidens ad ejus pe-
des, adoravit.
26 Petrus verò erexit eum, dicens, Surge: &
ego ipse homo sum.
27 Et colloquens cum eo, ingressus est, inve-
nitq;

[b] Colebat igitur unum Deum, nec erat idololatra, nec fidei in Messiam potuit esse expers, qui pius esset: sed eum advenisse nondũ cognoverat.

[c] Magna laus istius hominis, qui omnes suos domesticos & familiares atq; necessarios studuerit esse religiosos ac pios.

[d] Quid me vis Domine? comparat enim se ad audiendum.

[e] Translatio Hebræis familiaris, ab Holocausti ritu ad preces.

[f] i. ut Deum veluti non sinãt tui oblivisci. Sic enim solet interdum Scriptura quasi balbutire.

[g] Vide Matt. 10. 27.

[h] Ecstasis, siquidem etsi non stupet Petrus, sed Dei colloquio fruitur, & mysteria ejus docetur, mens tamen ejus quasi excessu altius evecta fuit, brevi ad sedes suas reditura.

[i] Ut quadratum videri possit fuisse velum.

[k] Hic manifestè particula universalis ponitur pro indefinita, i. cujusvis generis, ut significentur genera singulorum, non singula generum.

[l] i. eorum quæ usibus humanis subserviunt.

[m] Quid nomine reptilium intelligatur, docetur Levit. 11.

[n] Ita, Petrum post acceptum etiam Spiritum sanctũ oportuit quotidie in cognitione beneficii Christi proficere.

[o] Ne pro pollutis habeto.

[p] Adoratio religiosa uni Deo convenit, civilis autem, & ipsa periculosè ministris Verbi tribuitur.

nitq; multos qui convenerant:

28 Dixitq; eis, Vos scitis Judaeo nefas esse propiùs adjungere se aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus ne quem pollutum vel impurum hominem dicerem.

29 Quapropter etiam sine contradictione veni accersitus. Percontor igitur quam ob causam me accersiveritis.

30 Tum Cornelius ait, Nudiusquartus usq; [q] ad hanc horam eram jejunus, & hora nona precabar domi meae: & ecce, quidam stetit coram me, veste splendida:

31 [r] Dixitq;, Corneli, exauditae sunt preces tuae, & eleemosynae tuae in memoriam venerunt in conspectu Dei.

32 [s] Mitte ergo Joppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus: hic diversatur in aedibus Simonis coriarii apud mare: qui quum advenerit, loquetur tibi.

33 Eodem igitur *momento* misi ad te; & tu beneficiis nos affecisti qui adveneris. Nunc ergo omnes nos in conspectu Dei adsumus, ut audiamus omnia quae tibi praecepta sunt à Deo.

34 [t] Petrus autem ore aperto dixit, Verè deprehendo [t] Deum [u] non respicere ad personam:

35 Sed in quavis gente acceptum ei esse [x] quemvis qui eum timeat, & operetur justitiae.

36 Quem sermonem [y] significavit filiis Israëlis evangelizans pacem per Jesum Christum, qui est omnium Dominus.

37 [z] Vos nostis quod gestum est in tota Judaea, initio facto à Galilaea, post baptisma quod praedicavit Johannes:

38 Ut Jesum Nazarenum [a] unxerit Deus Spiritu sancto & potentia, qui obambulavit, beneficiis afficiens & sanans omnes sub diaboli potestatem redactos, quoniam Deus erat cum eo.

39 Et nos sumus testes omnium quae & in regione Judaeorum & Hierosolymis fecit, quem interemerunt suspensum in ligno.

40 Hunc *autem* Deus suscitavit tertio die, fecitq; ut is conspicuus fieret:

41 Non toti populo, sed testibus quos ipse priùs [b] designaverat, *nimirum* nobis qui comedimus ac bibimus unà cum eo, posteaquam resurrexit à mortuis.

42 Praecepit autē nobis ut praedicemus populo, & cū testificatione denunciemus eum esse qui definitus sit à Deo judex vivorum ac mortuorū.

43 [a] Huic etiam omnes Prophetae testimoniū dant, [b] remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum.

44 [c] Adhuc loquente Petro verba ista, illapsus est Spiritus sanctus in omnes qui audiebant hunc sermonem.

45 Et fideles qui *erant* ex circumcisione, & venerant cum Petro, obstupuerunt, quòd etiam in Gentes effusum esset donum Spiritus sancti:

46 Audiebant enim eos loquentes linguis, ac magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus,

47 [d] Num quis aquam prohibere potest, quominus *videlicet* baptizentur isti qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?

48 [e] Jussitq; eos baptizari in nomen Domini. Tunc rogaverunt eum ut *ibi* permaneret ad dies aliquot.

[q] Non eandem horam indicat, sed aequalem duorum videlicet dierum nonam.
[r] B. Fides Cornelii ex invocatione & charitate sese patefecit.
[s] B. Sicut fides ex auditu nascitur, ita ex eodem nutritur & adolescit.
[t] B. Sublatum est populorum discrimen adventu Christi. Quis autem sit ei gratus, ex fide & justitia intelligitur.
[t] *Deut.* 10.17. 2.*Paral.* 19.7. *Job* 34.19. *Sap.* 6.7. *Eccl.* 35.16. *Rom.* 2.11. *Galat.* 2.6. *Ephes.* 6.9. *Colos.* 3.25. 1.*Pet.* 1.17.
[u] Non judicare ex externis.
[x] Per timorem Dei, Hebraei universum cultum intelligunt, unde intelligitur Cornelium fide minimè caruisse, velut qui ante tempora Christi vixerunt, fidei expertes non fuerunt: ineptè ergo faciunt qui ex hoc loco opera praeparatoria, & liberum arbitrium constituunt.
[y] Significavit Deus Israëlitis, ex quavis gente gratum esse Deo qui piè vivit: annunciavit enim pacem hominibus per Christū, qui nō unius gētis, i. Israëliticae, sed omnium est dominus.
[z] B. Summa Evangelii, Christum promissum Patribus & suo tempore exhibitum summa cum Dei virtute (quā omnibus modis ostendit) ac tandem pro nostri reconciliatione crucifixum, resurrexisse tertio die, ut quisquis in eum credit, remissione peccatorum accepta servetur, sicut supremo illo die sedente eodem ipso vivorum ac mortuorum judice, patefiet.

invenit multos qui venerant illuc:

28 Dixitq; eis, Vos scitis quòd non sit permissum homini Judaeo ut se adjungat homini alienigenae qui non sit filius generis sui: at mihi Deus ostendit ne dicerem de ullo quòd pollutus sit aut contaminatus.

29 Propter hoc promtè veni quum [10] misissetis post me. Sed interrogo vos [11] propter quod misistis post me.

30 Et dixit ei Curnilius, Quatuor dies sunt usque ad hoc tempus, ecce, quum jejuno: & hora nona [12] dum oro domi meae adstitit vir quidam coram me indutus albis:

31 Et dixit mihi, Curnili, exaudita est oratio tua, & eleemosynarum tuarum mentio facta est coram Deo.

32 Sed mitte in Juppin civitatem, & accerse Schemeun qui vocatur Kipha: ecce, habitat in domo Schemeun coriarii juxta mare: & ipse veniens loquetur tecum.

33 Et eadem hora misi ad te: tuq; benè fecisti quòd adveneris: & [13] ecce, nos omnes corā te, cupimus audire quicquid mandatū est tibi à Deo.

34 Aperuit autem Schemeun os suum, & ait, Verè expertus sum quòd Deus non sit [14] accipiens vultum.

35 Sed in omnibus populis, is qui timet ab eo, & operatur justitiam, acceptus est ei.

36 Sermo enim *est* quem [15] misit filiis Israjel, & evangelizavit eis pacem & tranquillitatem per Jeschua Christum qui est Dominus omniū,

37 Et etiam vos nostis sermonem qui factus est in universa Judaea, & qui incepit à Galilaea, post baptismum quem praedicavit Juchannan,

38 De Jeschua qui fuit à Natzareth, quem Deus unxit Spiritu sancto, & virtute. & is est qui circuibat, & sanabat eos qui percussi erant à malo: quia Deus erat cum eo.

39 Et nos testes ejus sumus de omnibus quae fecit in universa regione Judaeae & Urischelem.

40 [16] Hunc ipsum suspenderunt Judaei in ligno, & interfecerunt: & eum suscitavit Deus tertio die, & [17] dedit eum ut conspiceretur apertè.

41 Non autem toti populo, sed nobis qui à Deo electi sumus ut simus ei testes, qui comedimus cum eo, & bibimus post resurrectionem ejus [18] à mortuis.

42 Et praecepit nobis ut praedicaremus, & testaremur populo quòd ipse sit qui destinatus est à Deo judex vivorum & mortuorum.

43 Et de eo testati sunt omnes Prophetae, quòd quisquis [19] credit, per nomen ejus accepturus sit remissionem peccatorum.

44 Et quum ipse Schemeun loqueretur hos sermones, obtexit Spiritus sanctus omnes eos qui audiebant sermonem.

45 Et attoniti facti sunt ac obstupuerunt fratres circumcisi, qui venerant cū eo, quod etiam super gentes donū Spiritus sancti effusum esset.

46 Audiebant enim eos loquentes variis linguis, & magnificabant Deum.

47 Et dixit Schemeun, Nunquid aquas quis potest prohibere, ut non baptizētur hi qui (ecce) acceperunt Spiritum sanctum, sicut nos?

48 Tunc praecepit eis ut baptizarentur in nomine Domini nostri Jeschua Christi: & petierunt ab eo ut maneret apud ipsos aliquot dies.

[10] i. Accersissetis me. Sic Galli & Germani loquūtur, *Vous avez envoyé apres moy*, &, *ihr habt nach mihr geschickt*: F. hoc verò Graeci unica voce eleganter (ut pleraq;) dixerunt μεταπεμφθείς.
[11] F. alii ἐρωτῶ τίνι λόγῳ propter quid misistis post me? i. ad accersendum me.
[12] F. vel dum orarem.
[13] F. i. praesto adsumus & sumus expositi voluntati tuae. Hebraism, ut Genes. 13.
[14] Ad verb. pro Acceptor personae. Trītus Hebraismus.
[15] Mittere verbum, pro Significare, sive Mandare interposito nuncio, accipitur, ut Isaiae 9,8. Hebraismus.
[16] Licet haec verba Graeco textu in versu praecedenti collocentur, nos coacti fuimus cum sequentibus in versu 40. collocare, quia Syrus textus ea sensu conjunxit.
[17] F. i. fecit ut omnibus post resurrectionem suam manifestus & spectatus esset.
[18] Ad verb. De inter mortuos, ut Gallicè, *D'entre les morts*.
[19] F. supple in eum, ut contextu Graeco exprimitur.

[a] Haec formula sumta est ex Hebraeorum consuetudine, apud quos ungebantur Reges & sacerdotes: inde factum est ut dicantur ungi quos donis ac virtutibus imbuit ac exornat. [b] Haec Apostolorum χειροτονία, i. electio, propriè Deo tribuitur: nam etsi legitimae ministrorum electioni Deus praesit, est tamen hoc loco tacita antithesis inter Dei χειροτονίας, & hominum suffragia, siquidem à Deo immediatè designantur Apostoli, mediatè ministri Ecclesiae. [a] *Jer.* 31.34. *Mich.* 7.18. [b] *Infrà* 15.9. [c] B. Quod loquitur Verbi minister ex Dei mandato, Spiritus sanctus in corde obsignat, sicut ex effectis apparet. [d] B. Baptismus sanctos non facit, sed sanctificationem obsignat. [e] Non fuit necesse administrari Baptismum Petri manu: quemadmodum & Paulus testatur Corinthi se paucos baptizasse, 1.Corin. 1,14. poterant enim alii ministri has partes suscipere.

CAPUT

CAPUT

CAPUT XI.

2 Petrus propter Cornelium incusatus, 5 facti rationem reddit. 22 Barnabas Antiochiam mittitur: 26 ubi discipuli, Christiani nominati sunt. 28 Ibidem Agabus famem futuram prænunciat.

ET auditum fuit ab Apostolis & à fratribus qui erant in Judæa quòd etiam Gentes accepissent sermonem Dei.

2 Et quum ascendisset Schemeun Urischelem, disceptabant cum eo illi qui erant ex circumcisione:

3 Dicentes quòd ad homines præputium habentes egressus esset, & edisset cum eis.

4 Et cœpit Schemeun [1] ordine dicere eis.

[1] Ad verbum, Post post. Syra phrasis significans ordine & seriò singula ut gesta erant exponere.

5 Quum orarem in Juppi, vidi in visione quòd descenderet vas quoddam quod simile erat linteo, & devinctum erat quatuor angulis suis, demittebaturq; è cælo, & venit usq; ad me.

6 Et intuitus sum in illud, & videbam quòd essent in eo animalia quadrupedia, & reptilia terræ, & etiam volucres cæli.

7 Et audiebam vocem quæ dicebat mihi, Schemeun, surge: macta ac manduca.

8 Et dixi, Absit Domine mi. Nam numquam ingressum est in os meum quod pollutum & quod contaminatum est.

9 Et rursus vox dixit mihi è cælo, Id quod Deus purificavit, tu ne contamines.

10 Hoc factum est [2] tribus vicibus: & sublata sunt omnia in cælum.

[2] Ad verbum tribus temporibus, Hebraismus.

11 Et eadem hora tres viri qui missi fuerant ad me à Curnilio è Cæsarea, venerunt, & steterunt juxta portam vestibuli *domus* in qua habitabam.

12 Et dixit mihi Spiritus, Abi cum eis absque hæsitatione. Et venerunt mecum isti quoq; sex fratres: & ingressi sumus in domum ejus viri.

13 Et narravit nobis quomodo vidisset domi suæ Angelum qui adstitisset, & dixisset sibi, Mitte in Juppin civitatem, & accerse Schemeun qui vocatur Kipha:

14 Et ipse loquetur sermones tecum, per quos [3] servaberis tu & tota domus tua.

[3] Ad verbum, Vives. Hebraism.

15 Et quum cœpissem illic loqui, obtexit Spiritus sanctus eos, quemadmodum nos ab initio.

16 Et recordatus sum sermonis Domini nostri, qui dicebat, Juchannan baptizavit aquis, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.

17 Si igitur Deus æqualiter dedit donum gentibus quę crediderunt in Dominum nostrum Jeschua Christum, sicut nobis, ego quis eram [4] ad cohibendum Deum?

[4] ǂ. Alii, qui sufficerem ad prohibendum Deum? hoc melius respondet Græco, sed Tremelliano defuit.

18 Et quum hos sermones audivissent, desierunt: & glorificaverunt Deum, & dicebant, Quòd jam etiam gentibus Deus dedisset conversionem ad [5] vitam.

[5] i. Ad salutem. Hebr.

19 Illi autem qui dispersi fuerant afflictione quæ fuerat propter Stephanum, pervenerunt usque Phœniciam, etiam ad regionem Cypri, & Antiochiam, quum nemini loquerentur sermonem nisi Judæis tantùm.

20 Erant autem quidam ex eis è Cypro & ex Cyrinia, qui ingressi fuerant Antiochiam, & loquebantur cum Græcis, ac evangelizabant de Domino nostro Jeschua.

21 Eratq; cum eis manus Domini: & multi crediderunt, & conversi sunt ad Deum.

22 Et auditū est hoc ipsum in auribus [6] filiorum congregationis quæ erat in Urischelem. Et miserunt Bar-nabbam Antiochiam.

[6] Hebraismus, i. fidelium qui ad Ecclesiam Urischelem pertinebant.

23 Quumq; venisset illuc, & vidisset gratiam Dei, gavisus est: & deprecabatur eos ut toto corde suo adhærerent Domino nostro.

AUdierunt [a] autem Apostoli & fratres qui erant in Judæa, Gentes etiam recepisse sermonem Dei.

[a] ß. Petrus immeritò reprehensus ab imperitis, non objicit, se à nemine judicandum, sed palàm facti sui rationem reddit.

2 Quum igitur ascendisset Petrus Hierosolymam, altercati sunt cum eo qui *erant* ex circumcisione,

3 Dicentes, Ad viros præputium habentes introisti, & unà edisti cum eis.

4 Exorsus autem Petrus, *omnia* exposuit eis ordine, dicens,

5 Ego eram in civitate Joppe precans: & visum in mentis excessu vidi, *nempe* descendens vas quoddam, ceu linteum magnum, quod quatuor extremis demittebatur è cælo, & ad me usq; venit.

6 In quod quum intendissem oculos, consideravi, & vidi quadrupedia terræ, & feras, & reptilia, & volucres cæli.

7 Audivi autem vocem dicentem mihi, Surge Petre, macta & vescere.

8 Dixi verò, Nequaquam Domine: nam nihil commune aut impurum unquam introivit in os meum.

9 Respondit autem mihi vox secundo è cælo, Quæ Deus purgavit, tu ne polluito.

10 Idq; ter factum est, & rursus omnia sursum retracta sunt in cælum.

11 Tum ecce, eodem momento tres viri supervenerunt in ædes in quibus eram, Cæsarea missi ad me.

12 Dixit verò mihi spiritus ut irem cum eis, nihil ambigens. Venerunt autem mecum etiam sex isti fratres, & ingressi sumus domum viri illius.

13 Qui annunciavit nobis quomodo vidisset Angelum domi suæ, qui adstitisset ac dixisset ipsi, Mitte aliquos Joppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus:

14 Qui tibi ea dicturus est per quæ tu serveris & tota domus tua.

15 Quum autem cœpissem loqui, illapsus est Spiritus sanctus in eos, quemadmodum & in nos in principio.

16 Recordatus sum verò illius dicti Domini, quum diceret, Johannes quidem baptizavit aqua, vos verò baptizabimini Spiritu sancto.

17 Postquam igitur par illud donum dedit eis Deus ut & nobis, quum crediderunt in Dominum Jesum Christum, quis eram ego qui Deum possem inhibere?

18 [b] His autem auditis quieverunt, & glorificaverunt Deum, Dicentes, Nempè etiam Gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam.

[b] ß. De veritate comperta quærentes, placidè audiendi: sed vicissim ejusdem declarationi acquiescendum est.

19 [c] Cæterùm qui dispersi fuerant ex afflictione orta ob Stephanum, pervenerunt usque in Phœniciam, & Cyprum, & [d] Antiochiam, nemini loquentes sermonem *Dei* nisi solis Judæis.

[c] ß. Dispersio ecclesiæ Hierosolymitanæ, multarum aliarum collectionis causa.

[d] De Antiochia Syriæ loquitur, quæ Ciliciæ erat vicina.

20 [e] Erant autem quidam Cyprii & Cyrenenses, qui ingressi Antiochiam, loquuti sunt Græcis, evangelizantes Dominum Jesum.

[e] ß. Antiochenam Ecclesiam (id est, novam quandam Gentium Hierosolẽ) extraordinariæ vocationi debemus.

21 Fuit autem manus Domini cum eis: multusq; numerus credendo conversus est ad Dominum.

22 [f] Pervenit autem hic rumor ad aures Ecclesiæ quæ erat Hierosolymis. Emiserunt igitur Barnabam ut pergeret Antiochiam usque.

[f] ß. Extraordinariam vocationem non temerè damnant Apostoli, sed tamen ex effectis dijudicant.

23 Qui quum advenisset & vidisset gratiam Dei, gavisus est, & hortatus est omnes ut proposito cordis permanerent cum Domino.

24 Nam erat vir bonus & plenus Spiritu san-
cto & fide, & adjuncta est multa turba Domino.
25 g Abiit autem Barnabas Tarsum, ut re-
quireret Saulum: & eum inventum duxit Antio-
chiam.
26 Factumq; est ut annum totum conveni-
rent in Ecclesia, docerentq; turbam multam, &
discipuli nominarentur primùm Antiochiæ
Christiani.
27 h Per id tempus autem descenderunt
Hierosolymis i Prophetæ Antiochiam.
28 Et unus eorum surgens, nomine Agabus,
significavit per Spiritum, famem magnam futu-
ram in toto terrarum orbe: quæ etiam fuit sub
Claudio Cæsare.
29 k Singuli verò discipulorum, prout cuique
suppetebat, decreverunt l subministrationis
causa mittere *aliquid* fratribus habitantibus in
Judæa.
30 Quod & fecerunt, mittentes ad seniores
per manum Barnabæ & Sauli.

g B. Nulla fuit inter Apostolos de usurpandis aut retinendis sedibus ac gradibus contentio.
h B. Dominus suis flagellis sic cum impiis involvit Ecclesiam, ut tamen ei, quacumque ratione expedit, in tempore prospiciat.
i Prophetæ hoc loco vocantur, quia vaticinandi dono prædìti erant: quemadmodum eodem titulo filiæ Philippi posteà insigniuntur, infr. 21. 9. Tam celebris autem erat Antiochenæ Ecclesiæ fama, ut insignes admodum viri illuc se reciperent.
k B. Ecclesiæ omnes unum corpus constituunt.
l i. Ut ex eo possent diaconi pauperibus subvenire: omnia enim ritè & ordine administrari oportuit, quamobrem dicuntur hæc misisse ad presbyteros, id est, ad Ecclesiæ gubernatores.

24 Nam vir erat bonus, & repletus erat Spi-
ritu sancto & fide, & adjectus est populus mul-
tus ad Dominum nostrum.
25 Et ipse egressus est in Tarsum ad quæren-
dum Schaulem.
26 Quumq; invenisset eum, adduxit eum se-
cum Antiochiam. Et annum totum pariter 7 con-
gregati erant in cœtu *illo*, & docuerunt populum
multum. Ab eo tempore primùm vocati sunt
Antiochiæ discipuli, Christiani.
27 Et in diebus illis venerunt ex Urischelem
illuc Prophetæ.
28 Et surrexit quidam ex eis, cujus nomen
erat Agabus, & notum fecit eis per Spiritum,
quòd fames magna futura esset in tota terra: &
facta est fames ista in diebus Claudii Cæsaris.
29 Cæterùm discipuli, sicut erat 8 unicuiq; ex
ipsis, 9 decreverunt quod mitterent in ministeri-
um fratrum eorum qui habitabant in Judæa.
30 Et miserunt per manum Bar-nabbæ &
Schaulis ad seniores qui ibi erant.

7 i. Conjunctì vivebant in illa Ecclesia.
8 Ad verb. Viro viro. Hebraism.
9 F. vel decreverunt mittere *collectam* ad usum fratrum, &c.

CAPUT XII.

1 Herodes Jacobum gladio occidit. 4 Petrum incarceratum 8 Angelus liberat. 20 Rex Tyriis infensus 21 placatur: 22 Et quum divinos honores sibi vendicat, 23 à vermibus erosus, moritur.

CÆterùm a per id tempus injectis rex b Hero-
des manibus infestavit nonnullos ex Eccle-
sia.
2 c Interemit autem Jacobum fratrem Jo-
hannis, gladio.
3 d Et quum vidisset *hoc* placere Judæis,
perrexit comprehendere etiam Petrum: (erant
autem dies Azymorum)
4 e Quem etiam prehensum, conjecit in
carcerem, traditum f quater quaternis militi-
bus, ut eum servarent: volens eum post pascha
producere populo.
5 g Petrus igitur servabatur in carcere: pre-
ces autem assiduæ fiebant ab Ecclesia ad Deum
pro ipso.
6 Quum verò producturus esset eum Hero-
des, nocte illa dormiebat Petrus inter duos mi-
lites, vinctus catenis duabus, & custodes antè
ostium observabant carcerem.
7 Et ecce, Angelus Domini supervenit, &
lux splenduit h in carcere: & pulsato latere Pe-
tri excitavit eum, dicens, Surge velociter. Et ex-
ciderunt ei catenæ ex manibus.
8 Dixitq; ei Angelus, Præcingere, & subliga
sandalia tua. Fecit autem ita. Tum *ille* dixit ei,
Amicitor pallio tuo, & sequere me.
9 Itaque egressus *Petrus* sequebatur eum,
nec sciebat verum esse quod fiebat per Ange-
lum, sed putabat *se visum aliquod* videre.
10 Quum autem transivissent primam ac se-
cundam custodiam, venerunt ad portam Ferre-
am, quæ ducit in civitatem, quæ sponte aperta
est eis: & egressi progressi sunt vicum unum: &
statim abscessit Angelus ab eo.
11 Tum Petrus i ad se reversus dixit, Nunc
verè scio Dominum emisisse angelum suum, &
eruisse me è manu Herodis & ex omni exspecta-
tione populi Judæorum.
12 k Ex *re* considerata, venit domũ Mariç ma-
tris Johannis, qui cognominabatur Marcus,

a B. Concedit quidem inducias Ecclesiæ suæ Dominus, sed ad tẽpus.
b Herodis nomẽ commune fuit posteritati Herodis Ascalonitæ cognomento magni. Is autem de quo mentio fit, fuit nepos Herodis Magni, filius Aristobuli, ejus Agrippæ pater, de quo postea.
c Indicta causa, & vi aperta occidit.
d B. Tyrannorum vetus mos est piorum sanguine redimere impiorum gratiam.
e B. Tyranni sibiipsis crucem figunt, tum quoque quum agunt ex animi sui sententia.
f Copiolis quaternorum.
g B. Preces consilia tyrannorum evertunt, Angelos à Deo impetrant, carcerem perfringunt, catenas dissolvunt, Satana denique profligato, Ecclesiam servant.
h Ad verbum, in habitaculo. Sic honestiore vocabulo carcerem vocabant, Plut. in Solone.
i Ad verbum, factus in sese. Nam anteà prorsus attonitus, quasi extra se erat.
k B. Sacri nocturni conventus tum virorum tum mulierum, (quum diurnis locus non datur) Apostolico exemplo comprobantur.

EOdem autem tempore injecerat manus in
quosdam qui erant in Ecclesia, ut malè affi-
ceret eos, Hiraudis rex, is qui cognominatus est
Agryppa.
2 Et interfecit gladio Jaakub 1 fratrem Ju-
channan.
3 Quumq; videret quòd placeret hoc Ju-
dæis, 2 adjecit ut apprehenderet Schemeun Ki-
pha: & erant dies azymorum.
4 Et apprehendit eum, & conjecit eum in
carcerem ac tradidit ei sexdecim milites, qui
servarent eum, ut post petscha traderet eum po-
pulo Judæorum.
5 Et quum Schemeun servaretur in domo
vinctorum, oratio assidua offerebatur à cœtu
pro ipso, Deo.
6 Et ea ipsa nocte in cujus diluculo futurum
erat ut traderet eum, quum dormiret Schemeun
inter duos milites, & vinctus esset duabus cate-
nis, & alii servarent ostium carceris:
7 Angelus Domini stetit supra eum, & lux
effulsit in tota ea domo: & pupugit eum in latere
ejus, ac excitavit eum, & dixit ei, Surge veloci-
ter. Et ceciderunt catenæ è manibus ejus.
8 Et dixit ei Angelus, Accinge lumbos tu-
os, & calcea 3 calceamenta tua. Et fecit ita. &
iterum dixit ei, Involve te operimento tuo, & 4 ve-
ni post me.
9 Et egressus est, 5 ac abibat post eum, quum ig-
noraret quòd verũ esset quod fiebat per manum
Angeli. putabat enim quòd visionem videret.
10 Et quũ præterita fuisset custodia prima &
secunda, venerũt usq; ad portã ferream, & aper-
ta fuit eis 6 sponte. Quumq; egressi fuissent ac
transivissent vicum unũ, discessit ab eo Angelus.
11 Tunc agnovit Schemeun, ac dixit, Nunc
novi in veritate quòd Dominus misit Angelum
suum, & eripuit me è manu Hiraudis regis, & ab
eo quod cogitabant adversus me Judæi.
12 Et quum considerasset, venit in domum

1 F. Zabdai vel Zebedæi filium, Matth. 10. 2.
2 F. i. præterea comprehendit. Hebraism. Græcis non insolens.
3 Vox Syra est [illegible], quæ sonat Talaria tum sic dicta à talis quibus alligabantur.
4 Sequere me, Hebraismus.
5 i. Sequebatur eum. Hebraismus, ut suprà.
6 Ad verbum, ex voluntate sua i. A seipsa, Absq; ullius opera.

ubi Mariam

Mariam matris Juchannan qui cognominatus
est Marcus: quia fratres multi illic congregati e-
rant, & orabant.
13 Et pulsavit ostium vestibuli: & egressa est,
ut respóderet ei puella, cujus nomen erat Rauda.
14 Et agnovit vocem Schemeun: ac prę gau-
dio non aperuit ei ostium: sed reversa est cursu, &
dixit eis, Schemeun, ecce stat ad ostium vestibuli.
15 Dicunt ei, omnino [7] turbata es tibi. Et illa
contendebat quòd hoc ita esset. Dicunt ei, [8] Po-
tiùs Angelus ejus est.
16 Et Schemeun pulsabat ad ostium: & egres-
si viderunt eum, & attoniti facti sunt.
17 [9] Et annuebat eis manu sua ut tacerent. &
ingressus est, ac narravit eis quomodo dominus
eduxisset ipsum è domo vinctorum, dixitq; eis,
Narrate hæc Jaakub & fratribus. Et egressus abiit
in locum alium.
18 Et quum esset diluculum, facta est conten-
tio magna inter milites de Schemeun, [10] quid-
nam factum esset ei.
19 Hiraudis verò quum quæsivisset eum, &
non invenisset eum, condemnavit ipsos custodes,
& præcepit ut [11] morerentur. Et egressus est Ju-
dæa, ac morabatur in Cæsarea.
20 Et quia iratus erat contra Tyrios & Tzi-
donios, congregati sunt & venerunt ad eum si-
mul, & persuaserunt Blistao cubiculario regis, &
petierunt ab eo ut esset sibi pax, quia alimonia
regionis suæ ex regno erat Hiraudis.
21 Die autem [12] certo indutus erat Hiraudis
veste regia, & sedebat super thronum, & loque-
batur cum congregatione:
22 Populus verò totus clamabat ac dicebat, Hę
[13] filię vocum Dei sunt, & nō sunt filiorū hominis.
23 Et pro eo quòd non dedisset gloriam Deo,
percussit eum Angelus Domini, [14] & ictus est ver-
mibus, ac mortuus est.
24 Et evangelium Dei prædicabatur, & incre-
mentum accipiebat.
25 Bar-nabba autem & Schaul reversi sunt ab
Urischelem Antiochiā, postquam complevissent
ministerium suum, & assumserūt secum Juchan-
nan illum qui cognominatus est Marcus.

[7] Ad verb. Turbando perturbata es tibi. Emphatica reduplicatio. F. & pleonasmus Hebraicus, de quo in Matt. 4.10.
[8] F. vel fortasse: ut observatum est in Mat. 21.37.
[9] Ad verb. Movebat ad eos manum suam, ut solent qui audientiam sibi parant.
[10] Ad verbum, Quid esset ei, מנו pro מה usitatum Hebræis, Chaldæis & Syris, ut Exo. 32.1.
[11] Id est, Morte plecterentur.
[12] F. i. noto & celebri apud omnes.
[13] Frequenter invenias in antiquis Hebræorum scriptis (ut in Talmud & in aliis) Filiam vocis pro Voce cælitùs demissa, qua mortales de voluntate Dei admonerentur. vide in tractatu de benedictionibus cap. 1. & in volumine De magistratibus ea, De pecuniariis judiciis, & alibi. Vocatur autem hujusmodi vox Filia vocis, distincta & articulata, quæ Dei voluntatem disertè & perspicuè declaret, ut verba ipsa sint velut partus à voce efformati. Perinde ergo est ac si Tyrii & Sidonii verba Hiraudis prędicarent esse Dei oracula, & numen quoddam cæleste loquutum fuisse. [14] Syra vox רפת, verbum est præteriti temporis, ut puncta vocalia indicant: nec alibi in Syris, Chaldæis, aut Talmudicis scriptoribus, quos videre licuit, reperitur. Sed nomen רפת invenitur interdum significare Panem, interdum verò Animalium stabulum. Si igitur ab his nominibus sit formatum verbum (ut plura in memoratis linguis à nominibus formantur) vel significabit Stabulum factus est cum vermibus, sive per vermes (hoc est, stabuli instar sordibus & corruptione plenus) vel Factus est panis cum vermibus, id est, Vermibus oppletus factus est eorum cibus. Quod propiùs accedit ad Græcæ vocis significationem. Tritum enim est scripturæ phrasi Panem pro omni cibo accipi, F. sed hoc, judicio meo, est exedi: & ex eo appellatur panis edulium, itaque rectè verteris, exesus est a vermibus.

ubi erant multi congregati & precantes.
13 [l] Quum pulsasset autem Petrus ostium ve-
stibuli, [m] prodiit puella ut subauscultaret, nomine
Rhode.
14 Quæ agnita voce Petri, præ gaudio non
aperuit vestibulum, sed intrò currens annuncia-
vit adstare Petrum ante vestibulum.
15 Illi verò dixerunt ei, Insanis. Illa autem as-
severabat ita se *rem* habere. At illi dicebant, An-
gelus ejus est.
16 Petrus verò *ibi* perseverabat pulsare:
quum autem aperuissent, viderunt eum, & per-
culsi fuerunt.
17 [n] *Ipse* verò manu postulato ab ipsis silen-
tio, narravit eis quomodo Dominus se eduxisset
è carcere; dixitq;, Annunciate ista Jacobo &
fratribus. Et egressus, profectus est in alium lo-
cum.
18 [o] Orto autem die fuit tumultus non par-
vus inter milites quidnam factum esset Pe-
tro.
19 Herodes verò, quum eum requisivisset, &
non invenisset, quæstione de custodibus habita,
jussit *eos* ad supplicium rapi. & quum descendisset
à Judæa Cæsaream, *ibi* commoratus est.
20 [p] Herodes autem infenso animo erat in
Tyrios & Sidonios: at illi concorditer venerunt
ad eum, & illecto Blasto qui præerat cubiculo re-
gis, petebant pacem: eò quòd aleretur regio ip-
sorum ex regis *agro*.
21 Statuto autem die, Herodes indutus veste
regia, & considens pro tribunali, concionabatur
ad eos.
22 [q] Populus verò acclamabat, Vox Dei, &
non hominis.
23 [r] Illicò verò percussit eum Angelus Do-
mini, eo quòd non [s] tribuisset gloriam Deo, &
[t] erosus à vermibus, exanimatus est.
24 [u] [x] Sermo verò Domini crescebat ac mul-
tiplicabatur.
25 Barnabas autem & Saulus reversi sunt Hie-
rosolymis, expleto ministerio, simul assumto
etiam Johanne qui cognominabatur Mar-
cus.

[l] B. Plus etiam à Deo impetramus, quam ausimus sperare.
[m] Videlicet è loco ubi congregati erant, non ex ipsis ædibus.
[n] B. Cedendum quidem interdū furori, sed ita ut nihilo negligentiùs fiat opus Domini.
[o] B. Consilium malum tandem consultoribus pessimum.
[p] B. Ecclesiæ hostium tristis & pudendus exitus.
[q] B. Popularis adulatio stultos infatuat.
[r] B. Superbis Deus resistit.
[s] Josephus narrat hunc Regem nō repressisse adulatorum voces, quam ob causam & is moriens, de istorum vanitate conquestus est.
[t] Ad verbum factus vermivorus.
[u] B. Tyranni Ecclesiam diruendo ędificant.
[x] Illi qui audiebant sermonem.

CAPUT XIII.

2 Paulum & Barnabam sibi segregari jubet Spiritus. 6 Paphi 8 Elymas magus 11 excæcatur. 14 Hinc Antiochiam Pisidiæ profecti, 17 Evangelium prædicant, 45 Judæis acriter contradicentibus.

Erant autem in ecclesia quæ erat Antiochiæ,
prophetæ & doctores, Bar-nabba, & Scheme-
un qui vocabatur Niger, & Lucius qui erat ex
Curini civitate, & [1] Manail [2] filius educationum
Hiraudis tetrarchæ, & Schaul.
2 Et quum hi jejunâssent, & obsecrâssent De-
um, dixit eis Spiritus sanctus, Separate mihi
Schaulem & Bar-nabba ad opus illud ad quod
vocavi eos.
3 Et postquam jejunassent & orassent, im-
posuerunt eis manum, & dimiserunt eos.
4 Et ipsi, quum emissi essent à Spiritu sancto,
descenderunt Seleuciam: & inde iter fecerunt
per mare usque in Cyprum.

[1] Manaïs primitię, i. Hebræa lingua מנחם, Syrè Manail, quod ad Immanuel accedit, atq; hoc usu compertum est, quòd qui vocatur hoc nomine מנחם inter Judæos, ab exteris quibuscū cōmercia habent vocatur Manuel. Quanquā difficile est præter usum certam afferre rationem.
[2] Phrasis Syra eum propriè significat qui à teneris cum aliquo enutritus & educatus est. F. collactaneum Ulpianus vocat l. si collactaneus, ff. de manumiss. vindicta.

Erant [a] autem Antiochiæ in Ecclesia quæ *illic*
erat, quidam Prophetæ & doctores, Barnabas
& Simeon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyre-
næus, & Manahen qui fuerat unà cum [b] Herode
tetrarcha educatus, & Saulus.
2 Quum autem ii [c] ministrarent Domino &
jejunarent, dixit Spiritus sanctus, Separate mihi
Barnabam & Saulem ad opus ad quod eos [d] ad-
vocavi.
3 [e] Quum *ergo* jejunassent, & precati essent,
& imposuissent eis manus, dimiserunt *eos*.
4 [f] Ipsi igitur emissi à Spiritu sancto, descēde-
runt [g] Seleuciam: & illinc abnavigaverunt Cyprū

[a] B. Paulus adjuncto Barnaba, non ab homine, nec per hominē, sed Spiritus sancti extraordinario mandato, Gentium Apostolus secundò designatus.
[b] Is fuit Antipas, qui Johannem Baptistam interfecit.
[c] Fungentibus illis munere suo, i. ut interpretatur Chrysosto. facientibus præconium. [d] Vocare (unde nomen vocatio in Ecclesia usitatissimum) dicitur Dominus, quum facit existere quod non est, sive illud ad substantiam, sive ad qualitates refferatur: sumitur inde translatio, quòd quum aliquid esse incipit, nomen habet: indicatur etiam divina potentia, qui dixit, & facta sunt. [e] B. Jejunium & preces solennem manuum impositionem præcedebant. [f] B. Paulus cum suis Cyprum primo impetu Christo subigit. [g] Seleucia urbs fuit Ciliciæ, à Seleuco uno ex Alexandri successoribus.

5 Quumq; pervenissent Salamina, an-
nunciârunt sermonem Dei in synagogis Judæo-
rum: habebant autem etiam Johannem *ipsis* sub-
servientem.
6 Peragrata verò insula Paphum usque, inve-
nerunt quemdam magum pseudoprophetam Ju-
dæum, cui nomen *erat* Bariesu,
7 Qui erat cum Proprætore Sergio Paulo,
viro prudente. Hic advocatis Barnaba & Saulo,
expetivit audire sermonem Dei.
8 [h] Obsistebat autem eis Elymas, *id est*, ma-
gus, (ita enim explicatur nomen ejus) studens a-
vertere Proprætorem à fide.
9 Saulus autem (qui & Paulus) repletus spi-
ritu sancto, intentis in eum oculis,
10 [i] Dixit, O plene omni dolo & ad quod-
vis [k] scelus facilitate, fili diaboli, hostis omnis
justitiæ, non cessabis pervertere vias Domini
rectas?
11 Nunc igitur ecce, [l] manus Domini adver-
sùm te: erisq; cæcus, non videns solem ad tem-
pus. Illicò verò incidit in eum caligo ac tenebræ:
& circumiens, quærebat qui ipsum manu præ-
hensum ducerent.
12 Tunc Proprætor quum vidisset quod fa-
ctum fuerat, credidit, perculsus super doctrina
Domini.
13 [m] Provecti verò Papho Paulus, & qui cum
eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ *urbem*. Jo-
hannes verò abscedens ab eis, reversus est Hie-
rosolymam.
14 At ipsi digressi Perga, venerunt Antiochi-
am *urbem* [n] Pisidiæ, & ingressi synagogam die
Sabbathi consederunt.
15 [o] Post lectionem autem Legis & Prophe-
tarum, miserunt præfecti synagogæ ad eos, dicen-
tes, Viri fratres, siquis est [p] in vobis sermo ex-
hortationis ad populum, dicite.
16 [q] Quum surrexisset igitur Paulus, manu
silentio postulato, dixit, Viri Israëlitæ, & qui ti-
metis Deum, audite.
17 Deus ille populi hujus Israëlis, elegit Patres
nostros, & populum sursùm [r] evexit quum com-
moraretur [s] in terra Ægypti [t] & ex ea eduxit eos
[f] elato brachio.
18 Et circiter [u] quadraginta annorum tempus
mores eorum pertulit in deserto.
19 Et quum delevisset septem gentes in terra
Chanaan, [x] sorte distribuit eis terram earum.
20 Et posteà annis circiter [t] quadringentis
quinquaginta [y] dedit judices usque ad Samue-
lem Prophetam.

h B. Satan sese Christo opponens, ejus victoriam illustrat.
i B. Magus extra ordinem quidem, sed corporali tamen pœna à Paulo affectus, ordinariis magistratibus exemplum præbet in eos animadvertendi qui improbè & obstinatè cursum Evangelii impediunt.
k Vitium illud notat, quo qui laboret, ad quodvis scelus facilè ac propenso animo feratur.
l Potentia quæ sese exerit in feriendis & protegendis suis hostibus.
m B. Exemplum in eodem cœtu, tum singularis constantiæ, tum magnæ imbecillitatis.
n Distinguitur ab Antiochia Syriæ.
o B. In synagoga (ad cujus exemplar institutos fuisse constat Ecclesiæ Christianæ cœtus) primùm habebatur sacrorum librorum lectio, deindè etiam iis qui doctrina pollere videbantur, fiebat ab archisynagogis loquendi potestas.
p Hebr. quo significatur, divinæ gratiæ dona in nobis esse tamquam in thesauris, eaq; nostra non esse, sed Dei. Sic David, Posuisti in os meum canticum novū. Psal. 40. 1.
q B. Deus plurimis peculiaribus beneficiis electum Israëlem affecit, sed illo in primis quòd æternum liberatorem ei promisit. r Sublatum evexit in dignitatem. s *Exo. 1. 9.* t *Exo. 13. 14.* f Apertè exerta vi ad hostes populi sui continendos. u *Exo. 16. 1.* x *Josue 14. 1.* t A nato Isaaco ad deletos usque, ductore Iosua, Chananæos intercesserunt anni quadringenti quadraginta septem, ideò additur particula circiter, quia tres anni desunt, sed usus est majore numero integro Apostolus. y *Iudic. 3. 9.*

5 Et quum ingressi essent Salamina civita-
tem, evangelizabant sermonem Domini nostri
in synagogis Judæorum. & Juchannan ministra-
bat eis.
6 Et quum circumlustrâssent totam insulam
usque ad Paphum civitatem, invenerunt homi-
nem quemdam magicam artem exercentem, Ju-
dæum, qui erat Propheta mendax, & ejus no-
men erat [3] Bar Schuma.
7 Hic adhærebat viro sapienti, qui erat pro-
consul, & vocabatur Sergius Paulus. & vocavit
Proconsul Schaulum & Bar-nabba, & quærebat
ut audiret ab eis sermonem Dei.
8 [4] Resistebat autem eis iste magicam artem
exercens [5] Bar-schuma, cujus nomen [6] expo-
nitur Elimaus. quia cupiebat avertere Procon-
sulem à fide.
9 Schaul autem qui vocatus est Paulus, re-
pletus est Spiritu sancto, & intuitus est in eum:
10 Ac dixit ei, O plene omnibus dolis & om-
nibus malis, filj [7] accusatoris, & hostis omnis ju-
stitiæ, non cessas pervertere vias rectas [8] Domini.
11 Et nunc manus Domini super te: & eris
cæcus, & non videbis solem usque ad tempus. Et
eadem hora cecidit super eum caligo & tenebræ,
& circuibat ac quærebat quisnam apprehende-
ret manum suam.
12 Et quum vidisset Proconsul quod factum
fuerat, miratus est, & credidit doctrinæ Do-
mini.
13 Paulus autem & Bar-nabba iter fecerunt
per mare Papho civitate: & venerunt Pergen ci-
vitatem Pamphyliæ: & abscessit ab eis Juchan-
nan, ac profectus est Urischelem.
14 Ipsi verò egressi sunt Perga, & venerunt
Antiochiam civitatem Pisidiæ, ac ingressi sunt
synagogam, ac sederunt in die Sabbathi.
15 [9] Et postquam lecta esset Lex & Prophe-
tæ, miserunt ad eos seniores synagogæ, & dixe-
runt, Viri fratres, si ita est quòd vobis sit sermo
exhortationis, loquimini cum populo.
16 Et surrexit Paulus, & annuit manu sua, ac
dixit, Viri, filii Israjel, & qui timetis à Deo, audite.
17 Deus populi hujus elegit Patres nostros,
& extulit ac auxit eos quum essent incolæ in ter-
ra Ægypti: & brachio elato eduxit eos ex terra.
18 [10] Et nutrivit eos in deserto quadraginta
annis.
19 Et perdidit septem populos in terra Kena-
an, & dedit eis terram eorum hæreditate.
20 Et quadringentis & quinquaginta annis
dedit eis judices, usq; ad Schemuil Prophetam.

3 F. i. filius tumoris vel inflationis, qui enunciandis suis divinationibus intumescit, tamquam si è ventre creparet oracula, ἐγγαστρίμυθος. Ventriloquus in Decreto. Syra origine. Quod autem βαριησοῦς in Græco dicitur, non est à nomine sancto Jesu, sed à Syro ישו, quod scientiam veram denotat: estq; filius scientiæ, divinus, divina quadam scientia præditus.
4 Ad verbum, Stabat autem ex adverso eis. Hebraismus.
5 Bar-Schuma, Latinè sonat Filium nominis, ac Hebraismus est pro homine celebri, sicut Gen. 6. dicuntur אנשי השם hoc est, Celebres, & sicut בן Hebraicè, ita בר Syriacè sæpè significat Præditū, ut Deut. 3. 18. & Iud. 21. 10. 1. Sam. 14. 52 בן חיל, id est, Filius roboris accipitur pro Prædito robore, & Iob. 41. 25. בני שחץ Filii superbiæ, pro præditis superbia: Ita hoc loco, Filius nominis Præditum nomine significabit, id est, Hominem celebrem. Qua verò in re celebre fuerit ejus nomen videtur ostendere tum Hebraica ejus appellatio בר ישוע, quam Græci retinuerunt, tum ejus interpretatio Elimas. Nam בר ישוע sonat Præditum salute, & Elimas, quod Hebraicè scriberetur אלי מעץ, sonat divinum consilium. Salutem enim ei ascribebant qui ejus arte dementati erant, eo quod putarent eum divinorum consiliorum participem esse. Sic solet Satan suas artes amplis titulis adornare & tegere: & ita apud Mosen & Danielem huic mago similes malefici splendido nomine, nempè חכמים, id est, Sapientes, vocati fuerunt. F. vel me judice, divinaculus ἐγγαστρίτας, ut antè. 6 F. putà sermone Cyprio: nam Cyprii multas voces ortu Syras & Arabicas, forma suæ induebant, & terminatione ας, ut Α᾽κμονίας Saturnus apud Phrygas & Cyprios à frigore dictus: γάνας à γαάνας Adonis, à præstantia: & similia multa. Origo autem hujus nominis etsi Tremellio nostro Hebræa videtur esse, ego bona pace puto Arabicam, non ab עלם scire (nam neque Syrus neq; Arabs interpres scripserunt per ע) sed ab altero verbo אלאם, quod illis est mussitare, ut solent isti ἐγγαστρίμυθοι, de quibus antè monuimus. 7 F. alii, Domini? ἐπιβουλευτοῦ. 8 Id est Diaboli, ut annotatum est in 4. Matth. 9 Morem recitandi Legem in synagogis diebus sabbathi introductum ab ipso Mose tradunt, & deinde post reditum à captivitate, ab Ezra in usum revocatum, & amplificatum, adjuncta Prophetarum lectione. Legem dividunt in sectiones totidem (quas vocant פרשיות) quot sunt in anno sabbatha, quò ita singulis annis tota lex perlegatur, finiaturq; in festo Tabernaculorum, rursumq; sequenti sabbatho ab initio repetatur. Ex Prophetis autem capita quædam quæ appellant הפטרות lectionibus Legis tum numero tum doctrinæ consensu, quatenus fieri potest, correspondentia, selecta constitutaq; sunt, quæ simul leguntur eo ordine, quo descripta sunt ad finem Bibliorum Venetiis excusorum. Peracta Legis & Prophetarum lectione, demum assurgebant, accepta priùs venia à primario synagogæ, qui de scripturis apud populum volebant disserere. Hæc fusiùs explicantur à Maimoni primo volumine, in tractatu De benedictione sacerdotum, cap. 12. & sequentibus. 10 Ac si Græcè pro ἐτροποφόρησεν scriptum esset ἔθρεψεν, Nutrivit: sed latum est inter utrumque verbum discrimen, ut potius existimem sensum respexisse. Nam ea clara certaque fuit tolerantia Dei erga immorigerum populum, quòd non destitit eos paternè alere & sua cura prosequi, quod innuit noster paraphrastes. F. Bis non alienum est, si verbum τροποφορεῖν cum Chrysostomo acceperis, ut si esset τροφοφορεῖν, quod est instar nutricis ferre atque educare: nempè mutata aspirata in tenuem suam causa euphoniæ: quæ mutatio Græcis non est insolens. Sic ante annos fermè sex scribebat ad me D. Joannes Luidus Anglus, & eruditis Græcorum exemplis placere sibi confirmabat. De hoc autem argumento & oratione Pauli in Parallelis diximus.

21 Et

21 Et tunc petierunt sibi regem, & dedit eis Deus Schaülem filium Kisch, hominem ex genere Benjamin annis quadraginta.

22 Et sustulit eum, & suscitavit eis Davidem regem: & testatus est de eo, & dixit, Inveni Davidem filium Ischai, hominem secundùm cor meum: ipse facit omnes voluntates meas.

23 E semine hujus excitavit Deus Isra ëli, juxta id quod pollicitus fuerat, Jeschua liberatorem.

24 Et misit Juchannan ut prædicaret ante adventum ejus, baptismum conversionis toti populo Israjel.

25 Et quum expleret Juchannan ministerium suum, dicebat, Quem putatis vos me esse? non sum ego: sed ecce, venit post me is cui non sum dignus ut solvam corrigias calceamentorum ejus.

26 Viri fratres, filii generis Abraham, & qui vobiscum sunt timentes Deum, vobis hic missus est sermo salutis.

27 Qui enim habitant in Urischelem, & primores eorum, non [11] senserunt illum *sermonem*, nec etiam scripta Prophetarum quæ leguntur per omne sabbathum: sed condemnaverunt eum, & cópleverunt omnia quæ scripta sunt.

28 Et quum nullam invenissent causam mortis, petierunt à Pilato ut interficerent eum.

29 Quumq; perfecissent quicquid scriptum esset de eo, dimiserunt eum de cruce, & posuerunt eum in loco sepulcri.

30 Deus autem excitavit eum [12] à mortuis.

31 Et visus est diebus multis iis qui ascenderunt cum eo ex Galilæa in Urischelem: & illi sunt nunc testes ejus apud populum.

32 Et etiam nos, ecce evangelizamus vobis quòd promissionem illam quæ facta fuit patribus nostris, complevit Deus nobis filiis illorum, qui excitavit Jeschua:

33 Sicut scriptum est in secundo Psalmo, Filius meus es tu: ego hodiè genui te.

34 Et sic excitavit eum Deus [13] à mortuis ut rursus non fit [14] reversurus visurus corruptionem, quemadmodum dicit, Dabo vobis benficentiam David fidelem.

35 Et rursus dixit in loco alio, Non dedisti benignum tuum [15] ut videret corruptionem.

36 David enim in ætate sua ministravit voluntati Dei, & obdormivit: adjunctusq; est patribus suis, ac vidit corruptionem:

37 Hic verò quem excitavit Deus, non vidit corruptionem.

38 Scitote igitur, fratres, quòd per hunc ipsum prædicatur vobis remissio peccatorum.

39 Et ab omnibus à quibus non potuistis per Legem Musche [16] justificari, per hunc, quisquis credit, justificatur.

40 Cavete igitur ne veniat super vos id quod scriptum est in Prophetis:

41 Videte contétores, & admiremini, ac devastemini: quia opus operor in diebus vestris, quod non crederetis si quis narraret vobis.

42 Et quum egrederentur [17] ab eis, petierunt ab ipsis ut sabbatho alio loquerentur sermones istos secum.

43 Et postquã dimissa esset congregatio, multi Judæi [17] iverunt post eos, & etiam proselyti,

[11] Sic apud Hebræos Intelligédi, & Sentiendi verba confundűtur, ut Psa. 58. 10

[12] Ad verb. De inter mortuos: ut Gallicè, *D'entre les morts.*

[13] F. id est, reversurus ad videndũ. Hebraismus.

[14] Id est, Ut obnoxius esset corruptioni: ut infrà semel atque iterum sequitur. Hebraismus.

[15] Justificari pro Absolvi in judicio, Exo. 27. 7. & Deut. 25. 1. & passim alibi in utroque Testamento.

[16] Ad verb. A latere eorum, Hebraismus.

[17] Id est, Sequuti sunt eos. Hebr.

21 Et exinde [h] petierunt regem, [i] deditq; eis Deus Saulem filium Cis, virum ex tribu Benjamin, [u] annis quadraginta.

22 Et amoto illo, excitavit eis Davidem in regem, cui etiam testimonio dato dixit, [l] Inveni Davidem *filium* Jesse, virum secundùm cor meum, qui exsequetur omnes voluntates meas.

23 [x] Hujus è semine Deus [y] secundùm promissionem excitavit Israëli Servatorem Jesum.

24 [z] Quum antè prædicâsset Johannes [7] coram eo jam adventante, Baptismum resipiscentiæ toti populo Israëlis.

25 Quum autem expleret Johannes cursum, dixit, Quem me suspicamini esse? non is sum ego, sed ecce, venit post me, cujus pedum soleam non sum dignus qui solvam.

26 [x] Viri fratres, filii generis Abrahæ, & qui inter vos timetis Deum, vobis sermo salutis hujus missus est.

27 [a] Qui enim habitabant Hierosolymis, & primores eorum, quum hunc ignorarent, tum voces Prophetarum quæ per omne Sabbathum leguntur, eo damnato, impleverunt:

28 Tum nulla causa mortis inventa, [a] petierunt à Pilato ut necaretur.

29 Quum verò perfecissent omnia quę de eo scripta sunt, detractum è ligno, posuerunt in monumento.

30 [b] [l] Deus autem suscitavit eum à mortuis.

31 Qui conspectus est per dies multos iis qui simul ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymam, suntq; testes ejus apud populum.

32 Et nos vobis evangelizamus eam promissionem quæ patribus facta est, Deum videlicet eam explevisse filiis illorum, *id est* nobis, [c] suscitato Jesu:

33 [d] Ut etiam in Psalmo secundo scriptum est, [e] Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

34 Quod autem suscitaverit eum à mortuis, non ampliùs reversurum in sepulcrum, ita dixit, [f] Dabo vobis [e] firmas illas Davidis beneficentias.

35 [f] Ideò & aliâs dicit, [l] Non sines sanctum illum tuum sentire corruptionem.

36 Nam David quidem postquam ætate sua inservivit Dei consilio, [f] obdormivit, & appositus est patribus suis, sensitq; corruptionem:

37 At is quem Deus excitavit, non sensit corruptionem.

38 [g] Notum igitur sit vobis fratres, annunciari vobis remissionem peccatorum per istum.

39 [h] Et ab omnibus à quibus per Legem Mosis [i] absolvi non potuistis, per hunc quecunque qui credat, absolvitur.

40 [k] Videte ergo ne vobis superveniat quod dictum est in [l] Prophetis,

41 [l] Videte è contemptores, & admiramini, & evanescite: quia opus operor ego diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis.

42 [m] Egressis autem eis è synagoga Judæorum, rogârunt Gentes ut intra proximè sequens Sabbathum dicerentur sibi hæc verba.

43 Solutoq; conventu, sequuti sunt multi ex Judæis & [n] religiosis proselytis Paulum ac Bar-

[f] 1. Sam. 8. 5.
[i] 1. Sam. 9. 15. & 10. 1.
[u] In hoc quadraginta annorum spatio, conjungi debet tempus Samuelis cum temporibus Saulis, illius enim quasi absorpta fuit à regno administratio.
[l] 1. Sam. 16. 13. Psal. 89. 21.
[x] 2. Iesum esse servatorem illum ex Davide exorturum probat ex Johannis testimonio.
[y] Esa. 11. 1.
[z] Malach. 3. 1. Mat. 3. 1.
[7] Johannes apparitoris instar Christum non ò minùs, ut alii Prophetæ venturum significavit, sed jam iter ingressum & sibi imminentem cómonstravit.
[x] 2. Judæis propriè promissus & missus Christus.
[a] 2. Jesu acciderunt quæcunque de Messia prædixerant Prophetæ, ut hinc quoque constet illum esse verum & unicum illum Servatorem: nec tamen proptereà excusantur, qui eum non modò non receperunt, sed etiã crudelissimè (quivis innocentes) sunt persequuti.
[a] Mat. 27. 22. Mar. 15. 13. Luc. 23. 23. Joh. 19. 6.
[b] 2. Opponenda est gloria resurrectionis ignominiæ crucis & sepulturæ. Probatur autem resurrectio tum oculatis testibus, tum Prophetarum testimoniis.
[l] Matt. 28. 2. Mar. 16. 6. Luc. 24. 5. Joh. 20. 13.
[c] Verò enim tunc & manifestè apparuit ut Dei unigeniti Filius, qui deposita infirmitate, victor mortis è sepulcro emersit.
[d] 2. Si Christus mansisset in morte, non esset verus Filius Dei, nec firmum esset fœdus cum Davide

sancitum. [d] Psal. 2. 7. Heb. 1. 5. & 5. 5. [e] Esai. 55. 3. [e] Ad verbum sancta David fidelia, sancta autem vocant Græci quod Hebræi beneficentias vocarunt autem beneficentias David passiva significatione, id est, quæ in Davide fuerunt collatæ: fideles autem dicuntur Hebræorum idiotismo firmæ atque constantes. [f] 2. Sic intravit sepulcrum Dominus, ut ne corruptionem quidem senserit. [l] Psal. 16. 10. [f] 1. Reg. 2. 10. [g] 2. Christus ideò missus, ut per Legem damnatos gratuita remissione peccatorum donet. [h] Quum ceremoniæ legales vos absolvere non potuerint, à peccatis, absolvemini per istum, si fide illum amplectamini. [i] Ad verbum, justum declarari. [k] 2. Beneficia Dei cedunt contemptoribus eorum exitio. [l] Vide Mat. 1. 3. [l] Habac. 1. 5. [m] 2. Gentes præeunt Judæis in regnum cælorum. [n] Qui relicto Paganismo, Mosis religionem erant amplexi.

nabam: qui alloquentes eos, persuaserunt eis ut
permanerent in gratia Dei.
44 Sequente verò Sabbatho urbs propè tota
convenit ad audiendum sermonem Dei.
45 * Visa autem turba, Judæi repleti sunt
invidia, & contradicebant iis quæ à Paulo
dicebantur, contradicentes ac [p] blasphemantes.
46 [q] Tunc loquendi [r] libertate usi Paulus
ac Barnabas dixerunt, Vobis necesse fuit primùm
exponi sermonem Dei: postquam autem
illum repellitis, & indignos vos ipsos [f] decernitis
æterna vita, ecce, convertimus nos ad
Gentes.
47 Ita enim nobis mandavit Dominus, *dicens*,
[g] Constitui te ut sis lux Gentium, ut sis saluti usq;
ad ultimas terras.
48 Gentes autem hæc audientes, gavisæ sunt,
& laudibus extulerunt sermonem Domini: &
crediderunt quotquot erant [t] ordinati ad vitam
æternam.
49 Perferebatur autem sermo Domini per
totam illam regionem.
50 [u] Judæi verò exstimulârunt mulieres [x] religiosas
& honoratas, & primos urbis, & excitârunt
persequutionem in Paulum ac Barnabam,
ejeceruntq; eos è finibus suis.
51 [y] At illi excusso pulvere pedum suorum
in eos, venerunt Iconium.
52 Discipuli verò replebantur gaudio & Spiritu
sancto.

qui timebant à Deo, & ipsi loquebantur & suadebant
eis [18] ut adhærerent gratiæ Dei.
44 Et sabbatho alio congregata est tota civitas
ad audiendum sermonem Dei.
45 Et quum vidissent Judæi turbam magnam,
repleti sunt invidia, [19] & obsistebant contra sermones
quos loquebatur Paulus, ac blasphemabant.
46 Dixit autem Paulus & Bar-nabba liberè,
Vobis oportebat primùm prædicari sermonem
Dei, sed quia repellitis ipsum à vobis, & statuitis
contra vos ipsos quòd non digni sitis vita quæ est
in æternum, ecce, convertimus nos ad Gentes.
47 Sic enim præcepit nobis Dominus noster,
sicut scriptum est, Posui te lucem Gentibus, ut sis
in salutem usque ad fines terræ.
48 Quumq; audirent Gentes, gaudebant &
glorificabant Deum, credideruntq; illi qui [20] positi
erant ad vitam quæ est in æternum.
49 Et sermo Domini prædicabatur in tota illa
regione.
50 Judæi verò suscitaverunt principes civitatis,
& mulieres divites, quæ cum illis [21] timebant
Deum: & excitaverunt persecutionem contra
Paulum & contra Bar-nabbam, & ejecerunt
eos è limitibus suis.
51 Et quum egrederentur excusserunt contra
eos pulverem pedum suorum: & venerunt in Iconium
civitatem.
52 Et discipuli replebantur gaudio & Spiritu
sancto.

* ß. Evangelii ejusdem odor reprobis incredulis mortem spirat, electis autem credentibus vitam.
[p] Contumeliis & convitiis incessentes.
[q] ß. Evangeliũ, expresso Dei mãdato, Gentibus promulgatum.
[r] Usi oratione libera, aperta & confidente.
[f] Hoc vestro facto quasi sententia in vos lata statuitis & decernitis.
[g] Esa.49.6.
[t] Itaque aut non omnes erant vitæ æternæ destinati, aut omnes necesse fuisset credere, quod quia verum non est, sequitur quosdam destinatos fuisse, itaque non tantùm Deũ præscivisse, sed etiã præordinasse, ut nec fides nec fidei effecta, causæ sint ordinationis, sed ordinatio fidei.
[u] ß. Ea est hostium evangelii calliditas, ut quorumdam etiam alioqui non penitùs malorum simplicitate ad suam crudelitatem exercendam abutantur.
[x] Quæ essent Mosis Legem amplexæ.
[y] *Infra* 18.6. *Mat*.10.14. *Mar*.6.11. *Luc*.9.5.
[y] ß. Non obstat mundi perfidia, quominus sibi Dominus Ecclesiam colligat & collectam foveat.

[18] Quasi affixi & conglutinati permanerent in gratia Dei. Hæc est vis verbi Syriaci.
[19] Id est, Opponebant se, & repugnabant sermonibus Pauli.
[20] ϛ. id est, dispositi & ordinati à Deo.
[21] ϛ. putà secundùm legem, quã vis non amplius institutæ in viis Domini.

CAPUT XIIII.

1 *Paulus & Barnabas* 5 *Iconio ejiciuntur.* 6 *Paulus Lystræ* 10 *claudum sanat,* 13 *& sibi sacrificaturos* 15 *prohibet:* 19 *Ibidem Judæis auctoribus lapidatur.* 23 *Hinc multis Ecclesiis peragratis,* 26 *Antiochiam revertuntur.*

FActum est [a] autem [b] Iconii ut simul introirent
synagogam Judæorum, & ita loquerentur, ut
crederet Judæorum simul & Græcorum magna
multitudo.
2 Qui verò [c] increduli fuerunt Judæi, incitârunt
& [d] malè affectos reddiderunt animos
Gentium adversus fratres.
3 [e] Multum igitur tempus *ibi* commorati
sunt liberè loquentes, freti Domino, qui testimonium
dabat sermoni gratiæ suæ, dabatq; ut signa
& miracula ederentur per manus eorum.
4 Scissa est autem multitudo urbis; & alii
quidem erant à Judæis, alii verò ab Apostolis.
5 Quum autem factus esset impetus Gentium
ac Judæorum unà cum suis primoribus ad eos
injuriis afficiendos & lapidandos,
6 Re considerata [f] perfugerunt in civitates
Lycaoniæ Lystram & Derben, & circumjacentem
regionem.
7 Et illic evangelizaverunt.
8 [g] Quidam autem vir Lystris captus pedibus
sedebat, claudus ab utero matris suæ, qui
nunquam ambulaverat.
9 Hic audivit Paulum loquentem: qui quum
intendisset in eum oculos, & vidisset quod fidem
haberet *se* liberatum iri,
10 Dixit voce magna, Surge in pedes tuos rectus.
Atille exsiliit & ambulavit.
11 Turba verò quum vidisset quod fecerat
Paulus, sustulerunt vocem suam, Lycaonicè dicentes,
Dii assimilati hominibus, descenderunt
ad nos.

ET venerunt & ingressi sunt in synagogam Judæorum,
& ita loquuti sunt cum eis ut crederent
multi ex Judæis & ex Græcis.
2 Judæi verò ex illis qui non obediebant, excitaverunt
Gentes ut malè afficerent fratres.
3 Et ii tempus multum manserunt ibi, & liberè
loquebantur de Domino: & ipse testabatur
de sermone gratiæ suæ per signa & prodigia quæ
faciebat per manus eorum.
4 Et tota turba civitatis divisa erat: ex illis
erant cum Judæis, & ex illis adhærebant Apostolis.
5 Factus est autem in hos impetus à Gentibus,
& à Judæis ac primoribus eorum, ut contumeliis
afficerent eos & obruerent eos lapidibus.
6 Quumq; *hoc* cognoscerent, discesserunt, &
confugerunt in civitates Lycaoniæ [1] & Lystræ &
Derbæ & pagos qui sunt circa eas.
7 Et ibi evangelizabant.
8 Et homo quidam habitabat in Lystra civitate,
qui affligebatur in pedibus suis, claudus à
ventre matris suæ, qui nunquam ambulaverat.
9 Hic audivit Paulum loquentem: & quum
vidisset eum Paulus, & agnosceret quod esset in
eo fides quod salvus futurus esset,
10 Dixit ei voce elata, Tibi dico, in nomine
Domini nostri Jeschua Christi surge in pedes tuos.
Et exsiliens surrexit, ac ambulavit.
11 Et congregatio populi, quum vidissent id
quod fecerat Paulus, extulerunt vocem suam
lingua regionis, & dicebant, Dii assimilati sunt filiis
hominis, & descenderunt ad nos.

[a] ß. Non minus constantes esse nos oportet, quàm obstinata est malorum perversitas.
[b] Iconium urbs fuit Lycaoniæ.
[c] Qui non paruerunt doctrinæ.
[d] Ad verbum, depravârunt.
[e] ß. Non cedendum illis, imò ne aperto quidem furori, nisi quum ita prorsus necesse est: id est, non quietis capiendæ causa, sed ut eò latiùs propagetur Evangelium.
[f] Licet aliquando fugere periculũ opportunè.
[g] ß. Vetus est diaboli astus efficere ut fideles servi Dei vel semel profligentur, vel pro idolis colantur, idq; præcipuè arrepta ex miraculis occasione.

[1] ϛ. Vel & Lystram, & Derben &c. *[illegible]*.

12 Et nominabant Bar-nabbam [2] dominum deorum, & Paulum, Mercurium, quia ipse principatum habebat in sermone.

13 Et sacerdos domini deorum, qui erat extra civitatem, adduxit tauros & coronas ad portam vestibuli ejus loci ubi habitabant, & volebat mactare illis.

14 Bar-nabba autem & Paulus, quum audivissent, sciderunt vestimenta sua, & exsilierunt: & egressi sunt ad cœtum, & clamabant.

15 Ac dicebant, Viri, quid facitis? Etiam nos filii hominis sumus, passionibus obnoxii sicut vos, & annunciamus vobis ut ab istis inutilibus convertamini [3] ad *Deum* viventem, qui fecit cælum & terram & maria, & omnia quæ sunt in eis.

16 Qui in ætatibus priscis sivit omnes gentes ut ambularent per vias [4] proprias:

17 Non relinquens seipsum sine testimonio, quum faceret eis bona è cælo, & dimitteret pluviam, & crescere faceret fructus temporibus suis, ac impleret saturitate & lætitia corda eorum.

18 Et quum hæc dicerent, vix cohibuerunt populum nequis mactaret ipsis.

19 Venerunt autem Judæi ex Iconio & Antiochia: & commoverunt contra eos populum: & lapidaverunt Paulum, & traxerunt eum extra civitatem, quia putabant quòd mortuus esset.

20 Et congregati sunt juxta eum discipuli, & surgens ingressus est in civitatem: & die postero egressus est inde cum Bar-nabba, ac venerunt in Derben civitatem.

21 Et quum evangelizassent [5] filiis civitatis illius, discipulos fecerunt multos: & conversi venerunt Lystram civitatem, & Iconium & Antiochiam:

22 Quum confirmarent animos discipulorũ, & [6] hortarentur eos ut prrseverarent in fide, ac dicebant eis quòd per oppressiones multas oporteat ingredi in regnum Dei.

23 Et constituerunt eis in omni cœtu seniores, quum jejunarent unà cum eis, ac orarent, commendarentq; eos Domino nostro in quem crediderant.

24 Et quum circuissent loca Pisidiæ, venerunt ad Pamphyliam.

25 Et quum loquuti essent in Perga civitate sermonem Domini, descenderunt [7] ad Attaliam.

26 Et inde iter fecerunt per mare, & venerunt Antiochiam: qui inde commendati fuerant gratiæ Domini ad opus illud quod expleverunt.

27 Et quum congregassent totum cœtum, narrabant quicquid fecisset Deus [8] cum eis, & quòd aperuisset ostium fidei gentibus.

28 Et tempore multo manserunt ibi apud discipulos.

[2] Periphrasis est Jovis, quem prophani poëtæ appellant deorum regem.

[3] F.al. ad viventem illum qui fecit, &c.

[4] Ad verb. Animæ suæ, i. Propriæ voluntatis. Hebraismus.

[5] i. Civibus natis in ea civitate. Hebraismus.

[6] Ad verb. Peterent ab eis.

[7] Scriptum erat לאיטליא. Ad Italiam: sed perperàm. quare non dubitavi litera Jod sublata, restituere lectionẽ, & scribere לאטליא. Ad Attaliam.

[8] Hebraismus, pro erga eos. Simile legitur Psal. 86.17. & Psal. 119.124. v. vel per ipsos, velut instrumenta selecta à Deo ad opus ipsius: sic infra 15.4. ut exponitur vers. 12.

12 Vocabantq; Barnabam, Jovem: Paulum verò, Mercurium: quoniam is erat dux sermonis.

13 Sacerdos autem Jovis collocati ante illorum urbem, quum tauros vittatos ad [h] vestibula adduxisset, volebat cum turba sacrificare.

14 Quod quum audissent Apostoli Barnabas & Paulus, [i] diruptis palliis suis insilierunt in turbam clamantes,

15 [k] Ac dicentes, Viri, cur ista facitis? nos quoq; sumus homines [l] iisdem quibus vos affectionibus obnoxii, annunciantes, ut à [m] vanis istis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum, [n] qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.

16 [n] Quiq; præteritis ætatibus [s] sivit omnes gentes [o] suis ipsarum viis incedere.

17 Quamquam non passus est se *esse* expertem testimonii, bona tribuendo, dans nobis cælitùs pluvias ac tempora fructibus edendis apta, implens cibo & lætitia corda nostra.

18 Et hæc dicentes, vix compescuerunt turbam ne ipsis sacrificaret.

19 [p] Supervenerunt autem quidam Judæi Antiochia & Iconio, qui persuasa turba, [s] Paulum lapidatum traxeruut extra urbem, existimantes eum mortuum esse.

20 Quum autem circumstetissent eum discipuli, surrexit, & ingressus est urbem, & postridiè egressus venit Derben cum Barnaba.

21 [q] Quumq; evangelizassent urbi illi, & discipulos multos adjunxissent, reversi sunt Lystram & Iconium & Antiochiam:

22 [r] Confirmantes animos discipulorum, hortantes ut permanerent in fide, & *dicentes* oportere per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.

23 [f] Quumq; ipsis per suffragia creassent per singulas Ecclesias Presbyteros, precatiq; essent cum jejuniis, commendârunt eos Domino in quem crediderant.

24 [t] Peragataq; Pisidia, venerunt in Pamphyliam.

25 Ac Pergæ loquuti *Domini* sermonem, descenderunt [u] Attaliam.

26 [s] Et illinc enavigârunt [x] Antiochiam, undè fuerant commendati gratiæ Dei ad opus quod impleverant.

27 Quum autem venissent & coëgissent Ecclesiam, retulerunt quanta Deus per ipsos effecisset, eumq; aperuisse Gentibus ostium fidei.

28 Et egerunt illic non parvum tempus cum discipulis.

[h] Ædium in quibus habitabat Paulus & Barnabas.

[i] Vide Mat. 26.65

[k] B. Idololatria etiam dicitur quæ creaturis quantũvis sanctis & eximiis, quod unius Dei est tribuit, nempe invocationis cultum.

[l] Mortales ut vos estis, & ejusdem atq; vos humanæ naturę participes.

[m] Hebræorum more Idola res vanæ vocantur.

[s] *Gen.* 1.1. *Psa.* 146.6. *Apo.* 14.7.

[n] B. Consuetudo quamcumlibet vetus non excusat idololatras.

[s] *Psa.* 81.13.

[o] Ex arbitrio suo vivere, nulla ipsis præscripta ratione religionis.

[p] B. Diabolus in extremum redactus, tandem apertè furit, sed frustrà, tunc quoque quum videtur esse superior.

[s] 2. *Cor.* 11.25.

[q] B. Per medias mortes nihilominus in vocatione pergendum.

[r] B. Ministrorũ est, non tantùm docere, sed etiam jam doctos confirmare, & ad crucem præparare.

[f] B. Apostoli plãtatas Ecclesias commiserũt propriis pastoribus, quos quidem nec temerè sed præeuntibus precibus, & jejuniis, creârũt, nec pretio, aut imperiosa potestate Ecclesiis obtruserũt, sed cœtus suffragiis comprobatos constituerunt.

[t] B. Paulus & Barnabas sua peregrinatione defuncti & Antiochiam reversi, rationem itineris sui Ecclesiæ exponunt. [u] Attalia urbs Pamphyliæ maritima, Lyciæ vicina. [s] *Sup.* 13. 1. [x] Antiochiam Syriæ.

CAPUT XV.

2 *Antiochenis quidam jugum Legis obtrudere conantur.* 6 *Consulti de hac re Apostoli,* 19 *& quid facto opus sit,* 23 *per literas indicant.* 36 *Paulus separatus à Barnaba Ecclesias Asiæ revisit.*

DEscenderant autem quidam ex Judæa, & docebant fratres, Si non circumcisi fitis juxta consuetudinem Legis, non potestis servari.

2 Et facta est commotio magna & disputatio Paulo & Barnabæ contra eos, [1] & factum est ut ascenderent Paulus & Bar-nabba, & alii cum eis, ad Apostolos & seniores qui erant in Urischelem, propter hanc quæstionem.

[1] Pro, contigit ut ascenderent. subaudi, ex sententia fratrum. Hebraismus.

POrrò [a] [b] quidam qui descenderant è Judæa, docebant fratres, *& dicebant*, Nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis servari.

2 [c] Orta igitur repugnantia & altercatione non parva Paulo ac Barnabæ adversus illos, constitutum fuit ut ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alii ex illis, ad Apostolos ac Presbyteros Hierosolymam, super hac quæstione.

[a] B. Ecclesia tandem etiam civili dissidio exercetur, orto à superbis & præfactis ingeniis malorum initio. Fuit autem prima contentio de Christi officio, solâne ipsius justitia per fidem apprehensa justificati servemur, an verò legis etiam observatione sit opus. [b] Epiphanius indicat fuisse Cerinthum. [c] B. Ecclesiarum conventus ad opprimendas hæreses instituti, ad quos communi nomine certi homines mittebantur.

3 Illi ergo [d] deducti ab Ecclesia, peragrâ-
runt Phœnicem & Samariam, narrantes con-
versionem Gentium: & gaudio magno affece-
runt omnes fratres.
4 Quum autem pervenissent Hierosoly-
mam, excepti sunt ab Ecclesia & ab Apostolis, ac
Presbyteris, & retulerunt quanta Deus per ipsos
effecerat.
5 Sed (*ajebant*) quidam surrexerunt è secta
Pharisæorum qui crediderunt, dicentes oportere
ipsos circumcidere & denunciare ut observent
Legem Mosis.
6 [e] Convenerunt igitur Apostoli & Presby-
teri ut dispicerent de hoc negotio.
7 Quum autem multa disceptatio fuisset, sur-
gens Petrus dixit eis, [a] [f] Viri fratres, vos scitis
Deum [g] jampridem [h] inter nos elegisse *me*, ut per
os meum audirent Gentes sermonem Evangelii,
& crederent.
8 Et ille cordium cognitor Deus præbuit eis
testimonium, dato ipsis Spiritu sancto, sicut & no-
bis:
9 [a] Nihilq; [i] discrevit inter nos & illos, [k] fide
ab ipso purgatis cordibus eorum.
10 [l] Nunc ergo [m] quid tentatis Deum, [a] ad im-
ponendum jugum cervici discipulorum, quod
neque patres nostri, neque nos portare valui-
mus?
11 Imò per gratiam Domini Jesu Christi cre-
dimus nos servatum iri, quemadmodum & illos.
12 [n] Tacuit autem tota illa multitudo, & au-
diebant Barnabam & Paulum, exponentes quan-
ta Deus edidisset signa & miracula per ipsos inter
Gentes.
13 Postquam autem ipsi conticuissent, respô-
dit [o] Jacobus dicens, Viri fratres, audite me.
14 [p] Symeon exposuit quomodo primùm
Deus respexerit *Gentes*, ut sumeret ex ipsis popu-
lum nomini suo.
15 Et huic *rei* consonant verba Propheta-
rum: sicut scriptum est,
16 [a] Post hæc revertar, & restaurabo taberna-
culum Davidis collapsum, & ruinas ejus restau-
rabo, & rursus erigam illud:
17 Ut requirant reliqui homines Dominum,
& omnes Gentes super quas invocatũ fuerit no-
men meum: dicit Dominus qui facit hæc omnia.
18 [q] Nota sunt Deo ab *omni* ævo omnia ope-
ra sua.
19 [r] Quamobrem ego censeo non esse obtur-
bandos eos qui ex Gentibus ad Deum se conver-
tunt.
20 Sed ad eos scribendum ut abstineant à
[f] pollutis per simulacra, & scortatione, & suffo-
catis rebus, & sanguine.
21 [t] Moses enim ab ætatibus antiquis oppida-
tim habet qui ipsum prædicent, quum in synago-
gis per singula Sabbatha legatur.
22 [u] Tunc visum est Apostolis & presbyteris
cum tota Ecclesia, delectos ex sese viros mittere
Antiochiam cum Paulo & Barnaba: *nempè* Ju-
dam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, vi-
ros primarios inter fratres:
23 Istis per eorum manum scriptis: Apostoli &
Presbyteri & fratres, iis qui sunt Antiochiæ & in
Syria & in Cilicia fratribus, qui *sunt* ex Gentibus,
salutem.

[d] Officiosè deducti ab Ecclesiastico cœtu, id est, à quibusdam delegatis ab Ecclesia.
[e] B. Res priùs in Apostolorum & Presbyterorum conventu, audita utraq; parte disceptatur, deinde cum plebe communicatur.
[a] *Sup.* 10. 20. & 11. 13.
[f] B. Deus ipse in vocatione Gentium incircumcisarum, docuit fide absque legali cultu salutem cõstare.
[g] Ad verb. à diebus antiquis, id est, ab initio mandati præconii Evangelii, & statim post delapsũ super nos Spiritum sanctum.
[h] Ex nobis, vel ex nostro cœtu Apostolico.
[a] *Sup.* 10. 43. 1. *Cor.* 1. 2.
[i] Nullum discrimen fecit, quod attineat ad gratuiti favoris beneficium.
[k] Christus pronunciat beatos qui mundi sunt corde: tales autem effici fide nunc planè & dilucidè dicitur.
[l] B. Petrus à ceremoniis ad Legem ipsam in genere transiens, docet, si petenda esset à Lege salus, non autem à sola gratia in Jesu Christo, nullum fore servandum: quoniam Legem præstare nullus unquam potuit, ne ex Patriarchis quidem, aut ipsis Apostolis.
[m] Cur tentatis Deum, quasi ille non valeat salvare fide?
[a] *Mat.* 23. 4.
[n] B. Viva legitimi concilii effigies, ubi sola Dei veritas regnat.
[o] Alphæi, qui & frater Domini fuit dictus.
[p] B. Gentium vocationem ex Dei verbo confirmat Jacobus Petro assentiens.
[a] *Amos* 9. 11.
[q] Nihil ergò fit temerè, sed Dei ordinatione.
[r] B. In rebus mediis hactenus communicandum cum fratrum infirmitate, ut eis concedatur discendi spatium.

3 Et deducens dimisit eos ecclesia, & iter fe-
cerunt per totam Phœnicen, & etiam inter Sa-
maritanos, narrantes de conversione gentium,
[3] & fecerunt gaudium magnum omnibus fratri- [3] i. Ea narrando affecerunt magno gaudio fratres, Hebraismus.
bus.
4 Quumq; venissent in Urischelem, excep-
ti sunt ab ecclesia & ab Apostolis & à senioribus:
& narraverunt eis, quicquid fecisset [3] cum eis [3] i. erga eos, ut suprà.
Deus.
5 Surrexerunt autem homines [4] qui credi- [4] F. nempè, inquiebant illi. Ellipsis Hebræis frequens, ut infrà 17. 3.
derunt ex doctrina Pharisæorum, & dicebant, Ne-
cesse erat vobis circumcidere eos, & præcipere
eis ut servent Legem Musche.
6 Congregati verò sunt Apostoli & Seniores
ut disputarent de sermone hoc.
7 Et quum fuisset disceptatio multa, surrexit
Schemeun, & dixit eis, Viri fratres, vos scitis,
quòd à diebus prioribus [5] ex ore meo elegit Deus [5] F. vel per os meum, meum inquam, elegit Deus ut audirent gẽtes, &c. Emphasis
ut audirent gentes sermonem evangelii, & cre-
derent.
8 Et Deus qui novit id quod est in cordibus,
testatus est de eis, ac dedit eis spiritum sanctum,
sicut nobis.
9 Et nihil discrevit inter nos & eos, quià pur-
gavit fide corda eorum.
10 Et nunc vos quid tentatis Deum ut pona-
tis jugum super colla discipulorum, quod neque
Patres nostri, neque nos potuimus ferre?
11 Sed per gratiam Domini nostri Je-
schua Christi, credimus quòd [6] servabimur sicut [6] Ad verb. vivemus, Hebraismus.
ipsi.
12 Et tacuerunt universus cœtus: ac audie-
bant Paulum & Bar-nabbam, qui narrabant de
eo quod fecisset Deus per manus eorum, signa &
prodigia in Gentibus.
13 Et postquam conticuissent, surrexit Jaa-
kub, ac dixit, Viri fratres, audite me.
14 Schemeun narravit vobis quomodo cœ-
perit Deus eligere ex Gentibus populum nomini
suo.
15 Et huic rei consentiunt sermones Prophe-
tarum: sicut scriptum est,
16 Post hæc revertar & erigam tabernaculum
David quod collapsum fuerat, & ædificabo quod
corruerat ex eo, & erigam illud:
17 Ut requirant Dominum reliquiæ filiorum
hominum, & omnes Gentes super quas invoca-
tum est nomen meum: ait Dominus qui fecit hæc
omnia.
18 Nota sunt à seculo opera Dei.
19 Propter hoc dico, [7] ne obtundat eos qui
ex Gentibus convertuntur ad Deum:
20 Sed [8] mittatur ad eos, ut discedant à pol-
lutione victimarum, & à scortatione, & ab eo
quod suffocatum est, & à sanguine.
21 Ipsi enim Musche ab ætatibus priscis in
omni civitate fuerunt prædicatores in synagogis,
qui omnibus sabbathis legunt eum.
22 Tunc Apostoli & seniores cum tota Eccle-
sia elegerunt viros ex sese, & miserunt Antiochi-
am cum Paulo & Bar-nabba, Jihudam qui vo-
catur Bar-Schabba, & Schilam, viros qui prima-
rii erant inter fratres:
23 Et [9] scripserunt Epistolam [10] per manus
eorum, ita, Apostoli & seniores & fratres, iis qui
sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus, qui
sunt ex Gentibus, [11] salutem.

[7] Vel, conscrant. Id est, Ne quis immensum Legis Mosaicæ onus conscientiis eorũ imponat, cujus mole & gravitate obterantur, & comminuantur.
[8] F. vel mittamus, ut aliis placet. Verùm hoc meliùs.
[9] F. id est, Scriptam à se epistolã miserunt per manus eorum: Metalepsis, ut Matt. 4. 5. & suprà 7. 9.
[10] i. Mittentes eos, Hebraismus.
[11] Ad verb. Pacem. Hebraismus sæpè observatus.

[f] A sacrificiis, seu à conviviis quæ in idolorum templis agitabantur.
[t] His verbis admonet Jacobus, fieri non posse ut tam citò, quasi uno impetu, aboleantur ceremoniæ: quia jam à multis seculis assueti essent Judæi legis doctrinæ, & Moses suos haberet præcones. Ideò redimendam ad breve tempus concordiam esse, donec paulatim clariùs innotesceret libertas per Christum parta. [u] B. In legitima synodo nec ii quibus permittitur judicium, quicquam tyrannicè statuunt, nec communis cœtus tumultuosè se opponit sedentibus ex Dei verbo judicibus: nec dissimilis ratio observatur in significandis & stabiliendis quæ ita fuerint decreta.

24 Auditum est à nobis quòd quidam è nobis egressi sunt, & turbaverunt vos sermonibus, & subvertunt animas vestras, dicentes ut circumcidamini, & servetis Legem: quæ nos non mandavimus eis.

25 Propter hoc cogitavimus omnes nos simul congregati, & elegimus viros, misimusq; eos ad vos cum Paulo & Bar-nabba dilectis nostris:

26 Hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jeschua Christi.

27 Et misimus cum eis Jihudam & Schilam, qui sermone exponent vobis hæc eadem.

28 [12] Placuit enim Spiritui sancto, & etiam nobis, ut non [13] imponatur vobis onus amplius præter hæc quæ necessaria sunt.

29 *Videlicet* ut abstineatis ab iis quæ immolata sunt *simulacris*, & à sanguine, & à suffocato, & à scortatione: & quum servaveritis vosipsos ab illis, [14] benè eritis. Estote firmi in domino nostro.

30 Illi autem qui missi fuerant, venerunt Antiochiam, & congregaverunt totum populum, ac reddiderunt epistolam.

31 Et quum *illi* legissent, gravisi sunt, & consolationem acceperunt.

32 Sermone quoque [15] copioso corroborârunt fratres, & confirmaverunt [16] domesticos, Jihuda & Schilas: nam etiam ipsi prophetæ erant.

33 Quumq; mansissent ibi aliquod tempus, dimiserunt eos fratres in pace ad Apostolos.

34 [17] Sed fuit voluntas Schilæ ut maneret ibi.

35 Paulus autem & Bar-nabba manserunt Antiochiæ, & docebant, ac evangelizabant cum aliis multis Sermonem Dei.

36 Et post *aliquot* dies dixit Paulus Bar-nabbę, Revertamur, & visitemus fratres qui sunt in omni civitate in qua prædicavimus sermonem Dei: & videamus quid faciant.

37 Bar-nabba autem volebat assumere Juchannan, illum qui cognominatus est Marcus.

38 Paulus verò nolebat assumere eum secum, eo quòd reliquisset ipsos quum essent in Pamphylia, & non abiisset cum eis.

39 Propter hanc contentionem separati sunt [18] unus ab alio. Et Bar-nabba assumsit Marcum, & iter fecerunt per mare, & profecti sunt in Cyprum:

40 Paulus autem elegit sibi Schilam: & egressus est, commendatus à fratribus gratiæ Dei.

41 Et iter faciebat per Syriam & per Ciliciam, & confirmabat ecclesias.

12 Ad verbum, Fuit voluntas, Hebraismus.
13 F. vel imponamus vobis, ut aliis in libris legitur.
14 i. præclarè vobiscum agetur. Sic Galli, *Vous ferez bien.*
15 F. Syr. divite. vide suprà in 7. 22.
16 Domesticos appellat fideles ipsos, qui in Ecclesiam Dei tamquam in ejus familiam cooptati fuerant.
17 Sed fuit voluntas. Hic versiculus in Syro textu non legitur, ac puto omissum fuisse per incuriam: quapropter eum restitui.
18 Ad verbum, unus ab uno. Hebraismus frequens.

24 [x] Quoniam quosdam [y] è nobis egressos audivimus vos turbasse verbis, [z] labefactantes animas vestras, dicentes *oportere vos* circumcidi, & servare Legem, quibus *hoc* non mandaveramus:

25 [a] Visum est nobis concorditer coactis delectos viros mittere ad vos cum dilectis nostris Barnaba & Paulo,

26 Hominibus qui [b] exposuerunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

27 Misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi *vobis* eadem verbis referent.

28 Visum est enim [c] Spiritui sancto ac [d] nobis, nequod amplius imponeremus vobis onus præter [e] necessaria ista.

29 [f] *Videlicet* ut abstineatis ab iis quæ sunt immolata simulacris, & sanguine, & suffocato, & scortatione: à quibus si vobis caveritis, benè agetis. Valete.

30 [g] Illi igitur dimissi venerunt Antiochiam, & coacta multitudine reddiderunt epistolam.

31 Quam quum legissent, gravisi sunt super ea exhortatione.

32 Judas quoque & Silas, quum essent & ipsi Prophetæ, multo sermone adhortati sunt, & confirmârunt fratres.

33 Quum autem egissent *illic* aliquamdiu, dimissi sunt [h] cum pace à fratribus ad Apostolos.

34 Silæ tamen visum est ibi manere.

35 Paulus autem & Barnabas commorati sunt Antiochiæ, docentes & evangelizantes, cum aliis etiam multis, sermonem Domini.

36 [i] Post aliquot autem dies dixit Barnabæ Paulus, Reversi invisamus fratres nostros opidatim in quibus annunciavimus sermonem Domini, *cognituri* quomodo *se* habeant.

37 [k] Barnabæ verò consilium erat assumere secum Johannem qui vocabatur Marcus.

38 Paulus autem æquum censebat, eum non simul assumere qui abscessisset ab ipsis ex Pamphylia, nec eorum comes in illo opere fuisset.

39 [l] Sic igitur sunt [m] exacerbati, ut alter ab altero discederet: & Barnabas assumto Marco navigaret in Cyprum:

40 Paulus verò allecto Sila abiit commendatus gratiæ Dei à fratribus.

41 Peragravitq; Syriam ac Ciliciam confirmans Ecclesias.

x B. Concludit synodus Hierosolymitana, labefactari animas ab iis qui salutem aliunde quàm ab uno Christo per fidem apprehenso petendam docent, undecumq; sint profecti, & cujuscumque auctoritatem suæ vocationi prætexant.
y E nostra congregatione.
z Translatione sumta ab illis, qui quod ædificatum est, diruunt: ædificare autem Ecclesiam, pro constitui, familiaris est Scripturæ metaphora.
a B. Ea demum est legitima synodus, cui Spiritus sanctus præest.
b Qui extremis periculis exposuerunt vitam suam.
c Mentio fit in primis Spiritus sancti, ne humanum negotium illud esse videatur.
d Non quòd tribuatur propria auctoritas hominibus, sed ut ministerii, & operę fidelitas demonstretur.
e Necessitas illa non fuit præcisa, sed referri debuit ad temporis conditionem, ut aliarum Gentium cum Judæis esset magis apta, & minùs dissentanea vitæ ratio.
f B. Charitas etiam in rebus per se mediis est necessaria.

g B. Omnium interest, quid tenendum sit certò cognoscere, nedum ut Ecclesiam oporteat, nihil sciendo pendere ex quorundam placitis. h Hebr. i. fratribus illis omnia fausta precantibus, & cum bona Ecclesiæ venia. i B. Ecclesiæ, nisi assiduè excolantur, facillimè degenerant, ideoq; institutæ fuerant, tum synodi tum etiam inspectiones. k B. Triste dissidii inter optimos & conjunctissimos viros exemplum, non tamen de rebus profanis aut privatis, neque de doctrina. l B. Deus quidem suorum etiam delictis, ad Ecclesiæ suæ ædificationem, utitur: sed tamen in optimis etiam causis cavendum, ne ultra modum effervescamus. m Vehementer commoti fuerunt animis. Theophylactus illi animi affectionem humanam fuisse censet. Est autem consideranda vis consilii divini: ita enim factum est, ut diversis in locis exerceretur doctrina Evangelii.

CAPUT XVI.

1 *Paulus circumciso Timotheo,* 12 *Philippis agens,* 14 *Lydiam in fide instituit.* 16 *Pythonis spiritum* 18 *expellit.* 20 *Propterea virgis cæsus,* 24 *in carcerem cum Sila conjicitur.* 26 *Terræmotu* 27 *carceris januæ aperiuntur.* 31. 32 *& ejusdem custos Christi fidem percipit.* 35 *Paulus & Silas à magistratu deprecante dimittuntur.*

AC pervenit in Derben civitatem & Lystram. [1] Erat autem ibi discipulus quidam cujus nomen Timotheus, filius Judææ cujusdam fidelis, & pater ejus Gentilis *erat*.

2 Et omnes discipuli qui erant ex Lystra & ex Iconio, testabantur de eo.

3 Huic volebat Paulus assumere secum. & acceptum eum circumcidit, propter Judæos qui

1 F. Alii ab hoc loco principium statuunt capitis 16. superiora aptantes capiti præcedenti.

PErvenit [a] autem Derben & Lystram: & ecce, discipulus quidam erat illic nomine [f] Timotheus, filius mulieris cujusdam [b] Judææ fidelis, patris autem Græci.

2 Huic [c] dabant testimonium fratres qui Lystris erant & Iconii.

3 [d] Eum itaq; voluit Paulus secum proficisci: & assumtum eum circumcidit, propter Judæos

a B. Timotheum ne Paulus quidem, nisi idoneo testimonio probatum ad ministerium assumsit.
f Rom. 16. 21. Philip. 2. 19. 1. Thess. 3. 2.
b Paulus commendat in posteriore ad Timotheum, pietatem matris & aviæ Timothei. c Nimirum pietatis & honestatis. d B. Timotheus non absoluta necessitate, sed propter temporis circumstantiam ad lucrifaciendos Judæos circumciditur.

qui in illis locis erant: sciebant enim omnes patrem ejus Græcum esse.

4 [e] Prout autem pertransibant urbes, tradebant eis servanda [f] instituta illa quæ decreta fuerant ab Apostolis & Presbyteris qui Hierosolymis erant.

5 Itaque Ecclesiæ confirmabantur fide, & exuberabant numero quotidie.

6 [g] Phrygia autem peragrata & Galatica regione, [h] prohibiti à Spiritu sancto loqui sermonem Dei in Asia.

7 Quum venissent in Mysiam, tentabant versus Bithyniam: sed non sivit eos *ire* Spiritus Jesu.

8 Prætereita igitur Mysia, descenderunt Troada.

9 [i] Et visum per noctem conspectum est Paulo: Vir Macedo quidam adstabat precans eum, & dicens, Trajice in Macedoniam, & succurre nobis.

10 [k] Ut autem hoc visum vidit, statim studuimus abire in Macedoniam, [l] collatis argumentis colligentes quòd advocasset nos Dominus ut eis evangelizaremus.

11 Provecti igitur Troade, rectum cursum tenuimus Samothracem, & sequente die Neapolin:

12 Et illinc Philippos, quæ est prima hujus partis Macedoniæ urbs, colonia. Commorati sumus autem in ea urbe aliquot dies.

13 [m] Et die sabbathi egressi sumus ex urbe ad flumen, [n] ubi solebat esse precatio: ubi quum consedissemus, alloquuti sumus mulieres quæ convenerant.

14 [o] Quædam autem mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat in urbe Thyatirorum, Deum colens, *nos* audivit: cujus Dominus adaperuit cor ut attenderet ea quæ dicebantur à Paulo.

15 [p] Quum igitur baptizata esset, & domus ejus, rogavit *nos*, dicens, Si judicastis me fidelem esse Domino, ingressi domum meam, manete. Et adegit nos.

16 [q] Factum est autem proficiscentibus nobis ad precationem, ut ancillula quædam habens spiritum [r] Pythonis, occurreret nobis, quæ quæstum magnum præbebat dominis suis, vaticinando.

17 Hæc subsequuta Paulum ac nos, clamabat, dicens, Isti homines, servi sunt Dei illius altissimi, qui annunciant vobis viam salutis.

18 Hoc autem fecit ad [s] multos dies, sed molestè ferens Paulus, & sese convertens, spiritui illi dixit, Præcipio tibi per nomen Jesu Christi ut exeas ab ea. Exiit igitur eodem illo momento.

19 [t] Videntes illius *ancillulæ* domini abiisse spem quæstus sui, prehensum Paulum & Silam traxerunt in forum ad magistratus.

20 [u] Et quum pertraxissent eos ad prætores, dixerunt, Homines isti conturbant civitatem nostram, quum sint Judæi:

21 [x] Et annunciant ritus quos non licet nobis suscipere, neque usurpare, quum simus Romani.

22 [y] Unà verò insurrexit turba adversus eos: & prætores, diruptis eorum vestibus jusserunt *eos* virgis cædi.

23 Quúmque multas plagas eis imposuissent,

[e] B. Servanda in rebus mediis charitas, tum ut infirmis, tum ut Ecclesiæ paci consulatur.
[f] Decreta illa, de quibus egit superiore capite.
[g] B. Deus sua momenta constituit patefaciendæ suæ veritati, ut sit prorsus gratuita tum electio tum vocatio.
[h] Cur quidem prohibiti fuerint non dicit, quòd autem fuerint prohibiti dicit, instituens nos ad obediendum, non ad inquirendum.
[i] B. Evangelii ministri, ii sunt per quos Dominus pereuntibus opitulatur.
[k] B. Sancti non temerè visionibus quibusvis crediderunt.
[l] Suprà 9.21.
[m] B. Deus à muliercula conversione suum in Macedonia regnum auspicatus, ostendit nullam esse in Evangelio personarum acceptionem.
[n] Ubi de more solebant esse conventus.
[o] B. Dominus quidem unus cor aperit, sed ad audiendum verbum quod prædicatur.
[p] B. Exemplum sanctæ matrisfamilias.
[q] B. Satan sese in Angelum lucis transformans, tentat per cuniculos irrepere, sed à Paulo palàm impeditus ejicitur.
[r] Epitheton Apollinis, qui Pythius dicebatur & responsa dabat petentibus: de quo multa fabulati sunt poetæ, adeò ut arreptitios Pythonis spiritu afflari dicerent, & Lucas receptum loquendi morem sequitur: quia vulgi errorem tradit, non autem quo instinctu divinaret puella. Certum enim est sub larva Apollinis Diabolum lusisse, & hunc Pythonis spiritum nihil aliud fuisse quàm virtutem (hoc est imposturam) dæmonis. [s] Miraculum non festinavit Paulus, omnia siquidem fecit ductore Spiritu. [t] B. Cupiditas quæstus, persequendæ veritatis occasio, Deus intereà Timotheo parcens, Paulum & Silam ut firmiores, ad certamen vocat. [u] B. Avaritiæ prætexitur tum publicæ pacis tum etiam pietatis studium. [x] B. Satanicum argumentum à majorum auctoritate, sine ullo discrimine. [y] B. Iniquorum magistratuum exemplum, populi furori obsequentium.

erant in eo loco, noverant enim omnes patrem ejus quòd Gentilis esset.

4 Et quum proficiscerentur in civitates, prædicabant, ac docebant eos, ut servarent mandata quæ scripserant Apostoli & seniores qui erant in Urischelem.

5 Itaque Ecclesiæ confirmabantur in fide, & augebantur numero quotidie.

6 Ambulaverunt autem per Phrygiam & per Galatiam regiones, & prohibuit eos Spiritus sanctus *ne* loquerentur sermonem Dei in Asia.

7 Et quum venissent in Mysiam regionem, volebant proficisci inde in Bithyniam, & non permisit eis Spiritus Jeschua.

8 Et quum exivissent ex Mysia, venerunt in Troadem regionem.

9 Et per visionem noctis visus est Paulo quasi vir quidam Macedo stans, & [2] deprecans, dicens, Veni in Macedoniam, & adjuva me.

10 Quum autem vidisset Paulus hanc visionem, statim voluimus exire in Macedoniam: quia intellexeramus quòd Dominus noster vocaret nos ut evangelizaremus eis.

11 Et iter fecimus à Troade, ac rectà tetendimus in Samothraciam: inde die postero venimus Neapolin civitatem:

12 Et illinc Philippos, [3] quæ est primaria Macedoniæ: & erat colonia. Mansimus autem in hac civitate certis diebus.

13 Et egressi sumus die sabbathi extra portam urbis juxta ripam fluminis, quia ibi conspiciebatur [4] domus orationis. Quúmque sederemus, loquebamur cum mulieribus quæ congregatæ erant ibi.

14 Et mulier quædam *erat* vendens purpuram, quæ timebat à Deo, cujus nomen erat Lydia, ex Theutira civitate: huic aperuit cor Dominus noster, & audiebat id quod dicebat Paulus.

15 Ac baptizata est ipsa, & [5] filii domus ejus. & [6] rogabat nos, ac dicebat, Si id est quòd verè confiditis quòd crediderim in Dominum nostrum, venite, habitate in domo mea. Et multùm coëgit nos.

16 Et factum est quum proficisceremur in domum orationis, ut occurreret nobis puella quædam cui erat spiritus [7] Divinationis: & faciebat dominis suis quæstum magnum divinatione qua divinabat.

17 Et veniebat post Paulum & post nos, & clamabat ac dicebat, Hi homines servi sunt Dei excelsi, & evangelizant vobis viam [8] salutis.

18 Et ita faciebat diebus multis, & irritatus est Paulus, ac dixit spiritui illi, Ego præcipio tibi in nomine Jeschua Christi ut abeas ab ea. Et eadem hora exivit.

19 Et quum vidissent domini ejus quòd exivisset ab ea spes quæstus ipsorum, apprehenderunt Paulum & Schilam, & trahentes adduxerunt eos in forum:

20 Et obtulerunt eos ducibus ac principibus civitatis, ac dicebant, Isti homines conturbant urbem nostram, quia Judæi sunt:

21 Et prædicant nobis ritus eos quos non permissum est nobis suscipere & exercere, quia Romani sumus.

22 Et turba multa congregata est contra eos. Tunc duces sciderunt vestimenta [9] sua, & præceperunt ut flagellarent eos.

23 Quúmque flagellassent eos multùm, con-

[2] Ad verbum, petens ab eo.
[3] F. quæ est prima Macedoniæ, & est colonia.
[4] F. id est, proseucha, oratorium: ut Juvenalis dicebat olim, Ede ubi consistas, in qua te quæro proseucha. Qua de re legendus Turnebus Adversariorum lib. 1. cap. 19. sic infrà ℣. 16.
[5] Domestici. Hebraismus.
[6] Ad verbum, Petebant à nobis.
[7] Vox enim Syra קסמא respondet Hebrææ קסם, mutata litera ם in א ejusdem organi literam.
[8] Ad verb. Vitæ. Hebraismus.
[9] Pronomen Syriacum ferre etiam potest Eorum: quæ lectio propius accedit ad verba & sensum Lucæ. F. & verò teneri debet.

conjecerunt jecerunt

jecerunt eos in domum vinctorum, & praeceperunt custodi domus vinctorum ut custodiret eos diligenter.

24 Ille autem quum accepisset hoc mandatum, introducens inclusit eos in locum interiorem domus vinctorum, & vinxit pedes eorum numellis.

25 Et [10] in medietate noctis Paulus & Schila orabant, ac glorificabant Deum, & audiebant eos *reliqui* vincti.

26 Et repentè *terrae* motus magnus factus est, & commota sunt fundamenta domus vinctorum, & apertae sunt statim portae omnes, & vincula eorum omnium soluta sunt.

27 Et quum expergefactus esset custos domus vinctorum, & vidisset quòd apertae essent portae domus vinctorum, accepit gladium, & quaesivit ut interficeret seipsum, eo quòd putabat quòd aufugissent vincti.

28 Et vocavit eum Paulus voce elatà, ac dixit ei, Ne facias tibiipsi aliquid mali, quia omnes nos hîc sumus.

29 Et [11] jussit sibi accendere lucernam: & exsiliit, ac ingressus est tremens, & procidit ad pedes Pauli & Schilae.

30 Et deduxit eos foras, ac dicebat eis, Domini mei, quid oportet me facere [12] ut server?

31 Et dixerunt ei, Crede in Dominũ nostrum Jeschua Christũ, [13] & servaberis tu & domus tua.

32 Et loquuti sunt cum eo sermonem Domini, & cum omnibus [14] filiis domus suae.

33 Et eadem hora in ipsa nocte accipiens lavit eos à plagis suis: & eadem hora baptizatus est ipse [15] & filii domus ejus omnes.

34 Et accipiens ascendere fecit eos in domum suam, & apposuit eis mensam: exsultabátque ipse, [16] & domestici ejus omnes in fide Dei.

35 Et quum esset diluculum, miserunt duces [17] gestantes virgas, qui dicerent praefecto domus vinctorum, Dimitte hos homines.

36 Et quum audivisset praefectus domus vinctorum, ingressus dixit hunc ipsum sermonem Paulo: nempe, Miserunt duces ut dimittamini: & nunc exeuntes abite in pace.

37 Dixit eis Paulus, Insontes flagellârunt [18] coram mundo toto, homines Romanos, & conjecerunt nos in domũ vinctorũ, & nunc clàm ejiciunt nos? Nõ profectò: sed ipsi venientes educant nos.

38 Et abierunt qui gestabant virgas, ac dixerunt ducibus sermones illos qui dicti fuerant sibi. Quúmq; audivissent quòd Romani essent, timuerũt:

39 Et venerunt ad eos, ac rogaverunt eos ut exirent ac discederent ab urbe.

40 Quumq; egressi essent è domo vinctorum, introiverunt ad Lydiam, ac viderunt ibi fratres, ac consolati sunt eos, & egressi sunt.

conjecerunt eos in carcerem, additis mandatis commentariensi ut tutò eos asservaret.

24 Qui tale accepto mandato, conjecit eos in intimum carcerem, & [a] pedes eorum adstrinxit numellis.

25 [b] Media autem nocte precantes Paulus & Silas hymnos canebant: & qui vincti erant exaudiebant eos.

26 Repentè verò terrae motus magnus exstitit, ita ut concuterentur fundamenta carceris: & illicò apertae sunt omnes fores, & omnium vincula laxata.

27 [c] Expergefactus autem commentariensis, quum videret fores carceris apertas, educto gladio erat seipsum interempturus, existimans vinctos effugisse:

28 [d] Clamavit autem Paulus voce magna, dicens, Ne quid feceris tibiipsi mali: omnes enim hîc sumus.

29 Is verò petito lumine irrupit, & tremefactus accidit Paulo & Silae *ad pedes*.

30 Et productis ipsis foras, ait, Domini, quid me oportet facere ut server?

31 At illi dixerunt, Crede in Dominum Jesum Christum, & servaberis tu ac domus tua.

32 Et loquuti sunt ei sermonem Domini, & omnibus qui erant domi ipsius.

33 [e] *Ipse* verò illis assumptis ea ipsa hora noctis, lavit *eorum* plagas: & baptizatus est ipse & omnes *domestici* illius illicò.

34 Et ipsis deductis domum suam, apposuit mensam: & exsultavit quòd cum universa domo sua credidisset Deo.

35 [f] Die autem exorto, praetores miserunt [g] viatores qui dicerent, Dimitte homines illos.

36 Annunciavit autem commentariensis hos sermones Paulo, Miserunt, *inquit*, praetores ut dimittamini: nunc igitur egressi, ite in pace.

37 [g] Paulus autem dixit eis, Caesos nos publicè, indicta causa, quum simus Romani, conjecerunt in carcerem, & nunc clàm nos ejiciunt? non profectò: sed veniant ipsi, & nos educant.

38 [h] Renunciârunt autem praetoribus viatores verba ista: timuerúntque audito eos Romanos esse.

39 Et venientes precati sunt eos, & eductos rogârunt ut egrederentur ex urbe.

40 [i] Egressi autem è carcere, introierunt ad Lydiam: & visis fratribus, consolati sunt eos, & egressi sunt ex urbe.

CAPUT XVII.

1 *Paulus Thessalonicae* 3 *Christum annunciat*, 6. 7 *à Jasone exceptus*, 10 *Beraeam mittitur*. 15 *Inde Athenas profectus*, 19 *in Areopago* 23 *Deum ipsis ignotum annunciat*, 34 *nonnullis ad Christum conversis*.

AC transiverunt per Amphipolin & Apolloniam civitatem: veneruntq; Thessalonicam, ubi erat synagoga Judaeorum.

2 Et ingressus est Paulus, sicut solitus erat, ad eos: & sabbatis tribus loquutus est cum eis de Scripturis,

3 Explicans & ostendens quòd oportuit ut Christus pateretur, & resurgeret [1] a mortuis, & hic est Jeschua Christus quem evangelizo vobis.

4 Et quidam ex eis crediderunt, & adhaeserunt Paulo & Schilae, & multi ex Graecis qui timebant à Deo,

Itinere autem facto per Amphipolin & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga quaedam Judaeorum.

2 Paulus verò sicut consueverat, introivit ad eos, & per Sabbatha tria disseruit cum eis ex Scripturis,

3 Explicans & ob oculos ponens oportuisse Christum pati, & resurgere à mortuis: & hunc Jesum, Quem ego, *inquit*, annuncio vobis, esse Christum illum.

4 Nonnulli igitur eorum assensi sunt, & consociati sunt Paulo & Silae, & religiosorum Graecorum

[10] Id est, Media nocte, Hebraismus.

[11] V. al. accendit sibi lucernam.

[12] Ad verbum, Ut vivam, Hebraismus.

[13] Ad verbum, Et vives, ut paulò antè.

[14] Id est, Domesticis ejus. Hebraismus.

[15] Id est, Domestici, ut paulò antè.

[16] Ad verbum, Filii domus, ut paulò antè.

[17] Periphrasis est apparitorum, qui virgas pro insigni gerunt, ut V. 38.

[18] Id est, Coram omnibus hominibus, & palàm. Sic Galli dicunt, *Devant tous le monde*.

[1] Ad verbum, De inter mortuos ut Gallicè, *D'entre les morts*.

[2] V. vel hic est, inquiebat, Jeschua Christus, Ellipsis, de qua suprà 1 3. 5.

a. Zelus iste ... dolorum quantumlibet ...

a. Ille tamen aspergatur ... compegit eorum pedes in nervo illo. Nu[m]ella autem fuit lignea machina ... pedes & collum ...

b. Sanctorum preces calum & terram concutiunt.

c. Misericors Dominus, quoties libuit per mediam mortem ad vitam trahit, & pro justis poenis summam clementiam impertiunt.

d. In mediis praesertim extraordinariis, ne pes quidem nisi Deo praeeunte movendus.

e. Deus eadem quibus libuit manu vulneret & sanat.

f. Ignominia tandem iniquorum magistratuum merces.

g. Viatores erant quibus vocandi causa utebantur Magistratus.

g. Non fuit cupiditate vindicandae injuriae, sed nihilominus ... admirabilis à Domino porrectis ad cohibendam ...

ventur. Et Deus hac etiam ratione suis prospicit, quum ita opus est, ... tanta pericula, ut nunquam negligatur officium.

h. Non fruitur ... Deus, sed ...

i. Sic ... sunt Solucetunt, quum tota Thessalia, & Boeotia, & Attica intercederent.

a. In lucis sapientia divinae cum humana, hominum ...

b. Paulus & Silas ...

c. ... Christus ...

corum multitudo magna, & ex mulieribus primariis non paucæ.
5 Sed invidia commoti Judæi qui immorigeri erant, assumptis quibusdam [a] circumforaneis viris sceleratis, ac turba coacta, fecerunt ut civitas tumultuaretur, & adorti domum Jasonis, studebant eos adducere ad populum.
6 Et quum non invenissent eos, traxerunt Jasonem & quosdam fratres ad civitatis magistratus clamando, Isti qui [e] orbis terrarum statum subverterunt, etiam hic adsunt.
7 Quos excepit Jason: qui omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, nempe Jesum.
8 Commoverunt autem turbam & civitatis magistratus hæc audientes.
9 Qui tamen quum [f] satis accepissent ab Jasone & cæteris, dimiserunt eos.
10 [g] Fratres verò statim per noctem Paulum simul & Silam emiserunt Berœam: qui quum advenissent, ierunt in synagogam Judæorum.
11 [h] Iis autem qui erant Thessalonicæ fuerunt isti [i] generosiores, ut qui receperint Sermonem cum omni alacritate, quotidiè scrutantes Scripturas an hæc ita se haberent.
12 Multi igitur crediderunt ex eis, & Græcarum mulierũ honoratarum & virorũ non pauci.
13 [k] Ut autem cognoverunt Thessalonicenses Judæi, Berœæ quoque annunciatum esse à Paulo sermonem Dei, venerunt etiam illuc, concitantes turbam.
14 [l] Sed tunc statim Paulum emiserunt fratres, ut iret velut ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt illic.
15 [m] Qui verò Paulum susceperant [n] tuto loco constituendũ, deduxerunt eum Athenas usque: & accepto mandato ad Silam ac Timotheum, ut quamcitissimè ad ipsum venirent, abierunt.
16 [o] Paulo verò Athenis illos exspectante, [p] irritabatur spiritus ejus in ipso, quum conspiceret urbem [q] idolis refertam.
17 Disserebat igitur in synagoga cum Judæis & religiosis: & in foro quotidiè [r] cum quibuscunque obviis.
18 [s] Quidam autem ex Epicureis & Stoicis Philosophis conflictabantur cum eo: & quidam dicebant, Quid vult [t] garrulus iste dicere? Alii verò, Peregrinorum deorum videtur annunciator esse, quoniam Jesum & resurrectionem ipsis annunciabat.
19 Et prehensum eum duxerunt in [u] Areopagum, dicentes, Possumúsne scire quæ sit ista nova de qua tu loqueris doctrina?
20 Peregrina enim quædam ingeris auribus nostris. volumus ergo scire quidnam ista sibi velint.
21 [x] (Cæterùm Athenienses omnes & inquilini hospites nulli alii rei vacabant nisi ad dicendum aut audiendum aliquid novi.)
22 [y] Quum autem constitisset Paulus in medio Areopago, dixit, Viri Athenienses, omnino conspicio vos [z] quasi religiosiores.
23 Pertransiens enim & contemplans [a] sacra

à Deo, ac etiam mulieres celebres non paucæ.
5 Et invidia moti sunt Judæi, & adjunxerunt se illis viri mali è foro civitatis, feceruntque turbam magnam, & commoverunt civitatem: & venerunt, ac steterunt contra domum Jasonis, quærebántque ut educerent eos inde, & traderent eos turbæ.
6 Quumque non invenissent eos ibi, traxerunt Jasonem, & fratres qui erant ibi, & adduxerunt eos ad principes civitatis, clamantes, Hi sunt qui totam terram turbârunt: & ecce, rursus huc venerunt.
7 Et qui excipit eos hic Jason, & omnes hi [3] contra mandata Cæsaris stant, dicentes, quòd est rex alius, Jeschua.
8 Turbati autem sunt principes civitatis & universus populus, quum audivissent hæc.
9 Et acceperunt fidejussores à Jasone & etiam à fratribus: & tunc dimiserunt eos.
10 Fratres verò eadem hora ac nocte dimiserunt Paulum & Schilam in Berœam civitatem. Quumq; venissent illuc, ingressi sunt in synagogam Judæorum.
11 Nobiliores enim erant illi Judæi qui illic erant quàm Judæi illi qui erant Thessalonicæ, & audiebant ab eis sermonem quotidiè alacriter: quum discernerent ex Scripturis num hæc ita essent.
12 Et multi ex eis crediderunt, & ita etiam ex Græcis viri multi & mulieres celebres.
13 Et quum cognovissent illi Judæi qui erant ex Thessalonica, quòd sermo Dei prædicaretur à Paulo in Berœa civitate, venerunt etiam illuc, neque desierunt commovere & turbare plebem.
14 Et Paulum emiserunt fratres, ut descenderet ad mare: & mansit in ea civitate Schilas & Timotheus.
15 Et illi qui comites se præbuerunt Paulo, venerunt quoque cum eo usque Athenas civitatem. Et quum [4] discederent ab eo, acceperunt ab eo epistolam ad Schilam & Timotheum, ut citò proficiscerentur ad ipsum.
16 Ipse autem Paulus quum exspectaret Athenis [5] irritabatur in spiritu suo. Videbat enim civitatem plenam simulacris.
17 Et loquebatur in synagoga cum Judæis, & cum iis qui timebant à Deo quotidiè; & in foro cum iis qui [6] adversi occurrebant quotidiè.
18 Philosophi etiam qui ex doctrina erant Epicuri, & alii qui vocabantur Stoici, disputabant cum eo, & [7] multi ex eis dicebant, Quid sibi vult hic collector sermonum? Et alii dicebant, Deos peregrinos prædicat: quia Jeschua & resurrectionem ejus prædicabat eis.
19 Et apprehenderunt eum, ac deduxerunt eum in curiam quæ vocatur [8] Ariaus-pagus, dicentes ei, Possumúsne cognoscere quæ sit hæc doctrina nova quam tu prædicas?
20 Sermones enim peregrinos seminas in auditu nostro: & cupimus cognoscere quinã hi sint.
21 Athenienses autem omnes, & illi qui veniebant illuc peregrini, de nulla alia re solliciti erant, nisi ad dicendum & audiendum aliquid novi.
22 Et quum staret Paulus in Ariau-pago, dixit, Viri Athenienses, video ego vos quòd in omnibus [9] excellitis in religione dæmonum.
23 Quum circuirem & viderem [10] domum vestrarum

[c] B. Zelus incredulorum quantumlibet speciosus, tandem palàm deprehenditur, neque sectatrix, neque illa æquitatis nisi. Sed non licet nobis quicquid libet, quum inter eos etiam excitet Deus quorum opera ad suos liberandos utatur.
[d] Cujusmodi solent in foro vitam terere, viles nimirum & venales, quos fæcem & sentinam urbis vocare solet Cicero.
[e] i. isti ubique gentium & locorum sunt seditionum auctores.
[f] Hoc de satisdatione judicio sisti intelligendum est.
[g] B. Ea demum est spiritus prudentia quæ Dei gloriam sibi sic proponit pro scopo, ut nusquam ab ea deflectat.
[h] B. Dominus in eadem gente varia inscrutabilis suæ sapientiæ exempla, eodem penè momento proponit, ut timeamus.
[i] Compara Judæos cum Judæis.
[k] B. Habet enim suos zelotas Satan, secus quidem quàm minimè oportuit.
[l] B. Non est consilium nec rabies contra Dominũ.
[m] B. Excubant vicissim oves Christianæ pro pastoribus salute, sed in Domino.
[n] Non frustrà laudati sunt Judæi Berœenses, qui è Macedonia Athenas Paulum incolumem deduxerunt, quum tota Thessalia, & Bœotia, & Attica intercedant.
[o] B. In lucta sapientiæ divinæ cũ humana, homines irrident quod non intelligunt. Dominus interim [illegible] urbibus ad electos suos colligat.
[p] Non primarii [illegible] [q] Idolis addictam et mancipatam. Pausanias scribit Athenis plura fuisse idola, quàm in reliqua tota Græcia, ipso & pudoris, famæ & appetitionis apud eos aras exstitisse. [r] Quemcumque obvium habuisset Paulus, qui eum loquentem audire sustineret, cum eo disserebat, totus ardens zelo gloriæ Dei. [s] B. Duæ præcipuæ philosophorum sectæ Christum oppugnant: una, eorum qui omnem religionem irrident: altera, eorum qui de religionis capitibus pro suo arbitrio statuunt. [t] Ad verbum, seminilegus, quasi seminum legulus, id est collector, translatio sumta ab avicula quæ semina populatur, ad eos accommodata qui nullo cum arte cum, quum ex quibusdam audierunt, [illegible] ostentant. [u] Locus erat dictus quasi Martius collis, ubi judices (qui Areopagitæ dicebantur) de summis criminibus cognoscebant, apud quos aliquando Socrates causam dixerat, postea impietatis ab illis condemnatus. [x] B. Sapientia hominis vanitas. [y] B. Ipsi idololatræ firmissima suppeditant adversus superstitionem suam argumenta. [z] Detinemini atque perculso timore Deorum vestrorum. [a] Sacra vocant omne id quod religionis causa hominibus veneratur.

[3] Id est, opponunt sese, vel obsistunt, Hebraismus.
[4] Ad verbum, Quum essent à lateribus eorum. Hebraismus.
[5] Id est, animo exacerbabatur.
[6] Vel, Obvii.
[7] Ad verbum, Homo ex eis. Hebraismus.
[8] F. Vel Areopagus, id est, vicus Martius. Senatus fuit Athenis gravitate incorrupta & severitate judiciorum olim percelebris. Tullius Attico, Senatus, ἄρειος πάγος.
[9] F. vel redundantes aut nimii estis. vide Nazianzenum ἐν λόγῳ ἐπιταφίῳ in Basilium magnum.
[10] F. i. singulas ædes & domos Deorum vestrorum. Syllepsis Hebraica, de qua in Mat. [illegible]

vestra, strarum

strarum religionum, inveni aram quandam cui inscriptum erat, Dei abditi. Eum igitur quem ignorátes vos colitis, hunc ipsum ego prędico vobis.

24 Deus enim qui fecit mundum & quicquid est in eo, & est Dominus cæli & terræ, in templis [11] manufactis non habitat:

25 Neque colitur à manibus filiorum hominis, neque ullius rei necessitatem habet: quia ipse dat [12] unicuique vitam & animam [13].

26 Et [14] ex uno sanguine fecit [15] mundum totum filiorum hominis, ut habitarent super faciem terrę universę: & definivit tempora mandáto suo, posuitq; limites habitationis filiorum hominis:

27 Ut quærerent Deum, & pervestigarent, & ex creaturis ejus invenirent ipsum, eo quòd etiam non abest longè ab unoquoque ex nobis.

28 In eo enim ipso vivimus & movemur & sumus: sicut etiam quidam ex sapientibus vestris dixit, Quòd ex eo est cognatio nostra.

29 *Nos* igitur homines, quorum progenies ex Deo est, non debemus existimare quòd auro aut argento aut lapidi sculpto per artem & per scientiam filii hominis assimiletur [16] divinitas.

30 Tempora enim erroris præterire fecit Deus: & tempore hoc præcipit filiis hominis ut unusquisque in omni loco resipiscat.

31 Quia statuit diem in quo judicaturus est universam terram in justitia, [17] per virum quem definivit: & converti fecit omnem hominem ad fidem ejus, quum excitavit eum à mortuis.

32 Quumq; audivissent resurrectionem quæ est à mortuis, quidam ex eis deridebant, & quidam ex eis dicebant, Tempore alio audiemus te de hoc.

33 Et ita egressus est Paulus è medio eorum.

34 Et quidam ex eis adhæserunt ei, ac crediderunt. Unus autem erat Dianausius, ex judicibus Ariaupagi, & mulier quædam cujus nomen Damaris, & alii cum eis.

vestra, inveni etiam aram cui inscriptum erat, [b] Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio.

24 [c] [†] Deus ille qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, quum sit cæli & terræ Dominus, in manufactis templis non habitat:

25 [‡] Nec manibus hominum colitur, alicujus rei egens, quum ipse det omnibus vitam & halitum & omnia.

26 [d] Fecitque ex [e] uno sanguine totam gentem hominum, ut habitaret super universa superficie terræ, definitis statis temporibus, & positis terminis habitationis eorum:

27 Ut quærerent Dominum, si fortè [f] palpando eum invenirent: quamquam profectò non longè abest ab unoquoque nostrûm.

28 In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestratium poëtarum dixerunt, Nam hujus progenies etiam sumus.

29 [‖] Progenies ergo Dei quum simus, non debemus existimare auro & argento, aut lapidi, [g] sculpturæ artificii & excogitationis hominum, numen esse simile.

30 [h] Deus igitur temporibus istius ignorantiæ connivendo dissimulatis, nunc denunciat omnibus ubique hominibus ut resipiscant.

31 Eo quòd statuit diem quo justè judicaturus est orbem terrarum, per eum virum quem definiit, [i] fide *ejus rei* palam facta omnibus, illo à mortuis suscitato.

32 [k] Quum audissent autem resurrectionem mortuorum, alii quidem cavillabantur, alii verò dicebant, Audiemus te rursus de hac re.

33 Et ita Paulus exivit è medio eorum.

34 Quidam verò ei adhæserunt & crediderunt: in quibus *fuit* & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.

11 Ad verbum, Operis vel facturæ manuum.

12 Ad verbum, Omni homini, Hebraismus.

13 F. In Syris nostris deest, κατὰ πάντα. Quod si addendum est, mihi certè non displiceret vulgata antiqua lectio, καὶ τὰ πάντα, & omnia.

14 Pro, Ex uno homine, Hebraismus.

15 Id est, Humanum genus, quod per totum mundum diffusum est.

16 F. vel deitas, τὸ θεῖον, ἢ θεότης.

17 Ad verbum, Per manum viri, id est, opera & ministerio, Hebraismus.

b Pausanias in Atticis meminit aræ Atheniensium, dicatæ diis ignotis. Laertius in Epimenide meminit aræ nullo inscripto nomine.

c B. Stultissimum est creatorem creaturæ comparare, incomprehensibilem circumscribere, & eum putare donis conciliari à quo omnes omnia acceperunt. Ii sunt autem idololatriæ fontes.

† Supra 7.48.

‡ Psal. 50.8.

d B. Deus in operibus suis est mirificus, præsertim in hominis opificio, non ut in ipsis operibus obstupescamus, sed ut ad opificem assurgamus.

e Ex una cognatione sive origine.

f Homines enim cæcorum instar, Deum nonnisi palpando investigare poterant antequam vera illa lux mundo illucesceret.

‖ Esa. 40.19.

g Quæ materia, putà aurum, argentum, lapides, solent humano artificio & prout hominibus comminisci libuit, insculpi: neque enim rudis illa materia, sed arte quadam formam adepta coli solet. h B. Vetus error errantes non excusat, sed Dei patientiam commendat: qui tamen futurus est justus contemtorum judex. i Christo judice mundi declarato, per resurrectionem à mortuis. k B. Homines ut suam vanitatem manifestè prodant, uno eodemq; Evangelio variè afficiuntur: quod tamen non desinit esse in electis efficax.

CAPUT XVIII.

1 *Paulum Corinthi 6 Gentes docentem, 9 solatur Dominus. 12 Coram Gallione accusatur, 16 sed frustrà. 18 Hinc in Syriam, 19 deinde Ephesum profectus, 23 Galatiæ & Phrygiæ Ecclesias confirmat. 24 Apollos ab Aquila exquisitiùs instituitur, 28 Christum magno cum fructu prædicat.*

ET quum egressus esset Paulus Athenis, venit Corinthum:

2 Et invenit ibi hominem quemdam Judæum, cujus nomen erat Aquilas, qui erat ex Ponto regione. Et eo ipso tempore venerat è regione Italiæ, ipse & Priscilla uxor ejus, (eo quòd præcepisset Claudius Cæsar ut exirent omnes Judæi Roma) & accessit ad eos.

3 Eo quòd [1] artificii eorum esset, mansit apud eos, ac operabatur cum eis. Artificio autem suo conficientes tabernacula erant.

4 Et loquebatur in synagoga omni sabbatho, & suadebat Judæis & prophanis.

5 Quumq; venissent ex Macedonia Schilas & Timotheus, coarctabatur in [2] sermone ipse Paulus, eo quòd starent contra se Judæi, & blasphemarent, quum testificaretur quòd Jeschua esset Christus.

6 [3] Et excussit vestimenta sua, ac dixit eis, Ab hoc tempore ego purus sum; proficiscor ad gentes.

7 Et egressus est inde, ac introivit in domum

POsteà [a] Paulus quum discessisset Athenis, venit Corinthum:

2 Et reperto quodam Judæo, nomine [‖] Aquila, Pontico natione, qui nuper venerat ex Italia, & Priscilla uxore ejus, (eo quòd edixisset [b] Claudius ut omnes Judæi Roma excederent) venit ad eos:

3 Et quia ejusdem erat artificii, mansit apud eos, & operabatur: erat enim ars illorum conficere tabernacula.

4 [c] Disserebat autem in synagoga omnibus Sabbathis, & in suam sententiam [d] adducebat tum Judæos, tum Græcos.

5 Ut autem advenerunt è Macedonia Silas & Timotheus, [e] constringebatur spiritu Paulus, cum testificatione prædicans Judæis Jesum *esse* Christum illum.

6 [f] Ipsis autem sese opponentibus ac blasphemantibus, [‡] excussis vestibus dixit eis, [g] Sanguis vester *esto* super caput vestrum: purus ego ab hoc tempore ad Gentes proficiscar.

7 Et digressus illinc, introiit domum cujusdam

1 Ad verbum, Filius artificii eorum. Syra phrasis. Pro, peritus in artificio eorum.

2 Paraphrastes spiritum figuratè exponit Sermonem, quo animi angustias amplificet: ac si dictum esset, animi dolore ita fuisse constrictum Paulum, ut ne loqui quidem posset.

3 In Syro contextu Initium hujus versus cum præcedentis fine permixtum est. Sed illa prorsus desiderantur, Sanguis vester super caput vestrum: quæ his verbis exprimerentur, דמכון על רישכון.

a B. Veri ministri adeò non quærunt quæ sua sunt, ut suo juri ultrò renuncient, potiùs quàm vel tantillum impediatur Evangelii progressus.

‖ Rom. 16.3.

b Suetonius in vita Claudii anno imperii ipsius nono inquit, Claudius Judæos auctore Christo perpetuò tumultuantes Romæ expulit.

c B. Semper quidem asserenda est ingenuè veritas, sed tamen temperanda est doctrina prout fert profectus occasio.

d Verb. quo utitur, persuadendi habet significationem. e Angebatur animo. Indicatur autem incitati animi vehementia: tantus enim fuit Pauli ardor, ut heroico impetu totus sui oblitus ad prædicandum Christum ferretur. f B. Omnibus frustrà tentatis non desistendum ab opere, sed contumacibus desertis ad morigeros transeundum. ‡ Suprà 13.51. Mat. 10.14. g Hebraica phrasis, qua significat Judæos sibi esse auctores exitii, se verò culpa carere, quòd eos deserendo transeat ad cæteras gentes.

nomine Justi, colentis Deum, cujus domus erat
confinis synagogæ.
8 [g] Crispus autem præfectus synagogæ credi-
dit Domino cum tota domo sua: multiq; Corin-
thiorum audientes credebant & baptizabantur.
9 [h] Dixit autem Dominus nocte per visio-
nem Paulo, [i] Ne time, sed loquere, & ne tacueris:
10 Nam [k] ego sum tecum, & nemo te invadet
ut tibi malefaciat: quoniam populus est mihi
multus in hac urbe.
11 [l] Commoratus est itaque *illic* annum &
sex menses, docens apud eos sermonem Dei.
12 [m] Quum autem Gallio esset Proconsul [n] A-
chaïæ, insurrexerunt concorditer Judæi in Pau-
lum, & adduxerunt eum ad tribunal,
13 Dicentes, Iste persuadet hominibus colere
Deum contra Legem.
14 Paulo verò jam os aperturo, dixit Gallio
Judæis, Siqua injuria esset, aut facinus malum, ô
Judæi, [o] quatenus æquum esset vos tolerarem.
15 Sin verò quæstio est de [p] sermone & [q] no-
minibus & lege vestra te, ipsi videritis: judex enim
ego istarum rerum esse nolo.
16 Et abegit eos à tribunali.
17 Prehensum autem omnes Græci Sosthe-
nem præfectum synagogæ cædebant ante tribu-
nal: neque quicquam eorum Gallioni curæ erat.
18 [r] Paulus verò quum adhuc *illic* perman-
sisset dies multos, valedicto fratribus, enavigavit
in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, quũ [s] [f] to-
tondisset caput [t] Cẽchreis: habebat enim votum.
19 Pervenit autem Ephesum, & eos ibi reli-
quit: ipse verò ingressus synagogam, disseruit cum
Judæis.
20 [u] Rogantibus autem ipsis ut diutiùs apud
ipsos maneret, non annuit:
21 Sed valedixit eis, dicens, Oportet omnino
me diem festum qui instat agere Hierosolymis:
sed iterum revertar ad vos, [x] [f] Deo volente. Et
provectus est Epheso.
22 Quumq; descendisset Cæsaræam, ascen-
dissetq; *Hierosolymam*, & salutasset Ecclesiam, de-
scendit Antiochiam.
23 Et quum egisset *illic* aliquantulùm, abiit,
peragrans ordine Galaticam regionem & Phry-
giam, confirmans omnes discipulos.
24 [y] Judæus autem quidam [f] Apollos nomine,
Alexandrinus genere, vir eloquens, pervenit E-
phesum, [z] potens in Scripturis.
25 Hic erat initiatus via Domini, & fervens spi-
ritu, loquebatur & docebat diligenter ea quę sunt
Domini, sciens tantùm Baptisma Johannis.
26 Cœpitq; liberè loqui in synagoga. quem
auditum [f] Aquila & Priscilla assumserunt, & ex-
quisitiùs ei exposuerunt [a] viam Dei.
27 Quum autem vellet transire in Achaïam,
fratres *eum* adhortati, scripserunt discipulis ut ex-
ciperent eum: qui quum advenisset, multum con-
tulit iis qui crediderant [b] per gratiam.
28 Magna enim contentione Judæos magis
ac magis redarguebat publicè, ostendens per
Scripturas Jesum esse [c] Christum illum.

[f] 1. Cor. 1. 14.
[h] B. Dominus constantiæ servorum suorum vindex & assertor.
[i] Pleonasmus quo confirmatur Paulus. Vide Joh. 1. 20.
[k] Luc. 1. 66.
[l] Ad verb. sedit, unde veteres sedis nomen sumserunt, quod tribuerunt Episcopis. sedebat autem, id est, commorabatur Paulus docens sermonem Dei: nihil autem hæc sedes ad illos, qui docendi causa sedem numquam aspexerunt.
[m] B. Impii malè agendo non defatigantur, sed Dominus eorum conatus miris modis irridet.
[n] i. Græciæ. Vocabant autem præsidem non Græciæ sed Achaiæ Romani, quia Græcos subjecerint Romani per Achæos, qui tum Græciæ principes erant, Pausanias.
[o] Quantum æquitas pateretur.
[p] De eo, quod aliquis (ut vestra fert religio) non rectè dixerit.
[q] De verbis. profanus enim homo putat de religione controversiam, quæstionem esse verborum non rerum.
[r] B. Paulus factus omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifaceret.
[f] Num. 6. 18. Infrà 21. 24.
[s] Quia ambiguus est sermo, ut non minùs ad Paulum quàm ad Aquilam & Priscillam referri possit, ita cõvertit vetus interpres, ut liberum judicium lectori relinqueretur: quamvis rectiùs sit de Paulo interpretari, qui factus est omnibus omnia.
[t] Cenchreæ portus fuit Corinthiorum.
[u] B. Apostoli non hominũ arbitrio, sed Spiritus sancti ductu fuerunt circumacti. [x] Sic nihil nos decet absq; ista particula promittere. nescimus enim quid paritura sit postera dies. [f] 1. Cor. 4. 19. Jac. 4. 15. [y] B. Apollos homo pius & doctus, tamen in vilis opificis atq; adeò muliercula schola proficere non recusans, insignis in Ecclesia minister evadit. [f] 1. Cor. 1. 12. [z] Scripturarum cognitione egregiè instructus. [f] Rom. 16. 5. [a] Viam quæ tendit ad Deum. [b] Per divinum illum & gratuitum favorem, vel per dona illa eximia in hunc hominem collata. [c] Quòd Jesus esset ille Christus, id est, Messias.

cujusdam viri cujus nomen Titus, qui timebat à
Deo: & domus ejus adhærebat synagogæ.
8 Et Crispus præfectus synagogæ credidit in
Dominũ nostrum, ipse & [4] domestici ejus omnes:
ac multi Corinthii audiebant, & credebant in De-
um, ac baptizabantur.
9 Et dixit Dominus in visione Paulo, ne ti-
meas, sed loquere, & ne taceas:
10 Quia ego tecum sum, & nemo potest mo-
lestiam inferre tibi: & populus multus est mihi in
urbe hac.
11 Mansit autem annum & menses sex Co-
rinthi: & docebat eos sermonem Dei.
12 Et quum esset Galliun proconsul Achaiæ,
congregati sunt *Judæi* pariter contra Paulum, &
adduxerunt eum ante tribunal,
13 Dicentes, Iste [5] contra legem suadet filiis
hominis ut colant Deum.
14 Et quũ peteret Paulus ut aperiret os suum
ut loqueretur, dixit Galliun Judęis, Si de aliqua re
mala aut fraudulenta aut re detestabili accusare-
tis, ô Judæi, convenienter susciperem vos:
15 Sin autem quęstiones sunt de sermone & de
nominibus & de lege vestra, ipsi nostis inter vos:
ego enim nolo esse judex harum [6] voluntatum.
16 Et repulit eos à tribunali suo.
17 Et apprehenderunt omnes prophani Su-
sthenem seniorem synagogę, & percutiebant eum
ante tribunal: & Gallium negligebat ista.
18 Et quum mansisset Paulus illic dies mul-
tos, [7] dedit pacem fratribus, & iter fecit per mare
ut proficisceretur in Syriam. Et iverunt cum eo
Priscilla & Aquilas, quum totondisset caput su-
um Cenchreis: quia votum voverat.
19 Et pervenerunt Ephesum. Et ingressus est
Paulus in synagogam, & loquebatur cum Judęis.
20 Et rogabant eum ut habitaret apud eos: &
non acquievit,
21 Dicens, Oportet me sedulò festum ventu-
rum in Urischelem facere: & si Deus voluerit, ve-
niam rursus ad vos.
22 Et Aquilam ac Priscillam reliquit Ephesi:
& ipse iter fecit per mare, ac venit Cæsaream, &
ascendit [8] Urischelem: & [9] interrogavit de pace fi-
liorum ecclesiæ, & abiit Antiochiam.
23 Et quum mansisset ibi diebus certis, exivit,
& circuivit [10] juxta ordinem regionem Phrygiæ
& Galatiæ, confirmans omnes discipulos.
24 Et vir quidam cujus nomen erat Apollo,
Judæus, cujus cognatio erat ex Alexandria, &
eruditus erat in sermone, & argutus erat in scrip-
turis, venit Ephesum.
25 Hic doctus erat in via Domini, & fervens
erat spiritu: ac loquebatur, ac docebat plenè de
Jeschua, quum nihil sciret nisi baptismum Ju-
channan.
26 Et cœpit manifestè loqui in synagoga:
quúmque audivissent eum Aquilas & Priscilla,
adduxerunt eum domum suam, & plenè ostende-
runt ei viam Domini.
27 Quumq; vellet proficisci in Achaiam, an-
teverterunt eum fratres, & scripserunt discipulis
ut exciperent eum. Et quum profectus esset, juvit
multùm [11] per gratiam omnes fideles.
28 Fortiter enim disputabat contra Judæos
coram turbis, ostendens ex Scripturis de Jeschua,
quòd Christus esset.

[4] Ad verbum, Filii domus ejus, Hebraismus.
[5] Id est, Aliter quàm lex præscribat.
[6] Id est, Opinionum quas quisque sibi proprio arbitrio confingit.
[7] Id est, Valedixit fratribus, Hebraism.
[8] F. Quædam exemplaria non habent nomen Urischelem: sed locus postulat saltem intelligi.
[9] i. Pacificis verbis salutavit eos qui de Ecclesia erant. Hebraism.
[10] Syrè, Post, post. vide suprà, Acts. 11.
[11] Ad verb. Per manum gratiæ. Hebraism.

CAPUT XIX.

1 Discipuli quidam Ephesi 3 Johannis doctrina imbuti, 2 ignorantes Spiritus sancti visibiles illas gratias, quibus Deus regnum Filii sui ornaverat, 5 baptizantur in nomine Jesu. 13 Exorcistæ Judæi 16 à diabolo cæduntur. 19 Libri magici exuruntur. 24 Demetrius 29 magnam in Paulum seditionem concitat.

Factum Et quum

[1] F. vel, sed quum illa audiverunt, baptizati sunt in nom. &c. quasi dicat Paulus, non fuit aliud baptisma Juchannan, quam baptisma Christi, vel ipso Juchannan teste: cur ergo non eadem scientia fidei, idemq; usus, & effectus idem?
[2] Ad verbum, Lingua lingua. Hebraismus.
[3] F. vel gentium, ut vertit Fabricius.
[4] F. vel semicinctia, ut Græcè appellat ex voce Latina Lucas. Sed Syrus generaliori voce interpretatus est. Nam semicinctium Latinis olim nihil aliud significavit, quam pannum præcingentem, ac velut partem anteriorem tunicæ, quo seniores utebantur pro tunica, quum ex inopia tunicam integram habere non possent. Galli Syrorum exemplo vocant *une piece*. Martialis Apophoretis, de semicinctio, Det tunicam dives: ego te præcingere possum: Essem si locuples, munus utrumque darem.
[5] F. Lucas τὰ περίεργα vocat ἐφέσια γράμματα περίαπτα, amuleta & perihapta quælibet magica, quorum scientiam & artem libris expresserant, Athenæus libro 12. de Anaxarcho loquens verbis Anaxilæ, καὶ πρὸς τούτοις ἐν σκυταρίοις φορῶν ἐφέσια γράμματα καλά. Rectè itaque Syrus & Arabs interpretes de rebus magicis interpretati sunt.
[6] Singulare pro plurali: quia nomen generis est. Hebr.
[7] Id est, Summa pecunia ascendit ad myriades quinque.
[8] Hebræi dicunt, In corde suo. hoc est, Apud se constituit, Non quod ex proprio sensu hoc consilium inierit, sed Spiritus sancti impulsu, ut constat ex sequenti cap.
[9] F. vel Erastum, ut Græcus.

ET quum esset Apollo Corinthi, circuivit Paulus regiones superiores *usque* ad Ephesum: & interrogavit discipulos quos invenit ibi,

2 Num accepistis Spiritum sanctum ex quo credidistis? Responderunt, & dixerunt ei, Neque etiam si sit Spiritus auditum est à nobis.

3 Dixit eis, Et in quid baptizati fuistis? Dicunt, In baptisma Juchannan.

4 Dixit eis Paulus, Juchannan baptizavit baptismo resipiscentiæ populos, quum diceret ut crederent in eum qui venturus erat post ipsum, qui est Jeschua Christus.

5 [1] Et quum hæc audivissent, baptizati sunt in nomen Domini nostri Jeschua Christi.

6 Et imposuit illis manum Paulus, ac venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur [2] variis linguis, ac prophetabant.

7 Erant autem omnes illi viri duodecim.

8 Et ingrediebatur Paulus in synagogā, ac loquebatur liberè menses tres, suadebatq; de regno Dei.

9 Et quidam ex eis indurabantur, & contendebant, ac malè dicebant de via Dei coram turba [3] populorum. Tunc submovit Paulus, ac separavit ab eis discipulos: & quotidie loquebatur cum eis in schola cujusdam cujus nomen erat Tyrannus.

10 Et hoc factum est per annos duos, donec audivissent sermonem Domini omnes qui habitant in Asia Judæi & Gentiles.

11 Et virtutes magnas edebat Deus per manum Pauli.

12 Ita ut etiam à vestimentis quæ erant super corpus ejus, sudaria aut [4] frusta, *panni* deferrent, & ponerent super infirmos: & discedebant ab eis infirmitates, & etiam dæmonia exibant.

13 Volebant autem etiam homines Judæi qui circumvagabantur, & adjurabant dæmones, adjurare in nomine Domini nostri Jeschua, eos quibus erant spiritus impuri, dicentes, Adjuramus vos per nomen Jeschua quem prædicat Paulus.

14 (Erant autem septem filii viri, cujusdam Judæi, principis Sacerdotum, cujus nomen erat Skeva, qui faciebant hoc.)

15 Et respondit dæmonium illud malum, ac dixit eis, Jeschua agnosco, & Paulum scio: vos autem qui estis?

16 Et insiliit in eos homo ille in quo erat spiritus malus, & invaluit contra eos, & dejecit eos & nudati ac vulnerati effugerunt ex domo illa.

17 Et hoc innotuit omnibus Judæis & Gentilibus qui habitabant Ephesi. Et incidit timor super omnes eos: & exaltabatur nomen Domini nostri Jeschua Christi.

18 Et multi ex iis qui crediderunt, veniebant, & annunciabant delicta sua, ac confitebantur id quod fecerant.

19 Multi verò etiā [5] magicam artem exercentes congregaverūt scripta sua: & adferētes exusserunt ea coram [6] omni homine, & supputaverunt pretia eorum, & [7] ascendit argentum myriadum quinque.

20 Et in virtute magna corroborabatur & crescebat fides Dei.

21 Quum autem expleta essent hæc, proposuit Paulus [8] in mente sua ut circuiret totam Macedoniam & Achaiam, & proficisceretur ad Urischelem. ac dicebat, Postquam profectus fuero illuc, necesse est mihi ut etiam Romam videam.

22 Et misit duos viros ex iis qui ministrabant ei, in Macedoniam, Timotheum & [9] Aristum: ipse verò mansit ad tempus in Asia.

23 Factus est autem in illo tempore tumultus magnus ob viam Dei.

24 Erat autem ibi faber argentarius quidam, cujus

FActum [a] est autem interim dum Apollos esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum: ubi quum discipulos quosdam invenisset,

2 Dixit eis, Num [b] Spiritum sanctum accepistis postea quam credidistis? Illi verò dixerunt ei, Imò sit ne Spiritus sanctus, ne audivimus quidem.

3 [c] Tunc dixit eis, [d] In quid ergo baptizati estis? Ipsi verò dixerunt, In [e] Johannis baptisma.

4 Dixit autem Paulus, [f] Johannes quidem baptizavit Baptismo resipiscentiæ, dicens populo ut in eum, qui veniebat post ipsum, crederent, hoc est, in Christum Jesum.

5 Qui verò *illum* audierunt, baptizati sunt in nomen Domini Jesu.

6 Et quum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus sanctus in eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.

7 Erant autem omnes isti viri circiter duodecim.

8 *Ipse* porrò ingressus synagogam, liberè loquebatur, ad tres menses disserens & suadens quæ ad regnum Dei *pertinent*.

9 [f] Quum autem quidam indurarentur & parere nollent, malè loquentes de [g] via illa *Dei* apud multitudinem, abscedens ab illis, separavit discipulos, quotidie disserens in schola [h] Tyranni cujusdam.

10 Hoc autem factum est per biennium: *ita* ut omnes qui habitabant in Asia, tum Judæi tum Græci, audierint sermonem Domini Jesu.

11 Virtutesq; non vulgares edebat Deus per manus Pauli:

12 *Ita* ut etiam ad ægrotos deferrentur à corpore ejus sudaria seu semicinctia, & discederent ab eis morbi, & spiritus mali ab eis exirent.

13 [i] Aggressi sunt verò quidam ex circulatoribus Judæis [k] exorcistis nominare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes, Adjuramus vos per Jesum quem Paulus prædicat.

14 Erant autem quidam filii Scevæ Judæi primarii Sacerdotis septem qui hoc faciebant.

15 Respondens verò spiritus malus, dixit, Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis?

16 Et insiliit in eos homo in quo erat spiritus ille malus, & [l] superatis illis, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent ex domo illa.

17 Id verò innotuit omnibus tum Judæis tum Græcis qui habitabant Ephesi: & incidit timor in eos omnes, & magnificabatur nomen Domini Jesu.

18 [m] Et multi eorum qui crediderant, veniebant [n] confitentes & indicantes facta sua.

19 Multi verò ex iis qui curiosa ista exercuerant, comportatos libros exusserunt in omnium conspectu: quorum supputatis pretiis, repererunt [o] denariorum quinquaginta millia.

20 Ita fortiter crescebat sermo Domini, & invalescebat.

21 [p] His autem expletis, induxit in [q] animum Paulus peragrata Macedonia & Achaia proficisci in Hierosolymam, dicens, Postquam illic fuero oportet me Romam etiam videre.

22 Missis verò in Macedoniam duobus ex iis qui ministrabant ei, *videlicet* Timotheo & Erasto, ipse substitit ad tempus in Asia.

23 [r] Ortus est autem illo tempore tumultus non parvus ob [s] viam *Dei*.

24 Nam quidam nomine Demetrius, signa-

[a] B. Paulus Ephesiorum ruditate nihil offensus, Ecclesiam ibidem instituit.
[b] Dona illa eximia Spiritus sancti, quæ nimirum tum in Ecclesia vigebant.
[c] B. Johannes discipulos tantùm inchoavit [illegible] Christo perficiendos.
[d] B. Quæ [illegible] [illegible] & initia [illegible].
[e] Baptizari in Johannis baptismo, est profiteri doctrinam quam Johannes annunciabat ac baptismo obsignabat.
[f] Matt. 3. 11. Mar. 1. 8. Luc. 3. 16. Joh. 1. 27.
[f] B. Separare sese & alios ab incredulis planè desperatis, non est scindere Ecclesiam, sed eam potiùs unire.
[g] Viæ nomine Hebræi intelligunt certam vitæ rationem: hîc autem per excellentiam, via pro Christianismo sumitur.
[h] Tyranni nomen hoc loco proprium est.
[i] B. Satan cogitur adversus seipsum testificari.
[k] Sic vocabantur, qui dæmonas ejiciebant [illegible] per Dei nomen obtestationes: initio autem Ecclesiæ sic vocati sunt, qui miraculorum dono pollentes, manus imponebant energumenis, i. à dæmonio obsessis.
[l] Illis frustrà resistentibus, superior evasit.
[m] B. Magia publico testimonio, & Apostolica auctoritate damnata.
[n] Publicè, metu divini judicii perterriti, errata sua professi sunt se detestari: hoc autem nihil ad confessionem auricularem.
[o] Qui minimi æstimant, judicant excrescere hanc summam ad septem mille & quingentas libras Gallicas, vel circiter quingentas Anglicanas.
[p] B. Paulus ardescens [illegible] [q] Spiritus instinctu non igitur pertinaciter dicendus est Paulus in mortem ruisse, sed spiritu ductore. [r] B. Quæstus accedente pietatis prætextu [illegible] pertinacissime defendendæ idololatriæ causa. [s] Vide supra versu 9.

tor argenti, qui faciebat a templa Dianæ argentea, præbebat artificibus non parvum quæstum.

25 Quibus ille congregatis, & istiusmodi rerum opificibus, dixit, Viri, scitis ex hoc quæstu nostras esse copias.

26 Et spectatis & auditis Paulum istum non solum Ephesinam, sed propè totius Asiæ multam turbam persuadendo avertisse, dicens deos illos non esse qui manibus fiant.

27 Non solum autem periculum est ne u istud quod nobis est peculiare, nobis probrosum evadat, sed etiam ne magnæ deæ Dianæ templum pro nihilo putetur, futurumque sit ut etiam destruatur majestas ejus, quam Asia tota & orbis terrarum colit.

28 His autem auditis, pleni excandescentia, clamaverunt, dicentes, Magna *est* Diana Ephesiorum.

29 Et impleta est civitas tota confusione, & irruerunt concorditer in theatrum, correpto Gaio & Aristarcho Macedonibus, sociis peregrinationis Pauli.

30 Paulo verò volente prodire ad populum, non siverunt eum *prodire* discipuli.

31 x Sed & quidam ex Asiarchis quum essent ei amici, *nunciis* ad eum missis, rogârunt ne se daret in theatrum.

32 Alii igitur aliud clamabant: erat enim concio confusa, & plerique nesciebant cujus *rei* causa convenissent.

33 Ex turba verò productus fuit Alexander, propellentibus eum Judæis. Alexander igitur manu silentio postulato, volebat causam dicere apud populum.

34 y Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox exstitit una ab omnibus *profecta*, quasi ad horas duas clamantibus, Magna est Diana Ephesiorum.

35 z Tum scriba quum recepisset turbam, dixit, Viri Ephesii, quisnam est hominum qui nesciat Ephesiorum urbem æditiuam esse magnæ deæ Dianæ, & a a Jove delapsi *simulacri*?

36 Quum igitur istis non possit contradici, oportet vos sedatos esse, nec quicquam præceps facere.

37 Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque contumeliosos in deam vestram.

38 Quod si Demetrius & qui cum eo sunt artifices, b negotium habent cum aliquo, c agitur forum, & d Proconsules sunt, alii alios in jus vocent.

39 Siquid autem de rebus aliis requiritis, e in legitima concione explicabitur.

40 Nam periculum est ne postulemur seditionis propter *diem* hodiernum, quum nulla subsit causa, ob quam possimus reddere rationem concursus istius. Et quum hæc dixisset, dimisit concionem.

a Effigies erant ædium sacrarum cum simulacro Dianæ, quas compararent venerantes illam.

u Quasi dicat, si pergat Paulus, ut cœpit, opinionem de Dianæ imaginibus confutare, totus hic quæstus peribit.

x z. Invicta quidem constantia opus est Verbi præsertim ministris, sed quæ tamen sancta prudentia modeste se regi patiatur.

y z. Idololatris pro omni ratione sufficiunt rabies & clamores.

z z. Hominis politici exemplum, mendaciis pacem redimentis, quod nunquam fecisset Paulus.

a Superstitiosè credebant Ephesii, simulacrum ad se cœlitus delatum.

b Siquid habent accusationis adversus quempiam.

c Certis enim diebus dantur judicia forensia & adsunt Præsides.

d Nomine Proconsulum intelliguntur etiam Proconsulum legati, id est, qui eorum vices gerebant.

e Legitima concio non tantum opponitur tumultuosæ, sed etiam illi quæ extra ordinem advocabatur: erant enim certi dies habendis concionibus constituti.

cujus nomen erat Demitrius, qui faciebat templa argentea Dianæ, & 10 præbebat hominibus artis suæ lucrum magnum.

25 Hic cōgregavit 11 homines artificii sui omnes, & eos qui operabantur cū eis, ac dixit illis, Viri, nostis, quòd negotiatio nostra tota est ex hoc opificio.

26 Et etiam vos auditis, & videtis quòd non tātùm 12 civibus Ephesi, sed etiam multitudini totius Asiæ persuasit hic Paulus, & pervertit eam, dicens quòd non dii sunt illi qui manibus filiorum hominis fiunt.

27 Et non 13 hæc res tantū innotescit, & irrita fit, sed etiam ipsum templū Dianę deę magnæ, reputatur tamquā nihil: & etiam ipsa dea totius Asiæ, quam omnes gentes adorant, despectui habetur.

28 Et quum audivissent hæc, impleti sunt ira, & clamabant, ac dicebant, Magna est Diana Ephesiorum.

29 Et tumultuata est universa civitas, & accurrerunt pariter, & profecti sunt in theatrum. Et corripientes abduxerunt secum Gajum & Aristarchum, viros Macedonios, 14 comites Pauli.

30 Et Paulus volebat intrare in theatrum, & prohibuerunt eum discipuli.

31 Et etiam primores Asiæ, quia amici ejus erant, mittentes rogaverunt eum ne exponeret seipsum ut ingrederetur in theatrum.

32 Turbæ autem quæ erant in theatro, valdè commotę erant, & alii alia clamabant: multi autem ex eis nesciebant propter quod congregati essent.

33 Populus verò Judæorū qui erat ibi, constituerant ex se virum Judæum, cujus nomen erat Alexander: & quum staret, 15 annuit manu sua, & volebat 16 defensionem habere apud populum.

34 Et quum cognovissent quod Judæus esset, clamaverunt omnes una voce quasi horas duas, Magna est Diana Ephesiorum.

35 Et sedavit eos 17 primarius civitatis, dicens, Homines Ephesii, quis enim est ex filiis hominum qui ignoret civitatem Ephesiorum, quod cultrix sit Dianę magnę 18 & imaginem ejus quę de cælo descendit?

36 Quia igitur contra hoc nemo potest dicere, oportet vos esse sedatos, & non facere aliquid præcipitanter.

37 Adduxistis enim homines istos quum neque tēpla denudârint, neq; maledixerint deæ nostræ.

38 Si autem huic Demitrio & 19 hominibus artificii ejus, sit disceptatio cum aliquo, ecce proconsul est in civitate, 20 & fasti *dies* sunt, accedant, & disceptent unus contra alium.

39 Et si ita sit quòd aliquid aliud requiratis, in loco qui datus est ex lege ad congregationem absolvendum est.

40 Eo quòd etiam in periculo 21 versamur 22 quòd accusabimur tamquam seditiosi, quia non possumus defensionem habere pro congregatione diei hujus qua congregati sumus frustra, & tumultuati sumus sine causa. Et quum hæc dixisset, dimisit turbam.

10 Ad verbum, lucrari faciebat filios artis suæ lucrum magnum. Hebr.

11 Ad verbum, Filios artis suæ, ut paulo antè. Hebraismus.

12 Ad verbum, Filiis Ephesi. Hebraismus itidem.

13 F. vel hoc studium tantummodo infamatur & conturbatur, sed, &c.

14 Ad verbum, Filii comitatus Pauli. Hebraism.

15 Ad verbum, Movit manum suam, vide suprà cap. 13. 16.

16 Ad verbum, Proferre sublevationem, vide Luc. 12. 11.

17 id est, cui maxima erat fides & auctoritas in Repub. qui juri dicundo & tabulis publicis præfectus erat: quamobrem à Luca γραμματεὺς dictus est.

18 F. vel & imaginis ejus quæ de cælo descendit?

19 Ad verbum, filiis artificii ejus, ut paulo antè, Hebraismus.

20 Syra vox videtur sonare Artificia sunt. id est, Exercentur artes, id est, Non sunt festi dies, quibus artes exercere & jus dicere prohibitum est. Convenit cum germanismo *werktage*. F. quos Galli vocent *Jours ouvriers*.

21 Ad verbum, Statmus.

22 F. vel ut accusemur tamquam seditiosi, &c.

CAPUT XX.

1 *Paulus iter in Macedoniam instituit.* 17 *Troade in medium noctem sermonem protendens,* 9 *Eutychum per fenestram delapsum* 10 *resuscitat.* 15 *Miletum* 17 *vocatis Ephesinis Presbyteris,* 23 28 *quid se & illos maneat, exponit.*

Postquam a verò cessavit tumultus, quum advocasset Paulus discipulos, & complexus esset, abiit profecturus in Macedoniam.

2 Quū autem illas partes peragrasset, & hortatus illos fuisset b multo sermone, venit in Greciam.

3 c Et ibi peractis mensibus tribus, quum ei

in

a z. Paulus non ut fugiturus sed alibi laboraturus ex Ecclesiæ consensu Epheso discedit.

b Confirmatione enim opus erat exhortatione post istam turbam.

c z. Præposterus zelus, etiam homicidiorum magister. nihil autem vetat sancta prudentia malorum conatibus occurrere,

Et postquam sedatus est tumultus, vocavit Paulus discipulos, & consolatus est eos: ac osculatus est eos, & egressus abiit in Macedoniam.

2 Et quum circuisset regiones illas, & consolatus esset eos sermonibus multis, venit in Græcię regionem.

3 Et mansit illic tribus mensibus. Fecerunt

contra

contra eum insidias Judæi, quum futurum esset
ut proficisceretur in Syriam, & cogitavit ut reverteretur in Macedoniam.
4 Et egressi sunt cum eo usque in Asiam, Supater qui erat ex Berrhœa civitate, & Aristarchus
& Secundus, qui erant ex Thessalonica, & Gaius
qui erat ex Derbe civitate, & Timotheus qui erat
ex Lystra: & ex Asia, Tychicus & Trophimus.
5 Hi profecti sunt ante nos, & exspectaverunt
nos Troade.
6 Nos verò egressi sumus Philippis civitate
Macedoniæ post dies azymorum, & iter fecimus
per mare, ac venimus Troadem diebus quinque,
ac mansimus ibi dies septem.
7 Et in die primo septimanæ quum congregati essemus ut frangeremus eucharistiam, loquebatur cum eis Paulus, eo quòd die postero
futurum erat ut discederet, protrahebatq; sermonem loquendo usque ad medium noctis.
8 Et erant ibi lampades ignis multæ in cœnaculo illo in quo congregati erant.
9 Et sedebat adolescens quidam cujus
nomen erat Eutychus, in fenestra, ac audiebat: &
mersus est somno gravi, quum protraheret sermonem ipse Paulus: & in somno suo decidit è
tertia contignatione, & sublatus est mortuus.
10 Et quum descendisset Paulus ruit super
eum, & [2] amplexatus est eum, ac dixit, Ne commoveamini: quia anima ejus in eo est.
11 Quum verò ascendisset, fregit panem & gustavit, loquutusq; est usquedũ ascendisset aurora:
& tunc egressus est ut proficisceretur per aridam.
12 Et adduxerunt adolescentem viventem,
gravisiq; sunt de eo plurimùm.
13 Nos autem descendimus in navigium, &
iter fecimus ad cœtum [3] Thesus: quia illinc recepturi eramus Paulum, ita enim mandaverat,
quum proficisceretur ipse per aridam.
14 Quum auté recepissemus eum ex Thesso, sustulimus eum in navigiũ, ac venimus Mitylenen.
15 Et inde die postero iter fecimus contra
Chium insulam, & rursus die postero venimus
Samum: & mansimus in Trogyllio, & die postero
venimus Miletum.
16 Statutum enim erat ipsi Paulo ut [3] pertransiret Ephesum, ne retardaretur ibi, eo quòd
acceleraret ut (si fieri posset) diem Pentecostes
in Urischelem celebraret.
17 Et ab ipsa Mileto mittens accersivit seniores ecclesiæ Ephesi.
18 Quumq; venissent ad eum, dixit eis, Vos
nostis, à die primo quo ingressus sum Asiam, quomodo fui vobiscum omni tempore,
19 Colens Deum in depressione magna & in
lacrymis, & in tentationibus quæ [4] transiverunt
super me insidiis Judæorum,
20 Neque aspernatus sum id quod expediens
erat animabus vestris, ut prædicarem vobis: &
docui in vicis & in domibus.
21 Testificans Judæis & [5] Gentilibus de conversione quæ fit ad Deum, & fide quæ est in Dominum nostrum Jeschua Christum.
22 Et nunc ego vinctus sum in spiritu, & proficiscor ad Urischelem, & ignoro quid eventurum
sit mihi in ea,
23 Veruntamen spiritus sanctus in omni civitate testatur mihi, ac dicit, Vincula & afflictiones
paratæ sunt tibi.
24 Sed mihi nihili æstimatur [6] anima mea, ut
compleam cursum meum & ministerium meum
quod accepi à Domino nostro Jeschua, ut testificer de Evangelio gratiæ Dei.

25 Et

[1] Literarum quæ ad idem organum pronunciationis pertinent frequens est in Syra lingua permutatio: per quam etiam fit ut multas voces alioquin Hebraicas, Syri proprias faciant: quemadmodum etiam interdum facere solent, permutato literarum ordine, de utroque exempla multa habemus in hoc libro. Hic verò vocem Hebræam פגן, Amplexatus est, propriam faciunt mutato ח in ע & ב in פ id est, gutturalem in gutturalem aliam, & labialem in aliam labialem, עפק pro חבק quod annotare libuit ut intelligerent linguarum studiosi qua ratione unius linguæ vocabula ad aliam trasẽant.
[2] F. id est, εἰς τὴν ὁδὸν, nempe ἐκκλησίαν. Eadem verò sermone Phrygio appellatus Thesus vel Thessus: & ex ea thesion herba sive thrasi Plinio lib. 2 r. nat. hist. cap. 17. & alibi. Quamobrem imperitè nonnulli ex Theso vel Thesso fecerũt Thassum.
[3] F. vel præteriret: quod est evidentius.
[4] Id est, Quæ evenerunt mihi. Qui modus loquendi frequenter occurrit, ut Job. 13:13. & Num. 5.4. Paralip. 29.30. Psal. 88.17. Isa. 45.14. & Zac. 9.8.
[5] F. Syr. Aramæis, id est, Syris, pro eo quod est, Gentibus, ποτε ἑλληνικῶς: ut infrà 21.28.
[6] Id est, Vita mea. Hebraismus.

in Syriam navigaturo facta fuissent à Judæis
insidiæ, censuit revertendum per Macedoniam.
4 Comitabantur autem eum usque in Asiam
Sopater Berœensis: ex Thessalonicensibus verò,
Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbæus, &
Timotheus:
5 Asiani verò, Tychicus & Trophimus,
qui quum præivissent, exspectârunt nos Troade:
6 Nos verò enavigavimus Philippis post
dies Azymorum, & venimus ad eos Troadem
intra dies quinque, ubi egimus dies septem.
7 [a] Primo autem die hebdomadis, coactis
discipulis [f] ad frangendum panem, Paulus disserebat cum eis, abiturus postridiè, protraxitq; sermonem usque in mediam noctem.
8 [g] Erant verò lucernæ multæ in cœnaculo
ubi erant coacti.
9 Sedens autem quidam adolescens nomine
Eutychus in fenestra, demersus somno profundo, quum diutius dissereret Paulus, præ somno deturbatus, decidit ex tertia contignatione deorsum: & sublatus est mortuus.
10 Quum descendisset autem Paulus, prolapsus est in eum: & eum complexus dixit, Ne tumultuamini: anima enim ejus in ipso est.
11 Quum igitur ascendisset, fregissetq; panem, & cibum sumsisset, diu colloquutus usque
ad diluculum, ita demum profectus est.
12 Adduxerunt autem puerum vivum, & solamen receperunt non mediocre.
13 Nos verò progressi ad navem, provecti sumus Assum, illinc recepturi Paulum: sic enim
mandarat, pedibus ipse iter facturus.
14 Ut autem conjunxit se nobiscum apud
Asson, recepto eo venimus Mitylenen.
15 Et quum illinc enavigassemus, sequenti
die pervenimus è regione Chii; postridiè verò appulimus Samum: & quum diversati essemus apud Trogyllium, sequenti die venimus Miletum.
16 [h] Decreverat enim Paulus prænavigare
Ephesum, ne ipsi contingeret tempus terere in
Asia. Festinabat enim, ut si fieri posset, die Pentecostes esset Hierosolymis.
17 Missis autem [i] Mileto nunciis Ephesum,
accersivit Presbyteros Ecclesiæ.
18 [k] Qui quum ad ipsum venissent, dixit
eis, Vos scitis quomodo à primo die quo ingressus sum Asiam, vobiscum per id omne tempus fuerim,
19 Serviens Domino cum omni modestia, &
multis lacrymis ac tentationibus, quæ mihi evenerunt in Judæorum insidiis:
20 Ut nihil [l] subterfugerim eorum quæ vobis
conducerent, quominus ea vobis annunciarem,
& docerem vos publicè & domatim:
21 Cum testificatione annuncians Judæis simul & Græcis conversionem ad Deum, & fidem, quæ est in Dominum nostrum Jesum
Christum.
22 [m] Et nunc ecce, ego [n] vinctus Spiritu, proficiscor Hierosolymam, ignorans quæ in ea mihi
occurrent:
23 Nisi quòd Spiritus sanctus oppidatim etiam
atque etiam testificatur, dicens vincula & afflictiones me manere.
24 Sed nullius rei habeo rationem, neque
vita mea mihi ipsi cara est, ut peragam cursum
meum cum gaudio, & ministerium quod accepi
à Domino Jesu, ad testificandum Evangelium
gratiæ Dei.

25 Et

[d] Nocte [illegible] certa per se [illegible] non [illegible] possent [illegible], quum justa eorum causa [illegible] possit.
[e] Ad verbum primo die Sabbathi, [illegible] Dominico. [illegible] hoc igitur loco & [illegible] non [illegible] colligimus, jam tum [illegible] Christianos hoc die solemnes conventus agere, paulatim evanescente Judaici Sabbathi ceremonia.
[f] Quamvis Hebræis panis fractio convivium domesticum significet, hoc tamen loco de sacra cœna intelligi & exponi debet.
[g] B. Diabolus meditans [illegible] offendiculo Ecclesiam turbare, Paulo suppeditat insignem confirmandi Evangelii occasionem.
[h] Paulus Christi fidelis imitator, ad vincula perpetuo cursu properans, prius veluti testamentũ condit, quo anteactæ vitæ rationem reddit, doctrinam a se propositam tuetur, & Ecclesiæ pastores ad perseverantiam hortatur.
[i] Secundum indicatos locorum situs, intervallum fuit illud inter Ephesum atque Miletum ad stadia circiter quadraginta, quæ efficiunt propè quinquaginta millia passuum Germanica.
[k] B. Veri pastoris viva imago.
[l] Nihil aut per metum, aut lucri causa subterfugerim, vel aliqua ex parte dissimularim.
[m] B. Testificatur se, ex Dei mandato, ad vincula proficisci.
[n] Vinculum Spiritus vocat, [illegible] instinctum Spiritus sancti impellentis ad iter Hierosolymitanum, [illegible] quem promto [illegible] animo ipse sequeretur.

o Si perieritis, nullam tamen in me culpam fore. Vide sup. 18.6.
p B. Doctrina Apostolica est omnibus modis absolutissima.
q Custodiendam, instituendam, & regendam.
r Illustris sententia de Christi Deitate, & attendens rectè in persona hujus, propter unionem duarum naturarum tribui uni in concreto proprietatem alterius: id quod pia antiquitas, mentione communicationis proprietatum, religiosè explicavit.
s Articulus additus excellentiam hujus sanguinis indicat.
t B. Prophetia de pastoribus in lupos mox degeneraturis: adversus eos qui de nuda personali successione gloriantur.
u Abundantia miseriæ, nimirum absentia tanti pastoris, & ingressus luporum.
x a. Dei potentia & gratuitæ ipsius promissiones in Verbo patefactæ, sunt Evangelici ministerii sustentacula.
y Tanquam filii, atque ideò ex gratuita benevolentia.
z B. Avaritia in primis pastoribus vitanda.
§ 1. Cor. 4. 12. 1. Thess. 2. 9. 2. Thess. 3. 8.
a Quasi porrecta manu, alioquin collapsuros retinere.
b B. Evangelium non tollit, sed verò regit naturales affectus.

25 Et nunc ecce, ego scio non ampliùs visuros faciem meam ullos ex vobis omnibus, per quos transivi prædicans regnum Dei.

26 Ideò testor vobis hodierno die, me ° purum esse à sanguine omnium:

27 p Non enim subterfugi quominus annunciarem vobis omne Dei consilium.

28 Attendite igitur animum vobisipsis & toti gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos, ad q pascendam Ecclesiam r Dei, quam suo s illo sanguine acquisivit.

29 t Ego enim illud scio, lupos graves, non parcentes gregi, ingressuros esse in vos post discessum meum.

30 Et ex vobisipsis exorituros qui loquantur perversa, ut u discipulos post se abstrahant.

31 Ideò vigilate, memores me per triennium nocte & die non cessasse cum lacrymis monere unumquemque.

32 x Et nunc quoque, fratres, commendo vos Deo, & sermoni gratiæ ipsius, qui quidem Deus potest vos superstruere, & dare vobis quod y hæreditatis jure possideatis cum sanctificatis omnibus.

33 z Argentum vel aurum aut vestem nullius concupivi.

34 Imò ipsi nostis, § usibus meis & iis qui mecum sunt, manus istas ministrasse.

35 In omnibus ostendi vobis oportere sic laborando a sublevare infirmos, & meminisse verborum Domini Jesu, ipsum videlicet dixisse, Beatum est dare potiùs quàm accipere.

36 Et quum hæc dixisset, positis genibus suis, oravit cum illis omnibus.

37 b Magnus autem fletus omnium ortus est: & ruentes in collum Pauli, deosculabantur eum:

38 Cruciati maximè, ob sermonem quem dixerat, ipsos non esse ampliùs faciem ejus conspecturos: & deduxerunt eum ad navim.

25 Et nunc ego novi quòd rursus vultum meum non estis visuri, vos omnes quibus circumiens prædicavi regnum Dei.

26 Testor ego vobis hodierno die, quòd purus sum à sanguine omnium vestrûm.

27 Non enim subterfugi quominus ostenderem vobis totam voluntatem Dei.

28 Attendite igitur vobisipsis & toti gregi, in quo constituit vos Spiritus sanctus episcopos, ut pascatis ecclesiam Christi quam acquisivit sanguine suo.

29 Ego enim novi quòd postquam abiero, ingredientur vobiscum lupi robusti, qui non parcent gregi:

30 Et etiam ex vobisipsis exsurgent homines loquentes perversa, ut subvertant discipulos, ut 7 abeant post eos.

31 Propter hoc estote vigilantes, & memores quòd annos tres non cessaverim nocte & die quum lacrymis corrigere unumquemque ex vobis.

32 Et nunc commendo vos Deo & sermoni gratiæ ipsius, qui potest ædificare vos, & dare vobis hæreditatem cum omnibus sanctis.

33 Argentum aut aurum aut vestimenta non cupivi.

34 Et vos nostis, in necessitate mea & eorum qui mecum sunt, ministri mei fuerunt hæ manus meæ.

35 Et omnia ostendi vobis, ita oportet laborare & solicitum esse de illis qui infirmi sunt: & meminisse sermonum Domini nostri Jeschua, quia ipse dixit beatum esse eum qui dat, magis quam sit is qui accipit.

36 Et quum hæc dixisset, procidit super genua sua, & oravit, & omnes illi homines cum eo.

37 Et factus est fletus magnus in omnibus illis: & amplexati sunt eum, & osculabantur eum.

38 Maximè autem torquebantur propter illum sermonem quem dixerat, 8 Rursus non estis visuri faciem meam. Et comitati sunt eum usq; ad navigium.

7 Id est, Sequantur eos, Hebr.
8 v. al. ipsos rursus non esse visuros faciem ejus.

CAPUT XXI.

1 Paulus Jerosolymam tendens, 8 Cæsareæ Philippum Evangelistam convenit. 10 Ejus etiam vincula prædicit Agabus. 17 Jerosolymam quum advenisset, 26 templum ingressus, 27 comprehenditur à Judæis. 32 Per Lysiam tribunum illis eripitur.

a B. Vocationis cursum interdum homines non tantùm amici, sed etiam Spiritu Dei præditi conantur remorari: sed nostrum officium est, ubi nos vocari à Deo scimus, sine ulla prorsus exceptione pergere.
b Qui prædicebant per Spiritum, quæ pericula imminerent Paulo, illud quidem ut Prophetæ, at humana affectione illum deterrebant ne Hierosolymam proficisceretur.
c De septem Diaconis loquitur, de quibus antea cap. 6.

VT a autem provecti sumus, avulsi ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, & illinc Patara.

2 Et nacti navem trajicientem in Phœnicen, ea conscensa, provecti sumus.

3 Quum autem cœpisset nobis apparere Cyprus, & eam ad sinistram reliquissemus, navigavimus in Syriam, & devecti sumus Tyrum: illic enim navis erat suum onus expositura.

4 Permansimus autem ibidem dies septem, inventis discipulis: qui Paulo dicebant b per Spiritum, ne ascenderet in Hierosolymam.

5 Sed peractis illis diebus, abiimus, omnibus deducentibus nos cum uxoribus & liberis, extra urbem usque: & positis genibus in littore, precati sumus.

6 Et alii alios complexi, conscendimus navim: illi autem reversi sunt domum suam.

7 Nos verò navigatione perfecta, pervenimus Tyro Ptolemaida: & salutatis fratribus, mansimus diem unum apud eos.

8 Postridie verò egressi Paulus & nos qui cum eo eramus, venimus Cæsaream: & ingressi domum Philippi Evangelistæ (qui erat c unus ex illis septem) mansimus apud eum.

ET discessimus ab eis, & iter fecimus rectà Coum insulam: & die postero venimus Rhodum, ac inde Pataram.

2 Et invenimus illic navim quæ proficiscebatur in Phœnicen, & conscendimus eam, ac iter fecimus.

3 Atq; pervenimus usque ad Cyprum insulam, reliquimúsque eam ad synistram, ac pervenimus in Syriam, & inde pervenimus Tyrum. Illic enim erat navi exponendum onus suum.

4 Quumq; invenissemus ibi discipulos, mansimus apud eos dies septẽ, & hi dicebant quotidie Paulo per Spiritũ, ne proficisceretur ad Urischelẽ.

5 Et post illos dies egressi sumus ut pergeremus in itinere nostro: comitabanturq; nos omnes ipsi & uxores eorum usque extra civitatem: & prociderunt super genua sua juxta mare, ac orarunt.

6 Et osculati sumus invicem, & ascendimus in navim, reversiq; sunt illi in domus suas.

7 Nos verò iter fecimus ex Tyro, & venimus ad 1 Hachũ civitatẽ: & 2 dedimus pacem fratribus qui illic erant, ac mansimus apud eos diem unum.

8 Et die postero egressi sumus, ac venimus Cæsaream: & ingressi mansimus in domo Philippi Evangelistæ 3 qui erat ex septem:

1 ... civitas est quæ tribui Ascher in hæreditatem cõtigit. Et Stephanus scribit Aam fuisse ab Hercule vocatã postquam ibi remedium sensisset ex vulnere quod à serpente acceperat. Postea verò Πτολεμαΐς, ut commemorat Eusebius, vocata fuit. Retinet ergo Syriacus contextus antiquum nomen: Græca verò & Latinæ versiones illud habent quod est recentius. v. sic enim appellatur, Josue 19. Judic. 1. & alibi passim, hodieq; suum nomen retinet.
2 i. Valediximus fratribus. Hebraism.
3 Sensus est, Unus erat ex illis septem diaconis, de quibus act. 6.

9 Huic

9 Cui

9 Cui erant filiæ virgines quatuor, quæ vaticinabantur.

10 Et quum essemus ibi diebus multis, descenderat ex Judæa Propheta quidam cujus nomen erat Agabus.

11 Et ingressus est ad nos, sumsitq; zonam lumborum Pauli, & vincivit pedes suos ipsius & manus suas: ac dixit, Sic dicit Spiritus sanctus, Virum dominum zonæ hujus ita vincient Judæi in Urischelé, & tradent eum in manus Gentium.

12 Et quum hos sermones audivissemus, rogavimus eum nos [4] & filii loci illius, ne proficisceretur ad Urischelem.

13 Tunc respondit, & dixit Paulus, Quid facitis flentes, & comminuentes ipsum cor meum? ego enim non ut vinciar tantùm paratus sum, sed etiam ut moriar in Urischelem pro nomine Domini nostri Jeschua Christi.

14 Et quum non acquievisset nobis, destitimus, ac diximus, Voluntas [5] Domine fiat.

15 Et post dies istos præparavimus nos, & ascendimus ad Urischelem.

16 Et venerunt nobiscum quidam discipuli ex Cæsarea, adducentes secum fratrem quendam ex discipulis antiquis (cujus nomen erat Mnason, eratq; ex Cypro) ut exciperet nos domi suæ.

17 Quumq; venissemus ad Urischelem, exceperunt nos fratres alacriter.

18 Et die postero ingressi sumus cum Paulo ad Jaakub, quum essent apud eum omnes Seniores.

19 Et [6] dedimus eis pacem. Et narrabat eis Paulus [7] juxta ordinem quicquid fecisset Deus inter Gentes per ministerium ipsius.

20 Quumq; audivissent, glorificaverunt Deum, & dixerunt ei, [8] Tu vide frater noster, quot myriades sint in Judæa qui crediderunt, & omnes hi æmulatores sunt Legis.

21 Dictum autem est de te quòd doceas ut discedant à Musche omnes Judæi qui sunt inter Gentes: dum dicis ne circumcidant filios suos, neque in ritibus Legis ambulent.

22 [9] Quia igitur auditum est ab eis quòd veneris huc,

23 Fac id quod dicimus tibi: Sunt nobis viri quatuor quibus votum est ut purificentur:

24 Assume eos, & vade, purificare cum eis, & expone [10] pro eis impensas: ut radant capita sua: & innotescat unicuique quòd id quod dictum fuit de te, mendacium est, tuq; Legem perficias & serves.

25 De iis qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus ut servarent seipsos ab iis quę immolata sunt, & à scortatione, & à suffocato, & à sanguine.

26 Tunc Paulus assumsit viros illos die postero, & purificatus est cum eis, & ingressus profectus est in templum, notam faciens eis expletionem dierum purificationis, usquedum oblata esset oblatio uniuscujusque ex eis.

27 Quumq; pervenisset dies septimus, Judæi qui erant ex Asia, viderunt eum in templo, & incitaverunt contra eum populum totum: & injecerunt in eum manus,

28 Clamantes, ac dicentes, Viri, filii Israël, succurrite. hic est ille homo qui contra populum nostrum docet in omni loco, & contra locum hunc: & etiam [11] Gentiles introduxit in templum, & polluit locum hunc sanctum.

29 Antè enim viderant cum eo Trophimum Ephesium in urbe, & putabant quòd cum paulo ingressus esset in templum.

30 Et commota est universa urbs, & congregati sunt omnis populus & apprehenderunt Paulum,

[4] i. Habitatores & cives loci illius. Hebraism.

[5] F. al. Domini nostri fiat.

[6] i. Salutavimus eos: Hebraismus.

[7] Ad verbum, Post post, Syra phrasis antè observata: & significat unum post aliud narrare, quo ordine singula gesta sunt.

[8] F. al. vides frater: ut vulgo in Græco textu legitur.

[9] F. Hìc desunt quædam ex Græco (nam aliter legisse videtur Syrus) sed eodem argumento.

[10] F. vel cum eis, id est, præter eos tu quoque. Sic etiam Græcum, ἐπ' αὐτοῖς.

[11] F. Syrè, Aramæos. vide suprà in 20, 21.

9 Huic autem erant quatuor filiæ virgines [d] prophetantes.

10 Et quum illic permansissemus dies complures, descendit ex Judæa quidam propheta nomine Agabus.

11 Qui quum venisset ad nos, & sumsisset zonam Pauli, vinctis sibi manibus ac pedibus, dixit, Hæc dicit Spiritus sanctus, Virum cujus est hæc zona, ita vincient Hierosolymis Judæi, tradentq; in manus Gentium.

12 Ut verò ista audivimus, rogabamus & nos & ejus loci incolæ, ne ascenderet Hierosolymam.

13 Sed respondit Paulus, Quid facitis, flentes & emollientes cor meum? Nam ego non solùm vinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis pro nomine Domini Jesu.

14 [e] Quum igitur non assentiretur, acquievimus, dicentes, Fiat Domini voluntas.

15 Porrò post dies istos collectis sarcinis ascendimus Hierosolymam.

16 Venerunt autem simul etiam *aliqui* ex discipulis Cæsarea nobiscum, adducentes apud quem hospitaremur, Mnasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum.

17 Quum igitur pervenissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

18 Sequenti verò die introiit Paulus nobiscum ad Jacobū, & omnes Presbyteri adfuerunt.

19 [f] Quos complexus, exposuit ordine singula quæ Deus fecerat inter Gentes per ipsius ministerium.

20 [g] At illi *his* auditis, glorificaverunt Dominum: & dixerunt ei, Conspicis frater quot sint millia Judæorum qui crediderunt: suntq; omnes accensi zelo Legis.

21 Audierunt autem de te ex aliorum sermone, te defectionē à Mose docere omnes qui inter Gentes sunt Judęos, & dicere eos non debere circumcidere filios, neque *secundùm* ritus ambulare.

22 Quid est ergo? omnino oportet convenire multitudinem: audient enim te venisse.

23 Hoc igitur fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor [h] voto obnoxii:

24 His assumtis, [i] sanctificator cum eis, & [k] adde ad eorum sumtus, ut radant capita, & norint omnes nihil esse eorum quæ de te fama acceperunt, sed te quoque ita incedere ut Legem observes.

25 De iis autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, & decrevimus nequid hujusmodi observent, nisi ut caveant ab iis quæ sunt immolata simulacris, & à sanguine, & rebus suffocatis, & scortatione.

26 Tum Paulus assumtis viris illis, sequente die cum eis sanctificatus ingressus est in templum, [l] denuncians expletionem dierum sanctificationis, usquedum oblata fuit pro unoquoque eorum oblatio.

27 [m] Quum autem septem illi dies jam essent explendi, qui ex Asia *advenerant* Judæi ipsum conspicati in templo, concitârunt totam turbam, & injecerunt manus in eum,

28 Clamantes, Viri Israëlitæ, succurrite: hic ille homo est qui adversus populum & Legem & locum hunc omnes ubique docet: atque adeò Græcos introduxit in templum, & polluit sanctum locum istum.

29 (Viderant enim anteà Trophimum Ephesium in urbe cum eo, quem existimabant fuisse à Paulo introductum in templum.)

30 Commota est igitur urbs tota, & factus est concursus

[d] Peculiari dono prædicendi futura erant instructæ.

[e] B. Dei voluntas, omnium affectuum frænum est in iis qui Dei gloriam seriò quærunt.

[f] B. Deus auctor celebrandus omnium rectè dictorum & factorum.

[g] B. In rebus mediis (quales erant non Pharisaicæ traditiones, sed legales ceremoniæ, tantisper dum pleniùs patefieret Judæis Christiana libertas) præcipit charitas ut fratribus, non præfractè & malitiosè reluctantibus veritati, sed nondum plenè institutis, quoad ejus fieri potest (præsertim quum de tota aliqua multitudine agitur) nos ipsos ultrò accommodemus.

[h] Ad verb. habentes votum super se.

[i] i. Consecrator: hìc siquidem de impuris non agitur, sed de iis qui Nazareatus voto essent obstricti.

[k] Ut tu huic voto non tantùm interfuisse, sed etiam præfuisse videare: ideò posteà dicitur Paulus dies purificationis denunciasse. Nam quamvis in Nazaræorum oblationes essent sumtus decreti, licebat tamen iis aliquid adjicere.

Sup. 18. 18. Num. 6. 18.

[l] Significanda erat sacerdotibus dierum expletio, nam quo die Nazaræorum votum finiebatur, offerenda erant sacrificia.

[m] B. Zelus præposterus maximæ confusionis & magnorum scelerum causa.

concursus populi: & prehensum Paulum trahebant è templo: statimq; clausæ sunt fores.

31 [a] Studentibus autem ipsis eum trucidare, nunciatum est ad Tribunum cohortis, totam Hierosolymam conturbatam esse:

32 Qui eo ipso *momento* acceptis militibus ac Centurionibus, decurrit ad illos. At illi quum vidissent Tribunum & milites, cessârunt verberare Paulum.

33 Tunc appropinquans Tribunus prehendit eum, & jussit vinciri catenis duabus: & percontatus est quisnam esset, & quid fecisset.

34 Alii autem aliud clamabant in turba: & quum non posset certi *quicquam* cognoscere propter tumultum, jussit eum duci in castra.

35 Quum igitur pervenisset ad gradus, evenit ut portaretur à militibus propter violentiam turbæ.

36 Sequebatur enim multitudo populi, clamans, Tolle ipsum.

37 Et quum futurum esset, ut intrò duceretur in castra Paulus, dicit Tribuno, Licétne mihi aliquid tibi dicere? Qui dixit, Græcè nosti?

38 Nónne tu es [o] Ægyptius ille qui ante hos dies ad seditionem concitasti & eduxisti in desertum quatuor millia [p] sicariorum?

39 Dixit autem Paulus, Ego quidem sum Judæus Tarsensis, urbis in Cilicia non obscuræ civis: cæterùm rogo te, permitte mihi ut alloquar populum.

40 Quum igitur ille permisisset: Paulus stans in gradibus, manu silentium postulavit à plebe: & magno silentio facto, loquutus est lingua Hebræa, dicens,

[a] B. Dominus inter ipsos etiam profanos invenit qui aliorum conatus impediant.

[o] De isto Ægyptio, qui triginta millia hominum coëgit, vide Joseph. lib. 2. cap. 12. De bello Judaico.

[p] Utitur sicariorum nomine Græcè loquens, Græca tamen inflexione: sicarius autem à sica dicitur.

lum, atque extraxerunt eum foras è templo. & eadem hora clausæ sunt januæ.

31 Et quum quæreret turba occidere eum, auditum est à tribuno cohortis quòd tota urbs commota esset.

32 [12] Et eadem hora assumto centurione & ducibus militum multis, accurrerunt ad eos. quumq; vidissent tribunum & milites: [13] destiterunt percutere Paulum.

33 Et appropinquavit ad eum tribunus, & cepit eum, præcepitq; ut vincirent eum duabus catenis: & interrogabat de eo quisnam esset, & quid fecisset.

34 Et clamabant adversus eum homines è turba [14] quisque aliud. & propter clamorem eorum non poterat cognoscere quæ esset veritas, præcepitq; ut ducerent eum in castra.

35 Et quum pervenisset Paulus ad gradus, portabant eum milites, propter violentiam populi.

36 [15] Veniebat enim post eum populus multus, & clamabant, & dicebant, Tolle eum.

37 Et quum appropinquaret ut introiret in castra ipse Paulus, dixit tribuno, Si permittis tu mihi, loquar tecum: Ipse autem dixit ei, Græcè nosti?

38 Non es tu ille Ægyptius, qui ante dies hos turbam excitasti, & abduxisti in desertum quatuor millia [16] hominum facinorosorum?

39 Dixit ei Paulus, Ego homo sum Judæus ex Tarso Ciliciæ civitate celebri, in qua natus sum: oro te, permitte mihi loqui ad populum.

40 Et quum permisisset ei, stetit Paulus super gradus, & [17] agitabat eis manum suam: & quum desiissent, loquutus est cum eis Hebraicè, ac dixit eis,

[12] Ad exprimendum tribunum, centurionem, milites, utitur Græcis vocabulis.

[13] Ad verbum, Destiterunt ab eo quòd percutiebant Paulum,

[14] Ad verbum, Aliquid aliquid, hoc est, Quisque diversum quid vociferabatur adversus Paulum, ut fit in tumultu.

[15] i. Sequebatur eum, Hebraism,

[16] Ad verb. Facientium mala.

[17] Gestus petentis audientiam,

CAPUT XXII.

1 *Paulum rationem fidei suæ reddentem,* 22 *aliquamdiu Judæi audiunt.* 23 *Illis vero clamantibus,* 24 *virgis examinari jussus,* 27 *Romanum se civem esse declarat.*

VIri fratres & patres, audite meam, qua nunc apud vos utor, defensionem.

2 Quum audissent autem eum Hebræa lingua ipsos alloqui, magis præbuerunt se quietos. *ipse* verò dixit *eis:*

3 [a] Ego quidem sum Judæus, natus Tarsi *quæ urbs est* Ciliciæ, nutritus verò in hac ipsa urbe [b] apud pedes Gamalielis, institutus ad exquisitam formam patriæ legis, zelo Dei accensus, sicut & vos omnes estis hodiè.

4 Qui hanc sectam sum persequutus usque ad mortem, vinciens ac tradens in carceres tum viros tum mulieres.

5 Ut & Pontifex maximus mihi testis est, & totus seniorum ordo: à quibus etiam acceptis ad fratres epistolis, Damascum proficiscebar, adducturus etiam eos qui illic essent, vinctos Hierosolymam, ut punirentur:

6 Evenit autem mihi iter facienti, & appropinquanti Damasco circiter meridiem, ut repentè è cælo circumfuderit me lux multa tamquam fulgur.

7 Cecidiq; in solum, & audivi vocem dicentem mihi, Saul, Saul, quid me persequeris?

8 Ego verò respondi, Quis es Domine? Dixitq; mihi, Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.

9 Porrò qui mecum erant, [c] lucem quidem conspexerunt, & expavefacti sunt: vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum.

[a] Paulus brevi anteactæ vitæ narratione suam tum vocationem tum doctrinam ut divinam asserit.

[b] i. Assiduus auditor: huc enim respexit, quòd qui docent solent è superiore loco discipulos alloqui in subselliis sedentes.

[c] Vide sup. 9. 7.

FRatres & patres, audite [1] defensionem quæ est apud vos.

2 (Et quum audirent quòd Hebraicè loqueretur cum eis, magis desierunt, & dixit eis)

3 Ego homo sum Judæus, & natus sum in Tarso Ciliciæ, [2] nutritus verò sum in hac urbe juxta pedes Gamalielis: & eruditus fui perfectè in lege Patrum nostrorum, & fui zelator Dei, ita ut etiam vos omnes estis.

4 Et hanc viam persequutus sum usque ad mortem, quum vincirem & traderem in domum vinctorum viros & mulieres.

5 Sicut testis est pro me princeps Sacerdotum & omnes seniores, à quibus acceperam literas ut proficiscerer ad fratres qui erant Damasci, ut etiam eos qui erant illic adducerem ad Urischelem vinctos, & acciperent [3] constitutum in caput.

6 Et quum profectus essem, ac inciperem appropinquare Damasco, meridie repentè e cælo effulsit super me lux magna.

7 Et cecidi super terram, audiviq; vocem quæ dicebat mihi, Schaule, Schaule, quid persequeris tu me?

8 Ego autem respondi, ac dixi, Quis es Domine mi? Et ipse dixit mihi, Ego sum Jeschua Natzaræus, quem tu persequeris.

9 Et viri qui erant mecum, viderunt lumen, [4] vocem autem non audiverunt ejus qui loquebatur mecum.

[1] F ut sup. 19. 33

[2] Id est, Assiduus fui ejus auditor. Mos est enim ut inferiore loco sedentes discipuli magistros è suggestu docentes audiant. quod expressit Moses, Deut. 33. Hinc illa cohortatio ad studium sapientiæ, in פרקי אבות cap. 1. ut juvenes se volutent in pulvere pedum sapientum. Ita enim ibi scribunt, יהי ביתך בית מועד לחכמים והוי מתאבק בעפר רגליהם והוי שותה בצמא את דבריהם: Sit domus tua, domus conventus sapientum, & esto te volutans in pulvere pedum eorum, estoq; bibens cum siti verba eorum.

[3] Id est, Mulctam impositam capiti

ipsorum; [4] putà articulatam, ut assequerentur ea quæ enunciabat Christus: nam alioquin sonum comites Pauli audierunt, ut narrat Lucas suprà 9. 7.

10 Dixi

10 Et

10 Et dixi, quid faciam Domine mi? Et Dominus noster dixit mihi, Surge, proficiscere Damascum: & illic tibi dicetur de omni eo quod mandatur tibi ut facias.
11 Et quum nihil conspiceretur mihi propter gloriam lucis illius, [5] apprehenderunt me manibus meis ii qui mecum erant: & ingressus sum Damascum.
12 Et homo quidam Channanjah, justus in Lege, sicut testantur de eo omnes Judæi qui illic *sunt*, venit ad me,
13 Dixítque mihi, Schaule frater mi, aperi oculos tuos. Et eâdem horâ aperti sunt oculi mei, & intuitus sum eum.
14 Et dixit mihi, Deus patrum nostrorum constituit te ad cognoscendam voluntatem ejus, & *ut* videres justum illum, ac audires vocem ex ore ejus:
15 Essésque ei testis apud omnes filios hominis de omnibus quæ vidisti & audivisti.
16 Et nunc quid cunctaris tu? Surge, baptizare, & mundare à peccatis tuis, invocans nomen ejus.
17 Et reversus veni huc ad Urischelem, & oravi in templo.
18 Vidíque eum in visione dicentem mihi, Festina, & exi ab Urischelem, quia non sunt accepturi tuum testimonium de me.
19 Et ego dixi, Domine mi, etiam ipsi sciunt quòd ego tradebam in domum vinctorum, & percutiebam in omnibus Synagogis eos qui credebant in te.
20 Et quum effunderetur sanguis Stephani Martyris tui, ego quoque eram cum eis: stabam & complebam voluntatem eorum qui interfecerunt eum: & servabam vestimenta eorum qui lapidabant eum.
21 Et dixit mihi, Abi: nam ego mitto te procul ad prædicandum gentibus.
22 Et quum audivissent Paulum usque ad hunc sermonem, sustulerunt vocem suam, & clamaverunt, Tollatur de terra is qui talis est: non enim convenit ei ut vivat.
23 Et quum clamarent, & abjicerent pallia sua, ac [6] excitarent pulverem in cælum,
24 Præcepit Tribunus ut introducerent eum in castra: & mandavit ut verberibus interrogaretur, ut cognosceret propter quam causam clamarent contra eum.
25 Et quum extendissent eum [7] loris, dixit ipse Paulus Centurioni qui stabat juxta se, Permittitur vobis ut hominem Romanum qui non sit condemnatus, flagelletis?
26 Et quum audivisset Centurio, accessit ad Tribunum, dixítque ei, Quid facis tu? hic enim homo Romanus est.
27 Et accessit ad eum Tribunus, ac dixit ei, Dic mihi, Romanus es tu? Dixit ei, Etiam.
28 Et respondit Tribunus, ac dixit ei, Ego argento multo acquisivi [8] jus civitatis Romanæ. Dixit ei Paulus, Ego verò etiam in ea natus sum.
29 [9] Et statim abscesserunt ab eo illi qui quærebant ut flagellarent eum, & metuit Tribunus, quum didicisset quòd Romanus esset: eo quòd is fuisset qui eum vinciret.
30 Et die postero volebat cognoscere verè quæ esset accusatio quam adferrent adversus eum Judæi: & solvit eum, jussítque ut venirent summi Sacerdotes & tota congregatio, principum eorum: & assumsit Paulum, & deducens statuit in medio eorum.

CAPUT

5 Deerant in impresso Syro testamento, אחדוני באידי חנון דעמי הוו, Id est, Apprehenderunt me manibus meis ii qui mecum erant: quæ nos ex manuscripto codice Heidelbergensi restituimus.

6 Ad verbum, Ascendere facerent, Hebraismus.

7 F. putà quibus cæderetur, & quæstio de ipso haberetur: hoc enim est προτείνειν sive ἀνατείνειν.

8 Unicum est in Syro textu novum substantivum à Roma formatum, & sonans Romanitatem.

9 In Syra voce omissum est Vau cum sua vocali in fine, ac scriptum פרקו pro פרק F. sed hoc in aliis exemplaribus integrum exstat.

10 Dixi verò, quid faciam Domine? Dominus autem dixit mihi, Surge, ac proficiscere Damascum; & illic tibi dicetur de omnibus quæ constitutum est tibi ut facias.
11 Quum verò non viderem præ gloria lucis illius, manu deductus ab iis qui mecum erant, veni Damascum.
12 Ananias autem quidam, vir pius secundùm Legem, testimonio ornatus omnium illic habitantium Judæorum,
13 Veniens ad me, & adstans dixit mihi, Saul frater, recipe visum. Ego que eodem illo momento sum ipsum intuitus.
14 Ipse autem dixit, Deus patrum nostrorum designavit te qui cognosceres ipsius voluntatem, & videres [d] Justum illum, & audires vocem ex ore ipsius.
15 Nam eris ei testis apud omnes homines, *eorum* quæ vidisti & audisti.
16 Et nunc quid cunctaris? surgens baptizator, & abluitor à peccatis tuis, invocato nomine Domini.
17 Evenit autem mihi reverso Hierosolymam, quum precarer in templo, ut raperer extra me,
18 Et viderem eum dicentem mihi, Festina, & exi citò Hierosolymis, quoniam non recipient testimonium tuum de me.
19 Et ego dixi, Domine, ipsi sciunt me pertraxisse in carcerem, & verberibus affecisse per singulas Synagogas eos qui credebant in te.
20 Et quum effunderetur sanguis Stephani Martyris tui, ego quoque adstabam, & unà assentiebar interfectioni ipsius, & custodiebam pallia eorum qui [e] interficiebant eum.
21 Tum *is* dixit mihi, Proficiscere: nam ego te procul ad gentes emittam.
22 [f] Audiebant autem eum ad hunc usque sermonem: tum *verò* sustulerunt vocem suam, dicentes, Tolle è terra *hominem* istiusmodi: non enim convenit eum vivere.
23 [g] Clamantibus autem eis, & projicientibus pallia, & pulverem jactantibus in aërem,
24 [h] Jussit Tribunus eum duci in castra, dixítque ut in eum flagris inquireretur: ut resciret quam ob causam sic clamarent adversus eum.
25 [i] Quum autem eum distendissent loris *cædendum*, dixit adstanti Centurioni Paulus, Num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?
26 *Hoc* autem quum audisset Centurio, adiit Tribunum, & *hoc* annunciavit ei, dicens, Vide quid facturus sis: homo enim iste, Romanus est.
27 Accedens autem Tribunus, dixit ei, Dic mihi, num tu Romanus es? At ille dixit, Etiam.
28 Et respondit Tribunus, Ego multa summa civitatem istam acquisivi. Paulus autem ait, Ego verò etiam natus sum *civis*.
29 Statim igitur abscesserunt ab eo qui erant in eum inquisituri: sed & Tribunus quoque timuit, cognito eum [k] Romanum esse, quoniam eum vinxerat.
30 Postridiè verò volens certum scire, nempè cujus rei accusaretur à Judæis, solvit eum è vinculis, & jussit primarios Sacerdotes venire, totúmque ipsorum consessum: ac deductum Paulum statuit coram eis.

[T]   CAPUT

d i. Christum.

e Propriè. Neque enim præeunte judicio, sed manifesta vi Stephanus fuit à latronibus cæsus, quum ne per leges quidem tum liceret Judæis quemquam capitis damnare.

f z. Pervicax superbia, neque veritatem ipsam amplecti, neque ut ab aliis recipiatur, pati potest.

g Descriptio seditiosi tumultus & furiosæ turbæ.

h z. Prudentia carnis, non quid justum, sed quid utile sit considerat, & ita quidem ut utilitatem ex præsenti aspectu metiatur.

i z. Nihil prohibet justis adminiculis à Deo subministratis injuriam repellere.

k Non patria, sed civitatis jure.

CAPUT XXIII.

1 Paulum causam dicentem 2 Ananias percuti jubet. 7 Dissensio inter ipsos accusatores oritur. 11 Consolatur Deus Paulum. 14 De Judæorum insidiis 20 Tribunus certior factus, 27 Paulum Felici Præsidi mittendum curat.

INtentis [a] autem in consessum oculis Paulus,
ait, Viri fratres, ego omni conscientia bona servivi Deo ad hunc usque diem.
2 [b] Ananias autem Pontifex Maximus imperavit iis qui ipsi adstabant, ut os ejus cæderent.
3 [c] Tum Paulus dixit ei, [d] Futurum est ut
percutiat te Deus, [e] paries dealbate, & tu sedes
judicans me secundùm Legem, & [f] Legem transgrediens jubes me cædi?
4 Tum qui adstabant, dixerunt, Pontifici
Dei maximo convitiaris?
5 [g] Dixit autem Paulus, Nesciebam, fratres,
Pontificem esse maximum. scriptum est enim,
[I] Principi populi tui non maledices.
6 [h] Quum verò nosset Paulus unam quidem
partem esse Sadducæorum, alteram verò Pharisæorum, clamavit in consessu, Viri fratres, [I] ego
Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe & resurrectione mortuorum ego in judicium vocor.
7 [i] Quum autem hoc esset loquutus, orta est
seditio inter Pharisæos ac Sadducæos: & scissa
est multitudo.
8 [k] Nam Sadducæi quidem dicunt non esse
resurrectionem, [l] neque Angelum, neque spiritum: Pharisæi autem utrumque confitentur.
9 [m] Ortus est igitur clamor magnus: & quũ
surrexissent [n] Scribæ ex partibus Pharisæorum,
depugnabant, dicentes, Nihil mali invenimus in
homine isto: quòd si spiritus loquutus est ei, seu
Angelus, ne repugnemus Deo.
10 [o] Magna autem orta seditione veritus
Tribunus ne Paulus ab ipsis discerperetur, jussit
militum manum descendere, & eum rapere è medio ipsorum, ac ducere in castra.
11 Sequente verò nocte superveniens ei Dominus, dixit, Confide Paule: ut enim constanter
testificatus es Hierosolymis de iis quæ ad me attinent, sic te oportet etiam Romæ testari.
12 [p] Orto autem die, quidam ex Judæis facta coïtione [q] devoverunt sese, dicentes neque esuros se neque bibituros usquequò trucidassent
Paulum.
13 Erant verò plures quàm quadraginta *viri*
qui hanc conjurationem fecerant.
14 Qui adierunt primarios Sacerdotes & Seniores, & dixerunt, Devotione devovimus nosipsos, nihil gustaturos usquequò trucidaverimus
Paulum.
15 Nunc ergo vos indicate Tribuno [r] ex consessus voluntate ut eum cras ad vos deducat, veluti exquisitiùs percognituros de iis quæ ad eum
spectant: nos verò, priusquàm appropinquet, parati sumus ipsum interimere.
16 Quum autem filius sororis Pauli audisset
insidias, venit, & ingressus in castra renunciavit
istud Paulo.
17 [s] Paulus autem advocato quodam ex Cēturionibus, ait, Adolescentem hunc abduc ad
Tribunum: habet enim quod annunciet ei.
18 Ille igitur assumtum eum duxit ad Tribunum, & dixit, Vinctus ille Paulus advocatum me
rogavit ut hunc adolescentem ducerem ad te,
qui aliquid habeat quod tibi loquatur.
19 Tribunus verò, prehensa ejus manu, quum
secessisset seorsum, percontatus est, Quid est quod

habes

[a] B. Paulus bonam conscientiam omnium calumniis opponit, cujus testem citat totius vitæ suæ cursum.
[b] B. Tandem coguntur hypocritæ sua ipsorum intemperie sese prodere.
[c] B. De injuriis queri & impios ad Dei tribunal citare licet, modò id sine odio & sedato animo fiat.
[d] Græci sermonis ratio ostendit, non esse imprecationem, sed pœnæ denunciationem.
[e] Vehemens est oratio & aspera, à convitio tamen aliena. Abesse enim potest à sanctis & piis acerbitatis & animi amari, i. *πικρίας*, perturbatio.
[f] Jubet enim lex reum patienter audiri, & de concilii sententia judicē pronunciare.
[g] B. Magistratibus ex animo deferendus honor, etiam tyrannis.
[I] *Exod.* 22.28.
[h] B. Impios licet inter se interdum committere, ut ab oppugnatione desistant, modò id nulla veritatis jactura fiat.
[I] *Infrà* 24.22. *Phil.* 3.5.
[i] B. Infirma est malorum concordia, quantumlibet ad opprimendam veritatem conspirent.
[k] B. Negare Angelorum & animarum hypostasin, & mortuorum resurrectionem, vetus Sadducæorum hæresis.
[l] Naturas expertes molis corporum.
[m] B. Dominus inter ipsos hostes invenit, quum libet, causæ suæ patronos.
[n] Scribarum munus erat publicum, Pharisæorum nomen, sectæ fuit nomen.
[o] B. Deus suos ad extremum non deserit.
[p] B. Stulto zelo correpti, mentiri & occidere, quidvis denique sibi licere, arbitrantur.
[q] Exsecrando, seu devovendo se promiserunt.
[r] Senatu ita fieri petente, nempè ne privati quorumdam studio Tribunus id à se peti existimet.
[s] Prudentia Spiritus cum simplicitate est conjungenda.

ET quum intuitus esset Paulus congregationem eorum, dixit, Viri fratres mei, ego in omni conscientia bona versatus sum coram Deo usque in diem hunc.
2 Et Channanjah Sacerdos præcepit iis qui
stabant juxta eum ut percuterent Paulum super
os ejus.
3 Et Paulus dixit ei, Futurum est ut Deus
percutiat te, paries dealbate & [1] tu sedes, judicas
me secundùm id quod est in Lege, transgrediens
Legem, ac præcipis ut percutiant me.
4 Et illi qui stabant ibi, dixerunt ei, Sacerdoti Dei maledicis tu?
5 Dixit eis Paulus, Nesciebam, fratres mei,
quòd Sacerdos esset. scriptum est enim, Principi
populi tui ne maledixeris.
6 Et quum nosset Paulus quòd pars populi
esset Tzadukæorum, & pars ejus Pharisæorum,
clamavit in congregatione, Viri fratres mei, ego
Pharisæus sum, filius Pharisæi, & de spe resurrectionis mortuorum judicor.
7 Et quum hoc dixisset, ruitunus in alium,
Pharisęi & Tzadukæi, & divisus est populus.
8 Tzadukæi enim dicunt quòd non est resurrectio, neque Angelus, neque Spiritus: Pharisæi verò confitentur omnia hæc.
9 Et facta est [2] vox magna: & surrexerunt
quidam legisperiti ex lectissimis Pharisæorum, &
contendebant cum illis, ac dicebant, non invenimus quicquam mali in hoc homine: si autem
Spiritus aut Angelus loquutus est cum eo, quid
mali est in hoc?
10 Et quum esset tumultus magnus inter eos,
timebat Tribunus ne discerperent Paulum: &
misit ad Romanos ut venientes raperent eum è
medio eorum, & introducerent eum in castra.
11 Quúmque facta esset nox, visus est Dominus noster Paulo: & dicit ei, Corroborare: quia
quemadmodum testificatus es de me in Urischelem, ita futurum est ut etiam Romæ testificeris.
12 Et quum factum esset diluculum, congregati sunt quidam ex Judęis, & anathemate obstrinxerunt se, quòd non essent esuri neque bibituri, donec interfecissent Paulum.
13 Erant autem illi qui pacti fuerant cũ juramentis hoc pactũ plures quàm quadraginta viri.
14 Et accesserunt ad Sacerdotes & ad Seniores, ac dixerunt, [3] Omninò anathemate devovimus nos, quòd nihil gustabimus donec interfecerimus Paulum.
15 Et nunc petite vos & principes congregationis à Tribuno ut adducat eum ad vos, tamquam [4] quærentes ut inquiratis verè factum ejus:
& nos paramus nos ut interficiamus eum priusquàm perveniet ad vos.
16 Et audiebat filius sororis Pauli insidias
has: & ingressus est in castra, ac declaravit Paulo.
17 Ac mittens Paulus vocavit unum ex Cēturionibus, & dixit ei, Adduc adolescentem hunc
ad Tribunũ: est enim ei aliquid quod dicat illi.
18 Et accepit Centurio adolescentem, introduxítque eum ad Tribunum, ac dixit, Paulus vinctus vocavit me, & petiit à me ut adducerem hũc
adolescentem ad te, quia sit ei aliquid quod dicat tibi.
19 Et apprehendit manu sua Tribunus adolescentem, & subduxit eum [5] ad unũ latus: & interro-

[1] F. Vel tu sedes judicaturus me secundùm id quod est in Lege, & transgrediens Legem præcipis, &c.
[2] F. id est, clamor magnus, Syrorum phrasis.
[3] Ad verbum, Anathematizando anathematizavimus nos. Ex verbi repetitione est auxesis, sicut alibi annotavimus.
[4] F. vel studentes inquirere verè.
[5] Id est, Seorsim.

terrogavit eum, Quid est tibi quod dicas mihi?

20 Et dixit ei adolescens, Judæi consultaverunt ut peterent abs te ut deduceres Paulum cras ad congregationem eorum, quasi cupientes ut aliquid ampliùs discant ab eo.

21 Tu igitur ne acquiescas eis: ecce enim, plures quàm quadraginta viri ex eis observant eum in insidiis, & anathemate obstrinxerunt animas suas, quòd non comedent neque bibent donec interficiant eum. & ecce parati sunt, & exspectant promissionem tuam.

22 Et dimisit Tribunus adolescentem, quum præcepisset ei, Nequis cognoscat quòd hæc declaraveris mihi.

23 Et vocavit duos centuriones, & dixit eis, Ite, parate Romanos ducentos, qui proficiscantur Cæsaream, & equites septuaginta, & qui mittentes jaculantur dextera, ducentos, qui exeant à tertia hora in nocte.

24 Parate autem etiam jumentum, ut inequitare faciant Paulum, & evadere faciant ad Felicem Præsidem.

25 Et scripsit epistolam, ac dedit eis, in qua erat ita:

26 Claudius Lysias Felici Præsidi præstanti pacem.

27 Virum hunc ceperunt Judæi ut interficerent eum, & surrexi ego cum Romanis, & servavi eum, quum didicissem quòd Romanus esset.

28 Quúmque inquirerem ut cognoscerem causam propter quam accusabant eum, deduxi eum in congregationem eorum.

29 Et inveni quòd de quæstionibus Legis eorum accusarent eum: & causa quæ digna sit vinculis aut morte, non erat apud eum.

30 Quúmq; declaratus esset mihi dolus circa insidias quas fecerunt contra eum Judæi, statim misi eum ad te, & præcepi accusatoribus ejus ut venirent, & dicerent contra eum coram te. Esto sanus.

31 Tunc Romani, sicut præceptum fuerat eis, acceperunt Paulum nocte, & adduxerunt eum in Antipatrida civitatem.

32 Et die postero equites dimiserunt pedites, socios suos, ut reverterentur in castra.

33 Et adduxerunt eũ Cæsareã, tradiderúntq; epistolam Præsidi, ac stiterunt coram eo Paulum.

34 Et quum legisset epistolam, interrogavit eum ex qua provincia esset: quúmque didicisset quòd esset ex Cilicia,

35 Dixit ei, Auditurus sum te quum venerint accusatores tui. Et præcepit ut custodirent eum in prætorio Hiraudis.

habes mihi annunciandum?

20 *Ille* autem dixit, Judæi constituerunt te rogare ut cras Paulum deducas in consessum, quasi aliquid exquisitiùs percontaturi sint de eo.

21 Tu verò ne ipsis assentitor. Insidiantur enim ei ex istis viri plures quadraginta, qui seipsos devoverunt, neque esuros neque bibituros usquequò interemerint eum: & nunc parati sunt, exspectantes quid à te renuncietur.

22 [t] Tribunus igitur dimisit adolescentem, quum ei præcepisset *ut* nulli effutiret quòd hæc ipsi indicasset.

23 Et advocatis duobus quibusdam ex Centurionibus, Parate, ait, milites ducentos, qui proficiscantur Cæsaream usque, & equites septuaginta, & stipatores ducentos, à tertia hora noctis:

24 Et ut jumenta [u] præberent, ut impositum Paulum salvum perducerent ad Felicem Præsidem:

25 Scripta epistola quæ hanc summam contineret,

26 [x] Claudius Lysias præstantissimo Præsidi Felici salutem.

27 Virum hunc comprehensum à Judæis, quum jam futurum esset ut ab eis interimeretur, superveniens cum militum manu, erui, quum cognovissem Romanum esse.

28 Et volens scire causam cur eum criminarentur, deduxi eum in ipsorum consessum.

29 Quem comperi accusari de quæstionibus Legis ipsorum, nullius verò criminis reum quod sit dignum morte aut vinculis.

30 Indicatis autẽ mihi insidiis adversus hunc virum eventuris à Judæis, eo ipso momento misi *eum* ad te, & denunciavi quoque accusatoribus ut quæ habent adversus eum dicant apud te. Vale.

31 Milites igitur, sicut ipsis præceptum erat, assumtum Paulum duxerunt nocte Antipatrida.

32 Postero autem die, reversi sunt in castra, relictis equitibus qui cum eo proficiscerentur.

33 Qui quum venissent Cæsaream, & reddidissent epistolam Præsidi, stiterunt coram eo etiam Paulum.

34 Quum legisset autem *literas* Præses, & interrogasset ex qua provincia esset, ac cognovisset esse ex Cilicia,

35 Audiam te, inquit, quum accusatores quoque tui adfuerint. Jussítque in prætorio Herodis ipsum custodiri.

[t] 8. Non est consilium contra Dominum & ipsius servos.

[u] Parata exhiberent.

[x] 2. Lysias repentè factus à Domino Pauli patronus.

CAPUT XXIIII.

2 Tertullo accusante 10 Paulus pro se causam dicit. 25 Præsidi & ejus uxori Christum annunciat. 27 Speratam pecuniam quam frustrà Felix exspectasset, 28 provincia decedens, vinctum Paulum relinquit.

ET post dies quinque descendit Channanjah princeps sacerdotum cum Senioribus, & cum Tertullo oratore: & [1] ostendit *se* Præsidi contra Paulum.

2 Quúmque citatus esset, incepit Tertullus accusans eum, ac dixit,

3 [2] In magnitudine tranquillitatis habitamus propter te, & [3] emendationes multæ fiunt [4] moderamine judicii in populo hoc, & [5] omnes nos in omni loco accipimus gratiam tuam, præstantissime Felix.

QUinque [a] autem post diebus descendit Pontifex Maximus Ananias cum Senioribus, & Tertullo quodam oratore: qui comparuerunt coram Præside contra Paulum.

2 Citato igitur eo, cœpit accusare Tertullus, dicens,

3 [b] Multa *nos* pace potiri per te, & ea quæ rectè ac fœliciter in hac gente prudentia tua [c] gesta sunt, prorsus & ubique agnoscimus, præstantissime Felix, cum omni gratiarum actione.

[1] 7. Id est, in jure comparuit, contra Paulum experturus.

[2] id est, Tua causa ô Præses in summa tranquillitate agimus.

[3] Ad verbum. Directiones multæ fiunt, hoc est, Multa quæ depravata erant, per te corriguntur, & ad regulam rectitudinis reformantur. [4] Ad verbum, Per libramen rationis tuæ. Pulcra est prudentiæ, æquitatis & moderati judicii periphrasis. [5] id est, Tua in nos merita omnes omni loco pro singulari gratia agnoscimus & prædicamus, atque in nos gratitudinis obligationem recipimus.

[a] 8. Hypocritæ quod nec vi nec fraude possunt, tandem juris specie nituntur obtinere.

[b] Crudeliter quidem & avarè administravit Provinciam Felix, multa tamen peçclarè ab eo gesta narrat Josephus, capto nempè Eleazaro sicariorum duce, & profligato Aegyptio illo impostore qui magnas in Judæa turbas dederat. [c] κατορθώματα utitur nomine, quod officium perfectum Stoici definierunt.

4 Ne verò te diutiùs interpellem, precor te ut audias nos paucis pro tua æquitate.

5 Comperimus enim virum hunc *esse* [d] pestem,& qui moveat seditionem omnibus Judæis per universum orbem,& [e] principem sectę [f] Nazarenorum:

6 Qui templum quoque tentavit profanare: in quem etiam prehensum voluimus secundùm Legem nostram judicium ferre.

7 Sed interveniens Tribunus Lysias, cum magna vi abduxit eum è manibus nostris:

8 Jussis ipsius accusatoribus ad te venire: ex quo poteris ipse,inquisitione habita, de omnibus istis cognoscere de quibus nos eum accusamus.

9 [g] Consenserunt autem etiam Judæi,ajentes hæc ita se habere.

10 [h] Respondit autem Paulus, quum innuisset ei præses ut loqueretur,Quia te [i] à multis annis isti genti præfuisse scio, eò alacriore animo quæ ad me attinent pro mei defensione dicam.

11 Quum tu possis certior fieri non plures *exactos* esse dies quàm duodecim,ex quo ascendi Hierosolymam adoraturus.

12 Neq; verò me in templo invenerunt cum aliquo disserentem,aut coitionem turbę facientem,neque in Synagogis,neque in urbe:

13 [k] Neque probare possunt ea de quibus nunc me accusant.

14 [l] Hoc verò tibi fateor, me secundùm viam illam,quam [m] hæresin dicunt, ita servire patrio Deo, ut qui credam omnibus quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt:

15 *Et* spem habeam in Deo,fore,quam etiam ii ipsi exspectant, resurrectionem mortuorum, tum justorum,tum injustorum.

16 Intereà verò ipse *me* exerceo, ad conscientiam habendam sine offendiculo apud Deum & apud homines semper.

17 [n] Pluribus autem annis interjectis, veni eleemosynas pręstiturus gēti meę & oblationes.

18 [o] Inter quæ invenerunt me sanctificatum in templo, non *tamen* cum turba, neque cum tumultu,quidam [p] ex Asia Judæi.

19 Quos oportuit apud te adesse, & accusare siquid haberent adversum me.

20 Aut hi ipsi dicant siquod compererunt in me injustè factum, [q] quum ego starem in cōsessu.

21 Nisi de hac una voce qua clamavi quum inter eos starem,De resurrectione mortuorum ego in judicium vocor hodiè à vobis.

22 [r] Auditis autem his, Felix distulit eos. [s] Postquam exquisitiùs pernovero quæ ad viam istam pertinent,inquiens, quum Tribunus Lysias descenderit,pernoscam vestrum negotium.

23 [t] Edicto etiam Centurioni ut servaretur Paulus,ac laxaretur, & nequis prohiberetur ex ipsius familiaribus ei ministrare,aut eum adire.

24 Aliquot autem pòst diebus quum advenisset Felix cum [u] Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa,accersivit Paulum: & audivit eum de fide quæ est in Christum.

25 Differente autem ipso de justitia, & continentia,& judicio futuro, expavefactus Felix respondit,Ut nunc se res habent, abi: opportunitatem autem nactus accersam te.

[d] Ad verb. pestem.

[e] Quasi primos ordines ducentem,vel antesignanum.

[f] Sic vocabantur per ludibrium Christiani ab urbe Nazareta ubi natum putabant Christum,unde factum ut Julianus Apostata illum Galilæum vocaret.

[g] Orationem Tertulli confirmârunt.

[h] B. Tertullus ex diaboli rhetorica, incipiens ab adulatione,desinit in mendacia: Paulus verò divina eloquentia fretus, simplici exordio adhibito,vera justificatione objectum seditionis crimen à se rejicit.

[i] Causam dixit Paulus biennio antequam Felix de Provincia decederet,infrà 27. antequam autem Felix Judææ præficeretur à Claudio,administrârat Trachonitidem,Bathanæam,& Galaunitidem, Josep. de bel. Jud. lib. 2. cap. 11.

[k] Ob oculos sistere,& certis argumentis confirmare.

[l] B. In causam religionis Paulus à conjecturali ad qualitatis statum delabitur,objectam sibi religionem non modò non negans,sed etiam ut veram,divinam & omnium antiquissimam,defendens.

[m] Hæresis sive secta in bonam partem.

[n] B. Rem gestam denique verè narrat Paulus,quam Tertullus multis modis corruperat.

[o] Quibus rebus dum essem occupatus.

[p] Hinc colligitur Asianos fuisse inimicos Pauli,& eos qui adversus eum populum concitassent.

[q] Ad quem deductus fueram à Tribuno. [r] B. Judex ut de re dubia, Ampliùs pronunciat. [s] De impietate judicare non poterat Felix, nisi meliùs cognita ratione ejus viæ quam profitebatur Paulus,de reliquis quæ ad seditionem pertinebant, censet audiendum Lysiam, ideò ampliat reum. [t] B. Fidus est suorum custos Dominus, & incredibilis quædam virtus veritatis etiam inter homines alioqui profanos. [u] Drusilla soror fuit Agrippæ, de quo posteà loquetur Lucas, fœmina libidinosissima, quæ ab Azizo Emesenorum rege circumciso,ad hunc Felicem Pallantis liberti Neronis fratrem transiit.

26 Simul

4 Ne autem fatigemus te multis, oro te ut audias demissionem nostram cum brevitate.

5 Invenimus enim virum hunc quòd sit [6] sicarius,& excitet tumultum contra omnes Judæos qui sunt in universa terra: princeps enim est doctrinæ Natzaræorum.

6 Et templum nostrum voluit contaminare: & quum apprehendissemus eum, quæsivimus ut judicaremus eum [7] sicut est *præscriptum* in Lege nostra.

7 Venit autem Lysias Tribunus, & violentia magna è manibus nostris abstulit eum, & ad te misit.

8 Ac præcepit accusatoribus ejus ut venirent ad te: & [8] inventurus es, interrogans ut discas ab eo de omnibus his de quibus nos accusamus eum.

9 [9] Acclamaverunt autem ei etiam ipsi Judæi,dicentes quòd hæc ita haberent.

10 Et innuit præses Paulo ut loqueretur. & respondit Paulus, ac dixit, Ab annis multis novi te esse judicem populi hujus: & propter hoc lubentiùs [10] defensione utor pro me ipso.

11 Quum possis tu nosse quòd non plures sint mihi quàm duodecim dies ex quo ascenderim Urischelem ad adorandum.

12 Neq; invenerunt me quòd loquerer cum quoquam in templo, neque etiam quòd congregationem congregaverim, nec in Synagoga eorum,neque in urbe.

13 Neque facultas est in manibus eorum, ut probent coram te id de quo nunc accusant me.

14 Cæterùm hoc fateor, quòd in ea ipsa doctrina de qua loquuntur, in ea colo Deum Patrum meorum: credens omnibus quæ scripta sunt in Lege & in Prophetis.

15 Et est mihi spes in Deo, quam etiam ipsi sperant, futuram esse resurrectionem quæ erit [11] à mortuis, *resurrectionem inquam* justorum & iniquorum.

16 Propter hoc quoque laboro ut conscientia pura sit mihi coram Deo & coram filiis hominis constanter.

17 Post annos autem plures veni ad [12] filios populi mei,ut darem eleemosynam, & offerrem oblationem.

18 Et invenerunt me isti in templo purgantem me,non cum turba, neque in tumultu. Nisi quòd tumultuati sunt illi Judæi qui venerunt ex Asia.

19 Quos oportebat ut starent mecum coram te,& accusando proferrent id quod esset eis.

20 Aut hi ipsi dicant quid invenerunt in me delicti, quum starem coram congregatione eorum:

21 Nisi *sit* hoc unum verbum quod clamavi, stans in medio eorum,De resurrectione mortuorum ego judicor hodiè coram vobis.

22 Felix autem,quia noverat viam hanc plenè,distulit eos: dicens, Quum venerit Tribunus audiam [13] inter vos.

23 Et præcepit Centurioni,ut servarent Paulum [14] cum quiete, & ut nemo ex notis ejus prohiberetur,quominùs ministraret ei.

24 Et post paucos dies misit Felix, & Drusilla uxor ejus quæ erat Judæa: & vocaverunt Paulum,& audiverunt ab eo de fide Christi.

25 Et quum loqueretur cum eis de justitia & sanctitate, & de judicio quod futurum est, repletus est pavore Felix, ac dixit, Nunc abi, & quum fuerit mihi opportunitas, [15] mittam post te.

[6] Ad verbum, Jugulator sive mactator. hoc est, Nefandissimus. F. vel pestilentissimus,& perniciosissimus.

[7] i. Ut Lex nostra jubet.

[8] F. vel poteris, quum interrogabis eum,discere ab eo,&c.

[9] Intelligit illos Judæos,quorum orator erat Tertullus. F. vel contenderunt quoque cum eo.

[10] F. ut suprà 19. 33. & 22. 1. & infrà 25. 8.

[11] Ad verbum, De inter mortuos,ut Gallicè, *D'entre les morts.*

[12] id est, Gentiles meos. Hebraismus.

[13] i. De controversia quæ est inter vos,&c. utramque partem audiam. Hebraismus, Deut. 1. 16.

[14] id est, Ita ut Paulus quietè ageret, neque ei vis aut injuria à Judæis afferretur, Gallicè, *En asseurance.*

[15] i. Accersam te. Syra phrasis priùs explicata. Sic Gallicè dicitur, *J'envoyeray apres toy.*

26 Sperabat

26 Sperabat enim quòd munus daretur sibi à Paulo: propter hoc sedulò mittens venire faciebat eum, ac loquebatur cum eo.

27 Et quum impleti essent ei duo anni, alius præses venit in locum ejus, qui vocabatur Porcius Festus. Felix autem [16] ut faceret beneficentiam erga Judæos, reliquit Paulum vinctum.

16 Id est, Ut rem gratam præstaret Judæis.

26 Simul & illud sperans, fore ut pecunia ipsi daretur à Paulo, ut eum *vinculis* exsolveret: quamobrem etiam frequentiùs eum accersens, colloquebatur cum eo.

27 [x] Biennio autem completo accepit successorem Felix Porciũ Festum: & [y] volens gratiam inire à Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

x B. In animo sibi malè conscio etiamsi qua interdum est æquitatis species, necesse tamen est mox deleri. Intereà tamen patientia opus est, eaque diuturna. y Quum infinita in provincia scelera admisisset, solius Pallantis fratris gratia mortem evasit, unde intelligitur cur voluerit Judæis gratificari.

CAPUT XXV.

1 Festus succedens Felici, 6 jubet Paulum adduci. 11 Paulus Cæsarem appellat. 14 Festus Agrippæ regi negotium Pauli exponit, 23 eumdémque illi sistit, 27 ut causam cognoscat.

ET quum venisset Festus Cæsaream, post tres dies ascendit ad Urischelem.

2 Et indicaverunt ei summi Sacerdotes & primores Judæorum de Paulo, & petierunt ab eo

3 (Rogantes eum) hanc gratiam, ut mittens accerseret eum ad Urischelem: [1] facientes insidias in via ut interficerent eum.

4 Et Festus reddidit responsum, Paulus servatur Cæsareæ, & ego [2] festino ut proficiscar.

5 Qui igitur sunt inter vos in quorum manibus sit facultas, descendant nobiscum: & de omni delicto quod est in eo homine, accusent.

6 Et quum mansisset ibi diebus octo aut decem, descendit Cæsaream: & die postero sedit pro tribunali, & præcepit ut adducerent Paulum,

7 Et quum venisset, circumdederunt eum Judæi qui descenderant ab Urischelem, & accusationes multas ac duras afferebant contra eum, quas non poterant demonstrare.

8 Quúmque Paulus [3] defensionem diceret, quòd non deliquisset quicquam neque in Legem Judæorum, neque in Templum, neque in Cæsarem:

9 Festus autem (quia volebat fœnerari beneficium Judæis) diceret Paulo, Vis ascendere ad Urischelem? & illic de his judicaberis coram me:

10 Respondit Paulus, ac dixit, Ad tribunal Cæsaris sto: hic justum est mihi judicari. Nihil peccavi in Judæos, sicut etiam tu nosti.

11 Quòd si delictum commissum est à me, aut aliquid quod dignum sit morte, non me subduco à morte: si autem non est apud me aliquid ex his quorum accusant me, nemo daturus est me eis dono. [4] Protectiones Cæsaris appello.

12 Tunc Festus loquutus est [5] cum consiliariis suis, ac dixit, Protectionem Cæsaris appellâsti? ad Cæsarem iturus es.

13 Et [6] quum fuissent aliquot dies, descendit Agrippa rex & Bernice Cæsaream [7] ut salutarent Festum,

14 Et quum manerent apud eum aliquot diebus, narravit Festus regi causam Pauli, dicens, Homo quidam vinctus relictus est à manibus Felicis:

15 Et quum essem in Urischelem, indicaverunt mihi de eo summi Sacerdotes & Seniores Judæorum, & petierunt ut [8] facerem eis judicium de eo.

16 Et dixi eis quòd non est mos Romanis, [9] ut dent filium hominis donum ad necem, priusquam venerit [10] litigator ejus, & arguat eum in facie ejus, & detur ei locus ad dicendam defensionem super eo de quo accusatur.

17 Et quum venissem huc absque dilatione, die postero sedi pro tribunali, & præcepi ut [11] adducerent mihi hominem illum:

18 Et steterunt cum eo accusatores ejus, nec potuerunt ullam accusationem malam demonstrare contra eum, sicut suspicatus eram:

1 F. Vel dum faciebant insidias, &c.
2 Id est, Citò redibo illuc.
3 F. ut suprà 19. 33. sic etiam infrà V. 16.
4 Syra phrasis, Id est, Imploro opem Cæsaris, F. vel provocationes Cæsaris appello, Syra phrasi: & ita deinceps.
5 Ad verbum, Cum filiis consilii sui. Hebraismus.
6 Id est, Quum intercessissent.
7 Ad verbum, Ut pacem peterent Festi. Id est, Ut salutarent Festum, pacem & tranquillitatem ei optantes.
8 Id est, Ut condemnarem eum.
9 F. id est, dedere quemquam afficiendum supplicio ultimo.
10 Ad verbum, Dominus litis ejus. Id est, qui litem movit contra eum. Hebraismus.
11 F. id est, adduceretur homo: sic passim, Hebraismus.

19 Quæstio-

FEstus [a] ergo ingressus provinciam, triduo pòst ascendit Cæsarea Hierosolymam.

2 Comparuerunt autem coram eo Pontifex maximus & primarii ex Judæis contra Paulum, & eum precati sunt,

3 Petentes gratiam adversus eum, ut accerseret eum Hierosolymam: factis insidiis ut *eum* in via interimerent.

4 Festus autem respondit ut servaretur Paulus Cæsareæ, se verò citò *illuc* profecturum.

5 Qui ergo inter vos, inquit, *istud* poterunt, unà descendant, & si quid est in hoc viro improbum, accusent eum.

6 [b] Actis autem apud eos diebus non pluribus quàm decem, quum descendisset Cæsaream, postero die sedit in tribunali, jussítque Paulum adduci.

7 Qui quum adfuisset, circumsteterunt *eum* qui Hierosolymis descenderant Judæi, multas & graves criminationes adferentes adversus Paulum, quas non valebant [c] demonstrare:

8 Quum ipse pro sui defensione diceret, Neque in Legem Judæorum, neque in Templum, neque in Cæsarem quicquam peccavi.

9 [d] Sed Festus volens gratiam inire à Judæis, respondens Paulo, dixit, Vis Hierosolymam ascendere, & illic de his judicari apud me?

10 Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet judicari. Judæis nulla in re injuriam feci, sicut & tu [e] pulcrè nosti.

11 Nam si injuriam & si quid dignum morte feci, non recuso mori: sin verò nihil est ex iis de quibus isti me accusant, nemo potest me illis condonare: Cæsarem appello.

12 Tunc Festus cum concilio colloquutus, respondit, Cæsarem appellasti? ad Cæsarem proficisceris.

13 [f] Diebus autem aliquot exactis, [g] Agrippa rex & Bernice venerunt Cæsaream, salutaturi Festum.

14 Et quum dies complures illic egissent, Festus regi exposuit quæ ad Paulum *spectabant*, dicens, Vir quidam est relictus à Felice in vinculis,

15 De quo quum essem Hierosolymis, comparentes indicârunt mihi principes Sacerdotum & Seniores Judæorum, petentes damnationem adversus eum.

16 Quibus respondi, non esse Romanis morem, quempiam ultrò addicere [h] exitio, *id est*, priusquam is qui accusatur in conspectu habeat accusatores, & locum defensionis accipiat super criminatione.

17 Quum ergo huc convenissent, absque ulla dilatione consequente die sedens in tribunali, jussi adduci hominem.

18 Cujus accusatores quum adstarent, nullum crimen objiciebant eorum quæ ego suspicabar.

a B. Diligentes ministri Satanæ in captandis omnibus occasionibus: sed excubans Dominus pro suis omnia eorum consilia nullo negotio impedit.
b B. Injuriam non injuria, sed jure licet repellere.
c Certò & indubitatis argumentis confirmare.
d B. Dominus malorum consilia non tantùm avertit, sed etiam in ipsorum caput retorquet.
e Id est, Optimè.
f B. Festus nihil tale cogitans, testibus etiam regibus, Judæorum improbitatem, & Pauli innocentiam in apertum proferens, Ecclesiam Dei mirificè confirmat.
g Agrippa iste Agrippæ fuit filius, cujus mortem antea descripsit Lucas, ejus soror Bernice.
h Non esse Romanis hunc morem ut quempiam ad pœnam condonent priusquam, &c.

19 [i] Sed

i B. Profani ex intestinis rixis dãnandæ verę doctrinę occasionem arripiunt: sed salva interim manet veritas.
k Prophanus homo Judaicam religionem superstitionem vocat, idque coram Agrippa rege: sed mirum id esse non debet, quando soliti fuerint provinciarum pręsides, ob Romani imperii majestatem, sese regibus anteponere.
l B. Impletur in Paulo quod de eo prædixerat Ananiæ Dominus, supra 9.
m Cum magna pompa, id est, apparatu Regio.
n Jurisconsultorum verbum pro eo loco ubi jus dicitur.
o Id est, Cæsari, quam appellationem ab adulatoribus ortam tyranni primùm affectârunt: deinde etiam boni principes non recusãtunt, ut ex Plinii ad Trajanum epistolis apparet.

19 [i] Sed quæstiones quasdam de sua [k] superstitione habebant adversus eum, & de quodam Jesu defuncto, quem ajebat Paulus vivere.

20 Dubitans autem ego super ejusmodi inquisitione, dixi num vellet proficisci Hierosolymam, & illic judicari super istis.

21 Quum verò Paulus appellasset ut servaretur Augusti cognitioni, jussi eum servari quousque mitterem eum ad Cæsarem.

22 [l] Agrippa verò dixit Festo, Velim & ipse hominem audire. At ille, Cras, inquit, eum audies.

23 Postero igitur die quum venisset Agrippa & Bernice cum multa [m] ostentatione, & introissent in [n] auditorium cum Tribunis & eminentibus ejus urbis civibus, jubente Festo, adductus est Paulus.

24 Tum Festus, Agrippa rex, inquit, & omnes qui simul adestis nobiscum, conspicitis istum, de quo omnis multitudo Judæorum compellavit me & Hierosolymis & hic, vociferantes non oportere ipsum vivere ampliùs.

25 Ego verò quum comperissem eum nihil dignum morte fecisse: & is ipse appellasset Augustum, decrevi eum mittere.

26 De quo quid certi scribam [o] domino, non habeo. quapropter eum ad vos produxi, & maximè ad te rex Agrippa, ut habita quæstione, habeam quod scribam.

27 Nam præter rationem mihi videtur, quum mittam vinctum, non etiam crimina in eum *collata* significare.

19 Quæstiones autem [12] quædam de religione eorum erant eis contra eum, & de Jeschua quodam qui mortuus est, quem dicebat Paulus quòd vivus sit.

20 Et quia [13] non eram firmus circa quæstionem rerum harum, dicebam Paulo, Petisne tu ut proficiscaris ad Urischelem, & illic judiceris super istis?

21 Ipse autem petiit ut servaretur ad judicium Cæsaris. Et præcepi ut servaretur donec mitterem eum ad Cæsarem.

22 Dixitque Agrippa, Cupivissem audire hominem hunc. Et Festus ait, Cras auditurus es eũ.

23 Et die postero venit Agrippa & Bernice [14] cum fastu multo, & ingressus est [15] in domum judicii cum Tribunis & primoribus civitatis, & [16] præcepit Festus: & venit Paulus.

24 Et dixit Festus, Agrippa rex, & omnes viri qui estis nobiscum, de hoc homine quem videtis, universus populus Judæorum interpellavit me in Urischelem & hic, clamantes quòd non ampliùs conveniret huic ut viveret.

25 Ego autem comperi quòd nihil quod dignum sit morte actum sit ab eo: & quia ipse petiit ut servaretur ad judicium Cæsaris, præcepi ut mitteretur.

26 Et non novi quid scribam de eo Cæsari. propter hoc volui adducere eum coram vobis, & maximè coram te, rex Agrippa, ut quum inquisita fuerit causa ejus, inveniam quid scribam.

27 Non enim convenit ut quum mittimus hominem vinctum, nõ scribamus delictum ejus.

12 Ad verbum, Aliquæ aliquæ: Syra phrasis.
13 F. Id est, non liquebat, aut constabat mihi.
14 Id est, Magno apparatu regio.
15 Id est, In auditorium in quod ad cognoscendum de causis conveniunt judices.
16 F. id est, præcipiente Festo advenit Paulus. Sed non ita Syri utuntur participiis.

CAPUT XXVI.

2 Paulus coram Agrippa 4 Vitam actam à juventute, 16 vocationémque suam, 22 tanta auctoritate exponit, 28 ut etiam regis animum nonnihil flectat: 30 sed re infecta discedunt proceres.

a B. Peritum judicem nancisci, magnum & rarum Dei beneficium.
b B. Paulus vitæ suæ narrationem in duo tempora distribuens, prioris testes citat ipsos adversarios, posterioris verò, Patres & Prophetas.
c Qui anteà fuerim, ubi & quomodo vixerim.
d A Pharisæis oriundum.
e Exquisitissima erat inter Judæorum sectas Pharisaismus, quia cæteris præstabat.
f B. Tres sunt testes maximè idonei veræ doctrinæ, Deus, veri Patres, Ecclesiæ consensus.
g B. Mortuos resurgere probat, primùm ex Dei potentia, deinde ex Christi resurrectione, cujus ipse sit testis idoneus.
[g] *Suprà* 8. 3.
h Comprobavi. non enim fuit è Judicum numero.
i Atrocitate suppliciorum.

AGrippa verò Paulo dixit, Permittitur tibi pro teipso dicere. Tunc Paulus extenta manu, hac defensione usus est.

2 [a] Super omnibus de quibus postulor à Judæis, rex Agrippa, beatum me duco quòd sim hodiè causam apud te dicturus:

3 Maximè quòd te gnarum esse sciam omnium qui apud Judæos sunt tum rituum tum quęstionum. Ideò rogo te ut patienter me audias.

4 [b] Vitam itaque meam actam à juventute, quæque à principio fuit in gente mea Hierosolymis, sciunt omnes Judæi:

5 Ut qui [c] anteà noverint, me jam inde à [d] majoribus (si velint testari) secundùm [e] exquisitissimam illam sectam nostræ religionis vixisse Pharisæum.

6 [f] Nunc verò ob spem promissionis factæ patribus nostris à Deo, sto in judicium vocatus:

7 Ad quam *promissionem* duodecim tribus nostræ, *Deo* nocte & die perpetuò servientes sperant se perventuras. de qua spe postulor, rex Agrippa, à Judæis.

8 [g] Quid? incredibile judicatur apud vos quòd Deus mortuos excitet?

9 Equidem statueram apud me adversus nomen Jesu Nazareni multa oportere me contraria facere.

10 [g] Quod etiam feci Hierosolymis: & multos sanctorum ego carceribus inclusi, à principibus Sacerdotum potestate accepta: & quum *ab eis* interimerentur, [h] tuli suffragium.

11 Ac per omnes Synagogas sæpe ipsos puniens, [i] coëgi ad blasphemandum: & supra modum furens adversus eos, persequutus sum *ipsos* etiam in exteras usque civitates.

ET dixit Agrippa Paulo, Permittitur tibi loqui pro teipso. Tunc Paulus extendit manum suam, & [1] defendit se, ac dixit,

2 Super omnibus de quibus accusor à Judæis, rex Agrippa, arbitror ego de meipso, quòd beatus sim, qui coram te hodiè me defendo.

3 Maximè quia scio quòd edoctus sis in omnibus quæstionibus & legibus Judæorum: idcircò peto abs te ut [2] cum patientia audias me.

4 Norunt enim ipsi Judæi (si volunt testari) conversationes meas quæ à pueritia mea fuerunt mihi à principio in populo meo & in Urischelem.

5 Quia à longo tempore edocti sunt de me, & norunt quòd in doctrina principali Pharisæorum vixerim.

6 Et nunc ob spem promissionis quæ facta fuit Patribus nostris à Deo, sto & judicor.

7 Ad quam spem duodecim tribus nostræ sperant quòd pervenient, precibus assiduis diei & noctis: & propter hanc eandem spem accusor [3] à Judæis, rex Agrippa.

8 [4] Quid judicatis vos? nonne oportet ut credamus quòd excitavit Deus mortuos?

9 Ego enim à principio posueram in mente mea, ut contraria multa facerem adversus nomen Jeschua Natzaræi.

10 Id quod feci etiam in Urischelem: & sanctos multos conjeci in domum vinctorum, per potestatem quam acceperam à summis Sacerdotibus: & quum interficerentur ab eis, adjunxi me eis qui damnaverant eos.

11 Et in omni Synagoga agitabam eos, quum cogerem ut blasphemarent nomen Jeschua, & in ira magna qua repletus eram contra eos, etiã ad civitates alias egressus sum ad persequendũ eos.

1 F, ut suprà 19. 33. & passim: sic versu sequente, & 24.
2 F. Syrè, in protractione vel protensione spiritus.
3 F. Syrè, à manibus Jehudæorum.
4 F. vel Quid? judicatis vos non oportere ut credamus, &c. ἐρωτηματικῶς.

12 Inter

12 Et

12 Et quum proficiscerer propter hoc Damascum cum potestate & [5] permissione summorum Sacerdotum,

13 In medio diei in via vidi è cælo, ô rex, quòd effulgeret super me & super omnes qui mecum erant, lux quæ excellentior erat [6] quàm sol.

14 Et cecidimus omnes super terram, ac audivi vocem dicentem mihi Hebraicè, Schaul, Schaul, quid persequeris tu me? Durum est tibi calcitrare contra stimulos.

15 Et ego dixi, Quis es Domine mi? Et Dominus noster dixit mihi, Ego sum Jeschua Natzaræus, quem tu persequeris.

16 Dixitq; mihi, Surge super pedes tuos: propter hoc ipsum enim apparui tibi ut constituerem te ministrum & testem ejus quod vidisti à me, & quod futurum est ut videas à me.

17 Et eripiam te à Gente Judęorum, & à gentibus aliis ad quas ego mitto te,

18 Ut aperias oculos eorum, quò convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem cum sanctis per fidem quæ est in me.

19 Quapropter, rex Agrippa, non restiti contumaciter contra visionem cælestem:

20 Sed prædicavi primùm iis qui erant Damasci, & iis qui erant in Urischelem, & qui in omnibus agris Judææ: & etiam Gentibus prædicavi ut resipiscerent & converterētur ad Deū, & facerent opera quæ digna essent resipiscentia.

21 Et propter hæc comprehenderunt me Judæi in templo, & volebant interficere me.

22 Adjuvit autem me Deus usque in diem hunc, & ecce sto, & testificor [7] parvis & magnis, nihil extra Musche & Prophetas dicens, sed ea quæ ipsi dixerunt quòd futura essent:

23 *Nempe* quòd passurus esset Christus, & quòd futurus esset principium resurrectionis [8] à mortuis, & quòd prædicaturus esset lucem populo huic & Gentibus.

24 Et quum ita se defenderet Paulus, clamavit Festus voce elata, Insaniisti Paule: multa doctrina adegit te ad insaniam.

25 Dixit ei Paulus, Non insanivi præstantissime Feste: sed sermones veritatis & rectitudinis loquor.

26 Et etiam rex Agrippa valdè novit de his ipsis quòd ita habeant: & idcircò liberè loquar coram eo, quia ne unum quidem ex his sermonibus arbitror ego quòd lateat eum. nequaquam enim in occulto *hæc* gesta sunt.

27 Credis tu rex Agrippa Prophetis? scio quòd credis.

28 Dixit ei rex Agrippa, [9] Propemodum persuades mihi ut sim Christianus.

29 Et Paulus dixit, [10] Optarem à Deo propemodum & admodum, nequaquam tibi cantùm, sed etiam omnibus qui audiunt me hodiè, ut essent sicut ego, exceptis vinculis istis.

30 Et [11] surrexit rex & præses, & Bernice, & qui sederant cum eis.

31 Et quum secessissent inde, loquebantur unus cum alio, ac dicebant, Nihil quod dignum sit morte & vinculis, fecit homo iste.

32 Et dixit Agrippa Festo, Potuisset homo iste dimitti, nisi [12] protectionem Cæsaris appellâsset.

5 *T.* vel procuratione, id est, instrumento publico auctoritatis meæ & procurationis mihi mandatæ. metonymia.
6 *T.* vel, quàm lux Solis.
7 Nomen Syriacum in impresso perperàm erat cū Lamed loco Ain, quod non dubito typographi incuria cōmissum fuisse, qui non satis observavit discrimen inter harum literarum characteres, qui apud Syros non figura sed magnitudine sola differunt. certè manuscriptus habet ע.
8 Ad verbū, De inter mortuos. Gallicè, *D'entre les morts.*
9 Ad verbum Paraphrastes vertit, In modico aliquo persuades, &c. & mox, Optarim à Deo in modico, & in multo. Hebraicè במעט ובהרבה.
10 *T.* Syr. optarim à Deo in pauco & in multo, non sit tibi solum, sed etiam omnibus iis qui audiunt me hodiè, ut sint vel fiant sicut ego, &c. In pauco & in multo, id est, omnino vel omni ex parte. Hac autem loqutione Paulus usus est ut alluderet modestè ad Agrippæ dictum, in pauco, id est, propemodùm vel tantummō persuades mihi &c.
11 *T.* Syr. surrexit sibi. Pleonasmus frequens.
12 *T.* vel provocationem. vide sup. in 25.11.

12 Inter quæ etiam [i] proficiscens Damascum cum potestate & procuratione à principibus sacerdotum,

13 Die medio, rex, in via vidi cælitus lucem, quæ splendorem solis superans, circumfudit me suo fulgore & eos qui mecum iter faciebant.

14 Quum autem omnes nos decidissemus in terram, audivi vocem alloquentem me, ac dicentem Hebraica lingua, Saul, Saul, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulos calcitrare.

15 Ego autem dixi, Quis es Domine? At ille dixit, Ego sum Jesus ille quem tu persequeris.

16 Sed exsurge, & sta in pedes tuos: ideircò enim apparui tibi ut designarem te ministrum ac testem tum eorum quę vidisti, tum eorum, *in* quibus apparebo tibi:

17 Eruens te ex hoc populo, & gentibus, ad quos nunc te mitto,

18 [k] Ut aperias oculos eorum, & convertas *eos* à tenebris ad lucem, & *à* potestate Satanæ ad Deum, ut remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem quæ est in me.

19 [l] Unde, rex Agrippa, non fui rebellis cælesti illi apparitioni.

20 [n] Sed iis qui sunt Damasci primùm, & Hierosolymis, & in omni regione Judææ, *deinde* & Gentibus annunciavi ut resipiscerent, & converterent se ad Deum, opera facientes convenientia resipiscentiæ.

21 Horum causa Judæi [l] me in templo comprehensum tentârunt manibus *suis* interficere.

22 [m] Sed auxilium, quod *est* à Deo nactus, perstiti in hunc usque diem, testificans *ista* [n] tum parvis tum magnis, nec quicquam dicens extrà ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt:

23 *Nempe* Christum [o] fuisse passurum, ac [p] primum ex resurrectione mortuorum, [q] lucem annunciaturum huic populo & Gentibus.

24 [r] Hæc autem ipso pro se excipiente, Festus magna voce ait, Insanis Paule, multæ literæ te ad insaniam adigunt.

25 Tum ille, Non insanio, inquit, præstantissime Feste, sed vera ac sanæ mentis verba eloquor.

26 Scit enim ista rex, apud quem etiam liberè loquor: nam eum latere quicquam horum non arbitror. neque enim id in [s] angulo gestum est.

27 [t] Credis rex Agrippa Prophetis? scio te credere.

28 Agrippa verò dixit Paulo, Propemodum persuades mihi ut fiam Christianus.

29 Paulus autem dixit, [u] Optarim à Deo, ut & propemodum & admodum non tu modò, sed omnes etiam qui me audiunt hodiè, facti essetis tales qualis ego sum, exceptis istis vinculis.

30 Et quum hæc dixisset, surrexit rex ac Præses, & Bernice, & qui consederant cum eis.

31 [x] Et quum secessissent loquebantur alii ad alios, dicentes, Nihil morte aut vinculis dignum facit homo iste.

32 Agrippa verò Festo dixit, Dimitti poterat homo iste, nisi appellâsset Cæsarem.

[i] *Suprà* 9.2.
[k] B. Evangelii finis est, ad Christi cognitionem adductos, & in eo per fidem apprehenso justificatos & sanctificatos servare.
[l] B. Paulus citat Apostolici sui muneris auctorē Deum, testem autē, ipsiu gratiam.
[l] *Sup.* 12. & 14.
[l] *Sup.* 21.30.
[m] B. Christus, scopus Legis ac Prophetarum.
[n] Quibusvis, & nullo, quoad ejus fieri potuit, prætermisso.
[o] Christum non futurū talem regem qualem sibi Judæi somniabant, sed ferendis nostris calamitatibus ac peccatorum pœnis destinatum,
[p] Primum ex iis qui à mortuis sunt excitati.
[q] Vitam, & eam quidem cum perenni fœlicitate conjunctam. Opponitur enim tenebris, quæ partim mortem, partim etiam calamitatem significant in omnibus ferè linguis.
[r] B. Sapientia Dei est stultis insania, sed nihilominus constanter asserenda est veritas.
[s] Occultè & clàm.
[t] B. Paulus veluti oblitus se captivum causam dicere, Apostolici muneris non potuit oblivisci.
[u] Deum precor ut & parum absit & valdè fiat, ut non tu modò, sed omnes qui me hodiè audiunt, effici mini similes mei exceptis vinculis.
[x] B. Paulus solenniter absolvitur, nec tamen dimittitur.

CAPUT XXVII.

1 *Paulo* 7. 9 *periculosam navigationem præmonenti* 11 *non creditur.* 14 *Diu ventis undique jactati* 21. 41 *naufragium faciunt,* 34 *omnes tamen salvi* 44 *in terram evadunt.*

UT [a] autem decretum fuit ut nos enavigaremus in Italiam, tradiderunt tum Paulum tum quosdam alios vinctos Centurioni, nomine Julio, cohortis Augustæ.

2 [β] Conscenso igitur navigio Adramytteno, navigaturi secundùm Asiæ regiones, provecti sumus, & nobiscum erat Aristarchus Macedo Thessalonicensis.

3 Altera autem die devecti sumus Sidonem. & Julius humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus, ab illis curaretur.

4 Illinc verò provecti sublegimus Cyprum, quod venti essent adversi.

5 Et pelagus quod est [b] secundùm Ciliciam & Pamphyliam emensi, devenimus Myra *urbem* Lyciæ.

6 Et illic nactus Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, imposuit nos in eam.

7 Quumq; multis diebus tardè navigaremus, vixq; pervenissemus secundùm Gnidum, non permittente nobis vento, sublegimus Cretum [c] secundùm Salmonen:

8 Et illam vix præterlegentes, pervenimus in locum quemdam quem vocant Pulcros portus, cui propinqua erat civitas Lasæa.

9 [d] Multo autem tempore peracto, & quum jam esset periculosa navigatio, quòd jam etiam [e] jejunium præteriisset: admonebat *eos* Paulus,

10 Dicens eis, Viri, video cum injuria multóque damno non solùm oneris & navis, sed etiam [f] capitum nostrorum, futuram navigationem.

11 [g] Centurio autem gubernatori & nauclero potiùs assentiebatur quàm iis quæ à Paulo dicebantur.

12 Et quum appositus portus non esset ad hybernandum, pleriq; cœperunt consilium solvendi etiam illinc; *experturi* siquo modo possent Phœnica pervenire & illic hybernare: qui portus est Cretæ, spectans ad [h] Africum & Chorum.

13 Quum autem aspirâsset [i] Notus, visi sibi propositi compotes, quum solvissent, propiùs preterlegebant Cretam.

14 Verùm haud multo pòst impegit in [k] eam ventus turbulentus qui vocatur [l] Euroclydon.

15 Quumq; abreptum esset navigium, nec posset obniti [m] vento, dato *navigio flatibus*, ferebamur.

16 Et quum infra parvam quamdam insulam quæ Clauda vocatur, cursu delati essemus, vix valuimus scaphæ compotes fieri.

17 Qua subducta, adjumentis utebantur, succincta navi: timentesq; ne in Syrtin inciderent, summissis velis ita ferebantur.

18 [n] Quum autem vehementi tempestate jactaremur, sequente *die* jacturam fecerunt:

19 Ac tertio die ipsi nostris manibus armamenta navis abjecimus.

20 Quum autem neque sol neque sidera ap-

[a] B. Paulus inter vinctos quidē & per medias mortes, sed multis tamen splendidis testimoniis ornatus, Romam tandem velut ipsius Dei manu deducitur.

[β] 2. Cor. 11.25.

[b] Quod Ciliciam alluit.

[c] Cretę promontorium.

[d] B. Providentia, etiam quum accessit extraordinaria eventus patefactio, causas medias non tollit, sed ordinat potiùs ac disponit rectū illarum usum.

[e] De jejunio Judaico intelligit, quod fiebat in festo expiationis, de quo Levit. 23.27. incidebat autem in septimum mēsem ad occasum Vergiliarū, quod minùs idoneum est navigantibus.

[f] Ad verbum, animarum nostrarum.

[g] B. Homines suę potiùs prudentiæ quàm Deo per os servorum suorum loquenti obtemperantes, ultrò sese mutuò in infinita pericula conjiciunt.

[h] Africus stat ab occasu brumali, Chorus ab occasu solstitiali.

[i] Qui & Auster meridionalis.

[k] Sub. Cretam, à cujus litoribus propterea abrepta fuit navis.

[l] Qui stat ab ortu brumali.

[m] Obversa prora luctari.

[n] B. Exitus tandem ostendit, nullos sibi pejus consulere, quàm qui soli suæ prudentiæ sese regendos tradunt.

ET præcepit de eo Festus, ut mitteretur ad Cæsarem in Italiam: ac tradidit Paulum & vinctos alios cum eo, viro cuidam centurioni ex cohorte Augusta, cujus nomen erat Julius.

2 Et quum factum est ut iter faceremus, descendimus in navim quæ erat ex [1] Adramanto civitate, & proficiscebatur in regionem Asiæ: ingressusq; est nobiscum in navem Aristarchus Macedo, qui erat ex Thessalonica civitate.

3 Et die postero pervenimus Tzaidum: & usus est centurio benevolentia erga Paulum, & permisit ei ut proficisceretur ad amicos suos, ac refocillaretur.

4 Et illinc iter fecimus, atque (quia venti contrarii erant) circuivimus juxta Cyprum.

5 Et transivimus mare Ciliciæ & Pamphyliæ, ac pervenimus Myram civitatem Lyciæ.

6 Et invenit ibi centurio navim ex Alexandria, quæ proficiscebatur in Italiam, & collocavit nos in ea.

7 Et [2] quia graviter iter faciebat diebus multis, vix pervenimus è regione [3] Kindi insulæ. Et quia non sinebat ventus ut proficisceremur recta, circuivimus juxta Cretam contra [4] Salamaunam civitatem.

8 Et vix iter facientes circa eam, pervenimus ad locum qui vocatur [5] Portus pulchri: & propinqua erat ei civitas cujus nomen Lasia,

9 Et mansimus ibi tempore multo usque ad diem quo præterierat etiam [6] dies jejunii Judęorum. & erat in eo [7] vitandum unicuique quominus iter faceret mari, & consulebat eis Paulus,

10 Ac dicebat, Viri, video quòd cum molestia, & cum jactura multa [8] fuit nostra navigatio, non tantùm oneris navis nostræ, sed etiam [9] animarum nostrarum.

11 Centurio autem gubernatori & [10] domino navis auscultabat potiùs quàm sermonibus Pauli.

12 Et quia non aptus erat ille portus ad hyemandum in eo hyeme, multi ex nobis cupiebant ut navigaremus inde: &, si quidem possent, venire & hyemare in portu aliquo qui erat in Creta, & vocabatur Phœnix, & spectabat ad Austrum [11].

13 Quumq; staret ventus Austri, & putarent quòd perventuri essent juxta voluntatem suam, navigabamus circa Cretam.

14 Et post paululum egressus est contra nos ventus [12] tempestatis, qui vocatur [13] Typhonicus Euroclydon.

15 Et arrepta est navis, neque potuit resistere contra ventum, & [14] dedimus in manum illius.

16 Et quum transivissemus insulam quæ vocabatur [15] Kaura, vix potuimus apprehendere scapham.

17 Quumq; sustulissemus eam, extrinsecus succingebamus remedia, & muniebamus ipsam navim. & quia metuebamus ne incideret in Syrtim maris, submisimus antennam, & ita navigabamus,

18 Quumq; staret contra nos tempestas dura, die postero abjecimus [16] vasa nostra in mare.

19 Et die tertia [17] vasa ipsius navis manibus nostris abjecimus.

20 Quumq; [18] duraret tempestas dies pluri-

[1] F. i. Adramytto, quæ olim Pedasos. Sed Syri priorem ex geminatis literis mutare solent in n.

[2] i. quia onusta erat navis, non multùm promovebat. Græcum contextum exponit.

[3] Ita vocat Paraphrastes locum quem Græci dicunt Κνίδον, transpositis literis.

[4] F. abs qua Salmonium, Samonium, vel Sammonium Cretæ promontorium nomen habet.

[5] F. vel pulcra acte, Stephano Byzantino: cui actæ sive litori quę urbs fuit proxima, quamvis mediterranea, ac non maritima, dicebatur Lasæa vel Lasia, vel Lasos Plin. lib. 4. nat. hist. cap. 12.

[6] Intelligit diem expiationum, qui incidit in decimā mensis septimi, respondentis bona ex parte nostro septembri. Tum enim ex lege jejunium mandatum erat, Levit. 23. 27. ultra illū diem dicit Lucas navem mansisse ad Lasiam. F. in pulcris portubus.

[7] i. res erat periculosa quæ meritò vitanda est.

[8] F. Vel sit nostra navigatio futura.

[9] i. vitæ nostræ.

[10] i. Nauclero.

[11] F. quæ hic in textu Græco adduntur, καὶ κατὰ χῶρον, desiderantur in Syris exemplaribus.

[12] F. vel resorbentis vorticis: quod Syra voce propriè designatur.

[13] Paraphrastes Græca vocabula retinet. Nam & Hebræi & Syri hujusmodi rerū vocabulis carent, & coguntur ea à peregrinis linguis mutuari. F. Est autem propriè Euroclydon non ventus (ut distinguunt Physici) sed flatus procellosus ab Euro veniens appellatus hoc modo διακριτικῶς, ut à vento Euro commodè distingui possit. Typhonicus autem eo dicitur, quia typhon procellæ species ab ecnephia, turbine, prestere, alisq; tempestatum generibus sua appellatione fuit discernendus: præcipua navigantium pestis, non antennas modo, verùm ipsa navigia contorta frangens. Vide Plin. lib. 2. nat. hist. cap. 48.

[14] i. Permisimus navem potestati venti. Per manum enim significat potestatem, usitato scripturæ more.

[15] Sic in Græcis quibusdam exemplaribus Καῦδη dicitur: & Suidas videtur Καυδῶ vocare. Unde Syri mutato ω in α ex more, vocant Kauda. Neq; enim mihi dubium est, errore sive librarii sive typographi scriptum esse Kaura, cum Resch loco Kauda, cum Daleth: nam figuræ harum literarum apud Syros punctulis situ solo diversis differunt, ut proclivis fuerit lapsus. In manuscripto codice utraq; lectio ponitur, fortassis quòd utroq; nomine vocaretur. Similia propria nomina etiam in textu Hebræo Bibliorum reperientur, siquis conferat 10. cap. Gen. cum principio 1. lib. Paralip. F. eamdem insulam Mela & Plinius appellant Gaudon.

[16] i. Sarcinas & res privatas singulorum qui in navi erant.

[17] i. Navis armamenta.

[18] Ad verbum, Teneret se hyems.

mos, neq; sol conspiceretur, neq; luna, neq; stellæ, spes vitæ nostræ [19] prorsus abscissa erat.

21 Et quum nullus quicquam cibi sumsisset, tunc stetit Paulus in medio eorum, ac dixit, Si acquievissetis mihi, ô viri, non navigâssemus à Creta, & vitâssemus damnũ & angustiam hanc.

22 Et nunc consulo ego vobis ut sitis sine molestia.[20] anima enim unius ex vobis non est peritura, [21] præter navem.

23 Conspectus est enim nocte hac *mihi* Angelus Dei illius cujus sum, & quem colo.

24 Ac dixit mihi, Ne timeas Paule: futurum est enim tibi ut stes coram Cæsare: & ecce, dedit tibi Deus dono omnes qui navigant tecum.

25 Propter hoc [22] resumite cor, ô viri. Credo enim in Deum quòd ita futurum est sicut dictum est mihi.

26 Cæterùm in insulam quamdam [23] projiciendi sumus.

27 Et post quatuordecim dies quibus erraveramus, & abrepti fueramus in Adriaticum mare, in medietate noctis, suspicati sunt nautæ quòd ad terram appropinquarent.

28 Et dimiserunt bolidem, ac invenerunt ulnas viginti: & rursus paululùm navigaverunt, & invenerunt ulnas quindecim.

29 Quumq; metueremus ne nos inveniremus *esse* in loco in quo essent saxa, jecerunt à posteriori parte navis anchoras quatuor: & orabant ut fieret dies.

30 Nautæ autem tentaverunt fugere è navi, & demiserunt ex ea scapham in mare, per occasionem quòd ituri essent in ea, & ligaturi navem in terra.

31 Quumq; *id* vidisset Paulus, ait centurioni & militibus, Si isti in navi non maneant, vos non potestis [24] servari.

32 Tunc absciderunt milites funes scaphæ à navi, & siverunt eam deerrantem.

33 Ipse verò Paulus usquedum esset aurora suadebat omnibus ut caperent cibum, dicens eis, Hodiè, ecce, decimus quartus est dies, [25] à concitatione nihil gustatum est à vobis.

34 Idcirco peto à vobis ut capiatis cibum ad sustentationem vitæ vestræ. capillus enim è capite ullius ex vobis non est periturus.

35 Et quum hæc dixisset, accepit panem, & glorificavit Deum coram omnibus illis: & fregit, ac cœpit comedere.

36 Et consolationem acceperunt omnes, & ceperunt alimentum.

37 Eramus autem in navi ducentæ & septuagintasex animæ.

38 Quumq; saturari essent cibo, [26] exonerabant navim, & sustulerunt triticum, ac projecerent in mare.

39 Et quũ factus esset dies, nautæ, quæ esset illa regio non agnoverunt: sed intuiti sunt juxta aridam sinum quemdam maris, quò meditabantur ut, si possibile esset, impellerent ipsam navim;

40 Et absciderunt anchoras à navi, & laxaverunt illas in mare. Et solverunt juncturas gubernaculorum, & suspenderunt [27] artemonem ad ventum qui flabat, & navigabant versus aridam.

41 Et pervenit navis ad locum qui situs est inter duas profunditates maris: & infixit se in eum *locum*, & consistebat super eum [28] prora ipsius, & non movebatur: [29] puppis verò ejus solvebatur à violentia fluctuum.

42 Et volebant milites interficere ipsos vinctos, ne injicerent se natatu, & fugerent ab eis.

43 Et Centurio prohibuit eos ab hac re, quia

volebat

19 Ad verbum, Tota tota ipsa, Syra phrasis.

20 i. Vita.

21 F. vel, sed navis tantùm.

22 i. Bono estote animo.

23 Ad verbum, Est nobis ut ejiciamur. Id est, Futurum est ut ejiciamur.

24 Ad verbum, Vivere.

25 Intelligit, Ex quo mare cœpit concitari, id est, commoveri.

26 i. Auferebant ab ea quæ gravẽ reddebant, id est Onus navis.

27 Hic quoque Græcũ nomen, sed mutilatum, retinet paraphrastes: ac ponit ארטמון, Armenon pro Artemon.

28 Ad verbum, Latus ejus anterius. Latus pro parte & regione.

29 Ad verbum, Latus ejus posterius. Latus pro parte & regione. Utrobique periphrasis est, hic puppis, illic proræ.

parerent ad complures dies, & tempestas non parva incumberet, in posterum erat ablata spes omnis salutis nostræ.

21 [o] Et quum multa jam fuisset inedia, tunc stans Paulus in medio ipsorum, dixit, Oportebat quidem, ô viri, mihi obediendo non provehi à Creta, & vitare injuriam hanc & damnum.

22 Sed nunc adhortor vos ut bono animo sitis: jactura enim nulla erit cujusquam ex vobis, sed tantùm navis.

23 Adstitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui etiam servio.

24 Dicens, ne metue Paule, oportet te Cæsari sisti: & ecce, condonavit tibi Deus omnes qui tecum navigant.

25 [p] Propterea bono animo estote viri: credo enim Deo, ita fore quemadmodum loquutus est mihi.

26 In insulam autem quamdam incidere nos oportet.

27 [q] Cæterùm quum quartadecima nox advenisset, & jactaremur in [r] Adria, nautæ circa medium noctis suspicati sunt [s] appropinquare sibi aliquam regionem.

28 Et demissa [t] bolide invenerunt passus viginti: & paululùm inde progressi, rursum demissa bolide invenerunt passus quindecim.

29 Timentesq; nequo modo in aspera loca inciderent, jactis è puppi anchoris quatuor, optabant diem oriri.

30 [u] Quum verò nautæ studerent fugere è navi, & demisissent scapham in mare, sub obtentu velut è prora anchoras extensuri,

31 [x] Dixit Paulus Centurioni & militibus, Nisi isti in navi manserint, vos servari non potestis.

32 Tunc absciderunt milites funes scaphæ, & siverunt eam excidere.

33 [y] Interim autem dum oriretur dies, hortabatur Paulus omnes ut caperent cibum, dicens, Dies hic est decimusquartus, ex quo exspectantes [z] jejuni permanetis, nullo *cibo* sumto.

34 Ideò vos hortor ut sumatis cibum: hoc enim ad salutem vestram spectat. [a] nullius enim vestrûm capillus ex capite cadet.

35 Et quum hæc dixisset, & accepisset panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: & quum fregisset, cepit edere.

36 Omnes verò quum jam animum recepissent, sumserunt & ipsi cibum.

37 Eramus autem universa capita in navigio ducenta septuaginta sex.

38 Cæterùm satiati cibo, allevabant navim, projicientes frumentum in mare.

39 [b] Quum autem dies ortus esset, terram illam non agnoscebant: [c] sinum verò quemdam animadverterunt habentem litus, in quem consilium ceperant, si possent, expellere navim.

40 Anchoris igitur sublatis permiserunt *eam* mari, simul laxatis vinculis gubernaculorum: & sublato artemone ad venti flatum, tendebant ad litus.

41 Sed quum incidissent in locum [d] bimarem, impegerunt navem: ac prora quidem infixa manebat immota, puppis verò solvebatur præ undarum violentia.

42 [e] Militum autem consilium erat ut vinctos trucidarent, nequis quum enatâsset, effugeret.

43 [f] Sed Centurio volens conservare Paulũ,

prohibuit

o B. Deus parcit etiam impiis ad tempus, propter electos suos.

p B. Promissio super fidem efficax.

q B. Ad promissam & certam salutem per medias tamen tempestates, atque adeò per ipsas mortes pervenitur.

r i. in mari Adriatico. Ptolemæus enim orientale Siciliæ litus, mari Adriatico allui scribit.

s Se accedere ad aliquam regionẽ.

t Bolis, est perpendiculum quo altitudinem maris explorant nautæ.

u B. Nullum est tam turpe factum ad quod diffidentia & mala conscientia homines non impellant.

x B. Etsi promissionum Dei exitus à caussis mediis simpliciter non pendet, tamen Dei beneficentia indignos se reddunt qui oblata media vel temerè vel diffidentia non amplectuntur.

y B. Trepidante mundo, soli fideles nõ modò quieti manent, sed alios etiam suo exemplo confirmant.

z Jejunium potest impropriè vocari insolita cibi abstinentia. ergo dicit Paulus eos in jejunio permansisse, quia justo convivio numquam refecti fuerant per totũ illud tempus, ut qui mœrore agerentur, ferè ad cibi nauseam.

a Hebraicũ proverbium, quo significatur prorsus salvos & integros ipsos fore.

b B. Tum maximè exspectandæ sunt tempestates, quum proximus est portus.

c Sinus est intra terras mare, ut Adriaticus, Persicus.

d Sic vocatur Isthmus, quòd utrimq; mari alluitur.

e B. Incredulis nihil est perfidiosius, nec magis ingratum.

f B. Deus inter suos etiam hostes invenit quorum opera suos conservet.

prohibuit eos ab hoc consilio: jussitq; ut qui possent natare, abjicerent *se* primos, & in terram evaderent:

44 [g] Reliqui verò partim in tabulis, partim quibusdam navis *fragmentis*: & ita factum est ut omnes salvi evaderent in terram.

g B. Hominum malitiam vincit Dei bonitas.

volebat servare Paulum: & iis qui poterant injicere se natatu, præcepit ut primi natarent, & transirent ad terram.

44 Et reliquos super tabulas & super ligna alia navis fecit transire: & ita omnes [30] liberati sunt in terra.

30 v. i. liberati ex procellis evaserunt in terram, Metalepsis.

CAPUT XXVIII.

1 Barbarorum humanitas erga naufragos. 3 Paulus viperam manu tollit, 5 illæsus. 8, 9 Publium & alios sanat. 11 Melita solventes, 16 Romam perveniunt. 17 Paulus Judæis 20 causam suam exponit. 23 Evangelium docet 30 biennio.

ET quum salvi evasissent, tunc agnoverunt insulam vocari [a] Melitam.

2 Barbari verò præstabant nobis non vulgarem humanitatem. accensa enim pyra acceperunt nos omnes, propter imbrem urgentem, & propter frigus.

3 [b] Quum autem converrisset Paulus nonnihil sarmentorum, & imposuisset in pyram, vipera è calore prorepens invasit ejus manum.

4 [c] Ut verò barbari viderunt pendentem bestiam è manu ejus, alii aliis dicebant, Omnino homicida est homo iste, quem servatum è mari [d] ultio non sivit vivere.

5 At ille excussa bestia in ignem, nihil mali passus est.

6 Illi verò exspectabant dum [e] intumesceret, aut concideret repentè mortuus: [f] sed quum multum *tempus* exspectâssent, & viderent nihil incommodi illi accidere, mutati, dicebant eum esse Deum.

7 [g] Cæterùm circa locum illum erant prædia primario insulæ, nomine Publio, qui nos exceptos, triduò peramicè hospites habuit.

8 Factum est autem ut pater Publii febribus ac dysenteria detentus, decumberet: ad quem Paulus ingressus, & precatus, impositis ei manibus sanavit eum,

9 [h] Hoc igitur facto, reliqui etiam qui morbis tenebantur in insula, accedebant, & sanabantur.

10 [i] Qui etiam multis honoribus nos honorârunt, & quum proveheremur imposuerunt quæ usui *nobis* erant.

11 [k] Tribus itaque post mensibus provecti sumus navi Alexandrina, quæ in ea insula hyemaverat, cui [l] erat insigne Castor & Pollux.

12 Et devecti Syracusas, *illic* mansimus triduum.

13 Unde circumlegentes devenimus Rhegium: & altero post die oborto Austro, secundo die venimus Puteolos.

14 [m] Ubi repertis fratribus, rogati sumus ut permaneremus apud eos diebus septem: & ita contendimus Romam.

15 [n] Unde quum audissent fratres de rebus nostris, prodierunt nobis in occursum usque ad [o] Appii forum & tres tabernas: quos quum vidisset Paulus, gratiis actis Deo, sumpsit fiduciam.

16 Quum verò venissemus Romam, Centurio tradidit vinctos [p] præfecto exercituum: sed permissum est Paulo ut habitaret [q] seorsim, cum milite qui ipsum custodiret.

17 [r] Factum est autem ut tertio post die convocaret Paulus Judæorum primos: qui ubi convenissent, dixit eis, Ego, viri fratres, quum nihil fecerim adversus populum aut ritus patrios, vin-

a Ea est quæ hodiè Malta dicitur.

b B. Pios quidem pericula ex periculis manent, sed glorioso semper exitu.

c B. Etsi res adversæ sunt peccatorum pœnæ, tamen quum Deus affligendis hominibus non semper respiciat peccata, temerè judicant qui vel non exspectant exitū, vel ex rebus prosperis aut adversis unumquemque æstimant.

d Jus & fas.

e Verbum Græcum incendi aut intumescere significat. porrò Dioscorides lib. 6. cap. 38. viperæ morsum corporis tumorem gignere scribit. sic & Nicander in Alexipharmacis.

f B. Hominibus veræ religionis ignaris nihil in utramq; partem instabilius.

g B. Servum Dei quamvis miserum & egentem excepisse, nullum unquam pœnituit.

h B. Captivo Paulo non fuit tamen captiva Dei virtus.

i B. Deus in suorum gratiam exteris etiam benefacit.

k B. Idôla sanctos nullo modo consentientes non polluunt.

l Sic solebant ornare navium proras, unde naves quoque denominabantur.

m B. Profanorū etiam corda Dominus prout libet in suorum gratiam inflectit.

n B. Deus nunquam patitur suos suprà vires affligi.

o Via Appia strata opera militari, ab Appio Cæco longa atque lata excurrente mare versus, in qua tres erant tabernæ.

p Præfecto prætorio.

q Non in publica custodia, sed in privato hospitio quod sibi conduxerat.

r B. Paulus ubique se Apostolum esse meminit.

ctus

ET post hæc [1] didicimus quòd Meliti vocaretur illa insula.

2 Et barbari qui habitabant in ea, [2] benevolentias multas ostendebant erga nos: & accenderunt ignem, vocaveruntq; nos omnes ut nos calefaceremus propter pluviam magnam & gelu quod erat.

3 Et Paulus sustulit multitudinem ramorū, & posuit super ignem, & egressa est ex eis vipera è calore ignis, & momordit manum ejus.

4 Quumq; vidissent eam barbari, quòd penderet in manu ejus, dicebant, Omnino hic vir homicida est, quem ereptum è mari justitia non sivit vivere.

5 Ipse verò Paulus extulit manum suam, & injecit viperam in ignem; & nihil mali factum est ei.

6 Existimabant autem barbari quòd eadem hora consumeretur, & caderet mortuus super terram. Et quum tempus multum exspectassent: & viderent quòd nihil mali factum esset ei, mutaverunt verba sua, & dixerunt quòd Deus esset.

7 Erant autem agri in eo loco viro cuidam cujus nomen erat Publius, qui quidem erat primarius ipsius insulæ, & excepit nos domi suæ tribus diebus libenter.

8 Pater autem Publii febri & [3] dolore viscerum infirmus erat: & ingressus est ad eum Paulus, ac oravit, & imposuit ei manum suam, ac sanavit eum.

9 Et quum factum esset hoc, reliqui quoque qui erant in ea insula infirmi, accedebant ad eum, & sanabantur.

10 Et honoribus magnis honorârunt nos: & quū egrederemur inde, viatico nos instruxerunt.

11 Egressi autem sumus post menses tres: & iter fecimus in navi Alexandrina, quæ hyemaverat in ea insula, & erat super eam signum [4] Gemellorum.

12 Et venimus in Syracusam urbem, mansimusq; ibi dies tres.

13 Et inde circuivimus, & pervenimus ad Rhegium civitatem. Et post diem unum flabat nobis ventus Australis, ac duobus diebus venimus Puteolos civitatem Italiæ.

14 Et invenimus ibi fratres, & rogaverunt nos, ac mansimus apud eos dies septem. & tunc profecti sumus Romam.

15 Et quum audiverunt fratres qui illic erant, egressi sunt in occursum nobis usque in plateam [5] quæ vocatur Appii forum, & usq; ad tres tabernas. Et quum vidisset eos Paulus, gratias egit Deo, & seipsum corroboravit.

16 Et ingressi sumus Romam: & permisit centurio Paulo ut habitaret ubi vellet cum milite illo qui custodiebat eum.

17 Et post tres dies mittens Paulus, vocavit primores Judæorum: & quum congregati essent, dixit eis, Viri fratres, ego quum in nulla re steterim contra populum & legem patrum meorum,

in

1 Id est, Cognovimus & intelleximus.

2 Id est, Benevolentiæ suæ varia testimonia ostendebant erga nos.

3 Id est, Laborabat dolore viscerum,

4 Ita vocat Castorem & Pollucem, quòd essent gemelli fratres.

5 v. Campaniensis agri: nam extra Latium obviam Paulo processerunt. Hujus autem fori Appii, & trium tabernarum simul meminit Tullius lib. 2. epist. ad Atticum.

in vinculis traditus sum ab Urischelem in manum Romanorum.

18 Et hi quum interrogassent me, voluerunt dimittere me, eo quòd non inveniret [6] in me accusationem ullam quæ digna esset morte.

19 Et quum starent contra me Judæi, coactus sum [7] implorare protectionem Cæsaris: non quasi sit mihi ut accusem in aliqua re [8] filios populi mei.

20 Propter hoc rogavi vos ut veniretis, & viderem vos, & narrarem vobis ista, nam propter spem Israjelis vinctus sum catena hac.

21 Dicunt ei illi, Nos epistolam de te non accepimus è Judæa, neque ulli ex fratribus qui venerunt ab Urischelem, dixerunt aliquid quod malum sit de te.

22 Cupidi autem sumus ut audiamus ex te [9] id quod cogitas. propterea quòd doctrinā hanc scimus, quòd à nemine recipiatur.

23 Et constituerunt ei diem, ac congregati sunt, veneruntq; ad eum multi eò ubi habitabat. & exposuit eis de regno Dei, testificans & persuadens eis de Jeschua, ex lege Musche, & ex prophetis, à mane usq; ad vesperam.

24 Et quidam ex eis acquiescebant sermonibus ejus, & alii non acquiescebant.

25 Et discesserunt ab eo, quum non essent consentientes invicem. Et dixit eis Paulus hunc sermonem, Benè loquutus est Spiritus sanctus per os Isaiæ contra patres vestros,

26 Dicens, Vade ad populum hunc, & dic eis, Auditu audietis, & non intelligetis: & videbitis, & non cernetis.

27 Incrassatum enim est cor populi hujus, & auditum suum gravem reddiderunt, & oculos suos clauserunt: ne viderent oculis suis, & audirent auribus suis, & intelligerent corde suo, & converterentur ad me: & remitterem eis.

28 Notum sit igitur vobis hoc, quòd ad Gentes est missa hęc redemtio [10] Dei: ipsæ enim quoque auscultant ei.

29 [11] 30 Et mercede conduxit sibi Paulus de suo domum: mansitq; in ea duobus annis, & excipiebat ibi omnes qui veniebant ad se.

31 Ac prædicabat de regno Dei, docebátque liberè de Domino nostro Jeschua Christo [12] absque prohibentibus.

[6] Ad verbū, Post me. Syra phrasis alibi observata.

[7] v. Syr. inclamare provocationes Cæsaris: ut suprà 25.11.

[8] Id est, Judæos gentiles meos.

[9] Id est, Sententiam tuam, Sive id quod sentis.

[10] In veteri manuscripto codice bibliothecæ illustrissimi principis electoris Palatini erat ראר ךאן, quod omittebatur in codice impresso.

[11] Totus 29. versiculus in contextu Syro non legitur, de quo quia dubito num incuria sit omissus, an verò potiùs in vetustis manuscriptis codicibus defuerit in contextu, adjicere non sum ausus. Si esset Syris verbis mihi versus exprimendus, ita dicerem וכד הלין אמר נפקו יהודיא וסגי דרשין הוו ביניהון: Id est, Et quum hæc dixit, egressi sunt Judæi & disceptabant multum inter se.

[12] Id est, nullo prohibente.

ctus traditus sum Hierosolymis in manus Romanorum.

18 Qui quæstione de me habita, volebant me dimittere, quòd nulla sit in me causa mortis.

19 [f] Sed contradicentibus Judæis, coactus sum appellare Cæsarem: non *tamen* quasi habeam de quo gentem meam accusem.

20 Ob hanc igitur causam vos advocavi, quos viderem & alloquerer. nam propter spem Israëlis circumdatus sum hac catena.

21 Illi verò dixerunt ei, Nos neque literas accepimus de te ex Judæa: neque adveniens quisquam fratrum annunciavit aut loquutus est aliquid de te mali.

22 Velimus autem ex te audire quæ sentias. nam de secta ista notum est nobis ubique *ei* contradici.

23 [t] Quum igitur constituissent ei diem, venerunt ad eum in hospitium complures, quibus [u] cum testificatione exponebat regnum Dei, suadens eis quæ de Jesu Christo sunt, ex Lege Mosis & Prophetis, à mane usque ad vesperam.

24 [x] Et alii quidem assentiebantur iis quæ dicebantur, quidam verò non credebant.

25 Quum autem inter se discordes essent, digressi sunt postquam Paulus hoc verbum dixisset, Rectè sanè Spiritus sanctus loquutus est per Esaiam Prophetam patribus nostris,

26 [y] Dicens, [§] Vade ad populum istum, & dic, Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis.

27 Crassum enim factum est cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculis suis [z] conniverunt: ne cernant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertant sese, & sanem eos.

28 [a] Notum ergo sit vobis, missam esse Gentibus hanc Dei salutem, & ipsos audituros.

29 [b] Quum ergo hæc dixisset, exierunt Judæi, multam habentes inter se disceptationem.

30 [c] Mansit autem Paulus biennium totum in proprio conducto: & excipiebat omnes qui ad ipsum ingrediebantur:

31 Prædicans regnum Dei, ac docens quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni dicendi libertate, nemine prohibente.

[f] 3. Utendum quidem mediis à Deo oblatis, sed ita ut gloriā Dei, non autem nosipsos quæramus.

[t] 2. Mutuus est Legis & Evangelii consensus.

[u] Argumentis idoneis probans regnum Dei à Prophetis prædictum advenisse.

[x] 3. Evangelium credentibus odor vitæ, contumacibus odor mortis.

[y] 3. Increduli sponte quidem reluctantur veritati, non tamen fortuitò.

[§] *Esa.* 6. 9. *matth.* 13. 14. *mar.* 4. 12. *luc.* 8. 10. *joh.* 12. 40. *rom.* 11. 8.

[z] Videre se simulārunt, quod vel inviti cernebant, atq; adeò noluerunt hoc videre.

[a] 3. Incredulitas reproborum non potest irritam facere Dei fidem.

[b] 3. Non Evangelium, sed Evangelii contemtus, dissidiorum causa.

[c] 3. Verbum Dei non potest vinciri.

Finita sunt gesta Apostolorum beatorum: hoc est, historiæ eorum.

EPISTOLA

EPISTOLA PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

CAPUT I.

1 Ab Apostolatus sui approbatione exorsus, 15 Evangelii commendationem subnectit; 16 Per quod Deus virtutem suam exerit 17 servandis Fide hominibus, 21 impiæ ingratitudinis reis. 26 In quos ira Dei meritò effusa colligitur, 27 quòd laxatis habenis in omne scelus passim ferantur.

BEZÆ INTERPRET.

[a] B, Prima pars epistolæ, utilissimam præfationē continens usque ad versum 16.
[b] Minister. Neq; enim hoc loco servus opponitur libero, sed munus & officium declarat.
[c] B. Attentos reddit Romanos, significans sese, non suo nomine, sed ut Dei ad Gentes legatum, cum eis agere de re omnium maxima, jam olim plurimis idoneis testibus à Deo promissa, nunc demum autem reipsa præstita.
[d] Quum in genere se servum dixisset, speciali nomine se Apostolum dicit, idq; non sibi propria auctoritate sumsisse, sed ex Dei vocatione, ideoq; nil ab officio suo alienum agere, qui ad Romanos scriberet.
[a] *Act.* 13. 2.
[e] Ad prædicandi Evangelii munus à Deo constitutus.
[f] B. Reddit Romanos dociles explicata evangelicæ doctrinæ summa. Docet igitur, Christum (Evangelii materiam & argumentum) unicum esse non geminū Dei

1 PAULUS [b] [c] servus
Jesu Christi, ex *Dei*
vocatione [d] Apostolus, [a] [e] seperatus
ad *prædicandum* Evangelium Dei,
2 (Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis)
3 [f] De [g] filio suo,
([h] facto ex semine Davids, [i] secundum carnem:
4 [k] Declarato Filio Dei [l] potenter secundùm Spiritum sanctificationis, per resurrectionē à mortuis) *nempe* Jesu Christo Domino nostro.
5 ([m]Per quem accepimus [n] gratiam & Apostolatum ad [o] obedientiam fidei, inter omnes
Gentes, [p] pro ipsius nomine:
6 Inter quas estis etiam vos, [q] vocati à Jesu
Christo)
7 Omnibus qui Romæ estis, dilectis Dei, vocatis sanctis : [r] Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.
8 [f] Primùm quidem gratias ago Deo meo
per Jesum Christum, super omnibus vobis, [t] quòd fides vestra annunciatur [u] in toto mundo.
9 Testis enim mihi est Deus, cui servio [x] spiritu meo in [y] Evangelio Filii ipsius, me indesinenter mentionem facere vestri:
10 Semper in precibus meis rogans ut, si quo modo tandem aliquando prosperum iter mihi detur in voluntate Dei, veniam ad vos.
11 Expeto enim videre vos, ut aliquod impertiar vobis donū spirituale ut vos stabiliamini.
12 Hoc est, ad [z] communem exhortationem percipiendam apud vos, per mutuam fidem, vestram simul & meam.
13 Nolim autem vos ignorare, fratres, me sæpè proposuisse venire ad vos, (sed prohibitus fui usq; adhuc) ut fructum aliquem haberem inter vos quoque, sicut & inter reliquas Gentes.

TREM. INTERPRET.

[1] F. vel Apostolus qui segregatus fuit ad Evangelium, &c.
[2] i. Ministerio. Hebraism. freq.
[3] Hebraismus, id est, In corpore, Synecdochicôs : ut nomine Carnis sive corporis, totus homo intelligatur.
[4] Hoc est, Claris & perspicuis testimoniis demonstratus, ut, Notus in Judæa Deus, Psal. 76. 2. & alibi passim.
[5] i. Præpotenti Spiritus virtute & efficacia.
[6] F. Syrus legisse videtur, καὶ ἀπὸ πνεύματος ἁγιωσύνης, & per Sed Græca lectio aliter magis placet, si ita exposueris, qui definitus, id est, præcisè & definitò fuit declaratus filius Dei potenter secundùm Spiritum sanctitatis, non autem sanctificationis (ἁγιωσύνης non ἁγιασμοῦ) id est, secundum naturam illam divinā, qua sempiternus est λόγος æternū à Patre genitus, ex resurrectione, vel per resurrectionem ex mortuis.
[7] Vel, Quia. Relativū causæ redditivum.

1 PAULUS servus Jeschua Christi, vocatus & [1] missus, qui segregatus est ad Evangeliū Dei,
2 (Quod ante promiserat [2] per manum Prophetarum suorum in Scripturis sanctis)
3 De Filio suo
(qui genitus est [3] in carne ex semine domus David:
4 Et [4] cognitus est, Filius Dei [5] per virtutem
[6] & per Spiritum sanctum, [7] qui resurrexit [8] à mortuis) *nempe* Jeschua [9] Christus Dominus noster,
5 (Per quem accepimus gratiam & apostolatum inter omnes Gentes, ut [10] obediant fidei nominis ejus.
6 Ex quibus *Gentibus* etiam vos vocati estis
[11] in Jeschua Christo)
7 Omnibus qui Romæ sunt dilecti Dei, vocati [12] & sancti, [13] pax & gratia vobiscum à Deo Patre nostro & à domino nostro Jeschua Christo.
8 Primùm gratias ago Deo meo per Jeschua
Christum [14] super omnibus vobis, quòd fides vestra [15] audita est in universo mundo.
9 Testis enim est mihi Deus, cui servio [16] in
Spiritu in Evangelio Filii ipsius, quòd [17] sine intermissione omni tempore memor sum vestri in precibus meis.
10 Et [18] precor (si tandem aperiatur mihi via
per voluntatem Dei) ut veniam ad vos.
11 Quia [19] valdè desidero [20] ut videam vos, ut
[21] impertiar vobis donum Spiritus, [22] per quod confirmemini.
12 Et pariter consolationem capiamus per fidem vestram & meam.
13 Volo autem ut sciatis, fratres mei, quòd
[23] temporibus multis volui venire ad vos, & prohibitus sum usq; [24] ad hoc tempus, ut etiam in vobis esset mihi fructus, sicut in reliquis populis.

Patris Filiū, qui, quod ad naturam humanam attinet, ex Davidis genere sit conditus : quod ad divinam autem & spiritualem, qua seipsum sanctificavit, sit ex æterno Deo Patre genitus, sicut ex potenti ipsius resurrectione liquet. [g] Personam unam Christi manifestè asserit, ejusdem duas naturas, earumq; proprietates. [h] Qui carnem assumsit è virgine Davidis filia. [i] Quatenus homo est : caro enim per Synecdochen pro homine sumitur. [k] Demonstrato & manifesto. [l] Infirmitati carnis opponitur virtus Divina, quæ mortem superat. [m] i. à quo. [n] Hoc beneficium eximiæ liberalitatis, quod mihi omnium sanctorum minimo datum est, evangelizare, &c. Ephes. 3. 8. [o] Ut homines fide obediant Deo. [p] Nominis ejus causa. [q] Hoc per declarationem accipitur, ac si intercederet dictio *nempe*. Significat enim Christi esse participes per vocationem. Nam & in Christo eliguntur filii Dei, & à patre electi in ejus tamquam pastoris custodiam ac fidem committuntur. Joh. 10. 27. & 17. 6. [r] Gratuita Dei benevolentia. Pax autem Hebræis, est fœlix rerum omnium successus. [f] B. Reddit eosdem benevolos veris eorum laudibus commemoratis, & suam in eos verè Apostolica benevolentia, adhibito Dei ipsius testimonio, confirmata. [t] Quòd ea sit vestra fides ut passim in Ecclesiis commendetur. Neq; hic prætermittendum est quòd Apostolus volens Romanos prædicare quod Christi religionem susceperant, eam appellat fidem, ut intelligamus inde pendere nostram pietatem. [u] Per omnes Ecclesias, hyperbole è medio petita. [x] Plenè volens & ex animo illi addictus. [y] In promulgando Filio ipsius. [z] Quantumvis excellens Paulus, Ecclesiam tamen docendo, ab illa potuit erudiri.

F. quod magis probo. [8] Ad verbum, De inter mortuos : Gallicè, *D'entre les morts*. Similiter Hebræi, מבין המתים. Observandum verò, Syros plerumque usurpare בית pro בין, permutato Nun in Tau. [9] F. vel Christo Domino nostro. [10] Ad verbum, Auscultent. Fidem nominis Christi appellat veram tam de ipso quàm de ipsius officio persuasionem : aut certè μετωνυμικῶς designat doctrinam quæ utrumque tradit, nempe Evangelium. Εμφατικῶς ergo dixit ex Hebraismo, Nominis ejus, non simpliciter Ejus : ne Christum à sua virtute separemus. [11] Paraphrastes addit præpositionem ב : cujus ea vis est, ut valeat, Auctore Jesu Christo : nisi dicamus positum ב pro ל, In Jesum Christum. [12] Inseritur copula, sed quæ vim habeat exegeticæ particulæ : ac si dictum esset, Vocati, nimirum ut sancti sitis. [13] Verborum ordo inversus, qui familiaris est Paraphrasti. Hoc verò loco desumtus videtur ex communi salutandi more apud Hebræos. [14] Ad verbum, Propter facies omnium vestrûm. Redundat nomen vox, sicut plerumque apud Hebræos. פני, id est, Facies. [15] Id est, Celebratur. [16] Hebraismus, id est, Cum animi sincera promtitudine & alacritate. [17] Ad verbum, Sine quiete. [18] Verbum Hebræum & Syrum significat Dei misericordiam implorare. [19] Ad verbum, Benè. Quomodo etiam loquuntur Latini & ferè aliæ linguæ. [20] Id est, Videre vos. [21] Syrè, Dem, tamquam scilicet administer Christi. [22] Vel, Per quem Spiritum. Est enim anceps relativum apud Hebræos & Syros. [23] Chaldæa & Syra phrasis, pro פעמים רבות, id est, Viribus multis, [24] Ad verbum, Usque ad nunc. Hebraismus עד עתה.

UMI

[25] Vocem Latinam usurpat paraphrastes sicut Rabbini.
[26] Distinctionem Græcam mutat, sensu tamen præclarè explicat.
F. alii legunt hoc modo: quoniam omni homini debitor sum, &c.
Itaque hæc thesis: pòst sequitur hypothesis & particularis accommodatio ad Romanos, duobus versibus.
[27] Ad verbum, Non enim erubesco propter Evangelium.
[28] Syrè, In vitam. & sic passim nomen Salutis exponit Vitam.
[29] Copula pro particula ordinis, & sic apud Hebræos usurpatur pro [illegible], Post.
[30] F. Syrè, Aramæis: vide in Act. 20. 21.
[31] In impresso Syro Test. non legitur particula rationalis [illegible], Enim, quæ fortasse propter exiguitatem omissa est: nos verò ex manuscripto codice Heidelbergensi restituimus.
[32] F. Hic Græcè & Syrè ellipsis est relativi judicio meo, Justitia Dei quæ est ex fide, in Evangelio revelatur in fidem, id est, ut homines efficiantur credentes, & credendo salutem assequantur, de qua in antecedēte descriptione Evangelii. Itaque hoc probatur ex verbis

14 Græcis & [25] barbaris, sapientibus & stultis: [26] omni homini debitor sum ut prædicem.
15 Et ideò solicitus sum ut etiam vobis qui Romæ estis, evangelizem.
16 Non enim [27] pudet me Evangelii, eo quòd virtus est Dei [28] in salutem omnium credentium in ipsum, sive ex Judæis primùm, [29] sive deinde ex [30] gentilibus.
17 [31] Justitia enim ipsius Dei in eo revelatur, [32] ex fide in fidem: sicut scriptum est, [33] Justus ex fide vivet.
18 Revelatur enim ipsa ira Dei de cælo adversus omnem iniquitatem & impietatem [34] filiorum hominis, [35] qui veritatem in iniquitate detinent.
19 Propterea quòd notitia Dei manifesta est in illis: Deus enim manifestavit eam in illis.
20 Occulta enim Dei à fundamentis mundi, in creaturis suis [36] per intellectum conspiciuntur, & virtus ejus & divinitas ejus quæ *est* in æternum, ut sint [37] sine effugio.
21 Propterea quòd noverunt Deum, & non tamquam Deum [38] glorificaverunt eum, [39] nec gratias egerunt ei: sed [40] inanes facti sunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor eorum [41] insipiens.
22 Et quum putarent in seipsis quòd sapientes essent, stulti facti sunt [42] sibi.
23 Et mutaverunt gloriam Dei qui [43] non corrumpitur, [44] in similitudinem imaginis [45] filii hominis qui corrumpitur, & in similitudinem volatilium & [46] quadrupedum & reptilium [47] terræ.
24 Propter hoc tradidit eos Deus in concupiscentias immundas cordis eorum, ut afficiant ignominia corpora sua inter se.
25 Et mutaverunt veritatem Dei in mendacium, & reveriti sunt & coluerunt creaturas multo magis quàm eum qui creavit illas, [48] cui sunt laudes & benedictiones in [49] seculum seculorum. [50] Ammin.
26 Propter hoc tradidit illos Deus in [51] libidines [52] ignominiosas. fœminæ enim eorum mutaverunt usum naturæ suæ, & re [53] quæ non est ex natura usæ sunt:
27 Et è converso etiam masculi eorum similiter reliquerunt usum naturę fœminarum, & exarserunt in concupiscentia unus erga alium, & masculus in masculum pudendum fecerunt: & ultionem, quæ justa erat pro errore suo, [54] in seipsis acceperunt.

14 Et Græcis & barbaris, [a] tum sapientibus tum insipientibus debitor sum.
15 Itaque quicquid in me situm est, promtum est ad vobis quoque [b] qui Romæ estis evangelizandum.
16 [c] Non enim me pudet Evangelii Christi. [d] [e] potentia siquidem est Dei ad salutem cuivis credenti, Judæo primùm, tum etiam [f] Græco.
17 [g] Justitia enim Dei per illud retegitur [h] ex fide in fidem: [ii] sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivet.
18 [k] Retegitur enim ira Dei è cælo [l] adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, ut qui [m] veritatem injustè detineant:
19 [n] Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est [o] in ipsis: Deus enim eis manifestum fecit.
20 Ipsius enim invisibilia, jam inde à [p] condito mundo ex [q] rebus factis intellecta perviduntur, æterna *videlicet* ejus tum potentia tum divinitas: ad hoc ut sint inexcusabiles.
21 Propterea quòd quum Deum cognoverint, *tamen* [r] ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt: sed [s] vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum.
22 Quum se dictitent sapientes, stulti facti sunt.
23 [t] Mutârunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium.
24 [u] [x] Quamobrem etiam [y] tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut fœdarent corpora sua inter se.
25 Ut qui Dei veritatem transmutârint in falsitatem, & coluerint ac servierint rebus creatis, præterito Creatore, qui est benedictus in secula. Amen.
26 Propterea, *inquam*, tradidit eos Deus fœdis affectibus. nam & fœminæ illorum transmutârunt naturalem usum in eum qui est præter naturam:
27 Similiterque etiam masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt sua libidine alius in alium, masculi in masculis fœda perpetrantes, & [z] compensationem (quam oportuit) erroris sui in sese recipientes.

[a] Hac exegesi ostendit quid per Græcos & Barbaros intelligas, hoc est, eruditos & rudes.
[b] Eos intelligit omnes qui Romam incolebant, etiam si aliqui Romani non essent. Vide finem Epistolæ.
[c] Inest hic sancta quædam Ironia, quia ludibria impiorum se non morari prædicit.
[d] 2. Altera pars epistolæ usque ad noni capitis initium. Est autem hujus disputationis status, Unam esse adipiscendæ salutis rationem (quæ in Evangelio, absque ullo populorum discrimine à Deo proponatur) Jesum Christum videlicet, per fidem apprehensum.
[e] Organon Dei verè potens & efficax ad servandum.
[f] Græcus, quum opponitur Judæo, Gentilem significat.
[g] 1. Confirmatio, In Evangelio docetur nos coram Deo justificari fide quotidie augescente: ergo & servari.
[h] Ex fide quæ quotidie incrementum accipiat.
[ii] *Haba.* 2. 4.
[i] 3. Probatio tum antecedentis, tum consequentis ex Abacuc, qui tum justitiam coram Deo, tum vitam tribuat fidei.
[k] 2. Altera principalis illius quæstionis cōfirmatio, Omnes homines in sese sive extra Christum considerati, sunt rei tum impietatis, tum injustitiæ, ac proinde damnationi obnoxii, ergo aliunde quærendam justitiam oportet.
[l] Adversus omnes impietatis species.
[m] Veritatis nomine intelligit Paulus quicquid lucis in homine relictum est: non quòd eo duce possint cum Deo in gratiam redire, sed ut suo ipsorum judicio convincantur sceleris cum in Deum, tum in homines.
[n] 3. Impietatem probat ex eo quòd, cum omnes homines habeant illustre & perspicuum speculum naturæ Dei æternæ ac omnipotentis in rebus creatis, tamen ab illis principiis ad absurdissima sua commenta, in constituendo Dei cultu, defecerint.
[o] In ipsorum animis.
[p] Deum non vides, tamen ut Deum agnoscis ex operibus ejus, Cicero.
[q] Ex mundi fabrica.
[r] Non eo cultu coluerunt qui ipsius æternæ potentiæ ac divinitati conveniebat.
[s] Quasi dicat, à seipsis fuisse in eam amentiam conjectos.
[t] Pro vero Deo aliud sunt amplexi.
[u] 2. Injustitiam hominum primùm ostendit in eo quòd præter ipsius naturæ leges mutuis libidinibus sese contaminent, justo Dei judicio.
[x] Religionis contemtus omnium scelerum fons.
[y] Ut justus judex.
[z] Mercedem quæ meritis responderet.

Habakuk, in quibus observa duo hæc verba, servari & vivere, esse [illegible], ut Syrus exponit passim. Cætera in Parallelis. Hujus autem ellipseos [illegible] exempla sunt innumera, ut Matth. 1. 11. & 5. 20. [33] Ad verbum, Quòd justus ex fide vivit. Sic solet Syrus literam ד (id est Quod) præfigere testimoniis quæ aliunde citantur. [34] Hebraismus, i. hominum. [35] F. id est, eorum qui veritatem, &c. quæ particula non ad determinationem certorum hominum pertinet (nam de omnibus agi ostendunt sequentia ad caput 4. usque) sed ad descriptionem subjecti totius de quo agitur, id est, hominum omnium, ex quorum numero credituros, id est, justitiam ex fide prehensuros & percepturos discernit Deus. [36] Vel, Intellectu: ב est præpositio instrumenti. [37] Ad verbum, absque exitu in [illegible], hoc est, Ut constricti conscientia teneantur propriæ damnationis. Elegans periphrasis, & metaphora illustris. F. Excusationis putà ac defensionis, Syra phrasi, de qua vide in Actis Apostolorum. alii productionem seu productionem spiritus vel respirationis explicant, minimè malè: q. d. eos ne mutire quidem ausuros ad defensionem suam, sic infrà 2. 1. & 15. [38] id est, Laudaverunt, Celebraverunt. [39] Syrè, Et gratias egerunt, absque repetitione negandi particulæ: quod Hebræis familiare est, ut negatio initio versus posita, totum versum neget. Exemplum habes Psal. 9. 19. [40] id est, Vacui lumine cælesti & vera Dei notitia, ac omni pietate. [41] Syrè, Quod non est intelligens. [42] Pronomen redundat, ex Hebraismo. [43] F. de quo diximus in Matth. [illegible] 10. [44] id est, Non est obnoxius corruptioni. [45] ב Beth pro ל Lamed, sicut Psal. 106. 20. unde hic locus desumptus est. [46] Hebraismus antè observatus. [47] Paraphrastes separatim nominibus utitur. Quatuor pedum: subauditque [illegible] sive חיות, id est, Bestiarum, sive animalium. [47] Pro terrestrium, Hebraismus, [illegible]. Deut. 32. 24. [48] Hebraismus, id est, Cui soli debentur laudes & benedictiones. [49] Hebraismus, id est, In perpetuum. [50] Id est, Veritas, stabilitas. Clausula precum apud Hebræos. Plura de hac voce annotavimus in cap. 1. Evangelii Johannis. [51] Ad verbum est, Dolores sive morbos & ægritudines. Itaque generale nomen synecdochicos pro specie [illegible] ponitur. [52] Ad verbum, Ignominiæ. Substantivum pro epitheto, Hebræis quoque in frequenti usu. [53] Ratione quæ aliena est a natura ipsarum. [54] F. Syr, in substantia sua.

28 [a] Et sicut non visum est eis Deum in noti-
tia retinere: *ita* tradidit eos Deus in mentem
[b] omnis judicii expertem, ut facerent quæ mini-
mè conveniebat:
29 Oppleti omni injustitia, malitia, scorta-
tione, improbitate, avaritia: pleni invidia, cæde,
contentione, dolo, malignitate:
30 Susurrones, obloquutores, Dei osores, con-
tumeliosi, superbi, gloriosi, inventores malorum,
parentibus inmorigeri,
31 Desipientes, [c] fœdifragi, charitatis exper-
tes, implacabiles, immisericordes.
32 Qui Dei [d] jure agnito (*nempè* eos qui
talia faciunt, dignos esse morte) *tamen* non
solùm ea faciunt, sed etiam facientibus [e] ap-
plaudunt.

a B. Idem probat longa multorum scelerum enumeratione, à quibus si non omnibus, saltem plerisque, nemo est prorsus immunis.
b Insanam atque perversam: unde fit ut exstincta primùm conscientia, deinde etiam maxima ex parte sublata synteresi, homines tandem in omne sceleris genus præcipites ferantur.
c Pactorum ac conventorum immemores. d Per jus Dei intelligit jus quod philosophi jus naturæ, jurisconsulti jus Gentium dixerunt. e Socii sunt in malefaciendo, & peccantes laudant.

28 Et sicut [55] non judicaverunt in seipsis, ut
cognoscerent Deum, tradidit illos Deus in men-
tem [56] inanem, ut facerent id quod non oportet.
29 Oppleti omni iniquitate & scortatione, &
[57] amaritudine & malitia, & [58] avaritia, & invi-
dia, & cæde, & contentione, & dolo, & cogitatio-
nibus malis:
30 Et murmuratione & obtrectatione: & odio
habentes Deum, contumeliosi, inflati, superbi, in-
ventores malorum, destituti mente, qui parenti-
bus suis non obtemperant.
31 [59] Quibúsque nullum est pactum, neque
dilectio, neque pax, neque misericordia est in illis.
32 Qui cognoscentes judicium Dei, quod
eos, qui talia faciunt, ad mortem condemnat,
non tantum faciunt illa, verumetiam associant
se iis qui ea faciunt.

55 id est, Non cogitârunt ut cognoscerent Deum: Sensus autem est, Dei cognitionem spreverunt, F. neque certo judicio id sibi duxerunt esse faciendum ut Deum cognoscerent: hoc enim est δοκιμάζειν.
56 Syrè, Inanitatis: Genitivus vice epitheti.
57 Ea intelligit quæ rectο judicio non minus respuenda sunt quàm palatum respuit amara. 58 F. vel oppressione, avaritiæ nempè administra. 59 Id est, Qui pacta non servant.

CAPUT II.

1 *Omnes ad tribunal Dei sistit.* 12 *Gentibus excusationem* 14 *ab ignorantia præcidit.* 17 *Urget Judæos à Lege scripta,* 23 *in qua gloriabantur:* 27 *æquátque eos inter se.*

Quapropter [a] inexcusabilis es ô homo, quis-
quis *alium* damnas. nam hoc ipso quòd
damnas alterum, teipsum condemnas: eadem
enim facis *tu* qui *alium* damnas.
2 [b] Scimus verò judicium Dei esse [c] secun-
dùm veritatem adversus eos, qui talia agunt.
3 Cogitas autem hoc, [d] ô homo qui dam-
nas eos qui talia faciunt, & facis ea, fore ut effu-
gias judicium Dei?
4 [e] An divitias benignitatis ejus & toleran-
tiæ ac lenitatis contemnis, ignorans te benigni-
tate Dei ad resipiscentiam deduci?
5 Sed pro duritia tua & corde quod resipis-
cere nescit, [f] thesaurum tibi recondis iram [g] in
diem iræ & patefactionis justi judicii Dei:
6 [i] [h] Qui reddet unicuique secundùm ope-
ra ipsius:
7 Iis quidem qui perstantes [i] boni operis
gloriam & honorem & immortalitatem quæ-
runt, vitam æternam:
8 Rixosis verò & [k] veritati quidem non ob-
temperantibus, obtemperantibus autem injusti-
tiæ, *erit* [l] excandescentia, & ira.
9 Afflictio *inquam erit* & angustia in om-
nem animam hominis perpetrantis malum, tum
Judæi in primis, tum etiam Græci:
10 Gloria verò & honor & pax *erit* cuivis o-
peranti bonum, tum Judæo in primis, tum &
Græco.
11 [m] Non enim est personarum respectus a-
pud Deum.
12 [n] Quicunque enim sine lege peccave-
runt, sine Lege quoque peribunt: & quicumque
in Lege peccaverunt, per Legem damnabun-
tur.
13 [o] (Non enim qui audiunt legem justi
sunt apud Deum, sed qui legem præstant, [p] ju-
stificabuntur.

a B. Convincit eos qui ex cæterorum numero videntur eximendi, quoniam aliorum vitia redarguant. Istos igitur dicit minimè omnium esse excusabiles, quoniam si propiùs & intù considerentur (quod omnino facit Deus) reperientur & ipsi iis esse obnoxii, quæ in reliquis animadvertunt: ut planè in seipsos sententiam ferant, quum alios damnant.
b Nullas adhibet Paulus sententias Scripturæ, differit enim adversus omnes homines in genere: affert autem prolepses, quas omnium mentibus insitas, Satan ipse non potuit prorsus evellere.
c Ex vera existimatione, non autem ex specie exteriore.
d Non caret emphasi quòd expressit hominis nomen, ut hominem Deo comparet.
e B. Gravis exclamatio in eos qui sibi placent quòd sint aliis perspicaciores, quum nihilo sint meliores. [f] *Jacob.5.3.* f Dum indulges tuis voluptatibus, & speras te aliquid bonis tuis adjecturum, invenies Dei indignationem. g Intelligit ultionem quam Dominus in ultimo Judicio de sceleratis sumet plenam. [i] *Psal.62.12. matth.16.27. apoc.22.12.* h B. Firmamentum superioris disputationis, opus esse omnino justitia, tum Judæis tum Græcis. i Gloriam, quæ bona opera consequitur, quod non ideo proponit, quasi aliquis esse possit qui viribus suis salutem possit consequi: sed ut hac proposita salutis conditione, quam præstare nemo queat, adducat homines ad Christum, qui solus fide donatos justificat, ut ipse concludit infrà, 3.21.22. k Veritatis nomine naturalem intellexit notitiam. l Ira subito inflammata, Dei nimirum in peccatorem. m Homines non metitur Deus ex genere vel ex patria, ut eos amplectatur vel repudiet. n B. Universalem illam humani generis accusationem sigillatim applicat, tum gentibus, tum Judæis. o B. Occupatio adversus Judæos quos non excuset Lex illa, sed condemnet: quoniam non Legem audire, sed Legem custodire justificat. p Justi pronunciabuntur apud Dei tribunal, quod scilicet accideret, si qui essent qui Legem præstarent. At quum non ex Lege, sed ex fide justificatus fuerit Abrahamus, sequitur neminem ex operibus justificari.

Propter hoc non est tibi [1] effugium, ô fili homi-
nis, qui judicas proximum [2] tuum: in quo enim
judicas proximum tuum, teipsum condemnas.
nam tu quoque qui judicas, in iisdem versaris.
2 Et scimus quòd est judicium Dei [3] secun-
dùm veritatem, adversus illos qui in his ver-
santur.
3 [4] Quid autem cogitas tu, ô fili hominis,
qui judicas eos qui in his versantur, quum eti-
am tu in iisdem verseris, quòd fugies à judicio
Dei?
4 Aut adversus divitias benignitatis ejus, aut
adversus longanimitatem ejus & [5] spatium quod
dat tibi, audes? & non nosti quòd benignitas
Dei ad resipiscentiam inducit te?
5 Sed propter [6] malitiam cordis tui [7] impœ-
nitentis, reponis tibi thesaurum iræ in diem iræ
& revelationis judicii justi Dei,
6 Qui rependit unicuique secundùm opera
ipsius:
7 Illis qui in perseverantia operum bono-
rum, gloriam & honorem, & incorruptibilitatem
quærunt, dat [8] eis vitam quæ est in æternum:
8 Iis verò qui contentiosi sunt, & non ac-
quiescunt veritati, sed iniquitati acquiescunt, re-
pendet iram & indignationem.
9 Et afflictio & conturbatio *erit* omni [9] ho-
mini qui operatur mala, Judæis primùm, [10] de-
inde Gentilibus.
10 Gloria verò & honor & pax omni ope-
ranti bona, Judæis primùm, [11] deinde Gẽtilibus.
11 Non enim est [12] acceptio facierum apud
Deum.
12 Qui enim sine Lege peccaverunt, etiam
sine Lege peribunt: & qui [13] in Lege peccave-
runt, ex Lege judicabuntur.
13 Nequaquam enim auditores Legis justi
sunt coram Deo, sed factores Legis justificantur.

1 Syrè, Exitus in latitudinem.
2 Syrè, Suum. Mutatio personæ Hebræa.
3 Ad verbum, In veritate.
4 F. vel quid autem? cogitas tu fili hominis, &c.
5 ad verbum, Locum, id est Opportunitatem (subaudi resipiscendi) quam dat tibi, audes tu?
6 F. Vel duritiam.
7 Ad verbum, quod non resipiscit.
8 Pleonasmus relativorum in Syra lingua frequentissimus.
9 Ad verbum, Filio hominis. Syra & Hebræa phrasis.
10 Ad verbum, Et Gentilibus. F. vel potius Aramæis: vide in Act.20.21, sic deinceps.
11 T. Sed est vau ordinis, ut alibi observatum est.
12 Ad verbum, Et. Estque ordinis vau, ut modò dictum est.
13 Vide quæ sunt annotata Matth. 6.2.
13 Id est, sub Lege, ut infrà cap.3.19.

14 Si enim Gentes quibus Lex non est, ex natura sua fecerint Legem, ipsæ, quæ, quum non esset eis Lex, sibiipsis factæ sunt lex:

15 [14] Et ipsæ ostendunt opus Legis tamquam scriptum super cor suum, & testatur de ipsis conscientia ipsarum, cogitationibus earum reprehendentibus, aut [15] excusantibus [16] invicem,

16 In die quo judicabit Deus occulta filiorum hominis secundùm Evangelium meum, [17] per manum Jeschua Christi.

17 Si autem tu qui Judæus vocaris, & acquiescis in Lege, & gloriaris [18] de Deo,

18 Quòd scias voluntatem ejus, & discernas utilia, quibus instructus es ex Lege:

19 Et confidis de teipso, quòd ductor sis cæcorum, & lumen eorum qui sunt in tenebris,

20 Et eruditor destitutorum mente, & præceptor infantium: & est tibi forma cognitionis & veritatis in Lege.

21 [19] Tu (inquam) qui doces alios, teipsum non doces: & qui prædicas [20] ut non furentur, tu ipse furaris:

22 Et qui dicis ne adulterium committant, tu ipse adulterium committis: & tu qui contemtui habes simulacra, spolias ipse [21] domum sanctam.

23 Et tu qui gloriaris in Lege, in eo quòd transgrederis Legem, Deum ipsum ignominia afficis.

24 Nomen enim Dei propter vos blasphematur [22] inter Gentes, sicut scriptum est.

25 Circumcisio enim prodest, si Legem perficias: si autem [23] resilias à lege, circumcisio tua facta est præputium.

26 Si autem ita est quòd præputium observet mandatum Legis, [24] nónne præputium reputatur circumcisio?

27 Et judicabit præputium quod ex [25] natura sua perfecit Legem, te qui in scriptura & in circumcisione transgrederis Legem?

28 Non enim is qui in manifesto Judæus est, nec etiam ea quæ conspicitur in carne, circumcisio *est:*

29 [26] Sed is est Judæus, qui in occulto est: & circumcisio, quæ cordis est, in spiritu, & non in [27] scripto: cujus laus non est à filiis hominis, sed à Deo.

14 T. id est, ipsæ inquam ostendunt opus Legis, &c. alii autem non legunt tamquam, nec opus est. Ipsi autem legere malim quàm ipsæ, in hoc & præcedente ver. Nam perinde est atque si diceris, ii ipsi ex gentibus. Quemadmodum Græcè primùm quidem legitur τὰ ἔθνη, deinde verò mutato genere οὗτοι & οἵτινες.
15 Ad verbum, Educentibus in latitudinem. Syra phrasis.
16 Ad verbum, In unum unum. Syra phrasis.
17 Id est, Opera Jesu Christi. Hebraismus tritus.
18 Syr. in Deo. Hebraismus frequens.
19 Syrè ad verbum, ut Græci, Tu igitur.
20 T. id est, ne fiat furtum: Hebraismus, in sequentibus etiam observandus.
21 Syrus, Domû sanctuarii, Hebraismus, Periphrasis sacrilegii.
22 בין pro בית, ante observatum.
23 Syrè ad verbum, Transgressus fueris tibi à Lege. Pleonasmus.
24 אית præcedente לא idem valet quod הלא Nónne: atque fortiùs affirmat. 25 Videtur has voces opponere eis quas subjungit, In scriptura & in circumcisione; ut ex natura sua, idem sit quod sine Lege & circumcisione. 26 T. vel sed is demum Judæus qui in occulto est, & ea circumcisio quæ cordis est, in spiritu & non in scripto, is est, inquiam, cujus laus non est à filiis hominum, sed à Deo ipso. Utrumvis deligat lector: nam idem est argumentum. 27 Id est, Litera.

14 [q] Nam quum Gentes [r] quæ Legem non habent, [s] natura quæ Legis sunt faciant, isti Legem non habentes, sibiipsis sunt lex:

15 Ut qui ostendant opus Legis [t] scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam excusantibus)

16 [u] In die quo judicabit Dominus de latebris hominum, [x] ex Evangelio meo, per Jesum Christum.

17 [y] Ecce, tu cognominaris Judæus, & acquiescis in Lege, & gloriaris in Deo.

18 Et nosti *ejus* voluntatem, & exploras quæ [z] discrepant, institutus ex Lege:

19 Confidísque te ducem esse cæcorum, lucem eorum qui *sunt* in tenebris,

20 Eruditorem insipientium, magistrum infantium, quòd habeas [a] informationem cognitionis ac veritatis in Lege.

21 Qui igitur doces alium, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?

22 Qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idôla, sacrilegium admittis?

23 Qui de Lege gloriaris, per Legis transgressionem Deum dedecoras?

24 Nam [8] Dei nomen propter vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.

25 [b] Nam circumcisio quidem prodest si Legem exsequaris: quòd si transgressor Legis fueris, circumcisio tua facta est præputium.

26 Itaque si [c] præputium jus Legis servaverit, nónne [d] præputium illius pro circumcisione reputabitur?

27 Et quod est [e] ex natura præputium, si Legem servet, damnabit te qui per [f] literam & circumcisionem transgressor es Legis?

28 Non enim qui *est* [g] in propatulo *Judæus*, Judæus est: nec ea quæ *est* in propatulo *circumcisio, id est,* in carne, circumcisio *est:*

29 Sed qui in occulto Judæus *est*, & circumcisio cordis, *id est*, [h] in spiritu, non litera: [i] cujus *Judæi* laus non *est* ex hominibus, sed ex Deo.

q B. Occupatio adversus Gentes, quæ etiamsi Legem Mosis non habuerint, non habent tamen quid suis sceleribus prætexant, quum habeant aliquid pro Lege cordibus inscriptum, ut qui quædam ut mala prohibeant, & puniant, quædam ut bona præcipiant & laude prosequantur.
r Non quidem simpliciter, sed cum Judæis comparatæ.
s Honesta jubeant, turpia prohibeant.
t Hæc cognitio naturalis est notitia.
u B. Deus judicia multa differt, quæ tamen suo tempore exsequetur per Jesum Christum, severissimo cum examine, non tantùm dictorum & factorum, sed etiam cogitationum maximè arcanarum.
x Sicut testatur doctrina hæc, cujus ego sum præco constitutus.
y B. Probatio ex Davidis & aliorum Prophetarum testimonio Judæos summis quidem beneficiis à Deo fuisse affectos tradita eis Lege, sed esse omnium hominum maximè ingratos. z Possis discernere quæ à Dei voluntate discrepant. a Rationem instituendi ac formandi alios in cognitione veritatis, q.d. externi cultus prætextu Judæos sibi solis omnia vindicasse, quum revera nihil minùs quàm Legem præstarent. 8 *Esa.52.5. Ezech.36.20.* b B. Occupatio peculiaris adversus eos qui in circumcisione & externo legali cultu sanctimoniam constituebant. Docet igitur, circumcisionem externam, si ab interiore separetur, non modò non justificare, sed etiam damnare circumcisos, à quibus nimirum flagitet quod ipsa significat, cordis videlicet ac totius vitæ puritatem ex Legis præscripto: adeò quidem ut siquis corpore incircumcisus detur, qui corde sit cirumcisus, longè sit quibusvis solo corpore circumcisis Judæis anteponendus. c Metonymia, Præputiatus. d Præputiati status ac conditio. e Qui est natura & genere incircumcisus. f Litera, familiari Paulo phrasi, spiritui opponitur: porrò hoc loco literalis circumcisio est pelliculæ abscissæ, Spiritus autem circumcisio est cordis, id est spiritualis finis ceremoniæ, vera pietas, justitia, quibus à prophanis gentibus populus Dei secernitur. g Qui foris est, & externa circumcisione quæ fit manibus. h Cujus vis est interior & in animo, sive qua circumcisi sunt affectus. i Ostendit Apostolus verbi Israelitæ notam, unde intelligitur cordis circumcisionem Deo potiùs esse conspicuam quàm hominibus.

CAPUT III.

1 *Concedit Judæis aliquam* 2 *ex fœdere prærogativam,* 4 *sed quæ penitùs in Dei misericordia sita sit.* 9 *Judæos ac Gentes æquè esse peccatores,* 11 *auctoritate Scripturæ confirmat:* 19 *usúmque Legis monstrans,* 28 *Fide nos justificari colligit.*

Quæ est igitur excellentia Judæi? aut quæ utilitas circumcisionis?

2 Multa [1] omnibus modis. [2] Primùm quòd fideles redditi sunt sermones Dei.

1 Syrè, In omni re.
2 T. vel, In primis, illud est, putà excellentiæ.

Quæ [a] est igitur præstantia Judæi? aut quæ utilitas circumcisionis?

2 Multa per omnem modum. [b] Primarium enim *illud est* quòd eis credita sunt [c] eloquia Dei.

a B. Occupatio prima adversus Judæorum objectionem, An igitur Judæi nihil habent amplius quàm Gentes? Habent, inquit Apostolus, Dei respectu qui sui fœderis tabulas eis commisit, adeò ut non possit quorundam perfidia efficere ut tota illa gens sine exceptione à Deo veraci abjiciatur, ut qui eorum etiam indignitate ad commendandam suam bonitatem utatur. b Primaria fuit Judæorum sors atque conditio. Notandum autem hîc est, Paulum omnem præstantiam, quam Judæis concedit, in donis Dei ponere, & nihil prorsus in ipsorum meritis. c Oracula.

d id est, fœdifragi.
e Ut de justitia tua constet, vel ut tua singularis bonitas ac fides in promissionibus tuis præstandis appareat.
f Quando edidisti pulcherrimum tuæ justitiæ, constantiæ, & fidei specimen, servato eo qui fuerat fœdifragus.
g B. Altera occupatio ex priore responso promanans, sic commendari Dei justitiam nostra injustitia ut propterea Deus non obliviscatur se esse mundi judicem, ac proinde severum in justitiæ ultorem.
h Perfidia cum suis fructibus. Huic opponitur justitia Dei, id est, fides ac veritas in promissis præstandis.
i Ad verbum, iram, metonymicè pro effectis iræ.
k Hæc non in mea persona loquor, quasi ita sentiam, sed hunc sermonem humanæ illi sapientiæ tribuo quæ Dei voluntati non subjicitur.
l Tertia objectio, aliquid addens superiori, Si peccata cedant in Dei gloriam, non modo non esse punienda, sed etiam iis esse incumbendum: quam blasphemiam Paulus contentus exsecrare, justam pœnam blasphemis denunciat.
m B. Altera ad primam illam objectionem responsio, Judæos, si in sese considerentur, jam pridem pronunciatum esse ore Prophetarum, nihilo esse aliis meliores.

3 Quid tum enim, si [d] infidi fuerunt quidam? num ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet?

4 Absit: imò esto Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scriptum est, [e] Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas [f] quando tu judicas.

5 [g] Quòd si [h] injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? num injustus Deus qui inferat [i] pœnam? ([k] humano more loquor)

6 Absit: alioquin quomodo judex erit Deus mundi?

7 [l] Etenim si veritas Dei per meum mendacium redundavit in gloriam ipsius, cur ampliùs ego ut peccator condemnor?

8 Ac non (sicut de nobis malè loquuntur, & sicut quidam ajunt nos dicere) faciamus mala ut veniant bona? quorum damnatio justa est.

9 [m] Quid igitur? præcellimus? Nullo modo: nam [n] antè criminati sumus & Judæos & Græcos omnes esse [o] sub peccato.

10 Sicut scriptũ est, ‖ Non est justus, ne unus quidem:

11 Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum.

12 Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum.

13 ‖ Sepulcrum apertum, guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, ‖ venenum aspidum sub labiis eorum.

14 ‖ Quorum os diris & amarulentia plenum est.

15 ‖ Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

16 [p] Contritio & calamitas in viis eorum.

17 Et [q] viam pacis non cognoverunt.

18 ‖ Non est timor Dei coram oculis eorum.

19 [r] Scimus autem, quæcumque [s] Lex dicit, iis qui in Lege sunt dicere: [t] ut omne os obthuretur, & [u] obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.

20 Propterea [x] ex operibus Legis [y] nulla caro [z] justificabitur [a] in conspectu ejus. per Legem enim agnitio peccati.

21 [b] Nunc verò absque Lege justitia Dei manifesta facta est, comprobata testimonio Legis ac Prophetarum.

22 [c] Justitia, inquam, Dei per fidem [d] Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt: non enim est distinctio.

23 Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur [e] gloria Dei.

24 [f] Ut qui justificentur [g] gratis, *id est*, ejus gratia, per redemtionem factum in Jesu Christo.

3 Si enim ex illis *quidam* non crediderunt, nunquid in eo quòd non crediderunt, fidem Dei irritam reddiderunt?

4 [3] Absit. Est enim Deus verax, & omnis filius hominis mendax, sicut scriptum est. Ut sis justus in sermonibus tuis, & purus sis [4] quum judicaverint te.

5 Si autem iniquitas nostra justitiam Dei stabilit, quid dicemus? nunquid iniquus est Deus, qui [5] immittit iram suam? (tamquam filius hominis loquor.)

6 [6] Absit. [7] Alioquin quomodo judicabit Deus mundum?

7 Si enim veritas Dei abundavit per mendacium meum, ad gloriam ipsius, cur [8] ampliùs tamquam [9] peccator judicor?

8 Aut nunquid *ita est* quemadmodum blasphemant de nobis quidam, & dicunt quòd dicimus, Faciamus mala, ut eveniant bona? Quorum damnatio reservatur justitiæ.

9 Quid igitur obtinemus excellentiæ? Antè enim pronunciavimus de Judæis & de [10] Gentibus, quòd sub peccato sunt omnes.

10 Sicut scriptum est, Non est rectus, ne unus quidem:

11 Neque qui intelligit, neque qui quærat Deum.

12 Omnes declinaverunt pariter, & reprobi facti sunt: & non est qui faciat bonum, ne unus quidem.

13 Sepulcra patentia, guttura eorum, & linguæ eorum dolosæ, & venenum aspidis sub labiis eorum.

14 Os eorum plenum est maledictione & amarulentia:

15 Et pedes eorum veloces ad effundendum sanguinem.

16 Contritio & dolor in viis eorum.

17 Et viam pacis non cognoverunt.

18 Et timor Dei non est ante oculos eorum.

19 Scimus autem quòd quicquid dicit Lex, iis qui sunt in lege dicit, ut omne os obthuretur, & mundus universus obnoxius reddatur Deo.

20 Quia ex operibus Legis non justificatur [11] ulla caro coram illo. ex Lege enim cognitum est peccatum.

21 Nunc verò sine Lege justitia Dei manifestata est, & testatur de ea Lex & Prophetæ:

22 Justitia autem Dei, [12] per manum fidei [13] est Jeschua Christi, omni homini, etiam super omnem hominem qui credit in ipsum. non enim est discrimen.

23 Quia omnes peccaverunt, & destituuntur gloria Dei.

24 Justificantur autem per gratiam gratis, & per redemtionem quæ est in Jeschua Christo.

3 Syrè, Propitius sis, Parce, Subaudi Deus. Germanicè, *Behut uns, Gott.*
4 F. id est, quum judicaberis, Hebraismus frequẽs, pro eo quod est, quum judicio vel quasi judicio tecum contenditur.
5 Syrè, Venire facit.
6 Parce ut modò dictum est.
7 Syrè, Et si non. Sic Itali quoque loquuntur.
8 Perpetam scribitur חכיר, cum litera *He*, pro מכיר cum litera *Mem*.
F. Et si hæc in re multum non est situm, quando quidem Græcorum ἔτι non semper est temporis adverbium, sed etiam rationalis conjunctio, ut Latinorum jam, nunc, hic, continuò, si, siquidem, &c. ut idem interpres accipit infrà 5.6.
9 In Syriaco textu legitur טליא, quod nunquam significat peccatorem, sed puerum vel infantem. quæ significatio nulla ratione huic loco accommodari potest. Puto igitur erratum esse typographi, & positum esse pro [illegible], id est, peccatore. licet inter errata non commemoretur in indice, nec corrigatur, certè manuscriptus codex ita habet ut nos restituimus.
10 F. Syre, Aramæis, ut suprà: vide in Act. 20. 21. sic infrà versu 29.
11 F. Syr. omnis. Hebraismus, ut Lucæ 1. 37.
12 id est, Per fidem, Hebræa, Syra, & Chaldæa phrasis.
13 F. vel, illius, purà fidei Jesu Christi, ut Græca verba sonant. Atque hoc malo.

n Arguimus: peractam enim accusationem declarat. o Reos peccati. ‖ *Psal.* 14.3. & 53.3. ‖ *Psal.* 5.10. ‖ *Psal.* 140.3. ‖ *Psal.* 10.7. ‖ *Esa.* 59.7. p id est, Quacumque incedunt, solitudinem & vastitatem faciunt, omnia perdendo. q i. Vita innocens & pacifica. ‖ *Psal.* 36.2. r B. Probat illam Davidis & Esaiæ gravissimam accusationem Judæos propriè respicere. s Tum Mosis, tum aliorum prophetarum scripta, totum denique vetus Testamentum Lex vocatur per excellentiam. t B. Conclusio totius superioris disputationis, à vers. 18. primi capitis. Ergo, inquit Apostolus, non est quòd quisquam ex ulla lege, seu illa universali, seu Mosis particulari, speret se justificandum, ac proinde servandum: quum (sicut probavimus) ex Legis & vitæ collatione probatur, omnes esse peccatores, ac proinde condemnatione dignos in Dei conspectu. u Reus esse comperiatur. x Ex eo quòd præstetur Lex. y Caro, ut alias sæpè, pro integro homine metonymicè: est tamen hoc loco emphasis: Sic enim explicatur antithesis hominis (qui nihil est aliud quam caro per peccatum inquinata) & Dei illius in sese purissimi & perfectissimi. z Absolvetur coram tribunali Dei. a Tacita antithesis justitiæ coram hominibus, quamtumvis justis, & justitiæ quæ coram Deo possit subsistere. porrò sola est Christi justitia, quæ verè coram Deo possit consistere. b B. Itaque, inquit Apostolus, ne perirent homines, Deus quod olim promisit, nunc exhibet, rationem videlicet qua coram ipso absque Lege justificati servemur. c B. Hujus justitiæ veluti materia est Jesus Christus, fide apprehensus, & in hunc finem quibusvis populis oblatus, sicut extra eum omnes populi à regno Dei excluduntur. d Quæ habetur Christo, vel nititur Christo. e Gloriæ Dei nomine intelligitur meta illa ad quam contendimus, id est, vitam æternam, quæ in Gloriæ Dei participatione consistit. f B. Hæc igitur justitia, quod ad nos attinet, prorsus est gratuita, ut quæ nitatur iis quæ non ipsi fecimus, sed Christus nostri à peccatis redimendi causa pertulit. g Ex gratuito dono ac mera liberalitate.

14 F. alii peccata nostra, quibus anteà peccavimus.
15 Peccare peccatum. Hebraismus, pro cōmittere peccatum, vel Peccare.
16 F. vel fit justus, & justificet per justitiã illum, &c.
17 F. Syr. exclusa est, vel deturbata est sibi. Pleonasmus, de quo in Mat. 4. 10.
18 F. vel ratiocinamur, aut putamus, servata metaphora τῶν λογισμῶν.
19 Syrè, Parce ut anteà in eodem capite bis observatum est.

25 Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem sanguinis sui, propter [14] peccata quæ ab initio [15] peccavimus:
26 Per spatium quod dedit nobis Deus pro longanimitate sua, ad ostensionem justitiæ suæ quæ *est* in tempore hoc, ut ipse [16] fit rectus, & justificet per rectitudinem illum qui est in fide Domini nostri Jeschua Christi.
27 Ubi igitur gloriatio? [17] exclusa est. Per quam legem? operum? non: sed per legem fidei.
28 [18] Arbitramur igitur quòd per fidem justificatur filius hominis, & non per opera Legis.
29 Nunquid enim Deus Judæorum est tantùm, & Gentium minimè? Imò etiam Gentium.
30 Quia unus est Deus qui justificat circumcisionem per fidem, etiam præputium per eam ipsam fidem.
31 Nunquid igitur Legem ipsam irritam facimus per fidem? [19] Absit: sed Legem ipsam stabilimus.

25 [h] Quem proposuit Deus placamentum per fidem in [i] sanguine ipsius, ad demonstrandam justitiam suam, per remissionem peccatorum [k] quæ antecesserunt, [l] Deo *illa* tolerante:
26 Ad demonstrandam *inquam* justitiam suam [m] præsenti tempore: [n] ut sit ipse justus, & [o] justificans eum [p] qui est ex fide Jesu.
27 [q] Ubi igitur gloriatio? exclusa est. [r] Per quam legem? operum? non: sed per legem fidei.
28 Colligimus igitur, fide justificari hominem absque operibus Legis.
29 [s] An [t] Judæorum Deus solum? ánnon & Gentium? certè & Gentium.
30 Siquidem Deus unus *est* qui justificabit [u] circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.
31 [x] Legem igitur [y] inutilem reddimus per fidem? Absit: imò Legem [z] stabilimus.

[h] B. Deus ergo auctor est gratuitæ istius justificationis, quia sic ei visum est: Christus verò is, in quo pœnas pro nostris peccatis perpesso, remissione peccatorum donamur: instrumentum autem quo Christum apprehendimus, est fides: finis denique, ipsa divinæ benignitatis declaratio, ut sic constet: eum esse verè clementem & in suis promissis constantem, ut qui credentes gratis justificet. [i] Sanguinis nomen ad veterum sacrificiorum figuram nos revocat, quorum veritas est in Christo. [k] Eorum peccatorum quæ, dum inimici eramus, admisimus. [l] Pro sua patientia ac facilitate. [m] Hoc tempore, nimirum quo scripsit Paulus. [n] Ut summè verax ac fidelis comperiatur. [o] Christi imputata justitia justum ac irreprehensibilem constituens. [p] Ex eorum numero qui Christum fide sunt amplexi, quibus opponuntur qui ex circumcisione, id est, ex Lege salutem expectant. [q] B. Argumentum probandæ conclusioni, Nos fide absque operibus justificari, à fine sumtum. Finis justificationis est unius Dei gloria: Justificamur ergo fide absque operibus, quoniam sive per sola nostra opera, sive partim fide, partim operibus justificaremur, gloria hujus justitiæ non tribueretur Deo in solidum. [r] Per quam doctrinam? porrò doctrina operum conditionem habet annexam, Si feceris: doctrina verò fidei, si credideris. [s] B. Aliud argumentum ab absurdo: Si à Lege Mosis penderet justificatio, Deus solis Judæis esset servator. Item, si alia ratione Judæos, alia Gentes servaret: non esset unus & sui similis. Utrosque igitur una & eadem ratione justificabit, nempe fide. Est autem conjungendum hoc argumentum cum proximè consequenti, ut planè sit firma ejus conclusio. [t] Deus, eorum Deus esse dicitur, Scripturæ more, quos benevolentia sua complectitur. [u] Circumcisos. [x] B. Occupatio: Non tamen propterea tollitur Lex, sed potiùs stabilitur, sicut suo loco declarabitur. [y] Otiosam, vacuam, & omnibus viribus destitutam. [z] Firmam & efficacem reddimus.

CAPUT IIII.

1 *Quod antè dixit de fide, exemplo Abrahæ,* 3. 6 *ac Scripturæ testimonio probat: & decies imputationis vocem inculcat hoc capite.*

1 Syrè, Principe patrum. Hebraismus.
2 F. id est, adeptus, vel consequutus est, Hebraismus.
3 F. vel est ei gloriatio.
4 F. supple prædicatur.

Quid igitur dicimus de Abraham [1] patriarcha, quòd [2] invenit in carne?
2 Si enim Abraham ex operibus justificatus fuit, [3] erat ei gloriatio: sed non apud Deum.
3 Quid enim dicit Scriptura? nempe, Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam.
4 Ei autem qui operatur, non imputatur merces tamquam quod sit per gratiam, sed tamquam id quod debetur ei:
5 Illi verò qui non operatus est, sed credidit modò in eum qui justificat peccatores, imputatur illi fides sua ad justitiam.
6 Quemadmodum etiam David dicit de beatitudine hominis cui Deus imputavit justitiam sine operibus, quum dicit:
7 Beati illi quibus remissa est iniquitas ipsorum, & tecta sunt peccata ipsorum:
8 Et beatus vir cui non imputabit Deus peccatum suum.
9 Hæc igitur beatitudo [4] de circumcisione, an de præputio? dicimus enim quòd imputata est Abrahæ fides ejus ad justitiam.
10 Quomodo ergo imputata est ei? in circumcisione, an in præputio? Non fuit in circumcisione, sed in præputio.

Quid [a] igitur dicemus Abrahamum patrem nostrum nactum esse [b] secundùm carnem?
2 [c] Nam si Abrahamus ex operibus justificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum.
3 [d] Quid enim Scriptura dicit? [e] Credidit autem Abrahamus Deo, & [•] imputatum est ei ad justitiam.
4 [f] Atqui [g] ei qui operatur, merces [h] non imputatur ex gratia, sed *est* ex debito.
5 Ei verò qui non operatur, sed credit in eum [i] qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.
6 [k] Sicut etiam David declarat beatum eum hominem cui Deus imputat justitiam absq; operibus: dicens,
7 [l] Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata.
8 Beatus vir cui non imputârit Dominus peccatum.
9 [l] Ista igitur [m] beatitatis declaratio, in circumcisionem *solùm* an & in præputium *cadit*? Dicimus enim imputatam fuisse Abrahamo fidem ad justitiam.
10 [n] Quomodo ergo imputata est? quum esset in circumcisione, an *quum esset* in præputio? non in circumcisione, sed in præputio.

[a] B. Novum argumentum maximi momenti, ab exemplo Abrahami patris credentium desumtum. Est autem ejusmodi propositio, Abrahamum, si ex sese sine operibus consideretur, nihil promeritum esse, de quo gloriari possit, apud Deum. [b] Ex operibus, ut ipse versu sequenti explicat, putà si Abrahamum consideremus in sese & circumcisum, non autem quatenus justificatus est per fidem. [c] B. Occupatio, meritò quidem Abrahamum se posse extollere inter homines, at non apud Deum. [d] B. Confirmatio propositionis: Fidei imputatione justificatus est Abrahamus: ergo gratis sine ullo operum ipsius respectu. [e] *Gen. 15. 6. Gala. 3. 6. Jac. 2. 23.* [•] Imputare hoc loco & similibus, significat acceptum ferre, pro quo dicunt *Allouer, & recevoir en compte.* [f] B. Probatio primæ confirmationis, a contrariis sumta. Ei qui suo labore quippiam promeritus est persolvitur quod debetur: ei verò qui nihil egit, sed gratis promittenti credit, fides imputatur. [g] Ei qui ex opere sit aliquid promeritus. [h] Non numeratur neque tribuitur. [i] Qui eum qui in sese est impius, facit justum in Christo. [k] B. Altera ejusdem confirmationis probatio. David collocat beatitatem in gratuita condonatione peccatorum: ergo & justificationem. [l] *Psal. 32. 2.* [l] B. Nova propositio, istam justificationis viam tum ad incircumcisos, tum ad circumcisos credentes spectare, sicut in Abrahami persona demonstratur. [m] Istud igitur Davidis dictum, quo beatos illos esse pronunciat. [n] B. Ad incircumcisos id spectare (nam de circumcisis non dubitabatur) sic colligit, Abrahamus in præputio justificatus est, ergo ad præputiatos etiam spectat hæc justificatio. Imò ne ad circumcisos quidem pertinet ratione circumcisionis, tantum abest ut propter præputium excludantur incircumcisi.

o B. Occupatio: cur igitur Abrahamus fuit circumciſus ſi jam erat juſtificatus? Ut (inquit) confirmaretur in eo donum juſtitiæ. ‖ Gen.17.11. p Circumciſionem, quæ ſignum eſt, ut ſacramentum Baptiſmi dicimus pro baptiſmo, qui eſt ſacramentum. q Circumciſio dicta fuit prius ſignum quod ad externam ceremoniam pertinet: nunc vis & ſubſtantia illius ſigni explicatur, id eſt, quorſum adhibeatur: nempe juſtitiæ fidei, qua in ipſius Chriſti poſſeſſionem mittimur, non ſimpliciter ſignificandæ, ſed etiam obſignandæ. Spiritus enim ſanctus id reipſa intus præſtat, quod Sacramenta Verbo conjuncta repræſentant. r B. Applicatio exempli Abrahæ ad incircumciſos credentes, quorum etiam patrem conſtituit Abrahamum. ſ B. Applicatio ejuſdem exempli ad circumciſos credentes, quorum ſit quidem pater Abrahamus, ſed ex fide. t B. Ratio cur æſtimandum ſit Abrahami ſemen ex fide, quia videlicet Abrahamus ipſe credendo ſit factus ejus promiſſionis particeps, qua factus eſt omnium gentium pater.

11 o ‖ Et p ſignum accepit circumciſionis, q ſigillum juſtitiæ fidei receptæ in præputio, r ut eſſet pater omnium credentium in præputio, imputata etiam ipſis juſtitia:

12 ſ Et pater circumciſionis, iis *videlicet* qui non ſolùm ſunt ex circumciſione, ſed qui etiam incedunt veſtigiis fidei patris noſtri Abrahami, quæ fuit in præputio.

13 t Non enim u per Legem promiſſo *ceſſit* Abrahamo, aut ſemini ejus, x ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei.

14 y Etenim ſi ii qui z ex lege *ſunt*, hæredes ſunt, inanis facta eſt fides, & vana reddita eſt illa promiſſio.

15 a Nam lex iram efficit: ubi enim non eſt Lex, ibi nec tranſgreſſio *eſt*.

16 b Propterea ex fide *eſt hæreditas*, ut *ſit* per gratiam, ut firma ſit promiſſio c toti ſemini: d *id eſt* non ſolùm ei quod *eſt* ex Lege, verumetiam ei quod *eſt* ex fide Abrahami, qui eſt pater omnium noſtrûm,

17 (Sicut ſcriptum eſt, ‖ e Patrem multarum gentium conſtitui te) f coram eo cui credidit, Deo *videlicet*, g vivificante mortuos, & h vocante quæ non ſunt tamquam ſint.

18 i Qui *Abrahamus* contra ſpem ſub ſpe credidit, fore ut ipſe fieret Pater multarum gentium, ſecundùm id quod *ei* dictum fuerat, ‖ Ita erit ſemen tuum.

19 Ac k minimè debilis fide non conſideravit ſuum ipſius corpus jam l emortuum, quum centum circiter natus eſſet annos, nec emortuum uterum Saræ.

20 Ad hanc promiſſionem autem Dei non addubitavit infidelitate: ſed corroboravit ſeſe fide, m tributa gloria Deo:

21 Ac n plenè perſuaſum habens, *eum* quod promiſerat, poſſe etiam facere.

22 Quapropter etiam *hoc* imputatum eſt ei ad juſtitiam.

23 o Non ſcriptum eſt autem propter eum ſolùm, quòd *hoc* imputatum fuerat ei.

24 Sed etiam propter nos, quibus futurum eſt ut imputetur, iis *nimirum* qui credunt in eum qui ſuſcitavit Jeſum Dominum noſtrum à mortuis,

25 Traditum *in mortem* p propter lapſus noſtros, & ſuſcitatum ad noſtri juſtificationem.

11 Signum enim accepit ipſam circumciſionem, 5 & ſigillum juſtitiæ fidei ſuæ quæ fuerat in præputio, ut eſſet pater omnium illorum qui credunt ex præputio, quò imputaretur etiam eis ad juſtitiam.

12 Et pater circumciſionis, nequaquam 6 illorum qui ex circumciſione ſunt tantùm, ſed etiam illorum qui incedunt per veſtigia 7 fidei præputii patris noſtri Abraham.

13 Nequaquam enim per Legem facta fuit promiſſio Abrahæ, & ſemini ejus, quòd futurus eſſet hæres mundi, ſed per juſtitiam fidei ipſius.

14 Si enim ii qui ex Lege ſunt, fuerunt hæredes, inanis facta eſt fides, & irrita facta eſt promiſſio.

15 Lex enim operatrix eſt iræ. Quum enim non eſt lex, 8 non eſt tranſgreſſio legis.

16 Quapropter per fidem 9 eſt *hæreditas*, ut per gratiam juſtificemur: quò ſit firma promiſſio univerſo ſemini ejus, non illi quod ex Lege eſt tantùm, ſed etiam illi quod ex fide eſt Abrahæ, qui eſt pater omnium noſtrûm.

17 Sicut ſcriptum eſt, Conſtitui te patrem multitudinis Gentium coram Deo, 10 in quem credidiſti, qui vivificat mortuos, & vocat illa quæ non ſunt, tamquam ſint.

18 Et abſque ſpe in ſpem credidit 11 quòd futurus eſſet pater multitudinis Gentium: ſicut ſcriptum eſt, ita erit ſemen tuum.

19 Et non infirmatus eſt in fide ſua, quū conſideraret corpus ſuum emortuū (quia erat 12 natus centum annos) & vulvam emortuam Saræ.

20 Et contra promiſſionem Dei non hæſitavit tamquam deſtitutus fide, ſed corroboratus eſt in fide, & dedit gloriam Deo:

21 Et firmiter credidit quòd quicquid promiſit ei Deus, potens eſſet perficere.

22 Propter hoc imputatum eſt illi ad juſtitiam.

23 Et nequaquā propter ipſum tantùm ſcriptum eſt hoc, quòd imputata eſt fides ejus ad juſtitiam:

24 Sed etiam propter nos: quia etiam nobis 13 futurum eſt ut imputet, qui credidimus in eum qui excitavit Dominum noſtrum Jeſchua Chriſtum 14 à mortuis.

25 Qui traditus fuit propter peccata noſtra, & reſurrexit ut juſtificaret nos.

5 Copula pro hoc eſt. 6 F. vel illis qui ex Circumciſione ſunt tantum, ſed etiam illis qui, &c. & ita Græcè. 7 F. id eſt, quam fidem Abraham pater noſter in præputio habuit, hoc enim Græcus articulus poſtulat, quem aut non legit aut neglexit Syrus, aut obſcurius (ut videtur) expreſſit. Itaque ſic meliùs, veſtigia fidei patris noſtri Abraham, quæ fuit in præputio. 8 F. al. non etiam eſt tranſgr. 9 F. vel eſt juſtitia, ex verſ. 13. aut (ſicut magis placet) per fidem juſtificamur. 10 F. Hic locus, judicio meo, corruptus eſt, & adjectione unicæ literæ א curari poteſt in hunc modū, אמונתו בה, in quem fuit fides, vel in quem credidit. Alioqui nec Græco textui reſpondet, nec benè exprimit, ſed magis obſcurat Pauli argumentationem. 11 F. vel ut fieret pater: quod ex Græco probatur magis. 12 Syrè, Filius centum annorum. 13 Syrè, Futurus eſt ut imputet. 14 Ad verbum, De inter mortuos: Gallicè, *D'entre les morts*.

u Per præſtita opera, aut addita implendæ Legis conditione. x Ut pro filiis haberet omnes nationes orbis. Vel per mundum intelligi poteſt regio Chanaan. y B. Duplex confirmatio illius rationis: una, quòd promiſſio non poſſit apprehendi ex Lege, ac proinde eſſet irrita: altera, quòd conditio fidei fruſtrà adjungeretur promiſſioni ex operibus apprehendendæ. z Si ii demum ſunt hæredes qui Legem impleverunt. a B. Ratio prioris confirmationis, cur promiſſio non poſſit ex Lege apprehendi: quia videlicet Lex quum à nullo obſervetur, non conciliat nobis Deum, ſed iram ejus denunciat. b B. Concluſio hujus argumenti: Ex fide apprehendente promiſſionem Abrahamo factam, & quam primus ipſe Abrahamus fide apprehendit totius poſteritatis Abrahami (id eſt Eccleſiæ ex omnibus populis collectæ) juſtificationem ac ſalutem proficiſci. c Omnibus credentibus. d B. id eſt, non tantùm eorum qui credunt & ſimul ex Lege circumciſi ſunt: ſed etiam eorum qui abſque circumciſione, & ſolius fidei reſpectu cenſentur in Abrahami filiis. ‖ Gen.17.4. e B. Spiritualis eſt iſta paternitas, ex unica Dei promittentis virtute pendens. f Coram eo (videlicet) Deo, id eſt cognitione ſpirituali quæ coram Deo locum habet, & Deo nos gratos reddit. g Eo qui vitæ reſtituit. h Apud quem jam ſint, quæ alioqui reipſa non ſunt, ut qui vel uno verbo quidvis poſſit ex nihilo efficere. i B. Deſcriptio veræ fidei in Dei potentia ſimul ac benevolentia penitus acquieſcentis, propoſito Abrahami exemplo. ‖ Gen.15.5. k Fortiſſimus ac conſtantiſſimus. Hebræi enim contrarium ejus quod negant fortiſſimè aſſeverant. l Jam effœtum viribus, & ad gignendum ſobolem ineptum. m Deo agnito & laudato, ut qui ſummè bonus ac verax eſſet. n Vera fidei deſcriptio. o B. Una eſt perpetua tum in Abrahamo tum in omnibus fidelibus, juſtificationis regula, fides videlicet in Deum qui in Chriſto mediatore noſtro expiatis noſtris peccatis, eumdem à mortuis excitavit, ut & nos juſtificati in eo ſervemur. p Ut offenſas noſtras lueret.

CAPUT V.

1 *Amplificationibus illuſtrat* 2 *juſtitiam Chriſti quæ fide apprehenditur:* 5 *Quia datus eſt pro infirmis,* 8 *& peccatoribus.* 14 *Inde comparationem facit Chriſti cum Adamo:* 17 *mortis cum vita:* 20 *Legis cum gratia.*

a B. Aliud argumentum ab effectis: Eo juſtificamur quod conſcientiam verè coram Deo pacat. Pacat autem conſcientiam non Lex, ſed fides per Chriſtum, ut antea probavit. Fide ergo non Lege juſtificamur. b B. Quòd fidei tribuitur conſcientiæ tranquillitas, ad Chriſtum referendum eſt, ipſius fidei datorem, & in quo ipſa fides eſt efficax. ‖ Eph.2,18. c Sciamus tamen hoc fidei effectum adhuc vigere.

Juſtificati a igitur ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum:

2 b ‖ Per quem etiam fide c adducti ſuimus in

hanc

Quia igitur juſtificati ſumus per fidem, 1 ſit nobis pax erga Deum per Dominum noſtrum Jeſchua Chriſtum.

2 Per quem 2 admiſſi ſumus in fide ad gratiā

hanc

1 F. vel eſt: Futurum pro cõtinuo tẽpore ἔχωμεν. 2 Syrè, Facti ſumus appropinquantes.

hanc in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei.
3 Et non ita tantùm, sed etiam in afflictionibus gloriamur, quia scimus quòd afflictio patientiam perficit in nobis:
4 Et patientia probationem, & probatio spem.
5 Spes autem non pudefacit: quia dilectio Dei effusa est super corda nostra per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.
6 [3] Si autem Christus propter infirmitaté nostram, in tempore hoc pro improbis mortuus est,
7 (Vix enim quis pro [4] improbis moritur: pro bonis enim fortassis quis audeat mori)
8 Hîc ostendit Deus charitatem suam quæ est erga nos, [5] quia si quum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est,
9 Quanto igitur magis justificabimur nunc per sanguinem ipsius, & per ipsum eripiemur ab ira?
10 Si enim quum essemus inimici, reconciliatus est nobiscum Deus per mortem Filii sui, quanto igitur magis in reconciliatione ejus [6] vivemus per vitam ipsius?
11 Et non ita tantùm, [7] sed etiam gloriabimur in Deo [8] per manum Domini nostri Jeschua Christi, per quem nunc accepimus reconciliationem.
12 [9] Sicut [10] per manum unius filii hominis intravit peccatum in mundum, & [11] per manum peccati mors: & ita in omnes filios hominis transiit mors [12] in eo quòd omnes peccaverunt.
13 Usque enim ad Legem, peccatum quum esset in mundo, non reputabatur peccatum, proptereà quòd non erat Lex.
14 Sed regnavit mors ab Adam, [13] & usque ad Musche, etiam super eos qui non peccaverunt in similitudine qua transgressus est [14] Legem Adam, qui est similitudo ejus qui futurus erat.
15 Sed nequaquam sicut [15] excessus [16] ita donum. Si enim propter excessum unius multi mortui sunt, quanto igitur magis gratia Dei & donum ejus, propter unum Filium hominis Jeschua Christum in multos abundabit?
16 [17] At non sicut delictum unius, ita donum.

hanc gratiam per [d] quam [e] stamus, [f] & [g] gloriamur sub spe gloriæ Dei.
3 [h] Neque *id* solùm, sed etiam [i] gloriamur de afflictionibus, [j] scientes quòd afflictio tolerantiam efficiat:
4 Tolerantia verò experientiam, experientia autem spem:
5 Porrò spes non pudefacit, eo [k] quòd [l] charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.
6 [m] Christus enim, quum nullis adhuc viribus essemus, [n] suo tempore pro impiis mortuus est.
7 [o] Enimverò vix pro [p] justo quisquam moriatur: nam pro bono *viro* forsitan aliquis etiam mori sustineat.
8 [q] Commendat autem suam erga nos charitatem Deus, eo quòd quum adhuc essemus [r] peccatores, Christus [ll] pro nobis mortuus sit.
9 Justificati igitur nunc ejus sanguine, servabimur multo magis per eum [s] ab ira illa.
10 Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.
11 [t] Neque id solùm, verum etiam gloriamur de Deo per Dominũ nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.
12 [u] Propterea sicut per unum hominem [x] peccatum in mundũ introiit ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervasit in quo omnes peccârunt.
13 [y] Nam [z] usque ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum verò *esse* non [a] putatur non exsistente lege.
14 [b] Regnavit autem mors ab Adamo usque ad Mosen, [c] in eos etiam qui non peccaverunt ad [d] similitudinem transgressionis Adami, [e] qui est typus illius qui erat futurus.
15 [f] At non ut lapsus, ita etiam *est* quod *Deus* gratificatur. nam si illius unius lapsu multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donatio per gratiam, quod *est* unius illius hominis Jesu Christi, in multos redundavit.
16 [g] Neque ut *illud quod introiit* per unum qui

3 F. Græcè, ὅτι: qua de particula vide suprà in 3.7. Hanc verò interpretationem videtur Syrus interpres ex comparatione vers. 10. petivisse, arguté odoratus, nec malè: cujus mentem pura metaphrasi exponemus prætermisso sequente versu, judicium pio lectori permissuri. Nam si Christus, inquit, propter infirmitatẽ nostrã in hoc tempore pro impiis mortuus est, atque hîc ostendit Deus charitatem suam qua est erga nos, quòd quum essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est: Quanto igitur magis nunc justificabimur per sanguinem ipsius, &c. Hæc argumentatio de justificatione, sequenti, quæ est de reconciliatione, respondet ἀναλόγως, & evidentia maximâ. 4 F. lege pro justis sive legitimis: nam hoc sonat vox רשמא, qua Syrus usus est. Librarii enim procul dubiò affinitate & propinquitate vocis רשוא, quę proximè præcessit, decepti sunt. Argumentosum autem hoc epicherema per parenthesin interjectum resolvo hoc modo: Quod quis vix pro bonis bonus facturus est, multo minus faciet pro malis & impiis. Vix bonus ullus, si forté, pro bonis moriturus est: multo minùs pro malis. At Christus pro malis & impiis mortuus est, & exseruit charitatem suam: multo igitur magis in eos qui boni facti sunt, charitatem suam exerciturus est. 5 F. vel quod quum peccatores ess. &c. quod Syro etiam respondet. 6 id est, Servabimur. Hebraismus frequens. 7 F. putà reconciliati servabimur, sed etiam gloriantes, &c. 8 id est, Per Dominum nostrum, &c. Hebraismus sæpè observatus. 9 F. Desiderantur hic duæ voces in Syra interpretatione מטל הנא, propterea: quas ego quidem eo intercidisse non dubitaverim, quòd recentiores Syri hîc lectionem & segmentum novum ad feriam primam antè jejunium statuerint, ut infrà 8.12. Atque hic unus est inter alios istarum sectionum fructus, quas hoc tempore multi superstitiosè colunt ac tutantur, pro eo quòd sanctam integramq; veritatem divino ordine & modo teneri oportuerat. Lego itaque Spiritu sancto præeunte, Propterea sicut per manũ, &c. Ceterùm hîc Lector est monendus versum hunc cum ver. 18. continuari oportere: quicquid intercedit, id totum esse hyperbaton, cujus exempla in Paulo exstant, Ephes. 3.1. & 1. Tim. 1.5. & alibi. 10 id est, opera, ut paulo antè observavimus. 11 id est, Per peccatum. 12 F. id est, quandoquidem, vel quatenus. 13 F. id est, usque ad: nam copula & phrasi Hebræa & Syra ἀλλοιοῦσι. 14 F. alii legem suam, id est, sibi positam: nam alius est in Adamo, & alius in posteritate ejus transgressionis modus. 15 I. Transgressio, qua scilicet Lex violatur, dum non manetur intra limites quos ipsa præscribit. 16 F. putà effectis. Hæc autem ponuntur tria alienationis, & reconciliationis, hoc ver. condemnationis ex peccato, & justitiæ, ver. 16. mortis, & vitæ æternæ, vers. 17. 17 Copula pro adversativa particula, ex Hebr. F. Etsi ferri copulativa potest, Ac non, &c.

[d] Gratiam, id est, gratuitam benevolentiam, vel eam conditionem in quam gratuitè sumus adsciti. [e] Firmi permanemus. [f] B. Occupatio adversus eos qui miserias & calamitates Ecclesiæ pœnè assiduas conspicientes, putant Christianos somniare, quum suam fœlicitatem jactant: quibus respondet Apostolus, eorum fœlicitatem alibi esse sub spe repositam, quæ quidem spes adeò sit certa, ut de felicitate illa non minus exsultent quàm si ea fruerentur. [g] Non modò æquo animo & moderato sumus, sed etiam magna lætitia perfusi, nobis placemus de hæreditate cælesti, quæ nos manet. [h] B. Ipsæ oppressiones multis modis suppeditant exsultationis materiem, nedum ut nos reddant miseros. [ll] Jac. 1.3. [j] B. Quia afflictiones patientiæ nos assuefaciunt, patientia verò bonitatem Dei nobis reddit exploratã: ista deniq; experientia spem nostrã alit, quæ quidem numquã nos frustratur. [k] B. Fulcimen spei est certum conscientiæ testimonium, ex Spiritus sancti dono, nos à Deo diligi: hoc autem nihil aliud est quàm quod fidem vocamus: unde sequitur, fide pacari conscientias. [l] Qua nos Deus prosequitur. [m] B. Certa in adversis cõsolatio, ne pacem nostrã interturbent, quia qui prorsus infirmos atq; adeò impios, adeò dilexit, ut pro eis etiã mortem subiret, qui posset jã in ipso viventes & sanctificatos negligere? [n] Tempore opportuno & idoneo, quod Pater præscripserat. [o] B. Amplificatio charitatis Dei erga nos, ut de ea non possimus ambigere, qui pro injustis & à quibus nihil boni possit captare, atque adeò pro suis hostibus Christum dederit in mortem. Quomodo igitur quos Christus moriens justificat, & reconciliat, non servaret ab exitio, jam vivus? [p] Justi alicujus hominis vice. [q] Confirmat, in nobis videlicet: ut in mediis afflictionibus sciamus eum nobis adfuturum. [r] Quum in nobis regnaret peccatum. [ll] *Hebr. 9.15. 1. pet. 3.18.* [s] id est, Afflictionibus & exitio. [t] B. Transitio ad alterum caput justificationis, quod positum est in gratuita obedientiæ Christi imputatione: ut ad remissionem peccatorum accedat etiam donum justitiæ Christi per fidem imputatæ, quæ injusticiam ab Adamo in nos propagatam, omnesq; ejus fructus absorbeat: ut in Christo non modò desinamus esse injusti, sed etiam justi esse incipiamus. [u] B. Ab Adamo in quo omnes peccârunt, reatus & mors, (quæ est reorum pœna) in omnes pervasit. [x] Peccati nomine, morbum illum intelligit hæreditarium, quem originalem vulgò vocant: sic enim in numero singulari vocare solet illud peccatum, quum fructus in numero multitudinis soleat vocare, peccata. [y] B. Hoc ita esse, & reatum & mortem non cœpisse post Legem Mosis datam, & violatam illud manifestè docet, quòd mortui sint homines antè Legem illam positam. Nam quum mortui sint, peccatum quod est mortis causa jam tum exstabat: & ita quidem ut imputaretur, unde etiam efficitur aliquam jam tum fuisse Legem, cujus transgressio esset mortis causa. [z] Tempore quod ab Adamo ad Mosen intercessit. [a] Ubi *Lex nulla* est posita, nemo ut reus ac nocens punitur. [b] B. Istam autem Legem, non esse illam universalem, nec ab actuali aliquo singulorum peccato mortem illam fuisse profectam, illud declarat, quod ipsi infantes qui legem illam naturalem neque cognoscere unquam potuerunt nec transgredi, instar Adami tamen mortui sunt. [c] Infantes. [d] Secundùm eam formam qua peccant adulti, dum cupiditatibus obsequuntur, alioqui tota posteritas in Adamo (quum ipse sciens ac prudens peccaret) corrupta fuit. [e] B. Respondet autem Adamus ille prior alteri posteriori, nempe Christo, sicut mox explicatur. [f] B. In eo quidem Adamus & Christus inter se comparantur, quòd uterque quod suum est in suos propaget. in eo verò primùm differunt, quòd ille quidem natura suam offensam in multorum exitium propagârit, istius verò obedientia in multos ex gratia redundarit. [g] B. Altera disparitas in eo posita est, quòd illius quidem una offensa homines reos effecit: Christi autem justitia, gratis imputata, non ab illo tantùm reatu, sed etiam ab aliis omnibus absolvat.

UMI

b Ad sententiam absolutoriam.
i B. Tertium discrimen est, quòd potentior etiam sit justitia Christi gratis imputata ad vitam afferendam, quàm Adami offensa ad suos posteros morti addicendos.
k Veræ & perennis vitæ participes facti.
l B. Itaq; in summa, sicut ex Adami offensa contractus reatus omnes addicit morti: ita ex adverso justitia Christi, quæ Dei beneficio imputatur omnibus credentibus, eos justificat, ut vitæ æternæ fiant participes.

peccavit, *ita est* beneficium: nam reatus quidem *est* ex uno *lapsu* ad condemnationem: quod autem gratificatur *Deus, est* ex multis *lapsibus* ad [h] justificationem.

17 [i] Etenim si per unum lapsum mors regnavit per unum, multo magis *ii* qui redundantiam illam gratiæ & doni justitiæ recipiunt, [k] in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

18 [l] Nempe igitur sicut per unum lapsum *reatus venit* in omnes homines ad condemnationẽ, ita per unam justificationem, *beneficium redundavit* in omnes homines, ad [m] justificationem vitæ.

19 [n] Sicut enim per [o] inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt [p] multi, ita per unius obedientiam, justi constituentur multi.

20 [q] Lex verò præterea [r] introiit ut augeretur lapsus ille: sed ubi auctum est peccatum, *ibi* [s] superabundavit gratia.

21 Ut quemadmodum regnaverat peccatum ad mortem, ita etiam gratia regnaret per justitiam ad vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Judicium enim quod fuit ex uno, in condemnationem fuit: donum autem ex peccatis multis, fuit ad justitiam.

17 Si enim propter delictum unius regnavit mors, *multo* magis qui acceperunt magnitudinem gratiæ & doni [18] justificationis, in vita regnabunt per manum unius Jeschua Christi.

18 [19] Sicut igitur [20] per delictum fuit condemnatio omnibus filiis hominis, ita per justitiam unius erit justificatio ad vitam omnibus filiis hominis.

19 Quemadmodum enim propter inobedientiam unius filii hominis peccatores multi fuerunt, ita etiam propter obedientiam unius multi justi fiunt.

20 Introitus autem qui fuit Legi, *fuit* ut augeret peccatum: & [21] ubi auctum est peccatum, ibi exuberavit gratia.

21 Ut quemadmodũ regnavit peccatum [22] in morte, ita regnaret gratia in justitia, ad vitam quæ est in æternum, per [23] manum Domini nostri Jeschua Christi.

18 F. alii, & justitiæ. etsi ἐς in Græco textu nõ cõparet.
19 Mutavimus quod perperàm scriptũ erat אכזנא (quod nihil significat) in איכנא id est, Sicut. Admissus autẽ est error mutatione Jod in Zain, & transpositione, quãvis eodem modo legatur in manuscripto.
20 F. alii, propter delictũ unius fuit cõdemnatio, &c.
21 Sic vertendum est כד sequente ד.
22 Pro in mortem: & sic mox, In justitia, pro In justitiam.
23 i. per Dominũ, &c. ut antè observavimus in eodem capite.

m Non tantùm quia remissa sunt peccata, sed etiam quia justitia Christi nobis imputatur. n B. Totius istius comparationis hoc est fundamentum, quòd duo isti homines sint constituti veluti duæ stirpes, ut ex illo quidem peccatum per naturam, ex isto autem justitia per gratiam, in alios promanet. o Non igitur solùm ad nos imitatione transit peccatum, sed etiam hæreditaria fuit corruptio. p Multos opponit paucis. q B. Occupatio: Cur igitur Lex Mosis supervenit? Ut tanto magis rei constituerentur homines, & tanto illustrius esset Dei beneficium in Christo Jesu. r Accessit ad morbum illum, quo laborabant omnes homines unius peccato contaminati. s Gratia è cælo tanta copia fuit effusa, ut peccatum non æquârit modò: sed etiam infinitis partibus superârit.

CAPUT VI.

1 *Descendit ad sanctificationem, sine qua neminem induere Christi justitiam docet,* 4 *argumento à Baptismo sumto.* 12 *Inde exhortationes ad vitæ puritatem deducit,* 16 *brevemq; mentionem interserit Legis abrogatæ.*

a B. Transitio ad aliud Christi beneficium, quod sanctificatio dicitur, sive regeneratio.
b Permanebimus in illa corruptione? Etiamsi enim non imputetur nobis reatus peccati, manet tamen in nobis corruptio, quam sanctificatio justificationem subsequens, paulatim interimit.
c B. Beneficium justificationis & sanctificationis perpetuo vinculo cohærent, & utrumque manat à Christo ex Dei gratia. Est autem sanctificatio, abolitio peccati, id est, corruptionis nostræ naturæ, in cujus locum succedat naturæ instauratæ puritas.

QUid [a] igitur dicemus? [b] permanebimus in peccato ut gratia auctior fiat?

2 [c] Absit. qui [d] mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?

3 [e] An ignoratis, [||] nos quotquot baptizati sumus [f] in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptizatos?

4 [||] Sepulti sumus igitur cum eo per baptismum in mortem: ut sicut suscitatus Christus ex mortuis [g] in gloriam Patris, [h] ita & nos [||] novâ vita incedamus.

5 [i] Nam si cum eo plantati coaluimus [k] conformatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis *conformatione* [l] coalescemus:

6 Illud scientes, [m] veterem illum nostrum hominem cum [n] eo crucifixum esse, ut aboleatur [o] corpus peccati, [p] ne posthac nos serviamus peccato.

7 [q] Etenim qui mortuus est, liberatus est à peccato.

8 Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus fore ut etiam vivamus cum eo.

9 Ut qui sciamus Christum suscitatum ex mortuis, non ampliùs mori: mortem *inquam* ei non ampliùs dominari.

10 [r] Nam quòd mortuus est, peccato mortuus

QUid igitur dicemus? manebimus in peccato ut gratia abundet?

2 [1] Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo rursus?

3 [2] An quòd ignoratis qui baptizati sumus in Jeschua Christo, in mortem ejus baptizati sumus?

4 Sepulti enim sumus cum eo [3] in baptismo in mortem, ut quemadmodum surrexit Jeschua Christus [4] à mortuis in gloriam Patris sui, ita etiam nos in vita nova ambulemus.

5 Si enim unà plantati sumus cum eo [5] in similitudine mortis ipsius, ita etiam [6] in resurrectione ejus erimus.

6 Scimus enim quòd filius hominis noster vetus crucifixus est cum eo, ut aboleretur corpus peccati, ut rursus non serviremus peccato.

7 Qui enim mortuus est, liberatus est à peccato.

8 Si igitur mortui sumus cum Christo, [7] credamus quòd cum ipso Christo vivemus.

9 Novimus enim quòd Christus surrexit à [8] mortuis, & iterum non moritur, & mors non dominatur ei.

10 Quòd enim mortuus est, peccato ipse mor-

1 Parce, ut sæpiùs dictum est.
2 F. vel aut ignoratis. vide in Mat. 7.9.
3 F. vel baptismo, vel per baptismũ.
4 Ad verb. De inter mortuos. Gallicè, *D'entre les morts*. Syra phrasis ubique obvia.
5 Pro, in similitudinem: ut observavimus in fine præcedentis capitis.
6 Concisa loquutio: Id est, in similitudinem resurrectionis ejus.
7 F. vel credimus.
8 Ut suprà V. 9.

d. Mortui peccato Paulo dicuntur, qui virtutis Christi participes ita sunt facti, ut nativa illa corruptio sit in eis emortua, i. vigore suo exstincto, fructus amarissimos non edat. Contrà verò, vivere dicuntur peccato, qui sunt in carne, i. quos spiritus Dei à naturæ corruptionis servitute non asseruit. Peccato autem tertio casu hoc loco construitur: alioqui Mori peccato sexto casu, dicitur is qui peccatis quasi immortuus tenetur: qui & mortuus absolutè dicitur, infr. ver. 13. e B. Hujus sanctificationis tres sunt partes, nempe veteris hominis sive peccati mors, & sepultura, & novi hominis resurrectio, à Christi mortis, sepulturæ, & resurrectionis virtute in nos promanans, cujus beneficii pignus & sigillum est baptismus noster. [||] *Gal.* 3.27. f Ut cum Christo coalescentes, vim ipsius perciperemus exstinguendo peccato, & creando novo homini. [||] *Col.* 2.12. g Ut ipse Christus, deposita infirmitate, gloriosus cum Deo viveret in æternum. h Nos autem qui illius membra sumus, ideò resurreximus, ut & ipsi participes illius virtutis facti, incipiamus vivere vitam novam, quasi nimirum jam in cælis versemur. [||] *1. Cor.* 6.14. *ephes.* 4.23. *col.* 3.8. *2. tim.* 2.11. *hebr.* 12.1. *1. pet.* 2.1. i B. Mors peccati & vita justitiæ, sive coalitio cum Christo, & in morte, & in vita, nunquam possunt divelli: ex quo consequitur, neminem esse sanctificatum qui adhuc vivat peccato: ac proinde neminem qui non resipuerit, factum esse per fidem Christi participem: & quòd antè dixerat, Legem non everti, sed stabiliri per fidem. k Quatenus virtute ab ipso in nos derivata; perinde morimur peccato, ut ipse mortuus est. l Perficitur enim in dies, imò nunquam, quamdiu vivemus, erit omnino perfecta sanctificatio. m Universam nostram naturam, sicut cum iniquitate concepti sumus & in lucem editi. Vetus autem dicitur partim collatione veteris illius Adami cum Christo, partim etiam naturæ nostræ deformationis respectu, quam altera recentiore permutamus. n Natura nostra corrupta Christo tribuitur non reipsa, sed per imputationem. o Vitiositas quæ nobis inhæret. p Finis sanctificationis, ad quem contendimus, ac tandem pervenimus, nempe quando Deus erit omnia in omnibus. q B. Idem probat à mortis effectis adhibita Christi capitis cum suis membris collatione. r B. Adhortatio ad certandum cum corruptione & omnibus ejus effectis.

tuus est [9] semel: & quòd vivit, vivit ipse Deo.

11 Ita etiam vos reputate vosipsos, quòd mortui sitis peccato, & vivatis Deo per Dominum nostrum Jeschua Christum.

12 Ne igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali, ut obediatis concupiscentiis ejus.

13 Et etiam ne accommodetis membra vestra arma iniquitatis ad peccatum: sed accommodate vosipsos Deo, tamquā homines qui ex mortuis revixistis: & membra vestra arma sint justitiæ [10] Dei.

14 Et peccatum non [11] regnet super vos, non enim estis sub Lege, sed sub gratia.

15 Quid igitur? peccabimus, quia non sumus sub Lege, sed sub gratia? [12] absit.

16 Ignoratis vos quòd cui accommodatis vosipsos, ut obediatis ei ad servitutem, ejus ipsius estis servi cui obeditis, sive peccato, [13] sive [14] auditui auris justitiæ?

17 Gratia autem Deo, quòd servi fuistis peccati, & obedivistis ex corde formæ doctrinæ cui traditi estis:

18 Et quum liberi facti sitis à peccato, subjecistis vos justitiæ.

19 Tamquam [15] inter filios hominis loquor, propter infirmitatem carnis vestræ: ut quemadmodum accommodastis membra vestra servituti impuritatis & iniquitatis, ita etiam nunc accommodetis membra vestra servituti justitiæ [16] & sanctificationis.

20 Quum enim servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ.

21 Et quis fructus erat vobis tunc, [17] in quo hodiè erubescitis? finis enim ejus est mors.

22 Et nunc, quum liberi facti sitis à peccato, & facti sitis servi Deo, sunt vobis fructus sancti, quorum finis est vita quæ est in æternum.

23 Stipendium enim peccati, mors est: & donum Dei, vita quæ est in æternum, per Dominum nostrum Jeschua Christum.

[9] Syrè, Uno tempore, pro una vice. Hebraismus.

[10] Quæ scilicet Deo probatur.

[11] F. vel regnabit: ut Græcè habetur. Videtur enim promissionis esse.

[12] Syrè, Parce, ut antea observatum est.

[13] F. Græcè additur, εἰς θάνατον, ad mortem: quæ voces in Syro desunt.

[14] Vel, obedientiæ auris justitiæ, pro, Ad justitiam.

[15] Antè quoque observavimus [illegible] pro [illegible] sæpè usurpati Syrè.

[16] F. Græcè ad sanctificationem.

[17] id est, Cujus causâ.

est [f] semel: quòd autem vivit, vivit [t] Deo.

11 Ita etiam vos colligite, vos tum mortuos esse peccato, tum verò vivere Deo per Christum Jesum Dominum nostrum.

12 Ne [u] regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis:

13 Neque [x] sistite [y] membra vestra arma injustitiæ peccato: sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra [z] arma justitiæ Deo.

14 [a] Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim estis sub Lege, sed sub Gratia.

15 [b] Quid igitur? peccabimus, quòd non simus sub Lege, sed sub Gratia? Absit.

16 [1] An nescitis quòd cui sistitis vos servos ad obediendum, ejus servi estis cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam?

17 [c] Gratia autem *sit* Deo quòd fuistis *quidem* servi peccati, sed ex corde obedistis ei formæ doctrinæ [d] in quam estis traditi.

18 Et liberati à peccato, mancipati estis justitiæ.

19 [e] Hominum more loquor, propter infirmitatem carnis vestræ. Nempe sicut sistitis membra vestra serva impuritati & iniquitati, ad *patrandam* iniquitatem: ita nunc sistite membra vestra serva justitiæ ad sanctimoniam.

20 Quum enim servi eratis peccati, [f] liberi eratis justitiæ.

21 [g] Quem igitur fructum habebatis tunc *ex iis* de quibus nunc erubescitis? nam [h] finis illorum, mors *est*.

22 Nunc verò liberati à peccato, mancipati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam: finem autem, vitam æternam.

23 [i] Nam stipendia peccati, mors: donum autem Dei *est* vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.

[f] Una vice pro omnibus.

[t] Apud Deum.

[u] Regnare, apud Paulum significat summum imperium obtinere, cui nemo sese opponat: vel si quis hoc faciat, frustrà illud faciat.

[x] Peccato, tamquam Domino alicui vel tyranno.

[y] Mentem atque illius facultates omnes.

[z] Pro instrumentis quibus ad patranda scelera utatur.

[a] 3. Fatetur sic adhuc non esse mortuum in nobis peccatum, ut penitùs sit exstinctum: sed victoriam fortiter certantibus promittit, quia gratia Dei donati sumus, quæ efficit ut lex jam non fiat peccati virtus & instrumentum in nobis.

[b] 2. Sub Lege & sub peccato esse, idem declarant, eorum respectu qui non sunt sanctificati: sicut è cōtrario sub gratia & sub justitia esse, regeneratis conveniunt. Sunt autem ista contraria ut unum cum altero consistere non possit.

Expellat igitur peccatum justitia. [1] *Joh.8.34. 2.pet.2.19.* [c] 3. Natura servi peccati & liberi justitiæ, gratia Dei simus justitiæ servi, ac proinde à peccato liberi. [d] Hoc dicendi genus emphasin habet, significat enim Evangelicam doctrinam, quasi instar typi cujusdam esse, cui veluti immittamur, ut ejus figuræ conformemur. [e] Quum de rebus cælestibus loquar, libenter tamen me captui eorum ad quos scribo accommodo: ideò similitudines istas servitutis & libertatis ex hominum commerciis sumo. [f] Nullum erat justitiæ in vos imperium. [g] 2. Adhortatio ad justitiæ studium & peccati odium, proposito utriusque contrario exitu. [h] vel merces aut vectigal. [i] 2. Mors est pœna peccato debita: sanctificamur autem gratis ad vitam æternam.

CAPUT VII.

1 *Explicat quid sit Non esse ampliùs sub Lege,* 2 *sumto ex conjugii lege exemplo.* 7. 12 *Idq; in Legis contumeliam ne vertat,* 14 *nostra culpa factum esse docet,* 15 *ut in mortis materiam cederet,* 17 *quæ in vitam data erat.* 21 *Exin transit ad describendam spiritus & carnis luctam.*

[1] AN ignoratis fratres mei (scientibus enim Legem loquor) quòd lex dominans est super hominem quamdiu vivit?

2 Sicut mulier, quæ alligata est marito suo quamdiu ille vivit, per legem: si autem mortuus fuerit maritus ejus, libera facta est à lege mariti sui.

3 Si verò dum vivit maritus ejus [2] copulata fuerit viro alii, facta est adultera: quòd si moriatur maritus ejus, libera facta est à lege, & non est adultera si sit [3] viro alteri.

4 Et [4] nunc fratres mei, etiam vos mortui estis Legi in corpore Christi, ut sitis alteri, *videlicet* ei qui surrexit à mortuis, ut reddatis fructus Deo.

5 Quum enim in carne essemus, infirmitates

[1] F. vel aut ignoratis, &c. ut suprà 6.3.

[2] Vel, Adhæserit.

[3] Hebraismus, Si alteri nupserit.

[4] Pro, Itaq; Sicut etiam Hebraicè [illegible] pro eodem accipitur. vide suprà in 3.7.

AN [a] ignoratis fratres, (peritos enim Legis alloquor) legem *tantisper* dominari homini quoad *ipse* vixerit?

2 [1] Nam viro subjecta mulier, viventi viro devincta est per legem: quòd si mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri.

3 Proinde vivente viro mœcha [b] vacabitur, si fiat alterius viri: sin autem mortuus fuerit vir ejus, libera est à lege illa, ut non sit mœcha, si fiat alterius viri.

4 [c] Itaque fratres mei, vos quoque mortificati estis legi [d] in corpore Christi: ut essetis alterius, ejus *videlicet* qui ex mortuis suscitatus est, ut [e] fructum feramus [f] Deo.

5 [g] Quum enim [h] essemus in carne, [i] affectus

[a] 2. Proposita conjugii similitudine, statum hominis ante & post regenerationem inter se comparat. Lex (inquit) matrimonii hæc est, ut superstite marito constet matrimonium, & illo mortuo liceat mulieri alteras nuptias contrahere.

[1] *1.Cor.7.39.*

[b] Id est, erit omnium voce & consensu.

[c] 2. Accommodatio similitudinis: Ita, inquit, nobis contingit. Nunc enim sumus Spiritui, quasi secundo marito copulati, ex quo novam sobolem procreemus mortui quidem respectu prioris mariti, posterioris autem respectu, veluti à mortuis excitati. [d] Ad verb. per corpus, id est, in corpore, ut intelligatur arctissima illa Christi cum membris communicatio. [e] Fructus vocat liberos quos uxor tollit ex marito. Hebr. est. [f] Qui sint Deo grati. [g] 2. Explicatio prioris dicti. Nam, inquit, concupiscentiæ, quas in nobis Lex ciebat, erant in nobis instar mariti cujusdam, ex quo pariebamus verè mortiferam sobolem. Nunc autem mortuo illo marito, ac proinde illa vi Legis occidentis soluti transivimus sub Spiritus imperium, ut jam non illos putres & mortuos, sed vitales fœtus edamus. [h] Quum essemus in priori conjugii conditione, quam proximo versiculo vocat vetustatem literæ. [i] Motus ad peccatum sollicitantes, qui in ipsa etiam mente vim suam exserunt.

peccatorum, peccatorum

peccatorum [h] per legem *exsistentes* [l] vigebant in
membris nostris, ad fructum ferendum morti.
6 Nunc autem liberati sumus à lege, [m] mor-
tuo *eo* [n] in quo [o] detinebamur, ut serviamus in
[p] novitate spiritus, ac non *in* vetustate [q] literæ.
7 [r] Quid ergo dicemus? Lex peccatum *est*?
Absit. Imò peccatum non cognovi nisi per Legē.
nam etiam [f] cupiditatem non nossem nisi Lex
dixisset, [g] Non concupisces.
8 Sed peccatum occasione per illud manda-
tum sumta effecit in me omnem cupiditatem.
9 Nam absque Lege, peccatum *quidem erat*
[t] mortuum: [u] ego verò vivus eram sine Lege
[x] quondam: mandati autem illius [y] adventu
peccatū *quidem* revixit, ego verò [z] mortuus sum.
10 Et repertum est illud mandatum quod *e-
rat* ad vitam, mihi *cedere* ad mortem.
11 Nam peccatum occasione per illud man-
datum sumta seduxit me & per illud occidit.
12 [a] [I] Itaq; Lex ipsa quidem, sancta: & [b] man-
datum illud, sanctum, ac justum & bonum.
13 [c] Ergo quod bonum *est*, mihi factum est
mors? Absit: imò peccatum mihi factum est
[d] mors, ut [e] appareret peccatū mihi per id quod
bonum est efficere mortem: *id est* ut peccatum
fieret [f] summè peccans per illud mandatum.
14 [g] Scimus enim legem esse spiritualem: at
ego carnalis sum, venditus ut subjicerer peccato.
15 [h] Quod enim perpetro, [i] [k] non agnosco.
[l] non enim quòd volo, hoc ago, sed quòd odi,
hoc facio.
16 Quòd si id facio quod nolo, consentio Le-
gi quòd bona *sit*.
17 Nunc itaque non ampliùs ego id perpetro,
sed [m] peccatum quod in me habitat, *id perpetrat*.
18 [n] Novi enim non habitare in me (id est
in carne mea) bonum, nam velle adest mihi,
sed ut quod bonum est efficiam, [o] non assequor.
19 Non enim facio bonum quod volo: sed
malum quod nolo, hoc ago.
20 Quòd si id facio ego quod ego nolo, non
ampliùs ego id perpetro, sed peccatum quod in
me habitat, *id perpetrat*.
21 [p] Comperio igitur volenti mihi facere bonū
hāc legem *impositā esse*, quòd mihi malū adjaceat.
22 Delector enim Lege Dei quod ad [q] inte-
riorem hominem:

peccatorū, quæ sunt per Legem, efficaces erant
in membris nostris, ut fructū redderemus morti:
6 Nunc autem [5] soluti sumus à Lege, & mor-
tui sumus ei quæ detinebat nos, ut serviamus
posthac in novitate Spiritus, & non in vetustate
[6] scripturæ.
7 Quid ergo dicimus? Lex peccatum est?
absit. [7] Sed peccatum non didici nisi per manum
Legis. non enim concupiscentiam sciebam nisi
fuisset Lex quæ dicit, Ne concupiscas.
8 Et per hoc mandatū invenit sibi peccatū oc-
casionē, & perfecit in me omnem concupiscenti-
am. Absq; Lege enim peccatum mortuum erat.
9 Ego autem vivebam sine Lege [8] ab initio,
quum autem venit mandatum, peccatum revixit,
10 Et ego mortuus sum, & repertum est mihi
mandatum ipsum vitæ ad mortem.
11 Peccatum enim per occasionem quam in-
venit sibi [9] per manum mandati, decepit me, &
per illud occidit me.
12 Lex ergo, sancta est: & mandatum, san-
ctum est, & justum & bonum.
13 Bonum ergo ipsum mihi ad mortem factū
est? [10] Absit: [11] sed peccatum, ut conspiceretur
quòd peccatum esset, *ipsum fuit* [12] quod per bonū
perfecerit in me mortem, quo magis condemna-
retur peccatum per mandatum.
14 Scimus enim quòd Lex [13] spiritualis est: e-
go autem carnalis sum, & venditus sum peccato.
15 Quod enim ago [14] non agnosco: & ne-
quaquam id quod volo, facio, sed id quod odi, il-
lud ipsum facio.
16 [15] Et si id quod nolo, facio, testor ego de
Lege quòd [16] bona sit:
17 Nunc autem nequaquam ego operor il-
lud, sed peccatum quod habitat in me.
18 Novi enim illud, *videlicet* quòd non habi-
tat in me ([17] hoc verò est in carne mea) bonum.
Ut velim enim bonum, in promtu est mihi: ut o-
perer ipsum, non possum.
19 Nequaquam enim bonum quod volo fa-
cere, facio: sed malum quod nolo facere, illud ip-
sum facio.
20 Et, si illud quod nolo facio, nequaquam e-
go facio, sed peccatum quod habitat in me.
21 [18] Invenio igitur legē quæ consentit men-
ti meæ, illi *quidem* quæ vult facere bonum, *repug-
nare carni meæ*: propterea [19] quòd malum proxi-
mum est mihi.
22 Gaudeo enim in Lege ipsa Dei in filio
[20] hominis interno:

5 Syrè, aboliti. 6 Pro, literæ. 7 Vel, Imo, ut 2 Cor. 8. 7. secundùm quosdam. 8 F. i. antè: ut alibi passim. 9 i. Per mandatū. 10 Syrè, Parce, ut supr. ℣. 7. 11 Vel, Imo, ut suprà. 12 Aut redundat ד Daleth in principio, F. aut hæc Ellipsis statuenda supplendaq; fuit hoc modo. 13 Ad verb. Spiritus est, in genitivo casu. Sed ex duobus Substantivis simul constructis, alterū (quod scilicet à priori regitur) tū in Hebræa, tum in Syriaca lingua, in adjectivi locū subit, ut paulò post, Ego autē carnis, pro Carnalis sum. 14 Hoc est, Probo. vel, Non est id quod scio agendū. 15 Pro, Quod si: ut versu 20. 16 Syrè, Pulcra. 17 Redundans particula, sicut δὲ Græcum, cui respondet. 18 F. vel, Invenio igitur legem quæ perfecta est, in ipsa mente mea volente facere bonum, propterea quòd malū proximū est mihi: Sic ex συμφορᾷ Syrus ex ℣. 21. & plane consentit cū Græcis Pauli verbis. itaq; a supplemētis tam multis facilè abstinuero. 19 Cōcisa oratio, nam in contrario membro oppositū comprehendit. Sic ergo implenda, Repugnantem carni meæ; &c.

20 Ad verb. Qui est intùs, hoc est, Secundùm hominem renatum & Spiritualem.

k Non dixit à lege exsistentes, sed per Legem, natos nimirum ex peccato intùs habitante, & occasionem istorum motuum arripiente ex Legis prohibitione, nullo quidem Legis sed nostro vitio. l Vim suam exserebant. m Quasi diceret, vinculum quo detinebamur emortuum est, ac effluxit, ita ut quod detinebat (peccatum videlicet) jam non habeat quo nos contineat. n Est enim hic maritus intra nos. o Malæ quidem est fidei possessor Satanas, qui fraude nos addixit peccato & sibi: quamdiu tamen sumus peccatores, sponte peccamus. p Ut eos decet qui vetere mortuo marito Spiritui sunt adjuncti: quos videlicet Spiritus Dei renovavit. q Per literam, Legem intelligit illius veteris conditionis respectu: antequam enim voluntas nostra per Spiritum sanctum formata sit, Lex surdis canit, ac proinde nobis est muta ac mortua, quantum ad ejus præstationem attinet. r B. Objectio, An igitur Lex & peccatum idem sunt ac mutuò cōsentiunt? Imò, inquit, peccatum à Lege coarguitur, ac damnatur. Peccatum autem quia redargui non sustinet, & quasi non sentiebatur, donec irritaretur à Lege, occasionem inde arripit magis ferociendi, nullo tamen Legis vitio. f Cupiditatis nomine non pravas cupiditates hoc loco intelligit, sed earum fontem: illas ipsi etiam Pholosophi damnārunt licet obscurè, hanc ne suspicari potuerunt: est nihilominus sedes nativæ illius labis. g *Exo. 20. 17. deu. 5. 21.* t Etiamsi in nobis sit, non agnoscitur tamen pro peccato, neq; ita furit, ut post Legis cognitionē furere solet. u B. Proponit sese pro exemplo, in quo omnes homines intueantur primò quidem quales sint natura antequam de Lege Dei seriò cogitent, stupidi videlicet, & sine sensu peccati, ad malū proclives: deinde cujusmodi evadant quum conscientia redarguit Legis testimonio, pervicaces nimirum, & peccandi libidine multo magis ardentes quàm unquam anteà. x Ante adventum mandati. y Quum mandatū cœpi intelligere. z Hic distingue mortem in peccato super peccatum (de qua hic agit & Ephes. 2. 1.) à mortificatione peccati, quæ pars est nostræ justificationis. a B. Conclusio, Legem quidem per sanctā esse, totam autem culpam in nobis esse, qui Lege abutamur. [I] *2. Tim. 1. 8.* b De non concupiscendo. c B. Propositio, Legem non esse mortis materiam, sed corruptam naturā ob ea non tantùm detectam, verùm etiam irritatam, inde occasionem rebellionis arripere, ut quæ eo ardentiùs res vetitas appetat, unde mortis reatus. d Mortis meæ culpam sustinet. e Ut peccatum ostenderet, se esse peccatū, nempe ut proderet, se id esse quod est revera. Nam anteà quasi mortuū delitescebat. f Quàm maximè, explicatis omnibus suis viribus. g B. Causa hujus rei hæc est, quod Lex cælestem puritatē flagitet, homines autem quales nascuntur, sint corruptionis mācipia, cui sponte serviunt. h B. Proponit seipsum, ut regeneratū, pro exemplo, in quo dissidium illud spiritus & carnis, ac proinde Legis Dei & pravitatis nostræ, perspicuè appareat. Nam quia Lex in homine non regenerato tantùm mortem parit, faciliùs in eo insimulari potest: in homine autem regenerato, quum salutares etiam fructus edat, meliùs apparet vitiosas actiones non à Lege, sed à peccato, (i. corrupta natura) oriri. Ac proinde simul docet Apostolus quis sit Legis usus, redarguendo peccato in regeneratis ad finem usq; capitis, sicut paulo antè, nempe à ℣. 7 usq; ad hunc 15 ejusdem usum docuit in non regeneratis. i B. Non respondent (inquit) meæ vitæ actiones, imò repugnant voluntati meæ. Itaq; ex voluntatis meæ consensu cum Lege, & repugnantia cum vitæ actionibus satis apparet aliud suadere Legem & rectam voluntatem, aliud verò vitiositatem homini insidentem etiam regenerato. k Non approbo. l B. Observandū est eundem & unum hominem dici velle & nolle, diversis respectibus: velle videlicet, quatenus est gratia regeneratus: nolle quatenus non est regeneratus, sive quatenus talis est qualis est natus. Sed quoniam pars regenerata tandem victrix evadit, ideò Paulus regeneratorū partem sustinens, perinde loquitur ac si vitiositas quæ & ipsa volens peccat, esset aliquid extra ipsum: quamvis tamen posteà fateatur hoc malum esse in carne sua, sive membris suis. m Corruptio illa nativa, quæ etiam in regenitis hæret, nondum planè debellata. n B. Vitium istud, sive peccatū, sive Lex peccati, homines nō regeneratos prorsus occupat, regeneratos autem remoratur. o Hæc illi verè cōveniunt, quem gratia Dei innovavit: nam ubi nō est Spiritus, quæ potest esse lucta carnis? p B. Cōclusio, Sicut lex Dei ad bonū hortatur, ita legem peccati (i. corruptionē in qua toti nati sumus) nos ad mala impellere: spiritū autem, i. animum nostrū quatenus est regeneratus, cum Lege Dei cōsentire: carnem verò, i. totum hominē legi peccati esse mācipatum. In summa igitur, malū & mors non sunt à Lege, sed a peccato, quod quidē regnat in non regeneratis, ut qui nec velint, nec faciant bonū, velint autem & faciant malū: in regeneratis autem certat adversus spiritū sive legem mentis, adeò ut nec tam benè vivere nec tā à malo alieni esse possint quàm volunt. q Interior homo, is est qui & novus, cui opponitur exterior, i. vetus: interioris autē hominis nomine, nō mentē & rationē, carnis verò & hominis exterioris, inferiores facultates intelligit, quod facit humana Philosophia: sed exterioris nomine intelligit, quicquid est in homine vel intùs vel foris, à capite ad calcem, quatenus quidem homo non est gratiâ Dei regeneratus.

23 Video verò legem aliam in membris meis, quæ bellum gerit contra legem mentis meæ, & captivum me reddit legi peccati, quæ est in membris meis.

24 Miser ego filius hominis: quis liberabit me ex hoc corpore mortis?

25 Gratias ago Deo meo [21] per Dominum Jeschua Christum. Nunc igitur ego mente mea servus sum legis Dei: carne autem mea servus sum legis peccati.

[21] Ad verb. Per manum Domini. Hebraismus.

23 Sed video aliam legem in membris meis belligerantem adversus [r] legem mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.

24 [s t] Miser ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis?

25 [u] Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum. [x] Nempè igitur ipse ego mente quidem servio Legi Dei, carne verò legi peccati.

[r] Lex mentis, hoc loco non de mente, qualis illa est à natura, intelligenda est, sed de mente Spiritu Dei renovata. [s] 2. Miserum quidem est, adhuc ex parte obnoxium esse peccato, quod sua natura nos reddit reos mortis: sed clamandum est ad Dominum, qui nos per ipsam mortem aliquando victores reddet, ut qui jam simus in Christo victores. [t] Ærumnosis & perpetuis pugnis fatigatus. [u] Non interrogat hic Paulus, sed suspirat potiùs: deinde se colligit, & se acquiescere significat in ea spe, quam habeat in Christo Jesu fundatam. [x] Hæc vera est regeneratorum perfectio, si se imperfectos esse agnoscant. Augustinus.

CAPUT VIII.

1 Concludit nihil damnationis esse iis qui sunt Christo insiti per ejus Spiritum, 3 utcumque onerati sint adhuc peccatis. 9 Illo enim spiritu vivunt, 14 cujus testimonium 15 dubitationem omnem arcet, 18 & miserias omnes sublevat.

PRoinde non est condemnatio iis qui non ambulant [1] juxta carnem in Jeschua Christo[2].

2 Lex enim Spiritus vitæ qui est in Christo Jeschua, liberavit [3] te à lege peccati & mortis.

3 Eo quòd enim viribus destituta erat Lex [4] per manum infirmitatis carnis, misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, propter ipsum peccatum, ut condemnaret peccatum in carne ejus:

4 Quò justificatio Legis in nobis impleretur, qui nequaquam in carne ambulamus, sed in spiritu.

5 Illi enim qui in carne sunt, quod carnis est cogitant: & illi qui [5] spirituales sunt, quod est spiritus cogitant.

6 Intellectus enim carnis, mors est: [6] & intellectus spiritus, vita & pax.

7 Propterea quòd intellectus carnis inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei se non submittit: quia non potest.

8 Et ii qui in carne sunt, [7] placere Deo non possunt.

9 Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: si verè Spiritus Dei habitat in vobis. Si autem non sit in aliquo Spiritus Christi, hic nequaquam est ejus.

10 Quòd [8] si autem Christus est in vobis, corpus mortuum est propter peccatum: spiritus autem [9] vivens est propter justitiam.

11 Et si Spiritus ejus qui excitavit Dominum nostrum Jeschua Christum [10] à mortuis, habitat in vobis, ipse qui excitavit Dominum nostrum Jeschua Christum à mortuis, etiam corpora vestra mortalia vivificabit [11] propter Spiritum

[1] Syrè, In carne. Hic enim ב pro כ sive על passim usurpat Paraphrastes. F. id enim est, carne vel secundùm carnem. [2] Deest oppositum, Sed juxta spiritum. Sicut etiam in quibusdam Græcis codicibus, & in vulgata Latina. [3] Mutatio personæ. In Græco codice servatur prima persona Me. [4] i. Ob infirmitatem carnis. Hebraismus. [5] Ad verb. Et spiritus, in genitivo singulari, loco epitheti. Ponitur autem copula adversativè. Atqui spiritus sunt, ut sequ. vers. [6] Et pro At. [7] Syrè, Pulcri esse & grati. [8] Expletiva particula, sicut apud Græcos, unde sumpta est. [9] F. vel vita est, ut Græcè legitur. [10] Syrè, De inter mortuos. Hebr. [11] F. vel per Spiritum.

NUlla [a] igitur nunc *est* condemnatio iis qui *sunt* in Christo Jesu, [b] *qui* non [c] secundùm carnem incedunt, sed secundùm Spirirum.

2 [d] Nam [e] Lex Spiritus [f] vitæ [g] *qui est* in Christo Jesu, [h] liberavit me à Lege peccati & mortis.

3 [i] Nam quæ Legis *erat* [k] impotentia quum viribus esset destituta [l] per carnem, Deus suo ipsius Filio misso in forma consimili [m] carni peccato obnoxiæ, [n] idq; pro peccato, [o] condemnavit peccatum in carne:

4 Ut jus [p] illud Legis compleatur [q] in nobis qui non secundùm carnem incedimus, sed secundùm Spiritum.

5 [r] Nam qui [s] secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò *sunt* secundùm spiritum, quæ Spiritus sunt.

6 [t] Nam quod sapit caro mors est: quod autem sapit Spiritus, vita & pax:

7 [u] Quoniam quod sapit caro, inimicitia *est* adversus Deum. [x] Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.

8 [y] Ergo qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

9 [z] Vos autem non estis in carne, Sed in Spiritu: siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. quòd siquis Spiritum Christi non habet, is non est ejus.

10 [a] Porrò si Christus in vobis *est*, [b] corpus quidem mortuum *est* propter peccatum: Spiritus autem vita *est* propter justitiam.

11 [c] Sed si Spiritus ejus qui suscitavit Jesũ à mortuis habitat in vobis: is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiã mortalia corpora vestra per

[a] 2. Conclusio totius superioris disputationis à vers. 6. primi capitis, ad hunc usque locum. Quum in Christo iidem justificati consequamur peccatorum remissionem & justitiæ imputationem, atque adeò etiam sanctificemur: ex his efficitur, esse extra condemnationis metum, qui per fidem sunt Christo insiti. [b] 2. Fructus Spiritus, sive sanctificationis in nobis inchoatæ effecta, nos quidem non inserunt Christo, sed nos ei insitos esse declarant. [c] Ducem carnem sequuti. non enim dicitur vivere secundùm carnem qui Spiritum ducem sequitur, etiamsi aliquando extra viam vestigium ponat. [d] 2. occupatio. Quum adeò imbecilla sit vis Spiritus in nobis, quomodo inde possimus colligere nullam esse cõdemnationem in his qui hac vi sunt prædit? Quoniã, inquit, vis ista Spiritus vivificantis quæ tam imbecilla est in nobis, perfectissima & potentissima est in Christo: & nobis credentibus imputata, facit ut perinde censeamur, ac si nullæ prorsus reliquiæ corruptionis & mortis in nobis hærerent. Anteà igitur disputavit Paulus de remissione peccatorum, & præstationis Legis imputatione, atque adeò de inchoata in nobis sanctificatione: nunc autem de perfecta sanctitatis humanæ naturæ Christi imputatione disserit, quæ pars ad planè pacandam conscientiam requirebatur. Delentur enim nostra peccata Christi sanguine, & tegitur nostræ corruptionis reatus obedientiæ Christi imputatione: ipsa autem corruptio (quam Apostolus peccatum peccans appellat) sanctificationis quidem dono paulatim sanatur in nobis, sed alio præterea remedio eget, nempe ipsius Christi carnis perfectissima sanctificatione, quæ & ipsa nobis credentibus imputatur. [e] Jus & auctoritas Spiritus, cui opponitur tyrannis peccati. [f] Qui veterem hominem mortificat, novum vivificat. [g] Sub. absolutè, & perfectè. [h] Imputata siquidem Christi sanctificatio, sanctificationem nostram inchoatam perficit. [i] 2. Non argumentatur, sed sanctificationis imputatæ mysterium explicat. Quoniam enim, inquit, Legis non ea erat vi tus (idque propter naturæ nostræ corruptionem) ut hominem possit purum & integrum præstare, ut quæ morbum peccati potiùs accenderet quàm exstingueret, Deus Filium suum induit carne huic nostræ peccatrici simili, in qua penitùs abolevit nostram vitiositatem, ut in eo per fidem apprehenso, penitùs integri & inculpati habiti, plenè comperiamur illam summam perfectionem habere quam Lex flagitat, ac proinde nulla sit in nobis condemnatio. [k] Quæ Legi propria non est, sed vitio nostro accidit. [l] In homine non regenerato, cujus morbum quidem indicare potuit, at non sanare. [m] Hominis naturæ quæ corrupta erat per peccatum, donec illam sanctificaret. [n] Ut peccatum aboleret in carne nostra. [o] Nullum in nos jus habere declaravit. [p] Ipsa Legis Dei substantia compleatur, vel illud ipsum quod requirit Lex ut possimus justi coram Deo inveniri: nam si justificationi adjungatur sanctificatio nobis imputata, justi sumus ex perfecta illa Legis formula. [q] 2. Redit ad id quod dixerat, sanctificationem in nobis inchoatam, esse nostræ in Christum insitionis certum testimonium: qui quidem est uberrimus fructus & honestæ vitæ fructus. [r] 2. Probatio cur incedere secundùm carnem non conveniat in Christum insitis, ambulare autem secundùm Spiritum eis conveniat: Quia, inquit, carnales carnalia, spirituales spiritualia cogitant. [s] Ad carnis præscriptum viventes. [t] 2. Probat consequentiam, eo quod quicquid sapit caro, mortiferum esse, quicquid Spiritus, vitam ac felicitatem spectat. [u] 2. Probatio cur intelligentia carnis sit mors, quia, inquit, Dei est hostis. [x] Ratio cur caro sit Dei hostis, Quoniam illi nec vult nec potest se subjicere. Carnem autem vocat hominẽ non regeneratũ. [y] 2. Conclusio, ergo ambulantes secundùm carnem, Deo non possunt placere: ex quo efficitur non esse Christo insitos. [z] 2. Ad alteros accedit, eos videlicet qui secundùm spiritũ ambulant, de quibus cõtraria omnino superioribus intelligenda sunt: primùm definit quid sit in spiritu sive sanctificatũ esse, nempe habere Spiritũ Dei incolam: deinde affirmat sanctificationem inseparabili nexu cum nostra in Christũ insitione cohærere. [a] 2. Confirmat fideles adversus carnis & peccati reliquias, concedens adhuc quidem illos (sicut ex ea quæ superest in eis vitiositate intelligitur) altera sui parte (quam corpus vocat, i. massam) à terrenis sordibus nondum purificata, in morte esse: sed simul jubens de fœlici certaminis exitu securos esse, quoniam vel exigua Spiritus (i. gratiæ regenerationis) scintilla, quam ibi inesse ex justitiæ fructibus constet, sit vitæ semen. [b] Caro, sive illud omne quod adhuc in mortis & peccati salebris hæret. [c] 2. Confirmatio superioris sententiæ: Eodem spiritu præditi estis, quo & Christus. Idem ergo in vobis atque in Christo tandem efficiet, quando videlicet & vos deposita prorsus omni infirmitate, & superata morte, gloria cælesti induet.

[d] Virtute Spiritus, quæ sese primum in capite nostro exseruit, sed quæ in suis membris quotidiè etiã exseritur.
[e] B. Adhortatio ad carnem vi Spiritus regenerationis in dies magis ac magis opprimendam: Quia, inquit, debitores estis Deo, tot acceptis ab eo beneficiis.
[f] B. Alia ratio ab utili, Quia fortiter pugnantes æterna vita manet.
[g] B. Confirmatio hujus rationis, Quia filii sunt Dei qui ipsius Spiritu reguntur: ergo vita æterna eos manet.
[h] B. Obiter explicat duobus istis versiculis quo jure filiorum Dei appellatio credentibus tribuatur: quoniam, inquit, Evangelii gratiam accipiunt, in qua Deus sese non rursus formidabilem, sicut in Legis promulgatione, sed benignũ Patrẽ in Christo præbet, adeò ut eũ magna cũ fiducia Patrem invocemus, Spiritu sancto videlicet hanc adoptionem in animis nostris per fidem obsignante.
[i] Spiritus nomine sanctus ille intelligitur, quem accipere dicimur, quum in animis nostris est efficax.
[k] Quem ciebat in animis nostris prędicatione Legis.
[l] Qui obsignat in animis nostris adoptionem nostram, ideoq; aperuit os nostrũ.
[m] B. Probatio consequutionis confirmationis, quia qui Filius Dei est, cum Christo fruitur Deo.

[d] inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.
12 [e] Nempe igitur, fratres, debitores sumus
non carni, ut secundum carnem vivamus, *sed*
Spiritui.
13 [f] Nam si secundum carnem vixeritis, futurum est ut moriamini: sed si Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.
14 [g] Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii
sunt filii Dei.
15 [h] Non enim accepistis [i] Spiritum servitutis ad metum, sed accepistis Spiritum [k] adoptionis, per quem clamamus Abba, *id est*, Pater.
16 Qui ipse Spiritus [l] testatur unà cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei.
17 [m] Quòd si filii, etiam [n] hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: [o] si modò simul *cum eo* patimur, ut simul etiam *cum eo* glorificemur:
18 [p] [q] Nam statuo minimè *esse* paria quę præsenti tempore perpetimur, gloriæ in nobis retegendæ.
19 [r] Etenim mundus hic conditus [s] *quasi* exserto capite observans exspectat [t] patefactionem
filiorum Dei.
20 Nam [u] vanitati mundus hic conditus subjectus est, [x] non sua sponte, sed [y] propter eum qui
subjecit *eum isti vanitati.*
21 [z] Sub spe quòd & ipse liberabitur ex [a] servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum
Dei.
22 Scimus enim totum mundum conditum unà suspirare, & unà [b] parturire ad hoc usque
tempus.
23 [c] Neque verò *ille* solùm, sed & ipsi qui primitias Spiritus habemus, nosipsi, inquam, apud nosipsos suspiramus, adoptionem exspectantes, *id est* [d] redemptionem corporis nostri.
24 [e] Nam spe servati sumus. [f] Spes autem si cernatur, non est spes. quod enim quis cernit, cur
speret?
25 Si verò quod non videmus speramus, *nempe* per tollerantiam exspectamus.
26 [g] Itidem autem & Spiritus unà [h] sublevat infirmitates nostras. quid enim precemur ut oportet, non novimus; sed ipse Spiritus [i] interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus.
27 Qui verò scrutatur corda, novit [k] quis sit sensus Spiritus: quia [l] secundùm Deum interpellat pro sanctis.
28 [m] Novimus autem, iis qui diligunt Deum,
[n] omnia simul adjumento esse ad bonum: iis *videlicet* qui ex [o] propositio *ipsius* vocati sunt.

ipsius qui habitat in vobis.
12 [12] Nunc, fratres mei, debitores sumus, non
carni, ut in carne ambulemus.
13 Si enim in carne vivatis, futurum est ut moriamini: & si in spiritu conversationes corporis mortificetis, vivetis.
14 Illi enim qui Spiritu Dei ducuntur, hi filii
sunt Dei.
15 Non enim accepistis spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum [13] adoptionis filiorum, per quem clamamus, [14] Pater, Pater noster.
16 Et ipse Spiritus testatur spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.
17 [15] Et si filii, etiam hæredes: hæredes Dei, & [16] consortes hæreditatis Jeschua Christi: ut si patiamur cum eo, etiam cum eo glorificemur.
18 Arbitror enim ego quòd non sint pares passiones temporis hujus, gloriæ illi [17] quæ futurum est ut reveletur in nobis.
19 Universa enim creatura exspectat, & [18] oculos intendit in revelationem filiorum Dei.
20 (Creatura enim subjacet vanitati, [19] non pro voluntate sua, sed propter eum qui subjecit
eam)
21 In spe quòd etiam ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.
22 Scimus enim quòd omnes creaturæ congemiscunt, & parturiunt usque in diem hunc:
23 Et non solùm ipsæ, sed etiam nos; in quibus sunt primitiæ Spiritus, congemiscimus in nobisipsis, [20] & intentis oculis exspectamus [21] adoptionem filiorum, redemtionem corporum nostrorum.
24 Eo quòd in spe est [22] salus nostra. Spes autem quæ conspicitur, nequaquam est spes. Si enim conspiceremus ipsam, [23] cur intentis oculis exspectaremus eam?
25 Si verò id quod non conspicitur, speramus, per patientiam exspectamus.
26 Similiter etiam ipse Spiritus auxiliatur infirmitati nostræ. quid enim oremus quemadmodum oportet, ignoramus: sed ipse Spiritus orat pro nobis gemitibus [24] qui verbis non exprimuntur.
27 Qui scrutatur autem corda, ipse novit quis sit intellectus Spiritus: quia secundùm voluntatem Dei orat pro sanctis.
28 Scimus autem quòd iis qui diligunt Deum,
[25] in omni re auxiliatur *Deus* eis ad bonum, iis
inquam quos [26] prædestinavit ut essent vocati:

[12] Pro, igitur. Hebraismus. F. nisi fortè exciderit altera particula propter occasionem quàm suprà in 5. 12. perstrinximus.
[13] Syrè, constitutionis filiorum, sive Statuti.
[14] Vide quæ de hac re scripsimus Marci 14. in Pater, pater mi.
[15] Pro, Quòd si. Varius est particulæ Vau usus apud Hebræos.
[16] Ad verb. Filii hæreditatis, id est Hæredes. Hebr.
[17] Hellenismus, quem Chaldæi familiariter usurpant.
[18] Syrè, Quasi in specula exspectat ut versu 23 & 24.
[19] i. Non sponte sua, aut pro voto suo. Gallicè, *Non pas de sa volonté.*
[20] Syrè, Quasi in specula exspectamus.
[21] Syrè, Constitutionem filiorum.
[22] Syrè, Vita, quod alibi notatum est.
[23] Syrè, Quasi in specula exspectaremus.
[24] Syrè, Qui non dicuntur, i. Dici non possunt.
[25] F. vel ad omnes res, Statuit enim Syrus ellipsin ad nomen *cohæreat*, atque hæc interpretatio tam convenit argumento antecedenti & sequenti, quàm quod maximè. Est autem hæc Ellepsis in sermone Græco frequentissima.
[26] Ad verb. Antè constituit.

[n] Bonorum Patris participes, idque gratis, quia filii adoptivi. [o] B. Jam docet Paulus qua via filii Dei ad illam fœlicitatem perveniant: per crucem videlicet, sicut & ipse Christus. Simul autem aperit consolationis fontes, ac primum quidem, quòd Christum ipsum habeamus afflictionum socium: secundò quòd illi quoque simus in æterna illa gloria socii futuri. [p] B. Tertiò, quòd hæc gloria quam exspectamus, infinitis partibus superet afflictionum miseriam. [q] Omnibus bene expensis colligo. [r] B. Quartò, nos certò esse liberandos docet ex ea confusione & horrenda totius mundi deformatione, quæ perpetua esse non possit, sicut ab initio non exstitit. Cæterùm sicut ea initium habet ex hominis peccato propter quem erat conditus, Deo sic ordinante: ita cum electis tandem instaurabitur. [s] Vocabulum Græcum significat gestus illius qui cupidissimè aliquid exspectat, nimirum qui exserit caput & oculos extendit, quasi eminùs venturum prospiciens. Nomine verò rerum creatarum intelligit Mundum, id est, istam rerum universitatem quæ initio quidem fuit condita in pulcherrimo statu, idque in hominis ad Dei gloriam creati, præclaris & sanctis usibus inserviret: nunc verò eo redacta est propter hominis peccatum, ut si inferiorem, id est, elementarem regionem species, omnia sint infinitis & fœdissimis mutationibus ac tandem etiam interitui obnoxia. Sin verò cœlestia corpora consideres, non possunt expertia dici istius vanitatis, quum impiis etiam Dei hostibus inserviant, & tandem quoque sint ultimo illo die dissolvenda: sicut David & Petrus disertis verbis declarant. [t] Id est, dum gloria illa filiis Dei preparata, reipsa patefiat. [u] Fluxæ & evanidæ conditioni, cui oppositus constans & integra natura & recto tramite ad suum finem pertingens. [x] Non propensione naturali. [y] Ut conditoris imperio obsequatur, cui visum est ipsarum vanitate ostendere, quantoperè esset homini offensus. [z] Noluit mundum perpetuæ maledictioni propter hominis peccatum subjacere, sed spem illi fecit restitutionis. [a] A corruptione, cui nunc sunt mancipatæ, asserentur in fœlicem illum statum incorruptionis, qui perficiet quum filii Dei in gloria [illegible]. [b] Significatur non tantum summus dolor, sed etiam fructus qui eum consequitur. [c] B. Quintò, si exspectat reliquus mundus instaurationem, [illegible] suspirans, idque non frustra, nos quoque non pigeat ingemiscere, & longe etiam certiores sumus redemtionis nostræ futuræ, quum habeamus Spiritus primitias. [d] Luc. 21. 28. [d] Extremam illam instaurationem quæ futura est nostræ adoptionis consummatio. [e] B. Sextò, Cum fide spes necessario cohæret, quum credamus quæ nondum obtinuimus, & spes in rem præsentem non feratur. Sperandum est igitur, & patienter exspectandum quod futurum credimus. [f] Metonymia, pro eo quod speratur. [g] B. Septimò, Non est quòd fatiscamus sub afflictionum pondere, quum firmissimũ præsidium suppeditent preces: quæ irritæ esse nequeant, quum à Spiritu Dei in nobis habitante proficiscantur. [h] Tamquam onus sustinet, ne nos sub eo fatiscamus. [i] Nobis preces instigat, atque adeò verba [illegible] suspiria nobis intùs dictat. [k] Quæ suspiria à sui Spiritus afflatu proficiscantur. [l] Quia sanctos docet precari ex ipsius Dei voluntate. [m] B. Octavò, Nec temerè, aut nostro malo affligimur, sed ex Dei providentia, summo nostro bono: qui sicut nos ab æterno elegit, ita etiam prædestinavit Filii sui conformationi, ac proinde suo tempore vocatos ac justificatos, per crucem ad gloriam adducet. [n] Non tantùm afflictiones, sed quidvis aliud. [o] Propositum vocat id quod Deus ab æterno pro bona sua voluntate apud se constituit.

29 Nam
29 Et

27 Syrè, Et ab initio novit eos.
28 F. vel imaginis Filii sui: quod malim.
29 Syrè, Omnem rem, i. Quidvis.
30 Mutatio numeri. Græcus retinet pluralem, Nos.
31 Græcum nomen retinet Paraphrastes.
32 i. Destinatæ mactationi, Hebraismus.

29 Et [27] præscivit eos, & obsignavit eos in si-
militudinem [28] figuræ filii sui, ut ipse sit primoge-
nitus fratrum multorum.
30 Eos autem quos priùs obsignavit, eosdem
vocavit: & eos quos vocavit, eosdem justificavit:
& eos quos justificavit, eosdem glorificavit.
31 Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro
nobis, quis est contra nos?
32 Et si Filio suo non pepercit, sed pro omni-
bus nobis tradidit eum, quomodo non [29] omnia
cum eo dabit nobis?
33 Quis se opponet electis Dei? Deus justi-
ficat.
34 Quis condemnet? Christus mortuus est, &
resurrexit, & est ad dexteram Dei, & orat pro
nobis.
35 Quis separabit [30] me à dilectione Christi?
Afflictio? aut angustia? aut persequutio? aut fa-
mes? aut nuditas? aut [31] periculum? aut gla-
dius?
36 Quemadmodum scriptum est, Propter te
quotidiè morti tradimur, & reputati sumus tam-
quam oves [32] ad mactationem.
37 Sed in his omnibus vincimus per manum
ejus qui dilexit nos.
38 Persuasus enim sum, quòd neq; mors, ne-
q; vita, neque angeli, neque principatus, neque
virtutes, neque quæ sunt præsentia, neque quæ
sunt futura,
39 Neque altitudo, neque profunditas, ne-
que etiam creatura alia poterit separare me à
charitate Dei, quæ est in Domino nostro Je-
schua Christo.

29 Nam quos prænovit, etiam prædestinavit
conformandos imagini Filii sui: ut is sit primo-
genitus inter multos fratres.
30 Quos verò [p] prædestinavit, eos etiam vo-
cavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos
autem justificavit, eos etiam glorificavit.
31 [q] Quid igitur dicemus ad hæc? si Deus
pro nobis, quis contra nos?
32 Is quidem qui proprio Filio non pepercit,
sed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non eti-
am cum eo omnia nobis [r] gratificabitur?
33 [s] Quis intentabit crimina adversus ele-
ctos Dei? [t] Deus *is est* qui justificat.
34 Quis est qui condemnet? Christus *is est* qui
mortuus est, imò verò qui etiam suscitatus est: qui
etiam est ad dexteram Dei: qui etiam interpellat
pro nobis.
35 Quis nos separabit à [u] charitate Christi? *num*
afflictio, num angustia, num persequutio, num fa-
mes, num nuditas, num periculum, num gla-
dius?
36 ([||] Sicut scriptum est, Tui causa occidimur
totum diem: habiti sumus velut oves destinatæ
mactationi,)
37 [x] Imò in his omnibus plus quàm victores
sumus per eum qui dilexit nos.
38 Nam mihi persuasum est neq; mortem, ne-
que vitam, neq; Angelos, neq; principatus, neq;
potestates, neque præsentia, neque futura,
39 Neque sublimitatem, neque profundita-
tem, neq; ullam rem aliam creatam posse nos se-
parare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu
Domino nostro.

p Præteriti pro præsenti, quo res futura explicatur, Hebr. ut ejus firmitas constet: respicit etiam ad actum Dei continuum.
q 2. Nonò, Non est quòd metuamus ne quicquid nobis utile est non largiatur Dominus, quum ne Filio quidem suo pepercerit, ut nos servaret.
r Gratis donabit.
s 2. Magnificentissima conclusio totius secundæ partis hujus epistolæ, i. tractationis de justificatione, Nobis nullos coram Deo metuendos accusatores, quum Deus ipse nos ut justos absolvat: damnationem verò nobis multò minùs esse formidandam, quum Christi morte & resurrectione, omnipotentia denique ac patrocinio nitamur. Quid igitur in hac vita tanti erit momenti ut nos perterrefaciat, quasi à charitate qua Deus nos in Filio diligit exciderimus? Nihil profectò, quum illa sit firmissima, tum in sese, tum in nobis certa fide confirmatis. t Qui non modò insontes, sed etiam prorsus justos in Filios pronunciat. u Qua Christus nos prosequitur. || *Psal*.44.22. x Non modò tantis malis non frangimur, sed etiam plusquam victores sumus omnium illorum.

CAPUT IX.

1 Judæis occurrit, 7 ac duplex filiorum Abrahæ genus esse dicit, 15 cunctaq; in hoc negotio peragi ex Dei voluntate, 20 instar figuli. 24.30 Tum vocationem Gentium, 31 tum Judæorum reprobationem, 25.27 Prophetarum testimoniis prædictam ostendit.

1 Vel, optarim.
2 F. Syrè, substantia mea, ὑποστατικῶς dictum.
3 Syrè, Excisio.
4 Syrè, in carne, Hebr.
5 Syrè, Constitutio.
6 Id est, Cultus, subaudi divinus.
7 F. vel supremus omnium.
8 Hebr. antè explicatus.
9 Antè admonuimus ingeminationes ab Hebraismo fluere, & esse emphaticas.
10 Subaudi Abrahæ.

VEritatem dico in Christo, & non mentior:
& mens mea testatur in me per Spiritum san-
ctum:
2 Quòd tristitia est mihi magna, & dolor qui
ex corde meo non cessat.
3 [1] Orabam enim ut ego [2] ipse [3] anathema
essem à Christo pro fratribus meis & cognatis
meis qui sunt [4] secundùm carnem:
4 Qui sunt filii Israjel, quorum erat [5] adop-
tio filiorum, & gloria, & fœdera, & Lex, & [6] mini-
sterium, & promissiones,
5 Et Patres, ex quibus apparuit Christus in
carne, qui est Deus [7] qui est super omnia, [8] cu-
jus sunt laudes & benedictiones in [9] seculum se-
culorum. Ammin.
6 Nequaquã enim prorsus excidit sermo Dei.
Nam neq; omnes qui sunt ex Israjel, sunt Israjel:
7 Nec etiam propterea quòd ex semine sunt
Abrahæ, omnes sunt [10] filii: quia dictum est, In
Ischak vocabitur tibi semen.

VEritatem [a] dico per Christum, non mentior,
attestante mihi simul conscientia mea per spi-
ritum sanctum,
2 Magnam mihi tristitiam esse, & perpetu-
um cruciatum cordi meo.
3 Optârim enim ego ipse [b] anathema esse
separatum à Christo, pro fratribus meis cognatis
inquam meis [c] secundùm carnem:
4 Qui sunt Israëlitæ: quorum *est* adoptio,
[||] & [d] gloria, [||] & [e] fœdera, [f] & Legis constitutio,
& [g] cultus, & [h] promissiones.
5 Quorum *sunt* Patres, & ex quibus *est* Chri-
stus quod ad carnem attinet, [i] qui est supra om-
nes Deus laudandus in secula. Amen.
6 [||] [k] Fieri verò non potest ut exciderit ser-
mo Dei. non enim omnes qui *sunt* ex *patre* [l] Isra-
ële, *sunt* Israël:
7 Neque qui *sunt* semen Abrahami, *ideò* om-
nes *sunt* filii: [m] sed [||] [n] in Isaaco vocabitur tibi se-
men.

a 3. Tertia pars hujus epistolæ usque ad duodecimum caput: in qua Paulus ad fidei causas superiores ascendit: ac primùm quidem, quoniam de Judæorum rejectione multa dicturus erat, insinuatione utitur, incredibilem suam in eos benevolentiam duplici aut etiam triplici jurejurando & insigni desiderii sui testificatione declarans, & omnes eorum prærogativas illis cõcedens.
b Tanta fuit Apostoli erga fratres suos charitas, ut si fieri potuisset, paratus fuisset abdicationem Israëliticæ gentis redimere, sui sempiterno exitio: anathematis enim nomen illud hoc loco significat. c Carnem hoc loco appellat sanguinis conjunctionem, ut Genes 20.14. non autem humanam naturam in genere, ut sup.cap.1.3. || *Sup*.2.17. d Arca fœderis, quæ erat præsentiæ Dei symbolum. || *Eph*.2.12. e Tabulæ fœderis, metonymia. f Lex judicialis. g Lex ceremonialis. h Quæ factæ fuerunt Abrahamo & posteris. i 2. Testimonium Deitatis Christi manifestissimum. || *Sap*.2.28. k 2. Ingreditur tractationem prædestinationis per occupationis speciem, Qui fieri possit ut rejectus sit Israël, quin simul constituendum sit, irritum esse pactum Dei cum Abrahamo & ejus semine sancitum? Respondet ergo, veritatem constare Dei verbo, etiamsi rejectus sit Israël: quoniam sic generalis est ac communis Israëletici populi electio, ut tamen Deus arcano suo consilio deligat quos visum est. Propositio igitur & status hujus tractationis hic est, Gratiam salutis sic universaliter offerri, ut tamen ad solos electos pertineat ejus efficacia. l Israël priore loco pro Jacobo, altero pro Israëlitis sumitur. m 2. Probatio prima, ab exemplo familiæ ipsius Abrahami, in qua solus Isaacus est filius habitus, idq; ex Dei ordinatione: quamvis & ipse Ismaël esset ex Abrahamo ortus & circumcisus ante ipsum Isaacum. || *Gen*.21.12. *Heb*.11,18. n Isaacus tibi erit verus ac germanus filius, ac proinde tuæ benedictionis hæres.

o B. Generalis applicatio probationis sive exempli superioris.
p Qui nati sunt ex Abrahamo consueto naturæ ordine.
s Gal.4.28.
q Qui virtute promissionis sunt nati.
B. Ratio applicationis, Quoniam vi promissionis natus est Isaacus, ac proinde non fuit electus, imò ne exstitit quidem nisi ex gratuita Dei voluntate. Ex hoc autem consequitur prædestinationis fonem esse promissionem, non carnem, ex qua promissione manat electio particularis: sive electos nasci, non autem jam natos eligi, Dei quidem prædestinantis respectu.
s Gen.18.10.
r B. Altera probatio vehementissima ab Esaui & Jacobi exemplo, utroque nato ex eodem Isaaco filio promissionis: eadem matre, eodemq; partu, non diversis, sicut Ismaël & Isaacus: quum tamen Esauo rejecto solus Jacob

8 o Hoc est, non qui p filii carnis, ii filii Dei: sed qui *sunt* q filii promissionis, censentur in semine.
9 r Promissionis enim sermo hic est, s Hoc ipso tempore veniam, & erit Saræ filius.
10 r Neque *hic* solùm, sed & Rebecca, quum ex uno concepisset, *nempè* ex Isaaco patre nostro, *hac experta est.*
11 Nondum enim natis *pueris*, quum nihil fecissent t boni vel mali, ut propositum Dei quod *est* secundùm *ipsius* electionem, *id est*, non ex operibus, sed ex vocante, *firmum* u maneret,
12 x Dictum est ei, s Major serviet minori.
13 Sicut scriptum est, s Jacobum dilexi, Esaum odio habui.
14 y Quid igitur dicemus? z Num injustitia *est* apud Deum? absit.
15 a Nam Mosi dicit, s b Miserebor cujus misertus fuero, & c commiserabor quem commiseratus fuero.
16 d Nempè igitur *electio* non est ejus qui e velit, neque ejus qui currat, sed ejus qui miseretur, *nempè* Dei.
17 f Dicit enim g Scriptura Pharaoni, s Ad hoc ipsum h excitavi te i ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in tota terra.
18 k Itaque l cujus vult miseretur, quem autem vult, indurat.
19 m Dices ergo mihi, Quid adhuc succenset? nam voluntati illius quis resistit?
20 n Imo verò, ô homo, tu quis es qui ex adverso responsas Deo? s o num dicet p figmentum fictori, Cur me tale fecisti?
21 s q Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat r aliud quidem vas f ad decus, aliud verò t ad dedecus?

8 Hoc verò est: nequaquam filii carnis, sunt filii Dei, sed filii promissionis reputantur [11] pro semine.
9 Promissionis namque est sermo hic, nempe, In tempore hoc veniam, & erit Filius Saræ.
10 Neque hoc tantùm, sed etiam Raphka, quum [12] fuisset illi consociatio cum uno patre nostro Ischak;
11 Quum nondum nati essent filii ejus, neq; fecissent bonum aut malum, [13] præcognita fuit [14] voluntas Dei, ut firma maneret non per opera, sed [15] per manum ejus qui vocavit.
12 Dictum est enim quòd senior erit servus minori.
13 Sicut scriptum est, Jaakub dilexi, & Esau odio habui.
14 Quid igitur dicemus? nunquid iniquitas est apud Deum? [16] absit.
15 Ecce etiam Musche dicit, Miserebor ejus cujus misertus fuero, & gratiam præstabo illi cui gratiosus futurus sum.
16 Non igitur [17] per manus ejus qui vult, neq; per manus ejus qui currit, sed per manus Dei misericordis [18].
17 Dicit enim in Scriptura [19] Phareuni, Ad hoc ipsum excitavi te ut ostenderem in te virtutem meam, & ut prædicetur nomen meum in terra universa.
18 Itaque cujus vult, ipse miseretur, & quem vult indurat.
19 [20] Et jam dices, De quo conqueritur? Quis enim est qui [21] resistat voluntati ejus?
20 Tu igitur quis es, ô fili hominis, ut respondeas Deo? Nunquid dicit [22] massa ei qui fingit ipsam, Propter quid ita finxisti me?
21 Aut non habet potestatem figulus in lutum suum, ut ex eadem massa faciat vasa, unum ad decus, & unum ad dedecus?

[11] Vel, In semē.
[12] i. Habuisset. Syra phrasis.
[13] Syrè, Antè cognita fuit.
[14] Ad verb. Electio ejus.
[15] Id est, Per eum. Hebraismus frequens.
[16] Syrè, Parca.
[17] Syrè, Hoc est per eum, Hebr.
[18] y. nempe propositum Dei permanet secundùm electionem, ex ver. 11.
[19] Syrè, De Pharaone, ל pro על.
[20] Et pro At.
[21] Ad verb. Stet ex adverso voluntatis ejus, Hebr.
[22] y. vel figmentum ei qui finxit ipsum.

sit electus: idq; ante ipsorum ortum, ut neque ulla Jacobi probitas, ipsius eligendi, nec ulla Esaui improbitas, ipsius rejiciendi causa haberi posset. s Gen.25.21. t Dei decretum quod proficiscitur ex ipsius mera voluntate, qua illi visum est uno præterito, alterum eligere. u B. Non dicit Paulus, Fieret, sed Factum permaneret. Falluntur ergo qui præscitam fidem, electionis, præscitam infidelitatem, reprobationis causam faciunt. x B. Rejectionem Esau probat, ex eo quòd addictus sit fratri in servitutem, electionem autem Jacobi, ex eo quòd factus sit fratris, & quidem primogeniti, dominus. Et nequis ad res externas hoc Dei dictum traheret, declarat Apostolus ex Malachia, optimo Mosis interprete, servitutem Esau, cum Dei odio, dominationem Jacobi, cum Dei amore fuisse conjunctam. s Gen.25.23. s Mal.1.2. y B. Prima objectio, Si Deus nulla dignitatis vel indignitatis habita ratione diligit vel odit, ergo injustus est, ut qui indignos possit amare, & dignos odisse. Aversatur Apostolus hanc blasphemiam, & posteà sigillatim respondet. z Humana mens nullas alias amoris vel odii causas, quàm quæ in personis sunt, novit, undè emanat hæc objectio. a B. Respondet priore loco de delectis ad salutem: in quibus eligendis negat Deum injustum videri posse, etiamsi nondum natos nullius dignitatis respectu elegerit, sive saluti prædestinârit: quoniam videlicet electos non adducit ad finem destinatum nisi interposita misericordia, quæ causa est prædestinationi subordinata. Præsupponit autem misericordia miseriam: & hæc rursus peccatum sive voluntariam corruptionem humani generis: corruptio autem creationem cum puritate & integritate. Deinde misericordia suis gradibus præstatur, nimirum vocatione, fide, justificatione, & sanctificatione, ut tandem ad glorificationem perveniatur, sicut docebit Apostolus. Ista autem omnia proposito Dei subordinata omninò efficiunt, ut nullo modo videri possit in deligendis & servandis suis electis injustus. s Exo.33.19. b Gratia & favore prosequar, quem favore prosequar. c Materna veluti misericordia amplectar, quē amplectar. d B. Conclusio responsionis, Ergo Deus non est injustus, gratuita bonitate eligens & servans quos ei videtur, sicut etiam respondit Mosi pro toto populo deprecanti. e Voluntatem vocat cogitationem & conatum animi, cursum verò bona opera: quorum neutri laudem tribuit, sed soli misericordię Dei. f B. Jam respondet de reprobis, sive quos Deus odio habet nondum natos, & nullo indignitatis respectu exitio destinavit. Ac primo verum hoc esse docet, prolato testimonio ipsius Dei, de Pharaone, quem in hunc finem excitârit, ut eo indurato & justè punito, glorificaretur. g Deus in scriptura sic alloquitur Pharaonem, vel Scriptura introducit Deum alloquentem Pharaonem. s Exo.9.16. h Feci ut existeres. i B. Secundò profert finem consilii divini, ut doceat nullam in eo inesse injustitiam. Est autem summus hic finis, non propriè & simpliciter ipsorum reproborum exitium, sed Dei gloria in eorum justo supplicio elucens. k B. Conclusio responsionis integræ ad primam objectionem. Ergo quum Deus gratis electos quos videlicet voluit, non tamen servet nisi gratia justificatos & sanctificatos, non potest consilium de ipsis servandis injustum videri. Nec rursus ulla est injustitia in consilio Dei æterno de iis quos libuit perdendis, quoniam priùs indurat quàm perdat. Tertia igitur responsio ad asserendam Dei justitiam in æterno reprobandi decreto, posita est in verbo Indurandi: quod tamen subticuit in præcedente versiculo, quòd satis nota sit Pharaonis historia. Est autem maximum ejus pondus: siquidem induratio quæ misericordiæ opponitur, eadem atque illa præsupponit, nempè voluntariam corruptionem in qua indurantur reprobi: & rursus corruptio integrum creationis statum. Est autem ista quoque induratio spontanea, quia sic indurat Dominus corruptione offensus, ut ipsa eorum voluntate quos indurat, ad id judicium exercendum utatur. Sequuntur deinde indurationis fructus, nempè incredulitas & peccata quæ veræ sunt & germanæ reproborum damnationis causæ. Cur igitur exitio destinat? quia vult. cur indurat? quia corrupti. cur damnat? quia peccatores. Ubi ergo injustitia? Imò si omnes hoc modo perderet, cui faceret injuriam? l Quem ei libuit amori suo destinare. m B. Altera objectio, sed pro reprobis tantùm, ex priore responsione nascens, Si Deus quos vult destinat exitio, & quod semel decrevit impediri non potest, quo jure damnat qui voluntate ipsius pereunt? n B. Non respondet Apostolus non esse hanc Dei voluntatem, sive Deum pro suo arbitrio non eligere nec reprobare, quod importuni nonnulli vocant blasphemiam: imò concedit adversario antecedens utrumque, hanc nimirùm esse Dei voluntatem, & quidem cujus eventus sit necessarius: sed Deum propterea negat injustum esse malorum ultorem. Quum enim Deum ita velle & facere constet ex manifestis testimoniis, quæ hæc audacia est, hominem (id est cinerem) Deo responsare, atque adeò in jus vocare? Quòd si quis neget ita expeditum esse nodum, respondeo nullam esse ullis in rebus firmiorem demonstrationem, ut quæ nitatur certissimo isto principio, Dei voluntatem esse justitiæ regulam. s Sap.15.7. Iere.18.6. o B. Amplificatio superioris responsionis à comparatis sumta, ex qua etiam apparet decretum Dei statui à Paulo omnibus causis superius, ita ut non pendeat a secundarum causarum respectu, sed illas potiùs ordinet. p Hæc similitudo mirè quadrat primæ illi humani generis creationi. s Esai.45.9. q B. Alludens ad Adami creationem, humanum genus nondum conditum nisi in opificis mente, comparat massæ luti, ex qua Deus posteà, prout ab æterno decreverat, condiderit & quotidiè condat tum eligendos tum reprobandos: quod etiam declarat verbum Faciendi. r B. Quum in objectione facta tantùm fit mentio vasorum ad dedecus, tamen aliorum jam in hac responsione meminit, quoniam utrimque ejusdem opificis eandem justitiam esse contendit, sicut etiam poscit contrariorum ratio. f Ad usus honestos. t B. Quum igitur dedecoris nomine, æternæ mortis ignominia notetur, cum Paulo loquuntur qui quosdam dicunt ad justum exitium à Deo esse conditos, & qui has formula offenduntur, inscitiam suam produnt.

23 Hoc est, Postquam diu tolerasset ea, F. Hic autem ἀπὸ κοινοῦ repetendum putavit Syrus nomen ὀργῆς, quod proximè antecessit: sed mihi duriuscula videtur esse cùm loquutio φέρειν ὀργὴν pro ἀνέχεσθαι tum interpretatio. Totus verò locus, ut sit evidentior, paraphrasticè repræsentari potest. Si verò Deus pertulit multa tolerantia tum vasa iræ, coagmentata ad interitum, volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, tum etiam vasa misericordiæ, ut notas faceret divitias gloriæ suæ in ea quæ præparavit ad gloriã suam, &c. quid dicturi sumus? id est, quid habemus quod obloquamur administrationi ejus? Nam utraq; vasa pertulisse dicitur Deus, & suum finem in utrorumq; eventu assequi, & utrumq; sequentibus locis docet Apostolus.

22 Si verò volens ostendere Deus iram suam, & notam facere potentiam suam, 23 induxit pro magna longanimitate sua iram super vasa iræ, quæ perfecta fuerunt ad interitum:

23 24 Et effudit misericordias suas super vasa misericordiæ quæ parata fuerant Deo ad gloriam:

24 25 Qui sumus nos vocati 26 non tantùm ex Judæis, sed etiam ex Gentibus.

25 Quemadmodum etiam in Hosea dicit, Vocabo eos qui non fuerunt populus meus, populum meum: & non dilectam, dilectam:

26 Erit enim in loco ubi vocabantur non populus meus, ibi vocabuntur filii Dei viventis.

27 Isajah autem prædicat de filiis Israjel, Quòd si fuerit numerus filiorum Israjel tamquam arena quæ est in mari, residuum quod erit ex eis, 27 servabitur.

28 Sermonem decidit & pronunciavit, & faciet eum Dominus super terram.

29 Et secundùm id quod prius dixit ipse Isajah, Nisi Dominus Tzebauth reliquisset nobis residuum, tamquam Sedum facti fuissemus, & Amuræ similes essemus.

30 Quid igitur dicemus? Quòd gentes 28 quæ non sectabantur justitiam, assequutæ sunt justitiam, justitiam quidem eam quæ ex fide est:

31 Israjel autem 29 sectabatur legem justitiæ, legem justitiæ non est assequutus.

32 Propter quid? Quia nequaquam 30 erat ex fide, sed ex operibus Legis. Impegerunt enim in lapidem offensionis.

33 Sicut scriptum est, Ecce, pono in Tzehion lapidem offensionis, & petram scandali, & is qui in eum crediderit non pudefiet.

24 Hic recedit à Græco textu: ita tamen ut nõ obscurè servetur sensus. 25 F. Syr. Quòd sumus nos vocati, non est solùm ex Judæis, &c. videtur legisse, ὅτι καὶ ἐκάλεσεν. 26 Ad verb Non est tantùm. 27 Syrè, Vivet. Hebr. 28 Ad ver. Quæ non currebant post justitiam. Hebr. 29 Ad verb. Currebat post. Hebr. F. al. qui sectabatur justitiam: meliùs. nam in Tremellianis libris desiderabatur 7. 30 F. nimirum sectans justitiam, ex præcedente ver.

22 a Quid si verò volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate x vasa iræ, y coagmentata ad interitum:

23 Et ut notas faceret z divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam?

24 a Quos etiam vocavit, *nimirum* nos, non solùm b ex Judæis, verumetiam ex Gentibus.

25 c Ut etiam apud Oseen dicit, † Vocabo populum qui meus non *erat*, populum meum: & eam quæ dilecta non *erat*, dilectam.

26 Et erit, in loco ubi dictum fuerat eis, ‖ Non populus meus vos, illic vocabuntur filii viventis Dei.

27 d Esaias autem clamat super Israël, † *Etiam* si fuerit numerus filiorum Israëlis ut arena maris, reliquiæ servabuntur.

28 e Rem enim conficiet & concidet cum justitia: quoniam rem concisam peraget Dominus in terra.

29 Et sicut prius dixit Esaias, † Nisi Dominus f Sabaoth reliquisset nobis g semen, facti fuissemus ut Sodoma, & Gomorrhæ similes facti fuissemus.

30 h Quid igitur dicemus? nempe Gentes quæ i non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam, justitiam autem eam quæ *est* ex fide:

31 k Israëlem verò qui sectabatur Legem justitiæ, ad Legem justitiæ non pervenisse.

32 Quare? Quia non ex fide, sed velut ex l operibus Legis. offenderunt enim ad lapidem offendiculi.

33 Quemadmodum scriptum est, † Ecce, pono in Sion lapidem ad quem impingitur & petram offendiculi: & quisquis credit in eum, non pudefiet.

a B. Secunda responsio est, Deum, præterquam quòd justè decernit, quod pro suo jure decernit, in exsequendis suis decretis ea uti moderatione quę summam ipsius lenitatem in ipsis etiam reprobis declaret, quum eos diutissimè toleret & multis insignibus beneficiis frui sinat, donec tandem justis pœnis addicat: idq; optimo fine, nempè ut se iniquitatis hostem & ultorem declaret, ut quæ sit ipsius potentia, severis istis judiciis patefaciat, ut denique ex contrariorum comparatione, quanta sit misericordiæ suæ in electos amplitudo, reipsa demonstret.

x Vasorum nomine intelligunt Hebræi omne instrumenti genus.

y B. Iterum ergo liceat cum Paulo dicere, quosdam homines à Deo opifice conditos esse ad interitum.

z Magnitudinem immensam. a B. Stabilita in utramque partem doctrina de æterna Dei prædestinatione, jam ad usum ejus descendit, docens ejus testimonium non esse petendum ex arcano Dei, sed ex vocatione quæ patefit in Ecclesia, proposito Judæorum & Gentium exemplo, ut clarior sit doctrina. b Non dicit omnes & singulos Judæos vocatos, sed ex Judæis & ex Gentibus. c B. Vocatio est gratuita sicut & prædestinatio, ac proinde non est quod indignitas nostra vel majorum nostrorum impediat quominus statuamus nos esse electos si ab eo vocemur, ac proinde oblatam salutem fide amplectamur. † *Osee 2.23. 1. Pet. 2.10.* ‖ *Osee 1.10.* d Dominus constituit ad extremam paucitatem populum ingratum redigere. † *Esa. 10.22.* e B. E contrario verò, neque externa ulla generalis vocatio, neque majorum dignitas idoneum est electionis testimonium, nisi Deo vocanti fide respondeamus, quod in Judæis accidit sicut prædixerat Dominus. † *Esa. 1.9.* f Exercituum, quo epitheto summa tribuitur Deo potentia. g Reliquias vel tantillas. semen autem dicit, quoniam videlicet in cujusque rei semine res alioqui mortuæ & exstinctæ reviviscunt. h B. Electionis declaratio, est vocatio fide apprehensa, sicut in Gentibus factum est. i Nulla ergo erant in Gentibus opera præparatoria: quòd autem Gentes eò pervenerint quod non sectabantur, imputandum est Divinæ misericordiæ: quòd non pervenerint Judæi eò quòd sectabantur, imputandum est illis, qui malè quærebant. k B. Vocationis contemtus, causa est hominum superbia, ut damnationis culpa non aliundè quàm in ipsis hominibus quærenda sit. l Sub justitiam apprehensuri, sectati sunt legem justitiæ. † *Esa. 28.16. Esa. 8.14. & 28.16. 1. Pet. 2.6.*

CAPUT X.

1 *Pertractat effecta electionis,* 3 *quod alii respuant, alii amplectantur* 4 *Christum finem Legis.* 15 *Gentium vocationem à Mose,* 20 *Judæorum verò indurationem ab Esaia prædictam recenset.*

1 Syrè, Vivant. Hebraismus.

2 Vel, cum scientia.

3 Syrè, Ignorãrunt, sed quæsiêrunt,

FRatres mei, voluntas cordis mei & obsecratio mea ad Deum pro illis est ut 1 serventur.

2 Testor enim de ipsis quòd zelus Dei est in eis, sed non 2 in scientia.

3 Justitiam enim Dei 3 ignorant, sed quęrunt ut justitiam suam ipsorum stabiliant: & ideò justitiæ Dei non subjecerunt se.

4 Finis enim ipse Legis Christus est, ad justitiam omni credenti in eum.

5 Musche enim ita describit justitiam quæ est in Lege, nempè qui fecerit hæc, vivet in eis.

FRatres, a propensa quidem voluntas cordis mei & deprecatio ad Deum super Israël est ad salutem.

2 Testor enim *de* ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia.

3 b Nam c ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam d studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.

4 e Nam f finis Legis *est* Christus, ad justitiam g cuivis credenti.

5 h Moses enim describit justitiam quæ est ex Lege, *his verbis*, † Quod qui præstiterit ea, vivet per illa.

a B. Propositurus in Judæis miræ pervicacię exemplum, insinuatione utitur.

b B. Primus ad vocationem ingressus, est suæ justitiæ renunciare. alter, justitiam à Deo in Evangelio gratis oblatam fide amplecti.

c Ignorantia juris nõ excusat coram Deo, præsertim domesticos.

d Ignorantiæ conjuncta arrogantia. e B. Probatio, quia Lex ipsa in Christum respicit, ut in eum credentes servemur. Itaq; vocatio ad salutem ex Legis operibus, est fictitia & vana: Christus autem ad salutem cuivis credenti offertur. f Finis Legis est illos justificare qui illam observant: quum autem carnis nostræ vitio Legem non observemus, hunc finem non consequimur. At huic morbo medetur Christus qui pro nobis Legem implevit. g Non tantùm Judæis, sed & Gentibus. h B. Legem in Christum respicere, illud manifestè probat, quòd conditionem proponit quæ à solo Christo præstita est, ut ea per fidem nobis imputata, pacificetur conscientia, nec jam quærat quis poterit in cælum ascendere, vel nos ex inferis eruere, quum utrumque à Christo præstitum doceat Evangelium, idq; in eorum gratiam qui vera fide eum vocantem amplectentur. † *Lev. 18.5. Eze. 20.11. Gal. 3.12.*

6 At quæ ex fide est justitia, ita dicit, [g] [i] Ne
dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum?
hoc est Christum ex alto deducere.
7 Aut, Quis descendet in abyssum? hoc est
Christum ex mortuis reducere.
8 [k] Sed quid dicit? [l] Prope te [l] verbum est in
ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fi-
dei quod prędicamus.
9 [m] *Nempè* quòd si [n] agnoveris ore tuo Do-
minum Jesum, & credideris in corde tuo quòd
[o] Deus eum excitavit à mortuis, servaberis.
10 Corde enim [p] creditur ad justitiam, ore au-
tem confessio fit ad salutem.
11 [q] Dicit enim Scriptura, [r] Quisquis [r] credit
in eum, non pudefiet.
12 Non enim est distinctio vel Judæi vel Gręci. nam idem *est* Dominus omnium, dives in
quosvis à quibus invocatur.
13 [s] [f] Quisquis enim invocaverit nomen Do-
mini, servabitur.
14 Quomodo igitur invocabunt eum in quem
non crediderint? [t] quomodo autem credent *ei*
de quo non audierint? quomodo autem audient
absque prædicante?
15 Quomodo autem prædicabunt nisi missi
fuerint? sicut scriptum est, [u] Quàm speciosi pe-
des evangelizantium pacem, evangelizantium
bona!
16 [u] Sed non [x] omnes auscultârunt Evange-
lio. Esaias enim dicit, [y] Domine, quis credidit ser-
moni nostro?
17 [y] Ergo fides ex auditu est, auditus autem
[z] per verbum Dei.
18 [a] Sed (inquam *ego*) annon audierunt? [a] I-
mò verò in omnem terram exivit sonus eorum,
& in fines orbis terrarum verba eorum.
19 [b] Sed (inquam *ego*) numquid Israël non
cognovit *Deum*? Primus Moses dicit, [c] Ego ad æ-
mulationem provocabo vos per gentem quę non
est gens: [c] per gentem intelligentiæ expertem,
ad iram vos provocabo.
20 Esaias autem [d] utitur audacia, dicitque,
[e] Inventus sum ab iis qui me non quęrebant: con-
spicuus factus sum iis qui de me non interroga-
bant.
21 Adversus Israëlem autem dicit, [f] Toto die
expandi manus meas ad populum rebellem &
contradicentem.

[g] *Deut.* 30.12.
[i] Ne apud te cogitaris, ut faciunt qui perplexo sũt animo.
[k] a. Vocatio fit per Verbum prædicatum.
[l] *Deut.* 30.14.
[l] Per verbum intellexit Moses Legẽ, quam Dominus voce sua promulgavit: Paulus autem ad prædicationem Evangelii quæ fuit Legis perfectio, accõmodat.
[m] a. Ea demum est vera fides quæ non tantùm in cerebro, sed etiã in corde residet, quam externa etiam vita testamur, quæq; in Christum fertur ut unicum servatorem, qualem se in Verbo patefecit.
[n] Si planè sincerè atque apertè professus fueris, te unum Jesum ducere tuum Dominũ, & servatorẽ.
[o] Pater, qui dicitur excitasse Filium à mortuis, nõ ut excludatur Filii divinitas, sed ut Patris consilium de nobis redimẽdis in Filii resurrectione spectetur.
[p] Fidei tribuitur justitia: atq; adeò quum oris confessio sit fidei effectum, confessio autem via sit qua ad salutem pervenitur, consequitur fidei salutem quoque tribui.
[q] a. Alteram partem nunc probat quam proposuerat ver. 4. Christũ

6 Justitia autem *quæ est* per fidem, ita loqui-
tur, Ne dixeris in corde tuo, [4] Quisnam ascen-
det in cælum, & deducet Christum?
7 Et quis descendet in abyssum sepulcri, &
ascendere faciet Christum à mortuis?
8 Sed quid dicit? Propè est tibi verbum ori
tuo & cordi tuo. Hic est sermo fidei quem prædi-
camus.
9 Et si confessus fueris ore tuo Dominum
nostrum Jeschua, & credideris corde tuo quòd
Deus excitavit eum à mortuis, [5] salvus eris.
10 Cor enim credens in eum justificatur, & os
quod confitetur eum, [6] servatur.
11 Dicit namq; Scriptura, Omnis qui credit
in eum, non pudefiet.
12 Et in hoc [7] non facit discrimen, nec Ju-
dæorum nec [8] Gentilium: unus est enim Domi-
nus omnium illorum, qui est dives in quemque
qui invocat eum.
13 Quisquis enim invocaverit nomen Do-
mini, salvus erit.
14 Quomodo igitur invocabunt eum [9] quem
non crediderunt? aut quomodo credent ei quem
non audierunt? aut quomodo audient sine præ-
dicante?
15 Aut quomodo prædicabunt si non mittan-
tur? sicut scriptum est, Quàm speciosi sunt pe-
des evangelizantium pacem, & evangelizantium
bonum!
16 Sed nequaquam omnes illi obedîverunt
prædicationi Evangelii. Isajah enim dicit, Domi-
ne mi, quisnam credidit [10] voci nostræ?
17 Proinde fides ex auditu auris est, & audi-
tus auris ex sermone Dei.
18 Sed dico, Nunquid non audierunt? [11] Et
ecce, in universam terram exivit [12] vox eorum, &
in fines [13] orbis terræ sermones eorum.
19 Sed dico, Nunquid non novit Israjel? pri-
mus Musche sic dicit, Ad æmulationem provo-
cabo vos per populum qui non est populus, &
per populum [14] contumacem, ad iram commo-
vebo vos.
20 Isajah autem audet, & dicit, conspectus sum
iis qui non quęsiêrunt me, & inventus sum iis qui
de me non interrogaverunt.
21 [15] Ad Israjel autem dicit, Expandi manus
meas toto die ad populum contentiosum & con-
tumacem.

[4] Syra verba possunt & aliam ferre translationem, quisnam ascendit in cælum, & deduxit Christum? Et quis descendit in abyssum sepulcri, & ascendere fecit Christum à mortuis? F. sed altera interpretatio meliùs respõdet Syri verbis. Legisse autem videtur ille [illegible] & [illegible], pro eo quod vulgò legimus infinitè, [illegible].
[5] Syrè, Vives. Hebraismus.
[6] Syrè Vivit: Ut paulò pòst iterum, Vivet.
[7] Syrè, Non distinguit.
[8] F. Syrè, Aramæorum. vide in Act. 20.21.
[9] F. vel in quem non crediderunt? aut quomodo credent in eum de quo, &c.
[10] Ad verb. Filiæ vocis nostrę, i. Oraculis, quæ divinitus accepta promulgamus, vide in Act. 12.22.
[11] Pro, Quinetiam.
[12] Ad ver. filia vocis eorũ, i. Oracula. Oracularis prædicatio eorũ.
[13] Syrè, una voce [illegible], Orbis habitabilis, ut in Psal. 19.
[14] Syrè, qui non acquiescit, id est, Incredulum.
[15] Pro Adversus Israëlem. Est enim præpositionum enallage frequentissima in Hebræa, Syra, & Chaldæa lingua.

videlicet quoscumque libuit nullo discrimine vocare: quod duplici testimonio confirmat. [r] *Esa.* 28.16. [r] Credere in Deum, est assentiri Dei promissioni de Salute per Christum, idq; non tantùm in genere, sed quum ad nos illas promissiones pertinere scimus, undè nascitur confidentia. [f] *Ioel.* 2.32. [f] a Vera invocatio, est veræ fidei testimonium: vera autem fides, veræ vocationis: vera autem vocatio, veræ electionis. [t] B. Fides ea vera est, quæ Deum quærit in verbo, & quidem prædicato, prout in Ecclesia constituit Dominus. [u] *Esa.* 52.7. *Nah.* 1.15. [u] a. Ubi fides est, ibi est & Verbum: at non contrà, ubi Verbum, ibi & fides: quòd multi repudient sermonem. [x] Hoc dicit propter Judæos. [y] *Esa.* 53.1. *Ioh.* 12.38. [y] a. Conclusio superioris gradationis, ex fide oportere ad vocationem ascendere, sicut ex vocatione ad electionis testimonium pervenitur. [z] Ex Dei mandato. [a] a. Objectio. Si vocatio electionis testimonium est, annon vocati sunt Judæi? Quidni (inquit Apostolus) hoc fatear, quum nulla sit gens vocationis expers? nedum ut Judæos vocatos fuisse negem. [a] *Psal.* 19.5. [b] a. Pergit quærere Judæorum defensor, Annon etiam Deum vocantem cognoverunt Judæi? Esaias (inquit Apostolus) hoc negat: & simul quòd neglexerunt Judæi, ad Gentes translatum fuisse testatur. Sic autem docet Apostolus, externam illam vocationem universalem cujus præco est ipsum mundi opificium, non sufficere ad Dei notitiam: particularem autem ex Dei verbo per se inefficacem esse, sed fide quidem apprehendi ex Dei dono, incredulitate autem inutilem reddi, idq; sola hominum culpa, qui non possint ignorantiam prætexere. [c] *Deut.* 32.21. [c] Vocat Gentem non gentem, omnes profanos populos, sicut vivere non dicuntur sed mori, qui æterno supplicio sunt addicti. [d] Impavidè loquitur. [e] *Esa.* 65.1. [f] *Esa.* 65.2.

CAPUT XI.

1 *Ne Judæorum rejectio ad oculi aspectum limitetur,* 4 *deceptum olim Eliam fuisse ait,* 16 *& quum radicem sanctam habeant,* 23 *plures quoque ex iis esse electos.* 18, 24 *Gentes verò admonet humilitatis:* 33 *& exclamat profunda esse Dei judicia.*

NUm [a] igitur (inquam ego) abjecit Deus po-
pulum illum suum? Absit. [b] nam & ego Is-
raëlita sum, ex semine Abrahami, tribus Benja-
minis.

[a] a. Iam ostendit Apostolus quomodo sit aliis applicanda hæc doctrina, permanens in proposita hypothesi. Itaque docet Judæorum singulos non esse rejectos, ac proinde non temerè de singularibus personis pronunciandum esse sint nécne ex electorum numero.
[b] a. Prima probatio, Sum Judæus, tamen electus. De nostra ipsorum igitur electione statuere certò possumus, ac debemus, ut priùs dictum est: de aliena verò, non ita certò, sed nostra efficere debet ut de aliis benè speremus.

SEd dico, Nunquid repulit Deus popu-
lum suum? [1] Absit. nam etiam ego ex Isra-
jele sum, ex semine Abrahæ, ex genere Bin-
jamin.

[1] Syrè, Parce.

2 Non repulit Deus populum suum quem
[1] ab initio cognoverat. Aut ignoratis vos in
Scriptura, Eliæ quidnam dicat? quum clamaret
ad Deum adversus Israjel, & diceret,
3 Domine mi, prophetas tuos occiderunt, &
altaria tua subverterunt: & ego solus relictus sum,
& quærunt animam meam.
4 Et dictum est ei [3] in revelatione, Ecce, reli-
qui mihi ipsi septem millia virorum qui in genua
non prociderunt, neque adoraverunt Baala.
5 Sic etiam in tempore hoc, residuum reli-
ctum est secundùm electionem gratiæ.
6 Si autem secundùm gratiam, nequaquam
ex operibus: [4] alioquin gratia non est gratia. si
verò secundùm opera, nequaquam ex gratia, ali-
oquin opus non est opus.
7 Quid igitur? Id quod quærebat Israjel, non
invenit: electio autem invenit, reliquiæ verò eo-
rum excæcatæ sunt in cordibus suis:
8 Sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiri-
tum commotionis, & oculos [5] quibus non discer-
nant, & aures quæ non audiant, usque [6] in diem
hodiernum:
9 Et David rursus dicit, Sit mensa eorum co-
ram ipsis in laqueum, & retributio eorum in of-
fendiculum:
10 Obscurentur oculi eorum, ut non videant,
& femur eorum omni tempore sit curvum.
11 Dico autem, numquid impegerunt ita ut
corruerent? [7] Absit. sed per lapsum eorum [8] salus
fuit Gentibus, [9] ad provocandum eos ad æmu-
lationem.
12 Et si lapsus eorum fuit divitiæ mundo, &
condemnatio eorum divitiæ Gentibus, quanto
igitur magis plenitudo eorum?
13 Vobis autem dico Gentibus: ego qui sum
Apostolus Gẽtium, ministerium meum glorifico.
14 Si fortè ad æmulationem provocem [10] fi-
lios carnis meæ, & [11] salvos faciam aliquos ex eis.
15 Si enim rejectio illorum, reconciliatio
mundo fuit, quid igitur conversio eorum, nisi vi-
ta quæ est [12] à mortuis?
16 Si autem [13] primitiæ sanctæ, etiam massa:
& si radix sancta est, etiam rami.
17 Et si ex ramis [14] amputati sunt, & tu qui o-
liva es sylvestris, insitus es in loca eorum, & fa-
ctus es particeps radicis & pinguedinis ipsius o-
leæ:
18 Ne glorieris adversus ramos: quòd si glori-
eris, nequaquam tu portas ipsam radicem, sed ip-
sa radix portat te.
19 Jam autem dices, Quòd rami amputati
sunt ut ego in locum eorum inserar.
20 [15] Benè. Hi, quia non crediderũt, amputati

[2] Id est, Ab æterno servare cõstituerat.

[3] Vel, Per revelationem.

[4] Syrè, Et si non: & sic paulò post, ut suprà 3.6.

[5] Syrè, In quibus, cum præpositione instrumentali.
[6] Syrè, In diem diei hujus.

[7] Syrè, Parce.
[8] Syrè, vita.
[9] Id est, Ut ad æmulationem provocarentur.

[10] Id est, Gentiles meos Israëlitas. Hebraismus.
[11] Syrè, Vivificem. Hebr.
[12] Syrè, De inter mortuos. Heb.
[13] Alludit ad primitias novæ conspersionis quæ singulis annis offerendæ erant, ut in totum annum sanctæ essent. Vide Num. 15. 10.
[14] Syrè, Amputatum est. Impersonale.

[15] Vel, Probè.

2 [c] Non abjecit Deus populum illum suum
quem [d] prænovit. [e] An nescitis de Elia quid di-
cat Scriptura? quomodo colloquatur cum Deo,
dicens adversus Israëlem,
3 [f] Domine, Prophetas tuos occiderunt: &
altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus,
& petunt animam meam.
4 Sed quid dicit ei divinum responsum? [g] Fe-
ci [f] ut remanserint mihi septem millia virorum
qui non flexerunt genu *imagini* [g] Baalis.
5 *Ita* igitur & hoc tempore reservatio [h] se-
cundùm electionem gratuitam facta est.
6 [i] Quod si per gratiam, [k] non jam ex ope-
ribus: alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex
operibus, jam non est gratia: alioquin opus jam
non est opus.
7 Quid igitur? Quod requirit Israël, hoc
non est assequutus: sed electi assequuti sunt, re-
liqui verò [l] occalluerunt,
8 [m] Sicut scriptum est, [n] Dedit eis Deus Spi-
ritum [n] soporis: [o] oculos ut non videant, & aures
ut non audiant usque ad hodiernum diem.
9 Et David dicit, [o] [p] Fiat mensa eorum in la-
queum, & tendiculam, & offendiculum, & talio-
nem ipsis.
10 Obtenebrentur oculi eorum, ut non cer-
nant: & tergum eorum semper incurva.
11 [q] *Num* igitur (inquam *ego*) impegerunt ut
laberentur? Absit. sed per eorum lapsum salus *ob-
tigit* Gentibus, ut eos ad æmulationem provo-
caret.
12 Quòd si eorum ruina est [r] opulentia mun-
di, & diminutio eorum opulentia Gentium: quan-
to magis [s] plenitudo ipsorum?
13 [t] Nam (quod vobis dico Gentibus, quate-
nus ego quidem sum Apostolus Gentium) mini-
sterium meum [u] illustro.
14 Ut *experiar* siquomodo ad æmulationem
provocem consanguineos meos, & servem ali-
quos ex ipsis.
15 Nam si abjectio eorum est reconciliatio
mundi, quæ *erit* assumtio, [x] nisi vita ex mor-
tuis?
16 [y] Quòd si [z] primitiæ sanctæ, *sancta* etiam
massa: &, si [a] radix sancta *est*, etiam rami.
17 [b] Quòd si nonnulli rami defracti sunt, tu
verò quum esses oleaster, insitus es [c] pro ipsis, &
[d] particeps radicis ac pinguedinis oleæ factus
es,
18 [e] Ne gloriare adversus ramos: quòd si glo-
riaris, non tu radicem portas, sed radix te.
19 Dices igitur, defracti sunt rami ut ego in-
sererer.
20 Rectè: per incredulitatem defracti sunt,

[c] B. Secunda probatio, Quia Deus sibi constat in suo fœdere, etiamsi sint homines perfidi. Sic ergo quũ dixerit Dominus se fore Deum suorum in mille generationes, cavendum ne ob aliquorum perfidiam, totam sobolem rejectam putemus, sed potiùs ob Dei fœdus de singulis Ecclesiæ membris benè speremus.
[d] Quem ab æterno electum amplexus est.
[e] B. Tertia probatio à responso quod datum est Eliæ, tum quoq; quum nullus electus palam in mundo appareret, Deum tamen suos electos, & quidem non paucos, nosse. Hinc autem etiam illud efficitur, non temerè de quoquã ut reprobo pronunciandum, quũ eò etiam interdum redigatur Ecclesia, ut velut exstincta oculatissimis etiam pastoribus videatur.
[f] 1. Reg. 19. 10.
[g] 1. Reg. 19. 18.
[f] Loquitur de reliquiis ab æterno electis, non autẽ in futuro eligendis. non enim electi sunt, quia idololatræ non fuissent, sed ideò idololatræ non fuerunt, quia electi erant.
[g] Baal, patronum significat, vel eum in cujus aliquis est potestate. quo nomine afficiunt idololatræ hodiè sua idola, quæ vocant patronos suos & nostras dominas.
[h] Ad verbum secundùm electio-

nem gratiæ, non qua homines gratiam elegerunt, sed qua Deus ex gratia elegit. [i] B. Etiamsi non omnes electi sint, tamen qui electi sunt, gratis se electos esse meminerint: qui verò gratiam pertinaciter repudiant, sibiipsis hoc imputent. [k] Hoc versiculo corruit Iustitiariorum omnis de omni genere operum doctrina, qua docent opera causam esse justitiæ, aut causæ partem. [l] Vide Marc. 3. 15. [m] B. Non tamen accidit hæc induratio, nisi interveniente justo Dei decreto ac judicio, sed absque culpa, quum ingratos sic puniat, omni sensu eis ademto, & duplicatis eorum tenebris, ut oblata Dei beneficia cedant justo eorum exitio. [n] Esa. 29. 10. & 6. 9. Mat. 13. 14. Ioh. 12. 40. Act. 28. 26. [n] Altissimum veternũ, quod omnem sensum adimat. [o] Oculos ad non videndum, i. ad videndum ineptos. [o] Psal. 69. 22. [p] Sicut infœlices aves eo ipso illiciuntur ad mortem, undè vitam petunt, sic Judæis in mortem cederet illud unum ex quo vitam captabant, nimirùm lex Dei, cujus præpostero zelo Evangelium repudiabant. [q] B. Istam gentis Judæorum rejectionem Dominus subordinavit, ut occasionem vocationis Gentium præberet. & hanc rursus vocationem Gentium converteret in occasionem restitutionis Judæorum, ut videlicet accensi Gentium æmulatione tandem & ipsi Evangelium amplectantur. Hinc autem discendum est non minùs subservire Dei gloriæ severitatem ipsius quàm misericordiam, atque adeò per ipsam severitatem Deum sibi ad misericordiam aditum invenire: ut temerè non debeamus de quoquam desperare, nec aliis insultare, sed eos potiùs ad sanctam æmulationem provocare, ut Deus in illis quoque glorificetur. [r] Opulentiæ nomine intelligit Evangelii cognitionem in vitam æternam: Mundi autem, Gentes universas per totum orbem dispersas. [s] Iudæorum, nempè quum tota gens in communi ad Christum accedet. [t] B. Testatur se suo exemplo cæteris hac in re præire. [u] Insigne & illustre reddo. [x] Futurum erit, ut quum Judæi ad Evangelium accesserint, mundus quasi reviviscat. [y] B. Iudæorum gens in genere ipso & ejus radice, id est Abrahamo, considerata sancta est, etiamsi plerique ejus rami sunt excisi. Itaque in judicandis fratribus non hærendum in eorum indignitate, ut semel eos omnes abdicatos esse censeamus. sed consideranda fœderis radix, & retro potiùs ad eorum majores fideles progrediendum, ut in illorum posteris aliquibus (quod & ipsi in nobis experiemur) benedictionem fœderis sciamus residere. [z] Alludit ad illorum panum primitias, quorum oblatione tota frugum massa sanctificabatur, quibus in reliquum annum poterant bona cum conscientia uti. [a] Abraham. [b] Ierem. 11. 16. [b] B. Nulla causa est cur Gentes misericordiam consequutæ Iudæis gratiæ contemtoribus insultent, quum ipsis Iudæorum majoribus sint insitæ. Videant potiùs ne quod in Judæis meritò condemnavit Dominus, in ipsis quoque inveniatur. Est autem hinc quoque generalis doctrina elicienda, nobis esse studendum Dei gloriæ, etiam proximorum respectu, nedum ut de eo quòd aliis singulari quadam gratia prælati simus gloriemur. [c] In ramorum defractorum loco. [d] Contra communem agriculturæ rationem accidit, ut stolonis sterilis succus mutetur arboris generosæ succo. [e] Gloriari quidem licet in Domino, sed non ita ut despiciamus Iudæos: quos potiùs decet ad præclaram illam æmulationem provocare.

tu verò per fidem stas: ne effertor animo, [f] sed time.

21 Nam si Deus [g] naturalibus ramis non pepercit, *vide* ne tibi quoque non parcat.

22 [h] Vide igitur [i] benignitatem ac severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te verò benignitatem, si permanseris [k] in benignitate; alioquin & tu excidéris.

23 [l] Sed & illi, si non permanserint in infidelitate, inserentur: potens enim est Deus rursum eos inserere.

24 Etenim si tu ex [m] naturali exsectus es oleastro, & præter naturam insitus es in [n] veram oleam: quantò magis ii qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ?

25 [o] Nolim enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, (ut ne sitis [p] apud vosmetipsos sapientes) obdurationem ex parte Israëli evenisse, [q] tantisperdum plenitudo Gentium [r] introierit.

26 Et ita totus Israël servabitur: sicut scriptum est, [s] Veniet ex Sion ille liberator, & avertet impietates à Jacob.

27 Et hoc illis à me fœdus, [t] Quum abstulero peccata ipsorum.

28 [f] Itaque [t] quod ad Evangelium *attinet, sunt* inimici propter vos: [u] quod ad electionem autem, diliguntur propter Patres.

29 [x] Nam dona illa & illa vocatio Dei ejusmodi sunt ut eorum ipsum pœnitere non possit.

30 [y] Sicut enim & vos quondam non paruistis Deo, nunc autem estis misericordiam consequuti per istorum contumaciam:

31 Sic & isti nunc non paruerunt, ut per vestram misericordiam & ipsi misericordiam consequantur.

32 Conclusit enim Deus [z] omnes illos in contumacia, ut omnium illorum misereretur.

33 [a] O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt [b] ejus judicia, & ejus [c] viæ impervestigabiles!

34 [d] Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio?

35 Aut quis [e] prior dedit ei, & reddetur ei?

36 Nam ex eo, & per eum, & [f] in ipsum *sunt* omnia. ipsi *sit* gloria in secula, Amen.

sunt: tu autem fide constitisti. Ne extollaris in mente tua, sed time.

21 Si enim Deus ramis illis qui erant naturales, non pepercit, fortassis etiam tibi non parcet.

22 Vide igitur benignitatem & severitutem Dei: contra eos qui ceciderunt, severitatem: erga te autem benignitatem, si permanseris in ipsa benignitate: [16] alioquin etiam tu amputaberis.

23 Et illi, si non permanserint in defectu fidei suæ, etiam [17] ipsi inserentur. potens est enim Deus ut iterum inserat eos.

24 Si enim tu qui ex oliva sylvestri, (quæ est secundùm naturam tuam) amputatus fuisti, & præter naturam tuam insertus es in oleam bonam, quantò igitur magis hi, si inseruntur in oleam [18] naturæ suæ?

25 Volo autem ut sciatis, fratres mei, mysterium hoc (ut non sitis sapientes [19] in cogitatione animæ vestrę) quòd cæcitas cordis ex [20] parte aliqua facta fuit Israjeli, donec ingrediatur plenitudo Gentium.

26 Et tunc universus Israjel [21] servabitur: sicut scriptum est, Veniet ex Tzehion liberator, & avertet iniquitatem à Jaakub.

27 Et tunc erit illis testamentum illud quod est ex me, quum remisero eis peccata ipsorum.

28 Secundùm Evangelium autem inimici sunt propter vos, [22] & secundùm electionem dilecti sunt propter Patres.

29 Non enim mutatur Deus in dono suo & in vocatione sua.

30 Quemadmodũ enim vos quoq; contumaces fuistis Deo ab initio, nunc autem gratiam cõsequuti estis propter contumaciam illorum:

31 Sic etiam illi contumaces sunt facti jam propter misericordiam quæ est erga vos, ut etiam ipsis fiat misericordia.

32 Conclusit enim Deus omnem hominem in contumacia, ut omnis hominis misereretur.

33 O profunditas divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei! cujus judicia nemo scrutatur, & cujus semitæ sunt impervestigabiles.

34 Quis enim novit mentem Domini? aut quis fuit ei [23] consiliarius?

35 Aut quis priùs dedit ei, & ita recipiat ab eo?

36 Propterea quòd omnia ab eo, & omnia in eo, & omnia per [24] manũ ejus, [25] cui sunt laudes & benedictiones in secula seculorum. Ammin.

[16] Syrè. Si non.

[17] Pleonasmus Hebræus relativorum.

[18] Subaudi, Coalescent. F. nam Græcum verbum interpres sumit metaleptice: ἐγκεντρισθήσονται inserentur, id est, insitis coalescent, vel si inserantur coalescent.

[19] F. id est, opinione vestra: ut infrà 12.16.

[20] Ad verb. Ex loco exiguo.

[21] Syrè, Vivet, Hebraismus.

[22] Et, pro At.

[23] Syrè, Dominus consilii, vel auctor. Hebr.

[24] Id est, Per eum. Hebraismus.

[25] Id est, Cui debentur laudes, &c. Hebraismus frequens.

f Modestè ac sollicitè Deum reverere. g Naturales vocat, non quibus à natura inesset ulla sanctitas, sed qui ex iis erant nati, quos Dominus gratuito fœdere à reliquis Gentibus sibi segregârat. h B. Quum res ipsa ostendat hæreditariam non esse electionem (quãvis quo minus perpetua sit Dei benedictio, culpa sit in hominibus non in Deo) videndum etiam atque etiam ne quod in aliis culpamus, in nobis inveniatur. Nam firma quidem est electio, sed verè electi & insiti nõ superbiunt in sese, vel cum aliorum contemtu: sed cum Dei reverentia & amore proximi, ad metam sibi propositam currunt. i Facilem ac lenem animum. k In ea conditione, ad quam benignitas Dei te evexit. Notandũ autem hîc non agi de electione singulorum, quæ firma semper est, sed gentis universæ. l B. Multi ad tempus tunc excisi, id est extra radicem, qui suo tempore inseruntur: multi quoque aliquatenus & in speciem insiti, qui tamen sua culpa posteà exciduntur, & penitùs abjiciuntur: quòd præsertim in nationibus ac populis considerandum est, ut in Gentibus & Judæis. m Naturam intellige, non qualis creata fuit, sed ut est in Adamo corrupta, & ab eo in postero derivata. n In Iudæorum Gentem quam mera gratia Deus sanctificârat. loquitur autem de tota gente non de singulis. o B. Judæorum excæcatio, nec ita est universalis, ut nullos in ea gente electos habeat Dominus: nec perpetua est futura: siquidem tempus erit quo & ipsi (sicut prædixerunt Prophetæ) efficaciter amplectantur, quod nunc adeò pertinaciter, magna ex parte, repudiant. p Nec intùs insolescatis. q Donec: refertur enim ad tempus. r In Ecclesiam. s *Esa.* 59.20. t *Esa.* 27.9. f B. Iterùm, ut Judæos & Gentes in unum veluti corpus in Christo conjungat, ac præsertim doceat quod sit Gentium in Iudæos officium, inculcat non penitùs & sine certa spe abjectam esse Judæorum gentem. t Quatenus evangelium non admittunt. u Quatenus Deus respicit non quid mereantur, sed quid Deus Abrahamo promiserit. x B. Probatio, quia fœdus de vita æterna cum illa gente sancitum, non potest esse irritum. y B. Altera probatio, Quia quamvis indurati meritò puniamur, tamen non propriè ejus gentis odio accidit ista Judæorum pervicacia, sed ut veluti locus introducendis in Ecclesiam Gentibus pateret, & Judæi posteà misericordiæ Gentibus factæ æmulatione accensi, fierent & ipsi ejusdem beneficii participes, ac ita constaret & gentes & Judæos sola Dei gratia servari: quod non ita esset manifestum, si vel omnes simul in Ecclesiam introduxisset Deus, vel Judæorum gentem absque ista veluti interruptione servâsset. z Tum Iudæos, tum Gentes. a B. Exclamat Apostolus, ista verè admirabili Dei sapientia perculsus quam etiam docet esse religiosè adorandam, non autem curiosè & profanè scrutandam ultrà revelationis metas. b Ratio quam tenet in rebus universis & singulis administrandis. c Consiliorum & factorum ipsius rationes. d *Esa.* 40.13. *Job.* 41.2. 1. *Cor.* 2.16. d B. Sacrilegam hominum audaciam triplici fræno coërcet: primùm quòd Deus sit sapientissimus, ac proindè absurdissimum sit ac planè impium, ex nostra stultitia eum metiri. Deinde quòd nulli sit debitor, ac proindè nemo de injuria sibi facta queri possit. Tertiò quòd ejus gloriæ causa omnia sint condita, ideoq; omnia sint ad gloriam ejus à nobis referenda, nedum ut cum eo fas sit nobis contendere. e Evertitur hoc dicto prævisionis operum doctrina & omnis meriti. f Sub. Deum, cujus ad gloriam omnia referuntur, nec tantùm res creatæ, sed in primis nova ipsius opera quæ in electis suis edit.

CAPUT XII.

1 *Parænetica tractat:* 2 *ad cultum Deo gratum:* 9 *ad dilectionem non simulatam,* 14. 20 *etiam inimicorum.*

1 Adhortor [a] [b] igitur vos, fratres, per miserationes Dei, [c] ut sistatis [d] corpora vestra

[e] hostiam

Peto igitur à vobis, fratres mei, per misericordias Dei, ut sistatis corpora vestra victimam

vivam

a B. Quarta pars epistolæ, quæ absolutis Christianæ doctrinæ capitibus versatur in vitæ Christianæ præceptis explicandis. Primo autem loco generalia & fundamentalia præcepta tradit, quorum hoc est præcipuum, ut unusquisque sese totum spirituali Dei cultui consecret, ac veluti sacrificet gratia Dei fretus. b Hac præfatione indicat finem ultimum humanarum actionum esse Dei gloriam. c Olim hostia sistebatur ad altare, hodiè altare est ubique. d Vosipsos, Synecdoche, olim aliena, nunc nostra offerenda.

vivam & sanctam, & acceptam Deo per ministerium [1] rationale.

2 Et ne conformetis vos seculo huic, sed mutemini per renovationem mentium vestrarum, & discernite quæ sit voluntas Dei, bona & accepta & perfecta.

3 Dico autem per gratiam quæ data est mihi, omnibus vobis, ne [2] cogitetis præterquam quod convenit ut cogitetis, sed cogitate [3] in sobrietate, unusquisque sicut partitus est ei Deus fidem in mensura.

4 Sicut enim in uno corpore membra multa sunt nobis, & omnibus membris nequaquam una actio est:

5 Sic etiam nos qui multi sumus, unum sumus corpus in Christo: [4] singuli autem ex nobis membra sumus [5] invicem.

6 Sed sunt nobis dona diversa juxta gratiam quæ data est nobis. [6] Est cui prophetia, juxta mensuram fidei suæ:

7 Et est cui ministerium est, in ministerio suo: & est [7] qui doctor est, in doctrina sua.

8 Et est qui [8] exhortator est, in exhortatione sua: & qui largitur, in simplicitate; & [9] qui præest, in diligentia: & qui miseretur, in hilaritate.

9 [10] Et non sit fraudulenta dilectio vestra, sed sitis odio habentes mala, & adhærentes bonis.

10 Diligite fratres vestros, [11] & diligite unus alium. [12] Prævenientes honore afficite alius alium.

11 Estote soliciti, & non pigri. Estote ferventes Spiritu. Estote servientes Domino vestro.

12 Estote gaudentes in spe vestra. Estote tolerantes afflictiones vestras. Estote perseverantes in precatione.

13 Estote communicantes [13] necessitati sanctorum. Estote amantes hospites.

14 Benedicite persequentibus vos, benedicite, & ne maledixeritis.

15 Gaudete cum iis qui gaudent, & flete cum iis qui flent.

16 Et id quod cogitatis vos de vobisipsis, etiam de fratribus vestris *cogitate*: neque cogitetis cogitationes sublimes, sed adhærete iis qui sunt depressi: neque sitis sapientes [14] in cogitatione animæ vestræ.

17 Neque rependatis ulli malum pro malo: sed cura sit vobis ut faciatis bonum coram filiis hominum universis.

1 Vel Verbale. Videtur vocari verbale ministerium, quia non, ut in veteri cultu, bruta sermonis expertia offerebantur, sed homo ipse ratione & sermone præditus seipsum Deo offert. Aut voluit Paraphrastes Græca ad verbum exprimere. Itaque ex Græcis petenda interpretationis ratio est. F. certè λογικὴν λατρείαν videtur Syrus pro sacrificiis labiorum, quæ sermone fiunt, accepisse, ac proptereà ellipsin statuisse præpositionis κατὰ.
2 Cogitandi verbum Syris & Hebræis idem valet quod Græcis διαλογίζεσθαι.
3 Vel, Cum modestia.
4 Syrè, Unus unus, Hebraismus.
5 Syrè, Unius, unius. Hebraism.
6 F. Syrè, Est cui est prophetia, secundùm proportionem fidei suæ, nempe, dico sapiat vel cogitet, ex vers. 3. q.d. observet donum, & pro ratione doni ad vocationem attendat, ministeriumq; suum, sic sequentia omnia. Nam quæ à vers. 3. intercedunt, ea sunt hyperbatica.
7 i Qui singularem habet aptitudinem & dexteritatem in his muneribus exsequendis.
8 F. Vel consolator est, in consolatione sua.
9 Syrè, qui stat in capite. 10 Vel, Porrò. 11 Exegeticè accipitur pro Id est. 12 Syrè, Prævenientes, *Antevertentes*, honore afficientes. 13 F. vel cum necessitate sanctorum, aut participantes necessitatem sanctorum. Estote amantes hospitum: atque hoc evidentius. 14 F. Ut supr. 11.25.

[e] hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo, [f] rationalem illum cultum vestrum:

2 [g] Et ne vos configurare seculo isti, sed transformate vos per renovationem [h] mentis vestræ, ad hoc [i] ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa, accepta ac perfecta.

3 [l] Enimverò per gratiam quæ mihi data est, [k] edico cuivis versanti inter vos [l] ne sapiat supra quàm oportet sapere: sed sapiat [m] ad sobrietatem, [l] prout cuique Deus partitus est mensuram [n] fidei.

4 [o] Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra verò omnia eandem non habent actionem:

5 Ita multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem, alii aliorum membra.

6 [l] [p] Habentes autem diversa dona pro gratia quæ nobis data est, sive prophetiam, *prophetemus* pro [q] proportione fidei:

7 Sive ministerium, *versemur* in ministrando: tum [r] is qui docet, in docendo:

8 Tum [s] qui exhortatur, in exhortatione, [l] [t] qui distribuit, cum simplicitate: [u] qui præest, cum diligentia: [x] qui miseretur, cum hilaritate.

9 [y] Dilectio *esto* minimè simulata. *Estote* [l] abhorrentes à malo, agglutinati bono.

10 [l] Fraterna charitate alii ad alios amandos propensi. Honore alii aliis præeuntes.

11 [l] Studio minimè pigri. Spiritu ferventes. [z] Domino servientes.

12 [a] Spe gaudentes. In afflictione tolerantes. [l] In oratione perdurantes.

13 [l] [b] Usibus sanctorum [c] communicantes. Hospitalitatem sectantes.

14 [l] [d] Benedicite iis qui vos insectantur, benedicite *inquam*, & ne imprecamini.

15 Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.

16 Eodem animo inter vos mutuò affecti. [l] Non elatè *de vobisipsis* sentientes, sed [e] humilibus obsecundantes. Ne [f] estote prudentes apud vosmetipsos.

17 [l] Nemini malum pro malo vicissim reddentes. Procurantes honesta coram omnibus hominibus.

e Olim mortuam, nunc hostias Spiritu vitæ præditas.
f Id est, Spiritualem, ut explicatur 1. Petr. 2. 5. Est enim tacita antithesis cultus in quo seipsum homo spiritualiter Deo consecrat, & veteris cultus in quo bruta cæteraq; non modò rationis sed etiam sensus experpertia carnalibus adhibitis ceremoniis Deo offerebantur.
g B. Secundum præceptum est, ne pro vitæ regula, reliquorum hominum opiniones aut mores sumamus, sed huic seculo penitùs renunciantes, Dei nostri voluntatem, sicut est nobis in verbo ipsius patefacta, nobis pro scopo proponamus.
h Nullus itaque locus huic rationi, quam Reginam tamquam in arce locat Philosophia, nec libero hominis arbitrio, quale fingunt Sophistæ, si mens ipsa renovanda est. Vide Ephes. 1. 18. & 4. 17. & Col. 1. 21.
l *Ephe.* 5. 17. 1. *Thess.* 4. 1. 3.
i B. Tertio loco, monet etiam atque etiam, ut quisque & intra suæ vocationis limites permaneat, & pro gratiæ suæ modulo sapiat.
k Præcipio.
l Ne sibi immodicè placeat, ut ii solent qui sibi videntur plus sapere, quàm revera sapiant. m Sobrietas erit, si non nobis arrogamus quod non habemus, & si non de eo quod accepimus, gloriemur. l 1. *Corinth.* 12. 11. *Ephes.* 4. 7. n Fidem appellat cognitionem Dei in Christo, cum donis quæ manant in fideles, per Spiritum sanctum. o B. Ratio hujus præceptionis est duplex, una, quoniam Deus non commisit quævis quibusvis agenda, ac proinde præposterè agit, & non modò inutiliter, sed etiam cum aliorum incommodo se & alios fatigat, qui vocationis fines præterit: altera, quòd ista vocationum & donorum diversitas & imparitas in nostrum commodum cedit, quum idcircò instituta sit ut alii aliis obstringantur; unde consequitur, neminem hoc ægrè ferre debere, quum privatorum cujusque donorum communis sit usus. l 1. *Petr.* 4. 10. p B. Quod in genere dixerat, peculiariter sacris muneribus applicat, in quibus periculosiùs peccatur: Ea verò distribuit in duo genera. Prophetarum videlicet & Diaconorum: & rursus Prophetas, in doctores & in pastores dividit. Diaconos autem triplices facit, nempè ærarii Ecclesiastici veluti quæstores, quos propriè vocant Diaconos: disciplinæ moderatores, qui seniores sive Presbyteri vocantur: & propiùs curandis ipsis pauperibus servientes, cujusmodi erat viduarum collegium. q Ut quisque teneat revelationis suæ modum. r Qui Scripturæ interpretationi tantùm vacat. s Qui alibi Pastor dicitur. l *Mat.* 6. 2. 2. *Corin.* 9. 7. t Sub. eleemosynas distribuat bona fide, & sine personarum respectu. u Ecclesiæ senior. x Qui curandis pauperibus vacant, hilares sint, ne mœrorem mœrori addant. y B. Jam ad secundæ tabulæ officia accedens, ex charitate velut omnium eorum fonte illa derivat. Charitatem autem Christianam definit sinceritate, malarum rerum odio, bonarum autem studio, eoq; propenso, & colendi proximi avido, cujus denique ultimus finis sit Dei gloria. l *Amos* 5. 15. l *Ephes.* 4. 2. 1. *Petr.* 2. 17. l 1. *Petr.* 5. 8. z Rectè hæc clausula addita, quæ distinguit officia Christiana ab officiis philosophicis. a B. Commemorat alias virtutes varias cum suis effectis conjunctas, nempe spem, æquanimitatem, patientiam, jugem invocationem, liberalitatem in sanctos, hospitalitatem, moderationem animi in juvandis etiam inimicis, sympathiam tum in prosperis tum in adversis rebus, modestiam, honestatis & concordiæ quoad ejus fieri potest cum quibusvis colendæ, ardentissimum studium, quod nullis etiam cujusquam injuriis exstingui possit. l *Luc.* 18. 1. l 1. *Corin.* 16. 1. b Non autem deliciis & supervacaneis officiis, ac usibus. c Vera charitatis norma, quum aliorum incommodis, non minùs quàm nostris afficimur, & ita affecti proximum pro viribus juvamus. l *Hebr.* 13. 2. 1. *Petr.* 4. 9. *Matth.* 5. 44. d Benè precamini. l *Proverb.* 3. 7. *Esa.* 5. 21. e Nihil æquè scindit concordiam atque ambitio, quum quispiam humilia fastidit, sublimia ambitione sectatur. f Ne prudentiæ opinione turgeatis. l *Proverb.* 20. 22. *Matth.* 5. 39. 1. *Corinth.* 6. 7. 1. *Petr.* 3. 9.

[f] *Hebr.12.14.*
[g] *Eccl.28.1. Matth 5.39.*
[h] *Deut.32.35. Heb.10.30.*
[i] *Pro.25.22.*

[g] Sic Solomon ænigmaticè iram Dei alicui imminentem depingit.

18 [f] Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes.
19 [g] Non ipsi vosmet ulciscentes, dilecti: sed date locum iræ. scriptum est enim, [h] Mihi est ultio: ego rependam, dicit Dominus.
20 [i] Itaque si esurit inimicus tuus, ciba eum: si sitit, da ei potum. hoc enim si feceris, [g] carbones ignis coacervabis in caput ejus.
21 Ne vincitor à malo, sed vince bono malum.

18 Et, si possibile sit, [15] quod ad vos spectat, cum omni filio hominis pacem [16] colite.
19 Neque sitis ulciscentes vosipsos, dilecti mei: sed date locum iræ. Scriptum est enim, [17] Judicando ne judicium facias tibiipsi: ego faciam judicium tuum, ait Deus.
20 Et, si esurierit inimicus tuus, ciba eum; & si sitierit, da potum ei. & si hæc feceris ei, carbones ignis congeres super verticem ejus.
21 Ne vincat vos malū, sed vincite malū bono.

[15] Ad verb. Secundum quod est ex vobis. Accedit ad hanc phrasin Gallica loquutio, *Quant est de vostre costé.*
[16] Ad verb. Facite.
[17] Al. si judicium non feceris exsequutus tibiipsi, ego exsequar, &c. Videtur itaque legisse Syrus μὴ ἐκδικήσεις, aut etiam ἐὰν μὴ ἐκδικήσῃς, pro eo quod vulgò legitur, ἐμοὶ ἐκδίκησις, &c. mea est ultio.

CAPUT XIII.

2 Vult ut subdamur magistratibus, 8 proximos diligamus, 11 vivamus justè, 14 & Christum induamus.

[a] *Sap.6.3. Tit.3.1. 1.Pet.2.13.*

[a] B. Jam seorsim ostēdit quid subjecti debeant suis magistratibus, obedientiam videlicet: quæ declarat neminem esse liberū, & ita quidē ut non tantū ipsi summo magistratui, sed etiā infimis quibusvis magistratibus potestate fungētibus debeatur.
[b] Etiamsi Apostolus, etiamsi Evāgelista, etiamsi Propheta, Chrysostomus. Papæ itaq; tyrannis in omnia regna, evertitur.
[c] B. Argumentum ab ipsa rei natura. Quorsum enim in superiore gradu sunt collocati, nisi ut inferiores eis subjiciantur?
[d] B. Aliud maximi pōderis argumentum. Quoniā hujus ordinis auctor est Deus, ut qui sunt rebelles sciant sese cū Deo ipso bellū gerere, unde fieri nō potest quin maximas calamitates sibi accersant.
[e] Distributæ, aliæ enim sunt majores, aliæ minores.
[f] B. Tertium argumentum ab utilissimo fine. Quod hac ratione Deus bonos conservet, malos coërceat: qua sentētia ipsi quoque magistratus ad monentur quid subjectis debeant.

Omnis [1][a] [b] anima [c] potestatibus supereminentibus subjecta esto. [d] non enim est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo [e] ordinatæ.
2 Itaque quisquis *se* opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent.
3 [f] Nam magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis: [g] Vis autem non terreri potestate? quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis.
4 Dei enim minister est tuo bono. [h] Quòd si feceris quod malum est, metue: non enim frustra gladium gestat. nam Dei minister est, [i] ultor ad iram ei qui quod malum est fecerit.
5 [k] Quapropter necesse est subjici, nō solùm propter iram, [l] sed etiam propter conscientiam.
6 [m] Propter hoc enim etiā tributa solvitis: siquidē ministri Dei sunt in hoc ipsum incubētes.
7 [n] Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributum *debetur*, tributum: cui vectigal, vectigal: cui [n] timor, timorem: cui [o] honor, honorem.
8 [p] Nemini quicquam debete, nisi *hoc*, ut alii alios diligatis. [q] nam qui diligit alterum, [r] Legem implevit.
9 Siquidem illud, [s] Non mœchaberis, Non occides, Nod furaberis, Non falsum testimoniū dices, Non concupisces: & siquod aliud *est* mandatū, in hoc sermone [f] summatim cōprehenditur: nempe, [t] Diliges proximum tuum sicut teipsum.
10 Charitas proximum non afficit malo. Itaque [v] charitas est completio Legis.
11 [t] Idq; perspecta opportunitate, quòd *videlicet* tempestivum jam *sit* nos à somno expergisci. Nunc enim propiùs nos est salus, quàm quum credidimus.
12 Nox processit, [u] dies autem propinquat. Abjiciamus igitur [x] opera tenebrarum, & induamur habitu qui luci convenit.
13 Ut interdiu, compositè incedamus; [y] non *in* comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac proterviis, non lite & invidia.
14 [z] Sed [y] induimini Domino Jesu Christo, & carnis curam ne habete ad *explendas* cupiditates.

Omnis anima [1] potestatibus dominatus subdita sit. Non enim est potestas quæ non à Deo sit: & quæ potestates sunt, à Deo sunt cōstitutæ.
2 [2] Qui insurgit igitur adversus potestatem, [3] adversus constitutionem Dei insurgit, & [4] hi qui insurgunt adversus eas, [5] judicium accipient.
3 Judices enim non sunt terrori operibus bonis, sed malis. Vis igitur non timere à potestate? fac bonum, & laus erit tibi ab ea.
4 Minister enim est Dei: sed tibi ad bona. [6] & si malum facias, time. Nequaquam enim frustrà accinctus est gladio: minister enim est Dei, & [7] vindex iræ illis qui faciunt mala.
5 Et propter hoc [8] necesse est nobis ut subjecti simus, non propter iram tantùm, sed etiam propter conscientiam nostram.
6 Propter hoc etiam [9] argentum capitationis datis vos: ministri enim sunt Dei, [10] in hæc ipsa incumbentes.
7 Reddite igitur unicuique prout debetur ei: cui argentum capitationis, argentum capitationis: & cui tributum, tributum: & cui timor, timorem: & cui honor, honorem.
8 Et nemini quicquam debeatis [11] quàm ut alter alterum diligat. Qui enim diligit socium suum, Legem implevit.
9 Nā etiam illud quod dicit, Nō occides, &, Non mœchaberis, &, Non furaberis, [12] &, Non concupisces, & si sit mādatū aliud, in hoc sermone cōpletur, Diliges proximū tuū sicut teipsum.
10 Dilectio erga proximum suum, malum non operatur: quia dilectio expletio est Legis.
11 Et etiam hoc scitote, quòd tempus est, & hora est deinceps ut excitemur à somno nostro. Nunc enim magis appropinquavit nobis [13] salus nostra quàm quum credidimus.
12 Nox de cætero præteriit, & dies appropinquavit. Missa faciamus igitur à nobis opera tenebrarum, & induamus arma lucis.
13 Et tamquā in die, [14] modestè ambulemus, [15] non in musica, neq; in ebrietate, neq; [16] in cubili immundo, neq; in invidia & contentione.
14 Sed induite ipsum Dominum nostrum Jeschua Christum; & ne curam habeatis carnis vestræ ad concupiscentias.

[1] Hebr. i. potestatibus dominātibus. Utitur plurali, ut sit doctrina generalis.
[2] i. Qui igitur resistit potestati.
[3] i. Deo resistit.
[4] i. Resistunt eis.
[5] Hebr. i. Pœnā.
[6] Et pro At.
[7] Exequutor iræ, i. Vindictæ, Hebraismus.
[8] Syrè, constrictio est nobis.
[9] Syrè, Argentū, i. *Tributum*, capitis.
[10] Ad verb. Super hæc ipsa stantes, i. Qui præfecti sunt custodes legum & publici status, totiq; in hoc incumbunt, ut jure inde victum petant, & quæcumq; necessaria sunt ad tam difficilis muneris administrationē.
[11] Syrè, nisi quòd alter, &c.
[12] Dum Syrus interpres hæc ad Mosis ordinem exigit, nonum decalogi præceptū, quod in Paulo est, prætermittit.
[13] Ad verb. Vita, Hebraismus jam sæpè observatus.
[14] Syrè, cum modestia.
[15] Videtur intelligere illa profusa convivia, de quibus legitur Amos 6. & Isa. 5. quæ præter exquisitos cibos conjunctam etiam habebant musicā & omne deliciarū genus, Synecdochicōs: itaq; totum conviviorum luxū sub una parte comprehendit.
[16] Syrè, In dormitorio immūdo.

[g] B. Optima ratio ferendi jugi istius, non modò sine molestia, sed etiam maximo cum fructu. [h] B. Deus gladio etiam ultore magistratum armavit. [i] Per quem Deus ulciscitur malos. [k] B. Conclusio, Parendum esse magistratui, non modò pœnæ metu, sed multo magis quia, etiamsi magistratus in conscientiam jus non habet, tamen quum Dei sit minister, bona conscientia ei resisti non potest. [l] Usque ad aras nam iniqua præcipienti respondendum est illud Petri, Præstat Deo obedire quàm hominibus. [m] B. Enumerat præcipua in quibus posita est subjectorum obedientia. [n] *Mat.22.21.* [n] Obedientiam, eamq; ex animo proficiscentem. [o] Reverentiam, quam magistratui habere par est. [p] B. Ostendit quomodo futurum sit, ut quàm paucissima judicia exerceantur, nempe si vitam ita instituamus, ut nemo quicquàm meritò possit à nobis flagitare, præter id unū quod ex charitatis lege alii aliis perpetua quadam obligatione debemus. [q] B. Cōmendat charitatē ut Legis epitomen. [r] Non unicum aliquod præceptum obiit: sed in genere præstitit quod Lex jubet. [s] *Exo.20.14. Deu.5.18.* [f] Tota siquidem lex nihil aliud quā amorem Dei & proximi præcipit. Sed quum Paulus hoc loco de mutuis hominum officiis disserat, Legis vocabulum restringendum est ad secundam tabulam. [t] *Lev.19.18. Mat.22.39. Mar.12.31.* [v] *Gal.5.14. Jacob.2.8. 1.Tim.1.5.* [t] B. Amplificatio à circumstantia temporis, quod & ipsum nos per se officii admoneat: quum tenebris ignorantiæ & pravarum cupiditatum divinæ veritatis cognitione depulsis, superest ut vitā ad certam illam omnis justitiæ & honestatis normā, virtute Spiritus Christi freti, exigamus. [u] Alibi dicimur in luce versari, sed ita ut nondū apparuerit quod sumus: adhuc enim videmus ut in crepusculo. [x] Eam vitā quam agunt qui lucē fugiunt. [y] *Lu.21.34.* [z] *Gal.5.16. 1.Pet.2.11.* [y] Indui Christo, est in possessionē Christi mitti, ita ut ille sit in nobis, & nos in illo.

CAPUT

CAPUT XIIII.

1. Commendat eos qui fide sunt infirmi, 15 ne vitio nostro scandalizentur: 16 Et illos è diverso imperat ut non temerè firmiores judicent: 19 ut intra ædificationis, 20 & charitatis terminos, 22 Christiana libertas consistat.

[1] i. Nobis vesci liceat quibusvis, ut Gen. 3. 3. De fructu arboris horti comedemus, i. comedere licet. Ita enim est, futuri verbi vis, apud Hebræos, Chaldæos, & Syros, ut modi potentialis vim habeat.
[2] Et pro At.
[3] Ad verb. Stado autem stat. Geminatur verbum ad majorem certitudinem. Est autē præsens pro futuro, Stabit.
[4] Syre, Propè adest in manibus ejus.
[5] Vel, Confirmetur
[6] Ad verb. Qui cogitat diei, ut intelligendum oporteat Circumstantias. Cogitare autem circūstantias diei, idē est quod antea dixit, Diē præ die dijudicare.
[7] Pro anima sua, Hebraismus.
[8] F. alii, Ne igitur judicemus, &c.
[9] Mutatio numeri. Sic resolvito, nequis vestrûm fratri suo, &c.
F. q. d. tu & tu, quisquis es. Syllepsis Heb. Judicare autē hoc in loco est judicio uti, vel certo judicio ad res suas & vitæ modū attendere, atq; statuere: ut 1. Cor. 2. 2. & 7. 37. & alibi passim.
[10] F. vel, sed ei qui cogitat, &c. ac ita propriè Syrus.

EI autem qui infirmatur in fide, porrigite manum, & ne sitis divisi in cogitationibus vestris.
2 Est enim [1] qui credit quòd omnia comedamus, [2] & qui infirmus est *fide*, olus comedit.
3 Qui autem comedit, eū qui non comedit ne despiciat: & is qui non comedit, eum qui comedit non judicet. Deus enim assumsit eum.
4 Tu quis es qui judicas servū qui nō est tuus? Quòd si stat, Domino suo stat: & si cadit, Domino suo cadit. [3] Utique autem ille stat: [4] facultas enim est in manibus Domini ejus ut stabiliat eū.
5 Est qui dijudicat diem præ die, & est qui dijudicat omnes dies. Unusquisque autem in cognitione animæ suæ [5] certus esto.
6 [6] Qui cogitat de die, Domino suo cogitat: & quisquis non cogitat de die, Domino suo non cogitat: & qui comedit, Domino suo comedit, & Deo gratias agit: & qui non comedit, Domino suo non comedit, & gratias agit Deo.
7 Nemo enim est ex nobis, qui sibiipsi vivat: & nemo est qui sibiipsi moriatur.
8 Nā sive vivamus, Domino ipsi nostro vivimus: sive moriamur, Domino ipsi nostro morimur. Sive vivamus, sive moriamur, Domini nostri sumus.
9 Propter hoc etiam Christus mortuus est, & revixit, ac resurrexit, ut ipse esset Dominus mortuis & viventibus.
10 Tu verò cur judicas fratrē tuum? aut etiā tu ad quid despicis fratrem tuum? Omnes enim nos futurum est ut stemus antè tribunal Christi.
11 Sicut scriptum est, Vivo ego, dicit Dominus: mihi incurvabit se omne genu, & mihi confitebitur omnis lingua.
12 Ergo quisque nostrûm rationem [7] pro seipso reddet Deo.
13 [8] Ne deinceps judicemus alter alterum: sed hoc judicate potiùs, ut offendiculum [9] fratri tuo non ponas.
14 Novi enim, & persuasus sum per Dominum Jeschua, quòd nihil quicquam contaminatum ex se est [10] nisi ei qui cogitat de re aliqua, quòd polluta sit, ei *res* illa tantùm polluta est.
15 Si autem propter cibum contristas fratrem tuum, nequaquam in charitate ambulas. Ne perdas per cibum tuum, illum cujus causa mortuus

EUm [a] verò qui fide est infirmus, [b] assumite, non *tamen* ad [c] certamina disceptationum.
2 [d] Alius quidem [e] credit vesci licere quibusvis: alius autem *fide* infirmus edit olera.
3 [f] Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeto, & qui non edit, edentem ne condemnato, [g] Deus enim eum assumsit.
4 [h] Tu quis es qui condemnas alienum famulum? proprio Domino stat aut cadit, stabilietur autem: potest enim Deus eum stabilire.
5 [i] Alius quidem æstimat diem præ die, alius autem *pariter* æstimat quemvis diem. [k] [l] Unusquisque in animo suo plenè certus esto.
6 [m] Qui [n] curat diem, [o] Domino curat: & qui non curat diē, Domino non curat. [p] Qui edit, Domino edit: [q] gratias enim agit Deo: & [r] qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.
7 [s] Nullus enim nostrûm [t] sibiipsi vivit, & nullus sibiipsi moritur.
8 Nam sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.
9 Ad hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur.
10 [u] Tu verò cur condemnas fratrem tuum? aut etiam tu cur pro nihilo habes fratrē tuum? Omnes enim sistemur apud tribunal Christi.
11 Scriptum est enim, [x] Vivo ego, dicit Dominus, Certè mihi *sese* flectet omne genu, & omnis lingua [y] palàm agnoscet Deum.
12 Nempè ergo unusquisque nostrûm de seipso rationem reddet Deo.
13 [z] Ne ampliùs igitur alii alios judicemus: [a] sed hic potiùs adhibete judicium, ut ne offendiculum ponatis fratri, aut offensionem.
14 [b] Novi, & persuasum habeo per [c] Dominū Jesum, nihil esse [d] impurū [e] per se: sed ei qui existimat aliquid esse impurum, *id* ei impurum *esse*.
15 Verùm si propter escam frater tuus tristitia afficitur, non jam secundùm charitatem incedis. [f] Ne esca tua illum perdito pro

[f] 2. Aliud argumentum, Christi exemplum sequi nos oportere: ille

[a] 2. Jam tractat quomodo in rebus mediis nos gerere deceat cū fratribus, nō malitia, nec dānanda superstitione, sed beneficii Christi ignorantia, in earum rerū usu peccantibus. Docet autem eos leniter & patienter erudiēdos, & ita quidem ut eorum ignorantiæ in ejusmodi quidem rebus accōmodare nos oporteat, ex charitatis lege.
[b] Ne media & indifferentis rei causa defugiatis ejus consortium, sed eum adjungite vobis.
[c] Ut discedat multo incertior quam venerit, aut perturbata cōscientia resiliat.
[d] 2. Proponit pro exēplo discrimen ciborū quod nonnulli ut in Lege præscriptū (quam abrogatā esse nesciebant) penitùs observandum putabant, quum è contrario qui in Evangelii cognitione profecerat, abolitam esse istā Legis pædagogiā rectè censerent.
[e] Novit ex fide.
[f] 2. In hujusmodi facto, inquit Apostolus, neq; qui libertatem suam norunt, fratrē ignorantē arroganter despiciāt, neq; indocti morosè condemnent quod non intelligunt. [g] 2. Prima ratio, quia quū & qui edit & qui non edit, sit nihilominus Christi membrum, nec cōtemni qui non edit, nec condemnari qui edit, meritò potest. Explicatur autem antecedēs, V. 6. [h] 2. Alia ratio à superiore dependens, cur rudes à peritioribus non debeant, ut extra spem salutis positi damnari. Quia, inquit Apostolus, qui hodiè rudis est, cras potest pleniore cognitione donari, ut & ipse firmus cōsistat. Itaq; Dei est non hominis sententiam illam damnatoriam ferre. [i] 2. Aliud exēplum legalis discriminis dierum. [k] 2. Opponit isti contemtui & præcipitibus judiciis assiduū proficiendi studium, ut firmis de sua libertate benè constet, quænam sit videlicet, & cujusmodi usus: & vicissim infirmi quotidiè proficiant, ne vel illi abutantur Dei dono, vel isti in sua infirmitate sibi placeant. [l] Unusquisq; apud se, i. in conscientia sua dicere possit, se nosse ac sibi persuasum esse per Dominum Jesum, nihil esse per se impurum, illa autem persuasio inniti debet verbo Dei. [m] 2. Ratio petita ab ipsa rerum mediarum natura, quas bona conscientia & facere possit aliquis, & aliquis rursus non facere. Quum enim & dierum & ciborum discrimen à Deo statutum esset, qui Legis abrogationem nondum intelligebant, & tamen alioqui Christum ut Servatorem agnoscebant, quomodo potuissent bona conscientia negligere, quod à Deo præceptum sciebant? Contra vero, qui Christi beneficium hac etiam in parte norant, bona conscientia nec dies nec cibos curabant. Itaq; (dicere Apostolus V. 10.) firmi infirmos ob res istas ne damnare, quum infirmi fratres nihilominus sint fratres. Jam verò si quis hanc doctrinam ad nostra hæc tempora trahere velit, sciat de rebus mediis agi, & quidem ejusmodi, ut qui eas non arbitrabantur medias, fundamentum haberent in Lege, & simplici ignorantia, non autē malitiosa, (illis enim ne ad tempus quidem cessit Apostolus,) nec superstitione, sed religioso Dei metu hallucinarentur. [n] Peculiari quadam ratione observat. [o] Domini est judiciū rectè ne faciat an secus: Itaq; cur non potiùs laboratis de eo, ut quisq; se Deo approbet, quàm ut aliena curetis? [p] Qui nullum facit ciborū discrimen. [q] 2. Ita significat Apostolus sese de fidelibus tum infirmis tum firmis agere. Quid si verò cum infidelibus nobis sit negotium? nempè hæc nobis cavenda sunt duo, sicut in epist. ad Cor. explicatur: unum, ne superstitiones eorum inter res medias numeremus, ut qui in idoleio accumbebant: alterū ne tum quoq; quum res est media (ut idolothytum in macello emere, & domi aut in privato convivio edere) fratrum infirmorum conscientiam vulneremus. [r] Cibos immundos. [s] 2. Non hæc edum, inquit, in ipso cibo, sed in usu cibi, ut demum verè possit reprehendi qui sic vivit, ut in Deum non respiciat. Illi enim & vita & mors nostra & consecrata est, & idcircò mortuus est propriè Christus, non autē simpliciter, ut vescamur aut non vescamur hoc vel illo cibo. [t] Se unum respicit, quod Hebræi dicunt, Benefaciat animæ suæ. [u] 2. Conclusio, relinquendum esse jus suum Domino, ac proinde in rebus quæ per se conscientia affecta est, vel bonæ vel malæ sunt, non esse infirmos fratres à firmis despiciendos, nedum damnandos. Non valeret autē æquè hæc conclusio in altero membro, nempe ne infirmi firmos judicent: quoniam infirmis non est perspectum, eos qui diem non curant, & edunt, Domino non curare, & Domino edere, sicut firmis notum esse potest infirmos eos qui diem curant & non vescuntur, Domino diem curare, & Domino non vesci. [t] 2. Cor. 5. 10. [x] Esa. 45. 23. Phil. 2. 10. [x] Juris jurandi formula Deo peculiaris, qui unus verè sua vi ac potestate exsistat. [y] Me agnoscet pro Deo. [z] 2. Ubi quid non faciendum sit conclusit, quid faciendum sit ostendit, nempè cavendum ne fratrem nondū firmum, præpostero usu libertatis nostræ prorsus evertamus. [a] Obliquè malignos istos censores perstringit qui huc conferunt totū suum acumen, ut aliquid carpendum inveniant in fratrum vita, quum potiùs omne rationis judicium huc conferre oporteat, ne suo neglectu fratres suos vel præcipitent, vel in aliquod offendiculū impellant. [b] 2. Occupatio, verum quidem esse, abrogatā esse illam pædagogiam Legis beneficio Christi, iis qui hoc norunt, sed nihilominus oportere in hujus libertatis usu cōsiderare quid expediat, ut fratri infirmo cōsulatur, quū idcircò non amittatur libertas. [c] Spiritu Domini Jesu, vel per Dominum Jesum, quem novi adventu suo maceriam diruisse. [d] Ad verb. commune, V. de Mat. 15. 11. [e] Natura. [l] 1. Cor. 8. 11. [f] A cōparatis. Crudelis est animi pluris facere escam, quā fratris salutē, quod ii faciunt, qui cum cujusquā fratris offendiculo sustinent vesci, & ita ei præbent resiliēdi ab Evangelio occasionē,

est quo

[g] quo Christus mortuus est.
16 [h] Ne vestrum igitur bonū [i] blasphemator.
17 [k] Non enim est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudiū per Spiritum sanctū.
18 Nam qui [l] per hæc servit Christo, gratus est Deo, & acceptus hominibus.
19 [m] Nempe igitur quæ ad pacem faciunt, sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem.
20 Ne cibi causa destrue opus Dei: [n] omnia quidem pura: sed malum *est* homini qui edit cum offendiculo.
21 [o] Bonum *est* non vesci carnibus, neque bibere vinum, neque *quicquam facere* in quo frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmus est.
22 [p] [q] Tu fidem habes: apud temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non condemnat seipsum in *eo* [r] quod approbat.
23 Qui verò [s] ambigit, si ederit condemnatus est, quoniam non *edit* ex fide: quicquid verò ex fide non est, peccatum est.

est Christus:
16 Et ne blasphemetur bonum nostrum.
17 Regnum enim Dei non est cibus & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.
18 Qui enim in his servit Christo, placet Deo, & coram filiis hominis est probatus.
19 [11] Jam [12] sectemur pacem & ædificationem uniuscujusque.
20 Et ne propter cibum dissolvamus opera Dei. unaquæque enim res pura est, sed malum est homini qui cum offendiculo comedit.
21 Bonum est ut non comedamus carnem, neque bibamus vinum, nec [13] quicquam per quod offenditur frater noster.
22 Tu in quo est fides, apud teipsum retine eam coram Deo. Beatus is qui [14] non judicat seipsum in eo quod discernit.
23 Qui enim [15] divisus est, & comedit, condemnat sese: quia non *comedit* in fide. Quicquid enim non ex fide, peccatum est.

[g] B. Aliud argumentum, Christi exemplum sequi nos oportet: ille verò nedum ut propter escam infirmos perderet, pro iis vitam ipsam profudit.
[h] B. Aliud argumentum, Quia sic detrahitur de Evangelicæ libertate, quasi ad quidvis audendū aditum aperiat.
[i] Malè audiat.
[k] B. Ratio generalis, & cæterorū argumentorum fundamentum, Regnum Dei non esse in his rebus externis positum, sed in justitiæ & pacis studio, & Spiritus consolatione.
[l] Qui pacem ac justitiam tranquillè colit per Spiritum sanctum.
[m] B. Conclusio universalis usum istius libertatis, atque adeò totam vitam nostram, ad mutuam ædificationem referri oportere, adeò quidem ut quod per se purum est & licitum, tamen propter offendiculum fratris illicitum censeatur.
[n] *Tit.1.15.*
[o] *1.Cor.8.13.*
[p] B. Duplicem in his rebus cautionem addit: unam ad firmos spectantem, ut qui certam notitiam hujus libertatis adeptus est, thesaurum illum conservet, quo videlicet prudenter & utiliter ita uti dictum est utatur: alteram, quæ infirmos respicit, ne temerè, solo aliorum exemplo incitati, titubante conscientia quicquam agant, quoniam sine peccato fieri non potest, quod ex Dei verbo non persuasi simus ipsi probari.
[q] Quid nomine fidei intelligat exposuit suprà v. decimoquarto, nempe, certum esse ac securum libertatis Christianæ in rebus indifferentibus.
[r] Quod amplectitur.
[s] Secum disceptat.

[11] i. Itaque. ut paulo antè annotavimus frequenter fieri in Hebræa, Chaldea & Syra lingua.
[12] Ad verb. Post pacem curramus, & post ædificationē unius, unius, id est, cujusque, Hebraismus.
[13] F. supple, faciamus, Ellipsis est analogica: de qua in Marc. 1.6.
[14] id est, Non condemnat.
[15] id est, Qui anceps & dubius est.

CAPUT XV.

1 *Fortiores robur suum conferant ad confirmandos infirmos,* 3 *Christi exemplo,* 7 *qui se communicavit,* 8 *non modò Judæis,* 10 *sed etiam Gentibus.* 15 *Scriptionis hujus Epistolæ ratio redditur.*

Debemus [a] autem nos qui firmi *sumus*, imbecillitates infirmorum portare, ac [b] non indulgere nobisipsis.
2 *Itaque* unusquisque nostrum proximo placeat [c] in bonum, *id est* ad *ejus* ædificationem.
3 [d] Etenim Christus non placuit sibiipsi, sed, sicut scriptum est, [e] Convicia eorum qui conviciantur tibi, inciderunt in me.
4 [e] Nam quæ [f] antè scripta sunt, ad nostram doctrinam antè scripta sunt: ut per tolerantiam & cōsolationem [g] Scripturarum, spē habeamus.
5 [h] Deus autem tolerantiæ & consolationis [i] det vobis ut eodem animo inter vos mutuò affecti sitis, secundum Christum Jesum.
6 Ut concorditer uno ore glorificetis Deum ac Patrem Domini nostri Jesu Christi.
7 Propterea assumite alii alios, sicut & Christus [i] assumsit nos in gloriam Dei.
8 [k] *Illud* autem dico, Jesum Christum ministrum fuisse [l] circumcisionis, [m] pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones [n] patrum.
9 [o] Et ut Gentes pro misericordia glorificēt Deum: sicut scriptum est, [p] Propterea [p] celebrabo te inter Gentes, & nomini tuo psallam.
10 Et rursum dicit, [q] Gaudete Gentes cum populo ejus.
11 Et rursum, [r] Laudate Dominum omnes Gentes, & collaudate eum omnes populi.
12 Et rursum Esaias dicit, [s] Erit radix Jesse, & qui exsurgat ad imperandum Gentibus, in ipso Gentes sperabunt.
13 [q] Utinam verò Deus [r] spei impleat vos, [f] omni gaudio & pace credendo, ut spe abundetis per virtutem Spiritus sancti.

Debitores igitur sumus nos robusti ut infirmitatem imbecillium sustineamus, & non nobisipsis placeamus:
2 Sed quisq; ex nobis proximo suo placeat in bonis *rebus* [1] ut ad ædificationem.
3 Quoniā etiam Christus nequaquam sibiipsi placuit, sed [2] sicut scriptum est, Opprobrium opprobrantium tibi cecidit super me.
4 Quicquid enim ab initio scriptum est, ad doctrinā nostram scriptum est, ut per patiētiam & per consolationē Scripturarum spes sit nobis.
5 Deus autem patientiæ & consolationis det vobis [3] ut pariter cogitetis [4] unus de alio in Jeschua Christo.
6 Ut una mente & uno ore laudetis Deum Patrem Domini nostri Jeschua Christi.
7 Propter hoc assumite, & ferte [5] invicē, sicut etiam Christus assumsit vos ad gloriā ipsius Dei.
8 Dico autem quòd Jeschua Christus fuit minister circumcisionis pro veritate Dei, ut confirmaret promissiones Patrum.
9 [6] Et Gentes glorificent Deum pro misericordia quæ fuit super eas: sicut scriptū est, Confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo psallam.
10 Et rursus dicit, Exsultate Gentes cum populo ejus.
11 Et rursus dicit, Laudate Dominum omnes vos Gentes, & glorificate eum omnes populi.
12 Et rursus Isajah dicit, Erit radix Jessæ, & is qui exsurget, erit princeps Gentibus, & in ipso sperabunt Gentes.
13 Deus autem spei impleat vos omni gaudio & pace, in fide, ut exuberetis in spe ejus per virtutem Spiritus sancti.

[a] B. Jam disserit generaliter Apostolus de imbecillis omni modo tolerandis, quatenus tamen eorū bono id fieri potest.
[b] Aliis spretis.
[c] Ipsius bono ac commodo.
[d] B. Confirmatio ab exēplo Christi, qui nihil non pertulit, ut non infirmos modò, sed etiam crudelissimos hostes patientia victos, ad Patrem adduceret.
[e] *Psa. 69.10.*
[e] B. Occupatio, quæ citantur ex veterum exemplis nobis ad imitandum proponi, ut Patrum exemplo patientia & spe mutuò nos toleremus.
[f] A Mose & aliis Prophetis.
[g] Doctrina & consolatio tribuuntur Scripturis, quia illis ad docendum & consolandum utitur Deus.
[h] B. Petendum à Deo patientiæ exemplum, ut mutuo consensu tum firmi tum infirmi Deo servientes alii alios ad Dei gloriam adsciscamus sicut & Christus nos omnes quantumvis indignos assumsit.
[i] *1.Cor.1.10.*
[i] Nos minimè dedignatus ultrò ascivit, quos gloriæ Dei faceret participes.
[k] B. Christi exempli applicatio ad Judæos, quos quantumvis indignos, tamen propter promissiones cum patribus eorum sancitas, honore dignatus est, ut etiam ministri officio fit apud eos incredibili cum patientia defunctus. Multo minùs igitur æquum esse, ut à Gentibus propter varia vitia spernantur, quos tanti fecit Dei Filius.
[l] Circumcisorum Judæorum: quamdiu enim vixit, intra eorum fines sese continuit.
[m] Ut Deum esse veracem constaret.
[n] Patribus factas.
[o] B. Ejusdem applicatio ad Gentes, quas & ipsas incomprehensibili quadam bonitate Dominus respexerit, ut à Judæis quasi extraneæ despici non debeant.
[p] *Psal. 18.50.*
[p] Apertè profitebor, & celebrabo nomen tuum.
[q] *Deuterono. 32.43.*
[r] *Psal. 117.1.*
[s] *Esa. 11.10.*
[q] B. Totam superiorem tractationem precibus velut obsignat, petens eis tribui à Domino quicquid eis præceperat.
[r] In quem speramus.
[f] Perfecto & cumulato.

[1] In Syro impresso textu est, דרבנ נשא, Filii hominis, sed apparet fuisse erratum à typographo propter affinitatem vocum דרבני & דרלבניא נשא & in manuscripto Heidelbergensi erat דרלבניא, sicut nos restituimus. Sensus est, Ut par est ad ædificationem.
[2] F. supple, sed neglexit rationē sui ipsius. Ellipsis contrarii, quam docent sequentia, sic inf. ver. 22.
[3] Syrè, Paritatē, Æqualitatem.
[4] F. vel cum alio: quod & Græcis verbis, & sequenti fini magis videtur respondere.
[5] Syrè ad invicē F. id autem est, alii alios.
[6] Pro, Gentes autem.

14 Persuasum autem habeo ego quoque de vobis, fratres mei, quòd & ipsi pleni estis bonitate, & impleti estis omni cognitione, & potestis etiam alios erudire.

15 [7] Paulò enim audaciùs scripsi vobis, fratres mei, ut commonefacerem vos propter gratiam quæ data est mihi à Deo,

16 Ut sim minister Jeschua Christi inter Gentes, & subserviam Evangelio Dei, ut fiat oblatio Gentium acceptabilis & sanctificata per Spiritum sanctum.

17 Est igitur gloriatio mihi per Jeschua Christum erga Deum.

18 Non enim ausim loqui quicquam quod non faciat [8] per manus meas Christus, ad obedientiam Gentium, in verbo & in operibus.

19 Per virtutem signorum & miraculorum, & per virtutem Spiritus Dei, ita ut ab Urischelem circuiverim usque ad Illyricum, & [9] impleverim [10] prædicationem Christi.

20 [11] Solicitè curans ut prædicarem non [12] ubi invocatum esset nomen Christi, ne ædificarem super fundamentum alienum:

21 Sed [13] sicut scriptum est, Quòd illi quibus nihil fuerat dictum de eo, videbunt eum: & qui non audierunt, [14] acquiescent.

22 Propter hoc impeditus sum temporibus multis quominus venirem ad vos:

23 Nunc autem quia locus non est mihi in his regionibus, & cupidus fui jam ante annos multos ut venirem ad vos:

24 Quum proficiscar in Hispaniam, spero quòd veniam & videbo vos: & vos deducetis me illuc, postquam [15] aliqua ex parte [16] suavitate perfusus fuero [17] in videndo vos.

25 Nunc autem proficiscor ad Urischelem ut ministrem sanctis.

26 Voluerunt enim hi qui sunt in Macedonia & in Achaia, ut communicatio esset sibi cum pauperibus & sanctis qui sunt in Urischelem.

27 Voluerunt *inquam*: quin etiam debitores sunt illis. Si enim [18] in Spiritu communicaverunt cum illis Gentes, debitores sunt ut etiam in iis quæ sunt carnis ministrent eis.

28 Hoc igitur quum perfecero, & consignavero eis fructum hunc, transiturus sum per vos in Hispaniam.

29 Novi enim quòd quum venero ad vos, cum plenitudine benedictionis Evangelii Christi veniam.

30 Peto autem à vobis, fratres mei, per Dominum nostrum Jeschua Christum, & per dilectionem Spiritus, ut laboretis mecum in precatione quæ fit pro me erga Deum:

31 Ut liberer ab illis qui sunt contumaces, qui sunt in Judæa, & ministeriũ quod defero ad sanctos qui sunt in Urischelem, accipiatur benè:

32 Et veniam ad vos cum gaudio, per voluntatem Dei, & refociller vobiscum.

33 Deus pacis sit cũ omnibus vobis. Ammin.

[7] al. Paulò verò audaciùs, vel Sed paulò aud.
[8] i. Per me. Hebraism.
[9] p. i. plenè & integrè testatum fecerim. nisi quis fortè malit per hypallagen accipere, pro eo quod est, impleverim et omnia loca prædicatione Evangelii.
[10] Vel præconiũ.
[11] Quum sollicitè curarem.
[12] Scribebatur corruptè בר pro בך mutato punctulo, quo discernitur apud Syros Daleth à Resch.
[13] F. vide in versum 3.
[14] i. persuadebuntur.
[15] Ad verbum, parum ex multo.
[16] Syrè, Tanquam odore aromatum perfusus fuero.
[17] Ad verbum, propter vidisse me vos, Hebraismus.
[18] Fortassis excidit librariis aut typographo ך Daleth in voce ברוח quum dicendum fuerit ברוחין in iis quæ sunt Spiritus, sicut habent Græca, quamquam ne in manuscripto quidem codice aliter legatur.

14 [y] Persuasum autem habeo & ipse ego de vobis, fratres mei, quòd [u] ipsi per vos pleni sitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui possitis etiam vos mutuò monere.

15 Audaculè verò scripsi vobis, fratres, aliquatenus, veluti commonefaciens vos, propter gratiam quæ data est mihi à Deo.

16 Ad hoc ut sim minister Jesu Christi apud Gentes: operans Evangelio Dei, ut [x] oblatio Gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum sanctum.

17 [y] Habeo igitur quod glorier per Christum Jesum, in iis quæ ad Deum *pertinent*.

18 Non enim sustinuerim quicquam loqui [z] quod non effecerit Christus per me, *adducendis* ad obedientiam Gentibus, verbis & factis.

19 [a] Virtute signorum ac prodigiorum, virtute Spiritus Dei: adeò ut ab Hierusalem & circumjacentibus *regionibus*, usque ad Illyricum, impleverim prædicandi Evangelii Christi munus.

20 Ita porrò contendens evangelizare, non ubi nominatus esset Christus, ut ne super alienum fundamentum ædificarem:

21 Sed, sicut scriptum est, [1] Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

22 [b] [1] Quapropter etiam impeditus sum sæpè *ne* venirem ad vos.

23 Nunc verò quum non ampliùs habeam locum in his regionibus, [1] desiderium autem maximum habeam veniendi ad vos à multis annis:

24 Quando proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos. Spero enim fore ut *istac* præteriens videã vos, & à vobis deducar illuc: si tamen vestrâ consuetudine priùs ex parte expletus fuero.

25 Nunc autem proficiscor Hierosolymam, [c] ministrans sanctis.

26 Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ conferre aliquid in pauperes sanctos qui sunt Hierosolymis.

27 [1] [d] Placuit enim *eis inquam*, & debitores illorum sunt. nam si spiritualia ipsorum *bona* Gentes participârunt, debent etiam *ipsæ* in carnalibus eis [e] ministrare.

28 Hoc igitur ubi perfecero, & eis [f] consignavero [g] hunc fructum, abibo istac in Hispaniam.

29 [h] Scio verò me, quum veniam ad vos, cum plena benedictione Evangelii Christi venturum.

30 Precor autem vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & [i] per charitatem Spiritus, ut mecum certetis *vestris* pro me apud Deum precibus.

31 Ut liberer ab iis qui rebelles sunt in Judæa, utq; ministerium hoc meum erga Hierusalem, acceptum sit sanctis:

32 Ut cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, unaq; vobiscum refociller.

33 Deus autem pacis *sit* cum omnibus vobis. Amen.

[y] 2. Peroratio Epistolæ, in qua primùm se excusat quod pluribus ad eos scripserit, ut eis commonefaceret potiùs quàm doceret: idq; ex muneris sui necessitate, quod eum peculiariter Gentibus obliget.
[u] Ultrò & sponte vestra.
[x] Passivè oblationem Gentium, vocat Gẽtes ipsas quibus se tanquã in sacrificium dicat Dei quasi victimis litare.
[y] 2. Magnificè quidem Apostolatum suum ab effectis asserit, sed ita ut præter quã quòd verè omnia loquitur, totam gloriam Deo ut unico auctori tribuat: nec sese propriè spectet, sed huc potiùs respiciat, ut eo minus de doctrinæ à se propositæ veritate dubitetur.
[z] Ita mihi in omnibus rebus omnibusq; modis adfuit Christus, ut etiamsi maximè velim, tamen dicere nõ possim, quid per me non effecerit ut Gentes Evangelio obedirent.
[a] Priore loco, virtus declarat vim & efficaciam prodigiorum in animis hominum percellendis: posteriore verò loco significat Divinã potestatem illius effectricem.
[1] *Esa.* 52.15.
[b] 2. Suam in eos egregiam voluntatem, & suarum etiam rerum statum familiariter Romanis perscribit, ita tamen ut ab Apostolicæ doctrinæ scopo ne tantillùm quidem aberret. Nihil enim narrat nisi sanctum, & ad suum munus pertinens: & veluti quadam digressiuncula Macedonicam Ecclesiam commendans, eos ad sanctam æmulationem honestè provocat. [1] *Supr.* 1.11. [1] *Sup.* 1.13, 1. *Thes.* 2.17. [c] Sanctis hoc officii impendens, perferendæ ad eos pecuniæ in ipsorum usus collectæ. [1] 1. *Cor.* 9.11. [d] 2. Voluntariæ quidem sunt eleemosynæ, sed quas tamen ex charitatis lege debeamus. [e] Usibus eorum inservire. [f] Apud eos fideliter & quasi annulo obsignatum deposuero. [g] Hanc pecuniam in usus pauperum collectam: eleganter autem eleemosyna dicitur fructus. [h] 2. Pollicetur sese ad eos non venturum vacuum, benedictione Dei fretus, sed precum officium ab eis postulans, ostendit quare in quibusvis difficultatibus niti nos maximè oporteat. [i] Per mutuam illam conjunctionem, qua spiritus sanctus animos nostros devinxit.

CAPUT XVI.

1 Cõmendat Phœben. 3 salutat officiosè cõplures, 17 admonetq; ut ab iis caveãt qui dissidiorũ auctores sunt.

Commẽdo autẽ vobis Phœben, sororẽ nostrã, quæ est ministra Ecclesiæ Cenchreensis:

Commẽdo [a] autẽ vobis Phœben sororẽ nostrã, quæ est ministra Ecclesiæ Cenchreensis:

[a] 2. Absoluta tota disputatione, jam ad familiares commendationes & salutationes descenditidq; in præcipuum scopum respiciens, nempè ut norint Romani qui sint inter ipsos honore & pretio digni, atque adeò quos sibi imitandos debeant proponere: quamobrem etiam singulos egregiis aliquibus testimoniis exornat.

2 Ut

2 Ut

b Christi nomine. illud autem propriũ est Christianis, quum alioqui virtutum illarum sint & simulacra apud profanos homines.
[a] Act.18.3.26.
c Fidelium coetuum, in tam ampla enim civitate, distincti fuerunt coetus.
d Qui primus Achæorum sese Christo consecravit: est autem allusio ad legales ceremonias.
e Per fidem insiti.
[f] 1.Cor.16.20. 2.cor.13.12. 1.pet.5.14.
f Sanctum vocat osculum, quod ab animo proficiscitur sanctæ illius charitatis pleno: hoc autem referendum est ad illius temporis morem.
g B. Sicuti nominatim eos describens qui commendatione digni erant satis expressit quos audire ac sequi deberent: ita nunc falsos fratres eis depingit à quibus sibi caveant, non tamen nominatim, quoniam necessarium id non erat.
h Attentè & diligenter, quasi hostes è specula observetis.
[g] 2.Joh.10.
i Utitur nomine χρηστολογίας, quæ pollicitationem quæ reipsa nihil præstet significat, quam quum audis, dicas pollicentem magis de tuis rebus quàm de propriis solicitum.
k B. Simplicitas condienda est prudentia.
l Cognitione veritatis & prudentia instructos, ut bona amplecti, mala vitare, fraudes & laqueos pseudoprophetarum effugere, illis etiam apertè obsistere possitis. hic autem locus apertè refellit fidem implicitam Sophistarum.
m B. Pugnandum est certa spe victoriæ.

2 Ut eam excipiatis [b] in Domino sicut dig-
num est sanctis, & adsitis ei quacumque in re *ipsi*
usus fuerit vobis. nam hæc tum multis hospitium
præbuit, tum mihi etiam ipsi.
3 Salutate [a] Priscillam & Aquilam, adjuto-
res meos in Christo Jesu:
4 Qui pro anima mea suam ipsorum cervi-
cem supposuerunt: quibus non ego solus gratias
ago, sed etiam omnes Ecclesiæ Gentium.
5 Item [c] Ecclesiam quæ in domo eorum est.
Salutate Epænetum mihi dilectum, [d] primitias
Achaiæ in Christo.
6 Salutate Mariam, quæ multùm laboravit
erga nos.
7 Salutate Andronicum & Juniam, cogna-
tos meos, & concaptivos meos, qui sunt insignes
inter Apostolos, qui etiam ante me fuerunt [e] in
Christo.
8 Salutate Ampliã dilectũ mihi in Domino.
9 Salutate Urbanum, adjutorem nostrum
in Christo, & Stachyn mihi dilectum.
10 Salutate Apellem, probatum in Christo.
Salutate eos qui sunt ex Aristobuli *familiaribus*.
11 Salutate Herodionem cognatum meum.
Salutate eos qui *sunt* ex Narcissi *familiaribus*, eos
inquam qui *sunt* in Domino.
12 Salutate Tryphænam & Tryphosam quæ
laborant in Domino. Salutate Persida dilectam,
quæ multùm laboravit in Domino.
13 Salutate Rufum selectum in Domino, &
matrem ejus ac meam.
14 Salutate Asyncritum, Phlegõtem, Hermã,
Patrobam, Hermen, & qui cum iis sunt fratres.
15 Salutate Philologum & Juliam, Nereum
& sororem ejus, & Olympam, & qui cum iis
sunt, omnes sanctos.
16 [f] Salutate alii alios [f] osculo sancto. Salu-
tant vos Ecclesiæ Christi.
17 [g] Precor autem vos, fratres, [h] ut observetis
dissidiorum & scandalorum auctores contra do-
ctrinam quam vos didicistis: [g] & declinetis ab eis.
18 Nam qui ejusmodi *sunt*, Domino nostro
Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri: & per
[i] blandiloquentiam & assentationem corda *ho-
minum* minimè malorum seducunt.
19 [k] Vestra enim obedientia ad omnes per-
venit. Gaudeo igitur quod ad vos *attinet*: sed vo-
lo vos [l] sapientes quidem esse in rebus bonis,
simplices verò in malis.
20 [m] Porrò Deus pacis conteret Satanam sub
pedes vestros citò. Gratia Domini nostri Jesu
Christi *sit* vobiscum. Amen.
21 [n] Salutant vos [a] Timotheus adjutor me-
us, & Lucius, & Jason, & Sosipater, cognati mei.
22 Saluto vos in Domino ego Tertius, [o] qui
descripsi epistolam.
23 Salutat vos Gaius hospes meus & Eccle-
siæ totius. Salutat vos Erastus procurator urbis,
& Quartus frater.
24 [p] Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit*
cum omnibus vobis. Amen.
25 [b] [q] Ei verò qui potest vos stabilire, secun-
dùm Evangelium meum & præconium Jesu
Christi, [a] ex revelatione [r] mysterii quod [f] à tem-
poribus secularibus tacitum fuit:
26 Nunc verò factum est manifestum, & per
Scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei

2 Ut excipiatis eam in Domino nostro sicut
justum est sanctis, & omni re quam petierit à vo-
bis, assistatis ei: propterea quòd etiam ipsa ad-
stitit multis, etiam mihi.
3 [1] Salutate Priscillam & Aquilam, [2] coope-
ratores meos in Jeschua Christo:
4 Qui quidẽ pro anima mea cervices suas
tradiderunt: & nequaquam ego solus gratias a-
go illis, sed etiam omnes Ecclesiæ Gentium:
5 Et [3] salutate Ecclesiam quæ est domi
eorum. [4] Salutate Epænetum dilectum meum,
qui est primitiæ Achaiæ in Christo.
6 [5] Salutate Mariam quæ multùm laboravit
[6] erga vos.
7 Salutate Andronicum & Juniam, cogna-
tos meos qui fuerũt concaptivi mei, & noti sunt
inter Apostolos, & in Christo ante me fuerunt.
8 Salutate Ampliam dilectum meum in
Domino nostro.
9 Salutate Urbanum [7] cooperatorem no-
strum in Christo, & Stachuum dilectum meum.
10 Salutate Appellen electum in Domino
nostro. Salutate [8] domesticos Aristobuli.
11 Salutate Hiraudionem cognatum meum.
Salutate domesticos Narcissi, qui sunt in Do-
mino nostro.
12 Salutate Tryphenã & Tryphosam quæ la-
borãt in domino nostro. Salutate Persidẽ dilectã
meã, quæ multùm laboravit in Domino nostro.
13 Salutate Rufum electum in Domino no-
stro, & matrem ejus & meam.
14 Salutate Asyncritum & Phlegontem &
Hermam, & Patrobam, & [9] Mercurium, & fra-
tres qui sunt cum eis.
15 Salutate Philologum, & Juliam, & Nere-
um & sororem ejus, & [10] Lympam, & omnes
sanctos qui sunt cum illis.
16 Salutate alter alterum in osculo sancto.
Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.
17 Peto autẽ à vobis, fratres mei, ut caveatis
ab illis qui dissidia & scãdala faciũt preter doctri-
nam quam edocti estis, ut longè discedatis ab eis.
18 Qui enim tales sunt, non serviunt Domi-
no nostro Jeschua Christo, sed ventri suo: & per
sermones dulces, & per benedictiones seducunt
corda simplicium.
19 Obedientia autẽ vestra [11] omni filio homi-
nis innotuit. Gaudeo igitur [12] in vobis: & volo ut
sitis sapientes ad bona, & sinceri ad mala.
20 Deus autem pacis conterat brevi Sata-
nam sub pedibus vestris. Gratia Domini nostri
Jeschua Christi sit vobiscum.
21 Salutãt vos Timotheus [13] cooperator me-
us, & Lucius & Jason & Susi patraus, cognati
mei.
22 Saluto vos ego Tertius, qui descripsi epi-
stolam *hanc*, in Domino nostro.
23 Salutat vos Gaius [14] susceptor meus, & to-
tius Ecclesiæ. Salutat vos Erastus qui est [15] pro-
curator civitatis, & Quartus frater.
24 [16] 25 Deo autẽ ipsi, qui potest vos con-
firmare secundùm evangelium meum quod præ-
dicatum est de Jeschua Christo, juxta revelati-
onem mysterii quod temporibus seculorum ab-
sconditum fuerat:
26 Manifestatum autem est in tempore hoc
per scripturas Prophetarum, [17] & per mandatum

1 Ad verbum, Petite pro pace Priscillæ &c. i. Salutate. & sic in sequentibus. Hebr.
2 Syrè, Operantes qui mecum sunt. Hebr.
3 Ad verbum, Date pacem Ecclesiæ, Hebr.
4 Ad verbum, Petite pro pace Epæneti. Hebr.
5 Ad verbum, Petite pro pace Mariam. Hebr.
6 F. Græcè ἡμᾶς, Syrus legebat ὑμᾶς.
7 Ad verbum, operatorem qui fuit nobiscum.
8 Syrè, Filios domus. Hebraismus, ut paulò post filiorum.
9 F. al. Hermen, vel Hermetem.
10 F. al. Olympam, ut Græcus.
11 Nomen generis, in voce singulari, vim habet pluralis.
12 F. vel de vobis: nam Hebræa & Syra phrasis est.
13 Ad verbum, Operator qui mecum est. Hebr. ut v. 9.
14 i. Qui me domi suæ excepit. id est, Hospes meus.
15 F. vel œconomus. sed illud meliùs: ut ex Curopalate constat.
16 Versus 24. in Syro textu tam manuscripto quàm impresso non habetur hoc loco, sed in calce epistolæ additur.
17 F. Græcè, κατ' ἐπιταγὴν, secundùm mandatum. At Syrus legit, καὶ ἐπιταγὴν.

n B. Adscribit salutationes, partim ad mutuã fovendam conjunctionẽ, partim ut totidem veluti subscriptoribus confirmata hæc epistola, plus apud Romanos ponderis habeat. [a] Act.16.1. Phil.2.19. o Qui dictante Paulo excepi. p B. Jam tertiò eis valedicens, id eis precatur à quo pendet totius superioris doctrinæ efficacia. [b] Ephes.3.20. q B. Magnifica gratiarum actione, prædicat Dei potentiam & sapientiam, quæ potissimùm in Evangelio elucent, facta etiam mentione vocationis Gentium, ut Romanos in spe hujus salutis confirmet. [a] Ephes.3.9. Colos.1.26. 2.Tim.1.9. Tit.1.2. r Arcani, id est, vocationis Gentium.
f Aliis omnibus ætatibus.

Dei qui est in æternum, innotuit omnibus Gentibus ad obedientiam fidei,

27 Qui est sapiens solus, gloria [18] per Jeschua Christum in sæculum sæculorum. Ammin.

28 Gratia Domini nostri Jeschua Christi cum omnibus vobis. Ammin.

Finitur Epistola Pauli ad Romanos quæ scripta fuit è Corintho & missa fuit per manus Phœbæ ministræ fidelis.

ad obedientiam fidei, omnibus Gentibus [z] declaratum.

27 Soli *inquam* sapienti Deo gloria per Jesum Christum in secula. Amen.

Ad Romanos scripta fuit Corintho, per Phœben ministram Cenchreensis Ecclesiæ.

[18] Ad verbum, per manum Jeschua Christi.

[z] Oblatum & quarumvis gentium cognitioni exhibitum.

EPISTOLA PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS I.

CAPUT I.

1 Post gratulationem, quæ vim habet exhortandi, 12 taxat dissidia Corinthiorum, eosq; à fastu ad humilitatem revocat. 20 Nam evertens omnem mundi sapientiam, 25.26 solam crucis prædicationem erigit.

PAULUS vocatus & [1] legatus Jeschua Christi, per voluntatem Dei, & Sosthenes frater,

2 Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, *nimirum* vocatis & sanctis qui in Jeschua Christo sunt sanctificati, & omnibus iis qui invocant nomen Domini nostri Jeschua Christi, in omni loco, [2] ipsorum, & nostri.

3 Gratia [3] vobiscum & pax à Deo Patre nostro, & à Domino nostro Jeschua Christo.

4 Gratias ago Deo meo omni tempore pro vobis, ob gratiam Dei quæ data est vobis per Jeschua Christum:

5 Quod in omni re divites facti estis per ipsum, *nempe* in omni sermone & in omni cognitione,

6 Secundum testimonium Christi quod confirmatum est in vobis.

7 [4] Quod non destituti estis ullo ex donis ejus, sed [5] exspectatis revelationem Domini nostri Jeschua Christi.

8 Qui confirmabit vos usque in finem, ut [6] irreprehensibiles sitis in die Domini nostri Jeschua Christi.

9 Fidelis est Deus [7] per quem vocati estis in communionem filii sui Jeschua Christi Domini nostri.

10 Peto autem à vobis, fratres mei, per nomen Domini nostri Jeschua Christi, ut sit unus sermo omnibus vobis, & non sint inter vos dissensiones: sed ut sitis perfecti in una mente & una cogitatione.

11 [8] Retulerunt enim mihi de vobis, fratres mei, *qui sunt* de domo Chloæ, quòd contentiones sunt inter vos.

12 Hoc autem dico, quod est ex vobis qui dicat, Ego Pauli sum: & est qui dicat, Ego Apollo sum: & est qui dicat, Ego Ciphæ sum: & est qui dicat, Ego Christi sum.

[1] 1. vel Apostolus. Syrus autem adjicit copulam, ut Rom. 1.1. quæ non exstat Græcè, ut V. seq.

[2] 2. vel Domini ipsorum & nostri. Nam etiam est anceps Syra interpretatio, hoc autem malo.

[3] Id est, Ergà vos, Hebraismus.

[4] 4. vel, Adeò ut non sitis destituti, &c.

[5] Tanquam è specula exspectatis.

[6] Syrè, sine accusationibus.

[7] Syrè, Per cujus manum.

[8] Ad verbum, Miserunt, id est, M[illegible] literis [illegible] significaverunt[illegible].

PAULUS [a] vocatione [b] Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, [c] & Sosthenes frater,

2 [d] Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, [e] sanctificatis [f] in Christo Jesu, [g] vocatis sanctis, cum omnibus [i] qui [h] invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, quovis loco, *Domini, inquam*, tum ipsorum, tum nostri.

3 [i] Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

4 [k] Gratias ago Deo meo semper de vobis, ob gratiam Dei quæ data est vobis in Christo Jesu:

5 Quod in [l] omnibus ditati sitis in ipso, [m] omni loquendi facultate, omniq; notitia:

6 [o] Prout testimonium Christi [p] confirmatum fuit in vobis.

7 Adeò ut nullo quod *Deus* gratificatur deficiamini, [q] exspectantes [r] dum pateat Dominus noster Jesus Christus.

8 [s] Qui *Deus* etiam confirmabit vos usque ad finem [t] inculpatos, in diem Domini nostri Jesu Christi.

9 [x] Fidelis *est* Deus, per quem vocati estis in comunione filii ipsius Jesu Christi Domini nostri.

10 [y] Precor autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, [z] ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis [a] coagmentati eâdem mente & eâdem sententiâ.

11 [b] Declaratum est enim mihi de vobis, fratres mei, à domesticis Chloës, quòd lites sint inter vos.

12 [c] Hoc autem dico, singulos vestrum dicere, [d] Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, at ego Christi.

[a] a. Inscriptio epistolæ, in qua præcipuè captat Corinthiorum gratiam, ita tamen ut se Dei servum esse, non hominum, ubique meminerit.

[b] B. Si Apostolus, ergo audiendus, etiamsi acriùs interdum eos objurgarit, quum suam causam non agat, sed Christi mandata perferat.

[c] B. Sosthenem adjungit, ne duobus testibus sanciatur hæc doctrina.

[d] B. Ecclesia Dei est etiam quæ magnis vitiis laborat, modò admonentibus pareat.

[illegible] *Act.* 15.9. 1.*Thess.* 4.7.

[e] B. Vera definitio Ecclesiæ Catholica, quæ una est.

[f] Nos sanctificat Pater, à reliqua colluvie nos separat, donando nos Filio suo, ut ipse sit in nobis & nos in illo.

[g] *Rom.* 1.7. *ephes.* 1.1. *col.* 1.22. 2.*tim.* 1.9. *tit.* 2.3.

[g] Quos Deus pro gratuita sua benevolentia sibi segregavit, vel quos Deus ad sanctitatem vocavit: illa expositio fontem sanctificationis, hæc finem ostendit. [i] 2.*Tim.* 2.22. [h] Propriè invocare is dicitur, qui cum clamore Dei subsidium petit in periculo constitutus: per Synecdochen autem pro toto Dei cultu sumitur. Itaque invocare nomen Christi est Christum pro vero Deo agnoscere. [i] B. Fundamentum & vita ipsius Ecclesiæ Christus à Patre datus. [k] B. Damnaturus multa vitia, incipit à vera virtutum prædicatione, ne odio aut malevolentia impulsus posteà videatur ad objurgationes descendere: ita tamen ut omnia ad Deum auctorem referat, idq; in Christo, quo magis pudeat Corinthios sacra Dei dona profanare. [l] In omni re seu negotio. [m] B. Attingit illud nominatim quo præcipuè abutebantur. [n] Quum quamdiu hîc versamur, ex parte cognoscamus, & ex parte prophetemus, hæc universalis nota restringenda est ad præsentem fidelium conditionem. Ceterùm λόγον vocant non inanem loquentiam, sed sanctæ facundiæ donum, quo abutebantur Corinthii. [o] B. Verum istorum donorum usum in eo positum ostendit, ut ita illustretur Christi in ipsis potentia, ut posteà magis liqueat, quàm turpiter ad gloriam & ambitionem illis abutantur. [p] Donis illis egregiis Spiritus. [illegible] *Tit.* 2.13. *phil.* 3.20. [q] B. Obiter inquit causam non esse cur sibi tantoperè de receptis donis placeant, quum hæc nihil sint præ iis quæ sunt exspectanda. [r] Dum ea spectatis. [s] Loquitur de altero Christi adventu. [t] 1.*Thess.* 3.13. *&* 5.23. [s] B. Testatur se benè etiam in posterum de ipsis sperare, ut eo patientiùs ferant se posteà reprehendi: simul tamen ostendit, Dei unius opus esse, tum initium, tum etiam complementum nostræ salutis. [t] B. Ut sitis inculpati. Inculpatos autem vocat non quos nunquam quisquam culpârit, sed quos nemo possit meritò culpare, id est, eos qui sunt in Christo Jesu, in quibus nulla est condemnatio. Vide Luc. 1.6. [x] Verax & constans, nos non tantùm vocans, sed etiam nos ornans dono perseverantiæ. [illegible] 1.*Thess.* 5.24. [y] B. Absoluta præfatione ad rem ipsam accedit, ab obtestatione gravissima incipiens, quasi Christum ipsum, non Paulum loquentem sint audituri. [z] B. Prima pars hujus epistolæ, cujus scopus est, ad mutuam concordiam Corinthios, sublatis omnibus discordiarum causis, revocare. Prima igitur hæc pars est de tollendis schismatibus. Est autem schisma quum qui in doctrina alioquin consentiunt, tamen sese ab aliis sejungunt. [a] Compacti, ut totum quippiam quod suis omnibus partibus aptè inter se cohærentibus compactum est. [b] B. Incipit objurgationem ab occupatione, quoniam ex testibus idoneis intellexerat inter eos esse multas factiones. Simul autem aperit dissidiorum causam, quòd alii ab aliis doctoribus penderent, nonnulli verò etiam sibi ita essent addicti, ut omnes doctores negligerent, solius Christi se [illegible] doctoribus, [illegible]tes. [c] Quod vobis dictum volo, illud est. [d] *Act.* 18.24.

a. Prima ratio cur vitanda sint schismata, quoniam sic videtur dividi ac planè lacerari Christus, ut qui quum unus sit, non possit esse duorum separatorum ac dissidentium corporum caput.
e 2. Altera ratio est quòd non sine sacrilegii scelere sic pendeant ab hominibus, ut à Christo: quòd quidem faciunt qui quicquid aliquis dixerit, propter personam probant: sicut isti qui idem Evangelium ex unius ore acceptum probabant: ex alterius autem ore fastidiebant: adeò quidem ut factiones istæ ex doctorum nominibus appellarentur. Substituit autem suum ipsius nomen Paulus, non tantùm ne quemquam gravet, sed etiam ut ostendat se causam suam non agere.
f 3. Tertia ratio à baptismi formula, & fine desumta, qua nomen damus Christo invocato cum Patre & Spiritu Sancto. Itaque etiamsi quis à doctrina Christi non deficiat, tamen a certis doctoribus pendeat

13 d Num dispertitus est Christus? e num
Paulus crucifixus est pro vobis, f aut in nomen
Pauli baptizati fuistis?
14 g Gratias ago Deo meo quòd neminem
vestrum baptizaverim, nisi h Crispum & Gaium:
15 Ut nequis dicat me in meum nomen baptizasse.
16 Baptizavi autem etiam Stephanæ familiam: cæterùm haud scio num quem alium baptizaverim.
17 h Non enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut evangelizarem: i non *tamen* cum
k dicendi peritia, l ne inanis reddatur crux
Christi
18 m Nam sermo ille de cruce, iis quidem qui
pereunt, stultitia est: iis autem qui servantur, *id est*
nobis, n potentia Dei est.
19 o Scriptum est enim, p Abolebo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio.
20 Ubi sapiens? ubi p Scriba? ubi q disquisitor seculi istius? nonne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus?
21 r Nam postquam s in Dei sapientia t mundus non cognovit Deum per *istam* sapientiam,
u placuit Deo per x stultum præconium servare
credentes.
22 y z Quandoquidem & Judæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt:
23 Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò
stultitiam:
24 Ipsis autem vocatis, tum Judæis tum Græcis, Christum Dei potentiam ac Dei sapientiam,
25 Nam stultitia Dei sapientior est quàm homines: & infirmitas Dei validior est quàm homines.
26 a Videtis enim a vocationem vestram, fratres: vos *videlicet* non esse multos sapientes b secundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles.
27 Verùm quæ stulta *sunt* mundo, elegit

13 Numquid divisus est Christus? aut numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?
14 Gratias ago Deo meo, quòd neminem ex vobis baptizaverim, nisi Crispum & Gaium:
15 Nequis dicat quòd in nomine meo baptizaverim.
16 Baptizavi autem familiam Stephanæ: rursus autem haud scio num quemquam alium baptizaverim.
17 Non enim misit me Christus ad baptizandum, sed ad evangelizandum, non per sapientiam sermonum, ne inanis reddatur crux Christi.
18 Sermo enim crucis pereuntibus stultitia
est: nobis verò qui [10] servamur, virtus est Dei.
19 Scriptum est enim, Perdam sapientiam
sapientum, & vanam reddam intelligentiam intelligentium.
20 Ubi est sapiens, aut ubi est legisperitus? aut
ubi est disputator seculi hujus? [11] nonne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus?
21 Quia enim [12] per sapientiam Dei non
cognovit mundus per sapientiam Deum, voluit
Deus ut per stultitiam prædicationis [13] salvos
faceret eos qui credunt.
22 Nam Judæi signa quærunt, & [14] Gentiles
sapientiam petunt:
23 Nos autem prædicamus Christum crucifixum, *qui* scandalum Judæis, & Gentilibus stultitia est;
24 Eis autem qui vocati sunt tum Judæis tum
Gentilibus, Christus virtus est Dei & sapientia
Dei.
25 Quia stultitia ipsa Dei, sapientior est
[15] quàm filiorum hominis: & infirmitas Dei robustior est quàm [16] filiorum hominis.
26 Videte enim etiam vocationem vestram,
fratres mei, quòd non multi inter vos sunt sapientes secundùm carnem, neque multi inter vos
potentes, neque multi inter [17] vos nati genere
illustri.
27 Sed elegit Deus stultos mundi, ut pudefa-

9 Vel, In nomen meum, hoc est, Abusus fuerim baptismo ut mihi discipulos addicerem, tamquam doctrinę & baptismi auctori: & schisma studuerim in Ecclesiam inducere, cujus unum est caput, Christus.
10 Syrè, Vivimus.
11 Nonne ecce. Nota interrogandi, ut הֲלֹא ante explicata.
12 F. vel in sapientia Dei, id est, omnimodis illis documentis sapientię ejus, ex versu 25.
13 Syrè, Vivificaret.
14 F. Syrè, Aramæi sic deinceps. vide in Act. 20.21.
15 F. vel filiis hominis, simpliciter ac, sine ellipsi & ita sequente membro,
16 Subaudi Sapientia.
17 Ad verbum, Filii cognationis magnę. Hebraismus.

omni aliorum contemtu, fit Christi desertor: quoniam si Christum unum magistrum haberet, eum per quosvis docentem audiret. g 2. Profitetur se eo liberius de his rebus agere, quòd Dei providentia factum sit, ut sit extra omnem suspitionem, quasi discipulos aliis ereptos vellet sibi vindicare. Ex quo intelligere licet, non tantum discipulos, sed etiam multo magis doctores ipsos hic reprehendi, qui suos greges sibi separatim cogebant. f *Act.* 18.8. h 2. Occupatio, se non fuisse apud illos baptizandis multis intentum: minimè id tamen Baptismi contemtu, sed quoniam in doctrina tradenda præcipue occupatus, auditores assentientes committebat aliis quorum illi copia erat, baptizandos. Ita verò satis ostendebat quàm esset ab omni ambitione alienus, quum è contrario ii quos reprehendit, quasi sibi non Christo discipulos congregarent, de quamplurimis à se baptizandis ambitiosè laborarent. g *Joan.* 21.1. & 4. & 13. 2. *Pet.* 1.16. i 2. Jam se convertit ad doctores ipsos sibi in splendida & ambitiosa facundia placentes, quò plures discipulos allicerent. Illis igitur non dissimulat se fuisse dissimilem, suum exemplo Apostolica gravitate opponens perversis illorum judiciis. Est ergo alter hic locus hujus Epistolæ, de pia simplicitate in docendo Evangelio, tum in sententiis, tum in verbis observanda. k Oratoria facultate, hanc autem à se non modò ut non necessariam removet, sed etiam ut Apostolicæ facultati omnino prorsus contrariam: suam tamen habuit Paulus dicendi facultatem, sed eam divinam, non humanam, & à fucatis illis coloribus puram. l 2. Ratio cur illa verborum pompa, & orationis pigmentis non sit usus, nempe quòd Deus ea demum ratione voluerit mundum sibi subjicere, ex qua intelligerent homines quantumvis stupidi, opus hoc peragi à Deo ipso absque hominum artificio. Itaque sicut proponitur in Evangelio salus per crucem Christi, qua nihil est neque contemtibilius, neque à viri remotius, ita etiam ipsam crucis prædicandæ rationem voluit Deus prorsus quàm diversissimam esse ab iis quibus solent homines ab hominibus ad aliquid audiendum & credendum allici: ideoq; quadam sapientissimæ stultitiæ specie voluit de mundana illa stultissima sapientia triumphare, sicut se facturum per Esaiam prædixerat. Hinc autem colligendum est, tum doctores illos ambitiosa eloquentia turgidos, tum etiam illorum admiratores quàm longissimè à scopo suæ vocationis aberrasse. m Sermo de crucifixo, vel genus orationis quo utimur in annuncianda vobis salute per Christi crucifixi mortem. l *Rom.* 1.16. n Illud in quo mirificam vim in suis servandis electis declarat. quæ quidem ita non emineret, si ab aliquo humano præsidio penderet. Sibi enim homo tribueret, quod unius crucis proprium est. o 2. Non modò probat Apostolus novum hoc non debere videri, quum fuerit tanto antè tempore prædictum, sed etiam declarat Deum sic solere arrogantiam mundi punire, qui sibi placeat in sua sapientia: ac proinde inane esse atque adeò evanidum, & à Deo tamquam inutile rejici, quòd unum isti tantopere curabant. l *Esa.* 29.14. p Ubi es, ò literate, & terendis libris exercitate? q O tu qui in hujus mundi arcanis perscrutandis & acutissimis quibusque quæstionibus explicandis omnem ætatem consumis. insultat autem hominibus hujus seculi, quorum ne unus est qui hoc arcanum suspicari potuerit. r 2. Ostendit dignam fuisse hominum arrogantiam, quam Dominus ita traduceret, ut qui in sapientiæ mundi clarissimo speculo (id est, mundi opificio) noluerint Deum contemplari sicut par erat. s In hac mundi fabrica, in qua singularis illa sapientia Dei insculpta est, & omnium oculis exposita. t Omnes homines non regenerati, sed cujusmodi sunt quum in hanc lucem prodeunt. u 2. Mira Dei bonitas, sic mundi arrogantiam punientis, ut ejus saluti nihilominus consulat, docens videlicet homines stultescere, ut Deo sapiant. x Sic vocat crucis prædicationem ex adversariorum hypothesi, interim adversarios gravissimè reprehendens, qui malint Deo talia affingere, quàm suam & agnoscere & deprecari stultitiam. y 2. Explicatio ejus quod dixerat prædicationem Evangelii stultam esse. Stulta est, inquit, hominibus, quos Deus nova luce non donavit, id est, omnibus in sese consideratis. Judæi enim requirunt miracula, & Græci argumenta quæ ratione sua possint comprehendere: ideoque Evangelio non modò non credunt, sed etiam illud irrident. Nihilominus tamen in ista stulta prædicatione inest summa Dei virtus ac sapientia, sed quam soli vocati percipiant: Deo manifestè demonstrante, sese tum quoque quum illum planè stultum esse insani homines judicant, ipsis esse longè sapientiorem: & quum infirmissima quædam adhibet, omne eorum robur superare, sicut in Evangelicæ prædicationis fructu apparuit. z *Matt.* 12.38. a 2. Confirmatio ex iis ipsis petita quæ Corinthi evenerant, ubi Ecclesia ex ignobilibus & plebeiis magna ex parte constabat: ut Græcis philosophis ad pudorem adigi necesse esset, quum viderent se sua sapientia & eloquentia nihil prorsus agere præ Apostolis, quos tamen idiotas & indoctos vocabant. Simul autem Apostolus hoc modo fastum eorum dejicit. Neque enim eos Deus prætulerat nobilibus & sapientibus illis ut superbirent, sed ut in Domino gloriari vel inviti cogerentur, ex cujus misericordia, & sapientiam istam & omnia ad salutem necessaria, ipsi omnium etiam abjectissimi essent in Christo adepti. a Quam rationem sit secutus Dominus in vobis vocandis. b Eo sapientiæ genere quod unum hominibus probatur, qui quum carnales sint spiritualem sapientiam non norunt.

Deus ceret

18 Ad verbum, Quorum cognatio est parva.
19 Hoc est, Ita despectos ut nullius sunt nominis aut numeri, ac si non essent.
20 F. Syrè, omnis caro, ex Hebræa & Syra phrasi.
21 F. vel ut is qui gloriatur, &c.

ceret sapientes; & elegit infirmos mundi, ut pudefaceret potentes.
28 Et elegit eos [18] quorum genus est tenue in mundo, & despectos, & [19] eos qui non sunt, ut aboleret eos qui sunt:
29 Ut non glorietur [20] ulla caro coram eo.
30 Vos autem quoque ex ipso estis in Jeschua Christo, qui factus fuit nobis sapientia à Deo & justitia, & sanctificatio & redemtio.
31 Sicut scriptum est, [21] Quòd is qui gloriatur, in Domino glorietur.

Deus ut pudefaciat sapientes: & quæ *sunt* infirma mundo, elegit Deus, ut pudefaciat robusta:
28 Et quæ ignobilia sunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus, & [c] ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt [d] aboleat:
29 Ut ne glorietur ulla [e] caro coram eo.
30 [f] Sed ex ipso vos estis in Christo Jesu, [g] qui factus est nobis sapientia à Deo, justitiaq; & sanctificatio, & redemtio:
31 Ut *fiat* sicut scriptum est, [I] [h] Qui gloriatur, in Domino gloriator.

[c] Quæ penè nullius sunt hominum judicio.
[d] Vana & inutilia atque adeò nihili esse ostendat. Vide Rom. 3.31.
[e] Caro ut aliàs, sæpè pro homine, significanter autem utitur carnis nomine, ut infirmam & miserabilem hominis cōditionem Dei majestati opponat. [f] Quos dejecerat, eos suprà omnes mortales evehit, ita tamen ut eorū omnem dignitatem ostendat extra ipsos, id est, in Christo residere, idq; ex Deo. [g] 2. Evangelium minimè omnium esse contemnendum docet, quum res omnium maximas contineat, veram nimirum sapientiam, veram justitiæ consequendæ rationem, veram sanctæ & honestæ vitæ viam, veram denique ab omnibus miseriis & calamitatibus liberationem. [I] Jer. 9, 24. [h] Deo omnia tribuat cum gratiarum actione. hoc autem loco refellitur liberum arbitrium, quale somniant Sophistæ.

CAPUT II.

1 Prædicationem suam in exemplum adducit, 4 humanitùs quidem abjectam, 7. 13 spirituali tamen virtute insignem, 14 Tandem concludis carnis judicio non posse æstimari.

1 Syrè, Sermonem magnificum.

2 Hebraismus, id est, Quibus humana sapientia sese ostentat ac venditat.
3 F. vel in sapientia humana, sed in virtute Dei. atque hoc fortasse meliùs.
4 Hoc est, Apud se tamquam preciosum thesaurum seposuerat ab æterno, suo demum tempore patefaciendam.

5 Conjunctio Quòd, protelativo Quæ.

ET ego, fratres mei, quum venirem ad vos, non per [1] magniloquentiam, neque sapientiam prædicavi vobis mysterium Dei.
2 Neque judicavi meipsum inter vos, quasi aliquid scirem, nisi Jeschua Christum, *ac* etiam hunc crucifixum.
3 Et ego in timore magno & tremore fui apud vos.
4 Et sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasione [2] sermonum sapientiæ, sed in demonstratione Spiritus & virtutis:
5 Ne esset fides vestra [3] per sapientiam filiorum hominis, sed per virtutem Dei.
6 Sapientiam verò loquimur inter perfectos: Sapientiam *inquam* non mundi hujus, neque dominatorum mundi hujus qui abolentur:
7 Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ recondita fuerat, & [4] priùs segregaverat eam Deus antè secula ad gloriam nostram.
8 Quam ne unus quidem ex dominatoribus hujus mundi cognovit. Si enim cognovissent eam, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.
9 Sed *prædicamus* sicut scriptum est, Quod oculus non vidit, & auris non audivit, & super cor filii hominis non ascendit, quod *scilicet* præparavit Deus iis qui diligunt ipsum.
10 Nobis autem illud revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda ipsius Dei.
11 Quis est enim filius hominis qui sciat ea quæ sunt in filio hominis, nisi spiritus filii hominis qui est in eo? Sic etiam quæ sunt in Deo nemo novit, nisi Spiritus Dei.
12 Nos autem nequaquam spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus [5] quòd dona à Deo data sunt nobis:

EGo [a] igitur quum venirem ad vos fratres, [I] veni non cum eminentia facundiæ aut sapientiæ, annuncians vobis [b] testimonium Dei.
2 Non enim [c] statui quicquam scire inter vos nisi Jesum Christum, eumq; crucifixum.
3 [I] Sed fui ego cum [d] infirmitate & timore ac tremore multo apud vos.
4 Neque oratio mea & præconium meum *versatum est* [I] in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, [e] sed in [f] demonstratione spirituali & potente.
5 [g] Ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei.
6 [h] Sapientiam verò loquimur inter [i] adultos: sapientiam autem non seculi hujus, neque [k] principum seculi hujus qui abolentur:
7 [l] Sed loquimur sapientiam Dei *latentem* [m] in mysterio, *id est*, occultam illam, [n] quam præfinierat Deus ante secula ad gloriam nostram.
8 [o] Quam nemo principum seculi hujus cognovit. nam si cognovissent, nequaquam [p] Dominum gloriæ crucifixissent.
9 [q] Sed *prædicamus*, sicut scriptum est, [I] quæ oculus non vidit, nec auris audivit, [r] nec in mentem hominis venerunt: quæ paravit Deus iis à quibus ipse diligitur.
10 [s] Nobis autem Deus *ea* retexit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia [t] scrutatur, etiam profunditates Dei.
11 [u] Quis enim hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi [x] spiritus hominis qui est in eo? ita etiam ea quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei.
12 Nos verò non [y] spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui *est* ex Deo: [z] ut [a] sciamus quæ Deus est nobis gratificatus:

[a] 2. Redit ad vers. 17. superioris capitis, id est, ad sui ipsius exemplum, concedens se neque grandiloquentia, neque humanæ sapientiæ argumentis apud eos usum esse, imò verò maxima cum simplicitate sermonis, abjectum, & humilem secundùm carnem, unum Christum crucifixum apud eos nosse & prædicasse.
[I] Sup. 1. 17.
[b] Evangelium.
[c] Non decreveram profiteri inter vos aliam cognitionem quàm Christi & quidem crucifixi.
[I] Act. 18. 1.
[d] Infirmitatem opponit eminentiæ sermonis, ideò conjungit timorem ac tremorem veræ modestiæ comites, non illos quibus perterrefiat. eloquentia, sed qui vanitati & arrogantiæ opponuntur.
[I] Sup. 1. 17. 2. Pet. 1. 16.
[e] 2. Quòd adversariis concesserat, jam in sui ministerii commendationem retorquet, cujus virtus optimè ipsis perspecta, tanto videlicet illustrior erat quanto magis constabat nullum mundi adminiculum intervenisse. [f] ἀποδείξεως nomine utitur, quo significatur probatio, quæ fit certis & necessariis rationibus. [g] 2. Admonet Corinthios id ita factum esse magno ipsorum bono, ut qui hoc modo cæleste esse Evangelium manifestè perspicere potuerint. Itaque tacitè eos objurgat quòd ostentationem quærentes, maximo fidei adminiculo sese ultrò privarent. [h] 2. Aliud argumentum sumtum à natura rei, id est, Evangelii, quòd sit vera sapientia, sed solis perfectionis studiosis cognita: is verò nihil sapiat, qui in mundo alioqui excellunt, sed vana & caduca excellentia. [i] Perfectos vocat non eos qui jam sint perfectionem adepti, sed qui ad illam contendunt, ut Philip. 3. 15. ut perfectum infirmo opponat. [k] Eorum qui inter homines, vel sapientia vel opibus ac potentia cæteris præstant. [l] 2. Causam reddit cur hæc sapientia ab excellentibus illis mundanis ingeniis non perspiciatur, quoniam videlicet re vera tam sublimis est ut eò usque penetrare non possint. [m] Quam homines ne suspicari quidem potuissent. [n] 2. Occurrit objectioni, Si tam abstrusa, quando & quomodo tandem cognita? Deus, inquit, eam apud se ab æterno definiit, quam hoc tempore ex suis arcanis ad hominum salutem depromeret. [o] 2. Alia occupatio, Quomodo igitur hæc sapientia à primariæ auctoritatis hominibus ita repudiata est, ut etiam Christum crucifixerint? Respondet Paulus, Quia Christū qualis erat non cognoverant. [p] Potentem illum Deū vera gloria ac majestatis plenum: continet autem hic locus apertissimū testimonium divinitatis Christi, & unionis naturarū, quæ talis est, ut quod propriū est humanitati, divinitati tribuatur in cōcreto, quem tropum cōmunicationem proprietatū vocârunt. [q] 2. Rursus objicitur, Sed qui fieri potuit, ut acuti illi homines istam sapientiam non perspicerent? Respondet Paulus, Quia prædicamus quæ omnem humanum captum superant. [I] Esa. 64. 4. [r] Ne cogitare quidem ea potest homo, tantùm abest ut ea possit sensibus complecti. [s] 2. Quæstio, Si captum hominum superat, quomodo à quoquam homine intelligi, nedum à vobis declarari potest? Ex peculiari inquit, per Spiritum Dei, illuminatione, à quo quisquis afflatus est, penetrat usque ad illa Dei arcana. [t] Nihil in Deo tam profundè abditum, quo non penetret Spiritus. [u] 2. Similitudine illustrat quod de afflatu Spiritus dixerat, Sicut vis humani ingenii res humanas pervestigat, sic mens nostra vi illa Spiritus divini freta res divinas intelligit. [x] Mens ipsius hominis, intelligendi & judicandi facultate prædita. [y] Non sumus afflati spiritu, qui res hujus mundi docet, sed eo qui nos ad Deum subvehat. hic locus docet adversus Sophistas quid sit fides, unde promanet, quæ sit illius vis. [z] Quod in genere dixerat, jam ad ea restringit quæ nobis Deus de salute nostra in Christo gratificatur, nequis Spiritum Dei à prædicatione Verbi & Christi sejungat: vel fanaticos illos putet Spiritu Dei regi, qui extra verbum vagantes, suas speculationes pro Dei arcanis obtrudunt. [a] Scire hic propriè sumitur: ea enim vera est scientia, qua à Spiritu Dei sumus persuasi.

a Sup.1.17. 2.Pet.1.16.
b 2. Jam ad institutum redit, & concludit argumentum quod cœperat vers.6. est autem ejusmodi, Verba sunt rebus accommodanda, & res verbis convenientibus explicandæ: est autem ista sapientia spiritualis, non humana: spirituali igitur quodam docendi genere tradenda est,

13 [l][b] Quæ etiam loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, spiritualia cum iis quæ spiritualia sunt [c] conjungentes.

14 [d] Animalis autem homo [e] non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia, nec potest *ea* cognoscere, quia [f] spiritualiter dijudicantur.

15 [g][l] At spiritualis [h] dijudicat quidem omnia, ipse verò [i] à [k] nemine dijudicatur.

16 [l][l] Quis enim novit mentem Domini, qui [m] instructurus sit eum? nos autem [n] mentem Christi habemus.

13 Quæ etiam loquimur, nequaquam per doctrinam sermonum sapientiæ filiorum hominis, sed per doctrinam Spiritus: & spiritualibus spiritualia comparamus.

14 Filius enim hominis [6] qui in anima est, non percipit spiritualia: stultitia enim sunt ei, & non potest cognoscere, quòd per Spiritum dijudicatur.

15 Spiritualis autem omnia dijudicat, & ipse à nemine dijudicatur.

16 Quis enim novit mentem Domini ut instruat eum? Nobis autem mens est Christi.

6 i. Animalis, qui tantùm ex proprio sensu & ingenio sapit.

non humanæ illius eloquentiæ sermonibus, ut simplex quidem illa, sed incredibilis Spiritus majestas ibi eluceat. [c] Verba Dei accommodantes, nempe sicut spiritualia sunt quæ docemus, sic spirituale sit docendi genus. [d] 2. Rursus occurrit offendiculo, quòd fiat ut ista tam pauci approbent. Hoc verò mirum videri non debere respondet Apostolus, quum homines in suis (ut vocant) naturalibus, non sint prædit ea facultate, qua res spirituales dignoscuntur (quæ facultas est adventitia) ideoq; sapientiam spiritualem habeant pro stultitia. Hoc autem perinde est ac si diceret, mirum non esse cæcos non judicare de coloribus, quum oculorum luce careant, ac proinde lux sit illis pro tenebris. [e] Non novit enim nisi ea quæ sunt hominum. [f] Vi spiritus sancti. [g] 2. Amplificatio à contrariis. [l] Pro.27.19. [h] Intelligit ac discernit. [i] 2. Carnis sapientia, inquit Paulus, nihil certi, ne in suis quidem rebus constituit, nedum ut aliena, id est, spiritualia, discernat: Spiritus autem Dei quo prædit sunt spirituales, falli nullo modo potest, ac proinde à nullo redargui. [k] Homine: quum autem à Prophetis Prophetæ judicantur, judicium est Spiritus, non hominis. [l] 2. Ratio superioris dicti: Quia spiritualis dicitur, qui ex vi Spiritus didicit quod Christus nos docuit. Jam verò si quod ex illo magistro didicimus, posset ab alio redargui, eum oporteret esse ipso Deo sapientiorem. Ex hoc autem consequitur, non tantùm ineptos esse, sed etiam impietatis reos, qui putant se vel perfectius quippiam posse comminisci, vel meliore aliqua ratione docere posse sapientiam Dei, quam ii sciverint aut docuerint, quos certum est illo Spiritu Dei fuisse præditos. [l] Esa.40.13. Sap.9.13. Rom.11.34. [m] Collatis consiliis edocturus quid ei sit agendum. [n] Christi spiritu sumus præditi, qui nobis illa arcana alioquin inscrutabilia, omnemq; adeò veritatem patefecit.

CAPUT III.

1 *Ratione reddita doctrinæ suæ humilis, 4 docet quo loco habendi sint ministri: 6 quod munus, 10 quæ vera ædificandi ratio. 16 Monet Corinthios ne patiantur animas suas profanari, 18 superba carnis sapientia.*

a 2. Explicata sapientiæ divinæ (id est Evangelicæ) dignitate, & damnata universaliter humanæ mentis cæcitate, tandem hoc Corinthiis specialiter applicat, carnales eos appellans, id est in quibus adhuc caro spiritui prævaleret. Affert autem duplex ejus rei testimonium: unum, quòd tales eos esset expertus, adeò ut cum eis non aliter quàm cum rudibus & penè in pietatis doctrina infantibus egisset: alterum quòd reipsa ostenderunt ex istis factionibus, ignorantia virtutis Spiritus & divinæ sapientiæ excitatis, sese parum admodum profecisse.
b Carnales vocat, qui sunt adhuc rudes: addit enim exegeticè, infantes.
c Solido cibo.
d Ut vos solido cibo pascerem: ut igitur adolescebant Corinthii, ita eos aluit Apostolus, initio lacte, post autem solido cibo, quæ non re, sed tradendi modi differebant.

EGo [a] porrò, fratres, non potui loqui vobis ut spiritualibus, sed *loquutus sum* ut [b] carnalibus, *id est* ut infantibus in Christo.

2 Lactis potu vos alui, & non [c] esca: nondum enim [d] poteratis *id ferre*: imò ne nunc quidem adhuc potestis.

3 Nam adhuc carnales estis: quum enim inter vos *sint* livor & contentio, & dissidia, nónne carnales estis, & [e] secundùm hominem inceditis?

4 Etenim quum dicit aliquis, Ego quidem sum Pauli: alter verò, Ego *sum* Apollo: nónne carnales estis?

5 [f] Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique Dominus dedit?

6 [g] Ego plantavi, Apollos rigavit: sed Deus dedit incrementum.

7 Itaque neque is qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed Deus, qui dat incrementum.

8 Is verò qui plantat, & is qui rigat, unum sunt: [l] unusquisque verò suam mercedem accipiet secundùm suum laborem.

9 Etenim Dei sumus [h] administri: Dei arvum, Dei ædificium estis.

10 Secundùm gratiam Dei quæ data est mihi, ut peritus architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. [i] Porrò quisque videat quomodo superædificet.

11 [k] Nam fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus.

ET ego fratres mei, non potui loqui vobiscum tamquam cum spiritualibus, sed tamquā cum [1] corporeis: & tamquam infantibus in Christo.

2 Lac præbui bibendum vobis, & non dedi vobis [2] cibum: non enim adhuc poteratis, sed nec etiam nunc [3] potestis.

3 Adhuc enim in carne estis. Quum enim sit in vobis æmulatio, & contentiones & dissidia, [4] annon corporei estis, & secundùm carnem ambulatis?

4 Quum enim dicat [5] unusquisque ex vobis, Ego Pauli sum: & alius dicat, ego Apollo sum, [6] nónne corporei estis?

5 Quis enim est Paulus, aut quis est Apollo, nisi ministri [7] per quorum manus credidistis? & [8] unusquisque prout ei dedit Dominus.

6 Ego plantavi, & Apollo rigavit, sed Deus crescere fecit.

7 Non igitur is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat, sed Deus qui crescere facit.

8 Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt: quisque secundùm laborem suum mercedem suam accipiet.

9 Cum Deo enim operamur: & opus Dei & ædificium Dei vos estis.

10 Et juxta gratiam Dei quæ data est mihi, posui fundamentum tamquam architectus [9] sapiens: alius autem super ipsum ædificat. Quisque autem videat quomodo ædificet super illud.

11 Fundamentum enim aliud præter hoc quod positum est, nemo potest ponere, quod est Jeschua Christus.

1 Id est Carnalibus. Nam caro & corpus apud Hebræos confunduntur.
2 Ex oppositione lactis restringitur ad cibum solidiorem.
3 Hebraismus, cujus exemplum habes Jes.1.13. & aliis locis. Subauditur [illegible] Ferre.
4 Syrè, Non ecce. Hebraismus.
5 F. vel quisquam ex vobis.
6 Syrè, Non ecce. Hebraismus.
7 Id est, Quorum ministerio & opera. Hebraismus tritus.
8 F. Vel unicuique prout dedit Dominus.
9 Heb. propeito

[e] Juxta humani judicii normam. [f] 2. Ubi satis multis rationibus tum ambitiosos doctores, tum stultos eorum admiratores reprehendit, jam quo loco habendi sint veri ministri Verbi ostendit, ut neque plus neque minus eis tribuatur, quàm par sit. Docet igitur eos quidem esse per quos ad fidem & salutem abducamur, sed ut Dei ministros, & ita quidem ut per se nihil efficiant, sed Deo in ipsis, prout visum est eos donis instruere, sic etiam operante. Non est igitur quis minister loquatur, sed quid dicatur attendendum: & ab eo pendere nos oportet, qui per suos servos loquitur. [g] 2. Duplici similitudine illam sententiam illustrat: primùm comparans cœtum fidelium arvo, quod Deus servorum opera satum & rigatum fœcundet: deinde ædificio, quod exstruat quidem Dominus, sed suorum operariorum manibus: quorum aliis in jaciendo fundamento, aliis in componendo ædificio utatur. Utraque autem similitudo huc spectat, ut doceat unius Dei auctoritate & vi in solidum omnia perfici, ut sit in eum unum propriè respiciendum. Deinde quamvis Deus quibusdam in præstantiore aliqua operis parte utatur, non tamen propterea alios esse præ aliis negligendos, ac multo minùs esse disjungendos (sicut à factiosis istis fiebat) quum omnes uni Domino operam navent, & ita quidem ut uni & eidem operi perficiendo, quamvis dispari operandi ratione inserviant, adeò ut alter alterius ope & subsidio egeat. [l] Psal.62.12. Gala.6.5. [h] Subservientes: administri autem nec vi sibi à natura ipsis insita agunt, sed ex gratia donata, qua fiunt idonei. Infrà 15.10. & 2.Cor.3.6. augmentum autem omne, ita manare à Deo, ut nihil inde laudis ad administrum redire possit. [i] 2. Jam ipsos doctores alloquitur, suos in Ecclesia Corinthiaca successores, & in eorum persona omnes quicumque posteà fuerunt, sunt, vel erunt Ecclesiarum pastores, quum in laborem plantatorum & architectorum Apostolorum successerint. Monet igitur primùm, ne putent sibi licere suo aliquo modo ædificare, id est, aliquid vel reipsa, vel docendi genere diversum ab architectis Apostolis, in Ecclesia proponere. [k] 2. Deinde quod sit hoc fundamentum ostendit, nempe Jesum Christum, à quo illis non liceat vel tantillùm deflectere in ædificii structura.

12 Siquis autem ædificat super hoc fundamentum aurum, [10] aut argentum, aut lapides pretiosos, aut ligna, aut fœnum, aut stipulam,

13 Opus uniuscujusque manifestum fit: dies enim ipse manifestat illud: quia per ignem manifestatur. Et opus uniuscujusque, sicut est, ignis discernet.

14 Et is cujus permanserit opus, [11] ipse qui ædificat, mercedem suam accipiet:

15 [12] Et cujus opus exustum fuerit, deficiet: ipse autem servabitur, ita tamen ut qui ab igne *servatur.*

16 Ignoratis vos quòd templum estis Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis?

17 Qui destruit templum Dei, destructurus est eum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quòd estis vos.

18 Nemo decipiat seipsum qui putat inter vos quòd sapiens sit in mundo hoc, fiat stultus, ut fit sapiens.

19 Sapientia enim mundi hujus, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim, [13] Quòd comprehendit sapientes in astutia ipsorum.

20 Et rursus, Dominus novit cogitationes sapientum, quòd vanæ sunt.

21 Propter hoc nequis glorietur in filiis hominis: cuncta enim vestra sunt.

22 Sive Paulus, sive Apollo, sive Cipha, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia, *inquam* vestra sunt.

23 Et vos, Christi: & Christus, Dei.

[10] Aptè implet contextum Græcum addita distinguendi particula.

[11] v. vel quod ædificaverit, Græco convenientius.

[12] Et pro At.

[13] v. vel qui deprehendit.

12 [l] Quòd siquis superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam:

13 [m] Cujusque opus manifestum fiet: dies enim declarabit: nam per ignem retegetur: & cujusque opus quale sit, ignis probabit.

14 Sicujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet:

15 Sicujus opus exustum fuerit, damnum faciet: [n] ipse verò servabitur, ita tamen ut per ignem.

16 [o] [l] An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?

17 Siquis templum Dei [p] violat, hunc perdet Deus: nam templum Dei sanctum est, quod estis vos.

18 [q] Nullus seipsum seducat: siquis, *sibi* videtur esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat ut fiat sapiens.

19 Sapientia enim mundi hujus, stultitia *est* apud Deum, scriptum est enim, [l] [r] Carpit sapientes in versutia ipsorum.

20 Et rursum, [l] Dominus novit cogitationes sapientum esse vanas.

21 [f] Itaque nullus [t] glorietur in hominibus; omnia namque [u] vestra sunt:

22 Et Paulus, & Apollos, & Cephas, [x] & mundus, & vita, & mors, & præsentia, & futura; omnia *inquam* vestra sunt:

23 Vos autem Christi: Christus verò Dei.

l Id est, Tantò, Cæ... fundamento ... superficies ... admonitiones, exhortationes, & quicquid ad ædificationem gregis facit, solidæ Christi doctrinæ respondent, tum in materia, tum in forma: cujusmodi doctrina auro, argento, & gemmis comparatur: ut quæ etiam ... Esaias, & Johannes in Apocalypsi, cœlestem civitatem fabricent. Huic autem opponuntur ligna, fœnum, stipulæ, i. curiosæ & futiles quæstiones vel ... itemque tota illa docendi ratio ad ostentationem composita. Nam falsæ doctrinæ, de quibus hic non agit, ... ut propriè fundamento, nisi ...

[illegible] Testatur, quod etiam res ipsa declarabit, non ... nes esse probos ædificatores, ne eos quidem qui vero & uni illi fundamento insistunt: sed hoc opus malorum ædificatorum (inquit) ut ad tempus perstet, tamen non semper fallet ... tenebris, quale illud sit aperiet ... sint necesse, ita etiam Dominus suo tempore, Spiritus & Verbi sui ... omnia explorabit, ac proinde fiet ut quæ pura & solida inventa fuerint, ita ... perdurent cum opificis laude ... opificis ... sibi ... placebat. [n] ... Non adimit spem salutis imperitis & ineptis ædificatoribus qui fundamentum retinent, cujusmodi erant isti rhetores potius quam pastores Corinthii: sed addit exceptionem, opportere nihilominus ipsos ... jacturam. [o] ... Persistit in ædificii metaphora, docens non modò ... inde ad istos ambitiosos ... Dei templum ... Ecclesiam esse istud templum Dei, quod ipse ... Spiritu consecrarit. De... Dei doctrinæ & puritatis Ecclesiæ ... [illegible] ... [q] ... A contrariis colligit eos demum puram sapientiam in templo Dei profiteri, qui humana illa omnia repudiant: quòd si à mundo rideantur, ... esse debere, quòd ex Dei sapientia sapiant. [l] Job. 5. 13. ... tamen Dominus capiet ... [t] Redit ad propositionem versus ... judices monens, ne ... Deus constituit salutis ipsorum non dominos ... habeant, quod si faciunt qui ... pendent, ... à Domino per eos ... [t] Sibi placere. [u] Adminicula vobis destinata. [x] ... A personis ad res ipsas transit, ut majus sit pondus argumenti. Imò etiam à Christo ad Patrem ascendit, ut doceat in ipso etiam Christo, quatenus homo est, nos idcirco acquiescere, quia nos ad patrem usque subvehit, sicut ipsemet Christus ubique ... missum à Patre, ut hoc vinculo cum ipso Deo una ... devinciamur.

CAPUT IIII.

1 *Descriptione veri Apostoli adducta,* 7 *humilitatis speciem honori sibi magis esse debere quàm probro docet.* 9 *Signo proferre* [illegible] *nec gloriæ,* [illegible] *ad finem, Timotheum commendat.*

SIc simus reputati vobis ut ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

2 Cæterùm jam requiritur in dispensatoribus, ut quisque fidelis inveniatur.

3 Mihi autem hoc minimum est, [1] mihi ut à vobis judicer, aut ab alio filio hominis: sed neque ego me ipsum judico.

4 Nulla enim re in anima mea [2] compungor: sed non per hoc justificatus sum: judex enim meus, Dominus est.

5 Propter hoc ne ante tempus sitis judices, usque dum venerit Dominus ipse, qui illuminabit occulta tenebrarum, & revelabit cogitationes cordium: tunc erit laus unicuique à Deo.

[1] Hoc dubium relatum ...

[2] v. vel. conscius sum ego.

SIc [a] de nobis reputet [b] homo ut de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei.

2 Quod superest autem, illud requiritur in dispensatoribus ut quis fidus reperiatur.

3 [c] Mihi verò pro minimo est quòd à vobis dijudicer, [d] aut ab humano judicio: [e] imò nec ipse me dijudico.

4 Nullius enim rei mihi conscius sum: sed non per hoc justificatus sum: [f] Dominus autem is est qui me dijudicat.

5 [l] Proinde ne ante tempus quicquam judicate, *id est*, usquedum venerit Dominus, qui illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium: ac tunc [g] laus erit unicuique à Deo.

a In Corinthios ... ministros ... pro dominis ... Christo, missos ... inquam, ut ex eorum veluti manu thesaurum illum salutis ex arcanis Dei depromtum accipiant.

b Quisquis.

c ... longè ...

ut servos, & quidem ... coram Domino ... dispensationis ratio. [c] ... Quoniam sese proposuerat pro exemplo, cæteros reprehendens, ... utitur occupatione: & graviter Apostolica fretus ... de se illorum judicia, à quibus ut homo abjectus habebatur, quod ... illius splendoris habeant ... sensu, non majoris est ... [d] Ad verbum, ab humano die ... in Cilicum ... [e] ... Secundò, inquit ... vos quanti sim vel non sim ... quàm vobis, atque adeò qui bona conscientia in ... nere me versatum esse ... Scio enim me nihilominus ... vestri placeas. [f] Solus ... qui norit cordis latebras quæ sæpissimè homines fallunt. Vestrum itaque hoc judicium non est. [l] Mat. 7. 1. Rom. 2. 1. [g] Laudari præ cæteris ...

6 [1] Hæc autem, fratres, figurâ quadam transtuli ad meipsum & Apollo, propter vos: ut in [m] nobis discatis, supra id quod scriptum est, non sapere: ut ne alius pro alio inflemini adversus alium.

7 [n] Quis enim te *ab alio* discernit? quid autem habes quod non receperis? quod si etiam accepisti, quid gloriaris [o] quasi non acceperis?

8 [p] Jam saturati estis, jam ditati estis, absque nobis regnum adepti estis: atque utinam sanè regnum adepti sitis, ut & nos vobiscum regnemus.

9 Deus enim, puto, nos, ultimos Apostolos, spectandos proposuit, ut morti addictos. [q] Nam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus.

10 Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem validi: vos gloriosi, nos ignominiosi.

11 Ad hoc usque tempus & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus:

12 [r] Et laboramus, operantes propriis manibus: conviciis affecti, benè precamur: persequutionem patientes, sustinemus.

13 [s] Infamati precamur: tamquam [t] purgamenta mundi facti sumus, & *tamquam* omnium sordes nunc usque.

14 [u] Non ut vos pudore suffundam, hæc scribo, sed ut filios meos dilectos admoneo.

15 Nam etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, at non multos patres *habetis*, in Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui.

16 Precor vos igitur, imitatores mei estote.

17 Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam revocabit [x] quæ sint viæ meæ in Christo, sicut ubique in omnibus Ecclesiis doceo.

18 [y] Cæterùm perinde quasi ego non sim venturus ad vos, inflati sunt quidam.

19 Sed veniam brevi ad vos, [z] si Dominus voluerit, & cognoscam non [7] verba istorum qui inflati sunt, sed *spiritualem* potestatem.

20 Non enim in verbis *situm est* regnum Dei, sed in *Spiritus* virtute.

21 [a] Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an cum charitate & [b] spiritu lenitatis?

6 [3] Hæc autem, fratres mei, propter vos proposui [4] sub exemplo meo, & Apollo, ut in nobis disceretis ne [†] cogitaretis plusquam quod scriptum est: & nequis adversus socium suum extollatur propter *alium* hominem.

7 Quis enim discernit te? Aut quid est tibi quod non accepisti? [5] &, si accepisti, cur gloriaris tamquam is qui non acceperis?

8 Jam [6] saturati estis, & ditati estis, & absque nobis regnum adepti estis. utinam autem regnum adepti sitis, ut etiam nos regnemus vobiscum.

9 Arbitror autem quod nos Apostolos novissimos, posuit ipse Deus velut ad mortem: quia sumus spectaculum mundo, Angelis, & filiis hominis.

10 [7] Nos stulti propter Christum, vos autem sapientes in Christo: nos infirmi, [8] & vos robusti: vos gloria afficimini, & nos ignominia afficimur.

11 Usque ad hanc horam esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & habitatio firma non est nobis:

12 Et laboramus operantes manibus nostris: ignominia afficiunt nos, & benedicimus: persequuntur nos, & sustinemus:

13 Conviciantur nobis, & [9] supplices sumus eis, tamquam rejectamenta hujus mundi sumus, & piaculum omnis hominis usque nunc.

14 Nequaquam ut pudefaciam vos, scribo hæc, sed tamquam filios dilectos erudio.

15 Quamvis enim myrias [10] monitorum sit vobis in Christo, tamen non sunt multi patres: in Jeschua Christo enim ego genui vos per [11] prædicationem.

16 Peto igitur à vobis ut mei similes fiatis.

17 Propter hoc misi ad vos Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino, ut ipse in memoriam reducat vobis vias meas quæ sunt in Christo, [12] juxta id quod doceo in omnibus ecclesiis.

18 Quasi autem non sim venturus ad vos, inflati sunt quidam ex vobis.

19 Sed si Dominus voluerit, citò venturus sum ad vos, & [13] cognoscam non sermonem eorum qui extollunt seipsos, sed virtutem eorum.

20 Regnum enim Dei non est in sermone, sed in virtute.

21 Quomodo vultis? cum virga veniam ad vos, an cum charitate & cum spiritu lenitatis?

[l] 1. Rejecto illorum judicio, rursus se proponit pro singulari exemplo Corinthiis, ut qui in hac ipsa epistola velut in illorum personis transtulerit doctorum nomina, non dubitans illorum & Apollo nomina substituere ipsorum loco, & eorum delictis hoc modo velut in se recipere, nedum ut se cuiquam anteponeret. [m] Nostro exemplo, qui aliorum etiam vitia in nostras personas transferre maluimus, quàm nominatim quemquam carpere. [n] 2. Optimum remedium coërcendæ arrogantiæ ostendit: primùm si cogites quo jure te eximas ex aliorum numero, quandoquidem & ipse homo sis: deinde si consideres, etiam si quid præter alios habeas, tamen hoc te non habere, nisi ex Dei liberalitate: Quis autem sanus de alieno glorietur, & quidem adversus Dominum? [o] In natura igitur nihil verè laudabile, sed omnia sunt à gratia, contra Pelagianos, & Semipelagianos. [p] 3. Deridet ad gravissimam ironiam, ut ambitiosos illos ad ruborem vel invitos cogat. [q] Qui volet antithesin habere Pauli & Episcopi Romani, qui se ejus successorem mentitur, comparet delicias Romanæ curiæ cum his Pauli conditione. [r] Act. 20.34. 1. Thess. 2.9. 2. Thess. 3.8. [s] Matth. 5.44. Luca 23.34. Act. 7.60. [t] Probris affecti, [?] Sordes undique everrendo collectæ. [u] 4. Ironiæ acrimoniam temperans, monet ut meminerint à quo sint in Christo geniti, & eum pro exemplo sequi non dubitent, quantumvis in speciem pro nihilo abjectum, at Spiritus Dei efficacia potentem: ut ipsi erant in sese experti. [x] Quam viam & regulam sequar in docendis omnibus Ecclesiis. [y] 5. Postremò, ad Apostolicam etiam minas descendit, sed ut pater filios objurgans, ne ad [illegible] venire cogatur eorum intemperie. [z] Act. 18.21. Jacob. 4.15. [?] Verba vana illorum [illegible] & inanem verborum [illegible], quibus [illegible] Spiritus. [a] 6. Transitio ad alteram partem hujus Epistolæ, in qua gravissimum scelus severissimè reprehendit, ostendens Ecclesiasticæ correctionis usum. [b] [illegible] in vos [illegible].

[3] 5. Syrè, in persona mea. [4] Subaudi, de vobisipsis.

[5] Vel, Quòd si.

[6] 6. 5. Syrè, saturati estis vobis. Pleonasmus, de quo in Matth. 4.10.

[7] 7. vel nos stultos propter Christum, & sic sequentia in hoc versu. [8] Et pro At.

[9] Syrè, Petimus ab eis, subaudi Veniam.

[10] 10. vel doctorum pædagogorumque. [11] 11. vel Evangelium.

[12] 12. vel quemadmodum.

[13] 13. Pro, Experiar.

CAPUT V.

1 *Quòd incestuosum privigni cum noverca concubitum taciti ferrent,* 2. 6 *satis causæ esse admonet cur lugendo dejiciantur potiùs quàm superbiant.* 10 *Ejusmodi scelera excommunicatione vindicanda esse,* 11 *ne contagio latiùs serpat.*

Omnino [a] auditur esse inter vos scortatio, & ejusmodi scortatio quæ ne inter Gentes quidem nominatur, adeò ut quis uxorem patris habeat.

2 [b] Et vos inflati estis, ac non potius luxistis, ut tolleretur è medio vestri qui facinus hoc patravit.

3 [c] Enimverò ego ut absens corpore, præsens autem [d] spiritu, jam ut præsens judicavi, ut is qui hoc ita perpetravit,

4 Vobis & meo spiritu [e] in nomine Domini nostri

In summa auditur inter vos scortatio, & quæ est scortatio qualis etiam nominatur profanos nominatur, adeo ut [1] acceperit filius uxorem patris sui.

2 Et vos inflati estis, non autem potius seditis in luctu, ut tolleretur de medio vestri is qui hoc opus operatus est.

3 Ego enim longè distans à vobis corpore, & propinquus vobis spiritu, jam judicavi, ut quasi propinquus, illum qui hoc operatus est.

4 Ut in nomine Domini nostri Jeschua Christi [2] cogregemini

[a] 1. Gravissimè reprehendit quòd tolerando incestuosum Ecclesia [illegible] Dei nomen [illegible] [illegible] qui sese videri [illegible]. [b] 2. [illegible] ne [illegible] potestatem [illegible], sed ut [illegible] authoritate, [illegible] cognitione, [illegible] & [illegible].

[1] Ut scilicet ea tamquam uxore uteretur.

congregemini vos omnes, & ego vobiscum spi-
ritu, cū potestate Domini nostri Jeschua Christi,
5 Et tradatis istum Satanę,ad interitum cor-
poris ejus, ut in spiritu salvus fiat in die Domini
nostri Jeschua Christi.
6 Non est bona gloriatio vestra, fratres mei.
ignoratis vos quòd fermenti modicum totam
massam fermentat?
7 Expurgate à vobis fermentum vetus, ut fi-
tis massa nova, sicut estis azymi.Pascha enim no-
strum Christus est,qui immolatus est pro nobis.
8 Propter hoc celebremus festum,non in fer-
mento veteri,neque in fermento malitiæ & amā-
ritudinis: sed in azymis puritatis & sanctitatis.
9 Scripsi vobis per epistolam, ut ne commi-
sceamini cum scortatoribus.
10 Non autem dico, cum scortatoribus qui
sunt in mundo isto,aut cum avaris,aut cum rapa-
cibus,aut cum cultoribus simulacrorum:alioquin
debuissetis etiam è mundo exire.
11 Hoc autem quod scripsi vobis, ejusmodi est
ut non commisceremini: & siquis est qui voce-
tur frater, & est scortator, aut avarus, aut cultor
simulacrorum, aut convitiator, aut ebriosus, aut
rapax,cum eo qui sic est,ne cibus quidem com-
edendus.
12 Quid enim ad me attinet judicare extra-
neos? Vos autem eos qui intus sunt judicate.
13 Extraneos autem Deus judicat. & au-
ferte malum è medio vestri.

nostri Jesu Christi congregatis, cum potestate
Domini nostri Jesu Christi,
5 Ejusmodi *inquam hominem* tradatur Satanæ
ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit die illo
Domini Jesu.
6 Non est bona gloriatio vestra. An ne-
scitis paululo fermenti totam massam fermen-
tari?
7 Expurgate igitur vetus fermentum, ut si-
tis nova massa, sicut estis fermenti expertes. Ete-
nim Pascha nostrum,pro nobis sacrificatum est,
nempe Christus.
8 Itaque festum agitemus, non fermento
veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ: sed non
fermentatis *panibus* sinceritatis & veritatis.
9 Scripsi vobis in epistola, ne commiscea-
mini cum scortatoribus.
10 At non omnino cum scortatoribus mun-
di hujus, aut avaris, aut rapacibus, aut idolola-
tris: alioquin debetis scilicet è mundo exire.
11 Nunc autem scripsi vobis ne commiscea-
mini, *id est*, siquis quum frater nominetur, sit scor-
tator, aut alieni avidus, aut idololatra, aut convi-
ciator, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi *in-
quam* ne edatis quidem.
12 Quid enim mea *interest* etiam de extra-
neis judicare? nónne de iis qui intus sunt vos ju-
dicatis?
13 De extraneis verò Deus judicat. tollite igi-
tur istum improbum ex vobisipsis.

2 Vel congregatis omnibus vobis & me vobiscum in spiritu, cum potestate Domini nostri Jeschua Christi, ut inquam tradatis istum Satanæ, &c. Atque hoc evidentius, & magis respondens Græco. 3 Syrè, Vivat. Hebraismus. 4 Syrè, Pulcra. 5 In contextu Syriaco perperam scriptum erat [illegible], In fermento, pro [illegible], In azymis. quod ex contextu plusquam liquidum est. 6 Id est, aut in domo Dei vobiscum & in vestra consuetudine ne haberetis. 7 Addit copulam, quæ exegetica est, Id est, Siquis. 8 Hebraismus, Id est, talis. 9 Exegesis categoriæ est interrogationis illius qua Paulus utitur: nonne eos qui intus sunt judicatis? id est, judicare debetis ex officio vestro? hoc ergo facite, exteros judicabit Deus: sed videte domi. 10 Pro inferendi particula. Auferte igitur.

f Non dubium est quin tantum sit in cœlis ejusmodi judicium in quo videlicet Christus ipse judex sedeat. g Excommunicatus traditur Satanæ potestati, quum ex domo Dei ejicitur. h Quid sit tradi Satanæ, exponit Dominus, quum dicit, Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, Mat. 18.17. i. jus civitatis Christianæ amittere: extra Ecclesiam [illegible] regnat Satan. i Finis tamen excommunicationi propositus non est excommunicati exitium, sed salus, ut videlicet hoc remedio dometur ipsius caro, ut discat spiritu vivere. k Alius finis excommunicationis, ne contagio ad reliquos pervadat, quo fit ut necessariò sit in Ecclesia retinenda, ne alii aliorum contagione inficiantur. l Immeritò & non bona ratione gloriamini, quasi excellatis, quùm inter vos tam turpe scelus invenitur. Gal. 5.9. m Allusione ad Paschæ ceremoniam facta, hortatur ut impurum illum è suo cœtu ejiciant. Olim, inquit, Pascha celebraturis non licebat fermentatis panibus vesci, adeò ut impurus haberetur & indignus qui Pascha vesceretur qui fermentum vel degustasset. Porrò totam nostram vitam esse oportet instar festi illius Azymorum, in quo participes facti mactati illius agni immaculati, omnem impuritatem tum ex nobisipsis, tum ex domibus cœtibusque nostris procul abesse jubeamus. n Massæ nomine universum Ecclesiæ corpus intelligit, singulos azymos i. spiritu innovatos, detracta vetere corruptione. o Agnus Paschæ, metonymicè. p Totam vitam tanquam perpetuum festum agamus, justè & integrè. q Generalius jam loquitur, & quod de illo incestuoso dixerat, ad illos etiam palam flagitiosos, & suis offendiculis Ecclesiam turbantes, ostendit pertinere, qui & ipsi ex Ecclesia constitutione suo ordine legitimo ejiciendi. Mentionem autem capiendi cibi faciens, vel Agapas respicit, in quibus Cœna Domini celebrabatur; vel communem vitæ usum & consuetudinem notat: quòd & ipsum dextrè accipiendum est, ne quis putet excommunicatione vel matrimonio dirimi, vel officia quæ alii aliis, ut parentibus filii, magistratibus subjecti, dominis servi, proximi denique proximis lucrifaciendis debent, impediri. r Si prorsus vobis esset abstinendum ab ejusmodi hominum consortio, vobis ex ipso mundo emigrandum esset: de iis igitur loquor, qui in sinu Ecclesiæ versantur, quos debetis disciplina Ecclesiastica ad frugem revocare, non autem de exteris, quos debetis [illegible] Christo lucrifacere. s Ejiciendi falsi fratres ex cœtu, extranei judicio Dei relinquendi.

CAPUT VI.

1 *Invehitur in forenses contentiones, 6 quibus se mutuò vexabant sub infidelibus, cum magno Evangelii dedecore, 9 deinde scortandi licentiam gravi comminatione exagitat.*

Audet aliquis ex vobis quum est ipsi lis cum
fratre suo, litigare coram iniquis, & non co-
ram sanctis?
2 An ignoratis vos quòd sancti mundum ju-
dicabunt? Et, si mundus per vos judicatur, non
digni estis ad judicandum lites minutulas?
3 Ignoratis vos quòd Angelos judicaturi su-
mus? quanto magis ea quæ sunt mundi hujus?
4 Sed si sit vobis lis de rebus mundi, eos qui
sunt contemptibiles in ecclesia, collocate vobis in
judicio.
5 Ad verecundiam autem *vestram* hoc dico
vobis. Ita non est in vobis ne unus quidem sapi-
ens,qui possit ex æquo judicare inter fratrem
& fratrem suum?
6 Sed frater cum fratre suo litigat: & rursus
coram eis qui sunt infideles.
7 Jam igitur vos ipsi peccastis inter vos, quod

Sustinet aliquis vestrûm, negotium habens
adversus alterum, judicio experiri sub inju-
stis, ac non sub sanctis?
2 An ignoratis sanctos mundum judicatu-
ros? quod si per vos judicabitur mundus, indigni
estis minimis judiciis?
3 An ignoratis fore ut Angelos judicemus,
nedum *ea* quæ ad hujus vitæ usum pertinent *non
judicemus*?
4 Itaque si judicia habeatis de iis quæ ad hu-
jus vitæ usum pertinent, eos qui nullo loco ha-
bentur in Ecclesia, eos inquam in subselliis collocate.
5 Ut vos pudeat, vobis hoc dico. Itáne non
est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit
jus reddere inter fratres suos?
6 Sed frater cum fratre judicio experitur,
idq; sub infidelibus.
7 Jam igitur omnino defectus in vobis est,

1 Eadem [illegible] legitur eodem sensu Mat. 13.34. derivatur autem à [illegible], Minuit, Attenuavit. Unde verbale [illegible] Græcum [illegible] tica, vena aura vocata, quod quæ sunt in lingua minutula, (id est, rudimenta) doceat. 2 Facite sedere. Hebraismus. 3 Vel jus æquum reddere. 4 בין בית pro בין, Inter, cum Nun. 5 Syrè, Qui non credunt. 6 Substantia vestra peccatis vobis, κατ' ἔμφασιν καὶ παρονομασίαν, de quo in Matth. 4.10.

a Tanta quæstio de forensibus judiciis, de locatis fidei fidelium ad infideles [illegible] Responsio [illegible] b Quasi dicerent, [illegible] non pudet [illegible] Evangelium [illegible] profanorum judicibus? c Coram injustis. d Addit se non prohibere quominus si ita opus est, jure agere liceat cum proximo, sed sanctis disceptatoribus. e A comparatis colligit, indignum esse sanctorum injuria judices infideles à fidelibus quæri, quum sancti cum Deo ipso judicando mundo & diabolis, sit Christo Filio velut assessores daturus, nedum ut leves istas controversias, quæ æquitate ac bona conscientia definiuntur, non possint dijudicare. f Infimis subselliis. g Conclusio qua remedium huic malo præscribit, nempe si de privatis negotiis coram delectis ut [illegible] fiæ arbitris [illegible] Cui pauperi, inquit, vel infimus quisque vestrûm satisfecerit. Non damnat igitur judicium subselliis, sed quid propter circumstantias temporis expediret ostendit, ideo fieri posse [illegible]. Nec enim agit de judiciis quæ inter infideles & fideles exercentur, neque de publicis judiciis, sed de controversiis, quas nihil prohibet domesticis etiam arbitris componi. h Fora ac curias. i Vilissimos quosque. k Thesin accommodat ad hypothesin, huc [illegible] ut [illegible] opinionem [illegible] unde omnia hæc mala oriebantur. l Nunc etiam longius progreditur, & quamvis arbitros ex fidelium cœtu eis concedens, simpliciter non damnet, sed fidelibus potiùs privata judicia, modo hoc offendiculo [illegible] tollantur [illegible] ut ne hoc quidem [illegible] egerent. m Impotentis animi id tribuitur, qui à cupiditatibus se superari sinunt. vitium à temperantia & moderatione plurimum dissidens perstringit igitur eos qui ferendæ injuriæ sunt impares.

 quod

quòd[n] judicia habeatis inter vosmetipsos,[o] quare non potiùs injuriam patimini? cur non potiùs damnum accipitis?

8 [l] At vos injuriam facitis, & fraudatis, idq; fratres.

9 An ignoratis injustos non esse Dei hæreditatem possessuros? [p] Ne errate, neque scortatores, neque idololatræ, neq; mœchi, neque molles, neque qui concumbunt cum masculis,

10 Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque convitiatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt.

11 [l] Et hæc eratis unusquisque: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in [q] nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri.

12 [l] [r] [s] Omnia mihi licent, [l] at non omnia conducunt: omnia mihi licent, at ego [t] non redigar sub ullius rei potestatem.

13 [u] Escæ ventri *destinatæ sunt*, & venter escis: Deus autem & hunc & eas abolebit. corpus verò non scortationi, sed Domino, & Dominus corpori.

14 Deus autem & Dominum suscitavit, & [l] nos suscitabit potentia sua.

15 [x] An ignoratis corpora vestra esse membra Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciam *ut sint* scorti membra? Absit.

16 [y] An ignoratis eum qui agglutinatur scorto, unum esse corpus *cum scorto*? [z] Erunt enim, inquit, [a] qui [l] duo *erant*, caro una.

17 Qui verò agglutinatur Domino, unus cum eo spiritus est.

18 [b] Fugite scortationem. omne peccatum quòd fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in proprium corpus peccat.

19 [c] An ignoratis [l] corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, *qui est* in vobis, quem habetis à Deo, [d] neque vos esse vestri juris?

20 [l] Nam empti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.

[n] Controversias in foro disceptandas.
[l] *Matt.* 5.39. *Luc.* 6.29. *rom.* 12.19.
[o] 2. Hoc maxima ex parte spectat ad alteram reprehensionis partem, nempe quòd etiam apud infidelium judicum subsellia litigarent: quod offendiculum debuerant potiùs quavis jactura redimere. Sed & illud in genere verum est, cedendum esse nobis de jure nostro, potiùs quàm temerè, aut aliquo vindicandæ injuriæ studio, extremum juris rigorem experiamur. Corinthiis autem neutrum erat curæ, quos ait oportere resipiscere, nisi malint Dei hæreditate privari.
[l] 1. *Thess.* 4.6.
[p] 2. Transitum sibi parat ad quartum hujus epistolæ tractatum de rebus mediis, disserens in primis quomodo viri mulieribus ritè uti vel non uti possint: cujus quæstionis tres sunt loci, Scortatio, Matrimonium & Cælibatus. Ac Scortationem quidem penitùs damnat: Matrimonium verò quibusdam præcipit, ut remedium bonum ac necessarium, quibusdam liberum relinquit, quibusdam non ut illicitum, sed ut incommodum, non tamen sine exceptione, dissuadet. Cælibatum autem (sub quo etiam virginitatem comprehendo) nemini præcipit: suadet tamen, at nec propter se, sed propter aliud, nec omnibus, nec sine exceptione. Dicturus autem in scortationem, incipit à generali reprehensione eorum vitiorum quibus opulenta & luxui dedita civitas uraciquè scatebat: seriò monens, resipiscentiam cum peccatorum remissione, sive sanctificationem cum justificatione individuo nexu cohærere. [l] *Tit.* 3.3. [q] In Jesu. [l] *Infra* 10,23. [r] 2. Secundo loco Corinthios perstrinxit in rebus mediis simpliciter peccare: primùm quòd eis abuterentur, tum in eo quòd res medias sine discrimine usurpabant, quia earum usus ad charitatis regulam sit exigendus: nec etiam iis rectè utatur qui intemperanter eis abutens, sese illis tanquam dominis subjicit. [s] Quævis. restringenda est autem universalis nota ad res medias. [l] *Eccl.* 37.27. [t] Is certè subjicitur rebus mediis quicumque se illis non posse carere putat, ut planè servitus sub specie libertatis adblandiens, manum in ejusmodi homines injiciat. [u] 2. Secundò, quòd multa in rebus mediis recenserent quæ per se essent illicita, veluti scortationem, quam perinde ac cibum & potum inter merè naturales ac licitas appetitiones numerabant. Subjicit autem Apostolus hæc planè esse dissimilia. Nam, inquit, ad necessarium hujus vitæ usum conditi sunt cibi, quæ non est perpetua. Nam & cibi & tota ista alimenti ratio brevi spatio abolebitur. At non idem sentiendum est de scortationis impuritate, cui conditum non esse corpus, sed è contrario spiritui esse destinatum, vel illud ostendit, quòd Christo sit consecratum, sicut & Christus noster etiam corporibus ipsi virtute qui resurrexit, vivificandus, datus nobis est à Patre. [l] *Rom.* 6.5. [x] 2. Expositio superioris argumenti, à contrario, & ejus applicatio. [y] 2. Probatio ejusdem argumenti. Contraria sunt ex diametro scortum & Christus, caro & spiritus: ergo qui unum est cum scorto (quod quidem fit naturali illa corporum commixtione) unum esse non potest cum Christo quæ unio est pura & spiritualis. [z] Apud Mosem hæc non dicuntur de scortatione, sed de matrimonio: sed quum illa fit unius corporis, & utrique fit communis conjunctio carnis, non potest dici Apostolus hoc testimonio abusus. [a] Apud Mosem particula (duo) non legitur, sed rectè expressa est, cum hoc loco, tum Matth. 19.5. quia fit tanquam mixtio viri & uxoris unius, unde refellitur polygamia: qui enim cum multis consuescit, in multas veluti partes dissipatur. [l] *Gen.* 2.24. [b] 2. Aliud argumentum cur fugienda sit scortatio, quoniam peculiari quadam turpitudine corpus commaculat. [c] 2. Tertium argumentum, Quòd scortator sit sacrilegus, quum corpora nostra sint Deo consecrata. [l] *Supra* 3.16. 2. *Cor.* 6.16. [d] 2. Quartum argumentum, Quòd non simus nostri juris, ut alteri cupiam illi, nedum Satanæ & carni, nos possimus addicere, quum nos Deus ipse, & quidem maximo pretio, acquisiverit, ut & corpore & animo illius gloriæ inserviremus. [l] *Infra* 7,23. 1. *Pet.* 1.19.

lis[7] unius cum altero est inter vos. Propter quid enim non injuriam patimini? & propter quid non sustinetis damnum?

8 Sed vos injuria afficitis, & damnum infertis, etiam fratribus vestris.

9 An ignoratis quòd iniqui regnum Dei non hæreditariò consequuntur? Ne erretis: nec scortatores, nec cultores simulacrorum, nec adulteri, nec [8] molles, nec concubantes cum masculis,

10 Nec avari, nec fures, nec ebriosi, nec maledici, nec rapaces: hi, *inquam*, regni Dei hæreditatem non consequuntur.

11 Et hæc fuerunt [9] in unoquoque ex vobis: sed abluti estis, & sanctificati estis, & justificati estis per nomen Domini nostri Jeschua Christi, & per Spiritum Dei nostri.

12 Omnium potestas est mihi, sed non omnia expediunt mihi: omnium potestas est mihi, at super me [10] nemo potestatem habebit.

13 Cibus est ventris, & venter est cibi: Deus autem eos ambos aboliturus est. corpus verò non scortationi, sed Domino nostro: & dominus noster corpori.

14 Deus autem & Dominum nostrum suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam.

15 Ignoratis vos quòd corpora vestra membra sunt Christi? tollentes membra Christi faciemus ea membra scorti? [11] Absit.

16 [12] An ignoratis vos, quòd is qui adhæret scorto, unum est corpus *cum scorto*? Dictum est enim, Quòd erunt utrique unum corpus.

17 Qui verò adhæret Domino nostro, fit cum eo unus Spiritus.

18 Fugite à scortatione, Omne enim peccatum quòd fecerit filius hominis, extra corpus suum est; qui autem scortatur, in corpus suū peccat.

19 An ignoratis vos quòd corpus vestrum templum est Spiritus sancti qui habitat in vobis, quem accepistis à Deo, & non estis vestri ipsorum?

20 Emti enim estis pretio. Sitis igitur glorificantes Deum in corpore vestro & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.

7 Syrè, Unus cum uno. Hebraismus.
8 r. vel corruptores, purà sui ipsorum. Sic enim molles interpretatur venustè Syrus.
9 r. Syrè, in homine homines ex vobis. Elegans phraseos illius est interpretatio, ταῦτά τινες ἦτε, hæc eratis quidam, ipso eo quod est, omnes homines vitiorum quidem erant rei, sed non simul, quia suis vitiis singuli tenebamini, hi nempe his, & illi illis.
10 r. purà ut me traducat ab eo quòd expedit, exempli causa ad lites, ad studium abdominis, &c.
11 Syrè, parce.
12 r. vel aut, vide in Matth. 7.9.

CAPUT VII.

2. *Disserens hîc de conjugio*, 4. *quòd est remedium vitandæ scortationis*, 10. *& indissolubile*, 18. 20. *Jubet unumquemque sorte sua contentum vivere*. 25 *Qui virginitatem studio esse debeat, ostendit*: 36 *& qui conjugium suscipere debeant*.

CÆterum [a] [b] de quibus mihi scripsistis: [l] bonum *fuerit* viro mulierem non attingere.

2 Sed propter scortationes suam quisq; uxorem habeto, & proprium quæque virum habeto.

[a] 2. De conjugio docet, quamvis cælibatum sua etiam habeat commoda, quæ postea explicabit, tamen vitandæ fornicationis causa necessarium esse matrimonium: & sic ut neque unus maritus plures uxores, nec una uxor plures habeat maritos. [b] Quòd attinet ad ea de quibus ad me scripsistis. [c] Commodum & (ut dicitur) expediens, quia conjugium ... vitæ institutionis corruptela.

[1] DE iis autem quæ scripsistis mihi, bonum est viro ut ad mulierem non appropinquet.

2 Sed propter fornicationem quisque uxorem suam habeat & mulier virum suum habeat.

1 r. Hactenus de his quæ ...

a F. vel fraudetis, privetis jure conjugali.
3 Ad idem libitum. Hoc est Ad mutuam tori consuetudinem sive officium.
4 Hebraismus. Est qui hoc dono pollet, est qui alio.
5 Syrè, Conjugantur.
6 F. i. non nolit, consentiat : sic versu seq.
7 Per uxorem. Hebraismus.
8 Per virum. Hebraismus.
9 Syrè. Et si non.
10 F. i. sanctificationis Dei in Ecclesia ex fœdere participes.
11 Hebraismus. hoc est, Suo damno separet se, non fidelis: cujus culpa nulla est.
12 Syrè, Vivificatura. Hebraismus.
13 F. vel convertat se ad præputium, putà reducendum κατὰ τὸ ἐπισπᾶσθαι: quòd impium scelus, teste Epiphanio, commisit Symmachus, quum se Judæis adjungens secundò circumcisus est. Arte enim exsectum antè præputium induxerat, quod Græcis dicitur ἐπισπᾶσθαι. Cornelius Celsus.
14 In Syriaco contextu non legitur particula מן præ, vel potiusquàm. Sed contextus arguit, correctori, quum exemplar relegeret, excidisse. Neque enim ullus elici sensus potest, nisi restituatur. F. alii verò sine additamento exponunt hoc modo, elige tibi ut utaris, minimè id malè.

3 Et vir uxori suæ dilectionem quàm debet, reddat: similiter etiam ipsa uxor marito suo.

4 Uxor non habet potestatem in corpus suum, sed maritus ejus : ita etiam vir non habet potestatem in corpus suum, sed uxor ejus.

5 Ne igitur [a] damno afficiatis alter alterum, nisi quum vos ambo consenseritis de tempore quo affligatis vos jejunio & ad precationem : & rursus [3] ad eamdem voluntatem convertamini, ut non tentet vos Satanas propter concupiscentiam corporis vestri.

6 Hoc autem dico ego, tamquàm infirmis, non autem ex mandato.

7 Ego enim vellem ut omnes filii hominis similes mei essent in puritate. sed omni homini donũ datum est à Deo: [4] est qui ita, & est qui ita.

8 Dico autem iis quibus non sunt uxores, & viduis, quòd expedit eis si manserint ut ego,

9 Quòd si non continent, [5] jungantur matrimonio. expeditius enim longè est ducere uxorem quàm uri concupiscentia.

10 Iis autem quibus sunt uxores, præcipio, non ego sed Dominus meus, ut uxor à marito suo non separetur:

11 Et si separata fuerit, maneat absque viro, aut marito suo concilietur. & vir uxorem suam non dimittat.

12 Reliquis autem dico ego, ego *inquam* non Dominus meus : si sit frater cui sit uxor infidelis, & ipsa [6] velit habitare cum eo, ne deserat eam.

13 Et uxor cui est maritus infidelis, & ipse vult habitare cum ea, ne deserat maritum suum.

14 Sanctificatus est enim vir qui est infidelis, [7] in uxore fideli: & sanctificata est mulier quæ est infidelis [8] in viro fideli. [9] alioquin filii eorum polluti essent : nunc autem [10] puri sunt.

15 Si verò is qui infidelis est, separat se, [11] separet se: non est servituti addictus frater aut soror in istis. ad pacem ipsam vocavit nos Deus.

16 Quid enim nosti tu mulier an maritum tuum sis [12] servatura? aut tu vir, nosti tu num uxorem tuam servaturus sis?

17 Sed unusquisque, ut partitus est ipsi Dominus, & unusquisque sicut vocavit eum Deus, ita ambulet ; & etiam omnibus Ecclesiis ita præcipio.

18 Si circumcisus aliquis vocatus sit, non [13] revertatur ad præputium, & si in præputio vocatus sit, ne circumcidatur.

19 Circumcisio enim non est quicquam, neq; etiam præputium, sed observationes mandatorum Dei.

20 Unusquisque in vocatione in qua vocatus est, maneat.

21 Si servus vocatus fuisti, ne curæ sit tibi: sed etiam si potes liber fieri, elige tibi [14] potiùs quàm ut servias.

22 Qui enim servus vocatus est in Domino no-

3 [d] [l] Uxori vir [e] debitam benevolentiam reddito : similiter autem & uxor viro.

4 [f] Uxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir : similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed uxor.

5 Ne fraudate alter alterum, [g] nisi siquid ex consensu ad tempus, ut [h] vacetis jejunio, & precibus: & rursum simul convenite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.

6 [i] Hoc autem dico ex concessione, non ex imperio.

7 Nam [k] velim omnes homines esse ut & ipse sum : sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita.

8 [l] Dico autem [m] cælibibus & viduis, bonum eis est si sic manserint ut & ego maneo.

9 Quòd si se non continent, matrimonium contrahant : nam melius est matrimonium contrahere, quàm [n] uri.

10 [o] Iis autem qui matrimonio juncti sunt, denuncio, non ego, sed Dominus, [l] Uxor à viro ne se separato.

11 Quòd si se separârit, maneat innupta, aut viro reconciliator : & vir uxorem ne dimittito.

12 [p] Reliquis autem ego dico, non Dominus, Siquis frater uxorem habet infidelem, quæ consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito.

13 Et uxor quæ habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittito.

14 [q] Maritus enim infidelis [r] sanctificatus est [s] in uxore, & uxor infidelis sanctificata est [t] in viro; alioqui certè liberi vestri impuri essent: [u] nunc autem sancti sunt.

15 [x] At si infidelis sese separet, separatus esto: non est servituti subjectus frater aut soror in [y] hujusmodi *rebus*: [z] sed ad pacem vocavit nos Deus.

16 Ecquid enim nosti uxor, an virum sis servatura? aut ecquid nosti vir, an uxorem sis servaturus?

17 [a] Sed ut unicuique donum partitus est Deus, ut unumquemque [b] vocavit Dominus, ita incedat, & ita in Ecclesiis omnibus constituo.

18 [c] Circumcisus aliquis vocatus est? ne [d] attrahat *præputium*: in præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur.

19 Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.

20 [l] Unusquisque in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat.

21 Servus vocatus es? ne sit tibi [e] curæ : sed si potes etiam liber fieri, potiùs *eo* utere.

22 Etenim qui [f] in Domino vocatus est servus,

d B. Secundò, declarat summa partium benevolentia colendum esse conjugium. l 1. Pet. 3. 7. e Debiti nomine genus omne benevolentiæ complectitur, quamvis tamen posteà unam speciem copiosiùs persequitur. f B. Tertiò, monet alterum in alterius esse potestate, quod ad corpus attinet, ut mutuò se fraudare non possint. g B. Quartò, addit exceptionem, nisi alter ab altero abstineat ex consensu mutuo, ut liberius vacent precibus. qua in re tamen monet ut quid expediat considerent, ne diuturniore illa veluti conjugii interruptione ad incontinentiam sollicitentur. h Toti id unum agatis. i B. Quintò, matrimonium docet non esse simpliciter omnibus necessarium, sed iis demum qui donum continentiæ non habent. Est enim hoc donum ex peculiari Dei gratia. k Optarim. l B. Sextò, de reperendo matrimonio idem monet, nempe cælibatum quidem probandum esse, sed iis demum quibus datum est ut se possint continere : sin minùs, repetendas esse nuptias, ut conscientiæ pacis consulatur. m Totus hic locus facit adversus eos qui damnant secundas nuptias prioribus morte dissolutis : aliud autem est digamorum genus, qui vel constante priore matrimonio, vel rejecta priore uxore alteram superinducunt: qui veteribus canonibus arcentur à matrimonio. n Libidine ita æstuare, ut aut voluntas succumbat tentationi, aut certè Deum pacata conscientia non possis invocare. Nam alioquin segnis est qui carnis stimulis non pungatur. o B. Septimò, prohibet dissidia & repudiorum nundationes, (de adulterii enim crimine non agit, quòd tunc erat Romanis etiam legibus capitale) quibus dissolvi conjugii vinculum negat Christo ipso auctore. l *Mat.* 5. 32. & 19. 9. *Mar.* 10. 11 *Luc.* 16. 18. p B. Octavò, Matrimonia inter infidelem alteram partem, alteram verò fidelem, jam contracta, rata esse confirmat, ut fidelis infidelem deserere non possit. q B. Respondet objectioni, At fidelis polluitur societate infidelis. Hoc verò negat Apostolus, & fidelem posse bona conscientia uti infidelis conjugis vase, ex eo probat, quòd liberi inde nati, sancti (id est in promissione) censeantur. Singulis enim fidelibus dicitur, Ero Deus tuus, & seminis tui. r Pietas uxoris plus valet ad hoc ut conjunctio illa pro sancta habeatur, quàm mariti infidelitas ad hoc ut conjugium istud profanetur. s Non in sese est ille infidelis sanctificatus, sed respectu uxoris. t Sub fideli. u Hic locus facit adversus catabaptistas & eos qui præcisam salutis causam ponunt in baptismo. fidelium enim liberi, vi fœderis sancti, sunt vel antè baptismum, accedit autem baptismus tamquam sanctitatis sigillum. x B. Respondet quæstioni, Quid si infidelis fidelem deserat? tum verò, inquit, liber est fidelis, quoniam ab infideli est desertus. y Quum ejusmodi quippiam inciderit. z B. Ne quis prætextu illius libertatis infideli præbeat discedendi occasionem, significat pacificè colendum esse matrimonium etiam cum infideli, ut si fieri possit lucrifiat. a B. Occasione ex eo arrepta quòd de servitute & libertate conjugii dixerat, digreditur ad generalem doctrinam de vitæ statu & conditione externa, ut circumcisione & præputio, servitute & libertate : generaliter monens ut quisque sua sorte contentus vivat in Domino, quoniam externa illa, ut circumcisum esse vel incircumcisum, servum vel liberum, non sunt ex regni Dei (ut loquuntur) essentia. b Certo genere vitæ addixit. c B. Significat tamen in his exemplis non omnia esse paria, quoniam circumcisio per se non sit appetenda, libertatem verò servos appetere nihil prohibeat. In eo igitur duntaxat paritas est, quòd in istis non sit positum regnum Dei : ac proinde ista non impediant quominus Deo placeamus. d Attrahere, sibi præputium dicitur, qui chirurgi opera præputiatur, quòd quidem fit cute ferro adducta, ut glandem rursus operiat. Cels. lib. 7. cap. 25. l *Ephes.* 4. 1. e Quasi hæc vocatio sit Christo indigna. f Qui quum servus sit conditione, vocatus est ad Christi participationem.

stro, libertus

libertus Domini est: similiter & qui liber vocatus
est, servus est Christi.
23 [l] [g] Pretio emti estis, ne estote servi homi-
num.
24 [h] Unusquisque in quo vocatus fuit, fratres,
in hoc maneat [i] apud Deum.
25 [k] De virginibus autem præceptum Domi-
ni non habeo: [l] sed do quod sentio, ut [m] cui Domi-
nus per misericordiam dederit fidum esse.
26 Existimo igitur [n] hoc bonum esse propter
[o] instantem necessitatem, bonum *inquam esse* ho-
mini ita esse.
27 Alligatus es uxori? ne quære dissolutio-
nem. solutus es ab uxore? ne quære uxorem.
28 Quod si etiam duxeris uxorem, non pec-
casti: & si nupserit virgo, non peccavit: sed [p] af-
flictionem in carne habituri sunt *qui sunt* hujus-
modi. ego verò vobis [q] parco.
29 Hoc autem aio, fratres, quoniam tempus
[r] contractum est in posterum: ut & qui habent
uxores, sint ut non habentes:
30 Et qui [s] flent, ut non flentes: & qui gau-
dent, ut non gaudentes: & qui emunt, ut non ob-
tinentes.
31 Et qui utuntur hoc [t] mundo, ut non abu-
tentes, præterit enim [u] species hujus mundi.
32 Velim autem vos absque solicitudine esse.
Qui cælebs est, curat ea quæ *sunt* Domini, quo-
modo placiturus sit Domino:
33 At qui duxit uxorem, [x] curat ea quæ sunt
mundi, quomodo placiturus sit uxori.
34 Discretæ sunt, ea quæ *est* uxor & ea quæ *est*
virgo. quæ *est* innupta, curat ea quæ sunt Domini,
ut sit sancta cùm corpore tum [y] spiritu: quæ ve-
rò nupta est, curat ea quæ sunt mundi, quomodo
placitura sit viro.
35 Hoc autem dico [z] vestro commodo: non
ut laqueum vobis injiciam, sed ut decenter &
aptè adhæreścatis Domino, absque ulla distra-
ctione.
36 [a] Cæterùm siquis aliquid non decens à *se*
in virginem suam committi putat, si florem æta-
tis excedat, & ita debet fieri: quod vult faciat,
[b] non peccat: jungantur matrimonio.
37 Qui verò stat firmus [c] in corde, nec adigi-
tur [d] necessitate, sed in potestate habet propriam
voluntatem, & hoc decrevit in corde suo, ut ser-
vet suam virginem, benè facit.
38 Itaque qui dat nuptum, benè facit: qui ve-
rô non dat nuptum, [e] melius facit.
39 [f] [f] Uxor alligata est [g] lege quamdiu vivit
vir ipsius: quòd si [h] obdormierit vir ipsius, libe-
ra est ad cui velit nubendum: tantùm [i] in Do-
mino.
40 Sed beatior est si ita maneat, secundùm
meam sententiam: [l] puto autem me quoque Spi-
ritum Dei habere.

[l] *Suprà 6,20. 1. Pet. 1.19.*
[g] 2. Rationem dissimilitudinis ostendit, quoniam qui circumcisionem affectasset, sese jam non Deo, sed humanæ traditioni subjiciebat. Est autem hoc multo magis de superstitionibus intelligendum quas nonnulli inter res medias stultè numerant.
[h] 2. Repetitio generalis doctrinæ.
[i] Ita sincerè & ex animo ut vos Deo approbetis.
[k] 2. Virginitatem nulli præcipit, suadet tamen & laudat propter aliud, nempe tum propter præsentis temporis necessitatem, quum fidelibus vix liceret uno loco consistere, & præsentis vitæ commodis frui, ac proinde expeditiores essent qui familia non gravabantur: tum etiam propter hujus vitæ curas, quas secum necessariò matrimonium trahit, ut illis animum distrahi sit necesse: quod in mulieribus præsertim locum habet.
[l] Pro ratione circumstantiarum hoc vobis consulo.
[m] Quòd dicturus sum dico ego qui homo quidem sum, sed dignius cui fides adhibeatur, quia ut talis essem à Domino sum consequutus.
[n] Virginem manere.
[o] Propter necessitatem quæ fidos solet assiduè urgere, quorum videlicet perpetua est jactatio, ut eorum conditio minimè videatur ad conjugium accommodata, nisi ex altera parte carnis infirmitas ad illud adigat. [p] Carnis nomine comprehendit quæcumque ad præsentem vitam spectant: conjugium enim multa secum incommoda trahit: inclinat ergo ad cælibatum, non quòd in eo collocet Dei cultum magis quàm in matrimonio, sed propter ea incommoda, quibus si fieri posset cuperet omnes eximi ut uni Deo vacarent. [q] Cupio infirmitati vestræ consultum. [r] In fines siquidem seculorum pervenimus. [s] Fletus appellatione res adversas, gaudii prosperas intelligunt Hebræi. [t] Iis rebus quas hîc Dominus nobis concedit. [u] Habitus, figura, vel forma. indicat autem hîc nihil esse solidum. [x] Distrahuntur cogitationes eorum qui sunt conjugio devincti: ideò si cui datum est continere, commodior est cælibatus: cæterum possunt etiam conjuges curare quæ sunt Domini. Clem. Strom. 3. [y] Animo. [z] Significat se nemini imponere necessitatem vel ducendæ uxoris, vel non ducendæ, sed simpliciter proponere utrum vitæ genus sit commodius. [a] 3. Jam ad parentes se convertit, in quorum potestate sint liberi, monens ut superiorem doctrinam sequuti, dispiciant quid suis liberis conveniat, ne vel necessario adversus incontinentiam remedio ipsos privent, vel ad matrimonium adigant, ubi neque voluntas eò inclinat, nec ulla urget necessitas: & rursus virginitatem laudat: sed nec simpliciter, neque in omnibus. [b] Benefacit, ut explicat infrà v. 38. [c] Id est, Apud se, Hebr. [d] Cui non obstat filiæ infirmitas, aut alia aliqua ratio quominus eam liberè possit servare virginem. [e] Commodiùs liberis consulit, idque non simpliciter sed conditionibus anteà expressis. [f] Rom. 7.2. [f] 2. Quòd de cælibe marito, de uxore quoque vidua pronunciat, licere ipsi videlicet alias nuptias contrahere, modò id religiosissimè faciat: nec tamen dissimulat eam fore à multis curis liberam quæ cælebs permanserit. [g] Per legem matrimonii. [h] Mortuus fuerit. [i] Religiosè & cum Dei timore. [l] 1. Thes. 4. 8.

stro, [15] libertus est Dei: ita is qui liber vocatus est,
servus est Christi.
23 Pretio emti estis: ne fiatis servi filiorum ho-
minis.
24 Unusquisque in eo in quo vocatus fuit, fra-
tres mei, in eodem maneat apud Deum.
25 De virginitate autem præceptum à Deo
non [16] habeo; consilium autem do, tamquam
vir qui gratiam consequutus sum à Deo, ut sim
fidelis:
26 Et arbitror quòd hoc sit bonum propter
[17] necessitatem hujus temporis: *arbitror inquam*
quòd expediat filio hominis ut ita [18] sit.
27 Alligatus es uxori? ne quæras dissolutio-
nem. solutus es ab uxore? ne quæras uxorem.
28 [19] Et, si acceperis uxorem, non peccas: &, si
virgo [20] facta fuerit viro, non peccat. afflictio ve-
rò in corpore erit illis qui ita [21] sunt. Ego autem
vobis parco.
29 Et hoc dico, fratres mei, quòd tempus dein-
ceps abbreviatum est: ut illi quibus sunt uxores,
sint tamquam quibus non sunt:
30 Et illi qui flent, tamquam non flentes: & il-
li qui gaudent, tamquam non gaudentes: & illi
qui emunt, tamquam non possidentes:
31 Et illi qui utuntur mundo hoc, non [22] præ-
ter justum usum. præterit enim figura mundi
hujus.
32 Propterea volo ut sine solicitudine sitis. Is
enim cui non est uxor, curat quæ sunt Domini
sui, quomodo placeat Domino suo:
33 [23] Et is cui est uxor, solicitudine tenetur
mundi, quomodo placeat uxori suæ.
34 Discrimen autem est inter mulierem &
virginem: [24] quæ viro facta non est, cogitat de
Domino suo, ut sit sancta in corpore suo & in spi-
ritu suo: [25] & illa cui est maritus, cogitat [26] de
mundo, quomodo placeat marito suo.
35 Hoc autem in vestrum ipsorum [27] com-
modum dico: nequaquam laqueum injicio vobis,
sed ut sitis seduli erga Dominum vestrum cum
honestate decora, non cogitantes de mundo.
36 Si quis autem putat quòd despectus sit
propter virginem suam, quòd præteriit tempus
ejus, & non tradiderit eam viro, conveniens verò
sit ut tradat eam: quemadmodum vult faciat:
non peccat: conjugetur illa.
37 Qui verò firmiter statuit in mente sua, &
non cogit eum *ulla* res, ac potiùs est voluntatis
suæ, & ita [28] judicat in corde suo, ut servet virgi-
nem suam, benè facit.
38 [29] Ergo etiam qui tradit virginem suam,
benè facit: qui verò non elocat virginem suam,
longè meliùs facit.
39 Mulier, quamdiu vivit maritus ejus, alliga-
ta est per legem: si autem obdormierit maritus
ejus, libera facta est, [30] ut si cui vult, dummodò in
Domino nostro.
40 Beata autem est si ita maneat, secundùm
sententiam meam. Puto autem etiam ego, quòd
Spiritus Dei sit in me.

[15] Ad verbum, Filius libertatis, qui scilicet servitutem non est expertus.
[16] Syre, Teneo.
[17] Græcum vocabulum retinet ἀνάγκην.
[18] Hebraismus, id est, Maneat.
[19] Hebraismus, pro, Quòd si.
[20] Hebræa phrasis, id est, Nupserit, ut Ruth. 1. 12. & 13. & aliis locis.
[21] Hebraismus, id est, Manent.
[22] Ad verbum, Præter justitiam usus, subaudi utantur. Hoc est, Non abutantur. periphrasis.
[23] pro, At is.
[24] i, Nupta non est. Hebraismus modò observatus.
[25] pro, At illa.
[26] עַל pro ב.
[27] Ad verbum, Adjumentum.
[28] v. vide Rom. 14. 13.
[29] Alteram conclusionis partem præterit, quia satis in præcedenti proxima sententia expressa est. v. nos verò eam ex aliorum librorum fide reposuimus.
[30] i. Ut nubat: ut anteà notavimus.

CAPUT VIII.

1 *Ab hoc loco usque ad finem decimi Cap. dehortatur ut ab impuris Gentilium epulis abstineant.* 8 *Abusum Christianæ libertatis coërcet,* 11 *&* *scientiam charitate frænandam docet.*

1 Id est, Oblatis simulacris.
2 Copula pro adversativa, At.
3 F. id est, hoc tantum proponit sibi ut sciat, & in ea scientia acquiescit: sic accipitur τὸ γνῶναι Matt. 3.9. & alibi.
4 F. id est, si quis in se & in scientia sua non acquieverit, sed ea fretus ad amorem Dei & proximi secundum Deum omnia retulerit, quæ amorem præcepit Deus: ab eo homine Deus cognoscitur vera & salutari scientia. Omnino verbum Syrum, ut etiam Græcum, purè passiva est significatione: nisi fortè aliter legit Tremellius quàm exstat in libris omnibus quos me videre contigit.
5 Ad verbum, Factus cognoscere sibi ab eo (redundat prius pronomen) Vel, Cognitione donatus est ab eo.
6 Ad verbum, Immolatorum simulacrorum.
7 F. Syr. nobis tamen, qui nobis unus est Deus, *Deus est* Pater, ex quo omnia, &c. nam illis verbis, qui nobis unus est Deus, interpres voluit amplius unitatem essentiæ ostẽdere in personis quæ mox nominantur, quibus ἀναλόγως Spiritus sanctus intelligẽdus est. 8 F. vel in ipso. 9 Id est, Per quem, per ipsum. Hebraism. 10 Ordo verborum inversus apud paraphrasten, Qui pro idolis tamquam quæ immolata sunt comedunt. F. nisi fortè sic interpreteris, qui in sua cõscientia huc usq; id quod ante simulacra est, tamquam immolatum idolo comedunt: evidente scientia. 11 Scilicet idolorum. 12 F. vel inter simulacra. 13 Hebraism. Hoc est quod Galli dicerent, *Et ainsi il se perd.*

De victimis autem [1] simulacrorũ, scimus quòd in omnibus nobis est scientia: [2] & scientia inflat, charitas autem ædificat.

2 Si quis autem [3] putat quòd sciat aliquid, nondum aliquid novit, quemadmodum oportet eum nosse.

3 [4] Si quis autem diligit Deum, hic [5] cognitus est ab eo.

4 De esu igitur eorum [6] quæ immolata sunt simulacris, novimus quòd nequaquam aliquid est simulacrum in mundo, & quòd non est Deus alius nisi unus.

5 Nam etiamsi sunt qui vocantur dii sive in cælo sive in terra: (quemadmodum sunt dii multi & domini multi)

6 [7] Nobis tamen noster unus est Deus Pater, à quo omnia, & nos [8] per ipsum: & unus Dominus Jeschua Christus, [9] per cujus manum omnia, etiam nos [9] per manum ipsius.

7 Sed nequaquam in quolibet homine est scientia; sunt enim quidam [10] qui sunt in conscientia sua usque nunc tamquam pro [11] simulacris immolata comedunt: & quia infirma est conscientia eorum, polluitur.

8 Cibus autem non facit appropinquare nos Deo. non enim si comedamus, abundantiores simus; neque si non edamus, *aliqua re* destituimur.

9 Videte autem ne potestas vestra hæc sit offendiculum infirmis.

10 Siquis enim videat te in quo est scientia, quòd accumbas [12] in æde simulacrorum, nónne conscientia ejus, quia infirma est, confirmatur ad edendum id quòd immolatum est?

11 [13] Et perit sibi per scientiam tuam is qui infirmus est, propter quem mortuus est Christus.

12 Et si sic delinquentes estis in fratres vestros, & percutitis conscientias eorum infirmas, in Christum ipsum delinquitis.

13 Quapropter si esca offendiculo est fratri meo, in æternum carnem non comedam, ne offendiculo sim fratri meo.

Cæterùm [a] de iis quæ idolis immolantur, scimus nos [b] omnes notitia esse præditos. Notitia [c] inflat, charitas verò [d] ædificat.

2 Quòd si quis *sibi* videtur aliquid scire, nondum quicquam novit sicut oportet nosse.

3 Sed si quis diligit Deum, hic cognitus fuit ab eo.

4 [e] De esu igitur eorum quæ [f] idolis immolantur, scimus idolum [g] nihil *esse* in mundo, & nullum *esse* Deum alium nisi unum.

5 Nam etiamsi sint qui dicantur dii, & in cælo & in terra: (sicut sunt dii multi, & domini multi)

6 Nobis tamen unus *est* Deus, Pater ille [h] à quo omnia, & nos [i] in ipso: & [k] unus Dominus Jesus Christus, [l] per quem omnia, & nos per ipsum.

7 [m] Sed non in omnibus *est* ea notitia. [n] nonnulli enim *cum* [o] conscientia idoli usque ad hoc tempus, ut idolis immolatum edunt: & conscientia eorum, infirma quum sit, polluitur.

8 [p] Cæterùm esca nos non commendat Deo: neque enim si vescamur, plus habemus: neque si non vescamur, minus habemus.

9 Sed videte ne quo modo facultas illa vestra offendiculo sit iis qui infirmi sunt.

10 [q] Etenim siquis viderit te, illum notitia præditum, in idoleio accumbere, nónne conscientia ipsius qui infirmus est instruetur ad edendum ea quæ sunt idolis mactata?

11 [r] Et tua ista notitia frater qui infirmus est, propter quem Christus est mortuus, peribit?

12 [s] Ita autem peccantes in fratres, & vulnerantes ipsorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis.

13 [t] Quapropter si esca facit ut offendat frater meus, non vescar carnibus in æternum, ne faciam ut frater meus offendat.

[a] B. Aggreditur aliam rerum mediarum speciem, nempe idolothytorum, sive carnium immolatitiarum usum. Removet autem in primis quæ Corinthii promiscuè idolothytis utentes prætexebant. Primùm igitur afferebant, istud ciborum discrimen imperitorum hominum esse, sibi verò perspectum esse Christi beneficium, qui faceret ut omnia ista essent munda mundis. Esto, inquit Paulus, simus omnes abundè instructi Christi notitia: dico tamen nõ esse in ista notitia simpliciter acquiescendum. Ratio est, quia nisi charitate notitia temperetur, non modò non juvat, sed etiam plurimùm nocet, quũ sit fastus magistra: imò ne nomen quidem divinæ notitiæ meretur à Dei dilectione, ac proinde charitate proximi, sejuncta. [b] Restringenda est nota universalis, ut apparet ex v. 7. tum notandum est subesse ironiam, ut apparet ex versu proximo. [c] Vanitati & arrogantiæ veluti materiam subministrat, quatenus charitate destituitur. [d] Instruit proximũ. [e] B. Applicatio ejus responsi ad idolothyta. Concedo (inquit) idolum esse revera inanem quamdam imaginationem, & unum esse Deum ac Dominum, ac proinde cibos non posse ab idolo vel sanctos vel impuros reddi: at non inde cõficitur promiscuè illis uti ut quibusvis cibis licere. [f] Idolum hoc loco sumitur pro simulacro ad numen repræsentandum efficto, cui cultus exhibeatur, unde dicta idololatria. [g] B. Inane & vanum somniũ. [h] Quum pater à filio distinguitur, illi principiũ tribuitur. [i] Subsistimus. [k] Ioh. 13.13. Infr. 12.3. [k] Sed quemadmodum Pater Dominus etiam dicitur, sic Filius Deus: unius ergò nomen non personas, sed naturam respicit. [l] *Per* non caussam instrumentalem, sed efficientem significat. operatur enim unà Filius cum Patre, quod non ita est accipiendum ut duas caussas cõstituamus, quũ una sit natura & simplex utriusq; etiamsi Persona sint distincti. [m] B. Ratio cur id non consequatur, hæc est, quia quod vos scitis, non desunt qui ignorent: externarum autem actionum judicia non tantùm à vestra, sed etiam à spectatorum conscientia dependent, ac proinde vestræ actiones nõ tantùm ad vestram scientiam, sed etiam ad fratrũ ignorantiam accõmodari debent. [n] B. Applicatio rationis, Multi sunt qui non possunt nisi titubante conscientia vesci idolothytis, quòd ea impura esse existiment: itaq; si tuo exemplo aggrediantur quod intùs arbitrantur Deo displicere, polluitur eorum conscientia hoc esu cui malo occasionem præbuisti. [o] Conscientiam idoli vocat tacitum eorum judicium qui immunda putabant esse quæ idolis offerebantur, ideoq; illis bona conscientia uti non poterant: hæc enim est vis conscientiæ, ut opus natura sua mediũ, si bona fuerit, bonũ reddat, sin mala, malum. [p] B. Occupatio. An verò proptereà æquũ fuerit nos jure nostro fraudari? Imo (inquit Apostolus) nihil quod ad Christianismum attinet, vobis decedet si abstinueritis in fratrũ gratiam, sicut etiam sumtus cibus nihilo vos reddet sanctiores. Neq; enim nostri cõmendatio coram Deo posita est in cibis: sed cum fratris offendiculo uti libertate, id verò est libertate abuti, cujus è contrario legitimus usus est siquis ea sic utatur, ut fratris infirmi rationem habeat. [q] B. Altera clarior ejusdem rationis applicatio, proposito exemplo accubitus in idolorum templo: quod factum Corinthii malè inter res medias numerabant, quum simpliciter sit prohibitum ob loci circumstantiam, etiam cessante offendiculo, ut suo loco dicetur. [r] Rom. 14.15. [r] B. Amplificatio argumenti à cõparatis simul & cõtrariis sumta. Tu (inquit) homuncio de tua scientia tibi placens, quæ planè nulla est (neq; enim si vera scientia præditus esses, in idolorum templo accumberes) fratrémne pessumdabis tuo exemplo infirmam ejus conscientiam ad malè agendum confirmans, pro quo servando Christus ipse etiam mortem subiit? [s] B. Alia amplificatio, ejusmodi infirmi fratris offensionem in Christum ipsum redundare, ne putent isti sibi cum infirmis tantùm fratribus esse negotium. [t] Rom. 14.21. [t] B. Conclusio quam Paulus in suaipsius persona concipit, ne videatur ab aliis exigere cui sese prior ipse non subjiciat. Malim quidem ego, inquit, in perpetuum usq; omni carnis genere abstinere, quàm peccandi occasionem ulli fratri meo præbere: nedum ut certò loco vel tempore recusem in fratris gratiam immolatitiis carnibus non vesci.

CAPUT IX.

1 *Ostendit qualiter libertate à Domino sibi permissa* 15 *ultro abstinuerit,* 18. 22 *ne quem in rebus mediis offenderet.* 24 *Vitamq; nostram stadii instar esse dicit.*

1 Ad verb. Filius libertatũ, ut annotatũ est supr. ca. 7.

An non sum [1] liber? ánnon sum Apostolus? aut Jeschua Christum Dominum nostrum

Nonne [a] sum Apostolus? nonne sum liber? [b] Nonne Jesum Christum Dominum no-

[a] B. Antequam longiùs progrediatur in proposita hypothesi idolothytorũ, voluit omniũ istorum malorum caussam ostendere simul & tollere, nempe quòd de suo jure non putarent Corinthii se teneri decedere in cujusquam gratiam. Proponit igitur sese pro exemplo, & quidem in re penè prorsus necessaria. Agit tamen de utroq; seorsim, ac primùm de persona. Si (inquit) caussamini vos esse liberos, ac proinde velle vestra libertate uti, an non sum & ego liber, quum sim etiam Apostolus? [b] B. Apostolatum suum probat ab effectis, quòd ab ipso Jesu Christo fuerit designatus, & apud eos ipsos sui muneris auctoritas fuerit ipsorũ conversione magnificè obsignata. Proponit autem illis hæc omnia ob oculos, ut pudeat illos sese non aliquousque in infirmiorum fratrum gratiam demittere, quum ipse Apostolus nihil non fecisset ut eos penitus profanos Deo lucrifaceret.

strum vidi? nónne opus meum vos estis [c] in Domino?

2 Si aliis non sum Apostolus, at certè vobis sum: nam [d] sigillum Apostolatus mei vos estis in Domino.

3 [e] Mea defensio apud eos [f] qui in me inquirunt, hæc est;

4 [g] Annon habemus facultatem [h] vescendi ac bibendi?

5 Annon habemus facultatem [i] sororem uxorem circumducendi, ut & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?

6 An solus ego & Barnabas non habemus facultatem [k] non operandi?

7 [l] Quis [m] militat propriis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?

8 [n] Num [o] secundùm hominem hæc dico? nónne etiam Lex hæc dicit?

9 Nam in Mosis Lege scriptum est, [†] Non obligabis os bovi trituranti. [p] Num boves curæ sunt Deo?

10 An *hoc* propter nos omnino dicit? propter nos enim *hoc* scriptum est. Nam sub spe debet is qui arat, arare: & qui triturat sub spe, spei suę particeps esse.

11 [q] [‡] Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos vestra carnalia messuerimus?

12 [r] Si alii *sui* in vos [s] juris participes sunt, *an* non potiùs nos? atqui non usi fuimus jure isto: sed omnia sustinemus, ne interrumpamus Evangelium Christi.

13 [t] An nescitis [‡] eos qui sacris operantur, *ea quæ* ex [u] sacrario *sunt* edere? *&* qui altari assident, cum altari [x] participare?

14 Ita etiam Dominus constituit iis qui evangelium annunciant, [y] ut ex Evangelio vivant.

15 Ego tamen nullo istorum sum usus. [z] Neque verò hæc scripsi ut ita fiat in me. nam bonum est mihi mori potiùs, quàm ut gloriationem meam aliquis inanem reddat.

16 Etenim si evangelizem, non est quòd glorier: necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est nisi evangelizem.

17 Nam si volens hoc faciam, mercedem habeo: sin invitus, dispensatio credita est mihi.

18 Quę igitur mihi est merces? ut quum evangelizem, [a] gratuitum constituam Evangelium Christi, ut ne abutar sanctitate mea in Evangelio.

19 Nam quamvis liber sim ab omnibus, omnibus meipsum servum feci, ut plures lucrifacerem.

20 Et factus sum Judæis ut Judæus, ut Judæos lucrifacerem: iis qui sub [b] Lege sunt, ut si *essem* sub Lege, ut eos qui sub Lege sunt, lucrifacerem:

21 Exlegibus ut exlex, (*non tamen* exlex Deo, sed sublex Christo) ut lucrifacerem exleges.

[c] Per Dominum.
[d] Sigilli instar quo confirmaretur meum Apostolatum verè esse à Domino.
[e] B. Obiter hoc addit, acsi diceret, Tantum abest ut positis de meo Apostolatu dubitare, ut etiam eos qui hoc revocant in controversiam, soleam oppositis iis quæ apud vos per me egit Dominus refellere.
[f] Qui de me, quasi judices de reo quæstionem habent.
[g] B. Jam de re dicit, Quum & liber sim & verè Apostolus, cur mihi non liceat, non dico vesci idolothytis, sed meis laboribus sustentari, atque adeò uxorem etiam alere, quòd & reliqui Apostoli ac nominatim Johannes & Jacobus cognati Domini, & ipse Petrus jure faciunt?
[h] Ecclesiæ videlicet sumtis.
[i] Fidelem.
[k] Non vivendi ex manuum labore.
[l] B. Ne videretur Apostolos gravare, æquum esse quod facerent ostendit à comparatis, quum & milites stipendiis acceptis, & agricolæ suorum laborum fructibus, & pastores sui gregis proventu vivant.
[m] Militare solet.
[n] B. Secundo loco profert etiam ordinationis divinæ auctoritatem, à comparatis.
[o] Num iis tantùm nitor quæ ex hominum consuetudine valent?
[†] *Deuter.* 25.4. 1 *Tim.* 5.18.

[p] Num ad boves propriè respexit Dominus quum hanc legem conderet? nam alioqui minima etiam ad Dei curam pertinent. [q] B. Assumtio argumentorum cum amplificatione, quoniam ne sic quidem petitur ab illis merces, quæ meritis respondeat. [‡] *Rom.* 15.27. [r] B. Aliud argumentum maximi momenti: Alii apud vosmetipsos aluntur, ergo & mihi licuit, idq; etiam potiùs quàm cuiquam alii: & tamen recusavi, & quidvis adhuc potiùs malo perpeti nequid sit quod retardet Evangelium Christi. [s] Jus appellat facultatem vivendi alieno sumtu. [t] B. Ultimo tandem loco expressam de Levitarum alimentis Legem profert, quo tamen jure uti noluerit. [‡] *Deuter.* 18.1. [u] De templo (metonymia) id est, de iis quæ in templo offeruntur. [x] Altaris sunt socii in dividenda victima. [y] Ex eo quòd Evangelium prædicant. sequitur ex hoc loco, Paulum ex missarum proventibus, & ejus generis superstitionum, victum nec sibi quæsisse, nec voluisse inde aliis quæri. [z] B. Obiter avertit suspicionem, quòd hæc scripsisset quasi mercedem non persolutam repetens. Imò, inquit, mori malim, quàm in hoc instituto gratis evangelizandi non perseverare. Nam teneor quidem omnino evangelizare, quum hoc munus sit mihi à Domino commissum: sed nisi ultrò & ipsius Dei amore hoc fecero, nihil sanè fecerim quod probetur. Quòd si mallem Evangelium malè audire quàm mercedem non accipere, tum sanè constaret me non Evangelii, sed mercedis causa labores istos subire. Hoc autem ego appello jure suo non uti, sed ubertate [illegible] non hac in re, sed in cæteris etiam (quantum fieri potuit) omnibus omnia sum factus, ut eos lucrifacerem Christo, & unà cum ipsis Christo lucrifierem. [a] Pro [illegible] quo nullus sit sumtus, ab iis quibus illud annuncio. [b] Legis vocabulum, hoc loco ad illam partem, quæ erat ceremoniarum, est restringendum.

non vidi? aut non facti estis opus meum in Domino meo?

2 Et si aliis non fuerim Apostolus, attamen vobis sum: & sigillum Apostolatus mei vos estis.

3 Et [3] defensio erga eos qui judicant me, hæc est.

4 Numquid non est potestas nobis edendi & bibendi?

5 Aut numquid non est potestas nobis sororem uxorem circumducendi nobiscum, sicut reliqui Apostoli, & sicut fratres Domini nostri, & sicut Cipha?

6 Aut mihi tantùm & Barnabæ non est potestas [4] ut non operemur?

7 Quisnam militat militiam impensis suis ipsius? aut quisnam est qui plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? aut quisnam est qui pascit oves, & de lacte gregis sui non edit?

8 Numquid tamquam filius hominis hęc dico? Ecce etiam Lex hæc dicit.

9 Scriptum est enim in ipsa Lege Musche, Non obthurabis os bovis qui triturat. Numquid de bove cura est Deo?

10 Sed notum est cujus causa id dicat. Etenim propter nos scriptum est, eo quòd in spe oporteat ut arator aret, & qui triturat, [5] in spe proventus.

11 An nos qui [6] spiritum seminavimus in vobis, magnum est si à vobis quæ sunt corporis metamus?

12 Et, si aliis est potestas super vos, nónne nobis [7] convenit potiùs? Sed non usi sumus potestate hac: verùm omnia sustinemus, ut nulla re moremur Evangelium Christi.

13 Ignoratis vos quòd ii qui in domo sancta ministrant, ex domo sancta alantur? & ii qui altari serviunt, cum altari partem capiant?

14 Ita enim Dominus noster mandavit, [‡] ut ii qui Evangelium ipsius prædicant, ex Evangelio ejus vivant.

15 Ego autem non usus sum ullo ex eis, neque propter hoc scripsi ut ita fiat mihi: esset enim expeditius mihi ut [8] omnino morerer, [9] & non ut quis gloriam meam inanem reddat.

16 Quamvis enim evangelizem, non est mihi gloriatio: necessitas enim imposita est mihi, væ autem mihi [10] nisi evangelizavero.

17 Si enim [11] in voluntate mea hoc facio, merces est mihi: si autem præter voluntatem meam, [12] dispensatio fidei meæ commissa est.

18 Quę est igitur merces mea? ut quum evangelizo, [13] sine sumtibus efficiam prædicationem Christi, & non utar potestate quæ tradita est mihi in Evangelio.

19 Quum enim liber sim ab omnibus, omni homini subjeci meipsum, ut plures lucrifaciam.

20 Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem: & cum iis qui sunt sub Lege, factus sum tamquam qui est sub Lege, ut eos qui sub Lege sunt lucrifacerem:

21 Et illis quibus Lex non est, factus sum tamquam exlex, (quum non sim Deo exlex, sed [14] in Lege ipsius Christi) ut etiam illos qui exleges sunt lucrifacerem.

3 Syr. Eductio in latitudinem. Heb. 7. de quo in Act. Apost.
5 r. supple faciunt.
4 Id est, ut aliunde vivamus quàm ex labore manuum nostrarum.
5 In spe, pro Sub spe. 2 pro [illegible], antè observatum.
6 r. vel ea quæ sunt spiritus. Est enim Ellipsis relativi [illegible], Syris non insolens.
7 Repeto, Habere potestatem.
8 Ad verbum, Moriendo morerer. Emphatica reduplicatio, ut Luc. 22.
9 Id est, Potiùs quàm ut aliquis, &c. Sic passim Syri ex Hebraismo.
10 [illegible] Syriacè compositum ex [illegible] & [illegible] pro [illegible].
11 Hebraismus. Id est, Voluntariè.
12 Ad verbum, Nutritio domus. Phrasis Syra.
13 Hoc est, Gratis prædicem Christum.
14 Pro, sub Lege.

22 Factus

[15] Vel, Erga infirmos.

[16] In Syriaco cõtextu desideratur כל, Id est, Omnia: quod expressi ut clarior esset sententia, aut potiùs aliquis sensus colligi possit, & ita habuit manuscriptus codex Heidelbergensis.

[17] Ad verbum, Vivificarem, Hebraismus.

[18] Id est, Ut fructus Evangelii sim consors cum iis quibus Evangelium prædicaverim.

[19] Vocem Latinam & Græcam retinet, sed deflexam. Nã additur א ex more, nominibus quæ incipiunt à duabus consonantibus. [20] F. i. βραβεῖον, victoriæ præmium, metonymicè simile infrà 11.10. & Phil.3.14. [21] אגונא ex Græcis mutuatur. [22] i. Abstinet.

22 Factus sum [15] cum infirmis tamquam infirmus; ut infirmos lucrifacerem. omni homini factus sum [16] omnia, ut omnem hominem [17] servarem.

23 Hoc autem facio [18] ut sim particeps in Evangelio.

24 Ignoratis vos quòd ii qui in [19] stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit sibi [20] victoriam? ita currite ut comprehendatis.

25 Unusquisq; enim qui [21] certamen exercet, ab omni re [22] continet mentem suam, & ii qui currunt, ut accipiant coronam quæ corrumpitur, *currunt*: nos autem quæ non corrumpitur.

26 Ego igitur ita curro, ut non propter aliquid quod ignotum sit: & ita contendo, nequaquam ut contra aërem contendam:

27 Sed corpus meum subjicio & in servitutem redigo, ne fortè ego, postquam aliis prædicaverim, ipsemet reprobus sim.

22 Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lucrifacerem. [e] omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos servarem.

23 Hoc autem facio propter Evangelium, ut [d] consors ejus fiam.

24 [e] An ignoratis, eos qui stadio currunt, omnes quidem currere, sed unum accipere præmium? sic currite ut comprehendatis.

25 Porrò quisquis certat, in omnibus est [f] continens. Illi quidem itaq; ut perituram coronam accipiant, *sunt continentes*: nos autem, *ut* incorruptam.

26 Ego igitur ita curro, ut non in incertum: ita pugilem ago, ut aërem non cædens.

27 Sed contundo [g] corpus meum, & in servitutem redigo: ne quo modo, quum aliis prædicarim, ipse [h] rejectaneus fiam.

[c] In rebus mediis & indifferentibus. quasi diceret, me in omnes formas mutavi, ut omni ratione aliquos servarem.

[d] Ut & ego cum iis quibus illud annuncio, fructũ ex Evangelio percipiam.

[e] 2. Aliam hujus mali causam affert, nempe quod gulæ essent dediti. Erant enim solennes sacrificiorum epulæ: & plus satis celebratus semper fuit sacerdotum luxus. Itaque dum iis erat luxui assuetis, quam præsertim libertatem Evangelicam prætexerent, ab his conviviis arcet. Eos verò ex adverso Apostolus, tum jucunda similitudine, tum etiam suo exemplo ad sobrietatem, imò etiam ad carnis mortificationem vocat, negans aptos esse ad cursum vel pugillationem (cujusmodi certamina Isthmic.. erant) qui corpori indulgerent: ac proinde affirmans, nullum eos præmium manere, nisi aliam vitæ rationem insisterent. [f] Exquisitissima utitur diæta. [g] Veterem hominem spiritui reluctantem. [h] Reprobum non opponit electo, sed probato, cum nimirum quem experientia ostenderit non talem esse qualem esse oportebat.

CAPUT X.

1 *Si Deus Judæis non pepercit, neque iis parcet quibus sors est æqualis,* 3. 4 *in tesseris externis suæ gratiæ.* 14 *Itaque absurdum esse participes fieri mensæ dæmoniorum eos qui Cœna domini communicant,* 24 *& qui in rebus mediis rationem proximi non habent.*

[1] Ad verbũ, Per manum Musche.

[2] Hebraismus, id est, Spiritualem. & sic mox, Potum Spiritus pro Spirituali.

[3] Spirituali. Jam dictum.

[4] F. rectè ἀκολουθούσης, quæ ibat cum eis: est enim ἀκολουθεῖν, quasi ὁμοῦ κελεύθειν, ut ita dicamus, quemadmodum in Parallelis nostris exposuimus.

[5] i. Ab exterminatore. Hebr.

[6] Hoc est, Vos tentari.

[7] i. Sup. vires.

VOlo autem ut sciatis, fratres mei, quòd Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt:

2 Et omnes [1] per Musche baptizati sunt in nube & in mari:

3 Et omnes unum [2] cibum spiritus comederunt:

4 Et omnes unum potum spiritus biberunt. Bibebant enim de petra [3] Spiritus [4] quæ ibat cum eis. Petra autem illa ipse erat Christus.

5 Sed nequaquam in multitudine eorũ complacitum est Deo: ceciderunt enim in deserto.

6 Hæc autem, figura nobis erant, ne simus cupidi malorum, sicut illi concupiverunt.

7 Neque simus cultores simulacrorum, sicuti etiam ex illis *quidam* coluerunt: quemadmodum scriptum est, Sedit populus ad edendum & ad bibendum, & surrexerunt ad ludendum.

8 Neq; scortemur, sicut *quidam* ex eis scortati sunt, & ceciderunt uno die viginti tria millia.

9 Neq; tentemus Christũ, sicut etiam ex eis *quidam* tentaverũt, & perdiderunt illos serpentes.

10 Neq; murmuretis, sicut *quidam* ex eis murmuraverunt, & perierunt [5] per manus exterminatoris.

11 Hæc omnia quæ contigerunt illis, in figuram nostri fuerunt, & scripta sunt propter correptionem nostram, ad quos finis seculorum pervenit.

12 De cætero, qui putat quòd stet, caveat ne cadat.

13 Tentatio non pertingit vos, nisi filiorum hominis. Fidelis autem est Deus, qui non sinet [6] vos ut tentemini [7] plusquam id quod possitis,

NOlim [a] autem vos ignorare fratres, [b] Patres nostros omnes sub illa nube fuisse, [b] & omnes per mare transivisse:

2 [c] Et omnes in [d] Mosen [e] baptizatos esse nube & mari:

3 [f] Et omnes [f] eamdem [g] escam spiritualem edisse:

4 Et omnes eumdem potum spiritualem bibisse. [l] Bibebant enim [h] ex sequente spirituali petrâ: Petra verò illa [i] erat Christus.

5 Sed plerosq; illorum non approbavit Deus, [l] prostrati sunt enim in deserto.

6 [k] Hæc autem [l] typi nostri fuerunt, ut ne concupiscamus res malas, [l] sicut illi concupiverunt.

7 Ne igitur idololatræ estote, sicut quidam eorum, ut scriptum est, [l] Sedit populus ad edendum ac bibendum, & surrexerunt ad ludendum.

8 Neque scortemur, [l] sicut quidam eorum scortati sunt, & ceciderunt uno die viginti tria millia.

9 Neque tentemus [m] Christum, [l] sicut quidam eorum tentârunt, & à serpentibus perierunt.

10 Neque murmurate, sicut [l] quidam eorum murmurârunt, & perierunt ab exterminatore.

11 Hæc autem omnia typicè evenerunt eis: scripta verò sunt ad nostri admonitionẽ, in quos [n] fines seculorum occurrerunt.

12 [o] Itaque qui *sibi* videtur stare, videat ne cadat.

13 Tentatio vos non cepit, nisi [p] humana: fidelis autẽ *est* Deus qui non sinet vos tentari supra *id*

[a] 2. Illustrat quod dixerat, proposito horrendi judicii Dei exemplo, in eos qui & ipsi eadem reipsa, id est, ejusdem adoptionis & salutis tesseras atque nos habebant, & nihilominus quum idolorum epulis sese dedidisset, horrẽdis & multiplicibus pœnis affecti, in deserto perierunt. Hæc autem præterquã quòd appositissimè dicuntur in eos qui idololatrarũ conviviis interesent, ideò etiam videntur referri quòd nonnulli, dummodo cœtus Ecclesiasticos frequentarent, & baptizati sacro convivio interessent, Christum confitentes, externa illa putabant tanti non esse, ut Deus propterea ipsis succenseret.

[l] *Exod.* 13.21. *num.* 9.18.

[b] Sic Paulus loquitur fœdus respiciens, non personas, nisi in genere. [l] *Exod.* 14.22. [c] 2. Re paria fuerunt veterum Sacramenta cum nostris, ut quæ ipsa in unum Christum respicerent, qui variis typis sese illis ingerebat. [d] Mose illis præeunte. [e] Omnes quidem externo symbolo baptizati fuerunt, sed non reipsa, quod illis, non Deo imputandum. [l] *Exod.* 16.15. [f] Eamdem videlicet atq; nos. [g] Mannam quæ spiritualis fuit cibus credentibus, qui fide Christum verum cibum amplectebantur. [l] *Exod.* 17.6. *num.* 20.10. & 21.16. [h] Ex rivo & rupe profluente, qui populum sit comitatus. [i] Sacramentaliter significabat, id est, ita ut esset verè adjuncta rei veritas: Deus enim non nudum signum, sed rem etiam ipsam significatam offert fide spiritualiter percipiendam. [l] *Num.* 26.65. [k] 2. Applicatio exempli, adversus eos qui cupiditatibus suis abripiuntur extra metas à Deo propositas. Hęc enim est malorum origo, cujusmodi sunt idololatria (cujus comes est gula) scortatio, insurrectio adversus Christũ, murmur, & similia quæ gravissimis pœnis in populo veteri Dominus vindicavit: ut nos qui illis successimus, & multo plenioreẽ habemus divinæ voluntatis declarationem, ita fiamus cautiores. [l] Qui Sacramenta nostra significarent. fuit enim Circumcisio Israëlitis quidem sigillũ justitiæ, nobis autem typus fuit baptismi. sic de aliis. [l] *Num.* 11.4. & 26.64. *psal.* 106.14. [l] *Exo.* 32.6. [l] *Num.* 25.9. [m] Tentare Christũ est eum velut ad certamen provocare, quod ii faciunt, qui ejus cognitione abutentes eam suis cupiditatibus prætexunt. [l] *Num.* 21.6. *psal.* 106.14. [l] *Num.* 14.37. *jud.* 8.24. [n] Seculum hoc nostrum finis vocatur, est enim seculorũ complementũ. [o] 2. Tandem ad Corinthios ipsos delabitur, monens, ne sibi placeant, sed ut potiùs Satanæ astutiis occurrant. Utitur tamen insinuatione, & eos etiam erigit, ne videri possit eos perditis illis idololatris & Christi contẽtoribus qui in deserto perierunt, penitùs similes facere. [p] Quę ab infirmitate proficiscitur.

q Ille qui vos vestri boni gratia tentari voluit aditum faciet ad evadendum.

r B. Jam rediens ad illas idolorum epulas, ne quid tergiversari possint, præfatur sese non aliis rationibus usurum quàm quas ipsimet optimè norint. Est autem inductio à simili; Sacra convivia Christianorum sunt pignora communionis ipsorum cum Christo in primis, deinde etiam inter se: Israëlitæ quoque suis sacrificiis mutuam in una eademq; religione copulationem sanciunt: ita igitur etiam idololatræ cum suis idólis aut potiùs dæmoniis (idola enim nihil sunt) solennibus illis epulis copulantur. Ex quo efficitur mensam illam esse dæmoniorum mensam: fugienda est igitur vobis. Neque enim fieri potest ut cũ Domino simul & cum dæmoniis quicquam habeatis commune, nedum ut hujusmodi epulas in rebus mediis rectè numeretis. An igitur vultis cum Deo confligere? & si id feceritis an vos putatis fore superiores?

s Gratiarum actionis, unde Eucharistia dicitur sacrum illud epulum.

t Efficax tessera nostræ cũ Christo conjunctionis, atque adeò incorporationis.

u Qui adhuc ceremoniis vacant.

x Ejusdem cultus ac sacrificii sunt conscii.

quod potestis, sed unà cum tentatione q præstabit etiam exitum, ut possitis *eam* sufferre.

14 Quapropter, dilecti mei, fugite ab idololatria.

15 r Ut intelligentibus loquor; judicate vos quod aio.

16 Poculum s benedictionis cui benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? panis quem frangimus, nónne t communio corporis Christi est?

17 Quoniam unus *est* panis, unum corpus *nos* illi multi sumus: nam omnes ex uno illo pane participamus.

18 Videte Israëlem *qui est* u secundùm carnem: nónne qui edunt victimas, x consortes sunt altaris?

19 Quid ergò dico? idôlum aliquid esse, aut quod idôlis immolatum est, aliquid esse?

20 Imò *illud dico*, quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolim autem vos y consortes dæmoniorum esse.

21 Non potestis poculum Domini bibere, & z poculum dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.

22 An provocamus ad æmulationem Dominum? num validiores eo sumus?

23 a b Omnia mihi licent, at non omnia conferunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.

24 Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius *est*.

25 c Quicquid in d macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.

26 [I] Domini enim est terra & e plenitudo ejus.

27 Quòd si quis infidelium vos vocat, & vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.

28 At si quis vobis dixerit, Hoc idólis mactatum est, ne edite, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam: Domini enim est terra & plenitudo ejus.

29 Conscientiam autem dico, non tuam, sed illius alterius. f cur enim libertas mea damnatur ab alia conscientia?

30 Et si ego per g gratiam *cibum* participo, cur *ob id* impius judicor pro quo ego gratias ago?

31 h [I] Sive igitur editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

32 Estote sine offendiculo & Judæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei.

33 Sicut & ego *per* omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum, ut serventur.

sed faciet tentationi vestræ exitum, ut possitis sustinere.

14 Propter hoc, dilecti mei, fugite à cultu simulacrorum.

15 Tamquam sapientibus loquor: judicate vos id quod dico.

16 Poculum gratiarum actionis cui benedicimus, nónne est communio sanguinis Christi? & panis quem frangimus, nónne communio est corporis Christi?

17 Ut igitur unus est panis ille, ita omnes nos unum sumus corpus. omnes enim ex illo eodem pane accipimus.

18 Videte Israjel qui est secundùm carnem. nónne illi qui edunt victimas, sunt consortes altaris?

19 Quid igitur dico? Quòd simulacrum aliquid sit? aut [8] victima simulacri aliquid sit? Non.

20 Sed id quod immolant prophani, dæmoniis immolant, & non Deo. non autem volo ut sitis consortes dæmoniorum.

21 Non potestis bibere poculum Domini nostri, & poculum dæmoniorum: neque potestis fieri participes [9] in mensâ Domini, & in mensa dæmoniorum.

22 Aut an [10] provocando ad zelotypiam provocamus Dominum nostrum ad zelotypiam? an potentiores sumus eo?

23 Cujusq; rei potestas est mihi, sed non quælibet res expidit: cujusq; rei potestas est mihi, sed non quælibet res ædificat.

24 Nemo quod proprium est quærat, sed quisque etiam quæ sunt proximi sui.

25 Quicquid venditur in [11] macello, edite absq; disquisitione propter conscientiam.

26 Domini enim est terra cum plenitudine ejus.

27 Siquis autem ex profanis [12] vocat vos, & vultis ire, quicquid ponitur ante vos, edite absq; disquisitione propter conscientiam.

28 Siquis autem dixerit vobis quòd hoc [13] victimæ sit, ne edatis, propter eum qui dixit vobis, & propter conscientiam.

29 Conscientiam autem dico, nequaquam vestram, sed ejus qui *id* dixit. Cur enim libertas mea [14] judicatur a conscientia aliorum?

30 Si ego per gratiam utor, cur convitiis afficior pro eo quòd gratias ago?

31 Sive igitur edatis, sive bibatis, sive aliquid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite.

32 Estote sine offendiculo Judæis & [15] Græcis, [16] & [17] Ecclesiæ Dei.

33 Quemadmodũ etiam ego in omni re omni homini placeo, nec quæro id quod mihi expedit, sed quod pluribus expedit, [18] ut salvi fiant.

[8] Quasi dicat, Oblata simulacro.

[9] F. vel mensæ: nam illud postulat Syra constructio, & hoc significat.

[10] Hoc est, Incendimus totum zelotypia. Ingeminatio emphatica.

[11] Romanam vocem retinet.

[12] Hebraism. Vocat & invitat ad epulas.

[13] i. Pertineat ad idolothytum.

[14] Vel, Damnatur. Hebr.

[15] F. Syrè Aramæis, vide in Act. 20. 21.

[16] Et, pro, id est, exegeticὼs.

[17] F. Ad cujus ordinem & constitutionem publicam pertinent sequentia. Hæc igitur μετάβασις artificiosa.

[18] Syrè, Ut vivant. Hebraism.

y Cum dæmoniis quicquam habere commune, aut in eam societatem coire, quæ dæmoniorum auspiciis coit. z Solebant profanæ Gentes festa sua convivia, ejus Dei laudibus cui sacrificatum erat, & libatione claudere. [I] *Suprà 6. 12. eccle. 37. 27.* a B. Accedens ad aliam idolothytorum speciem, repetit generalem illam regulam, In rerum mediarum usu, non nostri separatim, sed etiam proximorum habendam esse rationem, ac proinde multa per se licita esse, quæ propter proximi offensionem facere sit nefas. b Vide suprà 6, 13. c B. Applicatio regulæ ad propositam hypothesin, Quicquid in macello venit, tamquam ex Domini manu promiscuè emere, & domi cum fidelibus, sive etiam domum ab infidelibus vocati, in privato videlicet convictu, edere potestis, sed addita exceptione, nisi quis infirmus adsit, cujus conscientia offendatur appositis immolatitiis carnibus. Tum enim vobis omnino habenda est illius infirmitatis ratio. d Solebant prostare venales carnes sacrificatæ, quarum pretium ad sacerdotes redibat. [I] *Psal. 24. 1.* e Infinita illa rerum copia, quibus plena est. f B. Ratio, quia nobis non est committendum ut libertas nostra malè audiat, & beneficium Dei, quo uti debemus cum gratiarum actione, in crimen impietatis vertatur, idq; nostra culpa, si infirmorum conscientiam malimus offendere, quàm de nostro jure in re nihili decedere, atque ita occasionem infirmis præbere ita de nobis & libertate Christiana judicandi. Transfert autem Apostolus ista in suam personam, ut tanto minus habeant Corinthii quod illi opponant. g Si ex Dei beneficio hoc vel illo cibo uti mihi licet, cur committam ut mea culpa hoc Dei beneficium mihi vitio vertatur? h B. Conclusio, ita esse nobis instituendam vitam, ut nosipsos non quæramus, sed Dei gloriam, ac proinde quàm plurimorum salutem: qua in re non dubitat seipsum Apostolus Corinthiis (suo videlicet gregi) pro exemplo proponere, sed ita ut eos ad ipsum archetypum (id est, Christum) revocet, quò & ipse respiciat. [I] *Coloss. 3. 17.*

CAPUT XI.

1 *Notat Corinthios, quòd in sacris cœtibus* 4 *viri orarent velatis capitibus,* 6 *mulieres verò retectis.* 17 *in summa, quòd in pejus convenirent,* 21 *& profana symposia permiscerent epulo sacro Cœnæ Domini:* 23 *quam ad primam Christi institutionem exigit.*

Imitatores mei estote, sicut etiam ego Christi.
2 Laudo autem vos, fratres mei, quòd in omni re memores estis mei, & sicut tradidi vobis mandata, retinetis.
3 Volo autem ut sciatis quòd omnis viri caput est Christus: & caput mulieris vir est: & caput Christi Deus est.
4 Omnis vir qui orat aut [1] prophetizat tecto capite suo, pudefacit caput suum.
5 Et omnis mulier quæ [2] orat aut prophetizat discooperto capite suo, pudefacit caput suum. æquiparatur enim cum ea cujus rasum est caput.
6 Si enim non tegitur mulier, etiam radatur: si autem turpe est mulieri radi aut tonderi, tegatur.
7 Vir enim non debet tegere caput suum, quia imago est & gloria Dei: [3] mulier verò gloria est viri.
8 Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro.
9 Neq; enim vir creatus est propter mulierem, sed mulier propter virum.
10 Propter hoc debitrix est mulier ut [4] potestas sit super caput ejus, propter Angelos.
11 Verùmtamen non est vir absque muliere, neque mulier absque viro, in Domino nostro.
12 Quemadmodum enim mulier est ex viro, ita vir [5] per mulierē: omnis verò res ex Deo est.
13 Iudicate [6] inter vosipsos, *An* decet mulierem ut nudato capite suo oret Deum?
14 Nónne etiam ipsa natura docet vos, quòd viro ex quo crevit coma ejus, ignominia est ipsi?
15 Et mulieri, ex quo [7] crevit coma ejus, gloria est ipsi? quia coma ejus pro velamine data est ei.
16 Si quis autem contendit de his, nobis non est consuetudo hujusmodi, neq; Ecclesiæ Dei.
17 Hoc autem quod præcepturus sum, non *dico* tamquam laudans vos, quia [8] non progressi estis, sed ad id quod minus est, descendistis.
18 Primùm enim quum congregamini in Ecclesia, dissidia audio quòd sint inter vos: & [9] aliqua ex parte credo.
19 [10] Oportet ut etiam contentiones sint inter vos, ut qui probati sunt inter vos, innotescant.
20 Quum igitur congregamini, non sicut justum est [11] in die Domini nostri, comeditis & bibitis.
21 Sed unusquisq; cœnam suam prius edit sibi, & fit *ut* unus esuriat, & alius ebrius sit.
22 Nunquid domus non sunt vobis, ut comedatis & bibatis? An ecclesiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos [12] quibus nihil est? Quid dicam vobis? laudabo vos? In hoc non laudo.

[1] F. Nempe memoriter, aut de scripto enuncians verbū ipsum Dei, sermone, aut cantu (Nam etiam Prophetæ symbolis, & Levitæ olim in templo instrumentis musicis personantes in Testamento vetere dicti sunt prophetare) aut mente enunciantem sequens, ut privati in Ecclesia faciunt.
[2] F. Putà ut sanctum Ecclesiæ membrum, sed enunciantem Dei servū animo consequens & signo; non autem ipsa obiens in Ecclesia Domini partem ullam sacri ministerii: qua re interdicit Apostolus infr. 14.34.
[3] F. Putà in Ecclesia ex sancto & decoro ordine: nam hæc κατὰ τι dicta sunt.
[4] i. Velamen, quod ejus subjectionis, & alterius in eam potestatis est signum: ideò ipsum hic vocat potestatem, tribuens signo nomen rei signatæ, metonymicῶs.
[5] Ad verbum, per manum mulieris, Hebraismus.
[6] Ad verbum, Inter vos & animam vestram. Hebraismus.
[7] Ad verbum, Crescit.
[8] Ad verbum, Non ad id quod est ante vos, ivistis.
[9] Syrè, Aliquid, aliquid.
[10] F. Syrè, futuri estis ut contentiones, &c. [11] Id est, die quo celebratur cœna à Domino nostro instituta. [12] Id est, Inopes.

[a] Imitatores mei estote, sicut ego Christi.
2 [a] Laudo verò vos, fratres, quòd omnia mea meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones retinetis.
3 [b] Velim autem vos nosse [f] Christum esse omnis viri caput: caput autem mulieris, virum: caput verò [c] Christi Deum.
4 [d] [e] Omnis vir orans aut prophetans operto capite, dedecorat caput suum.
5 [f] Omnis verò mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecorat caput suum: [g] nam *id* unum ac idem est ac si rasa esset.
6 Nam si non operitur mulier, etiam tondeatur: quòd si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.
7 [h] Vir enim non debet operire caput, [i] quū *is* imago sit & gloria Dei: at mulier, gloria viri est.
8 [i] Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro.
9 [l] [k] Neque enim conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.
10 [l] Propter hoc debet mulier [m] potestatem habere in capite [n] propter Angelos.
11 [o] Attamen neq; vir absque muliere, neque mulier absque viro, [p] in Domino.
12 Sicut enim mulier ex viro *est*, ita & vir per mulierem: omnia verò ex Deo.
13 [q] Apud vos ipsos judicate, *num* decorum est mulierem non opertam Deum orare?
14 An ne natura quidem ipsa hoc vos docet, quòd viro quidem comatum esse dedecori sit:
15 Contrà mulieri, comatam esse decori sit? Nam coma [r] pro velamine data est ei.
16 [s] Quòd siquis videtur contentiosus esse, nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neq; Ecclesiæ Dei.
17 [t] Hoc verò *ita* denuncio ut vos non laudem, quòd *videlicet* non cum emolumento sed cum detrimento convenitis.
18 [u] Primùm enim, quum convenitis in Ecclesia, audio dissidia inter vos esse: & aliquam partem credo.
19 [x] Oportet enim etiam hæreses inter vos esse, ut qui [y] probati sunt, manifesti fiant inter vos.
20 Quum igitur convenitis eodem loci, *hoc* [z] non est Dominicam cœnam edere.
21 Nam unusquisque propriam cœnam [a] præoccupat in vescendo: & hic quidem esurit, ille verò ebrius est.
22 [b] Enimvero num domos non habetis ad edendum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent? Quid vobis dicam? laudabo vos? in hoc non laudo.

[i] 2. Thess.3.9.
[a] B. Quintus hujus Epistolæ tractatus, De publicorum cœtuum recta dispositione, tria capita complectens, nempe de virorum & fœminarum decenti habitu, de Cœnæ Domini ritu, & de recto donorum spiritualium usu. Reprehensurus autem nonnulla, incipit tamen ab eorum laude universali, traditiones appellans particulares de decore & honestate leges, ad Ecclesiasticam politiam spectantes, quas postea Canonas vocârunt.
[b] B. Deum in Christo mediatore proponit, non modò pro doctrinæ, sed etiam pro Ecclesiastici decori fine ac scopo. Deinde ad quæstionem propositam, de virorum & fœminarum habitu in publicis cœtibus dicenti, illud accommodans, declarat fœminam uno gradu inferiorem esse viro, ex Dei ordinatione: virum autem sic subjectum esse Christo, ut in eo oporteat gloriam Dei propter [illegible] eminentiam [illegible] elucere.
[f] Ephes.5.23.
[c] Quatenus Christus est Mediator.
[d] B. Hinc colligit, viros si operto capite (quod tum habebat ut subjectionis signum) publicis cœtibus ad audiendum Verbū & preces concipiendas [illegible] interfuit, [illegible] sua dignitate [illegible] ipsos privare, [illegible]

tra Dei ordinationem. [e] Politicam hanc esse legem Pauli temporis sui circumstantiis accommodandam hinc docetur, quòd hodie contraria prorsus ratione capite aperto loqui in cœtu signum est subjectionis. [f] B. [illegible] etiam colligit, fœminas quæ subjectionis signo, id est velo, sublato, in Ecclesiasticis cœtibus apparent, seipsas dedecorare. [g] B. Argumentum primùm [illegible] communi, quasi dictante fœminis natura, turpe illis esse non velato capite prodire in publicum, quæ tam densis & prolixis comis eas donârit, quas etiam adeò studiosè alant, ut nullo modo radi sustineant. [h] B. Occupatio, Nónne [illegible] viris datæ sunt? Concedo, inquit Apostolus, sed aliud obstat. Nam conditus est vir ut in ejus dominio eluceat Dei gloria: fœmina verò, ut suæ subjectionis professione virum reddat augustiorem. [i] *Genes.1.26.27. & 5.1. & 9.6. Coloss.3.10.* [k] B. Inæqualitatem mulieris [illegible] probat ex eo quòd vir sit [illegible] fœminæ principium. [l] *Genes.2.22.* [k] B. Secundò probat potestatem [illegible] ex eo quòd uxor sit viri [illegible], non autem vir [illegible]tiam. [l] B. Conclusio, oportere velatas esse fœminas, ut subjectionem [illegible] signo testentur. [m] Velamen, quod sit subjectionis symbolum. [n] B. Quid hoc sit, non dum mihi liquet. [o] B. Digressio, quam adhibet Apostolus, ne quod de virorum eminentia, & fœminarum gradu inferiore dictum erat [illegible] ecclesiasticæ respectu, perinde accipiatur ac si nullus sit istius imparitatis modus. Viros ergo [illegible], ut [illegible] viros non condiderit Dominus, sed etiam fœminas: & ita esse conditam fœminam ex viro, ut viri vicissim interventu fœminæ gignantur: quæ res admonet [illegible] servandum esse illum [illegible] gradum, ut mutua conjunctio foveatur. [p] Per Dominum. [q] B. Inculcat argumentum à communi natura [illegible]. [r] Ut esset illi velamen. [illegible] quidem ejusmodi quod aliud accerseret. [s] B. Præfractè contentiosis ad ultimum [illegible] est, Ecclesias Dei alienas esse à contentionibus. [t] B. Transitio ad sequentem tractatum de recta cœnæ Domini administratione. [illegible] hac asperiore præfatione Apostolus, ut intelligant Corinthii se quod in genere observabant, (id est Apostoli monita) in re tamen vel præcipua non sine magna culpa neglexisse. [u] B. In Cœna Dominica celebranda requiritur [illegible] in doctrinæ veritate, tum in affectibus, ne profanetur. [x] B. Schismata & hæreses, etsi ex diabolo oriuntur & mala sunt, tamen temerè non eveniunt, & electorum etiam commodo cedunt. [y] Quos experientia docuerit esse fideles & pietatis sinceræ. [z] Usitata hyperbole Apostolus præcisè negat fieri, quòd à plerisque ritè non fiebat. [a] Aliis non exspectatis sumit. [b] B. Agapas quæ fuerunt diu & quidem laudabiliter, auctoribus ipsis Apostolis, in Ecclesiis usurpatas, tamen propter abusum tollendas censet Apostolus.

[e] 2. Vera celebrandæ Cœnæ Domini forma ex ipsius institutione petenda est, cujus hæ partes sunt quod ad pastores attinet, Annunciare mortem Domini prædicando ipsius verbum: benedicere panem & vinum, invocato Dei nomine, & ejus institutione cum precibus explicata: ac demum fractum panem, comedendum, & acceptum poculum, bibendum tradere, unà cum gratiarum actione. Ex parte verò gregis, Probare seipsum, i. explorare tum notitiam, tum fidem, tum resipiscentiam suam: annunciare mortē Domini, i. vera fide ipsius verbo & institutioni assentiri: ac demùm acceptum ex ministri manu panem edere, & vinum bibere, & gratias Domino agere. Hæc fuit Pauli, & Apostolorum liturgia.

23 [a] Ego enim accepi à Domino quod &
tradidi vobis, Dominum Jesum *videlicet* ea nocte
qua proditus est, accepisse panem:
24 [b] Et gratiis actis fregisse, ac dixisse, Accipite, edite: hoc meum est corpus quod pro vobis
[d] frangitur: hoc facite ad mei commemorationem.
25 Itidem & poculum, postquam cœnâsset,
dicendo, Hoc poculum est Novum illud fœdus,
per meum sanguinem: hoc facite quotiescumq;
biberitis ad mei commemorationem.
26 Quotiescumq; enim ederitis panem hũc,
& poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, usquequò venerit.
27 [l] [e] Itaq; quisquis ederit panem hunc, vel
biberit poculum Domini [f] indignè, reus tenetur
corporis & sanguinis Domini.
28 [g] Probet autem [h] quisq; seipsum, & ita de
pane illo edat, & de poculo illo bibat.
29 Nam qui edit & bibit indignè, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non [i] discernens corpus Domini.
30 [k] Propterea inter vos multi *sunt* debiles &
invalidi, & dormiunt multi.
31 Etenim si nosipsos [l] dijudicaremus, non
judicaremur.
32 Sed dum judicamus, à Domino erudimur,
ne cum mundo condemnemur.
33 [m] Itaq; fratres mei, quum convenitis ad vescendum, alius alium exspectate.
34 [n] Quòd siquis esurit, domi edat: ne ad condemnationem conveniatis. [o] Reliqua verò, quum
venero, ordinabo.

23 Ego enim accepi à Domino nostro id quod
tradidi vobis, quòd Dominus noster Jeschua ea
nocte qua traditus fuit, accepit panem:
24 Et benedixit ac fregit, & dixit, Accipite,
manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. ita facite ad memoriam mei.
25 Similiter postquam cœnati sunt, etiam poculum dedit, & dixit, Hoc poculum est Testamentum meum in sanguine meo. ita facite quotiescumq; bibitis, ad memoriam mei.
26 Quotiescumque enim comeditis panem
hunc, & bibitis poculum hoc, mortem Domini
nostri commemoratis, usq; ad adventum ejus.
27 Qui igitur edit de pane Domini, & bibit
de poculo ejus, & non est dignus eo, reus est
sanguinis Domini & corporis ejus.
28 Propter hoc probet homo seipsum, & tunc
comedat de pane hoc, & bibat de poculo hoc.
29 Qui enim edit & bibit ex eo [13] indignus,
condemnationem [14] sibiipsi edit & bibit, quia
non discernit corpus Domini.
30 Propter hoc multi inter vos ægroti & infirmi sunt, & multi qui obdormiunt.
31 Si enim nosipsos dijudicaremus, non judicaremur.
32 Quum autem à Domino nostro judicamur, [15] castigando castigamur, ne cum mundo
condemnemur.
33 Itaque, fratres mei, quum congregamini
ad edendum, exspectate alter alterum.
34 Qui autem esurit, domi suæ cibum sumat,
ne ad condemnationem congregemini. De reliquis autem, quum venero, mandabo vobis.

[13] Syrè, Quum non est dignus.
[14] Syrè, Animæ suæ. Hebr. ut versu 28.
[15] Id est, Severiùs erudimur.

[a] *Matth.* 26.26. *mar.* 14.22. *luc.* 22.19. [d] Fractionis nomine designatur mortis genus, quoniam Domini corpus gravissimis cruciatibus laceratum, contusum, atque etiam fractum fuit, etiamsi non perinde fuerint fracta crura ejus ut latronum. [l] *John* 6.55. [e] 2. Qui sacra symbola contemnit, (id est, minùs rectè iis utitur) non panis & vini, sed rei ipsius (id est Christi) contemtor habetur, & ejus sceleris graves pœnas luet. [f] Aliter quàm dignum est tanta mysteria tractari. [l] 2. *Cor.* 13.5. [g] 2. Probatio sui ipsius necessariò in Cœna requiritur, ac proinde admitti ad illam non debent qui seipsos probare non possunt, veluti infantes, furiosi ac mente capti, itemq; homines Christianæ religionis vel nulla vel non satis plena cognitione imbuti, & si qui alii sunt ejusmodi. [h] Hinc apertè refellitur fides implicita Sophistarum. [i] Discernere corpus Domini dicitur qui dignitatis illius habet rationem, ac proinde ad hunc cibum cum magna reverentia accedat. [k] 2. Profanatio corporis & sanguinis Domini in ipsius mysteriis severè ab ipso vindicatur, ac proinde tanto malo tempestivè occurrendum, sese condemnando & corrigendo. [l] Probaremus & exploraremus, fide & resipiscentia nosipsos à profanis secerneremus. [m] 2. Cœna Domini est communis actio Ecclesiæ, ac proinde privatis cœnis nullus locus relinquitur. [n] 2. Non ad pascendum ventrem, sed ad animum communione Christi reficiendum instituta est cœna Domini, ac proinde à communibus epulis separari debet. [o] 2. Quæ ad ordinem spectant, ut locus, tempus, precum formulæ, & cætera ejusmodi, pro ratione temporum, locorum & personarum, disposuit Apostolus in Ecclesiis.

CAPUT XII.

1 *Ut à contentione & superbia Corinthios avocet, dicit spiritualia dona ideò varia conferri,* 7 *ut per illa mutuò collata,* 12 *coalescamus ea symmetria in unum Christi corpus,* 20 *quemadmodum membra corporis humani in unum coalescunt.*

[a] 2. Jam aggrediens tertium locum hujus tractatus, id est, de recto spiritualium donorum usu, non obscurè significat Corinthios illis fuisse abusos. Nam qui excellebant, ambitiosè illa jactantes, Deum bonorum donorum auctorem sua laude fraudabant: & nulla fratrum habita ratione, illis ad inanem ostentationem abutebantur, ac proinde Ecclesiam illorum donorum usu privabant. Abjectiores autem vicissim excellentioribus invidentes, secessionem meditabantur, ut totum illud corpus velut dissectum ac dissipatum esset. Istis ergo abusibus remedium allaturus, primùm eos jubet diligenter considerare, se omnia hæc dona aliunde habere, nempe ex Dei gratia ac mera liberalitate, ad cujus gloriam sint referenda. [b] Nescire à quo & in quem finem hæc dona vobis sint concessa. [c] 2. Hoc probat ex prioris eorum status collatione, cùm eo in quo tunc erant excellentibus illis donis ornati. [d] A vero Dei cultu ac fœdere prorsus alienos. [e] 2. Conclusio, Scitote igitur vos de Christo ne hiscere quidem in ipsius gloriam posse, nisi ex Spiritus sancti gratia. [f] *Marc.* 9.39. [f] Exsecrari, vel quocumq; modo de ipsius gloria detrahere. [g] *Sup.* 8.6. *john* 13.13. *phil.* 2.11. [g] 2. Secundo loco, jacit aliud fundamentum, nempe diversa quidem esse hæc dona, sicut diversæ sunt functiones, & diversa earumdem munera, sed unum eumdemq; Spiritum, Dominum, ac Deum, esse omnium istorum datorem, & quidem in eumdem finem, nempe ad communem utilitatem. [h] Disertè distinguit Spiritum, à donis. [i] Sic Paulus vocat vim illam latentem à Spiritu sancto manantem, quæ quidem illos ad mirifica aptos reddebat. [k] Spiritus sese gratis patefacit, quum videlicet hæc dona largitur. [l] Usum Ecclesiæ.

PORrò de [a] spiritualibus *donis*, fratres, nolim vos
in [b] ignorantia versari.
2 [c] Scitis vos [d] Gentes fuisse, qui ad idola
illa muta, prout rapi contigisset, abripiebamini:
3 [e] Quapropter notum vobis facio, [f] nullum
per Spiritum Dei loquentem, dicere Jesum [f] anathema, [g] & neminem posse dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum.
4 [g] Distinctiones autem donorum sunt, sed
[h] idem Spiritus.
5 Et distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus:
6 Et distinctiones [i] operationum sunt, sed idem est Deus efficiens ea omnia in omnibus.
7 Unicuique verò [k] datur declaratio Spiritus
ad [l] utilitatem.

DE spiritualibus autem, fratres mei, volo ut
sciatis,
2 Quòd profani fuistis, & ad simulacra, &
ad ea quibus non est vox, sine discrimine ducebamini.
3 Idcirco notum facio vobis, quòd nemo est
qui per Spiritum Dei loquatur, & dicat quòd anathema est Jeschua: neque quisquam potest
dicere quòd Dominus sit Jeschua, nisi per spiritum sanctum.
4 Discrimina autem donorum sunt, sed unus
est Spiritus:
5 Et discrimina ministeriorum sunt, sed unus est Dominus:
6 Et discrimina virtutum sunt, sed unus est
Deus qui operatur omnia in omni homine.
7 Unicuiq; autem datur manifestatio Spiritus, sicut prodest ei.

[1] Ad verbum, Viro, viro. Hebraismus.

8 Est cui datur per Spiritum sermo sapientię: alii autem sermo scientię, per eumdem Spiritum:

9 Alii fides per eumdem Spiritum: alii dona sanationis, per eumdem Spiritum:

10 Alii autem virtutes: alii autem prophetia: alii autem discretio spirituum: alii autem genera linguarum: alii autem interpretatio linguarum.

11 Omnia autem hæc unus Spiritus facit, & dividit [2] unicuique prout ipse *Spiritus* vult.

12 [3] Sicut enim corpus unum est, & sunt in eo membra multa, omnia autem membra corporis, quamvis plura sint, unum sunt corpus: ita etiam [4] Christus.

13 Etenim nos quoque omnes per unum Spiritum in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive [5] Gentiles, sive servi, sive [6] liberi: & omnes nos unum Spiritum imbibimus.

14 Nam etiam corpus non est unum membrum, sed multa.

15 Si enim dicat pes, Propterea quòd non sum manus, non sum de corpore, num propter hoc non est de corpore?

16 Et si dicat auris, Quia non sum oculus, non sum de corpore: num propterea non est de corpore?

17 Si enim totum corpus oculi essent, ubi esset auditus? & si totum ipsum auditus esset, quomodo olfaceret?

18 Nunc autem Deus posuit [7] unumquodq; ex membris in corpore sicut ipse voluit.

19 Si autem omnia unum essent membrum, ubi esset corpus?

20 Nunc autem membra sunt plura, unum est autem corpus.

21 Non potest oculus dicere manui, [8] Non necessaria es mihi: neq; caput potest dicere pedibus, Non estis necessarii mihi.

22 Sed potiùs illa membra quæ existimantur esse infirma, [9] illa ipsa sunt necessaria.

23 Et quæ existimamus ignominiosa esse in corpore, honorem illis ampliorem adjicimus: & quæ [10] honestatis sunt, honestatem ampliorem exercemus circa ea.

24 Quæ autem membra sunt in nobis quæ sunt decora, non est opus eis *extraneo* honore: Deus enim contemperat corpus, & dat honorem majorem membro illi quod [11] minutius est.

25 Ne sit dissidium in corpore, sed omnia membra æquabiliter, unum pro alio curam habeant:

26 Et quando unum membrum fuerit dolens, omnia compatiantur: &, si glorificetur unum membrum, omnia membra glorificentur.

27 Vos autem corpus estis Christi, & membra [12] in locis vestris.

[2] Ad verbum, Cuivis homini. Hebraism.
[3] Idem error qui antè notatus est, איכנא pro אכנא vide Rom. 5.19.
[4] F. μυστικῶς, nempe ut caput cum Ecclesia coagmentatum in unitate Spiritus.
[5] F. Syrè, Aramæi, vide in Act 20.21.
[6] Ad verbum, Filii libertatum. Hebraism.
[7] Syrè, Unum unum Hebr.
[8] F. Syrè, quòd non desideraris tu mihi: sic seq.
[9] Ad verbum, Super vel de eis est necessitas, Hebr.
[10] Geminatum continuò Daleth coarguit typographi errorem, qui prætermisit post secundum Daleth negationem לא. Nisi quis vertat voces דדלית צדבותא, Quæ honestatis sunt, ut sit sensus, Quæ singularem honestatem requirunt. quam versionem ideò præ alia sequutus sum, quia etiam in manuscripto codice Heidelbergensi ita scriptum reperi.
F. Etsi quid vetat quominus Syram vocem (ut propriè sonat) pro pudore accipiamus? Nam pro honestate quum sumitur, μεταληπτικῶς est: sunt enim verecundi homines plurimùm honesti. Quare sic ad verbum non malè verteris, Et quæ pudoris sunt.
[11] F. nimirum honore: id est, cui minus honoris est. [12] id est, Prout quisque diversum in corpore locum obtinet & functionem, ut symmetria servetur.

8 [m] Nam huic quidem per Spiritum datur sermo [n] sapientiæ, alii verò sermo notitiæ per eumdem Spiritum:

9 Alteri verò fides per eumdem Spiritum: alii verò donū sanationum per eumdem spiritum:

alii verò [o] operatio virtutum, alii verò [p] prophetia, alii verò [q] discretio spirituum.

10 Alteri verò genera linguarum, alii verò interpretatio linguarum.

11 [r] Sed omnia hæc efficit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim *illa* singulis [s] sicut vult.

12 [t] Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia verò illa membra corporis quod unicum est, multa sunt, *sed* unum sunt corpus: [u] ita & [x] Christus.

13 Etenim per unum spiritum nos omnes [z] in unum corpus baptizati sumus, & Judęi, & Græci, & servi, & liberi: & omnes [y] potati sumus in unum Spiritum.

14 [z] Etenim corpus non est unum membrum, sed multa.

15 [a] Si dicat pes, Quia non sum manus, non sum ex corpore: num propterea non est ex corpore?

16 Et si dicat auris, Quia non sum oculus, non sum ex corpore: num propterea non est ex corpore?

17 [b] Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus?

18 Nunc autem Deus collocavit membra, singula sigillatim in corpore, sicut voluit.

19 Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus?

20 Nunc verò multa quidem membra sunt, unum verò corpus.

21 [c] Non potest autem oculus dicere manui, Non est mihi opus te: aut rursum caput pedibus, Non est mihi vobis opus.

22 Imò multo potiùs, quæ videntur membra corporis [d] infirmissima esse, necessaria sunt:

23 Et quæ putamus *membra* corporis maximè esse inhonesta, iis [e] honorem ampliorem circumponimus: & quæ sunt in nobis indecora, copiosiorem decorem habent.

24 Nam quæ sunt in nobis decora, *iis decore* non est opus: sed Deus contemperavit corpus, ei cui deerat copiosiore tributo honore:

25 Ut ne sit dissidium in corpore, sed membra idem [f] curent alia pro aliis.

26 [g] Itaque sive patitur unum membrum, simul dolent omnia membra: sive honore afficitur unum membrum, congratulantur omnia membra.

27 Vos autem estis corpus Christi, & membra [h] particulatim.

[m] B. Explicat illam multiplicem diversitatem cōmemoratis præcipuis donis, inculcans quod antea dixerat, ab uno & eodem spiritu omnia hæc proficisci.
[n] Sapientia clarissimum est donum, quo præditos esse oportet, qui non tantum docent, sed exhortantur & consolantur, quod pastorum proprium: sermo cognitionis doctoribus convenit.
[o] Per facultates summa illa intelligit divinæ potentiæ effecta, quæ inter miracula excellunt, ut Mosis in educendo populo, Eliæ, & quædam Petri, ut in facto Ananiæ & Sapphiræ.
[p] Futurorum prædictio.
[q] Quibus falsi prophetæ à veris dignoscantur, quo dono præ Philippo excelluit Petrus in Simone mago dignoscendo, Act. 8.
[r] Rom. 12, 3. eph. 4, 7.
[s] B. Adjicit etiam aliquid amplius, nempe dona ista quamvis imparia, sapientissimè tamen distribui, quoniam Spiritus Dei voluntas sit hujus distributionis regula.
[t] B. Illustratio superioris dicti adhibita corporis similitudine. Hoc, inquit, apertè cōspicitur in corpore, cujus diversa quidem membra sunt, sed ita conjuncta, ut unum corpus constituant.
[u] B. Applicatio similitudinis: Ita etiam, inquit, de Christo mystico constituendum est. Nos enim omnes qui credimus, sive Judæi, sive Græci, sumus eodem baptismo simul devincti cum nostro Capite, ut ita unum corpus ex pluribus membris compactum construatur: & ex eodem poculo eumdem Spiritum hausimus, communem videlicet sensum ac motum spiritualem. [x] Christum intellige cum sua Ecclesia conjunctum. [z] Cum Christo unum corpus feremus. [y] Uno vivifico sanguinis Domini potu, participes sumus unius Spiritus ipsius. [z] B. Amplificat quod ex illa similitudine consequebatur: ac si dicat, adeò non impediri corporis unitatem hac diversitate membrorum, ut non possit etiam esse corpus, nisi pluribus & quidem diversis membris constet. [a] B. Jam superstruit doctrinam, jactis illis fundamentis, primùm quidem manens in proposita similitudine, deinde etiam nudè & simpliciter. Compellat autem priore loco eos, qui non ita excellentibus donis præditi, idcirco se ab aliis segregabant, quibus nimirum invidebant. Hoc autem, inquit, perinde est ac si negaret pes se esse ex corpore, quoniam non est manus: vel auris, quia non est oculus. Oportet ergo potius omnia simul mutuis usibus colligata, unitatem corporis tueri. [b] B. Rursum eosdem compellans, docet fore ut si obtinerent quod petunt, nempe ut omnes inter se essent æquales, corporis totius ac proinde ipsorummet destructio consequeretur: quoniam corpus non esset nisi ex pluribus & quidem diversis inter se cohærentibus membris compositum. Ac nequis minùs rectè distributam esse istam imparitatem causetur, addit, Deum ipsum omnia illa simul compegisse. Oportet igitur omnia simul manere connexa, ut salvum corpus perduret. [c] B. Jam ex adverso compellat excellentioribus donis ornatos, monens ne inferiores, tamquam inutiles aut nullius sint usus, aspernentur: Deus enim, inquit, sic istam inæqualitatem temperavit, ut excellentiora & speciosiora membra aliis abjectioribus & pudendis carere nullo modo possint, ac de illis regendis & curandis magis etiam laborent: ut hoc modo mutua necessitas totum corpus velut in pace & concordia contineat: ut quamvis impar sit singulorum seorsim consideratorum gradus ac conditio, tamen quia simul sunt copulata, communia habeant tum commoda tum incommoda. [d] Abjectissima. [e] Majore studio tegimus. [f] Ad totius corporis commodum & conservationem suas functiones conferant. [g] B. Eamdem doctrinam jam absque allegoria Corinthiis applicat, monens, quum reipsa perspiciant diversas esse functiones, & diversa dona superesse, ut neq; invidia, neq; ambitione peccent alii in alios, sed potiùs mutua charitate conjuncti, singuli quod acceperunt, pro ministerii sui ratione, in communem usum conferant. [h] Aliquatenus. Nam omnes Ecclesiæ per orbem dispersæ, diversa sunt unius corporis membra.

i *Ephes.4.11.*
i Qui fungantur potestate edendarum illarum virtutum.
k Diaconorum functiones.
l Seniorum ordinem declarat, qui disciplinæ Ecclesiasticæ custodes erant.
m B. Ambitiosos & invidos sanctam quamdã ambitionẽ & invidentiam docet, putà si præstantissimis, i. Ecclesiæ utilissimis quibusq; donis studeant, ac proinde charitate, quæ cæteris longè præstat, alii alios contendant superare.

28 i Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores: deinde *constituit* i potestates, deinde dona sanationum, k opitulationes, l gubernationes, genera linguarum.

29 Num omnes, Apostoli? num omnes, Prophetæ? num omnes, Doctores?

30 Num omnes *sunt* potestates? num omnes donum habent sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?

31 m Sed ambite dona potiora. Et porrò iter ad excellentiam vobis indicabo.

28 Posuit enim Deus in Ecclesia sua primùm Apostolos: post hos, prophetas: post hos, doctores: post hos, patrantes virtutes: post eos, dona sanitatis, & opitulatores, & gubernationes, & genera linguarum.

29 Num omnes hi Apostoli? num omnes hi prophetæ? num omnes hi doctores? num omnes hi patrantes virtutes?

30 Num omnibus his sunt dona sanitatis? num omnes hi linguis loquuntur? aut num omnes hi interpretantur?

31 Si autem 13 cum æmulatione affectetis dona ampliora, ego rursus indicabo vobis viam excellentiorem.

13 Uno verbo utitur Paraphrastes quod Latinè non satis cõmodè redditur à quibusdã, Æmulemini.

CAPUT XIII.

1 *Monet nulla tam eximia esse dona, quæ non vilescant coram Deo si absit Charitas:* 4 *ideòq; in ejus laudes digreditur.*

a B. De charitate primo loco disserit, cujus præstantiam primùm ex eo demonstrat, quòd nisi ipsa intervenerit, reliqua omnia dona sint pro nihilo coram Deo, quod partim inductione probat, partim etiam argumento à causa finali. Quorsum enim illa dona nisi ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem, ut antè probavit? Dona autem ista, nisi adsit charitas, nullũ rectũ usum habent.
b Hyperbole emphatica, quasi diceret, si linguæ essent aliquæ Angelorum, & ego eas tenerem, neque illis uterer ad commodum proximi, hoc verò nihil aliud esset quàm inanis & obstrepera loquacitas.
c Inconditum & confusum sonum edens.
d Fidei nomine donum edendorum miraculorũ intelligit, non fidem justificantẽ, quæ charitatis expers esse non potest, illa potest.
e *Matth.17.20.*

SI a linguis hominum loquar & b Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum c tinniens.

2 Et si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemq; notitiam: & si habeam d totam fidem, adeò ut e montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

3 Et si insumam alendis egenis omnia quæ mihi suppetunt, & si tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam, *hoc* nihil *mihi* prodest.

4 e Charitas f iram cohibet, benigna est charitas, non invidet charitas, non agit perperàm, non inflatur.

5 g Non agit indecorè, non quærit quæ sua sunt, non exacerbatur, non cogitat malum,

6 Non gaudet injustitia, h gratulatur autem veritati:

7 Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat.

8 i Charitas nunquam excidit: sed & prophetiæ abolebuntur, & linguæ cessabunt, & k notitia abolebitur.

9 l Ex m parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.

10 Postquam autem advenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur.

11 n Quum essem infans, ut infans loquebar, ut infans sapiebam, ut infans ratiocinabar: postquam autem factus sum vir, ut inutilia sustuli quę infantis erant.

12 o Cernimus enim p nunc per speculum & per ænigma, tunc autem q coram *cernemus*: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout cognitus fuero.

13 r Nunc verò manet fides, spes, charitas, tria hæc: maxima autem harum charitas.

SI quavis lingua filiorum hominis loquar, & 1 ea quæ est Angelorum, & charitas non sit in me, factus sum tamquam æs sonans, aut cymbalum edens sonum.

2 Et si fuerit in me prophetia, & cognovero mysteria omnia, & omnem scientiam: & si fuerit in me omnis fides, ita ut 2 montem transferam, & charitas non fuerit in me, nihil quicquam ero.

3 Et si 3 comedendum distribuam, quicquid est mihi pauperibus, & si tradam corpus meum ut ardeat, & charitas non sit in me, nihil proficio.

4 Charitas 4 longanimis est & benigna: charitas non invidet, charitas non 5 tumultuatur, neque inflatur,

5 Neque agit quod pudendum est, neq; quærit quæ sunt sua: non irritatur, neq; cogitat quod malum est:

6 Non gaudet de iniquitate, sed gaudet de veritate:

7 Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, & omnia sustinet.

8 Charitas nunquam excidet. prophetiæ enim abolebuntur, & linguæ tacebunt, & scientia abolebitur.

9 6 Parum enim ex multo cognoscimus, & parum ex multo prophetamus.

10 Quum autem venerit perfectio, tunc abolebitur id quod parum fuerat.

11 Quum puer essem, tamquam puer loquebar, & tamquam puer intelligebam, & tamquam puer cogitabam: quum autem factus sum vir, abolevi ea quæ erant pueritiæ.

12 Nunc quidem tamquam per speculum cernimus in ænigmate, tunc vero 7 facie contra faciem: nunc 8 cognosco parũ ex multo, tunc autem cognoscam quemadmodum 9 cognitus sum.

13 Hæc enim sunt tria, quæ manent, fides & spes & charitas: ex eis autem quæ maxima est, charitas est.

1 Hyperbolica amplificatio.
2 singulare pro plurali, quia est nomen generis, sive syllepticum.
3 Syrè, Comedere faciam. Hebr.
4 Ad verbum, Differens spiritum, id est, iram. Hebr.
5 Vel, Turbas, & motus ciet.
6 Id est, Ex parte minima. Syra phrasis antè observata.
7 Respondet huic phrasi Gallica, *Face à face*, aut *Vis à vis*. Et Hebraicè dicitur פנים אל פנים aut פנים בפנים
8 Id est, Cognosco ex parte minima, ut modo dictum est.
9 Vel, Factus fuero cognoscere, nempe à Deo, qui inchoatam modò notitiam perficiet aperta visione.
F. Etsi id quoque sanctè dici potest, nos cognituros prout fuimus cogniti, id est, spiritualem illam formam cognitionis nostræ, qua tum noscemus perfectionem gloriæ Dei revelandæ in filiis ejus, fore imaginem perfectissimæ illius cognitionis qua nos cognoscit Deus.

a B. Charitatis vim & naturam, partim ex contrariorum comparatione, partim ex suis effectis pulcherrimè describit: ex quibus etiam intelligant Corinthii tum quàm sit in Ecclesia non tantùm utilis, sed etiam necessaria: tum etiam quantopere ab ea sint alieni, ac proinde quàm de nihilo superbiant. f Ad verbum, iram differt. g Non est contumeliosa. h Justis justitiam gratulatur. Hebræi enim veritatis nomine justitiam intelligunt. i B. Secundò, charitatis præstantiam commendat, ex eo quòd nunquam in sanctis abolebitur: reliquis autem illis donis, ad ædificationem Ecclesiæ tantisper dum hic vivimus necessariis, nullus erit in altero illo seculo locus. k Ratio adipiscendæ scientiæ ex prophetia. l B. Ratio, quia nunc eo statu sumus ut quotidiè discere nos oporteat, ac proinde illis adminiculis, putà linguarum & rerum perceptione, ac proinde earum doctoribus egeamus: Tunc verò quum omnem Dei cognitionem adepti fuerimus, quorsum illa quæ non nisi imperfectis ac proinde gradatim ad perfectionem contendentibus, adhibentur. m Imperfecto modo & ratione discimus. n B. Illustrat quod dixerat, egregia similitudine, comparans hanc vitam infantiæ, in qua balbutimus potiùs quàm loquimur, & nihil nisi puerile cogitamus ac sentimus, ideoq; iis indigemus quæ & linguam & mentem forment: ubi autem adolevimus, quorsum illam balbutiem, pueriles nænias, illa denique quibus sensim formata est nostra infantia, requiremus? o B. Accommodatio similitudinis: infantiæ quidem, ad præsentem vitam, in qua obscurè res divinas pro collatæ nobis lucis modulo, perceptis linguis & auditis Ecclesiasticis doctoribus intuemur: virilis autem & constantis ætatis, ad illàm cælestemm & æternam vitam, in qua Deum ipsum præsentem cernentes, & plena ejus luce irradiati, quorsum hominum vocem, & mundana illa imperfectissima requiremus? Tunc tamen longè serventissimo amore sancti omnes cum Deo & inter se devincientur, ac proinde non abolebitur charitas, sed perficietur, quamvis non iis officiis coletur quæ ad hujus vitæ infirmitatem peculiariter spectant. p Hæc omnia per comparationem sunt intelligenda. q Ad verbum, facie ad faciem. r B. Conclusio, ac si dicat Apostolus, Ea igitur tum erit nostra conditio: nunc autem tria nobis adsunt, & firma permanent, si modò Christi sumus, utpote sine quibus vera religio constare non potest, nempe fides, spes, & charitas. Inter ista verò maxima est charitas, utpote quæ in futura vita non aboleatur ut aliæ, sed perficiatur. Quum enim fides & spes in res promissas & futuras feratur, illas præsentes adepti, quorsum fidem & spem haberemus? At nos illic demum & Deum & nos mutuò verè & perfectè amabimus.

CAPUT XIIII.

1 Commendat donum Prophetiæ, 7 & comparatione à musicis instrumentis sumta, 12 verum interpretandi Scripturas usum docet. 17 abusum tollit: 34 ac vetat ne mulieres publicè doceant.

1 [1] SEctamini charitatem, & [2] cum æmulatione appetite dona spiritus: magis autem ut prophetetis.

2 Qui enim loquitur lingua, nequaquam filiis hominis loquitur, sed Deo. Nemo enim [3] audit id quod loquitur, sed spiritu [4] mysterium loquitur.

3 Qui autem prophetat, filiis hominis loquitur ædificationem & [5] exhortationem & cōsolationem.

4 Qui loquitur lingua, seipsum ædificat: & qui prophetat, Ecclesiam ædificat.

5 Velim autem ut vos omnes loquamini linguis, magis verò ut prophetetis. [6] Major enim est is qui prophetat, quàm is qui loquitur lingua, nisi interpretetur. si autem interpretetur, Ecclesiam ædificat.

6 Et nunc, fratres mei, si veniam ad vos, & loquar vobiscum linguis, quid prosim vobis, nisi loquar vobiscum [7] aut per revelationem, aut per cognitionem, aut per prophetiam, aut per doctrinam?

7 Etenim etiam [8] res in quibus non est anima, & edunt sonum, sive tibia, sive cithara, & si distinctionem non faciant inter [9] fistulam & sociam ejus, quomodo cognoscitur id [10] quo canitur, aut id quo pulsatur?

8 Et si buccina ediderit sonum indistinctum, quis præparabitur ad prælium?

9 Ita etiam vos, si dixeritis sermonem [11] in lingua, & non fuerit interpretatione expositus, quomodo cognoscetur id quod dicitis? eritis tamquam [12] in aërem loquentes.

10 [13] Ecce enim, genera linguarum multa sunt in mundo, & nō est unum ex eis [14] sine voce:

11 Et, si non intelligam vim vocis, sum [15] barbarus ei qui loquitur: & etiam is qui loquitur, est mihi barbarus.

12 Similiter etiam vos, quoniam cum æmulatione affectatores estis donorum spiritus, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut excellatis.

13 Et is qui loquitur [16] lingua, oret [17] ut interpretetur.

14 Si enim orem lingua, spiritus meus orat: [18] intellectus autem meus sine fructibus est.

15 Quid igitur faciam? orabo spiritu meo, & orabo intellectu meo: & [19] canam spiritu meo, & canam etiam intellectu meo.

16 [20] Alioquin si benedicas spiritu *tantùm*, is qui implet locum [21] idiotæ, quomodò dicet Ammin ad gratiarum actionem tuam? propterea quòd [22] quid dicas nesciat.

1 Ad verbum, Currite post charitatem. Hebraismus.
2 Vide suprà in fine cap. 12.
3 Id est, Intelligit. Hebraismus.
4 Singulare pro plurali.
5 Ad verbum diceretur, Cordificationem, Gallicè *Encouragement*. Elegans nomen à לבב deductum.
6 Vel, Potior, Præstantior.
7 F. Harum vocum priores duæ ad perceptionis, posteriores ad traditionis modum videntur pertinere. Perceptionis modus aut extraordinarius est per revelationem, aut ordinarius per cognitionem scientiámve comparatam. Tradendi verò modus est duplex: unus, de scripto, sive loquatur verbum Dei, sive legendum proponatur ipsum; atque hoc prophetia est, ut in caput 11. antè annotavimus: alter, sermone puro, quum prophetiæ argumentum à servis Dei in Ecclesia exponitur analoga interpretatione: quod genus διδαχὴ appellatur.
8 F. vel instrumenta illa.
9 F. vel sonum & socium ejus, id est, unum & alterum, Hebræa & Syra phrasi. Hoc evidentius.
10 Alterum relativum cum præpositione instrumentali, subauditur more Hebraico. plenum esset בהּ, Cum quo. F. Syrè, id quod canitur, aut id quod pulsatur: convenienter argumento & verbis sequentibus. 11 Hoc est, Dono linguarum præditi. 12 Ad verbum, Cum aëre. Formam nominis Græci servat. 13 Id est, Ex tanta gentium varietate, nulla est quæ mentis conceptum aliqua vocis distinctione non exprimat. 14 F. i. quò alter apud alterum non soleat uti vocandis rebus, & sensu mentis exprimendo; nempè siquidem uterque vim vocum in ea lingua intelligant, ex sequente versu. 15 Græcum nomen. 16 F. putà aliena ab usu & intelligentia eorum quibuscum versatur: sic deinceps. 17 Id est, Ut addatur à Deo donum interpretandi, à quo pendet doni linguarum præstantia & usus. 18 id est, sententia precationis meæ, Ecclesiæ est infructuosa, quæ eam non intelligit. 19 Id est, Ita canam ut non audiar modò, sed etiam intelligar. 20 Ad verbum, Si non. Hebraismus. 21 Id est, qui partes idiotæ (id est privati hominis) sustinet in sacro cœtu, neque gradu ullo eminet. 22 ד in contextu prætermissum erat, quod nos adscripsimus.

SEctamini [a] charitatem, ambite spiritualia: magis tamen ut [b] prophetetis.

2 [c] Nam qui loquitur [d] lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. nullus enim audit, [e] spiritu verò loquitur mysteria.

3 Qui autem prophetat, hominibus loquitur [f] ædificationem, & exhortationem, & consolationem.

4 Qui loquitur lingua, seipsum ædificat: qui verò prophetat, [g] Ecclesiam ædificat.

5 Velim autem omnes vos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis. major enim *est* qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, excepto si interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.

6 Quod si nunc, fratres, veniam ad vos linguis loquens, quid vos juvabo, nisi vobis loquar aut ex revelatione, aut ex notitia, vel prophetando, vel docendo?

7 [h] Atqui inanima quæ sonum edunt, & tibia, & cithara, nisi distinctionem tonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur aut cithara?

8 Etenim si incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum?

9 Ita & vos nisi per linguam edideritis [i] benè significantem sermonem, quomodo cognoscetur quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes.

10 [k] Tot, prout inciderit, genera vocum sunt in mundo, & nihil *est* mutum.

11 Nisi igitur sciero vim vocis, ero, ei qui loquitur, barbarus: & qui [l] loquitur, apud me barbarus *fuerit*.

12 [m] Ita & vos, quandoquidem studiosi estis Spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut excellatis.

13 Quapropter qui loquitur lingua, [n] precetur ut interpretetur.

14 [o] Nam [p] si precer lingua, spiritus [q] meus precatur: sed intelligentia mea [r] est infructuosa.

15 Quid est igitur? precabor spiritu, sed precabor etiam [s] intelligentia: psallam spiritu, sed psallam etiam intelligentia.

16 [t] Quandoquidem si benedixeris [u] spiritu, is qui [x] implet locum idiotæ, quomodo dicturus est [y] Amen ad tuam gratiarum actionem? nam quid dicas nescit.

a R. Illatio ex præcedentibus; Quū igitur sit præstantissima charitas, illa in vobis in primis ducem proponite: ac proinde ea ducite excellentissima quæ quamplurimis prosunt, (ut est prophetia, id est docendæ & applicandæ doctrinæ donum: quod, quum sit excellentissimum & plurimo in Ecclesia usui, tamen contemnebatur præ aliis) non autem, quæ in speciem magis possunt videri mirifica, ut est linguarum donum, quum videlicet quispiam repentè multarum linguarum cognitione donabatur: quod homines in primis obstupefaciebat, nec tamen per se ullius erat usus, nisi adesset interpres.
b Quid sit prophetia indicat versu 3.
c R. Taxat perversum de dono linguarum judicium. Cur enim conferebatur? nempe ut eo pluribus populis patefierent Dei arcana. Itaque constat prophetiam, cui servire oportuit linguarum donum, esse isto præstantiorem: ac proindè non rectè judicare Corinthios, qui linguas pluris quàm prophetiam faciebant, quoniam videlicet in linguarum dono plus inerat ostentationis. Hinc autem alter abusus illius doni linguarum consequebatur, quum Corinthii in publico cœtu linguis uterentur absque interprete: quod etsi fieri poterat cum aliquo fructu ejus qui loquebatur, tamen verum usum illius doni corrumpebat, quum nulla inde utilitas ad auditores rediret, & publici cœtus non ad privatam alicujus, sed ad communem omnium utilitatem sint instituti. d Lingua hoc loco pro idiomate peregrino sumitur, quod nemo intelligat sine interprete. e Afflatu quem à Spiritu accepit: quo tamen abutitur, quum loquatur mysteria, quæ non intelligantur à quoquam in cœtu. f Quæ homines promoveant in pietatis studio. g Cœtum. h R. Illustrat quod dixerat, sumta à musicis instrumentis similitudine, quæ & ipsa quamvis articulatè non loquantur, tamen sonis suis distinguuntur, ut aliquis sit illorum usus. i Commodè rem ipsam explicantem. k R. Necessitatem interpretationis cum linguarum dono conjungendæ ostendit ex idiomatum multiplici varietate, adeò ut sine interprete alius alii loquens, perindè faciat ac si non loquatur. l Quales sunt Papistæ in omnibus suis concionibus, & qui aliquot verba Hebræa aut Græca ambitiosè è pulpito apud imperitum vulgus effundunt, ut inde sibi ventosæ eruditionis famam concilient. m R. Conclusio, Si volunt spiritualibus illis donis ita ut par est excellere, quærendam ipsis esse Ecclesiæ utilitatem, ac proinde donum linguarum non aliter usurpandum quàm si accesserit peregrinæ linguæ interpretatio, sive ex eodem loquentis ore, sive ab alio interprete. n Petat interpretationis donum. o Ratio, quia non satis est nos sic loqui in Ecclesia, ut ipsi Deum colamus spiritu, id est, pro ratione doni quod accepimus, sed etiam oportet nos à cœtu intelligi, ne quod dicimus sit reliquis infructuosum. p Si incognito idiomate in Ecclesiastico cœtu preces concipiam. q Donum quidem & afflatus Spiritus suas partes peragit, sed mihi soli. r Nullus ex meis precibus fructus ad Ecclesiam redit. s Ita ut ab aliis etiam intelligar, & alios instituam. t R. Alia ratio, Quum oporteat Ecclesiam loquenti assentiri, atque adeo hunc assensum testari, quomodo assentientur qui non intellexerunt quid dictum sit? u Solo, nulla habita audientium ratione. x Qui sedet inter privatos. y Unus ergo præibat, cœtus respondebat Amen.

17 Nam tu quidem benè gratias agis, ſed alius non ædificatur.

18 [z] Gratias ago Deo meo quòd magis quàm vos omnes linguis loquar.

19 Sed in Eccleſia malim [a] quinque verba ex intelligentia mea loqui, ut & alios inſtituam, quàm decem millia verborum lingua.

20 [f] [b] Fratres, ne eſtote pueri intelligentia; ſed malitia infantes; intelligentia verò adulti eſtote.

21 In [c] lege ſcriptum eſt, [g] Propterea per diverſæ linguæ *homines* & alia labra loquar populo huic: & ita quoq; me non audient, dicit Dominus.

22 [d] Linguæ igitur ſunt ſignum, non iis qui credunt, ſed infidelibus: prophetia verò non infidelibus, ſed credentibus.

23 [e] Itaque ſi eòdem loci convenerit tota Eccleſia, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem [f] idiotæ vel infideles, nónne dicent vos furere?

24 Sed ſi omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quiſpiam aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus;

25 Et ita latentia in ejus corde manifeſta fiunt: atque ita procidens in faciem, adorabit Deum, renuncians Deum verè in vobis eſſe.

26 [g] Quid igitur eſt, fratres? quoties convenitis, quiſque veſtrûm canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

27 [h] Et lingua quis loquitur, *fiat* per binos, aut *ad* plurimum ternos, & viciſſim: unus autem interpretetur.

28 Quòd ſi non ſit interpres, taceat in Eccleſia *qui loquitur lingua*, ſibiipſi verò loquatur & Deo.

29 [i] Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & alii dijudicent.

30 Quòd *ſiquid* alii retectum fuerit aſſidenti, prior taceat.

31 Poteſtis enim omnes ſigillatim prophetare, ut omnes diſcant, & omnes conſolationem accipiant.

32 Et [k] ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjiciuntur.

33 Non enim eſt incompoſiti ſtatus *auctor* Deus, ſed pacis, ut in omnibus Eccleſiis ſanctorum.

34 [l] [m] Mulieres veſtræ in conventibus ſileant: nec enim permiſſum eſt eis ut loquantur, ſed *oportet* ut ſubditæ ſint, [n] ſicut & Lex dicit.

35 Quòd ſiquid diſcere volunt, domi ſuos viros interrogent. nam turpe eſt mulieribus in Eccleſia loqui.

36 [m] An à vobis ſermo Dei profectus eſt? an ad vos ſolos devenit?

37 Si quis ſibi videtur Propheta eſſe, aut [n] ſpiritualis, agnoſcat, quæ ſcribo vobis, eſſe Domini mandata.

38 [o] Qui verò ignarus eſt, ignarus eſto.

39 [p] Itaque fratres, ambite prophetandi donum, & loqui linguis ne prohibete.

40 Omnia decentèr & ordine fiant.

[z] B. Seipſum proponit pro exemplo, tum ut pudefaciat illos ſtultæ ambitionis, tum ut omnem invidiæ ſuſpicionem effugiat.
[a] Pauciſſima.
[f] *Matth.* 18.3.
[b] B. Liberè jam arguit eos pueriliſ inſcitiæ, qui donũ linguarum ad ædificationem Eccleſiarum collatum non videant in maledictionis inſtrumentum hac ſua ambitione converti, quum inter pœnas quibus populi ſui duritiem ultus eſt Dominus, hæc etiam exprimatur, quòd eos inter peregrinos diſperſerit, quorum linguam non intelligebant.
[c] Legis nomine totam ſacram Scripturam intelligit.
[g] *Eſa.* 28.11.
[d] B. Concluſio, Linguarum igitur donum puniendæ incredulitati ſervit, niſi ad prophetiam, id eſt, interpretationem Scripturæ referatur, ac proindè ab audientibus percipiatur quod dicitur.
[e] B. Aliud argumentum, non modò inutile eſſe fidelibus linguarum donum abſque prophetia, ſed etiam tum iis, tum infidelibus, quos oportuit in cœtu fidelium lucriſieri, plurimùm nocere. Ita enim fieri ut videantur aliis furere fideles, nedùm ut infideles ita erudiantur.
[f] Vide Act. 4.13.
[g] B. Concluſio, ædificationem Eccleſiæ eſſe regulam ac normam recti ſpiritualium donorum uſus.
[h] B. Forma uſus doni linguarum, Uni & alteri aut ad ſummum tribus viciſſim in conventu, ſi modò adſit interpres aliquis linguarum dono uti fas eſto: ſin abſuerit interpres, qui eo dono præditus eſt ſibi ſoli loquitor. [i] B. Forma Prophetiæ, Duo aut tres proponunto, reliqui dijudicanto quod propoſitum fuerit, num ſit videlicet verbo Dei conſentaneum. Si in iſto examine aliquid ſuppeditârit Dominus cuipiam, loquendi partes ei conceduntor. Quivis, ſed ſuo ordine & ſigillatim, ad prophetandum quoad Eccleſię ædificatio feret, admittitor. Alii aliorum judiciis ſe regi ſinunto. [k] Doctrina quam adferunt Prophetæ afflati Spiritu Dei. [l] B. Mulieribus ſilentium in publico cœtu imperatur, præcipitur verò ut domi ex viris ſuis percontentur. [l] 1. *Tim.* 2.11. [n] *Gen.* 3.16. [m] B. Univerſalis concluſio tractatus de donorum ſpiritualium in cœtibus legitimo uſu: cum aſpera objurgatione, ne ſoli ſapere Corinthii ſibi videantur. [n] In ſpiritualibus cognoſcendis ac dijudicandis eruditus. [o] B. Pertinaciter ignaros, nec ſe doceri ſuſtinentes, nihil debet curare Eccleſia, & nihilominùs pergere in iis quæ recta ſunt. [p] B. Prophetia in Eccleſiis omninò retinenda, linguarum donum non prohibendum, ſed ordine facienda ſunt omnia.

17 Tu enim [23] pulchrè dicis, ſed ſocius tuus non ædificatur.

18 Gratias ago Deo quòd magis quàm vos omnes loquar linguis.

19 Sed in Eccleſia volo quinque verba intellectu meo loqui, ut etiam alios doceam, potiùs quàm [24] myriadem verborũ lingua *non intellecta*.

20 Fratres mei, ne ſitis pueri in mentibus veſtris, ſed in rebus malis eſtote infantes, & in mentibus veſtris eſtote perfecti.

21 In [25] Lege ſcriptum eſt, Quoniam ſermone peregrino & lingua aliena loquar cum populo iſto: etiam minimè ita [26] audient me, dicit Dominus.

22 Itaque linguæ in ſignum poſitæ ſunt, non credentibus, ſed iis qui non credunt: prophetiæ verò, nequaquam iis qui ſunt increduli, ſed iis qui credunt.

23 Si ergo congregetur tota Eccleſia, & omnes linguis loquantur, & ingrediantur idiotæ, aut ii qui non credunt, nónne dicent quòd hi inſaniunt?

24 Et ſi omnes vos prophetetis, & ingrediatur ad vos idiota, aut is qui non credit, arguitur ab omnibus vobis, & corrigitur ab omnibus vobis:

25 Et occulta cordis ejus manifeſta fiunt: & tunc procidet ſuper faciem ſuam, & adorabit Deum, & dicet, Verè Deus eſt in [27] vobis.

26 Dico itaque, fratres mei, quòd quum congregamini, cuicumq; ex vobis eſt Pſalmus, [28] loquatur: & ille cui eſt doctrina, & ille cui eſt revelatio, & ille cui eſt lingua, & ille cui eſt interpretatio, omnia ad ædificationem fiant.

27 Et ſi lingua quis loquatur, duo loquantur, & [29] ad ſummum tres, & [30] ſigillatim loquantur, & unus interpretetur.

28 Et ſi non ſit qui interpretetur, taceat in Eccleſia is qui loquitur lingua, & inter ſeipſum & Deum loquatur.

29 Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & cæteri diſcernant.

30 Et ſi *aliquid* alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat.

31 Poteſtis enim omnes ſigillatim prophetare, ut omnis homo diſcat, & omnis homo conſolationem capiat.

32 Spiritus enim Prophetarum Prophetis ſubjicitur.

33 Quia Deus non eſt tumultus ſed pacis, ut in omnibus [31] Eccleſiis ſanctorum.

34 Mulieres veſtræ in Eccleſia taceant: non enim permittitur eis ut loquantur, ſed ut ſubjiciantur, ſicut etiam Lex dicit.

35 Quòd ſiquid volunt diſcere, in domibus ſuis interrogent maritos ſuos: [32] pudor enim eſt ut mulieres in Eccleſia loquantur.

36 Nunquid à vobis profectus eſt ſermo Dei, aut ad vos tantùm pervenit?

37 Siquis autem ex vobis putat quòd Propheta ſit, aut ſpiritualis ſit, agnoſcat hæc quę ſcribo vobis, quòd mandata ſunt Domini noſtri.

38 Siquis autem ignorat, ignoret.

39 Ergo cum æmulatione appetite, fratres mei, ut prophetetis: & loqui linguis ne vetueritis:

40 Omnia autem cum modeſtia & cum ordine fiant.

[23] Id eſt, rectè.
[24] Myriadem poſuit pro numero infinito, ex Hebraiſmo.
[25] Id eſt, in libris ſacris, qui omnes interdum ſub legis nomine comprehenduntur.
[26] Id eſt, intelligent, ut ſuprà dictum eſt. Particula etiam auget, ſicut apud Hebræos. Senſus eſt, Hac ratione minus quam prius intellecturos ac percepturos eſſe quæ dicturus ſum illis.
[27] Vel, Inter vos. Videtur tamen magis emphaticum, In vobis. id eſt, Loquitur per vos.
[28] Implet addito verbo contextum Græcum, quod in ſingulis membris ſequentibus eſt repetendum. V. Etſi hoc quoque verbo textus carere poteſt, ſi ita legeris, quiſque ex vobis Pſalmum habet? &c. omnia ad ædificationem fiant.
[29] Gallicè exprimas, *Et tout au plus, trois.*
[30] Syrè, Unus, unus: ſicut & Hebraicè.
[31] Subaudi, Fieri docet, aut Fieri ſolitum eſt.
[32] Hebræi nominibus ſubſtantivis pro epithetis utuntur ad augendum ſin, ut Abominatio Domini, pro re prorſus abominanda.

CAPUT

CAPUT

CAPUT XV.

1 Quum essent apud Corinthios qui corporum resurrectionem in dubium vocarent, 15 postquam ejus certitudinem validis argumentis comprobavit, 25 rationem etiam 35 & modum subjungit.

1 NOtum autem facio vobis, fratres mei, Evangelium quod prædicavi vobis, & accepistis illud, & stetistis in eo,

2 Et in eo [2] salvi estis, Quibúsnam verbis prædicaverim vobis memores estis, nisi frustrà credidistis.

3 Tradidi enim vobis [3] à principio quemadmodum acceperam, quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris, sicut scriptum est:

4 Et quòd sepultus est, & resurrexit tertio die, quemadmodum scriptum est:

5 Et visus est Ciphæ, & post eum [4] duodecim:

6 Et posteà visus est pluribus quàm quingentis fratribus unà, ex quibus plures superstites sunt usque nunc, [5] & ex eis *quidam* obdormierũt:

7 Et posthæc visus est Jaakubo, & post eum omnibus Apostolis:

8 Postremò autem omnium, tamquam abortivo, visus est etiam mihi.

9 Ego sum minimus Apostolorum: neque dignus sum ut vocer Apostolus, propterea quòd persequutus sum Ecclesiam Dei.

10 Per gratiam autem Dei sum id quod sum: & gratia ejus [6] quæ in me est, non fuit inanis, sed ampliùs quàm omnes isti laboravi, non ego, sed gratia ejus [7] quæ est mecum.

11 Sive ego igitur, sive illi, ita prædicamus, & ita credidistis.

12 Si autem Christus prædicatur quòd surrexit [8] à mortuis, quomodò sunt inter vos quidam qui dicunt quòd non est resurrectio mortuorum?

13 [9] Et si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.

14 Et, si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis quoque fides vestra.

15 Reperimur [10] autem nos quoque falsi testes Dei, quia testamur de Deo quòd excitavit Christum, quum non excitaverit.

16 Si enim mortui non resurgunt, neq; Christus resurrexit.

17 Et si Christus non resurrexit, supervacanea est fides vestra, & hactenùs in peccatis vestris estis:

18 Et jam etiam ii qui obdormierunt in Christo, [11] perierunt.

19 Et, si in hac vita tantùm speramus in Christum, miserabiliores sumus omnibus filiis hominis.

20 Nunc autem Christus surrexit [12] à mortuis, & factus est primitiæ obdormientium.

21 Et quemadmodum [13] per manum filii hominis exstitit mors, ita etiam per manum filii hominis est resurrectio mortuorum.

22 Sicut enim [14] per Adamum omnes filii hominis moriuntur, ita etiam per Christum omnes vivificantur:

1 p. i nunc vobis declaraturus sum: transit enim his verbis ad declarationem dogmatis de resurrectione. Præsens autem figuratè sumitur, ut Matth. 2. 4.
2 Syrè, Vivitis, Hebraismus.
3 p. vel anteà, Syra phrasi.
4 id est, Apostolis: quamvis enim Judas sublatus esset, à majore tamen parte numerus, quasi integer, dicitur, ut initio Actorum dictum est.
5 Copula pro Quamvis, ex Hebraismo.
6 Aptè Græca exponit.
7 i. Erga me. priùs dixerat, In me.
8 Syrè, De inter mortuos.
9 Vel, Quòd si, & sic mox.
10 ‏[illegible]‏, ut apud Græcos expletiva est particula.
11 p. Syrè, pereunt sibi. Pleonasmus, de quo in Matth. 4. 10.
12 Syrè, De inter mortuos.
13 i. Per hominem. Hebraismus.
14 p. vel in Adamo, & post in Christo. ita Syrus Græco assentiens.

CÆterùm [f] [a] notum facio vobis, fratres, Evangelium quod evangelizavi vobis, quod & accepistis, in quo etiam [b] statis:

2 Per quod etiam, si retinetis quo sermone vobis evangelizaverim, servamini: [c] nisi si frustrà credidistis.

3 Tradidi enim vobis inprimis quod & accepi, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, [g] secundùm Scripturas:

4 [h] Et sepultum fuisse, & suscitatum tertio die, secundùm Scripturas:

5 [i] Et visum fuisse Cephæ, deinde [d] duodecim illis.

6 Posteà visus est ampliùs quàm quingentis fratribus [e] semel: ex quibus plerique manent usque adhuc, quidam autem obdormierunt.

7 Posteà visus est Jacobo: deinde Apostolis omnibus.

8 [k] [f] Ultimò verò omnium, velut abortivo, visus est etiam mihi.

9 [l] Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, propterea quòd persequutus sum Ecclesiam Dei.

10 Sed gratia Dei sum id quod sum: & gratia ejus, quæ in me *collata est*, non fuit inanis, sed ampliùs quàm illi omnes laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum *est*.

11 Et ego igitur & illi ita prædicamus, & ita credidistis.

12 [g] Quòd si Christus prædicatur ex mortuis suscitatus esse, quomodò dicunt quidam inter vos, non esse resurrectionem mortuorum?

13 [h] Nam si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est suscitatus.

14 [i] Quòd si Christus non est suscitatus, inanis videlicet *est* præconium nostrum, inanis autem *est* etiam fides vestra.

15 Reperimur autem etiam falsi testes Dei: quoniam de Deo testificati sumus, eum suscitasse Christum: quem *tamen* non suscitavit, si videlicet mortui non suscitantur.

16 [k] Nam si mortui non suscitantur, Christus quoque non est suscitatus.

17 Quòd si Christus non est excitatus, inanis est fides vestra: [l] adhuc [m] estis in peccatis vestris.

18 [n] Nempè & qui obdormierunt in Christo, perierunt.

19 [o] Si in hac solùm vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus.

20 [p] Nunc autem Christus suscitatus est ex mortuis: [r] [q] *&* [r] primitiæ eorum qui obdormierunt factus est.

21 [s] Quia enim per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum.

22 [t] Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes [v] vivificabuntur.

[f] Galat. 1. 11.
a Sextus hujus epistolæ tractatus de resurrectione. Utitur autem transitione, primùm ostendens se nihil novi afferre, ut Corinthii intelligerent se à recto cursu cœpisse deflectere: deinde non agi de re levicula, sed de altero Evangelii capite, quo amisso fidem eorum oporteat evanescere. Et ita demùm ab ipsius Christi resurrectione hanc tractationem inchoat, nostræ videlicet fundamento, eámque primùm Scripturarum, deindè Apostolorum, & ampliùs quàm quingentorum fratrum, suo denique testimonio, confirmat.
b Quod adhuc etiam profitemini.
c Quod absurdum est & fieri nequit, quin percipiant fidei fructum, qui crediderint.
[g] Esa. 53. 5.
[h] Jon. 2. 1.
[i] 1. pet. 2. 24.
[k] Joh. 20. 19.
d Selectis illis Apostolis, qui vulgò dicebantur duodecim, etiam expuncto Juda.
e Non divisim, sed unà eodémque tempore.
[k] Act. 9. 4.
rom. 6. 3.
f 2. Obiter anctoritatem sui Apostolatus asserit, quam maximè intererat summam esse apud Corinthios, ut hæc epistola suum apud eos pondus obtineret. Interim autem divino quodam artificio sese cum quibusvis ita comparat, ut se infra omnes dejiciat.
[l] Ephes. 3. 8.

g 2. Primum argumentum, esse resurrectionem à mortuis. Christus resurrexit, ergo resurgunt mortui. h 2. Secundum ab absurdo. Si non est resurrectio mortuorum, Christus non resurrexit. i 2. Probatio illius absurdi ab aliis absurdis, Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio Evangelii, & vana est fides quam ei habuistis, & nos mendaces sumus. k 2. Repetit idem argumentum ab absurdo, explicaturus quomodò inanis sit fides sublata Christi resurrectione. l 2. Primò, quum mors sit peccatorum pœna, frustrà credemus remissa esse nobis peccata quæ maneant: manent autem peccata, si Christi mortem non excepit ejusdem resurrectio. m Adhuc sunt in peccatis, qui non sunt sanctificati, nec consequuti remissionem peccatorum. n 2. Secundò, Quia nisi Christi resurrectio statuatur, perierint omnes in Christo mortui. Quis ergo fuerit fidei fructus? o 2. Tertium argumentum, quod & ipsum ab absurdo petitum est, Quia nisi altera vita statuatur, in qua beati sint qui in Christum sperant, nihil esset illis miserius, ut qui in hac vita sint calamitosissimi. p 2. Conclusio superiorum argumentorum, Christus ergo resurrexit. [r] Coloss. 1. 18. Apoc. 1. 5. q 2. Eamdem conclusionem statuit pro enthymematis sequentis antecedente: Christus resurrexit, ergo & nos fideles (de his enim agit) resurgemus. Additur prima hujus consequutionis ratio, Quia Christus nobis non ut privatus aliquis sigillatim & per se considerandus proponitur, sed ut primitiæ. Assumit autem quod omnibus notum erat, videlicet cumulum in primitiis sanctificari. r Alludit ad primitias frugum, quarum oblatio reliquos fructus sanctificabat. s 2. Altera ejusdem consequutionis probatio, Quia Christus considerandus est velut Adamo oppositus, ut sicut ex uno homine Adamo propagata mors est, sic etiam ex uno homine Christo propagetur vita: id est, ut omnes fideles sicut, quia naturâ ex Adamo orti sunt, moriuntur: sic, quia in Christo filii Dei facti sunt ex gratia, ab eo vivificentur. t Aliena vi, nimirùm Christi, resurgent.

[l] 1. Thess. 4. 15.
[u] B. Duo simul agit. Declarat enim sic communem esse Christo cum suis omnibus resurrectionem, ut tamen ipse & tempore (primus enim jam resurrexit) & dignitate emineat, quoniam ab eo & in eo est nostrûm omnium vita ac gloria. Deinde hac occasione ad proximum argumentum transit.
[x] B. Quartum argumentum, quo etiam confirmantur reliqua, nititur validissimo fundamento: quòd videlicet oporteat Deum regnare: hęc autem sit hujus regni ratio, ut velit Pater in filio suo homine facto, Rex demonstrari, cui omnia, præter ipsum promittentem, subjiciantur, ut ipse Pater postea in Filio victore triumphet. Hujus autem dominationis Filii in qua posita est Patris gloria, duas partes facit, nempe hostium debellationem

23 [l] [u] Unusquisque autem suo ordine: primitiæ Christus, posteà qui sunt Christi, in adventu
ipsius:
24 [x] Deinde *erit* [y] finis, quum tradiderit regnum Deo ac Patri: quum aboleverit [z] omne
imperium, & omnem potentiam & virtutem.
25 Nam oportet eum regnare [a] usquequò
omnes inimicos [a] subjecerit pedibus ejus.
26 [b] Ultimus *autem* hostis aboletur mors.
27 [a] Nam omnia subjecit sub pedes ejus. Quũ
autem dicit omnia esse *ei* subjecta, palàm est *hoc*
dici excepto eo qui subjecit ei omnia.
28 Postquàm verò subjecta fuerint ei omnia,
[c] tunc & ipse filius subjicietur ei qui subjecit ipsi
omnia, [d] ut Deus sit omnia in omnibus.
29 [e] Alioqui quid facient [f] qui ablutione utuntur super mortuis? Si omninò mortui non suscitantur, cur ablutione utuntur super mortuis?
30 [g] Cur etiam nos periclitamur omni momento?
31 In dies singulos morior [h] per gloriationem vestram, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.
32 [i] Si [k] secundùm hominem adversus bestias pugnavi Ephesi, quæ mihi utilitas? Si mortui non suscitantur, [l] [m] edamus & bibamus: cras enim morimur.
33 [n] Ne errate. Mores bonos commercia corrumpunt mala.
34 Evigilate [o] justè, & ne peccate: quidam enim Deum non norunt. ad pudorem vobis *incutiendum* loquor.
35 [p] At dicet aliquis, Quomodò suscitantur mortui? quali autem corpore prodeunt?
36 [q] Demens, quod tu seris, non vivificit, nisi mortuum fuerit.

23 Unusquisq; ordine suo: principiũ est Christus, deinde illi qui Christi sunt, in adventu ipsius:
24 Et tunc erit [15] finis, quum tradiderit [16] regnũ Deo Patri: quum aboleverit omnem principem & omnem dominatorẽ, & omnes potentes.
25 Futurum enim est ut regnet quousque posuerit inimicos suos omnes sub pedes suos.
26 Et ultimus hostis [17] abolebitur mors.
27 Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Quum autem dicit quòd omnia subjecta sunt illi, notum est [18] quòd is excipitur qui subjecit ei omnia.
28 Et quum subjecta fuerint ei omnia, tunc [19] ipse Filius subjicietur ei qui subjecit ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.
29 Alioquin quid facient ii [20] qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? cur baptizantur pro mortuis?
30 Et propter quid nos quoque qualibet hora in [21] periculo manemus?
31 Juro per gloriationem [22] vestram, fratres mei, quæ est mihi in Domino nostro Jeschua Christo, quòd quotidiè morior:
32 Si [23] quemadmodum inter filios hominis projectus sum ad feras Ephesi, quæ est utilitas si mortui non resurgunt? Comedamus & bibamus; cras enim morituri sumus.
33 Ne erretis. Corrumpunt enim [24] mentes suaves [25] narrationes malæ.
34 Excitate corda vestra [26] justè, & ne peccetis: sunt enim aliqui in quibus cognitio Dei non est. Ad pudorem vestrum id dico.
35 Dicet aliquis ex vobis, Quomodò [27] resurgunt mortui? & quali corpore veniunt?
36 Stulte, semen quod tu seminas, si non moriatur, non reviviscit.

[15] F. putà illius ministerii & actionis Christi, qua mortuos vivificat. [16] F. illud putà οἰκονομικὸν, quod Filio imposuit Pater: nam divinum illud æternúmque commune est Patris, Filii, & Spiritus sancti, nec ab ulla persona sanctæ Trinitatis vel momento unquã depositum: sic accipitur sequente versu. [17] Abolitus, Subaudi, Erit. Syrè. [18] Ad verbum, Quòd præter eum qui subjecit, &c. id est, Eum excipi (sive eximi) qui subjecit illi omnia. [19] F. id est, Christus μυστικῶς Ecclesiæ suæ in æternum adunatus, ut suprà 12. 12. [20] F. vel qui baptizantur super mortuis, &c. Variè explicatus locus. Nos paucis & consequutionem, & ex ea sententiam loci hujus declarabimus, quam putamus simplicissimam. Propositio est,

(quorum alios oporteat omni potestate privari, ut Satanam & impios omnes, quantumvis potentes & superbos: alios verò prorsus aboleri, ut mortem) & piorum plenam ac integram ab omnibus hostibus assertionem: ut hoc modo Deus plenè in Ecclesiæ corpore unà cum Christo capite suo cohærente, regnum ac gloriam suam, veluti Rex in subditis suis, patefaciat. Hujus porrò regni primum gradum in Filii capitis resurrectione ponit: complementum verò in integra membrorum cum capite conjunctione, ultimo illo die futura. Omnia porrò ista huc pertinent, ut doceat, nisi resurgant mortui, nec Patrem summum regem, nec Christum omnium Dominum haberi posse. Nec enim domita esset Satanæ & mortis potestas, nec plena Dei in Filio suo & Filii ipsius in suis membris gloria. [y] Complementum sive perfectio. [z] Omnes suos hostes, qui potentia sua spoliabuntur. [a] *Psal.* 110. 1. *Act.* 2. 34. *Heb.* 1. 13. & 10. 13. [a] Hic consideratur Christus, ut in forma servi manifestatus, quo respectu dominatur quidem Ecclesiæ ut caput, sed quia hæc potestas ei data est à Patre. [b] Conclusio argumenti à toto ad partem, nam si omnes hostes subjicientur, necesse est mortem subjici. [a] *Psal.* 8. 7. *Heb.* 2. 8. [c] Non quòd non anteà Patri subjectus fuerit Filius, sed quia nondum plenè Ecclesia (quæ ejus est corpus) perfecta est, hæc enim hîc languet, nec tota illa gloriæ particeps, sanctorum etiam mortuorum corpora, quæ in sepulcris jacent ad resurrectionis usque diem, gloriæ erunt expertia. Cæterum Christus ut Deus, cum Patre nos subjectos habet: ut Sacerdos, nobiscum Patri subjectus est, August. de Trinit. lib. 1. cap. 8. [d] Significatur magnificentissimis istis verbis incomprehensibilis quædam gloria, quæ à Deo promanans nos totos capiti nostro adjunctos implebit, ita tamen ut capitis sua servetur eminentia. [e] B. Quintum argumentum à fine baptismi, quòd nimirum qui baptizantur, pro mortuis baptizentur. id est, ut adversus mortem remedium habeant, quum baptismus sit regenerationis symbolum. [f] Qui baptizantur ut mors ipsa extinguatur, sive in resurrectionem ex mortuis, cujus symbolum est Baptismus. [g] B. Sextum argumentum, Nisi sit resurrectio mortuorum, quorsum Apostoli tot mortibus sese quotidiè objicerent? [h] Quasi diceret, quotidiè morior, ejúsque rei testes appello omnes ærumnas, quas verè gloriari possum me apud vos sustinuisse. [i] B. Occupatio, At tu Paule ambitiosè fecisti, ut homines solent, quum Ephesi cum bestiis certares. Scilicet (inquit Paulus) quod enim commodum inde ad me redire potuit, præter gloriam vitæ æternæ quam spero? [k] Non divino aliquo impulsu, neque in Deum respiciens, sed vel gloria, vel temeritate actus. [l] *Esa.* 22. 13. *Sap.* 2. 6. [l] B. Septimum argumentum à proximo dependens, Si nulla mortuorum resurrectio, cur alii cuipiam rei quàm ventri & luxui fuerit studendum? [m] Epicureorum voces.

mortuorum resurrectionem esse: Probatio, Christum resurrexisse, ad versum usque 12. His subnectitur ἐργασία ἐξ ἀντιθέσεως: si mortui non resurgunt, nec Christus: & è diverso, si Christus non resurrexit, neque resurgent mortui, inde ad versum 16. Hinc ponuntur absurda duo: unum, respectu viventium; ergo inanem fidem viventium esse, ut qui adhuc sint in peccatis suis, carentes redemptione Christi, si Christus non resurrexerit: alterum, respectu mortuorum, ergo mortuos periisse, versu 17. & 18. Hæc duo absurda refellit Apostolus, ὕστερον πρότερον. Nam hoc posterius, mortuos ergo periisse, confutat Apostolus gravissimè à versu 20. hucusque. Prius autem illud, inanem esse igitur viventium fidem, hic instituit confutare. Confutat autem tribus argumentis. 1. à solenni Dei & Ecclesiæ, membrorúmque singulorum testificatione in Baptismo. 2. à communibus piorum Dei servorum periculis, & Pauli singularibus. 3. ex absurditate τῆς ἐπαγγελίας ἐκ τοῦ ἀδυνάτου. Primum argumentum est hujus versus. Alioquin, ait Paulus, neque finem assequuntur, neque consilio sapiunt quicumque adhuc in Ecclesia baptizantur, & se baptizandos sistunt in mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi. Fine, nam quid facturi sunt alioqui, aut quid eis futurum est? Consilio, nam cur baptizantur, si non est resurrectio? Non potest esse inanis illorum fides, aut illi adhuc jacere in peccatis suis. Sed quid illud, super mortuis? Illud continuationis est, tamquam si diceret Paulus, ubicumque fuit Evangelium, plurimi obdormierunt in Christo hac fide, consilio, & fine, etiámque in Ecclesia vestra: ut de iis modò ostendimus. Quòd si sancti illi viri qui hactenùs obiverunt mortem sua expectatione & fide delusi sunt, quid ergo agitur? cur ita adhuc pergitur in Ecclesia, & qui nunc vivunt mortuos in eodem officio persequuntur, si inania sunt omnia? Cur si mortui spe sua exciderunt, viventes desipiunt mortuos miseros imitando, & super irrita illorum fide irritam faciunt suam? Hæc vocis ὑπὲρ & *super* significatio Græcis & Latinis auribus non est insolens. Sed de ea Grammatici viderint. Livius 2. ab urbe condita, super bellum annona premente; id est, præter, & sexcenta alia. Cætera, judicio meo, planiora sunt. [21] Verbum Græcum usurpat. [22] F. id est, de vobis, ut sequentibus exponitur. [23] Aliquid subaudiendum, quemadmodum etiam distinctio ostendit. Sensus est, Sicut mos est, & fieri solet inter homines, More inter homines recepto. F. putà velut in theatrum productus, ut solent mancipia quę cum bestiis committuntur. Supplendum ergo verbum, fit, hoc modo: si quemadmodum fit inter filios hominum, &c. [24] Id est, Ingenuas & probæ indolis. [25] Sive colloquia. [26] Id est, Ad justitiæ & veritatis studium. [27] Participia præsentis temporis pro futuro. Resurrecturi, Venturi.

[n] B. Conclusio, cum gravi exhortatione, ut sibi à prava quorundam consuetudine caveant, unde hoc malum ortum fuisse non dissimulat, monens ut sobriè sapiant justitiæ. [o] Ut justitiæ vacetis. [p] B. Probata resurrectione, jam patefacit eorum stuporem, qui non sine subsannatione quærebant quomodo fieri posset ut mortui resurgerent: & si fortè resurgebant, quærebant ridentes, qualia essent illa corpora futura. Istos igitur qui sibi acutissimi videbantur, Paulus ad rudes agricolas amandat, à quibus erudiantur. [q] B. Potuisti, inquit Apostolus, ex quotidiano usu discere utrumque, siquidem semina seruntur & putrescunt, & tamen tantum abest ut propterea pereant, ut contrà longè ornatiora prodeant, atque adeò quum nuda & arida serantur, incipiunt demum à morte vivere, Dei videlicet virtute: & tibi incredibile videbitur corpora nostra ex putredine resurgere, & quidem multò excellentiore qualitate prædita?

37 Et id quod seminas, nequaquam ipsum
corpus quod futurum est seminas, sed grana nu-
da [28] tritici aut hordei, aut reliquorum seminum.
38 Deus autem dat ei corpus quemadmo-
dum vult: & unicuique ex seminibus corpus
[29] naturæ suæ.
39 Nequaquam enim omne corpus *est* æqua-
le: aliud enim est corpus [30] filii hominis, aliud
verò [31] bestiarum, & aliud volatilium, & aliud
piscium.
40 Et sunt [32] corpora cælestia, & sunt corpo-
ra terrestria. Sed alia est gloria cælestium, & alia
terrestrium:
41 Et alia est gloria Solis, & alia est gloria
Lunæ, & alia gloria stellarum: & stella excel-
lentior est stella in gloria.
42 Ita etiam [33] resurrectio mortuorum. semi-
nantur in corruptione, surgunt incorrupta.
43 Seminantur in ignominia, resurgunt in
gloria: seminantur in infirmitate, resurgunt in
robore.
44 Seminatur corpus animale, resurgit cor-
pus spirituale. est enim [34] corpus animale, & est
corpus spirituale.
45 Ita etiam scriptum est, Factus est Adam
[35] filius hominis primus in animam viventem: &
Adam posterior, in spiritum vivificantem.
46 At nequaquam prius spirituale *fuit*, sed a-
nimale, & deinde spirituale.
47 Filius hominis primus [36] terrenus, qui è
terra. filius hominis secũdus, Dominus, [37] è cęlo.
48 Qualis est ipse terrenus, tales etiam terre-
ni: & qualis est ille qui est è cælo, tales etiam cę-
lestes.
49 Et quemadmodum induimus imaginem
illius qui erat è terra, ita induemus imaginem il-
lius qui est è cælo.
50 Hoc autem dico, fratres mei, quòd caro &
sanguis regnum cælorum consequi non possunt:
neque corruptio consequetur hæreditate incor-
ruptionem.
51 Ecce dico vobis mysterium, Non omnes
nos obdormiemus, omnes autem nos immutabi-
mur.
52 Celerrimè, quasi [38] jactu oculi, [39] in bucci-
na ultima quum clanget, & resurgent mortui in-
corrupti, & nos immutabimur.
53 Oportet enim ut hoc quod obnoxium est
corruptioni, induat incorruptionem: & similiter,
ut mortale induat immortalitatem.
54 Quum autem induerit hoc quod corrum-
pitur, incorruptionem, & hoc quod moritur, im-
mortalitatem, tunc fiet sermo ille qui scriptus est,
Absorpta est mors in victoriam.
55 Ubi est stimulus tuus, ô mors? & ubi est vi-
ctoria tua, ô [40] sepulcrum?
56 Stimulus autem mortis, peccatum est: &
vis peccati, Lex est.
57 Gratia autẽ *sit* Deo, qui dedit nobis victori-
am [41] per Dominum nostrum Jeschua Christum.

28 Ad verbum, Triticorum, Hordeorum, ut in Hebræo.
29 Id est, Quod naturæ suę convenit. Hebraism.
30 Id est, Hominis. Hebraismus.
31 In hoc nomine erratum fuerat, atque Daleth pro Resch positum.
32 Subaudi alia, &c. & sic in sequenti membro.
33 Collectivè, sicut apud Hebræos pro corporibus quæ resurgunt.
34 Ad verbum, Corpus animæ, Corpus spiritus, ex Hebraismo.
35 F. i. homoeca-tachresis, ut versu 47.
36 F. vel pulvereus.
37 Id est, Cælestis. Hebraismus.
38 Vel, Quasi inclinatione oculi.
39 Ad clangorem buccinæ.
40 F. vel inferne.
41 Syrè, Per manum Domini nostri. Hebraismus.

37 Et quod seris, non corpus oriturum seris,
sed nudum granum, prout inciderit, tritici, aut a-
licujus ex reliquis *seminibus*.
38 [r] Sed Deus ei dat corpus ut voluit, & sin-
gulis seminibus suum corpus.
39 Non omnis caro, eadem caro, sed alia qui-
dem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia
verò piscium, alia verò volucrium.
40 Et *sunt* corpora cælestia, & *sunt* corpora
terrestria: sed alius quidem cælestium decor, ali-
us verò terrestrium.
41 Alius decor Solis, & alius decor Lunæ: &
alius decor stellarum. stella enim à stella differt
decore.
42 [s] Ita *erit* & resurrectio mortuorum. [t] seri-
tur *corpus* corruptioni obnoxium, suscitatur cum
incorrupta natura:
43 Seritur [u] fœdum, suscitatur cum decore:
seritur omnium virium expers, suscitatur [x] po-
tens: [y] seritur corpus animale, suscitatur corpus
spirituale.
44 Est corpus animale, & est corpus spiritu-
ale.
45 [z] Ita etiam scriptum est, Factus est [a] pri-
or homo Adam animal vivens: posterior *autem*
Adam *factus est* [b] spiritus vivificus.
46 [c] At spirituale non est prius, sed animale,
deinde spirituale.
47 Primus homo è terra, [d] pulvereus: secun-
dus homo, ipse Dominus [e] è cælo.
48 [f] Qualis pulvereus ille, tales & pulverei
sunt: & qualis ille cælestis, tales & qui cælestes
erunt.
49 Et sicut gestavimus [g] imaginem terreni,
gestabimus etiam imaginem cælestis.
50 [h] Hoc autem dico, fratres, quia [i] caro &
sanguis non possunt regni Dei hæreditatem con-
sequi: neque corruptio consequi incorruptæ na-
turæ hæreditatem.
51 [k] Ecce, [l] mysterium vobis dico, Non om-
nes quidem obdormiemus, sed omnes mutabi-
mur, [m] momento, & jactu oculi, [n] ad ultimam tu-
bam.
52 Canet enim tuba, & mortui excitabuntur
incorrupti, & nos mutabimur.
53 Oportet enim istud corruptioni obnoxi-
um induere incorruptam naturam, & mortale i-
stud induere immortalitatem.
54 Quum autem hoc corruptioni obnoxium
induerit incorruptam naturam, & mortale hoc
induerit immortalitatem, tunc fiet illud quod
scriptum est, [o] Absorpta est mors ad victoriam.
55 [p] Ubi tua, ô mors, victoria? ubi tuus, ô se-
pulcrum, aculeus?
56 Aculeus verò mortis *est* peccatum: vis au-
tem peccati, Lex.
57 [q] Sed Deo *sit* gratia, qui dat nobis victori-
am per Dominum nostrum Jesum Christum.

[r] B. Diversitatem cernimus tum in una & eadem re, quæ modò hac modo illa forma donatur, sua tamẽ retenta specie: ut in grano apparet, quod nudum seritur, & longè aliud exsurgit: tũ in diversis ejusdẽ generis speciebus, ut inter animalia: tum inter res alterius generis, ut corpora cælestia & corpora terrestria: quæ singula rursus magno discrimine inter se variantur. Non est igitur quod & rem impossibilem & inusitatam repudiemus corporum non tantùm resurrectionem, sed etiam mutationem in melius.
[s] B. Corporum excitatorum ex mortuis, triplicem qualitatem ponit: incorruptionem, quia nimirùm erunt firmissima & prorsus incorrupta natura: gloriam, quoniam splendore & decore inenarrabili exornabuntur: potentiam, quoniam videlicet absque cibo, potu, & aliis adminiculis, quibus caduca hæc vita ne conservare quidem sese ab interitu potest, perennia permanebunt.
[t] Sepelitur, & instar seminis homo conditur.
[u] Splendoris & decoris expers.
[x] A priore imbecillitate liberum, quod videlicet vicissitudini tam variæ sit obnoxium, nec sese tueri nisi cibo, potu, & cæteris ejusmodi præsidiis possit.
[y] B. Uno verbo absolvit istam qualitatis corporis mutationem ex resurrectione, quum dicit fore ut ex animali fiat spirituale: quas duas qualitates planè diversas, mox diligenter explicat.
[z] Gen. 2.7. [z] B. Animale corpus dicitur, quod sola anima vegetatur, cujusmodi fuit Adam, ex quo & nos orimur animales: spirituale verò vocatur, quod unà cum anima, longè excellentiore virtute vivificandum est, Dei videlicet Spiritu, quæ ex altero Adamo, nempè Christo in nos derivatur. [a] Adam prior dicitur, quòd ab eo tamquam à radice orti sumus: Christus autem posterior, quia in eo tamquam in principio spirituales omnes comprehenduntur. [b] Christus dicitur Spiritus ab excellentissima illa natura, id est, Deo in ipso habitante corporaliter, ut Adamus animal, ab anima præstantiore ejus parte. [c] B. Jubet secundo loco considerari ordinem istius duplicis status, sive qualitatis quod animale præcesserit condito Adamo, idque ex terræ limo: spirituale verò supervenerit, quum Dominus videlicet è cælo missus, carnem nostram sibi adaptatam, plenitudine deitatis informaret. [d] In cœno manens, & terrestri naturæ addictus. [e] Descendisse de cælo dicitur Dominus, ratione communicationis idiomatum. [f] B. Applicat autem Adami (ut ita loquar) terrenam animalitatem corporibus nostris, quamdiu in terris animaliter versantur, in hac vita videlicet, & in sepulcro: tum Christi spiritualitatem iisdem nostris corporibus, postquam & ipsa resurrexerint: & illam quidem ait præcedere, hanc verò sequuturam. [g] Imaginem, intellige non vanam & inanem, sed quam res ipsa consequatur. [h] B. Conclusio, non posse nos gloriæ Dei fieri participes, quin totam illam corporum crassam, fæculentam & corruptioni obnoxiam naturam deponamus, ut idem corpus gloria incorruptibili ornetur. [i] Hoc loco caro & sanguis sumuntur pro corpore animali, quod non nisi deposita corruptione incorruptionem consequetur. [k] B. Pergit ulterius, declarans fore ut qui superstites ultimo illo die deprehendentur in hac vita, non descendant in illam sepulcri putrefactionem, sed subitanea immutatione renoventur, quæ immutatio sit prorsus necessaria: & in ultimum illud tempus differatur certa beneficii & victoriæ Christi fruitio. [l] Rem arcanam & adhuc occultam, ideóque dignissimam quam attentè audiatis. [m] Indicatur brevissimum fore illud tempus.
[n] Matth. 24.31. 1. Thess. 4.16. [o] Esa. 25.8. [p] Heb. 2.14. Ose. 13.14. [q] 1. Joh. 5.5.

58 De

58 [a] Itaque,

n B. Exhortatio ab utili sumta, ut quum intelligant alterius vitæ gloriam repositam esse fidis operariis, perstent in doctrinæ de mortuorum resurrectione veritate. o Dei ope ac bonitate id efficiente.

58 n Itaque, fratres mei dilecti, firmi estote, immoti, abundantes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem o in Domino.

58 De cætero, fratres mei & dilecti mei, estote firmi, & ne sitis vacillantes: sed estote abundantes omni tempore in opere Domini: quū sciatis quòd labor vester non sit inanis in Domino.

CAPUT XVI.

1 *Hortatur ut fratrum Hierosolymitanorum inopiæ succurrant,* 10 *Deinde Timotheum commendat:* 13 *& amica exhortatione,* 19 *deinde salutationibus epistolam claudit.*

a B. Collectę olim ex Apostoli instituto fiebant primo quoque die hebdomadis, quo nimirùm jam tum mos erat convenire.
b Qui olim dies Solis, nunc Dominicus dicitur.
c Ut quisque conferat pro ratione prosperitatis, quam à Domino obtinuerit.
d Quas illis dabitis perferendas.
e B. reliqua pars Epistolæ scribendis rebus familiaribus consumitur, ita tamen ut omnia semper ad scopum propositum (id est Dei gloriam & Corinthiorum ædificationem) referantur.
f Ad magnas res conficiendas opportunum.
g Sine justi metus occasione.
h Salvum & incolumem, atque adeò cum bona gratia.
i Stephana nomen viri est, non autem mulieris.
k Sese totos ministerio devovisse.
l Honore & reverentia prosequamini, illis cedatis, & ab iis finatis vos regi ut par est, quum sese, & facultates vobis juvandis consecrârint.
m Animum.
n Tales ducite, quales sunt revera.
* *Rom.* 16.16. 2. *Cor.* 13.12. 1. *Pet.* 5.14.
o Sic designatur species extremi anathematis.

PORrò a de collecta in sanctos, quemadmodum ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.

2 b Primo quoque *die* hebdomadis unusquisque vestrûm apud se reponat, recondens c quod pro Dei benignitate licuerit: ne, quum venero, tunc collectæ fiant.

3 Postquàm autem accessero, quoscumque probaveritis, hos mittam d cum epistolis ut perferant beneficentiam vestram Hierosolymam.

4 e Quòd si res digna fuerit ut & ipse proficiscar, mecum proficiscentur.

5 Veniam autem ad vos quum Macedoniam transiero. (Macedoniam enim pertransibo)

6 Apud vos autem forsitan permanebo, aut etiam hybernabo: ut vos me prosequamini quocumque proficiscar:

7 Nolo enim vos nunc in transcursu videre: sed spero temporis aliquantum mansurum *me* apud vos, si Dominus permiserit.

8 Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.

9 Nam ostium mihi apertum est magnum & f efficax, & adversarii multi.

10 Quòd si venerit Timotheus, videte ut g tutò sit apud vos: opus enim Domini operatur ut & ego.

11 Nequis igitur illum pro nihilo habeat: sed prosequimini eum cum h pace, ut veniat ad me: exspecto enim eum cum fratribus.

12 Porrò de Apollo fratre, multùm precatus sum eum ut iret ad vos cum fratribus. sed omninò non fuit *ei* voluntas nunc eundi: venturus est autem quum tempus opportunum habuerit.

13 Vigilate, state in fide, viriliter agite, estote fortes.

14 Omnia vestra cum charitate fiant.

15 Precor autem vos, fratres, nostis familiam i Stephanæ esse primitias Achaiæ, & sese in ministerium sanctis k addixisse:

16 Ut & vos l subjiciamini talibus, & omnibus operam suam conferentibus & laborantibus.

17 Gaudeo verò de adventu Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam absentiam vestram hi suppleverunt.

18 Refecerunt enim m spiritum meum ac vestrum. n Agnoscite itaque qui sunt hujusmodi.

19 Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multùm Aquila & Priscilla, cum Ecclesia quæ est domi ipsorum.

20 Salutant vos fratres omnes. * Salutate alii alios osculo sancto.

21 Salutatio, manu mea Pauli.

22 Siquis non amat Dominum Jesum Christum, esto anathema, o maran-atha.

DE eo autem quod colligitur sanctis, quemadmodum præcepi Ecclesiis Galatiæ, ita etiam vos facite.

2 1 Primo quoque *die* septimanæ quisque vestrûm domi suæ seponat, & servet 2 id quod venit in manus suas, ne quum venero, tunc fiant collectæ.

3 Et quum venero, eos quos elegeritis vos, ipsos mittam cum epistola, ut perferant beneficentiam vestram in Urischelem.

4 Si autem 3 par fuerit opus ut ego quoque eam, etiam mecum proficiscentur.

5 Venturus autem ad vos sum, quum pertransiero Macedoniam, (transiturus enim sum in Macedoniam)

6 Et tunc etiam apud vos manebo, vel hyemabo apud vos, ut vos deducatis me in locum quò sum profecturus.

7 Nolo nunc quasi transiens per viam videre vos: spero enim quòd manebo tempus aliquod apud vos, si Dominus meus permiserit mihi.

8 Permanebo enim Ephesi usque ad 4 Pentecosten.

9 Ostium enim magnum apertum est mihi 5 plenum operibus: & adversarii *sunt* multi.

10 Si autem venerit ad vos Timotheus, videte ut sine 6 timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut ego.

11 Nequis igitur eum despectui habeat, sed deducite eum 7 cum pace, ut veniat ad me. exspecto enim eum cum fratribus.

12 De Apollo autem, 8 fratre mei, 9 multùm petii ab eo ut proficisceretur ad vos cum fratribus: 10 & omninò non erat *ei* voluntas ut veniret ad vos: quum autem erit ei 11 opportunitas, venturus est ad vos.

13 Vigilate, & state in fide, viriliter agite, & estote fortes.

14 Et omnes 12 res vestræ in charitate fiant.

15 Peto autem à vobis, fratres mei, pro 13 familia Stephanæ (quia nostis quòd sunt primitiæ Achaiæ, & exposuerunt animas suas in ministerium sanctorum)

16 Ut etiam vos sitis obtemperantes iis qui tales sunt, & omni homini qui laborat nobiscum, & adjuvat *nos*.

17 Gaudeo autem de adventu Stephanæ & Fortunati & Achaici, quia 14 quod efficio vestro deerat erga me, illi impleverunt.

18 Refocillârunt enim spiritum meum & vestrum. Estote igitur agnoscentes eos qui tales sunt.

19 15 Salutant vos Ecclesiæ omnes quæ sunt in Asia. Salutant vos multùm in Domino nostro Aquila & Priscilla cum Ecclesia quæ est domi eorum.

20 Salutant vos fratres omnes. Salutate alter alterum 16 in osculo sancto.

21 Salutatio per scripturā manus meæ Pauli.

22 Qui non diligit Dominum nostrum Jeschua Christum, sit anathema 17 Maran-atha.

1 Syre, in omni uno (id est primo) die in sabbatho (id est Septimana.) Hebræa loquutio.
2 Hoc est, Ex eo quod ad manum habet.
3 Syra phrasis, Si ita res merebitur, Si ita par fuerit & æquum.
4 Græcum nomen usurpat.
5 Id est, Operosum, quod magnos labores requirat.
6 Timor pro formidabili periculo & discrimine, sive afflictione & persequutione.
7 Id est Tutò. Hebraismus.
8 F. vel fratre meo.
9 Quasi dicas, Multis verbis, Prolixè.
10 Et pro At adversativa.
11 Ad verbum, Locus, Hebraismus.
12 Ad verbum, Voluntates, Hebraismus.
13 Ad verbum, domo. Hebraismus.
14 Ad verbum, In quo imminuti eratis.
15 Ad verbum, Petunt pro pace vestra. Et sic in sequentibus.
16 F. vel osculo, sine præpositione.
17 Ita divisum in codice Syro scribitur, neque video cur fides librariorum quibusdam hac in parte suspecta sit. Nihil enim mihi occurrit hactenùs magis consentaneum aut aptum, quàm ut his verbis extremi anathematis formula attingatur: quia extremę Christi mundi judicis cōdemnationi, absque spe veniæ, addicebatur peccator. ¶ Huc verò accommodari utcumque posset ratio nominis, quo hujusmodi anathema vocant Thalmudistæ, מרנתא, quod ex duobus, propter frequentem ejus usum, videtur coaluisse, nempè ex מרן & אתא, quod idem est quod Domine veni. Quamquam non ignoro ab expositoribus Thalmud tribus modis aliter exponi.

23 Gratia

23 Gratia

23 Gratia Domini nostri Jeschua Christi vobiscum.

24 Et dilectio mea cum omnibus vobis per Christum Jeschua. Ammin.

Finitur epistola ad Corinthios prior, quæ fuit scripta ex Epheso.

23 Gratia Domini Jesu Christi *sit* vobiscum.

24 Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

Ad Corinthios prior, missa fuit Philippis per Stephanam & Fortunatum & Achaicum & Timotheum.

EPISTOLA PAULI AD CORINTHIOS II.

CAPUT I.

4 *A laude afflictionum auspicatur,* 8 *exponens quid in Asia pertulerit,* 10 *& quàm dexter affulserit Deus.* 17 *Addit nulla levitate id factum esse quòd non venerit, uti fuerat pollicitus.*

PAulus Apostolus Jeschua Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, & omnibus sanctis qui sunt in Achaia tota.

2 Gratia vobiscum & pax à Deo Patre nostro, & à Domino nostro Jeschua Christo.

3 Benedictus sit Deus Pater Domini nostri Jeschua Christi, Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis.

4 Qui consolatur nos in omnibus tribulationibus nostris, ut etiam nos possimus consolari eos qui omnibus in tribulationibus sunt, per eam consolationem quam ipsi experimur à Deo.

5 Sicut enim abundant in nobis passiones Christi, ita per Christum etiam abundat consolatio nostra.

6 [1] Sive autem affligimur, pro consolatione vestra & pro salute vestra affligimur: sive consolationem accipimus, ut vos consolationem accipiatis, & fit in vobis efficacia qua tolleretis illas passiones, easdem quas etiam nos patimur: [2] & spes nostra quæ de vobis est, firma est.

7 Scimus enim quòd si socii sitis in passionibus, socii futuri estis etiam in consolatione.

8 Volumus autem ut sciatis, fratres mei, de afflictione quæ [2] fuit nobis in Asia, quòd plurimùm afflicti fuimus [3] plusquam nostræ vires *sint*, [4] adeò ut propinqua esset vita nostra ut projiceretur.

9 Et de his [5] sententiam protulimus mortis, ne esset nobis confidentia in nobisipsis, sed in Deo, qui excitat mortuos:

10 Qui ex [6] mortibus duris eripuit nos, & iterum speramus quòd erepturus sit nos,

11 Per auxilium precum vestrarum quæ *fiunt* pro nobis, ut fit donum ejus [7] quod est erga nos, [8] gratia facta pro multis, & multi gratias agant ei pro nobis.

12 Gloriatio enim nostra hæc est, testimonium [9] mentis nostræ, quòd cum simplicitate & cum puritate, & cum gratia Dei conversati sumus in mundo, & non sapientia [10] corporis, & potissimùm erga vos.

PAulus [a] Apostolus Jesu Christi per Dei voluntatem, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, unà cum sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia.

2 Gratia *sit* vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo.

3 [b c] Benedictus *esto* Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater *inquam* ille [d] miserationum & Deus omnis consolationis:

4 Consolans nos in omni afflictione nostra: [e] ut possimus *positos* in quavis afflictione consolari, ea ipsa consolatione qua nos ipsos consolatur Deus.

5 Nam sicut abundant [f] perpessiones Christi in nobis, ita per Christum redundat etiam consolatio nostra.

6 [g] Sive autem premimur, pro vestra consolatione ac salute *premimur*: sive consolationem percipimus, *consolationem percipimus* pro vestra consolatione, quæ [h] efficitur *in vobis* per tolerationem earumdem perpessionum quas & nos perpetimur: & spes nostra firma est de vobis:

7 Ut qui sciamus vos, sicut socii estis perpessionum, ita etiam *socios fore* consolationis:

8 [i] Non enim volumus vos ignorare, fratres, de afflictione nostra quæ nobis evenit in Asia, nos summè gravatos fuisse supra vires, adeò ut prorsus [k] animi penderemus, etiam quod ad vitam.

9 Sed ipsi [l] apud nos decretum mortis habuimus, ne confideremus in nobisipsis, sed in Deo qui mortuos suscitat:

10 Qui ex [m] tanta morte nos eripuit & eripit: in quo speramus nos adhuc etiam ereptum iri:

11 [n] Una conferentibus operam etiam vobis per preces pro nobis, [o] ut donum ex multis personis in nos *collatum*, per multos celebretur gratiarum actione pro nobis.

12 [p] Nam gloriatio nostra hæc est, testimonium *videlicet* conscientiæ nostræ, quòd cum simplicitate & [q] sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed [r] cum gratia Dei, versati sumus in mundo, quamplurimùm autem apud vos.

[1] F. Hæc verba ferè sequenti versui aptari solent: idq; non malè.
[2] i. Evenit.
[3] i. Supra vires nostras.
[4] i. Spe vitæ præsentis amissa, propè abjiceremus omne consilium de quærendo effugio.
[5] i. ipsi judicavimus fore ut moreremur.
[6] Mortes duras vocat summa pericula mortis.
[7] i. Nobis collatũ.
[8] i. Collata in gratiam multorum.
[9] F. vel conscientiæ, ut Græca vox sonat, sic infrà...
[10] F. vel carnis, quod est evidentius...

[a] a. Vide hujus modi salutationum explicationem in superioribus epistolis.
[b] Ephes. 1. 3. 1. pet. 1. 3.
[c] a. Incipit ...
[d] Summè misericors.
[e] a. Ideò nos cōsolatur Dominus, ut tantò certiùs possimus alios solari.

...stro nobis datur salus, quia tamen certo itinere ad eam pervenitur, nimirum innocentiæ & integræ vitæ curriculo peracto, ideò dicimur salutem nostram operari, Philip. 2. 12. Jam verò quia Deus unus est, qui pro gratuita sua benevolentia in nobis omnia efficit, ideò dicitur salus ab eo effici in nobis per ea ipsa ... per quæ nos ad æternam vitam oportet superatis omnibus difficultatibus contendere. [i] a. Testatur adeò non se pudere illarum afflictionum, ut etiam ... gritudinem ab omnibus intelligi, ac suam vicissim, quamvis nondum plenam liberationem. [k] Prorsus inopes consilii eramus, quomodo periculum ... mus quod ad humana videlicet præsidia. [l] Intus & in animo, constitutum nobis erat mori. [m] Ex summo illo periculo. [n] Rom. 15. 30. [o] a. Ne se ... videatur efferre, omnia tribuit Deo, & simul piorum precibus se plurimum tribuere profitetur. [p] a. Gloria Dei, finis afflictionum sanctorum: quas ... haberi oporteat. [p] a. Secundo loco aliam calumniam diluit, videlicet, quòd homo levis esset, & cui timerè non esset credendum, quum promisisset se ad eos venturum, nec tamen venisset. Præfatur autem de animi sui simplicitate & sinceritate, quam & ex ipsius præsentis voce cognoverint, & in absentia literis debeant recognoscere: & se porrò alium nunquam futurum testatur. [q] Candore, & animi quasi perspicuitate sincerâ & vera, ut testis est Deus ipse. [r] ... Fretus ea ipsa sapientia, quam Deus mihi cælitùs est gratificatus.

Candidè & absque fuco scribere se dicit: qui enim fucata oratione scribit, meritò sanè dicitur alia scribere quàm quæ leguntur. illud autē à Corinthiis agnosci & approbari dicit Apostolus.
t Perfectè.
u Gloriatio Pauli in Domino erat, quòd Corinthios lucrifecisset, Corinthiorū verò quòd à tali Apostolo tam purè ac sincerè fuerant instituti.
x Qua Judex sedebit.
y Alterum beneficium.
z z. Inficiatione repellit calumniam, & illud quidem in primis quod nonnulli studebant Corinthiis persuadere, Paulum sibi in docendo Evangelio non constare. De hoc enim laborabat.
a Hominum more, qui temerè solēt polliceri quidvis, & leviter cōsilium mutare.
b Ut aliquid modò affirmem, modò negem.

13 s Non enim alia scribimus vobis quàm quæ legitis aut etiam agnoscitis. spero autem vos etiam t ad extremum agnituros.

14 Sicut & aliquatenus agnovistis, nos u gloriationem vestram esse, quemadmodum & vos nostra *estis*, in x diem Domini Jesu.

15 Itaque hac fiducia priùs volui ad vos venire, ut y secundam gratiam haberetis:

16 Et per vos transire in Macedoniam, & rursum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.

17 z Hoc igitur quum deliberarem, numnam levitate sum usus? aut quæ delibero, a secundùm carnem delibero, b ut sit apud me Etiam & Non?

18 c Imò d fidelis Deus *novit* sermonem nostrum apud vos, non fuisse Etiam & Non.

19 e Nam Dei Filius Jesus Christus qui inter vos per nos prædicatus est, *id est* per me & Sylvanum ac Timotheum, f non fuit Etiam & Non, sed Etiam fuit in g ipso.

20 h Quotquot enim *sunt* promissiones Dei, i in ipso *sunt* Etiam, & in ipso *sunt* Amen, ad Dei gloriam k per nos.

21 l Porrò, qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus *est*.

22 Qui etiam obsignavit nos, indiditq; m arrhabonem Spiritus cordibus nostris.

23 n Ego verò testem Deum invoco o in meam animam, me *idcirco* nondum venisse Corinthum, quòd vobis parcam.

24 p Non quòd dominemur vestræ fidei, sed *quòd* administri simus q gaudii vestri. nam fide statis.

13 Nequaquam alia scribimus vobis, sed ea quæ agnoscitis, etiam persuasa habetis: confido autem quòd usque in finem persuasa habebitis.

14 Quemadmodū etiam persuasum habuistis [11]ex parte, quòd gloriatio vestra sumus, sicut etiam vos nostra, in diem Domini nostri Jeschua Christi.

15 Et in hac fiducia volebam prius venire ad vos, ut dupliciter reciperetis gratiam:

16 Et transirem per vos in Macedoniam, & rursus à Macedonia ad vos venirem, & vos deduceretis me in Judæam.

17 Hoc igitur quod cogitavi, numquid tamquam levis cogitavi? aut numquid carnis sunt hæc quæ cogito, eo quòd oportuerit ut esset in eis Etiam Etiam, & Non Non?

18 Fidelis est Deus quòd non fuit sermo noster erga vos, Etiam & Non.

19 Filius enim Dei Jeschua Christus, qui [12] per nos prædicatus est vobis, *nempe* per me & per Sylvanum & per Timotheum, nō fuit Etiam & Non, sed fuit Etiam in ipso *Deo*.

20 Omnes enim promissiones Dei in ipso Christo Etiā fuerunt. [13] propter hoc [14] per ipsum [15] damus Ammin ad gloriam ipsius Dei.

21 Deus autem est confirmans nos vobiscum in Christum, idem qui unxit nos:

22 Et obsignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus sui in cordibus nostris.

23 [16] Ego autem Deum testem invoco in animam meam, quòd, quia parco vobis, non venerim Corinthum.

24 Nequaquam quòd dominatores fidei vestræ simus: sed adjutores simus gaudii vestri: fide enim statis.

11 Ad verb. Parum ex multo, ut 1. Cor. 1.
12 Ad verb. Per manus nostras, i. Opera nostra. Hebraismus.
13 F. sic verba Græca distinguebat Syrus, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν τῷ Θεῷ, πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν, quam distictionē esse luculentam arbitror: ut ostendat Apostolus duplicem esse contestationem promissorū Dei; unā à Deo promittente, alteram à nostra conscientia annuente eis. Hāc enim interpretationem vox illa, τῷ Θεῷ, videtur confirmare.
14 Ad verb. Per manū ipsius. Hebr.
15 i. Respondemus. Subauditur enim vox, אמן, significans Responsum, quæ expressa legitur ad Rom 9.
16 Hinc videtur auspicandum esse secundum caput: & textus Syriacus hinc sectionis initium facit.

c z. Deum ipsum citat testem ac judicem suæ in docendo uno & eodem Evangelio constantiæ. d Verax, & de cujus fidelitate nefas sit dubitare. e z. Adjungit suos collegas testes, quibuscum summo consensu semper idem, id est unum Christum docuit. f Non fuit varius & inconstans. g Sub Deo. h z. Denique summam suæ doctrinæ explicat, omnes videlicet salutis promissiones in Christo esse firmas ac ratas. i Omnes in uno Christo proponuntur exhibendæ ac præstandæ, constanti, & invariata ratione. k Nostro ministerio. l z. Hujus constantiæ laudem uni gratiæ Dei per Spiritum sanctum tribuit, simulq; concludit non posse de sua & collegarum fide dubitari, quin ipsi Dei Spiritui fiat injuria, quum sint ipsi sibi optimè conscii. m Arrhabo id est omne quo dato confirmatur promissio. n z. Jam ad rem accedens, jurat tantùm abesse ut leviter consilium de sua ad eos profectione mutârit, ut contrà idcircò non venerit, ne præsens cogeretur duriùs quàm vellet cum ipsis agere. o In caput meum, sive vitæ meæ periculo. p z. Removet omnem arrogantiæ suspicionem, testans sese non ut dominum, sed ut servum loqui, ipsis in Domino consolandis destinatum. q Gaudium & pacem conscientiæ, cujus facit auctorem Deum, opponit tyrannico terrori, simul finem Evangelii designat.

CAPUT II.

1 *Excusat se quòd non venerit,* 2 *clam illos taxat:* 4 *& communem sympathiam ostendit,* 5 *ut nequeat nisi ipsis hilaribus gaudere.* 6 *Mœcho quem satanæ tradi præceperat,* 7 *resipiscenti veniam dari asserens,* 12 *de profectione sua in Macedoniam meminit.*

a Tristitiæ causam vobis afferens, quod futurum erat si priùs ad eos venisset quàm scripsisset.
b Quia omnino speravi fore ut quod mihi displiceret intelligeretis, studeretis corrigere: quia mea gaudia existimarem vobis esse communia.
c z. Transit ad alterum locum hujus epistolæ, qui tamen velut inseritur superioribus, ad quæ postea revertitur. Agit autem de incestuosi illius absolutione, quoniam suam resipiscentiam satis testatus videbatur: verum excommunicationis usum declarans, nempe, ut non ab odio sed à charitate incipiat, & in eamdem desinat, ne dum modum nullum tenentes, Satanæ serviamus. d Quasi dicat, perinde esse absterssam illam omnem molestiam, acsi numquam illam sensisset. e Me cum, inquit Paulus, nullum est illi ampliùs negotium. f Ne jam per se gravato onus adjiciam quod potius detractum cupio.

HOc autem apud me statui, rursus cum a tristitia non venire ad vos.

2 Nam si ego tristitia vos afficiam, quis est igitur qui exhilaret me, nisi is ipse qui tristitia fuerit affectus ex me?

3 Et hoc ipsum vobis scripsi, ne cum venero, tristitiam capiam ex iis de quibus oportebat me gaudere: b confisus de vobis omnibus, meum gaudium omnium vestrûm *gaudium* esse.

4 Nam ex multa afflictione & anxietate cordis scripsi vobis, per multas lacrymas: non ut tristitia afficeremini, sed ut cognosceretis charitatem quam habeo abundantissimam erga vos.

5 c Quòd siquis tristitiam attulit, d non mihi tristitiam attulit, e sed quadamtenus, f ne *illum* aggravem, vobis omnibus.

6 Sufficit istiusmodi *homini* ista increpatio à pluribus *profecta*,

[1] JUdicavi autem hoc apud meipsum, ut non rursus cum mœstitia venirem ad vos.

2 Si enim ego mœstitia afficiam vos, quisnam exhilarabit me, nisi is quem ego mœstitia affeci?

3 Et quod scripsi vobis, idipsum est, ut non, quum venirem, mœstitia afficerent me illi ipsi [2] quos oportebat ut ipsi me gaudio afficerent. Confido autem de vobis quòd gaudium meum vestrûm omnium sit.

4 Et ex afflictione multa, & ex anxietate cordis scripseram vobis illa cum lacrymis multis: non ut mœstitia esset vobis, sed ut cognosceretis charitatem eximiam quæ est mihi erga vos.

5 Siquis autem mœstitia affecit me, nequaquam me affecit mœstitia, sed [3] paululum vos omnes, [4] ne gravis esset sermo contra vos.

6 Sufficit autem illi increpatio quæ fuit à pluribus.

1 F. vide in Rom. 14. 13.
2 F. vel quibus id erat conveniens, ut &c.
3 F. vel propemodùm.
4 F. vel ne gravior esset sermo cōtra vos: i. ut vos tristitia affecti mœrerentis, & dolorē vestri conscientia me consolaretur, colliboretq;, ne fortè gravius ad vos in concione & afferes peccati, rescriberem. Confirmant sequentia.

7 Et deinceps è diverso oportet ut condonetis ei, & consolemini eum: ne tristitia abundanti absorbeatur is qui hujusmodi est.

8 Quapropter peto à vobis ut confirmetis in eum charitatem vestram.

9 Ideò enim scripsi, ut etiam cognoscerem per experientiam, num omni in re sitis obedientes mihi.

10 Cui autem ignoscitis vos, ego quoque. Nam etiam ego quod condonavi, propter vos condonavi [5] in conspectu Christi, ne [6] occuparet nos Satanas:

11 Novimus enim cogitationes ejus.

12 Quum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & apertum mihi esset ostium per Dominum, non fuit mihi quies in spiritu meo, quòd non invenissem Titum fratrem meum:

13 Sed dimisi eos, & abii in Macedoniam.

14 Gratia autem Deo, qui omni tempore [7] triumphum facit nobis in Christo, & manifestat per nos odorem cognitionis sui in omni loco.

15 Odor enim suavis sumus Deo per Christum in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt;

16 His odor mortis ad mortem, & illis odor vitæ ad vitam, & ad hæc quis par erit?

17 Non enim sumus sicut reliqui [8] qui mixtura adulterant sermones Dei, sed tamquam qui in veritate, & tamquam qui ex Deo coram Deo de Christo loquimur.

5 Syrè, in persona Christi: quod servari potest: tamquam si diceret Apostolus, ratione habui vestri in Christo, in quo deleta sunt peccata filiorum Dei in Ecclesia ipsius.

6 v. id est, calumniosis suis consiliis traduceret ministerium nostrū apud vos antevertendo: vide infrà in 7.2.

7 v. Syr. spectaculum, id est, triumphum spectatissimum, Angelis & hominibus circumspicientibus.

8 v. Hæc propria verbi καπηλεύειν Græci interpretatio, παρὰ τὸ καπηλεύειν τὸν οἶνον. i. corrumpendo vino atque infuscando, ut caupones solent.

7 [g] Ut e contrario potiùs vos *ei* condonetis, *eumq;* consolemini, nequo modo redundante tristitia absorbeatur *vir* hujusmodi.

8 Quapropter precor vos ut [h] ratam faciatis in illum charitatem.

9 Nam in hunc finem etiam scripsi, ut cognoscerem probationem vestri, *id est* an ad omnia obedientes sitis.

10 Cui verò quidpiam condonatis, & ego *condono*, nam & ego si quid condonavi, cui condonavi, propter vos *id feci*, in [i] conspectu Christi, ut ne superemur à Satana.

11 Non enim illius [k] machinationes ignoramus.

12 [l] Porrò quum venissem Troadem ad *prædicandum* Evangeliū Christi, etiamsi ostium mihi apertum erat per Dominum, non fuit remissio spiritui meo, eo quòd non invenissem Titum fratrem meum;

13 Sed quum illis valedixissem, abii in Macedoniam.

14 Deo *sit* autem gratia, qui facit ut semper triumphemus in Christo: & [m] odorem notitiæ suæ manifestum facit per nos omni in loco.

15 [n] Nam Christi bona fragrantia sumus Deo, in iis qui servantur, & in iis qui pereunt:

16 His quidem, odor mortis ad mortem: illis verò, odor vitę ad vitā. Sed [o] ad hæc quis idoneus?

17 [q] Non enim, ut pleriq;, [p] cauponamur sermonem Dei, sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo, in conspectu Dei, de Christo loquimur.

g Ut pro eo quòd anteà illum severè ulti estis, nunc illi condonetis.

h Me deprecatore, publico Ecclesiæ consensu declaretis vos illum denuò pro fratre complecti.

i Verè & ex animo.

k Nefanda consilia & sceleratam voluntatem.

l B. Redit ad Apostolatus sui cōfirmationem, prolatis tum suorum laborum, tum etiam Dei benedictionis testimoniis.

m Alludit ad sacerdotum unctionem & sacrificiorum suffitus.

n B. Quoniam constabat eum non pari successu ubique recipi, imò verò longè plurimos eum despicere, atque adeò exsecrari, negat propterea de sui Apostolatus auctoritate quicquam detrahendum, quum Christum doceat non tantùm ut credentium servatorem, sed etiam ut contemtorum judicem. o B. Rursus removet arrogantiæ crimen, omnia à se gesta tribuens Dei virtuti, cui sincerè & absque turpi ulla cupiditate inserviat: cujus rei ipsosmet facit testes, usque ad versum sextum proximi capitis. q *Infrà* 4.2. p Callidè & avarè, minùs denique sincerè tractamus, metaphora à cauponibus ducta, qui nihil non adulterant.

CAPUT III.

2 *Dicit se satis habiturum commendationis,* 3 *quamdiu in fide permanserint:* 6 *se ministrum non Litera, sed Spiritus.* 8 *Discrimen Legis & Evangelii exponit,* 13 *quòd illius claritas magis perstringat oculos quàm illuminet,* 18 *hujus verò lux conspicuam Dei faciem exhibeat.*

INcipimus rursus à principio indicare vobis qui sumus? aut numquid opus habemus, sicut alii, ut literæ commendatitiæ scribantur vobis de nobis, aut ut vos scribatis, ac commendetis nos?

2 Epistola autem nostra vos estis, quæ scripta est in cordibus nostris, quæ intelligitur ac legitur à quolibet homine.

3 Agnoscimini enim quòd epistola sitis Christi, [1] quæ subministrata est à nobis, quæ scripta est non attamento, sed per Spiritum Dei viventis: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnis.

4 Fiducia autem hujusmodi est nobis in Christo erga Deum.

5 Non quòd nos sufficientes simus ut cogitemus aliquid tamquam ex nobisipsis, sed facultas nostra ex Deo est:

6 Qui idoneos fecit nos, ut simus ministri Testamenti novi, non [2] in scriptura, [3] sed in Spiritu. Scriptura enim occidit, Spiritus autem vivificat.

7 Si autem ministerium mortis in Scriptura [4] designatum fuit in lapidibus, fuitq; [5] in gloria, ita ut non possent filii Israjel contemplari faciem Musche, propter gloriam faciei ejus quæ abolita est:

1 id est, ad quam scribendam ministerium nostrum adhibuimus.

2 i. In Lege Mosis, secluso Evangelio.

3 i. Sed in Evangelio conjuncto cū Spiritu Christi.

4 i. Insculptum & impressum.

5 i. Gloriosum.

INcipimus rursus nosipsos commendare? aut num egemus, ut nonnulli, commendatitiis epistolis apud vos, aut commendatitiis à vobis?

2 Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus.

3 [a] Dum palàm fit vos esse epistolam Christi [b] subministratam à nobis, inscriptam non atramento, sed Spiritu Dei [c] vivi: [d] non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis.

4 [e] Fiduciam autem hujusmodi habemus per Christum apud Deum.

5 Non quòd idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, velut ex nobisipsis: [f] sed quòd idonei sumus, *id* ex Deo est:

6 [g] Qui etiam fecit ut idonei essemus ministri novi fœderis, non [h] literæ, sed Spiritus. nam litera occidit, Spiritus autem vivificat.

7 Quòd si mortis ministerium in literis *positum*, & [i] informatum in lapidibus, fuit [k] gloriosum, adeò ut non possent intentis oculis intueri filii Israël in faciem Mosis, propter gloriam faciei ejus, quæ *gloria* erat abolenda,

a Prudenter sic concipit orationem Apostolus, ut sensim à personæ commendatione, ad rem ipsam accedat.

b Cui veluti scribendæ operam nostram impendimus.

c Tacitè virtutem Dei apponit atramento quo scribitur Epistola, ut ostendat vim illam esse à Deo.

d B. Obiter alludit ad externi Levitici ministerii cum Evangelico sive Apostolico collationē, quam posteà copiosè persequetur.

e Hanc confidentiā exerimus, & ita magnificè nobis gloriari licet de nostri ministerii dignitate & fructu. f Quòd apti & accommodati simus ad tantam gratiam aliis impertiendam. g B. Amplificat suum & suorum collegarum ministerium, i. Evangelicum, ejus collatione cum ministerio Legali, quod considerat in Mosis persona, per quem videlicet lex tradita est: cui opponitur Christus Evangelii auctor. Est autem collatio ejusmodi ab ipsa substantia ministerii sumta. Lex est veluti scriptum quoddam per se mortuum & inefficax: Evangelium autem sive novum fœdus, est velut ipsa Dei virtus in innovandis, justificandis, & servandis hominibus. Lex proponit mortem, omnes injustitiæ reos peragens: Evangelium offert & vitam. Legis œconomia fuit ad tempus subserviens promissioni: Evangelium manet ad finem seculorum. Itaque quis est illius splendor præ istius gloria? h Non legis, sed Evangelii. i Impressum & insculptum: ex hoc autem loco facilè colligitur Apostolum non agere de ceremoniis, sed de ipso Decalogo. k Gloria splendorem & majestatem declarat, quæ quidem in Mose corporalis fuit, in Christo fuit spiritualis.

8 Qui non potius [l] ministerium Spiritus erit gloriosum?

9 Nam si ministerium condemnationis *fuit* gloriosum, multo magis ministerium [m] justitiæ abundat gloria.

10 Etenim quod glorificatum fuit, ne glorificatum quidem fuit hac in parte, *id est* quod ad superantem gloriam attinet.

11 Nam si quod [n] aboletur, *fuit* gloriosum, multo magis est gloriosum id quod manet.

12 [o] Itaque quum ejusmodi spem habeamus, multa in loquendo evidentia utimur.

13 [‖] [p] Nec *sumus* sicut Moses, *qui* imponebat velamen faciei suæ, ne intentis oculis intuerentur filii Israëlis [q] in finem ejus quod abolendum erat.

14 Itaque occalluerunt mentes illorum. Nam usque ad diem hodiernum, in lectione Veteris fœderis manet non retectum velamen illud, quod per Christum aboletur.

15 Sed ad hunc usque diem quum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est.

16 Quando verò sese [r] converterit ad Dominum, tolletur velamen illud.

17 [‖] [f] Dominus verò, Spiritus ille est: ubi autem Spiritus ille Domini, illic libertas.

18 [t] Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini ut in speculo intuentes, in eamdem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, sicut à Domino Spiritu.

8 Quomodo igitur mysterium Spiritus non magis erit in gloria?

9 Si enim ministerio condemnationis fuit gloria, quanto magis excellet ministerium justitiæ in gloria?

10 Quandoquidem etiam [6] glorificandum non fuit quod glorificatum est, in comparatione hujus gloriæ excellentis.

11 Si enim quod aboletur, in gloria fuit; excellentius, id quod manet in gloria, erit.

12 Itaque, quia est nobis hæc spes, [7] magis revelato oculo nos gerimus:

13 Et non sicut Musche, [8] super cujus faciem positum erat velamen, ne intuerentur filii Israjel [9] in finem ejus quod aboletur.

14 Sed excæcati sunt in mentibus suis: nam usq; in hodiernum diem, quando Testamentum vetus legitur, illud ipsum velamen manet super eos, neque discooperitur, [10] quoniam per Christum aboletur.

15 Et usque in hodiernum diem, quum legitur Musche, velamen super cor eorum positum est:

16 Et quum aliquis ex eis conversus fuerit ad Dominum, auferetur ab eo velamen.

17 Dominus autem, ipse est Spiritus: & ubi est Spiritus Domini, libertas est.

18 Nos autem omnes facie revelati gloriam Domini, tamquam in speculo, videmus, & in eam imaginem transmutati sumus à gloria in gloriam, tamquam à [11] dominatore spiritu.

[6] F. vel glorificatum non est, q.d. nulla est illius gloria, si cum gloria hujus compararetur.
[7] i. Majori cum libertate. Syriaca enim phrasis est, in novo Testamento frequens בְּגַלְיָא pro Liberè & apertè: ut Marci 8. Joh. 16. Act. 2. & 4.
[8] F. vel qui injiciebat velamen super faciem suam.
[9] i. In imas usque partes ministerii Mosis: sive, In scopum doctrinæ quam proponebat.
[10] F. vel quod in Christo aboletur, atque hoc exponunt sequentia.
[11] F. i. Domino, qui spiritus est vivificans, ex præcedente versu.

[l] Per quod Deus offert atque adeò tradit Spiritum non modò non mortuum, sed etiam vivificantem.
[m] Sub. Christi, cujus imputatione non modò non condēnamur, sed etiam ut justi coronamur.
[n] Aboletur Lex atque adeò ipse Decalogus, cum ipso Mose conjunctus, si ministerium Mosis per se respiciatur.
[o] B. Ostendit qua in re sit posita hæc Evangelicæ prædicationis gloria, nempe in eo quòd perspicuè patefaciat id quod Lex obscurè ostendebat, ut quæ ad Christum venturum sanandos auditores amandaret, quos ipsa vulneraverat.
[‖] Exod. 34. 33.
[p] B. Obiter exponit allegoriam velaminis Mosis, quod fuit symbolum obscuritatis & imbecillitatis hominum, qui legis fulgore hebetarentur potiùs quàm illustrarentur: quod velamen adventu Christi, corda illustrantis & ad Dominum convertentis, sublatum sit, ut ab ista cæcitatis servitute in lucis libertatem per Christi Spiritus virtutem asseramur. [q] In imas usque partes ministerii Mosis. [r] Cor eorum. [‖] Joh. 4. 24. [f] Christus est ille Spiritus qui tollit velamen, in cordibus nostris agens, sicut etiam lex externa eo nos vocabat, sed frustrà, quum mortuis loquatur, donec isto spiritu simus vivificati. [t] B. Pergens in allegoria velaminis, comparat Evangelium speculo quod etsi sit limpidissimum, tamen intuentium aciem non modò non perstringat ut Lex, sed suis etiam radiis transformet, ut & ipsi sint ejus gloriæ ac splendoris participes, aliis videlicet illustrandis: sicut dicebat Christus suis, Vos estis lux mundi, quum ipse solus esset vera Lux. Quinetiam alibi jubemur ut mundi faces cæteris prælucere, ut qui simus Spiritus Domini facti participes. Sed propriè hic agit Paulus de Evangelii ministris, ut ex præcedentibus & sequentibus liquet, idque proposito sui suorùmque collegarum exemplo.

CAPUT IIII.

1 *Recenset se adeò laborasse in prædicando Evangelio, ut à Satana excæcati sint, qui illius splendorem non cernant,* 7 *prolatum in testaceis vasculis,* 10 *tot ærumnis obnoxiis.* 16 *itaque suo exemplo ad fortitudinem eos hortatur,* 17 *ex contemptu præsentis vitæ.*

PRopterea [a] quum ministerium hoc habeamus, prout misericordiam consequuti sumus, [b] non segnescimus:

2 Sed abdicavimus [c] turpitudinis latebras, non cum calliditate incedentes, neque [d] falsantes sermonem Dei, sed declaratione veritatis commendantes nosipsos apud omnem conscientiam hominum, in conspectu Dei.

3 [e] Quòd si tectum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est.

4 In quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, *nempe in* infidelibus, ne irradiet eos [f] lumen Evangelii gloriæ Christi, [g] qui est imago Dei.

5 [h] Non enim nosipsos prædicamus, sed Christum Jesum *esse* Dominum: nos autem, servos vestros [i] propter Jesum.

6 Quoniam Deus, [‖] [k] qui dixit ut è tenebris lux splendesceret, *is est* qui splenduit in cordibus nostris, [l] ad *præbendum* lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi.

7 [m] Habemus autem thesaurum hunc in te-

PRopter hoc non est nobis [1] molestia in ministerio hoc quod habemus juxta misericordiam quæ facta est erga nos:

2 Sed rejecimus occultamenta ipsa dedecoris, neque ambulamus per astutiam, neque dolosè tractamus sermonem Dei, sed in manifestatione veritatis ostendimus nosipsos apud omnes mentes filiorum hominis coram Deo.

3 Quòd si autem opertum est Evangelium nostrum, iis qui pereunt opertum est:

4 Illis, inquam, quorum Deus seculi hujus excæcavit mentes, eo quòd non credant, [2] nec oriatur illis splendor Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.

5 Nequaquam enim nosipsos prædicamus, sed Christum Jeschua Dominum nostrum: nosipsos autem quòd servi vestri simus propter Jeschua.

6 Quia Deus ille qui dixit ut è tenebris lux oriretur, ipse ortus est in cordibus nostris, ut resplenderemus per cognitionem gloriæ Dei, in facie Jeschua Christi.

7 Est autem nobis hic thesaurus in vasis te-

[1] F. vel fastidium, quo animus abjiciatur in ministerio exsequendo: sic infrà ver. 16.
[2] F. vel ut non oriatur illis, &c. quod Græcis verbis est convenientius.

[a] B. Jam manifestè testatur sese cum collegis (sed per Dei misericordiam) integrè & sincerè vocatione sua, neglectis omnibus periculis, defungi.
[b] Malis & calamitatibus fracti non cedimus.
[c] Versutias & fraudum omne genus, quæ tamquam latebras homines captant, quibus sua probra operiant.
[d] Quòd superiore cap. dicebat cauponantes.
[e] B. Objectio, multos audire Evangelium, quo nihilo magis quā prædicatione Legis illustrentur. Respondet, culpam esse in ipsis hominibus, quibus Satan in mundo dominans oculos eruit. Intereà nihilominus clarissimam Evangelii lucem à se & suis collegis spectandam proponi, quum Christus, quem unum prædicat, is sit in quo uno Deus cognosci ac veluti perspici possit. [f] Lumen perspicuæ ac illustris prædicationis, qua annunciatur gloria Christi. [g] In quo seipsum conspiciendum præbet pater. [h] B. Removet suo more omnem ambitionis suspicionem, se quidem fideliter docere confirmans, sed ut servum, & totam hanc lucem quam aliis conferat cum suis collegis, à Domino testans promanare. [i] Ut hunc ipsum Jesum vobis prædicemus. [‖] Gen. 1. 3. [k] Qui solo verbo fecit. [l] Ut à Deo illustrati, vicissim aliis eam lucem præbeamus. [m] B. Occurrit offendiculo, quod apud plerosque offendebat tenebras Evangelici ministerii splendori, quoniam videlicet Apostoli erant omnium calamitosissimi. Respondet Paulus, se quidem & collegas suos esse veluti testacea vasa, sed in quibus situs sit pretiosissimus thesaurus.

staceis, ut magnitudo virtutis ex Deo sit, & non ex nobis.

8 In omnibus autem affligimur, sed non strangulamur: conquassamur, sed non damnamur.

9 Persequutionem patimur, sed non derelinquimur: repellimur, sed non perimus.

10 Omni enim tempore mortificationem Jeschua in corpore nostro portamus, ut etiam vita ipsius Jeschua in corpore nostro hoc manifestetur.

11 Si enim nos viventes ad mortem tradimur propter Jeschua, similiter etiam vita ipsius Jeschua manifestabitur in corpore nostro hoc quod moritur.

12 Itaque mors in nobis est efficax, & vita in vobis.

13 Igitur etiam nos, quia unus spiritus fidei est nobis, sicut scriptum est, Credidi, propter quod etiam loquutus sum, credimus, propter hoc etiam loquimur.

14 Et scimus quòd is qui excitavit Domninum nostrum Jeschua, etiam nos per manum Jeschua excitabit, & assumet nos vobiscum ad se.

15 Omnia enim propter vos sunt, ut abundante gratia per manum multorum augeatur gratiarum actio, in gloriam ipsius Dei.

16 Hanc ob causam non est molestum nobis. quamvis enim filius hominis noster externus corrumpitur, attamen internus renovatur de die in diem.

17 Afflictio enim ipsa temporis hujus, admodum *existimi* parva & exigua, gloriam quæ non finitur in secula seculorum præparat nobis:

18 [3] Qui non spectamus ea quæ conspiciuntur. [4] Quæ conspiciuntur enim, temporanea sunt: quæ autem non conspiciuntur, æterna sunt.

3 Quamvis inter errores à typographo animadversos & correctos, hic non numeretur, certum tamen est errorem esse, in quo Daleth litera, quæ Syriacè punctum subjectum habebat, scribitur pro litera Resch, quæ prorsus ei similis est, sed punctum habet in capite. Relicto autem Daleth, ut est in textu, vertendum esset, Qui non gaudemus in iis quæ conspiciūtur: quod Græco non responderet.

4 F. al. addunt, sed ea quæ non conspiciuntur. Hoc nempe defuit Tremellianis exemplaribus.

staceis vasculis, [n] ut ejus virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis:

8 Dum in omnibus affligimur, at non coarctamur: hæsitamus, at non prorsus hæremus;

9 Persequutionem patimur, sed in ea non deserimur: dejicimur, at non perimus:

10 [o] Quò libet [p] mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes, ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat.

11 Semper enim [q] nos qui vivimus, morti tradimur propter Jesum, ut etiam vita Jesu manifesta fiat in carne nostra [r] mortali.

12 [f] Itaque mors quidem in nobis agit, vita verò in vobis.

13 [t] Et quoniam habemus eundem [u] Spiritum fidei, secundùm illud quod scriptum est, [x] Credidi, *&* ideò loquutus sum: nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur.

14 Scientes fore ut qui suscitavit Dominum Jesum, nos quoque per Jesum suscitet, & sistat vobiscum.

15 [x] Nam hæc omnia propter vos *fiunt*, [y] ut gratia illa copiosissima, pluribus gratias agentibus, redundet in gloriam Dei.

16 Propterea ita non succumbimus: [z] sed etiamsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen [a] renovatur in dies.

17 Momentanea enim [b] levitas afflictionis nostræ, excellenter excellentis [c] gloriæ pondus æternum conficit nobis:

18 Dum non spectamus ea quę cernuntur, sed ea quæ non cernuntur. nam quæ cernuntur, temporaria sunt: at quæ non cernuntur, æterna.

n B. Causas mirificas affert, cur Dominus excellentissimos servos suos tam velit affligi, ut, inquit, omnibus constet eos non humana sed divina, eaque præstantissima virtute fretos consistere, quum millies moriantur, & nunquam pereant.

o B. Amplificatio superioris sententiæ, qua suas afflictiones morti quotidianæ, virtutem autem Spiritus Dei in Christo, comparat vitæ quæ mortem ipsam opprimat.

p Sic vocat Paulus miseram illam fidelium conditionem, ac præcipuè ministrorum.

q Qui vita illa vivimus, nempe Spiritu Christi, inter tot & tantas ærumnas.

r Miseræ illi conditioni obnoxia.

f B. Conclusio admodum artificiosa: ac si diceret, in summa igitur nos morimur, ut morte nostra vivatis, quum videlicet Ecclesiarum ædificandarum causa omnia illa pericula subirent, & suæ patientiæ exemplis non desinerent omnes fideles confirmare. t B. Declarat præcedentem sententiam, ostendens sese cum suis collegis mori quidem quodammodo ut aliis vitam compararent, sed se nihilominus esse ejusdem vitæ cum illis participes: quoniam quod aliis credendum proponant, ipsi quoque inprimis credant, fore videlicet ut & ipsi cum eis in Christo tandem serventur. u Eandem fidem ex ejusdem Spiritus afflatu. x *Psal.* 116.10. x B. Quomodo hæc constantia in ipsis foveatur ostendit, quoniam videlicet in Dei gloriam respiciunt, & Ecclesiarum sibi commissarum salutem. y Quum fuero liberatus & vobis restitutus, ingens illud beneficium quod in me effusum erit, vicissim in Dei gloriam redundet, multis gratias agentibus. z B. Adjicit veluti triumphale epinicium, sese quidem affligi exteriùs, sed interius proficere quotidiè: & nihili esse omnibus modis quæcumque sunt in hac vita sustinendæ ærumnæ, præ constantissima illa & æterna gloria. a Novas vires acquirit, ne novis malis ingruentibus frangatur externus, qui internis viribus sustinetur. b Non dicuntur ærumnæ leves quasi sint ipsæ exiguæ. sed eas illicò pertransire ostendit, quum ne tota quidem vita nostra sit diuturna. c Quæ constantissimè manet immota.

CAPUT V.

1 *Perstat in eodem argumento,* 6 *de certa spe salutis,* 8 *per fidem*. 12 *Non ut se jactet,* 14 *quum Deum & ipsius Ecclesiam præ oculis habeat,* 17 *& nihil æstimet omnia, præter unam novitatem in Christo.*

SCimus enim quòd si domicilium nostrum [1] quod est in terra hac, corporis dissolvatur, nihilominus est nobis ædificatio quæ à Deo est, domicilium *videlicet* quod non est factum manibus, in cælo perpetuum.

2 Nam etiam propter hoc ingemiscimus, & concupiscimus ut induamus domicilium nostrum quod est è cælo:

3 Nisi etiam postquam induti fuerimus, inveniamur nudi.

4 Quum enim sumus jam in hoc domicilio, ingemiscimus a pondere ejus, nec volumus abjicere ipsum, sed [2] indui supra ipsum, ut absorbeatur mortalitas ejus à vita:

5 Et qui parat nos ad hoc ipsum, Deus, qui

1 F. vel è terra: id est, terrenum hoc.

2 F. superindui.

SCimus [a] enim nos, si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium *videlicet* non manu factum, æternum in cælis.

2 In hoc etenim suspiramus, [b] expetentes domicilio nostro, quod [b] è cælo est, [c] superindui.

3 [d] Siquidem etiam induti, non nudi reperiemur.

4 Etenim qui sumus in hoc tabernaculo suspiramus gravati: in quo *constituti* non cupimus *eo* exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à vita.

5 Porrò Deus *is est* qui nos ad hoc ipsum [e] condidit, qui etiam dedit nobis [f] arrhabonē Spiritus.

6 [g] [h] Confidentes igitur semper, & scientes

a B. Arrepta occasione ex comparatione proximè præcedente, corpus illud, ita ut est in hac vita calamitosum, comparat caduco & fragili tabernaculo: cui opponit cæleste domicilium, sic vocans firmam & perennem ejusdem corporis in cælo glorificati conditionem: adeò quidem, inquit, ut nos non modò non simus isti tabernaculo addicti, sed potius domicilium illud cum suspiriis & gemitibus expectamus. Est autem etiam hic locus de futura gloria isti tractationi de ministerii dignitate insertus, ut & ille alter de quo diximus initio capitis secundi. a *Apoc.* 18.15. b Cæleste, gloria nimirum, non autem substantia. c Vestem vocat immortalitatis gloriam, qua velut veste induimur. d B. Declaratio superioris dicti. non temerè, inquit, desideramus illo domicilio cælesti, id est (illa gloria & æterna immortalitate) quasi veste operiri. Neque enim hinc migrantes manebimus nudi semel amisso corporis tegumento, sed alia veluti veste insuper inductus receptum corpus, ac proinde non hujus vitæ tædio, sed præstantioris desiderio suspiramus. Neque hoc desiderium irritum est, quum ad hanc vitam conditi simus: cujus rei pignus Spiritum adoptionis habemus. e Respicit primam illam creationem, ut significetur in hunc finem condita fuisse corpora, ut ea cælesti immortalitate induantur. f vide suprà 1.21. g B. Illatio ex proximè præcedente sententia nascens. Itaque quum ex Spiritu sciamus nos advenas esse quamdiu hic versamur, constanter hanc moram ferimus (sic enim cum Domino nunc sumus, ut illum non conspiciamus nisi fide, ac proinde ab ipso nunc quidem absimus) ita tamen ut semper ad illum aspiremus: quamobrem etiam ita nos gerimus ut & hic viventes & quum ad eum hinc discedemus, possimus ei esse accepti. h Confidentes vocat illos qui sunt animo præsenti, id est, quieto, & ad sustinenda pericula parati, quòd de fœlici exitu nihil dubitent.

dum commoramur in corpore, nos peregrè abesse à Domino:

7 (Per [i] fidem enim incedimus, non per aspectum:

8 [k] Confidimus autem, & probamus potiùs migrare è corpore, & ad Dominũ ire habitatum.)

9 [l] Propterea etiam contendimus ut & hic commorantes, & hinc migrantes, ei simus accepti.

10 [m] [n] Omnes enim nos [n] comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisq; reportet quæ in corpore *fecerit*, congruenter ad id quod fecerit, sive bonum, sive malum.

11 [o] Scientes igitur [p] terrorem illum Domini, homines ad fidem adducimus, Deo autem manifesti sumus: & spero *nos* etiam conscientiis vestris manifestos esse.

12 [q] Non enim iterum nosipsos commendamus vobis, sed vobis occasionem præbemus gloriandi de nobis: ut habeatis *quod dicatis* adversus eos qui [r] in facie gloriam captant, at nõ in corde.

13 [s] Nam sive insanimus, Deo *insanimus*: sive sana mente sumus, vobis *sana mente sumus*.

14 [t] Charitas enim illa Christi [u] constringit nos:

15 Ut qui hoc statuerimus, [x] si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe istos omnes fuisse mortuos: & *illum* pro omnibus mortuum esse, ut qui vivunt, posthac non [y] sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & suscitatus est.

16 [z] Itaque nos posthac neminem novimus secundùm carnem: [a] quòd si etiam novimus Christum secundùm carnem, nunc tamen non ampliùs novimus.

17 [b] Siquis igitur *est* in Christo, [c] nova creatura *est*: [d] vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.

18 [d] Hæc autem omnia *sunt* ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum, deditq; nobis ministerium reconciliationis:

19 Nempe quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis lapsus ipsorum: [e] posuitq; in nobis sermonem illum reconciliationis.

20 Itaque nomine Christi legatione fungimur, *&* velut Deo *vos* precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.

21 Fecit enim *ut* qui [f] non novit [g] peccatum, pro nobis peccatum *esset*, ut nos efficeremur [h] justitia Dei in eo.

[i] Earum rerum quas speramus, non autem in ipso præsenti conspectu Dei.
[k] Sic tamen confidimus, sic forti & tranquillo animo peregrinationem illam cõficimus, ut tamen multo malimus ad Dominum discedere.
[l] Quod quum ita sit, ita annitimur vivere, ut & nostra peregrinatio illi placeat, & tandem ab eo domum recipiamur.
[m] a. Nequis universale esse putet quod de illo domicilio cælesti disserat, addit unicuique priùs reddendam rationem suæ peregrinationis, postquam hinc migrarit.
[n] Rom. 14.10.
[n] Sisti præsentes & illic inquiri, ut palàm fiat, qui fuerimus.
[o] a. Jam per trãsitionem, occasione ex proximè præcedente sententia arrepta, redit ad versum 16. superioris capitis, suam & suorum collegarum sinceritatem confirmans.
[p] Formidabile illud judicium.
[q] Nova ratione removet omnem superbiæ suspicionem, quòd non sua sed illorum intersit sincerum haberi ipsius Apostolatum, contra vanam quorundam ostentationem.

[r] Externis larvis & fucata illa pompa sapientiæ & eloquentiæ humanæ, non autem vera pietate, quæ in corde sedem habet. [s] a. Sensus est, Etiam quum (ut nonnulli censent) insanio, dum videor meipsum stultorum more venditare, vestro commodo id facio, non minus quàm quum simpliciter vobis evangelizo. [t] a. Pergit in depellenda omnis ambitionis & ostentationis suspicione. Nos enim, inquit, huc adigit amor Christi, ut quum ipse pro nobis omnibus qui mortui eramus quum nobis viveremus (i. quum terrenis adhuc affictionibus dediti essemus) mortuus sit, nos vicissim vitam quam ab eo accepimus (donati videlicet Spiritu sancto, ut nihil nisi cæleste meditemur) totam ipsi consecremus. [u] Totos nos possidet. [x] Hoc loco de sanctificatione agit, qua fit ut Christus in nobis vivat. [y] Vide 6. & 7. cap. ad Rom. [z] a. Declarat quid sit non sibi sed Christo vivere, nempe neminem secundum carnem nosse, id est, sic inter homines versari, ut humana illa & carnalia non curet, ut qui genus, patriam, formam, gloriam, opes, cætera denique ejusmodi spectant, in quibus sese homines fatigant. [a] a. Amplificatio, Hoc, inquit, adeò verum est, ut ne de Christo quidem ipse carnaliter nunc cogitemus, ut qui jam mundum reliquerit, ac proinde sit nobis spiritualiter considerandus. [b] a. Exhortatio, ut unusquisque jam Christi Spiritu innovatus, cælestia non terrestria meditetur. [c] Veluti res quædam recens à Deo condita, nam etsi de novo non conditur homo quem regenerationis Spiritu donat Deus, sed solæ qualitates immutantur: sic tamen voluit loqui Spiritus sanctus, ut doceat omnia in solidum tribuenda gloriæ Dei, non quod tamen & stipites simus, sed quia creat in nobis Deus ut benè velimus, & possimus. [d] Esa. 43.19. apoc. 21.5. [d] a. Commendat ministerii Evangelici præstantiam, tum ab ipsius Dei auctoritate, ut qui sit ministerii istius auctor: tum ab ipsa doctrinæ præstantia, ut quæ annunciet reconciliationem cum Deo, gratuita in Christo nostrorum peccatorum remissione & justificatione oblata, idque tam benignè & liberaliter, ut Deus ipse quodammodo ministrorum ore homines obsecret ut sui ipsorum habeant rationem, nec tantum beneficium aspernentur. Hæc autem dicens non obscurè carpit illos, qui pastorum nomen mentiebantur. [e] Usus est nostra opera. Hebraismus. [f] Qui esset à peccato alienus. [g] Peccator non in sese, sed ex omnium nostrorum peccatorum reatu ipsi imputato. [h] Justi apud Deum, & quidem justitia non nobis inhærente, sed quæ quum in Christo sit, nobis per fidem à Deo imputatur.

dedit nobis arrhabonem Spiritus sui.

6 Quandoquidem igitur scimus, & persuasum habemus quòd quamdiu in corpore manemus, peregrinamur à Domino nostro,

7 (Per fidem enim ambulamus, & non per visionem)

8 Idcirco confidimus & cõcupiscimus [3] quòd peregrinaturi simus à corpore, & futuri simus apud Dominum nostrum:

9 Diligentiam adhibemus ut sive peregrinantes simus, sive inhabitantes, ei placeamus.

10 Omnes enim nos futurum est ut stemus ante tribunal Christi, ut rependatur unicuique in corpore suo id quod factum est in ipso, sive quod bonum est, sive quod malum est.

11 Quia igitur novimus terrorem illum Domini nostri, filiis hominum suademus, Deo autem manifesti sumus: cõfido verò ego quòd etiam manifesti simus [4] mentibus vestris.

12 Nequaquam rursus laudamus nosipsos vobis, sed occasionem damus vobis ut gloriemini in nobis erga illos qui in facie gloriantur, & non in corde.

13 Sive enim insanimus, *insanimus* Deo: & sive recti sumus, *recti sumus* vobis.

14 Charitas enim Christi compellit nos:

15 Qui cogitamus istud, quòd unus pro omni homine mortuus sit, ergo omnis homo mortuus est: & pro omni homine ipse mortuus est, ut ii qui vivunt, non sibi vivant, sed ei qui pro illis mortuus est, & resurrexit.

16 Itaque nos neminem [5] secundùm corpus novimus: & si novimus secundùm corpus Christum, attamen deinceps non cognoscimus.

17 Quisquis igitur in Christo est, creatura est nova. vetera præterierunt:

18 Et omnia facta sunt nova à Deo qui reconciliavit nos sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.

19 [6] Deus enim est in Christo, qui reconciliat mundum majestati suæ, neque imputavit illis peccata eorum: & posuit in nobis sermonem reconciliationis.

20 Legati igitur sumus pro Christo, &c, acsi ipse Deus [7] peteret à vobis [8] per manum nostram: pro Christo igitur oramus, reconciliemini Deo.

21 Eum enim qui non noverat peccatum, propter vos [9] peccatum fecit, ut nos essemus in eo justitia Dei.

[3] F. vel ut peregrinemur à corpore, i. peregrinari, &c.
[4] F. i. conscientiis, ut antè.
[5] F. i. qua homo est simpliciter in hac vita natus, sed qua restitutus est in morte Christi.
[6] F. Evidens quidem sententia: sed quid si *ὡς* pro *ὅτι*, & Græcum textum sic verteris? Ita quia Deus est qui in Christo reconciliat mundum sibi, nec imputat eis peccata ipsorum, qui indidit nobis sermonem reconciliationis illius. Itaque pro Christo legati sumus, &c. Quòd autem Apostolus dicit, *erat*, eo fine principio esse ducet illius decreti consilium Dei, quòd interpretamur, *est*, eo æternam æterni continuationem ostendimus.
[7] F. vel hortaretur vos per nos, operâq; nostra.
[8] Id est, Per nos. Hebraismus.
[9] F. i. Victimam pro peccato, quæ in Bibliis passim vocatur חטאת, quo etiam nomine peccatum appellatur.

CAPUT VI.

1 Ut vitam Christo dignam vivant, hortatur, 5 ne afflictionibus dejiciantur, 9 nec gloria insolescant: 14 pollutiones fugiant, 16 quum sint viva viventis Dei templa.

ET tamquam adjutores petimus à vobis, ut
non infructuosa sit in vobis gratia Dei quam
accepistis.
2 Dicit enim, In tempore accepto exaudivi
te,& in die [1] salutis audivi té. Ecce nunc tempus
acceptum,& ecce nunc dies salutis.
3 Ne ulla in re detis cuiquam occasionem
offensionis, ut non fit macula in ministerio
nostro:
4 Sed in omni re ostendamus nosipsos,quòd
ministri simus Dei in tolerantia multa, in affli-
ctione, in necessitate,in angustiis,
5 In plagis,in vinculis, in seditionibus, in la-
bore,in vigilia,in jejunio,
6 In puritate, in scientia, in longanimitate,
in benignitate, in Spiritu sancto,in charitate non
dolosa,
7 In sermone veritatis,in virtute Dei,per ar-
ma justitiæ,quę sunt ad dexteram & ad sinistram:
8 Per gloriam & per ignominiam: per lau-
dem & per vituperationem: quasi in errorem in-
ducentes, & *tamen* veraces:
9 Quasi incogniti, & *tamen* cogniti: quasi
mortui, & ecce vivimus; quasi castigati, & non
mortificati:
10 Et quasi dolore affecti, & omni tempore
gaudemus: & quasi mendici, & *tamen* multos di-
tamus: quasi ut quibus nihil sit, & *tamen* omnia
possidemus.
11 Os nostrum apertum est erga vos, Corin-
thii,& cor nostrum dilatatum est.
12 Non estis angustia affecti in nobis: angu-
stia autem affecti fuistis in visceribus vestris.
13 Tamquam filiis autem loquor: rependite
mihi [2] fœnora mea erga vos,& dilatate charita-
tem vestram erga me.
14 Neque sitis [3] sub uno jugo cum iis qui non
credunt. Quod enim consortium est justitiæ cum
iniquitate? aut quæ commixtio est luci cum te-
nebris?
15 Aut quæ concordia est Christo cum Sata-
na? aut quæ pars est fideli cum eo qui non credit?
16 Aut quæ consensio est templo Dei cum
dæmoniorum? vos enim templum estis Dei vi-
ventis, sicut dictum est, Inhabitabo in eis, & in-
ambulabo inter eos: & ero Deus illorum, & ipsi
erunt mihi populus.
17 Quapropter exite è medio illorum, & se-
parate vos ab eis, ait Dominus, & immunda ne
tetigeritis: & ego suscipiam vos.
18 Et ero vobis in patrem, & vos eritis mihi
in filios & filias, ait Dominus [4] qui omnia pos-
sidet.

[1] Ad verbum, Vitæ. Hebraismus.

[2] Id est, Compensationem, hanc autem Syrus paraphrastes describit, metaphora sumta à fœneratoribus.

[3] Ad verbum, Filii unius jugi. Hebraismus.

[4] v. periphrasis omnipotentis.

SEd [a] &, ut operam nostram ei accommodan-
tes, hortamur ne frustrà gratiam Dei recepe-
ritis.
2 [b] (Dicit enim *Deus*, [i] Tempore [c] accepto
exaudivi te, & in die salutis succurri tibi: ecce
nunc *est* tempus acceptum, ecce nunc dies sa-
lutis.)
3 [d] Nullam ulla in re præbentes offensio-
nem, ne vituperetur ministerium:
4 Sed in omnibus nos [e] approbantes, [i] ut
Dei ministri, [f] tolerantia multa in afflictionibus,
in necessitatibus,in angustiis,
5 In verberibus, in carceribus, in [g] exagita-
tionibus, in laboribus,in vigiliis,in jejuniis,
6 [h] Puritate, scientia, lenitate, benignitate,
Spiritu sancto,charitate non simulata,
7 [i] Sermone veritatis, [k] virtute Dei, [l] armis
justitiæ dextris ac sinistris,
8 [m] Per gloriam & ignominiam, per con-
vitia & laudes: ut seductores,& *tamen* veraces:
9 Ut ignoti, & *tamen* noti; ut morientes, &
ecce vivimus: ut qui castigamur, nec *tamen* oc-
cidimur:
10 Ut dolentes, semper tamen gaudentes: ut
pauperes, sed multos ditantes: ut nihil habentes,
sed omnia obtinentes.
11 [n] Os nostrum [o] apertum est erga vos, Co-
rinthii, cor nostrum dilatatum est.
12 [p] Non habitatis angustè in nobis: sed an-
gusti estis [q] in visceribus vestris.
13 Loquor autem ut filiis de pari compensa-
tione. Dilatamini & vos.
14 [r] Ne impari jugo copulamini cum infide-
libus. [s] quod enim consortium justitiæ cum ini-
quitate? & quæ communio lucis cum tene-
bris?
15 Et quæ concordia Christo cum Belial? aut
[t] quæ portio fideli cum infideli?
16 Et quæ consensio templo Dei cum simula-
cris? [u] nam vos templum estis Dei [x] viventis, si-
cut dixit Deus, [y] [z] Habitabo in eis & inambula-
bo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi po-
pulus.
17 [a] Quapropter exite è medio eorum, & sepa-
ramini, dicit Dominus: & impurum ne attingite:
tum ego excipiam vos:
18 [b] Et ero vobis pro Patre, & vos eritis mihi
pro filiis ac filiabus: dicit Dominus omnipotens.

[a] a. Ministerio Evangelii non tantùm indigent homines ante gratiam acceptam, ut fiant ejus participes, sed etiam accepta gratia, ut in ea perseverent.
[b] a. Quòd offertur gratia, ea gratia Dei est, qui sua constituit rebus omnibus momenta, ut oblatam occasionem arripiamus.
[i] *Esa.49.8.*
[c] Gratuita benevolentiæ quo videlicet tempore Deus suum illum immensum amorem effudit.
[d] a. Præbet Corinthiis veri pastoris exemplar in suo & Timothei ac Sylvani exemplo, nempe ut (sicut ab initio proposuerat) sibi & sui similibus auctoritatem conciliet.
[e] Declarantes & reipsa præstantes.
[i] *1.Cor.4.1.*
[f] a. Recenset priore loco quæ nec perpetuò nec sine exceptione ministris adsunt, nisi quod ad animi affectum attinet: patientia tamen excepta, quæ & ipsa una est ex perpetuis boni ministri virtutibus.
[g] Sive agitationibus crebris, quum nullam quietam sedem invenirent.
[h] a. Secundo loco perpetuas & necessarias virtutes recenset, & quibus armis omnia impedimenta superentur.
[i] Prædicatione Evangelii.
[k] Potestate edendi miracula & malos domandi.
[l] Integritate.
[m] Particula *per* non caussam significat, sed quemadmodum dicimus per campos, per urbem incedere: describit enim iter difficillimum.
[n] a. Objurgaturus eos, præfatur se ingenuè & animo aperto cum ipsis agere, & simul conqueritur illos in redamando patre paria non facere.
[o] Oris & cordis dilatatio vehementissimum declarat affectum ejus qui loquitur, ut fieri solet in summa aliqua lætitia.
[p] Vos in animo meo tamquam in domicilio estis, eóque minimè angusto: totum enim cor meum vobis patefeci, at vos intus estis mihi angusti.
[q] Viscera vocat Hebræorum more teneriores illos affectus, intimo cordi insidentes.
[r] a. Jam liberè eos objurgat, quòd se infidelibus adjungerent socios in externa idololatria, quasi re media & indifferente: qui quartus est hujus epistolæ locus, cujus conclusio est, oportere quos Dominus filiorum nomine dignatus est, puros sese non tantùm animo, sed etiam corpore præstare, ut toti sint Deo sacri.
[s] *Eccl.13.18.*
[t] Quid commune habet.
[u] *1.Cor.3.16.& 6.19.*
[x] Deum viventem opponit idolis.
[y] *Levi.26.11.*
[z] Habitat nobiscum Deus, quia Christus factus est Emmanuel.
[a] *Esa.52.11.*
[b] *Jere.31.1.*

CAPUT VII.

1 *Ne nimiùm teneros animos urgendo prosternat,* 2 *probabile reddit quod omnia dixerit* 4 *ex ingenti erga illos dilectione:* 8 *itaque sibi non displicere quòd mœrore eos affecerit,* 10 *cùm adduxerit ad pœnitentiam non pœnitendam.*

QUia igitur sunt nobis hæ promissiones, dilecti
mei, [1] quum mundaverimus nosipsos ab
omni inquinamento carnis & spiritus, operemur
quoque sanctificationem cum timore Dei.
2 Sustinete nos, fratres mei: contra neminem

[1] v. vel mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus, operamque demus sanctimoniæ, &c. nam Syra particula Syrè & Arabicè non rarò expletiva est.

HAs igitur promissiones quum habeamus, di-
lecti, purgemus nos ab omni inquinamento
[a] carnis ac spiritus, ad finem perducentes sancti-
ficationem in timore Dei.
2 [b] [c] Accipite nos: nemini injuriam fecimus,

[a] Corporis & animi, ut sit hoc modo perfecta sanctificatio utraque sua parte constans.
[b] a. Rursum ab illa admonitione ad personam suam redit, opponens tum fidelitatis suæ, tum perpetuæ in eos benevolentiæ suæ testimonia.
[c] Sinite ut locum apud vos inveniam, vobis videlicet docendis.

neminem corrupimus, neminem quæstui habuimus.
3 [d] Ad condemnationem *vestrî hoc* non dico:
nam antè dixi vos in cordibus nostris esse, ad simul
moriendum & simul vivendum.
4 Multa *est* mihi loquendi libertas apud vos:
multa mihi gloriatio de vobis: impletus sum consolatione:
vehementer exundo gaudio in omni
afflictione nostrâ.
5 Etenim quum venissemus in Macedoniam,
nullam habuit remissionem caro nostra, sed
in omnibus fuimus afflicti: foris *fuerunt* pugnæ,
intus terrores.
6 Sed qui consolatur [e] abjectos, consolatus
est nos, *nempe* Deus, [f] adventu Titi.
7 Non solùm autem adventu illius, sed etiam
consolatione quam ille accepit ex vobis,
quum renunciaret nobis vestrum vehemens desiderium,
vestrum ejulatum, vestrum super me
ardorem: adeò ut magis gavisus fuerim.
8 [g] Nam etiam si tristitia vos affeci per epistolam,
non me pœnitet etiamsi pœnituerit: video
enim, epistolam illam, tametsi ad tempus,
tristitia vos affecisse.
9 Nunc gaudeo, non quòd tristitia affecti fueritis,
[h] sed quòd tristitia affecti fueritis ad resipiscentiam.
nam tristitia affecti fuistis secundùm
Deum, ut nulla in re detrimentum acceperitis ex
nobis.
10 Nam qui [i] secundùm Deum est dolor, is
resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam
pœniteat: at mundi dolor mortem efficit.
11 Ecce enim istud ipsum, quòd secundùm
Deum tristitia affecti fuistis, quantum in vobis
effecit studium? imò defensionem, imò indignationem,
imò timorem, imo vehemens desiderium,
imò zelum, imò vindicationem? per omnia
testatum fecistis vos esse puros in hoc negotio.
12 Itaque etsi scripsi vobis, non *scripsi* vobis
ejus causa qui injuriam fecerat, nec ejus causa
qui injuria affectus fuerat: sed ut apud vos manifestum
fieret studium illud nostrum pro vobis,
[k] in conspectu Dei.
13 Propterea consolationem accepimus ex
consolatione vestrî: sed longè plurimum gavisi
fuimus ob gaudium Titi, quòd refocillatus sit
spiritus ejus ab omnibus vobis.
14 Et quòd siquid apud eum de vobis gloriatus
sum, non fui pudefactus, sed ut omnia verè
loquuti sumus vobis, ita & gloriatio nostra quâ
usus eram apud Titum, vera comperta sit.
15 Et [l] viscera ejus ampliùs erga *vos affecta*
sint, dum reminiscitur obedientiæ omnium vestrûm,
& ut cum timore ac tremore ipsum excepistis.
16 Gaudeo igitur quòd penitus confidam de
vobis.

iniquè egimus, neminem corrupimus, neminem [2] occupavimus.
3 Nequaquam in cõdemnationem vestram
loquor, anteą enim dixi quòd in corde nostro
positi sitis ad moriendum simul & ad vivendum.
4 Securitas multa est mihi apud vos, & multa
est mihi in vobis gloriatio: & plenus sum consolatione,
& magnum abundat in me gaudium in
omnibus afflictionibus meis.
5 Etenim ex quò venimus in Macedoniam
nulla quies fuit corpori nostro, sed in omni re afflicti
fuimus: extrinsecus bellum, & intrinsecus
terror.
6 Sed Deus qui consolatur humiles, consolatus
est nos per adventum Titi:
7 Et non solùm per adventum ejus, sed etiam
per refocilliationem ejus qua refocillatus fuit
in nobis. Nunciavit enim nobis de charitate vestra
erga nos, & de luctu vestro, & zelo vestro qui
est pro nobis: & quum audivissem, gaudium
magnum fuit mihi.
8 Nam etiamsi contristavi vos per epistolam,
[3] non pœnitet me, [4] etiamsi [5] pœnituerit.
Video enim quòd illa epistola, etiamsi horæ *momento*
contristavit vos,
9 Attamen gaudium conciliavit mihi: non
quòd contristaverim vos, sed quia contristatio
vestra ad conversionem adduxit vos: Tristitia
enim fuit vobis in Deo, ita ut in nulla re detrimentum
acceperitis à nobis.
10 Tristitia enim quæ est propter Deum,
[6] animi conversionem operatur immutabilem &
dirigentem ad salutem: dolor autem hujus seculi
mortem operatur.
11 Ecce enim ipsum quòd contristati fuistis
propter Deum, quantum operatum est in vobis
studium, & [7] defensionem, & indignationem, &
timorem, & charitatem, & zelum, & vindictam?
& in omni re ostendistis vosipsos, quòd puri sitis
in eo negotio.
12 Esto autem, ut hoc quod scripsi vobis, non
fuerit propter [8] injuriam inferentem, neque propter
eum cui injuriam intulit, sed ut cognoscatur
coram Deo sedulitas vestra quæ est nostrî causâ.
13 Propter hoc consolationem accepimus, &
cum consolatione nostra abundanter gavisi sumus
ob gaudium Titi, quòd refocillatus sit spiritus
ejus cum omnibus vobis.
14 Quia in eo quòd gloriatus eram apud eum
de vobis, non puduerit me, sed ut in omni re veritatem
loquuti sumus vobiscũ, ita etiam gloriatio
nostra quæ fuit apud Titũ, in veritate reperta sit.
15 Et etiam [9] viscera ejus abundanter creverunt
erga vos, quum recordatur obedientiæ omnium
vestrûm, quòd cum timore & tremore acceperitis
eum.
16 Gaudeo quòd in omni re confidam de
vobis.

d Ut vos ingrati animi vel perfidiæ condemnem.
e Dejectos & prostratos.
f Iis quæ Titus adveniens renunciavit de vobis: quo fructu videlicet literas meas perlegeritis, præterquam quòd ipsa Titi præsentia sum recreatus.
g B. Objectio, At tu nos asperrimè tractasti: Respondet Apostolus se non sine dolore usum hac asperitate. Addit deinde se jam etiam gaudere quòd illos ad eam tristitiam, quamvis minimè volens, impulerit, quæ tam illis fuerit fructuosa. Quamdam enim esse non solùm laudabilem, sed etiam necessariam tristitiam, ex qua videlicet suis gradibus oriatur resipiscentia, de qua magnificè ipsos laudat. Estque hujus epistolæ quintus iste locus.
h Ita ut ea tristitia vobis ad emendanda vestra vitia profuerit.
i Secundùm Deum dolor, non formidine pœnæ territus, sed quòd sentiat se Deum clementissimum Patrem offendisse. huic opponitur dolor, qui pœnã dumtaxat timet, aut qui aliquibus terrenis bonis perditis angitur: illius fructus est resipiscentia: hujus desperatio, nisi Dominus succurrat.
k Minimè fucatum, sed ejusmodi ut Deo possim illud approbare.
l Intimus illius amor.

2 Verbum est עָרַב propriè significans avaritiæ impulsu, quæ sunt alterius, ad se trahere; & eo est usus suprà quoque cap. 2. quamquam nonnihil a propria significatione deflexo.
3 Ad verbum, Non expavescit mihi animus meus. Periphrasis est pœnitentiæ quæ oritur ex metu futuri mali: qualem quidam putant fuisse in Isaaco, quum, postquam benedixisset Jacobo, putans esse alterum filium, adveniente Esau se deceptum esse intellexisset, atque ideo expavisset pavore magno; timens videlicet ne, quod fecerat, initium esset irreconciliabilis odii inter fratres. Genes. 27.33.
4 Ad verbum, Etiamsi expavisset.
5 F. vel pœnituisset: quod adnotatis probat Tremellius.
6 Ad verbum, Pavorem animi.
7 F. Syrè protractionem vel protensionem spiritus, vide in Acta, & Rom. 1.20.
8 F. id est, offendentem, vel eum qui offendit: ut posteà offensum.
9 Id est, Amor ejus erga vos auctus admodum est.

CAPUT VIII.

1 Macedonum, 9 atque adeò ipsius Christi exemplo, 14 ut liberales sint in Sanctos, hortatur. 16 Titum, 18 & alium fratrem hac de causa ad ipsos profectos dicit.

POrrò [a] notam facimus vobis, fratres, [b] gratiam
Dei præstitam Ecclesiis Macedonum:
2 *Nempe* [c] in multa probatione afflictionis,
exundans gaudium ipsorum, & profundam eorum
inopiam exundasse in copiosam benignitatem
ipsorum.

NOtam autem vobis facimus, fratres mei, gratiã
Dei quę data fuit in ecclesiis Macedoniæ.
2 Quòd in probatione multa afflictionum
eorum, abundantia fuit gaudio eorum, & profunditas
paupertatis eorum redundavit in divitias
simplicitatis ipsorum.

a B. Sextus locus hujus epistolæ, continens varias exhortationes Corinthiis ad beneficentiam inflammandis, quia Hierosolymitanæ Ecclesiæ inopia necessario tempore sublevaretur. Proponit autem eis priore loco Macedonicarum Ecclesiarum, alioqui multis ærumnis ad extremam penuriam redactarum, exemplum quod æmulentur. b Beneficium divinum. c Quòd multæ illæ ærumnæ quibus Dominus ipsos exploravit, eorum alacritatem non modò non exstinxerint, sed etiam clariorem effecerint.

3 Testor enim quòd secundùm vires ipsorum, & plusquam *sit* facultas eorum,

4 [1] Cum voluntate animæ ipsorum petierunt à nobis cum obtestatione multa, ut consortes fierent [2] in beneficentia ministerii sanctorum.

5 Et non sicut speravimus, sed seipsos tradiderunt, primùm Domino nostro, deinde etiam nobis per voluntatem Dei.

6 Ut nos peteremus à Tito, ut quemadmodum cœpisset, ita perficeret in vobis etiam beneficentiam hanc.

7 Sed quemadmodum in omni re abundantes estis, in fide, & in sermone, & in cognitione, & in omni diligentia, & in [3] charitate nostra erga vos, ita etiam in hac beneficentia abundabitis.

8 Nequaquam [4] præcipiendo præcipio vobis, sed per studium sociorum vestrorum veritatem dilectionis vestræ exploro.

9 Nostis enim beneficentiam Domini nostri Jeschua Christi, quòd propter vos pauper factus sit, quum esset dives, ut vos per ejus paupertatem ditesceretis.

10 [5] Consulendo autem consulo vobis hoc quod conducit vobis. Nam à præterito anno cœpistis non velle tantùm, sed etiam facere.

11 Nunc autem complete opere illud quod voluistis: ut sicut fuit vobis animi promtitudo ad volendũ, ita opere cõpleatis ex eo quod est vobis.

12 Si enim voluntas adsit, prout est ei, ita accepta est, nequaquam secundùm id quod est ei.

13 Nequaquam enim ut aliis sit relaxatio, & vobis angustia: sed in æquabilitate estote tempore hoc, ut abundantia vestra [6] sit pro penuria illorum:

14 Ut etiam abundantia illorum sit pro penuria vestra, quò sit æquabilitas.

15 Sicut scriptum est, Qui multum accepit, non superfuit illi: & qui parum accepit, non defuit illi.

16 Gratia autem Deo, qui dedit studium hoc pro vobis in corde Titi.

17 [7] Precationem enim nostram suscepit: & quia valdè solicitus est, ex voluntate propria profectus est ad vos.

18 Misimus autẽ cum eo fratrem nostrũ, cujus laus est in Evangelio in omnibus ecclesiis.

19 Quemadmodum etiam [8] deligendo delectus est ab ecclesiis, ut proficiscatur nobiscum cum beneficentia hac quę administratur à nobis, ad gloriam ipsius Dei, & ad animi nostri promtitudinem.

20 Evitavimus enim hoc, ne quis imponeret nobis maculam in hac abundantia quæ administratur à nobis.

21 Procuramus enim quæ bona sunt, non coram Deo tantùm, sed etiam coram filiis hominis.

22 Misimus autem cum eis etiam fratrem nostrum, qui nobis est probatus omni tempore in multis, quòd diligens sit: nunc autem magis diligens propter fiduciam magnam quę est de vobis.

23 Sive igitur Titus, socius meus est & adjutor erga vos: sive fratres alii, legati sunt ecclesiarum [9] gloriæ Christi.

24 Proinde indicium charitatis vestræ & gloriationis nostrę de vobis, in eos ostendite, in conspectu ecclesiarum omnium.

[1] F. id est, animo voluntario.
[2] id est, In conferenda pecunia ad sublevandos sanctos.
[3] F. vel amore nostri apud vos, id est, charitate qua nos prosequimini. Atque hoc melius.
[4] id est, Imperiosè præcipio.
[5] Omnino autem consulo.
[6] F. vel adsit penuriæ illorum: & ita sequens.
[7] id est, Provinciam illam suscepit Titus: quam ut susciperet, orabamus eum.
[8] Suffragiis delectus est.
[9] F. vel *legati* gloriæ Christi.

3 Nam pro viribus (testor) atque suprà vires
[d] voluntarii *fuerunt*.

4 Multis cum precibus nos rogantes ut hanc [e] beneficentiam & societatem hujus ministerii sanctorum causa *subeundi*, in nos reciperemus.

5 [f] Ac non prout sperabamus *ita fecerunt*, sed semetipsos dediderunt primùm Domino, *deinde* & nobis per Dei voluntatem:

6 Ut adhortaremur Titum ut sicut antè cœpit, ita etiam absolvat apud vos hanc quoque beneficentiam.

7 Itaque sicut omnibus abundatis, *nempe* fide, & sermone, & notitia, & omni studio, & vestra in nos charitate, *videte ut* hac quoque gratia abundetis.

8 [g] Non ex imperio loquor, sed [h] aliorum studio, vestræ quoque dilectionis [i] sinceritatem reddens exploratam.

9 [k] Nostis enim beneficentiam Domini nostri Jesu Christi, eum *videlicet* propter vos pauperem factum esse, quum esset dives: ut vos illius paupertate ditesceretis.

10 [l] Et sententiam in ea re *meam* edo. nam hoc vobis conducit, qui non solùm facere, [m] sed etiam velle antè cœpistis anno superiore.

11 At nunc etiam illud ipsum Facere absolvite: ut sicut *adfuit* promtum illud Velle, ita etiam *adsit* ipsum Perficere ex eo quod habetis.

12 [n] Etenim si priùs adsit promtus animus, aliquis acceptus *est* pro eo quod habet, non pro eo quod non habet.

13 [o] Non enim *dico* ut aliis sit remissio, vobis autem afflictio; [p] sed *sit* pari conditione hoc tẽpore vestra abũdantia *suppleat* quod illis deest.

14 Ut & illorum abundantia quod vobis deest suppleat, ut fiat æquabilitas.

15 Sicut scriptum est, [ll] Qui multum *collegit*, plus non habuit: & qui paulum, minus non habuit.

16 [q] Gratia verò *sit* Deo qui cordi Titi indidit idem studium pro vobis.

17 Quòd tum exhortationem illam gratam habuit, tum verò majore studio usus ultrò ad vos iter suscepit.

18 Misimus autem unà cum eo fratrem illum cujus laus est [r] in Evangelio per omnes Ecclesias.

19 (Nec *id* solùm, sed etiam suffragiis delectus est ab Ecclesiis socius peregrinationis nostræ, cum hac [s] beneficentia quæ administratur à nobis ad ipsius Domini gloriam, & *comprobandum* promtum animum vestrum)

20 Vitantes hoc, nequis nos vituperet in hac [t] ubertate quæ administratur à nobis.

21 [ll] Ut qui procuremus honesta non solùm coram Domino, sed etiam coram hominibus.

22 Misimus autem cum eis fratrem nostrum, quem sæpè in multis probavimus studiosum, nunc autem multo studiosiorem, ob multam *meam* fiduciam in vobis.

23 Sive de Tito *quæritur*, socius meus *est*, & apud vos adjutor: sive [u] de fratribus nostris, legati *sunt* Ecclesiarum, *&* [x] gloria Christi.

24 Itaque demonstrationem charitatis vestræ, & nostræ de vobis gloriationis, edite in eos, [y] in conspectu Ecclesiarum.

[d] Spõte liberales.
[e] Beneficentiam vocat quod alii onus vocassent: hic autem vers. ex 6. est explicandus.
[f] 2. Amplificat Macedonum alacritatem in eo quòd Paulum etiam rogarint ut Corinthios, Tito ad eos remisso, ad absolvendam eleemosynarum collationem incitaret.
[g] 2. Tertiò, monet ut concitatam de se exspectationem non fallant.
[h] Macedonum rogatu.
[i] Tum apparet germana esse charitas, quum reipsa idq; promtè ac liberaliter fratribus succurrimus propter Christum.
[k] 2. Quartum argumentum ab exemplo Christi.
[l] 2. Diligenter cavet ne vi extorquere velle videatur, quod, nisi sit voluntarium, Deo gratum esse non possit.
[m] Non solùm facere, sed etiam ultrò facere. Designat enim voluntatem spontaneam absque aliorum impulsu, nedum ab ambitione profectam.
[n] 2. In eos qui tenuitatem solent excusare, quasi solis divitibus proprium sit inopes juvare.
[o] 2. Christiana beneficentia est mutua, ut jus analogiæ servetur.
[p] Ut sicut nunc aliis inopibus vos abundantes largimini è vestro, sic alii vicissim de suo vobis largiantur.
[ll] *Exod. 16.18.*
[q] 2. Commendat Titum & duos ejus collegas multis nominibus, tum ut minimè sit suspecta eorum fides, quasi eos summisisset ad expilandas Ecclesias: tum ut eò sint ad collationem promtiores.

[r] In prædicatione Evangelii. [s] Muneribus collatis in subsidium Ecclesiæ Hierosolymitanæ. [t] In hac copiosa Ecclesiarum munificentia, quæ nostræ fidei commissa est. [ll] Rom. 12.17. [u] Duobus Titi collegis. [x] Per quos gloria Christi illustratur. [y] Testes hujus vestræ pietatis habituri omnes Ecclesias, in quarum velut conspectu versamini, quum legatos cernatis ad vos missos, suffragiis delectos.

CAPUT IX.

1 *Cur de eorum voluntate bene sentiens,* 3 *illis tamen adhortandis sedulò incumbat,* 4 *rationem adducit:* 6 *& sementi eleemosynas comparat,* 10 *quas Deus rependit magno fœnore.*

Nam   De

NAm [a] de ministerio sanctorum causis subeun-
do, supervacaneum est mihi scribere vobis.
2 Novi enim promtum animum vestrum,
quem de vobis jacto apud Macedones, Achaiam
videlicet paratam esse ab anno superiore: & ex
vobis *ortus* zelus provocavit complures.
3 Misi autem hos fratres, ne gloriatio no-
stra de vobis inanis fiat hac in parte: ut (sicut di-
cebam) parati sitis:
4 Ne quo modo, si mecum venerint Mace-
dones, & offenderint vos imparatos, nos pudefia-
mus (ut no vos dicam) [b] in præfidente ista glo-
riatione.
5 Itaque necessarium putavi adhortari hos
fratres, ut priores venirent ad vos & priùs absol-
verent antea denunciatam beneficentiam ve-
stram, ut ea sit parata ita ut beneficentia, & non
ut [c] extortum aliquid.
6 [d] Hoc autem *dico*, Qui serit parcè, parcè
etiam metet: & qui serit benignè, benignè etiam
metet.
7 Quisque, sicut [e] præoptat corde, *ita agat*
[g] non [f] ex tristitia aut ex [g] necessitate. [h] nam hi-
larem datorem diligit Deus.
8 Potens *est* autem Deus efficere ut [h] omnis
gratia in vos redundet: ut in omnibus omni tem-
pore omne quod sufficiat habentes, abundetis
[i] ad omne opus bonum:
9 Sicut scriptum est, [l] Dispersit, dedit paupe-
ribus: Justitia ejus manet [k] in seculum.
10 Qui autem suppeditat semen serenti, &
panem ad escam suppeditet, & multiplicet se-
mentem vestram, & augeat [l] fructus justitiæ
vestræ,
11 *Vobis* omni modo ditatis ad omnem be-
nignitatem, quæ per nos efficit ut gratiæ agan-
tur Deo.
12 [m] Nam subministratio oblationis istius
non solùm supplet quæ sanctis desunt, sed etiam
exundat per multas gratiarum actiones Deo
exhibitas, [n] per approbationem istius submini-
strationis.
13 Dum Deum glorificant de vestra testata
[o] submissione in Evangelium Christi, deque
benigna in se & in omnes communicatione.
14 Et per ipsorum preces pro vobis propenso
vos amore diligentium, propter excellentem
gratiam Dei in vobis.
15 [p] Gratia autem *sit* Deo super inenarra-
bili suo munere.

DE ministerio autem sanctorum, superfluum
facio si scribo vobis.
2 Novi enim promtitudinem animi vestri, &
propterea gloriatus sum de vobis apud Macedo-
nes, quòd Achaia parata sit à præterito anno; &
æmulatio vestra multos provocavit.
3 Misi autem fratres, ne inanis fieret glo-
riatio qua gloriati sumus de vobis in hoc nego-
tio; ut quemadmodum dixi illis, parati sitis.
4 Ne fortè veniant mecum Macedones, &
inveniant vos imparatos, & erubescamus nos
(ut non dicamus quòd vos erubesceris) in glo-
riatione ista qua gloriati sumus,
5 Idcircò solicitudo mihi fuit ut peterem à
fratribus meis his ut venirent ante me ad vos, &
præpararent benedictionem illam de qua jampri-
dem commonefacti estis, ut esset parata ita ut
beneficentia, nequaquam ut [1] avaritia.
6 Hoc autem *dico*, qui seminat [2] in defectu,
etiam in defectu metet; & qui seminat [3] in bene-
dictione, etiam in benedictione metet.
7 Unusquisque secundùm id quod est in
mente sua, nequaquam tamquam ex tristitia, aut
tamquam ex necessitate. Datorem enim hilarem
diligit dominus:
8 Facultas enim est in manibus Dei, ut om-
nem gratiam abundare faciat in vobis, ut omni
tempore in omni re id quod sufficit vobis, sit vo-
bis, & abundetis in omne opus bonum:
9 Sicut scriptum est, Dispersit & dedit paupe-
ribus, & justitia ejus manet in seculum.
10 Is autem qui dat semen seminanti, & pa-
nem in cibum, ipse det & multiplicet sementem
vestram, & augeat fructus justitiæ vestræ:
11 Ut in qualibet re locupletemini in omnem
simplicitatem quæ perficit [4] per nos gratiarum
actionem Deo.
12 Quoniam functio ministerii hujus nequa-
quam tantùm penuriam sanctorum supplet, sed
etiā exuberat per gratiarū actiones multas Deo.
13 Nam propter probationem ministerii hu-
jus Deum glorificamus, quòd obedientes præ-
stitistis vos in confessione Evangelii Christi, &
associastis vos in simplicitate vestra cum illis &
cum omni homine.
14 Et orationem offerunt pro vobis in cha-
ritate magna, propter magnitudinem gratiæ Dei
quæ est super vos.
15 Gratia autem Deo super dono suo in-
effabili.

[a] B. Prudenter occurrit suspicioni quam concipere poterant Corinthii, quasi Apostolus adeò anxiè illos urgens, de eorum voluntate dubitaret. Testatur ergo se non ideò id facere ut eos doceat subveniendum esse sanctis, quum sese etiam pro iis sponsorem apud Macedonas interposuerit, sed tantùm ut sponte currentes incitet, quò sint omnia tum paratiora, tum etiam copiosiora.
[b] Utitur nomine ὑποστάσεως, quod significat animi quamdam imperterritam subsistentiam.
[c] Quasi ab avaris.
[d] B. Eleemosyna nec tenaciter nec malignè præstari debet. Voluntaria autem & liberalis comparatur sationi, quam uberrima messis amplissimæ benedictionis consequitur.
[e] Ultrò seligit ac constituit apud se.
[g] Rom. 12. 8.
[f] Liberali animo.
[g] Invitus, ut qui nolit malè audire.
[h] Eccl. 35. 10.
[h] Omnis Dei munificentia.
[i] Ut aliis omnibus modis juvare possitis benefaciendo.
[l] Psal. 112. 9.
[k] Est perennis. loquitur autem David de viro Dei timente, & proximum amante, cui dicit nunquam defuturum quod aliis largiatur.
[l] Piis hominibus beneficentia est pro omnibus latifundiis.
[m] B. Alius duplex fructus beneficentiæ in sanctos vel præstantissimus hic est, quòd occasionem præbeat Dei laudandi, & ita etiam patefiat nostra fides.
[n] Ex hoc vestræ charitatis specimine, in hac subministratione.
[o] Quòd uno consensu declaraveritis vos unum Evangelium cognoscere cui vosipsos libenter subjeceritis, ex quo doceatis vos cum Ecclesia Hierosolymitana consentire.
[p] Ne gloriosa ista prædicatione efferrentur Corinthii, claudit hoc epiphonemate hanc exhortationem.

[1] Vel, Expilatio.
[2] Vel, Cum parcitate, id est, Parcè. Hebraismus.
[3] id est, Liberaliter & copiosè, Hebraismus.
[4] Ad verb. Per manum nostram. Hebraism.

CAPUT X.

1 Qua fiducia, 4 quibus armis, 6 qua vindicta sit instructus adversus improborum calumnias, ostendit: 7 seque præsentem non minus virtutis habere in operibus, 11 quàm absentem gravitatis in verbis.

CÆterùm [a] precor vos per clementiam &
[b] æquitatem Christi, ego ipse Paulus qui co-
ràm quidem humilis sum inter vos, absens verò,
sum erga vos confidens.
2 *Hoc* autē rogo, ne præsens cōfidenter agam

EGo autem Paulus peto à vobis per lenitatem
& demissionem Christi, qui etiamsi [1] in facie
demissus sum apud vos, attamen absens confido
de vobis:
2 Peto autē à vobis ne quum venero, cogar

[a] B. Redit ad illam Apostolatus sui defensionem: sed ita ut simul auctoritate sua reipsa utatur. Seriò enim & graviter monet, additis etiam planè terribilibus minis, ut se dociles præbeant. Refellit autem superbos quosdam qui quoniam in Paulo nihil hominum more splendidum viderant, & eum lenissimum experti fuerant, qui tamen absens severissimè ad eos scripsisset, de eo non aliter quàm de Thrasone quopiam judicabant, qui soleret adversus absentes ferocire. Primùm igitur sese clementem & moderatum fuisse profitetur, sed Christi exemplo, cujus lenitatem si pergant aspernari, testatur se reipsa declaraturum quantopere illi hallucinentur qui de Apostolico munere ut de humanis functionibus judicant, nimirum ex apparentia, quam externam vocant. [b] Naturam illam ad misericordiam potiùs, quàm ad summum jus persequendum propensam.

[1] Id est, Externa specie, vel, Quum præsens sum. Hebraismus.

fiducia per

per confidentiam quæ est mihi [2] ut audeam ([3] sicut cogito) in homines qui arbitrantur nos quòd tamquam qui in carne simus, ambulemus.

3 [4] Etsi enim in carne ambulamus, atqui nequaquam carnis bellum gerimus.

4 Arma enim militiæ nostræ, nequaquam sunt carnis, sed potentiæ Dei, & per eam subjugamus munitiones rebelles.

5 Et demolimur cogitationes, & omnem altitudinem quæ sese extollit adversus cognitionem Dei, & captivas reddimus omnes ratiocinationes ad obedientiam Christi.

6 Et paratum habemus sumere vindictam de iis qui non obediunt, quum impleta fuerit obedientia vestra.

7 Faciem intuemini vos? Siquis confidit de seipso quòd Christi sit, hic sciat [5] de seipso quòd quemadmodum Christi est, ita etiam nos.

8 Si enim etiam aliquid amplius glorier de potestate quam dedit mihi Dominus noster, non pudet me: quia ad ædificationem vestram dedit nobis, & non ad repulsionem vestri.

9 [6] Dubito autem ne existimer tamquam is qui [7] perterrefaciendo perterrefaciam vos per epistolas,

10 Quia sunt quidam qui dicunt, quòd epistolæ graves sunt & robustæ, adventus autem corporis infirmus, & sermo ejus contemtibilis.

11 Sed hoc cogitet qui ejusmodi dicit, quòd quales sumus per sermonem epistolæ nostræ quum absentes sumus, tales sumus etiam quum propinqui sumus [8] facto.

12 Non enim audemus cogitare, aut comparare nosipsos cum illis qui seipsos gloria extollunt, sed quia ipsi intra sese [9] seipsos comparant, non intelligunt.

13 Nos non gloriamur [10] ultra mensuram nostram, sed juxta mensuram termini quam partitus est nobis Deus, ut pertingeremus etiam usque ad vos.

14 Nequaquam enim tamquam qui non pertingamus ad vos, extendimus nosipsos: usque ad vos enim pertigimus in Evangelio Christi.

15 Neque gloriamur extra mensuram nostram in labore aliorum, sed est nobis spes [11] ut crescente fide vestra in vobis, crescamus juxta mensuram nostram:

16 Et redundemus etiam ultra vos ad evangelizandum; non in mensura aliorum, in iis quæ parata sunt, gloriemur.

17 Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.

18 Nequaquam enim qui seipsum laudat, ille probatus est, sed is quem Deus laudaverit.

[2] Id est, Uti audacia.
[3] Id est, Sicuti statuo.
[4] In versiculo tertio deerat primum hemistichium in impresso Syro: quod restituimus ex manu scripto codice Syro bibliothecæ illustrissimi Principis Electoris Palatini,
[5] v. Syrè, ex anima sua, id est, ex seipso & apud se.
[6] Hæc verba licet in Græcis exemplaribus non legantur, in Syriaco exemplari sunt. Atque hæc exegetica sunt.
[7] Id est, Vanum timorem vobis incutiam.
[8] Id est, Reipsa.
[9] v. vel sibi: quod Syra constructio postulat.
[10] Ad verbum, Plusquam sit mensura nostra.
[11] v. subaudi fore: ita enim habet se nostra constructio.

fiducia qua existimor audax fuisse in quosdam qui de nobis existimant quasi [d] secundùm carnem incedamus.

3 [d] Nam in carne, non tamen secundùm carnem, incedentes militamus:

4 Arma enim militiæ nostræ [e] non carnalia sunt, sed [f] divinitùs valida ad subversionem munitionum.

5 Ratiocinationes evertendo, omnémque sublimitatem quæ sese extollit adversus cognitionem Dei: & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo:

6 Et paratum habendo quo vindicemus omnem contumaciam, postquam impleta fuerit vestra obedientia.

7 [h] [i] Quæ ob oculos sunt aspicitis? siquis apud se confidit se Christi esse, hoc vicissim cogitet [k] ex sese, quemadmodum ipse Christi *est*, ita & nos Christi *esse*.

8 Nam si amplius etiam quippiam glorier de potestate nostra, quam dedit Dominus nobis ad ædificationem, ac non ad subversionem vestri, non pudefiam.

9 Ne videar ceu perterrefacere vos per epistolas.

10 Nam epistolæ quidem ([l] inquiunt) graves sunt & validæ: sed præsentia corporis infirma *est*, & sermo *est* nihili.

11 Hoc cogitet *qui* istiusmodi *est*, quales sumus verbo per epistolas quum absumus, tales etiam *nos fore* reipsa quum aderimus,

12 [m] Non enim [n] audemus nos [o] adjungere vel conjungere cum quibusdam qui seipsos commendant: sed [p] non intelligunt quòd [q] ipsi sese metiuntur seipsis, & sibiipsis sese [r] comparant.

13 At nos non gloriabimur de iis [s] quæ mensuræ *nostræ* non sunt, sed secundùm modum nobis ad regulam admensum, *id est* ejus quam distribuit nobis Deus mensuræ, *gloriabimur* nos pervenisse ad vos etiam usque.

14 Non enim ut si non pervenissemus usque ad vos, extendimus nosipsos ultra quàm deceat: nam usque ad vos etiam pervenimus [t] in Evangelio Christi.

15 Nequaquam de iis quæ mensuræ *nostræ* non sunt gloriantes, *id est* de alienis laboribus: sed sperantes, *fore ut* augescente fide vestra in vobis amplificemur in attributa nobis nostra mensura ulteriùs,

16 *Id est* ut in iis *regionibus* quæ ultra vos *sunt*, evangelizem: non ut [u] in alteri attributa mensura, de [x] præparatis glorier.

17 [y] [z] Cæterùm qui gloriatur, in Domino glorietur.

18 Non enim qui seipsum commendat, is probatus est, sed is quem Dominus commendat.

[c] Non alio præsidio freti essemus, quam quod præ me fero: opponitur itaque caro, i. imbecilla Pauli conditio, spirituali & Apostolicæ dignitati.
[d] 2. Secundò, testatur se quantumvis alioqui cæterorum hominum similem, tamen iis viribus instructum prodire, quibus nullæ hominum munitiones, sive fraude & astu, sive robore & potentia restiterint, pares esse possint, quoniam divinis armis certet.
[e] Ea quibus homines auctoritatem sibi apud alios parant, & res illas magnas gerunt.
[f] Infinita illa Dei potentia nituntur.
[g] 2. Amplificatio spiritualis istius virtutis, quæ hostes quantumvis callidos & potentes sic domet, ut alios quidem resipiscentes ad Christum adducat, alios præfractè rebelles ab iis qui regi se patiuntur separatos, pro meritis ulciscatur.
[h] 2. Inculcat eadem, sed maximo cum sententiarum & verborum pondere.
[i] Itáne verò in æstimandis externam illam larvam intuemini?
[k] Etiam a me non admonitus.
[l] Indicatur certus aliquis hujus sermonis auctor.
[m] 2. Confutat fallere stultas quorumdam ambitiosorum jactationes, testatur eos nihil proferre posse, nisi quod ipsi de seipsis falsò persuaserint: se verò etiam si de rebus suis glorietur, non tamen ultra metas ejus mensuræ progressurum quam sit ei admensus Dominus, ut qui ad eos usque pervenerit evangelizando, ac longiùs etiam se processurum confidat, ubi & ipsi ita profecerint, ut in iis erudiendis non sit necesse ipsum amplius occupari. Additur autem amplificatio ex eo quòd in alienos labores nusquam successerit. [n] Ironia. [o] Numerare. [p] Non sentiunt vel animadvertunt. [q] Sola de seipso persuasione freti, nihil non sibi arrogant. [r] Alios omnes contemnentes pro mensura nihil aliud adhibebant quam seipsos. [s] De iis quæ Deus non est nobis admensus. [t] Dum Christum prædico. [u] Quasi Deus terrarum orbem inter Apostolos divisisset excolendum. [x] In regionibus ab aliis præparatis, & quasi excultis Evangelii prædicatione. [y] 2. Emollit quod de se dixerat, simúlque Corinthios ad alia audienda præparat, testatus se nihil aliud quærere, quàm ut Deo sese approbet, cujus unius gloriæ studeat. [z] *Jere.9.24. 1.Cor.1.31.*

CAPUT XI.

2. Ingenti se erga Corinthios amore cogi testatur, 5 ut laudes suas deprædicet. 9 Gratuitam illis suam operam impendisse, 13 ut qui in re superiores essent pseudapostoli, 22 quos longè antecellere recenset in iis quæ vera sunt laudis.

UTinam autem tolerassetis me paulisper, ut loquerer insipienter: sed etiam toleratis me.

UTinam [a] toleraretis paulisper desipientiam meam: imò etiam tolerate me.

[a] 2. Agnoscit se quodammodo stultos imitari in sua ipsius prædicatione, sed addit se invitum hoc facere ipsorum bono, quòd eos a vanis quibusdam & astutis hominibus non sine Satanæ fraude deceptos videat.

2 Ambio enim vos Dei [b] zelotypia. Aptavi enim vos, *quos* uni viro, *ut* virginem puram [c] sistam, *nempe* Christo:

3 Sed metuo nequo modo, sicut [*] serpens ille Evam seduxit calliditate sua, [d] ita corruptæ mentes vestræ *degenerent* à simplicitate [e] quæ est in Christo.

4 [f] Enimverò si veniat qui [g] alterum Jesum prædicet quem non prædicaverimus, aut *si* Spiritum alterum accipiatis quem non acceperitis, aut Evangelium alterum quod non receperitis, rectè *illum* toleraveritis.

5 Puto enim me nihilo inferiorem fuisse [h] summis Apostolis.

6 [i] Quòd si [k] rudis *sum* sermone, non tamen *sum rudis* notitia: sed omnino manifesti facti sumus in omnibus apud vos.

7 [l] Num peccavi quum meipsum submitterem ut vos eveheremini: *id est* quòd gratuitò Evangelium Dei evangelizavi vobis?

8 Alias Ecclesias spoliavi, accepto *ab eis* stipendio, ut vobis inservirem: & quum apud vos essem & egerem, [l] non obtorpui cum cujusquam incommodo.

9 Quod enim me deficiebat suppleverunt fratres quum venissent è Macedonia: & in omnibus me præstiti vobis minimè onerosum, [m] & præstabo.

10 [n] Est veritas Christi in me, quòd hæc gloriatio [o] non obstruetur in me in regionibus Achaiæ.

11 Quapropter? *an* quòd non diligam vos? Deus novit.

12 Sed quod facio, etiam faciam: ut amputem occasionem iis qui exoptant occasionem, ut in *eo de* quo [p] glorientur, reperiantur quales & nos.

13 [q] Nam istiusmodi pseudoapostoli, operarii dolosi sunt, transfigurantes se in Apostolos Christi.

14 Neque id mirum, ipse enim Satanas se transfigurat in Angelum [r] lucis.

15 Non magnum est igitur si etiam ejus ministri transfigurant se tamquam *sint* ministri justitiæ, quorum finis erit secundùm opera ipsorum.

16 [s] Rursum dico, nequis me putet desipientem esse: alioquin vel ut desipientem recipite me, ut paululum quiddam & ego glorier.

17 Quod dico, non dico secundùm Dominum, sed ut desipiens, in præfidentia ista gloriatione.

18 Quandoquidem multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor.

19 Libenter enim toleratis desipientes, quòd sitis sapientes.

20 [t] Toleratis enim si quis vos in servitutem adigit, si quis exedit, si quis *stipendium* accipit, si quis attollit sese, si quis vos in faciem cædit.

21 [u] Quantum ad contumeliam dico: sicuti quod nos [x] infirmi fuimus: Imò in quocumque audacia uti velit aliquis, (ut desipiens loquor) audacia & ego uti velim:

2 Zelotypus sum enim erga vos zelotypia Dei: despondi enim vos viro uni virginem puram ut exhiberem Christo.

3 Metuo autem ne quemadmodum serpens seduxit Evam versutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ à simplicitate [2] quæ *erat* erga Christum.

4 Si enim is qui venit ad vos, alium Jeschua prædicârit vobis quem non prædicavimus, aut spiritum alium acceperitis quem non accepistis, aut Evangelium aliud quod non accepistis, pulcrè acquiesceretis.

5 Puto enim quòd nihilo minor sum quam Apostoli qui admodùm excellunt.

6 Licet enim imperitus sim sermone meo, attamen non scientia mea: sed in omni re manifesti fuimus apud vos.

7 Nunquid [4] delinquendo deliqui quòd humiliaverim meipsum ut vos exaltaremini, & gratis prædicaverim vobis Evangelium Dei?

8 Et Ecclesias cæteras exspoliaverim, & acceperim sumtus pro ministerio erga vos? & quum venissem ad vos, non gravaverim quemquam ex vobis?

9 Necessitatem enim meam suppleverunt fratres qui venerunt ex Macedonia: & in omni re [3] servavi meipsū, & servo, ut non onerem vos.

10 Est in me veritas Christi, quòd hæc gloriatio non abolebitur in me in regionibus Achaiæ.

11 Quamobrem? Quòd non diligam vos? Deus ipse novit.

12 Sed hoc quod facio, & jam faciam, ut amputem occasionem illorum qui quærunt occasionem, ut in ea re qua gloriantur, inveniantur sicut nos.

13 Sunt enim istiusmodi, pseudoapostoli & operarii dolosi, & assimilant seipsos Apostolis Christi.

14 Neque est mirandum in hoc. Etenim si Satanas ipse transfigurat se in Angelum lucis;

15 Nequaquam magnum est negotium, si etiam ministri ejus transfigurant se in ministros justitiæ: quorū finis erit secundùm opera eorum.

16 Rursus autem dico, nequis reputet de me tamquam insipiens sim; alioquin etiam ut insipientem accipite me, ut etiam ego modicū glorier.

17 Quod loquor, secundùm Dominum nostrum non loquor, sed tamquam per insipientiam in hoc loco gloriationis.

18 Quandoquidem multi gloriantur in carne, etiam ego gloriabor.

19 Faciles enim estis ad audiendum desipientes mente, quum vos sapientes sitis.

20 Etenim [4] extollitis eum qui in servitutem vos adigit, & eum qui devorat vos, & eum qui accipit à vobis, & eum qui extollit se supra vos, & eum qui percutit vos in faciem vestram.

21 Tamquam in ignominia loquor: quasi ita sit quòd infirmi fuerimus (per defectum mentis loquor) quod in quacunque re audet aliquis, etiam ego audeo.

[b] Loquitur ut procus, sed qui tamen non sibi, at Domino illos ambiat.
[c] Ut vos conjungam.
[*] *Gene.3.4.*
[d] Hic locus notandus contra eos quibus nativa illa & incorrupta sacrarum scripturarū simplicitas præ humanæ facundiæ fucis ac pigmentis sordet.
[e] Quæ iis conveniat qui in Christo sunt.
[f] B. Testatur eos falli si vel excellentius aliquod Evangelium, vel præstantiora Spiritus dona se à quoquam accepturos somnient.
[g] Perfectiorem doctrinam de Jesu.
[h] Ad verbum, iis qui supra quàm valde sunt Apostoli.
[i] B. Refutat illorum Thrasonum calumnias. Sum, inquit, fateor, non ita facundus orator, illi certè mihi Evangelii notitiam non possunt adimere, sicut vos ipsi estis modis omnibus experti.
[k] Mascula illa & Evangelio digna eloquentia non caruit Paulus: carere autem voluit fucata illa dicendi ratione, quam nimiùm multi hodiè sequuntur.
[l] B. Alia calumnia, quòd videlicet homo esset vulgaris & manuum suarum labore victitans. Hic verò, inquit Apostolus, quid mihi possitis objicere, nisi quòd quidvis subire vestri causa sustinui, & quum egerem, partim manibus meis victum quærere, partim etiam quum urgerit inopia, aliunde viaticum petere malui, quàm vobis ullo esse oneri, etiamsi vobis evangelizabam? [l] *Infrà* 12.13. [m] B. Amplificatio, adeo se istius facti non pudere, ut etiam deinceps non aliter agere apud ipsos decreverit, quò verè semper possit affirmare se gratis in Achaia docuisse, minimè id quidem quòd Corinthios dedignetur, sed ut Thrasones isti occasionem jampridem captatam nusquam inveniant: ipse verò intereà illis proponat quod æmulentur, ut verè tandem possint dicere se esse Pauli similes. [n] Forma jurisjurandi, quasi diceret, Ne censeatur in me veritas. [o] Mihi semper patebit. [p] Captârunt adversarii omnes occasiones, ut pares essent Paulo. Quum igitur nunquam gratis essent docturi, quum potius Corinthios exederent, captabant aliam occasionem, nempe ut Paulus aliquid acciperet: quòd si fecisset, tum demum se pares fore sperabant. Nam ita zelum & scientiam simulabant, & ea vana specie eloquentiæ [illegible], ut aliqui etiam Paulum despicerent. Ostendit autem hæc omnia fucum esse. [q] B. Apertè tandem istos suis coloribus depingit, prædicens fore ut quantumcumque zelum gloriæ Dei simulent, tandem seipsos prodant. [r] Lucis nomine, gloria cælestis intelligitur, cujus sunt participes Angeli. [s] B. Pergit aperta cum fiducia, & gravissima quadam ironia utens, petit sibi veniam tribui si velut ad tempus apud sapientes Corinthios desipiens cum summis illis hominibus [illegible] illis rebus contendat, [illegible] rebus fortiter gestis. [t] B. Antequam ad rem accedat, perstringit Corinthios, qui quum sibi sapientissimi viderentur, [illegible] ad quæstum abuti ipsorū simplicitate. [u] q. d. habita ejus contumeliæ ratione qua vos afficiunt (id dico) quæ sanè minor non est, quam si vos vilium mancipiorum instar colaphis cæderent. [x] Infirmus habetur Paulus, qui vilis, abjectus, ignobilis [illegible]

[2] F. vel quæ esse debet.
[4] Graviter deliqui.
[3] Id est, Abstinui, & abstineo.
[4] Non significat simpliciter Ferre aut Tolerare, sed Efferre & evehere: quemadmodum constat ex altero loco Romanorum 10.17.

22 [y] Hebræi 22 Si

22 Si Hebræi ſunt, etiam ego: & ſi Iſraëlitæ ſunt, etiam ego: ſi ſemen ſunt Abrahæ, etiam ego.
23 Si miniſtri ſunt Chriſti, per defectum mẽtis loquor, quòd excellentior illis ſum ego: in laboribus copioſior quàm illi, in vulneribus copioſior quàm illi, in vinculis copioſior quàm illi, in mortibus, [5] ſæpiùs.
24 A Judæis [6] quinquies quadragenas *plagas*, minus una, [7] devoravi.
25 [8] Ter virgis [9] cæſus fui: [10] ſemel lapidatus fui: ter fui in naufragio die ac nocte, ſine navi *inquam* in mari fui.
26 In itineribus multis, [11] in periculo fluminũ, in periculo latronum, in periculo à genere meo, in periculo à Gentibus: in periculo fui in civitatibus, in periculo fui in ſolitudine, in periculo in mari, in periculo quod eſt à falſis fratribus.
27 In labore & fatigatione, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejunio multo, in [12] denudatione & nuditate:
28 Præter reliqua plurima, & [13] congregationem quæ eſt quotidiana contra me, & curam meam quæ eſt pro omnibus eccleſiis.
29 Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non uror?
30 Si gloriari oporteat, in infirmitatibus meis gloriabor.
31 Novit Deus Pater Domini noſtri Jeſchua Chriſti, benedictus qui eſt in ſeculum ſeculorũ, quòd non mentior.
32 In Damaſco princeps exercitus Aretæ regis cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ad comprehendendum me.
33 Et ex feneſtra in ſporta [14] demiſerunt me ex muro, & ereptus ſum è manibus ejus.

5 Ad verb. Temporibus multis. Hebraiſmus.
6 Ad verbum, Quinque temporibus quadraginta, quadraginta.
7 Hoc eſt, Magno cum dolore tuli. F. vel ſimpliciter, vapulavi: ſic enim accipitur verbum Luc. 12.47. & alibi.
8 Ad verbum, Tribus temporibus. Hebraiſmus.
9 Ab aliis quàm à Judæis.
10 Ad verbum, Una vice. Hebr.
11 Græcam vocem ſervat.
12 F. vel frigore: ut alibi accipitur.
13 F. vel collectio, id eſt, agmen inſtans apud me quotidianum, vel perpetuum, & cura mea quæ eſt pro omnibus Eccleſiis. Hoc enim poſterius eſt prioris dicti exegeticum, in quo elegans metaphora à re caſtrenſi.
14 F. nimirum fratres qui illic erant.

22 [l] Hebræi ſunt? *ſum* & ego: Iſraëlitæ ſunt? *ſum* & ego: ſemen Abrahami ſunt? *ſum* & ego:
23 Miniſtri Chriſti ſunt? (deſipiens loquor) [y] ſuperior ſum ego: in fatigationibus, ampliùs: in plagis ſupra illos: in carceribus ampliùs: [z] in mortibus ſæpè.
24 A Judæis [a] quinquies accepi quadragenas *plagas*, una minus.
25 [l] [b] Ter virgis cæſus fui, [l] ſemel fui lapidatus, [l] ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi:
26 *In* itineribus ſæpè *fui*, *in* periculis fluminũ, periculis latronum, periculis à *meis* gentilibus, periculis à Gentibus, periculis in civitatibus, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis inter falſos fratres.
27 In fatigatione & [c] ærumna, in vigiliis ſæpè, in fame & ſiti, in jejuniis ſæpè, in frigore & nuditate.
28 [d] Abſque iis quæ extrinſecus *eveniunt*, *urget* agmen illud in me quotidie conſurgens, *id eſt* ſolicitudo de omnibus Eccleſiis.
29 Quis affligitur quin ego affligar? quis offenditur quin ego urar?
30 [e] Si gloriari oporteat, de iis quæ infirmitatis meæ *ſunt* gloriabor.
31 Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, laudãdus in ſecula, novit me non mentiri.
32 [f] Damaſci, gentis præfectus nomine Aretæ regis, præſidio tenebat Damaſcenorum urbem, cupiens me prehendere:
33 Sed per feneſtram in corbe fune demiſſus fui per mœnia, & ejus manus effugi.

[l] *Phil.* 3.5.
y Paulus veram gloriam nactus, apertè miniſterium ſuum aſſerit non ſui cauſa, ſed quòd doctrinam ſuam videret periclitari.
z Præſentibus mortis periculis.
a Reſpicit illud quod ſcriptum eſt Deut. 25.3. Hic locus præterea oſtendit multa quæ pertulit Paulus fuiſſe prætermiſſa à Luca.
[l] *Act.* 16.23.
b A præfectis Romanis.
[l] *Act.* 14.19.
[l] *Act.* 27.14.
c Ærumna eſt ægritudo laborioſa, veluti quiſ delaſſatus aliquis pro quiete cogitur novos labores capeſſere.
d 2. Hoc tandem addit velut appendicem, ut Corinthios pudeat eum aſpernari à cujus ſolicitudine omnes penè Eccleſias pẽdere res ipſa teſtabatur.
e 2. Retorquet in adverſarios quod ab eis objiciebatur, ut ſi dicat, Proferunt illi meas ærumnas ut mihi auctoritatem detrahant, at ego ſi gloriari velim, non aliunde ſumſerim argumentum: nec quicquam hîc a me confingi Deus ipſe eſt teſtis. [f] *Act.* 9.24.

CAPUT XII.

1 *Invitus recenſet* 3 *revelationes divinitùs* 4 *ſibi factas,* 6 *ob quas quum verè gloriari poſſit, nolit,* 10 *infirmitatum ſuarum conſcius:* 11 *ſed hanc ſibi neceſſitatem ineptiendi eos injicere,* 20 *dum ſe addicunt ambitioſis hominibus, per quos à Chriſto alienantur.*

[1] GLoriari oportet: ſed non expedit, venio enim ad viſiones & ad revelationes Domini noſtri.
2 Novi hominem in Chriſto ante quatuordecim annos, (num autem in corpore, an verò [2] abſque corpore, non novi: Deus novit) qui quidem raptus eſt uſque ad tertium cælorum.
3 Et ſcio hunc ipſum, filium hominis (ſive autem in corpore, ſive abſque corpore non novi: Deus novit)
4 [3] Et raptus eſt in paradiſum, & audivit ſermones ineffabiles, quos non licet filio hominis eloqui.
5 Pro hoc gloriabor. de me autem ipſo non gloriabor, niſi in infirmitatibus.
6 Si enim voluero gloriari, nequaquam ero inſipiens: veritatem enim dico, parco autem, nequis cogitet de me pluſquam quod vidit in me, & quod audivit ex me.
7 Et ne extollerer propter excellentiam revelationum, traditus eſt mihi ſtimulus [4] carni meæ, angelus Satanæ, ut colaphis cæderet me, ne extollerer.
8 Super hoc [5] ter petii à Domino ut removeret à me.

1 F. Gr. καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι. at Syrus legit, καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μοι.
2 F. i. citra vel extra corpus: ut ſequente verſu.
3 F. vel raptum fuiſſe in Paradiſum, & audiviſſe &c.
4 F. vel in carne mea.
5 Ad verb. Tribus vicibus. Hebraiſmus.

GLoriari [a] ſanè non convenit mihi. veniã enim ad apparitiones & revelationes Domini.
2 Novi hominem [b] in Chriſto ante annos quatuordecim, (an in corpore, neſcio: an extra corpus, neſcio: Deus novit) raptum [c] in tertium uſque cælum.
3 Et novi hujuſmodi hominem (an in corpore, an extra corpus, neſcio: Deus novit)
4 Raptũ fuiſſe in [d] paradiſum, & audiſſe [e] ineffabilia verba, quæ [f] non liceat homini loqui.
5 [g] Super ejuſmodi homine gloriabor: de meipſo verò non gloriabor, niſi ex infirmitatibus meis.
6 Si enim voluero gloriari, non ero deſipiens: veritatem enim dicam. ſed parcè loquor, nequis de me cogitet ſupra *id* quod videt *eſſe* me, aut *quod* audit ex me.
7 [h] Et ne excellentiã revelationum ſupra modum efferrer, datus eſt mihi [i] ſurculus infixus carni, *nempe* angelus [k] Satan, ut me colaphis cædat, ne ſupra modum efferar.
8 Super hoc [l] ter Dominum rogavi, ut abſcederet à me.

a 2. Pergit in propoſito, & quoniam glorioſuli illi revelationes jactabant, commemorat quæ ipſum ſupra communẽ hominum captũ attollant: at non abſque præfatione, & accuratã etiã excuſatione.
b Quod in Chriſto dico, i. quod ſine ambitione dictũ velim quiſ nihil aliud quam unum Chriſtum reſpiciam.
c In ſublimiſſum uſque cælum. nec enim in nomine tertii eſt philoſophandum. Sed tamẽ hic locus adverſus eos obſervandus, qui cælum ponunt ubique.
d Sic vocant Græci quæ Latini viridaria, barbarè parcos vocant, in quibus plantæ excoluntur & feræ paſcuntur. Per excellentiam Græci interpretes ſic vocârunt hortum illum Eden: Hinc factum ut beata illa gloriæ Dei ſedes eo nomine vocaretur.

e Quæ fando explicari à quoquam homine non poſſunt. f Quæ nulla vi ne ſanctorum quidem poſſit explicari, nempe quia divinum eſt numen. Sic explicat Clemens Alex. Strom. 5. g 2. Ut omnem ambitionis ſuſpicionem removeat, teſtatur ſe illa ut extrinſeca non ut ſua jactare, quamvis nihil hîc affingat, ne hac occaſione plus ei tribuatur ab aliis quàm par ſit: [illegible] ſe velle potiùs in ſuis miſeriis gloriari. h 3. Excellens doctrina, cur Dominus præſtantiſſimos etiam ſervos ſuos à Satanâ vexari, & omni tentationum genere affligi velit: nempe ne nimium efferantur, atque adeò ut jugi illa exercitatione perficiantur. i Concupiſcentiam intelligit, quæ teli inſtar nobis inhæret, ut cogat etiam regeneratum Paulum exclamare, Non facio bonum quod volo, &c. Surculum autem vocat tranſlatione ducta à ſurculis, qui veſtigiis pedum infixi ſunt, ſi per cæduas ſylvas eſt ambulandum. k Qui expeditiones illas incendit. l Sæpè.

9 Sed dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea per infirmitatem ad finem suum adducitur. [m] Libentissimè igitur gloriabor potiùs de infirmitatibus meis, ut tamquam in tabernaculo [n] inhabitet in me potentia Christi.

10 Propterea [o] oblector in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis pro Christo: quum enim infirmus sum, tunc potens sum.

11 Fui desipiens in gloriando: vos me coëgistis. [p] nam ego debueram à vobis commendari: nulla enim in re inferior fui [q] summis Apostolis, tametsi nihil sum.

12 [r] Indicia quidem Apostoli edita sunt apud vos cum omni tolerantia, per signa, & prodigia, & [s] virtutes.

13 Nam quid est in quo fueritis inferiores cæteris Ecclesiis, nisi quòd ego ipse [‖] [t] non obtorpui cum vestro incommodo? condonate mihi hanc injuriam.

14 Ecce, tertiò paratus sum venire ad vos, nec cum vestro incommodo obtorpescam. non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. non enim debent filii parentibus thesauros congerere, sed parentes filiis *thesauros congerunt*.

15 Ego verò libentissimè sumtum impédam, & expendar pro animabus vestris: etiamsi, ampliùs vos diligens, minùs diligar.

16 [u] Sed esto, ego vos non gravavi: sed quòd sim callidus, dolo vos cepi.

17 Num per quemquam eorum quos misi ad vos, quæstui vos habui?

18 Precâtus sum Titum, & cum eo misi fratrem: num aliqua in re vos quæstui habuit Titus? nónne eodem spiritu incessimus? nónne iisdem vestigiis?

19 [x] Rursum putatis quòd nos vobis excusemus? in conspectu Dei, [y] in Christo loquimur: omnia autem hæc, charissimi, pro vestri ædificatione.

20 [z] Nam metuo nequo modo, quum venero, non quales velim reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis: nequo modo *sint* lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, obtrectationes, susurri, rumores, tumultuationes.

21 Ne me postquam iterum venero, deprimat Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum qui antè peccârunt, nec resipuerunt super impuritate & scortatione & protervia quam patrârunt.

[m] B. Concludit se pseudoapostolorum jactationibus solas suas ærumnas velle opponere: simulq; se excusat quòd ipsorum importunitate de his rebus tam multa dicere sit coactus, nempe quod everso ipsius Apostolatu necesse erat ipsius doctrinam ruere.

[n] Ut magis ac magis sentiam virtutem Christi: Nam quo sunt nostra tabernacula infirmiora, eo magis elucet in illis virtus Christi.

[o] Illas non tantùm æquo vel forti animo fero, sed etiam voluptatem maximam ex illis percipio.

[p] B. Testes rursum Corinthios facit eorum quibus suum apud eos Apostolatum obsignârat Dominus, & denuò quàm sit tum ab omni avaritia alienus, tum in eos propensus, certis argumentis declarat.

[q] Vide supr. cap. 11. ℣. 5.

[r] Argumenta, ex quibus liquet me verè esse Apostolum Domini.

[s] Potentia facta.

[‖] *Supr.* 11.9.

[t] Non fui remissus in victu meis manibus mihi quærendo, ne vobis essem oneri.

[u] B. Aliam calumniam longè gravissimam à se depellit, nimirum quòd astu & per alios quæstum faceret.

9 Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitatibus perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut [6] protegat me virtus Christi.

10 Hanc ob causam delector in infirmitatibus, in contumeliis, in afflictionibus, in persequutionibus, in angustiis quæ sunt pro Christo. quum enim infirmus sum, tunc potens sum.

11 Ecce, factus sum carens mente in gloriatione mea: quia vos coëgistis me. Debitores enim eratis ut vos testaremini de me, propterea quòd nihilo fui inferior Apostolis illis qui admodum excellunt, tametsi non sim quicquam.

12 Indicia Apostolorum edidi inter vos, cum omni potentia, & [7] cum potentiis, & cum prodigiis, & cum virtutibus.

13 Nam qua in re inferiores fuistis ecclesiis aliis, nisi in hoc quòd ego non gravavi vos? Condonate mihi hoc delictum.

14 Ecce [8] jam tertiò paratus sum ut veniam ad vos, neque gravabo vos: quia non quæro vestra, sed vos. Non enim debitores sunt filii recondere thesauros parentibus, sed parentes filiis suis.

15 Ego verò libenter & sumtus proferam, & etiam meipsum dabo pro animabus vestris: etiamsi, quum abundè diligam vos, vos parcè diligatis me.

16 Sed [9] esto, ego non gravavi vos, sed tamquam vir astutus per dolum furatus sum vos.

17 Nunquid [10] per virum alium quem misi ad vos, expilavi vos?

18 A Tito petii, & misi cum eo fratres, nunquid aliqua in re expilavit vos Titus? Nónne uno Spiritu ambulavimus, & eisdem vestigiis?

19 Numquid rursum arbitramini quòd apud vos nos [11] excusemus? Coram Deo per Christum loquimur, & omnia, dilecti mei, propter ædificationem vestram.

20 Metuo enim ne veniam ad vos, & non inveniam vos sicut vellem: & inveniar vobis ego quoque qualem non velletis: ne contentio, & invidia, & ira, & calumnia, & obtrectatio, & murmuratio, & elatio, & tumultus *sit in vobis*.

21 Ne, quum venero ad vos, humiliet me Deus meus, & lugeam propter multos qui peccaverunt, & non resipuerunt ab impuritate, & à scortatione, & à lascivia quam patraverunt.

[6] In verbo Græco ἐπισκηνώσῃ videtur auctor hujus paraphraseos usum tabernaculorum respexisse, videlicet ut protegant à pluvia, sole, vento, & aliis hujusmodi incommodis: quæ deinde per metaphoram accommodat virtuti Christi protegenti Paulum contra stimulos Satanæ.

[7] F. nempe legebat Syrus ἐν ἐξουσίαις, quum libri nostri habeant, ἐν σημείοις. Neq; verò displiceret hæc Syri lectio, si aliorum auctoritate librorum confirmaretur.

[8] Ad verb. Jam tertium tempus est quo me paro, &c.

[9] F. vel fortasse.

[10] Ad verbum, Per manum viri alterius. Hebraism.

[11] F. Syr. protrahamus, vel protendamus spiritum, vide in Roman. 1, 20.

[x] B. Concludit se hæc ad eos non scribere quasi defensione egeat, quum nullius sibi sit conscius: sed quòd eorum maximè intersit de ejus fide minimè dubitare à quo instituti fuerant. [y] Ut eum loqui, verè ac syncerè convenit, qui se in Christo esse profiteatur. [z] B. Confirmata sua apud eos auctoritate, acriter eos objurgat, ac minas etiam addit planè Apostolicas, fore videlicet ut nisi resipuerint, ipsis deinceps non parcat, quum tertiò jam eos admonuerit.

CAPUT XIII.

1 Ut tertiò adventurus, 2 severiorem vindictam illis denunciat 5 qui re ipsa experti sunt virtutem Christi in suo Apostolatu. 10 Optat tandem ut resipiscant: 11 & fausta illis precatur.

1 HAc tertia vice venio ad vos. [†] Ex ore duorum testium aut trium firmum erit omne verbū.

2 Prædixi & secundò prædico ut præsens, & absens nunc scribo iis qui antè peccârunt, & reliquis omnibus, fore ut, si denuò venero, non parcam.

3 [a] Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi, qui erga vos non infirmus, sed [b] potens est in vobis.

4 Nam etsi crucifixus fuit [c] ex infirmitate,

[†] *Deut.* 19.15. *Matt.* 18.16. *Joh.* 8.17. *Hebr.* 10.28.

[a] B. Gravissima increpatio, quòd dum Apostolicas admonitiones despiciunt, Christi ipsius patientiam tentent, atq; adeò dum ipsum ut calamitosum aspernantur, nihil objiciant quod non sit ipsi cum Christo commune. [b] Qui, opus fuerit, ad vos ulciscendos erit potentissimus. [c] Quod attinet ad infirmam illam formam servi quam accepit, semetipsum exinaniens.

vivit

1 JAm tertiò paratus sum ut veniam ad vos, ut [1] per os duorum triúmve testium stabile sit omne verbum.

2 Antè dixeram vobis, & rursum prædico vobis, sicut etiam [2] secundò quum essem apud vos, dixi vobis, etiam nunc procul exsistens scribo illis qui peccaverunt, & [3] residuo reliquorum, quòd si venero denuò, non parcam.

3 Propterea quòd experimentum quæritis Christi qui loquitur in me, qui nequaquam infirmus in vobis, sed potens est in vobis.

4 Quamvis enim crucifixus sit in infirmitate, attamen vivit in virtute Dei: etiam nos infirmi

[1] Ad verb. Hoc tertium est tempus quod paro, &c.

[2] Ad verb. Secūdo tempore, i. Secunda vice.

[3] F. vel reliquis aliis.

sumus

sumus cum eo, attamen vivimus cum eodem in virtute Dei quæ est in vobis.

5 Vosipsos probate num in fide firmi sitis: vosipsos tentate: annon agnoscitis vosipsos, *videlicet* quòd Jeschua Christus in vobis est? alioqui reprobi estis.

6 Spero autem quòd cognoscetis quòd nos non simus reprobi.

7 Opto autem à Deo ne sit in vobis aliquid mali, [4] ut experientia nostri cernatur: sed ut vos faciatis bona, & nos simus tamquam reprobi.

8 Non enim possumus facere quicquam contra veritatem, sed pro veritate.

9 Gaudemus autem quum nos infirmi, & vos validi *estis*. hoc autem oramus quoque ut vos perfecti reddamini.

10 Idcircò, quum longè absim, hæc scribo, ne, quum venero, duriter agam juxta potestatem quam dedit mihi Dominus meus ad ædificationem, & non repulsionem vestri.

11 Proinde, fratres mei, gaudete, & perfecti estote, & consolationem capite, & animi consensus & pax sit in vobis: & Deus charitatis ac pacis erit vobiscum.

12 Salutate alius alium osculo sancto. Salutant vos omnes sancti.

13 Pax Domini nostri Jeschua Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis. Ammin.

Finitur epistola ad Corinthios secunda, quæ scripta fuit è Philippis Macedoniæ [5].

[4] Syrus textus tàm in impresso quàm in manuscripto codice Heidelbergensi non legit adverbium negatvium, quod in Græco textu, secundo loco in hoc versu ponitur & distinctiones hujusmodi sunt ut sensum efficiant quem nos in versione nostra expressimus. F. Atq; hic sensus interpretatur illum.

[5] F. alii addunt, & missa fuit per Titum.

vivit tamen ex potentia Dei. [d] nam & infirmi sumus cum eo, sed vivi erimus cum eo, ex potentia Dei apud vos.

5 [1] [e] Vos ipsos tentate an sitis in fide, vosipsos probate. annon agnoscitis vosmetipsos, *videlicet* Jesum Christũ in vobis esse? nisi rejectanei estis.

6 [f] At spero fore ut cognoscatis nos non esse rejectaneos.

7 Opto autem a Deo, nequid mali faciatis: non ut nos probati comperiamur, sed ut quod honestum est faciatis, nos verò [g] velut rejectanei simus.

8 Non enim possumus quicquam adversus veritatem, sed pro veritate.

9 Gaudemus enim quum nos infirmi sumus, vos autem validi estis: hoc autem etiam optamus, vestram *videlicet* [h] instaurationem.

10 Propterea hæc absens scribo, ne præsens severitate utar ex potestate quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, ac non ad destructionem.

11 [i] Quod superest, fratres, valete, instauramini, cõsolationẽ habete, idem sentite, in pace agite: & Deus charitatis ac pacis erit vobiscum.

12 [k] Salutate alii alios osculo sancto. Salutant vos sancti omnes.

13 Gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Amen.

Ad Corinthios secunda fuit scripta Philippis *urbe* Macedoniæ, per Titum & Lucam.

[d] Particula *nam* non est causalis, sed illativa.

[1] 1. *Cor.* 11.28.

[e] B. Confirmat quod de virtute Dei dixerat in suo ministerio elucente, colligitq; ex mutua inter fidem populi & ministri prædicationem relatione oportere ut vel Apostolatũ ejus revereantur, in cujus doctrina fundata sit ipsorũ fides, vel seipsos damnent infidelitatis, & se non esse ex Christi corpore fateantur.

[f] B. Mitigat illã asperitatem sperans fore ut se dociles fideli Apostolo præbeãt; illud etiam addens, se famam & existimationem suam nihil morari, dummodo serviat eorum saluti, qui sit unicus ejus scopus.

[g] Hominum judicio.

[h] Ut omnibus benè compositis, Ecclesiæ membra quæ luxata erant in locum suum restituantur. [i] B. Brevis exhortatio, sed quæ omnes Christianæ vitæ partes complectatur. [k] B. Familiariter eos salutat, ac tandem eis benè precatur.

EPISTOLA AD GALATAS.

CAPUT I.

1 Post inscriptionem, 6 subjungit objurgationem, Galatas accusans defectionis 9 à suo Evangelio, 15 quod à Deo accepit, 17 antequam cum ullo Apostolorum contulisset.

TREM. INTERPRET.

PAulus Apostolus (non à filiis hominis, [1] neque per filium hominis, sed per Jeschua Christum, & Deum Patrem ejus qui suscitavit eum [2] à mortuis)

2 Et omnes fratres qui mecum sunt, ecclesiis quæ sunt Galatiæ

3 Gratia vobiscum & pax à Deo patre, & à Domino nostro Jeschua Christo:

4 Qui dedit [3] semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos à seculo isto malo, secundùm voluntatem Dei Patris nostri:

5 Cui gloria in seculo seculorum. Ammin.

6 Miror quomodo celeriter aversi estis à Christo, qui vocavit vos per gratiam suam ad Evangelium aliud:

7 Quod nequaquam est, sed [4] secundùm illos homines est qui conturbant vos, & volunt pervertere Evangelium Christi.

[1] Ad verb. Neq; per manum filii hominis, sed per manum Jeschua Christi.

[2] Ad verb. De inter mortuos. Hebraismus.

[3] F. Syrè, animam suam: & ita deinceps.

[4] F. nempe τινὲς pro πολοὶ vel ὅτοιοι accepit Syrus.

BEZAE INTERPRET.

PAulus [a] Apostolus (non [b] ab hominibus, neque [c] per hominem, [1] [d] sed per Jesum Christum, ac Deum Patrem qui suscitavit eum ex mortuis)

2 Quique mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ.

3 Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo:

4 [e] Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, [1] ut exímeret nos ex præsenti [f] seculo malo, secundùm voluntatem Dei, & Patris nostri.

5 Cui *sit* gloria in [g] secula seculorum. Amen.

6 [h] Miror vos ita citò, deserto eo qui vocavit vos in gratiam Christi, [i] transferri in aliud Evangelium:

7 [k] Quod non est aliud: sed nonnulli vos turbant, & volunt [l] invertere Evangelium Christi.

[a] B. Salutatio paucis cõplectẽs Apostolicæ doctrinæ summam, ac præterea etiam statim ab initio præferens Apostolicæ auctoritatis gravitatẽ, adversus pseudoapostolos mox asserendæ.

[b] Designat auctorem ministerii in genere: hoc enim est cõmune omnib. ministris.

[c] Instrumentalẽ attingit causam: hæc enim est peculiaris Apostolorum prærogativa, quod à Christo vocati sint immediatè.

[1] Tit. 1.3.

[d] Christus quidem homo est, sed etiam Deus & Ecclesiæ Caput, eo nomine ex hominum numero eximendus. [e] B. Veri Evangelii summa est, Christum sua unius oblatione nos ex mundo selectos servari, ex Dei Patris gratuita ordinatione. [1] *Luc.* 1.74. [f] Ex depravatissima illa conditione extra Christum. [g] In infinitum spatium. Hebr. [h] B. Prima pars epistolæ, qua se Apostolum esse testatur nihilo selectis illis Christi discipulis inferiorẽ, & prorsus cum eis consentientẽ, quorum nominibus pseudoapostoli abutebantur. Inchoat autem ab objurgatione, arguens eos levitatis, quòd tam citò aures iis præbuerint qui ipsos ad novum Evangelium traducebant. [i] Utitur voce passiva, ut culpã in pseudoapostolos rejiciat: & tempore præsenti, ut indicet ab illis rem nondum confectam, sed eos in actu esse. [k] B. Tempestivè monet ut meminerint non esse multiplex Evangelium, ac proinde quicquid prætexant isti pseudoapostoli, qui Legem, Mosen, patres in ore habebant, totidem hæc esse veri Evangelii corruptelas, & seipsum, atq; adeò Angelos etiã ipsos (nedum ipsos pseudoapostolos) execrabiles esse oportere, si vel tantillum velint in Evangelio quod ipsis anteà tradiderat, innovare. [l] Nihil enim magis est contrarium fidei, sive gratuitæ justificationi, quàm ex Lege seu ex meritis justificatio.

8 Sed etiam si nos, aut Angelus è cælo evangelizet vobis præter *id* quod vobis evangelizavimus, [m] anathema esto.

9 Ut antè diximus, etiam nunc iterum dico, Siquis vobis evangelizaverit præter *id* quod accepistis, anathema esto.

10 [n] Nunc enim *utrum* [o] humana an divina suadeo, aut quæro hominibus placere? Enimverò si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

11 [p] Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium illud quod est à me evangelizatum, non esse secundùm hominem.

12 Neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed *illud* [q] retegente *mihi* Jesu Christo.

13 [r] [r] Audistis enim quomodo versatus sim olim in Judaismo, me *videlicet* summè persequutum esse Ecclesiam Dei, & eam vastasse:

14 Et profecisse in Judaismo super multos æquales meos in genere meo, quum vehementior æmulator essem traditionum [s] quas à patribus meis acceperam.

15 Quando verò placuit Deo, qui [t] separaverat me ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam,

16 Retegere Filium suum [u] in me, [x] ut evangelizarem ipsum inter Gentes, [x] non statim præterea [y] contuli [z] cum carne & sanguine.

17 Neque redii Hierosolymam ad eos qui ante me *fuerunt* Apostoli: sed abii in Arabiam, ac denuò reversus sum Damascum.

18 Deinde tribus post annis redii Hierosolymam, ut viserem Petrum: & permansi apud eum dies quindecim.

19 Alium autem ex Apostolis non vidi quemquam nisi Jacobum fratrem Domini.

20 In iis porrò quæ scribo vobis, ecce ([a] coram Deo *loquor*) non mentior.

21 Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ.

22 Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ quæ *erant* in Christo.

23 Sed solùm audierant *qui dicerent*, Qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat [b] fidem quam olim vastabat:

24 Et glorificabant Deum de me.

8 Etiamsi autem nos aut Angelus è cælo evangelizaverit vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, sit anathema.

9 Quemadmodum antè dixi, & nunc rursus dico, quòd siquis evangelizet vobis præterquam quod accepistis, sit anathema.

10 Nunc enim filiisne hominis suadeo, an Deo? an filiis hominis quæro ut placeam? Si enim hactenus filiis hominis placuissem, servus Christi nequaquam fuissem.

11 Notum autem vobis facio, fratres mei, quòd prædicatio quæ prædicata fuit à me, non fuit à filio hominis.

12 Neque enim à filio hominis accepi illam & didici illam, sed per revelationem Jeschua Christi.

13 Audistis enim conversationes meas quæ fuerunt antè in Judaismo, quòd summè persequebar Ecclesiam Dei, & destruebam eam:

14 Et excellentior eram multò in Judaismo quàm plurimi [5] coætanei mei qui erant in genere meo, & excellentiùs æmulator eram doctrinæ patrum meorum.

15 Quum autè voluit is qui segregavit me ab utero matris meę, & vocavit me per gratiā suam,

16 Ut revelaret Filium suum [6] per me, quem prædicarem in Gentibus, eadem hora non revelavi [7] carni & sanguini.

17 Neque profectus sum ad Urischelem ad Apostolos qui erant ante me, sed profectus sum in Arabiam, & rursus reversus Damascum.

18 Et post tres annos profectus sum ad Urischelem ut viderem Kipham: & mansi apud eum dies quindecim.

19 Alium autem ex Apostolis non vidi, nisi Jaakub fratrem Domini nostri.

20 Hæc autem quæ scribo vobis, ecce, coram Deo quòd non mentior.

21 Et posthęc veni in regiones Syriæ & Ciliciæ.

22 Neq; agnoscebant me [8] juxta faciem Ecclesiæ quæ erant in Judæa, quæ erāt in Christo.

23 Sed hoc tantùm audiverant, quòd is qui antè persequebatur nos, nunc ecce prædicat fidem illam quam priore tempore subvertebat:

24 Et glorificabant in me Deum.

[m] Vide Rom. 9.3.
[n] B. Confirmatio tum à natura ipsius doctrinæ sumta, tum ab ea ratione quam erat in docendo sequutus. Nec enim, inquit, vel ea docui quæ hominibus arriderent, ut isti qui in rebus externis & operibus Legis, salutis partem constituunt: neque cujusquam gratiam captavi: ac proinde cælestem esse doctrinam quam vobis tradidi res ipsa clamat.
[o] Pseudoapostolos perstringit, qui homines semper in ore habebant, ille etsi nihil derogare vellet apostolis, se tamen Deum suadere non homines.
[p] B. Secundum argumentū prorsus divinam esse suam doctrinam, utpote quam è cælis, ex ipso Jesu Christo, absq; hominum adminiculo, hauserit: qua in re vel illis ipsis sit quodammodo superior, quos Christus, hominum more in terris erudiit.
[q] 1. Cor. 15. 1.
[q] Hic locus de patefactione extraordinaria intelligendus est. Nam alioqui solus filius Evangelium suum patefecit per Spiritum suum sed hominum ministerio, quod excludit Paulus. [r] Act. 9. 1. [r] B. Probat se à Christo ipso extra ordinem fuisse edoctum, ex anteactæ suæ vitæ historia, satis vel ipsis Galatis perspecta. Nam, inquit, in qua schola fuerim à puero institutus notum est, nempe apud capitales Evangelii hostes. Et, nequis calumnietur me nomine non re discipulum Pharisæorum fuisse, nemo nescit me in Pharisaismo etiam excelluisse, & repentè Apostolum Gentium ex Pharisæo factum, adeò ut nullum spatium intercesserit, quo potuerim ab hominibus institui. [s] Paternas vocat traditiones, quia non solum ipse Pharisæus erat, sed etiam Pharisæo patre natus. [t] Loquitur de æterna Dei prædestinatione ad Apostolatum: cujus tres constituit gradus, consilium Dei æternum, designationem ab utero, & vocationem: nullam autem prævisorum operum facit mentionem. [u] Mihi, hæc tamen phrasis Hebræis familiaris indicat gratiam cælitùs illapsam. [x] Ephes. 3. 8. [x] B. Quoniam objici poterat, fuisse quidem ipsum in via vocatum à Christo, sed posteà ab Apostolis aliis eruditum, quorum (ut antè dixi) nominibus ad destruendum ipsius Apostolatum pseudoapostoli abutebantur, quasi aliud traderet quàm veri Apostoli, nec esset ipse ex eorū numero, quibus sine exceptione credendum esset: idcircò respondet Paulus se statim à vocatione cœpisse Damasci & in Arabia evangelizare, nec ab eo tempore Hierosolymi, nisi quindecim diebus fuisse, ubi dumtaxat Petrum & Jacobum viderit. inde verò cœpisse in Syria & Cilicia docere, approbantibus Judæis Ecclesiis quibus ex fama tantùm notus esset, nedum ut ibi fuerit ab hominibus institutus. [y] Communicavi. [z] Cum quoquam mortalium. [a] Jurisjurandi formula. [b] Doctrinam fidei.

[5] Ad verb. Filii annorum meorum. Hebraismus.
[6] F. vel in me: quod quidem haud scio an huic loco meliùs respondeat.
[7] i. Ulli hominū. Hebraismus.
[8] Vel de facie, ut Latini loquuntur.

CAPUT II.

1 *Nihil à suo Evangelio diversum sensisse Apostolos,* 3 *incircumcisi Titi exemplo ostendit,* 11 *& quod asseruerit illud adversus Petri simulationem.* 17 *Inde transitum facit ad causæ tractationem, gratuitò nos justificari per Christum.*

DEinde [a] interjectis annis quatuordecim, rursum ascendi Hierosolymam unà cum Barnaba, assumto simul & Tito.

2 Ascendi autem ex revelatione, & exposui eis Evangelium quod prædico inter Gentes: sed privatim iis qui sunt in pretio, nequo modo [b] frustrà currerem aut cucurrissem.

RUrsus autem post quatuordecim annos ascendi ad Urischelem cum Bar-Nabba, & assumsi mecum Titum.

2 Ascendi autem per revelationem, & exposui eis Evangelium quod prędico in Gentibus: & ostendi ipsum illis qui reputabantur aliquid esse [1] inter me & eos, [2] ne frustrà cucurrissem aut currerem.

[a] B. Jam ostendit quàm sibi cū Apostolis conveniat, quibuscū se fatetur de Evangelio quod inter Gentes docuerat, decimoquarto demùm à sua cōversione anno cōtulisse, quod quidem ita sit illis probatum, ut neq; coēgerint Titum suū comitē circumcidi, frustrà ringētibus qui ipsum insidiosè observabant: ne qui vel tantillum ad eā doctrinā quā prædicarat adjecerint, imo etiā datis dextris ipsum & Barnabā ut Apostolos à Domino Gentibus destinatos agnoverint. [b] Nullo cum fructu: nam quantum ad doctrinā, de ea nihil dubitavit Paulus: sed quia spargebatur illum à reliquis Apostolis dissentire, quod cursum Evangelii impedire potuisset, huic incommodo mederi studuit.

[1] i. Privatim, ut Matth. 18. 15.
[2] Particula, [illegible] apud Syros idem significat quod [illegible] id est, Ne.

3 F. Syr. Aramæus: vide in Act. 20.21.

4 Ad verb. Cura non est mihi.
5 F. vel pro circumcisione.
6 F. nimirum fratres qui Antiochiæ erant.
7 Ad verb. A juxta Jaakubum, i. A Jerusalem, ubi Jacobus manebat. Hebraicè diceretur מאת, vel מעם, vel מאצל יעקוב.
8 F. vel hypocritas agebant, simulabant: nã hoc quoque designatur Syro verbo. Alioqui dicendum fuerit Syrum interpretẽ legisse συνυπεκρίθησαν, mutatione paucula.
9 i. Ad excusandum & defendendum eos. F. aut etiam ex Græco, in eamdem hypocrysin acceptionemq; personarum qua utebantur illi.
10 Ad verb. In oculo omnium illorum.
11 F. Syr. Aramicè: vide in Act. 20.21.
12 i. Prophani & à Deo abalienati, ut Gentiles erant.
13 Videtur in Pauli ratione juxta mentem paraphrastis, subintelligenda esse alia pars argumenti, videlicet, Quanto magis gentibus quæ natura alienæ sunt à Deo, convenit ut sola fide in Christum justificentur, & non per opera Legis, quæ ne nos quidẽ Judæos justificare possunt?

3 Etiam Titus qui mecum erat, qui [3] Gentilis erat, non fuit coactus ut circumcideretur.
4 Propter fratres autem falsos qui ingressi sunt ad nos, ut explorarent libertatem quæ est nobis in Jeschua Christo, quo in servitutem adigerent me.
5 Ne minuto quidem horæ abjecimus nos ut servituti eorum subjiceremur, ut veritas Evangelii maneret apud vos.
6 Illi autem qui reputabantur quòd essent aliquid (quid verò fuerint [4] mea non refert. Deus enim faciem filiorum hominis nõ accipit) illi inquam ipsi nihil quicquam addiderunt mihi.
7 Sed è contrario; viderunt enim quòd concreditum esset mihi Evangelium præputii, sicut concreditum erat Kiphæ [5] in circumcisione.
8 (Ille enim qui efficax fuit erga Kipham in Apostolatu circumcisionis, efficax fuit etiam erga me in Apostolatu Gentium.)
9 Et quum cognovissent gratiam quæ data est mihi Jaakub & Kipha & Juchannan, ipsi qui reputabantur quòd essent columnæ, dextram societatis dederunt mihi & Barnabbæ, ut nos in Gentibus, & ipsi in circumcisione *Apostolatu fungerentur*.
10 Tantummodo ut pauperum essemus memores: & solicitudo incubuit mihi ut illud ipsum facerem.
11 Quum venisset autem Kipha Antiochiam, in faciem ejus redargui eum, propterea quòd [6] offenderentur in eo.
12 Nam priusquam venirent quidam [7] à Jaakub, cum Gentibus comedebat: quum autem venissent, subducebat seipsum, & separabat, quia timebat ab illis qui erant ex circumcisione,
13 Et [8] sese projecerant cum eo hac in re etiam cæteri Judæi: adeò ut etiam Bar-Nabba adduceretur [9] ad accipiendum faciem eorum.
14 Quumq; vidissem quòd non ambularent rectè in veritate Evangelii dixi Kiphæ [10] coram omnibus illis, Si tu Judæus existens, [11] gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo cogis Gentes ut Judaicè vivant?
15 Si enim nos qui natura nostra Judæi sumus, & non ex Gentibus [12] peccatores,
16 (Propterea quòd novimus quòd non justificatur filius hominis ex operibus Legis, sed per fidem Jeschua Christi) etiam nos in ipsum Jeschua Christum credimus quòd ex fide Christi justificabimur, & non ex operibus Legis: quia ex operibus Legis non justificatur ulla [13] caro.
17 Et si autem dum quærimus ut justificemur per Christũ, reperimur etiam nos peccatores, ergo Jeschua Christus minister est peccati? Absit.
18 Si enim quæ destruxi, eadem rursus ædifico, ostendo de meipso, quòd transgressor mandati sim.
19 Ego enim per Legem, Legi mortuus sum, ut Deo vivam.

3 Sed neque Titus qui mecum erat, quamvis esset Græcus, coactus fuit circumcidi:
4 Nempe propter [c] irreptitios falsos fratres qui irrepserant ad explorandum libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem adigerent.
5 Quibus ne ad momentum quidem *nos* [d] subjiciendo cessimus: ut [e] veritas Evangelii permaneret [f] apud vos:
6 Ab iis autem qui existimãtur esse aliquid, quales olim fuerint, nihil mea refert: [g] personam hominis Deus non accipit. Nam qui sunt in pretio, [g] nihil mecum præterea contulerunt.
7 Imò è contrario, quum vidissent mihi cõcreditum fuisse Evangelium [h] præputii, sicut Petro circumcisionis:
8 (Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuerat etiam per me apud Gentes)
9 Quumq; cognovissent gratiam mihi datam Jacobus & Cephas & Johannes, [i] qui existimantur esse columnæ, [k] dextras societatis dederunt mihi ac Barnabæ: ut nos apud Gentes, ipsi verò apud circumcisos, *Apostolatu fungeremur*.
10 Solùm *monuerunt* ut pauperum meminissemus: quod & ipsum studui facere.
11 Quum autem venisset Petrus Antiochiam, [l] in os ei restiti, eo quòd condemnandus esset.
12 [m] Nam antequam venissent quidam à Jacobo, unà cum Gentibus edebat: quum autem venissent, subduxit sese ac separavit ab eis, metuens eos qui erant ex circumcisione.
13 Ac simulabant unà cum eo reliqui etiam Judæi: adeò ut Barnabas quoque simul [n] abriperetur eorum simulatione.
14 Sed quum vidissem eos [o] non recto pede incedere, ut [p] veritati Evangelii congruebat, dixi Petro coram omnibus, Si tu, quum sis Judæus, Gentiliter vivis, ac non Judaicè, cur Gentes [q] cogis judaizare?
15 [r] Nos natura [s] Judæi, & non ex Gentibus [t] peccatores:
16 Scientes non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem [u] Jesu Christi: etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quòd non justificabitur ex operibus Legis [x] ulla caro.
17 [y] [z] Quòd si, dum quærimus justificari per Christum, reperimur & ipsi [z] peccatores, num Christus peccati minister est? Absit.
18 Nam si quæ destruxi, ea rursus ædifico, transgressorem meipsum constituo.
19 Ego enim per Legem [a] Legi mortuus sum, ut Deo viverem.

c Qui per fraudem & pietatis simulationem in fidelium album irrepserant.
d Ut nos illis, prodita libertate, subjiceremus.
e Vera ac syncera evãgelii doctrina, nullis istorum falsis doctrinis corrupta.
f Galatarum nomine omnes gentes intelligit.
g Deut.10.17. 2.Chron.19.7. Job.34.19. Sap.6.7. Eccles.35.16. Act.10.34. Rom.2.11. Ephes.6.9. Coloss.3.25. 1.Petr.1.17.
g Nihil novi mihi adjecerunt.
h Inter Gentes, ut Petro inter Judæos.
i Quos solos isti pro columnis habent Ecclesiæ, quorum nomine ad vos decipiendos abutuntur.
k Porrexerunt manum quod symbolum esset nostræ in Evangelii doctrina summæ consensionis.
l Corã omnibus.
m 2. Alia vehementissima sui Apostolatus, atq; adeo ejus quam tradiderat doctrinæ de gratuita per unam fidem justificatione probatio, quòd ob hoc ipsum palàm Antiochiæ Petrum reprehenderit in eo peccantem quod in Judæorum quorumdam Hierosolymitanorum gratiam Judaizans, Gentes quæ crediderãt, offendisset.
n Exemplo potiùs quã judicio.
o Rectum pedem opponit simulationi præposteræ.

p Veritatem Evangelicam vocat, tum ipsam doctrinam, tum doctrinæ usurpationem, quæ vulgò practica dicitur. q Cogi eos dicit, qui exemplo Petri Judaizabant. r a. Secunda pars hujus epistolæ, cujus status est, Nos fide in Jesum Christum absque operibus Legis justificari. quod quidem sic proponit, ut primùm occurrat objectioni (sum enim, inquit, & ego Judæus, nequis possit objicere me esse Legis hostem) deinde verò id confirmet expresso Davidis testimonio. s Etiamsi Judæi simus, tamen ex fide justificationem docemus, quia nimirum satis intelligimus, ex Lege neminem posse justificari. t Sic vocabantur à Judæis Gentes, quòd alieni essent à Dei fœdere. u In Jesum Christum. x Ullus homo, in nomine autem carnis magna est emphasis, qua significatur hominis natura prorsus corrupta. y Roman.3.19. z 3. Antequam longius progrediatur, occurrit eorum objectioni qui ab hac gratuita per fidem justificationis doctrina eo nomine abhorrent, quod sic dicant homines à bonorum operum studio abduci. Objectio autem est hujusmodi, Si peccatores justificarentur fide per Christum absque Lege, Christus peccantes approbaret, atque adeò suo ministerio velut ad peccandum hortaretur. Respondet Paulus, hanc consequutionem falsissimam esse, quoniam Christus in credentibus peccatum destruit. Ita enim, inquit, Legis terroribus homines ad Christum confugiunt, per quem à Legis maledictione soluti & justificati servantur, ut simul Christus vim illam suam peccati peremtricem insinuet, ut, vetere homine per crucifixi Christi efficaciam abolito, Christus in ipsis vivat, & ipsi sese Deo consecrent. Itaque siquis accepto Evangelio sese peccatis dedat, accuset non Christum, non Evangelium, sed seipsum, ut qui opus Dei malè destruat. z A justificatione descendit ad sanctificationem alterum beneficium Christi apprehensi. a Lex terrens conscientiam ad Christum adducit, qui unus efficit ut verè moriamur Legi: nos quoniam justificando tollit conscientiæ terrores, & nos sanctificando facit, ut concupiscentia in nobis mortificata, non ita possit accipere occasionem peccandi ex Legis prohibitione, ut antea faciebat, Roman.7.10, & 11.

b Qui olim fui.
c In hoc mortali corpore.
d B. Secundum argumentum ab absurdo, Si Lege justificari possunt homines, ergo Christum necesse non fuit mori.
e Quia nulla causa esset cur id faceret.

20 Unà cum Christo crucifixus sum. Vivo autem, non amplius [b] ego: sed vivit in me Christus: & vitam quam nunc vivo [c] in carne, vivo per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

21 [d] Irritam non facio gratiam Dei. nam si per Legem est justitia, igitur Christus [e] sine causa mortuus est.

20 Et cum Christo crucifixus sum. & deinceps nequaquam ego vivo, sed vivit in me Christus: & hoc quod jam vivo in carne, per fidem filii Dei vivo, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

21 Non rejicio gratiam Dei: [14] si enim per Legem est justitia, Christus frustrà mortuus est.

14 Ad verbum, Per manum Legis, i. Opera & ministerio Legis.

CAPUT III.

1 Exprobrat quòd se abduci passi sint ab expressa illis ad vivum in Christo justificationis gratia. 6 Abrahæ exemplum adducit, 10 officium, 21 & causas latæ Legis exponens.

a B. Tertium argumentum ab iis Spiritus sancti donis sumtum quibus audito & credito per Pauli ministerium Evangelio cælitùs fuerant donati, quæ quum essent omnium oculis sic exposita, ut veluti vivæ essent imagines quibus Evangelicæ doctrinæ veritatem non aliter intueri possent, quàm si oculis suis Christum ipsum crucifixum spectarent, in cujus unius morte confiderent, miratur fieri potuisse ut à pseudoapostolis dementarentur.
b Quibus ita egregiè ac perspicuè fuit propositus Christus, ut quasi vestris oculis repræsentata fuerit viva ipsius imago, acsi apud vosipsos esset crucifixus.
c Spirituales illas gratias, quibus obsignata erat in Galatas Evangelii prædicatio.
d Doctrina fidei.
e B. Quartum argumentum superiori insertum, & id quidem duplex: si fidei adjicienda est Lex, hoc non erit progredi sed regredi, quum excellentiora sint dona illa spiritualia in vos collata, quàm quæcunque possunt à vobis proficisci. Deinde consequeretur, Legem præstantiorem esse Christo, quia perficeret quod Christus dumtaxat inchoaret. f Carnis nomine ceremonias Legis intelligit, quibus opponit Spiritum, i. spiritualem Evangelii efficaciam. g B. Adhortatio per modum exprobrationis, ne tot certamina frustra subierint. h B. Tertium illud argumentum ab effectis sumtum repetit, quoniam quædam alia inseruerat. i B. Quintum argumentum maximi ponderis, cujus triplex est antecedens. Primum, Abrahamum justificatum esse fide, justitia videlicet secundùm promissionem fide apprehensam gratis ei imputata: quod expresè testatur Moses. [k] *Gen. 15.6. Rom. 4.3. Jac. 2.23.* k Vide Rom. 4. l B. Alterum, Ex fide æstimandos esse filios Abrahæ. m B. Tertium antecedens, omnes sine exceptione populos credentes comprehendi in benedictionis promissione. [l] *Gen. 12.3. Eccles. 44.20. Act. 3.25.* n B. Probatio secundi & tertii antecedentis, ex verbis Mosis. o Benedictio hoc loco significat gratuitam ex fide promissionem. p B. Conclusio quinti argumenti, Ergo sicut Abrahamus fide est benedictus, ità & ejus filii (i. omnes etiam ex Gentibus credentes) benedicuntur, i. gratis justificantur. q B. Sextum argumentum, cujus etiam conclusio est in præcedente versiculo à repugnantibus, Maledicuntur qui sunt ex operibus Legis, i. qui ex præstatione Legis æstimant justitiam: Ergo benedictio eorum est qui sunt ex fide, i. qui ex fide justitiam habent. r B. Probatio antecedentis, cujus syllogismi propositio est, Maledictus est quisquis non implet totam Legem. [t] *Deut. 27.26.* s B. Assumtio cum conclusione, Nemo autem Legem implet: Nemo igitur Lege justificatur, sive, Omnes maledicuntur qui ex operibus Legis justitiam quærunt. Additur autem simul ipsius assumtionis probatio ejusmodi, Justitia & vita tribuitur fidei, Nemo igitur Legem implet. [t] *Abac. 2.4. Rom. 1.17. Heb. 10.38.* t Particula ex hoc loco non materiam, sed instrumentum significat. [l] *Lev. 18.5.* u B. Ratio superioris consequutionis ostenditur: quia Lex vitam promittit omnibus qui ipsam præstant, ac proinde si præstaretur, justificaret, & vivificaret. Scriptura autem fidei justitiam ac vitam tribuens, Legi adimit, quum illa quidem ex imputatione justificet, ista verò ex operis præstatione. x B. Occupatio, Quomodo igitur possunt benedici, quos Lex pronunciat exsecrandos? Quoniam Christus sustinuit maledictionem à Lege inflictam, ut nos eam effugeremus. y B. Probatio responsionis, ex Mosis testimonio. [l] *Deuteronom. 21.23.* z Sic Latini abire in malam crucem jubent, quibus exitium imprecantur summo cum dedecore conjunctum: factus est autem pro nobis exsecratio, qui nobis debitam maledictionem sustinuit, ut nos suæ justitiæ redderet participes. a B. Conclusio omnium superiorum, de quibus in quinti & sexti argumenti tractatione disseruit, nempe & gentes fieri in Christo gratuitæ benedictionis Abrahami participes, & Judæos etiam ipsos quibus se accenset Apostolus, non nisi per fidem consequi promissam illam Evangelii gratiam, quam Spiritum vocat. Distinctè verò Apostolus & his & illis conclusionem applicat, aditum sibi parans ad sequens argumentum, in quo explicat non aliter quàm fide in Christum posse coalescere semen illud unicum Abrahæ ex omnibus populis conflatum.

AMentes [a] Galatæ, quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati: quibus [b] ob oculos Jesus Christus priùs fuerat depictus, inter vos crucifixus?

2 Hoc solùm velim discere ex vobis, Ex operibus Legis [c] Spiritum accepistis, an ex [d] fide per auditum percepta?

3 [e] Adeò amentes estis? quum spiritu inceperitis, nunc [f] carne perficimini?

4 [g] Tam multa passi estis frustrà? si modò etiam frustrà.

5 [h] Qui igitur subministrat vobis Spiritum, & efficit virtutes in vobis ex operibus Legis, an ex fide per auditum percepta *subministrat*?

6 [i] Sicut [k] Abrahamus credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam.

7 [l] *Ita* nostis, nempe eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahami.

8 [m] Quum providisset autem Scriptura Deum ex fide justificaturum Gentes, *id* ante evangelizavit Abrahamo, [n] [o] Benedicentur, *inquiens*, in te omnes Gentes.

9 [p] Itaq; qui ex fide *sunt*, benedicuntur cum fideli illo Abrahamo.

10 [q] Nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub exsecratione sunt. [r] Scriptum est enim, Exsecrabilis *est* quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.

11 [s] Nullum autem per Legem justificari apud Deum, manifestum *est*: quoniam [t] justus ex fide vivet.

12 [u] Lex autem non est ex fide: sed [l] Quisquis ea fecerit, [u] vivet per ea.

13 [x] *At* Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio: [y] scriptum est enim, [l] [z] Exsecrabilis *est* quisquis pendet in ligno.

14 [a] Ut in Gentibus benedictio Abrahæ exstet in Christo Jesu, & ut promissum illum Spiritum

O Destituti mente Galatæ, quis fascinavit vos? Nam ecce quasi [1] figurando figuratus erat ante oculos vestros Jeschua Christus crucifixus.

2 Hoc solùm cupio ut cognoscam à vobis, Ex operibus Legis accepistis Spiritum, an ex auditu fidei?

3 Ita stulti estis, qui incepistis spiritu, [2] & nunc carne perficitis?

4 Et hæc omnia frustrà sustinuistis? utinam autem frustrà.

5 Is igitur qui dedit vobis Spiritum, & operatus est in vobis virtutes, ex operibus Legis, an ex auditu fidei *id egit*?

6 Quemadmodum credidit Abraham Deo, & [3] imputata est ei ad justitiam.

7 Cognoscite igitur quòd illi qui ex fide sunt, illi sunt filii Abrahæ.

8 Nam quia præcognovit Deus quòd per fidem justificantur Gentes, priùs evangelizavit Abrahæ: sicut dicit Scriptura sancta, In te benedicentur omnes Gentes.

9 Itaque fideles benedicuntur in Abrahamo fideli.

10 Nam illi qui ex operibus sunt Legis, sub maledictione sunt. scriptum namque est, Maledictus est quisquis non fecerit omnia quæ scripta sunt in Lege hac.

11 Quòd autem non justificetur quisquam per Legem apud Deum, hoc palàm est, eo quòd scriptum est, Justus per fidem vivet.

12 Lex autē nequaquam est ex fide: sed is qui fecerit ea quæ scripta sunt in illa, vivet in ipsis.

13 Nos autem Christus redemit à maledictione Legis: & ipse est factus pro nobis maledictio. scriptum est enim, Maledictus est quisquis suspenditur in ligno:

14 Ut in Gētibus esset benedictio Abrahæ per Jeschua Christum: ut nos acciperemus promis-

1 i. Expressè repræsentatus. Hebraismus.
2 F. vel ut nunc carne perficiatis?
3 F. nimirùm fides, ex antecedente versu. alioquin possis vertere, imputatum est.

sionem Spiritus per fidem.
15 Fratres mei, ut qui inter filios hominis *lo-
quuntur*, loquor. [4] Pactio filii hominis, quòd con-
firmata est, nullus rejicit, aut mutat in eo quic-
quam.
16 Abrahæ autem [5] promissa est promissio
& semini ejus. Neque dicit ei, Seminibus tuis,
tamquam multis: sed semini tuo, tamquam uni,
qui est Christus.
17 Hoc autem dico, quòd pactionem quæ
antè confirmata fuit à Deo in Christo, Lex quæ
fuit post quadringentos & triginta annos, nō po-
test rejicere, & irritam facere promissionem.
18 Si verò ex Lege esset hæreditas, igitur non
esset ex promissione: Abrahæ verò per promissi-
onem eam tradidit Deus.
19 Quid igitur Lex? Propter transgressionem
addita fuit, donec veniret semen illud cui facta
est promissio, & data est Lex [6] per manum Ange-
lorum, per manum mediatoris.
20 Mediator autem non est unius: Deus ve-
rò unus est.
21 Lex igitur contraria est promissioni Dei?
Absit. si enim data fuisset Lex quæ posset vivifica-
re, verè ex Lege fuisset justitia.
22 Sed comprehendit Scriptura omnia sub
peccatum, ut promissio per fidem Jeschua Chri-
sti daretur illis qui credunt.
23 Priusquam autem venisset fides, Lex cu-
stodiebat nos comprehensos ad illam fidem quæ
erat revelanda.
24 Lex igitur pædagogus fuit nobis ad Chri-
stum ut ex fide justificaremur.
25 Quum venit autem fides, non sumus sub
pædagogo.
26 [7] Omnes enim vos filii estis Dei per fidem
Jeschua Christi.
27 Qui enim in Christo baptizati estis, Chri-
stum induistis.
28 Non est Judæus, neque [8] Gentilis: non est
servus, [9] neque præditus libertate: non est mas-
culus, neque fœmina: omnes enim vos unum e-
stis in Jeschua Christo.
29 Et si Christi estis, ergo semen estis Abra-
hæ, & hæredes per promissionem.

[4] ד. vel pactionē filii hominis quæ confirmata est, &c. aut etiam testamentum.
[5] Id est, Edita. Hebraismus.
[6] ד. vel in manu Angelorum, vide quæ in Act. 7. in Parallelis sacris adnotavimus.
[7] In Syriaca voce hac, significante Omnes vos, prima litera typographi incuria omissa fuit: posuit enim ולכון pro כולכון.
[8] ד. Syrè, Aramæus: ut anteà sæpè.
[9] Ad verb. Filius libertatum. Hebraismus.

acciperemus per fidem.
15 [b] Fratres, [c] humano more loquor, Pactio-
nem [d] ratam factam, humanam licet, nullus ab-
rogat, aut *aliquid ei* superaddit.
16 Abrahamo verò dictæ sunt promissiones,
& semini ejus. Non dicit, Et seminibus, ut de
multis: sed ut de uno, Et semini tuo [e] qui est
[f] Christus.
17 [g] Hoc autem dico, pactionem priorem ra-
tam factam à Deo [h] respicientem in Christum,
Lex [i] quæ post annos quadringentos & triginta
cœpit, non facit irritam, ut vanam reddat pro-
missionem.
18 [k] Nam si ex Lege est [l] hæreditas, non jam
est ex promissione: Abrahamo verò per promis-
sionem gratificatus est Deus *hæreditatem*.
19 [m] Quid igitur Lex? [n] transgressionum gra-
tia addita est, [o] usquequò venisset semen illud
cui facta est promissio: [p] *Lex inquam*, [q] ordina-
ta per [r] Angelos, per manum internuncii.
20 Internuncius autem, unius non est: [f] Deus
verò unus est.
21 [t] *Num* igitur Lex *addita est* adversus promis-
siones Dei? Absit. nam si data fuisset Lex quę pos-
set vivificare, verè ex Lege esset justitia.
22 Sed [u] conclusit illa [u] Scriptura [x] omnia
sub peccatum, ut [y] promissio ex fide Jesu Christi
daretur credentibus.
23 [z] Antequàm autem venisset fides, sub Le-
gis præsidio tenebamur, conclusi [a] in eam fidem
quæ erat retegenda.
24 Itaque Lex pędagogus noster fuit in Chri-
stum *respiciens*, ut ex fide justificaremur.
25 At postquam venit fides, non ampliùs sub
pędagogo sumus.
26 [b] Omnes enim, filii Dei estis, per fidem in
Christo Jesu.
27 [c] Nam quicumque in Christum [d] bapti-
zati fuistis, [e] Christo fuistis induti.
28 Non est Judæus neq; Græcus, non est ser-
vus neque liber, non est masculus ac fœmina.
omnes enim vos [f] unus estis in Christo Jesu.
29 Quòd si vos *estis* Christi, nempè Abraha-
mi semen estis, & secundùm promissionem hæ-
redes.

[b] ב. Sequenti argumento, quod septimum est ordine, duo axiomata præponit: unum, Ritè pacta & conventa inter homines, rescindere non licere, nec quicquam eis adjicere: alterum, sic pactum esse Deum cum Abrahamo, ut ejus sobolem quæ ex Judæis & ex Gentibus composita est (sicut ex præcedentibus apparet) in unum corpus colligeret, ut qui non dicat se Deum fore Abrahæ & seminibus ejus (quòd tamen dicendum esset, si plura haberet diversa semina, nempè Gentes seorsim, & seorsim Judæos) sed se Deum fore Abrahæ & ipsius semini, quasi uni. [c] Utar exemplo quod sumam ex medio & promiscuo hominum usu, ut nos pudeat minùs tribuere Dei quàm hominum pactis. [d] Quod vulgò dicunt authenticam. [e] ב. Proponit septimi argumenti summam, nempè in uno Christo tum Gentes tum Judæos, in unum seminis Abrahæ corpus coalescere, ut omnes sint unus Christus: sicut infrà explicatur versu 28. [f] Non agit Paulus de Christi persona, sed de duobus populis qui in unum, nimirùm Christum, coalescebant. [g] ב. Argumentum octavum à comparatis. Si authenticum hominis pactum firmum manet, multò magis Dei pactum. Ergò Lex non fuit lata, ut abrogaret promissionem cum Abrahamo sancitam, quæ in Christum respiciebat, id est, cujus exitus à Christo pendebat. [h] Quæ ferebat in Christum. [i] ב. Amplificatio argumenti, Promissionem illam præterquàm quòd per se firmissima est, longissimi etiam temporis præscriptione, nempè 430. annorum, fuisse confirmatam, ut infringi nullo pacto potuerit. [k] ב. Objectio, Fatemur promissionem non abrogari Legis pacto, ideóque Legem cum promissione conjungimus. Imò, inquit Apostolus, stare hæc duo simul non possunt, nempè ut hæreditas ex Lege simul & promissione detur, quum promissio sit gratuita: ex quo consequitur, Legem non esse datam justificandi causa, quoniam ita infringeretur promissio. [l] Hæreditatis nomine significatur jus seminis, ut Deus sit Deus noster, id est, ex pacti formula cum Abrahamo fideli, ut & ipsi fideles benedicamur. [m] ב. Objectio ex superiore responso nascens: si non est ex Lege hæreditas, saltem aliqua ex parte: quorsum igitur data jampridem promissione, lata est Lex? Idcirco, inquit Apostolus, ut homines coargueret peccati, ac proindè doceret in Christum respicere, in quo tandem promissio illa omnium populorum simul servandorum impleretur: nedum ut sit lata Lex hominibus justificandis. [n] Ut homines intelligerent patefactis transgressionibus, se sola Dei gratia quam Abrahamo patefecerat servari, idque in Christo. [o] Donec dirutа macerie, surgeret plenum semen illud coagmentatum ex utroque populo, Judæis & Gentibus: seminis enim nomine, non Christus per se, sed cum suo corpore conjunctus intelligendus est. [p] ב. Confirmatio superioris responsionis, ex ipsa ferendę Legis ratione ac forma desumta. Lata enim est, magnum omnibus terrorem incutientibus Angelis, & interveniente Mose internuncio. Internuncio porrò opus non est uni, sed duobus, minimùm, iisque diffidentibus. Lex ipsa igitur & internuncius, testimonia fuerunt iræ Dei, nedum ut hoc modo vellet Deus homines sibi reconciliare, abolita promissione, aut Lege ad promisionem adjecta. [q] Imperata sive edicta. [r] Opera & ministerio. [f] ב. Occupatio, nequis objiciat, interdum ex contrahentium voluntate aliquid adjici pactis. aut priora etiam pacta rescindi. Hoc, inquit Apostolus, in Deum non cadit, qui semper unus est, id est, idem ac sui similis. [t] ב. Conclusio per interrogationem enunciata, eadem quidem atque illa quæ expressa est suprà ver. 17. sed ex alio antecedente nascens, ut novum sit argumentum ejusmodi, Deus est sui semper similis: Lex igitur non est lata ut promissiones aboleat. Aboleret autem si vivificaret, quia sic justificaret, ac proindè aboleret justificationem illam Abrahæ & semini ejus promissam ex fide. Imò potiùs lata est, ut omnium reatum patefaceret, quò confugientes ad Christum promissum, omnes credentes gratis in eo justificarentur. [u] *Rom.* 3. 9. [u] Legem Scripturæ nomine intelligit. [x] Omnes homines, & quicquid ab homine proficiscitur. [y] In singulis verbis latet enthymema operum merita convellens: nam promissio, fides, Christus, daretur, credentibus, meritis adversantur. [z] ב. Jam subsequitur secundæ partis hujus epistolæ altera tractatio, cujus status est, Etiamsi non justificet Lex (id est tota illa legalis œconomia) an propterea sit abolenda, quum Abrahamus ipse circumcisus fuerit, & ejus posteri Legis Mosaicæ usum retinuerint. Affirmat autem Paulus abolendam fuisse, quoniam idcircò fuit instituta, ut veluti custos & pædagogus esset populi Dei, tantisper dum reipsa appareret promissio, id est, Christus & Evangelium manifestò ac summa cum Spiritus efficacia promulgatum. [a] Causam finalem notat. [b] ב. Quoniam ætas conditionem servorum non mutat, addit nos conditione esse liberos, ac proindè ex pueritia egressis jam non opus esse custodia vel pædagogo. [c] ב. Particula universali usus, ne viderentur saltem Judæi obstringi Legis vinculo, pronunciat Baptismum esse omnibus credentibus communem, quod sit nostræ in Christo liberationis pignus, tum Judæis tum Græcis, ut verè hoc modo omnes sint unus in Christo, id est, semen illud Abrahæ promissum, ac vitæ æternæ hæredes. [d] Tacitè circumcisioni quam jactabant pseudoapostoli opponit Baptismum. [e] Ecclesiam oportet Christo tamquam veste operiri, & sub eo delitescere ut sancta sit prorsus, & irreprehensibilis. [f] Unius instar: sic summa conjunctio significatur.

CAPUT IIII.

1 A tutela Legis emancipatos 4 Christi adventu, qui ejus est finis, 9 absurdum est ad egenas superstitiones relabi. 13 Revocat ergo eos ad puritatem doctrinæ Evangelii; 21 & pulcra allegoria suam disputationem exornat.

HOc [a] autem dico, Quamdiu hæres infans est, nihil differt à servo, quamvis sit dominus omnium:

2 Sed sub tutoribus & curatoribus est [b] usq; ad tempus quod pater præfinierit.

3 Ita & nos, quum essemus infantes, sub [c] elementis mundi eramus in servitutem redacti:

4 [d] At postquam venit [e] plenum tempus, emisit Deus Filium suum factum ex [f] muliere, factum Legi subjectum:

5 Ut eos qui Legi erant subjecti redimeret, [g] ut [g] adoptionem acciperemus.

6 [h] Quoniam autem estis filii, [i] emisit Deus [k] Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, *id est*, Pater.

7 [l] Itaque non ampliùs es servus, sed filius: quod si filius, etiam [m] hæres Dei per Christum.

8 [n] Imò tum quidem ignorantes Deum, serviebatis iis qui natura non sunt dii.

9 At nunc quum cognoscatis Deum, imò potiùs cogniti sitis à Deo, quomodo convertitis *vos* retrorsum ad infirma & [o] egena elementa, quibus [p] ad superiora regressi servire vultis?

10 Dies observatis, & menses, & tempora, & annos.

11 Metuo de vobis, ne frustrà fatigatus sim apud vos.

12 [q] Estote quasi ego: nam & ego *sum* quasi vos: fratres, rogo vos. nihil mihi fecistis injuriæ.

13 Nostis autem me per [r] infirmitatem carnis vobis priùs evangelizâsse:

14 Et [s] explorationem mei quæ *fiebat* in carne mea, non pro nihilo habuistis, neque respuistis: sed me ut Angelum Dei, ut [t] Christum Jesum, excepistis.

15 [u] Quæ igitur erat beatitatis vestræ prædicatio? testimonium enim reddo vobis, vos, si fieri potuisset, oculos vestros effossos daturos mihi fuisse.

16 Itaq; *num* inimicus factus sum vobis dum vobis vera loquor?

17 Ambiunt vos [x] non benè, imò excludere nos volunt, [y] ut se ambiatis.

18 Præclarum est autem [z] vehementer amare, in re bona semper, & non solùm dum præsens sum apud vos.

19 Filioli mei, quos iterum parturio, usquequò formetur Christus in vobis.

20 Velim autem nunc adesse apud vos, & [a] mutare vocem meam: quoniam hæsito in vobis.

DIco autem quòd quanto tempore hæres puer est, non differt à [1] servis, quum Dominus sit omnium:

2 Sed sub tutoribus est & curatoribus usque ad tempus quod constituit pater ejus.

3 Ita etiam nos, quum parvuli essemus, sub elementis mundi in servitutem redacti eramus:

4 Quum autem advenit complementum temporis, misit Deus Filium suum, & factus est ex muliere, & factus est sub Lege:

5 Ut eos qui sub Lege erant redimeret, & reciperemus adoptionem filiorum.

6 Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, qui vocat [2] Abba Patrem nostrum.

7 Itaque non estis servi, sed filii: & si filii, etiam hæredes Dei [3] per Jeschua Christum.

8 Tunc enim quum ignoraretis Deum, serviebatis illis qui natura non erant dii:

9 Nunc autem quum cognoscatis Deum, & potiùs quum [4] cogniti sitis à Deo, denuò conversi estis ad hæc elementa infirma & egena, [5] & ab integro vultis subjici illis.

10 Dies & menses & tempora & annos observatis.

11 Metuo ne frustrà laboraverim erga vos.

12 Estote sicut ego, propterea quòd ego quoque sicut vos factus sum: fratres mei, peto à vobis, nihil deliquistis in me.

13 Nostis autem quòd per infirmitatem carnis meæ evangelizator vester fuerim à principio:

14 Et tentationem carnis meæ non sprevistis neq; repulistis: sed tamquam Angelum Dei suscepistis me, & sicut Jeschua Christum.

15 Ubi igitur beatitas vestra? Testor enim de vobis, quòd si possibile fuisset, oculos vestros effodissetis, & dedissetis mihi.

16 Numquid inimicus factus sum vobis, quod prædicavi vobis veritatem?

17 Zelotypia laborant erga vos, [6] non in re bona, sed [7] includere vos volunt ut vos sitis zelotypia laborantes ergà eos.

18 Bonum est autem ut zelotypia corripiamini in rebus bonis omni tempore, non autem quum sum apud vos solummodò.

19 Filii mei, quos ab integro parturio donec formetur in vobis Christus.

20 Vellem autem esse apud vos jam, & mutarem [8] vocem meam: propterea quòd obstupesco propter vos.

[a] B. Declarat alia duplici similitudine quod de custode ac pædagogo paulò antè dixerat. Legem (id est, totam illam Legalem œconomiam) dicit fuisse instar tutoris sive curatoris ad certum tempus dati tantisper dum finita illa temporaria tutela, juris nostri fieremus, ac tandem ut filii, non ut servi viveremus. Sed & obiter Legale illud regimen velut alphabeti & rudimentorum instar fuisse docet, præ illa Evangelii doctrina.
[b] Hoc additur, quoniam qui est sub perpetua tutela & curatione, vix potest liber censeri.
[c] Lex vocatur elementa, quia illa velut rudimentis, Deus ecclesiam suam erudivit: posteà pleno cornu effudit Spiritum sanctum tempore Evangelii.
[d] B. Multa simul tradit, nempè suo tempore finitam fuisse tutelam ut desinant curiosi homines quærere cur tam diuturna fuerit illa pædagogia: item nos non esse natura filios sed ex adoptione, idq; in illo Dei Filio, qui carnem nostram idcircò induerit, ut fratres ipsius fieremus.
[e] Plenum dicitur tempus, cujus omnia spatia sunt peracta: itaque nec seriùs nec tardiùs venire debuit Christus.
[f] Mulierem, sexus ratione, vocat Mariam, non ut opponitur virgini, fuit enim incorrupta. [g] Roma. 8, 15. [g] Adoptio filiorum est æterna, sed suo tempore exhibetur. [h] B. Ostendit sic nos esse liberos & nostri juris factos, ut interea nos Spiritu Christi gubernari oporteat, qui in cordibus nostris regnans verum Patris cultum nos doceat. Sed hoc non est servire, sed vera potius libertate frui, ut filios & hæredes decet. [i] Ex consequente antecedens colligit. [k] Spiritum sanctum, qui patris est, & Filii Spiritus: peculiari autem ratione dicitur Spiritus Filii, quia per eum obsignatur nostra in illum adoptio. [l] Servus non dicitur hoc loco qui peccato serviat, quod est infidelium, sed qui sub ceremoniis adhuc degit, quod est Judæorum. [m] Particeps bonorum. [n] B. Applicat superiorem doctrinam Galatis peculiari cum reprehensione. Poterant enim Judæi præ illis aliquam excusationem prætexere, ut qui in illo Legali cultu fuerant nati & educati: Galatæ verò quum ex idololatria ad Christianam libertatem asciti fuissent, quo prætextu poterant ad illa rudimenta regredi? [o] Egena & impotentia vocantur elementa in sese, & seorsum à Christo: deinde quòd ea ratione ipsi sese egenos esse in Christo testarentur, quum tamen à Christo ad ceremonias relabi nihil aliud sit quàm relictis opibus, inania sectari. [p] Retrorsum vestigium. [q] B. Temperat quicquid poterat videri acerbiùs dixisse, miro atque adeò planè divino artificio, sic declarans suam in illos benevolentiam, ut necesse fuerit Galatas hæc legentes, vel prorsus esse desperatos, vel cum lacrymis levitatem suam agnoscere ac deprecari. [r] Per varias afflictiones. [s] Has ipsas vexationes quotidianas, quibus Dominus me exploravit inter vos. [t] Mei ministerii causa. [u] Quantus ubiq; rumor erat hominum, vos beatos prædicantium? [x] Nam commodi sui privati causa deperennt. [y] Ut omnem amorem à me in ipsos transferatis. [z] Bonam suam zelotypiam, perversæ pseudoapostolorum opponit. [a] Aliis verbis apud vos uti.

[1] r. alii, servo.
[2] Vide quæ Marci 14. annotavimus in Pater, Pater mi.
[3] Ad verb. Per manum Jeschua Christi, Hebr.
[4] Vel cognitione donati sitis.
[5] Ad verb. Et ab eo quod est caput: proximè ad hanc phrasin accedit Gallica, *Derechef*.
[6] r. Syrè, non est ad bonum, Pleonasmus.
[7] r. vel excludere, nam Syrum verbum est claudere pro anctoritate, sive intus, sive foris.
[8] Ad verb. Filiam vocis meæ. Id est, Orationem & verba mea nutricum more ad vestrum captum accommodarem. De filia vocis vide quæ scripsimus Act. 12.

21 [b] Dicite 21 Dicite

9 A secunda ad tertiam personam transit: & exponi potest, Dicite (inqnam) vos qui ex eorum numero estis qui delectantur Legi subjici. F. nisi conjunctionis ἐλλιψὶς statuatur, & quicumque volunt sub lege esse.
10 Id est, Per allegoriam designat montem Sinai.

11 F. vel desolatæ.

12 Ultimus versus in impresso Syro Codice omittebatur, sed nos ex manuscripto Heidelbergensi restituimus.

21 Dicite mihi vos [9] qui cupitis ut sitis sub Lege, Legem ipsam non auditis?
22 Scriptum est enim quòd Abrahæ duo filii erant, unus ex ancilla & unus ex libera.
23 Sed is qui ex ancilla, secundùm carnem natus est: is verò qui ex libera, per promissionem fuit.
24 Hæc autem sunt allegoriæ duarum pactionum, una est quæ ex monte Sinai generat in servitutem, quæ est Hagar.
25 Hagar enim mons [10] est Sinai qui est in Arabia, & consentit cum ista Urischelem, & servit servitutem ipsa & filii ipsius.
26 Ipsa verò Urischelem superior, libera est, quæ est mater nostra.
27 Scriptum est enim, Exsulta sterilis quę nō paris, & erumpe & clama quæ non parturis: propterea quòd multiplicati sunt filii [11] devastatæ magis quàm filii habentis virum.
28 Nos autem, fratres mei, secundùm Isaacum filii promissionis sumus.
29 Et sicut tunc is qui natus erat secundùm carnem, persequebatur eum qui secundùm spiritum; ita etiam nunc.
30 Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: eò quòd non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.
31 [12] Nos igitur, fratres mei, non sumus filii ancillæ, sed filii liberæ.

21 [b] Dicite mihi qui sub Lege [a] vultis esse, Legem non auditis?
22 Scriptum est enim Abrahamū duos filios habuisse: unum ex ancilla, & unum ex libera.
23 [c] Sed is qui ex ancilla *natus est*, [d] secundùm carnem natus est: [e] qui verò ex libera, [e] per promissionem.
24 Per quæ aliud figuratur. Nam hæ [f] sunt [g] duo illa fœdera: una quidem quę est Agar ex monte [h] Sina, generans *prolem* ad servitutem.
25 Istud enim Agar, est Sina mons in Arabia: [i] eadem autem serie respondet ei Hierosolymæ quæ nunc *est*, [k] servitq; cum filiis suis.
26 Illa verò quę [l] sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm.
27 [m] Scriptum est enim, [n] Lætare sterilis quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis: quoniam plures sunt liberi [n] desertæ quàm ejus quæ habet virum.
28 [o] Nos igitur, fratres, [o] secundùm Isaacum, [p] promissionis filii sumus.
29 Sed quemadmodum tunc is qui [q] secundùm carnem genitus fuerat, persequebatur eum qui natus erat [r] secundùm Spiritum: ita & nunc *fit*.
30 Sed quid dicit Scriptura? [s] Ejice ancillam & filium ejus. Nequaquam enim hęres erit filius ancillæ cum filio liberæ.
31 [t] Nempè, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.

b a. Quoniam pseudoapostoli perpetuò urgebant, nisi Gentes circumciderentur, Christum eis nihil profuturum, & illud dissidium eorum qui ex circumcisione crediderant adversus incircumcisos credentes, plenū erat offendiculi, Apostolus post varia argumenta, quibus illorum errorem refutavit, profert allegoriam, in qua dicit Spiritum sanctum adumbrasse omnia hæc mysteria: fore videlicet, ut duo filiorum genera Abrahamum communem patrem haberent, sed planè diverso exitu. Sicut enim Abrahamus ex Agara ancilla extranea genuit Ismaëlem vi naturæ ordinaria; ex Sara verò ingenua sustulit Isaacum, vi promissionis, & ex sola gratia: quorum ille non modò non fuit hæres, sed etiam hæredem est persequutus: ita duas esse pactiones, & velut duplices ex duabus illis pactionibus tamquam matribus nasci Abrahamo filios. Unam igitur latam fuisse in Sina extra terram promissam, secundùm quam pactionem geniti sint Abrahæ filii secundùm carnem, Judæi videlicet, ex illa pactione (id est, ex Lege) quærentes justitiam: at non hæredes, imò tandem ex domo ejiciendi, ut qui veros hæredes persequantur. Alteram verò in illa sublimi Hierusalem, sive in Sione (ipsius videlicet Christi sacrificio) sancitam, quæ filios promissionis gignat: virtute nimirum Spiritus sancti credentes, & in promissione gratuita instar Abrahæ acquiescentes, qui soli, expulsis illis servis, sint filiorum jure, patriæ hæreditatis futuri participes. c Qui ultrò appetitis. [a] *Gen*.16.15. d Consueto hominum more, & naturæ vi ordinaria. [b] *Gen*.21.2. e Vi promissionis, quam Abrahamus sibi & vero suo semini apprehendit. Nam alioqui effœti erant Abrahamus & Sara. f Figurant & adumbrant. g Duæ dicuntur pactiones, una veteris, altera novi testamenti: quæ tamen reipsa duę non fuerant, sed temporum & œconomiæ ratione. h Sinæ facit mentionem, quòd in eo monte sancita fuit illa pactio, quam adumbrabat Agar. i Quam rationem habet Agar ad filios suos, eamdem Hierusalem habet ad suos. k Sub. Sina. l In sublimi, id est, excellenti loco posita. m a. Ostendit se in hac allegoria sequutum Esaiæ Prophetæ vestigia, qui pronunciârit Ecclesiam constituendam ex filiis Saræ sterilis, id est ex iis qui merè spiritualiter per fidem fierent Abrahæ filii, potiùs quàm ex Agara fœcunda: jam tum prædicens Judæorum rejectionem & Gentiū vocationem. [c] *Esa*.54.1. n Destructæ & excisæ. [d] *Rom*. 9.8. o Exemplo Isaaci, qui cælestis Hierusalem est primogenitus, velut Ismaël servæ synagogæ. p Semen illud ad quod pertinet promissio. q Naturæ vi ordinaria. r Divinitùs & spirituali ratione. [e] *Gen*.21.10. t a. Conclusio superioris allegoriæ, Nullo modo accersendam esse Legalem servitutem, quum ancillæ filii non sint hæredes.

CAPUT V.

1 *Quia ex libera ortos esse dixit, admonet quantum sit pretium tantæ libertatis:* 15 *qualiter ea sit utendum:* 16 *ut spiritui obediant,* 19 *& resistant carni.*

STate igitur in libertate ea qua Christus liberavit nos: neque subjiciatis vos jugo servitutis.
2 Ecce ego Paulus dico vobis quòd si circumcidamini, Christus nihil prodest vobis.
3 Contestor autem rursus omnem filium hominis qui circumciditur, quòd debitor est ut universam Legem impleat.
4 Exclusi estis à Christo qui in Lege justificamini, & à gratia excidistis.
5 Nos enim per spiritum qui est ex fide, spem justitiæ exspectamus.
6 In Christo enim Jeschua circumcisio non est quicquam, neque præputium, sed fides quæ perficitur dilectione.
7 Pulcrè currebatis, quis est qui turbavit vos ut veritati non acquiesceretis?
8 Persuasio vestra non fuit ex eo qui vocavit vos.

IN libertate igitur qua Christus nos liberavit, perstate, & ne regredientes implicamini servitutis jugo.
2 [a] [f] Ecce, ego Paulus dico vobis, [b] si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum.
3 Testor enim rursum omni homini qui circūciditur, eum esse debitorē totius Legis servandæ.
4 [c] Inanes facti estis *separati* à Christo, [d] quicumq; [d] per Legem justificamini: *&* à gratia excidistis.
5 [e] Nos enim [f] Spiritu ex fide, spem justitię exspectamus.
6 [g] Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, [h] neq; Præputium: [i] sed [k] fides per charitatem agens.
7 [l] Currebatis pulcrè, quis vos inhibuit ut non obsequeremini veritati?
8 [m] Hæc persuasio non *est profecta* [n] ex eo qui vocat vos.

a a. Altera obtestatio, qua disertē testatur justitiam operum & justitiam ex fide non posse simul stare, quoniā nemo ex Lege justificari potest, nisi qui plenè ac perfectè illam præstat. Arripit autē circumcisionis exemplum, quoniam ea erat totius Legalis cultus basis, & præcipuè urgebatur à pseudoapostolis. [f] *Act*.15.1. b Circumcisio aliàs sigillum justitiæ dicitur, sed hic observanda est circumstantia temporis, quo Baptismus Circumcisioni successerat. Præterea disputat Apostolus ex adversariorum hypothesi, qui Circumcisioni salutis partem adscribebant. c Vacui, id est, ut posteà explicat, à gratia excidistis. [g] 1. *Cor*.1.17. d id est, Quæritis per Legem justificari, revera enim nemo per Legem justificatur. e a. Tacitè comparat novum populum cum vetere. Certum enim est hunc quoque in fide non in circumcisione spem omnem justitiæ ac vitę fundâsse, sed ita ut eorum fides esset ceremoniali & externo cultu implicita, nostra autem fides nuda est, ac spirituali cultu contenta. f Spiritus qui fidem gignit. g a. Ratio additur, Quia nunc circumcisio est abolita, Christo nobis exhibito cum plena spiritualis circumcisionis ubertate. h a. Facit etiam præputii mentionem, ne sibi Gentes in eo placeant, ut Judæi in circumcisione. i a. Occupatio, Si abolitus est totus ille Legalis cultus, qua in re igitur nos exercebimus? in charitate, inquit Paulus. Neque enim fides de qua agitur, otiosa esse potest, imò assiduos charitatis fructus edit. k Sic vera fides ab adulterina distinguitur, non autem charitas fidei tamquam justificationis συναίτιον adjungitur. l a. Iterum objurgat Galatas, sed cum admiratione & superioris etiam cursus laude, quo plùs verecundiæ ipsis incutiat. m a. Agit ex Apostolica auctoritate, negans posse ex Deo esse illam doctrinam sibi repugnantem. n Ex Deo.

9 [o] [l] Paulum fermenti totam massam fermentat.
10 [p] Ego confido de vobis in Domino, vos nihil aliud esse sensuros: sed qui turbat vos, feret condemnationem, quisquis fuerit.
11 [q] Ego autem, fratres, si circumcisionem etiam prædico, quid adhuc persequutionem patior? nempè abolitum est offendiculum crucis.
12 [r] Utinam etiam abscindantur qui vos [s] inquietant.
13 Vos enim ad libertatem vocati estis, fratres: [t] tantùm ne libertatem *arripiste ut datam* carni occasionem, sed ex charitate servite alii aliis.
14 [u] Nam [x] tota Lex uno verbo completur, isto *videlicet*, [ll] Diliges proximum tuum ut teipsum.
15 [y] Quòd si alii alios mordetis & devoratis, videte ne vicissim alii ab aliis consumamini.
16 [z] *Hoc* autem dico, [a] spiritu incedite, & quod concupiscit caro, ne perficite.
17 Nam [a] caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcumque volueritis, eadem faciatis.
18 Quòd si spiritu ducimini, non estis sub Lege.
19 [b] Porrò manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, adulterium, scortatio, impuritas, protervia,
20 Idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, dissidia, hæreses,
21 Invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi: eos *videlicet* qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes.
22 At [c] fructus spiritus, est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.
23 [d] Adversus ejusmodi non est Lex.
24 Qui enim *sunt* Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.
25 [e] Si vivimus spiritu, spiritu etiam incedamus.
26 [f] Ne simus inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes.

9 Fermenti modicum totam massam fermentat.
10 Ego fiduciam habeo de vobis in Domino nostro, quòd nihil aliud cogitatis: & is qui turbavit vos, ipse feret judicium, quisquis ille sit.
11 Ego autem, fratres mei, si adhuc circumcisionem prędicarem, cur persequutionem paterer? Numquid irritum factum est offendiculum crucis?
12 Utinam autem [1] etiam abscindendo abscindantur illi qui conturbant vos.
13 Vos autem in libertatem vocati fuistis, fratres mei: tantummodò ne sit libertas vestra ad occasionem carnis, sed per dilectionem estote subjecti alius alii.
14 Tota enim [2] Lex in uno verbo completur, in eo *videlicet*, Diliges proximum tuum sicut teipsum.
15 Si autem unus alium [3] mordeatis & devoretis, videte ne unus ab alio consumamini.
16 Dico autem ut spiritu ambuletis, & [4] concupiscentiam carnis nunquam perficiatis.
17 Nam caro concupiscit id quod oppositum est spiritui, & spiritus concupiscit id quod oppositum est carni: & ambo contraria sunt [5] invicem, ut non id quod volueritis faciatis.
18 Si autem spiritu ducimini, non estis sub Lege.
19 Nota sunt enim ipsa opera carnis: quæ sunt, scortatio, impuritas, [6] luxus,
20 Cultus simulacrorum, veneficium, inimicitiæ, contentio, æmulatio, ira, calumniæ, dissidia, schismata,
21 Invidiæ, cædes, ebrietas, comessatio, & omnia his similia. Et illi qui hæc agunt, sicut antè dixi vobis, etiam nunc dico, quòd regni Dei non erunt hæredes.
22 Fructus autem Spiritus sunt, dilectio, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, [7] continentia.
23 [8] Adversus hos lex non est posita.
24 Illi autem qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum omnibus morbis ejus & concupiscentiis ejus.
25 Vivamus igitur spiritu, & spiritui [9] consentiamus:
26 Et ne simus vacui gloria, ut ignominia afficiamus unus alium, & invideamus unus alii.

[o] B. Hoc addit, ne de re parvi momenti videatur contendere, solicitè monens (similitudine, à fermento sumta, qua Christus etiam ipse usus est) ne vel minimo vitio patiantur puritatem Apostolicæ doctrinæ infici. [ll] 1. Cor. 5. 6. [p] B. Mitigat superiorem increpationem, derivans culpam in pseudapostolos, quibus horrendum judicium Dei denunciat. [q] B. Jubet eos considerare quàm hæ in re suum commodum non quærat, quum ipsi liceat hominum odia vitare, si velit Judaismum cum Christianismo conjungere. [r] B. Exemplum veri pastoris, zelo gloriæ Dei & gregis sui charitate inflammati. [s] Qui enim Legem prædicant, cogunt conscientias perpetuò trepidare. [t] Tertia pars epistolæ docens rectum Christianæ libertatis usum in eo positum esse, ut à peccati seu carnis servitute manumissi, & spiritui parentes, alii aliorum saluti serviamus, ex charitate. [u] B. Charitatem proximi proponit tamquam scopum ad quem Christiani omnes actiones suas referant, citato Legis testimonio.

[1] id est, Prorsus abscindantur: Hebraism.
[2] Subaudi, Secundæ tabulæ.
[3] Syrum verbum ab Hebræo videtur mutuatus esse paraphrastes, transpositis literis, & ו mutato in ה: quæ mutatio ordinaria est in hac lingua, ut in Chaldæa.
[4] Ne perficiatis opere quod caro concupiscit: neq; exsequamini quod illa meditatur.
[5] Ad verb. Unum alteri.
[6] Ad verb. Fœtor. V. nimirùm qui nascitur ex effœminata libidine, quæ à Selga Pamphyliæ oppido nomen habet.
[7] V. vel patientia ut alibi passim.
[8] Adversus eos qui ejusmodi fructus edunt.
[9] V. vel perfectè adhæreamus.

[x] Ad secundam tabulam restringi debet. [ll] Levi. 19. 18. Mat. 22. 39. Mar. 12. 31. Rom. 13. 9. Jac. 2. 8. [y] B. Exhortatio ad charitatis officia, ab utili: quoniam nulli sibi pejùs consulant, quàm qui mutuò se oderunt. [z] B. Agnoscit maximam piorum imbecillitatem, quòd ex parte sint regenerati: sed monet ut meminerint se donatos esse Dei Spiritu, qui eos à servitute peccati, ac proindè à Lege, asseruerit, quatenus est peccati virtus, ne cupiditatibus sese dedant. [ll] Rom. 13. 14. 1. Pet. 2. 11. [a] In uno enim eodemq; homine regenerato caro habitat, regnat autem spiritus, non tamen sine lucta, quòd copiosè explicatur Rom. 7. [b] Quod in genere dixerat, particulatim explicat præcipua aliquot carnis effecta recensens, eaq; Spiritus fructibus opponens, ut nemo possit ignorantiam prætexere. [c] Non sunt igitur fructus liberi arbitrii nisi quatenus à gratia liberatum est. [d] B. Nequis objiceret Paulum agere sophistam, ut qui Spiritum urgendo, nihil aliud quàm quod Lex præcipit, urgeret, ostendit se non literalem illam & externam, sed spiritualem obedientiam requirere, quæ non ex Lege promanet, sed ex Christi Spiritu nos regenerante, quem oporteat esse nostræ vitæ moderatorem. [e] Si verè donati sumus illo Spiritu vivifico, qui facit ut peccato mortui, Deo vivamus, hoc reipsa, id est sancta vita, testemur. [f] B. Adjicit peculiares exhortationes, prout noverat Galatas certis vitiis esse obnoxios, ac primùm quidem ambitionem cavendam esse docet, quæ duas habet comites, obtrectationem & invidiam, unde infinitas contentiones & injurias necesse sit exoriri.

CAPUT VI.

1 *Agit jam in specie de Charitate erga delinquentes & lapsos,* 6 *erga Ministros verbi,* 10 *erga domesticos fidei,* 12 *non quemadmodum falsi Legis Zelatores,* 13 *qui in carne mutilata gloriantur,* 14 *non autem in cruce Christi.*

FRatres, [a] etiam si [b] præoccupatus fuerit homo in aliquo lapsu, [c] vos Spirituales [d] instaurate hujusmodi hominem cum [e] spiritu mansuetudinis: [f] considerans *unusquisque* temetipsum, ne & tu tenteris.

FRatres mei, si quis ex vobis præoccupetur in *aliquo* delicto, vos qui in spiritu estis, instaurate eum per spiritum lenitatis: & estote cauti ne etiam vos tentemini.

[a] B. Importunum rigorem damnat, quòd fratrum reprehensiones spiritu mansuetudinis oporteat esse temperatas. [b] A carne & Satana. [c] Qui virtute Spiritus sustinemini. [d] Nitamini in eo supplere quod deest. [e] Sic loquuntur Hebr. ut omnes veras virtutes intelligamus à Deo proficisci. [f] B. Attingit ulcus, quoniam ii ferè sunt rigidissimi censores qui suæ infirmitatis sunt immemores.

2 Et gestate onus alter alterius, ut ita impleatis legem Christi.
3 Siquis enim existimat se esse aliquid, quum non sit, seipsum fallit.
4 Sed quisq; opus suum probet, & tunc in [t] seipso habebit gloriam suam, & non in aliis.
5 Unusquisque enim sarcinam suam ipsius portabit.
6 Communicet autem is qui audivit verbum, ei qui [u] audire facit eum, in omnibus bonis.
7 Non erretis. Deus non illuditur. id enim quod seminaverit filius hominis, illud ipsum messurus est.
8 Qui in carne seminavit, de carne corruptionem messurus est: qui in spiritu seminavit, de spiritu vitam quæ est in æternum metet.
9 Et quum facimus quod bonum est, ne sit molestum nobis: erit enim tempus quando metemus, & non erit molestum nobis.
10 Nunc igitur, dum tempus est nobis, operemur bona erga omnem hominem, & maximè erga domesticos fidei.
11 Videte has literas: scripsi vobis manibus meis.
12 Qui volunt gloriari in carne, illi cogunt vos ut circumcidamini, tantùm ut propter crucem Christi non patiantur persequutionem.
13 Etenim ne ipsi quidem qui circumcidunt, observant Legem: sed volunt ut circumcidamini, ut in carne vestra glorientur.
14 Mihi autem non eveniat ut glorier nisi in cruce Domini nostri Jeschua Christi, per quem mundus crucifixus est mihi, & ego crucifixus sum mundo.
15 Non enim circumcisio est aliquid, neque præputium, sed creatura nova.
16 Et qui juxta hanc semitam incedunt, pax erit super eos, & misericordia, & supra Israjel Dei.
17 Deinceps mihi nequis [y] molestiam exhibeat: ego enim stigmata Domini nostri Jeschua Christi in corpore meo porto.
18 Gratia Domini nostri Jeschua Christi cum spiritu vestro *sit*, fratres mei. Ammin.

Finitur Epistola ad Galatas, quæ scripta fuit Roma.

[t] Ad verb. Inter ipsum & animam suam erit gloria ejus, Hebraismus.

[u] v. id est, docet ac instituit ipsum voce.

[y] Ad verb. Laborem injiciat.

2 [g] Alii aliorum onera portate: & ita complete [h] Legem Christi.
3 Nam siquis sibi videtur aliquid, quum nihil sit, hunc suus ipsius animus seducit.
4 Opus autem suum probatum reddat unusquisque: & tunc in semetipso solo gloriationem habebit, & non in alio.
5 [g i] Nam unusquisque suum onus portabit.
6 [k l] Communicet autem qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit, [l] omnia bona.
7 [m] Ne errate: Deus non irridetur, quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet.
8 Nam qui seminat [n] carni suę, ex carne metet interitum: qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.
9 [o] [p] Porrò ne benefaciendo segnescamus. Tépore enim suo metemus, si non elanguerimus.
10 [p] Nempè igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei.
11 [q] Videtis quàm longis literis vobis scripserim mea manu.
12 Quicumque volunt [r] speciosi apparere [f] in carne, ii cogunt vos circumcidi, tantùm ne ob [t] crucem Christi persequutionem patiantur.
13 Nam ne ipsi quidem qui circumciduntur, Legem servant: sed volunt vos circumcidi, ut [u] de vestra carne glorientur.
14 [x] A me verò absit [y] gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.
15 Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatio.
16 Et quicumque secundùm hanc regulam incedent, pax *erit* super eos & misericordia, & super [z] Israëlem Dei.
17 [a] De cætero, ne quis mihi molestias exhibeto: ego enim [b] stigmata [c] Domini Jesu in corpore meo porto.
18 [d] Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum [e] Spiritu vestro, fratres, Amen.

Ad Galatas missa fuit Roma.

[g] a. Finem hunc esse reprehensionum ostendit, ut fratrem collapsum erigamus, nō autem superbè opprimamus. unum quemque igitur oportere nō ex aliorum reprehensione, sed ex sui ipsius approbatione laudabilem vitam sectari.
[h] Christus charitatis præceptum disertè & peculiariter vocat suum mandatum.
[i] 1.Cor.3.8.
[i] a. Ratio cur homines oporteat in sese potissimùm esse intentos: quoniam videlicet unusquisque non ex comparatione cum altero, sed ex suiipsius vita coram Deo censebitur.
[l] 1.Cor.9.7.
[k] a. Æquum est magistros pro facultatum ratione à discipulis ali.
[l] Quævis pro facultatum ratione.
[m] a. Beneficentiam in egenos cōmendat, primùm omnium eos objurgans, quos non pudet hoc vel illud prætexere quominùs proximos juvent, quasi Deum possint fallere: deinde eleemosynam comparans sationi spirituali quam consequutura sit spiritualis messis, ut nihil sit ea lucrosius avaram autem parsimoniam sationi carnali, unde nihil nisi caducum & mox periturum colligatur. [n] Hujus præsentis vitæ commodis. [o] a. In eos qui initio quidem sunt benefici, sed non perseverant, quòd diutiùs videatur messis differri, perinde acsi unum & idem esset sationis ac messis momentum. [p] 2.Thess.3.13. [p] a. Domestici fidei (id est, eadem religionis professione nobiscum conjuncti) cæteris quibuscumque sunt anteferendi, ita tamen ut in quosvis nihilominùs beneficentia nostra redundet. [q] Quarta & ultima pars epistolæ, in qua redit ad præcipuum scopum, nempè ne Galatæ sese à pseudoapostolis ampliùs sinant extra viam abripi. Depingit autem illos pseudoapostolos suis coloribus, arguens illos ambitionis, ut qui ne Legis quidem studio faciant quod faciunt, sed idcircò duntaxat ut ex Galatarum circumcisione bonam gratiam suæ gentis aucupentur. [r] Speciem opponit veritati. [f] In ceremoniarum observatione. [t] Crucifixi prædicationem. [u] Quòd vos Judaismo implicuerint: alludit tamen ad formam circumcisionis. [x] a. Comparationem sui cum illis non dubitat instituere, testificans se ex adversis solis ærumnis gaudere, quas Christi causa sustineat, & sicut à mundo despiciatur, se vicissim mundum pro nihilo habere: quæ sit vera veri Israëlis circumcisio. [y] Hoc verbum apud Paulum in laude positum, significat aliqua in re acquiescere. [z] Verum Israëlem, cujus laus est ex Deo, non ex hominibus, Rom. 2.29. [a] a. Perseverans in eadem translatione, ærumnas suas atque adeò plagarum sibi pro Christi nomine impositarum vibices opponit externæ circumcisionis cicatrici, tanquam verum Apostolatus sui sigillum. [b] Insignes notas, quales inuri servis fugitivis solebant. [c] Multum enim interest cujus stigmata feramus: si quidem causa facit martyrem, non pœna. [d] a. Valedicens precatur eis gratiam & Spiritum adversus pseudoapostolorum fraudes, externa illa inculcantia. [e] Cum animis vestris.

EPISTOLA

EPISTOLA PAULI AD EPHESIOS.

CAPUT I.

2 Post salutationem, 4 de gratuita Dei electione, 5 & adoptione disserit: 7. 13 à qua salus hominum, tanquam ex vero & nativo fonte, manat. Et quia tam sublime arcanum capi non potest, 16 precatur ut ad plenam 20 Christi cognitionem Ephesios Deus adducat.

PAULUS [a] Apostolus Jesu
Christi per voluntatem Dei,
[l] sanctis qui sunt Ephesi, &
[b] fidelibus in Christo Jesu:
2 Gratia *sit* vobis & pax
à Deo patre nostro, & Do-
mino Jesu Christo.
3 [b][c] Benedictus Deus [d] & Pater Domini no-
stri Jesu Christi, [e] qui benedixit nobis omni [f] be-
nedictione spirituali, [g] in cælis [h] in Christo:
4 [i] Sicut elegit nos [k] in ipso ante jactum
mundi fundamentum, [l][m] ut simus [n] sancti & in-
culpati [o] coram eo cum charitate.
5 [p] Qui prædestinavit nos quos adoptaret
in filios per Jesum Christum [q] in sese, pro bene-
volo affectu voluntatis suæ,
6 [r] Ad [f] laudem gloriosæ suæ gratiæ, [t] qua
nos gratis sibi acceptos effecit in illo dilecto.
7 [u] In quo habemus redemtionem, per san-
guinem ipsius, remissionem *inquam* lapsuum ex di-
vite ipsius gratia,
8 [x] [y] Qua redundavit in nos [z] omni sapi-
entia & intelligentia:
9 Patefacto nobis [a] mysterio voluntatis
suæ, [b] secundùm gratuitam suam benevolentiam
quam proposuerat in sese,
10 [c] *Nempe* ut in pleni temporis dispensatio-
ne [d] recolligeret omnia illa in Christo, tum quæ
in cælis sunt, tum quæ in terra:
11 [e] *In ipso, inquam,* in quo etiam in sortem
adsciti sumus, quum essemus prędestinati secun-
dùm propositum ejus qui [f] omnia efficit ex con-
silio voluntatis suæ:
12 Ut nos simus laudi gloriæ ipsius, qui prio-
res [g] speravimus in Christo.
13 [h] In quo *sperâstis* & vos audito [i] sermone
veritatis, *id est* Evangelio salutis vestræ: per quod
etiam, posteà quàm credidistis, [k] obsignati estis
[l] Spiritu illo promissionis sancto:
14 Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, dum
in [m] libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ
ipsius.

PAULUS Apostolus Jeschua
Christi per voluntatē Dei
illis qui sunt Ephesi, San-
ctis & fidelibus in Jeschua
Christo.
2 Pax vobiscum & gra-
tia à Deo Patre nostro, & à
Domino nostro Jeschua Christo.
3 Benedictus sit Deus Pater Domini nostri
Jeschua Christi, qui benedixit nos in omnibus be-
nedictionibus [1] Spiritus in cælo in Christo.
4 Quemadmodum priùs elegit nos in ipso
ante fundationem mundi, ut essemus sancti &
sine macula coram eo,
5 Et [2] per dilectionem [3] prædestinavit nos
sibi, [4] & posuit nos in filios per Jeschua Chri-
stum, prout placuit voluntati ejus.
6 Ut laudetur gloria gratiæ ejus quam effu-
dit super nos [5] per dilectum suum.
7 Per quem est nobis redemtio, & per san-
guinem istius remissio peccatorum, juxta opu-
lentiam gratiæ suæ,
8 Quæ exuberavit in nos in omni sapientia
& omni intelligentia spiritus:
9 Et manifestavit nobis arcanum voluntatis
suæ, quod anteà proposuerat se facturum esse
in se,
10 In dispensatione plenitudinis temporum,
ut cuncta de integro renovarentur in Christo,
quæ sunt in cælis & in terra:
11 Et in ipso nos electi sumus, quemadmodū
prædestinavit nos, & vult ipse qui omnia efficit
juxta consilium voluntatis suæ,
12 Ut simus nos, qui priores speravimus in
Christo, ad honorem gloriæ ipsius.
13 In quo vos quoque audivistis sermonem
veritatis, qui est Evangelium salutis vestræ: & in
eumdem credidistis, & obsignati estis Spiritu san-
cto qui promissus erat.
14 Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, in re-
demtionem eorum [6] qui servantur, & in laudem
gloriæ ipsius.

[a] B. Inscriptio & salutatio, de quibus in aliis epistolis dictum est. [l] 1. Cor. 1. 2. [b] Sanctorum beneficio. [l] 1. Cor. 1. 3. 1. Pet. 1. 3. [c] B. Prior pars epistolæ, in qua omnes salutis nostræ causas, proposito Ephesiorū exemplo & variis exhortationibus adhibitis, pertractat, inchoans suo more a gratiarum actione. [d] B. Causa efficiens nostræ salutis est Deus non universaliter & confusè consideratus, sed ut Pater Domini nostri Jesu Christi. [e] B. Causa finalis proxima, & nostri respectu, est salus nostra, collatis omnibus ad salutem necessariis, quod benedictionis genus est cæleste & electorum proprium. [f] Omni beneficētiæ genere, quæ verè cælestis est ac divina. [g] Qua nos è sublimi suo solio donat Pater, vel quia in donis donantur sancti, quę propria sunt civium cęlestium. [h] B. Materia nostræ salutis Christus: in quo uno, spirituali ac salvifica benedictione donamur.

[1] V. Vel spiritualibus in cælo per Christum.

[2] In Syriaco textu, *per dilectionē*, non cohæret mēbro superiori, ut in Græco, sed incipit membrum proximum, præposita conjunctione.

[3] Verbum Syriacum propriè significat, Signavit & notam inussit. Estq; metaphora sumta ab iis qui ex rerum magna multitudine, certas quasdam deligunt, quas ut à reliquis dignoscant, nota aliqua insigniunt.

[4] V. i. adoptavit & effecit filios.

[5] Ad verb. Per manum dilecti sui.

[6] V. Syrè, qui vivunt: & ita passim

[i] B. Explicat causam efficientem, sive quomodo Deus Pater nos in filio servet: Quia, inquit, ab æterno elegit nos in Filio. [k] Adoptandos. [l] B. Explicat causam illam finalem proximam, quam duplicem facit, sanctificationem videlicet & justificationem, de quibus deinceps disserit. Ex his autem duo sunt etiam notanda, nempè non posse vicę sanctitatem à gratia electionis separari: deindè, quicquid in nobis est puritatis, esse beneficium Dei gratuitò nos eligentis. [m] Non ergo quia eramus aut esse debebamus sancti, ideò nos elegit Deus: sed ut sancti essemus. [n] Christi justitia induti. [o] Verè ac syncerè. [p] B. Alia etiam dilucidior explicatio causæ efficientis, ipsiusq; adeò æternæ electionis, qua nos dicitur Deus in Christo elegisse, quoniam videlicet ei visum est apud se nos nondum natos destinare quos per Jesum Christum adoptaret in filios: ut nulla hic sit ratio electionis nisi in gratuita Dei benevolentia quærenda, nec fides prævia sit prædestinationis causa, sed effectum. [q] Nihil neque præsens, neque futurum respexit Deus sed seipsum. [r] B. Causa finalis ultima ac præcipua, gloria Dei Patris, ut qui nos gratis servat in Filio. [f] Ut beneficentia ipsius, sicut summam laudem meretur, ita etiam prædicetur. [t] B. Altera finalis causa proxima, nostra iustificatio, dum nos in Filio suo gratis habet pro justis. [u] B. Explicatio causæ materialis, quomodo in Christo simus facti Deo grati, quoniam is unus est cujus sacrificium ex Dei misericordia nobis imputatur ad peccatorum nostrorum remissionem. [x] B. Nunc demùm ad causam formalem, id est, ad vocationem, sive prædicationem Evangelii, accedit, qua Deus consilium illud æternum gratuitæ nostræ in Christo reconciliationis ac salutis exsequitur. Evangelii autem loco substituens omnem sapientiam & intelligentiam, quanta sit ejus præstantia declarat. [y] Per quam gratiam seu beneficentiam. [z] Perfecta & integra. [a] Nisi enim Dominus nobis illud mysterium declarâsset, quis unquam per se vel suspicari potuisset? [b] Non tantùm electio, sed etiam vocatio est à mera gratia. [c] B. Pater tum exhibuit mundo Christum omnium electorum caput, quum opportunum fuit, prout ab æterno omnia tempora sapientissimè disposuit: Christus autem is est in quo omnes à condito mundo electi, palantes alioqui & à Deo separati simul collecti sunt: quorum alii jam erant in cælis quum ipse in terras veniret (qui videlicet fide in eum venturum jam collecti fuerant) alii verò in terra reperti, ab eo collecti fuerunt, & quotidiè colliguntur. [d] Recolligi dicuntur fideles in Christo, quia fide cum eo conjuncti sunt, veluti unius hominis instar. [e] B. Vocationis beneficium seorsim applicat Judæis credentibus, ad fontem usque recurrens, ut & ipsi neque sibi, nec generi suo, neque ulli alii rei quàm uni Dei, gratiæ ac misericordiæ salutem suam acceptam ferant, tum quia vocati, tum quia priores vocati. [f] Omnia sine exceptione tribuit gratiæ Dei, nec tamen idcircò sumus stipites: ea enim nobis ut velimus & possimus concedit. Phil. 2. 13. [g] De Judæis loquitur. [h] B. Jam etiam exæquat Ephesios (aut potiùs Gentes omnes) Judæis, qui etiamsi posteriores accesserunt, tamen eodem Evangelio vocati, fide sunt illud amplexi, & eodem Spiritu, quod est electionis pignus, tantisper dum ipsa cernatur hæreditas, fuerunt obsignati, ut & in ipsis emineat Dei gloria. [i] Sermone illo qui propriè verax est, ut qui à Deo proficiscitur. [k] Translatio sumta à sigillis, quorum impressione authentica ab incertis distinguuntur. [l] Spiritu illo qui non affert Legem sed promissionem gratuitæ adoptionis. [m] Plenam & perfectam.

15 Quapropter etiam ego, ecce, ex quo audivi fidem vestram quæ in Dominum nostrum Jeschua Christum, & charitatem vestram quæ est erga omnes sanctos,

16 Non desino gratias agere pro vobis, & memor esse vestri in precibus meis:

17 Ut Deus Domini nostri Jeschua Christi, Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis [7] per agnitionem ipsius:

18 Et illuminentur oculi cordium vestrorum, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ sit opulentia gloriæ hæreditatis ejus in sanctis.

19 Et quæ sit excellentia magnitudinis virtutis ejus in nobis qui credimus, secundùm efficacitatem roboris virtutis ejus.

20 Quam operatus est in Christo, quum suscitavit eum à mortuis, & sedere fecit eum à dextera sua in cælis,

21 Suprà omnes principatus, & potestates, & virtutes, & dominationes, & suprà omne nomen quod nominatur, non solùm in seculo hoc, sed etiam in futuro.

22 Subjecitq; cuncta sub pedibus ejus, & eum qui est suprà omnia, dedit caput Ecclesiæ:

23 Quæ est [8] corpus & complementum ejus qui omnia in omnibus adimplet.

7 r. vel in agnitione ipsius.

8 r. al. corpus illius: & rectè. Librarius (credo) reliquerit illud.

15 [n] Propterea etiam ego, audita ea quę in vobis est fide in Domino Jesu, & charitate in omnes sanctos,

16 Non desino gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in precibus meis:

17 Ille Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille [o] gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis, per [p] agnitionem ipsius:

18 Illuminatis oculis mentis vestræ: ut sciatis [q] quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis:

19 [r] Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, [s] pro efficacitate fortis roboris ipsius,

20 [f] Quam exeruit in Christo quum suscitavit eum ex mortuis, & [s] collocavit ad dextram suam in cælis,

21 Longè supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & [u] omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, verumetiam in futuro.

22 [x] Et omnia subjecit ejus pedibus, eúmque constituit [y] caput super omnia *ipsi* Ecclesiæ,

23 Quę est corpus ipsius, *&* [z] complementum ejus qui omnia implet in omnibus.

n B. Redit ad superiorem gratulationem, duo simul concludens ex præcedentibus: primùm, omnia bona à Deo Patre in Christo & per Christum in nos proficisci, ut eorum nomine à nobis laudetur: secundùm, illa omnia quæ ad duo veluti capita revocat, fidem videlicet & charitatem, certis gradibus in nos augeri, ut ab ejusdem gratia petendum sit incrementum, à quo est initium, & à quo finis speratur.

o Majestatis plenus.

p Non enim sufficit semel nosse, sed etiam agnoscendus est nobis Deus quotidiè magis ac magis.

q Quæ bona ille vos ad Christum vocans sperare jubeat.

r B. Fidei excellentia declaratur ab effectis, quoniam in illa sese exerit potentissima Dei virtus.

s *Col. 2. 12. Infrà 3. 7.*

f B. Potentiam & gloriam illam Dei longè sublimissimam, cujus credentes omnes sunt participes, adhuc tamen in nobis (propter crucis ignominiam & carnis infirmitates) perobscuram, jubet nos Apostolus in Christo gloriosissimo, fidei oculis contemplari.

s Collocari ad dextram Dei, est consortem esse illius imperij summi.

u Quicquid existit, vel suprà res etiam omnes eminentissimas.

x B. Ne summam illam Christi gloriam putemus aliquid à nobis alienum esse, testatur illum esse à Deo Patre constitutum caput totius Ecclesiæ, oportet igitur corpus huic capiti conjungi, quod alioqui absque membris mutilum quiddam esset: quod tamen necessitate non fit (quum Ecclesia potiùs unius Christi virtute vivificetur & sustentetur, nedum ut ejus supplemento indigeat) sed immensa Dei voluntate, qui nos Filio dignatur adjungere.

y Ut esset caput summum, adeò ut ei nihil non subsit.

z Tantus siquidem ergà Ecclesiam est Christi amor, ut etiamsi omnia omnibus ad plenum præstet, tamen sese veluti mancum & mutilum caput existimet, nisi Ecclesiam sibi habeat velut corpus adjunctam.

CAPUT II.

Ut gratiæ magnitudinem ex comparatione amplificet, 1 *reducit illis in memoriam,* 5 *quòd exitio prorsus addicti,* 8 *gratia sint servati,* 13 *& propinqui facti,* 16 *reconciliatione per Christum facta,* 17 *Et per Evangelium publicata.*

VOs quoque qui mortui eratis in peccatis vestris & in delictis vestris,

2 In quibus anteà ambulabatis juxta [1] mundanitatem mundi hujus, & juxta voluntatem præcipuæ potestatis aëriæ, [2] spiritus qui sese præbet efficacem in filiis contumaciæ,

3 In illis operibus in quibus etiam nos versabamur anteà in concupiscentiis carnis nostræ, & faciebamus voluntatem carnis nostræ & cogitationis nostræ, ac filii eramus iræ plenè, ut reliqui.

4 Deus autem qui dives est in misericordia sua, propter charitatem suam magnam qua dilexit nos,

5 Quum mortui essemus per peccata, vivificavit nos cum Christo, & per gratiam suam redemit nos,

6 Et resuscitavit cum eo, sedereq; nos fecit cum eo in cælis per Jeschua Christum:

7 Ut ostenderet seculis futuris magnitudinem opulentiæ gratiæ suæ, & benignitatem suam quæ fuit ergo nos per Jeschua Christum.

8 Gratia enim ejus redempti sumus per fidem: & hoc nequaquam [illegible] ex vobis, sed donum est Dei:

1 Vocabulum enim Syriacum [illegible], denominativum est ab [illegible], quod significat mundum: estq; substantivum fœmininum, ut ita vertendum fuerit ficta Latina voce. Ac videtur per mundanitatem intelligere vanitatem mundanam.

2 Periphrasis est diaboli, cujus impulsu mundus contra Christum haud secùs agitatur quàm aëre commoto naves agitantur in mari.

[a] ET [a] vos *unà vivificavit*, quum essetis [b] mortui [c] in lapsibus & peccatis:

2 [d] In quibus olim incessistis [e] ut est vita mundi hujus, [f] secundùm principem cui potestas est aëris, *&* spiritus [g] nunc agentis [h] in hominibus contumacibus.

3 [i] Inter quos & nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus [k] carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: [l] eramusq; natura [m] filii iræ, ut etiam [n] reliqui.

4 [o] Sed Deus, ut qui dives sit misericordia, propter multam charitatem suam qua dilexit nos,

5 Etiam nos quum per lapsus mortui essemus, unà vivificavit cum Christo, *cujus* gratia estis servati:

6 [p] Unaq; suscitavit, unaq; collocavit in cælis in Christo Jesu:

7 Ut ostenderet in seculis succedentibus summas opes suę gratiæ, *sua* erga nos benignitate in Christo Jesu.

8 [q] Gratia enim estis servati per fidem: (& hoc non *est* ex vobis: *sed* Dei donum *est*:)

a *Col. 2. 13.*

a B. Rursus magnitudinem divinæ benevolentiæ declarat collatione miserrimi illius status in quo nati sumus, cum ea dignitate in quam à Deo patre evehimur in Christo. Sic igitur eam conditionem describit, ut dicat nos, quod ad spirituales motus attinet, non semimortuos, sed planè ac prorsus mortuos nasci.

b Vide Rom. 6. 2. Mortuos itaque eos vocat qui non sunt renati: nam sicut immortalitas damnatorum non est vita, sic hæc animæ & corporis conjunctio propriè vita non est, sed mors in iis qui Spiritu Dei non aguntur.

c B. Causam mortis indicat, nempe peccata.

d B. Omnes fuisse spiritualiter mortuos probat ab effectis.

e B. Universale esse hoc malum testatur, adeò ut omnes sint Satanæ mancipia.

f Ex arbitrio principis.

g B. Ideo homines mancipati sunt Satanæ, quòd Deo sint sponte rebelles.

h Filii contumaciæ dicuntur qui contumaciæ sunt dediti, Hebr.

i B. Gentibus seorsim damnatis, Judæos ipsos quibus seipsum aggregabat, fatetur nihilo esse per se meliores.

k Carnis nomine primo loco totum hominem intelligit, quem in suas partes dividit, carnem, eam nempe partem quam [illegible] vocant philosophi, & cogitationem, quod τὸ λογικὸν vocant, itaque nihil relinquit homini semimortuum, sed concludit hominem natura esse filium iræ.

l B. Concludit, omnes homines nasci iræ & maledictioni Dei obnoxios.

m Homines filii iræ dicuntur passivè, id est judicio Dei irati rei æternæ mortis.

n Populi prophani.

o B. Jam sequitur alterum collationis membrum, nostram excellentiam declarans, quòd videlicet Christi virtute simus à morte illa liberati, & æternæ vitæ participes facti, ut tandem & ipsi cum eo regnemus. Inculcat autem multis modis, hujus beneficii causam efficientem esse gratuitam Dei misericordiam: materiam verò, Christum ipsum: instrumentum, fidem quæ & ipsa sit gratuitum Dei donum: finem denique, Dei gloriam.

p Nempe (ut postea subjicit) in Christo. Neque enim adhuc id in nobis præstitum est, sed in capite duntaxat, cujus Spiritu cœpimus peccato mori, & vivere Deo, donec opus illud planè perficiatur: spes tamen certa est, ut non magis certum sit quod percipimus, quàm quod expectamus.

q Cohærent ergo gratia, id est Dei donum, & fides, quibus opponuntur Servari ex nobis vel ex operibus. Quid ergo illis in mentem venit qui tam differentia velint conjungere?

9 [r] Non ex operibus, ut nequis glorietur.
10 [s] Nam ipsius sumus opus, conditi in Chri-
sto Jesu ad opera bona, quæ præparavit Deus ut
in eis incederemus.
11 [t] Propterea mementote vos quondam
Gentes in carne, [u] qui dicebamini Præputium ab
ea [x] quæ vocatur Circumcisio in carne, *&* quæ
manibus fit:
12 Vos *inquam* illo tempore fuisse, [y] absque
Christo, [z] alienos à republica Israëlis, & [I] extra-
neos quod ad fœdera promissionis attinet, spem
non habentes, & absque Deo in mundo:
13 [a] At nunc in Christo Jesu, vos qui olim e-
ratis procul, propinqui facti estis, per sanguinem
Christi.
14 [b] Ipse enim est pax nostra, qui utraque fe-
cit unum, & intergerini parietis septum solvit:
15 [I] Inimicitiis, *id est* lege mandatorum *quæ* in
ritibus *posita est*, per carnem suam abolitis: ut ex
duobus illis conderet in semetipso unum novum
hominem, faciens pacem,
16 Et utrosque in [c] uno corpore reconciliaret
Deo per crucem, [d] peremtis inimicitiis per eam.
17 [e] Et veniens evangelizavit pacem vobis,
tum qui procul, tum qui prope erantis.
18 Quoniam utrique [f] per ipsum habemus
aditum per unum Spiritum ad Patrem.
19 [g] Nempe igitur non amplius estis hospites
& inquilini, sed concives sanctorum, ac domesti-
ci Dei:
20 [h] Superstructi super fundamentum Apo-
stolorum ac Prophetarum, quum [i] imus angula-
ris lapis sit ipse Jesus Christus:
21 In quo totum ædificium congruenter [k] co-
agmentatum, crescit ut sit templum sanctum
Domino.
22 In quo & vos una ædificamini, ut sitis do-
micilium Dei per Spiritum.

9 Non ex operibus, nequis glorietur.
10 Creatura enim ejus sumus, qui creati fui-
mus in Jeschua Christo ad opera bona quæ ab
initio paravit Deus, ut in eis ambularemus.
11 Quapropter estote memores quod vos
Gentes antea [3] carnales fuistis, & vocabamini
præputium ab ea quæ vocatur circumcisio, & est
opus manuum in carne:
12 Et eratis in illo tempore sine Christo, & a-
lieni eratis à [4] conversatione Israjel, & extranei
eratis pactis [5] promissionis, & sine spe eratis, & sine
Deo in mundo.
13 Nunc autem [6] per Jeschua Christum, vos
qui ante longinqui fuistis, propinqui facti estis
per sanguinem Christi.
14 Ipse enim est pax nostra, qui fecit ambos
unum, & dissolvit maceriem quæ erecta stabat
in medio:
15 Et inimicitias per carnem suam, & legem
mandatorum [7] cum mandatis ejus abolevit, ut
utrosque conderet in semetipso in unum filium
hominis novum: & fecit pacem,
16 Et reconciliavit utrosque in uno corpore
cum Deo: & per crucem suam interemit inimi-
citias:
17 Et veniens evangelizavit pacem vobis, lon-
ginquis & propinquis:
18 Quoniam per ipsum est accessio nobis u-
trisque in uno Spiritu ad Patrem.
19 Igitur nequaquam estis hospites, neq; inco-
læ, sed [8] concives sanctorum & [9] domestici Dei:
20 Et ædificati estis super fundamentum Apo-
stolorum & Prophetarum, & ipse factus est caput
anguli ædificii: *nempe* Jeschua Christus.
21 Et per eum conjungitur totum ædificium,
& crescit in templum sanctum in Domino,
22 Dum etiam vos in eo ædificamini in ha-
bitaculum Dei per Spiritum.

r B. Expresse detrahit operibus nostris justitiæ laudem, quum ipsa bona opera sint gratiæ effecta in nobis.
s Hic de gratia, non de natura agitur: opera igitur quantumvis sint bona, gratiæ in solidum debentur.
t B. Superiorem doctrinam Gentibus applicans ostendit eas non tantum natura ut & ipsos Judæos, sed peculiari etiam ratione fuisse à Deo alienissimas: quo magis oporteat ipsas tanti Dei beneficii memoriam conservare.
u Qui nullo alio nomine quam Gentes vocabimini, ut vestra impuritas omnibus esset testata.
x A Judæis qui Circumcisione, fœderis nota, à vobis discernebantur.
y Merito à Christo auspicatur omnium promissionum scopo.
z Rom. 9.4.
I Qui nullum jus Israëliticæ civitatis haberetis.
a B. Christus unicum est Judæorum & Gentium vinculum, quo cum Deo conciliamur. b B. Sicut ceremoniis & legali cultu dirimebantur Judæi à Gentibus, ita nunc Christus, diruto illo septo, utrosque in seipso & inter se & cum Deo copulat. Ex quo consequitur, eos qui ceremonias illas stabilire velint, Christi gratiam irritam facere. I Coloss. 2.14. c Alludit ad Legis sacrificia, quæ veram & unicam istam hostiam repræsentabant. d Morte enim mortem destruxit, cruciq; velut affixit. e B. Hujus gratiæ efficax est instrumentum Evangelii prædicatio, tum Judæis tum Gentibus communis. f Christus est veluti janua, per quem ad Patrem accedimus: Spiritu autem sancto tamquam duce accedimus. g B. Conclusio, Gentes in consortium salutis esse ascitas. Describit autem Ecclesiæ præstantiam, eam vocans civitatem & domum Dei. h B. Doctrinam salutis deposuit Dominus initio penes Prophetas: deinde penes Apostolos: cujus scopus atque adeo veluti materia & substantia est Christus. Itaque ea demum est Ecclesia vera Catholica quæ à Prophetis & Apostolis est Christo superstructa, tamquam templum spirituale Deo consecratum. i Præcipuus, id est ædificii caput, nam ædificiorum fundamenta sunt veluti capita. k Non tantum igitur fundamentum, sed totum ipsum ædificium Deo debetur.

3 Ad verbum, Carnis, Hebraism.
4 Vel, Gubernatione, id est, quod ad spiritualia attinet, nihil vobis cum Israële commune erat: quia in promissionibus Dei non eratis comprehensi.
5 Id est, quod ad pacta & fœdera attinet, quibus Deus se Israëlitarum Deum futurum promittebat.
6 F. vel in Jeschua Christo: quod haud scio an melius.
7 Intelligit multitudinem illam ceremoniarum, quibus Israël à reliquis Gentibus discernebatur.
8 Ad verbum, Filii civitatis. Hebraismus, ut statim Filii domus.

CAPUT III.

1 *Ideo se dicit à Judæis multa passum,* 3 *quod mysterium de Gentibus servandis,* 8 *Dei jussu prædicaverit.* 13 *Deinde rogat Ephesios, ne ob afflictiones quas patitur deficiant,* 14 *Ac propterea orat Dominum,* 18 *ut percipiant quanta sit Christi dilectio.*

Hujus [a] rei gratia ego Paulus *sum* [b] captivus ille
Christi Jesu pro vobis Gentibus:
2 Siquidem audistis dispensationem gratiæ
Dei quæ data est mihi erga vos:
3 *Deum videlicet* per revelationem notum
mihi fecisse mysterium illud, (sicut ante scripsi
paucis:
4 Ex quo perlecto potestis intelligere quæ
sit mea intelligentia in mysterio Christi)
5 [c] Quod aliis ætatibus non patefactum fuit
filiis hominum, ut nunc retectum est sanctis ejus
Apostolis & Prophetis per Spiritum:
6 Gentes *videlicet* esse cohæredes & con-
corpores, consortesq; promissionis ejus in Christo
per Evangelium.
7 Cujus factus sum minister ex dono gratiæ

[1] Hujus rei gratia ego Paulus vinctus sum Je-
schua Christi pro vobis Gentibus:
2 Si audivistis dispensationem gratiæ Dei
quæ data est mihi in vos.
3 Quoniam per revelationem notum fa-
ctum est mihi mysterium (quemadmodum scrip-
si vobis paucis:
4 Prout potestis, dum legitis, intelligere no-
titiam meam quæ est in mysterio Christi)
5 Quod ætatibus aliis non innotuit filiis
hominis, quemadmodum nunc revelatum est A-
postolis ejus sanctis & Prophetis ejus per Spi-
ritum:
6 Ut sint Gentes [2] cohæredes ejus, & parti-
cipes corporis ejus, ac [3] in promissione quæ exhi-
bita est in eo [4] per Evangelium:
7 Cujus ego factus sum minister, secundum

a B. Asserit Apostolatum suum adversus offendiculum crucis, ex quo etiam sumit argumentum ad eum confirmandum, affirmans se non modo designatum Apostolum per Dei misericordiam, sed etiam peculiariter Gentibus undiquaque ad salutem vocandis destinatum: quoniam ab initio Deus ita decreverat, quamvis diu distulerit ejus consilii patefactionem. b Captivus Christi passive dicitur, id est, qui pro Christi asserta gloria captivus teneatur. c Non quod nemo Gentium vocationem antea norit, sed quod paucis manifestata fuit: quibus autem fuit manifestata, veluti Prophetis, figuris tamen & obscurius significata fuit.

1 F. Hyperbaton maximum ab hoc versu ad 14. usque. vide in Rom. 5.12. quamobrem verbum substantivum ad hunc locum minime videtur pertinere.
2 Ad verbum, Filii hæreditatis ejus, id est, Participes hæreditatis ejus.
3 F. Id est, adfines promissionis consortesque.
4 Ad verbum, Per manum Evangelii, Hebraismus usitatissimus; ut paulo post, Per manum Ecclesiæ, id est, Opera Ecclesiæ.

Dei, donum

donum gratiæ Dei quæ data est mihi ab efficacitate virtutis ejus.

8 Mihi *inquam* qui minimus sum omnium sanctorum, data est gratia hæc ut Evangelizem in Gentibus opulentiam Christi impervestigabilem:

9 Et elucere faciam omni homini quæ sit dispensatio mysterii quòd absconditum erat à seculis in Deo qui omnia condidit,

10 Ut per Ecclesiam innotescat sapientia [5] multiformis principatibus & potestatibus quæ sunt in cælis:

11 Id quod preparatum fuerat à seculis; & fecit illud in Jeschua Domino nostro,

12 Per quem est nobis audacia & accessus cum fiducia [6] fidei ipsius.

13 Quapropter peto ut non anxius sit mihi *spiritus* ob afflictiones meas quæ sunt pro vobis: nam hæc est gloria vestra.

14 Et flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jeschua Christi,

15 (A quo nominatur tota cognatio quæ est in cælis & in terra)

16 Ut det vobis juxta opulentiam gloriæ suæ, ut in virtute corroboremini per Spiritum suum:

17 Quò in filio hominis vestro [7] interno inhabitet Christus per fidem, & in cordibus vestris,

18 Per charitatem, exsistente firma radice vestra & fundamento vestro, ut possitis assequi cum omnibus sanctis quæ sit altitudo & profunditas, & longitudo & latitudo,

19 Et cognoscatis magnitudinem charitatis Christi, ac impleamini omni plenitudine Dei.

20 Ei autem qui potest virtute omni re excellentiore *id* facere nobis, & plus quàm petimus aut cogitamus, secundùm virtutem suam quæ agit in nobis:

21 Ei *inquam* sit gloria in Ecclesia ejus per Jeschua Christum, in omnes ætates [8] multorum seculorum. Ammin.

[5] Ad verbum, Plena varietatibus.

[6] i. Per fidem in ipsum.

[7] Qui aliàs novus homo dicitur: cui opponitur exterior homo & vetus: interdum etiam spiritus, quemadmodum vetus homo carnis & membrorum appellatione intelligitur. Conferatur versiculus 22. ca. 7. ad Rom. & 9. ac 10. cap. 7. ad Colossenses cum hoc loco.

[8] Ad verbum, Seculorum seculorum. Hebraismus.

Dei, quod datum est mihi secundùm efficacitatem potentiæ ipsius.

8 Mihi, *inquam*, longè minimo omnium sanctorum, data est hæc gratia, Evangelizandi inter Gentes impervestigabiles illas opes Christi,

9 Et in lucem proferendi omnibus quæ *sit* communio mysterii quod erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia hæc condidit per Jesum Christum:

10 [d] Ut nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis ac potestatibus *quæ* in cœlis *sunt*, [e] multiformis illa sapientia Dei:

11 Secundùm propositum [f] æternum quòd constituit in Christo Jesu Domino nostro:

12 In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia, per [g] fidem ipsius.

13 Quapropter peto ne segnescatis ob afflictiones meas pro vobis, quæ est gloria vestra.

14 [h] Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,

15 Ex quo tota [i] familia in cælis & in terra nominatur,

16 Ut det vobis, [k] pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini per Spiritum suum in [l] interiore homine.

17 *Et* inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris:

18 Ut in [m] charitate radicati & fundati, valeatis assequi cum omnibus sanctis, [n] quæ *sit* illa latitudo & longitudo, & profunditas & sublimitas:

19 Et cognoscere [o] charitatem illam Christi [p] *omni* cognitione superiorem: ut impleamini ad [q] omnem usque plenitudinem illam Dei.

20 [r] Ei verò qui infinita cum redundantia potest omnia facere suprà ea quæ petimus, aut mente concipimus, pro vi illa agente in nobis,

21 Ei *sit inquam* gloria in Ecclesia per Christum Jesum, in omnes ætates seculi seculorum. Amen.

[d] 2. Vocatio Gentium inopinata, ipsis etiam Angelis cælestibus est speculi instar: in quo magnificam Dei sapientiam intueantur.

[e] Unica semper Deo fuit ratio homines salvandi, sed varia fuit forma.

[f] Quod omni principio sit antiquius.

[g] Fidem in ipsum.

[h] 2. Docet suo exemplo efficaciam doctrinæ à Dei gratia pendere, ac proinde preces cum prædicatione & auditione verbi esse conjungendas, quibus indigeant non modò qui sunt novitii, sed ipsi quoque veterani, ut magis ac magis per fidem cum Christo coalescentes, omnibus spiritualibus donis confirmati in cognitione ejus immensæ charitatis qua nos Deus Pater in filio complexus est, fundentur ac radices agant, quum tota familia, cujus pars jam in cælum recepta est, pars adhuc in terris hæret, ab illa adoptione Patris cœlestis in unico Filio suo, pendeat. [i] Tota gens quæ unum Patremfamiliâs habet: ea autem est Ecclesia, in Christo adoptata. [k] Pro magnitudine misericordiæ ipsius. [l] Vide Rom. 7. 22. [m] Qua diligimur à Deo: ea enim est radix nostræ electionis. [n] Quàm sit illud opus Christi omnibus partibus absolutum. [o] Quam exhibuit nobis Deus in Christo. [p] Quæ superat omnem ingenii nostri captum, ut quidem plenè animo concipi possit: nam alioqui quisque Dei Spiritu fretus pro modulo suo tantum percipit, quantum ad salutem satis est. [q] Ita ut in vobis abundent quæcumque ad nostram illam cum Deo perfectionem requiruntur. [r] 3. Erumpit in gratiarum actionem, qua confirmet etiam Ephesios, ut quidvis ex Deo sperent.

CAPUT IIII.

Tria ult. cap. præceptiones de moribus continent. 1 Hortatur ad mutuam conjunctionem: 7 propterea varia dona à Deo conferri, 16 ut ædificetur Ecclesia. 17 Revocat ergo eos ab infidelium vanitate, 25 à mendacio, 29 & spurcitie sermonis.

PEto igitur à vobis ego vinctus in Domino nostro, ut ambuletis quemadmodum convenit vocationi qua vocati estis,

2 Cum omni demissione mentis, & mansuetudine, & longanimitate: & sitis tolerantes alius alium in charitate:

3 Sitisq; soliciti ut servetis consensionem spiritus in vinculo pacis.

4 Ut sitis in unum corpus & in unum spiritum, quemadmodum vocati estis in unam spem vocationis vestræ.

5 Unus enim est Dominus, & una fides, & unum baptisma:

6 Et unus Deus Pater omnium, & super omnes, & [1] per manum omnium, & in omnibus nobis.

7 Unicuique autem ex nobis data est gratia juxta mensuram donationis Christi.

[1] Id est, Per omnes, Hebraismus.

PRecor [a] itaque vos ego captivus in Domino, ut incedatis ita ut dignum est [b] vocatione qua vocati estis:

2 [c] Cum omni modestia ac mansuetudine, cum [d] animi lenitate, tolerantes alii alios per charitatem:

3 [e] Studentes servare unitatem Spiritus per vinculum pacis.

4 [f] Unum *est* corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ.

5 [g] Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma:

6 Unus Deus & Pater omnium, qui est [h] super omnes, & per [i] omnes, & [i] in omnibus vobis.

7 [k] Sed unicuique nostrûm data est gratia pro mensura [l] doni Christi.

[a] Altera pars epistolæ, præcepta vitæ Christianæ complectens: quarum summa est, ut unusquisque se gerat sicut tanta Dei gratia dignum est.

[b] Vocationem universalem fidelium intellige, nempe, ut sancti sint sicut Deus sanctus est.

[c] 2. Secundò, animi mansuetudinem commendat, quæ in sese mutuò tolerandis demonstratur. [d] Vide Matth. 18. 35. [e] 3. Tertiò, summam conjunctionem requirit, sed quæ Spiritus sancti vinculo devinciatur. [f] Argumentum maximi momenti ad mutuam charitatem maximo studio colendam, quòd ab uno Deo & Patre, eodem Spiritu in unum veluti corpus conflati, unum Dominum una fide colentes, & uno baptismate ipsi consecrati, unam eandémque gloriam, ad quam vocati sumus, speremus. Omnia igitur ista discerpit qui charitatem violat. [g] Qui unus summum habet in Ecclesiam imperium. [h] Unus providentiam suam per omnia Ecclesiæ membra diffundit. [i] Unus in Christo nobiscum conjungitur. [k] 2. Admonet omnes quidem unum esse corpus, & ab uno Christo (qui postea devictis omnibus hostibus, in cælis regnat, unde Ecclesiam donis omnibus cumulet) omnia bona proficisci, sed incertà variè ac diversè dona ista pro ejus arbitrio distribui, ac proinde unumquemque debere, suo modulo contentum, id quod accepit, ad communem totius corporis utilitatem referre. [l] Quod Christus contulit.

8 Quapropter dicit, Quum ascendisset in
sublime, captivam duxit [m] captivitatem, & dedit
dona hominibus.
9 Cæterùm illud Ascendit, quid est nisi
quòd etiam descenderat priùs [n] in infimas partes
terræ?
10 Qui descenderat, ipse est qui etiam ascen-
dit longè suprà omnes cęlos, [o] ut impleret [p] omnia.
11 [q] Is igitur dedit alios quidem, [r] Apostolos,
alios verò, [f] Prophetas, alios autem, [s] Evangeli-
stas, alios autem, [t] Pastores & Doctores.
12 [x] Ad coagmentationem sanctorū, ad opus
ministerii, ad ædificationem [y] corporis Christi.
13 [z] Donec evadamus omnes [a] in unitate fi-
dei, & agnitionis Filii Dei, in virum adultum, ad
mensuram [b] staturæ pleni Christi:
14 [c] Ut ne simus ampliùs pueri, [d] qui fluctue-
mus & circumferamur quovis vento doctrinæ, in
hominum [e] alea, per [f] veteratoriam ad insidiosè
fallendum versutiam:
15 [g] Sed sincerè nos gerentes in charitate,
prorsus adolescamus in eum qui est caput, *nempe*
Christus:
16 Ex quo totum corpus congruenter coag-
mentatum, & compactum per omnes suppedita-
tas commissuras, ex [h] vi intùs agente pro mensu-
ra uniuscujusq; membri, incrementum capit [i] cor-
pori conveniens ad sui ipsius exstructionem per
[k] charitatem.
17 [l] Hoc itaque dico, & obtestor per Domi-
num, ne ampliùs incedatis, [l] sicut reliquæ Gentes
incedunt, [m] in vanitate mentis suæ,
18 Obtenebratam cogitationem habentes, &
alienati à [n] vita Dei propter ignorantiam quæ est
in ipsis, per obdurationem cordis ipsorum:
19 Qui postquam [o] devolverunt, sese dedi-
derunt proterviæ ad [p] certatim patrandam impu-
ritatem omnem.
20 [q] Vos autem non ita didicistis Christum:
21 Si modò de eo audivistis, & per eum edo-
cti estis, ([r] sicut est veritas in Jesu,)
22 Deponere quod ad pristinam conversatio-
nem attinet, [t] veterem illum hominem qui de-
ceptricibus cupiditatibus corrumpitur:
23 Renovari verò [x] spiritu mentis vestræ,
24 Et induere novum illum hominem, qui [y] se-
cundùm Deum cõditus est [z] ad justitiam & [y] san-
ctimoniam veram.
25 [z] Quapropter deposito mendacio, loqui-
mini veritatem quisque proximo suo, nam sumus
alii aliorum membra.
26 [a] Irascimini, & ne peccate: sol ne occidat
[c] super exacerbatione vestra:

8 Propter hoc dictum est, quòd ascendit in
altum, & captivam duxit captivitatem, & dedit
dona filiis hominis.
9 Quòd autem ascendit, quidnam est nisi
quòd etiam descendit priùs in [1] inferiora terræ?
10 Qui descendit, ipse est qui etiam ascendit
suprà omnes cælos, [3] ut impleret omnia.
11 Et ipse [4] dedit, sunt [5] quos *dedit* Apostolos,
& sunt quos *dedit* Prophetas, & sunt quos *dedit*
Evangelistas, & sunt quos *dedit* pastores, & sunt
quos *dedit* doctores,
12 [6] Ad perfectionem sanctorum, ad opus mi-
nisterii, ad ædificium Christi.
13 Donec fiamus omnes nos [7] una res per fi-
dem, & per agnitionem filii Dei, & *fiamus* unus
homo perfectus in mensura staturæ plenitudi-
nis illius:
14 Ut non simus pueri qui commoventur &
variantur ad omnem ventum doctrinarum versu-
tiarum filiorum hominis, qui per astutiam suam
sese componunt ut fallant:
15 Sed simus firmi in charitate nostra, ut quic-
quid est nobis, crescat in Christum qui est caput:
16 [9] Et ab eo totum corpus componitur, & col-
ligatur per omnes commissuras, secundùm do-
num quod datū est in mensura uniuicuique mem-
bro ad incrementum ipsius corporis, ut per cha-
ritatem perficiatur ædificium ejus.
17 Hoc autem dico, & testor per dominum, ut
deinceps non ambuletis sicut residuum Genti-
um quæ ambulant in vanitate cogitationis suæ:
18 Et tenebrosi sunt in intellectibus suis, sunt-
q; alienæ à vita Dei, proptereà quòd non est in
eis notitia, & propter cæcitatem cordis sui.
19 Quæ absciderunt spem suam, & tradide-
runt seipsas lasciviæ, & ad perpetrationem om-
nis impuritatis in cupiditate sua.
20 Vos autem nequaquā ita didicistis Christū:
21 (Si verè audivistis eum & didicistis, sicut
est veritas in Jeschua)
22 Sed [10] *didicistis* ut deponatis à vobis con-
versationes vestras priores, illum hominis illum
veterem qui corrumpitur concupiscentiis erroris:
23 Et renovemini in spiritu intellectuum ve-
strorum.
24 Et induatis filium hominis novum illum
qui secundùm Deum creatus est in justitia & [11] in
sanctitate veritatis.
25 Propterea deponite à vobis mendacium, &
loquimini veritatem [12] vir cum proximo suo:
membra enim sumus unus alterius.
26 Irascimini, & ne peccetis: & sol super ira-
cundiam vestram non occidat.

[m] Captivorum multitudinem.
[n] In terram, quæ est pars infima mundi.
[o] Donis suis cumularet.
[p] Ecclesiam.
[q] B. Priore loco functiones Ecclesiasticas partim extraordinarias & temporarias, ut Apostolos, Prophetas, Evangelistas: partim ordinarias & perpetuas, ut Pastores & doctores, commemorat.
[r] Apostoli fuerunt illi duodecim, quibus accessit Paulus: horum fuit officium per universum orbem Ecclesias constituere.
[f] Prophetarum munus fuit unum ex præcipuis: ii autem erant qui insigni aliqua sapientia pollerent, quorum aliqui etiam futura prædicebant.
[s] His utebantur Apostoli ut comitibus in suo fungendo munere, quum omnibus non possent sufficere.
[t] Pastores ii sunt qui Ecclesiam regunt, Doctores qui scholam.
[x] B. Finem Ecclesiasticarum functionū ostendit: nempe ut hominum ministerio omnes sancti sic coalescant, ut unum Christi corpus mysticum constituant.
[y] Ecclesiæ.
[z] B. Hujus ministerii usus perpetuus est dum in mundo versamur, id est, usq; ad tempus illud quo carne exuti penitùs inter nos consentientes, capiti nostro Christo adhærebimus. Hoc autem fit crescente in nobis cognitione Filii Dei, ipsoq; adeò paulatim in nobis adolescente, donec viri perfecti evadamus, quod quidem in altero fiet seculo, quum Deus erit omnia in omnibus.
[a] Ad eam summam conjunctionem cujus vinculū est fides.
[b] Christus dicitur adolescere non in sese, sed in nobis.
[c] B. Inter pueritiam (id est statum admodum imbecillem, quum videlicet adhuc penitùs vacillamus) & perfectam ætatem, quæ nobis in altero demum seculo obtinget, aliquid est mediū, nempe adolescentia, & firmus ad perfectionem progressus.
[d] B. Eos qui in verbo Dei non recumbunt, comparat naviculis quę doctrinis hominū tamquam ventis contrariis huc & illuc agitatæ fluctuent, & simul præmonet id accidere non tantum humani ingenii levitate, sed etiam quorundam versutiis qui hanc velut artem exercent.
[e] In ea [illegible], quibus jactantur homines.
[f] Eorum qui ad alios fallendos [illegible] exercitati.
[g] B. Veritatis & charitatis studio in Christum [illegible] verbi ministerio efficax, instar vitalis spiritus [illegible] corpus [illegible] ut singulos artus pro eorum modulo nutriat, Ecclesiam suam diversis functionibus quasi membris constantem, servata uniuscujusque proportione vivificat & fovet. Inde verò consequitur, neque extra Christum posse hoc corpus vivere, neque quemquam posse spiritualiter crescere, qui sese à cæteris membris sejungat.
[h] Vi Christi, quæ animæ instar singula membra vegetat.
[i] Ita crescit ut par est corpus crescere.
[k] Charitas est ipsa artuum commissura.
[l] B. Descendens ad doctrinæ Christianæ fructus, primum disserit de morum & actionum principiis, gravissimam [illegible] Dei [illegible] faculates esse corruptas, mente vanitati dedita, sensibus densissima caligine obscuratis, affectibus autem ad malū paulatim sic assuefactis, ut eos tandem [illegible] judicio oporteat ad turpissima quævis præcipitari.
[l] Rom. 1. 21.
[m] Si partes [illegible] etiam nobilissimæ corruptæ sunt, quid est homo aliud quam corruptio?
[n] Quâ Deus vivit in ipsis.
[o] Omnis judicii experters facti sunt.
[p] Quasi agatur de lucro, ita ut alius alium superare contendat.
[q] B. Sequitur antithesis hominum verè [illegible] Christi cognitione regeneratorum [illegible] habeant [illegible] principia, desideria videlicet sancta & honesta, & mentem prorsus divini Spiritus virtute [illegible] unde similes quoque [illegible] vita videlicet justa & verè sancta.
[r] Ut docti sunt qui verè ac serio Jesum agnoscunt.
[f] Vos ipsos.
[t] Ubi oportuit vitæ rationis præcipuam esse [illegible].
[x] [illegible]
[y] [illegible] fucatam, sed genuinam.
[z] B. Particulares aliquot Christianæ virtutis [illegible] commendat [illegible] omni fraude & simulatione, quoniam alii aliorum causa nati sumus [illegible] ipso adeò antè [illegible] occasionem [illegible]
[a] Si irasci contingat, ne peccate, id est, iram cohibete, ut quod malè cogitastis malè non [illegible]

[1] F. i. hanc terram inferiorem nostram. Instituitur enim comparatio non partis cum parte, id est, terræ superioris cum infima; sed terræ cum τᾶ οὐ[ρανᾶ], id est, alto cælo, cujus ex Davide antè meminerat, & repetit sequenti versu.
[3] F. vel ut perficeret omnia: quam interpretationem Syrum verbum magis postulat, & confirmant præcedentia. Nunc enim gratia datur unicuique secundùm mensuram donationis Christi: id autem eo facit ut perficiat omnia, ad quæ ministerium est in Ecclesia constitutum.
[4] i. Constituit.
[5] i. Alios Prophetas, alios Apostolos. Partitio Hebræorū more.
[6] F. vel consummationem.
[7] F. [illegible] quod [illegible] evidentius.
[8] F. vel ex Græco, veri, veraces.
[9] F. i. ex quo. Hebraismus. Colo. 2. 19.
[10] F. Affirmativa est [illegible] vel [illegible] ante usus est, [illegible] su 17. Quamobrem [illegible] verba [illegible]
[11] Vox Syriaca est בתוירא, quæ nusquam legitur alibi hoc sensu: quapropter legendum puto בתסירותא, ut sit nomen (quod vocant) abstractum, significans sanctitatem, cujus concretum non significat sanctum. Et admodum typographo fuit facile errorem committere in vocibus inter quas tanta est similitudo: nihil tamen mutare volui, quia idem habebatur in manuscripto codice Heidelbergensi, [illegible] Hebræum.
[12] i. Unusquisque

27 Et ne detis locum calumniatori.

28 Et qui furabatur, posthac non furetur, sed laboret manibus suis, & operetur bona, ut sit illi ad dandum ei qui necessitatem habet.

29 Omnis sermo detestabilis ex ore vestro non prodeat, sed is qui bonus est & utilis ad ædificationem, ut conferat gratiam iis qui audiunt.

30 Et ne contristetis Spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemtionis.

31 Omnis amarulentia, & furor, & ira, & vociferatio, & convitium, tollantur ex vobis, unà cum omni malitia:

32 Et estote benigni unus erga alium, ac misericordes: condonateq; alius alii, sicut Deus condonavit vobis in Christo.

27 Neque date locum diabolo.

28 [d] Qui furabatur, non ampliùs furetur: sed potiùs laboret, operando manibus [e] quod bonum sit, ut possit impertiri cui opus fuerit.

29 [f] Nullus sermo [g] putris ex ore vestro egreditor: sed siquis est commodus ad ædificationis usum, ut [h] gratiam auditoribus adferat.

30 [i] Et ne tristitia afficite Spiritũ illum sanctũ Dei, per quẽ obsignati estis in diem redemtionis.

31 Omnis amaritudo, & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia tollatur ex vobis, cum omni malitia.

32 Sed estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuò *offensas*, [k] sicut & Deus in Christo condonavit vobis.

[d] B. A corde descendit ad manus, furta condemnans: & quoniam huic sceleri dediti solent inopiam prætexere, docet laborem optimum esse adversus paupertatem remedium, cui sic benedicat Dominus, ut iis qui laborant, aliquid etiam supersit unde alios juvent, nedum ut aliena cogantur surripere. [e] Laborando in rebus sanctis & proximo utilibus. [f] B. Injicit etiam frænum linguæ, sic docens temperandum sermonem, ut non modò non destruantur auditorum animi, sed etiam instruantur. [g] Ad verbum putris. [h] Vocat gratiam, quod ad progressum in pietate & charitate pertineat. [i] B. Generalis præceptio adversus omnes exsuperantias affectuum positorum in facultate, quam irascibilem vocant, quibus contrarias mediocritates opponit. Adhibet autem præfationem longè vehementissimam, cavendum esse ne Spiritum sanctum in nobis ea lege habitantem ut nostris omnibus affectibus moderetur, nostra intemperie, velut tristitia afficiamus. [k] B. Argumentum ab exemplo Christi sumtum, quo nullum esse potest gravius, etiamsi hominibus inimicissimis condonandæ sint injuriæ: nedum si vel habenda sit miserorum ratio, vel de servanda erga quosvis moderatione & morum suavitate agatur.

CAPUT V.

3 Ne in vitiis quæ reprehendit, oscitanter suas admonitiones excipiant, 5 severa denunciatione eos deterret, 8 stimulos etiam adhibet, 15 & à generali morum parænesi, 22 ad specialem circa officium uxorum, 25 & maritorum descendit.

Estote igitur imitatores Dei, tamquam filii dilecti:

2 Et ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem fragrantem.

3 Scortatio autem & omnis impuritas & avaritia [1] ne etiam omnino nominetur inter vos, sicut decet sanctos.

4 Neque obscœnitas, neque sermones stultitiæ, aut lusus, aut fabulæ, quæ non sunt necessaria, sed pro his gratiarum actio.

5 Hoc enim scitote, quòd quisquis est scortator, aut impurus, aut avarus, aut cultor simulacrorum, non est ei hereditas in regno Christi & Dei.

6 Ne quisquam decipiat vos in sermonibus inanibus. propter hæc enim venit ira Dei super [2] filios contumaciæ.

7 Ne igitur sitis illorum consortes.

8 Eratis enim qnondam tenebræ, nunc autem lux estis in Domino nostro: [3] ut filii lucis igitur ita ambulate.

9 (Fructus enim lucis in omni sunt bonitate & justitia & veritate.)

10 Et discernite quid sit bonum coram Domino nostro.

11 Neque sitis [4] commercium habentes in operibus tenebrarum, in quibus fructus non sunt; sed corrigite illa.

12 Quod enim secretò faciunt, abominabile est etiam dicere illud.

13 Omnis enim res corrigitur à luce, & manifesta fit: & omnis res quæ manifestat, lux est.

14 Propter hoc dictum est, Expergiscere qui dormis, & exsurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.

15 Videte igitur quomodo ambuletis [5] circumspectè, non tamquam insipientes, sed tamquam sapientes,

16 Qui redimunt occasionem suam: quia dies mali sunt.

[1] Ad verbum, ne nominando nominetur inter vos. Etenim infinitivum verbum eidem verbo in præterito vel futuro gerundii loco præpositum, æquivalet adverbio augenti verbi significationem. Idq; non tantùm in Syriaco Testamento, sed etiam in universis Bibliis. Ita quum in principio Geneseos dicitur, Moriendo morieris, est sensus, Omnino morieris: &, in fine, Visitando visitabit vos Dominus, id est, Haud dubiè visitabit. [2] Id est, Homines contumaces. Hebraismus. [3] Id est, Luce præditi. Similis Hebraismus. [4] F. putà opere, contagione, vel dissimulatione. Nam huc spectat Paulus versu 13. quasi dicat, lucis officium est tenebras facere manifestas, atque corrigere; nedum eas dissimulare: vos autem lux estis in Domino nostro, suprà v. 8. [5] Quia vox Syra חויאית alibi non legitur, nec in hoc nec in alio sensu, & tantùm differt à חויראית, quòd literam ר non habet, puto eamdem esse vocem cum syncope literæ ר: quodq; me movet ut id existimem, est quòd frequenter occurrit חויראית in eodem sensu. Et errorem esse dicere non ausim, quum non modò impressum, sed etiam manuscriptum Heidelbergense Testamentum idem habeat. Quin etiam Syri in dictionibus unius literæ aut syllabæ syncope sæpiùs utuntur, ut & infrà capite 6. 8. ששודחא, pro שודשודחא. F. Etsi hoc quoque servari potest à Syrò זיוא & Hebræo זו, unde mensis Ziv apud Hebræos appellatus.

17 Propterea

[a] Estote igitur imitatores Dei, ut filii dilecti:

2 Et incedite in charitate, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.

3 [b] [a] Scortatio verò & omnis impuritas aut avaritia ne nominator quidem inter vos, sicut decet sanctos:

4 Et obscœnitas, & stultiloquium, & [b] scurrilitas, quæ non conveniunt: sed potiùs gratiarum actio:

5 [c] Nam hoc nostis, nullum scortatorem, aut impurum, aut avarum, qui est [d] idololatra, habere hæreditatem in regno Christi & Dei.

6 [i] Nemo vos seducat inanibus sermonibus. propter hęc venit ira Dei in homines cõtumaces.

7 [e] Ne igitur estote consortes eorum.

8 Eratis enim olim tenebræ, nunc autem [f] lux in Domino: ut filii lucis incedite.

9 (Nam fructus [g] Spiritus *situs est* in omni bonitate & justitia & veritate)

10 Probantes quid sit acceptum Domino.

11 Et ne commercium habete cum operibus illis infrugiferis tenebrarum, sed potiùs etiam [h] arguite.

12 Nam quæ occultè fiunt ab istis, turpe est vel dicere.

13 Sed omnia illa, dum à luce arguuntur, manifesta fiunt. lux enim illud est quod omnia facit manifesta.

14 Quapropter [i] dicit, Excitare qui dormis, & surge [k] a mortuis, & illucescet tibi Christus.

15 [l] [l] Videte igitur quomodo accuratè incedatis, non ut insipientes, sed ut sapientes:

16 [m] Redimentes occasionem, quoniam [n] dies mali sunt.

[a] Joh. 13. 34. & 15. 12. 1. Joh. 3. 23. [b] Supra 4. 19. Coloss. 3. 5. 2. Thess. 2. 17. [i] Matt. 24. 4. Mar. 13. 5. Luc. 21. 8. 2. Thess. 2. 3. [l] Col. 4. 5.

[a] B. Jam accedit ad alteram affectuum speciem, positam in facultate quam concupiscibilem appellant: nominatim scortationem, avaritiam & dicacitatem, & quidem gravissimè reprehendens. [b] Sales quos homines jaculantur, ut vel inane quiddam spectetur, vel exemplo vel maledicentia peccetur. [c] B. Quoniam hæc scelera sunt ex eorum numero quæ plerique ne inter vitia quidem numerant, expergefacit pios, ut tanto magis sibi ab iis ut nocentissimis pestibus caveant. [d] Idolorum servituti addictus. avarus enim in suis opibus vitam suam positam esse putat. [e] B. Quia nihil proclivius est quàm mala exempla sequi, idcirco monet sanctos Apostolus ut assiduè meminerint cæteros esse veluti tenebras, sese verò instar lucis. Illos igitur turpissima quæq; (ut in tenebris fieri solet) patrare: ipsos verò oportere non modò non sequi illorum exempla, sed etiam (quod proprium lucis munus est) eorum tenebras coarguere, & præeunte Christo vera illa luce. sic incedere, ut prudentes decet. [f] Fideles dicuntur lux, tum quia vera luce illustrantur, tum quòd aliis præluceant, ut sceleratorum etiam vitam coarguant. [g] Cujus vi facti sumus lux in Domino. [h] Palam facite, sancta nimirum vita. [i] Scriptura, vel Deus in scriptura. [k] Loquitur de morte peccati. [l] B. Quo corruptiores sint hujus seculi mores, eo magis in omnes occasiones intentos esse nos oportet, nec aliud nobisipsis quàm Domini voluntatem proponere. [m] Metaphora à mercatoribus ducta, qui lucrum etiam tantillum deliciis omnibus anteponunt. [n] Difficultatum & asperitatis plena tempora.

17 [a] Propterea

17 [l] Propterea ne eſtote imprudentes, ſed in-
telligentes quæ ſit voluntas Domini.
18 [o] Et ne inebriamini vino, in quo [p] luxus eſt,
ſed implemini Spiritu:
19 Loquentes inter vos mutuò pſalmis &
hymnis & cantionibus ſpiritualibus, canentes ac
pſallentes [q] in corde veſtro, Domino.
20 Gratias agentes ſemper de omnibus, in
nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri.
21 [r] Subjicientes vos alii aliis, cũ timore Dei.
22 [s] [ſ] Uxores propriis viris ſubjicite vos, [t] ut
Domino:
23 [u] [l] Quoniam vir eſt caput uxoris, ut & Chri-
ſtus eſt caput Eccleſiæ: [x] & is eſt qui ſalutem dat
corpori.
24 [y] Itaq; ſicut Eccleſia ſeſe ſubjicit Chriſto,
ita & uxores ſuis viris ſeſe ſubjiciunto in omnibus.
25 [z] [l] Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chri-
ſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit
pro ea:
26 [a] Ut eam [b] ſanctificaret, poſtquam *eam* pur-
gaſſet lavacro aquæ [c] per verbum.
27 Ut ſiſteret eam ſibi glorioſam, *id eſt* Eccleſi-
am [d] non habentem maculam aut rugam, aut
quicquam ejuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & incul-
pata.
28 [e] Ita debent viri diligere ſuas uxores ut ſua
ipſorum corpora. Qui diligit ſuam uxorem, ſeip-
ſum diligit.
29 Nullus enim unquam [f] ſuam ipſius, car-
nem odio habuit: imò enutrit ac fovet eam, ſicut
& Dominus Eccleſiam.
30 Quoniam membra ſumus corporis ejus,
[g] ex carne ejus, & ex oſſibus ejus.
31 [l] Propterea derelinquet homo patrem ſu-
um, ac matrem, & [h] agglutinabitur uxori ſuæ: &
qui duo *erant*, fient una caro.
32 [i] Myſterium hoc magnum eſt: loquor au-
tem de Chriſto & de Eccleſia.
33 [k] Itaque & vos ſinguli, ſuam quiſque uxo-
rem ita diligito ut ſeipſum, uxor autem *videto* ut
revereatur virum.

17 Propterea ne ſitis deſtituti mente, ſed con-
ſiderate quæ ſit voluntas Dei:
18 Et ne ſitis ebrii vino in quo eſt [6] temulen-
tia: ſed replemini ſpiritu,
19 Et loquimini apud voſipſos in pſalmis &
hymnis, & cantionibus ſpiritus, canite in cordi-
bus veſtris Domino.
20 Et eſtote gratias agentes omni tempore
pro omni homine in nomine Domini noſtri Je-
ſchua Chriſti, Deo Patri:
21 Et eſtote ſubjecti unus alii in charitate
Chriſti.
22 Uxores, eſtote ſubjectæ maritis veſtris tam-
quam Domino noſtro:
23 Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut etiam
Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, & eſt ſervator cor-
poris.
24 Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita
etiam vxores maritis ſuis in omni re.
25 Viri diligite uxores veſtras, ſicut etiam
Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam, & ſeipſum tra-
didit pro ea,
26 Ut ſanctificaret eam & mundaret eam la-
vacro aquarum & verbo:
27 Ut conſtitueret eam Eccleſiam ſibi ipſi glo-
rioſam, & in qua non eſſet labes neque ruga, ne-
que quicquam quod illis ſimile eſſet: ſed eſſet
ſancta abſque macula.
28 Ita convenit viris ut diligant uxores ſuas
tamquam corpora ſua. Qui enim uxorem ſuam
diligit, ſeipſum diligit.
29 Nullus enim unquam corpus ſuum odit;
ſed nutrit ipſum, & curat quę ſunt ejus: ſicut etiam
Chriſtus *curat* quæ ſunt Eccleſiæ.
30 Quoniam membra ſumus corporis ejus, &
ex carne ejus ſumus, & oſſibus ejus.
31 Propter hoc relinquet vir patrem ſuum &
matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt
ambo una caro.
32 Hoc myſterium magnum eſt: ego autem
dico de Chriſto, & de Eccleſia ejus.
33 Verumtamen etiam vos, unuſquiſque ex
vobis ita amet uxorem ſuam ſicut ſeipſum: uxor
autem [7] revereatur maritum ſuum.

[l] *Rom.* 12.2. 1. *Theſ.* 4.3.
[o] B. Diſſolutis infidelium conviviis ſobrios & ſanctos fidelium cœtus opponit, in quibus perſonent unius Domini laudes, ſive adverſis ſive proſperis rebus.
[p] Omnis profuſio eaq; ſumma cum turpitudine conjuncta.
[q] Serio cordis affectu, nõ lingua dumtaxat.
[r] B. Brevis repetitio ſcopi ad quem omnia referenda ſint, ut propter Deum alii aliis ſerviant.
[l] *Coloſ.* 3.18. *Tit.* 2.5. 1. *pet.* 3.1.
[ſ] B. Jam ad œconomiam deſcendit, ſingulas œconomices partes ordine diſtribuens. Uxorum autem officium in eo poſitum eſſe dicit, ut viris ſubjiciantur.
[t] B. Primùm argumentum, Quoniam maritis rebelles eſſe non poſſint, quin Deo ipſi hujus ſubjectionis auctori reſiſtant.
[u] B. Declaratio ſuperioris dicti, Quia Deus in matrimonio præfecerit virum uxori, ſicut Chriſtus eſt Eccleſiæ ſuæ caput.
[l] 1. *Cor.* 11.3.
[x] B. Aliud argumentum, Quia uxoris ſalus à viro dependet, ut non tantùm juſta, ſed etiam uxori utiliſſima ſit iſta ſubjectio: ſicut etiam Eccleſiæ ſalus eſt à Chriſto, quamvis longè diſſimili ratione.
[y] B. Concluſio officii uxorum erga maritos.
[z] B. Maritorum officium eſt uxores ut ſeipſos diligere: cujus dilectionis vivum eſt exemplar Chriſti erga Eccleſiam charitas.
[l] *Col.* 3.19.
[a] B. Quoniam multi ſolent uxorum infirmitates ſuæ duritiæ & inhumanitati prætexere, jubet nos contemplari Apoſtolus, qualem Eccleſiam nactus ſit Chriſtus, quum eam ſibi adjungeret, & quomodo omnes ejus ſordes adeò non ſit dedignatus, ut ſua etiam puritate omnes illas eluere non deſinat, tantiſper dũ illam penitùs purificet.
[b] Sanctum efficeret.
[c] Promiſſionem gratuitæ in Chriſto juſtificationis & ſanctificationis fide receptam.
[d] Eccleſia in ſeſe conſiderata, non prius erit ſine ruga, quàm quum ad metam pervenit. in hac enim vita in ſtadio currit: at ſi in Chriſto conſideretur, munda eſt & ſine ruga.
[e] B. Aliud argumentum, Unuſquiſque naturæ ſponte ſeipſum amat: reſiſtit ergo naturæ qui uxorem non amat. Conſequutionem probat primùm ex mutua Chriſti & Eccleſiæ conjunctione myſtica: deinde ex Dei ordinatione, qui virum & uxorem pronunciet eſſe inſtar ſingularis individui.
[f] Suum corpus.
[g] Alludit ad creationem mulieris, qua noſtram cum Chriſto conjunctionem ſignificat, quæ fit fide, ac ſacramento Cœnæ obſignatur.
[l] *Gen.* 2.24. *mat.* 19.5. *mar.* 10.7. 1. *cor.* 6.16.
[h] Vide *Matt.* 19.5.
[i] B. Nequis naturalem Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem ſomniet, qualis eſt viri & uxoris, arcanam eam eſſe oſtendit, ſpiritualem videlicet & quæ à communi hominum captu ſit quàm remotiſſima: utpote quæ ſpiritus non carnis virtute, fide, non naturali aliquo connexu, conſtet.
[k] B. Concluſio officii tum viri in uxorem, tum uxoris in virum.

[6] T. ἀσωτία: nam Græcam hanc vocem ſervavit Syrus.
[7] Ad verbum, ſit timens à marito ſuo.

CAPUT VI.

1 Subjicit præcepta de liberorum, 5 ſervorum, 9 & dominorum officiis. 10 Deinde proponit quàm acris pugna fidelibus ſit propoſita: 13 quibus armis in ea utendum. 21 Poſtremò Tychicum commendat.

Liberi, [l] [a] auſcultate [b] in [c] Domino parentibus
veſtris, [d] id enim eſt juſtum.
2 [e] [l] Honora patrem tuum & matrem: [f] quod
eſt præceptum primùm cum [g] promiſſione,
3 Ut benè tibi ſit, & ſis longævus ſuper terra.
4 [h] Et *vos* patres, ne provocate ad iram libe-
ros veſtros, ſed enutrite eos in doctrina & [i] moni-
tis Domini.

Liberi, obedite parentibus veſtris in Domino
noſtro: id enim juſtum eſt.
2 Et eſt mandatum primum [1] quod promit-
tit, Honora patrem tuum & matrem tuam,
3 [2] Ut ſit tibi quod bonum eſt, & prolongent
vitam tuam ſuper terram.
4 Parentes, ne irritetis filios veſtros, ſed educa-
te eos in diſciplina & in doctrina Domini noſtri.

[l] *Coloſ.* 3.20.
[a] B. Accedit ad aliam œconomices partem: & liberorum erga parentes officium in eo poſitum eſſe docet, ut parentibus obtemperent.
[b] B. Primùm argumentum, Quia ſic Deus ſancivit. Ex quo etiam conſequitur, hactenus teneri liberos hac obedientia, ut tamen à Dei cultu non diſcedant.
[c] Dominus enim auctor eſt, & ſecundùm illum præſtanda eſt obedientia.
[d] B. Secundum argumentum, Quòd juſtiſſima ſit hæc obedientia.
[e] B. Probatio primi argumenti.
[l] *Exod.* 20.12. *deut.* 5.16. *eccl.* 3.9. *matt.* 15.4. *mar.* 7.10.
[f] B. Tertium argumentum ab utili, Quòd Dominus hoc præceptum inter cætera ſit peculiari benedictione dignatus.
[g] Peculiari. nam alioqui ſecundum præceptum habet miſericordiæ promiſsionem in mille generationes, ſed univerſalem.
[h] B. Patrum officium eſt, moderatè & ad Dei gloriam jure patriæ poteſtatis uti.
[i] Monitis ex verbo Dei petitis, ſive ſanctis & Deo acceptis.

[1] F. vel quod promittitur, id eſt, auctum atque exornatum eſt promiſſione Dei.
[2] Retinet eadem verba quibus promiſſio facta eſt in Lege: atq; prolongationem vitæ filiorum parentibus attribuit, quia ab iis dependet: videlicet, ſi honore afficiantur ſicut Lex præſcribit. F. dependet autem ſecundariò, quatenus inſtrumenta ſunt conferendis Dei minis & promiſſionibus.

5 [k] [l] Servi, 5 Servi

3 Id est, illis qui dominantur vobis, quod ad corpus & res externas attinet, ;

4 Ad verbum, Filius libertatum, Hebraismus.

5 Ad verbum, Acceptio vultus. Vide annotata Mat. 6.

6 Id est, Tanquam calceis militaribus, pedes vestros munite præparatione pacis Evangelii, q.d. Muniti & parati sitis ad hanc spiritualem pugnam cognitione Evangelii pacis.

7 v. al. detur mihi sermo: rectè, etsi non legebat Tremellius.

5 Servi obedite dominis vestris qui sunt [3] secundùm carnem, cum timore & cum tremore, & cum simplicitate cordis, tamquam Christo.

6 Non ad aspectum oculorum, quasi ut filiis hominis placeatis: sed tamquam servi Christi qui faciunt voluntatem Dei:

7 Et servite eis ex toto animo vestro in charitate, tamquam Domino nostro, & non tamquam filiis hominis:

8 Scientes quòd illud quod facit homo quod bonum est, illud ipsum rependitur à Domino nostro, sive servus sit ille, siue [4] liber.

9 Etiam vos domini ita facite servis: remittite illis delicta: quia nostis quòd Dominus quoque vester est in cælis, & [5] acceptio personarum non est apud eum.

10 Quod superest, fratres mei, corroboramini in Domino nostro, & in potentia roboris ejus:

11 Et induite totam armaturam Dei, ut possitis consistere contra insultus calumniatoris.

12 Quia colluctatio vestra non est adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus, & adversus potestates, & adversus possessores mundi hujus tenebrosi, & adversus spiritus malos qui sunt sub cælis.

13 Quapropter induite universam armaturam Dei, ut possitis occurrere malo, & præparati existentes in omni re consistatis.

14 State igitur, & cingite lumbos vestros per veritatem, & induite loricam justitiæ:

15 Et [6] calceate in pedibus vestris præparationem Evangelii pacis.

16 Et ad hæc sumite vobis scutum fidei, per quem inveniamini validi ad extinguendum omnia jacula ignita illius Mali.

17 Et imponite galeam salutis, & apprehendite gladium spiritus, qui est sermo Dei.

18 Et in omnibus precationibus & in omnibus orationibus precamini omni tempore in spiritu: & in ipsa precatione estote vigilantes omni tempore, precantes sedulò & obsecrantes pro omnibus sanctis:

19 Etiam pro me, ut [7] detur mihi, in apertione oris mei, quo liberè prædicem mysterium Evangelii:

20 Cujus ego sum nuncius in catenis: ut cum audacia eloquar illud, sicut convenit mihi ut eloquar illud.

21 Ut autem sciatis etiam vos id quod apud me *geritur*, & id quod ago, ecce, notum facturus est vobis Tychicus frater dilectus & minister fidelis in Domino nostro:

22 Quem misi ad vos propter hoc ipsum, ut cognosceretis quod apud me *geritur*, & consolaretur corda vestra.

23 Pax cum fratribus nostris, & charitas cum fide, à Deo Patre, & à Domino nostro Jeschua Christo.

24 Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jeschua Christum, quæ non corrumpitur. Ammin.

Finitur epistola ad Ephesios quæ scripta fuit à Roma, & missa per manum Tychici.

5 [k] [l] Servi, auscultate iis qui *vestri* Domini sunt [l] secundùm carnem, [m] cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, ut Christo.

6 Non ad oculum servientes, ut qui hominibus placere student: sed ut servi Christi, [n] facientes ex animo quæ vult Deus.

7 Cum benevolentia servientes, ut [o] Domino, & non hominibus.

8 [p] Scientes, singulos quicquid fecerint boni, hoc reportaturos à Domino, sive servus fuerit, sive liber.

9 [q] Et vos domini, eadem facite erga illos, remissis minis: scientes vestrum etiã ipsorum Dominum esse in cælis, [l] nec [r] personæ respectum esse apud eum.

10 [f] Quod reliquum est, fratres mei, corroborate vos per Dominum, & per forte ipsius robur.

11 Induite universam illam armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

12 [t] Quoniam non est nobis lucta [l] adversus [u] sanguinem & carnem, sed adversus [x] imperia, adversus potestates, adversus mundi principes, *id est* tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales malitias *quæ sunt* in sublimi.

13 [y] Propterea assumite universam illam armaturam Dei, ut possitis resistere [z] tempore adverso, & omnibus confectis stare.

14 State igitur, lumbis circumcinctis veritate, & induti thorace Justitiæ:

15 Calceatis pedibus [a] præparatione Evangelii pacis.

16 Insuper assumto scuto fidei quo possitis omnia jacula Mali illius ignita extinguere.

17 Galeam etiam salutis recipite, & gladium spiritus, hoc est verbum Dei:

18 Omni prece & supplicatione, precantes omni tempore per [b] Spiritum, & illi ipsi rei excubantes cum omni perseverantia, & supplicatione pro omnibus sanctis,

19 Et pro me, ut mihi detur [c] sermo ad apertionem oris mei cum libertate, ut notum faciam mysterium Evangelii.

20 Cujus causa legatione fungor catenatus, ut, *inquam*, de eo liberè loquar, ut oportet me loqui.

21 [d] Ut autem sciatis & vos res meas, *&* quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charus frater & fidus minister in Domino.

22 Quem misi ad vos ob id ipsum ut cognoscatis res nostras, & consoletur corda vestra.

23 Pax *sit vobis* fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Jesu Christo.

24 Gratia *sit* cum omnibus diligentibus Dominum nostrum Jesum Christum ad [e] immortalitatem. Amen.

Scripta fuit Roma ad Ephesios per Tychicum.

[k] B. Jam ad tertiam œconomices partem descendit, nempe ad mutua servorum & dominorum officia. Servorum autem officium in eo positum esse docet, ut ex animo dominos suos ament & revereantur. [l] *Col. 3.22. tit. 2.9. 1. pet. 2.18.* [l] B. Mitigat servitutis asperitatem, quòd nihilominus eis maneat intacta spiritualis libertas, quæ corporalem servitutem non aboleat, adeò quidem ut Christi esse non possint, nisi dominis suis fideliter & sponte inserviant, quatenus quidem salva conscientia id fieri potest. [m] Cum solicita reverentia, nam ne servilis quidem metus probatur in servis Christianis. [n] B. Ut quibusvis prætextibus occasionem præcidat, docet non sine Dei voluntate servos nasci aut fieri: ac proinde Dei voluntatem esse ipsis respiciendum quantumlibet dura sit servitus. [o] Dei reverentia commoti, & quasi ipsi Deo. [p] B. Etiamsi ingratis aut crudelibus dominis serviatur, tamen servorum non minùs quàm liberorum obedientia Deo est accepta. [q] B. Dominorum officium est, moderatè & sanctè uti suo in servos imperio, quum & ipsi alio respectu communem habeant Dominum qui in cælis est, & tum servos tum liberos judicabit. [l] *Deu. 10.17. 2. par. 19.7. job 34.19. sap. 6.7. eccl. 35.16. act. 10.34. rom. 2.11. gal. 2.6. colos. 3.25. 1 pet. 1.17.* [r] Libertatis aut servitutis. [f] B. Concludit alteram hujus epistolæ partem, gravi exhortatione, ut omnes sint in procinctu, & spiritualibus armis freti, constanter pugnent, donec hostes penitùs profligentur. Monet autem primo loco, ut arma ex Deo sumamus, quibus solis confici possit hostis. [t] B. Secundò, præcipuos hostes invisibiles ac potentissimos esse declarat, ne putemus nobis cum hominibus præcipuè certandum. [l] *Supr. 2.2.* [u] Homines, quorum fragilis & caduca est natura, cui opponuntur versutiæ spirituales, infinitis partibus potentiores. [x] Ista nomina tribuit angelis malis, propter effectus, non quòd eos sua vi possint præstare, sed quia illis Deus laxat habenas. [y] B. Sola Dei armatura profligari istos hostes declarat, nempe conscientiæ integritate, pia & sancta vita, Evangelii cognitione, fide, denique Dei verbo adhibitis precibus assiduis & ferventibus pro Ecclesiæ salute, ac præsertim pro verè piorum ac fortium Verbi ministrorum constantia. [z] Vide sup. 5.16. [a] Ut præparatio Evangelii sit calceorum instar: optimè autem convenit epitheton, quum nos ad Deum per infensissimos hostium cuneos pergentes id nos ad fortiter pergendum hortetur, quod ex Evangelii doctrina scimus nos ad Deum nobis reconciliatum contendere. [b] Ut sanctæ preces à sancto Spiritu proficiscantur. [c] Loquendi facultas. [d] B. Familiaris & benevolentiæ plena sui status declaratio, unà cum precatione solenni, qua consuevit Paulus epistolas suas claudere. [e] Vitam æternam.

EPISTOLA

EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

CAPUT I.

5 De pio animi sui erga Philippenses affectu testatus, 12 de se & de suis vinculis tractat, 22 & eos suo exemplo incitat, 27 hortatúrque ad unitatem, 28 & patientiam.

BEZAE INTERPRET.

PAULUS & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, unà cum [a] episcopis ac diaconis:

2 Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

3 [b] Gratias ago Deo meo cum omni memoria vestrî,

4 Semper in omni precatione mea pro omnibus vobis, cum gaudio preces faciens,

5 [c] Super vestri in Evangelio communione, à [d] primo die usque ad hoc tempus:

6 Persuasum habens hoc ipsum, fore ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat [e] usque ad diem Jesu Christi:

7 Sicut justum est ut ego id sentiam de omnibus vobis, propterea quòd animo teneam, vos & [f] in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Evangelii, vos, *inquam*, omnes unà mecum fuisse [g] gratiæ meæ participes.

8 [h] Testis enim mihi est Deus quàm propensa voluntate vos omnes diligam in visceribus Jesu Christi.

9 [i] Et hoc precor, ut charitas vestra adhuc magis ac magis redundet in cognitione & omni sensu:

10 Ut dignoscatis quæ discrepant, ut sitis sinceri, & inoffenso cursu pergatis ad diem usque Christi,

11 Pleni [k] fructibus justitiæ, qui *sunt* per Jesum Christum ad gloriam & laudem Dei.

12 [l] Velim autem vos scire, fratres, quæ mihi *acciderunt*, magis ad profectum Evangelii evenisse.

13 *Adeò* ut vincula mea in [m] Christo celebria sint in toto [n] prætorio, ac reliquis omnibus.

14 Et plerique ex fratribus in Domino, freti vinculis meis, magis audeant impavidè [o] Sermonem loqui.

15 Ac nonnulli quidem per invidiam & contentionem, nonnulli verò etiam propensa voluntate Christum prædicant.

16 Alii quidem *inquam* per contentionem Christum [p] non purè annunciant, quod existiment sese afflictionem addere vinculis meis:

17 Alii verò ex charitate, scientes me ad defensionem Evangelii constitutum esse.

18 [q] Quid igitur? attamen quovis modo, sive in [r] speciem, sive sincerè, Christus annuntiatur: & de hoc gaudeo, atque etiam gaudebo.

19 Novi enim fore ut hoc mihi cedat in salutem per vestras preces, & suppeditationem spiritus Jesu Christi,

TREM. INTERPRET.

PAULUS & Timotheus servi Jeschua Christi omnibus sanctis in Jeschua Christo qui sunt Philippis, cum senioribus & ministris:

2 Gratia vobiscum & pax à Deo Patre nostro, & à Domino nostro Jeschua Christo.

3 Gratias ago Deo meo in mentione vestrî sedula,

4 Quę fit in omnibus precationibus meis pro vobis: & gaudens obsecro,

5 Propter communionem vestram quæ est in Evangelio, à primo die [1] usque ad præsens tempus.

6 Quia confido in hoc, quòd is qui cœpit in vobis opera bona, ipse perficiet usque ad diem Domini nostri Jeschua Christi.

7 Ita enim justum est sentire de omnibus vobis, eo quòd in corde meo positi sitis, & in vinculis meis, & in [2] defensione quæ est de veritate Evangelii: quia consortes mei sitis in gratia.

8 Testis enim est mihi Deus quomodo diligam vos in visceribus Jeschua Christi.

9 Et hoc precor, ut adhuc crescat & augeatur Charitas vestra in agnitione & in omni intelligentia Spiritus:

10 Ut discernatis ea quæ sunt præstantia, & sitis mundi sine offendiculo in die Christi,

11 Et pleni fructibus justitiæ qui sunt per Jeschua Christum, ad laudem & gloriam Dei.

12 Volo autem ut sciatis, fratres mei, quòd negotium meum excellenter progressum fecit in Evangelio:

13 Ita ut etiam vincula mea manifestata sint in Christo, in prætorio toto, & [3] in reliquis omnibus hominibus.

14 Et multitudo fratrum qui sunt in Domino nostro, [4] freti sunt propter vincula mea, & ausi sunt magis sine timore loqui sermonem Dei:

15 Et aliqui ex invidia & contentione, aliqui autem voluntate bona, & charitate Christum prædicant:

16 Quia norunt *quòd* in defensionem Evangelii positus sum.

17 Qui verò per contentionem Christũ prædicant, nequaquam *id faciunt* sincerè, sed quia existimant quòd addunt afflictionem vinculis meis.

18 Et in hoc gavisus sum, & gaudeo, quòd quocumque modo, sive [5] obtentu, sive in veritate, Christus prædicatur.

19 Novi enim quòd hæc [6] ad salutem [7] inveniuntur mihi per precationes vestras, & donationem Spiritus Jeschua Christi.

---

a Episcoporum nomine eos qui verbo & gubernationi præerant, Diaconorũ, eos qui Ecclesiæ ærarii essent œconomi intelligit.
b B. Scopus Epistolæ est, Philippenses modis omnibus confirmare, ut non modò non deficiant, sed etiam proficiant: Ac primo quidem præterita laudat, ut ad pergendum hortetur: quod se etiam omnino sperare dicit, idque ex vivæ charitatis ipsorum testimonio, sed intereà ad unius Dei gratiam omnia refert.
c Quòd & vos facti estis participes Evangelii.
d Ex quo vos cognovi.
e Ad extremum usque finem non deseret vos Dei Spiritus, donec mortalia vestra corpora sistantur Christi judicio glorificanda.
f Veræ cum Christo conjunctionis verum argumentum.
g Gratiam vocat quasi singulare aliquod beneficium, vincula sua.
h B. Addit suæ in eos benevolentiæ declarationem, ostendens simul quare maximè possint confirmari, nempe precibus assiduis.
i B. Quid præcipuè nobis sit petendum ostendit, primùm videlicet ut in vera Dei notitia, (adeò ut discrepantia possimus dignoscere) deinde in charitate crescamus, ut ad extremum usque ad gloriam Dei per Jesum Christum, verè bonis operibus incumbamus. k Si Justitia arbor, Opera bona sunt fructus, falli necesse est Sophistas, quum dicant opera causas esse justitiæ. l B. Occurrit crucis offendiculo, unde nonnulli occasionem arripiebant deprimendi ipsius Apostolatus. Quibus respondet, Deum sic benedixisse suæ captivitati, ut inde sit etiam factus illustrior, dignitate Evangelii, quamvis non simili omnium studio, tamen re ipsa per istam occasionem magnopere amplificata. m Christi nomine. n In Cæsaris regia. o Evangelium per excellentiam sermo dicitur. p Non puro animo, alioqui puram doctrinam. q B. Suo proposito exemplo docet verum gaudium esse nostrarum afflictionum exitum, idque virtute Spiritus Christi, quem petentibus largiatur. r Speciosam scilicet causam, id est, Christum ipsum prætexebant suæ ambitioni & invidiæ,

1 F. Syr. & usq; nunc, Hebraism.
2 F. Syr. protensione vel protractione spiritus. vide in Rom. 8. 20. sic infr. vers. 10.
3 Ad verbum, Et apud residuum omnium hominum. Cui respondet Gallica loquutio, *Et au demeurant de tous les hommes.*
4 Vel, Fiduciam sumserunt.
5 Vel prætextu.
6 i. Eveniunt mihi ut mihi sint salutaria.
7 F. vel adsunt, præstò sunt. Hebraismus.

8 Ad verbum, Cum revelatione faciei, Syra phrasis.

9 F. vel in ista vita carnis, fructus est mihi in operibus meis. q.d. si qui adhuc fructus mihi restat percipiendus in hoc opere & ministerio meo.

20 Quemadmodum spero & confido quòd nulla in re pudefiam, sed [8] revelata facie, sicut omni tempore, etiam nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitã sive per mortẽ.

21 Vita enim mea Christus est: &, si moriar, lucrum est mihi.

22 Si autem etiam [9] in istis vita sit carnis, fructus sunt mihi in operibus meis. ignoro quod optem mihi.

23 Coarctant enim me hæc ambo: liberari concupisco ut cum Christo sim, & hoc valdè utile esset mihi:

24 Sed etiam ut maneam in corpore meo, coarctat me desiderium propter vos.

25 Et hoc indubitatò novi, quòd mansurus sum & permansurus ad gaudium vestrum, & ad incrementum fidei vestræ:

26 Ut quum venero rursus ad vos, exuberet in me gloriatio vestra quæ est in Jeschua Christo.

10 Tantùm, in Syro textu cohæret cum præcedentibus.

11 F. i. veniam visurus vos, vel etiam veniens videam, Hebraism. ut Matth. 4.9.

12 Datum est vobis, cohæret cum præcedentibus.

13 i. Firmiter credatis.

27 [10] Tantùm, quemadmodum decet, in Evangelio Christi vos gerite, ut sive [11] veniam, videam vos, & sive absens sim, audiam de vobis quòd persistatis in uno spiritu & una anima, & decertetis simul per fidem Evangelii:

28 Et in nulla re terreamini ab iis qui stant contra nos in judicium perditionis illorum & salutis vestræ: & hoc à Deo ipso.

29 [12] Datum est vobis ut non tantùm [13] credendo credatis in Christum, verumetiam ut pro eo patiamini.

30 Et sustineatis certamen, sicut vidistis in me, & nunc auditis de me.

20 [f] Secundùm intentam exspectationem & spem meam, quòd nulla in re pudefiam, sed cum omni libertate, ut semper, *ita* nunc quoque magnificabitur Christus in corpore meo, seu per vitam seu per mortem.

21 Mihi enim *est* Christus & *in* vita & *in* morte lucrum.

22 [g] An verò [a] vivere in carne mihi operæpretium *sit*, & quid eligam ignoro.

23 Coarctor enim utrimque: desiderio tendens ad remigrationem, & ut cum Christo sim. Nam *id* valdè multo melius.

24 Sed permanere in carne, magis necessarium *est* propter vos.

25 Et hoc confisus novi, me mansurum esse & permansurum cum vobis omnibus ad vestrum profectum & gaudium fidei:

26 Ut abundet gloriatio vestra in Christo Jesu de me, mea rursus apud vos præsentia.

27 [z] Tantùm ut dignum est Evangelio Christi vos gerite, ut sive postquam venero & videro vos, sive absens, audiam de rebus vestris, vos *audiam* [y] perstare in uno Spiritu, uno pariter animo decertantes per fidem Evangelii.

28 [a] Nec ulla in re territos ab iis qui se opponunt: quod illis quidem est exitii indicium, vobis autem salutis, idq; à Deo.

29 [a] Quia gratis datum est vobis in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo pati:

30 [b] Idem certamen sustinendo quale vidistis in me, & nunc auditis de me.

[f] 2. Perseverantia opus est ad extremum usque, summa cum fiducia, proposita nobis una Christi gloria, sive vivendum sit sive moriendum.

[g] 2. Exemplum veri pastoris, sua quamvis felicitatem postponentis ovium suarum utilitati.

[a] In hoc mortali corpore degere.

[z] 3. Illis initio procemii præpositis, jam ad exhortationes descendit, primùm omnium monens ut consensum & in doctrina & in voluntatibus seu animis conservet, deinde ut communibus illis vinculis conjuncti, persistent fidei robore freti omnia adversa sic sustinere, ut nihil Evangelica professione indignum admittant.

y Standi verbum athletis convenit, qui immoto velut gressu consistunt.

[a] 3. Persequutiones ab Evangelii hostibus intentatæ nos non dejicere, sed erigere potiùs debent, quum certa sint à Deo ipso testimonia tum nostræ salutis tum impiorum exitii. [a] 3. Confirmatio ejus quod dixerat, crucem esse nostræ salutis indicium, quoniam pati pro Christo donum est Dei, quo justos, sicut & fide, dignatur. [b] 3. Jam ostendit quo consilio suarum afflictionum meminerit.

CAPUT II.

2 *Obtestatur eos ut nihil prius habeant 3 humilitate, 6 idq; exemplo Christi. 19 Timotheum se illis brevi missurum promittit, 26 & moram Epaphroditi excusat.*

1 Periphrasis est consolationis, etiam Hebræis usitata, ut Genes. 34. & Hosch. 2. & alibi: quòd qui aliquem consoletur, potissimùm verbis utatur quæ ejus cor & animum afficere ac recreare queant. Est autem syncope in voce נחם, de qua vide locum 1. Thes. 2.11.

2 F. Syrè, non fuit rapinam æstimans illud, quod esset æqualis Deo; sed animam suam exinanivit, &c. quæ verba non incommodè cum Græcis Pauli conveniunt.

3 F. Syr. habitu, σχήματι: nam servavit Græcum vocabulum.

4 Ad verbum, Multiplicavit exaltationem ejus, Id est, Summè extulit eum.

SI vobis igitur est consolatio in Christo, & si est loquutio [1] super cor in dilectione, & si *est* communio Spiritus, & si *sunt* viscera, & si miserationes,

2 Complete gaudium meum, & una cogitatio sit vobis, & una dilectio, & una anima, & una mens:

3 Et nihil per contentionem aut per gloriam inanem faciatis, sed per lenitatem animi, unusquisque proximum suum tamquam præstantiorem se, reputet:

4 Neque quisquam quæ sunt suipsius curet, sed quisque etiam quæ sunt proximi sui.

5 Et hoc sentite in vobisipsis, quod etiam Jeschua Christus.

6 Qui quum esset in similitudine Dei, [2] nequaquam *per* rapinam æstimasset illud ipsum quod esset æqualitas Dei:

7 Nihilominus seipsum exinanivit, & formam servi accepit, factusq; est in forma filiorum hominis:

8 Et [3] similitudine inventus ut filius hominis: atque demisit semetipsum, & obedientem se præstitit usq; ad mortem, mortem autem crucis.

9 Propter hoc etiam Deus [4] multum exaltavit eum, & dedit ei nomen quod excellentius est omnibus nominibus.

10 Ut in nomine Jeschua omne genu flectatur eorum quæ sunt in cælo, & in terra, & eorum quæ sunt sub terra.

SI qua [a] igitur consolatio *est* in [b] Christo, si quod solatium charitatis, si qua communio spiritus, [c] si quæ viscera ac miserationes,

2 Explete meum gaudium, ut itidem sitis affecti, [d] eamdem charitatem habentes, unanimes, & sententiis uni.

3 Nihil *gerentes* per contentionem aut per inanem gloriam, sed ex modestia alius alium se præstantiorem existimans.

4 Ne sua quisque spectate, sed unusquisque etiam quæ sunt aliorum.

5 [e] Itaque is sit affectus in vobis qui fuit & in Christo Jesu:

6 Qui quum esset [f] in forma Dei, [g] non duxit rapinam, [h] parem esse cum Deo:

7 Sed ipse sese [i] inanivit, [k] forma servi accepta, similis hominibus factus:

8 Et habitu compertus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

9 [l] Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei [m] nomen quod est supra omne nomen:

10 Ut ad nomen Jesu [n] omne genu *se* flectat cælestium ac terrestrium & subterraneorum:

[a] 1. Vehementissima obtestatio, ut ea omnia repellant quibus illa summa consensio violari solet, nempe contentionem & superbiam, quibus fit ut alii ab aliis sejungantur.

[b] Christianæ.

[c] Signis internæ charitatis sensus.

[d] Parem.

[e] 2. Proponit perfectissimum omnis modestiæ & mutuæ suavitatis exemplum, Jesum Christum, quem ut[illegible] oportet pro viribus imitari. Is autem quamvis nihil sit cum sublimitate nomen [illegible] se[illegible] cit, ut servi formam (nostram videlicet carnem) ultro induerit, & quidem omnibus infirmitatibus ad mortem usque crucis obnoxiam. [f] Talis qualis est ipse Deus, ut ideo; Deus, quum unus Deus sit, sui ipsius prorsus similis. [g] Christus ille Deus æterna gloria præditus sciebat quidem jus sibi esse non in humili carne apparere, sed cum magnificentia Deo digna, verùm maluit sese [illegible] [h] Quum par Filius sit Patri, æqualitatem esse necesse est contra Arrium; quum filius Patri comparetur, necesse est personarum esse distinctionem, contra Sabellium.

1 Quasi ex omni seipsum ad nihil redegit. [k] Assumta humana natura. [l] 3. Summissionis Christi gloriosissimus exitum ostendit, ut modestiam doceat viam esse ad solidam laudem & gloriam. [m] Dignitatem & celebritatem nominis, sed cum re ipsa conjunctam. [n] Omnis creatura tandem subjicietur Christo.

11 Et

11 [o] Omnisq;

o Omnis gens.
p B. Conclusio, oportere nos summissos & humiles per nostræ vocationis viam ad salutem progredi.
q Conficere salutem dicitur, qui in justitiæ stadio currit.
r B. Solidissimum adversus arrogantiam argumentũ, nihil nos habere laudabile nisi ex dono Dei gratuito, & quidem adventitio, quoniã ne ad benevolendum quidem (nedum ad benè agendum) facultatem ullam aliunde quàm ex gratuita Dei misericordia habemus.
s Non sumus igitur stipites, sed benè volumus, non quidem natura, at quia Deus ex mala volũtate bonam fecit.
t B. Modestiam à contrariis superbiæ effectis describit, alienam esse docens tum ab omni maligna & occulta simultate, tum ab apertis contentionibus & rixis.
u B. In summa, requirit vitam inculpatam & integram, ut verbo Dei illustrati inter hujus seculi tenebras splendeant.
ẞ 1. Pet. 4. 9. Matth. 5. 14.
x Evangelium vocatur Sermo vitæ, ab effectu.
y B. Rursus addit eis stimulos, proposita sua de ipsis verè Apostolica solicitudine; consolans etiam eos ne magnitudine afflictionum ipsius contristentur, ne si ipsum quidem mori oporteat, ut suo sanguine, veluti libamento, oblationem eorum perficiat.

11 o Omnisq; lingua profiteatur Jesum
Christum esse Dominum, ad gloriam Dei Patris.
12 p Proinde, dilecti mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mea solùm, sed nunc multo magis in absentia mea, cum timore ac tremore q vestram ipsorum salutem conficite.
13 r Deus enim is est qui efficit in vobis & s ut velitis & ut efficiatis, pro gratuita *sua* benevolentia.
14 t Omnia facite absque murmurationibus ac disceptationibus:
15 u ẞ Ut sitis irreprehensi & sinceri, Dei *inquam* filii inculpati in medio nationis pravæ ac perversæ: inter quos *homines* splendetis ut luminaria in mundo,
16 x Sermonem vitæ prætendentia: y ut gloriari possim in die Christi me non frustrà cucurrisse, nec frustra laborasse.
17 Quinetiam si pro libamento offerar super z hostia sacrificioq; fidei vestræ, gaudeo & gratulor omnibus vobis.
18 Itidem autem & vos gaudete, & gratulamini mihi.
19 a Spero autem in Domino Jesu, me ẞ Timotheum brevi missurum vobis, ut & ego b bono sim animo, cognito statu vestro.
20 Neminem enim habeo pari animo præditum, qui sincerè res vestras curaturus sit.
21 ẞ Nam c omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Jesu.
22 Experimentum autem ejus nostis, quòd *videlicet* tamquam cum patre filius, mecum servierit *Deo* in Evangelio.
23 Hunc igitur spero me missurum, simulatq; videro rerum mearum statum.
24 Confido autem in Domino, me quoque citò venturum ad vos.
25 Sed necessarium duxi, Epaphroditum fratrem & adjutorem ac commilitonem meum, vestrum autem legatum, quiq; mihi subministravit quibus mihi opus erat, ad vos mittere,
26 Quoniam expetebat omnes vos: & gravissimè angebatur propterea quòd audissetis eum ægrotasse.
27 Et certè ægrotavit proximè mortem: sed Deus misertus est ejus: nec ejus solùm, sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem.
28 *Eo* studiosiùs itaq; ipsum misi, ut eo rursus viso, gaudeatis, & ego eo minùs doleam.
29 Excipite igitur eum in Domino cum omni gaudio: & tales in pretio habete.
30 Nam propter d opus Christi accessit ad mortem usque, non habita vitæ ratione, ut suppleret defectum vestri erga me officii.

11 Et omnis lingua confiteatur quòd Dominus sit Jeschua Christus, ad gloriam Dei Patris ejus.
12 Itaque, dilecti mei, sicut omni tempore obedientes vos præstitistis, non quum propinquus essem vobis tantùm, sed nunc quum longè absim à vobis, magis in timore & in tremore operamini opus salutis vestræ.
13 Deus enim efficit in vobis tum velle tum agere 5 id quod vultis.
14 Omnia facite absque murmurationibus, & absque disceptatione:
15 Ut sitis integri & sine macula, tamquam filii sinceri Dei, qui habitant in generatione pravâ & perversâ: & conspiciamini inter eos tamquam luminaria in mundo,
16 6 Ut sitis illis loco salutis, ad gloriam meam in die Christi, ne frustrà cucurrerim, neve in vanum laboraverim.
17 Quinetiam si 7 libaminis instar offerar super victimam & ministerium fidei vestræ, gaudeo & exulto cum omnibus vobis,
18 Sicut etiã vos gaudete & exsultate mecũ.
19 Spero autem in Domino nostro Jeschua, quòd mittam ad vos Timotheum brevì, ut etiam mihi sit quies 8 quũ certior factus fuero de vobis,
20 Nullus enim mihi alius est hic qui sit ut anima mea, qui diligenter curet quæ vestra sunt.
21 Omnes enim quæ sua ipsorum sunt, quærunt, & non quæ Jeschua Christi.
22 Probationem autem ejus novistis, quòd tamquam filius cum patre suo, ita servivit mecum 9 in Evangelio.
23 Hunc spero quòd mittam ad vos brevì, postquam videro quæ apud me *geruntur*:
24 Et confido in Domino meo, quòd ego quoque brevì veniam ad vos.
25 Nunc autem coëgit me res ipsa ut mitterem ad vos Epaphroditum fratrem, qui est adjutor & cooperator meus, vester autem legatus, & minister necessitatis meæ:
26 Qui cupidus erat videndi vos omnes, & anxius erat, quia cognoverat quòd audivissetis quòd infirmatus fuisset.
27 Etiam infirmus fuit usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus: nequaquam autem ejus tantùm, sed etiam mei, ne esset mihi afflictio super afflictionem.
28 Solicitè igitur misi eum ad vos, ut quum videritis eum, rursus gaudeatis, & mihi aliquantula sit respiratio.
29 Excipite igitur eũ in Domino cũ omni gaudio, & eos qui tales sunt, in honore habete eos.
30 Propter opus enim Christi, usque ad mortem appropinquavit, & sprevit 10 animam suam ut impleret id 11 quod defuerat vobis in ministerio quod est erga me.

5 Auctor hujus paraphrasis εὐδοκίαν (cujus meminit Græcus textus, eam referens ad Deum) Philippensibus attribuit, dũ vertit, Id *supple bonum* quod vultis. F. alioqui Grecè indefinitè est dictum, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, pro bona voluntate.
6 Id est, Ut id præstetis mentibus illorum quod præstant cælestia luminaria corporibus mortalium, nempe salutem. Quem sensum commodissimè habere possunt verba quoque Græci textus, λόγον ζωῆς ἐπέχοντες, id est, Verbum vitæ cotinentes. id est, Causam vitę & salutis. F. vel ut sitis eis loco vitæ, id est, ut rationem vitæ ac salutis præferatis & præbeatis eis. Λόγον enim non hîc pro sermone, sed pro ratione & modo accepit Syrus, trita significatione.
7 Alludit ad ritum qui observabatur in oblationibus legalibus. victimis enim adjuncta erant libamina, ut describuntur passim in Levitico. Comparat autem Philippenses regenitos fide, victimis; & sanguinis sui effusionem, libamini: in quo similiter vini & olei effusio requirebatur.
8 Ad verbum, Quum didicero de vobis. id est, quum intellexero quo in statu res vestræ sint.
9 I. In prædicatione Evangelii.
10 I. Vitam suam. Hebraismus.
11 Id est, Defectum officii vestri erga me.

z Quasi diceret, Ego vos ad Christum adduxi, cui postulo ut vos hostiam vivam sistatis, nec dubitem in hoc vestro spirituali sacrificio, tamquam libaminis additamentum intervenire.
a B. Confirmat etiam eorum mentes tum remisso Epaphrodito, cujus fidem erga eos & summum in se juvando studium collaudat; tum etiam promittens fore ut brevi Timotheum, ex cujus præsentia magnum fructum sint percepturi, ad eos mittat: atque adeò fore sperans ut (volente Deo) ipse citò ad eos veniat.
ẞ Act. 16. 1.
b In alacritate animi confirmer.
ẞ 1. Cor. 10. 24.
c Plerique.
d Opus Christi vocat, Christum in persona Pauli vinctum & egentem invisere.

CAPUT III.

Refellit inanes pseudoapostolorum jactantias, 7 & illis unum Christum opponit, 10 Vim & naturam fidei describit, 15 ut posthabitis omnibus, aspirent ad communicationem crucis Christi, 18 cujus inimicos notat.

a B. Conclusio superiorum, ut pergant hilares in Domino.

Quod a superest, fratres mei, gaudete in Domino. b c Eadem scribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum est.

Proinde fratres mei, gaudete in Domino nostro. 1 Eadem ut scribam vobis non est molestum mihi, propterea quòd vos admonent.

1 Ad verbum, Hæc sicut hæc. id est, Quæ antè

b B. Præfatio ad sequentem admonitionem, ut à pseudoapostolis sibi sedulò caveant, circumcisionem cum Christo (id est operum justitiam cum gratuita per fidem justificatione) conjungentes, & ceremonialia abolita pro veris pietatis ac charitatis exercitiis inculcantes. Vocat autem eos canes, ut prophanos latratoresque ac obtrectatores, quod vera opera negligerent, & verum eorum usum non traderent. Denique vocat concisionem, quòd circumcisionem urgentes, & sese & alios ab Ecclesia scinderent.
c Quæ ex me sæpè audistis.

2 Cavete à canibus, cavete ab operariis malis, cavete à concisione carnis.

3 Circumcisio enim nos sumus, qui servimus Deo in Spiritu, & gloriamur in Jeschua Christo, & non confidimus in carne.

4 Quamquam mihi [2] fuerit confidentia etiam in carne. Si enim quisquam putat confidentiam suam esse in carne, ego magis quàm ipse:

5 Circumcisus natus octo dies, ex genere Israëlis, ex tribu Binjamin, Hebræus filius Hebræorum, juxta Legem Pharisæus,

6 Juxta æmulationem persequutor Ecclesiæ, & in justitia Legis sine accusatione fui.

7 Sed quæ lucro erant mihi, damnum reputavi ea propter Christum:

8 Et etiam reputo illa omnia damnum propter dignitatem cognitionis Jeschua Christi Domini mei: propter quem omnis rei damnum sustinui, & tamquam fimum reputavi, ut Christum lucrifaciam:

9 Et reperiar in eo non habens justitiam mei ipsius, quæ est ex Lege: sed illam quæ est ex fide Christi, quæ justitia est à Deo.

10 Ut in ea cognoscam Jeschua & vim resurrectionis ejus, & fiam particeps passionum ejus, & [3] similis fiam in morte ejus:

11 Si quo modo possim pervenire ad resurrectionem quæ est ex mortuis.

12 Non quòd jam acceperim, aut quòd jam perfectus sim, sed curro, *experiens* siquo modo apprehendam id cujus causa prehendit me Jeschua Christus.

13 Fratres mei, ego de meipso non judico quòd apprehenderim:

14 Unum autem novi, quòd eorum quæ sunt mihi ad latus, obliviscor, & ad ea quæ ante me sunt, extendor: & curro contra metam, ut accipiam [4] victoriam vocationis supernæ Dei, per Jeschua Christum.

15 Qui igitur perfecti sunt [5] hoc sentiant: & siquid aliter sentitis, etiam hoc Deus revelabit vobis.

16 Attamen ad id quod pervenimus, una semita procedamus, & uno consensu:

17 Similes estote mei, fratres mei, & considerate eos qui ita ambulant secundùm exemplum quod in nobis videtis.

18 Sunt enim multi qui aliter ambulant, de quibus [6] sæpiùs dixi vobis, nunc autem flens dico, qui inimici sunt crucis Christi.

19 Quorum finis perditio est: quorum deus venter eorum est, & gloria eorum confusio ipsorum: [7] quorum cogitatio in terra est.

20 Nostrum autem [8] opus in cælis est, & inde exspectamus servatorem nostrum, *videlicet* Dominum nostrum Jeschua Christum:

21 Qui transmutabit [9] corpus humilitatis nostræ, ut fit in similitudine corporis gloriæ suæ, secundùm virtutem suam magnam, per quam omnia subjecit sibi.

2 ד, vel sit, præsenti tempore: quod Græcis verbis & argumento videtur respondere.

3 ד, id est, conformet ejus morti: Syrâ phrasi.

4 Id est, Præmium victoriæ.

5 Id est, Hoc animo sint affecti.

6 Ad verbum, Temporibus multis. Hebraismus.

7 Id est, Quorum cogitatio circa res terrenas versatur.

8 ד, id est, conversationis & occupationis operosæ in cultu Dei & ministerio nostro præmium, metonymicè.

9 Id est, Corpus nostrum humile, ut postea Gloriosum. Hebraismus.

2 Cavete canes, cavete malos operarios, cavete [d] concisionem.

3 [e] Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu, nec confidimus [f] in carne:

4 [g] Quamquam ego habeo, etiam in carne, de quo confidam. Si quisquã alius videtur habere in carne de quo confidat, ego maximè *habeo*:

5 Circumcisus octavo die, ex gente Israëlis, tribu Benjaminis, Hebræus ex Hebræis, [h] religione Pharisæus.

6 Quòd ad zelum *attinet*, persequens Ecclesiam; quòd ad justitiam quæ est in Lege, irreprehensus.

7 Sed quæ mihi erant [h] lucra, ea duxi propter Christum damnum *esse*.

8 Quinetiam certè duco [i] omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei: propter quem omnibus istis meipsum mulctavi, *eaq́;* duco pro stercoribus, ut Christum [k] lucrifaciam;

9 Et comperiar [l] in eo, [m] non habens meam justitiam, *nempe*, quæ est ex Lege, sed eam quæ per fidem est Christi, *id est* justitiam *quæ est* ex Deo per fidem:

10 [n] Ut [o] cognoscam eum, & vim resurrectionis ejus: [p] & communionem perpessionum ejus, dum conformis fio morti ejus:

11 *Experiens* ecquo modo perveniam [q] ad resurrectionem mortuorum.

12 Non quòd jam *metam* apprehenderim, aut jam ad finem sim perductus: sed persequor *experiens* an quoque apprehendam, cujus etiam rei causa [r] apprehensus fui à Christo Jesu.

13 Fratres, ego meipsum non arbitror *metam* apprehendisse.

14 Unum autem *ago*: ea quidem quæ à tergo sunt obliviscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens; scopum versus feror, ad præmium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu.

15 [f] Quotquot itaque [t] adulti sumus, hoc sentiamus: quòd si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus reteget.

16 Attamen *in eo* ad quod pervenimus, eadem incedamus regula, *&* itidem simus affecti:

17 Estote simul mei imitatores, fratres, & eos considerate qui ita incedunt sicut habetis nos pro exemplari.

18 [u] Multi enim incedunt quos sæpè dixi vobis, nunc autem & flens dico, [1] hostes *esse* crucis Christi:

19 Quorum [x] finis *est* exitium: quorum deus *est* venter, & [y] gloria cum confusione ipsorum, qui terrestria curant.

20 [z] Nos autem ut municipes cælorum nos gerimus: unde etiam Servatorem exspectamus Dominum Jesum Christum.

21 [1] Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso, pro efficacitate qua potest etiam subjicere sibi omnia.

d Alludit ad circumcisionem, cujus dum nomine gloriarentur, Ecclesiam concidebant.

e 2. Veram circumcisionem [illegible] dit, [illegible] quæ [illegible] resectis per Christi virtutem omnibus pravis affectibus, puritate vitæ Deo servimus.

f In rebus externis, neque ad animum ipsum pertinentibus.

g 2. Perversis Legis zelotis non dubitat seipsum etiam secundùm carnem anteponere, ut omnes norint se, quòd illa omnia externa nihili moreretur, certo animi judicio facere: quòd videlicet qui Christi [illegible], nullo [illegible] to indigeat, imò non possit operum nostrorum fiducia cum gratuita per fidem in Christo justificatione consistere.

h 2. Cor. 11. 22. Act. 23. 6.

h Quæ pro lucro habebam.

i Excludit omnia opera tam præcedentia, quàm subsequentia fidem.

k Ut illorum loco Christum nactus, planè fiam ex paupere locuples, nedum ut quicquam amiserim.

l Christo: qui enim extra Christum inveniuntur, sunt illi obnoxii condemnationi.

m Illud est in Christo esse, Inveniri non in sua justitia, sed Christi justitia imputata indui.

n 3. Finis justitiæ ex fide hic est, quod ad nos attinet, ut virtute resurrectionis ipsius ex morte evadamus.

o Sentiam re ipsa & experiar.

p 2. Iter [illegible]

[illegible] salutem est, Christi vestigiis insistere per crucis ærumnas, donec ad Christum ipsum, ut metam nobis propositam evadentes, palmam ad quam nos Deus in ipso vocat accipiamus. Hæc autem vera pietatis exercitia opponit Apostolus externis illis legalibus ritibus in quibus pseudoapostoli summam pietatis collocabant. q Vitam æternam, quæ resurrectionem sanctorum consequetur. r Non etenim currimus, nisi quatenus à Christo apprehensi sumus. f 3. Conclusio hujus exhortationis tribus membris constans, Unum, ut in hujus doctrinæ veritate persistent quicumque in ea profecerunt. Alterum, ut siqui sunt adhuc rudes, adeò ut ista nondum intelligant, & de Legis abolitione dubitent, turbas non moveant, & benignè tolerentur, dum & ipsi erudiantur à Deo. Tertium, ut pseudoapostolos ex fructibus æstiment: qua in re non dubitat sese pro exemplari proponere. t Antea dixerat se perfectum non esse. Perfectos itaque sive adultos hoc loco eos vocat, qui aliquousque sunt progressi, quos videlicet rudibus opponit, ut ipse sequente versu explicat. u 3. Pseudoapostolos, non malevolentia nec ambitione impulsus, sed dolens & non sine lacrymis, suis coloribus depingit: quod videlicet Evangelii Christi hostes (utpote quod cum cruce sit conjunctum) nihil aliud spectent quàm hujus vitæ commoda, ut in ea ut pace, otio, & rebus omnibus abundantes, cum magna apud homines existimatione vivant: quorum miserrimum exitum sibi prædicit. x Rom. 16. 18. [illegible] Merces. y Quam capiunt ab hominibus. z 3. [illegible] opponit veros pastores, qui neglectis terrestribus, in cælum sed [illegible] in corpore suo accipiant illa gloria per Dei virtutem [illegible]. 1 1. Cor. 1. 7. Tit. 2. 13. [illegible]

CAPUT IIII.

a *A particularibus monitis 4 ad generalia descendit. 10 Eorum liberalitate ita quidem se fuisse exhilaratum dicit, 11 ut patienter defectum laturus fuerit.*

ITaque, [a] fratres mei dilecti & exoptati, gaudium & [b] corona mea, ita state [c] in Domino, dilecti.

2 [d] Evodiam precor & Syntychen precor ut sint itidem affectæ in Domino.

3 Et rogo te quoque, socie germane, opitulare ipsis, ut quæ in Evangelio unà mecum certârunt, una cum Clemente quoque & reliquis adjutoribus meis, quorum nomina *sunt* [f] [e] in libro vitæ.

4 [f] Gaudete [g] in Domino semper: rursum inquam, gaudete.

5 [h] [i] Moderatio vestra innotescat omnibus hominibus. [k] Dominus propè est.

6 [l] De nulla re soliciti estote: sed omni in re precibus & supplicatione cum [m] gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

7 Et [n] pax Dei quæ superat omnem intellectum, præsidio erit [o] cordibus vestris, & mentibus vestris in Christo Jesu.

8 [p] Quod reliquum est, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque [q] veneranda, quæcumque justa, quæcumque pura, quæcumque amabilia, quæcumque boni nominis, siqua virtus, & siqua laus est, hæc cogitate.

9 Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc, *inquam*, facite, & Deus pacis erit vobiscum.

10 [r] Gavisus sum autem in Domino magnopere quòd jam tandem revixistis in vestra pro me cura: quâ de re tamen soliciti eratis, sed destituebamini opportunitate.

11 Non quòd [s] penuria laborem *hoc* dico: nam ego didici, in quibus sum, iis ipsis contentus esse.

12 [t] Novi autem deprimi, novi etiam abundare: ubique & in omnibus [u] initiatus sum, & ad saturitatem & ad esuritionem, *id est* tum ad abundantiam, tum ad inopiam:

13 Omnia valeo per eum qui me corroborat, *nempe* Christum.

14 Attamen rectè fecistis quòd unà communicastis meæ afflictioni.

15 [x] Nostis autem & vos, Philippenses, quum [y] initio Evangelii proficiscerer è Macedonia, nullam mihi Ecclesiam communicasse in ratione dati & accepti, nisi vos solos:

16 Nam etiam Thessalonicæ *quum essem*, semel & iterum quod opus erat mihi misistis.

17 [z] Non quòd requiram donum: sed requiro fructum exuberantem, *qui* [a] in rationem vestram *inducatur*.

18 Accepi autem omnia, & abundo: expletus sum, *inquam*, acceptis ab Epaphrodito quæ à vobis *missa sunt*, [b] odorem bonæ fragrantiæ, hostiam Deo acceptam *ac* gratam.

PRoinde, fratres mei, dilecti & charissimi, gaudium meum & corona mea, ita state in Domino nostro, dilecti mei.

2 Ab Evodia peto & à Syntycha, ut una mens sit eis in Domino nostro.

3 Etiam abs te peto, [1] collega mi vere, ut sis adjutor eis quæ sunt laborantes mecum in Evangelio, cum Clemente, & cum reliquis coadjutoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.

4 Gaudete in domino nostro omni tempore: & rursum dico, gaudete.

5 Et lenitas vestra nota fiat apud omnem hominem. Dominus noster propè est.

6 De nulla re soliciti sitis, sed omni tempore per precationem & per obsecrationem petitiones vestræ innotescant coram Deo:

7 Et pax Dei quæ major est omni intellectu, custodiet corda vestra & intellectus vestros in Jeschua Christo.

8 Proinde, fratres mei, ea quæ sunt vera, & quæ sunt honesta, & quæ sunt justa, & quæ sunt pura, & quæ sunt amabilia, & quæ sunt laudabilia, [2] & quæ sunt opera laudis & laudationis, hæc cogitate.

9 Quæ didicistis & accepistis, & audivistis & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum.

10 Magnopere autem gavisus sum in Domino nostro, quòd *denuò* cœpistis curam habere mei, sicut etiam curam habueratis: [3] verùm non sufficientes eratis.

11 Nequaquam autem propterea quòd defuerit mihi, dico: nam ego didici ut sufficiat mihi id quod est mihi.

12 [4] Ego novi ut deprimam me, novi quoque ut abundem, in omni *loco & tempore*, & in omni re exercitatus sum tum in saturitate, tum in fame, in abundantia & in penuria.

13 Ad omnem rem [5] invenio robur per Christum qui corroborat me.

14 Attamen benè fecistis quòd communicastis afflictionibus meis.

15 Nostis autem etiam vos Philippenses, quòd in principio Evangelii quum proficiscerer à Macedonia, ne una quidem ex ecclesiis communicaverit mecum [6] in ratione accipiendi & dandi, nisi vos tantum:

16 Quia etiam Thessalonicam [7] semel & iterum necessarium mihi misistis.

17 Non quòd donum requiram, sed quæro ut fructus abundent in vobis.

18 Omnia accepi, & abundo: & plenus sum, accepiq; omnia quæ misistis mihi per manum Epaphroditi, odorem fragrantem, & victimam acceptabilem quæ placet Deo.

[a] B. Conclusionis repetitio, ut ad victoriam usque adeptionem fortiter, Domini robore freti, perseverent. [b] Meum decus. [c] Ea concordia cujus Dominus sit vinculum. [d] B. Quosdam etiam nominatim appellat, partim, quòd peculiari exhortatione egerent, partim ut reliquos eò alacriùs incitent. [e] Apoc. 3.5. & 20.12. & 21.27. [f] Dicitur per Anthropopathian Deus librum habere, in quo, electorum suorum nomina descripserit, quibus vitam æternam sit daturus. Eum Ezechiel vocat Scripturam domus Israël, & arcanum Domini, cap. 13.9. [f] B. Adjicit particulares exhortationes, quarum prima est, ut Philippensium gaudium nullæ ab impiis illatæ afflictiones impediant. [g] Sic à gaudio mundi distinguimus nostrum gaudium. [h] B. Altera, ut omnia æqui boniq; consulentes, moderatè se gerant cum omnibus. [i] Tranquillus animus. [k] B. Occupatio, non oportere ut impatientia tumultuemur, quum Deus sit nobis proximus, ut omnibus nostris malis suo tempore medeatur. [l] B. Tertia, ne anxiè simus ulla de re soliciti, sed certa cum fiducia Deo gratias agentes, ab eo petamus quibuscumque nobis est opus, ut pacata conscientia nostri totos ei animo submittamus. [m] Sic, David sæpissimè à lacrymis orsus in gratiarum actionem desinit. [n] Summa illa tranquillitas animi, quam unus Deus in Christo largitur. [o] Animum dividit in cor, id est voluntatis & affectuum sedem, & superiorem partem, qua intelligimus & ratiocinamur. [p] B. Conclusio universalis, ut sicut tum verbis tum exemplis fuerant edocti, [illegible] ad omnis sanctimoniæ & justitiæ regulam exigant. [q] Ejusmodi, ut vos sancta quadam gravitate exornent. [r] B. Gratum sibi esse testatur eorum beneficentiam, qua in summa rerum inopia fuerat ab eis sublevatus; ita tamen orationem temperans ut [illegible] suspicionem [illegible] esse, atque adeò se animum habere tum secundarum, tum etiam adversarum rerum capacem, se denique in sola Dei voluntate acquiescere [illegible] rationem [illegible] alii nomine, de una crucis specie loquens, nempè de paupertate: solet enim [illegible] incommoda trahere. [u] Metaphora ducta à rebus sacris: vita hæc enim nostra instar est sacrificii. [x] B. Testatur [illegible] dictis suspicionem repellit, quòd à nullis aliis quicquam acceperit. [y] Initio prædicati Evangelii apud vos. [z] B. Rursus testatur, quòd eorum officium approbet, non tam id sua quàm illorum causa facere, ut qui non tam ipsi quàm Deo [illegible] sacrificium obtulerint, cujus non sit Dominus ipse futurus immemor. [a] In vestras rationes referatur. [b] Alludit ad Legis thymiamata.

[1] Ad ver. Filii jugi mei, id est, Particeps ejusdem jugi mecum: qui mihi adjutor in eodem ministerio es. Sumta metaphora à jumentis, quibus eidem jugo subjectis homo utitur ad unum & idem ministerium. Dicitur etiam interdum de conjugibus, ita ut maritus dicatur esse uxori suæ בן זוגה & uxor marito בת זוגו: sicut frequenter in commentariis Rabbinorum legitur. Nec tantùm de hominibus dicitur, sed etiam de cæteris animalibus, in quibus conjugii quædam umbra conspicitur, dum uni fœminæ mas adhæret, & contrà. Quamquam ut ita hoc loco accipiatur non sinit vox בר quæ masculini generis est. Nam si de conjuge Pauli intelligeretur, scribendum fuisset ברת in fœminino genere. Præterea virum esse quem Paulus ita vocat, ostendunt adjectivum שרירא id est, Verus: & verbum תהוא id est, Sis, quod similiter masculinum est. Idem demonstrat participium מעדר quod pro adjectivo sumtum, significat adjutorem, in genere masculino. [2] Periphrasis est virtutum, quarum tantùm opera laude & honore sunt digna. [3] Id est, Non erat vobis facultas faciendi id quod voluissetis. [4] Id est, Novi me deprimere & abundare. [5] V. i. habeo præsentissimum, præstò est. [6] Id est, In rebus pecuniariis, in quibus habetur dati & accepti ratio. Quæ phrasis etiam apud Rabbinos est frequens, exprimiturq; vocibus [illegible] quæ significant acceptionem & expositionem sive exhibitionem. [7] Ad verbum, Uno tempore & duobus.

[8] F.vel, gloriosè in Jeschua Christo: nam legendum ב pro ד arbitror, in Jeschua Christo.

19 Et Deus meus impleat necessitatem omnem vestram juxta opulentiam suam, [8] cum gloria Jeschua Christi.
20 Deo autem Patri nostro laus & gloria in seculum seculorum. Ammin.
21 Salutate omnes sanctos qui sunt in Jeschua Christo. Salutāt vos fratres qui mecū sunt.
22 Salutant vos omnes sancti, maximè autem qui sunt familiæ Cæsaris.
23 Gratia Domini nostri Jeschua Christi cum omnibus vobis. Ammin.

Finitur epistola ad Philippenses, quæ scripta est à Roma [9].

[9] F.al.addunt, & missa est per manus Epaphroditi.

19 Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit vobis, secundùm divitias suas, gloriosè, in Christo Jesu.
20 Deo autem & Patri nostro *sit* gloria in secula seculorum. Amen.
21 Salutate omnes sanctos in Christo Jesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres.
22 Salutant vos omnes sancti, maximè verò qui sunt [e] ex Cæsaris domo.
23 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum omnibus vobis. Amen.

Scripta est Roma per Epaphroditum.

[e] Ex Neronis aulicis.

EPISTOLA AD COLOSSENSES.

CAPUT I.

1 Post inscriptionem, 4 illos laudat, ut attentos faciat ad se audiendum. 7 Testimonium doctrinæ quam ab Epaphra audierant, reddit. 13 Divinam erga eos gratiam suis elogiis prædicat, 20 & omnes nostræ salutis partes in solo Christo omninò sitas esse, exponit.

TREM. INTERPRET.

PAULUS Legatus Jeschua Christi per volūtatem Dei, & Timotheus frater,
2 Iis qui sunt Colossis fratribus sanctis & fidelibus in Jeschua Christo. Pax vobiscum & gratia à Deo Patre nostro.
3 Gratias agimus Deo Patri Domini nostri Jeschua Christi omni tempore, & oramus pro vobis:
4 [1] Ex quo audivimus fidem vestram quæ est in Jeschua Christo, & dilectionem vestram quæ est erga omnes sanctos.
5 Propter spem quæ reservatur vobis in cælis: de qua anteà audivistis per sermonem veritatis Evangelii,
6 Quod prædicatum fuit vobis, sicut etiam universo mundo, & crescit, redditque fructus, sicut etiam in vobis à die quo audivistis & cognovistis gratiam Dei in veritate:
7 Quemadmodum didicistis ab Epaphra conservo nostro dilecto, qui est pro vobis minister fidelis Christi,
8 Et idem exposuit nobis dilectionem vestram quæ est in Spiritu.
9 Propterea & nos ex eo die quo audivimus, non disiimus orare pro vobis, & petere ut impleamini cognitione voluntatis Dei, in omni sapientia, & in omni prudentia Spiritus:
10 Ut ambuletis quemadmodum justum est, & placeatis Deo in omnibus operibus bonis, reddatisque fructus, & crescatis in agnitione Dei:
11 Ac corroboremini omni virtute juxta magnitudinem gloriæ illius, in omni tolerantia & longanimitate: [2] & cum gaudio.
12 Gratias agatis Deo Patri, qui idoneos nos fecit ad portionem hęreditatis sanctorum in luce:
13 Et redemit nos à potestate tenebrarum, & venire nos fecit in regnum Filii sui dilecti.
14 Per quem est nobis redemtio, & remissio peccatorum.

[1] Ad verbum, Ecce ex quo,

[2] F.hæc sequentibus verbis aptavit Syrus, distinctione differente.

BEZAE INTERPRET.

PAULUS Apostolus Jesu Christi per Dei [a] voluntatem, & Timotheus frater,
2 Iis qui sunt [b] Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Jesu. Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.
3 [c] Gratias agimus [d] Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes:
4 Audita fide vestra in Christo Jesu, & charitate in omnes sanctos:
5 Propter [e] spem sepositam vobis in cælis: quam priùs audistis per sermonem veritatis, *id est*, Evangelii,
6 Quod pervēnit ad vos sicut & in totum mundum, & fructum profert, sicut apud vos quoque: ex quo die verè audivistis & cognovistis Dei gratiam.
7 Sicut & didicistis ex Epaphra dilecto conservo nostro, qui est fidus pro vobis minister Christi:
8 [f] Qui & declaravit nobis vestram per [g] Spiritum charitatem:
9 Propterea & nos, ex quo die *id* audivimus, non desinimus pro vobis orare, & petere ut impleamini agnitione voluntatis [h] ejus cum omni sapientia & intelligentia spirituali.
10 Ut incedatis sicut Domino dignum est, cui per omnia placeatis, omnis operis boni fructum proferentes, & crescentes in agnitione Dei.
11 [i] Omni robore corroborati secundùm gloriosum robur ipsius, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem [k] cum gaudio:
12 [l] Gratias agentes [m] Patri, qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum [n] in luce:
13 [§] Qui, *inquam*, eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum Filii sui dilecti.
14 [o] In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, *id est*, remissionem peccatorum.

[a] Gratuita Dei liberalitate.
[b] Colossæ sitæ sunt in Phrygia, non procul Hierapoli & Laodicea, qua parte iminent Lyciæ & Pamphyliæ.
[c] B. Commendat doctrinam ab Epaphra ipsis traditam, & eorum in ipsa excipienda alacritatem.
[d] Non potest aliter à nobis considerari Deus in salutem, nisi quatenùs est Pater Christi in quo sumus adoptati.
[e] Speratam gloriam.
[f] B. Suam in eos benevolentiam declarat, admonens minimè oportere ipsos in eodem gradu consistere, sed ulteriùs etiam progredi, tum in ipsa cognitione Evangelii, tum in vero ipsius usu.
[g] Spiritualem, sive à Spiritu manantem.
[h] Dei.
[i] B. Perseverantiæ donum à nobis non est, sed à Dei virtute gratis nobis communicata.
[k] Quę minimè extorqueatur ab invitis, sed quæ ab animo læto & alacri proficiscatur.
[l] B. Absoluto procemio rem ipsam aggreditur, id est, totius Christianismi brevem quidem sed excellentissimam descriptionem, quæ in tres tractatus commodè distribuitur. Primùm enim veram doctrinam, secundùm ordinem causarum explicat, ab hoc versiculo ad 21. Inde verò incipit variis exhortationibus illam applicare Colossensibus, usque ad capitis 2. vers. 6. Et tertio demùm loco usque ad caput tertium, corruptelas veræ doctrinæ indicatas refutat. [m] B. Causa efficiens nostræ salutis est una Dei Patris misericordia, qui nos aptos reddit ad participandam vitam æternam, à tenebris in quibus nati sumus in lucem cognitionis gloriæ Filii sui assertos. [n] In illo regno cælesti & glorioso. [§] *Matth. 3. 17. & 17. 5. 2. Petr. 1. 17.* [o] B. Materia ipsa nostrę salutis est Filius Dei Christus, qui sui oblatione nobis peccatorum remissionem obtinuit.

[p] B. Christi personæ graphica descriptio, ex qua intelligimus eum ipsum esse in quo uno sese Deus cõspicuum præbet: qui antequam quicquam conderetur (id est, ab æterno) genitus est à Patre: per quem etiam omnia quæ facta sunt, facta sunt, sine ulla prorsus exceptione, per quem etiam consistunt, & cujus glorię subserviũt.

‖ *Heb.* 1.3.

q Antè genitus quàm quicquam conderetur, ideóque æterni Patris æternus Filius.

‖ *Joh.* 1.3.

r Angelos exornat præstantissimis nominibus, ut ex præstantissimorum intellectuum comparatione, intelligamus quàm infinita sit Christi præstantia, in quo solo præteritis etiam Angelis nobis est acquiescendum.

[s] B. Magnificentissimè declarata Christi personæ suprema dignitate, ejus munus & officium describit, nempè ut sit ipsi Ecclesię quod caput est corpori, id est, princeps ejus & gubernator, ipsumque adeò veræ vitæ principium, ut qui primus resurgens vitæ æternæ sit auctor, ut inter omnes emineat, in quo uno nimirùm plenissima sita sit omnimm bonorum abundantia quæ in Ecclesia exundet.

15 [p] ‖ Qui est imago Dei invisibilis, *&* [q] primogenitus omnis rei creatæ:
16 ‖ Nam per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, [r] sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia, *inquam*, per eum, & ejus respectu condita sunt.
17 Estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.
18 [s] Estque caput corporis, *id est*, Ecclesiæ, éstque *etiam* principium ‖ *&* [t] primogenitus ex mortuis, ut inter omnes primas teneat.
19 ‖ Quoniam in eo placuit *Patri* ut [u] omnis plenitudo inhabitaret:
20 [x] Et pace per sanguinem crucis ejus facta, per eum reconciliare [y] omnia sibi, per eum, *inquam*, tum quæ in terra, tum quæ in cælis.
21 [z] Itaque vos quum essetis quondam abalienati, & hostes, mente operibus malis *intenta*, nunc sanè [a] reconciliavit.
22 In corpore illo [b] carnis suæ, per mortem: ut sistat vos sanctos, & inculpatos, & irreprehensos coram se:
23 [c] Siquidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimovemini à spe Evangelii quod audistis, *Evangelii inquam* prædicati [d] omni creaturæ quæ sub cælo est, [e] cujus factus sum ego Paulus minister.
24 Qui nunc gaudeo de iis quæ patior [f] pro vobis, & [g] reliquias afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia:
25 [h] Cujus *Ecclesiæ* factus sum minister ex dispensatione Dei, quæ data est mihi erga vos, ad implendum Dei sermonem:
26 ‖ *Nempè* mysterium illud quod absconditum fuit à seculis & ætatibus, nunc autem patefactum est [i] sanctis ejus,
27 Quibus [k] voluit Deus notum facere quæ sint illæ divitiæ gloriosi hujus mysterii inter Gentes, qui est Christus inter vos, spes illa gloriæ:
28 [l] Quem nos annunciamus, admonentes quosvis, & quosvis erudientes [m] omni sapientia, ut quosvis sistamus perfectos in Christo Jesu.
29 Ad quod etiam enitor, decertans secundùm efficacitatem ipsius agentem in me potenter.

15 Qui *quidem* est imago Dei invisibilis, & primogenitus omnium creaturarum.
16 Et per eum creatum est quicquid est in cælo & in terra, quicquid conspicitur & quicquid non conspicitur: sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per eum, & in eum creata sunt:
17 Et is est qui fuit ante omnia, & omnia per eum consistunt.
18 Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium & primogenitus ex mortuis, ut sit primarius in omnibus.
19 Quia in eo ille *Pater* voluit omnem plenitudinem habitare:
20 Et [3] per eum reconciliare sibi omnia: & pacificavit in sanguine crucis ejus, per eum, tum quæ sunt in terra, tum quæ sunt in cælis.
21 Etiam vos qui anteà alieni fuistis, & hostes in mentibus vestris, propter opera vestra mala, vos *inquam*, pacificavit nunc.
22 In corpore carnis suę, & per mortem suam: ut constitueret vos coram se sanctos, sine macula, & irreprehensibiles.
23 Si permanseritis in fide vestra, firmo exsistente fundamento vestro, & non dimoveamini à spe Evangelii, quod audivistis, quod prædicatum fuit in universa creatura quæ est sub cælo: cujus ego Paulus factus sum minister.
24 Et gaudeo in afflictionibus quæ sunt pro vobis, & adimpleo defectum afflictionum Christi in carne mea, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia.
25 Cujus *Ecclesia* ego factus sum minister juxta dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam sermonem Dei:
26 *Nempè* mysterium illud quod absconditum fuerat à seculis, & ab ætatibus; nunc autem revelatum est sanctis ejus,
27 Quibus vult Deus notum facere quæ sit opulentia gloriæ mysterii hujus inter Gentes: quod *mysterium* est Christus, qui in vobis est spes glorię nostræ:
28 Quem nos prædicamus & docemus, ac [4] intelligere facimus apud omnem filium hominis in omni sapientia, ut statuamus omnem filium hominis perfectum in Jeschua Christo.
29 Ad hoc enim ipsum etiam laboro, & enitor auxilio virtutis quæ data est mihi.

3 Ad verbum, Per manum ejus.

4 F. i. intelligendum præbemus atque exponimus prædicatione verbi.

‖ 1. *Cor.* 15.20. *Apoc.* 1.5. t Qui sic resurrexit, ut non ampliùs sit moriturus, & qui alios ad vitam vi sua excitat. ‖ *Joh.* 1.14. *Infrà* 2.9. u Plenissima rerum omnium Divinarum copia. x B. Jam docet quomodò sit Christus illo munere sibi à Patre imposito defunctus, mortem crucis videlicet (id est, cum maledictione Dei conjunctam) ex ipsius decreto subiens, ut hoc sacrificio omnes tum qui in venturum ipsum credentes, jam sub hac spe in cælis erant collecti, tum qui in eum deinceps in terris crederent, Patri reconciliaret. Sic autem describitur ab Apostolo justificatio, una eáque præcipua beneficii Christi pars. y Universam Ecclesiam. z B. Alterum opus Dei in nobis per Christum, est sanctificatio, quum nos videlicet qui Deum pessimè oderamus, & toti ultrò in vitia ferebamur, sic in bonam Patris gratiam restituit, ut simul sancto suo Spiritu nos purificet, ac justitiæ consecret. a Sub. Filius. b i. carneo, ut intelligamus non fuisse imaginarium corpus, sed verum. c B. Secunda hujus partis epistolæ tractatio, qua exhortatur Colossenses ut ab hac doctrina nullo modo se dimoveri patiantur, declarans nullum aliud usquam esse verum Evangelium. d Universis hominibus: sic autem docet Evangelium non fuisse conclusum unius Judææ angulis. e B. Auctoritatem huic doctrinæ conciliat etiam ex suo Apostolatu: cujus certam approbationem ex suis afflictionibus sumit, quas pro Christi nomine sustineat, ut Ecclesias istis quoque patientiæ exemplis erudiat. f Vestro commodo atque fructu. g Quod superest afflictionum Christi: afflictiones autem Ecclesiæ, Christi dicuntur, propter illam capitis cum corpore communionem, non quia ampliùs Ecclesiam redimere sit necesse, sed ut virtutem suam Christus in quotidiana suorum infirmitate exerit, denique pro totius corporis consolatione. h B. Aliam sui Apostolatus approbationem profert, nempè quòd Deum habeat ejus auctorem, à quo etiam peculiariter sit designatus Gentium Apostolus, ut hoc modo per ipsum impleatur quod Prophetæ de Gentium vocatione prædixerunt. ‖ *Rom.* 16.25. *Ephes.* 3.9. 2. *Tim.* 1.10. *Tit.* 1.2. 1. *Pet.* 1.20. i Quos ipse in Christo consecrandos sibi delegit: porrò mysterium nostræ redemtionis dicit absconditum fuisse à seculis, id est, jampridem & ab omni ævo, paucis exceptis qui & ipsi extra ordinem edocti fuerunt. Sic injicit Paulus frænum curiositati hominum. l B. Testatur se fideliter suo Apostolico munere passim defungi, ut qui ad unum Christum homines adducat, Domino ipsius laboribus copiosissimè benedicente. m Integra & absoluta, quæ nimirùm in sese sit absoluta, & tandem suos sectatores perficiat.

CAPUT II.

4 *Vanitatis damnat quicquid est extra Christum.* 11 *Nominatim de circumcisione,* 16 *ciborum abstinentia,* 18 *Angelorum cultu loquitur.* 20 *Unde constituit à decretis, per Christum liberatos esse.*

a B. Occupatio quòd nec Colossenses nec Laodicenses inviserit, non factum ulla negligentia, & se tantò magis de illis esse sollicitum. b Me corpore præsentem.

VElim [a] enim vos scire quantum certamen sustineam pro vobis & iis qui *sunt* Laodiceæ, & quotquot non viderunt [b] faciem meam in carne:

VOlo autem ut sciatis quale certamen sit mihi pro vobis, & pro iis qui sunt Laodiceæ, & pro reliquis qui faciem meam non viderunt in carne.

2 Ut consolationem accipiant corda eorum, & appropinquent per dilectionem ad omnem opulentiam persuasionis, & ad intelligentiam cognitionis mysterii Dei Patris & Christi:
3 In quo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ.
4 Hoc autem dico, ne quis decipiat vos suasione sermonum.
5 Etiamsi enim carne absens sum à vobis, tamen spiritu vobiscum sum, & gaudeo quòd videam ordinem vestrum, & firmitatem fidei vestræ quæ est in Christo.
6 Quemadmodum igitur accepistis Jeschua Christum Dominum nostrum, in eo ambulate.
7 Stabilitis radicibus vestris, & vobis exstructis in eo, confirmatisque in fide quam didicistis, in qua exuberetis cum gratiarum actione.
8 Cavete ne quis denudet vos per Philosophiam & per deceptionem vanam, secundum doctrinas filiorum hominis, & juxta elementa mundi, & non juxta Christum,
9 [x] In quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.
10 In quo vos quoque estis impleti, qui est caput omnium principatuum & potestatum.
11 Et [z] per quem circumcisi estis circumcisione quæ non *facta est* manibus, *sed* per expoliationé carnis peccatorũ, per circumcisioné Christi.
12 Et sepulti estis cum eo per baptismum, & per eum resurrexistis cum eo, qui credidistis in virtutem Dei qui excitavit eum [3] à mortuis.
13 Et vos qui mortui eratis per peccata vestra, & *eratis* in præputio carnis vestræ, vivificavit cũ eo, & condonavit nobis omnia peccata nostra:
14 Et delevit, in decretis suis, contractum debitorum qui erat contra nos: & sustulit ipsum è medio, ac affixit ipsum cruci suæ:
15 Et per expoliationem corporis sui [4] ostentavit principatus & potestates, & pudefecit eos palàm in semetipso.
16 Ne igitur quis [5] judicet vos in cibo & potu, aut in distinctionibus festorum, & principiorum mensium, & Sabbathorum.
17 Quæ sunt umbræ earum rerum quæ futuræ *erant*: corpus autem Christus est.
18 Et ne quis velit per demissionem mentis culpabiles vos reddere, ut subjiciamini cultui Angelorum, nixus re quam non vidit, & in vanum superbiens in cogitatione carnis suæ,
19 Et non tenens ipsum caput, ex quo totum corpus componitur, & constituitur per commis-

[*] Syriacus textus post particulam אל, (id est Ne) dehortandi, subjungit aliam particulam, nempe ם״ה quæ denotat sententiam in cujus capite ponitur, non dici nisi [illegible] in auxonis, exinde [illegible]: sicut hic Paulus [illegible].

[x] 9. vel quoniam in ipso habitat, &c.

[z] 9. vel in quo, ut Græcus textus disertè habet.

3 Ad verbum, De inter mortuos.
4 Id est, Victoris instar in triumphum ignominiæ causa produxit.
5 Syrus textus etiam in manuscripto exemplari habet ידורכין: quòd si per errorem scriptum non sit loco ידונכין, positum saltem erit ר loco נ, quod ad idem pertineat instrumentum prolationis.
[6] alioqui sic erit vertendum, ne quis vobis molestiam facessat aut vobiscum litigaverit [illegible] pro cibo & potu: & verbum quoque κρίνεσθαι à Græcis solet accipi. Sic Matth. 5. 40.

2 [f] Ut consolationem accipiant [a] eorum corda, ipsa charitate compacti, & in omni opulentia [b] certò persuasæ intelligentiæ, ad cognitionem mysterii Dei ac Patris, & Christi:
3 In quo sunt omnes thesauri [f] sapientiæ ac cognitionis absconditi.
4 [g] Hoc autem *ideò* dico, ut ne quis vos falsò ratiocinando fallat, sermonis [h] probabilitate.
5 [k] Etsi enim corpore absum, spiritu tamen sum vobiscum, gaudens, ac cernens vestrum [i] ordinem, & [k] soliditatem vestræ in Christum fidei.
6 Sicut igitur [l] accepistis Christum Jesum Dominum, *ita* in eo incedite:
7 Radicati & superstructi in eo, ac confirmati fide, sicut edocti estis, abundantes ea cum gratiarum actione.
8 [m] Videte ne quis sit qui vos [n] deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem [o] secundum traditionem hominum, [p] secundùm [q] elementa mundi, & non [r] secundùm Christum.
9 [s] Nam [t] in eo [u] inhabitat [x] omnis plenitudo Deitatis [y] corporaliter:
10 Et estis in eo completi qui est caput omnis imperii ac potestatis:
11 [z] In quo etiam circumcisi estis [a] circumcisione quæ fit sine manibus, [b] corpore peccatis carnis exuto per circumcisionem Christi:
12 [c] [ll] Consepulti cum [d] eo per Baptismum, [e] per quem etiam cum eo suscitati estis per fidem [f] Dei efficaciter agentis, qui suscitavit eum ex mortuis.
13 [g] [l] Vosque mortuos in peccatis [h] & præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit, vobis condonatis omnibus peccatis:
14 [ll] [i] *Et* deleto quod adversum nos *erat* [k] ritduum chirographo: quod, *inquam*, erat nobis occultè contrarium, *ipse* verò cruci affixum è medio sustulit.
15 *Et* expoliata [l] imperia ac potestates [m] traduxit palàm, triumphatis illis [n] per eam.
16 [o] Ne quis igitur vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu festi, aut novilunii, aut Sabbathorum:
17 Quæ sunt umbra rerum futurarum, at [p] corpus *est* Christi.
18 [q] Nemo adversum vos rectoris partes sibi ultrò sumat, in [r] demissione animi, & cultu Angelorum: [s] pedem inferens in ea quæ non vidit, [t] *&* [u] temerè inflatus carnis suæ sensu:
19 [x] Neque obtinens caput, ex [y] quo totum corpus per commissuras & compages suppedita-

[e] 2. [illegible] superior, [illegible] videlicet [illegible] & cognitionis Dei [illegible] Christo, [illegible], quid ad homines [illegible] charitate [illegible] cognitione [illegible] plenè persuasi.
[f] Spes, quos non viderat.
[e] Ejus intelligentiæ, quæ certam & indubitatam persuasionem in nostris animis gignit.
[f] Extra Christum nulla est vera sapientia.
[g] 4. Transitio ad sequentem tractatum adversus Christianismi corruptelas.
[h] Oratione ad persuadendum comparata.
[ll] 1. Cor. 5. 3.
[i] Disciplinæ Ecclesiasticæ ratione [illegible].
[k] Doctrinam.
[l] Non ergo ab hominum traditionibus pendet Christus.
[m] 8. Corruptelas omnes ad tres species revocat. Prima est quæ est speculationibus curiosis, & tamen subtilis cujusdam sapientiæ speciem referentibus, extitit.
[n] Verbum militare, quod significat prædam abigere.
[o] 8. Secunda quæ est manifestè superstitiosa & inanis, & sola consuetudine, fictisque enthusiasmis nititur.
[p] 8. Tertia species eorum erat, qui mundi rudimenta (id est Legalem cultum) cum Evangelio conjungebant. [q] Rudimenta, quibus Dominus Ecclesiam suam, quasi sub pædagogo erudivit. [r] 8. Universalis confutatio omnium corruptelarum hæc est, quòd falsam religionem esse necessariò oporteat, quæ Christo quicquam adjicit. [s] 9. Ratio, Quia unus Christus Deus & homo perfectissimus est, & supra omnia excellentissimus, ut qui illum habet, nihil ampliùs possit requirere. [t] Significatur distinctio naturarum. [u] Naturarum unio. [x] Asseritur perfectissima Deitas. [y] Sancita est conjunctio Dei & hominis substantiali & hypostatica unione. [z] 11. Jam peculiariter adversus tertiam speciem agit, id est, adversus eos qui Judaismum urgebant: ac primùm quidem circumcisione carnis nobis opus esse negat, quum absque ea simus Christi virtute intùs circumcisi. [a] Rom. 2. 29. [b] Periphrasis veteris hominis, quem solet etiam corpus peccati vocare. [c] 12. Occupatio, Ne signo quidem externo nobis opus esse ut Patribus, quum jam Baptismum habeamus interioris illius renovationis tesseram ac sigillum efficacissimum. [ll] Vide Rom 6. 4. [d] Rom. 6. 4. Ephes. 1. 19. [d] Ut tota vis non ex opere operato, sed ex virtute Christi ad nos emanet: adjungitur siquidem resurrectio Christi, & fides. [e] 2. Finis Baptismi unus est, mors ac sepultura veteris hominis, idque ex potentia unius Dei, cujus virtutem in Christo mortuo & suscitato, per fidem apprehendimus. [f] Quæ à Deo manat. [g] 2. Alter finis Baptismi est, ut qui in peccatis eramus mortui, in Christo pro nobis mortuo & fide apprehenso, remissionem peccatorum gratuitam & vitam æternam adipiscamur. [l] Ephes. 2. 1. [h] Novum argumentum ejusdem, [illegible] his paucis verbis, Non impedit præputium quominus in Christo justificati vitam consequeremini, ergo circumcisione præputii non est vobis opus ad salutem. [ll] Ephes. 2. 15. [i] 2. Generaliter jam loquitur adversus totum Legalem cultum, quem abolitum esse docet duplici ratione: primùm, quia qui in Christo remissionem omnium peccatorum est adeptus, quorsum illa Legis adminicula requireret? Secundò, quoniam si quis illos ritus propiùs consideret, comperiet totidem fuisse nostri reatus testimonia, quibus veluti chirographis nos damnationem mereri palàm testabantur. Itaque Christus adventu suo chirographum illud delevit, eòque cruci affixo, de omnibus nostris hostibus, quantumlibet potentibus triumphavit. Quorsum igitur illos ritus nunc usurparemus, quasi adhuc peccatorum rei & hostium tyrannidi obnoxii? [k] Abolitis ritibus. [l] Satanam & ejus angelos. [m] Tanquam victor, captivos ignominiæ causa traduxit. [n] Cruce videlicet quæ fuit instar triumphalis currus. [o] 2. Conclusio, nominatis etiam certis speciebus, puta ciborum & dierum discrimine, quibus nos non obstringi novo argumento probet, quoniam videlicet res illæ Christum venturum adumbrabant, nos verò jam eum ipsum nobis exhibitum possidemus. [p] Corpus, ut rem firmam & solidam opponit umbris. [q] 8. Adversus primam speciem corruptelæ disputat, cujus exemplum proponit Angelorum cultum, quod falsæ religionis genus primùm hac ratione refutat, quod qui hujusmodi cultum invehunt, sibi tribuunt quod unius Dei est, nempe jus conscientiarum religione obligandarum, quanquam illas homines in humilitatem de se sentiendum adducere. [r] Stolida demissione animi, quum alioqui demissio etiam inter virtutes locum [illegible] arrogantiæ contumeliis Angelorum cultores [illegible] eos qui recta ad Deum contenderent. [s] 2. Secundò, quòd nec visa nec audita, sed à se excogitata, pro oraculis temerè obtruderent. [t] 2. Tertiò, quod ista non alio fundamento quàm opinione hominum [illegible], immodicè in suis commentis placentium [illegible]. [u] Sine ratione. [x] 2. Quartum argumentum maximi momenti, quoniam Christum sua dignitate spoliant, ut qui unus toti suo corpori, tum fovendo, tum etiam augendo sufficiat. [y] Christus.

a Augmento, quod à Deo proficiscitur. c In hoc altero loco pugnat adversus secundam speciem corruptelæ, quæ videlicet merè sunt superstitiosæ, & ab hominibus partim vafritie sua fraudulenter, quorundam fallentibus, partim etiam planè stolidis, excogitatæ: veluti quum in certo ciborum genere,

rum & compactum augescit a Dei augmento.
20 a Itaque si mortui cum Christo, liberi estis ab elementis mundi, quid b ut viventes in mundo, ritibus oneramini?
21 c Ne ederis, aiunt isti, neque gustaris, neque attigeris?
22 d Quæ omnia ipso usu pereunt; e præscripta ex mandatis & doctrinis hominum.
23 f Quæ rationem quidem habent g sapientiæ in h cultu voluntario, & summissione animi, & i in eo quòd corpori non parcant: nec tamen ullius sunt pretii, quum ad ea spectent k quibus farcitur caro.

suras & per membra, & crescit augmento Dei.
20 Si igitur mortui fuistis cum Christo ab elementis mundi, cur, ac si viveretis in mundo, judicamini?
21 e Ne appropinquaveris, neque gustaveris, neque contrectaveris?
22 Quæ sunt usus qui corrumpitur, & mandata sunt & doctrinæ filiorum hominis:
23 Et videntur quòd sit in illis ratio sapientiæ f per aspectum summissionis & reverentiæ Dei, & quòd non indulgent corpori: g non ob rem quæ sit pretiosa, sed propter ea quæ usus sunt carnis.

e Syriacus textus post particulam לא, (id est Ne) dehortandi, subjungit aliam particulam, nempè לם, quæ denotat sententiam in cujus capite ponitur, non dici nisi μιμητικῶς in aliorum persona: sicut hic Paulus hæc pronunciat in personam pseudoapostolorum. Eadem particula legitur in 2. Thess. 2. eodem sensu: sicut ibi explicabitur. f v. vel specie summissionis, &c. g v. non in ulla re quæ sit pretiosa, sed in iis quæ sunt ad usum carnis.

& cæteris similibus rebus, pietas, remissio peccatorum, vita denique aliqua collocatur, quam ne ipsi quidem ejusmodi rituum auctores intelligunt, quum nusquam sit. Utitur autem argumento à comparatis sumpto: Si morte Christi novum fœdus suo sanguine sancientis, ab iis ritibus externis estis liberati, quibus visum fuerat Domino mundum veluti rudimentis quibusdam ad plenam illam veræ religionis cognitionem præparare, qua tandem ratione nescio quibus decretis oneraremini, quasi sitis hujus mundi cives, id est, quasi ab hac vita & rebus terrenis pendeatis? Causa verò hæc est, cur supra versu 8. alium ordinem sequutus sit quàm in refutatione, quòd illic ostendat quibus gradibus falsæ religiones mundum invaserint, initio videlicet facto à curiosis sapientum speculationibus, quas tandem crassa illa superstitio sequuta est, quibus malis deinde Dominus Legalem illum cultum opposuit, quo nonnulli rursus abusi sunt: in refutatione verò incepit à Legalis cultus abolitione, ut à comparatis doceret multò magis illos falsos cultus esse tollendos. b Quasi vestra fœlicitas sit in rebus istis terrenis posita, & non potius spirituale sit Dei regnum. c B. Mimesis, in persona istorum superstitiosorum. d B. Aliud argumentum, non posse spirituale & internum regnum Dei consistere in rebus istis externis, & quæ usu consumuntur. e B. Tertium argumentum, Quia Deus non est istarum traditionum auctor, ac proinde conscientias non ligant. f B. Occupatio, Speciosa quidem hæc esse, quòd ita videantur homines optimo animo Deum colere, fasces summittere, & corpus, cui curando tam multi incumbunt, negligere: sed nihilominùs res esse nullius dignitatis, quum minimè spectent ad spiritualia & æterna, sed ad carnis alimentum. g Quæ videntur quidem exquisita quædam res esse, nimirum cujusdam sapientiæ è cælo allatæ. h Hinc nata sunt opera supererogationis, quasi homines plus præstarent quàm illis fuerit præscriptum, origo scilicet redimendorum meritorum Monachalium. i Graphica Monachatus descriptio. k Quum in cibo & potu posita sint, in quibus non est positum regnum Dei.

CAPUT III.

1 Terrenis exercitiis, quæ pseudoapostoli urgebant, 2 cælestia opponit: 5 & à mortificatione carnis orditur; unde deducit particulares exhortationes, 18 & particularia officia quæ ex singulorum vocatione pendent.

a B. Altera pars epistolæ: in qua arrepta occasione ex vanis illis exercitiis, suo more post doctrinam ipsam explicatam, ad Christianæ vitæ descriptionem descendit. b B. Renovatio sive regeneratio ex participatione resurrectionis Christi fons est omnis sanctimoniæ, unde posteà deducuntur rivi. c Christi enim participes, in alteram veluti vitam transferimur, ubi nec cibo, nec potu egebimus, similes enim erimus Angelis. d B. Finis & scopus omnium Christianæ vitæ officiorum est, cælorum iter ingredi, & iis quæ nos eò deducunt, incumbere, id est, solidæ pietati, non autem externis illis & corporalibus.

a ITaque b si c resurrexistis cum Christo, d superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens.
2 Superna satagite, non e terrestria.
3 f Nam mortui estis, g & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo:
4 Quando Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi.
5 h Mortificate igitur i membra vestra terrestria, k scortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malam, & avaritiam, quæ est idololatria.
6 Ob quæ k venit ira Dei super homines contumaces.
7 Quibus in vitiis & vos incessistis quondam, quum in iis viveretis.
8 At nunc deponite etiam vos hæc omnia, iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam, verborum obscœnitatem ab ore vestro.
9 Ne mentimini alius adversus alium, l quum exuti sitis illo vetere homine cum factis ipsius:
10 Et induti sitis novo illo, qui renovatur m in n agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit.
11 o Ubi non est Græcus & Judæus, Circumcisio & Præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber; sed omnia & in omnibus est Christus.
12 p Induimini igitur, ut electi Dei, sancti, &

SI igitur resurrexistis cum Christo, quæ sunt superna quærite, ubi Christus sedet ad dexteram Dei.
2 Quæ sunt superna cogitate, & non quæ sunt in terra.
3 Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.
4 Et quum Christus manifestabitur, qui est vita nostra, tunc etiam vos manifestabimini cum eo in gloria.
5 Mortificate igitur membra vestra quæ sunt in terra, scortationem, impuritatem, h libidines præposteras, & concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est cultus idolorum.
6 Propter hæc enim venit ira Dei super i filios contumaciæ.
7 In quibus etiam vos ambulastis antè, quum versaremini in eis.
8 Nunc autem deponite à vobis omnia hæc, iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam, turpiloquium:
9 Et ne sitis mendaces unus in alium: sed exuite illum hominis veterem cum omnibus conversationibus suis,
10 Et induite novum qui renovatur in agnitionem juxta imaginem ejus qui creavit ipsum.
11 Ubi non est Judæus aut k Gentilis, neque Circumcisio & Præputium, neque Græcus & Barbarus, neque servus & l liber: sed omnia & in omni homine Christus est.
12 Induite igitur vos, tanquam electi Dei,

h v. perturbationes: quod Syra voce propriè designatur. i Vel Inobedientiæ, id est, Super contumaces & inobedientes, Hebraismus.

k v. Syr. Aramæus, vide in Act. 16. 3. l Ad verbum, Filius libertorum, Hebraismus.

e Sic vocat speciem illam religionis, de qua superiore capite egit. f B. Argumentum à contrariis, similique à causis efficientibus, Mortui estis quod ad carnem attinet, id est, ad vetorem naturam radicitus omnia quærentem: & è contrario cum Christo spiritu viventes, ergo spiritualia & cælestia, non autem carnalia & terrena curate. g B. Occupatio, Nos adhuc quidem in hoc mundo versari plurimis hujus vitæ ærumnis oppressos, adeò ut quodammodo lateat vita quæ in nobis est: sed nihilominus vitæ & gloriæ initia nos habere, cujus nunc penes Christum, ipsiusque Dei manum depositæ complementum certò patefiet in glorioso illo Domini adventu. h B. Mortua natura ne sit amplius in vobis efficax, sed viva sit efficax. Vigor autem naturæ ex motibus intelligitur. Moriantur in vobis ergo carnis affectus, & vivant spirituales motus illis contrarii. Recenset autem longum vitiorum & contrariarum virtutum catalogum. i Eleganter motus & cupiditates membra vocat, quibus ratio & voluntas hominis depravata perinde utitur ac corpus membris. k Ephes. 5. 5. k Venire solet. l B. Definitio regenerationis à partibus sumpta, quæ sunt, veteris hominis (id est, pravitatis nobis ingenitæ) depositio, & novi hominis (id est, puritatis nobis per gratiam collatæ) instauratio. Utrumque verò in nobis nunc inchoatur, suis gradibus absolvitur, illo quidem sensim moriente, isto verò sensim ad perfectionem adolescente, [illegible] veniente. m B. Novitas vitæ in agnitione, hominem ad Dei conditoris imaginem (id est, ad totius animæ sanctitatem) transformans, [illegible]. n Loquitur de agnitione efficaci. o B. Iterum inculcat Evangelium illa externa non spectare, sed verum justificationem & sanctificationem in uno Christo, quarum fructus multiplices recenset. Duo verò commendat in primis, sanctam videlicet concordiam, & verbi divini studium assiduum. p Omni cultore, [illegible] quæ deducit,

sancti & dilecti, affectus & viscera,& benignitatem, & [5] demissionem mentis, & lenitatem, & longanimitatem:

13 Et estote tolerantes [6] unus alium, & ignoscentes unus alii: &, si sit alicui adversus socium suum querela,sicut Christus condonavit vobis,ita etiam vos condonate.

14 Et cum istis omnibus *induite vos* charitate, quæ est vinculum perfectionis:

15 Et pax Christi regat corda vestra,ad quam vocati fuistis in unum corpus: & gratias agite Christo.

16 Cujus sermo habitet in vobis opulenter in omni sapientia: Et estote docentes & erudientes vosipsos in psalmis, & in hymnis, & in cantionibus spiritualibus, & cum gratia canite in cordibus vestris Deo:

17 Et quicquid agitis in sermone, & in opere, in nomine Domini nostri Jeschua Christi facite, & gratias agite [7] per eum Deo Patri.

18 Uxores subditæ estote maritis vestris,sicut justum est in Christo.

19 Viri diligite uxores vestras,& ne sitis amarulenti adversus eas.

20 Filii auscultate parentibus vestris in omni re: ita enim placet coram Domino nostro.

21 Parentes, ne provocetis liberos vestros: ut non mœrore afficiantur.

22 Servi, auscultate in omni re dominis vestris [8] corporalibus, non ad aspectum oculi, sicut qui placent filiis hominis, sed corde simplici, & cum timore Domini.

23 Et quicquid facitis, ex tota anima vestra facite, tamquam Domino nostro, & non tamquam filiis hominis:

24 Et scitote quòd à Domino nostro accepturi sitis retributionem in hæreditate. Domino enim Christo servitis.

25 Qui autem delinquit, retributionem accepit,quemadmodum delinquit: & non est [9] acceptio vultus.

5 Id est,Modestiam.

6 Ad verbum, Unus unum.Hebraismus.

7 Ad verbum, Per manum ejus. Hebraismus.

8 Ad verbum, Corporis,Hebraismus,

9 Vide quod Matth.6.de hac loquutione est annotatum.

dilecti,[q] visceribus miserationum, comitate, modestia,mansuetudine,lenitate animi:

13 Tolerantes alii alios, & condonantes vobis mutuò, siquis adversus aliquem habuerit querelam: sicut & Christus condonavit vobis, ita & vos.

14 Super hæc autem omnia *induimini* charitate,quæ est [r] vinculum perfectionis.

15 Et pax Dei [s] sit gubernatrix in cordibus vestris,ad quam etiam vocati estis in [t] unum corpus: & grati estote.

16 Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia, docendo & commonefaciendo vos mutuò [u] psalmis,& hymnis,& cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in vestro corde Domino.

17 [||] Et quicquid egeritis sermone, aut facto, [x] in nomine Domini Jesu *id facite*, gratias agentes Deo & Patri per eum.

18 [||] [y] Uxores subjicite vos propriis viris, [z] ut convenit in Domino.

19 [a][||] Viri, diligite uxores, & ne estote adversus eas amarulenti.

20. [b][||] Filii, auscultate parentibus [c] in omnibus: hoc enim gratum est Domino.

21 [d] Patres,ne irritate liberos vestros: ne despondeant animum.

22 [e][||] Servi, auscultate per omnia iis qui domini sunt secundùm carnem, non obsequiis ad oculum exhibitis, ut qui hominibus placere student,sed cum simplicitate cordis,timentes Deũ.

23 Et quicquid feceritis, ex animo præstate, tamquam Domino,& non hominibus:

24 Scientes vos à Domino recepturos [f] mercedem hæreditatis: nam Domino Christo servitis.

25 [g] Qui verò injuriam intulerit,referet injuriam quam intulerit: nec est personarum respectus.

[q] Tenerrimis illis affectibus summæ misericordiæ.
[r] Quo omnia hominum inter se officia continentur ac cohærent.
[s] Omnia regat ac moderetur.
[t] In unum corpus Dei beneficio conjuncti,ut alii aliis membrorum instar adhæreatis.
[u] Psalmos vocat quascumque sacras cantiones variis argumentis scriptas,Hymnos, qui laudes contineant; Cantica, peculiares quasdam & artificiosas magis cantiones,quę & ipsæ laudes contineant, sed augustiore quadam forma compositas.
[||] 1.Cor.10.31.
[x] Invocato Christi nomine, vel ad Christi laudem ac gloriam.
[||] Ephes.5.22.
[y] B.Ad œconomica præcepta ab ethicis descendens, ab uxoribus exigit subjectionem secundùm Deum.
[z] Aberrant enim conjuges quicumque Deum sibi in Christo non proponunt in amando,quod omninò ignoravit Philosophia.

[a] B.A viris,ut uxores diligant,& leniter eas habeant. [||] 1.Pet.3.7. [b] B.A liberis,ut sint ex Dei mandato parentibus obsequentes. [||] Ephe.6.1. [c] In Domino,ut explicatur Ephes.5.19. [d] B.A patribus, ut benigni sint in liberos. [e] B.A servis,ut Deum ipsum reveriti,cui grata est eorum obedientia,reverenter, fideliter,& ex animo dominis obtemperent. [||] Ephes.6.5.Tit.2.9. 1.Pet.2.18. [f] Pro eo quòd dominis rectè parueritis,tempus erit, quum ex servis filios vos factos reipsa agnoscetis, quum cælestis hæreditatis eritis participes. [g] A dominis,ut memores se quoque reddituros rationem coram Domino illo cælesti, qui injustè facta, nullo habito servorum & dominorum discrimine vindicabit, justos & æquos sese servis suis præbeant.

CAPUT IIII.

1 *Ad generales exhortationes redit,* 3 *& precandi studium,* 6 *ac sermonis suavitatem præcipit,* 7 *postremò commendationes & salutationes subjungit.*

DOmini, facite æquitatem & justitiam erga servos vestros, & scitote quòd etiam vobis est Dominus in cælo.

2 In oratione seduli sitis, & estote vigilantes in ea,& gratias agentes.

3 [1] Et orantes etiam pro nobis,ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi,cujus causa vinctus sum:

4 Ut patefaciam illud, & loquar illud sicut convenit mihi.

5 In sapientia ambulate erga extraneos, & redimite occasionem vestram:

6 Et sermo vester omni tempore sit cum gratia,ac si sale esset conditus: & scitote unicuique quomodo oporteat vos reddere responsum.

7 Id autem quod apud me *geritur* notum faciet vobis Tychicus frater dilectus,& minister fidelis,& conservus noster in Domino:

8 Quem misi ad vos ad hoc ipsum ut cogno-

1 Syrus codex impressus habebat ומצלין אף עלין דאלהא יפתח לן תרעא דמלתא דאונגליון. Et orantes etiam pro nobis,ut Deus aperiat nobis ostium sermonis Evangelii.Reliqua hujus versus cum initio quarti desiderabantur,quæ ex codice manuscripto Heidelbergensi restituimus,

DOmini, æquitatem & æquabilitatem servis exhibete: ut qui sciatis vos quoque habere Dominum in cælis.

2 [a][||] In precibus [b] perdurate, invigilantes iis cum gratiarum actione.

3 [c][||] Precantes simul etiam pro nobis,ut Deus aperiat nobis [d] ostium sermonis, ut loquamur mysteriũ Christi, propter quod etiã sum vinctus.

4 Ut, *inquam*, illud patefaciam, sicut oportet me loqui.

5 [||] [e] Sapienter vos gerite erga extraneos, [f] opportunitatem redimentes.

6 [h] Sermo vester semper [i] cum gratia *sit* [k] sale conditus, ut sciatis quomodò oporteat vos unicuique respondere.

7 Res meas omnes vobis notas faciet Tychicus,dilectus frater, & fidus minister, ac conservus in Domino:

8 Quem misi ad vos ob hoc ipsum,ut cogno-

[a] B.Generales aliquot exhortationes adjicit,& tandem additis familiaribus multis salutationibus, epistolam claudit.
[||] Luc.18.1. 1.Thess.5.17.
[b] B.Preces assiduas & ardentes esse oportet.
[c] B.Precibus Ecclesiarum speciatim commendandi qui Verbum ministrant.
[||] Ephes.6.18. 2 Thess.3.1.
[d] Os apertum & liberum,ad prædicandum Evangelium. [||] Ephes.5.15. [e] B.Habenda est magna etiam externorum ratio in tota vitæ nostræ ratione. [f] Consideratè ac circumspectè. [g] Occasionem illos lucrifaciendi, etiam cum vestrarum rerum jactura quærentes. [h] B.Sermonem ad audientium utilitatem accommodatum esse oportet. [i] Ad commodum proximi comparatus. [k] Huic opponitur sermo putris,de quo Ephes.4.29.

scat res vestras, & corda vestra consoletur.

9 Cum Onesimo fido & dilecto fratre, qui est ex vobis. Omnia *igitur* vobis exponent quæ hîc aguntur.

10 Salutat vos Aristarchus meus in captivitate socius, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata. si venerit ad vos, excipite eum.

11 Et Jesus qui vocatur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi [l] soli *sunt* mihi adjutores in [m] regno Dei, fuêre mihi solatio.

l Romæ igitur eo tempore non fuit Petrus.
m In Evangelio.

12 Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi, semper precibus certans pro vobis, ut stetis perfecti & completi in omni voluntate Dei.

13 Hoc enim de eo testor, cum multo vestri studio ardere, & eorum qui sunt Laodiceæ, & eorum qui Hierapoli.

14 Salutat vos Lucas medicus ille dilectus, & Demas.

15 [n] Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & Ecclesiam quæ in domo illius est.

n 2.Tim.4.11.

16 Et quum perlecta fuerit apud vos epistola, facite ut etiam in Laodicensium Ecclesia recitetur: & ut scriptam Laodicea, vos quoque legatis.

17 Et dicite Archippo, Vide ut ministerium quod accepisti in Domino, impleas.

18 Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia *sit* vobiscum. Amen.

Scripta est ad Collossenses Roma, per Tychicum & Onesimum.

scat quod *geritur* apud vos, & consoletur corda vestra.

9 Cum Onesimo fratre fideli & dilecto, qui est ex vobis. Illi notum facient vobis id quod *geritur* apud nos.

10 Salutatque vos Aristarchus captivus qui est mecum, & Marcus [a] filius avunculi Bar-Nabbæ (de quo mandata accepistis, ut si veniat ad vos, recipiatis eum)

a Id est, Consobrinus.

11 Et Jeschua qui vocatur Justus: qui sunt ex circumcisione, & qui soli juverunt me in regno Dei, & qui fuerunt mihi consolationi.

12 [3] Salutat vos Epaphras qui est ex vobis, servus Christi, omni tempore laborans pro vobis in precatione, ut stetis perfecti & completi in omni voluntate Dei.

3 Id est, Petit pro salute vestra, Hebræa & Syra phrasis aliquoties annotata.

13 Testimonium enim perhibeo ei quòd magnus zelus est ei pro vobis, *& pro iis* qui sunt Laodiceæ, & qui sunt Hierapoli.

14 Salutat vos Lucas medicus, dilectus noster, & Demas.

15 Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nymphan, & Ecclesiam quæ est domi ejus.

16 Et quum lecta fuerit epistola hæc apud vos, facite ut etiam in Ecclesia Laodicensium legatur: & illam quæ scripta est ex Laodicensibus, legite ipsam.

17 Et dicite Archippo, diligens esto in ministerio quod accepisti in Domino nostro, ut impleas illud.

18 Salutatio hæc, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Ammin.

Finitur Epistola ad Collossenses, quæ scripta est à Roma [4].

4 F. al. adduntur, & missa per manus Tychici.

EPISTOLA AD THESSALONICENSES PRIOR.

CAPUT I.

2 Gratiarum actionem ideò præponit, 4 ut Dei beneficium esse agnoscant quicquid prædicat in ipsis laude dignum, 7 & quòd reliquis exemplum facti sunt.

BEZAE INTERPRET.

PAULUS & Sylvanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, *quæ est* in Deo Patre, & Domino Jesu Christo. Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

2 [a] Gratias agimus Deo semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in precibus nostris:

3 [b] Indesinenter commemorantes efficacem vestram fidem, & laboriosam charitatem, & tolerantem illam spem in Domino nostro Jesu coram Deo & Patre nostro.

4 Ut qui sciamus, fratres dilecti à Deo, [c] electionem vestram.

5 [d] Quoniam Evangelium nostrum constitit apud vos non loquutione dumtaxat, sed etiam virtute, & in Spiritu sancto, & in [e] multa certa persuasione: sicut nostis quales fuerimus inter vos, vestri causa.

a B. Gratulationis verè Christianæ exemplum, unde etiam dicimus duplici injecto freno cohiberi qui magnarum virtutum sibi sunt conscii, nempè si cogitent se à Deo omnia accepisse, & ab eo petendam perseverantiam, ad quam etiam tota epistola ad Thessalonicenses hortatur.

b B. A tribus præcipuis donis eos commendat, fide efficaci, charitate indefatigabili, & spe patientissima, nempè ut eos pudeat tot excellentibus donis ornatos non perseverare in Dei electione.

c Ad verbum, electionem vestram esse à Deo.

d B. Aliaratio, cur omninò sit eis perseverandum, quoniam dubitare non possint de ipsius doctrina tot modis cælitùs comprobata, sicut ipsi optimè norant.

e Fructum maximum ex Pauli prædicatione consequutum, duabus rebus demonstrat, donis illis Spiritus sancti, & certa persuasione, quam in illorum animis insedisse res ipsa ostendit, quum alacribus animis crucem pertulerint.

TREM. INTERPRET.

PAULUS & Sylvanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, quæ est in Deo Patre, & in Domino nostro Jeschua Christo. Gratia vobiscum & pax, [1] à Deo Patre nostro, & Domino Jeschua Christo.

1 F. Reliqua desiderari puto facto librarii, qui hoc genus salutationis ex singulis epistolis, & communi earum præfatione peti posse putaverit. Quapropter ex Græco suppleo.

2 Gratias agimus Deo omni tempore pro vobis, & mentionem facimus vestri in precibus nostris:

3 [2] Sedulò & memores sumus coram Deo Patre operum fidei vestræ, & laboris charitatis vestræ, & tolerantiæ spei vestræ quæ est in Domino nostro Jeschua Christo.

2 F. hoc Syrus aptius præcedenti versui, ut demonstrat interventus copulæ: in precibus nostris sedulò.

4 Novimus enim electionem vestram, fratres mei, dilecti Dei.

5 Eo quod prædicatio nostra nequaquam in sermonibus tantum fuit apud vos, sed etiam in virtute & in Spiritu sancto, & in persuasione certa: etiam vos nostis quomodo fuimus inter vos vestri causa.

6 Et vos nostri similes facti estis in domino nostro, & recepistis sermonem cum afflictione multa, & cum gaudio Spiritus sancti.
7 Et fuistis exemplar omnibus fidelibus qui sunt in Macedonia & in Achaia.
8 A vobis enim personuit sermo Domini nostri non tantùm in Macedonia & in Achaia, sed in omni loco fides vestra quæ est in Deum personuit, ita ut non opus habeamus ut dicamus de vobis quicquam.
9 Ipsi enim renunciant qualis ingressus fuit nobis ad vos, & quomodo conversi estis ad Deum à cultu simulacrorum, ut serviatis Deo viventi & vero.
10 Exspectantes filium ejus è cælis, Jeschua, quem excitavit à mortuis, qui est liberator noster ab ira ventura.

6 [f] Et vos, imitatores nostri facti fuistis & Domini, recepto sermone cum afflictione multa, cum [g] gaudio Spiritus sancti:
7 Adeò ut fueritis exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia.
8 A vobis enim non solùm personuit sermo Domini in Macedonia & Achaia, verumetiam in omnem locum fides vestra quæ est in Deum, dimanavit, ut necesse non habeamus quicquam loqui.
9 Siquidem [h] ipsi de nobis annunciant qualem ingressum habuerimus ad vos, [i] & quomodo converteritis vos ad Deum relictis idólis, ut serviretis Deo vivo & vero:
10 Et exspectaretis Filium ejus è cælis, quem suscitavit à mortuis, *nempe* Jesum nos eruentem ab [k] ira illà ventura.

f z. Alia ratio, quoniam ad eum usque diem summa alacritate lucrant evangelium amplexi, adeò ut reliquis vicinis essent exemplo: quò turpius illis fuerit in medio cursu deficere.
g Cum gaudio, quod à spiritu promanat.
h Credentes omnés.
i z. Vera conversio non est idola deserere, nisi quis simul Deum verum & vivū in Christo unico redemtore colat.

k Articulus additus non est otiosus: iram autem accipit pro ultione seu vindicatione, qua Dominus terribiliter iratus, mundum tandem ulciscetur.

CAPUT II.

1 *Declarat quanta fide ipsis Evangelium prædicarit,* 5 *neque lucrum,* 6 *aut gloriam quæsierit:* 10 *idq; eorum testimonio probat:* 14 *& quòd ipsi infracto animo persequutiones à suis tulerint.* 17 *Addit se magno illos visendi desiderio teneri.*

IPsi quoque nostis, fratres mei, quòd ingressus noster ad vos nequaquam in vanum fuerit:
2 Sed primùm passi sumus, & ignominia affecti sumus (quemadmodum scitis) Philippis, & nunc in certamine magno loquuti sumus vobiscum cum fiducia Dei nostri Evangelium Christi.
3 Exhortatio enim nostra non fuit [1] ex errore, neque ex impuritate, neque cum dolo:
4 Sed sicut fueramus probati Deo, ut concrederetur nobis Evangelium ejus, ita loquimur, non tamquam ut filiis hominis placeamus, sed Deo qui probat corda nostra.
5 Neque enim unquam usi sumus sermone adulatorio, quemadmodum nostis, nec per occasionem avaritiæ: Deus testis est.
6 Neq; quærimus gloriam à filiis hominis, nec à vobis, nec ab aliis, quum possimus [2] honorabiles esse tamquam Apostoli Christi.
7 Sed fuimus inter vos demissi, & tamquam nutrix quæ diligit filios suos:
8 Ita etiam nos [3] diligebamus & cupidi eramus tradere vobis non tantùm Evangelium Dei, sed etiam animam nostram, quia dilecti eratis.
9 Membres estis enim, fratres, quòd laborabamus & fatigabamur in opere manuum nocte ac die, ne ullum vestrûm gravaremus.
10 Vos testes estis & Deus, quomodo prædicavimus vobis Evangelium Dei purè & justè: & irreprehensibiles fuimus apud omnes fideles:
11 Quemadmodum nostis quòd ab unoquoque ex vobis, sicut pater à filiis suis, expetebamus, & [4] loquebamur super cor vestrum.
12 Et testabamur vobis ut ambularetis sicut convenit Deo, qui vocavit vos ad regnum suum & ad gloriam suam.
13 Propter hoc etiam nos gratias agimus indesinenter Deo, quòd sermonem Dei quem accepistis à nobis, nequaquam sicut sermonem filiorum hominis accepistis, sed sicut est verè, *tamquam* sermonem Dei: & ipso [5] opere agitur in vobis, & in iis qui credunt.
14 Vos enim, fratres mei, imitatores facti estis

1 Quasi proposuerimus vobis ea quibus in errorē vos induceremus, ut impostores facere solent. Nam in Syriaca lingua טעיותא æquè significat imposturam qua quis alium decipit, atque deceptionem qua quis ab alio deceptus est.
2 Vel graves. Vox enim Syra יקירא utrumque significat, videlicet nobiles & graves.
3 F. vel diligimus, & cupidi sumus, &c. omnia in præsenti tempore.
4 Id est, Consolabamur vos, sic & in Hoseæ 2. reperitur, & in multis aliis locis veteris Testamēti. Est autem in textu Syriaco vox ומלין derivata à מלל pro ומתמללין. Est enim syncope, sicut aphæresis & apocope, in hac lingua frequentissima.
5 Id est, Exprimitur opere.

NAm [a] ipsi nostis, fratres, ingressum nostrum ad vos non fuisse vanum:
2 [b] [l] Immò etiam *multa* prius passi & contumeliis affecti Philippis sicut nostis, libertate loquendi usi sumus [c] in Deo nostro, ad annunciandum apud vos Evangelium Dei cum multo certamine.
3 [d] Exhortatio enim nostra non fuit ex impostura, neq; ex [e] impuritate, neq; cum dolo:
4 [f] Sed sicut [g] placuimus Deo *quibus* crederetur Evangelium, ita loquimur, non ut hominibus placentes, sed Deo qui [h] approbat corda nostra.
5 Nec enim unquā sermone assentatorio usi sumus, sicut nostis, nec avaritiæ causa quicquam prætexuimus: Deus testis est.
6 [i] Neq; ex hominibus quærentes gloriam, nec à vobis, nec ab aliis, quum possemus *vobis* oneri esse, ut Apostoli Christi.
7 Sed fuimus [k] placidi in medio vestrî.
8 *Et*, ut [l] si nutrix foveat liberos suos, [m] ita cupidi vestrî avebamus impertiri vobis non solùm Evangelium Dei, sed etiam nostras ipsorum animas, quòd chari nobis effetis.
9 [n] Meministis enim, fratres, [o] laboris nostri ac ærumnæ: nocte enim ac die operando, ne quem vestrûm gravaremus, prædicavimus apud vos Evangelium Dei.
10 [o] Vos testes *estis* & Deus, quomodo sanctè & justè & inculpatè vobis, qui creditis, nos gesserimus.
11 [p] Sicut nostis quomodo unumquemque vestrûm, tamquam pater liberos suos, hortabamur & consolabamur,
12 [q] [r] Et obtestabamur ut incederetis sicut dignum est Deo vocante vos ad suum regnum ac gloriam.
13 [r] Propterea etiam nos gratias agimus Deo indesinenter, quòd acceptum de Deo sermonem quem audistis ex nobis, exceperitis non *ut* sermonem hominum, sed (sicut est verè) *ut* Dei sermonem, qui etiam agit in vobis qui creditis.
14 [f] Vos enim, fratres, imitatores facti estis

a z. Quod de suo Apostolatu paucis attigerat, copiosè explicat, in eum quem dixi finem.
b z. Veri pastoris virtutes, ingenuè & intrepidè mediis in periculis evangelizare.
l Act. 16, 23.
c Dei ope ac gratia freti.
d z. Putam doctrinam, puro animi affectu, fideliter docere.
e Nullo scelere aut maleficio.
f z. Alienum ab omni assentatione & avaritia, Deo suam conscientiā approbare.
g Quò inter Dei & hominum judicia hoc intersit, quòd homines in eligendo spectant cārum rerū qualitates quæ proponuntur, Deus verò in seipso invenit sui consilii rationem, fit ut quum ne ad cogitandum quidē simus idonei, eos quos ipse primùm ad sanctam illam vocationem eligit, non inveniat, sed faciat idoneos. Itaque hæc approbatio à Dei misericordia pendet.
h Qui puros & acceptos habet.
i z. Omni vitata elatione, seipsum, infimis quibusvis eos lucrifaciendi causa summittere.

k Quum meo jure potuissem Ecclesiæ sumtibus vivere. l Moribus minimè asperis, sed faciles & benigni, sicut nutrix, quæ neque ambitione neque avaritia ducitur, sed quæ materno affectu omnes molestias patienter sustinet. m z. Ovegem sibi commissum propria vita chariorem habere. n z. Suo potiùs jure cedere, quàm oves gravare. l Act. 20. 34. 1. cor. 4. 12. 2. thess. 3. 8. o z. Sanctè & inculpatè vitæ exemplo cæteris præire. p z. Paternum affectum ad exhortationes & consolationes afferre. q z. Omnes ad vitam sicut Deo dignum est instituendam, sedulò & ardenter urgere. r Ephe. 4. 1. philip. 1. 27. coloss. 1. 10. r z. Approbato suo ministerio, rursum, in eum quem dixi finem, Thessalonicensium alacritatem suæ in docendo diligentiæ respondentem, & eorundem infractam patientiam commendat. f z. Confirmat eos in domesticis afflictionibus, quoniam à suis vexabantur: quod dicit eis esse cum Judaicis Ecclesiis commune, ut proinde jucundum etiam illis esse debere.

c Chriſti auſpiciis collectar.
u Ab iis ipſis quibuſcum gentem & civitatem cõmunem habetis.
x B. Occurrit offendiculo, quòd Judæi præ cæteris Evangeliũ perſequerentur. Id verò, inquit, novum non eſt, quũ ipſum Chriſtum & ſuos prophetas occiderint, mẽque adeò expulerint.
y B. Extremum exitium Judæorum prænunciat, nequis eorum rebellione moveatur.
z Judæi enim nec in regnum Dei introire volebant, nec alios ſinebant ingredi.

Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæa, c in Chriſto Jeſu, quippe qui eadem paſſi ſitis & vos à propriis u contribulibus, ſicut & ipſæ à Judæis:

15 x Qui etiam Dominum Jeſum & proprios Prophetas occiderunt, & nos exegerunt: y neq; Deo placent, & z omnibus hominibus adverſantur:

16 Prohibentes nos Gentibus loqui ut ſerventur, ut ſemper a compleant peccata ſua. occupavit enim eos b ira ad extremum uſque.

17 c Nos verò, fratres, d orbati vobis ad temporis momentum, conſpectu, non animo, eo vehementiùs ſtuduimus videre faciem veſtram, cũ multo deſiderio.

18 Ideò voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus) ſemel atque iterum, ſed impedivit nos Satanas.

19 Nam quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona de qua glorier? annon & vos in conſpectu Domini noſtri Jeſu Chriſti in ejus adventu?

20 Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

a Hæreditaria improbitas eouſque excreſcat, donec expleto iniquitatis cumulo, ad iram prorumpat Deus. Hebr. b Irati Dei judicium, quod ſane paulo poſt apparuit in exciſione urbis Hieroſolymitanæ, in quam plurimi etiam provinciales convenerant quum obſideretur. c B Occurrit objectioni, cur ad eos in tantis miſeriis verſantes non ſtatim accurrerit. Cupivi, inquit, ſæpe, nec per me ſteterit, ſed Satan meos conatus impediit, ideoq; Timotheum fidum meum collegam ad vos miſi, quoniam nihil eſt mihi vobis charius. d Disjuncti à vobis & proinde quaſi orphani.

Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæa, illorum qui ſunt in Jeſchua Chriſto, quòd eadem ſuſtinuiſtis vos quoque à 6 contribulibus veſtris, quemadmodum etiam illi à Judæis:

15 Qui Dominum noſtrum Jeſchua Chriſtum occiderunt, & prophetas qui erant ex ipſis, noſq; perſequuti ſunt: ac Deo non placent, & ſiunt contrarii omnibus filiis hominis.

16 Qui prohibent nobis ne loquamur cum Gentibus ut ſerventur, ad complendum peccata ſua omni tempore. Pervenit autem ſuper eos ira uſq; in finem.

17 Nos verò, fratres mei, 7 facti ſumus pupilli à vobis *ad* tempus horæ, quoad faciem noſtram, non autem quoad cor noſtrum, & magis ſtuduimus videre faciem veſtram cum dilectione magna.

18 Et voluimus venire ad vos, (ego Paulus) 8 ſemel & iterum, & 9 impedivit me Satanas.

19 Quæ eſt ſpes noſtra, & gaudium noſtrum, & corona gloriæ noſtræ, niſi ſitis vos, coram Domino noſtro Jeſchua in adventu ejus?

20 Vos enim eſtis laus noſtra & gaudium noſtrum.

6 Ad verbum, A filiis generis veſtri. Hebraiſm.
7 Id eſt, Orbati vobis exiguo tempore.
8 Ad verbum, Uno tempore & duobus.
9 In textu Syriaco eſt עכבני pro עכבני, à verbo עכב, quod eſt, Remorari & retardare, & impedire. At fortaſſis, juxta linguæ idiotiſmum, ב abſq; puncto daghes mutata eſt in ו conſonantem ejuſdem ſoni, & facta eſt literarũ tranſpoſitio.
F. vel, obſtitit mihi, propria ſignificatione.

CAPUT III.

1 *Deſiderii erga illos ſui fidem facit, quòd Timotheum ad eos miſerit,* 6 *quòd proſperi eorum ſtatus nuncio ita ſit affectus,* 9 *ut gratias agere ſatis non poſſit:* 12 *itaque in precationem erumpit.*

f Act. 16. 1.
a B. Voluntas Dei hac lege ſuos vocantis, ut eos per crucẽ ad gloriam adducat, certum eſt adverſus afflictiones remedium.
b B. Rurſus ex eo quòd tam feliciter adhuc perrexerint, ad reliquum iter perficiendum eos hortatur, in eo etiam gratiſſimum ipſi, eorum Apoſtolo, facturos.
c Nam nunc non aliter nobis videmur ſalvi, quàm ſi pergitis in fide.
f Rom. 1. 10. & 15. 23.
d Adverſariorum importunitate coactus fuerat, vix inchoatum ædificiũ relinquere: quam ob cauſam Silam & Timotheum in Macedonia reliquerat, atque quum Timotheus ad ipſum Athenas veniſſet, ſtatim illũ remiſit. Itaque deſiderat videre Theſſalonicenſes, ut omnibus numeris fidem eorum imperfectam abſolvant.

QUamobrem *deſiderium* non ampliùs ferentes, optimum duximus ſoli Athenis relinqui.

2 f Miſimuſq; Timotheum fratrem noſtrum, ac miniſtrum Dei & adjutorem noſtrum in Evangelio Chriſti, ad vos ſtabiliendos & exhortandos ſuper fide veſtra:

3 Ut nemo commoveatur ob afflictiones iſtas. a ipſi enim noſtis ad id nos eſſe conſtitutos.

4 Etenim quum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis fore ut affligeremur: quod & evenit, & noſtis.

5 Quamobrem etiam ego non ampliùs *me* continens, miſi *eum* ut cognoſcerem fidem veſtram: *veritus* ne quo modo tentâſſet vos tentator ille, & inanis redditus eſſet labor noſter.

6 b Nuper autem quum veniſſet Timotheus ad nos à vobis, & lætum nuncium nobis attuliſſet de fide & charitate veſtra, & quòd bonam noſtri memoriam retineatis, ſemper expetentes nos videre, ſicut nos quoque vos:

7 Propterea conſolationem accepimus, fratres, ex vobis, in omni afflictione & neceſſitate noſtra, per veſtram fidem:

8 Nunc enim c vivimus, ſi vos perſtatis in Domino.

9 Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo rependere de vobis, ſuper omni gaudio quo gaudemus propter vos coram Deo noſtro,

10 f Nocte ac die quàm vehementiſſimè precantes ut videamus veſtram faciem, & quæ deſunt fidei veſtræ d compleamus?

11 Ipſe verò Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos.

12 e Faxit autem Dominus ut abundetis & exuberetis mutua inter vos charitate, & in omnes, quemadmodum & nos in vos:

e B. Altera pars epiſtolæ, in qua de Chriſtianæ vitæ officiis diſſerit. Docet autem duabus in rebus poſitam eſſe Chriſtianæ vitæ perfectionem, nempe in charitate erga omnes & interiore cordis puritate, quarum tamen complementum in alterũ adventum Chriſti defertur, tunc demum qua gratia hoc opus in nobis cœpit, eadẽ illud perſiciet.

ET quia non 1 ſuſtinebamus, voluimus reſidere Athenis ſoli:

2 Et 2 mittere ad vos Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei ac adjutorem noſtrũ in Evangelio Chriſti, ut confirmaret vos, 3 & peteret à vobis de fide veſtra:

3 4 Ne cui ex vobis *fides* ſuccideretur in afflictionibus iſtis. vos enim noſtis: quòd ad hoc ipſum poſiti ſumus.

4 Nam etiam quum apud vos eſſemus, prædixeramus vobis futurum eſſe ut affligeremur: quemadmodum noſtis quod factum ſit.

5 Propter hoc etiam non ſuſtinui donec mitterem ut cognoſcerem fidem veſtram, ne fortè tentâſſet vos tentator, & eſſet labor noſter inanis.

6 Nunc autem ex quo venit ad nos Timotheus 5 à vobis, & annunciavit nobis de fide veſtra, & de charitate veſtra, & quòd ſit apud vos noſtri memoria bona omni tempore, & cupidi ſitis videre nos, ſicut nos quoque vos:

7 Propter hoc conſolationem accepimus in vobis, 6 fratres, in omnibus anguſtiis noſtris & afflictionibus noſtris, propter fidem veſtram.

8 Et nunc vivimus, ſi vos confirmemini in Domino noſtro.

9 Quam enim gratiarum actionem poſſumus rependere pro vobis Deo ſuper omni gaudio quo gaudemus veſtri cauſa,

10 Niſi ut coram Deo ampliùs obſecremus nocte & die, ut videamus faciem veſtram, & compleamus id quo caret fides veſtra?

11 Ipſe autem Deus Pater noſter, & Dominus noſter Jeſchua Chriſtus, dirigat iter noſtrũ ad vos,

12 Et augeat & abundare faciat charitatem veſtram, quæ eſt unius erga alium, & erga omnem hominem; quemadmodum nos diligimus vos:

1 Subaudi, Carere literis aut nunciis veſtris.
2 F. vel miſimus ad vos, &c. quod affirmatur infra 3. 6.
3 i. Exhortationibus ſuis rogans à vobis ut permaneretis in fide veſtra.
4 F. vel nequis ex vobis ſuccidatur, &c. nimirum à Chriſto & fide illius, abreptus afflictionibus.
5 Ad verbum, A juxta vos. Hebraiſmus.
6 F. al. fratres noſtri.

13 Et confirmet corda vestra irreprehensibi-
lia per sanctitatem, coram Deo Patre nostro, in
adventu Domini nostri Jeschua Christi, qui erit
cum omnibus sanctis ejus.

CAPUT IIII.

1 Hortatur 3 ad vitæ sanctitatem, 9 & charitatem mutuam. 13 Morte infidelium nos tristari vetat: 15 & seriem resurrectionis nostræ graphicè depingit.

PRoinde fratres mei, petimus à vobis, & obse-
cramus vos per Dominum nostrum Jeschua,
ut quemadmodum accepistis à nobis quomodo
conveniat vobis ut ambuletis & placeatis Deo,
ut [1] amplius adjiciatis.
2 Nostis enim quæ mandata dederimus vo-
bis per Dominum nostrum Jeschua Christum.
3 Hæc enim est voluntas Dei sanctificatio
vestra, & [2] ut absitis ab omni scortatione,
4 Et sciat unusquisque ex vobis possidere
vas suum in sanctificatione & in honore:
5 Et non in affectibus concupiscentiæ, sicut
reliquæ Gentes quæ non noverunt Deum.
6 Et ne audeatis irritare & injuria afficere
[3] vir fratrem suum in aliquo negotio. quia Do-
minus noster est ultor adversus hæc omnia, que-
admodum etiam ante hoc tempus diximus vo-
bis, & testati sumus.
7 Non enim vocavit vos Deus ad impurita-
tem, sed ad sanctificationem.
8 Itaque qui rejicit *hæc*, non filium hominis
rejicit: sed Deum qui dedit in vobis Spiritum su-
um sanctum.
9 De charitate autem fratrum non opus ha-
betis ut scribam vobis: vos enim ipsi docti estis à
Deo ut diligatis unus alium:
10 Etiam facitis ita omnibus fratribus qui
sunt in tota Macedonia. Peto autem à vobis, fra-
tres mei, ut excellatis.
11 Ut diligentiam adhibeatis ut sitis quieti, &
[4] agentes negotia vestra, & operemini manibus
vestris, sicut mandavimus vobis,
12 Ut ambuletis cum honestate erga extra-
neos, & nullo homine opus habeatis.
13 Volo autem ut sciatis, fratres mei, ut de iis
qui dormiunt non sit contristatio vobis, sicut reli-
quis hominibus quibus non est spes.
14 Nam si credimus quòd Jeschua mortuus
est & resurrexit, ita etiam Deus eos qui dormie-
runt in Jeschua, adducet cum eo.
15 Hoc enim dicimus vobis in sermone Do-
mini nostri [5] qui differimur in adventum Domi-
ni nostri, qui vivemus, non præveniemus eos qui
dormierunt.
16 Eo quòd ipse Dominus noster cum man-
dato & cum voce Archangeli, & cum buccina
Dei descendet de cælo, & mortui qui sunt in
Christo, resurgent primùm.
17 Et tunc nos qui differimur, qui vivimus,
rapiemur cum eis simul in nubes in occursum
Domini nostri, in aëra, & ita omni tempore cum
Domino nostro erimus.
18 Igitur consolemini [6] alius alium in sermo-
nibus istis.

[1] ϒ. Id est, porrò pergatis ita ambulare & placere Deo. Hebraismus.
[2] Ad verbum, Ut sitis disjuncti.

[3] Id est, Alter alterum. Hebraismus usitatissimus.

[4] Ad verbum, Negotiantes opera vestra, id est, Exercentes negotia vestra,

[5] ϒ. Syrè quod nos qui differimur, &c. quæ verba librarii culpa judico excidisse, & in textu reponi debent. Hæc autem ex πληροφορίας à Paulo dici quis non videt? ut versu 17.

[6] Ad verbum, Unus unum. Hebraismus.

13 Ut corda vestra inculpata stabiliat [b] in san-
ctimonia coram Deo & Patre nostro, in adven-
tum Domini nostri Jesu Christi cum omnibus
sanctis suis.

QUod [a] superest igitur, fratres, rogamus vos
& precamur per Dominum Jesum, ut sicut
accepistis à nobis quomodo oporteat vos ince-
dere, & placere Deo, [b] magis excellatis.
2 Nostis enim quæ mandata dederimus vo-
bis per Dominum Jesum.
3 [c] Nam hæc est voluntas Dei, *nempe* [d] san-
ctificatio vestri, *id est* [e] ut abstineatis à scortatione:
4 [e] Ut sciat vestrûm unusquisque suum vas
possidere in sanctificatione & honore:
5 [f] Non in morbo cupiditatis, sicut Gentes
quæ non noverunt Deum.
6 [l] *Et* [g] ut ne *quis* opprimat, & habeat quæ-
stui in negotio fratrem suum, nam ultor est Do-
minus omnium istorum, sicut & antè diximus
vobis, & asseveranter testificati sumus.
7 [h] Non enim vocavit nos Deus ad impuri-
tatem, sed ad sanctificationem.
8 Proinde [h] qui *hæc* rejicit, non rejicit homi-
nem, sed Deum, qui etiam dedit nobis Spiritum
suum sanctum.
9 [i] [l] Cæterùm de fraterna charitate non ne-
cesse habetis ut scribam vobis: ipsi namque divi-
nitùs docti estis ut diligatis alii alios.
10 Nam & facitis hoc erga cunctos fratres
qui sunt in tota Macedonia, precamur autem
vos, fratres, ut magis excellatis:
11 [k] E contendatis quieti esse, & res vestras
agere, [l] ac operari propriis manibus vestris, sicut
vobis denunciavimus:
12 Ut vos geratis honestè erga extraneos, &
nullius vobis sit opus.
13 [m] Nolim autem vos in ignorantia versari,
fratres, [n] quod ad eos attinet [o] qui obdormierunt,
ut ne doleatis, sicut & cæteri qui spe non habent:
14 [p] Nam si credimus Jesum mortuum esse
& resurrexisse, ita etiam Deus eos qui obdormi-
erint in [q] Jesu, [r] adducet cum eo.
15 [s] Hoc enim vobis dicimus [t] verbis Domi-
ni, fore ut [u] nos vivi qui reliqui erimus in adven-
tu Domini, non præveniamus eos qui obdormie-
rint.
16 [l] Nam ipse Dominus cum [x] hortationis
clamore, cum voce Archangeli, & cum Dei tuba,
descendet è cælo: & qui mortui fuerint in Chri-
sto, resurgent primùm.
17 Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, [y] ra-
piemur simul cum eis in nubes, in occursum Do-
mini in aëra: & ita semper cum Domino erimus.
18 Itaque consolamini alii alios istis sermo-
nibus.

[b] 2. Cor. 1. 8. infr. 5. 23.

[a] 2. Variæ exhortationes, quarum fundamentum est, ut eorum quæ ex Apostolo audierunt sint memores.
[b] Ita contendant magis ac magis excellere, ac vos ipsos quotidiè superare.
[c] 2. Summa eorum quæ ipsis tradiderim, hæc est, ut se totis Deo consecrent. Damnat autem disertè omnem libidinosam fœditatem, [illegible] quæ Dei voluntati prorsus repugnet.
[d] Vide Johan. 17. 17.
[l] Rom. 12. 2. ephes. 5. 17.
[e] 2. Altera ratio, Quòd corpus ipsum polluat.
[f] 2. Tertia, quòd honestate & puritate discernuntur sancti ab iis qui Deum non norunt.
[l] 1. Cor. 6. 8.
[g] 2. Secundò, omnem violentam oppressionem & immodicam cupiditatem reprehendit, quod scelerum vindicem fore Deum severissimè demonstrat, ut Dei Prophetæ.
[i] 1. Cor. 1. 2.
[h] Hæc mandata quæ dedi vobis.
[i] 2. Tertiò, animum ad omne beneficentiæ genus promptum requirit: in qua etiam virtute hortatur ut magis ac magis proficiant.
[l] Joh. 13. 34. & 15. 12. 1. Joh. 2. 8. & 4. 21.
[k] 2. Inquieta [illegible] quietem, & rerum ad se nihil pertinentium curiosa damnat.
[l] 2. Otium & inertiam arguit: quo vitio qui laborant, ad turpia tandem coguntur magno cum Ecclesiæ offendiculo. [m] 3. Tertia pars epistolæ, superioribus exhortationibus, ad quas etiam [illegible] inserta, in qua de luctu mortuorum, & modo resurrectionis, & summo illo supremo die disserit. [n] 3. Cavendum ne mortuos ultra modum lugeamus, [illegible] ut solent qui eos arbitrantur periisse. [o] 2. Confirmatio, quia mors est tantùm corporis somnus (de fidelibus enim agit) [illegible] adventus Domini. [p] 2. Ratio confirmationis, quia quum resurrexerit caput, resurgent & membra, idq; Dei virtute. [q] Moriuntur in Christo qui ad extremum usque vitæ spiritum perseverant in fide qua sunt Christo insiti. [r] E sepulcris evocatos, quantum ad corpora, quibus animi rursus erunt adjuncti. [s] 2. Resurrectionis futuræ [illegible] sit, mortuorum corpora velut è somno expergiscent ad Dei tubæ clangorem. Descendet ipse Christus de cælo, [illegible] (de his enim propriè agit) qui tunc vivi deprehendentur, unà cum mortuis qui resurrexerint rapientur in nubes in occursum Domini, perpetuaq; gloria cum eo fruentur. [t] In nomine Domini, & quasi eo ipso loquente. [u] De his rebus loquitur quasi unus sit futurus ex eorum numero quos Dominus adveniens sit vivos deprehensurus, quia nemini [illegible] illud tempus: singulos autem nostrûm ita comparatos esse oportet, ac si singulis momentis Dominus venturus esset. [x] 1. Cor. 15. 52. Κέλευσμα propriè est [illegible] quod apud nautas est solenne, quo uno velut concentu remos adducant. [y] Repente & oculi momento.

CAPUT V.

1 Curiosam temporum adventus Christi inquisitionem damnans, 6 admonet ut assiduè ad eum excipiendum sint parati. 11 Hinc descendit ad varias admonitiones.

De

Porrò

[a] a. Dies quem huic judicio Deus destinavit, nobis est incompertus. Certum est autem hominibus nihil minùs exspectantibus super venturum.
[b] Vide Act. 1.7.
[c] a. Rediens ad exhortationes, monet nostrum officium esse, qui Dei cognitione illustrati simus, non deliciari securè, ut voluptatibus sopiti deprehendamur ex improviso: sed è contrario esse in Dominum intentos, nec pati ut ab hujus mundi curis degravemur. Illud enim convenit noctis tenebris, istud verò luci.
[d] a. Fide & spe pugnandum est, nedum ut securè stertendum.
[e] Esa. 59.17. ephe. 6.17.
[e] a. Addit nobis stimulos, certa victoriæ fiducia proposita.
[f] a. Mors Christi nostræ victoriæ pignus. Ideò enim mortuus est ut ipsius vitæ seu virtutis simus participes, etiam quamdiu hic vivimus.
[g] a. Non tantùm vigilandum nobis est, sed etiam alii alios tenemur expergefacere & confirmare.
[h] a. Habenda magna ratio eorum qui Verbi ministerio & Ecclesiæ gubernationi præfecti sunt à Deo, & officio suo funguntur.
[i] Agnoscatis tales esse quales sunt, dignos videlicet quos in maximo pretio habeatis.
[k] In iis quæ ad cultum Dei spectant: Sic Ecclesiasticum munus à civili administratione, & veros Pastores à lupis distinguit.
[l] Ubi ergo cessat hæc causa, cessat honor.

Porrò [a] de temporibus & [b] opportunitatibus, fratres, non est opus ut vobis scribatur.
2 Ipsi enim penitus scitis diem illum Domini, ut fur nocte *venit*, ita venturum esse.
3 Quum enim dicent, Pax *est* & tuta omnia: tunc repentinum eis imminet exitium, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, & nequaquam effugient.
4 [c] At vos, fratres, non estis in tenebris, ut dies ille vos, tamquam fur, deprehendat.
5 Omnes vos filii lucis estis, ac filii diei: non sumus *filii* noctis, neq; tenebrarum.
6 Nempe igitur ne dormiamus ut reliqui, sed vigilemus & sobrii simus.
7 Nam qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu sunt ebrii.
8 [d] At nos qui sumus diei, sobrii simus, [e] induti thorace fidei & charitatis: & pro galea, spe salutis:
9 [e] Nam non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Jesum Christum:
10 [f] Qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum eo vivamus.
11 [g] Quapropter adhortamini alii alios, & ædificate singuli singulos, sicut & facitis.
12 [h] Rogamus autem vos, fratres, ut [i] agnoscatis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis [k] in Domino, & admonent vos:
13 Et quammaximè charos ducatis, [l] propter opus ipsorum. [m] pacem colite inter vos mutuò.
14 [n] Precamur autem vos, fratres, monete [o] inordinatos, consolamini eos qui pusillo animo sunt: sublevate infirmos, leni animo estote erga omnes.
15 [p] Videte nequis malum pro malo cuipiam reddat, sed beneficentiam semper sectamini, tum inter vos mutuò, tum erga omnes.
16 [q] Semper gaudete:
17 [r] Indesinenter orate.
18 In omnibus gratias agite: hæc enim est [s] voluntas Dei per Christum Jesum erga vos.
19 [t] Spiritum ne extinguite:
20 [u] Prophetias ne pro nihilo habete:
21 Omnia explorate: quod bonum fuerit retinete.
22 [x] Ab omni [y] specie mali abstinete.
23 Ipse autem Deus pacis [z] sanctificet vos totos: & integer vester spiritus, & anima & corpus inculpatè in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur.
24 [1] [a] Fidelis *est* qui vocavit vos, [b] qui etiam *id* efficiet.
25 [c] Fratres, orate pro nobis.
26 Salutate fratres omnes cum osculo sancto.
27 Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus.
28 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* vobiscum. Amen.

Ad Thessalonicenses prima, scripta fuit Athenis.

De temporibus autem & temporum articulis, fratres mei, [1] non opus habemus scribere vobis.
2 Vos enim certò scitis quòd dies Domini nostri, ut fur in nocte ita veniet.
3 Quum dixerint quòd est pax & tranquillitas, tunc derepentè surget contra eos interitus, sicut partus dolor in ea quæ uterum gestat, [2] neque effugient.
4 Vos autem, fratres mei, non estis in tenebris, ut dies ille tamquam fur præveniat vos.
5 Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei, non autem estis filii noctis, neque filii tenebrarum.
6 Proinde non dormiamus, sicut reliqui, sed simus vigilantes & sobrii.
7 Qui enim dormiunt, in nocte dormiunt: & qui inebriantur, in nocte inebriantur.
8 Nos autem qui filii diei sumus, simus vigilantes in mente nostra, & induti loricam fidei & charitatis: & ponamus galeam spei salutis.
9 Quoniam non posuit nos Deus ad iram, sed ad acquisitionem salutis, per Dominum nostrum Jeschua Christum:
10 Qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum eo vivamus.
11 Propterea consolamini unus alium, & ædificate unus alium, sicut etiam facitis.
12 Petimus autem à vobis, fratres mei, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, & [3] stant ante faciem vestram, & docent vos:
13 Ut sint in pretio vobis per charitatem abundantem, & propter opus eorum, pacem habete cum eis.
14 Petimus autem à vobis, fratres mei, monete delinquentes, & [4] addite animum pusillanimis, & sustinete onus debilium, & longanimes sitis erga omnem hominem:
15 Et cavete nequis ex vobis malum pro malo rependat, sed omni tempore [5] sectamini bona invicem, & erga omnem hominem:
16 Et gaudete omni tempore:
17 Et orate indesinenter:
18 Et in omni re gratias agite. Hæc enim est voluntas Dei per Jeschua Christum erga vos.
19 Spiritum ne extinguatis.
20 Prophetiam ne spernatis.
21 Omnia probate, & quod bonum est tenete:
22 Et ab omni [6] voluntate mala fugire.
23 Deus autem pacis sanctificet vos perfectè totos, & totum spiritum vestrum, & animam vestram, & corpus vestrum conservet sine reprehensione, in adventum Domini nostri Jeschua Christi.
24 Fidelis est qui vocavit vos, qui idem efficiet.
25 Fratres mei orate pro nobis.
26 Salutate fratres omnes in osculo sancto.
27 Adjuro vos per Dominum nostrum, ut legatur epistola hæc omnibus fratribus sanctis.
28 Gratia Domini nostri Jeschua Christi vobiscum. Ammin.

Finitur epistola ad Thessalonicenses prior [7].

[1] F. al. non opus habetis ut scribam vobis.
[2] Observet studiosus lector מ loco נ esse positū in voce יסרון pro ינדרון. Nam errorem esse dicere non ausim, quum manuscriptus codex etiam ita habeat. Nisi quis dicere malit Nun mutatum esse in Mem, ex linguæ idiotismo. F. Etsi hoc quoque Syri innuunt verbo מרא.
[3] Id est, sunt vobis ministri. quæ ministrorum periphrasis in veteri Testamento frequens est, ut Deu. 1.38. & 10.8.
[4] Ad verbum, Addite cor parvis animo. Heb.
[5] Ad verbum, Currite post bona. Hebraismus.
[6] Vel negotio malo, sive, Re mala. Nam צבי sicut צביא voluntatem, & negotium significat, & in his significationibus sæpe in Novo testamento legitur præsertim autem in 1. Cor. 7. 5. & 37. Item cap. 14. 7. & cap. 16. 13. & alibi sæpe.
[7] F. al. addunt, quæ scripta fuit Athenis, & missa per manus Timothei.

[m] a. Mutua concordia in primis colenda. [n] a. Habenda uniuscujusque ratio, & secundùm morbi speciem remedium adhibeatur. [o] Qui stationem non servant. Prov. 17.13. & 20.22. matt. 5.39. rom. 12.17. 1. pet. 3.9. [p] a. Charitas nullis injuriis vinci debet. [q] a. Animus sedatus ac tranquillus, assiduis precibus fovetur quum in voluntatem Dei respicimus. [r] Eccle. 18.22. luc. 18.1. [s] Res Deo accepta, & qua in primis delectatur. [t] a. Spiritus Dei scintillæ in nobis accensæ, jugi auditione Verbi Dei foventur: sed vera doctrina à falsa accuratè est distinguenda. [u] Verbi Dei interpretationem. [x] a. Generalis conclusio, ut in Christi adventum intenti, & Dei spiritu freti, mente, & voluntate, & corpore, puritati studeamus. [y] Quicquid vel ullam speciem mali præ se fert. [z] A mundo separatos sibi consecrat suo spiritu in Christo, in quo uno veram illam pacem consequimini. [1] 1. Cor. 1.9. [z] a. Certa adversus omnes difficultates confirmatio, est Dei tum benevolentia, tum potentia: quarum testimonium firmum in nostri vocatione exstat. [a] Semper idem & sibi constans, qui verè præstet quod promisit: est autem vocatio efficax, nihil aliud quàm recta voluntatis Dei declaratio: itaque firma est electorum salus. [b] Qui vos perducat. [c] a. Reliqua pars epistolæ, qua sese & hanc Epistolam gravissima cum obtestatione illis commendat.

EPISTOLA

EPISTOLA AD THESSALONICENSES POSTERIOR.

CAPUT I.

3 Laudat incrementa fidei, charitatis, 4 & tolerantiæ Thessalonicensium. 6 Et Dei ultionem adversus piorum oppressores describens, 10 Fideles docet recumbere in exspectationem extremi judicii.

TREM. INTERPRET.

PAULUS & Silvanus & Timotheus Ecclesię Thessalonicensium, quæ est in Deo Patre nostro & in Domino nostro Jeschua Christo.

2 Gratia vobiscum & pax à Deo Patre nostro, & à Domino nostro Jeschua Christo.

3 Gratias agere debemus Deo omni tempore pro vobis, fratres mei, ut par est, quòd valdè crescat fides vestra, & augeatur charitas omnium vestrûm, cujusque erga proximum suum.

4 Adeò ut etiam nos in vobis gloriemur apud Ecclesias Dei, propter fidem vestram, & propter tolerantiam vestram quæ est in omni persequutione vestra, & afflictionibus vestris quas toleratis.

5 Ad ostensionem judicii justi Dei, ut digni habeamini eo regno pro quo passi estis.

6 Et si justum est coram Deo ut rependat afflictionem affligentibus vos:

7 Et vobis qui affligimini, quietem nobiscũ in revelatione Domini nostri Jeschua Christi, quæ erit de cælo cum virtute Angelorum ejus.

8 Quum [1] sumet ultionem in vehementia ignis ab iis qui non noverunt Deum, & ab iis qui non agnoverunt Evangelium Domini nostri Jeschua Christi:

9 Qui judicio punientur perditionis quæ est in ęternum, à facie Domini nostri, & à gloria virtutis ejus:

10 Quum venerit ut glorificetur in sanctis suis, & ostendat mirabilia sua in fidelibus suis, [2] quia fides adhibebitur testimonio nostro quod est de vobis in illo die.

11 Propter hoc omni tempore oramus pro vobis, ut [3] dignos habeat vos Deus vocatione vestra, & impleat vos omni voluntate rerum bonarum, & operibus fidei in virtute:

12 Ut laudetur in vobis nomen Domini nostri Jeschua Christi: etiam vos in eo, secundùm gratiam Dei nostri, & Domini nostri Jeschua Christi.

[1] Ad verbum, Faciet vindictam.

[2] F. vel, quod creditum fuerit testimonio nostro quod *prolatum est* apud vos, in illo die.

[3] Vel, Idoneos reddat. Quo sensu idem verbum legitur ad Coloss. 1.12. Et tunc pro vocatione vestra, vertendum erit in tertio casu, Vocationi vestræ.

BEZAE INTERPRET.

PAULUS & Silvanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium *quæ est* in Deo, Patre nostro, & Domino Jesu Christo:

2 Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

3 [a] ‖ Gratias agere debemus Deo semper de vobis, fratres, ut par est, quòd [b] vehementer augescat fides vestra, & abundet mutua uniuscujusque omnium vestrûm charitas:

4 Adeò ut nos ipsi de vobis gloriemur apud Ecclesias Dei, *id est* de tolerantia vestra & fide in omnibus persequutionibus vestris & afflictionibus quas toleratis:

5 [c] *Quæ res* demonstratio est justi ‖ judicii Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo etiam *ista* patimini:

6 [d] Si quidem justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem:

7 Vobis verò qui premimini, relaxationem [e] nobiscum, ‖ [f] quum patefiet Dominus Jesus de cælo, cum Angelis suis potentibus,

8 Cum igne flammante, infligens ultionem iis [g] qui Deum non noverunt, neq; auscultant Evangelio Domini nostri Jesu Christi:

9 Qui pœnam pendent æterni exitii, *expulsi* à facie Domini & à glorioso ipsius robore:

10 Quum venerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in credentibus omnibus, ([h] quòd fides habita fuerit testimonio nostro apud vos) in die illo.

11 [i] Cujus etiam rei gratia precamur semper pro vobis, ut vos dignetur ista [k] vocatione Deus noster, & compleat [l] omnem *suæ* bonitatis gratuitam benevolentiam, & [m] opus fidei potenter.

12 Ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in eo, & gratia Dei nostri, & Domini Jesu Christi.

[a] B. Prima pars epistolæ gratulatoria, quòd Dei gratia freti, fortiter omnes hostiũ insultus sustinuerint. in quo præterea ipsos confirmat, ostendens quibus præcipuè donis sit pugnandum, fide videlicet & charitate quotidiè angescentibus.

‖ 1. Thess. 1. 2.

[b] Quod quum antea excreverit, quotidiè etiam ad illud incremẽtum aliquid accedat.

[c] B. Fontem omnis veræ consolationis aperit, nempe quòd in afflictionibus quæ propter justitiam nobis ab impiis inferuntur, quasi in speculo intueri nobis liceat justi illius futuri judicii testimoniũ, ipsumq; adeò nobis jucundissimũ, hostibus autem acerbissimum, ejus exitum.

‖ Jude 6.

[d] B. Probatio, Deus justus est: ergo injustos meritis pœnis afficiet, & suorum miserias abolebit. [e] B. Obiter eos confirmat, hac etiam ratione, quòd communem cum eis conditionem & præsentis & futuri status habeat. ‖ 1. Thess. 4. 16. [f] B. Magnificentissima secundi adventus Christi descriptio, omnibus & piorum miseriis & impiorum triumphis opponenda. [g] B. Nulla est salvifica Dei notitia extra Christi Evangelium. [h] B. Ex fide in prædicatum ab Apostolis Evangelium censebuntur Filii Dei. [i] B. Proposita meta superest ut eo perveniatur. pervenitur autem certis caussarum gradibus. Primùm gratuita Dei benevolentia, cujus vi cæteræ caussæ inferiores agunt. Inde manat gratuita vocatio ad Christum, & ex vocatione fides, quam tandem consequitur & Christi in nobis, & nostra in Christo glorificatio. [k] Vocationem vocat non ipsam vocandi actionem, sed illud ipsum ad quod vocati erant, nempe cælestis illius regni gloriam. [l] Quod jam olim ipse ex gratuita & in vos propensa bonitate decrevit. [m] Est ergo fides insigne Dei opus in nobis, neque hic quicquam Apostolus concurrenti libero arbitrio reliquit, ut imaginantur Sophistæ.

CAPUT II.

1 Negat venturum Christi diem, donec in apostasiam prolapsus fuerit mundus, 3 Et revelatus fuerit Antichristus: 8 cujus interitum describit. 15 Infertq; inde exhortationem ad constantiam.

PEtimus autem à vobis, fratres mei, per adventum Domini nostri Jeschua Christi, & per [1] congregationem nostri quæ est ad eum,

2 Ne citò commoveamini in mentibus vestris, neque conturbemini, nec à sermone, nec à spiritu, nec ab epistola quæ sit quasi à nobis,

[1] i. Qua ad eum aggregati sumus. F. vel qua futurum est ut aggregemur ad ipsum in ultimo die.

ROgamus [a] autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostri ad eum [b] aggregationem,

2 [c] Ne citò à mente dimoveamini, neq; terreamini neq; [d] per spiritum, neq; [e] per sermonem, neque [f] per epistolam tamquam per nos

[a] B. Secunda pars epistolæ excellentem prophetiam continens futuri Ecclesiæ status ab ipsis Apostoli temporibus ad ultimum diem judicii. [b] Cogitatio illius immensæ gloriæ, cujus cum Christo erimus participes, optimum nobis remedium adversus levitatem & impatientiam, nempe ne vel mundi splendor nos alliciat, vel crucis horridus aspectus terreat. [c] B. Cavendum à pseudoprophetis in hoc præsertim argumento, quorum triplex ferè est dolus. Aut enim fictas revelationes propheticas jactant: aut suas quasdam conjecturas & rationes afferunt: aut supposititiis scriptis utuntur. [d] Per somnia & commenta, quibus prætexitur Spiritualis revelationis nomen. [e] Viva voce, vel conscriptis libris. [f] Scriptis vel ementitis, vel falsò expositis.

quòd

scriptam

g B. Ante adventum Domini prædicit Apostolus erigendum thronū aliquem, gloriæ Christi ex diametro oppositum, in quo perditus ille sedēs, omnia quæ Dei sunt ad se transferet, plerisq; à Deo ad ipsū deficientibus.
h De uno loquēs, corpus Ecclesiasticæ tyrannidis notat.
i Omnes norunt quis sit ille qui se dixit posse pro arbitrio cælum reserare & aperire: qui in Monarchas sumsit imperium, ad cujus pedes provolvūtur Monarchæ, illū Antichristum velut Deum adorantes.
k B. Antichristum (id est, quisquis sedem illam apostaticam occupabit) prædicit non regnaturum extra Ecclesiam, sed in ipsius Ecclesiæ sinu.
l B. Hæc prophetia assiduè fuit Ecclesiæ veteri inculcata, sed à posteris neglecta.
m Quid eum remoretur ac retineat.
n B. Jam ipsis Apostoli temporibus prima apostaticæ sedis fundamenta jaciebantur, sed ita ut homines fallerent.
o B. Romano imperio sublato apostaticam sedem

scriptam, quasi instet dies ille Christi.
3 Nequis vos seducat ullo modo. g *Non* e-
nim *adveniet dies Christi*, quin venerit defectio pri-
ùs, & retectus fuerit h homo ille peccati, filius,
inquam, ille perditionis,
4 Sese opponens ille & i efferens adversus
quicquid dicitur Deus, aut numen: k adeò ut in
templo Dei tamquam Deus sedeat, præ se ferens
se esse Deum.
5 l Annon meministis me, quum adhuc es-
sem apud vos, hoc dixisse vobis?
6 Nunc verò m quid obstet nostis, ut is suo
tempore retegatur.
7 n Jam enim peragitur mysterium impieta-
tis hujus: o tantùm qui p nunc obstat, *obstabit*
usquedum è medio sublatus fuerit.
8 q Et tunc retegetur r impius ille, quem
Dominus s f conficiet t spiritu oris sui, & illustri
adventu suo abolebit:
9 u *Illum, inquam*, cujus adventus est ex effi-
cacitate Satanæ, cum omni potentia, & signis,
ac prodigiis x mendacibus:
10 Et cum omni fraude injustitiæ in iis qui
pereunt: propterea quòd amorem veritatis non
receperunt ut salvi fierent.
11 Ideò igitur mittet eis Deus y efficaciam
deceptionis, ut credant mendacio:
12 Ut damnentur omnes qui non crediderint
veritati, sed z acquieverint in injustitia.
13 a Nos autem debemus gratias agere Deo
semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd
elegerit vos Deus ab initio ad salutem b per sancti-
ficationem Spiritus, & c fidem habitam veritati:
14 Quò vocavit vos d per Evangelium no-
strum, ad obtinendam gloriam Domini nostri Je-
su Christi.
15 e Nempe igitur, fratres, perstate, & retine-
te traditam doctrinam, quam edocti estis & per
sermonem, & per epistolam nostram.
16 Ipse verò Dominus noster Jesus Christus,
& Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, & dedit
consolationem æternam & spem bonam per
gratiam,
17 Consoletur vestra corda, & stabiliat vos in
omni sermone & opere bono.

quòd 2 ecce instet dies Domini nostri.
3 Nequis decipiat vos 3 ullo modo: nam
4 nisi venerit prius defectio, & reveletur filius ho-
minis peccati, 5 filius perditionis:
4 Qui est contrarius, & extollit se super om-
ne quod vocatur Deus & numen, ita ut etiam in
templo Dei 6 sedeat, & ostentet seipsum ac si De-
us esset.
5 Nonne meministis, quòd, quum apud vos
essem, hæc dicebam vobis?
6 Et nunc scitis quid detineat ut reveletur
suo tempore.
7 Mysterium enim iniqui jam incipit efficax
esse, tantummodo 7 si quod nunc detinet, tollere-
tur è medio:
8 Et nunc patefieret iniquus ille, quem Do-
minus noster Jeschua confodiet spiritu oris sui,
& interficiet eum revelatione adventus sui.
9 Adventus enim illius *iniqui* efficacitas est
Satanæ, in omni virtute & signis & prodigiis
falsis:
10 Et in omni deceptione iniquitatis quæ fit
in pereuntibus: propterea quòd non receperunt
dilectionem veritatis, per quam servarentur.
11 Propter hoc immittet eis Deus efficacita-
tem deceptionis, ut credant mendacio:
12 Et judicentur omnes qui non crediderunt
veritati, sed complacitum est eis in iniquitate.
13 Nos autem debemus gratias agere Deo
omni tempore pro vobis, fratres dilecti domini
nostri, quòd elegerit vos Deus ab initio 8 ad sa-
lutem per sanctificationem Spiritus, & per fidem
veritatis.
14 Ad hæc enim vocavit vos Deus per præ-
dicationem nostram, ut sitis gloria Domino Je-
schua Christo.
15 Itaque, fratres mei, confirmamini, & forti-
ter retinete mandata quæ didicistis, sive per ser-
monem, sive per epistolam nostram.
16 Ipse autem Dominus noster Jeschua Chri-
stus, & Deus Pater noster qui dilexit nos, & dedit
nobis consolationem quę est in æternum, & spem
bonam per gratiam suam,
17 Consoletur corda vestra, & confirmet in
omni sermone & in omni opere bono.

2 Hîc quoque sicut ad Colos. 2. particula ל ב adscribitur, ut ostēdatur non ex mēte Apostoli esse accipienda verba sequentia, sed μιμητικῶς prolata esse in eorum persona qui studebant fideles Ecclesias a veritate dimovere.
3 Ad verbum, Ullo ex modis.
4 F. nempe non instabit dies ille Domini, nisi priùs, &c. Ellipsis supplenda ex præcedente versu.
5 Id est, Homo natus, & destinatus ad perditionem. Hebraism.
6 F. al. in templo Dei tamquā Deus sedeat. Hoc verò propter frequentem repetitionem ejusdem vocis oscitante librario in editione Tremelliana exciderit.
7 F. vel si is qui nunc detinet tolleretur è medio. Videtur Syrus in hanc sententiam accepisse, Mysterium iniqui illius jam incipit esse efficax & operosè agere, id tantummodò adlaborans siqua ratione is qui detinet ipsum, putà Christus ille testis fidelis & verax, tolli è medio possit, id est, ex Ecclesia & mundo exterminari sanctum verbum ipsius.

successuram prædicit, illius videlicet arcem occupaturam, ut ipsi veteres Tertullianus, Chrysostomus, & Hieronymus interpretantur. p Qui nunc obtinet, sive rerum potitur, Romana scilicet Monarchia. q B. Verbo Domini tandem illa impietas detegetur, & adventu Christi penitùs abolebitur. r Ad verbum, exlex, id est, qui legem Dei prorsus conculcabit. s *Esa.* 11. 4. f Ad nihilum rediget. t Verbo suo. veri enim Verbi ministri sunt instar oris, per quod efflat Dominus potens illud & æternum Verbum, quo tamquam ferrea virga hostes conteret. u B. Prædicit Satanam omnes suas vires, etiam addito omni falsorum miraculorum genere, in illa sede stabilienda, explicaturum, idq; maximo cum successu, sic merente mundi perfidia, ita tamen ut soli increduli sint illius fraude perituri. x Partim falsis, partim mendacii stabiliendi causa editis. y Vim quamdam in illis decipiendis efficacissimam. z Ita mendacium approbaverunt, ut etiam in eo sibi placuerint, qui summus est vesaniæ gradus. a B. Electi à malis istis omnibus tuti perstabunt. Electio autem ex istis testimoniis intelligitur: ex sanctificatione colligitur fides: fides ex eo quòd assentimur veritati: veritas ex vocatione per Evangelii prædicationem, unde demum ad certam spem glorificationis ascenditur. b Ut vos sanctificaret. c Fide quæ non mendacium, sed veritatem Dei (id est Evangelium) amplectatur. d Nostra prædicatione. e B. Conclusio, superest igitur ut in doctrina, & voce & scriptis Apostolorum tradita, gratuita Dei beneficentia nos per spem invictam consolante, & vita nostra omni sanctè instituta, perseveremus.

At tunc (puta ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ, suo tempore, ut dixi versu 6.) quum de eo actum esse putaverit, qui ipsum detinet, tunc, inquam, revelabitur iniquus ille, &c. Quod autem posteà in Tremelliana editione legitur, Et nunc patefieret, lege, Et tunc patefiet, de Tremellii ipsius sententia. Hæc probo. 8 F. Syrè vitam, ut alibi passim.

CAPUT III.

1 *Monet ut piis precibus Evangelii prædicationem promoveant,* 6 *& se subducant ab iis qui otio,* 11 *& curiositate turbant ordinem publicum,* 14 *quos etiam à communi fidelium cœtu excludit.*

a B. Jam pro suo more varias admonitiones subjicit: quarum prima est ut pro Evangelii propagatione & fidorum ejus ministrorum salute, preces ab Ecclesiis concipiantur.

QUod a l superest, orate, fratres, pro nobis, ut
sermo Domini currat, & glorificetur sicut
& apud vos:
2 Et ut eripiamur à b protervis ac sceleratis
hominibus. c non enim omnium est fides.
3 Sed fidelis est Dominus, qui stabiliet vos
& tuebitur d ab illo malo.

DEinceps, fratres, orate pro nobis ut sermo
Domini nostri currat, & glorificetur in omni
loco, sicut apud vos:
2 Et ut eripiamur à filiis hominis malis &
perversis. Non enim omnis hominis est fides.
3 Fidelis autem est Dominus qui servabit
vos, & eripiet vos à malo.

l *Ephes.* 6. 19. *coloss.* 4. 3. b Qui sui officii nullam curam habent. c B. Mirum non est tam multis exosum esse Evangelium, quum fides sit rarum Dei donum: Ecclesia tamen multitudine malorum numquam pessumdabitur, quoniam nititur Dei fidelitate. d À Satanæ insidiis. potest etiam malum neutro genere sumi.

4 Confidimus autem de vobis per Dominum nostrum, quòd id quod præcepimus vobis, fecistis atque facitis.
5 Et Dominus noster dirigat corda vestra ad dilectionem Dei, & ad exspectationem Christi.
6 Præcipimus autem vobis, fratres mei, per nomen Domini nostri Jeschua Christi, ut subducatis vos ab omni fratre qui [t] pessimè ambulat, & non juxta mandata quæ accepit à nobis.
7 Vos enim scitis quomodo oporteat imitari nos, qui non ambulavimus pessimè inter vos.
8 Neque panem gratuitum ab ullo ex vobis acceptum comedimus, sed in labore & fatigatione nocte & die operati sumus, ne ullum ex vobis gravaremus.
9 Nequaquam propterea quòd non esset potestas nobis, sed ut in nobisipsis daremus vobis exemplum ut nos imitaremini.
10 Etenim quum apud vos essemus, hoc præcipiebamus vobis, ut quisquis nolit laborare, etiam non comedat.
11 Audivimus enim quòd sint inter vos aliqui, qui pessimè ambulant, & nihil quicquam operantur nisi vana.
12 Istis autem præcipimus, & petimus ab eis per Dominum nostrum Jeschua Christum, ut cum quiete operentur, & comedant panem suum.
13 Vos autem, fratres mei, ne molestum sit vobis operari quod bonum est.
14 Et si quis non auscultat sermonibus istis qui sunt in epistola, discernatur vobis ille, & ne commercium habeatis cum eo, ut pudefiat.
15 Neque velut inimicum habete eum: sed corrigite eum tamquam fratrem.
16 Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem omni tempore, in omni re.
17 Dominus noster *sit* cum omnibus vobis.
18 Pax per scripturam manus meæ. Ego Paulus scripsi: quod est signum in omnibus epistolis meis: ita scribo.
19 Gratia Jeschua Christi sit cum omnibus vobis, fratres mei. Amen.
Finitur Epistola ad Thessalonicenses secunda, quæ scripta fuit è Laodicea Pisidiæ [a].

[r] Syr. viro viro, id est, unicuique.
[s] Ad verb. Narrationes generationum.

[t] Ad verbum, Male, male. id est, Admodum male se gerit, Hebraismus.

[u] Ad ver. Filios liberatum, Heb.
[x] Ad verb. Et contigredimini bu ... Heb.

[a] V. al. addunt, & missa per manus Tychici.

4 [e] Confidimus autem in Domino de vobis, vos, quæ denunciamus vobis, & facere & facturos esse.
5 [f] Dominus verò dirigat vestra corda ad Dei charitatem, & Christi patientem exspectationem.
6 [g] Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subducatis vos ab omni fratre qui inordinatè incedit, & non ex tradita doctrina quam accepit à nobis.
7 [h] Nam ipsi scitis [i] quomodo oporteat nos imitari: [l] quoniam non inordinatè nos gessimus inter vos:
8 Neque gratis panem edimus *acceptum* à quoquam: sed cum labore & ærumna nocte dieq; operantes, ne cui vestrûm oneri essemus.
9 Non quòd nobis *id* non liceat: sed ut nosmetipsos pro exemplari exhibeamus vobis ad nos imitandos.
10 Etenim quum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quòd siquis nolit operari, [l] etiam non edito.
11 Audivimus enim quosdam incedere inter vos [k] inordinatè, nihil agentes, [l] sed inaniter satagentes.
12 [m] Iis autem qui sunt istiusmodi, denunciamus, & eos obsecramus per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cum quiete operantes, suo pane vescantur.
13 [n] Vos autem, fratres, ne segnescite in benefaciendo.
14 [o] Quòd siquis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate: [p] & ne commercium habete cum eo, [q] ut eum pudeat.
15 [r] Neque ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem.
16 [f] Ipse autem Dominus pacis semper det vobis pacem omni modo. Dominus *sit* cum omnibus vobis.
17 [t] Salutatio, mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola: ita scribo.
18 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum omnibus vobis. Amen.
Ad Thessalonicenses secunda missa fuit Athenis.

[e] 2. Secunda admonitio, ut Apostolicam doctrinam pro vitæ regula perpetuò sequantur.
[f] 2. Tertio loco duo inculcat, quæ ex sola Dei gratia nobis donantur, charitatem scilicet, & animum in adventum Christi intentum.
[g] 2. Quarto loco, otiosos, & ignavos negat in Ecclesia esse nutriendos, imò ne ferendos quidem.
[h] 2. Ne durius cum eis agere videatur, seipsum pro exemplo proponit, qui præterquam quòd evangelizabat, suis etiam manibus operabatur, cui tamen labori se simpliciter obstrictum fuisse negat.
[i] 1. Cor. 4. 12. 1. Thes. 4. 11. [l] Act. 20. 34. 1. Thes. 2. 9.
[l] Ubi igitur Monachorum & sacrificorum otiosi ventres? Monachus (inquit Socrates Tripartitæ historiæ lib. 8.) qui manibus non laborat, similis est prædoni.
[k] 2. Quantum sit vitium otii declarat ex eo quòd nemo sit quem Dominus frustra condiderit, atque adeo quem in certa veluti statione non collocarit: ex quo consequitur ab otiosis perturbari ordinem à Deo positum, quod quidem est maximum scelus.
[l] 2. Tum vitium cum superiore conjunctum, unde infinita mala consequuntur, nempe quòd nulli curiosiùs investigant aliena quàm qui sua nihil curant.
[m] 2. Præcipit Dominus & precantur Apostoli per Christi nomen, primùm, ut nemo sit otiosus, deinde ut quisque tranquillè curet munus sibi à Domino impositum.
[n] 2. Cavendum ne quorumdam indignitas nos reddat ad beneficentiam frigidiores.
[o] 2. Excommunicatio, pervicaciæ pœna.
[p] 2. Familiaritas cum excommunicatis vitanda.
[q] 3. Finis excommunicationis est, non exitium, sed salus peccatoris, ut pudore saltem victus resipiscat.
[r] 3. Sic vitanda fratrum excommunicatorum familiaritas, ut eorum in viam revocandorum occasiones omnes sedulò quærantur.
[f] 2. Preces sunt omnium exhortationum sigilla.
[t] 2. Subscripsit suis literis sua manu Apostolus, ne falsæ pro veris supponerentur.

EPISTOLA AD TIMOTHEUM PRIOR.

CAPUT I.

Absolutum veri pastoris exemplar proponens, quum præcipua ejus functio sit in docendo, 4 *monet ut rejectis vanis quæstionibus, ea tradat* 5 *quæ charitatem & fidem spirent.* 12 *Ac ne contemptui sit sua adolescentia,* 14 *qualis factus sit per Dei gratiam, honorificè prædicat.*

TREM. INTERPRES.

PAULUS Apostolus Jeschua Christi per mandatum Dei [y] servatoris & Jeschua Christi spei nostræ,
2 Timotheo filio vero in fide, gratia, misericordia, & pax, à Deo Patre nostro & Christo Jeschua Domino nostro.

[y] V. al. servatoris nostri.

BEZAE INTERPRES.

PAULUS [a] Apostolus Jesu Christi ex ordinatione Dei servatoris nostri, & Domini Jesu Christi, spei nostræ,
2 [b] Timotheo germano filio in fide: Gratia *sit tibi*, misericordia, & pax à Deo Patre nostro, & Christo Jesu Domino nostro.

[a] 2. Initio ... Timotheo ... ut hæc ... doctrinæ Apostolicæ ... misericordia Dei videlicet in Christo Jesu per fidem apprehensâ, cujus exitus æternæ speratur.
[b] Misericordia à gratia distinguitur, ut effectus à causa. Gratia enim, illa est gratuita benevolentia quæ nos in Christo elegit: misericordia, id est gratuita justificatio, sequitur.

3 [c] Sicut te sum precatus ut permaneres E-
phesi, quum proficiscerer in Macedoniam, *ideo*
ut denuncies quibusdam ne diversam doctrinam
doceant:
4 [d] Nec attendant [e] fabulis & [1] ge-
nealogiis infinitis, quæ potiùs quæstiones præbent
quàm ædificationem Dei quæ est per fidem.
5 [f] Porrò finis [g] mandati, est [h] charitas ex
puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta.
6 [i] A quibus nonnulli ut à scopo aberran-
tes, diverterunt ad vaniloquentiam:
7 [k] Volentes esse Legis doctores, non intel-
ligentes nec quæ loquuntur, nec de quibus affe-
verant.
8 [l] Scimus autem bonam esse Legem, si quis
ea legitimè utatur.
9 [m] Hoc sciens, *nempe* Legem [n] justo positam
non esse, sed [o] Legis contemtoribus, & iis, qui
subjici nolunt, impiis & [p] peccatoribus, nefa-
riis & profanis, patricidis & matricidis, homi-
cidis,
10 Scortatoribus, masculorum concubitori-
bus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & siquid
aliud est quod sanæ doctrinæ sit oppositum.
11 [q] *Quia est* secundùm gloriosum Evange-
lium beati Dei, [r] quod concreditum est mihi,
12 [f] Gratiam igitur illi habeo qui me [s] robu-
stum effecit, *id est* Christo Jesu Domino nostro:
quòd me fidum duxerit, ut qui *me* in ministerio
constituerit:
13 Qui priùs eram [t] blasphemus & perse-
quutor & injuriosus: sed mei misertus est. Nam
ignorans *id* faciebam: *nempe* fidei expers.
14 Superabundavit autem gratia illa Do-
mini nostri [x] cum fide & dilectione in Christo
Jesu.
15 [y] [z] Certus *est hic* sermo, & dignus qui mor-
dis omnibus recipiatur: [1] Christum Jesum ve-
nisse in mundum ut peccatores servaret, quorum
primus sum ego.
16 Verùm ideo misertus est mei, ut in me pri-
mo ostenderet Jesus Christus omnem lenita-
tem, ut essem exemplar credituris ipsi ad vitam
æternam.
17 [a] Regi autem æterno, immortali, invisibili,
[b] soli sapienti Deo honor *sit* & gloria in secula se-
culorum. Amen.
18 [c] Hoc mandatum commendo tibi, fili Ti-
mothee, *nempe* ut secundùm prægressas de te
prophetias, milites [d] per eas bonam illam mili-
tiam.
19 Retinens [e] fidem & bonam conscientiam:
[f] qua expulsa, nonnulli naufragium fidei fece-
runt.
20 Ex quibus Hymenæus & Alexander:
[g] quos [h] tradidi Satanæ, ut castigati [i] discerent
non blasphemare.

[c] B. Tota hæc epistola in admonitionibus consistit, quibus omnia fidi pastoris officia graphicè prorsus describuntur. Prima autem admonitio est, nequid vel in Apostolica ipsa doctrina, vel in ejus docendi ratione novetur.
[d] B. Corrumpitur doctrina non tantùm falsis dogmatibus, sed etiam inanibus & curiosis speculationibus: quarum videlicet explicatio fidem nostram nihil juvet.
[e] Infr. 4.7. & 6.4. Tit. 1.14.
[1] Speciem unam vanarum quæstionum attingit.
[f] B. Secunda admonitio, cum ipsa doctrina conjungendum esse legitimum ipsius usum. Is autem est in charitate pura & conscientia bona, & germana fide positus.
[g] Legis.
[h] Nec extra conscientiam bonam charitas, nec extra fidem conscientia bona, nec fides extra Dei verbum.
[i] B. Quod in genere de vanis & curiosis controversiis dixerat, applicat iis qui Legis zelum prætexentes, in externis immorabantur, nullum de ipsis quibusdam postea garriendi finem facientes.
[k] B. Nulli indoctiores & impudentiores in sanctitatis nomine usurpando quàm sophistæ matæologi.
[l] B. Occupatio, se non damnare Legem, sed legitimum ejus usum requirere.

3 Petieram abs te quum proficiscerer in
Macedoniam, ut remaneres Ephesi, & præci-
peres [2] nonnullis ne docerent doctrinam di-
versam.
4 Neque sese projicerent in fabulas & [3] ge-
nealogias, quibus finis non est, quæ controver-
sias pariunt potiùs, & non ædificationem in fide
Dei.
5 Finis autem [4] præcepti est charitas quæ
provenit à corde puro, & à conscientia bona, & à
fide vera:
6 Et ab iis aberrârunt [5] homines, & decli-
nârunt ad verba vana:
7 In eo quòd quæsierint esse doctores Legis,
quum non intelligerent id quod loquebantur,
neque id de quo contendebant.
8 Scimus autem quòd Lex bona sit, si quis
secundùm ipsam Legem versetur in ea,
9 Sciens quòd justis Lex posita non sit, sed
iniquis, & rebellibus, & improbis, & peccatori-
bus, & perversis, & iis qui non sunt puri, & iis qui
percutiunt patres suos, & iis qui percutiunt ma-
tres suas, & homicidis,
10 Et scortatoribus, & cubantibus cum maf-
culis, & iis qui furantur [6] ingenuos, & mendaci-
bus, & [7] perjuris, & omni rei quæ est contraria
doctrinæ sanæ Evangelii gloriæ Dei benedicti,
11 Quod concreditum est mihi.
12 Et gratias ago ei qui corroboraverit me,
nempe Domino nostro Jeschua Christo, qui repu-
tavit me fidelem, & posuit me ad ministerium
suum:
13 Me *inquam* qui antè blasphemus eram, &
persequutor, & contumeliosus: sed gratiam con-
sequutus sum, propterea quod quum ignorans
essem, fecerim id quod est infidelitatis.
14 Exuberavit autem in me gratia Domini
nostri, & fides & dilectio quæ est in Jeschua
Christo.
15 Fidelis est sermo, & dignus qui recipiatur,
quòd Jeschua Christus venit in mundum ad ser-
vandum peccatores, quorum primus ego sum:
16 Sed propter hoc misertus est mei, ut in me
primo ostenderet Jeschua Christus omnem lon-
ganimitatem suam, ad instructionem eorum qui
credituri essent in ipsum, in vitam æternam.
17 Regi autem seculorum, ei qui non corrum-
pitur, & non conspicitur, qui est unus Deus, ho-
nor & gloria in seculum seculorum. Amen.
18 Hoc mandatum commendo tibi, fili mi
Timothee, juxta prophetias pristinas quæ fuerunt
de te, ut milites in eis militiam hanc bonam,
19 In fide & in conscientia bona. Isti enim
qui hanc longè abjecerunt à se, fide vacui redditi
sunt.
20 Sicut Hymenæus, & Alexander, quos tra-
didi Satanæ, ne sint blasphemi.

[2] F. Syr. viro viro, id est, unicuique.
[3] Ad verb. Narrationes generationum.
[4] F. vel præcepti hujus. Ab hoc autem versu ad versum usque 18. hyperbaton est observatu dignissimum: vide in Rom. 5.12.
[5] id est, quidam, Hebræa & Syra phrasi.
[6] Ad ver. Filios libertatum, Heb.
[7] Ad verb. Et transgredientibus juramentum. Heb.

[m] B. Is demum effugit Legis maledictionem, ac proinde illam non horret, qui fugiens quæ Lex damnat, ejus observationi ex animo studet: non autem qui de externis & curiosis quibusdam garrit. [n] Is demum talis est quem Dominus vera doctrina & spiritu sancto imbuit. [o] Ad verbum, exlegibus. [p] Veluti aliquam peccandi artem exercentibus. [q] B. Matæologiæ opponit non tantùm Legem, sed etiam Evangelium, utpote quòd minimè damnet, imò maximè commendet sanam doctrinam præceptis Dei comprehensam, ac proinde gloriosum & beati Dei Evangelium vocat, cujus virtutem isti garruli ignorabant. [r] B. Ratio cur nec aliter nec aliud docendum sit in Ecclesia, quàm ipse docuerit, quoniam nullum sit aliud Evangelium, quàm quod Deus ipsi commisit. [f] B. Asserit necessariò suum Apostolatum adversus quosdam superiorem ipsius vitam calumniantes, seipsum ad inferos usque dejiciens, ut Christi misericordiam attollat, qui omnia illa superiora abolêverit. [s] Qui vires mihi addidit, non solùm [illegible] in contrariam partem totus ferebar. [t] Hæc sunt opera persequutoris, quibus se etiam Paulus [illegible] [x] [illegible] prophanus erat factus sit fidelis, & qui Christum furiosissimè persequebatur, jam ipsius amore [illegible]. [y] B. Retorquet calumniam adversariorum [illegible] caput, docens hoc singulare bonitatis Dei exemplum, cedere totius ecclesiæ commodo. [z] Dignus cui fides adhibeatur. [1] Mat. 9.13. Mar. 2.17. [a] [illegible] in exclamationem præ animi ardore, quòd non possit in amplificanda Dei gratia [illegible]. [b] Vide Johan. 17.3. [c] B. Conclusio [illegible] superioris admonitionis, nempe ut fortiter adversus omnia impedimenta decertans Timotheus, præeuntibus multorum prophetiis ad ministerium vocatus, & doctrinam acceptam & bonam conscientiam tueatur. [d] Illis fretus. [e] Sanam doctrinam. [f] B. Rectam conscientiam qui non servant, [illegible] etiam intelligentiæ donum: quod duplici eoque tristissimo exemplo probat. [g] 1. Cor. 5.5. [h] B. Non ferendi apostatæ in Ecclesia, imò etiam excommunicandi. [h] Ex Ecclesia ejectos Satanæ mancipavi. [i] Ut suo malo discant, quid sit blasphemare.

CAPUT II.

1 In precibus publicis vult omnes commendari Deo, 4. 5 idque duplici ratione: 8. inde omnes cujuscumque loci fine ad orationem invitat: 9 & quo vestitu, 11 quaque modestia mulieres in sacro cœtu [illegible] differit.

PEto igitur abs te ut ante omnia precationem offeras Deo, & orationem, & obsecrationem, & gratiarum actionem pro omnibus filiis hominis:

2 Pro regibus & principibus, ut habitationem tranquillam & quietam inhabitemus in omni timore Dei, & puritate.

3 Hoc enim bonum est & acceptum coram Deo servatore nostro,

4 Qui vult ut omnes filii hominis serventur, & sese convertant ad cognitionem veritatis.

5 Unus est enim Deus, & unus est mediator Dei & filiorum hominis, filius hominis Jeschua Christus:

6 Qui dedit semetipsum redemtionem pro omni homine, testimonium quod evenit tempore suo:

7 Cujus ego positus sum prædicator & Apostolus (veritatem dico, & non mentior) quia factus sum doctor Gentium in fide veritatis.

8 Volo igitur ut orent viri in omni loco, attollentes manus suas purè, sine ira & sine disceptationibus.

9 Ita etiam mulieres cum habitu casto vestitus: cum verecundia & cum castitate sit ornatus earum, non in intortionibus *crinium*, aut in auro, aut margaritis, aut vestibus pulcris:

10 Sed in operibus bonis, quemadmodum decet mulieres quæ [1] spondent timorem Dei.

11 Mulier in quiete sit discens, cum omni subjectione.

12 Mulieri enim docere non permitto, neque auctoritatem usurpare in virum, sed sit in quiete.

13 Adam enim formatus est primùm, deinde Evah.

14 Et Adam non erravit: mulier autem erravit, & transgressa est mandatum.

15 Salva autem fit per liberos suos, [2] si permanserint in fide, & in charitate, & in sanctificatione, & in castitate.

[1] Vel, Profitentur. Est enim deductum à themate אוי, quod inter cætera significat confi[illegible] & profiteri.
[2] Id est, Si ipsæ mulieres permanserint. De quibus antè collectivè in singulari numero loquutus est. F. vel si utrique manserint, &c. matres putà liberos educando, curando, informandóque in pietate fidei, & sanctimonia vitæ, doctrina pura, & exemplo vitæ: liberi verò in obsequio & imitatione illius. Nam alioquin si qui infideles sunt & immorigeri, non potest illorum infidelitas enervare promissionem Dei in eos qui se benè gesserint.

ADhortor [a] igitur ante omnia ut fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus:

2 Pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis: [b] ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & [c] honestate.

3 [d] Nam hoc bonum est & acceptum coram servatore nostro Deo,

4 Qui quosvis homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.

5 [e] Unus enim *est* Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, [f] homo Christus Jesus:

6 Qui sese ipse dedit redemtionis pretium pro quibusvis, [g] *Christus inquam*, testimonium illud suis temporibus *destinatum*.

7 [†] Cujus constitutus sum ego præco & Apostolus, (veritatem dico, per Christum, [h] non mentior) doctor *inquam* Gentium [i] cum fide ac veritate.

8 [k] Volo igitur viros precari in quovis loco, puras [l] manus attollentes absque [m] ira & [n] disceptatione.

9 [o] [†] Itidem & mulieres amictu honesto, cum verecundia & modestia ornare sese, non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu:

10 Sed (quod decet mulieres pietatem in Deum spondentes) operibus bonis.

11 Mulier cum silentio discito cum omni submissione.

12 [†] Mulieri enim docere non permitto, [p] neque auctoritatem usurpare in virum, sed *manendo* ut sit in silentio.

13 [†] [q] Adam enim prior formatus est: deinde Eva.

14 [r] Et Adam [s] non fuit seductus: [†] sed mulier seducta, causa transgressionis fuit.

15 [t] Servabitur tamen liberos gignendo, si manserit in fide ac charitate, & sanctificatione cum modestia.

[a] B. Ubi absolvit quæ ad doctrinam spectant, jam secundo loco de altera ministerii Verbi parte (id est de publicis precibus) disserit. Ac primò quidem quæstionem explicans pro quibus precandum sit, docet pro quibusvis precandum, ac præsertim pro quibusvis magistratibus, quod alioqui extra controversiam non erat, quum reges, imò etiam plerique magistratus eo tempore hostes essent Ecclesiæ. [b] B. Argumentum a fine sumtum, Quoniam nimirùm ideò constituti sint magistratus, ut & pietas & honestas cum pace inter homines vigeant, ac proinde illos in primis oporteat Deo commendare ut possint tam necessario munere fideliter defungi. [c] Complectitur hoc nomen omne officii genus, quod vigere in hominum commerciis debet. [d] B. Aliud argumentum, Cur pro quibusvis, sublato gentis, sexus, ætatis, ordinis discrimine, sit in Ecclesia precandum, quoniam videlicet Dominus quosvis, interdum etiam ab Evangelio alienissimos, vocando, sic Ecclesiam suam velit colligi, ac proinde preces pro quibusvis haberi. [e] B. Non videretur unus quorumvis hominum Deus, nisi in quibusvis servandis bonitatem suam ostenderet: nec unus videretur Dei & quorumvis hominum mediator Christus, humana cum quibusvis hominibus communi natura assumta, nisi pro quibusvis satisfecisset, & pro quibusvis intercederet. [f] Homo scilicet factus. [g] B. Confirmatio, Quoniam ipsis etiam gentibus nunc patefactum est salutis arcanum, ipso Apostolo ad hoc munus propriè designato, quo quidem fideliter & sincerè fungatur. [†] 2.*Tim*.1.11. [h] Hebraicus pleonasmus magis confirmans. [i] Fidelis & syncerus: fidei autem nomine sanam doctrinam; veritatis, synceram functionem intelligit. [k] B. De personis disseruit, pro quibus concipiendæ sint preces: nunc verò etiam locorum discrimen sublatum docet. Olim enim una gens uno tantùm certo loco ad publicum cultum conveniebat: nunc verò ubivis (ritè tamen & ordine) Ecclesiæ coguntur, & ad Deum publicè communibus precibus colendum convenitur: nec de gente, aut corporis purificatione, aut loco, sed de animo ab omni offensione puro, & certa fiducia pleno, laborandum est. [l] Manuum sublationem pro invocatione posuit, id est, signum pro reipsa. [m] Illis offensionibus animi, quæ prohibent quo minùs bona conscientia Deum possimus invocare. [n] Dubitatione quæ fidei repugnat, Jacob.1.6. [o] B. Tertio loco statuit ut mulieres honesto & ab omni luxu alieno habitu, modestè & in silentio in publicis cœtibus discant. [†] 1.*Pet*.3.3. [†] 1.*Cor*.14.34. [p] B. Primum argumentum, cur mulieribus in Ecclesia non liceat docere, quoniam hoc modo supra viros collocarentur, quorum videlicet essent magistræ, quod repugnat Dei ordinationi. [†] *Gen*.1.27. [q] B. Hanc Dei ordinationem, quia viro subest mulier, primùm probat ex eo quòd Deus mulierem posteriorem creavit viri causa. [r] B. Deinde, quia post peccatum hæc pœna inflicta est mulieri, per quam vir deceptus est. [s] Adam fuit seductus, sed uxoris opera, ideóque meritò hac quoque ratione debet esse viro subjecta. [†] *Gen*.3.6. [t] B. Obiter inserit consolationem, non impedire hanc subjectionem, quominus & ipsæ mulieres perinde ut viri serventur, si sese in conjugalibus illis oneribus, cum fide & charitate sanctas & modestas præbuerint.

CAPUT III.

2 *Episcopus,* 8 *& diaconos Christianos depingit, cum eorum uxoribus,* 12 *liberis & familia.* 15 *Et Ecclesiam domum Dei nominat.*

FIdelis est sermo, quòd siquis concupiscit presbyterium, opus bonum concupiscit.

2 Oportet autem ut sit presbyter talis ut [1] vitium non reperiatur in eo, & [2] fuerit maritus unius uxoris: cujus mens sit vigilans, & qui sit sobrius, & ordinatus, & amans hospites, & didacticus:

3 Non autem [3] sectator vini: cujus manus non sit præceps ad percutiendum: sed sit lenis, & non litigiosus, neque amans argentum:

[1] Ad verbum, Macula.
[2] F. vel sit maritus. Sic enim meliùs tollitur τὸ ἀμφίβολον, & confirmatur versu 12.
[3] Ad verbum, Transiens ad vinum. id est, Qui poculis non desinit esse infestus, & ab eis non facilè se divelli patitur. Eadem phrasis legitur ad Titum 6.

[a] CErtus *est hic* sermo, [b] Siquis episcopatum appetit, præclarum opus desiderat.

2 [†] Oportet igitur episcopum irreprehensum esse, [d] unius uxoris virum, vigilantem, temperantem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum:

3 Non [e] vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem: sed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia:

[a] B. Absoluta tractatione tum de doctrina & docendi ratione, tum de publicis precibus, tertio nunc loco ad personas ipsas accedit, agens primùm de pastoribus, deinde de Diaconis: utitúrque præfatione, ut certos esse hos Canonas norit Ecclesia. [b] B. Episcopatus, sive ministerium Verbi, non est otiosa dignitas, sed opus, & quidem præclarum: ac proinde multis virtutibus & domi & foris Episcopum ornatum esse oportet. Itaque & doctrinæ, & facultatum sive donorum, & vitæ examen, præeat futuræ electioni necesse est. [c] De ambitu non loquitur, quo vix quicquam magis horrendum est in Ecclesia, sed in genere de animo & studio ad Dei Ecclesiam juvandam comparato, quando, & ubicumque Domino visum fuerit. [†] *Tit*.1.6. [d] Ergo qui conjugatos, quia conjugati sunt, ab Episcopatu excludit, Antichristus est. [e] Vino quasi assidentem.

4 *Qui* suæ domui benè præsit, qui liberos
contineat in subjectione cum omni honestate:
5 (Nam siquis propriæ domui præesse nes-
cit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?)
6 Non novitium, ne inflatus [f] in crimina-
tionem incidat diaboli.
7 Oportet autem eum etiam bonum habere
testimonium ab extraneis: ne in probrum inci-
dat & laqueum diaboli.
8 [g] [h] Diaconos itidem honestos, non bi-
lingues, non multo vino deditos, non turpem
quæstum facientes:
9 Tenentes [i] mysterium fidei [l] in pura con-
scientia.
10 Atque hi etiam probentur priùs, deinde
ministrent, si sint inculpati.
11 [k] Uxores itidem *oportet esse* honestas, non
calumniosas, sobrias, fidas in omnibus.
12 [l] Diaconi sint unius uxoris mariti, qui li-
beris rectè præsint, & propriis domibus.
13 Nam qui benè ministraverint, [m] gradum
sibi bonum acquirunt, & [n] multam libertatem
per fidem quæ *est* in Christo Iesu.
14 [o] Hæc tibi scribo, sperans fore ut celeriùs
ad te veniam:
15 Quòd si tardiùs venero, ut noris quomodo
oporteat [p] in domo Dei versari, quæ est Eccle-
sia Dei vivi, [q] columna & stabilimentum ve-
ritatis.
16 [r] Et sine controversia magnum est pieta-
tis mysterium: Deus conspicuus factus est in
carne, [s] justificatus est in Spiritu, conspectus est
ab Angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi ha-
bita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.

4 Et qui gubernet domum suam benè, & qui
contineat filios suos in subjectione & in omni
puritate.
5 Si enim domum suiipsius nesciat benè gu-
bernare, quomodo potest Ecclesiam Dei gu-
bernare?
6 Neque sit [4] puer doctrina sua: ne sese ex-
tollat, & incidat in judicium Satanæ.
7 Oportet autem ut testimonium bonum sit
ei ab extraneis, ne incidat in probrum & in la-
queum Satanæ.
8 Et etiam ministri similiter sint pudici, ne-
que [5] loquantur duo, neque sint dediti vino mul-
to, neque ament lucra turpia:
9 Sed teneant mysterium fidei, cum consci-
entia pura.
10 Atque illi ipsi probentur priùs, & tunc mi-
nistrent, existentes sine reprehensione.
11 Similiter etiam uxores sint honestæ: & sit
vigilans mens earum, sintque fideles in omni re,
& non sint calumniosæ.
12 Diaconi [6] sint, is cui una fuit uxor, & regat
filios suos, & domum suam benè.
13 Nam qui ministraverint benè, gradum bo-
num acquirunt sibiipsis, & fiduciam multam in
fide Jeschua Christi.
14 Hæc scribo tibi, sperans quòd citò veniam
ad te:
15 Etsi autem fiat ut differam, ut cognoscas
quomodo oporteat conversari in Domo Dei,
quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & funda-
mentum veritatis.
16 Et verè magnum est mysterium hoc justi-
tiæ, Quòd Deus revelatus est in carne, & justifi-
catus est in spiritu, & visus est Angelis, & prædi-
catus est inter Gentes, & fides habita est illi in
mundo, & sublatus est in gloriam.

[f] Ne ex eo ipso quòd in eum gradum evectus est, occasionem arripiat superbiæ, quæ ipsum evertat, atque ita in eamdem cōdemnationem ruat atque ipse Diabolus.
[g] B. Diaconos quoque priùs probari oportet, ut de eorum honestate, veritate, sobrietate, animo ab omni avaritia alieno, eruditione in fidei doctrina, bona denique conscientia & integritate constet.
[h] Hi sunt qui pauperum curam habebant.
[i] Evangelicam doctrinam quæ verè est mysterium: caro enim & sanguis eam non revelant.
[l] *Sup.* 1.19.
[k] B. Inquirendum etiam in Pastorum & Diaconorum uxores.
[l] B. Polygami (id est plures simul uxores habentes) sicut ad episcopatum, ita ne ad diaconiam quidem vocandi.
[m] Decus ac dignitatem.
[n] Fiduciam intrepidam.
[o] B. Peculiaria multa subjecturus ad quotidianum Pastoris munus spectantia, præfatur de suo ad eum adventu, ut eo magis solicitus sit Timotheus, ne quum advenerit, negligentiæ coargui possit.
[p] B. Pastori assiduò cogitandum est se in domo Dei vivi versari, in qua conservatur veritatis thesaurus.
[q] Hominum nimirum respectu: innititur etenim Ecclesia angulari illi lapidi Christo: sed ea est veritatis conservatrix, non mater.
[r] B. Hac veritate, cujus custos & conservatrix est inter homines Ecclesia ministerio Verbi propterea ibi constituto, nihil augustius esse potest. Docet enim res omnium maximas, nempe Deum in Christi persona, assumta nostra natura, factum esse visibilem, cujus tamen in tanta infirmitate majestas infinitis modis eluxit, adeò ut ipsos Angelos rei tantæ conspectus perculerit: qui denique Gentibus prædicatus, ab eis receptus est, & nunc sursum in summum gloriæ gradum evectus.
[s] In illa infirma carne Christi ita vis Divinitatis sese exeruit, ut Christum quantumvis hominem infirmum, palàm fuerit esse Deum.

[4] Qui recèns institutus est in doctrina fidei.
[5] Id est, Ne sint bilingues qui modò unum, modò aliud dicant: vel diversum ab eo quod habent in animo.
[6] F. vel sint *hujusmodi*: is cui una sit uxor, &c.

CAPUT IIII.

1 *Falsas doctrinas de conjugii & ciborum prohibitione,* 7 *& profanas damnat,* 8 *commendat autem pietatis studium,* 13 *& assiduam scripturæ lectionem.*

Spiritus [a] autem disertè dicit fore ut posterio-
ribus temporibus desciscant quidam à [b] fide,
spiritibus deceptoribus *animum* attendentes, ac
doctrinis dæmoniorum,
2 [c] Per [d] hypocrisin falsiloquorum, quorum
[e] conscientia cauterio resecta est,
3 [f] Prohibentium contrahere matrimoni-
um, *jubentium* abstinere à cibis [g] quos Deus
creavit [h] ad participandum [i] cum gratiarum
actione, fidelibus, & iis qui cognoverunt ve-
ritatem,
4 [k] Nam quicquid creavit Deus, bonum *est*:
nec quicquam rejiciendum *est*, si cum gratiarum
actione sumatur.
5 [l] [m] Sanctificatur enim [n] per verbum Dei,

Spiritus autem planè dicit, quòd temporibus
posterioribus discedent nonnulli à fide, & [1] se-
ctabuntur spiritus deceptores, & doctrinam dæ-
moniorum:
2 Qui per similitudinem decipiunt, & lo-
quuntur mendacium, & sunt [2] adusti in consci-
entia sua;
3 Et prohibent matrimonio conjungi, & fa-
ciunt abstinere à cibis quos Deus creavit ad
usum, & ad gratiarum actionem, iis qui credunt
& norunt veritatem.
4 Quia quicquid creatum est à Deo, bo-
num est: & nihil est abominandum, si cum gra-
tiarum actione sumatur.
5 Sanctificatur enim per sermonem Dei, &

[a] B. Opponit veræ illi doctrinæ falsa dogmata quæ omnino futura prædicit, ut à quibusdam apostatis suggestione diaboli introducantur, & ita quidem ut minimè desint qui illis assentiantur.
[b] A vera Dei doctrina.
[c] B. Hæretici quantumcumque simulent sanctimoniam, nulla conscientia præditi sunt.
[d] Sunt enim velut histrionicam quamdam artem actitaturi, nequis existimet fore ut in aliquo angulo delitescant, aut pudoris speciem retineant.
[e] Quorum ita obduruit conscientia, ut callum obduxerit, deinde cancrum illam invasisse, postremò jam esse cauterio amputatam.
[f] B. Duas falsæ istius doctrinæ species exprimit, nempe cælibatus legem, & delectum ciborum.
[g] B. Ejusmodi doctrinas probat se meritò vocasse dæmoniacas, primùm quòd earum doctores de rebus alienis decernant. An enim ipsi cibos creârunt?
[h] B. Secundò, quòd finem cujus causa creati sunt a Deo omnes cibi, nempe ut eis frueremur, suis placitis evertant.
[i] B. Tertiò, quòd Deum hoc modo suo honore spolient, qui in illorum usu velit celebrari. Simul autem declarat Apostolus sobriè & cum bona conscientia utendum illa Dei liberalitate.
[k] B. Canonem Apostolicum de tollendo ciborum delectu falsæ illi doctrinæ opponit.
[l] B. Is demum bonis Dei donis legitimè utitur, qui illorum largitorem ex ipsius verbo agnoscit & invocat.
[m] Purum & sanctum fit nostri respectu: ut eo uti possimus bona conscientia, tanquam de manu Domini.
[n] Agnoscimus Deum creatorem esse earum creaturarum quibus utimur, & largitorem. Secundò, nos ex iis esse qui Christi beneficio jus illud in reliqua animantia deperditum Adami culpa, recuperavimus. Tertiò, precibus petimus ut nobis concedat Dominus dapibus ab ipsius manu acceptis bona conscientia frui. Quartò, gratiarum actione & repetitis precibus convivia claudimus. Ita nobis sanctificantur cibi.

[1] Ad verbum, Et ibunt post spiritus deceptores, & post doctrinam, &c.
[2] Metaphora sumta est ab iis quibus putridum aliquod membrũ amputatum est adhibito cauterio. Et sensus est, Nulla religione tenentur.

per orationem.
6 Hæc si docueris fratres tuos, minister bonus eris Jeschua Christi, educatus in sermonibus fidei, & in doctrina bona quam edoctus es.
7 A narrationibus autem insulsis vetularum te subducito, & exerce teipsum in justitia.
8 Exercitatio enim corporis tempore modico prodest: justitia autem in omni re prodest, & est illi promissio vitæ hujus temporis & futuri.
9 Fidelis est sermo, & dignus qui recipiatur:
10 Propter hoc enim laboramus & probris afficimur, quòd fiduciam habemus in Deo vivente, qui est conservator filiorum hominis omnium, maximè fidelium.
11 Hæc doce, & præcipe.
12 Et ne quisquam contemnat adolescentiam tuam, sed esto exemplar fidelibus in sermone, & in conversatione, & in charitate, & in fide, & in puritate.
13 Donec ego venero, sedulus esto in lectione, & in oratione, & in doctrina.
14 Neque negligas donum quod est in te, quod datum fuit tibi per prophetiam, & [3] per impositionem manuum presbyterii.
15 Hæc meditare, & in eis insiste: ut notum fiat omni homini [4] quòd proficias.
16 Et attende tibiipsi & doctrinæ tuæ, & constanter persiste in his. Hæc enim quum feceris, teipsum servabis, & eos qui te audiunt.

& preces.
6 [o] Hoc si subjeceris fratribus, bonus eris minister Jesu Christi, innutrius in sermonibus fidei, & præclaræ doctrinæ, quam [p] assectatus es.
7 [q] Cæterùm profanas & aniles fabulas rejice: [r] sed exerce teipsum ad [s] pietatem.
8 [t] Nam corporalis exercitatio ad pauca utilis est: at pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ.
9 [u] Certus *est* hic sermo, & dignus qui omnibus modis recipiatur.
10 Nam idcirco etiam fatigamur, & probris afficimur, quòd speremus in Deo vivo, qui est conservator omnium hominum, maximè *verò* fidelium.
11 Hęc denuncia & doce.
12 [x] Nemo tuam juventutem despiciat, sed esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in spiritu, in fide, in castitate.
13 [y] Interim dum venio, attende *animum* lectioni, exhortationi, doctrinæ.
14 Ne negligito donum quod in te est, quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum [z] presbyterii.
15 Hæc meditare, in his esto: ut tuus profectus manifestus sit inter omnes.
16 Attende *animum* tibiipsi & doctrinæ: *&* permane in istis. id enim si feceris, & teipsum [a] servabis & eos qui te audierint.

[3] In Syro textu vox est composita à verbo סים, quod significat imponere, & nomine אידא, quod significat Manum.
[4] Ad verbum, Quod ante te progrediaris. Hebraismus.

[o] B. Conclusio cum exhortatione, ut Timotheus ista sedulò, velut ab Apostolo penè cum lacte hausta, Ecclesiis proponat.
[p] A cujus latere nunquam discessisti.
[q] B. Iterum sanam doctrinam opponit non modò falsæ illi & apostaticæ doctrinæ, sed etiam vanis omnibus & curiosis argutiis.
[r] B. Non tantum sana doctrina, sed etiam pia & religiosa vita ministro Verbi opus est.
[s] Verum cultum.
[t] B. Pietas in spirituali cultu posita est, non in externæ vitæ austeritate, quæ etsi rectè usurpata aliquem usum habet, tamen nullo modo cum pietate est conferenda. Prodest enim illa per accidens: ista verò promissionem habet præsentis & futuræ vitæ. [u] B. Digressio, in qua ostendit eos qui pietati student, etiamsi ærumnis & probris vexentur, idcircò tamen non esse miseros ut cæteros homines, quum ob eamdem causam minimè affligantur propter quam cæteri, & longè dispar sit ipsorum exitus. Quomodo enim suos Dominus desereret, qui suos etiam hostes sua beneficentia dignatur? quam doctrinam monet sedulò esse inculcandam. [x] B. Jam ad exhortationem illam redit, ostendens quæ sunt veræ Pastoris virtutes, quibus etiamsi desit ætas, reverentiam sibi conciliet, nempe & oratio & vita, charitatis, zeli, fidei, & puritatis testes: litui verò, infularum, annuli, pallii, & puerilium hujusmodi ineptiarum nulla usquam mentio. [y] B. Pastoris privatum exercitium est, assidua Scripturæ lectio, ex qua hauriat exhortationis & doctrinæ materiam, & sibi & aliis salvificæ. [z] Ordinis Presbyterorum. [a] Fides est ex auditu, auditus ex prædicatione: itaque sic dicuntur sese & alios servare Ministri Verbi, in quibus Dominus posuit sermonem reconciliationis.

CAPUT V.

1 *Postquam modum monendi singulos præscripsit,* 3 *de Viduis agit quæ tunc in Ecclesiæ ministerium cooptabantur.* 17 *Inde ad presbyteros transit:* 23 *quæ illorum habenda ratio, tradit.*

SEniorem ne increpaveris, sed adhortare eum tamquam patrem, & eos qui sunt juvenes, tamquam fratres tuos:
2 Et anus tamquam matres, & eas quæ sunt juvenes, tamquã sorores tuas in omni puritate.
3 Viduas honora, quę viduę sunt in veritate.
4 Et siqua est vidua cui sunt filii aut [1] nepotes, discant priùs ut in domesticos suos justitiam exerceant, & rependant [2] fœnus progenitoribus suis. hoc enim acceptum coram Deo.
5 Quæ autem verè vidua est & solitaria, hujus spes est in Deo, & perseverat in orationibus, & in obsecrationibus nocte dieque:
6 Quę verò servit voluptati, mortua est dum vivit.
7 Hęc præcipe illis, ut irreprehensibiles sint.
8 Siquis enim eorum qui sui sunt, & præsertim eorum qui sunt domestici fidei, non habet curam; hic abnegavit fidem, & est pejor quàm ii qui non credunt.
9 Elige itaque viduam quæ non sit minor quàm sexaginta annorum, quæ uni fuerit viro:
10 Et sit ei testimonium operum bonorum; si educavit liberos, si excepit hospites, si lavit

SEniorem [a] ne increpato, sed hortare ut patrem: juniores, ut fratres:
2 Mulieres natu grandiores, ut matres: juniores, ut sorores, cum omni castitate.
3 [b] Viduas [c] honora quæ verè viduæ sunt.
4 [d] Quòd siqua vidua liberos aut nepotes habet, discant priùs [e] *in* propriam domum pietatem exercere, [f] & vicem rependere parentibus: [g] hoc enim est honestum & acceptum coram Deo.
5 [h] Porrò quæ verè vidua est ac sola, sperat in Deo, & permanet in supplicationibus & precibus nocte ac die.
6 [i] At quę lascivit, *ea* vivens mortua est.
7 Hæc igitur denunciato, ut sint irreprehensę.
8 Quòd siquis suis, & maximè domesticis non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.
9 [k] Vidua allegatur non minor annis sexaginta, quæ fuerit [l] unius viri uxor:
10 In operibus bonis idoneo testimonio ornata: si liberos educavit, si fuit hospitalis, si

[1] Ad verbum, Aut filii filiorum. Hebraismus.
[2] Id quod nati progenitoribus debent, fœnus vocat: quasi illi sumtus & labores quos in eis educandis sustinuerunt, fœnori ipsis dederint.

[a] B. De mediocritate in privatis reprehensionibus secundùm ætatis & sexus gradus servanda.
[b] B. De viduarum cura constituit hos Canonas Apostolus.
[c] Viduarum curam habe quæ præsidio indigent.
[d] B. Liberi & nepotes viduarum parentum pro viribus curam gerunto.
[e] B. Prima ratio, Quoniam sibiipsis quod suis impendunt.
[f] B. Altera, Quoniam natura ipsa docet majoribus vicem rependere.
[g] B. Tertia, Quoniam Deo gratum est hoc officium.
[h] B. Secundus Canon, verè viduarum (id est quæ inopes & suorum præsidio destitutæ sunt, & piè ac religiosè vivunt) curam Ecclesia suscipito. [i] B. Tertius Canon, Viduæ in luxu degentes, & suæ familiæ curam negligentes, inter apostatas, & ipsis infidelibus deteriores, censentor. [k] B. Quartus Canon in viduarum Ecclesiæ ministrantium album nulla sexaginta annis minor admittitor, ab omni impudicitiæ probro immunis, de cujus diligentia, charitate, & integritate idoneis testibus constet. [l] Quæ à viro merito repudiata alteri non nupserit.

m Respicit ad consuetudinem earum regionum.
n B. Ratio prima cur juniores viduæ ad ministerium non admittantur, Quoniam videlicet propter ætatis levitatem, excusso tandem onere sibi à Christo imposito, de repetendo potiùs matrimonio cogitant: quo fit ut ministerium deserant cui se obstrinxerant.
o Ne in collegium viduarum admitte.
p B. Altera ratio, Quòd pleræque sint garrulæ & curiosæ, & neglecta muneris sui cura discursatrices.
q B. Quintus Canon, viduæ juniores nubunto, & sanctè familias suas regunto.
r B. Sextus Canon, Fidele privatim, quantum fieri potest, suas viduas juvanto, nec istis sumtibus Ecclesia gravator.
s B. Jam quomodo cum presbyteris, id est, pastoribus, denique disciplinæ Ecclesiæ præfectis se gerere debeat qui eorum collegio præest, his præscriptis Can. differit. 1. Canon: de Presbyteris officio suo benè fungentibus, honestè sustentandis, Ecclesia, sicut Deus ipse præcepit, in primis laborato.

m sanctorum pedes lavit, si afflictis subvenit, si omne bonum opus est assiduè sectata.

11 n Porrò juniores viduas o rejice: postquam enim lascivierunt adversus Christum, nubere volunt:

12 Damnandæ, quòd primam fidem rejecerint.

13 p Simul autem etiam otiosæ *esse* discunt circumeuntes domos: imò non solùm otiosæ, sed etiam nugaces, & curiosæ, garrientes quæ non oportet.

14 q Velim igitur juniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare adversario ad maledicendum.

15 Jam enim nonnullæ deflexerunt, sequutæ Satanam.

16 r Quòd siquis fidelis aut siqua fidelis habet viduas, ei suppeditato quantum sufficit, & non onerator Ecclesia, ut iis quę verè viduæ sunt subveniat.

17 s Qui benè præsunt presbyteri, t duplici honore digni habentor: u maximè qui laborant in sermone & doctrina.

18 Dicit enim scriptura, ‖ Bovi trituranti non obligabis os. &, ‖ Dignus est operarius mercede sua.

19 x Adversus presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus.

20 y Eos qui peccant, coram omnibus argue, ut & reliqui timeant.

21 z ‖ Obtestor in conspectu Dei, & Domini Jesu Christi, & electorum Angelorum, ut hæc serves, absque eo ut unum alteri præferas, nihil faciens in alteram partem inclinando.

22 a Manus b citò necui imponito, neque communicato peccatis alienis. temetipsum purum serva.

23 c Ne ampliùs esto abstemius: sed vino pauculo utere, propter stomachum tuum, & crebras tuas infirmitates.

24 d Quorumdam hominum peccata antè manifesta sunt, præeuntia damnationi: quosdam verò subsequuntur.

25 e Itidem & bona opera antè manifesta sunt: & ea quæ secus habent, occultari non possunt.

pedes sanctorum, si refrigerio fuit afflictis, si ambulavit in omni opere bono.

11 A viduis autem quæ juvenes sunt, abstine: 3 lasciviunt enim adversus Christum, & 4 quærunt ut sint viro:

12 Et earum judicium firmum est, quod abjecerunt fidem suam primam.

13 Discunt autem etiam pigritiam, circumeuntes domatim: nec solùm pigritiam *discunt*, verumetiam ut multiplicent sermones, & sectentur vana, & loquantur id quod non oporteat.

14 Volo igitur ut illæ quæ juvenes sunt, nubant, & pariant liberos, & regant domos suas, & non præbeant adversario occasionē maledicētię.

15 Jam enim cœperunt plures avertere sese post Satanam.

16 Siquis fidelis, aut *siqua* fidelis sit cui sint viduæ, nutriant illas, & non onerent Ecclesiam, ut iis quæ sunt viduæ veræ, sufficiat.

17 Seniores, qui benè sese gerunt, honore duplici digni sint: maximè ii qui laborant in sermone & in doctrina.

18 Dicit namque Scriptura, Ne occludas os bovis in tritura: &, Dignus est operarius mercede sua.

19 Adversus seniorem accusationem ne recipias, nisi per os duorum triúmve testium.

20 Eos qui peccant, coram omni homine corrige: ut etiam reliqui homines timeant.

21 Obtestor te coram Deo, & Domino nostro Jeschua Christo, & Angelis ejus electis, ut hæc serves: neque præoccupetur mens tua ulla re, neque facias quicquam per 5 acceptionem vultus.

22 Manum citò nemini imponas, neque communicaveris peccatis aliorum. teipsum serva in puritate.

23 Et posthac aquas ne bibas: sed vini modicum bibe, propter stomachum tuum, & propter morbos tuos assiduos.

24 Sunt filii hominis quorum peccata nota sunt, & præcedunt eos ad locum judicii: & sunt quæ sequuntur illos:

25 Sic etiam 6 bona facta manifesta sunt: & ea quæ aliter habent, occultari non possunt.

3 T. Syr. lasciviunt enim sibi. Pleonasmus, de quo in Matth. 4.10.
4 T. id est, quærunt nubere, Hebræa & Syra phrasi.
5 Vide Matth. 6.
6 T. al. legunt, viri boni: sed malè, idque ex manifesta corruptione contextus Syriaci profecta à literarum similitudine. Nam Gomal pro Hain substituunt, & Risch pro Dolath.

t De quibus magis etiam quàm de reliquis simus soliciti. u Duplex fuit ordo presbyterorum: alii enim gubernationi, alii sermoni & orationi vacabant. ‖ *Deut.*25.4. 1.*Cor.*9.9. ‖ *Mat.*10.10. *Luc.*10.7. x B. Secundus Canon, Accusatio aduersus presbyterum, nisi prius auditis duobus aut tribus testibus, ne admittitor. y B. Tertius Canon: Presbyteri sic convicti, palàm coarguuntor, ut sint aliis exemplo. z B. Quartus Canon, in Ecclesiasticis (præsertim adversus ipsos Presbyteros) cognitionibus, quibus Deus ipse & Dominus Jesus Christus Angelorum multitudine stipatus interest, summa sine ullo præjudicio & personarum respectu, sinceritas observator. ‖ *Infr.*6.13. a B. Quintus Canon, Neminem antistes leviter ordinato: nullius hac in re stultitiæ aut minus recto affectui favens, alienam culpam in se derivato: siquid à collegis perperàm fiat, is suam conscientiam puram servato. b Ne temerè quosvis ad Ecclesiasticam ullam functionem admitte, quantum videlicet in te est. c B. Sextus Canon, Presbyteri in victus ratione, suæ valetudinis moderatam rationem habento. d B. Quoniam ut summa diligentia adhibeatur, irrepunt tamen ad ministerium hypocritæ, monet Pastores Apostolus, ne hac re perturbentur, vel quicquam propterea de sua in inquirendo diligentia remittant, quia Dominus peccatis ejusmodi hominum detegendis suum tempus constituit: nostrum autem est culpam tantùm præstare. e B. Alia consolatio ad eos spectans qui calumniis interdum opprimuntur.

CAPUT VI.

1 *Docet quid servos deceat:* 10 *Quàm exitiosa pestis sit avaritia.* 13 *Et postquam obiter de divitibus aliquid attigit, iterum prohibet ut Timotheus se inanibus doctrinis impediat.*

a B. Subjicit etiam Canonas de servorum officio in Dominos: qua de re non dubium est quin tunc multæ fuerint agitatæ quæstiones ab iis qui ex Evangelio arripiunt publici perturbandi status occasiones. Primus autem Canon est, Servi fideles, dominos infideles nacti, nihilominus summa fide eis serviunto.

Quicumque a ‖ sub jugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducunto, b ne nomen Dei & doctrina blasphemetur.

2 c Qui verò fideles habent dominos, ne *eos* despiciant quòd fratres sint: sed potiùs inserviant, quòd fideles sint ac dilecti, d qui bene-

Illi qui sunt sub jugo servitutis, dominos suos in omni honore habeant, ne nomen Dei, & doctrina ejus blasphemetur.

2 Illi autem quibus sunt Domini fideles, ne contemnant eos, eo quòd fratres sui sunt: sed magis inserviant eis, propterea quòd fideles sunt &

‖ *Ephes.*6.5. *Colos.*3.22. *Tit.*2.9. 1.*Pet.*2.18. b B. Ratio, ne Deus videri possit Evangelii doctrina homines ad rebellionem & res omnes malas incitare. c B. Secundus Canon, Fideles servi dominos fideles nacti, ne fraterno nomine abutuntor, sed tantò libentiùs eis obsequuntor. d Et hoc sufficiat, quòd in iis quæ ad vitam æternam pertinent, sint ejusdem Dei benevolentiæ socii.

[2] Syriacæ voces sunt דמתתגיזין בחשמשתהון quæ id præcisè significant quod vertimus. Eorum autem sensus est, eam ob causam fideles servos fidelibus dominis eo diligentiùs inservire debere, quòd ministerium ipsorum dominis suis gratum sit.
[2] Ad verb. positio in mente mali: & est periphrasis suspicionis, qua quis aliquid mali assumit in mente sua, quod de alio suspicatur.

dilecti,[1] qui contenti sunt ministerio eorum. Hæc doce, & pete ab eis.

3 Siquis autem sit qui doceat doctrinam aliam, & non accedat ad sermones sanos Domini nostri Jeschua Christi, & ad doctrinam timoris Dei,

4 Is est qui se extollit, quum nihil sciat: sed infirmus est circa disputationem & quæstionem verborum: ex quibus fit invidia, & contentio, & maledicentia, & [2] suspicio mala,

5 Et attritio filiorum hominis, quorum corrupta mens est, & destituuntur veritate, & putant quòd quæstus sit reverentia Dei, tu autem elonga te ab istis.

6 Quæstus enim noster magnus est, qui est reverentia Dei, cum usu sufficientiæ nostræ.

7 Nihil enim intulimus in mundum: & notum est quòd neque efferre ab eo *quicquam* possumus.

8 Propter hoc sufficit nobis alimentum & operimentum.

9 Qui autem volunt ditari, incidunt in tentationes, & in laqueos, & in cupiditates multas stultas, & affligentes & demergentes filios hominis in ruinam & perditionem.

10 Radix enim omnium malorum est amor argenti, quod sunt quidam qui concupiverunt, & à fide aberraverunt, atque seipsos [3] immiserunt in dolores multos.

11 Tu autem, ô fili hominis Dei, ab istis fuge, & [4] sectare justitiam, & rectitudinem, & fidem, & charitatem, & patientiam, & mansuetudinem:

12 Et contende in certamine bono fidei, & apprehende vitam quæ est in æternum, ad quam vocatus es, & confessus es confessionem bonam coram testibus multis.

13 Contestor te coram Deo qui vivificat omnia, & Jeschua Christo, qui testatus est coram Pontio Pilato testimonium bonum:

14 Ut serves ipsum mandatum sine labe & sine macula, usque ad revelationem Domini nostri Jeschua Christi.

15 Quem tempore suo ostensurus est Deus, benedictus & potens, solus Rex regum, & Dominus dominorum.

16 Qui solus est incorruptibilis, & inhabitat lucem ad quam nemo accedere potest: nec ullus filiorum hominis vidit eum, neque potest videre eum: cui gloria & imperium in seculum seculorum, Ammin.

17 Divitibus seculi hujus præcipe ne eleventur in mentibus suis, neque securi sint in divitiis, in quibus non est securitas: sed in Deo vivente, qui dat nobis omnia opulenter ad recreationem nostram:

18 Et faciant opera bona, & divites fiant in actionibus bonis, sintq; faciles ad dandum & ad communicandum:

19 Et ponant sibi ipsis fundamentum bonum in id quod futurum est, ut apprehendant vitam veram.

20 O Timothee, sis solicitus in eo quod com-

[3] In impresso erat אעל, sed perperàm, pro אעלו quod nos ex manuscripto codice restituimus.
[4] Ad verb. Curre post eam Hebr.

ficentiam illam capessunt. [e] Hæc doce & exhortare.

3 [f] Siquis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ,

4 *Is* turget, nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones ac [g] verborum pugnas: ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ,

5 Perversæ [h] exercitationes hominum mente corruptorum, & qui privati sunt veritate, & quæstui habent pietatem. secede ab iis qui ejusmodi sunt.

6 [i] Est autem quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento.

7 [k] Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus.

8 Sed habentes alimenta, & quibus tegamur, hæc nobis satis erunt.

9 [l] Qui autem volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, quæ demergunt homines in exitium & interitum.

10 Siquidem radix omnium malorum est amor pecuniæ: quam quidem dum appetunt, aberrârunt à fide, & seipsos [m] transfixerunt doloribus multis.

11 [n] Tu verò, ô [o] homo Dei, ista fuge: sectare autem justitiam, pietatem, fidem, charitatem, tolerantiam, lenitatem.

12 Decerta præclarum illud certamen fidei: apprehende vitam æternam, ad quam & vocatus es, & professus præclaram illam professionem coram multis testibus.

13 [p] [r] Denuncio tibi coram Deo qui vivificat omnia, & Jesu Christo, qui [s] testatam fecit coram Pontio Pilato præclaram illam professionem:

14 Ut serves hæc mandata, incontaminatus & irreprehensus, usque ad illustrem illum adventum Domini nostri Jesu Christi:

15 Quem temporibus suis ostendet ille [t] beatus & solus [q] Princeps, Rex ille regum, & Dominus dominorum:

16 Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, [t] quem vidit nemo hominum, neque videre potest: cui honor & robur æternum. Amen.

17 [r] Iis qui divites sunt in [f] hoc seculo, denuncia ne efferantur animo, [t] neque spem ponant in divitiis incertis, sed in illo Deo [t] vivo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum.

18 Ut *aliis* benefaciant, ut divites sint operibus bonis, faciles ad impertiendum, facilis convictus:

19 [u] Recondentes sibi [t] fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant æternam illam vitam.

20 [x] Timothee, depositum serva, & aversare

[e] B. Conclusio universalis, hæc omnia non tantùm esse simpliciter docenda, sed etiam cum exhortationibus sedulò inculcanda.
[f] B. Eos qui in sermonibus Christi (id est, doctrina pietatis) non acquiescentes, in vanis quæstionibus (vana enim sunt alia omnia) & se & alios fatigant, gravissimè damnatos extra Ecclesiam ejicit, ut superbos, qui in Christi doctrina non acquiescant: ut mendaces impostores, qui meram vanitatem crepent: ut insanos, qui de rebus nihili tantoperè laborent: ut pessimas pestes, qui sint maximarum contentionum auctores, & mentes ac judicium hominum corrumpant: denique ut profanos & impios, qui pretioso illo pietatis ac religionis nomine ad turpe lucrum abutantur.
[g] Concertationes de verbis non de rebus: verba autem etiam nominat quæcumque nihil habent solidi, aut ex quibus nulla redit utilitas.
[h] Quales videntur in ludo illo impudentiæ matæologiæ Sophisticæ.
[i] B. Venustè detorquet nomen quæstus, confitens pietatem esse maximum lucrū, sed diversa prorsus ratione, quoniam videlicet veram sufficientiam affert.
[k] B. Stultitiam eorum irridet qui rebus caducis adeò cupidè inhiant, ut expleri nullo modo possint, quum tamen eo quod supra modum est frui non possint. [l] B. Alia ratione Timotheum ab avaritia deterret, nempe quòd infinitas easque nocentissimas cupiditates secum trahat, quibus seipsos avari excarnificant, eousq; ut fidem etiam & salutem suam abjiciant. [m] Dolor & cura videntur animum quodammodo perfodere, avaritiæ nimirum messis. [n] B. Peculiaris exhortatio ad varias virtutes, quibus pastores in primis ornatos esse oporteat. [o] Quem Spiritus Dei regit. [p] B. Gravissima obtestatio, ut summa fide superiora omnia serventur, intentis in Jesu Christi adventum oculis, cujus gloria vano hujus mundi splendori, & potentia omnibus impiorum terriculamentis sit opponenda. [r] *Suprà 5.21.* [s] *Matt.27.11.joh.18.37.* [t] *Suprà 1.11.apoc.17.14. & 19.16.* [q] Synonyma multa congerit, quibus potentiam Dei asserit, qua freti in statione nostra persteramus. [t] *Joh.1.18.* [r] B. Addit veluti auctarium, severam admonitionem ad divites spectantem, ut in primis à duabus pestibus sibi caveant, superbia nimirum & spe fallaci, quibus tres excellentes virtutes opponit, spem in Deum illum vivum, beneficentiam in proximum, & morum facilitatem. [f] Rerum ad vitam pertinentium, quibuscum comparantur qui sunt bonorum operum divites. [t] *Mat.4.19.luc.12.15.* [t] Verè existenti & æterno: nam Deo opponit caducam opum naturam. [u] B. Laus beneficentiæ ab effectis, quòd sit firmum Spiritus Dei in nobis habitantis, ac proinde salutis nobis donandæ, testimonium. [t] *Mat.6.20.luc.12.33.* [x] B. Præcipuam omnium superiorum admonitionum repetit, animo omnium ministrorum Verbi insigendam, nempe ut inanem sophistices garrulitatem fugiant, in sinceræ doctrinæ simplicitate permanentes.

profanos illos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsò nominatæ scientiæ:

21 Quam nonnulli [y] præ se ferentes, circa fidem aberrârunt à scopo. Gratia sit tecum. Amen.

Ad Timotheum prima, missa fuit Laodiceæ, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ.

[y] Non tantùm voce, sed etiam vultu, gestu: in summa ita se cōparant, ut etiam tacentes nihil nisi arduū & sublime de se promittant.

mendatum est tibi, & fuge à [5] vocibus inanibus, & ab oppositionibus scientiæ falsæ.

21 Qui enim profitentur eam, aberrârunt à fide. Gratia tecum. Ammin.

Finitur epistola ad Timotheum prior, quæ scripta fuit è Laodicea.

[5] Ad verb. A filiabus vocum. Vide quæ Act. 12. annotavimus.

EPISTOLA AD TIMOTHEUM POSTERIOR.

CAPUT I.

5 Laudata fide Timothei, 6 ut in munere sibi commisso fideliter pergat, eum hortatur. 8 Et ne propter sua vincula, 15 aut aliorum defectiones, labascat, 11 de suo Apostolatu gloriatur, 14 & depositi custodiam illi commendat. 16 Laudat etiam Onesiphorum.

BEZAE INTERPRET.

PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, [a] secundùm promissionem vitæ quæ est in Christo Jesu,
2 Timotheo dilecto filio *sit* gratia, misecordia, pax à Deo patre, & Christo Jesu Domino nostro.
3 [b] Gratiam habeo Deo, [1] cui servio à [c] majoribus cum pura conscientia, prout assiduam tui memoriam teneo in precibus meis nocte ac die:
4 Desiderans te videre, memor tuarum lacrymarum, ut gaudio replear:
5 Revocans in memoriam eam quæ in te est non simulatam fidem, quę habitavit priùs in avia tua Loide, & matre tua Eunica: persuasus sum autem quòd in te quoque.
6 [d] Quam ob causam suggero tibi ut [e] exsuscites donum Dei quod est in te per impositionem manuum mearum.
7 Non enim dedit nobis Deus spiritum [f] timiditatis, sed roboris, & charitatis, & sanitatis animi.
8 [g] Ne igitur te pudeat testimonii Domini nostri, neque te pudeat mei, qui sum captivus [h] ipsius: sed esto particeps afflictionum [i] Evangelii [k] ex potentia Dei:
9 [l] Qui servavit nos, & vocavit [l] vocatione sancta: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, & gratia, quæ [m] data quidem est nobis in Christo Jesu [t] ante [n] tempora seculorum:
10 Sed patefacta nunc est per illustrem illum adventum servatoris nostri Jesu Christi, qui & mortem abolevit, & vitam in [o] lucem produxit ac immortalitatem per Evangelium.
11 [p] [t] Cujus causa constitutus sum ego præco & Apostolus ac doctor Gentium.
12 [q] Quam ob causam & hæc patior: [r] sed non pudesio. novi enim cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem servare.

[a] A Deo legatus, ut annunciem vitam quam promisit in Christo Jesu.

[b] B. Scopus epistolæ præcipuus est, Timotheum confirmare, ut fortiter ad extremum usque perseveret, proposita primùm sua in eum benevolentia, deinde commemoratis excellentibus donis, quæ velut hæreditaria exstare voluerat Dominus in Timotheo & ipsius majoribus, quæ quidem ipsum tanto magis Deo obstringant. [1] *Act.* 22. 3.
[c] Abrahamo, Isaaco, & Jacobo: non enim agit de Pharisaismo, sed Christianismo.
[d] B. Difficultatibus ingruentibus monet invictam Spiritus virtutem opponendā, qua sumus à Deo donati.
[e] Donum Dei est velut quædam viva flamma in cordibus nostris accensa, quam nituntur caro & Satan suffocare: nos contra magis ac magis fovere ac sopitam suscitare debemus.
[f] Quo percellamur & perterrefiamus, ut quos vult Dominus perdere.
[g] B. Crucis ignominiam non modò probrosam esse negat, sed etiam honorificentissimam esse probat, primùm, quòd Evangelium, cujus causa pii affliguntur, sit testimonium Christi: secundò, quòd in illis demùm eluceat summa Dei virtus.
[h] Ipsius causa.
[i] Evangelium quodammodo dicitur affligi in iis à quibus annunciatur.
[k] Fretus potentia Dei.
[l] B. Ostendit quantis beneficii Deus fortiter asserendæ suæ gloriæ cum salute nostra conjunctæ nos obstrinxerit, commemoratis salutis nostræ causis, nempe gratuito illo & æterno Dei proposito de nobis in Christo venturo servandis, unde factum sit ut a Deo tandem gratis per Evangelii prædicationem, ad Christū mortis destructorem & immortalitatis auctorem vocaremur. [t] *1. Cor.* 1. 2.
[m] Datam esse dicit ab æterno gratiam, ad quam ab æterno sumus prædestinati. Repugnat itaque doctrina de prævisa fide vel operibus, gratia Dei ex diametro. [t] *Rom.* 16. 25. *ephe.* 3. 9. *colos.* 1. 26. *tit.* 1. 20.
[n] Ante annorum seriem qui ab initio fluxerunt.
[o] Fecit ut illucesceret vita.
[p] B. Evangelium illud est quod prædicavit Apostus. [t] *1. Tim.* 2. 7.
[q] Apostolatum suum inexspectato argumento confirmat, nempe quod mundus illud ferre non posset, ac proinde ipsum ejus præconem persequeretur.
[r] B. Proposito suo exemplo, ostendit quomodo futurum sit ut nos crucis Christi non pudeat, nempè si certi simus Deum & posse & velle salutem, quàm veluti penes se depositam habet nobis in illum diem servare.

TREM. INTERPRET.

PAULUS Apostolus Jeschua Christi, per voluntatem Dei, & secundùm promissionem vitę quæ est in Jeschua Christo:
2 Timotheo filio dilecto gratia & misecordia, & pax à Deo Patre & à Domino nostro Jeschua Christo.
3 Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus meis in conscientia pura, quòd constanter memor sim tui in precationibus meis [1] nocturnis & diurnis:
4 Et desiderem videre te, & memor sim lacrymarum tuarum, ut implear gaudio,
5 Per recordationem quæ est erga te, propter fidem tuam veram, quæ habitavit primùm in [2] avia tua Loide, & in matre tua Eunica: persuasum autem habeo quòd etiam *habitet* in te.
6 Propter hoc commonefacio te, ut excites illud donum quod est in te per impositionem manus meæ.
7 Non enim dedit nobis Deus spiritum timiditatis, sed virtutis & charitatis & [3] tranquillitatis *animi*.
8 Ne igitur pudeat te testimonii Domini nostri, neque etiam mei vincti ipsius: sed fer mala cum Evangelio per virtutem Dei:
9 Qui servavit, & vocavit nos vocatione sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm voluntatem suam, & gratiam ejus quæ data est nobis in Jeschua Christo ante tempus seculorum,
10 Et manifesta est nunc per manifestationem servatoris nostri Jeschua Christi, qui abolevit mortem, & ostendit vitam & incorruptionem per Evangelium:
11 In quo ego constitutus sum præco & Apostolus ac doctor Gentium.
12 Propter hoc sustineo ista, & non erubesco. Novi cui credidi: & persuasus sum quòd facultas est in manibus ejus, depositum meum servare mihi in diem illum.

[1] Ad verb. Noctis & diei.

[2] Ad verb. In matre matris tuæ. Hebraismus.

[3] F. al. & eruditionis vel institutionis, putà ad tranquillitatem animi & temperantiam.

ᵗ Syra vox [illegible] vix alibi reperitur, ut ex collatione quid propriè significet intelligi non possit: puto tamen propriè significare foramina, cujus singulare est [illegible] usitatum: ac formulas dicit Foramina, metaphora sumta à numulariis, qui in diversis capsulis (quæ speciem habent foraminum) diversa monetarum genera, ordine certo & sibi constituto, disponunt, ut in promtu singula habeant quum opus fuerit, eorum etiam nomina exprimendo, ut ab omnibus dignoscerentur. Sed iis opponit unius hominis singularem fidem, ut vel unicum bonum exemplum malis omnibus præponderet.

13 Sint tibi ᵗ formulæ sermonum sanorum, quos audivisti à me cum fide & cum charitate quæ est in Jeschua Christo.

14 Depositum bonum serva per spiritum sanctum qui habitat in nobis.

15 Nosti hoc, quòd aversati sint à me omnes qui sunt in Asia, ex quibus sunt Phygellus & Hermogenes.

16 Det Dominus noster misericordiam familię Onesiphori, quę temporibus multis refocillavit me, & in catenis vinculorum meorũ non erubuit.

17 Sed etiam quum venisset Romam, diligenter quæsivit me, & invenit me.

18 Det ei Dominus noster ut inveniat misericordiam apud Dominum nostrum in die illo: & quàm ministraverit mihi Ephesi, abundè nosti.

13 ᶠ Expressam formam teneto sanorum sermonum, quos à me audisti cum fide & charitate quæ *est* in Christo Jesu.

14 ᵗ Præclarum illud depositum serva ᵘ per Spiritum sanctum qui inhabitat in nobis.

15 ˣ Nosti hoc, quòd se averterint à me omnes qui sunt in Asia: ex quibus est Phygellus & Hermogenes.

16 Præstet misericordiam Dominus Onesiphori familiæ: quoniam sæpè me recreavit, & catenam meam non erubuit.

17 Imò quum esset Romæ, studiosissimè quæsivit me, & invenit.

18 Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominũ in die illo. quàm multa etiam Ephesi subministrârit, tu optimè nosti.

ᶠ B. Exprimit quæ potissimùm in re oporteat ipsum esse quam constantissimum, nempe & in ipsa doctrina, cujus epitomæ sunt fides & charitas, deinde in ipsa ejus tradendæ ratione, cujus velut expressam effigiem in Apostolo Timotheus cognoverat.
ᵗ B. Amplificatio à dignitate tantæ rei penes ministros depositæ.
ᵘ B. Occupatio arduum quidem id esse præstare, sed potentissimum esse Dei Spiritum qui sua virtute nos intùs donârit.
ˣ B. Occurrit offendiculo propter Apostatas quosdam exorto, eo-

CAPUT II.

1 *Perseverantiam in militia Christiana commendat,* 3 *sumta similitudine* 4 *à militibus,* 6 *& ab agricolis.* 10 *Vincula sua sanctis usui esse declarat.* 15 *Inde monet Timotheum ut sermonem veritatis rectè dispertiat,* 17 *& reproborum exempla fugiens,* 22 *modestè omnia agat.*

ᵃ Ad verb. Per manum multorum testium.

ᵃ Vel, det.

ᵃ F. Syre, vitam: ut passim.

1 Tu igitur, fili mi, corroborare in gratia quæ est per Jeschuam Christum.

2 Et quæ audivisti à me ᵃ per multos testes, hæc depone apud homines fideles, in quorum manibus facultas sit etiam alios docere:

3 Et tolera mala tamquam miles bonus Jeschua Christi.

4 Nemo militat, & implicat se negotiis seculi, ut placeat ei qui elegit ipsum.

5 Et, si certaverit aliquis, non coronatur, nisi secundùm legem suam certet.

6 Agricolæ qui laborat, convenit ut primùm de fructibus suis cibetur.

7 Considera id quod dico: ᵃ dabit tibi Dominus noster sapientiam in omni re.

8 Memor esto Jeschua Christi, quòd resurrexit à mortuis, qui est ex semine David, secundùm Evangelium meum:

9 In quo sustineo mala usque ad vincula, tamquam patrator malorum: sed sermo Dei non est vinctus.

10 Propter hoc omnia suffero, propter electos, ut etiam inveniant ᵃ salutem in Jeschua Christo cum gloria, quæ est in æternum.

11 Fidelis est sermo: si enim mortui sumus cum eo, etiam cum eo vivemus:

12 Et si toleraverimus, etiam regnabimus cum eo: si autem negaverimus eum, etiam ille negabit nos.

13 Et si non crediderimus in eum, ipse in fide sua permanet: ut enim neget seipsum *fieri* non potest.

14 Hæc commemora eis, & testare coram Domino nostro, ne contendant sermonibus inutilibus, ad subversionem eorum qui audiunt eos:

15 Et cura sit tibi ut sistas teipsum perfectè co-

1 Tu ᵃ igitur, fili mi, corroborare per gratiam quæ est in Christo Jesu:

2 Et quæ audisti à me ᵇ inter multos testes, hæc committe fidis hominibus, qui sint idonei ad alios quoque docendos.

3 ᶜ Tu igitur tolerans esto laborum ut bonus miles Jesu Christi.

4 Nemo qui militat implicatur hujus ᵈ vitæ negotiis, ut ei placeat à quo delectus est miles.

5 ᵉ Quòd si certet etiam aliquis, non coronatur nisi legitimè certaverit.

6 ᶠ Agricolam oportet priùs laborando fructus percipere.

7 ᵍ Considera quæ dico. Det igitur tibi Dominus intelligentiam in omnibus.

8 ʰ Memento Jesum Christum suscitatum fuisse ex mortuis, *factum* ex semine Davidis, secundùm Evangelium meum:

9 ⁱ In quo, velut facinorosus, affligor usque ad vincula: sed sermo Dei non est vinctus.

10 Ideò omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Jesu, cum gloria æterna.

11 ᵏ Certus *est hic* sermo. nam si cum *eo* ˡ mortui sumus, cum *eo* etiam vivemus:

12 Si tolerantes sumus, etiam cum *eo* regnabimus: ˡ si abnegamus, & ille abnegabit nos.

13 Si infidi sumus, ˡ ille *tamen* fidus manet, negare seipsum non potest.

14 Hæc suggere, ᵐ obtestans coram Domino ne de verbis pugnent quod nullam adfert utilitatem, *imò* auditores subvertit.

15 ⁿ Stude teipsum probatum sistere Deo,

ᵃ B. Conclusio superioris exhortationis, addita tamen declaratione, non servari depositum ab iis qui illud intùs contineant, sed ab iis potiùs qui quamliberalissimè cum aliis id communicent, ut hoc modo quamplurimi fiant ejus participes, sine ullo cujusquam detrimento.
ᵇ Præsentibus multis, qui de his rebus possint testari.
ᶜ B. Alia admonitio, Ministerium verbi esse spiritualem militiam, qua nemo sic fungi possit ut imperatori suo placeat, nisi omnibus avocamentis semel valedicat.
ᵈ Negotiis ad rem familiarem aut occupationes illas consuetas pertinentibus.
ᵉ B. Tertia admonitio, Ministerium esse instar gymnici certaminis, in quo nemo coronetur nisi ex præscriptis legibus certaverit, quamtumvis duræ & difficiles fuerint. ᶠ B. Alia similitudo eodem spectans. Non sperandum messem nisi præeunte arationis & sationis labore. ᵍ B. Omnia ista ne intelligi quidem, nedum præstari possunt, nisi petita & data à Deo intelligentia. ʰ B. Duo capita nostræ fidei, ab hæreticis perpetuò oppugnata, disertè confirmat: quorum unum, nempe Christum esse verum illum Messiam hominem ex Davidis semine factum, est nostræ salutis Basis: alterum est ejusdem vertex, nempe eum resurrexisse ex mortuis. ⁱ B. Occupatio, Se quidem instar sceleratorum in vinculis teneri, sed causam non esse cur propterea nonnulli fidem detraherent ejus Evangelio: quum Deus, nihilominus ipsius ministerio benediceret, imò etiam hujus captivitatis & patientiæ suæ exemplum Ecclesiam multis modis confirmaret in vitæ melioris exspectatione. ᵏ B. Quarta admonitio, Non de verbis & quæstionibus non modò inutilibus, sed etiam plerumque damnosis, esse decertandum; sed de eo potiùs ut nos ad omne patientiæ genus, atque adeò ad mortem ipsam cum Christo (id est, pro Christi nomine subeundam) comparemus, quoniam sit certus ad vitam, & eam quidem gloriosissimam, aditus: sicut è contrario hominum perfidiâ nihil de veritate Dei decedit, certum autem exitium sibi accersunt homines. ˡ Rom. 6, 5. ˡ Si unà cum Christo & Christi ipsius causa affligimur. ˡ Matt. 10, 33. mar. 8, 38. ˡ Rom. 3, 3. & 9, 6. ᵐ Domino etiam teste aut potius judice advocato, sicut fecerunt Moses, Josue, Samuel, & ipse Paulus, Act. 20. ⁿ B. Quinta admonitio, Ministrum esse oportere non otiosum disputatorem, sed fidelem in veritatis sermone rectè distribuendo dispensatorem, adeò quidem ut etiam aliorum garrulam curiositatem cohibeat.

operarium qui non erubescat, & [o] qui rectè sermonem veritatis secet.

16 Profanos autem illos de rebus inanibus clamores [p] cohibe: [q] ad majorem enim procedunt impietatem.

17 Et sermo eorum depascet ut gangræna: ex quibus est Hymenæus & Philetus:

18 Qui circa veritatem aberrârunt à scopo, dicentes resurrectionem jam esse factam: & subvertunt quorumdam fidem.

19 [r] Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos qui sunt sui: &, Abscedat ab injustitia quisquis [s] nominat nomen Christi.

20 [t] Cæterùm in magna domo non tantùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea ac testacea: [u] & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus.

21 Siquis igitur sese ab his [w] expurgârit, erit vas ad decus, sanctificatum, & accommodum usibus Domini, & ad omne opus bonum comparatum:

22 [x] Juveniles autem cupiditates fuge: sed sectare justitiam, fidem, charitatem, [y] pacem [z] cum iis qui invocant Christum ex puro corde.

23 [a] Stultas autem & ineruditas illas quæstiones rejice, sciens eas gignere pugnas.

24 Servum autem Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos:

25 Cum lenitate erudientem eos qui [z] contrario animo sunt affecti: *experturum* num aliquando daturus sit eis Deus resipiscentiam ad agnitionem veritatis:

26 Et sanitate mentis recepta *evasuri* ex diaboli laqueo, ab eo captivi facti, ad ipsius libitum.

ram Deo, operarium sine erubescentia, & prædicantem rectè sermonem veritatis:

16 A sermonibus vanis, in quibus non est utilitas, te subducito: [4] multùm enim adjiciunt ad improbitatem illorum qui occupantur in eis.

17 Et sermo eorum [5] tamquam cancer pastionem apprehendet in multis: est autem unus ex illis Hymenæus, & alter Philetus:

18 Qui aberrârunt à veritate, dicentes quòd resurrectio mortuorum facta sit: & fidem [6] quorumdam subvertunt.

19 Fundamentum autem firmum Dei manet, & est ei signaculum hoc, Quòd novit Dominus eos qui sunt sui, &, Discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini.

20 In domo autem magna non sunt vasa aurea tantùm, aut argentea *tantùm* sunt in ea, sed etiam lignea & testacea: ex eis *quædam* in honorem, & ex eis *quædam* in contumeliam.

21 Si quis igitur expurgaverit seipsum ab istis, erit vas mundum in honorem, aptum ad usum Domini sui, & præparatum ad omne opus bonũ.

22 Ab omnibus concupiscentiis juvenilibus fuge, & sectare justitiam, & fidem, & charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum nostrum corde puro.

23 Altercationes stultas, quæ ineruditæ sunt, fuge: nosti enim quòd certamina gignant.

24 Servus autem Domini nostri non debet certare, sed placidus esse erga omnem hominem, & didacticus, & longanimis.

25 Ut erudiat eos qui contendunt adversus se, cum mansuetudine: si fortè det illis Deus conversionem, & agnoscant veritatem,

26 Et memores sint suiipsorum, & eripiantur ex laqueo Satanæ, quo capti sunt ad voluntatem ipsius.

[o] Qui nihil adjiciat, nihil prætermittat, mutilet, discerpat, torqueat: spectet diligenter quid ferat auditorum captus, & quid ad ædificationem conducat.
[p] Ad verb. circumsiste, id est, observa & obside, ut videlicet prohibeas ne latiùs serpant.
[q] B. Astutiam Satanæ patefacit, qui ab his initiis exorsus, sensim nos pertrahit ad impietatem, serpente illo prophanæ garrulitatis malo: quod tristi eorum exemplo probat qui resurrectionem jam factam docebant.
[r] B. Digressio, qua offendiculis ex illorum defectione exortis medetur: primò ostendens electos esse extra hujusmodi defectionis periculum, secundò Deo notos illos esse, non nobis: ac proinde mirum non esse si sæpè hypocritas pro veris fratribus habeamus: nobis autem dandam esse operam ne illorum similes simus, sed ut potiùs reipsa simus quod dicimur. [s] Qui colit, & tamquam fidelis ab illo cognominatur. [t] B. Occupatio, Non cedere in patrisfamiliâs dedecus quòd in magna domo non habeat omnia ejusdem generis & usus vasa, sed curandum nobis esse ut vasa ad decus comparata comperiamur. [u] Rom. 9. 21. [w] Non causam propositi, sed exsequutionem declarat: cæterùm quòd nos expurgamus, non libertati nostri arbitrii illud tribuendum est, sed ei, id est Deo, qui gratis & in solidum efficit in nobis bonam & efficacem voluntatem. [x] B. Rediens unde fuerat à ver. 16. digressus, monet ut in rebus seriis & ad pietatem ipsam spectantibus sese exerceat. [y] B. Sexta admonitio, Vitandam in primis omnem animi acerbitatem, tum in docendis omnibus, tum etiam in revocandis qui extra viam aberrârunt. [z] 1. Cor. 1. 2. [a] 1. Tim. 1. 4. & 4. 7. tit. 3. 9. [z] Loquitur de iis quibus nondum perspecta est veritas.

[4] F. vel, ampliùs enim adjicient ad impietatem suam ii qui proloquuntur illa.
[5] F. vel tamquam cancer depascens apprehendet seu occupabit multos: convenienter Græco.
[6] F. Syr. viri viri, id est, hujus & illius.

CAPUT III.

1 *Prædicit quàm infesta piis tempora immineant:* 9 *sed fiducia victoriæ* 10 *animat eum ad certamen:* 14 *exercitationem sanæ doctrinæ in primis commendans.*

ILlud [a] autem scito, [b] fore ut extremis diebus instent tempora molesta.

2 Erunt enim homines sui amantes, avari, gloriosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, [b] prophani.

3 Charitatis expertes, nescii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, minimè amantes bonorum,

4 Proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potiùs quàm amantes Dei:

5 Habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegârint. [c] istos igitur aversare.

6 Ex his enim sunt isti qui irrepunt in familias, & captivas ducunt mulierculas, cumulatas peccatis, actas cupiditatibus variis:

7 Semper discentes, sed quæ nunquam ad cognitionem veritatis venire possint.

8 [d] Quemadmodũ autem Jannes & Jambres

HOc autem scias, quòd in diebus extremis venient tempora dura:

2 Et erunt filii hominis amantes sui ipsorum, & amantes argentum, gloriosi, elati, maledici, qui iis [1] qui præsunt sibi non obtemperant, negantes beneficium, improbi,

3 [2] Calumniatores, subjecti affectui, feri, odio habentes [3] bona,

4 Proditores, præcipites, inflati, amantes voluptates potiùs quàm charitatem Dei:

5 Quibus est species reverentiæ Dei, & à virtute Dei longè discedunt. Qui tales sunt, longè remove abs te.

6 Ex iis enim sunt qui irrepunt in domos, & captivas ducunt mulierculas quę custodiuntur in peccatis, & ducuntur in concupiscentias varias:

7 Quæ omni tempore discunt, & nunquam ad cognitionem veritatis venire possunt.

8 Quemadmodũ autem [4] Jannes & Jambres insurrexerunt contra Musche, ita & hi insurgunt

[a] B. Septima admonitio, Non esse sperandam Ecclesiam aliquam incorruptam in hoc seculo, sed fore potiùs magnũ perditissimorum hominũ proventum in ipso etiam Ecclesiæ sinu, qui tamen summam pietatem & charitatem præ se ferant. [b] 1. Tim. 4. 1. 2. pet. 3. 3. jude 18. [b] Quibus nullum est jus nec fas. [c] B. Cum ejusmodi hominibus non simplici errore, sed perversitate animi resistentibus veritati (quod ex eorum fructibus apparet, quos hic graphicè prorsus describit) non est quòd ludatur opera, quum sint potiùs aversandi. [d] Exod. 7. 11.

[1] Ad verb. Hominibus suis, tam in manuscripto quàm in impresso codice: sed contextus docet quomodo locus intelligendus sit. Homines intelligit illos quibus meritò parendũ sit. Est igitur synecdoche generis pro specie.
[2] Principiũ versus tertii desideratur in Syro Testamẽto, tum impresso, tum manuscripto, videlicet, Charitatis expertes, nescii fœderis: quod his verbis restitueretur, דלא חובא דלא פימא. [3] F. Syrè, vitam: ut passim. [4] Jannes & Jambres, quos Syrus vocat Jãnis & Jambaris, in Talmud in tractatu de oblationibus, cap. Omnes oblationes publicæ (ubi eorum fit mentio) vocantur יוחנא וממרא Jochanne & Mamre: & dicuntur ibi fuisse principes magorum Pharaonis, multumq; restitisse Mosi, & studuisse Mosis auctoritatem & miraculorum ejus fidem infirmare, dum suis artibus easdem fingerent quæ Moses divina virtute faciebat: sed tandem eorum impotentia & divina virtus enituit quum Aaronis virga in serpentem conversa, eorum virgas quæ serpẽtes videbantur, deglutiret: & ipsi in miraculo pediculorum, quum idem præstare non possent, faterentur digitum Dei eum esse, qui id præstitisset.

contra veritatem: homines quorum mens corrupta est, & reprobati sunt à fide.
9 Sed non progredientur amentia enim eorum cognita est omni homini, sicut etiam illorum cognita fuit.
10 Tu verò assequutus es doctrinam meam, & assequutus [5] meas vitæ rationes, & assequutus voluntatem meam, & assequutus fidem meam, & assequutus longanimitatem meam, & assequutus charitatem meam, & assequutus patientiam meam,
11 Et assequutus persequutionem meam, & assequutus passiones meas: & nosti quæ sustinui Antiochiæ & Iconii & Lystris: quam persequutionem sustinuerim: & ex omnibus eripuit me Dominus meus.
12 Sed & omnes illi qui volunt in timore Dei vivere, in Christo Jeschua, persequutionem patiuntur.
13 Filii hominis autem mali & seductores, adjicient malitiæ suæ, errantes & in errorem inducentes.
14 Tu verò persiste in iis quę didicisti, & *in quibus* confirmatus es, nosti enim à quo didiceris:
15 Et quòd à pueritia tua libros sacros didiceris, qui possunt sapientem te reddere ad salutem, per fidem quæ est in Jeschua Christo.
16 [6] In Scriptura enim quæ per Spiritum scripta est, utilitas est ad doctrinam, & ad redargutionem, & ad correctionem, & ad eruditionem quæ est in justitia,
17 Ut sit perfectus filius hominis Dei ad omne opus bonum, & absolutus.

[5] i. Rationem qua me gero, Id enim significat דובר à verbo אתדבר, quod significat se gessit. Potest etiam verti, Conversationem meam.

[6] Sic enim sonant Syra verba על כתב &c. Dicere enim nō ausim על esse positum pro כל, (licet ita melius responderet Græco textui) quia non modò impressus, sed etiam manuscriptus codex Heidelbergensis (quem antiquissimum esse apparet) legit על. F. Alii tamen legunt, omnis Scriptura & rectè, judicio meo. Posteà verò legendum, utilis est, &c.

resistiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati: homines mente corrupti, rejectanei circa fidem.
9 [d] Sed non procedent amplius: nam amentia istorum evidens erit omnibus, ut & illorum fuit.
10 [e] Tu verò [f] assequutus es doctrinam meam, vitæ meæ rationem, propositum, fidem, lenitatem, charitatem, tolerantiam,
11 Persequutiones, perpessiones quę mihi acciderunt [g] Antiochiæ, Iconii, Lystris: quas persequutiones sustinuerim: sed ex omnibus eripuit me Dominus.
12 Sed & omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persequutionem patientur.
13 Improbi autem homines & impostores [h] procedent in pejus, tum seducentes, tum seducti.
14 At tu maneto in iis quę didicisti & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris:
15 Teq; à puero sacras literas novisse, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu.
16 [i] [l] Tota Scriptura divinitus *est* inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitia:
17 Ut perfectus sit [k] homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.

[d] 2. Consolationem addit, Dominum tandem istis omnem larvam detracturum.
[e] 2. Quominus ab ejusmodi hypocritis decipiamur, proponendæ sunt nobis sanctorum servorum Dei virtutes, nec fugienda crux quam illi ultrò subierint, & quæ perpetua est veræ pietatis comes. Apostolica verò doctrina in primis est retinenda: cujus summa est, nos fide in Christum Jesum servari.
[f] Tu non modò quid docuerim, quid egerim, sed etiam quæ mea mens ac voluntas fuerit prorsus nosti.
[g] De Antiochia Pisidiæ intellige.

[h] Illorum improbitas quotidiè augebitur. [l] 2. Pet. 1. 20. [i] 2. Octava admonitio longè pretiosissima, Pastorem ex uno scripto Dei verbo sapere oportere, in quo perfectè traduntur quæcumque tum ad vera dogmata cognoscenda & stabilienda, falsa verò refellenda: tum ad malos quidem mores corrigendos, bonos autem instituendos spectant. [k] Homo Dei propriè & peculialiter dicitur Propheta, & voluntatis Dei interpres.

CAPUT IIII.

1 *Obtestatur eum ut maximè Evangelium prædicet,* 3 *in tam deplorato tempore.* 6 *Sibi in propinquo esse mortem,* 8 *sed ita ut quasi victor ad gloriosum triumphum properet.* 10 *Tandem accersendi Timotheum necessitatem* 11 *ex præsenti suo statu ostendit.*

OBtestor te coram Deo & Domino nostro Jeschua Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos in apparitione regni sui,
2 Prædica sermonem, & persta in diligentia, [1] tempestivè & intempestivè: argue, & redargue cum omni longanimitate & doctrina.
3 Erit enim tempus quum doctrinę sanę non [2] auscultabunt, sed juxta concupiscentias suas coacervabunt sibi ipsis doctores, in pruritu auditus ipsorum,
4 Et à veritate avertent aures suas, ad fabulas verò inclinabunt.
5 Tu autem esto vigilans in omni re, & tolera mala, & fac opus Evangelistæ, & ministerium tuum adimple.
6 Ego autem [3] libor, & tempus quo resolvar, appropinquat.
7 Certamen bonum certavi, & cursum meum absolvi, & fidem meam servavi:
8 Et deinceps servatur mihi corona justitiæ, quam rependet mihi Dominus meus in die illo, qui est judex justus: non autem tantum mihi, sed etiam illis qui dilexerunt revelationem ejus.
9 Solicitudo tibi incumbat ut venias ad me citò.
10 Demas enim deseruit me, & dilexit mundum hunc, & profectus est Thessalonicam, Crispus in Galatiam, Titus in Dalmatiam.
11 Lucas solus est mecum. Marcum assume,

[1] Ad verbum, In tempore & fine tempore. Hebr.

[2] F. i. auscultabitur, impersonaliter: & ita sequentia. Hebraismus.

[3] i. Libaminis instar offeror, quod verbū ad Philipp. 2. eodem sensu legitur.

OBtestor te, [a] igitur ego coram Deo & Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos in illustri illo suo adventu & regno suo:
2 Prædica sermonem illum, insta tempestivè, intempestivè; argue, objurga: exhortare cum omni lenitate & doctrina.
3 [b] Nam erit tempus quum sanam doctrinam non tolerabunt: sed auribus prurientes, ipsi sibi secundum suas illas peculiares cupiditates coacervabunt doctores:
4 Et à veritate quidem aures avertent, ad [c] fabulas verò divertent.
5 [d] At tu vigila in omnibus, perfer injurias, opus perage Evangelistæ, [e] ministerii tui plenam fidem facito.
6 [f] Nam ego jam [g] libor & tempus meæ remigrationis instat.
7 Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi.
8 Quod reliquum est, reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.
9 [h] Stude mox ad me venire.
10 Nam Demas me reliquit, [i] amplexus præsens seculum, & profectus est Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.
11 [k] Lucas mecum est solus. Marcum assumtū

[a] 2. Summa & præcipua omnium admonitionum, ac proinde gravissima obtestatione sancita, hæc est, ut sancta etiam quadam cum importunitate proponatur Dei verbum, prout fert necessitas: ita tamen ut solidum doctrinæ fundamentū substernatur, & acrimonia omni sancta lenitate temperetur.
[b] 2. Captandæ jam olim fuerunt, fidis pastoribus omnes occasiones, hominibus mox ad suas fabulas ultro reversuris.
[c] Falsas ac inutiles doctrinas quibus ita nunc fascinatus est mundus, ut veritatis apertam lucem malis modis omnibus extinctam, quàm è tenebris emergere.
[d] 2. Mundi perfidia debet fidos ministros eò magis solicitos reddere. [e] Veris argumentis comproba te germanum esse Dei ministrum. [f] 2. Prædicit proximum suum obitum pulcerrimo invictæ constantiæ & certæ spei exemplo. [g] Pro libamento offeror: alludit autem ad sanguinis, aut etiam vini perfusionem, quæ in sacrificiis usurpabantur. [h] 2. Ultima pars epistolæ gravissimas adversus quosdam querelas, & singularis ubique pietatis, ac indefessi animi exempla præbens. [i] Acquievit in hoc seculo. [k] Colos. 4. 10.

& addu-

adduc

addúc tecum: est enim mihi perutilis ad ministerium.

12 Porrò Tychicum misi Ephesum.

13 Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, adfer quum venies, & libros, maximè membranas.

14 Alexander faber ærarius multa mala mihi exhibuit: reddat ei Dominus secundùm facta ipsius.

15 Quem & tu cave: vehementer enim restitit sermonibus nostris.

16 In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: utinam ne illis imputetur.

17 Sed Dominus mihi adfuit, & corroboravit me: ut per me fieret fides præconii quod audirent omnes Gentes: & ereptus fui ex ore [k] leonis.

18 Et eripiet me Dominus ab [l] omni opere malo, servabitq; [m] regno suo cælesti: cui gloria in secula seculorum. Amen.

19 Saluta Priscam & Aquilam, & [n] Onesiphori familiam.

20 Erastus mansit Corinthi. Trophimum autem reliqui Mileti ægrotantem.

21 Stude venire ante hyemem. Salutat te Eubulus & Pudens & Linus & Claudia, & fratres omnes.

22 Dominus Jesus Christus *sit* cum spiritu tuo. Gratia *sit* vobiscum. Amen.

Scripta est Roma secunda ad Timotheum, qui primus Ephesi ordinatus fuit Episcopus, quum Paulus iterum sisteretur Cæsari Neroni.

k Neronis.
l Purum me servabit, nequid cōmittam indignum Apostolo.
m Ut regni sui participem faciat.
n *Supra* 1.16.

& adducito eum tecum: aptus enim est mihi ad ministerium.

12 Tychicum autem misi Ephesum.

13 [4] Domum scriptorum autem quam reliqui Troade apud Carpum, quum veneris adferto, & libros, & maximè [5] fasciculum voluminum.

14 Alexāder faber ærarius mala multa ostendit mihi: redditurus est illi Dominus noster secundùm opera ipsius.

15 Cave autem tu quoque ab eo: valdè enim [6] sese elevavit contra sermones nostros.

16 In [7] defensione prima nemo fuit mecum, sed omnes deseruerunt me: ne imputetur illis hoc.

17 Dominus autem meus astitit mihi, & roboravit me, ut per me prædicatio expleretur, & audirent Gentes omnes: & ereptus sum ex ore leonis.

18 Ac eripiet me Dominus meus ab omni opere malo, & servabit me in regnum suum quod est in cælis: cui est gloria in secula seculorum. Ammin.

19 [8] Saluta Priscillam & Aquilam, & familiam Onesiphori.

20 Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliqui ægrotum in Mileto urbe.

21 Solicitudo incumbat tibi ut ante hyemem advenias. Salutat te Ebulus, & Pudus, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.

22 Dominus noster Jeschua Christus sit cum spiritu tuo. Gratia sit tecum. Ammin.

Finitur epistola ad Timotheum secunda, quæ fuit scripta è Roma.

4 i. Repositorium scriptorum. Parva erat arca in qua scripta conservabantur.
5 Quum in Græco textu legatur τὰς μεμβράνας, ita vertit Syrus paraphrastes, sensum potiùs quàm voces respiciens; membranis enim utebantur, ut jam nos papyro, ad scribendum: atque ut jam libros paramus, illi non parabant, sed consutas membranas in volumen complicabant, ut facilius ferrentur & conservarentur melius.
6 i. Restitit sermonibus nostris. Hebraismus.
7 i. Syrè, protractione vel protensione spiritus: vide in Rom. 1,20.
8 Ad verb. Da pacem Priscillæ. Hebraismus.

EPISTOLA AD TITUM.

CAPUT I.

5 Docet quales oporteat Ministros eligere, 10 simul ostendit quomodo vaniloquis os obthurare oporteat. 12 Hac occasione perstringit Cretensium mores, 14 ac Judæos, qui in rebus externis sanctitatem locabant.

BEZAE INTERPRET.

1 [a] PAulus [b] servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundùm fidem [c] electorum Dei, [d] & agnitionem veritatis quæ est secundùm pietatem;

2 Ad [e] spem vitæ æternæ quam [f] promiserat Deus ille mentiri nescius, [g] ante [g] tempora seculorum, patefecit autem temporibus suis:

3 [h] *Videlicet* sermonem illum suum per præconium [i] quod concreditum est mihi ex ordinatione [i] servatoris nostri Dei: [k] Tito germano filio in communi fide.

4 [l] Gratia *sit tibi*, misericordia, & pax à Deo Patre, & Domino Jesu Christo servatore nostro.

5 [m] Hujus rei gratia reliqui te in Creta ut reliqua corrigas, & constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinavi.

6 [n] Siquis est inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles, qui non sint obnoxii crimini luxus, aut [n] refractarii.

7 [o] Oportet enim episcopum inculpatum

a. Asserit suum Apostolatum, nō Titi, sed Cretensium causa, tum ex vocationis externæ testimonio, tum ex suo cum omnibus ab initio mundi electis consensu.
b Minister, qua ratione ipse Christus, quatenus fuit minister, & quidem Prophetarum caput, servus dicitur, Esa. 43.10.
c Eorum quos Deus elegit.
d a. Fides in qua omnes electi consentiunt, est vera ac sincera Dei cognitio, huc spectans, ut Deum ritè colentes, vitam æternam tandem secundùm veracis Dei promissionem, ex æterno ipsius proposito suis temporibus in Christo exhibitam, consequamur.

TREM. INTERPRET.

1 PAulus servus Dei & Apostolus Jeschua Christi, juxta fidem electorum Dei, & agnitionis veritatis quæ est in reverentia Dei,

2 [1] De spe vitæ quæ est in æternum, quam promisit Deus verax ante tempora seculi, & patefecit sermonem suum in tempore suo

3 Per prædicationem nostram quæ concredita fuit mihi per mandatum Dei Servatoris nostri, Tito filio vero, juxta fidem [2] communem.

4 Gratia & pax à Deo patre, & à Domino nostro Jeschua Christo Servatore nostro.

5 Propter hoc reliqueram te in Creta, ut ea quæ deessent corrigeres, & constitueres seniores in qualibet civitate, sicut præceperam tibi:

6 Eum qui est irreprehensibilis, & [3] fuit maritus uxoris unius, & sunt illi filii fideles qui non sunt dediti luxuriæ, neque [4] sunt immorigeri præ crapula.

7 Debet enim senior esse irreprehensibilis, tamquam dispensator Dei: neque ducatur per co-

1 F. vel in spem vitæ, &c.
2 Vide quæ de hac voce scripsimus, Act. 2.
3 F. vel & est maritus, &c.
4 Metaphora est sumta à jumentis, quæ quo magis saginantur, eò magis redduntur indomita.

e Spes finis est fidei. f Quam ultro & gratuita liberalitate promisit. g Rom. 16,25. ephes. 3.9. coloss. 1,26. 2. tim. 1,9. 1. pet. 1,20. g Vide 2. Tim. 1,9. h a. Hæc veritas non est alibi quàm in Apostolica prædicatione quærenda. i Gal. 1.1. i σωτῆρα non tantum conservatorem vitæ, sed & datorem significat. k a. Titi commendatione secum consensionem in fide prædicans Apostolus, Cretenses ad illum audiendum excitat, simulq; monet qua potissimum ex re veros ministros à falsis distinguere oporteat. l a. Communis est & eadem salutis ratio pastoribus & gregi. m a. Prima admonitio, ut presbyteri oppidatim constituantur. n 1. Tim. 3.2. n Sic propriè dicuntur equi vel boves, qui jugum subire nolunt. o a. Secunda admonitio, à quibus præsertim vitiis alienos, & quibus præcipuè virtutibus ornatos esse oporteat Pastores, quos etiam Presbyteros vocavit.

esse, gitatio-

gitationem suam ipsius, neque sit iracundus, neque sit [s]sectator vini, cujus manus non sit præceps ad percutiendum, neque sit amans lucrum turpe:

8 Sed sit amans hospites, & sit amans bona, & sit sobrius, & sit justus, & sit benignus, & continens seipsum à concupiscentiis:

9 Et solicitus sit super doctrina sermonis fidei, ut possit etiam consolari per suam doctrinam sanam, & arguere eos qui sunt contentiosi.

10 Sunt enim multi qui sese non submittunt, & vani sunt sermones eorum, & in errorem inducunt mentes filiorum hominis, maximè ii qui sunt ex circumcisione:

11 (Quorum oportebat obthurare os) domos multas destruunt, & docent id quod non oportet, propter lucrum turpe.

12 Dixit quidam ex ipsis propheta ipsorum, Quòd [6]Cretenses omni tempore mendaces sunt, bestiæ malæ, & ventres otiosi.

13 Et verum est testimonium hoc: propter hoc durè increpa illos ut sint sani in fide,

14 Et ne conjiciant se ad fabulas Judæorum, & ad mandata filiorum hominis odio habentium veritatem.

15 Omnis enim res pura puris, iis autem qui sunt inquinati, & non credentes, aliquid quod purum sit, non est: sed est inquinata mens eorum, & conscientia eorum.

16 Et confitentur quòd cognoscant Deum, factis autē suis negant eum: & sunt odiosi, & [7] inobedientes, ac reprobantes omne opus bonum.

[5] Ad verbum, Transiens ad vinum. Vide 1. Tim, 3.

[6] Ad verb. Filii Cretæ, Hebraism.

[7] Ad verb. Sine obedientia. Hebr.

esse, tamquam Dei [p] dispensatorem, [q] non sibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem:

8 Sed hospitalem, bonorum amantem, [r]temperantem, justum, pium, continentem:

9 [f]Tenacem fidelis illius sermonis qui ad doctrinam facit, [t] ut possit & exhortari doctrina sana, & contradicentes convincere.

10 [u]Sunt enim multi refractarii, & vaniloqui, & mentium deceptores, maximè qui sunt [x] ex Circumcisione.

11 Quibus oportet os obthurare: qui totas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

12 Dixit [y] quidam ex ipsis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ feræ, ventres pigri.

13 Testimonium hoc est verum. quam ob causam eos redarguito [z] præcisè, ut sani sint in fide:

14 [f]Non attendentes *animum* Judaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium veritatem.

15 [a][f]Omnia quidem pura puris: pollutis autem & non credentibus nihil est purum, sed polluta est eorum & [b] mens & conscientia.

16 Deum profitentur se scire, sed factis negant, quum sint abominandi, & rebelles, & ad omne opus bonum rejectanei.

[p] Quem Deus suorum donorum dispensatorem constituit.
[q] Non asperis moribus & difficili natura.
[r] Circumspectis & sani judicii, & singulare moderationis exemplar.
[f] B. Tertia admonitio, Pastorē ejus doctrinæ tenacissimum esse oportere, quę ab Apostolis tradita ad salutem facit, curiosis & inanibus omnibus relictis.
[t] B. Quarta admonitio, Verè doctrinæ scientiam ad usum esse applicandam, quі quidem duabus in rebus consistit, nempè in regēdis qui se dociles præbent, & refractariis refutandis.
[u] B. Applicatio thesis ad hypothesin, Cretenses inter cæteros acribus reprehensionibus egere: tum propter animos eorum ad mendacia & pigritiam naturali quodam impetu propensos, tum propter avaros quosdam Judæos, qui pietatis prætextu, partim traditiones quasdam inanes, partim veteres ceremonias cum Evangelio conjungebant. [x] Ex Judæis, vel potiùs ex illis Judæis qui Christum Legi conjungere studebant. [y] Epimenides, qui inter fatidicos habitus est, vide Laërtium & Ciceronem, 1. de Divinatione. [z] Durè ac sine ullis ambagibus. [f] 1. *Tim*. 1. 4. [a] B. Paucis ostendit puritatem non in Legali & externo cultu (veluti delectu ciborum & ablutionibus, & cæteris ejusmodi jam abolitis) sed in mente & conscientia positam esse: & qui secùs doceant, quæ sit reipsa vera religio prorsus nescire, atq; adeò nihil minùs esse quàm quòd videri volunt. [f] *Rom*. 14. 20. [b] Si mens & conscientia impuræ sunt, quid puri restat ante regenerationem?

CAPUT II.

2 *Personarum & ætatum præscribens officia,* 6 *jubet ut de moribus doceat Ecclesiam,* 11 *& à fine redemtionis argumentatur,* 12 *quem dicit esse, studium piè & rectè vivendi.*

TU verò loquere id quod decet doctrinā sanā.

2 Et doce ut sint seniores vigilantes mentibus suis, & sint honesti, & sint puri, & sint sani in fide, & in charitate, & in tolerantia.

3 Et anus quoque similiter, ut sint [1] in modestia quæ conveniat reverentiæ Dei: at ne sint calumniatrices, neque sint obnoxiæ vino multo: & doceant decora,

4 Et honestas reddant eas quæ sunt juvenculæ, ut ament viros suos & filios suos:

5 Et sint honestæ, & sanctæ, & curam habeant decoris familiarum suarum, & subjectæ *sint* viris suis: [2] nequis obloquatur de sermone Dei.

6 Et ab illis qui sunt juvenes, similiter pete ut sint honesti.

7 In qualibet autem re exemplar in te ipso præbe in omnibus operibus bonis: & in doctrina tua sit tibi sermo sanus,

8 Qui sit honestus & incorruptus, neq; quisquam spernat ipsum: ut is qui insurgit adversus nos, erubescat, non inveniens ut dicat adversus nos quicquam odiosi.

9 Servi dominis suis subjiciant sese in quavis re, & prębeant se placentes, nec sint contentiosi:

10 Neq; sint fures, sed ostendant fidelitatem suam bonam in qualibet re: & [3] ornent doctrinam Dei Servatoris nostri.

11 Apparuit enim benignitas Dei servatrix omnium:

[1] Id est, in habitu modesto.

[2] F. Syr. ne vir blasphemet in sermonem Dei.

[3] F. al. ornent in omnibus, vel in re qualibet, hoc autem librarius, quia repetitum, omiserit.

AT [a] tu loquere quę decent sanam doctrinam.

2 [b] Ut senes sobrii sint, venerandi, temperantes, sani fide, charitate, tolerantia.

3 Anus itidem, ut *sint* habitu qui sanctimoniam deceat, non calumniatrices, non vino multo addictæ, honestatis magistræ:

4 Ut sapere doceant adolescentulas, ut sint maritorum ac liberorum amantes,

5 Temperantes, castæ, [c] domi manentes, bonæ, [f]quæ sese subjiciant suis viris: ne sermo Dei blasphemetur.

6 Adolescentulos itidem adhortare ut sint temperantes:

7 [d] Per omnia teipsum præbens exemplar bonorum operum, in doctrina integritatem, [e] gravitatem,

8 Sermonem sanum, qui damnari non possit: ut qui *se* ex adverso *opponit*, erubescat, nihil habens quod de vobis dicat mali.

9 [f][f] Servos *hortare* ut suis dominis sese subjiciant, [g] in omnibus ut sint *eis* accepti, non responsatores:

10 Nihil intervertentes, sed omnem bonam [h]fidem ostendentes, ut doctrinam Servatoris nostri Dei ornent in omnibus.

11 [i][f] Illuxit enim gratia illa Dei salutifera quibusvis hominibus.

[a] B. Quinta admonitio, Non tātùm in genere puram esse doctrinā oportere, sed etiā singulis ætatibus & ordinibus pro circumstantiarum varietate applicari.
[b] B. Quæ sint pręcipuæ senū & juvenum, tum virorum, tum mulierum virtutes, ad quas illos assiduè incitari oporteat.
[c] Quæ huc & illuc non oberrent.
[f] *Eph*. 5. 23.
[d] B. Sexta admonitio, integram esse oportere Pastoris tum vitam tū doctrinam.
[e] Nō quæ homines arceat ab aditu ministri, sed quæ ad omnem reverentiam honestam componat adeuntes.
[f] B. Septima admonitio, de servorū erga dominos officio. [f] *Ephe*. 6. 5. *Col*. 3. 22. 1. *Pet*. 2. 18. [g] Quæ sine Dei offensione præstari possunt. [h] Fides hoc loco pro fidelitate sumitur. [i] B. Octava admonitio ad omnes pios spectans, ut quum Deus ad Evangeliū omnes vocet, & Christus ita nos justificārit ut etiam sanctificārit, omnes veræ pietati & justitiæ incumbamus, certa spe immensæ illius gloriæ proposita: quod quidem ita sit inculcandum, ut etiam contradicentes cum summi Dei auctoritate sint coarguendi. [f] 1. *Cor*. 1. 2, *Col*. 1. 22.

12 Erudiens nos ut abnegata impietate & [k] mundanis cupiditatibus, sapienter & justè & piè vivamus in præsenti seculo:

13 [l] Exspectantes beatam illam spem & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac Servatoris nostri, *nempè* Jesu Christi,

14 Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibiipsi populum [m] peculiarem, studiosum bonorum operum.

15 Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni [n] imperio. nemo te despiciat.

k Cupiditatibus carnis quæ ad præsentes vitæ ac mundi istius rationes referuntur.
l Apertissimè Christus dicitur magnus Deus, & metonymicè spes nostra, ejus advẽtus ἐπιφάνεια.
m Quasi instar peculii reconditum.
n Cum auctoritate summa.

12 Et erudit nos ut abnegemus improbitatẽ & cõcupiscentias mundi, & vivamus in hoc mũdo in sobrietate, & in justitia, & in timore Dei.

13 Exspectantes spem benedictam, & revelationem gloriæ Dei magni & Servatoris nostri Jeschua Christi:

14 Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret nos sibiipsi populum novum, qui studiosè bona opera sectaretur.

15 Hæc loquere, & require, & corrige cum omni imperio: & nemo contemnat te.

CAPUT III.

1 Generaliter nunc vult omnes moneri, ut placidè colant ordinem politicum, 3 & memores sint vitæ pristinæ, 7 ut justificationem communem ex gratia esse existiment. 9 Quòd si quis contentiosius his reclamet, 10 illum jubet omitti.

Suggere [a] ipsis ut sese subjiciant [a] principatibus ac potestatibus, ut obtemperent, ut ad omne opus bonum sint parati:

2 Ne cui maledicant, ut sint à pugnis alieni, æqui, omnem exhibentes lenitatem erga quosvis homines,

3 [b] Nam [a] eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes:

4 Sed postquam bonitas & erga homines amor apparuit servatoris nostri Dei,

5 [a] Non ex operibus [c] justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis, renovationis [d] Spiritus sancti:

6 Quem effudit super nos copiosè per Jesum Christum servatorem nostrum:

7 Ut justificati illius gratia, hæredes efficeremur secundùm spem vitæ æternæ.

8 [a] Certus *est* hic sermo, & hæc volo te asseverare, ut qui crediderunt Deo, curent [f] benè agendo præire.

9 Hæc illa sunt bona, & hominibus utilia: [a] stultas autem quęstiones & genealogias & contentiones ac pugnas legales cohibe: sunt enim inutiles & vanæ.

10 [g] Hæreticum hominem post unam & alteram commonefactionem rejice:

11 Ut qui noris eversum esse eum qui sit ejusmodi, & peccare, ut qui suopte judicio sit condemnatus.

12 [h] Quum misero Arteman ad te, aut Tychicum, stude venire ad me Nicopolin: nam illic decrevi hyemare.

13 Zenam legisperitum & Apollo studiosè deducendum curato, nequid illis desit.

14 Discant autem etiam nostri benè agendo præire ad necessarios usus, ut non sint fructus expertes.

15 Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui diligunt nos in fide. Gratia *Dei sit* cum omnibus vobis. Amen.

Ad Titum, qui primus Cretensium Ecclesiæ ordinatus fuit Episcopus, scripta ex Nicopoli Macedoniæ.

a a. Quod in genere dixerat, jam per partes explicat, præcipua quædam declarãs quæ homines hominibus, ac præsertim subjecti suis magistratibus debeant.
a Rom. 13.1.
b a. Iterum proposito nostrę regenerationis beneficio gratuito (cujus pignus est baptismus noster) superiorẽ exhortationẽ cõfirmat.
a 1. Cor. 6.11.
a 2. Tim. 1.9.
c Ad verb. Ex operibus quæ fiunt in justitia: porrò hic locus abundè refutat meritorũ doctrinam.
d Quam præstat & efficit vis Spiritus Sancti.
e a. Iterum quoque magis cum asseveratione inculcat solidę pietati esse incumbendum, vitatis omnibus vanis, & ad solas excitandas rixas utilibus quęstionibus.
f Bonis operibus sedulò vacate.
a 1. Tim. 1.4. & 4.7.
2. Tim. 2.23.
g a. Hæretici (id est qui Ecclesiasticis admonitionibus insanabiles, præfractè & factiosè perturbant Ecclesiæ pacem) semel sunt Verbi ministris omittendi.
h a. Ultimo loco, quædam de rebus privatis scribit, quosdam etiam commendans.

COmmonefacito quoque illos, ut principibus & potestate pręditis auscultent, & subditi sint, ut sint parati ad omne opus bonum:

2 Et ne de quoquam obloquantur, neq; sint cõtentiosi, sed sint placidi, & in qualibet re ostendãt benignitatẽ suam erga omnes filios hominis.

3 Nam nos quoque antè amentes fuimus, & inobedients, & errantes fuimus, atque subjecti fuimus concupiscentiis variis, & in malitia, & in invidia versabamur, & odiosi eramus, etiam unus alium odio prosequebamur.

4 Quum autem revelata est benignitas & misericordia Dei servatoris nostri,

5 Non propter opera justitię quę fecerimus, sed per misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum [1] regenerationis, per renovationem Spiritus sancti:

6 Quem effudit super nos copiosè per Jeschua Christum Servatorem nostrum.

7 Ut per ejus gratiam justificemur, & simus [2] hæredes in spe vitæ quæ est in æternum.

8 Fidelis est sermo, & in his volo ut ita quoque confirmes eos, ut solliciti sint ad faciendum opera bona ii qui crediderunt in Deum: hæc sunt quæ bona sunt & utilia filiis hominis.

9 A quæstionibus autem stultis, & à genealogiis, & à contentionibus, & [3] à certaminibus librorum te subducito: utilitas enim non est in eis, & vana sunt.

10 A viro hæretico, [4] post unum tempus & alterum quo correxeris eum, te subducito:

11 Et scias quòd qui hujusmodi est, perversus est & peccator, & ipse condemnat seipsum.

12 Quum misero ad te Arteman aut Tychicum, cura ut venias ad me Nicopolin: illic enim [5] constitui hyemare.

13 Zenam autem legisperitum & Apollo da operam ut deducas eos benè, nequid desit eis:

14 Et discant etiam ii qui nostri sunt, ut faciant bona opera in rebus quæ necessariæ sunt, ut non sint infrugiferi.

15 Salutant te omnes qui mecum sunt. Saluta omnes qui diligunt nos in fide. Gratia cum omnibus vobis. Ammin.

Finitur epistola ad Titum, quæ scripta fuit è Nicopoli [6].

1 Ad verb. Generationis quæ fit denuò, Hebrais.
2 F. vel hæredes vitæ æternæ in spe.
3 F. al. à certaminibus Legisperitorum Scribarũq;: nempè Judæorum Legi confidentium: minimè malè.
4 Id est, Postquã semel atque iterum correxeris eum. Hebraismus.
5 Ad verb. Posui in mente mea, Hebraismus.
6 F. al addunt, & missa fuit per manum Zinæ & Apollo.

EPISTOLA AD PHILEMONEM.

1 Paulus argumentum humile hic tractans, suo tamen more sublimis ad Deum evehitur. 8 Fugitivum servum & furē Philemoni remittens, pro illo deprecatur veniam & graviter de æquitate Christiana concionatur.

TREM. INTERPRET.

PAULUS vinctus Jeschua Christi, & Timotheus frater, Philemoni dilecto cooperatori nostro,
2 Et Apphiæ dilectæ nostræ, & Archippo cooperatori nostro, & Ecclesiæ quæ est domi tuæ,
3 Gratia vobiscum & pax à Deo Patre nostro, & à Domino nostro Jeschua Christo.
4 Gratias ago Deo meo omni tempore, & memor sum tui in precibus meis,
5 [1] Inde ex quo audivi fidem tuam & charitatem quæ est tibi erga Dominum nostrum Jeschua & erga omnes sanctos:
6 Ut sit communicatio fidei tuæ reddens fructus in operibus, & in cognitione omnium bonorum quæ sunt vobis in Jeschua Christo.
7 Gaudium enim magnum est nobis & consolatio, quòd [2] per charitatem tuam refocillata sunt viscera sanctorum,
8 Propter hoc fiducia multa est mihi in Christo, ut præcipiam ea tibi quæ sunt justa.
9 Propter charitatem autem [3] petendo peto abs te ego Paulus qui sum senex, sicuti nosti, nunc autem etiam vinctus Jeschua Christi,
10 Peto *inquam* abs te, pro filio meo quem in vinculis genui, Onesimo:
11 In quo [4] quondam tibi non erat utilitas, nunc autem & tibi & mihi valdè est utilis: & misi eum ad te.
12 Tu autem tamquam filium meum ita excipe eum.
13 Volebam enim apud me retinere eum, ut esset ministrans mihi pro te in vinculis Evangelii:
14 Absq; consilio autem tuo nolui quicquam facere, ne tamquam per coactionem esset beneficium tuum, sed per voluntatem tuam.
15 Jam autem etiam propter hoc secessit ad tempus, ut in perpetuum eum retineas.
16 Non posthac tamquā servum, sed excellētiorē servo, fratrem *videlicet* dilectum meū: quanto magis [5] tibi, & in carne & in domino nostro?
17 Si igitur es mihi consors, recipe eum tamquam meum.
18 Quòd si quid detrimenti intulit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.
19 Ego Paulus scripsi manibus meis, ego rependam: ut non dicam tibi quòd etiam teipsum mihi debeas.
20 Etiam frater mi, ego refocillabor per te in domino nostro: refocilla viscera mea in Christo.
21 Quia confido quòd ausculaturus sis mihi, scripsi tibi: & scio quòd plus quàm dico tibi, facturus sis.
22 Simul autem etiam mihi præpara diversorium: spero enim quòd per precationes vestras donabor vobis.
23 Salutat te Epaphras concaptivus meus in Jeschua Christo:
24 Et Marcus, & Aristarchus, & Demas, & Lucas adjutores mihi.
25 Gratia Domini nostri Jeschua Christi cum spiritu vestro, fratres mei. Ammin.
Finitur Epistola ad Philemonem, quæ scripta fuit è Roma [6].

[1] Ad verb. Ecce.

[2] Ad verb. Per manum charitatis tuæ. Hebraismus.

[3] i. Magnoperè peto.

[4] Ad verb. In aliquo tempore.

[5] v. supple dilectum: sic versu sequente, tamquam consortem meum. Sic enim Syra verba postulant.

[6] v. al. addunt, & missa fuit per manus Onesimi.

BEZAE INTERPRET.

PAULUS captivus Christi Jesu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adjutori nostro,
2 Et Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ quæ domi tuæ est:
3 Gratia *sit* vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.
4 [I] Gratias ago Deo meo, semper mentionem tui faciens in precibus meis,
5 Quòd audiam tuam charitatem, ac fidem quam habes erga Dominum Jesum & erga omnes sanctos:
6 Ut [a] communicatio fidei tuæ efficax fiat,
[b] agnitione omnis ejus boni quod est in vobis per Christum Jesum.
7 Gaudium enim habemus multum, & consolationem super dilectione tua, [c] quòd viscera sanctorum refocillata sunt per te, frater.
8 Quapropter quamvis multam in Christo libertatē habeā mandandi tibi quod officii tui est:
9 [d] *Tamen* propter charitatem potius precor, quum talis sim, nempè Paulus senex, nunc autem etiam captivus Jesu Christi.
10 [II] Precor autem pro filio meo quem genui in vinculis meis, Onesimo:
11 Quondam tibi inutili, nunc verò tibi & mihi perutili.
12 Quem remisi: tu autem eum, id est [e] viscera mea excipe.
13 Quem ego cupiebam apud me retinere, ut pro te ministraret mihi in vinculis Evangelii:
14 Sed absq; tua sententia nihil volui facere,
[f] ut non velut ex necessitate sit beneficium tuum, sed voluntarium.
15 Utique enim propterea [g] semotus fuit *abs te* [h] ad tempus, ut eum *à me* perpetuum recipias:
16 Non jam ut servum, sed ampliùs quàm servum, fratrem *videlicet* dilectum, maximè mihi, quantò autem magis tibi & [i] in carne & in Domino?
17 Itaque si me socium habes, excipe eum tamquam me.
18 Quòd si quid læsit te, aut debet, hoc mihi imputato.
19 Ego Paulus scripsi mea manu, ego dependam: ut ne dicam tibi quòd teipsum etiam mihi insuper debeas.
20 [k] Etiam, frater, *hunc* ego fructum abs te consequar in Domino: refocilla mea viscera in Domino.
21 Scripsi tibi, confisus fore ut tu *me* audias, ut qui norim te supra id etiam quod dico facturum esse.
22 Simul autem etiam para mihi hospitiū: spero enim me per preces vestras donatum iri vobis.
23 Salutant te, Epaphras, (meus in captivitate propter Christum Jesum socius)
24 Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adjutores mei.
25 Gratia Domini nostri Jesu Christi *sit* cum spiritu vestro. Amen.
Ad Philemonem missa fuit Roma per Onesimum servum,

[I] 1. Thess. 1.2. 2. Thess. 1.3. Ephe. 1.15. Coloss. 1.4.

[a] Communicationem fidei vocat officia benignitatis in sanctos, promanantia ex fide efficaci.

[b] Ut hac ratione omnes experiantur, quam divites sitis in Christo, nempè fide, charitate, & omni beneficentia.

[c] Quòd ita officiosè & promptè refocillaris sanctos, ut incredibili quadam voluptate sint intùs perfusi, viscerum enim nomine, nō solùm intimas necessitates, sed & cōsolationē ad ipsa usq; penetralia descendentem declarat, quasi cor ipsum sit refectū ac recreatum.

[d] 2. Christianæ pro alio excusationis & commendationis exemplum.

[II] Coloss. 4.9.

[e] Ut filium meū quem genui.

[f] Ut non coactus, sed spontè hanc servi tui operam nobis cōmodaris.

[g] Emollit fugæ nomen.

[h] Ad temporis momentum.

[i] Quia mancipium tuum est, cæterorum servorū more, & quia Domini servus est, ut illum & tuo & Domini nomine tibi charum esse oporteat.

[k] Certè frater, sine ut hoc beneficium à te consequar.

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Scopus & summa hujus epistolæ est, Jesum Christum Filium Dei, Deum simul & hominem, esse verum illum æternum & unicum Prophetam, regem ac pontificē, figuris Legis adumbratū, & nunc reipsa exhibitum: à quo doceri, regi, ac sanctificari totam Ecclesiā oporteat.

CAPUT I.

1 *Ut ostendat doctrinam à Christo allatam primas tenere, quia sit omnium Prophetarum clausula:* 4 *nominatim illum supra Angelos effert:* 10 *& variis Scripturæ testimoniis, longè omnibus præcellere probat.*

BEZAE INTERPRET.

MULTIS [a] vicibus multisq; modis olim Deus loquutus Patribus in Prophetis, [b] ultimis diebus hisce loquutus est nobis in [c] Filio,
2 [d] Quem constituit [e] hæredem omnium, per quē etiam [f] mundum condidit.
3 [g] Qui quum sit [g] effulgentia gloriæ, & character personæ [h] illius, [i] sustineatq; omnia verbo illo suo potente, [k] purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, [l] sedit ad dextram majestatis illius in *locis* excelsissimis.
4 [m] Tanto præstantior factus Angelis, quanto excellentius præ illis sortitus est [n] nomen.
5 [b] Nam cui dixit unquam Angelorum, [n] Filius meus es tu, ego [o] hodiè genui te? [c] Ac rursum, [p] Ego ero ei pater, & ipse erit mihi filius?
6 [p] [d] Rursum autem quum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, [q] Et adorent eum omnes Angeli Dei.
7 [e] Et de Angelis quidem dicit, [r] Qui Angelos suos facit [q] ventos, & ministros suos, [r] ignis flammam.
8 Ad Filium autem, [s] [f] Thronus tuus, Deus, [t] in seculum seculi: [u] virga recta, virga regni tui.
9 Dilexisti justitiam, & [x] odisti iniquitatem: propterea [y] unxit te ô Deus, Deus tuus oleo exsultationis, ultrà [z] consortes tuos.
10 [f] Et, [t] Tu in initio Domine [a] terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli:
11 Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes ut vestimentum veterascent.
12 Ac velut amictum circumvolves eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.
13 [g] Ad quem autem Angelorum dixit unquam, [a] Sede ad dextram meam, usquedum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum?
14 Nonne omnes sunt [b] ministratores Spiritus, qui ministerii causa emittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis?

[a] B. Generalis propositionis hujus epistolæ pars prima, Filium Dei eum demùm esse Prophetam, sive Doctorem qui quod Deus per Prophetas aliquatenus & propositis umbris significatæ reipsa præstitit, & Patris voluntatem mundo plenè patefecit.
[b] Ergo nec plena fuit superior illa per Prophetas declaratio, nec ad hanc postremam quicquam adjiciendum.
[c] Qui Deus & homo est unus Filius.
[d] B. Altera pars ejusdem propositionis, Eumdem Filium esse nostrum Regem ac Dominum à Patre designatum, per quem etiam omnia condidit, & in quo uno gloriam suam atque adeò seipsum contemplandum proponat, quiq; omnia suo nutu sustineat.
[e] Possessorem & ex æquo consortem omnium cum Patre.
[f] Ad verbum, secula, id est, quicquid unquam exstitit, exstat, aut exstabit.
[g] *Coloss.* 1.15. *Sap.* 7.26.
[g] Is in quo resplendet gloria illa ac majestas Patris, alioquin infiniti & inconspicui. [h] Patris. [i] Sustentet, tueatur, & alat. [k] B. Tertia pars ejusdem propositionis, Eumdem Filium sacerdotis partibus seipso oblato defunctum, esse unicum & potentissimum nostrum in cælis mediatorem. [l] Hoc indicat non modò gratissimum Patri, sed etiam perennem esse illius sacrificii odorem, tum verò quanto præstet is Pontifex aliis Pontificibus. [m] B. Antequam ad officii explicationem accedat, personæ dignitatem exponit, ac primùm quidem sic hominem esse docet, ut simul sit etiam Deus. [n] Dignitatem ac præstantiam. [n] *Psal.* 2.7. *Infr.* 5.5. [o] Filius à Patre ab æterno genitus est, sed æterna illa generatio, suo tempore mundo repræsentata fuit, ideò addidit *hodiè*. [c] 2. *Sam.* 7.14. 1. *Par.* 22.10. [p] Rursus autem Dominus non contentus semel dixisse, idem alibi repetit. [q] *Psal.* 97.7. [r] *Psal.* 104.5. [q] Cherub. Psal. 18.11. [r] Seraph. Esa. 6.2. [s] *Psal.* 45.7. [f] Thronus propriè Principi tribui solet, non servo. [t] In æternum. hæc enim repetitio in immensum auget. [u] Administratio regni tui recta. [x] Repetitio Hebraica per antithesin, in qua maximum inest pondus. [y] Quatenus verbum caro factum est, effuso in eum Spiritu sine mensura. [z] Ille etenim caput, nos membra hujus sumus. [t] *Psal.* 102.26. [a] Terram firmam ac stabilem creâsti. [b, c, d, e, f, g] His sex expressis testimoniis argumentum divinitatis Christi in carne manifestatæ confirmatum, ex quibus liquet eum supra omnes Angelos eminere, & ita quidem ut filius & Deus appelletur. [a] *Psal.* 110.1. 1. *Cor.* 15.25. *Infr.* 10.12. [b] Ministratores vocat quos vulgò solemus Principum apparitores vocare.

TREM. INTERPRET.

1 MULTIFARIAM & omnibus formis loquutus est Deus cum Patribus per Prophetas ab initio, [2] & hisce diebus ultimis loquutus est nobiscum per Filium suum.
2 Quem [3] posuit hæredem omnium, & per eum fecit secula.
3 Qui *Filius* est [4] splendor gloriæ ejus, & imago [5] essentiæ ejus: & sustinet omnia virtute verbi sui, ipseq; per seipsum fecit purgationem peccatorum, & sedet ad dexteram majestatis in excelsis.
4 Et [6] tanto potior factus est Angelis, quanto excellentius est nomen quod hæreditariò obtinuit, quàm illorum.
5 Cui enim ex Angelis unquam dixit Deus, Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Ac rursum, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in Filium?
6 Rursum autem quum inducit primogenitum in mundum, dicit, Eum adorent omnes Angeli Dei.
7 De Angelis autem ita loquitur, Qui facit Angelos suos spiritum, & ministros suos ignem ardentem:
8 De Filio verò dicit, Solium tuum, Deus, in seculum seculorum: virga recta, virga regni tui.
9 Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: idcircò unxit te Deus, Deus *inquam* tuus, oleo lætitiæ, plusquam consortes tuos.
10 Et iterum, Tu à principio posuisti fundamēta terræ, & cæli opus manuum tuarum sunt:
11 Ipsi transituri sunt, & tu stabilis es, & omnes tamquam vestimenta veterascent:
12 Et sicut operimentum complicabis eos. Ipsi autem mutabuntur: tu autem sicut es, *eris*, & anni tui non deficient.
13 Ad quem autem ex Angelis unquam dixit, Sede à dextera mea, donec posuero inimicos tuos scabellum sub pedibus tuis?
14 Nonne omnes sunt spiritus [7] ministerii, qui mittuntur in ministerium, propter eos qui hæreditatem consequuturi sunt [8] salutis?

[1] Ad verb. Omnibus partibus & omnibus formis. Ex altero autem membro comparationis satis intelligitur quid sibi velit Paraphrastes: nempè variis ac diversis, peneq; innumeris modis ab initio loquutum fuisse Deum cum Patribus, novissimè autem per Filium, ut nulla aut certior aut clarior obsignatio, aut perfectior ampliùs requiri aut optari possit. Porrò sciunt omnes qui Hebræa attigerunt, particulam universalem non semper præcisè sumi, ut Genes. 16.12. & 41. V. ultimo, & Exo. 8.15. & 1. Cor. 6.12. &c.
[2] Pro At adversativa. Hebraismus tritus.
[3] Id est, constituit.
[4] זהורא Syris declarat propriè splendorem exorientis solis. Videtur autem à Paraphraste exquisitum, ut innuat hunc Filium qui splendor dicitur, simul cū Deo fuisse, & coæternum esse cum Patre. In summa, æternam æterni Filii generationem hac metaphora voluit illustrare.
[5] F. vel potiùs subsistentiæ, ὑποστάσεως, personæ ejus: nam essentiam Syri appellant אית. [6] Ad verbum, Hoc toto potior factus est Angelis, secundùm quod, &c. [7] F. id est, ministratorii, Hebraica & Syra Phrasi. [8] Syrè, vitæ.

CAPUT II.

1 *Inde infert, Christi doctrinæ solidam audientiam deberi,* 9 *& eum nobis fratris loco in carne nostra proponit, ut libentiùs nos totos illi tradamus.*

PRopterea debitores sumus ut abundantiùs simus [1] cauti in eo quòd audivimus, ne decidamus.

2 Si enim sermo qui dictus fuit [2] per Angelos confirmatus est: & omnis qui audivit eum, & transgressus est eum, recepit retributionem in justitia,

3 Quomodo nos effugiemus, si contemserimus hæc quæ sunt ipsa [3] salus nostra? quæ cœperunt à Domino nostro dici, & ab illis qui ab eo audiverunt, in nos confirmata sunt?

4 Quum testimonium redderet de illis Deus per signa & per prodigia, & per virtutes varias, & per [4] divisiones Spiritus sancti, quæ collata sunt secundùm voluntatem ejus.

5 Nequaquam enim Angelis subjecit seculum futurum, de quo loquimur.

6 Sed sicut testatur Scriptura, & dicit, Quid est homo quòd memor es ejus, & filius hominis quòd visitas eum?

7 Depressisti eum paululùm præ Angelis: gloriam & honorem posuisti in capite ejus, & potestatem tribuisti ei in opus manuum tuarum:

8 Et omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo autem quòd omnia subjecit ei, non omisit quicquam quod non sit subjectum. Nunc autem nequaquam hactenus videmus quòd omnia subjecta sint illi.

9 Eum autē quem paululùm depressit præ Angelis, videmus (qui est Jeschua) propter passionem mortis suæ, *quòd* & gloria & honor positus est in capite ejus. [5] Ipse enim, excepto Deo, [6] per beneficentiam suam pro quovis homine gustavit mortem.

10 Decebat enim eum [7] per quem omnia, & propter quem omnia, & *qui* filios multos adduxit in gloriam suam, ut principem salutis illorum per passiones perficeret.

11 Qui enim sanctificavit, & qui sanctificati sunt, ex uno sunt omnes. Propterea [8] non erubescit ut vocet ipsos fratres suos,

12 Quum dicit, Annunciabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Ecclesiæ celebrabo te.

13 Et rursum, Ego ero confidens in eum. Et

PRopterea [a] oportet nos eò magis attendere iis quæ [b] audivimus, nequando [c] perfluamus.

2 Etenim si per Angelos dictus [d] sermo, fuit firmus, omnisq; transgressio & contumacia justam mercedis retributionem retulit,

3 Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? [e] quæ quum primùm enarrari cœperit per ipsum Dominum, ab [f] iis qui ipsum audierant, fuit nobis confirmata:

4 Testimonium illis præbente Deo & [g] signis & prodigiis, variisq; virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus pro sua voluntate.

5 [h] Non enim Angelis subjecit [i] mundum illum futurum, de quo loquimur.

6 [k] Testatus est autem quidam alicubi, dicens, [l] Quid est homo, ut memor sis ejus: aut [m] filius hominis, ut eum respicias?

7 [n] Fecisti eum paulisper inferiorem Angelis: [o] gloria & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

8 [p] Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Enimverò per hoc quod ei subjecit omnia, nihil omisit quod non sit ei subjectum. [p] At nunc nondum videmus ei omnia esse subjecta.

9 [q] Sed Jesum illum [r] cernimus gloria & honore coronatum, qui [s] [f] paulisper fuit inferior Angelis factus, [t] propter [u] mortis perpessionem: ut beneficio Dei [x] pro omnibus [y] mortem gustaret.

10 [z] Decebat enim [a] ut [b] ipse propter quem sunt hæc omnia, & per quem sunt hæc omnia, multos filios in gloriam adducendo, [c] [d] principem salutis ipsorum per afflictiones consecraret.

11 [e] Nam & qui [f] sanctificat, & qui sanctificantur, [g] ex uno sunt omnes. Quam ob causam non erubescit eos vocare fratres,

12 [h] Dicens, [i] Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ tibi hymnos canam.

13 [i] Et rursus, [l] Ego [k] fretus ero ipso. Et

[1] F. vel observantes, attendentes.
[2] Ad verbum, Per manum Angelorum, id est, Ministerio Angelorum.
[3] Syrè, vita nostra.
[4] Hebraismus, id est, Divisa & diversa inter se dona Spiritus.
[5] Deerat in impresso Syro Testamento סטר כן, id est, Excepto, quod ex codice manuscripto antiquissimo illustrissimi Principis Electoris Palatini restitui: ita ut sit sensus, Ipse enim, excepto Deo, (hoc est Deitate sua excepta) pro omni homine gustavit mortem. Notum autem est, Gustare mortem, ex Hebraismo dici pro mori. Eodem sensu 11. ad Hebræos illud in hoc ipso paraphraste dicitur de Chanoch, quòd non gustaverit mortem. quod intelligendum est ea ratione qua communiter homines eam gustare solent. Fuit enim singularis quædam immutatio potiùs quā mors, de qua Paulus 1. Cor. 15. F, alii tamen legunt, & meliùs (arbitror,) Ipse enim Deus per gratiam suam pro quovis homine gustavit mortem. Sic autem Græca loquutio exponitur ex usitata Hebræorum phrasi, qui antecedens ita solent collocare, ut & relativi sui fungatur vicem. sic Genesis *9.6.* Ita sublata est *ἀμφιλογία*, quam sequente adnotatione Tremellius noster observavit. [6] In voce Syra בטיבותה affixum pronomen ambiguum est, ut possit verti Per beneficentiam ejus, videlicet Patris. vel, Per beneficentiam suam: ut ipsum Christum referat. [7] Ad verbum, Per manum cujus omnia. Hebraismus. [8] Syriacè, Pro, non erubescet vocare.

[a] B. Jam velut respirans, & quorsum tendant hæc omnia ostendens, huc videlicet ut ex proportione Christi supra omnes creaturas intelligatur perfectissima esse ejus doctrinæ majestas ac sacerdotium, exhortationem adhibet à comparatis sumtam.
[b] Seipsum auditorem constituit.
[c] Perfluere dicitur, qui sermonem auditum non continet.
[d] Lex quæ transgressoribus pœnas præscripsit: eam autem datam fuisse per Angelos dicit Paulus, Galat. 3.19. & Stephanus, Act. 7.54.
[e] *Marc.* 16.20.
[e] B. Si Angelorum sermonem non licuit impunè transgredi, multò minùs fas erit Evangelium à Domino Angelorum annunciatum, Apostolorum voce confirmatum, tótque cælestibus prodigiis, in primis autem tanta sancti Spiritus efficacia comprobatum, negligere.
[f] Apostolis.
[g] Miraculorum verus finis. Signa autem ea dicuntur, quia aliud repræsentant quàm quod cernitur. Prodigia, quòd novum & insolitum aliquid exhibeant. Virtutes, quòd Divinæ virtutis specimen edant. [h] B. Si Angelos qui servi sunt nefas fuit aspernari, multò magis potentissimum illum Regem mundi instaurati. [i] Futurum seculum, cujus Pater est Christus, Esa. *9.6.* vel Ecclesiam quæ velut novus mundus erat Evangelio colligenda. [k] B. Usum istius regiæ dignitatis declarat in eo positum esse, ut homines non modò amissam suam dignitatem recipiant in Christo, sed etiam in eo supra omnia evehantur, quam hominum præstantiam David excellentissimè describit. [l] *Psal.* 8.5. [l] Quid tandem est in homine cur tantam ipsius curam habeas & tanto honore sis eum dignatus? [m] Hominem & filium hominis vocat omnes cælestis illius regni cives quales sunt in sese, antequam Dominus eos jure illius civitatis donet in Christo. [n] Hæc prima est futuri mundi civium dignitas, quòd proximè ad Angelos accedunt. [o] In summo enim honoris gradu eminebunt, quum regni erunt participes. Loquitur autem de re futura in præsenti, quia certa est. [p] 1. *Cor.* 15.27. [p] B. Objectio, Atqui ubi est tanta ista damnatio? [q] B. Responsio, jam hoc impletum est in nostro illo capite Jesu, qui ad tempus nostri causa infrà Angelos subsidit, homo factus: nunc autem in summam gloriam est evectus. [r] Nimirùm ex ipsius virtute in Ecclesia manifestissimè apparente. [s] *Phil.* 2.9. [f] Qui ad tempus se exinanivit, forma servi accepta. [t] B. Causam hujus subsidentiæ declarat, nempè ut nostra causa mortem gustaret, ac proinde expiatoris partes obiens, noster non tantùm Propheta & Rex, sed etiam Sacerdos esset. [u] Ut mori posset. [x] B. Hic posita est vis argumenti. Neque enim eum ipso tandem glorificaremur, nisi pro nobis (& quidem omnibus credentibus) exinanitus fuisset. Atq; hac occasione Apostolus ad alteram partem explicationis personæ Christi accedit, in qua sic Deum esse probat ut sit etiam homo. [y] Mortem sentiret. [z] B. Cur Filium Dei, verum illum Deum (ut paulò antè probavit) nihilominus decuerit hominem fieri omnibus miseriis (excepto peccato) obnoxium, aliis prætereà argumentis probat. [a] B. Primùm, Quia Pater, ad cujus gloriam tendunt hæc omnia, multos filios decrevit ad gloriam adducere. Quomodò autem homines haberet filios nisi unicus ejus Filius factus esset hominum frater? [b] Deus. [c] B. Secundò, Pater constituit illos filios ad gloriam adducere, nempe ex ignominia in qua anteà jacebant. Filius ergo non videretur planè homo factus, nisi aliis similis esset factus ut eo ipso itinere perveniret ad gloriam quo alios adduceret. Imò illum principem salutis reliquorum, præ cæteris decuit illis afflictionibus consecrari Prophetam, Regem, ac sacerdotem, ad reliquorum salutem, quæ sunt istius principatus partes. [d] Antesignanum, & qui sicut est primus dignitate, ita est primogenitus ex mortuis inter multos fratres. [e] B. Firmamentum utriusque superioris argumenti. Neque enim essemus filii in eo, neque afflictionibus consecrari potuisset, nisi homo nostri similis factus esset. Sed quoniam hæc filiatio à sola natura non pendet, quia non censetur Dei Filius nisi qui præterquam quòd homo est, etiam frater est Christi, (quòd fit sanctificatione, id est, coalitione per fidem cum Christo nos sanctificante) ideò facit Apostolus mentionem sanctificantis (nempè Christi) & sanctificatorum (nempè omnium fidelium) quos propterea Christus dignatur fratrum nomine. [f] Præsenti tempore utitur, ut ostendat nos adhuc in hujus sanctificationis progressu versari. Sanctificationis autem nomine intelligit separationem, purificationem, & consecrationem. [g] Ejusdem naturæ, scilicet humanæ. [h] B. Quod de incarnatione sanctificatoris docuit, applicat prophetico muneri. [i] *Psal.* 22.23. [i] B. Idem applicat regiæ Christi potentiæ asserendis suis ab imperio diaboli & mortis. [l] *Psal.* 18.3. [k] Recipiam me in ejus fidem & præsidium.

iterum, [k] [l] Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus.

14 Quoniam igitur pueri [m] particeps sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorumdem, [n] ut per mortem aboleret eum [o] qui mortis imperium habet, hoc est [o] diabolum:

15 Et liberos redderet quotquot metu [p] mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti.

16 [q] Non enim utique [r] Angelos assumsit, [s] sed semen Abrahami assumsit.

17 [t] Unde debuit [u] per omnia fratribus similis fieri, ut [x] misericors esset & [y] fidelis pontifex in iis quæ apud Deum *agenda forent*, ad expiandum peccata populi.

18 Nam ex eo quod perpessus fuit quum [z] tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere.

rursum, Ecce ego & filios quos dedidisti mihi, Deus.

14 Quia enim filii communicant in carne & sanguine, etiam ipse eodem modo [9] communicavit in iisdem, ut per mortem suam aboleret eum qui tenebat mortis imperium, qui est Satanah:

15 Et solveret eos qui metu mortis per omnem vitam suam obnoxii erant servituti.

16 Nequaquam enim ex Angelis assumsit, sed ex semine Abraham assumsit.

17 Propter hoc, justum erat ut in omni re similis fieret fratribus suis, ut esset misericors, & [10] princeps Pontificum, fidelis in iis quæ sunt Dei: & esset expians peccata populi.

18 In eo enim quòd ipse passus est & tentatus est, potest auxiliari iis qui tentantur.

[k] *Esa.8.18.*
[l] Hæc de se & discipulis suis dicit Esaias, sed omnes ministros adumbrans, ut illius discipuli vicissim Ecclesiam totam designant. Quum igitur Prophetarum ac Ministrorum caput sit Christus, meliore etiam jure hæc illi tribuuntur, quàm ipsi Esaiæ.
[m] Constant carne & sanguine, fragili videlicet & caduca natura.
[n] *Ose.13.14. 1.Cor.15.55.*
[o] Diabolus dicitur mortis imperium habere, quia auctor est peccati: à peccato autem mors, atq; adeò nos quotidiè ad peccandum solicitat. [o] De uno loquitur, tamquam de uno principe, cui tacitè adjunguntur reliqui ipsius Angeli. [p] Mortem intellige cum ira Dei conjunctam qualem extra Christum necesse est esse: ea autem nihil potest fingi miserius. [q] B. Explicat vocabula illa carnis & sanguinis, verè hominem esse Christum ostendens, idq; non divinæ suæ naturæ conversione, sed humanæ assumtione, Nominat autem Abrahamum, respiciens ad promissiones de hac re Abrahamo factas. [r] Angelicam naturam. [s] Sed veram hominis naturam. [t] B. Idem etiam applicat sacerdotio, ad quod non fuisset idoneus, nisi homo factus esset, & quidem per omnia nobis (excepto tamen peccato) similis. [u] Non solùm quod ad naturam, sed etiam quod ad qualitates attinet. [x] Qui nostrarum ærumnarum vero sensu tangeretur. [y] Syncerè munus suum peragens. [z] Quum exploraretur, & ad malum à Diabolo solicitaretur.

[9] Syrus textus verbũ habuit plurale אשתותפו, Sed adeò certum est librariorũ errore pro singulari אשתותף fuisse positum, ut veritus non sim ipsum restituere: atq; ita habebat manuscriptus codex Heidelbergensis.
[10] Nomen Hebræũ כמר, usurpat in bonam partem in tota hac epistola, quãvis malè sonet passim in Scriptura.

CAPUT III.

1 *Nunc ostendit quanto inferior sit Moses Christo:* 5. 6 *nempè quantum distat servus à Domino.* 7 *Indè exhortationes minasq; admiscet ex Davidis testimonio,* 8 *siquis vel contumaciter repugnet,* 12 *vel ad obsequendum sit tardior.*

UNde, [a] fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate [b] Apostolum & Pontificem [c] professionis nostræ Christum Jesum:

2 [d] [e] Fidelem ei qui ipsum [e] constituit: [f] ut & Moses *fidelis fuit* in tota domo ipsius.

3 [g] *Tanto* namque ampliore gloria præ Mose hîc dignus est habitus, quanto majorem habet honorem is qui construxit domum quàm domus ipsa.

4 Omnis enim domus construitur ab aliquo: qui verò condidit hæc omnia, *est* Deus.

5 [h] Et Moses quidem fidus *fuit* in tota domo ipsius, ut famulus, ad testificanda quæ pòst erant dicenda:

6 At Christus ut filius domui suæ præest: [i] [k] cujus domus sumus nos, si modò [l] fiduciam & spem illam de qua gloriamur, ad finem usque firmam retinuerimus.

7 Quapropter sicut dicit spiritus ille sanctus, [g] Hodiè si vocem ejus [m] audiveritis,

8 Ne obdurate corda vestra, sicut [n] in exacerbatione, in die tentationis illius in deserto:

9 Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, & viderunt opera mea per annos quadraginta.

10 Quapropter infensus fui nationi isti: & dixi, Semper [o] errant corde, neque cognoverunt vias meas.

11 Itaque juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.

12 [p] Videte, fratres, nequando sit in ullo vestrûm cor malum non credens, deficiendo à Deo vivo:

PRoindè, fratres mei sancti, qui vocati fuistis vocatione quæ est è cælo, considerate hunc legatum & principem Pontificum [1] professionis nostræ, Jeschua Christum:

2 Quòd fidelis sit ei qui [2] fecit ipsum, sicut Musche in tota domo illius *fidelis fuit*.

3 *At verò* amplior est gloria hujus multò quàm Musche, sicut amplior est honor ædificantis domum multo quàm ædificii ipsius *domus*.

4 Omnis enim domus ab homine ædificatur: is autem qui ædificat omnia, Deus est.

5 Et Musche, tamquam servus, fideliter se gessit in domo tota, in testimonium illorum quę dicenda erant [3] per ipsum:

6 Christus verò *præest* tamquam filius super domum suam: [4] & domus ejus nos sumus, si usq; in finem retinuerimus [5] fiduciam & gloriationem [6] spei ejus.

7 Quia dixit Spiritus sanctus, Hodiè si vocem ejus audieritis,

8 Ne obduretis corda vestra ad exacerbandum ipsum [7] tamquam [8] exacerbatores, & sicut in die tentationis quæ fuit in deserto:

9 Ubi tentaverunt me patres vestri, & probaverunt *ac* viderũt opera mea quadraginta annis.

10 Propter hoc molestè tuli generationem illam: & dixi quòd populus est quorum cor errat, & ipsi non noverunt vias meas:

11 Adeò ut juraverim in ira mea, quòd non essent ingressuri in requiem meam.

12 Cavete igitur, fratres mei, ne sit in aliquo ex vobis cor malum, quod non sit fidele, & deficiatis à Deo vivente:

[a] B. Substrato fundamento, id est, explicata & probata utraque unius ejusdemq; Christi natura, triplex ei munus tribuit, nempè Propheticũ, Regium, & Sacerdotale: instituta ejus collatione cũ Mose & Josue, quod ad Doctoris & rectoris munus attinet, usque ad capitis proximi versic. 14. Cum Aarone verò in Pontificatu. Proponit autem de quo dicturus est gravissima cum exhortatione, ut in Christum tamquam unicum illum æternum doctorem, Rectorem ac Pontificem omnis nostra fides referatur.
[b] Legatum & nuncium, sicut Rom.cap.15. dicitur minister circumcisionis.
[c] Ejus doctrinæ quã profitemur, nimirùm Evangelicæ.
[d] B. Duplici ratione hanc adhortationem stabilit: primò quòd Christus Jesus sit à Deo talis designatus: secundò, quòd idem impositis sibi à Patre muneribus penitùs sit defunctus. [e] *Num. 12.7.* [e] Subaudi Apostolum & Pontificem. [f] B. Jam accedit ad collationem cum Mose: quos inter se similes facit, quòd uterque præfectus fuerit domui Dei, & fideliter opus suum peregerit: sed mox in illa similitudine maximam esse imparitatem ostendit. [g] B. Prima collatio, Architectus præstantior est domo ipsa, ergo & Christus Mose. Ratio consequutionis est, quia hujus domus architectus Deus est, quod Mosi tribui non potest: ac proindè Moses non propriè fuit architectus, sed ipsius domus pars: Christus verò ut Dominus ac Deus totam hanc domum est architectatus. [h] B. Altera collatio, Moses fuit fidelis servus in hac domo, (id est, in Ecclesia) subserviens venturo Domino: Christus autem regnat & præest ut Dominus domui suæ. [i] B. Applicat suo fini superiorem doctrinam, verbis Davidis omnes exhortans, ut jam Filium ipsum loquentem audientes, ejus verbis plena fiducia acquiescant, quum aliter non possint in æternam illam requiem admitti. [k] Cujus, subaudi Christi. [l] Fiduciam vocat effectum illud fidei præstantissimum quo fit ut clamemus Abba, Pater: fiduciæ autem spem conjungit. [g] *Psal. 95. 8. Infrà 4.7.* [m] Iterum ergo post Mosem Deus erat loquuturus. [n] In die exacerbationis, vel contentionis. [o] Vecordes sunt & insani. [p] B. Jam expendens verba Davidis, primùm ostendit ex particula *Hodiè*, negligendam non esse occasionem tantisper dum adhuc viget, Neque enim ad seculum Davidis restringendam esse vocem illam, sed totum illud tempus complecti quo Deus nos compellat.

[1] Vel confessionis.
[2] Facere, pro Ordinare & evehere, 1.Sam.12.6.
[3] Ad verb. Per manum ipsius. Hebraismus.
[4] Ad verb. Et est domus ejus nos, Id est, Quæ domus ejus nos sumus.
[5] Ad verb. revelationem facierum. Periphrasis confidentiæ.
[6] Passivè, Quam par est nos in eo defixam habere.
[7] Deerat Caph prima affixi pronominis litera, quam nos restituimus ex manuscripto Syro codice.
[8] In Syriaco textu erat מרמרנא pro כמרמרנא, posito per librariorum incuriam מ Mem loco כ Caph.

13 Sed 13 Sed

9 Ad verb. postulate à vobisipsis. Est enim exhortatio, qua is qui utitur, ea declarat quid requirat in eo quē hortatur.
10 Ad verbum, Commixti.
11 Redundat copula, ex Hebraismo.
12 Ad verb. Filiam vocis ejus. Vide annotata in finem duodecimi Actorum.
13 i. Ministro & duce Mose. Hebr.

13 Sed [9] examinate vosipsos omnibus diebus usque ad diem qui vocatur hodiernus, neq; induretur ullus ex vobis per deceptionem peccati.

14 [10] Participes enim facti sumus cum Christo, si à principio, [11] & usque ad finem in ipso stabilimento hoc firmo perseveraverimus:

15 Sicut dicitur, Hodiè si [12] vocem ejus audiveritis, ne obduretis corda vestra ad exacerbandum eum.

16 Qui sunt enim illi qui audiverunt, & exacerbaverunt eum? nónne omnes illi qui egressi sunt ex Ægypto [13] per manum Musche?

17 Et quos molestè tulit quadraginta annis, nisi eos qui peccaverunt, & ossa eorum ceciderunt in deserto?

18 Et de quibus juravit quòd non essent ingressuri in requiem suam, nisi de illis qui non acquieverunt?

19 Et videmus quòd non potuerunt ingredi, quia non crediderunt.

13 Sed exhortamini alii alios quotidiè, [q] quoad appellatur dies hodiernus: nequis ex vobis induretur seductione peccati.

14 [r] Christi enim participes facti sumus, si modò [s] principium illud quo sustentamur firmū retinuerimus ad finem usque:

15 *Interim* [t] dum dicitur, Hodiè si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra, ut in illa exacerbatione.

16 Nam quidam quum audissent, exacerbârunt *Dominum*: non omnes tamen ii qui exierant ex Ægypto per Mosen.

17 Quibus autem infensus fuit quadraginta annis? nonne iis qui peccaverant, quorum [u] corpora conciderunt in deserto?

18 Quibus autem juravit non ingressuros in requiem suam, nisi iis qui non obedierant?

19 Et videmus non potuisse ingredi propter incredulitatem.

q Quoad durat dies hodiernus, i. quamdiu offertur nobis Evangelium.
r 2. Jam ponderat verba illa, Si audieritis vocem, &c. explicans ista de auditu fidei dici, cui opponitur obduratio per incredulitatem.
s Principium fiduciæ: principium autem vocat Hebræorum moré, quod præcipuum est.
t Quamdiu hæc vox personat.
u Cadavera.

CAPUT IIII.

1 Adhortationem comminationi admiscet, ne quemadmodum patres, requie sibi oblata priventur: 11 sed in eam ingredi studeant. 14 Inde initium facit tractandi de sacerdotio Christi.

1 In codice Syriaco scriptum erat רגל הכיל, atque conjungebatur cum superiore capite: nos autem veram lectionem restituimus, atque perversam capitis sectionem emendavimus. Nemini enim dubium esse potest locum corruptū esse, ex quo nullus sensus colligi possit. Ex Græcis autē facilè intelligitur legendum esse נדחל הכיל. Timeamus igitur. Porrò errori causam dedisse videtur similitudo vocis & literarū.
2 F. Vel quum ecce, &c. vel quāvis jam opera, &c. quod meliùs respondet Greco.
3 Ad verb. Ad quem homo homo ingressurus esset. Syrè, דאנש אנש יעול לה.
4 Vel, Persuasi fuerunt.
5 Subaudi, Deus per os David.
6 Vel, Persuasi fuerunt.
7 Syrè, Duorum orium, i. Acierum. Hebr. חרב פיפיות.

1 METuamus igitur, ne, quum firma sit promissio ingressus in requiem ejus, inveniatur aliquis in vobis qui cesset ab ingrediendo.

2 Nam nobis etiam evangelizatum est sicut etiam illis; sed non profuit illis sermo quem audiverunt, quia non contemperatus fuit cum fide apud illos qui audiverunt ipsum.

3 Ingredimur autem in requiem nos qui credidimus. sic enim dicit, Sicut juravi in ira mea, quòd non intrabunt in requiem meã: [2] nam ecce, opera Dei ab initio ipso mundi fuerunt.

4 Sicut dixit de Sabbatho, Requievit Deus die septimo ab operibus suis omnibus.

5 Et hîc rursum dicit, Quòd non intrabunt in requiem meam.

6 Quoniam igitur erat locus [3] in quem unusquisque ingrederetur, & illi, quibus prioribus prædicatum fuerat, non ingressi fuerunt eo quòd non [4] acquieverunt:

7 Rursum diem alium ponit post tempus multum, sicut suprà scriptum est quòd dixerit David, Hodiè si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra.

8 Si enim Jeschua filius Nun requiem præstitisset illis, non fuisset [5] loquutus postmodum de die alio.

9 Itaque firmum *id* est, Sabbatizandum esse populo Dei.

10 Qui enim ingressus est in requiem ejus, requievit etiam ipse ab operibus suis, sicut Deus à suis.

11 Studeamus igitur ut ingrediamur in illam requiem, ne concidamus ad instar eorum [6] qui non acquieverunt.

12 Vivus est enim sermo Dei, & omnium effector, & acutior multo quàm [7] gladius anceps, & ingreditur usque ad divisionem animæ & spiritus, & commissurarum, & medullæ & ossium,

1 MEtuamus igitur nequando derelicta promissione introëundi in requiem ejus, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus.

2 [a] Etenim nobis evangelizatum est, sicut & illis: at non profuit illis auditus sermo, ut [b] qui fide contemperatus non fuerit apud illos qui audierant.

3 [c] Introimus enim in requiem nos qui credidimus, sicut dixit, [a] Itaque juravi in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam: quamvis operibus à jacto mundi fundamento factis.

4 Ita enim dixit quodam in loco de septimo die, [b] Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.

5 Et hîc rursum, Si introibunt in requiem meam:

6 Quia igitur reliquum est ut aliqui introëant in eam, & quibus priùs evangelizatum fuit, non introierunt propter contumaciam:

7 Rursum quemdam præfinit diem, Hodiè, apud Davidem dicens tanto post tempore, (prout dictum est) [c] Hodiè si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra.

8 Nam si [d] Jesus eos in requie collocasset, nequaquam de alio posthac die loquutus fuisset.

9 Itaq; reliquus est aliquis sabbatismus populo Dei.

10 [e] Nam qui ingressus est in requiem ipsius, requievit & ipse ab operibus suis, quemadmodum à suis Deus.

11 [f] Studeamus igitur ingredi in illam requiem, [g] nequis in idem incidat contumaciæ exemplum.

12 [h] [i] Vivus enim *est* [k] sermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti: & pertingit usque ad divisionem [l] animæ simul [m] ac spiritus, compagúmque & medullarum:

a 2. His verbis *vocem ejus*, declarat significari à Davide prædicationem Christi, qui tunc quoque annunciabatur, quum Moses & Prophetæ non aliò respicerent.
b Evangelii prædicationem potui comparat, quæ hausta, i. audita, nihil profit nisi temperetur fide.
c 2. Nequis objiceret illa intelligi de terra Chanaan & Mosis doctrina, ac proinde ad Christum & vitā æternam non rectè trahi, ostendit Apostolus duplicem requiem in Scripturis commemorari, unam diei septimi, quâ Deus dicitur ab omnibus operibus suis quievisse, alteram verò cōmemorari in quā Josua populum introduxit: sed quæ requies non sit ultima ad quā vocamur, quod probat duabus rationibus. Quū enim tanto post tempore David populum alloquens in terra Chanaan collocatum, utatur adverbio Hodiè, & minetur non ingressuros in requiem Dei qui vocem Dei tunc sonantem repudiārint, necesse est dicamus aliud tempus quam tempus Mosis, & aliam requiem quam terram Chanaan, ab eo significari. Ea verò est æterna illa in qua cessante hujus vitæ cursu, incipimus Deo vivere, sicut Deus die septimo ab illis suis operibus (id est, ab hoc condendo mundo) destitit. Significat autem simul Apostolus, in uno demum Evangelio aperiri hujus requietis iter, quam Moses, & terra Chanaan, & tota illa Legalis œconomia adumbravit. [a] *Psalm.95.11.* [b] *Genes.2.2. Deuteronom.5.14.* [c] *Supr.3.7* d De Josue loquitur filio Nun: velut autem terra Chanaan typus fuit veræ nostræ quietis, sic Josue, Jesu typus fuit. e Velut Deus septimo die quievit, sic nobis ab operibus nostris, id est, quæ à natura nostra corrupta proficiscuntur, est quiescendum. f 2. Redit ad exhortationem. g Nequis fiat simile infidelitatis exemplum. h 2. Amplificatio à natura verbi Dei, cujus ea vis est ut in ima usque animi penetralia penitret, contumacibus lethale vulnus infligens, credentes verò planè vivificans. i Vivum vocat sermonem ab ejus effectis in iis quibus annunciatur. k Doctrina Dei annunciata tum in Lege tum in Evangelio. l Animam vocat in qua resident affectus. m Spiritum, id est, partem illam nobilissimam, quæ mens dicitur.

& dijudicat cogitationes & conceptiones cordis.

13 Nec est ulla res creata quæ non manifesta sit in conspectu ipsius: [n] imò omnia *sunt* nuda & patentia oculis ejus quîcum nobis est negotium.

14 [o] Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jesum Filium Dei, [p] teneamus *hanc* professionem.

15 [q] Non enim habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostratum, sed tentatum in omnibus similiter, absque *tamen* peccato.

16 Accedamus igitur cum fiducia ad thronũ gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.

& dijudicat cogitationes & consilia cordis:

13 Nec est creatura quæ occulta sit à conspectu ejus, sed omnia nuda & manifesta sunt ante oculos ejus [8] cui reddunt rationem.

14 Quia igitur est nobis princeps Pontificum maximus, Jeschua Christus, Filius Dei qui ascendit in cælũ, perseveremus in professione ejus.

15 Non enim est nobis princeps Pontificũ qui non possit [9] compati infirmitatibus nostris, sed qui tẽtatus fuit in omni re sicut nos, excepto peccato.

16 Accedamus igitur [10] retecto oculo ad thronum gratiæ ejus, ut consequamur misericordiam, & inveniamus gratiam in auxilium *impetrandum* in tempore afflictionis.

[n] Dei. [o] B. Jam aggreditur Pontificatus Christi collationem cum Aaronis sacerdotio, & in ipso statim initio summam hujus Pontificis excellentiam declarat, eum vocans Filium Dei, & in ipsis cælis ad tribunal Dei collocans, non obscura antithesi cum Aaronicis sacerdotibus & tabernaculo caduco: quas comparationes posteà luculenter declarat. [p] Retineamus, nec sinamus è manibus nostris elabi. [q] B. Ne videretur tanta hujus nostri Pontificis gloria nos ab ipsius aditu prohibere, subjicit cum nihilominus verè nostrum fratrem esse (quod etiam anteà probavit) & nostras omnes miserias suas ducere, ut intrepidè nos ad se vocet.

[8] F. i. cui singuli rationem tenentur reddere, & reipsa reddituri sunt. impersonaliter sumtum. [9] Ad verb. Pati cum infirmitate nostra. [10] Periphrasis est confidentis, sicut & illa quæ priùs declarata est de retectione facierum: cui opponitur cooperitio oculorum præ pudore aut mœrore, vel conscientia offensionis: quæ vetat ne possimus ejus conspectum ferre quem scimus nobis esse infensum. Esther. 7.8.

CAPUT V.

1 *Primò docet quodnam sit summi pontificis officium:* 6 *Secundò, Christum à Deo nostrum pontificem constitutum esse,* 7 *& verè præstitisse quæ summi Pontificis erant.*

NAm [a] omnis Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis quæ apud Deum *agenda sunt*: [b] ut offerat [c] donaria & [d] victimas pro peccatis.

2 Qui quantum [e] satis est possit misereri [f] vicem ignorantium & aberrantium: quod & ipse [g] circumdatus sit infirmitate:

3 Et propter hanc debeat, sicut pro populo, ita & pro seipso offerre *victimam* pro peccatis.

4 [h] Neque sibiipsi quisquam sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo, [i] sicut & Aaron.

5 Ita & Christus non ipse sibi hunc honorem tribuit ut fieret Pontifex, sed is qui dixit ei, [k] Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

6 Sicut & in alio *Psalmo* dicit, [l] Tu *es* Sacerdos in æternum secundùm [i] ordinem Melchisedeci.

7 [k] Qui in [l] diebus carnis suæ, deprecationibus & supplicationibus oblatis cum clamore valido & lacrymis apud eum qui poterat [m] ipsum servare à morte, & exauditis precibus, *liberatus* ex metu,

8 Quamvis filius esset, *tamen* ex iis quæ passus est [n] didicit obedientiam:

9 [o] Et [p] consecratus, factus est auctor salutis æternæ omnibus qui ipsi auscultant.

10 Cognominatus à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedeci.

11 [q] De quo nobis multa sunt dicenda, eaq; difficilia explicatu: quandoquidem segnes facti estis auribus.

12 [r] Vos enim quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursum opus est doceri quę sint elementa initii eloquiorum Dei: factiq; estis ii quibus lacte sit opus, & non solido cibo.

13 Enimvero cui cum lacte res est, is rudis est [s] sermonis justitiæ: (infans enim est)

14 Sed adultorum est solidus cibus, eorum *videlicet* qui propter habitum, [t] sensus habent exercitatos ad discretionem boni ac mali.

OMnis enim princeps Pontificum qui ex filiis hominis est, pro filiis hominis assistit, in iis quæ Dei sunt, ut offerat oblationes & victimas pro peccatis.

2 Et qui possit deprimere seipsum, & compati iis qui ignorantes sunt & errantes propterea quòd etiam ipse infirmitate indutus est.

3 Et propter eam debitor est, ut sicut pro populo, ita pro seipso offerat pro peccatis suis.

4 Et nequaquam sibiipsi quisquam assumit honorem, sed qui vocatur à Deo sicut Aharon.

5 Ita etiã Christus nequaquam semetipsum glorificavit, ut esset princeps Pontificum, [1] sed is qui dixit ei, Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

6 Sicut etiã in loco alio dicit, Tu es Pontifex in æternũ secundùm similitudinẽ Melchisedek.

7 Etiam quum carne indutus esset, precationem & supplicationem cum clamore valido & cum lacrymis offerebat ei qui potens erat ut à morte excitaret eum, & exauditus est:

8 Et [2] qaumvis Filius esset, [3] ex metu & passionibus quas sustinuit, didicit ipsam obedientiam.

9 Atque ita perfectus est, & factus est omnibus qui auscultant ei, causa vitæ æternæ.

10 Et nominatus est à Deo princeps Pontificum secundùm similitudinem Melchisedek.

11 De ipso autem [4] Melchisedek multus nobis sermo est quem eloquamur, & occupatio ad exponendum illud quia estis infirmi in auditu vestro.

12 Debuissetis enim doctores esse, [5] quia tempus vobis ad institutionem *fuit*. Nunc autem rursum opus habetis ut discatis hæc ipsa [6] scripta prima principii sermonum Dei: & [7] opus habetis lacte, & non cibo firmo.

13 Omnis autem homo cujus cibus lac est, non est edoctus in sermonem justitiæ, quia imperitus est:

14 Perfectorum autem est cibus firmus, qui quia disquirunt, expediti sunt sensus eorum ad discernendum bonum & malum.

[a] B. Primæ collationis Christi Pontificatus cum Aaronico, pars prior: Alii pontifices sumuntur ex hominibus, & vocantur humano quodã more. [b] B. Alterius collationis pars prior: Alii ut infirmi constituuntur pontifices, ut ejus mali sensu affecti quod est illis cum toto populo commune, dona & victimas quæ sint cõmunis fidei ac resipiscentiæ testes, suo ac populi nomine offerant. [c] Oblationes rerum vitæ expertium. [d] Pecudes quæ jugulabantur, potissimùm verò in sacrificiis pro delicto & peccato. [e] Qui sit aptus & idoneus. [f] Eorum qui in peccatis sunt cõstituti: nam apud Hebræos ignorantiarum & errorum nomine quodvis peccatum intelligitur: etiam voluntarium. [g] Quòd & ipse naturam iisdem incommodis & vitiis obnoxiam circumferat. [h] B. Tertia collatio integra, Vocantur alii à Deo, sic & Christus, sed alio ordine quàm Aaron. Dicitur enim Christus filius ex Deo genitus, & Sacerdos æternus secundùm ordinem Melchisedec. [i] 1. Par. 23. 13. [k] Psal. 2. 7. Supr. 1. 5. [l] Psa. 110. 4. Infr. 7. 17. [i] Secundùm similitudinem, ut infr. explicatur 7. 15. [k] B. Secundæ collationis pars altera, Christus verò insigniter afflictus & insigniter misericors, non pro suis peccatis quæ nulla erant, sed pro suo metu rogavit quod impetravit, & seipsum pro omnibus suis obtulit. [l] Quum adhuc nobiscum infirma & imbecilla nostra natura præditus degeret. [m] Ipsum eximere morte. [n] Reipsa expertus est quid sit Patrem habere, cui parendum sit. [o] B. Primæ collationis pars altera, Christus autem consecratus est à Deo Patre, ut nostræ salutis auctor & æternus Pontifex, ac proinde ita homo ut sit longè supra omnes homines. [p] Vide supr. 2. 10. [q] B. Digressio usque ad septimi capitis initium, qua Hebræos partim retinet Apostolus in attenta consideratione eorum quæ dixerat, partim ad ea intelligenda præparat, de quibus dicturus est. [r] B. Exemplum Apostolicæ objurgationis. [s] Sermonis quo docetur justitia. [t] Omnes intelligendi & judicandi facultates.

[1] Subaudi Glorificavit eum. [2] Syrè, כר טב, cui prorsus respondet Gallicè *Combien que*: & Germanicè *Wie Wol*. [3] Videtur Paraphrastes intelligere horrorem illum quo affectus fuit Christus, & mortis metũ cum quo, imminente passionis suæ tempore, luctatus est. [4] F. Hoc additamentum vel glossema, sive à Syro interprete sit, sive à lectore scitulo, quòd additur Melchisedeci nomen, probare nequeo. De veritate enim potiùs quàm de typo illius loquitur Apostolus. [5] i. Diu in Christi schola versati estis, atque ideo hæc jam scire deberetis. [6] i. prima elementa doctrinæ Dei. [7] Ad verb. Et fuistis vobis opus habẽtes super lac,

CAPUT VI.

1 Hebræorum puerilem ignaviam perſtringens, 4 ſevera denunciatione eos terret, 7 & maturè proficiendi ſtudium excitat, 9 meliora de ipſis ſperans. 13 Abrahæ exemplum citat, 17 Fidemq; verbo Dei innixam, 19 anchoræ comparat.

PRopterea relinquemus [1] prima principia ſermonis Chriſti, & veniemus ad perfectionem. [2] alioquin nunquid rurſum aliud fundamentum jacitis de converſione ab operibus mortuis, & de fide quæ eſt in Deum,

2 Et de doctrina baptiſmatis, & impoſitionis manus, & de reſurrectione quæ [3] eſt ex mortuis, & de judicio quod eſt in æternum?

3 Si Dominus permiſerit, faciemus hoc.

4 Atqui non poſſunt illi qui ſemel ad [4] baptiſmú deſcenderunt, & guſtaverũt donum quod eſt è cælo, & acceperunt Spiritum ſanctum,

5 Et guſtaverunt ſermonem bonum Dei, & virtutem ſeculi futuri:

6 [5] Qui rurſum peccaverunt, *non poſſunt inquam* de integro renovari ad converſionem: quippe qui de integro crucifigunt Filium Dei, & ſubjiciunt ignominiæ.

7 Terra enim quæ imbiberit pluviam quæ venit ſuper eam [6] vicibus multis, & produxerit herbam quæ utilis eſt eis propter quos colitur, recipit benedictionem à Deo:

8 Si eveniat autem ut producat carduos & tribulos, fit reproba, & non longè diſtat à maledictione, ſed finis ejus eſt combuſtio.

9 Perſuaſi autem ſumus de vobis, fratres mei, ea quæ ſunt bona & affinia ſaluti, etiamſi ita loquamur.

10 Nequaquam enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operum veſtrorum, & charitatis veſtræ quam oſtendiſtis in nomine ejus, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis.

11 Cupimus autem ut unuſquiſque ex vobis hoc ipſum ſtudium oſtendat ad complementum ſpei veſtræ uſque in finem:

12 Et ut non [7] abſcindatur vobis, ſed ſitis imitatores illorum qui per fidem & longanimitatem facti ſunt hæredes promiſſionis.

13 Abrahæ enim quum promitteret Deus, quia non erat ipſi qui major eſſet ſe ut per eum juraret, juravit per ſemetipſum:

14 Et dixit, [8] Benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo te.

15 Et ita [9] patienter exſpectavit, & conſequutus eſt promiſſionem.

16 Filii enim hominis per majorem ſe jurant, & omni controverſiæ quæ eſt inter illos, finis firmus per juramentum [10] imponitur.

17 Quapropter abundè voluit Deus oſtendere hæredibus promiſſionis, quòd pollicitatio ſua non mutaretur, & [11] obſtrinxit eã juramento:

18 Ut per duas res quæ non mutantur, in quibus non poteſt Deus mentiri, conſolatio magna ſit nobis qui confugimus ad eum, & retineamus ſpem quæ promiſſa eſt nobis.

19 Quæ eſt nobis velut anchora quæ retinet animam noſtram, ut non commoveatur, & ingreditur intra [12] velum:

20 Ubi prius ingreſſus eſt pro nobis Jeſchua, & factus eſt Pontifex in æternum, ſecundùm ſimilitudinem Melchiſedek.

[1] Ad verb. Inchoationem.

[2] F. Ad verb. aut cur iterum fundamentum alterũ jacietis, &c. ἰξηγητικῶς omnia, & eodẽ omnino ſenſu.

[3] Syrè, De inter mortuos. F. vel de domo mortuorum.

[4] Nam immergebantur aquis.

[5] In impreſſo erat דהוו, Et rurſum: ſed manuſcriptum codicem ſequutus ſcripſi דהדו. Qui rurſum: quod etiam cum Græco magis cõſentit. F. vel quum rurſum peccaverunt, id eſt, à juſtitia deficientes certa malitia in omne peccatum projecti ſunt, Spiritumq; ſanctum extinguunt & exacerbant ultrò.

[6] Ad verb. Temporibus, i. Quæ ſæpius irrigat eam.

[7] F. Puta diligens illud imitationis ſtudium, de quo verbis ſequentibus, ex præcedente verſu.

[8] i. prolixè benedicam tibi & multiplicabo te. Hebraiſmus.

[9] Ad verb. Continuit Spiritum ſuum. Loquutio Syra & Chaldæa jam ſæpiùs indicata.

[10] Syrè, Fit ei, pleonaſmus relativi, Hebræorum more.

[11] Ad verb. Ligavit quaſi faſcia.

[12] Ad verb. Faciem portæ. Vide quæ annotata ſunt in 27. Matt.

QUapropter omiſſo [a] qui in Chriſto rudes inchoat ſermone, ad perfectionem feramur: [b] non jacientes rurſum fundamentum reſipiſcentiæ ab operibus mortuis, & fide in Deum,

2 Baptiſmatum doctrinæ, ac manuum impoſitionis, & reſurrectionionis mortuorum, & judicii æterni.

3 Atque id faciemus, ſiquidem permiſerit Deus.

4 [c] Nam [d] fieri non poteſt ut qui ſemel fuerint illuminati, [e] guſtaverintq; donum illud cæleſte, & participes facti fuerint Spiritus ſancti,

5 Guſtaverintq; bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi:

6 Si prolabantur, denuò renoventur ad reſipiſcentiam, ut qui rurſum [f] crucifigant ſibi Filium Dei, & ignominiæ exponant.

7 [g] Nam terra quæ imbrem ſæpiùs in ſe venientem combiberit, & progenuerit herbam accommodam iis per quos excolitur, recipit benedictionem à Deo:

8 At quæ profert ſpinas & tribulos, rejectanea *eſt*, & maledictioni proxima: cujus exitus *tendit* ad exuſtionem.

9 [h] Sed perſuaſimus nobis de vobis, dilecti, iſtis meliora, & cum ſalute conjuncta, etiamſi ita loquamur.

10 [i] Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & laborioſæ charitatis quam demonſtraſtis erga ipſius nomen: *ut* qui miniſtraveritis ſanctis & miniſtretis.

11 Cupimus autem ut unuſquiſque veſtrûm idem ſtudium ad finem uſque oſtendat, ad certam ſpei perſuaſionem:

12 [k] Ut ne ſitis ſegnes, ſed imitatores eorum qui per fidem ac lenitatem hæreditario jure obtinent promiſſionem.

13 [l] Deus enim pollicitus Abrahamo, quum non poſſet per quemquam majorem jurare, juravit per ſeipſum,

14 Dicens, [l] Certè [m] benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.

15 Atque ita quum patienter exſpectaſſet, aſſequutus eſt promiſſum.

16 Nam homines quidẽ per eum jurant, qui ſit major: atq; iiſdem omnis controverſiæ finis, eſt juſjurandum ad confirmationem *adhibitum*.

17 Qua in re Deus volens [n] ex abundanti hæredibus promiſſionis oſtendere immutabilitatem conſilii ſui, fidejuſſit jurejurando:

18 Ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non poteſt ut mentitus ſit Deus, validam conſolationem habeamus *nos* qui curſum *eò* corripuimus ut ſpem propoſitam obtineamus:

19 [o] Quam velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam, & ingredientem uſque in ea quæ ſunt intra velum.

20 [p] Quò præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Jeſus, factus ſecundùm ordinem Melchiſedec Pontifex in æternum.

[a] Primis Chriſtianiſmi principiis, quæ Catechiſmũ vocant.

[b] B. Capita Catechiſmi quæ ſumma quidem totius Evangelicæ doctrinæ complectuntur, ſed paucis & ſummariè (ut loquuntur) rudibus tradebantur, profeſſio videlicet reſipiſcentiæ & fidei in Deum: cujus doctrinæ articuli (quos vocant) ab extraneis quidem exigebantur ſtatis Baptiſmi diebus: à fidelium autem liberis in infantia baptizatis, quum eis imponebantur manus. Inter eos autem articulos, diſertè numerantur duo, nempe carnis reſurrectio, & judicium æternum.

[c] Matth. 12.31. 2. Petr. 2.20. Infr. 10.26.

[c] B. Pondus addit ſuæ exhortationi, graviſſima comminatio certi apoſtatarũ exitii.

[d] De apoſtaſia univerſali loquitur, non autẽ de peccatis humana infirmitate cõtra primam aut ſecũdam tabulam admiſſis.

[e] Notanda emphaſis hujus verbi. aliud enim eſt credere, ut Lydia cujus Deus cor aperuit, Act. 16.13. aliud guſtum aliquem habere.

[f] Ut qui odio ferantur in Chriſtum, & quaſi eũ rurſus crucifixum omnium ludibrio exponant, idq; ſuo ipſorũ exitio, quod fecit Julianus Apoſtata.

[g] B. Exornat ſuperiorem comminationem, propoſita ſimilitudine.

[h] B. Lenit omnẽ illam aſperitatẽ, meliora de iis ſperans quibus hæc ſcribit.

[i] B. Laudat eos à charitate, ut ad perſeverantiam hortetur. [k] B. Oſtendit quibus præcipuè virtutibus ad conſtanter pergendum atq; adeò ad proficiendum ſit opus, charitate nimirum & patientia: & nequis iſta factu impoſſibilia eſſe objiciat, jubet ut majorum exempla ſibi proponant imitanda. [l] B. Alius ſtimulus, Quòd certa ſit ſpes hæreditatis ſi ad extremũ perſeveremus: quoniam non tantùm id promiſit Deus, ſed etiam jurejurando promiſit. [l] *Gen.* 12.2. *&* 17.4. [m] Cumulatiſſimè te beneficiis cumulabo. [n] Ampliùs etiam quàm neceſſe eſſet, niſi hoc flagitaret hominum improbitas, qui ne jurato quidem Deo credunt. [o] B. Spem comparat anchoræ: quoniam ſicut anchora in profundum maris projecta totam navim firmat, ita etiam ſpes in ipſa uſque cælorum adyta penetret. Mentionem autem facit ſanctuarii, alludens ad Tabernaculum vetus, & hac ratione regreditur ad illas collationes Pontificatus Chriſti cum Levitico. [p] B. Repetit Davidis verba, quibus omnes illæ collationes quas anteà commemoravit ſignificantur: ſicut toto ſequenti capite declarat.

CAPUT VII.

1 Hactenus ipsos stimulavit, ut attentè expenderent quæ ipsis in Melchisedeco consideranda sunt, 15 in quibus ipsi similis sit Christus: 20 in summa, cur cedere Lex Evangelio debeat.

NAm [a] hic [β] Melchisedecus rex *erat* Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui occurrit Abrahæ revertenti à cæde regum, & [b] benedixit ei:

2 (Cui & decimas ex omnibus impartitus est Abrahamus:) qui primùm quidem ex interpretatione dicitur Rex justitiæ, deinde verò etiam Rex Salem, quod est rex pacis:

3 [c] Sine patre, sine matre, sine genere: nec initium dierum, neque vitæ finem habens: sed assimulatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.

4 [d] Spectate verò quantus hic *fuerit*, cui Abrahamus etiam ille patriarcha [γ] decimam spoliorum dederit.

5 Et ii quidem qui sunt ex Filiis Levi, Sacerdotio fungentes, præceptum habent decimarum accipiendarum à populo secundùm Legem, hoc est à fratribus suis, licet [e] egressis ex lumbis Abrahami.

6 Is verò cujus genus ad illos non refertur, decimas accepit ab Abrahamo, & habenti promissiones benedixit.

7 [f] Porrò sine ulla controversia, id quod minus est, ab eo quod majus est benedicitur.

8 [g] Atque hîc quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt: illic autem is de quo testatum est quòd vivat.

9 Et (ut ita loquar) in Abrahamo decimatus est etiam ipse Levi, qui decimas solet accipere.

10 Nam is adhuc in lumbis patris erat quum occurreret Abrahamo Melchisedecus.

11 [h] Porrò si [i] consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, (nam sub hoc sancita Lex est populo,) quid ampliùs erat opus alium exoriri Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedeci, nec secundùm ordinem Aaronis dici?

12 [k] Mutato enim hoc Sacerdotio, necessariò quoque [l] Legis mutatio fit.

13 Nam *is* de quo hæc dicuntur, ad alium tribum pertinet, de qua nullus [m] attendit altari.

14 Palàm est enim è Juda exortum esse Dominum nostrum, cui tribui nihil de Sacerdotio loquutus est Moses.

15 [n] *Idq;* etiam magis patet *ex eo* quòd ad similitudinem Melchisedeci exoritur Sacerdos alius,

16 [o] [p] Qui non ex Lege, cujus mandatum sit carnale, factus est *sacerdos*, sed ex vi indissolubilis vitæ.

17 Testificatur enim ad hunc modum, [δ] Tu *es* Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedeci.

HIc autẽ Melchisedek est rex Salem, Pontifex Dei excelsi; & ipse occurrit Abrahæ quũ reverteretur à devastatione regum, & benedixit ei:

2 Et ipsi [1] separavit Abraham decimas ex omni re quæ erat apud se. Exponitur autem nomen ejus, Rex justitiæ: & rursus, Rex *erat* Salem, quod est Rex pacis:

3 Cujus nec pater nec mater scripti sunt in geneologiis, neque principium dierum ejus, neque finis vitæ ejus: sed in similitudinem filii Dei manet pontificatus ejus in æternum.

4 Considerate verò quàm magnus *fuerit* hic, cui Abraham patriarcha dederit decimas & primitias.

5 Illis enim ex filiis Levi qui accipiebant pontificatum, [2] mandatum erat Legis ut [3] acciperent decimas à populo: *ut* ipsi, *inquam, decimas acciperent* à fratribus suis, quum *tamen* etiam ipsi ex femore Abrahæ egressi essent.

6 Hic verò, qui non est scriptus in genealogiis illorum, decimas accepit ab Abraham, & benedixit ei [4] qui accepit promissionem.

7 Sine controversia autem is qui minor est, benedicitur ab eo qui major est ipso.

8 Et [5] hîc filii hominis qui moriuntur accipiunt decimas: illic autem is de quo testata est Scriptura quòd vivat.

9 [6] Et ([7] instar hominis loquamur) per manum Abrahæ etiam Levi, is *nimirum* qui decimas accipiebat, ipse quoque decimatus est.

10 Adhuc enim in femore erat patris sui, quum occurreret illi Melchisedek.

11 Si igitur consummatio per manum pontificatus Levitarum erat, ([8] in quo posita fuit Lex populo) ad quid requirebatur Pontifex alius qui exsurgeret secundùm similitudinẽ Melchisedek? Dixisset enim, In similitudinem Aharon erit.

12 Sed sicut facta est mutatio in pontificatu, ita facta est etiam mutatio in Lege.

13 Is enim de quo dicuntur hæc, ex tribu alia natus est, de qua nemo unquã ministravit in altari.

14 Manifestũ est enim quòd à Juda exortus est Dominus noster, è tribu [9] de qua non est loquutus Musche quicquam circa pontificatum.

15 Et amplius adhuc notum est per id quod dictum est, *videlicet* quòd secundùm similitudinem Melchisedek exsurget Pontifex alius:

16 Qui nequaquam secundùm legem mandatorum corporalium fuit, sed secundùm virtutem vitæ indissolubilis.

17 Testificatur enim *Deus* de eo, Tu es Pontifex in æternum secundùm similitudinem Melchisedek.

[a] B. Explicans verba illa, Secundùm ordinem Melchisedec, quibus nititur illa cõparatio Christi Pontificatus cum Levitico, primùm consideratur ipse Melchisedec ut Christi typus, cujus comparationis hæc sunt capita: Melchisedec fuit rex & sacerdos: talis reverà est Christus unius. Fuit rex pacis ac justitiæ: talis est Christus unus revera.

[β] *Gen.* 14.18.

[b] Nempe solenni ac sacerdotali benedictione. Erant enim Sacerdotes, sicut ad sacrificandum, ita etiam ad benedicendum à Deo constituti, Num. 9.26.

[c] B. Alius typus, Melchisedec proponitur spectandus, ut principio & fine carẽs, quũ nec pater, nec mater, nec majores, nec mors ejus describantur: talis est revera Filius Dei, sacerdos nimirum æternus: quatenus Deus, ἀμήτωρ, ineffabiliter genitus: quatenus homo, ἀπάτωρ, ineffabiliter conceptus.

[d] B. Alius typus, Melchisedec ratione sacerdotis fuit ipso Abrahamo superior, utpote quem decimârit, & cui ut sacerdos benedixerit: talis revera est Christus, à quo pendet ipsius Abrahami & omnium credentium sanctificatio, atq; adeò quem ut omnium auctorem colere ac venerari omnes debent.

[γ] *Num.* 18.21.

[1] F. i. separans impertitus est: metalepsis Hebraica.

[2] Hoc est, Mandato Legis impositum erat.

[3] F. vel acciperent decimas à populo ipsi, à fratribus suis.

[4] i. Abrahæ promissionis hæredi.

[5] In ordine Levitico & legali sacerdotio.

[6] F. vel ad verb. Et ut homo loquitur, pro eo quod est quisque, i. ut cum vulgo loquar.

[7] Hoc est, Hominum more loquendo.

[8] F. vel de quo lex fuit imposita populo. atque hæc Græcorum verborum sententia.

[9] F. vel super qua non dixit Musche quidquã de pontificatu.

[e] Progenitis ex Abrahamo, Hebr. [f] De publica eáq; sacerdotali benedictione loquitur. [g] B. Amplificatio duplex: una, Melchisedec decimas accipit, ut immortalis (quatenus videlicet typus est Christi, quum nusquam commemoretur mors ipsius, & David eum proponat ut sacerdotem æternum) Levitici verò Sacerdotes, ut mortales, quum alii aliis succedant: altera, Levi ipse fuit decimatus in Abrahamo à Melchisedeco. Ergo Melchisedeci sacerdotium, (id est Christi qui secundùm ordinem illius pronunciatur sacerdos æternus) præstantius est Levitico. [h] B. Tertius tractatus hujus epistolæ, in quo postquam Christum Prophetam, Regem & Pontificem esse comprobavit, nunc de omnium illorum munerum ratione ac præstantia distinctè differit, hæc omnia in aliis umbratilia fuisse ostendens, in Christo autem vera & perfecta. Incipit autem à sacerdotio in quo etiam superior tractatio desierat, ut sic omnia membra disputationis meliùs cohæreant: & primò imperfectum fuisse probat Leviticum sacerdotium, ex eo quòd alius sacerdos secundùm ordinem alium (i. diversæ regulæ ac formæ) tanto pòst tempore promittatur. [i] Si Sacerdotium Leviticum aliquem perficere potuisset. [k] B. Hac novi sacerdotii institutione non tantùm declarari Levitici sacerdotii imperfectionem ostendit, sed etiam ipsum Leviticum sacerdotium cum hoc novo commutari: quoniam hæc duo simul constare non possint, quum prior illa Levitica ordinatio tribum Juda excluderet, atque adeò ipsi Levi subjiceret: posterior autem ista sacerdotium in tribu Juda collocet. [l] Ordinationis Aaronicæ. [m] Ministravit altari. [n] B. Nequis objiciat translatum quidem fuisse sacerdotium à Levi ad Judam, sed nihilominus idem manere, expendit simul & explicat illa Davidis verba, In æternum, secundùm ordinem Melchisedeci, ex quibus intelligitur diversa etiam sacerdotii ordinatio. [o] Non ex ordinatione, quæ infirma & caduca omnia præcipiat, sicuti in Aaronis consecratione, totoq; illo munere factum est. [p] B. Diversitatem & præstantiam ordinationis Melchisedeci probat ex eo quòd Legale sacerdotium externa & corporali unctione & ritu cõstabat: Melchisedeci verò æternum sacerdotium ac merè spirituale describitur. [δ] *Psal.* 110.4. *Suprà* 5.6.

18 [q] Fit

18 [10] Mutatio

[10] i. Abrogatio.
[11] Mandato scilicet.
[12] i. in ejus locum.

18 [10] Mutatio enim quæ facta fuit, in mandato priore *facta fuit*, propter impotentiam ejus, & quia utilitas non esset [11] in eo.

19 Nihil enim perficit Lex: ingressa verò est [12] pro ea spes, quæ est præstantior ea, per quam *spem* appropinquamus Deo.

20 Et confirmavit illum *pontificatum* jurejurando nobis.

21 Illi enim absq; jurejurando fuerant Pontifices, hic verò jurejurando: quemadmodum dicit ei [13] per Davidem, Juravit Dominus, & non mentietur, Tu es Pontifex in æternum secundùm similitudinem Melchisedek.

22 Hoc toto præstantius est fœdus hoc, [14] in quo factus est sponsor Jeschua.

23 Et illi erant pontifices multi, quia moriebantur, neq; relinquebantur ut permanerent.

24 Hic verò *Pontifex* quia in æternum permanet, [15] non transit pontificatus ejus:

25 Et potest in æternum [16] servare eos qui accedunt per manum ipsius ad Deum: vivit enim omni tempore, & offert preces pro eis.

26 Etenim talis Pontifex [17] conveniebat nobis, purus & absq; malitia & absq; labe, qui segregatus esset à peccatis, & exaltatus supra cælos.

27 Nec est ei necesse quotidiè, sicut Principi pontificum *legalium*, ut priùs pro peccatis suis offerat victimas, & deinde pro populo: hoc enim fecit semel per seipsum, quem obtulit.

28 Lex enim filios hominis infirmos constituit pontifices, sermo verò jurisjurandi qui factus fuit post Legem, *constituit* Filium perfectum in æternum.

[13] Ad verbum, Per manum Davidis, Hebraism.
[14] Vel, Sub quo.
[15] i. non interit, Non mutatur.
[16] Ad verb. Vivificare. Hebraism.
[17] Syrè, Justus erat nobis, i. Idoneus, Hebraism.

18 [q] Fit enim abolitio præcedentis [r] mandati, propter ipsius infirmitatem & inutilitatem.

19 Nihil enim sanctificavit Lex, sed superintroducta spes melior, per quam appropinquamus Deo.

20 [s] Etiam quatenus non absque jurejurando, *superintroducta est*.

21 Nam illi quidem, citra jusjurandum Sacerdotes facti sunt: hic verò, cum jurejurando, per eum qui dixit ei, [t] Juravit Dominus & non pœnitebit eum, Tu *es* Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedeci.

22 Tanto potioris fœderis sponsor factus est Jesus.

23 [t] Et illi quidem, plures facti sunt Sacerdotes, quòd mors prohiberet eos permanere:

24 At iste, propterea quòd in æternum manet, [u] perpetuum habet Sacerdotium.

25 Unde & servare perfectè [x] potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro eis.

26 [y] Talis enim nos decebat Pontifex, sanctus, sine vitio, sine labe, segregatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus:

27 Cui non sit quotidiè necesse, quemadmodum illis Pontificibus, [z] priùs pro peccatis propriis victimas offerre, deinde *pro peccatis* populi. [a] Hoc enim fecit [b] semel quum semetipsum obtulit.

28 Lex enim homines constituit Pontifices infirmitate laborantes: at [c] sermo jurisjurandi [d] post Legem [e] *concepti*, Filium *constituit* qui in æternum est sanctificatus.

[q] B. Nequis etiam objiciat adjectum fuisse sacerdotium posterius, ut simul conjuncta perfectum quiddam constituerent, probat posteriore abrogatum fuisse prius ut inutile ex ipsa eorum natura: quomodo enim illa corporalia & caduca nos sanctificarent vel sola vel cũ aliis? [r] Legis ceremonialis. [s] B. Aliud argumentum præstantiæ sacerdotii Christi supra Leviticum, quod illud sancitum sit jurejurando, hoc verò non item. [t] *Psal.* 110, 4. [t] B. Aliud argumentum eòdem pertinens, Levitici sacerdotes, utpote mortales, æterni esse non potuerunt: Christus verò ut æternus est, ita etiam æterno sacerdotio fungitur, pro iis efficacissimè intercedens qui per ipsum ad Deũ accedunt. [u] Quod præterire non potest. [x] Idoneus est. [y] B. Aliud argumentum, Innocentia & puritas summa in Pontifice requiritur, quæ ipsum à peccatoribus segreget, pro quibus oblationem facit. Atqui Levitici Pontifices tales non invenientur, ut qui pro suis ipsorum peccatis primùm offerrent: sed unus Christus talis est, ideoq; verus & unicus Pontifex. [z] *Levit.* 16.6. [z] B. Aliud argumentũ, quod tamen posteà pertractabit, Levitici victimas repetitis vicibus, primùm pro se, deinde pro populo offerebant, Christus autem nõ pro se, sed pro aliis, non victimas, sed seipsum, non sæpè, sed semel, obtulit. Neq; id mirum (inquit) videri debet, quum illi sint infirmi, iste verò sit cum jurejurando Pontifex æternus consecratus. [a] Quod obtulit sacrificium. [b] Ita factum fuit ut iterum repetere nainimè sit necesse. [c] Mandatum Domini cui additum est jusjurandum. [d] B. Aliud argumentum à tempore, Posterioribus tolluntur priora. [e] Exhibiti.

CAPUT VIII.

1 *Quò certiùs probet abrogatas esse Legis ceremonias,* 5 *ideò institutas esse commemorat, ut cælesti prototypo servirent.* 8 *Jeremiæ locum adducit,* 13 *ut veteris testamenti correctionem probet.*

[1] i. Talis.

CApur autem omnium eorum, *est quòd* sit nobis Princeps pontificum, [1] is qui sedet à dextra throni majestatis in cælo:

2 Et factus est minister domus sanctæ & tabernaculi veri, quòd fixit Deus, & non filius hominis.

3 Omnis enim summus Pontifex qui adstat *altari*, *adstat* ut offerat oblationes & victimas: propterea conveniens etiam erat huic ut esset ei aliquid quod offerret.

4 Et, si in terra esset, [2] non etiam Pontifex esset: quia erant pontifices qui offerrent oblationes [3] secundùm quod est in Lege.

5 Illi *scilicet* qui ministrabant in similitudinem & umbram eorum quæ sunt in cælo juxta *sermonem* qui dictus fuit Musche, quum faceret tabernaculum, Vide, & fac omnia secundùm similitudinem illam quæ ostensa est tibi in monte.

6 Nunc verò ministerium quod excellentius est illo, accepit Jeschua Christus: quemadmodum excellentius quoque est fœdus illud in quo factus est mediator, & promissionibus, quę sunt excellentiores quàm *fuerit* [4] illius, sancitum est.

7 Si enim [5] fuisset prius [6] sine accusationibus, non fuisset locus huic secundo.

[2] Hoc est, Non esset cælestis.
[3] i. Juxta rationem qua præcipitur in Lege.
[4] Quod videlicet in monte Sina per Mosen mediatorem sancitum fuit?
[5] Ad verbum, Datum est.
[6] i. Omni ex parte absolutum, & in quo nihil requiri posset.

CÆterùm [a] eorum quæ dicimus *hæc summa est*, Talem *nos* habere Pontificem, qui consedit ad dextram throni majestatis illius in cælis,

2 [b] [c] Sanctuarii minister, [d] ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus, & non homo.

3 [f] Omnis enim Pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur: unde necesse fuit hunc quoque habere quod offerret.

4 [g] Nam si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset, manentibus illis sacerdotibus qui secundùm Legem offerunt dona.

5 Ut qui exemplari & umbræ deserviant rerum cælestium, sicut divinitùs dictum est Mosi, quum esset absoluturus tabernaculum, [g] Vide enim, inquit, *ut* facias omnia ad exemplar quod ostensum est tibi in monte.

6 [h] At nunc *noster ille Pontifex eo* excellentius ministerium sortitus est, quo præstantioris est fœderis intercessor, quod præstantioribus promissis sancitum est.

7 [i] Nam si prius illud tale fuisset ut nihil in eo posset requiri, haud quaquam fuisset secundo quæsitus locus.

[a] B. Paucis repetit illud ad quod omnia ista referenda sunt, nempe, & habere nos Pontificem longè alium quàm Levitici illi sint, ut qui sit ad dextram excellentissimi Dei in cælos usque evectus. [b] B. Levitici fuerunt Pontifices in terreno sacrario: Christus verò est in cælesti. [c] Cælorum. [d] B. Levitici in tabernaculo caduco sacerdotium suum exercuerunt: Christus autem tabernaculum circumfert longè aliud, nempe suum corpus, quod Deus ipse æternum futurum compegit, ut explicabitur infr. 9, 11. [e] Sui corporis. [f] B. Rationem adfert cur corpore (quòd vocat tabernaculum, quod Dominus fixit non homo) oportuerit præditum esse Christum, nempe ut haberet quod offerret: alioqui enim Pontifex non esset. Idem autem corpus, est tabernaculum & victima. [g] B. Rationem adfert cur dixerit Pontificem nostrum versari in cælesti sacrario, non autem in terreno: quoniam (inquit) ne si nunc quidem esset in terris, terreno sacrario ministraret, stantibus Leviticis sacerdotibus, quum ii propter illum sint constituti, i. ut sint illius perfecti exemplaris antitypi. Quorsum autem antitypi præsente ipso vero ac primario exemplari? [g] *Exod.* 25.40. *Actor.* 7.44. [h] B. Aggreditur collationem veteris ac temporarii fœderis, cujus sponsores fuerunt Levitici pontifices, cum novo, cujus æternus sponsor est Christus, ut non modò istud esse illo omnibus modis præstantius, sed etiam illud per hoc abrogatum fuisse declaret. [i] B. Esse aliquod secundum fœdus, ac proinde prius illud non fuisse perfectum probat ex Jeremjæ testimonio.

8 Nam incusans eos inquit, [l] Ecce, dies venient, dicit Dominus, quum [k] pangam cum [l] domo Israëlis & cum domo Juda fœdus novum.

9 Non secundùm fœdus quod feci cum Patribus ipsorum, quo die prehendi manum ipsorum ut educerem eos ex Ægypto: nam ipsi non perstiterunt in illo meo fœdere: & ego despexi eos, dicit Dominus.

10 Quamobrem hoc est fœdus quod paciscar domui Israëlis post dies illos, dicit Dominus, Indam leges meas menti eorum & cordi eorum inscribam: & ero ipsis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

11 Neque docebunt singuli proximum suum, & singuli fratrem suum dicentes, Cognosce Dominum: nam omnes cognoscent me, ab eo qui pusillus fuerit inter eos, ad eum usque qui magnus fuerit inter eos.

12 Ero enim propitius iniquitatibus eorum, & peccatorum ipsorum & iniquitatum ipsorum non recordabor ampliùs.

13 [m] Dum novum dicit, antiquavit prius: porrò quod antiquatur ac senescit, propè est ut evanescat.

[l] Jerem. 31.31, 32, 33, 34. Rom. 11.27. Infr. 10.16.
[k] Percutiam.
[l] Domum vocat, quasi unam totius regni familiam: Nam quum regnum Davidis scissum esset in duas factiones, eas significat Propheta novi fœderis auspiciis rursus conjunctum iri.
[m] B. Conclusio, Ergo posteriore novo tollitur prius antiquum: neque enim novum diceretur quod à vetere non dissideret. Tollitur autem id demùm quod est corruptioni obnoxium, ac proinde imperfectum.

8 Accusat enim eos, & dicit, Ecce, dies veniunt, ait Dominus, & complebo super domum, quæ est domus Israjel, & super domum quæ est domus Juda fœdus novum:

9 Non secundùm illud fœdus [7] quod sancivi cum patribus ipsorum in die quo apprehendi manum ipsorum, & eduxi eos è terra Ægypti: quoniam ipsi non perstiterunt in fœdere meo etiam ego sprevi eos: ait Dominus.

10 Hoc autem est fœdus quod sanciam cum domo quæ est domus Israjel, post dies illos, ait Dominus: *nempe* dabo ipsam Legem meam in mentibus eorum, & super corda eorum scribam eam: & ero eis ego Deus, & ipsi erunt mihi populus.

11 Et non docebit quisque [8] concivem suum, neque etiam fratrem suum, & non dicet, Cognosce Dominum: quia omnes cognoscunt me, à minimo eorum usque ad decrepitum eorum.

12 Et ero [9] propitius eis ab iniquitatibus eorum, & peccatorum ipsorum ampliùs non recordabor.

13 In eo quod dixit Novum, prius antiquavit: & id quod antiquatur & senescit, propinquum est corruptioni.

[7] Ad verbum, Quod dedi patribus illorum, Hebraismus.
[8] Ad verbum, Filium civitatis suæ, Hebraismus.
[9] Latinè, Et propitius ero eis, condonatis ipsorum iniquitatibus.

CAPUT IX.

1 *Tabernaculi dispositionem,* 10 *& ritus Legales,* 11 *ad veritatem in Christo exhibitam conferens,* 15 *concludit non jam ampliùs alio Sacerdote opus esse,* 24 *quia ipse Christus sub novo testamento has partes impleat.*

HAbuit [l] [a] igitur prius *fœdus* etiam constitutos religionis ritus, & sanctuarium [b] mundanum.

2 Tabernaculum enim constructum fuit: prius *quidem* in quo *erat* candelabrum, & mensa, & propositi panes, quod Sancta vocant.

3 Post [c] medium autem velum *erat* Tabernaculum quod vocant [d] Sancta sanctorum:

4 Aureum habens thuribulum, & Arcam Fœderis undique circumtectam auro: in qua, urna aurea habens manna, [l] & virga illa Aaron quæ germinavit, [l] & Tabulæ illæ Fœderis.

5 [l] Supra hanc autem Cherubim gloriosi obumbrantes [e] propitiatorium: de quibus non est nunc dicendum singulatim.

6 [f] His verò ita ordinatis, in prius quidem Tabernaculum quovis *tempore* ingrediuntur Sacerdotes ritus obeuntes:

7 In secundum autem, semel quotannis solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro seipso & *pro* populi [g] erratis:

8 [h] Hoc declarante Spiritu sancto, nondum patefactam fuisse viam ad Sacrarium, priore Tabernaculo adhuc consistente.

9 [i] Quod *erat* exemplar [k] pro tempore illo præsenti, quo dona sacrificiaq; [l] offeruntur, quæ non possunt in conscientia sanctificare cultorem,

[l] Exod. 26.1. & 36.1.
[a] B. Distributio prioris tabernaculi, quod mundanum (id est caducum) & terrenum vocat, in duas partes, nempe in Sancta & Sancta Sanctorum.
[b] Terrestre & caducum.
[c] Ad verb. secundum, secundum autem vocat velum, quod distinguebat Sancta sanctorum ab atrio sacerdotum: altero enim velo atrium sacerdotum distinguebatur ab atrio populi.
[d] Sacrarium sacratissimum.
[l] Num. 17.10.
[l] 1. Reg. 8.9. 2. Par. 5.10.
[l] Exod. 25.22.
[e] Hebræi Arcæ Fœderis opercul nomen à propitiatione derivant: sic illud Græci ἱλαστήριον, nos propitiatorium vocamus. [f] B. Jam accedit ad sacrificia, quæ dividit in illa quotidiana, & illud annuum ac solenne, in quo solus Pontifex in Sancta Sanctorum semel tantùm quotannis penetrans cum sanguine pro se & populo offerebat. [g] Pro peccatis. Vide suprà 5.2. [h] B. Ex illo ritu annuo, colligit ejusmodi sacrificiis non fuisse patefactam viam in cælum quod per Sancta sanctorum adumbrabatur. Cur enim Pontifex solus eò ingrediebatur, cæteris exclusis, idque ut ibi tum pro suis tum pro aliis offerret, & posteà rursus Sancta sanctorum occludebat? [i] B. Objectio, Si non aperiebatur iter in cælum illis sacrificiis (id est, si cultores per illa non expiabantur) cur ergo ritus illi usurpabantur? Nempe ut homines ad illud exemplar spirituale, nempe ad Christum revocarentur, suo adventu omnia illa correcturum. [k] Pro eo tempore quo vigere illud exemplar oportuit. [l] Sumsit tempus præsens, de re loquens, nulla habita temporis ratione.

[1] IN priori porrò erant præcepta ministerii, & domus sancta mundana.

2 In tabernaculo enim priore quod fabricatum fuit, erat candelabrum, & mensa, & panis [2] facierum, & vocabatur domus sancta:

3 Tabernaculum verò interius quod erat intra velum [3] secundum, vocabatur Sanctum sanctorum.

4 Et erat in eo [4] thuribulum aureum, & [5] Arca Fœderis, quæ obducta erat tota auro, & erat [6] in ea urna aurea, in qua *urna* erat manna, & virga Aharon illa quæ germinavit, & Tabulæ Fœderis.

5 Et supra hanc [7] Cherubim gloriæ, qui umbram faciebant supra propitiatorium. Nequaquam autem tempus est ut loquamur de unoquoque ex istis [8] quæ ita adornata erant.

6 Atque in tabernaculum exterius omni tempore ingrediebantur pontifices, & explebant munus suum:

7 In Tabernaculum verò quod interius illo erat, semel in anno solus ingrediebatur Princeps pontificum, cum sanguine illo quem afferebat pro seipso & pro delictis populi.

8 Per hoc verò notum faciebat Spiritus sanctus, quòd non manifestata esset adhuc via sanctorum, quanto tempore [9] durabat tabernaculum prius:

9 Et erat exemplar hoc pro tempore illo in quo oblationes & victimæ offerebantur, quę non poterant perficerere conscientiam ejus qui offerebat ipsas:

[1] F. Græcus textus adjicit nomen tabernaculi, quod non legit Syrus: nā ad διαθήκην refert, cujus proximè præcedente ver. meminerat, παλαιώσει τὴν πρώτην. Abesse potest, & ita vulgata Latina legit.
[2] i. Præsentarium. Sacer scilicet ille panis, de quo præcipitur Exodi 25.29. Facierum autem panis ideo dicebatur, quòd semper mensæ Domini impositus esse debuit ante conspectum arcæ: unde etiam Num. 4.7. vocatur Jugis panis.
[3] Secundum velum dicitur interius quod oppansum erat Arcæ, & dividebat sanctū sacrarium à sancto, respectu anterioris veli quod separabat sanctū ab atrio. utrumque describitur Exodi 36.35, & 37.
[4] Syrè, Domus aromatum. Non scribitur disertè in Lege aliquod fuisse thuribulum peculiariter destinatum sacrario: quod tamen hîc declarat Apostolus. F. vel locus aromatum; id autem est thymiaterium, vel altare suffitus, periphrasticè. [5] Vocabulum Græcum usurpat Paraphrastes. [6] F. vel in eo: ut principio versus: nam eadem planè hîc repetuntur verba. Consule Parallelos sacros. [7] id est, Gloriosi. Hebraismus. [8] Distinctionem Græcam mutat. F. nisi fortè hoc modo legeris: Quibus ita constitutis, & in Tabernaculum exterius omni tempore ingrediebantur Sacerdotes, & peragebant munus suum, &c. ut sit oratio πολυσύνδετος. [9] Ad verbum, Erat duratio priori tabernaculo.

10 Sed in cibo & in potu tantùm, & in ablutione [10] diversarum specierum: quæ sunt mandata carnis,& posita fuerunt usq; ad tempus [11] correctionis.

11 Christus autem qui venit, factus est Princeps pontificum rerum bonarum [12] quas effecit, & ingressus est Tabernaculum magnum & perfectum,quod non fuit factum manibus, neque fuit ex his rebus creatis:

12 Neque ingressus est cum sanguine hircorum & vitulorum,sed cum sanguine suo ipsius ingressus est semel in domum sanctuarii, & [13] invenit redemtionem quæ est in æternum.

13 Nam si sanguis hircorũ & vitulorũ,& cinis juvencę aspergebatur in eos qui inquinati erant, & sanctificabat eos ad purificationẽ carnis eorũ,

14 Quanto igitur magis sanguis Christi, qui per Spiritum qui est in æternũ, seipsum obtulit sine macula Deo, purificabit conscientiã [14] nostrã ab operibus mortuis, ut serviamus Deo viventi?

15 Idcirco ipse factus mediator Fœderis novi [15] qui per mortem suam idem factus est redemtor illis qui trangressi fuerant Fœdus prius,ut accipiant promissionem hi qui vocati sunt ad hæreditatem quæ est in æternum.

16 Ubi enim est [16] Testamentum, mortem ostendit ejus qui facit illud:

17 In mortuo enim illud duntaxat confirmatur,quia quum vivit is qui fecit illud,[17] non est in eo utilitas.

18 Propterea neque prius illud absque sanguine confirmatum fuit.

19 Quum enim [18] præceptum fuit omne preceptum à Musche populo universo secundùm Legem,accepit Musche sanguinem vituli, [19] & aquas cum lana coccinea & hyssopo, & aspersit librum & populum totum:

20 Ac dixit eis,Hic est sanguis Testamenti illius quod mandatum est à Deo.

21 Etiam Tabernaculum & omnia vasa ministerii illo ipso sanguine aspersit.

22 Quia quælibet res sanguine purificatur in Lege,& absq; effusione sanguinis nõ est remissio.

23 [20] Necesse enim est ut hæc quæ exemplar sunt cęlestium,istis purificentur: ipsa verò cælestia,victimis quæ potiores sunt istis.

24 Nequaquam enim in domũ sanctam, quæ facta fuit manibus,ingressus est Christus,quæ est exemplar illius veræ; sed in ipsum cælũ ingressus est, ut [21] conspiceretur ante faciẽ Dei pro nobis.

25 Neque vt offerret semetipsum [22] vicibus multis, sicut faciebat Princeps pontificum, qui ingrediebatur quolibet anno in domum sanctam cum sanguine qui non erat suus.

26 Alioqui oportuisset ut temporibus multis

[10] Ad verbum, Specierum, specierum.
[11] Quo omnia in meliorem statum constituenda erant.
[12] Videtur Paraphrastes collato Christi pontificatu cum Legali, discrimen in eo ponere, quòd Legalis inefficax esset, & non præstaret id quod adumbraret: Christi verò efficax, quia ipsa bona cælestia in legali pontificatu adumbrata, reipsa præstitit.
[13] F. i. obtinuit, consequutus est. Hebraismus.
[14] Mutatur persona ex illa similitudine ἡμῶν & ὑμῶν, de qua priùs.
F. nam etiam hoc modo in aliis libris, & in aliis illo modo legitur Latinè, & Græcè.
[15] F. velut per mortem suam esset redemtor, &c.
[16] Chaldæi atque adeò Syri vocem דיתיקא à Græcis mutuati frequenter usurpant pro instrumento sive literis cautionis, mandati, & extremæ voluntatis. Idem enim esse dicuntur atque שטר צוואה quod sonat instructionem, cautionem, instrumentum mandati. Ac eodẽ sensu Jerosolymitana paraphrasis Gen. 24. 10. eam accepit, ut auctor Aruk & Elias testantur.
[17] Nullius est vigoris.
[18] Hoc est, Promulgatum & recitatum.
[19] In Exo. 24. v. 6 7, 8. fit tantùm mentio sanguinis.
F. sed hæc ἀναλόγως ex Lege intelligenda sunt, vt in Parallelis nostris ostendimus. [20] Græcum nomen servat. [21] F. vel comparêret: quod est evidentius, sic versu 28. [22] Syrè, Temporibus: id est, Sæpe.

10 [m] In cibis dumtaxat & potionibus, & diversis ablutionibus ac ritibus carnalibus, usq; ad tempus directionis [n] imposita:

11 [o] Adveniens autem Christus Pontifex futurorum bonorum, [p] per [q] majus & perfectius Tabernaculum non manufactum, id est non hujus structuræ,

12 [r] Neq; per sanguinem [s] hircorum & vitulorum,sed per proprium sanguinem,ingressus est semel in Sacrariũ,æternam redemtionẽ [t] nactus.

13 [u] Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad [x] carnis puritatem:

14 Quanto magis [y] sanguis Christi qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, emundabit conscientiam vestram à [z] mortuis operibus, [a] ad serviendum Deo vivo?

15 [a] Itaque ob id novi Fœderis mediator est, [b] ut morte ad redemtionem earum transgressionum intercedente quæ fuerãt sub priore fœdere, qui vocati erant promissam æternam hæreditatem acciperent.

16 [a] Nam ubi testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris.

17 [b] Testamentum enim in mortuis ratum est: quandoquidem nondum valet quum vivit testator.

18 [b] Unde ne prius quidem illud absque sanguine dedicatum fuit.

19 [b] Quum enim Moses omnia mandata [c] secundùm Legem recitasset toti populo, sumto sanguine vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccina & hyssopo,simul & ipsum librum & totum populum [d] aspersit,

20 [e] Dicens,Hic *est* sanguis ille hujus fœderis de quo mandatum dedit ad vos Deus.

21 Insuper autẽ & Tabernaculum, & omnia vasa sacræ functionis sanguine similiter aspersit.

22 Et omnia ferè secundùm Legem sanguine purificantur: & absq; sanguinis effusione non fit remissio.

23 [e] Itaque necesse *fuit* exemplaria quidẽ eorum quę sunt in cælis, hisce rebus purificari, ipsa verò cælestia potioribus quàm hæ sint victimis.

24 [f] Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero *sacrario* respondens: sed in ipsum cælum, ut compareat nunc faciei Dei pro nobis.

25 [g] Neque ut sæpè offerat semetipsum, sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno:

26 ([h] Alioquin oportuisset eum sæpè passum

[m] 2. Alia ratio, Cur illa non potuerunt cultoris conscientiã mundare, quoniam videlicet externa erãt & carnalia, sive corporea.
[n] Fuerunt enim oneris instar, quod nobis Christus exemit.
[o] 4. Jam aggreditur figurarum explicationem, ac primò quidẽ Leviticum Pontificẽ comparans cum Christo (id est figuram cum re) huic tribuit futurorum bonorum administrationem (id est, æternorũ) in quæ illa carnalia respiciebant.
[p] 2. Alia collatio tabernaculi prioris corruptibilis cum posteriore (id est, cum humana Christi natura) quæ est verum Dei templum incorruptibile, in quod est ingressus Filius Dei, sicut Levitici pontifices in alterum illud caducũ.
[q] Præstantius & excellentius.
[r] 3. Alia collatio sanguinis victimarum cum Christo. Levitici per illa sua Sancta, in suum sacrarium penetrantes, sanguinem corruptibilem offerebant in unum annum duntaxat: Christus verò sanctum illud suum corpus ingressus, per illud in ipsum cælũ penetravit, quum suum ipsius sanguinem potissimum in æternam redemtionem obtulit. Idem enim Christus & pontifici, & tabernaculo, & sacrificiis & victimis ipsis correspondet, ut figuris veritas, ut unus & idem sit & Pontifex, & tabernaculum, & victima, eaq; omnia verè & in æternum. [s] Adhibebatur enim in hoc reconciliationis anniversario sacrificio, duplex victima, juvencus & hircus. [t] Meritò adeptus, idque nobis. [u] *Lev. 16. 14. num. 19. 4.* [u] 2. Si externa sanguinis & cineris animaliũ aspersio verum & efficax fuit purgationis symbolum, res ipsa ac præsens veritas, illis æternis sacramentis olim adumbrata, quanto magis hoc ipsum præstabit? id est sanguis ejus qui sic est sanguis hominis, ut sit etiam Filii Dei sanguis, ac proinde æterna vivificandi virtute præditus. [x] Symbola à re separata seorsim considerans. [y] *1. Pet. 1. 19. 1. joh. 1. 7. apoc. 1. 5. luc. 1. 74.* [z] A peccatis quæ à morte proficiscuntur, & nihil aliud quàm mortem generant. [a] *Luc. 1. 74.* [a] Conclusio superioris argumenti: Itaque quum pecuinus sanguis non expiaret peccata, novum Fœdus olim promissum in quod illa externa respiciebãt, nunc est reipsa sancitum, cujus virtute omnes prævaricationes tollantur, & cælum nobis verè aperiatur. Hinc autem sequitur, Christum etiam pro Patribus fudisse sanguinem, ut qui per veteres illos ritus fuerit adumbratus, alioqui nisi illi repræsentando servivissent, prorsus inutiles. Itaq; hoc fœdus vocatur posterius, non quod ad efficaciam, id est, remissionẽ peccatorum, attinet, sed ejus temporis respectu quo res ipsa peracta est, id est, quo Christus revera mundo exhibitus, omnia implevit ad salutem nostrã necessaria. [b] *Rom. 5. 6. 1. Pet. 3. 18.* [a] 2. Ratio cur sponsoris morte oportuerit hoc fœdus sanciri, Quoniã habet hoc fœdus rationem Testamenti seu donationis mortis causa, ideoq; ut effectum sortiretur, oportuit testatoris mortem intervenire. [a] *Gal. 3. 15.* [b] 3. Analogiam esse oportet inter ea quæ purificant & quæ purificantur. Sub Lege typi omnes illi terreni erant, Tabernaculum, liber, vasa, victimæ, quamvis rerum cælestium typi. Oportuit igitur illa omnia lustrari ejusdem naturæ materia ac ritu, nempe pecudum sanguine, aqua, lana, hyssopo. Sub Christo verò cælestia sunt omnia, cæleste tabernaculum, cælestis victima, cælum deniq; ipsum pro æterna sede proponitur. Itaq; hæc omnia simili ratione, nimirum vivifici illius sanguinis Christi æterna oblatione, sanctificantur. [b] *Exo. 24. 8.* [c] Sicut Dominus præceperat. [d] Aspergere cõsuevit. [e] *Exod. 24. 8.* [e] Rerum cælestium typi fuere terreni: itaq; eos rebus terrestribus lustrari oportuit, putà sanguine pecudũ, lana, hyssopo. At sub Christo omnia cælestia fuerũt, quare ea vivifici illius sanguinis oblatione sanctificari oportuit. [f] 3. Alia collatio duplex, Pontifex Leviticus in Sacrariũ illud ingrediebatur, Dei quidem jussu, sed tamen hominũ manu fabrefactũ, ut esset alterius excellentioris, nempe cælestis regiæ, exemplar. Christus verò in cælos usque penetravit. Itẽ ille coram arca, Christus corã Deo ipso Patre comparet. [g] 2. Alia collatio duplex, Leviticus Pontifex alienũ, Christus suũ sanguinẽ obtulit: ille quotannis repetebat oblationẽ, Christus semel tantum sese offerẽs peccatũ in genere abolevit, tum præteritorũ tum venturorũ seculorũ. [h] 3. Argumentũ nõ repetendæ Christi oblationis. Quũ à condito mũdo fuerint expianda peccata, & probatũ sit solo Christi sanguine peccata posse expiari, oportebat ipsum à condito mũdo sæpe mortuũ esse. Atqui homo semel tantũ mori potest. Ergo Christi oblatio novissimis tẽporibus peracta, repeti nec potuit nec potest. Quod quũ ita sit, certè vis ipsius ad præterita & ad consequẽtia ipsius adventũ peccata porrigitur,

paterentur [Gg] fuisse

fuisse à jacto mundi fundamento) sed nunc semel [i] in cōsummatione seculorū, ad [k] peccatū per immolationem suiipsius abolendum patefactus est.

27 Et sicut illud statutum est hominibus ut [l] semel moriantur, posteà verò judicium:

28 Ita & Christus semel oblatus ut *in seipso* attolleret [m] multorum peccata, [n] secundò absq; peccato conspicietur iis qui ipsum exspectant, ad salutem.

i Diebus novissimis.
k Totam illam peccati radicem.
l De naturali hominum conditione loquitur. Nam quòd Lazarus & alii bis mortui sunt, extraordinarium fuit: in iis verò qui repentè immutabuntur, immutatio illa species mortis erit, 1. Corinth. 15. 51. [l] Rom. 5. 8. 1. per. 3. 18. [m] Sic universalis promissio ad solos electos restringitur: quærendum est autem electionis testimonium non in arcano Dei consilio, sed ex fidei effectis, ut ab imo gradu ad summum progrediamur, ibi demum certam & immobilem consolationem inventuri. [n] 2. Obiter proponit Christum judicem, partim ad eos terrendos qui in una unius Christi oblatione semel facta non acquiescunt, partim ut fideles in officio contineat, ne resiliant.

pateretur à principio mundi: nunc autem in novissimo *tempore* mundi semel obtulit semetipsum per immolationem sui, ut aboleret peccatum.

27 Et sicut constitutū est filiis hominis ut [23] semel moriantur, & post mortē eorum judicium:

28 Ita etiam Christus semel oblatus est, & in seipso mactavit peccata multorum: [24] secunda autem vice absq; peccatis conspiciendus est ad salutem eorum qui exspectant ipsum.

23 Ad verbum, Uno tempore.
24 Id est, Iterum. Hebraismus.

CAPUT X.

1 Legis sacrificia inde colligit infirma fuisse, 2 quia quotannis repetebantur: 5 Christi verò hostiam unicam esse & perpetuam, 6 Davidis testimonio probat. 19 Hinc exhortationem subjiciens, 29 severè iis minatur, qui Christi gratiam abjecerint. 36 Postremò tolerantiam, 38 quæ ex fide nascitur, commendat.

LEx [a] enim umbram obtinens [b] futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum, iis hostiis quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquam potest accedentes sanctificare:

2 Alioqui desiissent offerri, propterea quòd sacrificantes, semel purgati, nullorum peccatorum ampliùs essent sibi conscii.

3 At in istis *fit* repetita mentio peccatorum quotannis.

4 Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.

5 [c] Quapropter [d] ingrediens mundum, dicit, [e] Sacrificium & oblationem noluisti, [e] corpus autem adaptasti mihi.

6 Holocautomata & hostiam pro peccato non approbasti.

7 Tunc dixi, Ecce adsum (in capite libri scriptum est de me) ut faciam, Deus, voluntatē tuam.

8 Quum superiùs dixisset, Sacrificium & oblationem & holaucotomata & hostiam pro peccato noluisti, neque approbasti: (quæ juxta Legem offeruntur)

9 Tunc dixit, Ecce adsum, ut faciam, Deus, voluntatē tuā. [f] Tollit prius, ut posterius statuat.

10 Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel *factam*.

11 [g] Omnis igitur Sacerdos [h] adstat quotidie sacris operans, & easdem sępiùs offerens hostias, quæ nunquam possint auferre peccata:

12 Hic verò una pro peccatis oblata in perpetuum victima [l] consedit ad dextram Dei:

13 [i] De cætero exspectans, [l] donec inimici ipsius pro scabello pedum ejus ponantur.

14 Unica enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.

15 [k] Testificatur autem hoc nobis & ipse Spiritus sanctus, nam posteaquam prius dixit,

16 [l] Hoc est fœdus quod paciscar cum eis post dies illos, dicit Dominus, indam leges meas cordibus eorū, & eorum mentibus eas inscribam:

17 Et peccatorum atq; iniquitatum ipsorum [l] non recordabor ampliùs.

a 3. Occurrit tacitæ objectioni, Cur igitur illæ hostiæ offerebantur? Respondet primùm Apostolus de anniversario illo sacrificio quod erat omnium maximè solenne, in quo (inquit) fiebat quotannis omnium superiorum peccatorum mentio repetita. Ergo illud non habuit vim sanctificandi. Quorsum enim repeterentur jam expiata peccata, & unde nova peccata prodirent quotannis repetenda, si illa sacrificia peccatum abolerent?
b Æternorum, quæ Patribus promissa, in Christo exhibita fuerunt.
c 3. Illatio ex præcedentibus, reliqua etiam sacrificia comprehendens: Quum Legalia sacrificia hoc non possent efficere, ideo Christus de se loquens ut declarato in carne nostro Pontifice, disertè testatur Deum non acquiescere in sacrificiis, sed in Filii sui, nostri videlicet Pontificis, obedientia, qua seipsum Patri pro nobis semel obtulit. [d] Ingressus mundū dicitur Filius Dei, quū homo factus est. [e] Ps. 40. 7. [e] Ad verbum, ut in Hebræo habetur, Aures perfodisti mihi: id est, docilem me & obsequentem ad audiendum reddidisti. [f] Tollit prius, id est sacrificia, ut statuat posterius, id est voluntatem Dei. [g] 3. Epilogus cum altera parte collationis: Leviticus Pontifex quotidie in suo tabernaculo eadem sacrificia repetit: ex quo consequitur, neque illis sacrificiis, neq; illis victimis, non deniq; illis pontificibus tolli potuisse peccata. At Christus una victima (seipso videlicet) pro peccatis omnium semel oblato, suis in æternum sanctificatis, sedet ad dexteram Patris, omnem potestatem adeptus. [h] Sub Adaram. [l] Sup. 1. 13. [i] 2. Occurrit tacitæ objectioni. Nos videlicet nihilominus adhuc esse obnoxios peccato & morti. Ad quod respondet Apostolus, plenam efficaciam virtutis Christi nondum sese exeruisse, sed tandem apparituram quum omnes semel hostes suos, quibuscum adhuc luctamur, profligabit. [l] Psal. 110. 2. 1. cor. 15. 25. Sup. 1. 13. [k] 2. Quamvis adhuc supersint peccati reliquiæ in nobis, ab eodem tamen nunquā repetendo sacrificio pendere nostræ perficiendæ sanctificationis opus, sic probat Apostolus, rursum prolato ejusdem Jeremiæ testimonio: Novo fœdere sublatum est peccatum, quum dicat Dominus fore ut ex ejus formula peccatorum nostrorum ampliùs nō recordetur. Ergo nullo jam expiatorio sacrificio egemus quo tollatur quod jam est sublatum, sed danda potius opera ut nunc illius sacrificii fiamus per fidem participes. [l] Jerem. 31. 33. rom. 11. 27. Sup. 8. 8. l Ubi igitur purgatorius ignis, & distinctio illa pœnæ & culpæ?

IN ipsa enim Lege umbra erat bonorum futurorum, neq; substantia ipsarum rerum. Idcirco quū quolibet anno [1] eædem victimæ offerrentur, nunquam potuerunt perficere illos qui offerebant eas.

2 Si enim perfecissent, jam olim quievissent ab oblationibus suis, eo quòd non ampliùs sauciasset eos conscientia ipsorum ob peccata, ipsorum *inquam* qui semel [2] purificati fuissent.

3 Atqui in istis victimis commemorabāt peccata sua quolibet anno.

4 Non enim potest sanguis taurorum & hircorum emundare peccata.

5 Quapropter quum ingrederetur in mundū, ait, Victimas & oblationes noluisti, corpore autem induisti me.

6 Et [3] holocautomata quæ sunt pro peccatis non petiisti.

7 Tunc dixi, Ecce ego venio (quia in capite [4] libri scriptum est de me) ut faciam voluntatem tuam, Deus.

8 Superiùs dixit, Victimas & oblationes, & holocautomata, & quæ sunt pro peccatis, noluisti: (quæ offerebantur in lege)

9 Et posteà dicit, Ecce venio ut faciam voluntatem tuam, Deus. In hoc abolet primum, ut stabiliat secundum.

10 Hac enim voluntate ejus sanctificati sumus, per oblationem corporis Jeschua Christi quæ fuit [5] unius vicis.

11 Omnis enim princeps pontificum qui adstabat, & ministrabat quotidie, [6] easdem victimas offerebat quæ nunquam potuerunt emundare peccata.

12 Hic verò unam victimam obtulit pro peccatis, & sedet ad dexteram Dei in æternum:

13 Et exspectat deinceps, donec ponantur inimici sui scabellum sub pedibus suis.

14 [7] Una enim oblatione perfecit eos qui sanctificantur per ipsum in æternum,

15 Testificatur autem nobis Spiritus sanctus qui dixit,

16 Hoc est fœdus quod [8] sanciam eis post dies illos, ait Dominus, Dabo Legem meam in mentibus eorum, & super corda eorum scribam eam:

17 Et iniquitates eorum & peccata eorum non [9] commemorabo eis.

1 Syriacè הנון כר הנון Illæ sicut illæ.
2 V. Syr. purificati sibi. Pleonasmus, de quo Matth. 4. 10.
3 Ad verbum, Combusta integra. Nam in illo genere sacrificiorum nihil accipiebant sacerdotes, sed omnia igni imposita comburebantur Deo. Unde Hebraicè hoc sacrificium dictum fuit כליל quod sonat Penitus, Omnino.
4 Syrè, Scriptorum.
5 i. Quæ semel tantum fuit: ut antè vidimus.
6 Syriacè [illegible] in principio capitis.
7 i. Unica.
8 Ad verbum, Dabo.
9 Subaudi, In commemoratione eorum.

10 Ad verbum, Retectio facierum. Phrasis Syra multis jam locis exposita.
11 ו. Præfectus domus Dei.
12 ו. vel vero: nam utrumque significatur Hebræa voce, & Syra [illegible].
13 Vel, & purificati. Tam cordibus, quam nobis potest accommodari.
14 Hoc est, Officium, & in tuenda sacra communione fidem & constantiam.
15 Ad verbum, Homini homini.
16 ו. vel adhortamini alter alterum.
17 ו. Ultro.
18 id est, Vehementissima ira Dei, quæ per metaphoram comparatur igni. Periphrasis est qua utuntur etiam Ezechiel cap. 36.5. & Tsephan. cap. 1.3.
19 Chaldæa & Syra phrasis. Præditos inimicitia. Ad verbum, Dominos inimicitiæ, בעלי דבבא.
20 Copula Et, loco disjunctivæ Aut.
21 Ad verbum, Impositionem in caput. Alludit autem ad morem in Lege præscriptum, ut testes manus capiti damnati imponerent, Levit. 24.15.
22 ו. Non pluris fecerit sanguinem Christi, quo sancitum est fœdus Dei, quàm cujusvis hominis sanguinem ejusdam pollutum.
23 Externa professione.
24 Paraphrastes ex Græco ἀγῶνα.
25 Lectio Græca extendit.
26 ו. Et nō perit.
27 Ad verb. Retectionem faciei: quod prius declaratum est.
28 ו. al. ex fide quæ est in me: ut sint verba Dei sequenti membro ἀντιθέτως respondentia. 29 ו. vel quæ facit ut possideamus animam nostram. Sic loquitur Christus, Lucæ 21.19.

18 Ubi autem est remissio peccatorum, non requiritur oblatio quæ *fiat* pro peccatis.
19 Est nobis igitur, fratres mei, [10] fiducia ad ingressum domus sanctæ, per sanguinem Jeschua:
20 Et via vitæ, quam innovavit nobis nunc per velum, quod est caro ipsius.
21 Et est nobis Pontifex summus [11] super domum Dei.
22 Accedamus itaq; corde [12] firmo & exspectatione fidei, aspersis cordibus nostris [13] & purificatis à conscientia mala,
23 Et abluto corpore nostro aquis puris; & perseveremus in confessione spei nostræ, & non declinemus: Fidelis est enim qui promisit nobis.
24 Et intenti simus alius in alium in provocatione charitatis & operum bonorum:
25 Et ne deseramus [14] congregationem nostram, sicut est mos [15] quibusdam, sed [16] flagitate unus ab alio, quanto magis videtis quòd appropinquet dies ille.
26 Si enim [17] voluntate sua peccaverit quispiam postquam accepit cognitionem veritatis, non est ampliùs victima quæ offeratur pro peccatis:
27 Sed futurum est judicium formidabile, & [18] zelus ignis devorantis [19] inimicos.
28 Si enim is qui transgressus est Legem Musche, per os duorum [20] & trium testium absq; miserationibus moritur,
29 Quanto magis putatis *quòd* [21] condemnationem accipiet is qui conculcaverit Filium Dei, & [22] duxerit sanguinem Fœderis ejus tamquam cujusvis hominis, (per quem *sanguinem Christi*, [23] sanctificatus fuerat & ignominia affecerit Spiritum gratiæ?
30 Novimus eum qui dixit, Mea est ultio, & ego rependam. Et rursum, Judicabit Dominus populum suum.
31 Pavor est maximus incidere in manus Dei viventis.
32 Memores estote igitur dierum priorum in quibus accepistis ablutionem, & [24] certamen magnum sustinuistis passionum,
33 Cum probris & cum afflictione: & quòd facti fuistis spectacula, & etiam consortes facti fuistis hominum qui hæc sustinuerunt:
34 Et doluit vobis propter eos [25] qui vincti erant: & direptionem facultatum vestrarum cum gaudio sustinuistis: quoniam scitis quòd est vobis possessio in cælis quæ potior est, [26] & non transit.
35 Ne itaque amittatis [27] fiduciam quæ est vobis, cui futurum est præmium magnum.
36 Patientia enim necessaria est vobis, ut faciatis voluntatem Dei, & accipiatis promissum.
37 Propterea quòd modicum est tempus & admodum pusillum, & veniet ille qui venturus est, & non tardabit.
38 Justus autem [28] ex fide sua vivet: & si *illa* excidatur illi, non delectatur eo anima mea.
39 Nos autem non sumus excisionis quæ ducit ad perditionem, sed fidei [29] quæ acquirit nobis animam nostram.

18 Porrò ubi *est* horum remissio, non *est* ampliùs oblatio [m] pro peccato.
19 [n] Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi Sacrarium per sanguinem Jesu,
20 Ea via quam dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, [o] hoc est per carnem suam:
21 *Quumque habeamus* Sacerdotem magnum, præfectum domui Dei:
22 [p] Accedamus cum [q] vero corde, & certa persuasione fidei, aspersione [r] purgatis cordibus à conscientia mala:
23 Et abluto corpore [s] aqua pura, teneamus confessionem spei non vacillantem, (fidelis enim *est* qui promisit)
24 Et observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera:
25 Non deserétes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos *est* quibusdam, sed adhortantes *alii alios* [t] idq; eo magis, quòd videtis illum diem appropinquare.
26 [a] Nam si [u] ultrò peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia:
27 Sed horrenda quædam exspectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus est [x] adversarios.
28 [y] Qui irritam fecerit Mosis Legem, absq; misericordia ex [z] duorum aut trium testimonio moritur:
29 Quanto (putatis) acerbiore supplicio dignus censebitur qui Filium Dei conculcârit, & sanguinem fœderis per quem fuerat sanctificatus profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit?
30 [a] Novimus enim eum qui dixit, [b] Meum est ulcisci, ego rependam, dicit Dominus. Et rursum, [b] Dominus [a] judicabit populum suum.
31 Horrendum est incidere in manus Dei vivi.
32 [b] Revocate verò in memoriam superiores dies, quibus postquam illustrati fuistis, ingens certamen afflictionum sustinuistis.
33 Partim quidē dum & cum probris & cum afflictionibus [c] in theatrum estis producti: partim verò dum [d] socii facti estis eorum qui sic agitantur.
34 Nam & de vinculis meis mecum doluistis, & direptionem eorum quæ vobis suppetebant cum gaudio excepistis, ut qui sciretis *vos* habere apud vos potiorem [e] substantiam in cælis, & quę permaneat.
35 Ne igitur abjicite liberam illam professionem vestram, quæ magnam habet præmii retributionem.
36 Nam tolerantia vobis est opus, ut voluntati Dei obsequuti reportetis promissionem illam.
37 Adhuc enim [f] pusillum quantulumcúmq;, & qui venturus est, veniet, neque tardabit.
38 [g] Justus autem ex fide vivet: at si *quis* se subduxerit, non probat eum animus meus.
39 At nos non ii sumus qui nos subducamus ad exitium, sed qui credamus ad animæ salutem.

[m] Benè addidit pro peccato. restat enim alia oblatio, nempe actiodis gratiarum.
[n] 3. Summa superioris tractationis. Nunc non excludimur à Sacrario ut Patres, sed in verum Sacrarium, id est, in cælum, patet nobis aditus, non pecudum, sed Jesu sanguine purificatis. Neque ut olim, opposito velo nos excludit Pontifex, sed per velum, id est, carnem suam, in cælum ipsum nobis præiens, nos introduxit, ut verè jam habeamus magnum sacerdotem domui Dei præpositum.
[o] Sic caro Christi divinitatem nobis quasi sub velo ostendit, cujus alioqui fulgorem non possemus sustinere.
[p] 3. Exhortatio gravissima, in qua docet, quo modo nobis sacrificium illud Christi applicetur, nimirum fide: quam etiam describit à consequentibus, nimirum sanctificatione Spiritus, quæ facit ut certò in Deum speremus, & pro mutua charitate alii aliorum salutem modis omnibus procuremus.
[q] Minimè subdolo vel fucato, sed quod verè sit addictum Deo.
[r] Hoc est quod dicit Dominus, Sancti estote, quia ego Sanctus sum.
[s] Spiritus sancti gratia.
[t] 3. Facta rursus adventus Christi mentione, fideles acuit ad sanctam vitæ meditationem, & perfidos apostatas ad horrendum judicis tribunal citat, quòd eum in quo solo posita est salus, perfidiosè rejecerint.

[u] Sine aliqua causa, aut causæ specie. [x] Aliud enim est humanitùs peccare, aliud Deo tanquam hosti bellum indicere. [y] 3. Si capitale fuit Legem Mosis violare, quanto magis exitiosum est à Christo deficere? [z] Deut. 19.15. mat. 18.16. joh. 8.17. 2. cor. 13.1. [a] 3. Ratio [illegible] est, Quia Deus [illegible] vindicator: alioqui Ecclesiam suam ritè non gubernaret. Nihil est autem ira Dei vivi horribilius. [b] Deut. 32.35. Rom. 12.19. [b] Gubernabit. [b] 3. Sicut [illegible] territos, ita constantes & firmos nunc consolatur, propositio superiorum certaminum successu, ad certam spem plenæ & quidem proximæ victoriæ [illegible]. [c] Ignominiæ causa estis producti. [d] Eorum ærumnas vobiscum communes esse duxistis. [e] Bona ac facultates. [f] Paululum admodum temporis adhuc superest, dum veniat. [g] Habac. 2.4. rom. 1.17. gal. 3.11. [g] 3. Firmæ fidei præstantiam ab effectis commendat, quòd unicum sit ad vitam iter; quam sententiam illustrat opposito contrario.

CAPUT XI.

1 Tractat usque ad finem capituli, non aliunde salutem adeptos esse patres, quicunque ab initio mundi Deo probati fuerunt, quàm ex fide: ut sciant Judæi hac sola se colligari patribus in sanctam unitatem.

EST[a] autem fides,[b] illud quo exstant quæ sperantur, & quæ demonstrat quæ non cernuntur.

2 [c]Ob eam enim testimonio sunt ornati [d]majores.

3 [e][l]Per fidem intelligimus constructum fuisse mundum verbo Dei, [f] ut quæ cernimus non sint ex apparentibus facta.

4 [l][g]Abel per fidem, majoris pretii sacrificium obtulit Deo quàm Cain: per quam testimonio fuit ornatus, quòd esset justus, testimonium perhibente Deo de donis ejus: & mortuus adhuc per hanc loquitur.

5 [h][l]Per fidem Enochus fuit translatus, ne [i]videret mortem: nec fuit inventus, propterea quòd transtulerat eum Deus. priusquam enim transferretur, testimonium obtinuerat quòd placuisset Deo.

6 Atqui fieri non potest ut sine fide quisquam *ei* placeat: nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse *Deum*, & [k] præmia largiri iis qui ipsum requirunt.

7 [l][l]Per fidem divinitùs admonitus Noë de iis quæ nondum videbantur, veritus apparavit arcam ad servandam domum suam: per quam *arcam* condemnavit mundum, & ejus quæ ex fide est justitiæ factus est hæres.

8 [m][l]Per fidem vocatus Abrahamus auscultavit *Deo*, ut abiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem, & exivit, nesciens quo esset venturus.

9 Per fidem commoratus est in terra promissa ut aliena, commoratus in tabernaculis cum Isaac & Jacob cohæredibus ejusdem promissionis.

10 Exspectabat enim [n] civitatem illam habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus.

11 Per fidem [l]& ipsa Sara vim ad concipiendum semen accepit, ac præter tempus ætatis peperit, quòd fidelem *esse* duxerit eum qui promiserat.

12 Quapropter & ex uno, eóq; jam [o] emortuo, nati sunt *posteri*, quanta est astrorum cæli multitudo, & quasi arena illa innumerabilis quæ est ad oram maris.

13 Secundùm [p] fidem mortui sunt isti omnes, non adepti [q] promissa, sed eminùs ea conspicati, postquam *ipsis* fuissent persuasa, [r] & *ea* amplexi fuissent, ac professi se hospites & advenas esse in terra.

14 Nam qui hæc dicunt, palàm ostendunt se patriam quærere.

15 Quòd si illius memores fuissent ex qua exierant, habere poterant tempus ad revertendum:

16 Atqui meliorem expetunt, hoc est cælestem, quapropter Deum non pudet eorum, *id est* cognominari Deus eorũ. paraverat enim eis urbem.

17 [l]Abrahamus quum [s]tentaretur, obtulit Isaacum per fidem: unigenitum, inquam, illum obtulit is qui [t] promissiones exceperat,

a 2. Excellens fidei descriptio ab effectis, quòd res adhuc in spe positas repræsentet, & invisibilia veluti oculis subjiciat.
b Ad verbum, subsistentia eorum quæ sperantur.
c 2. Docet Patres ex hac demùm virtute esse æstimandos.
d Ad verbum, seniores. i. illi Patres à quibus orti sumus, & quorum auctoritate & exemplo nos plurimùm commoveri par est.
e 3. Proprium fidei ostendit, propositis selectissimis exemplis eorum qui à condito mundo in Ecclesia excelluerunt.
l Gen. 1. 3. Joha. 1. 10.
f Ita ut mundus iste quem cernimus non sit ex aliqua apparente ac subsistente materia, sed ex nihilo conditus.
l Gen. 4. 4. mat. 23. 35.
g 2. Abel.
h 2. Enoch.
l Gen. 5. 24. ecc. 44. 16. & 49. 14.
i Ne moreretur.
k Præmium refertur non ad nostrum meritum, sed ad ultroneam promissionem, quod in Abrahamo fidelium Patre docet Paulus, Rom. 4. 4.
l 2. Noë.
l Gen. 6. 13. ecc. 44. 17.
m 3. Abraham & Sara.
l Gen. 12. 4.
n Opponuntur fundamenta firma tabernaculis.
l Gen. 17. 19. & 21. 2.
o Non magis ad generandum habilis, quàm si prorsus mortuum fuisset.
p Fide, quam vivi habuerunt eorumque ad sepulcrum comitante. q Metonymicè, res promissas. r Patriarchæ e[illegible] fidem suam [illegible] sunt [illegible], [illegible]; & invocato Dei nomine. l Gen. 22. 10. ecc. 44. 20. s Exploraretur à Domino. t [illegible] promissiones vitæ in illo unigenito Isaaco factæ essent, illũ tamen [illegible] deditione: sic in spem contra spem credidit.

EST autem fides persuasio de *rebus* illis quæ sunt in spe [1] ac si essent [2] illis in effectu, & *est* [3] evidentia eorum quæ [4] non conspiciuntur.

2 Et [5] ob hanc exstat testimonium de antiquis.

3 Per fidem enim intelligimus quòd constructa fuerint secula sermone Dei, [6] & ea quæ conspiciuntur, exstiterint, ex iis quæ non conspiciuntur.

4 Per fidem obtulit Habel sacrificium, [7] quod melius fuit multò quàm Kain, Deo, & propter eam editum est de illo testimonium quòd justus esset, & [8] testatur de oblatione ejus Deus: atque propter eam, etiam mortuus loquitur.

5 Per fidem translatus fuit Chanuch, & [9] mortem non gustavit, nec fuit inventus, eo quòd transtulisset eum Deus. Etenim antequam transferret eum, editum est de eo testimonium, quòd placuisset Deo.

6 Sine fide autem non potest quisquam placere Deo: debitor enim est is qui accedit ad Deum, ut credat quòd *Deus* sit, & iis qui quærunt se, futurus sit remunerator.

7 Per fidem Nuach, [10] quum dictum esset ei de iis quæ non videbantur, [11] reveritus est, & fecit sibi [12] arcam [13] in salutem familiæ suæ: per quam *arcam* condemnavit mundum, & factus est hæres justitiæ quæ est per fidem.

8 Per fidem Abraham, quum vocaretur, auscultavit ut exiret ad locum illum quem accepturus erat in hæreditatem; & exivit quum ignoraret quò proficisceretur.

9 Per fidẽ factus est incola in terra quæ promissa fuerat ei, tamquam in aliena: & in tabernaculis habitavit cum Isaac & Jaakub filiis [14] hæreditatis ejusdem promissionis.

10 Exspectabat enim urbem illam [15] cui sunt fundamenta, cujus artifex & conditor Deus est.

11 Per fidem Sara, quæ sterilis erat, accepit vim ut conciperet semen; & [16] quæ non erat in tempore annorum suorum peperit, eo quòd firmiter credidit quòd fidelis esset ille qui promisit sibi.

12 Propterea ab uno qui [17] exoleverat per senectutem, geniti sunt multi, tamquam stellæ quæ sunt in cælo, & tamquam arena quæ est ad littus maris, cui non est numerus.

13 In fide mortui sunt isti omnes, & [18] non adepti sunt promissum suum, sed è longinquo cõspicati sunt illud, & gavisi sunt in eo, ac confessi sunt, quòd hospites essent & incolæ in terra.

14 Hi autem qui hæc dicunt, ostendunt quòd civitatem suam quærant.

15 [19] Quòd si civitatem illam ex qua egressi fuerãt quæsivissent, erat eis opportunitas ut rursus reversi proficiscerentur ad eam.

16 Nunc autem manifestũ est quòd eam quæ melior est illa, desiderabant, illam *videlicet* quæ est in cælo. Quapropter non [20] abstinuit Deus quominus Deum eorum se vocet: paraverat enim eis civitatem.

17 Per fidem obtulit Abrahamus Isaacum [21] in tentatione sua, & unigenitum suum obtulit super altare, illum quem acceperat per promissionem.

1 Id est, quæ ita certos reddit homines de eo quod sperant, ac si jam illud complerum esset & effectu præstitum.
2 Illis, Relativum sine antecedente expresso, Refert autem eos qui fide sunt persuasi de iis quæ adhuc sperant.
3 Syrè, Manifestatio.
4 Id est, Ex nihilo.
5 F. vel ex hac exstat testimonium, &c.
6 F. Syrus pro ἐκ legit ἀεὶ, sensu evidentissimo.
7 F. quàm sacrificium videlicet Kain: id enim Syrus articulus indicat.
8 Id est, Testimonio suo approbat oblationem ejus. F. vel testatus est: quod magis præcedentibus videtur convenire.
9 Hebraismus jam priùs notatus in 2. Act. & ad Hebræos 2. Nec hinc sequitur eum prorsus mortis expertem fuisse, significat enim, cõmuni ratione, qua reliqui mortales solent, mortuum non fuisse. Fuit enim subita quædam immutatio per quam translatus est ab hac misera, in fœlicem illam vitam, de qua Paulus, 1. Cor. 15.
10 Id est, Quum oraculo divino admonitus esset de futuro diluvio, & de Dei erga se & suos favore.
11 Subaudi, Judicium Dei, ut iram ejus antevertet.
12 Imitatus vocem Græcam κιβωτὸν.
13 Ad vitam filiorum domus suæ, ad verbum.
14 Id est, Hæredibus ejusdem promissionis.
15 Id est, Firmam & perpetuam.
16 Id est, Quum jam excessisset annos quibus mulieres parere solent. 17 Id est, exhaustus viribus, &c. 18 Id est, Id quod promissum ipsis à Deo fuerat non acceperunt. 19 Deerat in Syro Testamento impresso initium hujus versus: nempè אילו למדינתא הי דנפקו מנה בעין הוו. Et, si civitatem illam ex qua exiverant quæsivissent, quod nos ex Syro manuscripto Heidelbergensi restituimus. 20 Antropopathiæ asperitatem lenit, quæ in verbo Erubescendi apparebat in Græco contextu, 21 Id est, Quum Deus fidem ejus explorans, præciperet ut unicum filium immolaret.

18 [l]Ad

18 Dictum

18 Dictum enim fuerat ei, In Isaac vocabitur tibi semen.
19 Et cogitavit apud seipsum, quòd [22] facultas esset in manibus Dei etiam à morte excitare: quapropter in typo datus est ei.
20 Per fidem ejus rei quæ futura erat, benedixit Ischak Jaakub & Isau.
21 Per fidem, moriens Jaakub benedixit unicuiq; ex filiis Jauseph, [23] & adoravit super summitate baculi sui.
22 Per fidem Jauseph moriens meminit eductionis filiorum Israjel, & mandavit de ossibus suis.
23 Per fidem, parentes Musche occultaverunt eum quum natus esset, menses tres, quòd viderent quòd esset pulcher puellus, & non metuerunt à mandato regis.
24 Per fidem, Musche quum esset vir factus,
[24] renuit vocari filius filiæ Pharaonis:
25 Et [25] elegit sibi ut in afflictione cum populo Dei esset, [26] & non ut tempore modico delectaretur suaviter in peccato:
26 Et cogitavit quòd major esset opulentia probri Christi multo quàm thesaurus Ægypti. Intentus enim erat in retributionem præmii.
27 Per fidem reliquit Ægyptum, neque timuit ab ira regis: & [27] sustinuit tamquam is qui videret Deum qui est invisibilis.
28 [28] Per fidem peregit Petzcha, & aspersit sanguinem, ut non appropinquaret ad eos ille qui perimebat primogenita.
29 Per fidem transierunt mare [29] Suph, ut qui *transeunt* super terram siccam: & in eo absorpti sunt Ægyptii, quum ausi essent ingredi ipsum.
30 Per fidem mœnia Irichu conciderunt, quum circumdata fuissent septem dies.
31 Per fidem Rachab [30] meretrix non periit cum iis qui non auscultârunt, quum excepisset exploratores in pace.
32 Quid prætereà dicam? exiguum enim est mihi tempus ut referam de Gedeone, & de Baraco, & de Schemschune, & de Jephthaco, & de Davide, & de Schemuele, & de reliquis prophetis.
33 Qui per fidem vicerunt regna, & operati sunt justitiam, & acceperunt promissa, & occluserunt ora leonum.
34 Et extinxerunt vires ignis, & erepti sunt ab acie gladii, & validi facti sunt ex infirmitatibus, & facti sunt robusti in bello, & subverterunt [31] castra inimicorum.
35 Et reddiderunt mulieribus filios earum ex resurrectione mortuorum: & alii [32] in cruciatibus mortui sunt, neq; intenti exspectârunt ut eriperentur, ut resurrectio excellentior [33] esset ipsis.
36 Alii autem [34] ludibria & flagella subierũt: alii in vincula & in carceres traditi sunt.
37 Alii lapidati sunt, alii secti sunt, alii acie gladii mortui sunt, alii circumiverũt induti pellibus ovillis & caprinis, & inopes, & afflicti, & conturbati:
38 Homines quibus dignus non erat mundus: & fuerunt tamquam errantes in solitudine, & in montibus, & in speluncis, & in cavernis terræ.
39 Et hi omnes de quibus *editum* est testimoniũ ob fidem eorum, non acceperunt promissum:
40 Quia Deus providerat commodum nostrum, ut non absq; nobis perficerentur.

[22] Syrè, Ad manum haberet Deus.
[23] Sequitur Paraphrastes Græcorum interpretationem. Hebræa veritas habet, Et adoravit super caput lecti.
[24] Ad verbum, Negavit ut non vocaretur, &c. Id est, se ejus filium esse negavit, & etiam nomen filii filiæ regis recusavit.
[25] Hoc est, Potius duxit. Hebraismus.
[26] Id est, Quàm ut. Hebraismus.
[27] F. vel spem habuit: quod Syro verbo propriè significatur.
[28] In codice impresso verba sonant, Per fidem peregerunt Petzcha & aspersionem sanguinis.
[29] Ita vocatur Hebraicè mare rubrum. Sonat autem Suph Algam. Et est verisimile vocatum fuisse sic à multitudine juncorum qui in eo essent. Vide Act. 7.
[30] Vel, Caupona. Vide quæ de hac voce pleniùs dicta sunt Iacobi 2.
[31] Vel, Exercitus.
[32] Græcum verbum dilucidè explicat, quod Distendi declarat.
[33] Id est, Obtingeret.
[34] Id est, se ultrò ludibriis & flagellis objecerunt.

18 [z] Ad quem dictum fuerat, In Isaac vocabitur tibi semen:
19 Ratiocinatus Deum potentia præditum esse etiam suscitandi à mortuis: [a] unde etiam illum, [2] similitudine quadam recepit.
20 [3] Per fidem [b] de futuris benedixit Isaacus Jacobo & Esauo.
21 [2] [b] Per fidem Jacobus moriens singulis filiis Josephi benedixit: [b] & adoravit baculo innixus.
22 [a] [b] Per fidem, Josephus moriens de egressione filiorum Israëlis meminit: deq; ossibus suis mandavit.
23 [b] [b] Per fidem, Moses quum natus esset, occultatus est menses tres à parentibus suis, quòd viderent venustum esse puerulum: & non [c] timuerunt [b] edictum regis.
24 Per fidem [b] Moses jam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis:
25 Potiùs eligens simul malis vexari cum populo Dei, quàm temporariam retinere [d] peccati fruitionem:
26 Majores arbitratus divitias probrũ Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Intuebatur enim in præmii largitionem.
27 Per fidem reliquit Ægyptum, nihil timens iram regis: nam ut qui videret eum qui est invisibilis, *ita* forti animo fuit.
28 Per fidem [b] peregit pascha & affusionem illam sanguinis: ne qui perimebat primogenita, ipsos tangeret.
29 [e] Per fidem [b] transierunt rubrum mare veluti per terram: cujus *maris* facto periculo Ægyptii absorpti sunt.
30 [f] Per fidem [b] mœnia Jericho conciderunt, circumdata ad dies septem.
31 [g] Per fidem [b] Rahab [h] meretrix illa non periit unà cum iis qui non obedierant, [i] quum [b] pacificè excepisset hospitio exploratores.
32 [k] Et quid prætereà loquor? deficiet enim me tempus, commemorantem de [b] Gedeone, [b] de Baraco, & [b] Sampsone, [b] & Jephthe, [b] & Davide, & Samuele, ac prophetis:
33 Qui per fidem debellârunt regna, operati sunt justitiæ, assequuti sunt [l] promissiones, occluserunt ora leonum,
34 Extinxerunt vim ignis, effugerunt acies gladii, validi facti sunt ex imbecillis, effecti sunt robusti in bello, exercitus exterorum in fugam verterunt.
35 [m] Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos: alii verò [n] distenti sunt, neglecta liberatione, ut potiorem resurrectionem nancis-cerentur:
36 Alii rursus ludibria & flagella sunt experti, insuper & vincula & carcerem.
37 Lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, gladio cæsi occubuerunt, oberraverunt autem [o] ovillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, malè vexati.
38 Quibus indignus erat mundus, in desertis errantes, & montibus ac speluncis, & cavernis terræ.
39 [p] Atque omnes hi testimonio per fidẽ ornati, [q] non obtinuerunt promissum illud,
40 Quoniam Deus de nobis [r] melius quiddam providerat, [s] ne absque nobis consummarentur.

[z] *Gen. 21. 12. rom. 9. 7.*
[a] Ex qua morte.
[2] Non enim vera fuit Isaaci mors, sed instar mortis, ut videatur quasi resurrexisse.
[3] 2. Isaac. [b] *Gen. 27. 28. & 39.*
[2] 2. Jacob. [b] *Gen. 48. 15.* [b] *Gen. 47. 31.*
[a] 2. Joseph. [b] *Gen. 50. 24.*
[b] 2. Moses. [b] *Exo. 2. 2. act. 7. 20.*
[c] Sub. ita ut vererentur alere. [b] *Exo. 1. 16.* [b] *Exo. 2. 11.*
[d] Commodis quibus frui non poterat, quia iram Dei in se provocaret. [b] *Exo. 12. 21.*
[e] 2. Rubrũ mare. [b] *Exo. 14. 22.*
[f] 2. Jericho. [b] *Josu. 6. 20.*
[g] 2. Rahab. [b] *Josu. 6. 23.*
[h] Insigne benevolentiæ divinæ exemplum. [b] *Josue 2. 1.*
[i] 2. Benignè & benevolè, ita ut illos non modò nihil læserit, sed etiam tutos præstiterit.
[k] 2. Gedeon, Barac, & alii judices ac prophetæ. [b] *Judic. 6. 11.* [b] *Judic. 4. 6.* [b] *Judic. 13. 24.* [b] *Judic. 11. 1. & 12. 7.* [b] *1. Sam. 1. 20. & 16. 13.*
[l] Promissionum fructum.
[m] Innuere videtur historiam Sareptanæ illius, cujus filium Elias suscitavit, & Sunamitidis, cujus filium matri restituit Eliseus.
[n] Respicit cum persecutionem quam exercuit Antiochus.
[o] Villosis scilicet, simicitibus, [illegible]
[p] 2. Amplissimis [illegible]
[illegible]

[illegible] de rebus futuris promissionum quæ nobis demùm sunt reipsa exhibitæ, ut una sit & illorum & nostra fides ac consecratio. [r] Sed omnia videmus Christum. [s] Præstantius. [t] Pendebat siquidem eorum salus ab eo, nempè Christo, qui fuit nostris temporibus exhibitus.

CAPUT XII.

1 Non modò ab eorum patrum quos recitavit exemplis hortatur ad patientiam & constantiam, 3 sed etiam ab exemplo Christi, 11 Non rectè æstimatum iri castigationes Dei, ex præsenti carnis nostræ sensu.

PRoinde [a] nos quoq; quum tanta nos circumstet testium nubes, abjecto omni pondere, & peccato ad nos [b] circumcingendos proclivi, constanter propositum nobis stadium decurramus:

2 [c] [d] Intuentes in fidei ducem ac perfectorem Jesum, qui [e] pro sibi proposito gaudio pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dextram throni Dei consedit.

3 [f] Etenim reputate quis ille sit qui talem sustinuit à peccatoribus adversus sese contradictionem, ne vestris animabus remissi, fatiscatis.

4 [g] Nondum ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum decertando.

5 [h] Et obliti estis adhortationis quæ vobis tamquam filiis loquitur, [i] Fili mi, ne negligito castigationem Domini, neque remissus esto, quum ab eo argueris.

6 Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem quemcumque filium agnoscit.

7 Si castigationem sustinetis, Deus sese vobis exhibet ut filiis, quis enim est filius quem non castiget pater?

8 Quòd si estis absque castigatione, cujus participes sunt omnes, nempè supposititii estis, non filii.

9 [j] Deinde corporum nostrorum patres habuimus castigatores, & *eos* reveriti sumus: annon multo magis subjiciemur patri spirituũ, & vivemus?

10 [k] Nam illi ad paucos dies, prout ipsis videbatur, nos castigabant: hic autem ad commodum nostrum, ut participes simus sanctimoniæ ipsius.

11 Omnis autem castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed tristitiæ: at postea fructum tranquillum justitiæ reddit, iis qui per eam fuerint exercitati.

12 [l] Quapropter [m] manus remissas & genua soluta surrigite:

13 Erectas [n] orbitas facite pedibus vestris, ne quod claudum *est* deflectat à via, sed ut sanetur potiùs.

14 [o] [L] Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum:

15 [p] Prospicientes nequis deficiat à gratia Dei: nequa [q] radix amara suppullulans obturbet, & per hanc inquinentur multi.

16 [r] Nequis sit scortator, aut profanus, velut [s] Esau, qui unico edulio vendidit suum jus primogeniti.

17 [t] Scitis enim eum etiam posteà, quum vellet hæreditario jure benedictionem assequi, reprobatum fuisse, [u] non enim reperit pœnitentiæ locum, [x] quamvis cum lacrymis *benedictionem*

PRopterea etiam nos quibus sunt illi omnes testes, qui veluti nubes circumpositi sunt nobis, solvamus à nobis omnia pondera, etiam peccatum quod omni tempore [1] paratum est nobis: & cum tolerantia [2] stadium hoc percurramus quod propositum est nobis.

2 Et intueamur Jeschua: qui ipse factus est princeps & perfector fidei nostræ, qui pro gaudio quod erat ei, pertulit crucem, & [3] confusioni se exposuit: ac ad dextram throni Dei consedit.

3 Videte igitur quantum sustinuit à peccatoribus qui erant adversarii [4] sibiipsis: & non sit anxius nec remissus animus vester.

4 Nondum pervenistis usque ad sanguinem in certamine hoc quod est contra peccatum.

5 Et obliti estis doctrinæ illius quam tamquam filiis eloquuti sumus vobis, Fili mi, ne negligas castigationem Domini, & ne remissus reddatur animus tuus quum ab eo corrigeris.

6 Eum enim quem diligit Dominus, castigat, & flagellat filios illos erga quos benè est affectus.

7 Sustinete igitur castigationem: quia tamquam erga filios, agit circa vos Deus. Quis enim est filius quem non castiget pater ejus?

8 Et si absque castigatione estis, qua castigatur unusquisque, facti estis alieni & non filii.

9 Et, si patres carnis castigantes fuerunt nos, & verecundabamur [5] ab illis, quanto igitur magis debitores sumus ut subjiciamus nos [6] Patri ipsorum spirituum, & vivemus?

10 Illi enim ad tempus quidem modicũ, prout volebant, castigabant nos: Deus autem in commodum nostrum, ut participes fiamus sanctimoniæ ipsius.

11 Omnis autem castigatio in tempore suo nõ æstimatur quòd gaudii sit, sed doloris: in fine autem fructus pacis & justitiæ reddit illis qui ea exercitati fuerint.

12 Propterea manus vestras dissolutas & genua vestra labantia confirmate:

13 Et orbitas rectas facite pedibus vestris, ut membrum quod est claudum, non aberret, sed sanetur.

14 [7] Sectamini pacem cum omni homine, & sanctimoniam: quia sine ea nemo Dominũ nostrum visurus est.

15 Et estote cauti, nequis reperiatur in vobis [8] inops gratiæ Dei, aut nequa radix amaritudinum producat [9] florem, & vexet vos, & per eam multi inquinentur.

16 Aut nequis reperiatur in vobis qui sit scortator & solutus, veluti Esau, qui uno edulio vendidit suum jus primogeniti.

17 Scitis enim quòd etiam posteà cuperet heres fieri benedictionis, [10] & reprobatus fuerit. Locum enim pœnitentiæ non invenit, quamvis

[a] B. Applicatio superiorum exemplorum quibus nos incitari oportet ad totum stadium, abjectis omnibus remoris & impedimentis, decurrendum. [b] *Rom. 6. 4. col. 3. 8 eph. 4. 24. 1. pet. 2. 1.* [b] Nos enim undique peccatum obsidet, ita ut excurrere non possimus. [c] B. Metam hujus curriculi proponit, Jesum ipsum ducem etiam nostrum, ut qui ejusdem vitæ omnes asperitates volens superârit. [d] Tamquam in fidei metam. [e] Qui quum omne genus beatitatis in manu ac potestate haberet, tamen ultrò ignominiam crucis subiit. [f] B. Amplificatio à circumstantia personæ & rerum ipsarum quas inter se comparat: Quantus enim est Jesus præ nobis, & quanto duriora pertulit quàm nos? [g] B. Argumentatur ab utilitate quæ ex Dei castigationibus ad nos redit nisi per nos steterit: primùm quòd ita domitur peccatum, sive carnis nostræ pervicax illa vitiositas. [h] B. Secundò, Quòd sint paternæ in nos benevolentiæ testimonia, adeò quidem ut sese spurios esse declarent qui se à Deo castigari non ferunt. [i] *Prov. 3. 11.* [j] B. Tertiò, Si parentibus, quibus secundum Deum hanc vitam debemus, hoc jus omnes concedunt ut meritò possint filios suos castigare, annon multo magis subjiciemur patri illi nostro, & spiritualis & æternæ vitæ auctori? [k] B. Amplificatio ejusdem argumenti, Patres illi pro suo arbitrio, caduci alicujus boni causa nos castigabant, Deus autem summi nostri commodi gratia nos erudit ut suæ sanctimoniæ nos consortes efficiat: quod etsi præsens sensus non percipiat, rei tamen exitus probat. [l] B. Conclusio, Alacriter pergendum, & quidem recto semper & (quoad fieri potest) inoffenso cursu servato. [m] Descriptio hominis lassati & animum despondentis. [n] Rectum cursum tenere, & ita ut honestæ vitæ vestræ vestigia appareant: quæ nimirum alii ingrediantur. [o] B. Pax & sanctimonia cum omnibus colenda. [L] *Rom. 12. 18.* [p] B. Studendum mutuæ ædificationi, tum in doctrina tum in vitæ exemplis. [q] Ne aliqua hæresis aut apostasia sit offendiculo. [r] B. Vitanda scortatio, & prophanus animus, i. Deo suum honorem non tribuens: cujusmodi scelera quàm graviter tandem Deus ulciscatur, horrendum Esau exemplum docet. [s] *Gen. 25. 33.* [t] *Gen. 27. 38.* [u] Nullus locus relictus est ipsius pœnitentiæ: quænam autem fuerit ejus pœnitentia ex effectu docetur, ex patris enim conspectu decedens mortem minitatur fratri.

[1] Id est, Semper est in promptu, ut cursum nostrum ad vitam beatam impediat. [2] Ἀγῶνα ex Græco. [3] Vox Syriaca est אמכר quæ à מכר derivata est: nec unquam me legere memini in hac significatione, sed בכר hoc significare frequenter invenitur in hoc novo Testamento. Quare vel erratum esse à librariis puto, vel ex linguæ proprietate Mem esse pro Beth, quòd ambæ sint literæ labiales. Sed tamen minimè alienus erit sensus, aut remotus, si vertamus, Ad confusionem se tradidit, vel exposuit. Nam ita significatur ultrò ignominiam subiisse, unde apparet etiam magis animo contempsisse. F. vel ignominiam contempsit, ut exponit Masius. Sic enim verbum Syrum sumitur μεγαλαυχεῖν. [4] Vel, In animam suam, id est, In perniciem animæ suæ, vel, Adversarii salutis suæ, diverso à Græcis sensu. Ac fortassè hoc modò voluit Paraphrastes infamiam eorum exaggerare, atque explicare Græca. F. illi fortè pro εἰς αὐτόν, potius εἰς αὐτούς legerit Paraphrastes, quod puto. [5] Id est, Coram eis. [6] Observandum, Syram vocem לאבהין per syncopen positam esse pro לאבהתין, vitandæ κακοφωνίας causa: atque ideò vertendam esse Patri ipsorum, ut nos vertimus, quumque nomen ipsum singulare sit (licet plurale affigatur ei pronomen) non debuit in capite duo illa puncta habere in Syro textu, quæ solent in signum pluralis numeri, pluralibus tantùm vocibus insidere. Quod propterea dico, quia videtur propter duo illa puncta hæc versionem requirere. Quanto igitus magis debitores sumus ut subjiciamus nos patribus spirituum? Ac si comparatio instituta esset inter patres terrenos, qui corpus generant, & spirituales patres qui animos informant. Atqui manifestum est ex ipso contextu, comparationem esse inter terrenos patres, & cœlestem Patrem spirituum Deum. [7] Ad verbum, Currite post pacem cum omni homine, Hebraismus. [8] Id est, Destitutus gratia Dei. [9] F. vel germina. Vox Syra designat quicquid sursum efferri solet, ac produci è terra. [10] Et copulativa, pro Sed adversativa.

12 ך. vel pœnitentiam illam, videlicet qua pater benedictionem in Jaakob collatam revocaret.
13 Et pro Aut disjunctiva.
13 vel deprecati sunt.
14 Ad verbum, Adderetur *ut* fieret sermo cum ipsis, Id est, Ne ampliùs secum loquentem Deum ipsum audirent.

cum lacrymis quæsiisset [13] *benedictionem* illam.
18 Non enim accessistis ad ignem ardentem
& contrectabilem, neque ad tenebras [12] & ad caliginem, & ad procellam:
19 Neque ad sonitum buccinæ, & ad vocem
verborum, quam qui audierant, [13] detrectârunt
[14] ne ampliùs sermo fieret sibi:
20 (Nam non poterant sustinere quod præcipiebatur, *nempe* ut si vel etiam bestia appropinquaret ad montem, lapidaretur.
21 Et adeò formidabile erat visum, ut Musche diceret, Expavesco & contremisco)
22 Vos autem accessistis ad montem Tzehijun,
& ad civitatem Dei viventis, ad Urischelem quæ *est* in cælis, & ad cœtum myriadum Angelorum:
23 Et ad conventum primogenitorum, qui conscripti sunt in cælis, & ad Deum judicem omnium, & ad spiritus justorum qui perfecti sunt.
24 Et ad Jeschua mediatorem Testamenti novi, & ad aspersionem sanguinis ejus qui loquitur meliùs [15] quàm *sanguis* Habelis.
25 Cavete igitur ne [16] detrectetis *audire* eum
qui loquitur vobiscum. Si enim illi non evaserunt qui detrectârunt *audire* eum qui loquebatur cum eis in terra, multo minùs nos, si subterfugerimus eum qui loquitur nobiscum de cælis.
26 Cujus vox terram commovit: nunc autem promisit, & dixit, Adhuc semel, ego commovebo non solùm terram, sed etiam cælum.
27 Hoc autem quod dixit Semel, ostendit mutationem eorum quæ commoventur, quoniam factitia sunt: ut maneant ea quæ non commoventur.
28 Quoniam igitur accepimus regnum non mobile, teneamus gratiam per quam serviamus & placeamus Deo cum verecundia & cum timore.
29 Deus enim noster, ignis est consumens.

15 ך. nempe παρὰ τὸ Ἄβελ legebat Syrus, quum hodiè legamus τόν.
16 Vel, Deprecemini.

illam exquisiisset.
18 [c] Non enim accessistis ad [a] contrectabilem
[l] montem, & incensum ignem, ac turbinem & caliginem, & procellam:
19 Tubæq; sonitum & vocem verborum, quam qui audierant, [l] deprecati sunt ne ampliùs sibi fieret sermo.
20 (Non enim ferebant quod imperabatur,
[l] Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur, aut jaculo configetur.
21 Et Moses, adeò terribile erat [x] visum quod apparebat, dixit, Expavefactus sum ac tremebundus)
22 Sed accessistis ad montem Sion, & civitatem Dei vivi, Hierusalem cælestem, & myriadas Angelorum,
23 Conventum universalem & concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cælis, & judicem universorum Deum, & spiritus justorum
[7] consummatorum,
24 Et ad novi fœderis mediatorem Jesum, & sanguinem aspersionis, præstantiora loquentem quàm loquatur Abel.
25 [z] Videte ne recusetis eum qui loquitur. Nam si illi non effugerunt qui recusârunt divinitùs admonentem in terra, multo magis nos qui eum qui de cælis *est* aversaremur.
26 [a] Cujus vox tunc concussit terram: nunc autem denunciavit, dicens, [l] [b] Adhuc semel ego concutiam non solùm terram, sed etiam cælum.
27 Porrò illud, Adhuc semel declarat instabilium rerum, utputà factitiarum, amotionem, ut maneant quæ sunt stabilia.
28 [c] Quapropter regnum assumentes quod concuti non potest, teneamus gratiam, per quam ita serviamus Deo ut ei placeamus, cum [d] verecundia & [e] reverentia.
29 Etenim [l] Deus noster consumens ignis est.

[c] 2. Jam ad propheticum & regium munus Christi, ut Mosis comparat, eandem exhortationem applicat, hoc modo: Si tanta fuit Legis majestas, quantam putatis esse Christi & Evangelii gloriam? Hanc autem comparationem particulatim explicat.
[a] Qui manibus palpari possit, crassa videlicet materia ac terrena.
[l] *Exod.* 19.18.
[l] *Exod.* 20.19.
[l] *Exod.* 19.13.
[x] Oblata species & imago minimè quidem ficta, sed vera.
[7] Vel perfectorum: sic enim vocat in cælum receptos, etiam si in terra sui parte dormiant in pulvere.
[z] 2. Applicatio superioris collationis. Si non licuit sermonem in terra loquuti aspernari, quanto minùs ejus vocem qui est ex cælis ipsis?
[a] 2. Evangelii stabilem majestatem, qua totius orbis est concussus, ipsaq; adeò cælorum machina velut obstupuit, cum cæli & evanescente Legalis œconomiæ sonitu comparat. [l] *Agg.* 2.7. [b] Hæc ad regnum Christi referenda esse satis indicat quod Propheta de Gentium vocatione subjicit. [c] 2. Generalis exhortatio ut sub tanti Regis fœlicissima subjectione reverenter & religiosè vivamus, qui sicut suos potentissimè beat, ita etiam rebelles quàm severissimè ulciscitur. Hæc autem est Christianæ vitæ summa, priorem Tabulam respiciens. [d] 2. Significatur pudor ille honestus qui homines in officio retinet. [e] Religioso metu. [l] *Deut.* 4.24.

CAPUT XIII.

1 *Præceptiunculis [illegible] quæ ad mores,* 7 *sed etiam [illegible] ad doctrinam pertinent.*

1 Id est, fraternæ.

CHaritas [1] fratrum maneat in vobis.
2 Et dilectionis hospitum ne obliviscamini, per hanc enim digni habiti sunt quidam, ut quum *id* non sentirent, exciperent Angelos.
3 Memores estote vinctorũ, ac si cum eis vincti essetis. Recordemini eorum qui affliguntur, ut homines qui carne induti estis.
4 Honorabile est conjugium inter omnes, &
[2] cubile eorum mundum est: scortatores autem & adulteros judicaturus est Deus.
5 Ne sit amans argentum mens vestra, sed sufficiat vobis id quod est vobis. Ipse enim Dominus dixit, Non deseram te, & [3] non remissas habebo ergà te manus.
6 Et est nobis dicendum confidenter, Dominus *est* auxiliator meus, [4] non timebo: quid facturus est mihi filius hominis?
7 Estote memores [illegible] vestrorum qui loquuti sunt vobiscum sermonem Dei: considerate finem conversationis eorum, & imitamini fidem eorum.
8 Jeschua Christus heri & hodie, & idem est, & in æternum erit.
9 Ad doctrinas peregrinas & varias ne abducamini. [5] Bonum est enim ut gratia confirmemus corda

2 Nempe Conjugatorum.
3 Hoc est, Non retraham manus abs te.
4 ך. vel non timebo quid facturus sit mihi filius hominis, sine interrogatione.
5 Hebraismus. Nam subjectum, Et non, idem valet quod Quàm: ut satis appareat positivum esse loco comparativi, ac si dictum esset, Meliùs est enim ut gratia confirmemus corda nostra quàm cibis.

FRaterna [a] charitas maneat.
2 [l] Hospitalitatis ne estote immemores:
[l] per hanc enim quidam inscii exceperunt Angelos hospitio.
3 Memores estote vinctorum, tanquam unà cum illis vincti: eorum qui malis premuntur, [b] acsi ipsi quoque corpore *afflicti* essetis.
4 [c] Honorabile *est* inter quosvis conjugium & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros damnabit Deus.
5 [d] Sint mores *vestri* alieni ab avaritia: *estote* contenti præsentibus: dixit enim [e] ipse, [l] Nequaquam te deseram, neq; unquam te derelinquam:
6 Adeò ut confidenti animo dicamus, [l] Dominus *est* mihi auxiliator: nec timebo quid faciat mihi [f] homo.
7 [g] Memores estote ductorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis sermonem Dei: quorum imitamini fidem, considerantes qui fuerit exitus conversationis ipsorum.
8 [h] Jesus Christus heri & hodie idem *est* & in secula.
9 [i] Doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini: [a] bonum enim est gratia constabiliri cor,

[a] 2. Ad secundam Tabulam accedit, cujus summa est, charitas erga fratres, in peregrinos & afflictos.
[l] *Rom.* 12.10.
1. *Pet.* 4.8.
[l] *Ge.* 18.3. & 19.3.
[b] Perinde afficiamini ac si vos ipsos illa calamitas attingeret.
[c] 2. Castum conjugium in omni hominũ ordine commendat: scortatoribus, & adulteris extremum à Deo exitium minatur.
[d] 2. Damnatur avaritia, cui opponitur animus sua sorte contentus.
[e] Ipse scilicet Dominus.
[l] *Josue* 1.5.
[l] *Psal.* 118.6.
[f] Opponitur homo Deo.

[g] 2. Fortium ductorum exempla [illegible] ad imitationem proponenda. [h] 2. Summam doctrinæ repetit, unicum videlicet omnium & [illegible] Est autem ejusmodi: In uno Christo nobis esse acquiescendum, nec unquam extra ejus notitiam servatum fuisse quemquam, aut hodie servari, aut [illegible] servandum esse. [i] 2. Perstringit eos qui externum cultum ac præsertim discrimen ciborum, cum Evangelio permiscebant: quam doctrinam planè damnat, ut ex diametro repugnantem Christi beneficio.

k non cibis, unde nullam perceperunt utilitatem
l qui iis ipsis incesserunt.
10 m Habemus,n altare, ex quo non habent
facultatem edendi o qui tabernaculo deser-
viunt.
11 l Quorum enim animalium sanguis infer-
tur pro peccato in Sacrarium per Pontificem,
horum corpora exuruntur extra castra.
12 Quapropter & Jesus, ut sanctificaret popu-
lum per proprium sanguinem, passus est extra
portam.
13 p Exeamus igitur ad eum extra castra pro-
brum ejus portantes.
14 s Non enim habemus hîc stabilem civita-
tem, sed futuram illam inquirimus.
15 q Per ipsum igitur assiduè offeramus Deo
sacrificium laudis, t id est fructum labiorum cele-
brantium nomini ejus.
16 Beneficentiæ verò & communicationis
ne obliviscimini: talibus enim victimis delecta-
tur Deus.
17 r Obedite ductoribus vestris, & obsecun-
date: excubant enim ipsi pro animabus vestris
tamquam rationem reddituri: ut cum gaudio
hoc faciant, & non gementes: id enim est vo-
bis inutile.
18 f Orate pro nobis: confidimus enim nos bo-
nam conscientiam habere, ut qui in omnibus cu-
piamus honestè conversari.
19 Ampliùs autem obsecro vos ut id faciatis,
ut celeriùs restituar vobis.
20 Deus verò pacis, qui magnum illum ovi-
um, per sanguinem, fœderis æterni pastorem, Do-
minum nostrum Jesum, à mortuis reduxit,
21 t Perficiat vos in omni opere bono, ad
præstandam ipsius voluntatem, u efficiens in vo-
bis quod acceptum sit in conspectu suo, per Je-
sum Christum: cui *sit* gloria in secula seculorum.
Amen.
22 Precor autem vos, fratres, sufferte sermo-
nem exhortationis hujus: nam paucis de hoc
scripsi vobis.
23 Scitote fratrem *nostrum* Timotheum solu-
tum esse: cum quo (si mox venerit) videbo vos.
24 Salutate omnes ductores vestros, & omnes
sanctos. Salutant vos Itali.
25 Gratia *sit* cum omnibus vobis. Amen.

Ad Hebræos scripta est ex Italia per Timotheum.

corda nostra, & non cibis: quia non adjuti fue-
runt illi 6 qui versati sunt in ipsis.
10 Habemus autem altare, ex quo non est jus
edendi iis qui in Tabernaculo ministrant.
11 Animalium enim illorum quorum sangui-
nem inferebat Princeps pontificum in domum
sanctam pro peccatis, caro comburebatur ex-
tra castra.
12 Propter hoc Jeschua, ut sanctificaret po-
pulum suum per sanguinem suum, extra urbem
passus est.
13 Igitur nos quoque egrediamur ad eum ex-
tra castra, induti opprobrio ejus:
14 (Non enim est nobis civitas quæ perma-
neat hîc, sed ad illam quæ futura est, spectamus)
15 Et per manum ejus offeramus victimas lau-
dis omni tempore Deo: quæ *hæc* est fructus la-
biorum 7 quæ gratias agunt nomini ejus.
16 Et ne obliviscamini beneficentiæ & com-
municationis pauperum: his *enim* victimis placet
homo Deo.
17 Et obedite gubernatoribus vestris, & aus-
cultate eis: ipsi enim vigilant pro animabus ve-
stris, tamquam homines qui reddituri sunt ratio-
nem vestri, ut cum gaudio faciant hoc, & non
cum gemitibus, nam non est utile vobis.
18 Orate pro nobis. Confidimus enim quòd
conscientia bona sit nobis: quia in omni re cupi-
mus ut benè nos geramus.
19 Ampliùs peto à vobis ut faciatis hoc, ut ci-
tò revertar ad vos.
20 Deus autem pacis qui ascendere fecit 8 à
mortuis pastorem illum magnum gregis per san-
guinem fœderis quod est in æternum, 9 qui *quidem*
est Jeschua Christus Dominus noster,
21 Ipse perficiat vos in omni opere bono, ut
faciatis voluntatem ipsius, & ipse efficiat in vo-
bis id quod bonum est coram eo, per Jeschua
Christum: cui *sit* gloria in seculum seculorum.
Ammin.
22 Peto autem à vobis, fratres mei, 10 ut pati-
entes sitis 11 per sermones 12 consolationis. nam
paucis scripsi vobis.
23 Scitote autem quòd frater noster Timo-
theus solutus est: & si citò venerit, cum eo vi-
sam vos.
24 Salutate omnes 13 gubernatores vestros
& omnes sanctos. Salutant vos omnes qui sunt ex
Italia.
25 Gratia *sit* cum omnibus vobis. Ammin.

k Ex una specie, nempe mundorum & immundorum ciborum discrimine, intellige omnem ceremonialem cultum.
l Qui eorum discrimen superstitiosè retinuerunt.
m 2. Perpulchra anagoge refutat eorumdem errorem. Qui olim serviebant tabernaculo, non vescebantur victimis quarum sanguis pro peccato inferebatur per pontificem in sacrarium: istæ porrò victimæ Christum nostram oblationem repræsentabant. Itaque non possunt ejus fieri participes qui tabernaculo deserviunt, id est, qui in Legali cultu persistant. Nos verò non pudeat illum extra Hierusalem ejectum & passum sequi, nam in hoc quoque Christus veritas illi figuræ respondet, quòd extra portam est passus.
n Altaris nomine oblationes intelligit.
o Cujus non possunt esse participes, qui legis ritus obstinatè retinent.
l Levit. 4.11. & 6.30. & 16. 27.
p 2. Longiùs progreditur in hac anagoge, & ita quoque nobis significatum dicit, oportere pios Christi sectatores velut è mundo migrare, ipsius crucem portantes.

6 Ambulaverunt, Hebraismus. Hoc est, Assueti sunt discrimini ciborum.
7 F. vel quæ profitentur nomen ejus, aut confitentur nomini ejus.
8 Ad verbum, De inter mortuos.
9 Cohærent cum prioribus, Pastorem gregis &c.
10 Ad verbum, Ut contineatis spiritum vestrum.
11 F. vel ad sermonem consolationis.
12 Vel, Exhortationis.
13 Vel, Duces.

s Mich. 2. 10. q 2. Sublatis illis corporalibus sacrificiis, docet vera confessionis sacrificia superesse, quæ partim in gratiarum actione, partim in beneficentia consistunt, quibus demum victimis verè delectatur Deus. t Osé 14. 2. r 2. Parendum Pastorum & presbyterorum monitis, eorum videlicet qui pro animarum ipsis commissarum salute vigilant. f 2. Ultima pars epistolæ, in qua suum ministerium Hebræis commendat: perseverantiam & gratiarum incrementum ipsis à Domino precatur: excusat se quòd paucis sit eos consolatus, consumta videlicet in disputando epistola: & quosdam familiariter & amicè salutat. t Aptos vel idoneos vos reddat. u Hinc illa Patrum sententia, Deum in nobis coronare opera sua.

Tres

¶ Tres Epistolæ trium Apostolorum, ante quorum oculos Dominus noster se transfiguravit, id est, Jacobi & Petri & Johannis.

EPISTOLA JAAKUB APOSTOLI.

CAPUT I.

4 Disserit de patientia, 6 de fide, 10 de animi modestia, ad divites: 13 Deinde ostendit tentationes ad malum non ex Deo esse, 17 quum omnis boni auctor sit. 22 Qualiter recipiendus sit sermo vitæ.

TREM. INTERPRET.

IAAKUB servus Dei & Domini nostri Jeschua Christi, duodecim tribubus disseminatis inter Gentes, pacem.

2 Omne gaudium sit vobis, fratres mei, quum intraveritis in tentationes multas & varias.

3 Scitis enim quòd probatio fidei acquirit vobis patientiam.

4 Ipsi autem patientiæ erit opus perfectum, ut sitis completi & perfecti, & in nulla re sitis destituti.

5 Siquis autem ex vobis sit destitutus sapientia, petat à Deo, qui dat omnibus simpliciter, & non improperat: & dabitur ei.

6 Petat autem in fide, non hæsitans. Is qui hæsitat, similis est fluctibus maris quos commovet ventus.

7 Neque existimet ille filius hominis, quòd accipiet quicquam à Domino:

8 Qui *inquam* hæsitat in animo suo, & commovetur in omnibus viis suis.

9 Glorietur autem frater humilis in sublimitate sua,

10 Et dives in humilitate sua: quoniam sicut flos herbæ sic transit.

11 Oritur enim sol in calore suo, & arefacit ipsam herbā, & flos ejus decidit, & decor aspectus ejus perit: ita etiam dives marcescit in conversationibus suis.

12 Beatus vir ille qui tolerat tentationes: quia postquam probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus iis qui diligunt se.

13 Ne dicat quis quum tentatur, A Deo ego tentor: Deus enim non tentatur [1] in malis, & ipse hominem non tentat.

14 Sed quisque à concupiscentia sua tentatur & allicitur & attrahitur:

15 Et hæc concupiscentia concipit, & parit peccatum. Peccatum autem quum consummatum fuerit, generat mortem.

16 Ne erretis, fratres mei dilecti.

[1] v. vel malis, detracta præpositione, in.

BEZAE INTERPRET.

IAcobus Dei ac Domini Jesu Christi servus, duodecim tribubus [a] dispersis, salutem.

2 [b] Pro [c] summo gaudio ducite, fratres mei, quoties [d] in tentationes varias incideritis:

3 *Illud* [e] scientes, [f] explorationem fidei vestræ efficere tolerantiam.

4 [g] Cæterùm tolerantia opus perfectū habeat, ut sitis perfecti & integri, ita ut nihil vobis desit.

5 [h] Quòd si cui vestrûm deest [i] sapientia, postulet à Deo qui dat *eam* omnibus benignè, nec exprobrat: & dabitur ei.

6 [l] Sed postulet cum fide, [k] nihil addubitans: [l] nam qui disceptat, similis est fluctui maris qui ventis agitatur & jactatur.

7 Non enim existimet homo ille se quicquam accepturum à Domino:

8 *Ut qui sit* vir animo duplici, & inconstans [m] in omnibus viis suis.

9 [n] Porrò frater qui est [o] humilis conditionis, glorietur in sublimitate sua.

10 [p] Qui verò [q] dives est, in summissione sui: quoniam veluti flos herbæ præteribit.

11 Nam ut exortus est sol cum æstu, arefecit herbam, & flos illius decidit, & spectabilis decor ipsius periit: ita & dives [r] in viis suis marcescet.

12 [s] [t] Beatus *est* vir qui tolerat [u] tentationem: quoniam quum probatus fuerit compertus, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus iis à quibus ipse diligitur.

13 [x] Nemo quum [y] tentatur, dicat, A Deo tentor. [z] nam Deus tentari malis non potest, nec quemquam tentat.

14 Sed unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur.

15 Deinde cupiditas, postea quam concepit, parit [a] peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem.

16 [b] Ne errate, fratres mei dilecti.

[a] Fidelibus omnibus Judæis cujuscumque tribus sint, per terrarum orbem dispersis. [b] 2. Primus locus, de consolatione in adversis, in quibus nos non modò non frangi animo, sed etiam exsultare oportet. [c] Misera quam esset eorum conditio in illa dispersione, rectè hinc suspicatur. [d] 2. Primum argumentum, Quia afflictionibus explorabitur fides nostra, quam maximè nostrâ interest esse quàm purissimam. Rom. 5. 3. [e] 2. Secundum, Quia sic in nobis gignitur patientia, virtus longè præstantissima. [f] Illud quo explorabitur fides vestra, nempe multiplex illa tentatio. [g] 2. Tertium argumentum, forma quadam exhortationis propositum, ut vera & perpetua patientia à [illegible] temporaria discernatur. Crux est veluti instrumentum [illegible] Deus [illegible] Opus igitur [illegible] fectum [illegible] num est [illegible] in Christo consummatio. [h] 2. Responsio ad tacitum objectionem. Facilè quidem id esse dictu, factu verò non item. Respondet, opus quidem [illegible] nobis esse longè alia sapientia quàm humana, in qua carni sunt adeò repugnantia [illegible] tamen optima esse statuimus: sed ejus sapientiæ donò familiarè nos participes, si modò illud à Deo, quo nihil est munificentius, [illegible] id est, certa cum fiducia petierimus. [i] Sapientiam vocat doctrinæ illius, cujus mentio facta est, cognitionem: nempe quorsum affligamur à Deo, & quis fructus ex afflictione sit capiendus. [l] Matt. 7. 7. [illegible] Luc. 11. 9. Joh. 14. 13. & 16. 23. [k] Quid ergo opus est aliis mediatoribus? [l] 2. Digressio adversus preces cum animi hæsitatione conceptas, ubi certam Dei promissionem habemus, qui secundus est hujus epistolæ locus. [m] Cogitatis, & factis suis omnibus. [n] 2. Redit ad institutū, repetita propositione: exsultandum esse in cruce, utpote quæ nos non deprimat, sed extollat. [o] Qui affligitur, in paupertate, contemptu, ullo denique calamitatis genere. [p] 2. [illegible] dit doctrinam superiori oppositam, quomodo videlicet prosperis rebus, (ut [illegible]) sit utendum: [illegible] ut nemo idcircò sibi placeat, sed eo magis sit ab omni fastu alienus. [q] Cui omnia benè succedunt. [r] Eccl. 14. 18. Esa. 40. 6. 1 Pet. 1. 24. [s] 2. Argumentum ab ipsa rerum natura sumptum, quibus nihil sit vanius & incertius. [t] Et quæcumque aliquis vel animo designat vel facit. [u] 2. Conclusio, Crucem patienter esse ferendam, addito quarto argumento, quod superiorum summam complectitur, quia nimirum hoc itinere ad coronam vitæ pervenitur, ex gratia tamen, secundum promissionem. [x] Job 5. 17. [y] Afflictionem per quam exploratur à Domino. [z] 3. Tertius locus hujus epistolæ, in quo à tentationibus externis (id est afflictionibus quibus à Deo exploramur) ad tentationes internas descendit, id est ad eas cupiditates quibus ad malè agendum incitamur. Summa est, Non Deum sed unumquemque sibi ipsi [illegible] tentationum esse auctorem: Nos enim in sinu illam [illegible] gestare, quæ arrepta undecunque occasione, vitiosos motus in nobis excitat, ex quibus demum vitiosæ actiones, ac mors tandem eorum mercede consequitur. [y] Ad malè agendum solicitatur. [z] 2. Additur ratio cur Deus non possit nobis esse malè agendi auctor, quoniam malum non appetit. [a] Peccati nomine hoc loco actuale peccatum intelligit. [b] 2. Alia ratio à repugnantibus sumta, Deus est omnium bonorum auctor, & ità quidem ut semper sit sui similis: quomodo igitur malorum auctor censeri possit?

17 Omnis donatio bona, & omne perfectum
donum est supernè, descendens à [c] Patre lumi-
num, apud quem non inest transmutatio, aut
[d] conversionis obumbratio.
18 [e] *Is* [f] quia voluit, progenuit nos sermone
veritatis, ut essemus [g] primitiæ quædam suarum
creaturarum.
19 Itaque, fratres mei dilecti, [h] sit omnis homo
velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tar-
dus ad iram.
20 Nam ira viri [h] justitiam Dei non exse-
quitur.
21 Quapropter abjectis omnibus sordibus &
excremento malitiæ, cum [i] lenitate recipite in-
situm illum sermonem, qui potest servare ani-
mas vestras.
22 [k] Estote verò actores sermonis: nec estote
auditores solùm, falsò ratiocinando [l] fallentes
vosmetipsos.
23 [m] Nam siquis audit sermonem, & eum non
præstat, is similis est viro consideranti faciem su-
am [n] nativam in speculo.
24 Nam simulatque cōsideravit seipsum, abiit,
& statim oblitus est qualis esset.
25 At is qui introspexerit in perfectam illam
Legem libertatis, & permanserit *in ea*, quia non
fuerit auditor obliviosus, sed actor operis, [o] is, *in-
quam*, beatior erit in [o] opere suo.
26 [p] Siquis videtur religiosus esse inter vos, non
frænans linguam suam, sed [q] suum ipsius cor se-
ducens, hujus vana est religio.
27 [r] Religio pura & incontaminata [s] apud De-
um & Patrem, hæc est, [t] invisere orphanos & vi-
duas in afflictione ipsorum, & immaculatum sese
servare à mundo.

17 Omnis donatio bona & completa, è super-
nis descendit à Patre luminum, apud quem non
est immutatio ulla, nec etiam umbra [2] recessus.
18 Ipse voluit, & genuit nos per sermonem ve-
ritatis, ut essemus [3] principium creaturarum ejus.
19 Et vos fratres mei dilecti, quisque ex vobis
sit velox ad audiendum, & tardus ad loquendum,
& tardus ad irascendum.
20 Ita enim viri justitiam Dei non operatur.
21 Propter hoc longè removete à vobis om-
nem impuritatem & [4] fæcem malitiæ, & cum man-
suetudine recipite [5] sermonem insitum [6] in vobis
ipsis, qui potest servare ipsas animas vestras.
22 Estote autem effectores sermonis, & non
auditores tantùm: neque decipiatis animas vestras.
23 Siquis enim fuerit auditor sermonis, & non
effector illius, hic similis est ei qui contemplatur
faciem suam in speculo.
24 Contemplatus enim est seipsum, & transi-
vit, & oblitus est qualis fuerit.
25 Omnis autem qui prospexerit in Legem
perfectam libertatis, & persisterit in ea, nequa-
quam est auditor auditionis quæ oblivioni tradi-
tur, sed effector operum: & hic beatus erit in ope-
re suo.
26 Et siquis existimet quòd & serviat Deo, &
non cohibet linguam suam, sed decipit ipsum cor
suum, hujus vanus est cultus.
27 Cultus enim qui purus est & sanctus coram
Deo Patre, hic est, ut visitet pupillos & viduas in
afflictionibus suis, & ut custodiat [7] quisque ani-
mam suam à mundo immaculatam.

[c] Ab eo qui fons est & auctor omnium bonorum. [d] Pergit in metaphora. sol enim pro varia & multiplici conversione, horas, dies, menses, annum, lucem & noctem efficit. [e] B. Quartus locus de sermonis Dei præstantia & fructu. Summa est, studiosissimè nobis audiendum esse verbum Dei, quum hoc sit semen quo nos Deus pro gratuita sua benevolentia ex numerò creaturarum selectos sibi genuit. Damnat autem Apostolus duo vitia, quæ nos hac in re valdè interturbant: nempè quòd ita nobis placeamus ut loqui ipsi malimus quàm Deum loquentem audire, imò etiam ad correptiones indignemur quibus vitiis placidum & sedatum animum & puritatis amantem opponit. [f] Id est quod Paulus, gratuitam benevolentiam vocat, hæc autem fons est nostræ salutis. [g] Sacræ cujusdam oblationis instar, ex reliquo hominum acervo collectæ. [h] *Prov.17.27.* [h] Quod Deus præscribit. [i] Lenitatem vocat modestiam & quicquid ferociæ altisque illis spiritibus opponitur. [k] B. Altera admonitio, Idcirco audiri Dei verbum, ut ex ejus præscripto vita instituatur. [k] *Matt.7.21. Rom.2.13.* [l] B. Rationes addit, & eas quidem gravissimas: primùm, quia qui secus fecerint, pessimè sibi ipsis consulant. [m] B. Secunda, Quoniam præcipuum usum verbi Dei amittant, qui agnita ex eo vitia non emendant. [n] Alludit ad nativam illam maculam, cui opponitur puritas ad quam renascimur, cujus vivam imaginem in Lege spectamus. [o] Ita se gerens: opera etenim arguunt fidem. [p] B. Tertia admonitio, Verbo Dei non tantùm benè agendi, sed etiam benè loquendi regulam præscribi. [q] Garrulitatis, maledicentiæ, petulantiæ fons est seipsum non nosse. [r] B. Quarta, Charitate in proximos (præsertim alieno subsidio nitentes, ut orphanos & viduas) & vitæ puritate verum Dei cultum constare. [s] Apud Deum qui Pater est. [t] Curare & pro virili sublevare.

[2] F. vel vicissitudinis, μεταλλακτικῆς. [3] Id est, Primitiæ. Sicut apud Hebræos ראשית, quod principium significat, sæpè pro primitiis usurpatur, ut Levit. 2.12. Num. 15. 20. & Deut. 18. 4. & passim. [4] Id significat [illegible] vocabulum deductum à [illegible] cui respondet Hebraicum [illegible], id est Scoria. Si verò deducta sit vox à [illegible], (cui respondet Hebraicum [illegible]) significat multitudinem, vertendumque erit, Et multitudinem malitiæ. [5] F. vel sermonem illum implantatum in natura vestra, id est, qui à Deo accessit ad naturam vestram plantatione gratiosa ad eam genituram perficiendam, de qua versu 18. [6] Ad verbum, In naturam nostram. Sed tamen dum insitum dicit, satis docet non innatum esse in nostra natura, sed aliena opera, videlicet prædicatione, Spiritus sancti virtute implantatum esse. [7] F. Syr. vir, Hebraismus.

CAPUT II.

1 *Personarum acceptiones discrepare dicit à Christi fide:* 14 *quam non satis est verbo profiteri,* 15 *nisi & operibus misericordiæ & charitatis præstemus eamdem,* 21 *Abrahæ exemplo.*

Fratres [a] mei, [b] ne cum respectu personarum
habete fidem Domini nostri Jesu Christi
[b] gloriosi.
2 Nam siquis in cœtum vestrum ingrediatur,
aureum gestans annulum, veste splendida, ingre-
diatur autem & pauper cum sordida veste:
3 Et respexeritis ad eum qui vestem gestat
splendidam, & dixeritis ei, Tu sede hic [c] pulchrè:
pauperi verò dicatis, Tu sta illic, aut sede hîc sub-
ter scabellum meum:
4 [d] Nonne discrimen feceritis apud vos, &
facti fueritis judices [e] perversè deliberantes?
5 [f] Audite fratres mei dilecti, nonne Deus
elegit [g] pauperes mundi hujus ut *sint* divites
fide, & hæredes regni quod promisit iis qui ip-
sum diligent?
6 At vos contumelia affecistis pauperem.
[h] Nonne divites per tyrannidem opprimunt vos,
& trahunt vos ad tribunalia?

Fratres mei, ne cum [1] acceptione vultus reti-
neatis fidem gloriæ Domini nostri Jeschua
Christi.
2 Nam si ingrediatur in cœtum vestrum
quispiam cujus annulus sit aureus, aut cujus ve-
stes sint splendidæ, & ingrediatur pauper in vesti-
bus sordidis:
3 Et respexeritis in eum qui indutus est ve-
stibus splendidis, & dixeritis ei, Tu hîc sede benè:
& pauperi dixeritis, Tu sta illic, aut sede hîc ante
scabellum pedum nostrorum:
4 Annon discrimen fecistis apud vosipsos, &
facti estis interpretes cogitationum malarum?
5 Audite fratres mei dilecti, nonne pauperes
mundi, divites autem in fide elegit Deus, ut essent
hæredes regni quod promisit Deus iis qui dili-
gunt ipsum?
6 Vos autem despectui habuistis ipsum pau-
perem. Nonne divites extollunt se super vos, &
trahunt vos ad domum judicii?

[a] B. Quinta, Charitatem, quæ à vera fide proficiscitur, cum personarum acceptione consistere non posse: quod illustrat proposito certum exemplo, qui cum pauperum contumelia diviter coluntur. [b] *Levit.19.15. Deut.1.17. & 16.19. Prov.24.23. Eccl.42.1.* [b] Id enim quæ est Christi gloria cognosceretur, & ut debet æstimaretur, non tantùs esset personarum respectus. [c] Honestè & honorificè loco. [d] Nonne (quod minimè oportuit) hoc modo apud vos unum alteri præferendum judicastis? [e] Ad verbum, perversarum cogitationum. [f] B. Perversos esse judices qui divitem pauperi anteponunt, declarat ex eo quod Deus è contrario pauperes quos verè divitiis locupletaret, divitibus antepofuerit. [g] Tenues, inopes, & (si mundi judicium spectes) omnium hominum abjectissimos. [h] B. Secundo, Iniquos etiam judices esse probat, ex eo quod divites sint potius execrabiles, ut qui Ecclesiam persequantur & Christum blasphement. Loquitur enim de impiis & profanis divitibus, cujusmodi semper fuerunt plerique, quibus pios pauperes & abjectos opponit.

[1] Vide annotata in cap. 6. Matt. 2.

7 Nónne

7 Nónne

7 Nónne ipsi [2] obloquuntur contra famam
bonam quæ promulgata erat de vobis?
8 Et, si Legem Dei in hoc perficitis, sicut
scriptum est, Diliges proximum tuum sicut teip-
sum, benè facitis:
9 Si autem [3] vultum accipitis, peccatum fa-
citis, & redarguimini à Lege tamquam transgres-
sores Legis.
10 Qui enim totam Legem servat, & in uno
transgreditur, toti Legi obnoxium se reddidit.
11 Is enim qui dixit, Ne adulterium com-
mittas; idem dixit, Ne occidas. Si autem non
cōmittas adulterium, sed occidas, factus es trans-
gressor Legis.
12 Ita loquimini, & ita agite, tamquam ho-
mines qui per legem libertatis judicandi estis.
13 Judicium enim *futurum est* sine misericor-
dia contra eum qui non fecit misericordiam:
[4] extollimini per misericordiam suprà judicium.
14 Quæ est utilitas, fratres mei, si quis dicat,
Est mihi fides, & opera non sint ei? Numquid po-
test fides ejus servare eum?
15 Et, si frater aut soror fuerint nudi & caren-
tes cibo quotidiano,
16 Et dixerit illis aliquis ex vobis, Abite in
pace, calefacite vos, & saturamini, & non de-
deritis eis [5] necessitatem corporis, quænam uti-
litas?
17 Ita etiam fides absque operibus, mortua
est sola.
18 Dicet enim aliquis, Tibi est fides, & mihi
sunt opera, ostende mihi fidem tuam sine operi-
bus, & ego ostendam tibi fidem meam ex operi-
bus meis.
19 Credis quòd unus est Deus? Benefacis:
etiam dæmonia credunt, & [6] contremiscunt.
20 Vis tu scire, ô fili hominis debilis, quòd fi-
des sine operibus mortua sit?
21 Pater noster Abraham nónne ex operibus
[7] justificatus est quum obtulit Isaac filium suum
super altare?
22 Vides quòd fides ejus [8] auxilio fuerit ope-
ribus ejus, & ex operibus fides ejus [9] perfecta sit?
23 Et impleta est scriptura quæ dicit, quòd
credidit Abraham Deo, & imputata est ei *fides illa*
ad justitiam, & amicus Dei vocatus est.
24 Vides tu quòd ex operibus [10] justificatur
filius hominis, & nequaquam [11] ex fide tantùm?
25 Similiter etiam Rahab [12] meretrix nónne
ex operibus justificata est, quæ excepit explora-
tores, & per viam aliam emisit eos?
26 Quemadmodum corpus absque spiritu
mortuum est, sic fides absq; operibus mortua est.

[2] F. vel blasphemant contra bonum nomen quod invocatum est super vos? ad verbum.

[3] Quid sit accipere vultum, ostendimus Matt. 6.2.

[4] F. commoda interpretatio illorum verborum, κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. quicumque vestrûm, ait Jacobus, misericordiam exercuerint, il suprà judicium extollentur, atque ab eo eximentur.

[5] F. Id est, ea quæ corpori sunt necessaria.

[6] Vel, horrescunt.

[7] Id est, Compertus est justificatus fuisse.

[8] Vel, Cooperata fuerit operibus ejus.

[9] Id est, Perfectius cognita.

[10] Id est, justus esse comprobatur.

[11] Nempe ex illa mortua & sterili fide, quam tu te habere jactas sine operibus.

[12] Vel caupona. Utrumque enim significat Hebraica vox זונה, tum etiam Syra [illegible]. Sed plures ac majoris auctoritatis reperiuntur interpretes Hebræi, qui Hospitam interpretantur seu Cauponam, quàm qui Meretricem. Nam Jonathas, paraphrastes Chaldæus, omnium scriptorum qui nunc extant antiquissimus, (quippe qui antè adventum Christi claruerit) in historia Rachab vocem זונה Chaldaicè vertit [illegible], quod sonat tantùm Hospitam, vocabulo deducto à [illegible] quod significat Hospitium, ut testatur auctor libri ערוך, qui dicit [illegible] significare id quod Hebraicè dicitur [illegible]. Constat autem [illegible] esse Hospitam, à verbo זון, quod est Manere & Diversari. Hunc Jonathan deinde sequuntur R. Schelomo, R. Jona, R. Levi filius Gersonis, & etiam R. D. Kimhi, quanquam hic utramque interpretationem afferat, & lectori relinquat delectum.

7 Nónne blasphemant præclarum illud no-
men [i] à quo estis cognominati?
8 [I] [k] Quod si [l] Legem regiam præstatis se-
cundùm Scripturam, Diliges proximum tuum ut
teipsum, benè facitis:
9 Sin verò personam respicitis, peccatum
committitis, & redarguimini à Lege veluti trans-
gressores.
10 [m] Quisquis enim totam Legem servaverit,
impegerit autem in uno, [n] omnibus tenetur.
11 [o] Nam qui dixit, Ne mœcheris, dixit etiam,
Ne occidas. Quòd si non fueris mœchatus, occi-
deris autem, factus es transgressor Legis.
12 [p] Ita loquimini & ita facite, ut per legem li-
bertatis judicandi.
13 Nam damnatio absque misericordia *erit* ei
qui non præstiterit [q] misericordiam: & gloriatur
misericordia adversus damnationem.
14 [r] Quæ utilitas, fratres mei, si fidem dicat a-
liquis habere se, opera verò non habeat? num po-
test fides illa eum servare?
15 [s] Quòd si frater aut soror nudi fuerint, &
egentes quotidiano victu:
16 Dicat autem eis aliquis vestrûm, Abite
cum pace, calefcite & saturamini: non tamen de-
deritis eis quæ sunt apta corpori, quæ *erit* utilitas?
17 Ita quoque fides, si opera non habeat, mor-
tua est per se.
18 [t] Quinimo dicet aliquis, Tu fidem habes,
& ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam
absque operibus tuis, & ego ostendam tibi ex ope-
ribus meis fidem meam.
19 [u] Tu credis Deum unum esse; rectè facis:
dæmonia quoque *istud* credunt, & horrescunt.
20 [x] Vis verò nosse, homo vane, fidem *quæ est*
absque operibus mortuam esse?
21 Abrahamus pater ille noster nónne ex ope-
ribus [y] justificatus est, [I] quum obtulisset Isaacum
filium suum super altare?
22 Vides fidem [z] administram fuisse operum
ipsius, & ex operibus [a] fidem perfectam fuisse?
23 Itaque [b] impleta est Scriptura quæ dicit,
[I] Credidit autem Abrahamus Deo, & imputatum
est ei ad justitiam, & amicus Dei vocatus est.
24 [c] Videtis igitur ex operibus [d] justificari ho-
minem, & non [e] ex fide tantùm?
25 [f] Similiter autem etiam [I] Rahab illa mere-
trix annon ex operibus justificata est, quum ac-
cepisset nuncios illos, & alia via emisisset?
26 [g] Nam sicut corpus absque spiritu mortu-
um est, ita & fides illa *quæ est* absque operibus
mortua est.

[i] Ad verbum quod invocatum est super vos. [I] *Num*. 16.17. & 21.22.

[k] 2. Conclusio, Charitati quam præscribit Deus cum illa personarũ acceptione convenire non posse, quum via regia sit incedendum.

[l] Lex regia instar viæ regiæ dicitur, quæ est plana & sine diverticulis: ea omnes & singulos proximi nomine comprehendit, quos officio juvare possimus.

[m] 2. Novum argumentum ad ejusdem conclusionis probationem, Non diligi proximos ab iis qui aliis neglectis certos quosdam ambitiosè colant: quoniam non obedit Deo qui ex Dei mandatis rescindit quod minus fuerit ipsi commodum: imò reus meritò censetur violatæ Legis in genere, etiamsi cætera observârit.

[n] Non quòd peccatorum sit æqualitas, sed quia qui unicum legis apicem violârit, is majestatem Legislatoris violavit.

[o] 3. Probatio, Quia unus & idem est Legislator, & corpus Legis individuum.

[p] 3. Conclusio totius tractationis, ea conditione nos esse liberatos à Legis maledictione per Dei clementiam, ut vicissim teneamur mutuam beneficentiam solvere; & qui secùs fecerit, gratiam Dei non sensurum.

[q] Qui durus & asper adversus proximum fuerit, aut etiam qui non eum juverit, is durum ac præfractum judicem Deum experietur.

[r] 2. Quintus locus cum superiore tractatu optimè cohærens, De vera seu viva fide, cujus loci propositio est, Fidem quæ opera non edat, non esse fidem illam qua justificamur, sed fidei simulacrum, sive per fidem non esse justificatos qui fidei effecta non demonstrant.

[s] 2. Prima ratio à simili. Si quis famelico dixerit, Satur esto, nec intereà quidquam subministret, non erit hæc vera charitas: ita si quis dixerit se credere, & nulla edat fidei opera, non erit vera hæc fides, sed mortuum quoddam fidei nomine ornatum, de quo non est cur quisquam glorietur, nisi velit manifestè redargui, quum ex effectis intelligatur causa.

[t] Imò etiam sic cuivis licebit tuam arrogantiam retundere.

[u] 2. Altera ratio ab absurdo. Si ejusmodi fides esset vera illa fides qua justificamur, diaboli essent justificati, ut qui illam habeant. Atqui nihilominus cohorrescunt: non sunt igitur justificati, nec fides illa vera est fides.

[x] 2. Tertia ratio est ab exemplo Abrahami, quem non dubium est vera fide fuisse præditum. Is verò filium suum offerens, ea fide se præditum demonstravit quæ minimè esset operum inanis, ac proinde verum sibi fuisse præbitum testimonium, quum diceretur fides ei ad justitiam fuisse imputata.

[y] Nónne ex operibus compertus est fuisse justificatus? hic enim non de causis justificationis differit, sed ex quibus effectis cognosci possit. [I] *Gene*. 22.10.

[z] Efficacem & fœcundam bonorum operum.

[a] Fidem declaratam fuisse, nempe veram fuisse, idq; ex operibus.

[b] Tum impleta fuit Scriptura, quum planè perspectum est, quàm verè illud fuerit de Abrahamo scriptum. [I] *Gene*. 15.6. *Roma*. 3. *Galat*. 3.6.

[c] 2. Conclusio, Justificari non qui fide qualicumque sit præditus, sed ea fide quam opera consequantur.

[d] Justum comprobari.

[e] Ex illa videlicet mortua & evanida quam vos jactatis.

[f] 2. Quarta ratio à simili exemplo Rahab meretricis, quæ & ipsa vera fide se justificatam esse ex operibus probavit. [I] *Josua* 2.1.

[g] 2. Conclusio repetita, Non fidem, sed cadaver quoddam esse fidem quæ opera non edat.

CAPUT III.

3 Ut doceat linguam homini Christiano esse coërcendam fidei & charitatis sanctæ repagulis, 9 commoda & incommoda quæ ab ea proveniunt, ostendit, 15 & quid humana sapientia 17 à cœlesti distet.

NE [a] estote multi doctores, fratres mei, [b] scientes [c] fore ut gravius judicium auferamus.
2 In multis enim impingimus cuncti. [g] [d] Siquis in sermone non impingit, hic perfectus est vir, ut qui possit fræno moderari totum etiam corpus.
3 [e] Ecce, equis fræna in ora immittimus, ut obediant nobis, & totum corpus eorum circumagimus:
4 Ecce, naves quoque, quum tantæ sint, & à ventis sævis agitentur, circumaguntur à minimo gubernaculo quocumque impulsus gubernatoris voluerit:
5 Ita & lingua pusillum membrum est, & sese effert magnificè. [f] Ecce, exiguus ignis quantam materiam incendit!
6 Et lingua flamma *est*, *&* [g] mundus iniquitatis: ita, *inquam*, lingua constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, [h] inflammans rotam geniture nostræ, & inflammata à gehenna.
7 Omnis enim natura & ferarum & volucrum, serpentiumq; & marinorum, domatur & domita est à natura humana:
8 Linguam autem nullus hominum domare potest: malum *est* quod coërcere non possis: plena *est* veneno mortifero.
9 [i] Per ipsam benedicimus Deo & Patri, & per ipsam maledicimus hominibus qui [k] ad similitudinem Dei conditi sunt.
10 [l] Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.
11 Num fons ex eodem foramine fundit dulcem & amaram *aquam*?
12 Num potest, fratres mei, ficus oleas edere, aut vitis ficus? ita neque salsa dulcem aquam *potest* edere.
13 [m] Quis sapiens & scientia præditus *est* inter vos? demonstret ex bona conversatione opera sua, cum mansuetudine sapientiæ.
14 Quòd si invidiam amaram habetis, & irritationem in corde vestro, ne gloriamini, & ne mendaces estote adversus veritatem.
15 Non est *enim* ista sapientia supernè descendens, sed terrena, animalis, dæmoniaca.
16 Ubi enim invidia est & rixa, ibi tumultuatio & omne opus pravum.
17 Quæ autem supernè *est* sapientia, primùm quidem pura est, deinde pacifica, moderata, obsequens, plena [n] misericordiæ & fructuum bonorum, absq; disceptatione, sine simulatione.
18 [o] Fructus autem justitiæ seritur cum pace iis qui dant operam paci.

[a] B. Sextus locus. Nequis (quod plerique ambitiosè faciunt) jus rigidæ censuræ in alios sibi usurpet.
[b] B. Ratio, Quia Dei severitatem in sese provocant, qui tam sollicitè & rigidè alios damnant, quum & ipsi rei inveniantur.
[c] Sub. nisi ab ista censoria & arrogantiæ plena reprehensione aliorum destiterimus.
[g] *Eccl. 14.1. & 19.16. & 25.8.*
[d] B. Septimus locus de frænanda lingua cum superiore conjunctus, ut constet neminem esse qui meritò culpari non possit, quum vel linguam frænare rarissima sit virtus.
[e] B. Duabus similitudinibus, una à frænis equorum, altera à navium gubernaculis sumta, quanta res recta linguæ moderatione effici possint ostendit.
[f] B. Ex adverso, quanta in toto orbe terrarum incommoda ex linguæ intemperantia proveniant declarat, ut eo diligentiùs omnes illius moderationi incumbant.
[g] Congeries & cumulus quidem omnium scelerum.
[h] Quæ possit vel totum orbem conditum accendere.
[i] B. Inter cætera linguæ vitia, Apostolus potissimùm coarguit maledicentiam in proximum, præsertim in iis qui nihilominus pii & religiosi videri volunt.
[k] B. Duplici ratione negat Deo posse laudem tribui ab homine maledico: primùm quia homo sit Dei imago, quam qui non reveretur, ne Deum quidem ipsum reveretur.
[l] B. Secundò, Quia non patitur ordo in rerum natura à Deo positus, ut res adeò inter se repugnantes simul constituantur.
[m] B. Octavus locus cum superiore cohærens, de animi lenitate retinenda, cui opponitur invidia & animus irritabilis. Obstruit autem initio præcipuum istorum malorum fontem, nempe falsam sapientiæ persuasionem, quum tamen nulla sit vera sapientia nisi quæ cælestis est, & ad omne veræ moderationis ac simplicitatis genus animos nostros format.
[n] B. Misericordiam opponit inhumano & fero ingenio, fructus autem bonos tribuit cælesti sapientiæ, quòd qui ea sit imbutus, omnia referat ad Dei gloriam & proximi commodum.
[o] B. Quoniam sibi persuasit mundus miseros esse qui pacificam & simplicem vitam colant, pronunciat ex adverso Apostolus, tandem eos collecturos pacificæ justitiæ messem.

NE multi [1] doctores sint inter vos, fratres mei, sed scitote quòd judicii majoris rei sumus.
2 Multas enim transgressiones admittimus omnes nos. Quicumq; in sermone non transgreditur, hic est vir perfectus, qui potest in servitute continere totum corpus suum.
3 Ecce enim [2] fræna in ore equorum immittimus ut obsequantur nobis, & totum corpus eorum circumagimus.
4 Etiam naves ingentes, quum agunt eas venti sævi, à ligno exiguo circumaguntur in locum ad quem intenta est voluntas ejus qui gubernat.
5 Ita etiam lingua, membrum est exiguum, & extollit sese: etiam ignis exiguus ramos multos incendit.
6 Et lingua, ignis est, [3] & mundus peccati veluti ramus est: & ipsa lingua exsistens in membris nostris maculat totum corpus nostrum, & inflammat [4] proventus generationum nostrarum, quæ currunt veluti rotæ, ac ardebit etiam ipsa in igne.
7 Omnes enim naturæ bestiarum, & volucrum, & reptilium maris & aridæ, [5] domantur à natura humana:
8 Linguam autem non potuit quisquam subjugare. Malum est hoc quod non [6] impeditur: plena est veneno mortis.
9 Per ipsam enim benedicimus Domino & Patri, & per ipsam maledicimus filiis hominis qui ad similitudinem Dei facti sunt.
10 Et ex eodem ore procedunt maledictiones & benedictiones. Non convenit, fratres mei, ut hæc ita fiant.
11 Numquid possunt ex eadem scaturigine emanare aquæ dulces & amaræ?
12 Aut numquid potest ficus, ô fratres mei, oleas edere, aut vitis ficus? similiter neque aquæ salsæ possunt fieri dulces.
13 Quis ex vobis est qui sit sapiens & eruditus? ostendat opera sua per conversationes bonas, in sapientia mansueta.
14 Si autem æmulatio amara sit in vobis, aut contentio in cordibus vestris, ne insolescatis adversus veritatem, & mentiamini.
15 Nam hæc sapientia è supernis non descendit, sed est terrena, [7] à tenebris animæ, & à dæmonibus.
16 Ubi enim est æmulatio & contentio, ibi etiam [8] conturbatio, & quicquid est mali.
17 Sapientia autem quæ è supernis est, pura est, & plena pacis, & mansueta, & obtemperans, & plena misericordiæ & fructuum bonorum, & sine [9] dissidio est, & [10] vultum non accipit.
18 Fructus autem justitiæ in tranquillitate seminantur illis [11] qui faciunt pacem.

[1] Id est, Censores importuni, aliorum vitia nimis acutè cernentes, in suis verò prorsus cæci.
[2] Diceres, per errorem in [illegible] literam ר positam esse pro ת, ac legendum [illegible], quòd frequenter occurrit in significatione fræporum: contrà verò [illegible] nunquam: sed quia Syri libri omnes & impressi & manuscripti ר habent, & non ת, dicendum potius est, vel aliam esse vocem Syram linguæ peculiarem, vel eamdem cum [illegible], in qua tamen ex Syræ linguæ proprietate ת mutatum est in ר ejusdem organi literam.
[3] T. Aut legit Syrus, καὶ ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας ὕλη: aut Ellipsin statuit ex antithesi, quam ellipsin supplet industriè ex antecedente verbo.
[4] T. vel decursum aut seriem generationum, &c. id est, totum hoc seculum nostrum habens.
[5] Ad verbum, Subjiciuntur, vel Obnoxia sunt naturæ, &c.
[6] Vel, Cesatur.
[7] T. al. à cogitationibus animæ: utrumvis autem dixeris, interpretamentum est.
[8] T. vel inconstantia.
[9] T. Id est, incerta dubitatione, & bæsitatione, qua quisquis laborat est δίψυχος, & inconstans in omnibus viis suis, ut loquitur idem Apostolus cap. 1. sic infrà 4. 8. divisi, id est duplices corde.
[10] Quid sit accipere vultum, ostendimus Matth. 6. 21.
[11] Id est, Qui colunt pacem, Hebraïsmus.

CAPUT IIII.

1 *Enumerat incommoda quæ ex carnis operibus proveniunt.* 7 *Animi submissionem* 8 *subjungit, & repurgationem,* 9 *à superbia,* 10 *detractione,* 14 *& ab oblivione propriæ infirmitatis.*

¹ Vel contentiones.

² Vel contenditis.

³ Vel, nutriatis.

4 F. Græcum illud ῥ, μοιχαλίδες, & adulteræ, non legit Syrus, sive quòd in exemplaribus ipsius defuerit, sive quòd masculina voce putaverit δίχα συνέκδοχης comprehendi.

⁵ F. lego scripturam? qua de re consulendi Parallèli sacri.

⁶ Vel, diffidentes.

⁷ Ad verb. Ponens, vel constituens Legem.

⁸ Ad verb. Agemus ibi annum unum.

⁹ F. vel non cognoscunt: nam participium est sine personæ determinatione. Etsi quid opus?

UNde *fit* quòd sunt in vobis bella ¹ & pugnæ?
nonne ex concupiscentiis quæ militant in
membris vestris?
2 Concupiscitis, & non est vobis: & occidi-
tis, & æmulamini, neque pervenit ad manus ve-
stras: & ² pugnatis, & bella geritis, neq; est vo-
bis: propterea quòd non postuletis.
3 Petitis, & non accipitis: eo quòd malè
petatis, ut ³ saturetis concupiscentias vestras.
4 Adulteri ⁴ ignoratis quòd amicitia mundi
hujus, inimicitia est apud Deum? Is igitur qui vult
esse amicus mundi hujus, inimicus est Deo.
5 Aut nunquid inaniter putatis dixisse ⁵ Scri-
pturam quòd in invidia concupiscit spiritus qui
habitat in nobis?
6 Gratiam autem ampliorem dedit nobis
Dominus noster. Propter hoc dicit quòd Deus
humiliat elatos, & demissis dat gratiam.
7 Subdite igitur vos Deo, & resistite contra
Satanam: & fugiet à vobis:
8 Atque appropinquate Deo, & appropin-
quabit vobis. Emundate manus vestras, ô pec-
catores: sanctificate corda vestra, ⁶ duplices a-
nimo.
9 Demittite vos, & lugete: & risus vester in
luctum convertatur, & gaudium vestrum in mœ-
rorem.
10 Demittite vos coram Domino, & exalta-
bit vos.
11 Ne loquamini unus contra alium, fratres
mei. Is enim qui loquitur contra fratrem suum,
aut qui judicat fratrem suum, loquitur contra Le-
gem, & judicat legem. Et, si Legem judicas, non
es effector Legis, sed judex ejus.
12 Unus est enim ⁷ constituens Legem & ju-
dicium, qui potest servare & perdere. tu autem
quis es qui judicas proximum tuum?
13 Quid autem dicemus de iis qui dicunt,
Hodiè aut cras profecturi sumus in civitatem *a-
liquam*, quæcumq; sit, & ⁸ transigemus ibi annum
unum, & mercabimur, & lucrabimur?
14 Et ⁹ non cognoscimus quid futurum sit
cras. Quid enim est vita nostra, nisi vapor qui
modico tempore conspicitur, & evanescit ac di-
strahitur?
15 Pro eo quòd dicere deberent, si Dominus
voluerit, & vixerimus, facturi sumus hoc vel il-
lud.
16 Gloriantur in superbia sua. Omnis gloria-
tio quæ est ejusmodi, à malo est.
17 Et is qui novit bonum, & non facit illud,
peccatum est ei.

UNde ᵃ bella & pugnæ inter vos? nonne hinc,
nimirum ex voluptatibus vestris, quæ militant
in membris vestris?
2 Concupiscitis, & non habetis: invidetis &
ambitis, nec potestis assequi: pugnatis & bella-
tis, nec obtinetis, ᵇ propterea quòd non pe-
titis.
3 Petitis, & non accipitis, eo quòd malè pe-
tatis, ut in voluptates vestras insumatis.
4 ᶜ Adulteri & adulteræ, nescitis amicitiam
mundi, inimicitiam esse adversus Deum? Qui-
cumque ergo voluerit amicus esse mundi, inimi-
cus Dei constituitur.
5 ᵈ An putatis Scripturam inaniter dice-
re, Ad invidiam fertur spiritus qui sedem posuit
in nobis?
6 Sed majorem offert gratiam, quia dicit,
ᵉ Deus superbis resistit, submissis autem dat gra-
tiam.
7 ᶠ ᵉ Subjicite igitur vos Deo, resistite dia-
bolo, & fugiet à vobis.
8 Appropinquate Deo, & appropinquabit
vobis: emundate manus, peccatores: & purifica-
te corda, duplices animo.
9 ᶠ Sensu miseriæ tangimini, & lugete, & fle-
te. risus vester in luctum convertatur, & gaudi-
um in ᵍ mœrorem.
10 ᵉ Submittite vos in conspectu Domini, &
extollet vos.
11 ʰ Ne alii adversus alios loquimini, fratres.
qui loquitur contra fratrem, quiq; damnat fra-
trem suum, loquitur contra Legem, & damnat
Legem. quòd si damnas Legem, non es observa-
tor Legis, sed judex.
12 Unus est Legislator qui potest servare &
perdere: ᵍ tu quis es qui damnas alium?
13 ⁱ Age nunc qui dicitis, Hodiè vel cras pro-
ficiscemur in illam urbem, & agemus ibi annum
unum, & mercabimur, & lucrabimur.
14 Qui ignoratis quid *futurum sit* postero die.
quæ est enim vita vestra? vapor enim est qui ad
exiguum *tempus* apparet, & deinde evanescit.
15 Pro eo quod dicere debuistis, ˡ Si Do-
minus voluerit, & vivamus, faciemus hoc aut
illud.
16 Nunc autem gloriamini de arrogantia ve-
stra. omnis ejusmodi gloriatio, mala est.
17 ᵏ Igitur qui noverit rectè facere, nec fa-
cit, hic peccato tenetur.

ᵃ B. Progrediens in eodem argumento alias bellorum & litium causas ab effectis damnat, nempe immodicas cupiditates, quas Dominus meritò frustratur: ut nihil aliud quàm insanabiles cruciatus adferant iis quibus insunt.
ᵇ B. Eos nominatim reprehendit, quos non pudet Deum velle facere suarum libidinum administrũ, dum vel per se illicita, vel licita quidem, verùm in perversos usus petunt.
ᶜ B. Alia ratio cur ejusmodi effrænes cupiditates omninò sint dãdandæ, quoniam videlicet qui mũdo sese addicit, cum Deo divortium facit, abrupto sacri illius spiritualis conjugii vinculo.
ᵈ B. Occupatio, Animos quidem nostros sponte in hæc vitia ruere, sed tanto diligentiùs esse cavenda: quod studium inane non erit, quum Deus contumaces quidem oppugnet, modestos autem ea gratia donet quæ sit omnibus illis vitiis superior.
ᵉ *Prov.* 3.34. 1. *Pet.* 5.5.
ᵍ *Ephe.* 4.27.
ᵉ Conclusio, Cõtrarias virtutes illis vitiis esse opponendas, ac proinde pro eo quòd diaboli suggestionibus obsequebamur, Deo subjiciendas esse mentes nostras, & diabolo certa cum spe victoriæ resistendum, deniq; studendum ut puritate & synceritate vitæ ad Deum quàm proximè accedamus.
ᶠ B. Pergens in eadem oppositorum collatione, profanis illis gaudiis seriam animi contritionem, & arrogantiæ sanctam modestiam opponit. ᵍ Hoc vocabulo Græci tristitiam cum pudore quodam conjunctam declarant, quæ in vultu demisso, & humi quasi affixo apparet. ᵉ 1. *Pet.* 5.6. ʰ B. Aliud duplex superbiæ malum gravissimè reprehendit: unum, quum superbi volunt cæteros vivere ex ipsorum arbitrio, ideoq; superciliosè damnant quicquid ipsis non arridet: quod fieri sine gravi in unicum nostrum Legislatorem injuria non potest. Ita enim ejus Leges ut non satis diligenter scriptæ culpantur, & sibi arrogant homines quod unius est Dei, quum Legem conscientiis imponunt. ᵍ *Rom.* 14.4. ⁱ B. Alterum vitium, Quum de his vel illis rebus ac negotiis perinde homines confidenter statuunt, acsi aliundè non penderent singula ipsorum vitæ momenta. ˡ 1. *Cor.* 4.19. ᵏ B. Conclusio totius tractationis superioris, Non modò nihil prodesse voluntatis Dei cognitionem, nisi vita ei respondeat, sed etiam peccata efficere multò graviora.

CAPUT V.

1 *Divini judicii severitatem divitibus denunciat, correpta eorum superbia:* 7 *ut pauperes audientes divitum infœlicem exitum,* 8 *æquo animo afflictiones,* 11 *ut Job,* 14 *etiam quum infirmantur, ferant.*

ODivites, ejulate & flete propter dolores qui
veniunt super vos.
2 Divitiæ enim vestræ corruptæ sunt, & fœtu-
erunt, & vestimenta vestra corrosa sunt à tinea:
3 Et aurum vestrum & argentum vestrum
corruptum

AGe ᵃ nunc divites, flete, ejulantes super mi-
seriis vestris superventuris.
2 Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimen-
ta vestra sunt à tineis vorata:
3 Aurum & argentum vestrum ærugine viti-
atum

ᵃ B. Divitibus iniquis, profanis & in suo luxu immersis ultimũ exitiũ denunciat, stultã eorum fiduciam irridens, quum nihil sit ejusmodi rebus inanius.

atum est, & ærugo eorum testabitur adversum
vos, & exedet carnes vestras velut ignis: thesau-
rum congessistis in ultimos dies.
4 Ecce, merces operariorum qui messue-
runt regiones vestras, per vos interversa, clamat:
& vociferationes eorum qui messuerunt, [b] in
aures Domini Sabaoth introiêrunt.
5 In deliciis vixistis super terram, & lascivi-
stis: [c] enutristis corda vestra ut in [d] die epuli.
6 Condemnastis, occidistis justum: non re-
sistit vobis.
7 [e] Patientes igitur estote, fratres, usque ad
Domini adventum. [f] Ecce, agricola exspectat
pretiosum fructum terræ, patienter eum ex-
spectans, dum accipiat pluviam matutinam &
serotinam.
8 Patientes estote & vos, & stabilite corda
vestra, quoniam adventus Domini appropin-
quat.
9 [g] Ne [h] ingemiscite alius adversus alium,
fratres: ut ne condemneni. [i] ecce, judex ante
januam adstat.
10 [k] Sumite, fratres mei, pro exemplari vexa-
tionis ac lenitatis, Prophetas qui loquuti sunt in
nomine Domini.
11 Ecce, beatos pronunciamus eos qui *ad-
versa* tolerant. tolerantiam Job audistis, & [l] fi-
nem Domini vidistis. nam abundat intima mise-
ricordia Dominus, & est miserator.
12 [m] [l] Ante omnia verò, fratres mei, ne jura-
te neque per cælum, neque per terram, neque a-
liud ullum jusjurandum: [n] sit autem vestrum, est,
est, & non, non: ne in condemnationem incida-
tis.
13 [o] Æger est animo aliquis inter vos? oret.
bono animo est aliquis? psallat.
14 [p] Ægrotat aliquis inter vos? accersat pres-
byteros ecclesiæ, & orent pro eo, [q] ungentes eum
[q] oleo [r] in nomine Domini.
15 Et oratio fidei servabit laborantem, eri-
getq; eum Dominus: quòd si [s] peccata commi-
serit, remittentur ei.
16 [t] Confitemini alii aliis offensas, & orate
alii pro aliis, ut sanemini: [u] multùm *enim* valet
deprecatio justi efficax.
17 [l] Elias homo erat iisdem quibus nos affe-
ctionibus obnoxius, & [x] precibus precatus est
ne plueret: & non pluit super terram annos tres
& sex menses.
18 Et rursum precatus est, & cęlum dedit plu-
viam, & terra produxit fructum suum.
19 [y] Fratres, [l] siquis inter vos aberrarit à ve-
ritate, & [z] converterit eum quispiam.
20 Sciat eum qui averterit peccatorem ab
errore viæ suæ, servaturum animam à morte, &
obtecturum multitudinem peccatorum.

[b] Exauditi sunt à Domino multo potentiore quàm ipsi sitis.
[c] Indulsistis vobis.
[d] Diem sacrificii, vel convivii vocant Hebræi diē solenni epulo destinatum.
[e] B. Pauperibus applicat quod in divites dixerat, monens ut patienter exspectent, dum adveniat Dominus, qui injurias à divitibus illatas ulciscatur.
[f] B. Occupatio, Quamvis tardus videatur ejus adventus, tamen imitandos saltem esse nobis agricolas, qui tempora fructibus terræ destinata patienter exspectant. Deum porrò ne tantillùm quidem dilaturum tempus illud quod constituit.
[g] B. Patientiam Christianam ex eo commendat, quòd quum reliqui soleant mutuò sese accusare præ impatiētia, fideles è cōtrariò ne acceptis quidē injuriis sint queruli.
[h] Gemitum vocat intestinam quamdam queremoniam, quæ impatientiam declarat.
[i] B. Conclusio, Pro foribus adesse Dominum, suorum defensorem, & hostium ultorem, ac proinde non esse cur nosipsos fatigemus.
[k] B. Quoniam pleriq; solent objicere, præstare injurias quomodocumq; repellere, opponit Patrum exempla quorum patientiæ fœlicissimus fuit exitus, quoniam Deus ut clementissimus Pater suos nunquam deserit.

corruptum est: & corruptio eorum fuit in testi-
monium contra vos, & ipsa futurum est ut exedat
carnem vestram. Ignem congessistis vobis in
dies ultimos.
4 Ecce, merces operariorum qui messuerūt
regiones vestras, quam perversè retinuistis,
clamat: & vociferatio messorum in aures Do-
mini Sabaoth introivit.
5 Deliciis enim indulsistis super terram, &
subsannastis, & enutristis corpora vestra sicut in
[1] die victimæ.
6 Condemnastis, & occidistis justum; &
non surrexit adversus vos.
7 Vos autem, fratres mei, [2] continete spiri-
tum vestrum usq; in adventum Domini, sicut a-
gricola, qui exspectat fructus pretiosos terræ suæ,
& continet spiritum suum propter eos, donec
accipiat pluviam [3] primogenitam & [4] serotinam;
8 Ita etiam vos continete spiritum vestrum,
& corda vestra corroborate, appropinquat enim
adventus Domini nostri.
9 Ne ingemiscatis unus adversus alium, fra-
tres mei, ut non judicemini. ecce enim [5] judicium
ante januam assistit.
10 Exemplum ipsos Prophetas accipite vo-
bis, fratres mei, ad patientiam in afflictionibus
vestris, qui loquuti sunt in nomine Domini.
11 Ecce enim attribuimus beatitatem iis qui
sustinuerunt. Audivistis tolerantiam Job, &
[6] finem quem fecit ei Dominus vidistis, eo quòd
misericors est Dominus & miserator.
12 Ante omnia autem, fratres mei, ne juretis
neq; per cælum, neque per terram, nec etiam ju-
ramentis aliis: sed sit sermo vester, Est, est: &
Non, non: [7] ut non condemnemini sub judicium.
13 Et, siquis ex vobis fuerit in afflictione, o-
ret: &, si lætetur, psallat:
14 Et si infirmetur, accersat seniores Eccle-
siæ, & orent [8] super eum, & ungant eum unctio-
ne in nomine Domini nostri:
15 Et oratio fidei sanat eum qui ægrotus est,
& erigit eum Dominus noster: & si peccata per-
petrata sint ab eo, remittuntur ei.
16 Confitemini autem delicta vestra alius a-
lii, & orate unus pro alio, ut sanemini: Magna e-
nim est vis orationis qua justus orat.
17 Etiam Eliah, filius hominis fuit, obnoxius
passioni sicut nos, & oravit ut non descenderet
pluvia super terram, & non descendit tres annos
& sex menses:
18 Et rursus oravit, & cæli dederunt pluviam,
& terra dedit fructus suos.
19 Fratres mei, siquis ex vobis erraverit à via
veritatis, & cōverterit eum quispiā ab errore suo:
20 Sciat quòd is qui avertit peccatorem ab
errore viæ suæ, salvam facit animam suam à
morte, & operit multitudinē peccatorum suorū.

Finitur Epistola Jaakub Apostoli.

[1] i. In die convivii. pro eo enim interdum accipit נכסא Chaldaicū & Syriacum: sicut & זבח Hebraicum, Isaiæ 34.6. in Paraphr. Chaldaica & Proverb. 7.14. & 17.1. in textu Hebræo.
[2] i. Patienter exspectate sine murmuratione, aut prava cogitatione propter longam dilationem.
[3] i. Quæ paulò post factam sementem descendit.
[4] i. Quæ paulò ante messem descendit.
[5] v. vel judex. Etsi vox Syra altero magis significato usurpatur.
[6] i. Quem dederit ei Deus exitū, ex lectione sacrorum librorum vidistis.
[7] i. Ut non subeatis judicium condemnationis.
[8] Vel, Pro eo.

[l] Quem exitum dederit Dominus. [m] B. Quoniam ab optimis etiam quibusq; interdum impatientia extorquet ut in juramenta quandoque leviora, quandoque graviora erumpant, monet Apostolus ut tantum scelus exsecrantes, simplicitati & veritati sermonis linguam assuefaciamus. [l] *Matth.* 5.34. [n] Quod affirmandum fuerit, simpliciter & sine jurejurando affirmate: quod negandum, simpliciter negate. [o] B. Optimum adversus omnes afflictiones remedium ostendit, preces nimirum, quibus & in tristitia & in gaudio suus est locus. [p] B. Peculiariter ostendit ad quos potissimùm medicos sit in morbis confugiendum, nimirum ad presbyterorum preces, qui & corpus (prout tunc vigebat sanationis donum) curent, & præcipuam morborum causam tollant, peccatorum videlicet remissione, suis precibus & monitis, ægrotantibus impetrata. [l] *Mar.* 6.13. [q] Fuit hoc symbolum doni sanationis: nunc verò quum non exstet donum, non est necessarium ampliùs symbolum. [r] Invocato nomine Domini. [s] Rectè peccatorum meminit, propter quæ nimirum plerumq; immittuntur morbi. [t] B. Quoniam confitentibus, non autem sese justificantibus remittuntur a Deo peccata, ideò adjicit Apostolus oportere nos ingenuè inter nos de intestinis illis morbis nostris conferre, ut mutuis precibus alii aliis succurramus. [u] B. Preces commendat ab effectis, ut omnes intelligant nihil esse illis efficacius, modò ex puro animo proficiscantur. [l] 1. *Reg.* 17.1. & 18.45. *Luc.* 4.25. [x] Repetitio Hebraica, quasi diceret, religiosè precatus est. [y] B. Occupatio, Non damnari quasvis reprehensiones, quum è contrario nihil Deo gratius quàm oberrantem fratrem in viam revocare. [l] *Matth.* 18.15. [z] A via revocârit.

EPISTOLA

EPISTOLA PETRI APOSTOLI SIMONIS KIPHÆ.

CAPUT I.

2 Magnificè extollit Dei gratiam in Christo, 7 qua fide recipitur, & spe possidetur, 10 de qua vaticinati sunt prophetæ. Inde deducit exhortationem, 15 ut renunciantes mundo, 23 & priori vitæ, se Deo conforment.

TREM. INTERPRET.

PETRUS Apostolus Jeschua Christi electis, & incolis disseminatis in Pontum, & in Galatiam, & in Cappadociam, & in Asiam, & in Bithyniam:

2 Qui electi fuerunt in præsentia Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, ut [1] sint in obedientia, & stillatione sanguinis Jeschua Christi: Gratia & pax multiplicetur vobis.

3 Benedictus Deus Pater Domini nostri Jeschua Christi, qui per gratiam suam magnam [2] regenuit nos, per resurrectionem Domini nostri Jeschua Christi, in spem vitæ:

4 Et in hæreditatem quæ non corrumpitur, & non contaminatur, & non marcescit, quæ præparata est vobis in cælis,

5 Qui custodimini per virtutem Dei, & per fidem in salutem quæ preparata est ut reveletur in temporibus extremis:

6 In quibus gaudebitis in perpetuum, etiamsi hoc tempore modicum affligimini tentationibus variis,

7 Quæ transeunt super vos: ut exploratio fidei vestræ conspiciatur (quæ pretiosior est quàm aurum depuratum, quod probatũ est per ignem) ad gloriam & ad honorem & ad laudem, in revelatione Jeschua Christi.

8 Quem non vidistis, & diligitis eum, & in fide ejus exsultatis, lætitia [3] laudabili, quæ verbis non exprimitur:

9 Ut recipiatis præmium fidei vestræ, salutem animarum vestrarum,

10 Eam *inquam* salutem, de qua inquisiverunt Prophetæ, quum vaticinarentur de gratia quæ futurum erat ut daretur vobis.

11 Et scrutati sunt quodnam tempus indicaret & testaretur Spiritus Christi habitans in eis, quo *tempore* futuræ essent passiones Christi, & gloria ejus quæ *sequutura erat* posteà.

12 Et revelatum est illis quicquid scrutati fuerant, propterea quòd non sibiipsis inquirebant, sed nobis quæ ad nos *spectabant* vaticinabantur: illa *nimirum* quæ nunc manifestata sunt vobis [4] per eos qui evangelizant vobis per Spiritum sanctum qui missus est è cælo, in quæ concupiscunt etiam Angeli perspicere.

13 Quapropter succingite lumbos mentium vestrarum, & excitamini perfectè, & sperate in

[1] F. Id est, ut comparati sint ad obedientiam pro gloria Dei, & ad aspersionem sanguinis Christi ablutionemq; peccatorum, & justificationem perfectam in Christo pro vita ipsorum & salute æterna per ipsum atque in ipso consequendâ.

[2] Ad verbum, Genuit nos ab integro.

[3] F. vel gloriosa: id enim Syra notatur voce.

[4] Ad verbum, Per manum eorum, &c. id est, Opera & ministerio eorum qui, &c. Hebraismus.

BEZAE INTERPRET.

PETRUS Apostolus Jesu Christi, advenis dispersis per Pontũ, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam:

2 [a] Electis ex [b] præstituto Dei Patris ad [c] sanctificationem Spiritus, per obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi: gratia vobis & pax multiplicetur.

3 Benedictus *esto* Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem [d] vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.

4 *Id est* ad hæreditatem quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, vobis in cælis servatam,

5 [e] Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem paratam patefieri [f] tempore ultimo.

6 Qua in re exsultatis, paululum nunc (si opus est) in variis tentationibus tristitia affecti:

7 Ut exploratio fidei vestræ multo pretiosior *exploratione* auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, comperiatur *vobis esse* laudi & honori & gloriæ, [g] in patefactione Jesu Christi.

8 Quem quum non videritis, diligitis: in quem, nunc *eum* non cernentes, tamen credentes, exsultatis gaudio inefabili & glorioso:

9 Reportantes mercedem fidei vestræ, salutem [h] animarum.

10 [i] De qua salute inquisierunt, & *quam* scrutati sunt Prophetæ, qui de *ventura* in vos gratia prophetârunt.

11 Scrutantes in quem aut qualem temporis articulum prænuncius ille qui in ipsis *erat* Spiritus Christi, declararet *eventuras* Christo perpessiones, & gloriam illas consequuturam.

12 Quibus revelatum est, eos non sibi, sed nobis ea administrare quæ nunc annunciata sunt vobis per eos qui vobis prædicârunt Evangelium per [k] emissum è cælo Spiritum sanctum, in quæ desiderant Angeli introspicere.

13 [l] Quapropter [m] succincti lumbis mentis vestræ, sobrii, [n] [o] integrè sperate in eam [p] quæ

[a] B. Dicturus Petrus de Christianæ vitæ officiis, primo loco de principiis omnium Christianorum actionum differit, longè supra naturam assurgens, & longiùs etiam nos deducens. Ostendit enim nos alioqui peccatores, per Dei Patris gratuitam misericordiam primùm quidem fuisse ab æterno electos: deinde ex æterno illo decreto secunda quadam creatione factos ejus filios in Christo unigenito, cujus tum Spiritu intùs mutemur, tum etiam sanguine ipsius reconciliemur, idq; ut tandem, sicut à mortuis resurrexit Christus ipse, nos quoque in eandem gloriam cœlestem & æternam recipiamur.

[b] Vel, ex proposito Dei.

[c] Ut spiritu segregati, Deo consecrarentur, Ephes. 1.5.

[d] Perennem.

[e] B. Jam quo itinere ad eam gloriam perveniatur, ostendit, nempe per medias omnis generis afflictiones, in quibus tamen fides nos ita securos præstat, ut non modò non frangamur doloribus, sed etiam Deum ipsum alioqui invisibilem, fidei oculis conspicientes, inenarrabili quadam lætitia perfundamur: quoniam ejusmodi omnia præter quàm quòd temporia sunt, nobis non perdendis, sed velut igne quodam excoquendis ac perficiendis, adhibeantur, ut tandem salutem consequamur. [f] Illud est tempus quod Daniel tempus finis vocat, quo videlicet futura est summa illa instauratio, quam rerum universitas exspectat. Rom. 8.19. [g] De secundo adventu loquitur. [h] Sub. vestrarum. [i] B. Fidem veram ab adulterina distinguit, eam videlicet quæ in Propheticam & Apostolicam doctrinam respicit: deinde unius ejusdemq; fidei duos facit gradus pro diversæ revelationis modo, quum reipsa sit unica & singularis. Tertiò, Apostolicam prædicationem dicit esse Propheticæ complementum, quamvis adhuc ultimus ejus exitus ab ipsis etiam Angelis exspectetur. [k] Alludit ad prophetiam Joelis, in Apostolis tanquam in primitiis Spiritus sancti exhibitam die Pentecostes, quam idem noster Petrus explicat, Act. 2.6. [l] B. A fide ad spem transit, individuam nimirum fidei comitem, utiturq; argumento à comparatis, non debere nos in tantæ rei exspectatione defatigari, quam summo desiderio ipsi etiam angeli exspectent. [m] Translatio sumta ex vetusto more: quum enim prælongis vestibus uterentur, non poterant nisi succincti iter facere; hinc illud Christi dictum, Sint lumbi vestri præcincti. [n] B. Qualem oporteat spem nostram esse, mira brevitate explicat, perpetuam nimirum, tantisper dum re sperata potiamur: deinde quid nobis sit sperandum, gratia nimirum, (id est, gratuita salus) nobis in Evangelio patefacta, non autem quod temerè sibi pollicentur homines. [o] Solidè ac sincerè. [p] B. Argumentum ad animos nostros erigendos, quum Deus minimè exspectet ut sequaramus, sed tantum beneficium ad nos usque deferendum curet.

q B. Scopum fidei proponit, nequis citiùs vel seriùs sibi plenam illam salutẽ promittat, alterum videlicet Christi adventũ: simulq; monet ne ex præsenti statu dignitatem Evangelii metiamur, quum id quod nunc sumus, nondum sit patefactum.
r B. A fide & spe transit ad utriusq; fructus, qui obedientiæ nomine intelliguntur. Posita autem ea est duabus in rebus, nempe ut cupiditatibus renuncietur, & sanctè vita instituatur. Et habent quidẽ illæ initium ab ea cæcitate in qua omnes homines nascuntur: sanctimonia verò à gratia Dei nos adoptantis, ac proinde regenerantis, ut eadem sit patris & filiorum indoles.
‖ *Luc.1.75.*
s B. Ostendit sanctificationem necessariò consequi adoptionem.
‖ *Levit.11.44.& 19.2.& 20.7.*
t B. Ut anteà fidem & spem, sic nunc quoque obedientiam ve-

vobis defertur gratiam, q in patefactione Jesu
Christi.
14 r Ut filii obedientes, qui vos non configu-
retis pristinis quæ in ignorantia vestra *viguerunt*
cupiditatibus.
15 ‖ Sed sicut is qui vos vocavit sanctus est,
ipsi quoque sancti in omni conversatione redda-
mini.
16 s Propterea quòd scriptum est, ‖ Sancti e-
stote, nam ego sanctus sum.
17 t Et, si patrem u cognominatis eum ‖ qui
citra personarum respectum judicat ex cujusque
opere, cum timore versamini commorationis ve-
stræ tempore.
18 x Ut qui sciatis vos non caducis *rebus*, ar-
gento vel auro, fuisse redemtos ex vana illa vestra
conversatione, à patribus tradita:
19 ‖ Sed pretioso sanguine, utpote agni incul-
pati & incontaminati, *nempe* Christi:
20 ‖ y Præsciti quidem ante z jacta mundi
fundamenta, patefacti verò ultimis temporibus
propter vos,
21 Per eum credentes in Deum, qui suscitavit
eum à mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac
spes vestra in Deo esset.
22 a Qui *igitur* animas vestras purificâstis, au-
scultando veritati per Spiritum, ‖ ad charitatem
fraternam simulationis expertem, ex puro corde
alii alios diligite intensè:
23 Regeniti non ex semine intereunte, sed
non intereunte, *id est* per sermonem Dei vivi, &
manentis in æternum.
24 b ‖ Nam omnis c caro *est* ut gramen, & om-
nis gloria hominis, ut flos graminis. exaruit gra-
men, & flos ejus decidit:
25 d Sed verbum Domini manet in æternum.
hoc autem est verbum illud quod evangeliza-
tum est vobis.

gaudium quod eveniet vobis in revelatione Do-
mini nostri Jeschua Christi,
14 Tamquam filii obedientes: neque associe-
tis vos rursus concupiscentiis pristinis, quas con-
cupiscebatis sine scientia, sed estote sancti in om-
nibus conversationibus vestris:
15 Sicut sanctus est is qui vocavit vos.
16 Quia scriptum est, Estote sancti, sicut eti-
am ego sanctus sum.
17 Et si ita est quòd Patrem vocatis eum in
cujus conspectu non est 5 acceptio vultus, & ju-
dicat omnem hominem secundùm opera ejus,
cum timore vos gerite in tempore hoc incolatus
vestri:
18 Scientes quòd non argento quod vetusta-
te atteritur, neque auro redemti estis ex operibus
vestris vanis, quæ accepistis à patribus vestris:
19 Sed sanguine pretioso agni in quo macula
& labes non est, qui est Christus.
20 Qui ab initio fuit destinatus ad hoc ipsum
ante constitutionem mundi, & manifestatus est
in extremitate temporum propter vos:
21 Qui per eum credidistis in eum qui exci-
tavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides
vestra & spes vestra esset in Deum.
22 6 Sanctificatis animabus vestris per obe-
dientiam veritatis, & impletis dilectione quę non
accipit vultum, quę est ex corde puro & perfecto.
Diligite alter alterum:
23 Tamquam ii qui regeniti fuistis non ex se-
mine quod vetustate perit, sed ex eo quod non
perit vetustate, per sermonem vivum Dei qui
manet in æternum.
24 Quia omnis caro fœnum, & omnis elegan-
tia ejus tamquam flos agri. Exarescit fœnum, &
marcescit flos.
25 Et verbum Dei nostri manet in secula. Et
hoc est verbum illud quod prędicatum est vobis.

5 Vide annotata in cap.6.Mat.2.

6 V. vel sanctificantes animas vestras in obedientia veritatis, & pleni dilectione quæ non accipit vultum (id autẽ est ἀνυποκρίτῳ) ut ex corde puro & integro diligatis unus unum, id est, alter alterum, Syra phrasi.

ram à ficta discernit, externæ larvæ opponens perspicacissimos Dei oculos, & vanæ securitati seriam reverentiam. u Si ejus Patris filii vultis cognominari. ‖ *Deut.10.17. rom.2.11. gal.2.6.* x B. Exhortatio, proposita beneficii Dei Patris, in nobis proprii Filii morte sanctificandis, dignitate ac magnitudine. Opponit autem partim Legales purificationes ipsi rei, (id est, Christi sanguini) partim etiam humanas traditiones, quas ut prorsus vanas & superstitiosas damnat, quantumvis sint inveteratæ. ‖ *1.Cor.6.20.& 7.23. heb.9.14. 1.joh.1.7. apoc.1.5.* ‖ *Rom.16.25. ephe.3.9. coloss.1.26. 2.tim.1.9. tit.1.2.* y B. Occupatio, Quid igitur mundo factum est ante exhibitum Christum? an nulla prius fuit sanctimonia, nulla denique Ecclesia? Respondet Apostolus, fuisse præordinatum Christum liberandis hominibus antequam ipsimet homines exstiterint, nedum ut ulla fuerit extra eum Ecclesia ante ipsius adventum in carne: sed nos tamen esse fœlicissimos præ aliis, quibus re ipsa exhibitus fuit Christus, qui morte pro nobis obita ac superata, quàm efficacissimè nunc in nobis agat Spiritus sui virtute, ad fidem, spem, ac charitatem in nobis creandas. z Ab æterno. a B. Obedientiæ practicen (id est charitatem) commendat, sedulò rursum inculcans sese non de charitate aliqua vulgari, & à corrupta illa nostra natura promanante disserere, sed de illa demum cujus principium est Dei Spiritus, animas nostras Verbo Dei fide apprehenso purificans, atque adeò spiritualem & perennem vitam nobis ingenerans, sicut Deus ipse purissimus est & verè vivus. ‖ *Infra 2.17. rom.12.10. ephes.4.2.* b B. Ratio, cur cælesti ista genitura necessariò sit opus. Quoniam videlicet homines, quantuscumque videatur illorum splendor, natura sint omnis veri ac solidi boni inanes. ‖ *Esa.40.6. eccle.14.18. jac.1.10.* c Carnis nomen imbecillitatem nostræ naturæ declarat, quæ quidem præcipuè in carne consideranda est. d B. Rursum nequis spiritualem illum vigorem in fictitiis imaginationibus quærat, revocat nos Apostolus ad verbum Domini, & ita quidem ut doceat non esse verbum aliud Domini exspectandum, sed in eo uno consistendum quod evangelizatum est.

CAPUT II.

1 Fideles verbo Dei renatos hortatur ad ducendam vitam quæ genituræ respondeat, 6 At ne titubet eorum fides allegat quid de Christo prædictum fuit. 11 Hortatur deinde ut obedientiam præstent magistratibus, 21 & patienter adversa ferant Christi exemplo.

‖ *Rom.6.4. ephe.4.23. coloss.3.8. heb.12.1.*
a B. Substrato illo fundamento Spiritus Dei per verbum efficaciter agentis, cui tres virtutes superstruxit, omnium Christianarũ actionum bases, nempe fidem,

PRoinde ‖ a deposita omni malitia & omni dolo
& simulationibus & invidentiis, & omnibus
obtrectationibus,
2 b Ut c modò nati infantes, lac illud sermo-
nis sincerum expetite, ut per illud adolescatis.
3 d Siquidem gustâstis quòd bonus sit Do-
minus,
4 e Ad quem accedentes, qui est lapis vivus,
ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum

SEponite igitur à vobis omnem malitiam, &
omnem dolum, & simulationem, & invidiam,
& obtrectationem:
2 Et estote tamquam infantes simplices, &
concupiscite ipsum sermonem, tamquam lac
mundum & spirituale, per quod crescetis ad sa-
lutem.
3 Si gustâstis & vidistis quòd bonus sit Do-
minus.
4 Ad quem appropinquâstis, qui est lapis vi-
vus, quem reprobaverunt filii hominis, & electus

spem, & charitatem: nunc ad generalem exhortationem progreditur, cujus prius membrum est ut omnem tum occultæ tum manifestæ malitiæ speciem fugiamus. b B. Alterum, ut ex novo illo Verbi incorrupti semine recèns geniti, idem verbum avidè tamquam lac sugentes, magis ac magis in illa spirituali vita velut adolescamus. Sincerum autem illud vocat, non modo quia res est purissima, verum etiam ut nobis ab iis caveamus qui illud adulterant. c Ut novi homines facti. d B. Commendat spirituale illud alimentum, à suavitate & utilitate. e B. In eadem exhortatione pergit, sed diversa translatione utens, allusione ad templum facta. Itaque fidelium cœtum veluti quoddam sacrum spirituale ædificium esse dicit, ex vivis lapidibus exstructum: cujus fundamentum sit Christus, velut vivus lapis, omnes sibi adjunctos sua vitali virtute fulciens, & secum compingens, quamvis ab hominibus tantum hoc bonum negligatur.

verò &

&pretiosus apud Deum.
5 Et etiam vos, tamquam lapides vivi ædificemini, & estote templum spirituale, & sacerdotes sancti, ad offerendum victimas quæ sint acceptabiles coram Deo per Jeschua Christum.
6 Dicitur enim in Scriptura, Ecce, pono in Tzehijun lapidem electum & pretiosum, in capite anguli: qui credit in eum non pudefiet.
7 Vobis igitur data est [1] hæc res pretiosa qui creditis: illis autem qui non acquiescunt, lapis est offensionis & petra scandali:
8 Et qui offendunt in ipsum, non acquiescentes sermoni, quia ad hoc positi sunt.
9 Vos autem genus estis electum, quod sacerdotio fungitur ad regnum, [2] populi sanctus, cœtus redemtus, ut prædicetis laudes illius qui vocavit vos è tenebris ad lucem suam eximiam.
10 Qui anteà non reputabamini populus, nunc autem populus Dei: etiam non erat erga vos misericordia, nunc autem effusa est super vos misericordia.
11 Dilecti mei, peto à vobis, tamquam advenis & tamquam incolis, vosipsos separate ab omnibus concupiscentiis corporis quæ gerunt bellum adversus animam.
12 Et sint bonæ conversationes vestræ coram omnibus filiis hominis: & ii qui loquuntur contra vos sermones malos, videbunt vestra opera bona, & laudabunt Deum in die probationis.
13 Et estote subjecti omnibus filiis hominis, propter Deum: regibus, propter dominiū eorum:
14 Et judicibus, quia ab eo mittuntur ad vindictam delinquentium, & ad laudem operantium bona.
15 Quoniam sic est voluntas Dei, ut operibus vestris bonis obthuretis ora stultorum qui non norunt Deum:
16 Tamquam [3] præditi libertate, & non tamquam homines quibus facta est libertas eorum operimentum malitiæ ipsorum, sed tamquam servi Dei.
17 Omnem hominem in honore habete: Fratres vestros diligite: & à Deo timete, & reges honorate.
18 Et illos servos qui sunt inter vos, *nunc alloquor:* subjecti estote dominis vestris in timore; non tantùm bonis & humanis, sed etiam duris & [4] pravis.
19 Illis enim est gratia coram Deo, illis *in-*

[1] F. vel hic honor datus est: ex Syrorum usu.

[2] F. malim, populus sanctus: ut Græca verba sonant, ac non repugnant Syra.

[3] Ad verbum, Filii libertatum. de quo genere dicendi vide Joh. 6. & 1. Cor. 7. in annotatione.

[4] F. vel asperis.

verò electus *ac* pretiosus:
5 Ipsi quoque, veluti vivi lapides, ædificati, fiatis domus spiritualis, ‖ [f] sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Jesum Christum.
6 [g] Quapropter etiam continetur in Scriptura, ‖ Ecce pono in Sion lapidem in imò angulo, electum, pretiosum: in quem qui credit, nequaquam pudefiet.
7 [h] Vobis igitur est honori qui creditis: immorigeris verò, ‖ lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est caput anguli, & lapis ad quem impingitur, & petra offendiculi.
8 *Nempe* iis qui offendunt ad sermonem ‖ immorigeri, ad quod etiam positi fuerunt.
9 [i] ‖ Vos autem *estis* genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem *sibi Deus* ut proprium vendicat: ut virtutes prædicetis illius qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem.
10 ‖ Qui quondam *eratis* non populus, nunc *estis* populus Dei: qui non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti.
11 [k] Dilecti, [l] precor ut tamquam advenæ ac peregrini [m] abstineatis ‖ à carnis cupiditatibus, [n] quæ militant adversus animam.
12 [o] Et ‖ conversationem vestram habeatis honestam inter Gentes: ut pro eo quod loquuntur adversus vos ut maleficos, ‖ [p] ex bonis operibus *quæ* spectârint, glorificent Deum [q] die visitationis.
13 [r] Proinde ‖ subjecti estote cuivis [s] humanæ ordinationi [t] propter Dominum: [u] sive regi, ut qui superemineat:
14 Sive præsidibus, ut qui per eum mittantur [x] tum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium.
15 [y] Quoniam ita est voluntas Dei, ut benè agendo os obstruatis amentium hominum ignorantiæ.
16 Ut liberi, ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, sed ut servi Dei.
17 [z] Omnes [a] honorate. ‖ [b] Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorate.
18 [c] ‖ Famuli, subditi estote cum omni timore dominis, non solùm bonis & æquis, sed etiam pravis.
19 ‖ [d] Hoc enim cedit gratiæ, siquis propter

‖ Rom. 12. 1. apoc. 1. 6.

[f] B. Pergens in eadem similitudine, nos jam comparat sacerdotibus, idcirco in illo spirituali tēplo collocatis, ut spirituali cultu (id est sanctitate ac justitia) ipsum colamus: sed ut tēplum, ita etiam sacerdotiū Christo superstruit, in quo uno gratæ sint nostræ omnes spirituales oblationes.

[g] B. Probatio ex Esaiæ prophetæ testimonio. ‖ Esa. 28. 16. rom. 9. 33.

[h] B. Opposita inter se conditione credentium beatissimo, rebellium autem longè miserrima, stimulos addit credētibus: aliis autem insultat: deinde etiam offendiculo occurrit, inde exorto quòd Evangelicæ huic doctrinæ nulli magis resistant quam qui primas tenent in Dei populo, quales tunc erant quum Petrus hæc scriberet Sacerdotes & Seniores & Scribæ. Respōdet igitur primùm omnium, non esse cur ad hanc illorum contumaciam, quasi rem aliquam novā, quisquā obstupescat, quum tot antè seculis præmoniti simus ita id futurum: deinde sic visum esse Domino, nonnullos ad hoc ipsum condere ut in eorum justa condemnatione Filius Dei glorificetur. Tertiò, Christi gloriam sic quoq; plurimùm illustrari, quum nihilominus maneat Christus firmum Ecclesiæ suæ caput, & qui in eum impingunt, non Christum sed seipsos evertant. Quartò, etiamsi ad hoc isti conditi sint, Deo tamen non esse illorum exitium tribuendum, sed præfractæ ipsorum contumaciæ, quæ inter Dei decretum & ejus exsequutionem sive ipsorum damnationem intercedit, estq; vera & genuina eorum exitii causa. ‖ Psal. 118. 22. matt. 21. 42. act. 4. 11. ‖ Esa. 8. 14. rom. 9. 33. [i] B. Oppositum membrum, Electorum videlicet summam excellentiam describit, simulq; nequis ambigat sit electus necne, revocat nos Apostolus ad vocationem efficacem, i. ad Evangelii vocem & in auribus & in animis nostris externa etiam prædicatione & Sacramentis sonantem, ex qua æternum illud alioqui occultissimum electionis nostræ decretum certò intelligamus, idq; ex una Dei gratuitò eligentis & vocantis misericordia. Itaq; illud jam superesse dicit, ut tantam Dei potentissimi bonitatem modis omnibus prædicemus. ‖ Exo. 19. 6. ‖ Osee 2. 23. rom. 9. 25. [k] B. Redit ad generalem illam exhortationem. [l] B. Ratio cur sanctè nobis sit vivendum, quia nimirum cælestes cives sumus, ac proinde non ex hujus mundi corruptissimi, sed ex cælestis civitatis legibus vivendum nobis est, etiamsi advenæ simus in mundo. [m] B. Aliud argumentum, Carne (id est corrupta illa natura) non vivunt Filii Dei, sed spiritu. Ergo carnales motus in nobis vigere non debent. ‖ Rom. 13. 14. gal. 5. 16. [n] B. Tertium argumentum, Quia quantumvis cupiditates illæ nobis blandiantur, tamen salutem nostram non desinant oppugnare. [o] B. Quartum argumentum ab utili, Quoniam sic quoque nostræ existimationi consulimus, dum eos qui de nobis detrahunt cogimus tandem sententiam mutare. ‖ Infr. 3. 16. ‖ Matt. 5. 16. [p] B. Sextum argumentum, quod etiam est maximi momenti, quia sic maximè amplificatur Dei gloria, dum honestæ nostræ vitæ exemplo vel profanissimi homines adducti, sese Deo subjiciunt. [q] Quando illorum quoque Deus miserebitur. [r] B. Quod in genere dixerat, jam explicat per partes, sigillatim particularia hominum officia describens. Ac primo quidem loco agit de obedientia, quæ tum legibus tum magistratibus & summis & inferioribus debetur. ‖ Rom. 13. 1. [s] Ordinationis nomine civilis gubernationis dispositionem intelligit: eam autem humanam vocat, non quòd humanitùs sit excogitata, sed quòd hominum ea sit propria. [t] B. Primum argumentum, Quia Dominus est istius humanæ (id est inter homines constitutæ) politiæ auctor & vindex, ac proinde veros hujus Domini servos oportet præ cæteris esse hujus ordinis observandi studiosos. [u] B. Occurrit quorundam cavillo, qui regibus quidem & summis magistratibus parere se uelle dicunt, eorū autem ministros aspernantur: quasi uerò ministri non sint armati ejus a quo mittuntur auctoritate. [x] B. Secundum argumentum à fine hujus ordinis non tantùm utilissimi, sed etiam planè necessarii, quum hac demum ratione præmia virtuti, vitiis pœnæ constituantur: quibus rebus continetur hujus vitæ tranquillitas ac fœlicitas. [y] B. Primum argumentum explicat copiosiùs, ostendens libertatem Christianam minimè omnium (sicut jam tum nonnulli regni Dei planè imperiti dictitabant) in eo positam esse ut frænum legum excutiamus, sed in eo potiùs ut ex Dei voluntate vitam sanctè instituentes, omnibus planum faciamus, Evangelium non esse scelerum velamen, quum sic liberi simus, ut simus tamen Dei servi non peccati. [z] B. Civilem vitam, occasione ex iis quæ dixerat arrepta, in duas partes universales dividit, nempe in officia quæ privati privatis, ac præsertim fideles fidelibus debent, & in eam subjectionem qua inferiores sunt superioribus obstricti: ita tamen ut reges Deo minimè exæquentur, quum Deo timor, regibus honor debeatur. [a] Charitate & officiis persequimini. ‖ Sup. 1. 22. rom. 12. 10. [b] Fratrum cœtum, & conjunctionem, ut Zach. 11. 14. vel fraternam conjunctionem. [c] B. Transit ad servorum erga dominos officia, quæ his finibus describit, ut ultrò, non coactè, non tantùm æquis & moderatis, sed etiam iniquis & asperis dominis servi sese subjiciant. ‖ Ephes. 6. 5. coloss. 3. 22. ‖ 2. Cor. 7. 10. [d] B. Occupatio, Duram quidem esse servilem conditionem, præsertim si injusti domini obtigerint: sed tanto fore Deo gratiorem hanc subjectionem, si voluntas ipsius plus apud servos valeat quàm dominorum injuriæ.

[e] conscientiam Dei, suffert molestias injustè afflictus.
20 Quæ enim est gloria si peccantes & colaphis cæsi, *istud* toleretis? sed si quum benefacitis,
tamen afflicti toleratis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum:
21 [f] Nam ad hoc etiam vocati estis, quoniam
& Christus passus est pro nobis, relinquens nobis
[g] exemplar, ut insequeremini vestigia ipsius.
22 [‖] Qui non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ipsius.
23 Qui convitiis affectus, non vicissim convitiabatur, quum malis afficeretur, non minabatur: [h] sed committebat *causam suam* ei [i] qui justè judicat.
24 [‖] [k] Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum illud, ut peccatis
mortui, justitiæ viveremus: cujus vibicibus sanati estis.
25 Nam eratis velut oves errantes: sed nunc
convertistis vos ad pastorem & curatorem animarum vestrarum.

quam qui propter conscientiam bonam tolerant afflictiones quæ veniunt super eos per iniquitatem.
20 Qui autem propter peccata sua sustinent afflictiones, quænam laus est eis? Sed quum facitis quod bonum est, & affligunt vos, ac toleratis, tunc multiplicabitur laus vestra apud Deum.
21 Ad hoc enim vocati estis. Quia etiam
Christus mortuus est pro nobis, & reliquit nobis hoc exemplum, [5] ut vos in vestigiis ipsius iretis:
22 Qui non fecit peccatum, neque dolus est inventus in ore ejus:
23 Qui maledicebatur, & non maledicebat:
& patiebatur, & non minabatur, sed tradebat [6] causam suam judici justitiæ.
24 Et [7] portavit peccata omnia, & ascendere fecit illa cum corpore suo ad crucem, ut mortui peccatis, per justitiam ejus viveremus. [8] maculis enim ejus sanati estis.
25 Quia fuistis errantes velut oves: & conversi estis nunc ad pastorem & curatorem animarum vestrarum.

[e] Quod ei sit religio Deum offendere, cujus voluntate intelligit hoc onus sibi impositum.
[f] B. Servitutis asperitatem lenit, quum disertè pro servis etiam passum esse Christũ ostendit, ut tanto æquiùs ferant istam inter ejusdem naturæ homines inæqualitatem: deinde proponens illis Christum illum Dominum dominorum pro exemplo, significat non posse non videri nimium molles, qui in tolerandis injuriis difficiliores se præbeant, quàm ipse Christus justissimus simul & durissimè omnium afflictus, & tamen patientissimus. [‖] *Esa.53.9. 1.job.3.5.* [g] Translatio sumta à pictoribus vel à pedagogis. [h] B. Remedium adversus injuriam illis ostendit, nempe ut Deo causam suam commendent, Christi exemplo. [i] B. Videtur convertere orationem ad dominos, qui & ipsi Dominum ac judicem in cælis habeant, injurias servis illatas justè (id est absque personarum acceptione) ulturum. [‖] *Esa.53.5. matth.8.17.* [k] B. Revocat eos Apostolus à consideratione injuriarum quas perferre coguntur, ad cogitandam magnitudinem, simul & finem beneficii à Christo accepti.

[5] Id est, Ut vestigia ejus teneretis, & patientiam ejus imitaremini.
[6] Ad verbum, Judicium suum.
[7] Vel, Sustulit.
[8] Intelligit aspersionem sanguinis ejus, quo totum ejus corpus fuit commaculatum.

CAPUT III.

1 *Ne mulieres Christianæ viros suos, licet alienos ab Evangelio, contemnant,* 5 *piarum mulierum exemplum proponit.* 8 *Addit generales præceptiones,* 14 *ut æquis animis sustineant persequutiones,* 16 *& intrepidè respondeant de sua fide,* 18 *idq; auspiciis Christi.*

SImiliter [‖] [a] uxores sese subjiciant suis viris: [b] ut
etiam siqui non obediunt sermoni, per uxorum
conversationem absq; Sermone lucrifiant,
2 Ubi spectârint cum reverentia *conjunctam*
castam conversationem vestram.
3 [‖] [c] Quarum ornatus non sit externus ille
in nodis capillorum, & circumposito auro, vel
palliorum amictu:
4 Sed [d] occultus ille cordis homo, *situs* in
incorruptione lenis ac quieti spiritus, qui est [e] coram Deo pretiosus.
5 [f] Ita enim olim & sanctæ illæ mulieres quę
sperabant in Deum, ornabant sese, subjectæ suis
viris:
6 Sicut [‖] Sara obedivit Abrahamo, dominum
eum vocans: cujus factę estis filiæ, dum benefacitis, & nequaquam ulla [g] terremini consternatione.
7 [h] [‖] Viri similiter, unà [i] versentur ut [k] scientes decet, [l] [m] vasi muliebri ut infirmiori tribuentes [n] honorem, [o] utpote quum unà etiam hæredes *sitis* [p] gratiæ vitæ, [q] ne interrumpantur preces vestræ.
8 [r] Denique omnes *estote* concordes, mutuo
molestiarum sensu affecti, fraterna præditi charitate, ad intimam misericordiam proni, comes:
9 [‖] [f] Non reddentes malum pro malo, aut
convitium pro convitio, sed contrà, benedicentes: [t] ut qui sciatis vos ad hoc vocatos esse, ut

SImiliter etiam vos uxores, subditæ sitis maritis
vestris, ut eos qui non obtemperant Sermoni,
per conversationes vestras bonas sine labore acquiratis:
2 Videntes quòd in reverentia & castitate
vos geritis.
3 Neq; ornemini ornatibus externis intortionis capillorum vestrorum, aut [1] excogitatione
auri, aut vestimentorum [2] sumtuosorum:
4 Sed ornate vos in [3] filio hominis occulto
cordis, in spiritu lenitatis, qui non corrumpitur.
hic est ornatus qui est sumtuosus coram Deo.
5 Ita enim etiam olim mulieres sanctæ quæ
sperabant in Deo, ornabant seipsas, & subditæ
erant maritis suis.
6 Quemadmodum Sara subdita erat Abrahæ, & vocabat eum Dominum meum: Cujus estis vos filiæ in operibus bonis [4] non perterrefactæ ullo pavore.
7 Vosq; viri, similiter habitate cum uxoribus
vestris secundùm scientiam, & tamquam vasa debilia in pretio habere eas, eo quòd etiam ipsæ vobiscum hæredes erunt doni vitæ quæ est in æternum: & ne sitis [5] impingentes in precibus vestris.
8 Tandem autem ut sitis omnes vos in concordia, & sitis dolentes cum iis qui dolent, & amantes unus alium, & estote misericordes &
mansueti.
9 Et nemini malum pro malo rependatis:
neq; etiam convitium pro convitio, sed quod cõtrarium est, illis benedicite. ad hoc enim vocati

[‖] *Coloss.3.18. ephes.5.22.*
[a] B. Tertio loco uxorum in maritos officia perscribit, subjectionem etiam illis præcipiens.
[b] B. Nominatim de iis agit qui maritos habebant non Christianos, quas tanto magis viris suis subjectas esse oporteat ut eos honestate ac pudicitia Domino lucrifaciant.
[‖] *1.Tim.2.9.*
[c] B. Mulierum luxum damnat, & verum ac coram Deo pretiosum earũ ornatum indicat, interiorem videlicet & incorruptibilem, in placido & quieto animo positum.
[d] Qui in mente sedem fixam habeat. opponitur ergo occultus homo externo corporis ornatui.
[e] Verè pretiosus, & ipsius Dei judicio. [f] B. Argumentum à sanctarum mulierum ac præsertim Saræ credentium matris exemplo. [‖] *Gen.18.12.* [g] B. Quoniam mulieres natura sunt meticulosæ, significat se subjectionem ab eis requirere, quam nec vis nec metus extorqueat. [h] B. Maritos vicissim suum officium docet, nempè ut quanto excellunt intelligentia ac prudentia, tanto se præstent prudentiores & magis circumspectos. [‖] *1.Cor.7.3.* [i] Omnia matrimonii officia obeat. [k] Quo majore est præditus prudentia, eo magis circumspectè se gerat in perferendis incommodis, quibus infirmitas muliebris & sibi, & marito sæpenumero molesta est. [l] B. Argumentum secundum, Quoniam uxor etsi natura sit viro infirmior, tamen sit insigne viri organon ad usus longè præstantissimos conditum: unde consequitur non idcirco esse negligendam quoniam sit imbecillis, sed è contrario tanto magis solicitè habendam. [m] Mulier vocatur vas Hebræorum more, quia ea utitur maritus tamquam comite & adjutrice, ad fideliter coram Deo vitam transigendam. [n] Honestam curam & solicitudinem. [o] B. Tertium argumentum, In eo quod longè maximum est, (id est, in vitæ æternæ beneficio) pares esse, quæ in domestico contubernio sint impares, ac proinde minimè esse aspernandas, quantumvis sint infirmæ. [p] Gratuiti illius beneficii quo donatur vita nimirum æterna. [q] B. Quartum argumentum, Vitanda omnia jurgia, quòd preces impediant, ac totum Dei cultum ad quem communiter sunt vocati maritus & uxor. [r] B. Rediens ad communes exhortationes, concordiam commendat, & quæcumque ad pacem & mutuam conjunctionem fovendam spectant. [‖] *Prov.17.13.& 20.22. matth.5.39. rom.12.17.1.Thess.5.15.* [f] B. Non modo referendæ non sunt injuriæ, sed etiam beneficiis pensandæ. [t] B. Argumentum à comparatis, Quum ipsi à Deo quem toties offendimus, vocati simus ad tantum bonum, nedum ut injurias sibi à nobis factas ulciscatur, an nosipsos tanta beneficentia reddemus indignos potiùs quàm ut mutuas offensas condonemus? Est autem digressio ad fortiter sustinendas afflictiones, ab hoc versu usque ad finem hujus capitis.

[1] F. al. adjectione, circumpositione. Scilicet nequam aurum est, aureis quod vi vehementis ambit, dicebat olim Lucilius.
[2] F. vel pretiosorum, æque hoc & sequente versu.
[3] Filium hominis occultũ cordis vocat internum hominem, qui secundùm Deum est creatus, quem aliâs Paulus vocat novum & spiritualem, cui opponitur externus, vetus & carnalis.
[4] Id est, Non vi aut metu adactæ, sed sponte & liberè bonis operibus incumbentes.
[5] F. vel impediti & detenti suspensione quadam: ut ferè fit, si hæc officia conjuges deserverint.

benedictionem estis,

estis,ut benedictioné hæreditate consequamini.
10 Qui vult igitur vitam,& diligit dies bonos
videre,custodiat suam linguam à malo,& sua labia,ut non loquantur dolum.
11 Recedat à malo,& faciat bonum, & quærat pacem,& [6] sectetur eam.
12 Quia oculi Domini super justos, & aures
ejus ut audiant eos: & [7] facies Domini super malos.
13 Et quisnam est qui faciat vobis malum: si
fueritis æmulatores bonorum?
14 Et si *contingat* ut patiamini propter justitiam,beati estis: & ne timeatis ab illis qui territant
vos,neque conturbemini:
15 Sed sanctificate in cordibus vestris Dominum Christum,& sitis parati [8] ad defensionem apud omnem qui quærit à vobis sermonem de spe
fidei,cum mansuetudine & cum reverentia;
16 Exsistente vobis conscientia bona: ut ii
qui loquuntur de vobis tamquam de hominibus
malis erubescant, tamquam viri qui calúniantur
cóversationes vestras bonas quę sunt in Christo.
17 Juvat enim vos, quum facientes opera
bona, sustinetis mala, (si modò ita voluntas est
Dei) [9] & non quum facitis ipsi mala.
18 Nam etiam Christus [10] semel mortuus est
pro peccatis,justus pro peccatoribus, ut vos offerret Deo,& mortuus est in corpore, & vixit in
spiritu:
19 Et prædicavit animabus illis [11] quæ inclusæ fuerunt in sepulcro:
20 Quæ anteà non obedientes fuerant in
diebus Nuach, quum longanimitas Dei præciperet ut fieret Arca, propter exspectationem cóversionis eorum, & octo animæ tantùm ingressæ
sunt in eam,& salvæ factæ sunt per aquas.
21 Secundùm quem typum vos quoque salvi
facti estis per Baptismum (non corpore abluti à
sordibus: sed confitentes Deum in conscientia
pura) & per resurrectionem Jeschua Christi:
22 Qui sublatus est in cælum,& est ad dexteram Dei, & subjiciuntur ei Angeli & principatus
& potestates.

[6] Ad verbum, Curræt post eam, Hebraismus. [7] S. nempè irata, ex Hebræorum usu.

[8] S. Syrè,ad protractionem vel protensionem spiritus: vide in Rom.1.20.

[9] S.id est,potius vel magis quàm quum facitis ipsi mala. Syra phrasis sæpè adnotata. [10] Ad verbum, Uno tempore. Hebraismus. [11] S.vel quæ detinentur in inferno.

benedictionem hæreditario jure obtineatis.
10 [t] [a] Itaque qui vult [x] vitam diligere, & [s] videre dies bonos, coërceat linguam suam à malo,
& labia sua,ne loquantur dolum:
11 [b] Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem,& persequatur eam.
12 Nam oculi Domini *sunt intenti* in justos,&
aures ejus in deprecationem eorum: [y] vultus verò Domini adversum eos qui faciunt mala.
13 [z] Et quis est qui affligat vos, si bonitatis
æmulatores fueritis?
14 [a] Sed & si *quid* perpetiamini propter justitiam,beati *tamen estis*: [b] cæterùm [b] timore eorum ne timete,neque turbámini;
15 Sed Dominum Deum [c] sanctificate in
cordibus vestris. [d] *Estote* autem semper parati ad
respondendum cuilibet petenti rationem ejus
spei quæ in vobis est,cum lenitate & timore,
16 Conscientiam bonam habentes: ut pro
eo quòd loquuntur adversum vos tamquam maleficos, pudefiant qui infesti sunt vestræ bonæ in
Christo conversationi.
17 [e] Melius enim *est* ut benè agentes, si ita
velit Dei voluntas,malis afficiamini, quàm malè
agentes:
18 [g] [f] Nam & Christus semel pro peccatis
passus fuit, [g] justus pro injustis: [h] ut nos ad Deum adduceret, [i] mortificatus quidem [k] carne, vivificatus autem Spiritu.
19 [l] Per quem etiam spiritibus qui *sunt* in carcere profectus prædicavit,
20 Olim immorigeris, [l] quum [m] semel exspectabat Dei lenitas in diebus Noë,quum appararetur Arca, in qua paucæ (id est, octo) [n] animæ
servatæ sunt in aqua.
21 [o] Cui rei nunc correspondens exemplar
Baptismi nos quoque servat (non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio [p] bonæ conscientiæ apud Deum) [q] per resurrectionem Jesu
Christi,
22 [r] Qui est ad dexteram Dei profectus in cælum,subjectis ipsi Angelis & potestatibus ac virtutibus.

[t] *Psal.34.13.* [a] B. Tacita objectio, Atqui nostra hæc patientia nihil aliud quàm malorum improbitatem invehit, ut impunè quidem illi in nos grassentur, nos verò pereamus. Imò verò (respondet Apostolus Davidis ipsius verbis) Sine noxa vivere, & fugientem etiam pacem persequi,iter est ad felicem & tranquillam pacem. Quòd si quis justè agendo affligitur, Dominus omnia observat, suo tempore pios clamantes liberaturus,& improbos perditurus. [x] Beatam ac fœlicem vitam transigere. [b] *Esa.1.16.* [y] Ad verb faci es; sumitur autem Heb æorum more pro ira. [z] B. Secundum argumentum, Impii lacessiti, magis ac magis proterviunt: itaque beneficiis potiùs sunt vincendi. Quòd si ne sibi quidem possint lucrifieri,nihilominùs tamen beati erimus si propter justitiam affligamur. [l] *Matth.5.10.* [a] B. Consilium certissimum in afflictionibus quantumvis terribilibus,sibi animo constare. At quomodò hoc consequemur? Si Deum sanctificaverimus in animis nostris,id est,si in eum ut omnipotentem,ut hominum amatorem,ut verè bonum ac veracem,recumbamus. [b] *Esa.8.12.& 13.* [b] Ne ipsorum more & exemplo consternemini. [c] Omnem ei laudem & gloriam tribuite,& ab ipso solo pendete. [d] B. Vult nos propter justitiam afflictos solicitos esse non de vita nostra vel abnegatione veritatis,vel pari violentia, aut aliis ejusmodi artibus redimenda, sed potiùs de ratione fidei nostræ intrepidè quidem,sed tamen cum placido & Dei reverentię pleno spiritu reddenda,ut non habeant hostes quòd meritò possint objicere,sed potiùs sui ipsorum eos pudeat. [e] B. Ratio duplici paradoxo Christiano constans: uno,quoniam si semel omninò subeundæ sunt afflictiones,præstat injustè quàm meritò affligi: altero, quoniam non temerè, sed Dei nostri voluntate sic affligimur. [f] *Rom.5.6.Heb.9.15.* [f] B. Probatio utriusque paradoxi,prolato Christi ipsius (nostri Archetypi) exemplo, ut qui non propter sua peccata (quæ nulla erant) sed pro nostris fuerit afflictus,& quidem ex Patris decreto. [g] B. Argumentum à comparatis, Passus est Christus justus pro nobis injustis, & nos injustos pœnitebit pati pro justi nomine? [h] B. Aliud argumentum,partim à connexis sumtum, Quoniam videlicet qua via Christus incessit,eadem & nos ad Patrem suum adducit: partim à causa efficiente, Quoniam nimirùm Christus non modò proponitur pro exemplo quod imitemur, sed etiam sua virtute nos in omnibus istis viæ asperitatibus sustinet, donec ad Patrem nos adducat. [i] B. Aliud argumentum ab istarum afflictionum exitu fœlicissimo, in quo etiam Christus nobis & exemplo & virtute præit, ut qui gravissima quidem sit ad mortem usque perpessus,sed altera tantùm sui parte nempè carne, sive humana natura: sed tamen victor divinitatis suæ vi evaserit. [k] Secundùm humanam naturam,corpore etenim mortuus est, anima verò dolores sensit mortis. [l] B. Tacita objectio, Christus quidem hoc potuit, nos autem quid? Imò (respondet Apostolus) hanc ipsam virtutem omnibus seculis Christus & servandis piis, quamvis paucissimis & calamitosissimis, & suorum hostium rebellione vindicandæ exseruit, ut ex diluvii historia liquet. Christus enim is est qui temporibus illis quum Deus patientissimus terminum ad resipiscendum mundo definisset, adfuit, non quidem corporali præsentia, sed divina illa sua virtute, prædicans resipiscentiam, per os videlicet ipsius Noë Arcam apparantis, spiritibus illis immorigeris qui nunc in carcere servantur, plenam suæ rebellionis mercedem exspectantes, & paucos illos (octo omninò capita) in aquis servavit. [l] *Gen.6.14. Mat.24.38. Luc.17.26.* [m] Hoc adverbio declaratur tempus ultimum præfixum fuisse, quo elapso nullum posteà superesset. [n] Homines. [o] B. Applicatio anagogica superioris exempli ad tempora adventum Christi consequuta. Fuit enim illa Noë conservatio in aquis nostri Baptismi figura: minimè id quidem quasi materialis illa Baptismi aqua nos servet, ut aquæ illæ Arcam sustinentes, Noë servârunt: sed quia Christus vi sua interiore, quam Baptismus exterior adumbrat, nos ablutos conservat, ut possimus Deum bona conscientia invocare. [p] Conscientia sanctificata potest liberè Deum invocare. [q] B. Eadem illa virtus qua Christus resurrexit, & nunc in cælum evectus, omnem potestatem accepit, nos hodiè tuetur ac conservat.

CAPUT IIII.

1 *Longiùs profert Christi exemplum,* 6 *nempè ad carnis mortificationem,* 8 *Charitatem in primis commendans.* 12 *Redit inde ad patientiæ doctrinam.* 17 *Necesse enim esse ut Judicium correctionis ab Ecclesia fiat.*

SI Christus igitur passus est pro vobis in carne,
vos quoque [1] juxta eandem cogitationem armemini. Quisquis enim moritur in corpore suo,
desinit ab omnibus peccatis,

[1] S. vel eadem cogitatione: ut habent Syra verba.

QUum [a] igitur Christus passus sit pro nobis
carne, vos quoque eadem cogitatione armamini, *nempè* quòd qui passus est in carne, destitit à peccato,

[a] B. Absoluta digressione jam ad incœptam exhortationem redit, arrepta occasione ex eo quòd de Christi morte & resurrectione dixerat, sanctificationem nostram sic definiens, ut sanctificari idem sit atque pati in carne, id est, desistere à nostra illa vitiositate, & resurgere Deo, id est, virtute Spiritus sancti renovari, ut quod reliquum est vitæ, ex Dei voluntate transigamus.

2 Ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, [b] quod in carne reliquum est temporis vivat.

3 [c] [1] Sufficit enim nobis præteritum vitæ tempus, quòd quæ [d] libent Gentibus patraverimus quum incessimus in lasciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis simulacrorum cultibus.

4 [e] Quamobrem *illi*, non concurrentibus vobis ad eandem luxus profusionem, [f] peregrinari sibi videntur, blasphemantes:

5 Qui reddituri sunt rationem ei qui paratus est ad judicandum vivos & mortuos.

6 [g] Nam idcircò mortuis quoque prædicatum fuit Evangelium, ut damnarentur quidem secundùm homines, *id est*, carne, viverent autem secundùm Deum, *id est*, Spiritu.

7 [h] Omnium autem finis imminet. Estote igitur sobrii & vigilantes ad orandum.

8 [i] Ante omnia verò charitatem alii in alios intensam habentes; nam [I] charitas operiet multitudinem peccatorum.

9 [k] [ll] Hospitales estote alii erga alios, sine murmurationibus.

10 [n] [l] Ut quisque accepit donum, *ita* alius in alium illud subministrantes, [m] ut boni dispensatores variæ Dei gratiæ.

11 [n] Siquis loquitur, *loquatur* ut eloquia Dei: siquis ministrat, *ministret* tamquam ex viribus quas suppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

12 [o] Charissimi, ne, tamquam [p] hospites, [q] exploratione illa per ignem quæ fit in vobis ad vestri experimentum, percellimini, ut si peregrinum aliquid vobis accideret.

13 [r] Imò in eo quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete: ut & quum patefiet ejus gloria, gaudeatis exsultantes.

14 [s] [ll] Si probris afficimini in nomine Christi, beati *estis*: quoniam & ille gloriæ, & ille Dei [t] Spiritus super vos requiescit: *qui* quod ad illos quidem attinet, blasphematur, quod ad vos autem, glorificatur.

15 [u] Sed enim nemo vestrûm malo afficiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector:

16 Sed si ut Christianus, ne pudefiat, imò glorificet Deum hac in parte.

17 [x] Nam tempus *est* ut incipiat judicium à domo Dei, [y] quòd si primùm *incipit* à nobis, quis erit finis eorum qui non parent Dei Evangelio?

18 [ll] Et, si justus vix servatur, impius & peccator ubi comparebit?

2 Ut non deinceps concupiscentiis filiorum hominis vivat, quanto tempore est in corpore, sed voluntati Dei.

3 Sufficit enim tempus illud quod præteriit, in quo [1] operati estis voluntatem profanorum in [3] crapula & in ebrietate, in fœtore, & in comessatione, & in cultu dæmoniorum.

4 Et ecce, nunc obstupescunt, & blasphemant vos in eo quòd non stultescitis cum ipsis in eadem crapula pristina,

5 Qui reddent rationem Deo, qui judicaturus est mortuos & vivos.

6 Propter hoc enim evangelizatum est etiam mortuis, ut judicarentur secundùm filios hominis in carne, & viverent secundùm Deum in spiritu.

7 Appropinquat autem finis universi. propter hoc sobrii estote, & vigilate ad orationem:

8 Et ante omnia charitas promta unius erga alium sit vobis. charitas enim operit multitudinem peccatorum:

9 Et estote amantes [4] hospites sine murmuratione.

10 Et unusquisque ex vobis donum quod accepit à Deo subministret proximis suis, tamquam dispensatores boni gratiæ diversæ Dei.

11 Quisquis loquitur, tamquam sermonem Dei loquatur: & quisquis ministrat, tamquam qui *ministret* ex virtute quam Deus dedit ei: ut in omnibus quæ facitis, laudetur Deus [5] per Jeschua Christum, cujus est gloria & honor in secula seculorum. Ammin.

12 Dilecti mei, ne obstupescatis propter tentationes quæ contingunt vobis tamquam alienum quiddam eveniat vobis, quia ad probationem vestram fiunt,

13 Sed gaudete quòd consortes fiatis passionibus Christi, ut ita etiam in revelatione gloriæ ejus gaudeatis & exsultetis.

14 Et si probris afficiamini pro nomine Christi, beati estis: quia Spiritus gloriosus Dei requiescit super vos.

15 Tantummodò, nequis ex vobis tamquam homicida, aut tamquam fur, aut tamquam patrator malorum patiatur.

16 Si autem patiatur tamquam Christianus, non erubescat, sed glorificet Deum eo ipso nomine.

17 Quia tempus est ut incipiat judicium à domo Dei: si autem à nobis incipit, quisnam erit finis eorum qui non obediunt Evangelio Dei?

18 Et si justus vix servatur, improbus & peccator ubi invenitur?

b Quod præsenti vitæ in hoc corpore transigendæ superest.
c B. Memoria turpitudinis anteactę vitæ in peccatorum sordibus, ad seriam resipiscentiam nos invitat.
I Ephes. 4. 22.
d Profanè ac libidinosè Gentium instar viximus.
e B. Ne perversis hostium de nobis judiciis & calumniis moveamur, opponendum est extremum illud Dei judicium quod eos manet, quum nemo prorsus sive tum vivus deprehendatur, siue anteà mortuus fuerit, sit illud effugiturus.
f Rem novam & insolitam existimant esse.
g B. Digressio, quoniam extremi illius judicii universalis mentionem fecerat. Occurrit autem objectioni, Quum Christus non ita pridem advenerit, videri excusationem habituros qui anteà mortui sunt. Hoc verò pernegat Apostolus, quoniam, (inquit) idem hoc Evangelium fuit illis etiam annunciatum, (Judæos enim alloquitur) idque in eumdem finem atque nunc vobis illud annuncio, nempè ut carne (id est, vitiositate illa quæ in hominibus regnat) abolita virtute Spiritus Dei se gubernari paterentur.
h B. Redit ad propositum, addito argumento à circumstantia temporis, Quòd ultimus ille finis immineat; ac proinde tantò diligentiùs sit vigilandum & precandum vera cum animi sobrietate. i B. Charitatem mutuam commendat, ex eo quòd innumerabilis peccata veluti sepeliat, ac proinde pacis ac concordiæ sit fautrix & conservatrix. Qui enim inter se amant, mutuas offensas facilè condonant. I Prov. 10. 12. k B. Ex multis charitatis officiis, unum, cujus tum præsertim maximus erat usus, nominatim commendat, nempè hospitalitatem, quam vult esse voluntariam ac planè benignam. I Rom. 12. 13. Heb. 13. 2. I Rom. 12. 6. Phil. 2. 14. l B. Charitatis usum ostendit, nempè ut quod quisque donum proprium habet, ad proximi utilitatem referat. m B. Ratio, Quia quicquid habemus donorum, hac lege accepimus à Deo, ut simus ipsius œconomi. n B. Species duas istorum donorum ut præcipuas commemorat, nempè docendi munus in Ecclesia, & reliquas Ecclesiasticas functiones, in quibus duo sint in primis observanda: nempè ut purum Dei verbum doceatur, & quicquid geritur, ad Dei Patris in Christo gloriam, veluti scopum, referatur. o B. Quoniam cum sincera religionis professione crux est conjuncta, commodè repetit Apostolus quod priùs attigerat, nos commonefaciens ne afflictionibus ut re quapiam nova & insolente perturbemur. p Ac si in rem novam, & de qua anteà non cogitaveritis, incidatis. q B. Ratio prima, Quoniam Dominus hoc velut igni minimè vult nos consumere, sed excoquere ac perficere. r B. Altera ratio, Quoniam diversissimæ sunt piorum & impiorum afflictiones tribus in rebus: Primùm, quia soli pii in afflictionibus cum Christo communicant, ac proinde gloriæ quoque ipsius suo tandem tempore participes fient. s B. Secundò, Quia quamvis infideles longè aliter statuant, ut qui pios affligendo sint in Deum blasphemi, tamen pii eo ipso quòd tot probris afficiuntur, vera gloria spirituali à Deo afficiuntur, & ipsorum adoptio à Dei Spiritu in ipsis obsignatur. I Matth. 5. 10. t Spiritus nomine intelligit ipsa spiritus dona. u B. Tertium discrimen, Quia non ob scelera affliguntur pii, sed ob justitiam, ut Christiani: unde fit ut crux quum sit illis fidei ac justitiæ testimonium, non tristitiæ, sed inenarrabilis cujusdam lætitiæ argumentum ipsis subministret. Proponit autem hoc tertium discrimen Apostolus sub exhortationis forma. x B. Tertia ratio, Quia totius mundi Dominus de suis domesticis potissimùm solicitus, idcircò illos in primis castigat, ita tamen ut in sua etiam maxima severitate modum teneat: hoc autem quum semper alias consueverit, nunc potissimùm facit, quum seipsum Ecclesiæ suæ præsentem exhibuit. y B. Ne pii umbratili illa impiorum fœlicitate offendantur, quasi Deus non sit mundi gubernator, quum impiis benè sit, piis autem malè, docet nos Apostolus à comparatis colligere, Deum qui ne suis quidem parcat, quamdiu eos sub cruce erudiat, suo tandem tempore longè aliter tractaturum rebelles & impios, quos semel perdere constituit. I Prov. 2. 21.

1 i. Ea fecistis quę solent placere iis qui sunt alieni à Deo.
3 F. vel perditiones: nam ἀσωτίας legebat Syrus, non ἀσελγείας: ut Ephes. 5. & sequente versu,
4 F. vel peregrinorum, exterorum.
5 Ad verbum, Per manum Jeschua Christi, Hebraismus.

19 Propter hoc, qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, commendent ei animas suas in operibus bonis, tamquam creatori fideli.

19 [a] Itaque qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tamquam fideli conditori commendent animas suas benefaciendo.

[a] B. Conclusio. Quum non temerè sed ex Dei voluntate pii affligantur, illis minimè esse desperandum, sed nihilominùs in sanctitatis & beneficentiæ via pergendum, sese Deo suo fideli conditori (id est, Patri) commendando.

CAPUT V.

1 Seniores admonet ne imperium usurpent in Ecclesiam. 5 Junioribus docilitatem & modestiam commendat. 8 Sobrietatem quoque, & excubias adversus hostem truculentum.

PEto autem à Senioribus qui sunt in vobis, ego Senior, socius vester & testis passionum Christi, atque consors gloriæ ejus quæ revelabitur.

2 Pascite gregem Dei traditum vobis, & curam habete *illius* spiritualiter, non coactè, sed voluntariè, non in lucro turpi, sed ex toto corde vestro.

3 Non tamquam domini gregis, sed sic ut sitis eis exemplar bonum:

4 Ut quum revelabitur princeps pastorum, recipiatis ab eo coronam gloriæ quæ non marcescit.

5 Et vos juniores subdite vos senioribus vestris, & amicite vos intrinsecùs demissione mentis unus erga alium: Quia Deus contrarius est iis qui sese exaltant, & demissis dat gratiam.

6 Demittite igitur vos sub manu potenti Dei, ut ipsa exaltet vos in tempore convenienti:

7 Et curam vestram omnem conjicite super Deum: nam illi cura est de vobis.

8 Vigilate, & [1] memores estote. Nam adversarius vester Satan *est* tamquam Leo rugiens & obambulans, & quærens quem devoret.

9 State igitur contra eum confirmati in fide: & scitote quòd etiam contra fratres vestros qui sunt in mundo, hæ eædem passiones eveniunt.

10 Deus autem gratiæ est qui vocavit nos ad gloriam suam quæ est in æternum, [2] per Jeschua Christum, qui dedit nobis ut quum lustinuerimus has afflictiones modicas, corroboraremur, & confirmaremur, & stabiliremur in eo in perpetuum.

11 Cui est laus, & [3] possessio, & gloria, in seculum seculorum. Ammin.

12 Hęc pauca, quemadmodum arbitror, scripsi vobis per Sylvanum fratrem fidelem: & suadeo, ac testor quòd hæc est gratia vera Dei, in qua statis.

13 Salutat vos congregatio electa quæ est in Babylonia, & Marcus filius meus.

14 Salutate unus alium in osculo sancto. Pax cum omnibus vobis: eis *inquam*, qui sunt in Christo. Ammin.

Finitur epistola Petri Apostoli.

[1] F. nimirùm vestri ipsorum: id autem est, sobrii estote.

[2] Ad verbum, Per manum Jeschua Christi, Hebraismus.

[3] F. vel potentia.

PResbyteros [a] qui inter vos sunt, [b] precor ego una Presbyter, ac testis afflictionum Christi, atque idem gloriæ patefaciendæ consors,

2 [c] [d] Pascite Dei [e] gregem [f] qui penes vos est, illius [g] inspectioni vacantes non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed promto animo.

3 Neque ut dominantes [h] cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis.

4 [i] Et quum apparuerit ille Pastorum princeps, reportabitis amarantinam illam gloriæ coronam.

5 [k] Similiter juniores subjecti estote senioribus, & omnes vicissim subjicimini. Submissione animi estote intùs ornati: [l] nam Deus superbis resistit; submissis autem dat gratiam.

6 Submittite vos igitur [m] potenti manui Dei, ut vos in tempore extollat:

7 Omni cura vestra in eum conjecta: nam illi cura est de vobis.

8 [n] Sobrii estote, vigilate: nam adversarius vester Diabolus, tamquam Leo rugiens, obambulat, quærens quem devoret.

9 Cui resistite firmi per fidem, [o] scientes easdem afflictiones, à vestra quæ in mundo est [p] fraternitate impleri.

10 [q] Cæterùm Deus omnis gratiæ *auctor*, qui vocavit vos ad æternam suam gloriam in Christo Jesu, paulisper afflictos, is *inquam*, perficiat vos, stabiliat, roboret, fundet.

11 Ipsi gloria & robur in secula seculorum. Amen.

12 [r] Per Sylvanum vobis fidum fratrem, ut existimo, paucis scripsi, adhortans *vos*, & testificans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.

13 [s] Salutat vos ea quæ est in [t] Babylone vobiscum electa *Ecclesia*, & Marcus filius meus.

14 [u] Salutate alii alios charitatis osculo. Pax vobis omnibus qui estis in Christo Jesu. Amen.

[a] B. Peculiariter describit presbyterorum (id est, eorum qui Ecclesiæ curam gerunt) officium.

[b] B. Præfatur à suæ personæ circumstantia, se videlicet, ut ipsorum collegam, non de rebus incompertis, sed quas optimè omnium esset expertus, cum eis agere, & eam ipsam conditionem eis proponere quam ipse prior subierit, quum & labores eosdem sustineat, & spem etiam communem cum eis habeat.

[c] B. Primus Canon, Qui pastor est, gregem pascito.

[d] Non dicit, offerte pro vivis & mortuis, & peregrina lingua cantiones malè confusas cantillate, sed Pascite.

[e] B. Secundus, Pastor gregem non suum, sed Dei esse cogitato.

[f] B. Tertius, Pastores non alienos greges invadunto, sed sibi à Deo commissum pascunto.

[g] B. Quartus, Pastores non coactè, sed libenter: non avarè, sed animo in gregem propenso: non ut domini sortis & hæreditatis Dei, sed ut ejus ministri, Ecclesiam Verbo, & sanctæ ac inculpatæ vitæ exemplo gubernanto, ut [illegible] [h] Clerus sortem & hæreditatem Domini significat, id est, Populum Christianum. [i] Ne hominum perfidia vel etiam crudelitate frangantur pastorum animi, monet eos, ut in summum illum Pastorem & coronam in cælis repositam, perpetuò intueantur. [k] B. Peculiares multas virtutes Christianas commendat, ac modestiam quidem in primis, qua admonitione omnes quidem egemus, sed juniores præsertim, propter ætatis illius protervjam & superbiam. [l] B. Quoniam superbia plerisque videtur iter esse ad hujus vitæ splendorem, testatur Apostolus ex adverso, ignominiam quidem esse superbiæ mercedem, modestiæ verò gloriam. [l] Rom. 12.10. Jac. 4.6. [l] Jac. 4.10. [m] B. Quoniam modestis minantur superbi illi Spiritus, monet Apostolus, ut potentiam Dei superborum hominum vanitati opponamus, & ab ejus providentia toti pendeamus. [l] Psal. 55.23. Sap. 12.13. Matth. 6.25. Luc. 12.22. [l] Luc. 22.31. [n] B. Vigilantia & fide expugnatur Satanæ crudelitas, in omnes ad nos vorandos occasiones intenti. [o] B. Neque novæ sunt, atque unius alicujus propriæ, sed jam olim toti Ecclesiæ communes persecutiones à Satana excitatæ: ac proinde patienter ferendum est, in quo tales totque socios certaminis habemus. [p] Fratrum cœtu per orbem terrarum disperso. [q] B. Superiorem doctrinam solenni precatione veluti sigillo obsignat, rursus inculcans ut ab eodem petant virium incrementum, à quo & initium habuerunt & complementum sperant: nempe à Deo Patre in Christo Jesu, in quo certa est nobis æternæ vitæ gloria. [r] B. Perseverantia in doctrina Apostolica, unicum est Christianæ fortitudinis fundamentum, doctrinæ autem Apostolicæ summa est, gratuita à Deo salus. [s] B. Salutationes familiares. [t] In illa celebri Assyriæ civitate, in qua tum erat Petrus Apostolus circumcisionis. [u] Rom. 16.16. 1. Cor. [illegible]. 2. Cor. 13.12.

EPISTOLA

EPISTOLA PETRI APOSTOLI CATHOLICA POSTERIOR.

CAPUT I.

1 Postquam Dei bonitatem, 5 & fidei bona commemoravit, 6 sanctitatem vitæ illis commendat. 12 Et quò plus ponderis habeat monitio, 14 se jam morti vicinum indicat. 16 Insuper etiam oculatum testem se esse veritatis Christi asserit.

BEZAE INTERPRET.

SIMEON [a] Petrus servus &
Apostolus Jesu Christi, iis
qui æquè pretiosam fidem
nobiscum sortiti sunt per
[b] justitiam Dei nostri &
Servatoris Jesu Christi:
2 Gratia vobis & pax
multiplicetur [c] per agnitionem Dei, & Jesu Domini nostri:
3 [d] Prout [e] divina vis ipsius omnia nobis
donavit quæ [f] ad vitam & pietatem *pertinent*, per
[g] agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam
ac virtutem.
4 [h] Ex eo quòd maxima illa nobis ac pretiosa promissa donavit, ut per hæc efficeremini
[i] divinæ consortes naturæ, elapsi ex corruptione quæ est in [k] mundo per [l] cupiditatem.
5 [m] Ad hoc ipsum verò *vos*, omni prætereà
collato studio, [n] adjicite fidei vestræ virtutem,
virtuti verò scientiam,
6 [o] Scientiæ verò continentiam, continentiæ verò tolerantiam, tolerantiæ pietatem,
7 Pietati verò animum in fratres propensum, animo verò in fratres propenso charitatem.
8 [p] Hæc enim si vobis adsint, & exuberent,
non inertes vos nec infructuosos efficient in Domini nostri Jesu Christi agnitione.
9 Nam cui hæc non adsunt, is cæcus est, [q] nihil procul cernens, oblitus sese à veteribus peccatis suis fuisse purgatum.
10 [r] Quapropter, fratres, potiùs studete vocationem & electionem vestram firmam efficere. hæc enim si feceritis, numquam impingetis.
11 Ita enim copiosè subministrabitur vobis
introitus in æternum regnum Domini nostri &
Servatoris Jesu Christi.
12 [s] Quapropter non negligam vos de istis
semper commonefacere, quamvis peritos & confirmatos in præsente veritate.
13 Justum autem arbitror, quamdiu sum in
hoc [t] tabernaculo, excitare vos per commonefactionem:
14 Quum sciam brevì futurum ut deponam
tabernaculum meum: [‖] sicut Dominus noster — [‖] Joh.21.18.
Jesus Christus declaravit mihi.
15 Sed & studebo subinde ut vos possitis post
exitum meum, horum mentionem facere.
16 [‖] [u] Non enim arte compositas fabulas sequuti, notam vobis fecimus Domini nostri Jesu
Christi potentiam & adventum: sed ut qui oculis nostris aspeximus illius majestatem.
17 Acceperat enim à Deo Patre honorem
& gloriam, voce ad eum delata hujusmodi à magnifica illa gloria, [‖] Hic est filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.
18 Et hanc vocem nos audivimus è cælo delatam, quum essemus unà cum eo in monte illo
sancto.
19 [x] Et habemus firmissimum sermonem
propheticum: [y] cui rectè facitis quòd attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usquedùm [z] dies illucescat, & [a] lucifer exoriatur in
cordibus vestris.
20 [‖] [b] Si illud primùm noveritis, nullam prophetiam [c] Scripturæ esse [d] propriæ explicationis.
21 Non enim libitu hominis allata est olim
prophetia, sed [e] acti à Spiritu sancto loquuti sunt
sancti [f] Dei homines.

[a] B. Salutatio, in qua significat, se ut Christi legatum cum eis agere, quibuscum alioqui unam & eamdem fidem communem habeat, in Jesu Christi Dei ac Servatoris nostri justicia fundatam. [b] Ex eo quòd Deus ut staret promissis, fidelem sese ac proinde justum nobis exhibuit. [c] B. Fides est agnitio Dei & Christi, ex qua omnis fœlicitas in nos promanat. [d] B. Christus sese nobis in Evangelio patefaciens, idque sua unius vi, donat nobis quæcumque tum ad vitam æternam requiruntur, in qua videlicet nos glorificare constituit, tum etiam ad pietatem, dum vera virtute nos instruit. [e] De Christo loquitur, quem Deum facit, & quidem Servatorem unicum. [f] Ad salutem. [g] Hæc est summa veræ religionis, ut à Christo quasi manu ducamur ad Patrem. [h] B. Explicatio superioris sententiæ, expositis tantorum beneficiorum causis, à Deo omnia hæc bona promanare ex gratuita ipsius promissione, bona, inquam, longè pretiosissima, ut liberati à mundi corruptione (id est, vitiosis quas circumferimus cupiditatibus) quodammodo efficiamur ipsius Dei similes. [i] Divinæ naturæ nomine, non essentiam, sed participationem qualitatum intelligit, qua imago Dei in nobis restituitur. [k] In hominibus. [l] Est enim cupiditas sedes corruptionis, illa autem in nostris visceribus est collocata. [m] B. Substrato fundamento (id est, explicatis nostræ salutis, ac præsertim sanctificationis causis) jam nos exhortari incipit, ut toto animo istius in gratiæ verum usum incumbamus. Auspicatur autem à fide, sine qua nihil Deo placere potest, quam monet ut virtute (id est, bonis sanctisque moribus) cumulemus, sed conjuncta cum eisdivinæ voluntatis cognitione, sine qua, nec fides, nec ulla vera virtus exstat. [n] Prætereà sufficite & suggerite. [o] B. Alias quasdam virtutes præcipuas enumerat, quarum aliæ ad priorem, aliæ ad posteriorem Legis tabulam pertinent. [p] B. Sicut ex vera cognitione Christi nascuntur illi veluti fructus, ita vicissim sic fructificando fovetur & crescit ipsa cognitio, adeò quidem ut qui est infructuosus, is vel nunquam veram lucem cognoverit, vel accepti sanctificationis doni sit oblitus. [q] Is in quo cognitio Dei non est efficax, cæcus est quantum ad Dei regnum attinet, qui non cernat longiùs remota, id est, cælestia. [r] B. Cōclusio, Quum igitur ex fructibus illis nostra vocatio ac electio approbetur, & in nobis confirmetur, atque adeò quum hoc unum sit in æternum Christi regnum iter, superest ut totis animis huc feramur. [s] B. Amplificatio conclusionis, addita modesta excusatione, in qua suum in eos studium declarat, vicinum suum obitum prædicens. [t] Corpore.

[‖] 1.Cor.1.17.& 2.1,13. [u] B. Alia amplificatio ab hujus doctrinæ summa, tum certitudine, tum dignitate, utpote cujus sit auctor Dominus ille noster Jesus Christus Filius Dei, cujus gloriæ & spectator & auditor fuit ipse Apostolus. [‖] Matth.17.5. [x] Evangelii veritas ex eo etiam elucet, quòd cum Prophetarum prædictionibus prorsus consentiat. [y] B. Apostolica doctrina Propheticam minimè excludit, quum sese mutuis testimoniis stabiliant. Fuerunt autem Prophetæ velut lucernæ cæsis prælucentes tantisper dum Evangelii fulgor splendesceret. [z] Plenior & apertior cognitio, quàm sub Legis umbris. [a] Clarior illa Evangelii doctrina. [‖] 2.Tim.3.16. [b] B. Legendi quidem Prophetæ; sed ita ut à Deo petatur interpretationis donum, ut idem sit Propheticorum scriptorum auctor & interpres. [c] Scripturam conjungit Prophetiæ, ut veram à falsa distinguat. [d] A Deo siquidem proficiscitur vera Scripturæ interpretatio. [e] A Deo afflati: intellige hos motus, non quales fuere profanorum Vatum. compositos tamen [f] Divini interpretes ac nuncii.

CAPUT II.

1 Exponit cur hæc monuerit superiùs, nimirum propter falsos doctores, 3 quorum nefandas artes ac interitum describit, 12 Brutis animalibus, 17 & fontibus sine aqua eos comparat, 20 quod homines Deo consecratos, ad pristinam immunditiem retrahant.

FUerunt [a] autem etiam pseudoprophetæ in
[b] populo: ut etiam inter vos erunt falsi doctores, qui subintroducent hæreses exitiales, etiam dominum qui illos mercatus est abnegantes,
accersentes sibiipsis velox exitium.
2 [c] Et multi sequentur eorum exitia: per
quos via veritatis blasphemabitur.
3 [d] Et per avaritiam fictis sermonibus [e] vos
negotiabuntur, [f] quibus damnatio jam olim non
otiatur, & quorum exitium non dormitat.
4 Nam si [‖] Deus Angelis qui peccaverunt non pepercit, sed in [g] tartarum detrusos,

[a] B. Ut olim fuerunt duo Prophetarum genera, unum verum, alterum falsum: ita prædicit Petrus quosdam veros, quosdam falsos fore doctores in Ecclesia, adeò ut ipse Christus à quibusdam abnegetur, qui tamen illum redemptorem vocabunt. [b] Populum intelligit, stante Israëlis repub. & posteà regno florente sub Lege. [c] B. Non tantùm erunt hæreses, sed etiam multi earum sectatores. [d] B. Avaritia plerumque hæreseos comes, instituta ipsarum etiam animarum mercatura. [e] Vobis tamquam pecoribus ad nundinationem abutentur. [f] B. Consolatio piorum, Deum qui Angelos apostatas in tartara tenebrosa præcipites dedit tandem judicandos: qui priscum mundum, servato octavo Noë, diluvio perdidit: qui Sodoma, servato Loto, in cinerem redegit: suos electos ab istis erroribus liberaturum, & injustos illos semel destructurum. [‖] Job.4.18. Judæ 6. [g] Sic vocaverunt Græci infima terræ loca, quæ puniendis nocentium animis essent destinata.

[b] catenis caliginis tradidit, damnationi ſerva-
tos:
5 Et [i] priſco mundo non pepercit, ſed octa-
vum [g] Noë, juſtitiæ præconem ſervavit, diluvio in
mundum impiorum inducto:
6 Et civitates Sodomorum ac Gomorrhæ
in cinerem redactas [g] ſubverſione damnavit, fecit-
q; ut eſſent exemplar impiè victuris:
7 Et juſtum Lot libidinoſa nefariorum con-
verſatione fatigatum eripuit.
8 (Juſtus enim [k] ille, quum habitaret inter
eos, in dies animam juſtam iniquis *illorum* factis,
& [l] videndo & audiendo [m] excruciabat)
9 [n] Novit Dominus pios è tentatione eripe-
re, injuſtos autem in diem judicii pœnas dantes
ſervare.
10 [o] Maximè verò eos qui carnem ſequen-
tes, in impura cupiditate incedunt, & domina-
tum deſpiciunt, *qui, inquam, ut ſunt* audaces & ſi-
bi placentes, non horrent [p] dignitates probris in-
ceſſere.
11 Quum ipſi Angeli qui ſunt robore ac po-
tentia majores, non ferant adverſus eas apud
Dominum maledictionis judicium.
12 [q] At iſti, veluti animantia rationis exper-
tia, quæ [r] naturali impetu feruntur, [s] facta ad eum
finem ut capta intereant, ea vituperantes quæ ig-
norant, [t] ſua ipſorum corruptela interibunt:
13 Reportaturi mercedem injuſtitiæ, ut qui
pro voluptate ducant quotidianas delicias, labes
ac maculæ, qui [u] fraudibus ſuis ſe oblectant, vo-
biſcum epulando.
14 [x] Oculos habentes plenos adulterii, & qui
à peccando ceſſare neſciant, ineſcantes animas
inſtabiles, cor habentes ad avaritiam exercita-
tum, [y] exſecrandi homines:
15 Qui relicta recta via aberrârunt, ſequu-
ti viam Balaam *filii* Boſor, qui mercedem iniqui-
tatis amavit.
16 Sed redargutionem ſuæ tranſgreſſionis
habuit: *nam* [z] ſubjugis aſina muta, humana voce
loquuta, prohibuit Prophetæ dementiam.
17 [z] [a] Iſti ſunt [a] fontes aqua carentes, nebulæ
à turbine agitatæ: quibus [b] caligo tenebrarum
in æternum ſervata eſt.
18 Nam [c] prætumidam vanitatem loquen-
do, [d] ineſcant eos per carnis cupiditates laſcivas,
qui [e] verè effugerant eos qui in errore verſantur:
19 [f] Libertatem eis pollicendo, quum ipſi
ſervi ſint corruptelæ, ſiquidem à quo quis ſupera-
tus eſt, huic etiam in ſervitutem eſt addictus.
20 [f] [g] Nam ſi poſtquam inquinamenta mundi
per agnitionem Domini & Servatoris Jeſu Chri-
ſti effugerint, his ruſum implicati ſuperentur, fa-
cta eſt ultima eorum conditio deterior priore.
21 Satius enim fuiſſet eis non cognoviſſe vi-
am juſtitiæ, quàm cognita *illa*, regredi à ſancto
mandato ſibi tradito.
22 Sed accidit eis quod vero proverbio dici
ſolet, [g] Canis reverſus eſt ad ſuum ipſius vomi-
tum, & Sus lota, ad volutabrum cœni.

[h] Caligine quaſi catenis conſtrinxit: caliginē autem vocat miſerrimam & horroris plenam vitæ conditionem: & ſumit tranſlationem à damnatis facinoroſis, qui in carceris pedore retinentur cōſtricti, dum ad ultimum judiciū pertrahantur.
[i] Qui fuit ante diluvium, non quòd novum Deus condiderit, ſed quia nova orbis facies apparuit.
[g] *Gen.7.1.*
[g] *Gen.19.25.*
[k] Centum enim & viginti annis non deſiit impios & dictis & factis commonefacere, quanta illis ira Dei imminerer.
[l] Quocumque oculos vel aures applicuiſſet. Non minùs laborans quàm ſi equuleo fuiſſet impoſitus.
[m] Anxiam & doloribus confectā animam trahebat, Heb. 3.
[n] Longo uſu exercitatus eſt in liberandis & eripiendis juſtis.
[o] B. Ad aliud corruptorum hominum, in Eccleſiæ tamen ſinu verſantium, genus deſcendit, eorum videlicet qui nequitiæ ſunt dediti, & ſeditioſè magiſtratuum auctoritatem (quam ne ipſi quidem Angeli coram Deo miniſtrantes vituperant) convitiis inceſſunt. Vera & expreſſa Romani cleri (quem vocant) deſcriptio.
[p] Principes, & quantum vis auguſta majeſtate præditos.
[q] B. Graphica eorumdem pictura, in qua beſtiis cōparantur, idcircò natis ut dum ventri ſtudent, ſeſe in laqueos indant perituras. Nihil enim eſſe iſtis ignorantius, quamvis quæ ignorant, audaciſſimè vituperēt: & fore ut beſtiarum exemplo, iis ipſis voluptatibus quibus delectantur, & Eccleſiæ cœtum contaminant, exitium ſibiipſis accerſant. [r] Naturæ nomine (utpote de brutis loquens) quod ſenſualitatem vocant, intelligit. [s] Idcirco condita ut cedant aliis in prædam: Sic iſti ſeſe ſponte in Satanæ laqueos conjiciunt. [t] Eo exitio peribunt, quòd ipſi corruptis illis moribus accerſunt. [u] Iſti in ſacris Eccleſiæ conviviis verſantes, quum hoc pacto videri velint vera eſſe Eccleſiæ membra, labes tamē & maculæ Eccleſiæ. [x] B. Eoſdem damnat, ut ipſo etiam geſtu & vultu inexhauſtæ libidinis, ut leviculorum hominum animas negotiantes, ut in avaritiæ artibus omnibus exercitatos, deniq; ad maledicendum filiis Dei venales exemplo Balaami, quem mutum etiam pecus redarguit. [y] Ad verb. maledictionis filii. [g] *Nu.22.23. Judæ 11.* [z] B. Alia eorumdem nota, ex qua poſſint quales ſunt optimè deprehendi, quòd intùs nihil habeant niſi vel prorſus vanum, vel magnoperè noxium, quamvis magni cujuſdam boni ſpeciem præ ſe ferant: quod quidem eis impunè non cedet, ut qui falſæ libertatis obtētu, homines in miſerrimam peccati ſervitutem pertrahant. [g] *Judæ 12.* [a] Qui ſcientiam quidem jactant, ſed intus nihil minus habent. [b] Denſiſſimæ tenebræ. [c] Vanis & prætumidis verborū ampullis decipiunt. [d] Quaſi piſces hamo captant. [e] Reipſa, non ſimulatè, nempè qui ab idololatria deſciverant. [g] *Joh.8.34. Rom.6.20.* [f] B. Præſtaret nunquam cognoviſſe juſtitiæ viā, quàm ab ea ad veteres pollutiones reverti: quod hominum genus canibus & porcis comparatur. [g] *Mat.12.45. Heb.6.4.*

[g] *Pro.26.11.*

CAPUT III.

1 *Oſtendit non fruſtrà hæc repeti,* 2 *quia ſæpiùs excitandi ſint,* 4 *ob periculum quod ab illuſoribus illis impendet.* 8 *Itaque pios monet ne ex carnis ſenſu* 12 *diem Domini metiantur:* 14 *ſed quaſi præſentem ſibi ſtatuant.* 15 *In qua doctrina Paulum facit ſibi ſocium & ſuffragatorem.*

HAſce [a] jam alteras vobis literas ſcribo, dilecti,
quibus ſinceram mentem veſtram per com-
monefactionem excito:
2 Ut memores ſitis verborum quæ prædicta
ſunt à ſanctis Prophetis, & mandati illius noſtri
qui ſumus Apoſtoli Domini & Servatoris:
3 [b] [g] Illud primùm ſcientes, venturos extre-
mis diebus [c] irriſores, in ſuis ipſorum cupidita-
tibus incedentes:
4 [d] Et dicentes, Ubi eſt pollicitatio adven-
tus ejus? nam ex quo *die* Patres obdormierunt,
omnia ita permanent ab initio creationis.
5 [e] Illud enim volentes ipſos fugit, cælos jam
olim exſtitiſſe per Dei ſermonem, & [f] terram ex
aqua & in aqua conſiſtentem.
6 [g] Quamobrem is qui tum erat mundus,
[h] aqua inundatus periit.
7 [i] Qui verò nunc *ſunt* cæli ac terra, eodem
ſermone reconditi, ſervantur igni in diem dam-
nationis & exitii impiorum hominum.
8 [k] Unum autem hoc ne vos fugiat, dilecti,
[g] unum diem apud Dominum *perinde eſſe* ut mille
annos, & mille annos ut diem unum.
9 [l] Non tardat Dominus promiſſum, (ut
nonnulli tarditatem *hanc eſſe* ducunt) [m] ſed pa-
tiens eſt erga nos, [g] nolens ullos perire, ſed om-
nes ad reſipiſcentiam tendere.
10 [g] [n] Veniet autem ſicut fur in nocte dies ille
Domini, quo cæli cum [o] ſtridore præteribunt, e-
lementa verò æſtuantia ſolventur, terraq; & quæ
in ea ſunt opera exurentur.
11 [p] Quum igitur hæc omnia diſſolvenda
ſint, quales oportet eſſe vos in ſanctis converſa-
tionibus & pietatis officiis,
12 [q] Exſpectantes & properantes *ad* adven-
tum diei Dei, in quo cæli conflagrantes ſolven-
tur, & elementa æſtuantia liqueſcent?
13 [g] Sed cælos novos ac terram novam ſe-
cundùm promiſſum ejus exſpectamus, in [r] quibus
juſtitia inhabitat.

[a] B. Remedium adverſus perditos illos veræ doctrinæ & ſanctimoniæ hoſtes ex jugi meditatione Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum petendum eſt.
[b] B. Nominatim adverſus Epicureos aſſerit alterum Chriſti adventum.
[g] *1.Tim.4.1. 2.Tim.3.1. Judæ 18.*
[c] Hominum mōſtra, qui Dei contemtu & ſacrilega audacia volunt ingenioſi apparere.
[d] B. Ratio quam prætexant irriſores, quoniam cōtinuus eſt naturæ curſus qualis ab initio fuit, idcircò perpetuum fuiſſe & futurum mundum.
[e] B. Opponit illis creationem cæli & terræ, per Dei ſermonem, quam iſti voluntaria inſcitia ignorant.
[f] Quæ, aquis in unum locum collectis, cœpit emergere.
[g] B. Secundò, opponit diluvium univerſale, quod fuit quaſi totius mundi interitus.
[h] Aquis ſcilicet in ſuum illum priſtinum locum redeuntibus, mundus, id eſt, iſte aſpectabilis terræ decor, & animantia quæcumque in terra degebant. [i] B. Tertiò, pronunciat non fore Deo difficilius igni cremare cælum & terram die illo deſtructioni impiorum deſtinato (quod etiam faciet) quàm olim eum ea creare ſolo verbo & poſteà aquis obruere. [k] B. Occupatio, Quòd diu videtur hoc judicium differri, noſtro quidem reſpectu verum eſſe, at non coram Deo, cui nullum eſt vel longum vel breve tempus. [g] *Pſal.90.4.* [l] B. Venturus omninò eſt Dominus, quia promiſit: idq; nec tardiùs, nec citiùs quàm promiſit. [m] B. Ratio cur non protinus adveniat ultimus ille dies, quia Deus patienter exſpectat, dum electi ad reſipiſcentiam adducantur, ut nullus ipſorum pereat. [g] *Ezech.18.32. & 33.11. 1.Tim.2.4.* [g] *Mat.24.44. 1.Theſ.5.2. Apoc.3.3. & 16.15.* [n] B. Deſcriptio ſupremi interitus mundi, brevis quidem illa, ſed qua nihil gravius dici poſſit. [o] Impetu veluti ſibilantis procellæ. [p] B. Exhortatio ad vitæ puritatē, propoſito horrēdo illo Dei judicio, quo frænari noſtrā laſciviam & ſimul tamen nos recreari oporteat, modò vigilātes & ad Judicis occurſum parati ab ipſo inveniamur. [q] Petit à nobis patientiā, minimè tamen torpeſcentem. [g] *Eſa.65.17. & 66.22. Apoc.21.1.* [r] Cælis.

14 Quapropter, dilecti, quum hæc exspectetis, studete ut incontaminati & inculpati ab eo reperiamini [f] cum pace:

15 [g] Dominiq; nostri patientiam, salutem ducite, [t] sicut & charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis:

16 Ut in omnibus ferè epistolis, loquēs de istis, [u] in quibus sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumq; stabiles detorquent, ut & reliquas scripturas, suo ipsorum exitio.

17 Vos igitur, dilecti, *istorum* præscii quum sitis, cavete ne illorum nefariorum errore cum illis abducti, excidatis à propria stabilitate.

18 Sed crescite in gratia & agnitione Domini nostri & Servatoris Jesu Christi: cui gloria & nunc & ad tempus sempiternum. Amen.

[f] Vestro bono, clementem illum ac pacificum experturi.
[g] *Rom.* 2.4.
[t] B. Pauli epistolæ expresso Petri testimonio approbatæ.
[u] B. Quædam sunt in his rebus obscura: unde indocti arripiunt occasionem quosdam minus firmos evertendi, detortis scripturæ testimoniis in suum ipsorum exitium. Remedium autem hoc est adversus istiusmodi fraudem, laborare ut in dies magis ac magis crescamus in Christi cognitione.

PRIMA EPISTOLA JUCHANNAN APOSTOLI.

CAPUT I.

1 *Sermonem illum æternum in quo est vita,* 5 *& Lux,* 7 *annunciare se testatur,* 9 *& propitium fidelibus Deum fore, si gementes sub vitiorum onere, confugere discant ad ipsius misericordiam.*

BEZÆ INTERPRET.

Q
UOD [a] erat à principio, [b] quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectārunt [c] de Sermone illo vitæ:

2 (Nam vita patefacta est: & vidimus, & testamur, & [d] annunciamus vobis vitam illam æternam quæ erat apud Patrem, & patefacta est nobis)

3 Quod, *inquam*, vidimus & audivimus, id annunciamus vobis, [e] ut & vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra *sit* cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo.

4 Et hæc scribimus vobis ut gaudium vestrum sit plenum.

5 [f] Hoc est igitur nuncium quod audivimus ex ipso, & renunciamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo esse ullas.

6 Si dixerimus nos communionem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur, nec sincerè agimus.

7 Quòd si in [g] luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam, [f] [h] & sanguis Jesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato.

8 [i] Si dixerimus nos peccatum non habere, [k] nosipsos fallimus, & [l] veritas in nobis non est.

9 [m] Si confiteamur peccata nostra, [n] fidelis est & justus, ut [o] remittat nobis peccata, & purget nos ab omni iniquitate.

10 [p] Si dixerimus nos non peccasse, [q] mendacem facimus eum, [r] & sermo ejus non est in nobis.

TREM. INTERPRET.

A
NNUNCIAMUS vobis id quod erat à principio, quod audivimus & vidimus oculis nostris, perspeximus, & palpavimus manibus nostris, illud quod est Verbum vitæ.

2 (Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, ac prædicamus vobis vitam quæ est in æternum, quæ erat apud Patrem, & revelata est nobis.

3 Et id quod vidimus & audivimus, [1] annunciamus etiam vobis, ut sit vobis societas nobiscum: societas autem nostra est cum Patre & cum Filio ejus Jeschua Christo.

4 Et hæc scribimus vobis, ut gaudium nostrum quod est in vobis, sit completum:

5 Et hæc est annunciatio quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis quòd Deus lux est, & tenebræ prorsus nullæ sunt in eo.

6 Et si dicamus quòd societas sit nobis cum eo, & ambulamus in tenebris, mendaces sumus, & non per veritatem incedimus.

7 Si autem in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societas est nobis invicem: & sanguis Jeschua Filii ejus purificat nos ab omnibus peccatis.

8 Et si dixerimus quòd non est nobis peccatum, nosipsos seducimus, & veritas non est in nobis:

9 Si verò confitemur peccata, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata, & purificet nos ab omni iniquitate nostra.

10 Et si dixerimus quòd non peccavimus, facimus eum mendacem, & sermo ejus non est apud nos.

[1] F. vel notum facimus.

[a] B. Incipit à personæ Christi descriptione, quem unicum facit, non geminum, & eum quidem filium Deum æternum (ut qui erat ab initio apud Patrem, quique est æterna illa vita) eum verum hominem factum, quem & Johannes ipse cum suis collegis, & audiverit, & spectarit, & palparit.
[b] Audivi loquentem, vidi ipse oculis meis, contrectavi meis manibus verum Deum, verum hominem factum: nec ego solus, sed alii præterea qui mecum fuerunt.
[c] Ipsum illum sermonem æternum, per quem omnia facta sunt, & in quo uno est vita.
[d] Ab eo missi, rectè autem ea doctrina annunciata dicitur: nemo enim de ea ne suspicari quidem possit, nisi fuerit annunciata.
[e] B. Usus hujus doctrinæ hic est, ut omnes unà cōjuncti cum Christo per fidem, filii Dei habeamur: qua una in re plena fœlicitas est posita. [f] *Joh.* 8.12. [f] B. Jam aggreditur quæstionem unde intelligamus nos cum Christo esse conjunctos, nempe si regamur ipsius luce, quod ex vitæ nostræ ratione intelligitur. Sic autem argumentatur, Deus est lux purissima in sese: itaque optimè ei convenit cum iis qui lucidi sunt: cum tenebrosis autem nihil est commune. [g] Deus dicitur lux esse ex sua natura, atq; in luce esse, id est in æterna illa & infinita beatitate: nos verò in luce incedere, quatenus illius radii in verbo prælucent. [f] *Hebr.* 9.14. 1. *Pet.* 1.19. *Apoc.* 1.5. [h] B. Digressio ad peccatorum remissionem. Nam sanctificatio ista eorum qui in luce ambulant, est quidem testimonium nostræ cum Christo conjunctionis: sed quoniam nostra illa lux est valdè caliginosa, aliud simul beneficium in Christo necesse est consequamur, nempe ut nobis sanguine ipsius aspersis remittantur peccata: & hoc demum est nostræ salutis fulcrum. [f] 1. *Reg.* 8.46. 2. *Paralip.* 6.36. *Pro.* 20.9. [i] B. Hoc beneficio nemo est qui non prorsus egeat, quum nemo non sit peccator. [k] Hinc perfectio illa, quam quidam somniant, & supererogatio facilè refelluntur. [l] Non igitur, ut aliqui excipiunt, ita modestiæ gratiâ loquitur Joh. sed quia ita res est. [m] B. Initium igitur salutis est malum suum agnoscere, & apud eum deprecari qui gratis condonat omnia peccata: quia sic facturū se promisit, & est ipse fidelis ac justus. [n] Pendet ergo salus nostra à gratuita Dei promissione, qui quia fidelis est & justus præstabit quod promisit. [o] Ubi ergo merita nostra? hæc siquidem vera est nostra fœlicitas. [p] B. Repetitio superioris sententiæ, qua omnes sine exceptione damnavit peccati, adeò ut siquis secus sibi persuadeat, Dei ipsius vanum reddat sermonem quantum in se est. Quorsum enim vel sacrificiis olim, vel nunc Christo & Evangelio fuisset opus, si non sumus peccatores? [q] Non modo seipsos fallunt, sed etiam in Deum sunt blasphemi. [r] Doctrina ejus locum non habebit in nobis, id est in cordis penetralibus.

CAPUT

C A P U T II.

1 Proposito Christo mediatore & advocato, 3 docet vitæ sanctimonia probari Dei cognitionem: 12 quam cujusvis ætatis & conditionis hominibus communem facit, 14 modò uni Christo adhæreant. 15 Tandem ubi ad contemtum mundi hortatus est, 18 suadet Antichristos fugiendos esse. 24 inhærendum autem agnitæ veritati.

Filii mei, hæc scribo vobis ne peccetis, & siquis peccaverit, est nobis advocatus apud Patrem, Jeschua Christus, justus.

2 Ipse enim est propitiatio pro peccatis: & non pro nostris tantùm, sed etiam pro *peccatis* totius mundi.

3 Et in hoc sentimus quòd cognoscimus eum, si observamus mandata ejus.

4 Is enim qui dicet, Novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & veritas non est in eo.

5 Qui verò servat sermonem ejus, in eo adimpletur vera charitas Dei. in hoc enim cognoscimus quòd in eo simus.

6 Is qui dicet, In eo sum, [1] convenit ei ut [2] juxta ambulationes ejus ambulet.

7 Dilecti mei, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod erat vobis à principio. mandatum autem vetus, est sermo quem audivistis.

8 Rursum mandatum novum scribo vobis, quod est verum in ipso & in vobis, quòd tenebræ transiverunt, & lumen verum incipit esse conspicuum.

9 Qui dicit igitur quòd est in luce, & odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc.

10 Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum non est in eo:

11 Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ excæcârunt ipsos oculos ejus.

12 Scribo vobis, filii, quòd remissa sunt vobis peccata vestra propter nomen ejus.

13 Scribo vobis, patres, quia novistis eum qui fuit à principio. Scribo vobis, adolescentes, quòd vicistis ipsum Malum. Scripsi vobis, infantes, quòd novistis Patrem.

14 Scripsi vobis, patres, quòd novistis eum qui est in principio. Scripsi vobis adolescentes, quòd fortes estis, & sermo Dei habitat in vobis, & vicistis ipsum Malum.

15 Ne diligatis mundum, neque quicquam quod est in eo: qui enim diligit mundum, charitas Patris non est in eo.

16 Quicquid enim est in ipso mundo, concupiscentia est corporis: & concupiscentia est oculorum, & superbia mundi: quæ non sunt à Patre, sed sunt ab ipso mundo.

17 Et transit mundus, & concupiscentia ejus: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

[1] Id est, quoad fieri potest, vitæ & operum Christi imitator esse debet.
[2] F. vel ad ambulationes, id est instituta hominibus præscripta in hac coversatione.

Filioli [a] mei, hæc scribo vobis, ut ne peccetis. Quòd siquis peccarit, [b] advocatum apud Patrem habemus, Jesum Christum justum.

2 Et ipse est [c] propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius [d] mundi *peccatis*.

3 [e] Et per hoc scimus quòd ipsum [f] novimus, [g] si mandata ipsius observamus.

4 [h] Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & in eo veritas non est:

5 [i] Qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc [k] charitas Dei adimpleta est: per hoc scimus nos [l] in ipso esse.

6 [m] Qui dicit se in eo habitare, debet, sicut ille incessit, ita & ipse incedere.

7 [n] Fratres, non novum mandatum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod *videlicet* habuistis *jam inde* à principio. Vetus hoc mandatum, sermo ille est quem audivistis *jam inde* à principio.

8 [o] E contrario mandatum novum scribo vobis, [p] quod verum est in ipso, & in vobis: quia tenebræ prætereunt, & vera illa lux jam lucet.

9 [q] Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

10 [r] Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in eo non est:

11 Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris incedit, & nescit quò eat, quia tenebræ oculos ipsius obcæcârunt.

12 [r] [s] Scribo vobis, filioli, quoniam remissa sunt vobis peccata [t] propter nomen ejus.

13 [u] Scribo vobis, patres, quoniam nostis eum qui à principio est. [x] Scribo vobis, adolescentes, quoniam Malum illum vicistis.

14 [y] Scribo vobis, pueruli, quoniam nostis Patrem. [z] Scripsi vobis, patres, quoniam nostis eum qui *est* à principio. Scripsi vobis, adolescentes, quia fortes estis, & verbum Dei habitat in vobis, & Malum illum vicistis.

15 [a] Ne diligite [b] mundum, neque ea quæ in mundo sunt. siquis diligit mundum, non est [c] charitas Patris in eo.

16 Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis & libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est.

17 [d] Porrò mundus præterit, & cupiditas ipsius: qui verò præstat voluntatem Dei, manet in æternum.

[a] B. Hinc non consequitur, perversæ naturæ nostræ laxandum esse frænum, aut peccandum eo liberiùs quòd peccata sanguine Christi expientur, sed potiùs tanto diligentiùs resistendum peccatis, nec tamen ob nostram imbecillitatem desperandum, quum advocatum & expiatorē habemus Jesum Christum justum, ac proinde Patri acceptum.
[b] Christum quum nominat, alios omnes excludit.
[c] Propitiatio cū munere advocati conjungitur, ut intelligamus eundem esse advocatum & Pontificem.
[d] Pro hominibus omnium ordinū, ætatum, locorum, ut non ad Judæos tantùm, de quibus agit, ut ostenditur vers. 7. infr. sed etiam ad alias nationes pertineat hoc beneficium.
[e] B. Redit ad testimonium nostræ cum Deo cōjunctionis, nempe sanctificationem, explicans quid sit in luce incedere, nempe mandata Dei observare: Ex quo efficitur sanctimoniam non esse positam in iis quæ homines sunt commenti, nec in vana Evangelii professione.
[f] Hæc non de qualicumque notitia, sed de fidei cognitione sunt intelligenda. [g] Ex fructibus enim agnoscitur arbor. [h] B. Sanctimonia (id est, vita ex præscripto mandatorum Dei, quantumvis imbecilli simus, instituta) necessariò cum fide (i. vera Patris in Filio cognitione) cohæret. [i] Qui mandata Dei observat, is verè Deum amat: qui Deum amat, in Deo est, sive cum Deo cohæret. Ergo is demùm qui mandata ejus observat, est in Deo. [k] B. Qua Deus diligitur. [l] Significat nostram cum Christo conjunctionem. [m] B. Qui unum est cum Christo, ejus vita vivat necesse est. i. ejus vestigiis incedat. [n] B. Explicaturus præceptum mutuæ charitatis, præfatur, se quum sanctimoniam urget, novam quampiam vitæ rationem non adferre (ut solent qui traditiones subinde excogitant) sed eam ipsam Legem inculcare quæ est à Deo initio tradita per Mosen, videlicet quum Deus cœpit Leges populo suo condere. [o] B. Addit, Veterem quidem esse illam doctrinam, sed quæ nunc sit quodammodo nova, tum Christi, tum etiam nostri respectu: in quibus nimirum ille per Evangelium efficaciter Legem suam non tabulis lapideis, sed animis nostris insculpat. [p] Quæ res, nempe novam esse doctrinam quam scribo vobis, vera est in illo & in vobis. [q] B. Jam ad secundam tabulam, (id est, mutuam charitatem) accedens, negat vera luce præditum, sive verè regeneratum, ac Dei Filium esse, qui fratrem odit: & ejusmodi hominem miserè in tenebris errare, quantamcumque Dei cognitionem jactet, ut qui sciens prudens in barathrum ruat. [r] *Infrà 3.14.* [r] B. Iterum à sanctificatione ad peccatorum remissionem revertitur, quòd gratuita in Christo reconciliatio sit nostræ salutis fundamentum, cui posteà veluti basi, sanctificatio est superstruenda. [s] Ideò ad vos scribo, quia ex eorum estis numero, quos Deus sibi reconciliavit. [t] Propter eum, Christum autem nominans cæteros excludit, sive illi sint in cælis, sive in terra. [u] B. Hanc doctrinam singulis ætatibus convenire docet, ac primùm quidem senes alloquens, ostendit Christum & ejus doctrinam res esse longè vetustissimas, ac proinde si veteribus delectantur, nihil eis æquè gratum esse oportere. [x] B. Adolescentes monet, si vires suas cupiant ostentare, gloriosissimum certamen hic eis proponi, Satanam videlicet pessimum hostem superandum: jubens eos esse de victoria tam securos, quàm qui jam sint ea potiti. [y] B. Pueris deniq; ostendit, verum Patrem à quo bona omnia sint exspectanda, in Evangelio ipsis commonstrari. [z] B. Totidem exhortationes pari serie subjicit, acsi diceret, Memineritis patres quod modò scripsi, patefactum esse vobis æternum Dei Filium. Memineritis adolescentes, vires illas quibus dixi Satanam à vobis esse profligatum, a verbo Dei quod intra vos habitat, in vos esse collatas. [a] B. Mundus cupiditatibus pravis, libidinibus & fastu plenus, Patri cælesti penitùs est invisus. Itaq; Pater & mundus simul diligi non possunt: quæ admonitio in primis est florenti juventæ necessaria. [b] Mundum considerat quatenus cum Dei voluntate non consentit: alioqui dicitur Deus ipse mundum infinito quodam amore dilexisse. Joh. 3.16. id est, eos quos ex mundo elegit. [c] Qua Pater ametur. [d] B. Quanto præstet Patris voluntati quàm mundi cupiditatibus obsequi, ex ipsa utriusque natura & dispari exitu demonstrat.

18 [e][f] Pueruli, [g] ultimum tempus adeſt: [h] &
ſicut audiviſtis antichriſtum venturum, etiam
nunc antichriſti multi cœperunt eſſe: unde ſci-
mus ultimum tempus adeſſe.
19 [i] E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex no-
bis: [k] nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent uti-
que nobiſcum: [l] ſed *egreſſi ſunt ex nobis* ut pateſie-
ret non omnes eſſe ex nobis.
20 [m] At vos [n] unctionem habetis [o] à Sancto
illo *profectam* & noſtis omnia.
21 [p] Non ſcripſi vobis *idcirco* quòd veritatem
ignoretis, ſed quia eam noſtis, & nullum menda-
cium eſſe ex veritate.
22 [q] Quis eſt mendax, niſi qui negat Jeſum
eſſe [r] Chriſtum illum? hic eſt antichriſtus, Qui
negat Patrem, & Filium.
23 [s] Quiſquis negat Filium, nec Patrem ha-
bet: qui agnoſcit Filium, etiam Patrem habet.
24 [t] Quod igitur audiviſtis à principio, in vo-
bis maneat: ſi in vobis manſerit quod audiviſtis à
principio, vos quoque in Filio & Patre manebitis.
25 Hæc autem illa eſt promiſſio, quam ipſe
pollicitus eſt nobis, *nempe* vita illa æterna.
26 [u] Hæc ſcripſi vobis de iis qui ſeducunt vos.
27 Sed [x] unctio quam vos accepiſtis ab eo,
manet in vobis: [y] nec neceſſe habetis ut quiſ-
quam doceat vos: verùm ſicut eadem [z] unctio do-
cet vos de omnibus, *quæ* & verax eſt, & non men-
dax: & ſicut docuit vos, manebitis in eo.
28 [a] Nunc igitur, filioli, manete in eo: ut quum
patefactus fuerit, habeamus fiduciam, neque pu-
defiamus coram eo in ipſius adventu.
29 [b] Si ſcitis eum juſtum eſſe, noſtis, quicum-
que exercet juſtitiam, ex ipſo natum eſſe.

18 Filii mei, tempus eſt ultimum: & quemad-
modum audiviſtis quòd venturus eſt pſeudochri-
ſtus, & nunc multi facti ſunt pſeudochriſti: &
hinc cognoſcimus quòd tempus eſt ultimum.
19 E nobis egreſſi ſunt, ſed non ex nobis fue-
runt: ſed egreſſi ſunt à nobis, ut notum fieret quòd
non ex nobis erant.
20 At vobis unctio eſt ex ſancto, & diſcernitis
omnem hominem.
21 Non ſcripſi vobis, quòd neſciatis ipſam ve-
ritatem: ſed noviſtis eam, & quòd omne menda-
cium non ſit ab ipſa veritate.
22 Quis eſt mendax, niſi is qui negando pro-
nunciat Jeſchua quòd non ſit Chriſtus? & hic eſt
pſeudochriſtus, Qui negat Patrem, negat etiam
filium.
23 Qui negat Filium, neque in Patrem credit:
[3] qui confitetur Filium, Patrem quoq; confitetur.
24 Et vos quicquid audiviſtis ab initio, ma-
neat in vobis. Si enim maneat in vobis quicquid
audiviſtis ab initio, etiam vos manetis in Patre
& in Filio.
25 Et hæc eſt promiſſio quæ promiſſa eſt no-
bis, *nempe* vita quæ eſt in æternum.
26 Hæc autem ſcripſi vobis, propter eos qui
ſeducunt vos.
27 Et etiam vos, ſi manſerit in vobis unctio
quam accepiſtis ab illo, non opus habetis ut quiſ-
quam doceat vos, ſed tamquam unctio quæ eſt à
Deo, ipſa docet vos de omni re: & vera eſt, nec eſt
in ea mendacium, & ſicut docuit vos, manete
in eo.
28 Et nunc, filii mei, manete in eo: ut quum
manifeſtabitur, non pudefiamus ab eo, ſed ſit vo-
bis [4] revelatio faciei in adventu ejus.
29 Si noviſtis quòd juſtus eſt, ſcitote quòd
quiſquis facit juſtitiam, ex ipſo eſt.

[3] Syra paraphraſis, ut hoc verſu ſententiam eamdem affirmando ingeminat, ſequuta videtur veterem interpretem Latinum.

[4] Periphraſis eſt fiduciæ, ſicut contra diffidentiæ ſymbolum eſt faciei occultatio, Gen. 3.8. ſic infrà 3.22.

[e] B. Jam ad pueros ipſos, in religionis tamẽ ſumma probè inſtitutos, ſe convertens ſocordiam illi ætati familiarem jubet eos excutere variis argumentis. [f] Diminutivo utitur, non quia infantulos alloqueretur, ſed blãdioris appellationis cauſa. [g] B. Primùm, quia ultimũ tempus adſit, ut nullam dilationem res patiatur. [h] B. Secundò, quòd antichriſti (id eſt, apoſtatæ) quos venturos audierant, jam præſentes adſint. Hujus autem periculi oportuit incautam illam ætatem in primis admoneri. [i] B. Digreſſio adverſus offendicula quibus illa præſertim rudis ætas percelli poteſt. Itaque ne tam turpi quorumdam defectione terreantur primùm teſtatur apoſtatas, etſi in Eccleſia verſati ſint, tamen ex Eccleſia nunquam fuiſſe, quoniam Eccleſia eſt electorum cœtus, qui perire ac proinde à Chriſto deficere non poſſunt. [k] Electi igitur à gratia nunquam prorſus excidunt. [l] B. Secundò, In Eccleſiæ commodum hæc fieri oſtendit, ut patefiant hypocritæ. [m] B. Tertiò, ſolatur eos ut firmi perſtent, quum à Spiritu ſancto uncti ſint vera totius ſalutis notitia. [n] Gratiam Spiritus ſancti, tranſlatione ſumta ab unctionibus in Lege receptis. [o] A Chriſto, qui Sanctus peculiariter dicitur. [p] B. Occupatio, Se iſta non ſcripſiſſe ut religionis ignaris, imò verò veritatis gnaris, adeò quidem ut poſſint veritatem a mendacio diſtinguere. [q] B. Falſam antichriſtorum doctrinam apertè jam demonſtrat, nempè quòd vel Chriſti perſonam vel ejus officium vel utrumque ſimul oppugnent: quod qui faciunt, Deum fruſtrà jactant, quum negato Filio, negetur etiam Pater. [r] Verum eſſe Meſſiam. [s] Falluntur ergo & alios fallunt, qui Turcas & infideles alios eumdem Deum adorare tradunt, quem nos adoramus. [t] B. Illi doctrinæ tota Prophetica & Apoſtolica prædicatio repugnat. Eſt igitur illa prorſus repudianda, iſta verò omninò retinenda, huc nos deducens, ut in gratuita promiſſione (id eſt, in uno Chriſto per Patrem nobis dato) vitam æternam quæramus. [u] B. Idem ſpiritus qui veritatis cognitione electos imbuit & ſanctificat, perſeverantiæ donum eis tribuit. [x] Spiritus quem à Chriſto accepiſtis, quiq; vos in omnem veritatem induxit. [y] Earum rerum minimè rudes eſtis, quas non tamquam ignotas propono, ſed ut notas inculco. [z] Ita cæleſtem commendat doctrinam qua imbuti erant, ut ſimul magnificè fidem prædicet, & diligentiam eorum qui inter eos docebant: ita tamen ut nihil de dignitate Spiritus decedat. [a] B. Concluſio totius tum exhortationis tum etiam tractationis ſuperioris. [b] B. Tranſitio ad ſequentem tractationem, eodem quidem ſpectantem, ſed tamen luculentiorem, & diverſo quodam ordine idem argumentum explicantem. Illic enim ab effectis ad cauſam docuit nos aſcendere: hic verò à cauſis ad effecta deſcendit. Eſt autem hujus argumenti ſumma, Deum eſſe omnis juſtitiæ fontem, ac proinde eos demùm qui juſtitiæ ſtudeant, ex ipſo natos eſſe deprehendi, ut qui Deum Patrem referant.

CAPUT III.

1 *Inæſtimabilem divinæ adoptionis honorem commendans,* 7 *teſtandam eſſe bonis operibus vitæ novitatem docet,* 14 *cujus certum ſymbolum eſt charitas.* 19 *Deinde fiduciam,* 22 *& Dei invocationem ſubnectit.*

Videte [a] [b] qualem charitatem dedit nobis Pa-
ter, *nempe* ut filii Dei [c] vocemur: [d] propterea
mundus non novit nos, quia non novit eum.
2 [e] Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, ſed non-
dum patefactum eſt quod erimus: ſcimus autem
fore ut quum *ipſe* patefactus fuerit, [f] ſimiles ei ſi-
mus: quoniam videbimus eum [g] ſicuti eſt.
3 [h] Et quiſquis habet hanc ſpem in eo *ſitam*,
purificat ſe, [i] ſicut & ille purus eſt.
4 [k] Quiſquis [l] dat operam peccato etiam Le-
gem tranſgreditur: nam [m] peccatum eſt Legis
tranſgreſſio.
5 [n] Et ſcitis illum patefactum eſſe [o] ut peccata

Et videte quàm magna eſt charitas Patris er-
ga nos, qui filios vocavit nos, etiam fecit nos.
propter hoc mundus non novit nos, quia etiam
ipſum non novit.
2 Dilecti mei, nunc filii ſumus Dei, & nõ ap-
paruit uſq; adhuc id quod eſt futurum ut ſimus.
Scimus autem quòd quũ manifeſtatus fuerit in ſi-
militudine ejus erimus, & videbimus eũ ſicuti eſt,
3 Et omnis cui eſt de eo hæc ſpes, purificat
ſeipſum, ſicut ille purus eſt.
4 Qui autem facit peccatum, iniquitatem a-
git: peccatum enim omne iniquitas eſt.
5 Et ſcitis quòd ille qui manifeſtatus eſt,

[a] B. Auſpicatur hujus convenientiæ patris & filiorum explicationem à ſumma cauſa, nempe à gratuita illa Dei in nos charitate, qua nos ita complectitur ut etiam in filios adopter. [b] Cujus charitatis munus. [c] Ut ſimus, & ita quidem ut tales nos eſſe conſtet. [d] B. Antequam hanc adoptionem declaret, duo præfatur: unum, non eſſe tantam iſtam dignitatem ex carnis judicio æſtimandam, quoniam mundo ſit incognita, ut qui ne Deum quidem ipſum patrem norit. [e] B. Alterum, ne nobis quidem ipſis (nedum extraneis) adhuc plenè patefactam eſſe iſtam dignitatem: cujus complementum certum quidem nos manet, & quidem tale ut ſimus ipſi Filio Dei ſimiles futuri, ejuſq; reipſa ſicuti eſt, conſpectu fruituri, ſed tamen in alterum ejus adventum differtur. [f] Non dixit pares, ſed ſimiles. [g] Nunc enim videmus per ænigma, 1. Cor. 13. 12. [h] B. Jam iſtam adoptionem, cujus gloria in ſpe adhuc poſita eſt, ab effectis deſcribit, quòd videlicet quiſquis eſt factus Dei filius, Patrem ſtudeat puritate referre. [i] Similitudinem ſignificat non paritatem. [k] B. Puritatis hujus regula non aliunde quam ex Lege Dei petenda eſt, cujus tranſgreſſio illud eſt quod peccatum vocatur. [l] Puritati non ſtudet. [m] Peccati brevis definitio. [n] B. Argumentum à materiali noſtræ ſalutis cauſa: Chriſtus eſt puriſſimus in ſeſe, & venit ut peccata noſtra tolleret, nobis videlicet Spiritu ſuo ſanctificatis. Ergo qui verè Chriſti particeps eſt, ſeſe non dedit peccato: & è contrario, qui peccato ſe dedit, Chriſtum ignorat. [o] *Eſa. 53, 6. & 9, 11. 1. pet. 2. 22. 24.*

manifestatus est ut tolleret peccata nostra, & peccatum in eo non est.
6 Et omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, neque novit eum.
7 Filii mei, nequis seducat vos. Qui facit justitiam, justus est, sicut etiam ipse Christus justus est.
8 Et is qui agit peccatum, ex Satana est: quia à principio ipse Satanas peccator est, & propter hoc manifestatus est Filius Dei, ut dissolveret opera Satanæ.
9 Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo est: neque potest peccare, quia ex Deo natus est.
10 In hoc discernuntur filii Dei à filiis Satanę. omnis qui non facit justitiam, & non diligit fratrem suum, non est ex Deo.
11 Nam illud est mandatum quod audivistis ab initio, ut diligatis [1] unus alium.
12 Non sicut Cain qui fuit à malo, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum, nisi quia mala erant opera sua, & fratris ejus justa?
13 Et ne miremini, fratres mei, si odit vos mundus.
14 Nos novimus quòd transimus de morte ad vitam, in hoc quòd diligimus fratres. Is qui non diligit fratrem suum in morte manet.
15 Quisquis enim odit fratrem suum, homicida est: & scitis quòd in nullo homicida potest manere vita quæ est in æternum.
16 In hoc cognoscimus charitatem illius quæ fuit erga nos, quòd ille dedit animam suam pro nobis: & etiam justum est nobis, ut nos pro fratribus nostris demus animas nostras.
17 Et is cui est possessio hujus mundi, & videt fratrem suum quòd necessitatem habet, & claudit viscera sua ab eo, quomodo est charitas Dei in eo?
18 Filii mei, ne diligamus alius alium sermonibus & lingua, sed operibus & veritate.
19 Et per hoc [2] cognoscimur quòd ex veritate simus, & antequam veniat ille, quietum reddimus cor nostrum.
20 Et si ita est quòd cor nostrum [3] rejiciat nos, quanto magis Deus? qui major est corde nostro[4].
21 Dilecti mei, si cor nostrum non rejiciat nos, [5] revelata sumus facie coram Deo:
22 Et quicquid petimus, accipimus ab eo: quoniam observamus præcepta ejus, & bona agimus coram eo.
23 Et hoc est mandatum ejus, Ut credamus in nomine Filii ejus Jeschua Christi, & diligamus alius alium, sicut mandavit nobis.
24 Et is qui servat mandata ejus, in eo servatur, & ipse manet in eo: & in hoc intelligimus quòd habitat in nobis, de spiritu ejus quem dedit nobis.

nostra tolleret, & peccatum in eo non esse.
6 Quisquis in eo manet, non peccat: quisquis [o] peccat, non vidit eum, neque novit eum.
7 [p] Filioli, nemo vos seducat: qui exercet justitiam, justus est, sicut ille justus est.
8 [l] [q] Qui dat operam peccato, ex [r] diabolo est: quoniam à [s] principio diabolus [t] peccat. Ad hoc patefactus est Filius Dei ut dissolvat opera diaboli.
9 Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam: quoniam [u] semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eo quòd ex Deo natus est.
10 [x] Per hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli. quisquis non dat operam justitiæ, non est ex Deo, [y] & qui non diligit fratrem suum.
11 [l] [z] Quoniam hæc est denunciatio quam audivistis à principio, ut diligamus alii alios.
12 [a] Non sicut [l] [b] Cain, *qui* ex illo Malo erat, & occidit fratrem suum. [c] Cujus autem rei gratia occidit eum? quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus justa.
13 Ne miramini, fratres mei, si odit vos mundus.
14 [d] Nos [e] scimus nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte.
15 [f] [l] Quisquis odit fratrem suum homicida est, & nostis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.
16 [l] [g] Per hoc novimus charitatem Dei, quòd ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere.
17 [h] [l] Qui verò habuerit [i] mundanum victum, & viderit fratrem suum egentem, & [k] clauserit viscera sua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo?
18 [l] Filioli mei, ne diligamus verbo neque lingua *solùm*, sed facto & veritate.
19 [m] Et per hoc cognoscimus *nos* ex veritate esse, [n] & coram ipso secura reddemus corda nostra.
20 [o] Nam si nos condemnet cor nostrum, nempe potentior est Deus corde nostro, & novit omnia.
21 [p] Dilecti, si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum.
22 [l] Et quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta ejus custodimus, & ea quæ ipsi placent facimus.
23 [q] [l] Hoc est igitur ejus mandatum, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & diligamus alii alios, sicut mandavit nobis.
24 [l] Nam qui observat ejus mandata, in eo habitat, & ipse in eo: & per hoc novimus eum habitare in nobis, *nempe* ex [r] Spiritu quem nobis dedit.

[1] F. Id est, alter alterum.

[2] F. vel apud nos ipsos cognoscimus: nam hæc quoque est conjugationis illius significatio.
3 Rejicere accipitur pro Reprobare, accusare, & condemnare: sicut & paulo infrà.
4 F. al. addunt, & novit omnia: ut est in Græco, & adesse oportet.
5 i. Fiduciam habemus, ut in fine præcedentis capitis annotavimus.

o Peccare dicitur, qui puritati non studet. in eo autem peccatum regnat: in fidelibus autem dicitur habitare peccatum, non regnare.
p B. Aliud argumentum à conjugatis, Qui justè vivit, justus est, & Christum justum refert, unde etiam Dei filius esse intelligitur.
[l] Joh. 8.44.
q B. Argumentũ à repugnantibus, Diabolus est peccati auctor, ac proinde ex diabolo est, sive afflatu diaboli regitur, qui servit peccato: quòd si diaboli filius, non igitur Dei. Nam ita inter se repugnant diabolus & Deus, ut etiam Filius Dei sit missus destruendis diaboli operibus. Iraque ex opposito, quicumque peccato resistit, Dei est filius, Spiritu ipsius videlicet veluti novo semine regeneratus, adeò quidem ut jam necessariò ex subjectione peccati sit liberatus.
r Diabolum refert, ut filius patrem, & ejus spiritu regitur.
s Ab ipso mundi exordio.
t Non dicit peccavit, sed peccat: in actu enim continuo peccandi versatur.
u Sic vocatur Spiritus sanctus ab effectu, quòd ejus virtute tamquam ex semine quodam novi homines efficiamur.
x B. Conclusio, Ex vita impura dignosci qui diabolico spiritu reguntur: ex pura verò, qui sint Dei filii. y B. Charitatem in fratres, ut alteram filiorum Dei notam, incipit commendare. [l] Joh. 13.34. & 15.12. z B. Ratio prima a præcipientis Dei auctoritate. a B. Amplificatio à contrario exemplo Caini fratricidæ. [l] Gen. 4.8. b Exemplum profert & antiquissimum & aptissimum, in quo contemplemur, & filiorum Dei, & filiorum diaboli naturam: quæ nos in hoc mundo maneat conditio, & quis demum utrorumq; sit futurus exitus. c B. Brevis digressio, Ne miremur nos, dum officium facimus, esse mundo exosos, quum hæc jam olim fuerit justi Abelis conditio, cui quis tandem non malit esse similis quàm Caino? d B. Ratio secunda, Quia charitas est testimonium nos à morte ad vitam esse translatos: ac proinde odium in fratres est mortis argumentum, cui quisquis indulgeat, velut mortem in sinu fovet. e Charitas indicium est nos translatos à morte ad vitam, nempe quia ex effectis agnoscitur causa. f B. Confirmatio, Quisquis homicida est, versatur in morte æterna: qui fratrem odit est homicida: ergo est in morte. Inde sequitur oppositum, eum qui fratrem diligit, ad vitam transivisse. Nam revera mortui nascimur. [l] Suprà 2.10. levit. 19.17. [l] Joh. 15.13. ephes. 5.2. g B. Jam quousque charitas Christiana porrigatur ostendit, eousque videlicet ut Christi exemplo sui etiam quisque obliviscatur, ut fratribus consulat. h B. Argumentatur à comparatis. Nam si vel ipsam vitam tenemur proximis impendere, quanto magis fratris inopiam facultatibus nostris sublevare? [l] Luc. 3.11. i Unde hæc vita sustentatur. k Non aperuerit illi suum pectus, nec promto illi animo succurrerit. l B. Charitas Christiana non in verbis, sed in reipsa posita est, & ab affectu sincero proficiscitur. m B. Charitatem commendat a triplici effectu. Primum enim ex ea intelligimus nos verè esse Dei filios ut antea declaravit. n B. Inde fit ut pacatam conscientiam habeamus: sicut è contrario qui statuit se Deum habere pro judice, quòd sit malè sibi conscius, vel numquam vel temerè quietus est, quum Deus multo quàm nos acutiùs videat & severiùs judicet. o Si mala conscientia nos coarguat, multo magis ad nos condemnandos valere debet Dei judicium, qui meliùs etiam corda nostra novit, quàm nosipsi. p B. Tertius effectus ex hoc quoque nascitur, quòd in his miseriis certi simus nos exaudiri, ut qui filii Dei simus: sicut ex gratia sanctificationis, quæ electis propria est, intelligimus. [l] Matt. 21.22. joh. 15.7. & 16.23. infra 5.14. q B. Conclusio, Fidem in Christum & charitatem mutuam, res esse simul connexas, ac proinde sanctificationis externa testimonia interiori illo Spiritus nobis dati testimonio vicissim respondere. [l] Joh. 6.29. & 17.3. [l] Joh. 13.34. & 15.10. r Spiritum sanctificationis intelligit, i. ex quo regenerati vivimus Deo.

CAPUT IIII.

1 *Ubi quædam inserit de probandis spiritibus, quia alii ex mundo,* 5 *alii ex Deo loquuntur,* 7 *ad charitatem redit,* 11. 19 *& Dei exemplo ad fraternum amorem hortatur.*

Dilecti, [a] ne cuivis [b] spiritui credite, sed probate spiritus an ex Deo sint: nam multi pseudoprophetæ venerunt in mundum.
2 [c] Ex hoc cognoscite Dei Spiritum: [d] quicumque spiritus profitetur Jesum [e] Christum in
[f] carnem venisse, ex Deo est.
3 At quicumque spiritus non profitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est. sed hic est ille *spiritus* Antichristi, quem audistis venturum fuisse, & *qui* jam nunc in mundo est.
4 [g] Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos: quoniam potentior est qui est in vobis, quàm qui in mundo est.
5 [h] Ipsi è mundo sunt, ideo mundana loquuntur, & mundus eos audit.
6 [i] Nos ex Deo sumus: qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. ex hoc cognoscimus [k] spiritum veritatis & spiritum erroris.
7 [l] Dilecti, diligamus alii alios: [m] nam charitas ex Deo est: quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit Deum.
8 Qui non diligit, non novit Deum: [n] nam Deus est [o] charitas.
9 [p] Per hoc patefacta est charitas Dei in nos, quòd Filium illum suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.
10 In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris.
11 [p] Dilecti, si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alii alios diligere.
12 [q] Deum nemo spectavit unquam. si diligamus alii alios, Deus in nobis habitat, & charitas ejus [r] adimpleta est in nobis.
13 Per hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quòd de spiritu suo dedit nobis.
14 [s] Nos verò spectavimus & testamur Patrem misisse Filium qui esset servator mundi.
15 Quisquis [t] professus fuerit Jesum esse Filium Dei, Deus in eo habitat, & ipse in Deo.
16 Et nos cognovimus & credidimus charitatem quam habet Deus in nos. [u] Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.
17 [x] Per hoc adimpletur charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quòd [y] qualis ille est, *tales* & nos sumus in hoc mundo.
18 [z] Metus non est in charitate: integra charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet: qui autem metuit, non est integer in charitate.
19 [a] Nos diligimus eum, quoniam ipse prior

Dilecti mei, ne omnibus spiritibus credatis, sed discernite spiritus, num ex Deo sint: quia multi pseudoprophetæ exiverunt in mundum.
2 Per hoc cognoscitur Spiritus Dei. omnis spiritus qui confitetur quòd Jeschua Christus venit [1] in carnem, ex Deo est.
3 Et omnis spiritus qui non confitetur quòd Jeschua venit in carnem, non est ex Deo: sed hic ex pseudochristo est, de quo audivistis quòd venit, & nunc in mundo est jam.
4 Vos autem ex Deo estis, filii, & vicistis eos: quoniam major est is qui in vobis est quam qui in mundo.
5 Et ipsi ex mundo sunt: idcirco ex mundo loquuntur, & mundus eos audit.
6 Nos autem ex Deo sumus: & is qui novit Deum, audit nos: & is qui non est ex Deo, non audit nos. per hoc ipsum intelligimus spiritum
[2] verum, & spiritum deceptionis.
7 Dilecti mei, diligamus alius alium: quia charitas ex Deo est: & quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit Deum.
8 Quia Deus charitas est: & quisquis non diligit, non novit Deum.
9 In hoc enim innotuit charitas Dei quę est erga nos, quòd Filium suum unicum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.
10 In hoc est charitas: nequaquam quòd dilexerimus Deum, sed quòd ipse Deus dilexerit nos, & miserit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.
11 Dilecti mei, si ita dilexit nos Deus, etiam nos debitores sumus ut unus alium diligamus.
12 Deum unquam nemo vidit: si autem diligamus unus alium, Deus in nobis manet, & charitas ejus adimpletur in nobis.
13 Et in hoc cognoscimus quòd in eo manemus, & ipse manet in nobis, quòd de Spiritu suo dedit nobis.
14 Et nos vidimus & testamur quòd Pater misit Filium servatorem [3] mundi.
15 Omnis qui confitetur Jeschua quòd sit Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse manet in Deo.
16 Et nos credimus & scimus charitatem quę est ipsi Deo erga nos. Deus enim charitas est, & quisquis manet in charitate, in Deo manet.
17 Et in hoc adimpletur charitas ejus nobiscũ, ut [4] revelata facies sit vobis in die judicii. quia sicut ille fuit, ita etiam nos sumus in hoc mundo.
18 Metus in charitate non est: sed charitas adimpleta foras ejicit ipsum metum: quia metus in [5] irritatione est: is autem qui metuit, non est perfectus in charitate.
19 Nos igitur diligimus Deum: quia ipse priùs

a B. Occasione ex Spiritus nomine arrepta ne charitas à Dei cultu, qui præcipuè à vera ejusdem notitia pendet, separetur: redit ad id quod capite secundo de cavendis Antichristis dixerat. Vult autem duplicem cautionem à nobis hic adhiberi: unam ut quum multi sint pseudoprophetæ, temerè quibusvis non credamus: alteram, ne, quia multi falsa docent, idcircò nullis credamus. Tenendam igitur esse mediam viam, ut Dei spiritus, qui omnino sequendi sunt, noverimus ab impuris spiritibus fugiendis distinguere.
b Metonymicè, i. ei qui se Spiritus dono præditum dicit ad obeundum Prophetæ munus.
c B. Certam & perpetuam Antichristianæ doctrinæ dignoscendæ regulam tradit, nempe si Christi divina aut humana natura, aut vera earumdem unitio negetur, vel de ipsius, unici videlicet nostri Regis, Prophetæ, ac Pontificis æterni, officio vel tantillum detrahatur.
d De doctrina simpliciter loquitur, non de persona.
e Verum Messiam.
f Verum hominem.
g B. Solatur electos certa spe victoriæ, ita tamen ut eos doceat non sua, sed Dei virtute pugnare.
h B. Causam affert cur istis mundus potiùs quàm veris doctoribus applaudat: quoniam videlicet nihil nisi mundanum spirant: quæ etiam est altera Antichristianæ doctrinæ dignoscendæ ratio. [i] Joh. 8. 47. i B. Suam & collegarum suorum doctrinam testatur certum esse Dei sermonem, quem universis totius mundi suffragiis securè opponere sit necesse, & inde veritatem à mendacio distinguere. k Veridicos Prophetas, quibus opponuntur spiritus erroris, id est, errantes & alios in errorem abducentes. l B. Redit ad charitatis mutuæ commendationem. m B. Ratio prima, Quoniam res est planè divina, ac proinde Filiis Dei prorsus conveniens, adeò ut qui illius est expers, dici non possit Deum verè nosse. n B. Confirmatio, Quia Dei natura sit homines diligere: cujus rei illustrissimum præ cæteris documentum est, quòd non quosvis, sed Filium illum suum, & eum quidem Unigenitum, sola illa gratuita & infinita in nos hostes suos benevolentia impulsus, tradiderit in mortem, cujus sanguine expiati fieremus æternæ ipsius gloriæ participes. o Deum dum vocat charitatem, multo plus dicit, quàm si eum infinitè nos amare pronunciaret. [p] Joh. 3. 16. p B. Ratio altera à comparatis, Si Deus nos ita dilexit, an nos, ipsius filii, inter nos non amabimus? q B. Tertia ratio, Quia Deus oculis invisibilis, ex hoc sui spiritus effectu (nempe charitate) intelligitur, & quidem non extra nos, sed nobiscum conjunctus, in quibus ita sit efficax. [q] Joh. 1. 18. 1. tim. 6. 16. r Verè ac reipsa comprobata. s B. Huic charitati fundamentum aliud substernit, nempe fidem in Jesum, quæ nos cum eo conjungit, sicut charitas nos cum eo conjunctos esse testificatur. Reddit autem Christo testimonium, ut oculatus testis. t Confessionem intellige ex vera fide manantem, & quam charitas consequitur, ut omnia cohæreant. u B. Quatta ratio, Deus est fons & origo charitatis, ipsaq; adeò charitas: ergo qui in eo manet, Deum secum habet. x B. Rursus ut paulò antè charitatem ex eo commendat, quòd quum ex nostri cum Deo in hac re convenientia certum nobis nostræ adoptionis testimonium suppeditetur, ita fiat ut intrepidè supremum illum diem judicii exspectemus, adeò ut trepidatio & cruciatus ille conscientiæ à charitate expellatur. y Similitudinem significat, non paritatem. z Si ex charitate intelligimus nos esse in Deo, & Deum in nobis, nos filios esse, nos Deum nosse, vitam æternam esse in nobis: rectè colligit pacem ac tranquillitatem inde colligi. a B. Nequis illam conscientiæ pacem existimet à charitate nostra ut causa proficisci, recurrit ad fontem, nempè ad gratuitam dilectionem qua nos Deus licet iram ipsius promeritos prosequitur. Hinc autem duplex alia charitas oritur, utraque primæ illius index ac testis, ea videlicet qua Deum qui prior nos dilexit redamamus: ac demum propter illum, proximos quoque diligimus.

1 F. vel in carne, hoc & sequente versu. Atque hoc malim.
2 F. vel veritatis, sic illustrior est antethisis.
3 F. vel mundo: sic enim sonat Syra interpretatio.
4 F. i. Fiducia: ut suprà 2. 28. & 3. 21.
5 F. vel perturbatione, i. commotione ex periculo præsumto nata.

dilexit nos.

20 Si autem quis dixerit, Ego diligo Deum, & fratrem suum odio habeat, mendax est. ille enim qui fratrem suum qui videtur, non diligit, Deum ipsum qui non videtur, quomodo potest diligere?

21 Et hoc mandatum accepimus ab eo, ut omnis qui diligit Deum, diligat etiam fratrem suum.

dilexit nos.

20 [b] Siquis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. [c] qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere?

21 [‖] [d] Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

[b] B. Sicut charitatem proximi à charitate Dei in nos inseparabilem esse ostendit, quoniam hæc illum gignit, ita jam aliam charitatis speciem qua nos Deum diligimus, à charitate proximi disjungi posse negat; unde consequitur, impudenter mentiri, qui se Dei cultores vocant, quum proximos negligant. [c] B. Prima ratio à comparatis, cur non possit proximus odio haberi & Deus diligi, nempe quia qui fratrem non potest amare quem videt, quomodo Deum invisibilem amaverit? [‖] Joh. 13.34. & 15.12. [d] B. Secunda ratio, Cur non possit Deus odio haberi & proximus diligi, quia unus & idem Legislator & se & proximum diligi præcepit.

CAPUT V.

1 Ostendit fraternum amorem & fidem esse res conjunctas. 10 Nullam autem haberi posse fidem Deo nisi credendo in Christum. 14 Hinc est invocatio, 16 ut pro fratribus etiam valeant preces nostræ.

OMnis qui credit quòd Jeschua est Christus, ex Deo natus est: & omnis qui diligit Genitorem, diligit eum qui genitus est ex eo.

2 Et in hoc cognoscimus quòd diligimus filios Dei, quum diligimus Deum, & facimus mandata ejus.

3 Hæc enim est dilectio Dei, ut servemus mandata ejus: & mandata ejus non sunt gravia:

4 Quia quicquid natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria quæ vincit ipsum mundum, fides nostra.

5 Quis enim est qui vincit ipsum mundum, nisi is qui credit quòd Jeschua filius est Dei?

6 Hic est qui venit [1] per aquas & sanguinem, *nempe* Jeschua Christus: nequaquam per aquas tantùm, sed per aquas & sanguinem: & spiritus testatur [2] quòd ille spiritus est veritas.

7 [3]

8 Et sunt tres testes, Spiritus, & aquæ, & sanguis: & tres ipsi in unum sunt.

9 Si testimonium filiorum hominis accipimus, quanto magis testimonium Dei quod maximum est? & hoc est testimonium Dei quod testificatus est de Filio suo.

10 Quisquis credit in Filium Dei, est ei hoc testimonium in seipso. omnis qui non credit Deo, mendacem facit eum, in eo quòd non crediderit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo.

11 Et hoc est testimonium, quòd vitam quæ est in æternum, dedit nobis Deus: & illa vita in Filio ejus est.

12 Omnis qui habet Filium, habet etiam vitam: & omnis qui non habet Filium Dei, non est ei vita.

13 Hæc scripsi vobis ut sciretis quòd vita æterna est vobis, qui credidistis in nomen Filii Dei:

[1] Ad verb. Per manum aquarum & sanguinis. Hebraismus.
[2] F. vel quoniam ille spiritus est ipsa veritas. hoc malim.
[3] Totum septimum versiculum Syrum Testamẽtum omittit, sicut etiam multi Græci codices: qui ita restitui posset, דהרלתא אנון דסהדין בשמיא אבא מלתא ורוחא קדישא ותלתהון חד אנון: Id est, Nam tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, & Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sed quia non modò in impresso, sed etiam in manuscripto codice Heidelbergensi omittebatur, nec in omnibus vetustis Græcis codicibus legebatur, textui inserere non sum ausus: ne tamen versiculorum fieret perturbatio, utque eorum numeri responderent numeris versiculorũ Græci textus, à sexto transilii ad octavum. F. Ego verò ab Arianis olim abrasum puto. Nam cum alioquin contra Arium disputatione in Nicæna Synodo habita sub finem adduxit Athanasius: atq; hoc illa adjectione ad finem sequentis vers. (quam illi insidiosè in vers. 7. eamdem esse prædicabant) facilè obtinuerunt apud imperitum Ecclesiæ & ignavum librariorum vulgus, Constantii maximè & Valentis Impp. temporibus.

QUisquis [a] credit Jesum esse [b] Christum illum, ex Deo genitus est: & quisquis diligit eum qui genuit, diligit etiam [c] eum qui ex eo genitus est.

2 [d] Per hoc cognoscimus nos diligere filios Dei, quum Deum diligimus, & [e] mandata ejus servamus.

3 [‖] [f] Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus servemus: [g] & mandata ejus gravia [h] non sunt.

4 [i] Quoniam quicquid natum est ex Deo, vincit mundum: [k] & hæc est victoria quæ [l] vicit mundum, *nempe* [m] fides nostra.

5 [n] Quis est qui [‖] vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Filium Dei?

6 [o] Hic ille est, qui venit per aquam & sanguinem, *nempe* Jesus Christus: [p] non per aquam solùm, sed per aquam & sanguinem: & [q] spiritus is est qui testificatur Spiritum veritatem esse.

7 Nam tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, [r] Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres [s] unum sunt.

8 [‖] Et tres sunt qui testificantur in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres in unum consentiunt.

9 [t] Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: [u] nam hoc est testimonium Dei quod testificatus est de Filio suo.

10 [x] Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso: qui non credit Deo, mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio quod testificatus est Deus de Filio suo.

11 [y] Est autem hoc testimonium, *nempe* quòd vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus est.

12 Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.

13 [z] Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen Filii Dei: ut sciatis vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomen Filii Dei.

[a] B. Pergens in eodem argumento, quomodo utraque illa charitas in nobis ex Dei in nos charitate derivetur, ostendit: nempe per Jesum mediatorem fide apprehensum, in quo facti Dei filii, & Patrem ex quo sic geniti sumus, & fratres similiter nobiscum genitos diligimus. [b] Verum esse Messiam. [c] Singulari numero utens omnes fideles intelligit. [d] B. Charitas proximi à Charitate qua Deum diligimus sic dependet, ut hanc illi præire oporteat: inde consequitur, charitatem non esse appellandam quum ad malè agendum coëunt homines, quoties denique proximũ amantes, in Dei mandata non respicimus. [e] Charitas ibi nulla est, ubi vera doctrina non exstat. [‖] Mat. 11.30. [f] B. Ratio, Quia Deum diligere est mandatis ejus obsequi: quod quum ita sit, & utraque charitas ab eodem Legislatore sit mandata (ut anteà docuit) efficitur illud quoque, Diligi non posse proximum ubi mandata Dei violantur. [g] B. Quoniam docet experientia nullam inesse carni facultatem, imò ne voluntatem quidem ad præstanda Dei mandata, idcircò ne videatur Apostolus toties inculcans mandatorum Dei observationem, impossibilia flagitare, pronunciat gravia non esse Dei mandata, hactenus quidem, ut eorum onere opprimamur. [h] Regeneratis, qui Dei spiritu aguntur, & qui liberati sunt per gratiam a Legis maledictione. [i] B. Ratio, Quoniam ex regeneratione nacti simus vires quibus superatur mundus, i. quicquid mandatis Dei reluctatur. [k] B. Explicat quænam sint illæ vires, nempe fides. [l] Utitur præterito tempore, ut judicetur etiamsi adhuc versemur in hac lucta, certissimam tamen esse victoriam. [m] Quæ est instrumentalis causa apprehendens eum qui illud reverà præstat. [n] B. Duo prætereà declarat, unum quæ sit vera fides, ea nimirum quæ in unum Jesum Filium Dei respicit: ex quo consequitur alterum, nempe has vires propriè non esse fidei, sed fide tamquam instrumento ex Jesu Christo Filio Dei hauriri. [‖] 1. Cor. 15.57. [o] B. Præstantiam Christi in quo uno omnia nobis donantur, sex testibus comprobat, tribus cælestibus, & totidem terrenis, penitùs inter se consentientibus. Cælestes sunt, Pater à quo missus est Filius, Sermo ipse caro factus, & Spiritus Sanctus. Terreni testes aqua, (i. sanctificatio nostra;) sanguis, (i. justificatio nostra;) Spiritus, id est, agnitio Dei Patris in Christo per fidem ex Spiritus sancti testimonio: sicut in annotationibus copiosiùs exposuimus. [p] B. Monet ne aquam à sanguine (id est, sanctificationem à justificatione, sive justitiam inchoatam à justitia imputata) separemus: quoniam illa non nitimur nisi quatenus est hujus testimonium: hæc verò etsi ab illa nunquam separetur, tamen sola est nostræ salutis materia. [q] Spiritus noster tertius testis, testatur Spiritum sanctum esse veritatem, id est, esse verum quod nobis ille dictat, nempe nos esse filios Dei. [r] Vide Joh. 8.13. [s] In unum consentiunt. [‖] Joh. 3.36. [t] B. Argumento a comparatis ostendit quantum sit pondus cælestis testimonii quod Pater edidit de Filio, cui consentit & ipse Filius, & Spiritus sanctus. [u] Meritò ita colligo, nam illud testimonium quod dixi in cælo perhiberi, à Deo manat, Filium suum ornante. [x] B. Firmitatem etiam terrestrium testium probat ex conscientia uniuscujusque testimonium illud in sese habentis, quam falli non dicit, utpote quæ cælesti Patris de Filio testimonio assentiatur: alioqui enim Patrem oporteret esse mendacem, si conscientia Patri assentiens mentiretur. [y] B. Jam tandem quod sit hoc testimonium confirmatum declarat tot testibus, nempe vitam sive fœlicitatem æternam esse merum Dei donum, quæ in Filio resideat, & ab eo in nos, qui per fidem cum eo conjuncti sumus, promanat, adeò ut extra eum nusquam inveniatur vita. [z] B. Epilogus epistolæ, in quo primùm ostendit hac doctrina etiam ipsos egere qui jam credunt, ut magis ac magis in fide crescant: id est, ut quotidie de sua in Christo per fidem salute fiant certiores.

14 [a] Et hæc est fiducia quam apud Deum habemus, [‖] ipsum, siquid petierimus secundùm voluntatem ejus, nos audire.

15 Quòd si scimus eum audire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones, quas ab eo petiimus.

16 [b] Si quis viderit fratrem suum peccare peccato *quod* non *est* ad mortem, [c] petet & dabit ei vitam: peccantibus *dico* non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget.

17 [d] [‖] Omnis injustitia peccatum est: sed est peccatum *quod* non *est* ad mortem.

18 [e] Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat: sed qui genitus est ex Deo, conservat seipsum, & Malus ille non tangit eum.

19 [f] Scimus nos ex Deo esse, & mundum totum in illo malo jacere.

20 Sed scimus Filium Dei venisse, & [‖] dedisse nobis mentem ut cognoscamus illum qui verax est: & sumus in verace illo, *id est* in Filio ejus Jesu Christo. [g] hic est verus ille Deus, & vita illa æterna.

21 [h] Filioli, cavete vobis ab idólis. Amen.

14 Et hæc confidentia est nobis apud eum, quòd quicquid petimus ab eo secundùm voluntatem ejus, audit nos.

15 Etsi persuasum habemus quòd audit nos in eo quod petimus ab illo, confidimus quòd accipimus jam petitiones nostras quas petimus ab eo.

16 Siquis viderit fratrem suum quòd peccaverit peccatum quod non condemnat ad mortem, petat, & dabitur ei vita; eis *inquam* qui nequaquam peccaverunt tamquam [4] ad mortem. Est enim peccatum mortis: nequaquam pro hoc dico ut oret quisquam.

17 Omnis enim iniquitas, peccatum est: & [5] est peccatum quod nequaquam mortis est.

18 Et novimus quòd omnis qui natus ex Deo, non peccat. Qui enim natus est ex Deo, conservat seipsum, & malus non appropinquat ei.

19 Novimus quòd ex Deo sumus, & mundus universus in malo est positus.

20 Et scimus quòd Filius Dei venit, & dedit nobis notitiam ut cognosceremus veracem, & essemus in ipso verace, in Filio ejus Jeschua Christo. Hic est Deus verax, & vita quæ est in æternum.

21 Filii mei, custodite vosipsos à reverentia simulacrorum.

Finitur epistola Juchannan Apostoli.

[a] B. Quoniam quod speramus nondum reipsa obtinemus, invocationem cum fide connectit Apostolus, quam vult ex fide proficisci, deinde ita concipi, ut nihil divinæ voluntati non consentaneum petatur: cujusmodi preces vanæ esse non possunt. [‖] *Suprà 3.22.* [b] B. Preces non tàtùm pro nobis ipsis, sed etiam pro fratribus peccantibus sunt cõcipiendæ, ne sint eis mortifera ipsorum peccata: additur tamen exceptio, peccati illius quod nunquam remittitur, sive peccati in Spiritum sanctũ, id est, universalis, & ex animo proficiscentis apostasiæ à cognita Evangelii veritate, sicut in annotationibus pluribus exposuimus. [c] Perinde est ac si diceret, Petet à Domino ut illi condonet, qui rogatus illi dabit veniam. [d] B. Occupatio, omnem quidem iniquitatem nomine peccati comprehendi, sed non idcircò desperandum, quoniam non omne peccatum est lethale, & extrà spem remedii. [‖] *Mat.12.31.mar.3.29.* [e] B. Ratio cur non omne, imò etiam cur nullum peccatum sit quibusdam lethale: quia nimirùm ex Deo sunt nati, id est, facti filii Dei in Christo: cujus Spiritu donati non serviunt peccato, neque a Satana lethaliter vulnerantur. [f] B. Unumquemque oportet universales promissiones sibi peculiariter applicare, ut certò nobis persuadeamus, nos (quum totus mundus sit natura perditus) gratis factos esse Dei filios, misso ad nos Filio ipsius Jesu Christo, à quo illustrati sumus veri Dei & vitæ æternæ notitia. [‖] *Luc.24.45.* [g] Apertissimè asseritur Christi Divinitas. [h] B. Disertè exprimit præceptum de cavendis idólis: quæ uni vero Deo opponit, ut hoc veluti sigillo totam superiorem doctrinam obsignet.

[4] Id est, Extra omnem spem veniæ: quod æterna mors necessario consequitur. quod alibi vocatur peccatum in Spiritũ sanctum in hoc & in futuro seculo irremissibile. Et est quum qui illuminatus fuit a Spiritu Dei, destinata malitia, sciens & prudens Deo ipsi, cujus cognitione donatus fuit, bellum indicit, Satanæ sequutus exemplũ. [5] Peccant quidem & graviter, etiam regenerati. sed de eo peccato hic intelligit, pro quo orandum non est. & dicit hujusmodi peccatum non cadere in regeneratum, proinde non orandũ esse pro eo.

EPISTOLA JOHANNIS APOSTOLI SECUNDA.

1 Inscribitur hæc Epistola eximiæ ac præstanti dignitate fœminæ, 4 quæ filios in Dei timore rectè educatos habebat. 6 Hanc orat ut in charitate Christiana perseveret, 7 ne in Antichristos incidat: 10 quin potius eos omnino vitet.

BEZAE INTERPRETATIO.

PResbyter [a] electæ [b] dominæ, & liberis ejus, [c] quos ego verè diligo, nec ego solus, sed & omnes qui norunt veritatem:

2 Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.

3 Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Domino Jesu Christo Filio Patris, [d] cum veritate & charitate.

4 [e] Gavisus sum valdè quòd invenerim ex filiis tuis qui syncerè incedant, [f] sicut mandatum accepimus à Patre.

5 Et nunc rogo te, domina, non ut mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus à principio, [‖] ut diligamus alii alios.

6 Hæc autem est charitas, ut incedamus secundùm mandata ipsius. Hoc est mandatum illud sicut audistis à principio, ut in eo incedatis.

7 [g] Nam multi impostores ingressi sunt in mundum, qui non profitentur Jesum Christum venisse in carne. Hic ille est impostor & Antichristus.

8 [h] [i] Attendite vos ipsos, ne perdamus quæ egimus, sed ut mercedem plenam recipiamus.

9 Quisquis transgreditur, nec manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.

10 [k] Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, [‖] ne recipite eum domum, nec Ave ei dicite.

11 Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malis.

12 Quum multa haberem vobis scribenda, nolui per chartam & atramentum: sed spero *me* venturum ad vos, & [l] præsentem præsentibus loquuturum, ut gaudium nostrum sit completum.

13 Salutant te filii sororis tuæ electæ. Amen.

[a] Electa appellativum est nomen, non proprium. [b] Eximia atque præstanti dignitate fœminæ. [c] B. Christianæ conjunctionis vinculum est vera & constans veritatis professio. [d] Cum vera cognitione, quam charitas comitetur. [e] B. Vera hæc professio posita est tum in mutua charitate quam mandavit Dominus: tum verò maximè in sana doctrina, quæ & ipsa nobis tradita est. Est enim mandatum Dei, solidum & regulæ morum & dogmatum fundamentũ & ista sunt inter se inseparabilia. [f] Prout veritas præscribit. [‖] *Joh.15.12.*

[g] B. Antichristi, personam & officium Christi oppugnantes, jam in Ecclesiam temporibus Apostolorum irrepserant. [h] B. Omnia amittit qui facit doctrinæ jacturam. [i] Circumspicite, & diligenter considerate. [k] B. Cum perversæ doctrinæ defensoribus commercium nobis esse non debet. [‖] *Rom.16.17.*

[l] Ad verb. os ad os.

EPISTOLA JOHANNIS APOSTOLI TERTIA.

1 Hospitalitatem Gaii laudat, 9 & Diotrephis ambitionem accusans, 10 Gaium monet, ut benefaciendo perseveret. 12 Postremò Demetrium commendat.

BEZAE INTERPRET.

PRESBYTER [a] Gaio dilecto, quem ego verè diligo.

2 Dilecte, in primis opto ut prosperè agas & valeas, sicut prosperè agit anima tua.

3 Gavisus sum enim valdè quū venirent fratres, & testimonio suo commendarent synceritatem tuam, prout tu syncerè ambulas.

4 Majus [b] istis gaudium non habeo, quum *videlicet* audio filios meos syncerè ambulare.

5 Dilecte, [c] fideliter agis quicquid facis erga fratres & erga peregrinos,

6 Qui testimonio suo commendârunt charitatem tuam in conspectu Ecclesiæ: quos rectè facies [d] si prosequutus fueris ut Deo dignum est.

7 Nam pro nomine ejus excesserunt ex Gentibus, nihil accipientes.

8 Nos ergo debemus recipere hujusmodi, [e] ut administri simus veritati.

9 [f] Scripsi Ecclesiæ: sed qui primatum inter eos ambit Diotrephes, non recipit nos.

10 Propterea, si venero, suggeram ipsius facinora quæ facit, verbis improbis garriens in nos: quique etiam his non contentus, neque ipse recipit fratres, & qui volunt *recipere* prohibet, & ex Ecclesia ejicit.

11 Dilecte, ne imitare quod malum est, sed quod bonum est: qui benè facit, ex Deo est, qui autem malè facit, non [g] vidit Deum.

12 Demetrio testimonium redditum est ab omnibus, & ab ipsa veritate: sed & nos testimonium perhibemus: & nostis testimonium nostrum verum esse.

13 Multa possem scribere, sed nolo per atramentum & calamum tibi scribere.

14 Spero autem fore ut statim te videam, & *tunc* coràm loquamur.

15 Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

[a] B. Exemplum Christianæ gratulationis.
[b] Sub. gaudiis.
[c] Agis ut fidelem decet.
[d] Commendat Gaio vel eos ipsos quos jam anteà exceperat, ad eum redeuntes ad procuranda Ecclesiæ negotia, vel alios quorum eadem erat conditio.
[e] Ut & ipsi aliquid conferamus ad veritatis prædicationem.
[f] B. Ambitio & avaritia duæ pessimæ pestes (præsertim in iis qui Ecclesiasticum aliquod munus sustinent) in Diotrephis persona damnantur.
[g] Non novit.

EPISTOLA JUDAE APOSTOLI CATHOLICA.

3 Admonet pios ut sibi caveant ab eo hominum genere, 4 qui ex Christi gratia lasciviendi praetextum capiant. 5 quos non impunè laturos ejus gratiæ contemtum, 6. 7 tribus exemplis demonstrat, 14 & vaticinium Enoch profert. 20 Modum denique piis ostendit, quo omnes eorum machinas disjicere queant.

BEZAE INTERPRET.

JUDAS Jesu Christi servus, [a] frater autem Jacobi, vocatis, [b] à Deo Patre santificatis, & Jesu Christo [c] servatis:

2 Misericordia vobis & pax & charitas multiplicetur.

3 [d] Dilecti, quum omne studium adhibeam ut scribam ad vos [e] de communi salute, necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos ut [f] decertetis pro fide quæ [g] semel tradita est sanctis.

4 [h] Nam subrepserunt quidam homines, priùs jam olim descripti ad hanc damnationem, [i] impii, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam, & solum illum herum Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum negant.

5 [k] Volo autem vos *istorum* commonefacere, ut qui semel hoc sciatis, Dominum, quum populum ex Ægypto liberasset, rursus [‖] eos qui non credebant perdidisse.

6 [l] [‖] Et Angelos qui non servârunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservasse.

7 [‖] Sicut Sodoma & Gomorrha & his finitimæ civitates simili modo atque [m] ille scortatæ, & [n] carnem alteram sectatæ, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes.

8 Similiter tamen & isti [o] sopiti carnem

[a] Ut distinguatur ab Iscariote.
[b] Per Deum Patrem.
[c] Sepositis æterno Dei consilio, qui Christo traderentur custodiendi.
[d] B. Scopus hujus epistolæ, in qua pios adversus profanos quosdam, & in sana doctrina & in rectis moribus confirmat.
[e] De iis quæ ad nostram omnium salutem spectant. [f] Pro viribus tueamini fidem, sana scilicet doctrina & vitæ exemplis. [g] Quæ ita semel tradita est, ut posteà nunquam sit immutanda. [h] B. Non temerè sed ex Dei providentia fit ut nonnulli perditi in Ecclesiam irrepant.
[i] B. Hoc primùm in istis damnat, quòd ex Dei gratia captarent lasciviendi prætextum: quod fieri non potest quin Christo summum imperium abrogetur, quum ejusmodi homines Satanæ se addicant, ut hodie facit Anabaptistarum secta, quos libertinos vocant.
[k] B. Proponit horrenda supplicia eorum qui gratia Dei sunt abusi, ut suis cupiditatibus obsequerentur.
[‖] *Nu.* 14.37. [l] B. Angelorum lapsus severissimè punitus: quanto magis homines perfidos ulciscetur Dominus. [‖] 2. *Pet.* 2.4. [‖] *Gen.* 19.24. [m] Sodomæ & Gomorrhæ vestigia sequutæ. [n] Sic adumbrat prodigiosas libidines. [o] Perinde stolidi & rationis expertes ac si altissimo veterno sensus omnes haberent sopitos,

quidem polluunt. p q dominatum vero rejici-
unt, & dignitates probris incessunt.
9 r At Michaël archangelus, quum ad-
versus diabolum certans, disceptaret de cor-
pore Mosis, non ausus est illi impingere
notam maledicti, sed dixit, Increpet te Do-
minus.
10 s At isti, quæcumque non noverunt,
vituperant: quæcumque verò naturaliter, ut
animantia rationis expertia, sciunt, in iis sese
corrumpunt.
11 t Væ ipsis: nam viam ‖ Cain ingressi sunt,
& deceptione mercedis, qua deceptus fuit ‖ Ba-
laam, effusi sunt, & ‖ contradictione Core pe-
rierunt.
12 u Hi sunt in agapis vestris maculæ, dum
vobiscum x epulantur, y absque ullius metu
seipsos pascentes, ‖ nubes aqua carentes, ven-
tis circumactæ, arbores emarcidæ, infrugiferæ,
bis emortuæ, eradicatæ:
13 Undæ maris efferatæ, despumantes sua
ipsorum dedecora, stellæ erraticæ, quibus z ca-
ligo tenebrarum in æternum servata est.
14 Prophetavit autem etiam de istis septi-
mus ab Adam Enoch, dicens, Ecce, a venit Do-
minus cum sanctis millibus suis,
15 Ut ferat judicium adversus omnes, & re-
darguat quicumque ex ipsis sunt impii, de factis
omnibus quæ impiè patrârint, déque omnibus
duris quæ loquuti fuerint adversus ipsum pecca-
tores impii.
16 Hi sunt murmuratores, queruli, in cupi-
ditatibus suis incedentes: & ‖ quorum os loqui-
tur prætumida, admirantes personas utilitatis
gratia.
17 b Vos autem, dilecti, memores estote ver-
borum quæ prædicta fuerunt ab Apostolis Do-
mini nostri Jesu Christi,
18 Quòd *videlicet* dixerunt vobis, ‖ in extre-
mo tempore futuros irrisores qui in impiis suis
cupiditatibus incederent.
19 c Hi sunt qui seipsos segregant, animales,
Spiritum non habentes.
20 Vos autem, dilecti, sanctissimæ vestræ fidei
superstruentes vos ipsos, per Spiritum sanctum
orantes,
21 Vos ipsos in charitate Dei conservate, ex-
spectantes misericordiam Domini nostri Jesu
Christi in vitam æternam.
22 d Et alios quidem habito delectu com-
miseramini:
23 Alios verò e terrore servate, ex flamma
rapientes: odio habentes f vel eam tunicam
quæ à carnis contactu sit maculata.
24 g Cæterùm ei qui potest vos servare à
lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ
suæ inculpatos cum exsultatione:
25 *Id est*, soli sapienti Deo Servatori nostro,
gloria *esto* & magnificentia, robur & potestas, &
nunc & in omnia secula. Amen.

p B. Alterum istorum dogma perniciosissimum, quòd magistratuum auctoritatem etiam cum conviciis tollebant, ut hodiè Anabaptistæ.

q Magis est dominatum aspernari, quàm Dominos, id est, rem ipsam quàm personas.

r B. Argumentum à comparatis, Michaël ex præcipuis Angelis unus Satanam, quamvis exsecrabilem, contentus fuit judicio Dei coërcendum tradere: & istos homunculos perversos non pudet potestates à Deo ordinatas conviciis incessere.

s B. Conclusio, istos duplici scelere teneri, nempe audacissimæ inscitiæ in quibusdam damnandis, & impudentis contemtus ejus cognitionis quam quum essent adepti, non aliter tamen quàm bruta rationis expertia vivebant, ventri nimirum servientes. t B. Prædicit eorum exitium, quoniam Cainum impudenti malitia, Balaamum turpi avaritia, Core denique factioso & ambitioso ingenio referant. ‖ *Gen.* 4 8. ‖ *Num.* 22.23. 2.*Pet.* 2.15. ‖ *Num.* 16.1. u B. Aliis multis epithetis tum sordes & petulantiam eorumdem, tum verò maximè inanem eorum grandiloquentiam & vanissimum fastum gravissimè insectatur gravissima comminatione adjuncta, ex Enochi antiquissima prophetia de futuro judicio. x Agapæ erant fraterna Ecclesiastici cœtus convivia, quæ describuntur à Tertulliano in Apologet. cap. 39. y Impudenter & absque ulla vel Dei vel Ecclesiæ reverentia. ‖ 2.*Pet.* 2.17. z Densissimæ tenebræ. a Præteritum futuri loco Heb. more.

‖ *Psal.* 17.20.

b B. Prædictus est istiusmodi monstrorum exitus, ne rei novitate percellamur.

‖ 1.*Tim.* 4.1. 2.*Tim.* 3.1. 2.*Pet.* 3.3.

c B. Antichristorum est sese à piis segregare, ut qui Spiritu Dei non regantur. Contra verò, Christianorum est mutuò, tum in fide tum in charitate sese sanctis precibus ædificare, tantisper dum Christi misericordia appareat ad plenam suorum salutem.

d B. Inter eos qui aberrant, hic delectus piis servandus est, ut alios leniùs tractent, alios, jam in ipsa flamma versantes, severa præsentis periculi denunciatione servare studeant: ita tamen ut sic abhorreant à malis & turpibus, ut vel levissimam eorum contagionem fugiant. e Absterrentes illos, & sancta severitate revocantes. f Hyperbole ab interdictis pollutionum Legalium sumta. g B. Commendat eos Dei gratiæ, satis declarans Dei solius esse eam ipsam quam à nobis requirit constantiam nobis præstare.

PROLEGOMENA

PROLEGOMENA

IN APOCALYPSIN JOANNIS.

QUIA de hujus libri auctoritate jampridem nonnulli dubitârunt, paucis diluam argumenta quæ in hanc partem adferri solent: deinde quid mihi videatur exponam. Argumenta verò citabo uti sunt ab Erasmo studiosè ac diligenter collecta: cujus quidem adeò varium mihi videtur in hoc argumento (ut in multis aliis) judicium fuisse, ut quid statuerit, non facilè judicare possis: nisi quòd eò tandem videtur inclinare, ut existimet aliquam esse quidem hujus libri auctoritatem, sed non eam tamen quæ sit reliquorum qui sine controversia sunt recepti. Audiamus ergo quid dicat. Testatur, inquit, divus Hieronymus, Apocalypsin ætate sua non fuisse receptam à Græcis. Dorotheus Tyri episcopus ac martyr, in compendio vitarum, tradit Johannem in Patmo insula Evangelium suum scripsisse, hujus autem libri non meminit. Athanasius Græcus in suo catalogo non affirmat hoc opus esse Johannis. Dionysius Alexandrinus, cujus verba citat Eusebius libr. 7. Ecclesiasticæ historiæ, librum existimat ab alio quopiam Johanne viro sancto scriptum. Eusebius ipse ita citat hunc librum aliquot locis, ut Johanni non sine exceptione tribuat. Idem Caium quemdam orthodoxum citat libro tertio, qui à Cerintho hæretico scriptum dicat. Hoc sit primum argumentum: ad quod ita respondeo, Si spectetur quibus rationibus permoti sint nonnulli ad hunc librum repudiandum, tum demum facilè appariturum quàm immeritò istud fecerint. Deinde sicut à quibusdam fuit repudiatus, ita fuisse à plerisque receptum, adeo quidem ut Epiphanius illos à quibus rejiciebatur, apertè inter hæreticos recensuerit: ut interim omittam antiquissimos scriptores, Justinum philosophum, & Irenæum Lugdunensem episcopum, martyrem utrumque, non modò illum comprobasse, sed etiam commentariis illustrasse. De Dorotheo quod affertur nihil habet momenti, qui suo tantùm silentio videatur hunc librum rejecisse. De Athanasio, suspectum esse titulum Erasmus ipse annotavit. De Dionysio mox viderimus, quum ipsius rationem expendemus. Caium (quicumque tandem is fuerit) vel ipsius Dionysii verbis refuto, quæ scripta sunt libro Ecclesiasticæ historiæ tertio. Eusebium autem sanè nihil moror, in quo docti omnes judicium in plerisque scriptis requirunt. Nunc ad alterum argumentum veniamus. Scribit, inquit, Hieronymus quosdam eruditissimos viros totum hoc argumentum multis convitiis fuisse insectatos, quasi nihil haberet Apostolicæ gravitatis, sed vulgatam tantùm rerum historiam figurarum involucris adumbratam. Deinde nec in sententiis esse quicquam Apostolica gravitate dignum. Ad hoc ita respondeo, Quicumque tandem isti eruditissimi viri fuerint, magnam eos reprehensionem mereri in eo quòd convitiis ausi sint eum librum exagitare qui sanè sit brevissimus, si ea demas quæ ad verbum ex Prophetis sunt exscripta. Longè aliter Basilius, Gregorius, Cyrillus, Epiphanius, Irenæus, Hippolytus, ut Aretas testatur, qui hunc librum non modò (ut Dionysius Alexandrinus) putârunt à sancto viro scriptum esse, sed apertè etiam Johanni Apostolo vendicârunt: nunquam id certè facturi si nulla gravitatis Apostolicæ vestigia in eo animadvertissent. Utros verò pro eruditioribus habebimus? an istos quorum & singularis pietas & summa eruditio testata est plurimis ipsorum monimentis: an illos potiùs quorum ne nomina quidem apparent: argumenta verò satis indicant quàm meritò eruditissimi appellentur? Negant in hoc scriptore ullam apparere gravitatem, quum tamen penè omnia ex Prophetis ad verbum descripserit. Dicunt eum complecti vulgatam rerum historiam. Id verò qui potest in eo verum esse qui (si admodum pauca excipias) res præteritas non narret, sed futuras prænunciet? Ista igitur non modò vera non sunt, sed ne verisimilia quidem. Ad tertium argumentum accedamus. Hic, inquit, solicitè suum nomen inculcat, perinde quasi syngrapham scriberet, non librum: idque non solùm præter morem Apostolorum, verùm multo magis præter suum morem, qui in Evangelio multo modestiora narrans, non exprimit tamen usquam suum vocabulum, sed notulis indicat, Discipulus ille quem diligebat Jesus. Et Paulus coactus referre de visionibus suis, rem sub alterius exponit persona. At hic tam arcana cum Angelis colloquia describens, quot locis inculcat, Ego Johannes? Hæc est ratio quæ Dionysium Alexandrinum impulit ut ab alio aliquo Johanne scriptum hunc librum arbitraretur. At, quàm hoc est infirmum & imbecille! Non animadverterunt qui sic sentiunt, aliud esse historiam, aliud prophetiam scribere. Nam historiæ veritas aliunde potiùs quàm à scriptore pendet: in prophetia verò, quia res futuræ prædicuntur, nulla nisi revelantis & annunciantis auctoritate innixæ, quis non videt hoc requiri in primis ut unde tandem illarum prædictio emanet, quis patefecerit, quis scripserit, intelligamus? Ideo videmus non modò in prophetiarum initiis, sed etiam in singulis penè visis, nihil æquè solicitè adscribi atque Dei dictantis & Prophetæ scribentis nomen. Exemplo sit vel unus Jeremias, qui minimum centies vicies nomen suum inculcat. Ita enim omnino faciendum erat, ne latebras quærere videretur, ut pseudoprophetæ solebant. Quid verò? apud Danielem à capite septimo ánnon penè singulis versiculis repetitur אני דניאל [ani Danijel] Ego Daniel? Esaias autem quoties Esaiam filium Amos inculcat? Atqui Johannes hoc non consuevit in Evangelio. Fateor: nam historiam scribebat, in qua illi accidit quod nulli ex aliis discipulis, ut ipse de se multa dicere cogeretur. At Paulus etiam ipse hoc non fecit. Certè non fecit eo in loco in quo suas visiones ex professo tractabat: sed quum sui muneris præstantiam asserit, quàm altè, quàm magnificè sese Paulum illum esse dicit non ab hominibus, neque per homines, sed à Jesu Christo designatum Apostolum? Quid? quum sua illa certamina prædicat, an personam alienam assumit? Sed aliquid etiam amplius consideremus. Johannis nomen in toto hoc opere (nisi me calculus fefellit) quinquies tantùm reperitur: & illud ego Johannes, tribus tantùm locis, nempe cap. 1. 9. addita tamen explicatione, quæ una ad omnem amoliendam arrogantiæ suspicionem satis superque sufficit. Item, 21. 2. & 22. 8: quibus locis simpliciter tantùm commemorat quid viderit, ut de visionis fide dubitari non possit. Ergo (ut paucis hoc argumentum absolvam)

absolvam) ratio illa Dionysii non modò futilis est, sed etiam imperitiam arguit, atque adeò plena est calumniæ: imò verò (quod ingenuè & sine ulla malevolentia à me dici Deus testis est) nimium inconsiderata est vox ista, hunc scriptorem perinde suum illud Ego Johannes inculcare, acsi syngrapham, non librum scriberet. Accedo ad quartum argumentum. In Græcis, inquit, quos viderim exemplaribus, non erat titulus Johannis Evangelistæ, sed Johannis theologi. Atqui vel hic titulus eam Johanni Evangelistæ vendicat, quem nemo ignorat κατ' ἐξοχὴν fuisse Theologum à veteribus appellatum: quòd de Christi divinitate nemo unquam hominum apertiùs aut diviniùs scripserit. Alter autem ille Johannes quem ego sanè suppositium esse suspicor, non Theologus, (quo cognomento nihil dici potest augustius) sed presbyter dicebatur. Venio tandem ad styli dissimilitudinem, quam Dionysius ille Alexandrinus tribus argumentis confirmat, ut refert Nicephorus Ecclesiast. historiæ lib.6.cap.23. Primùm ex tota orationis indole ac ductu. Deinde quòd quum Evangelio & epistolæ Johannis catholicæ multa sint communia, hic liber ne syllabam quidem ullam habeat cum eis communem. Postremò, quòd quum sermonis etiam dono excelluerit Johannes, alicubi hic noster rusticis barbarismis & solœcismis utatur. At ego primùm omnium respondeo, istam styli dissimilitudinem minimè esse admirandam in tam dissimili argumento. Nam in Evangelii historia, & in Epistolis, quamvis impulsu Spiritus sancti, tamē ex suo sensu loquitur: hìc audita & dictata excipit. Illic partim narrat rem gestam, partim docet: hìc de rebus futuris agit, & quidem præscriptis verbis: & miramur eum non iisdem uti sententiis? imò quis unquam hanc legem cuiquā scriptori præscripsit? Quid quòd pleraq; ipsis superiorū Prophetarum (putà Ezechielis, Danielis, Zachariæ, Esaiæ, & aliorum) verbis illi dictantur, ab eodem illo Spiritu nimirū qui quondam per illos hæc eadem erat loquutus? Itaq; mirū nemini videri debet quòd non ita culto sermone utatur, ut qui à Prophetarū, qui Hebraicè scripserunt, ne verbis quidē, nedum charactere, discedere voluerit: quo minus sanè suspicari par est quicquā hìc cōmentitiū Ecclesiæ obtrudi. Falsū autem esse quod ait ille, hunc librū ne syllabam quidē habere cōmunem cum Johannis Evāgelio, apparet saltē ex collatione cap.1.7, cum Joh.19.37. Superest ultimū argumentum, nempe quòd videatur hic liber favere Chiliastarum hæresi, quo nomine nonnulli adducti sunt ut hoc opus à Cerintho editū sub Apostoli nomine putârint. Ego verò, ut concedā Chiliastas nonnullis ex hoc libro testimoniis esse abusos, idcircò tamen hæretico tam impuro librum hunc esse tribuendū absit ut concedam, nisi locos illos aliter accipi commodè non posse quispiā ostenderit: alioquin quem tandem librū admittemus? Aliter autem accipiendos esse doctissimi viri jampridem indicârunt: ut huic libro idem planè acciderit atq; Epistolæ ad Hebræos, quam nonnulli pertinacissimè repudiârunt, quòd facere pro Novatianis videretur: quum ipsi potiùs seipsos debuerint accusare. Deinde, quæso, quum alia præterea fuerint Cerinthi deliria, ut qui Deum esse mundi conditorē negârit: Christū ex Maria ac Josepho cæterorum hominum more genitum docuerit: Christum & Jesum ut distinctas personas separârit: cur non etiam hæc sua dogmata huic libro aspergeret? Atqui tantum abest ut hoc faciat, ut è contrario adversus illos errores certa ex hoc libro testimonia peti possint: ut à Cerintho ista proficisci non potuisse, vel ex una ista ratione satis appareat. Quid verò quòd ubi de mille annis loquitur, nihil eorum narrat de quibus Cerinthus tam impiè garriebat? Ubi enim luxus ille? ubi cibus & potus? ubi nuptiæ & joci? ubi sacrificia & dies festi Hierosolymis celebrandi? Ergo vanum ac futile est hoc argumentum. Quæ quum ita se habeant, quamvis non censuerim quidem ego pertinaciùs de scriptoris nomine litigandum, tamen Johanni Apostolo potiùs quàm cuiquam alii hunc librum tribuerim. Nam præterquam quòd vetustissimum esse constat, & ex veteribus doctissimi & religiosissimi quique, Johannis Apostoli esse non dubitârunt, his etiam conjecturis ducor, quòd illis temporibus non videam cui tandem alii tantæ majestatis plenæ prophetiæ, tamque augustum Theologi nomen, tribui potuerint: deinde, quòd planè Apostolicæ sit dignitatis non uni alicui Ecclesiæ, sed Asiaticis Ecclesiis scribere: postremò, quòd quæ de insula Patmo commemorat, cum iis prorsus conveniant quæ de Johannis exsilio veteres summo consensu tradunt. Quòd si quid aliud liceret ex stylo conjicere, nemini certè potiùs quàm Marco tribuerim, qui & ipse Johannes dictus est: adeò non in verbis tantùm, sed etiam in formulis dicendi plerisque similis ac penè idem est Evangelii Marci & hujus libri character. Ad ipsum autem librum quod attinet, quamvis eum esse me agnoscam cui hæc mysteria valdè obscura videantur, tamen quum ubique videam Spiritus prophetici nomen eminere, & veterum Prophetarum non tantùm vestigia, sed sententias, ipsáque adeò verba in hoc libro agnoscam: quum manifesta & magnificentissima ubique tum divinitatis Christi, tum nostræ redemtionis testimonia in eo exstare videam: quum denique ex iis quæ prædicta sunt, nonnulla manifestè jam apparuerint, veluti quæ de Asiaticarum Ecclesiarum excidiis, & scorti illius septem montibus insidentis regno prædixit: venio in eam sententiam ut existimem Spiritum sanctum in hunc pretiosissimum librum congerere voluisse quæ ex superiorum Prophetarum prædictionibus implenda post Christi adventū supererant: ac nonnulla etiam addidisse, quatenus nostra interesse cognovit. Obscuritas in his, fateor, maxima est: sed ea minimè nova in Prophetarum (ac præsertim Ezechielis) scriptis. Deinde nostrum hoc vitium est, qui singula diligentiùs non annotamus, & quotidiana illa Dei providentiæ judicia in Ecclesiæ suæ administratione, rebus nostris privatis intenti, non consideramus. Postremò, novit Dominus quid quatenus nosse expediat, ideoque prophetiarum lucem pro sua infinita sapientia non aliter jam olim temperavit quàm Ecclesiæ utile fore præscivit. Superest igitur ut hæc mysteria sancti Dei homines cum timore ac religione, quatenus fas & utile est, scrutentur: omnes verò, sive quæ noverint, sive quæ non noverint, in hoc libro comprehensa Dei mysteria venerentur, potiùs quàm (nonnullorum more) vel irrideant, vel fanaticis suis commentis polluant.

APOCA-

APOCALYPSIS JOHANNIS THEOLOGI.

CAPUT I.

1 Indicat doctrinæ genus quod hic tractatur: 8 nempe illius qui est principium & finis: 12 Deinde septem candelabrorum & stellarum 20 mysterium explicat.

BEZAE INTERPRET.

1 ¹ ᵃ APOCALYPSIS ᵇ Jesu Christi, quam dedit ipsi Deus ut indicaret servis suis quæ oporteat fieri citò: *is* verò missam per Angelum suum, servo suo Johanni significavit:

2 Qui testificatus est sermonem Dei, & testimonium Iesu Christi, & quæcumque vidit.

3 Beatus qui legit, & *beati* qui audiunt verba prophetiæ hujus, & observant ea quæ in ea scripta sunt. tempus enim propè est.

4 ² Johannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia: Gratia *sit* vobis & pax ‖ à ³ ᶜ Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est: & à ⁴ ᵈ septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt:

5 Et à Jesu Christo, ⁵ ‖ *qui est* fidus ille testis, ‖ primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris ‖ per sanguinem suum:

6 Et *qui* fecit nos ‖ reges & Sacerdotes Deo & Patri suo: ei *sit* gloria & robur in secula seculorum. Amen.

7 ‖ Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt: & plangent coram eo ᵉ omnes tribus terræ: etiam, amen.

8 ‖ ⁶ Ego sum ᶠ A & Ω, *id est*, principium & finis, dicit Dominus, *id est*, Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est, ille *inquam* omnipotens.

9 ⁷ Ego Johannes, *qui* & frater vester *sum*, & socius in afflictione & in regno & in tolerantia Jesu Christi, eram in insula quæ vocatur ⁸ Patmos, propter sermonem Dei & testimonium Jesu Christi.

10 Fui *autem* ʰ Spiritu correptus die ⁱ Dominico, & audivi à tergo vocem magnam tamquam tubæ,

11 Dicentis, Ego sum A & Ω, primus ille & ultimus. &, Quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardibus, & Philadelphiæ, & Laodiceæ.

12 ⁸ Converti me igitur ut ᵏ viderem vocem quæ loquuta erat mecum. ⁹ Conversus autem vidi septem candelabra aurea.

13 Et in medio septem candelabrorum aureorum *quemdam* similem Filio hominis, indutum talari *veste*, & præcinctum ad mamillas zona aurea.

14 Caput autem ejus & capilli *erant* candidi ut lana alba tamquā nix: & oculi ejus ut flamma ignis.

15 Pedes autem ejus similes chalcolibano, veluti in fornace ardentes: & vox illius tamquam vox aquarum multarum.

16 Habebat autem in dextra sua stellas septem: & ex ore ejus anceps romphæa acuta prodibat: & facies ejus qualis sol in suo vigore lucet.

17 ¹⁰ Quum autem vidissem eum, cecidi ad pedes ejus veluti mortuus. ¹¹ tum imposuit mihi dextram suam, dicens mihi, Ne metue: ¹² ‖ ego sum primus ille & ultimus ille.

18 Et qui vivo, sed fui mortuus, & ecce vivo in secula seculorum. amen. & habeo claves inferorum & mortis.*

19 ¹³ Scribe quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ posthæc sunt futura.

¹ 1. Hujus capitis summæ partes duæ, ἐπιγραφὴ προοιμιαστικὴ, καὶ προδιήγησις, inscriptio vicem fungens exordii, & narratio antecedens universam prophetiam libri. Inscriptio duplex, generalis, & particularis. Generalis inscriptio genus, auctorem, finem, materiam, instrumenta, modumque communicationis, vers. 1. fidem religiosissimam Apostoli, ut testis publici, vers. 2. & usum communicationis illius comprehendit ex promissione Dei, & temporis circumstantia, vers. 3.

ᵃ B. Rerum occultarum patefactio.

ᵇ Quam Filius è sinu Patris nobis per Angelos revelavit.

² Particularis inscriptio sive singularis; qua salus dicitur certis Ecclesiis catholicam Ecclesiā figurantibus, & salutis fides veritasq; ab auctore illius demōstratur, ad versum 8. usque. ‖ *Exod.* 3.14. ³ id est Deo Patre, æterno, immortali, & immutabili: cujus immutabilitas ab Joanne Διὰ τοῦ ἀπτώτου, vel forma indeclinabili ostenditur. Nihil enim hic σόλοικον, ubi verba mysteriis contemperari, non mysteria verbis corrumpi aut minui necesse est. ᶜ Jehovæ nomen quod proprium est, præteriti, præsentis, & futuri temporis notatione significatur. ⁴ Spiritu sancto, procedente à Patre & filio; qui Spiritus persona quidem una est secundùm subsistentiam, sed communicatione virtutis suæ operúmque divinorum demonstratione in septem illas Ecclesias ita se perfectè aperit, ut si totidem essent spiritus perfectè in sua quisque Ecclesia operantes. Quapropter infrà 5.6. septem cornua & oculi dicuntur Agni, pro eo quod est, absolutissima virtus & sapientia illius: & cap. 3.1. Christus habere septem illos Dei spiritus: & cap. 4.5. septem lampades ardere coram throno ejus, quæ sunt illi spiritus septem Dei. Hæc ita accipi oportere demonstratur his modis. Nam primùm gratia & pax ab eo petitur, quod opus divinum est, & secundùm gradum divinæ majestatis planè incommunicabilis actio: tum inter Patrem & Filium recensetur, velut in eodem gradu dignitatis & operationis positus: præterea ante thronum est tamquam ὁμοούσιος, ut septem oculi & cornua Agni: item nusquam hi spiritus Deum leguntur adorare, ut omnes alii: hæc illa denique virtus est qua Agnus aperuit librum, septemque sigilla ejus resignavit, quum nemo dignus in rebus creatis inventus esset a quo aperiretur liber, infrà 5. De his ad me scitè Oxonia Joannes Luidus olim. Præponitur autem spiritus sanctus Christo, quia longiorem de Christo sermonem haberi in sequentibus oportebat. ᵈ Hi sunt Spiritus qui infrà, 5.6. Agni cornua & oculi dicuntur: eos autem adjungit Deo tamquam stipatores. ⁵ Multiplex Christi commendatio, atque gravissima: primùm ab officiis, sacerdotio, regno: secundò a beneficiis, amore nostri, & lotione per sanguinem ejus, hoc vers. & regni sui sacerdotiíque communicatione: tertiò a gloria potentiáque æterna illius, æternúmque à nobis prædicanda, vers. 6. postremò a complemento rerum omnium tandem per ipsum exhibendo in secundo adventu ejus, quo impios desolaturus palàm, & pios consolaturus est in veritate, vers. 7. ‖ *Psal.* 89.38. ‖ *Col.* 1.18. 1. *Cor.* 15.21. ‖ *Hebr.* 9.14. 1. *Pet.* 1.19. 1. *Joh.* 1.9. ‖ 1. *Pet.* 2.5. ‖ *Esa.* 3.14. *Matth.* 24.30. *Jud.* 14. ᵉ Omnes homines.

‖ *Infrà* 21.6. & 22.13.

⁶ Confirmatio salutis præcedentis à Dei ipsius verbis: qua suam operationem in res creatas singulas, æternitatem immutabilem in sese, & in omnibus suam omnipotentiam asserit, & illam trinitatem personarum quæ antè dicta est, divinitùs concludit essentiæ suæ unitate.

ᶠ Ego is sum ante quem nihil est, imò per quem factum est quicquid factum est, quique ut omnia intereant, superstes illis omnibus maneam.

⁷ Προδιήγησις, seu narratio prævia ad auctoritatem & vocationem Apostoli Joannis in singulari hac revelatione exponendam, fidemque faciendam huic Prophetiæ. Secunda pars capitis, propositione & expositione constans. Propositione autem ostenditur primùm quis, quo loco, quid agens ad hanc revelationem vocatus fuerit, vers. 9. deinde quo tempore, & quibus modis, nempe spiritu & verbo; idque die Dominico, qui dies inde à resurrectione Domini fuit Christianis ad religionem sabbathi, id est, quietis, consecratus, vers. 10. tertiò qui auctor vocans, & quæ vocationis summa, vers. 11. ⁸ Patmos una est Sporadum, in qua exulasse Johannes perhibetur. ʰ Hic explicatur sanctus ille ἐνθουσιασμὸς, quo Prophetæ correpti extra mundum peregrinabantur cum domino: sic Ezechiel sæpè dicit se translatum fuisse à Domini Spiritu, & Spiritum Domini in se incidisse. ⁱ Dominicum vocat diem quem Paulus primum hebdomados vocat, 1. Cor 16.2. ⁸ Expositio declarans tertium proximúmque propositionis locum (nam priores loci habent evidentiam) qua primùm de auctore ad versum 16. tum de vocatione ad finem cap. agitur. Ac primùm quidem occasio hoc versu traditur, quòd Joannes eò versùs sese convertisset; post verò auctoris descriptio, sequentibus. ᵏ Ut eum viderem cujus vocem audieram. ⁹ Descriptio auctoris, nimirum Christi: tum à circumstantibus candelabris, id est, Ecclesiis stantibus coram ipso & pendentibus à nutu ipsius, hoc vers. tum à proprietatibus, quòd homo sapientia & commoditate ad res agendas, vers. 13. senili gravitate & acie oculorum præstantissima, vers. 14. viribus invictis, & verbo potente instructus est. vers. 15. tum ab operationibus, quòd servorum suorum ministerium in Ecclesia regit, gladio verbi perficit, & vultu suo collustrans omnia potentissimè singulis prospicit divina providentia sua, vers. 16. ¹⁰ Religiosus metus vocationi sanctorum prævius, & confirmationi justæ ad suscipiendam vocationem Dei. ¹¹ Confirmatio divina in vocatione, partim signo partimque verbo virtutis. ¹² Descriptio vocationis elegantissima tribus rebus comprehensa ad vocationem justam necessariis: primùm auctoritate vocantis, quòd principium sit ac finis rerum omnium, hoc vers. quòd æternus, & omnipotens, vers. 18. secundò summa vocationis & revelationis propheticæ, vers. 16. postremò declaratione objecti cui hæc prophetia jussu Dei inscribitur, vers. ultimo. ‖ *Esa.* 41.4. & 44.6. ¹³ Summa prophetiæ, perscribi ab Apostolo oportere quæcunq; viderit, nihil addi aut minui, ut vers. 2. Partes autem duæ: una est narratio eorum quæ sunt, id est, quæ jam tum erant, cap. 2. & 3. altera eorum quæ futura erant, reliquo libro.

[14] res mysticè significata illis antecedentibus. [l] Angelorum nomine Ecclesiarum ministros intelligit.

20 [14] Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextra mea, & septem candelabra aurea.
Septem illæ stellæ, [l] Angeli sunt septem Ecclesiarum : & candelabra illa septem quæ vidisti,
septem Ecclesiæ sunt.

CAPUT II.

1 *Jubetur Iohannes scribere quæ Dominus necessaria noverat Ecclesiis* 2 *Ephesiorum,* 8 *Smyrnensium,* 12 *Pergamenorum,* 18 *Thyatirensium,* 25 *ut quæ ab Apostolis acceperunt, teneant.*

[1] F. Prior hæc pars libri, narratione eorum quæ jam tum erant concluditur, ut Joannes docuit suprà, 1. 19. tota est προφητικὰ, & duobus hisce capitibus locos septem continet pro numero & conditione earum Ecclesiarum, quæ nominatæ fuerunt suprà capitis 1. vers. 11. figuratæ ṽ. 12. & distributæ convenientissimè in Pastores & greges, vers. 20. qui versus ad hāc partem est μεταβατικός. Singulis autem locis tres summæ sunt partes : Exordium, à persona auctoris: Propositio, in qua boni laus & prædicatio, mali reprehensio, & institutio hortationem continens, aut etiam contrariam ei dehortationem: & Conclusio attentionem excitans divinis planè promissionibus. Atque hic primus locus, ad Pastores Ecclesiæ Ephesinæ. [2] Exordium. in quo Iesu Christi auctoris ellogia ex vers. 16. & 13. capitis 1. [3] Propositio laudis, vers. 2. & 3. reprehensionis, vers. 4. & institutionis, adjuncta comminatione transportandæ aliò Ecclesiæ, vers. 5. Hanc verò comminationem Christus ἐπιθεραπεύεται & lenit quasi correctione quadam, quum singulare bonum pietatemq; illius Ecclesiæ recordatur, cui pietati nunquā non retribuit Deus, vers. 6. De Nicolaitis autem videndum infrà in versum 15. [a] B. Quod tecum expostulem. [4] Conclusio, mandatum attentionis, & promissionem vitæ æternæ continens symbolo figuratæ, de quo Gen. 2. [5] id est, in paradiso. Hebraismus. [b] Sic Christus loquitur, nempe ut mediator. [6] Secundus locus, ad Pastores Smyrnæos. Exordium autem sumtum est ex vers. 17. & 18. capitis præcedentis. [c] Smyrna una fuit Jonicarum civitatū in Asia. [7] Propositio laudis, hoc vers. & hortationis cum promissione junctæ, vers. seq. [8] id est, annorum decem. Sic enim plurimùm hoc in libro, ut etiam apud Danielem anni dierum appellatione designantur, ut definitum sibi spatium, idque perbreve, ostendat Deus. Cùm autem hunc librum Ioannes sub finem Domitiani scripserit Iustino & Irenæo testibus, omnino hæc ad presequutionem referri necesse est Trajano auctore factam. Cœpit autem ille Christianam Ecclesiam infestare decimo anno sui imperii, ut scribunt historici: duravitque persequutio cruenta hujus, donec Adrianus Cæsar successisset in locum ipsius. id autem spatiū est præcisè annorum decem, qui hic positi sunt. [9] Conclusio ut suprà ver. 7. [10] Vide infrà, 20. 6. [11] Tertius locus, ad pastores Pergamensium. Exordium autem ductum est ex versu, 16. cap. præcedentis. [d] Pergamū celeberrimæ olim verbis in Asia nomen, Attalicorum regum sedes. [12] Propositio laudis, hoc versu : reprehensionis, duobus seq. & hortationis, adjuncta hypothetica cōminatione vers. 16. Fuit autem Antipas ille Angelus sive Minister Christi in Ecclesia Pergamensiū, ut scribit Aretas.

1 [1] Angelo Ephesinæ Ecclesiæ, [2] Hæc dicit qui
tenet septem illas stellas in dextra sua, qui
ambulat inter septem illa candelabra aurea:
2 [3] Novi opera tua, & laborem tuum & tolerantiam tuam, & quòd non possis ferre malos : &
explorâris eos qui se dicunt Apostolos esse, &
non sunt, & comperisti eos *esse* mendaces.
3 Et onere pressus fuisti, & sustines : & propter nomen meum laborasti, & non es defatigatus.
4 Sed habeo *aliquid* [a] adversum te, quòd
charitatem tuam primam omiseris.
5 Memor esto itaque unde excideris, & resipisce, & priora opera facito: sin minus, veniam
adversum te citò, & movebo candelabrum tuum
à loco suo, nisi resipueris.
6 Sed hoc habes quòd odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.
7 [4] Qui habet aurem, audiat quid Spiritus
dicat Ecclesiis. victori dabo edere ex arbore illa
vitæ quæ est [5] in medio [b] paradisi Dei.
8 [6] Angelo verò [c] Smyrnæorum Ecclesiæ
scribe, Hæc dixit primus ille & ultimus, qui fuit
mortuus, & vivit:
9 [7] Novi opera tua & afflictionem & paupertatem, (sed dives es) & blasphemiam eorum
qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed synagoga Satanæ.
10 Nihil eorum metue quæ passurus es: ecce,
futurum est ut conjiciat diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut exploremini: & habebitis afflictionem [8] dierum decem. esto fidelis usque ad
mortem, & dabo tibi coronam vitæ.
11 [9] Qui habet aurem, audiat quid Spiritus
dicat Ecclesiis, Qui vicerit, nequaquam lædetur
à [10] morte secunda.
12 [11] Angelo verò [d] Pergamensis Ecclesiæ
scribe, Hæc dicit qui habet gladium illum ancipitem, acutum illum:
13 [12] Novi opera tua, & ubi habites, *nempe* ubi
thronus est Satanæ, & *quòd* teneas nomen meum, neque negasti fidem meam, [e] etiam iis diebus quibus Antipas martyr ille meus fidelis trucidatus est apud vos, ubi Satanas habitat.
14 Sed habeo adversum te pauca, quòd habeas istic qui teneant doctrinam [ǁ] Balaam, qui
docebat Balacum objicere offendiculum coram
filiis Israëlis, ut [f] ederent ex iis quæ simulacris
erant immolata, & *ut* scortarentur.
15 Ita habes etiam tu qui teneant doctrinam
[13] Nicolaitarum: quod odi.
16 Resipisce: sin minùs, veniam adversum te
citò, & pugnabo cum illis gladio illo oris mei.
17 [14] Qui habet aurem, audiat quid Spiritus
dicat Ecclesiis. Ei qui vicerit, tribuam ut edat ex
[g] Manna illo [15] abscondito: & dabo illi [h] calculum [16] album, & in calculo [17] nomen novum
scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit.
18 [18] Angelo verò Thyatirensis Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & cujus pedes *sunt* similes
chalcolibano:
19 [19] Novi opera tua & charitatem, & [i] subministrationem, & fidem, & tolerantiam tuam,
& opera tua, & ultima plura prioribus.
20 Sed habeo adversus te pauca : quòd permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetissam, docere, & seducere servos meos, ut [k] scortentur, & edant ex iis quæ simulacris immolantur.
21 Et dedi illi tempus ut resipisceret à scortatione sua: sed non resipuit.
22 Ecce, ego abjiciam eam in lectum : & eos
qui adulterium committunt cum ea, in afflictionem maximam, nisi resipuerint ab operibus suis.
23 Et filios ejus [l] interficiam morte : scientq;
omnes Ecclesiæ me esse [ǁ] scrutatorem renum &
cordium : & dabo unicuique vestrûm secundùm
opera vestra.
24 Vobis autem dico & reliquis Thyatirensibus, quicumque non tenetis doctrinam hanc, &
qui non approbastis [m] profunditates Satanæ, ut
ajunt : [n] non imponam vobis aliud onus.
25 Tamen id quod habetis, tenete quousque
veniam.
26 [20] Nam siquis vicerit, & observaverit ad
finem usque opera mea, [21] dabo ei potestatem in
Gentes:
27 [ǁ] Et reget eas virga ferrea : & tamquam
vasa fictilia conterentur, sicut & ego accepi à
Patre meo:
28 Et dabo ei [22] stellam matutinam.
29 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

[e] Amplificatur Pergamensium fides, quòd in ipso persecutionis æstu constantes fuerint. [ǁ] *Num.* 23. 14. & 25. 1. [f] Quod hîc de idolothytis agit, refertur ad eam speciem de qua agit Paulus 1. Cor. 10. 14. [13] nempe sequentium vestigia Balaami, & projectorum ad omnem libidinem, ut exposuit præcedente vers. & demonstratur hic particulâ similitudinis. Atque hæc quoque sexti vers. interpretatio. Consulēdus hac de re in primis Irenæus. [14] Conclusio hortatione, ut antè, & promisso constans. [g] Alludit ad concionem illam quæ habetur 6. Iohan. & ad locum Psal. 105. 40. [15] qui apud Deū ab æterno asservatus latet, invisibilis, & spiritualis, cælestisq; panis vitæ. [h] Hujusmodi calculum refert Aretas solitum dari athletis in certaminibus. Vel quod calculi albi olim essent indicantes absolutionem. [16] Symbolum testemque absolutionis & remissionis peccatorum, justitiæ, sanctimoniæ veræ, & puritatis incorruptæ, exstincto vetere homine. [17] symbolum & index novitatis vitæ in justitia & sanctimonia veritatis, induto novo homine, quem nemo novit intùs nisi spiritus hominis qui est in ipso, cujus laus non est ex hominibus, sed ex Deo, Rom. 2. 28. [18] Quartus locus, ad Pastores Thyatiræ. Exordium autem depromtum est ex versu 14. & 15. capitis 1. [19] Propositio laudis, hoc versu: reprehensionis, quòd illi doctrinam injustitiæ & impietatis ferrent apud se, vers. 20. cujus auctores, quamvis à Deo revocati, minimè resipiscant, vers. 21 adjuncta comminatione gravissima, vers. 22. & 23. promissionis hypotheticæ, exhortationisque ad veritatem retinendam, duobus sequentibus. [i] Sic vocat officia sanctis præstita. [k] Passim in scriptura nomine scortationis intelligitur idololatria. [l] Pleonasmus Hebraicus, cujus tamen maxima est emphasis, ut Latinè dicimus internecione delere. [ǁ] 1. *Sam.* 16. 7. *Psal.* 7. 10. *Jer.* 11. 20. & 17. 10. [m] Notat ostentationem aliquorum qui jactarent profundam, id est, copiosam atque vulgarem scientiam suam, quæ tamen esset Satanica. [n] Adversum vos nihil gravius denunciabo, contentus vobis significare quid in vobis requiram. [20] Conclusio : qua Christus spondet servis suis communionem regni gloriæque suæ, hoc & sequente vers. piamque attentionem imperat, vers. ultimo. [21] id est, efficiam eum regem in communione mea, & cohæredem meum : quemadmodum promittitur, Matth. 19. 28. & 25. 34. Rom. 8. 17. & 1. Cor. 6. 3. Ephes. 2. 6. & 2. Tim. 2. 12. & infrà 3. 21. & 4. 4. [ǁ] *Psal.* 2. 9. [22] Lucem gloriæ & honoris summi, luci Christi, qui sol justitiæ est & caput nostrum, conjunctissimam.

CAPUT

CAPUT III.

1 *Sequitur epistola quinta ad pastores Eccl. Sardiensium,* 7 *Philadelphiensium,* 14 *& Laodicensium,* 16 *ne tepidi sint,* 20 *sed gloria Dei promovendæ operam dent.*

1 ¹ ANgelo autem Ecclesiæ quæ est ª Sardibus scribe, Hæc dicit qui habet septem illos Spiritus Dei, & septem illas stellas : ² Novi opera tua; *nempe* ᵇ quòd dicaris vivere, sed mortuus sis.

2 Esto vigilans, & confirma ᶜ reliqua moribunda : non enim inveni opera tua plena coram Deo.

3 Memento igitur quæ acceperis & audieris : & observa *illa*, & resipisce. Quòd si non vigilaveris, veniam adversùm te ᴮ tamquam fur, neque intelliges qua hora veniam adversùm te.

4 Habes *tamen* aliquot capita etiam Sardibus ³ quæ non inquinârunt vestimenta sua, ideóque incedent mecum ⁴ albati : ᵈ digni enim sunt.

5 ⁵ Qui vicerit, amicietur vestimentis albis: neq; unquam delebo nomen ejus ex ᴱ libro vitæ, sed agnoscam nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.

6 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

7 ⁶ Angelo verò Philadelphiensis Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Sanctus & verax ille, qui habet ᵉ clavem Davidis : qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:

8 ⁷ Novi opera tua: ecce, proposui tibi ostium apertum, nec quisquam potest claudere illud : quia nonnullam habes virtutem, & observasti sermonem meum, neque abnegasti nomen meum.

9 Ecce, ᶠ præbebo eos qui sunt ex synagoga Satanæ, *id est* eorum qui dicunt se Judæos esse, nec sunt, sed mentiuntur : ecce, *inquam*, faciam ut ipsi veniant & ⁸ adorent ante pedes tuos, & sciant quòd ego dilexi te:

10 Quoniam ᵍ servasti sermonem tolerantiæ meæ, ego quoque te servabo ex tempore tentationis, quod venturum est in orbem universum, ad explorandos incolas terræ.

11 Ecce, venio citò : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

12 ⁹ Qui vicerit, faciam ut is sit columna in templo ʰ Dei mei : nec foras egredietur ampliùs : & ¹⁰ inscribam ei nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, *id est* novæ Hierusalem, quæ descendit è cælo à Deo meo, & nomen meum novum.

13 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

14 ¹¹ Angelo verò Laodicensium Ecclesiæ scribe, Hæc dicit ⁱ Amen, testis ille fidelis & verax, ᵏ principium opificii Dei:

15 ¹² Novi opera tua, *nempe* te neque frigidum esse, neque fervidum : utinam frigidus esses aut fervidus.

16 Itaque, quoniam tepidus es, nec frigidus nec fervidus, futurum est ut te evomam ex ore meo.

17 Nam dicis, Dives sum, & ditatus sum, & nullius egeo: Neque nosti te esse ærumnosum, & miserabilem, ¹³ & pauperem, & cæcum, & nudum.

18 Suadeo tibi ut emas à me aurum igni exploratum, ut dives fias : & vestimenta alba, ut induaris, nec appareat dedecus nuditatis tuæ : & collyrio inungas oculos tuos, ut videas.

19 ᴵ Ego, quoscunque amo, arguo & castigo. ˡ Ferve igitur & resipisce.

20 Ecce, sto ad ostium, & pulso : ¹⁴ siquis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.

21 ¹⁵ Qui vicerit, tribuam ei ut sedeat mecum in throno meo, ut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus.

22 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

¹ 1. Quintus locus, ad pastores Sardios. Exordiû autem ex vers. 4. & 16. capitis 1. petitum est.
ª 1. Sardis florentissimæ & celeberrimæ urbis nomen, Lydorum regis sedes.
² Propositio reprehensionis, hoc vers. exhortationis, adjuncta comminatione, duobus sequentibus, & ἐπιθεραπείας per modum correctionis, ad bonorum, qui illic erant reliqui, consolationem vers. 4.
ᵇ Nomine vivis, sed revera es mortuus.
ᶜ Cætera, quorum ea est conditio, ut jam laborent, mox nisi confirmentur, interitura.
ᴮ *Infr.* 16. 15. 1. *Thess.* 5. 2. 2. *Petr.* 3. 10.
³ id est, quæ à peccato, & contagione, adeóque specie ipsâ peccati caverunt sibi religiosissimè, ut hortatur Judas vers. 23.
⁴ Puri ab omni labe, splendentesq; gloria, synecdochicè. sic deinceps passim, ut proximè sequente vers.
ᵈ Idonei scilicet, quia in Christo justificati fuerût, quod reipsa comprobârunt: justus enim est qui justitiam facit, sed ita ut arbor fructum gignat. vide Rom. 8. 18.
⁵ Conclusio, ex promissione, & mandato constans: ut antè.
ᴱ *Infr.* 20. 12. & 21. 27. *Phil.* 4. 3.
⁶ Sextus locus, ad pastores Philadelphienses. Exordium ex vers. 18. capitis 1. petitum est. ᵉ Potestatem omnem gubernationis, jubendo & vetando & expediendo ac coërcendo. Est autem domus David Ecclesia, regni autem Davidici promissio perpetua, ad Christum pertinet. ⁷ Propositio laudis, hoc vers. promissionum de reducendis errantibus, vers. 9. & piis conservandis, vers. 10. hortationisq;, vers. 11. ᶠ In eum statum redigam. ⁸ id est, procidant adorantes sive te civiliter, sive Christum religiosè ante pedes tuos (atque hoc malim, ut Psalm. 99. 5.) sive hîc in Ecclesia (quod magis ad argumentum videtur pertinere) sive illic in futuro seculo. Nam omnino completurus est Christus sermonem suum. ᵍ Quia patientiam illam & constantiam præstiti, quam à meis requiro. ⁹ Conclusio, promissionem & mandatum continens. ʰ Vide supr. 27. ¹⁰ i. novus homo à Patre, matre, & capite suo Christo denominabitur. ¹¹ Septimus locus, ad Laodicenses pastores. Exordium desumtum est ex ver. 5. cap. 1. ⁱ Amen Hebræis verè seu veritatem ipsam significat.

ᵏ A quo principium ducunt omnes res conditæ.
¹² Propositio reprehensionis, hoc vers. adjuncta comminatione, vers. 16. & confirmatione exegetica illius, vers. 17. hortationisq; ad fidem & resipiscentiam, vers. 18. & 19. adjuncta promissione hypothetica, vers. 20.
¹³ Miseria spiritualis hominum tribus attributis metaphoricè exprimitur : quibus ex adverso respôdent illa remedia quæ exhibentur sequente versu.
ᴵ *Pro.* 3. 11. *Heb.* 12. 5.
ˡ Zelus opponitur iis qui nec calidi nec frigidi.
¹⁴ Allegoricè, ut Joann. 14. 23.
¹⁵ Conclusio, ex promissione, ut supr. 2. 26. & hortatione constans. Hactenus prior pars libri Apocalypseos.

CAPUT IIII.

1 *Alia narratur visio* 3 *divinæ majestatis gloriam continens:* 8 *quæ à quatuor animalibus,* 10 *& vigintiquatuor senioribus celebratur.*

1 ¹ POsteà vidi, & ecce, ostium *erat* apertum in cælo : & vox prima quam audiveram tamquam tubæ loquentis mecum, dicebat, Ascende huc, & ostendam tibi quæ oporteat fieri posthac.

2 ² Statim igitur fui ª correptus spiritu : ³ & ecce thronus positus erat in cælo : & *quidam* throno insidebat.

3 ⁴ Is autem qui sedebat, aspectu similis erat lapidi jaspidi & sardio : & in circuitu throni erat iris aspectu similis smaragdo.

4 ⁵ Et in circuitu throni, erant throni viginti quatuor : & super eos thronos vidi viginti quatuor Seniores sedentes, amictos vestibus albis, & habentes impositas capitibus suis coronas aureas.

5 ⁶ Prodibant autem ex illo throno fulgura & tonitrua & voces : & septem lampades igneæ

¹ 1. Sequitur deinceps pars secunda libri, tota argumento προφητικῷ eorum quæ futura erant, ut dictum est supra 1. 19. Hæc autem in duas historias distinguitur : unam, communem totius mundi, ad caput 9. usque: alteram, singularem Ecclesiæ Dei, ad caput 22. usque. atque hæ historiæ singulis libris descriptæ fuisse dicuntur, cap. 5. & 10. Primus verò hic versus à præcedente ad secundam hanc partem est μεταβατικὸς sive transitivus : ubi apertum cælum, id est, res cælestes reseratæ dicuntur, & vox tamquam tubæ clanxisse è cælo quæ Apostolum excitaret, & ad rerum futurarum comprehensionem advocaret. Tum prioris historiæ partes sunt duæ : quarum una est de causis factorum & totius revelationis, hoc & sequent. cap. altera, de factis, quatuor sequentibus. Causarum autem principalium secundùm distinctionem personarum in unitate essentiæ Dei, & secundùm οἰκονομίαν vel dispensationem ejus, duo sunt loci : unus, de principio, quod est ἄβατον sive inaccessum, Deus Pater, de quo hoc cap. alter, de Filio ; ut causa mediante & ad accessum facili, quà est θεάνθρωπος, cap. sequenti. ² Modus revelationis, ut supr. 1. 10. ª 1. Vide supr. 1, 10. ³ Dei Patris & gloriæ illius in cælis descriptio, facta κατ' ἄνθρωπον, ab officio, natura, circumstante corona, effectis, instrumentis, & eventis consequentibus. Est autem hoc vers. officio judex, ut Abraham dicebat Genes. 18. quod & throno velut judiciali symbolo, & sessione in throno ostenditur. ⁴ A natura : quòd Pater est tum in persona sua gloriosissimus, tum gloria sua circumfundens cætera. ⁵ A circumstante corona : quòd summus ille judex comitatu honorificentissimo instructus est Prophetarum & Apostolorum (quos sacerdotes & Reges effecit Christus, supr. 1. 6.) Ecclesiæ veteris & novæ. ⁶ Ab effectis : quòd & potentissimè percellit omnia voce & sermone suo, ut Psal. 29. & luce Spiritus providentiaq; sua perlustrat & pervadit ea,

ardentes ante thronum, quæ ſunt ſeptem ſpiri-
tus Dei.
6 ⁷ Erat etiam ante thronum mare vitre-
um ſimile cryſtallo: & inter thronum & quæ
thronum ambiebant, quatuor animalia plena
oculis antè & retrò.
7 Animal autem primum erat ſimile leoni,
& ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium ani-
mal habens faciem velut homo, & quartum ani-
mal ſimile aquilæ volanti.
8 Et [b] quatuor animalia ſingula per ſe ha-
bebant alas ſenas in circuitu, & intùs plena
erant oculis, [8] die ac nocte ſine intermiſſione
dicentia, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus
Deus ille omnipotens, Erat, & Eſt, & Venturus
eſt.
9 Et quum [c] tribuebant illa animalia glori-
am & honorem & gratiarum actionem ei qui
throno inſidebat, illi, *inquam*, viventi in ſecula
ſeculorum,
10 [9] Procidebant vigintiquatuor illi Se-
niores ante illum inſidentem throno, & ado-
rabant illum viventem in ſecula ſeculorum, &
abjiciebant coronas ſuas ante thronum, di-
centes,
11 [f] [10] Dignus es Domine, qui [11] accipias
gloriam & honorem & virtutem: quia tu creaſti
omnia, & per voluntatem tuam ſunt, & creata
ſunt.

7 Ab inſtrumentis: quòd & theſaurum habet paratiſſimum, & quandam velut officinam inſtructiſſimam rebus omnibus ad præſtandam voluntatem ſuam, fluentibus ex mandato ipſius, ut repetitur infrà 15. 2. & Angelos habet decretorũ placitorumq; ſuorum adminiſtros ad omneis mundi partes paratiſſimos, pervigileſq;, hoc verſ. cum ratione agentes contrà quàm inſtrumenta inanima (de quibus proximè) generoſos ut leones, fortes ut tauros, prudentes ut homines, velociſſimos ut aquilas, verſ. 7. commodiſſimos ad omnia ut alis in partem quamlibet præditos, & perſpicaciſſimos, formas denique puras in actu continuo verſanteis, verſ. 8. b Unumquodq; animalium habebat alas ſenas. 8 Ab eventis: quòd omnibus illis nominibus glorificatur Deus, tum ab Angelis, ut ſanctus, judex, omnipotens, æternus, & immutabilis, verſ. 8. tum Angelorum exemplo, à ſanctis hominibus, verſ. 9. ſigno, & ſermone, verſ. 10. & 11. c Dicitur dari Deo gloria, honor, regnum, & cætera hujuſmodi, quum celebratur pia prædicatione id quod ipſius eſt proprium. 9 Signa tria honoris divini Deo exhibiti, proclinatio, adoratio, & coronarum abjectio coram Deo; qua pii ſeſe, quamvis reges à Chriſto facti, exinaniunt ultrò, affecti religione majeſtatis Dei. f *Infr.* 5. 12. 10 Sermonis ſumma, cedi omnem gloriam Deo oportere: ratio, quia principium æternum eſt rerum omnium, à cujus voluntate ſola ſunt, reguntur q;, denique omnino ſunt quod ſunt. Atque hactenus cauſa principalis inaccesſa, Deus. 11 id eſt, tibi ſoli vindices: nos verò indigni qui participemus hanc gloriam beneficio tuo.

CAPUT V.

1 *Liber ſeptem ſigillis obſignatus*, 3 *quem nemo aperire poterat*: 6 *Agnus ille Dei*, 9 *dignus qui ipſum aperiat*, 12 *omnium cæleſtium voce decantatur*.

1 [1] DEinde vidi [2] ad dextram ejus qui inſide-
bat throno [3] librum ſcriptum intùs & à
tergo obſignatum ſigillis ſeptem.
2 Et vidi Angelum fortem, prædicantem
voce magna, Quis eſt dignus qui aperiat librum,
& ſolvat ejus ſigilla?
3 Nemo autem poterat [4] neque in cælo, ne-
que in terra, neque ſubter terram, aperire li-
brum, neque eum inſpicere.
4 Flebam igitur ego multùm, quod nemo
dignus inventus eſſet qui aperiret & legeret li-
brum, nec qui eum inſpiceret.
5 [5] Tum unus ex Senioribus illis dicit mihi,
Ne fleto: ecce, [a] vicit [6] Leo ille ex tribu Juda,
ſtirps illa Davidis, ut aperiat librum, & ſolvat
ſeptem ejus ſigilla:
6 Aſpexi igitur, & ecce [7] inter thronum &
quatuor illa animalia & inter Seniores illos, A-
gnus ſtans tamquam mactatus, habens cornua
ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem illi
Spiritus Dei emiſſi in omnem terram.
7 [8] Is venit & accepit librum ex dextra illi-
us throno inſidentis.
8 [9] Quumq; accepiſſet librum, quatuor illa
animalia & viginti quatuor illi Seniores proci-
derunt coram Agno, habentes ſinguli [10] cithа-
ras & phialas aureas plenas ſuffituum, quæ ſunt
[b] preces ſanctorum.
9 Et cecinerunt canticum [11] [c] novum, di-
centes, [12] Dignus es qui accipias librum, & a-
perias ejus ſigilla: quoniam mactatus es, & re-
demiſti nos Deo per ſanguinem tuum, ex omni
tribu, & lingua, & populo, & natione:
10 [f] Et feciſti nos Deo noſtro reges & ſacer-
dotes: & regnabimus ſuper terram.
11 [13] Tum aſpexi, & audivi in circuitu thro-
ni & animalium & ſeniorum illorum vocem
Angelorum multorum, [14] [f] & erat eorum nu-
merus [d] millies centena millia, & decies cente-
na millia:
12 Dicentes voce magna, Dignus eſt Agnus
ille mactatus [e] qui accipiat virtutem, & divitias,
& ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, &
gloriam, & benedictionem:
13 [15] Sed & omnem creaturam, quæ in cælo
eſt, & quæ ſuper terram & ſub terra in mari, &
quæ in eis ſunt omnia, audivi dicentia, Seſſori
throni & Agno benedictio, & honor, & gloria, &
robur, in ſecula ſeculorum.
14 [16] Quatuor autem animalia illa dicebant,
Amen: & vigintiquatuor illi Seniores procide-
runt in facies ſuas, & adorârunt eum qui vivit
in ſecula ſeculorum.

1 v. Tranſitio ad cauſam principalem ſecundam ordine, Filium Dei, θεάνθρωπον, Mediatorem omnium, ut Sermonem æternum Dei Patris in carne patefactum. Hujus autem capitis partes ſunt duæ: una, paraſceuaſtica ad revelationem, ex hiſtoria occaſionum quæ ſe obtulerunt, verſib. 4. altera, hiſtoria revelationis Chriſti, inde ad finem capitis. 2 id eſt, in ipſa dextera Dei. 3 Hic occaſiones narrantur, cur hac quoque principali cauſa fuerit opus, & revelatione illius. Eæ autem ſunt tres: prima, Viſio præſens libri conſiliorum Dei, de univerſitatis hujus gubernatione, qui penes Patrem dicitur eſſe repoſitus in manu ipſius, ſed creaturis omnibus occluſus atque incognitus, hoc verſ. ſecunda, ſtudium religioſum Angelorum Dei myſteriis libri illius cognoſcendis: de quo 1. Petri 1. 12. verſu 2. tertia, Joannis & piorum fletus ex eodem ſtudio commotus, verſ. 4. ubi animadverterunt creaturarum omnium ἀδύνατον, quod narratur in verſ. 3. 4 Vel neque eorum qui ſunt in cælo, neque eorum qui in terra, &c. atque hoc melius. Eſt autem ſufficiens enumeratio partium ad negationem univerſi: nam creaturarum aliæ ſunt in cælo ſuprà terram, aliæ in terra, aliæ infrà terram in mari, ut pòſt verſ. 13. exponitur.

5 Altera pars capitis, in qua narratur revelatio Filii, ut antè diximus. Continet autem hæc pars hiſtoriã, primùm modi quo Deus Joannem ad percipiendam revelationem comparavit, hoc verſ. deinde revelationem ipſam Filii, ad verſum uſque 7. tertiò adjuncta revelationis, reliquo cap. Modus autem duplex hoc loco deſcribitur: unus foris ſermone, hoc verſ. alter intus, apertis Joanni oculis (qui priùs tenebantur) ut videre poſſet, verſ. ſequent. a 2. Obtinuit. 6 id eſt, princeps fortiſſimus & ſpectatiſſimus, ex Hebræorum uſu. 7 Summa revelationis. Chriſtus Mediator librum accipit aperitq;, verſ. 6. & 7. Itaq; deſcribitur in hac revelatione perſona Chriſti, hoc verſ. & factum illius, ſequente. Perſona hoc modo deſcribitur. Chriſtus mediator inter Deum, Angelos, & homines, ut Sermo æternus Dei, & redemtor noſter ut Agnus Dei, conſiſtens ut mactatus, & intercedens pro nobis virtute & merito æterni ſacrificii ſui, Spiritu Dei inſtructus eſt in perſona ſua, id eſt, potentia Dei & ſapientia Dei eſſentialiter, ad univerſitatis hujus gubernationem. 8 Factum Chriſti Mediatoris, quòd venit ad thronum Patris, de quo præcedente cap. & librum accepit de manu ejus aperturus. Nam aperuiſſe demum dicitur infr. 6. 1. & ſequentibus. 9 Sequuntur demum adjuncta illius revelationis quæ modò dicta eſt: quod ſancti omnes Angeli & homines cecinerunt ipſi, tum principes, verſ. 9. & 10. tum etiam vulgus Angelorum, verſ. 11. & 12. & rerum creatarum omnium, verſ. 13. principibus utrorumque annuentibus, verſ. 14. 10 Symbola laudis odoræ vel ſuaveolentis & acceptæ Domino. vide infr. 8. 3. b Vide infr. 8. 3. 11 nimirum ex re præſente concinnatum, quum Agnus quaſi pedibus accepiſſet librum, & cornibus reſeraret, ut in cantico dicitur. c Non vulgare. 12 Canticum procerum ſive principum adſtantium throno, conſtans prædicatione dignitatis Chriſti, & confirmatione à beneficiis ipſius, tum quæ accepimus ab ipſo, ut ſunt perpeſſio mortis ipſius, redemtio in cruce per ſanguinem ejus, hoc verſ. & regni ac ſacerdotii facta nobiſcum olim communicatio, tum quæ nos ſperamus adepturos, ut regnum noſtrum futurum in Chriſto, ſequent. verſ. f 1. *Petr.* 2. 9. 13 Συνῳδία vulgi Angelorum, principibus qui throno adſtabant accinentium. 14 Numerus finitus, ſed propè infinitus, pro verè infinito, ut Daniel. 7. f *Dan.* 7. 10. d Indicatur numerus ingens. e Cui deferatur laus omnis, tamquam potentiſſimo, ſapientiſſimo, &c. 15 Συνῳδία univerſi vulgi in rebus creatis. 16 Confirmatio laudis a procerum conteſtatione facta ſermone & ſignis, ut antè aliquoties.

CAPUT VI.

1 *Aperit Agnus primum libri ſigillum*, 3 *ſecundum*, 5 *tertium*, 7 *quartum*, 9 *quintum*, 12 *& ſextum. Quibus apertis, cædes, fames, peſtis, ſanctorum querelæ, terræ motus, & varia cæli prodigia oriuntur*.

1 [1] POsteà vidi, quum aperuisset Agnus primum
ex sigillis, & audivi unum ex quatuor illis a-
nimalibus dicens, tamquam vocem tonitrui,
Veni & vide.
2 [2] Aspexi igitur, & ecce *aderat* equus albus:
& qui insidebat ei habebat arcum: & data est ei
corona, & prodiit vincens, & ut vinceret.
3 [3] Quumq; aperuisset sigillum secundum,
audivi secundum animal dicens, Veni, & vide.
4 Et prodiit alius equus rufus: & ei qui insi-
debat super eum, datum est ut tollat pacem è
terra, ut alii alios mactent: datusq; est ei gla-
dius magnus.
5 [4] Et quum aperuisset sigillum tertium, au-
divi tertium animal dicens, Veni, & vide. Aspexi
igitur, & ecce equus niger *aderat*: & qui inside-
bat ei, habebat stateram in manu sua.
6 Et audivi vocem inter illa quatuor ani-
malia dicentem, [a] Chœnix tritici denario, &
tres chœnices hordei denario: & [5] vinum & o-
leum ne læseris.
7 [6] Qúmque aperuisset sigillum quartum,
audivi vocem quarti animalis dicentem, Veni &
vide.
8 Tum vidi, & ecce *aderat* equus pallidus,
& ejus qui insidebat ei, nomen erat Mors: & In-
fernus sequebatur eam: dataque est eis in qua-
drantem terræ potestas trucidandi gladio, &
fame, & morte, & per terrestres feras.
9 [7] Quum verò aperuisset sigillum quintum,
vidi sub altari animas eorum qui mactati fue-
rant propter verbum Dei, & propter testimo-
nium quod tuebantur.
10 Clamabant autem voce magna dicentes,
Usquequo Domine, qui sanctus es & verax, non
judicas, ac sanguinem nostrum vindicas, *eum
reposcendo* ab iis qui habitant in terra?
11 Tum datæ sunt singulis [8] stolæ albæ, & di-
ctum est eis ut requiescerent adhuc paululum
temporis, usquequo [b] compleantur etiam con-
servi eorum & fratres eorum, qui trucidandi
sunt sicut & ipsi.
12 [9] Deinde aspexi quum aperuisset sigillum
sextum, & ecce terræmotus magnus factus est:
& sol factus est niger ut [c] saccus cilicinus, &
luna tota facta est ut sanguis:
13 Et stellæ cæli ceciderunt in terram, sicut
ficus abjicit grossos suos quum vento magno
concutitur.
14 Et cælum abscessit sicut liber qui convol-
vitur: & omnes montes & insulæ è suis locis
emotæ sunt:
15 [10] Et reges terræ, & proceres, & divites,
& tribuni, & potentes, omnesq; tum servi tum
ingenui absconderunt se in speluncis & in petris
montium:
16 Et dixerunt montibus & petris, [11] [B] Ca-
dite in nos, abscondite nos à conspectu ejus qui
insidet throno, & ab ira Agni:
17 Nam veniet dies ille magnus iræ illius: &
quis poterit stare?

1 F. hæc prioris historiæ (quam totius mundi cōmunem esse diximus) secunda pars, de factis Dei in mundi hujus gubernatione. Hujus autem partis tria sunt universè membra: præsignificatio, cautio, & exsequutio malorum omniū quæ fundit Deus in mundum istum pessimè de se meritū. Ac præsignificatio quidem, hoc cap. cautio προφυλακτικὴ Ecclesiæ, capite seq. exsequutio verò ca. 8. & 9. describitur. Præsignificationi cuique tria sunt membra: vocatio singularis Joannis, ut se ad res percipiendas compararet quæ reseratis sigillis fuerunt ipsi exhibendæ: signum, & sermo interpres signi. Et si vocatio signis tantū quatuor adhibetur, in posterioribus intelligenda est. Præsignificationum auctor est Agnus, ut Sermo ille Patris Mediator factus, aperiens sigilla libri: instrumenta sunt Angeli plerisq; in visionibus, signum & sermonē illius exponētes. Primus autem hic versus singularem Joannis vocationem continet ad observandam sigilli primi aperturam. 2 Primum signum sermone conjunctum: quòd Deus propter peccata & horrendam rebellionem mundi in eum sit incursurus, eumq; primùm suis pestilentiæ telis eminùs citissimè, potentissimè, gloriosissimeq; debellaturus, ut judex, & triumphaturus ut victor. 3 Secundum signum sermone conjunctum post expositam singularem vocationem Joannis, ut antè: quòd Deus accensus ira propter obdurationem mundi minimè resipiscentis antecedente plaga, velut aggrediens cominùs, sit ignem discidiorum inter homines accensurus, & mundi istius incolas perditurus alios aliorum gladio. 4 Tertium signum sermone conjunctum, quòd Deus mundum sit funestaturus fame, annonam supprimens: quæ synecdochicè tritico, vino, oleo comprehenditur. a B. Magna indicatur caritas annonæ: est enim chœnix mensura aridorum, octava pars modii, olim apud Græcos demensum diurni cibi servilis. 5 Legi malim hoc modo, *& vinum & oleum: non feceris injustè*, in hanc sententiam, vinum & oleum similiter paucissimum denario dabitur: non feceris injustè, puta quum admetieris pauculum pretio gravissimo. sic locus evidens, alioquin certissimum illud est quod ait sapiens, eum qui comprimit triticum, popularibus esse exsecrationi, Prov. 11.26. 6 Quartum signum sermone conjunctum: quòd Deus quadrantem mundi promiscuè morti & inferno sive sepulcro addicturus est iis modis omnibus conjunctim, quibus antè seorsim & ex ordine animum illius ad bonam frugem revocaverat. his adduntur etiam terrestres & cruentæ feræ, ex Levit. 26.22. Sic thesauros potentiæ suæ dispensat Deus pro sapientia sua, justè in omneis, misericorditer in bonos, & toleranter sive *μακροθύμως* in adversarios suos. 7 Quintum signum, quòd pii martyres sub altare quo sanctificantur recepti, id est, in fidem & clientelam Christi (cujus in manu sunt positi) inclamaturi sunt justitiam Dei religioso studio in regnum ipsius, ac non privata animi perturbatione, hoc & sequent. vers. Deúsque re, signo, sermone consolaturus eos, vers. 11. 8 Ut suprà 3.4. b Usquedum compleatur numerus eorum. 9 Sextum signum, cujus narratio duas partes continet, signum, & eventum. Signum est, quòd terra, cælum, & quæ sunt in eis, horrore peccatorum mundi ad illas prænunciationes Dei gravissimas & sanctorum querimonias percelluntur vehementissimè, contremiscendo, tenebrascendo horribiliter, hoc vers. ruendo ex alto, vers. 13. contrahendo sese, & diffugiendo præ commotionis gravitate, vers. 14. adeò sanctè res omnes creatæ à nutu Dei pendent, & in gloria ipsius conquiescunt.

c Ita vocabant olim opera pilis texta.

10 Eventus præcedentis signi: quòd nemo homo illa commotione universali non commovebitur, diffugiet metu, & abscondet se, hoc vers. mortemq; sibi acerbissimam præoptabit, Dei & Agni iram (ad quam priùs stupebat) perhorrescens. Est autem hæc commotio non piorum, sed impiorum, quibus sua sors est in hoc mundo, ut Psaltes loquitur Psalm. 17. non illa tristitia secundùm Deum, quæ resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat; sed tristitia mundi, quæ mortem efficit. 2. Cor. 7.9. ut optata illorum docent. Nam hæc mundi est historia, ab historia Ecclesiæ separata, ut antè in cap. 4.1. ostendimus. 11 Hæc verba desperantium de salute sua: cujus desperationis duo argumenta: præsentia Dei & Agni irascentis in mundum, hoc vers. & infirmitatis conscientiæ, qua sentiunt homines se ad diem iræ Dei minimè posse consistere, vers. 17. ut dicitur Esai. 14.27. B *Esa. 2.19. Osee 10.8. Luc. 23.30.*

CAPUT VII.

1 *Grassantes in orbe Angeli,* 3 *inhibentur donec Electi Domini* 5 *ex omnibus tribubus signentur.* 13 *Deinde eorum qui Christi causa persequutionem sustinuerunt,* 16 *fœlicitas,* 17 *& gaudium describitur.*

1 [1] POsteà vidi quatuor Angelos insistentes
quatuor [a] angulis terræ, tenentes quatuor
ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neq;
super mare, [2] neque in ullam arborem.
2 [3] Et vidi [4] alium Angelum ascendentem
ab ortu solis, habentem sigillum Dei vivi: qui
acclamavit voce magna quatuor illis Angelis
quibus datum est lædere terram & mare,
3 Dicens, Ne lædite terram, neque mare,
neque arbores, quousque obsignaverimus servos
Dei nostri in frontibus suis.
4 Et audivi numerum obsignatorum: [5] cen-
tum quadragintaquatuor millia *erant* obsignata
ex omnibus tribubus filiorum Israël.
5 Ex tribu Judæ, duodecies mille obsigna-
ta: ex tribu Ruben, duodecies mille obsignata:
ex tribu Gad, duodecies mille obsignata:
6 Ex tribu Aseris, duodecies mille obsigna-
ta: ex tribu Nephthali, duodecies mille obsig-
nata: ex tribu Manassis, duodecies mille obsig-
nata:

1 F. Secundum hujus partis membrum περὶ τῆς προφυλάξεως, ut distinximus sup. 6.1. id est, de cautione qua piis suis præcavit & prospexit Deus, ut exemplo Israëlitarum olim Exodi 8.23. è flagellis mundi istius impii fideles eximerentur. Est autem universus hic locus interfationis & interductus cujusdam, toto hoc cap. sumta occasione ex prædictione & argumento sigilli sexti. Nam primùm cavetur electis ab eo malo, usque ad versum 9. deinde gratiæ ab electis aguntur eo nomine, vers. 10. & duobus sequentibus: postremò rei complementum exponitur, ad finem usque cap. Primus autem versus transitionis est, narrans de Angelis has inferiores partes custodientibus ab omni malo, donec præcipiat Deus. Nam (ut optimè figuratur ab Ezechiele 1.11. & 12.) facies eorum & alæ eorum porrectæ sunt sursum, observantes & spectantes indesinenter Dei nutum, & quisque in tractum faciei suæ objectum eunt, quocunque est spiritus iturus eunt, non divertunt eundo, id est, ne pedem quidem latum discedunt à via quam sibi imperat Deus. a B. In quatuor terræ plagis seu cardinibus. 2 id est, neque in aërem, quò fastigia arborum attolluntur. 3 Jam cavet electis Deus, mandato, vers. 2. & 3. & signo, tum ex Judæorum gente, inde ad versum 8. usque, tum etiam ex gentibus, vers. 9. 4 non solùm alium sive differentem numero à communibus Angelis Dei, sed essentia ipsa, officio, & operatione Angelis omnibus antestantem: id est, Christum Jesum Angelum vel sermonem æternum, mediatorémque fœderis, sic infrà 8.3. & 10.1. & 5. 5 id est, ex Judæis numerum certum in se coram Deo, & nobis numerabilem: quapropter etiam definitur. At electorum ex Gentibus certus quidem in se est Deo numerus, sed nobis innumerabilis, ut dixit Deus, Genes. 15.5. & alibi passim, & eleganter figuravit Esai. 49. & 60. Hoc igitur *κατά τι* dictum est, quum definitus numerus pro indefinito ponitur, confer cum versu 9.

7 Ex tribu Simeonis, duodecies mille ob-
signata:[b 5] ex tribu Levi, duodecies mille obsigna-
ta: ex tribu Issacaris, duodecies mille obsignata:
8 Ex tribu Zabulonis, duodecies mille ob-
signata: ex tribu [c] Joseph, duodecies mille ob-
signata: ex tribu Benjaminis, duodecies mille
obsignata.
9 Posteà vidi, & ecce, *aderat* turba multa,
[7] quam numerare nemo possit, ex omnibus
gentibus & tribubus & populis & linguis: [8] sta-
bantq; ante thronum & in conspectu Agni, a-
micti stolis albis: & palmæ in manibus eorum.
10 [9] Et clamabant voce magna, dicentes, Sa-
lus à Deo nostro *est*, insidẽte throno, & *ab* Agno.
11 Omnes autem Angeli stabant in circuitu
throni & seniorum & quatuor animalium illo-
rum, & procubuerunt in conspectu throni in fa-
cies suas, & adorârunt Deum,
12 Dicentes, Amen: benedictio, & gloria, &
sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus,
& robur Deo nostro in secula seculorũ. Amen.
13 [10] Tum me compellavit unus ex illis Se-
nioribus, dicens mihi, Isti qui amicti sunt stolis
albis, quinam sunt, & unde venerunt?
14 Et dixi ei, Domine, tu nosti. [11] Et dixit
mihi, Hi sunt qui venerũt ex afflictione magna: &
laverũt stolas suas ac dealbârũt in sanguine Agni.
15 Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei
[d] die ac nocte in templo ejus: & qui insidet thro-
no, [e] umbraculo proteget eos.
16 [f] Non esurient ampliùs, neque sitient
ampliùs, nec in eos cadet sol, neque ullus æstus.
17 Quoniam Agnus qui in medio throni est,
pascet eos, & deducet ad vivos fontes aquarum:
[g] & abstersurus est Deus omnem lacrymam ab
oculis eorum.

[b] Omisit Dan, & recenset Levi. [5] Hîc tribus Levi communiter cum aliis recensetur, quia omnes Israëlitæ ex æquo Sacerdotes effecti sunt cum illis in Christo per sacerdotium ipsius, suprà 1.6. & 5.10. & Rom.12.1. & 1.Petr.2.9. Danis verò nomen reticetur, quia Danitæ jam olim omisso Dei cultu à sorte populi Dei ad sortem Gentium transierant: quod malum ante multa secula Jacob præviderat, Gene. 49.18. quamobrem etiam nulla habetur ejus recensio priore libro Chronicorũ. [c] Ephraim alterius filii Joseph, & qui primogenitura donatus est, unde Joseph dicitur. [7] Vide suprà in vers.4. [8] ut sacerdotes, reges, & victores gloriosi martyrio: quę suis signis hoc vers. denotantur. [9] Laudatio Dei enunciata primùm à sanctis hominibus, hoc V. tum ab Angelis cælestibus, duobus seq. [10] Transitio ad expositionẽ visi: de qua ut Joannem excitet, Angelus eum rogat, hoc vers. & Joannes unica loquendi formula cùm ignorationẽ suam agnoscit tribuens scientiã Angelo, tum modestissimè explicationem petit, seq. ver. [11] Expositio visi, qua enarrat Angelus primùm res gestas sanctorum, i. perpessiones ipsorum, & opus fidei in Christo Jesu, hoc vers. secundò gloriam ipsorum, tum præsentem duabus in rebus positam, quòd ipsi ministrant Domino, & quòd protegit ipsos Deus, vers.15. tum futuram in perfecta liberatione ab omni incommodo, vers.16. & omnis boni communicatione, quam vel memoria mali non sit unquam minutura, vers.17. Horum autem omnium causa efficiens & continens est unica, Agnus Dei, Dominus, Mediator & Servator Christus. [d] Alludit ad diurna & nocturna Levitarum ministeria: alioqui nulla nox est in cælo. [e] Vel habitabit super eos, ut significetur divina defensio atque protectio quasi erga illos, qui ut sub divinis tabernaculis sunt in tuto. [f] *Esa.* 49.10. [g] *Esa.*25.8. *Infr.*21.4.

CAPUT VIII.

1 *Septimo sigillo aperto,* 3 *offeruntur sanctorum preces per suffitus.* 6 *procedunt septem Angeli cum tubis:* 7 *& quatuor primis clangentibus ignis decidit,* 9 *mare turbatur,* 10. 11 *aquæ amarescunt,* 12 *& stellæ obtenebrantur.*

[1] POrrò quũ aperuisset sigillum septimũ, factum
est silentium in cælo, fermè per semihoram.
2 [2] Et vidi septem illos Angelos qui [a] adstant
coram Deo, quibus datæ sunt septem tubæ.
3 [3] Tum alius Angelus venit, & stetit ante
aram habens thuribulum aureum: & dati sunt ei
suffitus multi, ut offerret cum precibus Sanctorũ
omniũ super altare aureũ, quod est ante thronũ.
4 [b] Ascendit autem fumus suffituum cum
precibus Sanctorum, è manu Angeli ad conspe-
ctum Dei.
5 Deinde accepit Angelus thuribulum, &
implevit illud ex igne altaris, abjecitq; in terram:
& facta sunt tonitrua & voces & fulgura & ter-
ræ motus.
6 [4] Et septem Angeli qui habebant septem
tubas præparaverunt se ut clangerent.
7 [5] Primus igitur Angelus clanxit, & facta
est grando & ignis, mista sanguine, projectaq;
sunt in terram: & tertia pars arborum exusta est,
& omne gramen viride exustum.
8 [6] Deinde secundus Angelus clanxit, &
quasi mons magnus igne ardens projectus est in
mare: factaq; est tertia pars maris, sanguis.
9 Et mortua est tertia pars creaturarum
quæ erant in mari, animantia *dico*, & tertia pars
navium perierunt.
10 [7] Tum Angelus tertius clanxit, & cecidit
è cælo stella magna, ardens velut fax, ceciditq;
in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarũ.
11 Nomen autem stellæ dicitur [8] Absinthium:
versa est igitur tertia pars aquarum in Absinthi-
um: & multi homines mortui sunt ex aquis,
quòd amaræ factæ essent.
12 [9] Deinde quartus Angelus clanxit, & per-
cussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, &
tertia pars stellarum: ita ut obscuraretur tertia
pars eorum, & diei non luceret pars tertia, &
noctis similiter.
13 [10] Et vidi, & audivi unum Angelum vo-
lantem per medium cæli, dicẽtem voce magna,
Væ, væ, væ incolis terræ, à reliquis sonis tubæ
trium illorum Angelorum qui clangent.

[1] V. Regressio ad historiã sigillorũ libri quæ Agnus aperit. Est autem sigillum septimũ proxima præsignificatio, præcisumq; mandatũ de exsequutione summorũ judiciorum Dei in mundũ hunc impium: qua præsignificatione ex sigillo visa, silent & horrescunt omnia in cælo præ admiratione, donec mandata exsequutionis à Deo singillatim dantur administris ejus. Sic transitur ad tertiũ membrũ, de quo suprà in 6.1. quod membrum est de malorum, quibus Deus mundum justissimè statuit affligere, exsequutione. [2] Sequitur mẽbrum tertium cõmunis historiæ, ut modo diximus: judiciorũ Dei in mundũ exsequutio. Hæc autem primùm generatim cõparatur, ad V. usq; 6. deinde minutatim secũdum administrorũ ordinẽ exponitur, ad finem usq; seq. cap. Ad præparandam exsequutionẽ narrãtur ista. primùm qui administri & instrumẽta illius, hoc V. secundò quod opus tum principis Angelorum hanc exsequutionẽ informãtis, inde ad V.5. tum administrorum ejus, in V.6. Administri exsequutionis dicuntur septẽ Angeli: eorũ instrumenta tubæ, quibus arma veluti conclamarent mandato Dei. Septem verò proponuntur numero, quia non placuit Deo iram suam unico impetu in mundũ rebellẽ effundere, sed per varios paulatim, lentoq; ordine, & quasi ægrè in creaturas suas sermone & signis perdiu sollicitatas judicia sua exercere, si forte resipiscentiam didicerint. [a] B, Qui coram eo apparent ut ministri.

[3] Hic Imperator summus, Dominus Jesus Christus, rex & servator noster: qui tum intercedit apud Deum & Patrẽ pro sanctis, odore grato perfundens cæleste sanctuarium, eorumq; preces, ut labiorum vitulos & holocausta, offerens, hoc V: adeò ut singuli (tanta est Christi εὐωδία, & sacrificii illius efficacitas) conciliati contineãtur cum Deo, & ipsi sint acceptissimi, V.4. tum ex thesauro suo & ab eodem sanctuario effundit in mundum ignem iræ suæ, divinis signis unà accedẽtibus; eaq; ratione, ut fetiales Rom. olim, bellũ indicit rebellanti mundo. [b] Nullius sunt pretii nostræ preces, nisi adsit in primis unicæ illius oblationis verè gratus odor, id est, nisi priùs in Filio per fidem justificati placeamus. [4] Hoc administrorum opus. Angeli, administri Christi, clangore & voce sola (sunt enim præcones solùm) efficaciter advocant instrumenta iræ Dei per virtutem illius. Hactenus generalia. Sequitur narratio rerum singularium, quas Angeli sex numero operati sunt suo ordine, exposita ad V. 19. usque cap. sequentis: concluditur verò narratione eventus, qui ex his rebus gestis apud mundum consequutus est, duobus ultimis. [5] Prima exsequutio ad sonum primi Angeli, in terram, id est, habitatores terræ metonymicè, & in totum proventum ejus. quemadmodum non obscurè demonstrat membri sequen. in V.9. cum hoc versu comparatio. [6] Secunda exsequutio, in mare, hoc versu, & quæcunq; in eo degunt, vers. seq. [7] Tertia exsequutio, in flumina & fontes, id est, in omnem aquam potabilem, hoc V. cujus effectus, quòd multi amatore aquarum exstincti sunt, versu seq. [8] metaphoricè, de nomine herbæ amarissimæ, & vulgo cognitæ: nisi quis fortè sequutus Etymologeticos malit adjectivè ἀψίνθιον interpretari quasi ἀπίνθιον, quod præ amaritudine bibi non potest, aut quod amariorem efficit liquorem cui infunditur, quàm ut bibi ab ullo possit. [9] Quarta exsequutio, in lucida illa cæli corpora huic inferiori mundo ministrantia. [10] Prædictio σχετλιαστικὴ reliquarum exsequutionis divinæ partium, & transitiva ad sequentis cap. argumentum. De his autem plerisque omnibus prædixerat nominatim Christus Luc.21.24. & sequentibus: & communes sunt plagæ indiscriminatim citra notationem temporis enunciatæ.

CAPUT IX.

1 *Quinto Angelo clangente,* 3 *locustæ vastratices prodeunt.* 13 *Sextus autem clangens* 16 *equites educit* 20 *humanum genus devastantes.*

[1] TUm quintus Angelus clanxit, & vidi
[2] stellam è cælo cecidisse in terram,

[1] V. Quinta exsequutio, in homines impios, terræ incolas (ut proximè dixit Angelus) à potestatibus inferorum effecta, hoc loco narratur ad vers.11. usque: & post eam sexta, inde ad 19. postremò autem communis eventus in mundo ex antegressis exsequutionibus, duobus ultimis. [2] id est, deorsum irruisse Angelum Dei instar stellæ circumfulgentem gloria: sive Christum eum dixeris, qui habet claves inferni per se & auctoritate principali, supr. 1.18. sive inferiorem aliquem Angelum, qui eamdem clavem sibi donatam habeat, & occupet eam ministerialiter, sive ex officio ministratorio, hic, & infr. 20.1. sic accipitur cadendi verbum Gen. 14.10. & 24.64. & Hebr. 6.6.

[1] & data est ei *angelo* clavis putei [a] abyssi.
2 [4] Aperuit igitur puteum abyssi : & ascen-
dit fumus ex puteo ut fumus fornacis magnæ :
& obscuratus est sol & aër à fumo putei.
3 [5] Ex fumo autem exierunt locustæ in ter-
ram: dataque est illis potestats qualem habent
potestatem terrestres scorpii.
4 [6] Sed ipsis est dictum ne læderent gra-
men terræ, neque viride quicquam, neq; ullam
arborem : sed tantùm homines qui non habe-
rent signum Dei in frontibus suis.
5 Datum autem est eis, non ut occidant e-
os, sed ut crucientur mensibus quinque, *sitq;* cru-
ciatus eorum ut cruciatus scorpii quum percusse-
rit hominem.
6 [f] Itaq; per eos dies homines quærent mor-
tem, & non invenient eam : & desiderabunt
mori, & fugiet mors ab eis:
7 [g] [7] Figuræ verò locustarum similes *erant* e-
quis paratis ad prælium : *erantq;* impositæ capi-
tibus earum tanquam coronæ similes auro, &
facies earum ut facies hominum.
8 Et habebant capillos ut capillos mulie-
rum: & dentes earum ut leonum erant:

[3] data est huic stellæ clavis. Nam potestates illæ malitiæ in tartarum detrusæ & catenis caliginis sunt traditæ, ibidémque servantur damnationi, nisi Deus ipsas ad tempus solverit, 2. Petr. 2.4. Judæ 6. & infrà 20. cujus capitis historia cum hoc capite habet convenientiam tempore. [a] B. Abyssum vocat profundissimi tartari tenebras. [4] Adjunctus spirituum tartareorum seu infernalium, fumus tenebrosissimus & obscurans omnia in cælo & in terra. sunt autem hæ spirituales tenebræ ἀταξίας & omnis confusionis effectrices. Has enim tenebras in suum regnum certo tempore (de quo vers. 5.) immisit diabolus, ut omnia uno impetu perrumperet, electosq; ipsos, si posset fieri, perverteret. His autem tenebris lux omnis spiritualis, tum activa ut Solis, tum passiva ut aëris, qui illustratur à Sole, sublata est. Hoc antecedens spirituum: sequitur de spiritibus ipsis. [5] Descriptio malignorum spirituum mundum infestantium, a natura, potestate, forma, ordine ipsorum. Naturâ, quòd tamquam locustæ sunt quædam agilitate, subtilitate, nocumento, numero, & siqua sunt ejusmodi, hoc vers. Potestate, quòd sunt tamquam terrestres scorpii, occulta nocendi potestate præditi: non enim lucta hic nobis est cum carne & sanguine, sed cum potestatibus, &c. Ephes. 6.12. Hic autem locus de potestate dæmonum generatim hoc vers. indicatus, speciatim deinceps exponitur 3. versibus. [6] Hic potestas illa dæmonum speciatim describitur secundùm actiones & effecta ipsarum. Actiones circumscriptæ dicuntur consilio Dei: tum quia non omnibus obsunt, sed tantùm reprobis (nam pios, in quibus est vel particula melioris vitæ, & electos decreto suo circummunit Deus) quos Christus non obsignaverit, hoc V. tum quòd nec potestatem quamvis, nec quovis tēpore ne in suos quidem habuerunt, sed modo & tempore ex Dei præscripto limitatam, vers. 5. Sic eorum potestas affligendis piis nulla, impiis limitata est actu & effectu per voluntatem Dei. Modus enim fuit eis dictus, ne occidant, sed torqueant miserum mundum: tempus verò mensium quinq;, sive dierum centum quinquaginta, id est, totidem annorum, quibus diaboli omnia in mundo potentissimè conturbarunt quidem, sed tamen citra publicam illam & impunem licentiam occidendi, quam posteà usurpârunt, quàm sextus Angelus clanxit tuba, ut dicetur in vers. 13. Est autem hoc spatium a fine annorum mille numerandum de quibus infr. 20, 3. id autem est à Pontificatu Gregorii illius VII. necromantæ portentosissimi, qui prius Hildebrandus Senensis dicebatur. Hic enim ex impietate & injustitia conflatus, ut mancipium diaboli cui ministrabat, fuit nequissimus mundi incendiarius: Henricum IIII. Cæsarem excommunicavit, fraudibus omnia molitus est ut imperia regnáque instituerer & destitueret arbitratu suo, & Rodolphum Suevum non dubitavit imperio præficere Henrici loco, missa corona cum adtexto hoc versu;

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho:

denique tam bellè sategit rerum suarum, ut publico incendio totam Christianitatem miserabiliter afflixerit, eamdemq; incendii facem in posteritatem suam transmiserit: quæ eadem ambitione percita, nunquam destitit illud ipsum incendium alere atque succendere, quo urbes, respub. regna inter se commissa per lanistas optimos vulneribus mutuis conciderunt. Desinit autem hoc spatium centum quinquaginta annorum, tempore Gregorii IX. sive Hugolini Anagniensis (ut appellabatur priùs) qui corpus Decretalium per Raimundum quemdam capellanum & pœnitentiarium suum curavit compilari, & in orbe Christiano annuentibus Regibus & principibus terræ promulgari, & sanciri pro lege. Nam hac demum arte Pontifices licentiam occidendi sibi, aliis imprudentibus, arrogarunt, & impunè carnificina ex impiis Decretalium capitulis quamplurimis constituta, quam tuba quinti Angeli disertè vetuerat, & impediverat ad hoc usque tempus. Harum verò funestarum actionum effecta in versu 6. exponuntur, quòd miser mundus in tantis malis contabescens ultrò ad mortem concursurus est, eámque antepositurus vitæ præ malorum prementium acerbitate. [f] Suprà 6.16. Esa. 2.19. Osea 10.8. [g] Sap. 16.9. [7] Forma spirituum tartareorum & administrorum, signis & figuris aspectabilibus adumbratur in hunc modum: quòd sunt paratissimi & expeditissimi: quòd regnum, ubicunque sunt, in mundo obtinent: quòd res suas agunt cum intelligentia & arte, hoc vers. quòd mollem tenerámque speciem præ se ferentes hominibus inescandis, furunt in maleficia impotentissimè: quòd ad nocendum sunt potentissimi, versu 8. quòd expertes omnis læsionis ab hominibus, velut religionis specie & diplomatum auctoritate sancta loricati: quòd horrore complentes omnia, versu 9. quòd fraudulenti, quòd venenati sint ac summè noxii, quamvis limitatâ potentiâ ipsorum, vers. 10. quæ omnia potestatibus inferorum insunt per se; & per communicationem quamdam, earum administris atque mancipiis.

9 [h] Habebant etiam loricas ut loricas fer-
reas: & sonitus alarum ipsarum ut sonitus cur-
ruum, equis multis currentibus ad bellum.
10 Sed & habebant caudas similes scorpio-
num : erantq; aculei in caudis earum : & earum
potestas *erat* nocere hominibus menses quin-
que.
11 [8] Habebant autem sibi impositum re-
gem, Angelum abyssi, cui nomen Hebraicè
Abaddon, Græcè verò Apollyon, *id est, per-
dens.*
12 [9] Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc
duo væ posteà.
13 [10] Tum sextus Angelus clanxit, [11] & au-
divi vocem quamdam ex [b] quatuor cornibus al-
taris aurei, quod est ante oculos Dei,
14 Dicentem sexto Angelo qui habebat tu-
bam, [12] Solve quatuor illos Angelos vinctos ad
magnum illud flumen Euphratem.
15 [13] Soluti sunt igitur quatuor illi Angeli,
parati ad horam & diem & mensem & annum,
ut occidant tertiam partem hominum.
16 Eratq; numerus equestris exercitus bis
millies centena millia: nam audivi numerum e-
orum.
17 Itemq; vidi equos per visionem, & ipso-
rum sessores habentes thoraces igneos & hya-
cinthinos & sulphureos : erant autem capita e-
quorum ut capita leonum: & ex ore ipsorum pro-
dibat ignis, & fumus, & sulphur.
18 Ab his tribus occisa est tertia pars hominū,
nempe ab igne, & fumo, & sulphure, quæ prodi-
bant ex ore ipsorum.
19 Potestas enim eorum in ore eorum est, &
in caudis eorum. nam [14] eorum caudæ similes
sunt serpentibus, habentes capita per quæ no-
cent.
20 [15] Porrò reliqui homines qui occisi non
sunt his plagis, non resipuerunt ab operibus ma-

[h] Joël. 1.6. & 2.5. [8] Ordo potestatū malitiæ, quod uni regi infernali parent, quem perditorem Latinè dixeris, mundum universum apud Judæos & gentes agitanti in perniciem ipsius. Atq; haud scio an nomen istud ad Hildebrandi respiciat etymologiam per ὑπαλλαγὴν in sacris Scripturis frequentatam: quod enim a Germanis aliter verti potest (ut ambigua plurimùm est nominum compositorum ratio) revera tamen perinde sonat ac si fidei incendium dixeris, id est, eorum qui sibi fidi sunt incēdiarium. [9] Transitio ad sequentem locū, & sequentis temporis historiam. [10] Sexta exsequutio in mundum, per tyrannicas potestates ejus in quatuor partibus terræ operantes, id est, in universo terrarum orbe exercentes sævissimè tyrannicum dominatum suum, mortémque miseris impunè adferentes, quod priùs non item licuerat, ut in versum 4. ostendimus. Hujus autem narrationis duæ sunt partes: mandatum à domino, vers. 14. & mandati exsequutio, versib. sequent. [11] Mandatum à Christo imperatore datum. [b] Alludit ad aram suffitus, collocatam in atrio sacerdotum è regione Arcæ fœderis, interposito tamen velo. [12] q.d. isti hactenus sic fuerunt vincti potentia Dei, ut nōdum liberè in homines grassari ex animi sui sententia potuerint; sed ad magnum illud flumen Euphratem, i. in spirituali sua Babylone (hæc enim periphrasis est Babylonis spiritualis, ab aspectabilis Babyloniæ jam olim eversæ termino) hæserunt constricti atque præpediti, ne immanes illas cædes, quas spirant jamdiu, perpetrent. Nunc autem age, solve quatuor illos Angelos, i. administros iræ Dei, eo numero qui opus est ad quatuor mundi plagas funestandas, excita, habenasq; permitte eis, ut ex illa sua Babylonia, impiorum sede, irrumpentes involent in universum mundum, ubi fuerant suamq; tyranniden licentiosissimè exerceant ordinatione Dei. Hoc verò factū est, quum publica auctoritate Gregorius IX. suas Decretales sanxit, quibus liberè hominum imperitorum vitæ insidiaretur. Nam quotus quisque est, qui non videat Decretalium capitula quamplurima esse animarum tendiculas? Ex eo tempore quantæ strages! quantæ lanienæ! Deus bone. Plenæ sunt historiæ: & exemplis horrificis abundat hæc memoria nostra. [13] Exsequutio mandati duplex: una, quòd soluti sunt isti carnifices, qui ex arce sua spiritualis Babylonis per orbem furibundi discursarent, tum principes in eo numero expeditissimi ad momenta omnia, hoc vers. tum agmina eorum numerosissima, de quibus numerus definitus prædicatur pro indefinito, vers. 16. & in sese omnibus modis instructissima ad tegendum & ad lædendum, vers. 17. ut qui igne, fumo, sulphure loricati sint, prout colore thoracum demonstratur oculos omnium præstinguente; & leoninum robur ad nocendum habeant, quo tamquam ex ore funduntur illa Pontificum ignita, fumosa, sulphureáque tela, versu 17. altera, quòd isti carnifices mandatum Dei effectum reddiderunt fraude & violentia vers. duobus sequentibus. [14] id est, amphisbænæ sunt, quacunque manum admoveas, quacunque attigerint, noxii. sic etiam priores dicuntur scorpii, vers. 3. [15] Restat jam eventus (ut diximus in versum 1.) ex tot tantisq; judiciis in mundo hoc pessimo consequutus: nempe [illegible] impiorum obfirmatio in sua impietate & injustitia, quamvis se manu Dei opprimi sentiant vehementissimè. Nam obstinata eorum impietas, hoc vers. injustitia, sequente ostenditur. Atque hactenus historia communis rerum in toto mundo promiscuè futurarum. Quæ historia quia non tantopere ad Christi Ecclesiam attinet, propterea non usque adeò temporibus certis & circumstantiis aliis distinguitur: sed molliore (quod aiunt) brachio pertexitur. Nec alia etiam causa est, cur septimi Angeli historia hoc loco reticeatur, quàm quòd ea magis propriè ad historiam Ecclesiæ pertinet: hæc verò accuratiùs secundùm tempora exponitur infrà cap. 11. & 16. ut in eos locos dicturi sumus.

nuum suarum, ut ne adorarent dæmonia &
simulacra aurea & argentea & ærea & lapi-
dea & lignea, [1] quæ neque videre possunt, neq;
audire, neque ambulare;

[1] Psal, 115.4. & 135, 15.

21 Neque resipuerunt ab homicidiis suis, ne-
que à veneficiis suis, neque à scortatione sua, ne-
que à furtis suis.

CAPUT X.

1 Alius apparet Angelus amictus nube, 2 libellum apertum tenens, 3 inclamat: 9 & Joanni, 8 oraculi jussu, devorandum tradit.

[1] TUm vidi [a] alium Angelum robustum de-
scendentem de cælo, amictum nube, su-
prà cujus caput erat iris: facies autem ejus *erat*
ut sol, & pedes ejus ut columnæ igneæ.
2 Habebatq; in manu sua [3] libellum aper-
tum: & posuit pedem suum dextrum super mare,
sinistrum autem super terram.
3 Clamavitq; voce magna, sicut leo rugit:
& quum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua
voces suas.
4 [4] Et quum loquuta fuissent septem toni-
trua voces suas, ego scripturus eram: sed audivi
vocem de cælo dicentem mihi, [a] Obsigna
quæ loquuta sunt septem tonitrua, & ne ea
scribas.
5 Et Angelus quem vidi stantem super ma-
re & super terram, [b] sustulit manum suam ad
cælum,
6 Et juravit per eum qui vivit in secula secu-
lorum, qui creavit cælum & ea quæ sunt in eo,
& terram & ea quæ in ea sunt, & mare & ea quæ
in eo sunt, [5] [c] tempus non fore amplius:
7 Sed in diebus [6] vocis septimi Angeli, quum
futurum est ut clangat, consummandum esse
mysterium Dei, sicut annunciavit servis suis pro-
phetis.
8 [7] Et vox quam audieram è cælo, rursum
loquuta est mecum, & dixit, Abi, & accipe li-
bellum illum apertum *qui est* in manu Angeli
stantis super mare & super terram.
9 Abii igitur ad Angelum, dicens ei, Da mi-
hi libellum. Et dixit mihi, Accipe & devora eum:
& amaritudinem adferet ventri tuo, sed in ore
tuo erit dulcis tamquam mel.
10 Accepi igitur libellum è manu Angeli, &
devoravi eum: eratq; in ore meo dulcis tam-
quam mel: sed quum devorassem eum, amaruit
venter meus.
11 [8] Tum dixit mihi, Oportet te iterum pro-
phetare coram populis & gentibus, & linguis, &
regibus multis.

1 ¶. Nunc transit Joannes ad historiam alteram propheticam de Ecclesia Dei: prout distingui librũ documus oportere supr. 4. 1. Pertinet autem historia hæc ad caput 22. usque: & transitio fit à communi historia mundi ad singulare ecclesiæ, toto hoc cap. Hujus historiæ duo sunt parasceuastica in transitione, quæ toto cap. continentur: unum, Christi revelantis mysteria sua, & servum suum vocãtis auctoritas, ad versum 7. alterum, singularis ad hunc locum, repetitaq; Joannis vocatio, ad finem usque. Auctoritatem revelationi adferunt hæc: primùm persona Christi è cælo comparens cum habitu & specie illius, robusta, expedita, gloriosa, collustrans omnia providentia sua, & regens omnipotentiâ, vers. 1. secundò quòd ex libello, ac non temerè, hanc revelationem apertam attulit, oculis expositam, quam mari & terræ significaret, ut dominus omnium, vers. 2. tertiò quòd eam non clàm pipiens aut mussitans (ut pseudoprophetæ) obtulit, sed inclamans summa voce dormientes, & leonina atque terribili securos excitavit, tonitruis contestantibus, vers. 3. postremò quòd juramento omnia confirmavit, vers. 5. & duobus sequentib. 2 Christum Jesum: vide supr. in 7.2. 3 Nempe libellum de rebus Ecclesiæ Dei singularem: nam liber universitatis penes Creatorem fuisse dicitur supr. 5.1. libellus verò Ecclesiæ penes Redemtorem est: atque ex eo libello hausta est reliqua hujus Apocalypseos historia. 4 Pium studium laudabile, sed cum scientia conjungendum: itaque nihil aggrediendum, nisi ex vocatione: bonis vocatio exspectanda. a B. Teneat occulta. b Hic erat gestus jurantis, ut etiamnum hodiè. 5 nec tempus, nec ea quæ sunt in tempore: sed propè esse illud futurum seculum, quod totum simul æternitatis est & supra omnia tempora. c Nihil temporis erit ampliùs. 6 de qua infr. 11.15. & 16.17. 7 Altera pars capitis, de singulari vocatione Joannis ad perceptionem sequentis prophetiæ: quæ mandatur ipsi primùm signo, tribus vers. deinde apertis verbis, vers. ultimo. Ad narrationem signi pertinent ista: quòd Joannes cælitùs instituitur de petendo libello prophetiæ, hoc vers. nam hos ipsos motus studiáque inspirat Deus: quod petenti imperatur percipiendi modus figuratus, & usus illius exponitur, vers. 9. ut Ezech. 2. unde hæc similitudo traducta est: postremò quòd ex mandato Christi Joannes eum percepit; comperitq; usu, quatenus à Christo est, suavem; sed quatenus afflictiones Ecclesiæ prænunciat esse, animo ipsius acerbissimum. 8 Simplex antecedentis signi enarratio, divinam Joannis vocationem testificans, imponensq; necessitatem illius.

CAPUT XI.

1 Templum metiri jubetur. 3 Dominus testes duos excitat, 7 quos à bestia laniatos, 9 nemo terra mandat. 11 Deus autem in vitam revocatos, 12 ad cælum evocat. 13 Terrentur impii. 15 Et septimi Angeli tuba, resurrectionis, 18 & judicii nuncia, describitur.

[1] DAtus est autem mihi calamus similis vir-
gæ, adstititq; Angelus, dicens, Surge &
[2] metire templum Dei & altare, & eos qui ado-
rant in eo.
2 [3] Sed [a] atrium quod extra templum est
[b] exclude, & ne metiaris illud: nam datum est
[4] Gentibus: & Urbem sanctam calcabunt [5] men-
sibus quadraginta duobus.
3 Sed [6] dabo illam duobus illis testibus
meis, qui [7] prophetabunt diebus mille ducentis
sexaginta, amicti saccis.

1 ¶. Exposita auctoritate revelationis institutæ, & necessitate vocationis illius quæ Joanni singulariter fuit imperata, deinceps historia subjicitur de statu Ecclesiæ Christi, tum certantis sive militantis, tum vincentis in Christo. Nam & Ecclesia Christi certare dicitur contra pseudochristianam Ecclesiam, cui Antichristus imperat, Christo Jesu fundente Antichristum spiritu oris sui: & Christus vincere gloriosissimè, donec interemerit Antichristum revelatione adventus sui, ut optimè docet Apostolus 2. Thessalon. 2. Itaque hujus historiæ partes sunt duæ: una, de statu Ecclesiæ cum tentationibus conflictantis, ad caput 16. usque: altera, de statu ejusdem Ecclesiæ vincentis, inde ad caput vicesimum. Prioris loci membra sunt duo, suis temporibus commodissimè distributa: quorum prius historiam Christianæ Ecclesiæ continet ad annos 1260. quum Evangelium Christi in cælum quasi receptum est è medio hominum; posterius, ejusdem Ecclesiæ historiam ad consummationem usque victoriæ. Ac duo quidem hæc membra summatim, quamvis distinctè, in hoc capite proponuntur: sed copiosiùs utrumque posteà suo ordine enarratur: nam certantis Ecclesiæ statum ex cap. 12. & 13. emergentis verò ex 14. & sequentibus duobus cognoscimus. Neque verò Joannes temerè utriusque temporis historiam in hoc capite copulavit: quia de prophetia hîc agitur, quam unicam esse justam & immutabilem in Ecclesia agnoscunt omnes, & continuam esse præcepit Christus. Prioris temporis historia ad versum usque 14. pertinet: posterior reliquo cap. perscribitur. In priore narrantur ista: vocatio servorum Dei, versibus quatuor. certamina à fidelibus piè in vocatione pro Christo & Ecclesia ejus, obeunda, inde ad versum 10. & resurrectio eorum atque in cælum receptio, ad versum 14. usque. In servorum Dei vocatione recensentur duo: generatio vel constitutio Ecclesiæ, duobus versibus & educatio, duobus alteris. Generatio Ecclesiæ hîc Joanni commendatur signo & sermone: signo calami mensorii, & sermone præcipiente ut metiatur templum Dei, id est, rationem novam informet illius, cùm in templum Jerosolymitanum jam ingrediantur gentes, & brevi totum contaminaturæ ac eversuræ sint. 2 sive Jerosolymitanum, qui typus fuit Ecclesiæ Christi, sive cæleste illud ἀντίτυπον, de quo infrà versu 19. sed prius magis placet, & respondent sequentia omnia. Sensus igitur est, vides omnia fermè inde à passione Christi in domo Dei conturbata, & non urbem solùm Jerosolymorum, verumetiam atrium templi à gentibus, & profanis hominibus, sive Judæi sive exteri sint, proculcatum: solùm verò templum, id est, templi corpus cum altari & paucula bonorum verè adorantium manu restare, quos Deus sanctificet & confirmet præsentia sua. Hoc igitur metire, hanc veram Ecclesiam, vel potiùs verum veræ Ecclesiæ typum, omissis cæteris: omniáque à me sic defini, ut Ecclesia germana Christi sit quasi per exiguum centrum: Antichristi vero Ecclesia, ambitus centri ex omni parte longè latèque circumstans eam: ut prophetando sic declares palàm templi Dei & cultorum ejus fidelium, id est, hujus Ecclesiæ statum multo angustiorem esse quàm sit Ecclesiæ Antichristi. 3 q. d. nihil ad te, ut judices extraneos, 1. Cor. 5.12. qui sunt innumeri: de domesticis tantummodò dispice, vel Dei viventis domo. a B. Loquitur de atrio exteriore, quod atrium populi dicebatur, quoniam omnibus patebat. b Ad verb. ejice foras: ejici autem censetur quod in metiendo tamquam prophanum negligitur. 4 profanis, impiis, & infidelibus Ecclesiæ adversantibus. 5 sive diebus mille ducentis sexaginta, ut dicitur sequente versu, id est, annis 1260. dies pro anno, ut apud Ezechielem & Danielem sæpè: quod jam antè in 2.10. adnotavimus. Horum autem mille ducentorum sexaginta annorum initium statuimus à passione Christi, qua disrupto intergerino pariete ex duobus facti sumus unum, Ephes. 2. unum, inquam, ovile sub pastore uno, Joann. 10. finis autem præcisè incidit in Pontificatum Bonifacii VIII. qui sub desinentem annum Christi 1294. Pontificatum Rom. iniit in festo S. Luciæ, ut ait Bergomensis, conjecto in carcerem antecessore Cœlestino, cui fraude per oraculi speciem illuserat: quapropter rectè illud de eo dictum, *intravit ut vulpes, regnavit ut leo* (alii, ut lupus) *mortuus est ut canis.* Si enim de mille ducentis nonaginta quatuor annis ætatem Christi, qua vixit in terra, sustuleris; præcisè restare comperias annos 1260. qui hoc loco & compluribus aliis referuntur. 6 Malim, *dabo illud*, Dicit enim Deus, dabo illud templum & committam duobus testibus meis, id est, Ministris verbi, pauculis quidem illis, infirmis, & contemtis, sed tamen duobus, id est, eo numero constitutis, ut alter alterum juvare possit, & apud omneis alter cõfirmare testimonium alterius, ut ex ore duorum vel trium testium firmum sit apud homines omne verbum. 2. Corint. 13.1. 7 fungentur suo munere à me imperato per illos 1260. annos in mediis afflictionibus, quamvis luctuosissimis: quod synecdochicè lugubri vestitu ostenditur,

4 Hi sunt[8] duæ illę oleæ, & duo candelabra
in conspectu Dei terræ posita.
5 [9] Quòd si quis velit eos injuria afficere, ig-
nis prodit ex ore ipsorum qui devoret inimicos
eorum: nam si quis velit eos injuria afficere, ita
oportet eum occidi.
6 Hi habent potestatem claudendi cælum,
ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potesta-
tem habent super aquas, convertendi eas in san-
guinem: & percutiendi terram omni plaga quo-
tiescumq; voluerint.
7 Portò[10] quum [c] finierint suum testimo-
nium, [11] bestia illa ascendens ex abysso [12] ge-
ret adversus eos bellum, & vincet eos, & occi-
det eos.
8 Et cadavera eorum jacebunt [13] in plateis
vrbis magnæ, quæ vocatur [d] spiritualiter Sodo-
ma & Ægyptus, ubi & [14] Dominus noster crucifi-
xus est.
9 Et videbunt *homines* ex tribubus & populis
& linguis & gentibus cadavera eorum per [15] tres
dies & dimidium, & cadavera eorum non sinent
poni in monumentis.
10 Et incolæ terræ [16] gaudebunt super illis, &
lętabuntur: & munera mittent alii aliis, quoniam
hi duo Prophetæ [17] cruciârint terræ incolas.
11 [18] Sed [19] post dies tres & dimidium [20] spi-
ritus vitæ à Deo *prodiens* ingredietur in illos:
[21] stabuntq; *erecti* in pedes suos, & timor magnus
cadet in eos qui ipsos spectârint.
12 [22] Deinde audierunt vocem magnam de
cælo, dicentem ipsis, Ascendite huc. Ascende-
runtq; in cælum per nubem: & [23] viderunt illos
inimici eorum,
13 [24] Factúsque est in illa hora terræmotus
magnus: & decima pars Urbis cecidit, & occisa
sunt in terręmotu capita hominum septies mille,
& reliqui territi sunt, & [25] [e] dederunt gloriam
Deo cæli.
14 [26] Væ secundum abiit, & ecce væ tertium
veniet citò.
15 [27] Septimus igitur Angelus clanxit, &
factæ sunt voces magnæ in cælo, dicentes,
[28] Facta sunt regna mundi, Domini nostri,
& Christi ejus, qui regnabit in secula seculo-
rum.
16 [29] Tum viginti quatuor illi Seniores
qui in conspectu Dei sedent in thronis suis,
prociderunt in facies suas, & adorârunt De-
um,
17 Dicentes, Gratias agimus tibi Domine
Deus omnipotens, Qui es, & Qui eras, & Qui ven-
turus es: quòd adeptus sis potentiam tuam mag-
nam, & regnum inieris:
18 [30] Et iratæ sunt Gentes, & advenit i-
ra tua, & tempus mortuorum, ut judicen-
tur, & des mercedem servis tuis Prophetis,
& sanctis, & timentibus nomen tuum, parvis
& magnis: & perdas eos qui perdunt ter-
ram.
19 Tunc [31] apertum est templum Dei in cæ-
lo, & visa est Arca fœderis ejus in templo ejus: &
facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ-
motus, & grando magna.

[8] id est, ordinaria perpetuaq; in Ecclesia mea spiritualis gratiæ, pacis, & lucis instrumenta, quam Deus sola sua virtute conservat in templo suo, sic Zacar.4. [9] Virtus & efficacia sancti ministerii, ac vere Evangelici, in terra & cælo ostenditur, suos administros tuens, & perdens adversarios, hoc v. virtus verè divina, in cælo, terra, & mari sese exserens potentissimè, v. 6. ut describitur 2.Cor.10.4. ex promissione Christi, Marc.16.17. Atque hic secundus locus (ut antè diximus) de certaminibus, quæ pios Dei servos in defungenda vocatione sua obire necesse est, & rebus certaminum istorum consectariis. Certaminibus insunt ista: vincere, his duobus vers. vinci, & occidi, v. 7. Hæc autem cædis consectaria: sterni palàm piorum cadavera, ver. 8. insepulta proponi ostentui, etiam cum anathemate dirisq; exsecrationibus, vers. 9. & gratulationes propterea publicè privatimq; fieri, ver. 10. [10] i. quum annos illos 1260. de quibus vers. 2. & 3. in testimonio suo dicendo ex officio consumserint. [c] Quum legationem suam obierint. [11] de qua infr. 13. & sequent. Est autem bestia illa Romanum imperium, factum ex civili jam olim Ecclesiasticum, cujus princeps caput tum fuit ille Bonifacius VIII, ut antè diximus: qui *in tantam arrogantiam erexit seipsum*, ait auctor fasciculi temporum, *ut dominum totius mundi se diceret tam in temporalibus, quàm in spiritualibus.* Exstat de ea re scriptum ab eodem Bonifacio arrogantissimè dicam, an impiè? cap. unam sanctam, extra, de majoritate & obedientia: & in sexto Decretalium (qui ab eodem auctore est) multa habentur ejusdem argumenti. [12] id est, homines sanctos atrocissimè persequetur, & morte tradet, eorumq; memoriam & scripta confodiet ac defiget maledictionibus. Atq; hoc piis quamplurimis fuisse à Bonifacio, & aliis factitatum, docent historiæ: inprimis autem, ex quo exosam illam & damnatam in vulgus appellationem primùm Waldensium sive Lugdunensium fratrum, tum etiam Fratricellorum licuit obducere, ut plausibilius excarnificarentur boni. [13] i. in propatulo, Romæ: ubi frequentia tum fuit maxima, instituto, primùm à Bonifacio per illud tempus ad finem istum Jubilæo, anno Christi 1300. cujus exemplum legitur cap. 1. extra, de pœnitentiis & remissionibus. Sic eadem opera duplicem Christo injuriam fecit, qui & veritatem ejus revocato Jubilæi typo aboleret, & de membris ejus superstitione impia triumpharet. Hem, religiosum pectus! Ut autem hæc de Roma intelligamus, ipse Joannes auctor est tum infrà 17. toto fermè cap. tum etiam circumscriptione proximè seq. quum ait *magnam illam civitatem esse*, (ut cap. 17. vocat) & *spiritualiter Sodomam Ægyptumq; appellari, & ibidem spiritualiter* (nam hoc ἀπὸ κοινοῦ oportet repeti) *Christum crucifixum esse.* Nam duæ priores appellationes testantur mala spiritualia, postrema speciem & prætextum boni, id est, religionis Christianæ atque orthodoxæ. *Sodoma* impietatem & injustitiam licentiosissimam, *Ægyptus* persequutionem populi Dei atrocissimam, *Jerosolyma* præfidentissimam de religione vera gloriationem urbis illius significant in perfidia & impietate summa. Hęc autem omnia quis nescit potiùs & magis Romæ, quàm ulli civitati alteri competere? Pervulgata sunt Romanæ urbis ellogia jam ab aliquot seculis, quæ nostrum non est colligere. Hoc unum dicam, optimè illum jam olim vidisse quid Roma sit, qui valedicens hoc disticho utebatur,

Roma vale: vidi: satis est vidisse: revertar,
Quum leno, meretrix, scurra, cinædus ero.

[d] Occultiore quadam singularis intelligentiæ consideratione. [14] nimirùm in membris suis: quemadmodum & alloquebatur Saülum, Act. 9.5. [15] i. treis annos cum dimidio: nam tot annos supervixit Bonifacius illi Jubilæo suo, Bergomensi teste. [16] eo ampliùs exercebũt hac occasione hilaria jubilæi sui. [17] Evangelium Christi, crux mundi: & ministerium illius, odor mortis ad mortem iis qui pereunt, 2.Cor.2.16. [18] Tertius locus, ut antè adnotavimus, de Prophetarum resurrectione à mortuis, & evectione in cælum. Nam eorum resurrectio, hoc vers. vocatio & evectio in cælum, sequent. ver. exponitur. [19] nempè quo tempore Deus scelestum illum Bonifacium erit perditurus. [20] i. resurgent quodammodò Prophetæ Dei, non illi quidem in persona sua, ut loquuntur, sed in spiritu, id est, virtute & efficacia sui ministrii, quam expressit Joannes suprà vers. 5. & 6. Sic enim prædictionem de Elia dictam, de Joanne Baptista intelligendam interpretatur Angelus Luc. 1.17. Nam ille ipse Bonifacius, qui eos occisos & perditos voluerat, igne oris divini (quem ministerium sacrum nunciat & exhibet) fuit devoratus, miserèq; in carcere vita functus, Sarræ Columnensis & Nogareti equitis Galli opera, quem Rex Francorum Philippus Pulcher in Italiam cum perexigua manu submiserat.

[21] id est, subsistet paulisper gravissimus ille afflictionum & persequutionum æstus, præ consternationis gravitate ex improviso illo judicio Dei. [22] divinitùs vocati in cælum: & ex mundo hoc maligno in Ecclesiam cælestem, quæ hîc quoque in terris latet, recepti sunt ad fungendum clamculùm vocationem suam: ut quibus miser hic mundus indignus esset, Heb. 11.38. nam Ecclesia impiorum, terra vel mundus: piorum Ecclesia cælum comparatè appellatur. Sic apud Israëlitas pios olim, sic apud Judæos temporibus Manassis aliorúmque Regum, quum cæli hæredes terra respueret, ut cælum in terra legimus latuisse. [23] nec tamen potuerunt abditos Domini (ut Psaltes vocat Psal. 83.4.) impedire, quin pergerent in opere illius. [24] Bergomensis, *Anno 1301. inquit, cometes, futuræ maximæ cladis indicium, hoc anno in cælum apparuit: in quo anno in solennitate sancti Andreæ tantus repentè terræmotus exortus est, quantum anteà nunquam: qui & multis diebus per intervalla perdurans multa diruit ædificia.* Hæc ille de anno proximo post jubilæum, quæ Joannes tot ante secula, quasi verbum de verbo expresserat. [25] præsente quidem animi consternatione fracti, at non affecti seria, quam oportuit, resipiscentia. [e] Confessione sua celebrârunt gloriam Dei. [26] Transitio ad secundam historiam, secundam partem capitis. Væ autem secundum & tertium Joannes hoc loco dicit, respiciens ad versum 12. cap. 9. [27] de cujus clangore nominatim Christus prædixerat, suprà 10.7. Hæc autem secunda pars capitis, summam historiam complectens Ecclesiæ Christianæ, inde à Bonifacii VIII. seculo ad consummationem usque victoriæ, cælestibus vocibus enunciatam. Hujus autem historiæ tres sunt loci: præparatio per clangorem Angeli: narratio per cælestium Angelorum & Seniorum voces: & confirmatio per signum. [28] Narrationis partes duæ: cælestium acclamatio, hoc versu, & Seniorum omnium tum adoratio, versu 16. tum gratiarum actio amplissima, versibus 17. & 18. Sensus acclamationis est, Jam init Dominus regnum suum, & restituit Ecclesiam suam, in qua se glorificet à proculcatione Gentium potentissimè vindicata. Nempè quod instituit Dominus, quum primùm instituit, id jam perfectum contemplatur sanctorum fides. [29] ut suprà 7.11. Sunt autem hæ gratiæ ejusdem planè argumenti cum verbis superioribus. [30] Hebraismus, pro eo quod est, iratis gentibus advenit ira tua excandescens, & se revelans è cælo, occasione iræ & furoris illarum. [31] Hæc proximæ prophetiæ confirmatio per signum in cælo oblatum duûm generum: quorum alia aspectabilia, cæli discedentis, templi aperti, arcæ fœderis in templo comparentis & testificantis gratiosam præsentiam Dei, fulgurúmque: alia auribus accidentia & sensibus obtusioribus reliquis, in cælo & terra veritatem judiciorum Dei contestantia.

CAPUT XII.

1 *Mulieris 2 parturientis signum apparet, 4 cujus partui insidiatur Draco, 7 qui à Michaële devictus, 9 dejicitur. 13 Et quo magis vincendus excluditur, eo acriùs piis imminet.*

[1] VIsum est autem signum magnum in cælo:
[2] mulier amicta sole, sub cujus pedibus e-
rat luna, & in capite corona stellarum duode-
cim.
2 Et[3] prægnans clamabat parturiens, & cru-
ciabatur ut pareret.
3 Et visum est aliud signum in cælo: nam ec-
ce, [4] *adfuit* draco magnus rufus, habens capita
[5] septem & cornua [6] decem: & in capitibus suis
diademata septem.
4 [7] Cujus cauda trahebat tertiam partem
stellarum cæli, quas abjecit in terram: [8] stetit au-
tem is draco ante mulierem parituram, ut quum
peperisset, [9] filium ejus devoraret.
5 [10] Peperit autem [11] filium masculum re-
cturum omnes Gentes virga ferrea: & raptus est
Filius ejus ad Deum & thronum ejus.
6 [12] Mulier verò fugit in solitudinem, ubi
habet locum paratum à Deo: ut illic [13] alerent
eam diebus mille ducentis sexaginta.
7 Et factum est prælium in cælo: [14] Micha-
ël & Angeli ejus prçliati sunt cum dracone, &
& draco pugnavit & Angeli ejus:
8 Sed [15] hi non prævaluerunt, [a] neque lo-
cus eorum ampliùs inventus est in cælo.
9 Et projectus est draco ille magnus, serpens
ille antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas,
qui seducit totum terrarum orbem: projectus, *in-
quam*, est in terram, & Angeli ejus cum eo proje-
cti sunt.
10 Et audivi vocem magnam dicentem in cę-
lo, [16] Nunc facta est salus, & potentia, & regnum
Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia dejectus
est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat
eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.
11 Sed ipsi vicerunt eum per sanguinem Ag-
ni, & per sermonem testimonii sui: & [b] animæ
suæ prodigi fuerunt usque ad mortem.
12 Propterea lætamini cæli, & qui habitatis
in eis. Væ incolis terræ & maris: nam descendit
diabolus ad vos, iræ magnæ plenus, ut qui sciat
se paululum temporis habere.
13 [17] Quum igitur vidisset draco se proje-
ctum esse in terram, persequutus est mulierem
quæ pepererat masculum.
14 Sed [18] datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ
magnæ, ut volaret à conspectu serpentis in de-
sertum, [c] in locum suum, ubi aleretur [19] per tem-
pus & tempora & dimidium temporis.
15 [20] Ejecit autem serpens ex ore suo post
mulierem, aquam tamquam flumen: ut eam fa-
ceret rapi à flumine:
16 [21] Sed succurrit terra mulieri, aperuítque
terra os suum, & absorpsit flumen quod ejecerat
draco ex ore suo.
17 [22] Iratus est igitur draco adversus mulie-
rem: & abiit ut gereret bellum cum reliquis ex
ejus semine, observantibus mandata Dei, & ha-
bentibus testimonium Jesu Christi.
18 [23] Stetitq; super arenam maris.

[1] ℣. Hactenus prophetia summa, duabus partibus comprehensa, ut in caput 11. ostendimus. Deinceps prior propheticæ locus, hoc & seq. cap. posterior cap. 14. & sequentibus exponetur. Ad priorem locum, de certante seu militante ecclesia, duo pertinent, ortus, & progressus illius in certaminibus & Christiana lucta: è quibus ortus hoc cap. progressus sequente describitur. Ortum Christianæ Ecclesiæ definimus, inde à momento conceptionis Christi, ad illud usque tempus quo Ecclesia hæc tamquam à mamma vel lacte matris depulsa est: quum videlicet Ecclesia Judęorum cum urbe & templo subversa est judicio Dei. Sic habetur in hoc cap. historia annorum ampliùs sexaginta novem. Partes hujus capitis sunt tres: prima, historia conceptus & gestationis, versibus 4. secunda, historia partus, à ℣. 5. ad 12. usque: tertia denique historia puerperæ, inde ad finem cap. atque hæ partes singulæ suis certaminibus conjunctæ sunt. Itaque prima illa parte duo membra concluduntur: unum de conceptu & gestatione, duobus vers. alterum de insidiis draconis adversus partum, duobus alteris. Prioris membri sunt, descriptio matris, vers. 1. & dolorum parturientis, 2. vers. omnia cælitùs Joanni demonstrata. [2] typus veræ & sanctæ Ecclesiæ, quæ tum exstiterat in Judæorum gente. hæc autem Ecclesia (ut conditio est sanctæ Ecclesiæ catholicæ) in se circumfulgebat gloria à Deo attributa, mutabilitatem proculcabat pedibus, & regnum cælorum obtinebat, tamquam hæres illius. [3] Hæc enim sterilis illa est, quæ non pepererat, de qua Esai. 54. 1. & Gal. 4. 27. verè autem clamavit & cruciata est per illud tempus, quû judicio omnium moribunda, & jam propemodùm actura animam videretur præ infirmitate & tenuitate sua. [4] diabolus nempè vel Satanas, ut exponitur versu 9. isq; potens, iracundus, & iratum plenus. [5] nempe septem illis Ecclesiis de quibus antè, id est, catholicæ Ecclesiæ obstitura; & quidem regali apparatu & tyrannica magnificentia, quæ diadematis figuratur in caput impositis, velut ad ipsum citra controversiam pertinentibus jure proprietario: ut etiam ostentabat Christo Matth. 4 vide infra in 13. 1. [6] plura quàm sint Agni cornua, aut quàm sint Ecclesiæ: adeò se ad maleficia quævis instructissimum esse gloriatur latro. [7] Descriptioni diaboli subjicitur illius actio; putà certamen Ecclesiæ oblatum: partim aspectabili, in qua triticum paleæ, & boni pisces malis conjuncti sunt; & hujus bonam partem de cælo dicitur deturbâsse atque pervertisse (nam si fieri posset, etiam electos perversurus esset, Matth. 24. 24.) quamvis specie refulgentem, ut stellę in cælo fulgent: partim electis membris sanctæ Ecclesiæ catholicæ, in parte secunda versus, De membris ergo Ecclesiæ visibilis plurima, inquit Joannes, everterat, & de iis triumphabat. [8] obstitit priscæ illi Judæorum Ecclesiæ electæ Christianam Ecclesiam parituræ, & partum observavit. Nam tota Ecclesia totúmque corpus, fœminæ: pars verò Ecclesiæ fœtui comparatur, ut copiosè in Cant. 7. 6. observavimus. [9] Christum quem vocant mysticum, i. totum, ex persona Christi velut capite, & ex corpore cum capite per Spiritum adunato constantem. sic accipitur Christi appellatio 1. Cor. 12. 12. [10] Secunda historia, de partu Ecclesiæ: in qua primùm ratio partus & matris describitur, duob. ℣. secundò certamen draconis in partum, & parta in illum victoria, tribus versib. sequentib. postremò cantatur epinicium, tribus alteris ad vers. 12. usque. Partus rationem duplicem ostendit Joannes: nam describit illum, & stationem illius, hoc versu. [11] Christum, caput Ecclesiæ cum sua Ecclesia conjunctum (cujus principium, radix, & fundamentum idem est Christus) potentia regia instructum, & è faucibus Satanæ (qui eum ut draco admordit in cruce) assumtum in cælum, ut è solio illo cælesti imperaret. [12] Ecclesia Christi Judaica, post illius assumtionem in cælum, delituit in mundo velut in solitudine, sola Dei protectione freta, teste Lucas in Actis Apostolorum. [13] nimirum Apostoli & servi Dei, ad Ecclesiam tum ex Judæis, tum ex Gentibus collectam, verbo vitæ alendam constituti. nisi quis fortè *alerent*, ex Hebræorum usu accipiat impersonaliter, pro eo quod est aleretur. sed prius malo: nam ad duos illos Prophetas respicit, de quibus sup. 11. 3. de illis autem mille ducentis sexaginta diebus consulendus ibidem locus. [14] Christus, princeps Angelorum, & Ecclesię caput, virgam gerens illam ferream, versu 5. vide annotata in Dan. 12. 1. Est autem hic descriptio certaminis, in hoc versu & victoriæ, duobus sequentibus. Ad hoc autem certamen respiciebat Psaltes Psal. 68. 19. & Paulus Ephes. 4. 8. & Coloss. 2. 15. [15] Victoriæ descriptio καθ' ἀναίρεσιν καὶ θέσιν, sive per negativam (ut loquuntur vulgò) propositionem, hoc versu, & per affirmatativam contrariam, vers. seq. Satanam in cælo nihil obtinuisse; sed virtute Dei in hunc mundum, cujus est princeps, dejectum esse, Christo & electis ejus membris ad thronum Dei consistentibus. [a] 8. Ejecti sunt, ita ut nusquam posteà apparuerint in cælo.

[16] Epinicium, seu triumphale carmen; continens primùm propositionem gloriæ Dei & Christi, victoria illa demonstratæ, secundò rationem illius propositionis ab effectis, quòd hostis debellatus, hoc versu & pii in Christo victores ὑπερνικῶντες Rom. 8. 37. effecti sunt, vers. 11. tertiò conclusionem, ad cælestes & sanctos hortatoriam; ad mundum verò propheticam mali gravissimi atque exitii, quod à diabolo procuratur humano generi, ne solus brevi sit miser, ℣. 12. [b] Ad verb. & nō dilexerunt animā suam. is autem Hebræis dicitur diligere animam suam. i. vitam, qui nihil habet hac vita charius: & è contrario non diligere animam suam, qui non dubitat illam periculis exponere, quoties ita facto opus est. [17] Tertia pars, historia puerperæ, duo membra continens: certamen diaboli contra Ecclesiam Christianam Judæorum gentis, 4 versib. & institutum in semen illius, id est, in Ecclesiam gentium, quæ vocata est sancta in Evangelio Christi, duobus ultimis. [18] id est, divinis viribus instructa, edoctaq; monitis, effugit velocissimè ab impetu diaboli & communi Jerosolymorum excidio, & in urbem solitariam trans Jordanem, Pellam nomine, commigravit, ut narrat Eusebius lib. 3. histor. Eccles. cap. 5. quem locum oraculo Deus ipsi imperaverat. [c] In eum locum qui est à Deo ipsi destinatus. [19] id est, per annos treis & dimidium. sic accipitur eadem loquutio Dan. 7. 25. Numeratur autem hoc spatium fermè à postrema illa gravissimáque defectione Judæorum ad urbis & templi excidium usque. Cœpit enim defectio anno duodecimo Neronis: quæ defectio priùs quàm institueretur, præsagia & prædictiones multæ divinitùs oblatæ sunt, ut narrat Josephus libro 7. de bello Judaico, cap. 12. & Hegesippus lib. 5. cap. 44. inter quas illa est memorabilis, quod in festo Pentecostes non solùm gravis sonus & strepitus in templo perceptus est, sed vox etiam è sanctuario à quamplurimis exaudita, quæ inclamaverit, transeamus hinc. Post tres autem annos cū dimidio quàm defectio illa à Judæis cœpta est, factaq; prodigia, urbs expugnata est, eversum templum, & repudiatus à Deo locus: atque hoc spatium Joannes hoc loco designavit. [20] id est, Romanos & gentes inflammavit, quæ Judæorum gentem infestis armis persequentes, in Ecclesiam quoque Domini Jerosolymis & è Judæa profectam exundarent. Nam turbas inundantes gentium cum aquis comparari in Scripturis est frequentissimum. [21] Id est, alios Judæos exhibuit Romano & gentibus in Judæorum populum furentibus, effecitq; ut Ecclesia ab illa violentia servaretur integra, absumto in aliorum Judæorum exitium illo violentissimo persequutionis flumine, quod draco vomuerat. [22] exardescens cœpit ampliùs furere; quia irritos suos conatus in Christianam Judæarum reliquiarum Ecclesiam sensit, statuit in semen illius, id est, in Ecclesiam ex Gentibus etiam à Deo collectam, piaq; illius membra irruere. Atque hoc alterum membrum, ut diximus in versum 13. quo & institutum diaboli, hoc vers. & conatus, sequente ostenditur. [23] id est, ut procella vehementissima incubuit toto mundo (cujus est princeps) in commovendos fluctus, & exacerbandas gētes, quæ insanis suis fluctibus Ecclesiam Christi piaq; membra illius exagitaret, procelleret, perderetq;. Sed huic conatui obstitit providentia Dei, ut tenellæ recentiq; Gentium Ecclesiæ consuleret. Hujus autem historiæ de dracone reliqua ab Apostolo Joanne infrà cap. 20. optimè pertexuntur. Hic enim conantem draconem in vincula conjecit Deus.

CAPUT XIII.

1 *Describitur bestia illa multiceps,* 8 *quæ maximam mundi partem in idololatriam seducit,* 12 *quæ ab alia bestia ascendente,* 15 *confirmatur.*

[1] Exposito Ecclesiæ Christianæ ortu,& conditione Ecclesiæ illius unde ortum ducit nostra, jam ad historiã progressus transit Apostolus, ut in principium superioris cap. ostendimus. Atque hæc quidẽ historia de progressu Ecclesiæ & certamininibus ipsius in hoc capite exponitur, sed, distinctè duobus membris: quorum unum est de imperio civili Romano, ad ℣.10. usq;: alterum, de corpore Ecclesiastico, sive prophetico, inde ad finem cap.

TUm [1] vidi bestiam [2] è mari ascenden-
tem, quæ habebat [3] capita septem & cor-
nua decem: & [4] imposita cornibus ejus decem
diademeta,& impositum capitibus ejus [5] nomen
blasphemiæ.
2 Eratq; hæc bestia quam vidi, [6] similis par-
do,& pedes ejus ut pedes ursi, & os ejus ut os leo-
nis: [7] dedit autem ei draco virtutem suam, &
thronum suum,& potestatem magnam.
3 Et [8] vidi unum ex capitibus ejus quasi le-
thaliter cęsum: sed ipsius plaga lethalis curata est:
& admirans universa terra sequuta est bestiam.
4 Et adorârunt draconem qui dedit potesta-
tem bestiæ:& adorârunt bestiam, dicentes, Quis
similis bestiæ? quis poterit pugnare cum ea?
5 [9] Datumq; est ei os loquens magna & blas-
phemias: & data est ei potestas [10] agendi men-
ses quadraginta duos.
6 Aperuit igitur os suum ad blasphemiam
adversus Deum, ut convitiis afficeret nomen e-
jus,& [11] tabernaculum ejus, & [12] eos qui in cælo
habitant.
7 Sed & datum est ei bellum gerere cum
sanctis, & eos vincere:& data est ei potestas in
omnem tribum,& linguam,& gentem.
8 Itaque adorabunt eam omnes incolæ ter-
ræ, [13] quorum non sunt scripta nomina in libro
vitæ Agni illius mactati *jam inde* à jactis mundi
fundamentis.
9 [14] Siquis habet aurem, audiat.
10 Siquis in captivitatem agit, in captivita-
tem abit: [‖] si quis gladio occiderit, oportet eum
gladio occidi. hîc est tolerantia & fides Sancto-
rum.
11 [15] Deinde vidi aliam bestiam ascendentem
è terra, [16] habentem cornua duo similia Agni,
sed loquebatur ut draco.
12 [17] Ea verò potestatem prioris bestiæ om-
nem exercet in conspectu ejus, & facit ut terra &
ipsius incolæ [18] adorent bestiam illam primam
cujus curata fuerat plaga lethalis.
13 [19] Editque signa magna, adeò ut etiam ig-
nem faciat è cælo descendere in terram in con-
spectu hominum.
14 Et seducit incolas terræ, propter signa

[11] id est, Ecclesiam sanctam, veram Dei viventis domum. [12] id est, pios singulos laniantes à crudelitate ejus. Nam innumeros criminibus cruenta hæc bestia sanctas illas animas obruebat mentiendo propter nomen Christi: ut apud Justinũ martyrem, Tertullianum, Arnobium, Minucium, Eusebium, Augustinum de civitate Dei,& alios legimus. Quod exemplum posteriora secula diligentissimè perdendo ovili Christi sequuta sunt, & nos memoria nostra cum incredibili dolore experti sumus. de cælo autem vide suprà 11.12.

In priore mẽbro narrantur ista; primùm status illius imperii, 4. versib. deinde res gestæ, 3. versib. tum effectus; gloria amplissima, vers. 8. postremò autem usus, & piorum institutio adversus mala ab eo supervẽtura denunciatur, ℣.9.& 10. Status historia continet amplissimam descriptionem bestiæ, primùm integræ, ℣.1.& 2. tum etiam instauratæ, ver.3.& 4. [2] super cujus arenam stabat diabolus novas procellas in Ecclesiam moliens, proximè præcedente vers. quo tempore imperium Rom. intestinis discidiis periclitatum est, fluctuavitq; vehementissimè,& nova subinde capita, novos Imperatores expertum est, vide infrà 17. 8. [3] ea ipsa potentiæ & providentiæ administrationisq; peritissimæ instrumenta habens, quæ dictus est habere draco. sup.12.3. [4] Draconi septẽ diademeta capitibus septem leguntur imposita suprà 12.3. quia dominum se affirmat prædo proprietarium, principemq; mundi: huic verò bestiæ diademata nominantur decem, cornibus singulis non capitibus imposita, quia bestia est draconis beneficiaria, ver. 2. nec aliter hæc regnat quàm lege fiduciaria ab illo dicta, nempè ut cornibus suis in Ecclesiam Dei abutatur. Sumtum ex prisco ritu & agendi formula: qua Reges *αὐτοκράτορες* caput diademate solebant cingere, vasalli verò & fiduciarii capitium. Sic enim diadema isti deponebant commodè, quum in dominorum suorũ conspectu comparerent: quemadmodum & Seniores adorantes Deum qui insidebat throno, coronas suas coram eo dicuntur abjecisse, sup. 4. 10. [5] contrà quàm olim Deus inscribi jusserat cidari Sacerdotis summi, *Sanctitas Jehovæ.* Est autem nomen blasphemiæ à dracone inditum, illud (opinor) quod ait Paulus 2. Thess.2. *tanquam Deus sedet, præ se ferens se esse Deum.* Nam istud nomen blasphemiæ & Romani Impp. jam tum sibi vindicârunt, prout de Caligula & Domitiano Suetonius & Dion narrant: & post eos, Rom. Pontifices pleno ore de se hoc ipsum prædicârunt, quum res divinas sibi arrogarent: quo genere enũciatorum sextus Decretalium, Clementinæ,& Extravagantes plenæ sunt. His enim id non fuit satis quod Anglicus in poëtria cecinit (cujus principium est, Papa stupor mundi) *Nec Deus es, nec homo: quasi neuter es inter utrumq;*, ut glossa in sextum agnoscit: sed nomen ipsum Dei ausus est sibi assumere,& tribuentibus annuere: quemadmodum Sixto quarto antè annos fermè 120. Romam primùm ingressuro in dignitate illa (ut putant) Pontificia, factus est arcus triumphalis,& portę Rom. qua erat ingressurus, artificiosè impactus, cum inscriptione blasphemi istius distichi,

Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et meritò in terris crederis esse Deus.

Hæc & sexcenta consimilia quis modestiæ illi deputet, qua servos servorum Dei se appellari olim volebant boni? Aut hoc certè blasphemiæ nomen est, aut nullũ est. [6] velox ut pardus, commodè manu prehendens omnia ut ursus pede,& ore conterens exedensq; ut leo. [7] i. communicavit utendam, quum effugere se non posse animadverteret, quin prehẽderetur Angeli manu & in abyssum cõjiceretur, inf. 20. non autem abjecit à sese planè, quin ipse quoque, dum posset, uteretur. [8] Hic alter locus ad descriptionem bestiæ Rom. pertinens, quòd præter nativam illam quandam dignitatẽ & amplitudinem Rom. imperii, quæ duob. ℣ præced. fuit adumbrata, accessit altera quasi miraculosa, quòd unum caput quasi lethaliter cæsum, & quasi divinitùs curatum est ante oculos omnium. Est autem hoc caput Nero, in quo stirps illa Cæsarum de imperio decidit, & gubernacula Reipub. fuerunt ad alios transportata: in quorum manu ita curatum est revaluitq; imperium, ut eo firmiùs radicatum ac fundatum quàm unquam anteà omnibus videretur. Atque hinc effecta illa consequuta sunt, quæ mox subnectuntur: primùm admiratio quasi sacræ & divinæ cujusdam virtutis imperium illud fulcientis regentisq;: secundò obsequium universæ terræ hoc versu: tertiò draconis adoratio,& impia dæmonomania ab Impp. Rom. confirmata: postremò ipsius bestiæ adoratio; quæ in tantam venit existimationem, ut ei divina nomina & cultus divinus tribuerentur, seq. vers. Atque hanc religionem mentibus hominum duæ causæ dicuntur injecisse: species dignitatis, quæ reverentiam adfert: & species potentiæ inexpugnabilis, quæ metum. *Quis similis*, aiunt illi, *bestiæ? quis poterit pugnare cum ea?* [9] Secundum membrum historiam rerum à bestia gestarum continens, ut diximus in versum primum. Earum autem historia duabus partibus concluditur: principio, & modo ipsarum. Principium est communicatio draconis, qui & impietatem in Deum, & inhumanitatem injustitiamq; in omneis, præsertim verò in pios & domesticos fidei, indidit & inspiravit bestiæ, versu 5. Modus rerum gestarum sive actionum est duplex: tum impius animo & sermone blasphemus, omninò denique contumeliosissimus in Deum, Ecclesiam, pios, versu 6. tum operibus atrocissimus & injustissimus, qualia ab infensissimis hostibus & victoribus insolentissimis perpetrantur, ℣.7. [10] nempè actiones suas. de illis autem mensibus quadraginta duobus diximus antè in 11.2.

[13] id est, qui non sunt ab æterno electi in Christo Jesu: hic enim Agnus mactatus ille est, de quo suprà 5.6. Hæc autem verba cum Areta distinguo in hunc modum, *quorum nomina non sunt scripta inde à jactu fundamentis mundi in libro vitæ Agni illius mactati*: atque hæc distinctio simili loco infrà 17.8. confirmatur. [14] Conclusio hujus sermonis de priore bestia, bimembris: hortatione ad audientiam attentam, hoc ver. & prædictione constans, partim comminationum adversus impios, partimq; consolationum ad eos qui in tolerantia & fide exspectaverint gloriosum illum adventum Domini nostri & Servatoris Christi, ver. sequente. [‖] *Gen.9.6. Mat.26.52.* [15] Secundum visionis membrum, de imperio Ecclesiastico, quod Romæ successit politico, & penes corpus pseudoprophetarum est falsæq; doctrinæ artificum. Quapropter eadem bestia, idemq; corpus etiam à Joanne donatur pseudoprophetæ appellatione, infrà 16. 13.& 19.20. Hujus autem bestiæ primùm species describitur, hoc vers. deindè res gestæ illius, sequentibus: & sermo totus concluditur versu ultimo. Est autẽ ortu hęc bestia, terræ (ut loquuntur) filia, *γηγενὴς*, obscurè nata, & pedetentim emergens ex abjectione sua. [16] id est, specie quidem Agnum simulabat (quid enim mitius, quid abjectius, quàm servum esse servorum Dei?) sed re draconem agebat, & lupum, Matt.7.15. ipse enim Satanas transfigurat sese in Angelum lucis, 2. Corinth.11.14. quid discipuli probi ejus, servuliq; faciant? [17] Rerum a bestia hac gestarum historia ad tria capita summatim pertinet, hypocrisin, signorum fidem, atque tyrannidem: quarum prima, hoc versu, secunda, tribus seq. tertia, vers. 16.& 17. exponitur. Hypocrisis illa est mendacissima, qua & priorem bestiam ludificatur & universum mundum, quòd etsi ex priore bestia arte sua, ut calce, misertimum effecit *σκύβαλον*, omnem potestatem illius usurpavit sibi, eámque vidente & spectante illa exercet impudentissimè; sic tamen præ se fert ac si honore summo prosequeretur ipsam, & ab omnibus coli optima fide procuraret. [18] Nam Romanæ isti bestiæ, quæ in *ἐν πολιτικῆς ἀρχῆς* facta est *ἱεραρχία*, divini honores tribuuntur, & divina planè auctoritas, adeò ut etiam supra Scripturas credatur esse: quod vel impio hoc versu glossa Decretalium testatur, *Articulos solvis, synodúmque facis generalem*, de potentia Papali dicto. Sic ortu, fundamento, sede, re denique ipsa bestia una est: speciem & modum solùm variavit Pontifex, qui idem est imperii illius tyrannici,& pseudoprophetarum caput: nam illud imperium assumsit sibi, hoc verò artificium adjecit illi. Ista autem verba, *cujus curata fuerat plaga lethalis*, hic ponuntur *διακριτικῶς*, & pòst aliquoties, ut jam eo tempore lectores pii quasi in rem præsentem ducerentur hoc signo. q. d. ut adorent hoc ipsum imperium quod nunc est, cujus caput exsectum memoria nostra curatumq; vidimus. [19] Secundum rerum à bestia hac gestarum caput est ingentium signorum fides, ad confirmandam impietatem istam pertinentium: quorum alia supernè data sunt, ut ignis è cælo demissus dicitur falsis præstigiis, hoc versu: alia hîc exhibita in cõspectu bestiæ, ad stabiliendam idololatriam & animas seducendas: quam partem incipiens à posteriori (ut loquuntur) narrat Joannes hoc modo: 1. effectus demonstratur his verbis, *seducit incolas terræ.* 2. communis modus efficiendi duplex: unus, signorum, *propter signa quæ datum est ei ut faciat in conspectu bestiæ*: alter, sermonis ad signa accedentis & docentis idololatriam signis confirmatam, *dicens incolis terræ, ut faciant imaginem illi bestiæ quæ &c.* 3. singularis modus exponitur, quòd *datum est ei ut animaret imaginem bestiæ*. Et quidem animatione ejusmodi, ut ea tum loquatur respondens consulentibus, tum mortem immorigeris, nec ipsam adorantibus, pronunciet: quæ omnia signis falsis, procurante & inspirante diabolo in imaginibus, non rarò effecta sunt. Horum enim signorum exemplis plenæ sunt historiæ Pontificiorum plerisq; fictis, aliis etiam factis per diabolum in imaginibus, ut in serpente olim, Gen. 3. quibus exemplis non bestię auctoritas, sed Dei harumq; prędictionum à Deo veritas confirmatur.

quas

quæ datum est ei ut faciat in conspectu be-
stiæ, dicens incolis terræ ut faciant [20] imagi-
nem [21] bestiæ quæ gladio vulnerata fuit, sed
revixit.
15 [22] Datumq; est ei ut [a] animaret imaginem
bestiæ, ut etiam loquatur imago bestiæ; & faci-
at ut quicumque non adorârint imaginem be-
stiæ, occidantur.
16 [23] Sed & facit ut omnes, parvi & magni,
divites & pauperes, liberi & servi accipiant
[b] [24] characterem in manu sua dextra, aut in
frontibus suis:
17 Et nequis possit [25] emere aut vendere, nisi
qui habeat [26] characterem aut nomen bestiæ,
aut numerum nominis ejus.
18 [27] Hic sapientia est. Qui intelligentia prę-
ditus est, computet numerum bestiæ: [28] numęrus
enim hominis est: & numerus ejus, sexcenta sex-
aginta sex.

[20] id est, imagines, per enallagen numeri: nam harum cultus inde à Concilio Niceno secundo contra legem Dei institutus est fide & auctoritate publica. [21] tertio casu in Græco dictum, pro eo quod est, ad cultum honorémque & obsequium illius: nam hac imaginum propugnatione bestia hæc pseudoprophetica Romanæ bestiæ commodat potentissimè, abs qua jam olim eas acceperat: quapropter optimè deinceps imago bestiæ appellatur, cùm imagines ortum à bestia, modum ex voluntate bestiæ, finémque in commodis bestiæ habeant positum. [22] Et de hoc signo imaginum bestiæ, id est, quas bestia posuit statuminandæ idololatriæ, miraculosè loquentium & judicantium, vel potiùs mirificè, pseudoprophetarum fraudibus, pleni Pontificiorum libri. [a] B. Vitam inderet, nempè sicut Jannes & Mambres Mosis prodigia imitabantur. [23] Tertius locus, impia tyrannis & insolentissima, ut ante dictum, in personas, hoc versu & in res actionésque earum usurpata, sequent. vers. Nam & personarum omnium tyrannicam mancipationem dicitur facere, ut tamquam stigmatiæ isti bestiæ serviant: & in res actionésque omnium tum promercalem abusum exercere indulgentiarum dispensationúmque (ut vocant) erga suos, tum in alios interdicta exercere violentissima, dirásque ejaculari etiam in naturalibus & civilibus, privatis & publicis bonæ fidei contractibus. [b] Notam nominis bestiæ. [24] id est, chrisma illud suum, quo in Sacramento (ut vocant) Confirmationis, personas & actiones obsignando earum frontem manúmque mancipant sibi, & signum Christi de quo suprà 7.3. sanctúmque baptismum nostrum faciunt irritum. Nam quos Christus baptismo adjunxit sibi, hos bestia hæc Confirmatione vindicat, quam Baptismo non dubitat auctoritate & efficacia præponere. [25] id est, liberum ullum commercium aut consuetudinem habere cum hominibus, nisi qui Confirmationem istam & consecrationem clericalis tonsuræ, quam vocant, habuerint. Legatur Gratianus de consecrat. distinct. 5. c. omnes spiritus sanctus, &c. de his. [26] Hic desiderantur tria à pseudoprophetis, quæ per incrementum enunciantur, character, nomen, & numerus nominis. Sensus est, nisi qui habeat primùm Confirmationem & clericalem illam tonsuram, secundò ordines sacros, quorum perceptione participatur nomen illud bestiæ: aut denique nisi gradum summum scientiæ illius Pontificiæ, & juris (ut vocant) Canonici, mysteriáque illius quasi in numerato habeat. In his enim est numerus nominis illius. Atque hoc sequens versus optimè ἐξηγεῖται. [27] id est, in hoc numero bestiæ consistit Pontificia illa sapientia, quæ summa illis quidem videtur esse. Exponit his verbis Joannes antecedens illud dictum de numero bestiæ, quid habeat suprà characterem aut nomen illius. Hæc, inquit Joannes, character, & nomen bestiæ facilè cuivis contingunt: sed in numero bestiæ habendo est sapientia: non nisi sapientum ac intelligentium est numerum illum assequi: doctores sunt illuminatissimi qui assequuntur ipsum: ut sequentia verba commonstrant. [28] Quantus, & quotus sit numerus bestiæ, ex quo bestia numerat sapientiam suam, his verbis exponitur. Quantus est, rogas? tantus ut hominem totum occupet, homo semper discat, & numquam ad ejus cognitionem veniat: vir sit oportet, qui numerum illum assequitur. Quotus autem? nempè senarius per omnia, & perfectè resultans ex omnibus suis partibus aliquotis ut vocant: senarius per monadas, decurias, centurias, &c. adeò ut nulla pars aliquota sit in disciplina & ordine Pontificio, quæ ad suum caput ac veluti summam minimè referatur aut contineatur ea: tam benè in hac Hierarchia respondent omnia inter se, & capiti suo. Itaque senario numero trux illa bestia Bonifacius octavus, Decretales à se absolutas prædicat in proœmio sexti: *Quem librum*, inquiens, *quinque libris aliis dicti voluminis Decretalium annectendum, censuimus Sextum nuncupari, ut idem volumen senarium (qui numerus est perfectus) librorum, illo adjuncto, numerum comprehendens, perfectam in rebus agendis formam tribuat, & in moribus disciplinam*. Hic igitur ille est numerus bestiæ suas partes de se fundentis, & omneis ad se prudentissimè sagacissiméque reducentis disciplina sua. Consulatur, siquis plura desideraverit, glossa in eumdem locum. Non sum nescius alias hujus loci interpretationes adferri: sed bona omnium pace meam sententiam duxi in medium sine cujusquam offensa conferendam: ídque hac causa adductus maximè, quòd mihi nec probabile videtur, nec verisimile, numerum bestiæ, sive nominis bestiæ accipi, ut vulgus interpretum putavit, oportere. Nam hunc numerum bestia docet, dat, imprimit, ut notam publicam suorum, eámque notam maximi præ aliis facit, ut dilectissimorum suorum notam. Illæ autem interpretationes ab hac proprietate & conditione illius numeri videntur abludere: sive ad nomen Latini, sive Titanis, sive aliud aliquid respexeris. Hæc enim bestia non docet, dat, imprimit, sed doceri vetat diligentissimè, & audacter negat: non probat sed improbat: & eos qui de hoc numero sic cogitant, odio plus quàm Vatiniano persequitur.

CAPUT XIIII.

2 Agno stante super montem Sion, 4 unà cum castis suis cultoribus, 6 Angelus unus Evangelium nunciat: 8 Alius Babylonis casum prædicit: 9 Tertius bestiam vitari monet. 13 Vox è cælo beatos illos pronunciat, qui domini causa moriuntur. 16 Mittitur posteà falx domini in messem, 18 & in vindemiam.

TUnc [1] vidi, & ecce *aderat* Agnus [2] stans super
montem Sion, & cum eo [3] centum quadra-
ginta quatuor millia habentia nomen Patris e-
jus scriptum in frontibus suis.
2 Et audivi vocem è cælo tamquam vocem
aquarum multarum, & tamquam sonum tonitrui
magni: & vocem audivi citharœdorum pulsanti-
um citharas suas:
3 Et qui canebant quasi canticum novum
ante thronum, & in conspectu quatuor illorum
animalium, & illorum seniorum: neq; quisquam
poterat discere canticum illud nisi illa centum
quadraginta quatuor millia, ii *videlicet* qui emti
sunt è terra:
4 Hi sunt qui cum mulieribus non sunt in-
quinati: virgines enim sunt. hi sequuntur Agnum
quocumq; ierit: hi emti sunt ex hominibus, pri-
mitiæ Deo & Agno sacræ.
5 Et in quorum ore non est inventus dolus:
sunt enim inculpati ante thronum Dei.
6 [4] Deinde vidi [5] alium Angelum volantem
per medium cæli, habentem Evangelium æter-
num, ut evangelizaret incolis terræ, & omni gen-
ti, & tribui, & linguæ, & populo:
7 Dicentem magna voce, [c] Timete Deum,
& ei tribuite gloriam: nam venit hora judicii e-
jus: & adorate eum [d] qui fecit cælum & terram
& mare & fontes aquarum.
8 Et alius Angelus sequutus est, dicens, [e] Ce-
cidit Babylon, urbs illa magna, quia vinum ex-
candescentiæ [a] scortationis suæ potandum præ-
buit omnibus gentibus.
9 Et tertius Angelus sequutus est illos, di-

[1] B. Absoluta historia Ecclesiæ Christi ad annos ampliùs mille trecentos, quo tempore Bonifacium VIII. vixisse antè ostendimus; reliqua demùm historia sequitur certantis seu militantis Ecclesiæ, inde ad tempora usque victoriæ ultimæ, 3. capitibus. Nam primùm quasi fundamentum totius historiæ, Agni illius constitutio cum copiis & comitatu ejus describitur, 5. versib. deinde verò res gestæ illius, quas fecit, & facit adhuc potentissimè: dum Antichristum fundit spiritu oris sui, hoc cap. reliquo, & duob. sequentibus. Ad descriptionē Agni ponuntur tria: situs, locus, & comitatus ipsius: quia cætera exposita sunt visis antecedentibus, præsertim verò in capite 5. [2] quasi accinctus ad opus suum patrandum, ut Act. 7.56. in medio Ecclesiæ suæ, quam olim adumbrabat Sion. [3] ut suprà 7.2. Hic verò comitatus Agni circumscribitur primùm divino (ut suprà 7.2.) signaculo, hoc versu: deinde occupatione sancta ipsius, quòd cuncti & singuli in eo comitatu contentissimè suavissiméque, versu 2. cantico singulari coram Deo & Angelis electis ejus Agnum glorificant, quod canticum caro & sanguis exaudire non potest, nec intelligere, vers. 3. postremò rebus eorum antegestis & sanctificatione ipsorum: quòd virgines fuerint, à scortatione spirituali & corporali, id est, impietate & injustitia integri: quòd Agnum ducem omnis boni sequuti sint hærentes ei: quod ei sint sacri, tamquam redemti ab eo per gratiam: quòd ista omnia, sanctificationem vitæ, ductum Agni, & εὐχαριστίαν redemtionis illius, in veritate coluerint & simplicitate Christi: denique (ut generatim absolvatur) quòd inculpati sint coram Domino, vers. 4. & 5. [4] Altera pars, ut diximus in versum. 1. de rebus gestis Agni. Earum modus exponitur duplex, sermonum, factorúmque. Sermones ad versum 13. hujus capitis; facta ad caput 16. explicantur. Sermone autem Agni, qui idem sermo est Evangelii, docentur hoc in loco ista: piorum officium in reverentia Dei intùs, foris glorificatione positum, quarum symbolum adoratio, vers. 7. impiæ Babylonis eversio, vers. 8. & impiorum quoque singulorum casus bestiam adorantium, vers. 9. & 2. sequentibus: postremò piorum Dei servorum status tum præsens, vers. 12. tum futurus beatissimus ex promissione Dei, vers. 13. [5] typum bonorum fideliumq; servorum Dei, quos Deus maximè à tempore Bonifacii illius VIII, excitavit ad promulgandum Evangelium Christi sermone & scriptis. Sic Deus primùm proximè Bonifacii illius tempora Petro Cassiodoro Italo, pòst Arnoldo de villa nova Gallo, tum Ockamo, Dante, Petrarcha, exinde Joanne de rupe cæsa Franciscano, postmodùm Joanne Wiklefo Anglo, & sic deinceps his & illis usus est ad restitutionem veritatis & amplificationem Ecclesiæ suæ. [c] *Psalm.* 145. 6. [d] *Act.* 14. 15. [e] *Esai.* 21. 9. *Jerem.* 51. 8. *Infrà* 18. 2. [6] id est, actura est de Babylone sententia & judicio Dei: cujus exsequutionem describit Joannes capite 18. Atque hæc vox Ministrorum successit, ex quo lucem Evangelii divinitùs oblatam Babylon certo consilio certáque malitia oppugnavit. [a] B. Scortationis suæ, qua Deus est ad iram inflammatus.

7 id est, Deum solum non adoraverit, sed honores divinos in bestiam hanc transtulerit, sive ex animo faciat, sive simulata significatione: nam qui me negaverit coram hominibus, ait Christus Matth. 10. hunc ego negaturus sum coram Deo Patre meo & Angelis ejus. Atque hæc illa vox est sancti ministerii, qua hoc tempore plurimùm utuntur pii & fideles servi Dei. Animadversa enim jam satis publica Babylonis obfirmatione, non laborant ut in eam deinceps ampliùs intonent; sed privata membra terrore servaturi (ut loquitur Judas) & ex flamma publica rapturi, aut seria commiseratione abducturi ostendunt eis mortem æternam quò imprudentes ruunt, nisi tempestivè ad Deum revertantur: pios verò de grege suo ad tolerantiam, obsequium, & fidem Domini Jesu cohortantur, suoq; exemplo aliis jubent prælucere.

cens voce magna, Siquis [7] adoraverit bestiam &
imaginem ejus, & acceperit characterem in
fronte sua aut in manu sua,

10 Bibet hic quoq; ex vino iræ Dei, ex mero,
inquam, infuso in poculum iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum
sanctorum, & in conspectu Agni.

11 Et fumus cruciatus eorum ascendet in secula seculorum: nec habebunt requiem die nec
nocte qui adorant bestiam & imaginem ejus, &
siquis acceperit characterem nominis ejus.

12 [8] Hic tolerantia sanctorum est: hîc qui observant mandata Dei, & fidem Jesu.

13 Tunc audivi vocem è cælo, dicentem mihi, Scribe, Beati ab hoc tempore mortui ii, qui
[b] Domini causa moriuntur. Etiam, dicit Spiritus: ut requiescant à laboribus suis: & [c] opera eorum sequuntur eos.

14 [9] Aspexi autem, & ecce *aderat* [10] nubes
candida: & super nubem sedebat *quidam* similis
homini, [11] habens impositam capiti suo coronam
auream, & in manu sua [12] falcem acutam.

15 [13] Et alius Angelus prodiit è templo, clamans voce magna ad eum qui insidebat nubi,
[a] Mitte falcem tuam, & mete: quia venit tibi hora ut metas: nam aruit [a] messis terræ.

16 Misit igitur is qui insidebat nubi falcem
suam in terram, & demessa est terra.

17 [14] Tum alius Angelus prodiit è templo
quod est in cælo, habens & ipse falcem acutam.

18 Et alius Angelus prodiit ab altari, habens
potestatem in ignem: & clamavit voce magna ad
eum qui habebat falcem acutam, dicens, Mitte
falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ
terræ: nam maturæ sunt ejus uvæ.

19 Misit igitur Angelus falcem suam acutam
in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in
magnum illum lacum iræ Dei.

20 Et calcatus est lacus extra civitatem:
[15] exivitq; sanguis è lacu usque ad frænos equorum, per stadia mille sexcenta.

8 Patientia, sanctificatio, & justitia ex fide: quarum consectariæ quies, fœlicitas, & gloria æterna in cælesti Dei Angelorumq; consortio. b Ad verbum in Domino, id est, propter Dominum. c Operum nomine, præmium intelligit quod bona opera consequitur. 9 Secunda pars capitis, ut diximus in vers. 1. de rebus gestis vel factis Christi in fundendo Antichristo Ecclesiâque illius Spiritu oris divini ejus, postquam sermone publicè privatimq; revocatus ad officium suum, edoctus certissimam ruinam suam, non desinit suos sibi vindicare, & pios insestare atrocissimis persequutionibus. Earum autem rerum quas gerit Christus duo sunt genera: unum, commune, hoc cap. reliquo: alterum, singulare in feram illam & contumacem bestiam, atque adoratores illius, capitibus 2. sequent. Communis est bellorum calamitas universam terram pervadens, omniáque cruentans promiscuè. Hæc autem duobus typis figuratur, messis & vindemiæ. Quantum verò ex quo tempore emicuit lux illa Evangelii, & prophetia per Dei gratiam resurrexit, quantum, inquam, bellorum exarserit in orbe terrarum, quantum humanæ carnis messe divina prostratum fuerit, quantum sanguinis (proh dolor) exundaverit ab annis fermè trecentis, clamant omnes historiæ, & tempora hæc nostra, si unquam, horrent istius falcis, quam Antichristus advocat, vehementia. Est autem hoc in loco prior typus, messis. 10 ardorem suum colore indicans, ut fit in galaxia lacteóve circulo. 11 tamquam à Deo regnaturus, & Christi functurus vicem in miserabili ista exsequutione. 12 cōmodissimum exsequutionis divinæ instrumentum, perdens cæsim & punctim omnia. Deo enim quis obsistat? 13 Dat Christus mandata, hoc versu; exsequitur Angelus, vers. sequent. a *Joël.* 3.13. a *Mat.* 13.39. 14 Alter typus, ut diximus in versu 14. vindemia; cujus eadem est planè cum præcedente ratio, si hoc exceperis, quòd curiosior messe est pervestigandis singulis racematio. Hoc ergo judicium gravius, tum quia priori succedit, tum quia fieri intelligitur quàm antè, accuratiùs. 15 id est, quàm altissimè, longissimè, latissiméque exundavit. Hyperbole. Atque hi suaves illi sunt fructus spreti Christi, & præoptati Antichristi, quos miser & insanus & cæcus hoc tempore decerpit mundus.

CAPUT XV.

1 *Apparent septem Angeli habentes plagas septem ultimas.* 3 *Victores bestiæ Deum laudant.* 6 *Angelis septem dantur septem divini furoris phialæ.*

DEinde [1] vidi aliud signum in cælo magnum
& admirabile: [2] Angelos illos septem, habentes plagas septem ultimas, quoniam per illas expleta est ira Dei.

2 [3] Et vidi [4] tamquam mare vitreum mixtum igni: & [5] eos qui victoriam reportabant ex
bestia illa & imagine ejus & charactere ejus,
ex numero nominis ejus [6] stantes apud mare vitreum, & habentes citharas Dei:

3 Qui etiam cantabant [7] canticum Mosis
[a] servi Dei, & canticum Agni, dicentes, [8] Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus
omnipotens, [a] justæ & veræ sunt [b] viæ tuæ, rex
sanctorum.

4 [a] Quis non timebit te Domine, & glorificabit nomen tuum? Nam solus sanctus es. Nam
omnes gentes venient & adorabunt coram te:
nam judicia tua patefacta sunt.

5 [9] Et post hæc aspexi, & ecce, apertum est
templum Tabernaculi testimonii in cælo.

6 Et prodierunt è templo septem illi Angeli,
habentes [10] septem plagas, induti [11] lino puro &
splendido, & [12] præcincti circa pectora zonis aureis.

7 Et unum ex [13] quatuor animalibus dedit
septem Angelis phialas aureas, plenas iræ Dei
viventis in secula seculorum.

8 Et impletum est templum fumo *prodeunte*
à majestate Dei, & à virtute ejus: [14] nec quisquam poterat ingredi in templum, donec explerentur septem plagæ septem Angelorum.

1 Rerum gestarum Christi locus alter, ut suprà diximus in 14.14. Narratur ergo deinceps singulare opus judiciorum Dei, ad fundendum Antichristum cum ejus copiis pertinens: cujus operis divini præparatio, hoc cap. exsequutio, cap. sequent. describitur. Hæc autem præparatio primùm quidem universè καὶ ἐν τύπῳ exponitur vers. 1. deinde minutatim enarratur reliquo capite.

2 de quibus sup. cap. 8. & 9. in plagis mundi effundendis: nam etiam hæ plagæ illis plurimùm respondent.

3 Enarrationis partes duæ: una sanctorum confessio glorificantium Deum, visa illa judiciorum præparatione, ad vers. 4. usque; altera, instrumentorum quæ Deus ordinavit, vocatio, instructio, & confirmatio ad exsequutionem judiciorum ejus, 4. versibus alteris. 4 Alludit hæc pars visionis ad mare æneum, ex quo in aditu Israëlitarum templi abluebantur Sacerdotes. In aditu enim cælestis templi (ut appellatur infrà vers. 5.) fuisse dicitur mare vitreum, id est, lucidissimum & διαφανέστατον, ad commoditatem delectus: mixtum igne, id est, quasi thesaurum capiens judiciorum Dei, quæ depromit & dispensat arbitratu suo. Nam ex illo purgabantur Sacerdotes olim, ex hoc perduntur impii. sic suprà 4.6. 5 id est, pios martyres Christi, qui bestiæ illi ne signis quidem cesserint. de his autem videndum suprà 13.17. & 14.9. & 10. 6 ex singulari observatione armorum & instrumentorum iræ Dei in mari vitreo natantium glorificantes Deum. 7 epinicium illud, Exod. 15. a 8. Sic vocatur Moses per excellentiam, sicut describitur Deut. 34.10. 8 Cantici partes duæ: una, confessio tum singularis, hoc versu. tum etiam communis, principio sequentis vers. altera, causarum narratio ad confessionem pertinentium quarum unum genus æternum est in se, & piis præsentibimum, quòd Deus est, & sanctus, & solus: alterum futurum, quòd eodem electi ex gentibus (id autem est, impiis & infidelibus, ut suprà 11.2.) magnificentia judiciorum Dei erant adducendi. ver. seq. a *Psal.* 145.17. b Gesta tua. a *Jer.* 10.7. 9 Enarrationis pars secunda, ut vers. 2. adnotavimus: in qua primùm argumenti totius auctoritas, præeunte typo templi aperti in cælo figuratur, ut suprà 11.19. divina videlicet omnia illa esse quæ indè processerint, hoc vers. secundò administri prodeunt è templo, vers. 6. tertiò instrumentis judiciorum Dei & armis convenientibus cum modo judiciorum Dei instruuntur, ver. 7. postremò autem cōfirmantur aspectabilis gloriæ divinæ testimonio, versu ultimo: cujusmodi testimonium in Lege olim exhibuit Deus, Exod. 40. 10 id est, mandata infligendi septem plagas illas: metonymia. 11 quod dignitatis regiæ olim fuit, aut sacerdotalis symbolum. 12 præcinctio, symbolum diligentiæ; & zona aurea, puritatis ac fidei in mandatis Dei capessendis. 13 de quibus suprà 4.7. 14 nullus Angelorum septem illorum regredi, nisi absoluto penso ipsorum ex decreto Dei.

CAPUT XVI.

2. 17 *Effundunt Angeli septem commissas sibi furoris divini phialas: quibus effusis variæ plagæ in orbe terrarum exoriuntur,* 18 *ad terrendos improbos,* 19 *& magnæ urbis incolas.*

TUnc [1] audivi vocem magnam è templo, dicentem septem illis Angelis, Ite, effundite
septem phialas excandescentiæ Dei in terram.

1 V. Superiore cap. constituta est ad opus divinū præparatio: hîc traditur exsequutio. Ac primùm quidem hic de exsequutione locus habet mandatum commune, in V. 1. deinde verò singularē exsequutionis ab unoquoque Angelo factę historiam suo ordine, reliquo cap. Convenit autem fermè huic singulari in Antichristum & turbam illius exsequutioni cum ea quæ in mundum communiter effecta legitur, suprà 8. & 9. ejusdemq; planè (nisi me conjectura fallit) est temporis. Sed eo tamen inter se differunt, quòd hæc in principes & coryphæos impietatis mundi singulariter, illa communiter in mundum impium effecta est: ac proinde hæc judicia acerbiora illis figurantur.

2 [a] Abiit

2 [2] Abiit igitur primus *Angelus*, & effudit
phialam suam in terram: factumq; est ulcus ma-
lum ac noxium adversus homines qui habebant
[3] characterem bestiæ, & eos qui adorabant ima-
ginem ejus.
3 [4] Deinde secundus Angelus effudit phia-
lam suam in mare, [a] factúmque est *illud* quasi cru-
or cadaveris: & [b] quodcumq; animal vivebat in
mari, mortuum est.
4 [5] Tum tertius Angelus effudit phialam su-
am in flumina, & in fontes aquarum: & factæ
sunt sanguis.
5 Et audivi Angelum aquarum dicentem,
Justus es, Domine, Qui es, & Qui eras, & Qui
eris, quòd hæc judicâris.
6 Quoniam sanguinem sanctorum & Pro-
phetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti
ad bibendum: digni enim sunt.
7 [6] Et audivi alium è sanctuario dicentem,
Etiam Domine Deus omnipotens, vera *sunt* &
justa judicia tua.
8 [7] Posteà quartus Angelus effudit phialam
suam in solem, & datum est ei æstu affligere ho-
mines per ignem.
9 Et æstuaverunt homines æstu magno, &
blasphemârunt nomen Dei habentis potestatem
in has plagas: neque resipuerunt ut tribuerent ei
gloriam.
10 [8] Tum quintus Angelus effudit phialam
suam super thronum bestiæ illius, & factum est
regnum ejus tenebrosum: & mandebant linguas
suas præ dolore:
11 Et blasphemârunt Deum cæli præ dolori-
bus suis & ulceribus suis, nec resipuerunt ab ope-
ribus suis.
12 [9] Tum sextus Angelus effudit phialam
suam in flumen illud magnum, *nempè* [10] Eu-
phratem: & [11] exsiccata est aqua ejus, [12] ut
pararetur via regum ab ortu solis *adventanti-
um*.
13 Et vidi ex ore [13] draconis & ex ore [14] illius
bestiæ, & ex ore [15] pseudopropheṭæ illius [16] tres
impuros spiritus [17] similes ranis *prodeuntes*.
14 Sunt enim spiritus dæmoniorum edentes
signa, quiq; abeunt ad reges terræ & totius mun-
di, ut congregent eos ad prælium magni illius
diei Dei omnipotentis.
15 ([18] Ecce venio [‖] ut fur. Beatus qui vigilat
& custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, &
videantur pudenda ipsius)
16 [19] Congregavit igitur eos in locum, qui
vocatur Hebraicè [20] Armageddon.
17 [21] Tum septimus Angelus effudit phialam
suam [22] in aërem: & prodiit vox magna è tem-
plo cæli [23] à throno, dicens, [24] Fuit.
18 [25] Factiq; sunt sonitus, & fulgura, & toni-
trua & terræmotus factus est magnus, qualis nun-
quam fuit ex quo homines fuerunt super terram,
terræmotus, *inquam*, adeò magnus.
19 Et dirupta est [26] urbs illa magna in tres
partes, & civitates [27] Gentium ceciderunt, &
[28] Babylon illa magna venit in memoriã in Dei
conspectum, [‖] ut præberet ei poculum indignati-
onis iræ suæ.
20 Et omnis insula fugit, & montes [29] non
sunt [c] inventi.
21 [30] Et grando magna, quasi [d] talenti pon-
do descendit è cælo in homines: & blasphemâ-
runt Deum homines propter plagam grandinis:
quoniam magna fuit ejus plaga vehementer.

[2] Primi Angeli historia: a quo immissa plaga iisdem propemodum verbis describitur ac illa Ægyptiorum sexta, Exod. 9. sed ulcus spirituale significat, lanienamque illam vel carnificinam conscientiæ κεκαυτηριασμένης quæ intus impios accusat, & tum sermonis veritate (cujus facem Deus jam prætulit tamdiu) tum acerbitate gladium excitat, evincitque.
[3] vide suprà in cap. 13.
[4] Secundi Angeli historia, commoventis & infestantis maria, ut conscientias hominum in vitiositate sua torpentium commoveat, sic sup. 8.8.
[a] B. Versum est in sanguinem, & eum quidem putrem & saniosum, qualis solet esse cadaverum.
[b] Ad verbum, omnis anima, pro omni animante.
[5] Tertii Angeli historia, tum percutientis flumina, hoc versu, tum prædicantis justitiam Dei atque efferentis per gravissimam noxiæ hominum & pœnæ divinæ comparationem: quæ huic loco & præcedenti communis est. Quapropter etiam præconium hoc Angelo aquarum tribuitur: quæ appellatio secundi tertiique Angeli communis est, prout in aquas utérque immittendus fuisse dicitur, licet marinas unus, alter fluviatiles, duobus versibus. [6] Confirmatio antecedentis prædicationis è sanctuario Dei, sive per Christum immediatè, sive per aliquem Angelum ipsius: nam & Christus alius Angelus appellatur supra 7. 2, 3. & 8. & 10.1. [7] Quarti Angeli historia, plaga in cælum solémque indita, de qua Luc. 21.26. cujus effecta ponuntur duo: unum proprium, quòd homines torrefactura sit, hoc vers. alterum κατὰ συμβεβηκὸς ex superiore proficiscens, quòd illorum furor sit eo ampliùs in Deum exarsurus, sequente versu, cùm tamen (ô admirabilem Dei misericordiam & tolerantiam) omnia priùs sæpè multúmque manu premantur illius, quàm humanum genus à quo offenditur, ut docent antecedentia. [8] Quinti Angeli historia, duabus plagis regnum bestiæ affligentis, foris tenebris, intùs ulceribus doloribúsque gravissimis in universo regno: quibus malorum conscientiam afficeret, & obfirmationem pervicacissimam idololatrarum castigaret: undè perturbatio orta, & furibunda ex perturbatione indignatio, insaniáque αὐτοκατάκριτος in Deum frendens, & in seipsam injuria. [9] Sexti Angeli historia, facto, & eventu illius distincta. Factum est, quòd plagam immisit Angelus æstus torridissimi, quo vel maxima flumina æstúque solita exsudare (ut Euphrates) exarefacta sunt consilio Dei, hoc versu. Eventus autem est illa mera insania qua feruntur impii, ut judiciis Dei illudant, eáque furiosè vertant in rem suam, & exsequutionem impii furoris sui, versibus sequentibus. [10] Babyloniæ spiritualis terminum, & prœmunitiones illius, ut suprà 9.14. [11] sic munimentis quibus confiditur sublatis, nudata præsidio Ecclesia impiorum & regnum bestiæ dicitur. [12] id est, ut etiam longinquissimis major sit commoditas accurrendi ad sacrificium, quod instituit Dominus. [13] id est, diaboli, ut suprà 12. [14] de qua suprà 13.1. [15] id est bestiæ alterius, de qua suprà 13.11. sic enim appellatur etiam infrà 19, 20. & 20.10. [16] id est, singuli suas omneis vires contulerunt, conspiraveruntque, ut signis, sermone, opere, in eamdem perniciem secum adducerent omneis reges, principes, & potentiores mundi, ab ipsis nefariè fascinatos per suos spiritus & doctores vanitatis, impuritatisque bestiæ scortantis cum regibus terræ. Atque hæc temporum nostrorum descriptio.

[17] importunissimè coaxantes, diemq; & noctem provocantes, & conclamantes arma, tubæ, furiæ bellicæ: ut exponitur seq. ver.
[18] Parenthesis protreptica, in qua Deus pios servos suos fretos exspectatione Christi monet, ut semper ad illius adventum animû attendant, sibiq; caveant ne ab impuris istis spiritibus turpiter nudentur circumveniantúrq;, & ita miseri imparati sint in adventu domini sui, sic Mat. 24. & 25.
[‖] *Sup. 3.3. Matt. 24.44. Luc. 12.39.*
[19] Angelus putà piè, ex mandato Dei sacrificaturis quamvis impuri illi spiritus idem faciant impiè, bestiæ illi ἐθελόθρῃ, non autem Deo, servientes. [20] i. (ut de aliis interpretationibus nihil dicam) mons vel montana Megiddonis, sive Megidduntis. Megiddonem sive Megidduntem urbẽ & agrum esse in tribu Manassis, Issacari & Aseri conterminum, ex sacra scriptura constat, eúmq; lugubri illa Josiæ regis clade celebratum, de qua 2. Reg. 23.30. & 2. Chro. 35.22. & Zac. 12.11. Ad hæc autem montana Deus typicè reges populorum bestiæ ministrantes conventuros dicit, eo quòd illam funestam cladem gentes Ecclesiæ Judæorum semper, tamquam probrosam, objecerant: ideoq; locum sibi ducebant fore auspicatissimum (ut loquuntur illæ) & inominatum piis. Hic autem Deus probrum illud Ecclesiæ fiduciamq; impiorum, eo ipso in loco à se sublatum iri pronunciat, ubi gentes sibi exsultaturæ maximè & triumphaturæ videbantur in Deum & Ecclesiam ejus. [21] Septimi Angeli historia ad finem usque capitis: in qua primùm quidem signo & sermone ostenditur rei argumentum, hoc V. deinde narratur exsequutio, sequentibus. [22] unde cælum sursùm, terramq; deorsùm afficeret. [23] id est, ab eo qui insidet throno, metonymicè. [24] id est, actum est de Babylone, ut V. 19. posteà, & seq. cap. exponitur. Nam hujus denunciationis primus (ut ita dicam) impetus, hoc cap. ultimus victoriam perfectam continens, capitibus reliquis descriptus est. [25] Jam narratur exsequutio, ut diximus in V. proximum, resq; postremò eventuræ ante eversionem bestiæ Babylonicæ in cælo & terra: tum communiter, V. 18. tum verò singulariter in urbe maledicta, cæterisq; eam contingentibus cõjunctione ulla, 3. vers. ultimis. [26] statio illa Antichristi. [27] Antichristo adhærentium omnium, & Christum oppugnantium. [28] illa meretrix, de qua proximè seq. cap. Venire autem in memoriam, Hebraismo frequentissimo enunciatur de Deo humanitùs. [‖] *Jer. 25.15.* [29] i. non adfuerunt, non exstiterunt ampliùs. Hebraismus translatitius. [c] Disparuerunt: quod Hebræi dicunt, & nõ ipsi. Gen 3.24. [30] Exsequutionis particularis modus iram divinam evidentissimè testificans ortu & gravitate ipsius: cujus eventus idem est ac suprà 9. 13. & qui fuisse dicitur hoc cap. indè à quarti Angeli exsequutione, pervicax mundi in rebellione sua obfirmatio, & cor impœnitens. [d] Talentaria: erat autem talentum sexaginta minarum, id est, sexcentarum drachmarum, ut significetur ingens & inauditum pondus.

CAPUT XVII.

1 *Describitur meretrix illa magna,* 2 *cum qua reges terræ scortantur,* 6 *ebria piorum sanguine:* 7 *& bestia quæ portat illam: mysterium utriusq;* 11 *& exitium.* 14 *Postremò agni victoria.*

Tum [1] venit unus ex septem Angelis qui ha-
bebant septem phialas, & loquutus est mecũ,

[1] Statu Ecclesiæ certantis seu militantis exposito, sequitur status vincentis, ut antè in principium cap. 10. docuimus. Hic autem capitibus 4. deinceps exponitur. Quemadmodum verò in antecedente loco monuimus non semper accuratè observari in historia illa rationem temporum; id ipsum in hac tenendum est, secundùm personas, de quibus agitur, distinctam esse: in singularum verò personarum historia sigillatim servari tempus. Nam primùm traditur historia Babylonis perditæ, hoc & seq. cap. (atq; hæc proculdubio ante bestias & draconem peritura est) secundò utriusq; bestiæ, cap. 19. postremò autem draconis, cap. 20. In Babylonis spiritualis historia distinctè narrantur, status illius, hoc cap. & subversio facta divinitùs, cap. seq. Est autem hic transitio ad argumentum primum, hoc & seq. ver. constans ex singulari vocatione prophetæ, ut anteà sæpè, & propositione summa.

[a] B. Latam ſententiam de iſto ſcorto. [a] id eſt, damnandam meretricē, per hypallagen: nam Joannes eam nondum viderat. Etſi altera interpretatio ferri poteſt: ſed hanc tamen malim. 3 Deinceps proponitur typus Babylonis & ſtatus illius, 4. verſib. pòſt typi declaratio, reliquo cap. Typo deſcribuntur duo: beſtia illa, de qua ſuprà 13, in verſu 3. & mulier inſidens beſtiæ verſ. 4. & duobus ſeq. Beſtiæ tempore ſuccedente acceſſit aliquid amplius, quàm in ſuperiore viſione fuerat expreſſū: primùm quòd coccino veſtita eſt, paludamento imperatorio atq; triūphali, antè non legitur: ſecundò quòd hæc plena eſt nominibus blaſphemiæ, illa verò in capitibus ſolùm geſtabat blaſphemiæ nomen. Sic docuit Deus beſtiā hanc plurimùm impietate injuſtitiaq; fuiſſe auctam, & in utraq; poſtremo ſeculo multo inſolentiùs & faſtuoſiùs (ut fit) quàm unquā anteà, triumphare. [b] Coccineo colore, id eſt, veſte rubra & purpurea: nec ſanè temerè factum eſt, ut hic color Romanæ curiæ placuerit. 4 meretrix, Babylon ſpiritualis, Roma. Hæc autē deſcribitur ex habitu, profeſſione, & actionibus ipſius. 5 Habitu: glorioſiſſima, triūphalis, locupletiſſima, ſpecioſiſſima. 6 Profeſſione: altrix omnium, hoc verſ. & omnes docens myſteria, ſeq. verſ. omnia oſtentans magnificentiſſimè: ſed re ipſa pernicioſiſſima, ſoporans poculo ſuo miſeros, veternumque exitialem adferens. 7 Fallens religionis titulo, & inſcriptione publica myſterii, quam olim non geſtaverat beſtia. 8 Exegeſis, qua Joannes exponit quid hoc ſit mulieris. 9 Actionibus; rubens ſanguine, eúmque effundens licentioſiſſimè; ac proinde tincta cruore ſanctorum: ut contrà ſanguine hoſtium tinctus figuratur Chriſtus Eſai. 63. 1. 10 Tranſitio ad ſecundum locum cap. occaſione per Joannem data, ut verba Angeli oſtendunt verſ. ſequente. 11 Secundus locus, ut diximus in verſ. 1. viſi enarratio, quæ promittitur hoc verſ. pòſt autem traditur, ſequentibus. Traditur autem primùm enarratio beſtiæ & hiſtoria ejus, ad verſum 14. poſteà verò meretricis, ad finem cap. 12 Enarratio beſtiæ triplicem continet circumſcriptionem illius. Harum prima eſt diſtinctio hujus beſtiæ ab aliis omnibus quæ fuerunt unquam: quæ diſtinctio hoc verſ. continetur: ſecunda eſt delineatio beſtiæ ex rebus præſentibus, quibus jam eo tempore internoſci a piis poſſet: atque hæc delineatio fit ſecundum capita illius, verſ. 9. & duobus ſeq. tertia eſt hiſtorica rerum futurarum actionúmque ab ea prædictio: atque hæc cornibus ejus tribuitur, ver. 12. & duobus ſeq. Eſt autem beſtia hæc imperium illud Romanum, de quo diximus ſuprà 13. ex cujus mutationibus, quæ jam tum acciderant, ſpiritus ſanctus diſtinxit, & delineavit ipſum. Diſtinguit verò Apoſtolus ab omnibus aliis beſtiam hanc his verbis, *beſtia quam vidiſti, erat, & non eſt*. Sic enim verba expono Apoſtoli ad evidentiam, ut ſequentibus notis explicabimus. 13 Senſus eſt, beſtia illa quam videras ſuprà 13. 1. & quam modò adhuc vidiſti, erat, erat inquam inde a Julio Cæſare ſecundùm principium, ortum, ſtationem, ſpeciem, imperium, modum, ſtirpémque a gente Julia: & non eſt tamen illa ipſa, ſi ad gentem ſtirpémque reſpexeris. Nam gentis hujus imperium tranſivit in gentem alteram Nerone exſtincto, ab altera in tertiam, a tertia in quartam, & ſic deinceps mutationibus innumeris variatum. Deniq; imperium unum eſt, tanquā beſtia una; ſed quamplurimùm per gentes, familias, perſonas variatum. Erat ergo, inquit Joannes, in gente Julia: & jam non eſt penes gentem illam, ſed factum eſt gentis alterius. 14 q.d. & hæc ipſa quæ eſt, brevì futura non eſt, ſed aſcenſura ex abyſſo, ſive e mari (ut dictum eſt ſuprà 13. 1.) id eſt, e gentibus promiſcuè ſtirps nova; & in exitium abitura perituraq; eadem: & ita ſucceſſivè venturi, abituri, exorituri, occaſuri principes novi manente tamen corpore beſtiæ, ſed mutationibus adeò frequentibus, ut nemo non ſit miraturus ſtare hanc beſtiam in tot mutationibus potuiſſe. Nullum ſanè imperiū tot & tantas mutationes expertum, & tot quaſi fluctibus in alto agitatum duravit tamdiu. 15 id eſt, graviſſimas & frequentiſſimas mutationes iſtas mirabuntur quicunq; providentiam Dei ſecundùm fidem ſanctorū non didicerint, quum animadvertent eamdem beſtiam, Romanū iſtud imperiū, fuiſſe, non eſſe, eſſe, perpetuiſq; mutationibus infeſtari, atque in eis tamen ſubſiſtere. Hæc ſimpliciſſima judicio meo interpretatio, eventu rerum confirmata. Et ſi poſtrema quoque mutatio non obſcurè his verbis ſignificata eſt, quum imperium illud ex politico factum eſt Eccleſiaſticum: illud in corpora, hoc etiam in animas; illud humano ordine, hoc etiam juris divini ac religionis ſpecie ſæviens & cruentans ſeſe piorum ſanguine.

dicens mihi, Heus tu, oſtendam tibi [a] [2] damnationem meretricis illius magnæ, ſedentis
ſuper aquas multas:

2 Cum qua ſcortati ſunt reges terræ, & cujus ſcortationis vino inebrietati ſunt incolę terrę.

3 [3] Quúmque me per ſpiritum in deſertum
tranſtuliſſet, vidi mulierem inſidentem beſtiæ
[b] coccinæ, plenæ nominibus blaſphemiæ, habenti capita ſeptem, & cornua decem.

4 Erat autem [4] mulier illa [5] amicta purpura
& cocco, & inaurata auro & lapidibus pretioſiş
& margaritis, [6] habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominationibus & immunditia
ſcortationis ſuæ.

5 [7] Et in fronte ſua nomen ſcriptum, Myſterium, [8] Babylon illa magna, mater illa ſcortationum & abominationum terræ.

6 [9] Et vidi mulierem illam ebriam ſanguine
ſanctorum & ſanguine martyrum Jeſu: [10] & miratus ſum, quum viderem illam, admiratione
magna.

7 [11] Tunc dixit mihi Angelus, Quare miraris? ego dicam tibi myſterium mulieris, & beſtię
quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem &
cornua decem.

8 [12] Beſtia quam vidiſti, [13] fuit, & non eſt:
& [14] aſcenſura eſt ex abyſſo, & in exitium abitura: & mirabuntur incolæ terræ, (quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitę à jacto mundi
fundamento) [15] videntes beſtiam quæ erat, &
non eſt, & tamen eſt.

9 [16] Hic eſt mens quæ habet ſapientiam.
[c] [17] Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper
quos mulier ſedet.

10 Et [18] reges ſeptem ſunt: [19] quinque ceciderunt, [20] unus eſt, & [21] alius nondum venit:
& quum venerit, oportet illum breve tempus
manere.

11 [22] Beſtia autem quæ erat, & non eſt, is
[23] octavus eſt, & [24] è ſeptem illis eſt, [25] & in
exitium abit.

12 [26] Decem autem cornua quę vidiſti, [27] decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt,
ſed poteſtatem tamquam reges [28] una hora accipient cum beſtia.

13 Hi [29] unum conſilium habent, & vires ac
poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.

14 Hi cum [30] Agno pugnabunt, & Agnus
vincet eos: [f] quoniam Dominus dominorum
eſt, & rex regum, & qui cum eo ſunt, vocati, &
electi, & fideles.

16 Hortatio faciens audientiam, eodem argumento cum illa Chriſti, *qui habet aures ad audiendum, audiat*. Quamobrem malim ego quidem hoc in loco legi, *hic eſto mens quæ h.* &c. Sic tranſitur commodè ad ſecundum circumſcriptionis locum. [c] Pueri etiam norunt quæ illa ſit ſepticollis civitas tantoperè decantata, de qua Virgilius, Septemq; una ſibi muro circūdedit arces: de illa videlicet quæ quum hæc ſcriberet Johannes, habebat regnum ſuper reges terræ: erat & non eſt, & tamen adhuc eſt, ſed ad exitum tendit. 17 Hæc delineatio beſtiæ ex rebus præſentibus, ut antè diximus: qua Joannes eam deſcriptam voluit, ut tum eo ſeculo à piis cognoſci poſſet, tum in poſteritatem ampliùs obſervari. Hujus autem delineationis typus unus eſt, nimirum capita: ſed deſcriptio duplex, ſive anagoge typi; una permanens ex natura, altera facto hominum tranſiens. Permanens deſcriptio eſt ex montibus ſeptem, hoc verſ. Tranſiens verò, ex regibus ſeptem verſ. 10. & 11. Atque hic obſervatu dignum, unius typi duas aut plures anagoges interdum exſiſtere, prout Spiritui ſancto viſum eſt rem unam typis pluribus aut plureis unico adumbrare. Sic ſuprà de ſpiritibus ſeptem annotavimus cap. 1. 4. Eſt autem hæc mulier ſeptem montibus inſidens, civitas Romana, olim ἑπτάλοφος Græcis, Varroni ſepticeps (ut hic) à ſeptem capitibus, aliis ſeptemcollis dicta. 18 Horum Regum principium ſive Imperatorum fermè cum illo Chriſtianæ Eccleſiæ principio idem eſt quod antè expoſuimus cap. 11. 1. nempe ex anno 35. poſt paſſionem Domini, quum templum & Eccleſia Judæorum everſa eſt: quo anno factum eſt providentia Dei ut compleretur priùs illud dictum, *beſtia erat & non eſt*; quàm Judæorum everſio proximè ſequuta accideret. Is autem fuit annus ab urbe condita IↃCCC. IX. ex quo anno Joannes tum Imperatores numerat qui adhuc exſtiterunt quum hæc ſcriberet, tum duos prædicit proximè futuros: idque hoc conſilio ut hæc prædictio ſingularis rerum futurarum quando eveniſſet, veritas aliarum prædictionum omnium in Eccleſia confirmaretur magis: quod ſignum Lege indixerat jam olim Deus Deuter. 18. & confirmat Jeremias 28. 8. 19 quorum hæc ſunt nomina: primus Ser. Sulpicius Galba, ſeptimus Imperator populi Romani: ſecundus, M. Salvius Otho: tertius, A. Vitellius: quartus, T. Flavius Veſpaſianus: quintus, Titus T. f. Veſpaſianus, ut pater, dictus. 20 Flavius Domitianus Veſpaſiani prioris filius: nam hujus temporibus ultimis hæc ſcribebat Joannes, ut auctor eſt Irenæus libro 5. adverſus hæreſes. 21 Nerva, imperio à gente Flavia tranſlato, hic autem imperavit ſolùm annum unum, menſes quatuor & dies novem, ut narrant hiſtorici. 22 dictum ſynecdochicè, pro eo quod eſt, beſtiæ caput illud quod erat & non eſt, quia putatum eſt, & Nerva tam brevi exſtinctus. Quot autem capita, tot beſtiæ eſſe in una videbantur. ſimile vide ſuprà 13. 3. 23 Nerva Trajanus, qui hic vario reſpectu ſeptimus & octavus idem appellatur. 24 etſi numero & ſucceſſionis ordine octavus eſt, tamen uni ex iſtis capitibus accenſetur, quia Nerva & ipſe unum fuerunt caput. Hic enim unà cum Nerva poteſtatem obtinuit; & conſulatu cum eo fungebatur, quando Nerva vita defunctus eſt. 25 nimirum perſequutione infeſtaturus Eccleſias Chriſti, ut docent hiſtoriæ, & nos ſuprà 2. 10. perſtrinximus. 26 Tertius circumſcriptionis locus, ut diximus in verſum 18. prophetica rerum futurarum, quas geſtura eſt beſtia, prædictio: quemadmodum verbis ſequentibus non obſcurè Joannes effatur dicens, *qui regnum nondum acceperunt*, &c. horum enim regum inſtituitur cum ſuperioribus antitheſis. Circumſcribuntur autem primùm perſonæ, hoc verſ. deinde facta, duobus ſequentib. 27 nempe cum ſuis regnis ex Rom. illa beſtia ſoboleſcentes, quum politicum illud imperium arte Pontificum maximè cœpit labaſcere. 28 nempe cum beſtia illa ſecunda, quam pſeudoprophetiſſam eſſe diximus; quæ beſtia aſcendens è terra omnem poteſtatem prioris beſtiæ vindicavit ſibi, eámque exercet coram ipſa, ut dictum eſt ſuprà 14. 11. & 12. Nam inclinante politico imperio Occidentali, & Reges enati ſunt decem, & ſecunda beſtia oblatam commoditatem arripuit, ut omnem prioris beſtiæ potentiam ſibi uſurparet. Hos autem Reges decem jam olim numeraverunt & circumſcripſerunt multi: & pars bona eventorum apertè clamat hac ætate noſtra. 29 putà conſenſione, ut conſpirent cum beſtia, & pendeant à nutu illius. Eorum autem hiſtoria tribus partibus diſcluditur, conſiliis, factis, & eventis. Conſiliorum alia in communicatione judiciorum animorúmque poſita ſunt, alia in communicatione virium, quas illi huic beſtiæ dicuntur tradidiſſe, hoc verſ. 30 Chriſto & Eccleſia ejus, ut ſequens αἰτίου declarat. Atque hic facta, & eventa illorum propter Chriſtum & gratiam Dei Patris erga vocatos, electos, & fideles ſuos in Chriſto conſequuta. [f] *Infrà 19. 16. 1. Tim. 6. 15.*

15 [31] Deinde dixit mihi, Aquæ quas vidisti,
ubi meretrix sedet, [32] populi sunt, & turbæ, &
gentes, & linguæ.
16 Et decem [33] cornua quæ vidisti in bestia,
hi odio prosequentur meretricem, & desertam
reddent illam & nudam, & carnes ejus come-
dent, & ipsam igne exurent.
17 [34] Deus enim dedit in corda eorum ut
exsequantur quod ipsi visum est, & ut consenti-
ant, déntque regnum suum bestiæ, donec com-
pleantur verba Dei.
18 Et mulier quam vidisti, est [35] urbs illa
magna quæ habet regnum super reges terræ.

[31] Alterum enarrationis membrũ, ut in vers. 7. diximus, ad meretricem spectans visione oblatam, vers. 3. In hac autem historia meretricis, distinctè hæc tria proponuntur: quæ amplitudo illius, hoc vers. quæ ruina, & à quibus illi superventura sit duobus seq. ac postremò quænam sit illa meretrix, vers. ultimo. Hic autem locus (quem naturæ ordine primum esse oportebat) ultimus eo factus est, quòd ad vinculum sequentis cap. magis pertineret. [32] nempe tam instabiles & varii, quam sunt aquæ: huic autem fundamento meretrix regina insidet, vana vano. [33] reges decem, ut suprà vers. 12. hujus autem facti atque eventus complementum in dies provehitur hoc nostro seculo, singulari providentia & gubernatione Dei potentissima: quapropter facta hoc vers. proponuntur; causa verò factorum, sequentibus. [34] Aetiologia à summa effectrice causa, nimirum providentia Dei: qua sola Joannes ὕστερον πρότερον affirmat effectum esse, tum ut exsequantur Reges in meretricem quod ipsi placuit, & quod enunciavit proximo præcedente vers. tum ut consensione & consilio uno dent regnum suum bestiæ, &c. suprà vers. 13. & 14. Ut enim hi priùs excæcati pependerint à nutu bestiæ meretricem attollentis, sic posteà dicitur fore ut resiliant discessionémque faciant ab ea, mutatis in melius animis per Dei gratiam & misericordiam. [35] Roma, civitas illa magna, vel sola civitas (ut Justinianus vocat) cujus tum rex & caput erat Cæsar, nunc verò Pontifex, postquam ratio bestiæ mutata est.

CAPUT XVIII.

2 Horrendum Babylonis excidium proponitur. 11, 16. 18 lugent negotiatores terræ, qui ex pompa & luxu ipsius ditati sunt. 20 Exsultant verò omnes electi ex tam justa Dei ultione.

1 ET posthæc vidi [a] Angelum descendentem è
cælo, habentem potestatem magnam: adeò
ut & terra illuminata fuerit ipsius gloria.
2 Exclamavit autem vehementer voce ma-
gna, [3] dicens, [B] Cecidit, cecidit Babylon illa ma-
gna, & facta est domicilium dæmoniorum, & cu-
stodia omnis spiritus impuri, & custodia omnis
volucris immundæ & exosæ:
3 Quia ex vino excandescentiæ scortatio-
nis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ
cum ea scortati sunt, & mercatores terræ opibus
deliciarum ejus divites facti sunt.
4 [4] Et audivi aliam vocem è cælo dicen-
tem, [5] Exite ex ea popule mi, [6] ne participes sitis
peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.
5 Nam [a] accumulata peccata ejus pertige-
runt usque in cælum, & recordatus est Deus sce-
lerum ejus.
6 [7] Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis: &
duplicate ei duplum secundùm opera ejus: in
poculo quod propinavit, propinate ei duplum.
7 Quantum extulit sese & luxuriata est, tan-
tum date ei cruciatum & luctum: quia in [b] corde
suo dicit, Sedeo regina, [c] nec sum vidua, nec lu-
ctum [d] videbo.
8 Ideo [e] una die venient ejus plagæ, mors,
& luctus, & fames: & igne exuretur, quia vali-
dus est Dominus Deus, qui damnabit eam.
9 [8] Tum flebunt eam & plangent super ea
reges terræ, qui cum illa scortati & luxuriati sunt,
quum viderint fumum incendii ejus:
10 Procul stantes propter metum cruciatus
ejus, & dicentes, Vah, vah, Magna illa urbs Ba-
bylon, urbs illa valida, una hora venit judicium
tuum.
11 [9] Sed & mercatores terræ flebunt & luge-
bunt super ea: quoniam merces eorum nemo
emit ampliùs:
12 Merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi,
& margaritarum, & byssi, & purpuræ, & serici,
& cocci, & omne lignum thyinum, & omne vas
eburneum, & omne vas ex ligno pretiosissimo, &
ære, & ferro, & marmore,
13 Et cinamomum, & suffitus, & vnguentum,
& thus, & vinum, & oleum, & similam, & triti-
cum, & jumenta, & oves, & equos, & [f] rhedas,
& mancipia, & animas hominum.
14 [10] Et [g] fructus desiderati ab anima tua
abierunt à te: & omnia pinguia & præclara abie-
runt à te: nec ampliùs ea invenies.
15 Harum, *inquam*, rerum mercatores ab ea
divites facti, procul stabunt, propter metum cru-
ciatus ejus, flentes ac lugentes:
16 Et dicentes, Vah, vah, civitas illa magna,
quæ amicta erat bysso & purpura & cocco, &
deaurata erat auro & lapidibus pretiosis & mar-
garitis! quînam una hora vastatæ sunt tantæ
divitiæ?
17 [11] Sed & omnes gubernatores, & omnis
in navibus versantium turba, & nautæ, &
quotquot ex mari quæstum faciunt, longe sta-
bunt:
18 Et clamabunt videntes fumum incendii
ejus, & dicent, Quæ similis *erat* urbi isti magnæ?
19 Et injecto capitibus pulvere clamabunt
flentes ac lugentes, & dicentes, Vah, vah, quòd
urbs illa magna, in qua omnes qui habebant na-
ves in mari, divites facti sunt ex ipsius opulentia,
una hora desolata est.
20 [12] Exsulta super ea cælum, & sancti Apo-
stoli & Prophetæ, quoniam de illa [h] sumsit pœ-
nas Deus vestri ulciscendi causa.
21 [13] Tum sustulit quidam Angelus robustus
lapidem instar molæ magnæ, & projecit in
mare, dicens, Ita cum impetu projicietur Baby-
lon vrbs illa magna: [i] nec ampliùs invenietur.
22 [14] Et vox citharœdorum, & musicorum,
& tibia ac tuba canentium non audietur in te
ampliùs: nec ullus artifex cujuscúnque artis in-
venietur in te ampliùs: & sonitus molæ non au-
dietur in te ampliùs:
23 Et lux lucernæ non lucebit in te ampliùs:
& vox sponsi & sponsæ non audietur ampliùs

[1] Secundus locus (ut diximus suprà in 17. 1.) historiæ Babylonicæ, qui est de funesto casu & ruina meretricis illius Babyloniæ. Triplex autem est historica de ea prædictio: una, ruinæ illius aperta & simplex prædictio, 3. versibus: secunda, figurata prædictio ex adjunctis, inde ad vers. 20. usque: tertia, signo confirmata, ad finem usque capitis.

[2] sive Christum sermonem æternum Dei Patris, ut alibi sæpe: sive creatum Angelum & delegatum quempiam, sed potestatis amplitudine & gloriæ luce instructissimũ, ut potestatis symbolo. [3] Prædictio ruinæ continens tùm casum Babylonis, hoc vers. tum causam illius allegoricè de spiritualibus & corporalibus maleficiis ejus, id est, impietate injustitiáque summa enunciatam, sequente vers. Casus autem illius tum simpliciter enunciatur ab Angelo, tum ejus gravitas hic ab eventis demonstratur, quum dæmoniorum, ferarum, volucriúmque inauspicatarum sedes futura dicitur, ut olim Esai. 13. & alibi passim. [B] *Sup.* 14. 8. *Esa.* 21. 9. *Jere.* 51. 8. [4] Altera prædictio, de adjunctis ruinæ Babylonis. Horum autem duo sunt genera: unum, antecedens, quòd antè eximuntur pii, ad vers. 9. usque: alterum, consequens ex ruina ejus, videlicet luctus impiorum, & piorum exsultatio, ad vers. 20. [5] Antecedens ruinæ illius imperatur duplex: unum ut pii Babylone exeant, quemadmodum olim ante eversionem Hierosolymorum factum meminimus suprà in caput 12. imperatur autem istud hoc & sequente vers. alterum ut ipsi suo loco sese in exsequendis Dei judiciis occupent singuli, ut olim Levitis dictum Exo 32. 27. suásque manus sanctificent ministrantes Domino, vers. 6. & duobus sequentib. [6] Mandati causæ duæ: tum ut fugiatur contagium peccati, tum ut vitetur suppliciorũ ex peccato communicatio. [a] *2.* Usus est verbo quo significatur peccata mutuò sese consequentia & alia nascentia ex aliis, in eum tandem cumulũ excrevisse, ut ad cælum usq; pertigerint. [7] Provocatio piorum, & mandatum de exsequendis judiciis Dei, tribus causis nititur quæ hic exprimuntur: injusto maleficio meretricis Babylonicæ, hoc ver. impio fastu atque ἀπειθείᾳ, omnium maleficiorum fonte, vers. 7. & damnatione justissima ex sententia Dei, vers. 8.

[b] Secum, sive apud se.
[c] Sum populosa ac potens.
[d] Sentiam & experiar.
[e] Brevi, & uno eodemque tempore.
[8] Consectaria ad juncta ruinæ Babylonis, vel consequentia (ut distinximus in ver. 4.) sunt duo: nempe impiorum luctus, ad vers. 19. & piorum exsultatio vers. 20. Luctus autem istius acerbissimi secundùm personas lugentes distincta membra constituuntur tria: quorum primum est luctus regum potentiorúmque terræ duobus vers. secundùm est luctus mercatorum negotiantium terrà, inde ad vers. 16. tertium deníque negotiantium mari, inde ad vers. 19. In singulis autem suo ordine causæ luctus, & modus illius describuntur pro conditione lugentium κατὰ τὸ πρέπον.
[9] Luctus negotiantium terra, ut proximè distinximus.
[f] Lecticas. fuit autem rheda Gallicum vehiculi nomen, quod posteà à Romanis usurpatum, ad Græcos transiit.
[10] Apostrophe mimetica ad emphasin, tanquam si mercatores illi more lugentium παθητικῶς Babylonem appellarent, quamvis prostratam & eversam fundìtùs, sic Esai. 12. 9. & alibi frequenter.
[g] Græcè ὀπώρα: significat autem tempus proximè antecedens Autumnum, quo tempore fructus maturescunt, quorum etiam & nomen est, ὀπώρα, id est, fructus animo expetiti. [11] Luctus mari negotiantium formula. [12] Alterum consequens ex ruina Babylonis, piorum exsultatio in cælo & terra: ut versu 9. fuit annotatum. [h] Ad verbum, judicavit vestrum judicium. [13] Tertia prædictio (ut in versum 1. diximus) constans ex signo, & interpretatione illius. Signi autem interpretatio duobus modus conficitur: primùm simplice propositione rei ipsius, hoc vers. deinde eventorum declaratione, versib. sequentibus. [i] Disparebit. [14] Eventus duplex antithetos ad rei amplificationem: nulla planè, inquit, Babyloni lætitia inerit, hoc & seq. vers. sed omnia tristia ex cruentis justorum cædibus, & divina ultione propter eas accedente, vers. 24.

in te: nam mercatores tui erant proceres terræ, & veneficiis tuis seductæ sunt omnes gentes.

24 Sed in ea [15] sanguis Prophetarum & sanctorum [16] inventus est, & omnium qui mactati sunt in terra.

[15] nimirum cæde cruenta fusus, atque ultionem expetens. [16] id est, compertus atque deprehensus, tamquam instituta à Deo cognitione justa de impietate, inhumanitate, & injustitia illorum.

CAPUT XIX.

1 *Laudant cælestes Deum, quòd vindicârit sanguinem suorum è manu meretricis.* 9 *Beati scribuntur qui ad cœnam nuptiarũ Agni vocati sunt.* 10 *Angelus adorari se prohibet.* 11 *E cælo summus ille Rex regum apparet.* 19 *Bellum oritur,* 20 *in quo apprehenditur Bestia,* 21 *& in stagnum ardens dejicitur.*

[1] POsthæc audivi vocem magnam turbæ multæ in cælo dicentis, [a] [2] Halleluja: salus, & honor, & gloria, & virtus Domino Deo nostro *esto*.

2 Quia vera & justa *sunt* judicia ejus, & meretricem illam magnam, quæ corrupit terram scortatione sua, damnavit, & vindicavit sanguinem servorum suorum ex manu ejus.

3 Deinde secundò dixerunt, [3] Halleluja: & fumus ejus ascendit in secula seculorum.

4 Et prociderunt vigintiquatuor illi Seniores, & quatuor illa animalia, & adoraverunt Deum insidentem throno, dicentes, Amen: Halleluja.

5 [4] Tum vox [5] è throno prodiit, dicens, Laudate Deum nostrum omnes servi ejus, & qui timetis eum parvi & magni.

6 Et audivi [6] tamquam sonitum turbæ multæ, & tamquam sonitum aquarum multarum, & tamquam sonitum tonitruorum vehementium, dicentium, Halleluja: quoniam regnum iniit Dominus Deus ille noster omnipotens.

7 Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus [7] paravit se.

8 Et datum est ei ut amiciatur [8] bysso pura & splendida: [9] byssus enim [b] justificationes sunt Sanctorum.

9 Tum [10] dixit mihi, [‖] Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi, Hæc verba Dei vera sunt.

10 [11] Et procidi ante pedes ejus ut adorarem eum: sed dixit mihi, Vide ne *feceris*: conservus tuus sum & fratrum tuorum qui habent [c] testimonium Jesu. Deum adora: testimonium enim [d] Jesu est Spiritus Prophetiæ.

[1] F. Hujus capitis duæ sunt omnino partes: una μεταβατικὴ sive transitiva, ad versum 10. usque: altera, historica victoriæ à Christo de bestia utraque partæ, ad finem capitis; quam secundam esse diximus historiam hujus argumenti, suprà 17.1. Transitionis loci duo. unus laudativus, de ruina facta Babylonis, versibus 4. alter itidem laudativus atque propheticus, de adventu Christi in regnũ, & augustissimo ejus conjugio cum Ecclesia sua, inde ad vers. 10. Prioris laudationis membra sunt tria ex prisco usu cantantium distincta: stropha sive προσφώνησις, duobus vers. antistropha sive antiphonia, vers. 3. & epodus sive συνῳδία, vers. 4. quæ omnia nobis hic certo consilio visum est distinguere, nequis cum Porphyrio aliisve canibus puerilem ταυτολογίαν ausit Joanni & cælesti Ecclesiæ objicere. [a] B. Laudate Dominum. [2] Propositio laudis hortatoria, hoc vers. & causæ illius, sequente. [3] Ἀντιφωνούντων cantio, habens amplificationem divinæ laudis à perpetuo judicii illius divini certissimóque testimonio, ut Sodoma & Gomorrha factum, Genes. 19. [4] Secundus laudationis locus, ut vers. 1. diximus: quæ laudatio primùm divinitùs imperatur, hoc vers. deinde à rebus creatis pronunciatur amplissimè, tum quia regnum illud exoptatissimum Christi vident advenire, vers. 6. tum quia Ecclesiam in domum viri ducendam nuptiis sacris ad regni consortium advocari. vers. 7. & 8. quapropter epiphonema divina quadam obsignatione conjunctum jubetur Joannes libro inscribere, vers. 9. [5] è templo divinitus, sup. 11.19. [6] extra templum in cælo. [7] nempe ad sanctas illas nuptias, tum ipsa, hoc vers. tum verò à sponso instructa donationibus propter nuptias regificis & divinis, exornata, & comparata est, sequente versu. [8] ut regiæ dignitatis & sacerdotalis signo: qua dignitate Christus nos induit, suprà 1.6. [9] donatio est à sponso propter nuptias facta, & ornatus lectissimus quem Christus in nos confert, velut sponsam suam. [b] Bona opera quæ sunt viva fidei testimonia. [10] nimirum Angelus, ut apparet ex vers. seq. [‖] *Matth.* 22.2. [11] Hujus versus historia singularis per occasionem quamdam, ac velut παρέργως inseritur, ut Joannes suam ipsius infirmitatem palàm, & modestam Angeli sanctimoniam in exemplum statueret, divinos honores abjudicantis sibi, & servos omneis Dei ad illius unius cultum revocantis, ut infrà 22,8. [c] Quibus mandatum est ut de Jesu testificentur.

11 [12] Deinde vidi [13] cælum apertum, & ecce *adfuit* equus albus: & qui insidebat ei, vocabatur Fidelis & Verax, & *qui* [e] justè judicat & pugnat.

12 Oculi autem ejus *erant* tamquam flamma ignis: & in capite ejus diademata multa: habebatq; nomen scriptũ quod nemo novit nisi ipse.

13 [‖] Et amictus erat veste tincta sanguine: vocatúrque nomen ejus Sermo ille Dei.

14 [14] Exercitus autem qui sunt in cælo, sequebantur eum equis albis, vestiti bysso alba & pura.

15 [15] Et ex ore ejus prodibat gladius acutus, ut eo percuteret gentes: [‖] ipse enim reget eas virga ferrea: & is est qui calcabit lacum vini excandescentiæ & iræ Dei omnipotentis.

16 [16] Habebátque in vestimento & in femore suo nomen scriptum, [‖] Rex regum, & Dominus dominantium.

17 [17] Tunc vidi quemdam Angelum stantem [18] in sole, qui clamavit voce magna, dicens omnibus avibus quæ volabant [19] per medium cæli, Adeste & congregamini ad cœnam magni Dei,

18 Ut edatis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes potentum, & carnes equorum, & eorum qui ipsis insident, & carnes omnium liberorum ac servorum, parvorum ac magnorum.

19 [20] Deinde vidi bestiam illam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad gerendum bellum cum eo qui insidebat equo, & cum ipsius exercitu.

20 Et comprehensa est [21] bestia, & cum ea [22] pseudopropheta ille qui ediderat signa coram ea, quibus seduxit eos qui acceperant characterem bestiæ, & qui adoraverant imaginem ejus: *&* vivi conjecti sunt ambo in stagnum ignis ardens sulphure:

21 Et reliqui occisi sunt gladio ejus qui insidebat equo, prodeunte ex ore ipsius: & omnes aves saturatę sunt carnibus eorum.

[d] Ad eum enim tamquam ad certissimum scopum feruntur omnes Prophetiæ. [12] Secundus locus capitis, ut diximus in vers. 1. de victoria utriusque bestiæ à Christo parta: in quo primùm describitur pugnaturus Christus, ad vers. 16. tum incunda pugna pronunciatur, inde ad vers. 18. postremò autem victoria narratur, ad finem usque capitis. Hîc autem elucent amplissima Christi, ut cælestis judicis & vindicis nostri, attributa, secundùm personam, comitatum, effecta, nominaq; ipsius. [13] Attributa personæ: quòd cælestis est, judex, fidelis, verax, justus, hoc vers. pervestigans omnia, omnibus imperans, nemini pervestigabilis, vers. 12. triũphator, & sermo essẽtialis Dei, v. 13. [e] Exegeticè additum. [‖] *Esai.* 63.1,2. [14] Comitatus Christi sanctus, innumerabilis, cælestis, judicialis, regalis, purus. [15] Effecta Christi ad pugnam accincti, quòd ore percutit gentes, regit, perditq;. [‖] *Psal.* 2.9. [16] Nomen Christo conveniens secundùm attributa antecedentia, more Hebraico enunciatũ. [‖] *Sup.* 17.14. 1.*tim.* 6.15. [17] Secundum membrum, ut diximus in vers. 11. sarcastica hostium ad pugnam provocatio: qua non ipsi (cur enim à Rege mundi appellentur, aut provocentur subditi? quod à decoro alienum foret) sed ipsis audientibus volucres cæli depasturæ cadavera ipsorum appellantur. [18] id est, palàm. ut Num. 25.4. & 2. Sam. 12. 11. [19] id est, per hoc cælum inferius, & nobis propinquius. Hebraismus. [20] Tertium membrum, (ut vers. 11. dictum) de victoria à Christo parta. Huc autem duo pertinent, congressus cum bestia & copiis ejus, hoc vers. & eventus magnificentissimus, qui ratione humana describitur, versibus sequentibus. Perspicua omnia. [21] illa nimirum bestia septiceps, de qua suprà 13.1. & 17.3. [22] id est, bestia illa biceps, de qua suprà 13.11. videndũ ampliùs suprà in 16.14.

CAPUT XX.

1 *Angelus* 2 *Satanam vinculis constringit ad mille annos,* 8 *quibus solutus, Gog & Magog, i. occultos & apertos hostes, in Sanctos concitat.* 11 *Sed Domini vindicta coercet illorum insolentiam.* 12 *Aperiuntur libri, ex quibus judicantur mortui.*

[1] DEinde vidi Angelum descendentem è cælo, habentem clavem [2] abyssi, & cate-

[1] F. Tertius locus jam sequitur historiæ propheticæ, de victoria qua draconem superavit Christus, ut suprà 17.1. adnotavimus; quem locum necesse est cum historia cap. 12. sub finem conjungi, aptarique ad justam intelligentiam ipsius. Sunt autem hujus capitis partes duæ: una, de dracone victo, ad vers. 10. usque: altera, de resurrectione judicioq; ultimo, inde ad finem. Draconis historia est duplex: una, de priore victoria, ex qua vinctus fuit per Christum, ad vers. 6. altera, de posteriore victoria, qua detrusus in supplicium æternum, inde ad vers. 10. Accidit autem prior historia primis Christianæ illius Ecclesiæ temporibus, quum per Christum de cælo dejectus draco recentem Ecclesiæ partum in terris vellet conturbare, suprà 12.17. & 18. Quapropter hanc draconis historiam monuimus cum eo loco continuari oportere. [2] id est, inferni sive tartari, quò detrusos Angelos, qui peccaverunt, Deus catenis caliginis tradiderat, damnationi servandos, 2. Pet. 2.4. & Judæ 6.

nam magnam in manu sua.
2 Qui apprehendit draconem, serpentem,
inquam, illum antiquum, qui est diabolus & Sa-
tanas, & vinxit eum [3] *ad* annos mille.
3 Conjecítque eum in abyssum, quam oc-
clusit & obsignavit super eum, ut non [4] seduceret
ampliùs gentes, donec complerentur anni mille:
nam posteà oportet eum solvi *ad* [5] exiguum
tempus.
4 [6] Deinde vidi [7] thronos, & [a] sederunt su-
per eos, & judicium datum est eis: & animas
[8] eorum qui securi percussi sunt propter testimo-
nium Jesu, & propter sermonem Dei, [9] quíque
non adorant bestiam, néque imaginem ejus,
nec acceperunt characterem ejus in frontibus
suis, aut in manibus suis: vivéntque & regna-
bunt cum Christo mille annis.
5 [10] Reliqui verò ex mortuis [11] non revi-
viscent, donec expleti fuerint illi anni mille. Hæc
est resurrectio prima.
6 Beatus & sanctus qui habet partem in re-
surrectione prima: in hos *enim* [12] secunda mors
non habet potestatem: sed erunt sacerdotes
Dei & Christi, [13] & regnabunt cum eo mille
annis.
7 [14] Quum verò expleti fuerint [15] anni mil-
le, solvetur Satanas è carcere suo.
8 [16] Et exibit ut seducat gentes quæ sunt
in quatuor [b] angulis terræ, ‖ Gogum & Mago-
gum, ut congreget eos in prælium: quorum nu-
merus est sicut arena maris.
9 Ascenderunt igitur [c] super latitudinem
terræ, & circumiverunt castra sanctorum, & ur-
bem illam dilectam: sed descendit [17] ignis à Deo
è cælo, qui devoravit eos.
10 [18] Et diabolus qui seducebat eos, conje-
ctus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi *erat* &
bestia illa & ille pseudopropheta, & cruciabun-
tur die ac nocte in secula seculorum.
11 [19] Tum vidi [20] thronum magnum candi-
dum, & [21] quemdam ei insidentem, à cujus con-
spectu fugit terra & cælum, quorum locus non est
inventus.
12 Et vidi mortuos parvos & magnos stan-
tes in conspectu [22] Dei, & [23] libri aperti sunt: &
alius ‖ liber apertus est, qui est *liber* [24] vitæ: judi-
catíque sunt mortui ex iis quæ scripta erant in
libris, secundùm opera ipsorum.
13 [25] Et reddidit mare mortuos quos habe-
bat: Mors quoque & Infernus reddiderunt mor-
tuos quos habebant: & judicatum est de singu-
lis secundùm opera ipsorum.
14 [26] Infernus autem ac Mors conjecti sunt
in stagnum ignis: quæ est mors secunda.
15 Et qui non inventus est in libro vitæ scrip-
tus, conjectus est in stagnum ignis.

3 quorum primus (continuatâ nempe hac historiâ cum fine capitis 12.) est trigesimus sextus à passione Christi, quum Ecclesiâ Judæorum eversâ in Ecclesiam Christianam apud Gentes collectam involare tentaret Satan, & de semine illius perdere, suprà 12. 17. millesimus verò præcisè incidit in scelerati illius Hildebrandi tempora, qui Gregorius VII. est dictus, necromantæ & magi perditissimi: quo instrumento usus est diabolus, quum è vinculis solutus esset, ut sanctos atrocissimis persequutionibus, mundum verò totum discidiis & bellis cruentissimis deinceps infestaret, ut Benno Cardinalis narrat copiosissimè. Atque hæc prior in terris parta de dracone victoria. 4 Seductione videlicet illa publica atque violenta, quam tentaverat suprà 12. & quam post hos mille annos (proh dolor) in Christiano orbe potentissimè procuravit. 5 quo demum elapso secundum illud certamen victoriáque futura est, de quo vers. 7. & sequente. 6 Descriptio status communis Ecclesiæ Christi in terris eo mille annorum spatio, quibus diabolus fuit in vinculis: in qua primùm auctoritas, vita, & gloria communis piorum ostenditur versu 4. secundò aliis vitæ novitas per Evangelium post illud spatiũ pronunciatur, vers. 5. postremò autem concluditur promissionibus, vers. 6. 7 Hic typus auctoritatis bonorum fideliúmque Dei servorum in Ecclesia, humanitùs. a B. Datum est siquidem illis judicium, quatenus videlicet membra capiti sunt conjuncta: non autem quia Christi officium ad eos transfertur. 8 martyrum, qui passi sunt primis illis seculis. 9 martyrum, qui posteà passi sunt quàm bestia utráque exstitit, suprà 13, nam ibi exponuntur ista. 10 quicumque mortui in peccatis jacebunt, & veritatem Dei ignorabunt. 11 non renovabuntur illa novitate vitæ per illustrationem Evangelii gloriæ Christi: hæc enim prima resurrectio est, qua resurgunt animæ piorum à morte sua: secundâ autem resurrectione corpora resurrectura sunt. 12 illa nimirum, qua corpora & animæ, id est, toti homines addicuntur & traduntur æternæ morti. sic suprà 2.11. 13 Regressio ad historiam institutam per epanalepsin verborum quæ habentur in fine versus 4. 14 Secunda historia de posteriore victoria Christi, ut diximus in vers. 1. in qua summatim diaboli opus, eversio, suppliciúmque æternum describuntur. 15 de quibus suprà vers. 2. tum ergo copia fiet illi furendi in Ecclesiam Dei, & sanctos infestandi propter peccata hominum, quibus se fideles plus satis consociaverint doctrinæ & vitæ impuritatem imbibentes. 16 Opus diaboli (primum membrum, quod præcedente vers. distinximus) universum orbem seducere ad gentes usque extimas, armare in populum Dei, hoc vers. & Ecclesiam totis viribus circumsidere atq; opprimere, sequente vers. b Plagis & cardinibus. ‖ *Eze. 39.2.* c Quasi diceret, ita ut terræ superficies quantacumque est, completa fuerit. 17 ira Dei consumens adversarios, everténsque omneis conatus ipsorum, Hebr. 10.27. Atque hoc secundum membrum quod vers. 7. distinximus, Satanæ eversio. 18 Tertium membrum, supplicium æternum victis, ut ibidem annotatum. 19 Secunda pars capitis: in qua judex, hoc vers. judiciúmque ultimum, sequentibus describitur. 20 Solium judiciale amplissimum, & splendidissimum: hoc enim τοῦ λευκοῦ nomine etiam designant Græci. 21 Christum, coram quo judicium habituro cælum & terra peritura sunt à majestate ipsius, 2. Petr. 3.7. & 10. & sequentibus.

22 Christi judicis, 2. Cor. 5.10. 23 quasi rationales nostri, id est, conscientia operúmque nostrorum indices ineluctabiles: hæc dicta humanitùs. ‖ *Sup. 3.5. Infr. 21.27. Phil. 4.3.* 24 consilii æterni, quo Deus Pater elegit in Christo secundùm beneplacitum voluntatis suæ hæredes futuros vitæ, & hoc dictum humanitùs. 25 Anticipatio est. Atqui sunt mortui, dixerit quispiam, quos mare, mors, sepulcrum absumsit: quomodo illi coram judice compareant? respondet Joannes, per resurrectionem ex mortuis, cui omnia, quamvis adversa, ex Dei mandato ministratura sunt, ut Dani. 12. 26 Ultimus hostis, mors, à Christo (nequid porrò in nos tentet) abolebitur, 1. Cor. 15.26. reprobósque in inferis depascet judicio Dei, sequente vers.

CAPUT XXI.

2 Novam Jerusalem descendentem è celo, 9 sponsam uxorem Agni, 12 ac illius structuram describit, 19 pretiosis lapidibus ornatam, cujus templum est Agnus.

[1] DEinde ‖ vidi cælum novum & terram no-
vam: ‖ primum enim cælum & prima terra
abierat: & mare non ampliùs exstabat.
2 [2] Et ego Johannes vidi sanctam illam ci-
vitatem Hierusalem novam, descendentem à
Deo è cælo, paratam, ut sponsam ornatam
viro suo.
3 [3] Et audivi vocem magnam è cælo di-
centem, Ecce tabernaculum Dei *est* cum ho-
minibus, & habitabit cum eis: & ipsi, populi
ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit, Deus ip-
sorum.
4 ‖ Et abstersurus est Deus omnem lacry-
mam ab oculis eorum: & mors ampliùs non
exstabit: néque luctus, neque clamor, néque
labor exstabit ampliùs: quia præcedentia abi-
erunt.
5 [4] Et dixit is qui insidebat throno, ‖ Ecce,
nova facio omnia. Et dixit mihi, Scribe: nam hęc
verba vera sunt & fidelia.
6 Et dixit mihi, [5] Fuerunt: ‖ ego sum A & Ω,
initium & finis. Ego sitienti dabo ex fonte aquæ
vivæ, gratis.
7 Victor, hæreditario jure obtinebit omnia:
& ero ei Deus, & ipse erit mihi Filius.
8 Timidis autem & incredulis, & exsecrabi-
libus, & homicidis, & scortatoribus, & venefi-
cis, & idololatris, & omnibus mendacibus [a] por-
tio *assignata* est in stagno ubi ardet ignis & sul-
phur, quod est mors secunda.
9 [6] Tum venit ad me unus ex septem il-
lis Angelis qui habuerant septem illas phialas

1 F. Nunc sequitur historiæ propheticæ pars secunda, ut diximus in caput 1. & 11.1. de statu futuro Ecclesiæ cælestis post judicium ultimũ, usque ad vers. 5. capitis seq. Duo autem summatim exponuntur, statio sive sedes & locus illius, vers. 1. deinde status, sequentib. Ante statum ergo Ecclesiæ, status universitatis exponitur: cælum fore novum, terrámque novam, ut Esai. 65. & 66. & 2. Pet. 3. atque hæc sedes vel locus Ecclesiæ, in quo justitia habitat. ‖ *Esa. 65.17. & 66.22.* ‖ *2. Pet. 3.13.* 2 Status Ecclesiæ illius gloriosæ describitur generatim ad vers. 8. usque; deinde speciatim & minutatim, sequentib. Generalis descriptio posita est tum in viso eminus oblato, vers. 2. tum in sermonibus è cælo nunciatis. In genere communia sunt hæc: quod Ecclesia sancta est, nova, Dei opus, cælestis, ornatissima, sponsa Christi, & consors gloriæ illius, hoc vers. 3 Ecclesia illa sermone describitur tum Angeli, duob. vers. tum Dei ipsius, versib. 4. Angeli sermo gloriam describit Ecclesiæ, ex Dei cohabitatione præsentissima, ex bonorum omnium communicatione secundùm fœdus, hoc vers. & ex depulsione malorum omnium, vers. seq. ‖ *Sup. 7.17. Esa. 25.8.* 4 In sermone Dei Ecclesiam describente primùm exordium quoddam ponitur, vers. 5, tum subjicitur Ecclesiæ descriptio magnifica à præsentibus & futuris bonis illius, trib. sequentibus. Exordio autem restitutionem illam universitatis Deus sibi arrogat, de qua vers. 1. & Joannis vocationem his perscribendis testatam facit, hoc vers. ‖ *Esa. 43.19. 2. Cor. 5.17.* 5 Ecclesiæ descriptio fit tribus modis: rerum veterum antiquatione: præsentium in Deo, id est, æternarum subsistentia: & bonorum omnium cum bonis communicatione, vers. 6. simodò certaverint, vers. 7. ex ea verò reprobi excluduntur, 8. vers. ‖ *Sup. 1.8 Infr. 22.13.* a B. Sors & tamquã hæreditas, Heb. 6 Transitio ad singularem descriptionem cælestis Ecclesiæ, singulari vocatione Joannis, hoc vers. & raptu ejus per spiritum, veritatem divinam confirmante vers. seq.

plenas

plenas septem plagis ultimis:& loquutus est mecum, dicens, Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni.

10 Et sustulit me per spiritum in [7] montem magnum & sublimem,& ostendit mihi [8] civitatem illam magnam, sanctam, *inquam*, illam Hierusalem è cælo descendentem à Deo:

11 Habentem gloriam Dei: & cujus lumen *erat* simile lapidi pretiosissimo, tamquam lapidi jaspidi instar crystalli splendenti.

12 [9] Habebat præterea murum magnum & sublimem, habentem portas [10] duodecim, & in portis [11] Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël.

13 Ab oriente *erant* portæ tres: ab Aquilone, portæ tres: ab Austro, portæ tres: ab Occasu, portæ tres:

14 Et murus urbis habebat [12] fundamenta duodecim, in quibus *erant* duodecim nomina Apostolorum Agni.

15 [13] Porrò is qui loquebatur mecum habebat calamum aureum, ut metiretur civitatem, & portas ejus & murum ejus.

16 [14] Urbs ipsa verò [b] quadrangularis sita est, cujus longitudo tanta estquanta & latitudo, mensusq; est civitatem illo calamo, ad stadiorum duodecim millia: suntq; longitudo & latitudo & altitudo ejus æquales.

17 Et mensus est murum ejus, [c] centum quadragintaquatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est [d] Angeli.

18 [15] Erat autem structura muri ejus ex jaspide: ipsa verò civitas aurum purum, & similis vitro puro.

19 Et fundamenta muri urbis omni lapide pretioso ornata. fundamentũ primum *erat* jaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, smaragdus:

20 Quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethystus.

21 Duodecim autem portæ, duodecim margaritæ sunt,& singulæ portæ ex singulis margaritis sunt: & [e] forum civitatis, aurum purum tamquam vitrum perlucidum.

22 Nec templum vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est, & Agnus.

23 ‖ [16] Neque civitas ista eget sole vel luna, ut luceant in ea: nam gloria Dei illustrat eam, & lucerna ejus est Agnus.

24 ‖ Et gentes quæ servatæ fuerint ambulabunt ad lucem ejus: & reges terræ gloriam suam & honorem ad eam adferent.

25 ‖ Nec portæ ejus claudentur interdiu: nox enim non erit illic.

26 Et adferetur gloria & honor Gentium ad eam.

27 Non intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium *loquitur*: sed qui scripti sunt in libro ‖ vitæ Agni.

7 locum sedémque Ecclesiæ celsissimam, monte adumbratam. 8 typum Ecclesiæ illius, quæ est una, magna sive catholica, sancta, cælestis, à Deo condita, hoc vers. gloriosa, seq. vers. Hic verò typus communiter propositus, deinceps particulatim exponitur vers. 12. & sequentibus. 9 Singularis descriptio (ut diximus in ver. 2.) cælestis Ecclesiæ. primùm seundùm partes essentiales ipsius, sub typo civitatis, ad vers. 22. secundò ab exteris accidentibus, ad finem cap. tertiò ab effectis, principio capitis seq. Partes essentiales ponuntur materia & forma, in toto opere: ex eis integrales (ut vocant) superficies muri, & fundamentum: quæ partes primùm ἐν τύπῳ ad vers. 14. pòst accuratiùs describuntur. 10 de numero tribuum, de quibus suprà 7. nam hîc superficies veteri Testamento, fundamentum Novo tribuitur. 11 Prophetas, internuncios Dei, & custodes Ecclesiæ. 12 id est, lapides fundamenti secundùm portas, ut demonstratur ex vers. 19. 13 Transitio ad accuratiorem descriptionem partium Ecclesiæ, dimensione earum per mensorem explorata. 14 Mensura, & forma æquissima, duobus vers. b Quadrati figura est æqualium laterum & angulorum rectorum: vocant autem Græci τετράγωνον, firmum, constans, & omnibus numeris absolutum.

c Multiplicatio numeri duodecim in seipsum. d Hoc addidit, quia Angelus hominis speciem referebat. 15 Materia petiosissima & splendidissima, quam gloriosissimam efficit præsentia Dei. e Sic vocat urbis locum magis patentem. ‖*Esa.60.19.* 16 Secundus desciptionis singularis modus, ut diximus in ꝟ.12. ab accidentibus exteris. Sunt autem hæc: lux à Deo, hoc vers. gloria ab hominibus, vers. 24. summa securitas, vers. 25. denique ea gloriæ veritas & incorruptio, vers. 26. quæ nihil inglorium in se perferre possit, vers. ultimo. ‖*Esa.60.3.* ‖*Esa.60.11.* ‖*Suprà 3.5.& 20.12. phil.4.3.*

CAPUT XXII.

1 Ostenditur aqua vivæ fluvius, 2 & arbor vitæ. 6.7 Sequitur prophetia hujus conclusio, 8 in qua Johan. ostendit verissima esse quæ hîc continentur, 13 & jam tertiò repetit dictata hæc omnia ab eo esse, qui est Α & Ω.

1 [1] DEinde ostendit mihi purum fluvium aquæ vivę, splendidum tamquam crystallum, procedentem ex throno Dei & Agni.

2 In medio *autem* foro ejus, & ex utraque parte fluminis, *erat* arbor vitæ ferens fructus duodecim, per menses singulos edens fructum suum, & folia sua ad sanitatem Gentium.

3 Nec ullum adversus quemquam anathema erit ampliùs: sed sedes Dei & Agni in ea erit, & servi ejus servient ei.

4 Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus ipsorum *erit*.

5 ‖ Et nox illic non erit, neque opus est eis lumine lucernæ, neq; lumine solis: quoniam Dominus Deus illustrat eos: & regnabunt in secula seculorum.

6 [2] Tum dixit mihi, Hæc verba fida *sunt* & vera: & Dominus Deus ille sanctorum Prophetarum misit Angelum suum ut indicet servis suis quæ oportet fieri citò.

7 Ecce venio citò. beatus qui observat verba Prophetiæ libri hujus.

8 Ego verò Johannes *is sum* qui hæc audivi & vidi. Et quum audissem & vidissem, ‖ procidi ut adorarem ante pedes Angeli qui mihi hęc ostendebat.

9 *Is* verò dixit mihi, Vide ne *feceris*: conservus enim tuus sum, & fatrum tuorum Prophetarum, & eorum qui observant verba libri hujus. Deum adora.

10 [3] Deinde dixit mihi, [4] Ne obsignaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim propè est.

11 [5] Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.

12 [6] Et ecce, venio citò: & merces mea mecum *est* ‖ ut reddam unicuique prout opus ipsius erit.

13 ‖ Ego sum Α & Ω, principium & finis, primus & ultimus.

14 Beati qui præstant ejus madata: [7] ut sit eis jus in arborem vitæ, & per portas ingrediantur in civitatem.

15 Foris autem *erunt* canes, & venefici, &

1 1. Hic absolvitur descriptio Ecclesiæ cælestis (ut suprà 21.12. docuimus) ab effectis, vers. 5. tum verò liber concluditur, reliquo cap. Effecta à Deo, qui in Ecclesia habitat, proficiscentia sunt hæc: peremnis Dei gratia, hoc vers. æternus piorum victus, ut supra 2.7. fructus æternus, quem pij Deo, sibi, aliisque proferunt, vers. 2. immunitas ab omni malo, conquiescente Deo in servis suis, & his vicissim in Deo suo, vers. 3. cõtemplatio Dei, piorum obsignatio in æternitatem vers. 4. lux Dei & regnum gloriaq; æterna, vers. 5. ‖*Esa.60.19.* 2 Concluditur hic liber totus confirmatione, & salutatione. Confirmationis loci sunt tres: sermo Angeli, ad vers. 15. sermo Christi, vers. 16. & 17. & obtestatio facta à Joanne divinitùs, inde ad vers. 20. Sermone Angeli prophetia hæc confirmatur, ad vers. 8. usque, tum verò de usu libri instituit dicere, sequentib. Prophetiam confirmat Angelus primùm à natura illius, quòd fida & vera sit: secundò a natura efficientis causæ, tum principalis, nimirum Dei, tum instrumentalis, Angeli, hoc vers. tertiò à divinis promissionibus de adventu ipsius ad hæc omnia præstanda, & de salute nostra, vers. 7. quartò à Joannis ipsius testificatione, 8. vers. Reliquum verò sermonem eodem pertinentem interrupit Joannes suo actu imprudente adorationis, eodem vers. quo prohibito, Angelus ipsum docet non sibi adorationem (se enim ea natura & officio esse, ut non sit adorandus) sed Deo soli tribuendam: ut & suprà 19.10. factum legimus. ‖*Suprà 19.10.* 3 Regressio ad Sermonem institutum: qua docet Angelus usum hujus libri, tum apud nos, hoc & sequente vers. tum erga Deum in demonstranda veritate ejus, inde ad vers. 15. 4 id est, omnibus palam prophetiam hanc proponito, nec dissimulato illius quicquam. contrarium præcipitur, Esai. 8.16. & Dan. 8.26. 5 Occupatio, At erunt qui occasione hac ad malum abutantur, & hanc Scripturam detorqueant suo ipsorum exitio, ut ait Petrus. Quid tum? inquit Angelus: non sunt propterea obtegenda mysteria Dei, quæ placuit communicare. Noceant sanè aliis: sordescant in se magis ac magis, quibus hæc Scriptura minimè arriserit: at alii ad justitiam & sanctimoniam ampliùs informabuntur. Horum autem cura & informatio non est negligenda, propter voluntariam & malitiosam offensam istorum. 6 Alter locus ad usum libri pertinens, ut diximus in vers. 10. Tum etiam (inquit Deus per Angelum) ut nullus inter homines usus libri exstet, hic tamen usus mihi futurus est, quòd veritatis meæ testis est ad gloriam meam: qui brevì adventurus, justum judicium facturus & exsequuturus sum, hoc vers. qui hæc omnia in me docui subsistere, vers. 13. & beatitatem servis meis in Ecclesia, vers. 14. reprobationem impiis denunciavi, vers. 15. ‖*Rom.2.6.* ‖*Suprà 1.8. & 21.6. esai. 41.4. & 44.6.* 7 Piorum beatitas in jure, & fructu posita.

scortatores,

scortatores, & homicidæ & idololatræ, & quis-
quis amat ac committit mendacium.
16 [8] Ego Jesus misi Angelum meum, ut hæc
vobis testificaretur in Ecclesiis. Ego sum stirps &
progenies illa Davidis, stella illa splendida & ma-
tutina.
17 Et Spiritus & sponsa dicunt, Veni. Et qui
audit, dicat, Veni. [||] & qui sitit veniat: & qui vult,
accipiat aquam vitæ gratis.
18 [9] Enimvero unà testor cuivis audienti
verba Prophetiæ libri hujus: siquis adjecerit
ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in li-
bro isto:
19 Et siquis abstulerit *aliquid* ex verbis libri
prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è li-
bro vitæ, & ex urbe illa sancta, & ex iis quæ scri-
pta sunt in libro isto.
20 [10] Dicit qui testatur ista: etiam, venio citò.
Amen. Veni igitur Domine Jesu.
21 [11] Gratia Domini nostri Jesu Christi cum
omnibus vobis. Amen.

8 Secundus confirmationis locus (ut in v. 6. diximus) sermo Christi, cõfirmans vocationẽ Ioannis, auctoritatémque vocationis & testimonii illius, tum a conditione personæ suę Θεανθρώπου, in qua omnes Dei promissiones sunt etiam & amen, 2. Cor. 1. 20. tum ab aliarum personarum testificatione: Spiritus sancti, velut paranymphi: Ecclesiæ, velut sponsæ: singulorum piorum, velut membrorum, acclamatione: tum denique a se præsente, quòd scientes volentésque ad participationem bonorum Dei provocantur, versu 17. || Esa. 55. 1. 9 Obtestatio Ioannis (tertius confirmationis locus, ut annotatum in vers. 6.) exsecratione conjuncta, ad veritatem libri integram conservandam, duobus vers.

10 Obtestationis divina cõfirmatio vel obsignatio: primum à Christo eam asserente, & iis qui sacrilegam manum admoverint denunciante adventum suum: tum à Joanne voto sanctissimo Christum vindicem appellante. 11 Salutatio Apostolica, alter conclusionis locus, ut diximus in vers. 6. omnium ferè Epistolarum clausula: quam Ecclesiæ, & piis omnibus illius membris, adeóque electis exoptamus in Domino Jesu Christo usque in adventum ipsius. Veni Domine Jesu, & fac. Amen, iterum Amen.

Soli Deo honor & gloria.